


R. P. MATTHIÆ FABRI
E SOCIETATE IESV
CONCIONVM
SYLVA NOVA seu AUCTARIUM
IN DOMINICAS ET FESTA TOTIVS ANNI,

pluribus, & ab Opere Tripartito diversis, in singula Evangelia, argumentis instructissimum:

Cui accedunt

CONCIONES FVNEBRES ET NVPTIALES

posthumæ ejusdem Authoris.

Editio post plurimas ultima, & correctior, cum INDICE MATERIARUM longè quàm hactenus perfectiore & copiosiore.

Bibl. Cathalogo adscriptus



Eremitarum
Camaldulensium
Eremi Viennensis
1670

Scripto eiusdem Eremi com...

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Viduæ Ioannis Widenfelt sub Monocerote veteri,
ANNO M. DC. LXIII.



ADM

IOAN

ILLV

legi



ræ vincu

consang

sentiat,&

jucundu

perspica

sensimu

menta

cursum

possit e



ADMODVM REVERENDO ET SPECTABILI DOMINO

IOANNI GEORGIO FABRITIO,

ILLVSTRIS ARCHIDIACON. COLlegiatæ Ecclesiæ SS. Cassii & Florentii Bonnæ Scholastico & Canonico Capitulari dignissimo.

Domino Avunculo suo Colendissimo.



GEmino ad Tuum patrocinium titulo accedimus cognati sanguinis, & persuasæ in Te pietatis. Illò adducimur, quod tantò vehementius de Tua dignitate, profectuque in virtute & honore lætemur, quantò propiore naturæ vinculo sociamur. Est enim hæc nativa quædam vis consanguinitatis, ut & alterius ad se damna pervenire sentiat, & emolumenta existimet pertinere. Quare, ut jucundum nobis est Tuæ prudentiæ ingeniiq; ad multa perspicacis laudes cognoscere; ita non alienum esse sensimus à Tuis Virtutibus hæc suggerere pietatis alimenta, quæ ex S. literis historiisque per totius anni decursum sic digesta sunt, ut studioso earum rerum nulla possit esse dies sine linea, si non Tuo exarata calamo, sal-

rem ſecta atque animo divinarum rerum capaci infixa.
Si virentibus primo vere hortis amœniſque delectetur corpus viridariis, hìc annorum quendam paradiſum exhibemus, qui omni genere florum cœleſtium ſpiritualiumque fructuum abundet. Verius hìc Heſperidum panduntur horti & pomaria, quàm fabuloſa olim vetuſtas aperuit. Poma hìc verè aurea divinarum ſententiarum paſſim emicant avidoque lectori proponuntur, Charites hìc quoque ſuaviſſimo concentu gratiarum cælitus affluentium ludunt, aureſque atque oculos non perituro deliciarum guſtu reficiunt, amœna hiſtoriarum diverſarum viridaria recreant, currentium blandè rivi diſſertationum oblectant. Quædam etiam virtutum quodammodo animatarum voces, tanquam avium ſuaviter concinentium melodiæ, reſonant, animumque his detinent piè inhiantem. Huc igitur ſi Te invitemus, vix poteris, tam æquis deſideriis noſtris obluctari. Erat fateor in commentitio illo poëtarum horto Draco cuſtos foribus incumbens pervigiliq́ue cura arcens ſubituros hoſpites. Nec ille hodiedum deeſt fallacis Mundi genius, qui pernox perdiuſque mortalium animos cogitationeſque obſidet, ne ad ſecretiora divini illius horti myſteria penetrent, aureoque ſacrarum ſententiarum fructu potiantur. At hunc Tu non minus, quàm olim Iaſon, cœleſtis Alitheæ & Sapientiæ conſilio noveris ſuperare; &, quâ es prudentiâ, ſcies declinare, quâ pietate & animi magnitudine, etiam vincere. Multi induſtriam illam

lam

lam tuam celebrant constantiamque, quâ in rebus agendis atque ad felicem exitum deducendis vales. quæ Te virtus pluribus charum optatumque adjutorem facit; neque existimandum, quod si tam secundo negotiorum cursu alienarum etiam rerum satagas, tibi sis defuturus, illâ præcipuè in causâ, quæ salutis felicitatisque æternæ summam complectitur: quæ si una inprimis rectè agatur, nihil malè est actum; si una perperam, nihil bene. Huic itaque principali curæ Tuæ dignum religionis pietatisque excitandæ alimentum hisce in concionibus fabra manu &arte concinnatis, atq; ad persuadendum aptè dispositis, eâ varietate suffecimus, ut nec similitudo dissertationum adferre tædium, nec multitudo possit confusionem. Erunt, veluti in lautissima & Persico apparatu instructa mensa, quædam ad gustum, quædam etiam ad oculorum delicias. Invenies quandoque historiolam, aut quampiam antiquitatis exhibitæ imaginem, quæ magis delectet spiritualem gustum, quam satiet. At solida ex Magistris virtutum optimis, ex ipsius deprompta veritatis supremæ oraculis, non deerunt alimenta, quæ fortioris nutrimenti instar, non minus satient, quam robur, atque incrementum pietatis animæ sufficiant.

Hoc singularis beneficii habiturus es, quod hunc Concionatorem Tuum, sine impensis tuis domi alere, fidelemque ad latus monitorem habere possis. Semper ad dicendum paratum, modò Tu ad audiendum fueris. Non ille asperiori terrebit vultu, etiamsi duriora oggesserit;

non clamoribus pertundet aures, quamvis gravia monuerit: sine felle irascetur, sine mollibus vocum blanditiis pertentabit animum, non fugaci & facilè memoriam fallente orationis sententia, sed impressis ad subsidium recordationis vocibus: ut fideli ex tabula in animum quovis tempore liceat transferre.

Hoc igitur consanguineorum erga Te officium, ut ex benevolo animo, Tuique nominis honorem venerante profectum est, ita consueta Tibi erga eosdem humanitate digneris amplecti. Ita Te Deus nobis diu incolumem ac superstitem præstet, atque inter illos *beatos* collocet, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Coloniæ Ubiorum Anno 1663. die 20. Martii.

Admodum Reverendæ D.V.

Affectuosissima Neptis & Nepotes

Gertrudis Kinckes Vidua IOANNIS Widenfelt & filii.

R. P.

R. P. MATTHIAS FABER
SOCIETATIS IESV
AMICO LECTORI.



Uctarium accipe, Lector amice, ad Operis mei Tripartiti argumenta adjectum; proinde ne expecta rem valde pretiosam: Auctarium est, quale ferè emptoribus ad coëmptas merces pro munusculo addi solet. Itaque inprimis Oratorium stylum hîc ne require. Causas exposcis? dabo. Scripsi inprimis meæ duntaxat memoriæ (neque enim rursum in lucem prodidissem, nisi voluissent alii, qui mādare poterant.) Scripsi hæc dum & dixi, per annos non omninò sex: Scripsi pro iis, qui non alta speculantur, sed humili gressu incedentes, rudem duntaxat instruunt plebem: Scripsi ut etiam illi, qui levioris literaturæ sunt (hi enim potissimùm tali indigent subsidio) capere me possent. Lumen accendere volui, non aures mulcere: dare argumenta ad instruendum & movendum, non ad delectandum. Breviter dicam: Rem do, non verba. Habent eruditi ex propriâ officinâ, unde sibi sermones cudant: ego in suppetias illorum venio qui vel sumptibus destituti altiores disciplinas attingere non potuerunt; vel in iis locis hærent, ubi librorum copia difficilè habetur, vel cariori pretio emitur. Sed neque istis etiam ignaviæ dare ansam volui; Concionum enim Themata, non Conciones præbeo, ut habeant, quod elaborent, Materiam exhibeo; tu m Lector, formam adjice, & quod rude est, expoli; ligna in focum congessi, tu melius dispone & ignem succende. Id certè te rogatum volo, ne ita nudè & crudè adhæreas huic scriptioni, ut nihil de tuo addas aut immutes; ne fortè deprehensus, planè rerum inops, aut parum ingenio valens à litteratis habearis. Quod quàm maximè observandum videtur in iis civitatibus, ubi plures tonant Concionatores. Fabula enim fiunt, qui in eodem loco eandem tubam inflant. Porrò quia pleraque Themata longiora sunt, suadeo tibi optimè Lector, ut ne totum illud dicas unâ concione, quod singula proponunt: sed inde potiùs seligas, quæ pro loco & tempore magis ad rem facient: reliqua differri in alia tempora possunt. Subinde opus fuit ob materiæ affinitatem quædam repetere ex Opere Concionum Tripartito; sed obiter id plerumque facio, & ad marginem indico, ubi eadem res vel materia tractatur in Opere illo. Epilogum quandoque omisi, sive quia ab Exordio, cui consonare & velut echo respondere solet, facilè desumi potest, & utilissimè conficitur, si repetitis Concionis membris denuò inculcetur quod in Exordio propositum seu promissum, & in decursu orationis dictum est; sive quia non omnes ibi finient, ubi ego finio. In reliquo, vir optime, quidquid istud est, amore tui editum, æqui bonique consule; & si quid boni inveneris, Deo, à quo omne bonum: si quid mali, mihi adscribe; qui homo sum, paratus corrigi & corrigere, si quid à veritate devium forsan scripsissem. Denique in tuis sacris precibus & sacrificiis mei memor esto.

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

LEOPOLDUS Divina favente clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Ger-
maniæ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Bur-
gundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & no-
tum facimus tenore præsentium universis. Quod cum Nobis noster & Sacri Imperii fidelis dile-
ctus Joannes Widenfelt Bibliopola Coloniensis humillime exposuerit, se constituisse, P. Matthiæ
Fabri Opus Concionum Tripartitum, Ejusdem que Novam Sylvam Concionum, ut & P. Philippi D'Outre-
manni Pædagogi Christiani Tomum Primum & Secundum pro communi omnium Studiosorum, Concio-
natorum præsertim usu, novo typo in publicum edere, quandoquidem verò vereri debeat, ne æmulorum in-
vidia, eosdem libros alibi recudentium impendii & laboris sui fructu frustretur, ideoque nobis demisse sup-
plicârit, quatenus indemnitati suæ Privilegio nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur. Nos atten-
to hoc supplicantis laudabili studio ejusdem justis precibus benigne annuerimus. Mandamus proinde omni-
bus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac Bibliopegis, aliisque rem & negociationem litterariam quovis
modo exercentibus districtè atque sub pœna decem marcarum auri, amissionisque exemplarium serio inhi-
bentes, ne quisquam eorum præfatos Authores proximo decennio à prima recusione & editione memora-
torum librorum numerando, intra Sacri Imperii, Regnorumque ac Provinciarum nostrarum hæreditaria-
rum eodem aut alio typo integre aut pro parte recudere, invehere, & clam vel palam vendere atque distrahe-
re præsumat: quatenus supra comminatam pœnam decem Marcarum auri ex semisse Cameræ nostræ Im-
periali, ex altero vero semisse parti læsæ irremissibiliter pendendam incurrere, & omnibus exemplaribus ubi-
cunque locorum repertis, quorum sibi vel propria authoritate, vel Magistratus ubi eadem reperta fuerint,
auxilio vendicandorum, dicto Joanni Widenfelt, ejusdemque hæredibus vigore præsentium facultatem &
potestatem nostram Cæsaream concedimus, privari noluerint, dummodo tamen nihil honestis moribus
contrarium uspiam contineant, & præfatus Widenfelt singulorum authorum quaterna exemplaria ad Can-
cellariam nostram Imperialem aulicam destinato Taxatori transmittat. Privilegiumque hoc nostrum Cæ-
sareum in capite dictorum librorum (ne quis ignorantiæ prætextu ob locorum intervalla se se excusare pos-
sit) imprimi curet. Mandantes porro universis nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque ac Provin-
ciarum nostrarum hæreditariarum Magistratibus, Ecclesiasticis & sæcularibus, cujuscunque Ordinis, condi-
tionis & gradus fuerint, ne quenquam huic nostro Cæsareo privilegio ullatenus impune contravenire pa-
tiantur, quin ejusdem transgressores supradictis pœnis, aliisque licitis modis coërceri curent, quatenus & ipsi
eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, & sigillo no-
stro Cæsareo munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ, die decima octava mensis Novembris,
Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo primo, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hunga-
rici Septimo, Bohemici vero Sexto.

LEOPOLDUS.

Ut Wildericus Baro de Walderdorff. L. S.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

J. Walderode.

Privilegium Reverendissimi Patris Generalis.

GOSVVINUS NICKEL SOCIETATIS JESU PRÆPOSITUS GENERALIS.

OMnibus, in quorum manus hæ literæ venerint, salutem in Domino sempiternam. Cum ex Privi-
legio S. Cæsareæ Majestatis, & aliorum Principum nostræ Societati concesso Bibliopolis omni-
bus interdicatur, ne libros à nostris Religiosis conscriptos, absque Superiore ejusdem Societa-
tis licentia typis mandare audeant: & aliquando contingere possit, quod cum quispiam noster
Provincialis hujusmodi facultatem D. JOANNI KINCHIO Civi & Bibliopolæ Coloniensi, vel
Successori suo fecerit imprimendi aliquem ex dictis libris, alter Provincialis alteri Bibliopolæ similem li-
centiam circa eundem ipsum librum concedat, in non leve ipsius D. JOANNIS KINCHII vel Successoris dam-
num, & detrimentum. Nos viri hujus alioqui Societatis nostræ studiosissimi ac bene de ea plurimis modis
meriti, indemnitati (ne ex hujuscemodi impressione aliquod dispendium patiatur) consulere volentes,
hisce literis nostris omnibus significamus, mentis nostræ esse, quod si quando eveniat, aliquem nostrum
Provincialem illi vel Successori suo dedisse licentiam imprimendi, quodpiam nostrorum hominum volu-
men, nulli alii Provinciali, cujuslibet Provinciæ licitum sit, circa idem volumen typis mandandum, aliis Bi-
bliopolis facultatem facere.

Atque adeo cunctis nostræ Societatis tam mediatè, quàm immediate Superioribus harum serie prohibe-
mus, & interdicimus, ne postquam à præfato D. JOANNE KINCHIO, vel successore suo certiores facti fue-
rint sibi ab aliquo nostro Provinciali fuisse concessam licentiam imprimendi aliquem ex dictis nostrorum
libris, ulli alteri Bibliopolæ similem facultatem eundem ipsum librum imprimendi faciant, nec impertian-
tur Dat. Romæ die 9. Martii 1654.

Loc. Sig. *Gosvvinus Nickel.*

In Privil. hoc Generalis S. I. nunc successit per hæreditatem Vid. D. Joan. Widenfeldt.



MATTHIÆ FABRI
SOCIETATIS JESU,
CONCIONUM
SYLVA NOVA, SEV AUCTARIUM
IN DOMINICAS TOTIUS ANNI, PLURIBUS, & ab Opere tripartito diversis, in singula Evangelia argumentis, instructum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMATA.

I. *Dies Iudicii dies Christi.*
II. *Dies Iudicii optabilis electis.*
III. *Sententia damnationis fulmini similis.*
IV. *Præsidia adversus fulmen Iudicii extremi.*
V. *Dulces fructus ficûs, laudatæ, quæ est virtus.*

THEMA I.

Dies Judicii, dies Christi.

I. *Quia dies offensionis gloriæ ejus.*
II. *Quia dies summi imperii ejus.*
III *Quia dies erit messis ejus.*
IV. *Quia dies rationum & solutionis ejus.*

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & majestate. *Luc.21.*

Dies Iudicii, dies Domini & dies Christi.



DIes hodierna prima est Adventus; quæ licet nos disponat ad primum Christi adventum cum fructu suscipiendum, ingerit tamen memoriam secundi, quem expectamus; ut patet ex Evangelio. Magna & miranda dies illa, quæ peculiari ratione, *Dies Christi & dies Domini* appellatur. Ita enim Sophonias cap.1. ait: *Iuxta est dies Domini* Et Paulus I. Cor.3. *Dies Domini declarabit.* Et ad Philip.1. *Sitis synceri usque in diem Christi.* Et S P..rus epist.2.c.3. *Dies Domini sicut fur veniet.* Quid vero? nonne omnes dies Domini & Christi sunt? Sunt equidem; sed dies illa venturi ad judicium Christi, singulari ratione ipsius est; uti nunc audiemus.

I. Quia dies erit ostensionis gloriæ ejus, juxta hodiernum Evangelium: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & majestate,* quasi diceret: jam quidem humilis & inglorius inter vos appareo, sine majestate, satellitio, pompâ &c. quia primò debui venire humilis. Sed quàm humilis veni primo, tàm gloriosus veniam secundo adventu, ubi velut sponsus procedam de thalamo in decore meo. Quemadmodum enim Esther habuit duplices dies: *dies silentii,* quibus domi quievit, seque in humili vestitu occultavit; & *dies ostentationis suæ,* quibus cum magnâ gloriâ & apparatu regio processit: (ut habetur cap.14.v.16.) ita Christus habuit *diem silentii,* in primo suo adventu, habetque etiamnum; dum nobis gloriam suam tacitus occultat: in extremò vero judicio habebit *diem ostentationis suæ*, ad confundendos eos, qui ipsius humilitati propter nos susceptæ detraxerunt: Galilæum, fabrum & fabri filium, hominemque ignotum appellârunt. Quis autem eam gloriam explicare queat? Planè sicut nemo in lumen Solis intendere aciem oculorum potest ob fulgoris excessum: ita *quis poterit cogitare diem adventûs ejus, aut quis stabit ad videndum eum?* ait Malachias cap 3. Ipso enim præsente *erubescet Luna & confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum*, ait Isaias c.24. Sed quâ ratione? Ait enim c.30: idem Propheta fore tunc

I. Quia dies ostensionis gloriæ ejus.

lucem Lunæ sicut lucem Solis & lumen Solis septuplo majus? Nimirum, uti glossa interlinearis respondet: etsi tanta sit futura lux istorum luminantium, nihilominùs tamen ea respectu splendoris Christi nihil erit, & abscõdet se sicut stellæ adventante Sole. Ita etiam sanctus Chrysostomus in cap. 24. Matth. *Sol*, ait, *obtenebrabitur, non quia destruetur, sed quia luce illius adventûs superabitur.* Magna fuit gloria Christi Domini in transfiguratione, quando vultus ejus splenduit ut Sol, vestes sicut nix; ita ut eâ visa discipuli corruerent, Petrus extra se raperetur, eâque solâ contentus mundi oblivisceretur. Et tamen illa non nisi specimen quoddam unius dotis, scilicet claritatis, fuit: in parvo monte, coram paucis, brevi durans. Quid erit ejus gloria in judicio coram toto mundo, omnium dotium unione stabilis? Itaque gloria illa respectu futuræ hujus quasi nihil fuit, quod in ejus typo, Josue, præfiguratum. Hunc enim variè quidem Deus glorificârat: in victoriâ contra Amalec. Exod. 17. in exploratione terræ sanctæ, Numer. 14. dando ei partem gloriæ Moysis. Num. 27. Attamen, quando is Jordanem transire, & populum introducere in terram promissionis debebat, ait ei Dominus: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel.* Jos. 3. quasi diceret, gloria prior nihil fuit respectu istius. Sic ergo & Deus Pater, licet in baptismo & in monte Thabor glorificârit Filium suum, & per alia miracula in terris degentem, maximè in cruce inter tot tantaque prodigia morientem, à mortuis resurgentem, & in cœlos ascendentem: illa tamen gloria quasi nihil erat respectu futuræ, cum quâ in die judicii introducet Christus electos suos in cœlum. De quâ duplici gloriâ cœlestis ejus Pater videtur locutus Io. 12. intonans è cœlo: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Consistit verò ea clarificatio in corporis splendore, in throno nubis & Angelorum infinitorum assistentiâ, in voce tubæ, in summo imperio ad cogendos & subjiciendos sibi homines & Angelos &c. In primo adventu Christi videbatur ejus dignitas planè absorpta ab humanitate, adeò erat obscura: in secundo verò ejus humanitas videtur absorpta à divinitate ejus, ita ut non jam filius hominis, ut anteà, sed similis tantùm filio hominis appellari queat, uti Apoc. 14. v. 14. appellatur, quando Joanni apparuit velut Judex venturus, habens *in capite suo coronam auream, & in manu falcem acutam*, quemadmodum observat ibi Abbas Joachimus.

II. *Quia dies summi imperii ejus.*

II. Quia dies erit summi ejus imperii, quo supremam in omnes creaturas jurisdictionem obtinebit; ita ut omnia ad nutum ejus fiant, nemo contraire queat. Tametsi enim hîc suam voluntatem fieri jubet, quæ dicitur *voluntas signi* in præceptis ejus contenta; ea tamen à quamplurimis non adimpletur. Ibi absolutè fiet, quidquid fieri jusserit, quæ dicitur *voluntas beneplaciti.* Tempus præsentis sæculi, nostrum videtur esse potius quàm Dei, quia in eo agimus, quod volumus. Unde ad Jerosolymam Dominus ait: *Et quidem in hac die tuâ.* Luc. 19. Et ad cohortem in Oliveto: *Hæc est hora vestra.* Luc. 22. quâ permisit se ligari & illudi. Sed veniet aliquando etiam dies Christi, quâ & ipse aget, quod volet, omniaque ejus nutu stare compellentur. Olim penes victores, qui Romæ triumphabant, eo die summa imperii erat. In die judicii veniet Christus sedens supra nubem, quasi in triumphali curru; & tunc ostendet se totius orbis Imperatorem. Quando Deus, ut suprà vidimus Josuen per Jordanem in terram promissam inducere voluit, dicens: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel.* Jos. 3. ubi Josue pedem in aquis posuit, divisus est Jordanis; & pars sinistra aquarum defluxit in mare mortuum, pars autem dextra stetit, & exaltata est instar montis. Jordanis *fluvius Judicii* exponitur. Eum ita dividet in illo die Christus, ut impii descendant in Orcum; pii ad cœlum exaltentur. Et hoc aget gladio oris sui, pronunciando sententiam in bonos & malos. Typus hujus summi & absoluti imperii fuit Adam in paradiso, quando omnia animantia ad eum adducta fuerunt; ubi ut Moses Barcephas scribit, sedens in alto throno, splendente facie, vocavit ea ad se, & singulis juxta proprietates eorum nomina imposuit; illaque demisso capite Imperatori suo se submiserunt & ad nutum ipsius, quò jussit, abierunt: *Omne quod vocavit Adam, animæ viventis, hoc est nomen ejus*, dicitur Genes. 2. Non dissimili imperio ad Christum adducentur omnes homines in judicio. Et quale nomen is cuique, qualem sententiam, qualem locum dederit, hæc ei manebunt. Ipsi etiam tunc omne genu flectetur cœlestium, terrestrium & infernorum. Sæpiùs ut dixi, Christus à Patre glorificatus fuit, sed non tam pleno, universali & manifesto imperio. Aliis diebus, quibus Imperator Romanorum prodit, comitantur eum aulici in curribus & equis; sed in die Paschæ solus equitat Viennæ ad templum sancti Stephani; omnes ejus aulici pedibus incedunt, eum comitantes. Multi nunc sceptra gerunt & sub Christo regnant: sed ibi omnes omnia ad ejus pedes abjicient: omnes ante eum prostrati jacebunt: solus ipse eminebit in summo tribunali, velut unicus Imperator totius mundi.

III. *Quia dies erit messis ejus.*

III. Quia dies erit messis, quâ fructum laborum & meritorum suorum plenè & copiosè metet ac congregabit in horreum suum; quod facturum se prædixit Matth 13. *In tempore messis dicam messoribus: triticum congregate in horreum meum.* Idem vidit Joannes Apocalypsis 14 Similem scilicet filio hominis sedentem supra nubem, habentem falcem in manu suâ acutam, ad quem Angelus velut Sanctorum legatus clamat: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.* Ut ergo dies messis, agricolarum dies sunt, quibus laborum suorum mercedem capiunt: sic judicii dies, dies erit Christi. Ideo in hodierno Evangelio appellatur *æstas.*
Tunc enim metet primò plenam & uberrimam corporis & animæ suæ gloriam, cùm ea omnium oculis spectanda & collaudanda proponetur, ita ut oculis nostris eam conspecturi simus, auribus nostris audituri, &c. 1.

Secundò cùm approbatâ & laudatâ totâ ejus vitâ vindi- 2.

vindicabitur ab injuriis acceptis, & restituetur ei honor ablatus ab impiis, maximè Judæis & Gentilibus; quo modo restitutus fuit Joseph, cùm è carcere diuturno, in quem innocens missus erat, extractus & currui regio impositus fuit.

3. Tertiò cùm metet ingentes cumulos Sanctorum suorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, Conjugatorum.

4. Quartò cùm eorundem injurias vindicabit, & debitum eis honorem, nec non eorum sanguinem requiret. Exponit agricola per decursum anni multas pecunias in servos & ancillas, in currus & aratra; in reparationes ædificiorum, in agrorum & vinearum cultum, in annuum censum & operas: sudat, laborat, cœli injurias sustinet & fert patienter: quia expectat tempus messis, in quo recuperabit omnia, quæ impendit, cum multiplici fœnore. Pari modo Christus usque ad diem judicii expendit in nos merita passionis & laborum suorum, dat gratiam & beneficia, patitur ingratitudinem & injurias nostras, expectat nos ad pœnitentiam; ibi demùm metet fructum laborum suorum. Hinc Joannis 12. postquam de grano frumenti (hoc est, de seipso) priùs seminando & in agro (montis Calvariæ) mortificando, posteà in messe multum fructum allaturo, proposuisset parabolam, ad extremum subjicit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Exaltatus primò in cruce, deinde in cœlo, ut exponit sanctus Chrysostomus; denique in die judicii supra montem Oliveti, ubi plenissimè omnia ad se trahet veluti messem suam.

IV. Quia dies rationum & solutionis ejus.

IV. Quia dies solutionis & rationum exigendarum. Contingit non rarò cauponi ut hospites in domo suâ tumultuantes, diu noctuque potitantes & epulantes, saltantes, cantantes, litigantes, rixantes, omnia denique sursum deorsum mittentes tolerare debeat, & quidem per aliquot dies, usque dum saturi omnes discesserint: ad postremum verò & ipse cum rationibus suis prodit, & strictè illis computat, quidquid non solùm absumpserunt, sed etiam fregerunt aut conspurcârunt. Similiter in scholis sæpius Magistri dissimulant ad tempus discipulorum petulantiam, negligentiam, loquacitatem, oblocutiones, &c. at finito anno suum obtinent tempus, cùm ab ascensu eos reprobant vel à sperato præmio. Caphres in Monomotapâ sic venantur elephantes: Observant inprimis tempus, quando in campos egrediuntur, & in iis liberè vagantur; deinde exeunt non minùs 150. venatum. Eorum pars notos angustiis calles in sylvis insident, pars per campos palatim elephantorum greges abigunt, compelluntque in insessas à sociis angustias. Quas cùm intrare vastâ mole belluæ non nisi singulæ possint, ubi intrârunt, ex insidiis coorti venatores validis ictibus aliorum alii prætereuntium poplites cædunt, statimque vel post paulùm prægravante etiam corpore prolapsos conficiunt. Refert Franc. Sacchinus tom.2. Annal. Soc. lib.4. n.220. Similes his elephantibus sunt filii hujus sæculi & amatores mundi, qui dicunt: *Venite fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exspers sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis, &c. Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei.* Sap.2. Quænam illa sacramenta? Græcè *secreta Dei*, scilicet judicia quibus expectat eos ad diem suum, diem ultionis, quo belluas illas coget intrare per angustias mortis ad judicium, ubi eos feriet gladio oris sui, & velut in macello pro meritis conficiet. Habent illi hîc diem suum, quemadmodum Judæi tempore Christi, quos deploravit Christus illis verbis: *Si cognovisses & tu! & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi!* Luc. 19. Verùm veniet aliquando dies Christi, de quo Jer. 12. dicitur: *Congrega eos* (impios) *quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis* hoc est, constitue diem justitiæ tuæ, in quo eos velut victimam occidas.

Itaque diem illum Domini præ oculis habeamus; nec attendamus ad dies nostros, sed cum eodem Jeremiâ cap.17. dicamus: *Diem hominis non desideravi, tu scis.*

THEMA II.

Judicii dies optabilis electis.

1. *Ob conspectum Christi.*
2. *Ob publicam gloriam suam.*
3. *Ob resumpti corporis gloriam.*

Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. *Luc.21.*

Optata erit electis dies illa.

PRophetæ Jeremiæ capite 24. ostendit Deus in visione quadam duos calathos ficuum: in uno malas valde, in altero bonas valde. Significabant autem duos Hebræorum populos, optimos & pessimos: illos sub Rege Jachin Dei mandato morigeros: hos verò sub Sedecia rebelles & immorigeros; illos optimè, hos pessimè habendos: illos servandos, hos exscindendos. Audimus hodie Christum comparantem diem judicii ficui: idem audivimus ante octo dies. Ibi deprehendimus ficus malas valde, impios videlicet, qui in Iudicio gravatè admodum comparebunt. Hodie reperimus ficus bonas valde, electos scilicet qui omninò & summo desiderio comparere volent. De his ergo nunc dicendum, & causæ exponendæ, cur Iudicii diem in optatis habeant.

I. *Ob conspectum Christi.*

I. Ob conspectum Christi. Quantum enim ab eo abhorrent inimici Christi, tantum eum desiderant amici ejus. Ex parabola decem Virginum scimus Christum venturum ad judicium tanquam sponsum, ut omnes PP. ad literam exponunt, sed quantum electos concernit. Nam reprobis veniet ut exactor talentorum, quod seq. parabolâ Dominus exposuit. Jam verò S. Joannes Baptista Joan. 3. tale de Christo fert testimonium: *Amicus sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Si hoc Joannes de Christo sponso, cùm adhuc in forma servi & mortali corpore, pauper & abjectus in mundo vixit, adeoque sponsalia sua solum celebravit; quid dicendum, cùm nuptias suas celebraturus est? quanto gaudio exultabunt amici ejus, cùm eum cernêt oculis suis prodeuntem in decore suo velut sponsum de thalamo suo?

I. *Ob præsentiam sponsi.*

Ergo primò gaudebunt, quia stant coram sponso & vident eum coram se in gloriâ sua. Sanè Christus cùm adhuc sub formâ servi in mundo degeret, omnibus illis, qui odio & invidiâ excœcati non erant, totus supra modum amabilis & desiderabilis erat; quia speciosus formâ, sermone mirè gratiosus, moribus humanissimus; ideo turba ei affixa erat: ideo Luc. 4. *detinebant illum:* ideo Marci 1. dicitur: *Quia omnes quærunt te.* Sancta Brigitta in tribus locis testatur eos dixisse: *Eamus ad Filium Mariæ, ut tantisper consolemur.* Gentiles ipsi desiderabant, & instabant, ut eum videre possent. Joannis 12. Dæmoniacus ille à legione obsessus, post liberationem *cœpit illum deprecari, ut esset cum illo,* ait Marcus cap. 5. Sed cur hoc? quid enim scivit priùs de Christo, quià Dæmone vexatus semper in sepulchris hæsit? Nimirum advertit vel ex aspectu, affatu & moribus Christi, quàm bonum & suave esset adhærere isti domino. Oblitus patriam, domum, adhærere voluit Christo, quem priùs nunquam viderat; tametsi pauperem esse, videre facilè poterat.

Jam si tunc cùm adhuc in carne tam humili formâ incederet, tam amabilis erat, quid erit, cùm procedet cum majestate & gloriâ suâ? Joannes certè, ubi vidit eum in carne mortali, gavisus est; (quin etiam præ gaudio in utero matris ad præsentiam ejus, nondum visi, exultavit) aitque insuper suum gaudium impletum esse, quasi diceret: Desideravit eum videre Abraham, Jacob, Prophetæ & Reges: nemo tamen illorum vidit eum, sicut ego, quid erit obsecro videre venientem in majestate regni sui, tanquam sponsum ornatum in decore suo? Petrus in monte Thabor vidit quidem ejus gloriam, sed quasi per rimam solùm, obiter & breviculè; nec tam sibi, quàm nobis, ut testis ejus fieret. At ibi permanenter & indesinenter videbunt eum electi, & sibi, non aliis, de quo exultabat Job, cùm dixit cap. 19. *In carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.* Græcè, *Ego mihi videbo Deum.*

2. *Propter vocem sponsi.*

2. Deinde propter vocem sponsi, ait Joannes: Sanè tunc Christus, nondum suavia omninò & jucunda loquebatur, sed pœnitentiam promulgabat, peccata increpabat, judicium inculcabat, infernum minabatur. Et tamen Joannes gaudio gaudet propter illam vocem. Sanctus Petrus discedere non vult dicens: *Quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.* At in die illo nuptiarum nihil triste suis amicis loquetur, sed omnia festiva. Quænam verò illa? Inprimis quicunque eum confessus fuerit coram hominibus, illum vicissim confitebitur coram toto mundo. Demonstrabit enim illi obsequia sibi & servis suis præstita, & magnificè extollet, sicut vestem sancti Martini mendico donatam. Et quod de sancto Martyrio dixit, qui leprosum veste suâ involutum gestavit in domum suam (erat autem Christus:) *Tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos.* teste sancto Gregorio homilia 39. in Evang. Ex actis Apost. cap. 9. scimus quantâ cum Thabithæ gloriâ ostenderint Petro pauperes & plorantes viduæ tunicas & vestes, quas ei Thabitha fecerat. Quid erit, cùm ipse Christus talia ostendet toti mundo dicens: *Nudus fui & operuistis me, &c.*? Hoc nimirum erit bonum illud vinum, quod sponsus ille distulit ad finem convivii. Joan. 2. *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Mundus hîc bonum vinum propinat, laudat, blanditur: sed ibi dabit acidum, vituperabit, accusabit. Malè igitur sibi consulunt, qui hîc modicæ remunerationis & vanæ laudis vinum sibi propinatum bibunt, quia per hoc meliore illo & quidem optimo se privant.

II. *Ob publicam gloriam suam.*

II. Ob publicam gloriam, quam coram mundo accipient, qui hîc viles & despecti fuerunt habiti. Magna inprimis gloria est, quando quis priùs obscurus & contemptus ex humili loco ob merita sua in altum evehitur, veluti cùm Josephus è carcere exemptus, & currui regio impositus atque undique circumductus, regio annulo insignitus & *Salvator mundi* dictus est, ob saluberrimum, quod dedit Regi consilium. Genes. 41. Similiter quando Cœlestinus V. priùs Petrus de Morone appellatus, ex eremitorio suo extractus a Cardinalibus (qui per 23. dies consultantes de Pontifice eligendo neminem tandem digniorem illo repererunt) in Papam electus fuit. Ad hujus enim tam inexpectatam inaugurationem dicuntur convenisse Romam ducenta millia hominum; duoque Reges, Ungarus & Siculus, ipsum asello vectum in Urbem conduxisse ingenti pompâ & omnium adplausu. Platina & Surius in ejus vitâ. Quid erit cùm justi protrahentur in publicum & totius mundi conspectum, qui hîc velut in antris obscuri latuerunt? evehuntur in thronum gloriæ, qui in sterquilinio sederunt cùm dicitur illis: *Amice ascende superiùs: Tunc erit illis gloria coram simul discumbentibus.* Lucæ 14. Quam ob causam aliqui rem intelligentes, qui in hoc mundo exaltati fuerunt, in mortis articulo doluerunt, quòd non fuerint in hoc sæculo omnium infimi; uti Henricus Card. ex Ord. Cisterc. assumptus, vir pius, qui dicebat moriens: *Utinam in Villario meo (monasterio suo scilicet) inter fratres semper scutellas abluissem!* Fascic. Cisterc. SS. p. 1. f. 377. Cardinalis Alexandrinus, Pii V. nepos, qui

qui dicebat animam agens: *Mallem me totâ vitâ servivisse coquo monasterii mei; quam Cardinalem egisse.* Corn. in cap. 3. Apocal. Atq; hæc causa est, cur Christus adeo sæpe & seriò jubeat nos occultare opera nostra, nec mercedem ullam recipere: invitare ad prandium eos, qui non habent retribuere nobis; *retribuetur enim tibi,* ait, *in resurrectione Iustorum,* cum ingenti scilicet lucro & fœnore. Hîc laudaris coram uno aut altero, ibi laudaberis coram cœlo & terrâ. Hîc recipis obulum, ibi recipies talentum.

Crescet electorum gloria, si per immanem injuriam in hoc sæculo vexati & depressi fuerunt; cum illis ablatus honor ibi restituetur, uti contigit Danieli, cùm è lacu Leonum incolumis extractus est, tanto majori gloriâ, quanto majore priùs confusione injectus fuit: quando & ipsius loco accusatores ejus in lacum detrusi, & in momento à leonibus discerpti sunt. Idem patet in Susanna, cùm se divino calculo absolutam, suos vero criminatores duci vidit. Simile quid contigit S. Luciæ, cùm Paschasium Præfectum Siciliæ, à quo tam inique habita, ad lupanar duci jussa, rogo cincta, demum gladio transfixa, adhuc spirans vidit accusatum à civibus de oppressa Provincia, vinctum & captivum juxta se abduci ad Senatum Roman ut ibi puniretur ob rempublicam malè administratam; ut in ejus vita Sur. 13. Dec.

Augebitur eadem gloria, cum ipsi suos hostes ad pedes suos prostratos aspicient, sibique palinodiam cantantes audient. Qualis gloria Mardochæi fuit quando Aman hostis ejus infensissimus ipsum in equo regio circûducere & proclamare debuit: Sic honorabitur Mardochæus, quia rex sic vult? Simili modo dicent impii: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum &c. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei?* Sap. 5. Ecce Palinodiam. Quanta styli mutatio! Contempserat Othocarus Bohemiæ Rex Rudolphum Habspurgicum Imperatorem olim curiæ suæ Magistrum, ridens ejus griseum ac vile vestimentum; insuper ei bellum movit; sed victus ab eo captusque est, nec prius regno suo restitutus, quam publicum ei homagium genu flexus deferret, quod cum is ægrè, sed coactus tandem subire quidem, privatim tamen in Insula Kamberg inter Danubium sub tabernaculo vellet, jamque prostratus ad pedes Rudolphi jaceret, repente tentorium dejectum in quatuor partes dissiluit, ut coram totis duobus exercitibus conspiceretur Rex jacere supplex ad pedes Rudolphi, olim servi sui. Quæ certè magna Rudolphi gloria, Othocaro ignominia fuit. Dubrau. in hist. Bohem. & Lipsius in Monitis politicis. Noluit tunc Rudolphus aliam vestem induere nisi griseam suam, dicens: *Sæpe irrisit griseam meam vestem, nunc mea vestis irridebit ipsum.* Simile quid continget electis in judicio, quibus à Deo dicetur, quod Josue c. 10. mandavit Principibus Israelitici populi de captivis Regibus: *Ite & ponite pedes super colla Regum istorum.*

III. *Ob resumpti corporis gloriam.*

III. Ob resumpti corporis gloriam, unde fiet, ut duplicetur eorum beatitudo, dum animâ glorificatâ Deum, corpore Christum in gloria videbunt: ac sicut pro objecto beatitudinis suæ habet anima Deum, sic corpus habeat Christum velut hominem. Ibi ergo si cui membrum aliquod ademptum fuit, integrum restituetur: si quis morbido & male affecto corpore fuit, recipiet sanum: juxta id Isaiæ 40. *Mutabunt fortitudinem, assument pennas aquilæ, current & non laborabunt, volabunt & non deficient.* Quod confirmat Christus Matthæi 24. inquiens: *Ubi est corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Novas ergo quasi pennas novi corporis accipient, delectabuntur aspectu Solis Justitiæ, Christi: volabunt dote agilitatis, quaquaversum cupient: penetrabunt omnia: fulgebunt instar Solis: mori & pati aliquid non poterunt. Quantum ibi solatium erit electis, carnem suam hic in servitutem redegisse! Qui enim simul laborarunt, sudarunt, alserunt; simul præmiabuntur. Hac spe solabatur se sanctus Job capite 19. *Rursum circumdabor pelle meâ,* inquit, *& in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Quasi diceret: detracta mihi quidem à Dæmone fuit pellis mea, sed eâ rursum circumdabor: videbo oculis meis, quod prius videre non potui, Christum. Id quod etiam avide semper tota vita expectavit; Unde cap. 14. ait: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Eodem modo tertius ille ex 7. fratribus machabæis, cum manus & pedes abscinderentur, cutis capitis cum capillis abstraheretur, jamq; linguam abscindendam proferre postularetur, ait: *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero,* 2 Mach. 7. Atque hinc dies illa vocatur à S. Petro Act. 3. *Dies restitutionis omnium.*

Specimen hujus restitutionis, ad nos omnes confirmãdos, edere & S. Eustachio martyri exhibere Deus voluit, cum ei rebus omnibus spoliato (uxorem nauta per vim abstulerat, filium unum leo, alterum lupa rapuerat, pecora pestis tulerat) adeoque jam rusticam pauperemq; vitam agenti oblata est occasio à Trajano Imp. rursum militandi & nobilem victoriam parandi; quâ partâ cum Romam victor ingredi pararet, & juxta vicum castra poneret, reperit insperato uxorem suam, mox etiam duos filios suos; quos ignotos in militiam suam conscripserat; sicque cum ingenti gaudio, opibus, ac splendore unà cum iis Romam victor ingreditur maximo Imperatoris & urbis applausu; ut in ejus vita Metaph. 20. Sept. Quia vero Adrianus Trajano successerat, qui Eustachium ad Idola colenda compellebat, rursum vir S. per martyrium tauri ænei, vitâ, uxore & liberis spoliari debuit, quo nimirum agnosceret priorem illam fortunæ rotationem solummodo præludium fuisse illius mutationis, quæ in die Judicij ipsum expectabat.

Quare Auditores bono animo estote; quidquid vobis ademptum fuerit, scitote in die restitutionis omnium magno cum lucro vobis restituendum: sive famam, sive membrum, sive pecuniam, sive liberos aut amicos, sive aliud quid. Nemo indigne ferat, si nihil eorum hic recipiat: retribuetur enim cum gloriâ immensâ & ingenti fœnore in resurrectione justorum.

Atque hæ sunt ficus illæ valde bonæ, electi scilicet, gaudiorum dulcedine replendi & obruendi in die illâ, quam proinde summo cum desiderio quotidie expectant, & dicunt cum Davide Psal. 41. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.*

THEMA III.

Sententia damnationis Fulmini similis.

I. *Quia feriet reprobos, illæsis electis,*
II. *Obstupefaciet reprobos.*
III. *Diversis modis sæviet in reprobos.*
IV. *Favorem contrahent.*
V. *Ita tanget eos ut semivivos.*

Erunt signa in Sole, *Luc. 21.*

NOn solum in hoc, quem videmus, Sole signa erunt in novissimis diebus, sed etiam in illo Sole justitiæ, Christo, cum ad judicandum venturus est. Talia enim in ipso vidit Joan. Apoc. cap. 1. per visionem sibi ostensam: facies ejus sicut Sol erat in meridie, oculi sicut flammæ ignis, vox tanquam aquarum multarum, & ex ore ejus procedebat gladius utraque parte acutus, qui aliud non est nisi sententia illa terribilis in impios vibranda: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quam etiam in spiritu prævidit & vaticinatus est Moyses Deuter. 32. illis verbis. *Si acuero ut fulgur gladium meum & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis & his qui oderunt me, retribuam. Sagittas meas inebriabo sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Diximus ante octiduum adventum illum Christi fulguri similem futurum. Nunc videamus eundem fulminantem; seu damnationis sententiam velut fulmen in reprobos ejaculantem.

I. Feriet reprobos, illæsis electis. I. Fulmen sæpe ferit aliquos, proximè astantibus prorsus illæsis. Id contigit in vita S. Malachiæ apud Divum Bernardum, quando impii tres cum suo antesignano, qui S. Malachiæ Episcopi inaugurationi obsisterant, eique ac Regi ipsi necem machinabantur repente ortâ terribili tempestate, fulmine tacti interierunt; eorumque corpora semiusta ventus abripuit, atque in densas ramis arbores elevata deposuit: Malachiâ ejusque sociis proximè astantibus, & ne minimum quidem læsis. Pari modo sententia Judicis universalis feriet solos reprobos, & separabit eos è medio electorum; quibus nihil mali inferet, quin imo incolumitatem præstabit & salutem, juxta id Matth. 24. *Duo erunt in agro, unus assumetur & unus relinquetur: duæ molentes in molendino, una assumetur, una relinquetur.* Et paulo post: *Venit Dominus ejus & dividet eum.* Et cap. 25 *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* Sæpe ex eadem domo, mensa, lecto, unus assumetur ad gloriam, alter relinquetur ad damnationem. Sub Pogiebradio Rege Bohemiæ, ex uno eodemque carcere educti sunt duo fratres, Ladislaus & Matthias Joan. Huniadis Palatini Ungariæ

Trip. Dom. 2. Adven. 3. C.

filij. Quorum unus Ladislaus capite plexus, qui regnum sperabat; alter Matthias qui necem exspectabat, ad regnum Ungariæ capescendum dimissus est, Æn. Sylv. in Europa cap. 1. Bonfin. lib. 9. dec. 3 Idem multis continget in judicio: ex eodem cœmiterio vel etiam sepulchro unus evolabit velut aquila ad Christi Judicis dexteram & palmam; alter extrahetur velut carcinoma fœtidum & projicietur ad sinistram & gladium. Cogitate jam quanto mœrore divellentur ab invicem charissimi conjuges, Parentes à filijs, fratres à fratribus! Si enim per temporalem mortem tanto cum dolore divelli eos videmus & in nobis experimur; quid erit separari in æternum per immensum chaos; Turci victo Michaelis Palæologi Imp. exercitu prædam virorum ac mulierum, aliarumq; rerum coegerunt, atque inter se diviserunt. Inter cætera duæ adolescentulæ sorores erant, quæ cum divellendæ essent, quod non eidem domino sorte obvenissent, altera alteram intuens, cum lachrymis & ejulatibus omnia implevissent, in mutuo denique amplexu expirarunt; quasi natura corpora non priùs quàm animas separari pateretur. Refert Gregoras libro 3. Colligite hinc quid doloris allatura sit in judicio separatio charissimorum ad tam disparia loca, ad cælum & infernum.

II. Obstupefaciet reprobos. II. Fulmen eos quos tangit, communiter stupefacit & sensibus privat. In vitâ sancti Galli libro 2 c. 26. legimus quemdam fulmine tactum, surdum, mutum & cœcum factum omnique membrorum usu destitutum fuisse. Simili modo sententia illa attonitos reddet improbos. Et primo efficiet illos cœcos; quia gloriam Christi & Sanctorum aspicere non audebunt, sed *dicent montibus: Cadite super nos, & collibus operite nos, à facie sedentis super thronum.* Et secundum Isaiam cap. 2 *introibunt in cavernas petrarum à facie formidinis Domini.* Si enim Daniel divinis visionibus

1. Faciet cæcos.

assuetus cecidit in faciem coram apparente sibi Angelo, (Dan. 10.) ut nil haberet virium: & si Joannes Apostolus ante Christum Judicem, per typum tantummodo conspectum, prolapsus est ad pedes ejus velut mortuus, (Apoc. 1.) quomodo stabunt impii coram Christo infenso sibi judice?

2. Mutos. 2. Mutos; quia defendere se non poterunt convicti à tot testibus: quomodo ille in nuptiali convivio deprehensus & interrogatus: *Amice quomodo huc intrasti?* obmutuit. Quid dicent cùm appellabit eos inimicos? quando multa peccatorum millia eis objiciet? Hinc exclamat Zacharias c. 2. *Sileat terra à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo*, ad judicandum scilicet orbem. Et quidem jure; quia enim hîc iniqui presserunt ora justorum, ideo premenda sunt ibi ora iniquorum, Unde Ecclesiast. 13. dicitur, *Dives in justè egit & fremet: pauper autem læsus tacebit*, hoc est: dives opprimet pauperem, & insuper ei comminabitur aut insultabit, pauper silere cogetur; verum in die judicii vertet se rota, & obstruet os diviti, pauperi ad loquendum aperiet. Fratres Josephi agnito fratre suo tam graviter offenso, *non poterant ei respondere, nimio terrore perterriti*, Gen. 45; Videbunt

enim

enim ex unâ parte ejus potentiam & majestatem, ex alterâ suam imbecillitatem, iniquitatem & offensam. Priùs ipsi fratrem minimè audierunt, cum deprecaretur eos, tacere debuit Joseph; nunc ipsi obmutescunt fratre loquente & in eos tonante. Quid dicent mali Christo, quem non semel vendiderunt, sed centies & millies! *Disrumpet illos inflatos sine voce,* ait Sapiens, Sap. 4. *Gr. mutos & pronos;* præ timore ac pudore, ut ait Jansenius.

3. *Surdos.*

3. Surdos; quia obturabunt aures suas, ne vocem Judicis increpantis & beneficia collata sibi exprobrantis, nec non voces accusatorum suorum audiant. Si enim perfidi Judæi obturârunt aures suas, Stephano Christum ejusque gloriam in cœlo à se visam prædicante: *Ecce video filium hominis stantem à dextris Dei;* quomodo impii non obstruent aures, cùm universa cœli militia ejus gloriam & ipsorum nequitiam proclamabit dicens: *Iustus es Domine, qui eras sanctus, qui hæc indicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere, digni enim sunt.* Apoc. 16.

4. *Omnino stupidos.*

4. Omni membrorum usu destitutos, quia nec pro se orare, nec sanctos invocare, nec amplius quid mereri aut impetrare poterunt; multò minùs resistere, aut à pœnis se eximere. Et hoc etiam justissimè. *Tunc enim ligat pœna,* ait S. Gregorius hom. 38. in Evangelium *quos modo à bonis operibus ligavit culpa. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur inviti.*

III. *Diversis modis sævit in reprobos.*

III Fulmen *non eodem modo omnem materiam vexat,* (ait Seneca lib. 2. nat. Quæst. cap. 52) *valentiora, quia resistunt, vehementius dissipat, cedentia nonnunquam sine injuria transit. Cum lapide ferroque & durissimis quibusque confligit: quia viam necesse est per illa impetu quærat: itaque facit viam quâ effugiat, teneris & rariori us parcit, quàquam & flammis opportuna videantur: quia transitu patente minùs sævit. Loculis itaque, ut dixi, integris, pecunia, quæ in his fuerat cōflata, reperitur: quia ignis tenuissimus per occulta foramina transcurrit. Quidquid autem in tigno solidum invenit, ut contumax vincit. Non uno autem, ut dixi, modo sævit: sed quid quæque vis fecerit ex ipso genere injuriæ intelligis, & fulmen opere cognoscis. Interdum in eadem materiâ multa diversa eiusdem vis fulminis facit: sicut in arbore, quod aridissimum est, urit: quod solidissimum est & durissimum, terebrat & frangit: summos cortices dissipat, interiores libros interioris arboris rumpit ac scindit, folia perfundit ac stringit: vinum gelat, ferrum & æs scindit.* Pari modo fulmen extremi judicij non eandem vim exeret in omnes. Nam Sapient. 6. dicitur: *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim* (hoc est, pauperi & humili,) *conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Ergo inprimis qui in vita cedere Deo, ejusque voluntati, nec non & hominibus per mansuetudinem & humilitatem noverunt, nihil patientur à tremendo Judicis fulmine. Id patet in mitissimo illo Moyse, quem minimè tetigit plaga dehiscentis terræ, cùm vicissim dura illa & rebellia capita, Core, Dathan, & Abiron repentè devorarit. Numer. 16 Idem confirmat Ecclesiasticus capite tertio dicens: *Cor durum habebit malè in novissimo.* Tale est, quod nec cedit divinæ voluntati, nec emollitur ad miseriam & preces pauperum. Hujusmodi cor qui habent, ut à suis ædibus & conspectu discedere jubeant pauperes, vacuos & famelicos; audient & ipsi in judicio: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Matthæi 25. Vicissim qui Dei voluntati cedunt, & ad preces pauperum facilè flectuntur, non habent unde sibi à fulmine illo metuant. Quemadmodum enim Pontificia excommunicatio (quæ propterea benè *fulmen* appellatur) in neminem vibratur, nisi in contumaces & refractarios, ita & sententia Christi Judicis non nisi duros & præfractos tanget. Ipse Holofernes Dux exercitûs Nabuchodonosoris protestatus est: *Ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosori Regi.* Jud. 11. Pari modo fulmen illud nemini nocebit, qui Christo Regi servire voluerit. Quos itaque tanget ac confringet? non nisi elatos & contumaces, qui contra Deum incedunt erecto collo & dicunt: *Non serviam;* quemadmodum etiam tangunt summos fulmina montes; uti sensit Pharao, Saul, Achab, Antiochus, Julianus Imp. &c.

IV. *Fœtorem contrahent.*

IV. Fulmine tacta corpora tetrum & sulphureum odorem spirant, teste Plinio & Seneca locis citatis. Ita fulminati sententiâ Judicis Christi fœtorem intolerabilem & indelebilem contrahent; (hinc reprobi ob fœtorem, condemnandi in die Judicii, appellantur à Christo hœdi. Matthæi 25.) ita ut Deus, Angeli & electi omnes horrorem erga eos concepturi sint per omnem æternitatem, juxta id Isaiæ 34. *Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes à sanguine eorum.* Loquitur Propheta ad litteram de consummatione mundi & ultimo exterminio. Igitur in die judicii erit strages impiorum, quasi immensi alicujus exercitûs: adeoque ex eorum corporibus horridis intolerabilis fœtor prodibit, ita ut ab eorum conspectu nares, ut sic dicam, clausuri sint montes, hoc est, Angeli & omnes Sancti, adeoque ipse Deus vultum suum ab eis aversurus sit, nec ullo gratiæ aspectu eos dignaturus ampliùs. Idem exprimit Joannes Apocalyps. 14 per fumum ignis tartarei, dicens: *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Non videtur in inferno verus esse fumus, quia nihil ibi corruptibile, ut ibi observat Cornelius. Est ergo moralis fumus; quia uti fumus expellit habitatores ex ædibus: ita fœtor & horror damnatorum fugabit electos, adeoque ipsum quasi Deum; ita videlicet, ut nullâ eorum commiseratione tangantur per omnem æternitatem: nec Sancti pro eis rogare, nec Deus inferorum preces audire velit. Typum eorum habemus in Amane, cujus pessimo odore percepto ex ore Estheris, Rex Assuerus surrexit de loco convivii & intravit in hortum, Esther 7. ne videlicet Amanem aspiceret ampliùs, aut veniam rogantem audiret. Simili-

ter

ter enim pronunciatâ in impios sententiâ Christus cum electis suis in hortum deliciarum suarum discedet, & ab eis se abscondet; quia *mundi sunt oculi tui, ut videas malum*, ait Habacuc cap. I.

V. *Ita tanget eos, ut semivivos.* V. Fulmen ita sæpe ferit hominem, ut non omnino enecet, sed miserum totâ vitâ efficiat, uti memini me vidisse. Et hoc in solo homine facit: (licet sæpe eum omnino perimat) alia animalia cùm tangit, semper occidit, ut scribit Plinius. Pari modo sententia illa ita tanget reprobos, ut non omnino extinguat, sed semivivos & semimortuos æterno igne cruciet. Mactabit enim eorum animas, ut ad vitam animæ recuperandam nullam habere spem queant: vivificabit eorum corpora, ita ut in pœnis perpetuo vivant & confecta renascantur. Inseret eis mortem quasi viventem quæ continuò eos voret & depabuletur. teste Psalmo 48. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.* In quem locum, *Dictum est hoc*, ait Innocentius Papa, cap. 9. *à similitudine jumentorum, quæ non evellunt herbas radicitus, sed solummodo summitates carpunt: ut iterum herba renascantur ad pastum: Sic & impii quasi morte pasti reviviscent ad vitam, &c.* Simile fulmen de cœlo à sancto vigile delatum fuit in Regem Nabuchodonosor: *Succidite arborem, verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo.* Dan. 4. indicans Regem dementia feriendum, & è regno ejectum in sylvis inter feras miserrimam vitam acturum, morte ipsâ diriorem.

Reliquum est Auditores, ut sibi quisq; attendat omni solicitudine, ne extremo illo fulmine, sero sapiens feriatur. Certe si quis coram humano Judice causam capitis sui agat, trepidare totus incipit cum sententia pronuncianda est; quia scilicet caput ejus petit. Quid erit expectare & audire sententiam ultimi illius ac divini Judicis, mortis supplicia nunquam finienda pronunciantem? *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter*, ait Eliu in lib. Job c. 37. Nec tonabit solum, sed etiam fulminabit, uti ipse Job c 41. testatur. *Mittet contra eum fulmina, & ad alium locum non ferentur.* q. d. in quemcunque scopum collimaverit, eum certissime feriet, nec unum pro altero tanget, uti solent jacula hominum sæpè aberrare. Quantus igitur terror occupabit ibi reprobos? Scimus Anastasium Imp. hæreticum & impium cùm ex oraculo didicisset pereundum sibi fulmine, ad evitandum illud, certum sibi ædificium construxisse, in tempestatibus de cubili in cubile tremebundum commigrâsse; uti refert Zonaras lib. 3. & alii. Scimus Regem Balthasarem (sic vocabatur, non Balthasar, ut patet ex Chaldæo & Latinis Plantin.) ad scripturam tribus digitis in pariete exaratam, toto corpore contremuisse, expavisse & expalluisse, Dan. 5. *Quid non sustinuisset*, inquit super hoc Theodoretus, *Deo infestus, si fulmina conspexisset, aut Angelos torvè intuentes?* Quid si non Angelos, sed Deum ipsum mille fulmina ejaculantem? Mitissimus sanè fuit Christus ambulans in carne, & mansuetissimâ illâ voce, *Ego sum*, obviam prodiit cohorti: eâ tamen voce ita perculit milites, ut retrorsum acti terræ allideruntur. Joan. 18. Ex quo facto argumentans S. Augustinus in Joannem ait: *Quid judicaturus faciet qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?* Si vox *ego sum*, velut fulmen prostravit integram cohortem: quid faciet illa vox: *Discedite à me maledicti in ignem æternum?* Videat igitur unusquisque quomodo se obarmet contra fulmen istud, dum armandi se tempus habet. *Salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini*, clamat Jer. c. 51.

THEMA IV.

Præsidia adversus fulmen id est, sententiam Judicii extremi.

I. *Aquila.*
II. *Vitulus marinus.*
III. *Laurus, h. e. si erga miseros misericordes simus.*
IV. *Specus subterranea, hoc est Timor judicii illius.*

His autem fieri incipientibus, respicite. *Luc.* 21.

QUando sæva & procellosa imminet tempestas, omnes, qui sub dio & simul cauti sunt, sibi providentes undiq; circumspiciunt, quò se recipere & ubi tutari velint: alius in vicinam domum, alius sub arborem, alius retro murum, alius alio fugit. Qui incauti sunt & nimium præfidunt, incidunt in tempestatem, grandinem, imbrem, fulgura, tonitrua, fulmina, non exiguo suo damno. Ita factum legimus Exodi cap. 9. ubi Moyses prædixit Pharaoni horribilem tempestatem, à Deo immittendam Ægypto, pluviam, grandinem, tonitrua in pœnam pertinaciæ ejus; adjecto tamen hoc paterno planè monito, ut universa quæ in agris haberent, servos & armenta congregarent sub tecta, ne grandine perirent: quidquid enim eâ tactum esset, certò periturum. Quid ad hoc Ægyptii? *Qui timuit verbum Domini, de servis Pharaonis*, inquit sacer textus, *fecit confugere servos suos & jumenta in domos:* (& his nihil nocitum) *qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos & jumenta in agris*, ubi & perierunt. Vaticinatur nobis Dominus noster per duas jam Dominicas, præcedentem & hodiernam, terribilem tempestatem judicii extremi, fulgura & fulmina, grandines & tonitrua: cujusmodi tempestas non fuerit ab initio sæculi usque ad id tempus; quæ certe eventura est & nobis omnibus imminet. Quid igitur hic agemus? nonne etiam latebras & refugia circumspiciemus? Sanè qui cautus est, & qui timet verbum Dei, id omnino faciet, ne suo maximo damno serò nimis sapiat, uti Ægyptii aliqui. Et certe ad hoc hortatur nos ipse noster Judex & Dominus, dum partim tempestatem hanc nobis prænunciat, partim fugæ etiam admonet, ut de prædiis & latebris circumspiciamus, cum ait: *His autem fieri incipientibus, respicite*, quasi diceret, circumspicite undique & quò & quà ratione effugere valeatis

valeatis. Hoc ergo Auditores hodie faciamus & præsidia quæramus.

Sententia Christi Iudicis quasi fulmen.

Diximus aliàs sententiam Christi Judicis in reprobos fulminis instar vibrandam. Quid igitur factu opus? Nihilne remedii est ad fulmen hoc evitandum? Certè Plinius exactus naturæ investigator, quatuor deprehendit, quæ fulmine non tanguntur, eaq; describit lib. 2. hist. nat. cap. 55. nec alibi plura reperi. Aquilam, vitulum marinum, laurum, foveas terræ.

I. Refugium Aquila.

I. *Aquilam, solam è volucribus fulmine tangi negant, quæ ob hoc armigera hujus teli fingitur*, ait Plinius loco cit. & lib. 10. cap. 3. *Negant*, inquit, *solam hanc alitem fulmine exanimatam.* Justi ad Christum Judicem convolabunt velut aquilæ ad corpus seu escam, ut ex Matth. cap. 24. audivimus ante octiduum. Igitur à fulmine Judicis illius immunes erimus, si aquilam imitati fuerimus.

I. Si nos ipsos judicaverimus.

Quâ in re? Primò aquila seipsam eventilat & à vetustate expurgat, librando se in sublime ad tertiam regionem aëris; ubi cùm radiis Solis & calido aëre incaluerit, ita ut ferè exuri videatur, subitò in fontem frigidum se demittit, inde ad nidum revolans sudat; eoq; sudore veteres pennas excutit, & novis deinde vestitur. Ita ex Epicrate, Athenæo, Alb. M. refert Aldrov. lib. I. Ornith. Hanc aquilæ industriam imitari possumus, si nos ipsos per exactum & frequentatum conscientiæ examen librando ad Deum velut Judicem, & reos nos sistendo, amore Dei incalescamus, deq; offenso ipso doleamus ac deinde nos in fontem pœnitentiæ immergamus; ibi enim veteres pennas peccatorum nostrorum excutiemus, & per emendationis propositum seriumq; conatum novum hominem induemus. Sic ad Judicem nostrum velut ad escam desideratissimam velut aquilæ advolare & securi consistere coram ipso etiam fulminante & tonante poterimus. Ubi hujus promissi fides & assecuratio? ubi *salva*, ut vocamus, *guardia*? Apostolus eam exhibet: 1. Cor. 11. dicēs: *Si nos ipsos dijudicaremus*, (hoc est probaremus, ut præmisit v. 28. examinaremus, discuteremus) *non utique judicaremur.* Quod etiam confirmat S. Augustinus in sententiis sent. 210. *Cessat*, inquit, *vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare.* Et plenius S. Anselmus in cit. Pauli locum. *Ascendat homo contra se tribunal mentis suæ & constituat se ante se: testis sit conscientia, carnifex timor, inde quidam cordis sanguis confitentis per lachrymas fluat. Denique versetur ante oculos ejus imago judicij futuri, & quidquid in se viderit, quod à Iudice venturo reprehendi possit & puniri, ipse hic in se puniat & reprehendat. Peccata enim sive magna sive parva impunita esse non possunt; quia aut homine puniente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcedat humana, quia ut ait Apostolus: si nos ipsos dijudicaremus, non utique à Domino judicaremur.* Deniq; B. Damian. lib 4. Epist. epistol. 15. *Qui semetipsum*, ait, *perfectè dijudicat, judicium non expectat. Perfectè autem semetipsum judicare est, & reprehendenda non agere & quæ irreprehensibiliter acta sunt, timidè retractare.*

2. Si alios non judicaverimus

2. Aquila pullos suos ipsa non dijudicat, nec juxta affectum suum uni magis quam alteri benevolam se præbet, neque unum præ alio è nido expellit aut pabulo destituit; quemadmodum aliæ multæ aves: sed Soli dijudicandos exhibet; & quem ille reprobârit, reverberando ejus oculos, illum cadere sinit. Qui aquilam in hoc etiam imitatus fuerit; neminem juxta affectum suum judicando aut reprobando, sed omne judicium in proximum Deo permittendo; næ hic etiam egregium obtinet præsidium contra fulmen illius tremendi Iudicis: idque ostendit nobis ipsemet Judex Dominus noster Lucæ 6. cum ait: *Nolite judicare & non judicabimini.* Quid clarius dici potest? & quid acceptius? Evitare enim potes judicem severum si talis alteri non fueris. Unde sanctus Eligius Episcopus Noviomensis homiliâ 8. ait: *Satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter judicemur.* Quis autem in sua potestate non habet, judicare vel non judicare proximum? Memorabile est exemplum quod scribit S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus orat. de S. Synaxi, & ex eo Baronius anno Christi 599. *Quidam*, inquit, *monachus, qui negligentissimè per summum otium vixerat, cum ad mortem infirmaretur, eam non perhorrescens summa cum voluptate magnaque cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assistentium patrum unus: Frater, inquit, scimus te summa negligentia hucusque vixisse: unde ergo tibi hæc tanta securitas? Cui ille: Ita est, negligentissime vixi: sed Angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumque ea, quæ fecissem postquam sæculo renunciassem, peccata legissent, nunquid agnoscerem, rogaverunt. Quibus ego: maximè verò, inquam agnosco: sed idem ex quo renunciavi sæculo vitamque institui monasticam, nec judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite judicare, & non judicabimini. Et: Dimittite & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum consciderunt; & inde nunc summa cum lætitia & securitate proficiscor ad Dominum. Hoc ubi frater ille narravit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.*

II. Vitulus marinus.

II. Vitulus marinus, de quo Plinius loco cit. *Pavidi tabernacula è pellibus beluarum, quas vitulos appellant, tutissima* (contra fulmen) *putant, quoniam hoc solum animal è marinis non percutiatur.* Hinc Augustus Cæsar, qui *tonitrua & fulgura infirmius expavescebat, semper & ubique pellem vituli marini circumferebat*, inquit Suetonius in Augusto. Sed quis huic beluæ similis fulmen illud vitabit? Primò homo obediens suis per omnia superioribus. *Vituli marini*, ait idem Plinius lib. 9. cap. 3 *accipiunt disciplinam, voceque pariter & visu populum salutant incondito fremitu: nomine vocati respondent.* Quinam verò tales nisi obedientes, nisi morigeri, qui disciplinam accipiunt, & sub ea degunt, vocatiq; respondent mandatis superiorum? Qui hac obedientiæ pelle induti sunt securi

ab illius judicis fulmine sunt, quia alienis natant brachiis, suorum superiorum, qui pro illis rationem reddent. Ubi hujus rei fides? Prov. 21 ait Sapiens: *Vir obediens loquetur victorias*, q.d. tempore judicii causam suam lucrabitur. Unde S. Hieron. in eum locum hanc dat rationem: *quia dum per obedientiam suam desideria vincere satagit, per justitiam Iudicis postmodum victoriæ palmam percipit*. Dum enim quis per omnia obedit, jam seipsum vicit: palmâ ergo præmiādus est. Accedit verbum Rebeccæ, quæ cum jussisset filium Jacob assumptâ fratris Esau persona, petere à Patre benedictionem, illeq; metueret, ne ob imposturam acciperet maledictionem; ipsa: *In me sit*, ait, *ista maledictio fili mi*, Gen. 27. q.d. non habes tu quod luas, si matri tuæ pareas: si maledictionem impertiatur pater, ea in me cadet, te non tanget aut concernet: itaque nil dubita: mihi tantùm obsecunda, & benedictionem patris obtinebis. Nemo cæcum ferit, qui à ductore oculato in alienam segetem inducitur: ductor cædendus est. Hinc Diogenes Cynicus cum aliquando puerum conspicatus esset indecenter voracem, non ipsi, sed pædagogo plagam incussit, dicens: *Quare sic instruis?* Cælio auctore lib 26. cap. 27. Deniq; S. Hieron. in Regulis Monachorum cap. 7. ita scribit: *In obedientia summa virtutum clausa est: nam simplici gressu hominem ducit ad Christum: & non solum mens excusatur ad reddendam Deo rationem de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de seipsâ. O summa libertas, quâ obtentâ vix possit homo peccare.*

I. *Si obedierimus super omnia superioribus.*

2. *Si peccata nostra ipsi puniamus.*

2. Vitulus marinus pellem habet pilosam, *quæ etiam ipsi detracta sensum æquorum retinere traditur, semperque æstu maris recente inhorrescit*, ut ait Plin. l. 9 c. 13. Pellis hæc pilosa quid nisi voluntariam corporis castigationem, cilicia, flagella, jejunia, vigilias & his similia significat? Hoc enim sensu Elias dicitur 4. Reg. 1. *Vir pilosus*, hoc est, asperis & hirsutis pœnitentiū vestibus indutus: quales & Apostolus ad Hebræos 11. describit: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Qui hoc rigore se vestierint in hac vitâ, securi erunt à rigore Judicis in altera. Ubi hujus assertionis fides & *Salvaguardia?* Nahum cap. 1. vers. 9. ait: *Non consurget duplex tribulatio.* Septuaginta vertunt: *Non vindicabit bis in idipsū in tribulatione.* Unde emanavit Theologorum axioma: *Deus non punit bis in ipsum.* Quicūque ergo seipsos in hoc sæculo puniunt ob peccata sua, sperare utiq; poterunt, non puniendos se in altera. Qua de re audiamus Chrysost. homil. 43. in Matth. *Assidue*, inquit, *mentem ad hunc terrorem revoca* (teipsum scilicet judicando) *deinde si causam suam dicere non possit, sed subterfugiat & detrectet: quasi superbam ancillam & fornicatione corruptam cæde, verberibus ac flagellis dilania, &c.* Et mox: *Quod si hæc audiens doleat, non subtrahas manum: non enim moritur percussa, sed mortem effugiet, &c.* Et infra: *Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri Iudicis tribunali lætus assistes.* Certè Ninivitæ quando se ciliciis operuerunt & cinere consperserunt, Dei gladium in se vibratum suspenderunt: ita ut quem prius severum Judicem expectarant, posteà defensorem & advocatum contra Jonam, habuerint. Hinc S. Paulinus epist. 10. *Ninivitæ* inquit, *meruerunt denunciatum evadere excidium, quia se spontaneis luctibus cruciando divinam sententiam prævenerunt sua.* Pari modo Achab iratum sibi ob flagitia sua Deum placavit, quando induit carnem suam cilicio, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite, ita ut mutaret etiam Deus sententiam in ipsum latam, & in ejus pœnitentia cōplacentiam haberet 3 Reg. 21. *Quod si Achab*, inquit B. Petrus Damiani epist. 8. ad Clericos Florent. lib. 5. Epist. *reprobi videlicet Regis, cilicium divina pietas non contempsit, quam benignè, quam misericorditer illum desuper aspectare credendus est, qui se velut in atrocissimo crimine deprehensum, nudum divinis aspectibus obtulit, accusatorem pariter & tortorem: reum simul & testem: censorem nihilominus & carnificem fecit?*

III. *Laurus est erga miseros misericordissimus.*

III. *Lauri* etiam *fruticem fulmen non icit*, ait Plinius loco cit. Hinc Julius Cæsar, *qui tonitrua præter modum expavescebat, turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis*, ait Suetonius in Cæsare. Laurus arbor admodum salutifera est; nam & folia & fructus ejus & oleum inde expressum variis morbis medentur, ut referunt Isidorus, Dioscor. Plin. lib. 23. cap. 8. quare hominem denotat misericordiæ operibus deditum, qui instar Samaritani illius oleo lenit afflictorum vulnera & miserias. Hic in die judicii protectorem habebit ipsum Deum, teste Ecclesiastico cap. 3. dicente: *Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam* (hoc est) eleemosynam, uti omnes exponunt (*meminit in posterum* (factæ scilicet eleemosynæ) *& in tempore casus sui inveniet* (eleemosynarius) *firmamentum*, quando scilicet cadet moriendo, eleemosyna eū sustentabit atq; elevabit. Cum enim eleemosyna per manus pauperum transeat ad manus Christi, ipsius nostri Judicis, quis non bene speret de ipso, quem gratis & desideratis muneribus sibi demulsit? Confirmat hoc inprimis S. Chrysostomus hom. 33. ad popul. declamans: *Hæc* (eleemosyna scilicet) *Christi adstat tribunali, non tantum patrocinans, verum & ipsi persuadens Iudici, ut reo patrocinium præstet & pro eo sententiam ferat: & licet millies peccaverit, coronat & victorem promulgat; ait enim: date eleemosynam & omnia erunt munda.* Idem promittitur Psalm. 111. ubi dicitur: *Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio.* Et mox: *ab auditione mala non timebit*, hoc est, à sententia illa Judicis: *Ite maledicti*; ut exponit S Hieronymus epist. 40. Confirmatur hoc idem Psalm. 40. verbis illis: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* In quem locum S. Augustinus ait: *Dies judicii aderit: mala dies, si non intelligeres super egenum & pauperem.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 14. *In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit, &c.* In hujus rei etiam majorem fidem exhibuit Deus præludium aliquod in justo illo Loth, Gen. 19. qui quoniam peregrinos duos (erant autem Angeli) invitavit, imò compulit ut ad domum

suam

ſuam diverterent: idcircò imminente jam urbis incendio viciſſim compulſus eſt ab Angelis ad emigrãdum è civitate & ſalvandum ſe cum ſuis. Qua de re S. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus epiſt. 6. ait: *Non leguntur alia Loth benefacta, quàm hoſpitalitas: hæc illa hoſtia fuit: hoc ſacrificio ignem & ſulphur evaſit Sodomorum: tota ſervata eſt familia unius meritis*, Et epiſt. 62. *In cælo nulli melius pro reis agunt, quam pauperes advocati: pauperes ante ſupremum tribunal in propulſandis dilationibus obtinent principatum. Vnde fit ut bene ſperet de Iudice, quisquis pauperem meretur interventurum: pro quo eorum voces convaleſcunt, ſententiam non timet capitalem.* Et quodnam fuit ſolatium prudentum virginum, quando clamor factus eſt: *Ecce ſponſus venit?* Nonne oleum, quod in vaſis reconditum habuerunt, proviſum ad conſervandas lucernas? At oleum illud miſericordiæ opera deſignat, omnium ſententiâ. Prudentes illæ fuerunt: quia *intellexerunt ſuper egenum & pauperem.* Qua ratione vulgo dicunt, qui opus aliquod facere detrectant: non intellig hanc rem. Jch verſtehe mich nichts darauff. Hoc ſenſu avari non intelligunt ſuper egenos. Verum neque Chriſtus judex intelliget ſuper eos, cum eis dicet: *Neſcio unde ſitis*, Luc. 3.

IV. Specus ſubterraneæ h.e. Timor judicii illius.

IV. *Fulmen nunquam quinque altius pedibus deſcẽdit in terram: ideo pavidi altiores ſpecus tutiſſimos putant*, ait Plinius loco cit. In ſpecus intrare ſolent pavidi, ibiq; ab inſidiis ſe tueri. Quisquis ergo timorem Dei & judicii extremi continuum in pectore ſuo geſſerit, ille præſidium invenit, ubi ſecurus erit à fulmine Judicis terrifico. Fidem huic verbo facit Eccleſiaſticus cap. 1 his verbis. *Timenti Deum bene erit in extremis: & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* h. e. in die obitus & judicii ſui audiet, *Venite benedicti*, ut exponit Paulus de Palatio & Hugo Card. Imo S. Chryſoſtom. hom. 2. in 2. ad Theſſal. ſcribit; *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium effugiet. Quemadmodum enim apud nos qui quidem judicia metuunt, judiciis non damnabuntur, qui vero contemnunt; illi potiſſimum in ea incidunt: ita & hic Niſi ſubverſionem veriti fuiſſent Ninivitæ, utique ſubverſi fuiſſent. Quia vero illam metuebant, non ſubvertebantur. Si diluvium veriti fuiſſent, qui temporibus Noe vixerunt, ſubmerſi ſanè non fuiſſent.* Carolus V. Imp. cum ad præliandum egreſſurus armaretur laminis thoracibusque ferreis, initio dum armis indueretur, non parum corpore horrebat, ac toto vultu albeſcebat quaſi paveſcens: ſed armatus jam & loricatus atq; galeatus leone animoſior erat: in prælio ad bombardarum ictus nuſquam caput inclinabat, nuſquam pedem movebat, nuſquam expalleſcebat. Guilelmus Zenoccarus lib. 5. de vita Caroli. Hunc in modum quisquis ante judicium illud ſeveriſſimum, dum hic ad ſubeundum armatur & præparatur, timet: in ipſo poſtea judicio nihil trepidabit, ſed leone cordatior erit. Hujus rei ſpecimen deprehendimus in ipſo ſummo Imperatore noſtro, Chriſto. Hic enim ad montem Oliveti pergens cœpit pavere, tædere & mœſtus eſſe; ibique ſe ad paſſionem & mortem per orationem armans, etiam dum ab Angelo confortatur & quaſi armatur, timet ac præ timore ſanguinem ſudat. At in prælio jam paſſionis ſuæ, ipſaque Cruce conſtitutus nihil amplius trepidat, ſed quaſi extra omnem teli jactum in ſumma ſecuritate & libertate potius agit, prodit obviam cohorti, proditorem excipit oſculo, amicum vocat, cohortem proſtratam ſurgere permittit, aurem Malcho reſtituit, Petrum reprehendit, cohortem docet & redarguit, imperat ut ſuos abire ſinant: abhinc bajulans ſibi Crucem, docet & ſolatur in viâ mulieres, in Cruce orat pro inimicis, latroni promittit paradiſum, matri aſſignat Joannem, &c. Advertit hoc ſanctus Chryſoſtomus hom. 84. in Joannem. *Conſidera*, inquit, *quomodo omnia ſine perturbatione tranſegit. Matrem diſcipulo commendavit: prophetias implevit: latronẽ ſpem bonam dedit, qui antequam crucifigeretur, ſudavit, turbatus eſt, timuit.* Pari ratione, ſi ante diem illum decretorium per timorem Dei & Judicis illius tremendi nos jam armaverimus, non erit quod metuamus, ſed gaudeamus potius in conflictu illo ultimo. Id quod ſanè deprehenſum in viris juſtis quamplurimis, uti in fratre ſancti Bernardi Gerardo, qui in morte jubilabat: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis.* In ſancto Franciſco, qui morti vicinus in graviſſimis doloribus laudes Deo canebat: dicens ſibi non licere aliter facere. In Bernardo, primo ejus ſocio, qui moriens dicebat: *Nunc ſentio quid ſit in Dei timore vixiſſe. Nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam inſtituiſſe. Nunc gaudeo & exulto, &c.* Ut in Chronic. S. Franciſc. In Godefrido ex Comite Cappenbergenſi, Canonico Præmonſtrat. qui moriens gaudio perfuſus: *Iam pro toto mundo paulò diutius in hoc nollem morari exilio.* apud Sur. 13 Januar. In ſancto Laurentio Juſtiniano Venetorum Patriarcha, qui dũ viveret ſæpe in profundum ſeſe humilitatis abjiciens pertimeſcere videbatur à ſuis judicium divinũ. Morti vero proximus lætus fuit & hilaris, dicens ad ſuos circa lachrymantes: *Abite hinc cum veſtris lachrymis tempus lætitiæ eſt, non lachrymarum.* Rurſum jam ſacro oleo inunctus alios conſolans: *Pudeat vos*, inquit, *mortem timere, cum Dominus noſter propter nos morẽ voluerit:* Sed audi cauſam hujus confidentiæ & hilaritatis: *Hunc diem*, ſubdit, *ſemper ante oculos habui: tu ſcis Domine.* Ita refert Bernardus Juſtinianus teſtis oculatus apud Sur. 8. Jan.

THEMA V.

Dulces fructus ficus laudatæ, quæ est Virtus.

I. Quia virtute præditi foventur à Deo.
II. Explicant se in altero demum sæculo.
III. Emergent è miseriis in die illa.
IV. Vitam hic amaram, ibi suavem habent.
V. Stabilem in cœlo fœlicitatem expectant.

Videte ficulneam, *Luc. 21.*

ITerum ad ficum ablegamur, Auditores, in hodierno Evangelio; & quamobrem? Meâ quidem sententiâ, ut qui necdum satis absterreamur ab amaro fructu, quem afferre solet ficus peccatoribus prohibita (quæ est peccaminosa voluptas) nunc demùo absterreamur, vicissim ad oppositam peccato virtutem incitemur, consideratione ficûs salutiferæ, quæ suis cultoribus promittit dulcissimos æternæ gloriæ fructus, post hanc vitam percipiendos. Ferunt taurum ferocem, si ad ficum arborem alligetur, ferociam deponere & mitescere, auctore Plutarcho libro vigesimo tertio, capite septimo. Multi feroces tauri, qui jugum divinæ legis respuunt, passim vagantur, nec modica damna inferunt; hos igitur conemur alligare ad virtutis ficum sanè dulcissimam, ut si nondum satis mitigati sunt consideratione pessimorum fructuum, quos gignit ficus, seu verius caprificus peccati vetiti, mitigentur saltem prægustu dulcissimarum ficuum, quas gignit ficulnea virtutis. Vidimus ante octiduum fructus amaros ficûs sylvestris, quæ est peccatum, videamus nunc fructus dulces ficûs domesticæ, quæ est Virtus.

I. Virtute præditi foventur à Deo. I. Ficus propter fructuum dulcedinem valde ab omnibus colitur ac custoditur. In frigidis regionibus includuntur ficulneæ asseribus & fornacum beneficio foventur calore, ne pereant, quod certè non fit aliis arboribus. Non secus justi & virtute præditi foventur à Deo, præsertim in adversitatis hyeme & corporis ægritudine. Audiamus Prophetam Psal. 33. *Oculi Domini super justos*, inquit, *& aures ejus ad preces eorum.* Et Psalmo 90. qui totus de protectione justi scriptus est: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* Sed & alios testes audiamus. *In tribulatione*, ait Divus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone capite vigesimo quinto, *Deus justos comitatur, ut illos impræsentiarum eripiat, & glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant: in periculis ne cadant: in dubiis ne errent, ne hujus vitæ consolationem amittant.* Testis Noë, quem à diluvio: Abraham, quem à Pharaone & Abimelech, Isaac, quem à gladio Patris: Jacob, quem à furore fratris, misso Angelorum exercitu (Genesis trigesimo secundo) Joseph, quem à fratrum odio: Eliâ, quem à furore Jezabelis: Elisæo, quem ab hostium insidiis per aciem Angelorum (4. Reg. 6.) custodivit & eripuit. Id fatetur inprimis Jacob Gen. 48. illis verbis: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quid vero dicemus de novæ legis Patribus? Ex paucis & parvis multa & magna colligamus. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuar. gravi morbo decumbens, cùm nihil cibi sumeret, fatigatis diu precibus, ut quid tandem gustare vellet, ediceret: *Fortè*, ait, *de perdice comederem, si haberem.* Ergo per campos ministri abeunt, perdicem quæsitum, sed incasso labore, eodẽ tamen die, unus de ministris per sylvam abit aliud agens, & en occurrit ei martes, perdicem ore gestans; quæ viso homine prædam mox dimisit & fugit. Quâ domum delatâ vir S. inde refectus melius mox habere cœpit, sensimq; sanitatem recuperavit. Edinerus in vitâ apud Surium 21. Apr. D. Thomas Aquinas ad Concilium Lugdunense proficiscens, in viâ morbo, qui ejus appetitum ferè omnem dejecit, correptus ad castrum neptis suæ divertit. *Sciscitanti verò Medico Ioanni de Guidone, num quem cibum appeteret, ille respondit: Si halèces possent obtineri, quales habentur Parisiis, fortassis liberet iis vesci. Sed hi pisces hic non extãt. Abeunti autem Medico quidam obviam venit pisces ferens, quos sardas vocant. Illas Medicus emit; & ubi attulit domum, in haleces mutati sunt. Vbi verò ad S. Thomam recentes haleces, quæ nunquam iis in locis feruntur haberi, allatæ, ille divinam admiratus benignitatem, noluit eas in cibum sumere, imitatus S. Davidem Regem, qui cupitam aquam ex cisterna Bethlehemitica haustam noluit bibere, sed libavit eam Domino.* Ita in ejus vitâ apud Sur. 7. Mar. Recentius est, quod de Petro Canisio scribit in ejus vitâ P. Matthæus Raderus. Is cùm morbo decumberet, & ab omni cibi appetitu perdito sæpiùs à ministro urgeretur, ut indicaret, quò cibi desiderio teneretur, tandem aviculam nominavit. Sed cum vænalis nulla inveniretur, una quædam in cubiculum ejus per fenestram sese inferens, quasi divinitus missa, facilè se capi, permisit, ex quâ ille paratâ lautè se cœnâsse dixit.

II. Explicant se in altero demum sæculo. II. Ficus per hyemem quidem nullam præ se fert excellentiam præ cæteris, etiam aridis arboribus; caret foliis & fructibus, nec ullâ re discernitur ab aliis quasi præstantius aliquid in ipsâ lateret. Verum ineunte verè sese demum explicat, & virorem ac dulcedinem suam hominibus commonstrat. Sic res habet cum viris justis. Latet in hoc mundo sanctitas ipsorum, magnâ ex parte, nec facile est dignoscere eos ab injustis. At verò in resurrectionis vere, de quo loquitur Christus sub parabolâ ficûs in hodierno Evangelio, ibi suum decorem & virtutis gloriam expandent. Ita sanctus Augustinus sermone 212. de Temp. *Tempore hyemis*, inquit, *& arbor quæ aret, & arbor quæ viget, utraque nuda est onere foliorum, utraq; vacua onere frugum: veniet æstas & discernet arbores. Viva radix folia producit, impletur fructibus: arida inanis æstate sicut hyeme remanebit. Itaque illi horreum præparetur, huic securis adhibeatur, ut amputata in ignẽ mittatur. Sic æstas nostra Christi est adventus, hyems nostra Christi occultatio, æstas nostra Christi revelatio.* Quod declarat illo Apostoli ad Col. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:* (en hiemẽ) *cùm*

autem Christus apparuerit vita vestra; (en æstatem) *tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Herba Cynosbatus (Hanrosen) per diem inter cæteras herbas à quibus ne minimum quidem differt, delitescit, nec ullo modo agnoscitur. Noctè verò stellæ instar lucens & igneo splendore coruscans, facile in conspectum venit. Ælian. de animal. l. 14. c. 27. Sic electi in hac præsentis vitæ die latent inter reprobos; veniet nox, post mortem quando discernentur & lucebunt velut stellæ in perpetuas æternitates. Præsagium hujus splendoris ac viroris præmisit Deus in virgâ Aaronis post ariditatem florum germina emittente, quasi turgentes gemmas. Num. 17. & in arido ramusculo, qui à S. Hartvvico Episcopo Salisburg. in die S. Andreæ, decerptus ex arbore sylvæ (Pluebach) dum per illam transiret, in manu ejus floruit ut in ejus vitâ Henr. Canisius apud Lipel. 14. Iun. Sic enim in die judicii revirescent ac florebunt justi, qui hic ab aridis arboribus, peccatoribus videlicet, nihil videbantur discrepare. Unde illis dicitur Isa. 66. *Videbitis & gaudebit cor vestrum & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Dicunt Hebræi cum Rabbi Salomone hoc accidisse Prophetæ, qui occisus fuit à leone 3. Regum 13. justus alioquin. Nam cùm Propheta alter fallax & malus in ipsius tumulo sepeliri petiisset, ac denique sepultus esset, factum, ut ex parte sepulchri, quam justus occupabat, speciosi flores: ex alterâ verò quâ iniquus jacebat, spinæ & urticæ eruperint. Quod, seu verum seu fictum sit, verificabitur certè in die judicii, cùm ex eodem sepulchro, in flores germinabunt ossa Sanctorum, in spinas & tribulos ossa reproborum.

III. *Emergent, miseriis ... die illa.*

III. *Lignum ficus Ægyptiæ*, inquit sanctus Augustinus l. 21. de civit. c. 5. *non ut ligna cætera in aquis natat, sed mergitur; & quod est mirabilius, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergit; quando malefactum debuit humoris pondere prægravari.* Idem contingit justis. In hoc sæculo deprimuntur & merguntur in aquis miseriarum, calamitatum & lachrymarum; at in altero sæculo & judicii die emergent atque evehentur ad summam dignitatem. E contrà verò impii hic quidem supernatant & triumphant, implenturque bonis hujus sæculi, velut ligna aquis, quibus innatant: verùm ibi postquam impleti fuerint, subsident & mergentur in abyssum. Iacuit humi Lazarus justus ante fores divitis, & nemo eum aspexit aut curavit, quasi in fundo aquarum demersus foret: sedit vicissim Epulo in throno & natavit in deliciis suis; verùm in morte Lazarus ab Angelis elatus est in sinum Abrahæ, unde demùm enatavit ad cœlestem gloriam: Epulo verò demersus & sepultus est in infernum. Hinc Iob. cap. 12. ait: *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statum.* Quod explicat sanctus Gregorius l. 10. mor. c. 17. in hunc sensum: *Bene justi simplicitas & lampas esse dicitur, & contempta Lampas, quia interius lucet; contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lampas ergo contempta est justus: quia superbi quique dum pensare bona sequentia nequeunt, penè nihil æstimant, quos non vident habere quod ament. Statutum autem contemptæ lampadis tempus est, extremi Iudicii prædestinatus dies; quo justus qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur.* Fuit sanè talis lampas ipse sanctus Iob, cùm premeretur calamitatibus, & sedens in sterquilinio despiceretur ab amicis ipsaque uxore, verùm emersit iterum & maximas in divitias ac gloriam assurrexit. Fuit talis lampas etiam Mardochæus prius in aula Assueri, cujus fidelissimus custos erat neglectus & contemptus, sed usque ad statutum diem, quo in lucem productus & equo regio impositus est; cum vicissim Aman, qui prius ab omnibus adoratus natabat in aula Regis, postea inde ejectus & cruci affixus est.

IV. Ficus amarissimas habet radices & stipitem, fructum verò dulcissimum, teste Plutarcho l. 6. Symposiaci, & quidem duplicatum (bifera scilicet) primum in Iunio, alterum in Septembri. Eodem modo justi radicem habent amaram, vitam præsentem tribulationibus plenam; verum in futura proferent fructus dulcissimos & in resurrectione quidem duplicatos, glorificationem scilicet corporis & animæ. Hujus rei typum præmisit Deus in Iob, qui post degustatas amarissimas afflictiones, dulcedinem infudit & pro amissis bonis restituit duplicia: pro septem millibus ovium dedit quattuordecim millia, pro tribus millibus camelorum sex millia, pro quingentis asinis mille asinos: pro decem liberis, septem scilicet filiis & tribus filiabus, non quidem duplicatos (ad fœlicitatem enim non admodum facit liberorum immodica multitudo: & deinde numerus electorum, per denarium illum, velut numerum perfectum designatus, stabilis & immutabilis est) sed totidem alios, septem filios & tres filias easque longè speciosissimas, ita ut pares pulchritudine nullibi invenirentur. Voluit nimirum Deus temporali ac laborum Iobianorum compensatione mundo ostendere quid in altero sæculo justi expectare ab eo possint. Idipsum pulchrè Iob in suarum filiarum nominibus expressit: Primam enim filiam appellavit Diem; ideò, ait author Catenæ, *quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad fœlicitatem restitutam divinitus quasi ad diei lucem aspiciendam esset revocatus. Secundam Cassiam appellavit quod jam is odoris quadam suavitate, bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amalthex cornu* (noster interpres legit Cornustibium) *quod vitam deinde vixerit omni bonorum genere perafluentem.* Non multò aliter S. Isidorus in vitâ S. Iob apud Lipel. 10. Maji. *Post noctis tristitiam*, inquit, *Diem genuit: post fœtorem ulcerum Cassiæ odore fragravit: sed & post abjectionem cornu in junctionem regni promeruit, & tibiam in acceptum laudis accepit.* Ad hæc quia priùs in tenebris stravit lectulum suum (Iob 17.) & ærumnosam duxit vitam, securæ felicitatis memor, primam filiam appellavit *Diem*: quasi jam è tenebris ad lucem emersisset. Quia in sterquilinio inter vermes & ulcera fœtorem perceperat horribilem, secundam appellavit *Cassiam*, cujus odor est purus & gratissimus. Quia à

IV. *Vitam hic amaram, ibi suavē habent.*

vermibus corrosus & macie consumptus atque exsanguis omnem perdiderat speciem, tertiam appellavit *Cornustibium*, quod est vas candoris ac ruboris medicamento plenum, quo picta facies alienum, sed gratum colorem induit atque ostendit. Sic nimirum electis in altero sæculo luctus omnis in gaudium convertetur. Mardochæus priùs sacco indutus, postea purpura & torque ornabitur. David ante pugnam sago pastoritio vestitus, posteà pretiosis Jonathæ vestibus induetur. Arca per desertum pellibus cooperta, posteà auro vestietur & in templum inferetur.

V. *Stabilem in cœlo fœlicitatem expectant.*

V. Ficus quando germinat, hyemem jam præteriisse, nec ejus frigora ampliùs pertimescenda, sed æstatem præ foribus esse nunciat. Ita S. Chrysostomus ho. 40. in Matth. *Quare*, inquit, *non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem æstatis? Quia postquam aliæ arbores vernare cœperint, frequenter evenit, ut accedens frigus præcidat æstatem, & iterum arbores indurescant: ficus autem, quia penè post omnes arbores vernat, difficilè post ficum frigus intervenit.* Stabilem ergo æstatem nunciat ficus germinans. Et hæc summa atque immensa justorum consolatio est, stabilis & æterna quies ac beatitudo in cœlo, ab omni timore & tristitia secura atque libera. De qua Apoc. 6. Joannes ait: *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus.* Ubi alludit ad milites, qui post labores, vigilias, stationes sub dio, velitationes, prælia, quiete & bravio donantur; sic enim justos in hac vita certantes fortiterq; tolerantes omnia adversa, transacto ceramine, ab iis omnibus fore deinceps immunes, & perpetuum triumphum acturos. Ficus olim Athletis dabantur, quòd hominē corroborent, secundum Isidorum & alios. Christus suis athletis tales dabit ficus, quæ ita eos roborabunt, ut non esuriant, nec sitiant, neque æstuent, neq; frigeant in æternum. Quales & quam dulces ficus! sub regno Salomonis Regis pacifici; cùm jam nullus esset hostis Judæorum, nullus Satan neque occursus malus, essetque pax ex omni parte in circuitu, *habitabat Juda & Israel absq; timore ullo, unusquisq; sub vite sua, & sub ficu sua, a Dan usq; Bersabee cunctis diebus Salomonis*, 3. Reg. 4. Qui loquendi modus summam pacem & securitatem ab hostibus, latronibus, feris, simulq; summam rerum abundantiam indicat; quia Pax mater est opulentiæ & copiarum, deliciarum & gaudiorum. Sit continua per annos centum pax in terra nostra, quanta, putatis, erit rerum abundantia! quanta opulentia! quis luxus & deliciæ! (Hac enim de causa submittit Deus subinde pestem aut bella, ne crescente nimis rerum copia, crescat & malitia.) Quid igitur divitiarum ac deliciarum non dabitur in cœlo, ubi continua pax est, & securitas æterna? cum sedebit unusquisque sub ficu sua? Quid enim ficus à Domino in hodierno Evangelio adducta aliud nunciat, nisi futuræ æstatis in altero sæculo uberes & dulcissimos fructus ab electis percipiendos per omnem æternitatem?

Quando igitur tam præclaros tamque optatos fructus gignit virtutis ficulnea, quis non excitabit in seipso horum fructuum appetitum? quis non strenuè pugnabit, ut his dulcissimis ficubus saturari queat? Certè Persarum Regem Xerxem, cum aliquando ficus è Græcia Atticas degustasset, inde accensum ferunt, ut Græciam bello peteret. Plutarchus in Apopht. Postquam ergo & nos nonnihil delibavimus præclaras virtutis ficus, accendamur etiam nos, ut pro iis comparandis fortiter pugnemus, quamdiu in hoc campo sub vexillo crucis militamus.

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMATA.

I. *Quibus in rebus aliqui scandalizati sint in Christo, unde magis eum amare debebant.*
II. *Vestium luxus damnis & periculis plenus.*
III. *Vestium luxus cælo inhabilis.*
IV. *Vestium luxus quousque illicitus.*
V. *Pauperes à civitate sua alendi.*

THEMA I.

Quibus in rebus aliqui in Christo scandalizati sint, unde magis eum amare debebant.

Scandalizati sunt Judæi & Gentiles, sed stultè.
I. *In conversatione Christi.*
II. *In verbis Christi.*
III. *In ejus operibus & miraculis factis in Sabbatho.*
IV. *In ejus paupertate & humilitate.*
V. *In ejus morte & cruce.*

Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11.

Mirandum homines in Christo scandalizari posse.

Quando quis commune & grave periculum evadit, beatum illum dicere solemus, v. g. qui in acri prælio vel naufragio salvus evasit: Quid ergo sibi vult, quod Christus beatum illum dicit, qui in ipso scandalizatus non fuerit? Quid enim scandalum, nisi lapis offensionis seu offendiculum? Unde Syrus, vertit: *Fœlix ille, qui non impegerit in me.* Ergone Christus hominum Salvator, potest esse alicui lapis offensionis? & quidem permultis, ut fœlix sit dicendus, qui in eo non impingit? Scio quidem ipsum lapidem appellari ab Isaia c. 28. & S. Petro epist. c. 2. verum *lapidem summum, angularem, electum, pretiosum*, quâ vero ratione impingas in eum lapidem, qui in summo ædificii est? quomodo in angularem, muris inclusum? quomodo in electum, à publicis viis remotissimum, & scrinio vel aureis annulis inclusum? quomodo in pretiosum, qui nusquam ferè major nuce avellana reperitur? Verius quidem vero est, talem lapidem esse Christum

Scandalizati Iudæi & Gētiles.

Christum, & tamen nihilo minus impegerunt in eum Judæi & Gentiles multi. Sed qua tandem in re? Audiamus.

I. *In conversatione Christi.*

I. In ejus conversatione; quod non esset rigidissima, qualis erat Joannis Baptistæ, sed communis & accommodata moribus hominum consuetis, uti Scribæ & Pharisæi in malo obstinati, de quibus Christus Matth.11. post factam Joannis legationem subdit: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Quod explicans S.August.l.16.contra Faust.c.30.ait: *Ioannes dictus est non manducans neq; bibens; quia illo victu, quo Iudæi utebantur, ille non utebatur. Hoc ergo nisi Dominus uteretur, non in ejus comparatione manducans bibensq; diceretur.* Indicant ergo Christum vitam duxisse cæteris ferè communem & socialem, non austeram valde & eremiticam, qua de causa ipsi magis grati & addicti esse debebant.

Fuit ea communis & socialis: media cōditionis.

1. Primò, qui cum aliis conversari debet, uti debuit Christus, *convenientissimum est, ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apost.1.ad Cor.9. Omnibus omnia factus sum. Et ideò convenietissimum fuit, ut Christus in cibo & potu communiter se sicut alii haberet,* inquit D.Thom.3 p.q.40.art.2. Eodem spectat quod Nicol. Pontif. in c.exiit qui seminat. de Verb.signif. in 6.docet, *cum Christus omnibus sit propositus in exemplar virtutis, decuisse, ut omnes, & fortes & infirmi in eo haberent, quod imitarentur; atq; in illum intuentium nullus posset de virtute consequenda desperare. Quare summæ charitatis atque adeò perfectionis fuit, quod omnibus omnia fieri voluit. Confirmatur ex Apost. ad Hebr.2. inferente: Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret & fidelis Pontifex,* hoc est ut suam misericordiam suavius & uberius in alios effunderet, munusq; Pontificis fideliter obiret. Quare venatores & aucupes viridibus se vestiunt? ut viridi pratorum & sylvarum, quas pervagantur, colori similes facti, feras & aves non absterreant ac fugent, sed ad se alliciant. Rursum cur venator, dispositis circa sylvam omni ex parte retibus & excubitoribus, medius ipse cum clamoribus & canibus sylvam permeat? ut tam iis, qui in dextra, quam iis, qui in læva parte stant cum venabulis, feras in retia cogat, & per totum venationis circuitum exaudiatur. Eodem fine Christus mediam vivendi viam, hoc est, non nimis austeram, uti Joannes: neque laxam elegit, ut omnibus serviret, omnes lucrifaceret.

2. 2. Ut ostenderet, quod *in omnibus talibus* (cibo, potu, vestitu, &c.) *non usus rerum, sed libido utentis in culpâ sit,* ait S.August.l.3.de doctr.Christ.cap.12. *Neq; enim ullo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita unguento pretioso à muliere effusos, ut luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur.* Ita August. Permisit ergo Christus juxta morem patriæ unguento, non tamen immoderato perungi pedes suos; quia id genti Hebræorum consuetum, & cum tali moderamine inculpatum erat; ut discerent aulici non damnari eorum vestes molliores & pretiosiores: divites, non reprehendi eorum opes: nobiles & prælati, non vetari eis mensas lautiores; sed posse eos cum illis honestè vivere & salvari; si moderatè & bono fine utantur.

II. *In verbis Christi.*

II. In ejus verbis, quod se Filium Dei assereret. Ita Joannes 8. cum Christus se lucem mundi dixisset, objiciunt ei Pharisæi: *Tu de teipso testimonium perhibet; testimonium tuum non est verum,* hoc est, legitimum, ut credi & recipi debeat. Rursum Matth.26. quando à Caipha adjuratus & interrogatus, an esset Christus? ipse clarè & candidè respondit, se esse Christum; cum ad hoc responsum omnes in genua procidere, ipsumq; adorare deberent, Caiphas scindit vestem & blasphemasse eum clamat, reliqui assessores reum mortis pronuntiant. Iterum hîc velut cæci in hunc lapidem impingunt. Nam quod ad primum attinet Christus factis potiùs, quàm verbis Dei Filium se ostendit, uti in hodierno Evangelio, in quo demōstrat per miracula à se patrata impletum esse in ipso, quod de Christo vaticinatus est Isa.cap.35. illis verbis: *Deus ipse veniet & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et c. 61 *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, &c.* Ad hoc enim vaticinium alludit Dominus, vel potius citat illud, cum ait: *Renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Quomodo modestius simulque efficacius respondere potuisset, ut se Christum esse comprobaret? Facta sua consideranda & cum Isaiæ vaticinio componenda proponit, ut inde velut testimonio, omni exceptione majori, veritatem indagent. Noluit Christ. unquam dicere: Ego sum Dei Filius, aut Christus; tum modestiæ causa, ne jactare se videretur; tum ne Judæos magis irritaret, sibi jam infensos: sed facta sua ostendit, & testimonium Patris sui, qui in ipso & per ipsum opera faciebat, qualia nullus unquam fecerat; deinde testimonia Prophetarum. Falsum igitur erat, quod ipse de se solus testimonium perhiberet. Unde Joan.5. ait: *Si ego de me ipso* (solus scilicet) *testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum.* (h.e. legitimum) *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* Quid agat Christus Dominus? Messiam se neget, aut nullo modo asserat? tunc nemo in eum credet, sicque frustra venit. Asserat clarè & apertè? blasphemum & jactabundum clamabunt Judæi; & timendum erat, ne & alii omnes testimonium illud de vana gloria suspectum haberent. Solum igitur hoc supererat, ut se alienis testimoniis solidissimis & factis irrefragabilibus Messiam demonstraret; id quod ipse abundè præstitit. Hinc ergo tantum abest, ut scandalum sumere possimus, ut vel maximè potius inde ædificari, accendi & confirmari in fide & amore ejus debeamus. Sic enim se ostendit & videndum præbuit sponsæ suæ Ecclesiæ, quasi prospiciēs per cancellos, uti loquitur & agnoscit sponsa Cant.2. nimirum

modestè

modestè & discretè, ne seipsum prædicare velle videretur. In Iudicio tamen à Caiphâ juridicè interrogatus, apertè se asserere Christum debuit, tum ut reverentiam divino nomini, per quod adjurabatur, exhiberet; tum ut eo responso omnium excusationem tolleret, ne quis dicere posset, eum juridicè interrogatum tacuisse vel ambiguè respondisse. Quare propter hoc tam clarum responsum obligamur ei omnes multo maximè, quia per id certi & securi de Christi Domini adventu facti sumus.

III. *In ejus operibus & miraculis, factis in Sabbatho.*

III. In ejus operibus & miraculis, quorum aliqua in Sabbathis faciebat. Hinc enim dicebant Ioan. 9. *Non est hic homo à Deo, qui sabbathum non custodit.* Verùm stultè & impiè. Nam primò lex sabbathi prohibebat tantum opus servile, non liberale; multo minùs divinum, siquidem & Deus in sabbatho operatur conservando & gubernando omnia. Miracula autem facere erat opus liberale, imò divinum juxta id Ioann. 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Secundo non prohibebat quæ sunt de necessitate salutis, seu corporis, seu animæ. Hinc enim convincit Dominus ipsos Iudæos, quod in sabbathis ducerent asinos & boves suos adaquatum. Luc. 13. eriperent lapsos in puteum, Luc. 14. Quo ex capite licebat Christi discipulis sabbatho fricare spicas ad comedendum, non secus ac Davidi & sociis edere panes propositionis, laicis alioquin vetitos. Matth. 12. Tertio non prohibebat ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sed jubebat potius. Unde ipsimet Hebræi circumcisionem in sabbatho administrabant. Hinc ergo poterat etiam paralyticus ille sanatus à Christo, lectum suum tollere sabbatho & portare in domum suam; quia ad gloriam Dei spectabat, manifestare miraculum. Denique his tantis miraculis demonstravit Christus se à Deo venisse adeoque Dominum esse sabbathi, qui in eo dispensare & quidlibet facere posset; uti intellexit & insinuavit Iudæis vel paralyticus ille, cum dixit: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum.* Ioan. 5 quasi diceret: si potuit me divinâ virtute sanare, potuit etiam in sabbatho dispensare, velut vir divinus, qui nihil aget, quod Deo displiceat.

I. *Sed stultè & immeritò.*

IV. *In ejus paupertate & humilitate.*

IV. In ejus paupertate & humilitate. Hic erat primarius lapis, in quo impingebant carnales Iudæi, quia expectabant Messiam cum ingenti apparatu, gloriâ & divitiis adventurum, plusquam Salomonem; Christum autem videbant esse pauperem & humilem filium, ut putabant, fabri: à vili oppido Nazareth oriundum &c. Impingebant & Platonici, ad quos S. Augustinus 10. de civit. cap. 29. *Quid causa est,* inquit, *cur Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, & vos superbi estis?* Humi jacebat hic lapis offensionis, ideo in illum incurrebant: in sublimi positum optabant. Typus Christi hac in re fuit Rex Saul, quando multis clamoribus, petierant Hebræi & impetrârunt tandem Regem; cumque eis datus esset Saul, corporis proceritate & decore insignis quidem, *altior universo populo ab humero & sursum:* conditione tamen rusticus, & ex minima tribu natus, proceres inprimis Iudæorum, deinde multi ex plebe filii Belial, discesserunt ab eo & despexerunt eum dicentes: *Num salvare poterit nos iste?* neque attulerunt ei munera, 1. Regum 10. Ita prorsus Iudæi, postquam Messiam tamdiu expetiverant tandemque acceperunt, proceres inprimis gentis & divites cum majore parte populi, videntes quidem eum sanctitate, sapientiâ & miraculorum virtute omnibus Prophetis longè superiorem, interim tamen pauperem & in vili habitu; noluerunt agnoscere, sed abierunt & despexerunt eum. At vero quam stultè & quam temerè? Tanto enim magis eum amare debebant, quanto pro ipsorum salute pauperior & humilior venit; sicut sanctus Augustinus hom. 36. ex 50. ait: *Sponsus quantò magis deformis nobis commendatur, tantò charior, tantò dulcior factus sponsæ: propter quod & avertit se. Avertit se ne illum intelligerent illi, qui eum crucifigebant.* Et S. Bernardus ser. 1. de Epiph. *Quantò pro me vilior, tantò mihi charior.* Quod enim tali conditione pauper & non instar Salomonis opulentus venerit, nostro bono fecit: Primo, quia in hunc mundum venit, ut nos doceret viam salutis, juxta id Ps 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Et Isa. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Quomodo autem munere isto rectè fungi posset, si bonis temporalibus onustus & curis terrenis intentus fuisset? quomodo ad pauperes, miseros, fractos, humiles, rusticos, mendicos, parvulos docendos; decenter se demittere, & cum eis agere, regiâ in pompa & splendore? quomodo aliis paupertatem, humilitatem, contemptum, obedientiam suaderet, ab his omnibus longissimè remotus? quomodo non prædicatio ejus cupiditati adscriberetur, si divitias admitteret? Quare sicut Moyses velare debuit faciem suam, quando legem populo promulgabat, quod splendor vultûs ejus audientium oculos perstringeret & terreret, ne ad eum propè accedere auderent. Exod. 34 v. ult. ita etiam Christus cum omnibus agere, & verbum Dei auribus hominum suaviter instillare posset, voluit, quin & debuit, non solum dotes corporis sui, sibi alioquin debitas, velare & abscondere, verum etiam splendorem & majestatem, opes & pompam à se amoliri. Quis non videt quantum ipsi propter hoc obligemur?

Venit autem pauper propter nos.

Secundo, quia venit, ut dux viæ nobis esset ad vitam æternam, juxta id Matth. 2. *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Debebat ergo præire etiam populo suo; ut animaret sectatores suos ad sequendum se. Via vero cœli securissima est paupertatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ. Quomodo per hanc promovisset homines, per se ad tastum & cupiditatem, voluptatem & libertatem propensos, si ipse exemplo suo non præivisset? Quomodo tres animæ nostræ hostes potentissimos, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ debellasset, nisi per oppositas virtutes, paupertatem, patientiam, humilitatem? Adhæc cum hominis fœlicitas, etiam juxta antiquos Philosophos multos,

nos, in contemplatione & amore summi boni consistat, quomodo Christus ea assumeret, quæ hominem à fine illo beatissimo magnoperè impediunt?

Tertiò venit ut suâ passione homines redimeret.
3. Quâ verò ratione id poterat perficere, constitutus in majestate, potentia, opibus, honoribus? Quis in tali statu illi non pareret? quis invadere auderet? quis superare posset? ut taceam, quod sponte, non coactè pati debuit. Quare sicut Codrus Atheniensium Rex, ex Apollinis oraculo, servare Athenas non poterat, nisi ipse hostili gladio occumberet: occumbere autem (publicato jam oraculo, & hostium edicto, ne quis Codrum occideret) non poterat, nisi vestem mutaret; quo facto velut gregarius miles ab hoste occisus est, teste Val. l. 5. c. 6. Ita etiam Christus, si regiam Messiæ majestatem, præsetulisset; neque Dæmones ei mortem machinati fuissent, neque Judæi intulissent; sic redempti non essemus.

Trip. fer. 2. Pent. c. 5. C.

Quartò, venit ut mundum planè jam perversum re-
4. formaret, & sibi subjiceret: quod ut opus divinum, non humanum appareret, novis & miris armis aggredi debuit. Unde Theodotus Ancyranus Episcopus in orat. de Nativ. ait: *Si gloriâ stipatus fuisset & divitiis multis circumamictus accederet, dicerent utiq; infideles, quoniam divitiarum largitas mutationem orbis terrarum fuisset operata. Si maximam Romanam elegisset civitatem, potentiam civium, mutationem orbis terrarum putarent. Si filius fuisset imperantis, potestati utilitatem adscriberent. Sed quid fecit? omnia paupera & vilia elegit, omnia mediocria & plurimum obscura, ut divinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum.* Hinc de seipso dixit Isaias c. 53. *Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terrâ sitienti:* (hoc est de matre paupercula parvulus pauper nascetur) *non est species neque decor*, quia decor ejus latebat sicut radix in terra; unde tamen progignitur arbor pulchra, umbrosa, fœcunda, hoc est, Ecclesia per totum orbem diffusa, ut exponit S. August. serm. 36. ex 50.

V. In ejus morte & cruce, sed stultè.

V. In ejus morte & cruce, quæ *Iudæis quidem scandalum, Gētibus autem stultitia fuit.* 1. Cor. 1. Sed prorsus stultè & absque ulla causa. *Inde contra auctorem vitæ homo scandalum sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tantò Deus ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit,* ait S. Gregor. homil. 6. quæ est in hod. Evangelio. Pri-
1. mò enim hoc egit divino consilio, ut charitatem suam erga nos demonstraret, & vel hac ratione, quos aliis viis frustrà sæpè tentarat, sibi nos conciliaret, dum mortem nobis decretam in se suscipere voluit. Quis in tantum amatorem non vicissim amore mutuo rapiatur? Quis enim alius facile pro altero vitam suam ponit, & quidem per tot ignominias ac cruciatus? Obtulerat quidem se Petrus ad moriendum pro Christo: (*Animam meam pro te ponam,*) sed temerè & evanidè, nesciens quanta res, & quam arduum id esset; unde audiit: *Animam tuam pro me pones?* q. d. *Itane facies pro me, quod ego nondum pro te? praire potes, quo sequi non potes? audi quid sis: non cantabit gallus, donec ter me neges;* ait S. Augustinus tract. 66. in Ioan. 13. Repertus quidem & Samson fuit, qui, ut Philisthinorum hostilem exercitum à gente sua amoliretur, passus est se vinciri à suis, ut traderetur hostibus, ne tota gens ab illis extrema pateretur. Inseruit ergo Samson valida illa brachia fortesque manus suas in funes & vincula amore patriæ suæ. Verum cum in conspectu hostium expositus esset, illique cum ingenti furore ac clamore in eum velut capitalem hostem suum incursarent, tantum furorem in se grassantem non sustinuit, sed ruptis vinculis se defendere, hostesque ipsos cædere quàm ab ipsis cædi maluit. Iudic. 15. Samson ergo cum adhuc liber, sanus & integer corpore esset, (postea enim captus & cæcatus libens pro suis mortem oppetiit,) mori pro gente sua timuit: Christus Dei Filius pro servis suis sanus, vegetus ac juvenis mori minime dubitavit. Quis hunc liberatorem non toto corde amet?

2. Secundò ut peccati gravitatem, & in eo puniendo divinæ justitiæ severitatem, quam homines nequaquam satis apprehendunt, sua morte tam dira & ignominiosa declararet. Quis enim videns plecti à Rege filium unicum diro supplicio, propterea solum, quod pro captivis dimissis vadem se exhibuerit, non animadvertit maximorum scelerum illos fuisse reos & capitales patris hostes? Quando Saul audiit Naas Regis Ammonitarum in viros Jabes Galaad, homines gentis suæ, tyrannidem, qua omnium oculos dextros eruere parabat, adeoque vitam eorum petebat, zelo & indignatione correptus par boum suorum in frusta concidit, & dissectas partes per omnes Israëlitarum terminos misit, cum interminatione, quod nisi cum Rege suo ad ultionem de hostibus sumendam se armarent, idem bobus ipsorum futurum esset. Nec potuit alio potentiore modo subditorum accendere animos. *Invasit enim timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus;* ad pugnandum scilicet contra Ammonitas, & plectendam eorum tyrannidem. 1. Regum 11. Non dissimili modo Deus, ut mundo demonstraret quanta tyrannide premeret homines Naas, hoc est, serpens (id enim sonat Naas) ille tortuosus, peccatum (quod homines spoliare solet oculo dextro, visionis beatificæ scilicet, seu, ut ibi S. Gregorius M. ait, *intuitu æternæ claritatis*) ac proinde eos ad execrandum & plectendum in se hostem illum excitaret, quid egit? Zelo planè inaudito filium suum unicum & innocentissimum, flagellis concidit & crucifigi fecit, adeoque morte turpissima & acerbissima quasi dilaniavit. Quodnam aliud, obsecro, potentius atque efficacius excogitare poterat medium ad inflammandos homines odio peccati?

3. Tertiò ut per crucis scandalum & stultitiam confunderet mundi gloriam & sapientiam. Quemadmodum enim Samson ille fortissimus post tam multa heroica sua facinora & victorias de Philisthæis obtentas, permisit quidē se à suis ligari & tradi Philisthæis: sustulit tamen illicò probrum illud, quando fortia illa vincula & funes velut stupam rupit, inventaque asini maxilla stravit mille Philisthæos, Iudic. 15. sicque ad oculum demonstravit, se plusquam humanis adeoq;

divinis viribus pollere: ita etiam Chriſtus licet poſt tot argumenta ſuæ divinitatis, Judæis oſtenſa, permiſerit ſe ab eis ligari & tradi Gentibus ad crucifigendum, mox tamen ſuſtulit totum illud crucis probrum, quando vincula mortis diſrumpens (& *ſolutis doloribus inferni*, Hebr. & Syr *ſolutis funibus inferorum*) reſurrexit à mortuis, & ea, quæ mundo ſtultitia eſt, cruce, velut aſini mandibula ſtravit & proſtravit omnes Gentiles cum eorum fanis & Idolis. Qua quidem inaudita pugnandi ratione pluſquam hominem, adeoque Deum ſe ſatis ſuperque demonſtravit. Quamobrem bene Apoſtolus 1. Cor. 1. dixit: *Prædicamus Chriſtum crucifixum. Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis atq; Græcis Chriſtum Dei virtutem* (hoc eſt, potentiam) *Dei ſapientiam.* Quia, ut explicat S. Hieronymus, *intelligebant quidem credentes Judæi & Gentes virtutem Dei eſſe, quæ devicta morte hominem revocavit ad vitam: & ſapientiam quæ nos à Dominatione Diaboli liberavit, quod ante per incredulitatem intelligere non valebat*. Et in procem. ad l. 3. Comm. ad Galat. *Philoſophi qui ſapientiam venditabant, nihil hominibus perſuadere potuerunt: at Apoſtoli crucem, ſcandali petram imbecillitatis atque ignominiæ ſignum prædicantes, totum orbem ſubjugaverunt.*

4. Quartò denique, ut quandoquidem ipſe humanam naturam induere voluit, humanas noſtras miſerias, extra ſolum peccatum, per omnia deguſtaret; quo nos querulos & impatientes ad eas facilius perferendas ſuo exemplo ſtimularet. Sic prudens belli Dux ut milites ſuos animet ad erigenda valla & excavandas foſſas, & ipſe in foſſam deſcendit ac ligonem apprehendit una cum eis fodiens: ſic amans ægri Medicus, ut venæ ſectionem refugienti perſuadeat, & ipſe in conſpectu ejus venam ſibi ſecari patitur. Itaque *tam peſſimam mortem*, ait S. Anſelmus in Epiſt. ad Philip. cap. 2 *Salvator elegit, ut omnem mortem occideret.* Et S. Auguſt. in Pſal. 140 *ut diſcipuli ejus* (quin & omnes Chriſtiani) *mortem non modo non timerent, ſed nec genus mortis horreſcerent.* Crux enim vel ſola manus pedeſque ſecat ut gladius, corpus diſtendit ut eculeus, lacerat ut ungula, laniat ut beſtiæ, urit cruciatque ut focus, adeoque lento quaſi igne conſumit. Quemadmodum ergo S. Xaverius nuſquam miſit Patrem aliquem Societatis, ubi ipſe prius non fuiſſet: ita Chriſtus Dominus omnis generis dolores prius deguſtavit, quam eas propinaret Martyribus & aliis miſeris atque oppreſſis; ne quis cogitaret eos non ad vitam & ſalutem, ſed ad mortem & perditionem tendere atque terminare. Quod idem S. Auguſtinus bene advertit l. de agone Chriſt. cap. 11. *Nolite*, inquit, *timere contumelias & cruces & mortem, quia ſi nocerent homini, non ea pateretur homo, quem ſuſcepit filius Dei.* Tantum igitur abeſt, ut ſcandalum alicui crux eſſe poſſit aut debeat, ut potius calcar aureum & ſtimulus ſit vehementiſſimus ad amplectendam crucem & omnem tribulationem. Non enim eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec poteſt jam quiſquam dicere, ſe plus pati aut laborare quam paſſus ſit Dux noſter: *nec habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 4.

Vidimus quàm immeritò, quam temerè & ſtultè impegerint in Chriſtum Judæi & Gentiles; qui cum lapidem illum angularem, ambos ipſos in unam Eccleſiam convocantem ac demum in cœleſtem beatitudinem evocantem non audire tantum, ſed obviis etiam ulnis amplecti & exoſculari debuiſſent, ſuis pedibus truſerunt & à ſe repulerunt, adeoque effecerunt, ut gemma pretioſiſſima fieret eis petra ſcandali & lapis offenſionis, à quo contererentur. Nos verò qui partem hanc agnoſcimus eſſe lapidem angularem, ſummum, electum, pretioſum, unicum munimentum & ornamentum noſtrum, quantò plus à Judæis ſpretum eſſe novimus, tantò majore deſiderio & amore complectamur, & quantò is amore noſtri & pro ſalute noſtra vilior factus eſt, tantò nobis charior ſit.

THEMA II.

Veſtium luxus damnis & periculis plenus.

Aula pernicioſa & periculoſa uti & veſtitus mollis.
I. *Quia plurimo conſtat.*
II *Tempus male conſumit.*
III. *Subditos premit & pauperes negligit.*
IV. *Multa animæ pericula continet.*

Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. *Matth. 11.*

Aula pernicioſa & periculoſa uti & veſtitus mollis.

NOn obſcurè Salvator noſter taxat vitam aulicam velut cœlo parum ſimilem adeoque perniciæ & periculis plenam, dum Joannem aſperis indutum negat in aulis morari; ubi non moratur, niſi qui mollibus veſtiuntur. In aulam Aſſueri nemini licebat ſacco indutum ingredi Eſther 4. at in aulam Chriſti nemini conceſſum molli veſtitu ingredi; qui verò ſacco pœnitentiæ & amictu aſpero induuntur, locum ibi inveniunt. Ergo veſtitus mollis, aulæ quidam partus eſt, adeoque aulicum quid. *Quod enim natum eſt ex carne caro eſt*, ait Dominus Joan. 3. & quod ex aula natum, aulicum eſt. Hinc nos Germani ſuperbiam appellamus Hoffart/ voce derivata ab aula, q. d. Hoff-Art/ hoc eſt, aulicus veſtiendi modus. Quare ſicuti partus uterum ſequitur, ita & veſtium luxus aulæ conditionem. In aulis verò Regum, quid non malorum, quid non periculorum hoſpitatur? Quod in matre cernitur idem in filia ejus, ſuperbia, quæ mollibus veſtitur, apparet; uti hîc oſtendemus.

I. Plurimo conſtat.

I. In Regum aulis plurimi ſumptus fiunt inutiles & inanes in pompas, ludos, choreas, ſpectacula, convivia: qui alioquin maximo Reipub. bono fieri poſſent in pauperes, ſtipendiarios milites, ſervos bene meritos, &c. Pari modo in veſtitum pretioſum & ſuper-

superfluum pecuniæ plurimum expenditur, nullo prorsus fructu, sed magno potius damno. Illud testatur Jeremias cap. 4. dicens: *Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Alludit Propheta ad Jezabelem, quæ intrante Jehu hoste in Samariam *depinxit oculos suos stibio & ornavit caput suum*; ut in sui amorem illiceret Regem Jehu: sed frustra; nam Jehu quærebat ejus animam & regnum, unde & præcipitari eam jussit. 4. Reg. 9. Frustra etiam sumptus in pretiosas vestes faciunt & se componunt comptuli, quia nec Deo, nec hominibus, saltem intelligentibus, placent, sed multò maxime displicent Deo; quia ejus imaginem corrigere præsumunt. *Si quis pingendi artifex*, ait S Cyprianus l. de habitu Virginum, *vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato jam consummatoque simulachro manus alius afferret, ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturam tantæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Etsi enim impudica circa homines & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis tamen violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris.* Sic ille. Angelis etiam displicent, quia imaginem Dei, qua illis cognati sunt, vano & animali habitu, à brutis fere desumpto, conspurcant magis quàm ornant. Notum ex sancto Antonio illud Angeli factum, qui cum Eremicola ambulans nares suas clausit ad occursus juvenis superbè adornati, cum Eremicola prius suas occlusisset ad fœtorem cadaveris. Displicens etiam conjugibus, quando alter nimio luxu dotem & labores alterius dissipat, & fortè alienos quoque venatur amores. Multi mariti nunquam è debitis ad opes emergunt, quin & subinde ad incitas rediguntur ob insatiabilem uxorum suarum luxum. *Multæ etiam ineptæ matronæ*, inquit S. Isidorus Pelusiota lib 5. ep. 25. *hunc vestigantes ornatum, invisæ atque odiosæ conjugibus redditæ. At animi ornatus, qui è virtute nascitur, & convictus desiderium excitat, ac mutuæ est benevolentiæ philtrum.* Displicet & aliis, qui non sensibus, ut pecora, sed ratione ducuntur; nec non æmulis quoque, quos ad obtrectandum provocat. Unde B. Petrus Damiani Apolog. 15. *Cum nitor*, inquit, *indumenti ad intuendum se oculos provocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur, derogationum spiculis armat. Quæ enim sit mens, ex veste colligitur, & juxta exteriorem cultum, quæ sit interioris species, indicatur.* Sed audiamus etiam Chrysostomum l. de Virginit. c 61. *Quid lucri est*, inquit, *in multis aureis ornamentis? nihil aliud omnino, nisi invidia, nisi curæ, nisi formido non mediocris. Neque enim tum, cum ea ornamenta in arca collocarint, neque cum nocte opprimuntur, tantum solicitudine commoventur, sed, cum illis luce etiam exornantur, eandem, vel graviorem potius habent molestiam. Etenim in balneis & in cœtibus præsto sunt mulieres, quæ furta faciunt, atque, ut illæ non adsint, impelluntur in turba, & urgentur ornatæ auro, ut nihil illis sentientibus aureum interdum aliquod ornamentum excidat, itaque multa non ista modo, sed quæ majoris etiam pretii erant facta ex pretiosis gemmis, avulsa ac delapsa monilia perdiderunt. Sed fac esse, ut nihil ejusmodi sit timendum, & ut hujus rei cura tollatur. Est*, inquit, *eum aspectum quispiam admiratus, at non ejus est admiratio, quæ ornatum gestat, sed ornamentorum, cui sæpe etiam id vitio versum est, quod præter dignitatem eum haberet ornatum, nam si formosa fuerit, naturalis nitor offenditur, quod ille nimius ornatus maximam partem adimens venustatis, ipsam formæ veritatem elucere non sinit. sin etiam deformis illa, turpisque fuerit, eo turpiorem reddit ornatus. Deformitas enim semper, quantacunque est, per se modo eminet, & apparet: cum vero vel gemmarum splendor, vel cujuspiam alterius rei pulchritudo accessit, tum magis etiam ea turpitudo deformatur.*

II. *Tempus male consumit.*

II. In Regum aulis temporis pars magna male perdi solet confabulationibus, ludis, venationibus, conviviis somno & his similibus. Sic & in ornatu corporis, ut nihil aliud mali fieret, pretiosi saltē temporis magna pars conteritur, juxta id Comici: *Dum moliuntur, dum comuntur, est annus.* Unde enim fit, ut nobiles & magnates, communiter fere omnes, tam serò ad rem divinam accedant, aut etiam negligant, nisi quia domi sese comendo, pectendo, vestiendo, in speculis contemplando, totum penè tempus matutinum insumunt? Quid autem hac jactura perniciosius? Ælianus homo Ethnicus taxat Myrmeadem Milesium & Callicratem Lacedæmonium, quod *quadrigas fecerint, quæ sub musca possent abscondi, & in sesamo* (Flachs Dotter Samen/) *elogium litteris aureis inscripserunt*, illis verbis: *Quorum sane neutrum, mea sententia, laudaverit sapiens. Quid enim hæc aliud sunt, quam vana temporis jactura?* l. 1. var. hist. c. 17. At hi ingenium saltem nullius damno excoluerunt: qui vero ornando corpori horas & dies impendunt, nihil interim aut vix aliquid poliendæ animæ dant, nonne magis culpandi sunt: Sanctus ille Nonnus, Episcopus Hierapoli, videns Pelagiam, Antiochenam meretricem, forte in platea transeuntem, usq; adeo comptam & ornatam, ut nihil præter aurum, margaritas & gemmas in ejus vestibus cerneretur, ad astātes dixit. *Quid putatis? quantas horas fecit in cubiculo suo hæc mulier, lavans & componens se, cum omni solicitudine animi & intentione ad spectaculum ornans se, ut corporali pulchritudini & ornatui nihil deesset, quatenus omnibus placeret; ne turpis videretur suis amatoribus, qui hodie sunt & crastino non sunt?* Post ingressus cubiculum suum jactavit se in pavimentum percutiensq; pectus suum cum lachrymis dicebat: *Domine Iesu Christe ignosce mihi, quia unius diei ornatus meretricis superavit ornatum animæ meæ.* Ita Jac. Diac. in ejus vita apud Rosvv. & Sur. 8. Oct.

III. *Subditos premit & pauperes negligit.*

III. In Regum aulis subditi premuntur exactionibus & laboribus; pauperes negliguntur. De posteriore hoc nemo dubitat; de priore habemus testimonium ex ore Dei, 1. Reg. 8. loquentis per Samuelem: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis:*

Filios vestros tollet & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, &c. Agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet & dabit servis suis, &c. Unde enim aulici vivunt nisi ex sudoribus subditorum & rusticorum? Horum sylvas, agros, prata, vastant suis venationibus, feris, vecturis & similibus. Idem agunt illi, qui in luxum vestium nimium profusi sunt. Ut enim ipsi splendeant in auro & argento, gemmis & holoserico, una cum familia sua, quantis exactionibus premunt suos subditos? Ita enim de illis Jeremias c.2. ait: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum.* Alias vocat vestium oras, veluti fimbrias pretiosas, vel manicas dependentes, & similes superfluitates, ad solum ornatum excogitatas minimeque necessarias, uti etiam plumæ caput adornantes. Has cruentant sanguine pauperum, qui inde se adornant; quo modo aquilæ vel accipitres dum minores aves rostro & unguibus lacerant, earum cruore suas alas aspergunt. Horum enim ornatuum pretium à pauperibus extorquent, vel mercatoribus & sartoribus adhuc debent, vel per injustitias conquisierunt. Rectè hujusmodi vestes alæ vocantur; tum quia lacinioso ambitu latè panduntur: tum vel maxime, quia vestibus, uti alis volucres, in altum sese efferunt & in publicum ad se ostendendum prodeunt, qui alias domi se continerent, uti fœminæ præsertim. Hinc Clemens Alex. 3. pædagogi c.11. *Ea,* inquit, *quæ à fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahenda sunt, ut quæ instabilem superbiam ac molliciem inanesq; voluptates procreent: quibus excitatæ & quodammodo alatæ à matrimonio resiliunt: quocirca fœminæ honestè ornandæ & pudico pudore astringendæ sunt, ne à veritate propter mollitiem diffluant.* Sic ille verissimè; nam his varicoloribus & fulgentibus alis in alienas domos quasi evolant, ut se spectandas præbeant; unde sæpe in accipitrum manus incidunt. Has igitur alas nisi mariti eis evellant, jure cum illis pœnas aliquando dabunt, quod exemplo illius debitoris, qui una cum uxore & liberis vendi jussus est in parabola, (Matth. 18.) dicere possunt. Id observat Oleaster in capite 32. Isaiæ ad illud: *Mulieres opulentæ surgite,* ait enim: *Arguit & merito hic Vates opulentas fœminas, quoniā novit viros propter eas multa malè committere. Quis diceret nunc quot furta, extorsiones, homicidia & mala viri operantur ad alendas uxores cum liberis? & quid ad alendas dico? dicam melius, ad ornandas & pingēdas rebus superfluis? Hac de causa arbitror Regem illum, cujus Matthæus meminit, servi sui, qui non solvēdo fuit, uxorem & liberos vendere præcepisse, quoniam noverat horum gratiâ eum tot furta & debita contraxisse.* Accedit etiam quod hoc luxu parando & conservando pauperes defraudentur suis eleemosynis, utq; ornatus ille superfluus superbis non desit, pauperibus necessaria desint. Unde S. Hieronymus epist. 22. lamentatur: *Inficiuntur membranæ purpureo colore, aurum liquescit in litteras, gemmis codices vestiūtur, & nudus ante fores eorum moritur Christus.* Quod ille scribit de ornatu codicum, intellige tu de ornatu vestium.

IV. In aulis Regum plurima animæ pericula sunt, uti notum omnibus, etiam Gentilibus, è quibus Lucanus 8. Pharsal. canit: *Exeat aula, qui vult esse pius.* In luxu etiam vestium multæ animorum syrtes & scopuli reperiuntur. Nam imprimis hominem emollit & facile ad luxuriam trahit, unde forsan luxus appellatur, quasi mater luxuriæ. Hinc etiam à Christo *mollia* vocantur: *Qui mollibus vestiuntur, &c.* In quæ verba sanctus Bernardus sermone ad sororem *Vestimenta mollia sunt, quæ mollem efficiunt animum.* Et sanctus Chrysostomus homilia 29. in Ep. ad Hebr. *Molle,* inquit, *vestimentum etiam fortem dissolvit & frangit animum ac dissolvit.* Quid verò de hoc Sapiēs? *Circulus aureus in naribus suis,* inquit Proverbior. 11. *mulier pulchra & fatua.* Circulus aureus quid nisi vestes aureæ & fulgidæ? atqui circulo naribus inserto trahuntur bestiæ, ut bubali inprimis, quin & porci aliæque quacunque volueris: itidem & mulieres ad spectaculum ornatæ quasi in foro vendendæ. Vitulus ille aureus, Idololatriæ & luxuriæ parens, unde quæso prodiit; nonne ex inauribus aureis mulierum Hebræarum earumque filiorum ac filiarum? Ita enim loquitur Aaron: *projeci illud* (aurum scilicet inaurium) *in ignem, egressusque est hic vitulus,* Genes. 32. q.d. non efformavi illum sed ita ex igne prodiit. Hoc igitur est, quod nullo omnino negotio, sed naturali quasi consequentia prodit ex superbo ornatu, vitulus lasciviæ. Deinde ad fastum & arrogantiam animum extollit. Quis enim in veste splendida, præsertim si laudetur aut suspiciatur, seipsum non miratur & circumspicit, indeque alios, qui vilioribus sordent, non contemnit? Ipsi equi phaleris ornati fastum præseferunt; quod inprimis de Bucephalo, qui regio instratus ornatu neminem in sedem recepit, præter Alexandrum, testatur Plinius lib. 9. cap. 42. Hujusmodi equus fuit Herodes Agrippa, de quo Josephus lib 19. Antiq. cap. 7. scribit: *Pervenit in urbem Cæsaream, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris: ad quam festivitatē magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus solemnitatis die secunda processit manè in theatrū amictus veste tota ex argento mirabili opere cōtexta, quæ radiis exoriētis Solis perculsa, ut divinū quendam splendorem emittens, venerationē cum horrore excutiebat spectantibus: moxq; adulatores perniciosi acclamantes Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius; hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit nec repulit: pauloq; post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem; moxque secuta sunt ventris tormina, &c.* Nam, ut Act. 12. dicitur, *percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo & consumptus à vermibus expiravit.* Denique insidiis homines exponit, seu juvenes, seu fœminas. Alexius Comnenus Imp. Orientis, uti refert Nicetas lib. 1. in Festo Natalis Christi cupiens legatis Cæsaris Henrici VI. terrorem suo luxu injicere & à petitione tributi 50. auri centenariorum, eos deterrere, gemmatam ve-

IV. Mul[ta] a- nim[æ p]eri- cula [im]mi- net.

Hom[in]em effœmi[nat].

2. In supe[r]biā effe[rt].

3. Insidiis [ex]ponit.

stem

ſtem induit, & reliquos ſuos omnes auratis veſtivit. Quo ſpectaculo Alemanni adeo non obſtupuerunt, ut eorum cupiditas illo ſplendore magis etiam inflammaretur, & Græcos ut ignavos homines & ſervilibus delitiis deditos quamprimum oppugnandi occaſionem optarent. Nihilo magis ſapiunt, qui ſeipſos comunt, & ad ſpectaculum adornant, mulieres præſertim; viros enim & juvenes adeo non abſterrẽt à commercio ſuo, ut vehementer incitent ad inſidias ſibi ſtruendas; ut quæ molles ſeſe & quaſi vænales oſtendant.

V. *Inſidiatur pudicitiæ*

V. In aulis Regum plurimi inſidiatores ſunt, qui alios honoribus & officiis deturbare, aliorum pudicitiam expugnare, alios Principum favore exuere conantur. Idem videre eſt in veſtium luxu, qui nihil aliud eſt, quam aureus ille calix meretricis auro & byſſo adornatæ, propinatus ad bibendum hominibus, plenus immunditia & fornicatione ejus, Apocal. 17. Jam verò *dic mihi*, inquit S. Chryſoſtomus ſermone. Quod regulares fœminæ tom. 5 *quos puniunt Iudices? num eos, qui bibunt mortifera venena, an miſcentes calicem, &c. Tu autem miſera & calamitoſa miſcuiſti calicem hunc pernicioſum & præbuiſti: & ille, qui bibit periit, & defenſam te credis, quia tu non bibiſti*, &c. Miſcent hoc venenum viris fœminæ, dum inſolentius ſe adornant. Hinc Euripides ait mulierem ornatam *foris aliquid mali quærere.* Et Pythagoras Crotonienſem populum in luxuriam collapſum, hac una arte facilè retraxit dum mulieres ſuos fucos & ornatum deponere juſſit, ut Juſtinus lib. 20. refert. Præceptum legimus, Exod. 21. *Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum.* Ciſterna quædam eſt mulier, teſte Sapiente prov. 5. ubi viro de uxore dicitur: *Bibe aquam de ciſterna tua*, h. e. uxore tua contentus eſto. *Sed talis ciſterna*, (inquit S. Bernardinus Senenſis ſer 46. Quadrag. tom. 1.) *incautè aperitur, quando mulier cultu meretricio exornatur. In illam utique non opertam bos vel aſinus cadit, quando occaſione indebitæ vanitatis aliquis per concupiſcentiã ruit. In quo caſu ejus anima de mulieris vanæ manibus requiretur, cum det ad hoc efficacem cauſam.* Aperitur, inquam, incautè ciſterna, cum partes corporis tegendæ nudantur potiùs quam veſtiuntur, dum tenuiſſima & pellucida ſindone obducuntur; quod extremæ dementiæ atque impudicitiæ eſt. Ac licet in hujuſmodi ciſternam nemo incidat, non tamen is, qui aperuit, à peccato immunis erit, uti ſcribit S. Iſidorus Peluſiota l. 2. ep. 289. *Mulier ornandi corporis ſtudioſa*, inquit, *atque ob eam cauſam in forum ſe conferens, aut per feneſtras proſpiciens ut juvenes irretiat, etiamſi à conatu ſuo excidat, tamen proinde ac ſi eos irretiiſſet, condemnatur. Id enim omne, quod in ipſius poteſtate erat effecit ut quæ & venenum miſcuerit & retia expanderit, & laqueos omni ſtudio ac diligentia ſtatuerit.* Idemq; de viro pronuntiat ſubdens: *Quod ſi vir ob eandem cauſam laſciviẽs, quam virum deceat, ſe ornavit, ipſe quoque acerbiſſimas pœnas omnino pendet, tametſi etiam nulla reperiatur, quæ poculum bibat.*

Quando igitur vidimus pernicioſæ matris pernicioſam filiam, ſupereſt ut eã toto pectore vitemus. Quãdo ad Aquileiam milites Maximinũ Imp. occiderunt, etiam filium ejus peremerunt dicentes: *ex peſſimo genere nec catulum retinendum*, Cuſpinian. Peſſima parens aula Regum plerumq; eſt: peſſima ejus filia eſt veſtium ſuperbia. Hanc ergo mactate, ne ipſa vos mactet, ex peſſimo genere peſſimus catulus.

THEMA III.

Veſtium luxus cœlo inhabilis.

Exulant è cœlo qui mollibus veſtiuntur.

I. *Quia immundi ſunt.*
II. *Quia abominationem faciunt.*
III. *Quia faciunt mendacium.*
IV. *Non ſunt ſcripti in libro vitæ.*

Quid exiſtis (in deſertum) videre hominem mollibus veſtitum? *Matth. 11.*

Cœlum quoddam deſertum.

Audimus in hodierno Evangelio, mollibus veſtitos in deſerto non reperiri. Si in deſerto non repeririuntur, nec in cælo locum habent; ſiquidem & cælum quoddam deſertum eſt; uti diſcimus ex parabola de ove perdita; quam requiſivit bonus Paſtor relictis in deſerto reliquis nonaginta novem ovibus. Hæ enim (ut exponit S. Greg. hom. 34. in Evang. S. Ambroſius & V. B. in Lucam) ſunt Angeli in cœlo. Nec malè à Chriſto cælum appellatur deſertum, quia inſtar deſerti nobis in terra degentibus eſt incognitum atque impervium. Rurſum, quia *deſertum dicitur derelictũ*, inquit Haymo in eum locum. *Et quare cælum dicitur derelictum? Quia tunc homo deſeruit cælum, cum peccavit. Niſi enim peccaſſet, ſine morte corporis, ſine infirmitate, ſine ſenectute, completo numero electorum, de paradiſo terreno tranſiret ad paradiſum cæleſtem.* Deniq; deſertum appellari poteſt, quia à majore hominum parte deſeritur & ſpernitur, mundoq; huic poſtponitur, uti patet ex parabolis cœnæ magnæ & convivii nuptialis, ab invitatis ſpreti ac neglecti. De hoc etiam deſerto bene intelligere poſſumus, quod ait Dominus: *Quid exiſtis* (in deſertum) *videre? hominem mollibus veſtitum?* q. d. nequaquam iſtiusmodi homines in cœlo viſuntur; quia veſtium mollities & luxus cœlo inhabilis eſt. *Qui mollibus veſtiũtur, in domibus Regum ſunt:* ait: *Qui vero talia veſtimenta non habent in cœlis ſunt:* ait S. Chryſoſt. hom. 29. in Epiſt. ad Hebræos. Et S. Greg. hom 6. in Evang. *Quid eſt*, inquit, *dicere: Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regũ ſunt: niſi aperta ſententia demonſtrare, quia non cœleſti ſed terreno Regi militant ii, qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt & delectationem quærunt? Nemo ergo exiſtimet in luxu atq; ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus Apoſtolus per Epiſto-*

lam fœminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: Non in veste pretiosa. Pensate ergo quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, à quo curavit pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere. Ita S. Gregorius. Porrò nunc videndum, cur hujusmodi homines cælo sint inhabiles. S. Joannes Apostolus cum Apoc. 21. vidisset ac descripsisset cælestem civitatem, in fine subdit: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* At verò qui mollibus vestiuntur, seu luxu vestium delectantur, revera tales sunt; non ergo intrabunt in cælestem illam Jerusalem.

Exulant è cælo, qui mollibus vestiuntur

I. *Quia immundi sunt.*

I. Coinquinati animo & immundi sunt. Testatur id inprimis S. Bernardus serm. super Missus est: *Vestium curiositas,* inquit, *deformitatis mentium & morum indicium est.* Et iterum de consider. 3. *Quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fœdatur & sordidatur.* Rursum in Apolog. ad Guil. Abb. sub finem: *Mollia indumenta animi indicant mollitiem: non enim tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mēs, virtutibus inculta.* Consentit S. Cyprianus l. de habitu Virg. *Si tu te,* inquit, *sumptuosius comas & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitem succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium & venenum videntibus te præbeas, excusare non potes, quasi mente casta sis & pudica; redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, &c.* Accedit S. Ephrem Syrus serm. de vita & exerc. Monach. *Ornatus vestium,* inquit, *nos sapere terrena significat, vestisque accuratè composita verâ illâ gloriâ nudos esse testatur* Et sanctus Chrysost. hom. 18. in 1. ad Corinth. *Difficile est enim, difficile, ô dilecti, fortasse autem etiam fieri non potest, ut sic ornato corpore simul quoque ornetur anima: sed necesse est, ut si alterum curetur, alterum negligatur.* Et in Orat. Calendis habita tom. 5 *Eousque mollitiæ,* inquit, *usu delapsi sunt homines, ut & calceos exornent, & omni ex parte (æque enim ac faciem suam nonnulli componunt) variare soleant: quod animæ impuræ ac depravatæ signum est. Licet enim perexiguum hoc esse videatur, tamen tum in viris, tum in fœminis magnum perditæ mentis argumentum & significatio est; ingressu enim & amictu nos Deum gloria afficere posse cognosce ex eo, quod olim sapiens quidam* (Ecclesiasticus cap. 19.) *dixit: Vestitus viri & risus oris & incessus pedum indicant hominem.* Neq; solum SS. Patres hoc judicium tulere de insolenti vestium luxu, sed etiam Gentiles. Notum id, quod de Julio Cæsare scribit Suetonius, usum lato clavo (veste senatoria spectabili) ad manus fimbriato, ita ut nunquam aliter, quam super eum cingeretur & quidem fluxiore cinctura; unde emanasse Syllæ dictum constat, optimates sæpius admonentis, *ut malè præcinctum puerum caverent;* malam ejus indolem & animum ex insolito vestitu colligentis. Ejusdem in imperio successor Augustus dicere solitus est: *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ,* eodem auct. Ad vexillum confluunt milites, ad nidum aves; ita ad luxum vestium superbia & luxuria. Audite S. Gregorium. homil. ult. super Evang. *Quod pro sola,* inquit, *inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, cum nemo velit ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri.*

II. *Quia abominationem faciunt.*

1 *Velut idola se proponunt.*

II. Abominationem faciunt, 1. dum se velut Idolum adornant & quasi adorandos aliis proponunt. (Idolum enim in scriptura Hebr. vocatur *Scikkutzim,* id est, *abominationes* seu res summè abominabiles.) Vitulus ille idololatricus, quem coluerunt in deserto Hebræi, ex inauribus Hebræarum mulierum conflatus fuit. Exod. 32 Et quid aliud mulier ad fastum composita, nisi hujusmodi vitulus aureus? Vituli illi, seu, ut alii volunt, vitulæ aureæ, quas erexit Jeroboam in Bethel & Dan, facile ad sui cultum attraxere majorem Hebræorum partem, ut relicto Deo & templo Jerosolymitano ad eas concurrerent. 3. Regum 12. Idem fere efficiunt meretricio cultu adornatæ fœminæ; trahunt ad se viros, stultos præsertim juvenes ut integris horis ac penè diebus coram ipsis veluti idolis, venerabundi stent, quin & genua flectant, earum curribus adequitent, velut mancipia inserviant, Deo omnium creatore relicto & posthabito. Nemo facile templum ingressus, in ejus angulos oculum convertit, quod plerumque sordibus scateant; nisi forte in iis statuæ affabrè factæ scitè collocentur; tunc enim neglecto altari omnes ad statuas illas contemplandas sese conferunt. Mundus hic templum quoddam est sanctissimum, in quo Deum in creaturis suis contemplari possumus ac debemus. Verum adornet se una mulier ad instar unius statuæ aut Idoli; mox stulti quamplurimi à Deo avertent oculos, & in sordidissimum mundi angulum ad mulierem illam sese convertent. Quo videtur respexisse Psalmus 143. vers. 12. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.* Hieronymus & Augustinus in speculo legunt: *Filiæ nostræ quasi anguli ornati ad similitudinem templi.*

2 *Dæmonem ad se invitant.*

2. Dum ad sua commercia ipsum Dæmonem, omnium abominabilium maxime abominabilem, invitant & alliciunt; ut qui hujusmodi comptulis promptissime adesse solet. Testem adduco Beatum Petrum Damiani, qui epist 14. ad Mainardum Abb. l. 6. Epist. scribit: *Babylonem sanè Diabolus, Hierusalem inhabitat Christus. Ille luxuriantis amictus varietate reficitur; hic asperis & humilibus, si cordis non desit humilitas, delectatur. Auctorem porro superbiæ sæpe nitor vestium provocat; asperitas autem Christum, ut humiliato cuilibet misereatur, invitat.* Inter ornamenta muliebria numeratur murænula, Cantic. 1. vers. 11. & Ophis, ut scribit Pollux lib. 5 cap. 16. quod illa murenæ similitudinem, vario flexu ad ornandum collum affabrè facta; hæc vero serpentis similitudinem habeat. Bene certè utrumque monile sic appellatum. Muræna ad amplexus viperam admittit, teste Divo Basilio homil. 7. Hexam. Dæmon quoque se immiscet lascivis ornamentis. Ophis serpentem significat, & rectè ornamento fœmineo tribuitur hoc nomen, *quemadmodum enim Evam,* inquit,

quit Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 12. *Serpens decepit : ita & alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura in probra impellit, nempe muranulas quasdam aureas & serpentes ad decorem effingens.* Serpens nudum non aggreditur , sed vestitum teste Augustino in psalm. 9. Isidoro lib. 12. cap. 4. Dæmon invadit superbè adornatos : non qui modestè induti sunt. Hinc sanctus Paulinus epist 4. ad Severum: *Intelligant,* (mulieres) inquit: *cur illas Apostolus prolixiori capitis velamento tegi jusserit: propter Angelos, inquit, illos videlicet ad seductionem paratos , de quibus sancti judicabunt. Hi enim petulantius infirmiora vasa pertentant, sicut non Adam sed Evam coluber aggressus.* Exemplo id ostendit Godschalcus Holen celebris Concionator in F. Dedicationis, in quadam domina, quæ famulæ præcepit, ut mane se excitaret & ad festum diem impensius ornaret. Summo mane venit ancillæ loco Diabolus, dominamq; excitat & ornare incipit. Verũ non modo non exornavit, sed turpissime potius deformavit. Venit postea ancilla, stupet, horret fugitq; quasi aspecto Dæmone, fœtorem insuper sentiens intolerabilem. Igitur domina ad speculum accurrit, suiq; aspectu adeo terretur, ut retrorsum cadens præ horrore extincta sit.

III. Faciunt mendaciũ. I. Dum alienam speciem sibi fingunt.

III. Faciunt & mendacium. 1. dum alienam fucatamq; pulchritudinem sibi affingunt. Hoc enim quid est aliud, nisi pulchrum se mentiri ? Derisa ab antiquis fuit Terpsithea, quæ cum esset toto corpore deformis sibi venustissimam fieri curavit; oris sui turpitudinem falsis tabulæ pigmentis honestare cupiens. Theoph. in ep. Græcis. At hoc agunt etiam, qui ex alienis coloribus pulchritudinem, quam à natura non habent, mutuo desumunt. *Ceus quidam ætate provectus venit Lacedæmonem: quum vero & alias turgeret superbia, & senectutis suæ eum puderet , canos occulere conabatur tinctura. Itaq; quum in conspectum Lacedæmoniorum prodiisset ostenso tali capite, exposuit quorũ gratia venerat. Consurgens itaq; Archidamus Rex Lacedæmoniorum Quid, inquit, hic sani diceret, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput?* Ita Ælianus l. 7. var. hist. c. 20. Hoc idē dici potest iis, qui elegantiam sibi affingunt ab alieno cultu. Quid autem honoris accedere illis potest ex vestibus, quæ foris solum adhærent & ferè è brutorum pellibus aut laboribus constãt? *Stultus est,* inquit Seneca l. 2. epist. c. 47. *qui empturus equum, non ipsum inspicit: sed stratum ejus: sic stultissimus, qui hominē ex veste æstimat.* Quare Demonax superbienti cuidam de eleganti veste: *Heus tu,* inquit, *hoc ante dum gestabat ovis, ovis erat.* Adhęc pretiosus ornatus hominem non tam pulchrum, quam divitem ostendit. *Appelles pictor,* inquit Clemens Alexandr. l. 2. pædagogi c. 12. *cum vidisset quendam ex suis discipulis, pinxisse Helenam, multo auro ornatam: ô adolescens, inquit, cum non posses pingere pulchram, fecisti divitem. Tales sunt Helenæ, quæ nunc sunt mulieres, non vere pulchræ, sed multis efficta & ornatæ divitiis.* Fictio hæc non Dei opus, sed Diaboli potius est, si antiquissimum Tertullianum audimus, lib. de cultu fœmin. *Quod nascitur,* inquit, *opus Dei est; ergo quod fingitur, Diaboli negotium est: quod si Diabolus omnia fucata excogitavit, divino operi Satanæ ingenia superducere quam scelestum est?*

2. Dum foris ostendunt decorem, intus gerunt fœditatem.

2. Dum foris ostendunt se quidem pulchros & ornatos corpore, intus verò animum gerunt fastu, arrogantia, & communiter impudicitia ac stultitia deformatum. Quam ob causam prædictus Clemens lib. 3. pædag. c. 2 comparat hujusmodi fœminas Ægyptiorum templis juxta id Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi,* ita scribens: Apud Ægyptios templa, eorumq; porticus, vestibula ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: Parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent, ita ut nihil desit: ædes autem auro argento & electro collucent, & ex India ac Ægyptia variis fulgentibus lapillis, adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia tēpli ambitus subieris , & ad ejus quod est præstantius spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat, quæsieris, sacerdos quispiam ex iis, qui in tēplo sacrificant, gravi & venerando vultu aspiciens, & Ægyptiorum lingua pæanem concinens , cum veli aliquantum contraxerit tanquam Deum ostensurus, abundè nobis suppeditat occasionem irridendi numinis: neque enim intus invenietur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua ejusmodi bellua, quæ quidem templo est indigna, sed antro speluncæ ac cœno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur. Ita etiam mihi fœminæ videntur, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis ungendis oculisque pingendis & pilis tingendis versantur , & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes , & verè Ægyptios imitantes, infœlices amatores attrahere. Sed si quis veli templum aperuerit, vittam, inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam , & quæ eis intrita & incrustata sunt, hoc est, velamentum , quod ex eis contextum est, tanquam illic veram inventurus pulchritudinem , rectè scio eum esse abominaturum. Neque enim Dei imaginem intus inveniet habitantem, quam est consentaneum: sed loco ejus fornicatrix & adultera animæ occupavit adytum, & vera esse bestia convincetur, fuco scilicet intrita & incrustata simia: & seductor ille serpens , mentis excedens intelligentiam per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam , & cum omnia exitialibus venenis impleverit & erroris sui virus eructaverit , mulieres in meretrices transformat hic Draco, fungens leonis officio: non est enim mulieris , sed meretricis illud nimium sui ornandi studium. Optime igitur S. Augustinus epist. 43 ad Possidium: *Verus, ait, ornatus, maxime Christianorum & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisq; pompa, sed mores boni sunt.*

V. Non sunt scripti in libro vitæ.

V. Non sunt scripti in libro vitæ Agni , ut cui se adversari suo cultu ostendunt; quod inprimis testatur S. Cyprianus lib. de discipl. & habitu Virginum:

Re-

Redarguit te cultus improbus, ait. *& impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas & Virgines Christi, quæ sic vivis ut possis adamari.* Exemplo Achab id ostendit Petrus Damiani epist. 14. ad Mainardum Abb. 6. Epist. *Sicut sacra*, inquit, *Regum testatur historia* (3. Reg. 22.) *Rex Israel* (Achab) *& Iosaphat Rex Iuda, sedebat unusquisque in solio suo vestiti cultu regio in area; juxta portam Samariæ, & universi Prophetæ in eorum conspectu mendacia prophetabant. Auctor quippe mendacii fucati cultus delectabatur illecebris, & adumbrati decoris aspectu per ora prophetantiū officinas fabricaverat falsitatis. At contra cum idem Achab comminantis Eliæ dura, prout dignus erat, verba perciperet ac impendentē suis cervicibus divini furoris gladium territus formidaret, scriptura teste scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulabat demisso capite. Factusque est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus est mei causa; non inducam malum in diebus ejus. Ecce, Achab imperiali purpura decoratur, & reprobo spiritu fallente decipitur: cilicium induit, & gladium divini furoris avertit; regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur; sacco contentus, dilatæ ultionis indulgentiam promeretur.* Patet igitur non placere Deo, adeoq; nec inscribi ejus libro, nisi qui deposito carnis ornatu, humilitatem amplectuntur; quod etiam à prævaricatoribus Hebræis petiit. Exo. c. 33. *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciā quid faciam tibi.* Intellexerunt & Ninivitæ, qui non nisi exuti vestibus pretiosis, & induti saccis ipsum placarunt: intellexit meretrix illa in Evangelio, ut ait S. Hieronymus Epist. 10. cap. 2. *quæ baptizata lachrymis suis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec oculos stibio fuliginatos, sed quanto fœdior, tanto pulchrior.* Hoc enim habitu Domino placuit, & in librum vitæ Agni inscripta fuit, quæ in ornatu displicuisset, & è libro illo expuncta fuisset. *Horret humilis vestis*, inquit S. Ambros. lib de pœnitent. cap. 15. *Sed hoc valde decet, quod Deo non displicet.* Arridet vicissim ambitiosa vestis; sed quid hoc prodest, quod Deo non placet? Alexander Valachiæ Palatinus post male administratam provinciam Constantinopoli jussu regio in splendidissimo vestitu laqueo enectus est anno Domini 1597. Ipsa Palmarum Dominica, auctore Nicol. Reusnero in narrat. hist. Et quid hoc eum juvit? nonne major ipsi infamia fuit, perire tam infami supplicio in tam splendido ornatu? *Bonum tibi est*, inquit Dominus Matth. 18, *ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Pari modo præstat in mendici centone una cum Lazaro illo ingredi ad vitam, quam in purpura & bysso una cum Epulone sepeliri in infernum.

THEMA IV.

Vestium ornatus quousque illicitus.

Luxus vestium proscriptus.

I. *Quia corpori non adhibendus fucus.*
II. *Non introducendæ novitates.*
III. *Non licet excedere facultates.*
IV. *Non excedat statum & dignitatem.*
V. *Non sit contra honestatem & modestiam.*

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. *Matth*, 11.

S. Laurentius Justin. sanctitate & doctrina illustris, primus Venetorum Patriarcha, ubi ad Episcopalē dignitatem à PP. Eugenio evectus ascendit, mox ad reformandos suorum subditorū mores animum adjecit, interq; alia decretum edidit, de mulierum ornatu, uxoriis maritis vehementer ingratum. Unde Dux ipse Venetorum libertati sæculari metuens, indignabūdus eum accersiit, verbisq; durioribus increpitum rationem exposcit. At Laurentius pro sua insita gravitate & mansuetudine tale ei responsum dedit, ut Dux lachrymis perfusus ad astantes dixerit: *Angelus non homo locutus est, Fungere Pater officio tuo.* Ita ejus nepos, Bern. Justin. in ejus vita apud Sur. 8. Jan. Ingratum etiam est comptulis & superbis verbum Christi Domini in hodierno Evangelio: *Qui mollibus vestiūtur, in domibus Regum sunt.* Indicat enim tales nequaquam S. Joanni Baptistæ similes, sed è diametro contrarios, & mundi, non cœli aulicos esse. Sed quid volumus? Non homo, nec Angelus, sed Dei Filius hoc locutus est: qui dum proscribit è cœlo superbum vestitum, fungitur officio suo. Quis igitur prohibeat, ne & ego fungar meo? Placuit Deo Laurentii decretum & divinitus approbatum est, vel ab invito Duce. Placeat etiam vobis audire decreta aliquot, divina verius quā humana, circa vestitum illum.

Luxus vestitur proscriptus.

I. Non vult Deus fucum corpori adhiberi. Ita enim Jer. 4. ait: *Cum pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris*, alludens ad Jezabel, quæ ad ingressum Regis Jehu in urbem, depinxit oculos suos stibio 4. Reg. 9. at non modo ei non placuit per hoc, aut ejus gratiam venata fuit sed maxime displicuit, & præcipitari ab eo jussa est. Quantò magis displicebit Deo, si ipsius opus vario fuco destruatur? Audite quid Isaias capite 3. dicat: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & nutibus oculorum* (Chald. *stibio linitis oculis*) *ibāt, &c. decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, &c. Dominus crinem earum nudabit.* Planè eo modo, quo Guilielmus Lugdunensis Episcopus refert cuidam nobili fœminæ cerussatæ, eunti cum publica processione, è proxima officina simiam in humerum insiliisse, ac capitis ornamento detracto, deformitatem fuco ementitam detexisse. Unde incredibili pudore ac dolore affecta fuit. Cum ergo tibi comptule fucum & larvam detrahet Deus, quid senties? Num te suam agnoscet creaturam, sic depravatam? Olim ru-

Non adhibendus fucus.

bro

bro colore pingebant fœminæ capillos, quod mali ominis eſſe dicebant ſancti Patres, nimirum colore illo igne o prodere ſe mulieres, quod de gehenna ſint. Ita ſanctus Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam: *Mulier Chriſtiana cave, ne caput filiæ gemmis ornes, aut collum auro premas, nec capillum inruffes, ne ſic aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.* Et Sanctus Cyprianus de habitu virg. *Audaci conatu & ſacrilego contemptu tuos inficis crines; o fœmina, malo præſagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auſpicaris.* Refert Theodoretus in Philotheo matrem ſuam aliquãdo defectu oculi laborantem adiiſſe Petrum Eremitam fama ſanctitatis ejus permotam. *Habebat autem inaures, catenas & torques & alia aurea, quæ ſibi induerat, & veſtem variam ex ſericis filis contextam; nondum enim virtutem guſtarat perfectiorem. Tum ſãctus pii ornatus morbum in ea curare volens: Dic mihi, filia, inquit, ſi quis pictor in arte bene exercitatus, aliquam pinxiſſet imaginem, ut præcepit lex artis, & eam propoſuiſſet videre volentibus: veniret autem aliquis alius artem non ſciẽs perfectè & accuratè, temereque & inconſultè, ut ſibi videtur, vellet contra pingere, deinde illam artificioſam reprehendere picturam, ſuperciliis quidem & ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem & genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille pictor jure ſuccenſurus, quod & ars ejus probro eſſet, & contumelia affecta, & eorum, quibus opus non erat, additamentum à manu indocta accepiſſet: Ergo universorum quoque, inquit, opificem & noſtræ naturæ effectorem & pictorem jure iraſci credite, quod illam, quæ verbis non poteſt, naturam & ſapientiam accuſetis inſcitiæ. Non enim rubrum & album & nigrum colorem vobis infunderetis, ſi non exiſtimaretis eſſe vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem.* Hæc audiẽs fœmina ſtatim reti hujus Petri capta & ornatum ſuum deteſtata eſt: cumq; ab eo ſanata eſſet, domum reverſa, omnem ornatum abjecit & deinceps averſata eſt, licet adhuc juvencula 2; ſcilicet annorum.

II.
Non introducendæ novitates.

II. Non vult novitates ſeu peregrinas veſtes introduci. Ita enim Soph. 1. ait Deus: *In die hoſtiæ Domini* (quando velut hoſtias mactabo Jeroſolymitanos) *viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina,* ſcilicet Ægyptia, Tyria, Ammonitica, &c. Cum harum enim gentium idolis aſſumpſerant etiam habitum & veſtitum illarum, ſicut cum peregrinis veſtibus inducuntur & peregrini mores. Fuerunt olim germani conſtantiſſimi in ſuo habitu; verum admiſſis peregrinis doctrinis hæreticorum, admiſerunt etiam peregrinos habitus, ut quemadmodum jam in doctrina fluctuant, & fidem cum fide mutant, ſic inſtar Chamæleontum ſingulis ferè annis mutent & veſtitum. Signum hoc levis, inconſtantis, inflati & inſipiẽtis animi eſt, quem taxavit in Romanis Auguſtus, cum perorans vidit multos Græco pallio indutos: *En Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* In Carolo Calvo ſugillarunt Franci; adeo ut nec Principem deceat peregrinus habitus. Lacedæmonii Timothei Mileſii cytharam ſuſpenderunt ad ſciadem; eundem mulctantes, quod ſeptem lyræ fidibus quatuor addidiſſet. Pauſanias in Lacon. Non diſſimili honore affecit non ita pridem magnus quidam Princeps habitum ut appellant allemodicum, noviter introductum. Cum enim in hujuſmodi hominem ſic veſtitum incidiſſet, quaſi admirabundus habitum illum approbaret, interrogavit, an & quanti eum ſibi vendere vellet. Ille mox promptiſſimo animo obtulit veſtẽ Principi, ſi alium ejus loco reciperet. Allata & data eſt illi veſtis alia, & gloriatur homo ſe tam bono loco apud Principem eſſe. Verum non Principem veſtivit, ſed ſtramen, Princeps enim faſce ſtramineo veſtem illam farciri, & feneſtratam in feneſtrato palatio, patibulo ſcilicet ſuſpendi juſſit: quo nimirum inſolitus ille & leviſſimus habitus, veluti infamis, exoſus omnibus fieret. Refert P. Georg. Steng. Labyr. p. 2. cap. 3. Chriſtophorus Dux Wirtenberg. cum follicantes caligæ ſuo tempore valde invaleſcerent, carnificem eo habitu incedere voluit, ut ne alii imitarentur. Jerem. Mederi. hypomnem. Verum ſicut Eccleſiaſtes cap. 12. ait: *Faciendi plures libros nullus eſt finis*: ita excogitandi novos veſtitus nullus eſt finis.

III.
Non excedat facultates.

III. Non vult ut veſtitus excedat facultates: ne liberi patiantur & portione ſua ſpolientur: nec ſubditi premantur: ne viri opes exhauriantur aut uxoris. Ita Iſa. 3. legimus: *Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* q. d. mulieres in cauſa erant, cur ſubditi exactionibus ſpoliarentur à viris. Sed quomodo. Id mox indicat: *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ veſtræ & ambulaverunt extento collo, &c.* q. d. ut pretioſè ſe ornarent fœminæ, viros fecerunt exactores pauperum; ut ibi explicat Corn. à Lap. At imprimis: *Quis pudor eſt cenſus corpore ferre ſuos?* ait Ovidius lib. 3. de arte amandi. Seneca etiam lib. 7. de benef. cap. 9. indignum cenſet, quod mulieres aliquæ in ſingulis unionibus ſingula patrimonia circũferant. Sed dico, quod etiam ſanguinem pauperum, juxta id Jer. 2. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum.* Quemadmodum enim aves rapaces dum jugulant captas, aſpergunt earum ſanguine alas ſuas: ita expilatores pauperum, ſanguine eorum tingunt veſtes ſuas, uxorum & liberorum. Quantum enim, putatis, conſtat una pluma ſtruthionis volitans in pileo? quot pauperculi ruſtici contribuere debent ſuum peculiolum, ſanguine ſuo partum, donec ſolvant filio domini ſui talem plumam? Quot ut filiæ unionem vel armillam auream? Et quid proſunt iſta? imo quid non obſunt? Quis ditior Salomone fuit, cui tanta prius erat argenti abundantia, quanta & lapidum? 3 Reg. 10. Et hic tamen ad extremum ita ſuum exhauſit cenſum, ut ſubditos ſuos graviſſimis premere exactionibus cogeretur. Id teſtantur ipſi ſubditi. 3. Reg. 12. *Pater tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis.* Viderunt enim quod delirus ſenex omnes ſuas opes expenderet in fœminas, quarum 700. habuit reginas, 300. concubinas, ut inſatiabili earum appetitui & luxui ſatisfaceret. Quantum pauperum ſanguinem putatis meretrices iſtas circumtuliſſe in alis, pennis, & veſtimentis ſuis?

IV. *Non excedat statum dignitatem*

IV. Non excedat statum & dignitatem cujusq;. Discrimen enim vestium inter nobiles habendum indicat Dominus in hodierno Evangelio cum ait : *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Nec reprehendit talem in aulicis vestitum; quem tamen alibi taxat in divite epulone, quod indueretur purpura & bysso. Luc 16. id quod Regum tantum & Principum est. Dives autem ille homo privatus fuit: neque enim nobilis appellatur. Utinam vestes molles, purpura & byssus intra septa domorum Regum ac Principum manerent! at hoc perverso tempore fere nullum discrimen observes; & quisq; pro facultate & libidine se vestit, prout vult. Audiant isti S. Gregorium super Evangelium homil. 4. *Sunt, inquit, nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset*; supra statum scilicet suum. Si enim Rex aut Princeps fuisset, succensendum ei non fuisset. Unde ab Impp. Valentiniano, Gratiano, Theodosio, auratæ & sericæ vestes olim aulæ Imp officialibus non aliis concessæ fuerunt. Theodosius vetuit purpuram, ut soli Principi debitam, & serica omnia, in C. cap. 11. tit. 8. Rursum multæ leges circa singulorum statum vestitus latæ à Maximiliano I. Augusto anno 1500. Et sub Carolo V. anno 1530. Sed malum! nullis contineri finibus luxus diu potuit; quamobrem necesse fuit, ut divino tandem flagello Germania plecteretur. Nimium utique & supra statum fuit, quod Lollia nobilis Romana in communibus festis gestaret habitum, qui millionem integrum constabat; teste Plin. lib. 9. cap. 35. Nimium quod filia unius Consulis in civitate quadam Imperiali crepidas gestaret, quæ constabant 600. florenos, apud Drexel. in spec. Virt. mon. 18. Quid vero de talibus S. Chrysostomus? Miratur horum insaniam in serm. habito in Calendis tom. 5. *Sed & ad imos, inquit, usque calceos demittere hunc morem licet. Eousque enim mollitiei luxusque delapsi sunt homines, ut & calceos exornent, & ex omni parte, æque ac faciem suam alii componunt, variare soleant: quod animæ impuræ ac depravatæ signum est.*

V. *Non sit contra honestatem & modestiam.*

V. Non sit contra honestatem & modestiam. Ita præcipiunt Principes Apostolorum. 1 Sanctus Petrus epistola 1. capite 3. *Quarum non sit intrinsecus capillatura* (id est, implicatio capillorum) *aut circumdatio auri, &c.* Deinde S. Paulus 1. Timoth. 2. *Mulieres in habitu ornato* (Græcus habet κοσμίῳ, id est, mundo seu honesto: Vatablus modesto: Syrus casto) *cum verecundia & sobrietate ornantes se.* Dicuntur etiam Isaiæ 3. auferenda à Deo mulierum linteamina (70. Laconica pellucida, id est, tunicæ Laconum pellucidæ, per quas fœmora earum apparebant) & sindones. Hujusmodi enim vestitus non nisi meretricum est. Laudat Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagog. cap. 10. civitatem Lacedæmoniorum, quæ solis meretricibus floridas vestes & aureum mundum gestare permisit: ut sic à probis mulieribus ornatus studium auferretur. Sic etiam meretrix magna demonstratur in Apocal. 17. *circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis.* Refert Æneas Sylvius libro 2. Comment. in Panormit. hanc historiolam: *Leonaram Augustam è Pisis jubente Friderico Cæsare Senas deducebamus ante diem cinerum, cum solent insanire populi. Offendimus apud Sanctum Miniatum Teutonicum, in agro Florentino choream agrestium puellarum, quæ sæpe saltantes nudarent genua, cruraque ostentarent. Quod cum animadvertisset Imperatrix: Eamus, inquit, meretricum hic ludus est, non virginum.* Quid aliud dicamus, quando tam leviculè vestitæ comparent mulieres? Et putatis, quod si quis de talibus tam inhoneste vestitis diceret: hæ non sunt virgines, sed meretrices; illis faceret injuriam? Ad extremum audiamus, quid scribat B. P. Damiani libro 5. Epist. ep. ad Landulphum Clericum. *Clericus quidam* inquit, *Zeuzolinus nomine, pellicem suam juxta meum habebat hospitium, ut ajunt aspectu lubricam, & inhonesto satis decore venustam. Hic itaque nitidulus, & semper ornatus, atque conspicuus incedebat, ita ut caput ejus nunquam nisi gebellinica pellis obtegeret, indumenta carbasina, atque niventia siligio per artem fullonis inficeret, calceus postrema ad aquilini rostri speciem non falleret. Erat illi præterea vox gentilis, suavis ac tinnula, adeo ut in Ecclesia modulans audientium corda mulceret, & astantium in se plebis ora converteret: quotidie cachinnis invicem, atque ludibriis, oculorum nutibus, & scurrilitatis illecebris festivis applaudebant. His ergo furiis ac perditis moribus, quia corpore contiguus aderam, mente longinquus esse non poteram. Quid dicam? quia dum hæc cernerem titillantis luxuriæ molestias pertuli; cum etiam postquam ad Eremum veni, ejusdem lenocinii memoria me sæpius collaphizare non destitit; sæpe fateor, mihi malignus hostis hoc schema proposuit: & illos esse fœlices ac beatissimos, qui tam jucunde viverent, persuadere tentavit. Sed hujus beatitudinis initium diximus, consequenter etiam quo fine concluserint attexamus. Nam dum per quinque ferè annorum lustra in hac luxuriosa voluptate vixissent, ante annum, cum commune ipsius urbis flagraret incendium, in una domo reperti, uterque simul igne consumpti sunt. Sic, sic nimirum flamma libidinis ignem meruit combustionis: & quid dulcis vita contulerit, amarius, proh dolor! exitus demonstravit.*

Examinet jam se unusquisque, an contra hæc decreta forsan delinquat, & se emendet, ut sic non in domibus Regum, sed in domo Regis cœlestis habitare mereatur.

THEMA V.

Pauperes à ſua quique civitate alendi.

I. Quia ſunt membra civitatis.
II. Quia plerique in ſervitiis divitum fracti vel exhauſti ſunt.
III. Quia pauperes facti in gratiam divitum,
IV. Quia pauperum precibus firmantur civitates.
V. Alioquin coguntur extrema tentare.

Pauperes evangelizantur. Matth, 11.

Alendi ſunt à ſua civitate pauperes.

RArò, Auditores adfero grata vobis & optata, nova plerunque fero ingrata. Hodie bona nuncio; & quidem cum hodierno Evangelio, ubi legimus: *Pauperes evangelizantur.* Quid enim Evangelium niſi bonum nuncium? Quodnam vero illud? Jura Cęſarea ſtatuerunt, ut unaquæque civitas ſuos alat pauperes. Ita enim habetur in Carolinis, Caroli M. ſcilicet & Succeſſorum conſtitutionibus: *Suos pauperes quaque civitas alito.* Gaudete ergo pauperes: nec in poſterum ſoliciti de pane eſtote; veſtra enim vos civitas alet. Verum quemadmodum Chriſti adventus recreavit quidem pauperes paſtores, turbavit autem viciſſim Herodem & Judæorum Pontifices, quaſi de ſoliis ſuis deturbandi eſſent: ita vereor ego, ne dum hodie bona nunciare volo pauperibus, mala & ingrata nunciem divitibus, adeoque hos perturbem, dum illos exhilarare ſtudeo. Timeo quidem hoc de avaris, ſed bene ſpero de ceteris: qui ſi me audierint, forte ſimul omnes gaudebunt.

I. Quia ſunt membra civitatis.

I. Alere igitur pauperes ſuos quæq; civitas debet. Quia ſunt membra civitatis adeoq; filij illius, tametſi miſeri & forte inutiles. Nemo abſcindit membrum affectum, niſi aliis membris obſit. Quis enim ideo reſecat pedem aut brachium quia curvum eſt? Parentes non niſi barbari prorſus & inhumani, quales erant Pomeranæ matres in paganiſmo (ut habetur in vita S. Ottonis Epiſcopi Bamberg. 2. Julij.) & Japonenſes (ut in vita S. Xaverij) necare ſolent filios ſuos, quando alere nequeunt. Atqui deſerere vel expellere pauperes ſuos, quid aliud eſt quam enecare? *Si non paviſti, occidiſti*, ait S. Ambroſius. Dedecus eſt hero, ſi domeſtici ejus de fame conquerantur: & dedecus eſt civitati ac divitibus, ſi deſeri ſe lamententur pauperes. Ita enim expreſſe docet S. Chryſoſtom in Pſalm 95. ubi laudans civium ſuorum beneficentiam, ait *Depuliſtis à foro mendicitatis probrum, proceſſit eleemoſyna & extinxit dedecus: dedecus enim divitum eſt clamor pauperum.* Dedecus civitatis eſt, ſi plateæ lutoſæ ſint; hinc ſaltem unusquisq; præ foribus ſuis lutum averrit, aut certè ſolidum è lapidibus ſternit pavimentum. Non minus eſt civitati dedecus clamor mendicorum præ foribus civium, undique panem exigentium. Quod huic malo remedium? Verrat unusquisque ante domum ſuam, celeri eleemoſyna obſtruat os clamantibus: ſic *proceſſit eleemoſyna & extinxit dedecus.*

II. Quia pleriq. in ſervitiis divitum fracti vel exhauſti ſunt.

II. Quia plerique laboribus & ſervitiis divitum fracti vel exhauſti & debilitati ſunt, vel in iis conſenuerunt: juſtum igitur eſt, ut ab illis ſuſtententur ac ſubleventur. Alexander Albaniæ Dux à Scotorum Rege Jacobo III. in carcere detentus cum periculo capitis, ex lodice funem texuit, ut in eo ſe demitteret. Prius tamen experturus funis longitudinem ac robur, puerum unum, quem ſecum habuit per eum demiſit. Is cum juſto brevior eſſet, puer in ſcopulum decidit & crura fregit: humi igitur jacens monuit ſubmiſſa voce Ducem, ut funem prolongaret; prolongato fune, ubi Dux ſe quoque demiſit, puerum in humeros ſuſtulit, utpote ſui gratia fractum, ac per duo fere milliaria geſtavit, donec in tutum evaderet. Ut in appendice Chronic. Scot. Quam multi in hac civitate in ſervitiis dominorum & opulentorum fracti aut enervati, jam ſuis inſiſtere pedibus, ſuis ſe alere manibus nequeunt! alij enim bello, alij incendio, ruina, morbis, ſenio, divitum oppreſſione, parentum orbitate, aliove triſti caſu ad inopiam redacti ſunt: alij in ſervitiis conſenuerunt. Debent ergo illi ſuſtentari ac geſtari humeris ditiorum. Quid? Nonne Dux quidam Sileſiæ, ſi Æneæ Sylvio libro quarto Panorm. capite 6. credimus, egregiam domum ædificari juſſit canibus venaticis ſenio confectis, qui aliquando utiles venationi fuiſſent, à ſuis relictis heris; deſignatis ad eam rem annuis proventibus? Deliraſſe dicetis Ducem illum. Non abnuo. At nonne major longe ratio hominum habenda quam canum? Et ſi multi canibus & equis bene de ſe meritis aut catellis charis dant victum, etiam cum jam inutiles ſunt, dum vivunt, quanto magis hoc debetur hominibus bene meritis; ne alioquin ingratis exprobrent cum fabuloſo cane illo venatico: *Iuvenem amaſti, ſenem odiſti?*

III. Quia pauperes facti in gratiam divitum.

III. Quia pauperes & miſeri, cæci, claudi, hernici, epileptici, muti, &c. Tales Dei providentia facti ſunt in gratiam divitum, ut charitatem opemque impendendo miſeris ſalutem acquirant. Hoc indicare voluit Sapiens, cum dixit Proverb. 22. *Dives & pauper obviaverunt ſibi: utriusque operator eſt Dominus.* Quid enim illa obviatio, niſi mutuum auxilium, quo ſe juvare debent: dives egenum pane, egenus divitem oratione? Diviti ergo mittit Deus obvium pauperem velut bajulum, ut per eum in cœlum geſtetur. Audiamus S. Chryſoſtomum hom. 34. in Gen. *Hac de cauſa reliquit illum inopia vexari* (pauperem ſcilicet) *ut & ipſe patientia multum mercedis acquireret, & tu per eleemoſynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres. Itaque dum cogitas, quod propter te & propter tuam utilitatem ille cum inopia conflictans fame perit; ne absque miſericordia tranſeas, ſed eſto fidelis eorum, quæ tibi à Domino conceſſa ſunt, bonorum diſpenſator, ut adjutus illius penuria tibi ſupernam concilies gratiam.* Pulchrum hujus rei documentum dedit nobis Chriſtus Joannis 9. quando cæcum natum ſanavit. Cum enim dixiſſet: *neque hic peccavit* (ut cæcus ſcilicet naſceretur) *nec parentes ejus; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* hoc eſt, ut ego per ipſum

manifestet & glorificet, tanquam Filius Dei, missus à Patre: ergo quia propter Christi gloriam & manifestationem miser ille lumine orbatus fuit, noluit Christus ipsum pertransire ac negligere, sed ultro non rogatus, visum ei contulit. Videant jam divites; propter ipsos iste cæcus, ille claudus, alius mutus, alius mancus factus, alius à Deo insanabili morbo percussus est; ut per opem eis impensam & eleemosynam (quia vix alias salutis vias unquam ingrediuntur) parent sibi salutem. Quomodo igitur committere possunt, ut miseros illos pertranseant & non juvent? quomodo expectare clamores eorum audent? Sane milites, qui pro patria nostra pugnantes graviter vulnerati sunt, quando sua vulnera nobis ostendunt, nonne jure meritissimo non solum eis condolendum sed & damnum pro viribus resarciendum existimamus? En omnes afflicti pauperes pro salute & bono divitum afflictiones suas ferunt; videant ergo divites an ipsis obligati non sint. Zopyrus è 7. militiæ Darij Ducibus unus, ut domino suo urbem Babylonem viginti mensibus obsessam acquireret, flagellari se fecit, naso quoque & auribus ac labiis truncari; sicque ad hostem pergens finxit se à Dario tam crudeliter habitum. Ergo ab hoste in Ducem acceptus, civitatem Dario tradidit. Unde Darius eum 100. Babylonibus prætulit & honorificentissima quæque munera ei in Persia dedit. Justin. libro 5. Herodot. libro 4. Quod ille sponte passus est pro Dario, hoc pauperes & miseri necessitate patiuntur propter divites: (unus privatur oculis, alius auribus, alius lingua, alius pedibus) ut cœlum eis acquirant. Sane ob hanc causam videtur Lazarus fuisse projectus (ut est in Gr.) ad fores epulonis, ut suis ulceribus sanaret in Epulone ulcera animæ, & cœlum ei pararet. Consentit ejus nomen Hebraicum, *Laazar*, hoc est, *ad adjuvandum*, dictus, quia ad adjuvandum Epulonem eo projectus erat, Dei providentia, ut esset animæ ejus medicus. Ideo coram eo sua ulcera explicavit, ad eaque delingenda canes advocavit, ut vel exemplo canum dives ad misericordiam flecteretur, sicque ad salutem præpararetur.

IV. Quia pauperum precibus firmantur civitates.

IV. Quia pauperum precibus maximè stant & firmantur civitates. Jebusæus arci Sion imposuerat cæcos & claudos, non ut defenderent civitatem, sed ut irriderent Davidem oppugnantem eam, quasi à natura ita munita esset, ut à cæcis & claudis defendi posset. secundo Regum quinto. Sed cepit arcem David, quando cæci & claudi ei insultarunt, non orarunt. Defendent civitatem pauperes, cæci & claudi, sed si orent, non rideant & præsumant. Ita S. Chrysostomus homilia 33. ad populum Antiochenum civibus sibi objicientibus, quod debeant dare tributa pro militiâ contra barbaros, proinde nequeant dare pauperibus, ita respondet: *Si milites mihi dicas, pro te barbaris repugnantes: sunt & hi castra pauperum & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium: propitium autem facientes pro barbaris dæmonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestum esse malignum neque semper irruere, sed ipsius solvunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes à temetipso pulchrum istud tributum exige, illorum alimeta.* Sic Chrysostomus. Sanctus Paulus Romam captivus navigans cum videret in naufragii periculo nautas in scapham descendere, & fugam moliri, dixit Centurioni militum: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Actorum 27. quia scilicet *in navigii periculo*, ait Beda, *magis nautarum scientia, qui erant gnari maris, quam militum arma prodesse valebant.* Quod nautæ sunt navi, hoc sunt pauperes civitati; hi enim cum attentius & ferventius orare sciant, quam divites, plus efficient orando pro civitate quam divites pugnando, vel etiam in milites tributa erogando. Scimus enim ex libro Exodi cap. 17. plus effecisse Moysen orando, quam Josuen pugnando contra Amalecitas.

Adhæc cum divitibus detur opulentia, ad hoc ut sustentet pauperes: sicut matri copia lactis, ut alat prolem; Deus etiam divitibus suppeditabit frugum abūdantiam, ut nutrire egenos possint. Quod si eos alere desinant, desinet etiam Deus opulentis suppeditare: sicq; fugiet *frater Dabitur*, quia fugatus est *frater Date*, juxta notam illam historiolam.

V. Alioquin coguntur extrema tentare.

V. Quia alioquin cogent eos extrema tentare, corpus prostituere, mentiri, furari (quanquam siquis extrema necessitate coactus furetur necessaria, non erit propriè furtum, adeoque nec peccatum, ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 66. articulo 7.) & quandoque latrocinari, ad minus varios excogitare dolos, uti vulnera sibi infligere, morbos fingere, quibus corda divitum emolliant, & aquam quasi ex petra eliciant. Hinc Sapiens Proverbiorum 30. mendicitatem deprecatur, ne compulsus necessitate furetur aut perjuret; proni enim sunt mendici ad mendacia & furta, quia venter auribus caret. Audiamus sanctum Chrysostomum homilia 37. ad popul. *Etsi simulat* (pauper tremorem & infirmitatem) *ex necessitate simulat & egestate, propter sævitiam & inhumanitatem tuam, quæ talibus personis supplicantibus ad misericordiam non flectitur. Quis enim tam miser & ærumnosus, ut nulla premente necessitate pro solo pane velit ita deturpari & plangere, talemque pœnam sustinere? Igitur illius simulatio fertur inhumanitatis tuæ præco.* Addit deinde, quod aliqui excæcent suos parvulos, ut stipem acquirant, quasi melius sit lumine carere, quam fame premi; alii nudi in frigore hyemis incedant. Quæ iterum inculcat homilia 21. in 1. Cor. 9. & miratur, quod non fulmen cadat in eos, qui hæc in mendicis carpunt, interim genio suo & ventri indulgentes. Alii ingeniosos excogitant astus, compulsi necessitate, ut aliquid acquirant, veluti is qui ad Alphonsum Aragoniæ Regem veniens, conqueri cœpit: *Ære alieno opprimor, o Rex, jam inde à parentibus in me derivato. Creditorū rapacissimi & insolentissimi exactionibus atteror quotidianis.* Rege id detestante, & vindictam exactori minante: *Venter hic meus est*, inquit, *Atque tu quoque, o Rex, ejus tyrannidi obnoxius*

Rexius cum sis, & major tibi sit census expensa, pro magnificentia inopiam meam subleva. Delectatus hominis ingenio Rex, non indonatum eum dimisit. Corozettus de dict. & fact. memorab. Alius quidam in Germania, cum liberos suos alere non posset, memor pietatis ciconiarum, stultitiam simulans, eos in nidum ciconiarum imposuit, tanquam ab ipsis nutriendos. Quo visu simul inopia ejus animadversa, ānona à Magistratu donatus est. Refert Ornithologus apud Aldrov. l. 20. de cicon. Duritia ergo divitum cogit miseros pauperes hujusmodi excogitare astus, imò extrema quæque facere, liberos suos cæcare, vulnera sibi infligere, & purulenta conservare, quo vitam tueantur.

Quando igitur tam æquum est, ut pauperes alantur à sua civitate, evangelizate illis vos ô divites, & dicite: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.* Venite, *comedite & bibite amici & inebriamini charissimi.* Hoc gaudium illorum in vos redundabit: illis dabitis nummum & vos capietis cœlum. Quo facto & ego vobis bona nunciaferam; & qualia nisi illa: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMATA.

I. *Quam sibi ipsi deplorandus sit peccator.*
II. *Motiva contritionis, desumpta ex persona Christi offensa.*
III. *Qui potissimum hostes in confessione debellandi.*
IV. *Confessionis aliquot mutabiles defectus.*
V. *Variæ pœnitentiæ variis defectibus obnoxiæ.*

THEMA I.

Quàm sibi ipsi deplorandus sit peccator.

Quædam ad hunc finem consideranda.

I. *Cogitet peccator quàm temerarius fuerit.*
II. *Quàm iniquus in Deum sit.*
III. *Quàm ingratus Deo.*
IV. *Quàm stultus.*
V. *Quot gehennas meritus.*

Tu quis es? *Ioan. 1.*

BOnifacius Papa V. ad Edelburgam Reginam Eduini Angliæ Regis neophyti conjugem scribens, sub finem addit: *Benedictionem etiam protectoris nostri B. Petri ad vos direximus; speculum scilicet argenteum & pectinem eburneum inauratum.* Refert Venerabilis Beda Angl. hist. l. 2. anno 625. Surius in vita sancti Paulini Eboracens. Episcopi 10. Octob. Non arbitror sine causa adeoque sine mysterio hæc duo, levia alioquin, dona ad Reginam à summo Pontifice missa esse. Videtur enim mihi Bonifacius insinuare, duo hæc Christiano magnopere necessaria esse, unum ut se contempletur in speculo & videat nævos ac peccata sua: alterum ut pectine purget caput suum, salutari pœnitentia. Quoniam ergo nos ad instantia festa paratos esse decet (Sic enim monet intonans hodie Ecclesia? *Prope est jam Dominus, venite adoremus.* Et Joannes: *Parate viam Domini,*) video hæc duo nobis valde expetenda esse. Sane aulici, qui coram Principe apparere volunt, uti & multi alii munditiæ studiosi quotidie mane utuntur speculo & pectine; multo igitur æquius est, ut nos vel hoc tempore, quo obviamus Christo Regi nostro, idem faciamus animabus nostris. Hodie ergo accipiemus speculum (post octiduum pectinem:) & quæremus ex nobis ipsis, quod ex Joanne quæsierunt Judæi: *Tu quis es?*

I. Homo nimis audax & temerarius es, qui ausus es te opponere Deo ejusque iram in te provocare. Quid enim aliud egisti, dum peccare attentasti? perinde enim est ac si de eo dixisses cum civibus illis, Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos;* vel id quod Jerem. 2. dixit quidam: *Non serviam.* Gravissima reputatur rebellio ergà Principem: quanto vero gravius est abjicere Deum ejusque voluntatem spernere? Et nonne in manu Dei es ac pedes veluti vas figuli, quod dimissum mox in frusta concidit: Audi loquentem per Ieremiam c. 18. *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel? ait Dominus: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Et tamen vasa ista, (paulò inferius, sub typo Ieremiæ Deo audent dicere: *Venite percutiamus eum lingua & non attendamus ad universos sermones ejus.* Magna fuit temeritas cujusdam Poloni nobilis, qui cum ejus pileum ad Leonis caveam aliqui projecissent dicentes ut eum tolleret, si vir esset; sine mora ingressus est, & leonem comedentem in os percussit, dicens: *Dimitte offam canis;* sicque cibum ei eripuit, leone immoto, in Aula Matthiæ Regis Ungariæ. Propter hoc enim homo temerarius ab Aula remotus est, ut qui nihil non auderet, teste Olao libro 5. cap. 21. At millies millenies tu audacior es peccator, qui Deo te opponere tua prava voluntate & colaphum quasi impingere, animamque tuam è manu ejus eripere, pro pileo, pro re fluxa & inani ausus es. Et non miraris, quod Deus hominem tam temerarium in mundo suo toleret? Leo de tribu Iuda est Christus: *quis suscitabit eum?* Gen. 49. quis bello lacessere & ad iram provocare audeat, qui aliquando rugitu suo totum mundum tremefaciet venturus ad judicium? imò etiam tremefecit, cum in cruce penderet?

II. Homo nimis iniquus es, qui Dominum tuum è sua domo & possessione ejicere nequiter attentasti; non secus ac vinitores illi, qui filium Domini sui ad se missum ejecerunt extra vineam & occiderunt, Matth. 21. Sic enim & tu Dei Filium, qui per gratiam suam ad te velut in domum suam descendit & in

I. *Cogitet peccator quàm temerarius fuerit.*

II. *Quàm iniquus in Deum sit.*

te habitare voluit, per peccatum admittendo Dæmonem, ejecisti, & quantum in te est, occidisti: dum causam ejus neci dedisti: nec non pretium redemptionis tuæ, quod pro te dedit, conculcasti. A re parva iterum magnam æstimemus. In vita S. Norberti Episcopi Magdeburg. scribit Hugo ejus successor in Abbatia Præmonstratensi, quod cum is electus in Episcopum Magdeburgensem ad urbem & sedem suam Archiepiscopalem capessendam, intraret Residentiam, nudipes & paupere habitu (quem foris à primo urbis aspectu humilitatis causa assumpserat:) à janitore palatii non agnitus, repulsus sit cum indignatione, dicente, ut hinc facesseret: jam satis multos pauperes intromissos esse: dominum suum Episcopum expectari: non decere ut alii sordidi palatium præoccupent. Reclamant comites Episcopi, quid ageret insanus? esse hunc Episcopum & dominum suum. Perterritus ea voce janitor, fugit illico præ metu & se in latibulum abscondit, vultum domini sui metuens. Sed quæsitus & retractus, ab eo non difficile veniam accepit. Sur. 6. Junii. Jam vide quid tu egeris. Pastor & Episcopus animarum nostrarum Christus est. 1. Petr. 2. hunc tu è domo sua repulisti, quia in animam tuam, sanguine ejus emptam, peccatum admisisti, capitalem ejus hostem. Non igitur tibi metues? non dolebis? Sane quando Judæi post datum manna in Ægyptum reverti ad pristinam servitutem voluerunt, gravissime id exprobrans Hebræis Deus pœnam minatus est ea de causa: *Eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est*. Numer. 11. quia scilicet manna meum sprevistis & carnes petistis: voluistis etiam redire in Ægyptum ad Pharaonem, sicque me inter vos habitantem repulistis; ideo dabo vobis carnem ad nauseam, sed in vestrum interitum. Repellunt à se Dominum, qui illicita concupiscunt, & ad mundum, carnem, Dæmonem iter suum dirigunt, dum hostem Dei in cor admittunt; sic enim ipso facto Deum excludunt; cum nequaquam simul stent Dagon & Arca. Corruit semel iterumque Dagon coram Arca fœderis, quia Dæmon stare nequit simul cum Deo: & tu nihilominus iterum statuis Dagon in corde tuo, ut cogatur Deus abire. Quanta hæc impudentia! quanta Dei injuria! quam pœnam non merebitur!

III. *Quam ingratus Deo*

III. Homo ingratus nimis, quia *dereliquisti Deum factorem tuum. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit & fecit & creavit te?* Deuter. 32. Immane scelus est parentes verberare, qui sunt quasi creatores nostri. Et si quis inscius etiam patrem occidisset, quem dolorem non conciperet? Ultimo Othonis I. Imperatoris prælio adversus Vitellium apud Bebriacum, postea Binam appellatum Julius mansuetus Hispanus pro Othone in prælio pugnabat, Filius ejus domi relictus in adversa parte conscriptus, contra Othonem dimicabat, coque in prælio, oblatum forte patrem, vulnere stravit, hostem esse ratus. Ast ubi semianimem ferutatur ac spoliat, agnoscit esse patrem suum: incredibili igitur animi dolore morientem amplexatur, flebilique voce cum lachrymis precatur patris manes, ne se ut parricidam insectari velint. Corn. Tacitus & Fulg. lib. 9. c. 9. Ecce homo Gentilis tantum concipit dolorem ob necatum patrem: & non dolebit Christianus, ob offensum Deum, à quo omnia accepit, quæcunque habet? Quod hic fecit, nesciens fecit: quid diceremus de eo, si sciens fecisset? Tu agnoscis Deum esse patrem tuum: creatorem & redemptorem tuum, teque ab eo nutriri, vestiri, conservari; & impugnas? Si quod telum esset, quod Deum necare posset, peccatum esset: quare proinde agis ac si gladium in Deum stringas ac vibres, incasso tamen ictu, gladio vel non scindente vel declinante in alium. Quis non hic exclamet te reum læsæ divinæ majestatis? Alexander M. quod Clytum, qui Rosacis, Alexandro feralem ictum intentantis; manum absciderat, ebrius occidisset, altero die tantopere doluit, ut sibi ipsi necem inferre eodem telo, quod servatorem suum transfixerat, pararet. Quintus Curt. l. 8. c. 4. Vide jam peccator, quid tu peccandi libidine ebrius commiseris in Deum, summum benefactorem & servatorem tuum.

IV. *Quam stultus.*

IV. Homo stultus nimis, qui pro exigua voluptate vendidisti æternam hæreditatem tuam. Nota est stultitia Esau, qui videns fratrem coquere rubrum lentis edulium; tam avide id appetiit, ut pro eo venderet ipsi hæreditatem suam, Gen. 25. Quod quidem is parvi pendit, quasi nolens servare contractum: *sed ubi vidit* se reipsa ex patris sententia jure suo privatum, *irrugiit clamore magno*, Gen. 27. Qui & propterea à collusoribus suis in derisum vocatus est *Edom*, id est, *rufus*: quemadmodum & ipsius terra Idumæa. Hoc idem vero agere peccatores queritur Deus Ezech. 13. *Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas*; suas scilicet & alienas. Pari igitur ludibrio excipientur in inferno à cæteris inferis & Dæmonibus, & in confusionem vocabuntur *rufi* vel *rubicones* aut *Lentuli*, quod pro exiguis voluptatum lentibus famem caninam æternam, pro rufa coctione rufum & tartareum ignem sibi compararint. En dicent, isti uno bolo devorarunt hæreditatem suam & cœleste patrimonium. Nos quidem pro cœlo acquisivimus & aliquamdiu possedimus multas opes, delicias, honores: quæ suam inter homines æstimationem habent: at isti pro uno lentis edulio, pro re modicissima commutarunt regnum cœlorum, O Lentuli! ô Idumæi! ô rubicones!

V. *Quot gehennas meritus.*

V. Homo es peccatorum onere gravatus, tot meritus gehennas, quot peccata mortalia commisisti. Si enim uni mortali debetur infernus, ex omnium DD. sententia, quid debebitur sceleribus 30. vel 40.? nonne totidem inferni? Quemadmodum ergo Nabuchodonosor Dan. 3. cap. cum audivit tres pueros crescere semper in constantia fidei, & ipse crevit iracundia, jussitque fornacem succendi in septuplum, ita ut ascenderet flamma cubitis 49. quæ prius ad septem duntaxat, ascendebat: pari modo quo plura mortifera peccata tua addideris, eo plures tibi addentur inferni, seu totidem gradibus magis & magis accendetur infernus: Id insinuat Isaias cap. 33. ubi à clade Sennacherib, quæ combussit una nocte 185000. milites, sermonem

vertit

vertit ad alios peccatores, ut illorum exemplo & incendio temporali resipiscant & caveant sibi ab igne & incendiis sempiternis. Ait ergo: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex ardoribus sempiternis?* Cur ait, cum igne devorante? quia nimirum vehementissimus & voracissimus ignis erit: multo magis quam ille, qui 185000. una nocte devoravit. Et cur non ait cum ardore, sed cum ardoribus? quia scilicet peccatori, quo plura intulerit peccata mortifera, eo plures destinati sunt ardores & inferni.

Vide jam si vel unicum incendium tibi paratum scires, quid sentires? qua in angustia esses? quid non molireris, quid non promitteres, ut evadere posses? Certe magnus ille debitor decem millium talentorum nihil non promisit se facturum, etiam ultra vires suas, ut ne vænumdaretur cum suis, & tota cum substantia mergeretur: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi*, ait. Sed qui reddes tantam summam? Nimirum ad omnia se paratum exhibebat, usque eo ad laborandum, donec sanguis ex unguibus efflueret: ad omnia pericula, ad omnes molestias devorandas. Idem fac tu peccator & dic Deo: Quod si nec sic reddere quivero, veniam rogabo, ad pedes tuos jacebo: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo*: in feriis natalitiis accedam ad pedes sacerdotis & lachrymis delebo peccata mea: interim, *Patientiam habe in me, &c.*

THEMA II.

Motiva contritionis, desumpta ex persona Christi offensa.

I. Cogitet peccator quantum Dominum offenderit.
II. Quod agnum innocentissimum offenderit.
III. Quod suum Iudicem.
IV. Quod sponsum suum offenderit.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ioan. 1.

Contingit Christo Salvatori nostro heu sæpius id, quod contigit Hebræorum Duci Josue, qui & ipse Salvatoris nomen ac typum gessit. Venit is in terram promissam, cum Hebræis ingressurus civitatem Jericho, Jos. c. 6. Verum undique clausam, timore filiorum Israel invenit. Igitur Dei mandato constituit sacerdotes, qui circuimirent urbem & simul tubas inflarent. Factum ut imperatum, & ad sonitum tubarum corruerunt muri, cepitque urbem Josue. Cives Jerichuntini peccatores sunt, qui Christo Josue ac Salvatori ad se ingredi, hoc in primis tempore, cupienti, portas cordis peccatis occlusas tenent per impœnitentiam. Quid igitur Christus? Jubet sacerdotes undique tubas suas inflare, & portas peccatorum murosque dejicere, quo introitus ipsi paretur. Hinc per Adventum sæpius auditur Joannes ille præco Christi constanter intonans; *Vox clamantis in deserto; parate viam Domini.* quasi dicat: Aperite portas Christo Salvatori vestro, quia jam adest in medio vestrum, ingredi ad vos cupiens. Superest ergo ut ego quoque tubam meam inflem & partes meas agam. At quæ illa tuba, qua muros peccatorum lapideos subruemus? Subministrat eam Joannes in hodierno Evangelio, extollens vocem ad turbam & clamans: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Hunc ergo, quem ipsi nesciunt, nunc eis demonstrabo.

I. Nescitis, ô miseri peccatores, esse Deum & Dominum vestrum, summæ majestatis & potentiæ, cujus iram & indignationem in vos provocastis. Dic ergo illis Joannes. Qualis & quantus est? *Hic est*, inquit, *cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum ejus.* Quasi diceret: indignus sum, ut inter infima ejus mancipia sim. Quid? nescis Joannes te magnum coram Domino & plusquam Prophetam? nescis te sanctiorem omnibus natis mulierum? nescis te præcursorem & Baptistam Domini? nescis te Angelum esse, & quidem Christi testimonio? Scio hæc, dicet, sed scio etiam illum, qui de cœlo venit, adeo super omnes esse, ut ego & alii nihil simus. Quod vilius officium, quam induere & extrahere domino calceos? Hoc tamen munere se indignum clamat, neque ait se indignum, qui calceos ei liget, quando sunt mundi & jam purgati: Sed qui exuat illos, vel corrigiam solvendo, quando luto sunt obducti: neque qui stans agat, sed jacens & procumbens. Certe nos, si Joannes præsens esset, omnes hoc diceremus ipsi Joanni, quod ipse dixit Christo. Quanta ergo majestas ipsius Christi est? Quod si Joannes illum vel in minimo offendisset, quid dicturus fuisset? num adrepere ad ipsum ausus fuisset? Minime gentium. Quem ergo sanctissimus iste juvenis tangere vel in calceo non audet, quomodo vos peccatores ausi estis offendere, spernere, ridere, persequi, vænundare? Scimus capitale esse Regem vel leviter offendere, quia peccati enormitas crescit ex magnitudine personæ offensæ. Tale apud Persas erat, Regem adire nisi quis vocatus esset (ideo spiculatores Regem circumstabant, ut hujusmodi reum actutum plecterent.) Ester 4. & apud Iosephum eo loco. Regis pellicem aspicere vel conjugem teste Diodoro libro 11. feram in venatione ante ipsum telo petere, auctor. Xenophon. & Plutarch. in sella Regis sedere, Diodor. auctor. libro decimo septimo ejusdem vestem laceram licet ac donatam induere, apud Plutarchum in Artaxerxe: manibus extra manicas exertis Regi occurrere, apud Xenophon. libro secundo Cyri pæd. Hæc igitur capitalia sint, in hominem levissima delicta: quid erit in Deum gravissime delinquere, ejusque mandata justissima contemnere? Magnus etiam coram Deo fuit Isaias; hic tamen quando vidit majestatem Dei, & coram eo Seraphim velantes facies & pedes suos, quasi indignos, qui aspicerent vultum illius, cœpit venire in cognitionem enormitatis

I. Cogitet peccator, quantum Dominum offenderit.

mitatis peccati, adeoque etiam ſui, licet alioquin exigui, idque deplorare dicens: *Væ mihi, quia tacui,* (qua ſcilicet peccata populi non inſectatus ſum, prout debui) *quia vir pollutus labiis ego ſum, &c. quia Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Iſa. 6. Non grande id peccatum erat; eccur igitur illud adeo deplorat? quia aſpiciens puritatem, ſanctitatem, & majeſtatem divinam, quam nec Seraphini audebant intueri, deprehendit quam impurus & fœdus eſſet coram Deo. Ecce ſub Chriſto, *Curvantur, qui portant orbem,* (Iob 9.) precibus & ſanctitate ſua: & peccator non curvabitur? non procidet ad petendam veniam?

II. *Quod agnum innocentiſſimum.* II. Neſcitis agnum pro vobis immolatum, prorſus innocentiſſimum; quem vos offenditis. Hunc vobis agnoſcendum adeoque redamandum proponit etiam præcurſor Chriſti, (uti immediate ſubjicit hodierno Evangelio Ioannes Evangeliſta) quando ſcilicet ambulantem Chriſtum monſtravit ſuis diſcipulis dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* Agnum Dei appellat, quia agni, id eſt, humilis, pauperis, inermis hominis formam induens ſe obtulit in victimam Deo Patri pro ſalute generis humani. Hic eſt agnus ille ſeu aries, qui vepribus adhærens, Iſaaco immolando ſe ſubſtituit & pro ipſo immolatus eſt ab Abrahamo, Geneſ. 22. Iſaac genus humanum pro peccatis ſuis mactandum ſignificat: aries Chriſtum in ejus locum immolatum, ut docet ſanctus Auguſtinus libro 16. de civitate cap. 32. Innocentiſſimus igitur agnus pro nocentiſſimis oblatus eſt: & fierine poterat, ut eum in re aliqua homines offenderent? Quid enim non deberes illi, qui, dum in te vibratur enſis, ſuum pro te caput ictui ſubjiceret? Perpendite peccatores, quantum ſit hoc beneficium. Venit hoſtilis exercitus & arctiſſime cingit noſtram civitatem, nec inde vult recedere, donec tradantur ei cives ad internecionem, à quibus eſt offenſus. Si jam aliquis innocens ſe pro tuenda civitate hoſtium furori objiceret, ut eorum iracundiam ſuo cruore extingueret, quid non deberent ei cives univerſi? Quis non obſtrictiſſimum ſe ei fateretur? Hac de cauſa Sanctus Franciſcus adeo diligebat agnos, ut cum ad macellum ducerentur, ſæpe eos redimeret; cumque aliquando agnellum mordicus apprehenſum à porca necari cerneret, porcam malediceret, (unde tabe periit) quia ſcilicet agnellus Chriſtum pro nobis immolatum in mentem ei revocabat. Jam ergo quomodo non dolebunt peccatores agnum illum Dei pro ſe occiſum, à ſe graviter offenſum & velut porci dentibus fœde eſſe laceratum.

III. *Quod ſuũ Iudicem.* III. Neſcitis eſſe veſtrum Judicem, eumque ſeveriſſimum & æquiſſimum. Hoc idem Joannes in ſua concione Judæis inculcavit dicens: *Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 3. Videns Joannes parum moveri Judæos ad pœnitentiam & fidem, hunc fortiorem malleum adhibet. Quis enim non compungatur, cum audit ſtatutum eſſe diem in quo Chriſtus Eccleſiam ſuam expurgabit velut aream, in qua malos velut paleas leves, viles, inanes, inutiles ſeparabit à tritico, hoc eſt ab electis, ventilabro judicii, & paleas quidem projiciet in ignem inextinguibilem; qui æternum eos uret, nec tamen comburet? Rurſum cum audit hoc ventilabrum jam in manu ejus agitari; & quotidie hoc officium tremendi judicis exercere? Cogitet ergo peccator quiſque: Quid ſi ego palea ſim? Certè me virtutibus inanem, ad peccandum facilem video & pronum, hominibus non modo inutilem, ſed etiam pernicioſum. Igitur aliquando ventilandus in judicio ſum? Et quid ſi hodie? quid ſi cras? nonne igitur ſeparandus ab electis? nonne in ignem perpetuum projiciendus? Et quomodo habitare potero cum ardoribus ſempiternis? Quid enim ſi in me ſententia ferretur, ut in rogum duntaxat tranſitorium vel calcariam fornacem injicerer? quis mihi foret animus? quantus horror? quantis lachrymis fatigarem Iudicem & amicos, ut hoc periculum evaderem? quid emendationis non promitterem? At hoc ſupplicium nihil eſt reſpectu æterni: neque Iudex noſter procul eſt: jam ventilabrum manu tenet, jam ſententiam ſcribit. Ergo incipiam nunc extinguere lachrymis ignem illum, & conciliare mihi Iudicem meum. Quis enim audiens Regem aliquem venire contra ſe cum duplo majori exercitu, cui nullo pacto reſiſtere queat; non ſtatim legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt? Luc. 14. Rex iſte Chriſtus Iudex eſt, inquit ſanctus Gregorius homilia 37. qui cum ingenti exercitu examinis omnium noſtrarum cogitationum, verborum, operum, omiſſionum, (quorum omnium nos vix mediam partem perſpectam habemus, adeoque purgare poterimus aut defendere) nos adorietur, cui, *ſi voluerit homo contendere cum eo, non reſpondebit unum pro mille,* ait Iob cap. 9. Quid igitur ſupereſt, niſi ut mittens ei lachrymas, preces, ſacrificia, eleemoſynas, rogem ea, quæ pacis ſunt? Ita fratres Ioſephi, cum viderunt eum Principem ſeque ipſi ſubjectos, ejus gratia vivere, quem olim adeo oderant & vendiderant: ad preces & lachrymas fugerunt. Viderunt enim ſceptrum in manu ejus quaſi ventilabrum, ut dixerunt: *Oramus ut ſervis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Et proni adorantes in terra dixerunt: *Servi tui ſumus.* Geneſ. 50. addit Philo lib. de Ioſeph: *cum uxoribus ac liberis ſupplices petierunt veniam.* Viderunt eum Iudicem ſuum, cujus gratia jam viverent, ſe verò velut paleas, mortis reos ob eundem graviter offenſum; unde non audebant ſe appellare ejus fratres, ſervos tantum dicebant. Quid ergo facient peccatores coram Deo Iudice? Hic enim licet ſit frater noſter, tamen & Iudex & Rex noſter eſt, noſque ſervi ejus. Eo pertinet, quod Heli inſinuavit prævaricantibus filiis ſuis; *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. Regum 2. Qui in ipſum Iudicem ſuum peccavit, quem patronum cauſæ ſuæ inveniet?

IV. Neſcitis

IV. ...uòd ...onsum ...um of- ...nderit.

IV. Nescitis denique eum esse sponsum vestrum, in quem graviter deliquistis. Dicat id Joannes. Hic cùm quererentur ejus discipuli, quòd eo relicto omnes ad Christum venirent, dixit: *Qui habet sponsam, sponsus est*: loquens de Christo, Joan. 3. quasi diceret: Quid mirum si me relicto omnes ad ipsum veniant? Ipse enim eorum sponsus est, non ego. Despondit Deus ergo pater filio suo Ecclesiam, adeoque omnium credentium animas. Sed quid agunt peccatores? Christo sponso abducunt sponsam, suas saltem animas, si non etiam alienas, pravis nimirum exemplis, monitis aut imperiis: sponsam illam, quam sibi de cœlo in terram descendens quæsivit, tot laboribus despondit, suo sanguine emit atque abluit; abducunt, inquam, & inimico ejus pessimo, Dæmoni substernunt. Considerate quid exprobrarit Nathan Davidi, postquam is Uriæ conjugem dilectam abstulerat. Pauper quidam habebat oviculam unam, quam emit & nutrivit. Ea ipsi erat sicut filia, de manu ejus bibens & comedens, & in sinu ejus dormiens. Venit autem dives, & abstulit illi ovem atque mactavit ac peregrino absumendam apposuit. Quid ad hæc David? *Vivit Dominus*, inquit, *quia filius mortis est vir, qui fecit hoc*. Et Nathan: *Tu es ille vir*. 2. Reg. 1. Et quid aliud quivis peccator facit? animam suam, quam Christus sibi emit sanguine suo, nutrit sacra Eucharistia, fovet in gremio gratiæ suæ velut filiam; hanc ipsi aufert, & occidit per peccatum, & peregrino Dæmoni tradit absorbendam. Hoccine non indignum? non deplorandum tibi? nonne filius mortis es, mille mortes meritus? Sed induamus alteri vestem tuam, quod facit Nathan Davidi. Quid si tibi alius dilectissimam tuam filiam aut conjugem raperet, constupraret vel occideret? Quam tu in illum sententiam ferres? Tu hoc Christo fecisti & te reum non agnoscis, nec deploras? Vide brutum animal. In vita S. Norberti Episcopi Magdeburgensis narratur ejus fratres aliquando foris deprehendisse lupum, qui ceperat capreolum, & accubans depascebat. Illi clamoribus abacto rapuerunt capreolum & tulerunt domum. Lupus insequitur & præ foribus monasterii semum. Lupus insequitur & præ foribus monasterii sedens, querulus quasi repetebat prædam suam. Auditus ab incolis & clamoribus objurgatus non se movet, sed canis instar domestici, reflexo capite prædam quasi precabundus exspectat. Nunciatum id S. Norberto, & quo pacto spolium ei ereptum esset à fratribus, qui idcirco cum timore veniam petebant. Jussit igitur sanctus capreolum ei restitui, dicens, non debere eum sua spoliari præda ab iis, qui eam non ceperunt. Qua accepta lupus mox repetiit sylvam, nemine prorsus læso. Cur putatis hoc à Deo inditum fuisse huic feræ, ut venationis suæ fructum tali modo repeteret, nisi ut disceremus indignum plane esse alterum spoliare eo, quod sibi suo sudore peperit? Ergo bestia lamentatur ob prædam sibi ereptam, quam suo labore sibi quæsivit, ab iis, qui non ceperunt eam; & Christus non queretur ob ereptam sibi animam? non repetet eandem? tu verò non timebis, nec veniam postulabis? Sanè queritur Christus hac de re Ps. 49. dicens: *Pretium meum cogitaverunt repellere: Cucurri in siti*, quasi dicat: prædam, quam cum siti & cursu tam diu persecutus sum, conantur mihi eripere. Stat ille ad ostium cordis tui querulus & pulsat (Apoc. 3. ac repetit animam tuam, imò verò suam. Non eam ipsi restitues? Tu perditionem tuam non dolebis, nec veniam supplex petes? Ergo aperi sponso tuo, & redde ei ovem, sponsam & civitatem suam. *Si quis* enim *aperuit mihi*, ait, *intrabo ad eum & cœnabo cum eo & ipse mecum*.

THEMA III.

Qui potissimum hostes in confessione debellandi.

Hostes Confessionis iidem qui Hebræorum in itinere ad terram promissionis.

I. Pharao, seu affectus peccandi.
II. Amalec, devorans seu tacens aliquod peccatum.
III. Edom accusator aliorum.
IV. Chananæus quærens sibi Confessarium inutilem.
V. Sehon examinator conscientiæ.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini. *Ioan.* 1.

NOstis Audit. filios Israël de Ægypto ejusq; servitute exeuntes; ut in terram sibi pomissam, lacte & melle manantem pervenirent, per desertum ire, intereaq; cum non paucis hostibus confligere debuisse, aut eos declinare. Persecutus est eos Pharao usque in desertum & ad mare rubrum, ut retraheret in servitutem. Post transitum maris opposuit se Rex Amalec, deinde Rex Edom, postea Rex Chananeus Arad post hunc Sehon Rex Amorrhæorum, denique Og Rex Basan, quousque pervenirent ad Jordanem & ingressum Palæstinæ. Pergimus & nos per hos dies ad terram lacte & melle manantem: in Bethlehem videlicet, ad Salvatorem nostrum, in domum panis sacræ Eucharistiæ, melle suavioris. Verùm priùs nobis solitudo transeunda est. Quænam verò illa? Demonstrat Joannes in hodierno Evangelio: *Dirigite viam Domini*, id est, pœnitentiam agite, uti paulò antè explicuit. Eam verò consistere in confessione ex eo patet, quod ipse baptizaret Judæos ad se undique vinientes & *confitentes peccata sua*, ut habet Marcus c. 1 Confessio hæc quasi solitudo est, quia soli fit Confessario in conscientiæ arcano. At verò non desunt hostes, qui in hac via se nobis opponunt. Insequitur Pharao, opponit se Amalec, Edom, Chananæus, Sehon & Og. Cum his pugnandum est priùs, quàm bona terræ promissæ degustemus. Nunc ergo cum quinque prioribus decertemus, sextum velut omnium fortissimum post octiduum aggrediemur. *Hostes Cōfessionis iidem qui Hebræorū in itinere ad terram promissionis.*

I. Primus est Pharao Rex Ægypti, qui initio quidem nulla ratione dimittere Hebræos, posteà dimissos vi retrahere voluit, insecutus usque ad mare rubrum, Exod. 14. Quis verò hic Pharao nisi affectus peccandi, qui non raro insequitur confitentes, ut quasi inviti ac coacti veniant ad confessionem, sine proposito emendatio- *I. Pharao, seu affectus peccandi.*

dationis, quemadmodum & Hebræi, qui viso adventante Pharaone clamarunt ad Moysen: *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto: Recede à nobis ut serviamus Ægyptiis? Multò enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine.* Sequitur hic affectus plurimos, qui non ex animo & spiritu bono sed profano, ob metum & instantiam superiorum, vel ne videantur aliis pejores, &c. confitentur; interim Ægyptum cogitant, & velut canis cum catena à confessione discedunt! quare per catenam illam affectus mali ad servitutem pristinam facilè retrahuntur, viso iterum Pharaone, Venere, Baccho, Mammona vel altera creatura, cui priùs adhæserunt: nihilo constantiores, quàm fures captivi, qui fortè precibus liberati, promissione facta non furandi amplius, mox eodem die rursum clepere incipiunt; quodque intolerabilius est, eodem die, quo ad mensam Domini accubuerunt, in cœnum suum redeunt. Tales lamento suo deplorat Ieremias Thren. 4. dicens: *Qui nutriebantur croceis, amplexati sunt stercora.* Mane cum Imperatore pransi, cœnant vesperi cum porcis; tollentes membra Christi, faciunt membra meretricis; uti 1. Cor. 6. ait Apostol. S. Bernardus verò declam. de bonis deserti; *Præstantissimum sæculi pretium in sterquilinium projiciunt.* Demergendus est hic affectus cum Pharaone in profundum maris, ita ut non appareat ampliùs.

II. *Amalec, devorans seu tacens peccatum.*

II. Secundus fuit Amalec, Rex Amalecitarum, qui primus in deserto occurrit Hebræis & pugnavit contra eos. Exod. 17. Sed oratione Moysis & gladio Iosue deletus est. Amalec *populus lingens*, aut *devorãs* exponitur secundum Hier. in Isa, nec malè, quia postremos agminis cecidit & quasi devoravit; Deut. 25. & significat eos, qui in confessione jamjam enunciaturi aliquod peccatum grave, quod ferè ad finem confessionis differunt, (unde consultius est graviora præmittere) quasi lingendo resorbent, devorant & tacent. Nota est historia ex Ioanne Iuniore Dominicani Ord. de muliere, quæ ejectis in confessione bufonibus ad finẽ majorem omnium resorbuit, unde cæteri per ejus os regressi omnes sunt. Et scimus ex Act. 5. morte subita plexos divinitus Ananiam & Saphiram, qui partem agri venditi tacuerunt sibiq; reservarunt. Quos S. Augustinus serm. 27. de verb. Apost. & S. Basilius serm. 1. de Instit. Mon. putant vitam simul & salutem perdidisse, ac licet alii salvatos velint, satis tamen terribile est, quod morte interierint dubia & subita. Certe hoc timorem omnibus incussit, ut ibi dicitur. Refert Cyrillus Ierosolymitanus in epistola, (quæ est inter Epistolas S. August. & Marulus l. 6. c. 14.) de se ipso quod dum aliquando mœstus oraret, petens indicari sibi à Deo statum Ruffi nepotis sui nuper defuncti, primò senserit fœtorem maximum, qui naribus etiam compressis intolerabilis esset; tunc ipsum Ruffum conspexerit catenis ferreis candentibus cinctum flammas evomentẽ & toto corpore scintillantem. Territus ergo ac miratus juvenem moribus integrum habitum, sic torqueri, quærit cur his pœnis addictus esset. Cui Ruffus, nil aliud sibi criminis datum, præter aleæ lusionem, quã frequenter usus, nullum id vel leve peccatum ducens, sacerdoti confiteri neglexit. Quem non terreat hoc exemplum? Et quot putatis, sunt, qui ex crassa vel affectata ignorantia similia peccata non confitentur? Quàm multi fœdè abutuntur matrimonio, rati sibi inter conjuges quidvis licere; non advertentes quod B. Ægidius S. Francisci socius cuidam glorianti, quòd præter uxorem, nullam tetigisset respondit: *Ne glorieris; potest enim quis non minùs è proprio vase, quàm alieno inebriari.* Quàm multi bona sua prodigunt, rati sibi licere de illis disponere quomodocunque? Quot sunt, qui cum possent restituere aliena & solvere sua debita, differunt tamen cum damno creditorum; nec tamen id pro peccato habent, adeoque nec confitentur! Cædendus igitur est hic Amalec; siquidem jussit Deus scribi in libro nequitiam Amalec: *Memẽto quæ fecerit tibi Amalec &c. Cave ne obliviscaris.* Deut 25. & post aliquot sæcula à Saule omninò eum deleri. Inscribẽda sunt memoriæ peccata preterita & delenda in confessione usq; ad internecionẽ: nec parcendum pinguioribus, hoc est, peccatis gravioribus, quemadmodũ pepercit Saul in ea executione, maximo suo damno.

III. *Edom ac-cusati[o] aliorum*

III. Tertius est Edom Rex Idumæorum, qui requisitus, ut concederet transitum, noluit: *Non transibis per me*, inquit, *alioquin armatus occurram tibi.* Num. 20. Edomitæ posteri Esau erant, adeoq; fratres Hebræorum, quare noluit Deus, ut cum iis pugnarent, & regionem eorum transirent; sed jussit eos deflectere ad aliam viam, & juxta fines Idumæorum pergere. Edom significat quemvis fratrem aut proximum nostrum, per quem transire non debemus in confessione, neque fines ejus tangere accusando, vel in ipsum culpam devolvendo. Deliquerunt hac in re primi parentes nostri, qui requisiti de transgressione sua, rejecerunt culpam alter in alterum. Adam in uxorem, (cujus tamen amore priùs peccârat, pòst crudeliter illam ream facit) Eva in serpentem & uterque oblique in Deum, benè proinde præmissum fuit, quod consuerint folia ficus ut nuditatem suam velarent. Quid enim cõsuere folia ficus ad se vestiendum, nisi excogitare vanas excusationes & peccata palliare? ut advertit S. Gregorius l. 22. moral. c. 13. Hunc morbum hæreditario quasi jure derivarunt in se homines, præsertim conjugati, qui in confessione sæpius se mutuò accusant. Duplex hoc peccatum est; quia peccatum proprium negatur, & alienum contra jus & fas aperitur. Comparavit quispiam tales crumenicidis, qui in templo miscent se & intrudunt in confertam multitudinem: ubi quasi orarent, fictas manus jungunt atque elevant, interim veris suis manibus aliorum saccos rimantur vel crumenas abscindunt. Flectunt isti genua in confessione quasi se accusaturi & veniam precaturi, interim alios famæ surreptione lædunt. Verùm sicut protoplasti frustrà se palliârunt, & *potius*, ut ait S. Greg. ibidem, *sibi Deum quàm se Deo absconderunt:* ita isti non se abscondunt Deo, omnia videnti; sed Deum sibi, ut ipsum invenire ejusque gratiam nequeant.

Ergo declinandus est Rex Edom, non transeundum per fratres nostros, nec illorum acta nostris pedibus calcanda; preterquam cum quis aliter suum peccatum aperire

aperire nequit, nisi complice indicato. Tunc enim complex sibi id imputet; ut docent Theologi morales.

IV. *Chananæus quærens sibi confessariū inutilem.*

IV. Arad Rex Chananeus, qui in primâ quidem congressione victor existens prædam ab Israele tulit, in secundâ vero victus & deletus est Num. 21. Chananæus mercatorem significat (unde & Chananæi ferè omnes mercatores erant ob vicinum mare) & significat eos, qui ut latere & perseverare in peccatis suis possint, quærunt sibi Confessarios ad hoc idoneos eo ferè modo, quo mercator aliquis circuit per nundinas & quærit sibi emptorem nummatum vel simplicem, cui imponat. Sic enim aliqui.

1. *Indoctum.*

1. Primo quærunt simplices & parum doctos Confessarios, qui *ab hoc & hac* absolvant: contra id Ecclesiastici 4. *Ne subjicias te omni homini pro peccato*, id est, omni confessario, ut explicant Liranus & Holcot. Multi enim stipites & truncos consulunt, de quibus dici possit id Ose 4. *Populus meus in ligno suo interrogavit & baculus ejus annunciavit ei.* Quis in periculoso morbo non præstantissimum quærit medicum? quis in magni momenti litigio non peritissimum Iuris consultum? quis per mare iturus non navarchum peritum? Imo quis non exoptat eligitque optimum sartorem, optimum sutorem; At quæ dementia est, in rebus fluxis sibi quàm optimè consulere, in salute vero animę de æternis bonis sibi minimè prospicere?

2. *Ignotum.*

2. Alii, ut ferè nobiles solent, graviora confitentur alicui extraordinario, rudi vel ignoto ac peregrino: leviora vero ordinario, gravi, perdocto ac religioso viro; ut hac ratione se sapientissimum Confessarium habere, gloriari possint, quod nil aliud est, quam maligno morbo, uti laterum dolori, stultum ignotum & imperitum quærere Medicum, qui nesciat ægri complexionem: levi autem, ut catharro, tussi vel dolori capitis notum & peritissimum. Potest quidem subinde absque culpâ Confessarius mutari, cum tamen prędictâ causâ fit, signum est abjecti animi & tendentis ad interitum, jamque penè à Dæmone victi. Signum etiam manifestum hypocritæ, bonam opinionem quærentis apud Confessarium, qui ipsius vitia sanare debet. Sanè *pauperem superbum* odit Ecclesiasticus c. 25.

3. *Varios.*

3. Alii iisdem peccatis immersi mutant semper Cōfessarios de uno ad alium currentes, ut ne tot illorum relapsus deprehendantur, sicque à cursu suo, qui ad infernum tendit, impediantur. Qui sanè aliud nō agunt, quam quod mutatis crebro equis celeriter ac *per postam*, ut ajunt, ad infernum eant. Sicut enim equus nescit quo te ducat, licet tu ad præcipitium tendas: ita & Confessarius, qui relapsus tuos ignorat, nesciens te scientem ducit ad interitum. Similes hi sunt Caino, qui formidine parricidii sui agitatus, nullo certo loco consistere potuit, sed profugus in terra ne alicui notus fieret, de loco in locum migravit, sceleris sui carnificem semper secum gerens. Nec aliâ de causâ peccata tales evomunt per confessionem, nisi ut iterum se ingurgitent.

V.

V. Quintus, Rex Amorrhæorum Sehon, qui transitum dare Hebræis nolens & obsistens, ad internecionem cæsus est. Num. 21. Sehon *eradicatio*. Amorrhæi *amari* exponuntur. Ea vero eradicatio quid nisi examen conscientiæ, quod vel ipse confitens secum, vel Confessarius cum ipso instituit? Id enim eradicat vitiorum amaritudines. Hinc bene Amorrhæi cæsi dicuntur in ore gladii, quia per examen & interrogatoria à Confessarii ore deprompta mactantur & evelluntur peccata, velut herbæ pestiferæ ex horto. Rem certè tibi pergratam utique faceret hortulanus peritus, qui noxias herbas ex horto tuo evelleret & salutares implantaret: nec non qui domum tuam emundaret ab omni spurcitie, vel fures inibi latentes pervestigaret. Hoc facit Confessarius, vel quod melius, tu ipse scrutando teipsum. Hostis tibi videtur hæc examinatio, sed revera amicus est, non minus quàm solers Medicus, qui potione tibi data noxios humores expellit è tuo corpore. Intolerabiles vero prorsus & perversi illi sunt, qui Confessarios traducunt & derisui habent, quod variis quæstionibus eorum conscientias scrutentur. Quis enim ridet vel infamat Medicum, quod ægrorum affectus & paroxismos indaget, urina & excrementa inspiciat? Nonne propter hanc solertiam, charitatem ac demissionem magis diligendus atque honorandus est? Idem præstat animæ Confessarius, quod corpori exhibet Medicus.

Sehon examina or conscientia.

Eandem ob causam libenter acceptandæ sunt satisfactiones injunctæ, licet aliquantum amaræ & difficiles sint; quia per illas radicitus evelluntur herbæ noxiæ, cum per examen & confessionem abscindantur solum, radicibus adhuc animo inhærentibus. Acceptandæ etiā correptiones; nam uti S. Anselmus dicere solebat: *ubi nō est correptio ibi est corruptio.* Quàm profuit Davidi reprehensio Nathan Prophetæ; sine quá sero valde vel nunquam resipuisset? Id agnovit David, nec iniquè tulit se graviter objurgari. 2. Reg. 12. Rex hic fuit; quid faciat homo privatus? Econtrà non tulit correptionem Joannis Rex Herodes, sed inclusit eum in carcere, ac denique decollavit, quia ejus conscientiā momordit. Quem ergo placebit imitari magis. Herodem potius quam Davidem? Canes, equi & similes bestiæ morsu & calcibus petunt eos, à quibus medelam accipiunt, quia nesciunt, quid circa se fiat. Hoc fecerunt Judęi Christo in cruce pendenti, qui dum eis pharmacum pararet è suo sanguine, ipsi multâ phrenesi pleni insaniebant in Medicum suum. Unde Christus pro eis rogans ait: *Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.* Sed hi malitiosè & crassâ ignorantiâ plerique quid agerent, nesciebant: bestiæ non possunt noscere suum Medicum.

Quando ergo jam agnoscimus hostes, qui iter nostrum præpediunt, superest ut armemus nos contra illos. Magna spes victoriæ est, hostes suos novisse & eorum potentiam & arma perspecta habere. Ergo *dirigite viam Domini*, perrumpite hostes illos, ut ad terram lacte & melle manantem in sancta communione perveniatis.

THEMA IV.

Confessionis aliquot notabiles defectus.

Periculosum est fingere se alium.

I. Aliqui se Prophetas dicunt.

II. Alii Eliam se dicunt.

III. Aliqui se Christum esse asserere videntur.

Quid dicis de te ipso? *Ioan.1.*

Periculosū est fingere se alium.

PEriculosa res est, Audit alterius personam sibi affingere, principis præsertim aliusve Magnatis. Senserunt istud aliqui maximo suo malo & crudeli supplicio: Vidit hoc & sapuit, miles quidam, nomine Conradus Stich, patria Oxenfortensis, faber opificio; qui cùm in Italia militaret, & Conradino Suevo, exercitus Duce capto, & Neapoli jussu Caroli Andegavensis decollato, provocaretur ab exercitu, ut se Conradinum Ducem assereret quòd facie ipsi simillimus esset, jamque pro tali proclamaretur, ipse sibi consulens, & periculum prospiciens, è castris profugit in patriam, & pro Ducali sceptro fabrilem malleum arripuit, ut quem olim tractare didicerat. Auctor recens refert in Theatro hist. Trag. Vidit etiam hoc periculum noster Baptista in hodierno Evangelio. Cùm enim optarent Judæi, ut se Christum affirmaret aut saltem Eliam vel Prophetam; Ioannes toto pectore fictionem hanc refugit, ac publicè protestatus est: *Non sum, non sum, non sum. Qui cùm tantæ virtutis esset*, ait S. Gregorius in Hom. 7. ut *Christus credi potuisset, elegit solidè subsistere in se, ne humanâ opinione raperetur inaniter super se.* Et quidem jure merito decet omnes esse tales, sinceros & apertos. Reperire tamen est aliquos adeò vecordes, ut fateri videantur, non ore quidem, sed opere, & actione, se esse Prophetas, Eliam & Christum; quodque magis mirandum, in ipsa exomologesi, in qua se vel maximè agnoscere peccatores debent homines. Id verò qua ratione contingat, nunc videbimus.

I. Aliqui se Prophetas dicunt.

1. Obscurè se accusando.

I. Aliqui se Prophetas dicere videntur. Quo verò modo? Primò Prophetæ sua vaticinia ferè ænigmaticè & obscurè proponunt, ut non facilè omnibus pateant, donec impleta fuerint. Sic confitentes aliqui peccata sua obscurè proponunt, ut à Confessariis difficulter intelligantur: accusant se in genere tantum, de habitibus vitiosis, sub dubio, verbi gratia, solet hoc vel illud contingere, ut quis inebrietur, iniquum accipiat lucrum; vel, non sum omninò immunis ab hoc peccato, &c. Et quid cum his aget Medicus spiritualis, qui vulnera non ostendunt? *Quod enim medicina ignorat non curat*; ait Concilium Tridentinum, sessione 14. cap. 5. Similiter & Iudex qualem feret sententiam, si causam non perspiciat? Ipse Pilatus vidit, se non posse ferre in Christum sententiam ex eo præcisè quòd diceretur malefactor, nisi in lucem promerent, quid tandem mali fecisset. Hinc David non quomodocunque se confessum dicit, sed: *Delictum meum cognitum tibi feci*, inquit Psal. 31. *& injustitiam meam non abscondi.* Ubi S. Gregorius in eum Ps. *Plus est*, inquit, *delictum cognitum facere, quam manifestare. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solū quod fecit, annunciat, sed etiam peccati causam & originem narrat. Qui non superficie tenus peccatum loquitur, sed & quando & ubi & quomodo, & si vel ignorantiâ, vel casu vel studio deliquerit, confitetur.*

2. Alios accusando.

2. Prophetæ solent saltus facere ab una persona ad aliam, v.g. à propria ad Christum, à Lucifero vel impio Rege ad Anti-Christum: ab excidio Ierosolimæ ad excidium mundi, &c. Quod etiam imitantur aliqui confitentes, dum à sua persona saltant ad alias, uxores ad maritos, & econtrà: alii ad suos complices vel seductores, parentes, domesticos. Hujusmodi saltum edidit Rex Saul, quando in prævaricatione deprehensus à Samuele, negare jam non potuit, sed pepercisse melioribus in excidio Amalec; itaq; culpam rejecit in populum suum dicens: *Pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino Deo.* 1. Reg. 15. quasi verò studia populi non probarit, dum illorum gregum causa tardiùs progressus & partem populi divelli ad greges passus est. Unde bene in eum locum S. Gregorius ait: *Quando reprobi, arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere possunt, sed dum quasi in aperto deprehensi tenentur, quod negare nequeunt, aliis adscribunt.* Dic ergo mi pœnitens quicunq; tandem es: *Non sum Propheta*, nec talis esse volo. Pravos etiam saltus edunt quidam alii, qui cum in eodem vitiorum cœno diu valde hæreant, & crebrò in id recidant, fugiunt consuetos suos Confessarios, & transiliunt ad alios; quò minus impediti pergant ludere ludum suum, & incidant in gehennam. Quibus convenit, quod Deus Isaiæ c. 6. ait. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & convertatur & sanem eum.* Sed qua ratione dices, facit ista Deus; facit permittendo, & quidem in pœnam illorum, qui hoc ipsum quærunt, dum fugiunt data opera suam curationem & peritos Medicos: quæruntque imperitos, morbi sui ignatos, ne fortè convertantur ab eis & sanentur. O fulmen! ô maledictio omnium pessima! interim à stultis studio quæsita!

II. Alii Eliam se dicunt.

1. Qui obiter volunt expediri, confessi.

II. Videntur alii dicere, se esse Eliam. Qua ratione? Primò, quia sicut Elias per turbinem raptus est in cœlum, ut dicitur 4. Regum 2. ita volunt aliqui in confessione statim expediri ac dimitti, adeoque velut per turbinem rapi in cœlum, absque ulla Confessarii admonitione, consilio, reprehensione, dehortatione, accuratiori examine: Verùm isti scire debent, Confessarium sustinere duas personas, Iudicis & Medici. Ut Iudex causam rei cognoscere, ut Medicus plagas sanare debet. Hoc autem fieri nequit, nisi salutari consilio velut medicina ad sanandum morbum & relapsum cavendum. Quare sicut Eliæ, dum turbo eum afflaret, dictum est: *Non in turbine Dominus*, sed *in sibilo auræ tenuis* demum ad ipsum venit Dominus. 3. Reg. 19. ita judicandum de confessione, quæ si turbinis instar expediatur, perfectam animæ sanitatem non afferet: sed *in sibilo auræ tenuis*, hoc est in salutaribus

[..]tibus & paternis consiliis & diligenti examine. Desiderabat Naaman leprosus, ut Elisæus ad ipsum egrederetur, & non solum preces super ipsum funderet, verum etiam plagam tangeret 4 Reg 5. Verum id in morbo corporis, divinitus sanando, necessarium non erat. In morbo vero animæ, cum ob consensum liberi arbitrii requisiti, valdè necesse sit tangere plagas & exaggerare gravia peccata, reperiuntur aliqui, Naamane illo longè delicatiores, qui tangi non volunt neq; reprehendi? quod aliud non est, nisi postulare, ut plaga non ex radice & solidè sanetur, sed ut cicatrix solum vulneri obducatur; quod quidem citius fit, sed cum sanandi damno: uri & secari nolunt, ut solidè sanentur. De his ait B. David de Augusta in Opusculo. *Multi sunt, qui numquam fecerunt confessionem suam nisi transitoriè, scilicet currendo & transeundo, quasi gallus super prunas, quàm citius possunt.* Sed videant ne dum prunas fugiunt, incidant in ignem, si non æternum, saltem transitorium illum.

2. *Qui à confessario solum examinari volunt.*

2. Elias in curru & equis evectus est in cœlum, hoc est, aëris regionem aliquam. Hunc in modum aliqui evehi in cœlum per currum & equos, per scrutinium videlicet à solo confessario institutum, non evolare suis alis proprij examinis volunt. Non rejicio quidem priorem illum confitendi modum, sed assero posteriorem esse multò meliorem; quia magis securus, magis liber & spontaneus. Scimus in scriptura sacra celebrari *myrrham primam* seu electam, uti Exodi 30 ubi ad oleum unctionis conficiendum jubetur sumi *myrrha prima*, seu (ut habent 70) *libera*. Ea vero est, quæ suapte sponte fluit ex frutice myrrhæ: altera, quæ secunda dicitur, non nisi ex cortice inciso, priore multò vilior. Confessio quædam myrrha est, quia pretiosa res, tametsi amaritudinem habet. Vis facere bonam confessionem? fac ut sponte ex ore tuo distillet, non expecta ut cultro Confessarij incidatur. Illa est myrrha prima & electa, de qua Job c. 10. dicit: *Dimittam adversum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ.* En myrrhæ amaritudinem ultro fluentē. Hanc requirebat ab Adamo Deus, cum quæsivit: *Adam ubi es?* Et à Cain, cum dixit. *Vbi est Abel frater tuus;* Sed quia sponte non sunt confessi, cultro & incisione eguerunt: itaque à Deo redarguti & convicti demum culpam agnoverunt, ideoq; pœnas dederunt quas evadere poterant, si se priores accusassent. Ita enim scribit de Adamo S. Augustinus serm. 19. de Sanctis: *Si Adam humiliter se accusasset & in auctorem suam culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset.* De Caino verò S. Ambrosius orat. 5. adversus Judæos; eum, licet tandem confessus sit, majorem scilicet esse iniquitatem suam, quam ut vel veniam mereretur, non abluisse tamen peccatum suum; quia *non simpliciter dixit Propheta* (Isaias cap. 43.) *Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris. Quod quæritur, hoc est: non simpliciter esse dicendas, sed prius esse dicendas non expectandam redargutionem accusantis. Hic autem non dixit prior, sed exspectavit donec redargueretur à Deo, quin potius illo redarguente negavit.*

3. *Qui fictam confessione faciunt.*

3. Elias non vero curru & equis nec verè igneis sed ex aëre fictis ac rutilantibus evectus est in cœlum, non verum & empyreum, sed in aëreum dumtaxat, & inde in secretam aliquam terræ regionem, ut ait S. Gregorius hom. 29. in Evang. Hunc in modum aliqui velut alter Elias per fictam & simulatam confessionem, quasi in fictitio curru, putant se in cœlum verissimum evehendos: decipiuntur tamen, quia non habent verum & igneum currum contritionis, qui duos requirit equos igne charitatis ardentes: dolorē de peccatis supernaturalem, cum sincero emendationis proposito. Audiant hi S. Bernardum de interiori domo cap. 37. *Simulata confessio,* inquit, *non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei, miseriæ simulatio: nec dignatio locū habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio.* Talem porrò confessionem alibi describit (gradu 9.) de gradib. humil. his verbis: *Vultus demittit, prosternit corpus, aliquas sibi lachrymas extorquet, vocem suspiriis, verba gemitibus interrumpit; nec solum objecta non excusat, sed ipsam quoq; culpam exaggerat, ut dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud quod ratum putabas, discredere possis, & ex eo quod falsum esse non dubitas, dum confitetur, in dubium veniat, quod quasi certum esse tenebatur.* Sic transfigurant se miseri & sordidi *in Angelum lucis,* (2. Corint. 11.) & convertuntur *in arcum pravum* (ps. 77.) ita ut à cœlo, quo jaculari volunt, longissimè aberrent.

4. *Qui palliatè confitentur.*

4. Elias dum tolleretur, pallium quidem reliquit in manibus Elisæi, se ipsum verò abstulit. Ita etiam aliqui ex iis præsertim, qui ex præcepto confitentur, pallium tantum & umbram confessionis afferunt & relinquunt in manibus Confessarij; schedam scilicet cōfessionis suæ, in testimonium, quod satisfecerint præcepto & superioribus, vel ne videantur exleges & impij: unde solum pro forma confitentur aliqua leviora & tacent graviora: sicq; relicto confessionis pallio seipsos subtrahunt Medico suo adeoq; divinæ gratiæ. Sic lusit Saul Rex, quando jussus à Deo interficere quidquid erat in Amalec, pepercit pulchris, pretiosis & pinguibus: vilia solum demolitus est; & tamen interim dicere Samueli non dubitavit. *Implevi verbum Domini.* Cumq; à Samuele velut prævaricator argueretur: *Imo,* inquit, *audivi vocem Domini & ambulavi in via per quam misit me Dominus.* 1. Reg. 15. Pallium ergo suum Samueli reliquit, seipsum subtraxit. Vilia & macilenta mactat, pretiosa vero ac pinguia reservat qui leviora peccata confitetur, graviora tacet. Non difficile credi potest, quod scribit Poggius in facetiis, de Pastore Neapolitano, qui suo Confessario pro gravi delicto confessus est, se dum premeret caseum in die jejunij, exilientes in os guttas aliquot lactis sorbuisse contra legem jejunij. Rogatus an cum aliis pastoribus nullum umquam viatorem spoliasset aut peremisset; is nihil moratus, sæpius id quidem se fecisse ait, sed pro re grandi non habuisse, quod id loci consuetum esset. Dic ergo mi confitens: non sum Elias: non sic instituam meam confessionem.

III. Videntur aliqui asserere, se esse Christum, quod in prima interrogatione negavit de se Joannes: *Non*

III. *Aliqui se Christum esse asserere videntur.*

1. *Qui non ferunt Cõfessarium instructorem.*

sum ego Christus. Quinam verò illi, qui se Christum dicunt in Confessione? Primò qui se omnia ad salutem sibi necessaria scire existimant, ideoq; Confessarium cordis sui arcana rimantem ægrè ferunt, Christus quidem is fuit, qui omnia scivit, adeoq; frustra interrogabatur, quasi de re, quam nesciret. Unde Joan. 16 dicunt discipuli: *Nunc scimus, quia scis omnia, & nõ opus est tibi, ut quis te interroget.* Similiter & Pharisæi cum non possent respondere ei, *non ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Matt. 22. At quis præter Christum talis, qui non possit doceri, quod nesciat? Prudentes Confessarij non rimantur conscientias confitentium, cum vident eas sibi bene cõstare & officium facere, At cum vident eos vel præ verecundia aut cæcitate, vel defectu examinis præmissi & cognitionis sui, hærere in salebris, solent ac tenentur eos juvare. Sic Christus Dominus adfuit discipulis laborantibus in remigando, Marc. 6. Eodem modo Petrus & qui cum eo erant, cùm trahere non possent rete præ multitudine piscium, annuerunt socijs, ut manum auxiliarem porrigerent. Luc. 5. Hos imitantur, qui sapiunt, confitentes: rogant enim confessarios suos, ut juvent laborantes in extrahendo reti suorum peccatorum, vel spontè succurrentes grato animo accipiũt. Quis enim auriga in luto hærens non gaudeat, si quis ejus equis suos adjungat, ut extrahere currum queat & via sua pergere?

2. *Qui sibi innocentes videntur.*

2. Qui omnino innocentes & impollutos se insinuant, dum nulla in re accusant, quasi nihil deliquerint; Christo ergo similes esse volunt, de quo Apostolus ad Hebr. 7. ait: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus.* Tales esse se videntur tacitè asserere, qui licet à multo tempore non sint confessi, nullam tamen adferunt sui accusationem, quasi nihil umquam deliquerint. Christus igitur erunt, sancti, innocentes impolluti, segregati ab omnibus peccatoribus, & cælo excelsiores. Sed timendum ne hi verius pseudo-Christi sint & mentiantur, non homini Confessario, sed Deo. Scimus Ananiam & Saphiram subita morte punitos, quod mentiti essent coram Petro, se nihil defraudasse Act 5. Nec raro evenit, ut graviter etiam punirentur, qui in confessione innocentes se asseruerunt, cum essent rei: vel etiam reticuerunt solum peccata sua, Religiosus quidam Fredericus Amalphitanus dum confiteri culpas suas in ægritudine erubuit, corpus Dominicum sæpius sibi oblatum, sumere non potuit, donec fratrum hortatu tandem Abbati se qualis erat, ostendit; ut habetur in vita Petri Abbatis Cavensis, apud Sur, 4. Martij. Aliud simile recenset Petrus Ven. Abbas Cluniacensis libro primo illustriũ mirac. c. 3. de quodam juvene Teutonico, qui cum insania turpis amoris erga quandam fœminam laboraret, in extremis constitutus, cætera quidem peccata confessus est, illius tamen fœdi amoris reum se negavit, dicens: *Sic hoc Domini corpus, quod attulisti ad salutem suscipere merear, sicut hujus rei, quæ mihi objicitur, aliquando culpam non incurri. Hac presbyter responsione credulus redditus, Dominicam ei communionem jam securus tradidit. Qua ore suscepta, glutiendi virtus ægro protinus ablata est. Nam cum paulò ante quibuslibet etiã grossoribus cibis facilis esset ad ima descensus hoc parvissimum corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur vel paululum attingere potuit. Hoc sentiens ille, niti quantum potuit cœpit, ut illud glutire valeret. Quod dum multoties conaretur, & frustrari semper suos conatus cerneret, coactus ipsa glutiendi impotentia juxta lectum quo decumbebat, illud exspuendo projecit. Cujus rei eventu valde territus Presbyterum, qui discesserat, ad se revocari rogavit. Rediit ergo presbyter & infirmum revisens, cur se revocasset, quæsivit. At spiritu Dei compunctus confessus est se malè egisse, se Deo mentitum fuisse, verumq; quod ante negaverat esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem & satisfacientem, is qui advenerat, presbyter intuens, compassus confitenti & mœrore confecto, eum ut moris est, absolvit, atq; rursũ Dominico corpore refecit. Quo suscepto cum tanta illud libertate glutivit, ut vere tunc appareret, non casu, sed virtute divina, ne ante hoc suscipere posset prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionem & corporis Christi perceptionem paululum supervivens in pace quievit. Hoc non à duobus aut tribus testibus tantum didici, sed à Priore jam dicti loci, honesto & fide digno viro & fratribus ejusdem monasterij ac multis aliis, quorum quidã se hoc vidisse, alii à presbytero se audivisse testati sunt.* Dic ergo mi confitens, *Non sum* ego *Christus*, non sum sanctus, innocens & impollutus; non sum. non sum, Sed quid tandem respondebimus nostris Confessariis, si nec Propheta, nec Elias, nec Christus sumus? Respondeamus, quod dixit. Quid ille dixit? *Ego vox clamantis.* Sed quid clamandum? Illud Davidis 2. Reg. ultimo *Ego sum qui peccavi: ego iniquè egi.* Non committamus ut ipsum veneni antidotum fiat nobis venenum, pœnitentia peccatum. *Debemus cavere*, ait S. Ambros. lib. 1. de pœnitentiâ, cap. 17. *ne remedium nostrum fiat Diaboli triumphus.* Et lib 2. cap. 11. *ne in ipsâ pœnitentiâ fiat, quod postea indigeat pœnitentia.* De Cicuta herba venenosa (Wuterich) scribit Plinius lib. 21. cap. 13. *Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna infusa.* (quia eam propinare damnatis ad mortem solebant,) *Remedio autem est, priusquam perveniatur ad vitalia, vini natura excalefactoria, sed in vino pota irremediabilis est.* Est quidem confessio præclarum remedium pellendis peccatis in cor admissis, at si ipsi confessioni peccatum admisceatur: quis medebitur huic malo? Nemo igitur nostrum mentiatur & affingat sibi personam alienam: nemo se Prophetam, nemo Eliam, multò minus Christum asserere præsumat; sed potius cum Joanne, non sum, non sum talis, & cum Davide, *peccavi*, dicat, & syncerè se accuset; ut à Christo non solum excusari, sed & laudari mereatur.

Trip. Do. 11. post Pen. C. 1. B.

THEMA V.

Variæ pœnitentiæ variis defectibus obnoxiæ.

Quid sit dirigere viam Domini.

I. *Paratur via devia & erronea ab hæreticis.*
II. *Via voraginosa ab iis quos pœnitet non peccasse.*
III. *Nimis angusta ab iis, qui non dolent de peccato, velut summo malo.*
IV. *Ab aliis nimis profunda, qui naturali solum pœnitentia ducuntur.*
V. *Ab aliis subdola & fallax, qui fictè pœnitent.*
VI. *Ab aliis scrupulosa, qui in desperationem cadunt.*

Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta, Joan. I.

uid sit igere am Domi,

OBscurum nonnihil apparet hoc Joannis responsum: *Dirigite viam Domini.* Quærere enim posset aliquis, quorsum & qua ratione dirigenda est via Domini? Quare ne cui daret errandi occasionem ad Isaiam nos ablegat: *Sicut dixit Isaias Propheta,* Quid vero Isaias? *Parate viam Domini,* inquit, *rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Pro *parate* in Hebr. est *pannu*; quod sententiam declarat, significat enim primo: *Date faciem,* h. e. speciem viæ Domini q. d. curate ne quid habeat sordium, inæqualitatis, asperitatis, aut indecentiæ hæc via; sed ut nitida & speciosa sit. Significat deinde ad angulum & perpendiculum dirigite hanc viam, æquate & complanate; prout subdit Isaias *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Denique exponitur ab aliis: *expurgate viam Domini,* & ab oculis amovere, quidquid in ea indecorum est. Quæ omnia tandem eo collimant, idq; inculcant, quod Joannes primum Matthæi 3. deinde etiam Christus initio prædicationis suæ mundo proposuerunt: *Pœnitentiã agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matthæi 4. Verum quemadmodum viæ & semitæ variæ, admodum sunt, & variè parantur: ita etiam pœnitentia varia deprehenditur in variis hominibus, & multoties non inutilis solum, sed etiam damnosa & exitiosa id quod nunc explicabimus.

I. ratur devia erronea hæreti- Seducit

I Parant aliqui viam Domini, sed deviam & erroneam, à cælo abducentem; unq; hæretici nostri temporis, qui pœnitentiam aliam non requirunt, præter inchoationem novæ vitæ: absq; omni detestatione prioris, seu peccatorum admissorum. Seducit via hæc nec Domino paratur.

1. ia con- ratio- i,

1. Quia rationi contraria. Cur enim nova institui vita debet, nisi quia prior mala fuit? & cur nova placet, nisi prior displicuerit? Quis potest novum induere hominem, nisi prius veterem exuerit? quis Christum introducere in domum suam, nisi Dæmonem expulerit & oderit, priorem sui incolam? *Quæ* enim *societas luci ad tenebras?* 2. Corinth. 6. Nec potest quis duobus contrariis dominis servire: sed necesse est, si unum amet, alterum odio habeat. Deinde jus naturale apud omnes etiam barbaras nationes hoc exigit, ut facti nostri nos pœniteat, si in ejus, quem offendimus redire velimus gratiam: neq; reconciliari cupiã possumus, nisi offensa, quam ei intulimus, nobis displiciat. Qua igitur fronte aliquis Dei gratiam ambiat, quo pudore ad eum reverti postulet; si non prius acerbum & amarum ei sit; reliquisse Deum suum? ipsi extitisse perfidum & ingratum? Unde S. Augustinus lib. de pœnitentiâ ait: *Nemo potest novam vitam inchoare nisi eum superioris vitæ pœniteat.*

2. Quia contraria S. Scripturæ, quæ passim dolorem de præteritis peccatis eorumq; detestationẽ requirit; uti Isa. 38, in pœnitentiâ Ezechiæ: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Jerem. 2. *Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Ezech. 6 *Displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis.* Joëlis cap. 2. *Convertimini ad me in jejunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Psalmo etiam 50. dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, &c.* Deniq; ut alia præteream, clarè Apostolus 2. Cor. 7. ait: *Gaudeo quia contristati estis ad pœnitentiam* cujus pœnitentiæ miros subdit effectus. Idem clarissimè docent Patres, è quibus unum audiamus Tertullianum antiquissimum lib. de pœnitentiâ c. 9. *Exomologesis est prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem: de ipso quoq; habitu & victu mãdat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere: illa, quæ peccavit, tristi mactatione mutare, &c. ingemiscere & lachrymari & mugire dies noctesq; ad Dominum, &c.* — *2. Contra scripturã.*

II. Aliqui inveniuntur, qui non Domino, sed Diabolo potius parant viam suâ pœnitentiâ; viam voraginibus plenam; quos pœnitet non peccasse. Hujusmodi fuit Gabrinus Fundulus Cremonensium tyrannus à Philippo Mediolanensium Vicecomite astu captus, productusque in forum Mediolani capite plectendus, cum ad pœnitentiam malefactorum admoneretur, hoc unum se dolere dixit, quod Joannem 23. Pontificem & Sigismundum imperatorem hospitio exceptos, ad immortalem suam famam, è suâ turri altissimâ non præcipitarit. Jovius in Philippo & Fulgosus libro nono capite undecimo. Paulò modestiores Prignissæ milites, latrociniis nobiles, qui propterea se pœnitere dicebant, quod mari congelato, occasionem neglexissent excurrendi Magnopoli in Daniam, ad rapienda & ambigenda illinc pecora, Cranzius libro v. Saxon. capite decimo. Hujusmodi pœnitentes sæpe sunt avari, iracundi & vindictæ cupidi, qui pœnitentiâ ducuntur, quod mala non fecerint: digna inferno pœnitentia: qualem etiam Dæmones agunt, quod non plura & graviora, quemadmodum cupiunt, damna humano generi inferre à DEO permittantur. — *II. Via voraginosa ab iis, quos pœnitet nõ peccasse.*

III. Pal-

III. Nimis angusta ab iis qui non dolent de peccato, velut summo malo.

III. Parant alii viam Domino, sed nimis arctam: quales illi imprimis, qui non dolent magis appreciativè, non intensivè, de peccatis admissis quam de aliis malis admissis vel acceptis damnis? quorum pœnitentia non sufficit ad delenda peccata, non enim agnoscunt peccatum esse malum omnium maximum super omnia mala: nec diligunt Deum, quem offenderunt super omnia, neq; videntur agnoscere ipsum esse summum bonum suum. Debēt ergo pœnitentes magis detestari peccata sua, quam ulla alia mala saltem appretiativè, ut nullum malum iis præ se ferant aut æquent; adeoq; nec totum mundum vellent accipere ea conditione, ut Deum offendissent.

Deinde minus latam parant viam, qui de aliquibus tantum peccatis lethalibus, non de omnibus dolent, saltem in generali; sed ad unum vel alterum retinent adhuc affectum & complacentiam. Tales enim non dolent, quia Deum offenderunt, summum bonū alioquin non de uno vel altero tantum, sed de omnibus dolerent, cum omnibus eum offenderint, sed ob alias rationes; quod non sufficit ad pœnitentiam. Quin etiam si displicerent omnia admissa peccata, quatenus Dei offensa sunt; non displicerent tamen ipsi actus, qui offensa fuerunt: sed ob aliquem effectum bonum vel acceptum placerent, non sufficeret hic dolor ad consequendam gratiam, verbi gratia: si quis fornicator doleret quod offendisset Deum; sed gauderet aut placeret sibi ob perceptam illicitam voluptatem, vel deceptam nobilem virginem, vel ob natum sibi ex fornicatione filium; aut si quis homicida doleret se offendisse Deum, gauderet tamen quod inimicum suum homicidio illo sustulisset: illusor hic & non pœnitens foret; quia non doleret se offendisse Deum, sed nollet Deum talem statuisse legem, ut illis suis iniquitatibus offenderetur; alioquin displiceret ei etiam actus, quo Deum offendit. Unde S. Augustinus serm. 7. de temp. ait: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore ipsū te cruciat in mente: jàm tunc bene ingemiscis ad Deum & dicis: Tibi soli peccavi.*

IV. Ab aliis nimis profunda, qui naturali solum pœnitentiâ ducuntur.

IV Parant alii viam nimis profundam, ein Holweeg, qui pœnitentia solum naturali ducuntur, dolentes verbi gratia, quia per peccata sua incurrerunt infamiam, vel pœnas legibus debitas, vel alia damna temporalia, quorum pœnitentia humi repit & merè naturalis est & invenitur etiam in pessimis hominibus peccatis adhuc usque ad aures inhærentibus. Imò etiam illi, qui supernaturali quidem dolore pœnitentes sed imperfecto (qui attritio vocatur) præcisè quia cœlo exciderunt, vel gehennæ reos se fecerunt, humi adhuc repunt; unde nec adventum gratiæ exspectent, nisi Sacramentum accedat, quia amore potius sui quam Dei offensi dolent de peccatis, per quæ tantum incurrēre damnum: velut si quis doleret, quod alterum transfigendo seipsum interim graviter læsisset aut cruentasset: vel qui doleret ideò, quod dum incendit alterius domum, ignis etiam propriam domum invasisset, qui profectò se, non proximum, cui damnum intulit, diligere convincitur. Multi hic se decipiunt, qui se pœnitentiam agere eaq; ad cœlum evolare putant, cum adhuc in profundo hæreant. Talis fuit Saul, qui increpatus à Samuele propter inobedientiam, dixit quidem: *Peccavi*; sed ne vilis haberetur & è regno excideret; uti explicat verbis illis: *Sed nunc honora me coram senioribus populi mei & coram Israel.* 1. Regum 15. Simili dolore afficiebatur Rex Antiochus, qui dolebat memor malorum, quæ fecerat in Jerusalem, quia ideo putabat inflictum sibi morbum, & instare mortem. 1. Mach. 6. Quorum dolor merè naturalis adeoq; inutilis fuit; qualis etiam in Alexandro Imp. qui cum B. Martinam Virginem nobilem post varia & dira supplicia jussisset decollari, visis ab ea multis miraculis, eadem die percussus est dolore cordis & carnes suas comedebat gemens ac dicens: *Miserere mei Deus Christianorum, quia nomen tuum persecutus sum: sicut feci, mihi reddidisti.* Mart. Polonus an. 236. Non ita David, quia dicendo: *Peccavi*, gratiam Dei recepit, quia præcisè ob Deum offensū doluit. Unde S. Basilius in Psal. 50. verba illa exponens ait: *Cum multis ac magnis donis tuis sim potitus, contraria tamen rependi. Non enim hoc dicit, quod in Uriā non deliquerit: deliquit quidem & in illum & in uxorem ejus; verum maxima hæc prævaricatio adversus Deum præcipuè fuerat commissa, qui ipsum elegerat & Regem constituerat.* Non doluit ob infamiam, non ob moriturum filium, non ob uxorum prostitutionem, sed quia Deum offenderat.

Trip. Do. 4. Adv. C. 5

V. Al... sub... fal... fict... ter.

V. Parant alij viam subdolam & tectam, quæque in cespite graminoso suprà apparet jucunda & secura, subtus verò est paludosa, solido carens fundo. Hanc Deo parant, qui fictam agunt & præ se ferunt pœnitentiam: cum in corde nullo modo pœniteant: qui vestimenta quidem scindunt, cor autem minimè scindunt; quibus Joël capite 2. ait: *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* De talibus ita scribit Sanctus Bernardus de gradibus humilitatis gr. 9. *Est qui nequiter humiliat se,* (Ecclesiastici 19.) *& interiora ejus plena sunt dolo. Vultus demittitur, prosternitur corpus, aliquas sibi lachrymulas extorquent, si possunt vocem suspiriis, verba gemitibus interrumpunt, nec solum qui ejusmodi est, objecta non excusat, sed ipse quoq; culpam exaggerat, ut dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud quod ratum putabas, discredere possis, &c.* Similes hi sunt Gabaonitis, qui saccos veteres asinis imponentes & induti veteribus vestimentis pacem à Josue emendicarunt: quasi procul dissiti, cum in propinquo habitarent. Jos. 9. Fingunt, qui sic pœnitent, se procul abesse à peccandi affectu, cum ei vicinissimi sint & addictissimi. Tali modo pœnituisse Achab, quando ad increpationē Eliæ *scidit vestimēta sua & operuit cilicio carnem suam.* (1. Reg. 21.) sentiunt nōn pauci, & indicat S. Gregorius hom. 19 super Ezech. *In quibus Domini verbis,* inquit *pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat qui amittere Deū, si sic ei & reprobi pœnitētia placuit; quia timebat perdere præsens*

ſens ſeculum,&c. indicans etiam imaginem & externam pœnitentiæ ſpeciem gratis Dei oculis aſpici, quo modo amicorum abſentium intuemur effigiem cum voluptate, etiamſi immenſo à nobis diſtent intervallo,ut ait ibi Sanctius. Verùm ut ea pœnitentiæ imago Deum aliquantum lenierit,certè non niſi temporalem aliquam pœnæ relaxationem Achabo impetravit,Deum non reconciliavit.Vana enim prorſus eſt illa pœnitentia,quæ veſtimenta conſcindit,pectus tundit,conſpergit cinere caput,cibos adimit abundãtes & dulces,adhibetq; inſuaves & parcos; ſi correlinquit intactum & integrum neque exuit antiquam intemperantiam,non deponit odia & ſtudium vindictæ,non reſtituit,quæ per vim & fraudem ablata ſũt, nihil deniq; mutat interius in animo;cum tamen mutet ea,quæ ad externam ſpeciem & habitum pertinẽt. Hujuſmodi pœnitentis ſimulachrum fuit Achab ille, qui neq; reſtituit vineam,quàm iniquè poſſedit;neq; honorem Nabotho,qui ipſo conſcio &non invito velut blaſphemus lapidatus fuit,cum tamẽ pro ſuo munere tam crudele facinus impedire debuiſſet : neq; è vinculis exemit innocentem Michæam,quem in carcerem detruſerat;neq; ſimulachra confregit, quæ ad uxoris vota in fines Iſraëliticos introduxerat. Similis fuit fucus & ſimulachrũ pœnitentiæ in Henrico VIII. Angliæ Rege perverſiſſimo , qui in extremis humilitatem quidem in ſumptione ſacri viatici oſtendit; & poſt everſa tot centena imo millia Monaſteria & tẽpla,templum unicum reſtitui juſſit;quaſi per hoc expiaturus tot aliorum templorum direptiones,totque innocentum cædes; ut videre eſt apud Sanderum de ſchiſmate Angl.& Flor.m.Remundum lib.6 de ortu hæreſis.

VI. *Ab aliis ſcrupuloſa, qui in deſperationẽ cadunt.*

VI.Parant alii viam ſcrupuloſam ad præcipitia ducentem,qui nimiâ & immoderata pœnitentia acti in deſperationem ſe præcipitant,unde in omnia ſcelera ſe immergunt,nec ulla conſilia admittunt, quaſi jam de ipſis actum ſit;cujuſmodi erat Cain, qui à Deo reprehenſus in deſperationem incidit,dicens: *Major eſt iniquitas mea,quam ut veniam merear.* Gen. 4 q.d. major,quam ut ulla pœnitentia poſſim veniam impetrare;ſeu ut S.Proſper lib.3.de vita contempl.exponit: *indulgeri mihi non peto,quia peccatorum meorum magnitudine indulgentia tua vincitur magnitudo.* Quem ſecutus Judas traditor,qui & ipſe *pœnitentia*,ſed immoderata & irrationabili *ductus*,præ veniæ deſperatione & nimia animi triſtitia abiens laqueo ſe ſuſpendit. Matth.27. Qua deſperatione gravius offenderunt Deum,quam Cain parricidio, Judas proditione,teſte S.Hieronymo in pſal.108. *Pro clẽmentia*,inquit,*Domini hoc dico, quia magis ex hoc Judas offendit Dominum,quia ſe ſuſpendit,quam quod Dominum prodidit.* Quæ eſt enim hæc hominis temeritas,ponere limites infinitæ Dei miſericordiæ & clementiæ? Adhæc *non tam gravis eſt caſus*,ait S.Chryſoſtomus hom 8.in 1. Corinth. *quam poſt caſum jacere;neq; tam grave vulnus accipere,quam nolle acceptum curare.* Vermis cõſcientiæ Judam ſuffocavit prius quam ſuffocaret laqueus;quod ſi ipſe vermem illum ſuffocaſſet per veram pœnitentiam & veniæ ſpem à verme ſuffocatus non fuiſſet,ut loquitur S.Bernardus ſerm.de converſione ad Clericos cap.6. *Optimum*, inquit,*eſt ſentiri tunc vermem,cum poſſit etiam ſuffocari,itaq; mordeat nunc ut moriatur & paulatim deſinat mordere.* Leo Armenius Imp. quia Michaelem Balbum, comitem excubitorum,inſidiatorem vitæ ſuæ,non occidit, ſed ad preces uxoris vita donavit , poſtea ab eo occiſus eſt,Zonara auctore.Idem contigit Judæ cum verme conſcientiæ,quem certè mactare poterat, ſi cogitaſſet Chriſtum Dominum & Magiſtrum ſuum, pro ſalute generis humani,adeoq; etiam ipſius vermem effectum,ſicuti fatetur pſalm.21.*Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.* Certe vermi ſimilis factus eſt in cruce, tenerrimus ligni vermiculus.Itaq; nemo dicat.Deus in cœlo ſublimis regnat in cœleſtibus , ego autem terræ vermiculus ſum,qui offendi ipſum; quia ille quidem *ſublimis in regno,ſed ſuavis in cruce*,ait S.Bernard.ſer 61.in Cant.*Petra refugium erinaceis* (ait ibidem) *dicitur pſal.*103. *Et revera ubi tuta firmaq; infirmis ſecuritas & requies,niſi in vulneribus Salvatoris?*&c. Quod ſi inſtet peccator multitudine peccatorum prægravatus & animo ſuccumbat,quod Deo non ſit ſolvendo, huic reſpondet S.Ambroſius lib.2 de pœnitent.cap.8 *Plura ſolvendi habet ſubſidia,qui Deo,quam is qui homini debet : Deus affectum exigit,qui in tua poteſtate eſt.Nemo pauper eſt,qui Deo debet,niſi qui ſeipſum pauperem fecerit.Et ſi non habet,quæ vendat:habet quibus ſolvat.Oratio,lachrymæ,jejunia,debitoris boni cenſus eſt.* Sic ille.

Vidimus ergo quanto conſilio & quanta diſcretione juſſerit Joannes dirigi viam Domini:non quomodocumq; ſcilicet,ſed ita ut fiat recta,plana,lata,ſecura,nitida,&c.Magnus nimis eſt Deus,cui debetur via ex omni parte recta,quiq; ait. Proverb.8. *Viam pravam,& os bilingue deteſtor.* Auferte igitur à facie Dei vias,quas deſcripſimus,pravas & perverſas:& rectas facite ſemitas Dei noſtri.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMATA.

I. *Confeſſio non ita grave onus, ut quibusdam appa- ret.*

II. *Propoſitum emendationis qui firmandum.*

III. *Præpoſterus pudor in Confeſſione ut vincendus.*

IV. *Turpitudo peccati conſideranda & per contri- tionem amovenda.*

V. *Pœnitentia fortiter agenda pro feſto natalitio.*

THEMA PRIMUM.

Confeſſio non ita grave onus, uti quibuſ- dam apparet.

Confeſſio pectini benè comparatur.

I. *Confeſſio pecten eſt, non ſtrigilis.*
II. *Pecten eſt eburneus, pulcher & ſalutaris.*
III. *Pecten eſt inauratus reſpectu gehennæ.*

Omnis mons & collis humiliabitur. Lucæ 3.

NIhil uſitatius, quam ut homines, ubi in ſpeculo viderunt malè concinnum ſibi eſſe capillum, pectinem arripiant, eoq; comam pectant. Ex dono Bonifacij V. Pp. Edelburgæ Reginæ Angliæ miſſo, vidimus ante octiduum in ſpeculo; quam malè cohæreat noſter capillus, quam ſcabioſum & malè comptum ſit noſtrum caput: ſupereſt nunc, ut pectinem eburneum (qui erat alterum donum) arripiamus ad concinnandam comam: quo nimirum apparere cum decentia coram Chriſto nato valeamus. Quinam verò ille niſi confeſſio? Hæc enim vermes capiti detrahit, hæc capillos ordinat, hæc ſanitatem menti adfert: hæc deniq; juxta hodiernum Evangelium montes & colles humiliat & omnia prava & aſpera corrigit. Sed videor mihi jam videre aliquos, qui ab hoc pectine abhorreant, non ſecus atq; filiolus, qui ſcabioſo laborat capite. Dixi, filiolus; quia reverà parvuli & infantes ſunt, qui neceſſarium hoc tamq; ſalutare remedium fugiunt. Si enim verè ſaperent, utiq; dicerent: ô gratum! ô eburneum! ô aureum pectinem! Quod ut manu palpemus, audiamus.

Diximus hunc pectinem Edelburgæ à Bonifacio tranſmiſſum, fuiſſe eburneum & inauratum. Iterum.

I. Cogita confeſſionem eſſe pectinem, quo homines: non ſtrigilem, qua equi: nec ungues ferreos, quibus malefici pectuntur. Sanè ſi Princeps, poſtquam rei alicujus ſcelera jam ipſi innotuiſſent, nil aliud ei pro pœna injungeret, quam ut ea ſuo ſecretario eique muto vel alteri ſervo (ſub ſigillo arcani) in aurem diceret; nonne inſipiens foret, qui hoc facere detrectaret, vel difficile aſſereret? Hinc Athenienſes, qui impunes dimittebant eos, qui culpam ultrò faſſi eſſent, cum id Socrates facere nollet, eum morte condemnarunt, non tam ob delictum, quam ob contumaciam, teſte Alex. ab Alex. lib 3. c. 5. Iam verò Deus novit omnia peccata tua melius quàm tu ipſe, ſive ea fatearis ſive neges: vult tamen partim in pœnam, partim in bonum tuum, ut ejus ſecretario ea aperias, qui ſub graviſſima pœna illa revelare nequit; adeoque plus quam mutus eſt, & hac lege tibi promittit, ſe omnia remiſſurum. Quis hanc clementiam Dei non omni laude extollat? Aſpice jam pectines ſeu potiùs ſtrigiles Gentilium & Iudæorũ. Apud Lacedæmones qui graviter deliquiſſent, ipſi cantilenam in ſe componere, & circum aram cantare debebant, teſte Plutarcho in Lacon. Si hoc à nobis exigeretur, quæ confuſio nos opprimeret? Alij etiam filios immolare à ſacrificulis cogebantur. Iudæi pro certis peccatis certas hoſtias offerre, & pro gravi meliores ac majores; quin & peccata ſua Sacerdoti indicare. Hinc Levit. 5. dicitur: *Agat pœnitentiam pro peccato ſuo.* Heb. & Chald. *Confiteatur peccatum ſuum.* Quod ſi jam & nos pecora noſtra afferre unaque peccata noſtra indicare cogeremur, quid diceremus.

I. Confeſſio pecten eſt non ſtrigilis.

Unde ungues ferreos, quibus utuntur fori tribunalia ad eliciendam reorum confeſſionem; & poſtquam elicuerint, eadem punienda, Illa vi extorquent: & ſi ſponte fatearis nihilominus adhuc vitam tibi extorquebunt. At in Confeſſionis tribunali, ſi te ipſum accuſaveris, non tantum abſolveris, ſed inſuper in catalogum electorum inſcriberis, & corona te exſpectat. Non meum eſt hoc, ſed Chryſoſ. 3. de verb. Iſaiæ: *In mundanis,* inquit, *ac forenſibus judiciis poſt accuſationem & confeſſionem criminum, reſtat mors. Cæterum apud Divinum tribunal, poſt accuſationem & confeſſionem criminum datur corona.* Accedit quod Magiſtratus ſæcularis crimina quidem punit, ſed non emendat: velut ſi cum dens ac caput tibi doleat, non dolorem aliquis ſedet; ſed caput tibi abſcindat. At in confeſſione tollitur peccatum, ſed non deſtruitur peccator.

Trip. 0. 3. poſt Epiph.

II. Cogita eſſe pectinem (ut vidimus) eburneum, adeoque pulchrum & nitidum, nec non ſalutarem; unde Germ. vocatur Helffenbein, (ſive ab elephante, ſive à juvando & medica virtute) quia ex oſſe ſeu dente elephantis medicinali factus.

II. Pecten eburneus, pulcher, ſalutaris,

I. Igitur à ſordibus & pulveribus peccatorum caput purgat nitidumque efficit. Quo videtur reſpexiſſe David pſal. 95. cum ait: *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* quaſi pulchritudo naſcatur è confeſſione. Unde S. Auguſtinus in eum locum ait: *Fœdus eras, ſed confitere ut ſis pulcher:* Et S. Bernardus epiſt. 111. *Bonum animæ ornamentum confeſſio; quæ & peccatorem purgat & juſtum reddit purgatiorem.* Exemplo eſt S. Pelagia, cujus vitam & converſationem ſcribit Iacobus Diaconus Heliopoleos. Ea temporibus Theodoſij junioris Antiochiæ inter mulierculas Baccho ſacras paſſis crinibus circumcurſantes ingenti ornatu & pompa . Nonno Epiſcopo Edeſſeno occurrit.

I. Purgat caput à ſordibus.

Cujus vanitatem cùm is deploraſſet, unaque ſuam negligentiam, quod nunquam ita ſtuduiſſet placere Deo, ſicut illa ſæculo, accuſaſſet: die dominico poſt horas nocturnas vidit in ſomnio ſtans ad altare columbam nigerrimam & ſordibus pleniſſimam inſtar atri corvi; quā proinde ex indignatione arreptā projecit in vas aquâ plenum juxta poſitum; in qua ſordibus abſterſa prodijt mox inſtar nivis candida atque in ſublime evolās evanuit. Hæc cùm Diacono ſuo retuliſſet, prodijt ad Eccleſiam; & concionem de vanitatibus ſæculi orditus eſt. Aderat fortè & Pelagia, eaq; concione compuncta venit ad pedes Nonni, aſſerens ſe pelagus omniū vitiorū, monitaq; ad faciendā integrā oris confeſſionē, mutata eſt in columbā per pænitentiā & baptiſmū, ac deinceps ſupra montē Oliveti in anguſtiſſima cellula ſe incluſit, egitq; tam ſeveram pœnitentiam, ut inter Sanctos numerari meruerit. Apud Sur. 9. Octob. Quando igitur confeſſio corvum tam atrum in columbā nitidiſſimam convertit, quomodo non obviis ulnis amplectenda eſt? Maximum beneficium præſtitit arca Noë etiam beſtijs, dum eas in vita ſervavit: ſed nequaquam tam eximium quam confeſſio præſtat hominibus. Ibi enim qui lupus vel corvus ingreſſus eſt, iterum lupus vel corvus egreſſus eſt. At hic in Eccleſia qui lupus ingreditur ad confeſſionem, ovis egreditur: qui corvus, columba.

2. *Vermiculos rodentes conſcientiam detrahit.*

2. Vermiculos qui ex pædore & ſordibus capitis naſcuntur, detrahit. Quid verò illi niſi vermes conſcientiæ, qui quot peccata tot numero ſunt, hominemque perpetuò rodunt ac lancinant? ut planè dolor ille lōgè gravior & intolerabilior æſtimari debeat, quam pudor confeſſionis, ſeu quis alius cruciatus. His vexatus David commiſſum adulterium & homicidium Uriæ pſalm. 37. fatetur de ſe. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum?* Cur? *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* quaſi pediculi ſcilic. caput rodentes: *Et ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ,* id eſt, plagæ non ſanatæ, ſed oblivione quadam violenta ſolum obductæ, pus contexerunt & reputruerunt, ut Hebræus clariùs habet. Unde *miſer factus ſum & incurvatus ſum uſq; in finem.* Putabat enim ſe continuo in dorſo vel capite geſtare cadaver Uriæ, quem occidi innocentem juſſit: ſicq; per novem menſes miſerè onuſtus inceſſit, donec à Nathan Propheta correptus peccatum expuit dicens: *Peccavi Domino.* Accidit David & ferè omnibus peccatoribus, gravium peccatorum reis, quod peregrino illi in vita S. Walpurgæ (auctore Wolfhardo Monacho Herrenriedano) qui cum alium peregrinantem ad S. Walpurgam famis tempore in via occidiſſet ſpolij cauſa, defunctumq; brachijs complexum in humeros ſuſtuliſſet, proxima in ſilva ſepeliendum aut abſcondēdum; contigit Dei nutu, ut cadaver à ſe abjicere amplius non poſſet, ſed cū eo per aliquot dies continuo circūire cogeretur, donec tandem ad Rhenum veniens, ſe quaſi deſperabūdus Rheno injecit unà cum ſarcina à qua quidem liberatus, ſed cum illa ejectus, ad S. Walpurgæ monaſt. veniens rem ordine narravit. Tale onus eſt, quod peccator geſtat; ſic enim ait Dominus; *Scitote quoniam* (*Num. 32.*) *peccatū veſtrū apprehendet vos,* Quare ſi ab onere iſto liberari velis, aliud non ſupereſt, niſi ut projicias te in lavacrū pœnitentiæ & confeſſionis. Unde S. Chryſoſ. ho. 15. in 2. ad Cor. ait, *Quomodo licet adulteriū eximere? poteſt, inquam, & quidē facile: Si quis legibus ſe ſubmittat. Balneū enim ſpirituale eſt Eccleſia, non corporis ſpurcitiem ſed animæ labes variis pœnitentiæ modis abſtergens.*

3. *Capillos cogitationum componit.*

3. Capillos implexos ac perturbatos componit, pulchreq; in ordinem redigit. Capilli cogitationes ſunt, quia de capite prodeunt. Hæ autē in mente peccatis admodum implexæ & turbatæ ſūt, ſecumq; ipſæ pugnant. Ecce ajunt cum prodigo filio, quam longe à Deo patre meo receſſi! Quorſum & in quam durā peccatorum ſervitutem deveni! Quam nudus omni virtute, & gratia Dei exutus! Quot ſordibus & pediculis admiſſorum ſcelerum fædatus? Quam infamis coram cælitibus & hominibus! Qua in ſocietate dego? Dæmonū & hominum reproborum ſc. Quinam cibi mei? nonne furfures & ſiliquæ fœdiſſimarum ac beſtialium voluptatum? Quanti alij boni paſſim in domo patris mei vivunt in S. pace & lætitia ſpiritus? Et quid tandem erit mecum? Nonne hic fame pereo? Et quid ſi æternū peream? Et quid ſi repente, hac die vel nocte? Redibo ad patrem meum? ſed quomodo me recipiet? Et quid dicet mundus? quid cogitabit Confeſſarius, vidēs undiq; me tam lacerum? Hunc in modum implectūt hominem hi capilli, & affigunt laqueo Dæmonis velut alterum Abſalonem. Et quo is diutius differt pectinem, eo difficilior fit depexio, quemadmodum in ruſtico qui capillum ſuum toto anno nunquam pectit. At ubi ſemel te viceris, dicens: *Surgam & ibo ad Patrem meum:* ubi pectinem apprehenderis, tunc videbis repente componi cogitationes tuas, redire animo ſerenitatem & lætitiam; uti expertus etiam eſt prodigus in domum patris reverſus. Hujuſmodi capillos acquiſierat ſuperbus ille Rex Nabuchodonoſor, ad beſtias damnatus; ſimiles videl. pilis ſeu plumis aquilarum, denſos, nigros, prolixos, horridos & criſpatos. Qui tamen ubi Deum & peccata ſua agnoſcere & confiteri cœpit, reſtitutus eſt illi ſenſus & forma humana regniq; decor. Dan. 4. Jam verò ſi hanc tantam ſanitatem mentis exhibet confeſſio, quis etiam oderit aut metuat? Quid non expendunt & tolerant à Medicis ægri ut ab infirmitate convaleſcant; primo amaras potiones ſumunt, ſcindi & uri non detrectant. Deinde evētus incertus eſt. Tertiò multo plerūq; tempore in cura detinentur, Quarto in Medicos & Pharmacopolas quid non expendunt? Nonne Hemorrhoiſſa illa per 12 annos multa à compluribus Medicis perpeſſa eſt, & præterea in eos erogavit omnem ſubſtantiam ſuam? Et tamen nihil profecit, *ſed magis deterius habuit,* ut omnia enucleatè ſcribit Mar. c. 5. Nihil horum in confeſſione timendum, non eſt quod ibi patiaris, niſi brevem coram uno homine muto, Deiq; ſervo, tui explicationem: eventus curæ certus eſt, nec diu exſpectandus; illico enim ſequitur ad duo ſacerdotis verba, neque eſt quod expendas. Et hanc curam fugies?

III. Cogita hunc pectinem eſſe inauratum. Sed

III. *Pecten est inauratus: respectu gehennæ.*

qua ratione? Eadem qua Deus per Zachariam dixit c. 11. *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem,* (id est, suavem & jucundam, q.d. aureum sceptrum) *& alteram vocavi funiculum.* Sic ego video duos pectines peccatori propositos, unus est jucundus & suavis adeoq; aureus, alter sævus & horribilis. Priore uti potes tu in hoc sæculo, mediante confessione: altero utetur Deus in die Judicij, interventu Diaboli, quando ille te accusando pectet, cujus respectu alter ille planè aureus est, quo modo loqui solemus: Er ist güldin darneben. Qui se ipsum pectit, suaviter id facit, nec capillos sibi evellit: at si rusticanus tonsor fortè eum invadat duro suo pectine & crassis manibus, non absq; dolore ipsi pilos è barbâ vel cervice extrahet. Jam ergo si te ipsum confessione tua comas, nullo tuo id damno facies. Quod si nolis, veniet tibi rusticanus tonsor, qui etiam cutem tibi detrahet, Dæmon, inquam, qui saltem in die judicii tui particularis de omnibus te accusabit. Unde Amos 5. dicitur: *Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis: Dies Domini tenebræ & non lux. Quasi si fugiat vir à facie leonis & occurrat illi ursus.* Leo enim prostratis parcit, sed ursus suis unguibus pellem hominis capiti detrahit. Das ist ein grober rampler. Sic pexuit Theodebertum Galliæ Regē in vitâ S. Nicetij 1. Oct. apud Sur. Is enim cùm gravibus peccatis implicatus cum suis aulicis contra anathema templum ingressus esset, noluit Episcopus pergere in officio divino, venitq; juvenis obsessus in templum, exclamans Episcopum esse sanctum & bonum: at Regem esse adulterum, incestuosum, homicidam: nec compesci potuit, & cum in columnam templi insiliisset, inde nec à decem hominibus (cum id juberet Theodebertus) abstrahi, donec factâ clam ab Episcopo cruce decidit, & extractus nusquā apparuit. Idem egit malignus hostis in alio obsesso Trajecti, quem S. Norbertus expulit, ut in ejus vita 6 Junij ap. Sur. *Cum enim circumstaret Clerus & populus, alij pro curiositate, alij pro pietate, pessimus Dæmon per os invasi hominis multorum flagitiosam vitam & fornicationes cœpit detegere, & quidquid confessione tectum non erat, malitioso ore propalare. Hæc audientes cœperunt omnes hac illacq; diffugere, paucis cum patre Norberto remanentibus.* Jam eligite quod vultis, Audit. vel ipsi confiteri, vel vestro nomine confitentem audire Diabolum. Diabolus secundum nomen suū, criminatur & calumniator est: Satan adversarius est qui nihil non effutiet contra vos in die judicij seu falsa seu vera: Confessarius vester pater, idemq; velut mutus est, imo plusquam mutus; potest enim mutus prodere vos per nutus. Confessarius autem nullo modo. Hinc monet Isaias c. 43. *Narra si quid habes* (70. vertunt: *Dic tu iniquitates tuas primò*) *ut justificeris.* In quem locum S. Chrysost. ho. 20. in Gen. ait: *Ne expectes te arguentem, ne præstoleris actorem. Ipse præveni & rape sermonis principium, ut accusatoris linguam mutescere facias.* Dicamus ergo cum David ps. 74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur & invocabimus nomen tuum.*

THEMA II.

Propositum emendationis quî firmandum.

Muri Ierico dejecti non reædificandi.

I. *Quia id præcepit Christus.*
II. *Quia interminatio adjecta.*
III. *Quia justè præcepit.*
IV. *Quia incerta & damnosa reparatio.*
V. *Quia reparatio placet diabolo.*
VI. *Quia reparatio laborem habet.*

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Luc. 3.

Muri Ierichō dejecti non reædificandi.

OPpugnavimus ante octiduum civitatem Jericho tubâ Præcursoris: nescio an expugnaverimus. Tametsi verò credimus in multorum cordibus muros iniquitatis, qui obstabant Christo, dejectos esse: necdum tamen plena victoria obtenta est. Quid enim si quis dejectos muros iterum ædificet vel ædificare cogitet? quid proderit dejecisse? *Vnus ædificans,* inquit Ecclesiast. c. 30 *& unus destruens: quid prodest illis nisi labor?* Dicam ego. Unus peccatum destruens, & alter ædificans, quid prodest? Duo enim sunt officia cōtritionis, ut contritus doleat de admissis peccatis, & de cavendis in posterum firmum decretum habeat. Quāobrem ubi Josue muros Jericho lapsos vidit & civitatem vastavit, addidit edictum, ne quis eam imposterum reædificaret: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Iericho.* Et hoc est, quod à nobis etiam requiritur: firmum, inquam, propositū peccata dimissa non repetendi. Quod enim Christus Satanæ puerum obsidenti dixit Marc. 9. *Exi ab eo & ne amplius introeas in eum:* hoc peccatis nostris utiq; dicere voluit, idq; etiam deficere, ne umquā ad nos redeant; si ipsi consentiamus. Sed quâ ratione tale propositum in nobis excitabimus? Ea quæ absterruit Hebræos à suscitandâ Jericho, uti videbimus.

Quia præcepit Christus.

I. Quia præcepit Josue populo ne suscitarent Jericho. Pari ratione Christus præcepit nobis, ne demissa peccata repetamus; uti imprimis languido illi ad piscinam: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joann. 5. Rursum adulteræ absolutæ. *Vade & jam amplius noli peccare.* Joannis. 8. Non adjuravit quidem nos Dominus, uti suos Josue; sed mansuetissimè mandavit: *Noli peccare* quia omne Dei mandatū vim jurisiurandi habet. Si enim, ut dixit Alphonsus Aragonum Rex sapientissimus, *tantum valere debet simplex verbum Principum, quantum privatorū hominum jusiurandum* (apud Panorm. lib. 1. Comment. de rebus Alphonsi c. 58.) multò magis Dei verbum seu mandatum. Jam videte quid Hebræi post edictum illud Josue fecerint: nemo unus eorum ausus est Jerichuntem reædificare. Post 530. annos primum venit Hiel à Bethel, (ubi erectus erat vitulus aureus: utique ergo Idololatra) qui eam reparavit. Simile est quod legimus 1. Reg. 14 In fugam & terrorem compulerat Philisthæos Ionathas; Saul ut hac occasione uteretur ad hostes persequendos adjuravit populum

ſub maledictione, ne quis aliquid comederet uſque ad veſperam, donec ulciſceretur ſe de inimicis. Et quid egerunt illi? Non manducavit univerſus populus panem, ac licet viderent in ſaltu mel ſylveſtre, in conſpectu ſuo fluere, nullus tamen ex tãto numero (præter unum Ionatham, qui edictum patris ignoraverat) inde vel minimum quid guſtavit, timore juramenti regii. Si potuit hoc efficere mandatum Regis in tanto populo, non poſſit plus mandatum Dei? Præcipit is ut in poſterum abſtineatis voluptatibus hujus ſæculi melleis, uſque dum hoſtem jam fugientem ad internecionem deleatis. Et Deo non parebitis? David cùm exercitum ſuum mitteret contra rebellem illum Abſalonem, præcepit Ducibus militum audiente populo: *Servate mihi puerum Abſalon:* Cumque miles quidam vidiſſet pendulum è quercu Abſalonem idque Duci Joab nuntiaſſet, Joab expoſtulare cœpit, quòd eum non occidiſſet. At vero ille: *Si appenderes in manu meâ mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis, audientibus enim nobis præcepit Rex tibi & Abiſai & Ethai dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalon.* 2. Reg. 18. Ecce miles hic præceptum non habuit, ſed voluntatem tantum Regis inſinuatam ducibus noverat; & tam obfirmato nihilominùs animo voluntati Regis ſe accommodat. An non decet igitur ut nos multo firmius Dei voluntati inſiſtamus? præcipit is ne deinceps non rebellem, ut erat Abſalon, ſed obedientiſſimum ſibi filium, Chriſtum offendamus; & tam facilè ſeducimur, ut pro pugillo hordei rurſum eum vendamus? Abſit, abſit. Si totus mundus nobis offeratur & in manu noſtrâ appendatur, numquam id faciemus. Itaque cùm Confeſſarius pœnitenti ait: *Vade & amplius noli peccare*; ſciat is pro certo, ſibi id à Deo, non ab homine dictum, quia & abſolutio à Confeſſario non tanquam ab homine, ſed tanquam à Deo datur.

II. *Quia interminatio adjecta.* II. Quia Joſue interminationem addidit: *Maledictus vir coram Domino: qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta ejus jaciat & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus.* Idq; impletũ eſt in Hiel qui tempore Achab reſtauravit Jericho, homo infidelis, qui pro nihilo duxit maledictionem Joſue, nec fidem ei habuit. Sed ultionem expertus eſt. *In Abirã primogenito ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas ejus, juxta verbum Domini.* 1. Reg. 16. Quando ergo cœpit fodere muri fundamentum, tunc fodit filio ſuo primogenito ſepulchrum, & dum perrexit muros extruere, perrexit filios ſuos deſtruere perdendo paulatim unũ poſt alterum: cumque abſolveret muros, perficiẽdo portas; ſepelivit ultimũ filium ſuum, ut ſcribit Rupert. in Joſuen. Sicque dum ſibi & familiæ ſuæ muros ſtruit, ſe & illam deſtruit; nec habet, cui ſtructuram ſuam relinquat. Idem ferè contingit iis, qui in condonata ſibi à Deo peccata recidunt, graviores enim pœnas merentur & incurrunt, quod & languido illi ad piſcinam comminatus eſt Chriſtus dicens: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Fuerat ſanè languor illius gravis, ut non poſſet ſe movere; nec nõ diuturnus, per 28. annos durans: & tamen multò gravior pœna relapſuro denunciatur, & quæ alia niſi dira mors? Sic enim & recidiva ægritudo mortis eſt ſæpe nuncia. Magiſtratus etiam relapſos in priora ſcelera graviùs punit. v. g. fures primò deprehenſos virgis cædit, ſecundò auribus truncat: at ſi rurſum furentur, laqueo extinguit aut gladio. Hoc idem minatur Deus relapſis quibuſcumque in peccata gravia, Eccleſiaſtici 26. *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi venit.* Quod verò hoc tertium? *Qui tranſgreditur* (non qui cadit ex infirmitate, ſed qui tranſgreditur velut transfuga) *à juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam:* illam ſcilicet bis acutam, quã Joan. vidit Apoc. 1. egredientem de ore Chriſti Judicis, quæ corpus & animam necat temporali & æterna morte. Hoc igitur ſi quis cogitet, quomodo non firmiſſimè ſtatuet abſtinere deinceps à peccatis ſibi remiſſis? quomodo & illa non diligentiſſimè cavebit? Sanè Balaam ille improbus alioquin Propheta, poſtquã audiit Deũ prohibentem & vidit Angelum in via evaginato gladio ſibi obſiſtentem ac dehortantem ne malediceret Iſraëli, tam firmũ obſequendi concepit propoſitũ, ut diceret Regi Balac: *Si dederit mihi Balaac plenã domũ ſuã argenti & auri, non potero immutare verbũ Domini Dei mei, ut plus vel minus loquar*; quàm ſc. præcepit. Num. 22. & 24. Cur igitur nos non idipſum facimus? Itane impio homine magis impii erimus? Abſit.

III. *Quia juſtè præcepit.* III. quia juſtum & æquum erat jurejurando & ſub ea pœna adſtringere populũ, ut non repararetur ea civitas ab hominibus, quã non homines ſed Deus deſtruxit. Sicut enim dixit Chriſtus: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet:* ſic etiam dico: Quod Deus deſtruxit, homo non ædificet. Pari ergo ratione juſtum eſt, ut tu non repetas dimiſſa tibi peccata; Deus enim, non tu, muros peccatorũ tuorum ſubruit, qui per merita paſſionis ſuæ ea tibi remiſit, nec ſolummodo tuba prædicationis orbe circumivit, ſed etiam ſudore & ſanguine ſuo expugnavit, quiq; mercedis loco nihil aliud petit, quam ut impoſterũ ipſum ampliùs non offendas. Tali argumento pervicit Ionathas patris ſui obſtinatiſſimi alioquin in perſequendo Davide animum, ut juraret ſe deinceps non futurum ei infeſtum. Propoſuit enim ipſi merita Davidis, quibus communem & potentiſſimum hoſtẽ Goliathum devicit, eaq; victoria ſalutem Hebræorum populo univerſo peperit: *Ne pecces Rex,* inquit, *in ſervũ tuum David, quia nõ peccavit tibi, & opera ejus bona ſunt tibi valdè, & poſuit animã ſuam in manu ſua & percuſſit Philiſtæũ & fecit Dominus ſalutẽ magnã univerſo Iſraeli, vidiſti & lætatus es. Quare ergo peccas in ſanguine innoxio interficiens David, qui eſt abſq; culpa? Quod cum audiſſet Saulus placatus voce Ionathæ, juravit: Vivit Dominus, quia nõ occidetur.* 1. Reg. 19. Ecce obfirmatum Saulis animum flexit hæc oratio, ut juramento Saul promitteret vindictæ oblivionem: & non poterit hoc efficere in corde noſtro beneficium à Chriſto acceptum, quo is animam ſuam poſuit, debellando acerbiſſimum hoſtem Dæmonem; ut ne ampliùs ipſum perſequamur? Parum ab ægro peteret Medicus pro curâ ipſi impenſâ, & valetudine reſtitutâ

rest tutâ ex lethali morbo, si nihil aliud postularet, quam ut sanatus caveret sibi imposterum ab eâ intemperantiâ, verbi gratiâ, ebrietate aut libidine, quæ ipsi morbum conciliavit. Et hoc unum petiit Christus ab infirmis? quos curavit: nec plus à peccatore requirit dum à peccatis eum absolvit in Confessione. Quid igitur? hoccine ei non præstabis? hoc tibi durum erit?

IV. *Quia incerta & damnosa reparatio.* IV. Non frustra memorat Scriptura 3. Reg. 16. quod Hiel de Bethel fuerit is, qui reædificavit Jericho, quia Bethel domum Dei significat, indicans Hielem de domo Dei descendisse in Jericho, ut eã instauraret, idque fieri cùm quis justificatus recedit in peccatum. Contingit enim ei, quod illi, qui ab Jerusalem descendit in Jericho per viam, quę infesta erat & obsessa à latronibus, unde incidit in latrones maximo suo damno & bonorũm omnium jacturâ Lucæ 10. At quis sanæ mentis de statu gratiæ se præcipitet in statum peccati? de cœlo in infernum? de Jerusalem seu visione pacis in Jericho & sylvam latronum. Audiamus Spõsam Cant. 5. *Lavi pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Lavasti peccator animam tuam, non sine difficultate per pœnitentiam abluisti, à fœdissimis sordibus & ornasti eam pretiosâ gratiæ veste; talem ergo vestem in tam fœdum lutum rursum projicies? Si sordes quidẽ illæ aliæ non essent, nisi quales adhærent pedibus aut indusio, non magni æstimarem, si rursum eam collutares: quia in promptu habere lavacrum posses, cum passim reperiatur aqua. At verò aqua gratiæ, quâ lavanda est anima, in tuâ potestate non est, nec ad manum semper: quid si posteà tibi negetur?

V. *Quia reparatio placet Diabolo.* V. Quia quod impius Hiel fecit, fecit (ex multorum conjecturâ) ut placeret impio Regi Achab, qui Deum contempserat & vitulos colebat ac Sidoniorum Deo templum & aras extruxerat. At tu Christiane si iterum suscitaveris destructa in te peccata, placebis certè Diabolo & obsequium ei præstabis. Hoccine verò facies? Dæmoni civitatem & habitaculum in te eriges? Dæmoni ut placeas, Deo displicebis? Absit, absit. Nonne in baptismo Satanæ abrenunciasti, & irreconciliabile odium atq; immortale bellum indixisti? nonne Deus inter nos & serpentem illum Diabolicum perpetuam antipathiam statuit? Quid enim is nisi perditionẽ nostram quærit, ut ex consortio nostro aliquale solatiũ habeat, & seductos dirè subsannet? nonne audimus D. Petrum ep. 1. c. 5. dicentem: *Fratres sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret?* Ecce quid quærit Dæmon: te devorare, hic illius cibus est. Et tu ereptam huic leoni animam tuam iterum objicies? Sed dices: iterum ex ejus dentibus me liberabo & fugiam ad Christum. At quam hoc difficile & periculosum, præsertim si toties relabaris? Quis effugiet leonem undique circumeuntem, qui toties ei obviam it? Hinc Pharisæos & Sadducæos videns Joannes Baptista venire ad suum baptismum increpavit, dicẽs: *Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere à venturâ ira?* quasi diceret: quis vobis persuasit, quod gehennam effugietis? Hoc enim sensu Christus etiam, quasi explicans Joannem, ait Scribis & Pharisæis, *Genimina viperarum quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Progenies viperarum appellat Joannes Phariseos, quia ficto animo suscipiebant ejus baptismum, & simulabant pœnitentiam, mox relapsuri: sicut vipera cùm ad aquas vadit, venenum deponit, sed posteà mox resumit. Quomodo verò tales toties relabentes effugient laqueos Dæmonis?

Matth. 3.

Matth.

VI. *Quia reparatio laboriosa.* VI. Quia ædificare rursum labor erat: non ædificare non est labor. Ita repetere pristina vitia labor est, relinquere vero minimè. Quid non laboris suscipiẽdũ ut alterum defraudes, vel bonis suis spolies? ut alteri conjugem aut filiam seducas? aut vindictam de inimico sumas? Quid enim si Confessarius præciperet tibi, ut alterum è throno & dignitate suâ dejicias; ut noctu alienis ædibus insidieris easq; expiles, ita tamẽ clam, ut non deprehendaris? ut amore nummorum parum valde comedas? vilissimo vino, pauperculâ mensâ victites? ut viatoribus insidias ponas eosq; expolies? ut alterius uxorem vities, adeo tamen cautè, ut maritus aliiq; non advertant? ut te quotidie inebries usque ad vomitum, nec abstineas, licet quotidie sentias vertiginem & dolorem capitis? ut per maria naviges ad quærendas fraudibus opes, &c.? Certè fatentur impii quantum laboris susceperint dum peccarent, *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Stulti! quis coëgit vos ambulare vias difficiles illas, cùm haberetis faciles? Sed dicite quæso: quid laborastis, ut tam lassi fieretis? Pro vanâ, inquiunt, gloriâ certavimus & pugnavimus: pro lucro iniquo parando libros evolvimus, mendacia confinximus: pro seducendis alienis uxoribus maxima pericula adivimus: pro levi contumeliâ vel probro vindicando gladios distrinximus & manus conseruimus: pro amicitiâ confirmanda diu noctuque potavimus, saltauimus, lusimus. Et quis vos coëgit ad hos labores? nonne facilius erat his omnibus abstinere? Bene igitur dicunt: *Nos insensati*, si enim sensum habuissent, tam inutiles & perniciosos labores nunquam suscepissent.

Sap. 5.

Quando igitur tot rationes urgent ne maledictam Jericho iterũ ædificemus, supersedeamus quæso hoc pessimo & pœnitendo labore, ac sciamus quæso pro certo, si rursum ædificemus eã, ad extremũ à Deo in morte & judicio nostro rursum destruendam, quemadmodum & Jericho ab Hiel reparata, posteà cum excidio Jerosolymæ à Romanis iterum destructa est. *Si enim dixerit Idumæa: Revertentes ædificabimus, quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum, isti ædificabunt & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus in æternum.* Malach. 1. Ubi Remigius: quod si impudens malitia ea, quæ sunt destructa, rursus ædificare conetur, Dominus iterum destructurum se profitetur. Quod facit duobus modis, sive dum corriguntur peccatores, sive cùm pertinaciter peccantes justâ ultione damnantur. Ibi Dei ira & indignatio veluti duo folles perpetua in eos evoment flammarum incendia, quibus eos cremabit in æternum. Væ igitur instauratoribus urbis Jericho! væ, væ, væ.

THE-

THEMA III.

Præposterus pudor in confessione ut vincendus.

Rex Basan est confusio prohibens confessionem.

I. Sed non est tantus, quantus fingitur.

II. Gloriâ magnâ vincitur.

III. Magno nostro fructu vincitur.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Lucæ 3.

x Basan cōfusio, ohibens nfessionem.

DImicavimus ante octiduum contra quinque hostes, qui impediunt iter nostrum in terram sanctam, sacram, inquam, confessionem. Superest adhuc unus, isque maximè terribilis, Og de giganteâ stirpe, cujus regio Basan adjacebat Jordani, adeoque ostio terræ promissæ. Quantæ is staturæ & fortitudinis esset, colligi ex cap. 3. Deut potest, ubi dicitur lectus ejus ferreus monstrari 9. cubitis longus, & 4. latus. Quis non timeat hunc hostem? Verùm Deus Moysen animaturus: *Ne timeas eum*, inquit, *quia in manu tua traditus est*, quis est iste Og? Abulensis in Deut. 3. *Og*, ait, *Hebr. idem est, quòd coacervans & signat peccatorem, qui peccata peccatis superaddit, donec veniat in profundum.* Regio ipsius *Basan interpretatur confusio*, ait S. Aug. in Ps. 67. *Dixit Dominus: ex Basan convertam. Quid est ergo*, inquit, *convertam ex confusione, nisi quia confunditur ex peccatis suis, qui pro eis dimittendis precatur misericordiam Dei? Inde est quòd ille Publicanus nec oculos ad cœlum audebat levare; ita se considerans confundebatur, sed descendit justificatus, quia dixit Dominus: ex Basan convertam.* Sic August. Occurrit autem pœnitenti hostis iste communiter cùm jam ad ostium Jordanis, ad tribunal Confessionis venit, eumque valde oppugnat. Quare occurrendum illi, nec timendus hostis est, quia in manu & potestate nostra est, possumus vincere modò velimus. Sed quibus armis audiamus?

I. Non est tantus iste Gigas, atque fingitur à quibusdam. Fabulantur Judæi more suo lectum illius Og. 9. cubitorum, fuisse tantùm cunas illius. Ipsum ergò advenientibus Hebræis eradicasse montem trium millium & in caput sustulisse, ut eo totum Hebræorum exercitum opprimeret, sed Deum misisse formicas, quæ perforarent montem, ita ut in humeros dehiscere; inde crevisse ei in monte duos longos dentes, quibus impeditus montem à se abjicere non potuerit, sicque à Moyse occisum esse. Hunc in modum fingunt multi confusionem, quæ fit in confessione, esse immensam, cùm revera exigua sit.

I. Non est tantus quantus fingitur.

Primò enim confessio fit unico homini: cùm sæpè coram pluribus multi peccare non erubescant. Unde S. Augustinus l. 2. de Visit. infirm. ait: *Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis & cum multis facere. Humanū est peccare. Christianum à peccato desistere: diabolicum perseverare.* Sed nimirum Dæmon reddit illis pudorem in pœnitēdo, quem abstulit in peccando monetam pessimam pro optimâ? Multi *peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt*, ut dicitur Isa. 3. Smyndirides Sybarita jactabat se quòd intra 20. annos numquam vidisset orientem aut occidentem Solem, quòd eo nimirum tempore semper affixus lecto fuisset; apud Athenæum l. 6. Dipnosoph. ex Chamæl. Pontico l. de voluptate. Zabulus aleæ inventor statuam sibi posuit cujus in gremio tabula esset lusoria: voluitque priùs sibi sacrificari à lusoribus, priusquam ludum aggrederentur, teste sancto Cypriano libello de aleatoribus. Multi gloriantur se plurimas pecunias aleâ, perdidisse, ingentia pocula exhausisse: alios decepisse, &c. quæ tamen confiteri erubescunt. Videtis miseri quomodo Diabolus illudat vobis?

1. Dò. adr. Confessio fit uni tantum.

Secundò fit peccatori à peccatore. Audi iterum Augustinum in Psal. 66. *Quid erubescis ô homo confiteri: peccator homo homini peccatori. Quid times confiteri? homo sum, humani nihil à me alienum puto.* 2. Fit peccatori à peccatore.

Tertiò fit sub sigillo silentii arctissimi. Unde subdit cit. loco August. *Quid times confiteri? Id quod per confessionem scio, minus scio, quàm id, quod nescio. Confiteri times, qui non confitendo, non potes esse occultus. Elige quod vis. Si non confessus lates, inconfessus damnaberis.* Hæc Aug. Ad hoc stabiliendum audite miram historiam, quam refert P. Ferdinandus in c. 3 Gen. sect. 22. cujus author est Cæsarius l. 3. hist. & miraculorū c. 21. ut ait, spirituali, mentio fit. *Vehebantur navi complures utriusq; sexus: subitâ coorta tempestate naufragium in oculis, vitæ jam nulla spes, sola de salute animæ cura erat. Sacerdos simul aderat. Ergò omnes jam de vita desperabundi, sua quisq; peccata omnia etiam gravissima publicitus contenta voce confiteri. Cœlum divini ius intereà differenavit tempestas; navis portum secura & incolumis tenuit. Egressi omnes salvi vectores. Deus bone! nulla omnino de peccatis in navi confessis memoria relicta est. Recordabantur quidem se confessionem eamq; publicam fecisse & audisse, quid verò peccati dictū vel auditum sit, nunquam in mentem rediit.* Idem propemodum contingit Confessariis, qui adeò non curant, quæ audierunt sub sigillo, ut vix umquam recordentur, (quod & vitare debent) sed ea quasi sepulta habet. Ubi enunciata peccata à judicibus publicantur, è numellis promulgantur, ridentur, puniuntur; ibi horridum & periculosum est prodere seipsum: at nihil tale pertimescendum in confessione. Videtur hoc insinuasse Dominus, cùm Joan. 8. audiens accusari à Judæis adulteram, in flagitio deprehensam, inclinans se digito in terram scripsit characteres efformans in pavimento lapideo (ut observat Corn. à Lap. ibi) quos nemo legere posset. Sic enim pœnitens describit Confessario peccata sua, quasi in lapide scriberet ea digito. Dum narrat, audiuntur, pòst obliterantur. 3. Fit sub sigillo arcani.

II. Gloriosa est hæc victoria, tantum abest ut ignominiam contineat, superasse hunc Gigantem. Testatur id Ecclesiast. c. 4. *In animâ tuâ ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Nam imprimis vincis Diabolum, immanem illum Gigantem, ita ut confusus recedere, & oblivisci cogatur peccatorum tuorum. Typum ejus victoriæ videtur exhibuisse David II. Gloriâ magnâ vincitur.

Confitendo vincis Diabolum

vid quando funda lapidē jactū infixit fronti Goliath, ex quo ictu ille pronus in faciem corruit. 1. Reg. 17. Eccur verò in fronte tactus, & pronus in terram corruit, cum supinus potius deberet? Frons pudoris sedes est; ibi tangitur Dæmon, cum pudor noxius in confessione expugnatur, ibique cadit in faciem Dæmon, quia confusione peccatoris machinatio illius cōfunditur & sternitur, fraudes deteguntur, & peccata in incentoris faciem expuuntur. Sic prostravit Dæmonem latro quidam conversus apud Jo. Climachum Abb. Montis Sinai, quo demorante in quodā Cœnobio venit ille, monasticam vitam victurus. Inclusus ergo per octiduum, jussus est ab Abbate prius sua scelera coram fratribus publicè confiteri, assensumque libens dedit, adeò ut etiam in medio urbis Alexandrinæ se paratum ad hanc confessionem diceret. Ergo Dominicâ die post lectum Evangelium introductus in templum, cilicio indutus, & à quibusdam fratribus modicè verberatus repēte in limine ab Abbate jussus est subsistere velut indignus ingressu Ecclesiæ, postmodū admissus omnia sua scelera eaq; gravissima cū lachrymis pronunciat coram 230. fratribus. Intereà videt unus illorum virum procerum terribilemque toties delere peccatū è libello, quoties latro aliquod confessus fuerat. Climachus in Scalâ paradisi gr. 4.

2. *Vincis teipsum.*

2. Vincis teipsum & cupiditates tuas quod est virtutis, teste S. Chrysostomo ser. de pœnit. & confessione cùm ait: *Non est confusio accusare sua peccata, sed justitia & virtus, nam si non esset virtus, non illi mercedem posuisset Deus.* Est enim justi, humilis, pœnitentis & magnanimi viri sua peccata fateri: ex quo Confessarius præclaram de confitente concipit opinionē, eoq; magis, quia signa pœnitentiæ & virtutis in eo coram cernit, ea verò, quæ narrantur peccata auribus solùm percipit, adeoque tantum credit. Nihil Judæ Patriarchæ de famâ detractum est, cùm fassus est suam fornicationem, dicens Thamarem cum qua peccarat, se justiorem esse. Gen. 38. Imo posteà Jacob eum benedicens ait: *Iuda*, (id est Confessio) *te laudabunt fratres tui*: Gen. 49. Nihil obfuit Davidi, cùm Nathan Prophetæ fassus est: *Peccavi Domino* 2. Reg. 12. adeo ut Semei non ausus fuerit ei objicere peccata jam deleta. Nihil latroni demptum, cùm dixit: *Nos digna factis recipimus.* Nihil obest Paulo, qui fatetur se persecutum esse Ecclesiam. Laudem potius & coronam isti promeruerūt. Gloria est militi, qui accepto gravi vulnere se colligit & hostem adhuc conficit: cur non & illi, qui pudore posthabito Satanam, à quo vulneratus fuit, cōfessione suâ vincit? Gloriosum fuit Helueto militi, qui inter cæsos jacens vulneratus & semivivus videns hostem cadaveribus cæsorum inequitantem & insultantē erexit se in genua & lapidem in frontem ejus conjecit tam fortiter, ut de equo eū dejecerit ideoque enecarit; apud Stumpsium in Chron. At simillimū huic facinus designat, qui semel à Dæmone prostratus rursum sese erigit & peccata sua ipsi in faciem projicit, quod agit, dum se ingenuè accusat in confessione. Quis neget etiam Amlethum Juttiæ Regem magnâ suâ gloriâ triumphasse de Britannis quando ab illis cæsus primum, postera die interfectos suos erexit in pedes, affigēdo eos palis tanto numero & ordine, ut Britanni eis conspectis existimarent nova auxilia Amletho venisse ideoq; omnes fugam darent? (Saxo. l. 4.) At hoc confitentes agunt, suis enim vulneribus quæ à Dæmone acceperunt, cædunt fugantq; eundem Dæmonem, dum ea in lucem producunt & Confessario demonstrant: sic ergo suorum peccatorū cadaveribus ipsummet victorem suum vincunt.

II. Magno monstro ruborè vincitur.

III. Etsi aliquantum horridus est hic gigas, ejus tamen victoria perquam nobis salutaris est, juxta id Ecclesiastici 4. cit. *Est confusio adducens gratiam.*

Sic abscondun tur peccata.

Nam primò sicut Hebræi ceperunt omnes civitates Regis Og, quæ altissimis muris portisque & vectibus munitæ erant, in quibus se defendere & latere poterant. Deut. 3. ita devicto hoc pudore latebis quasi in fortissimâ munitione, seu in civitate refugii tutissimâ, & abscondentur peccata tua, dum ea Confessario tuo manifestas: neque enim Diabolus te amplius de illis accusare poterit. Audi Augustinum ser. 66. de Temp. *Qui seipsum accusat*, inquit, *in peccatis suis, hunc Diabolus non habet, iterum accusare in die judicii.* Jam vero, ut idem Aug. l. 2 de visit. infir. c. 5. ait, *melius est coram uno aliquantū ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominū gravi repulsâ denota ū abescere. Cogita ergo Confessarium fore unum ex illis, qui judicio illo intererunt: nec erubescas nunc ei magno tuo cōmodo manifestare, quod tūc apertè cognoscet, cum insigni adeo pudore & confusione tua.* Quāto pretio & labore redimeret vir honestus suam confusionē, qui ob maleficium aliquod promulgatur reus & publicâ ignominia afficitur in civitate vel coram paucis præsentibus? Et quam durum erit confundi ab ipsomet Deo? Sanè Palatinus Podoliæ, cum semel turpi fugâ hosti terga dedisset, & propterea à Boleslao III. Poloniæ Rege, domino suo pellem leporis, colum & fusam pro dono in confusionem accepisset, adeò pudore occupatus fuit, ut suspendio vitam finierit. Cromer. l. 6. Voluit eo munere Rex effæminatum animum Palatino exprobare, quo nihil videbatur mordacius. At qui præ pudore peccatum aliquod reticent in confessione nonne effæminati sunt, qui à vilissima honoris sui æstimatione superantur, ut incurrant non momentaneum, sed æternum dedecus non coram unico homine, sed coram toto mundo?

Sic pa tur adi Dei gratiam.

2. Sicut Hebræi capto regno Basan, hoc ipso habuerunt transitum Jordanis liberum & apertum, utpote adjacentis, in terram sibi promissam, lacte & melle manantem: sic qui pudorem illum superat, hoc ipso aditū sibi ad gratiam & animæ sanitatem; lætitiā cordis & ad vitam beatam patefacit. Quis erubescit januā ingredi paradisi? atqui *Confessio est porta, per quam intrant animæ ad paradisum*, ait Alb. Magn. ser. in die Cinerum. Nonne videmus, quomodo miseri, mendici ulcera sua detegunt & transeuntibus ostendunt, ut ad misericordiam eos flectant, & vulnerum clamore obtineant sustentationem vitæ suæ licet miseræ & brevis, quam linguâ non possunt? *qui prudentes sunt*, ait S. Bernardus ser. de verb. Abac. super custodiam, &c. *non*

&c. *non operiunt vulnera sua, sed detegunt & confitentur Domino peccata sua.* Pauperes illi exiguam stipem accipiunt, sæpe etiam spe sua frustrantur: at qui peccata sua aperiunt Confessario, maximam semper recipiunt stipem, vitam animæ, gratiã: abeuntq; sanati. Rursum nonne ægroti ut vitã servent aperiunt Medico fidenter causas morborum suorum, v.g. nimias ingurgitationes, compotationes, repletiones similesque excessus? Et tamen ibi adhuc amaræ potiones sumendæ, Medico & Pharmacopolæ satisfaciendum, ametsi curatio prorsus certa non est. Quod si Medicus ægro sanitatem polliceretur, dummodo causam morbi sui ipsemet explicaret, nec aliud superesset faciendum: nonne stultus foret, qui parere nollet?

E contra plurimum nocet vinci illo pudore. S. Antoninus in Summa tit. 9 cap. 9. §. 3 refert nobilem mulierem famæ optimæ, cum incidisset in fornicationem, intrasse pœnitentiæ causa in monasterium & ibidem addixisse se operibus abstinentiæ, vigiliarum, orationum, &c. numquam tamen peccatum illud confiteri ausam præ verecundia. Facta porrò Abbatissa est ob virtutum specimina. Verum post mortem apparuit uni sorori ex monialibus sibi familiari, tota turpis & tristis, dicens se damnatam. Cui soror: *Quis ergo poterit salvus fieri, si tu non salvata es, tanti exempli monialis?* Cui illa? *Vna de causa perii, quia peccatum carnis in sæculo commissum, confiteri erubui.* Cogitate hic, quanta confusione & quot sibilis excepta sit hæc stulta monialis in inferno? O stultissimam fœminam, credo ajebat, quæ vitato momentaneo & levi pudore coram uno homine incidit in æternum probrum coram omnibus nobis! Timuit hæc pruinam, & incidit in nivem. Nos delicias quæsivimus, thesauros conquisivimus, dignitates nobis comparavimus, honores publicos quæsivimus. Hæc aliquid sunt in mundo. At tu, monialis Abbatissa, levissimo pudore confitendi tam exiguo has gehennæ miserias elegisti? Quis unquam tam stultus fuit?

Nos ergo ne in talem conclusionem incidamus aliquando, confusionem istam modicam minime timeamus. In manu nostra est Rex Basan, ne timeamus eum, sed fortiter vincamus. Sic tandem patebit nobis liber & securus transitus in terram promissam, in Bethlehem & domum panis, ad S. communionem, denique ad terram viventium lacte & melle cœlesti perpetuo manantem.

* * *

THEMA IV.

Turpitudo peccati consideranda & per contritionem amovenda.

I. Turpitudo peccati ex ipsa ejus natura cognoscitur.
II. Ex Dei offensa & contemptu.
III. Ex vilissima hominis conditione.
IV. Ex incarnatione & passione Dei.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Luc. 3.

Via munda excipiendus Christus.

MOs antiquis fuit, ut adventanti Regi vel Imperatori subditi detractas sibi vestes sternerent in via, qua iturus erat; ut fœditatem luti ab oculis ejus tollerent, ipsumque quam possent ornatissime exciperent. Ita fecerunt milites Romani Catoni Uticensi, provincia abeunti. *sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat, manusque osculantes, quod genus honoris non nisi Imperatoribus, itque perpaucis eo tempore tribuebatur*, inquit Plutarchus in vita Catonis. Idem fecerunt Hebræi electo in Regem Jehu: *unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus.* 4. Reg. 9. Denique Jerosolymitani adventanti in urbem Christo super asello, substraverunt vestes suas; quasi non deceret eum lutosam viam vel contingere vel aspicere. Matth. 21. Expectamus Audit. summum Regem & Imperatorem nostrum, Christum, propediem ad nos venturum. Justum igitur est ut ab ejus conspectu removeamus lutum, quod ejus offendit oculos: nec aliud est, nisi fœdorum omnium fœdissimum peccatum. Et hoc est, quod edicto suo proclamat Christi præco & viæ parator in hodierno Evangelio: *Parate viam Domini* Quod declarat ex Hebræo Vatablus & Forerius, dum vertunt: *Repurgate viam Domini.* quasi diceret iterum iterumque purgate, & à luto expurgate. Causam subdit Ioannes, dicens: *Et* (hoc est, nam) *videbit omnis caro salutare Dei*, seu, ut est in Isaia cap. 40. *revelabitur gloria Domini*, quasi diceret: æquissimum est, ut Dei Filius non nisi munda inveniat corda, & omne lutum peccati à Dei gloria quam longissime auferatur. Igitur exuat unusquisque vestem hominis veteris, & substernat Christo Domino, ut sublato luto mundam ei viam & habitaculum paret. Verum videre mihi videor aliquos, qui fœditatem luti hujus, peccati scilicet nec dum perspiciunt; unde fit ut eo infixi hæreant. Quare lutum hoc ponemus super oculos eorum (quo modo Christus egit cum cæco nato. Ioan. 9.) & turpitudinem peccati ostendemus.

I. Turpitudo peccati ex ipsa ejus natura cognoscitur.

I. Turpitudo peccati ex ipsa ejus natura dignoscitur, quæ nihil aliud est, quam privatio rectitudinis debitæ inesse actui humano. Quare sicut cæcitas, curvitas, gibbus & similes corporis defectus hominem deturpant; ita peccatum actiones humanas. S. Chrysostomus hom. 28. ad Cor. ait: *Nihil virtute purius, nihil malitia impurius. Nam illa quidem Sole fulgidior, hæc vero luto fœtidior. Idque testantur etiam hi, qui in*

luto volutatur, & qui in tenebris versantur, quando scilicet quis illos vel parum respicere fecerit. Etenim quandiu suo more egerint, affectionibus ebrii, quasi in tenebris versantes, magna cum turpitudine fœde jacent, & nec sentiunt quidem satis, ubi sint. Ubi verò viderint aliquem virtute præditum se redarguentē vel etiam comparantem solum, tunc manifestius suā miseriam dignoscunt quasi fulgore immisso: sic & suā fœditatem emendant & conscios erubescunt, licet ille quidē servus sit, & ipse liber; & ipse quidem rex, ille autē subditus. Sic Heliâ viso Achab confundebatur, & quamvis ille nihil adhuc dixisset, solo tamen aspectu illius cōfusus, & silente accusatore, condemnantem se tulit sententiam, loquens sicut hi, qui capti sunt, ac dicens: Invenisti me inimice meus, (seu ut nos legimus, *inimicum tibi?*) 3. Reg. 21. Hæc Chrysostom. subditque aliud exemplum Herodis, qui in Joannis voce & castitate suam intuens fœditatem & obscœnitatem, ferrè illum non potuit, sed lucernam illam extinguere conatus est lucifugus, ponendo eum in tenebras carceris. Unde addit. *Furi lux inimica est, molestus est justus peccantibus, etiam solum apparens; gravis etiam si vel spectetur, nō enim ferunt illius radios, sicut nec Solis jubar, qui oculorum morbo tenentur.* Sic elephas bibiturus turbat aquam limpidam, ne videat in ea gibbum suum: sic mulier deformis horret speculum: sic lucifuga animalia oderunt lucem. Hinc qui malè agunt, quærunt tenebras: quia scilicet peccatum omne ex sua natura fœdum & abominabile est: hinc hypocrysi velatur & palliatur: hinc postquam admissum est, tanto studio occultatur, negatur, in confessione tacetur, aut saltem cum pudore revelatur.

II. *Ex Dei offensa & contemptu*

II. Ex gravissima Dei offensa & contemptu tanti benefactoris. Omne quidem vitium in se fœdum est, fœdissima autem præ omnibus vitiis ingratitudo; utpote quam ipsæ quoque bestiæ pleræq; saltem ignorant. Hinc ingratos Deo Hebræos arguit Isaias ex brutis *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit.* Isa. 1. Jam vero primo fecit Deus hominem ad imaginem suam, ut ipse ad prototypum se reflecteret, & Deum velut filius patrem redamaret. Deinde iterum genuit & reformavit eum per Baptismum & gratiam suam, ut ita bis genitus fortius patrem amaret. Unde Deut. 32. dicitur? *Nunquid non ipse est pater tuus?* At quid agit peccator? A patre se avertit, & ad hostem ejus profugiens, contra patrem arma sumit. Quam fœdum & abominabile facinus admisit Absalon, cum optimo patri suo rebellis factus, coronæ ejus insidiatus est, arreptis armis! Certe ipsæ creaturæ ratione carentes scelus illud ultæ sunt. Mulus enim rapuit subter quercum: quercus suis ramis velut manibus corripuit ac tenuit, donec lanceis confoderetur. Hebræi cumulum lapidum super ejus cadaver congesserunt, ne in lucem amplius veniret, hodieque Turcæ, cum illuc transeunt, lapides eo mittunt dicentes *Maledictus sit parricida Absalon, & quicumque parentes suos injuste persequuntur, maledicti sint in æternum.* apud Sanctium l. 2. Reg. c. 18. Hinc tametsi pessima maledictione (ut ait David 3. Reg. 2.) maledicebat Semei Davidi, subditus regi suo, quando eum exulantem appellavit *virum sanguinū, virum Belial* & regni invasorem, insuper & lapides mittebat contra eum: hanc tamen tantam licet injuriam parvi æstimavit, imò vix sensit David, dum in mentem ei venit, quod Absalon filius ejus proprius tam dilectus arma contra patrem gereret: *Ecce filius meus,* inquit, *qui egressus est de utero meo quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini?* 2. Reg. 16. quasi diceret, parum est, quod hic agit contra me, si cum filii mei rebellione comparetur. Vide jam peccator, quid egeris dum *Deum qui te genuit, dereliquisti & oblitus es Domini creatoris tui.* Non adeo dolet Deo, si offendatur à barbaris, Turcis, Judæis: quia nunquam ejus filii per Baptismi gratiam facti sunt, adeoque servi tantum & mancipia sunt. At vero si offendatur à Christiano, qui filius ejus dilectus & quasi alter Absalon blandissime habitus fuit: id vero unicè dolet. Absalon egressus est de utero patris, Christianus de latere & sanguine Christi in Baptismo. Absalon quæsivit animam patris, hoc est, vitam & ruinam imperii, peccator quærit ruinam Dei, quantum in ipso est.

1. *A quo creatus est*

2. Tot beneficiis hominem ornavit adeoque oneravit, ut eum sibi addictum & devotum redderet, & insuper amicitiam suam obtulit; & tamen ingratus homo peccando Deum à se repellit, respuit ac fugit; imo quantum in ipso est, persequitur ac perdit, regnumq; ejus invadit. Mirum hujus rei specimē edidit ingratissimus quidam alumnus, quem adhuc puerulum, ab omnibus destitutum, forte invenit Ansigisus, Dux, gener Pipini, conjux B. Begghæ, & sacro fonte susceptum aluit, adoptavit insuper in filium atque hæredem, mireque exaltavit. Ingratus autem hic cuculus dominum suum, à quo de stercore erectus fuit, in venatione crudeliter occidit, propter appetitum honorem, quem tamen impius consecutus non est: ut scribit Steph. Abbas Leodiens. in vita S. Modoaldi apud Sur. 12. Maii. Quid similius reperiri potest peccatoris ingratitudine? Destitutus ipse bonis omnibus, expulsus è paradiso, & expositus omnibus miseriis à misericorde Deo inventus, susceptusq; in filiū, Baptismo ablutus, omnibusq; gratiis præventus, adjutus & promotus est, ita ut hæres aliquando regni ejus fieret. Sed quid agit peccatoris nequitia? Patrem suum amantissimū variis peccatorum armis crudeliter invadit & exturbare nititur, dum ei quasi renuncians, aliū sibi Deum constituit, creaturam scilicet vilem, tametsi finem suū nullatenus assequitur. Quis non excandescat in tam ingratum animal?

A q[…] bene[…] orna[…]

3. Creaturas omnes, quæ sub cœlo sunt, hominis causa fecit, eique subjecit, ut ipsi homo serviret, velut ephebus nobilis in ipsius aula: & quid agit peccator? Creatore ac Domino suo spreto, adhæret creaturis, servis suis, totumque amorem suum, quem domino suo debet, impendit suis mancipiis. Quod æque fœdum ac stultum est, ac præmissos sibi à Rege ministros omni honoris & obsequiorum studio colere ac venerari, ipsum vero Regem subsequentē nec respicere,

A q[…] periu[…] in creat[…] accep[…]

spicere, nec curare. Adhæret enim peccator & intensissimo amore affigit se creaturis, omnia sua studia & cogitationes in eas dirigendo velut in Deum suum: non secus ac Gentiles, qui adorant Idola sua, bestias & Dæmonem: aut Iudæi, quando pro Deo suo adorarunt vitulum, Exod. 32. dicentes: *Hi sunt Dii tui, qui eduxerunt de terra Ægypti.* Forte quia boves traxerunt eorum currus & impedimenta, idcirco eos constituerunt sibi in Deos. Quod profecto indignissimũ est: abuti nimirum creaturis, in obsequium sibi à creatore concessis, ad injuriam creatoris: armis, pecunia, commeatu, militibus à Rege sibi concreditis pugnare contra Regem suum. Magnum Dei beneficium fuit serpens æneus, Hebræis à Deo datus, ut ejus aspectu sanarentur à morsibus ignitorum serpentum in deserto. At vero ipsi quid tandem fecerunt? Quia posteri audierant aspectu ejus sanatos homines, cœperunt non Deum, à quo serpenti ea vis data fuit, sed ipsum æneum & inanimem serpentem pro Deo colere, eique velut Deo incensum adolere. Quæ res fœdissima simul & indignissima movit Ezechiam Regem, ut serpentem illum confringeret, ita ut in æs conflatus nihil de priori forma retineret. 4. Reg. 17. Idem quod Hebræi illi, agit peccator. Deus illi suas creaturas dedit in obsequium: alias ut eum alant, alias ut vestiant, alias ut infirmum sanent, alias ut mœstum recreent, alias ut rudem doceant. At peccator amorem suum, quem creatori suo & datori bonorum omnium debet, impertit creaturis illis. Hinc jure meritissimo indignatur Deus non solum peccatori, sed etiam ipsis creaturis, quas idcirco in fine mundi omnes confringet & destruet igne conflagrationis, atque in cinerem rediget, velut si vir legitimus pessumdet adulteros quibus adhæsit uxor ejus. Peccatum ergo lutum non est? abominabile non est, cum ipsius odio Deus vastaturus sit totam hãc mundi machinam, tam pulchram, tam speciosam? adeoq; mactaturus etiam creaturas, quæ omni culpa carent?

III. *Ex vilissima hominis conditione.*

III. Ex vilissima hominis conditione, qui se Deo opponere non veretur, & infinitam ejus majestatem, cum ipse sit fœdissimum lutum, spernere & repudiare. Scimus ex lib. Esther cap. 3. quam indigne acceperit Aman, primus in Assueri aula Princeps, sibi genua flexa non esse à Mardochæo, excubitore Iudæo; adeo ut propter illum unius hominis contemptum, (sicut ipse interpretabatur,) decreverit omne genus Hebræorum delere, ipsumque Mardochæum in altissima cruce suspendere. Petiit superbissimus homo honorem sibi non debitum, nempe divinum; aut certe regium, si politicam solum adorationem petiit. At Deo debetur honor divinus adeoque tantus, quantus excogitari potest. Non erit igitur maxima Deo injuria maximusque contemptus, servum ejus vilissimum, qui ad ostium ejus excubat, extremo loco positus, qualis est homo, legi & voluntati ejus contraire? debitam ei venerationem & subjectionem negare? velle sui, non Dei juris esse? Certè hoc valde exaggerat Eliphaz, amicus Job, c. 15. cum de peccatore ait: *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eũ erecto collo* (instar tauri ferocis & liberi) *& pingui cervice armatus est*, hoc est, aruina, (mit einem Spock-Halß/) quæ contemnit verbera & vulnera. Hujusmodi taurus erat Nabal ille, *secũdum nomen suum stultus*, fastu inflatus, qui rogatus à Davide humanissime ut sibi & militibus suis aliquid de annona daret, pro accepto custoditorum gregum beneficio, superbe eum adjectis probris repulit, nec vel minima re juvit. Cujus improbitate exacerbatus David statuit eum perdere cum omni domo sua. Verum prudentia uxoris ejus permotus, mutavit sententiam & pepercit. Mane ubi crapula edormita experrectus Nabal audiit ab uxore, quanto in periculo fuisset ipse & tota domus ejus, *emortuum est cor ejus intrinsecus & factus est quasi lapis.* 1. Reg. 25. Agnovit enim quam potentem Ducem offenderit, à quo mox deleri & quidem ebrius; cum domo sua tota poterat: agnovit stultitiam suam vel ex nomine, qui tam potentem Principem verbis contumeliosis provocarit ad iracundiam: agnovit se non mortis tantum, sed inferni etiam portis proximum fuisse. Hinc ille ejus stupor & in lapidem metamorphosis. At jam vade mecum ô peccator, & vide an nõ tu ipse quoque hunc ludum cum Deo ludas. Justissima petenti, tuaque omnia sibi servanti temerariè te opponis; & cui? Deo potentissimo, qui animam & corpus tuum mittere in gehennam potest. Et quis tu? Nabal, stultus, homo ab humo dictus, quid nisi terra? Et quid si Deus te in ipsa furiosa sceleris ebrietate & flagrante delicto corripiat, atq; in infernum deturbet? Quis hic præ stupore ac timore non lapidescat? Quãtus enim est ille Deus, qui *aperit & nemo claudit? claudit & nemo aperit?* Ipse etiam Saul Rex, quando audivit à Davide se in manu ejus fuisse, adeoq; occidi potuisse, parsum tamen sibi esse, elevata voce flevit (quod alioquin non solent Reges,) cogitans nimirum in quam præsenti periculo non temporalis tantum mortis, sed æternæ etiam fuisse. 1. Reg. 24. Cogita hoc & tu.

IV. *Ex incarnatione & passione Filii Dei.*

IV. Ex incarnatione Filii Dei ejusque passione, qui postquam ea jam peracta est, gravius longe fert peccata Christianorum, qui per eum redempti & abluti à peccatis, iterum iis se coinquinant, adeoque omnem Christi laborem, sudorem & passionem irritam & inanem reddunt, quantum in ipsis est. Scimus Salomonẽ dixisse Eccles. 2. *Detestatus sum omnẽ industriam meã, habiturus post me heredem, quem ignoro, sapiẽs an stultus futurus sit*, hoc est: sobriene ac prudenter, an prodigè ac stultè bonis sibi à me paratis usurus sit. Et nactus est certe filium stultum simul & prodigum Roboamum, qui per suam stultitiam mox regnum dilaceravit, decem tribus à se alienando: & quinto ab obitu patris anno thesauros regios perdidit. 3. Regum versu 14. Sed quærere licet ex Salomone: quomodo ipse sub Sole studiosissime laborarit? Num aratro terram vertit? num ligone fodit? num flagello fruges trituravit? num sudavit & alsit? Nihil horum. Sed jussit tantum fieri hortos, vineas, piscinas, palatia: census regios in thesaurum

 reponi,

reponi. Et tamen ipse tanti suum æstimat laborem, quasi Sole tostus plurimo sudore & labore sua filio parasset. Quid jam dicat Dei Filius, qui nobis sua merita & salutaria sacramenta tot sudoribus acquisivit? Nonne ipse post continuas discursationes & labores in docendis rudibus, post devoratas oblocutiones & contumelias, sanguinem & sudavit & toties effudit usque ad ultimam guttam? nonne ipsam denique vitam dedit? Quomodo igitur non debeat detestari labores suos, quos videt ab hæredibus suis sperni & conculcari? Isti enim ut Apostolus Hebr. 10. ait, *Filium Dei conculcant & sanguinem ejus pollutum ducunt*, hoc est, quasi immundum & communem sanguinem hircorum effundunt atque irritum faciunt. Salomon labores suos execratus est, quia ignoravit qualem hæredem habiturus esset. Quid si scivisset se stultum & dissipatorem habiturum, sicut postea habuit? At Christus scit & videt indies se habere tales hæredes, stultos & ingratos, qui thesaurum meritorum ejus pedibus proculcant, sanguinem & sudorem ejus effundunt velut aquam. Et hoc ille quibus oculis aspiciet?

Quare cum tam fœdum & detestabile lutum sit peccatum; *lavamini*, ait Isaias, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Isa. 1. His verbis motus peccator quidam, qui velut Æthiops templum ingressus fuerat, compunctus, nive candidior egressus esse visus est à Paulo Simplici, S. Antonii discipulo. In vitis PP. refert Ruffinus.) Utinam ergo & faxit Deus, ut omnes illi, qui nigri ingrediuntur modo templum, post festa natalitia albi & mundi egrediantur! utinam vestes suas ocyus sibi detrahant & Christi pedibus substernant, ne peccati lutum in ipsis intueri, adeoque lutosa via incedere cogatur, quando in S. Eucharistia, quasi in nova nativitate ad eos venturus est! Satis nobis sit, semel Filium Dei nostri amore in stabulo natum esse, inter pecora jacuisse, in fœtoribus fuisse. Non intrudamus eum iterum in catabulum, ne justissimo Dei judicio detrudamur in infernum.

THEMA V.

Pœnitentia fortiter agenda pro festo natalitio.

Tres viri fortes aquam salutis è cisterna Bethlehem ferentes sunt tres pœnitentiæ partes fortiter pugnantes.

I. Contritio armanda gladio.
II. Confessio armanda ariete.
III. Satisfactio ligone armanda.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Luc. 3.

Aquam salutis è cisterna Bethlehē tres viribus ferentes, sunt tres pœnitentiæ partes fortiter pugnantes.

MAgna aliquando siti æstuabat vir secundum cor Dei, David, cum à Philisthæis, hostibus suis, obsessam cerneret patriam suam, Bethlehem; neque alius ei potus sapiebat, nisi potus aquæ, ex patria cisterna, quæ erat ad portam Bethlehem. 2. Regum 23. *O si quis mihi daret potum aquæ*, exclamat *de cisterna, quæ est in Bethlehem ad portam!* Audierunt hoc tres viri fortes ex ejus militibus, & irruerunt per castra Philisthæorum ad cisternam illam, & tulerunt Regi aquam; quam tamen oblatam noluit bibere, sed effusam libavit Domino. Quærunt hic interpretes, cur ex cisterna Bethlehemitica desideraverit potum. Quidam respondent, quod sapidior esset aqua illa, ut saltem videretur esse Davidi, velut ex cisterna patria: alii optasse dicunt liberatam ab hostibus patriam suam, & sibi restitutam; verum sanctus Ambrosius in Apologia David capite 7. altius ascendit, ad sensum allegoricum dicens: *Quid si altius velis spectare & introspicere mysterium? Sitiebat David non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum; sed sanguinem Christi.* Ita Ambrosius, prorsus apposite. Etenim ad portam Bethlehemiticam præsepe fuit Christi, quem desideravit David, velut aquam pluviæ cœlestis, quam sitiebant olim Patres legis veteris, orantes: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Isai. 45. Cisterna porro, quæ hanc cœlestem excepit pluviam, quæ alia nisi mater Christi fuit; quæque ad Bethlehemiticam portam mundo aquam hanc proposuit, & primo quidem pastoribus, paulò post tribus Regibus delibandam dedit? Existimo Audit. vos omnes teneri eodem desiderio, quo tenebatur David, & desiderare toto pectore potum aquæ ex cisterna illa, potum, inquam, gratiæ spiritualis, corporis item & sanguinis Domini, suscipiendi in Natali Christi die, præ foribus existente. Laudo desiderium, sed scire interim debetis, dulcissimam hanc aquam ab hostibus obsideri, & nobis denegari; si in peccatis existentes, Dei hostes fuerimus. Fortes ergo viri à nobis emittendi sunt, qui castra hostilia perrumpant, & potum nobis afferant. Hi verò non sunt alii, nisi tres pœnitentiæ partes, Contritio, Confessio & Satisfactio, quæ si fortes & strenuæ fuerint, utique desideratam aquam non difficilè nobis ferent, proinde eas nunc armemus & emittamus.

I. Contritio armanda gladio.

I. Contritio gladio accingenda; & armanda est ad scindendum cor & peccata conterenda. Audimus enim Joelem c. 2. clamantem: *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* Judæi ad detestandum scelus aliquod grave vestes scindebant, mera sæpe cæremonia, sine cordis dolore; non ita nos Christiani: corda nostra scindamus, detestando scelera nostra, & affligendo cor dolore, quod ea perpetravit; scindamus, inquam, gladio seriæ contritionis. Porro gladius hic duplex est; dolor de admissis peccatis eorumque detestatio, & propositum emendationis, ne in futurum admittantur. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiebant ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Cant. 3. Singuli ergo gladium unum manu evaginatum tenebant, ad præsentem necessitatem; alterum super femur vaginæ inclusum, ad futuram paratum. Prior

I. Dolore peccatis.

est

est dolor de peccatis eorumque detestatio, concisio & contritio: alter est propositum ad pugnandum imposterum contra occursura scelera. Prior adhibendus ad conterendam cordis duritiem, quod se Deo opposuerat; quo modo fulmen conterit ea solum, quæ sibi resistunt, dura: non quæ cedunt, mollia: & quo modo Henricus auceps Imp. Trojæ, Italiæ civitati in deditionem receptæ imperavit, ut eam mœnium partem, quæ ipsius bellicis molibus objecta restiterat, ad terram usque demolirentur, ut scribit Glaber. Scimus quid mandarit Deus Hebræis, quando vel unicus Achan prædam ex anathemate furatus contra Dei præceptum, totum exercitum turbavit: *Non ero ultra vobiscum*, inquit, *donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est*. Jos. 7. Lapidato itaque Achan & combusto cum suis, Deus Israeli reconciliatus est. Quamdiu vel unum grave peccatum intra te hospitatur, ô homo; Deus ultra tecum non erit, donec conteras illud, & per contritionem igne amoris divini in te excitato id comburas. Nec difficile erit ignem illum excitare, si memineris quem & quantum Dominum, patrem & amatorem tuum, quantulus & quam vilis tu, quam temerè & periculosè, quam graviter & quam sæpe rebellione tua offenderis. Hæc est illa Davidis meditatio, de qua Psalm 38. ait: *In meditatione mea exardescet ignis.* Quæ verba ita exponit S. Ambrosius: *Lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore suffunditur, si renovetur ei sucrum recordatio delictorum.* Magis exardescet hic ignis, si peccati enormitatem & fœditatem expenderimus. Multa strage Josue debacchatus est in Regis impios & barbaros, Deo vero refractarios & exosos (ut Josue 10. cap. & seq. videre est) *non crudelitatem docens*, inquit Origenes homil. 11. *Sed sacramenta designans*; ut nimirum indicaret peccata sic tractanda esse, quo modo Josue quinque Reges ejusmodi captos produci & prosterni jussit, imperans principibus exercitus: *Ponite pedes super colla Regum istorum.* Jos. 10. Olim Tyranni cum exigerent à Christianis, ut Christum abnegarent, instabant ut crucem Christi, in signum negationis pedibus calcarent. Impiè quidem illi & tyrannicè; at piè & justè Deus exigit a peccatore, ut peccata detestetur & pedibus quasi calcet, quo suum in illa odium & sentiat & ostendat.

2. Propositio emendationis.

Alter gladius adhibendus ad præcidenda in posterum peccata, per emendationis propositum, tum quidem adhuc in vagina conditus, sed data occasione evaginandus & vibrandus in hostes. Non satis est hostem ictu prosternere, nisi prostratum opprimamus & jugulemus, ne resumptis viribus surgat, iterumque nos invadat: Hinc David cum jactu lapidis frontem Goliatho fregisset adeoque eum stravisset, non reliquit ei spatium, ut resurgeret, sed *cucurrit & stetit super Philisthæum, & tulit gladium ejus & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditque caput ejus.* 1. Reg. 17. Frangit Dæmoni caput, qui funda doloris & detestationis cor suum percutit; prostratum vero in terra premit, qui firmiter constituit non relabi amplius: caput præcidit, qui etiam peccandi occasiones cavere proponit. Hunc gladium exeruit David, quando dixit: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Qui non tollit caput Goliatho, frustra est, victor non evadit, sed succumbit: uti Canonicus ille Parisiensis (apud Lucam Pinellum lib. 1. de alt. vit. cap. 5.) gulæ & deliciis deditus, qui cum Sacramentis salutaribus munitus obiisset, post mortem uni amicorum apparuit seque damnatum dixit. Miratus alter: *Nova salutis*, inquit, *remedia ante mortem recepisti? Recepi*, inquit, *sed mero mortis metu, sine emendationis proposito: & si supervixissem, iterum ad pristinas delicias reversus fuissem.* O ignavum militem, qui hostem quidem prostratum capite non truncavit, sed vitâ donavit!

II. Confessio ariete opus habet, quo occlusas hostium portas perfringat & aperiat. Portæ hæ labia sunt hominum, quæ occludere solet mutum illud Dæmonium, de quo Luc. 11. ne prodant in confessione peccata sua; Dæmon enim velut adulter in corde peccatoris latet, cum anima ejus colludens; ac proinde ne prodatur & ejiciatur, ostium oris obserat, quantis potest viribus. Unde Rupertus Abbas in illa verba Gen. 2. *Absconderunt se in medio ligni*, ait: *Rectè quisque in eo vitio dicitur absconditus, quo delectatus per confessionis januas nusquam egreditur, cubante cum illo, deceptore suo Diabolo; de quo Job. 40. Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.* Sic ille. Ergo Christianus pœnitens magnanimum se militem hic ostendere debet, ut ostium hoc perfringat. Typum hujus magnanimitatis prælusit strenuissimus ille Dux, Judas Machab. 1. Mach. 5. à v. 46. quando venit ad civitatem Ephron, munitam valde & media in via constitutam ideoque indeclinabilem. Ibi incluserunt se, qui erant in civitate & obstruxerunt portas lapidibus; nec transitum concedere Judæ voluerunt, tametsi promittenti omnem indemnitatem: *Nemo vobis nocebit tantum pedibus transibimus.* Quare Judas applicuit viros virtutis & oppugnavit civitatem, adeoque expugnavit, & peremit omnem masculum & eradicavit eam, sicque transivit super cadavera occisorum. Judas confessionem: Ephron autem pulverem significat; hominem designans, qui pulvis est & in pulverem revertetur. Desiderat confessio, instigante synderesi, transire per os hominis in confessione, absque omni nocumento; (quid enim obest homini peccatorum confessio, facta Sacerdoti sub sigillo secreti?) At qui peccatorem inhabitat, Dæmon adulter, transitum hunc negat & occludit ostium peccatoris variis lapidibus, pudore confusionis; timore pœnitentiæ, amore delectationis in peccato, &c. Quid hic agendum? applicandi viri virtutis, sumendus animus virilis & perrumpendum ostium. Perumpendo enim non te, sed Dæmonem, qui te seduxit, feris, prodis hostem & expellis atque confundis; velut incentorem & auctorem peccatorum tuorum, ut ostendit S. Ambrosius Epist. 14. Adhæc *peccator erubescet perpetuam vitam* (inquit B. Pacianus Parænes. de pœnit.) *præsenti*

II. *Confessio armanda ariete.*

1.

2.

pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera male tecta subducet: & habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit? &c. Sanguis in purulento vulnere inclusus magis longe affligit, quam si rupto vulnere foras educatur. Eadē ratio est peccati: occultatum enim torquet, proditum verò relevat. Hinc exclamat David: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* q. d Medicus meus. Accedit S. Cyrill. Hierosol. catech. 2 *Grave malum est,* inquit, *peccatum, sed non incurabile: grave retinenti, sed leve per pœnitentiā abjicienti.* Hinc, ut vult S. August. l. 12. contra Faustum c. 22. vetuit Deus Gen. 9. carnem cum sanguine manducare, jussitq; effundi sanguinem è pecore, dum mactatur: *ne vita pristina,* inquit August. *quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat tanquam effusionem per confessionem.* Deniq; quo diutius differtur peccati
3. confessio, obstante pudore, eo fit difficilior; quemadmodum & partus ericij, qui dum à matre detinetur ob pariendi difficultatem ex spinoso fœtu, crescit magis & cum eo jacula, majore cum parentis dolore & præsentiore periculo tandem emittendus. Quod spectat id Ose. 13. v. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim absconditum peccatum ejus: dolores parturientis venient ei.* Maxime in judicij die, cum toti mundo patefient ipsius peccata. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. in S. Baptisma: *Ne peccatum tuum,* inquit, *confiteri gravêris: ut per hujus vitæ pudorem futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias (nam hoc quoque sempiterni illius supplicij pars est) ac perspicuum facias te serio atque ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam contumelia dignum traducis ac velut ludibrio exponis, de eoq; triumphum agis.*

III. Satisfactio ligone armanda.

III. Satisfactio ligone armanda est ad complanandos montes & valles, quod mandat in hod. Evangelio Joannes: h. e. ad tollendos pœnæ reatus, qui ab ingressu cæli pœnitentes arcent, donec exsolvantur. Vulgata est definitio satisfactionis, data à S. Anselmo: *Satisfactio est recompensatio offensæ commissæ ad æqualitatem justitiæ.* Cassianus collat. 23. c: 15. ait: *Quisquis post Baptismum & scientiam Dei in illud mortis corpus incurrerit h. e. in aliquod capitale crimen, sciat se non quotidiana gratia Dei, id est, facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus noster erroribus nostris donare consuevit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis ac pœnali dolore purgandum, aut certe pro his in futurum æterni ignis suppliciis addicendum.* Vocat autem æternum, ignem purgatorij; non quod æternum duret, sed quod ejusdem speciei & virtutis sit cum igne inferni. Unde non dixit: æternis suppliciis, sed *æterni ignis.* Ratio hujus doctrinæ est quia non decet nec ratio admittit, ut sit par omnino conditio ejus qui aliquando deliquit, & ejus, qui nunquam, v. g. servi, qui domino infideliter servivit (licet pœnitens in gratiam recipiatur) & ejus, qui officium suum fideliter executus est. Itaque prior pro delicto castigandus est. In veteri lege qui à lepra mundatus fuisset, ut hominum communioni restitueretur, prius à sacerdotibus expiandus erat oblato sacrificio duorum passerū, quorum unus in agrum liber avolare permittebatur, alter immolari debebat. *Passer qui immolatur corpus est,* inquit Eusebius Emissenus in c. 8. Matth. *Hic est igitur rectus pœnitentiæ ordo, ut quicunque mundandus ad Deum venit prius seipsum totum offerat: carnem, qua peccaverat, in servitutem redigat & affligat: animam vero jam libertate donatam ad cœlestia contemplanda volare dimittat.* Sic ille. Ergo qui peccati lepram in confessione deposuit, superest ut Deo pro culpis aliqua ex parte satisfaciat, & corpus, in quo & cujus gratia potissimum deliquit, severiore castigatione affligat. Justum enim est, ut qui justitiam inæqualitate violavit, æqualitate restauret: qui in corpore deliquit, in corpore patiatur; & qui Deum ac proximum offendit, pœnas non solum det, sed etiam à se exigat, sicque præveniat illas, quas merito sibi à Deo vel Magistratu paratas intelligit. Virum ergo fortem se quisque in hoc ostendat, neque parcat sibi, si à Deo sibi parci vult. Talem se post dimissum peccatum exhibuit inprimis David, qui toties lectum suum lachrymis rigavit, corpus quoque, velut peccati sui receptaculum variis modis afflixit, uti in hac ipsa, de qua diximus, legatione, quando aquam adeo concupitam sibique allatamne delibavit quidem, sed effudit. *Quia enim,* inquit sanctus Gregorius hom. 34. in Evang. *se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus, etiam à licitis abstinebat. Sic agamus pœnitentiam, ut ea, quæ commisimus, perfecte defleamus.* Quæ res tam rationi & justitiæ consona est: ut etiam Gentiles id deprehenderint, & delicta gravia in se ipsi castigarint. M. Popilius ob quosdam Tiberij Grachi amicos sine judicij forma condemnatos, extorrem se extra Italiam constituit, apud Livium lib. 15 Calixenes Atheniensis sibi ipsi vulnera intulit, eo quod similiter sine forma judicij condemnasset decem Duces, qui obtenta contra Lacedæmones victoria, militum suorum sepulturam, sævitia maris interpellante neglexerant; ut scribit Pausanias. Mutius Scævola Rom. dexteram suam, quod in Porsena Hetruscorum Rege, urbem premente, feriendo aberrasset, & satellitem pro Rege percussisset; in foco excussit. Liv. lib. 2. dec. 1. Valer. M. lib. 3. cap. 3. Non expectarunt isti Judices alios, sed agnita in se culpa se ipsos mulctaverunt; quod sane viri fortis & vitia abominantis est. Nec dubium quin hujusmodi pœnæ, quas à seipso quisque exigit, facilius Deum placent culpamque diluant. Servus qui post delictum ultro carceri se mancipat, citius obtinet veniam, quam si ab hero inclusus fuisset. Famosissimus ille Hispaniæ latro Corocotta cum audisset Augustum Imp. 10000. Philippeorum promisisse ei, qui caput ejus afferret, ipsemet se stitit dicens: *En ipse caput meum affero & mercedem spero:* sicque immunitatem unaque pecuniam accepit. Dionys. in Augusto. Similiter Themistocles Atheniensis Dux, cum Persarum Rex Xerxes ducenta talenta in ejus caput pronunciasset, patria pulsus ipsemet ad Xerxem venit, benigneque ab ipso exceptus ducenta talenta accepit. Pluth. in Themistocle. Dederat hujusmodi consilium admodum salubre Daniel Nabuchodonosori ad conciliandam sibi Dei gratiam & clemen-

mentiam: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Dan. 4. Sed quia id non fecit (nihil enim meminit de hoc scriptura) ideo ejectꝰ è regno incidit in manus Dei irati, & in *sylvis* fœnum sicut bos vorare coactus est, rori & injurijs cœli expositus, & in bestiam degenerans reptare, mugire inter feras. Utrum putatis, levius fuisset, dare eleemosynas, an ad bestias ejici toto septennio? Utrum est facilius; in igne an in aquã manus lavare? Atqui Deus *apposuit tibi ignem & aquam,* ait Ecclesiast. c. 15. *ad quod volueris porrige manum,* Quis malit igne quam aqua expiari? Accidit in scholis quandoque, ut puer aliquis in gymnasium illotis ingrediatur manibus. Quod observans Ludimagster objurgat eum dicens: Eccur tu mane surgens non lavasti manus? Itaq; nunc lava; & interim cædit manus ejus ferula. Sic se geret Deus: qui hic culpas suas levibus pœnitentiis negligunt eluere, igne purgatorii eos lavabunt. Quare Audit. ruminate in mẽtibus vestris consilium Eccles. c. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instãter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.*

DOMINICA INFRA OCTAV. NAT. CHRISTI.

THEMATA.

I. *Christus signum contradictionis.*
II. *Quibusnam Christus in ruinam sit positus.*
III. *Mira de Christo infante præsagia.*

THEMA I

Christus signum contradictionis.

Christo veluti Davidi coram Arca saltanti aliqui insultant & contradicunt.

I. *Qui ipsum profitentur, interim terrena ambiunt.*
II. *Qui hos sacros dies consumunt in luxu.*
III. *Qui his sacris diebus superstitiones miscent.*
IV. *Qui ad singulare certamen descendunt.*

Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur. Luc. 2.

[Chri]sto [veluti Da]vidi corã [Arca] sal[tanti] ali[qui in]sul[tant] & cõ[trad]icunt.

Libro 2. Reg. c. 6. legimus Davidem Regem introducturum Arcam fœderis in civitatem suam, instituisse solemnem quandam processionem, in qua ipse deposito regio ornatu vestivit se Ephod, seu tunica angusta linea, saltavitq; toto pectore præ gaudio inter Levitas. Spectans id ex fenestra Michol, ejus cõjux, (siquidẽ processionem hanc comitata non erat) despexit eum, & post occurrens Regi, reprehendit ac derisit dicens: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris?* Verum sua derisione hoc promeruit, ut sterilis maneret toto vitæ suæ tempore, non exigua tunc temporis, præsertim in Regina, pœna ac contumelia. David Christi typus fuit uti Arca Ecclesiæ. Hanc introducturus in civitatem suam cælestem Filius Dei, exuit se vestimentis gloriæ suæ, cum in forma Dei existens induit formam servi vestiens se lineis & pauperculis fasciis, quibus in præsepi involutus jacuit, cœpitq; ante Ecclesiam suam, penè nudus omnibusq; rebus exutus, præ gaudio saltus edere, jam ad montana adhuc in utero matris, jam inde in Nazareth, hinc in Bethlehem, abhinc in Jerusalem, inde rursum in Nazareth, ex hac in Ægyptum, ex Ægypto in Galilæam. Reliqua ejus vita perpetua quasi saltatio & cursus de loco in locum fuit. Unde sponsa de dilecto suo canit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cant. 2. At vero sunt non pauci, qui quasi de fenestra spectant hanc Christi nuditatem & choream eamq; reprehendunt ac deridẽt, si non verbo saltem opere; dum contraria omnia faciunt, adeoq; Christo contradicunt, quasi ipsi melius sapiant, dum Christi humilitatem, patientiam & paupertatem aversantur & contemnunt, uti videbimus.

I. Contradicunt Christo, qui eum per omnia humilem, pauperem, abjectum, jacentem in præsepio, pendentem in Cruce adorant, velut Dominum ac Deum suum: interim toto pectore quærunt & meditantur semper excellentias, opes, delicias, libertatem: ac præ cupiditate harum rerum penè insaniunt. Christus in præsepi & cruce ultimum ac despectissimum locum sibi delegit: isti supremum quærunt. Christus pauperculos parentes habere voluit, vivere ex eleemosynis, nasci & sepeliri in alieno loco: isti paupertatem abominantur, opibus insidiantur. Christus pati frigora, famem, sitim, contumelias, probra, tormenta & crucem voluit: Isti cane pejus hæc oderunt: deliciis affluere & circumfluere volunt. Christus ligari, legibus patris se subjicere & ex ejus voluntate mori non refugit: isti legibus arctari nolunt, libertatem quærunt; viam spatiosam, quaquaversum placet, ambulare quærunt. Scimus ex Genesis 27. Jacobum à matre subornatum, ut benedictionem patris impetraret, & fratri præriperet, sibi timuisse, quod ipse lævis esset, adeoque valde dissimilis fratri Esau primogenito, utpote piloso: Quare ubi manus saltem suas obduxit hœdi pelliculis, tum denique benedictionem & petere ausus est & obtinuit, *quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant.* Deus Pater non benedicet nobis, nisi filio ejus, qui est frater noster primogenitus, aliquatenus assimilemur. Ideo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matthæi 17. Quare cum ipse asperam virtutibus duxerit vitam, si nos suavem, mollem & blandam duxerimus, quam benedictionem obtinebimus? Certe in die judicij non curabit vocem illam: Christianus sum; sed examinabit

I. Qui ipsum profitentur, interim terram ambiunt.

Dianus

manus & opera, an Christo conformes fuerimus. Augustus Cæsar, sub quo natus Christus, habitu & vestibus non nisi domi suæ factis modestissimis utebatur, qui cum filiam suam Juliam superbo vestium luxu, vehementer addictam cerneret, odio propterea habuit ac corripuit non semel, ut vel Augustæ, quæ & ipsa modestissime se vestiebat, aspectu erubesceret; at cum nihil proficeret, sed filiam sibi prorsus dissimilem videret, à se relegatam in Insulam Pandateriam misit, nec non testamento cavit, ne post mortem paterno inferretur sepulchro: nolens vel post mortem etiam communem cum ea tumulum habere. Suet. Dio. Tacitus. Videant nunc illi, qui humilitati, paupertati & patientiæ Christi è diametro se opponunt, quam gratiam ab illo expectare possint: quid cum illo in altera vita commune habituri sint.

II. *Qui hos sacros dies consumunt in luxu.*

II. Qui hos sacros dies, in quibus cœpit Christus operari nostram salutem, consumunt in voluptatibus, lusibus, conviviis, otio, somno: & operantur suam perditionem. Scribit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis lib. 1. mirac. cap. 15. vidisse aliquando sanctum Hugonem ejusdem Cœnobii Abbatem in vigilia Nativitatis Christi, quomodo malignus humani generis hostis tentaverit varios cuniculos ad intrandum in Cœnobium & turbandam pietatem ac devotionem religiosorum in sanctis illis feriis; nõ tamen effecisse aliquid. Sed quod inter religiosos non obtinuit, facile obtinet in mundo apud ejus sectatores; quos ut à re divina avocet, contrariis pietati Christianæ operibus occupare nititur. Bene ergo monet Sapiens Proverb. 5. *Ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli.* Cultum & honorem Deo dare oportet, his præsertim diebus, quibus Dei Filius nostri causa incarnatus, circumcisus, oblatus fuit, ut eum debita observantia excipiamus & veneremur. At quid agunt multi, qui se dicunt Christianos? Honorem, quem Deo debent, dant mundo, Baccho, Veneri, Diis vere alienis, quos colunt modo planè contrario, quam coli à Religiosis solet Christus. Hunc enim illi colunt septem horarum precibus: mundi amatores simili modo septem etiam horis litant Diabolo. Mane surgentes poscunt jentaculum & dulce vinum: hæc illorum prima est. Inde comunt & contuentur se in speculo, & hæc est hora Tertia. Postea audiunt sacrum, ita tamen ut serò veniant & totum feræ missæ tempus confabulatione transigant simulque alios turbent; atque hæc est Sexta. Exinde aliud colloquium instituunt, quandoque etiam in templo de nugis & profanis rebus, quomodo dormierint, quid somniarint, ubi prandere, quid agere velint: sic transit Nona. Post trium horarum prandium ludere incipiunt, loco Vesperarum. A ludo exspatiantur curru vel rheda: sic claudunt diem Completorio. Post cœnam instituunt compotationem usque in multam noctem, & hoc est nocturnum matutinum. Quid videtur vobis? non hoc est Christo contradicere & dies atque annos suos subtrahere Domino suo legitimo, & impendere alieno? Et quo jure isti dicere possunt se Christianos, & mercedem à Christo petere, cum non ipsi, sed alieno domino, sibi & ventri suo serviant? Sane Balthasar, qui festum diem Beli, Dei sui supremi, conviviis, ludis, spectaculis insolenter agebat, & interim Deo Hebræorum insultabat usque ad multam noctem, ea ipsa nocte à Cyro capta Babylone obrutus & occisus est. Herodot. libro primo Xenoph. & alij. Non ita impendit dies & annos suos David, licet aulicis negotijs distentus. Hic enim Deo dixit: *Septies in die laudem dixi tibi.* Ps. 118 Tibi Deus, non mundo.

III.

III. Verum enormius adhuc Christo contradicunt, qui in sacris his diebus miscent superstitiones, quibus nescio quæ futura investigant & sciscitantur ex Diabolo: sicque dies Christo consecratos devovent Dæmonibus, & dant *annos suos crudeli*, ut ex Sapiente audivimus. Dies hi sacratissimi sunt panis filiorum Dei, quo nunc reficiunt & saginant spiritum suum. At isti panem hunc filiorum mittunt canibus: nec aliter agunt ac quondam Donatistæ, qui sacram hostiam suis objecerunt canibus; sed in gratiarum actionem ab iisdem dilacerati sunt; teste sancto Optato Milevitano libro secundo contra Parmen. Similem ergo mercedem reddent illis aliquando canes tartarei. Imitantur & ingratissimos Judæos, qui dum Christus ipsis totique generi humano providit panem vitæ, instituendo sanctam Eucharistiam in ultima cœna: ipsi interim parabant ei crucem & machinabantur tormenta durissimamque necem. Quid enim egit his diebus Christus? nonne ipse de cœlo descendit, ut esset panis noster, ideoque in Bethlehem, id est, in domo panis nasci voluit, ut vitam nobis æternam daret? At isti mittunt lignum in panem ejus, & conspirando cum Diabolo summa injuria afficiunt Christum. Imitantur & Judæos illos, apud Ezechiel. capite octavo, qui, ut ostendit Ezechieli Dominus, stantes inter vestibulum & altare, seu in templo, dorsa verterunt Arcæ Domini, & facie conversa ad orientem, more Gentilium adorabant Solem. De quibus ait Dominus: *Nunquid leve est hoc domui Iuda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic?* subditque: *Et ego faciam in furore meo: non parcet oculus meus nec miserebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Dum enim isti Christianos se fatentur, utique in templo Christi stant, & interim, Christo dorsum vertunt, negligendo ipsum, & faciem non ad Solem, sed quod pejus est, ad ipsum Dæmonem convertunt; atque ab ipso opem ac consilium postulant. Hoccine non est Christo contradicere? Accedit quod contradicant fidei Christo datæ in Baptismo, in quo, renuntiarunt Satanæ, & Christo se mancipa, runt. Nonne hæc est abominatio omnium *pessima*, ut ibi appellatur à Deo? Quid magis impium, quam quod Iulianus Imperator egit, quando Apostata factus, sanguine victimarum diabolicarum S. Chrisma à fronte extergere & diluere Baptismum conatus est? teste sancto Gregorio Naz. orat. in Iulian. At isti nonne quid simillimum agunt?

IV Qui

IV. ...i ad ...gulare ...tamen ...cendunt

IV. Qui ad ſingulare certamen provocant, aut provocati comparent. Contradicunt enim hi Chriſto, qui Herodis furorem fugit infans, & Judæorum ſævitiæ non ſemel ceſſit adultus, & verbo idipſum docuit: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* Matthæi 5. Quid igitur illi, qui Chriſtianos ſe fatentur, & duella recuſanda negant? Nonne Chriſtum ipſam Dei ſapientiam vanitatis & erroris arguunt? At videant illi, quam enormiter errent. Inprimis cauſæ æquitas per ejuſmodi certamen minime declaratur, cum ordinariè vincat is, qui fortior aut pugnandi peritior eſt, non qui æquiorem cauſam habet. Hinc in capit. ſignificantibus de purgat. vulgari, deſcribitur talis caſus; Duos, quorum unus alterum accuſabat furti, inter ſe probationis cauſa pugnaſſe duello, & juſtum interemptum eſſe; furtum enim inventum fuiſſe apud alterum. Quare in Jure Canonico hoc certamen graviter interdictum eſt. Deinde hæc duella nihil generoſitatis habent, cum fere ſint viliſſimorum hominum tantum, & quo quiſque vilior eſt, eo audacius vitam ſuam proſtituat. Unde olim nonniſi ſervi & abjecti homines talia inibant certamina, qui *animam ſuam venalem* habent; quia nihil ferme perdere poſſunt: unde non de pari corio ludunt cum alio honeſto viro. Accedit nihil ibi virtutis eſſe, cum timore tantum dedecoris pudore tales ad arma ſtimulentur, velut ſi Capitaneus retrò militem ſtans haſta intentata pugnare eum cogat. Hinc Auguſtus Cæſar ſapientiſſimus provocanti ſe ad duellum Marco Antonio, clare denunciari juſſit, ſe ubi rerum ſuarum deſperatione coactus fuerit odio habere vitam ſuam, alias moriendi vias inventurum, honeſtiores illo cruento furore. Cauſſin. in Aula Sancta. Et uter illorum generoſior? Certe Auguſtus imperium diutiſſime tenuit & ſtans mortuus eſt: Antonius verò victus primo ab Auguſto ad Actium prælio navali, deinde Alexandriæ ab eodem obſeſſus, gladio ſponte incubuit, & in brachijs fœminæ obiit. Plut. in ejus vita. At mundus hoc pro dedecore habet, ais. Reſpondeo, mundus perverſus & judicio everſus eſt, cui ſi tu vitam & ſanguinem obſtrinxiſti, miſerrimum es mancipium. Quid igitur conſilij? Quod egregius Doctor Dominicus Bannes dedit, nimirum ne te abdas in tenebras, ſed ambules in publico exporrecta & imperterrita fronte, & ſi forſan adverſarii te adoriri vellent, fac ut paratum te inveniant, ad vim vi repellendam, quod lex naturæ permittit. Sic incedit leo coram canibus & venatoribus lento gradu, & ſubinde reſtitans, quaſi eos contemnens; ſic terret adverſarios. At hoc non capiunt homines, ſinite eos, cæci ſunt & cæcorum duces.

Vidimus contradictores Chriſti aliquos. Sed quid hic contradictoribus continget aliquando? Michol ſterilitate punita fuit propter viri deriſionem, conſequenter & a ſpe regiæ ſucceſſionis per filios obtinendæ, prorſus dejecta, inſuper & quinque ſororis ſuæ Merob filios, quos adoptarat, in crucem actos cernere debuit. Idem eveniet illis, qui Chriſto contradicunt & contradicendo illudunt: ſteriles manebunt ab omni bonorum operum fructu, & velut arbores infrugiferæ è cœleſti regno exſcindentur. Adhæc prava eorum opera in crucem gehennæ agentur. Sunt enim velut ſterilis illa ficus, quæ folia tantum protulit, non fructus; unde quia locum in vinea fruſtra occupabat, excidi demum juſſa eſt; quod à nobis avertat Deus.

THEMA II.

Quibusnam Chriſtus in ruinam ſit poſitus.

I. *Iis, qui velut cæci in Chriſtum impingunt.*
II. *Iis, qui nimis acutum videre volunt.*
III. *Iis, qui in ejus clementiam delinquunt.*
IV. *Qui nolunt uti remediis à Chriſto ſibi paratis.*
V. *Iis, qui inſtrumenta ſalutis vertunt ſibi in perniciē.*
VI. *Iis, qui Chriſti menſa abutuntur.*
VII. *Carnalibus, qui feſta Chriſti convertunt in luxū.*
VIII. *Superſtitioſis, qui ſacra ad cultum dæmonis applicant.*

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Luc. 2.

S*Evera hæc prædicatio eſt*, inquit Stella in hunc locum Lucæ citatum, *quam omnes, qui Chriſtiani ſumus, ſæpe contemplari debemus, ut videamus quid in nobis operetur agnitio Chriſti; an ad meliora pergamus, an vero in deteriora ruamus*, Auditu enim horribile eſt, quod Chriſtus in ruinam futurus ſit: horribiliſſimum; quod non uni vel alteri, ſed multis: & lōge horribilius, quod ipſum non ſimpliciter de malis hominibus aut Gentilib⁹, ſed de Iſrael dicitur, hoc eſt, de his in quos nullam rei ſuſpicionem propemodum cadere poſſe aliquis arbitretur. Nec hoc ſolum Simeon dicit, vir juſtus & Spiritu S. afflatus: dictum quoq; antea fuit ab Iſaia, cujus verba ſunt cap. 8. *Erit Dominus in lapidem offenſionis & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael: in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex iis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur.* Ita ille. Sed quid hoc eſt, auditores? Quo modo Chriſtus, Salvator dictus, in ruinam venit? Non ſua intentione, ſed hominum malitia. Gentiles illum ſpernebant, quod in Cruce moreretur: Idolorum cultores, quod Idola damnaret: Phariſæi, quod eorum hypocriſin taxaret: præpotentes, quod timerent ſe per eum ab imperio dejiciendos: alii, quod eorum vitia reprehenderet. His omnibus in ruinam & ſcandalum factus eſt, & fit hodieque, uti nunc audiemus.

I. Iis, qui cæcorum inſtar impingunt in Chriſtum, quia oculos claudunt. Stat in via publica columna vel crux, quæ viam tibi monſtrat: tu vero non attendens, incurris in eam & corruis. Quis in cauſa, niſi tu? Chriſtus in mundum venit, ut nobis cæli viam monſtret.

I. *Iis, qui velut cæci in Chriſtum impingunt.*

Tu avertis oculos, audire docentem non vis, conciones fugis: hinc graviùs impingis, quam qui de Christo nihil audierunt; fitque tibi adeo Christus in ruinam. Ita enim ad Judæos loquitur: *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent.* Joan. 15. Prædixit Dominus Matth. 10. tolerabilius fore terræ Sodorum, quam iis, qui non receperunt servos Dei, verbumque ejus. Tales autem sunt inprimis infideles, qui Christum blasphemant & contemnunt. His proximi sunt politici, qui credere se dicunt, cum vix Christiani appellandi sint; quia claudunt oculos verbo Dei, rident conciones, leviculè & dubitanter loquuntur de rebus fidei. Damnabuntur isti vel ideo, quia oderunt lucem sibi à Deo accensam. Lux hæc comburet eos: sicut lumen candelæ papiliones, qui involant in illud. Cui adscribent causam? num Christo, qui velut lux ad tenebras mundi illuminandas venit? imò suæ cæcitati, quâ velut noctuæ & vespertiliones lucem oderunt & extinguere conati sunt.

II. *Iis, qui nimis acutũ videre volunt.*

II. Qui nimis acutùm videre, & Christi arcana rimari volunt. S. VVinoco Abbati mola, divinitus mota, farinam dabat: at ejus fratri, qui curiose per foramen inspiciebat, indagare volens, quomodo mola verteretur, cæcitatem attulit, & stetit. Ut in ejus vita 7. Novem. Lipel. Anseres scribit Plinius lib. 10. cap. 59 dum radices morsu nituntur evellere, colla sua interim quandoque abrumpunt. Idem fere contingit illis, qui profunda fidei mysteria suo ingenio temere conantur eruere. Tales autem inprimis sunt hæretici, qui nihil credere volunt, nisi quod palpare aut intellectu suo capere possunt. v. g. an & quomodo Christus in Eucharistia sit, & similia. Novimus Arcam fœderis quæ alioquin unicum fere Judæorum præsidium fuit, Bethsamitis Hebræis internecionem 50000. hominum de plebe attulisse, quod eam contra Dei præceptum detracto integumento nudam & curiosius essent intuiti, quam tamen Philisthæi tectam illis transmiserant. 1 Reg. 6. Non miremur ergo, si tot millia hominũ permisit Deus labi in hæresin, quia fidem non tam Deo, quam suo capiti habent.

III. *Iis qui in ejus clementiam delinquũt.*

III. Qui in ejus misericordiam & bonitatem peccant. Hi enim dùm misericordiam ab eo extorquere volunt, hoc ipsò se indignos ea constituunt. Præfisi Hebræi temere nimis in sola Arcæ præsentia fuerunt, quando ob peccata sua à Philisthæis cæsi clamarunt: *Afferamus ad nos Arcam fœderis, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.* 1. Reg. 4. Verum nihil effecerunt; rursum enim cæsi sunt, & simul Arca capta fuit à Philisthæis. Putarunt enim satis esse habere legem Dei præsentem in Arca custoditam; cum ipsi non curassent eam custodire in corde suo; quin & illi ipsi Sacerdotes, filii Heli duo, qui eam adduxerant, essent impuri & improbi. Itaque ex præsentia Arcæ plus damni passi sunt, quam ex absentia. In priori enim prælio 4000. hominum tantum perdiderunt; in posteriore vero præsente Arca 30000. *plaga magna nimis*, ut dicitur 1 Reg. 4.

IV. *Qui n[...] uti rem[...] di à C[...]isto si para[...]*

IV. Qui velut desperabundi & ignavi nolunt uti remediis à Christo comparatis. Illa enim diffidentia de Dei misericordia & bonitate erit illis in ruinam & damnationem; uti indicat Dominus in parabola talentorum Matth. 25. Cum enim servus piger dixisset Domino suo: *Domine scio, quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti: & timens abii & abscondi talentum tuum in terra*; audiit enim à Domino: *Serve male & piger, sciebas, quia meto ubi non semino: oportuit ergo te, &c. Tollite ergo talentum ab eo & servum inutilem mittite in tenebras exteriores.* Videntur hi sentire cum impiis illis militibus, qui Christo illuserunt arundine & spinea corona, quasi ejus regnum esset arundineum, inane & spineum: cum tamen ex illis ipsis Christi ludibriis, pro nobis susceptis, assurgere ad spem deberent & cogitare è spinis illis prodituras rosas & salutem nostram. Quod ergo bonis est in resurrectionem, hoc est malis in ruinam: quomodo Arca Bethsamitas occidit, Catiathiarenos servavit: Ozam interfecit, Obededom domum benedixit: Palæstinos magnis cladibus oppressit, Hebræos præsidiis defendit.

V. *Iis, qui in[...] stru[...]en[...] salu[...]s ver[...]unt si[...] in per[...]niciem.*

V. Qui instrumenta salutis, uti Sacramenta vertunt sibi in perniciem, ea blasphemando & execrando. Scimus ex Daniele cap. 5. vasa sacra templi Jerosolymitani, quæ ad Dei cultum & hominum devotionem erant fabricata, Balthasari interitum attulisse, dum ipse jam temulentus jussit ea afferri ad mensam suam, & bibit ex illis ipse & optimates, reginæ & concubinæ ejus. In eadem enim hora quâ jussit afferri vasa illa, Deus illi præscripsit necem in pariete, eademque nocte interfectus est. Idem prorsus contingit illis, qui Sacramenta, quæ sunt sacratissima vasa, ad Dei cultum & salutem nostram instituta, impio ore prophanant, traducuut, execrantur & deludunt passim in mensis & compitis. Talibus enim fiunt in ruinam & damnationem, quæ à Christo instituta sunt ad omnium salutem. Theagenis statuam quidam ejus obtrectator singulis penè noctibus tamdiu flagris cecidit, donec tandem super ipsum corruit eumque oppressit. Pausanias in Eliacis. Sic isti, quia Sacramenta salutis suæ, monumenta Christi Domini salutaria; quæ alioquin ad salutem nostram erecta sunt, blasphemiis cædunt, ab ipsis opprimuntur. Unde Christus appellat se *lapidem offensionis*, qui conteret eum, in quem ceciderit. Hæc sunt vasa illa, quibus oleum cœleste nobis subministratur. Jam vero qui hæc vasa confringit, nonne in ruinam suam frangit?

VI. *Iis, q[...] Chri[...] mensa [...]utunt[...]* 1. *Indign[...] cõmun[...]ne.*

VI. Qui Christi mensa abutuntur; uti primo qui ad S. Eucharistiam indigne accedunt: talibus enim cedit in ruinam. S. Cyprianus serm. 5. de lapsis, scribit de fœmina quadam indignè communicante: *Non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quadam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.* Sic mensa Estheris & Assueri mortem attulit Amani, ubi gloriam & honorem se acquisiturum sperabat, quia hostili animo ad eam accessit. Ante Arcam saltat & lu-

dis

dit David & benedicitur Obededom: Oza vero tangens eam sine debita reverentia occiditur, 2. Reg. 6. Ruffinus in vitis Pp. lib. 2. Macarium scribit vidisse in communione alios accipere carbonem pro hostia, quem æthiops in eorum manus imponeret, hostiamque ad altare redisse: alios autem sumere verum corpus Christi, refugientibus dæmoniis. Illos exurebat, hos vero toto corpore illuminabat, apud Rosvveid. libro 6. de vitis Patrum libello 1. & alibi. Mel dulcissimum ac cœleste donum est, è rore cœli confectum; id quidem senibus & phlegmaticis frigidæque complexionis hominibus salutare est; pueris vero ac cholericis & quicumque calidæ complexionis sunt, noxium dicitur à Galeno. Bene igitur manna (sacræ Eucharistiæ typus) dicitur Exod. 16. versu 31. habuisse gustum similæ cum melle. Idem manna Hebræis de cœlo datum coriandri speciem habuit, Exod. 16. Coriander autem hominibus conducit, canibus venenum est, secundum Isidor. & Plinium lib. 20. nat. historiæ cap. 20. Pari modo sanctus Thomas in Hymno Eucharistico canit de Eucharistia: *Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Et post: *Ecce panis Angelorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.* Qui ergo sicut pueri non dijudicantes corpus Domini: vel cholerici, cum odio & rancore: vel ut canes immundi cibum vitæ sumunt, mortem sibi comedunt.

VII. arnali-us, qui fe-a Christi onvertũt luxum.

VII. Carnalibus, qui festa Christi natalitia & his similia convertunt in luxum. Instituti sunt hi sacri dies, ut in illis spiritum nostrum, à laboribus corporis dimissi, foveamus, & ut Christo debitum cultum deferamus. At quam multi his diebus corpus tantum curant, animam negligunt, imò gravius, quam unquam alios sauciant & occidunt, & quasi denuo in seipsis Christum crucifigunt! Judæi certe eum in festo crucifigere noluerunt: *Non in die festo*, ajunt: imò nec suspensorum corpora sabbatho in crucibus relinquere. At quam multi his sacris diebus reliquerunt pendere animas suas in cruce peccati! quam multi adeo etiam Christum denuo crucifixerunt.

VIII. Superstitiosis, qui acra ad cultum Dæmonis applicant.

VIII. Superstitiosis, qui diebus locis & rebus sacris abutuntur ad superstitiones, adeoque ad obsequium Dæmonis, quod fere hoc tempore contingit, Sic Hebræi serpentem æneum, cujus aspectus admorsis à serpentibus salutem attulerat, converterunt sibi in perniciem & venenum, dum proposuerunt adorandum velut Deum, eique incensum adoleverunt, quem idcirco confregit Ezechias Rex & appellavit eum *nohestan*, id est, *ærulum*, seu *parvum æs* 4. Reg. 18. Debebant Hebræi inde excitari ad memoriam antiqui beneficii & gratiarum actionem, at verterunt illum sibi in venenum. Quæ autem est ingratitudo & stultitia, postquam à Diaboli illusionibus, quibus Gẽtiles decepit, liberati & ad lumen deducti sumus, iterum velle in ejus servitutem & Ægypti tenebras redire cum Hebræis illis, quibus propterea Deus adeo iratus olim fuit? Hoc cum in quibusdam rebus facerẽt Galatæ, observantes dies & menses, & tempora & annos: severam eis epistolam scripsit S. Paulus, in qua inter alia cap. 3. ait: *O insensati Galatæ quis vos fascinavit, non obedire veritati?*

Videat nunc unusquisque quid in ipso operetur agnitio Christi, num sursum ad meliora tendat, & in resurrectionem: an deorsum ad pejora, & in ruinam. In vobis hoc est positum: cavere ruinam, conamini potius assurgere ad resurrectionem hic per gratiam, & ibi per cœlestem gloriam.

THEMA III.

Mira de Christo infante præsagia.

Magna esse debent, quæ de infante JESU *dicta sunt.*

I. *Quæ Isaias dixit.*
II. *Quæ Angelus Gabriel dixit.*
III. *Quæ Simeon senex dixit.*

Erant Pater & Mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Luc. 2.

Magna esse debent, quæ de infante Jesu dicta sunt

MAgna valde debent esse, quæ intelligentibus & sapientibus admirationi sunt. Hinc enim Cyrum Persarum Regem nihil mirari solitum esse, scribit in Cyripædia Xenophon, quod admodum sapiens & magnanimus esset. Sapientissima erat Virgo Deipara, ut nemini dubitandum, à Deo ipso edocta: post ipsam sponsus ejus magnâ etiam divinarum rerum cognitione præditus fuit, utpote vel à sponsa sua in plurimis dubio procul eruditus. Et tamen hi parentes Christi mirati esse dicuntur, quæ de Filio dicebantur. Magna ergo necesse est ea fuisse & admiratione dignissima, nec mirum, quia & à magnis dicta, ab Isaia imprimis Propheta, deinde ab Archangelo Gabriele, demum à S. Simeone, divinitus illustrato. Jure igitur cum Davide exclamamus Psalmo 118. *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.* Itaque & nos cum illo scrutemur pro exiguitate nostra, ea testimonia.

I. Quæ Isaias dixit.

I. Isaias de eo prædixit c. 7. *Vocabitur nomen ejus Emanuel.* Et, *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum,* Mira sunt profecto ista & obscura. Quomodo enim *Emmanuel* vocatus? Respondeo ad litteram, quia fuit Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*, ut exponit Josepho Angelus, per Hebraismum *vocari*, idem est quod esse. Fuit autẽ *Emmanuel*, quia nobiscum in carne humana cœpit habitare, primo visibiliter per annos 33. deinde invisibiliter in S. Eucharistia. Indicat ergo hoc verbo eum esse verum Deum: sequenti, esse verum hominem. Indicat etiam sensu morali id nomen primo, quod prior nos quæsiverit, veniens ad nos, licet reos & inimicos, cũ nos debuissemus ipsum quærere. *Nobiscum* enim *Deus* appellatur, non nos cum Deo, ut advertit ibi Cornelius. Venit etiam quærens homines, cum essent moribus

1. Vocandum Emmanuelem.

Qui prior nos quæsierit.

corruptissimi, & pene omnino Dei sui obliti: cum essent in mediis ignorantiæ tenebris: quamobrem media nocte nasci voluit, ut noctem ignorantiæ humanæ sua luce illustraret. *Quando venit plenitudo temporis*, hoc est, *quando plenitudo & abundantia temporalium oblivionem & inopiam fecerat æternorũ* (ait S. Bernardus serm. 1. de Adventu) *misit Deus filium suum in mundum*; inquit S. Paulus ad Galat. 4. Quando igitur minime dignus erat mundus, venit ad eum Deus, ipsum sibi reconciliaturus. Et tu non dignaberis prior adire inimicum tuum, eumque tibi conciliare.

Qui semper nobis adesse paratus sit.

2. Quod ipse quidem semper adesse suo auxilio paratus sit: nos vero sæpe cum ipso esse nolumus, nec cum auxilio ejus cooperari: sed fugimus ab illo, & excitantem audire nolumus, immersi voluptatibus vel iisdem inhiantes. Ipse stat ad ostium cordis nostri & pulsat, Apoc. 2. nos ipsum sæpe excludimus. Proposuit aliquando Baduradus Episcopus Paterbornensis in familiari colloquio circumstantibus hanc quæstionem; quid sibi vellent ea Salvatoris *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet?* Cui quidam ex eis respondit, S. Meinulpho Diacono Episcopi audiente: *Christus filius hominis cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eũ inde excludunt.* Quod responsum ab Episcopo approbatum Meinulphi animum tanto Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desiderio, ut non solum ei pectus suum parare atque offerre, verum etiam templum materiale construere cogitarit. Ut in vita S. Meinulphi scribit Gobelinus Persona, apud Sur. 5. Oct. Hujus igitur exemplo, cum audimus per hos dies Christum diversorio exclusum, non habuisse ubi reclinaret caput, nisi in præsepi boum, quomodo non ei reseraremus cor nostrum & pro hospitio offerre possumus?

2. *Comestură mel & butyrum.*

Sed quomodo butyrum & mel comedit? Respondeo ea phrasi ad litteram indicare Isaiam I. quod Dei Filius verus homo futurus & quidem infans more aliorum infantium infantilibus cibis pascendus sit, ad tollendam omnem suspicionem, ne homo tantum phantasticus, uti Manichæi finxerunt, esse putaretur. Indicat simul sensu morali, Primo Christum communi hominum victu, vili & vulgari adeoque minime exquisito vel peregrino, sed paupere usurum. Tanta enim erat abundantia lactis & mellis in Palæstina; ut esset cibus pauperum, velut passim obvius; ut eod. c. Isa v. 22. indicatur. Ergo qui Christiani esse volunt ejus imitatores sint oportet. Si enim Ethnicus Imp. Augustus, sub quo Christus natus est, præter omnium Principum consuetudinem, mores suos ac vitam ad temperantiam composuit: Nam conviviis cœnisque utebatur moderatis, sine nimio sumptu: minique cibi erat & vulgaris tantum, vini quoque parcissimus & diu rarenter bibebat: si tamen sitis urgeret, perfusum aqua panem aut fructus aliquos edebat. Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore, sorore, filia neptibusque confecta:

Hoc est, futurũ pauperem.

togis neque restrictis neque fusis: clavo nec lato nec angusto: omnibus nimirum ad mediocritatem redactis: Dominum denique se appellari, &, si Orosio l. 6. c. 22. credimus, eadem die qua Christus natus est, vetuit velut divinans alium jam adesse Dominum, cui aliquando rationem administrati imperii reddere deberet, teste Cuspiniano & Suetonio, in Aug. nonne manifeste videmus maximopere incumbere Christianis, ut exemplo Christi ad modestiam & mediocritatem se componant? Si enim fœmina circumdedit & constrinxit panniculis *virum*, Deum immensum: *usquequo tu deliciis dissolveris filia vaga?* vaga per alienas regiones, investigans peregrinas vestes, delicias, cupedias ad satiandam libidinem?

Et ... rum ... did.

2. Christum puerum electurum dulcia, qualia mel & butyrum, & reprobaturum amara: secundum Isidorum Clarium, Delrium in Adag. & alios. Qui sunt autem dulces, nisi suaves, placidi, affabiles, mansueti, benefici, synceri? Qui amari, nisi asperi acidi, iracundi, immites, fellei, dolosi? Illos amat Evangelium, hos respuit, aut si habet, expuit. Unde olim recens baptizatis dabatur cum veste candida lac & mel, teste Tertull. lib. contra Marcion cap. 14. Hieron. in cap. 55. Isa. ut intelligerent sibi lacteos, suaves & candidos mores assumendos. Hinc Christus vocavit ad præsepe suum pastores & Magos, homines candidos & pacificos: non vocavit nec admisit furiosum & turbulentum Herodem, neque hypocritas Legis peritos, expuit etiam Simonem Magum, qui suscepto baptismo cum pecunia vellet emere donum impositionis manuum, diceretque se esse quendam magnum, audiit à S. Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, &c. in felle enim amaritudinis video te esse, &c.* Actor. 8. Fel quoad colorem simile est melli, sed sapore & virtute dissimillimum: sic hypocrisis similis virtuti apparet, nihil tamen virtutis habet, sed plena iniquitate est.

I *Quæ ... gelus ... briel ...*

II. Gabriel Angelus de eo prædixit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum*, Luc. 1. Mira etiam sunt ista: Quomodo enim occupavit sedem David? & quomodo regnavit in domo Jacob? Respondeo ad litteram: sedem David typum fuisse supremæ sedis in Ecclesia, adeoque Pontifitiæ, quam primus Pontifex Christus in novo obtinuit testamento, & adhuc obtinet, in cœlo invisibiliter, visibiliter in terra per vicarium suum Pontificem. Domus Jacob Ecclesiæ typus fuit. Primo quia sicut domus Jacob per 12. ejus filios semine carnali propagata & dilatata fuit, ut impleret totam Palæstinam: ita Ecclesia Christi per 12. Apostolos ejus mediante semine verbi Dei, propagata & diffusa est per universum orbem. Secundo quia domus Jacob omnes posteros fideles habuit; non sic domus Abrahæ, quæ Ismaelitas infideles: nec domus Isaac quæ Idumæos. In Ecclesia autem non nisi fideles sunt. Ergo Christus veram, non typicam Davidis sedem accepit, & in vera non typica Jacobi domo regnavit. Constantinus Magnus

I *Acce... rum ... Dav...*

anno

anno 336. divisurus tribus filiis suis regna sua, duxit illos ad tabulam Geographicam; & huic hanc, alteri aliam assignavit regionem, non ut depictas illas regiones possiderent, sed ut veras. Sicut angelus in sede David & domo Jacob, veluti in tabula designat regnum Christi verum. Morali sensu indicatur Christum per labores & persecutiones ascensurum ad regiam suam in cœlo sedem & imperium. Quemadmodum enim David duplicem habuit sedem, primam in spelunca Odollam, cum exul fugeret Saulem. Tunc enim convenerunt ad ipsum omnes, qui erant in angustia constituti & oppressi ære alieno, & amaro erant animo, & factus est eorum princeps, fueruntque cum eo 400. viri, ut habetur 1. Reg. 22. Accesserunt deinde ad eum de filiis Gad, viri robustissimi, & omnes bellatores, ut habetur 1. Paral. 12. Postea mortuo Saule evectus est ad regnum Israel. Eodem modo Christus in hoc mundo, quasi in exilio, habuit quidem sedem regiam, sed pauperem, qualem David in spelunca: fuit enim princeps, defensor & refugium omnium miserorum, & qui peccatorum debitis premebantur, uti Magdalenæ, Matthæi, Zacchæi: discipulorum, &c. Unde ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &c.* Ipse eorum princeps sustinuit persecutiones, contemptus, irrisiones, cruciatus ac mortem denique; sic ascendit ad sedem alteram Davidis, id est, summam in cœlo dignitatem ac imperium. Igitur & nos Christiani, si cum Duce nostro ascendere volumus, hic prius in mundo velut exules simus.

...r labo- ...s com- ...orandu.

2. *Regnatu- ...m in do- ...o Iacob.*

2. Regnaturum Christum in Ecclesia, velut in domo Jacob. Jacob *supplantator* exponitur, sicque appellatus est, quia fratris Esau plantam, dum nascerentur, tenuit, in præsagium, quod eum aliquando supplantaturus & sibi subjecturus esset. Qui enim plantam luctatoris tenet, utique victor est. Igitur vult Christus in Ecclesia sua habere luctatores, qui supplantent subjiciantque sibi mundum per contemptum ipsius. Sic Justinus Præfectus Excubitorum Anastasii Imp. casu aliquando calcans paludamentum Anastasii, prædicitur ab eo futurus in imperio successor: uti & factum, apud Caussinum in Politico Christiano. Qui ergo per contemptum calcant fastum mundi, ad regiam in cœlo ascendent dignitatem: sic supplantabunt mundum. Hinc Apoc. 12. visa est Joanni Ecclesia velut mulier Lunam habens sub pedibus, quasi calcans mundi instabilitatem; quod proinde facere debent filii hujus mulieris, omnes Christiani.

III. *Qua Simō... nex dixit*

1. *...ositum in ...inam & ...surre- ...ionem ...ultorum.*

III. Simeon in hodierno Evangelio duo etiam valde miranda de ipso dicit. Primum: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel.* Quomodo hoc? nonne Christus ipse dixit: *Filius hominis non venit perdere animas, sed salvare?* Respondetur esse positum in resurrectionem directe & ex intentione; in ruinam indirecte & præter intentionem, ex eventu & pravitate malorum, qui Christum rebelles spernunt, quem amare deberent. Sic in domo scalæ fiunt, ut per eas pateat ascensus in superiores contignationes, non ut per eas quis decidat, & sibi crus aut collum frangat. Quod si cæcus aut ebrius quis per eas decidens damnum ferat, non scalis profecto, quæ bono domus factæ, sed sibi imputare debet.

Typus hujus diversitatis visus est in resurrectione Christi, ubi ad ejus conspectum piæ mulieres recreatæ & quasi vivificatæ sunt, impii vero custodes sepulchri facti sunt velut mortui. Sic Judæi, quia Christum pauperem, humilem, morientem pro Messia agnoscere noluerunt, quem optabant, (utpote carnales) & expectabant divitem, potentem, pomposum instar Salomonis; in Christo scandalizati sunt, unde ei magis obligati, debitores & grati fieri debebant. Contra gentes quæ in ipsum crediderunt, per eum ex infidelitate resurrexerunt ad fidem, gratiam & gloriam. Sic etiamnum homines carnales, mundo & voluptatibus dediti, quia vident Christi vitam & legem suis voluptatibus adversari, fidem abjiciunt, quo modo & hæretici, ut carnis libertate potiantur, summum Pontificem, quia ipsis adversatur, oderunt; & fidem Catholicam respuunt, quia libertatem carnis impugnat. At quæ hæc nequitia est, inde sibi exitium parare, unde salutem oportebat? nimirum araneæ sunt: ex flore etiam venenum sugunt, unde apes mel.

2. Secundum: *Positus est in signum, cui contradicetur.* Qua ratione? Respondeo: Quia Christi incarnatio, nativitas, passio, resurrectio, præsentia in Eucharistia, mysteria sunt tam profunda & recondita: vita quoque ejus tam sublimis: mandata & consilia tam perfecta, ut eis multi adversentur; sive quia intellectum suum captivare nolunt: sive quia vitæ & mandatis ejus, carni contrariis, voluntatem suam nolunt subjicere. 2. *Positum esse in signum cui contradicetur.*

Judæi inprimis contradicunt ejus vitæ & miraculis, qui Messiam opulentum expectant & pomposum deliciis affluentem. Sed nonne Christus constitutus est prædicator præceptorum Dei juxta Psal. 2.? Quomodo autem persuasisset hominibus humilitatem, paupertatem, patientiam, si talis fuisset, qualem ipsi requirunt?

Gentiles contradicunt ejus morti, quasi non deceret Dei Filium in cruce mori. Sed cogitare deberent, crucem sponte ab eo electam, ut inde peccatorum nostrorum enormitas, ipsius erga nos amor & misericordia pateret, ipseque compati infirmitatibus nostris, & consolationem, tanquam graviora passus, dare valeret.

Hæretici ejus mysteriis incarnationi, nativitati, justificationi, sacramentis, totique SS. Trinitati; quia ex arrogantia captivare intellectum suum detrectant; & plusquam Ecclesia sapere volunt: Sed illi cogitent illud Apost. ad Rom. 12. *Dico vobis: non plus sapere quam oportet; sed sapere ad sobrietatem.* Catholici mali contradicunt ejus præceptis, dum longe aliter vivunt ac credunt & audiunt à Legislatore suo; quia scilicet terrenarum amore rerum inescati, præsentibus inhærere miseri malunt, quam futura bona inquirere. Quid igitur putatis, audient aliquando tales à Christo Judice? Utique illud: *Nescio vos, non novi vos;* quia mihi dissimiles & contrarii estis. Vespasianus juvenem petentem præfecturam, ea sola de causa

repulit, quod moschum redoleret, dicens, *Malum allium oluisset*. Solebat enim ipse luxum & delicias aversari, vili habitu & fere gregario incedere, uti aliis etiam in rebus temperans valde esse. Suet. in Vesp. Simile quid audient à Christo delicati sectatores mundi: Quid vos à me postulatis, mihi tam dissimiles, imò contradicentes & repugnantes? Apagite vos comptuli, blanduli, delicatuli. Mallem allium oluissetis! mallem una mecum inter bovem & asinum in stabulo jacuissetis! Meam humilitatem, paupertatem, patientiam, temperantiam, obedientiam imitari debebatis; vel si non imitari prorsus, saltem non aversari, nec vitia eis contraria tam perfide consectari. Discedite degeneres mihique tam dissimiles, ad regnum Luciferi, regno meo cœlesti è diametro contrarium.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

THEMATA.

I. *Christus Nazaræus, desideratus cunctis gentibus.*

II. *Christiani Nazareni seu floridi.*

Christus Nazaræus, desideratus cunctis gentibus.

I. *Velut admirabilis.*
II. *Velut Consiliarius.*
III. *Velut Deus.*
IV. *Velut Fortis.*
V. *Velut Pater futuri sæculi.*
VI. *Velut princeps pacis.*

Quoniam Nazaræus vocabitur. Matt. 2.

QUando longa hyems frigore & sterilitate sua valde nos affligit, Solem vernum desideramus, & cum proximos intuemur flores, sublati frigoris nuncios, omnes recreamur. Sterilis & aspera fuit lex vetus sub Judæorum Synagoga, de qua testatur Apostolus ad Hebræos 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Æternam enim duntaxat sanctificationem conferebat, corpus abluebat, animam non mundabat: justitiam internam non tribuebat; unde nec ad beatitudinem, quæ summa est hominis perfectio, perducebat. Lex nova est, quæ vernum tempus & frugiferam æstatem nobis adduxit, omniaque ad maturitatem, ad gratiam & gloriam denique perducit. Et ecce vobis nuncium simul & latorem hujus jucundi veris & fertilis æstatis, *Iesum Nazaræum,* hoc est, *floridum* seu *florem,* quia asperam legis veteris hyemem transiisse nunciat, & ver gratiæ adfert. Testem audiamus sanctum Ambrosium serm. 6. in Psalm. 118. *Ante adventum,* inquit, *Christi, hyems erat; venit Christus, fecit æstatem, Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum. Passus est Christus, & omnia cœperunt nova gratiæ fœcundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, & nubila tetris atra flagitiis, æstiva jam puræ conscientiæ serenitate laxantur.* Proinde subdit mox Apostolus loco citato: *Introductio vero melioris spei,* (supple, fit vel facta est per Christum) *per quam approximamus ad Deum.* q.d. Per Christum intravit major & præstantior spes justitiæ & salutis; quia induxit nova sacrificia, sacramenta, leges & promissiones Novi Testamenti, quibus Dei gratiam ac postremùm gloriam consequi possumus. Hunc florem, hunc Nazaræum, veris hujus nuncium & auctorem, per tot sæcula desiderarunt antiqui illi Patres, in quorum persona loquens sponsa dixit: *Mane surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt: si floruerunt mala punica,* Cantic. 7. Hinc illa tot, tantaque illorum Patrum suspiria: *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Isa. 45. & iterum *Utinam dirumperes cœlos & descenderes!* Isa. 54. Rursum Moyses, *Mitte quem missurus es,* Exod. 4. Christum videlicet. Qui propterea appellatur *Desiderium collium æternorum.* Genes. 49. &, *Desiderium cunctis gentibus.* Agg. 2. Causas hujus tanti desiderii videtur exprimere Isai. cap. 9. cum sex nominum appellationes tribuit Salvatori: *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Phrasi scilicet Hebræa asserens eum talem futurum; qualem certe expectavimus: Admirabilem, Consiliarium, Deum, Fortem, Patrem alterius sæculi, Principem pacis; uti nunc videbimus.

I. *Velut admirabilis.* 1. Primo enim desideravimus videre Deum oculis nostris, qui tot sæculis prius in conclavi cœli latebat, nobis absconditus; ut sciremus qualisnam tandem esset, quæ ejus proprietates & perfectiones; quemadmodum indicat sponsa Cantic. 8. suo illo suspirio: *Quis mihi det te fratrem? sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, &c.* q.d. Deprehendo te quidem in creaturis tuis & in beneficiis quotidianis mihi collatis, sed non video te oculis meis similem mei in humana carne, ut te cognoscam qualis sis. Igitur en, adest creator tuus visibili specie, & vide Deum tuum. Primo admirabilem profecto. 1. *In sapientia.* Admirabilem in sapientia, qui omnem sacram Scripturam novit & memoria tenet, omnes scientias callet & quidem à seipso, nemine docente: novit quid in toto mundo ubivis terrarum fieret: quidquid futurum esset: novit omnium hominum corda, cogitationes, intentiones & arcana, novit uno verbo omnem mundi sapientiam eludere & confundere. 2. *In potentia.* Admirabilem in potentia; quia ecce imperat ventis & mari: & obediunt ad nutum ejus: imperat spiritibus malis, & tremunt ante ipsum: imperat morbis quibuscunque, & fugiunt actutum imperat mortuis, & resurgunt: imperat piscibus maris, & mox se capiendos præbent: unico verbo,

Ego sum, sternit armatam cohortem: paucis funiculis expellit è templo maximam hominum multitudinem: moriens & resurgens commovet cœlum & terram: seipsum à morte suscitat: propriâ virtute & agilitate cœlos ascendit. Admirabilem in bonitate, quia

3. *In bonitate.* pertransiit mundum benefaciendo omnibus, sanando omnes ægros, solando omnes afflictos, pascendo famelicos, recipiendo peccatores, plorando in contumaces & impœnitentes, conversando cum miseris & errantibus, docendo ignorantes, denique à se neminem repellendo. Admirabilem in justitia, quia latro-

4. *In justitia.* nem pœnitentem & gratiam implorantem regni sui consortem fecit, blasphemantem & impœnitentem, deseruit. Petrum post lapsum flentem in gratiam recepit: Judam è contra, electum & dilectum aliquando discipulum postea perduellem factum in æternum abjecit; cruciandum in gehenna: humiles & abjectos in protectionem suam suscepit, superbos & potentes sprevit & abjecit: gentem suam obstinatam & synagogam repudiavit, depressit & bonis omnibus spoliavit: Gentiles vicissim ad obsequium fidei faciles & promptos, luce & gratia sua perfudit atque in filios suscepit.

II. *Velut Consiliarius.* II. Desideravimus Consiliarium & Doctorem, qui summam nostram fœlicitatem, & media ad eam perveniendi, hoc est, viam veritatis, viam Dei & cœli, nos doceret, adeoque suis consiliis, quid agendum, quid fugiendum, nos dirigeret. De hoc locuta est Samaritana cum Christo, quando edoceri cupiit, utrum Jerosolymis, an vero in monte Garizim adorandus esset Deus: *Scio*, inquit, *quia Messias venit; cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.* Joan. 4. Alii increduli multi clamarunt: *Quis ostendit nobis bona?* Psal. 4. quasi dicerent; quis fuit aliquando in cœlo? quis inde ad nos descendit & dixit qui vivendum nobis sit, &c.? Prophetæ homines sunt, & errare possunt: ipsum ergo Deum audiamus. En adest igitur Consiliarius tamdiu desideratus, qui viam Dei in veritate doceat. Moyses & Prophetæ legem duntaxat & voluntatem Dei hominibus proposuerunt; viam vero salutis, pœnitentiæ, justificationis, sanctitatis & perfectionis non nisi obiter & obscure per figuras tradiderunt: Christus omnia hæc & quamplurima alia ad salutem necessaria atque utilia copiose & dilucide explanavit, uti testatur Joannes Baptista. Joan. 1: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* Græce, *declaravit.* Aperuit ex parte & ostendit nobis in monte Thabor thesaurum bonorum cœlestium, in sua transfiguratione; uti & in sermonibus suis ac parabolis: demonstravit etiam pœnas gehennæ variis metaphoris, easque æternas: docuit quid credendum, quid sectandum, quid fugiendum: exposuit viam perfectionis & consiliorum Evangelicorum, admodum securam: non tacuit mundi pericula, scopulos & syrtes caute vitandas; quidquid denique ad salutem consequendam scitu vel factu necessarium est. Quod si ergo prius Dei servis credere dubitavimus, certè ipsi Deo jam diffidere non possumus.

III. *Velut Deus* III. Desideravimus Deum, qui efficaci & inculpabili vitæ exemplo per omnia nos præcederet, ut sequi non dubitaremus. Non enim Judæi soli, sed etiam Gentiles olim talem desiderabant vitæ ducem, qui seducere non posset; unde inter 7. Sapientum dicta celebre illud erat: *Sequere Deum*; teste sancto Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 2. Ratio est, quia solus Deus potest esse perfectum virtutum exemplar, quod secure & sine omni periculo imitari poteramus. Omnis enim homo mendax, labilis & instabilis, qui errare potest, & errat subinde, leviter saltem & venialiter. Deus solus errare non potest. Bene ergo sanctus Augustinus sermone 26. de Tempore ait: *Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur in homine, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus homo factus est.* Atque hic est ille Propheta ab Hebræis desideratus, & à Deo ipsis promissus Deuteronomii 18. verbis illis: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui:* (Moysis) ut non verbo solum videlicet, sed exemplo etiam velut fratres suos educeret, è vitiorum servitute in libertatem filiorum, & per viam virtutum in cœlum induceret. Subditi cupiunt videre Regem suum in suæ nationis vestitu, uti Ungari in Ungarico, Germani in Germanico: talis nobis factus est Deus, pauper, humilis, patiens, obediens, sobrius, &c. quia tales, requirit viatores regnum cœlorum.

IV. *Velut Fortis.* IV. Desideravimus virum fortem, qui præterea nos confractos & debiles in via cœli confortaret. Licet enim viam edocti simus, licet præeuntem nobis Deum videamus, manet tamen adhuc & retrahit nos naturæ nostræ corruptæ infirmitas; quare indigebamus baculo, quo nixi ascenderemus per arduam virtutis viam. Et en adest nobis desideratus ille fortis, qui gratiæ suæ adminiculum velut baculum nobis præbet, quo nitamur in hoc ascensu. Moyses & Prophetæ alii legem Dei hominibus duntaxat promulgabant, explanabant & inculcabant; sed gratiam ad eam servandam non dabant, neque dare poterant. Christo ergo opus fuit, qui gratiam ad implenda mandata præstaret; quod per ipsum esse præstitum testatur ejus præcursor Joannes 1: dicens: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Hanc vero gratiam confert variis modis & ad varias functiones in Sacramentis. Sine gratiæ auxilio similes sumus languido illi ad piscinam, qui dixit: *Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam.* Joannes versu 5. Christus nobis hujusmodi homo factus est, qui nos in piscinas Baptismi & pœnitentiæ immitteret, & in eis persanaret: in aliis Sacramentis gratia sua corroboraret.

V. *Velut Pater futuri sæculi.* V. Desideravimus Patrem, qui nobis pro altera vita futuri sæculi prospiceret & hæreditatem compararet. Parentes hujus sæculi gignunt & inducunt liberos in vitam hanc miseram & mortalem; in alte-

ram.

ram illam beatam & immortalem inducere non possunt. Thesaurizant etiam illis, sed thesauros corruptibiles. Patriarchis illis antiquis eorumque soboli promissa quidem fuit & tandem collata terra lacte & melle manans. Sed quid erat hoc, lacte & melle affluere ad exiguum vitæ spatium? Patres igitur erant præsentis sæculi: de patria futuri sæculi, fœlicissimi & æterni, providere suis non poterant. En igitur adest nobis *Pater futuri sæculi*, qui in vitam alteram nos inducat in eaque beet. Adam genuit nos tempori, Christus æternitati: Adam genuit nos morti, Christus resurrectioni: Adam genuit nos terræ, Christus cœlo. Hinc apposite factum, ut Christo nascente describeretur ab Augusto universus orbis, quo *aperte monstratur*, inquit sanctus Gregorius hom. 8 in Evang. *quod ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.*

VI. *Velut Princeps pacis.*

VI. Desideravimus Pacificatorem & liberatorem à compluribus exactoribus & inimicis nostris. Exigebat enim à nobis Dei inprimis justitia pœnas pro peccatis nostris admissis, semper occinens illud: *Redde quod debes*, cui tamen solvendo non eramus, & unum id supererat, ut venũdari juberemur cum omnibus nostris bonis: Vexabat nos ex altera parte Dæmon, cujus servituti nos addixeramus; qui & premebat nos velut Pharao fœdis luti operibus, de peccato impellendo in peccatum; ita ut resistere ei difficillimum foret. Accedebant homines improbi & efferati, qui robore & potentia sua alios debiliores opprimebant, exossabant, occidebant sine causa, sive subditos, sive alienos, quod queritur per Isaiam Deus c. 52. *Ablatus est populus meus gratis: dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, &c.* id quod tam in Iudæis, quam in Gentilibus fiebat. Unde subdit Deus: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Denique exagitabantur peccatores à propria conscientia, cum qua continuo quasi bellum gerebant. Itaque venit, quem desiderarunt, *Princeps pacis*, qui parietem illum dividentem homines à Deo inprimis diruit & sustulit, reconcilians ima summis. Deinde alligavit fortem, qui nos premebat, Dæmonem, & vasa ejus tulit, ipsum exarmans & nobis illudendum exhibens. Adhæc edomuit Tyrannos & iniquos orbis dominatores, ut Christianam edocti mansuetudinem dimitterent in libertatem mancipia, justitiam colerent & administrarent, ad sacerdotum pedes se abjicerent, pauperes & desolatos alerent ac defenderent, adeoque impleretur, quod hinc futurum prædixit Isaias c. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & ovis & leo simul pascentur, &c.* hoc est, potentes & feroces mansuescent & patientur juxta se vivere pauperes & humiles summa concordia. Denique pacificavit etiam conscientias, dum per absolutionem sacerdotalem eos expedit à peccatorum sarcinis & gratiæ restituit; quod experiuntur omnes, qui ritè confessi & absoluti sunt.

Hæc sunt nomina, hæ functiones Salvatoris nostri, denunciatæ nobis vocabulo *Nazaræi*; floris scilicet illius, de quo Isaias cap. 11. vaticinatus est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet*; Christus de Maria, ut exponit S. Hieronymus cum aliis. Odorem hujus floris senserunt inprimis Pastores, & agnoverunt eum *admirabilem*, ubi *cognoverunt de verbo hoc*; præcones quoque ejus facti in admirationem traxerunt suos auditores. Senserunt deinde Magi, & fragrantia ejus perfusi, agnoverunt *Consiliariũ*, à quo in somnis edocti, repudiata Herodis via & nequitia, spretis etiam & proculcatis idolis, *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*: per viam veræ fidei & Christianæ pietatis in patriam suam cœlestem. Sensit etiam Simeon & agnovit *Deum*, sua morte & passione nos ad gloriam præcessurum, & mox ipse quoque petiit dimitti & mori in pace. Sensit Anna Prophetissa, & agnovit *Fortem*, sese corroborantem ad serviendum Deo in grandæva sua ætate, ad Deum non laudandum modo, sed & aliis prædicandum, eorumque animos in fide confortandos. Senserunt Innocentes pro Christo occisi, ut agnoverunt eum *Patrem futuri sæculi*, à quo & per quem assumpti sunt ad cœlestem hæreditatem, velut à patre filii. Senserunt denique Ægyptii, ad quos confugit, & agnoverunt *Principem pacis*, dum prostratis undique Idolis intelligere cœperunt adesse liberatorem suum, qui jugum oneris & sceptrum exactoris, Dæmonis, ab eis excuteret, adeoque ab hoste pessimo redemptos in pacis ac lucis regione ipsos constitueret; quod & nobis omnibus apprecor.

THEMA II.

Christi Nazareni, h. e. floridi.

I. Quia in cœlo conversationem suam habent.
II. Quia nitent moribus candidis.
III. Quia bonæ famæ odorem spargunt.
IV. Quia melleum saporem fratribus communicant.
V. Quia mansueti & patientes sunt.
VI. Quia suaviter moriuntur.

Dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. 2.

Christianus nomen Nazareni, & spretum, Judæis.

Contingit interdum, Audit. ut quis proprio ense ab alio vulneretur, aut etiam mactetur. Certè id Goliatho contigit, qui proprio gladio à Davide decollatus est; quin etiam, gladius ille funestus in necem Davidis paratus, postea à Davide Deo sacratus est, ac deinde ad hostium cædem adhibitus. Ita contigit Judæis. Volebant illi Christi nomen deprimere & exosum reddere appellando eum *Nazarenum*, quasi vili loco natum. Sed hoc ipsum Christo cessit ad magnam ejus gloriam, quoniam Prophetæ prædixerunt eum sic appellandum, adeoque fore Messiam, & florem illum prædictum ab Isaia capite undecimo, *Egredietur virga de radice Iesse, &*

& flos de radice ejus ascendet. Sic suo gladio Judæi jugulati sunt, & nomen quod ipsi reddere contemptum cupiebant, sanctum & honorabile factum est. Idem contigit eis cum Christianis, quos etiam per contemptum appellârunt *Nazarenos*, uti Tertullus S. Pauli accusator Act. 24. Sed nos isto nomine potiùs gloriamur; tum quia Dominus noster ita appellatus fuit; tum quia pulcherrimam significationem habet; significat enim floridum ac demonstrat Christianorum gloriam, qui revera floridi sunt: ut videbimus.

I. *Quia in cœlo conversationem suã habent.*

I. Flores arborum non in terrâ ut flores alii, sed in alto vivunt: ita conversatio Christianorum in cœlis est, ad Philip. 3. Mundi sectatores, inimici crucis Christi, terrena sapiunt, & quærunt, uti ibidem Paulus præmittit; adeoque flores terræ affixi & è terrâ nati sunt: at non ita Christiani, qui omnem suam spem reponunt in cœlo, ibique velut in sperato termino mentem & cogitationem suam figunt. Qui in aliquo convivio cum dilecto amico dulciter conversatur, cæteros convivas negligit, nec ad cibum & potum multùm attendit; quia corpore cum aliis, sed mente solum cum uno est. Ita Christiani etsi in hac mundi mensâ & convivio sedent, mente tamen in cœlo cum Christo conversantur. Græcum πολιτεύμα quod interpres noster vertit *conversatio*, civile studium significat, quasi diceret S. Paulus: cives cœli sumus, non rustici. Tertullianus in l. de coronâ militis, verba Apostoli prædicta sic legit: *Municipatus noster in cœlo est.* Bene etiam hoc indicat Christianos non debere sibi in mundo quærere quasi stabilia bona, quia hic peregrini sunt & exules. Sicut nemo in remotâ civitate, ubi municipatum suum non habet, emit sibi domos aut hortos & similia; sed ibi, ubi civis est, emit sibi bona stabilia, fundos, ædes. Unde addit ibi Tertullianus: *Dominus Ierusalem ingredi voluit, nec asinum habuit privatum.* id est, non proprium, sed communem; ut scilicet doceret nihil nobis tanquam proprium in terrâ possidendum: natus est in alieno stabulo, sepultus in alieno sepulchro, &c.

II. *Quia nitent moribus candidis.*

1. *Candore puritatis.*

II. Candorem habent eximium ac planè niveum; sicque oculos recreant. Ita Christiani nitere debent primò candore puritatis & conscientiæ bonæ juxta monitum Ecclesiastis c. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida* in quem locum scribit Cyrillus Alexandr. l. 14. de adorat. in Spiritu: *Puto & quidem rectè, nunquam virum sapientissimum Salomonem ad has nugas perventurum fuisse, ut suaderet nobis vestium splendore pueriliter oblectari, sed vitâ splendidâ vestem velut ablutam & ab omnibus sordibus liberam comparat: sic præcipi nobis ut induamus Dominum* JESUM *Christum & novum hominem exuto vetere.* Vult ergo ut candorem puritatis in baptismo acceptum conservemus: in cujus rei indicium & memoriale veste albâ induti fuimus & calceis albis; ut explicat eum locum alter Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4. Ea vestis per octiduum ferebatur & fertur adhuc ab adultis baptizatis, ut moneamur totâ vitâ illâ conservare. Octava enim dies, quia integram septimanam claudit & novam inchoat, totũ vitæ nostræ decursum indicat. Erat hoc puritatis decus primorum maximè Christianorum, quibus varia quidem scelera affingebantur ab Ethnicis, sed probari non poterant. Unde S. Blandina dum totâ die variè excruciaretur, ut conficta in Christianos scelera fateretur, respondit: *Christiana sum: & nihil apud nos admittitur sceleris.* Sur. in Actis. 2. Junii. Possunt autem censeri semper candida vestimenta gerere etiam ii, qui per crebram pœnitentiam se lavant à quotidianis peccatis, & à majoribus sibi cavent; ac si in ea inciderunt, mox se abluere satagunt, ut docet Philo Carpathius in Cantica. At qui hoc non faciunt, similes sunt Nazaræis in captivitate per famem denigratis, quos lamentatur Jeremias Thr. 4. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte &c. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Abjectâ enim gratiæ veste in Dæmonis captivitate degunt, ubi atro ejus colore denigrantur ut carbones.

2. *Candore synceritatis.*

2. Candore synceritatis. Candor enim excedens uti florum aut nivis, etiam in tenebris splendet & abscondere se nequit. Hinc equi albi & columbæ candidæ longiùs cæteris videntur. Sic ergo Christiani ab omni dolo, fictione, mendacio & hypocrisi abhorrere debent. S. Anselmus Archiepis. Cantuariensis, cùm omnis doli & fictionis expers esset, putabat omnes sibi similes; domestici tamen ejus sæpè ipsi imponebant, suamque bursam ex domini bonis perfidè augebant. Quâ de re cùm à Balduino aliisque fidelibus suis moneretur, nimiæque simplicitatis argueretur, respondebat: *Quid est hoc? Nonne Christiani sunt? Et si Christiani, num alicujus commodi causa vellent contra fidem suam scienter mentiri? Nihil est.* Cumq; illi dicerent, ipsos ei similes non esse, *Esto, inquit, malo tamen decipi, quàm credere sinistrum aliquid de ipsis quod necdum verè probatum est.* Ita Edinerus in ejus vitâ. 21. Apr. apud Sur. Filii nõ degeneres sint, parentem sequi debent. Christus pater noster lux est, *& in eo tenebræ non sunt ullæ.* Et vos *lux* estis *in domino, ut filii lucis ambulate*, ait Paulus ad Ephes. 5.

III. *Quia bonæ famæ odorem spargunt.*

III. Odorem quoque gratum habent: sicque odoratum etiam recreant. Christiani quoque odorem bonæ famæ & bonorum exemplorum spargere de se debent, quod videre erat in primis Christianis, teste Apostolo 2 Cor. 2. dicente: DEO *gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt.* Et 2. Cor. 8. *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Ea propter illos admirati sunt Gentiles & ad fidem amplectendam vehementer incitati, ut inprimis Justinus Philosophus, qui cùm eos omni culpâ vacuos & innocentes summo gaudio subire martyria, imò ambire vidit, cogitavit fieri non posse, ut vitiis & voluptatibus addicti sint; apud Sur. 31. Apr. Pacomius etiam miles Gentilis sub Constantino Magno visâ eorum liberalitate, quam maximâ charitate exhibuerunt & ipsi & aliis Gentilibus, ad fidem attractus fuit. Te-

statur etiam ipse Julianus Imperator Apostata & lamentatur in Epistolâ ad Arsacium idolorum Pontificem, (apud Baron. an. 362.) causam incrementi Christianorum esse ac fuisse *benignitatem in peregrinos, curam in mortuis sepeliendis, sanctimoniam vitæ*; eaque à suis imitanda præcepit, ut Gentilismus promoveatur. Nimirum sicut columbæ cicures unguento quodam odorifero delibutæ alias columbas odore suo pelliciunt & ad columbaria sua trahunt, teste S. Basilio ep. 175 ita pii Christiani suis virtutum exemplis alios ad imitandum alliciunt. Unde miratur eos Isai. c. 60. *Qui sunt isti quasi columbæ ad fenestras suas?* Quàm multi sequerentur bonorum operum studium, si alii, primates præsertim, præirent exemplo! Sed eò jam deventum, vel pudeat aliquos præferre facem virtutis ac lucis. Corpus quidem & vestes multi imbuunt odoribus, ut odore alios permulceant, & in eo gloriam captent: animam verò virtutum odore imbuere pudori sibi ducunt, ô cæcitas.

Trip. Dõ. 6. post. Epiph. 6. C. 4. B.

IV. *Quia melleum saporem fratribus communicant.*

IV. Saporem etiam & cibum gratissimum dant apibus, rorem scilicet dulcem ac melleum. Ita & Christianorum est melleum charitatis & misericordiæ rorem suis potissimum fratribus Christianis communicare. Hoc enim est mandatum illud novum, quod Christus tam impensè commendavit, ut diligamus invicem; non quomodocunque, velut proximos tantum, sed velut fratres. Id quod primis Christianis profundè insculptum in cor erat, adeo ut omnibus hospitalitatem exhiberent, abeuntes comitarentur, captivos suis epulis ubertim foverent, ac cum possent multis pecuniis redimerent. Id quod mirabantur Gentiles, quòd videlicet persuasi à Christo suo reputent se omnes esse fratres uterinos. Dicebant enim: *Vide ut Christiani se invicem amant! & pro alterutro mori sunt parati!* ut ex uno patre & matre nati videantur, quos nec natio, nec fortuna, nec lingua dividit. Refert antiquissimus Tertullianus in apolog. cap. 39. Patuit idem sub S. Dionysio Episcopo Alexandriæ, ubi pestis tempore Christiani suis ægrotis summa charitate adstiterunt & eorum causa vitam prodegerunt: cum è contrà Gentiles ibidem suos infectos etiam amicissimos ædibus extruserint, in plateas semivivos projecerint, & canibus lanianda reliquerint eorum cadavera Ut in vita ejus Eusebius, Surius octavo April. Certè Imperator Julianus in epistola supra citata ad Arsacium scribit: *Turpe profectò est, cùm nemo ex Iudæis mendicet & impii Galilæi non suos modò, sed nostros quoque alant, ut nostri auxilio, quod à nobis ferri ipsis debeat, destitui videantur*; jussitque Arsacium passim erigere Xenodochia in morem Christianorum. Denique tanta erat charitas Christianorum erga suos pauperes, peregrinos & captivos, ut templorum fores stiparentur pauperibus, carceres implerentur epulis, & gentilis quidam impostor se Christianum fingeret, quin etiam captivari se faceret, ut Christianorum eleemosynis ditaretur, ac redemptus eorum pecuniis suffarcinatus argento abiret Baron. an. 75. Hos majores nostros imitentur Christiani moderni, cogitent se flores esse & rorem è cœlo accepisse, hilariter proinde communicent apiculis pauperibus: qui profectò ipsis conficient inde favum mellis in cœlo. Adhæc sicut flori & fructui nihil deperit, nisi apes inde rorem exsugant: ita nemo ex eleemosyna facilè depauperabitur. Certè Sanctus Medardus adhuc puer, cùm equos custodiens, unum indigenti dedisset ex commiseratione, postea cum equus unus ab eo requireretur, recensens omnes equos, nullum de numero desideratum vidit. In vitâ Sur. 8. Junii.

V. *Mansueti & patientes sunt.*

V. Lenitate & mollitie sua tactui cedunt, nihil habentes asperi aut duri. Unde nimis delicatus fuit Smindrydes ille Sybarita, qui in florum foliis jacens de duritie lecti conquestus fuit; apud Ælian. lib. 9. var. c. 24. Christianorum est mansuetudine & patientia superare injurias & pressuras omnes, quemadmodum à Christo edocti sumus, id quod objecit Christianis acerbus irrisor Julianus, quando ei conquesti sunt, quòd ab ejus officialibus vexarentur: *Vestrum est pati*, ajebat, *cum affligamini. Hoc enim est Dei vestri mandatum.* apud Socratem lib. 3. hist. Eccl. Malignè quidem, sed verè; quia Christus dixit: *Beati eritis cũ oderint vos homines &c. gaudete in illa die &c.* Luc. 6. Unde Philo Carpatius in c. 1. Cant. ait: *Bene facere & mala pati, Christianorum est.* Demonstrant hoc infiniti martyres, qui suis persecutoribus bona pro malis retribuêre, nũquam autem se vindicavere; quod hoc Christianum non esset. Quare S. Fulgentius Ruspensis Episcopus ab Ariano Presbytero flagellatus & ad extremum decalvatus, cùm quis eam injuriam ulcisci vellet, dixit: *Non licet in hoc sæculo vindictam quærere Christiano. Novit Deus quomodo servorum defendat injurias.* Sur. 1. Jan. Non intelligunt hoc sectatores mundi, qui dedecus esse reputant non se vindicare: nec ferre patienter injurias nôrunt. Audi Senecam lib. de constantiâ l. 2. c. 17. *In Senatu flentem vidimus Fidum Cornelium Nasonis generum cùm illum Corbula Struthiocamelum depilatum dixisset.* At Fulgentius noster non appellari depilatus, sed depilari æquo animo tulit. Et certè quivis Christianus Strutiocameli Stomachum (*ein Straussen Magen*) habere deberet, quo nimirum etiam ferrum & quascunque injurias concoquere posset.

VI. *Quia suaviter moriuntur.*

VI. Quando ex arbore decidunt, volando suavissimè in terram se deponunt, utpote nullo pondere graves. Ita & Christiani ex hac vitâ discedunt placidè, & quasi suaviter volando cadunt, ad cœlum enim evolant, si innocentes aut expiati sint. Unde à Christo & Apostolis dormire & obdormire dicuntur, uti Sanctus Stephanus, qui etiam inter lapides, *obdormivit in Domino.* In quæ verba Gregorius Nyssenus Orat. de Sancto Stephano ait: *Veluti teneris floribus vel rore quodam levi circumfusus in dulcem simul ac beatum somnum delapsus est.* Refert S. Damascenus in vita Josaphat, duos Monachos Abennir Regi mortem eis minitanti, respondisse intrepidè: *Mortem metuunt ac refugiunt, qui fluxis rebus inhærent, & in altera vita nihil sperant; at nos, qui terrenis valediximus & futurorum desiderio tenemur, nec mortis metu, nec præsen-*

præsentium rerum cupiditate afficimur. Non dissimiliter respondit Henrico 8 Angliæ Regi Cardinalis Reginaldus Polus, cum audisset sibi à Rege insidias magnis impensis paratas. Dicebat enim mirari se, quòd Rex tantâ curâ & impensa mortem ipsius expeteret, quam ipsemet optaret, proinde Regem *nil aliud agere, quàm si quis dormitum ire cupienti vestes ipsas exuere velit.* Sanderus in schism. Angliæ.

Vidimus aliquatenus quid sit esse Nazarenum, & quam deceat esse tales omnes Christianos. Superest ut hoc nomen & amemus & cordi nostro inscribamus. Scimus ex vita S. Edmundi, Episcopi Cantuariensis Christum ipsi adhuc puero apparuisse gerentem in fronte sua scriptum: JESUS *Nazarenus*; cumque monuisse ut hoc nomen cordi suo imprimeret, singulis quoque noctibus in fronte pingeret, fore id antidotum contra mortem subitaneam. Utinam & nos nomen Nazareni nobis pari modo imprimeremus, & verè flores ac floridi essemus! certè à mala & improvisa morte securi existeremus, adeoque hoc nomine velut gladio Goliathum illum stygium nullo negotio mactaremus.

DOMINICA I.

POST EPIPHANIAM.

THEMATA.

I. *Ad Primam Christi concionem invitantur varii.*

II. *Quomodo loquendum, præsertim liberis cum parentibus.*

III. *Quomodo amittatur Christus in diebus festivis.*

IV. *Quare Christus eiusque gratia tam citò & facilè à quibusdam perdatur.*

V. *Quid egerit Christus ab anno duodecimo usque ad 30.*

VI. *Quare Christus adolescentiam suam absconditam voluerit.*

THEMA PRIMUM.

Ad primam Christi concionem invitantur varii.

I. *Docet rudes & parvulos, audire catechesin & Dei verbum.*

II. *Docet eruditos & senes, non respuere alios docentes.*

III. *Docet agricolas, ne metuant rebus domesticis, dum adsunt rei Divinæ.*

IV. *Docet cives, ubi & in quorum ædibus quærendus sit.*

V. *Docet filios & filias, plus obligari eos DEO quam parentibus.*

VI. *Docet patres & matres bono exemplo liberis suis præire.*

VII. *Docet subditos & servos parere suis dominis & studere eorum commodis.*

VIII. *Docet Dominos & Magnates subjicere se Ecclesiæ ejusque Prælatis.*

Quid est quòd me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

SAcerdotes Neomystæ, quando primum sacrificium Deo offerre cogitant, solent per Concionatores id denunciare & ad suas, ut vocant, primitias populum invitare. Si ad primum sacrificium decet convocare populum, cur non etiam deceat ad primum alicujus Concionatoris sermonem? Et ecce vobis hodie novum, quanquam admodum juvenculum, reverà tamen sapientissimum & Regium Concionatorem, Christum JESUM, quem hodie in templo Jerosolymitano primum suum sermonem edidisse audimus in hodierno Evangelio. Hic ille Prædicator est, qui Psalm. 2 per os Prophetæ vaticinatus est: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Sermo verò illius primus hic est: *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* brevis quidem & succinctus, sed potens ac salutaris, doctrinarum pondere prægnans. Ad hujus ergo novi & Divini Concionatoris primam & Divinam Concionem vos huc invito, Auditores. Adeste parvi & rudes, adeste litterati & senes, agricolæ & cives, liberi & parentes, domini & servi; quia omnibus vobis & singulis doctrinam offert.

I. Venite rudes & parvuli, audite Concionatorem hunc novum. Quid verò concionabitur vobis? Monet ut verbi DEI audiendi causâ templum sedulò frequentetis, imò & quasi ei affixi adhæreatis, si filii DEI esse cupitis. Auditis enim dicentem: *Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* hoc est, in templo. Sed cur in templo esse debeat? Ut nimirum doctores & audiret & interrogaret, quod fecisse eum ait Lucas, non quòd ipse instructore egeret, qui omnes Doctores instruit, sed ut vos, qui indigetis, templum velut scholam verbi DEI frequentetis. Quid cæco magis optabile magisque necessarium, quàm lumen oculorum? Et quid voluit sibi cæcus ad Jericho tam constanter vociferans! JESU *fili David miserere mei?* Adductus quidem ad Christum optionem accepit petendi quod vellet: *Quid tibi vis faciam?* (Matthæus ait fuisse duos.) Et quid tandem petiit; nihil aliud nisi visum: *Domine ut videam.* Lucæ 18. Et juxta Matthæum cap. 20. *Domine ut ape-*

I. *Docet rudes & parvulos, audire catechesim & Dei verbum.*

ut aperiantur oculi nostri. Quid enim est cæcitas nisi quædam mors & mœror continuus? Adhæc *quàm deformes sunt oculi cæcorum?* ait S. Ambrosius l. de Noë & Arcâ cap. 7. *Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cælum sine sole non habet suum decorem? Tristes sine Sole ducimus dies, noctes sine Luna non placent, Ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, & quædam est in cælo ipso cæcitatis deformitas.* Neque tamen adhuc æquat hæc corporalis deformitas illam, quæ est in animo, ignorantiam rerum cœlestium. Qui enim hoc lumine caret longè miserior & deformior est quam omnes, qui in toto mundo oculis capti sunt. Atqui hoc lumen non præstat nisi Verbum Dei, juxta id Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* At verbum Dei ubi auditur nisi in templo? Unde S. Chrysostomus ho. 16. ad pop. ait: *Vbinam alibi audies, quæ hic meditaris! si in forum iveris, rixæ ibi & pugnæ: si in curiam, civilium rerum curæ: si domum privatarum rerum solicitudo undique affligit: si in fori conventicula & consessus, omnia & illic terrena & corruptibilia: vel enim de venalibus, vel de tributis, vel de lauta mensa, vel de agrorum venditione, vel de aliis contractibus, vel de testamentis vel de hæreditatibus, vel de aliis talibus à cunctis eò convenientibus sermones habentur. Et si in ipsas veneris regias, illic rursum omnes differentes audies de potentia, de gloria, quæ hic honorantur: spirituale verò nihil. Hic vero contrarium totum, de his, quæ in cælo sunt, rebus, de anima, de vita nostra, & quare facti sumus, & quare hic tantum temporis commoramur, & ad quæ hinc migramus, & quid posthac nos suscipiet, & quæ de re nobis corpus luteum, & quæ mortis natura, quid tandem est præsens vita, & quæ futura: & nihil prorsus terrenum, sed omnes de spiritualibus nobis sermones habentur.* Sic ille.

II. *Docet eruditos & senes, non respuere alios docentes.*

II. Venite docti & senes, & audite Concionatorem parvum ætate, sed maximum sapientiâ; qui cùm esset ipsa Dei sapientia, tamen asserit debuisse se morari in iis, quæ patris ejus sunt, hoc est, audire & interrogare Doctores. Quis jam quantumcunque sapiens & eruditus detrectabit amplius aliquid discere & audire etiam se juniores minusque eruditos? Certè sapientissimus Salomon initio statim Proverbiorum suorum c. 1. ait. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Qui clavum navigii tenet, etiamsi sit peritissimus artis nauticæ libenter tamen alios audit navarchos, qui ventos, scopulos, & periculosa maris loca indicant, ut in arte suâ peritior fiat, & navim securius dirigat. Hoc est, quod ait Salomon: *Gubernacula possidebit*; quasi diceret, possidebit artem gubernandi navim quaquaversùm per omnes vias. Dictio Hebræa significat *consilia*, quæ quo plura, eo meliora sunt. Providus enim navarchus non unum tantum sed plura habet gubernacula, ut uno fracto vel amisso, substituat alterum: & navigium prægrande pluribus anchoris & funibus munit, ut rupto uno reliqui teneant. In alto mari navigamus, multa undique pericula sunt, etiam senibus & doctis nondum perspecta; multa ergo arte rerumque cogitatione omnes indigemus, ut nullibi impingamus, Audi Senec. ep. 77. ubi ait: *Tamdiu audiendum & discendum est, quamdiu nescias. & si proverbio credimus, quamdiu vivas.* Alphonsus Arag. Rex sapientissimus lectioni Theologicæ in scholis tradi solitæ, sæpius interfuit: *non pallio & crepidulis inambulans in gymnasio, ut Scipio ille, sed attentissimo animo, & toto, ut ajunt pectore incumbens, quodque & doctis imitandum, & ignavis rudibusque pudori sit, pedes, etsi satis longè distaret auditorium, ad lectionem venire non dubitavit.* Ita de ipso Panormitanus l. 1. dict. & fact. ejus c. 39. Carolus IV. Imp. ad quatuor horas Magistros in scholis Pragensibus audivit: cumque id purpurati ægrè ferrent, suggererentque horam cœnæ effluxisse: *Mihi*, inquit, *minimè effluxit: nam cæna hæc mea est.* Æn. Sylv. libro quarto Comment. Quin imò M. Antoninus Imper. Sextii Philosophi domum cum libro adiisse scribitur. Cui cum Lucius vir sapiens obviasset & rogasset quonam aut cur pergeret? respondit: *Pulchrum etiam senescenti discere. Peto Philosophum Sexti, percepturus, quæ necdum didici.* Ad hoc Lucius: O Iupiter! *Romanus Imperator jam appetente senio gestans librum, qui pueris mos est, præceptorem adit!* Cæl. Rhodig. libro 20. cap. 26. Quid igitur erubescant homines privati discere in templo, si tanti Principes, & jam senes, discere in schola minimè erubuerunt? Porro sanctus Basilius homiliâ 12. in cit. Prov. locum ait triplex esse mare nobis transeundum, seculum hoc n[...]quam, deinde cor nostrum æstuans variis concupiscentiis; denique viam cæli obsessam à pyratis Dæmonibus. Unde patet multâ opus esse cogitatione ad percurrenda ista maria, nec quemquam nimis doctum in arte hac evadere.

III. *Doc[...] agric[...], ne [...]ant [...] domi[...]cis, [...] adsit rei [...]næ.*

III. Venite huc agricolæ, audite Concionatorem novum, qui securos vos esse jubet, dum rei divinæ vacatis; nec quidquam timendum, ne interim res vestræ pereant. *Quid est*, inquit ad Parentes, *quod me quærebatis?* quasi dicat: non potui perire, qui in domo & negotio patris occupatus fui; neque erat, ut pro me anxii essetis, ne perderer, qui causâ piæ peregrinationis Jerosolymam me adduxistis. Videtur illis in memoriam reducere, quod Exo 34. promiserat Hebræis, ex lege ter in anno ascendentibus Jerosolymam ad offerendum: *nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno* quasi dicat: ergo ero solicitus pro te & rebus tuis, dum tu solicitus es pro me: nihil interim rerum tuarum perdes in terrâ tuâ, vel uti dixit Christus sanctæ Catharinæ Senensi: *Cogita de me & ego cogitabo de te.* Non poterat ergo perdi à parentibus filius, ad Dei obsequium adductus Jerosolymam. Idem vos cogitate agricolæ, qui plerumque à templo longè abestis, & pagos ac domos vestras immunitas habetis. Nihil vobis peribit pergentibus ad templum & vacantibus rei divinæ. In vitâ sancti Maclovii Episcopi refert Sigebertus apud Sur. 15. Novemb. S. Antoninus p. hist. lib. 12. capite 8. §. 5. & alii eum navigasse tempore paschali, & cum rem divinam die sacro Paschatis facere desideraret

taret, apparuiſſe quaſi paruam inſulam: (Erat autem ingens balæna inſtar magnæ rupis) in illam exſcendiſſe cum ſociis 180. & miſſam peregiſſe, interim mota bellua omnes conſternatos ad navim fugiſſe, ſanctum verò, Jonæ recordatum, ſacrificium abſoluiſſe; poſt ubi navim omnes inſcenderunt, molem illam depreſſam in undas; ſicque patuiſſe non rupem, ſed balænam fuiſſe. Suſtinuit ergo immanis bellua tot homines in dorſo; quia DEO vacabant, in documentum aliis, ne dum Divinis rebus interſunt, de humanis ambigant. Addo, quod in vita S. Mariani Eremitæ ſcribit S. Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſ. cap. 81. his verbis: *Alterius hominis malitia furis boves abſtulerat, qui apprehenſo veſtigio, & inter infuſos aqua viarum tramites, ad profundas luti voragines perdito, ad ſancti recurrit ſepulchrum, fuſaque oratione dum de baſilicâ fuiſſet egreſſus, advertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boves illos ante ſe cum caballo ex itinere lapſum proſequens adducebat. Turbatus enim fuerat à via, & quaſi amens factus in illam partem, de quâ egreſſus fuerat, mente turbatâ redibat. Cognoſcitque vir ille boves, quos perdiderat, hos recipiens, hominem abſque calumniâ redire permiſit, quia cognovit hoc ſibi per virtutem S. Mariani præſtitum, cùm in illa horâ ſibi reperit perditum, qua ejus adivit plenus fide ſepulchrum: quæ poſtquam geſta ſunt, diligentiore cura confeſſorem DEI plebs cœpit excolere Bituriga.*

IV. …et ci- ubi … in … rum … bus … ren- … ſit.

IV. Adeſte & vos cives, & diſcite à Concionatore iſto, ubi & in quorum ædibus quærendus & inveniendus ſit. *Neſciebatis*, inquit, *quia in his, quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Quæ verba ſic exponit Euſebius Emiſſenus (ſi tamen is eſt auctor) in hod. Evang. *Quid eſt quod me in comitatu infidelium, & extra Eccleſiam eſſe putabatis? Hic eram, hic me quærat, qui quærere vult. An neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt (& inter illos, qui Patris mei voluntatem faciunt) oportet me eſſe?* Vult ergo dicere Chriſtus, ſe non in domo Herodis aut Pilati, nec in turbulentis diverſoriis, nec in civium profanis ædibus eſſe quærendum, ſed in domo patris ſui, & in iis locis, ubi Deus colitur & animæ ſalus, non perditio: cœlum, non terra quæritur; & ubi duo vel tres in nomine ejus congregati ſunt. Videtur huc ſpectare viſio, quam exhibuit DEus Eliæ 3. Reg. 19. quem in monte ſtare juſſit, & ecce *Spiritus grandis & fortis, ſubvertens montes & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus; & poſt hæc commotio: non in commotione Dominus; & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus; & poſt ignem ſibilus auræ tenuis*, & in hoc demum erat & allocutus eſt Dominus Eliam. Rectè meo judicio, ſpiritus grandis ſuperbiam vitæ, commotio terræ avaritiam ſeu concupiſcentiam oculorum, ignis verò concupiſcentiam carnis, gulam & libidinem inſinuat? tres primarios animarum prædones. Ergo ubi ſpiritus ſuperbiæ, & qui inde naſcitur turbo iracundiæ graſſatur in aliqua domo: non eſt ibi Dominus: ſimiliter ubi terra, hoc eſt, aurum & argentum commovetur, numeratur & coacervatur, ubi opum deſiderio terra vertitur; foditur & perfoditur: non eſt ibi Dominus: denique ubi ignis luxuriæ dominatur, vel ignis culinarius perpetuò ardet gratia conviviorum: non eſt ibi Dominus. Ubi igitur invenitur? in ſibilo auræ tenuis, hoc eſt, in pace & tranquillitate, explicatur à Macario hom. 6. in ſibilo, inquam, ſpiritus ſancti afflantis, & inſpirationis ſibilo regentis hominum corda; ubi & pax regnat; quia *factus eſt in pace locus ejus*. Pſal. 75.

V. Docet filios & filias plus obligari eos Deo quam parentibus.

V. Adeſte filii & filiæ huic primæ concioni, quia & vos tangit. Auditis enim Chriſtum proteſtari coram parentibus ſuis ſecundum carnem: ſe plus obligari patri ſuo cœleſti, quàm ipſis, ideoque eis inconſultis remanſiſſe in domo patris ſui æterni, quod voluntas patris id ſuaſiſſet, & zelus animarum, quæ per ipſum in templo ædificabantur. Quando igitur vocamini hinc quidem à Deo ad pietatem, illinc verò à parentibus ad terrenum finem: Quid in hoc bivio agendum? Per calcatum pergite patrem, per calcatam pergite matrem, & ad DEI voluntatem vexillumque Crucis evolate ſiccis oculis, ut ait S. Hieronymus: *Qui* enim *amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus*, ait Dominus Matth. 10. Senſit utique & ſcivit Chriſtus dolores & ſingultus matris ſuæ chariſſimæ; nec non & Joſephi, verùm quia patris ſui cœleſtis voluntati affixus hærebat, & potior ratio habenda erat profectus animarum ſpiritualis, quàm curæ parentum carnalis, ideò lamenta eorum non audiit. Præclarum hujus generoſæ virtutis ſpecimen præbuit etiam Moyſes, adhuc adoleſcens, qui cùm ex oraculo divino (quod ejus patri Amræ datum eſſe, filium ſcilicet Moyſen fore liberatorem populi de ſervitute Ægyptiacâ, ſcribit Joſeph lib. 2. Antiq. cap. 5. idque Moyſi perſpectum & pervulgatum fuiſſe indicat S. Stephanus Act. 7.) didiciſſet Dei voluntatem qua educere aliquando Hebræos ex Ægypto deberet, *fi[illegible]*, inquit Apoſt. ad Hebr. cap. 11. (illius ſcilicet oraculi) *grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.* Potiorem igitur Divinæ vocationis, quam terrenæ, licet regiæ dignitatis, (quam exſpectare ſaltem, velut nepos Regis habitus poterat) rationem habendam eſſe dixit, maluitque Hebræis ſe jungere quam Pharaonis aulæ. Regiam ſucceſſionem poſthabuit hic adoleſcens Divinæ vocationi; quid ni idem faciant filii, qui tam amplam fortunam à parentibus ſuis minimè exſpectant?

VI. Docet patres & matres bono exemplo liberis ſuis præire.

VI. Adeſte & vos patres atque matres: audite quid novus hic Concionator dicat: *Neſciebatis*, inquit, *quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* quaſi dicat: nonne filius ſolet tractare negotia patris ſui, ejus officinam terere, ſtudia ſectari? Qualia enim vos exempla liberis veſtris demonſtratis, tales aliquando conſtitutos videbitis. Ut enim proles communiter referunt vultum, inceſſum & geſtus parentum: ita etiam amant & ſectantur eorum ſtudia, uti docet experientia. Verùm multò id frequentius contingit in vivendi ratione & moribus; quod enim vident in parentibus liberi, id pro regula acceptant, quaſi pulchrum & æquum honeſtumque. Cernere id erat in Rachele, quæ cum marito ſuo Jacob diſcedens è pa-

ternâ domo nihil aliud ſibi ſurripuit ſecumque abſtulit, præterquam Idola patris ſui; cùm alia tam multa & utiliora ſuffurari potuiſſet è prædivite domo. Gen. 31. Nimirum vidit ipſa à teneris, quanto in honore & pretio ſemper Idola, illa, quantamque in illis ſpem habuiſſet pater: hinc illa eorundem amore ineſcata, velut rem pretioſiſſimam ſibique chariſſimam, ex omnibus patris bonis ſublegit, eaque cùm inquirerentur, mordicùs retinuit, ſuper illa ſedendo & ſtramenta injiciendo. Eodem prorſus modo, ſi non ſemper, ſaltem ut plurimùm mores parentum imitantur filii, ſive bonos ſive malos & firmiſſimè adhærent paterno vel materno ingenio. Viderunt eos averſos à Catholica fide? averſionem & ipſi concipiunt & retinent. Viderunt aleis & poculis addictos? idem faciunt. Avaritiæ ſtuduiſſe? eidem operam dant. Impudicos fuiſſe? & ipſi Venerem colunt. Hinc tam feriò DEUS præcepit Hebræis Gentium regiones ingreſſuris Exo. 34. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne poſt quàm ipſæ fuerint fornicatæ* (per idololatriam *fornicari faciant & filios tuos in DEOS ſuos.* Saltant enim filii, ſicut à parentibus cani audiunt.

VII. *Docet ſubditos & ſervos parere ſuis dominis & ſtudere eorum commodis.*

VII. Venite ſubditi & ſervi. Quid vobis puer hic divinus prædicat? Monet ut faciatis voluntatem veſtrorum dominorum: & verſemini in iis, quæ ipſorum ſunt, commodis ac honori eorum pro viribus ſtudendo. Ait enim: *Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* hoc eſt, facere opera pátris mei, docere, animas lucrari, orare, domum ejus ſervare, & ab immunditiis expurgare? Sunt etiam domini veſtri modo aliquo parentes veſtri, quia ſuſtentant, defendunt & amant vos, velut domeſticos & familiares adeoque amicos ſuos. Hinc ſervi Naamanis, non dominum, ſed *patrem* appellant herum ſuum, 4. Reg. 5. Et qui familiæ præeſt, *paterfamilias* vocatur. Vult igitur divinus hic Concionator, ut etjam vos faciatis opera dominorum veſtrorum, illorum bono & profectui, non veſtro aut veſtrorum, propinquorum vel amicorum ſtudeatis domus eorum ſervetis & defendatis ab omni injuria &c. quod vel ipſum vocabulum (*Ehehalten*, quaſi dicas, ſervatores conjugii) indicat. Sunt enim ſervi ex ſententiâ Ariſtotelis, inſtrumenta dominorum velut baculus viatoris, quo ſe & ſuſtentat & defendit. Uti ergo baculus id præſtat homini, ad quod ab eo applicatur: ſic & ſervi herorum exequi mandata & agere negotia debent fortiter ac fideliter, etiam cum neglectu rerum propriarum & ſuorum propinquorum; quod ſanè docuit Chriſtus, dum etiam matrem ſuam deſeruit, & lugere permiſit, ne domum patris ſui & negotium ſibi ab eo demandatum negligeret. Præclarum hujus erga dominum fidelitatis exemplum edidit Alphonſus Petrus Guſmannus, cùm Tariffæ urbi Sanctii IV. Caſtellon. Regis nomine præfectus eſſet, atq; in ea Maurorum obſidione premeretur. Cum enim in eorum numero eſſet etiam filius Guſmanni produxit hoſtis ad muros filium præfecti; mox eum mactaturus in conſpectu patris, ni is deditionem faceret. Verùm tantùm abeſt, ut ob hoc civitatem domini ſui hoſti traderet Guſmannus, ut etiam è muris ei enſem dejiceret ad obtruncandum filium, dicens: nolle ſe, ut ei modus ad occidendum filium deeſſet. Itaque filium ſuum eâdem animi conſtantiâ, quâ gladium porrexerat, coram ſe occidi vidit; raro profectò fidelitatis exemplo. Fulgoſ. l. 4 c. 7.

VIII. Ad clauſulam concionis, (quod ferè ſolent) veniant Domini & Magnates, & vel parum ſecum auferant ex Chriſti concione; qui ſanè eos docet ſubmittere ſe Eccleſiæ ejuſque Prælatis, ut interrogati de vitæ ratione, præceptorum obſervatione ſuæque conſcientiæ conſtitutione, non tergiverſentur ſed rationem reddant, ſeque aut excuſent aut accuſent. Neque enim majores ſunt DEI filio, qui à matre interpellatus, cur parentes ſuos inconſultos deſeruiſſet, humiliter reſpondit, ſeque ob urgentiorem cæleſtis patris voluntatem excuſavit. Nimirum Chriſtus Dominus & filius erat DEI, & filius erat hominis. Quâ filius DEI in actionibus ſuis theandricis independens erat à parentibus carnalibus: non autem qua filius hominis, in actionibus merè humanis. Hunc in modum Principes & Magnates duas quaſi perſonas ſuſtinent; unam quâ gubernant populum: alteram, quâ gubernantur ab Eccleſiâ, velut oves. Quanticunque enim ſint, interim oves Eccleſiæ ſunt. Quare ſi Eccleſia eos interroget. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* transgrediendo præcepta DEI vel Eccleſiæ negligendo toties rem divinam, ſtata jejunia, dies feſtos, paſchalem communionem &c. tenentur reſponſum & rationem dare. Cogitent quid acciderit Regi Oziæ, qui cum adolendo incenſum ſacerdotum munus invaſiſſet, & ab iis redargutus, non reſpondiſſet, ſed minatus inſuper eſſet ſtatim in fronte correptus leprâ, illicoque è templo profugus, regno etiam depoſitus, totaque vita ſua ſolitarius & quaſi exul fuit. 2. Par. 26. Addit Joſephus l. 9. Antiq. c. 11 ſimul terram vehementer concuſſam eſſe, fiſſoque ſupernè templo radium Solis os Regis improbum feriiſſe.

Supereſt nunc ut Concionatori huic divino cor aperiamus, ne fruſtra ſe laboraſſe jure conqueri poſſit; Neomiſtis ſolent ad altare munera offerri: Concionatori noſtro quid offeremus? *Fili præbe cor tuum mihi*, ait Prov. 23. Aperite ei corda veſtra ad excipiendam ejus doctrinam, & magnum munus obtuliſtis.

* * *

THEMA

THEMA SECUNDUM.

Quomodo loquendum, præſertim liberis cum parentibus.

I. Loquantur ſuaviter & modeſtè.
II. Loquantur veraciter.
III. Parcè ſeu paucis.
IV. Tardè & conſideratè.
V. Obſequenter.
VI. Sedatè.

Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? *Luc. 2.*

[Li]ngua [m]a[tur]a ore [s]um[ma] perfi[cit]ur & [diffi]cilè.

QUid eſt, Audit. quòd tam ſerò audiamus Chriſtum Dominum loquentem, anno ſcilicet ætatis duodecimo? Nunquid ante hanc ætatem ſemper mutus fuit? Vel cur non ſunt ſcripta, quæ prius locutus eſt? Non dubium quin prius plurima locutus ſit, ſed more puerili, ætati illi conveniente: anno primùm duodecimo ſapienter incipit loqui, & talia effari, quæ conſcribi voluit ad inſtructionem noſtram. Voluit enim indicare Dominus, linguæ perfectionem, quæ complementum vitæ ſpiritualis; multo labore & ſerò comparari. Quemadmodum enim lingua in embyrone poſtrema animatur, & ad bene loquendum ultimò perficitur: (ante triennium enim rarò infantes loquuntur, cùm tamen alias functiones, ſentire, comedere, ambulare citius addiſcant: rarò etiam lingua ita perficitur, ut omni nævo careat: alius enim blæſus, alius balbus, alius raucus eſt &c.) ſic etiam in moribus linguæ perfectio ultima & difficillima eſt, adeo ut ſanctus Jacobus dicat: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir,* Iac.3. Quare cùm Chriſtus Doctorem linguæ ſe hodie, juvenibus maximè, exhibere voluerit, diſtulit verba ſua nobis aperire uſque ad hanc ætatem. Nunc docentem audiamus. Loquantur ergo.

I. *[Lo]quan[tu]r ſua[vi]ter & [mo]deſte.*

I. Suaviter & modeſtè, non ad contriſtandum, ſed erigendum & conſolandum auditorem. Ita Chriſtus in hoc verbo audiens propter ſe amiſſum contriſtatos fuiſſe ac ſolicitos parentes, quaſi ipſorum culpâ periiſſet triſtitiam & ſolicitudinem eorum abſterſurus: *Quid eſt,* inquit, *quod me quærebatis?* quaſi dicat: nulla eſt culpa veſtra, quod me amiſeritis; nec erat quod ſolliciti propterea eſſetis; quia non eſt veſtra incuria, ſed ex voluntate patris mei cæleſtis ego retro manſi; quare omnem mœrorem ponite. Non ita Jacob patri ſuo locuti ſunt filii quando monſtrantes ei cruentam Joſephi tunicam dixerunt: *Vide an tunica filii tui ſit.* Gen.37. Non ita Julia Auguſto Imp. patri ſuo, quando ab eo reprehenſa ob converſationem cum laſcivis adoleſcentibus, reſpondit: *Et iſti mecum ſeneſcent:* quaſi diceret: ubi ſenuerimus ſicut tu tunc etiam alios mores induemus. Macrob. auct.

II. *Veraciter.*

II. Veraciter. Ita enim Chriſtus reſpondet parentibus, id quod res erat, nimirum ſe manſiſſe ideo in templo, quia magis obſtrictus eſſet patri cæleſti quàm terrenis parentibus; nolens blandiri eis cum veritatis oppreſſione. Jam licet ſemper turpe & peccatum ſit aliis mentiri, magis tamen parentibus, quibus mentem ſuam ſinceriùs aperire tenentur filii, velut ab iis dirigendi: & nequaquam illudere. Mendaces filii & parentum directioni ſe ſubducere volunt, & iiſdem illudunt, quod vel ipsâ naturâ inſtructrice vidit & horruit Jacob adhuc puer, quando edoctus à matre ut ſe fingeret Eſau, ſicque benedictionem patris furaretur, renuit primo dicens: *Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Gen.27. Id quod certè ex parte fratris contigit. Nam perſuaſus à matre mentitus eſt patri ſe eſſe Eſau, licet veniali tantum & officioſo mendacio; eo ipſo tamen odium non quidem patris, ſed fratris incurrit, capitale & perpetuum, ita ut fugere eum cogeretur, nec facile amplius in aſpectum ejus venire auderet, quod odium etiam derivatum eſt in utriuſque poſteros. Ita nimirum modica mendacii ſcintilla maximum excitat incendium, & graviſſimum malum. Unum enim mendacium de domo vel familiâ, præſertim religioſâ, ſparſum, quantum damnum facit? quot æmuli eorum applaudendo, alii indignando, imprecando alii graviter delinquunt? Parum nivis pede commovit avicula quædam in ſummo Defrinorum montium vertice, quæ deorſum ſenſim deſcendens & in pilæ formam ſe revolvens ſemper aucta in tantam crevit amplitudinem, rotata uſque in imum montis, ut oppida deſtruxerit maximâ ſuâ mole, teſte Olao Magno l.2, c.13. Nix fuit mendacium Jacobi, & quod oppida poſt deſtruxit inter Iſraëlitas & Idumæos? Unde bene monet Eccleſiaſticus. c. *Noli velle mentiri omne mendacium; aſſiduitas enim illius non eſt bona.*

III. *Parcè ſeu paucis.*

III. Parcè ſeu paucis. Ita Chriſtus paucis verbis ſe purgavit & nullum verbum ultra addit. Paucis enim ita ſatis fecit & tam multa dixit, ut haberent parentes, quod accuratius expenderent. Sic ergo parcè & ſolidè loquendum, maxime liberis, ne videantur velle eſſe prudentiores parentibus eoſque docere; quod ſtultitiæ ſignum eſt & merito ægrè fertur à parentibus. Ne ſint velut porticus illa ſeptivoca quæ una voce accepta reddebat ſeptem, apud Lycoſt. f. 115. in ſimilit. Qui enim multa loquuntur, videntur cauſæ ſuæ diffidere, & cum primis parentibus turpitudinem ſuam foliis verborum velare velle, unde facile capiuntur in ſermone, ſicut purpura dum acutam & longam ſuam linguam extendit ad piſcandum, & perforat cætera conchyliacâ apprehenſi capiuntur à piſcatoribus. Pierius libro 28 Plinius 9. cap.39. Ariſt. de nat. animalium l. 7. cap.34. juxta id Prov.10. v.10. *ſtultus labiis verberabitur.* Chald. *capietur.* Sed à quo capietur? A ſeipſo primum, dum ſæpe ſui immemor contra ſeipſum, vel

cont-

contraria loquetur. Deinde ab ipso Dæmone, qui & auctor est garrulitatis ac vaniloquentiæ simul & accusator. Id præstitit in quodam Franco de Germaniâ, ut scribit S. Hieron. in vitâ S. Hilarionis, qui Constantii Imp. Candidatus ab ætate tenera à Dæmone obsessus, Gazam ductus ad S. Hilarionem multa & Syrâ & Græcâ linguâ quarum neutram didicerat garriebat, & quo ordine intrasset, Abbati exponebat. Verùm Sanctus: *Non, inquit, curo, quomodo intraveris, sed ut exeas, impero.* Sicque expulsus est. Viderint ergo qualem Magistrum habeant garruli & vaniloqui. Quibus garrientibus etiam dici posset: non curo quomodo hoc vel illud garrias, sed ut taceas, volo.

IV. *Tardè & considerate.*

IV. Tardè & considerate. Sic enim Christus, cum duo ipsi proponeret mater: *Quid fecisti nobis sic?* Et *pater tuus &c.* non respondit statim ad primum, nec interrupit sermonem matris; sed exspectavit donec absolueret, posteà loquens. Hunc in modum non præcipitanter & inconsiderate, sed cunctanter & præviâ consideratione loquendum. Hoc est quod docuit Ecclesiasticus c. 32. *Adolescens loquere in causâ tua vix,* (ægrè & tardè sc.) *Si bis interrogatus fueris, habeat caput* (id est, summam vel rationem) *responsum tuum* quasi dicat: priùs benè pondera, quid respondeas, posteà responde succinctè & cum ratione. Idcircò enim natura duas aures & unum os ac linguam dedit homini, ut bis audiret, priusquam semel loqueretur: nec docere antequam discat audeat. Hinc Deus dicitur Ezechieli cap. 16 v. 12. dedisse inaurem super os ejus: *Dedi inaurem super os tuum.* Sed quid inauris ori servit? quia priùs audiendum quàm loquendum. Ergo permittit Deus comptulis ut gerant inaures; sed in ore, non in auribus: hoc illorum ornamentum est: Evagrius à quodam sene dogma salutis petens, hoc responsum tulit: *Si vis salvari, quando ad aliquem vadis, non priùs loquaris, antequam te ille inquirat.* In vitis PP. lib. 5. c. 19. de discretione. Fac hoc mi adolescens, & quicunque alius: & multum id tibi proderit ad salutem comparandam.

V. *Obsequenter.*

V. Obsequenter; ita nimirum, ut respondeas cum interrogatus fueris: nō malitiosè taceas. Ita Christus, sui licet potestatem habens, interrogatus cur solus remansisset, non abnegat responsum: sed velut morigerus filius respondet ac rationem reddit; qui cum Deus esset & jam tum inter Doctores in honore & admiratione foret non dedignatur respondere parentibus & subjicere se illis. Contra hoc agunt illi, qui ex perfricta fronte vel malevolentia interrogati non respondent: uti Cain qui à Deo rogatus: *Quare iratus es & cur non concidit facies tua?* ex contumacia & contemptu ne verbum quidem respondit, tegens iram suam; iterum interrogatus: *nonne si bene egeris, recipies? sin autē malè, statim in foribus peccatum aderit?* necdū respondet vel unum verbum. Ad extremum interpellatus: *Ubi est Abel frater tuus?* respondit nequiter: *nescio*; cum tamen ipsum occidisset, & occisum abscondisset. Ei non absimiles fuere Pharisæi. Luc. 14. Interrogati enim à Christo: *Si licet Sabbatho curare,* malevolè tacuerunt, parantes accusationem & clam indignantes; similes canibus dolosis, qui non allatrant advenas, sed incautos mordent. Non respondere filios parentibus nec loqui, cum jubentur, eos est despicere, & imperium illorum flocci pendere. Scimus autem quid dicat Sapiens Prov. 30. *Oculum qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus.* Doctor hujus silentii est Dæmon, ut ostendit B. Petrus Damiani in ep. 21. ad Damianum Monachum l. 6. Epist. de quodam Mariano Monacho, qui à Dæmone in formâ *Angeli lucis* sibi apparente edoctus, ne, qui cum Angelis loqui consuevisset, deinceps loqueretur cum hominibus, protinùs silentium sibi indixit, ut nec cum fratribus, nec cum superiore suo loqui vellet amplius. Quare Abbas in cellulam ejus vi irrumpens, flagris eum cecidit, usque dum loqui compelleret; sicque delirantem ad sanam mentem reduxit. Neque melius remedium parentes adhibere possunt ad contumaces filios, ex malitiâ silentes, ut loqui eos doceant, cùm loquendum est.

VI Sedatè; uti Christus, dum per modum nescientis vel dubitantis interrogat: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis &c.* non ait: non debebatis me quærere: sed cogitare potiùs &c. non sic, sed quasi dubitando, vel potius ex humilitate mirando, cur pro ipso tam soliciti essent, eo quod in custodia sui patris esset. Sic etiam inter Doctores loquebatur: interrogans nimirum & interrogando humiliter eos erudiens. Ergo boni filii, quando parentibus aliquid insinuare volunt, etiam quando ipsi errarent, modestè id faciant, per modum interrogationis vel supplicationis, non reprehensionis aut objurgationis. Sic Jonathas iratum patrem facilè placavit loquendo pro Davide: *Ne pecces Rex in David servum tuum, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde.* Quod cum audisset Saul placatus voce Jonathæ juravit: *Vivit Dominus, quia non occidetur.* 1. Reg. 19. Contra quando posteà cap. seq acerbius patri dixit: *Quare morietur? quid fecit* iram patris in se derivavit atque armavit, ita ut Saul arriperet lanceam, volens percutere eum. Bene igitur Sapiens Proverb. 15. ait: *Responsio mollis frangit iram: Sermo durus suscitat furorem.* Sic Philippum I. Christianum Imp. in ludis publicis indecentiùs cachinantem Philippus filius vultu averso tantum notavit. Burel. Vict. in Philippo apud Baron. an. 249. Impegit è contrà in hoc graviter adolescens quidam nobilis, Flexiæ in Gallia natus, quod ex recenti memoria & teste oculato P. Henrico Compegio Soc. nostræ scribit Philip. Doultreman p. 1. Pædag. Christ. cap. 6. §. 3. *Hic cum à parentibus tantum pecuniæ, quantum petierat, non accepisset, litteras, ad eos dedit diris convitiis ac maledictis plenas. Sed eas vix miserat, cùm subito ita omni audiendi facultate spoliatus est, ut ne vel tormenti bellici fragorem perciperet. Malo isti diu quæsita per Galliam remedia, sed frustra. Statuit ergo adolescens à cœlo petere, quod in terra negabatur. Eam ob rem Lauretum, ad misericordiæ matrem properat, ubi positis ritè anteacta vita maculis, indictisq; sibi novem dialibus, in sacra B. Virginis ade, precibus,*

Deum

Deum per matrem placare aggreditur. Proximè aderat dies, quo ejusdem S. Virg in cælos Assumpta memoria colitur solemniter, cùm in ejusdem diei pervigilio, secundum quietem nocte videre sibi visus est Matronam augusta specie cum utroq; parente cubiculũ ingredientem & ab hu percunctantẽ: Essetne iste eorum filius? quibus annuentibus; accessisse ad lectum; immissoque in aurem digito, chartam eduxisse, & explicatam legendam proposuisse: legisse verò ipsa illa impietatis sua carmina, qua nuper parentibus exarasset. Super qua evanescente viso, expergefactus Adolescens, restituto in integrum auditu ad P. Compegium sibi à confessionibus accurrit, & in ipsa sacrâ Virginis Matris ade jurejurando rem sibi evenisse testatur an. 1613. Diogenes in quemdam, qui patrem suum despiciebat, ait: *Non te pudet contemnere eum; cui debes hoc ipsum quod tibi places?* Laërt. l. 5. Et Plato videns quemdam apud patrem suum fastuosius agere ac loqui: *Non desines adolescens*, inquit, *illum contemnere cujus gratiâ altum sapere vis?* Stobæus serm. 73. Parentes præsertim senes maximam sentiunt consolationem ex modestis & dulcibus filiorum alloquiis. Et sicut fructus arboris vitæ in paradiso prorogasset vitam hominibus: sic liberorum humiles sermones prorogant quasi vitam parentibus. Unde Prov 15. dicitur: *Lingua placabilis lignum vitæ.*

Audivimus Magistrum eloquentiæ Christum, vidimus etiam artis hujus non parvam difficultatem. Quare inprimis juvenes incipiant tempestivè & à teneris artem hanc addiscere postea in adultâ ætate vix amplius comparandam. Sententia est antiquorum, infantes qui exacto triennio non loquuntur, postea linguâ præpeditos fore; unde silentium picturi, scribebant numerum 1095. (tot enim sunt dies in triennio) in Hor. Hierogl. Pari modo, qui in pueritiâ & juventute bene loqui non addiscit, reliquâ vitâ malè loquetur: *Puer autem centum annorum morietur*, inquit Isaias c. 65.

THEMA TERTIUM.

Quomodo amittatur Christus in diebus festivis.

I. *Amittitur labore servili.*
II. *Nundinatione & simili negotiatione.*
III. *Compotationibus & conviviis.*
IV. *Vestium luxu.*
V. *Ludis & choreis.*
VI. *Otio & ignavia.*

Remansit puer IESUS in Ierusalem & non cognoverunt parentes ejus. Luc. 2,

MIra res! Aud. in solemni Paschatis Festo Christus amittitur. Nónne si toto anno perditus fuisset, in Paschate, ubi omnis Judæorum populus Jerosolymam confluebat, ibi reperiendus crederetur? Et tamen ibi perditus fuit. Quod autem contigit ibi Christo semel absque parentum culpâ: hoc idem & sæpissimè quidem contingit ei adhuc, sed Christianorum culpâ. Hi namque in diebus festis amittunt Christum ejusque gratiam, in quibus eum invenire, si perdidissent, deberent. Unde S. Chrysostomus hom. 1 de Lazaro ait: *Accepisti Sabbatum, ut animam tuam liberares à vitiis; tu verò tum magis illa committis.* Graviter aliqui, sed hæretici, accusant B. Virginem, quod amiserit Christum: impiè & immeritò. Nos accusandi sumus, qui per nostram culpam iis ipsis sacris diebus, quibus Christi gratiam invenire oporteret, perdere solemus. Sed quomodo, inquis, factum est, ut Christum parentes perderent? Facilè hoc contingere potuit, Christo se subducente, quando manere in Jerusalem voluit. Quæramus potius nos, quomodo contingat, ut Christum nos perdamus in festivis diebus.

I. Perdimus eum labore servili, non necessario & diutius protracto. Licet autem, si necessarius sit vel brevis valde, peccatum grave non inducat; facilè tamen contingit, ut quis amore proximi cæcatus necessarium judicet, qui necessarius non est vel diutius protrahat quem citius expedire intendit. Sanè in vitâ S. Aichardi Abbatis Gimesiensis scribit Fulbertus, cum is aliquando negotiis distentus sub noctem imminentis diei dominicæ curaret capillum sibi attonderi, Dæmonem ab eo visum, capillos detonsos colligentem ac numerantem, ut eos principi suo Lucifero deferret; apud Sur. 15. Sept. Ita omnino sæpè existimamus fieri die festivo aliquid debere, quod bene in alium diem differri posset, vel anteverti; unde fit ut coram DEO transgressores efficiamur. Quam multi diebus non festivis otiantur, sedent in tabernis vel ad aleas, qui posteà adventante Dominicâ die ex necessitate sibi laborandum existimant!

I. Amittitur labore servili.

Alii servos saltem suos aut subditos occupant laboribus per Festivos dies; non multò miniores Pharaone, qui laboribus oppressit Hebræos, ut non possent cogitare de sacrificio faciendo. *Ite ad onera vestra*, ajebat, *vacatis otio & idcirco dicitis: Eamus & sacrificemus Domino. Ite ergo & operamini.* Exod. 5. Ponit aliis Diabolus nunc hoc nunc illud obstaculum adeundi templi, donec missæ tempus elapsum sit, eo ferè modo, quo dicitur aliquando Nathan Prophetam retraxisse à proposito sanctissimo maximeque necessario. Cum enim intellexisset Nathan, ut scribunt Epiphanius, Dorotheus & Chronicon Alexandrinum (quantâ auctoritate nescio) Davidem inclinare ad gravissimum adulterii lapsum: illico è patriâ Jerosolymam advolavit, ut lapsum ejus anteverteret, sed Diabolus in via objecit illi corpus exanime, quod ille, dum sepulturæ, ne à feris laceraretur, traderet, tempus interim extraxit, quò minus tempestivè ad servandum Davidem adventaret: sicque ubi prophetico spiritu intellexit, crimen à Davide jam admissum esse, mœrens domum reversus est. Ita sæpe Dæmon objicere solet hominibus pia quædam opera, sed non necessaria, nec præcepta, ut illis occupatos & detentos retrahat à necessariis & præceptis.

II. *Nundinatione & simili negotiatione.*

II. Nundinatione vel simili negotiatione, dum ad nundinas hinc inde discurrunt, nec rem divinam curant: vel domi cauponariam exercent, missâ neglectâ, ut nummos venentur. Itaque pecuniam curæ animæ suæ & præcepto Ecclesiæ præferunt. Quâ de re Ecclesiast. c. 10. ait: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quia in vitâ suâ projecit intima sua.* quasi diceret: non solùm merces & vinum suum, sed etiam animam suam amore lucri vendit: & effundit viscera sua, committens se navigationibus periculosis, itineribus, vigiliis & laboribus continuis: simulque rem divinam diebus festivis negligens. Adhæc, tales nundinas sæpe injustitiæ comitantur. Quemadmodum enim filiæ Madianitarum Num. 25. proposuerunt initio decipiendis Hebræis cibos tantùm Idolothytos, posteà pellexerunt eos etiam ad libidinem, denique ad idololatriam: sic initio mercimonia proferuntur; tum perjuria, denique injustitiæ & doli innumeri committuntur. Atqui hæc talia plusquam servilia opera sunt, (*qui enim facit peccatum servus est peccati.* Joan. 8.) festivis diebus magis in festa quàm labores. In vita S. Eduardi Angliæ Regis apud Sur. 5. Jan. legimus S. Petrum piscatori cuidam promisisse copiam piscaturæ abundantem, quoad viveret ejus progenies, modò ne ultrà piscari auderent in Dominicis diebus, idque eventus probavit. Similem benedictionem exspectare possunt à DEO, quicunque ejus festa sedulò observant.

III. *compotationibus & conviviis.*

III. Compotationibus & conviviis, quæ festivis potissimum diebus solent institui. Quæ quidem si intra limites temperantiæ se continerent, tolerari possent, sed in eis tamen sæpe Christus perditur.

1. dum diu nimis protrahuntur: ex quo festum DEI fit festum Bacchi & ventris; de quo Malach. 2. DEUS indignabundus ait: *Dispergam super vultũ vestrũ stercus* (70. Int. legunt, *ventrisulum*) *solemnitatem vestrarum.* quasi dicat: vos habetis festa ventris tantùm & vertitis ea in stercus, sicut ventriculus cibos, Eo vos aspersos in confusionem dabo.

2. Secundò dum aliqui saltem ob societatem & in gratiam aliorum se inebriant: unde quemadmodum ab Amalec, qui populus lambens vel lingens exponitur, postremi agminis Israelitici cæsi sunt, Deut. 25. ita qui postremi à conviviis vel cõpotationibus surgunt, fere saucij à vino & ebrij semper discedunt. Fit etiam communiter ut alter alterum retineat, *quia sicut spinæ se invicem complectuntur: sic convivium eorum pariter potantium,* ait Nahum c. 1.

3. Tertiò dum in talibus conviviis miscentur detractiones, turpiloquia, derisiones, clamores, jurgia &c. Unde fit ad extremũ conviviũ Herodis, quod in natalis ejus honorem institutũ, primo quidem hilare & jucundum fuit: post, ubi ejus juramento & iniquissimo mandato caput Joannis abscissum & in disco allatum fuit, factum est ferale, crudele & anthropophagicum.

4. Quartò dum tot, tamque diuturnis conviviis occupantur coqui & coquæ, imò fere omnes domestici: ita ut nec manè sacrum, nec vesperi concionem audire queant, magno salutis ipsorum detrimento, quod etiam in dominos recidit. Sicque contingit ferè id, quod apud gentiles olim, & in novo orbe adhuc fit, ut mortuo & in rogum deposito domino, etiam servi cum ipso comburantur.

IV. *Vestium luxu.*

IV. Vestium insolenti ac nimio ornatu. Etsi enim honestior habitus ad decorem festi gestatus laudandus est; ubi tamen à scopo isto aberrat, in perniciem propriam & alienam cedit. Qui ad honorem festi decentius se vestiunt, id faciunt etiam, quando in publicum non prodeunt; uti Thomas Morus Angliæ Cancellarius, qui etiam in carcere pro tuendâ Ecclesiâ detentus, honestius se vestiebat in Dominicis & festivis aliis diebus, præcisè ad honorem festi. Sed non sic alii omnes. Multi in iis diebus expandunt retia sua contexta multo labore, veluti araneæ, ut muscas capiant, vanos scilicet rumusculos, quò videantur ab hominibus instar pavonum, qui cum laudantur & spectatores habent, expandunt stellatum orbem suum: cum negliguntur aut vituperantur, abscondunt. Rursum dum comuntur & poliuntur suaque retia texunt, rem divinam sæpe negligunt; sicque cum fatuis illis virginibus, dum eunt emptum oleum pro ornatu lampadum & diutius morantur, adventum sponsi negligunt.

Denique suo illo ornatu machinantur aliis perditionem, non secus ac mulier illa fornicaria in Apoc. 17. quæ prodiit in Dominicâ die (tali enim die vidit in spiritu Joannes suam Apocalypsin Apoc. 1.) *circumdata purpurâ & coccino & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu suâ* (alliciendis scilicet ad bibendum hominibus) *plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus.* Quid hoc aureum poculum, nisi voluptas carnis, plena veneno?

V. *Ludis & choreis.*

V. Ludis ac choreis. Etiamsi enim honesta animi relaxatio vetita non est in sacris diebus, facilè tamen contingit, ut per excessum perdatur Christus. Primo, quia dum quis ludo multum perdit, facilè irascitur, execratur & blasphemat: quin & interdum in desperationem actus furatur, rapit, occidit. Hinc S. Basilius Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ sanctissimus, subinde diutius detinebat suos in concione festivis diebus, ne mox ad ludos abirent. Sic enim ait hom. 8. in Hexam. *Si longiusculo tempore vos detineo, non inutile profectò fuerit. Quid enim agat aliud quisquam vestrûm ab usque tempore hoc ad Solem usque cadentem? &c.* Et mox: *Si vos dimisero & concilium hoc dissolvero, sunt qui protinus ad tesseras aleasque sese conferant. Iuramenta sunt illic contentionesque per graves ac avaritiæ partus, spiritus malignus assistit, furorem cunctis ossibus illis ludentium insaniamque accendens. Easdem ille pecunias nunc ad hunc nunc ad alterum transfert. Atq; modò hunc victoriâ effert, illum victum mœstitiâ premit: modò contrà illum elatum, hunc demissum ostendit.* Itaque ex illius sanctissimi viri sententia Diabolus cum lusoribus velut pila ludit: nunc in sublime fastus & lætitiæ eos efferens, nunc

in

in profundum abjectionis, mœstitiæ & desperationis deprimens. Exemplo sint duo Angli juvenes: Joannes Stuardus Angliæ Regis cognatus, & major natu filius Baronis Warthonis. Hic cùm Stuardum in lusu mendacii arguisset, colaphum ab illo accepit. Hinc contentione ortâ prope Londinum duello instituto mutuis se vulneribus ambo confecerunt, anno 1609. refert Emmanuel de Mettern. l. 29. hist. Belg. Deinde quia frequenti ludo inardescit ludendi cupiditas, ut abstinendi vix fit modus. Unde Plato dicitur adolescentem reprehendisse ludentem; cumque is, parum esse pro re non magna ludere, diceret: *At non parum est*, ait *assuescere.*

VI. *Otio & ignaviâ.*

VI. Otio & ignavia. Ad quietem quidem corporis concessi sunt festivi dies; sed non ad otium & ignaviam: hæc enim sunt pulvinar Dæmonis. Unde S. Chrysostomus conc. 1. de Lazaro ait: *Quòd sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Nam sacerdos eo die duplum fecit operis, qui quotidie, non nisi unicam hostiam offerre solitus, sabbatho jubetur offerre geminam.* Itaque pia vel honesta saltem occupatio quærenda est. Dormire eousque, quoad missa negligatur, duplex peccatum est: spectare perpetuo è fenestra homines, periculosum est: quia id Davidem evertit. Nihil omnino agere, tempus perdit & docet malè agere. Ut enim lapides molares si vacui currant, non affuso frumento seipsos atterunt, quin & molendinum, excitato per affrictum vehementem igne, incendunt: ita mens hominis vigilantis, quia semper in aliquo motu & cogitatione est, nisi rei honestæ objecto sese occupet, seipsam otio perdet & ignem variæ concupiscentiæ in seipsa & annexa carne excitabit.

Ita demum fit, ut festa non jam Dei festa, sed nostra fiant; dum ferè totum diem ad nostras voluptates trahimus. Unde Isa. 1. ait: *Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens.* Impleturque in Dæmone vel saltem in mundo, quod dicitur de Nabuchodonosore, Habac. 1. *Totum in hamo sublevavit. Super hac lætabitur & exultabit.* Vel certè quod Amos. 3. dicitur: *Quomodo si eruat pastor duo crura de ore leonis, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israël.* Duo crura, duo sunt pedes, quibus ad audiendam missam, itur, extremum auriculæ est particula concionis auditæ. Hæc solummodo portiunculæ in Dei manu remanent: totum reliquum festivitatis tempus aufert secum Diabolus in multis saltem hominibus, quandoque etiam totum festum diem sublevat in hamo; videlicet in illis, qui nec ad rem divinam accedunt. En quot modis & quàm facilè perdamus Dominum Jesum! Et non dolebimus nec præcavebimus tantam jacturam? Considerate quantum doluerint B. Virgo & Joseph ob amissum Jesum, tametsi eum secundum corporalem tantùm præsentiam & ad breve tempus nullâ suâ culpâ perdiderant. Quanto plus dolendum, si quis ejus gratiam suâ culpâ perdat? Heli cùm audivit Arcam fœderis ab Israëlitis perditam, & ab hoste captam, præ dolore cecidit de sella retrorsùm & fractis cervicibus mortuus est. Nurus ejus similiter præ dolore pariens extincta est. 1. Reg. 4. Longè majus damnum facimus ac patimur, cum Christum ejusque gratiam per peccatum perdimus. Doleamus ergo, si hoc fecimus; si non fecimus, caveamus; ne cum dolore eum requirere cogamur, forsan non inventuri.

THEMA QUARTUM.

Quare Christus ejusque gratia tam citò & facilè à quibusdam perdatur.

A multis post has ferias iterum perditur Christus.

I. Cùm descendimus & remittimus à concepto fervore.

II. Cùm propositi nostri obliviscimur.

III. Cùm turbis malarum societatum nos miscemus.

IV. Cùm non curamus vitare peccata venialia.

V. Cùm priorum peccatorum dulcedinem in memoriam revocamus.

VI. Cùm Dei gratiam acceptam non æstimamus, quanti æstimanda est.

VII. Cùm temerè putamus, non esse periculum, ubi tamen est.

Remansit Puer Jesus in Jerusalem: & non cognoverunt parentes ejus. Luc. 2.

A multis post has ferias iterum perditur Christus.

BEne dixit Sapiens Prov. 14. *Extrema gaudii luctus occupat.* Gavisi sumus per hos dies, quando Christum Salvatorem invenimus cum pastoribus, & rursum cum tribus Regibus. Sed en quàm breve gaudium! Hodie, quem invenimus, iterum perdimus. Quanquam luctus iste non diuturnus fuit, nam post diem tertium rursum invenimus eum. Magis dolendum est, quod multi Christiani, postquam his diebus invenerunt Christum & in corde suo reposuerunt, iterum deperdant, longè majori damno suo, quàm perdiderint eum parentes ejus. Et quomodo tandem fit hoc? cujus culpâ & incuriâ? *Non cognoverunt parentes ejus*, ait S. textus de Christi amissione. Puto idem multis contingere, nescire se quomodo perdant Christum. Videamus igitur nunc, quomodo id contingat.

I. *Cùm descendimus & remittimus à concepto fervore.*

I. Christus fuit perditus in descensu parentum ex Jerusalem, non in ascensu. Simili modo contingit ut Christum amittamus, cùm descendimus à concepto fervore & relaxamus pia opera, quæ in ascensu ad pœnitentiam facere incepimus. Novimus enim ex Domini verbo, Diabolum semel ejectum, quando invenit domum, è quâ pulsus est, vacantem a bonis scilicet operibus, reditum moliri & facilè invenire.

Sed dices: Si domus scopis mundata & ornata est, quomodo Dæmoni parata? Respondeo mundari scopis domum, non solùm ab industria matrefamilias, quæ à sordibus eam purgat; sed etiam ab otiosa & prodiga, quæ sua inertiâ & prodigalitate paulatim supellectilem omnem ipsamque

domũ exhaurit, oppignorat aut vendit: tunc enim domum ſuam adornat & emundat, non ſibi ſed creditori. Ita qui cor ſuum virtutibus evacuat & bonis operibus deſtituit, peccata venialia ſine metu committit, is parat & expurgat eam ad habitandum Dæmoni. Amalecitæ poſt peractam & abactam prædam ex Siceleg, in campo diſcumbentes, comedentes & bibentes, dum ſecuri jam quaſi feſtum celebrant inermes, à Davide ejuſque militibus obruuntur & cæduntur prædàque ſpoliantur. 1. Reg. 30. Sic fortaſſe jam dicent aliqui, ſpoliavimus infernum, dum his ſacris diebus per confeſſionem & communionem aſcendimus ad DEUM: ergo jam comedamus & bibamus, *jam non eſt Satan neque occurſus malus*. Interim dum remittimus nonnihil à concepto fervore & ſpiritu intepeſcimus, ac pericula peccandi rurſum adimus, pia opera intermittimus, repente obruit nos malignus hoſtis & deſpoliat atque in priſtinam ſervitutem retrahit.

II. *Cùm propoſiti noſtri obliviſcimur.*

II. Forſan ideò Chriſtus perditus fuit, quia parentes ſubinde occupati alijs negotijs, ejus quaſi obliti non ſemper ad ipſum reſpexerunt. Ita poſt peractam pœnitentiam & acquiſitam Dei gratiam, rurſum aliqui perdunt Chriſtum, quia propoſitum emendandæ vitæ, cum quo ad Deum aſcenderunt, poſteà obliti, non curant renovare. Certè ex hac cauſâ videtur lapſus Petrus & Chriſtum abnegaſſe, qui prædictionis Chriſti, & ſui, quod conceperat, propoſiti (ſe Chriſtum minimè negaturum tametſi omnes alij negarent) memor eſſe deſijt: quomodo enim alias, ſi recordatus fuiſſet monentis Magiſtri & ſuæ tam cordatæ promiſſionis, negare potuiſſet? Patet ergo quantum obſit oblivio propoſiti prius concepti. Hinc Anna illa mater Samuelis, ut memor eſſet voti ſui, quo filium à Deo acceptum ei devoverat, appellavit eum *Samuel*, id eſt, *poſitum*, ſeu *datum à* DEO: & cum eo educavit vitulum, ut poſt triennium oblatura filium, in aſpectu vituli, voti ſui memor eſſet; ut vult Theodoretus, 1. Regum 1. ex 70. Interpretibus qui legunt *cum trienníali vitulo*; ubi non, *cum tribus vitulis*. Antiqui Chriſtiani candentibus notis nomen JESU vel crucis carni ſuæ inſcribebant, ut earum intuitu crebrò inſtaurarent memoriam baptiſmi & voti ſui, teſte Procopio in cap. 44. Iſa. Utinam nos modò noſtra bona propoſita fortiter inprimeremus ſaltem memoriæ!

III. *Cùm turba malarum ſocietatum nos miſcemus.*

III. Forſan ideò Chriſtus amiſſus fuit, quia parentes ejus unà cum ipſo in turbam hominum inciderunt, quæ tunc multa Jeroſolymis congregata fuit. Ex hoc etiam capite multi in lapſus recidunt, quia turbis ſe immiſcent malarum ſocietatum, vel ad ſæcularia negotia, verba & cogitationes rurſum ſe effundunt, timore DEI abjecto. Sic prodigus ille deſertâ patriâ, dum abijt in regiones exteras pravas ſectatus ſocietates, omnia ſua diſſipavit, imò ſe ipſum perdidit: (Inde appellamus eum Den verlohrnen Sohn / hoc eſt, perditum filium) qui domi omnia ſervaſſet. In Africa excelſus mons porrigitur in longitudinem 200. ſtadiorum, quinque milliaribus Germanicis) qui ſylveſtribus abundat felibus; quo fit, ut nullæ omninò aves ibi neque in arboribus neque in vallibus, nidos extruant, ob periculum amittendi pullos. Diodor. libro vigeſimo. Par periculum imminet iis, qui in turbâ vivunt, ne iterum Chriſtum perdant: mundus enim eſt talium felium & inſidiatorum plenus; non dico fugiendos homines, mundum deſerendum in religionem intrandum; ſed in mundo non nidificandum, non contrahendam cum diſſolutis familiaritatem, non munuſcula danda aut accipienda, non adhærendum malis. Magi non hæſerunt Ieroſolymis, non dederunt munera Herodi, ſed citò tranſierunt: ſic immunes fuerunt. Ergo aviculæ ſciunt ſibi & ſuis pullis cavere: & homo neſcit? Magi Gentiles norunt ſe extrahere ex inſidijs Herodis: & non ſcient Chriſtiani?

IV. *Cum n[illegible] cu[illegible] vi[illegible] pecca. venialia*

IV. Quid ſi ideo perditus, quia cum coævis ſibi pueris converſationis gratiâ ſibimet relictus eſt? Quidquid de hoc ſit, illud certum eſt multos iterum labi mox in peccata mortalia, quia non cavent venialia: quæ ſunt quaſi pueri, reſpectu mortalium: quæ ſunt quaſi viri, ut docet ſanctus Thomas 1. 2. q. 88. ar. 6. ad 1. cùm ait: *Veniale differt à mortali ſicut imperfectum à perfecto, ut puer à viro. fit autem ex puero vir &c.* Peccata venialia quaſi parvi ſunt furunculi, qui ubi per foramen domus ingreſſi ſunt, oſtium aperiunt magnis furibus. Par ratio eſt de proximis peccandi occaſionibus, à quibus ad peccatum facillimus eſt lapſus. Occaſiones illæ quaſi pueri ſunt, è quibus tamen viri fiunt. Hinc Nazaræis olim, qui votum non bibendi vinum fecerant, uvas etiam non modo recentes, ſed etiam paſſas edere prohibitum fuit, Numer. 6. quia uvæ vino cognatæ ſunt, & ex uvarum comeſtione facilis eſt tranſitus ad vini potum. Eadem de cauſa prohibuit Deus iure fœdera & connubia cum Gentilibus, Deuter. 7. quia ut dicitur 3. Regum. 11. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras* (filias:) *certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum.* Ecce etiam ingreſſum prohibet Hebræis ad filias Gentiles; quia ex ingreſſu ſequitur colloquium & converſatio, ex hac amor & luxuria. Par periculum eſt in convivijs & compotationibus, quæ quia adijt Holofernes, Amnon, Simon & alij, hinc inebriati & poſt occiſi ſunt. Par ratio de ſpectaculis obſcœnis, quæ, ut ſcribit Sanctus Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. 8. illaquearunt quendam contubernalem ſuum Alipium, qui cùm primo averſaretur ſanguinaria ſpectacula, tandem aliquando à ſuis condiſcipulis quaſi violenter ad ea adductus eſt; qui tamen ne caperetur illorum vanitate, ſtatuit intereà claudere oculos, idque fecit. Verum cùm repentè ingens clamor populi ortus eſſet ob unius caſum, aperuit oculos & graviùs cecidit, quàm qui proſtratus fuerat. Vidit enim ſanguinem, & captus eſt voluptate cruenti ſpectaculi, & jam ſocijs ſimilis factus. *Quid plura?* inquit ibi Auguſtinus,

ſpecta-

spectavit, clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire non tantùm cum illis, à quibus abstractus est, sed etiam præ illis & alios trahens.

V. — *ū prio- sm pec- storum ulcedi em in memoriā revoca- ium.*

V. Forsan amissus est, quia remiserunt eum parentes ad comitatum cum quo priùs ascenderat, & à quo tamen posteà se subduxit. Multi post peractam pœnitentiam remittunt cogitationem & memoriam suam ad pristina peccata, carnis præsertim; & dum ea mente revolvunt, etiam bonâ intentione, sæpe inescantur hærentque ut aviculæ in visco morosæ delectationis, & ita per consensum sive expressum, sive tacitum recidunt in peccatum: sicut quidam è puteo extractus & interrogatus; quomodo incidisset, dum monstrat gestibus lapsum suum minùs tamen cautè, rursum in eundem delapsus esse dicitur. Hac de causâ non suaderem dimissa carnis peccata sæpiùs [etiam pœnitentiæ causa] reducere in memoriam, vel in confessione generali crebriùs repetere, quia recogitantem facilè inviscant. Hinc, opinor, Angelus familiæ Loth prohibuit, ut ne retrò respicerent, exeuntes è Sodomis; quid enim impurissimæ Sodomæ incendium, nisi ardor libidinis? Ita S. Gregorius 3. p. Pastor. admon. 28. *Ardentem Sodomam fugere, inquit, est illicita carnis incendia declinare.* Quid verò est respicere ad incendium Sodomæ, nisi cogitationem ad peccata carnis reflectere? Et quia uxor ejus mandatum hoc transgressa est, in statuam salis mutata est. Gen. 19. Cur in statuam? ut pœnam daret suæ levitatis & instabilitatis. Cur in statuam salis? pro condimento aliorum, vel in memoriam peccati ejus, quo retrospexit, quia sicut sal ex aqua fit, & si aquam tangat, iterum in aquam mutatur ac liquescit: ita qui vel cogitatione morosâ ad pristina peccata se convertit, facilè ad ea redit, uti expertus est civis Comensis, qui ejectam, sed redeuntem ad se pellicem moriens cum aspiceret, iterum ejus amore, solâ licet cogitatione, captus obiit & in tartarum ruit. In Pædagogo Christiano refert Philippus Doultreman.

VI. — *um Dei atiam ceptam n esti- amus, anti timan- est.*

VI. Quid si inter comites ideò forsan amissus fuit, quia ipsi non magnam ejus curam habuerunt: non æstimantes ipsum Deum esse sed hominem præcisè, pauperum parentum filium? Ita eos tunc sensisse de puero JESU nullum mihi dubium est. Hac sanè de causa plurimi facilè nimis post actam pœnitentiam perdunt Christum ejusque gratiam, quia eam non tanti æstimant ac debent: nesciunt pretium ejus: quemadmodum & Judas nescivit pretium Magistri sui; unde eum 30. argenteorum vilissimo pretio vendidit *Decorum pretium* id appellatur à Deo, Zach. 11. & projici jubetur ad statuarium. Nihilo pluris æstimant Christum ii, qui pro uni gradi poculo, pro unius floreni furto uno turpi osculo aut contactu Christum vendendo perdunt. *Quid enim est perdere? alienare,* inquit S. Bernardus serm. 1. in cœna Domini: *Dominum vendit, qui à se Dominum alienat.* Unde cit. loco Zachariæ in plurali dicitur: *Appenderunt mercedem meam 30. argenteos.* Ergone plures vendunt Christum: non Judas solus? utique; qui videlicet pro levissimo lucro voluptate aut puncto honoris eum à se alienant. Non sic nos audit. Dicamus potiùs quod pius ille Naboth impio Achabo vineam ejus emere desideranti dixit: *Propitius mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi* 3. Reg. 2.

VII. — *Cum temere putamus non esse periculū, ubi tamen est.*

VII. Ideo amissum reor, quia parentes ejus existimabant eum esse in comitatu, ut indicat Evangelium. Putabant enim illum præcessisse cum cognatis & vicinis, cum quibus probabiliter etiam ascenderat. Vel secundum Haymonem in hom. hod. quia viri & mulieres separatim ibant, pueri autem cum patre aut matre; putabat mater eum esse cum viris: Joseph esse cum matre. Hic etiam est communis scopulus, in quo impingunt plurimi, & perdunt Christum: putant enim non esse periculum, ubi maximum est. Putant virum aut juvenem hunc modestum esse, convivium & saltum honestum, lucrum & contractum tolerabilem, haustus liberaliores sibi non nocituros, vindictam esse justam &c. & dum sibi ac causæ nimiùm favent ac præfidunt, ambulantes in glacie, quam fortiter induratam existimant, decipiuntur ac rupta glacie merguntur. *Ante annum in non longinqua ab hac regione villâ,* ait Petrus Damiani in epist. ad Summos Pontifices, lib. 1. Epist. *contigisse dicitur, quod quidam agricola vix erumpente crepusculo maturè surrexit, & enormis draconem magnitudinis vidit quem quia lignum putavit, mox se super eum ad sedendum quasi in trabe composuit. Commota protinus bestia caput attollit, hominem cruento ore pervadit, sicque viventem sub momento rabida voracitate deglutiit.* Draco hic quiescens & forsan dormiens trabem referebat. Quis hic periculum vidisset? quis in specie trabis Draconem quæsisset? Ita prorsus multi, dum se versari inter bonos & sedere super trabem credunt, sedent super Draconem, quemadmodum Dina illa egressa paulò longiùs, ut videret filias regionis Sichimorum, visa est à juvene Sichem & per raptum violata. Gen. 34. Non putavit illa in puellarum societate esse juvenem & latere prædonem unum.

Quid igitur faciendum: *Indicabo tibi O homo, quid sit bonum,* ait Michæas cap. 6. *Solicitum ambulare cum Deo tuo* Noli à conspectu Dei longiùs recedere, semper illum præ oculis habe: semper cum illo ambula. Sic ambulavit cum Deo Henoch, Gen. 5. Sic cum Deo ambulavit Noë, Gen. 6. Sic Deum non amiserunt: sic ipsi non perierunt: sic amici Dei constanter permanserunt.

(****)

THEMA QUINTUM.

Quid egerit Christus ab anno duodecimo usque ad trigesimum.

I. *Vixit sicut Aquila in sublimi contemplationis studio.*

II *Vixit sicut coluber in terra, per exercitium humilitatis.*

III. *Fuit velut navis in medio mari, per exercitium obedientiæ.*

IV. *Vixit sicut vir in adolescentia per morum gravitatem.*

Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. *Luc. 2.*

SApientissimus Rex Salomon, qui rerum omnium naturalium scientiam callebat, tria sibi fatetur scitu fuisse difficilia, quartum verò se penitùs ignorare. Proverb 30. Tria difficilia asserit, *viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari.* Quartum verò ait, *viam viri in adolescentia.* De quo ultimo S. Ambrosius in lib. de Salomone c. 5. *Christus*, inquit, *est vir, cujus via cognosci in juventute non possunt. Quis enim æstimare animo possit aut capere, quanta ille opera exercuerit, &c.* Tacuerunt certè vitam Christi ab anno 12. usque ad 30. ætatis ejus Evangelistæ, videtur tamen Salomon non in quarto duntaxat difficili; sed etiam in tribus alijs non nihil adumbrasse, & quasi in ænigmate nobis indicasse, qualia fuerint exercitia Salvatoris nostri in ejus adolescentiâ; quæ hic expendemus.

I. *Vixit sicut aquila in sublimi contemplationis studio*

I. Fuit quasi *Aquila in cœlo*, per studium orationis & contemplationis assiduum. Putant recentiores aliqui, Caietanus, Abulensis, Dionysius Carthusian, eum mechanicam artem fabrilem unà cum S. Iosepho exercuisse. S. Iustinus in Dialog. cum Tryph. aratra & iuga fecisse, eò quòd à Iudæis vocaretur faber. Verùm Sanct. August. lib 2. de consensu Evang. cap. 42. ideò fabrum solùm appellatum vult, quod putarent fabri filium. Et Paulus Burgen. Episcopus in cap. 6. Marci. arbitratur magis Christum contemplationi vacasse, sicut præcursor ejus Ioannes, adeoque vitam alicuius religiosi duxisse. Quod omnino credibilius eique convenientius, tametsi fortè se domi occupabat etiam actione aliquâ fabrili, qualem S. Iustinus meminit. Ergo instar aquilæ in cœlo ut plurimum volabat, & Solem Divinitatis contemplabatur, versabaturque cum ephebis suis, Angelis, ibi deliciabatur, ut simul etiam nos ad studium orationis provocaret; juxta id Deut. 32. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Tametsi vero ita continuo cum ipso in cœlo versari non possumus, vult tamen ut subinde ut pulli plumescentes è nido paulùm evolemus: sicut aquila pullos nido adhærentes adeoq; evolare metuentes suo volatu provocat; ac nisi egrediantur, inediâ conficit, demũ etiam rostro pungit eijcitque, teste Pierio, Plinio, & alijs. Quid enim est Christianus nisi imitator Christi? *Religionis summa est, imitari quem colis* ait S. August. l. 8. de Civ. c. 17. Ergo saltem aliquid temporis meditationi & orationi dandum, ut missa quotidiana, lectio spiritualis uti vitæ Christi, SS. rosarium, consideratio novissimorum.

At vero plerique Christiani, quod dolendum, non ut aquilæ in cœlo, sed potius velut anseres in terra semper hærent. Ut enim anseres de stramine ad gramen, de gramine ad flumen, de flumine ad gramen, inde iterum ad stramen redeunt: sic plurimi in lecto usque ad 8. horam, in mensa duabus vel tribus horis, reliquo tempore ad ludum sedent. De lecto ad fornacem, de hac ad fenestram, de fenestra ad mensam, de mensa ad lusum, de lusu ad lectum redeunt. Et quid mirum, si tam inertes pullos castiget subinde is, qui ut aquila exemplo suo provocavit eos ad volandum?

II. Fuit *coluber super petram* per exercitium humilitatis. Nam & Christus seipsum serpenti cõparat Ioan. 3. quia formam serpentis, id est, peccatoris induit, etsi à veneno peccati immunis. Coluber dicitur serpens, quia umbras colit. Talis erat Christus in sua adolescentia, quia profundissimâ humilitate humi repens in Petra Nazarethana (supra petram extructa, ut Beda, Adricom. & alij referunt) colebat umbras, quia in vili oppido & humili casa latebat. Unde bene dicitur Luc. 2. à Ierusalem descendisse & venisse in Nazareth, à qua nihil magni aut boni expectabant Iudæi. Itaque multum ibi fecit dum obscurus tam diu latens suamque Divinitatem abscondens, nullum miraculum fecit. Hoc ipsum enim erat multo maximum miraculũ. Quis namque non uritur dum ignotus alieno loco, eruditione interim vel genere clarus, vilis reputatur? quàm ægrè talis se continet, quo minus doctrinam suam & genus ostendat? Cogitate Alexium, quid sentire debuerit in paterna domo ignotus, ideoque velut mendicus ab omnibus contemptus & neglectus? Interim tamen sicut serpens sine pedibus & scalis, gradiens in pectore & per angusta foramina, tandem ad verticem montis adrepit: ita etiam Christus per hanc sui despicientiam & depressionem ascendit ad summam æstimationem & Iudæorum admirationem; adeo ut dicerent: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Vnde hujus sapientia hæc? vnde huic hæc omnia?* quasi dicerent: nihil in eo magni antea vidimus, qui neque scholas adijt, neque literatos parentes habuit. Qui ergo ad honoris apicem contendit, hanc viam tenere debet, cum Christo se deprimere & abscondere, humi repere, in ymbra latere. Proinde errant illi, qui contrariam ineuntes viam, per fastum, pompam, potentiam, ad gloriam nituntur. Refert Iustinus historicus lib 18. de servis Tyrijs, quod cum heris suis sub jugum actis imperium Tyri capessesent, statuerint è suo numero eum Regem eligere, qui Orientem Solem primus vidisset. Omnes igitur ad Orientem vultus convertebant, vnus duntaxat à priore domino suo edoctus, ad Occidentem oculos direxit; vbi incidentes in montium cacumina radij, Solem ipsi primo ostenderunt. Sic iste Rex electus est,

eſt. Quid agunt plerique homines ut magni evadant? Ad Orientem ſe convertunt, honores ambiunt, magnates prehenſant, munera offerunt, ſplendida convivia inſtituunt, pompam famulorum adſciſcunt, veſtium apparatum adhibent; interim revera parum aut nihil efficiunt, & coram Deo ſervi manent. Quare tu, ſi regiam cæli dignitatem conſequi velis, non ad honores ſæculi, ſed ad deſpectum; non ad ortum, ſed occaſum te converte. Sanè Alphonſus Rex Arragonam, cum eſſet multis Neapolitanorum proceribus inviſus & potiſſimum Andegavenſi factioni, tum demùm diligi cœptus eſt, poſteaquam deprehenſus in venatione adjuviſſe ſuâ manu Carbonarium, in ſublevando aſino è profundo luto. Panormit. in ejus geſtis. Hac viâ Carolomannus è Regia Francorum ſtirpe, dum in S. Benedicti religione paſtorem ovium egit: Sancta Eliſabetha Ungariæ Regis filia, dum leproſis ſerviit & ulceroſos lavit, majorem ſibi gloriam, non ſolum in cælo, ſed etiam in hoc mundo, compararunt, quàm qui armis & victoriis regna acquiſierunt aut ea dilatarunt.

III. *Fuit navis in medio mari*, per exercitium obedientiæ. Quemadmodum enim navis, ingens licet, una manu temonem vertente regitur & vertitur ad nutum: ita Chriſtus cùm eſſet Deus immenſus, ſub manu tamen & imperio parentum ſummâ in obedientia vixit, ut aſſerit Lucas illis verbis *Et erat ſubditus illis.* Navis certè fuit, pretioſiſſimis non ſolum mercibus onuſta, ſed præterea etiam ſapientiſſima, ſeipſam dirigere ſciens & omnes vias circumſpiciens, nihilominus ſe navarchis Joſepho & matri permiſit gubernandum. Poſſet quis non immeritò dubitare, cuinam competeret directio familiæ Joſephi: Chriſto? poterat is quidem ac debebat velut Deus, ſed cùm eſſet filius in domo, reſpuebat. B. Virgini? ſed erat ſponſa Joſephi, ei ſubjecta, & ſimul filia filii ſui. Joſepho? debebatur ſanè ei velut capiti familiæ, ſed quomodo rudis opifex imperaret Deo & ſapientiſſimæ matri ejus? Chriſtus Sol, Deipara Luna, Joſephus quaſi ſtella erat. Tres Domini & tres ſervi. Quis eorum imperabit? quis ſerviet? Nimirum qui in omnibus virtutibus primas ſemper tenuit, hic etiam vincere debet. Sol ergo Lunæ & ſtellæ ſe ſubjicit. Quis hic non ſtupeſcat? Ipſa Dei ſapientia regitur à fabro ejuſque conjuge! Credibile eſt Joſephum quædam imperaſſe velut hominem mechanicum, minus ſapientem; uti indicat ipſe Chriſtus in hodierno Evangelio. *Neſciebatis &c.* obediit tamen Chriſtus *& erat ſubditus illis.* At quamdiu ſubditus fuit? Ab anno 11. uſque ad 18. quando adoleſcentes jam criſtas ſuas erigunt Ab anno 18 uſque ad 24. quando jam temeraria conſilia capiunt, militiæ aut matrimonio ſe implicant. Ab anno 24. uſque ad 30. quando jam emancipati omnes, liberi ab imperio parentum & ſui juris eſſe volunt. Denique in qua re? In omnibus. Cum enim paupercula Joſephi familia famulum alere non poſſet, domeſtica quæque officia obiiſſe Chriſtum Dominum nemo dubitabit.

Jam verò, ſi hæc Dei filius, non ſubmittemus nos vermiculi terræ ductoribus noſtris, fratribus, Magiſtratibus, præceptoribus? Nos velut fragiles naviculæ in medio mari periclitamur, unde navarcho indigemus, ſine quo peribimus. Viderunt hoc Sancti aliquot. Ideo S. Franciſcus fratrem unum conſtituit, qui ipſum errantem liberrimè corrigeret. S. Carolus Boromæus duos Clericos in eundem aluit finem. S. Eliſabetha Cornado Confeſſario ſuo totam ſe ſubjecit gubernandam, edito etiam ad hoc voto. S. Margareta Scotiæ Regina, ne qua peccati macula in ipsâ reſideret, crebrò ſuum admonebat Confeſſarium, ut quidquid in ipſius dictis aut factis reprehenſione dignum inveniret, id ſecretò indicare non dubitaret. Quod cùm ille rarius & remiſſius, quàm ipſa vellet, faceret, importunam ſe illi ingerebat: ſomnolentum illum & ſuæ ſalutis incurioſum ac negligentem vocitans. Ita Lipelous in ejus vitâ 10. Junii.

IV. Fuit *vir in adoleſcentia*, per morum gravitatem, modeſtiam & maturitatem. Idcirco enim inter alias cauſas, humanam carnem induit, ut in eâ divinam vivendi rationem exprimeret: quemadmodum & Angeli in aſſumptis corporibus mores oſtendunt Angelicos. Regiæ perſonæ etiam ſub laceris centonibus regios animos prodant, & agnoſcuntur ex ſuis moribus. Ergo vel ſolus Chriſti aſpectus concio quædam fuit: quo fine etiam S. Franciſcus ibat per urbem cum fratre ſuo, ut ſolâ modeſtiâ ſuâ erudiret homines, dicebatque: *Eamus concionatum.*

IV. Vixit ſicut vir in adoleſcentia per morum gravitatem.

Fuit igitur vir in adoleſcentia multò magis, quam Tobias ſenior, de quo dicitur in ejus libro cap. 1. *Cum eſſet junior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, Rex Iſraël, hic ſolus conſortia omnium fugiebat, ſed pergebat in Ieruſalem ad Templum Domini & ibi adorabat Dominum.* Si hoc Tobias, quid egiſſe putamus Chriſtum? Ergo ô adoleſcentes, quando alii eunt ad vitulos aureos, ad ludos, ad choreas, ad tabernas, ad gynecæa, ad ſphæriſteria: vos ad officinam, ad Muſæum, ad oratorium pergitote; quia hæc virilia ſunt, illa puerilia hæc ſeria ludicra.

Fuit vir longè magis quam S. Bernardinus Senen. Ord. S. Franciſci, quo teſte ejus profeſſore Joanne Spoletano, nullus ſcholaſticus viſus integrior magiſque pudicus, ut in vita 20. Maii apud Sur. adeò ut ejus condiſcipuli, ſi quid minus pudicum loquerentur, eo adventante dicerent: *Tacete, Bernardinus venit.* Et ſi quis eo præſente tale quid dixiſſet, ita rubore perfundebatur, ac ſi in faciem cæſus eſſet. Civem etiam tale quid loquentem ſub mento graviter percuſſit & ad compunctionem perduxit. Alium quendam nefarium quid ab eo petentem, junctis ſibi condiſcipulis, lapidibus impetiit. Non dubium eſſe poteſt, quin

quin etiam ad præsentiam Christi pueri vel juvenculi, fuerint & Judæi ad modestiam compositi & à levitatibus absterriti.

Fuit vir longè magis quam S. Sabas Abbas, qui ob morum gravitatem & modestiam in Monasterio S. Euthymii, *Puer senex* ab ipso est appellatus. Quis enim senior illo, qui ab æterno fuit? Et hic tamen puer fuit, sed senili prudentia, senili gravitate, imò plus quàm senili, nimirum Divina. Hanc prudentiam & gravitatem jam per radios saltem aliquos demonstrare cœpit in patria sua, ut viam sibi pararet per vitæ sanctitatem ad lucrandas animas.

Quando igitur tanta nobis exempla contemplationis, humilitatis, obedientiæ, modestiæ in se depinxit Christus eo tempore, quo latuit in Nazareth, sat multum profectò fecit. Habemus enim exemplar veri Christiani, quod si imitari volumus, nihil aliud à nobis magnoperè exigetur. Claudo itaque cum D. Augustino in psal. 112. *Sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis Dominum ex hoc nunc in sæculum.*

THEMA SEXTUM.

Quare Christus adolescentiam suam absconditam voluerit.

I. *Ne ab invidis ante tempus occideretur.*
II. *Ut majorem suæ missioni fidem conciliaret apud Iudæos.*
III. *Ut doceret teneram ætatem sedulò custodiendam.*
IV. *Ut doceret juvenes rationem se tuendi contra tot pericula.*
V. *Ut nos informaret, qua ratione in mundo conversari, atque salutis periculo possimus.*

Descendit cum eis & venit Nazareth. *Luc. 2.*

MAgno desiderio tenebatur aliquando Moyses videndi faciem Dei. Exod 33. *Si inveni*, inquit ad Deum, *gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Sed respondit ei Dominus: *Videbis posteriora mea, faciem autem videre non poteris.* Itaque vidit transeuntem coram se Deum, sed à tergo, non à facie. Quid hoc in figura? Transeuntem per hunc mundum vidimus DEI filium: sed qua ratione? Posteriorem vitæ ejus periodum vidimus, priorem non vidimus: quid ab anno 30. ætatis usque ad mortem egerit, scimus quid ab ineunte ætate & anno 12 usque ad annum trigesimum fecerit, nescimus. Tergum igitur vidimus, faciem non vidimus. Sed cur ita Domine? cur faciem tuam abscondis? ostende nobis & faciem tuam: quid in juventute tua egeris, aperi nobis. Ad hoc respondet sicut Moysi: *posteriora mea videbis: faciem autem meam videre non poteris.* Descendit enim in Nazareth. h. e. in *separatam* (si per Zain scribatur) in domum obscuram, ut obscurus ibi degeret usque ad virilem ætatem. Quæ vero causa hujus tantæ rei? Cur mater ejus non aperuit Apostolis? cur ipse non revelavit Evangelistis? Profundum est hoc mysterium, & magnæ ejus rei causæ esse debent quas hic, quantum nostra tenuitate possumus, inquirere conabimur.

I. Latere videtur voluisse, ne, si ante justam ætatem Divinitatis suæ indicia demonstraret, Judæorum contra se invidiam extimularet & occasionem neci, ante debitum tempus sibi inferendæ, præberet. Judæi enim plerique præsertim Magistratus filii tenebrarum erant & tenebras amabant, uti Dominus Nicodemo exposuit Joan. 3. v. 19. Ideoque lucem veritatis, velut lucifugæ citiùs extinxissent. Quod ex eo inprimis colligere licet, quia Christus miracula sua primo maximè anno patrata, solerter taceri præcepit, ne propalata invidiam ei crearent, odiumque concitarent, adeoque ante constitutum tempus mortem accelerarent: deinde ex eo, quod vix ad triennium sustineri à malevolis potuit, quin ocyùs ad necem quæreretur & raperetur. Quomodo vero tolerassent concionantem 20. annis, quem vix tribus tolerarunt? At non conveniebat, ut neci daretur Dominus ante perfectam ætatem, ne ejus repulsa & condemnatio imprudentiæ aut temeritati ipsius posset adscribi. Quemadmodum ergo Jacob, ut effugeret odium fratris sui Esau & mortem, quam ipsi machinabatur, secessit in Mesopotamiam & ibi pastorculum agens fratris iram evasit. Gen. 27. ita Christus Dominus secessit in Nazareth, & obscurus ibi latuit, donec inde jam maturus prælio in aciem prodiret, cum mundo & Dæmone pugnaturus. Scimus etiam Moysen, qui & ipse Christi typus fuit, cum incurrisset iram Pharaonis, fugisse in Madian, & ibi per 40. annos pastorem egisse, & ut Philo notat, interim se exercuisse in sapientia & Philosophiæ studio, virtutum exercitio, oratione & contemplatione, quo præpararetur à Deo ad regimen Hebræorum: posteà his armis reversum in Ægyptum, ut inde educeret suum populum, devicto Pharaone, Exod. 3. Non absimili modo Servator noster, ut Scribarum & Pharisæorum odium fugeret, recepit se in Nazareth, ibique partim opificio fabri, partim contemplationi vacans sese exercuit in loco obscuro, ut inde suo tempore prodiret in Judæam velut sponsus de thalamo suo, ornatus omni decore ex obscuro loco, & sua sapientia ac miraculis mundum ad se traheret, Dæmonique abstraheret. Futurum autem Christum similem Moysi prædixit Dominus eidem Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui.* Quod de Christo intelligendum esse patet ex Act. 3. v. 22. Act. 7. v. 37. Joan 1. c. 45.

II. Ut majorem sibi fidem missionis suæ cœlestis & authoritatem apud homines compararet proditurus aliquando ad munus suum, quod erat docere & reformare mundum ex humili loco cum sapientia nō humana sed Divina. Eodem Deus consilio Moysen ex pastore ovium in Ducem populi è deserto evocavit in Ægyptum: Elisæum ab aratro sustulit & unxit in Prophetam, 3. Reg. 19. Davidem quoque ab

ovibus abstraxit 1.Reg 16. Amos similiter à custodiâ armentorum; Amos 7. qui & suæ vocationis causam exponit dicens: *Non sum Propheta & non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros.* q. d. non habeo meam prophetiam ex arte, ingenio vel institutione; sed sum pauper bubulcus, à DEO ad prophetandum raptus; atque hoc ipso mihi prophetanti credere firmiùs debetis. Eandem viam iniit Christus, dum in parvulo tugurio latere & cum patre fabrilem artem voluit tractare, indeque immediatè prodire ad erudiendum mundum cælestibus disciplinis. Quare cùm Nazarethani aliquando in patriâ, stupendâ cum sapientiâ & gratiâ prædicandi obtrectarent dicendo: *Nonne hic est filius fabri? & fratres ejus & sorores ejus omnes nonne apud nos sunt?* Matth. 13. seipsos cædebant. Hinc enim colligere debebant sapientiam ejus non humanam, sed divinam esse. Unde S. Chrysostomus in eum locum hom. 49. super Matth. *Nonne fratres ejus, inquiunt, ille atque ille sunt? Quid hoc sibi vult? Hinc enim magis in fidem induci deberetis.* Et paulò suprà; *Nonne hic est fabri filius? quare miraculum majus & stupor multò amplior.* Simili stupore Joan. 7. dicebant *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Sciebant eum per omnem juventutem in Nazareth latuisse, nullum gymnasium adiisse, nec cum Legis peritis, sed cum fabris tantum à pueritia conversatum esse, & interim totam legem exactissimè scire. Hoc ipsum igitur erat, quo permoveri eos ad fidem oportebat. Unde Chrysostomus in eum Joannis textum hom. 49. *Eos, inquit, movebat admiratio; unde id sciret; cum potius hinc cognoscere debuissent, nihil humani in eo esse:* Quis enim inter fabros addiscat Theologiam? Quando Arithmetici volunt ostendere artem suam, dicunt se demonstraturos hominum arcana, verbi gratia, quis quid absconderit, quot nummos in loculis habeat, quis annulum, in quo digito &c. ac ne videantur ab aliis id expiscari; vel clanculum intueri, abscedunt in aliquem angulum, posteà prodeunt omniaque indicant, omnium admiratione. Ita egit Christus. E fabrili officinâ voluit prodire & cælestia arcana mundo aperire, cogitationes hominum manifestare, scripturas reconditas exponere, futura indicare, mira patrare. Eodem consilio Christus homines rudes in Apostolos elegit, ut cum repentè à Spiritu S. edocti prædicare inciperent, majorem apud homines fidem obtinerent, velut homines non ab hominibus sed à DEO edocti. Unde Sanctus Augustinus serm 59. de verbis Domini ait: *Da mihi inquit Christus, prius istum piscatorem. Veni tu pauper, sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper sequere me.* Ad montense Styriæ nostræ celeberrimum monasterium hac occasione extructum refert P. Matth. Raderus vol. 2. Bavariæ 8. Voverat S. Gebhardus Episcopus Salisburg. fundationem monasterii, & locum in amœna valle montibus undique cincta ad hoc elegit, sed dum difficultates inferendi necessaria ad structuram triduo jejunans expendit, insperatò adstat ei inter alios quidam mutus simul & surdus, qui repentè fari cœpit, & hæc sola verba protulit: *Heus tu, tuum est inchoare: DEI est consummare.* Satis hoc oraculum S. Gebhardo fuit; DEI vocem in elingui rustico agnovit & monasterii structuram aggressus, fæliciter perfecit. Poterant & Judæi, si voluissent facilè deprehendere Christi sapientiam non humanam, sed divinam esse, utpote ab hominibus nequaquam acceptam (neque enim minus est eum docere, qui nil didicit, quam elinguem fari) sed, ut advertit Sanctus Chrysostomus loco cit. invidia excæcavit eos.

III. Ut documentum nobis daret quantâ diligentiâ custodiri ætas tenera debeat. Non eguit magisterio magister omnis sanctitatis, etiam in teneris: sed egent adolescentes alii, quos proinde in parentum & magistrorum disciplina contineri voluit, quo modo sub parentum curâ tot annis ipse perstitit. Nulla hominis ætas pluribus exposita est periculis, quam adolescentia. Est enim ætas D. Ambrosio teste de interpel cap. 7. *invalida viribus, infirma consilio, vitio calens; fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.* Viget in eâ lex membrorum & carnis: caret prudentiâ, quam pariunt experimenta: novus & hospes mundum ingreditur; unde omnia miratur & avidè perlustrat, nihil non concupiscit: velut novitius accedit ad vitam virtutis: imò constitutus in bivio pronior ad eam, quæ vitiorum est, præcipitat. Unde dixit Salomon *viam viri in adolescentia* sibi ignotam esse, Proverb. 30. Et Sanctus Chrysostomus epist. ad Olymp. *In adolescentibus majus est naturæ incendium, major concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia; ratio, quæ vitia gubernet, infirmior.* q. d. navis in periculoso transitu, gubernatore carens. Hinc gravissima quæq; scelera per SS. litteras plerumque à juvenibus patrata invenimus. Quis primum homicidium fecit? nonne Cain adhuc juvenis? Quinam diluvio causam dederunt? *filii Dei,* hoc est juvenes, forma, nobilitate, robore præstantes, *ingressi ad filias hominum,* quasi dicat: carnis voluptatibus absque fræno se tradentes. Genesis 6. Quis primum fœminæ raptum fecit, & stupro fœdavit? Sichem juvenis, filius Hemor. Genesis 34. Quis primus incestavit uxorem patris sui? Ruben primogenitus Jacobi, ætate juvenis. Genesis 35. Quis præ ceteris legitur mendacia confinxisse & alios decepisse? Adolescens Amalecites 2. Regum 1. Quis sororem suam primus compressisse? Amnon juvenis. 2 Regum 13. Quis occidit Amnon, nisi Absalon juvenis per servos suos? Qui primi violasse scribuntur mulieres DEO sacras? filii Heli, juvenes. 1. Regum 2. Quinam perverterunt, Regem Roboam nisi juvenes? 3. Regum 12. Denique sicut ex toto Saulis exercitu nemo gustavit mel in agro fluens contra edictum Saulis præter adolescentem Jonatham, 1. Regum 14. Ita nemo pronius & facilius mundi dulcedine inescatur quàm juvenes. Itaque hæc ætas maximè fræno & custodia opus habet; quæ autem melior custodia,

III. *Vt doceret teneram ætatem sedulo custodiendam.*

dia, quàm si domi sub curâ parentum vel Magistrorum in scholis contineantur? Quis nescit teneras arbusculas & primas veris plantulas, primos quoque flores facilè à pruinâ & frigore lædi? Idcirco enim noctu contegi solent, usque dum Sol incalescat; per hiemem vero in subterranea loca reponi. Hinc sanctus Gregorius Nyssenus lib. de creat hom cap. 25. juvenem appellat *florem*, qui facilè marcescit. Vel ipsa enim aura uti sæpe nocet flori, ita etiam juveni. Clarè id ostendit parabola filii prodigi, qui si domi sub custodia parentum remansisset, in miserias illas & dissolutam vitam minimè incidisset. Quid enim tale accidit fratri ejus, qui in domo paterna mansit? Luc. 16. Joseph adolescentulus 16. annorum, quando à patre solus sine duce & pædagogo missus est foras ad quærendos fratres, statim per avia & devia errare cœpit in agro & à viro obvio directus est in Dothain, quod significat *defectum*; ubi à fratribus pessimè habitus ac denique venditus est, Genesis 73. Et ubi Abel occisus est à fratre nisi foris in agro, ad quem fratris hortatu egressus est? Genesis 3. Septuaginta habent, Cain dixisse: *Transeamus in campum.* Ubi Augustinus: *Campus est via lata, quæ ducit ad interitum, & in campo Abel occiditur.* Nihil aliud expectent parentes à filiis, quando eos à curâ vel suâ vel Magistrorum aut Præfectorum liberos dimittunt vel in exteras regiones mittunt: prodigos enim ac perversos recipient variis defectibus & vitiis depravatos, vel omninò perdent.

IV. *Ut doceret juvenes rationem se tuendi contra tot pericula.*

IV. Ut doceret juvenes quomodo se tueri in periculoso illo statu possint. Tria vero potissimum documenta suo exemplo tradidit: obedientiam, quia erat subditus parentibus: humilitatem, quia nullum eo tempore divinitatis suæ specimen edidit, nec ullum miraculum patravit: silentium; quia nec sapientiam suam docendo aliquos prodidit; nihil enim de his scriptum. Præclara certè sunt ista juventutis ornamenta simul & munimenta contra hostium insidias, quas patitur quam plurimas.

1. *Obedientia.*

Obedientia inprimis, quia cùm teste Aristotele sint tabulæ rasæ, frustra litteris exornantur, nisi manui scribentis pareant. Veteres pinxere juvenem hoc emblemate. Oculos habebat velatos: manum dexteram ligatam; sinistram vero solutam. Indicabant eâ picturâ juvenes carere adhuc rerum experientiâ adeoque ductore opus habere: deinde pronos esse ad malè agendum, difficiles ad bene agendum, adeoque nihil dextrè & consideratè, sed omnia sinistrè & perturbatè agere. Quis autem dubitat tales tendere ad interitum, nisi oculato duce regantur? Iter aggressurus, maximè ad initium viæ, indiget ductore, si viæ ignarus sit: alioquin longissimè aberrabit. Tales autem viatores sunt adolescentes; cursum vitæ suæ primùm inchoantes. Unde Psalm. centesimo vigesimo octavo obedientia ejus præscribitur: *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

2. *Humilitate.*

Æquè necessaria eis est humilitas; quia si à teneris insolescere incipiant, ubi adoleverint, prorsus intolerabiles erunt. Hinc præsagium sumpsit de Juliano Imper. Apostatâ Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui Athenis cum eo litteris operam dabat, fore eum pestem Romani Imperii, uti ipse testatur Oratione secunda in Julianum. *Neque enim,* inquit, *boni mihi quicquam significare atque ominari videbantur, cervix non stata, humeri subsultantes & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus furioseque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, &c. Ut hæc conspexi, statim prolocutus sum: Quale malum Romanorum terra nutrit?* Idem intellexit Demetrius Phalerius, qui adolescentum fastuosorum sublimitatem dicebat in educatione amputandam esse; apud Laërt. libro quinto, capite quinto. Nihilo minus decet eos taciturnitas seu loquendi parcitas, cùm nesciant adhuc sapienter loqui, quod tacendo inprimis discere & meditando proferenda debent. Hinc monet Ecclesiasticus cap. trigesimo secundo. *Adolescens loquere in tua causa vix* (hoc est, ægrè,) *si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* h. e. paucis & summariter responde. Certè Pythagoras, teste Laërtio lib. octavo astringebat suos discipulos quinquenni silentio, priusquam in schola loqui ac discurrere possent; quo tempore audiendis Magistri placitis iisque memoriæ mandandis vacare eos volebat, ut sapientiam suo tempore cum modestia profiterentur.

Taciturnitate.

V. *Ut nos informaret qua ratione in mundo conversari ipsique sine periculo possimus.*

1. *Separando nos a mundanis tumultibus.*

V. Ut nos omnes informaret quâ ratione conversari in hoc mundo debeamus; ita videlicet I ut quantum possumus ab ejus tumultibus nos separemus, & in solitudine cordis latere studeamus: quemadmodum & ipse, cùm potius mundi dominus esset, exiguum tantummodò mundi angulum, parvulam casam in parvâ & ignobili civitate elegit, ubi per annos ferè 30. procul à mundi strepitu habitaret: cumque necessitas eum cogeret aliquando cum mundo agere, triennio solùm & paulò plus cum eo conversatus est. Quando Moyses ultionem de vituli cultoribus sumi præcepit, non mandavit ut Levitæ sceleris vindices tentoria intrarent, & inibi homines jugularent, sed ut per vias publicas irent, & noxios interficerent: ut observat Cajetanus Exod. cap. 32. *Ite & redite,* inquit Moyses, *de porta usque ad portam per medium castrorum, &c.* Sic omninò in periculo perditionis sunt, qui foras ad mundum prodeunt ejusque tumultibus se miscent: non ita, qui se abstrahunt quantum possunt, & domi suæ affixi, solitudinem cordis quærunt. Erat apud Ephesios adhuc Gentiles dies festus, qui ab ejs vocabatur Contagogium. In eo personati aliqui ex incolis prodibant in civitatem clavas gerentes, & simulachra in manibus tenentes, sicque insigniores civitatis plateas obibant, quædam carmina decantantes, interim obvios quosque viros ac mulieres more prædonum invadebant, magnamque cædem faciebant, existimantes & aliis persuadentes, quod hac ratione suum honorarent DEUM seu Dæmonem, nec non illos honore quoque afficerent, quos sic mactarent. Quæ diabolica Bacchanalia

chanalia

chanalia cùm prohibere vellet Sanctus Timotheus Ephesiorum Episcopus, & ipse à grassatoribus illis invasus, clavis contusus & per terram raptatus, itaque velut mortuus derelictus est. Ita habetur in ejus vita 24. Janvar. apud Sur. Insanus iste ludus & execrandus Dæmonis cultus ad amussim ostendit mundi perversitatem, qui simili violentia vanaque persuasione adoritur mortales, contundit & occidit, quotquot ipsi obviant & in publicum prodeunt, h. e. mundi tumultibus se miscent. Qui igitur ab his prædonibus salvi esse volunt, domi se contineant, mundo se non misceant, sed quantum possunt subducant. Hoc ut faceret B. Arsenius in aula Imperat. Theodosii versatus inter vitæ pericula vocem DEI audiit. *Arseni fuge tumultus mundi, si vis salutem consequi*; ut in ejus vita. 2. Ut mundo quidem utamur ad necessitatem, sed non abutamur. Quidquid divitiarum, quidquid deliciarum erat in mundo, habere poterat Christus, si voluisset: at nihil ab eo sumpsit, nisi purè necessaria, angustissimum domicilium, tenuissimum victum, vilissimum vestitum: nihil omnino superfluum. Sic vivendum nobis, ut mundo hoc utamur, sed non abutamur, prout monet Apostolus 1. Corinth. 2. *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* In Græc. meliùs dicitur: *tanquam non abutentes.* Abutuntur rebus mundi, qui non ad necessitatem sed ad cupiditatem, libidinem & superfluitatem utuntur. v. g. qui vinum non solum potant, sed etiam effundunt aut eo se ingurgitant. Abutuntur qui rebus fluxis non obiter & fluxè, sed firmiter & perpetuo inhærere cupiunt. *Non debet ea mulier,* inquit Cicero in Topicis, *cui vir bonorum suorum usum legavit, cella vinariâ plenâ relictâ, putare id ad se pertinere: usus enim non abusus legatus est.* Pari modo quibus hujus mundi usus à Deo concessus est, non existiment sibi mundum à Deo legatum, ut eo semper & stabiliter perfruantur & quidquid libido dictat, cum bonis ejus agant, prodigant, disperdant: usus enim mundi, non abusus ejus concessus est. Non sine egregio documento Cantic. 5. dicuntur oculi sponsi Christi, *sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ resident juxta fluenta plenissima.* Tales enim oculos habuit, talis fuit columba Christus, dum in Nazareth & maternâ domunculâ habitaret, quasi juxta mundum, non quasi in mundo. Aves aliquæ sunt, quæ in alto solum versantur, nihil cum aquis negotii habent: aliæ contrà perpetuò in aquis hærent, iisque se immergunt, uti merguli, anates, cygni: aliæ denique sunt, quæ nec aquas omnino fugiunt, nec ingrediuntur, sed juxta illas vel habitant vel sæpe versantur, uti columbæ, quò nimirum inde bibant & in iis hostes suos speculentur. Primi generis sunt religiosi: secundi sæculares, mundo innatantes: tertii sunt illi, qui in mundo quidem, sed non cum mundo vivunt, & ab eo solùm necessaria accipiunt. 3. Ut provideat sibi unusquisque vitæ suæ moderatorem & conscientiæ arbitrum, cujus directione & consilio vitam suam instituat. Fuit Christus in ipsa etiam infantia omni cœlesti sapientia plenus æque ac in virili ætate; voluit nihilominus usque ad 30 ætatis annum subditus esse parentibus ad doctrinam nostram, ut nos quantumvis adulti, seu viri seu senes directorem spiritualem nobis adscisceremus. cujus prudentia & consiliis in rebus salutis nostræ staremus. Fecere hoc plerique omnes Principes Christiani, & mandat inprimis S. Ludovicus Franciæ Rex, moriens filio suo: *Delige tibi sapientes Confessarios, qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, ut audeant, te syncerè reprehendere & vitia tua indicare tibi.* Ut in ejus vita 25. Augusti apud Sur. Sanct. Elisabetha Thuringiæ Princeps suæ conscientiæ directori, Conrado, etiam votum obedientiæ præstitit, quo per omnia ad ejus nutum se gubernandam ipsi obtulit. Nec tacendus Imperat. Maximilianus I qui cum Welsam superioris Austriæ è Tyroli devenisset, ibique morbo correptus esset, evocavit ad se Friburgo antiquum Confessarium suum Gregorium Carthusianum, virum religiosissimum simul & doctissimum; quem venientem recto decubans, cùm aspexisset, animo exhilaratus, levato capite; *Hic,* inquit, *viam mihi in cœlum præmonstrabit*; Cuspiano teste.

Marginal notes: 2 …endo, …abu- …do re- …mun- …d — 3. *Adhibendo directorem conscientiæ.*

Quando igitur vidimus magno salutis nostræ bono Salvatorem nostrum abscondisse à nobis faciem suam ad virilem usque ætatem, laudemus Deum nostrum, & rogemus ut sicut hîc in terris ostendit nobis tergum suum, ita demùm ibi in cœlis ostendat quoque faciem suam.

(* * *)

DOMINICA II.
POST EPIPHANIAM.

THEMATA.

I. *Vini potus moderandus velut sanguinis.*
II. *Quomodo vinum lætificet Deum & homines.*
III. *Quam stultè eligant mundi sectatores vinum bonum in hac vita, & in altera deterius.*
IV. *Pia inter conjuges contentio.*
V. *Nuptiæ qui celebrandæ ex antiquis ritibus.*

THEMA PRIMUM.

Vini potus moderandus, velut sanguinis.

I. *Bibis sanguinem terræ.*
II. *Bibis sanguinem pauperum.*
III. *Bibis sæpe sanguinem proximi.*
IV. *Bibis quandoque sanguinem tuorum.*
V. *Bibis proprium sanguinem.*

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. *Ioan. 2.*

QUæ tandem causa esse debet, cur Deus hominibus vinum non mox à creatis vitibus, sed seriùs multò post diluvium primùm concesserit? Non permisit inveniri, confici & bibi, nisi post annos 1657. demùm à mundo condito, per industriam Noë. In hodierno etiam Evangelio non nisi ad finem convivii, nec nisi ad matris preces vinum Christus suppeditavit. Quæ hujus moræ causa? Nimirum vidit vinum esse quemdam *uvarum sanguinem*, quo nomine appellatur ferè semper in SS. literis, uti Genes. 49. Deuter. 32. & alibi crebrò. (Undè etiam colligitur, quod & historici testantur, in Judæâ omne vinum fuisse rubrum.) Vidit etiam Dominus, quam severè prohibuerit in veteri lege potum & esum sanguinis, etiam pecudum alioquin mundarum, uti Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Et Levit. 17. *Homo quilibet de domo Israël & de advenis si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Jam ergo si Deus voluit, ut Hebræi adeò cautè vitarent sanguinis esum, quo nimirum à sanguinis humani effusione, quàm maximè abhorrerent, quid mirum si vini potum, quod speciem & nomen habebat sanguinis tardè eis indulsit? Neque vero idcirco vini usum interdicere voluit, sed abusum tantum, quem prævidit fore hominibus admodum communem. Ergo quisquis vinum intemperanter bibis, memento te sanguinem bibere. Quâ vero ratione, audi.

Moderandus vini potus, quia vinum sanguis.

I. I. Scito te cùm vinum bibis, bibere sanguinem terræ. Sic enim expressis verbis dixit & suasit cogitandum Androcides vir sapiens Alexandro Magno vinolento: *Vinum potaturus Rex memento te sanguinem terræ bibere*; teste Plutarch. quasi diceret, nobilissimum terræ humorem ac fructum magno Dei beneficio & naturæ operatione homini provisum ac comparatum. Ut enim sanguis humanus à cibo & potu variè præparato, masticato, digesto gignitur in hepate, & inde in totum corpus dividitur: ita vinum è pluviis de nube expressis & destillantibus in terram, ibique à vite quasi ab hepate haustis & digestis progignitur non absque Solis cooperatione & hominum labore. indeque dividitur in genus humanum ad vires, solatium & lætitiam ei tribuendum. Vide quot creaturæ collaborent in conficiendo vino. Sanguinis ergo loco haberi velut pretiosissimus liquor debet, & parcè cum gratitudine accipi. Ita suasit filio suo Salomoni, jam licet Regi, Bethsabea Proverb. 31. *Cum consilio bibe vinum*; uti legunt 70. Int. ubi nos: *Noli Regibus dare vinum.* id est, noli bibere vinum Rex: intellige, sine consilio & modo. Regibus igitur hoc præcipitur, cur non potiùs vulgo? Rudis enim plebs vini pretium non cogitat, ideò communiter magis quàm Principes vino se ingurgitat. Taxavit hanc vini profusionem in conviviis suis, urbis optimatibus, quidam Gallicus Regulus, apud Æn. Sylvium libr. 1. in Panormit. *Convivium illi cum optimatibus suis fuit apparatum in horto, æstate media, sub opaca ulmo, circa quam provolitantium muscarum agmina in dapes ac vina provolvebantur. Convivæ, quibus animantis fœditas stomachum moveret, mox ut musca in poculum cecidit, vinum simul atque animal effudere. Ægrè id cernere princeps, jacturamque vini tacitus indignari. Nam quari palam inter magnos, qui aderant proceres, non est ausus. Sed quos arguere verbo veritus est, exemplo admonuit. Puerum, qui se coram flabello muscas abigebat, ventulumque faciebat, cessare paululum jubet. Intereà & in craterem suum grandior muscà incidit, tum lætus princeps duobus digitis dextram alitis alam apprehendit, & aliquamdiu cratrem supra excutiens, ne quid vini secum deferret, in terram projecit; exemplum convivæ omnes secuti*, nec imposterum tam temerè & prodigè vinum effuderunt, utpote terræ sanguinem.

Bibis sanguinem terræ.

II. Scito te bibere sanguinem pauperum. Primò subditorum, qui in excolendis vineis laborant usque ad sudorem & ferè usque ad sanguinem. Scimus quid 2. Reg. 23. David egerit dixeritque, quando sitienti aquam de cisterna Bethlehem, cæteris utique meliorem adeoque desideratam, tres ejus milites per hostium castra præsentissimo vitæ suæ periculo & fortè non sine vulneribus irrumpentes attulerunt. Noluit enim bibere, sed effudit & libavit eam Domino dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc; num sanguinem istorum & periculum animarum bibam?* Cogitavit enim quasi pœnitens de suâ concupiscentiâ, non esse æquum ut bibat aquam tantâ difficul-

Bibis sanguinem pauperum.

Subditorum sanguinem.

difficultate & periculo trium virorum paratam. Quid verò viticolarum sudor? nonne eorum sanguis? Quàm multi agricolæ & viticolæ continuò laborant, ut vel unius helluonis gulam exsatient? quot labores perrumpunt? quot suspiria fundunt? quoties ipsam vitam impendunt?

alio- qui- le- itur.

2. Pauperum aliorum, quibus debetur superfluum, quod tu bibis. Ita enim S. Bernardus in Epist.42. ad Archiepiscopum Senonen. ait pauperes clamare: *Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Quot enim pauperes pasci, quot ægri refocillari, quot captivi recreari possent eo vino, quod tu profundis inutiliter & cum damno tuo? In recentibus Anglicanorum martyrum historiis quidam in carcere pro fide Catholicâ captivus tantâ siti premebatur, ut per fenestellæ clathra pileo cavaque manu pluviæ stillas captaret, id refert Nic. Serarius in c.15. Judith: & dum hujusmodi miseri pluviam de cœlo mendicant, tu absque siti potes, & vino te proluas? Cur implentur nubes aquis, nisi ut agros & vineas nostras rigent? Unde Ecclesiastes c.11. ait: *Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Nubes vino impleta est cellarium tuum, ut in pauperes se effundat. Accedit quod Bethsabea filium Salomonem monet, ut vino abstineat, quia vinolenti sæpe causas pauperum pervertunt; ita enim ait: *Noli Regibus dare vinum, ne fortè mutent causam filiorum pauperis.* Proverb. 31. Quod si contingeret, nemo inficias ibit, aliud id non fore, quàm pauperum sanguinem bibere.

II. *B is sæpe a ui- ne pro- ci i.*

III. Quid si etiam sanguinem proximi tui bibas? Facilè id contingere potest & sæpissimè contingit, quia vinum immoderatum inflammat ad iracundiam & provocat ad rixas, denique ad cædes. Docet hoc quotidiana experientia, compotationes scilicet & symposia desinere in cædes & sanguinem. Hinc vinum à vi dictum secundum Varronem: & Baccho cornua appicta à Gentilibus, quia vinolenti fiunt furiosi, & vini flammam sanguine volunt extinguere. Hinc etiam in nostrâ linguâ potare & pugnare Rauffen und Sauffen unicâ literâ differunt. Sic denique testatur Ecclesiasticus cap. 31. *Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit.* Et Sapiens Prov.23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? nonne his qui commorantur in vino & student calicibus epotandis?* Ubi Sanctus Chrysostomus à Cornelio in eum locum citatus: *Sicut oleum, inquit, lucernam, sic vinum iram inflammat, velut convenienti nomine appellentur pocula amicitiæ.* Vino sanciũt fraternitates, & eo ipso incitãtur ad odia, inimicitias & pugnas. Pulchra amicitiæ pocula. Exempla in promptu sunt. Alexander Magnus Clytum sibi amicissimum ad poma græca visenda & convivium vocatum, ubi mero incaluit, leviculâ de causâ hastâ confodit; unde post decoctam crapulam ita doluit, ut seipsum interficere vellet. Trebell. Pollione auctore. Nudiustertius spectastis juvenem, qui epoto nimio vino ebrius occidit innocentem capite truncatum in hac Græcensi civitate. Sed cur putatis gladium carnificis aberrantem in os rei intrasse idque medium diffecuisse? nimirum quia ab ore bibulo & compotatione homicidium illud originem sumpsit, in ore ejus punitum fuit. Quare sicut Mario tyranno, prius ensium fabro, miles, qui in arte fabrili ei deservierat, confodiens eum dixit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Sic videtur justus Deus huic homicidæ voluisse dicere pro instructione nostra: Hic est gladius ori tuo immersus, quem ore tuo ipse fecisti. Huc etiam spectat, quod sanctus Augustinus serm.33. ad fratres in Eremo scribit: *Accidit hodie, inquit, terribilis casus, ut omnes audistis, propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam fœminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus civis noster & ferè dilectus ab omnibus: Cyrillus filium habebat, ut scitis, ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit & duas sorores vulneravit ad mortem.* Hoccine non est unà cum epoto vino sanguinem proximorum bibere? Bene S. Ambrosius de Eleemosyna & jejunio c. 12. *De ebrietate, inquit, ad arma conjurgunt, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur & ipsum sanguinem vina fuderunt.*

IV. *Bibis quandoque sanguinem tuorum.*

IV. Vide etiam ne bibas sanguinem domesticorum propriorumque liberorum tuorum, & contingat tibi, quod hostibus Ecclesiæ eventurum prædicit Isaias cap.49. *Quasi musto, sanguine suo inebriabuntur,* hoc est, occident seipsos mutuis cædibus & bibent sanguinem fratrum & filiorum suorum; quod fit, quando nimiâ ingurgitatione dilapidantur res domesticæ, ut conjux & liberi famere & perire cogantur vel desperare. Benè igitur Sanctus Chrysostomus hom.54. ad pop. Antioch. comparat ebrietatem hosti urbem obsessam invadenti & perruptis portis ac muris irrumpenti, qui obvios quosque sternit, omnia tumultibus implet, omnia diripit & sanguine fuso aspergit. Sic enim & vinum nimiâ vi & ingurgitatione corpori infusum furias accendit & invadit ipsummet inprimis potatorem, qui deinde domum reversus invadit uxorem & liberos, tonat, fulminat, cædit, vulnerat, omnemque domum tumultu replet: interim etiam peculium suis exhaurit sæpe, ut miseri nihil jam quod rodant, habeant. *Sicut hostibus urbem subeuntibus,* inquit Chrysostomus cit. hom. *& obsidione factâ & perturbatione multu efficitur tumultus; ita fit & in animâ, subrepente vino cum deliciis.* Vidimus alibi ebriosum, qui potu absumens rem domesticam internecionem toti domui suæ intulit.

Trip. hoc Dom. C. 6. E.

V. *Bibis proprium sanguinem.*

V. Scito te etiam proprium sanguinem bibere, & crebris ac nimiis potationibus tibi ipsi vitam abrumpere, quia verissimum id Ecclesiastici 38. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Quid non faciunt aliqui, ut nudiustertius quidam epilepticus hausit sanguinem decollati homicidæ, de quo suprà diximus, in morbi sui remedium quàm id horridum est; At tu vinum hauriendo sanguinem proprium (vita enim in sanguine conservatur) exhauris, quàm hoc immane est? quæ enim bestia reperitur, quæ seipsam voret? Sanctus Chry-

Chrysostomus hom. de ingluvie & ebrietate ait: *Hinc vel maxime stupescat quis amentiam eorum, qui ebrietati addicti sunt, quod ne tantum quidem ipsi sibi ipsis parcere volunt, quantum alii parcunt utribus. Nā hos quidem vini venditores non patiuntur plus aquo capere, ut non rumpantur: isti vero miserum ventrem ne hac quidem provisione dignantur: sed cùm eum impleverint ac disruperint, usque ad aures, usque ad nares, usque ad fauces ipsas replent omnia per angustum meatum spiritus, quæ vis animal gubernat, inde comparantes.* Et mox. *Neque enim ita vis rapidorum fluminum ripas excedere & subruere solet, ut luxuria deliciaque omnes sanitatis nostræ munitiones facilè subvertunt.* Ergo ut rapidum flumen vorat & haurit ripas suas: ita bibulus vires, carnem & sanguinem suum.

Quando igitur vidimus vinum intemperanter potatum, re benè considerata, aliud non esse nisi sanguinis potum, quis jam quæso non cavebit sibi ab hujusmodi intemperantiâ? Sanè Hunni jure merito abominandi fuerunt Germanis, quando Germaniam depopulati carnibus humanis vesci & sanguinem bibere visi sunt, teste Luitprando. Quid ni etiam abominandi erunt qui in vino sanguinem, non terræ solùm, sed etiam hominum bibunt? Horreamus ergo & dicamus cum Davide: *Propitius sit mihi Dominus ut non faciam hoc. Num sanguinem* terræ *bibam?* num sanguinem pauperum? proximi? filiorum? proprium? Absit: siti potiùs peribo. Liba vinum domino, pauperibus, ægris, captivis: quod si occasio non ferat, effunde in terram potius: præstat enim ut pereat, quam ut te perdat.

THEMA SECUNDUM.

Quomodo vinum lætificet Deum & homines.

I. *Quando eo abstinemus ex voto, mortificatione vel obedientia.*

II. *Quando vinolentiæ strenuè resistimus, contra incentores.*

III. *Quando id dissuademus vinolentis, vel eos corrigimus.*

IV. *Cùm id pauperibus aut mœrentibus elargimur.*

V. *Quando id moderatè ad conservandam Valetudinem bibimus.*

VI. *Cùm ad exhilarandum etiam animum temperatè bibitur, præsertim si simul adjungatur Dei laus & gratiarum actio.*

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Joan. 2.

Solebant antiqui in nuptialibus maximè conviviis proponere ænigmata aut doctas alias quæstiones ad recreandos convivarum animos: non tantùm Ethnici, teste Athenæo lib. 10 cap. 17. Gellio l. 18. cap. 2. sed etiam Hebræi. Ex his Samson in convivio suo nuptiali proposuit Philisthæis ænigma hoc: *De comedente exivit cibus & de forti egressa est dulcedo.* Judicum 15. Proponamus etiam nos in gratiam hod. nuptiarum jucundum aliquod problema. Recensetur Jud. 9. apologus à Joathan, fratre Abimelechi, de lignis, (sub typo Hebræorum) quæ iuerunt ut ungerent sibi regem. Venerunt ergo ad vitem & dixerunt ei: *Veni & impera nobis.* Quæ respondit eis: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Quid audimus Auditores? Itane vinum lætificat etiam Deum? Quid mirum, si ex vino lætificantur homines, quando Deus etiam è vino lætitiam accipit? Ergo bibamus strenuè, dicent forsan aliqui; homines enim sumus (non anseres quibus aqua tantum creata est) ad imaginem Dei facti. Ergo una cum ipso lætitiam è vino hauriamus. Verum isti audiant, quod ait Apostolus 2. Corinth. 5. *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* Præterquam quod sententia illa non est Spiritus sancti, sed privati hominis. Potest tamen ea sensu mystico variè approbari, ut verissima; uti audiemus.

I. Lætificat Deum; quando eo abstinemus ex voto, vel mortificationis studio, aut ex obedientiâ.

Primâ ex causâ abstinuerunt vino olim Nazaræi, de quibus Num. 6. agitur. ii vero duplices erant: alii contemplantes, qui ut legi & meditationi rerum divinarum liberius vacarent, vino abstinebant: alii pœnitentes, ut qui prius profusius vino & delitiis usi fuissent, posteà abstinerent, ad castigandum corpus. Utrique vel ad tempus libitum, uti Paulus Actorum decimo octavo & vigesimo primo, vel in perpetuum, uti Samson, Judicum 12 Possent etiam hoc modo ac deberent merito lætificare Deum vino, qui ubi semel graviter excesserunt ejus potu, deinceps abstinerent quasi ex voto, saltem ad tempus pro pœnitentia. Id certè monet Sanctus Augustinus serm. 3. de Nativitate. *Si quis*, inquit, *vino nimiùm est deditus, sobrietatem voveat. Sic offertis Deo votum placitum, & quasi remuneratu Christum.* Si enim Judæi non comederunt amplius nervum; ex quo eorum pater Jacob in nervo læsus fuit, Genesis 32. Si Sacerdotes Dagon non calcarunt amplius limen templi, ex quo tempore eorum Dagon fregit in eo caput & manus, 1. Reg. 5, nonne æquum erit, ut etiam ii, qui à vino graviter læsi sunt, vino deinceps abstineant? Et qui in tabernis caput vino gravarunt ac tantum non ruperunt, post hac earum limina non terant? Gaudium hoc foret Deo & Angelis, qui super uno peccatore pœnitentiam agente jubilant in cælo. Ex secundâ causâ Sanctus Jacobus minor vino abstinuit. Euseb. l. 2. hist. c. 22. uti & S. Joannes Baptista. Et tertiâ Rechabitæ Jerem. 35 qui solâ institutione & hortatu patris Jonadab, vino perpetuum vale dixerunt. Idque placitum fuisse Deo patet ex eo, quod meriti sint audire ab eo: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* quibus verbis eis promittitur stirps non extinguenda, & singulari Dei protectione fovenda.

II. Quan-

II. Quando vinolentiæ & ebrietati contra invitatores strenue resistimus. Et primò cum effundimus potius ac perdimus, quam ut nos inebriemus. Cujus exemplum præbet vel Ethnicus ille Diogenes, qui cum in convivio quodam multum vini dono accepisset, id effudit. Indignantibus aliis, respondit: *Si vinum hoc omne biberem, non tam vinum quam me ipsum perderem.* Stob. auct. Paradoxum quidem est hoc sed rationi consentaneum: *Præstat ut pereat quam ut perdat.* In veteri lege sacrificium consummabatur effusione vini super altare in odorem divinum suavitatis, ut habetur Numerorum 28. vers. 14. & Ecclesiastici 50. vers. 15. 16. 17. Erit ergo talis effusio divinus & suavissimus Deo odor & sacrificium consummatum ac gratissimum. Sanè cum in mensa vinum evertitur & sericas vestes inquinat non dolemus de vino effuso, sed de vestibus solum vino perfusis indeque maculam contracturis. At cur non potius de inquinatâ animâ labe peccati, & corpore vitiato dolemus?

2. Quando vinum, ne obsit, aquâ diluimus. Præstat enim corrumpere vinum quàm animum. Sanctus Radbodus Ultrajectensis Episcopus cæteris convivis vinum, sibi in vase de onyche, auro ornato, aquam apponere solebat. Quod advertens quidem secularis ex eo bibere petiit: sed non permissus, clam vas arripuit: videns id vir sanctus suspiravit; ad hoc suspirium, aquam ille in vinum mutatam reperit. Sur 29. Novemb. in vitâ. Lætificavit ergo DEUM hoc vinum, factum ex aquâ ad tuendam Sancti humilitatem.

3. Quando variis artibus & modis pocula grandia recusamus; velut ille, qui ad immodicos haustus stimulatus, se excusans dixit: pecuniam sibi non esse, quam det Medico; si ex potu infirmus fiat: eâ sibi ad alia opus esse. Alius, qui se à bestià parum abesse dixit: timere se poculum Circes, ne omninò brutum fiat. Alius, se metuere ne à cane Pudefiat, qui saturiam quiescit, nec cibum requirit; apud Serar. in Iudith. cap. 25. Placere DEO hoc certamen non est dubium. Sicut enim Sancto Antonio pugnanti contra Dæmonem se tentantem accedentem, adfuit dicens: *Antoni hic eram, sed expectabam videre certamen tuum;* ita aderit etiam illis, qui contra hujusmodi tentatores strenuè pugnaverint: eorumque certamine delectabitur.

III. Quando id dissuademus vel subtrahimus iis, quibus nocet, vel quando corrigimus eos, qui eo abutuntur. Huc pertinet Bethsabee, quæ dum filio Salomoni vinum dissuadet Proverb. 31. *Noli ô Lamuel* (Lamuel exponunt *cum quo*; vel *cui est DEUS*: Dat ergo filio mater hic peculiare hoc nomen, ut indicet filium DEO singulariter placiturum, & DEUM illi adfuturum, si à vino sibi temperet) *noli Regibus dare vinum*; hoc est, noli bibere vinum Rex factus; haud dubiè Deum lætificavit: quemadmodum & decrepita illa, quæ Sanctæ Monicæ à tenera prohibuit extra mensam bibere vinum, imò & aquam, ne adulta fieret meribibula, nec non ancilla, quæ eandem jam puellari ætate cùm vidisset furtim vinum bibere, in contentione appellavit *meribibulam.* Unde rubore suffusa puella deinceps sedulò cavit vini potum. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 8. Alphonsus Arragoniæ, vino vix aut dilutissimo utens traxit in eandem consuetudinem plerosque aulicos. Panormit. libro secundo. Quis dubitat etiam hoc placuisse Deo?

IV. Cum id pauperibus aut mœrentibus elargimur.

IV. Cùm id pauperibus & mœrentibus elargimur, juxta id Proverb. 31. *Date siceram mœrentibus & vinum his, qui amaro sunt corde. bibant & obliviscantur egestatis suæ* (Chal. *detritarum vestium*) *& doloris sui* Ad hoc enim DEUS post diluvium docuit Noën invenire vinum, ut ejus & filiorum, ob inductum mundi diluvium & rerum omnium exterminium, conceptum mœrorem hilaritate vini temperaret, ut vult Sanctus Chrysostomus homilia 29. in Gen. Pari ergo ratione justum est ut divites pauperum & ægrorum mœrorem & languorem vini hilaritate atque efficacia abstergant. Ita Christus vino pauperem sponsum lætificavit, & à confusione liberavit. Quod si calix aquæ frigidæ datus pauperi mercedem habet, Matthæi 10. quantò magis vini? Unde Augustinus serm. 231. ait: *Quod in ebrietate periturum erat, in pauperum refectionem proficiat.* Quàm multos ægros & captivos lætificare potes vino tuo? Quando sitienti terræ nubes imbrem infundunt, tota terra lætificatur. Pari modo pauperes recreare potest, ut miseriarum suarum obliviscantur, qui vino eos solari voluerit. Et hoc meo judicio insinuavit etiam DEUS Num. 28. cùm in fine sacrificii jussit pedem altaris vino perfundi. Altare enim Christum, pedes ejus pauperes significant. Hi ergo si vino, quod in fine mensæ superest, sitibundi perfunderentur, DEUS utique lætificaretur; id quod sæpe ostendit, miraculose refundendo vinum pauperibus erogatum. Sancta Francisca Pontiana, cum ejus socer vas præstantioris vini sibi in cellam reponi jussisset, illa id paulatim pauperibus distribuit. Inventum ab illo vas vacuum, & nurus objurgata quemadmodum & à marito Laurentio. Sed ipsa ad cellam reversa & genuflexa orat, Dominum ut non jam aquam, ut olim in Cana, sed aërem dolii velit in vinum mutare, ne imposterum prohibeatur ab eleemosynis. Moxque impetravit ut vas illud nobiliori longè vino repleretur. Ita Ursinus in ejus vitâ.

Sanctus Homobonus, *cum prædiolum cæteris divenditis & in egenos erogatis, sibi pauperibusque servasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot ab eo potentes: quibus vir sanctus summâ cum animi hilaritate & frontis lætitiâ porrexit. Sed cùm exhausti ferè essent canthari, nec propter uxoris acerbitatem auderet domum reverti; eos aquâ replevit ac benedixit. Vinitores autem se nihil unquam suavius gustasse asserentes quærebant, unde tam bonum vinum habuisset: Vir Dei, qui optimè sciret, quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit & ipse incomparabilis bonitatis vinum,*

num;gratiasque DEO.*cujus esset illud opus, maximas egit: nec tamen vitandæ inanis gloriæ causa, quæ imprudentium hominum omnem recte factorum mercedem furtim prædatur, quod factum fuerat, cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vasa infunderet, cùm & ipsi vinum gustassent, hoc miraculum ceteris prædicaverunt.* Ita in ejus vitâ apud Sur. 19. Nov.

V. *Quando id moderatè ad conservandam valetudinem bibimus.*

V. Quando debili stomacho præditi ad conservandam valetudinem & vires roborandas modicum potamus. id quod suasit S. Paulus Timotheo: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes infirmitates tuas;* 1. Tim. 5. Quia nimirum, ut ait S. Ambrosius, *vult* DEUS *prudenter sibi serviri, ne nimietate* (laboris vel abstinentiæ) *debiles efficiamur, & postea Medicorum suffragia requiramus.* Cæterum ad necessitatem, non ad voluptatem id concedit Paulus, unde ait: *utere*, non fruere, eoque modico. Pulchrè S. Gregorius 20. moral, ca. 21. *Pensandum est* inquit, *quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat! Sic virtus abstinentiæ aut omninò nulla est, si tantum quisq; corpus non edomet, quantũ valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet.* Sed quid ad hæc Lutherus? Pulchrè ex illâ Pauli concessione argumentatur: Apostolus modicum vini, puta cyathos aliquot præscripsit Timotheo velut infirmo, qui plus vini non ferebat; nobis vero utpote sanis & stomacho valentibus multo utendum est; puta, non cyathis, sed amphoris. At bone vir, Timotheus cùm sanus esset, aquam bibit, utique Apostolo probante, ac nisi infirmus factus esset, vinum ei suasum non esset. Sed talem Prophetam talis glossa decebat. Nisi ergo corpori aliquid subtrahamus; nullum gratum DEO sonum edet: si plus æquo subtraheremus, corpus rumperemus: mediocriter ergo tensâ chordâ DEUM lætificabimus. Porro immodicum ægros extinguit, quod inter alios plurimos contigit Henrico Lusitano, cui febricanti Romæ suadet Christophorus Fischerus, ut ne medicum audiret, sed bonum potiùs vinum biberet, simulque jussit adferri vinum creticum quadrimum, propinavitque ægro, jubens esse bono animo. Verum ut ille persuasus hausit, mox intercluso spiritu cœpit animam agere. Eras. in Adag.

VI. *Cum ad exhilarandum etiam animum temperatè bibitur.*

VI. Denique cùm ad exhilarandum etiam animum moderatè potatur. Ad hunc enim finem etiam à DEO est creatum, ut de Noë dixi, eoque spectat id Ecclesiast. c. 31. *Exultatio animæ, & cordis, vinum moderatè sumptum.* Optimè Athenæus lib. 1. cap. 21. sic aliquando Socratem dixisse refert: *Videntur mihi virorum corpora pati, quod plantæ, quæ in terrâ natæ fuerint. Illæ siquidem ubi cœli nimiis imbribus irrigatæ sunt, nullo se pacto possunt erigere; neque auris perflantur. Verum ubi quantum sufficit, biberunt, & rectè & feliciter surgunt. Sic nos etiam sumus affecti. Nam si potum frequentiorem hauriamus, statim & mens & corpora nostra ab æquitate declinant, ac ne respirare, nedum dicere quidquam possumus. Quod si nobis pueri in minora pocula irroraverint, si vino non coacti ebrii fieri, verùm leviter commoti in comitatem lætitiamque convertimur.* Idem insinuatur psalm. 103. cum dicitur vinum creatum, *ut lætificet cor hominis.* In Heb. 11. habetur: *Cor Enos*, hoc est, cor afflicti & mœsti.

Hoc sensu facilè mihi persuadeo lætificasse vinum in hodiernis nuptiis non modò homines, sed etiam Christum; quia non dubito bibisse omnes cum moderamine & hilaritate. At vero quando ad ebrietatem usque bibitur, quando grandioribus poculis certatur, quando bibendi finis non est, jam hominem non lætificat, sed mœstificat, morbificat, mortificat. Nam primò, nonne molestia est bibere cùm non sitias, imò abhorreas? Deinde nonne hinc capitis gravedines, ventriculi cruditates, nervorum contractiones, podagra, morbi, plurimæque ocyssimæ mortes? nonne hinc peccata plurima, pœnitentiâ, luctu pœnisque expianda? nonne ebrietas ipsa culpa luctifica & lethifera est? Lætificet igitur nos & Deum, non luctu tristitiaque afficiat. Nemo invitus, plus æquo bibat, aut propinet alteri, aut necessariò propinandum putet, nec ad temulentiam usque compotet.

Denique vel maximè DEUM lætificat, quando unà cum moderamine adjungitur DEI laus & gratiarum actio. Hinc Hebræi in Tract. Beracoth cap. 6. hanc tradunt causam, cur vino lætetur Deus, quia ad vini potum debent homines Deum laudare, ita ut ibidem dicat R. Jonathan hæreticos esse, qui non dicunt *Schirach* seu psalmum *haiain*, id est, super vino.

Non dubito convivas his in nuptiis unà cum Architriclino laudasse Christum, pro tam bono vino, sibi propinato, idque Christo gaudium cordis fuisse, sicut è contra, cum DEI dona sine DEI commemoratione ac laude quasi pecudes absumimus, dolorem ei creamus. Quisquis ergo vino DEUM lætificare cupit, hæc, quæ diximus, observet, *ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Joan. 4.

THEMA TERTIUM.

Quàm stultè eligant mundi sectatores vinum bonum in hac vita, & in altera deterius.

I. *Quia spretis melioribus eligunt deteriora.*
II. *Quia mercedem eligunt ante laborem.*
III. *Quia pro modica dulcedine eligunt sibi dolores incomparabiles.*
IV. *Quia pro brevissima delectatione emunt æternos cruciatus.*
V. *Quia sobrii & intelligentes de summa felicitate ad summam miseriam se præcipitant.*

Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Ioan. 2.

SApientissimus ille Rex Salomon Prov. 23. sapientissimum nobis dat consilium: *Cùm sederis, ut comedas*

medas cum Principe, diligenter attende, quæ poſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo. Princeps iſte DEUS eſt, qui menſam nobis in hac vitâ præparavit opiparam & variis ciborum generibus, additis etiam cupediis & deliciis, quia omnia propter nos & in uſum noſtrum creavit, interim tamen obſervat nos, quomodo in hac menſâ converſemur quanto moderamine, quâ diſcretione ea fruamur; num potius voluptatem, an honeſtatem, cum noſtra ſalute & DEI gloriâ quæramus. Atque hic eſt culter ſtatuendus in noſtro gutture, diſcretio videlicet & prudentia, quâ attendamus, quâ ratione fruamur bonis iſtis. Si enim involemus in prima ſtatim & quæ videntur optima præſentis vitæ fercula & vina, tum ad finem menſæ, & initium alterius vitæ apponetur id, quod deterius eſt. Sin autem parcè & moderatè illis utamur, tunc depromet Chriſtus Sympoſiarcha noſter vinum illud bonum, quod eouſque ſervavit. Statuendus ergo culter eſt, non in quadrâ, ſed in gulâ, ut ei præſcindat & prohibeat prævia mundi fercula & carnis oblectamenta. At vero quid contingit? Plerique mortales involant in præſentia hæc & viliſſima bona, non expectantes futura. Id quod Architriclinus indicat, cum ait: *Omnis homo primum bonum vinum ponit.* Sed quid ad finem? *tunc id quod deterius eſt.* Contrarium nos Chriſtus docet, ipſa Dei ſapientia, qui ad finem convivii ſuum illud vinum omnium nobiliſſimum deprompſit? ut nos doceret ſtatuere cultrum in gulâ & differre appetitum noſtrum uſque ad alteram vitam. Inſanit ergo mundus ejuſque ſectatores, dum præſentia eligunt, futura verò in poſtremis habent; quod hic oſtendemus.

I. Quia ſpretis melioribus eligunt deteriora.

I. Quia eligunt hic meliora deliciarum vina, ſpretis quæ in altero ſæculo ſequentur, longè melioribus. Solet enim Chriſtus, ut ex hodierno Evangelio colligitur, prius dare vilius vinum, melius reſervare, ad finem, vitæ ſcilicet hujus, ſeu in alterum ſæculum. Mos hic etiam communiter ſervatur in conviviis, ut initio dum homines fament, viliora, quæ famem ſaturent, apponantur, uti caro bubula aut vitulina, poſtea primum delicatiora & rariora. Quare ſicut is, qui famis impatiens, primis ſtatim ferculis ſe implet, & exſaturat, poſteà ubi meliora ſequi videt, dolet ſe, jam ſaturum, veſci his cupediis, longè melioribus non poſſe: ſic contingit mundi amatoribus, qui nimia ſæcularium bonorum cupiditate æſtuantes involant in illa, ſeſeque ingurgitant; deteriora enim eligunt, ut futurorum bonorum, centies millies meliorum, incapaces fiant. Si viator æſtuans & ſitis impatiens antequam ad hoſpitium veniat, bibat è lacunâ; dolet poſteà ſe tam vili & inſipido potu ſitim ſedaſſe, cum jam poſſet optimo vino. Ita ferè accidit guloſo illi Eſau, qui tam calido appetitu ferebatur erga rufam illam pultem, quam coxerat Jacob, ut pro eâ daret jus primogenituræ ſuæ, quò nimirum ingluviem ſuam mox ſatiaret. Unde ſecundum Hebr. textum dixit: *Imple me de rufo iſto.* ubi nos: *Da mihi coctionem hanc rufam*: Verùm in malum ſuum implevit ſe. Sic enim lentis viliſſimo edulio repletus incapacem ſeſe reddidit paternæ benedictionis, majoratus & multorum bonorum, quæ præripuit ei Jacob. Gen. 25. Non dedit Deus manna Hebræis, quamdiu ex farinâ Ægypti vivebant: nec oleum Eliſæi potuit implere vaſa illa viduæ, quæ jam rebus aliis vilioribus plena erant. Nullo modo credendum aut exiſtimandum eſt, voluiſſe DEUM hominibus præbere in hac vitâ præſtantiorem menſam, & ibi viliorem; hic enim gratis alit nos, tam malos quàm bonos: ibi paſcet tantùm bene meritos: multò igitur lautiùs. Unde in oratione Dominica præcisè petere juſſit panem quotidianum. De alterius vitæ menſâ longè aliter loquitur per Iſaiam cap. 24. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis* (electis) *in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Opulentum quidem & opiparum ſatis convivium apparavit DEUS hominibus, etiam in hoc ſæculo: mundum, inquam, variâ amœnitate, delectatione & rerum copia inſtructum; ſed partim ad oſtendendam ſuam opulentiam & liberalitatem, qua poſſit ac paratus ſit longè plura ac meliora dare bene meritis, qui hæc exhibet immeritis: partim ad exercitium noſtrum, ut probet noſtram virtutem, fidem, ſpem charitatem, temperantiam; quid ea poſſit adverſus mundi oblectamenta: an credamus in DEUM hic exercentem ſervos ſuos, ibi remunerantem: an ipſius bona velut ſervi fideles non prodigere & diſſipare, ſed parcè & modeſtè cum gratiarum actione delibare potius, quàm devorare velimus: an ipſius amori hæc omnia poſtponere & propter illum deſpicere: an denique hæc terrena cœleſtibus ejus bonis præferre. Ergo ſicut bene morati hoſpites, invitati ad menſam Magnatis alicujus opiparam, non involant in cibos, nec ſeſe ingurgitant, ſed modeſtiæ memores eos potius delibant, aut parcè ſaltem quæ apponuntur comedant: ita nos ſedere in hoc mundi convivio decet. At licet hæc præſentia appareant magna & miranda; quia ſcilicet oculis noſtris admota ſunt: cogitandum tamen reverà exigua & nulla eſſe reſpectu futurorum, quæ quia hinc longè abſunt, parva eſſe putantur: ſicut globum terræ, quia præ oculis eſt, magnum æſtimamus: Solem verò quia longe abeſt, parvum, cum ſit centies ſexagies major totâ terrâ. De illis enim bonis ait Apoſtolus. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS diligentibus ſe.* 1 Cor. 2. v. 9. Non æſtimavit Eſau jus primogenituræ, quando illud vendidit: *Quid mihi proderunt primogenita?* inquit. Verum ad extremum, cum pater moriturus benedictionem ei ſubtraxit: tunc agnoſcere cœpit ſuam inſipientiam, cum irrugiit clamore magno.

II. Quia mercedem eligunt ante laborem.

II. Quia eligunt prandium & mercedem antequam laborent; quò fit ut poſt labores careant fameſcant & incœnati abeant. Sic egit filius prodigus patri dicens: *Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit:* quâ diſſipatâ eſurire cœpit; & ne porcorum quidem ſiliquas habere potuit, periiſſetque fame prorsùs,

Fabri Sylva nova, de Dom.

nisi resipuisset. Idem agunt servi illi prodigi, qui ante finem anni suum stipendium seu simul super partes exigunt ab heris, & acceptam dissipant: posteà exacto laboribus anno vident alios conservos, qui melius sapuerunt sua accipere stipendia: ipsi vero cum dolore recepisse se jam mercedem audiunt, cum eâ maxime egerent ad comparandas sibi vestes, aliaque necessaria. Horum similes mundi sectatores præripiunt sibi in hoc mundo partem suam quam in altero primùm sæculo accipere deberent, dicuntque cum dissolutis illis Sap. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* quasi dicant: quia post mortem nullam aliam partem aut mercedem expectamus. Vident ergo isti sibi in altero sæculo nihil amplius sperandum, & verum quidem dicunt, sed quam id aliquando sentient! Unde c. 5. posteà exclamant: *Ergo erravimus, nos insensati*, &c Sapuit econtrà ille qui dixit: *Portio mea in terrâ viventium.* Ps. 141. Accipiunt hîc munera solum, uti filii concubinarum ab Abraham. Gen. 25. Fundi stabiles & plena hæreditas dantur Isaaco. Ubi S. Isidorus ait: *Dantur munera filiis concubinarum, id est, carnalium, sed non perveniunt ad Regnum promissum, quia carnalia lucra sequuntur, solus Isaac est hæres.* Qui providi & prudentes sunt, parcunt superfluis sumptibus, dum juvenes & robusti sunt, detrahunt subinde sibi aliquid in victu & vestitu, quo peculium aliquod colligant pro futurâ senectute, ut habeant unde vivant, cùm jam lucrari nihil possunt. Idque à teneris docentur filii à parentibus, suum ut thesauriolum sibi reponant (in Sparbuchs) Qui hoc non faciunt, incidunt multoties cùm senuerunt, in extremam calamitatem ipsamque mendicitatem? non solum maximo suo dolore, sed etiam confusione. Idem expectare debent filii hujus sæculi, juxta id Prov. 11. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius est confusionis.*

III. *Quia pro modicâ dulcedine eligunt sibi dolores incomparabiles.*

III. Quia pro haustu vini dulcis emunt sibi fel & dolores, quos inde contrahunt, incomparabiles. Compertum habent ebriosi, quam mercedem eis rependat vinum immoderatè haustum, præsertim dulce & potens. Inde enim dolores capitis, membrorum tremor, nausea ciborum, vomitus, &c. Sed nihil hæc ad eos dolores, qui consequuntur filios hujus sæculi, hos transitoriis bonis & mundi voluptatibus ebrios. Hi sunt vermis conscientiæ & cruciatus inexplicabiles ipsius gehennæ, respectu quorum præcedens illa voluptas non est nisi gutta respectu maris, punctum respectu cœli. Prædicit illis hanc miserabilem sequelam imprimis S. Scriptura plurimis in locis, uti Prov. 23. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Utique illud Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* & hoc est vinum illud deterius. Deinde ipsum etiam naturæ lumen & propria conscientia. Testis inprimis Fridericus Imp. de quo Æneas Sylv. l. 4. Comm. c. 37. ita scribit: *In terrâ Austriâ cum obiisset unus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitã inter voluptates illecebrasque nullã unquã valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset, idque Friderico Cæsari narraretur. Et hinc, inquit ille, immortales animas censere licet. Namque si Deus est, qui hunc mundum gubernat, ut Philosophi & Theologi docent, eumque justum esse nemo negat, profecto alia loca sunt, ad quæ post mortem animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam neq; hic bonis sua præmia, neque malis sua supplicia reddi videmus.* Sensit hoc epulo ille quãdo se in tormentis & flammis constitutum vidit propter immodicas illas delicias, quas habuit in vitâ: auditque ab Abrahamo meritas se pœnas dare: *quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* quasi justitia exigat istam commutationem, ut qui hic secundum carnem bene habent, illic crucientur: & qui hic malè, illic solatiis perfundantur. Hoc nimirum significabat illa manuum commutatio in Patriarchâ Jacob, quando dexteram posuit super Ephraim, natu minorem: sinistram super Manassen, majorem: commutatis decussatim manibus. Gen. 48. cum tamen hunc ad dexteram illum verò ad sinistram patris collocasset. Joseph, optans ut major præferretur minori. Id enim Dei nutu factum ad indicandum, quod ii, qui hic cum Lazaro patiuntur & abjecti à mundo vivunt, ibi delectationes in dexterâ Dei reperient: alii, qui cum Epulone recipiunt bona in vita sua, ad sinistram Judicis inter hœdos & damnatos stabunt. Rem tali similitudine declarat Didacus Stella in c. 16 Lucæ. Dentes quãdiu sani sunt, delicatè foventur, lavantur quotidie, purgantur à sordibus, teguntur labris, recreantur cibo & potu; at ubi putrescere aut vermem alere adeoque cavari incipiunt, tum exosi sunt, appellantur dentes nequam, ein Schelmen Zahn) ex ore exturbantur & abiiciuntur. Contra pedes, dum vegeti sunt, pessimè habentur; totam enim corporis molem sustinere, currere hac illac, sursum deorsum, per aquas & lutum per aspera & lubrica pergere coguntur, at si casu aliquo deficiant, frangantur, aut luxentur, vel podagrâ infestentur; tunc molli lecto & calore foventur, emplastris, medicamentis recreantur, omnique labore eximuntur, ita ut vix terram tangere permittantur. Sic ergo filii hujus sæculi cum Epulone bene quidem habent & habentur, quamdiu hic in divitiis vivunt: at ubi mortis vermis eos apprehendit, excavat & putredine occupat, tum è mundo extrahuntur, cum maximo suo dolore (juxta id Ecclesiastici 41. *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! viro quieto & adhuc valenti accipere cibum!*) & à Deo in altero sæculo abjiciuntur in gehennam. Vicissim servi Dei, qui hic velut pedes vexantur, onerantur, laboribus premuntur & in cœnum abjiciuntur, cum in morte deficiunt, tum solatiis recreantur, & ab Angelis deportantur ad con-

sortium beatorum cum beato illo Lazaro. Unde subdit ibi Ecclesiasticus: *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti & qui minoratur viribus.*

7. ...s pro ...issi- ...a dele- ...one ...nt ...nos ...atus.

IV. Quia pro brevissimâ delectatione emunt sempiternos cruciatus: pro brevi deliciarum merenda, cœnam miseriarum interminabilem: pro unâ mellis guttâ fauces transeunte, mare felle plenum inexhaustum. O cæcitatem hominum! Sanctus Cæsarius Diaconus & martyr Tarracinæ in Campaniæ civitate magnam deprehendit Gentilium cæcitatem. Vidit enim in eâ, egregiâ specie juvenem, nomine Lucianum, splendidè ornatum, deliciis affluentem & lasciviis vacantem, magno ab omnibus in honore habitum. Cæsarius ergo ex Africâ eò delatus sciscitatur quid sibi vellet ille luxus adolescentis. Cui responsum, quod destinatus sit ad Calendas Januarias in Deorum hostiam pro expianda patriâ, quem in finem ad sex vel octo menses genio prius indulgeat, & quidquid lubet, agat; & quidquid desiderat, ad manum habeat, iis vero elapsis cataphractus cum phalerato equo ex præalto monte præcipitem se in marè daturus sit pro salute Reipublicæ ut in ejus actis 1. Novemb. apud Surium & Baronium. Quid videtur vobis de hoc juvene? num aliquis vestrum est, qui ejus aleam subire vellet? neminem existimo adeo insanire. Et tamen interim hoc agunt, quotquot vitam suam deliciis hujus mundi & voluptatibus addicunt. Cum enim sciant sibi imminere præcipitium in abyssum, eligunt nihilominus ad paucos vitæ hujus annos genio indulgere, deliciis, divitiis, honoribus circumfluere, sicque demum ad mare tormentorum inexhaustum & sempiternum desilire, unde numquam emergant. Nam, ut sanctus Chrysostomus homilia prima in Genesin ait: *Voluptas brevis & temporaria: dolor autem perpetuus & fine carens.* Quod bene insinuavit Epuloni Abraham cum dixit: *Recepisti bona in vitâ tuâ: nunc autem cruciaris.* non ait: cruciatus es, sicut ait: *recepisti*; sed *cruciaris*? quia voluptas transiit, cruciatus autem manet sine fine. Unde Chrysostomus concione prima de Lazaro; *Quot annis*, inquit, *vis illum* (epulonem) *hic pecuniis fuisse fruitum? vis ponamus centum? Ego vero etiam ducentos pono, pono 300. pono bis tantum, & si vis mille, quod sanè fieri non potuit*, &c. *Age igitur, cedo, si quis in annis centum vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus esset, centum annis puniretur: num is de hoc dicere posset, unicam noctem, qua somniavit centum annis æquiparari? Dictu absurdum. Nam quod est somnium unum ad annos centum, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imò potius multò minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam fruitionem.* Atque hoc est vinum illud, de quo psalm. 24. dicitur: *Fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.*

V. V. Quia non inebriati, (quod fit tantùm in convivijs potatorum) sed sobrij intelligentes post vinum dulce bibent acetosum & amarum; dum sentient acerrimè se à delicijs ad dolores, è divitijs ad mendicitatem, ex honoribus ad infamiam, è summa fœlicitate ad summam miseriam & calamitatem transmigrare, adeoque cum Luciano dicto, de summitate montis in abyssum præcipitari. Nemo enim nescit, graviori casu ad terram allidi eum, qui ex alto cadit, quàm qui ex humili: & longè calamitosius esse de honoribus & sceptris detrudi ad stivam aut carcerem, de magnis opibus & delicijs, ad mendicabulum & famem: quàm in his miseriis natum, enutritum semperque versatum esse. Hinc Dionysius junior à potentissimo Siciliæ regno ob ignaviam dejectus, & Corinthi vitam privatam agens, imò planè ad stipem redactus, ita ut metragyrtam agens, tympana pulsando & tibijs modulando, ut scribit Ælianus lib. 9. variar. Histor. cap. secundum alios etiam pueros docendo, vitam toleraret: siquis ipsi molestus esset, dicebat: *Quam beati sunt, qui à puero infœlices fuerunt*? Stob. serm. 106. de insper. event. Non adeò sentiunt suas miserias, qui semper miseri fuerunt: uti sentiunt illi, qui aliquando fœlices erant. Cum æstuaret Jonas, hedere subitò exorta umbraculum ei fecit, quo facto lætatus est lætitiâ magnâ, ait sacer textus Ion. 3. at ubi die postero exaruit hedera majori tristitia correptus est, quam prius, cum nullam haberet umbram; adeò ut indignaretur & angustiaretur mortem sibi imprecans præ impatientia nimij æstus dicens. *Melius est mihi mors, quàm vivere.* Ita nimirum post habitas delicias acrius sentitur & ægrius toleratur miseria, Sentient hoc suo tempore sectatores hujus mundi & deliciarum, ubi eis spoliabuntur & redigentur ad extremas illas miserias, dicentque: ô utinam numquam fœlix, numquam dives, numquam princeps fuissem! Sensère certè hoc viri, qui in magnis dignitatibus vitam alioquin bonam duxêre, sibi metuentes, ne qui hic delicijs, etiam statui ipsorum concessis atque licitis, perfruiti, vinum bonum præbiberunt ibi cogerentur bibere deterius. Paulus tertius Pontifex animam agens dicebat: *Mallem me subjecisse coquo familiæ Capucinorum, quàm hanc DEO proximam, sed ad decem annorum curricula dignitatem sustinuisse.* apud Paul. Iovium in eius vitâ. Cardinal Alexandrinus Pii V. nepos jam moriturus. *Quàm*, inquit, *in hac hora optarem totam vitam in religione mea* (fuerat enim Dominicanus, æquè ac Pius V.) *transegisse; Sanè jam mallem me totâ vitâ servisse loco Monasterij mei, quàm Cardinalem egisse.* Refert Cornel. in cap. 3: Apocal. Similiter Conradus Cardinalis ex Cisterciensi familiâ assumptus; moriens aiebat: *Utinam in Villario meo* (monasterio Cisterc. Ord. *inter fratres semper scutellas abluissem*? refert Christ. Henriq. in Fascic. Cisterc. Ord. p. 1. Novi quendam ait noster Octavianus de Tufo in cap. 7. Ecclesiastici, qui è Dominicanorum familiâ Tyro eductus, ingentem honoris cathedram conscendit, & morti proximus

Quia sobrij & intelligentes de summa felicitate ad summam miseriam præcipitant.

 dixit:

dixit: *Quàm libentiùs mererer janitor religiosæ illius familiæ!* quibus addo Reges etiam,& inprimis Davidem, qui priori non absimile votum edidit Psal. 83. dicens: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei* (Hebr. *tanquam janitor ad portam sedere*) *magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Nostro demum sæculo Philippus tertius, Rex Hispaniarum, moriens inter alia eruditionis plena verba dixit: *Ne unam quidem ficum valet esse in mundo Regem, nec Imperatorem. O utinam ego ne uno quidem die Rex fuissem!* Et ad Confessarium è Societate nostrâ conversus: *Contestare meo nomine mortalibus fuisse Regem, atque Imperatorem ad nihil aliud inservire, quàm ad terrorem, quàm ad tormentum in hac horâ,*]*quod fuerit. Felicius mihi contigisset totos 22. annos in ipsâ Thebaide Anachoretam transegisse. Sum quidem (heu me) periculo æternæ mortis proximus.* Refert Bened. Fernandius in caput trigesimum quintum Geneseos sect. duodecimâ. Hæc ille ex magnâ animi demissione.

Videat igitur nunc unusquisque nostrum, quid in re tanti momenti eligat: vinum ad initium mensæ dulce & post quod deterius est: an è contra amarum in præsenti, & dulce in altero sæculo.

THEMA QUARTUM.

Pia inter Conjuges contentio.

Certare inter se Conjuges de virtute debent.

I. ***Certent amore.***

II. ***Certent honore.***

III. ***Patientia & supportatione mutua.***

IV. ***Pietate & probitate.***

Quid mihi & tibi est mulier? Ioan. 2.

Certare inter se conjuges de virtute debent.

Ælianus Romanus historicus lib. 12. cap. 38. scribit: *Apud Sacas si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam eum eâ suscipit: & si illa superior sit, captivum abducit atque imperium in eum tenet; sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria.* Optarem Audit. ut Christiani conjuges tali vel simili modo inter se certarent, de victoriâ, non de vitâ: de meritis & virtutibus, non de fragili imperio: denique de corona gloriæ cœlestis, non de gloria humana. Optarem ut certarent, quo modo in hodierno Evangelio videntur certasse Christus Dominus ejusque sanctissima mater de amore videlicet. Vidit mater defectum vini, ergo ne confunderentur novi conjuges, vinum illis petiit. Christus autem præter hoc vidit etiam in discipulis suis aliisque convivis fidei defectum; ergo ut suam gloriam & divinitatem illis manifestaret, differre adhuc miraculum voluit, donec vini defectus pluribus pateret. Non fuit igitur Christi verbum, licet acrius ad speciem, nisi amica concertatio cum amantissimâ matre de tuendo honore proximorum, & promovenda gloria Dei. Tale cuperem esse certamen inter conjuges. Sed quibus de rebus potissimum? Audiamus.

I. Certare inter se deberent Amore, & magna vi contendere, ut alter alterum vincat. Ita membra unius corporis se invicem diligunt, & quasi dilectione certant. Si enim pedes ligati sint, conantur manus eos exsolvere: si manus ligatæ, dentes vincula lacerare, vel pedes fuga salutem quærere, vel pro manibus pugnare. Manus ictui se objicit pro capite vel latere. Jam autem conjuges sunt duo in carne una, seu una caro, ideoque Deus Adamum & Evam non seorsim, uti alia animalium paria, sed Evam ex Adami latere, & quidem sinistro, qua parte cor est, fecit, ut vir uxorem velut costam & comparem suam, vicissim uxor virum velut commembrum suum diligeret. Unde Apost. ad Eph ait: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet & nutrit eam, sicut Christus Ecclesiam,* qui, ut paulò antè dixit, *seipsum tradidit pro eâ.* Hujusmodi amorem cernere erat in Patriarcha Jacob, qui obviam pergens Esau fratri, non de se, sed de suis conjugibus tantùm solicitus erat. *Valde eum timeo,* inquit, *ne fortè veniens percutiat matrem cum filio* Gen 32. Vicissim Michol pro Davide, viro suo, quando advertens eum quæri ad necem, & custodiri domum suam, dimisit eum per fenestras, ut fugeret, ejusque loco statuam in lecto posuit, ad custodes eludendos; adeoque se pro ipso Regis iræ ac furori objecit, ut virum salvaret, I. Reg. 19. I. Certant amore.

Pulcherrimum hoc certamen est, in quo victricem se ostendit Sanctia conjux Comitis Castellæ, quæ, incarcerato à Legionensium Rege, marito, eò perrexit, & impetrata licentia cum eo loquendi, viro dimisso ejus loco in carcere remansit tandem & ipsa, laudata à Rege dimissa est. Io. Vasæo auct. in Chron. Hisp. ad an. 932. Vicissim agricola Lentiscolnensis in regno Neap. cùm domo absens uxorem perdidisset, & procul navim piraticâ in anchoris hærentem, vidisset, ratus in ea esse uxorem: adnatavit, & se concaptivum ultrò propter uxorem ad triremes tradidit, mirantibus barbaris: Unde in Africam abductus, propter eam fidem à Tunetensium Rege libertati est restitutus. Fulg. lib 4. c. 7. Cæterùm in hoc amore mutuam sibi vicem reddant, & alter alterum vincere studeat. Non ita egit mulier illa viro suo ingrata, de qua B. Petrus Damiani Epist. 15 ad Alexandrum Pp. lib. 1. Epist. ait: *Novi planè virum, dum illatam uxori ulcisci conatur injuriam, gladiis interemptum, quæ tamen ad secundas migrasse nuptias dicitur, antequam anni circulus impleretur.*

II. Honore, ut alter alterum magis, quam se honoret. Docet id S Petrus ep. 1. 3. Viros quidem, dum ait: II. Honore. *Viri similiter cohabitantes, secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri honorem impartientes: tanquam cohæredibus gratiæ vitæ.* Uxores verò dum præmittit exemplum Saræ, quæ Abrahamum, maritum appellabat *dominum suum*; qui vicissim uxorem appellavit *dominam suam*: Sarai enim idem est, quod *domina mea*. Ei etiam honorem exhibuit, ut ad ejus petitionem mox ejiceret ancillam, quæ dominæ illudebat. Bene autem ratiocinatur S. Petrus, uxorem à viro

viro honorandam, tanquam infirmius vasculum & tanquam cohæredem gratiæ vitæ: nam vasa crystallina & vitrea cautius tractamus, quam argentea, quia fragiliora, etsi viliora. Et quia cœli cohæredes sunt, fortè ad altiores coronas & sedes evehendæ. Hanc ob causam Deus aliquot prærogativis honoravit virum, aliquot & mulierem in creatione. Adam prior formatus est, sed ex pulvere: Eva ex costa viri. Adam viribus sapientiâ & imperio superior, sed extra paradisum formatus est: Eva intra ipsum, Adamo Eva adducta; non è contrà; sed Eva singulari decore ornata & ædificata fuit.

Vultis hujus certaminis exemplum? Joseph, ut audivimus ante octiduum, honorem detulit conjugi suæ Mariæ, dum non ipse repertum alloqui filium voluit, sed eum honorem conjugi, velut soli veræ parenti, permisit. Vicissim Deipara in eâ collocutione sponsum sibi præfert, dicens: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

[...], Do. [...]st. [...]c. 9. Hunc porro honorem inprimis sibi invicem exhibeant in usu matrimonij, ut indicat S. Petrus, cohabitando secundum scientiam, ut ne alteruter impediatur in oratione, devotione, communione, & ut honestas servetur ac verecundia: ne alteri contumelia inferatur.

Deinde ne indecoris nominibus se dehonestent, multo minùs verberibus. Hoc enim parum inprimis honorificum est viro, qui in vas fragile iram suam exerit. Sunt enim mulieres naturâ suâ timidæ, verecundæ, pusillanimes; quare eis parcendum est, non secus ac generosi canes parcunt catellis, etiam sibi oblatrantibus. Deinde, *Qui uxorem suam diligit, semet ipsum diligit*, ait Apostolus ad Ephes. 5. ergo qui eam indignè tractat verbis aut verberibus, seipsum cædit. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*; addit Apostolus. Insanus habetur, qui seipsum pugnis verberat ex iracundiâ, uti fecit obsessus ille Marci 5. *seipsum lapidibus concidens*, vel qui proprias fenestras aut fornacem domi suæ confringit: Nihilo plus sapit, qui in uxorem suam exerit virus suum. Ludovicus Crassus Galliæ Rex Richardam conjugem castissimam appellavit adulteram; quod cùm probari nequiret, ab omnibus desertus, & demum victum emendicare ab Arnolpho Bavaro coactus est, ut dixi alibi.

T[ri]p. in h[ac] Dom. [c.] [...]c.

II. Patientia & suppor[ta]tione mutua. III. Patientiâ & supportatione mutuâ. Si enim Apostolus ad Ephes. 4. omnibus Christianis præcepit: *Cum patientiâ supportantes invicem*, & ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate*: multo magis conjugibus, eidem jugo alligatis. Sic enim videmus boves sub eodem jugo, uno cadente vel ad quietem procumbente, sistere vel etiam procumbere in ejus gratiam alterum. Unde S. Chrysostomus Hom. 26. in 1. ad Cor. ait: *Quod si invicem onera ferenda sunt, multò magis uxoris. Et si pauper sit, noli exprobare, & si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior, etiam tuum membrũ est, & caro una facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda. Igitur dolendum est, non irascendum: & Deo supplicandum, & ipsa admoneenda est & adjuvanda consilio*, &c.

Quod si alter infirmus est, vel senio confectus certent inter se patientiâ, ut infirmus quidem aut senex patientissimè ferat molestiam suam, & conjugis defectus seu neglectus: alter vero sanus cum patientiâ sustineat ac sublevet infirmi miseriam & impatientiam; siquidem & in brutis hujusmodi amorem cernere est. Alcyon, marina avis conjugi semper adhæret, eumque jam annis gravem & ægrè sequentem fovet, nusquam destituens, quin & dorso impositum gestat, teste Plutarcho, in comment. de solertiâ animalium. Idem præstitit marito suo Guelpho Bavariæ Duci uxor, cum ex obsessâ urbe in dorso eum suo extulit, ut dixi alibi. Placet hoc inprimis Deo, nam ita dicitur Ecclesiastici 25 *In tribus placitum est spiritui meo: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Græcè, *mutuò unà circumferentes*. Spectabilis in hoc etiam fuit uxor Eduardi Anglorum Regis filij: qui cum itinere ad S. sepulchrum suscepto insanabilem plagam venenato Mauri gladio inflictam accepisset, pia conjux Hispaniarum Regis filia, manantem quotidie ex ulcere mariti purulentum humorẽ lingebat, solius amoris melle conditum: unde illi sanitatem, sibi immortalem ex amore conjugali gloriam peperit, ut ait Caussinus l. 6 symb. ex Rod. Sanct. p. 101. Hist. Hisp. c. 4. Similiter cum alter durus, asper, capitosus aut ferox est; vincat illum alter patientia, silentio & mansuetudine. Sic vicit S. Monica virum suum Patricium, immitem valde & asperum. Nam & mitigavit & ad veram fidem perduxit; ut habet S. Augustinus l. 9. Conf. cap. 9. Trip. in hac Dom. c. 3. c.

IV. Pietate & probitate. IV. Pietate & probitate. Videre erat hoc certamen inter S. Joachim & Annam, parentes Deiparæ, quorum ille precabatur fortis in monte, velut pastor: hæc vero domi in horto suo: ut scribit S. Epiphanius ser. de laudibus B. V. Ita inter se certarunt B. Borgias Dux Gandiæ (postea Societatis nostræ Generalis) & Leonora conjux. Cum enim ipsa simpliciore veste uteretur, interrogata de hoc à nobilissima quadam matronâ, respondit: *Mene byssinis, sericis aut purpureis indui vis, cum Dominum meum* (Borgiam maritum) *cilicium gestare sciam?* Ribad. in vita Borg. l. 1. c. 12.

Eodem spectat si inter se contendant, ut alter alterutrum instruat ignorantem, errantem reducat & lucretur Deo. Ita S. Cæcilia ad fidem perduxit sponsum Valerianum, Clotildis Clodoveum Francorum Regem: ad castitatem servandam Delphina S. Elzearium Comitem Ariani, & alij plures. Rursum correxit Job & Tobias uxorem; Abigail virum suum Nabal, cum deflecterent ab æquo & recto.

Male è contra agunt, qui dissimulant peccata conjugum præsertim cum id faciunt, ut ipsi liberius peccent, uti Ottocarus Bohemiæ Rex, qui de conjugis impudicitiâ monitus; *Lex naturæ est*, inquit: *Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent*. quasi violante ipso fidem conjugalem, liceat eandem violare uxori. Æn. Sylv. l. 3. Comment. de reb. Alph. Pertinax Imperator perdite amavit Cornificiam, nec curavit, quod

quod ejus uxor Livia adamaret publicè quendam citharœdum, apud Cuspinian. At hoc nihil aliud est quàm contendere, uter conjugum prior eat ad infernum, & alterum secum trahat. Pii & Christiani conjuges certent inter se amore, honore, patientiâ, pietate. Sic exhibebunt jucundum Deo spectaculum in quo qui vicerit, dabitur ei edere de ligno vitæ. Apoc.2.

THEMA QUINTUM.

Nuptiæ quî celebrandæ ex antiquis ritibus.

I. Matrimonium incipiendum oratione.
II. Absque luxu vestium immoderato.
III. Mutuum sibi honorem deferant.
IV. Pura intentione contrahant.
V. Consensu spontaneo.
VI. Ad extraneos oculum non adjiciant.
VII. Non ad otium, sed ad laborem.
VIII. In facie Ecclesiæ contrahant.
IX. Sint Virtute præditi.
X. Cum amore mutuo.
XI. Cum fide & custodia thori.
XII. Cum collata potestate administrationis.
XIII. Cum uxoris sublevamine.
XIV. Cum mutua assistentia in omni fortuna.
XV. Cum abdicatione nugarum & rerum puerilium.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Ioan.2.

Experimur Audit. subinde fieri nuptias parum fælices, in quibus deest vinum consolationis & amoris: neque aliud bibitur nisi aqua lachrymarum, gemituum, miseriarum, desolationum. Causa ferè unica est, quia in suas nuptias incauti irruerunt. Quid igitur his remedii? fierine potest, ut ex aquâ vinum pro istis faciamus? Quid tentare nocet? Ritus nuptiarum, Gentilibus consueti, non nisi aqua erant, insulsa & insipida; quia superstitiosi. Attamen & aqua potus est ac sitim sedat: ritus illi Gentilium, præsertim Romanorum, ex ratione & naturæ lumine deprompti fuerunt, ita ut desponsatis lumen aliquod accenderent, qui suas instituere nuptias deberent. Nos ergo aquam istam insipidam convertamus in bonum vinum, in doctrinam Christianam, sanctam & salutarem. Neque est, quòd nobis aliquis hæc succenseat; scimus enim & Moysen aurum, argentum & vestimenta, quæ Hebræi ab Ægyptiis mutuò acceperunt & secum inde extulerunt. Exod 10 usurpasse & inde Domino tabernaculum fabricasse, ut observat B. Petrus Damiani in serm. de S. Eleuchadio. Ergo gustemus aquam gentium, & vinum inde hauriamus.

I. Apud Gentiles primò nuptiæ non nisi priùs captatis auguriis fiebant teste Val. Max. lib. 2. cap. 1. Fuerunt illa auguria mera superstitio, ex avium cantu aut volatu stultissimè desumpta. Viderunt tamen antiqui statum matrimonii velut admodum difficilem non sine afflatu numinis inchoandum esse. Id quod multò magis necesse est in matrimonio Christianorum, quod est unius cum una indissolubilis conjunctio; quæ sanè DEI gratiâ indiget. Vidit hoc inprimis Isaac, qui dum exspectaret sponsam sibi adducendam, egressus est *ad meditandum in agro.* Gen.24. Chald. *ad orandum in agro.* Nimirum sanctus & prudens juvenis firmum matrimonii fundamentum jacturus, auspicandum sibi putavit ab oratione, non à conviviis, lusibus, choreis, tibiis, obscœnitatibus, ut faciunt multi. Et bene in agro voluit orare; quia intellexit matrimonii incrementum ac successum bonum non secus ac seminis in agrum jacti, à Deo exspectandum. Unde Theodoretus in I. Reg. I. de Annæ illius benedictione ab Heli sacerdote acceptâ ait: *Agricolæ est proprium, semina dejicere, Dei autem dejecta perficere. Ita matrimonii quidem est propria conjunctio: Dei autem est proprium annuere naturæ ut effingat & formet animal. Hoc cùm apertè sciret Anna, (nam longo tempore cum viro habitans fructum non produxit) confugit ad opificem & intensa oratione & lachrymis mutilatam curavit matricem & clausam aperuit.* Et paulò post: *Pontificalem assecuta est benedictionem. Audivit enim: Vade in pace: Dominus Deus Israël det tibi omnem petitionem tuam*, &c. Certè etiam Isaac per 20. annos sterilem habuit conjugem, postquam verò deprecatus est Dominum; & quidem, ut vult S. Chrysostomus, totis illis 20. annis, tum primum accepit proles, Gen 25. Quibus periculosum iter agendum est, illi non fidicines & scurras vocant, sed anxiè se Deo commendant. At quis nescit, quam periculosum iter sit conjugium? Deo igitur auspice ineundum est.

II. Hastâ, quæ in corpore gladiatoris occisi stetisset, nubentis caput comebatur, ut tradit Sextus Pompejus apud Auct. antiq. Rom. lib.5 cap 37 Causam quærit Plut. in quæst Rom. q. 87. *Cur nuptarum comam, inquit, discriminant hastæ cuspide? Monentur nuptæ, quia bellicosis junguntur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici & a luxu ac mollitie alieno quemadmodum Lycurgus fores & vestibula ædium jubens serra & securi, nullo alio adhibito instrumento, fabricari, omnem luxum supervacaneamque operam præcedit.* Præclarum hoc Gentilium documentum, utinam Christiani observarent. At modò communiter in nuptialium vestium luxum tantæ impensæ & excessus fiunt, ut quandoque media pars dotis in eum insumatur, maximo nubentium damno, quod postea primùm sentiunt, cùm solvere coguntur non absque difficultate, ipsisque nuptiarum vestibus vix ampliùs utuntur. Hastâ igitur, non eburneo pectine coma discriminetur: hoc est, simplici, non fastuoso: sed honesto tamen habitu, qui virtutem spiret, non superbiam, nuptiæ condecorentur. Hoc sit vestibulum conjugii, simplex & rectum.

Matri- monium incipien- dum o- ratione.

A- lu- stium mo- to.

Sed

Sed cur hasta illa in corpore occisi stare debuit? An ut inchoantibus conjugium memoria mortis, quâ iterum sejungentur; in mentem reducatur, & ita vinum deliciarum conjugalium, mortis quasi aquæ admixtione temperetur, ne in perniciem cedat? Ita mihi videtur. Audio enim & in regno Mogor novos conjuges (non Christianos, sed Gentiles) instante nuptiarum die, priùs sepulchra obire referare seduloque contemplari, ut ita finem vitæ suæ expendant, priusquam liberis vitæ initium dent: ut scribit Hieron. Xaver. in Lit. Annuis an. 1598.

III. Corona redimiri nova nupta à sponso, & vicissim sponsus à sponsa solebant, teste Tertul. de cor. mil. Id quod etiam nunc fieri consuevit, & cur nisi ut hoc symbolo mutuum sibi honorem & iam ferant, & in posterum deferendum polliceantur? Meminerit sponsus Evam Dei manu ædificatam & Adamo fuisse adductam velut à paranympho meminerit sponsa Adamum formatum à Deo ante Evam, nec Adamum adductum ad Evam, sed contra Evam ad Adamum velut ad caput suum. Cogitet ergo sponsus se non ducere vxorem, quæ sit eius mancipium & ancilla, sed velut soror, ut eam vocat Tobias junior, & sponsus in Canticis, seu ut manus altera & *adiutorium simile sibi*: simile, inquam sibi & eiusdem naturæ. Unde apud Romanos pro sceleratis habebantur, non solùm qui Deorum templa violassent, sed etiam qui violentas manus vxoribus intulissent, teste Alexandro l. 4. c. 8.

Tunicâ etiam rectâ induebantur, qualem prima Caia Cæcilia texuit, teste Plinio l. 8. c. 48. Quid hæc nisi recta & pura intentio in contrahendo matrimonio; Recta verò est, quam habuit & exponit iunior Tobias c. 8. his verbis *Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Qui hanc intentionem non habent, sed voluntatem, opes aut honores quærunt; non rectam sed plicatam tunicam habent; & sicut vestium plicæ gignunt scissuras: ita distorta intentio gignit discordias & miserum conjugium, infœlicemque exitum; quod testatur Raphael Angelus Tobiæ c. 6. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & mente suâ excludant & suæ libidini vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Et habuit sanè super septem viros Saræ; quia velut muli pravâ intentione eam acceperant; ut ubi insinuatur, & docet experientia, maleficia libidinosis sæpiùs nocere quàm alijs peccatoribus.

Intellexerunt etiam Gentiles rectam illam matrimonij intentionem & approbarunt. Scribit enim Plato, l. 6. de legibus, idcircò ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos, qui *Deo serviant pro se*. Et paulò post: *Oportet parentes gignere & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper Deum colentes juxta legem.*

V. Cingulo ex lanâ ovis facto cingebatur nupta, teste Sex. Pompeio cit. Cingulum consensus est, necessarius ad sponsum vel sponsam acceptandam, & se tradendam. Id non ex corio boum, aliorumve animalium, sed ex lanâ ovis textum esse debet; liber, inquam, & spontaneus consensus. Solæ enim oves hoc habent, ut sponte sequantur pastorem, educentem eos ad pascua, vel in caulas reducentem; reliqua pecora agi & compelli scuticâ debent. Nemo ergo ad nuptias trahatur aut compellatur seu vi seu dolo; quia matrimonium servitus quædam est, & dura quidem, quam sola mors soluit: homo autem naturâ suâ liber est, non solùm secundum animum, sed etiam secundùm ea, quæ ad naturam corporis pertinent; ut docet B. Thomas 2. 2, quæst. 104. art. 5. *Quia omnes homines naturâ suâ pares sunt, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem. Vnde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire in matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo huiusmodi. Sed in his, quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum tenentur subditus suo superiori obedire secundùm rationem superioritatis.*

VI. Velo novæ nuptæ operiebant vultum, cùm ad virum deducerentur; idque *flammeum* appellabatur, teste Tertulliano lib. de virg. veland. eratque præcipuum sponsarum insigne; vnde nubere diceban tur à nubibus secundum aliquos, quæ cœli amœnitatem nobis velant. Servatur etiam hic mos adhuc in Italiâ, ut quo tempore aliqua desponsata manet, non nisi velatâ facie incedat. Et cur hoc, nisi ut demonstret sponsa, se jam nemini alteri, nisi sponso suo parere ac placere velle? Quando quis mercator merces suas vendidit, claudit officinam, quam soli emptori aperit. Pari modo, cùm se virgo alteri desponđit, jam non alijs se conspicuam faciat aut familiarem; quia alteri se devovit. Dicat de suo sponso, quod sponsa illa Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Omnes alij juvenes ac viri sint sponsæ contemptui, velut si essent arbores sylvestres, sponsus solus sit malus. Omnes aliæ mulieres sint sponso velut spinæ, sola sponsa sit rosa & lilium. — *VI. Ad extraneos oculos non adiiciant.*

VII. Cum in domum sponsi duceretur, præferebatur ei colus & fusum, teste Plut. in quæst. Ro. q. 31. quo nimirum intelligeretur, se non ad otium & delicias duci, sed ad laborem sibi congruum, qualis est potissimum, linum & lanam tractare, nere, filare. His enim dum diu multumque occupantur, otium vitant, & familiæ vestes parant, & honestatem castitatemque suam tuentur. Hinc laudatur sapiens illa mulier. Pro. 31. quia *quæsivit lanam & linũ.* Et paulò post: *Manum suam misit ad fortia, & digiti apprehenderunt fusum*, quasi diceret: Hæc sunt fortia arma mulierum, ad otium vitandum & tuendam pudicitiam ac virtutem. Quare etiam nobilissimæ quæq; fœminæ lanificio & linificio se occupare minimè erubuerunt, uti Caia Cæcilia, Tarquinij Prisci Rom. Regis uxor apud Plin. lib. 8. cap. 48. sorores Alexãdri — *VII. Non ad otium, sed ad laborem.*

M. apud

M. apud Curtium l. 5. Filia & neptes Augusti Imp. apud Tranquillum. Filiæ Caroli M. Imp. adud Eginhardum.

VIII. *In facie Ecclesiæ contrahant.*

VIII. Ducebatur cum accensis facibus, vespere ingruentibus jam tenebris; quo nimirum aliis conspicuæ fierent. Faces Christianorum sponsalitiæ sunt facies Ecclesiæ, in qua contrahere debent, post Conc. Trid quod clandestina matrimonia jure merito irritavit; quia ex illorum permissione multa incommoda fiebant, quibus legitimæ conjuges repudiabantur, & aliæ inducebantur, adeoque uxorum pluralitas invehebatur; & qui legitimi essent filii vel illegitimi, deprehendi non poterant.

IX. *Sine virtute præditi.*

IX. Præ foribus sponsi interrogabantur nubentes, quænam essent: & respondebant se esse Cajas, hoc est, bonas matresfamilias, qualis fuit Caja, ut dixi. Hoc ergo quærendum in sponso ac sponsa ut sint virtute præditi: non forma fugax. non divitiæ imperiosæ. Unde Sanct. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 12. ait: *Quasi suavitatem quærit conjugii, non superiorem censu ambiat, non monilibus ornatum, sed moribus.* Ut enim speculum non illud bonum existimamus, quòd auro gemmisque nitens sit, sed quod tersum est & pellucidum, nihil depressi & prominentis in se continens: sic uxor non auro gemmisque, sed quæ virtute præfulgeat, optima censenda est, ut ait Plut. Par ratio est de sponso. Unde eodem Plut. teste q. 30. sponsa interroganti sponso respondebat. *Ubi tu Cajus, ego Caja.*

X. *Cum amore mutuo.*

X. Postes januæ in domo sponsi oleo vel adipe ungi & oblini consueverant. Plin. lib. 29 cap. 2. Quid hæc unctio nisi amor est? Unge cardines januæ, & facilè movebitur, nec stridorem edet. Ubi amor, ibi omnia facilè & sine murmure fiunt. Tres amoris Deas, seu Charites finxit antiquitas, quas nuptiis interesse debere contendit Plutarchus apud Stob. & tum demum eas fœlices fore. Aliqui amorem præmittunt nuptiis, sed mox remittunt; his una Charis adfuit. Alii post nuptias sensim intepescunt, & hi alteram habent. Denique alii constanter amant, & hi tertiam quoque possident. Huc referri potest quod Prov. 18 dicitur: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum.* 70. vertunt, *Charites.* Porrò ad hoc requiritur, ut virtus in conjuge ametur, non fugax pulchritudo aut divitiæ.

XI *Cum fide & custodia thori.*

XI. Peractâ unctione sponsa limen transiliebat, vel sublata transportabatur, teste Plutarch quæst. 29. & hoc ex superstitione, qua limen sacrum reputabant; vel ad hoc edocti à natura; lepores enim & ursi saltu intrant in cubilia sua, ne ex vestigiis deprehensi, venatorum insidias patiantur. Sic ergo intrent, cubile suum ambo contrahentes, ut nulli extraneo accessum ad suum thorum patefaciant, vel ulla occasione aperiant, portas sensuum suorum erga alios omnes clausas habeant. Ita demum intrent, quasi viam ad exeundum nesciant.

XII Ingressa domum nupta claves à viro accipiebat, ut rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domum ac rei familiaris administrationem dispensationemque sibi permitti intelligeret. Cum enim inter eos communio sit corporum, cur non magis facultatum temporalium.

XIII. In pelle lanata statuebatur, sive ob lanificium, ut jam dixi: sive ut norit maritus uxori suæ esse parcendum eamque sublevandam ac velut vas fragilius à gravioribus oneribus eximendam, blanditiis fovendam. Hinc enim mandavit DEus non arandum in bove & asino. Deut. 22. ob virium imparitatem, Num de bove & asino Deo cura? de conjugibus ergo intelligenda lex videtur.

XIV. Aqua & igni excipiebatur, teste Plut. quæst. 1. ut sciret sibi cum viro suo vivendum, tametsi præter aquam & ignem nihil suppeteret, vel licet aqua & igni interdicerentur, adeoque in exilium pellerentur; quæ erat pœna Rom. civium capitalis. Mirum hujus fidelitatis præbuit exemplum. Herodias illa, cæteroqui impia fœmina. Cum enim Cajus Imp. Herodem Lugdunum Galliæ ad perpetuum exilium condemnasset, ejus Herodiadi in Agrippæ fratris gratiam se illi parsurum promisit. At illa ad hæc: *Tu quidem Imperator, ut tua majestate dignum est loqueris; sed mihi conjugalis amor impedimento est. quo minus fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram.* sicque una cum Herode pertexit in exilium Joseph l. 18. Antiq. c. 9.

XV. Denique nuces jaciebantur & spargebantur pueris, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere testarentur novi conjuges. Virgil. Ecloga 9. Plin. lib. 15. cap 22.

Aquam vidimus Gentilium cæremoniarum in celebrandis nuptiis, sed & rationem convertendi eam in vinum & doctrinam salutarem ac Christianam. Ergo aqua illa spernenda, vinum bibendum est, quod fiet, si observent Christiani conjuges, quod illis per Gentilium ritus demonstratum est.

(***)

DOMI-

DOMINICA III. POST EPIPH.

THEMATA.

I. *Servorum & dominorum mutuæ vices.*
II. *Potens oratio Centurionis.*
III. *Vnde fletus in Inferno.*
IV. *Stridor dentium quid sibi velit in Inferno.*
V. *Vanæ gloriæ damna.*

THEMA I.

Servorum & dominorum mutuæ vices.

I. *Servi libere & sponte suum officium peragant.*
II. *Sint patientes laborum & injuriarum.*
III. *Servi sint fideles dominis suis.*
IV *Servi sint expediti ad imperia exequenda.*
V. *Servi sint laboriosi.*

Dico servo meo: fac hoc; & facit. Matth. 8.

COmmunis & antiqua est querela dominorum & dominarum contra servos & ancillas: & vicissim horum contra illos, quod officio suo desint; nec facile est reperiri aliquos, qui hac in re nihil prorsus habeant querelæ. Hodie, Deo laus sit, arbitror me reperisse talem herúm & talem servum, qui contra sese invicem nullas habeant querelas: Centurionem videlicet, ejusque servum ægrum. Queri contra servum Centurio non poterat? quia ut ait S. Lucas cap. 7. *erat illi pretiosus.* Queri etiam contra herum servus non poterat; quia de ipsius salute herus, patris instar, solicitus, Christo tam demissè tamque impensè supplicavit. Habent ergo servi, habent & domini præclarum hîc exemplar, ut sibi mutuas vices reddant. Cujus rei typum nos hîc exponemus.

[E]mblema [bo]ni servi. Ab antiquis pingebatur servus bonus hoc schemate. Pileum in capite gerebat rubrum, aures habēbat asininas, dexteram manum explicatam, pedes cervinos, interulâ vestitus.

I. *[Se]rvi libere & sponte suum officium peragant.* I. Pingebatur rubro Pileo, quo monebatur liberali esse ingenio, nihil facere coactè & ex timore sed ex amore libere & sponte. Pileus antiquis libertatis insigne erat, unde ad pileum vocare, erat ad libertatem vocare & servi manumissi raso capite pileum gestabant. Auct. Antiq. Rom. lib. 1. c. 20. Servi Christiani non jam sunt mancipia, qualia fuerunt apud Gentiles; sponte enim & mercede conducti serviunt; non ergo cogi minis & verberibus eos decet, neque id eis expedit. Sibi enim tales & hero molesti sunt. Hero, quia ipsi fastidiosum est omnia minis extorquere Quid enim capiet venator canibus invitis? nulli agri tam male coluntur, quam qui coactis subditorum operis coluntur. Sibi, quia heros irritant & plagas sibi accersunt; quod maximæ est stultitiæ. Unde Philo apud Corn. in Eccl. c. 29. ait: *Nemo tam insanit, quam qui servus cum sit, domino adversatur.* Cogitur enim plagis idipsum agere, quod poterat sine plagis. Hinc Hebræorum præfecti flagellati sunt à Pharaone, quia negligenter, utpote inviti & coacti, urgebant fratres suos ad labores, Exod. 5. Contra qui prompto & liberali animo serviunt, & sibi & hero consulunt. Tales erant illi 318. vernaculi Abrahæ, Genes. 14. *expediti*, ut vocat eos S. textus, quos recensuit Abraham, ad persequendas 4. Regum copias; quas etiam licet numero longe superiores fugavit, & prædis suis spoliavit. Non delegit in pugnam exteros, sed solum domesticos, ut sponte ac benevole pergerent ad pugnam, utpote pro domino suo certantes; ut observat ibi Chrys.

Verum ut habeant domini expeditos tales servos, debent etiam ipsi expediti esse ad remunerāda eorum servitia, ad solvenda stipendia, aliaque humanitatis obsequia ægrotis & senio confectis exhibenda. Insinuavit hoc quidam domino suo, apud Plut. in vita Periclis, ægre ferens se à Rege nec gratia nec beneficiis foveri, cui semper aderat à consiliis. In lecto enim decubuit, ac pericli percontanti, quid opus haberet, addidit: *Lucernam oleo quidem affatim infuso ali oportere*, nimirum bonum consiliarium, qui lucernæ instar Regi suo luceret: gratiâ, beneficiis & censu, aliisque officiis nutriendum esse. *Domini fideliter servis stipendia sua numerent.*

Jam vero sunt quandoque domini, qui servorum quidem, dum sani & vegeti sunt, obsequiis utuntur strenuè: ægrotos vero aut senio confectos expellunt aut deserunt, ut ille Amalecita 1. Regum 30. qui dereliquit servum suum in agro, quia ægrotare cœperat. Similes unguentario seu pharmacopolæ, qui herbas quidem contundit, aut ex illis admoto igne stillatitium humorem exprimit; postea exsuccos & arefactos in sterquilinium abjicit. Utuntur servis velut pila, quam perpetuo jactant, excutiunt, repercutiunt, mittunt per aërem & remittunt, versant, reversant, donec rumpatur, postea eam abjiciunt. Sic lusit cum Jacob Laban. Gen. 3 Postquam ejus opera ad pascendos diu noctuque greges per 20. annos usus & ditatus est, postea obliquè eum aspicere, persequi & objurgari cœpit.

II. *Sint patientes laborum & injuriarum.* II. Cum auribus Asininis, quibus & monebatur, ut esset patiens laborum, increpationum, minarum, ac verberum: audiret etiam multum & parum loqueretur, nihil obloqueretur, juxta illud Philonis: *Servi audire potius quam loqui debent, ad quos nimirùm dicitur: Tace & audi.* Sic enim & asinus patientissimum est animal, tum verberum, tum onerum. Hinc asino comparatur servus Ecclesiastici 33. *Cibaria & onus & virga asino: panis & disciplina & opus servo:* quasi diceret: debet servus existimare se esse heri sui asinum, itaque pane seu exiguo pabulo contentus esse, nec onera recusare, nec contra verbera calcitrare aut obmurmurare. Beatus ille servus, qui se talem asinum hero suo exhibet, illum enim ego cum Franc. Costero viro percelebri, in Concione hujus Dom.

pro cœnobita quodam sæculari censendum arbitror. Abbas Nestero intrans monasterium sibi dixit: *Posthac tu & asinus unum estote*; indicans religiosum debere esse instar asini, patientissimum, similiter ergo servis dico: Estote sicut asini, & eritis quasi religiosi. Communiter enim servi sunt pauperrimi: sunt & plerumque cælibes: quod si etiam obedientes sint, quid nisi tria quasi religiosorum vota habent? Hinc etiam viri quidam sancti in servitutem vendiderunt seipsos, uti S. Paulinus Episcopus Nolanus & Petrus Telonarius. Quare si in tam fœlici & sublimi, securoque statu sunt, nonne sibi gratulari debent? & quomodo non omnia libenter pati ac devorare poterunt, si se religiosis persimiles esse intelligant? Cogitent ergo cum ab heris audiunt omnis generis contumelias & imprecationes, se veluti asinos eas non intelligere, sed audire ac ferre omnia debere.

Domini non abutantur servorum patientia.

Verum decet ut vicissim heri non abutantur nimia servorum patientia, nec contemptè eos tractent. Cogitare enim debent ipsos sibi natura & fide, cœlique hæreditate æquales esse, & ut jure eis timendum, merito & cœlesti mercede forte superiores. Longe enim operosius est obedire & ad omnes dominorum nutus se accommodare, quævis onera sufferre, contumelias & verbera tolerare, quam imperare & servos objurgare. Contigit quandoque ut heri subjicerentur servis suis. Audi Senecam Epist. 47. *Stare ante limen Callisti Dominum suum vidi, & aliis intrantibus excludi.* Si hoc in terra factum, cur non fieri queat in cœlo? Decet etiam ut servorum auribus, plerumque rudibus adeoque asininis herus instillet disciplinam eos erudiendo in rebus præsertim ad salutem pertinentibus; quod fecisse Abrahamum servis, Saram vero ejus conjugem ancillis, Hebræorum traditio est, quæ indicatur Genes. 12. v. 5. ubi Abraham dicitur *fecisse animas*, Chaldaicè, *legi subjecisse*, servos scilicet suos à Gentilitate ad veri Dei cultum convertisse. Certè Gentilis etiam Crassus ipse docendis instruendisq; servis præerat, dicens, *domino maxime convenire curam servorum, qui rei domesticæ animata sunt instrumenta.* teste Plut.

III. Servi sint fideles dominis suis.

III. Dexteram manum explicatam habens, ad indicandum fidelitatem, quam hero præstare debet. Nihil est quod magis servum domino commendet & amabilem reddat, quam fidelitas. Ob hanc in Josepho animadversam Putiphar ejus Dominus credidit ipsi universam domum & substantiam suam, ita ut nihil curaret aut nôsset in domo sua præter mensam. Et rursum ibi Joseph per calumniam in carcerem detrusus est, custos carceris visa eius fidelitate, credidit ei claves carceris & vinctos omnes, omnemque administrationem. Genes. 39. Quæ sane maxima laus Josephi est, qua promeruit, ut heros haberet sibi addictissimos. Poterat utique Josephus seipsum è carcere eximere, cui potestas super alios vinctos data est; sed ne herum suum, si ipse fugeret, discrimini vitæ exponeret, maluit in carcere hærere. Magnam etiam laudem promeritus fuit Gesvvaldus servus Remoaldi Regis obsessi in urbe Benevento à Constantino Imp. II. hæretico. Is ab hero missus ad patrē Grimoaldum Longobardorum Regem pro auxiliaribus comparandis copiis, in via redux ab hoste interceptus est. Qui cum responsum ferret, patrem filio cum exercitu ad succurrendum venire, jussus est ab hoste, sub interminatione mortis, filio Romoaldo, domino suo contrarium nunciare. Verum ille ductus ad murum urbis, evocato domino suo rei veritatem, lætum scilicet adventantis succursum patris fidelissime retulit; licet sciret se propterea mox mactandum esse; uti factum. Hector Pintus Dialog. 1. de tranquilitate vitæ. cap. 20. Fulgos. lib. 3. c. 8.

Domini vicissim servis ... exhib...

Debent vicissim domini ut fideles habeant servos, se ipsis comes & benevolos exhibere, uti fecit Putiphar, & custos carceris Josepho. Et quo honore accepit Assuerus Rex Persarum servum suum Mardochæum pro fidelitate sibi præstita, qua duos insidiatores Regis ei detexit? nonne diademate ornatum, regio equo imponi, & à primario Principe per urbem circumduci, eumque velut semetipsum honorari jussit? Esth. 7. nonne id obsequium servi in Annales regios relatum fuit? Bene ergo docuit Ecclesiasticus cap. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum sic tracta illum; quoniam in sanguine animæ comparasti eum*, (hoc est, quoniam tanquam anima tua indigebas eo, ut explicant Græci) *Si læseris eum injuste, in fugam convertetur.* Quin imò multi servi ob herorum in se sævitiam, vel hero vel sibi ipsis desperabundi gravissima damna inferunt. *Luctuosum hoc ævo in Hispania factum audivimus*, inquit P. Cornelius in eum locum Ecclesiastici: *servus durè ab hero tractatus, hero absente proles ejus omnes parvulas in solarium abduxit, foresque domus occlusit: hero domum redeunte foresque pulsante, minanteque servo, quod aperire tardaret, servus per fenestram prolem unam illi ostentans, Quid mihi, inquit, dabis pro prole hac tua? Indignante hero & frendente, servus prolem ex alto præcipitavit & occidit. Idem fecit secundæ, tertiæ & cæteris (frustra jam precante hero & omnia pollicente, ut iis parceret) ac tandem seipsum præcipitem dedit. Disce, inquit, benigne servos tuos tractare.*

IV. Servi sint expediti ad heri mandata exequenda.

IV. Pedes habens cervinos, ut sit celer & expeditus in exequendis heri mandatis. Tam conveniens est hæc servo virtus, ut servi *currentium* nomine appellentur, 3. Reg. 1. ubi dicitur Adonias fecisse sibi currus & equites & 50. viros, qui ante eum *currerent*, hoc est, famulos. Plerumque etiam servi & ancillæ quoque currentes inducuntur in SS. literis; uti puer Moysis Numer. 11. puer Heli 1. Reg. 3. puer Jonathæ, 1 Reg. 20. Giezi puer Elisæi. 4. Reg 5. puer Susannæ Dan. 13. puella matris Marci Actor. 12. Gloriatur etiam de hoc dono sibi à Deo collato David Psalm. 17. dicens: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Quando scilicet cucurrit adversum Philisthæum & occidit illum; ex quo facto in tantam existimationem evectus

est,

eſt, ut tandem in throno regio collocatus ſit. Hocque eſt, quod Proverb. 22. dicitur: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? Coram Regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles.* Viciſſim vero domini currentibus & promptis famulis calcar aut ſcuticam non debent admovere. D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 36 ait: *Non oportet Chriſtianum ſic poſſidere ſervum, quomodo equum: quamvis fieri poſſit, ut majori pretio valeat equus quam ſervus.* Olim apud Germanos verberare ſervum aut vinculis coërcere nefas exiſtimatum eſt, teſte Tacito l. 1. de moribus Germ. Hadrianus etiam Imper. Umbricam matronam in quinquennium exilio mulctavit, quod nimis crudeliter ſæviret in ancillas, apud Oct. Tuſo. in Eccleſiaſticum cap. 7. Crediderunt quoq; Ethnici peſtem Romæ graſſatam, quod pater quidam familias ſervum ſub furca cæſum medio egiſſet circo, tum cum ludi magni pararentur. Liv. dec 1. l. 2.

V. Eleganti veſtitus interula, quæ indicabat ſervum debere laborioſum eſſe. Laborantes enim vel ſola induti interula ſeſe calefaciunt, magiſque ad laborem apti & expediti ſunt: veſtibus onuſti ignavos ſe demonſtrant. Scimus id Apoſtoli 2. ad Coloſſ. 5. *Si quis non vult operari, non manducet*; quod maximè in ſervos quadrat. Laudem in hoc meruit ſervus ille Abrahæ miſſus in Meſopotamiam, qui ibidem hoſpitio exceptus in domo Rebeccæ, appoſitum ſibi panem non prius attingere voluit, quam negotium domini ſui, propter quod miſſus fuerat, exponeret, Gen. 24.

Tenentur viciſſim heri ſervis ſuis victum neceſſarium ſubminiſtrare una cum mercede juſta. Si enim in veteri Teſtamento Levit. 25. præcepit Deus, ut os bovi trituranti non ligaretur; quo nimirum dum laborat, ſumere pabulum queat; multo magis hoc præceptum voluit hominibus, ne heri ſervis ſuis neceſſarium victum detraherent. Unde Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 17. ait: *Bovi terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris: quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Tenentur etiam laboribus non nimium premere ſervos, ſed permittere eis ſubinde ſuas reſpirationes, ac tempus vacandi Deo & orationi; ne ſimiles fiant Pharaoni, ſimilemque ſortiantur exitum; ac ne cogant ſervos rapere ſibi, non ſolum quæ ipſis debentur, ſed etiam quæ non debentur, uti contigit Ægyptiis, quorum vaſa aurea & argentea, quaſi mutuo accepta, abſtulerunt ſecum Hebræi ex Dei donatione & juſta Ægyptiorum punitione. Fuit talis Pharaoniſſa erga ſervos conjux ſancti Gummari, viri prænobilis & ſancti, Præfecti Rhemenſis ſub Pipino Rege, nomine Grimaria, quæ eductos ad meſſem domeſticos, cum in Solis ardore ſiti æſtuarent, non permiſit vel pauliſper abire, ut ardorem ſitis reſtinguerent; ſed mulier crudelis delaſſatos urgebat ad labores. Adventans ſanctus Gummarus, ubi querelas laborantium audivit, conjugem objurgavit, baculoque terram fodit, unde fons prorupit, qui recreavit æſtuantes. Porro uxor domum regreſſa mox talionem ſenſit, & intoleranda ſiti cruciari cœpit, nec potuit ardorem ejus aqua extinguere; quin potius aqua potata ſitim magis accendit & nutrivit. Sentiens ergo mortem ſibi imminere, viri opem invocavit. Qui ſigno crucis quidem eam corpore ſanavit, animum tamen ſanare non potuit, ut in ejus vita. 11. Octob. apud Sur.

Hæ ſunt Auditores virtutes principales tam boni ſervi, quam boni domini. Neque dubito tales fuiſſe Centurionem velut dominum, ejuſque ſervum in hodierno Evangelio. Erat enim ſervus æger *ipſi pretioſus*, ut ait Lucas capite 7. ac proinde in ſuo munere exactus ac præſtans: dominus viciſſim præſtitit ſe ipſi non tam herum, quam patrem, dum pro ejus ſalute tam ſolicitus, miſit ad Chriſtum legatos, ipſeque demum ſupplex venit ac rogavit. Quæ duæ res abſque dubio moverunt inter alia Chriſtum Dominum, ut eorum preces exaudiret; quod utique etiam aliis contingeret tam ſervis, quam heris, ſi veſtigiis illorum inſiſterent, &c.

THEMA II.

Potens oratio Centurionis.

I. Per internuncios, Chriſti amicos poſtulat.
II. Maxima cum fide erat.
III. Maxima cum humilitate.
IV. Cum conſilio & modo.

Domine puer meus jacet in domo paralyticus & male torquetur.
Matth. 8.

QUi exire ad præliandum volunt Ducem aliquem, quem ſequantur, habere debent. Hinc Hebræi præliaturi contra Chananæum, mortuo Joſue, interrogant Dominum: *Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli?* Quibus reſpondit Dominus, *Judas aſcendet.* Judic. 1. Nos quando communes aliquas preces & ſupplicationes inſtituimus, quaſi cum exercitu & potentia cœlum expugnare volumus. Ut ergo feliciter præliemur, Duce indigemus. Quis vero ille erit? opportune offertur nobis Centurio in hodierno Evangelio, homo militaris & Capitaneus, qui & ipſe tamen non gladio aut haſta, ſed inſigni oratione Chriſti pectus expugnavit, ſervoque ſuo paralyſis diſceſſum ſalutemque impetravit. Hunc ergo Ducem nos jure merito amplectimur & ſequimur. Neque dicat aliquis ſe ipſum ſequi non poſſe; homo enim adhuc Gentilis fuit; & qui non poſſit Chriſtianus eo modo orare quo Gentilis homo, iſque militaris oravit? Quare videamus orandi nos præeuntem.

I. Videte ſtratagema, quod Centurio excogitavit. Cum eſſet homo Gentilis, non auſus accedere ad Chriſtum, tantæ ſanctitatis Prophetam; mittit ad eum prius ſeniores Judæorum. Deinde cum audiret,

I. Per internuncios, Chriſti amicos poſtulat.

audiret Christum ad se descendere, mittit ei amicos rogans ne se fatigaret ulteriori progressu: sed verbo tantum sanaret filium; uti scribit S. Lucas. At cum Christus ulterius pergeret, occurrit ei demum & ipse rogans idipsum, quod habet Matthæus, sicque exponunt probabilius Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Docet ergo nos inprimis agnoscere nostram vilitatem & præmittere loco nostro ad Deum sanctos, jam in gloria existentes; eo quod reputemus nos indignos, qui cum Deo loquamur, egere itaque mediatoribus Deo conjunctis; quod sane Deo displicere non poterit, uti fingunt hæretici. Cuculi, quod volatu parum valeant, milvorum scapulis suscepti, utpote milvis non valde absimiles, ut scribit S. Isidorus lib. 12. Etymol. cap. 7. ad nos transvolant. Ita & nos precum vigore & propriis meritis, quemadmodum & orationis cantu, parum validi & instructi, quid mirum si in alas Sanctorum inscendamus, & ad Christi faciem perveniamus? *Debent* tamen *illi in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.* (ait S. Augustinus serm. 30. de Sanctis) adeoque in alas suas nos suscipere: sicut recognoverunt in Centurione Judæi dicentes: *Diligit enim gentem nostram & synagogam ipse ædificavit nobis.* quasi dicerent: etsi Judæus non est, amicus tamen noster & non absimilis nobis est, in Dei cultu & amore servorum ejus. Si ergo diligamus Sanctos, si eorum templa amemus, ornemus, frequentemus, ædificemus; erunt absque dubio nostri Advocati.

Quis credat etiam aves Sanctorum oratione fuisse adjutas? Testatur sane id Cæsarius ex Ord. Cisterc. in suis historiis l. 10. cap. 56. *Matrona quædam,* inquit, *beatum Thomam Cantuariensem plurimum diligens, assiduis infirmitatibus laborabat & cum doloribus angeretur, eundem martyrem his verbis invocabat Sancte,* inquit, *Thoma adjuva me. Habebat autem nescio cujus generis aviculam, quæ ex assiduitate audiendi, eandem absolute satis proferre didicerat orationem. Die quadam milvus extra domunculam eam videns, rapuit & evolavit: in ipso raptu, dum unguibus illius avis premeretur, cunctis, qui aderant, audientibus, clamavit de aere: Sancte Thoma adjuva me. Vt autem mirabilis Deus, martyris sui merita gloriosa demonstraret, milvo, ut aviculam dimitteret, præcepit: quæ statim cum multa alacritate rediit ad dominam, & ille rapinæ suæ pœnam luens, mortuus cecidit in terram.* Audivit nimirum S. Thomas non tam verba psittaci, quam pium affectum dominæ. Pari modo facile credo plus sæpe apud Deum posse Sanctorum intercessionem, quam insulsam nostram orationem, quia instar psittacorum sæpenumero quid oremus, nescimus.

Deinde ipse etiam Centurio humanitate Christi provocatus accessit, qui prius non ex fastu aut ignavia, sed ex humilitate adire Christum non audebat. Docet igitur homo adhuc Gentilis nos Christianos, ut ne solis internunciis & alienis precibus contenti rem confectam existimemus; sed ut nos ipsos etiam Christo sistamus nostris precibus. *Humilia* enim *respicit, & alta à longe cognoscit.* Psalm. 173. Unde colligit Augustinus in eum Psalmum, Centurionem sua humilitate citius pervenisse ad Christum, quam pedibus pervenirent ejus internuncii. *Fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi, quos misit,* ait. Judas Machabæus commissurus prælium contra Gorgiam ait; *Clamemus in cœlum & miserebitur nostri Deus noster.* Collatisque signis contritæ sunt gentes. Contra Lysiam dimicaturus oravit, & victoria potitus est. 1. Mach. 4. In duobus autem præcipuis bellis non legitur orasse: uno scilicet contra Regem Antiochum Eupatorem, quo non vicit, sed divertit: altero contra Bacchidem & Alchimum, quo periit. 1. Machab. sexto & nono. Et tamen negari non potest, quin interea orarent pro eo totoque populo Onias Sacerdos & Jeremias Propheta jam defunctus, ut habetur 2. Mach. 15. Unde cernimus non sufficere præcisè Sanctorum preces, nisi nostras adjungamus, saltem quoad possumus. Denique accessit corpore & animo ad orandum Christum: fide, humilitate, reverentia roborando orationem suam; cujusmodi comites & nostra requirit oratio.

II. Videte ejus fidem, tantam scilicet ut etiam Christus miratus sit dicens; *Non inveni tantam fidem in Israel.* Non enim existimavit necessarium esse, ut imponeret servo manum, vel ab eo tangeretur: sed absentis etiam verbum unum credidit esse ad hoc sufficiens. Magna fides & fiducia, nobis imitanda. *Quantum vas fiduciæ capacius afferimus,* ait sanctus Cyprianus epist. ad Donatum, *tantum gratiæ inundantis haurimus.* Mensura fidei est mensura gratiæ, quod indicat Christus cum ait Centurioni: *Vade & sicut credidisti, fiat tibi;* quasi diceret: statim verbo sano, quia sic credidisti. Multi dum desperatè nimis de successu belli & salute Reipublicæ Cath. loquuntur, Deum magis irritant, & videntur optare, quod vaticinantur. Talibus indignata Judith, qui post quintum diem volebant tradere civitatem Bethuliam, increpat eos graviter, quod nimirum tentent Deum & leges ei imponant: accinxit se proinde ad Holofernem decollandum, ac licet gladium non acceperit, peram tamen accepit, in qua caput ejus reconderet, quasi certa de eventu prospero & optato. Quare omnia ad nutum effecit, & gladium reperit ad lectum Holofernis. Quanquam etiam se in divinam providentiam projecit orans, ut faceret Deus secundum divinam voluntatem suam cum illis. Modo igitur piè & justè vivamus, non est quod timeamus, quicquid Deus fecerit aut permiserit. Judas Machabæus dum Deo fidens pugnabat, semper triumphabat; ubi vero fœdus cum Romanis iniens fidere in humanis præsidiis cœpit, tunc succubuit. 1. Mach. 8.

III. Videte ejus humilitatem. Tametsi enim vir bonus, & in dignitate constitutus erat, gentem Hebræorum amabat, synagogam eis ædificaret, ideoque ab iis dignus prædicabatur, cui talis gratia fieret, ipse tamen ait: *Domine non sum dignus;* ut vel

sub

sub tectum meum intres. Tectum appellat domum suã procul dubio licet splendidam:nec reputat se dignum qui appareat in conspectu Christi.Ecce vobis insignē orationis comitem, ad impetrandum efficacem,humilitatem;quæ quo major fuerit,eo potentius penetravit cœlum,ad instar arcûs,qui quo magis deorsum tractus tenditur,eo altius ejaculatur sagittam. Unde Ecclesiast.35.dicitur:*Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ad Henricum VII.Imperatorem venerant Spiram Argentinenses aliqui selecti cives,privilegiorum suorum confirmationem petentes ac se missos à Dominis Argentinensibus longo verborum ambitu narrabant.Eos derisit Imperator nulla responsione dignatus,quasi ignoraret,quinam essent illi Domini Argentinenses; donec se submitterent ac se non dominos sed cives Argentinenses testarentur. Cuspinian. Non satis profunde traxerunt isti chordam arcûs sui, unde non penetrarunt cor Imperatoris. Jam vero si homo non facile gratiam concedit alteri,qui se dominum appellat,vel quovis modo exaltat: humilianti vero se facile offert:quanto magis Deum id facere decet?Non ergo sperent gratiam & protectionem à Deo superbi,qui se ad supplicationes publicas humiliter obeundas demittere dedignantur. Non penetrabunt hi cœlum sagittis suis,nec responsum accipient. *Ego Dominus,& non est alius,* inquit Isa.45.

IV. *[...]um con[...]tio & [...]odo.*

IV. Deniq; videte ejus discursum,quo modum orandi docet:*Habeo sub me milites,* inquit,*& dico huic: vade,& vadit,& alii:veni, & venit; & servo meo: fac hoc,& facit,* Tres servos habemus, quibus imperare in oratione debemus:domus nostra,corpus,& anima. *Vade* dicendum domui & curis temporalibus, cum ad rem divinam imus:quo modo Christus Petro cupienti impedire ejus passionem dixit. *Vade post me Satana,scandalum es mihi.* Matt.16. Domus nostra cujusq; curæ impediunt plerunq; & intertui bant orationem. Huic ergo dicendum:*Vade Satana.* Non simus domi portæ,ut testudines,quando ad templum imus, Sed cum B. Bernardo, templum ingressuri ad limen subsistentes dicamus:*Manete hic curæ,donec ad vos revertar.* Quod videtur didicisse à Magistro suo Stephano Abbate, à quo in ordinem Cisterc. susceptus fuit.Is enim ingrediens in templum, ostium fortiter tenens, curas domesticas simili modo foris manere jubebat,quousq; egrediens eas resumeret, ut refert Chrys.Henriquez in Fascic. Cisterc.Ord.illustr. virorum p.1.dist,2.c.4.

Veni dicendum corpori; veni,inquam,ad templum, ibi adora;ubi ob loci sanctificationem majora ad devotionem visuntur incitamenta,& securius est præsidium contra Dæmonum tentamenta. Tametsi enim Spiritus est Deus & in spiritu adorandus,adeoq; ubivis locorum adorari potest;locus tamen ad orandum ordinarie ab eo deputatus est templum, ubi etiam propter multitudinem & concentum orationum potentiores fiunt preces. Accedunt Sanctorum lipsana,quæ ibidem asservantur, & adjuvant orationes nostras. Quare si Judæi tanto cum fervore pergebant in Hebron,ibiq; vota solvebant,quod ibi multi illorum SS. Patriarchæ sepulti essent,ut patet ex 2.Reg.5.v.7. Itē in Galgala,ubi duodecim lapides erecti erant, ut habetur 1.Reg.11.v.14 Deniq; in templum Jerosolymitanum ter minimum in anno, quod Arca in eo collocata esset:cur non potius pergant Christiani ad templa,in quibus tot SS.reliquias & ipsum Christum Redemptorem reipsa præsentem inveniunt? Persuasio Dæmonis est, quod æque bonum Deoq; gratum sit domi orare ac in templo;qua persuasione decepit Jeroboam populum Hebræum,ne irent Jerosolymam: *Viri populares,* inquit,*notum vobis existimo, quod nullus locus Deo est vacuus,& quod is nullo certo loco includitur:sed ubiq; vota exaudit,ubiq; cultores suos respicit. Quare non placet mihi,hoc tempore vos Ierosolymam,urbem infensam,longo itinere proficisci religionis ergo. Homo illud templum statuit,quemadmodum & ego duas aureas vitulas consecravi, alteram in Bethel, alteram in Dana,ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus oppidis ad eas confluentes,illic Deum rite adoretis;* uti refert Josephus l.8.Antiq.c.3. Sic eos traxit ad cultum vitularum suarum. Multæ in domo sunt vitulæ,ad quarum obsequium facile pertrahitur, qui templum invitus adit.

Deniq; *Fac hoc* dicendum animæ,ut inter orandum ad solum Deum attendat;id quod etiam Gentiles sacrificantibus inculcabant,clamante præcone. *Hoc age hoc age,* teste Plut.in vit.Coriol.q.d.ad hoc unum attende,nec iterum aliud age. Quomodo discipuli recitant in scholis suas lectiones coram suis Magistris? Colligunt omnes sensus,claudunt oculos,ad solam recitationem & nihil aliud attendunt. Quomodo perorāt coram Regibus Legati? Eodem plane modo: summa collectione & attentione ad unam dictionem suam. Quomodo se gerunt,qui in stadio currunt? ab omnibus se abstinent,ad solam metā oculos dirigūt. Quid agunt illi , qui in medio inimicorum & æmulorum suorum sedent in convivio? hoc agunt,ut omnes gestus ad modestiam componant, & singula verba sua exactissime ponderent,ne habeant adversarii,quo ipsos accusent. Sic etiam orandum coram Deo : ibi stamus & peroramus:cursu ibi contendimus pro corona cœlesti:versamur inter inimicos,Dæmones,qui omnes nostros gestus & verba observant. Cujus rei exemplum recitat de sene quodam Abbas Paulus in Prato spirit. cap.160. *Cum die quadam sederem in cellula mea,operarerq; manibus meis (tenebam autem canistrum,& Psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops , & stans coram me saltare cœpit,psallentiq; mihi dixit: Senex nonne bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondenti mihi ait: Ecce putas te,male senex magnum aliquid agere, Dico tibi quia & in sexagesimo quinto & sexagesimo sexto psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui ad orationem,& ille evanuit.*

THEMA III.

Unde fletus in Inferno.

I. *Oritur ex privatione cælestis hæreditatis.*
II. *Ex separatione è medio Iustorum.*
III. *Ex consideratione tam vilium voluptatum, pro quibus perdiderunt cælum.*
IV. *Ex defectu unius solum requisiti.*
V. *Ex tot laborum frustranea susceptione.*
VI. *Ex neglectu tanti lucri, quod parare sibi poterant.*
VII. *Ex recordatione prioris fœlicitatis.*

Ibi erit fletus. *Matth.8.*

ECclesiastes capite 7. ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii:* (in das Wainhauß als ins Weinhauß / in das Klaghauß als ins Gasthauß;) *in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit.* quasi diceret: in conviviis avocatur animus à salutaribus consiliis: in domo luctus ad ea revocatur. Solent hoc tempore fere convivia frequentari: sed vellem etiam memoriam fieri fletus & luctus, de quo toties Dominus loquitur dicens: *Ibi erit fletus & stridor dentium;* sexies in Matthæo & semel in Luca, diversis occasionibus. Primò, Matthæi octavo in hodierno Evangelio, de filiis regni ejiciendis. 2. Matthæi decimo tertio de malis piscibus foras projiciendis. 3. eodem capite de zizaniis separandis à tritico & comburendis. 4. Matthæi 22. de homine non induto veste nuptiali, ejecto in tenebras exteriores. 5. Matthæi 24. de servo ebrioso & negligente. 6. Matthæi 25. de servo inutili, qui talentum suum defodit. 7. denique Lucæ decimo tertio de operariis iniquitatis. Neque vero hæc sententia multa expositione indiget. Clarum enim est, ubi fletus est, ibi miserias & calamitates esse non exiguas. Manifestè ergo indicant incomparabile damnum, quod incurrunt damnati, vel ob solam beatitudinis privationem, ut nil dicam de pœna sensus: proinde hoc unum superesse videtur, ut ostendamus, quibus de causis fletus ille oriatur in damnatis.

Sæpe inculcat Christus ea verba: Ibi erit fletus & stridor dentium.

Id vero nobis indicat Salvator & quasi digito notat, dum variis occasionibus verba illa septies repetit.

I. Oritur ex privatione cœlestis hæreditatis.

I. Matthæi octavo in hodierno Evangelio de filiis regni ejiciendis in tenebras. Quinam vero filii regni nisi filij dilecti & magnis Dei beneficiis præventi? Tales olim erant Judæi; nunc vero sunt Christiani Catholici, præcæteris exaltati, hæredes cœli scripti & filij adoptati, mensâ Angelorum pasti, qui si à tanta gloria, fœlicitate & hæreditate, & quidem mera sua petulantia exciderint, quomodo non amarissime flebunt? Quis enim sensus foret filio Regis, qui prius amantissime & blandissime à patre educatus habitusque, ob offensum patrem ab eo non solum exhæredaretur, sed etiam à conspectu ejus longe propulsus in exilium perpetuum & carcerem truderetur? Certe Absolon prius patri tam dilectus, post ab aula patris exclusus, occidi potius optavit, quam eo exilio cruciari & patris aspectu prohiberi. 2. Regum 14. Vasco adhuc puer Comitis Fosseij filius & Caroli VI. Franciæ Regis ex sorore nepos, ex falsa accusatione à patre in tetrum carcerem condemnatus, ibique maceratus, non ferens pœnam, licet blandiente patre, ut cibum sumeret, noluit, sed inedia seipsum confecit. Sabell. libro quinto capite octavo. Sane si talis filius revocet in memoriam beneficia & favores olim à patre sibi collatos, jam vero omnes extinctos & in summum odium conversos: quid non sentiet doloris? Gentiles possunt ibi cogitare, se de regno Christi nihil scivisse: nec habuisse ea media salutis, quæ habuerunt Christiani: sicque minus quam illi, sentient suam ejectionem. At vero Christiani, qui tot media habuerunt, ut filii regni fierent, jamque ejus hæredes conscripti fuerunt, incredibili plane sensu jacturam ejus ferent. Quod si præterea filius ille cogitet loco suo alium quendam ignotum & plebeium puerum à patre suo adoptatum & Regem constitutum, nonne adhuc magis flebit? Certe pungere debebat & quidem acriter Judæos, quando audierunt ipsos quidem ejiciendos è regno in tenebras: eorum vero loco Gentiles recubituros cum Abraham in cælo. Vidit aliquando sancta Aldegundis Abbatissa de stirpe regia oriunda (circa annum 640.) Dæmonem dirissime plorantem, causamque ipsi interroganti hanc audiit reddentem, quod illuc Adæ filios conspiceret ascendere, unde ipse cum suis semper exulare cogeretur. Huchbaldus Elnonen. in vita 30. Januar. apud Lipel. Longe magis plorabunt reprobati Christiani, quod Christi sanguine redempti exciderint è regno Dei, & eorum coronas alii à mundo abjecti rapuerint, rudes Doctorum, sæculares religiosorum, pauperes Magnatum, subditi dominorum.

II. Ex separatione è medio Iustorum.

II. Matthæi decimo tertio in parabola de Zizaniis separandis à tritico: illis quidem colligandis ad comburendum, hoc vero congregando in horreum. Zizania quid nisi reprobi? qui quidem in eodem agro crescunt, quo triticum (hoc est, probi) eique sæpe ita similia sunt, ut non facilè internoscantur: denique tritico sæpe se implectunt, ut vix separari queant. Sic ergo bonis mali permixti, non solum in eadem Ecclesia, sed etiam in eadem urbe, pago, domo, familia, videntur sæpe moribus esse similes, amantque se invicem. At ibi videbunt reprobi se ab amicis suis quamplurimis in æternum separandos, nec unquam eorum conspectu amplius fruituros per omnem æternitatem. Nova hic fletus causa. Sane quando duæ illæ sorores Orpha & Ruth separari à Noemi socru sua, unica spe & solatio suo eamque discessuram deserere debebant, semel iterumque elevata voce fleverunt, quia tenerè eam amabant. Ruth. capite 1. Noemi significat *pulchram, suavem, amœnam;* seu ut Josephus exponit *fœlicitatem;* adeoque denotat beatitudinem cœlestem. Ab hac separari quantus erit

erit dolor; quis fletus? quæ lachrymæ ? Cum filij efferunt matrem, quantus ibi ploratus? qui clamor? quæ desolatio? At nihil hoc ad illam æternam separationem.

III. ...consi-...atione ...viliū ...lupta-...,pro ...bus ...diderūt ...um.

III. Eodem Matthæi capite repetitur in parabola de piscibus malis, hoc est reprobis, foras mittendis & projiciendis in caminum ignis. Quinam vero illi pisces nisi voluptuarii, qui quidem in hac brevi vita innatant mundi deliciis, quasi dulcibus aquis, quique vilissimis voluptatibus, veluti vermiculis hamo infixis inescantur & capiuntur? Quando igitur ex his aquis aliquando extrahentur & mittentur in caminum ignis, seu ut Apocalypsi 10. dicitur, *in stagnum ardens sulphur*; quot quantosque ploratus edent, quod tam fluxis ac momentaneis vilibusque delectatiunculis, rumusculis, lucellis, dolores & probra æterna sibi compararint; An nescimus quantum fleverit quamque irrugierit Esau, quando vidit se privatum benedictione & hæreditate paterna, vendita à se pro uno lentis edulio? Lysimachus Hellesponti Rex in Thracia cum exercitu siti affligebatur & idcirco se suumque exercitum hosti Dromecheti tradidit: postea cum bibisset siti sedata ingemiscens; *O Dii*, inquit, *quam pusillæ voluptatis gratia in servitutem me ex tanto Rege conjeci!* Cælius libro nono capite decimo tertio antiquarum lectionum. Idem dicent inferni & perpetuo repetent: In quantas calamitates, ob quam leves voluptates, me ex tanta fœlicitate conjeci! Pisces, quando in aquis cœlestia sidera resplendent, ad eorum imagines recurrunt quasi ad escam, ut scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus, in carmen ad Virg. Similiter ad ignem noctu accensum, ejus splendore delectati adnatant, interim dum inani prædæ spe lactantur, retibus cinguntur: sic & peccatores vana & inani rerum, quas sibi velut cœlestes & solidas imaginantur, imagine capiuntur. Quomodo ergo non dire plorabunt, suamq; vesaniam deplorabunt, quod tam inanes umbras consectati, in tantas miserias inciderint? Si regna & imperia, si montes aureos, si mille annorum delicias mundus eis obtulisset essent hęc forsan aliquid: Sed cum nisi momentaneam unam voluptatem, lucrum, honorem dederit, quomodo non lamentabuntur?

V. ...defectu ...s solū ...isiti.

IV. Matthæi 22. in parabola de homine reperto sine veste nuptiali & in tenebras ejecto. Qui quidem ad regias nuptias invitatus & de trivio evocatus fuit, insuper ad eas venit, quin etiam cum alijs discubuit: Amicus quoque à Rege appellatus est. Unicum ei defuit, vestis nuptialis, ideoque ejectus est. Designat autem reprobum, qui ad fidem & Ecclesiam vocatus, jamque eam ingressus est: jam fide & spe & forte etiam aliquandiu charitate præditus cum cæteris Christianis discubuit, Sacramentis Ecclesiæ & verbo Dei pastus: verum ad finem vitæ primum sine charitate deprehensus ideoque ejectus est. Hoc nonne fletibus & quidem sanguineis erit dignum? multo sane magis, quam si ad nuptias sive Ecclesiam nunquam vocatus fuisset. Jam pedem unum in cœlo habuit, jam ejus nomen in cœlesti regno inscriptum erat, jam corona & thronus ei destinatus. Unico defectu, & ultimo in passu totum, quod habuit, perdidit. Cogitate Amanem illum, qui à Rege Assuero super omnes exaltatus fuit in aula, acceptoque Regis annulo ingentium opum promissionem habuit, ipsius etiam Regis conviva erat: ubi tamen in convivio hostis, cujus crudelitas redundaret in Regem ipsum, accusatus & repertus est, obstupuit & corruit super lectulum Reginæ, Esther septimo. Cogitate Radbodum Frisiæ Ducem, qui cum pedem unum in baptisterio jam haberet, ex stulta persuasione iterum retraxit, ideoque damnatus est; quantus cum nunc lachrymarum oceanus in gehenna obruiturus sit. Quantum alij gement, quando cogitabunt, se nuptialem vestem jam habitam temere abjecisse & rursum toties oblatam repudiasse? fuisse inter tot bonos, vidisse tot virtutum exempla, nec inde se emendasse? Hinc dicent: Frustra ergo baptizatus sum, frustra confirmatus, frustra tot Sacramentis munitus, frustra tot opera bona multo labore comparavi.

V. Ex tot laborum frustranea susceptione.

V. Matthæi vigesimo quarto in parabola de servo ebrioso & desidioso, qui non observans adventum domini sui cœpit percutere conservos suos, manducare & bibere cum ebriosis, ideo divisus est per medium & cum hypocritis ejectus. Quis vero hic nisi reprobus, qui mundo potius & carni, quam Deo servit adeoque crudeli Domino? contra monitum Sapientis Proverbiorum 5. *Ne des annos tuos crudeli*, mundo scilicet, carni & Dæmoni, quia mercedem dant, qualem Hebræis Pharao. Certe si quis dominus injungeret servis suis, ut noctu vagarentur per plateas, digladiarentur, ad duella provocarent, cum ebriosis considerent, se ingurgitarent, clamarent, vomerent, humi deinde porcorum instar pernoctarent sub dio, more ebriosorum: nonne de domino suo tanquam duro & tyrannico jure quererentur? nonne etiam grandi proposita mercede vix ad hæc induci possent? Postquam ergo hæc omnia sponte & ex mera libidine fecissent contra voluntatem domini; si post ab hero includerentur in perpetuum carcerem & durissime haberentur, nonne hi suam stultitiam meritissime deplorarent. Hinc certe damnatorum illorum lamentationes Sapient. 1. *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, &c.* Sapient. 5. Sed dicite, quid laborastis ut ita lassaremini? num diu multumque orastis, jejunastis, eleemosynas fecistis? num Deo servistis? Minime gentium, ajunt: Sed Pharaoni & Dæmoni servivimus, grandia pocula exhausimus, rixas & pugnas concitavimus, in amasiæ gratiam nocte tota cum fidibus per urbem vagati sumus; dies noctesque curis & solicitudinibus transegimus, & fere non in nostram sed aliorum gratiam, ut uxoribus placeremus, ut liberis prospiceremus, dominorum favorem raptaremus. Ideo trans maria navigavimus, infesta latronibus itinera confecimus, vix somni & cibi capiendi tempus habuimus. Summa: ambulavimus vias difficiles.

VI. Mat-

VI. *Ex neglectu tanti lucri, quod parare sibi poterant.*

VI. Matthæi 25. in parabola de servo inutili, qui defodit talentum suum, quod debebat ac poterat dare ad mensam, adeoque levissimo labore lucrum sibi parare. Hoc enim agit reprobus, qui tot bonas occasiones redimendi tempus, salutem operandi & lucra parandi in hujus vitæ æstate negligit: propter quod gemet aliquando in hyeme. Scimus ad quas angustias, lachrymas & calamitates devenerint Ægyptii, qui in annis fertilibus non providerunt sibi pro sterilibus; quam lamentati sint coram Josepho, clamantes: *Da nobis panes, quare morimur coram te?* &c. coque miseriarum redacti, ut omnia sua & seipsos tandem vendere Pharaoni coacti sint. Genes. 47. Non putatis ingemuisse illos, quod Josepho non crediderint, & sibi non prospexerint, cum tam facile possent? Sic etiam inferi cogitabunt? Quoties hoc mihi prædictum fuit? quoties monuerunt parentes, Magistri, Confessarii, Concionatores? & ego aures clausi. Vidi Joseph, vidi plurimos alios sibi consulentes, & in futurum providentes, nihil tamen hoc me movit. O me stolidum! Fames illa septem annorum tantū fuit, at fames inferorum æterna est. Ibi remedium, etsi difficile, erat; hic nullum prorsus erit.

VII. *Ex recordatione prioris fœlicitatis.*

VII. Denique Lucæ 13. in sermone de iis, qui se Christo bene notos & amicos asserunt: *Manducavimus coram te & bibimus & in plateis nostris docuisti. Et dicet illis: Nescio vos unde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium: cum videritis Abraham & Isaac & Iacob & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras.* Tales autem sunt, qui aliquando fœlices & quasi Deo familiares, vel in dignitatibus constituti fuerunt & personam Christi sustinuerunt. Quanta vero miseria, fuisse aliquando fœlicem, nunc esse infœlicem? olim dominum nunc servum? Id ostendit inprimis Job. capite 16. postquam è summis opibus ad summam calamitatem & pauperiem redactus erat: *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum, &c.* tametsi ea contritio brevis tantum & in rebus fluxis fuit. Multo acerbius impius ille Rex Antiochus, qui gravissima infirmitate percussus & vermium squalore fœtens, ut a nemine tolerari posset, morte imminente sic lamentaretur: *Dixi in corde meo: In quantā tribulationē deveni & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui jucundus eram & dilectus in potestate mea?* 1. Mach. 6. Hoc stimulo pupugit Abraham epulonem: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Quid jam prodest illis fuisse divites? accepisse honores? *Quid profuit nobis superbia aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia sicut umbra:* gemunt Sap. 5. c. Augebitur hic luctus ex eo quod subdit Christus: *Cum videritis omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Quando vidit Aman se Mardochæi servum factum, ira ut eum per urbem per aliquot horas circumducere in regio equo deberet, & clamare: *Sic honorabitur, quemcunq; vult Rex honorari*; quem honorem ipsemet sibi dandum spe jam devorarat, tantum inde doloris concepit, ut festinarit ire in domum suam lugens & operto capite. Esther 6. Pudore nimirum suffusus à nemine jam videri volebat, neminem aspicere audebat. O quantum hoc modestissimo Mardochæo decus! quantum arrogantissimo Amani dedecus erat! At nihil hoc est respectu illius ignominiæ, quæ corripiet damnatos, qui aliquando tam in mundo honorati & fœlices erant. Hoc est, quod sanctus ille Abbas Alexander in Prato spirit. cap. 168. præ oculis habuit, identidem sibi dicens: *Væ tibi Alexander, quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur!* te videlicet præterito & ejecto.

Huc, huc, Auditores, potius eamus: quam ad convivia. Si enim domum illam luctuosam meditatione nostra crebro adeamus, eam in persona nostra ibi non intrabimus.

THEMA IV.

Stridor dentium quid sibi velit in Inferno.

I. *Indicat famem & sitim inexplicabilem.*
II. *Rabidam invidentiam.*
III. *Perpetuam ruminationem præteritorum.*
IV. *Perpetuam maledictionem, quam in seipsos tonabunt.*
V. *Sempiternum opprobrium.*

Ibi erit fletus & stridor dentium.
Matth. 8.

Libro 4. Regum c. 14. & lib. 2. Paralip. cap. 25. legimus Amasiam Regem abiisse in vallem salinarum, & ibi cæsis decem millibus Idumæorum, alia decem millia eorum cepisse & ex prærupto petræ in subjectam vallem præcipitasse; indeque nomen Petræ dedisse. *Iecthehel*, hoc est, *stridor dentium* (id enim sonat Hebr. ut ibi testatur Sanctius) quia scilicet Idumæi in illa dejectione & præcipitio stridorem dentium passi sunt, seu horrorem & animi angustiam inexplicabilem. Vallis illa salinarum à tot Idumæorum cædibus (ut videre etiam est 2. Regum 8.) nec non à vicino mari mortuo, salso & fumoso infamis, quid nisi infernum repræsentat, vallem, inquam, fumo & fœtore refertissimam? In ea reperitur prærupta quædam petra, quam Christus in hodierno Evangelio appellat *stridorem dentium*, adeoque *Iecthehel: ibi erit fletus*, inquit, *& stridor dentium*, Ex hac rupe miseri damnati præcipitantur in pœnas varias, maximo horrore animique angustia: quas ex ipso *Iecthehel* vocabulo investigare conabimur; ut immane hoc præcipitium toto pectore horreamus & velis remisque fugiamus.

I. Videtur indicare famem intolerabilem, quam patiuntur inferi, nec non & sitim; qua se cruciari fassus est epulo, Lucæ 16. Cupiunt enim exsaturare inediam suam, unde parant quasi & acuunt atque collidunt dentes, ut manducent; sed nil eis dabitur, ne mica vel gutta quidem. Simili vel potiùs eadem phrasi

phrasi percellit Deus Israelitas per Amos Prophetam c.4. dicens: *Dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris & non estis reversi ad me, dicit Dominus.* Longa enim fames contrahit gingivas, itaque hebetat & stupefacit dentes. Quid ergo faciet in inferno fames continua & æterna? De hac loquitur Psalmista Psalmo 28. cum ait: *Convertentur ad vesperam & famem patientur ut canes.* Existimat Nyssenus tract. secundo in Psalm. cap. ult. quasi reprobi ad vesperam, hoc est sero nimis, jam damnati velint converti, sed frustra; *famem* enim *patientur ut canes*, hoc est, penuriam omnium bonorum, eo quod salutis viaticum repudierint; *qualis*, inquit, *divitis: ibi esuries & sitis inter flammas fuit.* Canes famelicos videmus invadere putrida cadavera & sordes quasvis fœtidissimas. Has invaderent damnati, velut epulas lautissimas & cupedias sapidissimas, modo eis darentur: quo modo etiam prodigus saturari cupiebat è siliquis Lucæ 15. Solet cadaverum ac sordium fœtor dentes offendere uti deprehensum in Castro Carolstain Regni Bohemiæ, quando Hussitæ id obsidentes vasa circiter bis millena, cadaveribus & humano excremento plena, in arcem immisêre. Tandem enim ea fœtorem obsessis attulêre, ut omnibus infectis dentes aut deciderent aut nutarent: uti refert Æneas Sylvius cap. 44. histor. Bohem. Credibile est post judicij diem omnes mundi sordes ac fœtores in infernum confluxuros. Qualis hinc inferorum cibus! qualis hinc mephitis eos afflictabit! quid patientur eorum dentes? nonne obstupescent, nonne stridebunt? Nimirum quia in hac vita dentibus suis carnem saginarum, vel etiam innocentes mordere consueverunt: ibi dentibus striderunt & famem omnium bonorum patientur ut canes.

II. Rabidam quandam invidentiam & rancorem erga Beatos, eos præcipue, quos in vita oderant. Hoc enim sensu psalmo 36. de peccatore dicitur: *Observabit peccator justum & stridebit super eum dentibus suis.* Quo modo videlicet Actorum 7 impij Judæi super Stephanum *dissecabantur cordibus suis & stridebant dentibus in eum.* Quæ hujus stridoris causa? Utique quia *intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli;* ut inquit Lucas Actor 6. In quem locum S. Hilarius Arelatensis homilia de sancto Stephano ait: *Facies Stephani assumpsit speciem resurgentis, adversarii ad pœnam peccati, & tormentum invidiæ & exprobrationem impietatis & testimonium criminis.* Ergo Stephani gloria malevolorum erat tormentum, ut in eum dentes saltem acuerent, cui divinum splendorem detrahere non poterant. Unde Sanctus Augustinus sermone 6. de Sanctis, sic eos introducit stridentes: *Quid vult sibi iste homo & juvenis & pulcher & eloquentissimus & sapientissimus homo? Nam signa magna & mirabilia facit iste homo &c.* Et infra ait Stephanum tam gloriosum, versum ipsis esse in colubrum, qui stridere eos fecerit: *Super martyrem Stephanum*, inquit, *dentibus colubrinis stridebant, quem quasi serpentem in corde habebant.* Colubri quid nisi venenum

II. Rabidam videntiam.

possunt evomere? Et hoc evomunt invidi; ita enim S. Gregorius Nazianzenus orat. 27. affectum invidiæ appellat venenum invidi simul & nequissimum: *Illud*, inquit, *quia bonis omnibus infestus est: hoc, quia Dominos suos exest & conficit.* Beatus Petrus Chrysologus serm. 172. eandem invidiam hospitum suorum vocat carnificem, *Hanc, qui receperit*, inquit, *sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.* Quod verissimum est in inferis, quibus gloria Dei & Beatorum perpetuus est carnifex, quia eam, sed à longe, miseri intueri coguntur in æternum, ut semper inde crucientur, semper ad hoc victuri. Videri posset alicui Deus mitigasse condemnationis sententiam, prolatam in Heli, summum Sacerdotem, quando dixit? *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua, &c. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi & tabescat anima tua*, 1. Regum 2. At non ita est; sed auxit illi potius hac appendice pœnam; promittit enim ipsi semen sed quod coram oculis suis perpetuo aspiciat alium sedentem in sede patris sui summum sacerdotem, cui ipsum subesse & parere flectereque genua debeat, sine ulla spe recuperandi sedem illam. Maximum id erat filiis Heli tormentum; siquidem *invidia Siculi non invenere Tyranni majus tormentum*, ait Horatius epistola 1. Eandem ob causam B. Petrus, cum oratione sua Simonem Magum ex aere volantem dejecisset, petiit à Domino, ut ad suum tormentum non omnino contereretur lapsus, sed aliquamdiu superstes esset: *Decidat Domine*, inquit, *sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscat.* Ut Egesippus l. c. de excidio Jerosolim. refert. Itaque damnati ad hoc vivunt, ut veluti canes alligati ad catenam, videant se jam nihil adversus Deum & Beatos posse: itaque dentibus fremant, & tabescant & seipsos vorent: gloriam Sanctorum & suam confusionem cum stridore aspiciant.

III. Perpetuam quasi ruminationem & recordationem præteritorum suorum scelerum & infamiarum; nec non & deliciarum olim habitarum; quibus se incauti præcipitarunt in eas gehennæ calamitates: quo modo boves famelici pabulum jam depastum revocant in os è stomacho & dentibus suis ruminant. Id testatur Sapiens Sapient. 4. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi & traducent illos ex adverso iniquitates eorum.* Hac de causa Abraham revocavit epuloni in memoriam pristinas delicias ad ipsius majus tormentum: *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua.* Lucæ 16. Ipse etiam Dæmon cuidam avaro morienti in Diœcesi Coloniensi pecunias identidem in os ingerebat, quas ille masticaret. Hic enim interrogatus, cur ita dentibus strideret & quid manderet: *Pecunias*, inquit, *meas injuste comparatas mastico & devoro, quas ingerit mihi Diabolus*; uti refert Discipulus in promptuario, Valentinus Leuchtius in horto regio. Simili quadam ratione ex ejusdem Dæmonis molitione dicebant perfidi illi Hebræi: *Recordamur piscium, quos comedebamus*

III. Perpetuam ruminationem præteritorum.

in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt, cucumeres, & pepones, &c. Numerorum 11. Habebant illi ſapidiſſimum manna, nec tamen eo contenti ſuſpirabant ad priores carnium, piſcium & frugum cupedias; quis ſenſus erit damnatis, quando omnibus deſtituti recordabuntur habitorum olim bonorum? quam eis prurient dentes? quanto eorum ſtridore ſua ruminabunt convivia olim inſtructa lautiſſime? Omnes hæ lautitiæ convertentur eis in amaritudines juxta verbum Iſaiæ capite 14. factum ad Balthaſarem ſplendide convivantem: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadaver tuum* (Septuaginta habent) *multa lætitia tua:* Chaldæus: *ſonitus laudis muſicæ tuæ*) *ſubter te ſternetur tinea, &c.* quaſi dicat, tua gloria, tuæ epulæ & convivia, ô Balthaſar, in quibus muſica te recreabas, defecerunt, & ad inferos detracta ſunt; ut ibi exponit Cornelius. Sed cur addit Propheta tineam mortuo ſubſternendam? Utique quia tinea veſtem continuo rodit, tametſi occulte: ita vermis conſcientiæ ſine intermiſſione, tametſi in corde ſolum damnatos corrodit & arguit: Cur ô ſtolidiſſime, animam tuam tam pretioſam, cœlo natam & unicam tam vili pretio (pro argento, epulis, vana gloria, momentanea carnis voluptate) Dæmoni vendidiſti & inferno mancipaſti nunquam redimendam? Poteras iis bene uti & cœlum lucrari: ſed gehennam potius mercari voluiſti. Quid jam tibi comparaſti? Nihil, nihil, omnia perdidiſti. Magna Jobo afflictio eſſe debuit, quando nuntius (quem Sanctus Chryſoſtomus homilia 1. de Pat. Jobi. Diabolum fuiſſe exiſtimat) ſuper nuntium venit, & clades acceptas ei nunciavit, modo abductos boves & aſinos; modo tactas fulmine oves; modo camelos abactos; modo liberos in convivio ruina oppreſſos. Potuit tamen Job ſeſe conſolari ſpe bonorum cœleſtium, quin & terrenorum ſibi forte reſtituendorum. At vero damnati & talibus continuo opprimuntur nuntiis & interim nihil habent, quod ſperare poſſint. Solus iſte nuncius incolumis evadit; ſublatis omnibus aliis, ut clades illatas eis denunciet & perpetuo ingeminet. Non longe â regia civitate Holmenſi in Suecia locus eſt, quatuor dentium mons (vier Zahn) appellatus, eo quod Rex Daniæ Chriſtiernus primus infœliciter pugnans, quatuor dentes ictu bombardæ illic amiſerit. Refert Olaus libro 7. cap. 15. Locus hic in memoriam refricavit Regi infœlicem pugnam & amiſſos in ea dentes. Petra etiam *Iectehel*, ſeu *ſtridor dentium* in memoriam revocabit miſeris damnatis infœlicem cladem, quam in mundo paſſi ſunt, & amiſſos dentes, quibus dulcia vina & lautas epulas olim hauriebant, & jucunda colloquia cum amicis miſcebant: ſed heu quãto eorum dolore!

IV.
Perpetuam maledictionem, qua in ipſos tonabunt.

IV. Perpetuam maledictionem, qua in ſe mutuo deſævient & ringentur velut canes, qui cauſam damnationis alter alteri dederunt: vel etiam dum in vivis eſſent, ſe invicem oderunt. Ita enim de damnatis Pſalmo 58. ubi vulgata legit: *famem patientur ut canes;* Hebraice habetur; *tumultuabuntur ut canes;* unde Sanctus Hieronymus vertit: *latrent ut canes.* Id vero de inferis intelligit Nyſſenus, ut ſuprad. nec immerito; ſi enim nunc multoties audimus maledicere filios parentibus, quod ab ipſis neglecti vel male educati, vel damnatis natalibus per inceſtum aut fornicationem procreati ſint, indeq; in ſcelera, contemptum, paupertatem & quandoque in manus carnificis inciderint: quid facient in inferno, quando ſe per illorum conſilia, inſtructiones, prava exempla ad extremam & æternam calamitatem detruſos videbunt? Ita eſſe luculente inprimis confirmavit mulier illa, quam teſtatur in ſuis revelationibus libro ſexto capite quinquageſimo ſecundo à ſe conſpectam eſſe, ſanctitate celebris illa Brigitta, velut è caliginoſo lacu prodeuntem luridi vultus umbram, ſine corde, horride truncam labiis, exeſo miſerabiliter naſo, oculis in genas prolixè propendentibus, exedentibus funeſtis pectus vermibus, de filia ſuperſtite, tanquam ſi coram adeſſet, miſerandum in modum conquerentem. *Eheu filia, nõ filia, ſed lacerta veneno fœtidiſſima! miſeram me, quæ te genui! miſerrimam, quæ te exemplo meo peccare docui! quoties enim peſſimos meos imitata mores etiamnum peccas, toties hæc inferni, quæ propter te patior, tormenta novis auctibus recrudeſcunt.* Confirmat idipſum, quod ſcribit Dionyſius Carthuſianus lib. de 4. noviſſimis art. 42. Vidit enim quiſpiam, Angelo bono duce, miſerandum ſpectaculum; Patrem filio & hunc patri in mediis ignibus acerbiſſime identidem occlamantem: *Maledicte fili, quo me miſeriarum adduxiſti, juſtis injuſtisque artibus utentem, ut te multarum opum haberem ſucceſſorem?* E contra filius: *Quin immo huc me, huc me tua indulgentia, huc tui nimius amor ab religioſæ vitæ deſiderio abſtractum præcipitavit, deteſtande pater.* Quis dubitet etiam illos, qui in continuo odio & inimicitia vixerunt, neque reconciliati obierunt, ſe mutuo in inferno cum ſtridore dentium, cum latratibus & morſibus, velut rabidi ſolent canes, invaſuros ac dilaniaturos? Comprobatur id exemplo, quod ſcribit Cæſarius libro 11. miracul. capite 56. de duobus ruſticis ſibi mutuo infenſis, in Colonienſi Epiſcopatu mortuis eodemque ſepulchro tumulatis, qui in ipſo tumulo, capitibus, calcibus, & dorſis inter ſe colliſis acerrime pugnarunt, ita ut alter ejici debuerit. Frequentiſſima ſunt fraterna odia & quidem acerrima atque implacabilia, fere propter hæreditaria bona male diviſa; & his odiis fratres ſæpe immoriuntur. Quid hi agent in inferno; nonne velut canes os unum rodentes in ſe invicem dentes exerent, frement & ringentur? Quo videtur ſpectare, quod Oſeas capite 13. de inferno ait: *ipſe inter fratres dividet.* Quomodo vero dividet? ut velut diviſæ duæ acies inter ſe concurrant, & in ſe invicem arietent, ne ullo unquam tempore in unum conveniant, juxta id pſalm. 54. *Diviſi ſunt ab ira vultus tui.*

V.
Sempiternum opprobrium.

V. Sempiternum opprobrium, in pœnam cachinnorum & ſtridoris dentium, quo in vivis exiſtentes excepêre & deriſêre ſanctos, uti fatentur ipſe Sapientiæ quinto dicentes: *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii,*

Nos

Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &c. Risus & derisio dentibus adscribitur, uti Ecclesiastici capite decimo nono versu vigesimo septimo. *risus dentium &c.* Ergo risus dentium, quo Sanctos deriserunt improbi, juste quasi lege talionis castigatur dentium stridore, ut veluti ridiculi perpetuo rideantur, juxta id Proverbiorum 3. *ipse deludet illusores.* Hebraice dicitur: *deridebit derisores.* Matthiæ Corvini, Hungariæ Regis tonsor Regi pergratus, Aragonio Cardinal, Legato, uxoris ejus fratri, posteriores vestium partes per jocum mutilaverat; causamque ejus facti rogatus exprimere, ridens Regi fassus est. Itaque Rex ei nasum & labra desecuit in pœnam, ut qui in maleficio ridebat, semper exertis dentibus, etiam cum fleret, ridere videretur. Fulgent. libro sexto capite tertio. Quid nî etiam improbi, qui justos hic derident & derisui exponunt, ita puniantur in gehenna & exertis dentibus & diducto ore stridentes, semper ridere aut cachinnari videantur? *Qui* enim *spernis, nonne & ipse sperneris?* Isaiæ 33. Vestimenta tineas generant & ligna vermes: interim per eosdem & ligna corrumpuntur & vestes; sic fiet justo Dei judicio, ut qui derisione alios læsuri, quasi vermem è corde suo progenerarunt, per eandem & ipsi æternum rideantur. Unde Isaiæ 51. dicitur: *Nolite timere opprobrium hominum* (hoc est, irrisionem) *& blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum* (supple, ex se generat tineam, quæ id corrodat & absumat) *sic comedat eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea.*

THEMA V.

Vanæ gloriæ damna.

I. *Vana gloria destruit opus bonum.*
II. *Perdit mercedem operis, vel cum vilissima commutat.*
III. *Confusionem metit pro gloria.*
IV. *Meretur iram Dei.*

Vide nemini dixeris, *Matth.* 8.

SAlvator noster cum in ultima cœna discipulis valedicens pacem dedisset, subjunxit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis,* Joann. decimo quarto. Mundus enim dat, ut pro dono suo aliud recipiat, sive id sit argentum, sive honor, sive delitiæ, sive aliud quidpiam. Exempli causa: Chirurgus aliquis circumforaneus exemit alicui calculum & sanavit eum; an hoc gratis fecit? minime gentium. Præter argentum copiosum, calculosum depingi curat & in publicis nundinis imaginem ejus ostentat, ut sanati hominis aspectu lucra ampliora faciat. Ita mundus dat: sed non ita Christus. Contulit is sanitatem homini leproso (qualem nemo facile Medicus sanare novit) & quid ab eo pretii accepit? Nihil omnino, adeo ut nec sciri id voluerit, ac si quid ab eo mercedis loco petiit, hoc unum petijt: *Vide nemini dixeris;* idque adeo serio ipsi commendavit, ut S. Marcus dicat, ipsi comminatum esse, hoc est, severo & minaci vultu mandasse. Sed cur ipse dat hoc modo, & non quomodo mundus, Medici & chirurgi dant? cur pro tanto beneficio vel imaginem non exigit hominis sanati, quã publice proponat? An forsan hoc fuisset beneficium destruere? mercedem evacuare? minus pro majori accipere? confusionem metere? verbera accersere? Ita omnino; hoc & nil aliud fecisset, si vanam gloriam exegisset vel etiam acceptasset: uti nunc ostendemus.

I. Vana gloria destruit opus bonum. Agar videns se concepisse, adeoque intuens tumescentem uterum suum, statim incipit despicere dominam suam; & quid tandem genuit? Ismaelem, ferum hominem: *manus ejus contra omnes, & manus omnium contra ipsum.* Genes. 16. Ita si oculus tuus aspiciat opera tua, insolescere incipies & paries vanam gloriam, virtutem omnium hostem & interfectricem. Alia enim vitia singula singularum virtutum hostes sunt: vana gloria est omnium hostis communis, omnes enervans. Aspexit Pharisæus ille, in templo orans, opera sua: *Jejuno bis in sabbatho, &c.* atq; hoc aspectu omnia destruxit & vacuus domum rediit, qui onustus bonis operibus ascẽderat in templum, Luc. 18. Idem accidisse Samsoni vult S. Ambrosius epist. 70 Is enim post inauditam victoriam & stragem mille virorum, sibi applaudens dixit: *In maxilla asini in mandibula pulli asinarum delevi eos, & percussi mille viros.* Cumque hæc verba canens complêsset, projecit mandibulam de manu & vocavit nomen loci illius *Ramathlechi, quod interpretatur, elevatio maxillæ.* sed continuo æstuare siti cœpit aitque: *En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.* Judic. 15. Et quidem veritatem sibi ipsi vaticinatus est; postea enim miser à Philisthæis captus & exoculatus est. Et cur exoculatus? an quia oculo vanæ gloriæ aspexit victoriam suam & suum *Ramathlechi?* Quare senior ille Tobias bene & caute filium suum monuit, capite quarto versu septimo *Ex substantia fac eleemosynam & ut addunt* Septuaginta Interpretes) *non videat oculus tuus in faciendo te eleemosynam.* Quod optime concordat cum illo, quod ait Dominus Matthæi 6. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua,* hoc est, tu ipse, quoad fieri potest, nescias, nullaque ratione inspicias; quia *quo vana gloria intrat, omnia quæ intus sunt, insensibiliter aufert;* ait Sanctus Chrysostomus, *Sed quomodo, inquis,* ait idem homilia tertia in Matthæum, *possumus ignorare, quod novimus? Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus delicias, rides, nec te peccasse nôsti, oblivioni cuncta tradendo, solam vero non potes recte factorum abjicere memoriam?* Neque solum proprius oculus, sed alienus etiam destruit opera bona, si ipsi videnda exponantur, non secus ac basilisci oculus, qui aspectu solo venenum homini afflare dicitur, ita ut occidat, teste Plinio libro octavo capite vigesimo primo & libro vigesimo nono, capite quarto. Quod Sanctus Bernardus in Psalmio nonagesimo versu dec. tertio

I. Vana gloria destruit opus boni.

accommodat illis Christi verbis Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ita enim videri, est videri à basilisco & occidi. Putatisne frustra præcepisse Deum Deut. 15. v. 19. *Non tondebis primogenita ovium?* Non certè, sed voluit ad literam quidem primogenita ovium offerri Sacerdoti una cum lana; sensu tamen tropologico, primario intento, voluit ne opera nostra, perfecta præsertim, denudaremus; alioquin peritura, si ea ostentemus. Ita S. Gregorius. 8. moral. cap. 34. *Ovium primogenita tondere est occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia opera bona denudare. Cum ergo vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudam hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat.* Quæ causa etiam est, Dominus consuluerit in secreto orandum, Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Causam enim dat Bernardus serm. 68. in Cantic. *Ne coram orantibus*, inquit, *laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.*

II. *Perdit mercedem operis, vel cum vilissima commutat.*

II. Perdit mercedem suam, vel ad summum cum vilissima commutat. Quod testatur ipse Dominus Matth. 6. vers. 2. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* In quæ verba Sanctus Hieronymus: *At non Dei mercedem*, ait, *sed suam receperunt, qui laudati sunt ab hominibus, quorum causa exercuere virtutes.* Plumbeam ergo mercedem pro aurea accipiunt: siliquis porcorum ventrem suum implent, non expectato regio convivio, quod eleganter S. Chrysostomus homil. 36. ad popul. exponit his verbis: *Sicuti gulosi & honestatis expertes ad regale convivium vocati, nec congruam horam expectantes; parvulorum infantium more suam corrumpunt lætitiam prævenientes & vilioribus seipsos cibis saturantes: ita & hi mercedem hic acquirentes & acceptantes futuram diminuunt.* Idem alia similitudine declarat Isidorus Clarius orat. 105. tom. 2. *Fingite quempiam vestrum esse, cui regnum Italiæ totius hodie offeratur decennio possidendum, qui tamen, si per hosce decem annos privatam agere vitam velit, futurum ut 50. justos annos totius Europæ imperio potiatur, non censetis hunc conditionem istam lubentissime accepturum, facileq; atque adeo summa cum lætitia toleraturum, toto illo decennio vitam agere privatissimam atque humillimam; & tamen illud, quod speraret, quinquaginta annorũ spatium nostis, quam veloci cursu esset finiendum. Quod si in re momentanea tam sumus circumspecti, cur non vel par studiũ adhibemus, ad adipiscendam æternitatem, & hanc totam vitã, quæ ne momentum quidem est, si cum illa cõferatur: inglorii libenter vivimus, ut incomprehensa illa ac infinita gloria tandem potiamur?* Stultum jure dixeris illum Architectum, qui pro duarum insignium columnarum erectione in foro S. Marci Venetiis, non aliam petiit mercedem, quam ut lusoribus quibuscunq; fieret libertas sub ea ludendi quocunque modo, uti refert Munsterus fol. 263. quasi hujus rei memoria & monumentum pro mercede ei satis esset. Nihilo plus sapuit Wenceslaus Imp. VI. ignavus dictus, qui Norimbergensibus pro lytro redemptionis, à juramento, viginti millia aureorum offerentibus, petiit solum quatuor currus vino onustos, homo scilicet vinosus, aliud nihil curans. Æneas Sylvius lib. 2. in Panorm. Longe amentiores sunt, qui pro immensa, quam Deus illis offert, gloria in cœlo, humanam & evanidam accipiunt in terra. Quid enim vilius gloria ista; *Nam idcirco*, inquit D. Chrysostomus homil. 22. in Gen. *vana dicitur, quia evanida est, & nihil habet stabile neque firmum: sed solum est oculorum deceptio, & priusquam apparet avolat.* Et homil. 43. ad pop. *Dic mihi*, ait, *si parvorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, nunquid ab eis gloriam concupisces? sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia (vacua seu vana gloria) dicitur. Nonne vides personas; quas in scena versantes, induuntur, quam sint pulchræ quidem, quam vero splendidæ, quam ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Nunquid unquam earum amore captus es? Non. Quare? Quia vacuæ sunt & imitantur pulchritudinem, pulchritudo tamen non sunt.* Diximus paulo ante non tondenda ovium primogenita: addo nunc oves quaslibet in hyeme non tondendas, sed in æstate, uti etiam fit. Qui enim in hyeme eas lana spoliaret, & parum lanæ acciperet, & simul oves perderet. Unde Stephanus Cantuariensis in illum Deut. 15. locum: *Oves*, inquit, *non tondentur in hyeme, sed in æstate, ne asperitate hyemis opprimantur. Hyems est vita præsens, æstas vero futura. Oves in hyeme tondet, qui causa inanis gloriæ opera sua ostentat: in æstate vero, qui pro vita æterna laborat.* Noluit in hyeme oves suas tondere S. Hilarion Abbas, qui ob frequentia miracula, sanitatis præsertim restitutæ male habentibus, ubique celebris factus & à populo requisitus, undique profugit de eremo in eremum, de regione in regionem, flebatq; suam religionẽ periculo vanæ gloriæ expositam, dicens: *Rursum ad sæculum redii, & recepi mercedem meam in hac vita. En homines Palæstinæ & vicinæ Provinciæ existimant me alicujus esse momenti, & ego sub prætextu monasterii ad dispensationem fratrum, vilem suppellectilem habeo.* S. Hieron. in vita.

III. *Confusionem meretur pro gloria.*

III. Confusionem & ignominiam pro gloria meretur & accipit. Finis quidem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ, ut ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 132. artic. 5. sed nihil minus assequitur gloriæ venator; nam irrisionem potius sortitur & contemptum, velut homo vanus. *Quoniam enim tui amici*, inquit D. Chrysostomus hom. 4. in c. 1. Matth. *qui te glorificare certatim student, clarumque te monstrare propter hoc teipsum rursus irrident, quod gloriam ab ipsis requiras: quo modo non tibi in contrarium hujusmodi studia vertuntur?* & hom. 63. *Quinam ridiculosi sunt, dic quæso? Nonne qui omnia faciunt, ut multitudinis auram adipiscantur?* Et hom. 72. in eundem Matth. *Tu quidem maxime cupis, ut te admirans: ille misericors, ille humanus, ille benignus, dicat; ipse*

autem

autem istud non dicet sed: ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit; ille, qui omnibus quovis modo hominibus placere studet, ceteraq; his deteriora. Et hom. 22. ad pop. *Si vanæ servies gloriæ, propter hoc ipsum eris ignobilior? ipsi enim te glorificantes per hoc ipsum te ridebunt; quoniam ab eis gloriam aucuparis. Quid igitur rem attrahis, ex qua tibi contrarium proveniat; si vis ergo glorificari, gloriam contemne, & eris clarissimus.* Deniq; homil. 17. in Epist. ad Romanos: *Quemadmodum pueri ludentes,* ait, *ex fœno coronas invicem imponunt, coronatum autem sæpenumero ejus rei ignarum, post tergum irrident: ita sane & nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atq; ita quid aliud fit, quam quod & nobis invicem fœnum coronantes imponimus? Et utinam nihil aliud quam fœnum.* Contigit hoc inprimis clarissimo illi Oratori, Demostheni, quem, licet in Græca eloquentia primas tulerit, Cicero tamen lib. 5. Tuscul. leviculum appellavit, quod illo susurro delectari se diceret, aquam ferentis muliërculæ; insusurrantisq; alteri: *Hic est ille Demosthenes.* Antisthenem Philosophum videns aliquando Socrates media hyeme, pallio & vestibus discissis in platea frigoribus rigente ad popularem auram captandam, obambulantem, sic eum salsè affatus est: *Per scissuram pallii tui inanitatem tuam video.* Laert, Notatus etiam ac derid.culo fuit Actius Poëta, qui cum brevis admodum staturæ esset, maximam forma statuam in Camœnarum æde sibi posuit, apud Plinium l. 34. c. 5. Quod & aliis contingit, qui cum exigui sint, magni haberi affectant. Magnus quidem ac potens Rex coram mundo erat Nabuchodonosor, sed tamen judicio suo, stulto & perverso, longe sibi major visus, erexit sibi statuam 60. cubitorum, in qua velut Deus coleretur & ab omnibus adoraretur. Verum à tribus pueris spretus & nequaquam adoratus est. *Nunc vero idipsum,* (ait S. Chrysostomus homil. 4. in Matth. hominem gloriæ cupidum alloquens) *poteris omnino, quod Nabuchodonosor legimus pertulisse. Nam ille statuam quondam erexit, à ligno & mortua corporis imagine magnam scilicet famam aucupaturus, ac vivus à re non viva claritatem mutuaturus. O ingentem insaniam, quo se honorare est visus, deridendum præbuit: Nam qui re mortua nixus est magis quam seipso & mentis suæ viribus, lignum supra se dignatur, qui non sit ille (obsecro) risu maxime dignus, non à moribus sed à tabulis & asseribus commendari volens? Vt si aliquis de magnitudine ac pulchritudine domus, de scalis potius gradibusque marmoreis se esse honorabiliorem putet, quam qui homo genitus & rationis nobilitate donatus est. Hunc itaque plurimi etiam inveniuntur nunc imitari. Vt enim ille tunc de imagine aurea, sic modo alii de veste pretiosa, de equis alii vel curribus, de amplitudine columnarum, quæ sunt in ædibus & picturis parietum, opinantur se esse meliores. Quia enim quod erant homines, perdiderunt, solicite huc illucq; circumeunt, aliunde sibi gloriam colligentes omni sane irrisione dignissimam.*

IV. Meretur iram Dei, ut quæ gloriam ipsi soli debitam, velut primario auctori & fonti bonorum operum, sibi imprudenter arrogat, quod non minus est, quam Regi coronam detrahere & sibi imponere. Qua de re Oseas cap. 8. sic loquitur: *Ventum seminabunt & turbinem metent.* Ventum seminant, qui vanam gloriam sectantur (quid enim ea nisi ventus levis afflans hominem? & hi turbinem metent, de quo Jerem. 23. dicitur: *Ecce turbo indignationis Dominicæ egredietur & tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Et Isa 28. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, &c.* Samariam intelligit, metropolin Ephraim, superbientem in munitione & corona mœnium suorum, in modum coronæ structorum, & montium circumjacentium. Et quid ei vaticinatur? *Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis; turbo confringens, &c. pedibus conculcabitur corona superbiæ.* Quod factum, quando Salmanazar venit in Samariam & abduxit inde decem tribus, seu Ephraim in captivitatem: eo quod Rex illorum Osee annuum tributum subtrahere ei niteretur, 4. Regum 17. Tributum, quod debemus Deo, est ejus gloria; quam alteri non dabit; Isa. 42. In tales ergo, qui gloriam ipsi debitam surripere conantur, turbinem indignationis suæ immittet; uti sensit inprimis superba illa Samaria; deinde fastuosus etiam ille Nabuchodonosor, qui & ipse ob amplissimam & munitissimam suam civitatem Babylon insolescens, cum in Dei contemptum prorumperet dicens: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, &c.* repente etiam sensit turbinem indignationis Dominicæ. Statim enim *vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te.* Dan. 4. Quod ita factum est, ut velut amens è regno ad bestias in sylvas ejectus, septennio oberraret, velut bos fœnum comedens. Sic nimirum Deus superbos humiliare novit & de solio deponere. Tremendum etiam jure merito semper habitum est supplicium & repentinum Dei fulmen, quo plexus est Ananias cum uxore, Act. 5. Sed quæ ejus supplicii causa fuit. Agnoscit in professione & voto ejus vanæ gloriæ admixtionem S. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam, & S. Basilius serm. 1. de Instit. Monachorum: *Licebat initio,* inquit Basilius, *Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vovere: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quodqu.d in bonis habebat, per professionem Deo consecravit; quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem, callide postea nescio quid intervertens, ejusmodi adversum se indignationem Dei provocavit, cujus Petrus minister fuit, ut ne ad pœnitentiam aditum invenire potuerit.* Jam vero scimus ad vocem illam Petri: *Non es mentitus hominibus sed Deo;* veluti ad fulmen, illico corruisse & expirasse Ananiam primo, deinde uxorem ejus. Quis hic non cohorrescat? Tanti nimirum est gloriam Deo debitam sibi arrogare, quanti æstimatur apud homines, coronam Regi detrahere & sibi imponere, & quidem tanto plus, quanto major est Rex cœli & terræ morituris terræ Regulis.

His ergo tantis vanæ gloriæ damnis perspectis,

quis jam pro bono opere tam vile, imo tam perniciosum pretium, non dico exigere, ſed etiam oblatum audeat accipere? Abſit, abſit procul à nobis merces tam damnabilis; & dicamus potius cum Magiſtro & Domino noſtro, quotieſcunque boni aliquid alteri præſtiterimus: *Vide nemini dixeris.*

DOMINICA IV. POST EPIPH.

THEMATA.

I. Qua ratione & quando Chriſtus obdormiat nobis.
II. Cauſa tempeſtatis, quia Chriſtus male habetur à quam multis.
III. Cur Eccleſiam ſuam Chriſtus tot tempeſtatibus fatiget.
IV. Tria aſyla ſeu refugia afflictorum.
V. Solatia animarum purgatorii.
VI. Quid agendum in tribulatione.

THEMA I.

Qua ratione & quando Chriſtus obdormiat nobis.

Dormit ſæpe in nobis Chriſtus.

I. Quando intepeſcimus in bonis operibus.
II. Quando juſti in tentationibus ad tempus non adjuvantur.
III. Quando permittit frænum perverſis, ut magis timeant poſtea puniendi.
IV. Quando obliviſcimur doctrinæ Chriſti.
V. Quando in grave peccatum labimur.

Ipſe vero dormiebat. Matth. 8.

ANtiquiſſimus ille & doctiſſimus Origenes ſtupet & miratur ſomnum Chriſti Domini in hod. Evangelio: *O res mirabilis & ſtupenda,* inquit, *is qui nunquam obdormit, dormit: is qui cœlum & terram gubernat, dormit; is qui nũquam dormit neque dormitat, ipſe dormire dicitur!* Neque id immerito: miramur enim illa, quorum cauſas ignoramus; quis autem nobis exponet cauſam, cur qui nunquam dormit, hodie obdormiat? Ad hoc inter alios bene, meo judicio, reſpondet Euthymius: *Dormiebat diſpenſatoriè,* inquit, *ut vehementer timerent Apoſtoli. Nam ſi vigilaſſet, aut nullo modo timuiſſent, aut parum territi fuiſſent. Oportebat autem eos magnum timoris ſenſum concipere, ut etiam ad magnum potentiæ illius ſenſum pervenirent, & majorem de eo fidem conciperent.* Ita ille. Neque verò ut Apoſtoli ſoli timerent, dormiſſe eum arbitror, ſed ut nos quoque timeremus. Audimus enim ad Chriſti ſomnum mox coortam tempeſtatem, deſolatos quaſi diſcipulos in ſummam anguſtiam ac in ipſam pene deſperationem conjeciſſe. At nihilominus etiam nobis contingit, quando in cordibus noſtris Chriſtus obdormiſcit. Æque enim jactamur, æque periclitamur, niſi ipſe ſurgat & imperet ventis & fluctibus, quibus obruimur. Quare ut has tempeſtates avertere poſſimus, nunc inquiremus, quando & qua ratione dormiat nobis Dominus.

Dormit ſæpe & in nobis Chriſtus.

I. *Dormit in nobis Dominus* (inquit Gloſſa in hunc textum) *id eſt, fides Domini, cum negligentius agimus, & ideo tempeſtas. Si vero fides reſurgit, imperat ventis & fluctibus.* Dormit ergo in nobis Dominus, quando nos obdormiſcimus vel ſaltem dormitamus, intepeſcimus & languemus in fide, ſpe, charitate, oratione aliiſque piis operibus, tunc enim Deus etiam quaſi dormiens, vel dormitans, languide nos protegit, adjuvat, exaudit. Scriptum enim eſt Pſalm. 32. v. 22. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.* Accedit Eccleſiaſticus cap. 2. ubi ait: *Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non proteguntur à Deo.* In Græco habetur: *Væ corde remiſſo.* Quando igitur in fide, ſpe, aliiſque piis exercitiis remiſſi & languidi ſumus, tunc obdormit nobis Deus; dum nihil aut parum valde gratiæ nobis impertit. Sicut enim citharœdus imperito ſaltatori, qui ad numerum ſaltare neſcit, cantilenam accommodat; & languide ſaltanti languidum aliquid canit: ita etiam Deus nobis ſe conformat. Hac de cauſa Moyſes in prima petræ percuſſione non obtinuit aquam. Num. 20. quia de Dei bonitate & beneficentia erga tam ingratum populum nonnihil diffidebat: at ubi in ſecundo ictu fiduciam aſſumpſit & ſpem ac fidem corroboravit, tum proſiliit aqua. Quod videtur etiam accidiſſe Eliſæo, quando non in prima, ſed ſecunda primum percuſſione diviſit Jordanem pallio Eliæ, 4. Reg. 2. In primo igitur ictu dormivit illis Chriſtus, non audiendo poſtulata eorum; quia etiam in ipſis dormiebat & languebat fides ac ſpes. Joſeph ille innocentiſſimus per duos integros annos poſt expoſitum pincernæ ſomnium in carcere detentus eſt. Rationem reddit S. Auguſtinus ſerm. 82. de temp. quia nonnullam in pincerna, cui ſomnium explanarat, ſpem repoſuerat. *Quia nondum ſcriptum erat: Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in homine: cum in omnibus Dei gratiam meruiſſet, ſurreptum eſt illi, ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi ſunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei Dominus: Ego tibi oſtendo, ut magis à me quam ab homine debeas auxilium poſtulare.* Sic ille Judas Machabæus cum paucis militibus habuit illuſtres de Antiocho ejuſq; maximis copiis victorias, quamdiu ſcilicet in Deum fortiter ſperavit. At in ultimo prœlio, quando videns ſuos dilabi, *confractus eſt corde, quia non habebat tempus eos congregandi & diſſolutus eſt;* dixitq; hæſitanter: *Eamus contra adverſarios noſtros, ſi pugnare poterimus contra eos:* ideo tunc ſuccubuit atq; occubuit. 1. Mach. 9. v. 8. Denique ex Evãgelio idipſum manifeſtè colligimus. Petiit Jairus à Chriſto, ut in domum ejus veniret & manũ mortuæ

filiæ imponeret, id egit Chriſtus, & non plus. Matt. 9. Plus fidei in ipſum habuit Hæmorrhoiſſa, quæ ſolo tactu fimbriæ credidit ſe ſanandam; & hoc etiam obtinuit. Plus adhuc Centurio, qui, *tantum dic verbo,* inquit, *& ſanabitur puer meus*, unde & verbo uno puer ſanatur: *Vade & ſicut credidiſti fiat tibi.* Sicut credidiſti, inquit, fiat; quia fides eſt menſura gratiarum: vigilat fides, ſpes, charitas, oratio: vigilabit tibi & Dominus; Dormiunt illa: dormiet & Dominus; idq; indicat, cum ait in hod. Evāgelio: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* q. d. quod dormiens non vos juvem, modicæ veſtræ fidei adſcribite. *Mare quaſi ajebat,* inquit Druthmarus in eum locum, *ille dormit, in quo vos habetis fiduciam. Non creditis, quia vig let divinitate: propterea mittemus vos in timorem. Si ſic perfecti fuiſſent, ſicut poſtea fuerunt, dixiſſent: non timemus; quia non audetis mergere Dominum & Creatorem veſtrum.*

II, *Dormire videtur paſtor* (inquit Euſebius in hūc locum) *quando lupi in ovem ſæviunt, quando fures rapiunt, & non eſt, qui eripiat. Sic igitur & Ieſus, quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando Tyranni ſæviunt, quando lupi in bonos inſurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt. Non dormit quidem, ſed prælium intuetur, & certaminis ſimul finem, & bellantium finem expectat.* Ita plane dormivit S. Antonio, quando eum permiſit flagellari & confodi à Dæmonibus, nullum ipſi auxilium porrigens, niſi finito certamine; cùm is radio lucis divinitus apparente præſentiam Domini ſentiens dixit: *Vbi eras bone* JESU: *ubi eras? Quare non à principio affuiſti, ut ſanares vulnera mea? Et vox ad eum facta eſt: Antoni, hic eram, ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non ceſſiſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis exſurgens in tantum roboratus oravit, ut intelligeret ſe plus recepiſſe nunc virium, quam ante perdiderat.* Ita ſanctus Athanaſius in ejus vita cap. 8. Dormit ergo Dominus, cum obruit tentationibus, cum anxii nobis ipſis relinquimur: evigilat vero cum ſubinde nos conſolatur, cum nobis ſuccurrit. Hoc ſenſu dormiit Noæ familiæ, cum eam anno integro incluſam in arca natare & fluctuare permiſit: evigilavit vero quando diluvio obſiſtens, eam è carcere illo eripuit. Idem agit cum Eccleſia, cujus typum geſſit Arca Noë, quemadmodum & navicula in hodierno Evangelio. Unde Tertullianus l. de Baptiſmo cap. 12. *Navicula,* inquit, *figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, id eſt, ſæculi fluctibus, id eſt, perſecutionibus & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente donec orationibus Sanctorum in ultimis ſuſcitatus compeſcat ſæculum & tranquillitatem ſuis reddat.* Orationes illas deſcribit Propheta Pſal. 43. in hunc modum: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Exurge, quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ?* Ubi S. Hieronymus: *Dixeras Domine, quod miſſurus nos eſſes tanquam oves in medio luporum. Nunc autem quia de his tentationibus elongatus es, & tanquam ſi in navi dormiens, non nos à tempeſtate defendis, excitamus te confeſſione ſupplici deprecantes: Exurge, &c.* Idipſum in particulari nemo non ſubinde experitur, quando in tentatione deſeritur deſtitutus omni ſolatio, in manibus inimicorum relinquitur, morbo diuturno vexandus permittitur, ab inopia tantum non devoratur. Quæ tunc lamenta non audiuntur? *Domine nihil ad te pertinet, quia perimus?* inquiunt cum Apoſtolis Marci cap. 4. Nonne filii & ſervi tui ſumus? Dormit eis Dominus, ſed in tempore evigilabit, & liberabit eos. Affligebantur Hebræi veri Dei cultores ab impiis Ægyptiis per annos fere centum, & ingemiſcebant miſeri ſub graviſſimo jugo, nec tamen videbantur à Deo exaudiri, quaſi is plane obdormiſſet profundiſſimo lethargo, illorumque penitus oblitus fuiſſet. Verum non ita erat; tandem enim *audivit gemitum eorum ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham, Iſaac & Iacob, & reſpexit Dominus filios Iſrael & cognovit eos.* Exod. 2. Quibus verbis inculcat Moyſes paternam Dei providentiam, & curam de ſuis, quos ad tempus quidem derelinquit & non audit, ſicut pia mater non audit clamorem filii, quando is manu medici aut chirurgi ligatus ſcinditur & uritur valetudinis recuperandæ gratia; tandem tamen evigilat & manum auxiliatricem adfert.

III. *Dormit ut timoris cauſa ipſis* (diſcipulis) *major præberetur,* inquit S. Chryſ. homil. 29. in Matth. exiſtimantibus nimirum illis, quod ſopitus ſomno periculum non videret. Permiſit ergo ſomno ſuo Chriſtus diſcipulos ſibi ipſis & infirmitati ſuæ: permiſit & ventis inſolentiam & ſævitiam ſuam, ſuo tempore Apoſtolos reprehenſurus de modica eorum fide: & ventos increpaturus de nimia inſolentia. Hunc in modum dormit Dominus malis & perverſis hominibus, quando fræna laxant ſuæ petulantiæ & libidini ad peccandum; tacet enim & connivet quaſi dormiret, non ut inſolentiæ, ſed ut timoris cauſam majorem eis præbeat, velut qui idcirco tanto tempore differat vindictam, ut abutentes ſua patiētia gravius puniat, juxta id Apoſt. ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit? ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Debet ergo ſomnus ille, hoc, eſt connivenția & longanimitas Dei perverſis merito ſuſpecta eſſe, velut immanius aliquando in eos ſævitura, niſi ſe emendent. Hinc ira Dei ſive ultio arcui comparatur Pſ. 7. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & paravit illum.* Quia ſicut, inquit D. Hieron. in illam Pauli ſentent. *qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri ut fugiat, qui ſi fugere nolit, tanto fortius ſagitta emiſſa configitur, quanto majori tempore arcûs intenſio fuit facta: ſic Deus, qui laneos habet pedes, ſed ferreas manus, tarditatem ſupplicii gravitate compenſat.* Plut. etiam, Ethnico homini, de ſera Numinis vindicta Dei eſt velut amnes, qui repente ſe condunt ſub terram, & nihilominus eo perferuntur, quo tendunt: quod etiam Nilo contingit,

III. Quando permittit frænum perverſis, ut magis timeant poſtea puniendi.

cingit, qui ſæpe condit ſe, rurſus erumpens; cumque longe abeſſe videri poteſt, caput exerens, terram obruit diruitque, teſte Plin. lib. 5. cap. 9. Baſil. homil. 3. in Hexam. Ita quoque Dei ira & animadverſio in peccatores ſæpe ſe occultat; ut videatur quaſi dormire Deus; ſed tandem majori impetu prorumpit & irruit in eos. Ita minatur eis Amos 8. v. 7. *Iuravit Dominus in ſuperbiam Iacob: ſi oblitus fuero uſq; in finem omnia opera eorum, &c. Et aſcendet quaſi fluvius univerſi & defluet quaſi rivus Ægypti*, hoc eſt, Nilus. Simile quiddam egit aliquando Clodoveus Rex Francorum, quando ex præda militari ſuorum militum petiit argenteum urceum, ab Eccleſia Sancti Remigii ablatum, eidem reſtitui ad preces Sancti Remigii; quod tamen unus militum cum furore abnuens, urceum bipenni ſecuit. Diſſimulavit enim injuriam Rex, quoad anno tranſacto delectum militum habiturus, vires & arma ſingulorum luſtraret. Tum aggreſſus militem illum: Quid tu, inquit, ſolus hîc armis adeo incultis ac ſordidis appares? Neque clypeus, neque lancea, neque bipennis utilis eſt; ſimulque arreptam ejus bipennem projecit in terram; quam dum ille tolleret, Rex bipennem ſuam valido ictu capiti ejus infixit, addens: *Quod tu anno ſuperiore urceo feciſti, hoc & tibi jam facio.* Ut eſt in vita S. Remigii 1. Octob. Diſſimulat etiam Deus per hujus vitæ curſum inſolentias reproborum; ſed ubi ſuo tempore inſtituerit armiluſtrium, in quo ſingulorum acta dijudicabit, ibi romphæam ſuam exeret in illos, juxta id Pſalm. 77. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino: & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit illis*: velut Noe ſcilicet, qui edormita crapula maledixit Cham. Gen. 7.

IV. Quando obliviſcimur Doctrinæ Chriſti.

IV. *Dormit in te Chriſtus*, (ait Sanctus Auguſtinus homil. in hod. Evangelium, quæ eſt tertia in 17. homiliis.) *Quid eſt. dormit in te Chriſtus? Oblitus es Chriſtum. Excita ergo Chriſtum, recordare Chriſtum. Evigilet in te Chriſtus. Conſidera illum: Quid volebas? Vindicari. Excidit tibi quia ipſe cum crucifigeretur, dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt? Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum. Memoria ipſius, verbum ipſius: Memoria ipſius, juſſio ipſius. Et dices apud te: Qualis ego homo, qui volo vindicari? Qui ſum ego, qui in hominem exero comminationes?* ſic ille. Similia habet in enarrat. in Pſalm. 54. *Forte*, inquit, *navis tua ideo turbatur quia ille in te dormit. Sæviebat mare, turbabatur navicula, in qua diſcipuli navigabant, Chriſtus autem dormiebat. Tandem aliquando viſum eſt illis, quia inter illos dormiebat ventorum Imperator & creator. Acceſſerunt & excitaverunt Chriſtum, imperavit ventis & facta eſt tranquillitas magna. Merito ergo forte turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Chriſtus: ſi in mentem non venit tibi Chriſtus, dormit. Excita Chriſtum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Chriſtus, ſi verum illum Filium Dei abnegas eſſe, ſi oblitus fueris Paſſionis Chriſti. Tum in te vigilat Chriſtus, ſi memineris paſſionis Chriſti. Cum autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit paſſus, neq; æquo animo & tu tolerabis? Et fortaſſis gaudes, quia inventus es in aliqua ſimilitudine paſſionum Regis tui. Cum ergo iſta cogitans conſolari & gaudere cœperis, ille ſurrexit, ille ventis imperavit, ideo facta eſt tranquillitas.* Maxima eſt hæc hominis miſeria, damnabilis culpa & culpabile damnum, ſi in corde ſuo permittat hac ratione Chriſtum dormire. Quemadmodum enim ad ſomnum Chriſti mox tempeſtas orta eſt, turbatio in mari & aere, ac periculum ſalutis in navigantibus: ita ubi oblivio Dei & beneficiorum ac mandatorum ejus obrepit, ibi omnia turbantur & extrema metuenda ſunt. Primum Adami malum (uti appellat D. Thomas opuſc. 58. cap. 1. fuit oblivio præcepti ſibi dati; & quid inde non mali ortum? Hinc homo *enos* Hebr. dictus, hoc eſt, *obliviosus*; & derivatum in nos eſt malum illud. Petrus oblitus eſt verbi Domini Jesu, quod eum negaturus eſſet; & hinc ejus lapſus prodit. Hinc ergo Deus toties inculcat memoriam ſui, præceptorum ac beneficiorum ſuorum, uti Deut. 8. *Obſerva & cave, ne quando obliviſcaris Domini Dei tui: ne poſtquam comederis & ſatiatus fueris, &c. elevetur cor tuum, & non reminiſcaris Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, &c.* Hinc tam ſæpe nos flagellat, ut ſimus ejus memores; uti Abſalon Joabum 2. Reg. 14. *Nolebat*; inquit Oleaſt. in cap. 26. Iſaiæ, *loqui ad Regem pro Abſolon, neque pro eo preces fundere; qui ſervis ſuis præcepit agrum ejus incendere, ut incendio agri commotus, pro eo apud Regem intenderet. Sic Dominus ſanctos ſuos ſui memores facit; cum corpora incendit, bona ſubtrahit & mala immittit.* Ita Philiſthæis & Chananæis tradidit Hebræos, quia *obliti ſunt Dei ſui*. Judic. 3. v. 7. Rurſum *obliti ſunt Domini Dei ſui, & tradidit eos in manum Siſaræ*, ait Samuel 1. Regum 12. Idem nos experimur hoc calamitoſo tempore, quo à tot hoſtibus tamdiu undique impetimur. Itaque ſtemus ſimul & ſuſcitemus Chriſtum, per memoriam ipſius præceptorum & beneficiorum ejus, fietque tranquillitas.

V. *Dormiebat*, inquit Origenes hom 6. in diverſos novi Teſtamenti, *ut Apoſtolos faceret vigilare, & ne omnes nos unquam animo obdormiamus.* Obdormimus autem animo, quando in grave peccatum, quod abſit, incidimus; & tunc obdormit in nobis Chriſtus, ſed ſomno lethali, deſerendo nos. Metuendus eſt hic ſomnus ſuper omnia terribilia; quæ enim tempeſtas, quæ turbatio, quod periculum non oritur ex hoc ſomno: Mortem Chriſti in cruce quæ ſecuta ſint prodigia, quæ mundi turbatio callemus, Nam inprimis Sol retraxit radios ſuos, petræ ſciſſæ ſunt, terra mota eſt, monumenta aperta ſunt, velum templi ſciſſum eſt. Non ſunt diſſimilia, quæ contingunt homini, in quo Chriſtus obdormit, ſeu moritur in animo ejus. Chriſtus enim lux mundi retrahit ab eo lumen gratiæ ſuæ; nec non intelligentiæ, ut miſer neſciat ubi ſit, in quam miſero & periculoſo ſtatu; unde Adamum lapſum interrogavit: *Adam ubi*

ubi es? quasi dicat, inquit D. Gregorius 2. moral cap. 9. *quia te in luce, qua posui, non invenio, demonstra ubi te posuisti? Unusquisque enim per peccatum projicitur, ibi occultatur, & quasi perditus, ubi sit nescitur, quando justitiæ lucem, in qua eum Deus posuit, derelinquit.* Deinde petræ h. e. Angeli SS in Dei gratia solidissimi & immobiles dolent & tristantur, nullius alioquin tristitiæ capaces Ita enim Isa. 33. dicitur: *Angeli pacis amare flebunt*; quod de Angelis cœlestibus intelligit Hieronymus, quia privabuntur maximo gaudio, cum quis labitur in peccatum; quod alias haberent, si non laberetur. Ad hæc terra movetur, quando ipse peccator, qui sane terra est, tremore & remorsu concutitur ob Deum offensum ejusque iram inevitabilem sibi impendentem; qualem in membris etiam non in corde solum sensit Cain parricida. Quid hoc tremore, quid hoc conscientiæ carnifice sævius? quid intolerabilius? Mundus eis angustior est, homines ursi & leones fiunt, nox in diem vertitur, adeo nusquam se latere posse existimant. Rursum monumenta illis aperiuntur, quia infernus, quem meruêre, aperit fauces suas ad deglutiendum eos. Si enim peccantes Angeli rudentibus inferni de cœlo detracti sunt in tartarum; quomodo illi sibi non metuent in terra, ne & ipsi detrahantur, qui similiter deliquerunt? Tanti enim ponderis est peccatum, ut nisi Dei misericordia sustentaret peccatorem, continuo in abyssum sua mole devolveretur.

Denique in templo velum sacrum quasi scinditur, quia facta ipsi cœlestis hæreditatis promissio rescinditur, cassatur & laceratur, adeoque nomen ejus ex libro vitæ exterminatur. O tremendam mortem! ô lethalem somnum! Ergo siquis forsan causam suo peccato dedit, ut hoc pacto Christus in ipso obdormisceret adeoque moreretur, quamprimum extollat vocem & clamet cum Apostolis: *Domine, salva nos, perimus. Exurge Domine adjuva nos & libera nos propter nomen tuum. Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem*; ut redeunte tranquillitate te laudemus & glorificemus in sæcula.

THEMA II.

Causa tempestatis, quia Christus male habetur à quam multis.

I. *Ab iis, qui nomen Dei & Jesu in vanum assumunt.*
II. *Qui verbum Dei auditum vel lectum tractant leviculè.*
III. *Ab iis, qui nulla aut exigua reverentia sumunt eum in Eucharistia.*
IV. *Ab iis, qui pauperes & mendicos negligunt.*
V. *Ab iis, qui servos Christi indigne habent.*

Ecce motus magnus factus est in mari, Matth. 8.

Varias sancti Patres indagant causas motæ tempestatis, de qua audimus in hod. Evangelio, sed cur ad rivulos imus, si ex fonte bibere possumus? Videtur enim S. Marcus (qui quæ Matthæus præterit, adimplere solet) causam, si non principem nonnullam tamen insinuare, quando ait cap. 4. *Assumunt eum discipuli, ita ut erat in navi*; ad transfretandum scilicet, quasi dicat; sine cibo & commeatu, sine thoro, sine tapete omnique ornamento, prout in navicula prius concionabatur, ita eum abducūt, veluti alium quemvis remigem. At videtur hoc parum decuisse mundi creatorem, ideoque elementa, mare inprimis & venti contra hoc murmurasse, quod communis eorum Dominus non majore in respectu & honore haberetur. Quemadmodum enim Deus Ægyptios, quando filios Israel, servos ejus humaniter acceperunt & benevole habuerunt, beneficiis cumulavit, quando vero ipsos pessime tractare & laboribus opprimere cœperunt, tum & ipse variis plagis eos flagellavit: ita etiam licebit alicui cogitare, favisse elementa Christi discipulis, quando honore debito ipsi servierunt; nunc vero rebellasse & tempestatem excitasse, quando ad ejus reverentiam minus attenderunt. Verum quidquid de hoc sit (quod non frustra Marcum arbitror scripsisse) certo mihi persuadeo, multos exagitari variis tempestatibus, quod sine reverentia & debito honore Christum assumant, accipiant & tractent. Hos igitur nunc videamus.

Christus sine cura & apparatu assumptus in navi.

Sic parum reverēter assumitur à multis.

I. Male & irreverenter habetur ab iis, qui assumunt nomen Dei, & præsertim nomen Jesu in vanum, & pronuntiant absque ulla reverentia. De hoc habemus secundum Decalogi præceptum Exod. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Repræsentat enim nomen Dei ipsum Deum non secus ac imago Christi refert Christum. Unde in SS. litteris nomen sumitur pro re ipsa & vocari est idem quod esse; ut cum dicitur, Ezech. 48. *Nomen civitatis, Dominus ibidem*, hoc est, Dominus est ibidem. Et cum Isaia nono dicitur Christus vocandus *consiliarius admirabilis, &c.* Et Matthæi 1. *Emmanuel, &c.* Notum est quanto in honore esset Dei nomen tetragrammaton apud Hebræos, in tanto nimirum ut diceretur ineffabile, quod non nisi sacerdotibus sive Pontificibus, cum sacrificarent & in sancta sanctorum introirent, enunciare liceret, velut nomen Dei primarium, proprium & essentiale: Laici vero dum ab illis pronunciaretur, prostrati in terram maxima cum reverentia audirent, ideoque quoties id nomen in scriptura occurreret, ejus loco legerent *Adonai* vel *Elohim*, uti etiam Christus & Apostoli, qui cum citant scripturam Hebræam, in qua habetur illud nomen, pro eo substituunt nomen *Dominus*. Adhæc Judæi moderni cum jurare coguntur per nomen Dei, non aliter jurant, quam pronunciando quatuor ejus literas: Juro per Jod, he, vau & Jod. Rursum siquis in suo nomine haberet tres aut quatuor literas ex illo Dei nomine, reverentiæ gratia non eum proprio, sed alio vocabant, ut si *Iudæ* nomen haberet, *Leonem* vocarent, propter id Genes. 49. *Catulus leonis Iuda.* Qua de causa Iudam

I. Ab iis, qui nomen Dei & Iesu in vanum assumunt.

Thaddæum dictum volunt *Lebbæum* seu *leonium*, à *Labi*, quod est *Leo*, docti aliqui. Denique id nomen tam venerabile erat Hebræis, ut summus Pontifex id in fronte, inscriptum aureæ laminæ gestaret, ab omnibus adorandum; quod & Alexandrum M. in Jaddo Pontifice adorasse, cum Jerosolymam ingressus est, scribit Josephus lib. 11. Antiq. cap. ult. Ex quibus omnibus discimus male agere & peccare eos, qui identidem & quavis in re levicula Dei nomen effutiunt, & in testem vocant, omnia confirmando & jurando per Deum; cum vel ipse Aristoteles 1. Metaph. cap. 3. dicat juramentum esse summo honore dignũ; nec parva Deo injuria fit, passim & sine urgente causa ipsum vocare in testem; cum hoc Princeps nullus facile toleraret. Multo vero gravior majorque irreverentia est assumere nomen Dei in testimonium rei falsæ, quod est pejerare, uti patet; id enim aliud non est, quam ipsum facere velle mendacii auctorem; & protectorem quæ tanta est Dei injuria, ut propter unius perjurium punita sit interdum tota respublica. Sane ob perjurium Saulis, quo contra fidem datam à Josue, occidit Gabaonitas, fame triennali afflictus est omnis Israeliticus populus; nec cessavit calamitas, donec posteri Saulis eis traditi ab eisque crucifixi sunt, 2. Reg. 21. Ob perjurium, seu violatum juramentum, Dei nomine interposito factum, Sedeciæ Regis & ipse captus atque exoculatus, & filii coram eo occisi, & Judæa eversa, & incolæ in captivitatem ducti sunt. 4. Reg. 24. & 25. & Ezech. 17. Quanta tempestas orta est, ob unicam nominis Dei irreverentiam! Gravissima & omnium maxima divini nominis irreverentia est blasphemia; adeo ut sacræ literæ vel ipsum blasphemiæ nomen horreant, & pro eo benedictionem reponant, cum ejus mentio fit, uti Job capite 1. vers. 5. & 11. & 3. Reg. 21. vers. 10 *Benedixit Deum* (Naboth) *& Regem: & educite eum & lapidate.* In quem locum sanctus Ambrosius libr. de Naboth capite 11. scribit: *Ne divinem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Scimus ob blasphemiam Sennacherib Regis, totum ejus exercitum fuisse una nocte ab Angelo interfectum 4. Reg. 19. Impegit etiam in hanc Dei irreverentiam graviter juvenili temeritate Alphonsus X. Asturiæ Rex & designatus Cæsar, qui ore blasphemo palam dicebat: si à principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla melius ordinatiusque condita fuisse. O vana, ô funesta, ô superba atque inutilia verba! sed non caruerunt divina ultione. Ea enim nocte misit Deus tam horribiles & insolitas tempestates & spiritus procellarum, tot denique tonitrua, tot fulgura, tot coruscationes & fulmina, ut cælum cadere putaretur, sed & in cubiculo Regis sagitta fulminea visa est, vestes Regis atque Reginæ comburens. Rex vero attonitus cubicularios custodesque monet; ut illico Eremitam (qui illum hac de re admonuerat) adducant. Quem ut Rex vidit, procidens ad pedes ejus: *Ego*, inquit, *sum, qui peccavi.* Eremita vero ad eum ait: O utinam Rex memor fuisses verborum Regis sapientissimi Salomonis: *Vanitatem & verba mendacii aliena fac à me.* His igitur verbis Rex ipse, simul & metu instantis mortis cum magno animi mœrore eidem Eremitæ confessus est; & publice verba nefanda retractavit. Cum itaque lachrymis plurimis pectus contereret, incipiebat cessare tempestas. Quin imò quanto arctius dolebat, tanto tranquillior serenitas cernebatur. Itaque meruit humilitate consequi, quod superba sui præsumptione demeruerat. Roder. Sanct. 4. p. Hisp. c. 5. ex Annal. Hisp.

II. Ab iis, qui verbum Dei sive auditum in concione, sive lectum in SS. litteris sine reverentia accipiunt, leviculè tractant, ad jocos transferunt, & ad profanos usus applicant. Vidimus alibi ex libr. 50. homil. S. Augustini. Verbum Dei nihilominus honorandum æstimandumque atque ipsum Christi corpus, ideoque olim in templis Sacram Scripturam è regione Venerab. Eucharistiæ in simili secretario cum eo, quod Venerabile continebat, asservari solebat, ut testatur S. Paulinus epist. 12. ad Severum. Quantam ergo irreverentiam Christo inferret, qui sacrum ejus corpus in terram cadere permitteret; tantam inferret, qui ejus verbum lectum vel prædicatum vilipenderet ac negligeret. Gravius adhuc longe, qui per contemptum in terram abjiceret; quod profecto fit, quando spernitur, ridetur & ad jocos adhibetur. Scimus ex Daniele cap. 5. Regem Balthasar & regno & vita exutum, civitatemque ejus potentissimam, Babylonem, à Cyro occupatam & gladio vastatam in pœnam ejus irreverentiæ, quam exhibuit sacris vasis, è templo Jerosolymitano sublatis, quando jam temulentus jussit ea in convivium adferri, bibitque ex iis cum Optimatibus, uxoribus & concubinis suis; adeoque *dicata Deo vasa*, inquit ibi Theodoretus, *quæ Nabuchodonosor* (pater ejus) *in honore habuerat, & ab humanis usibus separaverat, ea Balsasar* (sic legendus, non Baltasar; ut patet ex Chaldæo & latinis Plantin) *ut communia & profana impurè tractare ausus est.* At quis neget æque magnæ imò majoris dignitatis esse S. Scripturam & Dei verbum, quam sint vasa sacra? Quid mirum ergo, si ob illius profanationem sæviat ira Dei & tempestas oriatur, non solum ad puniendum contemptorem, sed & alios, qui cum audiunt, non corrigunt? Certe quando Joagim Rex sermones Isaiæ sibi prælectos scalpello concidit & in ignem conjecit, *non timuerunt neque sciderunt vestimenta sua omnes servi ejus* (ut exprobrat eit Jeremias) *qui audierũt universos sermones istos.* Jer. 3. Quare minatus est eis Deus, adventum Regis Babylonis & excidium: *Visitabo contra eum & contra semen ejus & contra servos ejus iniquitates suas, & adducam super eos & super habitatores Ierusalem & super viros Iuda omne malum, quod locutus sum, &c.*

III. Ab iis, qui nulla aut exigua nimis reverentia Christum in Eucharistia sumunt. In sacra communione Christum excipimus in cor nostrum, uti Petrus eũ excepit in cymbam suam. Jam vero sicut Petrus nullo prorsus apparatu, nullis tapetibus, nullis sedilibus, nullo lecto in quo requiesceret, (quia pauper scilicet nihil horum habuit) sed ita ut erat in navi, situm cõtio-

cionantis assumpsit & avexit secum in mare: ita non pauci nulla fere præparatione, nulla reverentia & devotione eum sumunt in communione, & mox è templo egressi secum auferunt in domum, redeuntque ad pristina negotia sæcularia, confabulationes, nugas. At hi certe imprimis non advertunt Christum ad conficiendam & instituendam Eucharistiam elegisse *cœnaculum grande, stratum*, ut scribit Marcus cap. 14. stratum, hoc est, instructum mensis, thoris, tapetibus, frondibus adornatum; ut huic plusquam regali convivio loci dignitas non deesset. *Si enim*, ait Philo Hebræus libr. de Cherubim, *quoties Reges excipiendi sunt, magnificentius excolimus ædes proprias, nihil negligendo, quod ad ornatum pertineat, sed omnia benigne ac liberaliter adhibemus, ut hospitium quam jucundissimum respondeat dignitati hospitis: Regi Regum & hujus mundi rectori, comitatis atque humanitatis causa dignato suam creaturam invisere; & à summo cœlo ad terram, ut generi humano beneficia sua conferret, digresso, qualem tandem domum oportet instrui? Absit enim ut lapideam ligneamve, quod vel dictu nefas est. Nam etiamsi tota terra aurum, aut siquid auro preciosius, repente fieret: ne sandalium quidem ejus pedibus posset fieri.* Nimis igitur crassi & prorsus inurbani sunt, qui Regem cœli & terræ sine reverentia suscipiunt. Qui certe meminisse deberent, quid acciderit Ozæ qui quod nulla necessitate, & sine reverentia (uti sentit sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap. 10. & Abulensis) Arcam fœderis tetigisset, subita morte plexus, Davidem & omnem populum in terrorem conjecit, 2. Regum 6. At quis nescit Arcam illam meram Eucharistiæ umbram fuisse? Quanto igitur gravius & culpabilius erit, ipsum Dei Filium sine veneratione, non dico solum tangere, sed & manducare & cordi suo includere? Et sane sicut unius Ozæ temeritas omnes terruit: ita unicus Judas indigne & irreverenter assidens sacræ mensæ ipsum Christum & omnes ejus discipulos perturbavit. Persarum Regi qui exertis extra manicas manibus occurrisset, vel Regis sella sedisset, vel ejus vestem donatam, laceram licet & detritam, induisset, mortis sententiam incurrebat, ut referunt Xenophon lib. 2. Cyrop. Diodorus lib. 7. Curtius lib. 8. Quid non merebitur, qui Regem cœlorum sine reverentia ori suo ingerit? Legimus Matth. 9. Hæmorrhoissam quidem Christum tetigisse in sola vestis fimbria, & sanitatem recepisse; turbam vero incompositam eodem tempore Christum comprehendisse, interim nihil prorsus gratiæ retulisse. Eccur vero? utique quia illa cum maxima veneratione, hæc vero cum impudentia & irreverentia Salvatorem tetigit. Jure igitur in tales insurgere elementa possent, quod absque debito cultu Creatorem sibi communem assumant in naviculam cordis sui & cum eo mox se proripiant, veluti si lupus oviculam asportaret. Et certe vindicem ac carnificem hujus sceleris fuisse mare, & quidem clade publica propter unius hominis delictum refert Nauclerus volum. 2. gener. 4. an. 1220. *Friso quidam pugil in provincia Frisiæ extitit, qui quoties de taberna ebrius rediit, toties uxorem verberibus & plagis satis tribulavit. Tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari corpus Domini sibi dari postulavit. Venienti sacerdoti pugil cum scypho cerevisiæ ebrius occurrens bibere monuit: & cum ille responderet: Corpus Domini porto, non modo bibam; iratus Friso cum scypho pixidem percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita ut per pavimentum dispergerentur. Matronæ vero, quæ consolationis gratia convenerant, super singulas hostias tanquam stellas radiantes viderunt: quas sacerdos gemens ac dolens in pixidem recollegit & abiit. Friso vero à Decano provinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curavit. Qui tandem ad hoc compulsus est, ut cruce pro tanto sacrilegio signatus cum jam dicto sacerdote etiam cruce signato veniret Romam. Cui Dominus Honorius Papa culpam confitenti pro pœnitentia injunxit, ut mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo serviret. Quid plura? Mare transierunt ambo, & ante Damiatam mortui sunt ambo. quibus defunctis, cum anno eodem Dominus provinciam terribiliter plagasset, & causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam valde religiosæ, Domino in orationibus, jejuniis, vigiliis & eleemosynis servienti, matertera videlicet Winiboldi Abbatis S. Bernardi, B. Dei genitrix Maria lachrymis ejus mota, populique miserta, apparens sic ait: Propter injuriam Filii mei in Sacramentum corporis ejus factam submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna pœnitentia non fuerit subsecuta.* Extant usque hodie turres oppidorum & pagorum depressorum è mari prominentes, in monumentum & ultionem tam diri sceleris.

IV. Ab iis, qui pauperes & mendicos negligunt.

IV. Ab iis, qui pauperes & mendicos negligunt & postremo loco habent, parum etiam aut nihil juvant, vel certe pessima quæque eis adjiciunt. Plusquam satis novimus Christo fieri, quod pauperibus amore ejus fit, adeoque ipsum in eis latere. Qui ergo pauperes male habet, certò sciat se nihilo melius Christum habere. Quin etiam videtur Christus non obscure desiderare, ut potius pauperibus exhibeantur officia pietatis, quam sibi ipsi; quod ex eo colligit S. Bern. serm. 12. in Cant. quia sanctarum illarum mulierum, quæ cum unguentis ad sepulchrum iverant, adventum anteverterit, ut unguentum illud in suo corpori impenderent, sed egenis Ecclesiæ membris servarent. Quod etiam SS. Patres observarunt, quando ad juvandos pauperes & redimendos captivos vasa etiam sacra vendenda & conflanda censuerunt, uti S. Exuperius Tolosæ Episcopus de quo S. Hieron. epist. ad Rusticum Monach. ait: *Omnem substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguine portat in vitro.* Vult dicere eum aurum & argentum Christi corpori subtraxisse, ut elargiretur in pauperes. Hinc igitur colligite, quanta reverentia, humanitate & benevolentia pauperes excipiendi sint; quamque Christus doleat, si despiciantur & negligantur. Sane Sap. Prov. c. 17. ait *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* Causam subdit auctor Catenæ Græcæ: *Quia deridet sapientem Dei gubernationem, quæ fecit hunc pauperem & affli-*

ctum, ut tu illi condoleres, in illumque misericordiam exerceres. Quis ergo ita immanis omnisq; humanitatis ita oblitus fuerit, ut eum ludibrio habeat, cui compati omni jure debebat? Sic ille. Hic non raro Deus graviter punivit delusores pauperum. Hedio nobilis fœmina, quia egenis esurientibus dicere solebat, ut fimum & sterquilinium comederent, ita punita est, ut famem exsaturare non posset, nisi fimo & terra; sicq; insaniens occumberet an. 1541. authore Fincelio. Margaritam Hollandiæ comitissam, quæ pauperculam duas in ulnis proles gestantem probro excepit, quasi duobus viris consi. esset, ad imprecationem fœminæ tot edidisse proles, quot in anno dies sunt, notum satis est & alibi relatum. Carolum M. quoque, qui ad honorem 12. Apostolorum 12. alebat pauperes, minus tamen honesto victu & vestitu, redargutum ab Aigolando, Saracenorum Principe, errorem que emendasse, alibi etiam retulimus ex Turpino. Neque semper hæc pœna stetit in solis delinquentibus; sed ut supra indicavimus, triennali fame percussit Deus populum Hebræorum, propter injuriam, quam irrogavit Saul pauperibus Gabaonitis. 2. Reg. 21 Et quot plagis percussit Ægyptum ob pauperes Hebræos à Pharaone oppressos & indigne habitos?

V. *Ab iis, qui servos Christi indigne habent.*

V. Ab iis, qui servos Christi & vicarios ejus, Prælatos & Superiores, in quibus etiam ipse latet, indignè tractant. Scimus ejus verbum: *Qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10 & Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos.* Non ait: nolite calumniari, deridere, percutere, spoliare, occidere; *sed nolite tangere*; adeo vult ipsos haberi in honore. Ostendit id inprimis in B. Maria Oigniacensi, quæ dum ipsius manum familiaris quidam amicus ejus, spirituali affectu, etsi non absque motu aliquo carnis primo & inculpato, arctius stringeret, vocem ab excelso audivit: *Noli me tangere:* Quam cũ amico aperuisset, cautiorem eum reddidit: ut in ejus vita Jacobus Cardinal. à Vitriaco apud Sur. 23. Jun. Quod si sponsam suam Christus tangi non voluit, quomodo sustinebit alios servos & sponsas suas sperni & vilipendi? In S. Avitum Abbatem quidam civis lusit, quando in ejus festivitate, ad vineam operaturus perrexit, & à quibusdam de hoc increpatus dixit: *Et hic quem colitis, operarius fuit.* Verum ubi ingressus vineam primo ictu terram aperuit, mox retorta cervice, facies ei in tergum conversa est. refert S. Gregorius Turonensis de Gloria Confess. cap. 99. In S. Anselmi infirmi valetudinem alius scomma conjecit; & mox una cum equo, cui insidebat, per devexum montem longo rotatu præcipitatur; ut in ejus vita apud Sur. 21. April. S. Bernardino Senensi equitanti cum Sigismundo Imper. ab Aquila civitate Romam versus, quidam murarius tector è tecto obgannit per jocum: *Quonam iter habet noster Pontifex?* statimq; magno excitato vento decidit è tecto in terram, non mediocriter læso & quassato corpore, à Sancto tamen cruce signatus, iterum convaluit. In vita 29 Maji apud Sur. Miles, Arnoldus nomine, S. Engelberti sanctitati detrahens, ad insaniam redactus & furibundus obiit; in vita 7. Novemb. Incolæ Strodi, pagi Anglicani, dum apud ipsos, divina celebraret S. Thomas Cantuariens. Episcopus, in ludibrium equo ejus caudam abscidenrunt: inde eorum posteri omnes, divina ultione, cum cauda equina nascuntur usque in hodiernum, ut refert Guilielmus Paradinus in descript. Angliæ cap. 4. Mulus S. Thomæ Aquinatis, dum post ejus obitum à fabro calceatur & faber interim scomma in sanctum jacit, dicens: quid is miraculi fecisset, quod sanctus appelletur? illico in os fabri calces impingit, docens eum aliter venerari Sanctos. Refert Pet. Sankez libr. de regno Dei. Omitto alia his similia quamplurima. Parem Deus rationem habet Prælatorum & Superiorum nostrorum, qui & ipsi Deum repræsentant, uti Legati Principem aut Regem suum. Hinc virga Moysis dicitur etiam virga Dei. Exod. 17. *Cras stabo in vertice collis, habens virgã Dei in manu mea.* Gladius Gedeonis Hebræorum Ducis, dicitur *gladius Dei* Judic. 3. Debito igitur in honore & ipsi ab omnibus habendi sunt, nisi Dei iram in se concitare velint; uti senserunt Hebræi sub Sedecia Rege. *Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, &c At illi subsannabant nuntios Dei, & parvipendebant sermones eorum, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio: Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis & virginis & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eorum:* ut abducerentur scilicet in captivitatem Babylonicam. 2. Paral. ult. Neque hoc tam grave supplicium mirum esse debet. Si enim David tam severè ultus est injuriam, quam in suis Legatis acceperat ab Hanon Rege Ammonitarum, (decurtatis namque vestibus & semirasa barba eos remiserat) ut collecto exercitu eum invaserit, & de ejus exercitu 40000. equitum & rursum 5800. aliorum ceciderit, 2. Reg. 10. quid mirum si etiam Deus puniat Legatorum suorum injurias publicis aliquando cladibus & flagello universali?

Quare attendat unusquisque quomodo & quo honore assumat Christum Dominum sive in cymbam cordis, sive in cymbam oris sui; ita videlicet & tam reverenter, uti tantum Dominum & Regem cœlorum decet; ne & ipse alioquin tempestatem in se concitet, & non solum venti & mare, sed omnes creaturæ in eum insurgant, veluti in communis creatoris contemptorem.

THEMA

THEMA III.

Cur Ecclesiam suam Deus tot tempestatibus fatiget.

I. Fatigat propter fictos & falsos Christianos.
II. Propter falsos fratres & malos Christianos.
III. Propter alios fideles ut ad preces & bona opera confugiant.
IV. Propter nos nimium securos.

Ecce motus magnus factus est in mari. *Matth.* 8.

QUærunt SS. Patres & DD. undenam orta sit hæc tempestas contra navim Christi? Et respondent plerique omnes, à Christo ipso excitatam. Ita Gloss. ordinar. hîc: ita Origenes (vel quis alius) homilia 6. in diversos: ita Venerab. Beda: Dionysius Carth. & Abulensis, qui ait communiter sic existimari. Sed hinc exurgit alia quæstio: quamobrem Christus contra suam & discipulorum suorum naviculam talem excitarit tempestatem? Et quia hæc navicula Ecclesiam Christi designat, quam & experimur tot tempestatibus, pressuris & calamitatibus fatigari, fluctuque uno super alterum agitari, quæ tandem hujus rei causa esse potest? Num & illas Christus excitat? Certe permittit. Sed cur non potius in Turciam & barbarorum vel hæreticorum terram illas derivat? Id enim oravit aliquando & David Psalm. 78. *Usquequo Domine irasceris* (nobis) *in finem? Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Sed quis Consiliarius Dei fuit? Quia igitur Deus omnia sapientissime & justissime facit, indagemus causas harum tempestatum. Quæ causæ esse potuerunt Christi excitandi hanc tempestatem, eadem mihi videntur procellarum Ecclesiæ. Excitavit igitur eam.

I. Propter alias naves, quæ ut Marcus scribit comitabantur navim Christi. Qui in illis navigabant, nondum credebant Christum esse Dei Filium; quod inde colligitur, quia Matthæus ait homines miratos esse dicentes: *Quis est hic?* Apostoli autem nunquam in Evangelio appellantur *homines*, sed honorificentius; deinde ipsi mirati non essent Christi potentiam, nec dixissent: *Quis est hic?* quia noverant eum Dei Filium, ejusque potentiam. Fuerunt ergo homines in alijs navibus Christum comitantibus, qui mirati sunt & dubitarunt, ut recte sensit Jansenius. Credo igitur Christum propter hos imprimis excitasse tempestatem, quia nondum credebant, ut ad fidem erigerentur. Nec dubito quin etiam Ecclesiam exagitet, quia aliqui adhuc non tam in ejus navi sunt, quam eam comitantur in alijs navibus. Sunt autem ij, qui inter Catholicos degunt, & Catholicos se fatentur ac fingunt, revera tamen adhuc non credunt, sed hæresin in pectore fovent. Propter istos arbitror inprimis excitari tot tempestates. Sic enim testatur Eliu apud Job cap 36. *Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint; morietur in tempestate anima eorum.* Provocant iram Dei, quia non provocant misericordiam cum se reos fateri & subjicere, adeoq; clamare ad Deum suppliciter pro venia nolunt: dum in peccatis vincti sunt: quare Deus quia tales tolerare nequit, excitare propter eos tempestatem debet, ut vel ad cor redeant, vel pereant. Quid igitur mirum, si Deus nauseam propter istos patiatur, adeoq; evertat Ecclesiæ stomachum, & magna licet difficultate exoneret evomatq; per procellas famis, belli, pestis? Exemplo id confirmemus. In vita S. Porphyrij Episcopi Gazæ scribit ejus minister ac familiaris Marcus, oculatus & fidissimus scriptor, se cum Porphyrio navigasse Constantinopoli Gazam cumq; Rhodum transiissent, *repente exorta est tempestas, ventiq; & fulgura & tonitrua: in altum tollebantur fluctus instar montium, & tollebatur navis, ut nos existimaremus eam nubes tangere. Erant autem clamores & lachrymæ & oratio ad Deum: implorabamus quoq; preces S. Procopii Anachoretæ &c. Dum ergo S. Porphyrius ex multa afflictione parum dormitaret, videt in somno S. Procopium eis dicentem: Naucle rum catechismo instruite & obsignate (est enim ex execranda hæresi Arrii) & efficite ut ipse anathemate notet Arrium & malam ejus fidem, & statim cessabit tanta tempestas. Propterea enim quod sit ipse ex dicta hæresi, non concessit vobis, ut ad me veniretis. Vocatus ergo nauclerus miratus, cum nemini constare potuerit ipsum esse Arrianum, suamq; perfidiam in corde texerit: statim se à Deo deprehensum & propter se ortam tempestatem videns, manus dedit, hæresim abnegavit: interim cessarunt fluctus, & vespere rediit tranquillitas.* Ita in vita Sancti Porphirij Marcus Diaconus, ejus minister, apud Surium 26. Febr. Gisulphum Longobard. Regem quia Arrianis etiam in regno suo, studio pacis, Ecclesias concessit, Cajanus Avarum Rex, nulla lacessitus injuria cum exercitu delevit, uxorem Romildam palo affixit; viros & adolescentes interfecit; mulieres & puellas vendidit, civitates & oppida, inter quæ Forum julium celeberrimum, evertit. Paul. Diac. libro 4. cap. 12. de Longobard. Et quis nescit Germaniam usq; hodie tempestatibus vexari, ex quo hæresin admisit? Hinc cruciatur Rebecca (Ecclesia) quia Jacob & Esau colliduntur in ejus utero: nec cruciari desinet, donec Esau ejiciatur.

II. Propter Judam, qui in navi Christi erat. Ita enim sentit Sanctus Ambrosius Lucæ quinto. *Etsi multa illic:* inquit, *discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat.* Cum eodem consentit Beda. Licet vero Judas tunc nondum animum prodendi Christum haberet, ut plerique volunt, fur tamen & depeculator marsupii Christi erat, Joann. 12. Quare sicut ipse unicus proditor in ultima cœna turbavit sua præsentia totam mensam: ita modo velut unicus fur hujus tempestatis causa fuit. Nec mirum: nonne enim aqua tepida stomacho nauseam creat & ad vomitum provocat, non sine difficultate ac dolore? Christiani etiam Catholici mali, aqua

II. Propter falsos fratres & malos Christianos.

tepida stomacho nauseam creat & ad vomitum provocat, non sine difficultate ac dolore? Christiani etiam Catholici mali, aqua tepida sunt, de qua Christus per Joannem Apocalypsis tertio Episcopo Laodiciæ scribit: *Utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Sic enim Sanctus Ambrosius homilia 2. in psalmo 118. per frigidos intelligit, qui peccant per ignorantiam: per tepidos Christianos peccatores. Patet sane in Jona, quem alioqui Dei servum & Prophetam, ab eo tamen profugum & inobedientem, navis non sustinuit: sed ne piscis quidem qui eum post triduum, velut indigestibilem, iterum *evomuit*; ut scriptura loquitur: quasi ex nausea ejecisset eum. Simile exemplum refertur in Prato spirituali capite septuagesimo sexto de fœmina parricida, quæ cum duos filios peremisset, navis, quâ vehebatur, dies quindecim immota stetit, cæteris socijs navibus vento secundo progressis. Gubernator ergo navis ad opem Dei recurrens responsum audiit divinum, ejiciendam mulierem, cui Mariæ nomen. Accitam igitur rogat, ut aperiat causam, ob quam cæteri omnes paterentur: illa se duos filios peremisse, ut sibi ad secundas nuptias viam aperiret, ac nec sic invenisse respondet. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere jussit. Mirum, scapha mox quinquies in gyrum agitata in imum cum muliere demersa est. Navis autem post hoc tanta velocitate iter peregit, ut triduo abiverit, quo quindecim diebus debuisset. Jam si propter unum Jonam refractarium, propter unam impudicam & parricidam mulierem omnes cum eis navigantes plexi sunt, & à creaturis oppugnati: quid miramur si navis Ecclesiæ fluctibus variis agitetur, in qua tot mali vehuntur? Scimus totum Israeliticum populum punitum, ut non posset stare contra hostes, propter unum Achan, furem. Jos. 7. Num unicum tantum Achan in Ecclesia esse putamus?

III. Propter alios fideles, ut ad preces & bona opera confugiat.

III. Propter discipulos, ut timore compulsi ad Christum accurrerent & orarent: erepti è periculo magis grati essent, & in fide roborarentur. Ita Origenes homilia citata Glossa ordinaria, & Theophylactus. Vulgò dicimus: *Qui nescit orare, eat ad mare.* Quod expertus inprimis Jonas, qui prius fugerat à facie Domini, post ejectus in mare & videns rictum immanis beluæ sibi obviantem ad se glutiendum, confugit ad Dominum & oravit: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*; pergitque ferventissime orare in ventre ceti; cum paulo ante in navi dormivisset. Joannis secundo. Clamavit nimirum territus aspectu & rictu tam immanis beluæ, ut notat sanctus Hieronymus. Sic nimirum & nos nisi calamitate perterrefacti non currimus per preces, piaque opera ad Deum. In vita sancti Amandi Episcopi Trajectens. scribit Milo Monachus Cœnobij sancti Amandi, apud Surium sexto Februar. navigasse eum aliquando, & verbo Dei nautas (qui ordinariè perversi & non nisi coacti orant) informasse; inter hæc subito apparuisse magnum piscem, quem nautæ misso in mare reti ceperunt. Cumque eum coxissent & epularentur, mutuisque plausibus exultarent, subito inopinata orta est tempestas, quæ omne eorum gaudium in luctum convertit. Cœperunt ergo omnia, quæ in navi habebant, tam quæ ad cibum pertinebant, quam reliqua subsidia universa, vel etiam ornamenta in pelagus projicere, & labori insistere, ut ad terram appellerent. Sed frustra erat; itaque demum ad Sanctum Amandum confugere coacti, salutem invenerunt. Ita nimirum & nos mortales agimus, cum secunda fortuna nobis arridet, cum piscem alicujus lucri, honoris, voluptatis sese nobis offerentem cernimus, tum verbum Dei & curam salutis deponimus, moxque epulari & immergere nos in præsentia bona incipimus, Deique obliviscimur. Quid igitur agit Deus? tempestatem nobis inopinatam immittit, hostium incursum, qui omnia nostra diripiant: vel diuturnum morbum, quo substantiam nostram absumamus, pestem, famem, &c. ut vel sic à præsentibus bonis animam abducamus, navim conscientiæ à peccatis exoneremus, & ad precandum Deum, salutemq; animæ quærendam excitemur.

IV. Propter nos nimium securos. Cum enim somno non egeret Dominus, præsertim tali loco & tempore, videtur propter nos dormisse, ut intelligeremus socordiam & temeritatem nostram, qui in fluctuanti hujus mundi mari componimus nos ad quietem, voluptatem, delicias, & quod plus est, in peccatis altùm obdormimus, quasi hîc esset locus stabilis, securus, quietus, cum nequaquam sit. Videtur ergo dicere nobis: Vos estis qui in hoc fluctuanti mundi mari componitis vos ad somnum & quietem, nihil soliciti de naufragio salutis vestræ, ducitis in bonis dies vestros, & in puncto ad inferna descenditis. Itaque debeo excitare vos immittendo tempestatem famis, belli, pestis, morbi, hostium, &c. Similes sumus gliribus montanis in Vallesia, qui totam ferè sub nive dormiunt hiemem, itaque dormientes è nidis & cubilibus suis, quæ in autumno infixis perticis prius notantur, à rusticis extrahuntur, & ad forum portati venduntur, inscii quid secum agatur. Ast ubi in calidum locum delati evigilant, sese in manibus hominum inveniunt, & jam cultrum vident jugulo appositum, sicque miseri sero nimis agnoscũt, quanto illis constiterit dormivisse. Refert noster Georgius Steng. in Labyr. fraud. cap. 17. numer. 28. Tales sunt quamplurimi homines qui in voluptatibus suis obdormiscunt, suæ salutis obliti; interim capiuntur & illaqueantur vitiis; sicque improvisa sæpe obruuntur morte, & prius se in inferno positos vident, quam se captos intelligant. Sic Lucas de Epulone ait, quod elevârit oculos suos cum esset in tormentis capite 15. qui vivens in deliciis suis ita altùm obdormierat, ut ad Lazarum clamantem & præ foribus jacentem nunquam eos elevârit. Quando ergo in prosperis & pace hujus mundi sic obdormiunt homines, ut salutem suam negligant, quid mirum si excitentur variis tempestatibus à Christo, qui neminem vult perire, quantum stat per ipsum.

Quoniam igitur tanto, ut vidimus, jure excitata est à Christo hæc tempestas, & excitatur adhuc crebro

bro in Ecclesiæ navi, mirari desinamus. Credamus potius in Deum, qui propter incredulos nos punit: fugiamus peccata, quando propter ea nos punit: fugiamus per orationem & pia opera ad eum, quia ad hoc nos punit; timeamus & amemus eum, qui a somno nos excitat: laudemus deniq; eum, qui ad extremum tranquillitatem facit.

THEMA IV.

Tria asyla seu refugia afflictorum.

Tria refugia Christi, navis, desertum, mons.

I. Navis, h.e. conformitas cum Dei voluntate.
II. Desertum, h.e. conscientia bona.
III. Mons, h.e. Spes.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt discipuli. *Matth.* 8.

NAvigantem hodie cernimus Salvatorem nostrum. Sed quæ causa fuit hujus navigationis? Eam nobis exponit S. Matthæus c. 8. dicens: *Videns autem Iesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Postea interjectis quibusdam, quæ interea Christus dicebat & agebat, subjicit ipsius inscensionem in naviculam. Turbæ igitur confluentes & Christũ obruentes causa fuerunt, quæ in navim coegit Dominũ. Fuit proinde navis asylum Christo Domino contra importunam turbam non tamen sola.

Tria enim collegit S Remigius Antisiodorensis in Matthæum (ut refert D. Thomas 3. part. quæst. 40. 1. artic.) ipsius refugia: navim, montem, & desertum ad quorum aliquod, quotiescunque à turbis comprimebatur, se recipiebat; ad navim in hodierno Evangelio. in montem fugit Joann. cap. 6. quando eum rapere & Regem facere populus cogitabat: in desertum secessit ad orandum, Luc. 5. quando ad eum convenerunt *turbæ multæ, ut audirent & curarentur ab infirmitatibus suis.* Neque vero existimandum, tria hæc refugia nullo sive mysterio sive nostro documento à Christo; qui nec passum unum frustra fecit, fuisse delecta.

Quid igitur hæc asyla Christi, nisi tria præsentissima & securissima afflictorum & miserorum, justorũ tamen, refugia demonstrant? Quid navis seu mare, nisi recursus ad divinam voluntatem, qui se illi committunt & permittunt, sicut navi & mari navigantes? Quid desertum seu solitudo, nisi bona & secura conscientia, in recessu cordis latens? Quid mons, nisi elevatio mentis in cœlum & spes partim opis & providentiæ divinæ; partim futuræ gloriæ, justis pro modico tribulationis eorum in cælo præparatæ? Hæc ergo tria asyla in solatium piorum, qui hic affliguntur, nunc inspiciamus.

I. Est navis, h.e. recursus ad divinam voluntatem & conformitas cum illa. Ut enim navis & qui in ea vehuntur, vento & mari se committunt, & dicũt quodammodo cum Job c. 7. *Memento Domine, quia ventus est vita* nostra; ita etiam qui in Dei voluntatẽ totos se projiciunt, eiq; se per omnia regendos, gyrandos & susq; deq; vertendos tradunt, tanquam fidissimo & peritissimo gubernatori. Quod inprimis fecit S. Chrysostomus, qui ab Augusta in exilium pulsus sic locutus est hom. 11. ex variis tom. 5. *Christus mecum est, quem timebo? etiam si fluctus insurgant, etiam si totum pelagus adversus me conturbetur, etiam si Principum furor: omnia mihi illa araneæ erunt, & araneis fragiliora, & nisi propter fragilitatem vestram hodie non dubitarem ire, quo vellent: semper enim dico: Domine voluntas tua fiat, non quod ille vult, vel ille, sed quod tu vis; tua voluntas mihi turris fortissima & petra stabilis & baculus fidus, si tu vis permanere mecum, hic habeo gratiam: si non vis, similem refero gratiam.* Qui in terra infestantur ab hostibus vel bestiis, in mare se recipiunt: uti fecerunt accolæ maris Adriatici, qui Attilâ Italiam vastante, confugerunt ad piscatorum casas in eo mari tunc sitas; (unde ortas volunt Venetias vel adauctas saltem; uti Blondus lib. 3. histor. & alii) ibique asylum repererunt. Qui in afflictione sunt, melius refugium non facile invenient, quam si Dei voluntati & gubernationi se committant; sic enim facilius eum flectent ad misericordiam & mitigandam afflictionem, quam si per impatientiam et resistant & subtrahere se velint. Intellexit hoc David, quando optione data, ad unam è tribus plagis eligendam, famem septem annorum aut trium mensium hostilitatem, aut trium dierum pestem, hanc ultimam elegit causam asserens: *Melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum.* 2. Regum vigesimo quarto. Ad hostium incursum jam prævisum, similiter ad famem evitandam providere sibi poterat. Sed maluit se Deo committere, ut patri. Citius enim Deus lachrymis & pœnitentia movetur ad misericordiam, quam homines; & remisisse Deum aliquid de constituta pestis vindicta non obscure indicat scriptura, dum refert edoctum à Propheta Gad Davidem, qui plagam illam sopire posset. Quid quod etiam Principes, cum rei alicujus delicto se ipsorum sceptro sponte puniendos ad eorum nutum submittunt, plerumque gratiam impendunt? Quanto magis a Deo hoc sperandum, cujus, ut ait David, *multæ*, hoc est, multo majores sunt misericordiæ?

Navis h.e. conformitas cum Dei voluntate.

Deinde si committimus nos Dei voluntati, faciet Deus id, quod pro nobis erit: imo & quod volumus, secundum Deum tamen. Expertus est hoc in se sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui cum regno Angliæ à Rege sibi infenso exire coactus, navim emigraturus inscendisset, venti ei contrarii sese opposuerunt, ita ut nautæ concluderent, eò sibi, unde solverant, remeandum esse. *Ingemuit Anselmus ad ista & ait: Si omnipotentis Dei judicio placet me magis redire ad pristinas miserias quam liberatum ab*

ab illis, tendere ad id, quod ipse novit me animo proposuisse, ipse videat, ipse dispenset: ergo voluntati ejus obsequi paratus sum; nec enim meus sed ipsius sum. Dixit & suffusis in lachrymas oculis ejus, illico ventus ex alio latere surgens, velum percussit & nautas jam velo reflexo, terram petentes, ad priorem cursum reverti coegit. Ita Edinerus in ejus vita 21. April. Apud Sur. Ecce ad resignationem Anselmi Dei voluntatem venti mutantur ducuntque eum, quo intenderat: & navis perforata aquam non admittit. Adhæc certus esto, propter Dei voluntatem nihil adversi tibi evenire posse, quidquid machinentur homines aut creaturæ aliæ. Quid magis nocere nobis potest aut cupit quam maligni spiritus? At hi tamen nihil possunt nisi Dei permissu. Exprobravit id Dæmonibus Sanctus Antonius, & ligatam eorum in se potestatem deridebat adeoque provocabat. *Si aliqua,* dicebat ad bestiarum greges circa se congregatos, *à Domino in me vobis est tributa licentia, devorate concessum. Sin autem Dæmonum huc venistis impulsu, quantocyus abite, quia Christi famulus sum. Ita factum est, & ad jubentis vocem omnis belluarum multitudo, quasi majestatis verbere cederetur, aufugit.* Ita Sanctus Athanasius in ejus vita cap. 25. Idem expertus est ejus discipulus, S. Hilarion, qui ut famæ suæ celebritatem fugeret, mari se commisit, alio navigaturus. In ea navigatione occurrunt ei piratæ in duobus myoparonibus, iis, qui cum Hilario erant, maximum terrorem incutientes. *Quos ille procul intuitus, subrisit & conversus ad discipulos dixit: Modicæ fidei quare trepidatis: nunquid plures sunt hi quam Pharaonis exercitus? tamen omnes, Deo volente submersi sunt. Loquebatur hic, & nihilominus spumantibus rostris hostiles turba imminebant jactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in prora navis, & porrecta contra venientes manu. Hucusque, ait, venisse sufficiat. O mira rerum fides, statim resilire navicula, & impellentibus contra remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ post tergum se redire nolentes; totoque corporis nixu ut ad navigium pervenirent laborantes, velocius multo quam venerant ad littus ferebantur.* Ita Sanctus Hieronymus in ejus vita. Ad extremum cogita eventurum circa te id, quod Deus vult, sive tu volueris, sive non; adeoque longe utilius esse conformare se voluntati ejus, & quidquid ipse immiserit, æquo & hilari animo accipere, quam ægro & molesto: quod aliud non esset quam aggravare sibi jugum; velut si quis militem jussus in hospitium suum accipere, reluctetur; postea à Magistratu ad hoc cogatur, quo casu habebit hospitem sibi inimicum, quem si lubens primo acceptasset, amicum & benevolum haberet. Alphonsus IV. Legionis in Hispania Rex, cum quinto anno post sumpta imperii insignia regno abiisset, & monasterium ingressus, Ramiro II. fratri (vel ut alii Ramiri Germano) dimisisset; postea facti pœnitens abjecto religioso habitu, resumere regnum tentavit. Verum à fratre captus, erutis oculis in monasterium, quod deseruerat, retrusus est; ubi postea cæcus & nolens permanere, qui videas & volens noluit, usque ad mortem compulsus fuit. Fulgos. lib. 1. cap. 2. Ritius Neapolit. lib. 2. de Regib. Hisp. Idem propemodum contigit ei, qui suam voluntatem divinæ opponit; quod enim ab ipso sibi immissum non acceptat volens, sustinebit nolens.

II. Est desertum, h. e. conscientia inculpata, sita in recessu cordis, veluti desertum aliquod, in quo quis solus cum solo Deo agit & habitat. In hanc se recepit David, qui Psalm. 54. dixit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Negat D. Gregorius in Psalm. 6. pœnitent. Davidem, tanto populo imperantem, habitasse aliquando in deserto; loqui igitur ipsum ait de solitudine cordis, in qua tumultus populares effugerit. Quod verum existimo, saltem de tempore, quo imperavit, & de stabili mansione; nam in fuga Absolonis quæsivisse eum latebras in campestribus deserti, legimus 2. Reg. 15. Refugium ergo Davidis in tempestate & persecutione hostili fuit bona ejus conscientia. Unde Sanctus Hieronymus in eum locum scribit: *Columbæ fugit à conversatione humana, & sancti fugiunt à consortio hominum, non corporaliter, sed spiritualiter, h. e. in conscientia: quia cogitant: quomodo se contra suggestionem Diaboli vel hæreticorum defendere debeant.* Similiter & Sanctus Augustinus in eundem Psalmi textum scribit: Mansi in deserto. *In quo deserto? Si forte in conscientia, quo nullus hominum intrat, ubi nemo tecum est, ubi tu & Deus est?* Et mox: *Mansi in deserto. Forte iste, ut dixi, fugerat ad conscientiam suam, ibi aliquantum desertum invenerat, ubi requiesceret.* Sed cur ad conscientiam David potissimum confugit in suis tribulationibus?

Causa est 1. quia ibi invenitur testis propriæ innocentiæ. Est enim conscientia quasi *cordis scientia*, ut inquit Hugo de anima lib. 2. cap. 12. quæ velut irrefragabilis testis tuetur suam causam, & contestatur puritatem, etiam coram divino tribunali, quasi murus quidam aheneus, omnes hostium ictus ridens & excludens. Eo confugit & provocavit David, quando ad Saulem deprehensum & impune dimissum dixit: *Judicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.* 1. Reg. 24. Eodem confugit Paulus, quando Act. 23. in Concilio Sacerdotum velut inter latrantes canes constitutus, defendere se cœpit: *Ego, inquit, omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernũ diem.* Vult dicere, ut exponit Chrysostomus: *Non sum mihi conscius, quod vos læserim: nihil dignum hisce vinculis commisi.* Et hoc dixit *intendens in Concilium*, ait Lucas, seu, ut sonat vox Gr. ἀτενίσας *fixis oculis intuens.* quasi dicas: animo intrepido; qui enim timent, rei prætertim in concilio accusati, oculos suos dejiciunt, nec intueri fixo obtutu Judices audent. Innocentia ergo Paulo hanc audaciam præstitit, & asylum fuit. Ita & alii Martyres omnes infracto prorsus animo stetere ante Præsides. Inter eos Sanctus Tiburtius jussus à Fabiano Præfecto ocyus Christum

stum

ſtum negare, aut tormenta experiri: *Decerne*, inquit, *quod lubet: omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura eſt comes conſcientia.* In vita S. Sebaſtiani apud Sur. 20. Jan.

2. Ibi inveniuntur bona & laudabilia opera, quæ non ſolum à pœnis eximunt & contra accuſatores defendunt, verum etiam laudem & præmia exigunt. Hæc invenit Rex Ezechias, cum lethali infirmitate tactus, confugit ad aſylum conſcientiæ ſuæ. Convertens enim faciem ad parietem oravit: *Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Iſa 38. *Non gloriæ*, ait S. Chryſoſtomus hom 63. ad pop. *non regni, non opiparæ meminit menſæ, ſed juſtitiæ.* qua ratione videlicet Idola exterminarit, vaſa Baal confregerit, ſerpentem æneum pro Numine adoratum comminuerit & conflarit & ſimilia. Hæc mercedem expoſtulant non pœnas. Unde in eum locum S. Hieronymus: *Fœlix conſcientia*, inquit, *quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur.* Et S. Cyprianus ſerm. de opere & eleemoſ. *Præclara*, ait, *& divina res ſalutaris operatio; ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, medela peccati.* At cur Ezechias in ea oratione convertit faciem ad parietem? An forſan ut ab hominibus faciem avertendo ad ſolitudinem conſcientiæ ſuæ ſe converteret? Ita mihi videtur: ibi enim juſtus reperit aſylum ſuum, cum non mala ſed bona deprehendit opera & bene merita ſua.

3. Ibi invenitur Deus, tanquam conſolator innocentium & vindex tyrannorum, qui eos perſequuntur. Teſtem advoco S. Chryſoſtomum, qui hom 61. in Geneſin ſcribit: *Quando quis munda fuerit conſcientia, & ab omni liber macula, poterit Dominum univerſi habere inhabitantem. Beati enim, dicit, mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quod ſi quis illum inhabitatorem habere meretur, quaſi ſimpliciter & ſine impedimento corpore veſtitus eſſet, ita poſtea afficietur, & humanarum rerum umbram facile contemnet.* Moyſes & Aaron, quando contra eos tumultuari cœpit populus, fugerunt ad tabernaculum. Num. 16. Ibi inveniebant Deum, ſui defenſorem, in ligneo, inquam, & mobili illo tabernaculo, quod ſecum per omnia loca ferebant. Hujuſmodi aſylum eſt pura conſcientia, quam circumferimus undique nobiſcum & in qua reperimus Deum, defenſorem noſtrum: ubi enim anima à peccato libera eſt, ibi Deum in ſe habet, qui utique domum ſuam tuebitur; juxta id Exod. 14. v. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* contra Pharaonem ſcilicet, uti factum.

III. Eſt Mons, hoc eſt, ſpes 1. auxilii & providentiæ divinæ: ad quem confugit inprimis David, quando dixit Pſal. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Montes intelligit, in quibus ſita erat Jeruſalem, templum & arca. Eo reſpexit etiam & confugit Abraham, quando Filium Dei juſſu immolaturus aſcendit cum eo in montem, ipſique interroganti: *ubi eſt victima holocauſti?* reſpondit: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti fili mi!* credens *in ſpem contra ſpem* (ad Rom. 4.) Deum ſibi in tribulatione ad futurum, ſive in reſuſcitando ad vitam filio, ſive in ſubſtituenda alia victima, uti factum, quando manus ferientis ab Angelo inhibita & aries pro filio immolandus ei demonſtratus eſt. Ex quo mons ille nomen accepit, *Dominus videbit*, ſeu *Dominus providebit.* Gen. 22. *Hoc autem*, inquit ibi D. Hieronymus, *apud Hebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt, & Domini optant auxilio ſublevari, dicant: in monte Dominus videbit: hoc eſt, ſicut Abrahæ miſertus eſt Dominus, ita miſerebitur noſtri.* Eodem proverbio nos Chriſtiani & multo quidem magis uti ad ſolatium noſtrum poſſumus, cum in tribulatione ſumus: & qui Abrahamo in ea anguſtia manum auxiliarem porrexit, ſuppeditando ei aliam pro filio ſuo victimam: idem porriget & nobis. In hunc montem levavit oculos Suſanna, quando ex falſa delatione injuſte condemnata *flens ſuſpexit in cœlum*: à Deo auxilium poſtulans, quod inter homines non invenit. Nec fruſtra; excitavit enim Deus illico ſpiritum Danielis, qui detexit innocentiam ejus & vitam ſervavit. Dan. 13.

2. Spes ſaltem futuræ retributionis & gloriæ cœleſtis, quæ expectat patientiam juſtorum; de quo dicitur Exod. 15. *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo.* Ubi enim hæreditas noſtra, ubi firmiſſimum habitaculum, niſi in cœlo? In hunc montem direxit Chriſtus ſuos diſcipulos, quando poſt prædictionem crucis & multorum laborum, ab ipſis aliquando ferendorum, duxit eorum tres in montem Thabor, ut aliquod gloriæ ſpecimen eis oſtenderet, quo aliquando recogitato in ſuis perſecutionibus, animos reſumerent, fugerentque ad montem, & ſpem gloriæ. Etenim ſi Petrus in illa ſpeculatione unius tantum dotis corporis Domini, claritatis ſcilicet, tanta ſuavitate perfuſus, & quaſi inebriatus fuit, ut ſui oblitus, nihil jam in mundo aliud deſideraret, quid erit torrente voluptatis potari in cœlo? Neque eſt, quod metuat quis, ne ſpoliatur ea mercede, ſi ipſe ſibi fidelis cuſtos ſit; quia repoſita eſt in manu Dei. Sed neque diu valde merces illa expectanda. quia *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filii merces.* Quiſquis ergo in afflictione eſt, ad hunc montem ſe recipiat, & aſylum inveniet. Eo ſe recipere ſolebat David, cum in tribulatione eſſet; ut indicat Pſal. 17. illis verbis: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Cervi cum fugiunt venatores in celſos montes properant, & ubi tuti conſiſtunt, ut ait Euthymius in ſimilem textum Habac. 3 v. 19. At ubi vel quando David cervorum celeritatem aſſecutus ad montes cucurrit? Quando ſpe cæleſtis gloriæ celerrimis cogitationibus ad cœlum ſe libravit, & ibi refugium ſuum invenit. Unde ſanctus Gregorius lib. 26. moral. cap. 10. ait: *Electorum mentes cervi dicuntur, dum quæque in hoc mundo obviantia obſiſtere ſibi conſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, & more cervorum deſpectis terrenarum rerum ſenſibus, in ſuprema, id eſt, æterna ſe evehunt.* Fuit etiam in ejuſmodi venatione nimium quantum agitatus ſanctus ille Job, ita ut

2. *Spes futuræ retributionis.*

ut undique circumspiciens nullum reperiret locum, in quo cadentem erigeret animum; uti lamentatur capite decimo nono: *Venerunt latrones ejus & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui noverant me, obliti sunt mei. Inquilini domus meæ & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi & non respondit, ore proprio deprecabar illum. Habitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, & quem maxime diligebam, aversatus est me.* Quæ obsecro esse potest major desolatio? At vide ad extremum, quo hic cervus se recipiat: *Scio* (subdit paucis interjectis) *quod redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum, &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo,* q. d. hanc spem velut rem mihi omnium charissimam securo loco reposui, ubi eam nemo auferet mihi: nec oblivio sepeliet. Hunc sanctum & magnanimum virum imitemur nos. Audi. *Affecit te aliquis ignominia,* inquit Sanctus Basilius homil. de gratiarum actione; *quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cælis est, tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixius cælestibus divitiis & thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrione solo exclusus es? & patriam habes cælestem illam Ierusalem. Ad eum modum si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt, opposueris, quæ sperantur bona, animam tuam ab omni anxietate servabis, ad quod nos invitat sanctio legis Apostolicæ: semper gaudere.* ad Philip. 4.

Hac via sequemur Christum, à tumultuante turba ad navim se recipientem: quo modo eum secuti dicuntur ejus discipuli in hodierno Evangelio. Sequamur eum una cum illis; quia propter nos ad asyla illa, cum ipse necesse non haberet, se recepit; ut quemadmodum cerva docet hinnulum suum confugere ad sylvas, montes, petras, ante eum currendo, ita & ipse nos instrueret, quo confugere debeamus in periculis & necessitatibus nostris. Sequamur ergo parentem nostrum, & quacunque tandem instante necessitate recurramus ad asyla à Christo demonstrata: ad naviculam inprimis conformando nos per omnia Dei voluntati: ad desertum, ingrediendo securam conscientiam: ad montem, expectando Dei opem; & si hæc non suppetat, in futuro saltem mercedem copiosam.

(* * *)

THEMA V.

Solatia animarum purgatorii.

I. *Quiescunt super cervicali gratiæ.*
II. *Sunt securæ de perseverantia in gratia.*
III. *Sciunt sibi à patre amantissimo pœnam infligi.*
IV. *Bonæ societate gaudent.*

Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat.
Matth. 8.

INtueri mihi videor in fluctuante hac navicula maris tempestate imaginem purgatorii, in quo d[etentæ] animæ jactantur & torquentur gravissima tem[pestate] plurimorum cruciatuum. Christus Dom[i]nus mare trajecturus in tempestatem incidit, horr[en]dam & immanem; interim tamen dormit, quasi n[i]hil sentiens; cum tamen jactationem illam utiqu[e] sentiret. Conscenderunt etiam animæ fidelium, corporibus solutæ, cymbam mortis, trajecturæ a[d] alteram vitam & portum æternæ fœlicitatis. Se[d] enim in trajectu pleræque interceptæ sunt ab imma[ni] tempestate ignis purgatorii. Hinc clamores & la[menta] ad nos viventes: *Miseremini* nostri, *miseremini* nostri, *saltem vos amici* nostri. Interim tamen ne[gari] non potest, ipsas etiam dormire in ea tempestate quasi in molli culcitra. Neque enim frustra toties ap[precatur] eis Ecclesia, & nos cum ea, quando dicimus *Requiescant in pace.* Quiescunt igitur animæ illæ, se[d] nondum in pace, quod illis precamur. Quando vero hoc non parum facit ad solatium nostrum, qui & ips[i] pertimescimus nimium quantum sæpe; tempestatem illam videamus, & ex somno Christi, illarum quietem investigemus.

I. In media hac tempestate Christus dormieba[t] *super cervical*, ut ait Marcus cap. 4. Suaviter autem dormit, qui in cervicali dormit: durè & gravatè, qui sine cervicali. Cervical hoc est gratia Dei, in qua se constitutas nôrunt animæ purgantes; nôrunt, inquam, partim ex particulari suo judicio, partim ex motu amoris in Deum, partim ex aliis argumentis; & quidem certò. Quam suave est hoc cervical! certe tam suave, ut non commutarent id, junctum etiam pœnis, quas patiuntur, cum quovis mollissimo thoro peccatorum hujus mundi. Beata Christina virgo mirabilis & illuminatissima dicebat: *Ego vel apud inferos mallem esse cum Deo, quam in cælo cum Angelis sine Deo.* In vita S. Lutgardis refert Thom. Cantipr. 16. Jun. apud Sur. Unde plane à potiori consequitur animas illas purgantes centuplo libentius esse in purgatorio, quam hic vel ad unam noctem dormire in peccato. Habent enim ibi Deum secum, quo hîc carent peccatores. Exemplo nobis sit Sanctus Laurentius, qui in craticula semitostus mediis in crucia-

tibus

tibus gaudio perfundebatur & insultabat Tyranno. Unde vero hoc, nisi quia sciebat se Deum secum habere? *Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit;* inquit Sanctus Leo in serm. de ipsius natali. Ex una quidem corporis parte urebatur Laurentius, & vehementer cruciabatur: ex altera tamen non urebatur, sed refrigerio mulcebatur: ita purgantes animæ tametsi ex parte una dira patiuntur, ex altera tamen mirè recreantur, ob gratiæ refrigerium, Deique præsentiam. In lacu Asphaltite seu mari mortuo, viva animalia innatant, mortua in imum descendunt: lucernæ ardentes superferuntur, extinctæ merguntur, uti refert Pausanias & alii. Animæ illæ quia in Deo vivunt, aquis illis funestis licet affligantur, non tamen merguntur, uti illi, qui ad inferos descendunt: sed supernatant & aura gratiæ perfruuntur. Sunt etiam animæ illæ ab omni culpa expeditæ, tametsi pœnis adhuc obnoxiæ. Docet enim Sanctus Thomas quæst. de peccato veniali art. 11. morientes in statu gratiæ elicere actum charitatis in Deum, etsi à morte præventæ vel usu rationis destitutæ sint, statim post mortem; qui per modum adjumenti deleat culpas veniales, quo modo Solis lumen exhaurit humores terræ. Habent ergo conscientias ab omni labe immunes, quod non parum auget prius illud solatium: *Secura* enim *mens quasi juge convivium,* ait Sapiens Proverb. 15. vers. 15. Et Sanctus Ambrosius libro 2. Offic. capite primo. *Vitam beatam,* inquit, *efficiunt tranquillitas conscientiæ & securitas innocentiæ.* Quare possident & animæ illæ suam quandam beatitudinem, sed inchoatam & doloribus mixtam.

II. *...t se- ...e de ...eve- ...tia in ...tia.*

II. Dormiebat in puppi; uti etiam Sanctus Marcus adnotavit. Puppis est posterior navis pars, uti prora anterior. Animæ purgantes requiescunt in puppi, hoc est, in vitæ termino, adeoque sunt securæ de perseverantia in gratia; quia jam in termino constitutæ, ubi nec mereri amplius nec demereri quidquam possunt. Qui hic in statu gratiæ vivunt, dormiunt in prora, nondum in puppi; quia adhuc excidere queunt. Unde monet Apostolus 1. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat.* Scimus statuam Nabuchodonosoris fuisse auream, sed desiisse in pedes luteos; unde exiguus lapis in eam decidens, totam machinam subruit. Dan. 2. Multi in capite aurei sunt, sed in pedibus lutei: optime incipiunt, pessime autem finiunt, atque ita totum perdunt. Saul quasi filius unius anni erat, hoc est, innocentissimus, cum regnare cœpit: peccator autem multorum annorum, cum vivere desiit. Non sunt tales animæ purgantes, sed qualis describitur Sponsus Cant. quinto. *Caput ejus aurum optimum: & crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas;* quia in gratia confirmatæ sunt. Hinc igitur novum prodit eis solatium & gaudium, quia norunt esse se de numero electorum, nec ullis tentationum fluctibus mergi posse. Maximum esse solatium debuit illorum, qui cum sancto Paulo in maris tempestate jactati quasi in singula momenta expectabant naufragium, quando eis Paulus ex divina revelatione prædixit: *Amissio nullius animæ erit ex vobis: propter quod bono animo estote viri,* Actor. 27. At quanto majus erit solatium purgantium & inter pœnas lamentantium animarum, quando ex divina revelatione cognoscent, nullam ex ipsis perituram? Hinc teste Blosio in monili capite 13. malunt ibi pati, quàm ad nos redire & vivere cum periculo salutis suæ. Confirmatur id exemplo Petri, equitis Poloni, Petravini pagi domini, qui suscitatus precibus sancti Stanislai ad reddendum veritati testimonium, postea ab eodem ad sepulchrum reductus, cum ab eo rogaretur, an vellet remanere in vita hac, renuit & rogavit potius, ut pro ipso orarent, quo citius è purgatorio liberaretur. *Ego pater sancte,* inquit, *nolim in hac vita permanere, vitam quam ego rectius mortem appellandam sentio: sed illam puto fere beatam, in qua videtur præsens Dei vultus. Nam tametsi justo Dei judicio hactenus purgatorii pœnas perpessus sum, attamen spero me brevi ad superos commigraturum. Tu quæso pater ora pro me, ut cito id fiat, aut si justitia non permittit, aliquid de supplicii tempore diminuatur. Sicque ad sepulchrum rediit.* Ita Joannes Longinus Canonicus Cracov. in vita S. Stanislai Episcopi Cracov.

III. *Sciunt sibi à patre amantissimo pœnam infligi.*

III. Tempestatem istam non concitavit natura aut Diabolus, sed Deus, ut testatur Origenes homilia sexta in diversos. *Tempestas,* inquit, *non ex se orta est: sed potestati paruit imperantis ejus qui educit ventos de thesauris suis, &c.* Item: *Ingressus Dominus in naviculam fecit turbari mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Corpore dormiebat, divinitate verò concitabat mare.* Quid mirum ergò si Dominus in hac tempestate securus dormiebat, si eam Pater ejus, imò ipsemet faciebat? Id si Apostoli scivissent, perturbati non fuissent. At vero animæ illæ norunt tempestatem afflictionum, in qua versantur, non à Diabolo excitatam, sed a Deo, patre suo amantissimo, ad extergendas labes, quas in vivis contraxerunt. Non eodem animo tolerantur ustiones, sectiones & punctiones, quæ à chirurgo infliguntur malè affectis, & quæ maleficis à carnifice: Illas ferunt infirmi animo pacato, quin etiam grato; qui in bonum eorum cedunt: has vero rei ferunt ægro valde animo & perturbato; quia ad interitum eorum tendunt. Priori modo utuntur & secantur animæ in purgatorio, ad salutem: posteriori vero inferi, ad internecionem. Hinc igitur novum accedit purgatorio solatium; quod sciant tempestatem & medelam illam, quantumvis asperam, à Deo velut Medico peritissimo & amantissimo sibi destinatam. Quæ causa est, cur David tam æquo & pacato animo sustinuit opprobria & lapides in se projectos a pessimo illo Semei, adeo ut suis diceret: *Dimitte eum ut maledicat David;* Causam ipse mox subjecit: *Dominus enim præcepit ei, ut maledicat David; & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2. Reg. 16. Multa quidem calicem passionis Christo reddidere non solum tolerabilem, sed & amabilem, (idcirco enim *calicem* appellat) mundi scilicet redemptio,

ruinæ Angelorum reparatio, beatitudo prædeſtinatorum, gloria incomparabilis ſibi decreta, &c. ſed quaſi horum oblitus, ſolius meminit decreti paterni, à quo calicem illum accepit: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Joan. 18. Calix amariſſimus fuit, adeo ut ſola ejus memoria ſanguineum ſudorem Chriſto expreſſerit; quia tamen à patre ipſi decretus & oblatus, ideo tam acceptus fuit, ut pro eo exhauriendo quaſi decertaret & cum Petro expoſtularet; neque eum appellavit calicem Herodis aut Pilati, ſed Patris, qui ſua propinatione hauſtum illum, amarum licet, optabilem ſibi fecerit. Subjicit etiam David loco cit. aliam cauſam ſuæ æquanimitatis: *Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*, ut videlicet remittat ei pœnas, quas contraxit ſuis peccatis. Unde S. Gregor. lib. 31. mor. c. 17. de ipſo ait: *Contumelioſa verba non tam convitia quam adjutoria credidit, quibus ſe purgari ſibique miſereri poſſe judicavit.* Vident inſuper animæ purgantes tormenta, quæ patiuntur, ſibi adjumenta eſſe, quibus expurgatæ à ſuis maculis ad Dei miſericordiam & conſpectum promoveantur. Quin imò cum ſciant nihil coinquinatum admitti ad conſpectum Dei, malunt ſic purgari, quam cum macula vel leviſſima cœlum intrare. Cujus rei exemplum refert Bloſius ſupra c. in Monili cap 13. de quadam moniali, quæ ex monaſterio S. Gertrudis adhuc juvencula obiit. Hanc vidit S. Gertrudis in veſtitu aureo præſentari Chriſti conſpectui, quæ tamen verecundiam quandam præ ſe ferens nitebatur vultum abſcondere. Gertrudis hoc admirans affatur Chriſtum: *Benigniſſime Domine cur hanc filiam tuam in dulciſſimos amplexus tuos non admittis?* Audito hoc Chriſtus protendit brachia ſua quaſi daturus amplexum: at illa ſe retrahebat ſumma cum humilitate: quod Gertrudis magis admirans: cur, ait ad animam, tam dulces Domini amplexus refugis? *Quia necdum*, ait illa, *tota pulchra ſum, ſed adhuc in me ſunt maculæ, quæ me illis amplexibus indignam faciunt. Et vero ſcito me, ſi liber in cœlum aditus daretur, ſponte, ne quidquam juſtitiæ derogem, ſubſtituram: cum ſciam indignum eſſe, ut tali ſponſo talis ſponſa copuletur.* Porro qui purgantium animarum maculas intueri cupit, audiat, quid ſcribat B. Pet. Damiani Card. l. 7. Ep. ep. 7. de quodam presbytero, Rainerio, cui S. Benedictus purgatorii loca oſtendit; ubi inter alia vidit horrendum quendam fluvium, tetrum, piceum & ſulphureum. *Videbantur autem in præfato fluvio innumerabiles volucres quaſi columbæ, varia plumarum diverſitate conſperſæ: ut hinc albi, illinc nigri diſcolor ſpecies videretur, omneſque velut mœſtæ nimis ac lugubres quaſi præ dolore roſtra extorquebant ad pennulas. Inquiſitus itaque Comes, quid illæ volucres eſſent, reſpondit: Illæ ſunt, inquit, animæ diverſis in hoc gurgite purgatoriis deputatæ, quæ videlicet ſicut non ex toto ſunt albæ, ſed interfuſa ſparſim nigredine variatæ; ſic & ex parte iam purificatæ, & ex parte adhuc ſunt peccatis obnoxiæ. Nam quanto ſpatioſior albedo cernitur in varietate plumarum, tanto major intelligitur facta abolitio peccatorum, in quantum vero nigredo remanſiſſe conſpicitur, in tantum adhuc peccatorum maculis aſperguntur.* Hinc oritur magna æquanimitas, cum qua pœnas ſuas ferunt; quando intelligunt eas ſibi debitas jure divino, ob ſua peccata inter vivos admiſſa. Latronem illum pœnitentem æquiore animo pertuliſſe crucem, non difficile colligimus ex eo, quod agnoverit juſtè ſe puniri. *Nos quidem juſtè*, inquit; *nam digna factis recipimus.* Contra impœnitentem alterum duplicaſſe ſibi pœnam, quod agnoſcere non videretur, ſe eam promeruiſſe. Vidimus etiam alibi Comitem illum, qui ſanctum Engelbertum Archiepiſcopum Colonienſem interemit; quando ob id ſcelus rotæ ſupplicio addictus fuit, magna cum animi promptitudine ſupplicium ſuſtinuiſſe, adeo ut carnifici ſponte ſingula membra obtulerit confringenda, quia delicti ſui gravitatem, uti debuit, expendit, reum ſe proclamavit & omnibus tormentis dignum judicavit; ut ex vita S. Engelberti apud Surium 7. Novemb. conſtat. Multo adhuc æquiore lance peccata ſua olim patrata ponderant animæ illæ; ideoque debitam ſatisfactionem pro eis perlibenter & acceptant & exſolvunt.

IV. Denique dormit Chriſtus inter diſcipulos remigantes & ſolicitos de ſervanda nave & ſuperanda tempeſtate. Ita animæ illæ pro ſolatio habent inprimis animas quam plurimas, charitate ſibi junctas; deinde Angelos ſanctos, cuſtodem maxime, à quibus conſolationem accipiunt, nuntia precum & ſuffragiorum, quæ pro ipſis fiunt (ut teſtatur S. Auguſtinus l. de cura pro mortuis. capit. 15.) deque inſtante ſua liberatione audiunt: quo modo à Raphaele Angelo ſolatium accepit Tobias illis verbis: *In proximo eſt, ut à Deo cureris.* Tob 5. Crediderim etiam, quod ſe invicem animent & hortentur, ſicut 40. illi milites ſub Licinio in præfrigidum lacum demiſſi. Maxime vero recreantur cum audiunt & ſentiunt viventes pro ipſis liberandis ſtrenue laborare ac quaſi remigare. Equilinus Epiſcopus in Catal. Sanctorum l. 20 c. 1. refert Cuſtodem S. Petri Romæ, dum altaria noctu viſitaret, ductum ad quendam locum ubi animas purgantes cerneret, ibique vidiſſe alias quidem jucundas, utpote bene & laute epulantes: alias autem triſtes, utpote fame preſſas; illas eſſe, pro quibus multa ſuffragia à viventibus fierent: has vero pro quibus nulla. Quare monitus ut hoc Papæ indicaret, effecit, ut Commemoratio animarum inſtitueretur pro iis maximè, quæ ſuffragiis deſtitutæ ſunt.

Dormiunt igitur & requieſcunt animæ illæ in media tormentorum tempeſtate: ſed tamen nondum in pace, nos igitur oremus, ut requieſcant in pace. *Nautæ*, inquit S. Chryſoſtomus homil. de habenda cura ſalutis proximi, *licet navis ſecundo vento feratur, cum tamen vident alios vel à longe naufragium facere, non ad propriam ſpectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem, ſed ſiſtunt navim, detrahunt vela, ejiciunt anchoram, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui à fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat.* Hoc faciunt nautæ, craſſi alioquin & ſa-

tis

ris inhumani homines; & nos non faciemus hoc animabus in purgatorio natantibus ? non ſimus quæſo inhumaniores nautis: projiciamus ad eos funes roſariorum, tabulas eleemoſynarum & jejuniorum, &c.

THEMA VI.

Quid agendum in tribulatione?

Quod nautæ faciunt in Tempeſtate.

I. Vela contrahenda liberioris vitæ.
II. Onera peccatorum ejicienda.
III. Ad Deum clamandum ferventi oratione.
IV. Patientia habenda.
V. Spes velut anchora in Deo figenda.

Domine ſalva nos, perimus. Matth. 8.

NOn eſt quod adeo miremur, ſi videamus noſtro ævo toties & tamdiu jactari naviculam Eccleſiæ. Propterea enim Dominus permiſit tempeſtatem fieri in hod. Evangelio & periclitari navim ſuam, ut ſciremus idem eventurum ſæpius Eccleſiæ ſuæ. Quemadmodum verò ipſe tunc dormivit, ut à diſcipulis excitaretur ad ſedandos fluctus: ita etiam modò videtur obdormiſſe: ne nos dormiremus, ſed ut ipſum ſuſcitaremus ad componendos fluctus. Quid verò in hujuſmodi tempeſtatibus agendum nobis ſit, nunc videndum eſt; idque nos docebunt artis nauticæ periti. Quid igitur hi moliuntur ſæviente tempeſtate?

I. con- nda oris

I Vela contrahunt, ne ſæviente vento navim abripiant, rotent & demergant. Tali modo qui in tribulatione ſunt, contrahant licentiorem vivendi rationem, ſplendorem conviviorum, apparatum veſtium, pompam, vanitates, ludos, choreas, ſimilia. Solent enim hæc quaſi vela nimium expanſa homines abripere, in ſcopulos rotare & demergere; adeò ut proptereà ſæpè veniat ira Dei & flagellum inundans. Itaque tempore calamitatis contrariâ eundum eſt viâ, ut incolumes evadamus: quo modo Sanctus Athanaſius, cum à ſatellitibus ad necem quæreretur; qua fugiebat navicula, converſa in contrariam fluminis partem iis qui ſe inſequebantur, ex induſtria occurrit; ſicque evaſit & contrarium tenens curſum effugit. Quod ſi igitur vos, qui ſecundo flumine deſcendiſtis ad libertatem carnis, navi jam inverſa per jejunium & alias carnis caſtigationes aſcendere adverſo flumine conemini: ſpes eſt fore, ut, quæ vos perſequitur tribulatio, nihil vobis noceat. Populus Hebræorum, qui Deum irritarat in adoratione vituli, ſplendidiore inſoleſcens ornatu, tum demum eum placavit, poſtquam ejus juſſu depoſuit ornatum ſuum. Exod. 33. quaſi alioquin indignus venia & miſericordia. Et quid mirum? Ratio ipſa hoc dictat. Non præceperat Jonas Regi Ninive, ut abjecto regio veſtitu & conviviorum luxu indueret ſaccum & jejunaret, id tamen Rex ſolius rationis dictamine fecit. Et mulier illa Thecuitis, ut miſericordiam Regi imploraret, lugubrem induit habitum, quaſi alioquin nihil obtentura. 1. Reg. 14.

II. Vaſa, armamenta, merces, quas tantis itineribus ac periculis ſibi compararunt, projiciunt in mare, ut allevient navim: Pari ratione comprehenſi in tribulatione onera ejiciant, quæ navim cordis prægravant, nec aliud niſi peccata ſunt. Opinio Sancti Ambroſii eſt exortam maris tempeſtatem propter Judam, qui, ut videtur, jam tunc depeculator crumenæ Chriſti fuit. Sed quidquid de hoc ſit, ſcimus mare intumuiſſe propter Jonam fugitivum è mandato Dei, nec furorem poſuiſſe, donec Jonas ejiceretur, Jon. 1. Quid aliud peccator niſi ſervus Dei fugitivus? Fugit ſed non effugit; quia mare tribulationis eum comprehendit. Quid igitur facto opus? ejiciendus eſt peccator, ut reſurgat juſtus & obediens Deo. Et qui ejiciatur niſi per pœnitentiam, ut guſtet amaritiem maris, peccatorum, inquam, ſuorum, & videat quàm amarum ſit reliquiſſe ac fugiſſe Dominum ſuum? Cæterum hic Jonas ita ejiciatur, ut plane dimittatur & fluctibus hauriatur: nec ad navim retrahatur. Feruntur enim nautæ (apud Ariam in Jonam ex Eleazaro Hebr.) prius varia tentaſſe priuſquam ejicerent Jonam: primo ſcilicet immerſiſſe uſque ad collum iterumque retraxiſſe, nec tamen mare ceſſaſſe à furore ſuo, donec qui reus erat, prorſus ejiceretur. Sic res habet cum peccatore: omninò ſe abdicare voluntate peccandi debet, totumque ſe immergere in contritionis mare? alioquin ne miremur ſi non ceſſet tempeſtas. Audite Divum Chryſoſtomum homil. 4. ad populum. *Poteſt Deus, inquit, omnia gravia ſolvere, ſed donec viderit converſionem, non diſſolvet tribulationem. Etenim artifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahet: ſic & Deus non abducet tribulationem, donec emendemur.* Non perſequitur nos tribulatio, ſaltem publica & ut plurimum, niſi ob peccata & peccatores: quemadmodum & Rex Syriæ pugnans contra Hebræos, non quæſivit niſi vitam Achab, Regis impii & perverſi; unde mandavit ſuis: *Non pugnabitis contra majorem neque contra minorem quempiam, niſi contra Regem Iſrael ſolum* 3. Reg. 22. quia ſolus ille bellum ſine cauſa legitima moverat Regi Syriæ. Vulnerato & occiſo Achab. finem habuit bellum. Sic omninò tribulatio non petit niſi peccatores, ut eos per pœnitentiam mortificet, & Deo reconciliet.

II. Onera peccatorum ejicienda.

III. Ad Deum clamandum ferventi oratione.

III. Nautæ in altum mare ſeſe recipiunt, ne hinc inde jactati in ſcopulos impingant. Quid agendum in tribulatione? Ad Deum confugiendum per ardentem orationem. Ipſa hoc neceſſitas docet, & docuit etiam nautas illos Gentiles, qui vexerunt Jonam: docuit ipſum Jonam in ventre ceti clamare ad Deum: docuit Davidem, Pſ. 119. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi.* Neque dubium videtur, quin etiam diſcipuli clamorem adhibuerint, cum excitârunt Dominum, ob præſens vitæ diſcrimen. Non videtur premi calamitate, qui non ferventer orat: nec ſentire verbera puer, qui non vociferatur. Imo aliquando obſtinatæ cujuſdam duritiæ eſt, non exponere querimonias ſuas Deo. Unde apud Jobum reprehenditur impius, qui à Deo flagellatus indureſcit ad verbera, velut contumax mancipium, & non deponit ad Deum

querelas suas: *Non dixit*, inquit, *ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* q.d. non est conquæstus de Deo dicens: Ubi est Deus noster, qui consolatur nos in tribulationis nocte? Job. 55. v. 11. Adhæc non unus tantum aut alter discipulus Christum invocavit, sed omnes simul, quia commune periculum erat. Ita par est ut in tribulatione simul omnes vocem extollamus ad Deum. Alioquin *unus ædificans*, inquit Ecclesiasticus cap 35. *& unus destruens: quid prodest illis nisi labor? unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* Corroborârunt etiam preces suas interponendo causam Domini: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Marc. 4. q. d. nonne tua res agitur, si pereamus? efficax hoc impetrandi medium est, petere ad Dei gloriam, ut ipse glorificetur in nostra liberatione; non ut nobis bene sit. Ita orabat Psalmista Psalm. 78. *Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis propter nomen tuum. Ne fortè dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum?* Idem etiam allegavit Josue: *Quid facies magno nomini tuo?* Josue 7.

IV. *Patientia habenda.*

IV. Cum tempestas nimium sævit, ut nemo ei obsistere queat, recipiunt se omnes ad interiora navis, eamque desuper claudunt, committunt se Deo & fluctibus, jactationem navis sustinendo patienter. Idem agendum in tribulatione, quando eam precibus nostris tollere non possumus: ad quietem cordis & ad patientiam nos recipiamus, nos committentes Dei voluntati & flagellum ejus humiliter excipientes. Ita Sanctus Augustinus in Psalm. 34. *Nullum majus*, inquit, *nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu, qui foris est: & ire in interiora mentis secreta: ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem & subvenientem.* Et B. Humbertus de malis impatientiæ cap. 44 *Cum tribulatio*, inquit, *quædam sit rasura, talis quisque quando per hunc modum raditur, quietus sedeat; ne si sub rasorio insolenter se moverit, pejus malum per impatientiam sic incurrat.* Ita etiam monet Ecclesiasticus cap. 2. *Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo & sustine ut crescat in novissimo vita tua.* Liranus & Dionysius Carth. ita exponunt: Patientiam habe in tuis calamitatibus, quas cum sustines, eodem tempore, in iisdem à Deo sustentaris, ne cadas aut mergaris. Etenim Deus nos per tribulationes quidem ventilat & velut naviculam in mari hinc inde jactat, interim tamen dum patienter sustinemus, velut unda nos sustentat, nec absorberi patitur: quo modo Christus in hodierno Evangelio ipse excitata à se tempestate naviculam jactavit, interim tamen ne mergeretur, sustentavit. Qui, dum iter pedibus agunt, baculo utuntur, sustinent quidem baculum manibusque gestant, interim tamen ab eodem sustentantur ne cadant. Non secus tribulationes sustinebunt nos, si eas vicissim cum patientia sustineamus. Hinc Psalm 22. dicitur: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga ad percussionem, baculus ad sustentationem pertinet. Virga ergo dum castigat Deus baculo interim sustentat. Hinc Episcopo Philadelphiæ scribit per Joannem Christus Apoc. 3. *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis.* Quem talis virga & baculus non consoletur? quis ea non sustineat, imò exosculetur summa cum patientia & æquanimitate? Audite quid de Turcarum patientia scribat Augerius Busbequius in Legatione sua Turcica epist. 3. *Est*, inquit, *cumprimis admirabilis Turcarum in accipienda castigatione patientia: in suris in soleis, in natibus, sæpe ultra centum plagas excipiunt, ut plures cornei fustes nonnunquam confringantur, & illo identidem sit opus: Cedo alterum, ac tametsi in promptu sint remedia, fit tamen aliquando, ut plures libræ vitiatæ carnis è locis illis contusis ferro circumdandæ sint. Nihilominus adire eum, cujus jussu cæsi sunt, & manum deosculari, & gratias agere coguntur, & lictori pro singulis verberibus certam mercedem solvere. Nam fustem quidem illi, quo castigantur, sacrum habent, nec dubitant primum delapsum cœlo credere, non minus quam Romani sua ancilia.* Hæc ille. Deus bone! Barbari tanta cum tolerantia tantas sustinent plagas ab iniquis sæpe judicibus, certe barbaris & immanibus; & non sustineant Christiani virgam Dei, patris amantissimi? virgam non enecantem sed sustentantem? Turcarum Præsides feriunt sicut tauri, qui cornua habent supra oculos, & feriendo claudunt eos, adeoque nesciunt, cur, quomodo & quid feriant. Non ita Christus Deus noster, qui ferit sicut unicornis & Rhinoceros, qui cornua habet infra oculos, ac proinde videt quem, cur & qua ratione percutiat. Unde de eo in figura Josephi dicitur Deuteronom. 33. *Cornua Rhinocerotis cornua ejus*; ut exponit Sanctus Ambrosius lib. de bened. Patriarch. Et Psalm. 28. *Dilectus quemadmodum filius unicornium* appellatur, quod de Christo exponit Sanctus Hieronymus, Cassiodorus.

V.

V. Denique anchoras ejiciunt, quibus firmant navim, ne à ventis abripiatur in littora aut scopulos, aut procul sitas terras. Anchora spem & confidentiam significat, cujus præsidio Apostolus usus in tribulatione fuit, ad Hebr. 6. scribens: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Syrus vertit: *Quæ retinet animam nostram ne commoveatur.* Anchora in fundum maris injicitur, spes in cœlo & Deo figitur. Quamdiu non perdunt anchoras nautæ, bene de sua incolumitate sperant: illis perditis omni præsidio destitututi sunt. Sic omnino attendendum nobis ne in tribulatione spem abjiciamus; uti monet idem Apostolus ad Hebr. 10. *Nolite itaque*, inquit, *amittere confidentiam vestram.* Hoc egregiè præstitit S. Job qui licet omnia perdidisset, possessiones, liberos, valetudinem, haberet etiam adversantes amicos & uxorem, adeo ut in rebus humanis plane desperaret, nec aliud præter mortem expectaret, spem tamen non amisit; quin imo *etiamsi occiderit, me*, inquit, cap 13. *in ipso sperabo*, unde mox

subjici

ſubjicit orans : *Parce mihi Domine* , qui certe non oraret, niſi ſperaret. Perdidit è contra hanc fiduciam Petrus, cum ambulans ſupra aquas ſibi timeret; unde & mergi cœpit. Matth. 14. Quapropter Sanctus Xaverius tot maria pernavigans, tot pericula, nihil aliud timuit, præterquam diffidentiam de DEO, ne aliquando in eam incideret ; ſecurum ſe exiſtimans, quamdiu anchoram ſpei ſecum retineret.

Ac licet Deus rem eo devenire ſinat, ut plane deſperata videatur; non tamen deſerit nos, ſi hanc anchoram teneamus. Dicitur enim in Pſalm. 9. *adjutor in opportunitatibus in tribulatione* : quando ſcilicet opportunum & neceſſarium eſt auxilium. Sic non niſi deficiente vino ſuppeditavit novum : non niſi vibrato jam ictu in Iſaacum, continuit manum patris : non niſi jam educta ad lapidationem Suſanna miſit Danielem ad eripiendam eam : Davidem , quando jam in modum coronæ cinctus erat ab hoſtibus, ſalvavit : Danielem jam inter ora leonum poſitum, tres pueros in fornacem conjectos adjuvit : Petrum jam morti addictum & facto mane ducendum, è carcere eripuit; quia tempora illa opportuna erant ad DEI gloriam oſtendendam. Hæc ſunt exercitia, quibus occupari nos decet in tempeſtate & anguſtia, &c.

DOMINICA V. POST EPIPH.

THEMATA.

I. Peccata cur permittat Deus.
II. Cur impios Deus toleret & proſperari ſinat.
III. Peccatores cur Zizania dicti.
IV. Quænam Zizania potiſſimum è communitate extirpanda.
V. Dies judicii extremi ſimilis meſſi.

THEMA I.

Peccata cur permittat Deus.

I. Permittit ob bonum ipſorum peccantium.
II. Ad bonum aliorum non peccantium.
III. Ad bonum univerſi.
IV. Ad majorem Dei gloriam.

Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? unde ergo habet zizania. Matth. 13.

JUſtâ & æquâ conſideratione magna eſt hæc ſervorum interrogatio: *Vnde ergo* ager *habet zizania*? unde in mundo peccata? Tametſi verò audimus reſpondentem Patrem familias; *Inimicus homo hoc fecit*, nondum tamen videtur omninò ſatisfactum propoſitæ quæſtioni. Poſſunt enim (ut obſervat Sanctus Petrus Chryſologus Epiſcopus Ravennas ſermon. 2. in hodiernum Evangelium) ſervi dicere Patri familias : *Et tu quare hoc, cum videres, Domine permiſiſti* ? Id profecto objecit DEO Habacuc Propheta, quaſi amice expoſtulans cum dixit cap. 1. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes & taces devorante impio juſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris* (quorum unus alterum devorat, major minorem, fortior debiliorem) *& quaſi reptile non habens principem* ? Verum huic objectioni occurrit Pet. Chryſologus loco cit. mox ſubjungens : *Quare*, inquit, hoc nimirum permittit cæleſtis paterfamilias? *Quia timere fraudes non poteſt , cui nil poteſt deperire : & quia plus eſt myſtica diſcernere , quam prohibere myſterium : majus eſt reparare perdita , quam illæſa reſervare , ſimul quia oportet zizania eſſe , ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Magnæ & profundæ ſunt hæ rationes, quas hîc una cum pluribus aliis paulo exactius exponemus.

I. Permittit peccata ob bonum ipſorum peccantium, & 1. ut cognoſcant ſeipſos, ſuamque fragilitatem, vilitatem , inopiam, cæcitatem & miſeriam. Accidit quandoque ut lapſus corporalis cadenti ſit ſalutaris, cujuſmodi exemplum legimus in vita Sancti Athanaſii Epiſcopi Neapolitani, cujus corpus ab obitu delatum eſt ad montem Caſſinum. Erat in eo collegio Sancti Benedicti homo cæcus , bonus alioqui , frequens præterea in templo eſſe conſueverat ; is dum more ſuo templum oraturus eſſet ingreſſus, ut cæcis evenire ſolet, ſeu DEO ſic volente, offendit, lapſus incurrit in Sancti Athanaſii ſepulchrum, cadenſque illud attigit; quo tacto acerrimum oculorum viſum è veſtigio aſſecutus , amplius eo non caruit. Quod cæco huic in corpore evenit , plurimis aliis contingit in mente. Cæci plane erant primi noſtri parentes , qui contra DEI præceptum & mortis comminationem crediderunt potius ſerpenti, ſe non morituros. Itaque lapſi in peccatum ſunt : & illico poſt lapſum *aperti ſunt oculi amborum*. Viderunt enim ſe jam nudos, & concupiſcentiæ motu fœdos : viderunt ſe deceptos, DEUM fuiſſe veracem , ſerpentem vero mendacem : viderunt ſe incurriſſe remorſum conſcientiæ & reatum pœnæ ſubeundæ , dejectos ſe ex beato in infœlicem ſtatum : cognoverunt quam amarum ſit DEUM offendiſſe tantum benefactorem, quamque bonum ſit DEO credere & adhærere. Quæ omnia ante lapſum minime cognoverunt, vel certe non expenderunt : poſtea agnoverunt, indeque pœnitentes è delicto educti ſunt, Sapient. 10. verſ. 2. Eandem ob cauſam ſuperbi maxime & præſumptuoſi permittuntur labi in peccatum , ut addiſcant humilitatem. Ita docet Sanctus Auguſtinus libro decimo quarto de civit. cap. 13. *Audeo dicere*, inquit , *ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum : unde ſibi diſpliceant , qui jam ſibi placendo ceciderant, Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit quando flevit ; quam ſibi placuit , quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer pſalmus:*

I. Permittit peccata ob bonum ipſorum peccantium.

1. Ut agnoſcant ſeipſos.

pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, id eſt, ut tu eu placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant quærendo ſuum. Enaſcuntur in venis cervorum vermes, qui eos maxime cruciant: ei malo cervi pro medicina ſerpentes ſorbent; à quibus perimuntur quidem vermes prædicti; interim tamen cervi malum majus & periculum mortis incurunt, cui medenter recurrentes ad fontem. Refert Mizaldus Cent. 1. num 7. Vermes illi ſunt cogitationes præſumptuoſæ, cæcitas, fidei tepiditas, animi levitas, curioſitas, concupiſcentiæ malæ & ſimiles corruptæ naturæ affectiones, quibus ut occurratur, permittit Deus, ut qui talibus ſcatent vermibus devorent ſerpentes, h. e. ut incidant in gravia aliqua peccata, indeque crucientur remorſu conſcientiæ, patiantur confuſionem, agnoſcant gehennæ reatum, quem incurrerunt: ſicque ad fontem miſericordiæ recurrant ex integro ſanandi.

2. *Vt ſanent aliud gravius peccatum.*

2. Ut cadendo in levius aliquod peccatum, ſanent aliud gravius. Collegit hoc S. Thomas in 2. Cor. 12. ex illo carnis ſtimulo & Angelo ſatanæ collaphizante Apoſtolum, quò repelleretur ſuperbia, & conſervaretur ejus humilitas; probatque exemplo medicorum, qui febrem excitant, ut ſtupori medeantur. *Sic etiam Chriſtus Dominus*, inquit, *veluti Medicus animarum ſummus, ad curandum graves animæ morbos, permittit electos ſuos in morbis corporum graviter affligi. Et quod plus eſt, ad curandum majora crimina, permittit incidere in minora, etiam mortalia.* Aſſentitur huic ad amuſſim D. Damaſcenus lib. 2. Orthod. fidei cap. 29. *Sinitur denique aliquis*, inquit, *in fœdum etiam atque obſcœnum facinus interdum proruere, ut hac ratione gravius aliquod vitium depellatur. Exempli cauſa: ſit aliquis cui virtutes ſuæ ad rectè facta animos attollant: ſinit hunc Deus in ſtuprum incidere, ut per hujuſmodi lapſum imbecillitatem ſuam agnoſcens, criſtas demittat, atque ad Dominum accedens culpam ſuam confiteatur.* Facit eo illud Job. 12. verſ. 18. *Baltheum Regum diſſolvit & præcingit fune renes eorum.* In quem locum Sanctus Gregorius: *Baltheum*, ait, *Regum diſſolvit, quando in his, qui bene regere ſua membra videbantur propter elationis culpam, caſtitatis cingulum deſtruit, h. e. permiſit ut caderent in luxuriam, ne extollerentur in ſuperbiam.*

3. *Vt reſurgant fortiores.*

3. Ut ex lapſu ſurgant humiliores & cautiores atque ad bona opera promptiores atque alacriores. Patet in Sancto Petro, qui poſt negatum Chriſtum, fortior in ejus confeſſione & amore factus eſt: quemadmodum & Magdalena eo plus poſt ſuum lapſum dilexit Chriſtum, quo plus ei dimiſſum erat; id quod in parabola duorum debitorum oſtendit Chriſtus, Luc. 7. cum ſcilicet plus diligere, cui plus remiſſum eſt, unde plane ſequitur lapſus graves ſæpe cedere in majus bonum labentium.

II. *Ad bonum aliorum non peccantiũ.*

II. Ad bonum aliorum non peccantium. 1. ut viſis aliorum lapſibus ipſi cautius incedant & firmius Deo adhæreant. *Sic enim natura comparatum eſt*, ait Damaſcenus loco ſuprac. *ut cum aliquos male mulctatos cernimus, animum contrahamus ac demittamus.* Quando Hebræi viderunt Core, Dathan & Abiron cum ſuis adhærentibus dehiſcere & abſorberi à terra omnes quotquot per gyrum adſtabant, fugerunt ad clamorem pereuntium, dicentes: *Ne forte & nos terra deglutiat.* Numer. 16. Pari ratione cum audimus & videmus alios, præſertim magnæ dignitatis aut virtutis homines, in gravia aliqua ſcelera lapſos eſſe, pe[r]terremur & formidamus, nobiſque attendimus, à ſimilibus peccatis refugimus, & ad Dei opem implorandam inardeſcimus? ne & nos ſimiliter cadamus. Caſus Luciferi ortus ex ſuperbia multos confirmavit & perfecit in humilitate, Angelos inprimis bonos, poſtea etiam homines. De Angelis teſtem habemus Jobum cap. 41. ubi de Lucifero ſub nomine Leviathan ait: *Cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli & territi turbabuntur.* In quem locum Sanctus Gregorius lib. 34. moral. cap. 7. *Hujus lapſus*, inquit, *eos terruit, ne conditorem ſuperbè deſpicerent.* Et Anſelmus in Elucidario: *Cum mali Angeli ceciderunt, boni firmius ſteterunt.* Lapſus Davidis ex impuro aſpectu cauſatus multos permovit, ut pangerent fœdus cum oculis ſuis & necogitarent quidem de virgine, adeoque evaderent quidem Angeli, continentia & caſtitate. Lapſus Lothi, Holoferni, Alexandri M. & aliorum in ebrietatem, non paucis perſuaſit, ut nunquam biberent vinum niſi dilutum, quemadmodum fecit Alphonſus Aragonum Rex; qui cauſam illam afferebat: *Ne me inebriet. Scio namque quantum Macedonis Alexandri gloriæ obfuerit ebrietas.* Panormit. de ejus geſtis lib. 2. Ergo lapſus aliquorum & pœna eum conſequens utilis eſt aliis, docens eos cavere ſibi. Unde Auguſtinus contra adverſ. legis & Prophet. cap. 14. ait: *Hoc Deus voluit, quod homo non erat ſervaturus, jubere: quia pœna contemptoris docuit alios obedire.*

2. Ut per nequitiam reproborum magis exerceantur, à minutis peccatis expurgentur, & fortius propellantur ad cœleſtia. Unde Sanctus Gregorius l. 26. cap. 9. ait: *Reproborum nequitia trituræ modò electorum vitam quaſi grana à paleis ſeparans premit & purgat. Mali verò bonos magis ab hujus mundi deſideriis expediunt dum affligunt: quia dum multa eis hic violenta ingerunt, feſtinare illos ad ſuperna compellunt. Quod bene de Iſraelitico populo vocante Moyſe, & Pharaone Rege ſæviente ſignatum eſt. Tunc namque Moyſes ad vocandum miſſus eſt, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus; ut Iſraelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quaſi traheret, alius quaſi impelleret: & plebs in ſervitio turpiter fixa vel provocata bonis, vel malis impulſa moveretur.* In hunc ſenſum S. Ignatius M. in Epiſtol. ad Roman. ſcribit de impiis ſatellitibus, à quibus cuſtodiebatur, & dure habebatur: *Iniquitas eorum mea doctrina eſt.* Pii enim ab impiis vexati, quaſi per antiperiſtaſim colligunt omnes vires ſuas ad reſiſtendum impietati eorum, adeoque ad vincendum, uti patet ex actis & reſponſis Martyrum; quo magis laniabantur corpore, eò magis corroborati mente inſultabant tyrannis.

3. Ut

3. Ut eorum virtus magis eniteſcat, comparatione eorum, qui in peccatum labuntur; cum & ipſi voluiſſent, potuiſſent non labi. Hinc enim Eccleſiaſtici cap. 31. laudatur dives, qui non peccavit, cum plurimas haberet peccandi occaſiones & illecebras: *Beatus*, inquit, *dives, qui inventus eſt ſine macula; & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris: quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo* (auro) *& perfectus eſt, erit illi gloria æterna.* Gloriam hanc quomodo ſibi paraſſet, niſi divitiis abuti & peccare potuiſſet? Unde ſequitur: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit: ideo ſtabilia ſunt bona illius in Domino, &c.* hoc eſt, ideo ſtabilem à DEO & Eccleſia tam militante quam triumphante laudem obtinebit. *Quid enim mirabilius*, inquit, Hugo ibi, *quam inter epulas eſurire, inter veſtes algere, paupertate premi inter divitias, quas oſtendit mundus, quas offert malignus, quas deſiderat noſter appetitus? Mirabile eſt ignem tangere & non uri? ſpinas colligere, & non pungi: lapides portare, & non lædi. Et divitiæ ignis ſunt, & ſpinæ & lapides.* Si peccare non permitteret DEus homines, peccare utique non poſſent; at excellentius quid eſt & plus laudis meretur, non velle peccare, cum poſſis: quam non peccare, cum non poſſis; illud enim virtutis, hoc neceſſitatis eſt. Nihil habet laudis, qui generoſum equum agitat, alligatus ad ephippium, ita ut excidere nequeat. Par ratio foret, ſi peccare non poſſemus in liberis actionibus. Tolleretur itaque bonis occaſio laudis & coronarum materia excuteretur; ſi triumphare de peccato non poſſent. *Sed non omnes* (objicit Sanctus Chryſoſtomus orat. de provid. tom. 5 in perſona illorum, qui de poteſtate Dæmoni ad nos tentandum conceſſa queruntur) *erunt illo ſuperiores.* Et reſpondet: *Generoſos tamen eſt multo juſtius occaſiones habere, in quibus inſtitutum probent; ac eos, qui tales non ſunt, puniri de propria ſocordia quam propter hos, illos affici damno. Malus enim etſi patitur injuriam, non tamen ab adverſario, ſed à ſua ſegnitie, quod multitudo vincentium declarat. Verum tunc eſſent læſi à malis boni, ſi non haberent, ubi fortitudinem exercerent.*

III. Ad bonum univerſi. 1. quia ſic univerſum eſt perfectius, ſi detur etiam creatura, quæ poſſit peccare & non peccare; eſto melior ſit illa, quæ non poteſt & omnino non vult peccare. Non enim quia aliqua creatura excellentior eſt, non debet poni in univerſo alia minus excellens. *Quis enim hos audiret*, inquit D. Auguſtinus l. 11. de Gen. ad lit. *ſi dicerent, quoniam excellentior ſenſus eſt videndi quam audiendi, quatuor oculi eſſent, & aures non eſſent?* Accedit Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 22. artic. 2. ad 2. *Cum Deus*, inquit, *ſit univerſalis proviſor totius entis, ad ipſius providentiam pertinet ut permittat quoſdam defectus eſſe, in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo, non eſſet vita leonis ſi non eſſet occiſio animalium: nec eſſet patientia martyrum, ſi non eſſet perſecutio tyrannorum.* Unde

III. ...d bonum univerſi.

1. ...ſit perfectius.

dicit Auguſtinus in Enchiridio cap 11. *Deus omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Certe ſi peccatum Judæorum, Chriſtum ad necem condemnantium, non fuiſſet, unde haberemus opus redemptionis noſtræ? Si peccatum Adæ non fuiſſet, unde haberemus opus incarnationis Chriſti? Et ſi hæc defuiſſet, defuiſſet & Deipara, & abundantiora gratiæ dona, per Chriſtum nobis collata, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundaret gratia. Hinc illa Sancti Gregorii, & poſt illum Eccleſiæ exclamatio: *ô fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

2. Quia ex oppoſitis malorum hominum peccatis, magis innoteſcunt mundo virtutes bonorum. Hinc Sanctus Anſelmus in Elucidario col. 4. de malis Angelis ita loquitur: *Cum Deus præſciret eos tales futuros, quare creavit eos? Propter ornatum ſui operis. Vt enim pictor nigrum colorem ſubſternit, ut albus vel rubeus pretioſior ſit: ſic collatione malorum juſti clariores fiunt.* Hinc Eccleſiaſtici 33. dicitur: *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator.* Dum ergo ex oppoſitione vitioſorum magis ſplendeſcunt homines virtuoſi, hinc alii tanto magis incitantur ad amorem virtutis, & odium peccati; ſic magis ornatur mundus & glorificatur Deus.

2. Vt ex oppoſito peccatorum magis elučeſcant virtutes bonorum.

IV. Ad majorem DEI gloriam & oſtenſionem attributorum ac perfectionum illius. *Quemadmodum enim vitreum ſpeculum*, (ait P. Didacus Ruiz in 1. part. D. Thom. tractat. de providentia DEI) *ſtanno terminatum & opacatum perfectius eſt in ratione ſpeculi, quam foret argenteum vel aureum ſpeculum, etiamſi pretioſis lapidibus ornatum; idque non obſtante viliori pretio vitri & ſtanni: ſic etiam univerſum, quoniam eſſentialiter atque potiſſimum eſt deſtinatum, ut ſit ſpeculum divinarum perfectionum, tanto perfectius eſt, quanto melius earum ſimilitudines reddit humanis mentibus. At multo melius eas reddit, quatenus umbra peccatorum terminat & opacat creaturarum virtutes capaces luminis & ſplendoris. Inprimis enim occaſione peccatorum Deus melius oſtendit ſupremum dominium ſuorum donorum, debilitatem humanarum virium, gratiam ſummopere gratuitam, eximiam miſericordiam, patientiam longanimitatem, clementiam, amorem virtutis, odium peccati, &c.* Speciatim vero oſtenditur hac promiſſione DEI inprimis ſumma majeſtas, quæ vel uno peccato offenſa reum facit hominem æternæ damnationis. Regum Perſiæ tanta erat majeſtas, ut qui feram ante Regem telo petiiſſet, reus mortis fieret; quaſi gloriam illam Regi præripuiſſet, auctor. Xenoph in Cyrop. l. 2. & Plutarch. in Atrax. At qui DEO gloriam vel uno peccato præripit, mortis æternæ reus fit. Quanta hæc majeſtas DEI eſſe debet?

IV. Ad majorem Dei gloriam.

1. Ad oſtendendam ejus majeſtatem.

2. Deinde oſtenditur bonitas & juſtitia Dei. Bonitas dum tam grandes offenſas clementer remittit, miſericorditer condonat: juſtitiam dum ab ipſo ſponte recedentes pro meritis punit. Non quidem

2. Bonitatem & juſtitiam.

creavit homines Deus ad puniendum illos, sed salvandos omnes: ubi tamen nostrâ ipsorum culpâ à naturali nostra perfectione deflectimus, & ultro relinquimus bonum, tunc ipse ut æquus judex infligit pœnam: quo modo pater filium non gignit, ut hæreditate spoliet, sed ut potius ditet: at si contumacem viderit, juste exhæredabit. Sic leges sanciuntur à Magistratu, ut cives earum observatione boni evadant: at si qui eas transgrediantur, incidunt in pœnas. Sic agricola plantat arbores, ut fructum afferant, quæ tamen si sterilescant, merito exscinduntur.

3. Potentiam. 3. Ostenditur Dei potentia, qui quoscunque & quantoscunque prævaricatores potenter plectere novit, Pharaonem, Antiochum, Herodem, aliosque: ipse vero à nemine quantumvis malitioso, blasphemo, virulento inimico nihil damni accipere, nihil pati potest, quantumcunque peccent. *Sagittæ enim parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Psalm. sexagesimo tertio. Solem Æthiopes aliqui tam orientem quam occidentem, quod vehementius eos urat, diris imprecationibus prosequuntur, ut scribit Plinius libro quinto capite octavo. Persæ è contra, ut Strabo libro decimo quinto testatur, Solem tanquam Deum coluerunt, illique equos mactârunt: neque tamen vel propter istos sol lucentior, vel propter illos obscurior, frigidior aut languidior factus est. Pari modo sicut Deo nihil addimus, ipsum colendo & glorificando: ita nihil officere possunt, eum offendendo & blasphemando, peccatores.

4. Sapientiam. 4. Ostenditur Dei sapientia plenius & perfectius, quia ex peccatis etiam, tametsi malis pessimis, novit elicere bona. Unde Sanctus Augustinus in Enchiridio capite vigesimo septimo ait: *melius judicavit Deus ex malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Quemadmodum enim ex veneno serpentis arte Medicorum fit theriaca, antidotum veneni; ita ex peccatis elicit Deus antidotum peccati; veluti ex peccato Adami, elicuit occasionem patrandi opus incarnationis, quo peccatum id extingueretur: ex odio Judæorum & proditione Judæ redemptionem generis humani per passionem suam, &c. Quin & hoc effecit, ut ex ipsis peccatis nostris, si de iis conteramur & confiteamur, conficere nobis electuarium possimus, quo peccata deleamus. Hujusmodi electuarium paravit sibi Magdalena, ex illis ipsis instrumentis, quibus mundo prius servierat; ut ostendit Beatus Petrus Damiani in serm. de ipsa. *Sane, ait, pretiosum unguentum, quo non solum terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur. Vilissima autem sunt species, de quibus conficitur, & magna eorum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito & in aheno disciplinæ contecta, unguentum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris. Compendiose autem illud confecimus sapienti rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cælos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit & gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Ergo sicut aqua, alioquin hominem mergere, & suffocare solita, fit eam verberanti & brachia agitanti vehiculum: sic etiam peccata, quæ alioquin hominem mergunt in interitum, si pœnitentiæ pugnis cædantur, si confusione confessionis puniantur, si odio habeantur, & quæ delectabilia erant, execrabilia fiant; tum ad cœlum hominem tollunt, quæ alias ad infernum usque depressissent.

THEMA SECUNDUM.

Cur impios Deus toleret & prosperari sinat.

I. *Tolerat quia & ipsi creaturæ ejus sunt.*
II. *Quia converti possunt.*
III. *Quia sæpe prosunt bonis.*
IV. *Quia demonstrant Dei bonitatem & justitiam.*
V. *Quia aliquam saltem in terris mercedem merentur.*

Sinite utraque crescere usque ad messem. Matth. 13.

MAgna & mira est hæc Domini sententia: *Sinite utraque crescere*, zizania scilicet & triticum. De tritico nil mirum: de zizaniis verò mirati sunt non solum Ethnici, sed etiam Judæi. Ex illis sapientissimus Cato dixit, *in rebus divinis multum esse obscuritatis, eo quod Pompejo præter fas res suas promoventi omnia prosperè, justam verò reip. causam tuenti sinistrè omnia evenirent.* Ex his vero Jeremias Propheta c. 12 sic ad Deum loquitur: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum.* At vero hic rem intelligens, mysterium hoc aperit, dum mox addit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam & sanctifica eos in die occisionis*, hoc est, occide eos quasi victimas: & immola tuæ justitiæ, ut ex illorum punitione ad extremum lauderis & sanctificeris. Errant igitur inprimis Turcæ qui ex armorum suorum robore & victoriis, regnoque dilatato Deum sibi addictum fingunt. Errant hæretici, qui ex eo, quod pace & opibus à Deo cumulentur, inde se veram habere fidem conjectant. Errant reprobi Christiani, qui Dei servos, pauperes & humiles Deo curæ non esse existimant, quod male hîc habeantur. Non est Dei, simul Legislatoris, regimen: quale est politicum, ut in præsenti vita omnia scelera puniat, & virtutes remuneret. Ad futuram istud differt. Cur ergo hic in agro Ecclesiæ suæ toleret ad tempus reprobos seu zizania, nunc investigare conamur.

I. Tolerat hæc zizania; quia & ipsa creaturæ ejus sunt; quas non ut mox perderet, sed ut stabiliter, quamdiu paterentur, creavit. Qui domum sibi Tolerat quia & ipsi creaturæ ejus sunt.

struxit, non statim eam destruit, quando ruinam minatur, vel ex parte aliqua labefactatur; sed solidare eam conatur fulcris, pilis, substructionibus, ut stet quousque saltem potest, quia structura ipsius est. Quid mirum si hoc idem Deus cum impiis hominibus agat, quos ipse creavit, & quidem in habitaculum suum, quantum in ipso est. Pulchrè hoc ostendit Deus Jonæ Prophetæ; qui juxta vaticinium suum expectabat in horas singulas subversionem Ninive, perversæ civitatis. Excitavit enim ipsi dum in Sole æstuaret, tuguriolum ex cucurbita in umbraculum, idemque die sequenti vermiculi ministerio iterum destruxit. Malè id habuit Jonam & bilem ipsi movit, cum destitutus umbraculo suo rursum æstuare cœpit. Ibi vox Dei ad ipsum: *Putasne benè irasceris tu super hedera?* affirmante illo rursum Deus: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit: & ego non parcam Ninive civitati magnæ?* quasi dicat, vis tu, ut mox perdam tantum populum, quem ego creavi, & non prius varia media tentem ad ipsum mihi servandum, quia tam vile & fragile tuguriolum tuum, quod tu non struxisti, tibi everti doles? Egregiè sanctus Ephrem sermon. de Jona hoc exaggerat; *Cucurbita,* inquit, *tibi nunc loco Magistri efficitur, ex qua sapientiam & prudentiam addisce, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, & ego civitati. Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abjectum quæris, & urbem funditus evertis? ubi rectum judicium tuum ô Iona! Cucurbitam civitate potiorem ducis? super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, & in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes.*

II. *Quia fieri potest,* inquit Divus Augustinus sermone quadragesimo sexto de diversis; *ut qui hodie zizania, cras sint frumentum.* Et Sanctus Petrus Chrysologus sermone nonagesimo septimo. *Si zizaniis non subveniret Dei potentia, nec Matthæum de Publicano Evangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret.* Quæ corruptiora zizania facile inveniemus, quàm erant Ninivitæ sub Rege Sardanapalo (quod ex Chronologia deducit P. Cornelius præfat. in Jonam) corruptissimo & effœminatissimo; quos proinde justissimus Deus simul omnes perdere cogitarat? At hi tamen ad prædicationem Jonæ, *resipiscentes,* inquit S. Ephrem sermon. de Jona, *adorabant eum ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit Rex thesauros & obtulit illi dona valde honorifica; uno omnium ore celebratus est Ionas ingressusque in curru regio consedit.* Deinde addit Regem misisse viros, qui Jonam in Jerusalem honorifice reducerent, & per hospitia commodè tractarent. Cives verò una cum Rege induti sunt saccis & jejunaverunt à majore usque ad minorem & clamaverunt ad Dominum. Quid magis admirandum, quàm agrum Niniviticum tot zizaniis repletum adeo repentè in bonum triticum fuisse commutatum? Non minorem admirationem habet, quod in vita Sancti Ludovici Franciæ Regis refertur de Arsacida Assassinorum Rege, qui diris invidiæ stimulis concitatus misit in Franciam legatos, quovis ausu temerario præditos, qui Regem optimum quocumque modo occiderent. Verum paulo post animi pœnitudine ductus, alios summa festinatione destinavit, qui Ludovicum Regem admonerent, ut à prioribus Legatis diligenter sibi caveret. Itaque illi prudenter intercepti una cum posterioribus domum incolumes & cum muneribus à Ludovico remissi sunt. Lipel. in vita Sancti Ludovici 25. August. Quis talem & tam subitam in melius commutationem expectasset à Rege barbaro? Nihilo minus stupendum, quod in vita Sancti Antonii de Padua habetur de Notario quodam lubrico, carni & mundo dedito; quem Sanctus Antonius quoties transibat, genu flexo & nudato capite salutabat velut martyrem. Quod cum is pro derisu duceret & indignè ferret, tandem rei eventu comprobatum est, quando Jerosolymam profectus coram Saracenis Christum ingenti zelo prædicare non extimuit, ideoque à Saracenis variis suppliciis excruciatus pro Christo martyr occubuit. Sur. 13. Iun. Alia his similia exempla innumera passim invenire est; propter quæ Psalmista Ecclesiam ad laudes Deo canendas hunc in modum invitat Psalmo centesimo quadragesimo septimo. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit, mittit crystallum suam sicut buccellas.* Nivem dat quasi lanam, quando frigidissimi peccatores ejus gratia aspirante induūt lanam ovium, ut & alios calefaciant. Unde Sanctus Augustinus in eum locum: *Quid est,* inquit, *ex nive vestem laneam efficere, quam de istis adhuc incredulis & frigidis spiritu vestem charitatis & pœnitentiæ aliis efficere?* Nebulam, quæ peccati typus est, dat in cinerem, quando ipsis reproborum peccatis impinguat (id enim cinis præstat melius; quam fimus jumentorum teste Plinio libro decimo septimo capite nono.) agrum Ecclesiæ, ita ut per illorum resipiscentiam alii ad frugem perducantur, v. g. per Paulum, factum ex persecutore prædicatorem. Crystallum sicut buccellas, quando eosdem peccatores multo annorum spatio induratos convertit in frustra panis, ad pascendos alios fideles; ut idem Augustinus exemplo Pauli explicat. Quod ergo mandavit aliquando David Ducibus suis cum Absolone præliaturus: *Servate mihi puerum Absolom.* 2. Regum 18. quasi expectans ab eo, pro nunc puerili & insipiente, aliquando meliorem mentem ac resipiscentiam: id videtur mandasse in hodierno Evangelio cœlestis Paterfamilias Angelis suis, cum dixit, *sinite utraque crescere;* forsan resipiscent, ubi ad majorem ætatem venerint? vel mente se collegerint. Cujus resipiscentiæ egregium exemplum describitur in vita Beati Danielis Stylitæ; de quodam viro, nomine Gelasio, qui Danielem è columna, in qua stationem continuam fuerat aggressus, exturbare conatus est, quod illius loci dominus esset. Sed Christum famulum

suum protegente, cum mira esset cœli serenitas, repentina imbrium ac grandinis exorta tempestas hominem quidem nonnihil exterruit, sed amentis stultitiam nequaquam extinxit. Itaque columnæ jam propinquior factus, Danielem inclamans mandavit ut festinus descenderet. Cumque admotis scalis, vir sanctus pedes tumidos & ulceribus atque vulneribus præ divina nocturnaque statione plenos proferret, Gelasius eo spectaculo misericordia motus, temerarii sui facti veniam petiit, & in ea columna manendi non solum potestatem fecit, sed aliam quoque excelsiorem firmioremque suis sumptibus viro sancto struxit.

III. *Qui sæpe prosunt bonis.*

III. Quia zizania illa si non prosunt sibi, prosunt tamen sæpe bonis, dum in patientia eos exercent, & ita ad coronas provehunt. Si enim nullus esset persecutor, nullus esset martyr: si non esset vexatio, non esset patientia. Zizania terræ succum dum ad se trahunt, nocent tritico: impii etiam terrena bona attrahere ad se laborant & diis auferre: sed per hoc illis prosunt magis, dum à terræ sarcinis expeditos promovent ad cœlestia. Effigiem horum expressit Esau, qui à fratre quidem extorsit lentis edulium, sed in bonum fratris, & malum suum. Quid enim ipsi lentes nisi somnia horribilia (ea enim causare solent) hoc est, sordis tristitiam & melancholiam poterant conferre? At primogenitura tulit Jacobo patris benedictionem. Sic Josepho profuêre fratres, ut Princeps in Ægypto fieret; dum eum illuc vendiderunt, ne ipsorum dominus fieret: hoc ipso enim effecerunt, quod impedire studuerunt. Sic & Judæi Christi gloriam amplificarunt, dum per infamem crucem obscurare voluerunt. Ex eodem zizaniorum genere fuit non postremus, Apostata Julianus, qui in decreto suo, quo Christianorum bona fisco suo adjudicavit, etiam causam illam inseruit, quod Christiani ex præscripto Evangelii sui nequaquam affluere divitiis, sed eas potius petentibus erogare & perfectionis adipiscendæ gratia relinquere deberent; uti refertur in vita SS. Joannis & Pauli apud Sur. 26. Junii. Profuit hoc lolium Joanni & Paulo aliisque innumeris, qui detractis sibi opibus ad martyrium aptati & animati fuêre. Adhæc dum persequuntur & vexant bonos mali, in timore Domini & pietate magis eos conservant, non secus ac gluma seu folliculus grani triticei servat id à morsibus & rapinis avium. Hinc apposite Psalm. 1. *gluma* appellantur in Hebr. ubi latine habemus: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, &c.* Hebr. *gluma; quæ cum tegit granum*, inquit Cardinal. Cajetanus in eum locum, *utilis est. Assimilantur in hac vita impii glumæ utili quidem non sibi, sed alii; quia reprobi in hac vita sunt non propter se, sed propter electos.* Cæterum sunt quidem in eadem spica simul granum & gluma, eodemque humore aluntur, at cum venerit ille, cujus ventilabrum in manu ejus: granum quidem in Christi horreum inferetur, gluma verò avolabit in ignem: sicut etiam *seges*, inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 32. *Ecclesia, etsi cum zizaniis interim communem bibens pluviã, sed tamen horreum non habitura commune. Tolera zizania, si triticum es.*

IV. Quia demonstrant Dei bonitatem simul & justitiam. Bonitatem dum impios tamdiu expectat ad pœnitentiam, quamdiu spes aliqua emendationis eorum superest; justitiam verò dum punit jam plane incurabiles. Expressit hoc Salvator noster in parabola illa ficus, quæ triennio sterilis jussa est exscindi è vinea, precibus tamen vinicolæ dilata est ad annum, si forsan exculta fructum afferret, sin minus, posteà, exscinderetur velut incurabilis. Lucæ decimo tertio. In hunc ergo modum Deus utitur sua misericordia erga steriles peccatores prorogans eis vitam; at si spem fructuum nullum præbeant, tandem utitur justitia, & securi sua exscindit eos. Vidit hoc Gentilis ille, doctissimus tamen Plutarchus, qui lib. de sera Numinis vindicta scribit: *Deum credibile est, quamcunque vitio captam animam justo judicio aggreditur, ejus motus perspicere, sicubi ad pœnitentiam inflectuntur, tempusque correctionis largiri iis, quorum non extrema est & incurabilis nequitia.* Subjungitque elegantem similitudinem: *Legem Ægyptiam videntur recte quidam Græcorum descripsisse, quæ jubet gravidam, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat. Quod si prægnans aliquis non sit, sed progressu temporis actionem aut consilium arcanum in lucem possit producere, aut occulti alicujus mali indicium deferre, vel salutaris fieri auctor consilii, aut necessarii usus inventor, nonne rectius facit, qui dilato supplicio eam utilitatem operitur, quam qui mature eum interficiat?* Censendum profecto videtur idem de supremo Numine, expectante salutaris pœnitentiæ partum à peccatoribus, dum, ut dixi spes aliqua ejus affulget, quæ cum non apparet, & frustra mora trahitur, ibi justitiam Deus exerit & pro merito eos plectit; ut agnoscatur in eis justus, qui clemens & misericors agnosci non potuit. In hanc ferè sententiam respondit, Sanctus Achatius, Centurio Christianus, Bibiano præsidi Gentili, ab eo interrogatus, cur Christus non puniret Imperatores, sibi & suis infestos, *facilè* enim, ajebat, *Imperatores punire potest si est Deus verè potens.* Cui Achatius: *Ex hoc ipso eum ac ejus bonitatem & potentiam cognoscere potes, quod cum injuriæ illi fiant, non statim pœnas vobis refert, sed diutius exspectat, ut vos Græcos pœniteat, qui cultum & venerationem Deo congruentem, Dæmonibus offertis. Adhæc & servorum, qui ei grati sunt, electionem ac progressum hoc modo complere vult. Itaque hac providentia utitur. Nam si statim vobis pœnam inferre vellet, & vos ipsi in perpetuum periissetis, & ipsius servi manifesti non fierent: quin etiam gratia ipsius potentia otiosa permansisset. Quomodo enim Dominus noster gloriosè laudari posset, nisi diuturna in vestris sceleribus puniendis uteretur patientia? Nunc verò hæc ita fieri permittit, ut & vos, qui non resipiscitis, sed diuturnam ipsius patientiam respuentes, in vestra sævitia persistitis, & ab eo magis magisque desciscentes, ad interitum properatis, vestra culpa condemnemini: & nos, qui ejus imperium agnovimus,*

mus, perpetuò cum illo vivamus. Quin etiam ipsius gloria in illis hominibus manifestior fiet qui scelera sua recognoscentes, vitam emendaverint. Hæc ille adeò sapienter, ut Præses ipse miraretur, unde hoc tam sapiens responsum deprompserit, nec haberet quod martyri responderit. In actis ejus apud Metaphr & Sur. 8. Maii. Atque hoc est quod Apostolus ad Roman. 2. ait: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, &c.* Olla rimosa non mox in aquas mergitur, sed sensim impletur, & cum plena fuerit, repentè subsidit. Idem peccatoribus accidit: expectat Deus mensuram peccandi, quam præfixit; ac tum demergit eos, cum eam impleverint, juxta id Salvatoris Matth. vigesimo tertio. *Implete mensuram patrum vestrorum.*

V. Quia bonis quibusdam suis operibus, tametsi extra gratiæ statum factis, adeoque cœlo indignis, sustinent ad tempus saltem Dei manum, ne continuò exterminentur, donec aliquam in terris saltem mercedem eorum receperint. Hac, ut reor, de causa Cain particida non mox, uti alioquin homicidæ solent, à Deo occisus, sed diu vivere, quin & nuptias celebrare, & filios procreare, & civitatem Henoch struere, & in ea habitare permissus est; quia ipse Deo obtulit munera & sacrificia sua, tametsi non optima, nec forsan recta intentione; ut taceam, quod ejus posteri multi futuri erant boni & electi. Verum ea Caini fœlicitas & posteritas non fuit diuturna; in septima enim generatione tota ejus progenies desiit & in diluvio demersa est. Abigail precata est David, ut anima inimicorum ejus rotaretur impetu *quasi in circulo fundæ*, 1. Reg. 25. Contingit hoc inimicis Dei, quando non statim ut peccarunt, ejiciuntur ex hac vita in abyssum, sed gyrantur prius aliquamdiu velut lapis in funda; tamen non diu, & tunc maximo emittuntur impetu. De hoc gyro impiorum Psalm. 11 dicitur: *In circuitu impii ambulant.* Quomodo in circuitu? Quomodo illi, qui possessionem occupant, circumire apud M. Tullium lib. 8. famil. epist. 11. & pedem ponere in alieno fundo dicuntur. Occupant enim reprobi sæpè præter fas & æquum possessiones justorum. Quomodo in circuitu! Quomodo Satan dixit: *Circuivi terram & perambulavi eam*, Job. 1. velut leo nimirum rugiens, quærens quem devoret. Sic ad tempus permittuntur impii vexare pios, opprimere, spoliare. Quomodo in circuitu? sicut juvenes illi dissoluti, qui dixerunt, *Nullum sit pratum quod non pertranseat, luxuria nostra: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra.* Sap. 2. Quomodo in circuitu? sicut qui choreas ducunt, circumeundo saltant, quales describuntur in l. Job. c. 21. *Tenent tympanum & citharam & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

THEMA III.

Peccatores cur zizania dicti.

I. Mali volunt videri boni.
II. In vita florent, in morte sordent.
III. Raro diu vivere permittuntur.
IV. Bona terræ ad se trahunt.
V. Conantur etiam bonos pervertere.
VI. Creant bonis dolorem & tristitiam.
VIII. Igni adjudicantur velut herbæ inutiles.

Tunc apparuerunt & zizania. *Matth. 13.*

Libro 4. Reg. cap. 4. legimus Elisæi discipulum exjisse ad colligendas herbas, & collegisse coloquintidas seu sylvestres cucurbitas, quasi vitem sylvestrem, amaras & pestiferas. Quas cum in olla coxissent, exclamarunt in Elisæum: *Mors in olla vir Dei*; quia deprehenderunt esse amarissimas ac proinde mortiferas. Elisæus farinam injecit ollæ & correxit herbas, ut fierent salutares. Exierunt etiam in hodierno Evangelio servi patrisfamilias ad videndum agrum & deprehenderunt in eo zizania. Quis zizania comedat? *mors in olla, mors in olla.* Verum, quia bonâ farinâ corrigi & bonæ herbæ fieri possunt, non mox eradicanda, sed ad tempus toleranda sunt. Nunc verò ostendamus quàm malæ herbæ fieri possunt, nō mox eradicanda, sed ad tempus toleranda sunt. Nunc verò ostendamus quàm malæ herbæ quàmque verè zizania sint homines mali hujus sæculi. *Corrigi possunt ma 9.*

I. Zizania etsi inutilia & perniciosa sunt, varios tamen eosque non ingratos colores præ se ferunt: ita peccatores licet mali sint, boni tamen videri volunt, ac virtutis speciem præ se ferunt. Tam deforme enim est peccatum, ut nisi palliatum prodire non audeat, quod omnibus horrori sit. Patet in Henrico VIII. Angliæ Rege, qui ut iniquissimum legitimæ conjugis repudium suamque libidinem palliaret, primarios regni viros muneribus & dignitatibus oblatis corrumpere conatus est, ut inprimis Thomam Morum, cujus maximam sciebat esse auctoritatem; deinde Academias variis in orbis partibus ad suam sententiam pertrahere, ipsum etiam summum Pontificem oblatione 4000. equitum ad ejus inclinare defensionem: denique juratus protestari, quod non odio conjugis, sed scrupulo conscientiæ motus eam repudiaret velut illegitimam dispensatione Papæ sibi traditam; mendacissimo animo. Sander. in schism. Angl. Quod si colorem vitiis peccatores inducere nequeunt, saltem id occultare solent quibus possunt modis, quo modo & zizania multa sub tritico se abscondunt. Id fecisse Davidem in tegendo suo adulterio, Uriam inebriando & remittendo in domum suam, denique ubi id non successit, exponendo eum gladiis hostium & è medio tollendo, clarum est ex 2. Reg. 11. Verum frustra sunt, nec possunt Deum fallere, nec Dei servos, quin deprehendantur, uti expertus est David, misso ad se Nathan Propheta dicente; *Tu es ille vir: tu fecisti abscondité,* *I. Mali volunt videri boni.*

ego autem faciam in oculis Solis hujus. Sic & Henrici adulterium ac libido turpissima cum summa ejus ignominia & infœlicitate toti orbi patuit. Herodes quoque Joannem decollavit, ne proclamaret ejus incestum per Judæam; sed inde factum ut postea per totum orbem latius pateret.

Pueris quidem placent zizania florida & variegata, sed agricolis displicent. Similiter peccatores virtutum colore fucati coram mundo in æstimatione sunt, coram Deo verò & servis ejus abominatio sunt. Tales enim Christus ait se non nosse; unde eorum nomina tacet, uti epulonis, Lucæ decimo sexto & divitis illius Lucæ duodecimo, cum tamen nominetur Lazarus mendicus. Statuam illam Beli æream & inauratam reputabant Balsasar Rex & Babylonii Deum esse viventem, bibentem & comedentem, maximaque in veneratione habebant. Sed omnibus sapientior Daniel eum despexit dicens: *Ne erres Rex: iste enim intrinsecus luteus est & forinsecus æreus*; ideoque à Daniele eversus. Danielis decimo quarto. Omnes aulici Regis Assueri Amanem flexo genu venerati sunt, solus pius Mardochæus omnibus oculatior superbissimum non honoravit hominem, quem Deo mortuum norat. Esth. quarto. Et merito, cum tales præter externum splendorem & favorem humanum nihil prorsus habeant, sintque merissima zizania.

II. *In vita florent, in morte sordent.*

II. Zizania etsi tritico sæpe similia sunt in herba, uti lolium, (Erdtwalz/) dum in agro sunt: ad extremum tamen in molendino dissimillima deprehenduntur: nigram enim farinam dant, cum triticum det albam. Pari modo reprobi licet hic à probis difficile dignoscantur, licet splendeant & dominentur, atque in summo honore sint, ad extremum tamen in mortem ignominiosam aut saltem obscuram & ignobilem desinunt. Propterea Sapiens Proverbior. decimo ait: *Nomen impiorum putrescet.* Ibidem comparat eos nubibus tonantibus & fulgurantibus: *Quasi tempestas transiens non erit impius*; inquit. Nubes enim in tempestate suis bombis & coruscationibus nemini non terrorem injiciunt. Verum paulo post resolvuntur in pluviam, decidunt ac quiescunt, nec superest ex illis nisi lutum ac sordes: sic filii hujus sæculi dum vivunt, honorum, opum, pomparum strepitu reboant & omnes in admirationem ac terrorem rapiunt. Cæterum mortuis ac sepultis illis, omnis illorum fastus & memoria sepelitur, nec superest nisi ignominia, derisio, imprecatio, oblivio. Ita inter plurimos Antiochus ille Epiphanes Judæorum hostis, qui videbatur sibi fluctibus maris imperare & montium altitudines in statera appendere, eratque terror plebis, è curru excussus in terram, prostratus ac collisus cœpit vermibus scatere ac fœtore suo totum exercitum gravare: *& qui paulo antea sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat præ intolerantia fœtoris portare.* 2. Machab. 9. Hic exitus & hic odor illius, quem ob summam unguentorum affluentiam vocabat quidam beatum, apud Athenæum. Unde bene de eo prædixit Mathathias 1. Machab. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est.* Sic omnes Principes hujus sæculi impii in tenebras ierunt, ac per orbem undique traducuntur aut certe nesciuntur. Sic qui vivunt in splendore, sepeliuntur sine honore.

III. Zizania licet in tritico crescant, non tam alte tamen, sicut triticum excrescunt. Ita etiam impii vitam suam ordinarie non producunt ad metam piorum, sed citius hinc auferuntur immatura morte, seu propter eorum intemperantiam, seu ob temeritatem, qua se in mortis pericula, pugnando, equitando, venando, alios prosequendo conjiciunt, seu quia ob demerita Deus citâ eos morte punit, & excidit velut steriles ac perniciosas arbores, terram frustra occupantes, aut etiam prementes. Ita testatur Sapiens loco paulo ante citato dicens: *Anni impiorum breviabuntur.* Propter causam primam quidem breviantur, quia *propter crapulam multi perierunt.* Eccl. trigesimo septimo. Ob secundum, quia *qui amat periculum, peribit in illo.* Ecclesiastici 3. Propter tertiam, quia scimus ficum sterilem post triennium excidi jussam: & de servo illo malo dici Matth. vigesimo quarto. *Si dixerit servus ille malus: Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis; veniet dominus in die, in qua non sperat, & hora qua ignorat & dividet eum,* (id est, dissociabit) *& ponet partem ejus cum hypocritis.* Matth. vigesimo quarto. Ob quartam causam ait Job capite vigesimo quarto de illis: *Elevati sunt ad modicum & non subsistent: & sicut summitates spicarum conterentur.* Nimirum sicut Tarquinius superbus consuluit filio, ut tolleret suprema Gabinorum capita (in horto decapitans summa papavera) quæ subditos post se trahebant, exemplo aut consilio vel jussu, teste Livio: sic cum impiorum capitibus procedit fere Deus. Ac licet interdum contingat, ut longævam vitam ducant, ea tamen respectu mortis æternæ, quæ eos expectat, brevissima & momentanea est. Unde inferi illi Sap. 5. ajunt dies suos prætervolasse sicut avem, navim, cursorem, sagittam, seque natos continuo desiisse esse.

IV. Zizania trahunt ad se succum terræ, eumque tritico auferunt, non secus ac fuci mel furantur apibus. Ita etiam reprobi honores, dignitates, proventus, beneficia pinguia, fundos meliores ad suos trahunt usus non sine aliorum sæpe injuria. Ratio est, quia pleni sunt amore proprio, vacui charitate proximi. Patet hoc inter alios exemplo Neronis; qui teste Martiali totam Romam compulit suis cupiditatibus servire, tantumque spatium Urbi ad palatium sibi struendum abripuit, ut vulgo diceretur; *Roma domus fiet, Veios migrate coloni: Si non & Vejos occupet ista domus.* Patet in Achab Rege Samariæ, qui vineam Naboth palatio suo adhærentem violenter ad se rapuit, & cum ipsi negata fuisset, in mœrorem incidit. 3. Reg. 21. Patet denique quotidiana experientia: omnia enim commoda, meliora prædia, pinguiores præbendas rapiunt ad se filii hujus sæculi, & abstrahunt

sunt justis longe dignioribus. Quæ sane maxima est iniquitas, ita ut David talem divitem, qui suis gregibus, parcens, pauperi unicam oviculam rapuisse dicebatur, *filium mortis* pronunciarit. 2. Reg. 12. Et minatur Deus talibus damnationem, Isa. 4. *Væ qui conjungitis domum ad domum & agrum agro copulatis usque ad terminum loci; nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

Permittit verò hoc Deus, quia mali aliam in altera vita mercedem non habent. Unde dicunt Sap. 2. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, &c. quoniam hæc est pars nostra & hæc est sors.* Permittit, inquam, illis prata omnia & aliena sæpe depascere, quia pergunt ad macellum damnationis: quo modo oves ad macellum destinatæ, prius ad pinguia prata ducuntur, juxta id Osee 4. *Pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine*, hoc est, permittet Israelem quasi agnos in spatiosis & uberrimis campis deliciis affluere, ut fiant præda Assyriorum: sic etiam filios hujusce sæculi, futuros prædam Dæmonis & victimam inferni.

V. Zizania multa tritico se implectunt ac circumvolvunt, idque in terram deprimunt nec assurgere patiuntur. Sic reprobi conantur etiam probos pervertere & à bono vitæ proposito ad terram & perditionem suam pertrahere, invidentque eis gloriam, quam ipsis ex virtute accedere vident. Sic Ismael adhuc puer conatus est fratrem Isaac juniorem evertere ludo, hoc est, ut volunt Liranus & quidam alii, faciendis imaginibus idolorum: secundum alios, vexavit, & irrisit & persecutus est. Esau cogitavit interficere Jacobum Josepho invidebant fratres, quod à parente plus quam ipsi amaretur, & quod videretur ipsis dominaturus aliquando, unde ajunt: *Nunquid rex noster eris, aut serviemus tibi?* ideo eum vendiderunt, Ægyptii depresserunt Hebræos, videntes eos crescere nimis ac prosperari. Judæi videntes per Apostolorum prædicationem converti ad Christum Principes ac populos Gentiles, missis Legatis ad synagogas & Principes exteros, avertere eos conati sunt à Christi fide, ut testatur Sanctus Justinus in Dial. cum Tryphone. Apostata Julianus nihil non excogitavit ut Christianos à fide ad gentilismum exemplo suo traheret. Hinc sacra Gentilium accommodavit ad ritus Christianorum, fecit labara cum imaginibus falsorum Deorum ad similitudinem labari Christiani à Constantino M erecti. Ambrosium Virgo Ariana de sede sua Episcopali detrahere conata est, ut verberibus mulctandum furiosis exhiberet. In ejus vita. Denique priore sæculo impius ille Henricus VIII. de quo supra, etiam ad schisma & hæresin delapsus, non solum subditos suos pervertit secum, sed & S. Thomam Cantuariens. Episcopum & Martyrem jam à 400. annis declaratum sanctum, de cœlo detrahere conatus est; dum in jus vocavit & causam dicere præcepit, nec non perduellionis condemnatum inter divos amplius censeri vetuit: imò capitale esse jussit, siquis eum vel invocaret, vel diem ejus festum celebraret. Florimund. libro sexto Originis hær. capite quarto. Sanderus in schism. Angl. Didicerunt illi hæc à patre & seminatore suo Satana, inimico hominis, cujus semen sunt, siquidem & ipse cœlum nobis invidet, & quibus potest modis surripere molitur.

VI. Zizania panibus admista capiti dolorem, oculis caliginem adferunt, inquit Levinus Lemnius in similitud. Parab. Bibl. capit. 46. Non aliter perversi homines creant bonis & Deum amantibus dolorem & tristitiam. Primo, quia boni, præsertim parentes & propinqui contristantur, dum vident malos rendere ad perditionem & innocentes ab ipsis affligi. Secundo, quia sæpe ipsorum exemplo boni pervertuntur & offenduntur. Tertio quia propter paucos impios sæpe etiam innocentes puniuntur, tametsi in temporalibus solum.

VI. *Creant bonis dolorem & tristitiam.*

Oculos etiam offendunt, hoc est, Ecclesiæ Prælatos, quorum filios quasi in utero eorum collidunt & conturbant. Caput etiam affligunt, Magistratum, inquam, cujus regimen harmonicum destruunt, curis etiam ac molestiis onerant. Quemadmodum enim unicus hircus in ovium grege plus fatigat pastorem, quam totus ovium grex: ita unum zizanium, unus perversus & inquietus homo plus curæ & laboris creat Magistratui, quam tota civitas. Hinc inviti & cum lachrymis sæpe coguntur eos plectere & supplicio afficere: hinc parentes optant nunquam genuisse filios, & maledicunt illis; quemadmodum Augustus Imp. nulla re infœliciorem se dictitabat, quam quod haberet liberos tam degeneres ac depravatos; hocque uno se infœlicem dicebat, quod tales genuisset, quos & vomicas ac carcinomata appellabat, & ob flagitia in exilium relegavit, vetuitque inferri in sepulchrum paternum. Suet. Quos dolores non crearunt Davidi filii perversi, Amnon & Absolom?

VII. Denique zizania velut herbæ inutilis igni adjudicantur. Sic etiam mors peccatorum pessima, ab igne inferni tandem excipitur. Quæ enim non solum inutilia sed etiam perniciosa sunt, ignibus traduntur, ut omnino tollantur. Senserunt infernalem hunc ignem aliqua zizania etiam in vita, necdum prorsus evulsa, uti Constantinus Copronymus Iconomachus & Ecclesiæ vastator, qui moriens dicebat: *Vivens adhuc igni inextinguibili sum traditus.* Ejus quoque cadaver ad Irene, ejus nuru, refossum & concrematum fuit. Cuspinian. similiter *funesta morte ex hac vita abreptus est Nantinus comes Engolismensis*, inquit Sanctus Gregorius Turonens. libro quinto Franc. histor. capit. 36. *Qui cum in sancta loca Deique ministros multa mala patrasset, à morbo corripitur: in quo nimia exustus febre clamavit dicens: Heu, heu ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse Pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cum maxima in febri clamaret, deficiente robore corporis infœlicem animam fudit, indubia relinquens vestigia, hoc ita ad ultionem beati viri venisse: nam exanimum corpus ita*

VII. *Igni adjudicantur velut herba inutiles.*

ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis ſuttarpoſitum fuiſſe combuſtum. Similiter Theodoricus Gothus Rex Roman. ob necatos Joannem Pp & Symmachum territus capite piſcis in menſam allati, quaſi id eſſet caput Symmachi ad ſe devorandum os aperiens: inde mox decubuit & clamare non deſiit ſe à Symmacho torqueri. Qui & moriens viſus eſt Eremitæ in ollam bullientem projici in Inſula Laparitana.

Vidimus igitur quinam & quales ſint filii hujus ſæculi, zizania nimirum, hoc eſt; adeo deformes, ut ſe fucare debeant; homines in confuſionem & ignominiam deſinentes, homines longiore vita indigni, homines rapaces, inſidiatores, omnibus moleſti atque oneroſi; ignis æterni rei.

THEMA QUARTUM.

Quænam zizania poſſimum è communitate extirpanda.

Iuxta mentem Chriſti zizania vocantur & è communitate extirpandi ſunt.

I. Vſurarii & monopolæ.
II. Seditioſi & turbatores pacis.
III. Magicarum artium ſtudioſi.
IV. Scandaloſi.
V. Scorta & meretriculæ.
VI. Blaſphemi.
VII. Hæretici, ſi turbulenti ſint.
VIII. Otioſi.

Colligite primum zizania & alligate ea in faſciculos ad comburendum.
Matth. 13.

SCimus, Audit primis noſtris parentibus nihil profuiſſe conatum ſuum, quo jam rei transgreſſionis inter denſas paradiſi arbores abſcondere ſe moliti ſunt. Mox enim à Deo deprehenſi & in lucem protracti, è paradiſo ejecti ſunt. Geneſ. tertio. Seductos illos parentes ſequuntur parvi aliqui filii, qui cum graviter deliquerint, conantur ſe abſcondere ſub hodierno Evangelio, ubi Chriſtus prohibet colligere ex tritico zizania & eradicare. Sed fruſtra laborant. Non enim vetat Chriſtus Magiſtratui & patribusfamilias eliminare filios nequam, qui aliis nocent; ſed loquitur de ſua gubernatione, quia velut ſupremus Legiſlator non vult ſtatim eliminari omnes tales, ſed permittit agere uſque ad tempus, quod conſtituit; ut vel emendentur, vel juſtius condemnentur. Deinde non vetat eradicare zizania, niſi cum periculum eſt, ne ſimul eradicetur & triticum ſeu boni; cum ſcilicet non dignoſcuntur. Denique non vult ut omnes prorſus eliminentur, quod nunquam fiet. Alibi proinde manifeſte præcipit, ne malefici permittantur vivere. Exod. vigeſimo ſecundo. Debent igitur zizania eradicari & foras projici à Magiſtratibus, cum noſcuntur. Qui vero juxta mentem Chriſti talia zizania ſint, videamus.

Eradicanda ſunt è rep. zizania ſeu perverſi

Juxta mentem Chriſti in parabola hodierna ill duntaxat zizania vocantur, qui publice & inſignite mali ſunt, in perniciem aliorum, qualia ſunt zizani tritico: ideoque in explicatione parabolæ vocat eo Chriſtus *filios nequam*, Græc. *filios Diaboli.* Tales au tem ſunt.

I. Primo qui in bonis fortunæ nocent Reip. u uſurarii & monopolæ. Hi enim bona communia tra hunt ad ſe ſolos, ita ut ſi poſſent, omnes exſugeren quo ipſi ſoli omnia poſſiderent. Gravis eſt hic mo bus in Repub. non ſecus ac in homine, quando unu membrum totum fere alimentum ad ſe trahit, und alia membra neceſſario alimento deſtituuntur; cum unus pes male affectus intumeſcit nimis, alt deſtitutus neceſſario ſibi pabulo conſequenter exare cit. Sunt ergo civitati, quod ſunt zizania tritic quod tubera corpori: quod lucii aliis piſcibus in v vario: quod vermis pomo, qui clam & ſine ſenſu ta dem totum erodit. Sanctus Ambroſius *pauperum ſ pulchra* eos appellat; quia ut ſepulchrum cadavera d vorat ac conſumit: ita illi egenos. Sed audiant iſti qui per Amos dicat Deus capite octavo. *Audite hoc q conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ dice tes, Quando tranſibit menſis & venundabimus merc & ſabbathum, & aperiemus frumentum: & imm nuamus menſuram & augeamus ſiclum & ſupponam ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos & pa peres pro calceamentis* (h. e. artibus & fraudibus red gamus eos ad inopiam, ut fiant mancipia noſtra ſerviant nobis quaſi iumenta, & quidem pro minim pretio, v. g. pari calceamentorum) *& quiſquilias fr menti vendamus?* (pro puro ſcilicet frumento.) Se quid ad iſta Deus? ſequitur: *Iuravit Dominus in ſ perbiam Iacob: ſi oblitus fuero uſque ad finem omnia peracorum! Nunquid ſuper iſto non commovebitur te ra & lugebit omnis habitator ejus? & aſcendet qua fluvius univerſus, & ejicietur & defluet quaſi riv Ægypti?* Quod ſic declarat Paraphraſtes Chald. *Irru in eam Rex* (Aſſyriorum) *cum exercitu ſuo maxim ſicut aqua fluvii, & eluet eam omnem, expelletque ha bitatores ejus, ut fluvius Ægypti.* q. d. mittam illis pr domibus alios prædones, qui & ipſos expilent. *Su piſces:* ait Sanctus Ambroſius libro quinto Hexan capite quinto. *qui invicem ſe devorent: minor apu illos eſca majoris eſt: rurſus ipſe major à validiore inv ditur & fit eſca alterius prædator alieni. Itaque in ſi num facti ſunt; ut in his noſtrorum morum vitia vid remus & exempla caveremus, ne quis potentior inf riorem invaderet.* Et paulo poſt: *Quia intereſt int divitem abſorbentem infirmorum patrimonia, & ſil rum, minorum piſcium alvum replentem?* Quare ſic ſiluri, lucii & ſimiles piſcium helluones, quam p mum poſſunt, præ aliis capiuntur à piſcatoribus, pe petuo eis inſidiantibus: ita multo magis pauperu prædones exterminari è communitate debent à Mag ſtratibus.

II. Qui pacem turbant, homines ſeditioſi. I quibus intelligo, quod Apoſtolus ad Galat. 5 a *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.* Beat

Petri

Petrus Damiani libro ſexto Epiſtolarum, epiſtola 1, ad Monachos Caſſinates ſcribit fuiſſe fabrum in regione, quæ Pilonicum dicitur, qui non rebus utenſilibus ad pacem, ſed armis tantum, uti gladiis & lanceis ad pugnas & cædes cudendis delectabatur: ita ut non pauci per ejus gladios in certamina corruerint. Hic cum aliquando non graviter ſauciatus in pectore cecidiſſet, in aliena domo, quia procul à proprijs erat, receptus decubuit, & curatus convaluit. Sed en dum miſſo ab uxore vehiculo, ut domum rediret, lætus è lectulo ſurgit, totum brachium in lecto quaſi reſectum, abſque ſenſu tamen, relinquit à corpore avulſum. Juſto utique Dei judicio, ut repente brachium perderet, quo repentinæ mortis tela miniſtra fecerat. Sic reſecatur membrum affectum, ne alia membra inficiat. Quare meritò Apoſtolus dixit: *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant*. ad Galat. quinto. Quod ſi is, qui inſtrumenta ſolum diſcordiarum fecerat, ita punitus eſt, quanto magis pœna dignus, qui ſeditionum ac diſcordiarum auctor eſt. Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo, fuit nobilis Venetus Bajamontius Teupolus, qui contra Magiſtratum ſeditionem excitavit, & dum contra adverſantes pugnat in platea Merceria dicta, muliercula in vicina æde, de ſuperiore contignatione feneſtram aperit, tumultum ſpectatura, & aperiendo dejicit caſu vas terra impletum, in quo erant cariophylla (ein Nagelſcherben) ante feneſtram poſitum. Cadit id in caput illius Teupoli eumque occidit. In ejus rei memoriam ſolebat in die Sancti Viti vexillum ex æde ſuſpendi, in quo depictus eſt hic caſus. Refert Petrus Juſtinianus in hiſtoria Veneta. lib. Roſſet. & alij. Nunquid caſu factum dicemus, quod ſeditioſus ille tali modo enectus eſt? Minimè gentium; nihil enim caſu fit reſpectu Dei. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Ait Amos capite tertio. Nimirum qui direxit fragmen molæ, è turri à muliere dejectum in caput ſanguinarij illius Abimelech, ut mulieris manu ignominioſè caderet, Judicum 9. idem direxit vas illud teſteum in caput Teupoli, caſu quidem à muliere dejectum, ſed ex Dei conſilio in turbatorem pacis delatum.

III. [M]agicarum artiũ [st]udioſi.

III. Qui contra fidem Chriſtianam magicas artes exercent. Hi enim non ſibi tantum, ſed & alijs peſtem affricant, quibus ſerviunt. Fluxa quidem bona nobis dare aut ſervare volent, ſed animæ ſalutem interim rapiunt. Ita legimus in vita SS. Joannis & Pauli (apud Surium 26. Junij) Dæmones cuſtodiſſe domos & bona Gallicani, viri Chriſtiani, & invaſores bonorum ejus obſediſſe, ab eis tamen exire noluiſſe, niſi Gallicanus cogeretur ſacrificare Dijs. Ecce Gallicano domos & proventus cuſtodiunt, interim ei Chriſtum rapere ſatagunt. Quare Innocentius Papa cum obſeſſa ab Alarico Roma Magi quidam ab Ethnicis è Thuſcia evocati promitterent ſe præſtigijs ſuis urbem ab obſidione liberaturos, urbe eos expelli juſſit, dicens præſtare urbem ab hoſte capi, quam magicis artibus ſervari: ſicut ſe Larinam oppidum eripuiſſe gloriabantur. Sozom. libro nono capite ſeptimo, & Soſymus libro quinto. Hinc tam ſerio præcipit Deus Levitici decimo nono. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini.* Et capite ſequenti minatur talibus mortem: *Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos & fornicata fuerit* (adhærendo eis eorumque Magiſtro, Dæmoni, velut adultera, me ſponſo ejus derelicto) *cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Id enim ſcelus quoddam adulterij eſt; quo fidelis anima Deo repudiato, Dæmoni ſe proſtituit; ſcelus, inquam, adeo ex natura ſua deteſtandum, ut nulla bona intentione cohoneſtari aut excuſari poſſit. Refert Cæſarius libro duodecimo hiſtoriarum & miraculorum capite vigeſimo ſeptimo exemplum de muliere, quæ ut maritum ab adulteriis averteret & ſibi conciliaret, magicâ arte uſa fuit, ideoque in tormentis viſa maximis à S. moniali: unde tamen, quia ex ignorantia id fecerat, redimi poſſet.

IV. Scandaloſi

IV. Qui publica ſcandala præbent. Hos enim ad literam & primariò appellat Chriſtus zizania, in hodiernæ parabolæ explicatione, cum ait: *ſicut ergo colliguntur zizania & igne comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno ejus omnia ſcandala*, hoc eſt, homines ſcandaloſos, qui non permittunt creſcere triticum, ſeu proficere bonos, ſed ad terram & infernum eos detrahunt. His quidem mundus plenus eſt. Sed videamus paucos. Tales ergo ſunt primo, qui ſub re divina feſtivis diebus ſedent & bibunt in tabernis, aut obambulant in civitate & mercantur. Scandalizantur hinc non Catholici tantum, ſed & hæretici, qui multis in locis hæc non tolerant. Laudatur 1. Machabæorum ſecundo, Mathathias, qui Judæum publicè idolis, ſummo Hebræorum ſcandalo immolantem, trucidavit ſuper aram, unà cum eo qui immolare compulit. Eandem in cœlo & Eccleſia laudem obtinebunt Magiſtratus, qui zelo angelico ſcandala ſuſtulerint. Deinde qui diebus Veneris carnes publicè vendunt, utique ſequenti ſabbatho comedendas, ex quo offenduntur etiam, qui cibos vetitos olfaciunt in plateis, tempore interdicto. Multum hi confunduntur à Judæis, qui ante Chriſtum natum necari potius acerbiſſimis ſupplicijs, quam vetitas ſibi carnes cum aliorum ſcandalo edere voluerunt, uti ſeptem fratres & Eleazarus, qui nec fingere quidem comeſtionem talem voluit ad redimendam vitam, ne alios ſcandalizaret. 2. Machab. 6. Confunduntur ab illis 40. ruſticis, qui & ipſi gladijs Longobardorum occumbere maluerunt, quam carnes immolatitias ſibi obtruſas deguſtare, apud ſanctum Gregorium lib. 3. Dialog. cap. 27.

V. Scorta & meretriculæ.

V. Qui ſuis illecebris aut levitate alios ad lapſum impellunt, uti ſcorta publica & leviculæ in privatis ædibus mulierculæ. Illa evellere Magiſtratus eſt, has patrum & matrum familias. Velut enim zizania implectunt ſe tritico, idque exſugunt facultatibus, corpore & anima, & ad inferos ſecum trahunt. Audiant Magiſtratus, quod Exodi vigeſimo primo Deus mandavit

davit. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Quanto magis pretium animæ, si qua per ipsorum incuriam ceciderit in infernum? At vero quid sunt aliud tales mulierculæ nisi foveæ & cisternæ positæ ad lapsum juvenum? Etenim *fovea profunda meretrix*, ait Sapiens Prov. decimo tertio. Certe si quis in civitate hinc inde foveas effoderet ad capiendos homines, Magistratus id nec vellet nec posset impune relinquere. At quanto juvenum damno faciunt hoc meretrices? Patresfamilias idem in suis ædibus procurent: in quorum commonitionem Episcopo Thyatiræ scribit Christus per Joannem Apocal. 2. *Habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel seducere servos meos fornicari & manducare de Idolothytis.* Hoc idem sibi dictum sciant Patresfamilias, si talia monstra domi suæ alant.

VI. Blasphemi.

VI. Blasphemi; hi enim ob peccati enormitatem videntur totam communitatem polluere & reos facere, quotquot eos blasphemare audiunt, & non castigant, zelando honorem Dei. Idcirco Hebræi, qui audierunt blasphemum, jubentur educere eum extra castra; & manus super caput ejus ponere, seque hoc pacto purgare quasi nequaquam ei consentientes, & mox debebat eum lapidare populus universus: ut omnes se exhiberent vindices adeoque hostes hujus tanti sceleris. Levit. vigesimo quarto. Nec in domo tales toleret paterfamilias exemplo Davidis, qui dicebat Psalmo centesimo. *Non habitabit in medio domus meæ, qui loquitur iniqua.* Si enim extra castra educi Deus blasphemum jussit (utique ne pollueret ea) ut lapidaretur, itane intra privatas ædes tolerandus erit? Reprehenduntur à Jeremia capite trigesimo sexto & graviter quidem servi Joachim Regis, quod non timuerint, nec sciderint vestimenta sua, quando Rex scidit & combussit librum Jeremiæ. At quanto gravius est lingua blasphema lacerare ipsum Deum?

Trip. Do. 18. post Pent. C. I. G.

VII. Hæretici, si turbulenti sint.

VII. Hæretici, si turbulenti sint, sacra nostra derideant vel calumnientur, vel alios depravent. Episcopo Pergami exprobrat Deus per Joannem Apocalyps. secundo, quod habeat in grege suo aliquos Nicolaitas hæreticos, qui seducunt alios & docent fornicari, jubetque eum de hoc agere pœnitentiam: *Si quo minus, inquit, veniam tibi cito.* Dent ergo operam Magistratus & patresfamilias, ut tales vel convertant vel expellant. Nautæ omnis quidem generis homines recipiunt in naves: sed ubi unum turbulentum vident, ad littus aliquod appellunt, eumque exponunt ac deserunt. Imminebat hoc periculum Sancto Patri nostro Ignatio Jerosolymam naviganti, licet immerito, cum quorundam navigantium flagitia graviter ferret & magna spiritus & orationis libertate insectaretur, consilium enim ceperunt nautæ, ut illum in Insula quadam deserta exponerent. Sed cum navis ferè appulsa esset, subitò vehementi vento repulsa est, ut meditatum facinus perpetrare non possent lib. 1. vitæ cap. 10.

VIII.

VIII. Otiosi, quia hi non solum panem aliorum laborantium gratis devorant, sed etiam ex otio plurima vitia gignunt & communitati inferunt. Hinc otiosi à Romanis olim ad operas publicas condemnati, à Florentinis exturbati: hodieque à Sinensibus pelluntur. Et quia communitati nocent, dicitur Ecclesiastici 22. *De stercore boum lapidatus est piger.* Boves enim etsi lenti & natura pigri, laboriosi tamen sunt, quin & stercora eorum serviunt agris ad proferendas fruges; cum è contra pigri non modo reipublicæ nihil prosint, sed insuper dedecori sint. Pigri ergo digni censentur & quasi Dei decreto ad hoc condemnati, ut omnium manibus lapidentur, & quidem luto ac sordibus: quia inutiles terræ glebæ & sordes sunt, omnibus onerosæ simul & odiosæ.

Otiosi. Trip. D. Septuag. C.H.

Quando igitur vidimus, quinam in republica potissimum sint zizania, videant inprimis qui ejuscemodi sunt, ut in triticum se convertant, nisi in ignem abjici malint. Videant & illi, quorum officium est zizania hæc extirpare, ut in tempore hoc agant, & angelico hoc munere strenuè fungantur, ne & ipsi alioquin cum zizaniis alligentur in fasciculos ad comburendum.

THEMA V.

Dies judicii extremi similis messi.

I. *Mortis falce ante judicium omnes sternentur.*
II. *Iudici omnes subjicientur prostrati.*
III. *Omnia ibi patula & aperta erunt.*
IV. *Præscindetur omnis spes resipiscentiæ & gratiæ.*
V. *Omnes stabunt ante tribunal Christi.*
VI. *Separabuntur mali à bonis.*
VII. *Colligabuntur in fasciculos.*
VIII. *Arctè constringentur.*
IX. *Promiscue confundentur.*
X. *Sententiam irrevocabilem accipient.*
XI. *Electi stabunt in sublimi, reprobi jacebunt.*
XII. *Horum executores erunt Angeli boni.*

In tempore messis dicam messoribus; Colligite primum zizania.
Matth. 13.

Gentilium alter veluti Moyses Pythagoras inter alia sapientiæ suæ symbola, & hoc proferebat; *Duorum maximè temporum habendam rationem, matutini & vespertini;* uti refert Sanctus Hieronymus libro tertio contra Ruffinum. Per matutinum videtur intellexisse tempus vitæ hujus præsens, per vespertinum futurum. Video homines plerosque magnam habere rationem temporis præsentis; verbi gratia qualem habituri sint hoc anno messem, qualem vindemiam; & si adversæ tempestates ingruant, illico lamentari & conqueri, quasi actum sit de messe aut vindemia: nihil verò cogitationis suscipere de futuro. Audimus certe in hodierno Evangelio loquentem Salvatorem de mirabili messe, post hanc vitam facien-

da; nemo verò de illa facile loqui auditur, qualis ea ſibi eventura ſit fœlix an infœlix; cum tamen ex hac meſſe omnis noſtra ſalus & fortuna pendeat, Quare nunc omiſſa illa hujus temporis meſſe, omnem noſtram cogitationem convertamus ad futuram illam alteram, & videamus qualis ea futura ſit.

I. ...is fal- ...te ju- ...imo ...t ſter- ...ur.

I. In meſſe quidquid frugum eſt in agris, falcibus demetitur, adeo ut nec una ſpica reſidua remaneat, quæ falcem effugiat, Pari modo tempore extremi judicii primò mortis falce ſternentur omnes homines, ut ne unus quidem ſuperſit vivens, juxta id Apocal. 20. verſu 12. *Vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni.* Et capite 14. Vidit Joannes Chriſtum Judicem prodeuntem ad judicium cum falce meſſoria acuta, cui ab Angelo acclamatum: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora ut metatur: quoniam aruit meſſis terræ.* Areſcet meſſis terræ, quando implebitur numerus electorum, & complebitur malitia reproborum. Falx poteſtas Chriſti judiciaria eſt, plena & univerſalis in omnes teſte D. Gregor. libro trigeſimo tertio Moral capite decimo. *Poteſtas divini judicii* inquit, *quia intra ſe omnia incidendo complectitur, falcis appellatione deſignatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaverſum flectatur, intus cadit. Et quia poteſtas ſuperni judicii nullatenus evitatur, (intra ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur) recte cum venturus judex oſtenditur, falcem tenere perhibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat.* Itaque nullus falcem iſtam poterit effugere, tametſi conabuntur reprobi introire in ſpeluncas & voragines terræ (Iſaiæ ſecundo) & montibus dicent: *Cadite ſuper nos: & collibus, operite nos.* Apocal, ſexto. In judiciis humanis per aſtum vel potentiam effugere poſſunt aliqui: at ibi ne quidem unus. Unde Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum: *Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribus pectora ferient. Potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt: adducetur cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis, &c.*

II. ...dici om- ...s ſubji- ...ntur ...oſtrati.

II. In agro demeſſo, jacent humi omnes ſpicæ, inter ſe commixtæ, tam altæ quam humiles, tam triticum quam zizania: ita in judicio congregabuntur omnes ad vallem Joſaphat, & proſternentur ac ſubjicientur Chriſto, ut impleatur, quod Apoſtolus ad Philippenſes ſecundo dixit: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, &c.* Et illud pſalmo centeſimo nono. *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Et illud pſalmo octavo. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; uti exponit Apoſtolus 1. Corinthiorum decimo quinto, dicens: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*, ad inſtar ſcilicet Victoris ad cujus pedes adducuntur & proſternuntur victi, præſertim rebelles & arrogantes, ut ſe victos agnoſcant & ſubjectos. Sic Joſue fugatos quinque Reges & in ſpelunca latentes juſſit produci & proſterni, eorumque colla à principibus ſui exercitus calcari, Joſue decimo. Sic Carolo V. Imperatori captus Joann. Fredericus Saxo ſupplex factus honorem & majeſtatis Imperatoriæ titulum, quem prius ipſi abſtulerat appellando eum non aliter, quam Carolum de Gandavo, coactus reſtituit; non ſine exprobratione Caroli, ipſius vero confuſione maxima. Pugnant hîc rebelles peccatores & oppugnant Chriſtum, nec eum pro Domino ſuo agnoſcere volunt; at ibi ad hoc cogentur, cum proſtrati, ante eum jacebunt. Quanta erit hæc ignominia! Reges aliqui ſe ipſos enecarunt, ne Victoris ſui vultum aſpicere compellerentur, uti Saul & alij. At hoc ibi nemini licebit: quia, ut ait Apoſtolus ibidem, etiam *inimica mors* ibi deſtructa erit, ita ut nemo amplius mori queat, nec per mortem effugere pœnam.

III. Omnia ibi patula & aperta erunt,

III. Demeſſis frugibus, omnia in agris patent latiſſimo undique proſpectu, cum prius altitudo ſegetum proſpectum impediret, & multa in eis laterent ſeu feræ, ſeu prædones & graſſatores. Pari modo in die judicii omnia omnibus manifeſta erunt; cum prius obſcura eſſent. Quis explicare queat, quantus pudor tunc impios invaſurus ſit? Si enim primi parentes ad vocem Dei tam placide eos vocantis, unius tantum peccati conſcii, ſeſe abſconderunt; quid agent impii tot ſcelerum rei ad vocem tonantis in judicio? Sanctus Chryſoſtomus homilia quinta in Epiſtola ad Romanos, ait. *Si noſtrum cujusquam occultum crimen aliquod hoc ipſo die in medio delatum huic modo conſeſſui innoteſceret, nonne fieret, ut ille interire ac terram ſibi potius dehiſcere, quam tam multos peccati ſui teſtes habere mallet? quid igitur nobis tum fiet miſeris, cum omnia orbi univerſo palam facta in tam aperto, tamque illuſtri theatro hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis ſubjicientur*

IV. Præſcindetur omnis ſpes reſipiſcentiæ & gratiæ,

IV. Demeſſâ ſegete nulla ex eis renaſcuntur germina. Ita in judicii die præſcindetur omnis ſpes reſipiſcentiæ & gratiæ. Quando exciduntur arbores, ſolent repullulare germina, quæ arborem quaſi reſtituunt: uti contigit arbori illi ſymbolicæ, Nabuchodonoſorem deſignanti, cujus germen radicitus in terra relictum fuit, ut regerminare poſſet per pœnitentiam, quod & fecit, Daniel. quarto. Non ita erit in judicio, quia ut habetur Apocalypſi decimo tunc Angelus *jurabit per viventem in ſæcula ſæculorum: Quia tempus non erit amplius* Et ſic adimplebitur, quod ait Malachias capite quarto. *Inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* hoc eſt, ſpem redeundi ad priorem gloriam, opes, delicias, &c. ſimiliter ad pœnitentiam, Dei gratiam & miſericordiam conſequendam, imo & remiſſionem vel unius pœnæ.

V. Omnes ſtabunt ante tribunal Chriſti.

V. Seges demeſſa ſoli exponitur, & coram eo quaſi expanditur, tam triticum quàm zizania. Sic in die judicii omnes ſtabunt ante tribunal Chriſti, qui erit Sol juſtitiæ omnibus æquiſſimus, ſine acceptione perſonarum, quemadmodum Sol oritur & ſplendet tam malis quam bonis. Et ſic fiet, quod citato loco Malach. additur: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*; quia nimirum ut pſalmo nonageſimo quinto dicitur: *judicabit orbem terræ in æquitate.* Sed cur ait Solem hunc oriturum timentibus

Deum, quaſi iis ſolis? Quia ſolis ipſis afferet gaudium & gloriam; cæteris dolorem & confuſionem. Sicut enim Sol triticum demeſſum in agro nitidum candidumque reddit: zizania vero & inutiles herbas denigrat: ita juſti illi à Sole illo juſtitiæ glorioſis corporibus veſtientur, impii vero ſqualidi & abominabiles efficientur. Et ſicut Sol aquilarum oculos delectat & vegetat, veſpertilionum vero offendit & cæcat: ita aſpectus Chriſti Judicis exhilarabit juſtos, contriſtabit injuſtos. Præmiſerat Malachias aliquorum objectionem, qui dicebant: *Vanus eſt, qui ſervit Deo*; quaſi nullum diſcrimen foret inter bonos & malos, quoad remunerationem. Quibus reſpondet, ut expectent diem judicii: *Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula, &c. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ.*

VI. *Separabuntur mali à bonis.*

VI. Poſtea colligitur ſeges demeſſa, & ſeparatur à zizanijs. Continget idem in judicio, cum *mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala* (hoc eſt, qui alios ſcandalizarunt) *& eos, qui faciunt iniquitatem*; uti exponit Dominus hodiernam parabolam. Et rurſum infra: *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum* Nunc quidem in oculis hominum latent zizania, ut non facile ſeparari queant, ideoque magna ex parte ſibi relinquenda ſint. At ibi ſeparabuntur ab invicem & tunc luce clarius patebunt. Difficile quidem ſeparantur zizania à tritico, quia ſeſe implectunt & affigunt iis tam pertinaciter, ut divelli debeant. Quanto violentius atque ægrius ſeparabuntur mali ab electis, quando illi evehentur ad gloriam, iſti vero ad gehennam abripientur? Scribit Nicephorus libro duodecimo capite quadrageſimo, milites à Theodoſio Imperatore in cædem Theſſalonicenſium immiſſos, veniſſe in ea civium ſtrage, ad domum divitis mercatoris, ejusque duos filios ad necem rapuiſſe. Parens chariſſima pignora ut redimeret, obtulit inprimis ſeipſum ad necem. Milites non contenti uno, duos necandos eſſe dicebant ad implendum conſtitutum numerum: unum proinde è filijs eligeret, cui vitam donarent. Pater mœſtiſſimus dum ambos reſpectans, ambosque ſervare cupiens, fluctuans hæſitat, utroque ſpoliatur, & ambo occiduntur. Quis hic luctus, putatis, fuit patri; ita ſeparari ab unica ſpe domus ſuæ! Ah, quid erit tandem ſeparari à chariſſimis in omnem æternitatem!

VII. *Colligabuntur in faſciculos.*

VII. Alligatur in diverſos faſciculos. Sic inprimis zizania ſeu reprobi colligabuntur in manipulos. Primo ſecundum Divum Auguſtinum ſermone vigeſimo nono de Sanctis, & D. Gregorius libro nono, Moralium capite trigeſimo nono. Pares cum paribus; homicidæ cum homicidis, avari cum avaris, iracundi cum iracundis, falſi teſtes cum falſis teſtibus, fures cum furibus, ait Auguſtinus. Secundo ſecuudum Euthymium, ij, *qui in eodem peccato communicant, etiam in ſupplicio communicaturi ſunt eodem, ſimulque ultionem ſuſtinebunt.* Injuſti Judices cum ſuis Advocatis, procuratoribus, ſcribis, aſſeſſoribus, teſtibus, miniſtris. Uſurarij cum uxore, liberis, famulis, confeſſarijs cæterisque complicibus. Superbæ & phaleratæ pupæ cum patre, qui ſumptus dedit: matre, quæ inſtruxit: ancilla, quæ ornavit: juvene, qui aſpexit: ſartore, qui novum luxum excogitavit: Concionatore, qui non reprehendit. Scortator cum meretricibus, lenis & lenonibus, parentibus, qui non impedierunt: Magiſtratibus, qui non puniverunt. Ebrioſi cum cauponibus applaudentibus, fidicinibus accinentibus, pædagogis vel parentibus conniventibus aut etiam ſumptus dantibus, paraſitis, coquis: Medici infideles cum chirurgis & pharmacopolis, qui male officium adminiſtrarunt. Luſores cum parentibus, qui dederunt nummos: artificibus, qui fecerunt aleas & chartas luſorias: ſocijs, qui ſpectarunt. Duellantes cum ſuis, ut appellant, patrinis, inſtigatoribus, Magiſtratu connivente, famulis arma ſubminiſtrantibus, principibus qui non impediunt ac puniunt.

Cauſa hujus colligationis eſt primo, *ut quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat*, ait Sanctus Gregorius loco citato. Prius in vita dicebant: *Sortem mitte nobiscum, marſupium unum ſit omnium noſtrum, &c.* Proverbiorum primo; ſimul ergo & in pœnis ſint. Secundo ut ex eo conſortio acrius puniantur, qui prius in vita ſimul habuere ſua illicita commercia, erexerunt factiones, conſpirationes, fraternitates, ad nocendum, potandum, fraudandum; quo impunius peccarent, magisque in rebus peſſimis exultarent. Quis enim dubitet magis confundi adulterum, ſi præ foribus Eccleſiæ ad ejus latus ſtatuatur adultera, cum virga & candela, quam ſi ſolus in cippo ſtet? magis puniri parentes ſacrilegos, ſi una cum ipſis comburantur eorum liberi, quam ſi ipſi ſoli? Hinc enim Epulo ille rogavit ne quinque ejus fratres in idem tormentum venirent; idemque in lingua potiſſimum paſſus eſt, qua plures delectationes perceperat. Lucæ decimo ſexto. Viciſſim vero electi colligabuntur velut triticum in faſciculos viventium, quod optavit Abigail Davidi primo Regum vigeſimo quinto, verſ. vigeſimo nono. Cujuſmodi faſciculi erant congregatio illa tot millium Virginum, quam vidit ſanctus Joannes in cœlo ſimul gradientium & canentium, Apoc. 14. & illa tot millium martyrum, Apoc. 7.

Ar- ſtri- tur

VIII. Vinculis faſciculi arcte conſtringuntur. Ita reprobi in judicio ſimul colligati vincientur, ut nec veniam petere, nec quidquam boni agere amplius ad ſe extricandos queant, quia tunc jam illa nox erit, de qua Dominus ait: *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Joannis nono, deinde ut ex compreſſione magis torqueantur ac puniantur, quia & ipſi pios hîc preſſerunt oneribus, injurijs, calumnijs, vexarunt, exhauſerunt. *Nihil autem amarius, quam idipſum pati, quod feceris aliis*, ait Tertullianus libro ſecundo contra Marcion. Erunt igitur ſicut carbones carbonibus, cadavera cadaveribus juncta. Sic Madianitæ qui oppreſſerunt Hebræos, velut zizania triticum; ita plexi ſunt, ut in ſeipſos mutua cæde debacchatentur

rentur, velut canes rabidi, Judic. sexto & septimo. Quid sentient ibi fastuosi & iracundi, qui hîc juxta se neminem ferre possunt, & quasi soli habitare in terra volunt?

IX. Promiscuè colligantur zizania, lolium, urtica, convolvolus, & quæcunque herbæ inutiles, sive illæ floridæ & speciosæ sint sive non. Pari modo in Judicio nulla habebitur ratio nobilium, divitũ, ordinum & statuũ, Episcoporum, Regum, officialium; sed cum paribus peccatoribus colligabuntur & cõprimentur, quia Christus *judicabit orbem terræ in æquitate*. Ps. 95. sicut mercatores eadem ulna metiuntur pannum sericũ & laneum. Sentiunt aliqui Patres (S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius) noctu venturum Christum ad judicium; siquidem Matth. 25. dicitur: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, &c.* Verum id incertum est; & locus ille commode intelligitur, de insperato Christi adventu. Nox ergo verius tunc erit, quia velut in nocte nõ attendetur ad rationẽ status, dignitatis, opum & similiũ; sed dicetur impiis: *Nescio vos*. Interdiu discrimen inter nobiles & ignobiles, divites & pauperes facimus; honorando illos, negligendo istos: noctu non distinguimus. Sic erit in Judicio. Quid agent ibi delicati, qui modo pauperes, ulcerosos, pannosos vix aspicere dignantur, nedũ juvant aut solantur; quando ibi in fasciculum fœtentiũ cadaverum quorumcunque compingentur?

X. Fasciculis ligatis solent plerumque messores nodũ vinculi ictu aliquo (mit dem Bindtnagel/) claudere & verbere addito quasi firmare. Clausula hæc in Judicio & nodus insolubilis est sententia Judicis irrevocabilis, quæ *claudit & nemo aperit*. Persarum & Medorũ leges adeo immutabiles esse discimus ex lib. Dan. c. 9. ut nec Regibus quidẽ mutare eas licitũ foret. Hinc cum decretum à Rege fuisset, ut qui præter ipsũ invocaret aliũ sive hominẽ pro re aliqua, mitteretur in lacũ leonum; cumq; Daniel hujus legis transgressor accusatus esset, Rex licet conaretur servare Danielem, nullo tamẽ modo poterat, Satrapis clamantibus, Decretũ Persarum immutabile esse. Multo minus cogitandum, fore ut Deus, qui natura sua immutabilis est, mutet aliquando quod semel statuit. Actum igitur est de solutione hujus vinculi: nec gladius Alexandri, nec gladii Angelorum nodum hunc secare possunt.

XI. Colligatis eo modo fasciculis, aliqui ex illis subinde eriguntur ad Solis radios, & ita erecti stãt in agro: aliis humi jacentibus. Simili modi electi stabunt in Judicio erecti juxta Christum in aere: reprobi vero in valle Josaphat depressi jacebunt, neglecti, contempti, maledicti. Atque ita fiet, quod Joseph in somnio suo vidit: *Putabam*, inquit, *nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum* Gen. 37. Quod quidẽ in hoc sæculo fuisse impletum scimus ad litterã, cum Josephi fratres ipsum prostrati adorarunt, factum in Ægypto Principem; sensu tamen anagogico implebitur in Judicio, cum impii cogentur venerari & quasi adorare, quos hîc spreverant, oderant & vexarant, electos. *Tunc enim stabunt justi,* ait Sapiens Sap. 5. *in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, &c.* Reprobi vero *videntes timore horribili turbabuntur & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis* (electorum) *dicẽtes intra se, &c. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & similitudinem improperii, &c Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorũ est.* Ægrè audierunt fratres Josephi, quod ipsũ aliquando adorare deberent, ideoq; mortem ei machinati sunt. Quam ergo durũ erit reprobis aspicere ibi electos, velut dominos suos revera constitutos in gloriæ majestate! Vidimus alibi quãto pudore Ottocatus Rex Bohemiæ flexerit genua coram Rudolpho Imp. olim ministro suo. Id continget ibi multis magnatibus & Regibus.

XII. Deniq; messores & horũ omnium executores erunt Angeli nõ mali (quia & ipsi judicandi & de novo damnandi erunt) sed boni, &, ut credibile, illi ipsi, qui custodes fuerunt. Etenim in hodierno Evangelio mandatur hoc officium Angelis, qui zelo honoris divini & salutis animarum eradicare volebant zizania. Gerent illi inprimis falces suas, veluti messores; qualẽ unum post Christum Judicem vidit prodeuntẽ ad Judicium Joan. Apoc. 14. Apud Ezech. vero c. 9. dicitur de illis: *Vnusquisq; vas interfectionis habet in manu sua.* Hoc instrumentũ, hæc falx erit ignis conflagrationis, quo absumentur non modò omnes homines, qui extremo tempore vivent, sed & mixta omnia, quia eorũ nullus amplius erit usus, extinctis eorum dominis, quibus serviebant. Quemadmodũ enim ante oppressionem Piuris, civitatis in Valle Telina factam Anno 1618. 4. Sept. duo examina apum ita furiosè inter se pugnarunt, ut omnes utrimque mortuæ conciderint, quasi præsensissent se non habituros deinceps possessores: ut refert Corn. in c. 6. Apoc.) ita ante judicium omnes creaturæ, quæ servierunt hominibus, præter cœlos & elementa, partim se invicem absument, partim igne illo absumentur. Deinde ignem illum veluti leonem prædas expectantem immittent in damnatos, post latam sententiam, sicque eos rursum demetent è terra & detrudent in abyssum. Terribile spectaculum super omnia terribilia, hinc terribilius, quod ii, qui ab Angelis tanta olim charitate & benevolentia quasi educati, defensi & ad omne bonum stimulati fuerunt, ab iisdem tam atroci pœna mulctandi & mactandi atque exturbandi sint.

XII. *Horum executores erunt Angeli boni.*

Quare Audit. attendamus nobis, ne zizania simus, si cum zizaniis non volumus comburi. Dum dormirent homines, creverunt zizania, qui si vigilassent, zizania inimicus homo non superseminasset. Vigilemus itaque, quod toties monet in Evangelio Dominus: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

DOMINICA VI. POST EPIPH.

THEMATA.

I Verbum Dei simile grano synapis.
II. Aliquot synapi temperandis conviviis & aliis mundi gaudiis.
III. Via ad regnum cœlorum unde amaritudine repleta.
IV. Cur per aspera & amara eundum sit ad cœlum.
V. Conjugum officia inter se mutua.

THEMA I.

Verbum Dei simile grano synapis.

I. *Quia acrimoniam habet & mordet.*
II. *Quia non nisi ruminatum exerit vires.*
III. *Semel bene cordi impressum difficile extirpatur.*
IV. *Admodum salutare.*
V. *Vilissimum interim apud multos est.*

Simile est regnum cœlorum grano synapis. Matth. 13.

MAgna & cordi humano bene insculpenda est D. Hieronymi sententia de grano synapis, quo doctrinam Evangelicam, seu verbum Dei designari docuit. Ita enim in hodierno Evangelio: *Quis est iste*, inquit, *qui seminat nisi sensus noster, & animus, qui suscipiens granum prædicationis, & fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare?* Jam si verbum Dei granum synapis est, ergo & regnum cœlorum? Profecto hoc consequitur ex hodierno Evangelio; quod asserit grano synapis simile esse regnum cœlorum. Nec male. Sicut enim semen aut granum synapis continet vim quandam generativam, ex qua post actas radices, emissis frondibus foliis & floribus, tandem fructus prodit: sic & Dei verbum satum in corde humano, primo radices agit, deinde virtutibus roboratum, flores bonorum operum, deniq; fructum vitæ æternæ gignit. Quare uti in semine seu grano synapis continetur ipsa arbor & fructus: ita in verbo Dei vita æterna & regnum cœlorum. Qua de causa appellatur sæpius in SS. litteris *verbum vitæ*, Actor. 7. Ad Philipp. 2. *verbum salutis*, Actor. 12. &c. Magnum hoc est solatium nostrum; quis enim Dei verbum audire non potest? Superest tamen ut videamus, quam bene & congruenter verbum Dei comparetur grano synapis. Quod hic exponemus.

Verbum Dei quomodo regnum cœlorum.

Et granum synapis.

I. *Quia acrimoniā habet & mordet.*

I. Granum synapis acrimoniam habet, qua linguam & os mordicat & urit quasi ignitum foret. Idem habet Dei verbum: acre est & ingratum; sed sensualitati, non rationi. Idcirco enim 1. Corinth. 1. v. 18. appellatur *verbum crucis*. Quis autem neget crucem carni & sensui contrariam esse? Omnes pene medicinæ acres & insuaves sunt, interim tamen salubres & servandæ vitæ necessariæ. *Quocirca ipse* (Christus) inquit Clemens Alexandrinus libro 2. pædagog. cap. 11. *seipsum pulcherrime exponens, grano synapis assimilavit: & verbi, quod seminatur, quod in eo inest spiritale, & reprehensionis mordacitatem & repurgandi facultatē esse utilem propter acrimoniam significans.* Quare sicut synapi licet acre sit, amatur tamen ab apibus, quæ ipsius floribus insident; cum tamen flores oleæ fugiant, teste Plinio lib. 21 cap. 12. Sic nimirum castæ & argumentosæ apes: animæ, inquam, Deo servientes amant Dei verbum, tametsi carni inamœnum & adversum sit, quia nôrunt esse utile ad favum æternæ felicitatis sibi conficiendum. Qui peccatis immersi hærent, fugiunt Dei verbum, quia ab eo redarguuntur: quo modo qui adulterinum aurum habent; fugiunt Lydium lapidem. Dulcia & mellea audire desiderant sibique placentia; verum damno suo. Nam ut bene Clemens Alexandr loco cit subdit: *mel quidem cum sit dulcissimum, bilem generat; synapi autem & bilem generat; synapi autem & bilem diminuit, hoc est, iram, phlegma exscindit, hoc est, fastum ac superbiā. Ex quo verbo vera animæ sanitas æternaq; bona temperatura accedit.* Bene igitur Psalmista dixit Psal. 108. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* malens videlicet acre Dei verbum audire quam melleum. Cæterum sensualitati tantum & carni, ut dixi, acre est, non rationi; uti insinuavit Angelus Joanni Apostolo Apocal. 10. quando ei porrexit librum comedendum, dicens: *Accipe librum & devora illum; & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Venter est sensualitas, os animæ est intellectus & ratio. Itaque verbum Dei dulce quidem ori seu rationi, amarum vero est ventri seu sensualitati, ut exponit & ait eo loco D. Thomas Aquinas; quia nimirum rationi veritatem aperit & viam cœli ostendit: carnis vero petulantiam coërcet, depravatæque naturæ licentiam comprimit. Itaque Dei verbum simile est pilulæ inauratæ & saccaro obductæ: rationi dulce, carni amarum; cujusmodi medicinam porrexit Angelus Joanni. Quo etiam videntur spectare verba Zachariæ c. 9. dicentis: *Onus verbi Domini in terra Hadrach.* Hadrach Cælesyriæ oppidum, à *Chad*, quod est *acre*: & *rach*, quod est *molle*, compositum, quid aliud significat nisi populum, cui Dei verbum partim dulce est, partim acre? dulce justis, acre injustis: dulce ratione utentibus, acre ventris mancipiis.

II. Granum synapis non exerit virtutem suam nisi contritum & masticatum: sic & Dei verbum nisi meditatione & ruminatione conteratur, non patefacit vim suam. Ita inprimis sanctus Chrysostomus homil. 41. Oper. imperf. in Matth. *Sicut*, inquit, *non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus & in stomachum descenderit: sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectum & memoriæ mandatum. Cibus ergo qui in stomacho stat, ille confortat: & sermo, qui in memoria manet, ille salvat. Unde & apud Judæos illa*

illa animalia sunt munda, quæ revocant cibum & ruminant, &c. Levit. 11. Atqui *ruminans animal,* inquit Theodoretus qu. 11. in Levit. *minuit divinorum eloquiorum meditatinem.* Reprobantur ergo illi, qui audiunt quidem Dei verbum, sed non retinent nec ruminant; quia scilicet vilipendunt. Non prodest cibus saltem durior, imo neque sapit, nisi masticetur; hinc qui dentibus carent, diu vivere non posse perhibentur: par ratio de verbo Dei: non proderit nec sapiet, nisi retineatur & coquatur. *Thesaurus desiderabilis,* ait Sapiens Proverb. 21. vers. 20. secundum 70 *requiescit in ore sapientis, imprudentes autem viri devorabunt illum,* Sanctus Augustinus serm. 26. de diversis legit cum Syro: *deglutiet illum,* additque: *Qui ergo audit & negligentia fit obliviosus, quasi glutit, quod audit, ut jam in ore non sapiat, auditionem ipsam oblivione sepeliens. Qui autem in lege Domini, die ac nocte, quasi ruminat, &c.* Parum profuit Petro audisse verbum Domini de imminenti sibi negationis periculo, quia id deglutiit. Unde l. 4. Revelat. S Brigittæ cap. 5. legitur apparuisse Beatæ illi & dixisse causam lapsus sui fuisse oblivionem sui propositi & promissionis Christo factæ, adeoque verbi Domini.

III. Semel in agro satum, non facile extirpatur: *vix est sato semel eo liberare locum;* inquit Plinius l. 19. cap. 8. Idem habet Dei verbum: semel enim cordi insitum, non facile eradicatur, Tametsi enim ad tempus videtur oblivione aliqua, velut semen in agrum projectum, emortuum & sepultum, verius tamen sopitum est tantummodo; & suo tempore pro data occasione prodit se, & hominem vel redarguit, vel instruit, vel consolatur & confortat. Unde ab Apostolo ad Hebr. 4. appellatur *vivus Dei sermo & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. Omne verbum,* inquit Chrysostomus homil. 47. Op. Imperfect. *quod non habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba divina, quamvis rustica sint & incomposita, viva sunt, quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei; quasi sanguinem in venis inclusum, & ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum dicens: Quo ibimus? verba viva habes. Omnia autem verba sæcularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, & quamvis sint composita & ingeniosa, mortua sunt; quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem Dei: propterea nec audientē salvant.* Jam ergo quia verbum Dei infallibiliter continet veritatem; semel bene imbibitum difficile evellitur, velut semen synapis, vivens in terra. Oblitus quidem ad tempus fuerat Petrus verbi, quod audierat à Christo, de nimia sua præfidentia & lapsu imminente; at quando evenisse vidit, quod prædictum sibi fuerat, tunc recordatus est verbi JESU, quod dixerat: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26. *Galli cantu,* ait Victor Antiochenus in capite decimo quarto Marci, *admonitus, quasi à gravi somno excitatus, ad se reversus, comperit se in illud ipsum malum ac probrum decidisse, in quo Dominus ipsum prolapsurum paulo ante denunciaverat.* Gallus ille prædicatores verbi Dei designavit, teste Div. Gregorio 30. moral. cap. 4. quorum cantus & admonitio tametsi non quamprimum cor hominis movet; movebit tamen suo tempore, accedente novâ Dei gratiâ excitante. Sic enim & gallus ille suo licet iterato cantu non excitavit statim Petrum ad cognitionem erroris sui, excitavit tamen postea, ubi aspectus Christi accessit, & deinceps per totum vitæ decursum quoties cantare gallus à Petro auditus est, toties ad lachrymas eum permovit; uti refert Sanctus Clemens ejus discipulus. Hanc ob causam verbum Dei sagittæ comparatur sæpius in SS. literis, uti Psalm. 44. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.* Accidit sæpe, ut cervus sagitta vel globo venatoris ictus non statim cadat, sed procul adhuc fugiat; non dolet tamen ob id venator, quia eum tandem alicubi casurum & inveniendum novit. Sic Magdalena cum à 7. dæmoniis liberata per Christum fuisset, ejus utique verbo simul & beneficio quasi jaculo sauciata erat; verum non nisi in domo Pharisæi primum ad pedes Christi concidit & in lachrymas prorupit. Quasi enim cerva sagittata à Christo telo verbi & amoris huc illuc cucurrit quærens medelam, donec cognovit, quod in domo Pharisæi, sibi noti, discubuit. Luc. 7. Plures alios, qui consimili modo semel confixi telo verbi divini, requiem non habuerunt, donec ad salutis fontem & pœnitentiam recurrerunt, alibi recensitos prætereo.

IV. Admodum salubre est, quod testatur Plinius libro vigesimo capite vigesimo secundo. *Synapi,* inquit, *Pythagoras judicavit principatum habere ex iis, quorum in sublime vis feratur. Quoniam nō aliud magis in nares & cerebrum penetret. Ad serpentum ictus & scorpionum tritum cum acero illinitur. Contra pituitam tenetur in ore: ad dentium dolorem manditur, stomacho utilissimum contra omnia vitia, &c.* Easdē utilitates, sed spirituales inveniemus in verbo Dei. Nam inprimis *qui in verbis veritatis,* inquit Clemens Alexandr. libro primo strom. *germane & syncere sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cœlum feruntur.* q. d. spreto mundanarum voluptatum cœno, in quo alii velut sues (ut ibidem explicat) volutantur ad cœlestia bona toto pectore aspirant & evehuntur. Deinde in nares penetrat; intellectum illustrando; juxta id Psalmo centesimo decimo octavo; *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.* In aliis scientiis non omnes proficiunt, quia non omnes sunt omnium capaces, verbi gratia, pueri & rustici Theologiæ aut Philosophiæ; at verbum Dei omnes capiunt, parvi, magni, mulieres, & viri, rustici & nobiles: omnes ab eo lumen accipiunt, & quō fine; ut in his mundi tenebris & infinitis pene laqueis non errent, nec illaqueentur. Unde eodem Psalmo dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Detegit enim laqueos linguæ, auribus, oculis, ori, manibus & pedibus positos, ut ne indecens quid loquamur, audiamus, aspiciamus, cogitemus, agamus, adeamus. Docet in adversis esse patientes, in prosperis humiles, in periculis

IV. *Admodum salutare.*

cautos

cautos, in agendis prudentes, in deliciis moderatos, in divitiis pauperes spiritu, in proximorum miseriis misericordes, in divino officio ferventes. Penetrat & in cerebrum, voluntatem expurgando, (quomodo & sinapi cerebrum repurgat, excitando sternutationes.) Id testatur Dominus Joan.15. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* De sermone ultimæ cœnæ loquitur, in quo purgavit cerebrum Petro nimium sibi fidenti, quasi eum sequi ad mortem posset: Thomæ nescienti quo vaderet: Philippo nescienti patrem ejus; expurgavit omnes ab affectu inordinato, à pusillanimitate & diffidentia. Simili modo & nos purgat Dei verbum à quibuscunque vitiis & erroribus nostris; si tamen id admittamus in cor nostrum, quin etiam ad instar sinapis lachrymas pœnitentibus exprimit, quibus eluant peccata sua, uti expressit Judæis illis, qui in die Pentecostes ad prædicationem Petri compuncti sunt corde. Actor.2. Servit etiam ad vitandos & arcendos scorpionum ac serpentum ictus, non minus quam sinapi. Quorum vero serpentum, nisi eorum de quibus Lucæ 10. dixit Dominus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones*, hoc est, super Dæmones, ut exponit sanctus Athanasius in Psalm. vigesimo octavo & alii. Hoc enim unico antidoto expugnavit & fugavit tentatorem in deserto, verbo inquam Dei, è scripturis allegato: *Scriptum est. Non in solo pane, &c. Scriptum est. Non tentabis Dominum Deum. Scriptum est: Dominum Deum adorabis.* Quam ob causam, uti Philisthæi summo studio caverunt, ne Hebræi arma haberent, quibus impugnari ab eis possent. 1. Regum decimo tertio. Ita & Dæmones spoliare verbo Dei Christianos nituntur. Verum tanto impensius arma hæc comparanda, Deique verbum & audiendum & prædicandum est. *Opportune, importune*, inquit sanctus Hieronymus in capite undecimo, Ecclesiastis, *Quo tenore Dei sermo est prædicandus, nec fidei tempore adversarum nubium consideranda tempestas, &c.*

V. *Vilissimum interim apud multos est.*

V. Quamvis tam virtuosum sit hoc granum, interim tamen minimum & tam vile est, ut nec à terra quis elevare id dignetur; neque etiam gratum saporem, nec colorem nec odorem præstat. Pari modo verbum Dei tanta licet virtute præditum, apud plurimos mortales vile & contemptui habetur; quia nimirum reprobis communem resurrectionem, extremum judicium & gehennam perpetuo inculcat. Nimirum *uti sues rosas projiciunt & lutum quærunt: perdices & bellaria respuunt, & glandibus agrestibus atque immunditiis avidissime pascuntur: sic amentes homines verborum Dei gustum non habent & ad mundi opes incertas aspirant*; ut ait Hector Pintus in capite tertio Ezech. *Sues dicuntur unguento præfocari*, inquit Divus Chrysostomus homilia quinta in 2. ad Corinth. Atqui unguentum est Dei verbum, de quo Apostolus 2. Corinth.5. *Aliis quidem*, ait, *odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Odor vitæ erant Apostoli Gentibus, Dei verbum suscipientibus, odor mortis Judæis, id respuentibus; quibus dixit idem Apostolus Actor.1. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes.* Prævidit hanc mirabilem commutationem Isaias capite 28. cum dixit: *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*, hoc est, eos, qui instar parvulorum, nuper à lacte subtractorum, recipiunt disciplinam & patiuntur sese instrui; quales erant Gentiles, rudes & ignari rerum divinarum. At vero de Judæis, qui Dei verbum tanquam nasuti irriserunt & repulerunt, subdit: *Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta modicum ibi, modicum ibi, ut vadant & cadant retrorsum, & conterantur & illaqueentur & capiantur.* q.d. quia toties verbum meum frustra ad eos misi; tamque diu ipsos, ut audirent illud, sustinui; debebunt jam & ipsi me expectare, sed ad suam perditionem, ut cadant non prorsum, quo se sublevent, sed retrorsum, quo cervicem frangant ad instar illius Heli, quia & ipse sermones Domini projecerat retrorsum & magis honoraverat filios suos, quam Deum. 1. Regum quarto. Qui in faciem cadunt, vident quo cadant, atque ad resurgendum facile se juvare possunt: non ita qui in dorsum corruunt. Certe taurus cum resupinus in tergum cadit, adeo terræ affixus hæret, ut pueris ludibrio fiat, teste Sanctio in locum illum Isaiæ. Sic Judæi ceciderunt, de quibus Psalmo 21. ait Propheta in Persona Christi: *Tauri pingues obsederunt me.* Jacent jam tot sæculis usque in hodiernum resupini illi tauri & miseri Judæi, & derisui sunt vel pueris. Jacent confracti *velut vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Jeremiæ decimo nono. Jacent illaqueati suis erroribus & superstitionibus, captivi in suis sceleribus, rei mortis æternæ. Vos ergo Christiani, ne in similem maledictionem incidatis, amate verbum Dei, hoc synapis grano omnes vestros cibos, opera omnia condite.

THEMA II.

Aliquot synapi temperandis conviviis & aliis mundi gaudiis.

I. *Dei omnipræsentia.*
II. *Mundi fugacitas.*
III. *Mortis memoria.*
IV. *Memoria judicii.*

Simile est Regnum cœlorum grano synapis. Matth.13.

Nihil fere usitatius, quam hoc tempore ad mensas & convivia præsertim inter alia ciborum condimenta, etiam synapi apponere in parvis scutellis. Mirari hoc quis posset, cum liquor ille synapi & aspectui inamœnus, & gustui sit acerrimus, adeo ut immodice sumptus lachrymas excutiat. Verum respo-

reſpondebitur ad hoc, ſynapi ad menſam poni, non quia colore aut ſapore gratum ſit, ſed quia ſalutare; ſi quidem purget caput, ſtomachum quoque juvet ad dirigendos crudiores cibos, denique dulciores acrimoniâ ſuâ temperet. Bene eſt, acquieſco. Jam vero quam ob cauſam conqueruntur aliqui, quod plerumque Concionatores ingrata multa prædicent, triſtia quoque & amara ſuis concionibus inſerant, quæ & aures feriant, & corda contriſtent? His enim reſpondeo cum Sancto Hieronymo in hodierno Evangelio, prædicationem Evangelii eſſe granum ſynapis, de quo hîc loquitur Chriſtus; quare eam inſtar ſynapis ingratam quidem, valde tamen ſalubrem eſſe; ut quæ intellectum ab erroribus expurget, voluntatem quoque ad dura quæque & aſpera concoquenda & perferenda confortet, denique huius mundi delitias ac voluptates ſua aſperitate temperet, ne illis cæci mortales nimium ſe immergant & in iis pereant. Quoniam igitur hoc hyemali tempore plurima convivia paſſim celebrari & collectæ fruges ſæpe immoderate prodigi nimio epularum luxu ſolent, apponemus illis hodie aliquot patellas parvulas, ſynapi refertas.

I. Dom[...] præſen[...]

I. Primum. *Dominus videt.* Hoc nomine appellavit Abraham montem, in quo juſſus fuerat immolare filium ſuum, Geneſ. vigeſimo ſecundo. Hebr. *Moria*, id eſt, *viſio*, quia ſcilicet viſio ſeu oculus Dei ſemper vigilans compulit ipſum patrare facinus omni ævo admirandum, utpote difficillimum & naturæ humanæ repugnantiſſimum, ut mactaret filium ſuum unicum & dilectiſſimum. Itaque accepto illo Dei mandato Abraham cum filio de nocte ſurrexit ſtravitque aſinum ſuum & perrexit ad montem ſacrificio deſtinatum, ut ibi exequeretur Dei mandatum. Quare non potius fugit ſicut Jonas? Quia *Dominus videt.* Quare non monet filium, ut fuga ſibi ipſe conſulat? Quia *Dominus videt.* Quare non ſubſtituit Iſmaelem vel alienum filium pro Iſaaco ſuo? quia *Dominus videt.* Quare non mandat executionem alteri? Quia *Dominus videt.* Dominus, inquam, qui hoc mandavit, qui vel morigerum præmiabit, vel immorigerum damnabit. En quo non adegit Abrahamum oculus Dei, ipſi attendens, ipſi invigilans! Ad hunc ergo & tu quicumque es, attende mi homo, cum in convivio ſedes, cum inter mundi gaudia & delicias verſaris, & cogita quia *Dominus videt.* Videt quid agas, quid loquaris, quomodo edas & bibas, ut vel coronam tibi vel gehennam paret. Scito totum mundum eſſe unum montem *Moria*, ſeu *viſionis* Dei: ubicumque es, in oculis Dei es: *ſpeculator adſtat deſuper, qui nos diebus omnibus actuſque noſtros proſpicit à luce prima in veſperum.* Unde David Pſalmo ſexageſimo ſecundo ait: *In terra deſerta, invia & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi* (Hebr. *vidi te.*) Ad litteram: Ita in deſertis locis habitavi, ac ſi in ſanctuario eſſem. Admonet hujus rei convivas Eccleſiaſticus capite nono his verbis: *Viri juſti ſint tibi convivæ, & in timore Dei ſit tibi gloriatio, & in ſenſu ſit tibi cogitatio Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altiſſimi.* Ad quid in convivio cogitatio de Deo? inquies. Ad hoc ut attendas tibi quid loquaris, agas, cogites, quia *Dominus videt* & adeſt. Jam ſi juberes ſervum menſæ miniſtrantem potitare vel de epulis quid furari: mox tibi is reſponderet, quia *Dominus videt*, Rurſum ſi pueri advertant vel etiam ſuſpicentur præſentem eſſe pædagogum vel Magiſtrum, qui per cancellos cœnaculi eorum acta dictaque omnia notet & obſervet, abſtinent profecto ab iis, quæ non decent: cur non idem agimus omnes, cum ſciamus ipſum Deum nobis undique attendere? *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum; reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Canticor. ſecundo, ubi Sanctus Bernardus. *Præſto*, inquit, *eſt oculus, cui omnia patent, etſi non patet: ipſe vereor aſpectum exploratoris illius, qui poſt parietem ſtat: quem pro acumine viſus capreæ aſſimilavit Scriptura. Hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem.* Vigilem metueres, qui te ſub dio in horto prandentem è turri contemplaretur: & non vereamur Deum è cælo nos contuentem? Carolus V. Imperator rari artificii horologium habebat, quod in frequenti turba aulicorum à quodam ſurreptum fuit. Verum dum is forte cœnanti adſtat Imperatori, horologium in ſinu furis tinnitu ſuo ſe prodit, & furem Cæſari indicat, ſimulque metu & rubore tantum non exanimat. Qui mox ad pedes Imperatoris cadens veniam impetravit, id ſolum ab ipſo audiens: *timorem ſpe longe vehementiorem eſſe affectum.* Refert Ant. Callimachus in Epigram. Quod ſi auris & oculus Imperatoris adeo conſternare potuit hominem, qui in furto uno læſit ſuum dominum: quanto plus poterit oculus & auris Dei, ne ipſum offendamus? Certe conterruit Davidem, ſemel in furto alienæ uxoris à Deo deprehenſum & per Nathan Prophetam, verbo illo: *Tu es ille vir*, quaſi per tinnitum horologii manifeſtatum & confuſum, adeo ut ſupplex veniam precaretur dicens: *Peccavi Domino.* Poſthac etiam continuit eum, ne impoſterum tale quid amplius committeret; unde dixit Pſalmo decimoquinto. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.* Alii legunt: *Non commovebor*; q. d. hoc mihi frænum impoſui, ne deinceps peccem: propoſui me videre Deum à dextris mihi aſſiſtentem: ſicut filius ſeverum patrem ad menſam ſibi aſſidentem aſpicit continuo, nec audet ſe commovere: darff ſich nicht ruhren.

II. *Mundus tranſit.* Hoc ſynapi apponit nobis Sanctus Joannes in epiſtola prima capite primo, qui cum dixiſſet: *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo ſunt*, &c. ſubjicit cauſam: *Quoniam mundus tranſit & concupiſcentia ejus.* Audiit aliquando Sanctus Nicolaus Tolentinus, cum eſſet adhuc Canonicus, prædicantem in platea Priorem Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & inter alia hanc Joannis ſententiam allegantem: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: tranſit enim mundus & concupiſcentia ejus.* Quæ ſententia adeo mentem juvenis penetravit, adeoque inflammavit, ut mox a con-

II. *Mundi fugacitas.*

cione fratrem illum obnixè rogaret, vellet ipsum in suam sodalitatem & ordinem recipere, mundum jam deserere cupientem: uti & factum. Ita habet auctor vitæ ejus apud Sur. 10. Septemb. Neque adeo mirum est, tantum potuisse hanc scripturam in corde Nicolai, quis enim valde afficiatur aut delectetur ea re, quantumvis pretiosa & delectabili, quam in singula momenta eripiendam sibi novit? Quanto plus enim lætatur in ejus acquisitione, tanto plus tristatur in ejus amissione. Quis autem diuturnam tristitiam brevi emat gaudio? Projicit se quispiam fervente Sole sub arbore in umbram, & sentit refrigerium adeoque obdormit. Verum post unam alteramve horam recedit, ab eo umbra, & torretur à Sole miser; qui cum evigilârit, umbram abiisse videt & dolorem in capite sentit; uti sensit Jonas, qui sicuti exortâ hederâ, umbram exhibente, valde gavisus est, ita ad repentinum ejus interitum maximopere tristatus & pene exanimatus fuit. Jonæ quarto. Sic se habent mundi gaudia: una alterave hora durant, & postea relinquunt tristitiam in animo, remorsum in conscientia, ob male perditum tempus, ac sæpenumero etiam dolorem in corpore. Unde David in Psalmo centesimo primo ait, *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Fœnum jam demessum quam citò perdit virorem suum? *Hodie est, & cras in clibanum mittitur*, ait Dominus Matth. 6. Ac propterea sentit D. Chrys. hom. 50. in Matth. Christum instituisse illud convivium, quo pavit 5000 hominum eo loco, ubi multum fœni erat, ut discumbere convivæ super viride fœnum possent; *ad sublimiorem Philosophiam eos instituens*, inquit, *enim corporibus solum, verum etiam animis alimenta præbere volebat.* Quodnam vero hoc alimentum? utique id, quod Isa. cap. quadragesimo edixit: *Omnis caro fœnum*, &c. quo intelligerent gaudium illius convivii, uti & alia in mundo omnia, instabilia & momentanea esse, nec post se relinquere nisi ariditatem spiritus, & afflictionem animi. Sensit hoc nobilis & copiosus vir, Rolandus nomine, quem PP. Dominicanorum historiæ referunt, cum festum diem totum solemnibus epulis, lusibus & choreis & reliquâ ejus generis vanitate consumpsit, ipse insuper novis vestibus ornatus splendidis ac sumptuosis, tandem vespere ad se reversum, ita cogitasse, *Hem ubi nunc est festum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit?* Itaque perpendens secum, ut dies ille transierat, sic transituros & relinquos, vitamque omnem cum sua fœlicitate, nihilque permansurum præter pœnitentiam & dolorem: postero die religionem ingressus est, in qua deinceps multis annis militavit clarus sanctitate & doctrina. Refert noster Platus de bono status relig. libro tertio capite ultimo. Idem dicere quisque potest ac verè etiam deberet de præteritæ diei gaudio vel convivio. Ubi nunc convivæ, amicæ, conversatio jucunda, joci, risus, musica, propinationes, moriones, gaudium, voluptas? Evanuerunt omnia, nec remanet nisi tristis desolatio, memoria amissi boni, vermis rodens, valetudo afflicta. Heliogabalus Imperat. folles vento distentos pro subselliis ponebat convivis quibusdam amicis, quos prandentibus illis reflabat, ut concidentibus repente follibus plerumque sub mensis repente invenirentur convivæ. refert Cælius lib. 28. c. 8. Ita mundus ludit cum convivis suis, & sic olim lusit cum Baltasare, & mille optimatibus ejus, qui dum biberent è vasis templi sacris & laudarent Deos suos, à Cyro, Babylonem noctu occupante, repente oppressi & occisi sunt. Dan. 5. quos idcirco deridet Isa. capit. 21. verbis illis: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes, Surgite Principes, arripite clypeum.* q. d. frustra speculatores ponitis, frustra jam vos ad resistendum armatis: sero nimis aspicitis, sero vos armatis: moriendum vobis est: hostis intra mœnia est.

III. *Mors non tardat.* Monitum hoc est Ecclesiastici capite decimo quarto dicentis: *Memor esto, quoniam mors non tardat.* De tabellariis & cursoribus, qui passim in via divertunt ad hospitia & moras nectunt, ideoque serius redire solent, dicimus vulgo, bonos fore cursores pro advocanda morte. Itaque & mortem optamus claudicantem, & quæ moras trahat adventu suo; quales illi qui dicunt Isa. 28. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* q. d. Securi adhuc sumus, nondum moriemur. juvenes sumus, viri robusti sumus, senes adhuc vegeti sumus. *Nihil enim ita decipit genus humanum*, ait S. Hier. in epist. ad Cypr. *quam quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt: unde illud egregiè dictum est, nullum tam senem esse & sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur.* Verum seducuntur miseri mortales; quia *mors non tardat*, & plerumque citius quam expectabant, advenit. Unde toties audimus dicere morientes: Si hoc scivissem aut prævidissem, bene hunc morbum præcavissem. Sed objicient isti: hoc ipso, quod sciamus brevi adfuturam mortem, nobis jam gaudendum, epulandum, bibendum & lucrandum est: & quidem hodie, quia cras forte in sepulchro erimus, nec habebimus quod rodamus. Ita sane loquuntur lurcones & ganeones quidam Isa. vigesimo secundo: *Comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Verum insana prorsus & stulta est hæc ratiocinatio; uti docet S. Augustinus in Psal. 70. *Quid ais?* inquit, *repete. Manducemus, inquit; & bibamus, Age quid postea dixisti? cras enim moriemur. Terruisti, non seduxisti: plane hoc ipso, quod postea dixisti, & praecessis, comedamus & bibamus; cum enim dixisses: manducemus & bibamus, adjunxisti: cras enim moriemur. Audi contra à me: imo jejunemus & oremus; cras enim moriemur.* Videmus certè vinctos in carceribus, qui crastino educendi sunt ad supplicium, nihil ferè comedere aut certè nullo gustu, tametsi lauta & opipara eis apponantur: mortis enim imminentis memoria, acerrimum hoc synapi, omnes eis epulas destruit omnemque appetitum tollit. Idem accidit, si D. Ambrosium audimus, Davidi minimè licet vincto, quando aquam è cisterna Bethlehem à tribus strenuis militibus per maxima vitæ pericula allatam noluit bibere,

bere,ſed effudit in terram. 2.Reg. 23. v.10. *eo quod*, inquit Ambroſius in Apol.1. de David. cap. 7. *aqua tot virorum quaſita ſanguine, ſuavitatem bibendi habere non poſſet, qua propoſita mortis horrore conſtaret.* Quaſi placere non potuiſſet aquæ voluptas Regi, vitæ brevitatem præ oculis habenti. Et quid mirum? Tria tantum grana hujuſmodi ſynapis, tria, inquam, verba ſolum appoſita fuere ad menſam Regis Balthaſaris, convivantis cum optimatibus ſuis, *Mane, thecel, phares;* ſcripta ad parietem, mortis omen Regi & aulæ ejus denunciantia; totum convivium diſturbarunt, ut jam nemini quidquam ſaperet, ſed præ horrore & metu omnes conturbati tremiſcerent. Dan. 5. Recentius eſt, quod ſcribit Philipp. Doultreman in pædag. Christiano p. 1. cap. 8. §. 6. (ex P. Cotono ſerm de morte) de quadam nobili domicella vanitati & libertati in tantum addicta, ut nullam graviorem pœnitentiam à Confeſſario admittere vellet. Ad extremum tamen, ubi ille hanc unam ei impoſuit, ut quoties manus lavaret, ſibi ipſi diceret: *Hæc caro vermium eſca erit;* eam admiſit & peregit. Inde paulò poſt adeò immutatà fuit, ut firmiter conſtituerit, ſaltem animam ſalvare, ne & ipſa unà cum carne vermium eſca fieret, atque exinde inculpatam vitam duxerit. Viderunt hoc vel ipſi Gentiles Ægyptii, qui in conviviis ſuis, quò temperantiæ & modeſtiæ memores eſſent, proponebant ligneum cadaver, dicentes alter alteri: *In hunc intuens bibe & oblecta te; talis poſt mortem futurus;* auctore Herodoto libro tertio. Quid videtur vobis? nonne iſti ſurgent in judicio & Chriſtianos accuſabunt, qui in ſuis conviviis omnem piam cogitationem quàm longiſſimè à ſe arcent?

IV. *Redde Rationem.* Ultimum hoc ſynapi eſt, quod claudere ſolet convivium: ſymbola hoſpiti ſolvenda pro menſa lautè inſtructa. Id enim neceſſariò præſtandum eſſe teſtatur Eccleſiaſtes cap. 11. qui cum dixiſſet: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Quam pauci vivunt annis multis? quantò pauciores in iis omnibus lætantur? Sed eſto demus juvenibus tot taleſque annos. Quid tum? *Lætare ergo juvenis*, addit, *in adoleſcentia tua: & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ: & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Amarum eſt hoc ſynapi, amara Ironia, quaſi dicat hoſpes potatoribus: Læti & hilares eſtote, comeſſamini, inebriamini; quia tandem ad rationes vocabo, & caro ſolvetis pretio, quæ abliguriſtis. Nota eſt inventio Dionyſii Tyranni, qua Damoclem aſſentatorem ſuum, à quo beatus prædicabatur, regio in convivio aſſidere fecit, nudato tamen gladio ſupra caput ejus tenui filo ſuſpenſo; quo viſo aſſentator ne guſtare quidem delicias, tametſi admoneretur variis illecebris, ulla ratione potuit, quia gladius ipſi imminens omne gaudium interturbavit. Et quid aliud eſt convivium & qualecumque gaudium mundanorum hominum? Nunquid enim timor judicii divini ſtrictiſſimi eis non impendet? nunquid non de omni verbo otioſo, de omni bolo & hauſtu ſuperfluo, de luxu non neceſſario, de projectis micis & pauperi ſubtractis rationem reddent? Nunquid horam neſciunt, qua is gladius in ſe caſurus ſit? Benè ergò S. Nilus monuit in parænesi ſcribens: *Luge peccatorem fœlicem; gladius enim juſtitiæ ipſi imminet.* Quod Dionyſius gladii aſpectu inſinuavit aſſentatori, hoc Deus olim populo ſuo inculcavit tubæ ſonitu ad eorum epulas edendo, Num. 10. ubi inprimis inflari tubas jubet, exeuntes ad prælium, deinde ſedentes ad convivium; *Si quando habebitis epulum & dies feſtos & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis & pacificis victimis, ut ſint in recordationem Dei veſtri. Ego Dominus Deus veſter.* Cauſam adfert Rabanus. *Id factum*, inquit, *ut in proſperis & adverſis eadem ſemper ſolicitudo pulſet animum noſtrum, & ita nobis in ſumma rerum proſperitate ſciamus formidandum, ſicuti timere etiam in bello fortiſſimi & prudentiſſimi conſuevere.* Sed cur in rebus proſperis formidandum? ad quid ibi tuba, niſi quia tuba judicii divini ſemper in auribus noſtris reſonare debet? abſque enim timore illius judicii eſſemus, quid metuere poſſumus? Illi ergo ſonitus condire epulas debent & luxum cohibere; uti monet D. Hieronymus in Regula Monach. tit. de timore ultimi judicii: *Sive leges*, ait, *ſive dormies, ſive ſcribes, ſive vigilabis. Amos ſemper tibi buccina in auribus ſonet.* Quænam illa buccina Amos? Illa utique de qua ipſe c. 2. v. 2. vaticinatur in perſona Dei: *Mittam ignem in Moab* (ignem conflagrationis in mundum carnalem & impium) & *devorabit ædes Carioth* (hoc eſt, *urbium*) *& morietur in ſonitu Moab, in clangore tubæ;* illius intelligo, quæ evocabit homines ad judicium. Sonet igitur hæc tuba etiam in auribus veſtris Audit. præſertim cum in conviviis eſtis. Condiant hæc 4. ſynapi omnes cibos veſtros & nihil vobis nocebunt.

THEMA III.

Via ad regnum cœlorum unde amaritudine repleta.

I. Provenit ex conſideratione præſentis exilii.
II. Ex impiorum perſecutione.
III. Ex natura noſtra corrupta.
IV. Ex peccatis propriis & alienis.
V. Ex ærumnis hujus vitæ.

Simile eſt regnum cœlorum, grano ſynapis. Matth. 13.

POſſet hodiernum Evangelium non ſine cauſa aliquos terrere, & à regni cœlorum deſiderio etiam abſterrere, ſi ut ſonant verba, crudè intelligeretur. Quis enim laborabit pro illo regno, ſi nil aliud niſi ſynapi & fermentum eſt? Illud enim aſperam acrimoniam, hoc etiam amaritudinem continet. Verum non tam craſsè tractandum eſt hoc Evang. Per regnum enim cælorum Chriſtus hic intelligit viam ad cælum, quæ eſt vita Chriſtiana ad normam Evang. inſtituta,

Non est insuetus, etiam vulgo, hic loquendi modus, accipiendi viam pro termino. Mediolanensi in civitate porta, quæ Romam ducit, appellatur Romana: Viennæ, porta, quæ ad Carinthos ducit, vocatur Carinthiaca. Neque tamen illa Romæ, nec ista est in Carinthia, quinimo multi & præalti montes superandi tibi sunt, donec Mediolano Romam, & Vienna venias in Carinthiam. Pari ratione licet vita Christiana vocetur regnum cœlorum, quia eo ducit, multa tamen amaritudo degustanda est, priusquam eo venias. Quare nunc videndum unde potissimum proveniat illa amaritudo, quæ deprehenditur in via cœli.

Ea est amara seu synapi.

I. *Provenit ex consideratione præsentis exilii.*

I. Provenit hæc amaritudo primò ex consideratione præsentis exilii, & absentis patriæ. Quis enim nescit dulcem esse patriam, & peregrinum extra illam esse quasi piscem extra aquam, aviculam in cavea inclusam, brachium luxatum, quibus benè esse non potest, donec loco suo nativo restituantur? Adad ille Idumæis armis Davidis pulsus è patria & in Ægyptum profugus, tametsi ibidem à Rege Ægypti blandissimè haberetur, & sororem Reginæ accepisset in uxorem, ubi intellexit mortuo Salomone patere sibi reditum in patriam, nil nisi patriam cogitabat; eamque repetebat dicens Regi: *Dimitte me ut vadam in terram meam.* Et cum Pharao responderet: *Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire in terram tuam? Nulla, inquit, sed obsecro te ut dimittas me.* 3 Regum undecimo. Erat Idumæa tota aspera & montosa regio, quia tamen patria Adadi erat, ideo tantopere ab ipso expetita fuit. Quid igitur solatii, imo quid non amaritudinis habeat peregrinus, qui in exilio male habetur & à fœlicissima terra exulat? Hujusmodi patria beata est cœlum, terra verò exilium plenum miseriis, morbis, paupertate, querelis. Quomodo igitur hîc bene erit iis, qui ad cœlum contendunt? Omnia, quæ in terra sunt, etiam sibi propria, velut aliena aspiciunt; & ut Sanctus Chrysostomus homilia vigesima quarta in Epistola ad Hebræos ait, *ab eis pendent tanquam ab externis*: uti peregrini ab aliena domo, fonte, arboris umbra, &c. unde pro illis nec altercantur, nec solliciti sunt, nec pecunias colligunt. Ita Jacob in Ægypto peregrinatus apud filium Josephum, moriens mandavit ut ipsius ossa transferrentur in terram promissionis, ne vel mortuus quiesceret extra patriam suam. Genes. quadragesimo nono. Quid non deliciarum habuit vel saltem habere potuit in regno suo David Rex? Cujus enim sunt optima quæque nisi Regum? Et tamen ipse ait Psalmo trigesimo octavo. *Lachrymas meas ne sileas, quoniam advena sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Et rursum quasi non haberet in terra propriam domum, Psal. centesimo decimo octavo. *Incola ego sum in terra.* Tales denique Hebræi ducti in Babylonem, qui justè canere carmina sua, præ mœrore non poterant, Psalmo centesimo trigesimo sexto, velut aviculæ recens captæ & caveis inclusæ. Sumus quidem omnes peregrini in terra, & patriam habemus cœlum, verum sicut Hebræi in Babylone exules, plerique in exilio constitute sibi patriam, ducentes ibi uxores alienigenas, ementes fundos & domos, ideoque factâ redeundi in Judæam licentiâ, in Babylone remanserunt: duæ tantum tribus, Juda & Benjamin, cum sacerdotibus & Levitis reversæ sunt, 1. Esd. 1. ita contingit in hoc miseræ terræ exilio: plerique se hîc affigunt, & cives mundi fiunt, ideoque ad patriam suam non suspirant, qui jam quasi valedixerunt. Alii licet ad patriam cœlestem anhelent, quia tamen Deum minus ferventer amant, blanditiis quibusdam deliniti (instar Dinæ Genesis trigesimo quarto) licet cum aliquo tædio, hîc utcumque libenter hærent, ideò exilii hujus amaritudinem minus sentiunt.

II. *Ex impiorum persecutione.*

II. Ex impiorum persecutione, in quorum medio habitant: qui ad cœlum contendunt. Mundus ex contrariis elementis, elementa ex contrariis qualitatibus constant; hinc inter ea pugnæ, tempestates, terræ motus, diluvia, incendia; quia levia sursum, graviora volunt ire deorsum. Par ratio inter cœli & terræ cives. Cum enim justi in cœlum velut in patriam tendant, mali verò in Babylone hujus mundi patriam sibi deligant, hinc inter utrosque (præsertim amicos & cognatos) odium & persecutio, quia quod illi oderunt, hoc isti amant, & è contra. Hebræi in Ægypto mactabant & sacrificabant oves, quas Ægyptii colebant velut quid divinum, adeoque mactari nolebant: hinc inter eos mutuum odium. Unde Moyses: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro; quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.* Exod. octavo. Ita etiam justi mactant & contemnunt ea, quæ hujus mundi sectatores amant & colunt velut numina, opes, voluptates, honores, &c. Quæ isti abominantur, uti jejunia, cilicia, humiliationem, persecutiones, labores, contemptum, paupertatem, &c. illi amant & sectantur. Hinc Cain contra Abel, Ismael contra Isaac, Esau contra Jacob, Agar contra Saram, fratres contra Josephum, Saul contra Davidem. Quamdiu Magdalena cum mundo sentiebat, mundo se comebat (licet ei offendiculum esset) nihil prorsus convitii à mundo patiebatur. At ubi stylum vertit, & calcato mundi fastu ad pietatem se composuit; statim adversarium & censorem sensit Pharisæum, deinde Judam, & postremo mundum totum. Saulus dum adhuc sentiret cum incredulis Judæis & Christi persecutoribus, nihil ab eis adversi tulit; at ubi se Christianis junxit & Christum prædicavit, hinc innumeræ tempestates in eum detonuerunt. Ergo pii hîc inter prædones & scorpiones ambulant; quid mirum si hæc via fiat ipsis amara? Non sine variis præliis potuere filii Israel intrare promissionis terram: nec ad cœlum justi sine persecutionibus pervenient.

III. *Ex natura corrupta.*

III. Ex natura nostra corrupta, cujus cupiditates necessario frænari & mortificari debent, si ad cœlum evolare velimus; id verò sine difficultate & amaritudine fieri nequit. Est enim homo compositus ex anima rationali & corpore, quasi ex Angelo & bruto,

v. g. equo, admodum inter ſe oppoſitis, cum anima inclinet ad bona ſpiritualia, corpus ad ſenſibilia: illa ſurſum, hoc deorſum tendat. Ad hæc cum anima rationalis carni mortali inſerta ſit, nec niſi per ſenſus rerum formas apprehendat, hinc ſenſibilia & præſentia clarè & perfectè, ſpiritualia verò & bona vitæ futuræ, velut abſentia, obſcurè & confusè apprehendit, & quod hinc ſequitur, fortius trahitur & fertur in amorem ſenſibilium, quàm ſpiritualium. Quibus accedit quod natura humana per peccatum fit, non ſolum ſibi & ſuis cupiditatibus relicta, ſed inſuper valde corrupta & depravata, factuſque equus petulans, quaſi & effrænis. Hinc illa difficultas in refrenanda carne ejuſque cupiditatibus, in quas tam potenter fertur. Frænum equo injiciendum, pabulum minuendum, voluptas prohibenda, flagra addenda, ne in perniciem nos trahat. Equa Bajazetis Imp. Turcarum, qua curſu celerrimo fugit Tamatlanem, cum in fuga tranſiens fluvium æſtuanſque ſiti largius bibiſſet, inde gravior facta, herum hoſti inſequenti prodidit, à quo miſer poſtea in caveam ferream compactus eſt, auctore Chalcondyla libro tertio. Sic continget nobis, ſi carni noſtræ indulgeamus quas deſiderat voluptates; perdet enim nos & in hoſtium manus tradet, juxta id Eccleſiaſtici decimo octavo. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* At vero dilectam conjugem ita dure accipere & cupitis prohibere deliciis, quis non amarum eſſe videt? Sic enim Adam in ſtatu naturæ adhuc integræ noluit contriſtare Evam ſuam, quin ejus voluntati parêret: quid mirum ſi hoc in ſtatu naturæ corruptæ difficultatem habeat? Durum abſque dubio atque amarum fuit Abrahæ, quando juſſus fuit primo quidem circumcidere filium ſuum Iſaac, hoc eſt, *riſum* (id enim ſonat Iſaac) & gaudium unicumque ſolatium ſuum: ac multo magis quando poſtea etiam immolare. Nihilo mitius videtur propriæ carni præcidere appetitus ſuos eamque mortificare, ut ſectetur, quæ non placent; fugiat, quæ placent. Nihil enim hoc aliud eſt, quam docere canem, ut naturam ſuam exuat, panem ori appoſitum non tangat, retrò ſolum incedat non præcurrat, latratum cohibeat, aliaque ferè humana obſequia ad nutum homini præſtet: quod non minus mirum ac laborioſum eſt.

V. eccat- o- & u.

IV. Ex peccatis partim propriis, partim alienis. Cum enim à peccatis omnibus immunes eſſe etiam juſti nequeant, eaque luendas ibi pœnas habeant, niſi hîc expientur, hinc exiſtit nova amaritudo, lachrymarum ſcilicet & pœnitentiæ, partim ob offenſum ſummum bonum, partim ob reatus pœnæ contractos; hinc ſibi dicunt illud Jerem. ſecundo. *Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* At licet juſti ſolum peccata levia admittant, ea tamen in ſe graviter redarguunt & multis lachrymis expianda ſibi exiſtimant. Sanctus Pachomius Abbas injuriâ affectus, nonnihil inde commotus fuit, ab omni tamen verborum injuria abſtinuit, ſequente verò nocte eam commotionem tantis lachrymis deploravit, quaſi graviſſimorum ſcelerum reus foret, ut in ejus vita 14. Maii Lipel. Sancta Catharina Senenſis verbum unum, non ex animi ſententia, ſed per jocum aliquid aſſerendo protulit, quod poſteà per tres dies atque noctes continuo dolore lugere non ceſſavit. Ut in vita 29. Apr. Id cogitant enim non quanto ſed quantum offenderint. Unde Divus Ambroſius in Pſalmum quinquageſimum: *Inſipiens,* ait, *delectatur erroribus ſuis, & novus vetera obumbrando peccatis, ſe exiſtimat adjuvari. At vero ſapiens adverſum ſe judicat eſſe delictum ſuum, & tanquam hoſtiles acies, ita lapſus culparum ſuarum, adverſantium modo ſibi arbitratur obſiſtere. Quidquid perſonuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria ſemper recurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in ſe dictum putat,* &c. Jure autem hoc fit, quia peccata tribulatione velut nitro & lixivio eluenda atque expianda ſunt. Neque minus ſentiunt, ſed æque amaro animo peccata aliena. *Mos enim eſt,* ait Sanctus Chryſoſtomus homilia vigeſima nona in Geneſ. *Prophetarum & juſtorum omnium, non ſolum pro his dumtaxat dolere, qui ſibi proximi ſunt, ſed etiam pro reliquis omnibus.* Quod exemplis Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis aliorumque declarat. Satis nobis ſit David, qui ait Pſalm. 118. *Vidi prævaricantes & tabeſcebam; quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Vidit inter alios prævaricantem & pereuntem rebellem filium Abſalom, & calidiſſimis lachrymis ei parentavit, quemadmodum & Sauli. Viderunt etiam filii ejus fratrem Abſolonem immani parricidio ſævientem in Ammonem, idque nuntiantes patri, *levaverunt vocem ſuam & fleverunt: Sed & Rex & omnes ſervi ejus fleverunt ploratu magno nimis.* 2. Regum 13. Unius ergo peccatum multos affligit. Unde Sanctus Auguſtinus in ſententiis numer. 122. ait: *Magnus bonorum labor eſt, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet juſtum alieni peccati iniquitas, quantum à ſua recedit.* Hæc enim eſt vis zeli & charitatis, ut inſtar ignis etiam proximos inflammet.

V. Ex ærumnis, miſeriis, plagis & calamitatibus hujus vitæ, quæ ferè peccatum conſequuntur, partim originale, partim actuale & proprium & à nemine evitari queunt. Quocirca Ptolemæus, ut habetur in præfatione Almageſti, inter alias regulas, hanc tradidit. *Qui in mundo permanere voluerit, cor patiens adverſitatibus præparet.* Et Menander; *Neceſſe eſt mortalem multa perpeti mala.* Et Seneca libro de beata vita capite decimo quinto. *Ad hoc ſacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt.* Denique Solon Crœſo Regi ditiſſimo beatum ſe æſtimanti dixit: *O Crœſe, homo eſt quædam gravis calamitas. Quare ante mortem nemo beatus cenſendus eſt.* ægrè hoc audiit Crœſus, ſed id demum agnovit, quando captus à Cyro & rogo adjudicatus exclamavit: *Solon! Solon! quàm vera dixiſti!* Herodot. libro primo. Teſtantur id ipſum vel elingues infantuli fletu ſuo, velut prima voce, cum naſcuntur. Unde Auguſtinus libro vige- | *V. Ex ærumnis hujus vitæ.*

ſimo primo de Civit. *Infans non à riſu*, inquit, *ſed à fletu orditur hanc lucem, quia quid malorum ingreſſus ſit, neſciens prophetat quodammodò.* Unus tantum Zoroaſtes, Bactrianus Rex, quando natus eſt, riſiſſe fertur, ſed infauſto omine; à Nino enim Aſſyriorum Rege bello victus & tandem regno pulſus eſt. Plin. libro ſexto capite decimo ſexto. Solin. libro quarto polyhiſt. E contra infans alius quatuordecim diebus antequam naſceretur, plorare in utero matris auditus eſt. Majol. in diebus canic. coll. 4. Alius Saguntí, quo anno ab Hannibale deletum eſt, Plin. libro ſeptimo, capite tertio. Quid, quod Jacob & Eſau pugnabant inter ſe, in utero matris ſuæ, velut futuri ſibi ſemper contrarii Geneſ. 25. Adhæc Sanctus Auguſtinus 1. Confeſſ. cap. 7. *Vidi ego & expertus ſum,* inquit, *zelantem parvulum: nondum loquebatur & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum.* Sed hæ miſeriæ communes ſunt juſtis & injuſtis. Nunc de juſtis ſolum agimus, qui præter communes illas plagas experiuntur communiter peculiares alias, quibus à Deo exercentur. Ad illos ſpectat Pſalmus ille 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* de cœleſti beatitudine tractans, titulum gerit, *pro torcularibus*, hoc eſt, tribulationibus, per quas ad illam patriam aſcendant. Quod expendens Divus Auguſtinus ad eum locum: *uva, & oliva quamdiu pendent in frutetis ſuis, libero aere perfruuntur, & nec uva vinum eſt, nec oliva oleum, ante preſſuram. Sic ſunt & homines, quos prædeſtinavit Deus. Antequam accedant ad ſervitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tanquam delitioſa libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes. Sed accedens quiſque ad ſervitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat: contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat; ſed ut in apothecas defluat.* Quaſi una ſcilicet tribulationis via certiſſima ſit ad beatitudinem acquirendam; inprimis vero terenda viris juſtis & Deum timentibus. Job *vir ſimplex & rectus ac timens Deum recedens à malo*, quantis calamitatibus velut in torculari preſſus eſt, ubi ſerio Deo ſervire cœpit? Tobias nonne poſtquam piis operibus gnaviter incubuit, & ſpretis Regis minis mortuos ſepelivit, fatigatus quoque à ſepultura domum aliquando rediens jactavit ſe juxta parietem & obdormit, ecce hirundinum ſtercora incidunt in oculos ejus ipſumque excœcant? Tob. 2. Hæccine diceret aliquis, merces erat tam piorum operum? tam ſanctæ laſſitudinis? Nimirum uva & oliva erat, premi itaque debuit, ut velut vinum pretioſum in apothecam Dei deflueret.

Vidimus Audit. qualenam ſit regnum cœlorum, quod in hodierno Evangelio proponit nobis Chriſtus: via, inquam, non terminus; & quidem via dura, ſynapi & fermentum. Non ergo exiſtimemus, nos jam in regno cœlorum eſſe, ubi Chriſtiani eſſe cœpimus: in porta adhuc hæremus, via adhuc longa & aſpera emetienda ſupereſt. Ludovicus XII. Francorum Rex dicere ſolebat: *Ne viſis templorum pinnis, iter te confeciſſe dicas*, apud Delrium in Adagial. ſſ. adag. 206. q. d. *Ne glorietur accinctus æque ac diſcinctus.* 3. Reg. 20. Diu adhuc pugnandum, multum adhuc ſynapis & fermenti devorandum, quia *grandis adhuc tibi reſtat via*, quæ tamen ſi in ea fortiter perrexerimus, ducet nos ad regnum cœlorum, quod eſt beata illa & cœleſtis patria noſtra.

THEMA QUARTUM.

Cur per aſpera & amara eundum ſit in cœlum.

Per ſynapi & fermentum ad cœlum eundum.

I. Ne viatores ex hoc exilio patriam ſibi faciant.

II. Ut cœlo digni fiant.

III. Ut cœlum meritis obtineant & poſſideant velut ſuum.

IV. Ut dulcior eis fiat gloria cœleſtis.

Simile eſt Regnum cœlorum fermento. Matth. 13.

Mira olim fuit conſuetudo apud Perſas, teſte Plutarcho in Artaxerxe, qua illorum Rex jam inaugurandus calicem haurire lactis acidi debebat; poſtea primum Regiam ſtolam & ſceptrum capeſſebat. Ex hodierno Evangelio manifeſtum fit, quod ſimilem ritum ſervet Chriſtus cum illis quos in cœlo exaltare & Reges vult creare. Aſſerit enim Regnum cœlorum ſimile eſſe grano ſynapis & fermento, hoc eſt, parandum eſſe delibatione grani ſynapis & fermenti. Quæ duo ſecundum D. Hieronymum, Ambroſium, Bedam & alios, ſignificant doctrinam Evangelicam, magna ex parte certe acrem & amaram. Quid acrius grano ſynapis, quod hominem accendit & lachrymas extorquet: quid amarius fermento, quod vel ideo noſtra lingua appellamus maſſam acidam ein Sawrtaig? Non voluit Dominus noſter imitari morem cauponum, qui pretioſa quidem vina promittunt & offerunt, pretium verò grande occultant, uſque dum rationes & quidem rigidas exigant cum terrore potatorum; ſed è contra primò pretium cœli indicat, amarum id eſſe aſſerens, velut eſt ſynapi & fermentum; quæ tamen amaritudo abunde compenſetur cœleſtis regni dulcedine. Sed jam interrogare libet quænam cauſa ſit, quod per aſpera & amara cœlum comparandum ſit. Ergo cauſas indicemus.

I. Ne viatores ex hoc exilio facile nimis patriam ſibi effingant. Cum enim magis præſentibus quam futuris bonis alliciamur, & malimus paſſerem in manu, quam Aquilam in tecto; ſi præſens vita amaritie careret, pauci eâ ſpretâ ad futuram anhelarent. Quod ſi adhuc tam multi ſunt, qui mundi hujus illecebris, tanto licet felle perfuſi, ineſcati eligunt præſentia potius quam futura, exilium quam patriam; quid fieret, ſi mundus omni felle careret? Quare ut homo carni addictus ab hoc lacte avocaretur, ac ſolidos melioreſque cibos alterius ſæculi requireret, ærumnarum ac miſeriarum felle Deus id permiſcuit. *Faciunt hoc*, inquit Sanctus Auguſtinus conc. 2. in Pſal. 30. *nutrices mammotreptis* (hoc eſt, diu ſugentibus) *ut aliqua amara ponant in papillis ſuis, quibus offenſi parvuli ab ubere reſiliant & ad menſam inhient.* Ita etiam Deus ut

ut electos ſuos ab uberibus voluptatum hujus mundi abducat, perungit ea miſeriis & calamitatibus. Qua in re *notandum eſt*, inquit procop. in c. 21. Gen. *nullibi de impiis dici. ablactati ſunt.* Et *plures filios*, inquit S. Ambroſ. ſer.19. in pſ. 118. *habuit Abraham: nullum ablactavit alium, quam Iſaac.* Deſignant ergo ablactati electos, qui à ſæculi voluptatibus velut ab uberibus abſtrahuntur, ut cœleſti menſæ inhient. juxta id Iſa. 28 *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus.* hoc eſt à puerilibus delitiis à vita imperfecta & carnali avulſos; hos ſolos docebit ſapientiam cœleſtem. Simili ratione eduxit Deus Jacob è diutina ſervitute in terra peregrina & reduxit ad patriam. Servierat jam ſocero Laban annis 10. & ditatus erat ac tum dixit illi Deus: *Revertere in terram patrum tuorum eroque tecum*, Gen. 31. Huic igitur voci, ne aures ille occluderet; immiſit ei Deus canes, qui eum expellerent, filios imprimis Laban, qui ei obtrectarent opes, quas à patre ſuo tuliſſet, indeque potens evaſiſſet: deinde ipſum Laban, qui non ita ut prius, æquis oculis eum aſpiceret Quæ cum Jacob animadvertiſſet; convaſavit ſua & ſubduxit ſe quamprimum, rediitque in patrium ſolum. Hunc in modum Deus premit ſuos in hac mundi ſervitute & exilio, perſecutionibus & calamitatibus ut ſpreti & vexati à mundi aſſeclis, eo derelicto & contempto anhelent ad cœleſtem patriam.

II. Ut cœlo digni fiant; idque non otiando aut molliter cubando, ſed laboribus ſibi comparent. Nimis magna res eſt Regnum cœlorum: Dei aula & Angelorum habitaculum eſt, non hominum mortalium; ſicut aër avium, non hominum: terra hominum, non Piſcium regio eſt. Magnis ergo & heroicis virtutibus homini comparandum eſt, ſudandum, algendum, pugnandum: ſi homo Angelus fieri, & terrenum animal inhabitare cœlum velit. Quemadmodum enim David, priuſquam è paſtorculo fieret gener Regis, multa ſuſtinere multaque inire certamina, primum cum Goliatho, deinde cum philiſthæis, eorumque centum capita afferre: deinceps etiam plurimas perſecutiones pati debuit: ita qui Dei filius & hæres, cœli civis, & Angelorum concivis eſſe cupit tanto ſe bono dignum reddat, multa ardua pro DEO & tali ſponſa ſua agendo & patiendo. *In Bœotia*, inquit Plutarchus de conjugal. præcept. *ſponſam aſphragonia coronãt. Hæc enim planta dulciſſimum ex aſperrima ſpina fructum edit: & ſponſa non fugienti aut aſpernanti quod primo inſuavem ſe & difficilem ipſa præbet, manſuetam ac dulcem vitæ ſociam ſe præbet. Qui verò primas virginum diſſenſiones non ſuſtinent, nihilo ſaniores iis ſunt, qui immaturæ offenſi uvæ ſapore, maturas aliis relinquunt.* Sponſa Davidis regia tulit ſane ipſi ſpinas initio aſperrimas: cur eas ſuſtinuit? ut poſtea coronam Regiam ſibi imponeret. Magnum nimis eſt fieri Regem in cœlo ex terræ homuncione Per ſpinas igitur tribulationum dulcis illa corona comparanda eſt. Propterea Satan non contentus externi Jobi bonis, ipſam etiam pellem ejus exegit, eique detraxit, velut pretium illius veſtis, quam in cælo expectabat Job.

III.
Vt cœlum meritis obtineant & poſſideant velut ſuum.

III. Ut cœlum promereantur & tanquam ſuum poſſideant. Non datur merces operario, niſi prius laborarit? nec præda militi, niſi pugnarit. Hinc Severus Imp. ſuis militibus hoc ſymbolum dedit, *Laboremus.* Pertinax vero Imp. ſuis: *Militemus.* Æl. Spartian. & Jul. Capitol. in Pertinace. Non debet cenſeri noſtrum, quod labore noſtro non comparavimus. Indicavit hoc ſubtili penicillo Deus. Ex. 3. v. 17 cum ait *Dixi ut educam vos de afflictione Ægypti in terrã Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Pherezæi & Hevæi & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.* Sed cur omittit Gergeſæos, quorum terram etiam tradidit Hebræis? Reſpondent Hebræi, quod hi ſponte ceſſerint ſuis domiciliis, nihilque in eorum acquiſitione laborarint Hebræi, ut in cæteris. Eandem ob cauſam non permiſit Eliſæus, ut Rex Iſrael percuteret Syros, cæcitate divinitus immiſsâ perductos in Samariam, eò quod non cepiſſet eos gladio ſuo & arcu, 4. Reg. 6. Quin & hoc ipſum Deus clarè oſtendit, quando ſpolia urbis Hai permiſit Hebræis, Joſ. 8. urbis verò Jericho nequaquam: ſed anathemati ſubjecit. Joſ. 6. Cauſa eſt, quia ſuis armis urbem Hai expugnarunt, non Jericho, cujus muros Deus evertit, Hebræis ſolum buccinantibus & ſepties eam circumeuntibus. Non ergo buccinantibus & choreas ducentibus, ſed pugnantibus & vulnera excipientibus cœlum in prædam datur.

IV.
Vt dulcior fiat gloria cœleſtis.

IV. Ut dulcior ipſis fiat gloria cœleſtis, poſt guſtatas amaritudines. Nemo enim ſatis æſtimat dulcia, quantum ſapiant, niſi qui expertus eſt, quam deſipiant amara. Poſt laborem quies, poſt famem ac ſitim cibus & potus, poſt hyemem æſtas gratior eſt. Hinc Chriſtus *favos poſt fella guſtavit*, ait Tertull. l. de corona militis c. 14. Certe etiam Laban noluit tradere ſervo ſuo Iacob filiam Rachelem, quam unam is expetierat, valde ſpecioſam, priuſquam acciperet Liam, lippam & deformem: Unde ait; *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Gen. 49 Non eſt etiam in cœlo conſuetudinis, ut gloriæ pulchritudo detur ante laboris fœditatem. Imo nec in mundo viget conſuetudo, ut præmia ante pugnam, merces ante laborem detur. Hinc illud Poeticum: *Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.* Caupones qui decipere moliuntur hoſpites, initio apponunt vinum optimum: *cũ inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt*; ut ait Architriclinus Jo 2. At non ita Chriſtus, nec viri honorati ſic agunt cũ hoſpitibus; ſed in finem ſervant vinum optimum & honorarium. Mundus cauponum obſervat ſtylum: hîc delicias, ibi pœnas apponit: contra Chriſtus hîc crucem, ibi gloriam: hîc abſtinentiam, ibi refectionem: hîc abſynthium, ibi nectar ſuaviſſimum; & quo magis aliquem diligit, eo magis illi prohibet & removet hujus mundi delicias, ut tanto magis delicietur & gaudeat futuris. Præclarum hujus rei exemplum eſt S. Hermannus, qui & Joſephus ob ſingularem B. Virginis amorem ab Angelo appellatus eſt, de quo familiaris quidam ejus amicus, in vita apud Sur. 7. April. ita ſcribit:

Mul-

Multigena Dominus flagella adhibuit, ut omnigenis postea in cœlo gaudiis afficeretur. Multis & quotidianis ac pene continuis vexabatur morbis, debilitate stomachi, doloribus capitis, defectione cordis creberrima: demptis aliis sapè supervenientibus ægritudinibus. Affixit etiam eum Dominus non permittendo, ut corporis commodis, cibo, potu, equo aliquo profecturus, molli strato uteretur; ita ut sapè esuriret & sitiret, nec tamen liceret ei sumere cibum illum & potum, quem expetebat. Erat sanè omnibus non mediocri admirationi, quod viderent eum fame & siti laborare, nec tamen capere cibum & potum, quem ordo sive institutum permittebat. Interdum fatigatum illum ex labore, extra monasterium agentem, amici ejus molliori lectulo fovere volebant, sed ille rejecto lectulo benè composito, in solis straminibus debilis cubabat. Regatus quandoque quid causa esset, quod cibos lautiores & lectos molles tam imbecillus corpore non admitteret, paucis respondebat: Iesus prohibuit; vel: Iesus non permittit. Equo vel curru annis prope duodecim usus non fuit, neque in nive, neque in pluvia, non in æstu ant frigore, sed quamvis difficilia itinera pedes conficiebat, exiguo scipione imbecillia membra sustentans. Fecisse autem id eum voluntate divina, ejusmodi exemplo didicimus. Ibat aliquando ad cortes Ecclesiæ nostræ assumpto fratre, ei valde familiari. Habebant autem duo unum dumtaxat equum, quem manibus ducebāt. Cumque paululum progressi essent, ait Ioseph: Vix possum ultra progredi, adeò lassus sum. Hortante eum fratre, ut equum ascenderet, respondit: Non possum. Attamen à fratre importunè agente, tandem equum ascendit: sed paulò post tam graviter equus offendit, ut ægrè posset à casu tueri. Itaque ait fratri: Nonne dixi tibi, non posse me equo subvehi? Tum frater: Quæso, inquit, denuò tentemus. Ascendit Ioseph, sed equus multo etiam gravius impegit, ita ut fratri diceret Ioseph: Sine me ab equo descendere, ne deterius corruam. Admirans frater, & tamen quid ageretur ignorans: etiam tertio, ait, in nomine Domini periculum faciamus. Ego sustentabo te ne possis ex casu detrimentum accipere. Vix ille verba finierat, & cum equus vellet procedere, totus corruit, & sessor, licet fratre sustentante, vix illæsus evasit. Tum frater cernens se toties voto suo frustrari, obnixè rogavit eum, ut quid sibi hoc vellet, explicaret: Et Ioseph: Crede mihi, inquit, Dominus Iesus prohibuit. Alioquin putas me non perinde ut alios, usurum, cibo, potu, equo, nisi Dominus vetuisset? illo ergo jubente; hos ego peculiariter sustineo labores. Sic ille ad mortem usque Domini Iesu fuit constrictus legibus, ut ejus exemplo nec equis, nec curribus veheretur.

Frustra igitur sunt, qui per bonos dies ad cœlum aspirant. Synapi & fermentum prius degustare debent, per acidi lactis haustum pervenitur ad cœli regnum. Verum uti fermentum panem, & synapi cibos facit sapidos: ita amaritudo hujus exilii dulcissimam nobis efficit cœlestem refectionem. *Malum est, malum est dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur;* ait Sapiens Proverb. vigesimo. Sic & justi hoc exilium ejusque ærumnas accusant de amaritie; verum ubi aliquando inspicient patriam illam, his ærumnis emptam, tunc gloriabuntur & applaudent sibi: quo[d] & nobis largiatur Deus benedictus.

THEMA V.

Conjugum officia inter se mutua.

Vir seminans uxor pinsens adducitur, ut officium utriusque indicetur.

I. *Vir quæ foris sunt, peragat: uxor, quæ domi sun[t] curet.*

II. *Vir ad colendum agrum & alia, valdè ma[ne] surgat.*

III. *Occupet se labore honesto.*

IV. *Disciplinam in domo conservet.*

V. *Vir alat conjugem & familiam.*

VI. *Sint concordes.*

VII. *Vir graviora onera ferat, leviora uxori reli[n]quat.*

Simile est Regnum cœlorum grano synapis. *Matth. 13.*

DUas parabolas ad eandem demōstrationem pr[o]ponit hodie Christus, unam de viro, alteram [de] muliere; ut per utramque ostendat quantum creve[rit] Ecclesia per Dei verbum ex minimis initiis. Hoc a[u]tem sicut alias sæpius (uti Luc. 15. de viro, qui pe[r]didit ovem: & muliere quæ drachmam: rursu[s] Matth. vigesimo quarto. *Erunt duo in agro: &c. Eru[nt] duæ in molendino.*) ita etiam hic fecit absque dub[io] ad honorem matrimonii, ne seperaret, quos pat[er] conjunxit; uti observat Petrus Ravennas. Sed nec [si]ne causa introduxit virum seminantem & mulier[em] pinsentem, non civem aut nobilem. Voluit enim i[n]sinuare conjuges tunc habituros regnum cœloru[m], si vir in agro seminet, uxor domi panem pinsat, h[oc] est, si quisque suum officium faciat; quod hic expo[]nemus.

I. Vir foris in agro est, cum seminat: mulier ve[]ro domi, cum farinam miscet, & panes parat. Hu[nc] in modum vir, quæ foris sunt, graviora negotia cu[]rare: mulier vero, quæ domi sunt, minutiora debe[t], utpote sexus infirmior: quod docet Aristoteles lib[ro] secundo Oeconom. capite primo. Hinc Galenus [] de usu partium, ait viro barbam seu pilos à natura i[n] facie datos, non item mulieri; quia illum foris ager[e] & cœli injurias sustinere, hanc domi manere d[e]cet. Ita Abraham sedit in ostio tabernaculi sui, Sar[a] mansit intus in tabernaculo, quando excepit hospi[]tes Angelos, Genes. decimo octavo. Idem insinuat[ur] Proverb. trigesimo primo, cum de marito dicitu[r]: *Nobilis in portis vir ejus,* hoc est, in causis & negotii[s] forensibus, de uxore: *Consideravit* Hebr. *circumlu[]stravit) semitas domus suæ & panem otiosa non com[e]dit.* Non sunt ergo mulieres exemptæ à laboribu[s] uti putant aliquæ, sed debent manum viro porriger[e] & quæ domi saltem sunt curare. Idcirco viri *adjut[o]rium* vocatur. Quare formicæ instar omnes lustre[n]t domus angulos, mores & actiones domesticoru[m] observen[t]

observent: num otio torpescant, num crapulæ aut contentionibus vacent, num suum quisque officium faciat, ut redeunti domum viro rationem familiæ reddere queant. Tantum in hac re situm est, ut Sapiens dicat Proverb. decimo quarto, *Sapiens mulier ædificat domum, insipiens extructam quoque manibus destruit.* Exemplo est Anna Gandala, quæ Uladislao Regi Bohemiæ & Ungariæ conjugi, sua industria abacum totum aureum instruxit, supellectilemque omnem ex auro & argento præparavit. Dubrau. libro vigesimo tertio. Contrarium de Ægyptiis scribit Pomp. Mela. nempe mulieres foris agere negotia & forum frequẽtare, viros intra domum pensa ducere: illas humero, viros in capite onera portare; quod quam absurdum sit, nemo est qui non videat.

II. ... ad co- ... lum ... um, ... ilia, ... de ... ue ... at.

II. Vir ad colendum agrum valde mane surgat, ut det equis aut bobus pabulum, aut aratro eos jungat & ad labores educat: exemplo illius Patrisfamilias, qui *exiit primo manè conducere operarios in vineam suam.* Matth. Vigesimo. Multo magis mulier; quia dum pinsit panes, vigilare, & quando is subigendus, quando in furnum mittendus, quando eximendus, continuò quasi attendere debet. Sapiens etiam illa mulier, Proverb. trigesimo primo. *De nocte surrexit deditque prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis.* Hoc vero ob tres potissimum caussas. Primò ob corporis valetudinem, quæ nimio somno læditur, dum vitiosi humores, qui vigiliâ & exercitatione dissipantur. Secundò ob temporis jacturam, & quidem pretiosissimi, quale est matutinum ad res omnes peragendas. Tertiò ob commoditatem & studium orationis, qua Deum mane salutare jubentur Christiani, ne vivant instar beluarum. Hinc manna olim orto Sole liquefiebat, quare ante ortum Solis colligi debuit, *ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum Solis te adorare*, ait Sapiens, Sap decimo sexto. Sic Job consurgens diluculò offerebat holocausta, Job primo. David: *Mane astabo tibi & videbo*, ait Psalmo quinto. Tandem *sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum & in conspectu altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione & pro delictis suis deprecabitur.* Eccl. trigesimo nono. Neque solum pro delictis suis, sed pro tota etiam familia, quemadmodum Job fecit.

III. ... cupet ... abore ... nesto.

III. Vir occupet se labore honesto simul & lucroso, qualis est agricultura. Per hanc enim magis innocenter & sine aliorum injuriâ paratur victus. Unde antiquis Patribus ferè in usu erat: per quam ex terra omnibus communi eruimus victualia nostra & in penum nostram devehimus. Taceo spiritualem fructũ, quem inde metimus, dum in mundo hoc quasi in libro, beneficio creaturarum velut literarum, cognoscimus ac legimus, quodammodò Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, juxta id Job duodecimo. *Interroga jumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi, & loquere terræ & respondebit tibi & narrabunt pisces maris.* Quem in finem Isaac egressus est ad meditandum in agro. Genes. vigesimo quarto. Videmus enim omnes creaturas *servire* nobis, boves arare, oves vellera ferre, apes mellificare, aves canere & nidificare, terram fructificare, &c. Videmus divitias bonitatis divinæ, nostram verò indigentiam. Videmus sapientissimum architectum hæc omnia fecisse & mirè conservare. Videmus Dei pulchritudinem in tam pretiosis creaturis. Non ergo occupet se rebus inutilibus, uti lusu, conviviis, confabulatione; nec merè ex censibus vivat, multo minus ex usuris. Uxor etiam non inutilibus & nugatoriis aut curiosis actionibus se & filias applicet; sed utilibus ac honestis: uti lini & lanificio, acu & colu ac similibus; exemplo prædictæ sapientis, quæ, ut ibidem dicitur, *quæsivit lanam & linum & operata est consilio manuum suarum*; consilio, id est, prudenti electione. Sane etiam Principum conjuges ac filiæ olim in lana ac lino sese occupabant, uti Augusti Imp. filia ac neptis, jussu parentis, qui nec alia veste nisi domi suæ facta ab uxore, sorore, filia ac neptibus temerè utebatur. Idem jussit suas facere Carolus M. tum ut otium vitarent, tum ut, si forte ad paupertatem redigerentur, eo labore se sustentarent. Eodem se nutriit, nec non pauperes multos Sancta Elisabetha vidua.

IV. Vir conserat agrum familiæ suæ, (nam servi solent arare & occare, sed agri dominus communiter serere, velut magister) & à sentibus ac lapidibus expurget. Seminet autem granum synapi, hoc est, severam in domo disciplinam conservet, exemplo Davidis dicentis: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua*, &c. Psalm. 100. Porrò granum unum seminare sufficit, unum scilicet verbum objurgatorium; non multa nimis effundere decet: multo minus execrationes mille. Uxor verò, si vir nimium de synapi spargat, si aspera nimis verba effundat, farinam aspergat & panes coquat, h. e. viri austeritatem mitiget suâ suavitate ejusque iram placet: sicut David suâ citharâ lenivit melancholiam & spiritum malignum Saulis; vel sicut Abigail sua prudentiâ & modestiâ iram Davidis. Sic Esther blandâ oratione mitigavit furorem Assueri: sic B. Monica temperavit æstus & impetus sui mariti, asperi & iracundi, eumque prorsus in alium virum mutavit, teste Aug. l. 9. Conf. c. 9. IV. *Disciplinam in domo conservent.*

Denique mores ejus quantumvis asperos ferat, nec iram ejus exasperet; quemadmodum de sapiente illa muliere dicitur Proverb. 31. *Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ*, viro scilicet suo, licet acerbo & iracundo. Sciat virum esse in domo, quasi in cithara infimam & gravissimam cordam, ad cujus tonum omnes aliæ minores cordæ attemperari debeant. Unde Prov. 19. dicitur in 70. *A Domino aptatur* (Græce ἁρμόζεται *attemperatur*) *mulier viro.*

V. Vir alat conjugem & familiam, eique de omni necessitate provideat, sicuti agricola, qui propterea agrum excolit, seminat & cœli injurias tolerat. Etenim mulier de costa viri facta est, ut vir eam nutriret velut membrum suum ac defenderet. Si quis te in latus ferire velit, brachium mox objicies. Mulier è latere viri est, ab eo igitur defendenda est. Non V. *Vir alat conjugem & familiam.*

sint velut Batavi, qui tota die in tabernis sedent ac potitant, & relinquunt suas conjuges mercimonia tractare. Cæterum uxor etiam viro manum porrigat, ut de ipsa dici possit: Panem otiosa non comedit.

VI. *Sint concordes.*

VI. Vir granum synapi, amarum: mulier fermentum, etiam amarum: ille semen, hæc farinam tractet: quorum unumquodque idem in proposito significat: ambo occupentur circa panem parandum: ille semen in agrum, hæc panes in furnum mittat, sicque inter se concordes sint. Inter alia, quæ Deo maxime placere dicuntur Ecclesiastici vigesimo quinto, est *vir & mulier bene consentientes.* Insinuatum hoc illis etiam à Gentilibus, dum in nuptiis semper impari numero faces accenderent; quia scilicet impar numerus dividi non potest, nisi alter alterum excedat; teste Plut. in problem. Celebrantur inter Ethnicos, Albutius, qui cum uxore Terentiana 25. annis: & Rubrius Celer, qui cum Caia uxore annis 43 summa concordia sine ullo jurgio vixerunt. Quod si hoc poterant Ethnici, cur non possint Christiani, peculiari gratia adjuti? Laudanda etiam concordia Zachariæ & Elisabethæ; in idem nomen filii pulchrè conspirantium: *Ioannes est nomen ejus.* Lucæ 1.

Conspirent etiam ambo in audiendo Dei verbo, quod indicat non obscurè Dominus tàm viro quàm mulieri esse necessarium, si cœlorum regnum adipisci velint; siquidem utrique suam parabolam proponit. Hinc ni fallor, cum Samaritana petiisset à Christo; *Domine da mihi hanc aquam*; Christus respondit: *Voca virum tuum.* Joan. 4. quasi æquum sit, ut mulier non sine viro cœlestem doctrinæ aquam accipiat, cum sint una caro. Quis non eget semente? quis non fermentato pane? At hæc ipsa sunt, quæ denotant Dei verbum, omnibus necessarium.

VII. *Vir graviora onera ferat, leviora uxori relinquat.*

VII. Vir aratro gravi terram, mulier farinam manibus subigat. Vir ergo quæ sunt majoris laboris onera, in se suscipiat: quæ sunt leviora, uxori relinquat; siquidem hæc à sinistro, adeoque infirmiore latere Adæ formata creditur, propter cordis vicinitatem, in quo amor sedem habet; ut docet Parerius in Genesin. Stultus & crudelis foret, qui majus pondus imponeret in debiliorem equum, minus in fortiorem: vel etiam in parem. Unde præceptum olim: *Non arabis in bove & asino.* Nihilo melius saperet maritus, si ipse sanus in asino sederet, mulierem pedibus iter facere cogeret. Contrarium fecit absq; dubio, sicut & pingitur S. Joseph fugiens cum sanctissima conjuge in Ægyptum. Similiter etiam Abraham, qui divertentibus ad se Angelis, uxorem misit ad culinam, ut tria sata farinæ misceret & panes inde coqueret: ipse cucurrit foras ad armentum, & tulit inde vitulum, deditque puero ad coquendum, Gen. 18.

Habetis igitur Conjuges breve quidem Evangelium in Dominica hodierna, sed doctrinis prolixum, in vestri gratiam à Salvatore propositum. Superest ut inde suam quisque partem sumat & vir quidem seminatori grani synapis, mulier vero pistrici panum similem se exhibeat. Sic erit eorum conjugium simile regno cœlorum; neque hoc dumtaxat, sed perducet eos etiam ad ipsum regnum cœlorum, non quod hic jam militat, sed quod ibi triumphat.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

THEMATA.

I. *Incitamenta ad operandum in vinea Domini.*
II. *Varii hominum status ad vineam mittuntur.*
III. *Boni Patrisfamilias præscripta.*
IV. *Vini abusus varii.*
V. *Quales operarii saltatores.*

THEMA I.

Incitamenta ad operandum in vinea Domini.

I. *Quia nulla hic causa otiandi.*
II. *Quia hic locus operandi,*
III. *Quia otium culpabile.*
IV. *Quia tempus pretiosum.*
V. *Quia otium perniciosum.*

Quid hîc statis totâ die otiosi? Matth. 20.

Isaias postquam capite undecimo descripsit Christum Dominum variis Spiritus S. donis repletum, addit hoc, ad donum fortitudinis ejus spectans: *Et percutiet terram virga oris sui.* Eccur verò terram? linguâ enim aerem, non terram verberamus. Mihi sanè videtur in terræ vocabulo contemplatus esse homines ignavos atque otiosos. Sola enim terra è quatuor elementis, suo semper loco velut ignava stat immobilis. Aquæ fluunt, aër ventis agitatur, ignis inquietus semper altum petit: terra sola se non movet; otiosi ergò hominis speciem repræsentat. Hanc terram, ut prædixit Isaias capite vigesimo secundo dicens: *Terra, terra, terra audi sermonem Domini*; percutit Christus Dominus virgâ oris sui, cum in persona Patrisfamilias increpat otiosos dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quot verba, tot sunt verbera, & stimuli ad operandum incitantes otiosos, quos hîc expendemus.

I, *Quid*? hoc est, ob quam causam? quasi diceret, nullam prætendere potestis. Operarii alii respondere possent primò: *nemo nos conduxit*: non invenimus dominum, libenter operaturi, si quis nos conduceret, undè gratulantur sibi, cum habent stabilem dominum, cui laborent. At nos hoc dicere non possumus, Dominum habemus Deum, à quo conducti sumus, ex quo per Baptismum ingressi Ecclesiam sumus: de mercede cum eo pacti sumus. Sanctus Anselmus adhuc puerulus per visum ascendere sibi in cœlum, quasi montis cacumini incumbens, visus, in ascensu

Qu nul cau otiandi.

ascensu cernens messores Regis cœlestis nimis remissè rem facere, minatus est se eos coram Rege accusaturum, quod tanto scilicet domino tam negligenter laborarent. Ut in ejus vita Sur. 21. April. Quæ viso indicabat industriam ejus indolem, otio inimicam & cœli Regi, Deo, gnaviter servire cupientem; interim docet ex ore infantis quam solerter nos laborare & servire tanto Domino & remuneratori debeamus: jureque meritissimo increpandos, qui hoc non præstant.

2. Justam sibi mercedem non offerri. Neque hoc valet; quia quidquid fructus labore nostro paramus, id totum nostrum est. Quis dominus hoc pro mercede dat operario? Merces est denarius, id est, status omnium bonorum aggregatione perfectus, sicut denarius numerus est perfectus. Is rotundus est, quia merces infinita. Imaginem Principis continet, quia visio ac fruitio Dei. Diurnus est, quia brevi labore comparatur. Neque enim jam 800. aut 900 annis vivimus, ut homines ante diluvium. Currunt operarii multorum dierum itineribus ad regiones, ubi magna merces datur; ubi verò majorem mercedem inveniemus, quam apud Deum?

3. Multis sibi diebus, v. g. per hyemem aut in diebus saltem festivis laborandi occasionem non esse. Neque hoc. Omni enim tempore laborare & lucrari cœlum ac parare merita possumus. Fœlices illi reputantur, qui toto anno & singulis diebus lucrum facere queunt: quomodo enim non ditescant? Nobis hoc concessum est. Quid non darent inferi aut etiam purgantes animæ, ut jam operari & redimere pœnas suas labore possent? Hoc est, quod dixit Dominus, Luc. 17. *Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis?* Qua ratione? *Dies enim iste dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum*; ut ait S. Chrys. homil. 34 oper. imperf. in hoc Evangelium.

II. …tia hic …us operandi.

II. *Hic* primo *hic* in foro, & loco negotiationis: Forum enim à ferendo dictum, ubi aut afferunt aut auferunt aliquid homines, sicut & formicæ a ferendis micis dictæ. Adam in paradiso operari debuit; (ita enim dicitur Genesis 2. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum*;) quanto magis nos in exilio? Ergo Adam, quia otiosus erat, ejectus est è paradiso: è contra Paulus: quia in laboribus & ærumnis degebat, in paradisum raptus est; ut advertit Sanctus Chrysostomus homilia prima ad popul. Porro exul è paradiso Adam, Imperator orbis erat, & tamen laborare debuit. Adhæc ipse, ejusque posteri in pœnam peccati ad labores, quasi ad metalla damnati sunt: *In laboribus comedes ex ea* (terra) *cunctis diebus vitæ tuæ*. Item: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quare filium Adæ se videtur negare, qui recusat laborare. Audiamus Sanctum Bernardum serm. de Sapientia & prudentia: *Cum legatur*, inquit, *Adam in loco voluptatis ab initio positus, ut operaretur, quis sapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur?*

2. 2. *Hic* in foro, ubi varia hominum colluvies, ubi alter alteri laqueos tendit, & provocat ad potandum, ludendum, supplantandum. *In medio laqueorum ingredieris*, ait Ecclesiasticus capite nono de eo, qui in oculis Principum versatur. Idem etiam de aliis, qui in hujus mundi foro stant, rectè dici potest: præsertim si otiosi sint: nam priscorum Monachorum hæc erat sententia: *Operans uno Dæmone, otiosi multis pulsantur.* testis est Cassianus libro decimo Institution. capite vigesimo tertio. Hinc Sanctus Antonius à Deo audivit: *Antoni, quæris Deo placere: ora & dum orare non poteris, manibus labora & semper aliquid facito.* Quam diu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulterio, & homicidium commisit. Samson dum contra Philisthæos bellavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu fœminæ, & otiosus cum ea remansit, mox capitur & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit libidinem: sed quam primum vacavit ab opere, sensit insultum luxuriæ & adoravit Deos alienos.

3. *Hic*, in Ecclesia & horto Christi, ubi non nisi frugiferæ arbores esse debent. Scimus enim quale judicium tulerit Deus super ficum, triennio in vinea toleratam, nec tamen fructus dantem: *Succide illam*, ait, *ut quid etiam terram occupat?* Lucæ decimo tertio, quasi diceret: non est digna ut vel terram occupet in vinea mea. Onus ergo terræ sunt otiosi, eamque frustra occupant, adeoque nec vita digni. Vacent otio illi, qui extra vineam Ecclesiæ sunt, Gentiles, Turcæ, Judæi, Hæretici, Schismatici, ubi parum aut nihil lucri sperandum: steriles sint arbores, quæ in sylvis sunt: in Ecclesia verò Dei, ubi plurima lucrandi occasio est, tales esse non decet. 3.

III. *Quatenus otium culpabile.* 1.

III. *Status.* Primò ad vestram damnationem, qui pedes non tam ad standum quam ad ambulandum: manus ad laborandum, sicut avis alas ad volandum, accepistis uti dicitur Job quinto. *Homo nascitur ad laborem & avis ad volandum.* Accedit Sanctus Basilius, qui in Reg. fusior. reg. 27. ait: *Deus qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, is in die judicii parem quoque à nobis in laborando industriam reposcet.* Quis enim dominus non requirit censum à subdito agricola, cui ad colendam vineam necessaria omnia dedit?

2. Ad vestram perniciem. Terra nisi excolatur, spinas gignit. Aër non agitatus fit pestilens. Domus non habitata corruit. Via non trita obliteratur: instrumenta musica non pulsata destruuntur; arma non tractata æruginant; equus statione nimia fit inutilis ad gressum: stagnans aqua fœtet & vermes gignit: ensis vaginæ semper adhærens rubiginem contrahit extrahique nequit: vestes in cista à tineis corroduntur. Sic otiosi quoque ignavia corrumpuntur & vitiis obsordescunt. Themistocles adolescens dum otiosus esset, compotationibus & libidini vacabat, ita ut pater eum abdicarit, mater ob ejus turpitudinem 2. *Trip. hæc Dom. c. 2. F.*

dinem se suspenderit. Valer. Max lib. 9. capit. 11. At ubi militiæ laboribus assuevit, adeo mores mutavit, ut à nemine unquam visus sit aliquid præter decorum agere. Causam ipse adscripsit occupationi militari. Plut. in ejus vita.

3. 3. Ad vestram molestiam. Labor & occupatio recreat & tempus jucundè transigit: otium parit tædium & quodam pondere gravat, unde enim diu stare molestius est quàm ambulare. Laboranti melius sapit cibus quàm otioso. E contra *otium est vivi hominu sepulchrum*, ajebat Themistocles ille, quem, dixi experientia propria edoctus. Quæ autem delectatio habitare in sepulchro?

IV. Quia tempus pretiosum. IV. *Tota die*. Primo, die tam pretiosâ, qua Deus Solem tibi accendit & quasi lucernam ardentem præfert tenetque, ut tu laborare possis. Qui nundinari non vult, quamdiu expositum in foro pēdet vexillum, postea facultatem non habebit. M. Cato, Gentilis homo, doluit, si vel unus dies inanis ei præterisset. Plut. in vita. Carolus V. Imp. cum adolescens ad armorum & equorum tractationem magis quam ad litteras avocaretur, iisque citius valediceret, Hadrianus ejus præceptor (postea Pp.) dixit ei, fore ut eum aliquando hujus negligentiæ pœniteret. Postea jam Imperator cum Genuæ ornata valde oratione exciperetur, eamque minus intelligeret, suspirans dixit: *Iam sentio præceptoris mei Hadriani divina monita, qui prædixit mihi fore, ut me aliquando pœniteret mei neglectus*. Jovius
2. in Hadriano.

2. Die, id est, vita tam brevi, quæ quasi una tantum dies citissime avolat. Ite pigri ad falcones Norvegiæ. Hi enim nobilissimi & ad prædam celerrimi sunt: qui in Norvegia dies valde breves sunt, trium aut quatuor horarum, noctes vero perlongæ; ideo dum dies est pernici admodum volatu prædantur. Audite lamentantem Job cap. 7. *Dies mei*, (non annos sed dies appellat) *velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum: pertransierunt quasi naves poma portantes sicut aquila volans ad escam*. Cum ergo tam celeriter avolent dies nostri, nonne ratio monet, ut eo impensius laboremus? Ipse Diabolus *descendit cum ira magna, sciens quia modicum tempus habet*. Apocal. duodecimo; tres scilicet annos cum dimidio, quibus prædas in mundo aget ultimas, tempore Antichristi Et non prædabimur nos industriè ad salutem nostram: cum sic ille prædaturus sit ad perditionem alienam?

3. *Tota die*, cum Ecclesiasticus capite decimo quarto dicat: *Non defrauderis à die bono, & particula bone doni non te prætereat*; quasi dicat: dies bonus est donum bonum; ne ergo vel particulam ejus negligas; cum in quavis lucrari cœlum possis. Unde Bernardus serm. de triplici custod. ait: *Non advertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris indulget!* &c. Nonne videmus quomodo aurifabri minima etiam auri ramenta diligenter conquirunt & reservant? at quanto pretiosius est tempus scobe illa modica?

V. *Otiosi*. Primo, ergo nec comesturi; quia *si quis non vult operari, non manducet* 2. Thessal. 3. Sic probus Imp. nefas esse dicebat, ut gratuitam annonam V.
milvus comedat, apud Fl. Vopiscum. Angelottus Cardinalis Sancti Marci, vir admodum facetus, cum ejus familia deducendi domini gratiâ (sicut mos est) I.
ad pulsati tintinnabuli signum non conveniret: ad horam postea mensæ vulpina cauda, ne sentirentur, æra percuti mandabat, sicque factum, ut pauci admodum præsentes discumberent, reliqui impransi manerent. Volat. libro vigesimo tertio. Anthroph. Qui non audit pulsum ad servitium, non audiat pulsum ad mensā: Apud Gymnosophistas nemo adolescentum ad mensam admittebatur, nisi prius magistro pensum laboris sui monstrasset. Cælius lib. 11. cap. 1 Simillimum quid facit Porphyrio avis, quæ non prius cibum capit quam commodum sibi locum nactus, aliquantisper ambularit. Aldrov. libro vigesimo. Ornithol. capite Vigesimo octavo Vade piger ad aves: bruta te coarguunt.

2. Ergo nec mercedem accepturi. Ita enim paterfamilias in hodierno Evangelio: *Voca operarios*, inquit, (non otiosos) *& redde illis mercedem*. Antigonus Macedo Rex videns milites suos aliquot, armis ferreis & galeis indutos, sphæra ludere, eo spectaculo delectatus, vocavit eorum Duces, ut coram iis milites laudaret. Verum cum ei nunciatum esset; Duces sedere & compotare: præfecturas illis ademit, & ludentibus militibus contulit. Plut. in Apopht. Sic in Evangelio Dominus ignavo illi servo, qui abscondit talentum suum, adimit & dat ei, qui operatus fuit quam diligentissimè; lucrando quinque suis talentis totidem alia. Matth. 25.

3. Ergo etiam increpandi: *Quid statis otiosi?* & præterea mulctandi. Quemadmodum enim servus ille, qui nihil lucratus est cum talento suo; tametsi id non perdidit, missus est nihilominus in tenebras exteriores: & hero nequaquam satis est si servus dicat se nihil mali fecisse; sed vult insuper ut quid boni operis faciat: nec paterfamilias fuisset contentus, si dixissent operarii, se neminem turbasse, nihil in vinea destruxisse, nihil conculcasse, &c. nisi etiam laborem culturæ adhibuissent: ita nec Deo satis est, si nil mali agamus: puniet enim hoc ipso quod nihil fecerimus.

Athenienses olim, teste Valer. Max. libro secundò capite quinto, examinabant eos, qui per urbem otiosi ambulabant, ac siquidem opificium aliquod se nosse dicerent, manus eorum inspiciebant, quæ si callosæ non essent; tanquam homines otiosi ejiciebantur ex urbe. Idem sentient in divino examine otiosi. Sane teste Eusebio libro quinto histor. capite decimo quinto *fratres Domini*, hoc est, propinqui Christi apud Domitianum quasi novarum rerum studiosi accusati, cum producerent manus callosas & laboribus laceratas, ab omni suspicione liberi sunt absoluti. Quisquis ergo in examine illo manus callo obdu-

ctas

ctas & laboribus attritas poterit demonstrare, næ is bonus & fidelis servus audiet, nec solum ab omni suspicione & reatu absolvetur, sed condignam insuper mercedem, velut genuinus frater Domini accipiet.

THEMA II.

Varii hominum status ad vineam mittuntur.

I. *Pauperes fodiant laborando manibus.*
II. *Divites stercorant, dando eleemosynas.*
III. *Pampinare debent filii.*
IV. *Parentes putent, resecando quæ nocent filiis.*
V. *Mulieres alligent vites ad palum, seipsas custodiendo domi.*
VI. *Adolescentes & pueri efferant ruditatem seu lapides.*
VII. *Speculator sit Magistratus.*

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

DUo loca reperio in hodierno Evangelio, admodum disparia: ad unum fere omnes compelli debent, ad alterum omnes ultro & confertim accurrunt. Prior est vinea, alter est domus patrisfamilias, ad hanc omnes operarii expedite convenerunt, quin etiam in ea litigarunt, quis plus mercedis accipere deberet: ad illam convenerunt valde lente & frigide, nec de labore lis inter eos fuit. Sed quid vos Auditores? Nunquid non etiam ad mercedis domum ibitis? imo vero, dicetis; & quid ni? At necesse est ut prius divertatis ad laborandum in vineam. Neque enim dicat mihi aliquis, se non esse operarium, nec habere quod in vinea agat aut operari possit; dabo enim omnibus & singulis suum proprium & convenientem laborem: Pergamus igitur alacriter ad vineam Domini.

I. Fodere debent pauperes, uti agricolæ & opifices, justo nimirum labore victum sibi parare: non otio se dare: neque etiam mendicare, si possint laborare. Qui laborare voluerit, non egebit, teste Sap. Proverb. sexto: *Paululum conseres manus tuas ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus,* (quasi dicat: expilabit te pigritia sicut miles domui tuæ immissus, vel apparitor, qui omnia tua effert & sub hasta vendit: nec permittet te aliquid emere, quia nummis carebis;) *Si autem impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet à te.* Deinde labores suos sancto fine cohonestent, offerendo eos Deo, ut sic meritum etiam in cœlo parent. Maximinus Imp. qui quandoque non sine sudore lixas 16. vicerat luctãdo, item ex militibus 6. fortissimos, sudores suos excipiebat in phialam missos, ut sextarios implerent duos, nonnunquam & tres. Cæl. libro sexto capite quarto. Vos etiam operarii non finite sudores vestros cadere in terram, sed offerte illos Deo; sic eos colligetis quasi in auream phialam, ut pro his mercedem in cœlo accipiatis: certe eos excipient Angeli & monstrabunt Deo.

II. Stercorare vineam divitum est. Qua ratione? quia illi solent stercorare agros, qui fimeta habent: ea vero divites habent, non pauperes, quod probatur ex Boetio viro consulari & clarissimo, qui l. de Consolatione scribit, *divitias esse fimum, qui in acervum congestus fœtidus dispersus autẽ per agros, eos impinguat.* Apposita sane comparatio. Nam primo uti fimus est congeries sordium à pecoribus ejectarum: ita divitiæ cumulus pecuniarum à subditis fere vel emptoribus magna difficultate expressarum. Secundo uti viri nobiles & civiles non patiuntur fimeta prope ædes suas, sed procul ea removent: ita viri ingenui ac liberales amovent à se administrationem pecuniarum; ut inprimis Christus Dominus, qui Judæ proditori loculos commisit. Maximilianus I. Imp. licet ingens quotidie summa pecuniarum ad eum adferretur, nunquam eas admisit in palatium, sed ad quæstorem semper deferri jussit, dicens se regendis hominibus, non administrandis pecuniis Imperatorem factum. Refert Scoliastes in Comment. Æn. Sylvii. Tertio, quia ut fimetum semper tetrum odorem exhalat: ita divitiæ magnæ semper infamia iniquitatis laborant, unde à Domino *mammona iniquitatis* appellantur. Quartò, quia ut fimetum, nisi in agros dispergatur, nihil omnino prodest; nisi ut in eo porci se volutent: in agros autem dispersum plurimum conducit segetibus: ita divitiæ non utiliter erogatæ fomentum tantum sunt gulæ, libidinis & insolentiæ: at vero in aridos & famelicos pauperum stomachos dispersæ ingentem in cœlo fructum ferunt. — *II. Divites stercorent, dando eleemosynas.*

III. Pampinare debent filii. Pampini sunt folia seu sarmenta vitium superflua, quæ succum earum exhauriunt, & Solem ab uvis arcent. Hæc vero quid in filiis nisi subnascentia vitia, verborum inprimis; uti mendacia, oblocutiones, vaniloquia, garrulitas? (folia enim verba, fructus sunt opera.) Hæc decerpenda sunt, quia multi illi pampini fructum exilem promittunt, nisi tollantur. Unde Ose decimo. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei,* h. e. fructus nullus vel exiguus, non melior foliis verborum inanibus & futilibus. Communiter fit, ut filii, qui se in nimiam garrulitatem effundunt, adulta ætate desipiant. Unde ibi, pro *frondosa*, Hebraicè habetur *bokec*, id est, *evacuans*; quia dum nimis præmature evacuant se in multiloquii pampinos, postea defectu humoris intellectus desipiunt. E contra taciturni promittunt multum sapientiæ fructum; ut patet exemplo S. Thomæ Aquinatis, qui in scholis adolescens adeo silentium coluit, ut à condiscipulis bos mutus appellaretur. Verum Magister ejus Albertus M. dicebat: *Bos iste mutus talem aliquando edet boatum, ut vocem eius totus mundus auditurus sit.* Ut in ejus vita. — *III. Pampinare debent filii.*

Deinde sicut pauca loqui, ita multa audire debent, adeoque Solem Sapientiæ sibi à parentibus & præceptoribus instillatæ admittere, ut maturescant. Patrem esse in domo quasi Solem, matrem quasi lunam,

nam, discimus ex Gen. 37. Ubi Joseph vidit se adorari à Sole & luna, h. e. à patre & matre, ut rectè exposuit Jacob. Horum igitur lumen, doctrinam & disciplinam libenter admittant, ut maturi botri fiant, dulces non agrestes. Ita sane monet Sapiens Proverb. 1. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia* 70. habent, *corona gratiarum*) *capiti tuo & torques collo tuo.* Non tantum legem matris, quæ dulcius amat, ideoque blandius agit cum filiis: (nam *lunæ radiis non maturescit botrus*, vulgari proverbio) sed etiam disciplinam & correptionem patris, qui fortius amat: quemadmodum & solis lumen fortius est lumine lunæ. Itaque licet patris disciplina urat & terreat, libenter eam filii admittant, quia inde maturescunt.

IV. *Parentes putent resecando, quæ nocent filiis.*

IV. Putare debent parentes, & qui parentum loco sunt Magistri & præceptores; resecare videlicet à palmitibus, quod superfluum eisque noxium est, luxuriantes surculos, falce correptionis & disciplinæ, sintque adeo similes cœlesti illi agricolæ, de quo Christus: *Pater meus agricola est, omnem palmitem, qui fert fructum purgabit* (hoc est putabit) *eum, ut fructum plus afferat.* Joan. cap. 15. Solent quidem putati palmites lachrymas quasi fundere aliquamdiu (unde dicuntur flere, Weinen,) sed nihil id eis obest. Pari modo liberi parvi, licet fleant sub disciplina, nihil id curandum; uti monet Sapiens Proverb. c. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam ejus ab inferno liberabis.* Mira & horrenda res, quod etiam ipsis pueris imminere infernus dicitur; quod certe docet exemplum illud notissimum ex Dial. S. Gregorii lib. 4. cap. 18. de puero quinquenni, execrationibus assueto, nec à parentibus correcto, ideoque in patris brachiis suffocato à Diabolo. Itaque viderint parentes, quid potius dare velint filiolis immorigeris, virgam, an gehennam. Si virgam non dant, gehennam dant. Hiccine est amor, nonne hoc esset dare eis lapidem pro pane? scorpionem pro ovo? serpentem pro pisce? Virga disciplinæ, si ab inferno liberos eripit, panis est, ovum est, piscis est: nimia vero indulgentia, quid nisi lapis, scorpio & serpens est, si ad infernum promovet? Quod filii in adulta ætate queruntur de parentibus, quod non curaverint eos informari bonis literis vel artibus? Quot queruntur in inferno de iisdem, quod ab iis non castigati aut severæ disciplinæ commendati sint? Communis multorum querela est de malis ac depravatis hominum, etiam clericorum moribus, sed quæ causa, nisi quia in pueritia à parentibus non sunt putati? non correcti? Parentum ergo hæc culpa, non filiorum & Clericorum est; vel certe potior.

V. *Mulieres alligent vites ad palum, seipsas custodiendo domi.*

V. Alligare debent mulieres, vites scilicet ad palum, partim seipsas, partim filias suas. Clarum est vites per humum diffusas putrescere, ideoque alligandas esse. Observatum etiam vitibus obesse vicinas brassicas & raphanos: unde naturali quodam odio vites abstrahere ab eis dicuntur palmites suos, teste Plinio libro vigesimo, capite nono. Sic etiam fœmineus sexus seipsum custodire, nec passim vagari debet, quod aperte docet Apostolus 1. Timoth. 5. *Otiosæ*, inquit, *discunt circuire domos; nec solum otiosæ sed & curiosæ.* Præsertim verò se abstrahant à brassicis & raphanis, id est, ab impudicis & male moratis hominibus, nisi computrescere & perire velint. Cui verò alligabunt sese? rosario, colui, acui, domui. Sanè Aristoteles quinto Politicorum asserit suo tempore in urbibus creatum fuisse Præfectum, qui mulieribus intenderet, ne vagarentur, sed domi se continerent. Et apud Sinas, etiam hodie nervus pedis eliditur puellis, ne domo exeant. Domiportæ igitur esse debent, rarò è domo prodire, & non procul ire, nec nisi tempore pluvioso, (uti solent limaces, quia cum sint teneri valdè, timent conculcari ab hominibus; in pluviis autem homines se domi continent, nec facile iter agunt) seu tempore, quo pauci homines sunt in publico. Talis fuit inprimis vidua illa Judith, quæ in superiore parte domus fecit sibi secretum cubiculum; ubi cum puellis mansit clausa, Jud 8.

VI. Adolescentes & pueri è vinea auferant lapides, ruditatem, inquam, & inscitiam, lapidi quam simillimam. Aristippus Philosophus à quodam interrogatus, quam ob causam filium suum ad politiora studia mitteret; nihilo enim per illa meliorem futurum; respondit: *Ut nihil aliud, certe in theatro non sedebit lapis super lapidem.* Laertius lib. 1. capite octavo. Censuit ergo Philosophus juvenem indoctum non esse, nisi lapidem: ac si talis insideat lapidi, tunc insidere lapidem lapidi. Non bene in horto lapis jacet; unde solemus dicere:) Ich will dir ein Stein in Garten werffen/) mittam tibi lapidem in hortum: nec honeste sedet rudis & indoctus in senatu vel consilio. Lapis quidem nihil valet pro legatione: valet tamen aliquid pro jaculatione. Verum rudis adolescens nec valet ad legendum, nec ad jaculandum, juxta nostram parœmiam: (Er ist weder zu schicken/ noch zu werffen) Igitur hi lapides ejiciendi sunt è vinea, & eorum loco inferendi homines, culti & eruditi. Et quid fiet ex his lapidibus hoc modo ejectis & in homines conversis; pulchra metamorphosi? utique maceria ad custodiendam vineam. Fient Magistratus & custodes reip. & defensores patriæ, ad eam gubernandam, informandam, conservandam.

VII. Magistratus est, in specula sedere & custodire vineam, clamoribus arcere fures; deinde increpare otiosos, qui in vinea non laborant. De primo scribit Ezechiel capite trigesimo tertio Si *speculator viderit gladium* (id est, hostes) *venientem & non insonuerit buccina: & populus se non custodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam: sanguinem ejus de manu speculatoris requiram*, quasi nimirum ipsi homicidæ fuissent. De secundo Ælianus libro secundo variar. histor. capite quinto hæc scribit: *Lacedæmonii temporis parsimoniam magnopere putaverunt habendam, impendentes ipsum sedulo ad seria negotia, neque cuiquam civium permittentes, ut vel in otio vel in ludi-*

cris

eris illud consumeret; ut ne rebus extra virtutem positis tributum, frustra perderetur. Hujus testimonium cum cæteris etiam illud est. Quum nunciatum esset Ephoris (hoc est, Magistratibus,) *Lacedæmoniorum, eos qui Deceliam occupaverant, deambulationibus uti pomeridianis, mandatum dederunt ad eos: Ne deambuletis: tanquam voluptatem sectarentur illi potius, quam corpus exercerent. Nam oportere Lacedæmonios non deambulationibus sed exercitiis bonam valetudinem parare & tueri.* In utroque parum cautus speculator Uladislaus Rex Bohemiæ & Ungariæ fuit. Hic enim molitiones procerum dissimulavit aut contempsit tanto silentio, ut difficile esset divinare, quid secum cogitaret; unde à quibusdam mutum idolum appellabatur, eo quod aliud non loqueretur nisi ad Bohemos, dobre, dobre; ad Ungaros, quorum linguam nesciebat, bene, bene. Interim illi sibi bene, Regi male consulebant. Itaque per hæc duo verba idem significantia misere afflictum est utrumque regnum; oppida, arces, vectigalia plurima amisit, ita ut in Moravia nihil, in Bohemia tenuissimum censum retineret. Dubrav. libro trigesimo secundo. Clamare nimirum debuisset & buccinam inflare contra gladium venientem.

Videtis jam Audit. habere unumquemque quod in vinea Domini agat. Quare faciat quisque strenue officium suum, ut sic tandem una omnes à loco laboris vocemur ad locum mercedis, è vinea ad domum cœlestis nostri Patrisfamilias.

THEMA III.

Boni patrisfamilias præscripta.

Depingitur bonus paterfamilias.

I. Summo mane surgat,
II. Res suas ipse curet.
III. Familiæ & operariis justam det mercedem.
IV. Non patiatur domi suæ otiosos,
V. Det suis bona verba.
VI. Contentiones sedet.
VII. Bono exemplo familiæ præluceat.

Simile est Regnum cœlorum homini patrisfamilias. Matth. 20.

PLutarchus in Convivio septem sapientum refert unum ex eorum numero, Periandrum, proposuisse quæstionem: Quæ domus seu familia esset fœlicissima. Aliis alia respondentibus; Chilon ultimus suam sententiam dixit in hæc verba: *Ea est fœlicissima, quæ similis est urbi, in qua sapiens Rex imperat,* Meo quidem judicio, rem hic acu tetigit. Solemus enim vulgo dicere: *Qualis Rex, talis grex.* Ergo si paterfamilias fuerit in domo sua velut sapiens Rex, non dubium quin familia tota similis ipsi futura sit, adeoque fœlicissima. Patet in Salomone, qui cum Rex sapientissimus imperaret, non solum ejus familia optime composita, concinna & ordinata ad stuporem Reginæ Sabæ fuit, ita ut exclamaret: *Beati viri tui & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam,* 3. Regum decimo. Sed regnum quoque totum in pace & tranquillitate stetit. *Sedit unusquisque sub vite sua & sub ficu sua.* 3. Regum quarto. Sed ubi, dicit aliquis, tales Salomones? ubi tales patresfamilias? In hodierno Evangelio proponit nobis Christus quasi in tabula depictum, qualem desideramus. Ergo contemplemur eum.

In hod. Evangelio depingitur bonus paterfamilias.

I. Bonus Paterfamilias, summo mane surgit, quemadmodum & in hodierno Evangelio primo mane surrexit. Ita docuit Aristoteles in Oeconomicis. Cato de re rustica capite quinto. Cicero libro secundo de divin. qui hoc præceptum erdant: *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.* Idem de matrefamilias prædicat Sapiens Proverbior. trigesimo primo. *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.* Neque existimet aliquis, dici hoc solis agricolis & opificibus. Servarunt enim eam legem ipsi etiam Persarum Reges, deliciis alioquin usque ad aures deditissimi. Nam ut refert Plutarchus libro ad imperitum Principem: *quotidie cubicularriorum unus eam ad rem constitutus, mane intrans Regis cubiculum clamabat: Surge ô Rex & negotia cura, quæ te Mesoromasdes* (hoc est Sol) *curare jubet.* Quis dubitat cum Rege vel ante ipsum Regem surrexisse totam aulam? Certe dum Assuero, Persarum Regi, insomni legerentur Annales, summo mane jam foris in atrio stabat Aman, primus Aulæ Princeps. Esther quarto. Sic nimirum cum patrefamilias mane surgente surget & familia; cum dormiente dormiet & familia. *Milites,* inquit Sanctus Chrysostomus homilia prima ad populum. *Ducem suum lecto detentum cernentes, segniores fiunt & ad pugnam tardiores.* Voluit etiam Deus Hebræorum patres & matres familias, summos æque ac infimos, eodem cubiculo Sole primo mane excitare, dum eis manna, cibum quotidianum, matutino tempore adeo tempestive circa castra populi sparsit, ut nisi ante exortum Solis id colligerent, jam evanuisse deprehenderent. *Statim enim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat, ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare;* ait Sapiens Sap. decimo sexto. quasi dicat: Oportebat primo mane surgere patremfamilias, siquis voluit eo die cum suis comedere: oportebat & prius orare, quam cibum colligere. Quod idem faciendum patrifamilias (ut indicat hodierna Parabola) qui horas orationis Hebræis usitatas, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam in execundo observavit.

I. Summo mane surgat.

II. Ipsemet res suas curat ac visitat; quemadmodum in hodierno Evangelio exiit in forum quærere & conducere operarios: non commisit hoc negotium servis aut procuratori vineæ; idque non semel sed quinquies in die una, statis horis. Primus

II. Res suas ipse curet.

mus Persarum Rex dictus est *Cyrus*, id est, *Sol* in lingua Persica, ut scribit Plut. in Artaxerxe, quia nimirum bonus Rex & paterfamilias Soli esse similis debet. Qua de causa etiam Joseph in somnio suo vidit Solem, Lunam, & stellas, id est, patrem, matrem & fratres suos sibi prostratos. Genes. capite trigesimo septimo. Pater ergo quasi Sol, materfamilias quasi Luna, filii quasi stellæ sunt. Iam vero Sol sua luce & præsentia totum quotidie perambulat, calefacit, fovet ac illustrat orbem & successive singulas regiones; hinc omnia vegetantur & suo tempore fiunt, crescunt, maturescunt, multiplicantur ac conservantur: paucæ vero illæ, quas sub utroque polo sitas perlustrare nequit, frigidæ & steriles manent. Ita domus illa bene regetur & conservabitur, quam oculus Domini sæpe perlustrat: quemadmodum & ager ille optime omnium impinguabitur, in quem herus fimum deferet in suis calceamentis. Commendatur ab hac diligentia etiam mulier illa Sapiens Proverb. trigesimo primo his verbis: *Consideravit semitas domus suæ & panem otiosa non comedit.* Hebr. *panem incuriæ non comedit*. Hunc incuriæ panem comedunt, qui, quæ domus suæ sunt, non curant. Verum diu non comedent: adinstar locustæ, quæ in æstate panem in otio cantillando comedit, unde in hyeme fame perit; cum è contra formica omnia percurrens & perlustrans, victum in æstate parat pro hyeme; ad quam alludit etiam Sapiens.

Deinde sicut Sol, in suo quasi curru perambulans orbem, fugat tenebras & feras, imò & fures atque adulteros aliosque scelestos; qui velut lucifugæ se abscondunt fugiuntque Solem, prædari ac nocere desinunt: ita herus suâ præsentiâ ac visitatione purgabit domum à negligentia, otio & peccatis domesticorum pelletque tenebriones, juxta id Proverb. vigesimo. *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

III. *Familia & operariis justã det mercedem.*

III. Familiæ & operariis suis justam promittit mercedem, & debito tempore persolvit. Sic iste in hodierno Evangelio convenit cum operariis de denario diurno, qui scilicet justè compensaret opus diurnum. Unde ait: *Quod justum fuerit, dabo vobis.* quasi dicat: ad vestram satisfactionem: & vespere eodem die solvit. Severe hoc præcipitur variis scripturæ locis, uti Levit. decimo nono. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane.* Et Deut. vigesimo quarto. *Eodem die reddes ei mercedem laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum & reputetur tibi in peccatum.* Cujus legis tenax senior Tobias, mandat filio suo Tob. quarto. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Idem ipse quoque egit, quoniam reduci ductori filii sui mercedem mox numerare voluit; Tob. capite duodecimo. Ratio est, quia operarii ex mercede sua in diem vivunt: unde opus illorum mercede defraudatum clamat in cœlum, teste Jacobo capite quinto, & Deum invocat vindicem. Quam enim indignum est, quod divites pauperum labores devorent! *Agrum non suum demetunt*, inquit Job capite vigesimo quarto, *& vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.* Sane contra divitem illum, qui parcens gregibus suis, comedit oviculam pauperis exclamavit David: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* 2. Regum duodecimo At quid aliud agit dives, qui laborem pauperum comedit & non solvit prout debet? Clamat ergo hoc peccatum in cœlum, & facit exclamare Deum quasi contra talem divitem, velut reum mortis. Adhæc nisi justam & æquam mercedem famulantibus & operariis persolvant, dant eis causam rapiendi aut suffurandi res dominorum, uti dedit Laban Jacobo promittendo ei pro mercede fœtus ovium varicolores, interim separando à grege omnes matres varicolores, & dando ei solum unicolores. Quare coactus Jacob fraudem excogitavit, qua fœtus diversicolores quamplurimi nascerentur, qui in sortem ejus cederent. Genes. trigesimo. Addendum potius est operariis supra mercedem corollarium aliquod, (quale accepit uxor Tobiæ, hædum scilicet ultra mercedem, ut colligitur ex Græc. textu capit. 2. vers. 20.) quàm detrahendum aliquid.

IV. Non patitur in domo sua, sed increpat otiosos & mittit ad labores aut expellit, ut apes fucos. Ita paterfamilias hodierni Evangelii, reperiens in foro otiosos: *Quid hic statis tota die otiosi?* inquit, *Ite & vos in vineam meam.* Quid dixisset si non in foro, sed in domo sua reperisset otiantes? Audimus enim Ecclesiasticum capite trigesimo tertio dicentem: *Mitte servum in operationem, ne vacet: Multam enim malitiam docuit otiositas.* Nemo sanus in domo sua toleraret pædagogum, qui filios doceret artes magicas & similia scelera: at otium & otiosi nil nisi vitia discunt ac docent. Sara quando vidit Ismaelem, filium Agar ancillæ suæ, ludentem cum filio suo Isaac, continuo petiit à marito ut ejiceret matrem cum filio. Genes. vigesimo primo. Audite rationem. De Ismaele dixit Angelus Genes. decimo sexto. *Hic erit ferus homo*: Hebr. *pere*, hoc est, *onager*) *manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Onager efferum & jugi impatiens animal est; Ismael ergo onager & otiosi hominis typus est, qui labores omnes fugit ac detractat. Et videtur sane talis etiam fuisse, quando jam 18. aut 20. annos natus lusit cum Isaac. (Quid enim ludere, nisi negotium otiosorum est?) docens utique ludere fratrem puerulum. Ex lusu autem quid non mali? nonne contentiones, execrationes, mendacia, deceptiones, pugnæ, furta, bonorum dissipatio, &c? Quia ergo hic onager docuit tam malum ludum Ismaelem, jure merito è domo expulsus est. Talis est enim otiosus, ut manus ejus sint contra omnes, & manus omnium contra eum: quia omnibus est molestus, onerosus & perniciosus. Unde Sanctus Chrysostomus homilia trigesima quinta in acta de otioso domestico loquens ait: *Quomodo non omnes talem condemnabunt, & amici & domestici & cognati? Quis autem non juste dicat: Onus*

hic

hic terra? frustra advenit in mundum talis : imo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum ? Quemadmodum lapides molares vento vel aqua rotati, si non habeant, quod molant, in seipsos agunt: & non modo semet atterunt, sed & ignem excitant, eoque molendinum totum incendunt ac consumunt: ita otiosi & seipsos perdunt atque inquinant, & alios depravant, cum male agere incipiant; qui bene nihil agunt. Tenetur ergo paterfamilias hujusmodi lapidibus præbere, quod molant negotia scil.

V. Bona & pacifica verba omnibus dat, etiam iratis & murmurantibus; quemadmodum & ille in hodierno Evangelio, qui obmurmuranti non irascitur, sed: *amice,* inquit, *non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est, & vade.* Fuit certe talis paterfamilias in domo sua Christus, qui Judæ proditorium osculum sibi infigenti nequaquam iratus aut indignatus est, sed: *amice,* inquit, *ad quid venisti?* Quid mali possunt agere domestici, quod cum hac Judæ proditione comparari possit? Eccur ergo patres & matresfamilias non pari mansuetudine utantur erga domesticos, etiam delinquentes? Et quid dicent coram Christo agno mansuetissimo, qui ob res levissimas rugiunt ut leones & omnia perturbant? Audiant Ecclesiasticum cap. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos & opprimens subjectos tibi.* Leo suo rugitu perterret & enervat omnes alias feras, & tantum non exanimat, ut eas in prædam rapiat: sic aliqui patresfamilias suis rugitibus, objurgationibus & execrationibus, clamoribus & minis terrefaciunt omnes domesticos, etiam innocentes, ut non sciant præ timore, quid faciant, nec nisi verbera expectent. Sed quid tandem efficiunt? evertunt illos, ut quem amare deberent, oderint, execrentur, vel certe animum abjicientes nihil cum amore & studio agant, sed cum murmure & indignatione omnia; vindictam denique sumant, quocumque modo possunt, vel hero ultimum vale dicant. Unde Sapiens Proverb. 11. ait: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* hoc est, faciet domesticos suos fugam moliri & avolare velut ventum, sicque ipse domi suæ possidebit ventum, hoc nihil.

VI. Contentio- sedet.

VI. Contentiones, æmulationes & discordias sedat & è medio tollit; sicut iste Evangelicus murmurantibus operariis: *Hi novissimi una hora fecerunt & pares illos nobis fecisti*, os occludit non una sed multis rationibus: *Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum?* Ita Christus Dominus è domo & collegio suo gliscentes inter discipulos discordiarum igniculos mox in cinere suffocavit. Ita olim Abraham Genes. 13. audiens oriri discordiam in domo sua inter pastores suos & Loth nepotis sui, mox eam composuit, dando optionem nepoti, ut in quam vellet regionem secederet. Id quod ei abunde Deus compensavit, donando totam terram Chanaan. Argumentum, quo sopivit Abraham discordiam, erat, quia scilicet fratres essent, hoc est, cognati. Qui in eadem familia sunt, unius corporis membra, adeoque fratres inter se sunt; unde eorum caput *patremfamilias* antiqui nominare voluerunt. Quis autem vidit membra aliquando inter se contendere? Et si humorum quædam intemperies contingat, afferens ægritudinem; nonne mox laborat homo, ut per medicinam vel diætam eos iterum componat? Quod est morbus homini, hoc est discordia & dissidium domui. Præclarum boni patrisfamilias exemplum exhibet gallus gallinaceus, qui noctu pro familia sua vigilat, primus e strato exilit, cibum illi procurat, comedenti inspector & quasi defensor adstat, &c. inter alia etiam hoc adverti, quod rixantibus inter se gallinis mox accurrat, easque irata quasi voce objurget & ab invicem dispescat. Hæc spectant quotidie patresfamilias, & cur non imitantur?

VII. Bono exẽplo familiæ præluceat.

VII. Præit toti familiæ bono exemplo suo, unde ipsum familia non difficilè sequitur. Sic enim pater familias hodierni Evangelii miratur quomodò fieri possit ut unus operariorum malus sit, se existente bono: *An oculus tuus nequam est,* inquit, *quia ego bonus sum?* Quasi dicat: quia ego charitatem in alterum effudi, fierine potest, ut ei invideas? Exemplar familiæ est paterfamilias: ei se accommodant membra familiæ. Diximus supra ipsum Soli comparatum in somno Josephi. Jam sicut flores quidam & herbæ ad Solis motum se convertunt: sic domestici patrisfamilias, populares Principis se moribus conformant: & quemadmodum Sol perexiguo & brevi suo defectu magnum affert orbi humano nocumentum: ita patrisfamilias defectus & pravitas depravat familiam, sibique reddit similem. Hinc Apocal. 16. ubi quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, *æstuaverunt homines æstu magno & blasphemaverunt nomen Dei.* Contra præeunte illo ad bonum, sequentur eum domestici. Talis erat Jacob Gen. 35. qui à Deo jussus ascendere in Bethel & erigere altare, convocata omni domo sua dixit: *Surgite & ascendamus in Bethel, ut faciamus altare Deo.* Non ait: Surgite, & ascendite, sed, *Surgite & ascendamus*; moxque omnes eum secuti sunt.

Atque hoc est, quod initio diximus: si fuerit paterfamilias instar Regis sapientis, facem suis præferens, habebit absque dubio, familiam qualis ipse est, adeoque felicissimam, quam ipsis precor à Deo optimo maximo.

THEMA IV.

Vini abusus varii.

I. Qui in propriam perniciem cedit.
II. Qui in proximorum injuriam.
III. Qui ad Dei injuriam cedit.

Ite vos in vineam meam. Matth. 20.

Mirari aliquis posset, quamobrem cœlestis Paterfamilias tantum curæ & solicitudinis in se suscipiat pro cultura vineæ. Etenim primo mane surgit

git & exit ad conducendos operarios: exit rursum hora 3. 6. 9. & 11. denique dat liberalem mercedem; tantam iis, qui una hora, quantam iis, qui tota die laborarunt. An nescit quam obfuerit justo Noë vinea, quam primus ipse plantavit? Quàm nocuerit vinum Loth aliisque multis sacra in scriptura? Certe Lycurgus Thraciæ Rex, cum multos ex vino insapientes videret, circumiens vites securi excidit, teste Platone l.6. de legibus. Cur ergo noster Rex & paterfamilias tam sedulò excolit vineam, tot malorum fontem? Existimo sanè eum minimè hoc facturum, si de vinea vera & naturali loqueretur. Ergo vinea, de qua loquitur, spiritualis est, Ecclesia videlicet, quæ vinum tale gignit, quod nemini obest, omnibus prodest. Unde homines miror, qui tam solicite colunt vineas suas, tamque curiosè quærunt, quot vasa tulerit hæc vel illa vinea; non item quot saccos frumenti hic vel ille ager; cum tamen manifestum sit, quam malè utantur vino: frumento non item. An forsitan non advertunt, tam multiplices vini abusus? Hi ergo necessario ante oculos eorum ponendi sunt.

I. *Qui in propriam perniceim cedit.*

I. Primus Abusus tendit in perniciem propriam. Quantum enim prodest, si modicè sumatur, tantum obest, si immodicè. Unde S. August. epist. ad sacr. Virg. *Vinum potatum moderatè est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse dignoscitur.* Quis autem nescit medicinas moderatè sumendas esse? De Georgio Clarentiæ Duce refert Polydorus lib. 24. cum ei mors à fratre Eduardo IV. Rege Anglorum indicta esset, elegisse sibi demersionem in vas vino Cretico plenum. Stulte! quid tibi profuit mergi in vino potiùs quam in fluvio? nihilo melius sapiunt, qui vino immodico vitam sibi præscindunt, nisi quod lentius demergantur; de cætero sibi ipsis planè vitam eripiunt. Unde benè Athenæus lib. 11. grandia bibulorum pocula *argenteos* appellavit *puteos*, in quos se demergũt, dum iis sese proluunt. Antiqui vina vænalia suspensa præ foribus hedera proposuerunt, forsan in cautelam & moderaminis documentum. Solet enim hedera proprium, cui inniti solet, fulcrum seu arborem destruere atque exedere. Idem porro vinum agit, suum potatorem necat. Et vero nonne Deus omnia disposuit in numero, pondere & mensura? Sap. 11. Et quis herus non præscripsit servis suis certum salarium? certum vini poculum in mensa? imo quis non equis suis certam mensuram avenæ? & si servi mensuram illam transgrediantur, nonne statim ab irato hero reprehenduntur, vel etiam castigantur? Et tamen servi æque ac equi Domino suo comedunt & bibunt. Quod ergo in servis & jumentis tuis non pateris, hoc tibi concedi debet? hoc Deus in te pati, cujus tu servus es? *Velim tamen scire*, ait S. August. serm. 232. de temp. *cum Dominus habet plures servos, si vel unum ex illis velit fieri ebriosum. Sine dubio nullus tam malus, qui hoc voluerit aliquando aut velit. Et qua fronte, qua conscientia, qui servum non vult habere ebriosum, ipse vult ebriosus fieri.* Si semel in anno servus se inebriet, statim objurgatur aut etiam vapulat: at si herus ipse singulis diebus plenissime se ingurgitet, sine crimine est, nemo increpare audet. Accedit quod quamplurimi etiã non sitientes bibunt, solum in gratiam propinantium vel in sanitatem amicorum aut magnatum. Qui gravissimus est abusus; nam & illi non prosunt in cujus sanitatem bibunt; & sibi valde nocent, cum immoderate Herculeanos scyphos hauriunt, in animo simul & corpore. Stomachabatur aliquando Diogenes in eos, qui bonæ valetudinis gratia Diis munera offerẽt, & interea in ipso sacro obruentes se voluptatibus valetudinem suam perderent, apud Laert. lib. 6. de vita Philosoph. Quid vero aliud hi faciunt, qui pro aliorum valetudine pocula aqualiculo suo offerunt, & suam interim perdunt: & illi, cui propinant amicitiæ gratia, quasi venenum miscent?

II. Secundus concernit injuriam proximorum. Primo enim multi provocant alios & incitant, quin & aliquando cogunt ad bibendum. Quod sane in magno ille Assueri & lautissimo tot Satraparum convivio non fuit: *non erat qui cogeret nolentes*; tametsi prius contraria consuetudo viguit apud Persas. Audiatur Sanctus Augustininus serm. 231. de temp. *Qui alterum cogit, ut se plusquam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret.* Pater Neronis fuit, Domitius videlicet, omni parte vitæ detestabilis, tali filio non impar, qui libertum suum occidit, quod potare, quantum jubebatur, recusarat, ideo ex cohorte amicorum dimissus, auctor. Sueton. At teste Augustino gravius longe vulnerant, qui ad bibendum cogunt: Domitio igitur pejores. Adhæc *si tu alium inebriaveris*, ait eodem serm. Augustinus, *habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera si justum sit ut te à Deo separes, dum te ebrioso conjungis.* His persimiles illi domini, qui subditos suos cogunt à se coempta vina aut vendere aut ebibere. Empedocli Philosopho in convivio præscripsit convivii præfectus, ut aut biberet, aut vinum in ejus caput effunderetur. Quam rem tam indigne tulit Empedocles, ut postridie coacto Concilio, & invitatorem, cujus opera id erat factum, & symposiarcham reum peregerit, damnarique curarit. Laert. Parem huic tyrannidem videntur exercere in suos subditos, qui præcipiunt, ut aut vina à se emant ebibantque, aut iis perfundantur & inebrientur, sive nolint, sive velint. Et facile tolerarent pauperes vino se perfundi, si non & solvere deberent.

2. Alii vina sua effundunt, in quos non deberent, parasitos, scurras, lurcones, heluones, mimos vel in splendida convivia: negligunt vero pauperes & ægros. Non fit hoc inprimis juxta consilium Christi, quod dedit hospiti suo Lucæ decimo quarto. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos, neque vicinos divites; ne forte te & ipsi reinvitent & fiat tibi retributio: sed cum facis convivium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos & beatus eris quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Deinde

graviter

graviter invehitur S. Augustinus sermone 131. cit. in eos, qui contrarium agunt. *O infelicitas generis humani!* inquit, *quam multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius, quam oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare: nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus debe-ret accipere!* Similes sunt hi fluminibus, quæ aquas suas in mare effundunt, terras autem sitientes minime rigant. Considerent, an æquum sit pro inani gloria tanta bona perdere, quibus tot ægri & egentes refocillari poterant.

III. Tertius concernit Dei injuriam. Nam primo frequenter accidit, ut ebriosi graviora peccata committant. Denique penitus obliviscantur, sacra omnia derideant ac conculcent, imo Numen ipsum blasphement. Cujusmodi exemplum recenset Gabriel Prateolus in Chronic. anno Domini 1580. de quodam, qui cum socio tabernam intravit, & post varias propinationes & cachinnos: Cui nunc præbibam? inquit. Alter: stupidus es, Deo præbibe, tum videbis, quid responsurus sit. Hic vero de quo infundam, de horno an de veteri? Alter: utrolibet vis. Infundam ergo de horno ait, quia licet sit crudum, sed tamen ipsi bonum est. Tunc elato scypho: Tibi Deus: responde. Mirum, si tibi arriserit; si enim hoc anno fecisses melius, melius bibisses. Hoc edicto irriguit toto corpore, omni sensu expers. Et quamvis oculos modo clauderet, modo aperiret, loqui tamen non potuit. Tertius socius fugit: alii præsentes eum loco movere tentant, sed immobilem reperiunt. Rem ergo Scabinis indicant, qui hominem funibus ligatum ne tribus quidem equis extrahere possunt; ut manifeste Dei potentia & vindicta appareret. Demum allatus est ignis, ut una cum domo, Dei contemptor combureretur: sed frustra. Stetit itaque miser ille tam diu, non loquens, nec bibens, nec manducans, donec à quamplurimis videretur, velut exemplum divinæ vindictæ. Ita & paulò fusius Prateolus tomo secundo. Chron. an. cit. vigesimo quarto Julii.

2. Præterea non potest non offendere Deum, cum nō hominū sed bestiarum modo bibitur ex industria ad omnem libidinem & spurcitiam per integras noctes, sine omni modo & honestate, ut Deus ad iracundiam provocetur. Cujusmodi compotationem describit Jo. Frid. Mattenesius libro primo de ritu bibendi in sanit. capite undecimo, quæ non ita pridem in celebri civitate Imperii habita fuit, ea lege, ut omnes combibones non nisi grandibus poculis biberent; ut uno tractu eadem exhaurirentur: ut ea de de manibus nunquam deponerentur: ut per totam noctem nemo discederet, antequam Sol oritur: denique ut si quis se exonerare vellet, supra mensam faceret. Quis quæso porcorum haram unquam spurciorem vidit? Et nonne hoc est omnem humanitatem exuere, & Dei imaginem quàm fœdissimè deformare? Atque utinam similes spurcitiæ non & alibi crebrius fierent! Bene huc quadrat, quod dixit Isaias capite vigesimo octavo *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque.* Alii vertunt: *Vomitu & stercore.* Et miramur adhuc, si frequenter Deus vineas grandine, pruina, frigore, pluvia flagellet? si vina in cellariis pereant? si immatura ætate multi extinguantur? Insania potantium, furor ebriorum, spurcities lurconum, horū malorum causa est. Dedit nobis quidem Deus vineas pro solatio & bono nostro; sed expectat inde fructus bonos temperantiæ, gratiarum actionis, liberalitatis erga pauperes. At quia frustra aliquando expectavit uvas, & accepit labruscas, audite quid de vinea sua dicat Isaiæ quinto, *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabit desuper, ne pluant super eam imbrem.* Permittit enim tandem, ut desertæ jaceant vineæ cultoribus destitutæ, vel occupentur ab hostibus, exscindantur à Turcis, &c.

Quare ne quid tale nobis contingat, utamur Dei dono cum debito moderamine, ut ne pœniteat eūm dati beneficii, & ne post fœdam & intolerabilem ingluviem deveniamus ad æternam sitim: sed potius ut per moderatum usum & debitam gratiarum actionem mereamur non solùm in hac vita vinum à Deo accipere, verùm etiam in altera novum illud cum Christo Domino nostro bibere.

THEMA V.

Quales operarii Saltatores.

I. Saltatorum paterfamilias Diabolus.
II. Labores eorum quales Samsonis molam vertentis.
III. Merces eorum mors est & infernus.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

DUces, qui hostili odio flagrant inter se mutuò, hoc observare solent, ut si videat unus hostem suum tympana pulsare & milites conscribere, mox alter quoque classicum canat, & milite conscripto contra hostem se obarmet. Prodit in hodierno Evangelio cœlestis paterfamilias, conducturus operarios in vineam suam, ut piis virtutum operibus occupet, & post exactos labores in cœlo præmiet. Videt hoc Dei & humani generis hostis, Diabolus, & quia cœlum nobis invidet, prodit etiam ipse, ut in suam vineam operarios conscribat, & laboribus afflictos ad extremum perdat. Reperit autem quosdam valde sibi idoneos, triplicis conditionis: saltatores, lusores, convivatores. Omnes hos fatigat saltando, ludendo, convivando; periculoso prorsus labore, sed & pessima mercede. De primis hodie loquemur, sequentibus duabus Dominicis dicturi de aliis duobus.

Non incongruè saltatores ad vineam Diaboli conduci dicuntur; siquidem olim in vineis fere saltationes ad honorem Bacchi fiebant. Unde Græci ὀρχεῖσθαι, id est, *saltare*, deduxerunt ab ὄρχων, id est, à fulcis aut foveis seu ordinibus vinearum, in quibus saltitabant. Sed videamus jam labores horum operariorum.

I. *Saltatorii paterfamilias Diabolus.* I. Quis illorum herus seu paterfamilias, quis conduxit illos? Respondeo Diabolus. Hic enim in Apin Ægypti Deastrum se immittens varios hinc inde motus ciens, primus Coriphæus, choreas ducens, saltare homines docuit, qui adstabant. Ita docet Augustinus lib.18, de civitate cap.5. & Abulensis in c.32. Exodi qu. 11. Non dubium ergò adesse cum choreis & maximè lætari, cum tam benè sibi cessisse suam inventionem videt: adhortari etiam & incitare eos ad continuandum laborem: sicut patresfamilias solent stimulare ad operandum operarios. Accedit sanctus Chrysostomus homil. 49 in Matth. *Ubi*, inquit, *saltus lascivus, ibi Diabolus certè adest*. Et S Ephrem tom.1 sermone quod ludi abst sit: *Ubi citharæ & chori, ibi Angelorum tristitia, & Diaboli festum*. Et lib. Interrog. & Respons. *Quis talia Christianos edocuit? Draco antiquus docuit, magister omnis impuritatis, &c.* Imo inter eos ipsi etiam Dæmones saltant teste Isaia c.13. *Pilosi saltabunt ibi* (Chald. *Dæmones*) *& respondebunt ibi ululæ* (juvenes & viri) *in delubris voluptatis*. Vatablus vertit *in palatiis voluptuosis*; quæ sunt delubra & templa Dæmonum. In quæ verba sanctus Basilius ait: *Dæmonia gesticulari dicuntur & multifariam saltitare, dum nobis cooperantur ad peccandum, &c.* Videant jam juvenes, videant puellæ, ubi sint, quibuscum agant, dum choreas agunt: cum Dæmonibus versantur, Dæmonibus laborant. Ecclesiasticus cap. 9. dehortans hominem à commercio tyrannorum, ait: *Communionem mortis scito* (hoc est, scito te cum morte communicare) *quoniam in medio laqueorum ingrederis*. Plurimi enim ibi laquei, quibus Dæmon velut venator cingit & capit tam saltantes, quàm spectantes. Quando Alexander VI. Scotorum Rex in tertiis suis nuptiis choreas instituit, dum spectaret illas, vidit in fine saltantium mortem ea, qua pingitur, figura ossea, agmen claudere saltantem: statim ergo choreas & omnem lætitiam nuptialem sustulit; quod malum id omen crederet, ut revera erat; cum eo anno mortuus sit, ut refert Hector Boëthius in Chronic. Scot.

II. *Labores eorũ quales Samsonis molam vertentis.* II. Quinam illorum labores? Quales erant Samsonis à Philisthæis capti & excæcati, qui in carcerem conjectus molam vertere & in gyrum trahere coactus fuit: quemadmodum & juvenes Hebræorum à Chaldæis in captivitate Babylonica ad molendinum vertendum rapti sunt, ut lamentatur Jeremias Thren.5. vers.13. in text. Hebr. qui habet: *juvenes ad molendum rapuerunt*. De his intelligunt aliqui, quod Psalm.11. dicitur: *In circuitu impii ambulant*. Impios voco saltatores, quia *ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi timor Dei?* inquit sanctus Hieronymus contra Helvidium. Igitur

1. Hi in circuitu ambulant, quia ut honestissime saltent, tempus tamen inutiliter terunt, sicut qui in gyrum vertuntur, velut rota molendini (wie ein Dappisch Kalb) nullum progressum faciunt, nec ad unum quidem passum, licet ad sudorem usque toto die se fatigent. Quot milleni alii, religiosi & pii homines eo tempore Deum laudant & cœlum diripiunt, quo saltatores nugas sectantur! quot milleni alii gemunt in suis miseriis partim in hac vita, partim in altera dum purgantur, quibus illi interim succurrere possent, dum inani illo labore se conficiunt!

2. Dum in gyrum saltant, in vertiginem facile aguntur. Vertigo autem, quæ homini cerebrum evertit, insania est. Et talis est saltatio omnium fere sententia tam Ethnicorum, quam Christianorum. Ex illis prudentissimus Cicero in defensione Murenæ ait: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit*. Ex his sapientissimus ille Alphonsus Aragonum Rex dicebat: *Saltatorem ab insano nihil differre existimo, nisi quod hic dum saltat, ille dum vivit, insanus est*. Panorm. in Comment, libro 1. de reb. ejus gestis. Cumque mulierem aliquando impudentius saltantem videret: *Expectate*, inquit, *mox Sibylla edet oraculum*, quasi dicat, insaniæ speciem. Id, libro 2. Et cum ipse aliquando in adventu Friderici III. Imp. pro honore ejus saltaret, non aliter se excusare potuit, quam *quod magnis viris interdum insanire liceret*. Ibidem. Quod si modestissima illa saltatio non caruit aliqua insania, quis alias excusabit leviculas? Quæ poterat esse honestior saltatio, quam illa Davidis coram arca, ex mera pietate profecta? Et tamen illam in Rege derisit uxor ejus Michol, quasi actionem ex natura sua scurrilem & Rege indignam. Quis igitur probabit saltationes inhonestas?

3. Ubi ita in gyrum acti sunt, facile tandem collabuntur: sicut pueri, dum se gyrant. Sensim enim capiuntur stulto amore consaltantium, & ille in fœdæ libidinis ignem, si non opere, cogitatione saltem & desiderio collabuntur, & quasi in febrim incidunt, ut indicavit Fridericus III. Imper. qui dicebat; *Malim febribus in lecto detineri, quam minimam saltationi operam dare*; teste Æneo Sylvio libro 1. Comment. in Panorm. sentiens ipsum saltandi studium febrim esse quandam & quidem fœdam maximeque periculosam. Qui enim fieri possit, ut ignis paleæ junctus, non excitet incendium, sal aquæ junctus non in aquam diffluat? Hinc enim monet Ecclesiasticus capite nono: *Cum saltatrice ne assiduus sis, ne forte pereas in efficacia illius*. Græce habetur, *cum psaltrice*. Saltus enim puellarum & accedens cantus seu Musica efficacissima sunt retia ad illaqueandos juvenum animos. Nonne saltatio Herodiadis rapuit Herodem, ut promitteret ei dimidium regni, imo caput Joannis; quem tamen, ut colligitur ex tristitia ejus, pluris æstimavit? quid hujusmodi saltatrices non impetrabunt ab aliis? Et si uni hosti difficile est resistere, multo magis quatuor aut quinque.

que. At ibi quot hostes simul concurrunt? Inprimis saturitas cibi & potus: nemo enim facile saltat sobri⁹, sed post epulas & pocula. Accedit aspectus mutuus, risus & corrisus, nictus oculorum; deinde contactus omnium maxime viscosus, amplexus & quandoq; fæda oscula: accedit concentus Musici lenocinium: cantilenæ leves & inhonestæ, suaviter in aures & mentē influentes: odorum delinimenta; ita ut nulli sensus suis lenis careant. Deus bone! sancti olim Eremicolæ in summa corporis afflictione, jejunio, vigiliis, humicubationibus, solitudine & orationibus difficulter restiterunt spiritui fornicationis: & isti inter tot laqueos constituti, puritatem conservabunt?

4. Dum ita miseri laborant, nequaquam sibi, sed Dæmoni laborant, cui venantur animas etiam circūstantium. Non enim illi solum, qui saltant, sed & spectatores eorum in nassam Dæmonis communiter pertrahuntur, non secus ac pastinacæ, (Goff-Roth) pisces Hæ enim, dum piscatores in littore saltationes instituunt & cantant, cantu saltuq; oblectatæ ad littus adnatant, sicq; piscatoribus sensim recedentibus, à tergo retibus jam extensis includuntur & capiuntur, Quin etiam, cùm piscator in navicula saltare & cantare aliquid incipit, sensim ad summam aquam efferuntur, & facile interim circumventæ comprehendūtur, auct Aldrovand. l.3.c,46.& l.17.c.18 de piscibus. Pisces ergò choreis decipiuntur, & non decipiantur homines? Miseri verò illi piscatores sunt, qui choreas ducunt, quia non sibi sed Diabolo piscantur.

III. Quæ illorum merces? Mors sæpe subitanea: deinde inferni barathrum. Sic enim Job 21, dicitur. *Tenent tympanum & cytharam & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Multa hujus rei exempla passim invenimus. Unum recenset Cæsarius Monachus Cisterc. l.4.c.11 hist. de procaci vetula, quæ in festo SS. Petri & Pauli cum aliis choros agens, parocho prope concionanti insultabat, ideoq, intra triduum subito extincta est. Aliud Albertus Cranzius l.12. Wandal. histor. c.14. de Qualensibus nuptiis in Lubica, in quibus aderat frequentissima virorum & mulierum multitudo choreas ducens, repente vero incendium domus exortum absumpsit ex illis 180. utriusq; sexus, soli spōsus & sponsa è lecto evasère incolumes. Unde proverbium ortum: *Nuptiæ Qualenses.* Aliud refert de Marchione Misnensi in oppido Calven saltante, domus ruina oppresso. l.10. Metrop. c.23. & l.10. Saxon. c.5. Aliud de saltantibus in ponte fere 200. hominibus rupto ponte submersis. Aliud Thomas Cantiprat. l.2. Apum, de quibusdam in Gallia super ponte choreas ducentibus, qui subitò dirupto ponte fortissimo in aquis validis, Pharaones effecti, sunt demersi. Addit & puellam se præsente post choreas subitanea morte percussam expirasse. Aliud de muliere saltante, quæ è lapsu baculi è manu ludentis pila, enecta est; eodem libro. Et quid talium hominum mortem sequi potest nisi infernus? Ubi enim præparatio ad mortem? ubi prævia pœnitentia? Et si teste D. Augustino *omnis motus & saltus petulantiæ est saltus in profundum cloacæ:* quanto magis chorea impudica & frequentata? Experta est hoc saltatrix illa filia Herodiadis, quæ, ut scribit Nicephorus l.1.c.20. & Lucius Dexter in Chronico anno Christi 34, cum super Sicorim flumen Ilerdæ concretum hyemali tempore pedibus transiret, rupta glacie in profundum non aquæ tantum, sed inferni etiam descendit in momento. Atq; ut sciretur saltationi ejus hoc supplicium illatum fuisse, caput ejus glacie resectum postea supra glaciem saltus dedit.

Qualis iste saltus fuit? de glacie in aquæ fundum, de aqua in inferni profundum! Refert Herodotus l.6. Clisthenem Sicyoniorum Tyrannum varios & nobilissimos adolescentes procos ex variis civitatibus cōvocasse eo fine, ut eorum uni quem dignissimum reperiret, unicam filiam suam Agaristiam nobilissimam ditissimamq; desponsaret. Cumq; præ cæteris ei placeret Hippoclides, Atheniensis iuvenis, ubi postea vidit eum nimis levicule & gesticulatorie saltasse, mutavit voluntatem & dixit ei: *Fili Tisandri* (ita enim vocabatur ejus pater) *matrimonium desaltasti.* Vobis hoc dicitur adolescentes. Vobis cupit Deus desponsdere regnum suum, si vos dignos sanctis moribus probaveritis. At si leviculas saltationes sectati fueritis, frustra eritis: matrimonium desaltastis, in infernum desiliistis.

Cogitent igitur saltatores & saltatrices qualem aliquando saltum ex hoc sæculo in alterū facturi sint. Cogitent tubam illam terribilem, quæ eos evocabit ad tribunal Judicis. Quid si & ipsi in profundum inferni debeant saltare? Qualis erit saltus ille? Absit igitur à vobis, ut ad has diaboli operas conduci vos patiamini. Eamus potius ad vineam Christi & serviamus Deo, ubi merces nostra magna nimis ipse Deus Deorum est & regnum cœlorum.

* *
*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

THEMATA.

I. *Quando & qua ratione Dæmones comedant semen verbi Dei.*
II. *Qui conculcent verbum Dei.*
III. *Comparantur inter se status virginum, viduarum, & conjugatorum.*
IV. *Procrastinatio pœnitentiæ pessima corvi vox.*
V. *Alearum & chartifoliorum ludi periculosi.*

THEMA I.

Quando & qua ratione Dæmones comedant verbum Dei.

I. *Quando homines negligunt male conciones.*
II. *Quando præsentes ad concionem non attendunt.*
III. *Quando in concione sola oblectamenta quæruntur.*
IV. *Quando auribus quidem audiunt, sed corde non apprehendunt.*
V. *Quando verbi Dei auditi mox iterum obliviscuntur.*

Aliud cecidit secus viam, & volucres cœli comederunt illud. *Luc.* 8.

INter alia mira & paradoxa hujus parabolæ, illud etiam censendum videtur, quod ait Dominus volucres cœli, h. e. Dæmones (ut ipse explicat) venire & rapere semen verbi Dei, quod secus viã cecidit. Quid enim, dicet aliquis, Diabolo cum verbo Dei? quid verbo Dei cum Diabolo? quid hoc illum juvat? nonne id execratur cane pejus & angue? Ad hoc ut respondeamus, revocemus in memoriam, quod alias dixisse me memini ex S. Gregorio Turonensi de Gloria Confess. cap. ult. de mercatore quodam Gallo, qui navigans in Arari flumine, deposuerat marsupium suum forte in proram navis, pelle phœnicea coopertum, & quasi securo loco neglectum. Quod ex alto conspicatus milvus, leporem aut quid simile ratus, id arripuit, ubi tamen nihil pinguedinis aut alimenti in eo deprehendit, in flumen dejecit. Hic modus, hæc ratio est, qua semen verbi Dei rapit Diabolus. Videt id à multis negligi & procul à tergo reponi; itaq; ipse rapit, quia pretiosum esse novit, non sibi, sed hominibus. Nihil illa dives bursa profuit milvo rapta, obfuit tamen plurimum mercatori abrepta. Neq; Dæmonem juvat devoratum Dei verbum, nobis autem ereptum maxima damna infert. Satis est hoc Diabolo, si nos spoliavit cœlesti thesauro. Ergo Audit, attendendum nobis est ne pretiosum istud semen secus viam cordis nostri cadere patiamur, ubi id stygius ille milvus devoret in malum nostrum. Qui verò istud acquirent multi male cauti Christiani, audiamus.

I. Quando homines negligunt male conciones.

I. Quando homines ex contemptu vel mera negligentia aliis negotiis, non necessariis, detenti, conciones negligunt. Quod ut fiat omnibus modis allaborant Dæmones, & imitantur in hoc pessimum illum Jeroboam, qui cum à decem tribubus, quæ discesserant à Roboam, electus esset in Regem, ut regnum sibi stabiliret, erexit aureos vitulos in Judææ finibus, unum in Dan, alterum in Bethel, quo nimirum populum avocaret à templo Jerosolymitano, quod erat in potestate Roboami. Eo enim si pergeret populus, facile rursum seu amore templi, seu Sacerdotum monitis retrahi poterat ad Roboamum, priorem & legitimum Regem suum. Ergo duas aras cum vitulis erexit in locis illis, quæ leviori molestia, utpote vicina, poterant adiri; notat enim difficile esse populo ter in anno ascendere Jerosolymam quantocunque spatio distarent. Et certè stultus ille populus, non attendens quam graviter puniti fuerint ejus majores in deserto ob adoratum vitulum, seduci se permisit, & à templo Deique cultu abduci, tertio Regum duodecimo. Jeroboam exponitur *impugnans populum*, & Dæmonem repræsentat, qui populum Christo alioquin subjectum impugnare & evertere non desinit. Is ergo velut capitalis Christi hostis & rex impiorum, ut populum Christi ad se trahat, aut pertractum fortius sibi subjiciat, & à Christo abalienet, hoc potissimum molitur, ut à templo, in quo Dei verbum docetur, retrahat & avertat: sciens quanta vis sit verbi divini ad revocandum à peccatis populum. Erigit igitur vitulos aureos, hoc est, objicit varia impedimenta, itinera, negotiationes, curas domesticas: proponit difficultates primo mane surgendi, tam procul ad templum eundi, rei divinæ & concionis prolixitatem, aliaque innumera. Sic efficit, ut semen verbi divini secus viam cadat, dum non auditur, interim id ipse colligit & quodammodo devorat, retinendo in memoria, ut suo tempore depromat ad eos accusandos & perdendos, quos astu suo seduxit. Hinc fit, ut quemadmodum decem tribus Hebræorum pergebant ad vitulos, & vix duæ ibant in templum ad Dei veri cultum: sic etiam ad Dei verbum audiendum vix quinta fidelium pars (atq; utinam vel quinta:) veniat in templum. Contingit itaque verbi Dei præconibus sæpius id, quod citharœdo illi Jassio apud Strab. lib. 14. qui dum cithara sua populum in foro demulceret, tantisper auditus est, donec tintinnabulo signum venditionis piscium daretur: eo audito universi ad negotiationem piscium discesserunt: uno excepto surdastro, qui tintinnabulum non audierat. Clamant prædicatores & campanæ pulsu convocant fideles ad citharam verbi Dei, sed vicissim Diabolus pulsat tintinnabulum suum & avocat homines ad alias sæculares negotiationes, voluptates, curas & corporis commoditates: & en plerique omnes præconem hunc sequuntur, ipsique obsecundant, relicto Concionatore & cithara verbi divini. Pauci aliqui & ferè simpliciores, atque ex illis utinam non surdastri multi, audiunt con-

concionem. Verum quemadmodum neglectus ille templi, & vitulorum cultus cauſa fuit Judæis, cur poſtea vaſtarentur & abducerentur in Babylonem, uti fatetur Joſephus l. 7. Antiq. c. 3. ita metuendum Chriſtianis, ne & ipſi aliquando ob neglectum verbi Dei, in manus hoſtium tradantur.

II. Quando præſentes ſub concione ſomno ſopiti, aut aliàs diſtracti non attendunt. Naaman ille Syrus Princeps, ſanatus jam à lepra & ad Deum verum converſus, reverſurus in Syriam, onus terræ ſacræ, quantum duo burdones ferre poſſent, ex Iſrael ſecum abſtulit, ſive ut inde altare ſtrueret, ſive ut eam in Idolorum templo, & loco ſtationis ſuæ, quando Regi miniſter adeſſe debebat, ſibi ſubſterneret; quo mentem ab Idolis ad Deum Iſrael avocaret, & ſibi videretur eſſe non in execrando Syrorum ſolo, aut in eo ſacrificare, ſed in religioſo & ſacro, electi à Deo populi, ut ait Pater Sanctius in capite 5. libro 4. Regum. Præclaram hanc induſtriam invertunt hoc tempore depravati homines; quia enim pudoris cauſa templum Deique verbum fugere prorſus nequeunt, ſecum afferunt in templum terram profanam, quantum duo muli ferre poſſunt, ut iis inſiſtendo, mentem à concione, ad profana ſtudia avocent, cogitentque ſe non eſſe in templo Dei & ſub concione, ſed domi in cellario vel convivio, aut foris in prædio, in ſuo theſauro, choreis aut ſphæriſterio; vel dormiunt aut occupant ſe colloquiis, lectione, vel imaginum luſtratione, nugantur cum catellis, quos inferunt in templum, vel legunt epiſtolia, aut quæ ſcribuntur nova. Hæc ſunt terra illa, nugæ, inquam, & curæ profanæ ac terrenæ, quas inferunt in templum duo muli, mundus ſcilicet & caro. Ille curas ſæculares, hæc nugas & curioſitates affert. Cum è contra pii fideles templum adituri aſinos iſtos foris relinquant, quemadmodum docuit Abraham aſcenſurus in montem ad ſacrificandum, quando dixit famulis ad radicem montis: *Expectate hic cum aſino:* Geneſis 22. His accedunt Dæmones, qui præterea varia eis objecta proponunt, quibus diſtrahantur; cient ſtrepitus & garritus, ſeros aliorum ingreſſus, aliorum intempeſtivos egreſſus, quibus Auditores impediantur, quo minus concionem audiant. Imitari mihi videntur in hoc ſacrificulos Ammonitarum, qui dum infantes cremarent & ſacrificarent Idolo Moloch, interim tympanum pulſabant in Tophet, (quod idcirco à Toph, hoc eſt, tympano ſic appellatum) ne uſtorum ejulatus parentes exaudirent, adeoque ab immani ſacrificio abhorrerent ac ceſſarent, ut docet cum Lirano & Hebræis Cornelius in capite ſeptimo Jeremiæ & alibi cum aliis paſſim. Ita nimirum Diabolus, ne peccatores in concione audiant perſtringi ſuos infœlices fœtus, vitia & ſcelera, indeque ad pœnitentiam & lachrymas commoti reſipiſcant & abhorreant à peccando, quid agit? excitat in animis eorum aliarum ſæcularium cogitationum ſtrepitus, obtundit ſenſus ſomno & evagationibus, diſtrahit fabulis & nugis. Hoc verò quid aliud eſt, quam devorare ſemen bonum, quod non in aures hominum, ſed ſecus viam cecidit? Aliis ſub concione ſomnus obrepit, interim ſemen verbi Dei, quia ſecus viam cadit, à volucribus ſtygiis rapitur: contingitque illis, quod illi tabellario, qui ex Sicilia miſſus in Italiam ad Dionyſium Siciliæ Regem fuit, ut revocaret Regem ad tutandum ab invaſore regnum ſuum. Is enim quia carnem pro viatico emptam peræque ſuæ alligatam, in via paulum dormiturus ſepoſuit, lupus odoratus carnem, ipſo dormiente abſtulit una cum pera, cui incluſæ erant litteræ Regi ferendæ. Sic ipſe carnem ſibi, & Regi ſuo regnum perdidit. Plut. in Dione. Plane in hunc modum, quando tu dormis, neglectis iis, quæ in concione dicuntur, adſunt volucres illæ & rapiunt verbum Dei, quibus annexa eſt Dei Epiſtola, nuntians tibi ſalutem tuam.

III. Quando in concione ſola oblectamenta quæruntur.

III Quando ex concione ea tantum notantur & quæruntur, quæ animum oblectant, non quæ ædificant. Hi enim corticem nucum aut pomorum mirantur & comedunt, nucleum abjiciunt, quem proinde colligit & comedit Diabolus. Similes hi ſunt militi cuidam gregario, qui ſub Maximiano Imperatore militans, occupato quodam Perſarum vallo, in ſpoliorum direptione ſcutum reperit Parthicum, in quo ſeriatim collucentes viſebantur margaritæ. Ipſe vero per rei inſcitiam gemmis abjectis, ſolo abiit pellis nitore contentus. Cælius Rhodiginus libro 18. capite primo. A. L. Similiter cum Helvetii anno 1476. Carolum Burgundum ad Grancejum caſtris exuiſſent, unus inter opimam Ducis 100000. aureorum ſupellectilem, reperit carbunculum eximiæ magnitudinis, quem lapilli ſplendore delectatus ſuſtulit & cuidam peregrino pro medio floreno conceſſit. Beyrl. in Theatro. Nihil aliud faciunt, qui ex concione non niſi ea retinent, quæ ad delectationem faciunt, non ad profectum. Gemmas enim abjiciunt; & nitens ſcuti corium ſibi reſervāt. Doctrinæ Concionatorum gemmæ ſunt, quæ cum quodam orationis ornatu quaſi in pelle nitida variis coloribus ornata proponuntur; ad faſtidium pellendum & Auditorem alliciendum. Non ſimus velut illi, qui cum corruptum cupediis ſtomachum habeant, nauſeant ſolidos cibos & ſola appetunt bellaria & condimenta. Signum enim id eſt hominis carnalis, & ſecundum ſpiritum corrupti. De talibus dicitur Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: appropinquaverunt uſque ad portas mortis.*

IV. Quando auribus quidem audiunt, ſed corde non apprehendunt.

IV. Quando audiunt & attendunt quidem, ſed quæ dicuntur corde non apprehendunt: audiunt ex conſuetudine, vel quia aliud quod agant, non habent; putantque ſatis eſſe, quod interfuerint concioni, quocunque tandem eventu. Hi ſemen verbi Dei in ſuperficie, non in corde terræ recipiunt; unde nigræ illæ volucres facile id deprehendunt atque devorant. Hac ratione dicitur Deus Numerorum vigeſimo tertio; poſuiſſe *in ore Balaam*, mali illius Prophetæ, verbum illud: *Revertere ad Balac & hæc loqueris.* At cur non potius dicitur poſuiſſe in ejus corde? Reſpondet Orig. optime homilia decimaquarta in Numer. *Quoniam*, inquit, *in corde ejus*

mei

mercedis desiderium erat & cupiditas pecuniæ: verbum Dei non in corde, sed in ore ejus ponitur. Placuit supra modum huic Prophetæ populus Hebræorum à Balac ipsi ostensus, ita ut satis mirari non posset, & exclamaret: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, &c.* Num. 24. peteret etiam cum illis mori: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Num. 23. Interim tamen non curavit emendare malignitatem & avaritiam suam, qua captus & illaqueatus jam tunc promisit Balaco daturum se ei consilium contra Hebræos: promisso excæcatus munere. Ita nimirum multi Christiani, qui vivunt in concubinatu, odiis, ebriositate, detentione alienorum bonorũ; cum veniunt ad concionem; moventur nonnihil & mirantur Dei verbum, sapientiam, bonitatem, longanimitatem, &c. ipsumq; Concionatorem: desiderant etiam tales esse, quales prædicat & sequendos proponit Ecclesiastes: mox tamen à concione repetunt eadem studia sua, redeuntque ad antiqua stabula. Cujusmodi homines in typo quodã videtur aspexisse cæcus ille nondũ plene illuminatus, quando ait: *Video homines velut arbores ambulantes.* Marci 8. Quomodo ambulant arbores? certe non secundum radicẽ, qua semper fixæ hærent: sed ambulant parumper, aut saltem ambulare videntur, secundum apicem, quando à vento agitantur.

Hoc modo ambulant hi, de quibus dixi. Agitant caput in concione, quasi admirabundi cum Balaamo, nec non ad conversionẽ jam dispositi. Sed quia radices in suis vitiis nimis altas egerunt, adeoque affixi hærent, ideo nec passum unum discedunt à priore vita. Patuit in Nabuchodonosore ejusq; filio Baltassare quibus Daniel imminentem cladem ex Dei ore prædixit, & somnia exposuit. Ipsi tamen licet admirati & Danielem remunerati, nihil tamẽ emendati sunt. Audiunt conciones sicut multi audiunt Musicam in templo; non ut fide ad devotionem & desiderium cœlestis patriæ, reive divinæ venerationem accendantur, (qui tamen fines illius symphoniæ sunt) sed ut aures recreent. Laudant igitur voces cantantium, laudant cantandi artem, ipsasq; cantiones docte & suaviter cõpositas: nihil tamen inde fructus pro anima sua reportant. Testatur id ipse Deus ad Ezech. de ipsius concionibus c. 32. dicens. *Erat eis quasi carmen Musicum, quod suavi dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Quasi diceret: audiunt te voluptatis & delectationis ergò, non doctrinæ, ut vitã corrigant: quasi audirent te scite pulsantem instrumentum musicum, solo concentu delectati; ut exponit ibi Cornelius.

V. *Quando verbi Dei auditi mox iterum obliviscuntur.*

V. Quando Dei verbum corde quidem exceperunt, mox tamen obliviscuntur. Angelus B. Arsenio Eremicolæ demonstraturus opera hominum, inter alia hausit aquam in canalem perforatum: quæ ex altera canalis parte continuo effluxit; ut est in ejus vita apud Sur. 19. Jun. Id verò ubi magis contingit, quam in verbi Dei auditoribus, quando id per unam aurẽ influit, & per alteram effluit? Arguit ea oblivio contemptum aliquem verbi Dei, aut non magnam saltem æstimationem; quid mirum ergo, si id Satan colligat & velut neglectum devoret? Vas confractum nec liquorem retinet, nec sonum nisi hiulcum & ingratum edit: unde abjicitur & confringitur. Hujusmodi est obliviosus rerum divinarum. Nam *cor fatui quasi vas confractũ, omnem sapientiam non tenebit*, ait Eccles. c. 21. Chartæ irasci solemus, si vel minima sui parte perflua sit: & nõ irascetur nobis Deus, si undiq; perflui, nullam prorsus sapientiã infusam retineamus? Hebræi suæ legis præcepta non scribunt in charta, quæ vel unum foramen habet, ut testatur Oleaster in c. 13. Exodi, & quid unum chartæ foramen ad hominem rimarum plenum, qui nihil fere omnino retinet ex verbo Dei, sibi per Concionatorem inscripto? Habent ergo merito cur tales sibi timeant, ob tam culpabilem jacturã verbi divini. Neq; vero in hoc possumus accusare Diabolum, quia ut S. Chrys. hom. 31. Op. imperf. in hod. Evang. ait: *Ille latro est, qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur: qui autem invenit foris impositũ & projectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic & Diabolus, si poterat introire in secreta pectoris tui, ut à te nolente raperet verbum, bene culparetur, nunc autem quod à te neglectum est & contemptum, hoc ille diripit.* Vicissim vero ipse accusabit justissime eos, qui verbum Dei spreverunt. Suo enim tempore, cum te judicandum accusabit, depromet è suo gutture omnia illa semina, quæ tu neglexisti, ut te illis jugelet; & propterea adest in cõcione cum plurima sua cohorte, ut colligat, quæ tu negligis. Præter Christi Domini certissimum testimonium, audiamus Barth. Fajum, regium Consililiarium, in suo Energum. & Alexicaco apud Timot. Bredenbachium lib 7. col. c. 36. qui scribit Dæmonem ex matrona Nicola, adactũ exorcismis Episcископi Laudunensis, postquã in præsentia 4000. circiter hominũ plurima arcana prodidisset, & multorum nomina & conditiones edixisset, cuidam astantium magna voce exclamando dixisse, ipsum jam trigesimũ interfuisse concioni Calvinisticæ, quæ paulo ante Crespii Laudunẽsium fuerat habita. Nec is diffitebatur, sed addebat sibi adfuisse quendam viridi vestitu ignotum. Cui Dæmon *Ego ille fui.* Itaque adsunt etiam Dæmones concioni, nec solũ adsunt, sed numerant etiam quot conciones frequentemus, & quot negligamus: procul dubio etiam quomodo attendamus, ut hæc omnia suo tempore depromant corã Judice nostro Christo, ac nisi nos emendaverimus, evoment hi milvi conciones, quas devorarunt, una cum vanis auditoribus in locum horroris & vastæ solitudinis; quod à nobis avertat DEUS.

* * *

THEMA II.

Qui conculcent Dei verbum.

I. *Conculcant avari.*
II. *Libidinosi.*
III. *Scioli & nasuti.*
IV. *Magnates ferè & potentes.*
V. *Increduli.*

Aliud cecidit secus viam & conculcatum est. Luc. 8.

QUid audimus in hodierno Evangelio? Semen bonum, quod multiplicem fructum in agro facere debebat, pedibus conculcatum esse. Quid minus habet semen quàm ipse panis? & nonnè hanc reverentiam pani habemus, ut si vel mica in terram cadat, eam colligamus & verò osculemur aut comedamus, ne pedibus forte casu ab aliquo calcetur? Quid igitur, si quis studio & deditâ operâ panem conculcaret? nonnè indignaremur? At verò semen verbi Dei millies adhuc præstantius est semine vel pane materiali. Et erit aliquis tam perfrictæ frontis, ut pedibus id calcare audeat? Quare ego non hominum, sed bestiarum tantum pedibus conculcari posse hoc semen puto. Quemadmodum enim Jacob Patriarcha cum vidit sanguinolentam Joseph filii sui vestem, mactari filii indicem, non poterat sibi ulla ratione persuadere, quod fratres aliive homines innocentissimum & gratiosissimum puerum mactassent; sed *fera pessima*, inquit, *comedit eum, bestia devoravit Ioseph* Gen. 37. Pari modo ego credere vix possum, reperiri homines, qui conculcent Dei verbum, omni acceptione dignissimum. Bestiæ igitur esse debent, qui id faciunt. Quod ut clarius videatis, eas nunc describam.

I. Conculcant id avari; qui cum se Deum quasi omnipotentem in arca possidere existiment, spernunt omnes inferni minas & fœlicitatem cœli, quæ de futuro eis proponitur. Non enim attollunt oculos ad cœlum, sed proni semper in terram & terrena aspiciunt instar porcorum, qui rostro terræ affixo rimantur sordes & latrinas: ac si casu forte ad cœlum sursum aspiciant, admirabundi hærent (quo modo & divites, si quid aliquando de cœlo audiunt) moxque ad suum pabulum inquirendum redeunt. Hinc Dominus Matth. 7. dixit discipulis suis: *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis & conversi dirumpant vos.* Margaritæ sunt doctrinæ Evangelicæ, contentæ in ore Concionatoris, latentes in mari Sacræ scripturæ: quarum pretium non agnoscunt divites, quia suas opes longe eis præferunt; unde spernunt & derident verbum Dei, adeoque conculcant, juxta id sapientis Proverb 27. *Anima saturata calcabit favum.* Qui saturatus est rusticanis cibis, repudiabit etiam regias dapes. Econtra *anima esuriens* (addit Sapiens ibidem) *etiam amarum pro dulci sumet* hinc Hebræis sitientibus ita sapuit aqua de petra, quasi esset mel; unde dicuntur suxisse *mel de petra*: quibus tamen saturatis dulcissimum manna desipuit. Tales erant Pharisæi illi Lucæ 16 qui Christum de eleemosyna & avaritia disserentem, contracto naso subsannabant, ut explicat vox Græca ἐμυκτήριζον ubi latinus noster textus habet: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari & deridebant eum.* Unde subjicit Christus mox historiam epulonis. Qui rogans pro quinque fratribus suis, ut mitteretur ad eos Lazarus, audiit: *Habent Moysen & Prophetas.*

II. Libidinosi, qui de turpitudine sua sibi conscii, fugiunt Dei verbum, ne in ipso velut in speculo suam fœditatem intueri cogantur. Habent hoc animalia quædam horridi vultus, ut respuant bibere ex aqua limpida, ne faciei suæ deformitatem in ea conspiciant; quare pedibus eam calcando turpidam & limosam reddunt, uti Elephantes, apud Ælian. lib. 17. cap. 7. de animal. Et Camelus, apud Plin. l. 8. c. 18. videt enim hic in limpida aures suas truncas, collum recurvum, & gibbum deformem: elephas verò capitis sui calvitiem, aurium vastitatem, pedum crassitiem, cutem depilatam, &c. Idem agunt vitiosi, calcant Dei verbum ac contemnunt, quia in eo si se inspicerent, fœditatem suam cernerent. Fuit hujusmodi Camelus Herodes, qui in cæteris, quæ ipsius turpitudinem & libidinem non tangebant, libenter audiebat Joannem, & multa faciebat; at ubi ipsius vulnus tactum à Joanne fuit; ibi jam non modò aures suas, sed etiam Joanni os occlusit, misitque eum in carcerem. Dicebat, opinor, Joannes Herodi: Serenissime Rex, in tali & tali domo conveniunt potatores & lusores, qui rem domesticam filiis decoquunt & jurgia cient, inebriantur, blasphemant. Mox Herodes: Bene mones: corripiam illos & non fiet amplius. In alia domo aluntur scorta, quæ seducunt Hebræos: Bene, inquit, diruam lupanar. In carceribus detinentur aliqui innocentes; quorum causa non examinatur sed differtur: jube eos expediri. Mox Herodes: Fiat, sicut mones: At vero tu etiam Rex pessimo exemplo rempublicam pervertis, detinendo uxorem fratris tui. Hic Rex Tace de hac re, ne loquaris amplius: apage in vincula & temeritatis pœnas lue. Hic nimirum fuit lapis Herodis, in quo semen aruit: hoc ulcus, quod Medicum suum repulit; quomodo equi sauciati, in aliis quidem corporis partibus palpari se patiuntur, at ubi in membro vel parte saucia tanguntur, ibi calcibus ferire incipiunt tangentem se chirurgum. Sed quàm sibi malè consulunt? quid enim si chirurgum pellat, qui ad mortem saucius est? quid nisi mortem quærit?

III. Scioli & nasuti, qui videntur sibi satis per se sapere & viam cœli callere: undè raro audiunt conciones. Tales etiam Legisperiti & Pharisæi, qui soli Joannis Baptistæ concionem spreverunt & baptismum respuerunt; cum turbæ, publicani & milites ad eum venirent, consilium ab eo peterent & baptismum acciperent, Lucæ 3. Ita enim idem Lucas c. 7. ait: *Omnis populus audiens,* (Joannem scilicet) & *publicani*

II. *Libidinosi.*

III. *Scioli & nasuti.*

blicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Ioannis, Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipso, non baptizati ab eo. Venerunt quidem & Pharisæi aliqui ac Sadducæi ad Joannem, ut habetur Matth. c. 3. sed vel non susceperunt baptismum ejus, vel ficte susceperunt. Itaque spreverunt eum *in semetipsos*, hoc est, in propriam condemnationem, dum ipsi cæteris oculatiores lucem aspernati sunt. Idem Christo fecerunt, unde dicunt Joan. 7. *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum aut ex Pharisæis?* Id ipsum videre postea fuit in Philosophis & literatis Atheniensibus, Epicuræis & Stoicis, qui Paulum prædicantem irridebant ac dicebant: *Quid vult seminiverbius iste?* Gr. σπερμόλογος, quæ est avis contempta è genere graculorum. Vocant igitur eum graculum. Unde nulla in civitate pauciores convertit Paulus, quam Athenis, Act. 17. Sed aliud est sapientia hujus sæculi, aliud sapientia Dei. At quemadmodum Medici, quantumvis artis suæ periti, propriis infirmitatibus mederi non debent, sed alteri Medico se subjicere: sic etiam eruditi & Doctores non sibi ipsis sapere. Pisces multi licet in aquis nascantur & innatent, præter suas tamen nativas quasi aquas, indigent cœlesti aqua & pluviis, ut vivere possint & nutriri, teste Arist. l. 8. hist. animal. c. 19. Igitur & sapientes, licet in sapientiæ aquis versentur & quasi innatent, sciant tamen nihilominus cœlestis sapientiæ aquis opus sibi esse. Unde Prov. 18. sapientum Magister ait: *Auris sapientium quærit doctrinam.* & c. 1. *Audiens sapiens sapientior erit.* Non solum caput hominis aures habet, sed etiam cor illius. Quare si aures capitis non egent fortè verbo Dei, quia scilicet jam sciunt, quid faciendum sit: certè egent aures cordis, ut nimirum moveantur ad faciendum, quod faciendum norunt.

IV. *Magnates fere & potentes.*

IV. Magnates ferè & potentes; quod inde clarum fit, quia raro audiunt conciones: & si audiant, breves esse volunt: insuper ad eas parum attendunt, sed interim alia tractant & colloquuntur inter se. Testantur id etiam Pontifices ac Pharisæi c. 7. Joan. cit. *Numquid ex principibus*, ajunt, *aliquis credidit in eum?* (Christum.) *Sed turba hæc*, &c. quæ ut ait Marcus c. 12. *libenter eum audivit.* Causam hujus rei edixit Diogenes apud Laert. l. 6. quia magnates & nobiles liberos se natos arbitrantur, unde leges non facile accipiunt; sed quidquid lubet, agere volunt. Verissime igitur de illis dictum credas à Sophar, Job 11. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Onager enim per sylvas & montes, quacumque vult, vagatur, quia in illis natus est; unde capi se non patitur, ac sub jugum mitti. Miratur quidem accedentem ad se hominem & moratur, donec plane vicinus fit: at ubi quis manum extendere eumque apprehendere tentat, celerrimè cum clamore & calcitratione proripit se, nec quisquam eum ob velocitatem assequi potest. Auctor. Scalig. exercit. 205. Plane in hunc modum nobiles multi adeunt quandoque & mirantur conciones; at si concionatores manum eis aut frænum injicere velint, diffugiunt, nec amplius in concione comparent; quin & in concionatorem recalcitrant & scommata effundunt. Porro Rabbi Salomon apud Corn. de Lap. in Jer. c. 2. ait onagros uno mense anni dormire, & tunc quando dormiunt, capi posse. Quod si verum est, certe quadrat hujusmodi hominibus, qui nisi in somno mortifero & lethali ægritudine vix capi & converti possunt. Denique *venatio leonis onager*, ait Eccles. c. 13. pari modo qui libertatem carnis amant, venatio & tandem præda fiunt tartarei leonis.

V. Increduli, qui verbo Dei fidem non habent quales etiam hodie reperiri, nec paucos satis compertum est. At vero Dei verbum, quod in scripturis continetur & à Concionatoribus prædicatur, verissimum Dei verbum esse paucis ostenditur.

Primo ex librorum auctoribus, qui vel boni fuerunt vel mali. Si boni, quomodo potuerunt sibi attribuere ea verba & doctrinas, quæ Dei sunt? quomodo mentiri, cum toties tamque acriter mendacium damnent? Si mali, quomodo tam serio commendant bonum & prohibent malum? Item vel sacri libri sunt illorum auctorum, qui feruntur, vel aliorum; si primum, cum fuerint viri sancti, quomodo mentiti sunt? vel si dicas deceptos fuisse, quomodo non temerarii? Si secundum, pari ratione omnes librorum antiquorum auctores vel Christiani fuerunt, vel non. Si Christiani quomodo mentiti? cur aliorum potius nomina, quam sua posteritati commendarunt? si non, quomodo Christianam religionem adeo commendant, suam vero reprobant?

Secundo, ex materia, quæ etsi multa, supra rationis humaniæ captum continet, nihil tamen ei contrarium, nihil etiam non sanctum & pium tradit. Habet etiam plurima vaticinia, quæ temporis progressu verificata sunt? uti in Vet. Test. de regno tribus Judæ, Gen 49. De Cyro Rege Isa. 45. &c. in Novo Testamento de excidio Jerosolymæ & Judæorum, de mundi totius conversione, de martyrio Petri, Joannis vero naturali morte, &c.

Tertio; ex Ecclesiæ & totius orbis sensu & consensu, qui libris SS. divinam semper auctoritatem tribuit, aliis abnegavit: tot sæculis eos illibatos conservavit: per libros illos conversus est. At licet fuerint, qui aliqua in iis velut absurda calumniati sunt, uti Porphyrius & Julianus, à nullo tamen quidquam falsitatis redargutum, multo minus convictum est, ne à Judæis quidem, qui Apostolorum & Scriptorum illorum tempore vixerunt tam acres alioquin, Christianæ religionis hostes; quod maximum est argumentum. Multi etiam excruciari & necari maluerunt, quam libros illos Tyrannis exurendos tradere.

Quarto, ex miraculis, quibus eorum auctoritatem comprobavit Deus. Eorum primum est, septuaginta duorum Interpretum, qui Hebræa Biblia in Græcam linguam verterunt sub Ptolemæo Philadelpho in AEgypto, mirus consensus. Secundum illud, quod refert Josephus l. 12. Antiq. c. 2. de Gentilium Scriptorum, Theopompi & Theodectæ suppliciis, quorum

illic

illeamentia, hic oculorum glaucomate punitus ob S. Scripturam irreverenter habitam. Tertium apud Caton. Uticensem lib. 3. de persec. Wand. quando S. Biblia Magistratus sacrilegus voluit comburere, mox tamen sereno cœlo imber lapsus ignem extinxit. Huic simile accidit Alutini tempore Diocletiani, apud Baronium tom. 2. Quartum apud Theodorum Lectorem cum ingens incendium Constantinopoli objectu Evangeliorum extinctum est. Quintum, quod recitat Zonaras 3. parte Annal. de Russis ad fidem conversis, cum Evangeliorum librum in flammas conjectum non ardere viderunt. Sextum in vita S. Edmundi cap. 16. quando eo dormiente Biblia igne corrupta asserunt diu absque læsione. Septimum apud Soranzem in suo Ottomanno c. 104. de juvene Turca, qui in Amurathis aula ex lectione Sacræ Scripturæ conversus & præstantissimus martyr factus est. Refert Nicol. Serarius in proleg. Bibl. c. 4. q. 10. Quibus addes, quod in vita S. Bonifacii Archiepiscopi Mog. & martyris scribitur de libro Evangeliorum, qui gladio sicarii à sancto objectus, ab eo per medium sectus est, nullâ tamen illius litteræ incisione, l. 2 vitæ c. 21. apud Sur. 5. Junii: quasi hoc miraculo Christus confirmare voluerit verbum illud suum: *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege.* Matth. 5. Alia, quæ in concionibus dicuntur cum Scriptura S. conveniunt, ejusque doctrinam confirmant & explicant, desumpta ex probatis & fere sanctis Scriptoribus ac patribus, quibus fidem negare non minima foret temeritas. Sed nimirum qui libertatem carnis amant & voluptatibus immersi sunt verbo Dei fidem abnegant, quia ab eo reprehenduntur.

Itaque cœlum & elementa venerata sunt Dei verbum, idque propugnarunt, & erit aliquis homo, qui fidem ei abnegare, idque spernere & conculcare audeat? Timeo sane ne talis & ipse spernatur & conculcetur, quemadmodum accidit principi illi in aula Regis Samariæ, qui prædictioni Elisæi fidem abnegavit dicens fieri nullo modo posse, quam prædixerat Propheta, in crastinum annonæ copiam & vilitatem (scilicet modium similæ statere uno, id est, 10. paceis: duos hordei totidem vendendos) *etiamsi Deus cataractas in cœlo fecerit*, q. d. etiamsi plueret panes de cœlo, sicut olim manna. Cui Propheta: *Videbis oculis tuis & inde non comedes.* Id quod evenit. Dum enim populus effunditur per portam urbis in Syrorum castra, quæ deseruerant, diripienda, ipse in porta à turba conculcatus est, 4. Reg. 7. Ita ergo qui conculcavit verbum viri Dei, vicissim conculcatus est. Vos autem Audit. cum hujusmodi bestiis nihil commune habete, sed è contra potius semen bonum recondite & seminate in cordibus vestris, ut fructum afferat tricesimum, sexagesimum, centesimum.

(***)

THEMA III.

Comparantur inter se status Virginum, Viduarum, Conjugum.

I. *Quoad libertatem, conjugium est captivitas.*
II. *Quoad Dei protectionem, conjugati sunt velut ancilla.*
III. *Quantum ad dignitatem, conjuges sunt quasi stella.*
IV. *Quantum ad meritum, conjugati sunt quasi pauperes.*
V. *Quantum ad Dei amicitiam, conjuges sunt quasi æs.*

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

Quid sibi vult Audit. quod S. Lucas asserit, semen, quod in terram bonam cecidit, fructum attulisse centuplum, & tacet, quod Matthæus & Marcus addit, aliud attulisse fructum ut 30. aliud ut 60. S. Hieronymus in cap. 13. Matth. explicans hanc parabolam, ait per hos trinarios fructus indicari tres Ecclesiæ status, Conjugatorum, Viduarum ac Virginum, & *Centesimum*, inquit, *fructum virginibus, sexagesimum viduis & continentibus, tricesimum casto matrimonio deputamus.* Idem admittit S. August. lib. de Virg. cap. 45. Igitur quia Virginum status velut numerus centesimus magnopere excedit 30. & 60. duos istos voluit Lucas prorsus tacere; quod à virginitatis gloria quasi absorbeantur, ad eum fere modum, quo stellarum & Lunæ splendor absorbetur à splendore Solis, ut eo præsente non appareant. Bene est. Quia tamen Marcus & Matthæus etiam viduis & conjugibus suam dant mensuram fructus, videamus etiam istos & cum Virginibus conferamus.

S. Aldhelmus occidentalium Saxonum Episcopus (qui vixit sub annum D. 680.) in libello de laudibus virginit. tom. 3. Bibl. Pp. scribit: *Cum tres sint status in Ecclesia, Virginitas, cælibatus & conjugium, ex revelatione angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, cum has inter virtutes constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cælibatus argentum, conjugium æramentum: virginitas divitiæ, cælibatus mediocritas, conjugium paupertas: virginitas pax, cælibatus redemptio, conjugium captivitas: virginitas Sol, cælibatus lucerna, conjugium tenebræ: virginitas regina, cælibatus domina, jugalitas ancilla.* Quinque igitur considerare possumus in his tribus statibus 1. animi libertatem, 2. Dei protectionem, 3 dignitatem, 4. meritum, 5. Dei amicitiam.

I. Quod attinet ad libertatem, Conjugium est captivitas, seu dura quædam servitus. Inprimis enim alligat hominem conjugi, qualiscumque ei contigerit, & quidem usque ad mortem alterutrius. Alendus is est, audiendæ ejus querelæ, annuendum ejus postulatis, ferenda morositas aliaque vitia. dissimulanda turpitudo & rugosa senectus, custodienda speciosa juventus, committendum domus regimen, assidendum ægrotanti & coægrotandum, cum parturiente gemendum, cum migrante commigrandum, cum hærente

I. Quoad libertatem, Conjugium est captivitas.

hærente hærendum, plurimæque commoditates propter ipsum negligendæ. Quid de iis molestiis dicam, quas liberorum educatio, ploratus, infirmitas, instructio, perversio, dotatio, amissio causare solent? Nimirum conjuges quasi duo boves colligati eidem jugo adhærent, quod olim Germani insinuabant, cum novæ nuptæ par boum jugo alligatum donabant; apud Tacit. de morib. Germ. c. 1. Unus sine altero nequit ire pabulatum, uno trahente, alter quoque trahat necesse est, uno cadente assistat, &c. Bene igitur Metellus offerenti sibi Mario filiam forma opibus, genere præstantem, respondit: *Probo equidem hæc omnia, sed malo esse meus, quam suus.* Cui Marius: *Imo ipsa erit tua.* At ille *mos alius est, virum uxoris esse oportet, si diu cum uxore vult esse.* Sunt ergo conjuges captivi, seu inclusi in certam domum, ut intus quidem deambulare, foras autem prodire non possint.

Viduitas redemptio.

Jam vero viduorum ac viduarum status multo majori libertate gaudet, cum ab illis conjugii oneribus absolutus sit, habet tamen adhuc quasi lictorem à tergo sequentem, qui elapsum à vinculis retrahere laborat, estque similis captivo, qui à vinculis solutus est, catenam tamen adhuc in pede gerit, qua non difficile rursum capi potest. Similis est equo, cui onus quidem à dorso sublatum est; hærent tamen ulcera in dorso, à sarcinis inflicta Ea sunt vel liberi adhuc superstites, vel turba affinium, vel amor demortui conjugis, vel tentationes carnis. Ergo hic status quasi redemptorum est; & sicut redempti à Barbaris stigma adhuc prioris servitutis gerunt: sic etiam qui à conjugio absoluti sunt.

Virginitas pax & securitas.

At vero virginum status pax & securitas summaque libertas est, ut quæ nesciunt jugum servitutis conjugalis, unde sine impedimento liberè in Deum & Christum sponsum feruntur, quo modo vaccæ illæ, quibus nullum fuit impositum jugum, recto itinere perrexerunt cum Arca in *Bethsames*, hoc est, *in domum Solis* 1. Reg. 6. Quare jucundo Veri similis earum status est, juxta id Cant. 2. *Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Matrimonii status instar hyemis est, vidualis velut imber, virginalis vel flos seu ver, Primus tribulationem carnis habet 1. Cor. 7. Secundus tribulationem spiritus, ob tentationes; tertius utroque caret, estque instar Olympi, in quo summa quies, continua serenitas, nulla tempestas, litteræ sabulo inscriptæ non delentur.

II.
Quoad Dei protectionem; Conjugati sunt, velut ancillæ.

II. Quod attinet ad Dei protectionem, omnes quidem tres illi status sub protectione Dei sunt, sed non sine discrimine: Conjugatorum velut ancilla, Viduarum seu cœlibum velut Domina, Virginum velut Regina: quo modo Rex in aula sua protegit ancillas, magis vero gynecæum; maxime Reginam. Conjugatos protegit Deus & vehementer quidem. Sic enim Abrahamo dixit: *Ego protector tuus sum.* Gen. 15. Idque expertus est Abraham, Gen. 12. quando Saram ab insidiis Pharaonis, & Gen. 20. quando eandem ab Abimelech recepit mira Dei protectione. Item Susanna, quam defendit Deus à calumnia, Dan 13.

Porro viduarum majorem Deus solicitudinem gerit, ut scriptura fatetur, velut Exod. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis*, &c. Psal. 145. *Pupillum & viduam suscipiet.* Proprium enim est Dei divinum præstare auxilium, cum deest humanum, adeoque orphanorum curam in se suscipere, juxta Psalm 9. *Orphano tu eris adjutor.* S. Ambrosius in l. de Viduis addit duas alias causas: prima, quia referunt Ecclesiam, Christo sponso suo nunc in terra orbatam. Secunda, ut primo matrimonio contentæ sint. Verum supra omnes maximo quasi zelo protegit ac defendit Virgines velut Reginas, quæ regio satellitio stipatæ solent incedere. Notum ex l. Esther, quam indigne tulerit Assuerus, quod Aman super lectulum Reginæ corruerit, gratiam postulaturus: *Etiam Reginam vult opprimere?* inquit, jussitque eum mox suspendi. Esth. 7. simili modo Deus gravissime punivit eos, qui virginibus vim inferre tentarunt. Quare Isa. 56. ait Dominus de Virginibus: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum.* Quasi dicat in aula mea. Heb. *dabo eis manum*, h. e. auxilium & defensionem. Expertæ id sunt, quando in prostibula missæ, quarum nulla umquam violata est, Deo protegente. Vel enim eo trahi non potuerunt, uti S. Lucia, vel ibi ab Angelis defensæ sunt, uti S. Agnes, aliæ à leone defensæ, ut Malchus Monachus, aliæ ab igne illæsæ fuerunt, uti S. Cunigundis. Denique de ipsis intelligit S. Ambrosius l. 1. de virginit. in Ps. 44. *Astitit Regina à dextris tuis. Intellige ô Virgo*, inquit, *quantum tibi Spiritus S. Scriptura divina testificatione detulerit*, &c. *non captiva haberis, sed quasi Regina dominaris.* Et ibid. *Custodit Dominus virgines grandi cura.* Audiamus S. Cæciliam sponso loquentem: *Ego Valeriane in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* Ratio est, quia ipsæ nullum unquam alium sponsum præter Christum eligere: ipsi soli servant fidem, ipsi soli tota se devotione committunt, ut dicebat de se B. Ag.: ab ipso igitur solo velut sponsæ à sponso protectionem expectant.

III. Quantum ad dignitatem, Conjuges (S. Aldhelphus vocat tenebras: nos tamen vocemus stellas: Viduas, quas ille lucernas, nos Lunam) sunt quasi stella, Viduæ quasi Luna, Virgines instar Solis. Habet sane conjugium suum decus & splendorem; honoratum à Deo in paradiso, ubi ipse quasi paranymphus Evæ duxit eam ad Adam; ipse velut Parochus copulavit eos, & velut pater vestit: ipse postea Noen & filios benedixit: *Crescite & multiplicamini.* Gen. 9. Christus item Dei Filius, ad Patris imitationem conjugium honoravit, sua præsentia cohonestando nuptias, nec non primo miraculo; adhæc matrimonium fecit sacramentum, sua gratia id dotans. Laudantur passim casti conjuges, qui ut fidem datam conjugi fallerent, nullis machinis adduci potuêre; tum in SS. litteris, uti Susanna, tum in profanis, uti Lucretia, aliæque. Verum sicut splen-

dor

dor Lunæ ſuperat ſtellarum lucem: ita viduarum decus, conjugum honorem. Audimus Joachim Pontificem cum univerſis ſacerdotibus prorumpentem in laudem Judithæ: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*, &c. *eo quod caſtitatem amaveris & poſt virum tuum alterum neſcieris*, Judith 15. Audimus & Apoſtolum ſcribentem Timotheo Epiſcopo: *Viduas honora*, 1. Tim. 5. Eſt enim viduitas virginitatis æmula & obducit cicatricem plagæ acceptæ; unde S. Clemens Alex. lib. 7. ſtrom. viduam ait *eſſe rurſus virginem per temperantiam*. Recuperant enim ab hoſte arcem pudoris ſuis tametſi damnis affectam. Porro virginitas in tantum ſuo ſplendore viduas excellit, in quantum Sol Lunam. Ita enim Joan. Apoc. 14. vidit cuneum virginum ſupra montem Sion, habentium nomen agni & patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. *Quia in altiſſimo virtutum culmine poſita eſt virginitas, cum Deo potius in cœlo vivens, quam hominibus in terra*, ait S. Greg. l. 5. in l. Reg cap. 3. Cantabant illæ Canticum novum, quod nemo alius poterat canere, & ſequebantur agnum, quocumque ierat; quia ſcilicet habent in cœlo peculiarem ſplendorem ac dignitatem, quam nec vidui nec conjugati unquam aſſequentur. Hinc Chriſtus virginitatem noluit ulli præcipere, ſed quaſi lauream in alto ſuſpendit in certamen ſaltatorum, ut eam rapiat; qui poteſt. Unde de ea dixit: *Qui poteſt capere, capiat.*

IV. Quantum ad meritum. Conjugati ſunt quaſi in urbe pauperes uti ſunt operarii: continentes ſeu viduati, quaſi mediocres, uti ſunt artifices & opifices: Virgines ſunt divites, uti nobiles & opulenti mercatores.

Habent ergo primo quandam meritorum ſuorum ſupellectilem conjugati, quia, licet ex electione, jugum tamen grave ducunt, uti ſupra diximus. Debent etiam fidem ſibi mutuo ſervare, & ſe continere intra fines thalami ſui: multum etiam merentur bene educando liberos ſuos, ferendo orbitatem, mutuas moleſtias: ſuffurando tempus ad inſerviendum Deo & vacandum orationi, &c.

Superantur tamen illi non parum à continentibus ſeu viduis, teſtante Apoſtolo 1. Cor. 7. *Beatior autem erit* (de vidua loquitur) *ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium*. Quomodo beatior? quia utique plus merebitur frænando carnem, cui ſemel laxatum frænum fuit, quam frænum iterum, etſi licitum, laxando; illud enim majoris difficultatis eſt, in virente præſertim juventa. Caro noſtra inſtar equi eſt, qui ubi ſemel divertit in hoſpitio aliquo poſtea illud tranſiens iterum vult divertere; nec niſi verberibus retrahitur. Quare vidualis caſtitas appellatur ab aliquibus martyrium quoddam.

Verum omnibus anteſtat virginitas velut præpotens quidam nobilis, habens ſub ſe pauperes & mediocres. Ea deſignata fuit per ſupremum cubiculum inter tria, quæ erant circa templum Salomonis deſcriptum Ezech. 41. uti exponunt Beda l. de Tabernaculo c. 7. & Ribera l. 1. de templo cap. 24. *Tres, inquiunt, ordines cellarum circa domum ædificati, tres viæ rationes ſignificant, quæ omnes bonæ ſunt, & ad Eccleſiam pertinent. Prima eſt Conjugatorum, ſecunda continentium, tertia virginum. Et quia quælibet harum multos recipit, ac proinde multæ in eis divitiæ domus Dei ſervantur, rectè cellæ dicuntur ſive domicilia. Primus ordo* (*conjugatorum*) *ſtrictior eſt, quia minorem habuerunt latitudinem animi atque ſpei conjugati, putantes ſe aut nullo modo aut difficillime in caſtitate poſſe permanere, & illud Pauli auſcultantes*, 1. Cor. 7. *Quod ſi non ſe continent, nubant. Hæc latitudo major eſt, in continentibus, quia poſtquam matrimonii felleam dulcedinem & ſplendidam miſeriam experti ſunt animum ſumpſerunt, ut reliquo ſaltem tempore confiderent in Domino ſe in carne extra carnem poſſe habitare. Maxima vero eſt in virginibus quæ totas ſe ab initio ſtatim projecerunt in ſinum Domini, magnanimiter ſperantes, quod omnes carnis illecebras Deo adjuvante eſſent ſuperaturæ.* Atque hac de cauſa SS. Patres non ſolum comparant eas Angelis, ſed etiam præferunt, ut S. Hieron. & S. Bernard. eo quod *Angelum eſſe fœlicitatis eſt, virginem virtutis.* Magna enim res eſt in carne habitare & carnis appetitum non ſequi, ſed frænare. Nam ut docet B. Baſilius l. de vera virginitate ſub initium: *Sicut ferrum trahit Magnes, ſic maſculum ſua trahet Agnes.* Atque hac de cauſa docent Theologi, deberi virginitati peculiarem quandam in cœlo aureolam, ob ſingularem carnis victoriam in perpetua pugna. Ac licet Conjugatorum ſervitus ſit durior, viduarum continentia ex aliquo capite difficilior, abſolutè tamen Virginum victoria eſt perfectior: perfectiſſimum enim genus victoriæ eſt & pulcherrimum, hoſti numquam ceſſiſſe: corona autem non debetur pugnæ, ſed victoriæ de pugna, ut dicitur in ſupplem. D. Thom. q. 96. a. 5. ad 1.

V. Si quæramus, quinam ſtatus Deo ſit acceptior conjugium eſt inſtar æris, viduitas inſtar argenti, virginitas inſtar auri. *V. Quantum ad Dei amicitiam.*

Accepti ſunt Deo conjuges boni, abſque dubio: nam & Abraham amicus Dei appellatur, Judith. 8. & Tobias ab Angelo dicitur fuiſſe acceptus Deo, Tob. 12. quia gerunt ſtatum à Deo inſtitutum, bonum & laudabilem. Unde & Chriſtus Dominus matrem elegit matrimonio ligatam. *Conjuges ſunt quaſi æs.*

Cedere tamen debent viduis, vidualem ſtatum eligentibus. Hæ enim quaſi argentum ſunt, reſpectu conjugatorum, habentes nitorem puritatis longe majorem, & clangorem famæ atque exiſtimationis multo clariorem. Unde olim in primitiva Eccleſia eligebantur in Diaconiſſas, ut eſſent præfectæ & Magiſtræ mulierum aliarum. Admittuntur quoque alicubi in monaſteria. Elegit Deus etiam ſæpe ad res magnas non niſi viduas, uti illam, quæ paſceret Eliam 3. Reg. 17. Juditham ad necandum Holofernem: Annam ad ferendum Chriſto teſtimonium & prophetandum Luc. 2. Ratio eſt, quia vidui ac viduæ ſaltem poſtliminio conantur conformare ſe divinæ puritati. Amor ſimilitudinem quærit, & quia Deus eſt puriſſimus ſpiritus, quo magis quis à carnis conta- *Viduæ quaſi argentum.*

contagione recedit, eo vicinior & ſimilior fit Deo, adeoque etiam charior, juxta id Sap. 16. *Incorruptio facit proximum eſſe Deo.*

Virgines ſicut aurum.

Hinc ergo Virginum ſtatus ut aurum puriſſimum, chariſſimus eſt Deo, quia præcæteris maxime ſimilis, & à carne remotiſſimus. Hac de cauſa Chriſtus, quia & ipſe virginum omnium flos & exemplar fuit, matrem non niſi virginem elegit, eandem non niſi virgini Joſepho deſpondere voluit, nonniſi virgini Joanni commendavit moriens. Imo ad indicandum, quam amaret intactam puritatem, ingrediens Jeroſolymam pullum inſedit, in quo prius nemo ſediſſet: mortuus ſepulchrum elegit, in quo nemo conditus fuiſſet: ſindonem quoque mundam, & ipſam utique novam: veſtes quas geſtavit, nemo prius geſtavit, ut probabiliſſimum eſt. Adhæc Chriſtus ſicut in cœlo adoratur ab Angelis, ita in terris novam ſibi familiam virginum inſtituit, ut ab illis coleretur in terris velut à terreſtribus Angelis, ut ſcribit Sanctus Hieronymus epiſt. de virg. ad Euſtochium. Hinc etiam Apocal. decimo quarto dicuntur *empti ex hominibus, primitiæ Deo & Agno.* Primitiæ autem ſunt gratiſſimi & ſelectiſſimi fructus. Et ratio eſt, quia virgines cogitant quomodo Deo placeant; habent ergo puriſſimas cogitationes adeoque aureas nulli alteri metallo commixtas, ac proinde cœleſtes. Unde recte deſignantur per ſupremum Arcæ operculum, quod erat de pellibus janthinis, cærulei nimirum ac cœleſtis coloris; medium de pellibus rubricatis, quæ notat ſtatum viduitatis; infimum de ſtragulis cilicinis, quæ ſignificant ſtatum conjugalem. Exod. vigeſimo ſexto. Omnes hi tres ſtatus Deum grato quodam convivio excipiunt: ſed conjuges in vaſis ſtanneis vel æneis cum tractant. Viduæ argenteis, Virgines vero aureis. Conjuges velut civem, Viduæ velut Comitem, Virgines velut Imperatorem. Omnes tres coronant Chriſtum: Conjuges imponunt Chriſto ferream coronam, uti Modoerienſes in Lombardia: Viduæ argenteam, uti Aquiſgranenſes: Virgines auream, uti Francofordienſes. Ex dictis jam opinor poſſumus intelligere diſcrimen ſeminis jacti, cujus una pars fructum fecit 30. alia 60. alia 100. Omnes hi fructus boni ſunt & cœlis inferendi, ſi bene ſtatum ſuum gerant, ſed alter altero melior. Qui ergo Deo nequit aurum exhibere, exhibeat argentum, ſi nec argentum, det æs vel ſtannum. Qui non poteſt habere divitias, ſervet mediocritatem, vel certe ſerviat Deo in paupertate. Qui nec Solis neque Lunæ ſplendorē poteſt habere; habeat lucem ſtellæ, &c. ut ita omnes in ſuo gradu, ſicut ornant nunc Eccleſiam militantem, ita ornent in cœlo triumphantem.

***

THEMA QUARTUM.

Procraſtinatio pœnitentiæ peſſima corvi vox.

I. *Quia procraſtinatio furatur homini tempus.*
II. *Fidem fallit & decipit.*
III. *Stulte agit & impingit.*
IV. *Præſagit malam mortem.*

Aliud cecidit ſecus viam, & volucres cœl[i] comederunt illud. Luc. 8.

QUales ſunt iſtæ volucres, quæ ſemen bonum ſecus viam devorant? Colligere hoc poſſumus e[x] ſomnio piſtoris, Regis Pharaonis; ſomniavi[t] enim ſe tria caniſtra farinæ geſtaſſe ſupra caput, inde que aves cœli comediſſe. Gen. 40. Joſeph illud expli cans, ait, eum poſt triduum in cruce ſuſpendendu[m] & ab avibus cœli lacerandum, videlicet à corvis. Cor vi igitur ſunt aves illæ, quæ uti comederunt farinam piſtoris, ita ſemen quoque in via ſparſum rapiunt unde & arantibus vel ſerentibus agricolis plerumque corvi in agris pabulantur. Jam intelligo cur corvi ſemen illud devorent; quia nimirum occinunt multi[s] auditoribus ſuum illud: cras, cras. Ita enim exponunt corvi vocem communiter SS. Patres aliique Author libro de natura rerum: *Corvus avis clamoſa* inquit, *nihil aliud ſonare novit niſi cras, cras.* Sanctus Auguſtinus ſerm. 16. de Verb. Domini: *cras, cras corvi vox* Alcuinus lib. de virt. & vit. *Forte reſpondet cras cras cras. O vox corvina!* Et alii. Quæ vox ſi unquam auditur, hoc tempore auditur, quando in feſtis Bacchi genio indulgendum putatur, pœnitentiam vero & pia opera differenda eſſe in Quadrageſimam. Hinc jam mundus talibus corvis plenus cernitur, qu[i] ni ſemen bonum ex agro prorſus auferant, procul eas arcere neceſſe eſt. Quod ut vigilantius agamus, *eas* hîc deſcribemus.

I Corvus eſt avis furax; unde & Germanis Rab à Raub / h. e. præda videtur appellatus. Sæpius in hoc deprehenſi corvi. S. Columbano Abbati chirothecam ſepoſitam corvus rapuit. Abbati Corbeienſi in Annal. Ciſt. a 1440. annulum; eumque in nidum ſuum tranſtulit. Matthiæ Corvino Ung. Regi annulum cum ſmaragdo, digtio detractum; quem tamen Rex, corvo ſclopeti ictu dejecto, recuperavit. In Annal. Siles. Erfordiæ corvus cicur de menſa nummos uſque ad 6. fl. ſenſim abſtulit & ſub lapide abſcondit; apud Aldrov. in Ornith. Hujuſmodi corvus eſt procraſtinatio: furatur enim tibi unum diem poſt alterum, donec ſenſim ſubducat tempus præſens ſpe futuri, adeoque totam ætatem, adinſtar infidi alicujus Advocati, qui lactat ſimplicem ruſticellum ſpe lucrandæ adeoque urgendæ cauſæ, donec cauſam vel perdat vel deſerere cogatur. Deinde una cum ætate furatur illi & animam, eo fere modo, quo Levitæ illius ſocer, detinendo de die in diem generum, perdidit ejus conjugem, Judic. 19. Cum enim Levita poſt triduum diſcedere in domum ſuam, ex Bethlehem

hem in Jerusalem, cum conjuge sua vellet, tenuit eum socer dicens: *Gusta prius pauxillum panis & conforta stomachum, & sic proficisceris.* sederuntque simul & comederunt. Cumque ille vellet proficisci, tenuit eum socer & apud se manere fecit. Mane facto parabat Levites iter. Cui socer rursum: *Oro te ut paulum cibi capias*, &c. Comederunt ergo simul, surrexitque Levites ut pergeret, Cui rursum socer: *Considera quod dies ad occasum declivior sit & propinquat ad vesperam, mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris.* Itaque tandem profectus antequam veniret in Jerusalem, *occubuit eis Sol*, ait scriptura: sicque factum ut uxorem ejus cives Gabaa rapuerint & constuprarint usque ad mortem. Simillimum quid accidit iis, qui patiuntur sibi persuaderi procrastinationem pœnitentiæ de die in diem; nam & ipsis occidit Sol, antequam veniant in Jerusalem, h. e. *Visionem pacis*, seu statum gratiæ (die früh fatteln/ und spath außreiten) & quam plurimis interim peccatis fœdatur & perimitur eorum anima.

II. Est avis perfida & mendax. Nam emissus à Noe ad nuntiandum diluvii statum, non rediit. Unde Alcuinus loco cit. *Fortè respondes cras cras.* O *vox corvina, corvus non redit ad arcam, columba rediit.* Pari modo procrastinatores communiter fidem fallunt, quia fere numquam efficaciter volunt: sicut Acesseus nauta, qui omnes Lunas causabatur esse infaustas; & sic numquam navigabat, semper in statione fuit. Videtur quidem corvus Noe ad arcam rediisse subinde, sed ad tectam tantum, ut Pererius ex Chaldeo: (*egrediebatur & revertebatur*) colligit. Sic procrastinatores veniunt subinde ad templum, sed non ad confessionis tribunal, vel si eousque accedant, non permittunt sese à confessario tangi, ubi dolent, adeoque nec in gratiæ statum inferi: quo modo corvus non est passus apprehendi se à Noe & in arcam reponi: cadavera enim peccatorum suorum semel degustata adhuc animo volvunt: ideoque graviora aliqua tacent, & in aliud tempus differunt, vel contritione aut emendationis proposito carent. Ist ihnen nit ernst. Adhæc imminente pluvia tempestuosa clamat corvus resorbendo vocem & quasi pronuntiando verbum, klags klags/lingua nostra: accusa, accusa; quasi dicat accusa te apud Judicem tuum; vel aperi morbū tuum Medico, uti observamus sæpe, & scribit Aldrov. l. 12. Ornith. Multi etiam instante festo aut jubilæo, urgente morbo, vel territi in concione aut exemplo aliquo terribili, lectione, &c. cum nimirum advertunt sibi imminere gravem tempestatem reddendæ rationis Deo, stimulati à conscientia, quod periculose laborent, clamant in secreto cordis: klags klags dem Beichtvatter: tua vulnera medico monstra, sed post tempestatem redeunt ad suum cras, quemadmodum & corvi, juxta id: *Dæmon languebat, Monachus tunc esse volebat: Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.* Exemplo est Otto III. Imp. qui occiso Crescentio, Rom. Consule contra datam fidem, imperio se abdicaturum, & Monachum futurum spopondit S. Romualdo. A quo deinde monitus de promissione, promisit se facturum, sed nondum: prius Romam sibi expugnandam asserens. Ivit & ibi Crescentii viduam sibi accepit in conjugem vel potius pellicem. Quæ videns recedere à se Imperatorem, chirothecas veneno illitas quasi in signum amoris ei donavit, sicque miser occubuit. Baron. a. 1001. & 1002. Pari perfidia multi promittunt & volunt converti: sed nondum; adeoque numquam, donec miseri pereant.

III. Est avis stulta. Scribit enim Plin. l. 35. c. 4. corvos ad pictam domum tegularum similitudine deceptos advolasse & dum quasi in tecto considere vellent, capita impegisse. Idem faciunt procrastinatores, considere & quiescere volunt certo aliquo tempore ad pœnitendum, quod sibi fingunt & nondum est nec forsan erit, ad minimum est incertum. *Forsitan enim*, ait S. Ambrosius l. de pœnit. c. 28. *hoc quod aut primum putatur, aut medium, imminentis occidui meta jam limitat, estque debitus finis indignantis Domini ex conversionis tarditate vocatio. Subito enim veniet ira illius*, ait Eccles. — *III. Stulte agit & impingit.*

Nonnè vero stultum est determinare aliquid & disponere in re, quæ tuæ potestatis non est? Quid enim illud Domini: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater in sua posuit potestate?* Act 1. Aman in crastinum invitatus à Regina, fingebat sibi in animo magnificentissimum & jucundissimum convivium cum Rege peragendum; jactans insuper se: *Apud quā etiam cras pransurus sum*, Esth. 5. Sed ibi contra omnem expectationem suam Regis iratum vultum vidit & furcam reperit. Hinc ille, qui in annos plurimos se victurum ad fruendum bonis suis dictitabat, sequente nocte audit: *Stulte hac nocte animā tuā repetent à te.* Luc. 12. Deindè nō stultum est, cum possis hostem hodie ejicere, velle cras ejicere? Sic desipuit Pharao cum vexatus undique à ranis & interrogatus quando ab his infectis vellet liberari, respondit, *cras*. Exod. 8. Sulte tantum fœtorem, horrorem, clamorem ranarum non vis tolli statim? *Hodie si vocem ejus audieritis*, Ps. 49. dicitur, *nolite obdurare corda vestra.* Denique quis non velut stultum arguat eum qui cum fascem lignorum oppido gravem attollere in humeros nequeat, ligna plura ad fascem addit? Hujusmodi hominem inter alia monstravit Angelus Arsenio, & addidit idipsum agere mortales, qui oneri peccatorum suorum impoitabili nova indies adjiciunt peccata, ut in ejus vita.

IV. Est avis funesta, quia cadavera amat & patibula. Patet idem ex somnio Josephi prædicto, in quo crucem pistori, pabulantes in ejus capite corvi denunciabant. Significat ergo procrastinatorem prope desperatum & morti æternæ propinquum. Funesto hujusmodi vaticinio indicabat corvus civitati Ninive interitum & ruinam, Soph. 2. eo quod vilipenderet & irrideret Dei comminationes. *Vox cantantis in fenestra: corvus in superliminari: quoniam attenuabo robur ejus*, q. d. destruam eam per Chaldæos, ita ut corvi ibi habitent; vel quod corvi jam ibi crocitantes illi denuntiant. Horum instar, qui cantando cras cras, emendationem vitæ & sana consilia procrastinant — *IV. Præsagit malam mortem.*

stinant & de die in diem differunt, funestum interitus non aliorum, sed in judicium præbent, de quibus S. August. serm. 16. de verbis Domini ait: *Ipsa res est quæ multos occidit, cum dicunt cras cras, & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum.* Qui semel incidit in Judæos creditores, proximus est stipi, quia quo diutius Judæo non solvit, eo difficilius; si quidem etiam usuras usurarum solvere, sicque tandem omnino bona sua cedere ei cogitur. Ita qui diu in peccatis hæret, semper auget debitum & reddit se indigniorem remissione, Deumque magis & magis irritat. Dæmon velut aranea captam muscam multoties gyrando filis suis implicat. Habitus peccandi augetur, uti clavus tot ictibus magis magisque parieti infigitur. Hujus rei terribile exemplum scribit in vita S. Burgundoferæ Abbatissæ in monasterio Evoriacas Ven. Beda tom 3. his verbis: *Aggressus deinceps duas ejusdem cœnobii sorores antiquus hostis, quas noxiores ac multò imbecilliores conversatio reddebat, primum ad hoc impulit, ut nulla hora veram depromerent confessionem. Erat enim consuetudinis monasterii & regulæ, ut ter in die per confessionem unaquæque earum mentem purgaret, & qualemcumque rugam mens per fragilitatem attraxisset, pia proditio ablueret. In talem igitur labem mentes prædictarum puellarum diabolus merserat, ut nulla confessio vera prodiret ab ore, seu eorum, quæ in sæculo commiserant, seu quæ quotidiana fragilitas attrahebat, in cogitatione, in sermone vel operatione; cumque lethifer anguis paulatim corda obdurando virus suæ malignitatis infudisset; & mentes earum in omnibus parere comperisset, tunc suggessit eis, ut quadam nocte extra septa monasterii progressæ fugam arriperent & ad propria reverterent. Hoc itaque apud se deliberato, cum per densam noctem abirent, nec prorsus pro densitate caliginis viam tenere quivissent, astitit ad lævam Diabolus, ac lumen in modum lucernæ arte, qua valuit, assimilans tergiversationi vires auxit, monstrans reducem ad sæculum viam. Postquam autem pervenerunt ad locum destinatum, subsequentibus inquisitionibus ad cœnobium suum rugata fronte regressæ sunt: ubi dum à matre monasterii B. Burgundofora aliisq; sororibus diligenti scrutamine percontarentur, quæ causa coegisset eas discedere, respondent se telis Diaboli fuisse stimulatas, & ideò mentes nequaquam habere posse directas. Cum itaque multum ab omni congregatione objurgarentur, nec tamen aliquid hujusmodi proficeret in eis objurgatio, divinæ ultionis gladio percussæ ambæ meritas pœnas persolvere. De tanti verò eventus lue vehementer anxia mater monasterii, hortatur eas indesinenter, ut vel adhuc inter supremas horas constitutæ facinus suum pandant humili confessione: sed obdurata corda nihil remedii capere valentia, inter flagella clamare cœperunt: Sustinete paululum, sustinete; nec prorsus expectantes arguite. Inquirentibus ergo quæ aderant sororibus, à quibus sustinere rogarunt ajunt illæ: Non aspicitis turbas Æthiopum advenientium, quæ nos rapere & abducere volunt? Inter hæc auditus est fragor maximus supra cellulam & tegumenta personans, ostiumque cellulæ vi patefactum est, ita ut nigrescentes umbras astantes cernerent, & clamant eas nomina febricitantium sororum audirent, adeo vix, quæ aderant signo crucis armatæ, & psallendi offi detentæ valerent astare. Tanti doloris ac mœroris eventu anxia mater Burgundofora urget in extremo constitutas, ut vel adhuc per confessionem pandantur vitia sacramento Christi corporis animæ roborentur. At illæ infœlices, & à Diabolo penitus possessæ audita sacri corporis mentione garrire, dentibusque frendere cœperunt, stridentes dicere, Cras, cras: & iterum supradictam vocem repetere: Expectate, sustinete paululum, sustine. Inter quas voces extremum halitum dimiserunt. Quas cum in collegio cæterarum sepelire mater monasterii Beata Burgundofora nequaquam ratum duceret, segregatim humandas, ac in extremo loco cœmiterii sepeliendas fore jubet: super quarum tumulum globus ignis in modum clypei intra triennium crebro apparuit, maxime Quadragesimæ diebus usque ad adventum S. Pasch vel etiam ante vigiliam natalis Domini ferventius apparebat, simulque voces tumultuantis turbæ multa personabant. Inter quas duæ ululantes erumpebant vel in tormentis resonare solent, Væ mihi, væ mihi, væ mih. Cernens itaque prædicta mater monasterii sententiam justo judice super injustas animas illatam, manifesti damnatarum sententiam est aggressa comperire, acc densque ad tumulum experimento quærit, si cadaver quamvis putredine corrupta in sepulchro maneant. Iam mensis, ex quo defuncta corpora fuerant condita, præteri rat: & ecce reperit interius sepulchrum igne exustum nec quidquam superesse cadaveris, præter favillæ vestigium. Mansit ergo per triennium illata sententia tanta severitas, ut error damnatarum, timorem præberet sodalium remanentium essetque correptio viventium illat pœna mortuarum & ex negligentia imo duritia ment pereuntium salus propagaretur superstitum.*

Quare Auditores, cum videamus quam noxiæ a periculosæ sint hæ volucres, servate diligenter in corde vestro semen propositorum & instinctuum bonorum. Ac si illæ advolare velint, imitamini Abrahamum, qui aves ad sacrificium suum, (id erat victim animalium, ad sanciendum fœdus cum Deo, mactatorum) advolantes abigebat, Gen. 15. Erant illæ procul dubio etiam corvi, quia ipsi potissimum & præ cæteris avibus insidiantur carnibus enectis & concisis. Baculum igitur apprehendite firmissimi statuti, hodie pœnitendi, hodie inchoandi vitæ emendationem.

THEMA V.

Alearum & chartifoliorum ludi periculosi,

I. Quia lusores cadunt secus viam.
II. Cadunt supra petram & exarescunt.
III. Cadunt in spinas.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum. Lucæ 8.

DOctorum sententia est, Satanam esse Dei Simiam: quod ostendere quidem ex multis possemus: sed unum nunc sufficiat nobis. Marci 5. interrogat

rogat Christus Dæmonem in obsesso homine: *Quod tibi nomen est?* Cui Dæmon: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Legio continet milites 6666 Nimirum noverat Dæmon Deum appellatum Dominum exercituum; idcirco etiam ipse producere vult exercitus. Et quemadmodum Deus educit suos Angelorum & hominum piorum exercitus ad evertendum regnum Satanæ: ita simia illa, suo etiam, quo potest, modulo educit suos exercitus, Dæmonum aliorum & impiorum hominum ad subvertendum regnumChristi. Vidimus ante octiduum quo modo mittente Deo operarios in vineam suam, mittat etiam ipse suos operarios, saltatores scilicet, in Sodomiticam vineam suam. Vidimus paulo ante, quo modo seminante Deo bonum semen in agro suo, supervenerit etiam ipse, & seminarit zizania in medio tritici. Non dubitandum ergo, quando audimus hodie cœlestem illum agricolam, seminare in agro suo semen bonum seu homines bonos: prodire etiam Satanam maxime hoc tempore insanientis mundi, & seminare in suo agro; & quid nisi zizania & semen malum? Quinam vero isti? Inter alios, quos jam retulimus vel adhuc referamus, certe sunt aleatores; qui & ipsi Magistrum suum sedulo imitantur. Seminant enim plenis manibus pecunias ad aleas & lusorias chartas, qui forte in sinum pauperis non seminarent duobus digitis. Mali seminatores, malum, & ipsi semen. Incidunt enim non in terram bonam, sed in viam, petras & spinas, ut videbimus.

Sciendum est inprimis non damnari omnes ludos: Ac 1. non damnantur liberales, qui ad exercitium corporis, aut honestam recreationem non pro lucro fiunt. Quales l. 3. C. de Aleatoribus recensentur, hi sunt, cursus, saltus, vibratio, quintiana (id est, hastiludium absque spiculo) lucta & hippodromus.

2. Non damnantur qui plus artis & ingenii, quam fortunæ habent, quia tales instituuntur pro ingenii exercitio, non pro lucro. Sed illi qui plus fortuna, quam arte reguntur, qui communi nomine aleæ appellantur, damnati olim fuerunt. Unde patet, quanto meliores fuerint mores illius ævi, quam nunc sint. Jam per contrariam consuetudinem obligatio illa cessavit.

3. Non damnantur nunc, saltem communiter, etiam fortunæ ludi, si ad recreationem mentis pro modica re fiant, cujus lucrum vel perditio neutri multum prodest aut obest; modo hæ tres conditiones adsint: ut ludentes liberam habeant dispositionem rei, quam in ludum deponunt; & alter alterum fraude, minis, conviciis ad ludum non pertraxerit: & non utantur fraudibus contra leges ludi.

4. Si non diu nimis continuetur. *Parum delectationis sufficit ad vitam, sicut parum salis sufficit ad condimentum cibi,* ait Aristot. 4. Eth. cap. 2.

5. Si non nimis frequentetur: alioquin enim inescabit & capiet hominem, ut nil nisi ludos cogitet; quod grave malum foret. In hanc rem Cicero lib. 1. Offic. ait: *Ludo & joco uti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris.* Non multum indulgendum somno, multo minus ludo.

His igitur exceptis, aleatores alios meritò damnamus & arguimus.

I. Primo enim tales seminant, seu, ut explicat Dominus, seminantur secus viam, quando non tam pecunia, pro qua luditur, quam lusores ipsi cadunt, conculcantur & devorantur. Cadunt communiter in peccata, quemadmodum aves ex arboribus cadunt in substratam aream, ubi latente reti ab aucupe capiuntur. Cadunt sæpe in fraudes & dolos. Sicut enim loquaces & garruli labuntur sæpe in mendacio: ita lusores sæpe in dolos & fraudes. Hostes namque sunt collusores mutuæ pecuniæ; atqui *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Cadunt in mendacia & perjuria; quia sæpe incidunt controversiæ, dubia, obliviones verborum aut jactuum, mutationes foliorum. Unde mendacia & perjuria necessario sequuntur. Id quod frequentissime faciebat C. Caligula Imp. nequissimus, & sic auctoritate sua oppressit collusores, ut plus mendacio atque perjurio, quam arte lucraretur, teste Suetonio. Cadunt in injurias, dum iniquo lucro parta non restituunt, vel perdita, quæ spoponderunt, non exhibent, saltem integre, vel ex alieno & rapina persolvunt: quemadmodum de Samsone legimus Judic. 14 Hic enim cum sodalibus ænigma propositum solventibus promisisset 30. sindones, & totidem stolas seu tunicas; illique id solvissent, percussit ex ipsis 30. viros, & accepit vestimenta eorum, deditque stolas iis, qui solverant problema (ut habent 70. Interpret.) En ex cæde & rapina dissolvit Samson debitum; & non nisi stolas: sindones non solvit.

I. Lusores cadunt secus viam.

I. In peccata cadunt.

Conculcantur ab hominibus; quia fiunt contempti & infames ejusmodi lusores; unde appellatur (Spitgarn) Videat quis lusores in publicis foris aut ædibus lusoriis, non inveniet nisi cacalas & vulgi fæcem, perditos & infimæ sortis homines. At ludunt etiam honesti viri inter privatos parietes? hoc ipsum signum est, non esse rem valde honestam ludere eos ludos, qui abjectæ plebi usitati sunt. Ipsa hoc natura docet. Deprehendat enim pater ludentes aleis filios, Magister discipulos, Dominus servos; statim illi suffusione aliqua corripientur & cessabunt. Soli inverecundi, uti milites & similes, non erubescunt. Id quod benè notavit S. Joannes, cum scribit sortem missam fuisse supra Christi tunicam non nisi à militibus. *Et milites quidem hæc fecerunt*, ait; quasi dicat: honesti viri hoc non fecerunt, ut crucifixo adderent hanc contumeliam, sed impudentes milites. Tales describit Sanctus Ambrosius lib. de Tobia, fuisse Hunnos, qui arma tantum & aleas gestabant, eisque victum quærebant. Quod rapiebant, aleis subjiciebant: quod si id perdidissent, iterum rapiebant. Chilon Lacedæmonius jungendæ societatis causa Corinthum missus, cum Principes civitatis in alea occupatos invenisset, statim infecto negotio redut, dicens; nolle se gloriam Spartanorum, tum quidem clarescentem, ea maculare infamia, ut diceretur

2. Conculcantur ab hominibus.

Spartanos cum aleatoribus ſocietatem iniiſſe. Platina l. 1 de optimo cive.

3. *Devorantur à volucribus.*

3. Devorantur à volucribus cœli. Hæ ex Chriſti interpretatione ſunt dæmones. Qui ſane devorant luſores, quando eos ludendi cupiditate captos & occupatos quaſi abſorbent & mancipia ſua faciunt. Si enim *omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, multo maxime id verum eſt in luſore iſto poſtquam in aſſuetudinem tranſiit. Unde Plato adoleſcentem alea ludentem graviter increpavit. Cumque is dixiſſet: *Sic objurgas ob rem parvam?* At *parum non eſt*, inquit, *aſſueſcere*. Laert. l. 2. certe tantum eſt, ut etiam inſtante morte non niſi aleas & ludos cogitent. *Novi quendam virum nobilem* (inquit Mart. Delrio 1. parte Adagialium adag. 444.) *& dignitate conſpicuum, luſorem tota vita, ad extremum uſque ſpiritum juſſiſſe chartas luſorias adferri, ut cum ipſe jam nequiret, alios ludentes aſpiceret.* Fruſtra ergo aut temere ſaltem dicunt tales ſe morte inſtante pœnitentiam acturos. Quod enim nunc agunt, id tunc agitabunt. Quando deberent dicere: Vocate ſacerdotes; dicent. Vocate luſores. Pro pio libello chartas, pro communione aleas petent. Quin etiam poſt mortem, ſi fieri poſſet, adhuc ludere vellent, ut patet exemplo illius Architecti, ludis dediti, qui pro erectione columnarum in foro S. Marci Venetiis aliud munus non petiit, niſi ut inter eas liceret ludere quibuſcumque, ſive juſte, ſive injuſte; ſi tamen fides danda erranti in fide Munſtero in Coſmogr. Nequior adhuc fuit aleator ille moriens, qui (quaſi parum fuiſſet vitam luſibus tranſegiſſe) teſtamento religioſe cavit, ut detraheretur mortuo ſibi pellis, & ex oſſibus ejus teſſeræ fierent, ex cute vero menſa luſoria, alveolus & fritilla (Spilbiſch vnd Trachter) quanta fieri poſſet diligentia; Paſchaſio Juſto auctore l. 1. de alea. Nonne quod de ebrioſis dicit Iſaias c. 28. *Abſorpti ſunt à vino*; dici poteſt de his, abſorpti ſunt à ludo.

II. *Cadunt ſupra petram, & exareſcunt.*

I. *Incidunt in inopiam.*

II. Seminantur & cadunt ſuper petram, & in ea ob defectum humoris exareſcunt. 1. quando ipſi luſores incidunt in paupertatem; ſic enim pro pane, quem quærebant ludo, lapidem inveniunt & famem in domo ſua. Sive lucrentur ſive perdant, ſatiari nequeunt, & ita tandem novercante fortuna exuuntur rebus ſuis, & quod intolerabile, ſæpe uſque ad veſtes: dum ſpe mutandæ fortunæ aſſurgere rurſum ſperant. Mediolani quidam alea exhauſtus, cum non aliud niſi domum ruſticam haberet, nec eam quivis ob ſoli ſterilitatem emere vellet, tegulas divendidit, & domum pluviis perviam reliquit, quo luſum continuare poſſet. Auctor Paſchaſius cit. ibid. Nonne igitur ſatius eſt in prædones, quam in luſores incidere? Illi enim ſaltem veſtes aliquas ſpoliato ſolent relinquere, non iſti. Quin imo S. Bernardinus Senenſis ſerm. 42. Quadr. ait: *Didici à fide digno relatore, quemdam dum cætera amiſiſſet in ludo quodam, luſiſſe & perdidiſſe dentes, atque ſibi extrahi cum patientia ſuſtuliſſe. Alium quoque bis in ludo luſiſſe & perdidiſſe uxorem: illam quoque voluiſſe tradere vincenti, niſi cuſtodita fuiſſet à quibuſdam mulieribus timore Dei.* En quam radix omnium malorum ſit cupiditas. 1. Tim. 6. Imo ad extremum ſuam libertatem aleæ committunt, & victi ad triremes eunt, ut teſtatur idem Paſchaſius. Ita olim Germani, qui libertatem ſuam aleis exponebant victi ſe ligari & vendi patiebantur. Alex. lib. 3 cap. 21.

2. Inde ſæpe ad furta, ad rapinas convertuntur tanta eſt hujus cupiditatis tyrannis. C. Caligula Imp alea ludens quodam tempore, proximo colluſori demandata vice ſua progreſſus in atrium domus, cum prætereuntes duos equites Romanos locupletes vidiſſet, ſine mora corripi confiſcarique juſſit, tum exultabundus ad colluſores rediit, glorians ſe numquam proſperiore alea luſiſſe. Sueton. De privatis hominibus frequentia ſunt exempla. Unum vide in Virid. Regio Val. Leuchtii l. de mirac. hiſtor. 64. de ſtudioſo Bambergenſi nomine Simone, qui cum luſu etiam veſtes perdidiſſet, operâ Dæmonis S. Euchariſtiæ (quam ad ægrum deferri caſu vidit & concupivit) pyxidem è templo S. Martini rapuit. Quo facto Forchemium veniens à canibus infeſtatur & mordetur, donec reum ſe prodat, unde Bambergam reductus per civitatem raptatus, poſt ad ſcalam in foro ligatus, tertio die pœnitens expiravit. An. 1314.

3. Sæpe etiam ad extremum in deſperationem aguntur. De quo audiamus iterum S. Bernardinum ſerm. cit. *Quot*, inquit, *audivimus ex ludo etiam noſtris temporibus deſperatos? In Mutina, quæ eſt civitas Lombardiæ, tria miracula audivi à quodam fide digno ſacerdote, qui hæc omnia per experientiam novit. Retulit enim mihi noviſſimè virum unum, qui ex illa amiſſione denariorum in ludo ter ſemetipſum ſuſpendit, ſed primis duabus vicibus, quibuſdam ſibi ſuccurrentibus mortem evadens, in tertia ſuſpenſione damnatus eſt. Alium quoque ſe vidiſſe ait, qui ex eadem cauſa deſperatus miſit de ſerò uxorem dormitum cum filiis & filiabus ſuis, demũ in inferioribus domus ſuæ lignorum multitudinem congregans poſuit ignem ut uxorem & filios & filias, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ atque ſe cũ eis ſimul incremaret, ſicut demum confeſſus eſt. Quod & factum fuiſſet niſi à caſu, viro quodam tranſeunte per viam ad remedium totam viciniam convocante contra ignem divina miſericordia ſuccurriſſet. De alio quoq; dixit, quod cum ex deſperatione conſilii caſu animã Diabolo tradidiſſet, &c. cum mœnia civitatis ad excubias aſcenderet, ſubito adeſt ei Dæmon in Gryphonis effigie atque terribili inſultu arripiens ejus ſcapulam, eam crudelibus unguibus transforavit*, &c. qui tamen Dei miſericordiam implorans dimiſſus, abiit ad ſacerdotem, (qui hæc Sancto Bernardino narravit) eique vulneratam ſcapulam ac terribiliter fœtentem oſtendit, & facta peccatorum confeſſione poſt biduum è vita exceſſit.

III. Seminantur & cadunt inter ſpinas, quia communiter dum fortuna illis adverſatur, incidunt. Primo, in iram & inſaniam, adeo ut chartas dentibus lacerent, & quaſi canes in lapides morſum infigant. Perdere enim amarum eſt. Unde in perpetuis ſpinis ſedent, dum ludunt, metuentes rerum ſuarum jacturam, adeoque plane ſtulti ſunt,

dum

dum anxiam vitam eligunt, cum possint habere quietam.

2. Incidunt in rixas & contentiones, levi verbo provocati, dum in fervore sunt, & maxime cum sinistro eventu ludunt. Exempla sunt tam frequentia, ut non opus sit adducere. Anno 1609. in Anglia filius Baronis Warthonis Joannem Stuardum Angliæ Regis cognatum in lusu mendacii arguit, ideoque à Stuardo colaphum accepit. Tum prope Londinum ad duellum se provocarunt, in quo ambo mutuis vulneribus confecti & post in eodem sepulchro conditi sunt jussu Regis. Hic exitus tam nobilium juvenum. Eman. de Mettern. l. 29. hist. Belg.

3. Incidunt ad extremum non raro in blasphemias & consequentem Dei correptionem. Notum puto illud, quod M. Fritschius in Meteoris scribit de duobus aleatoribus, qui Budæ Pannoniæ urbe convenerant, ut alter in Dei, alter in diaboli nomine luderet. Qui in Dei nomine lusit, pecuniam omnem una cum vestibus amisit. Nocte igitur domum rediens per cœmiterium, saxum arreptum in imaginem crucifixi conjecit & in frontem allisit, unde & sanguis mox profluxit. Eo facto vicinus quidam lanio podagricus monitus ter in somno, ut surgeret & obvium proximum confoderet. Paruit tandem & surgens sanatum se deprehendit, cultro igitur laniario armatus foras prodit, & aleatorem sibi obviam factum cultro confixit. Mox rem Magistratui indicat, quo advenientes dæmones cadaver aleatoris in præsentia astantium cum ululatu in sublime raptum abstulerunt. Quæ res propter vulnus Crucifixo inflictum lanionem à periculo liberavit. Videtis qualem tandem ludum ludat cum lusoribus suis Dæmon? ad tartarum eos evehit, & ibi quomodo cum eis ludet?

Quid igitur, si tam periculosus est hic ludus, quid agendum? Seminandum in terram bonam: pecunia in pauperes potius, quam in aleas spargenda est, ubi fructum faciet trigesimum; sexagesimum, centesimum. *Qui enim seminat in benedictionibus* (id est, largiter) *de benedictionibus & metet*, ait Apostolus. Qui dant malis, 30. qui bonis, 60. qui optimis, religiosis scilicet pauperibus centesimum metent. Quod si tamen omnino seminare etiam in ludos volunt, ea ratione possunt, si lucrum omne non in suum marsupium recondant, sed pauperibus deputent ac distribuant; quo pacto non difficile permitterem eis lusum qualemcunque tandem. Hoc enim ludo, nisi aliunde vetitus esset, sperarem eos lucraturos regnum cœlorum, quod & ipsis & vobis omnibus opto.

***

DOMINICA
QUINQUAGESIMÆ.
THEMATA.

I. *Inane studium eorum, qui hoc tempore sectantur mundi gaudium.*
II. *Mundus per hos dies pietati obstrepens non audiendus.*
III. *Cæcitas mundi per hos dies.*
IV. *Convivium Christi & Diaboli.*
V. *Reprobi à semita virtutis declinantes, variis ex causis miseri & cæci.*

THEMA I.

Inane studium eorum, qui hoc tempore sectantur mundi gaudia.

I. *Quia lucrantur inane marsupium.*
II. *Laborem inanem.*
III. *Læsam & perturbatam conscientiam.*
IV. *Finem mæstum & funestum.*

Quid tibi vis faciam? Domine ut videam Luc. 18.

SAnctus Antoninus 2. p. sum. hist. tit. 17 cap. 5. §. 3. refert S. Bernardum Abb. habuisse inter suos monachum, qui in sæculo fuerat lusor & homo dissolutus, eumque maligno stimulatum spiritu redire ad sæculum periisse. *Cum autem B. Bernardus eum retinere non posset, interrogavit eum, unde victurus esset. Qui respondit: Ad taxillos ludere scio & inde vivere potero. Et ille: Si tibi capitale commisero, vis singulis annis ad me redire & lucrum meum mecum dividere? Quod audiens gavisus est, & libenter se sic acturum promisit. Viginti quinque igitur solidos ei dari præcepit, & ille cum illis abiit. Hoc autem faciebat vir sanctus, ut eum iterum revocare posset, sicut postmodum factum est. Ille igitur abiens totum perdidit, & ad portam confusus monasterii rediit. Quo audito vir Dei lætus ad eum exivit extenditque gremium, ut simul divideret lucrum. Cui ille: Nihil lucratus sum pater, sed etiam capitali vestro nudatus sum: si vultis pro vestro capitali me recipere? Cui Bernardus benignè respondit: Si ita est, inquit, melius est ut te recipiam, quàm simul utrumque perdam.* Ita Antoninus. Videntur huic lusori persimiles esse ii, qui his diebus cum mundo & mundi sectatoribus sese oblectare, ludere, saltare, potitare, stultescere & insanire volunt. Petunt hi non cum cæco hodierno: *Domine ut videam*: sed cum lusore illo: dimitte me abire in mundum, ut personam induam, & in ea ludam, saltem, potem, adeoque Baccho serviam. Stulti! quid est quod petitis? *nescitis quid petatis*, sed quoniam ita vultis, itote, & post triduum istud, quidquid lucrati fueritis, mecum dividete. Video jam lucrum vestrum,

quale nimirum retulit lusor ille ad ad Bernardum. Omnia perdetis, & magna confusione vestra ad crucem postremum iterum adrepetis Imo vero lucrabimini, sed quid ? Audite.

I. *Lucrantur inane marsupium.*

I. Inane marsupium profusis male nummis, in vestes, convivia, ludos, equos, pompam, &c. quibus vestire tot pauperes, & lucrari tot in cælo præmia poteratis. Xerxen Persarum Regem ridet Æl. l.2.var. hist. cap. 14. qui platanum proceram umbræ gratia amavit quasi amasiam suam, diem ibi commoratus cum exercitu suo, levis & brevis umbræ gratia, unde & multiplicem ac pretiosum ornatum chlamydũ, annulorum, armillarum in ea suspendit, jure meritissimo ab omnibus deridendus. Quo enim fine aut fructu hæc in arbore? & arbore sylvestri, infrugifera? Nihilo plus sapiunt, qui in pompam stultitiæ plurima expendunt: in pretiosas vestes ad fictitias Faunorum, Nympharum, stultorum personas introducendas, Quo enim fructu tantæ impensæ ad fictitium unius diei spectaculum? Quanto utilius in arbores frugiferas, in pauperes, inquam, hæc expenderent, unde in articulo mortis & die retributionis fructum immensum sperare possent. Ibi Christus vestes illas indueret ac cœlestibus ostenderet, uti vestem S. Martini. Ibi pauperes eas producerent, & Deo ac mundo demonstrarent, sicut viduæ S Petro vestes à Tabitha sibi factas & donatas. Quanto salubrius isti opes, vires, ingenium, non platano umbrosæ, sed cruci affigerent ac dicarent?

Sed umbram tamen aliquam ad delectationem qualemcumque præbet illa platanus. O brevem & levem umbram! Procumbis miser sub arbore ut dormias sub umbra ejus. Sed post unam aut alteram horam umbra te fugit, & Soli urendum exponit. Unde surgis inflammato & dolente capite. Idem tibi continget sub hac voluptate, quæ instar hederæ illius, sub qua Jonas umbram captavit, uno die duravit, postea exaruit, & Jonam ardori Solis exposuit, adeo ut pro æstu diceret: *Melius est mihi mori quàm vivere.* Jon.4. In Hebr. de hedera illa dicitur: *Filia noctis erat & filia noctis periit*, h.e. una nocte nata est, altera nocte periit. Quid, non dico triduum, sed tota ista vita nisi dies una? Et quid sentient Bacchanalistæ sub ista hedera, cum evigilabunt, & in altero sæculo percutientur à Sole justitiæ? Mortem utique sibi potius, quam vitam optabunt: sed tunc fugiet mors ab illis, & interim tamen semper vivent in morte.

II. *Laborem inanem.*

II. Labor inanis & frustraneus, quo tempus pretiosum nullo fructu consumptum est. Qua de re Salomon Sap. 3. ait: *Vacua est spes illorum & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.* Expertus loquitur, unde Eccles. 2. non semel detestatur labores suos, in quibus frustra sudaverat. Inter alia ibidem: *Extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium.* In quem locum S. Ambrosius lib. de Isa. & anima cap. 4. ait: *Sicut piscina non nisi assiduo labore multoque sudore implentur, & eadem, qua implentur die ad hortos irrigandos exhauriuntur: ita profecto mortalium spes & desideria non nisi multis exantlatis laboribus quandoque implentur, sed vix dum impleta sunt, exhauriuntur & omnino intereunt.* Sic nimirum miseri isti lusores lucrantur, & mox perdunt, implentur, & mox exhauriuntur: ingerunt, & mox egerunt. Labor eorum inanis quid nisi inanem mercedem promeretur? Quidam multo studio assecutus erat, ut nunquam fallente ictu per angustum foramen ciceris granum trajiceret. Id cum in cõspectu Alexandri M. præstitisset, atque ingens præmium aliquod expectaret, ciceris modio donatus est, ut haberet stultus, quod jacularetur; sicque inane studium inani præmio damnare voluit Alexander, refert Tuso c.3 Ecclesiastici. Hujusfarinæ sunt mundi sectatores, qui cum inania studia sectentur: donat illis Deus modium cicerum, hoc est, bona fluxa & inania, opes, delicias, honores, favores, ut habeant, quod trajiciant per os in ventrem suum, quibus tamen minimè replentur aut satiantur; quia mittunt ea in canalem perforatum & cisternam dissipatam. Quid quod etiam labor inanis ob tempus malè impensum, vires quoque ad laborandum datas malè consumptas, meretur pœnam? Scimus militem illum, qui occiso, ut ajebat, Saule diadema ejus attulit Davidi, fausta se nunciare existimans, non modo mercedem nullam pro labore suo accepisse, sed pœnas etiam dedisse & mactatum esse. 2. Reg. 1. Idem sentient aliquando, qui laborant mundo: cum mercedem pro labore expectabunt verbera accipient. Quantum putamus obstupuisse hominem illum, cum sibi mortem denunciari audiit, quando amplissimum præmium spe jam devoratum mente agitabat! Sic obstupescent etiam operarii iniquitatis. *videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis*; quã scilicet ipsi amiserunt, justi vero adepti sunt. Sap 5.

III. Læsa & perturbata conscientia, pudore suffusa & cor lancinans atque accusans. Quid lucrantur pisces post devoratum vermem, hamo affixum? non aliud nisi uncum eos retinentem simul & intestina lacerantem, quoad mortem extrahuntur. Hinc Ecclesiastes cap.9 ait: *Sicut pisces capiuntur hamo: sic capiuntur homines in tempore malo.* Quodnam illud *tempus malum*, nisi dies isti, carnis libertati & omni malitiæ expositi, in quibus homines velut pisces in aquis ludunt, & quaquaversum vagabundi discurrunt sine lege & sine rege. Hamum ergo voluptatum certatim nunc arripiunt, sed quo lucro? Dicat August. *Gaudet piscis*, inquit libr. de agone Christiano c. 7. *quando hamum non videns escam devorat, sed cum piscator eum adducere cœpit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.* Novi ludionem perjucundum & facetum, qui in triduo hoc Bacchanalium, Monachii, postea etiam anno 1613. in Comitiis Ratisbonæ præsente Matthia Imp. proposuit in publico urnam fortunæ sortilegam, adornato abaco, variis armis, vestibus,

stibus,

ſtibus, vaſis & ſimilibus. Aderat multus populus, fortunæ urnam experturus. Sed ô ſpes inanes! Qui immergebant manum in urnam, ut ſchedas extraherent, dum eas rimabantur, deprehenderunt ericium ſeu echinum, mille aculeis rigentem atque ferientem; à quo icti, & in manu dolorem, & in fronte ruborem, nil aliud extraxerunt. ſic dum quiſque dolorem ſuum diſſimulabat, ne à circumſtantibus rideretur, alii poſt alios ea ſutela ludificabantur. Refert hoc etiam P. Georg. Steng. in Labyrintho mundi c. 8. Simili techna Diabolus ludificat hoc tempore ſtultos & inſanientes Bacchi alumnos: proponit illis neſcio quas voluptates, lucra & vanitates: ſed dum ipſi eas conſectantur & captant, nihil aliud niſi echinum & conſcientiæ vermem, ſtimulis & morſibus cor exagitantem, deprehendunt. Quo ſpectat id, quod de vaſtata Babylone prophetat Iſa. c. 13. *Reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus* (Babylonis) *& Sirenes in delubris voluptatis.* Babylonem, mundi perverſi typum eſſe ſcimus: cujus cives inhabitatores ſunt mundi ſectatores. Quid vero in ipſis ululæ, niſi funeſti gemitus & querelæ conſcientiæ mordentis eoſque accuſantis in ſecreto cordis? Idem indicant Sirenes, pro quibus 70. Interpretes vertunt, *ericii.* Ergo ubi prius Sirenes canebant in delubris voluptatis, poſtea invenientur ericii, undique cor pungentes; & ſimul etiam pudor, quo ſuffundentur, ita ut ſeipſos ægre aſpicere queant; quod ſane patet in primis noſtris parentibus, qui ubi manum in lignum vetitum, quaſi in urnam fortunæ injecerunt; quid niſi ericium & remorſum conſcientiæ, junctum pudori ac dolori, deprehenderunt? Hinc enim timuerunt ſeſeque præ pudore inter arbores abſconderunt, licet præter ipſos nemo in paradiſo eſſet. Qui pudor magis creſcit, cum admiſſa peccata in confeſſione explicanda ſunt: ſicut crevit in Adamo, quando è latebra evocatus prodire in conſpectum Dei debuit. Tunc enim ait *Timui eo quod nudus eſſem.* Quam ob cauſam multi graviora peccata reticent, & erubeſcunt cum Adamo dicere, quod non erubuerunt coram Deo facere. Atq; hoc eſt lucrum illud, de quo Apoſt. ad Rom. 6. ait: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis* (peccatis) *in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.* Ad Romanos jam converſos loquitur, qui dum adhuc Gentiles eſſent, perpetua quaſi bacchanalia agebant in luxu, ebrietate, libidine, omnique turpitudine, ob quam poſtea erubuerunt, ubi ad Chriſtum converſi ſuæ ſtultitiæ recordari fuerunt. Quid non deliciarum præparavit ſibi Salomon: *Feci mihi cantores & cantatrices & delicias filiorum hominum*, & quæ recenſet in Eccleſ. cap. 2. Sed quid tandem ex hac urna extraxit? quid invenit? nil niſi ericium undique aculeatum. *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*, inquit.

IV. Finis mœſtus & funeſtus, in quem gaudia iſta breviſſima deſinunt, juxta id Prov. 14. *Extrema gaudii luctus occupat*, eo magis dirus & acerbus, quo magis præcedentia gaudia fuêre ſuavia & jucunda; quo enim majus erat bonum, prius poſſeſſum, eo major ſequitur dolor, quando eſt amiſſum, nunquam recuperandum. Mare Tiberiadis antiquitus vocabatur *mare Cenereth*: ut habetur Num. 34. Deut. 3. Joſ. 13. quia citharæ & teſtudinis (quod ſonat Cenereth) figuram referebat; uti notat Magalinus in Joſ. Porro hoc mare ſeu lacus Cenereth per Jordanis amœniſſimi amnis fluxum deſinit in mare mortuum & funeſtum, perditque dulces aquas ſuas in fœtidis illis & amaris. Quid omnia mundi gaudia niſi hujuſmodi cithara & teſtudo? Ejus chordæ quid niſi quinque ſenſus? pulſatio chordarum oblectatio ſenſuum eſt. Cithara hæc ſonat ſuaviter, fluxit gratioſè; ſed quorſum? in mare mortuum & fœtitum. Hinc Iſa. 5 dicitur: *Cithara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis.* Quo vero iſta terminantur? *propterea* (ait poſt pauca) *dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino: & deſcendent fortes ejus & populus ejus & ſublimes glorioſique ejus ad eum.* Triduo durant Bacchanalia & mox deſinunt in triſtem Quadrageſimam 40. dierum: mundi gaudia breviſſima, in æternam deſolationem & luctum. Quod vix ullum gaudium pud hominem ſyncerum perſeverat tres dies? Ajunt Græcos mortuis juſta ter perſolvere: (in Cruſii Turcogræcia) die Tertia, Nona, Quadrageſima. *Tertia quod mortuus die tertia immutatur, agnitione faciei amiſſa: Nona, quod nono die totum corpus diffluit, præter cor: Quadrageſima, quod quadrageſimo die ipſum cor quoque perit.* Ita gaudia humana vana & ſæcularia durant quaſi ad unum triduum, & habent triplices exequias. Tertio die ſtatim vultum mutant & ſaturant: nono in nauſeam & moleſtiam vertuntur quadrageſimo cor hoc eſt, amor etiam illorum perit & in luctum deſinit. Quis tam inconſtantia & fugacia gaudia quærat. Maximam Jobo afflictionem ferebat nuncius ille, quoties reverſus nunciabat ei cladem aliquam acceptam, aſſerens omnia periſſe, boves & aſinos, oves, camelos, liberos denique; ſe ſolum ajebat evaſiſſe, Job 1. Quis vero iſte, qui evaſit ſolus, niſi funeſta recordatio præteritorum gaudiorum? Omnia enim pereunt, ſola habitorum bonorum memoria remanet, quæ ſpoliato jam poſſeſſori triſte nuncium affert, omnia extincta eſſe, citharam in luctum verſam eſſe. Hoc tam triſte nuncium & funeſtum lucrum attulit ille nuncius Henr. 8. Angliæ Regi peſſimo & ſchiſmatico, poſtquam ſuam libidinem & furorem in Eccleſiam explevit, quando jam in extremis conſtitutus & deſperata vita ac ſalute, pateram vini accipiens præbibit ſuis proceribus dicens: *Amici omnia perdidimus.* Ut refert Florim. libr. 6. hæreſ. Omnia enim perdiderat, Eccleſiæ communionem, uxores, liberos, honorem & famam, opes & ærarium, regnum, vitam, gratiam, gloriam. O luſorem infœlicem! o funeſtum lucrum! Quanto melius ſapiunt, qui infauſto hoc ludo abſtinent & in ſinu gratiæ divinæ quieſcentes, ſerviunt Deo! Ergo ne & nobis aliquando hoc contingat, ut dicere cogamur: *Omnia perdidimus*, abſtineamus, quæſo, à periculoſo ludo, quem hoc tempore ludunt, qui Chri-

ſto illudunt: ne alioquin illudamur in judicii die coram toto mundo.

THEMA SECUNDUM.

Mundus pietati per hos dies obſtrepens, non audiendus.

Non audiendi, qui nunc obſtrepunt pietati.

I. *Quia fere ſunt fex populi.*
II. *Qui Chriſto tergum vertunt.*
III. *Quia in Iericho, ad ſtultitiæ lunam eunt & vocant.*
IV. *Quia conantur nos abſtrahere à lumine gloriæ.*

Qui præibant, increpabant eum, ut taceret. *Luc.* 18.

Non audiendi, qui nunc obſtrepũt pietati.

NOtum eſt litteratis, quod Poetæ ſcribunt aut fingunt de Ulyſſe Duce, prætervectum aliquando Sirenum inſulam, ne illarum cantu cum ſociis illectus & attractus periret, excogitaſſe hoc ſtratagema, ut ſociorum aures cera obturaret, vero ab eis ad malum navis erectus alligaretur. Periculoſum tempus eſt hoc triduum, quo peſſimæ Sirenes ſuavi ſuo cantu homines illicere & decipere adeoque in abyſſum mergere laborant. Quare Audit. nobis attendendum, & aures obturandæ ſunt; quod docemur in hodierno Evangelio vel ab homine cæco, qui cum audiſſet Jeſum pertranſire, clamans invocare cœpit; cumque Sirenes aliquæ ipſi obſtreperent, ut taceret, ipſe obturatis ſuis auribus multo fortius clamavit. Quid aliud nunc mundus agit, quam quod iis oggannit, qui hoc tempore Deo vacare, & animæ ſuæ ſalutem quærere deſiderant? Itaque his Sirenibus aures occludendæ ſunt; ſed qua cera? Docebit nos hodiernum Evangelium, & videbimus.

Quatuor cauſas conſiderare poſſumus, ob quas jure merito cæcus neglexit ac ſprevit objurgatores ſuos.

I. *Quia fere ſunt fex populi.*

I. Quia non Chriſtus, nec diſcipuli ejus, nec honeſtiores viri, ſed turba tantum erat, quæ increpabat cæcum, teſte Matth. c. 20. *Turba autem increpabat eos*; cæcos videlicet (duos enim ille ponit.) Si interrogemus, quinam per has dies obſtrepant pietati per inſanias ſuas deprehendemus non eſſe niſi turbam & viliſſimos de plebe homunciones, neminem honeſtum. At quis neſcit turbam ſeu plebem plerumque delirare, raro bene conſulere? Antiquum Pythagoræ pronunciatum eſt: *Per viam publicam non eundum.* Dei quoque mandatum erat Exod. 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ.* Quid enim turba niſi errare & delirare novit? nonne ea, qua plures eunt, via lata eſt; quæ ducit ad perditionem? Neque refert, quod multi & plures forte ſint, qui hoc tempore inſaniunt; quis enim tam ſtultus eſſe volet, uti Radbodus ille Friſonum Dux? Hic jam alterum in baptiſmatis fonte pedem habens, interrogansque Epiſcopum, ſanctum VVulfrannum: ubinam majorem ſuorum anteceſſorum numerum, in paradiſo an in inferno eſſe putaret: illoque reſpondente, in inferno, quod fide caruiſſent, pedem retraxit, dicens: eo ſe proficiſci velle, ubi ſui majores eſſent, malleque eos, qui plures eſſent, quam pauciores ſequi. Ludificatus autem à Dæmone illuſoria viſione, poſt triduum ſubita & æterna morte periit. Sigebertus in Chron. Bergomenſi anno 729. Stulto huic ſimillimi ſunt, qui in rebus malis turbam ſequuntur & multitudinem. Sapientes contra, qui legem Dei & paucos in ea ambulantes. Miſit aliquando Achab Rex enuchum, ſervum ſuum, ad Michæum Prophetam, conſultum an pergere ad bellum deberet. 3. Reg. 22. Eunuchus ergo ad Michæam: *Ecce ſermones Prophetarum* (quadringentorum, ſed revera Pſeudoprophetarum viliſſimorum) *Ore uno Regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum: & loquere bona.* quaſi dicat: loquere Regi placentia. Verum non attendit Michæas ad multitudinem Prophetarum, ſed: *Vidit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Itaque infauſta atque ingrata Regi prædixit, quæ & evenerũt. Multi nonne Eunuchi tales, qui turbam eſſe ſequendam ſuadent, tametſi deviantem ac mentientem. Quid tu hoc tempore vis orare, confiteri, triſtari, quo omnes alii bacchantur & lætantur? ſis ergo ſimilis eorum, & inſani cum inſanis, lurcare cum lurconibus. At tu Chriſtiane ſi ſapis, ſequere Deum, & quodcunque dixerit Dominus, hoc fac, quia regula noſtrorum morum non eſt vulgi opinio, ſed lex Dei. Unde Tertullianus l. de veland. virgin. c. 1. ait: *Dominus noſter* JESUS *Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem nominavit.* Mundus non erit Judex noſter, ſed Chriſtus. Turba illa quæ præibat, lumen dare cæco non poterat, unde nec audiri ab eo merebatur. Chriſtus ei mederi poterat: hujus igitur mandatum jure expectabat.

II. *Qui Chriſtum tergum vertunt.*

II. Quia præibant Chriſtum, pone ſequentem, adeoque ipſi Chriſtum minime auferebant. Secus fuiſſet, ſi, qui ſequebantur Chriſtum, cæcum increpaſſent; hi enim quaſi abſtuliſſent ei Chriſtum, & aditum ad eundem intercluſiſſent. Pari ratione, non eſt quod audiant pii mundum his diebus inſanientem, quia is non ſequitur Chriſtum, ſed præit, tergumque ei vertit. Sic enim Ezech. 8. monſtravit Deus Ezechieli impios eo indicio, quod dorſa haberent contra templum Domini & Arcam. Qui verò tales ſunt, nequaquam audiendi, ſed fugiendi & ſpernendi ſunt; tametſi forte dignitate, nobilitate, opibus alios omnes præcedant, uti monet Eccleſ. cap. 12. *Noli magnificare hominem peccatorem divitem.* Si enim Chriſti ſectator non eſt, pauper & nullus eſt; quia coram Deo abjectus eſt. Nemo unquam magnificavit viperam aut ſcorpium, quia aureo vel chryſtallino ſcrinio incluſus eſt: ſic neque improbi magnificiendi ſunt, tametſi auro & honoribus incluſi coruſcant. Cuncti ſervi Regis Aſſueri, adorabant Amanem, divinos ei honores impendendo, & quidem ex mandato Regis: ſolus Mardochæus non adoravit, neque genua flexit Eſth. 3. Non movit eum exemplum & increpatio aulicorum, nec mandatum Regis, quia vidit

dit rem ſacrilegam à ſacrilego poſtulari, divinum ſcilicet honorem. Chaldæus aſſerit Amanem habuiſſe in veſte ſua depictas Deorum inanium imagines, jure igitur à Deo deſpectum fuiſſe. Quid his diebus gerunt mundani, niſi ſtultiſſimorum & vaniſſimorum Deorum imagines, Bacchi, Veneris, Martis? Quis ergo illos non contemnat? ſequantur mundum, adorent mundum, qui de mundo ſunt, qui mundo ſerviunt: atqui de mundo non ſunt, ſed Deum colunt, averſentur impios, nec curent increpantes ſe ac dicentes: Tu ſolus non adoras? Qui enim Deo ſerviunt, non ad initia ſed ad finem attendunt. Initium & decurſus vitæ Amanis glorioſus fuit, ſed finis turpiſſimus, cum in altiſſimo patibulo ſuſpenſus, & quidem ſuggeſtione eorum, qui prius ipſum adoraverant. Quam putatis confuſi poſtea fuerunt aulici, quando viderunt eum, quem Numinis inſtar coluerunt, pendere in patibulo! ſic tandem confundentur omnes, qui mundum adorant & ſequuntur. Venit aliquando Joram impius Rex Iſrael, filius Achabi, cum Joſaphato Rege Juda ad Prophetam Eliſæum conſilium petiturus. Cui Eliſæus contemptim: *Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ.* hoc eſt ad pſeudoprophetas tuos, quos audis. Et mox: *Vivit Dominus: quod ſi non vultum Joſaphat Regis Juda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem.* 4. Regum 3. Ecce Eliſæus Regem impium nec aſpectu vult dignari, nec attendere. Et cur ſervi Dei curent viliſſimos ſervos Dæmonis?

III. Quia in Jericho ibant. Jericho Lunam ſignificat, quia illa civitas formam habebat Lunæ, ut ait Corn. à Lap. Matth. 20. v. 29. Luna autem ob ſuam mutabilitatem ſtultitiæ typus eſt, teſte Eccleſiaſtico cap. 27. *Stultus ut Luna mutatur.* Nemo facile ſe pro ſtulto haberi & traduci patitur. Durum eſt ſtudioſis, quando deponendis, ut ajunt, cornibus per unam horam aut alteram intra privatos parietes vexantur, dedolantur, depalmantur, cornibus impoſitis fœdantur more ſtultorum. Quis ferat hoc ad longum tempus & in loco publico? At qui te invitant, ut per hos dies larvas induas: choreas, ludos, compotationes frequentes: quorſum te vocant, niſi ut cum ipſis ſtultus fias? Mire quidem ſplendet Luna in plenilunio, & videtur eſſe quidam Sol nocturnus; Verum quamdiu? deficit quotidie magis & magis, die ſeptimo dimidiatur, poſtea cornua induit, decimoquarto die omnino obſcuratur. Sic habent mundi gaudia. Primo die ſplendent, ſecundo die ſaturant, tertio etiam faſtidium pariunt, quarto die omnino ceſſant, & pariunt mœrorem, poſtquam tranſierunt, denique cum illis & memoria eorum extinguitur. Sunt ergo Bacchanalia feſtum Neomeniæ, quale celebrant Hebræi in ſingulis noviluniis: feſtum inſtabilitatis & ſtultitiæ.

Deinde ſcimus ex Evangelio urbem Jericho non adiri ſine periculo; ſiquidem is qui deſcendit de Jeruſalem in Jericho, incidit in latrones; quia prope Jericho, erat locus *infamis latrociniis, aſpectu terribilis & valde periculoſus, quemque ſine conductu nemo temere tranſeat;* inquit Adricomius in deſcript. Benjam. Ad hujuſmodi locum invitat & ducit mundus his diebus ſectatores ſuos; ad latrocinia & latronum latibula, qui non corpora, ſed animas deſpoliant ac jugulant, poſtea relictis iis abeunt. Latrones dicuntur, quia latenter, vel quia à latere viatorem adoriuntur. Solent enim ſe velut viæ comites viatoribus adjungere, & ubi in deſertum locum venerint, eos invadere, ſpoliare & mactare. Tales ſunt ſocii mali, qui prætextu amicitiæ aliis ſe aſſociant, ut ad peccata eos impellant. Unde monet Sapiens Proverbior. primo. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, ſi dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, &c. fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.* Pedem, inquit, non pedes, quaſi dicat, ne vel unum pedem eleves, ne vel unum paſſum ambules cum eis; quia alioquin pedem vix revocare poteris. Quemadmodum enim lupi veſtigia tam ſunt peſtilentia, ut etiam equo vel calcata torporem afferant; teſte Plinio libro vigeſimo octavo capite decimo, ita veſtigia improborum ſociorum, vel parum trita, potenter hominem enervant & ad interitum trahunt. Et ſicut probroſum ac periculo plenum eſt, vel paululum agere cum latronibus: ita etiam cum ſociis malis. Unde ſubdit Sapiens: *Pedes enim illorum ad malum currunt & feſtinant ut effundant ſanguinem.*

Denique Jericho civitas à Joſue maledicta & anathemati fuit ſubjecta, ita ut igne comburi debuerit cum omnibus, quæ in ea erant; adeoque civitas illa facta eſt quaſi caminus quidam ingens. Joſue ſexto. Idem prorſus eſt terminus mundi amatorum: tartarus nimirum à Deo maledictus & igne accenſus æterno. *Mittet Filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Matth. decimotertio. Hic eſt terminus viæ, quem terunt mundi aſſeclæ; qui tamen de hoc termino nil prorſus audire volunt, ſed in deliciis & vitiis degentes ſperant & expectant beatum vitæ finem. Quis hoc capere poteſt? Ferunt quendam ſapientem nundinas luſtraſſe, in quibus aſini vendebantur, quaſi emendi aſini gratia. Qui cum alios & alios adduci juſſiſſet, omnes reprobavit, aſſerens non reperiri, qualem ipſe cuperet aſinum. Mirantur omnes, quod nullus ei placeret in tanto aſinorum numero. Nullus mihi placet, inquit ille, quia non habetis, qualem ego deſidero. Et qualis tandem eſſe aſinus debet, inquiunt illi, qui tibi placeat? Tum is: Aſinum volo, qui caudam pavonis habeat, pulcherrimis ſpeculis illuſtrem. Ad hoc illi effuſiſſimè ridere & irridere; & quis tibi ſtulte, ajunt, talem aſinum dabit, niſi forte pictor aliquis? Tum ille: Me quidem vos ridetis: vos ipſi multo magis ridendi. Vultis enim vitam ducere ſicut aſini, brutam, laſcivam, ſordidam: quæ tamen habeat caudam pavonis, hoc eſt, finem & mortem beatam, ſanctam, pulchram, angelicam. Quod nihilo magis obtineri poteſt, quam aſinus cum pavonis cauda.

Quin

Quin potius mittemini ad molam asinariam, in caminum ignis, in tenebras exteriores.

IV. *Quia conantur nos abstrahere à lumine gloriæ.*

IV. Quia cæcum maximo bono, lumine scil. oculorum suorum, quod sperabat, & jam quasi manibus apprehenderat, privare conabantur. Clamavit ergo quantum poterat miser, non curans objurgatores, quia ipse noverat miseriam cæcitatis suæ, quantumque bonum esset lumen oculorum. Quid quærit mundus nisi ut amatores in tenebris & cæcitate constrictos teneat, & a lumine cœlestis gloriæ abducat atque impediat? Quis ergo ipsum audiat? Nonne videmus canes venaticos, quando jam à longe conspectam feram insequuntur, nullis amplius clamoribus à cursu revocari posse, sed toto impetu in illam ferri, quidquid venatores vociferentur? Audierat hic cæcus transire Salvatorem & medicum suum, & sperabat se per eum consecuturum esse lumen; quid mirum si coerceri à clamoribus non posset? Et tamen quid tandem est hoc lumen, quod cum muscis nobis commune est, respectu cœlestis illius luminis, quo soli beati perfruuntur? Post illud nos jam currimus, id jam per spem quasi præ manibus habemus: & patiemur nos tam vanis & fluxis mundi illecebris retrahi ab illo? Puer quidam, (ita scribit Ælianus lib. 5. var. hist. cap. 16.) auream laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, sustulit; idque non latuit. Judices igitur crepundia, & talos, simulque laminam auream proposuerunt puero. At is spretis crepundiis iterum manum ad laminam auream convertit, unde velut sacrilegus damnatus est, ut qui pretium auri bene intellexerit. Ecce puer spernit pueriles nugas, & particulam aureæ coronæ semel prehensam non vult deserere: eccur homo intelligens tam vesanus erit, ut pro cœlestis gloriæ corona sibi proposita & destinata patiatur sibi obtrudi puerilia mundanorum gaudia? puer novit aurum præponere nugis, & nos nesciamus cœlum terræ anteferre? Puer quidem iste ætate parvulus fuit, sed malitia magnus fuit, quia aurum concupivit: vos, Auditores, ad altiorem gradum ascendite, adeoque etiam aurum & quidquid mundus exhibet, quantumvis splendidum & delectabile, velut talos & crepundia spernite.

Ita enim monet Apostolus 1 Cor. 14 *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Nolite magis incauti esse quam Ulysses fuit. Ille, ne audiret Sirenes, sociorum obturavit aures, & ad malum se alligari jussit: num ad pejores longe Sirenes, quæ mergunt in abyssum, adnaviget Christianus? Nolite ad extremum magis esse cæci, quam qui in hod. Evangelio vobis proponitur. Non attendit ille ad obstreperos clamores, sed potius ad miseriam suam & Salvatorem Jesum: sic obtinuit lumen. Hoc idem & vos agite, & videbitis & gaudebit cor vestrum.

(****)

THEMA III.

Cæcitas mundi per hos dies.

Mundus hoc tempore nescit se esse cæcum, cum maxime sit.

I. *Nesciunt se Christianos conformari Gentilibus.*
II. *Nesciunt se inchoare tempus pœnitentiæ & passion[is] Domini.*
III. *Nesciunt se ligare Deum, præsumendo de ejus bonitate.*
IV. *Nesciunt pericula hujus temporis.*

Domine ut videam. Luc. 18.

Romanus ille Seneca in epist. 51. scribit ad Lucilium: *Harpasten uxoris meæ fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse. Hæc fatua subitò desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram: nescit esse se cæcam: subinde pædagogum suum rogat, ut migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus, &c.* Ita Sapiens ille, apposite ad hæc nostra tempora; in quibus cæcorum hominum infinitus pene est numerus; qui tamen se cæcos esse nesciunt; ideò nec clamant cum hodierno cæco, ut illuminentur, sed potius pædagogos suos concionatores abire & facessere jubent, ut in sua cæcitate liberius errare & in præcipitia ire queant. Nostri tamen officii est, nequaquam tacere, sed potius exaltare vocem & multo fortius clamare contra cæcos istos, eorumque cæcitatem palpabilem demonstrare, quod hic faciemus.

Quis dubitat illum esse cæcum, qui non videt unde veniat, quo eat, quid faciat, ubi sit? Tales autem sunt Bacchanalistæ; non vident unde veniant: non vident, quo eant: non vident, quid agant; non vident ubi sint: nonnè igitur cæci?

I. Nonnè magna cæcitas est, quod Christiani post tot sæcula extincti gentilismi videntur adhuc imitari Gentilium superstitiones & stultitias? Nonne Christiani omnium gentium sapientissimi sunt, qui secundum rationem & legem divinam ambulare noverint? Non audimus Apost. ad Eph. 5. *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes?* Nonne passim ait nos esse *filios lucis, non tenebrarum:* proinde sicut *in luce honestè* debere ambulare? nonne vult nos abstinere à Gentilium communione & ritibus dicens; *Nolite jugum ducere cum infidelibus?* 2. Cor. 6. At vero Bacchanalia à Gentilibus mutuata esse nimis clarum est; quorum tamen superstitiones ut extingueret Christus, in hunc mundum venit. In veteri lege præcepit Deus Exod. 22. *Viri sancti eritis mihi. Carnem quæ à bestiis fuerit prægustata non comedetis.* Nunquid de hac carne cura erat Deo, & non potius de Gentilium superstitionibus, à quibus nos fideles debeamus abhorrere, nihilque cum eis commune habere? Et quomodo viros sanctos nos sibi esse vult, per abstinentiam à talibus carnibus, ni-

qu[i]

quia mystico ſenſu vult nos vivere ſecundùm rationem & legem divinam Chriſtianam: non ſecundum ritum Gentilium, qui barbaris & ferinis vivebant moribus? Ideo à Paulo omnes Chriſtiani vocantur *ſancti*, quia ad ſanctitatem vocati. Rom. 15. v. 7. Jam vero qui inſaniunt hoc tempore, vino ſe ingurgitant, in ſtercore voluptatum volutantur, nonne barbaros & Ethnicos imitantur? nonne eſcam malorum à Gentilibus admorſam vorant? Graviſſime punivit Deus, qui Gentilium ſuperſtitionem imitati ſunt, Judæos, quando vitulum aureum ad imitationem Apis Ægyptii erexerunt, ingentemque inter illos ſtragem edidit, clamante Moyſe ex mandato Domini: *occidat unuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum*: cecideruntque 23. millia virorum. Et cur Romam Deus ſub Chriſtianis jam Imperat. Honorio & Theodoſio punivit incendio & gladio per Alaricum, Gothum & Arianum Regem, niſi propter reliquias Idololatriæ, quas ditiores toties moniti deſerere noluerunt? Teſtabatur enim Alaricus ſe ſtimulari à Deo ad puniendam Romam; certe propter illam cauſam; & quia non ſatis acriter punivit, ideo morte ſubita punitus eſt. Baron. an. 409.

II. Nonne magna cæcitas eſt, paſſionis Domini memoriam, tempus jejunii & pœnitentiæ inchoare à ſtultitia, gula, laſcivia, ſcurrilibus nugamentis? Magdalena à lachrymis, dum alii pranderent, ad pedes Domini fuſis ſuam inchoavit converſionem: Paulus à triduano jejunio, quando ductus Damaſcum, tribus ibi diebus non manducavit neque bibit Actor. 9. Quo jure ergo Chriſtiani à profana lætitia & triduana ingurgitatione ſuam inchoant pœnitentiam? S. Baſilius hom. 1. de jejunio ait: *Non eſt per temulentiam* (Bacchanalium ſcilicet) *aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad juſtitiam iter eſt per fraudationem, &c. Aliud oſtium eſt ad jejunium. Ebrietas ad laſciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur: jejunator ad jejunandum temperantia præparatur Ne velut ulciſcens jejunii dies, neu veluti fucum facturus legis auctori, in hos quinque dies crapulæ theſaurum reponito. Stulte ſiquidem facis, ſi corpus quidem conficis nec tamē ſolatium eſuritioni admoves.* Chriſtus paſſionem ſuam ab hymno poſt cœnam dicto, & longa concione ad diſcipulos habita poſt à mœrore & triſtitia incepit: nonne igitur decet ut & nos Chriſtiani, ejus commemorationem à ſimili ordiamur? Sanè quando Chriſtus ad paſſionem ſuam aſcendens Jeroſolymam, prædixit eam diſcipulis, ſicut in hod. Evang. legimus: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, &c.* acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis petens eis primos honores in regno ejus ut Matth. 20. habetur. Sed quid reſponſi tulerunt? *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* q. d. ego de paſſione mea ago & ad eam pergo, & vos de honoribus cogitatis? Cogitate potius an meum calicem bibere & mecum pati velitis. Quid ſi dixiſſent diſcipuli illi, Domine quia ad paſſionem & mortem pergis & nos cito deſeris, ſimus prius læti, inſtituamus convivia, choreas, ludos, jocos, antequam ab invicem dividamur; quid reſpondiſſet Dominus? Sed nimirum mundus nihil horum intelligit, & eſt verbum hoc abſconditum ab eo, nec intelligit quod dicitur; quemadmodum & de diſcipulis ait Lucas in hodierno Evangelio.

III. Nonne magna cæcitas eſt, quæ hoc tempore multos occupat, liberalius per hos dies indulgere genio, & leges Dei violare, eo quod propinquum ſit remiſſionis tempus, quo Deum ſibi rurſum conciliare & peccata omnia uno confeſſionis ſibilo exſufflare queant? Quæ enim major eſſe cæcitas poteſt, quam velle Deum injuriis afficere propterea, quia nota ſit tibi clementia ejus, à quo veniam non difficile poſſis impetrare? Nonne hoc pacto ligas Chriſtum, ne poſſit manum tibi auxiliarem & medicam porrigere? Nonne hoc ipſo te indignum venia reddis, cogisque offenſum, ut jure ſuo tecum agat? Sed promiſit Deus veniam ſe daturum pœnitentibus, ais. Stulte, hæc promiſſio ad eos ſpectat, qui ex aliqua infirmitate & inſcitia cadunt. De iis autem, qui in ſpiritum S. peccant, adeoq; ex præſumptione miſericordiæ cadunt, nonne audis, quod non remittentur eis peccata, neq; in hoc, neque in altero ſæculo, id eſt, rariſſimè & ægerrimè? Nonne cæcus fuit Pharao quando poſt Hebræos ingreſſus eſt alveum maris rubri cum exercitu, ſperans ſibi muros illos aqueos æquè tranſitum daturos, atque Judæis dederant? Quomodò enim ipſe cum ſuis, hoc tam grande & miraculoſum beneficium, ſolis Dei ſervis conceſſum, expectare poterat à Deo, cujus capitalis hoſtis erat? Non ſtant muri aquei impiis in præſidium, ſed in retia, uti feris, ut capiantur & illaqueentur & cadant retrorſum; nec remiſſionis tempus promiſſum eſt præſumptuoſis, ſed ira & vindicta talibus debetur.

III. Neſciunt ſe ligare Deū, præſumendo de ejus bonitate.

Trip. Dom. Septuag. G. 5. c.

Fuit apud Gentiles auct. Gellio l. 20. c. 5. homo improbus L. Neratius, qui pro delectamento habuit hominum liberorum ora palmis percutere. Et quia lex 12. Tabularum pro alapa numerari mulctam 25. aſſium jubebat, ſervus eum ſequebatur, crumenam plenam aſſibus geſtans: & quemcumque depalmaverat, ei numerari ſtatim ex l. 12. Tabul. 25. aſſes juſſit. Audita hac inſolentia Prætores legem hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt, injuriiſque æſtimandis pro qualitate perſonarum & facti, recuperatores dederunt. Eadem nequitia utuntur illi, qui ex præſumptione peccant; quia enim paratum peccatis remedium confeſſionem nôrunt: liberrime delinquunt, quaſi una confeſſione, vel uno *Miſerere* omnia compenſaturi. Sed falluntur miſeri. Grave nimis eſt Deum percutere, præſertim ex nequitia: infinitæ dignitatis perſona eſt. Non ergo concedet eis ordinarium pœnitentiæ remedium, ſed retrahet manum ſuam, ut timendum.

IV. Nonne ingens cæcitas eſt ludere, ridere, jocari, pergræcari, convivari, ſtulteſcere imminente clade hoſtili? Sane L. Fulvium Argentarium Senatus Rom. quod ſecundo bello Punico à feneſtris per meridiem in forum roſeo ſerto (quod lætitiæ ſignum erat) coronatus ſpectaſſet, carceri per omne tempus ejus belli

IV. Neſciunt pericula hujus tēporis.

damnavit, ut intempeſtivum gaudium, quo laborante patria uſus erat, carceris moleſtiâ corrigeretur; teſte Plin. l. 21. cap. 3. Magna enim fuit cæcitas & temeritas Balthaſaris Regis Babylonis, qui dum Cyrus Perſarum Rex urbem obſidet & Euphraten in minimos alveos dividit; ipſe domi ſuæ convivium celebrat cum ſuis optimatibus bibens in poculis aureis & argenteis, è templo Jeroſolymitano ablatis: neq; deſiſtit etiam, poſtquam vidit in pariete ſcripturam minitantem ſibi exterminium, quod eadem nocte illum oppreſſit. Id quod prævidens Iſaias, arguit & ridet eum c. 21. *Pone menſam, contemplare in ſpeculo edentes & bibentes.* Sed mox adventum atque ingreſſum hoſtium ei denuntians ſubdit: *Surgite Principes, arripite clypeum*, q. d. parare potius vos & concurrere ad arma, quam ad convivia debebatis. Jam verò & nos quoque hoſtibus circumdamur, partim viſibilibus, qui hoc tempore inſaniunt, & ſcelerum ſuorum ſocios, undique ad ſe trahunt: partim inviſibilibus, qui & ipſi his diebus circumeunt tanquam leones quærentes, quem devorent. Syri illi latrones ad preces Eliſæi percuſſi cæcitate deducti ſunt in medium terræ hoſtilis & forum urbis Samariæ. Tum orante Eliſæo: *Domine aperi oculos iſtorum*; vident ſe in civitate hoſtili undique concluſos, proinde in præſenti vitæ diſcrimine, non ſine ingenti metu conſtitutos 4. Reg 6. Cæci ſunt Bacchanaliſtæ; ſed quod peſſimum eſt, neſciunt ſe cæcos eſſe; tanto igitur magis deplorandi, quia in medio hoſtium tartareorum, qui eos variis laqueis conſtrictos tenent ac circumducunt de peccatis in peccata. Quoniam igitur ipſi non vident cæcitatem ſuam, ideoque nec orant pro ſeipſis, ut illuminentur, imo nolunt illuminari: Eccleſia autem videt; hinc pro ipſis clamat cum Eliſæo; *Domine aperi oculos iſtorum*: Domine ut videant unde veniant, & quam Chriſtiano nomini indecorum ſit. Gentilium ſtultitias imitari: ut videant, quo eant; ad Paſſionem Chriſti ſcilicet rememorandam: ut videant, quid agant; peccando in præſumptionem miſericordiæ divinæ: ut videant, ubi ſint, in hoſtium videlicet inſidiis; ut ſic tandem cum hodierno cæco oculos aperiant, & relictis mundi vanitatibus & cæcitatibus ſequantur Chriſtum & glorificent Deum.

THEMA IV.

Convivium Chriſti & Diaboli.

I. In convivio Chriſti præcedit oratio.
II. In convivio Chriſti viget temperantia.
III. In convivio Chriſti viget modeſtia & timor Dei.
IV. In convivio Chriſti pia & honeſta colloquia fiunt.
V. In convivio Chriſti non diu ſedetur.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia. Luc. 18.

PRopheta Iſaias inter alia, quæ exprobrat populo Hebræo, & etiam hoc: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad calvitium & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Videtur in his verbis prævidiſſe Iſaias & notare voluiſſe Chriſtianorum Bacchanalia. Vocat enim Deus hoc tempore Chriſtianos ad fletum, pœnitentiam & jejunium, ad memoriam Paſſionis Chriſti: ſed quid ipſi? inſtituunt convivia, agunt Bacchanalia; *comedamus & bibamus.* Quid igitur? convivia ne abolenda ſunt: ſicut diximus de choreis & ludis vetitis? non hoc dico Audit. ſed conſiderandum eſt duplicia eſſe convivia; alia Chriſti, alia Diaboli, uti S. Paulus docet 1. Cor. 10. *Non poteſtis menſæ Chriſti participes eſſe & menſæ dæmoniorum.* Quemadmodum enim Chriſtus in ſuo itinere ad paſſionem, de quo in hod. Evang. primo cum honore & benevolentia exceptus eſt in Jericho à Zachæo, imo & aliis civibus, qui Zachæo tantum hoſpitem invidebant: deinde Jeroſolymis, ſed ab impiis cum ignominia, venditus, illuſus, flagellatus, conſputus, crucifixus; ita ſunt convivia quædam honeſta & pia, in quibus Chriſtus bene & honorifice habetur; alia ſunt impia, in quibus traditur, illuditur, flagellatur, conſpuitur, crucifigitur. Hæc vitanda dico, illa verò minimè. Qualia vero & illa & iſta ſint, videamus.

I. Convivium Chriſti eſt, ubi fit initium ab oratione & benedictione menſæ; finis à gratiarum actione. Docuit hoc Chriſtus, qui à benedictione, oculos ad cœlum levans convivium incepit, & hymno dicto finiit. Idque juxta piam Judæorum conſuetudinem, quæ colligitur ex 1. Reg. 9. ubi dicitur non comeſturus populus, donec veniat Samuel, qui prius benedicat hoſtiæ. Nunc etiam Judæi, ut ex eorum rituali libro conſtat, cibum & potum benedicunt; imo quoties aliquis novus cibus aut potus in menſam affertur, toties benedictio iteratur dicendo: *Benedictus ſit Dominus Deus noſter Creator, qui bonus es & benefacis omnibus, qui creaſti hoc ſapidum vinum, hæc aromata, hos fructus, &c.* Idem antiqui Chriſtiani omnes obſervabant teſte Tertull. in apolog. cap. 39. *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur.* Et mox: *Æquè oratio convivium dirimit.* Quin imo & Gentiles multi facere id conſueverunt primum vini poculum Diis ſuis libando, teſte Macrob. l. 3. c. 3. Unde illud Heſiodi carmen: *Ne comede ex illa, quæ non benedicta patella eſt.* Idque nunc etiam Turcæ faciunt. At jure quidem; unde enim nobis cibus & potus, niſi à Deo? Cogitare ergo debemus, hoc eſſe noſtrum manna, quod de cœlo nobis depluit Deus. Et ſi pauperi aliquid de menſa noſtra mittamus, nonne gratias nobis aget? & ſi non ageret, nonne indignè ferremus? Et cur idem nos agamus Deo, qui menſam nobis parat?

At vero convivium Diaboli eſt, ubi ſine omni oratione convivæ menſam invadunt & in cibos involant, quo modo cohors militiam in Chriſtum ſibi à Juda traditum. Quemadmodum enim illi irruerunt in Salvatorem ſine omni timore & reverentia, imo maxima

cum

cum irreverentia: alius in manus, alius in togam, alius in capillos, alius in barbam impiis manibus involavit, sicque mansuetissimum agnum velut lupi rapuerunt, in Cruce postea deseruerunt, nec ullam cogitationem de ejus sepultura susceperunt: ita aliqui Christiani in conviviis Diaboli irrunt in mensam, involant in patinas & cibos diripiunt; post mensam vero sine omni gratiarum actione surgunt ad ludendum vel saltandum: sicut improbi illi Hebræi Exod.32. de quibus dicitur: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* q.d. (Vergelts Gott / Karten her) Quoquidem S. Chrysost. hom.83. in Matth. porcis comparat, qui nunquam attollunt oculos ad eum, qui glandes iis decutit ab arboribus, nec in fine gratias agunt *Quasi porci*, inquit, *cum jam comederint, eversa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant.* Hanc Christianorum impietatem, si viderent Gentiles, Turcæ, hæretici, Judæi, nonne deriderent nos & una Christum Dominum nostrum, qui tales habeat Christianos, Judæis & Gentilibus deteriores? Sic nimirum traditur Christus gentibus illudendus etiam à Christianis.

II. Convivium Christi est ubi viget temperantia. Neque enim delicata valde & lauta quærebantur (panes solum & pisces semper Christus apposuit: turbæ in deserto bis: ad mare Tiberiadis discipulis semel) neque immoderate editur aut bibitur (semper enim reliquiæ superetant, non omnia absumpta fuerunt) & surgunt omnes sobrii. Viguit hæc parsimonia in Patribus veteris legis. Abraham non nisi vitulo, lacte & butyro tres Angelos excepit. Genes.18. Samuel Sauli, denunciato jam à se Regi, non nisi armum de vitulo apposuit. 1.Reg.9. David lautissimum populo convivium apparavit ex torta panis, parte assæ carnis bubulæ, & frixa oleo simila. 1.Par.16. Sic etiam de primis Christianis Tertull. loco cit. *Editur quantum esurientes cupiunt: bibitur quantū pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.* Quin & Gentiles plurimi in conviviis parci admodum erant. In convivio Assueri lex erat, ut ne quis alterum ad bibendum cogeret. Augustus cœnam ternis ferculis tantum, aut cum abundantissime, senis præbebat. Sueton in vita. Didius Imp. sæpe solis oleribus absque carnibus cœnabat, teste Ælio Spartiano in vita ejus. Ad extremum imperari cœptum apud illos, ut non nisi patentibus januis vescerentur, ne suis occulta tenebris ingluvies depudesceret, sed potius spectantium oculis frænaretur. Et vero meritissimo utendum parce est concessis à Deo donis, tū modestiæ causa; tum charitatis ut aliis fratribus nostris cætera relinquamus.

At vero convivium Dæmonis est, ubi exultat temperantia: nec solum lautissima & exquisitissima quæque maximis sumptibus parantur, sed modus etiam in edendo & bibendo exceditur.

Ita Christus ibi illuditur. Qua ratione? Quia quemadmodum Judæi Christo illuserunt faciem ejus velando & alapis verberando ac dicēdo: *Prophetiza, quis te percussit?* Et quomodo Herodes induendo eum veste alba, velut insanum derisit: ita isti Dei imaginem in seipsis obnubunt per ebrietatem, ut jam nihil prorsus videant; adeoque velata & sopita ratione etiam Christum in seipsis illudunt & alaphizant, dum modo in furorem & iracundiam, modo in impudicitiam, modo in clamores, modo in stultos ploratus aliasque insanias concitantur. Induunt sibi vestem albam seu stultitiam, ut velut stulti ab omnibus etiam pueris rideantur & explodantur; neque agnoscantur amplius; sibi prorsus dissimiles. Rursum Christum alaphizant, dum alter alterum ad immodicos haustus provocant; quod majus malum esse, quam si gladio quem vulnerarent, testatur S. Augustinus serm.231. de temp.

III. Convivium Christi est, ubi modestia & timor Dei viget. Quando Christus redivivus ad mare Tiberiadis invitavit discipulos suos post piscationem ad prandium; *nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est.* Ioan.21. Quare non audebant? propter reverentiam & majestatem Christi præsentis, quæ vetabat eos etiam vel otiosum verbum proferre, & interrogare id; quod jam sciebant. Bone Deus, si nec otiosum verbum proferre ausi sunt in mensa, quomodo turpe vel impudicum? Idem videre erat apud pios olim Hebræos. In nuptiis Tobiæ junioris *cum timore Domini nuptiarum convivium celebrabant.* Tob.9. Audi super hoc Chrysost. homil 56. in Genes. *Num in his nuptiis Tobiæ aut cymbala aut choreæ diabolicæ?* Eadem modestia viguit olim inter Christianos, ut ex Cōcilio Laodiceno, habito anno 364. cap.53. patet, ubi sancitur, ut Christiani in nuptiis imprimis absque choreis caste cœnent vel prandeant, sicut decet Christianos. Adhuc hodie rustici dum ad mensam assident, aperto capite comedunt. Sic & olim apud Gentiles mensa sacra habita. Unde illud Taciti. *Inter sacra mensæ!* quo exaggerat perfidiam Neronis in occasione Britannici. Ægyptii argenteam cadaveris imagunculam in conviviis circumferebant, ut convivas mortis imagine intra modestiæ limites continerent. Dicebat enim minister: *Cum ederis, biberis, atque oblectatus fueris, in hanc figuram respice: similis enim illius eris.* Herodotus lib.2. De hac eadem Petronius in satyrico ait: *Potantibus nobis larvam argenteam attulit nobis servus.* Ea conspecta quid dixerunt? *Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est?* O quoties surgent Ethnici & accusabunt Christianos, qui nihil minus quam de morte in conviviis cogitant!

III. In cōvivio Christi viget modestia & timor Dei.

E contra vero convivium Diaboli est, ubi nulla honestas, nulla pudicitia, sed lascivia, risus, choreæ, cantilenæ obscœnæ, tactus impudici, oscula, vomitus, turpitudo: ubi constituuntur sæpe moriones, qui non nisi spurcitias evomant: ubi viri non suis fœminis, juvenes puellis assident promiscue. Ibi flagellatur Christus. Qua ratione? Dum carnem suam vel aliorum, Christo in baptismo sacratam, & carni Christi congeneam stimulis libidinis feriunt atque ad turpitudinem provocant, potu, jocis, aspectus

Non in cōvivio Diaboli.

Ibi flagellatur Christus.

aspectu, tactu, cantilenis. Qui flagellarunt Christum, sanctissimam ejus carnem denudarunt & pudore suffuderunt: isti vero denudant suam turpitudinem ad Christi contumeliam, Christus flagellatus per os Davidis dixit: Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Idem fit in his conviviis. Unus incipit velut fabrorum Magister aliquam petulantiam, mox alii velut socii sequuntur, & idem ferrum simul tundunt: convivas vino calefactos flectunt in omnes formas, quas desiderant, velut emollitum igne ferrum. Unde etiam fit ut scintillæ provolantes in circumstantes insiliant, quasi ignita quædam tela vel sagittæ vulnerantes eorum animos.

IV. *In convivio Christi pia & honesta colloquia fiunt.*

IV. Convivium Christi est, ubi pia vel honesta saltem colloquia fiunt, ut patet ex conviviis quibus Christus aderat; semper enim ea pio sermone condiit, sive apud Pharisæos, sive in domo Marthæ, sive alibi. Idem olim pii Hebræi faciebant, uti Tob. 7. *epulati sunt benedicentes Deum.* Similiter primi Christiani. *Ita fabulantur* (in mensa) *ut qui sciant Dominum audire*: inquit Tertull. loc. sup cit. Et S. Damasc. l. 2. Paral. c. 5. *ut consentaneũ est ante epulas Deum universorũ benedicere: sic etiam convenit inter pocula laudes ipsi celebrare. Mensa in qua nulla Dei memoria adhibetur, à brutorum stabulo nil differt.* Quin & Gentiles in conviviis suorũ Deorum laudes canebant, ut patet Dan. c. 5. in conviviis Baltasaris: *Bibebant vinum & laudabant Deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos ligneosque & lapideos.* Athenæus etiam lib. 14. refert in veterum conviviis Deorum laudes decantari solitas fuisse.

Non ita in convivio Diaboli.

At vero convivium Diaboli est, ubi fiunt detractiones, derisiones, stultiloquia, scurrilitates. Ita Christus ibi conspuitur, sicut à cohorte, dum spinis coronaretur, sputis oneratus fuit. Qua ratione? Quia sputo detractoriæ linguæ proximorum facies, h. e. fama bona conspurcatur & fœdatur. Et quemadmodum is, qui alterum conspuit suo fœtido sputo, è suo pectore deprompto, alterum fœdat: ita fere detractores suismet sceleribus alios commaculant, illis impingendo quæ ipsimet agunt.

Ibi Christus conspuitur.

Frequenter spuere & violentius excreare & emungere in convivio vitandm est, inquit Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 7. quanto magis in aliorum faciem spuere? Samsonem excæcatum convivantes Philisthæi sannis ac ludibriis, forsitan & sputis fœde conspurcarunt; sed magno id eis constitit, siquidem Samson receptis viribus totam domum in eos dejecit, Judic. 16. Adduntur hîc sæpe spineæ coronæ & alia ludibria, quibus configuntur & illuduntur Christi servi, religiosi; Cleri, Prælati; quorum coronæ cæduntur cava arundine fictarum criminationum.

V. *In convivio Christi nõ diu sedetur.*

V. Convivium Christi est, ubi pretiosi temporis habetur respectus, ita scilicet ut non nimis diu convivæ mensæ affixi hæreant, sed refecto corpore surgant & mentem honeste recreent; rursum ut sacris diebus pœnitentiæ addictis à conviviis abstineant.

Contrariũ fit in cõvivio Diaboli.

At vero Dæmonis convivium est, ubi temporis pretiosi & sacri nulla habetur ratio, & ita Christus crucifigitur, 1. Quia clavis quibusdam affigitur, dum ipsius fideles mensis affiguntur ad multas horas, adeoque in multam sæpe noctem. Clavi affixorum tres sunt: conversatio jucunda: pocula sanitatum: hospitis, qui invitavit instantia. His affiguntur, de quo videtur Malac. 3. conqueri Deus: *Si affiget homo Deum: quia vos me configitis.* q. d. justũne est, ut homo Deũ affigat & crucifigat? At vos hoc facitis. Vos, inquam, convivæ, qui alios vobiscum detinetis in potationibus & comessationibus nocturnis, donec animas Christi sanguine emptas prorsus enecetis, per ebrietatem & intemperantiam. A meridie usque ad occidentem fere Solem supra 5. horas pependit in Cruce Christus. Raro citius nunc disceditur à conviviis, quin & ultra persistitur, donec vino somnoque convivæ sepeliantur. De his Nahum. c. 1. dicitur: *Sicut spinæ se invicem complectuntur: sic convivium eorum pariter potantium.* Quis autem nescit, quam tenaciter sibi cohæreant spinæ se invicem complexæ? Quis absque læsione eas divellet? Quis, inquam, nisi ignis? Et hoc est quod sibi subjicit: *Consumentur sicut stipula ariditate plena*: Consumentur nimirum igne. Hic diremit Hebræos illos, qui obtentis à Deo coturnicum carnibus, intemperanter & diu nimis sese ingurgitabãt, ut indicat sacer textus Num. 11. cũ ait: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum: & furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Igne videlicet; ideo enim locus ille vocatus est *Incensio*, ut ibid. dicitur v. 3. Sed cur puniit illos Deus, cum ipse miserit eis carnes illas? Utique quia nimis diu & intemperanter epulabantur, uti indicatur Psal. 77. *Manducaverunt & saturati sunt nimis.* Nimis diu, nimis gulosè. Ad extremum in luctu Hebræi abstinebant conviviis Ezech. 24. v. 17. Qua in re fœde impegit quidam Episcopus Clusinus, quia in die Cinerum convivium sumptuosum suis nobilibus instruxit: repente enim paralysis eum corripuit & vultum ejus fœde distorsit; uti refert B. Petrus Damiani Epist. 16. l. 5. Epist.

Ibi Christus affigitur.

Itaque Audit. non prohibentur nobis convivia, sed convivia tantum Diaboli. Præcedat oratio, sequatur gratiarum actio: sit modus edendi & bibendi: sit honestas & pietas: absint colloquia prava: habeatur ratio temporis, & licebit vobis adesse & gaudere simul in conviviis.

THEMA V.

Reprobi à semita virtutis declinantes, variis ex causis miseri & cæci.

I. *Quia tales in difficiliorem incidunt viam.*
II. *Quia in via lutosa & turpi eunt.*
III. *Quia aliis damnosi.*
IV. *Quia in dolores & molestias incidunt.*
V. *Quia facile aberrant, & procul quidem.*

Cæcus quidam sedebat secus viam. *Luc. 18.*

Ascensurus Christus Dominus Jerosolymam ad passionem suam convocavit duodecim discipu-

los suos & assumpsit secum; non sane ut passionis suę socios haberet, qui torcular crucis calcaturus erat solus, Isa. 63. sed ut haberet partim certaminis sui spectatores, partim aliquando imitatores: quo ad extremum haberet etiam regni sui consortes. Ad hujus regni cōsortium & ascensum multi quidem Christo se adjungere volunt: sed Jerosolymam ad passionem eunti, qui se associare velint, pauci reperiuntur. Via ducens ad cælestem Jerosolymam & Christi regnum est virtus & observatio mandatorum Dei; quę semita terenda est omnibus omnino eo contendentibus. Plurimi tamen, atque utinam non plerique, deflectunt ab hac via & abeunt per devia, per viam vetitæ voluptatis, nec abeunt tantum, sed & persistunt atq; sedent cum hodierno cæco secus viam, quæ ad cœlum ducit. Quod si unquam alias, hoc præsertim contingit tempore, quo Jericho transeunda; stulta, inquam, & toties anathemate percussa Bacchanalia, quorum typus non obscurus est Jericho, luna, inquam, varia & mutabilis quam significat. Quare ut ad virtutis tramitem revocemus Christi exemplo, (is enim cæcum extra viam sedentem jussit ad se adduci) cæcum & aberrantem mundum: videbimus eorum cæcitatem & miseriam, qui virtutis via derelicta ambulant in peccatis.

I. Qui à via regia vel à semita declinant, in difficiliorem & asperiorem incidunt. Semita enim plurimorum pedibus quasi dedolata adeoque complanata est: extra eam lapides, saxa, paludes, foveæ occurrunt, quæ difficiliorem reddunt gressum. Id aperte testantur reprobi illi Sap. 5 *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis & ambulavimus vias difficiles*: Tametsi enim via virtutis videtur ipsis esse longe difficilior, id tamen ex eorum ignorantia contingit; quo modo via incognita apprehenditur multo longior, quam si foret cognita; quia hæc scitur esse finita adeoque tanta & non major: illa vero quia nescitur quanta sit, apprehenditur quasi termino careat, uti docet Aristot. problem. 2. Quia igitur viam virtutis reprobi experti non sunt, hinc velut nimis difficilem sibi imaginantur, imo insuperabilem; adeo ut libidinosus putet neminem esse castum, avarus neminem liberalem. Hallucinantur igitur & dum virtutis viam asperam quidem initio fugiunt, ineunt longe difficiliorē. Hinc Auctor Op. imperf. ho. 28. in Matt. *Putas*, inquit, *quod peccatores istius mundi non laborent? Vere enim majores labores & solicitudines habent, quam servi Dei dicente Propheta: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Et paulo post: *Ergo laborant multum & conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt Spiritus enim, qui seducit eos, ipse delectat in malo, &c.* Aliam ejus rei causam esse nimiam eorum cupiditatem asserit S. Greg. l. 20. moral. c. 16. in id Jer. 3. *Inebriavit me absynthio.* Quomodo enim quis inebrietur tam amaro potu? Nimirum *amarum est, quod bibit*, inquit, *sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam præ ipsa ebrietate non sufficit.* Nimirum uti fœtidam putridamque aquam summo gustu bibit Artaxerxes, quia vehementissime sitiebat, apud Plut. in ejus vita: ita & peccatores non sentiunt labores suos, cæcitate cupiditatis. Interim hæc eorum cupiditas insatiabilis, qua nunc hoc nunc illud appetunt, maxime eos affligit, præsertim quando eam explere nequeunt. Scimus quantum cruciatus fuerit Achab, donec acquireret vineam Naboth. 3. Regum 21 quantum doluerit Aman, quod honorem à Mardochæo, quem appetebat, non acciperet. Esth. 3. & 5. quam acerbe senserit Mardochæum insperato honore sibi prælatum cap. 6 quanta molitus sit David, ut tegeret adulterium suum. 2. Reg. 11. quam perturbatus fuerit Antiochus cum spe sua excidit. 1. Mach. 6. quid non pertulerit Amnon, adeo ut ægrotarit propter amorem sororis, donec ea potiri posset. 2. Reg. 13. quantum laborarit Absalon, ut regnum patris invaderet. 2. Reg. 15 quam confecerit invidia Cainum, adeo ut facies ejus plane conciderit. Gen. 4. Deniq; S. August. l. de patientia, *Intueamur*, inquit, *charissimi, quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant, pro rebus, quas vitiose diligunt, & quanto se his fœliciores fieri putant, tanto infœlicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima & molestissima patientissime tolerantur? &c.* Sed cur hæc talia patiuntur inquis? cur non viam virtutis potius ingrediuntur? quia nimirum cæci sunt, uti exponit S. Hier. l. 2. in c. 3. Jer. *Amara sunt*, inquit, *quæ pro hujus vitæ amore tolerant, & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrii ignorant.*

II. Qui extra semitam eunt, facile in lutum incidūt. *II. Quia in via lutosa & turpi eunt.* Nemo enim nescit mundiorem esse semitam ac nitidiorem, utpote jam tritam ac consolidatam, quam si terra circumjecta. Non secus illi qui vitiorum viam gradiuntur, luto se contaminant, tanto fœdiore, quāto turpiores sunt labes animi, quam corporis. Inprimis enim immergunt se in res terrenas & infimas, quæ non sunt nisi lutum & quidem fœtidissimum, uti sunt præcipue aurum & argentum, quæ nil nisi terræ glebæ sunt. *Quid sunt aurum & argentum?* inquit S. Bernardus serm. 4. de Adventu; *nonne terra rubra & alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosum? quid sunt gemmæ nisi lapides terræ? quid byssus, nisi vermium, puta, bombycum filæ? quid uniones nisi excrementa concharum?* Hinc merito ab Habacuc c. 2. appellantur *densum lutum.* In quam sententiam S. Greg. 3. p. pastor. c. 21. ait: *Per lutum desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait Psal. 68. Eripe me de luto, ut non inhæream. Luto quippe inhærere est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.* Lutum & sordes sunt carnis voluptates, quas sequuntur pecudes, spernere debent homines, utpote vilissimas & animo humano indignas. Quare qui ad eas declinant, quasi ab hominum habitaculis & ædibus ad haras & stabula bestiarum migrant; ut inter eas vitam ducant, uti attestatur Joel c. 1. *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quod inprimis verum de luxuriosis, teste S. Gregor. l. 24. moral. c. 6. *Jumenta in stercore suo computrescere est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim*

esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per *Prophetam* (Jer c.5.) *dicitur: Vnusquisq; ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius* (Ezech.c.2.) *dicit: Vt carnes asinorum carnes eorum.* Deinde gulæ & ebrietatis mancipiis, quod testatur S. Hieron. in eum locum: *Computrescit*, inquit, *in stercore. cujus Deus venter est, & qui dicit: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Quibus convenit versio Chaldaica, quæ habet: *Computruerunt dolia vini.* h. e. ebriosi, quorum venter dolium est. Neque vero solum computrescunt pecudes istæ in animo, sed etiam plerumq; in corpore, luxuriosi in morbo gallico & similibus, qui libidinem consequuntur: gulosi in plegmonibus, vomitu & sordibus suis. Bene igitur de his D. Chrysost. in psal. 48. ait: *Sicut bruta vixerunt, sicut bruta pereunt.* Quod insigniter exprimitur in grege illo porcorum, quos invaserunt Dæmones & mox in mare præcipitarunt. Luc. 8. ubi etiam expendendũ quam cæci sint peccatores. Multum enim dedecoris & ingens supplicium intulisse dæmonibus Christus videretur, si suo imperio in tam immunda animalia ipsos natura sua tam nobiles adegisset: & tamen hoc ipsi sponte eligunt & quidem summis precibus impetrant. Et quid aliud agunt peccatores? Certatim in vitiorum cloacas ruunt, & inter se contendunt, quis prior descendat, idque multis sæpe precibus extorquent. Pro magno supplicio & ingenti dedecore condemnavit S. Marcellum Pp. Maxentius Imp. in catabulum, ut inter bestias degeret & quasi computresceret. At hoc illi sponte sua stultissime sibi eligunt. Porro luti illius fœtor sæpe tantus est, ut in publicum erumpat, & infamiam eis aspergat. Neq; enim diu latere magna improbitas potest. Quid autem inter res humanas fama pretiosius? quid infamia fœdius & perniciosius?

III. Quia aliis damnosi.

III. Qui à semita deflectunt, sæpe alijs damna dant, proterendo in agris segetes, vel in pratis gramen. Propterea enim rustici agrorum limites spinis, & prata sepibus vel erectis perticis munire solent, ne quis viam regiam deserere, & in eorum agros aut campos ingredi præsumat. Qui à virtutis via ad vitia declinant, gravia damna inferunt tum aliis, jura eorum violando, mala exempla vel consilia dando; tum sibi; atque inprimis toti nonnunquam communitati, quæ ob unius scelus punitur, ut patet ex furto Achan, quod universum Hebræorum populum divino auxilio spoliavit, adeo ut jam stare coram hostibus suis non posset. Josue 7. Id quod jure miratur S. Chrysost. hom. 1. de verbis Isā. *Vidi Dominum*; ubi & hanc rationem affert: *Lues quædam, inquit, est peccatum; per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut ubi cognorint quantas minas una peperit transgressio, fugiant ultionem de multis alioquin sumendam æternam vindictam.* Deinde fit peccator unus scandalum & laqueus alteri, si non hortatu & consilio, saltem pravo exemplo: nemo enim libenter solus est malus, sed socios sibi quærit, quo audacius delinquat, contra adversantes se communiat. Hinc offenditur, quicunque cum peccatore versatur, vel enim ei consentiet, & similis ejus efficitur: vel in aliquo dissentiet, & erit necessario inquietus; cogitur enim ipsum redarguere aut saltem sustinere, non modico profectus sui impedimento. Hinc S. Ephrem de recta vivendi ratione: *Quamprimum*, inquit, *capta à Dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt, circa illam auceps laqueos figit, ut voce sua perdix reliquas circumvolitantes ad eosdem pelliceat.* Hujusmodi aves illices describuntur, Sap. 2. ubi inclusæ in cavea Dæmonis sic cantillant: *Venite fruamur bonis, quæ sunt, &c.* Optime hoc consonat cum Sapiente Prov. 22. v. 5. qui ait: *Arma & gladii* (Hebr. *laquei*) *in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.* Conatur enim reprobus sive vi & armis, sive astu & laqueis alios pervertere, ut cum ipso Dæmonis mancipia fiant eique assimilentur. Lamentatur hoc & Michæas cap. 7. his verbis: *Omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem ad mortem venatur.* Sed, quæ maxima cæcitas est, nocen etiam peccantes sibi ipsis, & quidem præ omnibus, dum in Dæmonis laqueos velut cæci incurrunt. Qu per interdicta loca, verbi gratia, per agros aut prata cum equis & curribus ingrediuntur, pœnis subjiciun tur: & qui à virtutis tramite deflectentes, per vetitas peccatorum vias incedunt, in Diaboli laqueos & mulctationes incidunt, proque exiguo lucro aut voluptate æterni supplicii rei fiunt. Ridendos esse, qu aureo hamo piscarentur, dicebat Octavius Augustus h. e. qui minima commoda maximo damno captarent, apud Sueton. in Augusto. Quis enim pro tam exili præda, qualis est unius pisciculi, jacturam facia hami aurei, quod sæpius contingit? At quanto pretiosior est anima hamo aureo? Eam tamen peccatores prostituunt Diabolo pro exigua voluptate & lucro.

IV. Qui viam regiam deserunt & alias non tritas ambulant, à jucunda ad injucundam, tetricam & morosam transeunt; siquidem in viis regiis semper occurrunt aliqui viatores, qui molestiam viæ detrahũ & hilaritatem inspergunt; qua carent ii, qui per avia & devia pergunt. Idem experiuntur, qui virtutis semita relicta, vitia sectantur: per solitudines enim vagantur cum pavore & tremore, quem causat sauciata eorum conscientia. Testes præter experientiam habemus inferos apud Sapientem citato Sap. c. 5. ubi dicunt in Græca versione: *Ambulavimus ἀβάτους* h. e. *deserta, invia & inaccessa*: quod alii vertunt: *Eremos* alii *solitudines*. Quis autem nescit itinera per solitudines & deserta plena esse metu & formidine? 1. ex timore occurrentium bestiarum & monstrorum, tametsi nulla occurrant. Idem experitur peccatoris conscientia, ut patet in Adamo qui cum post lapsum audisset vocem alicujus deambulantis in paradiso, statim cogitavit esse vocem ipsius Dei, judicis sui, quem offendisset, ideoq; mox abscondit se; ut advertit sanctus Chrysostomus hom 8. ad pop. *Vnde cogitavit* inquit, *quod Deus deambulabat: Talis est peccantium consuetudo omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem*

minem ſtrepitum timent, & quæcumque putant contra ſe venire. Ita filius ejus Cain, quaſi in deſerto foret, ubiq; incurſiones ſive hominum, ſive beſtiarum metuebat & ſibi ipſe fingebat. Quam etiam ob cauſam, nî fallor, David appellat ſe *nycticoracem*, Pſ. 101. (*Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.*) quaſi propter peccatum ſuum omnibus exoſum redditũ & opprobrium hominum, qualis eſt noctua vel nycticorax inter aves: tametſi non foris inter homines, ſed domi ſuæ verſaretur.

Deinde ex deſolatione & deſtitutione omnis auxilii; ſi quid adverſi alicui contingeret. Quis enim in deſerto ſperet opem alienam? Pari modo peccatores vident ſe derelictos à Deo & hominibus: illum juvare non velle, velut offenſum: iſtos non poſſe. Juſtus cum humana ope deſtituitur, ad Deum recurrit, & ibi reperit opem. At hoc ſolatio carent peccatores, cum Deum ſibi offenſum ſciant & jure infenſum. Unde optime dixit S. Chryſoſt. hom. 5. de providentia tom. 5. *Nihil eſt peccante pauperius.* Juſtus cum foris premitur, recurrit ad conſcientiam ſuam, & ibi invenit aſylum: at vero peccatores carent hoc refugio, quia in conſcientia ſua inveniunt tortorem. Unde Auguſtinus in pſ. 33. poſt initium: *Quomodo*, inquit, *nolunt intrare domos, qui malas habent uxores; intraturi enim ſunt ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad everſiones, quia non eſt domus compoſita: ubi inter virum & uxorem pax nulla eſt. Et melius eſt illi foris circuire. Si ergo miſeri ſunt, qui redeunt ad parietes ſuos, timent ne aliquibus ſuorum perturbationibus evertantur, quanto ſunt miſeriores, qui ad conſcientiam ſuam, redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur?* Denique ex difficultate emergendi è tam vaſta ſolitudine naſcitur formido euntibus per deſerta: & ſimiliter peccatoribus, quando ſe reflectunt, quomodo aliquãdo rationem Deo reddituri, ſeq; extricaturi ſint ex tot accuſatoribus coram Dei tribunali. Hæc enim cogitatio eorum viam alioquin latam & ſpatioſam, reddit anguſtam & difficilem, nec ſinit eos frui pacifice ſuis delectationibus; nimio hoc ſale planè deſtructis.

V. Qui à via regia ad alias deflectunt, facilè aberrant, ut multo labore compenſare ſuum errorem cogantur. Allicit multoties loci amœnitas, ut viator à trita via ad illum declinet; ſed ubi ſpatio longiore proceſſerit, videt ſe deceptum, & vel eſſe incluſum, vel in devia delatum, ut neſciat ubi ſit & quo tendat. Talis eſt via peccantium, uti docet Sapiens Prov. 14. *Eſt via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Septuaginta vertunt: *Eſt via quæ apud homines recta videtur, interim noviſſima ejus ad inferorum fundum deducunt.* Quænam vero illa: *Via hoc loco*, ait Auct. Catenæ Græcæ, *eſt mens aut voluntas humana libidine occæcata quæ bonis veris apparentia, ſtabilibus fluxa, temporanea ſempiternis anteponit.* Videtur hæc via recta, quia eſt plana, amœna, ſpatioſa: ſed ad finem ſeducit, dum ad latrones vel præcipitia ducit; quod aliis etiam verbis explanat Eccleſiaſt. c. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Fida relatione accepi in quadam celebri Italiæ civitate ſic expediri aliquos reos capitis intra privatos parietes: deduci eos à duobus viris in aulam ſpatioſam & ornatã, quaſi deambulatum; ita tamen ut reus tandem veniat ad aſſerem doloſum in pavimento ſtratum, qui cum ad ejus terminum reus pertigerit, repente ſe ad muſcipulæ modum invertat & miſerum in mille ſubtus occultos gladios concidendum dejiciat. Doloſam etiam hujuſmodi ſcalam Romæ olim conſtructam, in qua gradus unus fallax, pede preſſus, cedebat & hominem in fictitii draconis dentes, gladios, inquam, mille acutiſſimos dejiciebat, deſcripſimus alibi, ex Proſpero Aquitan. de prædict. p. 3. c. 36. 36. Ad vivum iſtæ machinæ depingunt impiorum viam, quæ ſequitur concupiſcentiam, planam, jucundam, amœnam ingredientibus; quæ tamen ad extremum aliam oſtendit faciem & ſeſe convertens hominem devolvat in interitum. Hac via ſeductus fuit Pharao cum exercitu ſuo. Putabant Ægyptii, cum mare ſunt ingreſſi, viam illam eſſe tutiſſimam, utpote jam tritam & ſuperatam à Judæis maximo cum plauſu; præterea gratioſam inter aqueos parietes ſibi paratam ad agendas ex Hebræis prædas; videbatur via ſtrata & complanata lapidibus, & ad ſpolia expedita: *Perſequar & comprehẽdam*, ajebat, *dividam ſpolia, implebitur anima mea.* At in fine viæ deluſos ſe viderunt, cum aquæ corruentes velut aucupum retia omnes operuerunt. Ibi quidem illi clamare & vociferari: *Fugiamus Iſraelem*; ſed in vanum & ſero nimis.

Poſtquam igitur vidimus, quam periculoſum ſit à virtutum ſemita deflectere ad viam erronum vetitã, videat jam quiſq; qua via inſiſtere velit. Certe enim hæc res tanta eſt, ut ipſe Deus querula voce Jerem. 18. doleat ſuper errones illos, dicens: *Oblitus eſt mei populus meus fruſtra libantes & impingentes in viis ſuis & in ſemitis ſæculi, ut ambularent per eam in itinere non trito.* q. d. deflectentes à via cæli regia, Itemq; rurſum Iſa. 65. *Expandi*, inquit, *manus meas tota die ad populũ incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Ex S. Hieronymi ſententia in eum locum ſignificant hæ expanſæ manus, *patris clementiam filios ſuos in ſinum recipere geſtientis*; nec non & Chriſtũ in cruce manus pandentem ad nos revocandos à periculoſa illa via. Deflet illos & Apoſtolus ad Philipp 3. *Multi ambulant*, ait *quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti; quorum finis interitus; &c.* Et nos improbi adhuc pergemus ire via non bona? via difficili? via lutoſa, via damnoſa? via moleſta? via fallaci? Abſit, abſit. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere,* & redi ad viam Domini, ad viam ſalutis, quæ ducit in Jeruſalem, pacis viſionem.

IN DIE CINERUM.

THEMATA.

I. Cineris aſperſio ad quid.
II. Mortis memoria paßim in oculos incurrens.
III. Memoria mortis utilis.
IV. Omnes Chriſtianos egere cineris aſperſione.

THEMA PRIMUM.

Cineris aſperſio ad quid.

Cinerum ſacrorum aſperſio utilis.

I. Superbiam domat.
II. Extinguit concupiſcentiam.
III. Inimicitias & odia conciliat.
IV. Pœnitentiæ lachrymas parat.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Cinerum ſacrorum aſperſio utilis.

RES prorſus inutilis videtur eſſe cinis, ac ne res quidem; cum ignis omnia alia devorans, ſolum ex iis relinquat cinerem, tanquam rem nullius momenti. Et tamen interim cinis ſuas etiam operationes habet & commoda. Quare non video cur aliquis quantuſcunque ſit, refugere SS. cineres debeat. Quoties enim magni domini calamum ſcriptorium ſuis auribus imponunt? Et tamen ipſe calamus penna non niſi anſerina eſt. Sed nimirum ad ſcribendū utilis eſt, ſi manu ſcite ducatur. Pari modo cineres videntur eſſe inutiles, ſed ſi pia cum meditatione capiti imponantur, multum homini proderunt; uti nunc videbimus.

I. Superbiam domat.

I. Cinis contegit & ſepelit quaſi ſplendorem ignis: Similiter mentis elationem ſopit mortis memoria ſeu cinis. Videmus pavonem explicare flabellum ſuum & ſeipſum in eo contemplari ac quaſi demirari, oſtētare etiam ſe aſpicientibus, quaſi laudari gauderet; at cum fœdos & cinericii coloris pedes ſuos aſpicit, illico flabellum dimittere præ erubeſcentia pennasque ſuas pulcherrimas abſcondere. Pennæ tales in homine ſūt forma corporis, doctrina, nobilitas, dignitas, opes, quę plerunq; hominem inflant faciuntq; inſolentem, jactabundū, honoris & laudis cupidum. Verum ſi aſpiceret homo in pedes ſuos luteos, h. e. in cinerem, in quem reſolvetur ac deſinet omnis ille ſplendor & ornatus; utiq; mox flabellum demitteret & faſtū, ſuæq; fragilitatis ac mortis memor erubeſceret. Pavo talis fuit Nabuchodonoſor ejusq; ſtatua, quam in ſomnis vidit; quæ cum ex auro, argento, ære & ferro eſſet cōflata; pedes interim luteos haberet, unius lapidis ictu diſſoluta eſt. Non tetigit lapis aurum vel argentū, æs aut ferrum, ſed luteos tantum pedes, & tamen omnia illa ſimul corruerunt, quia ſupra lutum ædificata fuerunt: ſicq; omnia pariter redacta quaſi in favillā ſunt. Dan. 2. Pari modo omnia, quæ in hoc mūdo ſplendēt, divitiæ quaſi aurum, forma quaſi argentum, ſcientia quaſi æs, potentia & robur quaſi ferrum; ſupra lutum extructa ſunt, de quo homo factus eſt. Quid ergo extolleris de iſtis, cum omnia tam fragili fundamento nitantur? Tangit mors hoc lutum, & cum eo omnia concidunt, atque in cinerem rediguntur.

II. Cinis hirundinum ingluviem & ſugendi ſanguinis appetentiam extinguit. *Parum cineris aſſume*, ait Vinc. Bellov. l. 20. ſpec. major. c. 155 *& pulveriza ſuper os hirundinis: ſtatim ſe contrahit & ab appetēdo ceſſat*, Idem teſtatur Galen. tom. 5 claſſ. 6. c. 1. Quinam tales hirundines? *Sanguiſugæ duæ filiæ, dicentes affer affer*, ait Sapiens Prov. 30. Duæ nimirum illæ concupiſcentiæ, notatæ à Joan. 1. ep. c. 2. *concupiſcentia carnis, & cōcupiſcentia oculorum.* Sanguiſuga ita ſanguinis avida eſt ut hauſtum evomat quo recentem ſugat avidius, teſte Iſidor. l. 12. Etymol c. 5. ſic guloſi vomunt ut bibāt, bibunt ut vomant. At vero ſi cinerem eſſe ſe, & vermib⁹ nutrire carnem ſuam perpendant: num adhuc ſugere volent? ſi opes quas tot ſtudiis & curis quærunt, cogitent ſibi relinquendas in morte, & præter unā ſindonē nihil hinc elaturos, num adhuc ſugere pergent? Certe Eſau conſiderans ſe moriturum aliquando, jus primogenituræ ſuæ pro vili lentis edulio vēdidit. *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* Gen. 25. Pharao nulla alia plaga permoveri potuit ut dimitteret populum Hebræorum ſibi ſubjectū, niſi aſpectu mortis primogenitorum: hic contemnere eum fecit tam numeroſum populum. Neq; hoc in ſolo Rege operata eſt mortis cogitatio, ſed & in populo Ægyptio, ut non gravate darent & permitterent Hebræis vaſa aurea & argentea; imo urgerent eorū diſceſſum, dicētes: *Omnes moriemur*, Exod. 12. Achab impius Rex cū vineā à Naboth per vim & cædē ejus extorſiſſet, ſurrexit & deſcendit in vineam Naboth, ut eam poſſideret, ſibiq; pro animi ſui relaxatione excoleret & aptaret. Verum in via occurrit illi Elias, & denuntiat ſententiā mortis: *In loco hoc, quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoq; ſanguinem tuum.* Quo audito mox relicta vinea & molitione ſua domū redit *& operuit cilicio carnem ſuam jejunavitq; & dormivit in ſacco & ambulavit demiſſo capite.* 3. Reg. 21. Stultum enim reputavit reum morti adjudicatū, non de morte, ſed de hortis, palatiis, recreationibus cogitare. Quid agunt pleriq; in mundo? Perpetuo cogitant, quomodo emant, vendant, ædificent, plantent, recreationes & convivia inſtituant, deniq; inſaniant. Hodie denuntiatur illis mortis ſententia ſacerdote aſſerente, eos ſi minus, uti Naboth à canibus, certe à vermibus devorandos eſſe. Quis hæc audiens non referat pedem à mundi deliciis, intretq; domum cordis ſui, ut lachrymis & pœnitentiæ operibus ſe ad mortem paret?

III. Cinis ſeu pulvis inimicitiam & contentionem inter apes diſſolvit. Sic enim ſcribit Virgil. in Georg. qui ubi deſcripſiſſet apum inter ſe certantium agmen, ſubdit: *Hi motus animorum atque hæc certamina tanta pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt.* Poterit ergo pulvis etiam contentiones hominum componere,

nere, ſi mortem cogitare velint. Certe antequam civitas Piurenſis anno. 1618. montis ruina opprimeretur, præceſſit quaſi omen, pugna inter duo apum examina tam vehemens, ut utrimq; omnes mortuæ conciderint. Igitur in pulvere ſaltem pacem inierunt, dum in pulvere ſepultæ ſunt. Non caret myſterio, quod Gen. 3. legimus de Laban & Jacob, qui cum acri contētione verborum inter ſe certarent, tandem cedente Laban erexerunt tumulum & comederunt ſuper eo, ſanxeruntq; amicitiam, appellantes eum *tumulum teſtimonii*. Tumulus ille ſepulchri typus eſt, quod etiam *tumulum* appellamus. Ergo ſi inter nos aliquando nō poſſumus convenire: erigamus quæſo cogitatione noſtra tumulum, & ſuper eo conſideamus ac comedamus: cogitemus nos in tumulo omnes ad pacē cōponendos; ſic ſperanda eſt concordia. Optima hæc menſa eſt, teſtis mortalitatis noſtræ.

IV. Cinis lixivium nobis parat ad eluendas ſordes idoneum. Nō diſſimiliter cinis ſacer capitibus noſtris inſperſus parat acres & amaras lachrymas pœnitentiæ ad expianda peccata. Qua ratione? Quando cogitam ſententiam mortis à Deo in nos latam eſſe ea voce: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Quis enim non terreatur tali audito nuntio? Certe Saul quando à Samuele jam defuncto audivit: *Cras tu & filij tui mecum eritis*; perterritus cecidit porrectus in terram, diuque quaſi extra ſe jacuit in terra, nec voluit comedere, 1. Reg. 28. In vita S. Greg M. quidam ſpiritu prophetico motus nuntiat Epiſcopo, nomine Lucido, qui è prandio Papæ domum redierat, inſtare ei mortem poſt ſex dies obeundam. Eo audito Lucidus continuo expalluit atq; contremuit, deinde in vatem frenduit, perq; cubicula vagus diſcurrit, cum malè jam valere incipiens ad monaſterium recurrit & monachus factus ad mortem bene ſe diſpoſuit. Et vero quis poſt talem ſētentiam non fugiat ad pœnitentiam? Sane rei capitis poſt denunciatum ſibi mortis ſupplicium, nihil aliud tractant niſi de pœnitentia & præparatione ad mortē. Jobum audiamus c. 10. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte me ergo ut plangā paululum dolorem meum, antequam vadam & non revertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* Cum filia illius Ducis Jephte (Judic. 11.) mortem ſibi à patre indici audivit, mox facultatem petiit diſcedēdi in ſolitudinem, ut ibi gemere & præmaturam ſuam mortem deplorare poſſet per 2. menſes. Antequam ei mors denunciaretur, obviavit patri ſuo *cum tympanis & choris*, ſcil. ipſa pulſabat tympanū & ducebat choros puellarum. At ubi ſe morti deſtinatam audiit; vultus ejus concidit, concentum in gemitum, choreas in lachrymas mutavit, & reliquum vitæ in luctu & ſqualore duxit. Sic antequā homo de morte cogitet, quid mirum ſi tympana pulſet, ſplendide ſe veſtiat, choreas inſtituat? At nunc quando Eccleſia mortem nobis denunciat, quis erit qui lætari queat? imo qui non ad ſuſpiria & lachrymas, ad pœnitentiam confugiat?

Quare ſicut ſedulæ mulieres non abjiciunt cinerem ſed diligenter aſſervant, ſcientes quia multum ipſis ſervit: ita & nos non abjiciamus, non ſpernamus cinerem benedictum, quia ſuperbiam premit, gulam compeſcit, iracundiam ſedat, ad pœnitentiam diſponit, per hanc deinde ad gratiam ac deniq; ad gloriam perducit.

THEMA II.

Mortis memoria paſſim in oculos incurrens.

I. Occurrit in aſpectu cœli.
II. In quatuor temporibus.
III. In quatuor elementis.
IV. In corpore noſtro.
V. In habitaculis noſtris.
VI. In feſtivis hominum gaudiis.

Memento homo quia pulvis es.

CElebris eſt hiſtoria, à S. Joan. Damaſc. ſcripta de Joſaphat & Barlaam, quæ refert Regem Ethnicū, Abenner, in partibus Indiæ, cum ei filius ſpecioſiſſimus, Joſaphat natus eſſet, omni cura adlaboraſſe, ut filius, quem vates Chriſtianum futurum ei prædixerat in omnibus ac meris educaretur deliciis; ac ne unquā ei ſpecies alicujus rei triſtis objiceretur, in palatio incluſus inter aulæ gaudia perpetuo verſaretur. Verum cum hæc ipſa tam arcta & diuturna quaſi captivitas mœrorem filio injiceret, permiſſum illi à patre eſt, ut ſubinde etiam foras cum miniſtris egrederetur; ſic tamen, ut interim ejus animus non niſi jucundis ſermonibus & ſpectaculis occuparetur. Factum id quidē eſt, ſed non poterat præcaveri, ne quando triſte aliquid in juvenis oculos incurreret. Igitur obvius ei fit primo cæcus, mox leproſus. Miratus ille tam fœdam ac miſerabilem hominum ſpeciem: rogat miniſtros, quid hoc mali ſit, & an certis tantum hominibus id contingere ſoleat; audiensq; poſſe quibuſcumq; ; non parum contriſtatus eſt. Rurſum egreſſus ſenem canitie opletum, edentulum, incurvum, rugoſum aſpicit, & quid hoc monſtri ſit, quærit, hominem ætate confectum, morti proximum audit. Miratur homines eo miſeriæ venire & ad extremum mortis prædam fieri. Quare mortis memoriam ſemper in mente volvens, non acquievit, donec nactus hominem Chriſtianum, à quo in fide inſtrueretur, Chriſtianus tandem & Eremicola ſanctus evaſit. Multi ſunt Chriſtiani, qui nihil minus quam de morte audire ac cogitare volunt, unde nec SS. cineres ſuſcipiunt, cum tamen eis undique memoria mortis in oculos aliosque ſenſus incurrat. Quare oſtendamus eis paſſim mortis ſimulachra tam ſalutaria & neceſſaria.

1. Aſpice cœlum & in eo videbis mortis imaginem. *I. Occurret in aſpectu cœli.* Vides enim interdiu Solem, noctu Lunam & ſtellas naſci quaſi in oriente, vivere ſupra horizontem, mori in occidente. Vides aſtra ſibi ſuccedere, ſerius oriri aut citius, ſimiliter & occidere, jam hoc jam illud: at hoc modo nos quoq; ſerius aut citius metam properamus ad unam, jam hic naſcitur, ille moritur. Omnes

brevi tempore, dum in vita, quasi supra horizontẽ sumus, splendemus & discurrimus; interim velocissime ad occasum mortis properamus, licet stare nobis videamur, quemadmodum & Solem & astra stare arbitramur. Verum mundi amatores orientem quidẽ vitam aspiciunt, occidenti vero terga vertunt, ut illi 25. viri Ezech. 8. quia mortem post tergum abjiciunt. Taceo quod ipse Sol & astra sæpe nos percutiunt & mortem, pestem, famem causant, ut ita gladium mortis supra nos, semper capiti nostro imminentẽ habeamus uti parasitus ille Dionysij, Damocles.

II. *In anni temporibus*

II. Quatuor anni tempora, à Solis obliquo cursu causata, imago vitæ & mortis nostræ sunt. Ver infantiam & puerilem ætatem, æstas ferventem juventutẽ, autumnus virilem ætatem frugiferam, hiems tristem senectam, ipsamq; adeo mortem, quæ hiemis instar sepelit homines, luce clarius indicat. Mutatur homo cum his temporibus; in vere infantiæ & pueritiæ imberbis, decorus & floridus est: in æstate juvẽtutis barbam acquirit & fervet, in autumno virilis ætatis consistentiam roboris habet: in hieme senectutis canescit corrugatur, dentes & spiritum amittit, sicq; sensim omnino deficit. Et tamen miseri mortales se ad mortem currere non advertunt. Quare si recte nos inspicere velimus, similes inveniemur candelabro illi magno, quod in septimanæ S. nocturnis tenebrosis plenũ candelis ardentibus proponitur, de quo post singulos psalmos & lectiones candela una extinguitur, sicque alias extinctas, alias adhuc ardentes sustinet. Hunc in modum vita nostrã, quot ætates, imo quot dies, tot quasi candelas ardentes gerit; quæ dum paulatim aliæ post alias extinguuntur, superest ut partim mortui simus, partim adhuc vivamus. Extincta juvenibus est pueritia, viris etiam juventus, senibus etiam virilis ætas, & sic ultima solum eis candela superest, tristis senecta.

III. *In 4. Elementis. Igne.*

III. Quatuor elementa mortem nobis ante oculos ponunt. Ignis in lucerna oleo subtracto statim evanescit: ita vita nostra subtracto humido radicali perit. Unde Democritus & Hipparchus apud Aristotelem lib. 1. de anima, existimarunt animam hominis esse ignem. Quare Sap. 2. vita nostra vel calor vitalis appellatur, *sermo scintillæ, ad commovendum cor nostrum; qua extincta, cinis erit cor nostrum.* Quoties ergo ad lampadem vel candelam sedemus, vitæ nostræ fragilis semper typum habemus: quoties emungimus, vitæ nostræ decrementum? quoties extinguimus, mortis imaginem videmus. Hinc de moriente solemus dicere, extinctum esse sicut lumen in lapide. Ex igne nil remanet nisi cinis, tota alia materia visibilis abit in fumum: sic & vita hominis non nisi cinerem post se relinquit: quidquid aliud habuit terreni, in fumum transit.

Aere. Aer & ventus quam celeriter avolat, tam & vita nostra. Unde dixit Job c. 7. *Memento quia ventus est vita mea.* Quid potentius & impetuosius vento, dum viget? quid non movet ac sternit? interim quid inanius ac fugacius? Ad hæc cum fugit, non revertitur. Denique à vento & aere, hoc est, à respiratione pendet vita nostra. Si spiritum præcluseris vel ad modicum confestim extinguemur. Sic ergo vita nostra tamets inquieta & imperiosa, cito suum cursum peragit; nec revocari amissa potest: tenuissimo deniq; in filo pendet respirationis. Quoties igitur auram attrahimus toties mortalitatis nostræ admonemur.

Aquæ similiter transeuntes mortem nobis proponunt. Sic enim illa Thecuitis 2. Reg. 14. ait: *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Aqua fluminis per declivem locũ semper decurrit, nunquam stat, donec ad commune aquarum receptaculum, pelagus perveniat: ita vita nostra nusquam hæret, sed continuo versus commune hominum diversorium, sepulchrum tendit. Unde solemus dicere de capularisene, quod jam pedem unum in sepulchro habeat. Flumina cum in mare se exonerant, amittunt sua nomina, quantacunq; illa sint, & dulcem aquam suam perdunt in amara. Ita nos mortales, quantumvis in vita celebres & nominati, perdimus in morte, eheu valde amara, omnem hujus vitæ dulcedinem gloriam & potentiam.

Terra quid nisi speculum mortis, imo mater & gremium mortuorum est? Genuit illa homines, & rursum in sinum suum recipit. Ab Adama Adàm, & ab humo dictus est homo: *quia terra es & in terram redibis*, ait Dominus, juxta Septuaginta.

IV. In corpore nostro mortem non modo aspicimus, sed & circumferimus quotidie. Nam primo ex ipso corpore nostro nascuntur putredines, quæ per varia ostiola debent expelli & exonerari, per nares, os aures, oculos, &c. Unde Isa. 50. dicitur: *Ecce omnes sicut vestimentum conterentur, tinea comedet eos.* Ut enim è veste nascitur tinea, quæ eandem inadvertenter corrodit: sic è corpore nostro putredines, pediculi, noxii humores; qui furtim quasi nos conficiunt. Et cur sanguinem educimus per cucurbitas & venisectionem, nisi quia mortem nobis minatur? Cur putridos dẽtes extrahimus? cur membra infecta abscindimus, nisi ob mortis minas? Et sic contingit nobis, quod turdo, de quo Plautus dixit: *Ipsa sibi avis mortem creat viscum scilicet.*

2. Advertimus in pulsu cordis nostri motum, & (si noctu in quiete aures arrigimus) quasi duos homines arborem serra secantes. Arbores nos sumus, sistole & diastole duo sectores sunt, qui tamdiu secant, donec arbor cadat. Et hi sunt duo illi mures, niger & albus, hoc est, nox & dies, ut dixit Barlaam Josaphato, qui perpetuo rodunt arborem, de qua pendet homo, qui fugiens unicornem incidit in scrobem, apud Damascenum.

3. Ipsæ quoque vestes nostræ mortis memoriam nobis ingerunt. Quid enim plereque vestes nisi pelles mortuorum animalium sunt? Nec alia de causa Deus primis nostris parentibus postquam deliquerunt, pelliceas induit tunicas, nisi ut earum aspectu mortis, quam incurrerant, meminissent; ut scribit S. August. in Ps. 103. Ipsæ etiam vestes dum sensim inveterascunt & deniq; lacerantur, similis fragilitatis ipsos quoque homines admonent.

4. Arma quę geſtantur, ut hominem defendāt nonne eum morti paſſim obviæ clamant obnoxium? Qui enim nullū vitæ ſuæ periculū metuit, ad quid ipſi arma? Ergo qui armatus incedit & aliis terrorē mortis incutit, & ipſe mortem ſibi inferendam metuit. Unde arma in SS. literis *vaſa mortis* appellantur Pſ. 7. Braſili in Paraquaria ex oſſibus mortuorum hominum ſagittas ſibi conficiunt: ſicq; mortem ex morte cudunt.

V. In habitaculis noſtris quid niſi undique mortis imago? Interroga 1. domum tuam, à quibus extructa fuerit: à quibus primum inhabitata. Nonne reſponderet, ſi loqui poſſet, eos dudum eſſe mortuos, ac magno quidem numero? Quot ea jam dominos, quot incolas ſepelivit? Itaque te propediem ſimiliter ſepeliet. S. Amatus Presbyter & Abbas Romaricum virum nobilem unica hac voce ad meliorem vitam mundique contemptum perduxit: *Quot, putas, habuit dominos ſeu poſſeſſores diſcus hic tuus argenteus, in menſa appoſitus. Hunc eundem tu quoque reſignabis alteri, & ille rurſum alij: quare unus iſte diſcus quot dominos ſepelivit?* in vita 13. Sept.

2 Quot hinc inde cernimus corruiſſe ædificia, olim ſplendida, & ut putabatur, fortiſſima? imo oppida & urbes potentiſſimas? Quanto citius cadent homines; ſi hæc cadere potuerunt? Movit hæc ruinarum ſpecies vel Ethnicum Sulpitium, qui apud Ciceronē lib. 4. epiſt. ait: *Ex Aſia rediens cum ab Ægina Megaram verſus navigarem, cœpi regiones circumcirca proſpicere. Poſt me erat Ægina, ante Megara dextra Pyræus, ſiniſtra Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, ſiquis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera proſtrata jaceant.*

3. Ante ingreſſum civitatum occurrunt viatoribus furcæ, rotæ & loca ſuppliciorum, triſtia ſane mortis ſpectacula, quæ oſtendunt, quid ſint hominum corpora ab anima deſtituta: quam horrida & fœtida, quam abominanda: ut quicunq; ea loca tranſeunt, claudant nares & oculos: corpora, inquā, quæ in vita tam delicate nutriunt, fovent, lavant, comunt, ornant & exoſculantur homines, poſtea præ horrore aſpicere non audent. Occurrunt deinde plerumq; cœmiteria & oſſuaria, quæ oſtendunt nobis quales & ubi poſt mortem futuri ſimus in tumulo ſcilicet mortuorum, per omnia ipſis ſimiles. Erant illorum plurimi olim celebres ſapientia & eloquentia dignitate conſpicui, nobilitate inſignes, ſplendide ornati: nunc oſſa & cadavera ſunt. Occurrunt & ante ingreſſum templi & in ipſis templis paſſim ſepulchra majorum noſtrorum & Epitaphia: per ea tranſimus, ſuper ea ſtamus hic & ſedemus; quomodo ergo fieri, quomodo ergo fieri poteſt, ut mortis aliquando immemores eſſe poſſimus? Ethnici olim mortuos ſuos in conſpectu hominum averruncabant, comburebant aut beſtiis objiciebant; aſtu ſcilicet diaboli, ne memoria mortis territi, vitam ad modeſtiam & honeſtatem componerent. Non ita nos Chriſtiani.

4. Ipſe lectus noſter, quid niſi ſepulchri imago eſt? *4. In lectis noſtris.* Nonne veſtes exuunt, qui in lectum conſcendunt? Et nonne omnibus ſpoliatur, qui ſepulchro infertur? Adhæc ſomnus ſenſuum omnium conſopitio, tametſi brevis eſt; unde conſanguineus & frater mortis appellatur; juxta id lethargo morientis: *Iam frater fratrem amplectitur.* Ita Siſara ille Dux in ſomno enectus *ſoporem morti ſocians defecit & mortuus eſt.* Judic. 4. Deniq; ipſum ſepulchrum lecti nomine appellamus Ein Ruhe Bethlein/ lectulum quietis.

VI. In ipſis feſtivis hominum gaudiis mortis abeſſe memoria non poteſt. *VI. In feſtivis hominum gaudiis.* 1, in natalitio feſto. *1. In natalitio.* Natus infans apud Gentiles olim mox in terram deponebatur, velut brevi in terram rediturus, adeoq; terræ filius. Adhæc prima natorum vox ploratus eſt. Unicus Zoroaſtes riſit mox natus. Deinde in baptiſmo immergitur in aquam, ad memoriam ſepulti Chriſti, cui conſepeliri debeat: accipit & cereum ardentem in manu, quemadmodū & morientes, ut diſcamus mori, & ſciamus ita nos hinc abituros, ſicut ingredimur in mundum In ipſo natalitio convivio, quod inſtituerunt nō niſi duo, Pharao & Herodes, mors abeſſe non potuit. Nam ſub illo, Pharao piſtorem ſuum in furcam egit, & Herodes Joanni Baptiſtæ caput abſtulit.

2. In nuptiis cum formantur tabulæ contractus, *2. In nuptiis.* inter alia & hoc inſeritur: Qui prior conjugum è vivis exceſſerit, relinquet ſuperſtiti hoc aut illud. Si liberos genuerint, primogenitus ſit hæres, eo mortuo ſecundo genitus &c Ecce nondum celebratæ ſunt contrahentium nuptiæ, nondum nati filii, & jam agitur de morte tam filiorum quam parentum. Bene ergo in regno Mogor pridie nuptiarum viſitant ſepulchra majorum, qui eas celebraturi ſunt, ut alibi dixi.

3. In Regum inaugurationem quoq; mors ſe inſinuat. *3. In Regum inauguratione.* Antiquitus creato Imperatore ſtatim quærebatur ab eo, ex quo marmore vellet ſepulchrum habere inquit Lyran. in Job 34. Noſtri Reges & Imp. dum inaugurantur, ſpargunt in plebem pecunias, ſua effigie inſignitas. Et quid eâ pecuniâ fugacius? cum enim rotundæ ſit figuræ dum numeratur in menſa, jam hic, jam ille nummus incipit rotari & niſi retineatur celeri manu, devolvitur è menſa in terram: deniq; omnes monetæ ubi adnumeratæ ſunt, conglomerantur & imponuntur in unum loculum. Sic nimirum tranſit gloria mundi, & homines in hunc mundum à Deo inducti, repente iterū unus poſt alterum diffluit & delabitur in terram, unde prodierunt. Pauci aliqui ad tempus retinentur à Medicis, ſed poſt iterum concidunt. Hinc Apoſt *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utātur: præterit enim figura hujus mundi.* Olim fuere aliqui populi, qui nummis ex oſſibus mortuorum confectis uterentur, apud Senec. in Gauſſin. l. 12. c. 3 forſan ut potentius memoriam ſibi mortis infigerent.

4. In ſummi Pontificis inauguratione mortis memoria ei inculcatur. *4. Et ſummi Rom. Pontificis.* 1. dum ſtupa coram eo accenſa dicitur: *Sic tranſit gloria mundi* 2. dum eidem ſuggeritur, quod annos Petri, 25. ſcilicet non videbit.

5. In conviviis quoque adeſt non una mortis effigies. *5. In cōviviis* Quid enim plerique cibi niſi carnes mactatæ &

emortuæ? ad convivium Balſaſaris acceſſit mortis non tantum memoria, ſed & ipſa mors, quando eo convivante conſcripta ipſi in pariete mortis eſt ſententia, & eadem nocte executioni mandata. Dan. 5. Ad convivium Theodorici Regis Rom. penetravit mors, quando appoſito ſibi piſcis grandi capite perterritus, caput Symmachi, per injuriam à ſe decollati, ſe videre exiſtimans, in mœrorem & atram bilem actus periit. Sed nihil ſupra convivium, quod inſtruxit Domitianus Imp primoribus Senatorũ & equeſtriũ. Apparavit ædes omni parte nigerrimas. Erant enim atra laquearia, parietes ac pavimentum, in eoq; ſedes nudæ eo modo collocatæ erant. Quibus paratis eos introduci jubet, abſq; comitibus, ac primum omnium juxta unumquemq; columnam collocat, factam inſtar ſepulchri, in qua nomen ejus ſcriptum erat, pendebatq; de ea lychnuchus parvus, ut aſſolet in monumentis. Tum nudi pueri atramentoq; obliti tanquam ſpectra quædam ingrediuntur, eosq; horribili ſaltatione circumeunt, eoq; facto ante ipſorum pedes conſiſtunt: ad extremum omnia, quæ in exequiis mortuorum adhiberi ſolent, in vaſis eodem modo eis appoſita fuerunt. Cœna interim peragebatur magno omniũ ſilentio, ut qui timore pene exanimati eſſent. Domitiano inſuper ſermonem, de iis, quæ ad mortes & funera pertinerent, ſuper menſam ingerente Auctore Xiphilino in Domitiano. Notum etiam Ægyptios in conviviis ſtatuiſſe & circumduxiſſe larvam mobilem mortis ſpecie, ut bibituri in illam intenderẽt, ex Herodot l. 2. Noſtri in conviviis ejus loco vitra ſtatuunt & circumferunt; at nonne ea mortem ponunt ante oculos? Bobadilla noſter ex primis decem unus, in ſatrapę cujuſdam menſa, fracto per quendam ſcypho cryſtallino, pretioſe æſtimato, diluturus frangentis culpam & iraſcentis heri impetum cohibiturus: *Res*, inquit, *tanti ſteterat, tamq; caduca fuit?* Sic motum heri ſedavit. Cogitent hæc, qui conviviis vacant & poculis.

Quid igitur faciendum nobis, cum videamus undique mortis imaginem nobis propoſitam & necem intentantem? Non eſt effugii locus: undiq; circumvallati ſumus: undiq; ad necem quærimur: manus ergo dandæ, & ad moriendum animus comparandus eſt. Diſcite conſilium vel à latrone. Coracotta inſignis in Hiſpania latro fuit, quem undiq; requiri Imp. juſſit, ſpondens 10000. aureorum ei, qui caput ipſius attuliſſet. Id ubi intellexit Coracotta, ipſe ſe & caput ſuũ Imperatori ſtitit, poſtulans promiſſam pecuniam, quã & obtinuit una cum libertate. Dion. in Auguſt. Quærit etiam Deus vitam & caput noſtrum, morte undiq; nobis inſidiante; væ nobis ſi ab ipſa fuerimus intercepti Itaq; nos ipſos ſiſtamus Deo, mortem frequenter meditando, & ad eam nos ultro ac libenter offerendo ac parando. Sic placabitur nobis Deus, & non tantum vita nos donabit, ſed etiam beatitudine.

THEMA III.

Memoria mortis utilis.

I. Quia valet contra mortem acerbam.
II. Valet contra malam mortem.
III. Valet contra venenum intemperantiæ.

Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.

MIrantur aliqui, maxime hæretici quid ſibi velit pulvis hac die Chriſtianis aſpergi ſolitus. Sed quid neceſſe habẽt mirari? Nonne ſciunt Medicos maxime Chymicos, parare & dare medicinam è pulveribus iis, qui aliquo exceſſu afflixerunt valetudinem, ut iterum convaleſcant, eductis malis humoribus? Nihil aliud agit Eccleſia. Afflixerunt multi per hos Liberalium liberiores dies animæ valetudinem quid mirum ſi illis Eccleſia ſalutarem præbeat pulverem, quo rurſum convaleſcant? Quare non omnino vane Turcicus ille Legatus in Gallia ſibi perſuaſit Chriſtianos poſtquam triduo inſanierunt, accepto iſto pulvere rurſũ ad ſanam mentem redire. Hoc ipſum enim eſt, quod Eccleſia intendit, nimirum iſto pulvere ad ſanitatem mentis reducere ſuos filios. At vero qua ratione hoc præſtet pulvis ſacer, videamus.

I. Pulvis iſte valet contra mortẽ acerbam; quia meditatio mortis frequens hominem diſponit, ut quotidie mori poſſit; nec horreat larvam illam, quã toties præ oculis habuit. Eques quidam Rhodius (auct Hieron. Poſio) cum inſulam ingens Draco affligeret, hac arte eum confecit. Moloſſos duos equo inſidens in fictum draconem, vivo ſimilem, crebro exercitio incitavit & aſſueſecit, ut eum animosè aggrederentur ac dilaniarent: ſicq; aſſuefactos in vivum Draconem eduxit, eumq; feliciter ſuperavit atq; extinxit. Canes noſtri potentiæ & paſſiones animæ noſtræ ſunt, eas crebro exercere in mortis ſimulachro præ oculis noſtris poſito, ſi voluerimus, adventantem non metuemus, ſed cordate & confidẽter amplectemur: ſic mortem conficiemus. Ita egit B. Godefridus ex Comite Cappenbergenſi Monachus Præmonſtrat. qui *frequẽter ſociis in itinere quolibet reſidendo pauſantibus, ipſe quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi ſolent manus & brachia ſua compoſuit ſupinus, dicens clamore intimo gemituq; vehementiſſimo: O ſi veniat hora illa noſtri tranſitus! o ſi ad hanc horam optare & præparare me digneris Domine Deus meus!* ſic effecit ut venientem mortem magna confidentia intrepidus imo vehementer exultans exciperet, conſolans ipſe fratrem ſuum germanum, mœrentem iis verbis: *Idcirco mi frater, univerſa propter Deum abdicavimus quia nos ad hujus horæ neceſſitatem pervẽturos, hoc eſt, morituros certiſſime noveramus, præoptantes atq; ſatagentes, ne hujus nos procella diſcriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc à corpore peregrinationem faciamus de neceſſitate virtutem gaudentes & gratias agentes, quod de labore ad requiem, de miſeria ad beatitudinem transmigramus.* Apud Sur. 13. Jan.

II. Valet contra malam mortem. Male enim plerunque moritur, qui prius mortem non prævidit; ſiquidem ad eam ſe minime diſpoſuit. Philiſthæos imitatur Dæmon. Illi caverũt ne ullus faber ſupereſſet in terra Iſrael, ne poſſent arma habere, quibus pugnarẽt contra ſe; unde poſtea inermes adorti ſunt. 1. Reg. 13. ita molitur Dæmon, ut omnis de morte cogitatio ab hominibus longiſſime removeatur, ne memoria illa mortis arma illis fabricet, quibus ipſe fugetur. Sic certe luſit cum primis noſtris parentibus. Cum enim illis Deus mortem ob oculos poſuiſſet, ut eſſet illorum cuſtos & pædagogus, eiſque velut faber arma contra peccatum cuderet: *Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*; Dæmon contra videns eis hunc fabrum arma ſubminiſtraturum, removere conatur: *Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus, &c.* q. d. invidit vobis Deus tantum bonum, quantum prodidit vobis ex hoc ligno deguſtato. Deprehenſi igitur miſeri ſine armis à Dæmone victi & in mortem corporis & animæ impulſi ſunt. Quid igitur hic remedii? Quod Amlethus Daniæ & Jutiæ Rex contra Britannos excogitavit, cũ ei in prælio majorem copiarum partem occidiſſent. Amlethus enim die poſtero ad augendam multitudinis militum ſuorum ſpeciem, cæſorum cadavera, partim ſubjectis ſtipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventium more equis impoſita, in aciem digeſſit, ut ipſę extinctorum imagines laceſſentibus Solis radiis immenſi agminis ſpeciem darent. Quo aſpectu quaſi novis copiis hoſti adjunctis territi Britanni fugam dederunt, ſicque à mortuis ſuperati ſunt, quos vivos oppreſſerant. Britannorum Rex dum ſegnius fugam intendit, ab imminentibus Danis occiſus fuit. Saxo lib. 4. Sic ergo nos quoque Dæmonem, qui nequitia ſua ad mortem nos impulit, eadem ſuperabimus, ſi eam ipſam, quam ipſius aſtu incurrimus, mortem, quaſi vivam & præſentem præ oculis ſtatuamus, eaque velut milite armato contra ipſum pugnemus.

III. Valet contra venenum, in cibo aut potu propinatum. Nunquid non venenũ eſt intemperantia cibi & potus? Sane Cyrus cum apud avum Aſtyagem Perſarum Regem pincernam ageret, vinum guſtare noluit, quod venenum ſubeſſe diceret. Cauſam rogatus; reſpondit, ſe nuper in convivio natalitio vidiſſe Aſtyagem una cum amicis poculis dementatum à Saca pincerna, utpote animo & corpore titubantem. Xenoph. Cyropæd. l. 1. Huic igitur veneno remedium eſt cinis: quis enim mortem cogitans ſibi imminentem, effundere ſe in voluptates queat? Hinc S. Auguſt. in Pſ. 70. ſtultitiæ redarguit impios, qui cum perverſis illis Iſa. 22. dicunt: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Terruiſti,* inquit, *non ſeduxiſti. Cum enim dixiſſes, manducemus & bibamus; adjunxiſti; cras enim moriemur. Audi contra à me: imo jejunemus & oremus, cras enim moriemur.*

Hoc veneno multi dementati indulgent voluptatibus quaſi perpetuo victuri; alii bellica virtute ſe jactant, & Hercules aut gigantes videri volunt: alii ex opibus aut honoribus intumeſcunt: alii aliis ſucceſſibus elevati extra ſe & ſanam mentem rapiuntur. Quod his remedium? Cinis utique qui oſtendit eos brevi morituros & ceteris mortalibus ſimiles futuros. Contingit ſæpe ut qui febre diuturna laborant, nulla medicorum aut pharmacorũ ope reſtitui ſanitati queant. Quare ad extremum mittuntur ad auram patriam, ut vel ibi, ubi nati ſunt, ex cognata ſibi aura recipiant ſanitatem. Simili ratione contingit permultos febri ſuperbiæ adeo graviter laborare, ut modus non ſit illos corrigendi ac ſanandi. Quare nil melius, quam ut mittantur ad terram patriam, unde nati ſunt: ad pulverem videlicet, è quo formati ſunt, ut eundem contemplentur velut matrem ſuam, in eum mox redituri. Ita S. Chryſ. in Pſ. 116. *Quemadmodum qui febre laborant,* inquit, *poſtquam febre liberati ſunt puro aere indigent: ita etiam, quos animi perturbationes ad inſaniam adigunt, ſi ad monumentum acceſſerint, tanquam qui in prædium ſaluberrimum devenerint, multas expellunt ægritudines.* Ita Saul Rex humiliaturus Davidem, quem aſſumpſerat in aulam & ab omnibus æſtimari viderat, per contemptum appellat *filium Iſai*, quaſi remittens eum ad originem ſuam paſtoritiam. Sic remittit hodie Eccleſia unumquemque ad originem ſuam, terram, q. d. *Quid ſuperbit terra & cinis?* Eccleſ. 10. Hoc idem ſuperbis optabat David, Pſ. 9. *Conſtitue Domine legislatorem.* (Hebr. *more*, id eſt, *Doctorem*, vel ut vertit Hieronymus, *terrorem*, adeoque intelligit Doctorem terribilem ſeu judicem) *ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Multi eouſq; efferuntur, ut videantur ignorare quod homines ſint morituri, & aliis ſimiles. Cinis iſte Doctor terribilis eſt, eos corripiens.

Poteſt ergo cinis iſte ſacer ſic applicatus ſanare homines adeoque etiam ex dementibus facere ſapientes. Sit proinde pulvis iſte medicina nobis acceptiſſima: ſit collyrium, quod ſuaſit S. Joannes Epiſcopo Laodiceæ, qui ſeipſum ignorans dicebat: *Dives ſum locupletatus & nullius egeo.* Cui Joannes: *Et neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus. Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Apocal. 3. Medicina oculorum eſt collyrium; & quid magis illuminat oculos, terrena cupiditate cæcatos, quam mortis cogitatio? *Quid* enim *ſuperbit terra & cinis?* quid ornas, cum te gemmis, auro & argento oneras? nonne cinerem ornas? quid ſaginas, dum cupediis undique conquiſitis carnem tuam ſaturas? nonne cinerem ſaginas? Ergo ſacros cineres iſtos capitibus veſtris inſpergite, & pulſa cæcitate ac dementia ad ſanam mentem reſipiſcite. *Mementote iſtud,* clamat Iſaias cap. 46. *& confundamini: redite prævaricatores ad cor.*

THEMA IV.

Omnes Christianos egere cineris aspersione.

I. Egent Reges & Reginæ.
II. Egent Prælati & Superiores.
III. Egent divites.
IV. Egent pauperes.
V. Egent Senes.
VI. Egent juvenes.
VII. Egent mulieres.
VIII. Egent Cives.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Convocat hodie mater Ecclesia filios suos, ut eorum capita cinere conspergat. Sed quid est Audit. quod non omnes vocem matris audiant & cineres accipiant? Nunquid non vocantur omnes? nonne Ecclesia ait: *Memento homo*? Si diceret: Memento pauper, memento Petre, memento Paule; videretur sane non omnes, sed aliquos tantum vocare. Verum ait: *memento homo*, ergo omnes vocat, quia nimirum omnes isto cinere, seu mortis inculcatione indigere novit. Quod nunc ostendemus.

I. *Egent Reges & Reginæ.* I. Cinere indigent Reges & Reginæ. Inter Reges occurrit Rex Ninivitarum, sedens in cinere, Jon 3 Inter Reginas Hesther Regina, quæ aspersit cinere caput, Hest. 4. Sed cur isti? Ut sciant se esse filios Adæ, adeoque mortales, ex eadem argilla factos, ex qua infimi; sciant se Dei gratia constitutos Reges, uti & scribere solent; unde Tertullianus in Apolog *Inde est Imperator, ait, unde & homo antequam Imperator.* Lyran. in c. 34. Job. v. 15. scribit: *Antiquitus Imperatore creato, statim quærebatur ab eo ex quo marmore vellet sepulchrum habere*, quasi nihil sit regno vicinius, quàm sepulchrum. Revocavit hoc in memoriã Theodosio Imp. S. Ambrosius, quando post imperatam innocentem Thessalonicensium cædem, cupienti intrare templum, extra Ecclesiæ vestibula obvians dixit: *Est verisimile, imperator, te ignorare cædis à te perpetratæ magnitudinem, neq; post sedatam iracundiã pervidere ratione admissum facinus. Nam Imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non sinit, & potestas offundit rationi caliginem Verum quæ sit natura nostra & quàm fragilis ac fluxa considerandum est, & in pulverem, ex quo orti sumus, & in quem sumus recasuri, acies mentis est intendenda, neq; ipse splendore purpuræ deceptus, corporis purpura operti imbecillitatem ignorare debet.* Ita Theodoretus l. 5 Eccl hist c. 17 *Apud Græcos*; ait Pet. Damiani Card. Epistola 17. ad Alexandrum PP lib. 1. Epist. *Hæc teneri consuetudo perhibetur, ut cum Imperator quis in dignitate creatur, mox ut Imperialibus fuerit Infulis redimitus, corona simul ac sceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obvius, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerat, in alia stupam lini subtiliter pexam ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur & repente in ictu oculi flamma subito vorante consumitur; ut in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quod habet;* se videlicet esse mortalem, & regnum quod habet, esse transitorium.

II. *Prælati & Superiores.* II. Prælati & Superiores. His enim dicitur Jer. 25. *Vlulate pastores & clamate, & aspergite vos cinere optimates gregis.* Indigent hi legislatores alio legislatore, qui eis imperet; hic autem est solus cinis, juxta id Ps. 9. *Constitue Domine legislatorem super eos.* (Chald. *incute eis terrorem*) *ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Quia enim judices vocantur in SS. literis Dii, & sunt quasi Dii quidam terrestres, hinc facile obliviscuntur se homines esse, putantque sibi omnia in omnes licere, uti impius Imperator ille Cajus Caligula sensit. Qui in alto periculose ambulant, ad terram, non ad cœlum aspiciunt, ne cadant. In sublimi & periculoso statu ambulant Magistratus, & qui in dignitate constituti. Cadunt, si insolescant & superbiant: ad terram igitur, ad cinerem & sepulchrum oculos dejiciant ne corruant. Nauta, qui bene vult gubernare navim, in puppi stat, non in prora: ita qui recte & sine suo interitu cupit gubernare alios, non ad dignitatis suæ exordia gloriosa & speciosa, in quibus omnes ei blandiuntur & applaudunt; sed ad finem potius attendat; quomodo ad extremum reddet rationem de officio administrato: & qua ratione in morte ab omnibus deseretur, à quibus prius stipabatur. Statua illa Nabuchodonosoris habuit quidem aureum caput, argenteum pectus, æreum ventrem, fictiles tamen pedes, in quos cadens de monte lapis unus, sine manibus abscissus, totam evertit statuam. Ita licet Magistratus habeant aureum caput gloriæ & dignitatis: argenteũ pectus scientiæ: æreum ventrem potestatis & jurisdictionis; habent tamen pedes luteos, eandem cum aliis hominibus naturæ fragilitatem & moriendi necessitatem; communiter etiam ex incognita causa, celerè nimis incurrunt mortem, præterquam sperabant.

III. Divites, quales erant illi mercatores, Tyrum versus navigantes, de quibus Ezech. c. 27. *Superjacient pulverem capitibus suis & cinere conspergentur.* Oleũ incendiarium non nisi jactu pulveris extinguitur: sic cupiditas divitiarum non sopitur efficacius, quam mortis memoria. Hoc medio Constantinus M. avaritiam cujusdam è suis divitibus extinguere conatus est, designando virga spatium sepulchri ejus, ac dicendo: *Qu usque tandem inexplebilem hanc avaritiam cumulamus? omnes vitæ divitias & totius orbis opes si haberes, tamen plus hoc à me circumscripto loculo non possidebis; & si illud fortasse possederis?* Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 29. & 30.

IV. Pauperes, e quorum numero Job jam omnibus rebus exutus cap. 16. ait: *Operui cinere carnem meam.* Ad quid? cum alias miser totus in sterquilinio sederet? Nimirum 1. ad consolationem suam, quod cinis suis miseriis finem esset daturus. Idcirco dies afflictionis

suæ

suæ appellat *dies mercenarii* c.7.& 14. quia sicut mercenarius post unius diei laborem sperat mercedem: ita etiam pauperes aspiciendo cinerem, sciant se mercenarios esse & post breves unius quasi diei labores & miserias mercedem accepturos: *donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus* Job 14. Cinis itaque sit consolatio eorum in miseriis; quia cinis est eorum finis

2. Ut ostenderet se miserias & plagas suas non gravate ferre; quas addito cilicio & cinere sponte exasperaret, & quasi condimento magis acerbas redderet.

V. Senes. Tales erant illi, de quibus dicitur Thren. 2. *Conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua.* Ratio est, quia uti cinis calidus conservat ignem: ita frigidus extinguit. Latet autem in senibus adhuc & servatur ignis quasi sub dolosis cineribus sepultus, non tamen sopitus: estque ebriositas & avaritia, ut testatur S. Augustinus serm. 246. de temp. *An forte senectus,* inquit, *excepta est, & in carne jam vicina cadaveri sanguis ac membra illicitæ concupiscentiæ friguerunt, & à fesso ac prope mortuo jam corpore materies tentationis emarcuit? imo vero tantus est in malis senibus plerumque gurges aviditatis & insatiabilis vorago ventris & gutturis, ut quanta boni senes prudentia serenãtur, tãta isti vinolentia sepeliantur, quasi ab hoc in iis arida viscera & succo exhausta curventur, ut ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis mundatione riganda sint. Quid avaritia quæ radix est omnium malorum? Nonne in frigidis senibus tanto ad acquirendum ferventius inardescit, quanto citius relictura est, quod acquirit, mirabili sane dementia? Gravioribus enim sumptibus se onerare festinat, cum jam pervenerit, quo tendebat*

Quando igitur & in senibus reperitur adhuc ignis vorax, qui eorum animas pessimo incendio depascit: laborandum etiam ipsis, omni quo possunt conatu, ut ignem hunc extinguant. Serviet eis ad hoc frigidus iste cinis, quem hodie Ecclesia inspergit filiis suis; si nimirum in hujus susceptione meminerint, quam cineri & sepulchro sint propinqui; ut verissime dicere possint cum illis Sap. 2. *Sermo scintilla ad commovendum cor nostrum* (h.e. vita nostra est quasi una scintilla adhuc superstes) *qua extincta erit cinis cor nostrum,*

VI. Juvenes, uti Daniel adolescens, qui ait Dan. 9. *Posui faciem meam ad Dominum meum rogare & deprecari in jejunio, sacco & cinere.* Quia & ipsi, quasi a morte longe remoti, mortem minime cogitant, interim tamen incauti sæpissime incurrunt, cum minime expectarunt. In more habuit Socrates adducere ad speculum adolescentes, qui formæ suæ immemores indecorum quid egissent. Frequens est hoc in juvenibus, ut sui obliviscantur, suæque fragilitatis, quasi ærei & immortales essent; quare Ecclesia hodie adducit eos ad speculum, ut in cinere sibi imposito seipsos contemplentur, unde venerint & quo vadant. *Omnis enim caro fœnum,* (inquit S. Augustinus serm. 246. cit. ad juvenes habito) *& claritas hominis ut flores fœni. Quid ergo facietis, cum fœnum aruerit? flos deciderit? Verbum autem Domini, quod manet in æternum, cineres vestros non facile inventurum putetis, quod nunc superba ætatis viriditate contemnitis?*

VII. Mulieres: Viduæ, uti Judith cap. 9. quæ *posuit cinerem super caput suum.* Virgines uti Thr. 2. *consperserunt cinere capita sua virgines Ierusalem.* Nihil frequentius mulieribus, quam in speculo se tueri. Ecce speculum sincerissimum, quod ita adamussim eas repræsentat, quales revera sunt: cinis inquam & esca vermium. Videant ergo quibusnam amasiis sese adornent: vermibus nimirum; hi enim illas expectant in sepulchro non tam deosculandas quam devorandas. VII. *Mulieres.*

VIII. Cives, uti Bethulienses, qui videntes contra se venire hostium multitudinem duce Holoferne (Judith. 7.) *prostraverunt se coram Domino, mittentes cinerem super capita sua,* & hoc medio impetrarunt à Deo civitati suæ salutem, hosti vero interitum. Venit subinde Deus cum exercitibus suis contra civitates ad puniendum illas, propter eorum peccata; uti Dominus indicat in parabola nuptiarum, ad quas vocati aliqui tenuerunt servos Regis & contumeliis affectos occiderunt. *Rex enim iratus missis exercitibus suis perdidit homicidas illos & civitatem illorum succendit.* Regis exercitus dici possunt Dæmonis incursus, contra hos optime nos armamus, prosternendo nos humiliter coram Deo & cinerem mortis ac fragilitatis nostræ præ oculis habendo, nosque humiliando. Pulchrum hujus rei typum habemus in libro Josue cap. 11. ubi Josue in terra Chanaan dicitur percussisse & incendisse omnes urbes, præter eas, quæ in collibus & tumulis sitæ erant, Hebr. *quæ stabant super tumulos suos.* Chald. *quæ stabant super fortitudine sua.* Tumuli sunt colliculi, sic dicti quasi *tumens tellus,* & indicant sepulchra, quæ à tumore terræ etiam tumuli appellantur. Igitur si cives stent super tumulos & sepulchra sua per mortis contemplationem, suæque humilitatis cognitionem ac coram Deo se humilient, stabunt super fortitudine sua, stabunt inquam salvi atque incolumes à Dæmonum incursibus. *Itaque sic state in Domino charissimi;* ad Phil. 4. quomodo & Propheta Habacuc, qui dixit c. 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quod respondeam ad arguentem me.* Custodia nostra sepulchrum est, specula nostra cinis est, munitio nostra tumulus est. In hac munitione stemus & figamus gradum: contemplemur ut videamus quid dicatur nobis, dum a sacerdote dicitur: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris; & quid post mortem responsuri simus arguenti nos severo Iudici. Sic stabimus invicti quasi in munitione firma. VIII. *Cives.*

* * *

DOMINICA I. QUADRAGES.

THEMATA.

I. *Ad jejunandum stimuli.*
II. *Carnis esus à jejunii diebus proscribendus.*
III. *Concupiscentiæ triplices exterminandæ.*
IV. *Dæmonum malitia in variis bestiis depingitur.*
V. *Urna fortunæ per Quadragesimam proposita à Diabolo.*

THEMA I.

Ad jejunandum stimuli.

I. *Non est tam dura lex jejunii, uti quibusdam apparet.*
II. *Jejunii lex valde utilis.*
III. *Jejunii lex summæ authoritatis.*

Cum jejunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. Matth. 4.

NOn est inutilis nec curiosa quæstio, quidnam egerit Christus in deserto per dies 40. Ad hoc vero respondet S. Marcus c. 1. *Erat cum bestiis.* Sed quid cum illis egit? Dicitur Dei sapientia seu filius, Prov. 8. *ludere* in creaturis suis creandis & conservandis *omni tempore. Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Videtur ergo Christus subinde in deserto lusisse etiam & delectasse se cum bestiis creaturis suis. Jam vero *si gloria magna est sequi Dominum*, ut ait Ecclesi. c. 23. ludamus & nos cum bestiis per hanc Quadragesimam. Quænam vero illæ? Jejunium, veteris hominis renovatio, crebra confessio, frequens communio. Bestiæ hæc videntur forsitan aliquibus: & horrorem incutient; sed nequaquam timendæ sunt; ludere cum iis possumus, quemadmodum & Christus ludere cum feris quasi cum catellis poterat in deserto. Et quia quadruplex bestiarum genus est, aliæ natatiles, aliæ reptiles, aliæ quadrupedes, aliæ volatiles, è singulis unam quasi regem aliarum ad lusum provocemus. Aggrediamur primo piscem. Ex historia Tobiæ c. 6. scimus Tobiam juniorem missum peregrinatum cum Angelo, primo die itineris exisse ad flumen Tigris, ut lavaret pedes. Ibi mox immanis piscis pronatat & rictum suum aperit quasi juvenem devoraturus. Exclamat ergo Tobias: *Domine invadit me.* Sed Angelus animose jubet apprehendere piscem atque extrahere. Forsan etiam piscis hic aliquos terrebit, qui inchoata jejunia timent, ne ab eo devorentur: sed non est quod metuant. Nam

I. *Non est tã dura lex jejunii, uti* — I. Piscis hic tam grandis & robustus non est, ut nos devorare queat. Fluviatilis solum est, non marinus, adeoque non deglutiet nos. Quare id unum necesse ut animose apprehendatur juxta adhortationem Raphaelis: *Apprehende branchiam ejus & trahe eum ad te.* Quod ubi Tobias fecit, piscis mox *palpitare cœpit ante pedes ejus.* Hunc in modum magno animo amplectendum est jejunium, quasi in branchia una, & mox apparebit tam asperum non esse, quam fingitu aut putatur. Permittitur inprimis una in die refectio eaq; paulo liberalior: vespere item conservandæ valetudini boli aliquot: non prohibetur potus, excipiuntur dies Dominici, eximuntur qui ob certas causa jejunium sustinere nequeunt: quales sunt pueri, se nes, pauperes, laboratores, iter agentes, prægnante ægri; nemo obligatur cum gravi suo damno

Quam multi toto anno nunquam cœnant ex mer electione, vel ob sanitatem, vel ob fastidium? Et quam multi olim Gentiles semel tantum in die saturi fiebant? Antiqui etiam Christiani multo quam nos rigidius jejunarunt. Nos nihil omnino poterimus? Se murmurabit stomachus, concidet vultus, deficier vires, & infirmabor, inquis. Respondeo tibi; quod Daniel respondit principi Eunuchorum: *Tenta nos obsecro servos tuos diebus 10. & dentur nobis legumina a vescendum & aqua ad bibendum.* Dan. 1. Proba pe dies 10. an possis jejunare. Quare unusquisque salter quantum præstare potest & vires patiuntur, jejunar satagat. Tali moderamine Levit. 12. præcepit Deu pro filio primogenito offerri agnum. Quem si parentes ob paupertatem dare nequirent, offerri salter duos turtures; ac si nec hos possent, duos saltem pullos columbarum. Neque ita institui debet jejunium & mensa apparari, ut nihil omnino famis aut molestiæ sentiatur; alioquin jejunium non erit. Unde S. Laurent. Justin dicebat: *Non simul ac corpus fuerit extenuatum, de abstinentia recedendum est; imo propterea est abstinendum.* Quare sicut Caligula Imp. si quem mala morte interire jussit, dicebat lictori: *sic feri, u sentiat se mori.* apud Suet. ita tu jejuna sic, ut sentia te esurire. Quis etenim parum famis non libenter ferat, si Christum 40. diebus amore sui jejunasse cogiter? ac licet non nisi iis ex actis dicatur esuriisse, probabile tamen est eum interea etiam aliquid fami sensisse, ad majus suum meritum & exemplum fidelium, etsi non tantam ut cibum requireret; uti obser vat Franciscus Lucas in hod. Evang. Adhæc abstinui interea ab omni cibo, qui bene comedere cum gusti quidquid luberet poterat. Insuper sub dio semper hie mali & frigida tempestate, à baptismo scilicet suo, se à 6. Jan. usque ad 15 Febr. mansit: ubi non nisi in dura humo cubuit, pernoctans in orationibus.

II. Piscis ille valde salutaris Tobiæ fuit, quia partim alimentum, partim medicinam præstitit. Ita jejunium corpori prodest & animæ. Tria bona ex pisc illo habuit Tobias; ejus enim beneficio depulit Dæmonem à sponsa sua, sanavit cæcum parentem suum & carnibus ejus in via se sustentavit. Eadem suo modo præstat jejunium Dæmonem ejusq; infestatione depellit à carne nostra. Subtrahit enim illi arma, qui bus nos expugnat, gulam & ingluviem, qua caro ad lasciviam provocatur. Ideo Christus ante Dæmoni tentationem ad doctrinam nostram jejunare voluit

Cur

Cur in Bulla cœnæ Domini præcipitur sub gravissimâ excommunicationis pœnâ, ne Christiani ferrum & arma Turcis subministrent? utique propterea, ne iis nos oppugnent. Arma Dæmonis sunt intemperantia nostra, & plenus venter ejus armamentarium. Hæc ei si subtrahamus, inermis erit. Cur quæso David Sauli dormienti in tentorio hastam suffuratus est? 1. Reg. 26. quia Saul eâ Davidem aliquando configere conatus erat, & conari rursum poterat. 1. Reg. 18. Nos per jejunium auferimus lanceam Dæmoni, quâ nos conficere solet. Quare ridendi esse videntur; qui carnem se domare aut Dæmoni nos tentanti resistere posse negant: cùm penes ipsos sit, arma ei negare.

2. Sanitatem corpori etiam tribuit & conservat. Medicorum omnium sententiâ plerique morbi ex repletione stomachi, ciborum intemperantiâ, varietateque gignuntur. Jejunium hanc tollit: *mater* ergo *sanitatis* jure appellatur à S. Basilio serm. 1. de jejun. & S. Hieron. uti vicissim gula *mater ægritudinis*. Quin & Eccles. c. 37. testatur: *In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Bene etiam alius quidam sapiens dixit, penè omnes homines mori gulâ. Vivunt ergo temperantiâ. Galenus præstantissimus Medicus Trajani & Antonini Impp. ait: *Abstinentia summa est medicina*; apud S. Bernardinum ser. 5. in die Cin. ubi addit exemplum *de prelato*; *qui non poterat curari medicinâ: sed factus Monachus, propter jejunia & abstinentiam curatus est. Qui ad tempus cùm visitaretur à Medico, dum comederet fabas, interrogatus quomodo sanus factus esset; respondit: fame & fabis.* Moxque: *Legimus quosdam morbo articulari & podagra humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos convaluisse.*

3. Alimentum præbet. Quâ ratione? inquis. Quia si sæpe jejunes, habebis diu unde vivas; si autem gulæ & inebrietati studeas, citò ad pauperiem redigeris. *Numera*, inquit S. Basilius, *quæ domi habes hodie & numera postea: nihil penitus per jejunium minuetur: at si convivia exercere incipias, nihil brevi habebis.* Præter hoc lucratur tibi vitam æternam. Jam *qui jejunaret qualibet die pro lucrando florenum: nec posse jejunare se dicit pro lucrando cœlum: manifestè declarat quòd ampliùs diligit nummum quàm Deum*; ait S. Bernardinus ser. cit.

III. Angeli, ductoris optimi, præceptum Tobiam animavit ad piscem apprehendendum per branchiã. *Angelus magni consilii* Christus est, qui à tempore Apostolorum jejunium hoc inceptum, posteà præcepto stabilivit. Branchia est quasi auris piscium; unde obedientiam significat, de qua dicitur: *Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matt. 18. Sanè Satrapæ Darii eâ una ratione perpulerunt Darium, ut mitteret Danielem in lacum leonum, *quia lex Medorum & Persarum est, ut omne decretum quod cõstituerit Rex, non liceat immutari*; tametsi Rex pro Daniele liberando valde laboraret, Dan. 6. Atqui lex Quadragesimalis jejunii lex universalis Ecclesiæ est per summum Pontificem promulgata: strictè igitur servanda. Nonne sæpiùs videmus quod & canes doceantur abstinere à cibis, etiam in os ingestis, metu dominorum? & non curet Christianus præceptum Domini sui? Mirum certè, quòd totus Saulis exercitus ad unam stultam & inutilem Regis adjurationem, cùm videret mel ad manum fluens, famelicus licet & fatigatus, abstinuerit usque ad vesperam; quod jure miratur S. Chrysostomus hom. 14. ad populum. Et si Jonathas, qui decretum patris nesciens gustavit mel, morti à patre adjudicatus fuit; quid fiet ei, qui præceptum Ecclesiæ adeoque etiam Christi, per Ecclesiam nos gubernantis, sciens volens spernit? Certè S. August. serm 62. de temp. ait: *In Quadragesima qui non jejunat, sentiet pœnam.* Sensit dives epulo in inferno, qui cùm Judæus esset, nulla observavit jejunia (quorum tamen multa Judæis præcepta erant ut patet, ex Zach. 8. v. 19. & aliunde) siquidem epulabatur quotidie splendidè. Si quotidie, ergo nunquam abstinuit, nunquam jejunavit. S. Basilius orat. 2. de jejunio ait jejunium Quadragesimæ violare periculosius esse, quàm si *miles abjecto scuto ad aciem inimicorum transfugiat.* Quis autem nescit hoc militibus capitale esse? Idem in ser. in Vespera Quadrag. ait Angelos in Ecclesia circuire, & catalogo inscribere Christi jejunantes. Quare videat unusquisque ne è numero jejunantium se eximat, adeoque transfuga fiat: cujusmodi fuit is, qui è numero 40 militum martyrum frigidum stagnum deseruit, & in vicinum balneum desiliit; ubi & in pœnam perfidiæ statim dissoluto corpore periit; ut idem S. Basilius scribit hom. in 40. Martyres.

Nos cũ reliquis illis militibus stemus simul, quotquot hoc stadium Quadragesimæ ingressi sumus, ut totidem coronis donemur: ne unus quidem huic numero desit; ne vel uni desit corona.

THEMA II.

Cur carnis esus à jejunii diebus proscribendus?

I. *Quia mater Ecclesia prohibet.*
II. *Quia magna ratione prohibet.*
III. *Quia lex jejunii difficilis non est.*
IV. *Quia transgressio abstinentiæ à carnibus sapit hæresin in homine latentem.*

Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, Matth. 4.

DE mæchâ quadam canit Ausonius Poëta, quod cum virum enecare vellet, propinârit ei venenum, atque ut efficacius esset, addiderit argentum vivum Sic factum planè contra intentionem fæminæ, ut vir incolumis esset, dum venena inter se pugnantia se mutuò enervârunt, adeoq; mixta innoxia fuerunt, quæ divisa mortem viro attulissent. Videtur mihi Satanas similes insidias Christo Domino posuisse. Venenum ei propinat adulter & fædissimus angelus, dum

ad jejunium solvendum & famem saturandam invitat: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Verum stultè & infæliciter, quia huic ipsi veneno contrarium aliud admiscuit, quod primum illud elidit, nimirum: *Si filius Dei es.* Si enim ô stulte Satan, filius Dei est, ergo nihil faciet aut creabit sine voluntate & jussu patris sui. Si filius Dei est, ergo non solo pane, sed & aliis cibis, imo solo DEI verbo vivere potest. Si filius Dei est, ergo satis virium habet ad jejunium superandum, & abstinentiam ferendam. Si denique Dei filius est, ergo tuo saltem hortatu comedere non debet, nec tibi in re aliquâ parêre, aut quidquam tecum commune habere. Videtis igitur uno propinato veneno alterum enervari à stultissimo Satana. Quod Christo Domino, Duci nostro molitus est, hoc etiam nunc militibus ejus molitur. Invitat eos hoc tempore maximè, ut ex piscibus seu esurialibus cibis carnes sibi faciant. Sed qua ratione? *Si filius DEI,* si bonus Christianus es. At hoc venenū perimit illud primum. Si enim talis es, nequaquam decet carnes jejunii tempore te comedere. Itaque hoc est præsentissimum antidotum contra tentationem illam; sic Goliathum proprio ense conficiemus; quod nunc meliùs exponemus.

I. *Quia mater Ecclesia prohibet.*

I. *Si Filius DEI?* adoptivus, si bonus Christianus es, ergo etiam filius obediens Ecclesiæ es, ergo matri prohibenti tibi carnem hoc tempore, non gravatè obedies. Notum est vel parvulis ex catechesi illud S. Cypriani Martyris: *Non habebit DEUM patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem:* multo magis terribile illud fulmen Christi Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Laudantur in sacra scripturâ Jer.35. & pervicacibus Hebræis proponuntur in exemplum Richabitæ, qui ad præceptum patris sui Jonadab vino abstinuerunt unà cum posteris suis per omnem vitam suam. Posuit enim Jeremias jussu Dei ante Rechabitas scyphos plenos vino & calices, & dixit ad eos: *Bibite vinum.* sed illi mox responderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rachab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum.* Posteà sic argumentatur Deus per Jeremiam contra Judæos: *Nunquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermones Ionadab filii Rachab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum, & non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autē locutus sum ad vos de manè consurgens & loquens, & non obedistis mihi.* Eodem prorsus modo arguet nos, si nō audierimus præceptum matris nostræ Ecclesiæ, quæ de manè à tempore Apostolorum scilicet usque ad diem hanc præcipit & inculcat nobis per Episcopos & pastores jejunium Quadragesimale & abstinentiam à carnibus. Quid igitur superest, nisi ut Rechabitæ illi immorigeros Ecclesiæ filios accusent & condemnent? Præceptum illud Jonadab non fuit strictum, sub aliquâ comminatione vel pœnâ injunctum, sed vel volentibus filiis impositum vel consilium tantùm, (quia durum erat valde posteros obligare ad omnem vini abstinentiam per totam vitam; ut ibi notat Corn. à Lap.) annexam habes promissionem longæ vitæ: *ut vivatis multis diebus super faciem terræ;* quia scilicet filiis honorantes parentibus promittitur longiturnitas vitæ, Exod.20. At præceptum jejunii strictum est; quia nec durum: per paucos tantùm dies ab unico prohibens cibi genere: & annexam habet comminationem pœnæ. Ejus rei specimen edidit sanctus Godefridus Episcopus Ambiensis in suis subditis, qui eo in Carthusiâ degente Quadragesimam carnium esu violârant; suspendendo eos ab Eucharistiæ mensâ usque ad secundam paschatis feriam. Cumque unus eorum spreto ejus mandato muliebrem sexum mentiens, communioni se ingessisset, repente tanto viscerum dolore correptus est, ut humi stratus & spumas cruentas ejiciens, Eucharistiam cum multo sanguine evomere coactus sit, ut in ejus vita Nicolaus Monachus Suession. apud Lipel. 8. Dec. Denique Innocentius III. ad Brachar. Archiepiscopum, de observatione jejunii c. consilium nostrum, vult ut etiam pro iis, quibus ex urgente causâ conceditur licentia vescendi carnibus, oretur; quasi etiam illi pœnâ aliquâ compensare licentiam illam debeant. Quem non terreat hoc verbum summi Ecclesiæ pastoris.

II. *Quia ratio prohibet.*

II. *Si Dei filius* & bonus Christianus es, non potes dubitare Ecclesiam matrem sapientissimam rationabili de causâ permotam, carnis esum præ aliis cibis nobis prohibere. Ipse enim Apostolus ad Rom.4. ait: *Bonum est non manducare carnem.* Bene ergo & consulto præcepit id Ecclesia. 1. ad nostram mortificationem & pœnitentiam, ut quia ab omnibus cibis juxta exemplum Christi abstinere non possumus, saltem ab aliquo, eoque magis delectabili abstinere-mus. Cujus rei specimen nobis dedit David, quando concupitam aquam è cisterna Bethlehem, utiqui cæteris meliorem, sibi allatam effudit, ut suam concupiscentiam castigaret. 2 Reg. 23. Parum aut nihil est à vilioribus abstinere, interim se lautioribus replere.

2. Ut per carnis abstinentiam præparemus vasa nostra ac mundemus ad Eucharistiæ sumptionem, Caro enim carnalium cogitationum & concupiscentiarum seminarium quoddam est, magis quam alii cibi, itaque cum carne Christi virginea & sanctissimâ esuriales cibi meliùs cohærent. Certè Hebræi nervum non ederunt, ex quo illorum Patriarcha Jacob in nervo femoris ab Angelo incisus fuit Genes.32. Nervus malarum concupiscentiarum non minimus est carnis esus; quid mirum si interdum saltem incidatur & à mēsa excludatur? præsertim quia simul etiam meminisse possumus Domini nostri, cujus caro in passione miserè propter nos laniata & cruentata fuit.

3. Ut nostra exerceatur obedientia erga Christum & Ecclesiam. Hanc etiam ob causam arbor scientiæ boni & mali posita fuit in paradiso, in se bona & optima, optimisque vestita fructibus (omnia enim quæ fecit Deus, bona valde erant) ad probandam in ea primorum parentum obedientiam. Ideoq; divinat

declinatione & eventu à Deo prævifo, appellata eſt *lignum ſcientiæ boni & mali*: quòd in ea deprehendendi eſſent. Si obedirent & abſtinerent ab ea, boni; ſi non, mali futuri: ut docet S. Auguſtinus 14. de Civit. c.17. Sanctus etiam Baſil. hom.9 *Quod Deus non ſit author malorum*, id expreſsè docet. *Cur*, inquit, *lignum hoc in paradiſo fuit, per quod nos Diabolus tentaturus erat? Si enim deceptionis eſcam ac materiam non habuiſſet, quonam modo nos ſibi obtemperando ad mortem deduxiſſet? Quoniam mandatum eſſe oportuit, ut noſtram erga Deum probaret obedientiam. Ideò planta pulcherrimis fuit floribus ſcatens, ut in abſtinentia voluptatis animi continentis virtutem oſtendentes, patientiæ coronam promererentur.* Sic ille. Jam verò idipſum facit Deus per Eccleſiam in eſu carnis. Itaq; certò ſibi perſuadeant, homines illos bonos eſſe, qui huic Eccleſiæ præcepto obediunt, malos qui non obediunt, temere ſcilicet & abſque rationabili cauſa.

III. ... lex ... ilis ... ff. III. *Si Filius Dei* & bonus Chriſtianus es, utiq; tam cordatus ac robuſtus eris, ut unico illo cibo abſtinere poſſis, quo carere poterant inprimis homines à creatione mundi uſq; ad diluvium per annos 1656. & amplius. Prius enim legitur Deus herbas tantùm homini dediſſe in eſcam, poſteà autem & animantia. Gen.1. & 9. Et quam illi interim ſani fuerunt! quanto tempore vixerunt! Tu non poteris ad breve tempus carnibus abſtinere? Accuſant multi primos parentes, quòd una arbore vetita, aliis omnibus conceſſis, non abſtinuerunt: & cur filii Adæ carnibus ad tempus, permiſſis aliis eſculentis, abſtinere nequeunt; quibus tamen abſtinuit Adam, cum totius orbis monarcha eſſet? Sed quid Machabæi ſeptem adoleſcentes? Nonne diriſſimis tormentis excruciari ac mori maluerunt, quam porcinam guſtare, quam lex non naturalis, ſed cæremonialis tantum eis prohibuit? 2. Mach 7. Quàm modica differentia inter vitulinam & porcinam? & tamẽ cum illam ederent, hanc priuſquam guſtarent, laniari maluerunt. Cumque amici Eleazaro de primoribus Scribarum ſuaderent, ut ſimularet comeſtionem: & afferrent carnes ſimiles porcinis, noluit vel ſimulare vetitam comeſtionem, & mori præoptavit in atrocibus tormentis 2. Mach 6. Quid commemorem 40. illos ruſticos, qui cùm à Longobardis immolatitias carnes comedere cogerentur? ii, ut recenſet S. Gregorius l.3 dial. c.27. ne vetitum comedendo conditorem ſuum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire.

Quid noſtræ ætatis & è ſcholis noſtris puerum decennem Viennenſem, qui anno 1561 cùm Jubilæi cauſâ triduo præſcripto jejunare vellet, à parentibus tamen Lutheranis prohibitus domoq; expulſus ad viam Catholicam profugit, ibique jejunia peregit? In 2. Tu. Annal. ſoc. n. 168. Tu ergo non poteris quod iſti? pueri & ruſtici?

IV. ... ia tranſ- ſio ab- ſtentia carnibus IV. *Si filius Dei*, & bonus Chriſtianus es, nihil habeto commune cum Dæmone & eis aſſeclis. At qui carnem tibi tali tempore offert Satan & miniſtri ejus hæretici; quia nimirum ejus comeſtionem in odium SS. Canonum, præcipuè ſuadet hæreſis. Unde qui non abſtinent, parum Catholici habentur, imò eum hæreticis ſentire putantur. At verò quid filio Dei & Eccleſiæ cum hæreticis? *quæ conventio Chriſti & Belial*, id eſt hominis exlegis? Hæretici deſtinatâ opera devorant carnes his diebus, ut nobis inſultent; & lætantur cùm malè faciunt; ut quid non etiam nos inſultamus ipſis rigida abſtinentiâ, & lætamur cùm benefacimus? Hinc enim vetuit jejunare Melchiades PP. diebus dominicis & feriis quintis in odium Gentilium & hæreticorum, qui id ex ſuperſtitione faciebant, ut alibi retulimus. *ſapit hæreſin in homine ... tentem.*

Denique aſtus Dæmonis totum hoc molitur, ut unà cum bucella intret in os hominis, ſicuti in Judam, & denique accuſet eum ac prodat, ſicut prodidit primos parentes, poſt lapſum eos ſecutus cùm ſe abſconderent fugientes. Ibi enim deprehenſus & damnatus fuit ſerpens, ubi & Adamus; ergo uſque ad medium ligni, ſeu denſarum arborum, ſecutus erat reũ. Quis vero aures præbeat tali conſiliario, qui præbenti proditor & carnifex efficitur? Quare ſicut improbi illi apud Iſa c.22. non tam alliciunt, quàm repellunt, dum ajunt: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*: ita etiã Satan ſuâ carnis illecebrâ magis terret, quàm invitat. *Terruiſti non ſeduxiſti*, (ait S. Auguſtinus in Pſal.70. explicans illum Iſaiæ locum) *planè hoc ipſo, quòd poſteà dixiſti, cras enim moriemur. Audi contra à me: imò jejunemus & oremus; cras enim moriemur.* Idipſum etiam nos reſpondeamus Satanæ: *Terruiſti, non ſeduxiſti, planè hoc ipſo, quòd dixiſti: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes* (vel, ut panes iſti carnes) *fiant.* Audi contra à me: imo jejunemus & à carnibus nunc abſtineamus, quia Dei filii & boni Chriſtiani ſumus & manere volumus. Vade igitur Satana: & accedite ad nos Angeli Dei, ut veſtro ſaginati cibo, qui jejunium & abſtinentia eſt, tandem in veſtrum adſciſcamur numerum, & unà vobiſcum ſtemus ante Deum, miniſtrantes & laudes ei canentes per infinita ſæcula.

THEMA III.

Concupiſcentiæ triplices exterminandæ.

I. Concupiſcentia oculorum ſeu avaritia.
II. Concupiſcentia carnis.
III. Superbia.

Vade Satana. Matth. 4.

TRibus armis inſtructus venit Goliath contra Davidem, gladio, haſtâ, clypeo. Ita enim David ad ipſum: *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo: ego autẽ venio ad te in nomine Domini.* 1. Reg.17. Tribus etiam armis oppugnat Satanas Chriſtum in hodierno Evangelio, gulâ, avaritiâ & ſuperbia. Gula, offerendo ei lapidem in panem vertendum; avaritiâ, oſtendendo & promittendo omnia regna mundi: ſuperbia, deferendo obſequium Angelorum. Nimirum hæc illi triplicia Dæmonis tela ſunt, quæ edicit S. Joan.

an,1.Io.2. *Omne quod est in mũdo, cõcupiscẽtia carnis est & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* His armis aggressus est & stravit primos parentes nostros: Concupiscentiâ carnis, persuadendo eis lignum vetitum; concupiscentia oculorum, dicendo: *Aperientur oculi vestri.* Superbiâ vitæ dicendo: *Eritis sicut Dii.* His tribus telis retinuit & abstraxit à cœna illa magna invitatos, alios emptâ villâ, quæ est superbia vitæ: alios emptis bobus, quæ est concupiscentia oculorum: alios uxore ductâ, quæ est concupiscentia carnis. Denique hæc tria ejecit è templo Christus, cùm primâ vice venit Jerosolymam prædicaturus: concupiscentiam carnis in bobus & ovibus: concupiscentiam oculorum in mensis nummulariorum: superbiam vitæ in columbis. Nos Audit. cùm Quadragesimam inchoavimus, pugnam cum Dæmone incepimus. Itaq; contra hæc tria ejus tela armare nos debemus, & conari, ut illum è corde nostro prorsus ejiciamus.

I. Concupiscẽtia oculorum seu avaritia.

I. *Concupiscentia oculorum*, cujus objectum sunt aurum, argentum, gemmæ, prædia, domus, res curiosæ. Sunt certè divitiæ, si amentur, magnum impedimentum tendentibus ad cœlum (quo per hos Quadragesimæ præsertim dies tendimus) non secus ac quadrigæ in militiâ, quæ idcirco vocantur *impedimenta*; non secus ac sarcinæ & ponderosæ vestes; quales Athanatos vir robustus gestâsse scribitur à Plinio libro 7. capite 20. (quem se vidisse ait (prodigiosæ ostentationis, qui thorace plumbeo quingenario indutus, cothurnisque quingentorum pondo calceatus per scenam ingressus est: non secus ac mures illi apud Phædrum, cæteris grandiores, & duces, qui capitibus suis alligârant cornua, ut reliquis vexillum præferrent, ingruentibus autem repente mustelis fugientes ad foramina hæsêre in portis. Ita enim divitiæ cum amãtur ac cupidè quæruntur, impediunt progredientes ad cœlum, traduntque eos in manus Dæmonum. Unde Paulus 1. Tim. 6, ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli* (S. Cyprianus legit *in muscipulam & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines ad interitum.* Non ait, qui divites sunt; sed, *qui volunt divites fieri.* Non enim divitiæ damnant, sed cupiditas & amor earum, quem sequitur nimia cura, ambitio, superbia, Dei contemptus &c.

Eliminanda.

1. Liberalitate in pauperes effusiore.

Quid igitur factu opus? Expellendus est hic latro animæ nostræ. Quâ ratione? Primo contrario pharmaco, largiùs effundendæ opes in pauperes & pios usus, quæ priùs impensiùs conquirebantur. Sic parum sanguinis, qui nos gravat, emittendo, sæpe recuperamus valetudinem. Quod ergo ori nunc per jejunium detrahitur, pauperibus donetur, ne videamur non Deo, sed bursæ nostræ jejunare. Nemo proinde jam dicat: Non habeo quod dem pauperibus. Sume namque mutuo à te ipso, detrahendo quidpiam ori tuo, & da illud. Deinde affectus à divitiis & possessionibus removendus est, juxta id Ps. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* 1. Cor: id est, amorem, quomodo scilicet Ramises Rex Ægypti erecturus maximum obeliscum, labore 20000. hominum, filium suum cacumini ejus alligavit, quo cautior esset Architectu in illo erigendo Plinius lib. 36. cap. 9. pluris obelíscum quàm filium æstimans. Non ita apponamu seu alligemus cor divitiis, ut ipsis cadentibus simu cadat, in desolationem, impatientiam, iracundiam pusillanimitatem, diffidentiam, desperationem. Pereant potiùs divitiæ millies, quàm cor nostrum semel.

2. Cor, id est, cogitationes & curas: quomodo Principes negotia minora, quale est alendæ familiæ censuum accipiendorum & similia, committun præfectis suis, ipsi de vitâ suâ & honore conservando summisque rebus soliciti sunt: uti Putiphar, qui negotium militiæ gerendæ & suum exercitum curabat; rem vero domesticam committebat Josephc Gen. 39.

3. Cor, id est, intentionem suam dirigendo non ad terram & terrenas opes, sed ad cœlum: quomodo viator tendens ad destinatam sibi urbem omnes pagos & oppida, quæ in viâ occurrunt à latere tantum aspicit, non ingreditur, nec curiosè contemplatur. Ita S. Gregorius hom. 36. ait: *Sit res temporalis in itinere, desiderentur æterna in perventione. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur.* Eo pertinet quod Ecclesiast c. 31 ait: *Beatus dives, qui post aurum non abiit*; ibi scilicet figens intentionem & terminum suum.

II. *Concupiscentia carnis*, eaque duplex. Prior est fœdæ libidinis. Quæ nimium quantum hominem repellit à servitio & conspectu Dei, fontis omnis puritatis, eoque indignissimum reddit. Sunt enim homines obscæni, velut immundi canes, qui ubique è templis expelluntur fustibus ac flagellis. Unde clamat S. Joannes Apoc. ult. *Foris canes & impudici.* B. Petrus Damiani Card. ep. 2. ad Nicolaum 2. PP. l. 1. ep. scribit caniculam prægnantem, cùm Romæ cryptam S. Gregorii in monasterio ejus ad Clivum Scauri, (ubi fons est, unde bibebat ipse, cùm per æstatem ibi degeret) casu ingressa esset, ubi biberet vel pareret, mox ut lectulo S. Gregorii appropinquavit, subito mortuam corruisse. Unde scribit: *Quantâ ergo formidine pensanda sunt homini divina judicia, quando etiam in animalia ratione carentia tam terribilem Deus exerit disciplinam? Si enim ne simplicem quidem aquam, licet sancti loci noluit omnipotens Deus, ut insons canicula tangeret, qua putamus molestia tolerat, cùm perversus quilibet ad percipiendum corpus ejus & sanguinem sacris altaribus appropinquat?* Scimus Ægyptiacam illam Mariam, cùm adhuc impudica esset, ter ab ingressu templi Jerosolymis, ubi Crux Christi asservabatur, divinâ vi repulsam, nec admissam fuisse, priusquam animum suum ab impudicâ vita firmo proposito avocaret. Quanto magis repelli meretur ab ingressu ad ipsam communionẽ corporis Christi, qui immundus est? Quis enim talis audeat ad purissimum sanctitatis fontem & amatorem castitatis accedere? Si Rex Nabuchodonosor, non nisi nobilissimos ephebos, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, nec nisi triennio regiis cibis nutritos & omnibus disciplinis

exculi-

excultos voluit stare in cõspectu suo, Dan.1. Et si Rex Assuerus conjugem Esther speciosissimam non prius quam anno integro, præparatam voluit admittere ad regium thalamum, Esther 2. Si hoc, inquam, mortales homines fecerunt, quomodo audebit apparere in cõspectu Regis Regum Christi, homo spurcus & immũdus? quomodo carnem suam hirco fœtidiorem unire carni Christi virgineæ, templo Spiritus S. Nonnè hoc est ipsam Christi carnem mergere in latrinam? tunicam Joseph polymitam tingere sanguine hirci?

2. Posterior est gulæ; quæ ubi hominem occupavit, vehementer à servitio Dei avocat; cum perpetuo cibum potumq; eructet. Quemadmodum enim qui in pelle gulonis (quod animal est voracissimum, & in Suetia septentrionali capitur) dormit, illius animalis gulositatem quasi induit & perpetuo de voracitate somniat: teste Olao M. l.18. c.8. Ita qui gulæ assuevit, adeoq; in sua ipsius gulonis pelle dormit, non nisi patinas & pocula cogitat; uti ille Prov.23. qui somnians dicebat: *Quando evigilabo & rursus vina reperiam?*

Quid igitur faciendum? 1. Carni de cibo & potu aliquid detrahendum per jejunij sedulam observationẽ. Ad hoc enim instituta est Quadragesima. Pellis vetusta & pertinaciter adhærens, longa inedia laxanda est, ut de serpente scribit S. Hieronymus in ep. ad Præsidium, quod in eum finem 40. diebus jejunet, quo laxatam pellem exuat & novam induat. Civitas valde munita diu & continuâ obsidione premenda est, ne recepto commeatu fortius se opponat. Veterem hominem & diu assuetum vitium exuere, multi temporis est.

Deinde *carnis curam ne feceritis in desideriis*, ait Apostolus ad Rom.13. Non prohibet carnis curam moderatam sed curam in desideriis, 1. ut ne nimio desiderio in cibum qualemcumq; velut bruta animalia rapiamur; quam ob causam puniti fuerunt Hebræi plagâ ignis Num.11. unde locus ille *Incensio*, & *sepulchra concupiscentiæ* appellatus; quia flagrabant desiderio carnium. Ergo ut medicamentum, non ut oblectamentum sumendus cibus & potus; ut egit S. Augustinus l.10. Confess.2. Ne ob cibi expectationem impatientes fiamus. In quo graviter deliquit insignis ganeo Henricus Goritiæ Comes, *quando absente eo qui sella vinaria claves habebat, sitibundus ostium calcibus invasit; arguenteq; eum Phœbo de Turri, qui secum nutritus erat, neq; se sineret frangere repagulum, orantè: Tace, inquit; me sitis, non te cruciat*; ut Æn. Sylvius l. Comment. n.56. refert.

Ne delicata & peregrina vina & esculenta desideremus, adinstar Hebræorum, qui carnes expetebant, & manna, licet optimum fastidiebant; quia color, odor, forma & figura semper eadem erat, ideoq; puniti sunt, ut supra dixi; non etiam exactam nimis ciborũ præparationem; ob quam causam reprehensi & de- ... ium morte plexi sunt filii Heli, qui carnes non coctas ab offerentibus, sed crudas exigebant, quas ad ... um gustum studiosius coquerent 1. Reg.2.

III. *Superbia vitæ*. Mirum etiam in modum superbia impedit hominem à via cœli, & cõspectu Christi, qui ad nos humilis venit, indignos reddit. Sensit certè Heraclius Imp. regio indutus apparatu, auro & gẽmis ornatus, se retardari in via, nec amplius progredi posse cum S. Cruce, quam gestabat, in Calvariæ montem reponendam, exemplo Christi. In portâ enim urbis sistere coactus est; ubi verò monitu Zachariæ Episcopi habitum Regis deposuit, &, ut similior Christi fieret, plebeium induit, reliquum viæ facile confecit. III. Superbia.

Quid igitur factu opus? 1. de ornatu corporis aliquid detrahendum hoc pœnitentiæ tempore. Decet enim ut filij ac filiæ matrem suam sequantur. Mater autem nostra Ecclesia nunc cæruleis, deinde ultimis duabus septimanis, nigris paramentis se vestit, ut pœnitentiæ habitum & Christi mortem lugendam suis commendet. Mos est nautis, ut qui parvis navibus occurrunt majoribus, antennas demittant honoris causâ, & navigare desinant, ut scribit Bembus l.4. hist. Venet. Quanto æquius est, ut nos infimi terræ vermiculi, occurrenti nobis Dei filio eundem honorem præstemus? vela & antennas superbiæ demittamus? *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* (Christo) *In planum*. Zach.4. q.d. humilia te coram tanto Principe. Deinde 2. si ob causam honestam & rationabilem vestiantur aliqui splendidius, placere tamen hominibus non cupiant, sed sibi ipsis displiceant, atq; ut monet S. Augustinus in ep. 199. ad Ecdiciam, *in superbo ornatu habeant cor humile*. Ita egit S. illa Esther, quæ ut flecteret Assuerum ad justitiam & clementiam erga gentem Hebræorum, ipsum allocutura se adornare debuit regio cultu, interim tamen ad Deum orans dicebat: *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, quasi pannum menstruatæ*. Apud Gorionidem: *sicut vir odit vestem muliebrem*. At qui vir in veste muliebri non facile superbit. Talis S. Editha Virgo filia Edgardi Regis Anglorum, quam cum B. Ethelvoldus Episcopus die quodam incedere ornatiori habitu vidisset ac dixisset. *Non his filia mea indumentis itur ad Christi thalamum*; respondit: *Crede mihi pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprinâ*; gestabat enim cilicium sub ea veste. Sur.16. Sept.

Elimi-nanda. 1.

Ergo auditores faciamus ex hac concione flagellum & ejiciamus è corde nostro Satanam, exemplo Christi, ut ipso nos deserente accedant ad nos Angeli SS. & ministrent nobis.

THEMA IV.

Dæmonum malitia in variis bestiis depingitur.

Dæmones

I. *Sunt serpentes.*
II. *Sunt scorpiones.*
III. *Sunt leones.*
IV. *Sunt pardi.*
V. *Sunt lupi.*
VI. *Sunt Vulpeculæ.*
VII. *Sunt apri.*

Ductus est Jesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

Dæmones jejunium impedire conantur.

QUadraginta dierum jejunium, quod confecit Christus, & nos aliquatenus imitando nunc inchoamus, in memoriam nobis refricat & modo aliquo exprimit iter Hebræorum, quod annis 40 confecere per desertum, donec eo emenso ad terram sibi promissam pervenirent. Quemadmodum ergo in illo itinere Hebræi inciderunt in serpentes ignitos, à quibus icti plurimi fuerunt: ita etiam Christo Domino nostro in deserto jejunanti occurrit serpens ille antiquus, insidias ei tendens: neq; dubitãdum idipsum actitare cum Christi servis, qui suo hoc jejunio sequi Dominum suum volunt. Videt enim nos hac via tendere in terram lacte & melle manantem, adeoq; ad sedes illas & cœlestes arces, quæ ipsi paretæ erant, hinc invidiæ stimulo misere agitatus, omnibus quibus potest modis impedire iter & progressus nostros adlaborat, & cum cohorte sua sævarum instar belluarum vias nostras obsidet. Nos ergo ut circumspecte prosequamur iter nostrum, prius hostes illos considerare volumus, quo cautius evitemus ac superemus.

I. Sunt serpentes.

I. Sunt serpẽtes, ita enim in scriptura frequentissimè vocantur, uti *serpens antiquus*. Apoc. 12. quia ab initio primos nostros parentes per serpentem decepit, & ab eo tempore usq; hodie impugnat genus humanum.

1. Causæ sunt. Prima secundum S. Cyprianum tr. 3. de prælat. simpl. Diabolus, dictus est serpens; quia cum latenter obrepit, ait, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit) ea est ejus astutia, ea circumveniendi homines cæca & latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, anti-Christũ sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Sic in hodierno Evangelio Christum quasi esurientem pane tentavit, velut necessaria refectione ei, qui jejunio vires suas plane fregisset, ne sibi ipsi necem inferret, vel certè ad alia Dei obsequia inutilem redderet, &c. Pari astu conatur homines retrahere à jejunio: mulieres prætextu sexus infirmi, juvenes ratione incrementi, senes ob virium debilitatem, viros ob labores vel itinera, ad carnium esum invitat, &c. Ita S. Francisco oranti occinebat: *Francisce, Francisce, Francisce: Nullus est in mundo peccator, cui si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicunque pœnitentia dura se necaverit, misericordiam non inveniet in æternum*, sed vir sanctus astum ejus cognoscens, orare perrexit ferventius. Ut in ejus vita.

Secunda, quia serpentes insidiantur dormientibus, halituq; eorum calido allecti in eos quandoq; ingrediuntur. Non aliter Dæmones invadunt otiosos & somnolentos. Unde ad vigilantiam excitamur per Quadragesimam. Facile etiam ingrediuntur eos, quos calere aliquâ concupiscentiâ advertunt.

Tertia, quia uti serpentes ferè in spinis: ita Dæmones in divitiarum cupiditate, & voluptatibus habitant. Audiatur S. Chrysostomus hom. 8. in Epist. ad Roman. *veluti serpens*, inquit, *spinis occultatur: intra divitiarum imposturam assiduè latitans, qui si spinas inciderit, facile aufugiet, timidus redditus.* Hinc etiam uti serpentes timent hominem nudum, & insiliunt in vestitum, & sputo hominis jejuni enecantur velut veneno, teste Pierio l. 14. Bercorio in Reductorio l. 10. cap. 89. Ita Dæmones metuunt contemptorem rerum temporalium, insiliunt in amatorem, juxta id Apostoli 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli.* Hinc ut arbitror Jobum opulentum invasit & afflixit, nudatum vero & inopẽ non est ausus aggredi, nisi, ut quidam volunt, per uxorem. *Quidam renuntiaverat sæculo*, ait S. Antonius in hist. parte. tit. 15. cap. 3. sed non perfecte, quia quædam adhuc sibi retinebat. Venienti ergo ad Antonium (Abbatem) pro instructione suæ salutis, dixit ei Antonius: vade & eme carnes, & cum eis ad me revertaris. Quod cum fecisset, & eas secum portaret, canes in via eum infestabant multum & lacerabant propter illam. Et cum venisset ad Antonium, declaravit molestiam, quam passus fuerat à canibus in via propter carnes. Tunc Antonius ait: sic qui sæculo renunciant & retinent sibi pecunias, impugnantur à Dæmonibus & discerpuntur. Viderint etiam illi, qui nunc carnes devorant, quos comites secum trahant. Dæmonum etiam vires eliduntur per jejunium, quam ob causam Christus ad doctrinam nostram armavit se jejunio contra tentationem. Si accedat etiam sputum, hoc est, contemptus cacodæmonum magis adhuc fugabuntur, non ferentes confusionem.

II. Sunt scorpiones teste Domino Luc. 10. *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones*; hoc est, Dæmones, ut censet S. Athanasius in ps. 28 Theophyl. Beda.

Ratio est primo, quia uti scorpiones spiculum suũ semper exertum, velut gladium evaginatum & strictum, gerunt, ubique ad nocendum parati, teste Plinio libro undecimo, capite vigesimo quinto: ita Dæmones hominibus nunquam non insidias struunt & nocere machinantur; nam etiam dormientibus nobis

nobis ipsi nunquam dormiunt, sed ubivis & quandocunq; nocendi occasionem captant. Hinc Apoc. 12. Draco visus à Joanne, stabat ante mulierem, Ecclesiam, ore utique hiante, singulis momentis expectans ejus partum, ut devoraret.

2. Scorpio ferit obliquo ictu & flexu, ut ait Plinius, incedit quoque obliquo gressu, ut feriat ex improviso. Idem agunt Dæmones: Prætendunt quandoque rem bonam & piam, periculo tamen expositam; & sub ejus prætextu inducunt ad lapsum. Sic ille, qui suasit Eremicolæ egredi, è cella ad vicinum monasterium pro sacra communione, ubi detentum in prandio & regressum induxit ad revisendã patriam & adeundam (fictam solum) hæreditatem: sicque eum sæculo affixit & in fornicationem impulit. Ut Rosvveidus in vitis PP. lib. 5. libello 7. refert. Simile est quod recenset S. Bernardus ser. 64. in Cant. de monacho, qui abiit è monasterio parentes conversurus, sed ipsos non convertit, & seipsum perdidit.

3. Cum alias corporis partes pungat, volam tamen manus lædere non potest, teste Plinio; quod etiam se experientia comperisse scribit Bercorius l. 2. Reduct. c. 25. Vola manus percutere, & alaphas dare solemus. Eos igitur, qui Dæmonem feriunt, eique animose resistunt, non facile vulnerabit. Unde S. Jacobus c. 4. ait: *Resistite Diabolo & fugiet à vobis:* Est enim instar fœminæ procacis quæ viro timido impotenter dominatur: audacem vero timet, eique silens se submittit. Hinc S. Gregorius l. 3. mor. c. 17. ait eum esse myrmicoleontem (de quo Job. c. 4. v. 11. secundum 70. dicitur: *Myrmicoleon periit,* hoc est, *formica leo*) esse eum formicam audacibus, qui se ipsi opponunt: leonem vero timidis. Formica fuit Christo in hodierno Evangelio; dum uno verbo *Vade* fugatus est: & S. Antonio, qui eum ad certamen provocans: *Si habes potestatem,* inquit, *à Deo in me, exere, ecce ego: si non habes, quid frustra conaris?* Unde S. Greg. l. 5. mor. c. 17. ait: *Antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est: ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus prabetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica a. teritur.*

III. Sunt leones, teste S. Petro 1. Pet. 5. *Sobrii estote,* ait, *& vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

Ratio est primò, quia uti leo grandia & fortia animalia aggreditur, parva & vilia aspernatur; nec comedit nisi quod vivum reperit, teste Æliano lib. 2. c. 3. Sic etiam Diaboli *cibus electus* (ut dicitur Hab. c. 1.) sunt meliores & sanctiores, quos aggreditur fortius multò, quam alios, qui communi duntaxat mandatorum via incedunt, adeoque parvæ perfectionis sunt. Hinc teste Cassiano collat. 21. cap. 28. tempore Quadragesimæ, cum fideles carnem macerant & pietati se addicunt, magis eos tentat, quàm aliis temporibus. Tunc enim potissimum irritatur & vulneratur, adeoque vindictam quærit.

2. Leo cùm infirmatur, simias quærit & devorat, eorumque sanguini sibi medetur, ita etiam Dæmon cum pietate fidelium sauciatur ac frangitur, tùm quærit sibi simias, hoc est, hypocritas, stimulando pios, ut opera virtutum faciant ad applausum & vanam gloriam: vel impios, ut simulent & imitentur opera pietatis: quo modo simiæ non absimiles hominibus imitantur hominum acta, cum tamen nec homines sint, nec vera opera humana edant. Sic medetur suæ ingluviei Dæmon.

3. *Leones rotarum orbes circumacti, currusque inanes & gallinaceorum cristæ cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes,* ait Plinius lib. 8. c. capite. 16. Hunc in modum: *mihi credite,* aiebat S. Antonius, *pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam & humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ Crucis signo debilitatus aufugit.* Quid in speciem vilius cruce? quid invocato nomine JESU? hoc tamen quasi galli cantu fugatur. Quod rosarii globulis oratione roratis? his tamen terretur. 3.

IV. Sunt Pardi, de quibus Jer. 5. dicitur: *Percussit eos leo de sylva lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.* Ad litteram quidem Chaldæi Judæos punituri, per has sævas bestias: tropologicè vero Dæmones intelliguntur. IV. *Sunt pardi.*

Primo Pardus fera sæva ut leo, pellem habens respersam maculis, frondibus se occultat, & odorem gratum emittit, quo dorcades, capreas altasque bestias ad se allicit, arripit, lacerat, teste Plin. lib. 8. c. 16. Ælian. lib. 5. cap. 4. Dæmonem ergo significat, qui objectis odoriferis, carnis deliciis, fucatâ pulchritudine, illecebrarum varietate incautos decipit. Alios trahit ad frangendum jejunium, proponendo eis cibos vetitos, sed valde optatos, sapidos, raros, varia coctione pictos & odoriferos; quo modo traxit illum Esau coctione rufa ad devorandum suum patrimonium. Genes. 27. S. Antonio in Eremo objecit discum argenteum: aliâ vice magnam auri massam. 1.

2. Pardalis ubi novit simiarum copiam esse, sternit se supinam sub ramis ac porrectis cruribus mortuam se fingit. Eâ visa ex arboribus simiæ descendunt & veluti hosti suo enecto variè illudunt, circumsaltando, postremo pedibus calcando donec defessentur; tum repente exurgit, quasi revivіscens, & fessas corripit, laniat, deartuat. Refert collector adagiorum Cent. 4. adag. 66. quod tamen immeritò fabulosum putat. Simili dolo dæmones quandoque se superatos ac planè mortuos fingunt, cùm hominem impugnare desinunt; ut ita jam securum & incautum obruant ac prosternant. Scimus Amnonem à fratre Absalone invasum & occisum, quando velut amicissimus ad convivium ab eo vocatus fuerat. 2. Reg. 14. Similiter Simeonem à Ptolemæo. 1. Mach 16. Suspectas igitur habeat vir pius has inducias cum Dæmone, & se ad acrius certamen paret. Sic David Sauli sibi reconciliato & amicitiã juranti, nequaquam 2.

fidos

fisus est; sed recepit se ad tutiora loca, sciens inconstans & versatile ingenium Saulis, ejusque hostilem animum non immutandum. 1.Reg 24. ut enim Hannibal Carth ginensium Dux, pede pulverem excitans dixit: *nunquam fore pacem Carthaginensibus cū Romanis, donec alterutri in pulverem redigantur*: sic nequ[illegible] Christianis erit cum Dæmonibus.

3. [illegible]*di ego jam* ait S.Basilius hom.in aliquot Script. loca, [illegible]*artim audivi, res certa est, inter animalia hominibus inimicissima pardalim quandoq́; in stadiis hominis oculos præ ira invadentē. Qui feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginē ei ex chartâ ostendunt. Illa statim furibunda concerpit atq́; dilacerat: hoc argumēto satis ostendens, quanta sit ejus adversus hominē inimicitia. Sic item Diabolus in DEI imagine, quo sit erga Deum odio, ostendit, quando DEUM ipsum attingere nequit*. Sic Basil. Satis hoc ostendit Dæmon Matth.8. quando ejiciendus ex homine petiit intrare in porcos. Sed cur in porcos spiritus naturâ sua nobilissimus? Utique hominum odio; ut si homini nocere in persona non posset, saltem in bonis ejus: vel etiam in animali ei non absimili (ajunt enim periti suem esse animal homini simillimum in structura corporis) quasi in imagine noceret. Nos ergo tanto cautiores simus, quanto ille nobis est infensior. Objiciamus ei in confessione veterem hominem exutum, ut in illum sæviat, nos salvi evadamus.

V. V. Sunt lupi rapaces, seu *vespertini*, ut supra audivimus, hoc est, noctu maxima fame & rabie grassantes. Ratio est primo, quia uti lupi cùm infantem

Sunt lupi.

1. rapuerunt, prius cum eo ludunt, postea eum laniant ac devorant; ut refert ex Isidoro Bercorius. l.10. Reduct. c.63. Ita Dæmon servos suos primo quidem exhilarat, & cum eis ludit, objiciendo eis vanas delectationes in hoc sæculo (sed ad extremum eos accusat, absorbet & affligit: cum econtra Christus suos prius labore & tristitia exerceat, posteà gaudiis perfundat.

2. 2. *Lupus,* ait S.Ambrosius 7.Hexam. c.4. *si prius hominem viderit, vocem eripit & despicit eum tanquā victor vocis ablatæ. Idē si se prævisum senserit, deponit ferociam, non potest currere.* Sic etiam Diabolus, si cujus animum præocupat in confessione, injiciendo ei pudorem; ille in confessione mutescet: at si quis ipsum præveniens firmiter statuat apud se superare pudorem illum, tunc ipse vires perdet.

3. 3. Non prædatur in vicinia, ubi nutrit catulos suos, ut ex Phisiologo Bercorius loco cit. Ita etiam Dæmon non insidiatur iis, quos quasi vicinos suos jam sibi addictos & damnationi propinquos novit, infidelibus, hæreticis, magis, sagis & inveteratis peccatoribus: quia jam quasi captos retinet. Simili modo Holofernes Judithæ, quæ sua sponte in ejus castra transierat, nequaquam se hostilem, sed blandū ac benevolum exhibuit, addens causam: *Quoniam ego*, inquit, *nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosor Regi*. Judith.11. Illis tantum Hebræis malum se machinari ostendit, qui rebelles ipsi essent.

VI. VI. Sunt astutæ vulpes, juxta id ps.62. *Partes vulpium erunt*: hoc est, dæmonum, ut exponit Origenes hom.ult.in Cant.illud 2. *Capite nobis vulpes parvulas.* Primo vulpes *in Ponto sic otidas* (Drappen) *venatur, ut & sese avertens & caput in terram abjiciens, tanquam avis collum, sic caudam extendat: eæ autē hac insidiarum instructione seductæ, ad illam tanquam ad suam gregalē, accedunt, illa vero se vertens nullo negotio capiat*. Ita Ælianus l.5.de animal.c.24. Pari modo Dæmon simulat se amicum & transformat in Angelum lucis, ut capiat incautos. Sic apparuit specie Angeli Simeoni Stylitæ, dicens: *Misit me Dominus Angelum suum cum curru igneo & equis igneis, ut rapiam te quomodo rapui Eliam, &c.* Simeon pedem unum jam elevans, ut ascenderet currum, crucem, dum efformat, currum & aurigam evanuisse vidit, Ut in ejus vita Antonius ejus discipulus. Probabile etiam est Dæmonem in hodierno Evangelio assumpsisse habitum unius Eremicolæ in eodem deserto habitantis, ut Christum deciperet.

2. Vulpes *cum vesparium refertum esse animadverterit, retrorsum eo accedit, atque tota à vespeto aversa ab aculeorum sane vulneribus declinans, in cellas vesparias immissa hirsuta cauda eademque bene prolixa, vespas concutit. Cùm autem vesparum circumvestitā spissis pilis, caudam impetentium referta est, tum eam ipsam vel ad arborem, vel ad parietem ad maceriemve allidit Itaq; multa caudæ attritione his extinctis, in reliquas evadit, proindeq; eas, ut primas interimit. Tandem sic omnibus deletis omnia sibi tuta experiens, nullo jam murmure turbanda nullos jam metuens aculeos, os in vesparium favum immittens vorat*. Sic Ælianus l.4.de anim. cap.39. Quid magis exprimeret stygiam vulpem? Vult ipse nobis auferre favum pietatis & cœlestis suavitatis: at nos ipsum ferimus aculeo crucis, oratione, flagellis, ciliciis, &c. Quid ad hæc ille? Cauda vulpina dum nobis occinit *Euge*, & quasi jam sanctos prædicat in cogitatione nostra, hoc ipso per vanam gloriam allidit & occidit, dum nobis ipsi placemus, vel nostras laudes acceptamus; sic dum vulpinæ caudæ adhæremus, favum perdimus & meritum unaque sæpe vitam animæ.

3. *Vulpes insidias hoc pacto in erinaceos terrenos molitur: ut cum eos rectos, quòd à morsu vulpium impetum spinis prohibent; expugnare nō queat, ipsos summâ cautione oris leniter & cautè primum evertens, supinos cōstituat; deinde & laniet, & qui anteà essent formidabiles, exedat conficiatq́;* ait idē Ælianus l.6.hist.anim. c.24. Simili modo Dæmon, quos una ex parte bene constituit, & ut in parte debiliore, quâ non satis armati sunt, invadat, v.g. in humilitate aut patientia eos, qui jam maximos in studiis aut virtutibus fecerunt progressus. Sic hostis muros, quâ parte infirmiores sunt aggreditur.

VII. Sunt apri, juxta id ps.79. *Exterminavit eam* (vineam) *aper de sylva*. per quam intelligit Dæmonem S. Chrysostomus hom.6. in Ep. ad Philip. Porro apri nocent valde pratis, radices eruendo sicque

que terræ virorem evertendo, teste Plinio l.10.ca.73. & patet experientiâ. Dæmones etiam radici virtutum quæ est humilitas, præcipuè insidiantur ea enim eradicata, nullæ virtutum herbæ pullulare possunt.

2. Aper contra venatores sibi insidiantes armat se & acuit dentes, teste Plinio lib.8. Sic hostis noster Diabolus, *quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit.* ait S. Gregorius lib. 24. mor. c.12.

3. Aprorum dentes & gladios ut sic dicam, evitant venatores, prosternendo se in terram. Sic Dæmonum tentationes per humilitatem, qua Deo nos prosternimus, facilè vincuntur.

Quando igitur videmus iter nostrum tam sævis tamq; dolosis belluis obsessum esse, quam cautè & circumspectè inter eas ambulandum quam fortiter pugnandum sit, satis inde constat. Certè Moyses noluit cum populo suo pergere per desertum, nisi ipse Deus eos præcederet; id quod tam instanter postulat Exod.33. *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Et nos igitur in omnibus actionibus nostris Dei directionem petere oportet. *Et ideo Deus meus ad te clamamus.* orat S. Augustinus cap.16. Soliloq. *libera nos ab adversario nostro.*

THEMA V.

Urna fortunæ, per Quadragesimam proposita à Diabolo.

I. *Lactucam extrahunt delicati & timidi.*
II. *Ova, qui etiam esurialibus cibis intemperantius vescuntur.*
III. *Muscas, qui inconstanter jejunant.*
IV. *Glires, qui somnolentiæ se dant.*
V. *Ursos, qui cum murmure & impatientia jejunant.*
VI. *Camelos, qui juxta placitum suum jejunare volunt.*
VII. *Aurum qui per hos dies lucra quærunt.*

Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum. Matth. 4

DE monstroso & stultissimo illo Imp. Heliogabalo refert Alexander ab Alex. l.5. c.21. eum aliquando conviviales sortes post cœnam convivis suis proposuisse, sub spe magnorum munerum; qua tamē delusi, alius extrahebat 10 camelos, alius muscas, alius auri libras, alius 10 ova, alius ursos, alius glires, alius decem lactucas. Non dissimilis huic scurrili Cæsari est princeps tenebrarum harum, Diabolus, qui mundi sectatoribus hoc potissimum tempore Quadragesimæ mirabilem proponit & quasi sortilegam urnam, seu nundinas diabolicas quibus lactat homines, ut hoc sacrum tempus eludant & inane reddant; proponit enim varias artes & modos violandi Quadragesimam, interim suis nugis circumvenit, ut jejunij & aliorum piorum operum fructu spoliet. Et hic est ille ludio, qui in hodierno Evangelio duxit Christum Dominum in præaltum montem, & *ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.* Et verò invenit non paucos, qui in hanc pestilentem urnā immittunt manum suam, & miras vanitates extrahunt, non absimiles illis, quas proposuit Heliogabalus. Nos ergo, ne ab hoc impostore decipiamur, contemplabimur paulisper ea, quæ proponit bona, & eos, qui arripiunt ut nobis caveamus.

I. Sunt qui lactucam extrahunt, suntq; delicati ac timidi, qui nihil omnino sustinere volunt; timentes ne mox infirmentur, si incipiant jejunare, aliaq; pœnitentiæ opera facere. Lactuca tenera admodum & delicata est, sic appellata à lacte; unde timidos & pusillanimes vulgus Germ. appellat *lattuch*. Similes civibus Suedigradensibus in Epiro, qui ab Amurate Turca obsessi, cum ob dejectum in puteum canē bibere inde nollent ex antiqua Græcorum persuasione, quæ jubebat morticina non tangenda, alium verò potum non haberent, tradiderunt se & civitatem munitissimam hosti crudelissimo, teste Barletio in Actis Scanderbegi. Hunc enim in modum delicati aliqui à piscibus alijsq; esurialibus cibis abhorrent per Quadragesimam, quod sibi eos noxios & mortiferos esse fingant, sicq; Dæmoni, truculentissimo hosti, ostium aperiunt ad capiendas eorum animas. Audiant hi S. Athanasium in l. de Virginitate servanda: *Si accedant aliqui,* inquit, *& dicant tibi: ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; nec illas credas, nec auscultes; istos enim Diabolus subornavit.* Experientia sæpe ostendit tales, qui metu infirmitatis vescuntur carnibus in jejunio, æquè aut magis infirmari, quam si abstineant: sola quædam persuasio eos, qui jejunium experti non sunt dejicit & dementat. In Siciliæ lapicidinis vastissimis homines habitabant, quorum filii ibi educati nullos unquam equos videbant. Quare si quando in civitatem Syracusas venissent, & vidissent equos currui junctos, adeo perterrebantur, ut cum clamore vociferationeq; aufugerent, teste Æliano l.12. var hist. c. 44. Pari modo aliqui nobiles delicati, quia ab ætate tenera nullis assuevêre jejuniis, adeo vel eorum solo nomine terrentur, ut primo Quadragesimæ conspectu perterriti refugiant, & ad medicos ac parochos pro dispensatione currant. ô pueri! I. *Lactucam extrahunt delicati & timidi.*

II. Alij ova, qui cibis etiam esurialibus intemperātius vel nimiâ cupiditate vescuntur. Legimus & ova mortem attulisse hominibus. Appium Saufejum refert Plin. l.7. c.53. dum ovum sorberet intercluso spiritu, a morte occupatum. Alius mendicans cum in festo paschatis collecta à se ova ad saturitatem edisset astricto ventre, ut neq; clysteribus neq; medicamentis cederet, interiit, teste Brasavolo apud Aldrov. l.14. Ornith. c.1. Possunt etiam secundum animam cibi esuriales hominem necare. Vulgò dicimus, novem dedecora seu errores incurri posse in ovi comestione: pari ratione & in Quadragesimalibus cibis novē errores committi possunt. Primus, si nimio desiderio æstu sumātur. Unde S. Greg. l.3. mor. c.25. ait: *Antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse cau-* II. *Ova, qui etiam esurialibus cibis intemperantius vescuntur*

 sam

sam damnationis intelligit, & primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentavit, hinc est, quod plerumq; culpa cõmittitur, etiam cum abjecta & vilia sumuntur. Scimus Esau sua primogenita vendidisse pro vili lentis edulio, quia nimirum ejus incredibili cupiditate trahebatur, Gen. 25. Secundus, si intemperantius sumantur: quâ de causâ videntur puniti fuisse plagâ ignis Hebræi, qui concessis sibi coturnicum carnibus gulosè nimis se ingurgitarunt. Num. 11. Tertius, si nimis tempestivè, ante consuetum scilicet tempus; hoc enim est cõtra antiquam & receptam Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis obtinet. Quartus, si quis in die sæpius quam semel refectionem sumat: hoc namq; jejunii rationem tollit. Quintus, si vespere in parvâ refectiunculâ excedat se satiando. Sextus, si refectio meridiana nimis diu producatur & continuetur, v.g. usq; ad tẽpus cænulæ. Septimus, si nimiæ lautitiæ quærantur, de quibus S. August. ser. 157. de tempore ait: *Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potiùs quam religiosi, exquirentes novas vanitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes: qui pretiosis copiosisq; apparatibus fructuum diversorum quorumlibet varietates & sapores superare contendunt.* Sic ille verissimè. Octavus, si cibi abstinentia vini ingurgitatione compensetur. Nonus, si in ipso jejunio modus & discretio non servetur, sed valetudo lædatur, quod tamen in paucis timendum.

III. Muscas, qui inconstanter jejunant.

III. Alij muscas, qui postquam ad tempus jejunârunt, postea in medio ac fine deficiunt & tædio affecti impatientes fiunt. Muscæ inconstantem volatum habent, quia caudâ carent, ut ratiocinatur Aldrov. l. de Exsang. anim. Similes ergo sunt illis, qui bene quidem incipiunt jejunium aliaq; pœnitentiæ opera, sed ad finem opus corrumpunt, cessatione vel impatientia. Quâ de re intelligere possumus, quod ait Ecclesiast. c. 10. *Muscæ morientes perdunt suavitatẽ unguenti.* Suave unguentum est jejunium, animabus corporibusq; curandis ab Ecclesiâ salubriter institutum. Quo facit id, quod Dominus Matth. 6. ait: *Cum jejunas, unge caput tuum*, h.e. hilarem te ostende; conservat enim spiritũ à multis peccatis, quin etiam ipsum corpus. Hoc verò vitiatur à muscis incidentibus ac cum morte inibi luctantibus, quando incipimus in jejunii tolerantiâ deficere, idq; impatienter ferre, quasi moriendum nobis sit. Sic perditur unguentum nostri jejunii alioquî pretiosum, ut nauseam Deo creet. Contigit simile quid Hebræis in deserto, quibus manna initio valde sapiebat; verum post annos aliquot nausea fuit; adeo ut clamarent (Num. 21.) *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Obtinuerunt ergo carnes sed in perniciem & interitum suum, ut ibi refertur. Audiamus hac de re S. Chrys. in illa verba: *Vidi Dominum*, hom. 3. *Initio quidem non egemus multa exhortatione. Cur ita tandem? Eo quod quilibet homo, etiamsi fuerit omnium pigerrimus, aggressurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumq; animi vigent, alacritas & vires integræ sunt ac recentes, facile ad id, quod propositum est, pertingit: cæterum ubi major pars viæ peracta est nobis, jamq; alacritatis vigor evanuit, viresq; nostræ defecerunt, nec aliud superest, quam decidamus: tunc nobis in tempore adest Propheta velute pro baculo quopiam alloquium suum nobis porrigens ac dicens: In fine ne corrumpas. Tunc enim Diabolus spirat vehementius. Et quemadmodum pyratæ, qui mare navigiis infestant, non tum, ubi conspexerint naves è portu exeuntes invadunt, (quid enim hinc fructus caperent, si schapham inanem demergerent?) sed ubi redierint onustæ plenæq; sarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille Dæmon simulat & videt aliquos multa collegisse, videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem &c. tunc irrumpit undiq; thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis scapham demergat &c.*

IV. Glires, ...

IV. Glires alij, qui nimirum somno & somnolentiæ hoc tempore mancipantur. Notum est de gliribus quod per hiemem totam dormiant, & in vere primũ evigilent. Hos imitantur 1. qui sacro Quadragesimæ tempore, quod corpori per abstinentiam detrahunt, compensant per somnolentiam: non advertẽtes quod Ecclesia per Quadragesimam singulis diebus initio Matutinæ horæ ad vigilantiam nos hortetur: *Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.* Ratio est, quia in sõno plus homini insidiatur & nocere potest Dæmon, sæpius ex parte sensibus: præsertim si ex pigritiâ prolongetur & hoc sacro tempore; teste S. Leone serm. 2. de Quadrag. *Semper tibi o anima Christiana*, inquit, *vigilandum contra salutis tuæ adversarium fuit, sed modo tibi major cautio & solicitior assumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia.*

2. Qui hoc sacro tempore dormiunt in peccatis, nondum expiatâ conscientiâ, adeoq; privant se merito ieiunii aliorumq; bonorum operum, quæ per Quadragesimam faciunt. Nisi enim in statu gratiæ sint, mereri nihil possunt. Suadeo igitur ipsis, ut initio mox Quadragesimæ per Confessionem se Deo recõcilient. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* canit eis Ecclesia. Videant ne contingat eis sicut gliribus montanis in Vallesiâ, qui dum hieme sub nivibus dormiunt in cavernis suis, à rusticis, qui prius eorum cubilia observarunt, eximuntur & dormientes adhuc in forum vendendi gestantur, nec prius evigilant, quam venditi ad culinam, cultrũ jugulo suo appositum sentiant, (ut alibi retuli) Hoc enim sæpe, cõtingit iis, qui profunde in peccatis dormiunt, nec excitari etiam sacris temporibus queunt, ut venundati & relicti in lethargo peccatorum suorum prius sentiant cultro mortis jugulum suum à Dæmone peti, quam evigilare cœperint; uti Zeno Imperator ebrietati deditus, qui postquam à conjuge frustra sæpe reprehensus fuit, tandem ab eadem crapulam edormiens, sepulchro inclusus ac desertus est; ac licet post evigilans terribiliter clamaret & omnia sponderet, auditus tamen non est; ut dixi alibi.

Trip. ... 19. p. ... Pent. ...

V. Ursos, ... cum ... murè...

V. Alii extrahunt Ursos; qui videlicet hoc ieiunii & pœnitentiæ tempus peragunt coacti & cum murmure atq; impatientia. Sic enim & ursus in principio hiemis per 14. dies, vel ut Aristoteles 8. libro animal. c. 17.

vult,

vult per dies 40. latitans in caverna sua jejunat, & pedes tantùm suos sugit; sed cum murmure continuo, ut scribit Alexander apud Gesner. in Urso. Cui similimi sunt, qui per Quadragesimam abstinent à carnibus, deliciis, choreis, conviviis, nuptiis, aleis, &c. non tamen sine murmure, execratione, impatientiâ. Neque isti Deo placent; scimus enim Christum non admisisse nisi voluntaria obsequia. Venit aliquando in terram Gerasenorum & liberavit ibi à Dæmone duos obsessos; verùm quia Geraseni ægrè eum sustinebant, rogaverunt, ut discederet, mox ab eis recessit Luc. 8. similiter in civitatem Samaritanorum, quia ipsum velut Judæum recipere nolebant, noluit intrare, nec ab invitis obsequium petere vel accipere Luc. 9. Poterat etiam in hodierno Evangelio Dæmonem compellere, ut sibi ministraret, sed quia id cum murmure & coactus fecisset, maluit SS. Angelos admittere, qui cum gaudio id faciebant. Et verò nunc jejunii lex tam est moderata, ut nemo jure conqueri de austeritate possit. In primitivâ Ecclesia & deinceps per aliquot sæcula jejunabant Christiani usque ad vesperam, ut patet ex Tertulliano; qui eorum refectionem appellat *feras escas* l. de cultu fæm. c. 9. Hieronymo in vitâ S. Hilarionis, Paulino in vita S. Ambrosii, Augustin. ep. 86. Concilio Chalcedonensi, S. Bernardo & aliis. Abstinebant non solùm à carnibus, sed etiam à lacticiniis, ovis, caseo, vino. Nesciebant rese ctiunculam vespertinam, quæ postea ob crescentem sensim naturæ humanæ infirmitatem admissa est. Eodem modo pœnitentiæ pro peccatis injungendæ magnoperè mitigatæ sunt, ut aliàs ostendimus: indulgentiæ frequenter offeruntur, nec magno labore parari possunt.

VI. Alii Camelos, qui per hos pœnitentiæ dies non tam Ecclesiæ ductum quam propriam voluntatem sequuntur, aut vulgi consuetudinem. Cameli ultra consuetum viæ spatium non procedunt, nec plus instituto onere recipiunt teste Plinio l. 8. c. 18. Ingeniculati excipiunt sarcinas, & ubi satis impositum esse ipsis videtur, exurgunt: frustra ad majores gravioresque coguntur, teste Julio Scaligero contra Cardan. exerci. 209. n. 2. Adhæc qui sunt unius societatis, semper volunt simul comedere, & si unus ex iis edere nolit, aut non possit, solent cum eo cæteri quoque jejunare; ut ait Petrus Alphonsi apud Bercorium in Reduct. l. 10. c. 17. Hunc in modum aliqui jejunare quidem volunt & suscipere onus pœnitentiæ, sed juxta suum placitum, non juxta Ecclesiæ præceptum aut superiorum directionem: vel sequuntur vulgus, cum eo comedunt & jejunant præcise ob societatem. Parum hoc Deo placet, uti discimus ex Isaia c. 53. Ubi tales conquerentes: *Quare jejunavimus & non aspexisti? humiliavimus animas nostras* (ad onus pœnitentiæ excipiendum) *& nescisti?* audiunt: *Ecce in die jejunii vestri, invenitur voluntas vestra.* Sanè SS. Patres, uti S. Leo ser. 4. de Quadrag. aliique majus virtutum & pietatis studium requirunt à fidelibus in Quadragesima, quam aliis temporibus ob Sacramentum Passionis Dominicæ juxta antiquam Christianorum consuetudinem, à quorum vestigiis discedere nos non decet.

VII. Alii totidem auri pondera extrahunt, qui per hos dies non de lucris spiritualibus, sed de bursæ lucris cogitant, quid in proximis nundinis Quadragesimalibus vendant aut emant: animæ verò negotium ad finem Quadragesimæ rejiciunt; id quod Isaias præcit, loc. taxat: *Ecce in die jejunii vestri omnes debitores vestros repetitis.* Quid autem absurdius esse potest, quam eo tempore debitores suos ad solvendum cogere, quo quis à peccatorum debitis cupit liberari divinâ misericordiâ? lucrum animæ suæ negligere, & lucrum pecuniolæ captare? Jure sanè his dicet Christus: nolite tempus salutis animarum facere tempus nundinarum, quo modo mercantibus in templo dixit: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Joann. 2. Paris enim delicti est, tempus sacrum dare profanis rebus & nundinis, ac locum sacrum; idemq; flagellum meretur: nempe ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei & salutis suæ. *Fuit unus hujusmodi,* inquit S. Bernardinus Fer. 5. post Dom. 4. Quadr. to 4 *d v. s mercator, avarus, senex & sine filiis, qui dum esset graviter infirmus, uxor hortabatur eum ut confiteretur: & ipse respondebat: Venerunt nova de Galeis Flandriæ; & uxor dicit: Dimittatis Galeas, & cogitate de facto animæ. Et ille dicit: Quantum valet piper? ascendit vel descendit ejus pretium? Et illa dicit: Amore Dei dimittatis ista; nunc ecce frater confiteamini Et ille repellit uxorem & omnes dicentes, quod confiteretur, dicens: Vos facitis me mori ante horam, refricando mihi talia. Et sic dicendo de suis mercantiis animam Diabolo commendavit.* Ita ille. | *VII. Aurum, qui per hos dies lucra quærunt.*

Quare Auditores cavete quæso ne in ollam istius Heliogabali manum immittatis, decipit enim impostor & mortem in ollâ sua proponit; nec aliud quærit quam ut tempus Quadragesimæ, quod debemus Deo ipsi impendatis, adeoque eum quodammodo cadentes adoretis. Absit à vobis hæc insania. Dicite ei cum Christo: *Vade Satana.* Veniant sancti Angeli, qui ministrent vobis dona cœlestia & cibos animæ: Dei verbum, Sacramenta salutaria pœnitentiæ & Eucharistiæ, orationem, mortificationem, appetitum carnalium corporis castigationem, misericordiam erga pauperes. His vescimini & vivetis.

* *
*

DOMINICA II.

QUADRAGESIMÆ.

THEMATA.

I. *Media ad transformandum induratum hominem in alterum virum, & cor emolliendum.*
II. *Quid actum in monte Thabor.*
III. *Quid in monte Thabor videri possit.*
IV. *Quare Christus in passione suâ sileverit excessum.*
V. *Exercitia pia per Quadragesimam instituenda.*

THEMA I.

Media ad transformādum induratum peccatorem in virum alterum & cor emolliendum.

I. *Verbi Dei frequens auditio.*
II. *Assidua oratio.*
III. *Conatus serius.*
IV. *Assuefactio ad oppositum.*

Duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Matth.17.

CONDUXIMUS ante octiduum quod velimus per hos dies ad exemplum Christi versari cum bestiis. Piscem ex natatilibus jam vidimus nunc agemus cum reptilibus. Puto enim & ista adrepsisse ad pedes Christi degentis in deserto. Horum princeps est serpens: qui etsi veneno plenus, præclarum tamen nobis tradit documentum. Nam ut scribit S. Hieron. in ep. ad Præsidium, cùm præ senio caligare incipit, tum veterem exuit pellem; sed 40. diebus prius jejunat, & tū angustum foramen inquirit, per quod eluctando laxatam jejunio exuit cutem unaq; senectam. Nihil æquè necessarium peccatoribus, quàm ut hoc præsertim tempore, vetustam peccatorum pellem & inolita vitia exuant: uti avaritiam, gulam, superbiam, luxuriam, iracundiam & hujusmodi. Horruit quidem Moyses & fugit, quando abjiciens virgam, vidit eam conversam in serpentem. Exod.4. Sed ubi Dei jussu illam apprehendit, vidit serpentem illum iterum conversum esse in virgam, quâ deinceps mira plurima patravit. Pari modo horrebunt, opinor, peccatores præsertim inveterati serpentem illum, qui veterem exuat hominem & amplectatur novum. Verum non est quod abhorreant; virga erit non serpens. Atq; hoc etiam est, quod docemur in hod. Evangelio, scilic. una cum Christo transfigurari in alium hominem. Media suppetit Christus in hac ipsâ sua mira metamorphosi quæ nunc expendemus.

I. *Verbi Dei frequens auditio.* I. Christus accepit secum 3. discipulos Petrum, Jacobum & Joannem. Posteriores duos Boanerges, id est, filios tonitrui appellarat, quod essent eximii & ferventes concionatores futuri: quibus bene jungitur Petrus, & ipse summus verbi Dei præco, ipse quoq; tonans contra Judæos, verbis illis; *Quem vos crucifixistis; auctorem vitæ interfecistis; quem vos interemistis, &c.* Act.2.3 4.& 5. Igitur qui transfigurari & in alterū virum è perverso mutari vult, verbi Dei præcones frequenter & libenter audiat. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus; & quasi malleus conterens petram:* Jer.23. Mirū quid de Germanico viro clariss. C. Caligalæ Imp patre, scribit Plin. l. 11.c.37, Suetonius in Calig. c.1.& 5, ejus defuncti corpus rogo quidem absumptum fuisse, cor autem solum ab igne cōburi non potuisse, ob venenum à Tiberio ei propinatum. Verum ubi id de consilio Medicorum theriacâ probatissimâ perfusum fuit, mox combustū est. Theriaca fit è carnibus viperæ, junctis aliis simplicibus: & concio verbi Dei ferè fit è peccatis hominum, quæ cōmittunt, ut ea perstricta corrigant. Ergo si cujus cor veneno vitiorum ita obfirmatum est, ut igni Spiritus S. resistat, perfundatur crebrâ verbi Dei auditione, & tandem superabitur ac cedet imperanti Deo. Ita enim dicitur Sap 16. *sermo Dei sanare omnia.* Exemplū habemus apud Ruffinum l.3.n.107. Rosvveid. l 7. de vitis PP. de Paulo simplice discipulo S. Antonij, qui ingredientes in templum spectans vidit plerosq; hilari vultu & animo ingredi cum Angelis custodibus, similiter lætantibus. Unum tantum inter eos vidit nigrū & nebulosum corpus habentem, & Dæmones hinc inde trahentes eum misso in naribus fræno, Angelumq; ejus à longe sequentem tristi vultu. Eundem porro egredientem vidit clarâ facie & candido corpore, Angelum ejus mire exultantem, Dæmones à longè sequentes. Itaq; Paulus templum ingressus in altiorem locum ascendens turbæ explicuit convocatæ, quod vidit; petēs ab illo, quem vidit, ut se manifestaret causamq; suæ mutationis exponeret. Mox ille coram omnibus aperuit, quomodo multo tempore fornicationi fuisset deditus, ingressus verò templum audisset prædicari id Isa.1. *Mundi estote & tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorū, &c.* eoq; audito compunctus promiserit Deo emendationem renuncians prioribus vitiis: sicque eo proposito firmatus exierit è templo. Quo audito omnes DEUM laudârunt, atque intellexerunt verbo Dei hominem istum sic fuisse immutatum. In vita sancti Philippi Nerei scribit Ant. Gallonius juvenem quendam sæculo & levitati deditum, sæpe ejus conciones frequentare quidem, sed tantum deridere solitum. Unde aliqui ejiciendum putabant; sed Sanctus eum tolerandum dicebat, fore ut suo tempore caperetur Dei verbo. Idque tandem factum est inpe rato, ita ut mundo valedicens ordinem S. Benedicti ingressus sit. Abbas pastor hac ratione demonstrabat duritiam frāgi Dei verbo: *Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est: & si vas aqua plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, tandē perforat eum: ita & sermo divinus lenis; cor autem nostrum durum est: audiens ergo homo frequenter sermonē divinum, aperitur cor ejus ad timendum Deum.* Ita vita PP. lib. 6. libello 18. n. 16. Ratio est, quia in concione

non ſolum oſtenditur tibi deformitas tua, ut teipſum agnoſcas & horreas, ſed movetur etiam cor, ut te emendes.

II. Chriſtus oravit, & *dum oraret, facta eſt ſpecies vultûs ejus altera*, ait S. Lucas. Idē faciat qui duro eſt corde, inſtet orationibus, & ſic, ut ſperandum, dum orando perſeverat, mutabitur in virum alterum. Ratio eſt, quia homo facilè induit mores eorum, quibuſcum crebro converſatur & loquitur, velut qui cum unguentārio diu moratur aut cum homine aulico cujus veſtes ſuavi odore redolent, eodem odore imbutus diſcedit: qui cum Cæſare frequenter & familiariter agit ſenſim graves induit mores, magnarumque rerum ſcientiam ſibi comparat, gratiamque Imperatoris *Ita ex conſortio ſermonis Domini*. Moyſes poſtquam 40. diebus cum Deo in monte Sinai commoratus fuit, ſplendorem in vultu contraxit adeo radiantem, ut Hebræi non poſſent in eum intendere, niſi vultum velaret, Exod. 34. Unde S. Chryſ. lib. de orando Deum, ait: *Sicut fieri nequit, ut qui ſolis radiis fruitur, non effugiat tenebras: ita fieri nequit, quin ille, qui cum Deo conſuetudinem agit, deſinat eſſe mortalis. Et qui cum Cæſare miſcent ſermones familiariterque cum eo verſantur, non poſſunt eſſe pauperes: multo minus fieri poteſt, ut qui Deum deprecantur, familiariter cū eo colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ eſt impietas ac vita pugnans cum lege divinâ.* Certe Auguſtinus ante converſionem ſuam, cum putaret ſibi impoſſibile eſſe à conſueto illegitimo thoro ſeſe continere ad orationem converſus ferventer & frequenter orabat: *Domine da quod jubes & jube quod vis.* Tandem exauditus & voce ſenſibili juſſus legere ſcripturæ ſacræ Codicem: legit & abrupit vincula omnia atque tunc: *Quam ſuave mihi ſubito factū eſt*, inquit l. 9. Confeſſ. c. 1. *carere vanitatibus nugarū? quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudiū erat.*

Adhæc oratio tam potens eſt, ut omnia impetrare poſſit, ſi aſſidua ſit & conſtans: Ita enim S. Jacobus c. 1. ait: *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Hinc S. Auguſtinus in ſer. 22. ad fratr. in Eremo *O quam grandis eſt ipſius orationis cauſa? Oratione Saulus efficitur Paulus & Doctor gentiū: Ieremias confortatur in carcere: Daniel inter Leones exultat: Iob in ſterquilinio nudus triumphat: Suſanna inter ſenes defenditur: Paradiſum de cruce latro invenit: Stephanus de torrente in cœlum ſuſcipitur & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Quo ultimo exemplo habemus induratos emolliri etiā poſſe precibus alienis, uti Saulū oratione Stephani. Si ergo alterius oratio impetrare poteſt inveterato peccatori emendationē, quanto magis propria; & ſi propria nil impetrat, adhibeatur & aliena. Sanè quod protomartyr Stephanus obtinuit Saulo, ſectæ ſuæ pertinaci defenſori, hoc etiam alter quidam Stephanus Abbas, Grandimontenſis Ordinis inſtitutor, dum montis Moreti eremum in Aquitaniâ incoleret, militi cuidam ſeu nobili, ut flagitium, in quo obſtinacior hærebat, dimitteret, ſuis precibus impetravit. Unde is, qui prius neque ab eo ſe deſiſtere poſſe, neque ſi poſſet, velle dixerat, repente mutatus, peccatum ſuum flevit, vitamque correxit, Marol. l. 2. c. 2.

III. Chriſtus aſcendit in montem; in eo transfigurandus. Adhibe & tu conatum ac ſeriò te reſolve, quod velis aliam inire viam. Audi Senecam lib. 2. de ira c. 12. *Quodcunque ſibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent, conſecuti ſunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omnifariis honoribus interdixerunt corporibus. Didicerunt, alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec reſpirare.* Delphos Sophiſta quidam profectus fuiſſe fingitur (in Fab. Æſopi) ut periculum faceret de Apollinis ſcientia & veritate oraculorum. Paſſerculo igitur manu comprehenſo, eoque veſte contecto, prope tripodem aſtitit dixitque: *O Apollo, quod manibus fero, vivumne eſt, an mortuum?* Si dixiſſet, mortuum; vivum oſtenſurus erat paſſerem; Si vivum, ſtatim compreſſum ſuffocaſſet & mortuum protuliſſet. Quid igitur oraculum? *Vtrum vis, heus tu, facere, facito: penes te enim eſt illud facere: ſive mortuū ſive vivum oſtendere.* Sic omnino reliquit Deus hominē in manu conſilii ſui (Eccleſiaſtici 15.) ſi vult eſſe vivus & bonus, poteſt, ſin mortuus & malus, æquè poteſt: in manu ejus eſt vita & mors, poſſe & nō poſſe beari. Merâ itaque electione improbus eſt & manet. Hinc S. Thomas Aquinas à ſorore interrogatus, qui ſalvari poſſet? *Volendo*, reſpondit apud Ferdin Caſtigl. in hiſt. S. Dominici. At conatus, inquis, magnus adhibendus & mons virtutis conſcendendus eſt, qui non parum difficultatis habet. Quid nî pro regno cœlorum laborare deceat? Nonne homines quidam Ethnici, pro terreno lucro vel inani gloria naturam in ſeipſis tandem correxerunt, cum maximo labore? Demoſthenes ille Græcorum orator cum linguâ blæſus eſſet ut litteram R. pronunciare poſſet, lapillo in os ſumpto perorare didicit: laterum quoque infirmitatem labore emendavit: vocis exilitatem & aſperitatem exercitatione continua: undoſis etiam littoribus inſiſtens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum aures aſſuefaceret. domi magnum habebat ſpeculum, cujus ex adverſo ſtans perorare ſolebat, ut ſuam actionem inſpiceret: lapillis in os inſertis aliquamdiū declamabat, ut poſt ore vacuo expeditus loqueretur. Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Plut. in ejus vitâ. Et hæc iſte omnia ſeu quæſtus ſeu vani honoris gratiâ. Non poſſit ergo vel non velit Chriſtianus vitia ſua reſecare propter æternam in cœlo gloriam? Credite mihi, ſurget in judicio Demoſthenes, ſurgent Gentiles & condemnabunt tales. III. *Conatus ſerius.*

Et vero res tanti laboris non eſſet, modo manum aratro admoveremus: levior enim mox appareret, vel exercitio ſaltem fieret. At verò multi in luto ſemper hærent, quia nunquam eluctari tentant: velut ignavæ ancillæ, quæ colum undique circumferunt, & nihil operis faciunt, quia fuſum nunquam apprehendunt, contra quas dicitur de muliere illâ ſapiente Prov. 31. *Manum ſuam miſit ad fortia & digiti ejus*

apprehenderunt fusum. Non magno labore stravit Goliathum David, quia magno animo cucurrit ad certamen & misit manum in peram, & tulit inde lapidem &c. 1. Reg. 17. Pari facilitate & nos sterneremus nostra vitia inolita, modo conari & mittere manum ad opus vellemus.

IV. *Assuefactio ad oppositum.* IV. Paulatim ascendit Christus ad transfigurationem. Nam in Cæsarea Philippi promisit se aliquibus discipulis brevi ostensurum gloriam suam. Inde perrexit ad montem Thabor, distantem à Cæsarea 20. leucis seu horis, teste P. Corn. Matth. 17. adeoq; consumpsit in itinere 6. dies, cum in tribus eo venire posset; quia nimirum paulatim progressus interea in Castellis prædicavit. Hunc in modum sensim assuefac te ad contrariam vitio tuo virtutem & paulatim eradicabis illud; quia consuetudo consuetudine vincitur. Sic *gutta cavat lapidem, non bis sed sæpe cadendo.* Disputantibus aliquando Philosophis de virtutis difficultate, prosiliens Antisthenes: *Virtus,* inquit, *assiduitate & studio disci potest.* Inter eremicolas veteres frater quidam fuit, ut est in vitis PP. l. 5. apud Rosvveid. libello 8. qui cum semel ab observantiâ regulæ excidisset, visa difficultate emendationis mœstus dicebat: *Quando habeo me invenire sicut aliquando eram;* Cui senior quidam narravit apologum de patre, qui misit filium ad expurgandum agrum à sentibus & tribulis; quem cum aspexisset filius plenum undique spinis & urticis, de profectu laboris desperans decubuit in agro & dormivit. Interim venit pater visurus quid profecisset filius. At hic frustraneum prætendens laborem nihil se molitum ait, sed in agro dormivisse. Cui pater: *Fili ad mensuram latitudinis, quam jacens in terrâ occupas, per singulos dies operare, & ita paulatim proficiet opus tuum.* Quod cum filius fecisset, brevi tempore totum agrum excoluit. Hunc in modum egit cum quodam nobili, seu ut habet S. Bern. serm. 21. Quadr. cum quodam Cardinale certo alicui vitio assueto S. Bernardus. Cum enim illum ad pœnitentiam invitaret, nec ille acquiesceret, ait: *Si non vis pacem facere cum Deo, saltem cum eo treugam seu inducias fac. At ille. Quamdiu;* Cui *S. Bernardus: Abstine tribus diebus pro Dei amore ab omni illicito. Acquievit ille, & Bernardus: Tribus aliis diebus abstine amore Virginis gloriosæ; quod etiam fecit. Demum addit nunc iterum abstineas amore aliorum Sanctorum; quod itidem fecit. Cumque Bernardus suaderet hoc denuò inchoari, respondit ille: Nolo amodo cum Deo treugam facere sed continuam pacem. Facile enim mihi nunc est abstinere à malo.* Ita ferè Bernardinus. Ad extremum nonne bestiæ multa mira & naturæ suæ planè contraria facere docentur? Quid magis horret lepus, quam tympani sonitum? Hinc enim proverbium: Lepus ad tympanum: Er bleibt wie ein Haaß bey der Trummel. Et tamen visus est lepus pedibus suis pulsare super tympanum. Et quid non addiscunt canes? cibum ori ingestum licet famelici retinent eousque, donec ab hero licentiam edendi obtineant, & similia. Vidi ipse asinum ad numeros saltantem, & per circulum inoffenso pede transilientem: capram supra funes dexterrimè ambulantem. Et hæc bestiæ discunt solo pabuli desiderio stimulatæ: quid non conari debeat homo, tanta provocatus mercede, in cœlo obtinenda? Quid? quàm multi, putatis, desuescerent à juramentis, si pro singulis eorum omissionibus offerretur illis aureus unus. Cogita ergo tibi decretas in cœlo tot coronas, quot actus pravæ consuetudinis intermiseris.

Quare evigilemus Audit. & aggrediamur opus; *abjiciamus opera tenebrarum & induamus arma lucis.* Etenim si unquam alias, nunc tempus est acceptabile ad exuendum veterem hominem. Nunc jejunii tempus, nunc frequentes conciones, nunc crebriores cōprecationes, nunc dies pœnitentiæ. Utamur his salutaribus pharmacis, ut ita demum cum Salvatore nostro transfigurati, seu in homines alios mutati, audiamus & ipsi vocem Patris nostri cœlestis: *Hic est filius meus dilectus.*

THEMA II.

Quid actum in monte Thabor?

Ibi conclusum est, quod

I. Per laborem perveniendum ad gloriam.
II. Beatitudo in cœlo quærenda, non in terra.
III. In omni actione considerandus finis.
IV. Vigilandum illis, qui videre Dei gloriam volunt.
V. Christus audiendus ab omnibus, quia clarificatus à patre.
VI. Passio ab omnibus Christianis recogitanda.

Ecce apparuerunt eis Moyses & Elias cum eo loquentes. Matth. 17.

Quando electores Imperii ad Comitia conveniunt, magna jure merito tractari per eos creduntur, nec erit facile, qui eorum decretis ac statutis contraire ausit. Venit hodie summus cœli & terræ Imperator. Deus Pater in montem Thabor quasi ad comitiorum locum una cum filio Rege Regum: & comparent ibi Elias quasi Ensifer, Moyses quasi Dapifer, tres primarii Apostoli quasi tres electores Ecclesiastici & orbis Archiepiscopi. Magna ergo esse debent, quæ ibi tractata & constituta sunt. Quænam vero illa audiamus,

I. Conclusum per laborem esse ad gloriam perveniendum. 1. Quia post dies sex, scilicet laboriosos, itum est ad Sabbathum transfigurationis gloriosum. Deinde quia per ascensum deventum in montem excelsum ad spectandam Christi gloriam. Prius ergo laborandum quam quiescendum: prius pugnandum, quam spolia dividenda sunt. Quæ causa est, cur Deus non concesserit Hebræis spolia urbis Jericho, Jos. 7. concesserit autem paulo post spolia urbis Hai cap. 8. quia scilicet hanc manu sua expugnârunt: illam non item, sed Deus subruit muros eorum, præcisè ad sonitum buccinantium, quem Deus pro labore non reputavit. Quare cum Achan spolium inde sustulisset, jussit eum deleri ac comburi.

Multi

Multi quidem interesse spectaculo beatitudinis volunt sed laborare, & ascendere nolunt: multi cum Achan spolia auferre licet immeriti desiderant, de quibus Proverb. 13. dicitur: *Vult & non vult piger.* Ubi sanctus Hieronymus. *Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, non tamen pati pro eo: delectant præmia cùm pollicentur deterrent vero certamina, cum jubentur.* Regnare vis? Volo, ais, sed vis injusta restituere? nolo, ais Famam? non audeo. Vis inimico ignoscere? non possum. Vis pellicem abjicere? modo non, sed aliquando, hoc est: Vult & non vult piger.

II. Non esse in terrâ beatitudinem quærendam, sed in cœlo. Siquidem Petrus, qui id facere optabat dicens: *Faciamus hic tria tabernacula*; minimè auditus est, sed surgere & descendere cum Christo jussus. Terra enim non est locus triumphi, sed certaminis. Duces Romani alibi pugnabant, non nisi Romæ triumphabant, in terra locus pugnæ, in cœlo locus coronæ est. Adhæc nimis exigua sunt hujus mundi bona ad cor hominis exsatiandum: unde in hoc transfigurationis spectaculo, una tantum gutta beatitudinis propinabatur Apostolis, claritas corporis gloriosi; non alia quamplurima bona. Mundus hic *terra Chabul*, id est, *vilis & lutosa est*, nec digna retributio pro cedris, quam dedit Salomon Regi Hiram; qui proinde, ubi egressus eam vidit, contempsit: *Hæcine, inquit, sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* 3. Reg. 9. Utinam etiam mundi amatores egrederentur & viderent quàm vilis sit gloria & merces, quam pro laboribus dat mundus! Aspiciant cœlum quam pulchrum & quam vastum sit, *O Israel quàm magna est Domus Domini & ingens locus possessionis ejus!* Baruch. 3. Rectè dixit Ecclesiastes c. 2. *Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat.* Quia scilicet hic oculos in pedibus habet, adeoque terram solummodo intuetur & quærit: ille verò cœlum. Graviter reprehensæ sunt à Moyse tribus Gad & Ruben, quod in terram promissam, lacte & melle manantem ingredi propter pecora sua detrectarent & in pascuis cis Jordanem remanere vellent Num 32. Multò magis reprehensione digni, qui cœlo neglecto in terra, ubi animales homines pascuntur, requiem suam quærunt. Latro malus in terra requiem quæsivit, ideo illam perdidit & in terra & in cœlo: Latro bonus cœlũ desideravit, ideoque mox invenit. Ille oculos in pedibus, hic in capite habuit: ille stultus, hic sapiens fuit.

III. In omni actione respiciendum esse finem. Multi multa incipiunt, sed ad finem non respiciunt, Contra hoc est, quod in hac transfiguratione sermocinatio fit de exitu seu fine vitæ Christi. Cum Leopoldus I. Austriacus cogitaret de invadendis Suicensibus & de ingressu deliberaret cum suis, Jo. Stok, ejus morio, exclamat: *De ingressu cogitatis omnes, nemo de egressu.* Stumpfius in Chron anno 1315. Eventus consilium comprobavit, nam ejus equitatus interceptus & cæsus est. ipse vix evasit. Sic Judas quærebat, quomodo opportunè Christum traderet, Marci 14. sed non quæsivit, quomodo ipse laqueum evaderet: ideo pœnitentiâ ductus, à Judæis repulsus est cum ludibrio: inde fugit ad templum, restituitque pretium; sed nec ibi effugium reperit: cucurrit ergo ad laqueum, ubi omnino periit. Quæsivit opportunitatem, quomodo in scelus intraret, sed non quomodo exiret: unde factum, ut ubique impingeret, & tandem in arbore caput confringeret.

Facilè quis homicidium committit, sed difficulter expiat. Facile item in asylum post homicidium confugit, sed difficulter inde exit. quantæ id molis & solicitudinis? quanti laboris est?

IV. Vigilandum esse illis, qui videre Dei gloriam volunt. Etenim Apostoli quia initio transfigurationis dormierunt, initium non viderunt, ut habet Lucas; ac nisi excitati fuissent, nec medium nec finem vidissent: ita multi, dum se somno tradunt. Christum negligunt. Quam ob causam tam constanter excubiæ in nostra arce fiunt, cum sciamus hostem procul hinc abesse? quia nimirum semel ex improviso adventare & nos adoriri posset. Hac de causâ S. Henricus Imperat. cum ad sepulchrum sui Magistri D. Wolffgangi Ratisbonæ orans vidisset Sanctum demonstrantem sibi in pariete scripturam: *Post sex*; diem sibi sextum fatalem prædici existimans, quamprimum eleemosynis & piis operibus parat se ad mortem. At ubi illum supervixit, parat se in sextum mensem: postea in sextum annum, quo exacto Imperator renunciatus est. Refert Adelbodus, apud Raderum in Bav. S. parte 1. Ita nimirum si nos de hora in diem, de die in Hebdomadem, de hebdomade in mensem, de mẽse in annum pararemus ad mortem, tunc sane ad transfigurationem cœlestem velut futuri in cœlo Imperatores fæliciter pergeremus. Quare S. Matthæus non sine mysterio ait, Christum post sex dies, à prædictione scilicet transfigurationis suæ ascendisse in montem, ubi transfiguraretur. Idem Dominus cùm morti appropinquaret venissetque Bethaniam, iterum repetuntur sex dies: *Ante sex dies Paschæ.* Joan. 13. Sex hi dies sunt laboris, quos Sabbathum subsequitur. Tota ergo vita nostra vigilia & labor esse debet, mortisque meditatio, ut ad sabbathum illud gloriæ tandem perveniamus.

IV. *Vigilandũ illis, qui videre Dei gloriam volunt.*

V. Christum audiendum ejusque religionem amplectendam ab omnibus, qui non volunt perire. Eum enim Deus Pater clarificavit & demonstravit esse filium suum adeoque audiendum ab omnibus. Clarificavit autem primò per scripturam, maximè per Evangelium, quod tot sæculis pro vero & divino habitum, à nullo sive Judæo sive Gentili refutatum aut falsitatis redargutum est; quod utique fecissent Judæi, qui tempore Christi & Apostolorum vixerunt Christo infensi si potuissent. 1.

V. *Christus audiendũs ab omnibus, quia clarificatus à patre.*

Secundo per Judæorum dispersionem & exilium tam diutinum, qui velut vas figuli confracti sparsim jacent, nec unquam coire possunt. Nimirum in pœnam occisi Christi supplicium hoc luunt, juxta verbum Christi; ad instar illius Cain, ob fratris necem profugi. Multos SS. Prophetas occiderunt Judæi, nũquam tamen adeo puniti sunt atq; ob Christi necem. 2.

Tertiò

3. Tertio per Idololatriæ eversionem & mundi ad Christum conversionem. Quantum enim & quamdiu restitere ei Tyranni ac Gentilium tot nationes? cedere tamen debuerunt, non gladiis, sed verbo Dei & miraculis Sanctorum. Vel enim mundus conversus est per miracula Christianorum: & habemus Christum esse audiendum: vel sine miraculis; & hoc ipsum est maximum Christi miraculum.

4. Quarto si non Christus ejusque doctrina & religio audienda, quæ alia sectanda; quæ alia tam rationi humanæ conveniens, tam justa, sancta, secura? Adhæc vel audies Christum, vel non audies. Si audies, nihil tibi oberit audivisse, etiamsi non sit Deus & Judex mundi? Si non audies, væ tibi, si sit Dei filius & Judex tuus. Rursus, vel vera est ejus doctrina & religio, vel falsa, nihil est saltem quod metuas, si eam sequaris; quia ad virtutem & honestatem ducit, ob quam nemo unquam puniri timuit. Si vera, væ tibi, si eam non sequaris. Cur ergo in hoc dubio non eligis viam securiorem? Quod si de re parvi momenti quæstio foret, non multum interesse, hanc vel illam viam inire, v. g. si de pilei aut pallii amissione tantum ageretur. At si de vita tua & rerum summa agitur, uti hic, nonne obligaris ipso rationis dictamine eligere viam tutiorem, quæ periculis & latrociniis exposita non est? Ipsum ergo audite. Atheos autem & infideles sinite; quia cæci sunt & duces cæcorum.

VI. *Passio ab omnibus Christianis cogitanda.* VI. Passionem Domini nostri omnibus Christianis sedulò meditandam ac pro eâ gratias agendas, maxime hoc tempore Quadragesimali Id statuerunt Moyses & Elias duo magni Legislatores, qui de ejus *excessu*, id est passione verba faciebant, appellantes utique eam excessum amoris, humilitatis, liberalitatis, patientiæ, considerata ejus dignitate, hominum vero indignitate & ingratitudine. Assuerus Rex opera Mardochæi servatus ab insidiis duorum Eunuchorum, qui necem ei moliebantur, jussit utrumque suspendi, & obsequium Mardochæi referri in Annales, eosque sibi prælegi. Tum interrogavit an quid præmii pro hac fide Mardochæus accepisset, intellectoque nihil accepisse, jussit eum imponi equo suo & per urbem circumduci summo cum honore. Esth 6. Jam si rex in Annales refert & relegit obsequium servi, nonne justius est, ut ipse servus meminerit beneficii, à Rege sibi præstiti? Christus à morte nos eripuit, quam machinati sunt nobis Dæmones; hoc igitur in Annales cordis nostri inscribendum, imo insculpendum est, ut nunquam è memoria excidat. Quod etiam insinuavit ipse Dominus Lucæ 9. cum ad discipulos dixit: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum*, q.d. inscribite hoc in corda vestra. Ab Ethnico homine ad brutum animal descendamus Scribit Oppianus in Ixeuticis, apud Gesner. ciconiam in Italia, cum per biennium adverteret pusillos suos à serpente, sub tecto hospitante, laniari, se absente & ad pascua avolante; tertio anno adduxit avem peregrinam secum, acuto armatam rostro paulo se breviorem; quæ exclusos pullos absente ciconiâ custodiret. Hæc itaque avis cum serpente conflixit, eumque crebris morsibus tandem occidit: sed vicissim in certamine ita vulnerata & deplumata est ut nuda prorsus fieret. Quid actum? quia adveniente autumno illi pennæ succreverant, mansit in ejus gratiam ciconia ultra consuetum migrationis tempus, donec ea pennis vestiretur & ad avolandum vires sumeret, tunc una cum illa discessit. Quis hic plus miretur, an peregrinæ avis beneficentiam? an ciconiæ gratitudinem? Jam vide Dei filium, qui cùm videret nos miseros Adami filios à stygio serpente devorari è cœlo advolavit & cum serpente illo conflixit: licet eum confecerit, miserrimè tamen & ipse vulneratus, imo & evectus est. Recolimus hoc beneficium maximè per quadragesimam. Nonne igitur decet, ut tantisper tanto servatori assistamus & condoleamus, donec in resurrectione resumat quasi pennas gloriæ suæ? Expenderunt & fecerunt hoc non pauci: miles ille apud Tertull. de coronâ militis, Godefridus Bullionius, S. Ludovicus, S. Elisabetha; qui ob memoriam passionis Dominicæ coronas, lætitiam referentes, gestare in capite renuerunt, quod eorum Dominus in suo spineam gestasset. Expendit S. Brigitta, singulis feriis sextis amarum aliquid masticare ob amaram Christi passionem solita est; expenderunt alii variis aliis modis, uti suo loco dicemus. Expendamus igitur & nos portando hic cum Domino nostro spineam coronam, ut portare ibi mereamur roseam.

THEMA III.

Quid in monte Thabor videri possit.

I. *Videmus ibi Gloriam Christi.*
II. *Gloriam nostram in cœlo.*
III. *Videmus regna mundi & gloriam eorum.*
IV. *Videmus in valle Iosaphat specimen futuri judicii.*

Duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

QUi procul videre & multa undique circumspicere desiderat, in præaltum montem ascendit: quemadmodum hic æstivo tempore in vicinum Græcio montem Schöckel, ea sola causa aliqui ascendunt, ut ex alto circumspiciant latissimam regionem. Hoc etiam fine jussit Deus Moysen ascendere in montem *Abarium*; hoc est, *transitum*, & cacumen ejus. Nebo, ut inde ei ostenderet promissam terram Chanaan, jam in conspectu sitam: *Ascende in montem istum Abarim*, inquit, *& vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, & morere in monte.* Deut. 32. ascendit Moyses & monstravit illi Deus totam regionem, ut habetur Deuter. 34. In hodierno Evangelio mons quidam excelsus nobis demonstratur, mons inquam Thabor, è quo qua-

quaquaversum latissimus est prospectus & mira cerni possunt, etiam remotissima & hominum oculis impervia. In hunc igitur montem hodie ascendamus & undique circumspiciamus.

I. Videmus quasi cum Stephano cœlum apertum ibique divitias & gloriam Domini ac Ducis nostri Christi. Invitarat ille ad sequelam & militiam suam universos, quando Matth. 16. dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Quia vero discipuli ejus & præsentes alii dicere poterant: Quomodo rem tantam, crucem & contemptum, hominibus persuadebis, ut tuam sequantur, cum sis homo pauper, ne unum quidem cespitem possidens in terra? Ubi tuæ divitiæ & potentia? Unde tuis militibus numeres stipendia & refundas mercedem? Idcirco mox subjecit: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*: hoc est, *in regia claritate*, ut ait sanctus Leo ser. de Transf. quam vobis in specimine & brevi quodam compendio demonstrabo. Exinde cœpit pergere versus montem Thabor, distantem ad 20. leucas seu horas à Cæsarea Philippi, ubi tunc erat Christus, cum hoc promitteret, & post sex dies sensim progrediendo, per villas nimirum & oppida prædicando, pervenit ad montem illum, ubi majestatis, gloriæ & potentiæ suæ specimen edidit, quo nos omnes invitaret ad sectandam ejus militiam & amplectendam crucem; quando tam gloriosum, potentem & opulentum se ostendit Ducem ac remuneratorem. Inprimis enim in vultu Solis instar radiante, demonstravit incomparabilem splendorem suæ divinitatis: in veste, nivis instar candidissimæ, dotes gloriosi corporis & animæ, omnem creatum ornatum longissimè superantes in præsentia Moysis & Eliæ, societatem & conversationem jucundissimam: in eorum adductione, potestatem in vivos & mortuos: in monte excelso, cœlum empyreum serenissimum, purissimum, securissimum, spatiosissimum, quemadmodum supra montes præaltos perpetua est aëris serenitas, puritas & tranquillitas, spatiaque visuntur amplissima, in nube umbrosâ & lucidâ perpetuam cœli diem omnes tenebras excludentem, nec non stabile refrigerium ab omni æstu & molestiâ defendens: in ecstasi & voce Petri, delicias, gaudium, felicitatem suæ beatitudinis incomprehensibilem: in voce Patris certitudinem & assecurationem hujus gloriæ: in tribus denique discipulis suis primariis, testes hujus spectaculi & ostensionis suæ. Quis jam hæc talia audiens non det fidem & manum ad sequendum Ducem istum ac amplectendam ejus crucem? sectandam militiam? Assuerus ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac proinde subditos sibi magis devinciret, semestre convivium suis Satrapis & Susanis civibus præbuit, splendidum quidem & magnificum, sed magis Epicureum, quam regio animo dignum. *Non est enim Regnum Dei esca & potus*, ait Apostolus ad Rom. 14. Christus ostendit regnum suum non esse terrenum & carnale, sed cœleste & spirituale, quale ipsum Deum decet ac delectat. In Persidis regno tyrannus quidam Aloadim, senex de montanis dictus, Mulectam regionem occupavit, & multos sicarios (quos vulgo Assassinos dixere) sibi adjunxit, eosque ad maxima facinora patranda obedientissimos reddidit, tali astu. In valle quadam amœnissima & præruptis cincta montibus paradisum omni deliciarum genere (qualem impius Mahumetes suis sectatoribus proposuit) instruxit, in faucibus, per quas solas patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset præterquam consciis. Affirmabat interim, claves se Mahumetici paradisi habere; & cum libitum esset, potione soporiferâ, quibus vellet clam oblatâ, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti cum omnibus deliciis affatim fruerentur, reverâ se in paradiso esse credebant. At præstigiator illâ captatâ opportunitate medicato poculo sopitos rursus extra paradisum efferebat. Cum evigilassent, summo mœrore voluptates, quas perceperant, secum repetebant: & earum desiderio mortem exoptabant, vitam flocci pendebant, & ad omnia quæ tyranno placerent patranda sese paratissimos offerebant, de paradisi gaudiis si Principi suo obedirent, securissimi. Itaque Christianis contra Sultanos bellum gerentibus, multa intulêre mala, nec paucos Christianorum Principum insidiis circumventos trucidavêre, de salute sua minimè curiosi, modo hostibus damnum inferrent. Hac demum arte multas gentes sibi tributarias fecit tyrannus iste, cum Assassinorum insaniæ religiosæ nemo resistere posset. Cæterum anno Domini, 1262. Allau Rex Tartarorum senem hunc in paradiso triennali obsidione cinctum, inopiâ alimentorum, deditionem facere coëgit, locum abolevit, asseclas omnes interemit. refert Marcus Paulus Venetus libro primo cap. 29. Orient. histor. Potuit hic impostor ficto & Epicureo suo paradiso parare sibi milites, & ad quævis adeunda pericula expeditos reddere; quid non possit in Christianos verissimi paradisi & regni Christi verissima exhibita species?

II. Videmus etiam gloriam & decorem nostrum, quo in cœlo induemur. Assuerus Rex ostendere volens, quâ gloriâ honorandus esset fidelis servus, quem vellet ipse honorare, præcepit ut Mardochæus syncerissimus ejus servus veste regia indutus & diademate coronatus, equum regium inscenderet, & ut Princeps Aman eum præcedens clamaret: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* Esth. 6. Eâdem ratione voluit Deus Pater filium suum in monte Thabor honorare gloriâ & honore coronare, eique acclamare: *Hic est filius meus dilectus*, ut sciamus simili modo honorandos esse in cœlo alios quoque Sanctos, fideles Dei servos: Ita enim S. Paulus ait ad Philip. 3. *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Pro verbo, *reformabit*, græcè est, *transfigurabit*. Ergo sicut Christi corpus & vestimenta, vilia tunc temporis & corruptibilia, transfigurata sunt in gloriam & splendorem: ita beatorum corpora, nunc terrena, trans-

II. Gloriam nostram in Cœlo.

Fabri Sylva Nova, de Dom.

formabuntur & mutabuntur in cœlestia, radiabuntque uti Christus in transfiguratione. Hoc ipsum ex noctilucis vermiculis confirmat Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 18. dum ait: *Justi splendebunt ut Sol & tanquam Luna, sicut & splendor firmamenti: & previdens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus parvis lucidum dedit corpus, ut eo splenderent, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potuit præstare, poterit & totum: & qui fecit ut vermis lumine splenderet, multo magis hominem justum splendidum efficiet.* Sic ille. Miratur hoc Chrysostomus homiliâ decimâ tertia in eum locum, cùm ait: *Si ergo totus orbis lachrymis sumptis eos defleret, qui ab istâ spe deciderunt num digne collachrymarentur, quod cum promissio nobis sit facta, corpus nostrum futurum ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum dæmonibus abeant?* Et S. Bernardus sermone 2. de verbis Isaiæ increpat carnem, quòd remurmuret si castigetur cùm ejus maximè intersit; siquidem posteà adeò fulgebit unà cum animâ; nec invidendum iis, qui corpus hic splendidè vestiunt, cùm ibi justi longè splendidiùs vestiendi sint. Brennus Dux Gallos ducens in Græciam cum Delphis aureas statuas conspexisset (quas tamen non ex solido auro, sed ex ferro, auro leviter asperso factas esse intellexit) suis Ducibus renunciavit & per illos militibus; incomparabilis pretii statuas ex solido auro fusas esse in civitate; sicque ad oppugnandam fortiter civitatem spe ingentium thesaurorum eos inflamavit. auct. Polynæo lib. 7. Nobis tres primarii Apostoli Petrus, Jacobus & Joannes renunciant se vidisse suis oculis Christum cum Moyse & Eliâ, omnes in majestate plusquam regiâ, quibus nos etiam similes fieri possimus, si pugnare modò velimus. Quid igitur dubitabimus viriliter certare ut eis assimulemur, & his spoliis ditemur, solido auro refertissimis? Isaias accepturus arduam & odiosam à Deo commissionem ad redarguendos Judæos imo & denunciandum eorum exterminium; ex quâ sibi extrema quæque patienda esse facilè poterat intelligere: ubi ad hoc priùs mirâ illâ divinæ majestatis visione confortatus est, jam non difficulter commissionem illam in se suscepit; quin imò seipsum obtulit: *Ecce ego, mitte me.* Isa 6. ivit & quod jussus est, prædicavit, ac pro mercede à Judæis serrâ ligneâ dissectus fortiter occubuit. Quid ergo non faciat, non patiatur Christianus spectatâ jam corona, quam in cœlo obtinebit?

III. *Videmus regna mũdi & gloriam eorum.*

III. Videmus omnia regna mundi & gloriam eorum, hoc est, schema aliquod mundanæ felicitatis. Auditur enim vox patris, filius apparet gloriosus, adsunt boni amici, obumbrat triclinium nubes lucida, veluti aulæa & peristromata: lætantur spectatores, & exclamat unus quasi jam falerno ebrius: *Bonum est nos hic esse.* Quis non dicat in eo monte celebrari convivium Assueri omnibus deliciis refertum? Vel id, de quo Isaias c. 25. ait: *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ &c.?* Et tamen hæc tanta lætitia brevissimè duravit & repentè evanuit. Visum est quidem Petro hoc spectaculum tam jucundum, ut omnium oblitus, illic perpetuò manere vellet, ipso quoque cœlo neglecto; erravit tamen plurimùm, *nesciens quid diceret.* Tametsi enim jucundissimum illud spectaculum erat, supra omnes mundi delicias, fluxum tamen & terrenum erat, adeoque nihil prorsus respectu cœlestis gloriæ; sed terrenæ beatitudini similius. Nam primo mixtum fuit mœrori, quia in eo fit sermo de morte Christi. Atqui mortis memoria omnia gaudia turbat, ut patet in convivio Balsasaris, Dan. 5. In gaudio Achabi, quando descendit in vineam Naboth, ut eam possideret & pro suis deliciis exornaret; audiens enim in viâ sententiam mortis in se latam, mox re infectâ tristis domum rediit & sacco se operuit. 3. Reg. 21.

2. Breve fuit, & repente disparuit: ita omnis mundi gloria & lætitia, quemadmodum etiam nupera transfiguratio Bacchanalistarum post triduum evanuit. Notus est Sardanapali, Assyriorum Regis, luxus & libido, hic tamen quod in vitâ male docuit, in morte dedocuit; siquidem in ejus monumento statua quædam consertis digitis sonum editura videbatur, teste Athenæo lib. 14. Strabone lib. 14. Quo symbolo ajūt nihil aliud significatum, quàm humana omnia esse id, quod S. Gregorius Nazianzenus in odis ait, *strepitum manus plaudentis.* Sic nimirum periit memoria eorum cum sonitu (Psalm 9.) qui mundo servierunt. Dicant Bacchi socii quid jam supersit ipsis de gaudiis suis, conviviis, stultitiis. Non plus quàm strepitus unus.

3. Sublato spectaculo glorioso, Moyse atque Eliâ in majestate visis, nube insuper pellucidâ, remansit solus Jesus: *Levantes enim oculos neminem viderunt discipuli nisi solum* Jesum, ait Matthæus. Ita mundus deserit suos demum, quos ad tempus coluit; cùm scilicet gloria illorum desinit, veluti in morte, exilio, adversa fortunâ &c. Apparuit hoc inter alios, etiam in Prorege Indiæ (superiore sæculo, anno 1569.) Francisco Continio, Comite de Redondo, qui elatus ad sepulchrum cum magno comitatu & jam ad sepulchrum depositus, dum interim Jo. Mendoza, præsens funeri, successor ejus declaratur, repente versâ populi gratulatione ad novum Proregem, deseritur ab omnibus: nec remansit ad sepulchrum, nisi vile mancipium, quod eum inhumaret. Fr. Sacchinus in Laimio l. 2. n. 169.

Et tamen miseri & ebrii mortales cupiunt in hoc mundi tam exiguo spectaculo perpetuo manere, & quasi cum Petro exclamant: *Bonum est nos hic esse.* Vident Ruben & Gad bona pascua cis Jordanem, pro jumentis & pecoribus suis, & renunciant possessioni suæ, quam obtinere poterant in terrâ promissâ, jure merito propter hoc increpati à Moyse. Num. 21. Vident etiam filii hujus sæculi bona quædam pascua, pro jumento corporis sui ac suorum; quibus illecti valedicunt portioni suæ, in cœlo possidendæ, miseri & deplorandi. Fuit hæc transfiguratio unus tantum prægustus cœlestis beatitudinis & haustus quidam illius ambrosiæ quâ in cœlo fruentur beati sine fine. Miseri peccatores unicum talem haustum nectaris

terreni præferunt oceano & torrenti voluptatis æternæ.

IV. Videmus uſque in vallem Joſaphat, & ibi ſpecimen aliquod futuræ reſurrectionis, teſte D. Gregorio lib. 32. Moral. cap. 7. *In transfiguratione quid aliud, quàm reſurrectionis ultimæ gloria nunciatur?* inquit. Nam in transfiguratione primò ſeparatio diſcipulorum facta eſt, tres aſſumpti a Chriſto in montem, reliqui novem inferiùs relicti ſunt: ſic electi rapientur obviam Chriſto in aëra: reliqui & quidem longè majore numero relinquentur in terra; quia hi terram illi cœlum dilexerunt.

2. Diſcipuli poſtquam è ſomno evigilârunt, viderunt majeſtatem Chriſti in nube, inter Moyſen & Eliam, uti Lucas c. 9. habet: ſic poſtquam omnes mortales obdormierint, tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum majeſtate inter Sanctos & Angelos, quo modo etiam virgines illæ decem, poſtquam dormierunt omnes, repente excitatæ ſponſum audierunt adventare.

3. In transfiguratione Chriſtus alteram ſpeciem induit, glorioſam ſcilicet, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta ejus ſicut nix: ita in reſurrectione formam Judicis induet ſeveram: aſſumet faciem Solis inſtar omnia perluſtrantem, omnia pervidentem: prodibit niveo cum candore Apoſtolorum & aliorum, qui proximè ei adhærebunt & cum eo ſimul judicabunt, h. e. approbabunt ejus judicium. Sol oculo ſano gratus, affecto moleſtus: ita Chriſtus Judex bonis optatus, malis infeſtus erit.

4. In transfiguratione Moyſes & Elias loquebantur de morte Chriſti; Petrus autem exclamabat: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Ita in die judicii repræſentabitur impiis crux Chriſti & beneficium redemptionis ad eorum confuſionem: electi autem ſibi gratulabuntur: *bonum eſt nos hic eſſe*, præ gaudio exclamabunt.

5. In transfiguratione Pater intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus.* In die judicii intonabit Chriſtus ſuper electos primo: *Venite benedicti*; ſuper reprobos: *Ite maledicti:* Jam ſi diſcipuli ad vocem patris territi corruerunt in facies ſuas: quomodo ſtabunt ibi peccatores? *Leo rugiet quis non pavebit?* ait Amos c. 3.

6. In transfiguratione Chriſtus inter Moyſen virum mitiſſimum, & Eliam virum Zelo juſtitiæ ardentiſſimum, qui impios gladio & igne perdidit, apparuit: in Judicio Chriſtus ex una parte ſereniſſimum exhibebit electis ſuis: igneum vero & terribilem præſcitis.

Quando igitur hæc tam mira, tamque longè poſita ſpectavimus in hoc monte, non ſit nobis ſatis ſemel eum aſcendiſſe; quin potius ſæpiſſime eo conſcendamus pia meditatione: videamus gloriam & divitias cœleſtis noſtri Ducis; nec non etiam noſtras in cœlo repoſitas: conſideremus vanitatem mundanæ felicitatis: denique illum totius mundi mirabilem conventum in valle Joſaphat. Speculemur ex hoc monte, quæ ibi nos expectet domus, quæ regio, qui concives, quod ſæculum, quæ æternitas: in hac contemplatione moriamur cum Moyſe, ut diſcamus mori & tranſire ex hac miſeriâ ad beatam illam vitam.

THEMA IV.

Quare Chriſtus in Paſſione ſua fecerit exceſſum.

I. Exceſſit ut oſtenderet, quantum malum ſit peccatum.
II. Vt oſtenderet nobis amorem ſuum.
III. Vt exceſſus noſtros malos ſuo bono compenſaret.
IV. Vt defectus noſtros ſuis exceſſibus compenſaret.

Apparuerunt eis Moyſes & Elias cum eo loquentes, Matth. 17.

QUid cum Chriſto transfigurato locuti ſint Moyſes & Elias exponit ſanctus Lucas iis verbis. *Dicebant exceſſum, quem completurus erat in Ieruſalem.* Quis hic exceſſus? utique ejus Paſſio completa in Jeruſalem. Ea vero *exceſſus* ab interprete noſtro meritò appellatur, quia in ea Chriſtus ſatisfaciendi modum pro peccatis noſtris magnopere exceſſit. Qui enim nos una ſanguinis gutta, imo una oratione, velut opere infiniti pretii, (loquendo abſolute) redimere potuiſſet: ecce quid non fecit? Effudit omnem ſanguinem, paſſus eſt in omnibus membris & animæ viribus, paſſus eſt omnis fere generis cruciatus, paſſus eſt ſine omni conſolatione, omnis generis contumelias; dedit quidquid habuit, uſque ad nuditatem. Adhæc in particulari ubiq; exceſſum paſſus eſt. In monte Oliveti, dum fuſtibus & armis velut latro caperetur & vinciretur, nonne exceſſus fuit? Dum ultra ſtatutum verberum numerum flagellis cæſus eſt, nonne exceſſus fuit? Dum homicidæ Barabbæ poſthaberetur, dum ſpinis coronaretur, nonne exceſſus fuit? Dum ſupra vires trunco crucis oneraretur, ut ſæpius corrueret, & propterea crux in alterius dorſum transferri deberet, nonne exceſſus fuit? Dum in crucem actus etiam ſannis acerbiſſimis in ſumma afflictione pungeretur, nonne exceſſus fuit? Dum poſt mortem etiam lancea vulneratur, quis non exceſſum dicat? Igitur videndum cur ſic excedere voluerit.

I. Exceſſit ut oſtenderet nobis, quantum malum ſit peccatum. Tametſi enim una ſanguinis gutta ſuffeciſſet ad totum mundũ, imo plures mundos redimendos propter infinitatem pretii oblati & perſonæ offerentis; quia tamen plebs rudis infinitatem hanc non capit aut expendit, inde parvi æſtimaſſent unius guttę ſanguineæ effuſionẽ, ac conſequenter peccati gravitatẽ; velut ſi una ſimplici herba curaretur periculoſus morbus: non tam efficaciæ herbæ, quam morbi levitati cura adhiberetur à vulgo. Quare voluit Chri- *I. Exceſſit ut oſtẽderet, quantum malum ſit peccatum.*

ſtus tale tamque copioſum pretium dare, omnemque adeo ſanguinem effundere, omnis generis tormenta, in omnibus viribus animæ & corporis perferre, ut jam omnes videant ac palpent, quantum malum ſit peccatum, quod tanto pretio redimi debuerit: quamque periculoſus fuerit noſter morbus, cui tollendo tanta phlebotomia adhibita eſt. Dicite enim quæſo, ſiquis veſtrûm in civitatem regiam veniret & videret in foro civitatis theatrum tragicum erectum, totamque civitatem in luctu, & cauſam inquirens audiret, quendam ex aula Regis famulum deliquiſſe in Regem, ideoque in vincula conjectum, ut ſupplicio plecteretur: filium porrò Regis unicum & dilectiſſimum, quia famulum diligebat, carcerem clam intraſſe, commutatiſque cum famulo veſtibus, eum dimiſiſſe, ipſum vero ejus loco in carcere manſiſſe: propter iſtud factum Regem filio iratum, velle eum hodie ſupplicio afficere, nec uno ſed variis tormentis enecare. Videret poſteà produci filium, primo alapis cædi, diriſſime dein flagellari ad ſanguinem uſque toto corpore profluentem, pro regia corona, ſpinea redimiri: cum latronibus duci & cruci affigi, donec ibi expiret ſummis in doloribus; inſuper poſt mortem ejus, lanceâ eum configi; quid quæſo diceret ſpectator? Quod eſt illud facinus, diceret, quod in Regem admiſit famulus? quantum ſcelus eſſe debuit? Deinde ſi hoc ita plexum eſt in filio, qui facinus non patravit, nonnè multo atrocius ſævîiſſet in famulum, ſi is è carcere emiſſus non eſſet? Aër in Paſſione Domini obſcuratur, elementa doleat, terra concutitur-cur? Homines ſunt, qui in Deum peccârant, ideo conſtricti erant & ſervati ad ſupplicium. Sed Dei Filius amans homines, eorum reatum in ſe ſuſcepit; unde factum, ut pater in filium adeo ſæviret, tot variis tormentis. Quantum putatis nunc fuiſſe ſcelus hominum? Multum fuiſſet, ſi pater filium à conſpectu ſuo removiſſet, uti relegavit Abſalonem David, quod is fratrem occidiſſet. Sed tamen peccati gravitatem pauci ex hoc agnoviſſent. Jam ergo dum filius unicus & dilectiſſimus tot pœnis affectus eſt ob alienum illud peccatum: quantum putatis illud fuiſſe? Et ſi homo reus ipſe plecti debuiſſet, nonnè ſinguli peccatores, ſi clementiſſimè cum eis procederetur, ob ſingula peccata lethalia, ita mulctari debuiſſent, ſicut Chriſtus eſt mulctatus? Si enim in viridi ligno & pretioſo hoc factum, quid fiet in arido & inutili? Cogitet ergo quivis peccator ſe, niſi Chriſtus pro eo paſſus eſſet, ita cruciandum fuiſſe ad minimum, ſicut Chriſtus cruciatus fuit, & quidem ſine fine.

II. *V. oſtenderet nobis amorem ſuum.*

II. Ut indicaret nobis, quanti nos æſtimâret atque amarit, qui non contentus juſtum dare pretium, etiam ſuperabundans pro nobis exhibere voluit; quo modo pia mater ut filium, quem amat, ſeductum & captivum, à ſupplicio redimat; non ſolum cymelia ſua vendit, ſed veſtes etiam de collo detrahit & ſupellectilem divendit. Quod ſi dives quis mercator captivum à Turca redimeret, datâ omni ſuâ ſubſtantia; quis amorem ejus ſatis prædicare poſſet? Pulcherrimum ejus rei exemplum habemus in S. Remberto Epiſcopo Bremenſi apud Sur. 4. Febr. Qui cum veniſſet aliquando ad partes Sclavorum in Sleſvvicum ubi recens converſam habebat Eccleſiam, *vidit multitudinem captivorũ in catenis captivam teneri: inter quas Virgo quædam Deo ſacrata, ut eminus illum conſpexit, tam genu flectendo quàm caput crebro inclinando, tum honorem illi exhibere, tum ejus miſericordiam pro ſui liberatione implorare videbatur; atque ut ipſam intelligeret eſſe Chriſtianam, ſublata altiùs voce: cœpit cantare Pſalmos. Tum Epiſcopus miſeratione commotus, cum lachrymis rogabat Deum, ut ipſi opitularetur, ad cujus preces mox dirupta eſt catena, quâ ad collũ vincta tenebatur: ne tamen poſſet effugere, facilè impediebant eam gentiles illi, inter quorum manus habebatur. At Epiſcopus pro ejus receptione anxius detinentibus eam paganis, complura diverſi generis pretia pro illâ obtulit: verum illi nullam accipiebant conditionem, niſi eam ſolam, ut equum ſuum, quo ipſe ſedere cõſueverat, ipſis daret. Quod ille vir pius miſericors non detrectans, & repente de equo deſiliens, totum illum cũ omnibus ad eũ pertinentibus pro captivâ dedit, redemptamque libertate donavit; poteſtatem illi faciens, quo vellet, abeundi.* Simillimum quid Chriſtus egit. Captivum fuit humanum genus, quod amare cœpit Chriſtus, quia ſaltem prævidit futuros ex illo innumeros, qui poſterioribus ſæculis, laudes ejus celebraturi & gratias acturi eſſent: itaque nihil non obtulit pretii pro illis, orationes, jejunia, cruciatus innumeros, denique cum juſtiſſima Dei vindicta contenta eſſe nollet, niſi equum, id eſt, corpus & vitam pro iis daret. libens ac volens dedit, juxta id Iſa. 50. *Corpus meum dedi percutientibus.* Et Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam.* Sicque eos in libertatem vindicavit. Videte nunc Chriſtiani, quomodo amârit vos. Judæi, qui ſuſcitationi Lazari aderant, cum viderunt Chriſtum plorantem ejus mortem, dicebant: *Ecce quomodo amabat eum!* Nos cum audimus eum amore noſtri ſanguinem fudiſſe, nonne potiori jure dicemus: *Ecce quomodo amabat nos!*

III. *V… ſu… mos… bo… pe…*

III. Ut exceſſus noſtros malos, quos indies committimus ſuo bono compenſaret exceſſu. Si enim *pro menſurâ peccati erit & plagarum modus*; Deut. 25. pro exceſſu peccatorum faciendus erat etiam exceſſus pœnarum. Interrogate Magriſtratum, civilem. an non pro enormibus ſceleribus etiam enormia ſupplicia rependat: quo modo Aman peſſimus regni hoſtis in altiorem longe furcam ſuſpenſus eſt quam alii. Quia ergo venerat Chriſtus ſatisfacere pro enormitate exceſſuum noſtrorum, quid mirum, ſi in ſupplicio peccati ſuſtinere exceſſum voluit? Dux Henricus Brunſvvicenſis cum audiſſet, quod in memorabili illo prælio inter Mauritium Saxonem Electorem, & Albertum Brandeburgicum anno 1543. habito, filius ejus natu minor occubuiſſet, nihil commotus dixit, Alſo muß mann den Jungen das Gelb vom Schnabel wiſchen. Sic oportet juvenum ora purgare.

At

At ubi dictum fuit, quod etiam alter ejus filius natu major, serius ac severus magnæque spei juvenis, in campo interfectus repertus esset, sublachrymans dixit: Ey das ist zu viel/hoc nimium est. Zeil. in historiam trag. 8. Nihil communius hominibus, quam peccando pugnare cum Deo. Tolerat is plerumque communes hominum lapsus, qui aut ex infirmitate aut ignorantia contingunt: memor fragilitatis nostræ, juxta id Psalmi 102. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmētum nostrum.* At verò quam plurimi nimium quantum excedunt limites omnes ex mera malitia peccantes. Grave quidem, sed modo aliquo condonandum esset, superbe ultra facultatem & statum se vestire: sed insuper novas quotidie vestium insolentias excogitare; Ey das ist zu viel. Hoc nimium & excessus est. Ideo Christus non solum ludicra in purpura derideri voluit, sed etiam novo ludibrio à Diabolo excogitato, gestare spineam coronam. Satis superbiæ esset corpus novo in dies luxu onerare & ornare; sed ita etiam vestire, ut ejus nuditas appareat; id profectò nimium est. Ideo Christus non solum in veste albâ velut stultus illudi & in fictâ purpurâ voluit, sed etiam nudari & nudus in crucem affigi. Satis avaritiæ foret pauperibus nihil dare; sed probra loco eleemosynæ in eos jacere, id nimium est; ideo Christus non solum sperni & repudiari à Judæis voluit, sed etiam illudi. Satis avaritiæ foret, pauperes & pupillos spoliare; sed insuper spolia illa luxu & aleis perdere, id sane nimium est; ideo Christus non solum vestibus spoliari voluit, sed sustinere insuper, ut pro iis luderetur in conspectu ejus. Satis libidinis foret scortari vel adulterari; sed vero contra naturam peccare, & incestus admittere, prôh id nimium est; ideo Christus non solum naturali modo per flagella sanguinem suum fundere voluit, sed etiam contra naturam sanguinem sudare. Sat libidinis foret, carnem à lascivia non frænare, at vero etiam irritare cibo, potu, medicamentis aliisque illecebris, id sane nimium est; ideo Christus non solum decreta sibi à Pilato supplicia ferre voluit, sed etiam non decreta & mera militum libidine vel Judæorum instigatione sibi inflicta. Satis gulæ foret inebriari usque ad os; sed insuper vomere ut rursum inebrieris, nonne nimium est? Ideo Christus non solum ferre voluit sitim, sed etiam aceto, quod sitim auget, potari. Satis gulæ foret, non jejunare in Quadragesima, cum possis: at vero etiam carnes vorare, cum non indigeas, nonne nimium est? Ideo Christus non solum siti cruciatus est, sed etiam felle potatus. Satis insaniæ foret per Sacramenta execrari: at vero excogitare diras & inauditas Sacramentorum execrationes, nonne nimium est? Ideo Christus non solum contumelias, sed etiam beneficiorum suorum exprobrationes debuit audire. Satis furiæ esset, probris, contumeliis, sarmis alios excipere; sed insuper gladijs & sclopis petere, id nimium est: ideo Christus non tantum probris affici in cruce, sed etiam clavis & lanceâ transfigi voluit. Hinc jure Christus queritur Isa. 43. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Du hast mir ein Arbeit gemacht.

IV. Ut in altero extremo defectus nostros nimios suo excessu satisfactionis compensaret. Plurimi certe sunt, qui etiam res parvas difficulter Deo dant, & prius examinant ac disputant, utrum dare oporteat; uti mulier illa Samaritana, quæ petenti haustum aquæ Christo non dedit, sed cum eo potius contendit; quod ipsi velut Judæo non liceret ab ea petere haustum, utpote à Samaritana, quæ gens Judæis exosa esset; cum tamen debuisset sibi potius gratulari, quod homo Judæus eam non aversaretur, ipsaque nulla lege prohiberetur communicare cum Judæis. Hujus ergo exemplo plurimi quærunt effugia vana, ut Deo parum aut nihil dent: pauperes examinant; nec solum inanes dimittunt, sed etiam objurgant velut ignavos, improbos, vagos, Ey das ist zu wenig. Nimis parum hoc est. Quotidie comedere & vix mensæ micas pauperibus servare; nimis parum est. Tota septimana in Quadragesima cum prandio cœnare, solo die Veneris cœna abstinere: nimis parum est. Toto anno negotiis sæculi occupari, & semel tantum in Paschate cum Deo versari & communicare; nimis parum est. Iejunii diebus à carnibus tantum abstinere, cum non sint labores, nec invaletudo; nimis parum est. Integrum peccatorum plaustrum afferre ad confessionem, & non nisi modicam admittere pœnitentiam velle; certe nimis parum est. In Quadragesima non sæpius frequentare templum & audire Dei verbum, quam diebus festivis: nimis parum est.

IV. Vt defectus nostros suis excessibus compensaret.

Nimis parum rependit servatori suo remigi Alphonsus secundus Rex Neapolitanus, qui in mari è navicula lapsus, & eius opera liberatus, non plus ei meriti gratia, quam 12. uncias hoc est 16. florenos annuos ex ærario suo persolvere iussit, auct. Chavass. de prud. lib. 4. cap. 4. Ey das war zu wenig. Nimis parum id erat pro tanto beneficio servatæ vitæ. Cogitemus jam quid præstiterit nobis Christus. Prolapsi eramus è navicula gratiæ divinæ in mare perditionis, utique mergendi, nisi Dei Filius de cœlo in hunc mūdum, nudus & pauper se demisisset, & ut nos eriperet, nobis quasi adnatando vitam servasset. Quid tanto liberatori dignum rependemus? si nos ipsos millies demus, parum aut nihil erit. Quare si in piis operibus tam parci erga ipsum sumus, Ey das ist zu wenig: id vero nimis parum est.

Hoc expendentes primi illi sancti Christiani, quidquid pro Deo agerent, minus esse putabant. Martyres non unum, sed varia tormenta sustinere gestiebant: Anachoretæ totam vitam in eremis & miserijs, vigiliis & jejuniis, orationibus & mortificationibus consumpserunt: Monachi & moniales in Monasteria velut in perpetuos carceres sese incluserunt: Episcopi & confessores in lucrandis & curandis animabus diu noctuque desudârunt: cæteri sub Christi iugo strenuissimè militarunt. cesset igitur iam querela, quasi nimis multa exigat à nobis Christus & Ecclesia, quasi nimis multa patiamur. Si enim quoti-

die pro eo moriamur, qui nos adeo amavit, nihil condignum reddemus.

THEMA V.

Exercitia pia per Quadragesimam instituenda.

I. *Jejunii exercitium.*
II. *Orationis exercitium.*
III. *Exercitium conversionis.*
IV. *Verbi Dei frequens usus.*
V. *Memoria Passionis Christi.*
VI. *Indulgentiarum lucrandarum exercitium.*

Duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, *Matth.* 17.

Contingit fere in nundinis, ut histriones & circũforanei & qui vilibus mercibus venantur pecunias; primi sint ad forum: mercatores autem celebres, qui pretiosas afferunt merces, serius adveniant, confisi nimirum mercium suarum bonitati & valori. Idem mihi videre videor in spiritualibus hisce Quadragesimæ nundinis. Primus ad eas Satan venit, uti ante octo dies vidimus, merces suas explicans, quę tamen ipsius non erant, omnia regna mundi & gloriam eorum ostendens: venit tamquam circulator & impostor ollam sortilegam, verè ollam mortis proponens, ut homines per hos sacros dies spirituali fructu spoliet. Hodie videmus adventare meliorem Mercatorem, Christum Dominum, merces suas, gloriam scilicet regni sui explicantem, ollam inquam spei nostræ, unde merces utilissimas per hanc Quadragesimam extrahere possimus. Quid vero ea nobis exhibeat nunc videndum.

I. *Jejunii exercitium.* I. Exhibet Moysen & Eliam, & in his rationem jejunandi, per 40. nimirum dies, adeoq; per totam Quadragesimam. Sic enim jejunarunt Moyses & Elias, quemadmodum & Christus; Moyses quando in monte Synai cum Deo loquens accipiebat legem, Exo. 34. Elias quando Jezabelem fugiens pergebat ad montem Oreb, qui idem est cum monte Sinai, 3. Reg. 19. Sacer ergo est hic jejunij numerus, à Christo supremo Legislatore, Moyse ejusdem promulgatore, Elia zelatore, sanctificatus; jure proinde à Christianis observandus: illo etiam ex capite, quia est decima pars anni, superadditis quatuor diebus: non videtur autem justum, ut decimas frugum demus Dei servis, decimas vero temporis negemus ipsi Deo. Habemus etiam animalia, quæ totidem diebus dicuntur jejunare, uti ursa per 40. dies non nisi linctu pedis vivens, teste Aristot. lib. 6. animal. cap. 30. & lib. 8. cap. 17. in remedium morbi intestinorum. Similiter & serpens, cujus prudentiam commendat nobis Dominus in Evange-[illegible] exuat, dicitur prius jejunare per 40. dies, sicq; inedia laxatam pellem per angustum intrans foramen, sibi detrahere, ut dixi ex sancto Hieronymo epist. ad Præsidium & Cyrillum Dominica I. Quadr. Conc. 7. E. Quis autem morbus noster intestinus, nisi vitia animi; quid pellis nostra antiqua, nisi vetus homo carnali concupiscentiæ deditus? Hunc curare morbum, hanc exuere pellem in Quadragesimâ oportet uti monet sanctus Chrysostomus hom. 73. ad populum, quæ alioquin *non modo nil prodesset sed majoris occasio damnationis fieret nobis, cum tantum invenientes solicitudinis ijdem permaneamus, nec iracundus mitis efficiatur, nec animosus mutetur in mansuetum, nec in benignitatem invidus se reducat, neq; pecuniarum captus insania à vitio desistens, ad misericordiam & pauperum se transferat sustentationem: nec impudicus continẽs evadat &c.* Merito sane hæc Chrysostomus. Quis enim è balneo non exiit mundior? quis è scholis non doctior? Atqui tempus Quadragesimæ balneum est pœnitentiæ, schola disciplinæ. Celebramus in Quadragesimâ die 9. Martij festum 40. Martyrum, qui Licinio Imp. ad Sebasten, Armeniæ urbem, hiemali ac frigidissimo tempore nudi sub dio pernoctare jussi, sic orabant: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, 40. itidem, Domine, coronis donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu 40. dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias 40. dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est.* Hanc orationem Deus exaudivit. Cum enim unus ex eorum numero defecisset, in vicinum tepefactum balneum desiliit, ejus loco alium quendam, janitorem Ethnicum, qui sub noctem vidit triginta novem coronas de cœlo eis submitti, substituens; uti refert Breviar. & sanctus Basilius homilia in 40. Martyres. Non dubium quin eos, qui per quadraginta dies jejunant, maneat corona sua. Si enim Moyses post 40. dierum jejunium splendidam acquisivit faciem: si Elias Dei visionem & colloquium meruit: si Christo Domino eodem jejunij tempore exacto Angeli ministrarunt; cur non similẽ mercedem & alij expectent? Quare impleamus quæso hunc quadraginta dierum numerum in jejunio: ne unicus quidem dies desit huic sacro numero, ne desit corona.

II. Tres Christi discipulos, Petrum, Joannem & Jacobum, transfigurationis spectatores, & per hos rationem orandi. Cum enim teste Luca cap. 9. Christus in monte Thabor inter orandum transfiguratus sit, non dubium quin hi quoque discipuli cum Magistro suo orarint. Porro Quadragesima tempus est accommodum & destinatum orationi. Nunc enim Ecclesia preces auget, & profanas sæculi lætitias inhibet, & passionis Dominicæ arma proponit. Igitur ut bona & efficax sit oratio, tres istos comites Christianus assumat, quos & Christus ad orationem suam in hortum Oliveti assumpsit.

1. Joannem, discipulum Christi dilectum, qui & *Gratia* vel *Gratiosus* exponitur, ut orans

fit Dei amicus adeoque in Dei gratiâ. Quid enim prodest opem voce implorare, si manum retrahas ab auxiliatore; Quod Ambrosiaster in capite 4. Apoc. hac similitudine declarat: *Homo quidam usque ad collum defixus in limo tenebeatur, cumq; vidisset quẽdam prætereuntem, extendens manum, clamabat dicens Miserere mei & extrahe me ab hoc luto. Cumque manum porrigeret, ut istum extraheret, iste manum, quam extenderat, sub lutum demersit. Dumque crebrius hoc faceret ille iratus dixit: Cur petis, ut eruaris, cum in tuo periculo persistere velis? & quia interitum tuũ diligis, posside quod elegisti. Similiter isti Deum deprecantur assidue, ut à vitiis eruantur, & tamen ista vitia ita amplectuntur, ut ab eis nullo modo divelli possint.* Propterea Salomon 3. Regum 8. dixit: *Siquis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de cœlo & repropitiaberis.* Debet ergo peccator si audiri velit, agnoscere peccata sua, dimittere affectum erga illa, & cupere erui ab illis; alioquin verum est, quod cæcus dixit: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Joan. 9.

2. Petrum à petrâ sic appellatum, hoc est, fiduciam, quæ est firma seu roborata fides, quam Christus in oratione vehementer requirit, uti Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis & evenient vobis.* Est enim hæc fiducia quasi pecunia, qua emimus à Deo postulata, dum per illam extollimus & prædicamus DEI potentiam, bonitatem, fidelitatem, providentiam, liberalitatem. Hæc est illa emptio Isa. 55. *Venite emite absque argento vinum & lac.* Hujus pecuniæ quo plus Deo dederis, eo plus gratiarum in oratione accipies.

3. Jacobum, qui calcaneus & planta pedis exponitur, & membrum infimum est, significat ergo perseverantiam in oratione, quam etiam Christus magnopere requirit: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Luc. 11. De quo & Ecclesiastes cap. 7. *Melior est finis orationis, quam principium. Nam quomodo certaminis bravium non assequitur,* inquit S. Laurentius Justinianus in Lig. vit. cap. 9. *qui antequam ad metas attingat, deficit: sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus,* imitandus Jacob Patriarcha luctans cum Angelo usque manè, cui cum diceret ille: *Dimitte me, aurora est.* Respondit Jacob: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi Et benedixit ei in eod loco.* Gen. 32. Pari modo si orantes constanter cum Deo luctemur, nec dimittamus eum, donec benedicat nobis, audiemur ad extremum sine dubio.

III. Christum; & 1. Vestimenta Christi alba instar nivis. Hæc induenda Quadragesimâ mediante pœnitentiâ ac confessione, quæ est artificium quasi fullonis, maculas tergentis & nitorem primæ innocentiæ peccatori restituentis. Requirit autem Deus dealbationem animæ, quæ sit instar nivis, ut videre est Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et Psalm. 65. *Nive dealbabuntur in Selmon*, hoc est in Ecclesiâ, monte scilicet *Pingui & coagulato.* Et Psalm. 50. David de se peccatore loquens: *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Ratio est, quia sunt res quædam albæ foris tantum, non intus, uti *sepulchra dealbata*, qualia erant conscientiæ Pharisæorum, Matth. 32. & *paries dealbatus*, qualem appellat Paulus Ananiam principem Sacerdotum, Act. 23. At verò nix & lana alba, extrà & intimè candent. Jam verò quia peccatum non solum à Deo, sed etiam ad creaturam convertit & ad amorem ejus inclinat, (quæ inclinatio difficile eraditur) fit sæpenumero ut confitens discedat ex confessione velut *paries dealbatus*, crustâ solùm candoris obducta: aut velut *sepulchrum dealbatum*, intus plenum ossibus mortuorum; dum adhuc peccata placent, nec animus est ea prorsus deserendi, peccandique occasiones fugiendi aut removendi. His dici posset id, quod Paulus Ananiæ dixit: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Ut enim Deus cygnum, qui pennas quidem candidas, carnem tamen habet nigram, pro immundo declaravit, Levit. 11. sic reprobabit etiam tales pœnitentes fictos.

2. Faciem ejus resplendentem instar Solis. Hæc quoque in Quadragesima nobis si non induenda saltem imitanda est, quando ad sacram communionem pergimus. Non enim tanti Sacramenti dignitati satis est vestimentum conscientiæ candidum & immaculatum; alioquin enim & infantes admitterentur ac stulti; sed requiritur insuper facies instar Solis rutilans, varios virtutum radios, præcipuè amoris Dei, ex se emittens. Nonnè enim sponsa ad sponsũ adducenda, ipsi se adornat & pro viribus assimilat? Certè sanctus Chrysostomus hom. 60. ad populum ait: *Quod solari radio non oportet esse splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igne spirituali repletur?* Et in orat. de beato Philogonio: *An nescitis quod hæc mensa plena est igni spirituali? Et quemadmodum fontes aqua vim exundant: ita hæc flammam quandam habet arcanam. Neque igitur accesseris stipulam afferens, non ligna, non fænum, ne augeas incendium, exuratque animam ad communionem accedentem: sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas.* Et mox: *Regem enim excepturus es per communionem: cum autem Rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem multumque silentium, profundam cogitationum quietem.* Cogita jam quid faceres, siquis Rex in domum tuam veniret. Fac hoc saltem & cœli Regi. Quòd si olim manna servabatur in urnâ aureâ, teste Apostolo ad Hebr. 9. multò magis decet, ut manna nostrum cœleste, Deus ipse, in aurea suscipiatur animâ. 2. Per S. communionẽ.

IV. DEUM Patrem in voce cœlesti: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quæ vox dirigit nos ad audiendũ Dei verbũ; cujus occasio passim obvia & cõmodissima est in Quadragesimâ. Nullo modo enim cogitandum est, solis illis IV Verbi Dei frequens usus.

tribus

tribus discipulis mandatum esse ut audirent Christum, sed per eos toti mundo. Quisquis igitur Dei verbum audire contemnit Deum patrem ejusque filium contemnit, ipsumque ultorem sentiet; quemadmodum & Moysi, ac per eum populo Hebræorum prædixit Deus, Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, &c. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Quæ ultima verba sic declarat S. Petrus Act. 3. *Exterminabitur de plebe*; seu *internecione delebitur* (ut habetur Græcè) utique è libro vitæ. Cujus rei etiam figuram præmisit Exo. 13. quando primogenita pecorum sibi afferri præcepit, solum asinæ primogenitum respuit, idq; jubet ove redimi: *Primogenitum asini redimes ove. Quod si non redemeris interficies.* Et cur hoc? Asini sunt, qui de rebus ad salutem necessariis nihil sciunt, neque scire aliquid cupiunt. *Nunquid asinis dabo regnum meum?* ait in personâ Christi sanctus Bernardus sermone de dilig. Deo. Hos ergo Deus vult redimi & commutari cum ove, ut nimirum ex stupidis asinis & idiotis fiant oves Christi de quibus ipse dixit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. 10. Quod si hanc redemptionem facere, ex asino ovis fieri, & audire vocem Christi quis noluerit, interficietur & exterminabitur ex albo electorum: (quorum typus sunt primitiæ fructuum, & pecorum) quod alibi claris verbis minatur eis Christus: *Qui vos spernit, me spernit. Et: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, &c.*

V. *Memoria Passionis Christi.* V. Colloquium Christi cum Moyse & Eliâ quod erat de excessu, hoc est, de morte & passione Christi. Decet etiam Christianos si unquam aliàs certè per Quadragesimam subinde conversari, loqui aut meditari de Passione Domini, ne tam immensum beneficium è memoriâ nostrâ unquam deleatur. Scimus quid mandârit Deus Josue, quando per Jordanẽ siccato alveo induxit populum in terram promissionis, Jos. 4. Jussit enim 12. lapides è Jordanis medio tolli, & humeris totidem Principum portari usque in Galgala (significat *rotam* seu *revolutionem*; quasi deberet ejus beneficii perpetua ibi revolutio fieri in Hebræorum memoria, ibique ad perpetuum beneficii monumentum erigi; ut cum posteri interrogarent, quid sibi vellent lapides illi, responderent seniores: *Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino DEO vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis.* Terrenum fuit hoc beneficium, quia in terram duntaxat, quam vis optimam, induxit. Passio Christi, quæ velut Arca fœderis divisit Jordanem, judicii divini (*Jordan* enim exponitur *fluvius judicii*) & traduxit nos in patriam cœlestem, cœleste est beneficium; quod magno sanè constitit Christo, cùm ipse molem aquarum, hoc est, debitarum nobis pœnarum sustinere debuit, ne in nos devolveretur. Hoc ergo ut semper meminerimus, subinde saltem de eo loqui cum aliis seu nobiscum decet, ac dicere perpetuâ quadam revolutione: Quid sibi volunt arma passionis Christi passim erecta? quid columnæ tot in viis publicis? quid in templis cruces; quid altaria; quid horæ diurnæ? quid habitus sacrificantium? quid velata nunc altaria? quid aliæ cæremoniæ in hebdomadâ sacrâ? Monumenta sunt charitatis & passionis, quâ Christus nos redemit. Notandum etiam, quod non solum in terrâ scilicet in Galgalis, sed etiam in ipso Jordanis alveo, per quem transierunt filii Israel, erigi similiter Deus duodecim lapides voluit, quo nimirum Hebræi ubicunque essent, sive in terrâ, sive in aquâ, ejus beneficii nunquam oblivniscerentur. Quid igitur nos, putatis, facere oportet?

VI. Nubem lucidam obumbrantem Christi discipulos; sanctus Joannes Damascenus orat. de Transfigurat. & ex eo Toletus existimant, nubẽ hanc adductam, ut fulgorem faciei Christi oculos discipulorum perstringentem, umbrâ suâ interjectâ temperaret. Bene igitur nubes hæc repræsentat nobis blandissimum Indulgentiarum umbraculum, quo protegi in morte à justitiæ Sole possumus, ne in altero sæculo graves aliquando luere pœnas cogamur. Solis certè illius adventantis speciem describens Joannes Apoc. 1. ait: *Et facies ejus sicut Sol lucet in virtute suâ* quasi dicat, cum Sol maximè fervet & urit, quia veniet tanquam severissimus Judex, nihil peccati impune relicturus. Quid tunc exoptare possumus nisi nubem aliquam nos protegentem à rigore illo? Tunc enim multi *dicent montibus & petris: Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab irâ Agni.* Apoc. 6. Sed quid si serò nimis & frustra? Quod si umbraculum desideramus pro illo tempore, lucremur Indulgentias; hæ enim delent pœnas peccatis nostris debitas, Hebræorum castra obumbrabat nubes Sap. 19. seu columna nubis, quæ non modò Solis æstum temperabat per diem, sed etiam eos defendit à Pharaone insequente. Exo. 14. Sic protegent nos Indulgentiæ in horâ mortis nostræ. Hæ nunc potissimùm quasi in foro venales prostant singulis diebus, qui totidem stationes & indulgentiarum lucra levissimo pretio comparanda proponunt per totam Quadragesimam. Nimirum quemadmodum in fine nundinarum merces viliori pretio emuntur, quia emptores videntur jam saturati mercibus, & nummis exhausti; ita nunc fit, ut indulgentiæ & crebrius dentur & leviori labore comparentur. Saturi videmur, & meritis propriis parum divites sumus, ad laborandum verò languidi. Ut ergo languidus ille ad piscinam, quia propriis viribus non poterat se mergere in piscinam, egebat alienis: sic & nos in hoc mundi fine, quia admodum debiles ad bene operandum sumus, indigemus meritis alienis, quibus abluamur à pœnarum reatu.

Quare cùm videamus tantum & tot bonorum thesaurum hac Quadragesimâ nobis propositum, non patiamur nobis elabi tam præclaram lucri occasione: *Veniet dies*, inquit Dominus Luc. 18. *quando desideretis videre unũ diem filii hominis, & nõ videbitis.* Quæ est ista dies, filii hominis, nisi dies, quâ remissionem

nem & indulgentiam peccatorum, qua gratiam Dei mercari licet? Cogitate virgines fatuas, quæ sero nimis iverunt emere oleum, & exclusæ sunt, & date operam, quantam potestis maximam, ne in illarum numero vos aliquando reprehendatis.

DOMINICA III. QUADRAGES.

THEMATA.

I. *Raræ confeßionis damna, frequentis commoda.*
II. *Militantes sub Beelzebub quinam.*
III. *Defectus aliquot jejunii.*
IV. *Loca arida seu inaquosa, quæ perambulat Dæmon.*
V. *Ratio expellendi Dæmonem per pænitentiam.*

THEMA I.

Raræ confessionis damna, frequentis commoda.

I. *Vbi rara confeßio, ibi multæ sordes, & è contra.*
II. *Vbi rara confeßio ibi multæ Dæmonis machinationes & viciſſim.*
III. *Vbi rara confeßio ibi faciles lapsus ad graviora.*
IV. *Vbi rara confeßio, ibi facile prodimur Dæmoni.*
V. *Vbi rara confeßio, ibi difficilis confeßio & contra.*

Cum venerit, invenit eam scopis mundatam, Luc. 11.

HOdiernum Evangelium de scopis nobis loquitur, quibus everri & purgari domus solet. Accōmodate ad hoc tempus, quo Christiani incipiunt everrere conscientias suas pro S. Paschali tempore. Sed quia cōstituimus cum bestiis versari per hoc tempus, ubi inveniemus, bestiam, quæ cum Christo fuerit in deserto & utatur scopis? Non difficile Audit. Scribunt de leone Ælianus l. de animal, aliiq;, quod oblonga cauda sua, quæ in extremitate floccum pilosum scopis non absimile habet, vestigia sua arenæ vel molli terræ impressa obliteret, per terram eam trahēdo in modum verrentis, ne ex ejus vestigiis antrum adeoq; etiam catuli ejus deprehendantur. Crediderim ad Christum in desertum etiam accessisse leones, non infrequentes Syriæ, ut obsequium ei præstarent. Cum his ergo nunc versabimur, ab eisq; discemus scopis confessionis peccata nostra, non semel tantum in anno, sed frequenter obliterare: vel, quod eodem tendit, cū hodierno Evangelio domum nostram verrere. Nemo terreatur ab hoc leone. *Catulus Leonis Iuda*, ait Jacob filio suo Judæ; qui confessio exponitur, Gen. 49. Catulus est facile superabilis, qualem dilaceravit in frusta Samson, *nihil omnino habens in manu*, Judic. 14. Videamus ergo commoda frequentis confessionis, raræ quoque damna.

I. Ubi raro domus verritur, ibi multæ sordes: ubi frequenter ibi munditia. Aspicite aulas vel conclavia nobilium, semper tersa invenietis, quia quotidie purgantur. Contra in tabernis publicis vel tuguriis rusticanis omnia sordida, quia raro mundātur. Par ratio de confessione, Ea enim si frequens sit, expurgat omnem labem, etiam parvam: delet insuper magnam partem pœnarum, propter pudorem confitendi, vim contritionis & absolutionis sacramentalis, pœnitentiamq; injunctam. Naaman septies lotus tenellam acquisivit carnem velut pueri parvuli, 4. Reg. 5. Qui ergo crebro confitentur, nitidam valde ac delicatam & quasi infātilem acquirunt conscientiam; ita ut parvas etiam maculas fugiant horreantq;. Septuplicem lotionem Naamani præcepit Elisæus; sed qua de causa? an quia scivit etiam Davidem septuplici peccatorum confessione perfecte lotum & super nivem dealbatum? Ita enim ipse in psalmo suo pœnitentiali septies confitetur: semel quidem, dicens: *Dele iniquitatem meam*: Iterum: *amplius lava me ab iniquitate mea.* Tertio, *& à peccato meo munda me.* Quarto, *quoniam iniquitatē meam ego cognosco.* Quinto, *& peccatum meum contra me est semper.* Sexto, *Tibi soli peccavi.* Septimo, *Et malum coram te feci*, Ps. 50. Septies ergo h. e. frequentissime peccati sui confessionem repetebat, quia hanc unam medicinam suo morbo præsentissimam judicabat. Unde demum subdit: *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Propterea Ps. 95. recte confessioni adjungitur pulchritudo: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus.* quia frequentem confessionem sequitur animæ pulchritudo. Audi Bernardum ep. 113 ad Virginem Sophiam: *Ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni jungitur pulchritudo: Confessionem & decorem induisti.* Ps. 103. Et sicut nitida domus allicit trahitq; ad se hospites: ita munda conscientia Deum ad inhabitandum invitat. *1. Vbi rara confeßio ibi multæ sordes, & è contra.*

At dices in hodierno Evangelio, ad domum ornatam & scopis mundatam allectum fuisse Dæmonem. Respondeo ibi sermonem esse de scopis reproborum malis, qualis est Dei oblivio, incredulitas, præsumptio &c. quibus everrunt reprobi bonas inspirationes, admonitiones & cogitationes è corde suo, præparantq; domum suam Dæmoni. Scopæ bonorum confessio est, quæ peccata ejicit & domum Deo adornat. Ut ergo Dæmon avet intrare in domum sibi instructam: ita vicissim etiam Deus in domum sibi paratam. Hinc 1. Reg. 7. ait Samuel: *Præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.*

II. Ubi raræ in domo scopæ, ibi multæ aranearum telæ: nullæ aut raræ araneæ, ubi domum everrūt frequentes scopæ; unde in divitum cubiculis non facilè texunt retia sua. Pari ratione si rara sit confessio, Dæmon multa mala per suggestiones machinatur in homine, prava desideria, concupiscentias carnis & oculorum. Frequens confessio ea statim dejicit, dum Confessario tentationes & suggestiones Dæmonis dete- *II. Vbi rara confeßio, ibi multæ Dæmonis machinationes: & vicißim*

git. Quis autem belli Dux non facile superabitur aut fugabitur, si quis omnia ejus consilia statim hosti prodat? Scimus Regem Syriæ nihil potuisse in Regem Israel, quamdiu Propheta Elisæus Regi Israel omnia ejus consilia detexit. 4. Reg. 6. ita nihil poterit machinari Dæmon contra nos, si per crebram confessionem omnia ejus machinamenta, quæ in nos molitur, detegamus mox Confessario.

Trip. Do. 4 Quadrag. C. 4. B.

III. Vbi rara confessio ibi facilis lapsus ad graviora

III. Ubi raræ scopæ, ibi gignuntur è sordibus variæ bestiolæ, cimices, pulices, mures, &c. non item ubi crebræ; sic ubi peccata diu hærent & coacervantur in homine, ibi facilis lapsus ad graviora. Coma, quæ diu non pectitur; indusia, quæ diu non lavantur, vermiculos gignunt. Patet in Davide, cujus peccatum primum, adulterium; quia non mox ejectum est, peperit alia plura, inde enim David Uriam inebriavit, posteà hosti cædendum objecit. Deniq; gignit rara confessio magnum peccatorum pondus, quod hominem tandem deprimit & penè ad desperationem agit. Typum habemus in Absalone, cujus cæsaries; quia semel in anno tantum tondebatur, gravabat eum, & tandem ramo arboris implexum suspendit. 2. Reg. 18. Quem verò non gravaret onus peccatorum per totum annum non depositum? Cur enim peccata à Prophetis appellantur *onera? Onus Babylonis, onus Ninive, &c.* & à nostris Germanis Laster? unde nisi à Last seu onere? Idcirco forsan Absalomis mulus robustissimus alioquin ad portanda onera, quasi sessorem suũ velut gravissimum onus ferre diutius non posset; ingressus est cum eo subter unam quercum, ut ibi appẽso hero se exoneraret. Non enim eo ductus dicitur ab Absalone, sed ingressus, quasi destinato ad Castigandum Absalonem. Eo igitur sæpe tales inducuntur, ut cogitationibus suis quasi capillis impliciti desperent de emendatione, nec unquam rectè confiteantur. Dicito enim mihi: Quis facilius se à debitis expedit: Qui singulis mensibus quæ contraxit, exsolvit; an qui post annum; nonne tandem ita augetur onus debitorum, ut desperare de solutione debitor, itaque venundari cum omni sua familia debeat? Sane de Sodomitis dicitur Gen. 18. *Peccatum eorum aggravatum est nimis:* Unde factum ut una cum civitate sua, omniq; familia, uxoribus & liberis igni traderentur. Audi de hoc Chrysostomum hom. de Sodomitis tom. 1. *Tale est peccatorum debitum,* inquit, *ut si solliciti sumus ad solvendum, leve fit: sin negligentes, erit gravissimum: totam enim simul mergit debentium substantiam. Non curabant Sodomitæ, debita neglexerunt, quotidie neglectu crescente crevit debitum, &c. non erant solvendo, imperavit Dominus debiti, ut igni traderentur & mulieres eorum & filii eorum, & omnia quæ habuerunt, in satisfactionem cederent.* sic ille. Sed quam mira res! sani & sancti homines frequẽtissime utuntur hac medicina: ægri & mali, qui magnopere indigent, rarissimè.

IV. Vbi rara confessio ibi facile

IV. Ubi raræ scopæ, ibi vestigia pulveribus impressa remanent, quæ hominem produnt; non item ubi frequentes. Impostorum illorum sacerdotum Bel, vestigia nonne in cinere pavimenti sparso deprehensa fuerunt? Dan. ultimo. Quamdiu pavimentum nitid fuit, deprehendi non potuerunt. Idcirco & Leo, ut di ximus, vestigia sua obliterat. Relinquunt peccata i homine pessima vestigia, & fœdas maculas, è quibu nos deprehendit Dæmon, ut gravius affligat, ac d mum accuset. At quis nescit quantum noceat urb obsessæ, si hostis nôrit ejus defectus, penurias in a nona, aqua, armis, pyrio pulvere? nonne omni studi conantur obsessi eos supprimere? nonne fingunt prædivites & ab omni re necessaria abunde instru ctos?

V. Ubi sæpe domus verritur, facilis fit versio: difficilis & multi laboris ubi rara est. Ibi rastro opus, qu adhærens solo lutum defricetur. Simili modo con fessio peccatorum, quando rarò fit, difficulter fit; fa cile, quando crebro. Ad cubile everrendum, ubi pul veres tantum sunt, scopæ sufficiunt: ad stabulum re purgandum furcæ & palæ ac ligones requiruntur. Conscientia eorum, qui frequentant confessionem quasi cubile est: at illorum, qui vix semel in anno expiant, stabulum est equorum; ubi penè computres cunt jumenta in stercore suo: nec modico labore opu ut vix possint malè mori, qui crebrò per confessionem expurgant conscientiam, quia semper excubias agun vix etiam benè, qui rarò valdè; quia sui curam non ha bent; & cum repente à morbis obruuntur, difficulte admodum bene & exactè confitentur. Rem hanc ali similitudine sic explicat Hector Pintus in Ezechiel capite vigesimo primo. *Sunt nonnulli, qui cum vident gladium rubigine aliqua affectum, illum statim exacuunt & perpoliunt, alii semel in anno, alii nunquam nisi sint in extrema necessitate constituti, & tunc accidit sæpe, ut non possint gladium è vagina educere, ex quo efficitur ut ensis cum vagina in sterquilinium mittatur: sic sunt nonnulli, cum intelligunt animam esse crimine aliquo contaminatam confestim se conferunt ad expolitorem, ut eam excoriant & perpurgent, hoc est, ad Confessarium, ad sanctum pœnitentiæ sacramentum, ubi anima expietur & perpoliatur. Præclare illi quidem, qui illicò ad confessionis lavacrum confugiunt. Alii semel in anno, minus pii Christiani tamen. Alii nunquam nisi forte cum jam habent mortem in visceribus conceptam.* Sic ille, apposite ad id, quod accidit Regi Baltasar, qui cum principibus suis comedebat ac bibebat, licet hostem Darium præ mœnibus esse sciret. Quare ubi is repente civitatem invasit, nesciebant quomodo ei resisterent. Unde Isaias capite vigesimo primo illudit eis: *Pone mensam, contemplare è specula comedentes & bibentes; surgite principes, arripite arma:* Hebr. *ungite clypeos.* Arabice, *tergite & lucida facite arma,* ironicè nimirum, quasi dicat, jam cum tempus est pugnandi, vultis primò expolire & expedire arma: frustra estis, prius factum oportuit. Unde Rex acinacem quidem manu arripuit, sed pugnare non potuit; sic cum manu tenens occisus est, sic periêre cum Rege suo principes, & capta est tota Babylon: uti scribit Xenophon libro septimo. Nimirum Regis exemplum secuti sunt subditi & cum eo convivantes in utramque aurem dormierunt. Capita si non præcunt

frequenti exomologesi, nec membra sequuntur; alioquin præeuntibus illis, facilè secutura. Scribit Origenes tractat. decimo tertio in Matthæum, & Plinius libro nono, capite trigesimo quinto, inter conchylia esse unum quoddam maximum & pulchritudine margaritæ intra se reconditæ præstantissimum, quod quasi ducem conchylia alia turmatim sequantur. Igitur urinatores illud maximum studio peculiari venantur; eo enim capto unà capiunt facile reliquum eorum agmen, omnesque in eo inclusas margaritas. Quàm multas pretiosas margaritas, quam multas nobiles animas possent secum trahere in cœlum Principes & Magistratus, si ipsi præire vellent! trahere ad frequentem confessionem, si exemplo prælucere! Nonne quando David Absalonem fugiens, habitu pœnitentis, nudis pedibus & operto capite flens ascendit montem Olivarum, omnis populus similiter plorans & operto capite ipsum secutus fuit? 2. Regum decimo quinto. Non erubescant ergo nobiles etiam personæ, si aliud Principum suorum exemplum non videant, saltem Davidis exemplum sequi. Si enim secuti sunt errantem, sequantur & pœnitentem, quemadmodum dicebat Theodosio Imperatori Sanctus Ambrosius. David à Propheta Nathan de peccato suo reprehensus composuit Psalmum quinquagesimum, in quo sunt tot gravissimi doloris affectus & indicia, quot sunt pene verba. Addit historia Scholastica, quod admodum credibile est, mox ab ea reprehensione descendisse eum de throno, sedisse in terra, neque erubuisse in omnium conspectu confiteri suum peccatum. Addit Sanctus Chrysostomus homilia in Psalmum illum quinquagesimum aliud argumentum, dum ait, nulla excusatione Davidem elevasse culpam, sed quasi unum de plebe caput regium demisisse. *Ille*, inquit, *velociter rediens ad conscientiam tanquam fidelis & idoneus servus culpam simpliciter confitetur & dicit; Peccavi Domino. Vides & in dolore ingenuitatem animi. Nec dixit ad eum: O illetu, cur non consideras fragilitatem humanam, cur non temetipsum carnalem intelligis? Aut nescis me in culmine constitutum esse regali? Cur mihi audacter impegisti crimen? Sed quid dicit? Peccavi Domino.*

Regem ergo sequantur, qui non sunt Reges; quin imo & qui sunt Reges.

* * *

THEMA II.

Militantes sub Beelzebub quinam.

I. *Qui divinatores consulunt.*
II. *Qui alios vexant & molestant.*
III. *Curiosi.*
IV. *Libertini & exleges.*
V. *Gulones & parasiti.*
VI. *Detractores.*
VII. *Otiosi.*

In Beelzebub, principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Luc. 11.

SAnctus Bernardus Abbas Claræ-Vallensis dedicaturus Oratorium in agro Laudunensi, reperit illud à muscarum incredibili multitudine adeo occupatum, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo ergo succurrente remedio, dixit Sanctus: *Excommunico eas*; dixit, effecit; siquidem mane omnes mortuas invenerunt; cumque pavimentum operuissent, palis eas ejecerunt, atque ita demum Basilicam mundaverunt. Refert in ejus vita libro primo capite undecimo Guilielmus Abbas. Non minus Quadragesima, quam quodcunque templum, Dei cultui sacrata est, & conantur pii omnes eam bonis & sanctis operibus Deo dedicare; sed ecce vobis Beelzebub, Deum & principem muscarum, in hodierno Evangelio cum suo agmine obstantem & pia opera impedientem. Quid igitur agendum? Excommunicemus istas muscas; atque utinam tam efficaci verbo, quàm fuit id Bernardi! Cupio, inquam, ut hæ muscæ omnes extinguantur atque eliminentur, fiantque ex immundis & sordidis bestiolis munda animalia templo & cœlo digna. Quare ut hoc ipsi suapte sponte faciant, describamus aliquos Beelzebubi asseclas.

I. Tales censeo, qui ad divinatores & ariolos abeunt consultum de rebus perditis recuperandis, futuris eventibus cognoscendis, morbis sanandis, &c. Beelzebub enim multorum sententia à muscis circumseptus, ob carnes ei sacrificatas & in muscæ formam effictus responsa quærentibus dabat, ad eumque misit in Accaron Ochozias Rex ægrotans, interrogatum an recepturus esset valetudinem: propter hoc correptus ab Elia; denuntiante ei mortem propter illam impietatem. quarto Regum primo. Et sane ingens pudor erat Regem Hebræum relicto Deo vero mittere ad muscam & consulere eam de vita sua. Et quid aliud sunt arioli & divinatores, nisi muscæ, vilissimique homunciones, aniculæ & rusticelli delirantes? Muscis igitur viliores censendi sunt, qui consilium ab illis muscis petunt vel expectant. *I. Qui divinatores consulunt.*

Non diffiteor per muscas illas vera interdum prædici, vel opem petitam obtineri, non ideo tamen

 licitum

licitum uti earum consilio vel opera ; siquidem & Beelzebub contra muscarum multitudinem ac noxam invocabatur & subinde opem ferebat, unde *Myagrum & Myodem*, hoc est, muscarum venatorem & interemptorem appellabant eum Gentiles, teste Pausania in Arcadicis, Plinio libro 8. capite 28. & aliis, interim tamen invocantes eum Idololatriæ gravissimum scelus admittebant. Quis non indignatur, quando audit Christianum aliquem Principem implorare Turcarum auxilium contra Christianos, hostes suos ? Quis enim nescit Turcam non tam Christianis, quam sibi militare, cum in aciem prodit, nec unquam restituere, quas Christianorum terras occupat ? Quanto verò indignius atque intolerabilius est videre Christianos currere ad Dæmones pro ope vel consilio? Quid enim ipsi quærunt nisi ruinam nostram?

II. *Qui alios vexant & molestant.* II. Inquieti homines, qui alios divexant atque infestant ; id quod muscarum adeo proprium ac solenne est, ut hunc in finem nasci videantur, quo patientiam hominum exerceant. Reperiri autem hujusmodi homines testatur Apostolus ad Galatas primo. *Sunt aliqui, qui vos conturbant*, inquit, *& volunt convertere Evangelium Christi*, hoc est, tradere ad Judaismum, ut Evangelium famulari debeat & subesse legi Moysis. Hujusmodi muscæ infestissimæ sunt inprimis hæretici, non antiqui solum, quos Sanctus Augustinus libro contra Fulgent. Donat. capite decimo quarto comparat muscis ex variis rationibus, sed etiam nostri temporis, qui cum elegerint sibi Evangelium recens, quod libertatem carnis eis concedit, & ab omni jugo absolvit, trahunt Evangelium Christi ad suum illud, & seligunt inde scripturas, quæ videntur eis servire ad stabiliendam & tuendam libertatem suam: similes Procrusti, teterrimo latroni, qui viatores suo lectulo applicare solebat, & siquidem prolixiores essent, amputatione pedum decurtare: si contra breviores, nervorum extensione lacerare, teste Plut. in Theseo. Sic omnino hæretici, ut ad modum pravæ mentis & defensionem libertatis suæ sacras scripturas fingant, nunc demunt, nunc de suo addunt, nunc sensum pervertunt, & hoc ipsum ex Spiritus Sancti dictamine facere se jactant. Addidit Lutherus sancto Paulo particulam *Solam* scribenti: *Arbitramur justificari hominem per fidem* Romanorum 3. Dempsit Petro verba illa *per bona opera*, 2. Petri I. versu 10. Alias scripturas trahunt ad suum sensum maxima violentia & temeritate, uti traxit in Conventu Basiliensi Lutherus ea verba Christi: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quasi bellum suaderet, non pacem. Et illa Pauli: *Si dormierit vir ejus, liberata est*, 1 Corinthiorum 7. quasi uxor dormiente viro possit alteri consuescere. Et illud ad Timotheum: *noli adhuc aquam bibere*, epistola 1. capite 5 quasi vinum Episcopis præcipiat. Nati etiam ad hoc videntur hæretici, ut Ecclesiam exerceant, & in humilitate ac timore oves Christi contineant. Unde sanctus Augustinus epistola 105. ait. *Hæreticorum inquietudine, ut scripturas vigilantius perscrutemur, unde, ne ovili Christi noceant, possit eis occurri, tanquam de somno ignavia nostra excitatur industria* Eadem ratione Isaias capite 7. Ægyptios appellat *muscas*, quod sua infestatione punirent, excitarent & in officio continerent Hebræos: *Sibilabit Dominus muscæ*, hoc est, Ægyptiis, qui ob calidissimam regionem & insuetas pluvias muscis abundabant. Denique sicut muscæ non vivunt diu, ita & hæreses parum durant. Inter artificum Norimbergensium Regiomontani Mathematis eruditorum delicias erat muscam ferream ex artificis manu velut egressam convivas circumvolitare, tandemque veluti defessam in domini manum reverti. Petrum Ram libro secundo procem. Mathem. Musca talis Lutherus fuit, à Dæmone fabrefacta & è manu ejus emissa; ferrea, quia ferro, ut ipse supra dixit, propagata, circumvolavit ea Germaniam: verum jam defessa manifeste cernitur deficere, brevi reditura in orcum, unde prodiit.

III. Curiosi. Muscæ omnia rimantur & nihil fere clam ipsis haberi potest, quo non penetrent. Eo sensu Plautus dixit in Mercat. Actor. 2. sect. 3. *Musca est pater meus, nihil potest clam haberi illum ; nec sacrum nec profanum est, quin adsit ibi illico*. Notissimum etiam muscas sua curiositate capi, dum per angusta vitrorum foramina ingrediuntur in muscipulas suas, & ibi cum exitum non inveniant merguntur maximo numero. Aliæ dum in dulces liquores vel involant, vel se immergunt, inviscatæ & mersæ pereunt. Idem agunt curiosi, qui dum omnia rimantur, nihilque non penetrare volunt, scripturas etiam sacras, quas non didicerunt, scrutari & exponere; sæpe illaqueantur, inviscantur & merguntur, uti superiore sæculo experti sumus in novatoribus, qui è scripturis sibi incognitis absurdissima dogmata ad suam & aliorum perditionem eruerunt. Vastum nimis flumen, imo mare est scriptura sacra, *in quo agnus ambulat, Elephas natat* ; ut ait sanctus Gregorius in procem. Moral. Multæ enim in ea sententiæ videntur ignorantibus, qui phrasin Scripturæ & modos loquêdi nesciunt, esse sibi contrariæ : multa sunt adeo stupenda, ut incredibilia videantur. Sufficit indoctis audire à Doctoribus, quæ ad bene beateque vivendum faciunt : nihil opus eis in scripturas & arcana Dei cognoscenda se immergere. Unde Fr. Ægidius, comes sancti Francisci cuidam de inscrutabili prædestinationis mysterio multa inquirenti dixit. *Sufficit ripa maris ad lavandum pedes, manus & totum corpus: stultus est qui alium petit. Sufficit scientia bene beateq; vivendi.* Ut in ejus vita, append. de sent. ejus. Sanctus Augustinus tractat. 1 in Joan. refert curiosum ejusmodi Catholicum à quodam Manichæo ad ipsius hæresim, occasione unius muscæ facillimè perductū. *Nam nescio quis, inquit, tædium patiebatur à muscis, invenit illum Manichæus tædio affectum, & cum diceret se non posse pati muscas & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? inquit. Et quia tædio affectus est, & quia oderat illas, non ausus est dicere Deus illas fecit: erat autem Catholicus. Ille statim subjecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane ait ille, ego*

credo, quia Diabolus fecit muscas. Et ille statim: si muscas fecit Diabolus, sicut te video confiteri, quia prudẽter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? non ausus est dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, & persuasit homini quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quem Diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretatum dicitur princeps muscarum. Sic Aug. Facile hoc contingit languidis Catholicis, præsertim si aversionem habeant à sacris.

ni ges. IV. Libertini & exleges. Tales enim videmus esse muscas, quæ licet hominum consortio perpetuò utãtur, nunquam tamen edomantur, ut illis obediant. Unde Plutarchus libro 8. Sympos. q. 7. duo esse animantia, ait, quæ necessariò hominum consortio utuntur, nulla tamen arte cicurantur ad hominis obsequium, muscam & hirundinem. Similes ergo his muscis sunt illi, qui cum in Ecclesia inter fideles commorentur, nullas tamen leges ab Ecclesia recipere, sed suo vivere arbitrio volunt: quemadmodum Rex Saul, qui Samuelis mandatis posthabitis suum sensum sequi maluit, quod adeo exaggeravit Samuel, ut eam agendi libertatem & inobedientiam *peccatum ariolandi*, seu idololatriæ appellaret; nec immerito: *quia velut contempto divino altari*, ait S. Gregorius eo loco, *ad aras Dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, & salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragrantur.* Ergo sicut Ochozias, Deo vero præterito, misit ad consulendum Beelzebub, eoque ipso statuit sibi Idolum in Deum, 4. Reg. 1. ita & exleges isti, spreto vero Deo, qui per Ecclesiæ Prælatos eis loquitur; erigunt sibi Idolum capitis sui ac proprii judicii, idque in rebus agendis consulunt. Qua in re videntur etiam gravius delinquere, quàm Idololatræ, quia isti nec oraculum nec tabernaculum habent, quod in rebus ambiguis adeant: Christiani suum oraculum in Prælatis suis adeoque ad manum habent.

V. Gulones & parasiti, mensarum affectæ; cujusmodi sunt & muscæ juxta notum illum versum:

Musca, canes, mimi sunt ad convivia primi,
Non invitati veniunt prandere parati.

Hinc Parasitus apud Athenæum l. 6. c. 9. *muscam* se vocat, quod non invitatus ad cœnam ierit; & Alex. Magnus questus est se morderi ab his muscis, ib. c. 6. Nec desunt, qui Beelzebub sic appellatum volunt ob multitudinem muscarum, quæ in ejus Fano sacrificia sectabantur, indeque pascebantur, & quod totum ipsum Idolum aspersum victimarum sanguine, insidentibus muscis plenum foret, ut noster Maldon. & Pererius sentiunt. Muscæ aversantur oleum velut sibi lethale, interim alia pinguia amant, unde expressi parasitorum & lurconum typi sunt. Hi enim nil nisi epulas & convivia cogitant, jejunia & oleum oderunt: carnibus saturari, non salpis & halecibus volunt. Denique ubi non editur & bibitur, ibi non hærent facile, velut in templo: popinis verò & culinis perpetuò affixi sunt. Sed quemadmodum muscæ dum insidiantur epulis, præsertim liquidis & viscosis, quale est mel, facile merguntur aut inviscantur adeoque pereunt: sic fere contingit epulonibus ac heluonibus; incidunt in morbos, egestatem, rixas, & contentiones. Audiamus Ecclesiasticum c. 37. *In multis escis erit infirmitas: & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Quid nisi gula & vinum occidit Simonem illum principem Judæorum cum duobus filiis suis, dum invitatus ad convivium à Ptolemæo genero, inebriatus & interfectus est? 1. Mach. ult. Quid Odoacrem Herulorum Regem & jam fere totius Italiæ principem, nisi simile convivium Theodorici Gothi, ad quod invitatus & bene potus, ab eo invasus & misere cum suis excarnificatus est? Cuspinian. in Zenone. Denique *qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur*, ait Sapiens Proverb. 21. non modo in substantia, sed in anima etiam, quam expoliat per gulam: dum enim incrassat carnem, spiritum extenuat, exspoliatque vita gratiæ; & cum Jonatha dum gustat parum mellis, mortis æternæ periculo se exponit, quæ insania? 1. Reg. 14.

VI. Detractores. 1. VI. Detractores. Muscæ enim inprimis ad ulcera magis & carnem affectam convolant, eamque aculeis suis pungunt, lacerant & devorant, quam ad partes sanas: Idem faciunt detractores: quæ sana & laude digna in altero conspiciunt, tacite prætereunt; quæ verò ulcerosa & reprehensibilia sunt aut videntur, ea linguis suis fodicant, mordent, lacerant: cruentæ & exosæ bestiæ, quæ cruore tantum gaudent & saturantur, de quibus Ezech 22. dicitur: *Viri detractores fuerunt in te, ad effundendum sanguinem.* Septuaginta vertunt: *Viri latrones*; quia uti latrones præter pecunias vitam etiam viatoribus auferunt: ita detractores, cui famam eripiunt, sanguinem quodammodo & vitam civilem eripiunt, quæ longe præstantior est auro & argento, juxta id Proverb 22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*, quia ut Ecclesiasticus 41. ait: *Magis permanebit tibi* (bonum nomen) *quam mille thesauri pretiosi & magni.*

2. Muscæ etiam sanis membris & rebus candidis insident ac nitidis, eas tamen maculis frequentibus & nigerrimis, quæ vix eluuntur, inquinant conspurcantque. Pari modo detractores etiam virtutes & facta aliorum laudabilia dum malignè referunt, truncant vel in dubium revocant, fœdant & collutulant, adeo ut maculæ illæ audientium auribus tenaciter adhæreant, & vix unquam oblivioni dentur. Et quis facile audiat restituere famam alteri ablatam? Bene Ecclesi. cap. 10. ait: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, hoc est, virtutes aliorum etiam nobilissimas ut omnem saporem perdant. Atqui *melius nomen bonum, quam unguenta pretiosa*; ait idem Ecclesiastes c. 7. 3.

3. Muscæ impudenter in quoscunque insident, in homines, leones, elephantes; & in quæcunque corporis membra involant, in faciem, os, oculos, nullo habito respectu. Non dissimiliter detractores omnes aggrediuntur, infimos, supremos, laicos Ecclesiasticos, subditos, Prælatos. Pharisæi certe in hodierno Evangelio ipsi Christo, miserorum servatori & Dæmonum domitori, ausi sunt detrahere, & ipsius benefacta pessimè interpretari, quasi forent Demoniaca.

VII. *Otiosi.* VII. Otiosi. Ut enim muscæ devorant alienos labores, uti lac, quod dant pecora; mel, quod apes conficiunt; cibos, quos coqui condiunt, interim ipsæ nihil prorsus pro se vel aliis laborant: ita & otiosi. Quam ob causam S. Franciscus: *si quem cernebat otiosum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem & abominabilem se omnibus reddat.* Ita S. Bonaventura in ejus vita, c. 5.

Alte hoc imbiberat F. ejus B. Ægidius, qui memor verbi Magistri sui non volebat vesci panibus nisi labore comparatis, etiam in ædibus Cardinalis Tusculani constitutus; dicebat enim illud Propheticum: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Impeditus aliquando fuit vi imbrium, ne extra Cardinalis ædes posset ire ad labores. Cũ vero Cardinalis exhilaratus: Iam, inquit, vesceris cibis meis. Sed Ægidius nihil illi respondit, aliud secum meditans. Contulit autem se in culinam dixitque coquo: Quid ita pateris sordidam esse culinam? Dicente illo, neminem se in præsens habere, qui eam purgaret, Ægidius ait: Da mihi pro labore meo quod edam, & ego sordes everram. Quod cum utrinq; factum esset, Ægidius ad Cardinalis mensam iturus, duos secum panes attulit, quos labore suo acquisierat. Itaque Cardinalis mirabatur tam eum sui propositi tenacem esse. Sed perseverante etiam pridie pluvia, cum nemo vellet uti Ægidii opera conductitia, Cardinalis gratulabundus ait ad eum: Profecto nunc meos edes panes. At Ægidius tacitus officinas perlustrabat, inveniensq; duos rubiginosos cultros, illos accurate repurgavit. Accepit autem pro labore panes duos ad Cardinalis mensam intulit, qui dolebat semper se frustrari spe & expectatione sua.* Et quid mirum Christianos detestari otium, quando etiam Gentiles ferre id non potuerunt, veluti turpissimum & homini perniciosum? Probus Imp. statuit annonam gratuitam militem comedere non debere, unde nec otiosum esse patiebatur, teste Flavio Vopisco. Lacedæmonii nulli civium permittebant, ut vel in otio vel in ludicris tempus consumeret; quin & Ephoris seu Magistratibus suis mandatum dederunt, ne deambulationibus uterentur pomeridianis; tanquam voluptatem sectarentur illi potius quam corpus exercerent. Ælian. l. 2. var. c. 5. Nescio an hoc loco etiam ponendus sit Domitianus Imperator, qui inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quidquam amplius quam muscas captare ac stylo præacuto configere solebat, teste Suet. in Domit. c. 3. Una enim ex parte videbatur insinuare, otiosos velut muscas stylo configendos ac puniendos: ex altera sibi ipsi contradicebat, tam leviculo & indigno studio tempus terens. Quare non illi tantum inter muscas & Beelzebubianos recensendi sunt, qui nihil agunt: sed etiam qui nugatoria, inania, ludicra, & puerilia agunt.

Atque hæ sunt muscæ, Audit. à nobis excommunicandæ, enecandæ & ejiciendæ; ne, quod absit, nos à Deo excommunicemur atque è Sanctorum consortio ejiciamur ad Beelzebub & consortes ejus.

THEMA III.

Defectus aliquot Iejunii.

I. *Impetrare non rationabiles dispensationes.*
II. *Non Deo, sed sibi & aliis jejunare.*
III. *Cum impatientia jejunare.*
IV. *Defectum alterius refectionis compensare.*
V. *Non sancte & perfecte jejunare.*

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem & non inveniens. Luc. 11.

De sancta Aldegunde, ex regia prosapia Abbatissa Malbodiensi, refertur in ejus vita 30. Jan. apud Lipeloum, quod revelante Domino viderit aliquando humani generis hostem dirè lamentantem & suam sortem deplorantem. Causam a Sancta rogatus, dixit, *ideo se tristari, quod cerneret filios Adæ in eas cœli sedes magno numero ascendere, unde ipse cum suis exularet.* Si ullum tempus in anno est, quod causam lamentandi ea propter dat Dæmonibus, est tempus Quadragesimale. Hoc enim illud tempus est, quo, ut ait Dominus in hodierno Evangelio, ejectus è domicilio suo immundus spiritus ambulat per loca arida, & quærens requiem, non invenit. Eat nunc is ad domos saltatorias, nullum inveniet saltantem: pergat ad lusorum tabernas, neminem inveniet ludentem: ad culinas & popinas; nullas reperiet carnes, nulla convivia. Vicissim verò reperiet homines jam in templis vacantes pietati; domi jejuniis, foris eleemosynis. O miser & infœlix spiritus, qui nunc instar canis famelici circuis civitatem, & non invenis quod rodas. Verum licet hoc ita se habere bene in Domino confidam, non debemus tamen Auditores nimium præfidere. Dæmon omnia rimatur, acutum & subtile caput habet, per angustum foramen intrat. Certe in hodierno Evangelio invenit tandem domum sibi adornatam, quam intravit. Videamus ergo, ne etiam in jejunio nostro locum aliquem inveniat.

Locum ei aperiunt I. Qui sibi nimium indulgentes impetrant vel extorquẽt dispensationes ad comedendas carnes & jejunium frangendum. Comedunt ergo non quia opus habent, sed quia appetitu calent. *Quare jejunavimus*, inquiunt, *& non aspexisti? humiliavi-*

milliavimus animas nostras (petendo dispensationem) *& nescisti?* h.e. non curasti? Quid ad hoc Dominus, *Ecce in die jejunii vestri*, inquit per Isaiam capit. 58. *invenitur voluntas vestra*. q. d. jejunatis quando & quomodo vultis: non quomodo ego præcipio. Hi sane sub prætextu dispensationis seipsos decipiunt ac jugulant; similes Cleopatræ Reginæ Ægypti, quæ in custodiâ ab Antonio detenta curavit sibi afferri cistulam ficubus refertam & sub eis latentem aspidem, ut custodias deciperet: quæ cum ficus non difficile ei permisissent, nesciæ sub eis latere serpentem; illa aspidem corpori admovit & mortem sibi conscivit. Plutarchus in Antonio. Hunc in modum delicatuli postulant permitti sibi carnium esum sub prætextu indigentiæ: latet tamen anguis in herba, propria voluntas & philautia animam suam necant, quia sic volunt & cibos esuriales fastidio habent. Hic est ille serpens, qui blandis illis verbis; *Nequaquam moriemini: scit enim Deus, quia quocunque die comederitis, aperientur oculi vestri*. Evam decepit pellexitque ad edendum de ligno vetito; quæ postea blandiens viro suo, ad eandem escam facile eum traxit, conjugis amore dulciter inescatum. Sic nimirum Dæmon inprimis irritat carnem desideriis cibi vetiti: caro deinde nimis indulgenter habita & à spiritu amata, pellicit etiam spiritum. Ita miser homo excidit à gratia.

Pari in periculo versantur, qui sibi ipsis nimium creduli secum dispensant, sibiq; aut carnes indulgent aut binam refectionem. Non permittitur Medicis, ut in gravi morbo sibi ipsis medeantur, quia amore sui excessum in cura facile admitterent. Multo minus hoc concedendum alicui in cura animæ, præsertim imperito. Certe Saul displicuit Deo & reprobatus est à regno, quod secum ipse dispensarit sacrificium offerendo, 1. Regum 13 & parcendo Amalec. 1. Regum 15. non expectato & consulto Samuele.

II. Qui non recta intentione, sicque non Deo, sed sibi aut aliis jejunant. Testatur hoc per Zachariam capite septimo Deus: *Cum jejunaretis & lugeretis, nunquid jejunium jejunastis mihi?* Vult dicere: cum in captivitate Babylonica jejunastis, ob penuriam victus jejunastis, non ex voluntate; adeoque non mihi, sed potius Babyloni, quæ nihil vobis dedit. Itaque aliqui jejunant coquis tantum, qui ideo abstinent, quia coqui eis nihil apponunt. Hoc jejunium non jejunanti, sed soli coquo prodest, qui labore eximitur. Hoc fructu & asini jejunant, quando nihil eis comedendum apponitur. Atqui Deus volentibus, non invitis & asinis; vult dare regnum suum, ut ait sanctus Bernardus sermone de diligendo Deo. *Si invitum coegero*, ait in persona Dei *asinum habeo non hominem; quoniam quidem non libens veniet nec sponstaneus, ut possit dicere: Voluntarie sacrificabo tibi, Nunquid asinis dabo regnum meum?* sic ille.

Alii suis dominis jejunant, quibus placere per jejunium, & favorem captare volunt; similes stultis illis Prophetis Baal, qui cultris & lanceolis sese incidebant & vulnerabant, ut ignem cœlitus suo sacrificio impetrarent. Sed surdo Deo locuti fuerunt: 3. Reg. 18 Sic enim hi carnem suam stulte macerant & conficiunt, ut gratiam sibi parent apud heros suos.

Alii ventri suo, ut sequenti die avidius vorent. Jejunat sic & vultur: jejunant sic & Turcæ, qui in suis jejuniis toto die abstinent, donec ad finem diei stellæ oriantur, postea abstinentiam suam liberaliter compensant, pergræcando tota nocte. De qua re S. Gregorius homil. 16. in Evang. ait in prædicta Zachariæ verba: *Sibi quis jejunat, si ea, quæ ad tempus sibi subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum efferenda custodit.*

Alii bursæ, ut sumptibus parcant; quod speciem idololatriæ habet. Nam ut Gentiles aliqui in gratiam Deorum suorum jejuniis & vini abstinentia se macerabant, teste Alexandro l. 6. c. 2. Apulejo l. 11. ita isti fament in gratiam bursæ suæ. Unde speciatim avaritia appellatur *Idolorum servitus* ab Apostolo ad Ephes. 5. Crudeles fuerunt, qui Idolis suis proprias immolarunt proles, sed nonne crudeliores sunt, qui propriam carnem immolant?

III. Qui cum murmure & impatientia. De quo Christum audiamus Matth 6. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.* Et mox: *Tu autem cum jejunas, unge caput & faciem tuam lava.* Qua phrasi, Palæstinis nota, festivam hilaritatem commendat in jejunio. Nam Palæstini festis diebus ungi oleo & lavari contra æstum & sudorem solebant. Vult igitur nos in jejunio esse hilares, non tetricos, impatientes, murmurantes. Et merito: *Absurdum enim fuerit*, inquit sanctus Basilius sermone 1. de laudibus jejunii, *si ob cibos subtractos contristemur, ac non potius super animæ sanctitate lætemur; sicque videamur plus tribuere voluptati ventris quam curæ mentis.* Proverb. vigesimo dicitur: *Pondus & pondus abominabile est apud Deum*, q. d. qui pondus addit ponderi, abominabilis est apud Deum, Quis vero ille? qui ponderi jejunii superaddit pondus impatientiæ & murmuris. Hic enim duplicat sibi pondus. Quo morbo videntur laborasse primi illi operarii in vineam Domini missi. Matth. vigesimo, quorum unus murmurans, quod non plus mercedis acciperet, quam postremi, ait procuratori: *Pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.* Ecce duplex pondus se portasse ait, pondus diei & pondus æstus; quasi vero hæc duo distincta pondera, & non unum pondus fuissent: non enim licet separare æstum à die. Itaque signum est, quod cum murmure & socordia primi laborarint, dum labores suos queruli amplificarunt; sicque jure merito posterioribus, qui gnaviter & patienter opus fecerunt, postpositi sunt. Murmurans etiam reprehensus est de oculo nequam. Unde aliqui ipsius mercedem sic explicant: *Tolle quod tuum est*; primo tuam damnationem, & *vade*, scilicet in infernum. Non habemus nos causam murmurandi de jejunii austeritate contra primos Ecclesiæ operarios; longe enim severius jejunarunt illi, quam nos modo. Jejunabant usque ad vesperam, nec postea quidquam sumpserunt: abstinebant etiam

III. *Cum impatientia jejunare.*

etiam ab ovis, caseo, lacticiniis, vino, quin & aqua extra tempus, teste S. Ambrosio serm 39. Pauci eximebantur.

IV. *Defectum alterius refectionis compensare.*

IV. Qui defectum alterius refectionis compensant. Primo unius cœnæ lautitia & prolongatione, vel serotinæ, ut appellant, collationis nimio excessu; quod est jejunium hypocriticum. Contra quod Dominus, ubi supra ait: *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ.* Qui Græcis *hypocritæ*, Latinis *histriones* appellantur. Notum autem histriones variis artibus imponere hominibus. Dant alicui rustico nummum aut nucem in manus aut saccum, interim clanculum rursus surripiunt, & monstrant in suis manibus. Videntur dare & nihil dant. Ita cum Deo ludunt, qui sic jejunant: quod duabus refectionibus sumerent, in una comedunt; videntur ergo dare Deo aliquid & nihil dant: putantur jejunasse & cœnam Deo dedisse, cum eam jam devorarint in prandio. Bene igitur sanctus Hieronymus in Epist. ad Eustochium ait: *Nihil prodest biduo triduove transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium.*

2. Clancularia comestione; quasi Deum omnia videntem fallere possunt: quæ insignis & stultitia & Dei injuria est; qualem Dæmon intulit hodierno muto, quando eum reddidit etiam cæcum, secundum Matthæum. Sed ejiciet Christus aliquando Dæmones istos cæcos vel cæcantes potius. *Bernardinum Senensem*, ait Æl. Sylvius lib. 2. Comment. in Panorm. num. 31. *Quem Cœlicolarum numero Nicolaus V. Pontifex maximus adscripsit, inter concionandum fabulam hujusmodi referentem audivimus. Accepit ex villico matrona quædam nobilis recentia cerasa, quæ in thalamum reclusa, majori ex parte cum ossibus ore avido atque hianti manipulatim voravit. Coram viro deinde allatis, quæ residua fuerat cerasis prius quam unum comederet, terque quaterque momordit: quærens ex villico, quo modo cerasa ruri ederentur. Cui villicus, qui per rimulam vorantem fœminam contemplatus esset: Quo tu, inquit, mulier paulo antea in thalamo.* (confertim scilicet Schipelweiß) *Erubuit mulier. Bernardinus eos bene ajebat, qui quæcunque agerent aperta Deo atque hominibus esse putarent.* Et quomodo, putatis, confundentur aliquando coram toto mundo & SS. Angelis, qui hic clanculum vorant & interim jejunantes videri volunt? An nesciunt Deum introspicere ad ipsos per foramen seræ?

V. *Non sancte & perfecte jejunare.*

V. Qui non sancte & perfecte jejunant, contra id Joel. 1. *Sanctificate jejunium.* In quæ verba sanctus Gregor. loco ait. *Iejunium sanctificare est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere: Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum caro atteritur, si a pravis voluntatibus animus non refrænetur.* Servi qui dominis suis vitrum porrigunt, mundum ut dent, satagunt; qui fercula apponunt, ut eas immundis manibus non contaminent, nec digitos immergunt. Ita Levit. 15 præcepit Deus vas fictile, quod immundus attigerit, confringi. Non decet Deo, fonti omnis puritatis, ex impuro vase aliquid offerre; quare nec jejunium peccatis contaminandum est. *Sanctificate jejunium*, sicut jubet Deus sanctificari sibi diem Sabbathi, hoc est, in sanctis & piis operibus transigi. Quemadmodum ergo profanatur Sabbathum servilibus operibus, ita & jejunium, si peccatis interim serviatur. Sabbathum per se quies duntaxat est ab operibus servilibus: necdum sanctum est, nisi quies illa impendatur piis operibus: sic res habet cum jejunio.

Sanctificate jejunium, h. e. condite illud virtutibus: sicut escæ, ut sapidæ fiant condiuntur aromatibus & sale. Cibus sale non aspersus desipit; multi etiam delicati, cibum nisi aromatibus & bellariis bene præparatum nauseant. Quid mirum, si & Deus jejunium, quod animæ cibus est, sapidum requirat?

Quare custodiat unusquisque quam potest solertissime atrium & domum suam, ne Dæmon aditum ad eam inveniat. Studeamus nos jejunio ita vallare, ut hostis ille quærens requiem & non inveniens, cogatur plorare. Qui sane ploratus risum & gaudium creabit SS. Angelis, nobis vero coronam.

THEMA IV.

Loca inaquosa, quæ perambulat Dæmon.

I. *Sunt incipientes & tenellæ plantæ.*
II. *Sunt perfecti & sancti.*
III. *Adolescentes.*
IV. *Virgines.*
V. *Iracundi.*
VI. *Otiosi & ignavi, timidi & melancholici.*
VII. *Moribundi.*

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Luc. 11.

Quid est, Audit. quod per Quadragesimam toties audimus mentionem fieri Cacodæmonis in sacro Evangelio? In prima ejus Dominica, velut tentator Christum aggressus est. In hodierna seu tertia possidet mutum & expellitur. In quinta accusatur a Judæis Christus tanquam habens dæmonium. Feria quinta in Cœna Domini adducitur velut inspirator Judæ. Vix per totum annum toties prodit Diabolus, quoties in Quadragesima. Quæ hujus rei causa? Mihi hæc occurrit, quia tempore Quadragesimæ plus hominibus insidiatur, quam aliis temporibus; quod testantur sancti Patres. uti sanctus Leo serm. 2. de Quadr. *Modo tibi major cautio*, inquit, *& sollicitior adsumenda prudentia est quando idem hostis tuus acriori sævit invidia.* Idem testatur S. Bernardus sermone 3. de jejunio Quadrag. Denique Cassianus Collat. 21. cap. 28. fatetur Monachos sui temporis per decursum Quadragesimæ maxime impugnari

gnari & ad transmigrandum de suis sedibus acrius perurgeri, non secus ac Hebræi, quando parabant discessum ex Ægypti servitute, opprimebantur. Quando igitur res ita habet, magis unusquisque sibi attendere nunc debet. Et quia audimus in hod. Evangelio immundum spiritum perambulare loca inaquosa seu arida, eaque potissimum tentare; videamus quænam illa sint, ut resistere tentanti omni ex parte possimus.

Inci- &

I. Arida loca sunt incipientes & teneri, adeoque quasi adhuc aridi in virtute; quos Dæmon velut infirmos facilius se superaturum sperat. Quam ob causam Herodes Christum adhuc infantem occidere parabat, ne adultus vires caperet & contra se aliquando arma apprehenderet. Pharao infantes Hebræorum occidi jussit ab obstetricibus, quia adultos opprimere laboribus non poterat; Exod. 1 ita & Diabolus, quia solidatos in virtute difficulter vincere potest, teneros & incipientes enecare tentat. Obstetrices illæ erant duæ, Sephora & Phua. Sephora exponitur *pulchra*, Phua *rubens* aut *verecunda* secundum Originem in 1. cap. Exod. Et quid hæ, nisi caro & mundus: Caro pulchritudinem suam ab incipiente tyrone desertam: mundus erubescentiam, sed malam & vanam ingerit v.g. quid dicent de te homines, si te videant tam vilem sectari vitam, religiosorum similem, &c. Maria Ægyptiaca per annos 17 tentabatur in solitudine memoriâ prioris luxus quo in sæculo circumfluxerat. Bene igitur monet Ecclesiasticus c. 2 *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Talem enim insectatur Dæmon velut servum à se profugum, ut apprehensum ad se retrahat. Insectantur & prioris vitæ insolita vitia, quæ alliciunt eum, ut redeat ad gustatas semel voluptates. Civitas quæ jugum Tyranni recenter excussit; stare in custodia seque munire debet, quia absque dubio Tyranni insultus patietur. Hoc est quod ait Siracides: *Sta in justitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccles. 2. quasi miles scilicet. Exemplum dedit Christus, qui post baptismum suum causa instructionis nostræ, non necessitatis suæ præparavit se ad pugnam tentationis contra Dæmonem, intrando solitudinem, jejunando, & orando. Unde Tertullianus l. de baptismo ait: *Ipsum Dominum post lavacrum statim tentationes circumsteterunt, 40. dierum jejunio perfunctum.*

Per- & ...

II. Sunt perfecti & sancti, teste S. Gregorio 33. moral. c 3. *quia per disciplinæ fortitudinem ab omnis carnalis concupiscentiæ humore siccantur.* Et quidem his fortiores ponit insidias, quia sunt *cibus ejus electus.* Habacuc. 1. Quo enim quis sanctior est, eo magis illi invidet & insidiatur, velut latro diviti mercatori. Qua de re Deus ad Job c. 40. ait: *Ecce Behemoth, quem feci tecum fœnum ut bos comedet.* Sanctus Greg 32. Moral. c. 10. asserit per Behemoth Dæmonem intelligi, quia monstrum est horrendum. Sed cur fœnum sicut bos, non sicut equus dicitur comedere? Respondet Gregorius: quia *equi fœnum quamvis sordidum comedunt, boves autem fœno non nisi mundo vescuntur. Neque Behemoth iste se eos rapere gaudet, quos pravis & sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntariè jacere. fœnum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritualium quærit.* Vult ergo dicere Jobo Deus: Cave tibi à Behemoth adversario tuo, quia insidiatur tibi velut viro perfecto, & meritis opulento. Ad idem tendit quod paulo post subjicit cit. loco Dominus de eodem Behemoth: *Ecce absorbebit fluvium & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os ejus.* Fluvius, ut exponit S. Gregorius 33. moral. cap. 28. quia impuras & insuaves habet aquas, populum sæculo deditum significat, Jordanis, qui puras, suaves & laudatas aquas habet, teste Plinio, & præterea terram interluit Christique contactu sanctificatus est, sanctos perfectos notat. Spem igitur habet absorbendi etiam justos, quasi de aliorum perditione parum delectetur. Sane anno 1559. cum quidam prædicans (ut colligitur ex historiæ narratione) in pago Loen, Juliæ Ducatus Dæmonem ex obsessa puella, nomine Helena, expellere conaretur nec posset, tandemque indignabundus in hæc verba erumperet: *Si quam habes potestatem migrandi in Christianum, migra ex illa in me.* Cui Dæmon: *Quem pleno jure in postremo die possidebo quid opus est illum tentare?* Refert Vietus l. 4. de præstig dæm. c. 21. Syriæ serpentes non lædunt nisi peregrinos, si Plinio credimus l 8. c. 9. pari modo Dæmon alienos solum persequitur, non suos.

III. Sunt adolescentes, qui ipsi quoque aridi, sed viribus, unde necdum satis armati ad resistendum Dæmoni. Nam *adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis,* ait D. Ambrosius l 1. de Interpe. cap. 7. Solet autem hostis civitatem expugnaturus infirmiorem ejus partem aggredi. Fuerunt aliquando Israelitæ vexati valde à Madianitis & Amalecitis Judic. 6. *Cum enim sevisset Israel, ascendebat Madian & Amalec cæterique orientalium nationum, & sicut erant in herbis, omnia vastabant,* Quid herbæ sementis jam in segetem excrescentes nisi adolescentes? His insidiantur, hos in herba & flore juventutis perdere conantur Dæmones: *Madian* hoc est, *litigans:* & *Amalec* hoc est *lambens* (hoc enim significant) duo sunt pessimi adolescentum hostes, quorum alter per iracundiam stimulat eos ad lites & contentiones, alter per gulam & ebrietatem ad intemperantiam & vitia quamplurima. Prudenter quidam vir sapiens, ait apud Cornel à Lapide in Proverb. cap. 22. *Quatuor de causis Dæmon adolescentes maximè venatur* Primo quia *scit à Deo pios adolescentes maxime amari & expeti; ideo hunc florem ætatis gaudet Deo præripere.* Scimus Joannem Apostolum propter florem juventutis Christo maxime dilectum fuisse: scimus & in V T, idem indicatum pro oblatione ferè agnos tantum & vitulos, ac pullos columbarum fuisse à Deo petitos. *Secundo quia sic viam sternit ad sequentis vitæ peccata.* Notum enim illud Proverb. 22. *Adolescens juxta viam suam ambulans etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Norunt Venatores consuetum esse feris, ut per easdem semitas revertantur ad sylvam & latibula sua, per

III. *Adolescentes.*

quas egressæ sunt: nec nisi rarissimè alias sibi non tritas tenere; unde eas observant & ibi intercipiunt laqueis dispositis. Novit etiam Venator stygius juvenes à via sibi trita raró discedere, unde eam observat & pervertere conatur. *Tertio quia adolescentes facilè falli, sed difficilè se expedire ex Diabolo vinculis possunt.* Patet hoc etiam in vulpibus. Annosa vulpes è medio canum non difficilè se explicat: juvencula non item, quia necdum sat astuta est. Unde Cant.2. dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas.* quia captu faciliores sunt. *Quarto quia dum peccant, impotenter peccant.* Idcirco *quatuor sunt adolescentibus in omnem vitam profutura: Primo Deum pluris omnibus æstimare, animamque omnibus post Deum rebus pretiosiorem esse, scire. Secundo Beatam Virginem Mariam, ex toto corde ut Filii Dei matrem amare, & aliquid in ejus honorem facere. Tertio nunquam peccatum mortale in conscientia sustinere, sed singulis diebus de peccatis dolere & ea quamprimum confiteri. Quarto quod morituri sunt brevi, crebro cogitare, quodque post mortem aut in æternum in inferno cum Diabolo sint arsuri, aut in æternum Deo & Angelis in cœlo fœlicissimè fruituri.* Sic ille sapienter admonens.

IV. *Virgines.* IV. Virgines. Cum enim Christus Dominus virginitatem maximè amet (qua causa etiam Joannem præ cæteris discipulis diligebat) & alia ex parte virgines thesaurum hunc portent in vasis fictilibus ac fragilibus, struit eis insidias magis Dæmon quam aliis. Testatur id S. Hieronymus Epistola 22. *Ezechias,* inquit, *thesaurum Dei monstrat Assyriis, qui non debuerunt videre; quod cuperent. Frequentibus bellis Iudæa convulsa, vasa Domini primum capta atque translata sunt: & quia palma vitiorum est, honesta polluere, Baltazar potat in phialis: Oza attingens arcam subita morte prostratus est. Neque vas aureum & argenteum tam charum Deo fuit, quam templum corporis virginalis. Præcessit umbra, nunc veritas est.* Hæc Hieronymus. Qui etiam in Epist. ad Demetriadem ait: *Divitiæ tuæ virginitas tua: thesaurus tuus est.* Quemadmodum ergo SS. vasis & thesauris templi maximè insidiabantur hostes, uti Assyrii, Nabuchodonosor, Antiochus, 2. Mach. 3. sic etiam Satan laqueos tendit illis inprimis, qui sacratum Deo virginitatis thesaurum gerunt. Evam adhuc virginem serpens invasit, & colloquio suo cepit; fugiant ergo virgines colloquia serpentina, fugiant serpentes. Veterum historiæ tradunt virgines ad balnea euntes, sæpius à Dæmone correptas & possessas esse, apud Baron. anno 713. & alios. Par periculum in aliis labendi occasionibus est.

V. *Iracundi.* V. Iracundi, qui cum perturbato sint animo, facilè à Dæmone quasi cæci capiuntur, & in cædes, blasphemias, rebelliones, aliaque immania scelera devolvuntur. Hinc Apostolus ad Ephes. 4. cum dixisset: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* subdit mox: *Nolite locum dare Diabolo.* Ipse enim biliosis cogitationibus facillimè se insinuat, suggerens iracundo vindictam & cædes machinanti vias & media ligna quoque igni adjiciens; sic in aqua turbida facilè pisces capit. Sensit hoc inprimis Saul Rex, qui cum ægre ferens laudem Davidis, iratus esset nimis, statim post diem alteram invasit eum spiritus malus, (1. Reg. 18.) qui & impulit eum, ut arriperet lanceam & configere conaretur Davidem. Cui simile refert B. Petrus Damiani, de irato presbytero, cui Dæmon specie viri nobilis sibi noti, obvians, facile obtinuit ut ejus se subditum futurum promitteret, in Epist. 17. lib. 4 Epist. Aliud de Moyse Abbate, qui ob iracundam reprehensionem Dæmoni traditus cœpit excrementa rabido ore vomere, refert I. Cassian. l. 7. coll. 27. cap.

VI. Otiosi & ignavi, timidi & melancholici. Hi enim velut aves ignavæ & quiescentes nullo negotio ab aucupe intercipiuntur, & jaculis dejiciuntur. Alexander M. bellum gerens imperabat Ducibus, ut barbas Macedonum raderent, ne facile ansam hosti ad retinendum & capiendum se præberent, teste Polyænol. 4. Otium & desidia prolixa quasi barba est, qua comprehendit homines Diabolus. Unde Gog, h. e. exercitus Satanæ & Anti-Christi, Ezech. 38. ait; *Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescẽtes, habitantesque securè.* Similiter & Amalec postremos agminis Israelitici fessos cecidit; Deut. 25. Confirmat hoc exemplo S. Gregorius Turonensis lib. 8. hist. cap. 34. Anatolius Burdegalensis cujusdam negociatoris famulus, annos natus duodecim, cum vidisset ibi cryptam speciosam & in ea angulum quendam angustum; vix unius hominis capacem, quadris lapidibus extructum, captus loci specie, in cellam illam arctè se conclusit, tenui victu contentus, degitque in ea annos circiter octo. Postea nescio quo pavore correptus, murum disjecit adjuvante Dæmone, à quo & occupatus clamabat se uri à Sanctis, S. Martino maximè, indeque eductus est Turonos ad Sancti Martini reliquias: quoniam in turpe & ignavum otium se contulerat. Et quando David comprehensus fuit à Dæmone & in fœdam libidinem prostratus, nisi quando domi otiosus surrexit de strato suo post meridiem (cum interdiu dormiisset) & deambulavit in solario domus Regiæ? 2 Reg. 11. Nihil ei tale contigit, dum militiæ intentus, & ab hostibus suis exagitatus fuit. Quare bene S. Hieronymus in Epist. ad Rusticum scribit: *Si tibi ipsi attendere à libidine optas juxta Tobiæ præceptum, semper aliquid boni operis facito, ut te Diabolus inveniat occupatum.* Sic ambulans per locum aridum, non inveniet requiẽ. *Neque enim,* ut ait S. Thomas de Regim. Princip. l. 7. cap. 2. *facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio.*

VII. Moribundi. Hi enim cum viribus destituti sunt & angustiis undique cincti, habent sane quod timeant insidiatorem Dæmonem, velut in ultimo conflictu, in quo de summa rerum agitur. Hoc sensu vult S. Hieronymus in Psalm. 55. & Alcuinus dictum esse serpenti Genes. 3. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus* Evæ scil. *Per calcaneum* ait Hieronymus *intellige finem vitæ.* Qui in urbibus Italiæ varias merces coemunt sibimet permittuntur, nec impediuntur; sed

cum

cum eis offerre volunt,in portis civitatis obruuntur à custodibus & excutiuntur atque exagitantur, ut telonia solvant;vel etiam pœnas dent, si quid prohibitum efferre voluerint. Idem faciunt moribundis Dæmones:objiciunt eis præterita peccata: bona, quæ deserere debent:morbi dolores: judicii severitatem, Sic fiunt illis *coluber in via & cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*; quod filio suo Dan dixit Jacob, Gen.49. Equus noster caro est & corpus:hoc mordet & doloribus affligit Dæmon in extremis, ut homo non nisi de morbo pellendo,medicinis inquirendis,& doloribus leniendis,de salute verò animæ parum sit sollicitus. Sic admorsa ungula equi,& perturbato vitæ fine, cadit eques retrò,non prævisa morte, non adhibitis animæ remediis.Benè igitur monuit S.Julianus Anachoreta, referente S.Ephrem & ex eo Surio 9.Jan.in ejus vita, ut non tam de via,quam de viæ & vitæ nostræ termino solicitissimus. *Viæ simi is est humana vita*, inquit, *& ideò magis considerandà non quæ in itinere occurrunt,sed quæ post viam confectam nobis eventura sunt.* Quare Ecclesia sciens adversarium nostrum Diabolum tanquam Leonem circuire hoc potissimũ Quadragesimæ tempore,ut quærat,quem devoret, solicitè nos ad vigiliam & custodiam cordis nostri hortatur, additque in hunc finem angelici præsidii continuam implorationem, dum bis in die recitat versiculum: *Angelis suis mandavit de te*; Denique cum S. Petro monet nos quotidie in Completorio: *Fratres sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret,cui resistite fortes in fide.*

THEMA IV.
Ratio expellendi Dæmonem per pœnitentiam.

Quinque digitis Dæmon expellendus.

I. *Prævio examine conscientiæ.*
II. *Excitata contritione.*
III. *Adjuncto emendationis solido proposito.*
IV. *Accedente Confessione,*
V. *Non prætermissa satisfactione.*

Si digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei.Luc.11.

NEquissimus Diabolus esse debuit iste, qui obsessum,reddidit mutum, atque, ut vox græca indicat, etiam surdum: denique, quod Matthæus addit, etiam cæcum. Quis vero hic nisi inimicus pœnitentiæ,qui peccatorem nititur facere cæcum, ne agnoscat sua peccata, adeoque abominetur? mutum, ne confiteatur? surdum,ne audiat Confessarium pœnas injungentem? Quia ergo hoc potissimum tempore talia machinatur,quo expelli solet ac debet; nos exemplo Christi aggrediemur hostem illum, pessimũque hospitem è nido suo exturbare conabimur. Sed qua ratione?*Digito Dei.* Verum quia nos digitum illum tam potentem non habemus, quemadmodum habuit Christus, idcirco omnes quinque adhibebimus,adeoque manum totam. *digitis dæmon expellendus.*

I. Minimus digitus indicat examen conscientiæ præmittendum confessioni,quia ut ille aures terebrat & terebrando sordes extrahit,sicque expurgat: (unde *auricularis* dicitur) ita examen conscientiam. Est enim instar catelli, qui ingreditur cavernas ejicitque vulpes quæ demoliuntur vineam & despoliant domum cordis tui;de quibus dicitur Cant.2. *Capite nobis vulpes parvulas,quæ demoliuntur vineas.* Indagandæ quidem inprimis vulpes magnæ, & graviora peccata: sed expedit etiam investigare leviora. Quod quidem Cant.5. insinuatur illis verbis. *Expoliavi me tunica mea,lavi pedes meos.* Illud ad graviora peccata, hoc ad levia refert S.Gregorius Nyssenus ibid. Porro minimus adhibetur digitus expurgandis auribus, ut penitius ac profundius se immergat: Pari ratione diligens & quantum fieri potest, accuratum conscientiæ adhibendum est scrutinium, ut omnia præsertim mortalia investigentur, quo magis excitari de illis dolor & contritio queat: Id quod etiam indicatum Ezechieli per mysterium, dicente Deo: *Fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere & vide abominationes pessimas,quas isti faciunt hic.* Ezech.8. In quem locum S.Gregorius 2.p. pastoral.c.10 *Quid est,* inquit *parietem fodere,nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire?* Acuta igitur inquisitio adhibenda, quæ etiam interna & cordis peccata, cogitationes & intentiones malas rimetur. Neque dicas velim cum ignavo illo villico:*fodere non valeo.* Nam inprimis fac quod potes, & inhære paulisper huic fossioni seu scrutinio,& offeret se ostium ac lumẽ,quod ostendet tibi abominationes tuas: (quomodo is,qui ex luminoso in obscurum locum est ingressus, paulatim incipit plus & plus videre;) præsertim si hoc lumen prius petieris à Deo. Deinde mirum est, si nostros errores deprehendere non possumus, qui tamen alienos tam facile deprehendimus, Contingit sæpe, ut quis alteri objiciat peccatum aliquod aut etiam plura,quæ videbantur latuisse. Miratur alter & interrogat: Quis tibi hoc de me dixit? Tum hic solet respondere: minimus meus digitus mihi hoc dixit: Mein kleines Fingerlein hat mirs gesagt. Ita enim Proverbio loquimur. q. d. diligenti inquisitione hoc cognovi: Jam ergo si minimus noster digitus potest nobis dicere,quæ alii mala fecerunt: dicat etiam nobis, quæ nos ipsi fecimus. Neque est quod laborem hujus fossionis detrectet Christianus, quem suscepere in se Reges Hebræi; uti David, qui Psalmus 76. ait: *Exercitabar & scopebam spiritum meum.* Et Ezechias Rex, qui Isa 38. ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quin & Gentiles aliqui, ut Pyrrho Philosophus Eliensis qui solus secum loquens ac vitæ à se rationem exposcens, cum interrogaretur, quid ageret: *I. Prævio examine conscientiæ.*

Meditor, bonus ut sim, respondit; uti refert Laertius, Taceo Sextium apud Senecam libr.3. de ira cap 36. & alios.

II. *Excitata contritione.*

II. Annularis (Der Goldtfinger) si dictus, quia insigniri solet annulo. Vocatur & *Medicus*, quia Medici & Pharmacopolæ eo intincto gustant pharmaca, quæ pararunt. Hic verò quid nisi contritio? hæc enim gustare facit amaritiem peccati, quam tibimet intrivisti, juxta id Jerm. 2. *Vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Hanc ob causam Moyses vitulum, quem conflarant Hebræi ex inauribus uxorum, filiorum & filiarum suarum contrivit in pulverem eumque in præterlabentem fluvium sparsit, indeque eis potum dedit. Exodi 32. ut gustarent amaritiem peccati sui, quin & Deus suum, vitulum scilicet in pulverem redactum, & inaures suarum uxorum & liberorum, tanti ab eis æstimatas, jam contritas aspicerent, & devorare cogerentur. Apud Ægyptios patres qui filios occidissent, tribus diebus & noctibus stare ante cadaver occisi compellebantur, eumque intueri indesinenter, quo acrius facti pœnitentia cruciarentur. Diodoro teste lib.1. cap.6. Vide & tu peccata tua, quibus Deum, proximum, animam tuam vulnerasti, imo occidisti. Quid putatis sensisse Adamum & Evam, quando viderunt filium Abelem extinctum, primum scil. fructum suæ inobedientiæ, qua filium non quidem gladio, sed prævaricatione sua occiderunt? Quis explicet quantum eo aspectu consternati sint? quam seipsos increparint dicentes. En fructum ligni nostri? Videbatur id esse bonum ad comedendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & en quam amarum est & quam horridum in cadavere filii nostri? Thaisis ex Ægyptia meretrice pœnitens inclusa in cellula tribus annis à Paphnutio, postea educta dixit: *Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & sicut non recedit habitus à naribus meis, ita nec uno momento usque ad hanc horam peccata mea recesserunt à me, sed flebam semper illa conspiciens.* Cui Abbas, *Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo.* Menæa Græc. Solet porrò hic digitus annulo insigniri, unde *annularis* dicitur. Annulus est amor Dei super omnia, ex quo procedere debet contritio, ut sit vera; adoque aureus annulus: argenteus est attritio; quæ accedente confessione Sacramentali sufficit ad obtinendam peccatorum remissionem. Laborandum tamen pro viribus unicuique, ut ex argenteo ad aureum annulum, ex imperfecta ad perfectam contritionem ascendat, qua ob Deum summe dilectum peccata detestetur.

III. *Adjuncto emendationis solido proposito.*

III. Medius, emendationis propositum demonstrat. Nam is 1. est omnium fortissimus, quemadmodum & propositum necesse est, ut sit firmissimum, quidvis patiendi potius quam ut iterum Deum offendas. Alioquin enim nondum perfectè cognoscis peccati gravitatem & Dei Majestatem; cum eum perdere malis, quam aliquid creatum. Sit ergo tale, quale Davidis Psal.18. *Juravi & statui custodire judicia tua*, id est, legem tuam. Cum aliquid seriò detestaris ob damnum aliquod acceptum, soles juramento te adstringere, v.g. non bibiturum vinum, non lusurum aleis, non saltaturū amplius: & tunc memor juramenti tui ut plurimū stas promissis. Cogita ergo te similiter juramento adstrictum esse ne iterum pecces. Sit tale, quale habuit Balaā Num. 22. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Sit tale: quale habuit ille Davidici exercitus, qui reprehensus à Joab, quod non occidisset Absalon pendentem è quercu, respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis; quia Rex præcepit: Custodite mihi puerum Absalon.* 2.Reg.18.

2. Est longissimus omnium: sic propositum illud debet se extendere ad omnia peccata, ut nullum velis repetere; & ad omnia tempora, ut nunquam. Ita statuit David. Psal.cit. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum.* q. d. si æternum viverem, æternum custodire vellem legem tuam. Tametsi enim voluntas humana semper libera & flexilis est ad malum æque ac bonum: potest tamen se cum Dei auxilio ita obfirmare contra malum, ut nullis Diaboli machinis superari queat, dicens cum Apostolo ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi, &c.* Hoc sibi voluerunt Hebræi, quando hortatu Samuelis abjecerunt Idola & in signum veræ pœnitentiæ *hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini.* 1.Reg. 6. quo indicabant, *ut sicut aqua effusa non redit: sic nec ipsi redirent ad Idololatriam,* inquit ibi glossa. Et rursum, ut quemadmodum aqua effusa non relinquit in vase sive sui odorem sive saporem sive colorem: sic abjicienda esse peccata, ut nullus etiam affectus ad ea repetenda, vel amanda remaneat in corde pœnitentis.

IV. Index est Confessio, quæ indicat Medico spirituali vulnera animæ: index enim ad monstrandas res aptissimus est, quia solus sine adminiculo aliorum digitorum se extendit commodè, adeoque distinctè rem ostendit, quod in confessione auriculari requiritur, ut solus pœnitens clare & soli se aperiat confessario. Debet autem 1. indicare abscondita vulnera, sicut & index præ foribus suspensus tabernæ, vinum in cella prodit. Nisi per indicem prostituas, vinum non vendes: & nisi vulnera per confessionem prodas, non sanaberis. Quis autem, nisi insaniat, vulnus lethiferum absconderet Medico? Sanè Plinius l. 8. c.16. scribit Mentori Syracusano, cum in Syria iter faceret, leonem pede saucium obviasse & quacunque ille refugeret, se ei opposuisse & pedem, cui spinam intriverat, saucium ac tumidum curandum præbuisse. Bestiæ igitur immanes quærunt Medicum & monstrant ei vulnera sua: homo hoc non faciat? At fecit certe Rex David Psal.31. *Conversus sum in ærumna mea* (q. d. huc illuc cucurri) *dum configitur spina:* (70. habent: *dum adurit me spina.*) Quid igitur? cur non ostendis Medico vulnus?

sequitur mox: *Delictum meum cognitum tibi feci & injustitiam meam non abscondi. Dixi. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (en quam syncerè & apertè prodit se) *& tu remisisti impietatem peccati mei.*

2. Debet etiam indicare speciem & numerum sicut index manus clare omnia distinguit ac demonstrat: & ut index horologii indicat matutinum & vespertinum tempus, item horas utriusque singulas. Contra hoc agunt illi, qui nimis obscure sua proponunt: ut à Confessario non intelligantur. Man weiß nicht wie viel es geschlagen hat. Quando Christus Dominus ex obsessis dæmones ejecit, semper omnes simul ejecit. Quid enim profuisset miseris, ab aliquibus liberari, si vel ab uno adhuc vexati fuissent? Remanet in corde Dæmon unus, si vel unum lethale peccatum studio tacetur in confessione. Bene ergo Zacharias cecinit: *Locutus est Deus per os Sanctorum salutem* (h. e. promisit liberationem) *ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Luc. 1. *De manu omnium,* inquit, *inimicorum nostrorum.* Liberavit sese Judas proditor ab uno quidem inimico & Dæmone, cum dixit. *Peccavi tradens sanguinem justum.* Sed non ab omnibus; quia ut advertit S. Ambrosius, non omnia confessus est. Tacuit corpus Christi à se sacrilegè sumptum & proditum: tacuit furta & murmur suum. Facit huc quod in vita S. Sebastiani apud Sur. & Lipel. 20. Januar. legimus de Chromatio urbis Præfecto, qui podagræ doloribus vexatus, audiit à S. Sebastiano, si Idola sua omnia confringeret, sanitatem recuperaturum. Obtulit ergo ad 200. Idola Sebastiano confringenda: nec tamen convaluit. Collegit inde Sebastianus adhuc Idolum aliquod ab eo absconsum esse; addens nisi & id depromat, eum non convaliturum. Itaq; digito ostendit ei cubiculum vitreo opere affabre factum, in quo stellarum erat disciplina, ipsi vehementer amata, ex qua divinabat de futuris, pretio 200. auri pondo. Eâ igitur proditâ & confractâ subitò convaluit. Pari modo ni tu omnia Idola scelerum tuorum, quæ in conclavi cordis geris, demonstres Medico tuo spirituali, non recipies sanitatem animæ tuæ.

V. Pollex, dictus vel à robore & pollendo, vel à pollicendo, notat satisfactionem aliquam, qua promittis Confessario compensationem aliquam & mulctam pro peccatorum reatu exsolvendam & strenuè exsolvis. Ergo 1. satisfactio injuncta fideliter exsolvēda est, quia pro redemptione pœnarum à pœnitente promissa & suscepta. Manet is adhuc obligatus Deo donec redimat ab eo suum quasi chirographum, ac nisi id repetat, novum insuper committit peccatum, quia parte integrante sacramentum pœnitentiæ truncat. Quid profuit servo illi debitori decem millium talentorum condonata fuisse debita, si postea ob novum delictum retractus fuit ad priorem obligationē & majores pœnas? Taceo quod stultum sit non velle se redimere aureo uno, qui centū aureos debet. Pœnitentia in confessione injuncta, quia pars sacramenti est, longe efficacior ad solvendum pœnæ reatum, quam quæ sponte assumitur.

2. 2. Sit pollens seu fortis pro qualitate peccatorum. Ita enim præcepit Joan. Baptista Luc. 3. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ & ne cœperitis dicere: Patrē habemus Abraham.* Nimirum Joannes, ut advertit S. Chrysostomus in Oper. imperf. hom. 3. intellexit passiones Judæorum ad se venientium, sicut Medicus ægrotum ex colore; quasi cogitarent: Confiteamur peccata nostra; justitias à nobis non requiret, nec restitutiones, nec emendationem vitæ, nullum laborem imponet: baptizabimur tantum & indulgentiam cōsecuti sumus. Sed Joannes contra: Non sufficit hoc aspergillum aquæ: sanguinis necessarium est; uti præceptum Levit. 4. vers. 5. Digni pœnitentiæ fructus necessarii sunt, Parva ab arbore pauci fructus, à magna multi exiguntur: pari modo ab exiguo peccatore exigua petitur satisfactio: è grandi vero grandis, lachrymæ, jejunia, cilicia, flagella, restitutiones: & si arbor peccati multos tulit fructus malos, arbor vicissim pœnitentiæ totidem ferat fructus bonos: exemplo Davidis, qui adulterio adjecerat cædem Uriæ, & cum eo plurimorum innocentum: postea tamen correptus à Nathan peccata sua agnovit & deflevit diris & continuis pene lachrymis, castigavitq; afflictionibus; uti ipse confitetur tot verbis & locis *Lavabo per singulas noctes lectum meum, &c. Rugiebam à gemitu cordis mei. Genua mea infirmata sunt à jejunio. Cinerem tanquam panem manducabam. Posui vestimentum meum cilicium.* Davidem errantem uti secutus fuerat Theodosius Imperator senior in cæde plurimorum innocentum, ita secutus est etiam pœnitentem. Nam ab Ambrosio templo exclusus humiliter acquievit, & peccatum suum agnoscens, octo luxit mensibus, quo pœnitentiæ curriculo impleto, ad templum postea cum lachrymis rediit, Domino supplicans, non stans, nec genu flectens, sed in terram pronum se prosternens, ac cum Davide orans: *Adhæsit pavimento anima mea. Vivifica me Domine, secundum verbum tuum.* Surgens vero manibus barbam & capillos evulsit, frontem cecidit & pavimentum lachrymis suis conspersit. Ac veniam tandem petens, receptus ab Ambrosio est, populo pro eo deprecante.

Hi sunt digiti, hæc manus, quæ expellere potest Dæmonem; si tamen eo, quo dixi, modo applicata fuerit; quod factu uti non difficile, ita in manu vestra est, &c.

* *
*

DOMINICA IV. QUADRAGES.

THEMATA.

I. *Stimuli ad frequentem communionem.*
II. *Præparatio ad S. communionem.*
III. *Qua ratione omnes saturari, imo & panes suos multiplicare queant.*
IV. *Unde lætandum sit Christiano.*
V. *Navigium Bacchi, seu ebrietatis.*

THEMA I.

Stimuli ad frequentem communionem.

I. *Primus Christi institutio.*
II. *Secundus nostra indigentia.*
III. *Tertius fructus maximus.*

Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Joan. 6.

Vidimus hactenus triplices bestias è diversis speciebus Christo servientes; quarta adhuc desideratur, estque volucrum. Hæc nobis afferre panem debet pro hodierno Evangelio. Sed ubi talis avis? Non reperio nisi corvum, qui sicut Eliæ Prophetæ & Paulo Eremitæ quotidie panem attulit: ita nobis afferet panem Eucharisticum. Illis, ut dixi, quotidie terrenum panem attulit: utinam nos vel singulis mensibus de pane cœlesti participaremus! Sed quid mihi cum corvo? inquis, quid cum tam frequenti communione? Nescis miseram famem & inediam animæ tuæ: nescis hujus panis utilitatem & præstantiam; alioquin hoc non diceres. Certe panes illos, quos in hodierno Evangelio Christus apposuit, mirum in modum sapidos necesse est fuisse; siquidem convivæ rapere suum hospitem & constituere Regem voluerunt. Multo præstantior est panis, quo nos cibat Dominus in S. Eucharistia. Tria autem fuerunt illius condimenta, quemadmodum etiam tria præcipue sunt, quæ nos ad frequentem communionem invitant.

I. *Primus, Christi institutio.* I. Primus est Christi institutio, qui 1. *desiderio desideravit hoc Pascha manducare* nobiscum; reliquitque nobis seipsum in hoc sacramento, in signum amoris erga nos, quo avet non modo nobiscum & inter nos habitare, sed nobis etiam intime uniri & incorporari, ut quasi una caro & una anima cum ipso fiamus. Et quia amans non vult cogere; sed suaviter allicere, ideo comiter nos invitat: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meam commemorationem*, quasi dicat non mando quidem; placet tamen, si multoties id faciatis. Cum amasset Jonathas Davidem sicut animam suam, ex parte autem Davidis non videretur amor iste futurus stabilis, cum ipse esset vilis pastorculus, Jonathas autem filius Regis, quid egit? exspoliavit se vestimentis & armis suis, etiam usque ad militare cingulum seu baltheum, induitque eis Davidem 1. Regum 8. Quis hic dubitat quin David in eo sibi vestitu vehementer placuerit, eumque magno in honore habuerit, adeoque crebro induerit, quasi esset alter Jonathas? At Christus ad contestandum nobis amorem suum, seipsum nobis dedit, ut ipso quasi induti alter ipse quasi appareamus: & sicut prius in incarnatione se nostri amore exinanivit servusque factus est: ita se in hoc sacramento rursum exinanire voluit, ut nos exaltaret sibique uniret & in se quasi transformaret. In vita sanctæ Elisabethæ 19. Nov. legimus, cum ipsa ex Ungaria ad Ludovicum Thuringiæ Principem evocata fuisset, ut fieret ei sponsa, quosdam aulicos de ejus erga sponsam amore cœpisse dubitare, an vellet eam ducere. Eo intellecto Princeps Walthero de Wargila dixit se plus quam vicinum montem, si totus aureus esset, diligere Elisabetham sponsam. Et Waltherus: *Peto Domine, ut hoc ei possim nunciare.* At ille dulciter: *Dic ei*, inquit, *& pro signo, quod sibi transmisero præsentato*, proferensque de bursa sua dedit nobili illi, quod apud se habebat, speculum duplex æneis inclusum sedibus, una parte simplex vitrum, & in altera imaginem præferens crucifixi. Id à nobili S. Virgo suscepit caute, & jucundo cum risu gaudium inde conceptum propalavit. Poteramus nos multo magis dubitare, an revera velut sponsas suas diligeret nos Christus, sibi aliquando desponsandas, quia nos peccatores eramus, ille Sanctus Sanctorum erat. Quare ne dubitaremus, ecce reliquit & donavit nobis admirandum idque duplex speculum, species panis & vini, in quibus ipsum non intueri tantum, sed revera etiam habere præsentem & sumere possemus, in iisque memoriam passionis & crucis ejus contemplari. Quando igitur à tam chara manu tam nobilis sponsi nostri donatum est nobis hoc monile, nonne nostrarum est partium, eo frequenter uti: sicut dubium non est Elisabetham in eo speculo non se, sed sponsum suum, simulque crucifixi imaginem sæpissime contemplatam esse? Quod si hoc memoriali raro admodum utamur, quomodo Christum amamus? *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* ait Dalila Samsoni Jud. 16. Quomodo non amamus eum qui amore nostri crucifigi voluit?

2. Dedit illud nobis in memoriam passionis suæ aliarumque gratiarum, quas contulit, ut quoties id sumimus, earum memores simus. At nonne æquissimum est, ut qui magnum aliquod beneficium accepit, crebro id meminerit, imo commemoret & gratias agat? Quid fecerunt Ægyptii, ut gratos se exhiberent Josepho, qui eis præsagio septē boum pinguiū & totidem sterilium prædixit venturam annonæ vilitatem & caritatem; providitque Ægyptiis ut famis tempore vivere possent? Multi sunt, qui tradunt coluisse eos Josephum post ejus mortem, velut Deum sub nomine Seraphis, ejusque in memoriam bovem unum albis maculis distinctum velut sacrum & divinum aluisse & delicatissime quidem, eique mortuo

alium

alium semper superstituisse, ut refert Cornelius à Lapide Gen. 41. iidem ægyptii, quia Sole signum Leonis transeunte inundat Nilus, & totum pene Ægyptum fœcundat; (deficientibus nimirum pluviis) Leoni id beneficium acceptum referentes, omnes canales, tubos, siphones, qui aquam per terebrata foramina eructant, in leonina capita efformari, fundi & sculpi fecerunt, ut quoties homines inde aquam biberent; toties beneficii inundationis Nili, adeoq; auctoris Leonis, memores gratosque se exhiberent, Sidon. epistola 1. At quanto majora beneficia accepimus à Christo, accipimus quotidie sumendo ejus corpus & sanguinem? Frequenter igitur oportet ex fonte hoc salutis aquam haurire; quia est memoriale Passionis Domini; unde Eucharistia, id est, *gratiarum actio* appellatur.

II. Secundus indigentia nostra. Primo ob continuum animæ nostræ decrementum. Sine pane materiali corpus, & sine hoc pane anima diu non subsistet, sed brevi contabescet, ac viribus destituta cadet in varia nec parva peccata. Quamobrem hunc potius quam illum panem petere nos jubet Christus in oratione Dominica, tanquam magis necessarium, ut vult sanctus Cyprianus in exposit. orat. Domin. ideoque à Matthæo 6. *supersubstantialis*, qui à Luca 11. *quotidianus* appellatur; è quo sequitur panem illum supersubstantialem nobis quotidianum esse debere. Unde S. Ambrosius lib. 5. de Sacramento cap. 4. ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* Eadem de causa *panis indigentiæ* appellatur à Severo Patriarcha Alexand. lib. de tribus Baptismi. In hunc sensum accipiunt Patres aliqui etiam locum Psalm. 101. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.* Quis proprie panis meus vel noster nisi Eucharisticus? Materialis enim panis non est ita noster, ut non sit etiam Gentilium, Judæorum, imo etiam brutorum animalium, uti canum, murium, &c. Unde Cyprianus ibi ait: *Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est; sed noster est; & quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium & credentium pater est: sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, quia corpus ejus contingimus, panis noster est.* Jam sicut fœnum seu gramen exarescit, si per multos dies pluviam de cœlo non bibat, Solis interim radiis frequenter uratur: ita anima nostra, nisi subinde reficiatur pane suo æstu concupiscentiæ identidem vexata sensim contabescit, aret & in peccatum concidit. Mirum quid scribit Palladius Ægyptius Episcopus Helenopolios in historia Lausiaca cap. 19 de quodam libidinis mancipio, Ægyptio, qui cum non posset frui uxore aliena eaque casta, per præstigiatores effecit, ut marito suo videretur esse equa. Sic ergo transformata ad speciem, cum toto triduo nil comedisset neque panem neque fœnum, ducta est à marito ad sanctum Macarium Ægyptium qui statim eam esse mulierem agnovit, & aspersam aqua benedicta restituit sibi, ut ab omnibus nosceretur esse fœmina. Cumque eam dimisisset, admonuit eam *Nunquam Ecclesiam Dei deseras, nunquam abstineas communione Christi Sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quod jam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata nostri Servatoris Sacramenta.* Eodem fere modo contingit, ut qui diu valde à S. Communione abstinent, tandem bestiales mores induant, & Christiani imo homines esse desinant. Pius & frequens usus S. Eucharistiæ corrigit hoc malum. *Sedat enim cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem*, ait Cyrill. lib. 4. in Joann. 17. Hinc bene Christus inscendens in naviculam post hodiernam refectionem, de nocte super mare ambulans sedavit tempestatem maris; quia cum idem per S. Communionem, crebro præsertim sumptam, ingreditur cor nostrum, compescet & in nobis concupiscentiæ malæ fluctus.

2. Ob continuos conflictus cum Dæmone, mundo carne. *Est in Indiæ finibus*, ait B. Petrus Damianus 2. Epist. epist. 18. *arbor quæ Græce pridexion vocatur, cujus utique fructus nimis est dulcis & valde suavis; In hujus igitur arboris gratia columbæ non modice delectantur, cujus nimirum eas & fructus reficit & umbra defendit. Teterrimus enim Draco ferali eas immanitate persequitur & cruenti gutturis barathro inhiantes absorbere molitur. Sed sicut Columba Draconem: ita nihilominus Draco formidat eam, quam prædiximus arborem, sed præcipue timet umbram, ita ut si umbra fuerit à parte arboris dextra, ille licet procul fugiat ad sinistram: quod si umbra cernitur in sinistra, ille vertitur ad dextram. Donec ergo columbæ sub arboris illius umbraculo fuerint commoratæ nullis eas crudelis illa bestia valet insidiis lædere: alioquin si procul eas invenerit, sine ullo contradictionis obstaculo repentinas invadit.* Talis arbor Christus est, in cœlo quidem fixa, quæ tamen umbram suam, ut sic dicam, in terram projecit in S. Eucharistia, in qua occulte & quasi in umbra latet. Draco ille stygius continuo nobis insidias tendit, nec alibi tutius asylum reperimus, quam in umbra ista, ad quam accedere non audet. Nos ergo si salvi esse volumus, procul ab hac umbra ne discedamus, sed frequenter ad eam recurramus. Dicamus, quod illi Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus; cui diximus: In umbra tua vivemus.*

Nihil videtur facere contra hostes mensa: similiter & panis cum gladio commune nihil habere. Quis enim non rideretur, si hoste ingruente vellet sedere ad mensam, vel panem arripere pro gladio? Et tamen Ps. 22. audimus *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* Et Jud. 7. Panis devolutus videtur evertere castra Madianitarum; de eo namque dicitur; *non est hic aliud nisi gladius Gedeonis*; quia nimirum mensa illa & panis ille Eucharistiam designabant, evertentem castra hostium nostrorum & in nihilum redigentem. Sed quæ est hominum miseria! Qui minus indigent hoc pane, frequentius eum sumũt ac requirunt: qui maximè egent, rarissimè accipiunt.

III. *Tertius fructus maximus.* 1.

III. Tertius est maximus fructus, quem inde habemus. Nam primo sensim hominem perficit & in ipsum Christum quasi mutat. Clarum est eos, qui delicatis cibis aluntur, delicatum acquirere sangui-

nem & corporis complexionem. Inde Nabuchodonosor Ephebis suis decrevit cibos regios à mensa sua Dan.1. Oves & boves in nobilioribus pascuis nobiliores acquirunt carnes: par ratio de spiritu. Quid ni igitur illi, qui nobilissimo hoc cibo constanter aluntur, acquirant etiam conscientiam & animam tenerrimam, nobilissimam? Hinc primi Christiani tam sancti, tam à gravibus peccatis alieni, tam ad martyria parati & invicti; quia vel quotidie vel frequentissime saltem communicabant: cum nos jam tam fragiles simus; quia in hac mensa rari. Adhæc quemadmodum vir præpotens, qui divertit ad domum pauperis, non facile discedet, quin gratiam aut munus aliquod pauperi impertiat: ita multo minus discedet à nobis sine munere Dominus noster ditissimus & munificentissimus. Ubi enim is aliquando domum ingressus est sine aliquo munere? ubi non vel ægros curavit, vel peccata condonavit, vel præclaram instructionem dedit? Porro domum Marthæ, ubi frequenter divertit, omnino sanctam effecit, ita ut Martha, Magdalena soror, & frater earum Lazarus omnes eximiam sanctitatem acquirerent. Certum quoque videtur digna sumptione Sacramenti deleri peccata venalia & quandoque mortalia ex accidenti, si quæ confitenti in mentem non venerunt: condonari etiam pœnas aliquas; præservari hominem à gravioribus lapsibus aut crebrioribus, augeri gratiam, &c. Ad hæc quis non crebro invitaret eum, à quo se aliquando judicandum sciret, ut eum sibi amicum faceret? quis non humanissime tractaret? *En adest Iudex tuus*, ait S. Bernardus, S. Eucharistiam monstrans Comiti Guilielmo, prius refractario, tunc vero ea terribili increpatione consternato & ad pœnitentiam disposito.

2. 2 Præclarum subsidium est ad perseverandum in gratia; unde frequens usus Eucharistiæ signum aliquod electionis est: qua de causa teste S. Hieronymo vocatur à Zacharia c. 8. *frumentum electorum*. Celebrat Plinius lib. 24. c. 17 herbam nomine Theombrotion, quæ & Semnion à potentiæ majestate appellatur. Ea pavonis picturis similis, odore eximio à Persarum Regibus comeditur aut bibitur contra omnia corporum incommoda instabilitatemq; mentis. Talis herba Eucharistia est, omni pulchritudine & suaveolentia plena: ea cibus Regum est, quia Reges facit potentes ad subjiciendum sibi carnem, mundum, Dæmonem; si tamen frequens sit. Unde merito de illa in spiritu vaticinatus putatur Jacob in benedictione Aseri filii sui: *Aser pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*. Gen. 49. Valet etiam contra omnia animæ incommoda mentisque instabilitatem, sensim confirmans eam in gratia. Unde Rupertus ibi: *Præbebit delicias Regibus Aser, id est, eis, qui semetipsos student regere, ut sint digni mensa regalis cœnæ: delicias præbebit regalis alimoniæ Eucharistiam porrigendo.*

3. 3 Lignum vitæ typus Eucharistiæ fuit. Ex eo qui edissent, mortem non incurrissent, sed vires debilitatas reparassent, quoties gustassent; debebant tamen, ut immortales essent, sæpius inde comedere, de veriore sententia; quia vis ejus naturalis adeoque limitata erat. Pari modo Eucharistia reparat vires animæ, & immortalitatem ac moralem impeccabilitatem tribuit, sed frequenter sumpta. Manna itidem typus Eucharistiæ fuit, quo effectum inter alia, ut vestes Hebræorum non veterascerent, nec attererentur. Deut. 8 quo aperte significatum, per manna Eucharisticun tribui nobis gratiæ & gloriæ stabilitatem, verum ut manna quotidie (Sabbatho dempto) colligi & sum debuit: ita Eucharistia crebro digneque sumenda est si eo fructu gaudere volumus. Mithridatico postquan quotidiano esu assuevit Rex Ponti Mithridates, ade naturam suam contra venenum armavit, ut sine nox id tandem biberet; & cum in potestatem Romanorum venisset, eo se occidere non posset, si Plinio cre dimus l. 25. c. 2. Talis est Eucharistia, sic muniens contra peccatum, ut in mediis peccandi occasionibu constitutus aliquis minime inficiatur; imo mortalite loquendo peccare nequeat, tametsi illum occide velles, vel integro regno donare.

Jam vero quis non consideret esse filius Regis? no esse invulnerabilis? non cupiat immortalitatem? Ecc tibi hæc in frequenti usu Eucharistiæ. Sed finem volumus, media nolumus: parati sumus metere, sed no seminare: pira comedere, sed arborem non ascendere. Dicunt omnes cum Balaam: *Moriatur anima m morte justorum, &c.* Et cum illo discumbente: *Beat qui manducabit panem in regno cœlorum.* Sed cur no vivimus & communicamus cum justis? cur pane illum nobis non efficimus quotidianum? Veniat igitur corvus, veniat Dei minister è cujus manu pane illum frequenter accipiamus, singulis saltem men bus, ut eo confortati pervenire possimus ad pane Beatorum.

THEMA II.

Præparatio ad S. Communionem.

I. Recordatio Passionis Domini.
II. Prævia pœnitentia.
III Fuga vitiorum & exercitium virtutum.
IV. Pia præmeditatio.

Erat autem proximum Pascha, dies festu Iudæorum. Ioan. 6.

SApientissimo consilio præmisit Christus hoc m raculum tempori Paschali, uti scribit Joann Debet enim typus ipsam, cujus typus est, re præcedere. Refectio autem ista typus fuit S. cœnæ timæ, uti docet Origenes cap. 14. in Matth. ideoq paulo ante Pascha à Christo exhibita est. Demonst idipsum primo similis conficiendi ritus; secundo m teria, quæ ex alio mixto vel elemento conversa in panes; tertio integritas, dum post omnium sat tatem superfuerunt cophini 12. quarto sufficien unius speciei, panis scilicet, qui potum supp vit; quinto fructus; quo turbæ Dominum agn verunt & Regem facere voluerunt, denique pr

via diſpoſitio, quæ cum ſubtili penicillo depingatur, eam nos declarare conabimur, velut maxime ſcitu neceſſariam.

I. Abiit trans mare Chriſtus, & ſequebatur eum multitudo magna, mare, quia amarum & vaſtum, paſſionis Dominicæ typus eſt. Mare ergò trajicimus, cum paſſionem Domini rememoramur, quod ſanè in S. communione facimus, juxta id 1. Cor. 11. *Quotieſcumq; manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis*; facto ipſo ſcilicet, dum S. cœnam ab eo in memoriam paſſionis inſtitutam cum verâ fide & gratiarum actione participamus. Ergo omnes Chriſtiani tempore inprimis Paſchali hoc mare tranſire debent; quemadmodum & Hebræi *omnes mare tranſierunt*. 1 Corinth. 10. rubrum ſcilicet; quod ipſum typus erat ſanguinis Chriſti, effundendi ſuper nos; ac ſi quis id non tranſiſſet, abſque dubio in gladium Pharaonis incidiſſet, periiſſetque. In memoriam illius tranſitus vult ſanctus Auguſtinus Tr. 55. In Joannem præceptum fuiſſe Judæis Phaſe à Deo comedendum Paſchali tempore. Jam vero Phaſe etiam ab omnibus Iſraëlitis, qui in itinere non fuiſſent, abſentibus comedendum erat, Exod. 12. *Omnis cætus filiorum Iſrael offeret illud.* Intermittere capitale erat quia Num. 9. dicitur: *Exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo: ipſa peccatum ſuum portabit.* Bone Deus, ſi tanti erat figuram noſtri paſchatis annuatim celebrare, & beneficium, quo Hebræi per mare rubrum evaſerunt Pharaonem, recolere, nonne longè magis exterminandi & damnandi erimus, ſi memoriam paſſionis Domini, per quam è Diaboli laqueis liberati ſumus; & agni immaculati, pro nobis immolati, memoriam non celebremus eo tempore, quo & immolatus eſt, & à Chriſto in cœnam datus & ab Eccleſia ſumi juſſus eſt?

De diſcumbentibus ad hanc refectionem dicunt tres Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas *Manducaverunt omnes & ſaturati ſunt*: idem nunc dicatur de Chriſtianis ſuum Paſcha celebrantibus: *Manducaverunt omnes*: ne unus quidem defuit.

II. Prius curavit languidos, qui erant in turba, ut habet Matthæus c. 14. & Lucas cap. 9. ut doceret prius ſanandos eſſe peccatores per pœnitentiam, quam ad menſam Domini accedant; ſiquidem hoc ſacramentum vivorum & bene valentium eſt, non mortuorum aut languidorum. Et ſicut cibus ſanorum nocet ægris: ita Eucharistia malis. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormierunt multi*, ait Apoſtolus. 1. Cor. 11. Unde enim fit, ut plerique poſt S. communionem adhuc tam infirmi, tepidi, fragiles ſint? cur cibo illo non impinguantur & roborantur? cur non velut Leones ignem ſpirantes & Diabolo terribiles, ut requirit S. Chryſoſtomus hom. 61. ad populum, recedunt? niſi quia languidi cibum validorum comederunt, Confeſſionem obiter fecerunt & neglectim, ſine accurato examine, ſine dolore ſerio, qui eſt contritio: ſine firmo propoſito emendationis, Confeſſariorum conſiliis non acquieſcunt, peccandi occaſiones non vitant. Manna Hebræorum, quod fuit typus Euchariſtiæ, *panis Angelorum* appellatur Pſalm. 77. Hebr. *panis Abarim*, hoc eſt *fortium*. Ergo Angelorum inſtar puri & fortes eſſe debent, qui cum fructu ſumere manna noſtrum volunt.

III. Subiit in montem, ut habet Joannes: quo indicaret, altius adhuc aſcendendum nobis eſſe, ſi dignè & fructuosè communicare velimus; nimirum eo adlaborandum, ut defectus etiam veniales per pœnitentiam expurgemus & ante communionem vitemus, operaque inſuper pietatis & ſatisfactionis addamus. Tametſi enim venialia peccata non excludunt totum fructum communionis, nec omninò indignos reddunt: copiam tamen gratiarum valde reſtringuunt: fervorem etiam charitatis imminuunt, & devotionem digno acceſſui conſentaneam tepefaciunt. Hoc nobis etiam Chriſtus ante inſtitutionem S. cœnæ inaudito humilitatis exemplo inſinuavit, dum prius diſcipulorum pedes lavit, tametſi eos lotos jam eſſe non diffiteretur: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*, indicans etiam errata, quæ non ſunt ad mortem, abſtergenda, ut interpretatur S. Bernardus ſerm. de cœna Domini. *Lotus eſt, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id eſt intentio & manus, id eſt, operatio munda eſt: ſed pedes qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt &c.* Adhæc poſt confeſſionis lotionem facile iterum inquinamus pulvere aliquo pedes noſtros. Itaque ſi gravis inquinatio fit, iterum lotio adhibenda: ſin levis, deteſtatio ſaltem illarum noxarum levium & dolor. Denique abſterſio ſatisfactionis addenda pro qualitate delictorum, uti lachrymarum & operum pœnalium. Quomodo enim alioquin pedes ſordidiſſimi perfunctoria lotione purgentur levique ſatisfactione expientur? Scire vellem, cur in numero diſcumbentium viri tantum cenſeantur ab Evangeliſtis? Sic enim Joannes ait: *Diſcubuerunt viri quaſi quinque millia*, Matthæus expreſſe excipit mulieres & parvulos: *exceptis mulieribus & parvulis*, ait. Cur hoc? Debiles ſunt mulieres & parvuli, itaque ſignificant ad hanc cœnam inidoneos eſſe, qui delicati nimis & debiles ſunt ad abſtergendas peccatorum ſordes per opera pœnitentiæ. In mentem hic venit, quod ſcribit Georgius Cedrenus de Reginâ Saba, quæ ut experiretur Salomonis ſapientiam, propoſuit ei aliquot ephæbos, partim pueros, partim puellas; virili omnes habitu, ut eos diſcerneret. Salomon juſſit eos lavare faciem: advertens interim, quinam ambabus manibus fortiter ſe abſtergerent quique delicatè & ſubtiliter: illos agnovit mares, hos autem fœminas. Quando ergo viri eſſe debent, qui ad hanc menſam ſedere volunt, videat unuſquiſque, ut accurate & fortiter ſe lavet in confeſſione, abſtergatque ſatisfactione. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus*, ait S. Cyprianus ſerm. de lapſ. *alto vulneri deligens & longæ medicinæ non deſit pœnitentia crimine minor non ſit.* Virum ſe, non mulierem præbuit S. Margareta virgo, Regis Hungarorum filia, quæ pridie communionis jejunare in pane & aqua ſolebat,

III. *Fuga vitiorum & exercitiũ virtutum.*

Trip. in F. Purif. C. 1. D.

bat, totaque nocte in oratione pernoctare. Ut in ejus vita Fr. Garinus Ordin. Prædic. apud Sur. 28. Januarij. Quod si hoc non placet, aliam tibi mortificationem indicito v. g. refrænationem linguæ, abstinentiam à risu, uno vel altero cibo, actum humilitatis vel misericordiæ. Neque enim satis esse videtur ad dignam communionem, à sordibus abstersum esse sed ornatus animæ insuper adhibendus, ut sponso nostro placeamus.

IV. *Pia præmeditatio.* IV. Secessit in desertum locum, ut requiesceret pusillum ut habet Marcus c. 6. quo indicaret; post Confessionem non illico currendum ad S. Communionem sine prævia alia præparatione & cogitatione quasi ad communem aliam mensam; hoc enim vetat Apostolus sub gravi interminatione, si non discernamus mensam Christi à communi. Ergo secedendum in desertum cordis & paululum quiescendum, ac cogitandum quo iturus sis & quomodo. Certe neque manna, quod typus solum Eucharistiæ erat, datum nisi in deserto est, & post consumptam Ægypti farinam Exo. 16. quemadmodum & Dominus in hodierno Evangelio, non prius providit panes, quam turba suos assumpsisset. Quare si gustum S. mensæ volumus percipere, abstrahere nos paulisper à mundo ejusq; illecebris debemus. Sed quid cogitandum? Sap. Prov. 23.

1. *Accede cum amore.* ait: *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* S. Aug. tr. 47. & 48 in Jo. *Quæ mensa est potentis*, inquit, *nisi unde sumitur corpus & sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? & quid est ad eam sedere nisi humiliter accedere? & quid est considerare & intelligere quæ apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare?* Hebræi accepto manna dicebant: *Manhu! quid est hoc?* Dic hoc & tu Christiane majori admiratione. Cogita te fore convivam Christi & sessurum ad ejus cænam ultimam cum discipulis, quibuscum manducare desiderio desiderabat; quique summe te dilexit, ita ut tui redimendi & exaltandi gratia de cœlo venerit, servilem formam induerit, vadem se pro te in divinæ justitiæ carcere constituerit, pœnam etiam mortis pro te sustinuerit, ut tu liber esses. Quo igitur non amore excipies talem hospitē? Habes hic memoriale passionis ejus: quia sic seipsum morti quasi in escam tradidit, sicut nunc se tibi tradit; Dat insuper tibi pignus salutis, & arrham gloriæ, in cœlo ibi communicandæ.

2. *Cum gaudio.* Deinde veniet ad te juvenis ille cœlestis, gratissimus & speciosissimus, à cujus aspectu & sermone avelli non poterant fideles: qui sanabat omnes oppressos, benefaciebat omnibus se invocantibus, consolabatur omnes mæstos: cujus aspectu recreantur Angeli & beati. Quot nunc dicunt: ô si potuissem Christum videre, eum habere præsentem, tangere, alloqui? Ecce habes, tange, alloquere, confuere, sicq; cum gaudio eum suscipe.

3. *Cum spe & timore.* Deinde veniet ad te mortis triumphator, cui pater omnia dedit in manus, qui salutem, vitam & omnem tuam fortunam in manu sua habet, quique te ab omnibus malis tueri, omnibus bonis cumulare, & æternum beare potest. Pete jam ab eo quod vis: effunde coram eo cor tuum: propitium tibi redde. Adest qui te juvare vult & potest in omnibus necessitatibus tu[is]. Sic eum suscipe cum spe & timore.

Veniet ad te, qui te vicissim vult manducare & in [se] convertere, te sibi unire & agglutinare, velut membrum vivum, & in gloriam suam transferre, statue [er]go cultrum in gutture tuo, h. e. Para te quasi ad mortem, & desidera post communionem mori & vivere deinceps cum Christo, sicut petiit Simeon: *Nunc dimittis Domine*, &c. Immola te vicissim Christo per affectum & animi præparationem, velut etiam pro ip[so] moriturus. Sic cum desiderio eum suscipies.

Denique cogita forte hanc futuram ultima[m] tuam Communionem. Sane Christus quando prædixit discipulis eam cœnam fore ultimam nec amplius se cum eis cænaturum, donec in cælo convenirent, haud dubie magno amoris vulnere eorum animo[s] sauciavit. Tu ergo si scires hanc tuam communion[em] fore ultimam, utiq; maxima cum devotione eam pe[r]ageres: quemadmodum factum audimus a sanct[is] morituris, & adhuc fieri cernimus à piis ægrotis [in] ultima communione. Sic cum igitur suscipe qua[si] cras moriturus.

Ad extremum rape eum & regem tuum constitu[e] præsta ei homagium ac juramentum, pone eum supe[r] cor tuum, ut te imposterum regat, defendat, serve[t]. Neque timendum tibi ne fugiat eam dignitatē Christus, sicut fugit temporalem; quin imo obviam tibi i[bit] sicut pater filii prodigi, libenterq; tecum manebit imo introducet te in regnum suum ubi cum eo epuleris & læteris per omnem æternitatem.

THEMA III.

Qua ratione omnes saturari imo & panes suos multiplicare possint.

I. *Si laborent.*
II. *Si fiduciam in Deum habeant.*
III. *Si pro acceptis beneficiis gratias agant.*
IV. *Si Dei beneficia laudent, quantumvis modica.*
V. *Si sint temperantes.*
VI. *Si liberales sint erga pauperes.*

Impleti sunt. *Ioan. 6.*

ITa fere comparati sunt omnes, ut eas maxime artes libentius addiscant, quæ de pane lucrando & comparandis sunt divitiis, videmus etiam illos sæpe indigere & suam egestatem miserè deplorare, qui artes parum lucrosas in juventute didicerunt. Artem quæstuosissimam demonstravit hodie Christus, quando sua benedictione quinque panes ita multiplicavit, ut quinque millibus hominum sufficerent, quin & redundarent: quo inprimis id effecit, ut qui panes illos gustarunt, rapere eum vellent & regem con-

constituere. Placet hoc artificium, dicet forte aliquis: & cuperem id addiscere, si modus addiscendi foret. Non est hoc impossibile: & videtur ipse Magister noster Christus, dum hoc ageret, modum insinuasse, quomodo id ipsum consequi fideles quâdam ratione possint, dum plures adhibuit ritus ad patrandum hoc miraculum: accepit panes in manus, aspexit in cælum gratias egit, benedixit, fregit, distribuit. Quæ omnia si & nos facere velimus, poterimus & ipsi quid simile præstare; uti nunc videbimus.

I. *Accepit Iesus* quinque *panes* in manus suas & in illis multiplicavit eos, quasi sementem in agro adaugens in messem copiosam. Qui vult saturari pane accipiat & ipse sementem panis in manus suas, laborem inquam, qui est semen panum, juxta id Psalmo 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Quomodo labores manducantur, nisi quia ipsi semen sunt frugum, quæ manducantur? Ergo qui metere & eâ messe vult satiari, sementem prius jaciat manibus suis, laborem videlicet. Ita mulier illa sapiens Proverbiorum 31. *manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* Et quid effecit? *Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus* En quid possit colus! duplices parat vestes omnibus domesticis: sed in manu sapientis & industriæ matrisfamilias. Confirmat hoc idem Sapiens Proverbiorum 28. dicens: *Qui operatur terram suam saturabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.* Idem paulo aliter dixerat capite duodecimo his verbis: *Qui operatur terram suam satiabitur panibus: qui autem sectatur otium stultissimus est.* Quare stultissimus? Quia metere vult, cum non ejecerit semen: comedere & saturari cùm non laborârit. De his Oseas capite 8. ait: *Ventum seminabunt, & turbinem metent,* hoc est ex otio egestatem & calamitatem. Jarchas Brachmanorũ Antistes dicitur mensas struxisse, quæ suâ sponte incederent & convivis obviarent: itaque cum Regem invitâsset, subitò eas dapibus instructas Regi obviam processisse Philostr. Apoll. libro 3. capite 8. Verum hoc minime expectandum, ut mensa jam parata otiantibus occurrat, possumus tamen si laborare velimus, id efficere, ut domi nostræ mensam semper instructam & quasi nobis obviantem inveniamus, cum edendum est. *Vt sementem feceris, ita metes,* ait Horatius sat. 9 libro 1. *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* Hac viâ auxit suam substantiolam Patriarcha Jacob, industria scilicet & labore, quo serviit Labano. Ita enim ait Genesis 32. *In baculo meo transivi Iordanem istum & nunc cum duabus turmis regredior* pecorum scilicet & filiorum. Quin imo jubemur omnes talenta nobis credita duplicare & augere nostrâ industriâ, nisi cum servo illo pigro ejici velimus.

II. *Respexit in cœlum*, ut habet Lucas, Marcus & Matthæus. Idem faciat, qui saturari vult. Si enim videt labores suos irritos esse aut victui comparando insufficientes, nec aliud humanum præsidium reperit, tum oculos in cœlum tollat, & ad Deum confugiat, omnem suam fiduciam in eo reponendo. Docet hoc inprimis Josaphat Rex pius, qui hostium insidiis circumventus, cum humanis viribus resistere non posset, ita oravit ad Dominum: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* secundo Paralippomenon vigesimo. Hac viâ auxit rem familiarem vidua illa 4. Regum 4. quæ cum non posset satisfacere creditoribus suis, & in periculo esset, ne tollerentur ei duo filij ad serviendum illis, suam necessitatem Elisæo exposuit, opem ejus implorans. Ille nihil diffisus quærit, quid in domo habeat; Ipsa, *non nisi parum olei,* ait, *quo ungar,* hoc est, quantum sufficeret unctioni vultûs. Itaque jussit eam Propheta petere vasa mutua, & ex modico illo oleo fundere in illa: quo facto omnia impleta sunt, nec prius stetit oleum, quam vascula deficerent; quasi plura adhuc impleturum, si plura superfuissent. Potuit hoc stupendum olei augmentum impetrare mulier à Prophetâ, constituta in necessitate; quid non poterimus nos Christiani impetrare à Deo, si pari cum fiducia ad ipsum recurramus? Alia plurima passim in historiis Sanctorum reperiuntur hujus providentiæ ostenta, quibus Deus servis suis in summâ necessitate constitutis, & in servitio ejus detentis miro modo succurrit, ut in vitâ sancti Joannis Eleemosynarij, in vita sancti Benedicti, Dominici, Francisci & Catharinæ Senensis, Ignatii sancti Patris nostri, Josephi Anchietæ &c. Unum id refero, quod Germanis in proverbio, non tamen omnibus perspectum est, de lagenulâ sancti Othmari Abbatis Sangaliensis (S. Othmars Lagele) Cum enim Sancti defuncti corpus fratres ejus undecim ad Monasterium per Rhenum transferrent, & *ex nimia remigandi instantia fessi adveniente refectionis hora, ad recuperandas alimento corporeo vires laudibus Domini præmissis consedissent, tandemque fœlici convivio intermisceri potus solatii commonerent, unus ministrorum intulit, nil ibi jam potuum superesse, præter quod in flascone parvo servabatur, unde vix unicuique quippiam ad gustandum potius quam ad bibendum præberi potuisset. Illi vero miraculorum Domini, quomodo paucis panibus multitudinem hominum paverit numerosam facientes mentionem, ex eodem parvo, quod habebant, cunctis qui aderant, cum charitate distribui fecerunt. Et mirum in modum cœpit in eodem vasculo liquoris haustus crescere, ut continua effusione nihil minui videretur, quoadusque bibentes poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei novitate obstupefacti, largitori omnium bonorum Domino, qui eis tam mirabiliter sufficientem præbuit haustum debitas gratiarum actiones cum laudibus persolverunt.*

III. *Si Dei receptis beneficiis gratias agant.*

III *Gratias egit* Optimum hoc medium Dei in nos beneficia continuo fluxu conservandi, imo & augendi est, si ipsi pro acceptis gratias semper agamus, sic nunquam egebimus, ac proinde satiabimur. *Mensa namque ab oratione sumens initium, & in orationem desinens nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis*

bis afferret bona, ait D. Chrysostomus ho. ad pop. Idē ostendit similitudine deducta à ludo pilæ, alibi. (apud Corn. à Lap. & Salazar in cap. 16. Prov. v 3.) *Opera nostra bona*, inquit. *in Deum referre debemus, quemadmodū in sphæræ ludo jacit unus, alter vero refert pilam, tamdiuq; eleganter ludus producitur, quamdiu inter utriusq; manus jacta & reciproca sphæra non excidit.* Eò videtur respexisse Sapiens Proverb. 16. cum ait: *Revela Domino opera tua & dirigenter cogitationes tuæ* Hebr. *Volve ad Dominum opera tua & firmabuntur cogitationes tuæ.* quasi dicat, opera tua Domino accepta refer, & stabiliet te. Ita lusit Joseph cum suis fratribus quando pretium frumenti ab eis acceptum iterum clam reposuit in saccos eorum, quia cum esset ditissimus, eo non egebat; & dando potius eis, quam accipiendo delectabatur Gen. 42. ita lusit Eva, quæ cum primum filium obtinuisset, Deo acceptum retulit dicens: *Possedi hominem per Deum*; & appellavit eum *Cain*, h.e. *possessio*. Ergo rursus, quasi in mercedem gratitudinis, peperit filium Abelem. In quem locum S. Chrysostomus homil. 18. in Genes. *Quia*, inquit, *pro nato puero grata fuit & prius beneficium agnovit, assecuta est aliud. Talis est Dominus noster, quando inprimis gratitudinem declaramus, largius nobis sua dona erogat.* Ita lusit Anna conjux Elcanæ, quæ ubi acceptum à Deo Filium appellavit *Samuelem* h.e. *à Deo datum*, in gratiarum actionem, ipsique redonavit: meruit pro eo quinque alias proles accipere, tres filios & duas filias 1. Reg. 2. Ita lusit Rachel, quæ nacta a Deo Filium vocavit eum Joseph. h.e. augmentum, dicens: *Addat mihi Dominus semen aliud* Gen. 30. quod & factum. Eandem remunerationem non dubitavit S. Hieronymus in epist. ad Lætam, ipsi promittere, quod filiam suam Paulam Deo consecrasset: *Fidens loquor, ac, accepturam te filios, quæ primum fœtū Domino reddidisti.* Par ratio de aliis bonis ad vitam corporis & animæ spectantibus. Multis abundaremus, paucis egeremus, si grati semper Deo pro acceptis bonis essemus; ut enim ingratus exsiccat, ita gratus inundat fontem misericordiæ.

IV. *Si Dei beneficia laudent, quantumvis modica.*

IV. *Benedixit* quinque panes (quod addunt tres alii Evangelistæ.) Satiari enim poterit, qui benedixerit panem sibi à Deo missum, tametsi nigrum, rancidum & insipidum. Si enim laudes Dei beneficium, quantumvis appareat modicum, eà ipsa laude & benedictione tua impetrabis alia plurima & majora. Experimur id in cauponibus, Italiæ præsertim. Si quis enim primum, quod apponunt vinum licet vile & ignobile commendet velut gratum & excellens, permovebit hospitem, ut aliud & aliud præstantius apponat: quod experientia compertum. E contra si quis id vituperet; non modo non excellentius, sed vilius semper afferri sibi experietur. Nescio quo jure faciant id caupones, qui vina sua pretio vendunt. scio tamen DEUM, qui dona sua gratis dat, facere id posse jure meritissimo, & vero id consuevisse. Id videre est in Isaaco Gen. 26. Hic enim cum in Palæstinâ puteum fodisset, quo sine contentione frui in pace poterat, Deo laudem dans, appellavit eum, *latitudinem* seu *latifundium* (ut exponit S. Chrysostomus,) dicens: *Nunc dilatavit nos Dominus & fecit crescere super terram.* Post hæc ascendens in Bersabee, iterum reperit alium puteum priore meliorem, & appellavit eum *Bersabee*, h.e. *puteum saturitatis*, seu, ut vertit noster interpres, *abundantiam*. Idem accidit Davidi, qui cum laudasset DEUM ob suam in regium thronū provectionem: *Quis ego sum, Domine Deus, quia adduxisti me huc usque &c.* 2. Reg. 7. *Factum est post hæc*, completa scil. illa Davidis oratione) *percussit David Philisthym & humiliavit eos.* Percussit & Moab, percussit Adarezer, omnesque Israelis hostes mira celeritate debellavit & quidquid spectabat ad possessionem Israelis, acquisivit, quod nullus ante ipsum efficere potuit; itaque pacatum reddidit totum regnum suum, ut habetur c. 8. seq. Job quoque quia pro acido tribulationis vino Deum benedixit: *Sit nomen Domini benedictum*; meruit omnia bona sua perdita in duplo recipere.

V. *Fregit*, ut habent cæteri Evangelistæ, & in ipsa fractione panes multiplicavit: volens interim insinuare, parce & moderate cibum sumendum, ut pluribus sufficiat. Duo tantum fercula panes & pisces apposuit, eosque non integros, sed in frusta divisos; effecit, tamē benedictione Domini, ut omnes satiarentur. Multi possent saturi esse; imò abundare & multiplicare victum suum, si vellent temperantes esse, & victum non superfluum sed necessarium sibi & familiæ suæ admetiri: quo modo Deus Hebræis in deserto singulis familiis suum manna gomor præscripsit, ita omnibus sufficiens, ut nemo egeret, nemo abundaret. Idem faciunt navigantes, cum in alto mari detenti annonæ defectu laborare incipiunt: & milites in obsidione: singulis enim suas admetiuntur mensuras, quò diutius perdurent. Citius satiatur stomachus, quam appetitus. Agesilaus Lacedæmoniorum Dux, si cōviviis suis modicum præparasset vinum, cui ctis id ex æquo jussit distribui: sic omnes satiavit. Laert. l. 2. *Philippum Regem Macedonum rure quispiam invitarat ad cœnam, paucos habere secum comites opinatus: cum autem modicè apparatam ad cænam Philippus plures adduceret, perturbabatur: quod ut sensit Philippus, ad singulos amicorum submisit, qui moneret, ut locum placentæ relinquerent: ita amicis obtemperantibus placentamque exspectantibus, ac ideo parcius vescentibus appositis cibis, omnibus cœna ea suffecit. Sic ergo præparare nos debemus ad necessarias istas invitationes, ut obsonio, bellariis locū relinquamus in corpore, novumq; ad ea & paratum adferamus appetitum.* Ita scribit Plutarchus Tr. de tuenda valetudine. Sic nimirum, si moderate vesceremur, æquè saturi & magis sani è mensa surgeremus, victus quotidianus vix unquam nos deficeret, & postremo grande meritum, quæ ultima, quam expectamus, placenta est, de quo Psalm. 16. ait Psalmista: *Satiabor cum apperuerit gloria tua*) nobis acquireremus. Quia verò multi uno prandio multorum dierum labores devorant, quid mirum si post fameant, & raro saturentur.

VI. *Distribuit discumbentibus*, ut ait Joannes. Præ-

clarum etiam hoc medium comparandi ſibi victum ad ſaturitatem, ſua diſtribuere vel ſaltem communicare eſurientibus. Id promittit expreſsè Apoſtolus 2. Cor. 9. illis verbis: *Qui ſeminat in benedictionibus* (eleemoſynam) *de benedictionibus & metet*. Et mox: *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandũ præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrũ.* h.e. bona temporalia: *Sicut enim ſemen*, ait S. Baſil. hom. 13 de eleëmoſynâ, *in terã jactum fructum fert centuplum: ita & eleemoſyna data pauperi. Si ergo unus tantùm tibi ſit panis & ad fores rogatur, deprome illũ & tollens manus in cœlum dic: De modico do fratri & tu Domine da mihi periclitanti: ne dubita, quia panis, quẽ in hac dabis penuria, agriculturæ, ſemen ad copiã miniſtrabit.* Sic ille idem S. Baſilius hom. 6. ait: *Dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti: quod dediſti ad te cum auctario revertetur; quemadmodum enim frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit; ſic & panis in eſurientẽ projectus multam in poſterum tibi reddet utilitatem.* Hæc Baſilius. Oſtendit hoc inprimis vidua illa, quæ non habens niſi puſillum farinæ, cum eam tempore famis eſurienti impendiſſet Eliæ, non defecit ejus hydria farinæ, donec fames datâ pluviâ ſublata eſſet 3. Reg. 17. Oſtendit Eliſæus, qui cum 20. panes ſibi allatos diſtribui & apponi juſſiſſet populo, centum viros pavit, & ſuperfuit 4. Reg. 4. Similia non ſemel exhibuit eaque cumulata beneficia largus in pauperes, ut B. Ludvvinæ, virgini Hollandicæ, quæ cum eſſet pauper, ſtudiosè tamen egenis ſuccurrebat, cumque paucos in burſâ haberet nummos, dum eos liberaliter erogabat, aſſiduè alii cælitus ei ſubrogabantur; ita ut nunquam deficerent, ſed creſcerent potius, ideoque *burſa Ieſus* appellata fuerit, Sur. in vita. Hadrianus II. PP. adhuc privatus exiſtens Sergio II. Pontifici familiaris fuit. A quo cũ aliquãdo denarios quadragin a dono accepiſſet, domum rediens Diſpenſatori mandavit, ut eos peregrinis & pauperibus, qui in veſtibulo domûs ſuæ ſtabant erogaret. Facere ille mandata conatus, cum videret, ne minimæ quidem parti tantulâ re ſatisfieri poſſe ad Hadrianum rediens, rem ipſam expoſuit. Tum Hadrianus acceptâ pecuniâ ad pauperes veniens & ternos denarios ſingulis præſtitit & totidem ſibi, rei familiari ſatisfacturus, reſervavit, attonito diſpenſatore miraculo rei. Cui Hadrianus: *Vides*, inquit, *quàm benignus & largus ſit Dominus, his præſertim qui liberales ſunt in pauperes? Platina & S. Antonius Titul. 6 c. 1. §. 10.* Aliud præclarum hujus benedictionis exemplum habetur in vitâ B. Jordani, apud Sur. 13. Febr. num. 6.

Videmus igitur non deeſſe nobis modos ac rationes multiplicandi panes, aliaque Dei beneficia. Diſcitote ergo lucroſum hoc artificium, nec difficile videatur vobis exercere illud. Quis enim non poteſt laborare & labores ſuos Deo offerre? vel ſi quis laborare nequit, quomodo non poteſt orare? quis non Deo gratias agere pro acceptis beneficiis? quis ea non laudare? quis non temperanter vivere? quis non aliquid ſaltem in egenos diſtribuere? Sic fit multiplicatio.

THEMA IV.

Unde lætandum ſit Chriſtiano.

I. Quod ſimus membra Eccleſiæ Catholicæ.
II. Quod ſimus adhuc in ſtatu merendi.
III. Quia tribulationes noſtræ præſentes, ſemen ſunt gloriæ.
IV. Quod bonam habeat conſcientiam.
V. Quod ſperemus beatam Reſurrectionem.

Lætare Jeruſalem. Introitus hodiernæ Miſſæ.

NOſſe vos arbitror, quod Tob. 5. legimus Tobiam ſeniorem in cæcitate ſuâ ſalutatum eſſe à Raphaele verbis illis: *Gaudium tibi ſit ſemper* eique reſpondiſſe: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo & lumen cœli non video?* Raphaelem imitatur hodie Eccleſia, quæ filios ſuos ſolatura ſalutat illâ voce, quâ & officium miſſæ inchoat: *Lætare Ieruſalem*, h. e. cives Eccleſiæ militantes. Sed quale gaudium nobis, reſpondebunt aliqui, tempore jejunii? tempore pœnitentiæ? quale gaudium nobis, qui in hac lachrymarum valle, & in tenebris ſedemus, nec lumen cœleſtis beatitudinis videmus? Verùm iſti ſciant inprimis, gaudium noſtrum in hoc ſæculo non eſſe carnale ſed ſpirituale: quod ſolum eſt verum ac ſolidum: non ſecus ac Pilato Chriſtus dixit, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Deinde reperiri etiam gaudium in Eccleſia militante, non in ſola Triumphante. Et hoc ipſum eſt, ad quod hortatur nos Eccleſia die hodierna; quod nunc intelligemus. *Lætari etiam in Quadrageſimâ poſſumus.*

Quinque *Lætare* invenio in SS. literis, quæ nos excitare ad lætitiam ſpiritualem poſſunt, imo etiam debent.

I. Primùm ad Galatas 4. ait Apoſtolus: *Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filii deſertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Alloquitur Apoſtolus Eccleſiam noſtram, collectam ex gentibus, quæ olim ſub gentiliſmo erat ſterilis, nullos habens fideles adeoque electos: nunc autem per Chriſtum adeo fœcundata eſt, ut longè plures habeat filios ſpirituales Deo charos, quam olim habuerit Synagoga. Magna ſanè nobis hæc lætitiæ cauſa eſt, quod ſimus in Eccleſiâ Chriſtiana, eaque Catholicâ, in quâ tot ſalutis ſunt præſidia & hortamenta, tot ſanctorum patrocinia, tot piorum exempla, quæ etiam faciunt nobis ſpem non levem, majorem ſaltem partem fidelium fore ſalvam. Ad quid enim alioquin toties ad lætitiam excitat nos ſcriptura S. ob præſentiam Salvatoris noſtri jam incarnati, ſi poſt ejus adventum non plures multo beãdi forent, quam priùs bearentur? Si enim Princeps noſter denunciaret nobis feſtivum & ſolenne gau- *I. Quod ſimus membra Eccleſiæ Catholicæ.*

 dium,

dium, eò quod brevi ſuâ nos præſentiâ dignari & exhilarare vellet; poſteà urbem ingreſſus, pleroſque duci ad ſupplicia juberet, quæ hîc lætitia foret? Nos in arca Noë ſumus, ubi nemo perit, niſi qui ex arcâ temerè & ſtultè præcipitare ſe in aquas velit. Cogitate quantâ cum lætitiâ, tametſi non abſque Sancto pavore aliquo, octo illæ animæ natârint in arcâ, videntes alios, qui foris erant, circumcirca ſubmergi. Doleant & ululent, qui ex arcâ Eccleſiæ ſtultè exſcenderunt, & malè compactæ hæreſeos naviculæ ſeſe crediderunt, Quemadmodum enim nulla alia navis, tametſi abſque dubio plurimæ paſſim aliæ in diluvio natabant & homines alios vehebant, incolumis evaſit: quia à Noë fabricatæ & gubernatæ non erant: ita præter Eccleſiam Catholicam nulla alia ſalutem ſperet; quia à Chriſto erectæ & directæ non ſunt. Quàm putamus lætatos fuiſſe eos, qui in domo Rahab ſecuri de vitâ & ſalute habitârunt, quando Joſue urbem Jericho vaſtavit in ore gladii! Nos in hac domo ſumus, extra quam non eſt ſalus. Gemant illi, qui foris ſunt, Turcæ & Judæi, & qui eam deſeruerunt, Hæretici. Ac licet in domo iſtâ quoque pereant nonnulli, quia ſe hoſtili exponunt gladio, eorum tamen numerum pauciorem numero electorum fore, ſuadet præter alia multa magiſtra experientia, quæ oſtendit pleroſque in articulo mortis ſaltem expiari, expiatoſque hinc diſcedere. Ita ex Sylveſtro Suarez de Deo trino & uno l 6 c.3. Nihilominùs tamen ſicut Noë cum familiâ ſuâ non abſque timore ferebatur in arcâ, ut quæ omni gubernaculo, remis & velis deſtituta erat, ne fortè ipſe à Deo ob peccatum aliquod deſtitueretur: ita decet nos in timore incolatûs noſtri tempore converſari; ne fortè ſimus ex paucioribus, qui peribunt; ſcimus enim & ex octo illis, qui in arcâ Noë fuerunt, unum poſtea maledictum fuiſſe, qui patri illuſerat, Cham videlicet Gen.9.

II. *Quod ſimus adhuc in ſtatu merendi.*

II. Deut. 33 ubi Moyſes moriturus benedixit tribum Zabulon & Iſſachar, his verbis: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis.* Prævidit enim in ſpiritu has duas tribus valde ditandas ex terræ ſibi obventuræ commoditate: Zabulon ex navigatione & mercimoniis, quia in littore maris habitabat in ſtatione navium, Geneſ.49. h.e. juxta mare Tiberiadis & Mediterraneum: Iſſachar vero ex agriculturâ in terrâ optimâ, vini, frumenti, & olei fertiliſſima; ideoque ſuppoſituram humeros velut aſinum fortem ad ferenda onera ruſtica. Ait igitur: *Lætare Zabulon*, quia ex mari per mercimonia: *Iſſachar*, quia ex fœcundâ & amœnâ terrâ per agriculturam, parare tibi magnas poteris divitias. Magis autem videtur reſpexiſſe Moyſes ad ſpirituales opes tempore Chriſti comparandas; quia in tribu Zabulon erat Nazareth, mons Thabor, civitas Capharnaum, in quibus Chriſtus educatus, transfiguratus, concionatus eſt & mira patravit. Multo adhuc veriùs ſpectat hoc *Lætare* ad nos Chriſtianos, quia verſamur nunc in terrâ fertiliſſimâ cœleſtium bonorum, habitamus in emporio & ad mare gratiarum, ubi emittere ad cœlum naves noſtras poſſumus, meritorum theſauris onuſtas, quas hîc implere licet, ſi bene operari velimus & humeros ſupponere. S. Auguſtinus l.13. de Civit. c.3. ſcribit, quendam hiſtrionem in frequenti foro theatrum conſcendiſſe ac dixiſſe, ſe omnium quotquot in foro adeſſent, cogitationes ac vota ſcire atque enũciare velle. Omnibus igitur avidè exſpectãtibus clamavit: *Vultis caro pretio vendere, vili vultis emere. hæc omnium veſtrûm mens eſt.* Non dubium quin veſtrum quoque Auditores, commune hoc ſit votum & deſiderium. Atqui nunc & tempus & locum habetis, ubi caro pretio vendere & vili poteſtis emere: parvâ eleëmoſynâ peccata veſtra redimere, & theſaurum in cœlis comparare; idem dico de aliis bonis operibus. Remittite injurias veſtras exiguas, & remittet vobis DEus immania veſtra debita. Da potum aut cibum inimico tuo, Deus dabit tibi menſam regni ſui ſemper in omnem æternitatem. Videre eſt in nundinis majorem quandam lætitiam inter homines quàm aliis temporibus: audiuntur paſſim ſymphoniæ & inſtrumenta muſica, confluunt undique advenæ, bibunt, epulantur, multi ebrii diſcedunt, omnes lucrum aliquod captant aut expectant, gaudent libertate dum vexillum aut pertica, libertatis index erecta eſt. Quid ni lætemur & nos in nundinis ſpiritualibus? *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies ſalutis:* clamat Apoſtolus 2. Cor. 6. *Acceptabile* h. e. omni gaudio acceptandum, quia quidquid olim in paradiſo perdidimus nunc recuperare & longè plura poſſumus, pretio non tam noſtro quàm alieno ſanguinis Chriſti. *Quare negligitis?* (ait Jacob fame preſſus ad filios) *Audivi quod triticum vanundetur in Ægypto: deſcendite & emite nobis neceſſaria, ut vivere poſſimus & non conſumamur inopia* Gen.42. Non eſt nobis neceſſe deſcendere in Ægyptum, tam longo itinere: præ foribus noſtris occaſio emendi eſt. Cogitate quã gauderent inferi, imo & animæ purgantes, ſaltem pleræque, ſi permitterentur egredi ad has nundinas, ut redimere poſſent pœnas ſuas & dies illos malos, quos jam agunt? In vitâ B Ægidii Minoritæ, ſocii S. Franciſci, refert Sur. 23 Apr. eum aliquando in ſpiritu elevatum exclamaſſe: *O vos inferi dicite mihi, quid parati eſtis facere pœnitentiæ, quò poſſetis redire in Dei gratiã?* Et reſpondit ipſorum nomine: *Libenter totam orbis terrarũ humum ſenſim effodiendo egeremus, ſi poſſemus evadere pœnas iſtas, non habituras finem* Nihil verius,

III. Tertium Zachariæ cap. 2. *Lætare filia Sion, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Loquitur hoc Propheta ad populum Hebræorum in tribulatione magna poſitum, videlicet in captivitate Babylonicâ exulantem. Et quomodo ille populus lætari in captivitate queat? quale gaudium ei nunciat Propheta? quod videlicet exacto captivitatis tempore rediturus ſit in patriam ſuam, reſtauraturus quoque templum & civitatem Jeroſolymam majore & auguſtiore forma. Eadem quoque nobis cauſa lætandi eſt, cùm in tribulatione ſumus; *quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fle-*

& fletum exultationem infundis, ait Tobias c.3. Videmus agricolas, dum arant & ſerunt: fabros ferrarios & ſerrarios ſummo manè inter labores ſuos hilariter cantare, tametſi ad tempus expectare meſſem & mercedem habeant nec omnino de eà certi ſint; fallit enim interdum ſperata meſſis, fallit ſubinde & expectata merces. Nec unquam audivi lamentantem opificem, quod nimiis obruatur expediendis laboribus, v.g. ſartores, quod multæ nimis veſtes conficiendæ ſibi offerantur: vel agricolas, quod nimis multas habeant vineas aut agros colendos; imo hoc ſuum lucrum & divitias jure merito arbitrantur. Jam vero tribulationes quid niſi ſemen & lucri materia ſunt? quid niſi vineæ & agri? Ferent enim ingentem tibi in cœlo fructum. Idcirco S. Jacobus Apoſtolus ad fideles in diſperſione & tribulatione poſitos ſcribens ita orditur: *Omne gaudium exiſtimate fratres cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. patientia autem opus perfectum habet.* c.1. En patere ſolùm, quæ offertur tibi, tribulationem, & opus perfectum habes; quod ſi opus tibi creditum perfectum habes, ſicut ſartor veſtes jam confectas, quid niſi merces tibi ſupereſt? Didicit hoc Jacobus à Chriſto qui dixit: *Beati eritis cùm vos oderint homines*, &c. *gaudete in illa die* (qua ſcilicet perſecutiones patiemini) *& exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo* Luc.6. Athenais Leontii Athenienſis filia, formâ & literaturâ ornatiſſima, à parte exhæredata & poſt à duobus fratribus paternâ domo ejecta eſt. Quam ob cauſam abiit Conſtantinopolim, ut de injuria ſibi factâ quereretur Imperatori. Interim Theodoſius junior Imp. intellectis ejus dotibus & illatâ ipſi injuriâ, eam ſibi in conjugem delegit, fecitque Imperatricem, Eudociamque appellavit; quæ poſteà fratribus ſuis maximas egit gratias, imò contulit Magiſtratus, quod ſe domo expuliſſent; ſiquidem per hoc ad regni ſolium aſcenderit, quo alioquin totâ vitâ ſuâ nunquam perveniſſet; Refer Cuſpinianus in Theodoſio. Tribulationes nobis hujuſmodi gradus ſunt ad cœleſtis regni thronum: igitur & Deo gratias agamus, cum eas nobis immittit; illæ enim rectà dirigunt nos ad Deum, & dum in anguſtiis poſiti ad eum confugimus, majora dona accipimus quàm prius perdiderimus.

IV. Quartum Sophoniæ cap.3. *Lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Abſtulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio tui: non timebis malum ultrà.* Conſolatur his verbis Propheta Eccleſiã ejuſq; filios juſtos, quos gaudere jubet quod remiſerit eis peccata, quibus judicium & pœnas fuerant commeriti: inſuper abſtulerit ab eis jugum Dæmonis: jamque Chriſtus in illorum cordibus habitet; & ita nixi conſcientiâ bona non habeant ultrà quod timeant. Tangit hoc *Lætare* bonam conſcientiam, quæ ingerit homini teſtimonium expulſi Dæmonis ac peccati, & inhabitantis in ſe Chriſti per divinam gratiam; unde jam nihil timet; imo cœlum quaſi in terra habet, quia Chriſtum in corde ſuo & cum eò omnia. Ita enim ſanctus Ambroſius libro ſecundo Offic. cap.1. ait: *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conſcientiæ & ſecuritas innocentiæ.* Coſroas Perſarum Rex divinos ſibi honores arrogans, ut in terra cœlum ſibi aliquod fabricaret, turrim argenteam ſibi extruxit, illuceſcentibus lapillis exornatam: Solem quoque & Lunam cum ſtellarum varietate confinxit, conſtruxitque thronum, demiſſos hinc inde imbres, & tonitrua fulminaque mentitus. Rex ipſe in throno ſedebat, radios ſuper caput intuens, ſub pedibus ſtrepitum & colliſionem quaſi tonitrua audiens teſte Cedreno in compend. hiſt. & Bonfinio lib.8. Dec.1. Sed vaniſſimi Regis vaniſſimum hoc cœlum fuit. Quod ſi ergo cœli aliqua ſpecies in hac vitâ haberi poteſt, in bonâ conſcientiâ poteſt. Ibi enim Deus eſt, quem nemo ipſi auferre, nemo intervertere, ſemper homo adire omniaque impetrare poteſt. Ibi videt ſupra ſe lumina cœleſtia, quæ oſtendunt ipſi Deum, & quæ in cœlo bona ſunt: infra ſe vero contemnit omnes tumultus ſæculi, omneſque hoſtes ſuos deridet. Bene igitur Eccleſiaſticus c.30. dixit: *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium*; in terris videlicet; quia cœleſtis gaudii eſt ſpecimen. Et Sapiens Proverb.15. *Secura mens quaſi juge convivium.* Quis autem neſcit in conviviis adhiberi omnis generis oblectamenta? At convivia brevi durant: convivium bonæ cõſcientiæ juge & perenne eſt.

V. Quintum Joelis c.2. *Exulta & lætare; quoniam magnificavit Dominus ut faceret.* Quaſi dicat quia magna faciet tibi DEUS. Quibus verbis promittit Deus Hebræis poſt reditum è Babylone omnem proſperitatem & abundantiam frugium, quibus prius ad tempus privati fuerant. Unde ſequitur: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo & eruca*, &c. Sed quomodo reddet fruges jam à vermibus comeſtas. In reſurrectione, quando corpora, membra ac ſenſus, & quidquid per mortem perditum fuit, cum fænore reſtituet. Hinc prodit gaudium noſtrum omnium maximum. Quis enim non gaudeat ſi nôrit theſaurum, qui ſibi aufertur, brevi reſtituendum in centuplum? Romanus quidam Trapezites, primis urbis proceribus convivio exceptis, magnificum exhibiturus ſpectaculum, quoties nova menſa apponebatur, toties priorem cum omnibus vaſis argenteis è feneſtra in præterfluentem Tiberim projici juſſi. Ut quid hæc perditio? dices, ſed audi. Rete prius latiſſimum Tiberino in flumine expandit, quod omnem illum menſæ apparatum projectum excepit, & poſtea retractum domino ſuo reſtituit. Quid huic rei ſimilius quàm carnis reſurrectio? Ea enim refundet & quidem magno fænore, quidquid hîc amittimus. Atque huc potiſſimum reſpicit Eccleſia in hod. *Lætare.* In cujus rei indicium & piorum conſolationem ſolet hac die Summus Pontifex benedicere Roſam auream, muſco & balſamo imbutam, & pro munere ſpirituali tranſmittere magno alicui Principi. hanc cum Alexander

V. Quod ſperemus beatam reſurrectionem.

Papa III. an. 1177. ut Baronius refert, mitteret Francorum Regi, exposuit in adjectis litteris mysterium hujus Rosæ; asserens aurum Rosæ designare Regem nostrum Christum, cujus opes cœlestes ac divinitatem etiam tres Magi auro oblato indicârunt: Ruborem, quo tingi solet Rosa illa, significare passionem Christi & sanguinem, quo redempti sumus; odorem verò, quo ex musco & balsamo imbuta est, resurrectionis gloriam, quæ velut odor amœnissimus totum aspersit ac pervasit orbem adeoque ad Christum attraxit, ut omnes terræ Principes currerent in odorem unguentorum ejus. Pervenit quoque ad nos odor iste, unde currimus & ipsi in spem istius resurrectionis; exultemus igitur & lætemur; quia prope terminum sumus.

Video tamen non paucos ab hoc cursu impediri ac retineri per aliud quoddam *Lætare*, quod exhibet Ecclesiastes c. 11. *Lætare juvenis in adolescentiâ tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ & ambula in viis cordis tui.* Cui simile est alterum, quod habet Jeremias Thre. 4. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Vult dicere: Gaudete jam Idumæi ob spolia & prædas, quas vobis rapuistis, dum unà cum Chaldæis Jerosolymam evertistis. Verùm hoc *Lætare* magno nimis constat. Priori enim *Lætare* addit Ecclesiastes: *Et scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium* Posteriori vero Jeremias: *Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atq; nudaberis.* Calix nimirum furoris divini, quo impleberis & velut ebrius tu quoque spoliaberis. Hic finis, hæc coronis mundani illius *Lætare* est; quod nemo, nisi insanus quæret. Vult ergo dicere Salomon & Jeremias: Non lætare, non gaude; quia hanc lætitiam caro nimis pretio solves: postquam hujus gaudii extrema luctus occupabit. Cùm Massilienses peste laborarent, unus è pauperibus sese offerebat alendum anno integro cibis optimis & deliciis variis, quascunque optaret. Finito anno coronis & sacris vestibus ornatus circumducebatur per urbem cum innumeris execrationibus & imprecationibus; postea mactabatur, vel in aquas demergendus projiciebatur, ut suâ morte expiaret civitatem. Refert Corn. in 1. Cor. 4. Quis quæso hujus pauperis personam sustinere vellet? quis ita insaniret? Eum tamen imitantur, quotquot mundi *Lætare* per annum quasi unum, hujus scilicet vitæ curriculum, stultè amplectuntur; qui, ubi in deliciis paucos dies egerint: ad finem cum mille execrationibus ducuntur ad macellum & projiciuntur in infernum. Nostrum ergo *Lætare* non sit de hoc mundo: sed de Deo, de tribulationibus, de bonâ conscientiâ, de spe gloriæ æternæ.

THEMA V.

Navigium Bacchi, seu ebrietatis mala.

I. In prora est Panthera.
II. In puppi tigris.
III. Hinc inde hedera & musica instrumenta.
IV. In medio canalis vini.
V. Navis ipsa, velis, remis & gubernatore caret.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Joan. 6.

POlyænus lib. 1. scribit de celeberrimo illo bibulorum patrono, Baccho, quod cùm adversus Indos expeditionem faceret, ut à civitatibus in Regem reciperetur, perspicuis ac manifestis armis exercitum non armârit, sed hostes vino inebrians ad saltationem provocârit atque impulerit sicque illorum dominus & Rex evaserit. Astutia hæc Dæmonis est; qui cùm manifestis insidiis homines sibi subjicere nequit, tentat vinolentiâ. Et si aliàs unquam, certè hoc tempore, quasi defectus ciborum compensari debeat potatione & ebrietate. Non ita Christus Dominus in hod. Evangel. qui navim conscendit & trajicit in desertum, ubi maximæ hominum multitudini non sanè vinum offert, sed esuriales potiùs cibos, panem & paucos pisces in potum non nisi aquam ex proximis rivis aut fontibus. Et nihilominus id obtinet, ut in Regem eligendus tantum non rapiatur; raptuique fuisset, nisi fugâ gloriam hanc declinasset. Itaque longè alia hæc est navigatio Christi à navigatione Bacchi. Quod ut melius videamus, navim & mores Bacchi videamus.

Philostrato auctore apud Carnead. lib. 3. de imag. Bacchum conviviorum præsidem navigio vehi finxerunt, in cujus prorâ panthera, in puppi tigris, hinc inde hederæ, & musica instrumenta, in medio canalis vino æstuans; nulli in navigio remi, nullum velum, gubernator nullus. Sic nimirum navigatur, ubi naufragia sunt virtutis & morum corruptelæ.

I. In prorâ erat Panthera 1. quia vini amantissimum animal, unde à vinosis fontibus dicitur disponere canales usque ad cubile suum, nec ferè, nisi ebriæ capiuntur. Pier. l. 11. Quid aliud ebriosus, qui meliora vina perquirit & ad se è variis cellariis derivat, uti notus ille Germanus, qui in Italiam proficiscens, famulum præmisit, qui meliora in hospitiis vina investigaret, & domui inscriberet verbum; *Est.* Sed miseri hoc laqueo facilè citoque capiuntur, mente & corpore, vitaque longiore se spoliant. Quod expertus Amnon, Balsasar, Holofernes, Alexander M. Simon Dux, Attila, aliique innumeri: qui in temulentiâ vel occisi sunt, vel aliter perierunt. Dalila Samsonem, quem nullis aliis blanditiis vincere poterat ad indicandum sibi arcanum, tandem vino sopitum (*bene potum*, ait Josephus) vicit, ut scribit idem

idem Josephus lib. 5. cap. 10. consentit S. Ambrosius epist. 70. S. Basilius orat. 2. de jejun.

2. Quia Panthera divinam hominis effigiem detestatur & oblatam lacerat. De quo sic scribit S. Basilius orat. 10. de invidiâ & odio *Pantheræ naturalem quandam habent adversus hominem iram, & solent vel maximè in oculos insilire. Hinc qui insanæ illi bestiæ illudunt, ex chartâ imaginem quasi hominem ipsi ostentant: illa verò nimio impetu ac nulla consideratione factâ esse hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atq; hinc quanto sit in hominem odio ostendit.* Ebrietas hæc bestia est, homini maximè infensa, & oculos rationis eruens: adeoque imaginem Dei in eo dilanians ac disperdens. Unde Isa. 28. dicitur: *Absorpti sunt à vino, erraverunt præ ebrietate, nescierunt videntem.* Hebræ. *hallucinati sunt videndo.* Post hæc uti Sampson erutis oculis velut asinus molam vertere coactus est: ita qui ebrietate cæcati sunt, in varias bestialitates facile præcipitantur; ut ille, de quo S. Augustinus ser. 33. ad fratres in Eremo: *Accidit hodie terribilis casus. Ecce præclarissimus civis noster Cyrillus filium habebat, qui hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem.* Ita nimirum iste vino excæcatus fuit, ut suos parentes & sorores non agnosceret.

3. Panthera occultam odoris suavitatem olet, gratam cæteris feris; quare ferociam spirans caput sub frondibus abscondit, sicque latens hinnulos, capreas & capras sylvestres aliaque animalia, odoris sui illecebrâ ad se trahit, accedentes verò è latebrâ exsiliens corripit ac comprehendit. Ælian. de animalibus lib. 4. cap. 40. Sic omnino ebriositas delicias & voluptates præ se fert, iisque velut illecebris allectos in societatem plures trahit, tumque in eos rabiem suam exserit. Unde S. Basilius hom. contra ebrietatem ait: *Vocas ad cœnam amicum, postea ejicis ut cadaver, animâ ejus extinctâ.* Sæpe etiam contingit, ut qui initio compotantes optimè inter se convenerunt, postea inebriati fiant inimici & contendere incipiant, uti Alexander M. & Clytus ab eo interfectus: ut eò quod in convivio Alexandri laudes obtereret, Philippi acta extolleret, Curt. lib. 8.

II. In puppi tigris. 1. quia uti tigres in Brasiliâ famelicæ horribili velocitate sunt, viribusque tremendis, pastæ verò tantâ ignaviâ dicuntur esse, ut à gregariis etiam canibus confestim in fugam agantur, auth. Maffejo in hist. Ind. lib. 2. Ita prorsus ebriosi, ante prandium ac sobrii mirâ sæpè ingenii felicitate mira & magna præstant, ratiocinando, consulendo, disputando, perorando: ast à prandio, ubi bene pasti & poti sunt, prorsus ignavi sunt, facileque Dæmonis præda fiunt, & in gravia peccata impelluntur. Patet in Lotho, qui sobrius quidem legem Dei observavit & vitam etiam inter nefarios Sodomitas duxit inculpatam, vino verò sopitus commisit incestum, & quidem iterato Genes. 19. Patet in Holoferne, qui sobrius terror orbis fuit: & omnes urbes, Principes & Reges provinciarum Nabuchodonosori subjecit: ebrius verò ab unâ muliere proprio gladio occisus est. Unde S. Ambrosius de eleemosyna & jejunio, cap. 13. ait: *Quos mane insignes armis spectaveras, vultu minaces: eosdem etiam vesperi cernes à pueris rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine senectute tremulos.* Qui priùs modesti & consopiti erant, postea impudentes fiunt: qui sobrii Doctores erant, inebriati insaniunt: qui priùs strenui & invicti milites, posteà à puero superari & prosterni possunt: qui priùs venerationi erant, posteà conculcantur & ludibrio fiunt.

2. Tigres suis catulis ita spoliant venatores; quippe sphæras vitreas objiciunt insequentibus matribus: quas illæ intuentes, imagine sui in illis conspectâ deceptæ catulos subesse putant, præsertim dum moventur ab iisdem. Sed cùm pedibus eas frangunt, spe delusæ pergunt insequi venatores: illi autem subinde alias sphæras objectant, donec tutò ad naves vel urbes evadant. Refert S. Ambrosius lib. 6. hexam. cap. 6. Pari modo ebriosis à dæmonibus illuditur. Vitra phalerno plena proponunt ac propinant ebriosis, quorum splendore ac suavitate inescatos detinent, subinde alia & alia pocula propinando: interim eos despoliant gratia, mente, honestate, valetudine, ac bonis penè omnibus. Hinc monet Sapiens Prov. 23. *Ne intuearis vinum quando flavescit cùm splenduerit in vitro color ejus, Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Blandè ingreditur, quia sensim & inadvertenter hominem in peccatum trahit, dum bibens unũ poculum post alterum, dulcedine ejus & societate compotantium illectus, suisque viribus confidens, nescius quasi inebriatur; quod in aliis peccatis non fit. 2.

Talia vitra sunt, quæ describit S. Ambrosius de Elia cap. 17. *Bibamus inquiunt pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit, ô piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate!* Nunquid me sanabit, ait quidam, si ægrotaro, is pro cujus sanitate bibo? Et nonne melius foret cadere in bello pro Imperatore, quàm domi ex vino?

III. Hinc inde hedera (Ephew) & musica instrumenta. Quid hæc? Hedera ab edendo, quasi *edera* dicta, quia muris & arboribus adhærescens, eas exedit & corrodit ac multoties secum ad terram trahit atque prosternit. Nonne & hoc vinum facit: nonne vires bibenti adimit? nonne exhaurit & enervat, ac secum cadere facit? Hinc enim vinum *dolosus luctator* dicitur, *quia primùm pedes capit.* Quid quæso Alexandrum M. tot gentium victorem vicit & in flore juventutis prostravit nisi vinum? *III. Hinc inde hedera & musica instrumenta* 1.

Deinde sicut hedera per se stare nequit, sustentaculo eget, arbore aut muro: ita ebriosi quoque nesciunt stare, vacillant gressu, subitò corruunt: numerare nesciunt, omnia duplicia vident. Unde Amphitryon Rex tunc Baccho tecto delubrum extruxisse dictus est, cùm docuit Thebanos aquâ vinum mixtum bibere: quod tunc nimirum homines minimè titubent, cadantque, teste Athenæo lib. 40. Gymnosoph. Musica verò instrumenta, quid nisi insolentias 2.

& levitates, clamores & cantus ebriorum indicant? Quemadmodum ergò onocrotalus ubi guttur suum, quod uteri speciem refert, implevit voracissima avis, tunc asini vocem (à quo nomen habet) promere, & altum vociferari solet: teste Plinio lib.10.c.47. unde onocrotali Kropffvogel vel Esel lapperle/ id est, *crepitus asini* dicti. Ita ebriosi ubi vino incaluerunt, clamare, cantare, saltare, contendere & pugnare incipiunt. In Hebræis id experti sunt Moyses & Josue Exod.32. Cùm enim populus Hebræorum absente Moyse in monte Sinai, cœpisset epulari & ludere, descendenti de monte Moysi obvius Josue audiens tumultum populi vociferantis ait: *Ululatus pugnæ auditur in castris.* Contrà Moyses: *non est clamor adhortantium neq; vociferatio compellentium ad fugam; sed vocem cantantium ego audio. Cumq; appropinquâsset ad castra, vidit vitulum & choros.* Ecce clamantes bibuli longiùs audiuntur, quam videntur. Deinde clamor eorum est promiscuus & tumultuosus, quasi variarum bestiarum, nescitus an sit pugnantium aut cãtantium: an sit saltus, an funus, an pugna, an Synagoga Judæorum; quia alii jubilant, alii flent, alii contendunt & disputant, alii pugnant. Denique cùm propè quis accedit, non repetit nisi vitulos meros, mero æstuantes.

IV. *In medio canalis vini.*

IV. In medio canalis vino exundans. Nihilnè aliud Bacchus in navi suâ vehit, nisi canalem vini? nihil prorsus. Et quid ebriosus agit, quid in ore, quid in mente gerit nisi vinum? incendium alicubi ortum audivi, cùm omnes vociferarentur: aquam, aquam: restinguendo scilicet incendio: tum ebrius in foro jacens & aquam peti audiens; *mihi verò vinum*, clamat. Sic in personâ ebrii Sapiens Prov.13 ait: *Traxerunt me & ego non sensi. Quando evigilabo & rursus vina reperiam?* Vinum enim amat, vinum somniat, unde evigilare desiderat, ut rursum bibat. In Succiâ septentrionali g..o, animal voracissimũ, capitur. Pellis ejus pretiosissima dormientibus. Sub harum pelliũ tegumentis evenire jacentibus solent somnia, quasi ejus animalis vitæ naturæque conformia, quibus appetunt insatiabiliter vorare, ut scribit Olaus l.18.c.8. Non aliter accidit ebriosis, qui edormitâ crapulâ manè rursum sitiunt. Causa est, quia ut S. Basil. hom. de ebrietate asserit, vinũ utpote calidum, ardores excitat, ardores sitim. Sic Charybdis seu fretum angustum inter Italiam & Siciliam ter in die erigit fluctus & ter absorbet, teste Plinio lib.13.c.18. sic isti bibunt ut vomant, vomunt ut bibant. Talis vini vector & somniator fuit Wenceslaus ille Bohemiæ Rex & Imperator VI. immanis lurco, qui ut Cuspinianus de eo ait, *nihil unquam boni nec fecit nec cogitavit.* Hic enim inter purpuratos suos crebrò dicere solebat: *Ego, si me diripiendis urbibus Italiæ sors præsentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertiar, vini tantum apud me spolia reservabo.* Refert Æn. Sylvius l.2. Comment. in Panorm. Norimbergenses idem à juramento fidelitatis absolvere voluit, si 4. currus onustos vino Bacharacensi ei mitterent. Id ib. De eodem scribit Cromerus l.16. cum ejus arx aliqua incendio conflagrasset, interrogasse solum, an cella etiam vinaria periisset: cætera non curasse. Nihil ergo iste nisi vinum in corde gessit.

Fit etiam ut vinolentiæ nimium assueti parum omninò edere possint, & nihil ferè eis sapiat, nisi vinum: quod solùm semper appetunt, donec hecticâ vel hydrope vel phtisi confecti immaturâ morte pereant. Vinum enim ardores excitat, ardor sitim: sic vitalia comburuntur, ipsiq; exarescunt in ætatis flore.

V. Navis ipsa velis ac remis ipsoque gubernatore destituta erat. Quid hoc nisi quod Sapiens c.23. Prov. ait de ebriosis: *Et eris sicut dormiens in medio maris & quasi sopitus gubernator.* Et quod S. Basilius hom. de ebrietate ait: *Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum, quod non sit securus ebrio?* pro gravissimo supplicio S. aliqui Confessores navigiis impositi sunt, remis, velis ac nautâ destitutis. uti S. Magdalena cum sorore & Maximo S. Quod vult Deus alique. Quod ergo his in supplicium decretum est, hoc ebriosi sponte sibi irrogant; ò insani!

1. Sine remis enim ac remige navigant, quia rationis usu corporisque viribus destituti exponunt se periculis corporis & animæ. Quomodo enim se defendent non dico contra Dæmones; sed vel contra pueros? In quæ scelera impelli non facilè possunt, qui vel armis carent spiritualibus, vel certè uti nequeunt? Scimus Balsasarem in convivio inter pocula à Cyro invasum & enectum ex Dan.5. Addit Xenophon Persas captâ Babylone in regiam irrupisse & Balsasarem districto acinace stantem reperisse ac trucidâsse lib.7. Cyrop. Bene stantem, non pugnantem; quia temulentus qui pugnâsset?

2 Sine navarcho, quia navarchus ebrius, quasi non navarchus est; & *sicut ebrius omnia invertit, sive navim sive currum, sive exercitum, sive quamcunq; rem suæ fidei commissam*, ait Stobæus serm. 16. *sic ebrius quidquid agit evertit.* Taurus est furiosus excusso jugo discurrens; quod notavit sancta illa Anna 1. Reg. 1. quæ cum vinolentiæ argueretur ab Heli. *Ne reputes*, inquit, *ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial*. Belial *absque jugo* exponitur & tales sunt vinolenti; qui nullam legem nullius imperium aut consilium audiunt vel curant.

3. Denique sine velo navigant, hoc est, sine omni pudore & verecundiâ. Scimus enim Noen in ebrietate nudatum & à filio derisum: quod viro alioquin sancto contingere permisit Deus, non ut illius exemplo nostra flagitia excusemus, sed ut turpitudinem ebrietatis, utpote multorum dedecorum causam detestemur. Unde S. Ephrem serm. de Virg. tom.1. ait: *Timeto vinum ne ebrietate vincaris, & virtutibus nuderis, quemadmodum antiquus ille justus nudatus est vestibus.* Similiter S. Chrysostomus hom.29 in Genes. monet: *Si quis ebrietate vincitur, ne evulgetur, sed à suis contegatur, & non sit omnibus risus & turpitudinis argumentum: ne videlicet tam bestialis in homine deformitas, aut indignantium oculis aut ridentium sibilis*

exponatur. Et quorſum talis navis tendit, niſi in profundum abyſſi & infernum?

Nos igitur navim Bacchi fugiamus, ne per vinum ei ſubjugemur. Inſcendamus è contrà navim Chriſti, quæ non ad vinolentiam, ſed eſuriales cibos ducit. Hunc eligamus nobis in Regem quia ipſi ſervire regnare eſt, ſic cum ipſo & nos regnabimus.

DOMINICA PASSIONIS.

THEMATA.

I *Terriculamenta pœnitentiæ.*
II. *Dies Chriſti, dies paſſionis ejus.*
III. *Paſſio Chriſti variè nobis applicanda his diebus.*
IV. *Quomodo Abraham viderit diem paſſionis Chriſti.*
V. *Chriſtus aries gregis, hoc eſt, Dux & caput Martyrum.*

THEMA I.

Terriculamenta pœnitentiæ.

I. *Cura & negotia ſecularia,*
II. *Procraſtinatio.*
III. *Difficultas confitendi.*
IV. *Fuga peritorum Confeſſariorum.*
V. *Deſperatio emendationis.*

Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Joan. 8.

NOn injuriâ dicet mihi aliquis, vidiſſe nos quidem per hanc Quadrageſimam beſtias complures, quibuſcum in ſolitudine ſuâ Chriſtus converſatus ſit: omiſſam tamen unam, eamque omnium maximam Satanam videlicet, qui & ipſe in deſerto cum Chriſtus verſatus eſt, quaſi eſurienti panem miniſtraturus, ex lapidibus vel uno verbo conficiendum. Verum eſt, Auditores, rectè monetis: hujus enim beſtiæ penè oblitus fuiſſem; quæ etiam in ſacra Scriptura (Job. 40.) appellatur *Behemoth*, hoc eſt, *beſtia beſtiarum*, ſeu, ut alii vertunt, elephas, quadrupedum beſtiarum maxima. Verum hæc non eodem ſine, quo aliæ ad Chriſtum in deſertum venit Illæ enim ut eum recrearent: hæc ut tentaret & in præcipitium ageret, venit. Quod egit tunc in ſuâ perſonâ, hoc agit in hodierno Evangelio in perſonâ Judæorum, quos haud dubiè impulit. ut arriperent lapides ad Chriſtum lapidandum. Id quod etiam nunc molitur volentibus converti hoc ſacro tempore. Tollit enim lapides & minatur eis atrocia quæque, quo magis ipſi conantur ab ejus laqueis ſe expedire. Sed quemadmodum Judæorum lapides tenti ſunt à Chriſto, ita tenebuntur etiam molimina illius Behemoth. Quare ut ne terreamur, eorum aliquos ſaltem videamus.

I. Quoſdam nequiter opprimit curis & negotiis ſæcularibus, ne animæ ſalutem procurent: ſicut conturbavit & eliſit in terram puerum illum, cùm ſe expellendum cerneret à Chriſto, Marci 9. Imitatur in hac re aſtum cancri marini, qui videns oſtrea ſe expandere & aperire ad capiendum Solem, lapillum inter conchas inſerit, ut cùm volunt ſe claudere, nequeant; ſicque carnes eorum exſugit ac devorat, ut ſcribit ſanctus Ambroſius libro 5. Hexam. cap. 8. Ita enim Dæmon inquam plurimis, qui mundanis curis cor apertum habent, hoc potiſſimum tempore impedimentum aliquod ponit, velut inimicitiam, lites, itinera: &c. ne cor ſuum mundo claudere & in Deum colligere, ac pœnitentiâ & communione Paſchali inſtaurare queant: ſicque eos devorat; in peccatum inobedientiæ pertrahendo, eorumque ſpiritum cœleſti gratiâ privando. Typum ejus expreſſit Laban, Gen. 31. qui cum audiſſet Jacob generum ſuum poſt 20. annorum ſervitium, clanculum abiiſſe, (ut nimirum provideret aliquando domi ſuæ Geneſ. 30.) fugientem inſecutus eſt, & graviter objurgare cœpit. Idem enim prorſus agit tempore hoc Satan: confugientes ad pœnitentiam, & à ſe refugiẽtes retrahere conatur. Tu verò Chriſtiane ne movearis Dæmonis inſidiis, ſed cum Jacob proſequere iter tuum & provide domui tuæ. Sic ſuadet Eccleſiaſticus cap. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor tuum in ſanctitate ejus.* Totum fere annum corpori impendis nunc ſaltem miſerere animæ tuæ, & contine te à curis mundi: congrega ad Deum & pietatem cor diſperſum in rebus ſæcularibus: quomodo pii viri per ſacros dies in ſe ſolitudinem cordis recipiunt & negotiis ſæcularibus abdicant.

I. Cura & negot.a ſæcularia.

II. Aliis remoras injicit, ſed de menſe in menſem, de die in diem eos differendo. Imitatur in hoc vulpanſerem, qui ut ſcribit Plinius lib. 20. hierogl. vanâ ſpe aucupem decipit, ne is nidum pullorum inveniat: offert ſe ei quaſi mox comprehendendus donec eum à nido abducat. Sic agere nobiſcum Dæmonem, rapiendo ſibi hodiernum diem, & craſtinum Deo promittendo ſcribit S. Baſilius orat. 4. de pœnitentiâ additque: *Ejuſcemodi ego aliquãdo vidi aſtum volucris valde vafræ, quæ ſeipſam venatoribus, cùm ejus pulli facilè ob teneritudinem capi poſſent, quaſi prædam quandã paratam objiciebat, & ante manus eorum aſſiduè verſando, neq; ſe capi permittebat, neq; tamen prædæ ſpem venatoribus adimebat, ſed ipſos vana ſpe variè lactãs, dum circa ipſam occupantur, pullis fugæ copiã ac ſecuritatẽ præſtitit, deinde ad extremum etiam ipſa ſimul avolavit. Cave obſecro, ne etiã & tu ſimilia perpetrãris, qui ſpe incertorum, ea quæ certa ſunt, dimittis. Vide ne ex anno in annum, ex menſe in menſem, ex die in diem pœnitentiam producendo, incurras aliquando in diem, quam non expectabas, nimirum quando te deficiet vita & conſilii inopia omni ex parte te circumdabit, &c.* Talis in conſiliis ſuis Sigiſmundus ſecundus

II. Procraſtinatio.

Poloniæ Rex, qui omnia consilia, negotia gravissima in crastinum differebat, idcircò *Rex crastinus* appellatus (König auß Morgenland) proinde vix unquam aliquid expediebat. Drex. in prodromo cap. 1. §. 37.

At quodnam gravius negotium esse potest negotio animæ? Hoc ergo si differas in crastinum, certò fabula & ludibrium eris dæmonibus ac damnatis omnibus. Naufragus proximam quamque tabulam mox amplectitur, ut emergat, pœnitentia secunda post naufragium tabula est: quando igitur de salute tuâ agitur, mox illam arripito, nemine attento.

III. *Difficultas confitendi.* III. Alios terret difficultate confessionis, efficitque ut ea obiter & neglectim fiat; vel suadet ut differatur ad ultimum diem, dum populus confertus obruit Confessarios, urgetque ut confitentes citò expediantur. Sed quid ait Jeremias cap. 48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (seu ut 70. legunt) *negligenter*. Non ferunt matres-familias, si ancillæ domum verrere jussæ, obiter rem faciant, si non omnia rimentur, si nihil moveant, veluti mensas, cistas &c. & insuper sordes infra lectum abscondant: imo deprehensas in tali negligentiâ objurgant aut ejiciunt. Sic objurgatur pigra anima Isa. 23. *Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum.* Meretrix quid nisi anima peccatrix sui ipsius oblita? Sumat ergo citharam confessionis, seipsam accusando & sic Deum sibi demulceat atque conciliet: quo modo etiam apud Lacedæmonios deprehensi in delicto aram circumire & compositam in seipsos vituperationis cantilenam decantare cogebantur, teste Plut. in Laconicis. Verùm non frigidè aut obiter canat, sed benè & exactè circumeat civitatem, rimetur omnes angulos, in quibus deliquit, sicque omnes lapsus suos decantet ad tribunal Christi.

Non vis emere aut acceptare opus ab artifice factum, nisi benè & studiosè factum: & quomodo accipiet Deus tuam pœnitentiam tam frivolè & obiter peractam? *Audio*, inquit Ælianus lib. 4. var. hist. cap. 4. *legem esse Thebis præcipientem artificibus, tum pictoribus tum figulis, ut imaginum formas quoad possent, optimè exprimerent: iis autem omnibus, qui deteriùs aut finxissent aut pinxissent, pro pœna mulctam pecuniariã irrogantem.* Quanto magis pœnam merebitur, qui Dei opus fraudulenter aut negligenter fecerit, suamque ipsius animam nullo adhibito studio, nullâ curâ pingit & fingit.

IV. *Fuga peritorũ Confessariorũ.* IV. Aliis prohibet quærere prudentes, graves & doctos Confessarios: suadet adire simplices & liberales, qui sine trutinâ examinis omnia mox condonant. Sic ab eo edocti erant, qui dicebant Isa. 30. *Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, ac si dicant febricitantes: Date nobis vinum potens, nolumus aquam coctam suũ interitum quærentes. Qualis Achab qui urbem expurgaturus noluit consulere Prophetam Dei veri Michæam, dicens: *Ego odi eum quia non prophetat mihi bonum sed malum.* 3. Reg. 22. *Malum* hoc est, ingratũ licet verum. Qui tamen quàm malè sibi consuluerit, brevi expertus est; quia ut ei prædixerat Michæas, in bello infeliciter occubuit. Similem aut tristiorem eventum recensuit quidam Pater N. S. coram serenissimo Alberto & Isabella Bruxellis pro concione ex relatione nostri Patris Lorini de quodam fæneratore, quem Lorinus in Italia nôrat, eo nomine insani qui cùm diu neque à Curione neque à nostræ Societatis patribus aliisque multis religiosis absolutionem imperare posset, invenit unum aliquem, qui alios nimiæ religionis incusans, quoties ille vellet, toties confitenti aures daret & absolveret. Fuit hic impio fæneratori conscientiæ acceptus arbiter, quem ut eo etiam haberet benigniorem sæpè ad familiarem mensam invitabat & habebat liberaliter. Dum ergo ita vivitur, nocte quâdam nobilis ille cùm paulo antè cum egregio suo Confessario cœnâsset, subito extinguitur; sub idem autem tempus Dæmones duo, famulorum habitu, monasterio adsunt, pulsatisque foribus religiosum evocant astiturum agenti, ut ajebant, animam. Non est ille tergiversatus, sequitur cum socio non segniter. Ventum erat ad forum & ecce cernitur nobilis in herili togâ obambulare, cumque religiosus jam in famulos, quod ab iis delusum se crederet, bilem acueret; adest tristis umbra, aitque inter mortuos se esse & jam æternis uri ignibus, quod tam turpi in vitâ deditus lucro sacra toties profanare ausus esset: *Et te quidẽ*, ait, *Sacerdos perditissime, à quo ex officio corripiẽdus essem convivente: quapropter eris mihi merito tuo pœnæ socius, qui sceleris fuisti approbator.* Hoc dicto, duo illi ficto habitu famuli, singuli singulos Nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos abripiunt; Sacerdotis socio præ timore penè exanimato, qui deinde revocato animo solus ad Monasterium rediit & funestum Sacerdotis exitum remque totam, ut gesta erat, enarravit. Ita Philip. Deultreman in Pædag. Christ. pag. 2. cap. 15. §. 1. Quare bene Ecclesiasticus cap. 6. ait: *Consiliarius sit tibi unus de mille.* Quis autem magis Consiliarius quàm Confessarius? Quia vero non omnes sunt charitate, doctrinâ & prudentiâ instructi ideo cautè eligendi, nam si vel unum ex requisitis illis desideretur, res periculo non caret. Quare sapientissimè S. Ludovicus Galliarum Rex hoc supremum è vitâ migraturus filio consilium dedit: *Fac idoneus tibi sit conscientiæ arbiter, cujus prudentiâ doctrinaque in omnibus semper tutus sis.* Pædag. ibid.

V. Alios omnino ingenti lapide desperationis opprimere conatur; quasi nulla sit spes eos erigendi ad salutem. Sicut enim tibicines illi Matth. nono plangebant (interim gratulabantur sibi ob lucrum) mortem filiæ Jairi, suisque cantibus illam quasi sepeliebant, ac *Requiem* cantabant, dicentes esse mortuam; irridentes insuper Christum, qui ajebat eam dormire: ita Dæmones desperationis laqueo injecto conantur peccatores inveteratos omnino suffocare, conclamando certam eorum damnationem. Fecerunt hoc Judæ proditori, cui initio facilè suaserunt proditionem, posteà exaggerârunt, & omnes ei

veniæ januas occluserunt, ut neque apud Principes, neque in templo effugium inveniret: ad Christum verò cum accedere erubesceret, inde ad laqueum cucurrit. Eo modo & Dalila Samsoni facilè persuasit, ut in ejus sinu obdormiret: at ubi eum totondit & viribus spoliavit, repulit à se eique insultavit: *Philisthijm super te Samson,* Judicum decimo sexto. Hic est ludus, quem ludunt cum peccatoribus Dæmones. Sed respondendum illis cum Christo, *Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit.* Si nobis mortua est, dormit tamen Christo, mox eam suscitare potest.

Quid igitur ad extremum factu opus inter has lapidum minas? Imitare Christum & absconde te; ubi verò nisi in vulneribus Christi? *Veni columba mea, in foraminibus petræ,* ait Sponsus Christus cant. 2. q. d. absconde te à tartareo accipitre in meis vulneribus & meritis passionis meæ. Deniq; ne terreamur his lapidum minis: minari nobis Dæmon potest, jaculari non potest, nisi Deo permittente.

THEMA II.

Dies Christi dies passionis ejus.

I. *Quia dies desponsationis ejus.*
II. *Quia dies redemptionis generis humani.*
III. *Quia dies commotionis, quâ cœlum & terram movit.*
IV. *Quia dies ostensionis, qua Divinitatem suam ostendit.*
V. *Quia dies prælij ejus cum mundi hujus principe.*
VI. *Quia dies victoriæ ejus.*

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum. *Ioan. 8.*

Communis multorum Patrum sententia est, Christum Dominum quando in hodierno Evang. dixit Abrahamum exultâsse, ut videret diem ipsius, de die passionis suæ locutum; quem quidem viderit Abraham in spiritu & typo, quando filium litare volenti oblatus est aries inter vepres hærens. Ita enim imprimis S. Ambrosius l. 1. de Abraham c. 8. *Hunc* (exaltatum scilicet in cruce Christum ait) *Abraham in illo sacrificio, hujus passionem prospexit, & ideo ipse Dominus de eo dixit: Abraham vidit diem meum; vidit & gavisus est. Quam etiam ob causam vocavit Abraham nomen loci illius: Dominus videt; ut dicatur hodie. Dominus in monte apparuit.* Similiter S. Chrys. homil. 54. in Joan. *Diem autem meum,* inquit, *hoc in loco crucem mihi significare videtur quem in arietis oblatione & in Isaac præfiguravit.* Consentiunt ib. Leontius, Theophylactus, Euthymius, Prosper lib. de prædict. pag. 1. c. 17. aliiq;. Sed quâ ratione dicet aliquis illum diem appellat *suum*? Omnes dies quidem fecit, adeoq; suos dicere poterat; verum quis nescit ea nos peculiari ratione nostra dicere, quæ præ cæteris amamus vel æstimamus? suum equum, suum lectū, suum cochlear Dominus appellat, quo solus ipse utitur aut delectatur. Ita sponsus diem nuptiarum suarum *suum* vocat, agricola diem messis, mercator diem solutionis, victor diem victoriæ suæ, &c. Pari ergo ratione quia dies passionis Christi à rebus in ea gestis nobilis atq; insignis fuit, jure *diem suum* appellare potuit; & quidem variis rationibus, ut videbimus.

I. Fuit dies desponsationis ejus cum Ecclesia per sanguinis effusionem ipsi desponsâ. Ita loquitur Sponsa de ipso cant. 3. *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius.* Nusquam legitur Salomon coronatus esse à matre suâ, proinde non ad ipsum, sed ad Christum hæc referenda sunt. Ergo sicut sponsalia præcedunt ipsam desponsationem & nuptias: ita Christus in die Incarnationis suæ despondit quidem sibi Ecclesiam, sed (quod olim moris erat) nondum parato pretio coëmit ac duxit. Anno igitur 34. ab Incarnatione, & ultimo vitæ suæ, redeunte eadem 25. die Martij (quâ ante 34. annos carnem assumpserat, uti docet sanctus Augustinus libro 4. de Trinitate capite 4. Epiphanius hær. 78. & 79.) coronatus est à matre suâ Synagogâ à Judæis videlicet spineâ coronâ; ubi & moriens in cruce solvit pretium redemptionis nostræ tumque Ecclesiam, id est, nos fideles in actu quasi perfecto sibi coëmit & copulavit. Non sane vulgaris fuit hæc desponsatio & annexa illi celebritas nuptialis. Sponsus enim erat Dei filius, speciosus forma præ filiis hominum; Sponsa verò genus humanum velut Æthiopissa nigra & deformis, cujus personam quasi gessit velut procurator, latro in cruce conversus, & Christo in paradisi thalamo copulatus: pretium redemptionis erat mors sponsi. paranymphi carnifices; mensa nuptialis convivij crux: cibus & potus, fel & acetum, juxta id Psalmo 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto:* Musica erant contumeliæ & opprobria: quibus in cruce derisus est: vestis purpurea erat sanguis sponsi, totum corpus ejus perfundens: annuli erant clavi, manibus infixi: sertum nuptiale corona spinea. Quis unquam tales nuptias vidit? Nonne merito Christus dicere potuit, diem hunc desponsationis *suum* fuisse? Quis enim alius tales contraxit vel contraheret nuptias? Et tamen his non defuit sua & quidem ingens lætitia, ut merito etiam appellatæ sint *dies lætitiæ ejus*. quia hac suâ miserâ quidem & miserabili desponsatione, sponsam suam prius nigram, rugosam, fœdam ac deformem, ubi sanguine suo abluit, reddidit atque exhibuit sibi non solum mundam, sed etiam *gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta & immaculata,* ut ait Apostolus ad Ephes. 5. Quæ etiam causa est, cur dixerit Dominus Abraham exultâsse, ut videret diem hunc, vidisse & gavisum esse: non ob dolores sponsi scilicet, sed ob salutem sponsæ per illos comparatam.

I. Quia dies desponsationis ejus.

II. Fuit dies redemptionis, in qua Christus emit ac redemit captivum genus humanum. Quo sensu

Quia dies redemptionis generis humani.

loquitur Apostolus ad Ephesios quinto, cum ait: *In quo* (Spiritu sancto) *signati estis in diem* (seu ut aliqui legunt,) *in die redemptionis.* In baptismo scilicet, velut die redemptionis cujusque particulari: nam dies redemptionis universalis & radicalis fuit dies passionis Christi, quo ipse Patri numeravit lytrum redemptionis pro captivo homine, è potestate Dæmonis, velut ministri justitiæ Divinæ ultricis, liberato, perferens in corpore suo pœnas nobis debitas. Porro quia pœna correspondere & proportionari culpæ debet, ut puniatur reus in eo, in quo deliquit, hoc etiam Christus subiit. Deliquerunt primi nostri parentes eorumque posteri per superbiam: ideo voluit Christus, cum esset Dei filius, ab hominibus, Angelis, & creaturis adorandus, fieri despectus & *quasi leprosus ac novissimus virorum.* hoc est, contemptissimus, ut prædixit Isaias capite quinquagesimo tertio. Voluerunt nostri parentes similes esse DEO: ergo Christus voluit reprobari, velut peior homicidâ Barrabbâ & latronibus, in eorumque medio velut malefactorum antesignanus crucifigi, in cruce derideri & subsannari. Deliquerunt & delinquunt homines avaritiâ, affigendo cor divitiis, concupiscendo & rapiendo aliena: ideo Christus voluit exinanire semetipsum, fieri omnium pauperrimus, spoliari etiam vestibus, & nudus in crucem tolli, nec habere ubi patiens & moriens caput reclinaret. Delinquunt homines luxuriâ & carnis voluptate, quâ sine omni verecundiâ peccant in corpus suum; proinde voluit Christus toto suo corpore flagellis concidi, spinis & clavis configi, per omnia sua membra doloribus cruciari & sanguine cruentari. Delinquunt invidiâ & iracundiâ; voluit ergo in summis injuriis, falsis accusationibus & cruciatibus, quasi agnus obmutescere, injustissimam mortis sententiam silens excipere & judicium sustinere: insuper injurias remittere, pro inimicis suis orare, gratiam & regnum suum offerre, & vero etiam communicare pœnitentibus. Delinquunt gulâ & ebrietate; quare ipse voluit saturari opprobrijs, sputis & alapis: felle & aceto potari, intolerabilem sitim pati. Delinquunt acediâ & pigritiâ: unde voluit ipse crucem sibi bajulare in cruce continuo orare, inimicis suis patrocinari, afflictos solari, usque ad ultimum vitæ spiritum. Quis unquam tale lytrum vel pro suâ vel aliorum redemptione dedit? Et hoc est, quod Apostolus ad Hebræos nono ait: *Oblatus est ad multorum* (hoc est omnium) *exhaurienda peccata* Calicem enim illum, plenum spinis, flagellis, sputis, alapis, clavis, felle, aceto, cruore, nobis alioquin debitum, ipse exhausit.

III. *Quia dies commotionis, qua cælum & terram movit.*

III. Fuit dies commotionis, qualem meminit Amos capite primo ubi Dominus excidium Ammonitis minitans ait: *Succendam ignem in muro Rabba* (metropoli Ammonitarum) *& devorabit ædes ejus in ululatu in die belli & in turbine, in die commotionis.* Dies commotionis fuit dies passionis Christi, quia in eâ commovit cælum & terram nec non & mare (hoc enim unum cum terra globum efficit: proinde hac concussa, & ipsum exæstuare, furere & exundare debuit) denique mortalium omnium corda per eclipsin universalem & supernaturalem: cæteraque prodigia, juxta prædictionem Aggæi capite secundo dicentis: *Hæc dixit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam & movebo omnes gentes.* In quæ verba Sanctus Ambrosius sub finem tomi secundi ait: *Movit* (Deus cœlum & terram) *in passione Domini IESV, quand cælum tenebris obductum, Sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, Draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum non solum navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem cœpit devotionis & fidei flavescere,* &c. Adde Judæos, tum qui in civitate erant quando velum templi scissum viderunt; tum qui adstabant cruci Domini, *& percutientes pectora sua revertebantur.* Lucæ vigesimo tertio, Centurionem quoque Gentilem, & qui cum eo erant, Matthæi vigesimo septimo. Latronem etiam alterum; quorum omnium corda visis prodigiis commota & perterrita, multa etiam omnino conversa & ad pœnitentiam scissa sunt: aliquorum autem posteà primum post missionem Spiritus Sancti, ubi maximo numero compuncti & conterriti dicebant Apostolis; *Viri fratres quid faciemus?* Actorum secundo. Denique exteras etiam longeque dissitas nationes illa partim eclipsi, partim terræ motu concussas ac tremefactas esse, ostendit sua confessione Sanctus Dionysius, qui visa miraculosa & insolita Solis defectione dicitur exclamasse: *Aut DEVS naturæ, mundi auctor, patitur; aut mundi machina dissolvetur* Phlegon Gentilis historicus, qui præter eclipsin illam horribilem) qua stellas cœli sub meridiem apparuisse ait) etiam terræ motum in Nicæa Bithinia multas ædes subvertisse scribit, apud Eusebium in Chron. ad annum trigesimum tertium. Videtur ergo ignis ille, quem dixit Amos immittendum Rabbæ Ammonitarum Metropoli, ad subvertendas ejus ædes, præludium & typus fuisse hujus commotionis factæ inter Gentiles. Sic enim & Luc. 12. prædixit Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.* Quid enim illa prodigia, nisi quidam ignis erant terrore homines corripiens & ad pœnitentiam inflammans? Narratur equus ferox & indomitus cum leone commissus, capite in angulum abdito, calcibus rugientem & in se leonem prostravisse quidem & occidisse: aspectu tamen & rugitu leonis in duello illo perterritus ferociam posuisse, ac deinceps fræna & sessorem admisisse refert Pater Cornelius in capite 22. Proverbiorum. Equo huic similes erant Judæi, qui calcibus impetière & occidère Christum, in eo tamen duello rugitu & prodigiis ejus territi ac compuncti sunt non pauci, dederuntque tandem manus Christo.

IV. Fui

IV. Fuit dies oſtenſionis, qua mundo oſtendit Divinitatem & potentiam ſuam; qua ratione Sanctus Lucas capite primo ait: Joannem fuiſſe in deſertis *uſque ad diem oſtenſionis ſuæ*; qua ſcilicet prodiret è deſerto & oſtenderet ſua ſanctitate & ſapientia divinitus ſibi tradita ſe eſſe Prophetam & præcurſorem Chriſti, quaſi Angelum ipſi præmiſſum. Conſimili enim modo Chriſtus, prius nullum de cœlo ſignum edere voluit, nec apertè omnibus manifeſtare ſuam Divinitatem, id in paſſione & morte ac præſertim conſequente eam reſurrectione clarè & efficaciter oſtendit. Unde Joan. 8. dixit eis: *Cum exaltaveritis filium tunc cognoſcetis, quia ego ſum*; Meſſias ſcilicet & Dei filius. In Chriſti enim morte viſis tot miraculis ac prodigijs in cœlo, terra & inferis ac ſepulchris, quæ mortalium nemo edere poteſt, clarius quam unquam agnoſcere cœperunt, pluſquam hominem fuiſſe; unde aliqui dicebant: *Vere filius Dei erat iſte.* Antequam exaltaretur Chriſtus in crucem, erat quaſi lucerna humi vel inter homines vel ſub lecto poſita, nec adeo manifeſtum dabat Divinitatis ſuæ ſplendorem; at in cruce velut in candelabro poſitus, quando ipſum Solem ſua potentia obfuſcavit, toti orbi innoteſcere cœpit. Oſtenſa vero jam Divinitate ſua, oſtendit conſequenter immenſam gloriam in ipſa ſumma abjectione, qua videlicet non coactus, ſed ſponte ſua pateretur & quidem pro illis etiam, à quibus patiebatur. Unde Sanctus Chryſoſtomus homil. undecima in id Joannis: *Vidimus gloriam ejus*, ait: *Neque miraculorum gratia Chriſtum duntaxat admiramur, ſed & paſſionis, cum affixus eſt cruci, flagellis & alapis cæſus & inſputus ab his, de quibus tam bene merebatur. Siquidem in his ipſis, quæ probris & ignominia plena eſſe videbantur, ipſum rurſus Verbum clariſſimum apparuit: hoc Ioannes gloriam appellavit. Non enim charitatis ſolum & amoris fuerat, ſed immenſæ etiam virtutis. Tunc enim mors abolita eſt, maledictum periit. Dæmones confuſi ſun, & de illis triumphatum eſt, & chirographum cruci affixum.* Sic ille illuſtrat hanc Dei gloriam immenſa ejus bonitas, quâ ob amorem hominum tanta & tam indigna pati, cum eſſet Deus, voluit, ut nemo eam unquam ſatis admirari queat. Magnopere miratus fuit Moyſes, quando vidit Deum in monte Sinai deſcendentem & humana voce cum hominibus agentem: idque admirabundus populo expoſuit dicens: *Interroga de diebus antiquis*, &c. *ſi facta eſt hujuſmodi res, aut unquam cognitum eſt, ut audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti & vidiſti.* Deuteronomij quarto. At quanto plus eſt Deum, non in ſplendore, ſed in ſumma humilitate deſcendere ad ignominiam & ſqualorem crucis hominum cauſa? Maximi fecit Deus, quod Abraham amore ipſius filium unigenitum immolare paratus eſſet; Gen. 22. *Quia feciſti hanc rem & non peperciſti filio tuo unigenito propter me benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* At quid hoc reſpectu facti illius, quo non ſervus in gratiam Dei & Domini ſui; ſed Deus in gratiam ſervorum filium ſuum unigenitum immolare voluit, imo immolavit & quidem morte tam crudeli.

V. *Quia dies prælii ejus cum mundi hujus principe.*

V. Fuit dies prælij, qualis refertur Oſee 10. quando Gedeon delevit prælio Madianitas cum Duce eorum Salmana, *ſicut vaſtatus eſt Salmana à domo ejus, qui judicavit Baal in die prælij* hoc eſt, ſicut Gedeon cecidit Salmana Idololatram & Principem Madianitarum, hoſtem populi Dei: ita Salmanaſar cædet Iſraëlem, ob Idola, quæ coluit in Bethel. Porro prælium Gedeonis cum Madian typum fuiſſe prælij, quod cum hoſte generis humani Chriſtus in paſſione inijt, teſtis eſt Iſaias capite nono *Sceptrum exactoris ejus*, inquit, *ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Gedeon ſuperavit Madian, confringendo fictilem lagenam ſuam eaque confractâ demonſtrando lampadem in eâ latentem atque ardentem, tubam denique inflando. Chriſtus ſuperavit Dœmonem, quando lagenam corporis ſui confringendam obtulit Judæis, interim oſtendit admirandam & pluſquam humanam patientiam, quâ velut agnus coram tondente ſe obmutuit, nec ullâ ratione ad ſe defendendum, aut vindictam de hoſtibus ſumendam, vel provocandum ad Cæſarem, aut mortem ſuam amoliendam, permoveri potuit. Non ergo alijs armis, niſi patientia & ſilentio Chriſtus pugnavit ac triumphavit. Si enim ſe defēdiſſet, ſi impatientem ſe monſtrâſſet, ſi mortem ſuam impediiſſet, ſalutem noſtram perdidiſſet, & Dæmon triumphâſſet; qui propterea ipſum velut Sanctum Job variis modis & injuriis aggreſſus eſt, ut ad impatientiam aut verbum ſaltem aliquod maledicum provocaret. Subſtantiam quidem terrenam, quam auferret, non habebat: veſtes tamen abſtraxit, ut nudum ludibrio exponeret; deinde percuſſit eum flagris ac ſpinis, quaſi ulcere peſſimo, ita ut in toto ejus corpore nihil eſſet vacuum à dolore, ideoque *vir dolorum* appellaretur ab Iſaia capite 52. Denique ubi hac via nihil profecit, Principum & Sacerdotum aliorumque obtrectatorum probris, calumnijs, obtrectationibus, improperiis, ſubſannationibus (quod genus telorum omnium acutiſſimum eſt) in cruce pendentem invaſit, &, quod unice optabat, ad deſcendendum de cruce provocavit; quo modo etiam Jobum per uxorem denique ad blaſphemiam, aut certe impatientiam invitarat. Verum his omnibus longe ſuperior Chriſtus *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſtè* ait Sanctus Petrus epiſt. prima cap. ſecundo. Quod per Iſaiam cap. 50. prædixit ijs verbis. *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus, faciem meā non averti ab increpātibus & conſpuentibus in me.* Et mox *Poſui faciem meam ut petram duriſſimam.* Idemq; repetit cap. 53. cum ait: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* His armis, patientia & ſilentio Dæmonem proſtravit. Unde Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 131. *Rex noſter*, ait, *manſuetudine vicit Diabolum, Sæviebat ille, iſte,*

ſuffe-

ſufferebat. Victus eſt, qui ſæviebat: vicit qui ſufferebat. Mirandum hoc duellum; ubi vincit qui cæditur ac patitur: vincitur qui cædit.

VI. *Quia dies victoriæ ejus.*

VI. Fuit dies victoriæ, qualis fuiſſe dicitur ille, quo cæſo Holoferne triumphârunt Hebræi, quemque annuâ feſtivitate poſteà celebrârunt; Judith. decimo ſexto. & merito, quia non ſolum ab hoſte truculentiſſimo liberati erant, ſed etiam opimis ejus ſpolijs mirum in modum onuſtati ac ditati. In die etiam paſſionis ſuæ Chriſtus Dominus non modò hoſtem noſtrum crudeliſſimum, Dæmonem debellavit, ſed etiam ingentem ex eo prædam tulit, quâ nos omnes onuſtavit, & de quâ Dominus Joan. 12. prædixerat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Quænam [illegible]a omnia? Omnes totius mundi gentes, quæ in ipſum credere voluerunt ac volunt. Abſtraxit autem ab inferis & Dæmonis poteſtate, Deoque reconciliavit, filios Dei & hæredes cœli effecit, gratiâ ornavit & gloriâ ditavit. Hanc victoriam Cant. 5. comparavit meſſi copioſæ. *Meſſui myrrham meam:* inquit: *cum aromatibus meis* Quomodo myrrham cum aromatibus? quia jam tunc patiendo & myrrham ſibi propinatam cum innumeris doloribus guſtando quaſi metere aromata pretioſa, animas ſcilicet innumerabiles, gratiâ & gloriâ ornandas, meſſemque colligere ſibi videbatur. Addit deinde: *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici & bibite, & inebriamini Chariſſimi.* Favus reſurrectionis gloria eſt, per Chriſti myrrheam paſſionem nobis comparata, quam ob cauſam in die reſurrectionis ſuæ favum guſtare voluit. Urſus favo mellis inhians contemnit apum aculeos: Chriſtus favum glorioſæ & melleæ reſurrectionis in cruce jam deripiens ſprevit Judæorum (de quibus pſal. 117. ait: *Circumdederunt me ſicut apes*) ictus & aculeatas deriſiones. Vinum Chriſti quodnam aliud, niſi illud, de quo in ultimâ cœnâ dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno patris mei:* Matthæi 26. Quo vino inebriati unà cum ipſo omnium præteritorum obliviſcemur laborum & dolorum, omnique cœleſti ſuavitate obruemur & abſorbebimur, juxta id Pſalmi 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Jure igitur merito diem hunc paſſionis appellavit Chriſtus *ſuum*; quia maxima & miranda in eo partim egit, partim obtinuit. Quanquam videtur potius dicendus *dies noſter* fuiſſe, quia non tam ſibi, quam nobis ea peregit. Et ſanè ita eſt: *dies noſter eſt*, quo ipſi deſponſati, ab ipſo redempti & ſalubriter compuncti, denique cohæredes ejus facti ſumus. Diem igitur hunc jure meritiſſimo, veluti *diem noſtrum*, pectori noſtro & memoriæ inſculpimus. Quando Perſarum Reges è gravi aliquo periculo vel erepti vel præſervati fuerunt, de hoc admonebatur Rex, verbo illo: *Memento diei hujus ò Rex*; teſte Plut. in Artaxerxe. Solebat etiam dies ille referri in Commentarios, uti relatus ille, quo Rex per Mardochæum ſervatus eſt; Eſther 2. & 12.) ne in oblivione eſſet. Quod majus beneficium conferri nobis poteſt, quam quo in die paſſionis Chriſti ſervati ſumus? Itaque ô homo memento iſtius diei, memento beneficij: ſcribe id in corde tuo juxta Sponſi deſiderium: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*. Cant. ult.

THEMA III.

Paſſio Chriſti varie nobis applicanda his diebus.

I. Per devotam meditationem.
II. Per compaſſionem.
III. Per imitationem.
IV. Per pœnitentiam.
V. Per fiduciam, ſperando veniam peccatorum.

Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum. *Ioan. 8.*

DE Ægeo Athenienſium Rege refert Plutarchus in Theſeo, quod cum filium ſuum Theſeum è Cretâ reducem è bello victorem exſpectarat, ubi navim, quâ filius vehebatur, procul intuitus, non candida, quæ lætitiam & victoriam filiique incolumitatem nunciaret, ſed nigra vela habere conſpexit. Theſeum periiſſe ratus, præ triſtitiâ ex altâ ſpeculà in ſubjectum pelagus ſe præcipitârit. Expectavit etiam Abraham, magnus ille pater, filium ſuum Jeſum (hunc enim *filium Abrahæ*, hoc eſt, nepotem appellat Matthæus capite primo) è cœlo adventantem, magno cum deſiderio: imo *exultavit ut videret diem ejus*; uti audimus in hodierno Evangelio: *& vidit & gaviſus eſt* Sed quomodo gaviſus? En tibi adventantem hodie cum vexillis nigris, atris velaminibus in cruce coopertum, & Eccleſiam lugubrè accinentem: *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis myſterium, &c.* Sed mirum Abraham in limbo conſtitutus vidit eum tunc nondum præliantem, nondum in paſſionis conflictu occumbentem, ſed præciſè, ut vult Sanctus Irenæus l. 4. c. 15. incarnatum & miracula facientem. Nondum vidit vela nigra ſed candida pro tempore. Quid ſi nigra aſpexiſſet, & mortuum audiſſet? Nos jam audimus, nos jam aſpicimus. Quid igitur faciemus? Præcipitabimus nos in mare Dominicæ Paſſionis, ſed meliore ratione, quam Ægeum feciſſe diximus: immergendo cogitationes noſtras in prædictum mare, pro ſalute noſtra.

Non eſt ſatis infirmo habitare juxta pharmacopolium vel medicinales thermas, niſi utatur medicinis & foveatur aquis medicis. Scimus enim languidum 38. annis laboraſſe infirmitate ſuâ, &, ut ſentit Divus Chryſoſtomus hom 35. in Joannem. toto eo tempore ſediſſe ad piſcinam, nec tamen curatum fuiſſe; quia eam non deſcendit, utpote viribus & auxiliatore deſtitutus. Joann. quinto. Pari modo Chriſti Paſſio præſta-

ſtantiſſimum quidem pharmacopolium eſt thermæque ſaluberrimæ; at niſi eam nobis applicemus, nihil nobis proderit.

I. Applicamus autem inter alios plurimos modos quos hic præterimus, primo per devotam meditationem & admirationem tanti beneficii, quo Dei Filius ſeſe patri ſuo æterno obtulit vadem & ſatisfactorem pro delictis ſubditorum & creaturarum ſuarum, ita ut victima pro illis fieret cruenta, miris ac diris exagitata cruciatibus, in mortem turpiſſimam condemnata. Qua de re hortatur nos Apoſtolus ad Hebr.12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem.* Recogitate, hoc eſt, iterum iterumque cogitate atque expendite. Qualis vero ea contradictio? qualem immediate præmiſit: quod *confuſione contempta ſuſtinuit crucem, qui in dextera ſedis Dei ſedit.* Proh qualis hæc contradictio pendere in cruce eum, qui ad dexteram Dei in omni gloria & honore ſedet! Quis hic non obſtupeſcat? Unde S. Bernardus ſerm. de Paſſione Domini exclamat: *O noviſſimum & altiſſimum! ô humilem & ſublimem! ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* Quare Iſaias cap.53. deſcripturus Chriſti Paſſionem à ſe in ſpiritu prævisam, non tam ut Propheta, quam ut Evangeliſta, ita incipit: *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini* (Dei Filius) *cui revelatum eſt?* q. d. talia loquar, de Meſſia pro humano genere paſſuro, ut quamplurimi ea credituri non ſint. Narraverat prius mira de divina gloria & majeſtate, deque myſterio Trinitatis cap.6. nec tamen ibi dubitavit; an illa credituri eſſent homines: quia quæ majeſtatis ſunt, facile & jure de Deo creduntur. At ubi jam quæ humilitatis & contemptus ſunt, de Deo enarrat, ibi dubitare incipit de audientium fide. Certe non capiebant ipſi Chriſti diſcipuli, cum aſcendens Jeroſolymam ad patiendũ Dominus prædiceret eis, quæ paſſurus erat. Unde ait Lucas cap.18. *Ipſi autem nihil horum intellexerunt; & erat verbum hoc abſconditum ab oculis eorum, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Non enim poterant ſibi perſuadere eum, quem ex tot tantiſque ſignis cognôrant eſſe Dei filium, abjecturum ſe uſque ad tam infame mortis ſupplicium & cruciatus, quos prædixerat. Pari difficultate laborabant poſtea alii quamplurimi Judæi & Gentiles, de quibus Apoſtolus 1. Cor.1. ait: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Quia *ſtultum hominibus viſum eſt, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur, & inde contra eum ſcandalum homo ſumpſit, unde ei amplius debitor fieri debuit*, ait S. Gregorius. Nos vero qui hoc fide tenemus, ſæpius cum admiratione divinæ bonitatis ruminare & meditari debemus. Sane pia illa mulier ſanguinis fluxum paſſa & à Chriſto curata, ne tanti beneficii obliviſceretur, ſtatuam Chriſti æream præ foribus domus ſuæ erexit, ſuam quoque effigiem ad Chriſti pedes abjectam, ut ſive domo egrediens ſive ingrediens aſſiduo ſibi in memoriam refricaret acceptam à Salvatore ſanitatem, teſte Euſebio l.7. Eccleſ. hiſt. Niceph. l.6. cap.15. At quanto plus eſt Deum ſanguine ſuo nos redimere, quam ſolo tactu ſanguinem ſiſtere?

II. *Per compaſſionem.*

II. Per compaſſionem, juxta id Apoſtoli ad Philipp.2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV, qui ſemetipſum exinanivit, &c.* Per hanc ſuſcipimus in nos ex parte, in corde ſcilicet ſaltem, Paſſionem & crucem Chriſti, ad modum Simonis Cyrenenſis; ſed libere, non coacte; & quo modo poſſumus, ſublevamus Chriſti dolores. Si ergo ſic compaſſi fuerimus, etiam conregnabimus. Sane omnes, qui Crucifixo condolentes adfuerunt, ſpeciales obtinuere gratias: Mater diſcipulum, quem diligebat JESUS: Joannes Chriſti Matrem: Magdalena primam apparitionem: devotæ mulieres ſecundam: latro pœnitens paradiſum: Centurio fidem: populus compunctionem. Denique nec Simon quidem ille, licet compulſus, crucem Chriſti gratis vel cum Chriſto, vel poſt eum tulit. Traditio enim eſt, eum una cum filiis Alexandro & Rufo, pro mercede, ad fidem vocatum & virum ſanctum evaſiſſe, ut ex S. Marco colligitur, & habet Lucius Dexter in Chronic. anno Chriſti 112. aliique. Præterea fideles illi, qui cum compaſſione Chriſto crucifixo adſtitere, martyrium aliud non ſubjêre: uti Deipara, Joannes, Magdalena; quia ſola illa compaſſio ſuffecit eis pro martyrio. Et vero quis tam durus erit, ut Dei Filio innocentiſſimo, qui ſe amore noſtri, pro nobis victimam obtulit, non condolere poſſit? Nam ſi te in carcere poſitum & ad mortem condemnatum amicus viſitaret & amore tui veſtes tecum commutaret, ac te dimiſſo, pro te in carcere remaneret, nonne ſi poſt eum pro te torqueri & ſupplicio affici videres, lachrymas tibi excuteret & ad commiſerandum te inflecteret? At hoc egit pro te Chriſtus. Hinc ergo Eccleſia Chriſto compatiens in hodierno hymno vel ipſam crucem rogat, ut rigorem ſuum remittat & dolorem Chriſto mitiget: *Flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera, & rigor lenteſcat ille, quem dedit nativitas, ut ſuperni membra Regis, miti tendas ſtipite.* Et quid mirum? Si enim cœlum & elementa, templum & limbus Patrum defunctorum ſenſerunt Chriſti mortem & ſuo modo compaſſa ſunt: ſi Sol in luctu fuit, terra tremuit, rupes fiſſæ ſunt, ſepulchra reſerata, velum templi ſciſſum, ob mortem Creatoris ſui, quanto magis lugere, tremere, reſerari, & ſcindi ad pœnitentiam homines debent.

III. *Per imitationem.*

III. Per imitationem, quantum fieri poteſt. De qua re S.Petrus Epiſt. c.4. ait: *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armemini.* Scimus ſane binos Chriſti diſcipulos, & quidem ſecundum carnem etiam cognatos, Jacobum & Joannem invitatos eſſe à Chriſto ad bibendum Paſſionis ejus calicem ſuum, ut ſuis præſertim dilectis etiam fidelibus delibandum ſaltem relinqueret. Philippus Auguſtus Francorum Rex anno ſalutis 1214. contra Othonem Imp. pugnaturus in patera aurea buccellas panis vino intinctas Ducibus ſuis propinans: *Bibite ex hoc omnes*, exclamavit. *Commune hoc aut victoriæ aut glorioſa*

viosa mortis poculum erit. Qua voce animati Franci, hostes mira alacritate aggressi sunt atque superarunt. Refert Ægidius Corozettus de dictis & factis memorabilibus. Idem fecit pridem Christus in ultima cœna, discipulis suis longe nobiliori ratione calicem Eucharistiæ simul & Passionis suæ propinans, certamque victoriam promittens prius tamen ipse totum exhauriens. Quid vero calix iste nisi Crux, qua nos armari vult sanctus Petrus? Hanc enim non ad religiosos tantum, sed ad omnes Christianos spectare docet Cassianus lib. 4. Institut. cap. 34. & 35. Ergo primus sicut crucifixus non potest pro libito & qua vult manus ac membra extendere, quia ligno affixa habet: ita etiam Christianus non potest ad illicitas voluptates, honores, lucra, se suaque membra extendere, quia affixa legi divinæ habet. Secundo sicut cruci affixus assidue cruciatus sua extensione & infixis clavis; ita Christianus clavis timoris Dei confixus assidue carnem cruciat, utpote ejus desideriis & concupiscentiis repugnans. Tertio crucifixus nihil jam in mundo curat, sive homines transeuntes, sive agros & vineas, sive urbes & regiones; sive delicias aut pecunias: de sola morte sua cogitans, ut in altero sæculo gratiam inveniat: ita Christianus toti mundo mori, & ea tantum cogitare debet, ad quæ paulo post migraturum se sperat.

Neque solum in animo, sed etiam in corpore decet Christianum delibare Christi calicem. Qui enim nullas expertus est miserias ac dolores, miseris ac dolentibus credere non potest, nec compati sicut decet. Volet certe corpus etiam præmiari in die judicii & particeps esse gloriæ: sit ergo prius particeps & crucis.

IV. Per pœnitentiam. I. Per cõtritionem.

IV. Per pœnitentiam, & primo per contritionem & peccatorum detestationem, ideo conceptam, quia Christo Domino causa tantorum cruciatuum ac probrosæ mortis fuerunt. Per hanc ea demergimus in mare Passionis Christi. Terribile judicium instituit Deus cum hominibus, quando omne genus humanum ob peccata sua diluvio submersit, præter 8. personas; nec solum peccatores, sed etiam innocentes & innumerabiles infantes, bruta quoque animalia: stravit insuper omnes arbores aliasque plantas: vastavit urbes & hortos, vineas & agros & quidquid in mundo pulchrum erat, nimirum ut eo supplicio recogitato abhorrerent homines deinceps à peccatis, eaque cane pejus & angue odissent, ut quæ tantam tamque miserabilem stragem orbi induxissent.

Atqui longe terribilius divinæ vindictæ supplicium est, quod sumpsit Deus non de fictili mundi vasculo, sed de unico Filio suo, quando aperuit non cataractas cœli, sed venas omnes corporis ejus immaculati, ut copiosum sanguinis imbrem undique destillarent ad peccatum submergendum. Detestamur brutum carens ratione, quod hominem occidit, & ejusmodi bos in veteri lege jubetur lapidibus obrui. Exodi 21. quanto magis oportet peccatum detestari, quod Dei Filium occidit, cujus unius vita pretiosior est, quam vita omnium hominum, quotquot fuerun[t], sunt & erunt?

2. Secundo per firmum propositum peccata omni[a] cavendi. Si enim Deus Filio suo propter aliena, quæ i[n] se suscepit, peccata non pepercit, nec ictum unum re[-]misit: quomodo parcet iis, qui post tam liberale[m] remissionem propria committunt? Apposite hoc ex[-]plicat parabola S Vincentii Ord. Prædicat, in hun[c] modum. *Quatuor adolescẽtes in quadam civitate fur[-]ta exercere cœperunt: in cujus introitu equitem quen[-]dam in cruce male suspensum viderunt, optimis vesti[-]mentis indutum & ornatum. Cujus aspectum admira[ti] (juvenis enim & pulchri aspectus erat) hominẽ quen[-]dam prope stantem interrogarunt, quid illud esset. Hi[c], inquit; quem videtis, filius est gubernatoris civitat[is] hujus & unicus ac dilectissimus patri. Quam igitur o[b] causam, ajunt illi, aut à quo suspendi jussus est? A patr[e], inquit. Causa autem hæc est: Furtum fecit famulus e[-]jus: pro famulo autem fidejussor intercessit hic fili[us] prætoris; fidejussorem admisit pater; fugit famulus, & in tutum se recepit locum: Pater autem qui justissimu[s] judex est sententiam in filium protulit, & suspendi s[e] illum jussit, prout vos ipsi videtis. Recedunt mirantes la[-]trones & inter se dicentes: Terribilis est prætor iste, no[n] expedit nobis in hac civitate furta committere; qui[a] si filio proprio non pepercit, quomodo parcet nobis?* Qui[d] sibi velit parabola, facile quivis agnoscit. Adam ser[-]vus Dei furtum commisit, pro servo spopondit Filiu[s] Dei; fugit servus in sinum misericordiæ divinæ. Pate[r] ergo in filium tulit sententiam, & cruci eum affig[i] decrevit. Quid igitur nos dicemus? si proprio Fili[o] non pepercit, quomodo nobis parcet, si reos nos deprehenderit in judicio? Non expedit igitur, nobis sub tali prætore delinquere; nisi in immensum gravius velimus condemnari.

V. Per fiduciam, sperando ex tam copiosa redemptione & satisfactione veniam peccatorum nostrorum, quandoquidem ea commissa sunt: quotcunque & quantacunque ea sint. Per hanc enim projicimus peccata nostra in immensum pelagus meritorum Christi, quibus ea Christus sanguine suo abluit, juxta id Mich. 7. *Projiciat in profundum maris omnia peccata nostra.* Solent Indi Gentiles peccata sua litteris exarata vel alio symbolo expressa in flumen jactare, ut per id delata in mare æterna oblivione sepeliantur, teste Acosta in descript. novi orbis lib. 5. cap. 25. Simia Christi, Diabolus, hoc utique eos docuit, ut vana persuasione decipiat. Nos Christiani per Christum habemus, quo peccata nostra per confessionis flumen, in Oceanum sanguinis Christi mittamus mergenda & abolenda. Quid enim? Si legalia sacrificia, præsertim holocausta, dicuntur oblatio suavissimi odoris, quæ tamen non nisi typus Christi, pro humano genere immolanda erant, Levit. primo. Nonne infinities magis placebit Deo, sacrificium Filii sui? Et si sanguis agni Paschalis postibus illitus, gladium Angeli cædentis à domibus Hebræorum arcuit. Exod. duodecimo, non poterit sanguis Christi nobis applicatus

servare

servare nos à gladio furoris Dei? Adhæc si immania illa scelera, quæ in ipsius Christi personam patientem commissa sunt à Judæis & Gentilibus, charitatem ejus extinguere non potuerunt, quo minus ea liberalissime remitteret omnibus pœnitentibus: adeoque illo ipso sanguine, quem fuderunt, eos sanaret; quis de remissione desperare poterit? Etenim colligimus ex Actis Apostolorum cap. 2. ut advertit ibi S. Chrysostomus, multos ex iis, qui Christum morti adjudicarunt, clamando: *Crucifige*, in Pentecoste ad Christum conversos ejusque sanguine ablutos & baptizatos esse; nec dubium videtur de Gentilibus aliquot qui ipsum crucifixerunt: ait enim ibi Petrus: *quem vos crucifixistis*. Sane Centurio, & qui cum eo erant custodes Christi, Dei Filium confessi sunt. Longinus miles dum lancea eum percussit, indeque sanguine ejus aspersus est, (teste Beda in Martyrol.) credidit & ipse, illo sanguine salvatus, quem effudit. Uxor Pilati Procula & fidem amplexa est, &, si verum est, quod Tertullianus in Apolog. cap. 21. (qui Pilatum *in conscientia Christianum* appellat) & S. Augustinus serm. 3. de Epiphan. sentire videtur, etiam Pilatum ad eandem perduxit. Quanquam hoc incertum est, cum alii referant eum Viennam Galliæ in exilium missum sua se manu transverberasse. Quod tamen fieri poterat, etiamsi Christi fidem suscepisset. His accedit latro pœnitens & turba circumstantium percutiens pectora sua. Quin & paulo post multa turba sacerdotum, qui, ut sentit S. Chrysostomus in Actis capite 6. prius Christo in cruce illuserant, obedierunt Evangelio, Actor. cap. 6. Quis jam veniam à Christo non speret, si hanc illi consecuti sunt, qui in ipsum paulo ante tam immaniter sævierunt? Neque dicas Christum tunc temporis, cum pateretur, fuisse liberaliorem, quam nunc esse velit. Infiniti enim valoris est sanguis ejus; quem propterea etiam post mortem è latere suo effundere voluit, ut intelligeremus in eo adhuc vivere pro nobis misericordiam ad peccata expianda, etiamsi ea repetamus.

Quare Auditores projiciamus nos in mare istud inexhaustum amarissimæ Passionis Domini, non submerget, sed lavabit nos & super nivem dealbabit, ut ita de illorum numero simus, de quibus dicitur Apoc. 7. *Hi sunt, qui laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei.*

* * *

THEMA IV.

Quomodo Abraham viderit diem Passionis Christi.

I. Vidit Dei Filium se ad patiendum offerentem.
II. Vidit montem Calvariæ in monte Moria.
III. Vidit bajulantem crucem.
IV. Vidit spinis coronatum.
V. Vidit crucifixum.
VI. Vidit morientem & immolatum secundum humanitatem.
VII. Vidit resurgentem.

Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est. Joan. 8.

Non pauci Patres volunt diem Christi, quem in spiritu & typo vidit ac prævidit Abraham, esse diem Passionis ejus, uti Chrysostomus, Ambrosius, Prosper. Audiamus S. Chrysostomum homilia 47. in capite 22. Genes. *Quomodo vidit*, inquit, *qui temporibus præcessit? per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac: ita etiam rationalis agnus oblatus est pro mundo. Oportebat enim in umbra describi & præsignari antea veritatem.* Ita ille. Cum enim mysterium Dei hominis crucifixi, necessarium quidem hominum generi, arduum tamen ac difficile esset, futurum Judæis scandalum, Gentibus autem stultitia; necessarium fuit ut per prævias figuras ac vaticinia mitigata quasi ejus difficultate, via sterneretur ad ejus fidem. Quam ob causam hanc Isaaci, lignum portantis, figuram præmissam inter alias, ut Christi Passio facilius crederetur, vult Tertullianus lib. 3. adversus Marcion. cap. 18. Mirandum hoc spectaculum ut videret Abraham, exultavit & gavisus est, non sane propter initium & medium, quæ tristissima fuerunt; sed ob lætissimum finem, qui fuit gloria resuscitati Christi, & redemptio ac salus nostra. Quid vero potissimum de Passione illa viderit, nunc inquiramus.

I. Vidit Dei Filium se ex voluntate Patris ad mortem offerentem. Et ubi hoc vidit? Quando ducens filium ad locum sacrificii, ferens una manu ignem, ad succendendum rogum: altera gladium, ad mactandum filium, audiit filium sibi dicentem: *Pater mi, ecce ligna, ubi est victima holocausti?* Et quando filius à patre se ligari passus est, (cum bene posset fugere) & veluti agnus obmutuit? Et quando intelligens se fore victimam, lubens volens obtulit se ad mortem, etiamsi non Deus sed pater solus id mandaret, ut scribit Joseph. lib. 1. Antiq. c. 13. Gladius denotabat Dei Patris justitiam, quæ peccata hominũ plecti postulavit: ignis vero amorem illum, quo *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret* in pretium pro redemptione hominum: & quo acceptare pretium illud voluit à nihil sibi debente filio. Pugnabant in

I. Vidit Dei Filium se ad patiendum offerentem.

in corde Abrahæ affectus erga filium, & præceptum Dei urgens: amor Dei & amor carnis pugnabant etiam in Deo justitia & misericordia; Ita ergo peccatum, & amor erga homines; unde utrique suus locus datus est. Verum umbram tantum vidit Abraham; quia magnum nimis discrimen est inter Filium Dei & filium hominis. Quid mirum si servus offerat Deo vitam, à quo eam accepit? at Filium Dei se offerre pro servis, quam stupendum & quantum hoc est? adhæc Isaac acceptavit quidem libens Dei & patris voluntatem: At Dei Filius se ad mortem sponte obtulit; *exultavit* enim *ut gigas ad currendam viam*, qui cum iniquissime accusaretur, non aperuit os suum: cum pateretur, non comminabatur. Denique cum desiderio pati desideravit, uti indicavit verbis illis; *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur!*

II. *Vidit montem Calvariæ in monte Moria.*

II. Vidit montem Calvariæ velut locum supplicii funestum. Ubi? Quando *elevatis oculis vidit locum procul*, ubi Filium immolare debebat; qui ex inde adpellatus est: *Dominus videbit*, uti Genes. vigesimo secundo dicitur. Vidit inquam in spiritu, ibi supplicium sumendum de secundo Adamo, ubi primus sepultus erat. Etenim Mons Moria plures colliculos habet, qui omnes uno *Moriæ* nomine comprehenduntur; in uno extructum est templum, in altero, qui est Calvariæ, crucifixus est Dominus, ubi & Adã sepultus. Cæterum in conspectu hujus montis de procul solus Abraham teritur & novo ense transfixus fuit; non Isaac, qui nesciebat se immolandum. At vero Christus vidit locum sui supplicii, montem Calvariæ magis adhuc procul, in tota scil. sua vita; sed è vicino in monte Oliveti, ubi ejus aspectu pavefactus copiosum sanguinem fudit. Bene ergo dictus est is locus: *Dominus videbit*. Vidit enim ibi clare & distincte omnia tormenta sua, alapas, sputa, contumelias, derisiones, flagella, spinas, vestem albam & coccineam, crucem, clavos, sitim, fel, acetum, probra, mortem acerbissimam; eaque visio tam tremenda fuit, ut coëgerit Christi sanguinem ebullire & fugere è sede sua ac membra omnia perrumpere; quem tamen fugientem retinuit, ut ab aliis funderetur; quod indicavit in illa oratione: *Transeat à me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

III. *Vidit bajulantem crucem.*

III. Vidit Filium Dei unicum, dilectissimum, innocentissimum, sanctissimum, ob alienam culpam, nostram scilicet, crucem in se suscipientem, ducique ea onustum ad Calvariæ montem, crucifigendum. Qualis visio ista! Et ubi hoc vidit? Quando ipse accepto Dei mandato, ligna holocausti imposuit filio suo Isaac, unigenito, dilecto, & duxit eum ad montem Moria immolandum. Isaac significat *risum*, ob risum & gaudium patris, cum ei promissus à Deo fuit; Genes. decimo septimo & notat Dei Filium, qui fuit *risus & gaudium universæ terræ*, ait Rupertus. Fuit Isaac unigenitus ex Sara, patri dilectissimus, innocentissimus; Christus Filius Dei Patris unice dilectus, fons omnis sanctitatis. Oneratur Isaac fasce lignorum & ducitur ad montem Moria, ac sicut Lyranus ibi scribit, ligna, quæ prius a sinus gestarat, à dorso asini transfert Abraham i dorsum filii: sic Dei Filius oneratur alieno peccatorum onere ferendo in dorso suo, peccatis scilice asini, hoc est, Adami seu hominis, de qua Psalm quadragesimo octavo dicitur: *Homo cum in honore e set, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*; juxta id Isai. quinquagesimo tertio. *Et posuit in eo iniquitates omnium no strum.* Nimirum tam grave pondus id erat, ut no nisi Dei Filius robustissimus id gestare posset; qui & ipsum Dei Filium depressit in Oliveto, & dum crucem efferret, ter prostravit, ut scribit Adricomius in descript. terræ sanctæ; adhæc ligna illa multa erant ad rogum extruendum, quia & peccata hominum innumera: ligna erant sylvestria, infrugifera, ad ignem nata; & peccata quid nisi ignem merebantur? Ergo ut Isaac, ita & Dei Filius ductus e ad immolandum; quia tam gravis offensa & læs majestatis divinæ crimen, non nisi pretiosissimo quod habet homo, vita scilicet & sanguine luendum erat. Isaac duos servos suos ad montis radicem hærere cum asino jussit, nec ad oneris partem ferendam vocavit: sic Dei Filius torcular calcavit solus; homines reos liberos dimisit: solus etiam ip morti sese obtulit, quando in Oliveto solus prodi obviam cohorti, addens: *Si ergo me quæritis, sinit hos* (discipulos) *abire*; uti factum. Verum circ istud parum vidit Abraham: non enim vidit Christum sub ponderosa cruce sæpius collabentem, no crucem in coronam spineam multoties impactam non vidit unà cum latronibus ad montem eductum non vidit hinc inde trusum & impulsum, non percussum & stimulatum, non felle & myrrha potatum, no obviantem lachrymanti matri, non coram tanta spectatorum multitudine. Denique Isaac nesciebat s portare ligna in quibus immolandus esset, Christus id sciebat. Isaac robustus erat, Christus debilitatus & pene exsanguis. Isaac cum maxima patris commiseratione eductus est: Christus cum maxima inimicorum insultatione.

IV. Vidit etiam Christum spinis coronatum. Ubi? Quando vidit arietem inter vepres cornibus hærentem, seu ut est in Hebræo, *in implexu veprium ad arborem Sabec*, (ut habent septuaginta & Hieronymus) quæ vox significat *remissionem*. Vepres spineam coronam, quæ Christi capiti implexa & imposita fuit, manifeste exprimebant. Verum parum vidit Abraham. Non vidit flagellatum, non vidit oculos sanguine defluente perfusos, ita ut non nisi compressis prius oculis matrem intueri posset, ut ait sancta Brigitta. Adhæc vepres illi caput arietis non penetrarunt, sed cornibus tantum adhæserunt, at vero Christi caput vulnerarunt, penetrarunt & dire cruciarunt. Non vidit Abraham ignominiam, qua spinæ in formam coronæ pro ludibrio capiti Christi impositæ, non vestem coccineam, non derisionem & fictam adorationem non alapas & sputa.

V. Vidit Christum crucifixum, quando filium suum alligavit posuitque super struem lignorum. Ibi enim Christum aspexit per figuram, in crucem positum ibiq; alligatum & à patre derelictum. Magna virtus & stupenda obedientia Isaaci, qui patitur se ligari instar ovis & poni super struem immolandum, nec contra quidquam mutit. Major Filij Dei, qui patitur se in crucem affigi & ibi à patre omnique solatio destitui. Isaac alligatur à compariente patre: Christus ab improbis militibus cum furia dejicitur in crucem. Isaac alligatur, Christus clavis affigitur. Isaac unum gladii expectat ictum: Christus vero plurimos & sentit & præsentit. Qualis ictus probra, Judæorum & derisiones! qualis militum pro veste ejus ludentium! qualis matris præsentia & desolatio! qualis sitis! qualis Solis æstus vulnera ejus diducens, & muscis denuo configenda exponens?

VI. Vidit morientem Dei Filium & immolatum, secundum humanitatem intacta divinitate. Ubi? Quando jussu Angeli servavit Isaacum, ejusq; loco arietem mactavit. Isaac hoc loco divinam Christi naturam; aries humanam innocētissimam notavit: Rursum ovis Christum, Isaac mundum. Ovis innocens mori debuit, ut homo nocens, qui quasi per risum (quod significat Isaac) peccat, salvus fiat. Quomodo sine dolore & lachrymis ferat hoc peccator? David videns populum suum plecti morte & peste ob peccata sua, exclamat: *Ego sum qui peccavi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Jam si S. Gregorius Nyssenus aspiciens imaginem Abrahæ filium immolantis continere lachrymas non potuit, uti fatetur ipse in Orat. de Deitate Filij & Spiritus S. nos aspicientes imaginem Dei Patris immolantis Filium à fletu temperabimus? Quid enim plus est immolari filium hominis, an immolari Filium Dei? Abraham vidit morientem arietem, non vidit morientem filium suum: contentus fuit Deus prona voluntate Abrahæ & filij ejus; unde filium ei donavit. Sed non ita Deus egit cum Filio suo qui post tot tantosq; cruciatus mori demūq; debuit. O qualis morbus est peccatum, quod non nisi morte Filij Dei potuit deleri! Medici & chirurgi extrema quæque tentant, antequam pedem aut brachium rescecent affecto. Quid non tentatum ut peccatum sanaretur! sed nil profectum, abscindi ipsum caput debuit. Denique Abraham non nisi per umbram vidit morientem Dei Filium. Non audivit cum clamore orantem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:* non vidit inclinantem caput, non vidit clausa illa lumina, quæ mundo lucem dabant: non pallentem faciem: non rigentia membra.

VII. Vidit Christum resurgentem & quidem cum ingenti lucro & sobole suæ posteritatis. Ubi? Quando Isaacum sibi restituendum in spiritu prævidit, non dubitans eum à morte resuscitandum; ob quam causam ad servos dixit; *Ego & puer illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Quomodo puer, si immolandus erat? quia nimirum credidit, *quia & à mortuis resuscitare potens est Deus*, ut ait Apostolus ad Hebr. 11. Promiserat enim ipsi semen longævum ex Isaac. Vidit ergo redivivum Christum, cum vidit Isaacum, quem jam pro mortuo habuit, servatum, sibiq; incolumem à Deo redditum. Vidit reditum cum ingenti gaudio & cumulo electorum è limbo eductorum, partim una cum ipso resurgentiū; partim suo tempore resuscitandorum ad æternam vitam, quando audiit à Deo ibidem: *Quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quæ omnia in Christo impleta sunt, uti etiam prædixit Isaias cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Atq; hinc processit gaudium Abrahæ ex Christi, inquam, resurrectione prævisa in filio suo, sibi quasi ab inferis restituto. Verum antequam ad hoc gaudium veniret, prius viam mœstitiæ ambulare debuit, cum in montem Moria ascenderet filium immolaturus. Sic igitur & nos prius per hos dies Christo compatiamur & Passionem ejus cum mœrore recolentes pergamus cum eo in montem Calvariæ. Sic fiet ut in Paschate redivivum recipiamus, exultemus & gaudeamus dicentes: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

THEMA V.

Christus aries gregis, hoc est Dux & caput Martyrum.

I. *Quia præcellit omnes Martyres ob personæ excellentiam.*
II. *Præcellit passionis duratione.*
III. *Passionis acerbitate.*
IV. *Præcellit causa.*
V. *Præcellit effectu.*

Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est. Ioan. 8.

VIdere aliquem dicimur, non solū cum in propria persona ipsum intuemur, sed etiam cum in aliquo simili, imagine vel figura. Non vidit Abraham Christum modo priore sed hoc posteriore, & quidem tunc, quando inhibitus ab immolatione filij, *post tergum vidit arietem inter vepres cornibus hærentem*, quem loco filij mactavit, Gen. 22. Ita enim S. August. serm 71. de temp. *Aries ille*, inquit, *qui inter spinas tenebatur, & ipse typum Domini habuisse videtur. Nam & Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clavorum confixione pendebat.* Sed hic quæstio occurrit, cur aries, non alia de grege ovis Abrahę obiectus est? Ovis certe est aries, de qua Isa. 53. dicitur: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, non tamen præcise ovis, sed ovium dux & præcessor; quod aperte

te exponitur Jerem.11. ubi habetur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* in Hebr. *Ego quasi agnus dux reliquorum*; uti Blasius Viegas advertit in c.12. Apoc. Martyres sunt oves teste Apostolo ad Rom.8. *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Horum ergo dux Christus est velut aries, gregis ductor; qui proinde à S. Augustino appellatur *caput martyrum*; uti serm.2. de S.Stephano: *Christus ergo caput martyrum prior passus est.* Non quidem ita prior, ut nullus eum martyr tempore præcesserit (fuere enim & in V.T. martyres) sed prior in N. Testamento, & ita prior, ut nullius passio, sive in nova sive in veteri lege, passioni ejus comparari queat: sed omnes quotquot erunt & fuerunt martyres, palmam ei cedere & quidem infinitis parasangis debeant. Verissime enim S. Ambrosius l.10. in c.22. Lucæ: *Passio Domini,* inquit, *æmulos habet, pares non habet.* Nunc ergo videamus, quantum Christi Passio præcellat passiones quorumcunque Martyrum.

I. *Quia præcellit omnes Martyres ob personæ excellentiam.*

I. Præcellit personæ excellentia, quia Passio ipsius Dei fuit, reliquæ hominum fuere. Unde S. Augustinus serm.275. ait: *Christi Passio omnes superat passiones, quia cum autore universitatis nulla cujusquam est comparatio creaturæ.* Homines passioni ac morti obnoxii sunt, rei præsertim, Deus vero à morte & passione alienissimus est; qui nec mori potest, nisi assumpta aliqua natura mortali, quod fecit Dei Filius; & præfiguratum est in Isaac & ariete. Aries mactari & immolari debuit, quia oves ad macellum spectant: non Isaac, innocentissimus filius. Homines quasi oves sunt, & quasi oves erraverunt omnes (Isa.53.) Christus Dei Filius erat, cujus natura mortem excludit, & innocentia non commeruit. Non de pari corio luditur; quando vile aliquod mancipium provocat Regem ad duellum; nec paris miraculi est, cum se homo ad mortem offert, & cum Deus. Quanto excelsior est persona, tanto major est depressio, cum se ad crucem usque demittit: quis autem Deo excelsior? Hinc verissime Dei Filius per os Prophetæ dixit Ps.87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & in umbra mortis* sive *in lacu infimo*, ut Hebræi & Græci legunt. *Quis est autem*, inquit S. Augustinus in eum locum *lacus infimus, nisi profundissima miseria, qua non sit profundior? Unde alibi dixit: Eduxisti me de lacu miseriæ.* Ps.39. Nec enim ullus unquam hominum tam natura & nobilitate sublimis, tamque moribus innocens patibulum subiit aut tam indigna passus est; uti Christus Dominus.

Adhæc ipse posuit animam suam tanquam Dominus vitæ suæ; non ita Martyres, qui dederunt Deo vitam, quam ab eo acceptam, jure merito restituere eidem debebant. Unde Machabæorum Martyrum tertius, linguam & manus postulatus ut extenderet, ait: *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio.* 2. Machab. septimo, quasi dicat, restituo Deo, quod accepi ab eo. Itaque Martyres vitam aliquando morituri necessario Deo redditturi erant, solum anticipatione aliqua obtulerunt; velut si subditus fundum cedat domino suo vivens, quem cedere debet moriens. Magis Deo subjecti sumus, quam sint bruta nobis. Ea vera ad usum & delectationem nostram capimus, vexamus, agitamus, mactamus. Quid mirum si eodem jure agat in nos Deus? Christus autem nemini mortalium subjectus fuit; in cujus proinde potestate erat ponere animam suam, Martyres ad hoc vel à Tyrannis coacti sunt, vel certe cogi poterant. Quis autem cogat Deum? nonne ipse unico verbo, *Ego sum*, prostravit armatam in Oliveto cohortem? Hinc Dominus Joan.10. *Nemo tollit eam* (animam meam) *à me, sed ego pono eam à meipso.*

II. Præcellit passionis duratione; adeo ut à Sancto Joanne Apocal. decimo tertio dicatur *agnus occisus ab origine mundi.* Qua ratione vero? Primo quidem per figuras varias, ut minori scandalo esset & magis fidem mereretur (uti notat Tertullianus libro contra Judæos capite decimo) ab initio mundi prænuntiatus est: Primo, in sacrificio Abelis, qui ovium primogenita obtulit Deo, deinde ipsemet à fratre quasi agnus innocens occisus & victima Deo factus est. Genes.4.2. in sacrificio Abrahæ, quando loco filii immolavit arietem Gen.22.3. in agno Paschali Exod.12.4. in jugi sacrificio, seu agno quotidie mane & vespere offerendo. Exod.29. Verum hæ figuræ nihil doloris attulêre Christo. Secundo igitur occisus est ab origine mundi, & adhuc occiditur usque ad finem illius, dum in omnibus servis & membris suis præsertim Martyribus, & ipse passus & occisus est, patitur & occiditur velut Dominus & caput eorum. Ita scribit Sanctus Paulinus Epistola vigesima septima ad Aprum: *Ab initio,* inquit, *sæculorum Christus in suis patitur & triumphat: in Abel occisus est à fratre: in Noe irrisus à filio: in Abraham peregrinatus: in Joseph venditus: in Moyse expositus & fugatus: in Prophetis lapidatus & sectus: in Apostolis terra marique jactatus: in Martyribus toties & tam varie occisus. Ipse & in te patitur opprobria, & ipsum in se odit hic mundus: sed gratias ipsi, quod vincit, cum judicatur & triumphat in nobis.* Similiter loquitur Sanctus Cyprianus libro de laude Martyrii: *Martyr in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur Christus quam patiatur*, inquit. Confirmari hoc ex eo potest quod in vita Sancti Francisci Xaverii libro sexto capite quarto, scribit Tursellinus in Xaverio castello adeoque in ipsa natali Francisci domo ligneam Christi crucifixi effigiem, *quoties Xaverius gravius aliquid pateretur in India (quod ex ejus literis domesticis collatis temporibus compererunt) haud dubio sudore fluxisse: porro eo ipso anno, quo Xaverius extinctus est, feriis sextis deinceps omnibus per annum totum sudasse sanguine.* Quemadmodum igitur Arca fœderis toto tempore, quo per Jordanem transiêrunt Hebræi, in medio Jordanis alveo stetit & impetum aquarum sustinuit, Josue tertio, ita verissima fœderis Arca Christus omnium membrorum suorum Passiones & ipse quasi pertulit, in medio tribulationis cum ipsis existens. Hinc Matthæi vigesimo quinto ait: *In carcere eram & visitastis me*; utique in SS. Martyribus & aliis justis; in quibus

quibus & ipſe quaſi pugnat, juxta id Cypriani: *Chriſtus ſummus fuit martyr; hodieque pugnat & vincit in Martyribus*. tr. de dupl. martyrio. Accedit S. Auguſtin. in pſalm. 142. ſcribens: *Niſi Chriſtus & in membris ſuis hoc eſt, fidelibus ſuis preſſuram ipſe pateretur, Saulus in terra, Chriſtum in cœlo ſedentem non perſequeretur.* Denique paſſio Chriſti non uno aut altero die, ſed totâ ejus vitâ duravit; ſiquidem eam diſtinctiſſimè per omnia prævisam præ oculis ſemper habuit: cujus proinde toties mentionem fecit. Et hinc eſt, quod Marci decimo ad diſcipulos ſuos dixit: *Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini.* Quomodo jam tunc calicem paſſionis bibit & baptizatus eſt ſuo ſanguine, cum necdum pateretur, ſed aſcenderet primùm Jeroſolymam ad patiendum? utique per prævisionem, quâ calicem illum menti ſuæ obverſantem continuò quaſi hauriebat.

III. Paſſionis acerbitate. Nam inprimis alij Martyres ſubinde recreati fuere cœleſti conſolatione & quaſi rore aliquo in æſtu tormentorum aſperſi, uti plurimi teſtati ſunt: at non ita Chriſtus, qui omni prorſus ſolatio in paſſione deſtitutus fuit, quod indicavit eo verbo: *Deus meus, Deus meus quare me dereliquiſti?* Et iterum quando ad montem Oliveti pergens, brevi capiendus dixit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Luc. 22. Privata nimirum omni conſolatione, quam in parte inferiore ſentiret: *ſequeſtrata delectatione Divinitatis æternæ: tædio meæ infirmitatis afficitur*, inquit, ibi S. Ambroſius. Luculentius Laur. Juſtinianus l. de agone Chriſti cap. 1. *Deus*, ait, *in puris naturalibus ſenſibilem partem reliquit. Fluenta enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu quo ſolebant, emanarent in ipſam.* Divinitas ergo Verbi vires quidem ad patiendum humanitati dabat: non tamen delectationem aliquam ex beatitudine animæ ſenſitivæ ejus parti communicabat, quâ aſperitas paſſionis aliquantulùm mitigaretur. Merum igitur purum fel ſine omni mellis admixtione hauſit Dominus, quia pro omnibus patiebatur, juxta id Pſ. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Quomodo merum ſi mixtum? utiq; merum ipſi Domino, mixtum aliis conſolatione aliqua. Quam ob cauſam videtur reſpuiſſe vinum myrrhatum, porrectũ ſibi ante crucifixionem, ne conſopitis inde ſenſibus dolores minùs perſentiſceret. Quod ut Hebræis etiam modo aliquo inſinuaretur, quo ſuo Redemptori gratiores ſe exhiberent, præceptum eis eſt, ne mel ſacrificiis ſuis adderẽt, Lev. 2. quia videlicet Chriſtus ſine omni conſolationis melle peccata eorum expiaturus eſſet.

Deinde quia à propriæ gentis hominibus paſſus eſt nec non à proprio diſcipulo traditus: uti queritur pſ. 54. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utiq; &c. Tu vero homo unanimis, dux meus: & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.* q. d. ut exponit Theod. *Ea quæ ab inimicis fiunt, toleranda & ferenda cenſemus: omnium moleſtiſſimũ mihi videtur virum familiarem & concordem non ſodalem & convictorem factum & divinarum & humanarũ rerum mecum conſcium res inimicas & hoſtiles facere.* Hinc Dominus aſcendens Jeroſolymam ad patiendũ, quaſi ad feſtiva gaudia iret, præcedebat ſuos diſcipulos, ita ut ipſi ſtuperẽt, magnâ animi alacritate. Marc. 10. At quando eis in cœna expoſuit, quid ab uno diſcipulo paſſurus eſſet, *turbatus eſt ſpiritu & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Quaſi ſolam diſcipuli perfidiam ſentiret ac doleret. Omnes ad extremum, à quibus paſſus eſt, fuerunt creaturæ & ſervi ejus. Quid autem atrocius, quam à propriis mãcipiis vexari, opprimi, cruciari?

Denique quia ſupra vires humanas patiebatur, ſi D. Laurentio Juſtin. ſupra cit. c. 19 credimus. *Etenim*, inquit, *ſanè ſuprà naturam erat, ut homo in tantis corporis doloribus conſtitutus viveret. Vivificabat ergo prorſus ſeipſum, ut ad tam diverſa perferenda ſupplicia habilis fieret. Nam abſq; diſpenſatione agi non potuit ut mortalis caro in paſſionis vegetaretur igne & in tribulationum non abſorberetur pelago.*

IV. Præcellit cauſa. Nam inprimis Chriſtus paſſus *IV. Præcellit cauſa.* eſt pro bono & ſalute hominum; non ita Martyres, qui ſua paſſione non poterant hominibus parere ſalutem, quam ipſimet expectare à Deo debebant: itaque ſibi tantum & ſuæ ſaluti conſulebant: ſibi coronas parabant: dum in ſtadio pugnabant. Ipſi fuderunt ſanguinem ad inſtar ægrotorum, qui ſecant venam, ut ſanitatem recipiant: Chriſtus uſquequaque ſaniſſimus venas ſuas aperuit, ut ſalutem a ſe (?) generi humano cõpararet, idq; mero & gratuito amore, nihil à nobis mercedis expectans, uti Zacharias canit: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri viſitavit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent.* Luc. 1. Quod ſi Martyres pro accepto redemptionis beneficio vitam Chriſto offerebant eam non tam dabant quam reddebant. Audiamus Salvianum libro quarto de providentia. *Prima*, inquit, *hæc retributio eſt, ut mortem pro morte reddamus, ac pro eo; omnes: tametſi minoris multo pretii mors noſtra eſt quod mortuus pro nobis eſt, pro noſtra nos moriamur quàm ſua. Quo fit ut etiamſi mortem ſuſcipiamus, debita tamen non exſolvamus, &c.* Deinde cauſa propter quam à Judæis ad tam dira tormenta tamq; infamem mortem condemnatus eſt, fuit iniquiſſima, ſummæ ingratitudini conjuncta. Nemo unquam talia & tanta beneficia mundo contulit, nemo conferre potuit quanta Chriſtus impertiit: nemo igitur unquam tam iniquam mercedem accepit: nullius igitur martyrium paſſioni ejus comparandum, nedum præferendum. Eam ingratitudinem inſinuavit Dominus Judæis Joannis decimo. *Multa bona opera*, inquit, *oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis.* Et Pſalmo trigeſimo quarto. *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ*; ut nimirum labor, conatus, opera, poſteritas, nomen memoria mea extingueretur, laborabant. Quanta hæc ingratitudo! quantum ea urit homines præſertim ſapientes! quantum infigit aculeum! Cuculi ingratitudo in proverbium abiit,

quod ab alienâ matre fotus, exclusus, altus & quidem præ ceteris liberalius, tanquam major aliis pullis, summeque adamatus, tandem devoret altricem suam apud Aldrov. libro quinto. Ornith. cap. decimo septimo. At hoc idem rependit synagoga summo benefactori & nutricio suo Christo.

V. Præcellit effectu.

V. Præcellit effectu. Suo enim ductu & exemplo traxit hic aries post se innumerabilem gregem Martyrum, qui omnes velut oves occisionis sponte suâ perrexerunt imo anhelarunt ad macellum, ut Duci suo in passione, quoad possent, conformes fierent. Sicut ergo *ascendente Domino in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.* Matth. 8. ita ascendente eo in crucem, secuti sunt eum Martyres sine numero. Unde S. Ambrosius in cap. 23. Luc. ait: *Vnus diei triumphus fecit omnes propè jam homines triumphatores.* Propterea Tyrannus quidam, teste D. Chrysostomo serm. in Juventinum & Maximum tomo tertio bellum movere Christianis manifestè nolebat: *Omnes enim,* dicebat, *ad martyrium quasi ad alvearium apes volabunt. Hæc autem non à semetipso habebat, sed à progenitoribus suis didicerat.* Fuit itaque sanguis Christi quasi modicum fermenti, quod pervasit, vivificavit & roboravit orbis massam universam.

Deinde à passione Christi desumpsêre suas ad patiendum vires quicunque alii Martyres, ut testatur Joannes Baptista Joannis primo: *de plenitudine ejus,* (Christi) *omnes nos accepimus.* Quod videtur indicasse Dominus, quando in die resurrectionis suæ oblatum sibi piscem comedit, & reliquias dedit discipulis Lucæ vigesimo quarto. Ipse enim in cruce totus igne amoris quasi piscis assus fuit, cujus gustu roborati discipuli aliique innumeri ad martyria prosiliebant.

Jam vero postquam Ducem & caput Martyrum vidimus, superest ut nos etiam cum capite velut mēbra patiamur in hoc mundo, si cum ipso glorificari cupimus in cœlo. *Pudeat,* inquit sanctus Bernardus ser. quinto de omnibus SS *sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibuit. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum.*

* *
*

DOMINICA PALMARUM.

THEMATA.

I. *Quomodo introducendus in animam Christus*

II. *Processio fidelium conducens Christum in cœlestem Ierosolymam.*

III *Quid potissimum agendum in septimana S.*

IV. *Varii rami benedicti variis distribuuntur.*

V. *Præparatio ad S. Communionem.*

VI *Cum palma obviandum Christo patienti in hac septimana.*

THEMA I.

Quomodo introducendus in animam Christus.

I. *Asina solvenda, anima peccatrix.*

II. *Adducenda Christo anima in S. Communione.*

III *Christus suscipiendus & modo debito.*

IV. *Luxus vestium deponendus.*

V. *Habitus vitiosi exuendi,*

VI. *Christo gratiæ agendæ.*

Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit til mansuetus, sedens super asinam. *Matth. 21.*

S. Chrysostomus hom. 30. in Gen. ita conciona circa hoc tempus incipit: *Ecce tandem ad finem Quadragesimæ venimus & jejunii navigationem pe fecimus, appulimusq; Dei gratia in portum: Verum n ideo negligentes simus, sed hac de causa iterum maj studium, majorem diligentiam majoremq, vigilant exhibeamus. Nam & naucleri cū per multa maria tr sierint, & plenis velis oneratisq; mercibus in portu ingressuri sunt, tunc maximam curam & solicitudine gerunt, ne in scopulum vel petram quandam impinga quæ omnes priores labores simul disperdat. Et curso quoq; ita faciunt: cum enim ad finem stadiorum perv niunt, vehementiorem servant cursum, ut metam a tingant & præmiū mereantur. Athletæ quoq; post plu ma certamina & victorias, cum pro corona certandu est, majori nisu omnia faciunt, ut coronati abeant. Ita quemadmodum naucleri, cursores & athletæ ubi ad nem veniunt, magis enituntur & vigilant, eodem m do & nos facere oportet. Quia in magnam hanc heba madam pervenimus Dei gratia, nunc maximè & j junii cursus intendendus, & magis continuan sunt preces, faciendaque diligens & pura peccat rum confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemo na larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtut ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem dominicu venerimus, domini liberalitate fruamur.* Vidim

sup

superioribus Dominicis quid per Quadragesimam agendum nobis esset; nunc videndum superest, quid per hanc septimanam agendum. Nec occurrit quid accommodatius, quam id, quod discipuli & turbæ præstiterunt Christo in hodierno ingressu, non dubito enim vos omnes & singulos, si huic triumpho Christi interfuissetis, idem omnino facturos fuisse ad obsequium Christi, quod fecerunt discipuli & turbæ. Ego, diceretis, adduxissem illi asinum; ego arbores ascendissem & ramos præcidissem, & ego vestes exuissem eique substravissem; ego denique acclamassem: *O sanna Benedictus, qui venit, &c.* Bene est, faciamus ergo hæc per istam septimanam. Sed qui? audiamus.

I. Ad imperium Christi ierunt duo in Castellum, quod erat contra eos, & inventam asinam cum pullo solverunt à præsepio. Quid asina nisi peccatrix anima? Sic enim ps. 47. dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus jumentis insipientibus & similis factus est illis.* Asini communiter crucem lineis nigris in dorso notatam habent: Christiani cruce insigniti, adeoque servitio Christi deputati sunt; verum abripiuntur per peccatum in castellum, quod est contra eos, hoc est in ergastulum Dæmonis qui diligenter eos custodit & alligat ad stabulum suum, mundum scilicet sordidis voluptatibus repletum, juxta id Joëlis. 1 *Computruerunt jumenta* (Hebr. *mula*) *in stercore suo.* Castellum illud & stabulum contra ipsos est, quia carcer est, servans reos ad interitum eorum. Et tales quidem diu quærere non est opus, statim invenientur, quia plerique tales; & unusquisque si vel paulùm velit in seipsum inquirere, statim inveniet talem asinam.

Hæc inprimis solvenda est à præsepio, cui alligata est, vinculo in nodum contorto. Vinculum quid nisi peccatum? nodus est ejusdem peccati absconsio seu reticentia. Solvitur hoc vinculum, cum Confessario aperitur peccatum. Aperuisti ex integro? certus esto, solvisti nodum. Expuisti venenum? salvus & liber eris. Hic multi sese torquent, in solvendo nodo, in peccato aperiendo. At nonne stultum est, nescire, solvere nodum! non velle tam perniciosum? non velle & è Turcæ ergastulo sese liberare, nonne multo adhuc stultius? Sed reclamat caro: Cur solvis asinam? cur deseris voluptates tuas? sic occinebat Augustino conversionem meditanti: *Dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum in æternum? & à momento isto nō licebit tibi hoc & illud in æternum?* lib. S. Confess. cap. 11. Obsistet tibi mundus & pravi socij: Diabolus absterrebit. Verum dic; quia Dominus id jussit, & te opus habet, qui clamat Isa. 58. *Dissolve colligationes impietatis,* Idem per Ecclesiam præcipit. Væ ergo tibi, ni nodum istum solvas, quia confusio æterna te expectat, cùm à Deo aliquando solvetur, sicut nodus Gordius in loro Gordij rustici Phrygis factus nexu insolubili, ab Alexandro M. ense dissectus. Audi Oseam c. 13. *colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus* (en quid est colligare! abscondere peccatum.) Quid igitur illi fiet? *dolores parturientis venient ei.* Sicut enim prægnans puella, quæ ex stupro concepit, sæpe, ut peccatum tegat, uterum ligat & constringit, sed tandem partûs dolor simul & ignominia major illam obruit. Sic accidet peccatori peccatum abscondenti in die saltem judicij, si non & in hac vitâ; quod sæpe tamen fit, & expertus est Rex David, qui adulterium suum omnibus modis celare conatus est: sed frustra; quia id revelatum est Prophetæ Nathan, à quo & Davidi exprobratum, & post undique publicatum adeoque in scripturas sacras insertum, totique mundo manifestatum, denique multis modis punitum est morte filii, nece Amnon, rebellione Absolom: proinde quia ipse sponte non aperuit peccatum suum gladio dissectus est nodus, dicente Nathan: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternum, eo quod despexeris me.* 2. Reg. 12.

II. Adduxerunt jumenta Christo & imposuerunt vestimenta sua super ea, ut mitius & commodius in eis sederet. Hunc in modum adducenda ad Christum in S. communione anima, sed cum præparatione debitâ, adeoque insternenda & ornanda est certis virtutum actibus, qui tantum sessorem decent, & suaviter, ut sic loquar, in eâ sedere faciant. Tales autem sunt inprimis munditia corporis & animæ: ut non modo à peccato gravi, sed & à contaminatione carnis, etiam quæ in legitimo thoro fit, libera sit. Scimus corruisse Dagon, (Veneris idolum, secundum Serarium & alios) quando arca fœderis in ejus templum illata fuit ab Azotiis 1. Reg. 5. Non timeat pollutus adducere in corpus suum filium Dei & Virginis purissimum? Azotij post illud factum fœdo morbo puniti sunt, quia scilicet ad fœdum idolum induxerunt arcam. Et quid illis expectandum qui impuro ore susceperunt Dei filium? Quanto sæpe labore mulieres se ornant, ut placeant viris suis, vel etiam alienis aut juvenibus lascivis? quid ergo non laboris adhibere decet animam, ut placeat sponso suo Christo? Pelagia illa peccatrix Antiochiæ in asello sedens cum incredibili pompâ prodibat, compta & ornata undique auro & gemmis, in ipsis adeo sandaliis & pedibus: unguentis & odoribus suis aërem perfundens, stipata puellis & juvenibus. Eam Nonnus Episcopus Edessenus ibi tum præsens, alijs Episcopis vultum avertentibus, intentis aspiciebat oculis, post facie in sudarium depositâ altis suspiriis tractis & largo lachrymarum imbre effuso ait: *Ecce Deus ex hac fœmina nos judicaturus est. Quot enim horas ea consumpsit in corpore suo comendo & ornando, quantum & quos sumptus impendit ut placeret juvenibus, cras forsan morituris: & nos habentes sponsum immortalem, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, amplissima reponentem præmia fidem ipsi servantibus, nihil studemus ornandis miseris animabus nostris maculisq; abstergendis, ut ei placeamus.* Moxque abiit in cubiculum suum manu diaconi sui prehensa, ibique prostratus cum lachrymis oravit: *Ignosce mihi Christe socordiam meam. Ecce enim unius diei ornatus in hac fœmina superat omnem ornatum animæ meæ. Væ mihi misero, qui assisto ad sanctum altare tuum, nec exhibeo tibi pul-*

II. Adducenda Christo anima in S. communione.

chram, ſicut expetiī, animam meam &c. ut ſcribit Jacobus Diaconus Heliopoleos in vitâ S. Pelagiæ 8. Oct. Lipel. Cogita hoc & tu acceſſurus ad Menſam Chriſti.

III. Chriſtus ſuſcipiendus & modo debito.

III Chriſtum deſuper ſedere fecerunt. Nos etiam, hoc inprimis tempore Chriſtum in nos per S. communionem ſuſcipiamus, ita ut deſuper nos ſedeat velut Rex & ductor noſter. Nemo noſtrum ſit, qui Chriſtum non ſuſcipiat, quia venit nobis, non ſibi: *Ecce Rex tuus venit tibi.* Japones & Indi eâ demum de causâ ſuſceperunt S. Xaverium ejusque fidem quia viderunt eum propter ſe per tot maria & terrarum immenſa ſpatia veniſſe in terram ſuam. Chriſtus tibi de cœlo venit in S. communione & non admittes eum? non impones animæ tuæ? Verum ita imponendus eſt, ut non infra, ſed deſuper ſedeat, vult Rex & Dominus noſter, ut nos illi totos committamus gubernandos, ſicut civitas ſe tradit adventanti ſuo Principi. Non ergo amplius eas quò tu vis, ſed quo te ducet Chriſtus verbo ſuo. Adhæc portemus etiam hac ſeptimanâ Chriſtum, delibando ejus paſſionem & cum ipſo aliquid patiendo ſicut monet S. Paulus ad Hebr. 13. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.*

IV. Luxus veſtium deponendus.

IV. Cædebant ramos ex arboribus & ſternebant in viâ, quâ iturus erat Dominus. Quinam iſti rami? *Palmarum*, ait S. Joannes. Palma ſpecioſa valde arbor eſt his terris incognita, quæ uno ſtipite præalto, recto & quaſi ſquamato conſtat, supernè, prælonga ſua dilatat folia ſeu ramos, gladij formam referentes, veluti comas. Et quid deſignat niſi veſtitum luxuriantem, & ornatum corporis inſolentem, qui etſi toto anno, hoc tamen præſertim tempore, quo Chriſtus venit humilis, ſedens in aſinâ, præcidendus ac deponendus eſt? Ita enim Sanctus Bernardus ſerm. 4. hebdom. pœnoſæ: *Vniverſi Chriſtiani hac ſeptimanâ humilitatem ſectantur præ ſolito ac præter ſolitum. Quis tam inſolens* ut (hoc tempore) *non humilietur?* Hoc Pontifex & Episc. Reges multi ac Principes hac hebdomade gloriam ſuam abjiciunt ad pedes pauperum. S. Eliſabetha per hos dies nullum ſibi à gynecæo & ancillis honorem impertiri voluit; ut in ejus vitâ. Sed difficile eſt, dicent aliqui, palmam aſcendere ad cædendos ejus ramos, quia truncus ejus, columnæ inſtar rectus, internodiis caret: difficile & nobilibus pompam veſtium abjicere. Agnoſco hoc & agnovit etiam Aaron, quando inſtantiâ impatientis populi juſſus conflare vitulum, petiit ad conflandum omnium inaures; exiſtimans id populum minime facturum, uti aſſerit S. Auguſtinus q. 141. in Exod. Et tamen amor ficti & bruti Dei, capitis inquam vitulini, pervicit adoleſcentes etiam ac mulieres, ut in ejus figmentum inaures ſibi detraherent. Igitur amore veri Dei non velint Chriſtiani deponere ornatum ſuum hoc ſacro tempore? Judæi ramos unà cum veſtibus ſuis ſubſtraverunt Chriſti pedibus. Pedes hi ſunt pauperes, in luto & ſqualore degentes, teſte Auguſtino in pſal. 51. in hos nunc impende, quod alioquin inſumeres in ornatum ſuperfluum & vanum.

V. Exuebant veſtimenta ſua & ſternebant in viâ, ut ſuper illis incederet Dominus. Veſtimenta ſignificant habitus vitioſos, ob eorum quotidianum uſum & firmam adhæſionem; unde etiam veſtitus dicitur *habitus*. Docet autem ut cum Chriſto reſurgente novi homines, novo veſtiti modo vivendi reſurgamus. Unde & antiquitùs Catechumeni tempore paſchali habitum mutabant & album induebant uſque ad Dominicam in Albis, ubi iterum deponebant. Tunc enim Chriſtus Dominus velut ſponſus proceſſit de thalamo ſepulchri ſui, adferens ſecum ſponſam, Patres è limbo ereptos, novo habitu, gloriâ & honore circumdatus & glorioſi corporis dotibus ornatus, decet igitur ut amici ſponſi & qui ad nuptias invitati ſunt, cum veſtibus itidem novis & nuptialibus prodeant: ne cum homine illo non veſtito nuptialiter ejiciantur in tenebras. Igitur deponenda odia inveterata & inimicitiæ, reſtituenda bona aliena, abjiciendæ pellices & libri prohibiti: vitanda ebrietas & iracundia, uti monet S. Paulus ad Coloſſ. 3. qui cùm dixiſſet: *Si reſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite*; ſubdit: *Nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Omnia ergo hæc in lutum abjicienda & conculcanda ſunt, ita ut non reſumantur ampliùs, juxta id ſponſæ Cant. 5. *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sic enim & Chriſtus reſurgens non reſumpſit veſtes ſuas, quas priùs habuit; nec linteamina, quibus ſepultus fuit; ſed in ſepulchro ea reliquit. Et quis quæſo ſine horrore & ſuo & aliorum reinduere poſſet veſtem, dudum à ſe in ſterquilinium abjectam? Quis non averſatur Judæos, qui reſumptis, ut videtur, veſtibus ſuis, quem hodie, ut Regem exceperunt & honorarunt, poſt quinque verò dies ut hoſtem & malefactorem ejecerunt ac crucifixerunt?

VI. Clamârunt dicentes: *O ſanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: O ſanna in altiſſimis.* Hunc in modum Chriſto in Euchariſtia ſuſcepto laudes canendæ & gratiæ agendæ, cumque eo aliquamdiu commorandum in piâ meditatione ſuæ paſſionis, gratiæ alicujus petitione, ſui ipſius oblatione, ſubſequente honeſtâ & gravi converſatione; ita ut commoveatur totus homo, quemadmodum hodie ingrediente Jeroſolymam Chriſto *commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?* Sic enim Hebræi delapſo ad ſe manna dicebant; *Manhu! quid eſt hoc?* Hoc etiam prophetico ſpiritu prævidit & requirit Pſalmiſta pſal. 21. illis verbis: *Edent pauperes & ſaturabuntur & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in ſæculum ſæculi.* Sed hoc non faciunt niſi pauperes & famelici, qui requirunt Dominum: cæteri mox ad ollas carnium Ægyptiorum revertuntur: nec majori fructu communicant, quam Judas, qui acceptâ buccellâ *continuo exivit*, ut ait Joannes cap. 13. utique ad proditionem faciendam. Aliter ſanè Chriſtus non inſtruit Joannis ſexto: *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem: in me manet & ego in eo.* Priùs tu cum Chriſto mane in

gratia

ſanctâ converſatione, & tum ille apud te quoque manebit.

THEMA II.

Proceſſio fidelium conducens Chriſtum in cœleſtem Jeroſolymam.

I. *Magnates ſolvant aſinos, id eſt debitores &c.*
II. *Docti & illuminati rudes inſtruendo, aſinos Chriſto adducant.*
III. *Divites ſuis veſtibus aſinos inſternant, pauperes eleemoſynis.*
IV *Sacerdotes imponant Chriſtum aſino, fideles in Dei gratiam.*
V. *Pii ac perfecti ſuas virtutes Chriſti pedibus ſubſternant.*
VI. *Peccatores cædant ramos vitiorum ſuorum & ſternant in viâs ac lutum.*
VII. *Fœlices ſecundum præſens ſæculum cantent laudes Deo.*
VIII. *Subditi & afflicti portent onus ſuum ſibi impoſitum.*

Turbæ autem, quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant dicentes? Oſanna filio David. *Matth.* 21.

INſtituitur hodiernâ die proceſſio in Eccleſiâ cum palmarum ramis ad imitationem illius, quâ deductus fuit Chriſtus Dominus hoc die à turba & diſcipulis in civitatem Jeruſalem. Jeroſolyma noſtra cælum eſt, eo nos peregrinamur & quidem Chriſto ductore. Cum illo & per illum ingredi debemus in *viſionem pacis*, quam ſignificat Jeruſalẽ. Huic proceſſioni qui non vult intereſſe cælũ ingredi non vult. Sed neq; otioſi & ſpectatores tantum ad eam admittuntur. Omnes, quotquot adfuerunt illi proceſſioni inſtitutę in Ieruſalem, aliquid agebant. Alii ſolverunt & adduxerunt aſinos: alii inſtraverunt veſtibus: alii Salvatorẽ in eos ſuſtulerunt: alii viam publicam veſtibus ſtraverũt alii de arboribus ramos abſciderunt: alii cantarunt: aſelli deniq; & ipſi ſuum munus executi ſunt, geſtando Creatorem ſuum. Pari modo & nos præſtare aliqua obſequia Chriſto oportet, ut gloriæ ipſius participes ſiamus. Ea verò gravia non ſunt; uti nunc videbimus.

I. Solverunt quidam aſinos; diſcipuli duo ſcilicet à Chriſto ad hoc miſſi. Faciant hoc magnates & Domini. Habent illi primò plerumq; debitores ſibi obæratos, ſubditos ex cenſu annuo ſibi obligatos qui non ſunt ſolvendo. Quid hi niſi aſelli miſeri, funibus alligati? ſolvant igitur eos & a debitis abſolvant, bonâ ſaltem ex parte, ſi gratum Chriſto obſequium præſtare & cum eo glorioſe ingredi in cœleſtem Jeroſolymam volunt. Quod ſi me audire nolunt audiant Iſaiam c. 58. *Ecce*, inquit, *in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.* Et mox: *Nonne hoc eſt majus jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimẽtes*, h. e. ſyngrapha & chirographa obligationum, violentas cautiones de ſolvendis debitis, uſuris, cenſibus &c. Neque hoc grave illis videatur, quoniam & ipſi volunt ſibi à Deo remitti ſua debita, longe graviora. Unde S. Gregorius hom. 16. in Evang. ait. *Dignum eſt, ut quisquis ſe pœnitentiâ maceret, etiam hoc, quod ſibi juſte competit, interdicat. Sic nobis afflictis & pœnitentibus à Deo dimittitur, quod injuſtè egimus, ſi pro amore illius & hoc quod nobis juſtè competit, relaxemus.* Ita fecit Mitzlaus Princeps in Pomeraniâ, Wolgaſti à S. Ottone Epiſcopo Bamberg. converſus & baptizatus, qui ut remitterentur ipſi peccata ſua à Deo, dimiſit omnes vinctos & debitores ſuos, licet maximos in vinculis detentos, ut habetur in vita S. Ottonis 2. Iulii.

2. Habent ſæpe captivos, ob non magna ſcelera conſtrictos in carceribus, vel ſi tales non habent, habebunt forſan inimicos, quibus necdum reconciliati ſunt aut injurias condonârunt. Solvant eos hoc tempore; ſiquidem & ipſi condonari ſibi nunc à Chriſto injurias deſiderant. Nôrunt Hebræorum conſuetudinem, quá tempore Paſchali vinctum unum dimittebant, in memoriam liberationis ſuæ quâ è ſervitute Ægyptiacâ olim eodem tempore dimiſſi ſunt, faciant hoc Chriſtiani quoque modo Chriſtiano. Fecit certè nobilis quidam Carinthus, Glancker nomine, Volkenmarki reſidens, qui cum foris obequitans haſtâ retro à quodam ſuo perfide transfixus fuiſſet, moriens noluit indicare eum, nec eum ut inquireretur permittere: *Deus avertat*, inquiens, *ut mei causâ quis patiatur; quin potius ignoſco ei libens, ut jam morituro Deus quoque ignoſcat peccata mea.* Gerard. de Roo lib. 2. hiſt. Auſtriacæ. Audiant S. Clementem l. 2. Apoſt. Conſtit. c. 53. Si Chriſtianus eſſe vis, *ſequere legem Domini, diſſolve omne vinculum iniquitatis: in te enim poſuit Dominus poteſtatem remittendi peccata in te commiſſa*, ſic ille. *2. Vinctos & inimicos.*

3. Habent denique famulos & ancillas ſervitiis ſuis obligatos; ſolvant & dimittant, eos, hoc tempore à laboribus conſuetis, ut & ipſi conſcientiæ ſuæ proſpicere & ſaluti queant conſulere. Dimittant ad rem Divinam, participanda Sacramenta, non ſint inſtar Pharaonis, qui nec iter trium dierum concedere Hebræis voluit, ut liberi à laboribus immolare Deo poſſent. Exod. 3. & 5. *3. Famulos ad rem divinam.*

II. Diſcipuli iidem adduxerunt Chriſto aſinos. Faciant hoc docti & illuminati: adducant ad Chriſtum rudes, à fide & via virtutis aberrantes, verbo & exemplo. Hoc idem inſinuavit Dominus, quando Lucæ 18. juſſit cæcum adduci ad ſe. Non miſit ad hoc cæcos, ſed videntes, voluit ergo à doctis & prudentibus adduci ad ſe cæcutientes & rudes. Neque dicat aliquis. Quid ad me illi. Ad quid enim Dominus ait: *Nemo accendit lucernam & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Lucæ 11. Et cur hanc eandem ſententiam toties, tribus ſcilicet diverſis in con- *II. Docti & illuminati rudes inſtruendo aſinos Chriſto adducant.*

concionibus,repetiit:nimirum in sermone habito in monte, Matthæi 5. Rursum in sermone de parabolâ seminis,Luc.8.Denique in sermone post ejectionem Dæmonis muti habito, Luc.11. nisi quia hoc præceptum , illuminandi rudes serio commendare voluit iis , quibus lumen scientiæ & sapientiæ à Deo collatum est? Et nonne hoc natura docet ? Oculus enim non sibi tantum,sed omnibus commembris adeoque etiam pedibus videt eorumque ductor est. Sumus autem & nos membra unius corporis. Quare sicut Joseph noluit impertiri fratribus suis frumentum & gratiam suam, nisi adducerent secum fratrem suum minimum, Genes 48. dicens: *Non videbitis faciem meam,nisi adduxeritis fratrem v strum minimum*? ita nisi quis eruditus conetur saltem seu verbo seu exemplo,cum ad hoc vires habet & occasionem, adducere ad Deum etiam minimum fratrem suum,non videbit gloriam Dei.

III. Divites suis vestibus asinos insternant pauperes eleemosynis.

III.Alii vestimenta sua imposuerunt super asinos, tum ad ornatum & pompam, tum ut in iis Christus commodius sederet. Obsequium hoc Christo divites exhibeant , si cum eo ingredi in civitatem sanctam volunt. Certe sancti Laurentij Justiniani Patriarchæ gravis sententia est, *divites,nisi eleemosynis dandis,salvari non posse*; (ut habetur in ejus vita capite 9. apud Sur.8.Jan.) ad hoc enim illis datæ sunt divitiæ.Eo etiam remittit divites Isaias supra cap.58. *Frange*,inquit,*esurienti panem tuum & egenos vagosque induc in domum tuam:cum videris nudum,operi eum,& carnem tuam ne despexeris*.Quâ sententia,ut S. Augustinus ser.62.de tempore advertit, urget ad eleemosynam non solum divites,sed etiam pauperes.*Non dixit* inquit,*ut integrum daret , cum forte pauper ille alium non haberet:sed,frange*,inquit,*hoc est dicere: Etiamsi tanta paupertas tibi est,ut non habeas nisi unum panem , ex ipso tamen frange & pauperi tribue*. Qualis certe fuit liberalitas Macedonum in summâ eorum paupertate, seu *altissima* ut appellat eam & prædicat Apostolus 2.Cor.8.erga pauperes Neophytos. Certe nec discipuli Christi superflua habuêre vestimenta; attamen aliquid sibi detraxerunt vestium , quo nudum vestirent asinum ad honorem Domini sui. Urget deinde alterum eleemosynæ opus:*Egenos vagosque induc in domum tuam*.quasi dicat (ut observat ibidem Augustinus) *Si aliquis ita pauper est,ut non habeat unde tribuat pauperi cibum;vel in uno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum*.Urget etiam tertium:*Si videris nudum,operi eum & carnem tuam ne despexeris*.q.d.Sicut carnem tuam non despicis , sed cooperis contra frigus ac foves bonis vestibus:ita fac & nudo;quia frater & caro tua est; ac siquidem,operi eum veste tua,non potes,operi eum suâ , operi eum stramine.

IV. Sacerdotes imponant Christum asino,fideles in Dei gratiam.

IV.Alii Christum in jumentum sustulerunt & *desuper sedere fecerunt*. Munus hoc sacerdotum est,qui in Sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ potissimum Christum ejusque gratiam imponunt fidelibus ut in eis suaviter equitet, eosque regat ac gubernet. Qui cum suum officium procul dubio faciant, non est quod eis dicam. Adhortor solum Laicos fidele ut in hac sacerdotum functione se illis obsequente præbeant,Christumque sibi imponi sinant, non refu giant,nec recalcitrent,sed veluti mansueti aselli su ve onus non recusent. Magnum præstitisset benef cium languido illi,ad piscinam per tot annos jacent si quis eum ad motum aquæ intulisset in piscinam. A hoc beneficium , imò longe majus sacerdotes exh bent pœnitentibus , cum absolvunt eos & corpo Domini cibant.

V.*Plurima turba straverunt vestimenta sua in vi* Piorum ac perfectorum , qui in sancta conversatio ne & bonorum operum studio assiduo se exe cent , officium istud est. Hi vestiti & ornati su virtutibus & meritis , sed ne per vanam gloria spolientur hoc ornatu , substernant eum pedibu Christi,eique acceptum ferant , ac ne pedibus qu dem ejus satis dignum existiment.Docent hoc 24.S niores,qui in cœlo à Joanne(Apocalypsi quarto)v si sunt procidere ante sedentem in throno Deum, mittere coronas suas ante thronum dicentes : *Dig nus est Dominus Deus noster accipere gloriam & hon rem & virtutem &c.* Idem docent primi Christian qui venditarum possessionum suarum pretia affere bant & ponebant ad pedes Apostolorum, Actorum ne ex eo tam strenuo licet opere sibi quidquam arro garent,sed ut totum Deo adscriberent , uti & po sessiones suas earumque pretia, non à se, sed à De se accepisse eique accepta ferre testarentur , ut ib observat Sanctus Chrysostomus. Hoc denique do cuit Magdalena, quæ postquam à septem Dæmoni bus per Christum liberata fuit , postea semper a ejus pedes se abjecit, ibique consedit , ut totam se quanta,quanta erat , adeoque suam conversionen liberationem ,gratiam & salutem ad ipsum referret ejusq; pedibus substerneret.

VI.*Alii cædebant ramos de arboribus & sternebant in via*.Peccatorum , sed pœnitentium, hoc obsequium esse debet , si cum Christo ingredi Jerosolymam seu *visionem pacis* volunt. Quid sunt rami arborum,non sursum erecti,sed in latera d ffusi,nisi prav cupiditates & terrena desideria , deviantia à Deo & declinantia ad creaturas ? Quomodo talis arbor onusta talibus ramis per angustam cœli ingredietur januam ? Dicam : si homo constanter laboret,ut securi pœnitentiæ eos resecet, & velut res abominabiles in vias & lutum abjiciat. Quid agunt hortulani,ut à zizaniis areolas , & pravis germinibus expurgent arbores suas ? Assiduè cum palâ & falce circumeunt hortum suum , quibus herbas inutiles & vitulamina exterminant ; atque ita fructum ex hortis suis colligunt. Idem faciant illi , qui sæpius labuntur : fodiant crebro conscientiam suam examine, & per frequentem confessionem ac propositum emendationis exscindant noxia germina, & abjiciant in lutum , quasi rem detestabilem & fœdam , non resumendam in æternum. Quid egit Abraham , quando ad ejus sacrificium advolabant aves? Gen. 15. Continuo abigebat eas. Quod

Ki-

si iterum advolarent, iterum abigebat. Quid egit Isaac, quando pastores Geraræ obstruxerunt puteos, quos ipse sibi foderat? Abiit in alium locum, & effodit sibi novos. At vero pro istis etiam rixari cœperunt; quid faceret ergo Isaac? Abiit ab eis & fodit sibi alios: sic tandem ipse evicit effecitque ut postremum rixæ cessarent. Gen. 26 Fac tu hoc Christiane. Dæmon te infestat? accipe flabellum pœnitentiæ & fuga eum. Obstruit tibi puteos, quos fodisti tibi, bonorum propositum? abi & aperi tibi novos.

VII. *Alii cantabant & clamabant dicentes: Hosanna filio David.* Hoc faciant illi; qui sani & secundum præsens sæculum felices sunt, qui nullâ ferè tempestate adversitatis pulsantur sed tranquillo mari navigant. Periculosa quidem est longa malitia, & tam tranquilla in divitiis & deliciis vita. Verum ipsi quoque ingredi in beatam civitatem poterunt, si bona, quibus fruuntur, Deo accepta referant & pro iis sedulò gratias agant, prout monet Apostolus ad Ephes. 5. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri.* Sic enim Angelis sanctis non obfuit felicitas statûs, in quâ creati sunt; quia nimirum simul ac creati sunt, cœperunt Deo laudes canere & gratias agere pro accepto beneficio, uti testatur Deus Job. c. 38. *Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina & jubilarent omnes filii Dei?* Propter hanc namque laudem confirmati sunt in gratiâ & felicitate suâ, gloriamque acceperunt. Eandem ob causam SS Patriarchæ, cùm omnibus rebus abundarent, à salute tamen non exciderunt, quia omnem suam fortunam, prosperitatem & rerum abundantiam Deo acceptam ferebant, quotiescunque ea commemorabant. Ita Noë, qui salvatus à diluvio. *ædificavit altare Domino.* Genes. 8. Abraham acceptâ promissione terræ S. *ædificavit altare Domino.* Gen. 15. Idem fecit Isaac acceptâ promissione seminis. Genes. 26. Similiter & Jacob liberatus à metu fratris Esau. Genes. 33. Iidem cum commemorarent bona sua, appellabant ea dona Dei, uti Jacob filios suos. Genes. 33. nec non pecora sua ibid. Sic & Joseph filios suos. Gen. 38. Hos si imitari velint, qui prospero hic vento navigant, si Deo laudes canant, non difficilè portum salutis attingent.

VIII. Denique & asinus aderat huic processioni. Et quid ipse? portabat Christum, suave onus, utique cautè, patienter & cum silentio, Creatori suo morem gerens & quem poterat honorem exhibens. Hoc obsequium est subditorum, ægrorum, afflictorum, famulorum, & famularum. Portare illi deberent pressuras & miserias, quia premuntur vel à paupertate, vel ab ægritudine, vel à servitute. Quid agent miseri? Taceant cum asino & patienter onus suum ferant, non recalcitrent nec fugam moliantur, sicut asina Balaam, conquesta de suo domino, si unà cum Christo ingredi cœlum volunt. Ingratus & absurdus valdè est cantus seu ruditus asini; ac siquidem asellus Christi in eâ processione rudere cœpisset, procul dubio totam musicam pervertisset. Pari modo subditi, servi, ægri, laborantes & onerati, si murmurare, indignari, maledicere, blasphemare, rebelles se ostendere vellent, quid nisi ruditum asinorum ederent, eoque omnem harmoniam corrumperent? His ergo dicendum, quod Isaias cap. 30 dixit Hebræis, fugam in Ægyptum molientibus: *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis, in silentio & spe erit fortitudo vestra.* Quod sub onere suo gemunt impatientes, murmurantes & maledicentes, fugere miserias suas conantur: sed in graviores incidunt, uti contigit Judæis illis, qui contra verbum Isaiæ, ut diximus, prophetantis, & Jeremiæ cap. 42. eos dehortantis fugerunt in Ægyptum, ubi à Nabuchodonosore partim occisi, partim abducti sunt in gladium & captivitatem Dæmonis; sicque illis contigit; quod fabuloso Æsopi asino, qui de hortulani sævitiâ querulus Jovi supplicabat alium dari herum. Audiit Jupiter & dedit tegularium. Ubi cùm tegulas & graviora pondera vectare cogeretur rursum orat dari mitiorem herum. Ridens Jupiter dat ei coriarium, qui ipsam etiam pellem asino detraxit. Accidit hoc illis, qui onera sibi imposita excutere laborant; graviora enim incurrunt plerumque, si non semper.

Nos ergo pergamus cum Salvatore nostro, in suo quisque obsequio, cum spe & silentio; ibi apparebit fortitudo nostra; & sic itur in Jerusalem. Nemo jam queratur, quod sit ipsi difficile acquirere salutem; videmus enim omnibus facilem patêre viam magnatibus, litteratis, divitibus, peccatoribus, prosperâ fortuna utentibus & adversa. Stemus ergo simul, nemo nostrum subtrahat se ab hac processione, ne subtrahat se à cœlo.

THEMA III.

Quid potissimùm agendum in septimana S.

I. Corpus edomandum.
II. Peccata deflenda.
III. Templum frequentandum.
IV. Observandæ sacræ cæremoniæ horum dierum.
V. Confessio & communio ex obedientia facienda.
VI. Peccata, eorumque fibræ tollendæ.
VII. Iuvandi pauperes.
VIII. Christo patienti compatiendum.
IV. Peccatis moriendum.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21.

RUdolphus Imper. I. quando pro Ducatu Austriæ cum Ottocaro Bohemorum Rege decertabat, contigit ut ipse cum exercitu suo siti laboraret. Ferunt tunc agresti cuidam, qui messoribus potum ferebat, ablatam hydriam licerâ plenam atque Imperatori oblatam, quam cùm ille vidisset: *Reddite* inquit, *homini vasculum suum; nam ego exercitui, non mihi*

sitiebam. Quâ suâ abstinentiâ totum exercitum in sitis tolerantiâ confortavit & quasi refocillavit. Æn. Sylvius l.3. Comment. in Panorm. Summus Imperator noster Christus Dominus multa hodiernâ & sequentibus hujus sanctæ Septimanæ diebus egit: Sedit in asino, flevit super Jerusalem, intravit templum, omnia circumspexit, vespere rediit in Bethaniam, sequenti die reversus in templum ejecit inde mercatores, post sanavit cœcos & claudos; denique passus est & mortuus. Hæc omnia cur fecerit, si quæreremus; responderet nobis: Non mihi sed vobis omnia hæc egi. Vobis primò quia ad salutem vestram; deinde vobis ad exemplum; juxta id: *Exemplum dedi vobis, &c.* Testem advoco S. Petrum, qui ait. 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Atque hoc indicare vult Matthæus in hod. Evangelio, cum ait ex Zacharia: *Ecce Rex tuus venit Tibi.* Quare, si ut decet, hanc septimanam pie transigere volumus, non poterimus meliùs, quàm hæc Christi facta imitando. Quo vero modo id possimus, nunc videndum.

I. *Corpus edomandū.*

I. Christus Dominus hac hebdomade & quidem hodierno die asinam ascendit eaque Jerosolymam invectus est, quod nunquam alias fecisse legitur. Qua ratione ipsum in hoc imitabimur? Interrogemus S. Franciscum, & dicet nobis corpus nostrum esse asinum; sic enim ille corpus suum compellabat. Hunc si unquam certè nunc ascendere & premere, nobisque subjicere decet; quo modo & Sanctus Paulus 1. Cor. 9. ait: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Græcè ὑπωπιάζω, id est, subigo, coërceo, contundo, se per jejunia, cilicia, flagella, humiliationes, vigilias, &c. Æquum verò est ut Christo patienti modo aliquo nos conformemus. *Non enim decet membrum delicatum esse sub spinoso capite*, ut ait S. Bernardus ser. super id: *Ego sum vitis vera.* Scimus ex 2. Reg. 15. quando David Rex fugit Absalonem lugens operto capite, & pedibus usque nudis egrediens Jerosolymâ ascendit montem olivarum, totam ejus aulam simili modo (licet plerique molliter educati, & teneri & delicati essent, uti filii & uxores aliique) ipsum subsecutam. Cumque moneret Rex Ethai, exterum Ducem, qui nuper ad ejus aulam venerat, ut reverteretur, renuit ille dixitque: *Vivit Dominus & vivit Dominus meus Rex quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus.* Quid facient ergo Christiani, videntes Regem suum egredi Jerosolymâ, primò mæstum in monte Oliveti, deinde onustum cruce cum maximâ confusione ad montem Calvariæ, non & ipsi sequentur Regem suum?

II. *Peccata deflenda.*

II. Flevit ac deflevit peccata Judæorum, qui sua non fleverunt, cum descendens ex Oliveto vidit Jerosolymam. Jam si is aliena peccata flevit, an non magis decet, ut defleamus propria? id certè in illo ipso fletu dicens: *Quia si cognovisses & tu* q. d. utique fleres. Idemque posteà clarè edixit ad mulieres plorantes, cùm ad mortem educeretur: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros, &c.* h. e. magis quàm super me; quia gravius supplicium imminet filiis vestris, quam mihi quod si vellent lachrymis delere, non difficile possent: obsidionem inquam arctissimam Titii, & denique gehennam. Flet filius, quia audit à patre condemnatum servum ad mortem. Videt servus flentem sui causâ filium & ipse non flebit?

III. Post ingressum urbis mox intravit in templum idque repetiit sequentibus diebus hujus hebdomadis, usque ad passionem suam, differens cum Judæis & quidem ex Bethaniâ, quæ 15. stadiis, h. e. 1875 passibus distabat Jerosolymis. Non tam longè absumus à templo, quod certè hoc passionis tempore crebrius & quotidie meritò adeundum. Si enim cives Jerosolymitani Christo adventanti extra urbem obviam ierunt cum jubilo & pompâ, propterea quod nuperrimè in Bethaniâ Lazarum suscitâsset, quanto magis decet ut nos cum omni devotione occurramus ei, qui non unum Lazarum, sed nos omnes & universum mundum his diebus à morte ad vitam revocavit? Ita argumentatur S. Chrysostomus hom. in hebd. S. to. 5. Græcè edit. Acriter sensit David Rex, quando in fuga sua non secutus est eum Miphiboseth, cui mensam suam regiam fecerat communem; unde quasi in magnæ ingratitudinis reum animadvertens, ejus bona alteri donavit, eumque posteà graviter objurgavit: *Quare non venisti mecum Miphiboseth?* 2. Reg. 19. q. d. Ad mensam quidem venire sedulò consueveras: me vero in tribulatione constitutum comitari non voluisti, quanquam Miphibosethum sine culpâ fuisse posteà intellexit. Quid dicturum putamus Christum, si eum per hos dies in passione suâ nobis ab oculos positum contueri & comitari renuamus, qui tamen ejus mensâ & beneficio fruimur quotidie? præsertim si die, quo salutem nostram operatus est, à re divinâ nos absentemus.

IV. Vespere in templo omnia circumspexit, ut habet Marcus cap. 11. an omnia videlicet essent munda & suo loco, quod indicat textus Græcus πάντα περιβλεψάμενος h. e. cum omnia circumspexisset nō, utrum quis eum invitaturus & hospitio excepturus esset, uti aliqui perperam exponunt. Pari modo decet nunc fideles respicere ad ceremonias, quæ his diebus in templo fiunt, easque intelligere & expendere. Inprimis hodie Crux velatur; & in parasceve iterum revelatur; quia Christi gloria & divinitas in passione obscurata fuit dum latronis instar habitus, nullo miraculo se defendit ut DEUM se ostenderet: in morte demum per prodigia reserata est. *Gloria Patri* eandem ob causam in Missâ & responsoriis omittitur, quia secunda Persona SS. Trinitatis capta & per mortem humanæ ejus naturæ, oculis subtracta fuit. Simile est, quod 1. Reg. 4. habetur, quando captâ à Philisthæis Arca nurus Heli enixa puerum, appellavit eum *Ichabod.* h. e. *ubi gloria!* Arca scilicet gloria Israël. Tria tenebrosa matutina peraguntur quasi exequiæ Christi ad memoriam tenebrarum quæ tribus horis durarunt in ejus passione nec non tridui mortis ejus. In illis candelæ plures,

una

una poſt aliam per ſingulos Pſalmos, extinguuntur, ultima retro altare abſconditur, & paulò poſt rurſum producitur; tum quia cœli luminaria in paſſione Chriſti quaſi extincta fuêre: tum quia Prophetæ ſucceſſivè à Judæis, ubi ſuum officium impleverunt, occiſi: ultimus Chriſtus potiùs abſconditus, quàm occiſus fuit, quia poſt triduum reſurrexit. Strepitus in eorum fine editur, ut terræ motus moriente Domino factus repræſentetur. Campanæ ad tertium diem, uſque dum reſuſcitati Domini nuncium venit, ſilent: quia diſcipuli Chriſti eo tempore ſe abſconderant & conticuerant, quando eo relicto fugerunt: auditâ Chriſti reſurrectione rurſum prodierunt. Altaria nudãtur, quia Chriſtus veſtimentis ſuis, imò gloriâ & honore ſuo, in paſſione fuit ſpoliatus. Miſſa in die Veneris S. non fit, quia eo die Summus Sacerdos noſter ſummum illud & unicum mortis ſuæ cruentum ſacrificium, cui incruenta omnia cedere debent, obtulit. Die Jovis unica tantum celebratur, quia idem eo die ſolus miſſam primam celebravit, quando Euchariſtiam inſtruit, & Apoſtolos ſuos in Sacerdotes conſecravit.

V. Rediit in Bethaniam, id eſt, *domum obedientiæ.* Sic decet nos hoc inprimis Paſchali tempore ſingulos ad ſuam Bethaniam, id eſt, Parochiam conferre, ut ibi peractâ confeſſione ſuâ communionē percipiamus. In Bethaniâ ſuſcitatur Lazarus, & cum Chriſto diſcumbit: ut ſciamus neque confeſſionem ſacramentalem, quâ reſurgimus à peccatis; nec ſacram communionem, quâ cum ipſo diſcumbimus, ipſi gratam eſſe, niſi fiat in Bethaniâ, in *domo* nimirum *obedientiæ*, quæ eſt Eccleſia.

VI Mane iterum rediit Jeroſolymam in templum & ejecit inde ementes & vendentes unà cum mercibus ſuis. Ita oportet & nos hoc tempore non modò merces malas, quæ ſunt peccata, ejicere è corde noſtro per cōfeſſionem, ſed etiam ipſos mercatores h. e. radices peccatorum, quantum fieri poteſt, eliminare, ut rei divinæ meliùs operam dare poſſimus. Expellantur oves & boves, id eſt, concupiſcentiæ carnalium voluptatum, uti & ſolicitudo comparandi carnes pro Paſchate, earumque deſiderium: ejiciantur columbæ, quæ ſunt ſuperbia in veſtitu & ambitu; evertantur menſæ nummulariorum, quæ ſunt avaritia & quæſtus; quoniam hæc tria potiſſimùm Templum Dei violant, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. 1. Joan. 2.

VII. Sanavit poſteà claudos & cæcos ad ſe accedentes. Idem decet nunc facere Chriſtianos: Sed quâ ratione? Sicut fecit Job, cùm dixit: *Oculus fui cæco & pes claudo.* cap. 29. Cæci ſunt non ſolùm ignorantes, ſed etiam quivis pauperes, qui in domo & menſâ ſuâ nihil vident, quia nihil habent. Claudi, qui nec parare ſibi neceſſaria poſſunt, quia vel fracti & læſi vel infirmi aut ſenes ſunt. Poſſunt ergo Chriſtiani facere quaſi miracula, ſi miſeros iſtos juvent; ſi eleemoſynam eis ferant vel in domum mittant, ſi hoſpitalia viſitent, ſi familias ſuas inſtruant & ad rem divinam ablegent. Quanta hæc illis gloria?

VIII. Chriſtus hac ſeptimanâ paſſus eſt. Eos eidem compati decet. In Feſto Expiationis, quo Summus Sacerdos poſt immolationem vituli intravit in Sancta Sanctorum, debebant Hebræi affligere animas ſuas Levit. 16. adeò ut Levit. 23. dicatur: *Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hac peribit de populis ſuis.* Et quid illud Feſtum, niſi figura dumtaxat fuit diei paſſionis Chriſti, quâ ipſe per immolationem vituli humanitatis ſuæ, adeoque per proprium ſanguinem introivit in Sancta, & expiavit peccata noſtra: Multo igitur æquius eſt, ut nos Chriſtiani nunc affligamus animas noſtras, Chriſto compatiendo & improperium ejus portando: qui quanta propter nos paſſus eſt, longè meliùs novimus, quàm Judæi illi, quibus omnia in figurâ ſolùm monſtrabantur & contingebant. Scribit B. Brigitta omnes homines tempore paſſionis interno dolore ac pavore tactos fuiſſe, tametſi cauſam neſcirent. Fit hoc probabile ex eclipſi Solis factâ ſuper univerſam terram; quæ miraculoſa & terribilis fuit, quia in plenilunio, cùm Luna à Sole remotiſſima eſt: duravit per 3. horas, quod aliàs nunquam contingere poteſt: adhæc Luna obduxit totum Solem; tanta fuit, ut ſtellæ in cœlo apparerent, teſte Phlegonte, liberto Adriani Imp. Inde obſtupefactus Heliopoli in Ægypto S. Dionyſius exclamavit: *Aut Deus naturæ auctor patitur, aut mundi machina diſſolvetur,* non compatiantur homines creaturæ creatori ſuo?

[*patienti compatiendum.*]

IX. Chriſtus hac ſeptimanâ mortuus eſt; & quidem peccato, ut ait Apoſtolus Ron. 6. *Peccato mortuus eſt ſemel*, intellige effectivè; quia peccatum occidit ſuâ morte, ſicut cadens elephas opprimit draconem. Decet igitur, ut & nos peccato moriamur, non effective, quod Chriſtus tantum potuit; ſed ſubjectivè ut peccato mortui fiamus: uti argumentatur ibidem Apoſtolus ſubdens: *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo.* Quid eſt mori peccato, ait S. Proſper l. de vitâ contempl. cap. 21 *niſi damnandis operibus omninò non vivere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire? ſicut qui mortuus eſt carne, nulli jam detrahit, nullum averſatur, &c.* Quemadmodum enim religioſi mortui debent eſſe mundo, ut non delectentur, nec miſceant ſe rebus mundanis, nil poſſint nec velint habere proprium, non ducere uxorem, non portare gladium, &c. Ita Chriſtiani mortui debent eſſe peccato. Dicamus ergo deinceps, poſtquam peccato mortui ſumus, id quod ibidem Apoſtolus ait: *Qui mortui fuimus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*

[IX. *Peccatis moriendum.*]

Sic vivendum in hac ſeptimanâ ſanctâ, ſanctè ad exemplum Chriſti, qui quæ in eâ egit, nobis egit, ut ſequamur veſtigia ejus, ne fruſtrà nobis venerit & tanta propter nos egerit, ſi tamen etiam ſequi aſcendentem ad cœlum aliquando volumus.

THEMA

THEMA IV.

Varii rami benedicti variis distribuuntur.

I. *Clero ramus Persica.*
II. *Magnatibus ramus cupressi.*
III. *Parentibus ramus vitis.*
IV. *Filiis ramus oliva.*
V. *Senibus ramus fraxini.*
VI. *Iuvenibus ramus amygdali.*
VII. *Divitibus ramus Sycomori.*
VIII. *Pauperibus ramus Palmarum.*
IX. *Literatis ramus arboris Musa.*
X. *Conjuga is ramus castanea.*
XI *Virginibus & viduis ramus arboris agni.*

Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Matth. 21.

SAcra & solemni cæremonia distribuit hodie Romæ Summus Pontifex Palmarum ramos prius à se benedictos, primùm Clero, deinde præsenti populo: id quod etiam agunt in suis Ecclesiis Prælati alii & presbyteri. Idem nos faciemus in hac concione: ramos inquam dabimus, non in manus quidem, sed in corda vestra. Quales vero ramos? Palmarum ramos asserit Joannes prætulisse turbam Christo; Matthæus vero cæcidisse ramos de arboribus; variis videlicet, palmarum, olearum & aliarum (quarum mōs Oliveti plenus erat) ut ait S. Hieronymus. Varios ergo pro statuum & conditionum varietate nunc distribuemus.

I. *Clero ramus Persico.* I. Clericis præ aliis solent à Pontifice vel Presbytero tradi rami benedicti. Et his offero ramum Persicæ, quæ teste Pierio lib. 54. Hierogl. fructum habet cordis specie, folium verò linguæ. Typus est hæc arbor hominis Deo dicati, qui pectore & lingua totus in divinas laudes debet effundi, solaque Dei contemplatione quasi pabulo inebriari, eum corde meditari & ore prædicare. Ut huic officio suo solique Deo magis intenti essent, noluit Deus Levitis & Sacerdotibus dare possessiones in terra, sed voluit ut ipsi ab aliis sustentarentur ex decimis & oblationibus. Numer. trigesimo tertio & trigesimo quinto. Deuter. decimo tertio, & decimo octavo. & Jos. decimo tertio, ubi causa additur: *Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus.* Sanctus Ambrosius in exhort. ad Virg. ait: *Moyses non divisit Levitis terram, quorum non erat terrenus sed superior incolatus: sed iis sine labore terreno sacri stipendia ministerii deputavit.* Persica in Perside, patria sua, venenum est: in exteris salubris est, ita communiter verum est in Ecclesiasticis; quod ait Dominis: *Nemo Propheta acceptus est in patriâ sua:* extra illam in honore est.

II. *Magnati-* II. Magnatibus offerimus ramum Cupressi. Olim enim heroum uti simulachra, ita & sarcophagi ex cupresso fiebant, tum ob perpetuitatem, quod cariem non admitterent vel tineam, tum ob suaveolentiam, teste Plinio libro 52. capite septimo. Monet ergo proceres cupressus, ut mortales se agnoscant, & si desiderant à vermibus & vitiorum tineis, quæ animum corrodunt, liberi esse, ac post mortem semper vivere, mortis memoria, quæ vermes illos extinguit, se obarment, & quasi feretro se includant. Hanc ingessit Æthiops quidam, cupresseâ redimitus corona, Severo Imperator i obviam factus ac dicens: *Totum fuisti, totum vicisti; jam Deus esto victor.* Paucis verò post diebus extinctus est. Pier. 52 Hierogl. cap. quinto. Deinde velut cupressus odorem bonæ vitæ ac famæ suæ spargant in vulgus: sic æternum vivent, ab omni carie liberi inter homines sun primogenitus inter fratres. Is autem vestem gerebat suaveolentem, unguento aut moscho perunctam, ut patet ex veste Esau. Genes. 27. Ferant moribus, ut se honore suo dignos & venerandos exhibeant.

III. Parentibus quid offeram nisi ramum vitis? Scimus enim Psalmus 127. patrifamilias dictum de conjuge: *Vxor tua sicut vitis abundans in late ibus domus tua.* Itaque vitis etiam maritus erit, juxta id Ecclesiastici vigesimo quarto. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.* Quare liberos suos ita forment atque educent, ut sint fructus honoris & suavitatis ac honestatis, tam sibi quàm parentibus. Quemadmodum enim vitis non solùm flores habet odoriferos, sed etiam fructus dulcissimos: ita parentes advigilare debent, ut eorum filii & in tenera ætate floreant virtutibus, & in adulta prosint Reipublicæ Christianæ. Vitis nullum in se decorem habet, sed in botrys suis permaximum. Ita etiam parentes quærant decorem suum in filiis suis. Advertit hoc Gentilis illa Cornelia Gracchorum mater, apud Valer. Maxim. libro quarto, cap. quarto: *quæ cùm Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: Et hæc,* inquit, *ornamenta mea sunt.*

IV. Filiis ramum oleæ, cujus fructibus, olivis nimirum, comparantur Psalm. supra citat. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Mater, uti vidimus, appellatur vitis, cur ergo filii novellæ olivarum? Quia palmites vitis abscinduntur, cùm putatur: oleæ non item. Igitur vivant filii, ut sint longævi velut palmites olearum, neque exscindantur præmaturâ morte, uti palmites vitium. Olea vitiatur & emoritur ex vicinitate glycyrrizæ Suiſſ-holtz (ut scribit Auctor hist. plant.) contrà sale & macerata fit ex agresti, insipidâ edulis & sapida: ita filii consuetudine fœminarum & dissolutarum fiunt effœminati & dissoluti: conversatione seriorum & sapientum serii & sapientes. Unde olim parentes, nobiles maximè, suos filios ad

ad monasteria mittebant, educandos & erudiendos inter viros religiosos. Denique olivæ, ut fundant oleum, multis pistilli ictibus contundi debent: sciant etiam filij ferenda sibi parentum & Magistrorum verbera & objurgationes, ad hoc, ut sapientia & virtutes pretiosæ ab illis exprimantur, amurca ruditatis & vitiorum expellatur. Unde Sapiens Proverb. 22, ait: *Sultitia colligata est in corde pueri: & virga disciplinæ fugabit eam.* Sicut farina sacco, ita adhæret pueris stultitia & levitas pronitasque ad vitia; virgam ergo disciplinæ, qua excutiantur, libenter admittant.

V. Senibus ramum fraxini (Eschenbaum/) convenire existimo. Ea enim arbor primò serpentibus infesta est: ita ut malint in ignem intrare, quàm in ejus folia. Ita senes suâ morum severitate terreant adeoque fugent improbos ac coerceant. Deinde fraxinus priùs producit flores quam folia, ut refert Berchorius in Reduct. lib. duodecimo, capit. nonagesimo sexto. Senes, quia juvenum instructores, & ut quidam dixit, Medici civitatum sunt, priùs exemplo suo quàm verbo doceant juniores. Flores sunt exempla, folia sunt verba. Ita egit Christus qui teste Sanct. Luc. Actor. primo. *cœpit facere & docere.* priùs facere quàm docere. De Sancto Francisco Xaverio scribit in ejus vitâ Tursellinus, nullum ab eo patrem missum esse ad locum aliquem barbararum gentium; in quo ipse prius non fuisset. Priùs creavit DEUS marem quam fœminam. Atqui; *fratti son masci, le prole son femine*, dicunt Itali: facta sunt mares, verba sunt fœminæ, Priùs ergo facere quàm docere vel dicere decet senes.

VI. Iuvenibus ramum amygdali, quæ prima omnium arborum floret, velut typus iuventutis floridæ, frugum proventum nuncians. Fert amygdalus fructum dulcem & nutritivum valdè, sed duplici inclusum tunicæ seu corticis; quorum extimus admodum durus est, qui fortissimis etiam iuvenum dentibus difficilè frangitur: alter amarus est. Ita nimirum iuvenes, si prædulcem virtutibus fructum degustare volunt debent priùs frangere corticem amarum laboris & disciplinæ. Unde Apostolus ad Hebr. duodecimo ait: *Omnis disciplina in præsenti quidem non esse videtur gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* h. e. sanctitatem ac iustitiam, ac denique in cœlo gloriam. Amygdala, præsertim amara, resistunt ebrietati. Quamobrem Antonius Musa præstantissimus Medicus germanos bibacissimos potando superâsse scribitur hoc astu; quinque amara prægustavit amygdala, ne ebrius fieri posset: sine illis ne minimè quidem potui sufficiebat. Athen. lib. secundo, cap. 11. Cæl. lib. 11. cap. 13. Quando vident iuvenes versari se inter potatores cum periculo ebrietatis, prægustent quinque amara Christi vulnera piè cogitando: itanè ergo vino me perdam, quem Deus emit sanguine suo? Deus propter me effudit sanguinem suum, & ego ad injuriam ejus infundam in me vinum? ipse in siti suâ potatus est felle & aceto: & ego dulci vino ad nauseam me proluam?

VII. Divitibus ramus Sycomori.

VII. Divitibus ramum sycomori. Ea enim arbor pauperibus tantùm fructum gignit, ficus nimirum viliores & insipidiores, quæ à solis pauperibus colliguntur & eduntur: qualem se fatetur Amos cap. 7. *Armentarius ego sum, vellicans sycomoros.* Ut ibi Corn. & alij interpret. Propterea arbor illa velut hortis indigna, in publicis tantùm vijs, quasi in prædam pauperum serebatur. Tales esse divites debent; non includere, sed exponere panem suum egenis; non expendere suas opes in pompam & ludos, sed in pauperes potius ad prandium vocare non amicos & divites, sed egenos & famelicos. *Deriventur fontes tui foras*, ait Sapiens Proverb 5. *& in plateis aquas tuas divide*: Panem inquam, & vinum tuum pauperibus. Zachæus ex sycomoro vidit & agnovit ac devinxit sibi Christum, suæque domui salutem comparavit. Divites si Christum sibi devincire, & in cœlo volunt videre ascendant in sycomorum; sint ipsimet, inquam, sycomorus pauperibus, ferendo illis panem, quod & Zachæus fecit dimidium bonorum suorum dando pauperibus.

VIII. Pauperibus ramus palmarum.

VIII. Pauperibus ramum palmarum. Palmæ caudex inferior tenuis & corticis scabritie asper atque injucundus: superior vero pars visenda est, ubi trunci crassitie & ramorum amplitudine amænâque pulchritudine viriditatis expanditur. Ita pauperes in terrâ tenues, scabri, laceri, viles & contempti sunt; non ideò tamen animum suum despondere, sorti suæ indignari aut lamentari debent; quia si miserias suas velut à Deo sibi missas patienter ferant, supernè in cœlo locupletes & speciosi sunt. *Beati* enim *pauperes* ait Dominus Luc. sexto *quia vestrum est regnum Dei.* Deinde sicut palma, pondere sibi imposito adeo non frangitur aut deprimitur, ut contra id assurgat potiùs: ita decet pauperes non frangi pondere egestatis, à Deo sibi imposito: sed gaudere magis & gratulari sibi, quod occasionem habeant gloriosæ victoriæ, de spretis huius mundi bonis sibi comparandæ.

IX. Literatis ramus arboris Musæ.

IX. Literatis & studiosis ramum arboris musæ; ex palmarum genere in Ægypto, Cypro, Syriâ proveniente. Ea fructus, parui cucumeris magnitudine, gignit; qui principio gustantibus insipidi esse videntur, certè non adeò suaves: sed qui ijs vesci perseverant, magis ac magis indies oblectantur, saporis suavitate ita allecti, ut nunquam ijs saturari se posse existiment. Eius meminit Avicenna lib. secundo, cap. 84. Cassin. lib. decimo symb. cap. decimo. Tales sunt literæ sacræ, quæ primo aspectu insipidæ videntur imperitis, progressu tamen adeò suaves fiunt, ut amatores suos sine satietate oblectent solidissimeque nutriant. His ergo literis potissimùm operam dare literati deberent, quia immortalitatis alimoniam inde haurire possunt.

X. Coniugatis offero ramum castaneæ. Eius enim

X. *Conjugatis ramus castaneæ.*

enim fructus ut plurimùm duas singuli nuces habent, in thecâ unâ, spinosâ & asperâ, inclusas, ita ut sine læsione vix tangi queant: (unde forsan à castimoniâ dictæ sunt castaneæ, quia tangi nolunt) intùs autem pelle subnigrâ coopertas, dulces alioquin & nutriendi vi præditas. Præclarus fructus est conjugalis castitas, quæ ut conservetur thoro spinoso includenda est, ita videlicet ut ab aliis tangi refugiat, alienis conjugibus nequaquam blandam sed asperam & aversam sese exhibeat. Lectulum Salomonis, quando adhuc, ut opinor, castè vivebat in conjugio, sexaginta fortes ambiebant, omnes armati gladiis Cant. 3. Ita thorus conjugum undequaque spinis armatus & gladiis esse cinctus debet, ut servetur immaculatus.

XI. *Virginibus & viduis ramus arboris agni.*

XI. Virginibus & viduis ramum agni, quæ est arbor à castitate nomen habens; Keuschbaum / & Schaafmullen/) quòd non modò serpentes fuget, sed etiam castitati conservandæ & Veneri extinguendæ serviat; unde ejus folia aut etiam semen Atticæ mulieres, amantes castitatis, lectulis suis substernebant. Matthiol. lib primo, cap. 95. Caussin. lib. decimo symb cap. tertio. At virgines viduæque Christianæ cubilia sua agno illo castissimo, Virginis inquam filio, communiant; siquidem agnus ille virgineus omnis impuritatis hostis & eliminator est, uti & serpentum omnium tartareorum, qui castitati insidiantur, fortissimus debellator.

Superest jam ut ramos hos in domos vestras deferatis, &, ut fieri solet cum palmarum ramis benedictis conspicuo in loco statuatis; quo illorum memores, recurrente aliquâ tentationis tempestate, velut armatura spirituali tueri vos possitis.

THEMA QUINTUM.

Præparatio ad S. communionem.

I. Desiderandus & appetendus Eucharistiæ panis.
II. Firma fide accedendum.
III. Odia deponenda & inimicitiæ.
IV. Humiliter accedendum.
V. Cum firmo proposito adhærendi Christo.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum. *Matth. 21.*

SOlenne est hodie parvulis palmarem, ut appellant, asinum conscendere & cum Christi Dn. effigie circumvectari. Sed cur parvulis duntaxat & non adultis quoque? Sanè hi, quia de mensa Domini participant, fiunt quodammodo asini Christi; ejus igitur consortio longè plus gaudere quàm parvuli deberent. Quare Sanct. Bernardus serm. 7. in Psalm. *Qui habitat*; invidet quasi asino illi, qui portavit Christum, tam pretiosum onus, additque, *Ut jumentum igitur esto.* Non refugit hoc Davidem Ps. 72. dicentē: *Ut jumentum factus sum apud te.* In quem psalm. ait Sanct. Hieronymus: *O si nos essemus jumenta Dei, & super nos dignaretur Deus ascendere!* Similiter S. Augustinus in psalm. 33. *Iumenta mansueta vult habere Dominus. Esto jumentum Domini, id est, esto mansuetus,* &c. Et paulò post: *Dicent mihi,* inquit, *aliqui superbi & elati: Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quicunque hoc dicit, ne sit equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quare relinquamus parvulis ligneam asini figuram: nos mysticam ascendamus, vel potiùs ab asino discamus fieri boni Christi asini; præcipuè eo tempore, quo per sacram communionem Christum ad nos introducimus.

I. Forsan erunt aliqui carnales parum abstinentes & ollas Ægyptias potiùs quam manna desiderantes. Hi ponantur ad os asini. Sunt homines qui non quærunt alium cibum nisi corporalem: spiritualem animæ nec quærunt nec desiderant, possunt sine eo lætos dies agere & manere totis annis. Mira est hæc stoliditas, & castigatur ab ipso asino. Habemus enim in vita Sanct. Antonii de Padua (12. Junii) disputantis cum hæretico Bonovillo de veritate Eucharistiæ, asinum post triduanam inediam, proposito sibi pabulo & Sanct. Eucharistia priùs ivisse adoratum flexis genibus Sanct. Eucharistiam, quàm ad suum pabulum. Itaque magis necessarius magisque honorandus est sacer iste panis quàm corporis alimentum. Quam etiam ob causam præcipit Ecclesia, communicaturi prorsus jejuni accedant, tum ad honorem tanti Sacramenti; tum ut famem quandam spiritualem ad eam afferendam esse intelligant. Unde Sanct. Augustinus in epist. ad Jan. ait: *Placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* Quæ res tanti in Ecclesia semper æstimata fuit, ut S. Chrysostomus epist. ad Cyriacum Episcopum exulem, & ipse exul scribat: *Multa quidem adversus me confinxerunt & dixerunt, quod ad communionem non jejunos receperim. Et si quidem hoc feci, expurgetur nomen meum ex albo Episcoporum, & non scribatur in libro orthodoxæ fidei: quoniam in tale aliquid admisi, abjiciat me etiam Christus è regno suo.* Quod si alii Episcopi propter hoc confictum peccatum putarunt eum exilio dignum: cur non & eos, qui non jejuni accessissent? Quapropter non jejuni tantùm, sed & magno appetitu ad hoc animæ pabulum tam salutare accedamus, juxta illud Domini Joan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis daturus est vobis.* Utique Eucharistiam. Quo appetitu comedissemus in paradiso lignum vitæ contra mortem? At plusquam lignum vitæ habemus in Eucharistia, quia fontem vitæ æternæ.

II. Forte inveniuntur aliqui modicæ fidei, adeoque sensuales, omnia sensibus metientes, & quia sensibus non deprehendunt Christum in Eucharistia præsentem, parum firmiter credentes. Ponamus hos ad aures asini. Eas sane prælongas accepit à natura ad suam defensionem. Etenim corvus asino infestus pugnat contra eum & morsu impedit oculos ejus, secundùm

eundem Ariſtot. & Avicen. apud Geminian. lib. 4. de rer. ſimilit. cap. 61. ſed aſinum juvat profunditas oculorum & longitudo aurium, quibus ſe defendit. Quare ſi tibi ſtygius corvus oculos impugnat, quod non videas Chriſtum in Euchariſtiâ præſentem: tu objice ei aures, quibus præcepiſti fide divinâ, quæ fallere non poteſt, Chriſtum ibi adeſſe. Si dicat rationem hoc non poſſe capere: dic tu credendum eſſe, quod ratio non comprehendit. Sanè Abraham quando poſt acceptam Dei promiſſionem de poſteritate ex filio ſuo Iſaac oriturâ, audiit mandatum DEI, ut immolaret Iſaacum, Gen. 22. graviter tentatus eſt à DEO circa fidem, ſed Abraham defendit ſe cum auribus, credens nihilominus etiam mactatum filium à Deo ſuſcitandum vel aliter ſervandum; quia audierat à Deo promiſſam ſibi ex Iſaac poſterorum ſobolem innumerabilem. Unde ait famulis: *Expectate hic cum aſino: ego & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Vide hic cæcam ſed excelſam Abrahæ fidem. Igitur & nos cùm pergimus ad S. Communionem, ducamus nobiſcum aſinum iſtum, profundis quidem & lippis oculis, longis tamen auribus præditum, cæcutientem ſed bene auritum. halte dich ſteiff an die Ohren Hinc ante communionem priùs canitur in Miſſa: *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Hinc in orientali Eccleſia communicaturi recitabant priùs ſymbolum fidei. Quem morem etiam in Hiſpaniam introduci petiit in Conc. Toletano Reccaredus Rex, apud Baron anno 589

III Forſan aliqui adhuc odium & inimicitias atque iras in pectore coquunt. Hos imponamus in collum aſini. Conſtat enim aſinum manſuetiſſimè incedere, non erecto collo, ſed humili & depreſſo. Sunt etiam aſini (aſinæ præſertim, qualem elegit Dominus) inter ſe pacifici, non ſe invicem invadunt aut cædunt, ut feroces equi: ſunt patientes verberum magis quam alia Bruta. Ergo qui ad S. menſam venire volunt, cum aſini manſuetudine veniant, iras, contentiones, inimicitias deponant. Eſt enim ibi Sacramentum unionis, ideoque communio dicta, in quâ unum & eundem numero cibum omnes ſumimus, & in eo unum efficimur è multis fidelibus, ſicut unus panis fit è multis granis, ut Apoſtolus 1. Corinth. 10. docet. Hinc in ſacrâ miſsâ miniſtri altaris ante communionem oſculum pacis ſibi mutuò porrigunt: quod olim in primitivâ Eccleſiâ Chriſtiani omnes faciebant in ſignum reconciliationis. Ideò Chriſtus hodie intravit Jeruſalem manſuetus in mitiſſimo animali, aſinâ videlicet, juxta Zachariæ prædictionem: *Dicite filiæ Sion: Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum.* Expectabant Judæi Meſſiam bellatorem, armatum cum ingenti exercitu, omnibus terribilem. At contrario modo venit Dominus, quia mites & manſuetos quærit; ideo hoc nunciari filiæ Sion, ſeu fidelibus jubet, ut eandem induti manſuetudinem ad menſam Domini veniant, quo modo Regem ſuum imitantur aulici in veſtibus & moribus. At cur non quibuſcunque, ſed filiæ Sion id nunciari jubet? num quia de filiabus Sion ait Iſaias cap. 3. *Elevatæ ſunt filiæ Sion & ambulaverunt extento collo?* An quia ſæpe nobiliſſimi quique, qui cæteris plus ſapere deberent, maximas inimicitias gerunt? An quia fœminæ maximè implacabilia odia gerunt? Vobis hoc judicium relinquo.

I. Humiliter accedendum.

IV. Forſan aliqui inflati ſunt & altos gerunt ſpiritus, nec libenter ſe humiliant, publicè præſertim in templo; & cùm ad ſanctam menſam accedendum, difficulter flectunt genua. Ponantur hi ad genua aſini. Et cur? ipſe enim ut ſuprà jam vidimus, novit flectere genua coram ſancta Euchariſtia. Accedit exemplum alterum, quod anno 1537. in agri Tarviſini pago, Salzano, contigit in grege aſinorum, qui ſanctam Euchariſtiam ad ægroti domum ſimul comitati, uti alibi diximus, Nonne hic exclamabimus cum Iſaia cap. 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognovit & populus meus non intellexit?*

Trib. in hac Dom. c. 2. E.

V. Cum firmo propoſito adhærendi Chriſto.

V. Fortè erunt aliqui debiles & inconſtantes, qui ſatis bene quidem parati, accedunt, ſed poſtea ſtatim in priores infirmitates relabuntur, nec tentationibus reſiſtunt; quaſi nihil virium, nihil roboris in ſanctâ menſâ accepiſſent. Hos ponamus ad aſini calces. Aſini enim licet alioquin mites, pugnant tamen calcibus & acriter quidem contra lupos, hoſtes ſuos capitales, & quidem calcibus atque averſo vultu, ut Aldrovandus ſcribit. Exemplum refertur in vita S. Solæ Abbatis, non procul Eyſtadio in monaſterio, quod adhuc extra nomine ab ipſo tracto, Solenhoven degentis ſub Carolo M. circa annum D. 760. Hic ut ſcribit Ermenoldus Diaconus & monachus in ejus vita, dum iter ageret cum aſello ſuo in paſcua devenit, ubi grex ovium paſcebat, deſertus fortè à paſtoribus. Quo propius accedente aſellus offenſis pedibus aures arrigere & caudâ elevata declivis per avia cucurrit. Territus Abbas repente deſilit & cruce ſe ſignat, & ecce lupum videt ovibus inſidiantem. Tum aſino in nomine Domini præcepit, ut lupum inſectetur atque invadat. Paret mox aſellus jam intrepidus, qui prius vel aſpectu lupi territus fugerat: & converſo curſu invadit lupum, miro duello diu obluctantem conficit calcibus, accurrentibus interim id ſpectantibus paſtoribus. Tales utinam aſini eſſemus omnes in tentationibus, cum lupus ille ſtygius inſidiatur nobis, aut proximis noſtris. Sanè Chryſoſtomus ho 61 ad pop. Antioch. ait: *tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti Diabolo terribiles &c.* Tales aſinos, imò tales leones deſcribit & ex Indiâ Occidentali, Provinciâ Paraquariæ, ad nos ſcribit Nicolaus Duram, S. Paraquariæ, Præpoſitus Provincialis in l. t annuis, anni 1626. & 1627. Antuerpiæ impreſſis anno 1626. in Reduct. Lauret. in hæc verba: *Inda quædam, quæ ſacramenta frequentare conſueverat, ab Indo ad flagitium provocata, ubi ei in mentē venit ſe communionis ſchedulam penes ſe geſtare,*

incredibili ei constantiâ restitit: adeò ut cùm aliter non posset evadere, casti etiam Josephi virtutem superarit; nam toga rupta impudicis manibus relicta, nuda omninò ab eo profugit. Altera item in simili casu, in sibi blandientem acerrimè invecta, multa in eum congerere cœpit, atque inter cætera ei dixit, signum esse infallibile, quod divini verbi prædicationi haud interesse soleret, quandoquidem tam fœdæ cogitationes mentem ejus subirent. Sed longè se alio modo alia gessit: hæc castum Indum verborum lenociniis ac precibus multo tempore de casto suo proposito deturbare conata fuerat. Is tandem importunis ejus precibus ad indignationem provocatus, ita repente quadam vice exarsit, ut eam flagellis bene cæsam ad maritum remiserit, asserens eum, qui toties ad puritatis fontem accederet, ab omni impudicitia alienum esse oportere.

Hic est modus Audit. pius & laudabilis in asino sedendi; quem si tenuerimus, non dubitandum, asinum suo tempore unà cum Domino intraturum triumphali pompâ in Jerusalem cœlestem.

THEMA VI.

Cum palma obviandum Christo patienti in hac septimana sancta.

I. *Anima nunc saginanda.*
II. *Corpus Affligendum.*
III. *Bonis operibus vacandum.*
IV. *Recta intentio adhibenda.*
V. *Opera pœnitentialia augenda.*
VI. *Christo commoriendum.*

Alii cædebant ramos de arboribus & sternebant in via, *Matth.* 21.

Hebdomas sancta phœnix hebdomadũ.

DOminica hodierna **Palmarum Dominica** dicitur, quia videlicet, ut S. Joannes scribit, Hebræi Christo Jerosolymam ingredienti cum palmarum ramis obviarunt. Porrò Palma Græcis *Phœnix* appellatur, quod longævitate & speciositate aliisque proprietatibus singularis sit & cæteras arbores vincat. Similiter sacra hæc hebdomada, quæ à die palmarum incipit, omnium sacratissima est & quasi phœnix hebdomadarum. Hanc igitur singulari devotione celebrare decet; quemadmodum & palma singulares aliquot proprietates & mirandas habet, ut videbimus.

I. Anima nunc Saginanda.

I. Palma arbor est infra ad stipitem gracilis, supra vero crassa, contra naturam aliarum arborum. Inferior pars, seu caudex corticis scabritie minime jucunda est: superior verò pars ramorum amplitudine & viriditate amœna. Homo arbori similis est, sed alius à palma. Inferior ejus pars, quæ est corpus, plerisque in amoribus est. Bene curatur, fovetur, saginatur, in deliciis enutritur; superior, quæ est anima, tenuis & marca est, negligitur, vilipenditur. Non decet hoc Christianum, qui similis esse palmæ debe[t] juxta id Ps. 91. *Iustus ut palma florebit.* Non decet a[n]cillam in domo foveri, & dominam ejici aut neglig[i]. *Ejice ancillam*, clamat Sara ad Abraham, ne ipsa fu[gere] cogatur. Ergo saltem hoc sacro tempore anim[a] spiritualibus cibis incrassanda est, corpus verò no[n] nihil extenuandum. Neque enim ambo simul impinguari queunt. Quando ros Gedeoni missus cecid[it] in vellus idque madore suo cœlesti perfudit, area circumjacens remansit sicca & arida. Si area rore perfusa fuit, siccum remansit vellus Judic. 6. Impinguatur spiritus? famere & pati debet corpus. Impinguatur corpus? macrescet spiritus. Utri verò priùs men[sa] apparanda: domino an servo? *Para quod cœnem*, a[it] Dominus servo: *post hæc tu manducabis*. Luc. 17.

II. Palma arbor scabra & quasi spinosa, vel[ut] squamis undique vestita est, unde & ascensu difficilis. Quam ob causam comparatur à SS. Patribus Cru[ci] Christi (quæ sanè Christo Domino perdifficil[is] ascensu fuit) juxta id Cant. 7. *Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus.* Nos quoque hac hebdomadâ vitam amplecti asperam & spinosam decet, u[t] Christo patienti nos conformemus. Quod sanè præstiterunt multæ principes personæ, S. Brigitta in memoriam diei Veneris S. singulis feriis sextis amaram herbam in ore gestabat & ferventis ceræ gutta[s] manui super fundebat. Sur. in vitâ tom. 4 S Ludovicus Galliæ Rex per Quadragesimam non edebat pisces neque fructus sed invitabat pauperes, interim cilicio se affligebat, nec permisit ut filii Ludovicu[s] & Philippus gestarent coronas de floribus in di[e] Veneris, quâ nimirum Christus coronatus fuit spinis. Bellarm. L. de offic. princ. Christ. Joannes secundus Rex Portugalliæ decimus quartus in hebdomade S. Visitabat loca sacra, & aliquot diebus ante V[enerabile] Sacramentum manebat solitarius. Ferdinandus filius Joannis I. Regis Portug. tribus ultimis diebus diu noctuque mansit in templo, & solo interim pan[e] & aquâ exiguâ vivebat ex Annal. Vas concell. Joanna Pincipissa filia Alphonsi V. totam hebdomadam S. silentio transigebat, vixque unum verbum de rebus necessariis proferebat, ultimis tribus diebus nullum omnino: semper in templo manens vix gustabat cibum neque dormiebat, tota in orationibus & lachrymis perseverans: die Jovis S. 12 pauperculis & sordidis mulieribus lavabat pedes servili vestitu, tergebat, osculabatur, denique cum vestibus & eleemosyna eas dimittebat. S. Margaretha V. filia Regis Ungarorum triduò ante pascha sine cibo & potu perdurabat, lectum non intrabat, acriter se flagellis usque ad sanguinem cædebat, Sur. 28. Jan. Denique S. Gregorius lib. 3. Dial. c. 33. scribit quòd olim etiam pueri parvi in Sabbatho S. jejunare consueverint.

III. Palma fert fructus cum foliis pari æquilibrio, teste Pierio lib. 50. Hierogl. Sic quantum quisque per decursum anni malorum & inanium operum fecit, tantum nunc ferat bonorum. Scimus Christum in hac septimana, altero die post ingressum suum triumphalem, regressum ex Bethania in Jerusalem, quæsivisse ficus in arbore, & cum non inveniret, maledixisse ficui, non nisi folia habenti, Matth. vigesimo primo. Designabat ea ficus populum Hebræum & cives Jerosolymitanos, qui legem quidem jactabant, sed interim non servabant: cæremoniis suis intenti erant, bona & solida pietatis opera non quærebant; quales etiam multi Christiani, qui sufficere sibi rati, quod Christiani sint, toto anno aliud non agunt nisi studere rebus politicis, œconomicis, vel judicialibus: quomodo ædificent, plantent, causas defendant, familiam alant, liberos promoveant, &c. Folia sunt ista: ubi fructus: Hoc ergo saltem tempore compensetur pondus terrenarum occupationum pondere cœlestium & piarum operationum.

IV. Palma staturam habet rectam. In bonis etiam operibus diligenter videndum ut intentio sit bona & ad Deum erecta. Sanct. Augustinus tract. 28. in Joann. ait: *Quando boni aliquid agis te laudas, quando mali aliquid pateris, Deum accusas. Hoc est cor tortum & non rectum. Converso corde & directo laudabis Deum in bonis tuis, accusabis te in malis tuis. Isti sunt recto corde.* Decet ergo Christianum bona sua, seu quæ habet, seu quæ fecit, Deo adscribere, sibi vero mala. Debet totum stipitem, totam suam vitam dirigere ad cœlum, h. e. ad Dei gloriam & salutem suam æternam. Verùm in palma non solus stipes rectus & cœlum versus erectus est, sed etiam ejus folia oblonga seu rami. Hinc enim putat Ruper. Cant. 5. & Sanct. Isidor. in Etym. appellari eos *elatas palmarum*, quod ad cœlum instar pyramidis assurgant. Quare simili ratione Christiano ad laborandum videtur, ut non modo totum vitæ suæ decursum, sed etiam singulas suas actiones bonas, imò & indifferentes Deo ad honorem ejus offerat, juxta monitum Apostoli 1. Corint. decimo: *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Certè Tertullianus in L. de coronâ militis & Sanct. Hieronymus ad Eustochium asserunt, moris olim fuisse apud Christianos, ut initio operis cujusque se signarent signo crucis, quasi dicerent: Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Idem majores nostri Germani faciebant, & faciunt adhuc multi, quando ad initium operis cujusque dicunt: das walt Herr. Deus secundet.

V. Palma ponderi non cedit, sed contra id insurgit; quod mirandum refert Aristoteles 7. problem. & Plut. 7. Sympos. Tales se nunc exhibere pœnitentes, si saperent, deberent; pœnitentias, inquam seu satisfactionis opera sibi à Confessariis pro peccatis imposita augere & conduplicare. Timent Confessarii, ne si pro meritis condignam satisfactionem pœnitentibus injungant, ipsi frangantur & spretâ vel omissa satisfactione graviter Deum offendant. Quamobrem leves ordinariè, imò sæpe levissimas præscribunt. Verùm, tu Christiane, palmæ instar, non modò non cede, aut perturbare ob præscripta tibi opera, sed contrà audentior ito, & contra onus sursum nitere. itaque graviora tibi imponi postula, vel ipse tibi imponito.

VI. Unica in Chorâ palma esse dicitur, quæ cum phœnice ave & moritur & renascitur ex se ipsa, unde palmam appellatam phœnicem Græci existimant, apud Plinium lib. 13. cap. 14. Phœnix noster unicus Salvator Christus est. Ipsi morienti videbantur omnia commori, cœlum, terra, aër, saxa, templum, discipuli ejus. Cum eodem resurgente omnia resurrexerunt ac recreata sunt. Eamus ergo & nos his sacris diebus & moriamur cum Christo, ut cum eodem in paschate resurgamus. Moriamur, inquam, carni & concupiscentiis ejus, moriamur vitiis & peccatis, ut vivamus Deo. *VI. Christo commoriendum.*

FERIA QVINTA
IN COENA DOMINI.

THEMATA.

I. *Cur laverit Christus pedes discipulorum.*
II. *Qua ratione alter alterum lavare possit ac debeat.*
III. *Magnitudo amoris Divini in S. Eucharistia.*
IV. *Cur a nobis sumi per modum cibi Christus in Eucharistia voluerit.*
V. *Mirabilia quædam in Eucharistia, à nobis etiam suo modo patranda.*

THEMA I.
Cur laverit Christus pedes discipulorum.

I. *Propter Iudam ut obstinatum emolliret.*
II. *Propter alios discipulos.*
III. *Propter nos.*
IV. *Propter se.*

Scitis quid fecerim vobis. *Ioann. 13.*

Mirum quidem spectaculum vidit Roma, quando celeberrimum & sanctissimum ac verè magnum Pp. Gregorium, in medio foro, conspecto Joanne Abbate Persâ notæ sanctitatis viro ad se honorandum accurrente, vidit prævenire & ad genua ejus accidere, nec priùs surgere velle, quâ à Joanne elevaretur; ut testatur ipse coram Deo, in Prato spirit. cap. 151. Verùm longè mirabilius & centies millies majus vidit Jerosolyma, quando Regem cœli & terræ procumbentem vidit hodie ad pedes discipulorum suorum, eos denudantem, laventem, abstergentem. Hoc enim viso Petrus

quaſi extra ſe raptus ſtupuit, tantam demiſſionem capere non valens: id quod jure etiam merito nos omnes miramur & ſuſpicimus uſque in hodiernum diem. Quia ergo tam ſtupendum humanitatis exemplum non ſine magnis cauſis à DEI Sapientiâ exhibitũ nobis eſt, eas inveſtigemus. Hoc igitur edidit.

I. ***Propter Iudam ut obſtinatum emolliret.***

I. Propter Judam, ut hoc amoris philtro & artificio eum avocaret à concepto ſcelere ad reſipiſcentiam & reciprocum amorem. Hoc indicat imprimis Chriſtus ipsâ lotione pedum, cujus rationem reddens, ait Petro: *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.* q. d. Judâ excepto, propter quem vos quoque lavo, deinde Joannes cum facit mentionem proditoris ante lotionis hujus deſcriptionem, quaſi propter ipſum potiſſimum facta ſit dicens; *Cum Diabolus miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas &c.* q. d. voluit ejus odium hoc amoris lavacro extinguere, adeoque pedes ejus apprehendere & quaſi demulcere, ne currerent ad conceptum ſcelus Mirum de Lycurgo Lacedemonio, Ethnico homine, Scribit Plutarchus in Lycurgo, qui in ſeditione retroſpiciens, fuſte ab Alexandro juvene exoculatus fuit. Juvenis malitioſus ei ad ſupplicium datus, adeò non eſt malè acceptus, ut etiam pulcherrimis diſciplinis imbutus & humaniſſimè habitus ſit, indeque proverbium natum: *Vindicta Lycurgi.* Simili modo Chriſtus, *ſciens quia omnia dedit ei in manus*, ait Joannes, adeoque etiam Judam, quem noverat futurum proditorem ſuum, ut cum eo ageret, quod vellet; ecce quid fecit Dominus; Ad cœnam corporis ſui adhibuit, pedes ejus proſtratus nudavit, lavit, abſterſit, ut vel hoc amoris obſequio eum ſibi devinciret. Sed quæ duritia Judæ, quæ tanto cuneo frangi non potuit? Ecce tibi ficum illam ſterilẽ per triennium (Luc. 13.) quo in diſciplinâ Chriſti fuit, tamdiu toleratam in domini vineâ, & nunc vineæ cultorem circa eum fodientem, dum ei varijs modis & tropis inſinuat & circumſcribit ſcelus, quod in animo gerebat, modò dicens: *Manus tradentis me, mecum eſt: væ autem homini illi.* Modo: *Tu dixiſti.* Rurſum: *quod facis, fac citius.* Vide denique adhibentem ſtercora correctionis in Oliveto: *O Iuda! oſculo filium hominis tradis?* ſtercora amoris in lotione & S. communione. Sed quia hæc omnia reſpuit, quid mirum ſi ficus ſterilis in ficu ſe ſuſpendit; Quæ proinde velut teſtis juſtitiæ divinæ, multis poſtea ſæculis ad exemplum aliorum ſtetit, ut Juvencus preſb. hiſt. Evang. l. 4. & Beda d. loc. ſanct. c.4. tradunt.

Quam ergo metuenda eſt obſtinatio in malo! ut enim maris amarities tot dulcibus fluminibus in id continuo influentibus non emendatur: ita obſtinatus in malo animus Judæ tot dulcibus amoris obſequijs non eſt correctus. In lacum Aſphaltiten ſeu mare mortuum ingentem vim dulcis aquæ continuò infert Jordanes, & tamen inde nequaquam dulcius evadit, ſed potius dulces aquas vertit in amaras, tetras & fætentes; unde Num. 34. appellatur *mare ſalſiſſimum.* Et vulgò *mare Diaboli*, ob infanda ſcelera ibi patrata, ut teſtatur Abul. Tale malum fuit cor Judæ: dulciſſi[ma] Jordanis Chriſti aquas abſorbuit, nec tamen in[de] melior factus eſt; quod & aliis obſtinatis plerumq[ue] contingit. O malum metuendum!

II. Propter diſcipulos 1. ut hoc monumentum h[u]militatis velut fundamentalis virtutis eis relinquer[et], apprimè eis neceſſarium, tanquam futuris aliquan[do] rectoribus animarum. Hanc cauſam indicat Joann[es] apertè illis verbis: *Sciens Ieſus quia venit hora, ut tra[n]ſeat ex hoc mundo ad patrem.* q. d. memoriale amo[ris] ſui relinquere ſuis voluit. Et Chriſtus: *Exemplum [de]di vobis.* Viderat enim eos ſæpius de honore conte[n]dere, ut etiam in illâ ipsâ cœnâ; quam proinde co[n]tentionem exemplo ſuæ humilitatis compeſcu[it]. *Nam quis major,* inquit, *qui recumbit an qui miniſtr[at]? Nonne qui recumbit; Ego autem in medio veſtrûm ſ[um] ſicut qui miniſtrat?* Luc. 22. Hunc in modum Caro[lus] V. Imp. poſtremo ſuo ex Germaniâ diſceſſu Vliſſi[n]gæ cum Seldio Ferdinandi fratris legato ad multa[m] noctem converſatus, cum famuli ſomno ſepulti n[on] venirent, ipſe candelam Seldio per gradus plurimu[m] renitenti prætulit ad ejus cubiculum, dicens: *Hoc ti[bi] monumentum Cæſaris illius Caroli habeto, Seldi, tot e[x]ercitibus & ſatellitibus olim ſtipati; quem nunc ſolum [&] à familiâ etiam deſertum vides; & cui tu tot annis [ſer]viſti, ille tibi ſervijt & lumen prætulit.* Cythr. Orat. [de] Carolo V. Ita prorſus Chriſtus ſervis ſuis ſervire v[o]luit, ſed maiori longè abjectione; unaque ipſis & al[iis] orbis rectoribus lumen præferre, quò inter ſumm[os] honores memores ſint humilitatis. Quod exemplu[m] poſteà ſecuti ſunt tot Impp. & Reges, Pontifices [&] Epiſcopi. Idem ſuadet nobilibus S. Auguſtinus ſer[m.] in cœnâ Domini, nec admittit eorum excuſatione[m], quod habeant delicatas manus & natalium prærog[ati]vam. *Mala nobilitas,* ait, *quæ ſe per ſuperbiam red[dit] apud Deum ignobilem.*

2. Ut eos diſponeret ad ferendum ſine offenſio[ne] crucis ſuæ ſcandalum: ne mirarentur quod volue[rit] ſe humiliare uſque ad mortem crucis, qui prius ſe h[u]miliavit uſque ad lotionem pedum eorum. Reve[ra] enim ipſi cœlo res obſtupeſcenda eſt DEI filium p[ro] alienâ culpâ eouſque ſe demittere & ſubire cruce[m] voluiſſe. Ac ne quis exiſtimaret, quod illam demiſſi[o]nem coactus in ſe ſuſcepiſſet, voluit prius hanc ſpon[]taneam abjectionem admirandam etiam, illi alte[ri] præmittere. Non potuit capere olim Petrus, Chriſtu[m] ſubire velle crucem: *Abſit à te Domine; non erit ti[bi] hoc*; ait. Itaque cum jam diſponit ad hoc credendu[m] Dominus per lotionem pedum, quam vix ſervulus [e] mediaſtinis aliquis faceret. Quanquam ſi & hanc d[e]miſſionem non potuit capere Petrus exclamans: *Do[]mine tu mihi lavas pedes?* quid mirum ſi nec illam lon[]gè majorem?

III. Propter nos 1. ut indicaret nos omnes ej[us] ſanguine abluendos eſſe, ſicut teſtatur Joannes Apo[c.] 1. *Dilexit nos & lavit nos in ſanguine ſuo*, conformit[er] cum eo, quod idem in hod. Evang. ſcribit: *Cùm d[i]lexiſſet ſuos &c.* Idque indicat Dominus cum ait Pe[]tro: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum.* quo[d]

utiqu

utique de lotione sanguinis præcipuè dixit. In hac ergo posuit vestimenta sua & linteo se præcinxit, cum abscondens gloriam Deitatis suæ, induit formam servi, factusque homo in mundum venit. Misit aquam in pelvim, cùm sanguinem suum effudit in sacramenta. Lavit, cùm eum Patri obtulit pro nobis; lavatque hodie applicando sacramenta. Extersit linteo, dum peccatorum nostrorum sordes & reatus in suam nitidissimam humanitatem transtulit, indeque adeo deformatus fuit, ut vix agnosceretur, sed pro leproso haberetur, uti prædixit Isaias c. 53. *Vere languores nostros ipse tulit &c. putavimus eum leprosum & percussum à* DEO. Hinc tam crebræ olim lotiones Judæis & aspersiones, factæ sanguine victimarum, ut nossent se per sanguinem Christi demum à peccatis mundandos.

2. Ut doceret nos præviam dispositionem ad S. Eucharistiam suscipiendàm: alioquin non habituros in eâ partem seu fructum. Hoc indicat, cum ait Petro: *Quod facio, tu nescis modò, scies autem posteà* quando scilicet porrigam vobis corpus meum. Unde mox ipsorum conscientias convenit: *unus vestrûm me traditurus est*

Quare & tu Christiane surge imprimis à mensâ, in quâ sedet tecum Iudas & Diabolus. Deinde pone vestimenta & præcingere linteo, per contritionem, detestando peccata admissa & constringendo te firmo emendationis proposito. Mitte etiam lachrymas in pelvim cordis tui, lava pedes in confessione, non detrahe nec absconde. Exterge linteo satisfactionis. Hac lotione præviâ nisi abluerimus fætorem peccatorum nostrorum, in odium & iram sponsi nostri certissimò incidemus. Ciconia quædam fæmella cum in quodam Bavariæ pago, Dengen appellato, sæpe adulterium commisisset, & posteà mox in lacunâ vicinâ se abluisset, ne fœtorem mas olfaceret; semel eam rusticus prohibuit à lotione, ubi id advertit. Itaque mas ex odore utique deprehensam aliquantisper deseruit, ipsique soli proles alendas reliquit; post, cum migrandum esset, adduxit alias ciconias, quæ adulteram dilacerarunt. Mich. Neander in suâ Physicâ, ex Aventino. Olfecit sanè Judam adulterum Christus, ideò pro eo lotionem instituit, quem si manifestâsset discipulis, in frusta forsan discerpsissent, uti putat S. Chrysostomus.

IV. Propter se. Quia enim paulò post ad dexteram patris & summum cæli fastigium ascensurus erat, ideò priùs ad imum terræ & pedes servorum suorum se abjicere voluit. Hanc causam indicat Joannes iis verbis: *Sciens quia à Deo exivit & ad Deum vadit.* Hanc igitur esse viam ad cœlum docet, scilicet humilitatem & quò altiùs vis in cœlo ascendere, eo magis te hic deprimere debes: sicut qui præaltum dare saltum vult, prius profundè se demittit: & pila quò fortius terræ fuerit allisa, eo altius subsiliet. Santus Bernardus ser. 45. in Cant. Christi sponsi humilitatem laudari existimat, dum ejus oculi columbarum oculis comparantur: *Oculi ejus sicut columba super rivulos aquarum.* Bibentes enim columbæ prius caput & oculos in flumen demergunt, posteà attollunt cœlum intuendo, & simul aquam sorbent. Sic Christus hac in lotione ad aquam lavacri sordidi sese inclinavit, moxque ad crucis torrentem demisit: posteà exaltavit caput usque ad summum cœli verticem; juxta id Ps. 109. ad litteram de eo scripti: *De torrente in viâ bibet propterea exaltabit caput.* Quare qui optat sibi pennas sicut columbæ ut volet & requiescat, juxta Davidicum illud: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam?* prius cum ea & Christo bibat de torrente, per sui contemptum & abjectionem.

Errant igitur quicunque aliam viam præter humilitatem ad gloriam & exaltationem quærunt. Si enim Christus ipse per hanc viam intravit in gloriam suam; quo jure nos quærimus aliam, ut intremus in gloriam alienam? Sanè Rudolphus, Habspurgensis Comes per humilitatem suam videtur ascendisse ad imperialem dignitatem. In castris enim antequam Rex fieret, vestes consuebat, ut milites ipsum æmularentur, dicebat enim *non esse indignum artificiu assumere provinciam, ubi artifex deesset*, idemque vili habitu & griseâ tunicâ uti solebat: propterea à quibusdam spretus; denique S. Eucharistiam ad ægrum delatum pedes secutus est, dato equo sacerdoti. Quare Astrologus Cæsaris cum eum præ cæteris maximè veneraretur, rogatus à Cæsare, cur pauperem illum Comitem adeo honoraret: respondit, quod is, qui nunc humilis plerisque apparet, post ipsum Cæsar esset futurus. Cuspin. in Rudolpho. Quisquis ergo in cœlo exaltari vult, hanc viam ineat necesse est. Quam qui tenuerit, ei non vanè vaticinabor & ego, fore eum sublimem in cœlo, qui in terra studuerit esse humilis.

Visis igitur his tantis tantæ demissionis causis, agamus Christo gratias, qui eo exemplo docuit nos tractare inimicos nostros, humilitate prævenire amicos, ostendit nobis amorem suum, docuit viam cœli per humilitatem: quam si secuti fuerimus, spes est cum ipso nos quoque ascensuros ad ipsius regnum.

THEMA SECUNDUM.

Quâ ratione alter alteri lavare pedes possit ac debeat.

I. Cùm alter alterum corrigit errantem.
II. Cùm alter alterum instruit ignorantem.
III. Cùm alter alteri remittit injurias.
IV. Cùm alter alterius lapsum excusat.
V. Cùm alter alterum consolatur in mœrore.
VI. Cùm alter alterum quomodocunque juvat.
VII. Cùm alter pro altero orat.

Et vos debetis alter alterius lavare pedes.
Ioan. 13.

DUbitare aliquis posset, utrum hæc Christi verba contineant præceptum, ut alter alteri lavet pedes;

des; siquidem id videntur sibi velle. Quapropter in antiquâ Ecclesiâ mos ille diu viguit, teste Augustino tr.58. *Est apud plerosque consuetudo*, inquit, *hujus humilitatis.* Servatur adhuc eadem in monasteriis & Ecclesiis Collegiatis, ubi saltem hodie lavant Prælati pedes suis subditis: quemadmodum & Pontifex Romæ 12. pauperibus, quasi totidem Christi discipulis: quin & Reges aliquot ac Principes, uti olim sanctus Ludovicus Franciæ Rex, sancta Elisabetha Hassiæ Landgravia, sancta Hedwigis Ducissa Poloniæ, sancta Brigitta, aliique plures. Verum Ecclesia, optima Magistra, nullum in his verbis agnoscit præceptum, si ad litteram intelligantur, sed consilium tantùm, adeoque insinuatur nobis saltem animi præparatio, ut, cum charitas id requirit, hoc & similia humilitatis opera minimè detrectemus: deinde suadetur nobis velut opus pium & laudabile, decens inprimis eos, qui in dignitatibus constituti sunt. Cæterum Christus Dominus, qui in suis monitis ad spiritum magis respicere, quam ad externa opera consuevit: (cujus etiam verba *spiritus & vita sunt*, Joan. 6.) videtur in his verbis commendare nobis multò impensius lotionem pedum spiritualem, quàm corporalem, velut magis necessariam, & utilem, uti indicat Theophilactus, qui verba illa: *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, sic explicat: *Hoc necessarium est, ut omni ministerio vobis invicem serviatis. Id enim vult per lotionem pedum, quæ est ministeriorum infima, ut & alia longè honestiora non detrectemus &c.* Eodem modo Cajetanus & Jansenius: *synecdoche*, inquit, *est, ut ex eo, quod servilissimum videtur & abjectissimum, omnia officia intelligantur.* Quare SS. PP. & DD. variis modis id fieri juxta mentem Christi, adeoque ipsi satisfieri abundè posse indicant; quos hic exponemus.

I. Cùm alter alterum corrigit errantem. I. Cùm alter alterum errantem corrigit, monet dehortatur ac paternè punit; hoc enim faciendo sordes animi à pedibus h. e. pravis animi affectibus abluit & abstergit adeoque è sordido mundum facit, quando ab errore ad viam veritatis reducit: quo modo & nos Germani, quando aliquem objurgare volumus, dicere solemus: Jch wil ihn waschen: lavabo illum. Hac ratione Isaias lavit Hebræos in peccatorum fæcibus usque ad aures infixos, acri reprehensione c. 1. tonans: *Væ genti peccatrici, populo gravi corde semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Et paulò post: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Sic lavit Davidem sordibus adulterii fœdè aspersum Nathan Propheta 2. Reg. 12. quando post recensita Dei beneficia ipsi collata ait. *Quare ergo contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ usque in sempiternum. &c.* Fuit hoc lavacrum Davidi adeò salutare, ut mox absterserit ei totum luctum peccatorum. Agnovit enim errorem David & confessus est; moxque Nathan subdit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Verum quia hac lotione culpa quidem & pœna æterna, non temporalis, ipsi absterta fuit, ideò in Ps. 50. petiit à Domino: *Amplius lava me ab iniquitate mea*; scilicet à pœnis etiam temporalibus: & post: *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Sic lavit Abigail maritum suum Nabal, postquam ipse edormisset crapulam, utique increpando ejus duritiem, ingratitudinem, ebrietatem; ita ut attonitus sensum penè omnem amiserit. 2. Reg. 25. Sic Maximum Imp. lavit S. Martinus, nolens mensam ejus adire, quòd duos Imperatores unum vitâ, alterum regno spoliâsset. Ut in vitâ. Sancta & salutaris est hæc ablutio, quam commendat nobis Ecclesiasticus c. 4. dicens: *Ne verearis proximum in casu suo.* h. e. non timeas corripere eum, cùm in errorem labitur aut lapsus est. Quis non porrigit manum proximo, cùm videt eum in puteum labi: vel quis lapso non fert auxilium, ut extrahat eum: Asino hoc præstamus; & non præstemus homini! At hoc agit, qui errantem corrigit, licet corrigendo eum affligat, pugnat & contristet: à gehenna enim eripit. Atque in hunc sensum explicat D. Cyprianus in tract. de ablutione pedum monitum illud Christi: *Quotiescunque*, inquit, *iis, qui Pharaoni in luto & lateri famulati sunt persuademus, ut exeant de Ægypto & c. toties inhærens lutum peccatorum, quâ possumus sollicitudine lavamus; non quòd nostra ablutio ex nobis sufficiat, nisi ad lavandum omni tempore nos pius Magister accedat.*

II. Cùm alter alterum rudem & ignorantem instruit, in rebus præsertim ad salutem pertinentibus. Quemadmodum enim peccata sunt sordes adhærentes voluntati: ita ignorantia lutum est adhærens intellectui. Quisquis ergo rudes in fide & pietate informat, pedes eorum abluit, dum ignorantiæ tenebras abstergit; quod insigne beneficium est, non illi tantum qui eruditur, sed aliis etiam, quibus alioquin obesse rudis & dux perditionis fieri posset. Præsentissimo in salutis discrimine fuit Maximilianus I. Imp. cum totâ aula suâ, dum armarium cujusdam arcis Tyrolensis lustraret; tunc enim stultus quidam ipsius, quem in deliciis habuit, ab aulicis per jocum instigatus ut prospiceret tormentis suis; siquidem illa Maximilianus cuncta avecturus esset: candelam laternæ impositam sub veste clam cunctis infert, eamque in cadum pyrio pulvere plenum jam jam immissurus erat, cum splendore conspecto Maximilianus vix eam violenter stulti excussit manibus. Quod ni factum foret stultus una secum Cæsarem ejusque comitatum cum arce perdidisset. Ita scribit ipse Maximilianus in suo poemate Dewrdanck. Ruditas & ignorantia ejusmodi fax in manu stulti; præsertim in regimine constituti, quâ & se & alios perdit. Quare qui hanc illi excutit, profectò à maximo gehennæ periculo sæpè & ipsum

ipſum & alios liberat. Laborabat aliquâ ignorantiâ in gubernando populo ipſe Moyſes Hebræorem Dux, dum omnia negotia ſuo unius dorſo gerenda imponebat; quam proinde edocuit ſocer ejus Jethro, licet Gentilis ſacerdos, dicens ei: *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris & populus iſte, qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* Suaſitque ut Judices ſibi adſciſceret, quibus judicialia & minora munia committeret, ipſe majora obiret: ſalubri prorſus conſilio, quod & Moyſes amplexus eſt. Exo. 18. Sæpè igitur & à rudibus, nec non ab iis, qui putantur mali, bona conſilia dantur; quod etiam homicida quidam præſtitit cuidam Monacho, in Prato ſpirit. c. 11. *Cum enim reus ille duceretur extra civitatem ſex millibus paſſuum (ille enim etiam perpetrârat homicidium) Monachus quidam retro ſequebatur, ut illum decollari conſpiceret; qui autem ad decollandum ducebatur, cum vidiſſet Monachum ſequentem, ait illi: Nunquid Abba non habes cellulam, & opus manuum? Reſpondit Monachus: Parce mihi frater, & cellam enim, & opus habeo. Qui Reſpondens ait illi. Quare ergo non reſides in cella, & defles peccata? Dixit ei Monachus: Verè: , frater mi, valdè meipſum negligo, compunctionemque anima mea non habet, & idcirco venio, ut aſpiciam te, dum morieris, ut vel ſic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade frater, per Dominum, ſede in cella tua & gratias age Salvatori noſtro IESV Chriſto. Ex quo enim ille homo factus eſt, & pro nobis peccatoribus mortuus eſt, homo non jam moritur:* Egregiè & ſalubriter ablutus eſt hic religioſus, & (quis crediſſet?) ab homicidâ. Benè ergo Eccleſiaſticus c. 27. ait: *Vnguentô & odoribus delectabitur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcorabitur.*

III. Cùm alter alteri injurias remittit. Ita exponit verba Chriſti myſtico ſenſu. V. Beda, *ut ſicut Dominus nobis peccata pœnitentibus dimittere conſuevit, ita etiam nos peccantibus in nos fratribus dimittere feſtinemus.* Ille qui nos offendit & injuriam intulit, labem peccati & reatum pœnæ contraxit: quem ſi ei remittamus nonnè eum abluimus? Præclariſſimum & ſanctiſſimum eſt hoc officium, centies magis quam ablutio pedum. Id cum exhibuiſſet Sauli David, non ſolùm parcendo ipſi deprehenſo in ſpelunca, ſed etiam à ſuorum gladiis defendendo: ita immutavit ejus animum, ut ad lacrymas provocaret & filius ab eo compellaretur. 1. Reg. 24. Jacobus major Apoſtolus ei, à quo ad judicium fuerat adductus, veniam petenti oſculum infixit & infigendo animum ad martyrium ſubeundum roboravit. Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 8. Quantum porrò hoc obſequium placeat Deo, quantique meritiſit, colligere poſſumus ex mirâ hiſtoriâ quam ſcribit Petrus Damiani lib. 4. Epiſt. ep. 17. ad Epiſcopos in hæc verba: *Vir quidam, ut dicitur, potentiorem ſe hominem interfecit, à cuius etiam filio, more ſæculi, non legibus Evangelii, multas bellorum moleſtias pertulit: paterni ſcilicet ultor interitûs, & ſtrages anhelabat hominum, & frequentium reportabat manubias rapinarum. Inter has igitur homicida deprehenſus anguſtias, imperiale decrevit adire faſtigium, ſi quod fortè tot calamitatibus poſſet reperire ſolatium. Quo comperto paterni ſanguinis ultor inſequitur, eumque ſive, ut tribunalium lege obſtringat, ſive ut repente gladiis opprimat, impiger comitatur. In Teutonicis verò partibus tunc Imperator agebat. Cum itaque præcedens modeſtè quaſi ſecurus incederet, ſubſequens autem celerius properaret, tandem contigit, ut ſibimet invicem propinquantes in mutuos uterque duceretur aſpectus. Sed cùm is, qui homicidii reus erat, vix quatuor vel quinque comitum fulciretur auxilio; interfecti verò filius triginta fermè cingeretur obſequiis armatorum, quaternionem ſuum cohortatur, ut fugiat. Ille ſe conſpiciens de perſequentium manibus avolare non poſſe, animæ patrocinium petiit, ad humilitatis umbraculum confugium fecit. Projectis igitur armis, brachiis etiam in modum crucis extenſis, ſolo proſternitur, vel miſerentium veniam, vel ictus ferientium præſtolatur. At ille jam victor ad reverentiam Crucis manum reprimendo compeſcuit, ultro etjam ne ab aliquo feriretur, inhibuit: poſtremo pacem integram faciens, ad honorem ſanctæ vivificæ Crucis non modo vitam, ſed & paternæ necis donavit offenſam. Hac igitur inſigni peractâ victoriâ, quum ſcilicet non tam alterius, quam ſui, & ut ita fatear, non tam hoſtis, quàm proprii cordis victor extiterat, ad Regis curiam, quia non procul erat, acceſſit; ſed mox ut Eccleſiam oraturus ingreditur, res mira nimiumque ſtupenda, Salvatoris imago, quæ in cruce videbatur expreſſa, tribus eum vicibus inclinato capite viſa eſt ſalutare. O quàm glorioſum & inſigne præconium, ut ab auctore miſericordiæ mereretur reverenter accipi, qui propter ejus reverentiam omiſerat vindicari: & ab eo reciperet ſalutationis honorem, pro quo ſaluti contrariam poſtpoſuit ultionem. Quod protinus Imperator audiens, honorificâ eum, & affectuosâ prout decebat, affabilitate ſuſcepit, & conieſâ munerum liberalitate ditavit.* Eandem aut certè ſimilem hiſtoriam refert. Cantiprat. lib. 2. apum c. 18.

IV. Cùm alter alterius lapſum excuſat & ſi non omnino defendere poteſt, ſaltem extenuat; quod aliud non eſt, quam abluere maculam, quâ alter ſe aſperſit. Ita ſuadet ſanctus Bernardus ſerm. 4. in canticis. *Excuſa*, inquit, *intentionem, ſi opus non potes. Puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi* (imò & aliis) *& dicito apud temetipſum: Vehemens fuit tentatio &c.* Sic eluere conatus eſt Joſeph graviſſimum licet ſcelus fratrum, quod in ipſum admiſerant, adſcribendo ſuam venditionem providentiæ divinæ: *Nolite pavere neque vobis durum videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me DEVS ante vos in Ægyptum.* Sic pudorem ac formidinem eorum mitigavit & abſterſit. Adhæc *oſculabatur ſingulos*, ait ſanctus Auguſtinus ſerm. 83. de temp. *& per ſingulos flebat & irriguis fletibus paventium colla perfudit; odium fratrum charitatis lachrimis ablue-*

IV. Cùm alter alterius lapſum excuſat.

Fabri Sylva Nova, de Dom. Nn

abjiciebat. Ex quo exemplo colligit hanc doctrinam sanctus Chrysostomus homil. 64. in Gen. *Hæc imitemur & ita solemur eos, qui nos afflixêre, non imputantes eis, quæ in nos admiserunt, omnia magna ferentes benevolentia, sicut iste admirandus Joseph.* Rectè *admirandus, qui hoc fecit ante Evangelium, quod post Evangelium omnes didicimus & servare non possumus;* ait sanctus Ambrosius lib. de Josepho cap. primo. Simili ferè modo lavit Judæorum scelus admissum in Christum sanctus Petrus Act. 3. (cùm ipsi vehementer sibi timerent) ne videlicet desperarent: *Fratres*, inquit, *scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.* Addens secundum Dei prædictionem Christum ità pati debuisse. Quod egregiè etiam præstitit cuidam pauperculæ, sibi licet ingratæ, Alphonsus Rex Aragoniæ, qui cum aliquando V. Eucharistiam reverendissimè comitaretur, *tandem ductus est in vetulæ cujusdam pauperrimæ domum, sanguinis profluvio penè exanimatæ, cumque ægritudinis causam cognovisset, gemmam inæstimabilem morbo illi mirificè accommodam, afferri jussit, annulusque illius digito aptari; simul & corpus Regum Regis in templum, unde profectum erat, summâ veneratione reduxit. Paucis verò post diebus anus illa cum revaluisset: egit quidem pro recuperatâ salute Regi gratias, quales potuit. Sed gemmam, quam majestatem dicerent ejus sibi penè mortuæ commisisse, ajebat, sibi ne visam quidem, perdidisse. Stomachari qui aderant cœpere, aniculam execrationibus & maledictis propalam incessentes. Rex vero subridens: Abi, inquit, mea mater, & cura tu valetudinem tuam: quoniam stulti quidem isti ut vides, parum sanitatem suam curant.* Ita refert Panormitanus lib. 1. rerum ejus gestarum.

V. *Cum alter alterum consolatur in mœrore.*

V. Cùm alter alterum in mœrore & pusillanimitate constitutum consolatur. Ita exponit Christi verba divus Cyprianus loco cit. *Quoties cum infirmis infirmamur*, inquit, *& cum his qui scandalum ferunt, urimur: quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens lutum peccatorum, quâ possumus solicitudine lavamus.* Quemadmodum enim aqua calida non modo abstergit lutum à pedibus, sed tollit etiam lassitudinem & lenit dolorem, ita qui dolenti condolet & lachrymanti collachrymatur, lachrymas ei abstergit & quodammodò exsiccat; quo modo pluvia in Narniensi agro dicitur non tam madorem quàm ariditatem afferre, à Cicerone lib. de admirandis & Plinius, libro trigesimo primo, capite quarto. Optimè sanctus Chrysostomus hom. 50. in Matth. *Sicut pluvia*, inquit, *semper bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis: ita & visitatio amicorum semper quidem suavis est, multo tamen suavior in tempore luctus.* Hoc est, quod commendat Ecclesiasticus capite septimo: *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Quod inprimis egregiè præstitit Christus viduæ filii unici mortem lugentis, cum ejus gratiâ à Canâ in Naim perrexit eique obvians dixit: *Noli flere:* adeoque etiam filium redivivum restituit. Lucæ 7. rursum cum se duobus discipulis in Emaus tendentibus, mœstis ac desolatis junxit mœroremque omnem suâ consolatione abstersit & in gaudium convertit. Lucæ 24. Idem lavacrum exhibuit mœrentibus etiam sanctus Job qui capite trigesimo ait: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat & compatiebatur anima mea pauperi.* Quæ quidem compassio quandoque gratior est pauperi & perfectior ipsâ eleemosyna & largitione; quia ut Divus Gregorius libro vigesimo moral. capite vigesimo sexto ait: *Ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat & tunc contra dolorem ipsius per ministerium concurrat.* Et mox *Exteriora largiens rem extra semetipsum præbuit: qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, aliquid de semetipso dedit.*

VI. Cum alter alterum quomodocunque juvamus. Ita exponit verba Christi auctor incertus in Biblioth. Homiliarum. *Hoc est fortasse*, inquit, *quod Apostolus ait; hæc est forsitan illa lex, quam nos adimplere præcepit quando dixit: Alter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi, hoc est, mandatum Christi.* Qui fesso pedes lavat, expeditiorem ad ambulandum reddit: & quid aliud agit; qui alterius onera in se suscipit? Lavat ergo pedes alteri, qui cibum, potum, vestem & quidquid talium est, liberaliter suppeditat egenti: qui utique sine tali auxilio succumberet, eo vero adjutus sustentare vitam potest. Præstitit hoc inprimis sanctus Martinus, cum adhuc miles esset, servo suo, cui per vices serviit. Præstitêre duo sancti fratres Wilibaldus & Wunibaldus, qui alternatim ægrotantes, alter alteri inservierunt, ut in eorum vitâ. Nec non Sanctus Leo Pp. nonus, (auct. Wiberto) qui noctu cum puero ambulans prævio lumine in palatio suo: *vidit in angulo jacentem leprosum scissis panniculis ac ulceribus obsitum, luridâ putredine tabidum, qui nimiâ pressus ægritudine nequibat gressum movere, vixque poterat ex effœto corpore verba proferre. Cui venerandus Pater genibus affixis diu est familiariter loquutus & propriis vestibus suis involutum intulit humeris ad lectum, qui sibi Pontificali more fuerat præparatus. Intrinsecusque januis obseratis, ac ministro separato, ipse solidæ institit psalmodiæ in vicino oratorio. Demum post diutinam horam assueto usu humi cubaturus redit, leprosum quem extructo locaverat thoro minimè reperit, excitatum puerum interrogat, quorsum pauper abierit. Ille attonitus cunctos circuit angulos domus ostiorum sollicitè tentat aditus sed omnia inveniens obserata cum summa admiratione regreditur. Hoc ergo facto stupefactus dominus Apostolicus dat fessa soporiferæ quieti membra, & nescio quid divini in somnis cernens, manè puero cum terrificâ admiratione imperat, ne cui quoad viveret, ullo modo panderet, quod actum fuerat.*

VII. Denique *pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus*, ait sanctus Augustinus tract. 58. in Joann. Hoc modo lavit inprimis Moyses populum suum, quando

quando pro venia peccati impetranda tam ferventer DEUM oravit, ut mallet privari suâ beatitudine, quàm videre populum mori in peccato & perire. Exod 32. Ita quoque Samuel pro suis subditis, tametsi ab eis repudium accepisset, sensit se nihilominus obligatum ad orandum uti prius: *Absit à me hoc peccatum in Dominum, inquit, ut cessem orare pro vobis*, primo Reg. duodecimo. Putabat enim se ex charitate saltem obstrictum ad orandum etiam pro ingratis & inimicis. Non dissimili ratione Job lavit oratione filios inprimis suos, convivia per ordinem agentes, ut eorum labes, quibus interim se commacularent, oratione abstergeret, cap. 1. Deinde amicos suos, à quibus non exiguam contradictionem & probra sustinuerat, reconciliavit Deo suis sacrificiis & precibus c. ult.

Quando igitur vidimus quâ ratione unusquisque lavare alterum possit non materiali solùm, sed mystico quoque lavacro, magis pretioso magisque salutari, ad intentionem Christi propiùs accedente; superest ut hoc obsequium tam stupendo simul exemplo & mandato nobis propositum nullatenus negligamus, sed quibus possumus modis adimplere studeamus.

THEMA TERTIUM.

Magnitudo amoris Divini in Sancta Eucharistia.

I. *Sublimitas amoris in Eucharistia.*
II. *Profunditas amoris.*
III. *Latitudo Charitatis.*
IV. *Longitudo Charitatis.*

Dùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Ioan. 13.

NOs Germani, quando eximium alicujus amorem erga alterum enunciare volumus: dicimus: Er hat ihn ohn ein End / vel an ein End lieb / hoc est, absque fine, vel in finem diligit. Hujusmodi amore, dilexit Christus suos, ut in hodierno Evangelio asserit Joannes: *in finem dilexit eos*; quando scilicet non solùm lavit pedes discipulorum suorum, sed & multò maximè, quando eos pavit corpore & sanguine suo. Sed quis nobis jam exponet, quid sit diligere in finem. Certè sanctus Paulus ad Ephes. 3. ait charitatem Christi supereminere omni scientiæ, adeoque explicari non posse. *Ut possitis scire*, inquit, *supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Eam tamen ibidem obscuris verbis explicat, cùm præmittit: *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri IESV Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum.* Cujus rei? charitatis Christi, ut mox subdit: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Jam verò si ullibi hæ quatuor dimensiones supereminentes charitatis Christi clarescunt, clarent in Sacramento Eucharistiæ. Et hoc igitur est, quod Joan. ait, *in finem dilexit eos*. h. e. tam altè, tam profundè, tam latè, tam longè ut non posset magis, uti videbimus.

I. Sublimitas amoris apparet in excellentiâ hujus doni (Altum enim appellamus, quod superat nostram conditionem, dignitatem, vires.) quia summũ quod habuit nobis dedit, & quidem in cibum, summâ conjunctione. Maximum amorem erga Davidem ostendit Jonathas, quando exuit se vestibus suis usque ad baltheum & induit eis Davidem. 1. Reg. 18. Magnum & Elias ostendit Elisæo, cùm raptus curru igneo reliquit ei pallium suum. 4. Regum 2. Multum omninò dedisset nobis Christus si modo consimili in memoriam sui reliquisset nobis pallium imò filum unicum pallii sui. Id enim maximo honore asservaremus, publicâ pompâ per vicos & plateas circumgestaremus & jure meritissimo: quo modo gloriabatur Sanctus Antonius pallio Sancti Pauli, Paulus Athanasii. Sed plus ultrà amor ejus perrexit: corpus suum dedit nobis. Reperti sunt quidem aliqui, qui pro dilecto seipsos tradere in servitutem voluerunt, uti Judas pro fratre Benjamino, Genes. 44. Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus pro filio viduæ. Sed quis alteri se in cibum unquam dare voluit? Scribit Philippus Bosquier è Sancti Francisci familiâ in scipione claudicantium Conc. 6. rem inauditam, certa tamen, ut ait, fide sibi perspectam. Ludebant in montibus Hannoniæ viri aliquot pila palmaria, reflexis, ut fit, ad cubitum manicis. Fortè mulier uterum ferens & ibidem transiens substitit, & velut repentè Antropophaga carnem brachii unius è lusoribus appetit. Confessa morbum suum, teneri se desiderio summo carnis humanæ Lusor & matris & prolis miseratus, arrepto cultello carnis particulam, exscindit è brachio suo & porrigit. Qua avide devorata, rursus mulier alteram petiit. Exscindit ille & altero brachio carnis partem. Necdum satura tertiam petit; sed ille comiter: Mea ut video liberalitas nimio mihi constabit; non tuum ferendo ut tertium bolum porrigam. Itaque aut priore benevolentiâ contenta esto, & rem Deo committe, aut à sociis meis pete ut tantundem charitatis tibi exhibeant. Magna erat hæc, quis negare potest? & inaudita charitas: non tamen adæquat charitatem Christi, qui se in Sanctâ Eucharistiâ totum quantum toties quoties volumus, in cibum nobis offert. Ac licet jam in hac obligatione nullum damnum sentiat nec dolorem; sensit tamen, cùm se pro nobis semel in manus impiorum flagris concidendum, spinis vulnerandum, clavis crucifigendum dedit; quam cruentam obligationem in memoriam refricat, cùm se nobis in Eucharistiâ dat. *I. Sublimitas amoris in Eucharistia.*

Multum dedisset nobis, si in specie gemmæ alicujus corpus suum in terra reliquisset, colendum & adorandum, sed altiùs ascendit: comedendum dedit. Multum dedisset, si mensam suam regiam alicubi communem nobis fecisset, uti David Miphibosetho. Quis enim non pro summo amoris signo acceptaret, si ad mensam Imperatoris vocatus juxta ipsum collocaretur? Nonne Aman ille primus in

in aula Assueri Princeps pro maximo sibi duxit honore, quod apud Reginam cum Rege pransurus esset? Inde sibi gratulans ait: *Apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum.* Esth. 5. Sed quantò majus est quod cœli & terræ Rex, non solum nos ad mensam suam juxta se ponat, sed quod etiam cibus noster esse velit? Vide ergo quàm altè ascendit amor Christi.

II. *Profunditas amoris.*

II. Profunditas apparet in eo, quod cùm sit immensus Deus, in parvæ tamen hostiæ speciem se includit, imò in quamvis ejus minimam particulam & punctum (profundum enim appellamus, quod ad infima se extendit.) Petrus certè, quando agnovit Christum DEUM ex capturâ piscium, ingressum suam pauperem cymbam, coram eo procidit, dicens: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc. 5. Sed quis non magis stupeat, voluisse nunc eundem DEI filium ingredi corpora nostra lutea, misera, immunda? Quàm profunda esset illa humilitas quâ Rex potentissimus se demitteret ad ædiculam pauperis mendici, quam non nisi profundè inclinatus posset intrare; ut ægrotantem solaretur & inviseret! Sed quantò plus est, quòd Deus amore nostri in tam angustam hostiam de cœlo se demittat? Nonnè hic exinanivit semetipsum, & plusquam in incarnatione? Hinc bene de se in Eucharistiâ comprehenso dixit Joann. 6. *Hic est panis de cœlo descendens.* de summo scilicet ad infimum, de maximo ad minimum locum & per, Oseam cap. 11. *Declinavi ad eum* (hominem) *ut vesceretur,* quomodo scilicet mater inclinat se super infantem in cunis jacentem, ut ubera ei præbeat; quia nimirum infans ad matrem erigere se non potest: uti nec nos ad Deum. Deindè cùm sit cœli & terræ Monarcha, cujus solium cœlum, scabellum terra est, cui omnes infinito penè numero Angeli serviunt, descendit ad hominem, qui non nisi pulvis & putredo est. Magnum beneficium & amoris indicium est, si rex quispiam stabulario suo ægrotanti mittat pretiosam medicinam aut delicatum cibum de mensa sua, sed multò plus & ferè inauditum foret, si ipsemet de mensa aut throno suo surgeret & servo cibum aut salutiferum poculum afferret ac misceret. Sat multum amoris divini fuisset, si Christus pani & vino virtutem sanctificandi nos contulisset, sicut contulit aquæ baptismi, chrismati & oleo sacro? eaque per sacerdotes nobis misisset. At quòd ipse suâ præsentiâ ad nos venire & medicinam porrigere velit, quis hoc satis miretur?

Quid, quòd etiam in templis loco solitario & obscuro ac sæpe malè accommodato excubat pro nobis, maximè ægrotis, ubi quandoque putredine aut mucore fœdatur, præsertim cùm negligentes sunt sacerdotes: à fidelibus venerationis causâ rarò invisitur, per plateas gestatus ad ægros, deseritur, & vix à paucis salutatur; ita ut verè objicere nobis possit id, quod dicet in Judicio reprobis: *In carcere eram & non visitastis me*: Bone Deus! Lectulum Salomonis 60. fortes ambiebant: (Cant. 3.) & lectulo Christi sæpe nemo adest.

Intrat denique ad humillima tuguria pauperum ad sordidos & fætentes ægros, ad leprosos, ad maleficos cras suspendendos &c. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Corpus adamantem, saphirum, carbunculum pulchritudine superans cum fœtido jungis cadavere.

III. Latitudo apparet in eo, quod se absque ullo discrimine omnibus communicat & communicari desiderat: summis, infimis, divitibus, pauperibus, plebeiis & sacerdotibus. Latum enim appellamus quod ad plurima se extendit. In veteri testamento meliores partes sacerdotibus, viliores plebi de sacrificiis dabantur. Ad mensas Regum non quivis admittuntur, sed qui de regio sanguine aut magni Principes sunt. Potentes & divites sui similes invitant. Assuerus Rex convivium suum non nisi Principibus & inclytis suis, summis scilicet aulicis & præfectis provinciarum exhibuit. Non ita Christus, qui neminem excludit, ne eos quidem, qui in carceribus positi, supplicio afficiendi sunt; quos aliis tangere etiam horror est. Hoc indicavit Dominus, quando ad cœnam magnam invitavit non solum divites sed etiam dixit servo: *Exi in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc.* Luc. 14.

Prætereà ad illos etiam venit, qui nullo amoris reciproci igne accensi, sed frigidi & indispositi, absque debita reverentia eum suscipiunt. Si omnes illum susciperent maximo cum desiderio, sicuti Zachæus cum gaudio & charitate, quemadmodum Sanctus Franciscus & S. Catharina Senensis aliique, qui à corporeis sensibus abrepti in ejus amorem & admirationem velut Angeli evolarunt, mirari forsitan desineremus. Sed quamplurimi eum suscipiunt velut Pharisæus ille, qui ejus majestatem minimè expendunt, nec osculum illi præbent, nec unguento caput ejus ungunt, nec aquam pedibus dant: fert tamen patienter.

Et quid dico de reverentia? Etiam ab indignis cum maxima irreverentia in fætentia sceleribus pectora permittit sese recipi. De quibus jure queritur Psalm. 21. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens* Et Ps. 16. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* Quis autem non indignè ferret, si videret infantem objici leoni?

IV. Longitudo apparet in eo, quod nobiscum perseveret in Eucharistia (Longum enim dicitur quod diu durat) & in nos amorem suum effundat quamdiu? 1. usque ad finem mundi. Ita enim fas est intelligere id, quod dixit ascendens in cœlum; *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et confirmatur ex Dan. capite 12. qui asserit ab Antichristo primum tollendum juge sacrificium; publicum scilicet Eucharistiæ cultum. Quemadmodum enim columna ignis duxit Hebræos quadraginta annis per desertum, usque dum venirent ad terram promissam: *Nunquam defuit columna nubis per diem & columna ignis per noctem coram populo,* Exo. 13 ita in sacr. Euchar. Christus nunquam deseret Ecclesiam, sed

eam

eam semper ducet ac sustentabit, illuminabit, & tuebitur usque ad finem mundi. Ac licet in hoc mundo partim à Judæis & Hæreticis, partim ab ipsis Catholicis multas patiatur contumelias; despectus, rusticitates, neglectus, peccata gravia, non ideo tamen Ecclesiam suam deseret, adeò illam amat. In qua re, ut in aliis multis, typus ejus fuit Samson, qui licet à sua Dalila varias & graves sustinuerit injurias, eam tamen amare non destitit, quando & caput suum in sinu ejus posuit. Judic 16. Multi Sacerdotes sceleribus obnoxii indigne eum tractant, sustinet tamen; modo per manus eorũ, etiam indignas, perveniat ad dilectos suos, qui eum valde exspectant, & cum honore suscipiunt; quo modo S. Franciscus Xaverius nihil pensi habuit etiam pyratæ navim conscendere, ut in Chinam deveniret & Christum annunciaret; adeo amabat salutem animarum.

2. Deinde usque ad finem vitæ cujusque. Tamesi enim aliqui tota vita sua S. Eucharistiam negligunt: & forte etiam contemnunt si vel in fine vitæ resipiscant, eamque pœnitentes desiderent, non repudiabit illos, sed mox advolabit & salutem eis impertiet. Quod sane immensi & insuperabilis amoris est argumentum. Quid enim vir adulteram, à qua spretus & desertus longo tempore fuit, cum viderit eam posteà in necessitate constitutam, recipiet in gratiam, licet ipsa se coram eo humiliet, & veniam precetur? Attamen hoc Christus facit; uti testatur per Jeremiam cap. tertio cum ait: *Vulgo dicitur: si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Plurimi Christiani postquam per peccatum à Christo recesserunt, fornicantur cum mundo, carne, Dæmone, nec ullam Christi ejusque sanctissimi Sacramenti curam aut rationem habent. In morte resipiscunt, & tum Sacerdotem advocant, reconciliari Christo volunt & Sanct. Eucharistiam expetunt. Quid Christus? non repellit eos, sed mox ad eos advolat: quia in finem diligit: juxta id Jerem 31. *In charitate perpetua dilexi te; ideò attraxi te miserans tui.* Ostendite mihi alium tam constantem nostri amatorem. Quadrat huc quod Barlaam Josaphato in parabolâ proposuit, de homine, qui habuit tres amicos, quorum duos vehementer diligebat, ita ut pro illis etiam ad mortem dimicare paratus esset, tertium negligebat nec ullo honore aut benevolentiâ prosequebatur. Contigit ut repente à militibus invasus ad Regem traheretur, redditurus rationem decem millium talentorum. Ergo in angustiam redactus adit primò amicum dilectissimum, opem ejus implorans. Sed is respondens, ait, se ipsum non novisse, habere se amicos alios, quibus obligatus ad serviendum sit: nec aliud nisi duo cilicia ad iter donat. Alterum ergo adit similiter dilectum, qui & ipse per negotia se excusat, quin opem ferre queat, spondet tamen ad breve viæ spatium se comitem illi futurum. Coactus itaque ad tertium, quem neglexerat, amicum pergit: ac verecundo vultu opem ejus, licet immeritus, implorat. Ille hilari facie eum suscipiens, spondet operam suam, & cum amico pergit, vadem se Regi pro amico offerens, atque satisfaciens. Amicus primus est abundantia divitiarum, quæ licet tanto studio culta, morienti nil nisi duos pannos, quibus involvitur, donat. Alter sunt uxor, liberi, familiares, amici, qui nil aliud opis ferunt, quàm quod mortuum ad sepulchrum comitentur. Tertius quis nisi Christus, qui licet totâ vitâ neglectus, si in fine vitæ seriò invocetur, non destituit hominem: sed cum salutis pignore domum ejus ingreditur, & defendit eum in tremendo judicio? Hoccine non est diligere usque in finem? Sensit hoc saucius ille Judæus, qui à duobus itidem Judæis, Sacerdote & Levitâ neglectus, curatus à Samaritano alienigenâ, quem priùs adversatus fuerat Luc. 10. quæ parabola haud dubiè ex verâ historiâ desumpta est, ut observat ibi Corn. à Lap.

Et quid jam nos tanto amori rependimus? utique diligemus eum, sicut nos dilexit, altissimè, pofundissimè, latissimè, longissimè.

THEMA IV.

Cur à nobis sumi per modum cibi Christus in Eucharistia voluerit?

I. *Vt ea ratione maximè nobis uniretur.*
II. *Vt esset memoriale passionis suæ indelebile.*
III. *Vt velut medicina morbo animi debito modo applicaretur.*
IV. *Vt debito eum honore, quantum possumus, afficeremus.*
V. *Vt tutissimo loco nobiscum maneret.*
VI. *Vt sumeretur velut panis nobis necessarius.*

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. *Ioan. 13.*

DE fortissimo illo monstrorum domitore Herculle scribunt veteres, cum ubi rebus suis præclarè gestis ad Oceanum pervenisset, in extrema terrarum orâ duas erexisse columnas, eisque inscripsisse: *Non plus ultrà.* Sabell. l. 5. Ennead. 1 Carolus V. tamen Imperator, quando ultra fines illos, usque in Indiam videlicet, suum porrexit imperium, symbolo suo inscribi *plus ultra* voluit. Videtur sanè Christus ad ultimum dilectionis & humilitatis suæ terminum devenisse, quando se ad pedes discipulorum suorum lavandos demisit. Ita enim de hac amoris extensione loquitur Joannes, quasi extremum fecisset, & ulteriùs pergere non posset, quando dixit: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos* quasi dicat, *non plus ultrà* potuit se deprimere, postquam se abjecit ad suorum pedes. Verũ necdũ attigerat extremum dilectionis terminum. *Plus ultrà* enim perrexit, quando seipsum paulò pòst in cibum & potum suis dedit. Jam si Petrus capere non potuit quod videret Dominũ & Creatorem suũ jacere ad pe-

des suos, quanto magis obstupescendum est, quod in fragilia corpora nostra ingredi, & in nobis habitare voluerit? Ac licet huis rei causas mens humana pervestigare nequeat, conabimur tamen aliquas saltem congruentias adferre.

I. *Ut ea ratione maxime nobis uniretur.*

I. Instituit Christus Eucharistiam ad demonstrandum erga nos amorem suum, quo se nobis unire voluit, quàm posset conjunctissimè: non poterat autem magis & arctius uniri nobis, quàm si unum quoddam corpus fieret nobiscum. Hoc autem fit in comestione, in quâ cibus convertitur in comedentem: quod cùm in Eucharistiâ fieri nequeat, cùm cibus hic longè fortior potentiorque sit ipso comedente, ideo ibi Christus convertit, nos in se, ut unum quoddam cum ipso fiamus. Diligebat Jonathas Davidem, sicut animam suam: quare ut ipse fieret alter quasi David, quid fecit? expoliavit se vestibus suis, & induit eas Davidi, ut ita in Davide seipsum quasi intueretur, adeoque David exuisse videretur personam suam pastoritiam, & induisse Jonatham Principem 1. Reg 18. Verum nondum omninò arctissima erat ista unio; quia species Jonathæ in vestibus quidem apparebat; non tamen ipse Jonathas. Unde David expoliatus vestibus illis, etiam specie Jonathæ exutus fuisset, At verò Christus in Eucharistiâ ita se nobis unit, nosque in se transformat, ut anima Christi realiter animabus nostris conglutinetur adeoque nos in ipsum sensim transformemur, ut jam non ipsi, sed Christus in nobis vivat, juxta id Apostoli: *Vivo ego jam non ego: vivit verò in me Christus*, ad Gal. 2. De Jonatha dicitur 1. Reg. 18. animam ejus *conglutinatam* fuisse cum animâ Davidis: at de Christo Domino dici potest ac debet, non solùm animam, sed etiam corpus ejus conglutinari corporibus nostris. Eò usque nimirum progressus est amor ejus, ut plus ultra non posset. Unde Sanct. Chrysostomus hom. 61. ad pop. ait: *Propterea semetipsum nobis immiscuit & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est.*

II. *Ut esset memoriale passionis suæ indelebile.*

II. Ut haberemus memoriale passionis ejus perenne & indelebile. Non poterat autem hunc in finem dari meliori modo, quàm si in cibum & potum daretur. Cum enim alia omnia facile obliviscamur, cibi tamen & potûs oblivisci diu non possumus. Nôrunt cibum & potum suo modo petere etiam infantes elingues, quin imò & pecora, balatu, latratu, strepitu, hinnitu, boatu. Nihil ergo homini magis in votis est, quàm panis materialis: nihil magis necessarium quam panis spiritualis; quare sicut panis materialis indigentia quotidie nos meminisse Dei & ad eum recurrere cogit: ita panis Eucharisticus revocat in mentem passionem Domini, cujus memoriale est. Adhæc cùm is, qui manducat illum panem, vivat in Christo, & Christus in illo; quomodo fieri potest, ut homo Christi obliviscatur, nisi & obliviscatur sui? siquidem unum, quid efficiunt.

III. III. Ut esset medicina morborum nostrorum spiritualium. Ergo sumi à nobis debuit, quia mo[...] nostri intus in anima latent & ex corde prodeunt, v[...]lut ex officina omnis mali & boni. Matth. 15. Quem[...]admodum enim à stomacho malè disposito pe[...] omnes morbi oriuntur: ita à corde pravo omnia pe[c]cata. Bene igitur instituit Dominus, ut medici[na] peccatorum sumatur instar cibi & potûs, ut ita co[...] applicata, efficacius id sanet atque immutet. Le[gi]mus communiter Dominum tetigisse affecta ma[...] habentium membra, velut linguam muti, ocul[os] cæci, aures surdi, leprosam corporis partem &c. tu[m] ut contactu carnis suæ vivificæ morbos sanaret; tu[m] ut appareret ab ejus contactu sanitatem ægris impe[...]titam esse. Pari ratione voluit nobis providere ta[le] pharmacum, quod fonti morborum, cordi a[p]plicaretur, ut sanitatem animæ per id obtentam ip[si] adscribendam intelligeremus. Dixit Salomon Pr[o]verb. 14. *Omni custodia serva cor tuum; quia ex ip[so] vita procedit.* Ex corde naturali vita pendet natur[a]lis: ex corde morali, quod est mens & volunta[s] vita moralis. Indigebat ergo cor nostrum tali el[e]ctuario, quoniam ex eo tota hominis vita & salu[s] dependet. Dixit quidam senior in Prato spiritua[li] cap. 110 *Esto janitor cordis tui, ne intret peregrinu[s] dicens: Noster es, an adversariorum?* sed communit[er] nos mali custodes cordis nostri sumus, & propt[er] amorem proprium hostes intromittimus; quâ ration[e] etiam nemo censetur bonus sui ipsius Medicus. Ita que alius & syncerior custos cordi nostro adhibendu[s] fuit, & quis melior, sapientior & nostri amantio[r] quàm Christus? Ipsum igitur se custodem nobis Chri stus dedit, juxta id Cant. ult. *Pone me ut signaculum su per cor tuum.*

IV. Ut quemadmodum in cœlo colitur & adora tur ab Ecclesia triumphante: sic etiam sua præsen tia extimularet militantem ad similem ipsius cultum ac venerationem; eo quòd nobis hoc plurimum conducat. Ut ergo cœlites Christum omni, quo possunt, modo semper venerantur & honorant: ita & nobis connitendum in terrâ, ut quàm honorificentissimo loco habeamus & collocemus eum, qui se amore nostri ultimo semper in loco collocavit, in præsepio & cruce. Non habemus autem locum honoratiorem & partem corporis mundiorem quàm os & linguam nostram. Cæteris enim membris immunda sæpe corpora contingimus: reliquis etiam sensuum organis impuras sæpe rerum species haurimus, tum auribus, tum oculis, tum naribus; at verò in os nostrum nihil immundi admittimus, similiter & linguâ nostrâ nihil fœdum & abominabile tangere volumus. Unde Petrus in visione jussus comedere immunda quadrupedia & serpentia terræ: *Absit Domine*, inquit, *quia nunquam manducavi omne commune & immundum*, Act. 10. Dum ergo per os & linguam invehimus Christum in cor nostrum, veluti per portam templi magis speciosam, & equo nitidiore ad nos introducimus, sic quo possumus meliore modo ipsum honoramus. Quo videtur allusisse S. Paulus 1. Cor. 6, dicens: *Glorificate & portate Deum*

Deum in corpore vestro. Sanè in pullo asinæ, in quo nullus hominum sederat, invehi Dominum voluit Jerosolymam: sepeliri etiam in sepulchto mundo, in quo nemo priùs sepultus fuit, adeoque ab omni fœore immuni: sindone quoque mundâ involui: ad nostrum documentum, ut corpus ejus in Eucharistiâ omni quâ possumus reverentia & munditiá excipiamus. Quare sicut os nostrum præ aliis membris maximè mundum conservamus: sic etiam admonemur t mundo corde in S. communione Christum sumamus.

V. Ut nobiscum perseveraret, ita ut nobis nolentibus à nemine tolli posset, sicque velut summus thesaurus noster loco tutissimo à nobis conservaretur. Non possumus autem meliùs aliquid custodire, quam id comedamus. Scribit de Hebræis in Jerosolymianâ Titi obsessione pressis Josephus l.d. de bello c.15. quod tempore obsessionis, cum è civitate plurimi fugissent & aurum primo in vestibus occultassent, Romani eos ceperint & aurum deprehenderint ac rapuerint. Itaque fugitivi Hebræi aureas monetas cœperint deglutire; eo quod hac ratione putarent securissimè custoditas. Verum ubi hostes id advertêre, discuerunt eis ventres & aurum exemerunt. Nobis ero thesaurus noster infinitus, Christus, ita datus est, : per comestionem securissimo loco eum servareus; neque verò nobis quemadmodum Hebræis olli è visceribus potest, quia brevi spatio immutatis peciebus, desinit in nobis esse. Legimus S. Thomam quinatem, cùm adhuc infans esset, & schedulam, in uâ descripta erat salutatio Angelica manu comprendisset, eam deglutisse, ne sibi à matre vel nutrice iperetur. Insidiantur nobis inferæ potestates, quin iam domestici sæpe inimici, ut auferant nobis hristum: & quâ ratione tutius eum conservabimus, iàm si per S. communionem in cor nostrum trajicius? Eò pertinet, quod sponsâ Cant.3. ait: *Tenui eum e dimittam, donec introducam illum in domum mau meæ & in cubiculum genetricis meæ.*

VI. Quia ad cibandam, sustentandam & conforndam animam nostram instituta est. Decuit ergo sumeretur instar panis, ut intelligeremus quàm uis & necessaria sit nobis Eucharistia. Atque hæc polima videtur esse causa, quam insinuavit Dominus, iando dixit Joan.6. *Caro mea verè est cibus, & sanu meus verè est potus.* Et rursum: *Panis, quem ego bo, caro mea est pro mundi vita.* Est autem panis non rporis, sed animæ; quæ & ipsa suo pane non miis, quàm corpus eget. Ut enim calor nativus agens corpus humanum & humidum ejus radicale, sennid absumit, indeque corpus debilitat; ita ut per cim & potum instaurari ac confortari debeat: ita & ima in suis viribus sensim frangitur & debilitatur r concupiscentiam, quæ trahit illam ad sensuales lectationes, terrenas cupiditates & carnalia desidei. Debet igitur & ipsa cibo suo roborari & restaurari; ais autem magis efficax ipsique conveniens, quam ie animarum medicus & omnis sanctitatis fons hristus? Hic enim partim solo contactu suo ex vi sacramenti & opere operato vires dabit animæ, quo modo etiam sanavit tactu suo quoscunque morbos corporis: partim ex opere operantis, si communicans cibum hunc priùs piis affectibus & devotâ meditatione bene quasi masticet, quàm deglutiat. Scimus enim cibum multò magis prodesse, si præmansus manducetur, quàm si, quemadmodum lupis consuetum est, integer in stomachum trajiciatur. Masticatur autem si cogitamus qualem & quantum Dominum suscipiamus: quanto amore, humilitate, misericordiâ & liberalitate ad nos veniat: quam ipse benignus, dum nobis, cum in terris degeret, humilis, pauper, obediens, patiens, mansuetus, castus, sanctus & impollutus, omniumque virtutum speculum & exemplar fuerit: quàm potens & benevolus animarum nostrarum medicus sit. Huic præmansioni si accedat post sumptionem quies aliquantula, in quâ cogitamus, quid tanto hospiti & medico rependere, quem honorem, amorem, reverentiam, obedientiam, imitationem debeamus; si, inquam, panem istum sic manducemus, roborabitur utique mirum in modum anima nostra. Et propterea hunc inprimis panem, potiùs quam materialem illum jussit Dominus petere nos quotidie Matth 6. cum præcepit sic orare: *Panem nostrum supersubstantialem* (ubi multi legunt, *quotidianum*) *da nobis hodie.* Quis autem est panis iste supersubstantialis, (Græcè ἐπιούσιος) propriè loquendo, nisi panis Eucharisticus, in quo pulsâ substantiâ panis materialis, succedit illi duplex alia substantia, corpus & anima Christi? De quo S. Cyprianus de orat. Dom. ait: *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur: ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendit.* Sic ille.

Quando igitur dulcissimus, noster amator Christus eousque amoris progressus est, ut plus ultrà jam non possit; & quidem ex tot causis, rationi tam congruis & saluti nostræ tam convenientibus, laudemus Dominum nostrum, & quod sonat Eucharistiæ vox, gratias agamus pro tanto amore quem ut reciproco alio pro viribus nostris compensemus per hujus sacratissimi cibi usum frequentem dignum, & devotum modis omnibus laboremus: nec cesset pes noster, (quod S. Cassio Episcopo de hoc sancto exercitio divinitus dictum) non cesset manus nostra quin etiam proficiamus indies magis, & plus ultrà tendamus, donec ipsi uniamur in gloriâ, qui se nobis hîc unit in S. Eucharistiâ.

(* * *)

THE-

THEMA QUINTUM.

Mirabilia quædam in S. Euchariſtia à nobis etiam ſuo modo patranda.

I. *Ibi Chriſtus immutavit vultum, tegens ſe panis ſpecie.*

II. *Ibi geſtavit ſeipſum in ſuis manibus.*

III. *Ibi ſpecies panis & vini ſubſiſtunt ſine ſuis ſubſtantijs.*

IV. *Ibi Paſtor ſe comedendum præbuit ac præbet ſuis ovibus.*

V. *Ibi cibus manet integer, patina abſumitur.*

VI. *Ita ibi & in terris eſt, ut tamen cœlum non deſerat.*

VII. *Ibi Chriſtus ſe coëxtendit toti hoſtiæ, ſine membrorum tamen confuſione.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. *Pſ.* 110.

LUculentum Chriſti Domini typum exhibuit nobis David, quando coram Achis, Rege Geth Gentili, finxit inſaniam, ut vitam & libertatem ſuam tueretur inter hoſtes ſibi infenſiſſimos 1. Reg. 21. S. Auguſtinus in pſalm. 33. (cuius titulus illam Davidicæ amentiæ fictionem præfert: *Pſalmus David cùm mutauit vultum ſuum, coram Abimelech*) aſſerit hoc Chriſtum egiſſe, quando Euchariſtiam inſtituit. Quemadmodum enim David coram Achis immutavit faciem ſuam, collabebatur inter manus aliorum, impingebat in oſtia velut ebrius aut inſanus: ita Chriſtus in Euchariſtia ſeſe transformavit in ſpecies panis & vini, in quibus etiam ſeipſum ſuis in cibum, & potum dedit, ſeipſum in ſuis manibus geſtavit; ita quoque comedendum dedit ut minimè abſumeretur, aliaque, quæ inde conſequuntur mirabilia patravit, ut verè de eo prædictum ſit pſalm 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Advertit etiam S. Auguſtinus cit. Pſalm 33. non abſque myſterio Davidem immutâſſe vultum ſuum coram Achis; ſiquidem *Achis* exponitur: *Quomodo eſt*: Sic enim iure merito interroget aliquis, de Sanct. Euchariſtiâ à Chriſto inſtituta: *Quomodo eſt?* quomodo verum eſt, quod de ea diximus? Hoc modo etiam Capharnaitæ dicebant de Domino, quando hac de re ſermonem ad eos habuit: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Arreptitium putabant Dominum*, inquit Auguſtinus, *& neſcire quid loqueretur, & inſanire.* Igitur interrogemus etiam nos, qualia & quanta mirabilia fecerit Dominus & exhibeat nobis in S. Euchariſtia.

Proverb. 2 monuit Sapiens: *Quando ſederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam & ſtatue cultrum in gutture tuo.* Septuaginta addunt: *ſciens Quoniam talia te oportet præparare.* Quod explicans Sanct. Auguſtinus tract. 84. in Ioan. *Quæ eſt menſa potentis*, inquit, *niſi unde ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum, ut ſcias quia talia te oportet præparare, niſi quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit: ſic & nos debemus & animas pro fratribus ponere? Sic enim ait etiam Apoſtolus Petrus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia eius. Hoc eſt talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memoriam celebramus, atque in convivio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipſe & nos talia præparemus.* Qua ratione verò id facere poſſimus, hic videbimus.

I. In ſacra Euchariſtia Chriſtus tranſubſtantiato pane in corpus ſuum, ſubſtituit ſe loco panis, ideoque immutat vultum ſuum, tegendo ſpeciem ſuam gloriam, & inducendo ſpeciem panis, humilem, paruam, in glorioſam. In cujus figuram Iacob indutus veſte aliena, & contectis pelle hœdina manibus & collo, proceſſit ad patrem; qui manus quidem deprehendit eſſe manus Eſau, vocem verò Iacob. Gen. 27. ſic enim & oculi noſtri falluntur in Euchariſtia, auditus vero minimè, quia ex fide deprehendimus eſſe Chriſtum, non panem. Quemadmodum autem amantes ſolent ſe interdum vili & alieno veſtire habitu, ut ſub eo latentes amicum aut ſponſam ſine arbitris liberiùs convenire & cum ijs converſari, vel etiam amorem eorum reciprocum experiri poſſint: ita voluit Chriſtus noſtri amore, ut nobis intimè & ſæpiſſimè poſſet vniri, tecta ſpecie glorioſa ſub ſpecie panis nobis communiſſimi, ad nos venire & nobiſcum agere. Sic apparuit Magdalenæ ſpecie hortulani; duobus euntibus in Emmaus ſpecie peregrini; ut experiretur amorem illorum, & deſiderium & virtutem accuſet. Cum Magdalena licet pauperem aſpiceret, nihilominus tamen Dominum vocavit: & duo illi increpationem Domini æquo animo acceperunt, ſimul etiam amorem ejus exarſerunt. Quid igitur nos viciſſim Domino præparamus? Vtique ſicut ipſe transformat ſe propter nos, ita convenit ut acceſſuri ad eius menſam, aliam etiam induamus perſonam, exuto veteri homine, & perſona peccatoris hominiſque carnalis; ſicque transſubſtantiemur quodammodo in Angelum, ſeu hominem ſpiritualem & ſanctum: qui fuit ſuperbus, guloſus, libidinoſus, fiat humilis, caſtus, juxta id Apoſtoli ad Eph. 4. *Induite novum hominem qui ſecundum DEVM creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis.* Sic erit quidem ſpecies externa, qualis antea fuit, ſed interior erit altera & nova; in ipſum Chriſtum quodammodo converſa. Certè Sanctus Chryſoſtomus Hom. 61. ad pop. vult ut *tanquam leones ignem ſpirantes ab illâ menſâ recedamus facti Diabolo terribiles.* Denique qui extra S. communionem pompoſi incedebant, decet ut in communio

ıunıone humiles appareant; accommodantes ſe Regi loriæ, venienti ad nos in humili ſpecie panis.

II. Chriſtus in ſancta cœnâ geſtavit ſeipſum in uis manibus; quid hac re mirabilius? De Davide licitur 1. Reg. 21. quòd collapſus fuerit inter manus orum, Gethæorum ſcilicet quaſi mentis impos. d alij ſic legunt: *Et ferebatur in manibus ſuis*; ut legit anctus Auguſtinus in Pſalm. 33. ubi ait: *Hoc vero fraes, quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis nim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum teſt portari homo: manibus ſuis nemo portatur. Quoodo intelligatur in ipſo David ſecundùm literam non nvenimus, in Christo autem invenimus. Ferebaur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commenans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum. Feebat Chriſtus in manibus ſuis illud corpus.* Ita Auguſtinus. Ferebat Chriſtus eo tempore corpus ſuum n manibus ſuis, quia ad mortem & cruciatus perferendos noſtri cauſa id offerebat; unde ait: *Hoc eſt corus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. ſeu, ut Sanctus Paulus 1. Cor. 11. habet, *tradetur*; quia jamjam expectabat ſuos interemptores. Quâ verò ratione nos præparabimus tale quid noſtro Salvatori? Utique ſi & nos corpus & animam noſtram geſtemus n noſtris manibus, offerendo nos ipſi totos quanos ad ferendam ignominiam, crucem, mortem, præſertim quando accedimus ad ipſum in S communione; decet enim nos eo temporis articulo ita conſtitutos eſſe, ut offeramus ei vitam noſtram, corpus & animam ad omnem eius voluntatem, ita ut inſtar ſenum capularium, qui portare dicuntur animam ſuam in manibus ſuis, tunc parati ſimus ad pſum emigrare ex hoc ſæculo, velut nullo jam præpediti vinculo, ſed ab omni potius creaturâ huius mundi liberi & expediti; quo modo conſtitutum fuiſſe Davidem, non eſt dubium, quando dixit. *anima mea in manibus meis ſemper* pſalm 118. ad hoc inſinuandum præceptum fuit Hebræis, ut agnum paſchalem comederent habitu peregrinantium, jam ad iter accinctorum, lumbris præcincti, tenentes baculos in manibus, quaſi mox emigraturi; ut obſervavit Auctor Op. Imperf. hom. 52. in Matth. *Propterea*, inquit, *Iudæi exituri de Ægypto* (Exo. 12.) *expediti & præcincti agnum juſſi ſunt manducare & ad exeundum parati, oſtendentes nobis, quomodo, quicumque noſtri agni Euchariſtiam manducant, ita debent ſemper eſſe expediti, quaſi quotidie exituri de mundo.*

III. Species panis & vini ſubſiſtunt ſine ſuis ſubſtantiis: remanet enim color, ſapor, vigor alendi, nutriendi, ſatiandi, quem habuit prius panis & vinum, quamvis ipſa jam ſubtracta ſint. Quâ re quid mirabilius? *Accidentia, enim ſine ſubjecto in eodem* (ſacramento) *exiſtunt, ut fides locum habeat.* ait S. Thomas Aquin, in Opuſc. 57. Poſſumuſne tale quid viciſſim Deo reddere? Omnino: ſi ita affecti ſimus, ut velimus ſtare in fide & ſervitio Dei, etiamſi nobis auferatur panis & vinum; omniſque noſtra ſubſtantia. Multi quidem ſtare in pietate & in fide poſſunt, quamdiu bene fundati & firmati ſunt proſperis ſucceſſibus & ſubſtantiâ terrenâ: at vero eâ ſublata cadunt, adinſtar ſtatuæ Nabuchodonoſoris, quæ in pedibus quidem ferreis, ſed terrâ mixtis ſtabat quamdiu tacta non fuit: at ubi lapis de monte decidit in pedes ejus (qui partim fictiles partim ferrei erant) tota ſtatua corruit. Dan. 2. Talem ſtatuam eſſe Jobum perſuaſerat ſibi Dæmon, qui conſiderans ejus innocentiam & religionem in maximis divitiis, honoribus & proſperitatibus; ſuſpectum eum habuit de pedibus non ſynceris; ſed fictilibus & fucatis. Vnde ad Deum dicere auſus eſt: *Nunquid Iob fruſtrà timet DEVM? nónne tu vallaſti eum ad domum ejus univerſamque ſubſtantiam &c.? Sed extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Itaque obtinuit poteſtatem affligendi eum, tollendique omnem ſubſtantiam & ſanitatem ejus: verùm fruſtrà fuit: deprehendit enim pedes ejus non fictiles ullâ ex parte, ſed ferreos prorſus, adeoque ipſum Job talem heroem, qui etiam tactus non corrueret; & ſubtractâ etiam omni ſubſtantiâ ſuâ adhuc firmiter conſiſteret. Job. 1. Simillimo imo meo judicio, majori miraculo conſtantiæ in fide & pietate, perſiſtebant tres illi adoleſcentes, qui invitati ad Idololatriam ſub pœnâ fornacis incenſæ, reſponderunt Nabuchodonoſori: *Ecce Deus noſter, quem colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis & de manibus tuis ô Rex liberare. Quod ſi noluit,* (ecce magnanimitatem) *notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam, quam erexiſti, non adoramus.* Dan 2. Perſtituri in Dei veri cultu, etiamſi vita eis auferretur atrociſſimo incendio; quaſi dicant, inquit Theodoretus: *Nos pro mercede aliqua Domino noſtro non ſervimus, ſed amore ejus omnibus rebus cultum ejus præferimus &c.* Idem quamplurimi martyres, teneræ etiam virgunculæ Tyrannis reſponderunt, *Hoc eſt robur virtutis & fidei*, inquit D. Cyprianus epiſt. 56. ad Thibaritanos, *mortem non timere, ut probari fides fortius poſſit.*

amore Dei etiamſi tẽporalia nobis ſubtrahãtur.

IV. Paſtor ſe comedendum præbet ſuis ovibus, cum alii paſtores comedant ſuas oves. Miratur hoc S. Chryſoſtomus hom. 83 in Matth *Quis*, inquit, *loquetur potẽtias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit & per omnia nos ſibi coagmentat.* Quid verò nos pro hoc miraculoſo ferculo viciſſim parabimus Deo? Corpora etiam noſtra offeramus ei in cibum & hoſtiam; quod inſtanter obſecrat Apoſtolus ad Rom. 12 dicens: *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam; Deo placentem.* q. d. non peto ut occidatis corpora veſtra, ſicut victimæ cædi ſolent, ſed ut vitâ eis conſervatâ mortificetis carnis concupiſcentias, per continentiam, abſtinentiam, patientiam &c. *Si ſuperbiam tui corporis vincas & reſeces, immolas Deo vitulum: ſi iracundiam, arietem: ſi libidinem, hircum: ſi vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem*; inquit Origenes in cap 12. Ep. ad Rom.

IV. *Ita paſtor ſe comedendum præbuit ac præbet ſuis ovibus,*

Offeramus etiã nos Chriſto.

Hunc cibum ſe appetere oſtendit Dominus, quando dixit: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem patris mei*. Joan. 14. h. e. ut paſcam me animarum lucro & ſalute, veluti Samaritanæ cum quâ tunc egerat, & concivium ejus, cum quibus mox acturus erat. Unde Chryſoſtomus in Joann. ait: *Hominum ſalutem Chriſtus cibum appellat: ut quantâ ſalutis noſtræ curâ & deſiderio teneatur, oſtendat.* Sanctus Ignatius Martyr, ut panis Deo gratius fieret, optabat dentibus leonum moli & confringi. *Frumentum Chriſti ſum*, inquit, *dentibus beſtiarum molar.* Ita Chriſtianus quiſque pro pane vitæ, quem accipit in Euchariſtiâ, viciſſim ſe Chriſto offerat in panem. Talis verò ut evadat, frangat duritiam cordis ſui, & conterat carnis concupiſcentias, coquatque in camino amoris Dei.

V. *Ibi cibus manet integer, patina abſumitur.*

V. Species panis & vini ſacramentales à communicante quidem abſumuntur, quod autem ſub ijs eſt corpus Domini minimè abſumitur; ſed illæſum & integrum perſeverat; quod perinde eſt, ac ſi à prandente patina cum cibo comedatur; & patina quidem conſumatur, cibus verò minimè: vel ſi nucis cortex comeſtus digeratur, nucleo illæſo. Quis hoc non miretur? Cauſa porrò eſt, quia cibus ille, qui eſt corpus Chriſti, potentior longè eſt quàm ſit manducans: quemadmodum medicina, quia potentior eſt nativis humoribus corporis, non immutatur ab eis ſed eos immutat & ad ſuam naturam trahit. Quid putamus Domino pro ferculo præparandum? Aliquid non abſimile: *rationabile obſequium* (cap. 12. ad Rom. cit.) quo carnem noſtram atterimus & quaſi conſumimus variis mortificationibus, ſed ita ut anima non lædatur. Animas noſtras velut cibum ſuum appetit Dominus noſter; corpus hujus cibi vaſculum & quaſi patina eſt. Abſumatur igitur vaſculum, juxta id Apoſtoli ad Coloſ. 3. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Vivunt enim in membris noſtris pravi motus & concupiſcentiæ carnales, quas enecare & atterere neceſſe eſt, ut fiant hoſtia Deo placens; uti dixi: verum hæc mortificatio & obſequium ſit rationabile, uti adjungit Apoſtolus loco cit. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Nam ut ſanctus Bern. ſerm. 19. in Cant. eum locum citans, ſcribit: *Alioquin facillimè zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſſit, ut in eâ incautè & non cum ratione ambuletur.* Et ſer. 3. de Circumciſ. Dom. *Qui nimius eſt, fructum boni operis abſcidit, non circumcidit: qui tepidus eſt minus facit. Qui ergo in diſcretione verſatur ſuam, ipſius ſalutem operatur.* Idem obſervandum cum proximo, quem errantem vel jam lapſum in peccatum ita corrigere oportet, ut corpus caſtigetur, ſpiritus non lædatur; quomodo Apoſtolus inceſtuoſum juſſit *tradi in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.* 1. Cor. 5. v. 5. ut videlicet à Dæmone vexetur verberibus aut ægritudine alijſve modis (inſtar Jobi, quem in carne affligendum Satanæ permiſit Deus, intactâ tamen ejus animâ ſeu vitâ) ut anima ejus hac pœnâ reſipiſcens ſalvetur. Sic & alibi (ad Ep. 6.) præcipit parentibus: *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplinâ & correptione Domini*. quaſi dicat ita caſtigate eorum corpora, ut animas non impellatis in peccatum & gehennam; quo ſenſu etiam capere poſſumus, quod dixit Ruben de Joſepho. *Non interficiatis animam ejus.* Ne ſcilicet in deſperationem incidat & vobis maledicat. Gen. 37.

VI. Chriſtus ita in Euchariſtiâ eſt, ut cœlum interim non deſerat, tametſi in infinitis conſecratis hoſtijs maneat nobiſcum in terris. In cœlo oblectat ſuo aſpectu glorioſo beatos: in terrâ paſcit ſuos fideles corpore & ſanguine ſuo: ut Eccleſiæ tam militanti quàm triumphanti hoc pacto ſatisfaciat, ſeque totum utrique impendat. Quid jam ſimile nos ipſi fundamus? Cor noſtrum partim in terrâ partim in cœlo degens. Quod hoc fieri poſſit, imo & Chriſtianis conveniat, docet Apoſtolus ad Philip. 3. cum ait: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.* Corpore quidem in terrâ cogimur morari: mente tamen in cœlis interim verſari, & ſic ubi obique eſſe poſſumus. Nam *ſicut domus*, inquit ſanctus Gregorius 8. moral cap. 3. *exterioris converſationis eſt ædificium, quod inhabitat corpus; ita domus noſtræ cogitationis eſt res qualibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Unde Paulus qui in ſupernis cor fixerat, in terra quidem poſitus, ſed tamen à terra extraneus dicebat: Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Dum ergo in terra incumbimus neceſſitatibus corporalibus, poſſumus interim verſari cum Deo & beatis, de cœleſtibus cogitando, loquendo, eo ſuſpirando frequenter & toto pectore tendendo. Talem fuiſſe Nonnam matrem ſancti Gregorij Nazianzeni, totam in domeſticis, ſolicitudine curandæ familiæ: & totam in divinis, ſolicitudine procurandæ ſalutis, ſcribit ipſe in oratione de funere patris. *Rem familiarem induſtria & ſolertia juxta leges mulieri forti à Salomone præſcriptas, ita auxit quaſi pietatem colere neſciret: Deo rurſus divinisque rebus ita ſe totam adjunxit, tanquam à rerum domeſticarum procuratione plurimùm abeſſet: neque ab alterutro horum quidquam impedita eſt, quo minus alterum impleret, quin potius utrumque alterius ope fulcivit & confirmavit.*

VII. Corpus Chriſti licet in Euchariſtia ſe coëxtendat toti hoſtiæ, quantæcunque & cujuſcunque figuræ ſit, nullam tamen interim partium membrorumque confuſionem aut commixtionem acquirit: eſto omnes ſimul & in eodem puncto ſint: quodlibet enim membrum retinet ſuum ordinem & connexionem, quælibet pars ſuam cum alijs proportionem, ſitum, unionem: caput adhæret collo, non ventri aut pedibus, femora tibijs, tibiæ pedibus &c. Poſſumuſne nos tale quid præparare & Deo rependere? Poſſumus ſi ita affecti ſimus, ut quocunque in ſtatu & conditione, quacunque in fortuna ponamur, ſemper in agendo ſtrenui ſimus & deco-

& decorum servemus, discretè, prudenter & fortiter omnia peragamus, juxta id Ecclesiastici 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Ita inprimis quocunque in statu, munere & exercitio, seu magno seu parvo virtuosum se & invictum exhibuit David. Positus est ad caulam, ovibus pascendis? Ibi leones & ursos, ovium prædones invasit & eripuit eis prædam. Positus est in aulam, ut luderet coram Saule: ita suaviter, doctè & præclarè lusit, ut melancholiam Regis pelleret & Dæmonem ab eo fugaret. Missus est in militiam, vastum illum Goliathum adortus est & stravit, Philisthæos passim fortiter aggressus, fugavit, mactavit. 4. Reg. 16. 17. &c.

Idem videre erat in Josepho; qui in domo paternâ inter fratres omnium innocentissimus fratrum scelus perversatus detulit ad patrem, patri per omnia morigerus. Venditus hero Ægyptiaco, omnia prosperè, strenuè & prudenter agebat, ita ut herus ipsi totius domus administrationem committeret. Compactus injuriâ dominæ in carcerem, etiam ibidem invenit gratiam coram carceris præfecto, ita ut acciperet ab eo potestatem in omnes vinctos, & quidquid ageretur, sub ejus potestate esset. Genes. 39. Assumptus in aulam Pharaonis talem sese præstitit Regis consiliarium, ut totius regni gubernatio ipsi crederetur. Semper idem, semper sui simillimus: in libertate & domo patris, in servitute & domo heri, in carcere, in aulâ? adeò virtus semper viret & splendet, quocunque in loco aut statu sit. Nimirum sicut is qui bonum stomachum habet, omnia alimenta concoquit & in bonum sanguinem convertit: ita justus & virtuosus omnia in bonū suum trahit, qualiacunque ei contingant.

IN DIE VENERIS SANCTO.

THEMATA.

I. *Figuræ passionis, Ioseph, Ionas, Serpens æneus, Samson, Botrus, Passer.*

II. *Septem Christi verba totidem doctrinæ artium liberalium.*

III. *Christus spinis coronatus, velut sponsus, baptizatus, victor, Rex, victima, conviva.*

IV. *Ludus coronationis Christi quid demonstret.*

V. *Flores decerpendi è passione Domini.*

THEMA I.

FIGURA PRIMA PASSIONIS DOMINI, JOSEPH.

I. *Christus offert se ad patiendum patri.*

II. *Capitur & spoliatur vestibus.*

III. *Venditur.*

IV. *Latronem unum eligit, alterum reprobat.*

V. *Resuscitatus fit rerum omnium Dominus.*

Vendiderunt eum Ismaelitis 20. argenteis. Gen. 37.

SÆpe quidem prædixit discipulis suis Christus suam passionem, in scripturis V.T. præfiguratam, uti in Dom. Quinquagesimæ etiam audivimus: *Ecce ascendimus Ierosolymam, &c. ipsi tamen nihil horum intellexerunt*; quia velum templi nondum scissum erat, sed adhuc oculos eorum velabat. Nunc autem ecce velum scissum, Ecce tibi Josephum, ecce Jonam, ecce serpentem æneum, ecce Samsonem, ecce botrum, ecce passerem immolatitiū in Christo declaratum. Quia tamen hæ ipsæ figuræ multa in se mysteria continent, quæ necdum fidelibus omnibus patent, ea nunc explanabimus.

I. Joseph à patre solicito de filiis suis, pecora pascentibus, ne fortè à Sichimitis, per eos olim offensus, aliquid paterentur adversi, missus est ad fratres, visum quid circa illos ageretur; qui mox *præsto sum*, inquit; miraque alacritate se offert: licet nosset fratres sibi admodum infensos. Ita Dei filius missus est à Patre ad homines, pecora, id est, cupiditates suas pascentes, adeoque Dæmonis insidiis undique expositos, Pater de peccatoribus solicitus dicebat: *Quem mittam & quis ibit nobis?* mox se ad currendum obtulit filius dicens. *Ecce ego, mitte me.* Isa. sexto. Et hoc quamvis sciret se ab hominibus malè excipiendum adeoque crucifigendum. Neronis mater intellecto se, si filius ejus Imperator fieret ab eo occidendam: *occidat modò imperet*, inquit. Christus etiam præscivit se à Judæis crucifigendum, si ad eos mitteretur, non tamen hoc pensi habuit, quin pro salute nostrâ descenderet in terram. I. *Christus offert se ad patiendum patri.*

II. Joseph à fratribus captus & exutus est veste sua polymita. Christus à Judæis captus, omni sua gloria, quam habuit in mundo apud homines, ob doctrinam, miracula, sanctitatem, est spoliatus, dum latronis instar comprehensus; ad tribunalia tractus, homicidæ postpositus, & cum iniquis reputatus, inter latrones suspensus fuit. Qui enim prius appellabatur Christus, Rex, propheta magnus, Doctor veritatis, Dei filius; jam nec Christus, nec Rex, nec Propheta: sed malefactor ab eis compellatur & punitur. O speciose Joseph! ubi vestis illa tua multicolor? Ecce in sanguine hirci intinctа patri tuo demonstratur, in forma fœtentis malefactoris. Vide cœlestis Pater, an hæc tunica filii tui sit, an non. II. *Capitur spoliatur vestibus.*

III. Joseph à suis fratribus venditus est. 1. Juda instigante: ita Christus à Juda, uno de fratribus suis, venditus est. Cur? ut pateret Judæis Christi innocentia. Si quid enim mali unquam Christus egisset, id utique Judas, ei familiaris & conscius Actorum Christi, Judæis prodidisset. At nihil contra ipsum, sed bene pro ipso dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum.* 2. Ad incrementum doloris & passionis Domini; *quoniam si inimicus meus* persecutus me fuisset, *sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis & Dux meus, &c.* Ita Julius Cæsar maximè sensit, quòd III. *Venditur.* 1. 2.

amicus ejus M. Brutus inter conjuratos in ipſum inſurgeret. *Et tu quoque Marce fili!* non ergo fidamus
3. nimium, etiam domeſticis & amicis. 3. Venditus eſt Joſeph Iſmaëlitis & Madianitatis mercatoribus, ab his poſtea Putiphari in Ægypto: Chriſtus impiis Judæis: ab his eſt Pilato Gentili traditus.

4. 4. Viginti argenteis venditus eſt Joſeph. Chriſtus triginta. Cur verò cariùs? quia hic Dominus, ille ſervus: hic vir, ille puer: hic ad Crucem, ille ad ſervitutem tantùm emptus. Quibus conſideratis viliori pretio venditus eſt Chriſtus, quam Joſepus. Sed cur tam vili? Ut diſcamus ab ipſo humilitatem. Quis enim noſtrum ita parvi aliquando æſtimatus eſt? Deinde quia & nos viliſſimo pretio ſæpe eum vendimus. Sed cur vendi voluit? 1. quia & nos in paradiſo pro uno pomo vendidimus nos ipſos Dæmoni in ſervitutem. 2 ut oſtenderet nobis amorem ſuum, qui cum non haberet aurum & argentum, ſeipſum dedit & vendidit ad nos redimendos. Cujus charitatem imitatus eſt S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, cum jam opibus expoliatus, ſeipſum viduæ donavit, vendendum in Africam pro redimendo ejus filio.

IV. Latronem unũ eligit, alterum repudiat.

IV. Joſeph à conjuge Putipharis falsò accuſatus, in carcerem innocens conclusus, duobus concaptivis ſomniantibus, prædicit uni, pincernæ ſcilicet, reſtitutionem priſtinæ dignitatis: alteri, piſtori, ſuſpendium. Chriſtus innocens inter latrones cruci affixus, promittit uni pœnitenti paradiſum, alterum blaſphemum relinquit ad pœnam; & in horum typo denunciat Gentili populo gratiam, Judaico damnationem. Joſeph cum Pincerna ad aulam Regis aſſumitur: piſtor ad crucem abripitur. Chriſtus pœnitentem latronem in paradiſum ſecum ducit, alterum impœnitentem deſerit, puniendum in inferno. Nemo ergo ſibi blandiatur ex eo, quod religioſus, cum Chriſto Crucifixus, aut Chriſtianus ſit Catholicus. Si enim Chriſtum non colat & confiteatur, ſed potius inhonoret, relinquetur ad gehennam.

V. Reſuſcitatiu fit rerum omnium Dominus

V. Joſeph è ciſternâ, in quâ non erat aqua, & demum è carcere ereptus, fit in aulá Regis Princeps & *Salvator mundi* appellatur. Ita verificatum Joſephi ſomnium adoratus eſt à fratribus, Sol à ſtellis, manipulus ſtans à dejectis, vellent nollent fratres. Chriſtus è ſepulchro, in quo nemo prius ſepultus erat, & è cuſtodiâ illius, inter mortuos liber, ereptus, reſuſcitatus & in cœlum aſſumptus fit rerum omnium Dominus, & *Salvator mundi* dicitur. Joſeph Princeps factus fratres ſuos, qui in ipſum deliquerant benevolentiſſimè recipit in gratiam & inſuper magnis donis affecit. Ita & Chriſtus Dominus poſt ſuam in cœlum exaltationem recepit in gratiam Judæos pœnitentes, miſſo ſuper eos ſpiritu S. à quibus etiam poſteà velut eorum Deus adoratus eſt.

(***)

FIGURA SECUNDA PASSIONIS DOMINI, JONAS. Jon. 1.

I. Mittitur in hunc mundum perverſum, ut eum co[n]vertat.
II. Impetitur à Dei juſtitiâ & committitur ſortibus.
III. Offert ſe ad mortem.
IV. Ejicitur in mare dolorum.
V. In limbo patrum inter mortuos liber.

Tulerunt Jonam & miſerunt in mare & ſte[tit] mare à fervore ſuo. Jon. 1.

ILluſtris Chriſti paſſi & reſuſcitati figura fuit Jona[s] ipſo Chriſto teſte Matth. 12. *Generatio mala & a[d]ultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſi[g]num Ionæ Prophetæ &c.* Magnum certè ſignum: ſi[ve] nomen ſive acta ejus ſpectemus.

Nomen Chriſto non malè convenit; ſonat eni[m] *columbam*; Chriſtus autem in baptiſmo ſuo per co[]lumbam deſignatus fuit, & bene, quia ut inter av[es] columba mitiſſima & innocentiſſima eſt; quemad[]modum agnus inter quadrupedes: ita Chriſtus *cùm maledіceretur, non maledicebat, cùm pateretur non com[]minabatur.* Jonas filius *Amathi*, id eſt, *veritatis* fui[t] Chriſtus filius patris veraciſſimi, imo ipſa veritas, o[b] quam conteſtandam in hunc mundum venit.

I. Jonas à Deo miſſus fuit in Niniven civitate[m] magnam, ſed tam perverſam, ut ejus iniquitas in cœ[]lum aſcendiſſe dicatur; ad eam convertendam Chriſtus à patre in mundum perverſum, peccati[s] refertiſſimum, Paulo ad Rom. 1. teſte. Sed Jona[s] inobediens fugit à Deo, præcepti ejus contemptor. Non ita quidem Chriſtus, ſed contra obedientiſſi[]mus: peccatoris tamen rebellis & fugitivi ſpecie[m] induit viceſque ſubiit, adeò ut ab invidis pro peccatore haberetur & cum iniquis deputaretur; quod ſubtili voce Lucas innuit, cum ait: *Ducebantur cum eo & alii duo nequam.* Quamquam tota ferè Chriſti vita fuga fuit, nunc Herodis, nunc honorum, nunc Judæorum.

II. Jonâ in navi conſtituto turbatur mare, reboant venti & Jonam ejectum volunt. Mittuntur ergo ſortes in auctorem tempeſtatis, & cadit ſors in Jonam. Chriſto in hoc mundo conſtituto, ira cœleſtis eum velut ad pœnam & ſupplicia petit, ut unus ipſe, velut omnium digniſſimus moreretur pro populo; quia impoſſibile erat ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata. *Holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi: quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Heb. 10. Mittuntur ergo ſortes inter ipſum & Barabbam, & cadunt in Chriſtum. Tumentes maris fluctus ſunt furioſi Judæi, clamantes: *Sanguis ejus ſuper nos.*

III. Jonas ultro ſe offert ad ejectionem, ut quieſcat mare: *Tollite me & mittite me in mare.* Sed obſiſtunt Gentiles nautæ & conantur remigare ad terram, ut.

ut eum exponant; nec tamen possunt, quia *mare ibat & intumescebat super eos.* Unde coacti Jonam ejicere innocentes protestantur: *Domine ne des super nos sanguinem innocentem.* Christus etiam ultrò se obtulit ad mortem maximâ charitate, sanctus pro impiis, innocens pro nocentibus. Hinc obviam it cohorti, & ait: *Si me quaritis, sinite hos abire*: peccatores scil. omnes. Quanta est hæc charitas! si obsessâ civitate Abelâ, Seba, cujus caput petebatur, se hosti tradidisset, quid non ei debuisset civitas? 2. Reg. 20. Sed obsistunt aliqui Judas, Pilatus variis modis, uxor ejus, volentes eum morti eripere. Nihilominus tamen ira Dei flat, Judæi instant & invalescunt vocibus magnis, ut crucifigatur: Ergo Pilatus protestatur: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Tanta est Dei in peccatum, etiam alienum, ira. Num igitur proprio filio parcet? Nautæ secundum Eleazarum primò Jonam ad collum usque demiserunt, & mare quievit; sed eo recepto, iterum sæviit; sic Judæi, quando eum Pilatus liberare voluit, sævierunt; cùm autem puniit, quieverunt.

IV. Jonas ejectus in mare absorbetur à pisce grandi; & stetit mare. Priùs tamen absque dubio per aliquod spatium cum undis maris miserè luctatus & aquis amaris impletus fuit: unde ait in oratione suâ: *Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt.* Piscem verò immanem contra se os aperire videns præ horrore exclamavit, ut vult S. Hieronymus, & indicat in oratione Jonas, dicens: *Clamavi de tribulatione meâ.* Christus in mare dolorum & omnis generis cruciatuum projectus, cum illis luctatus est, & quidem in Oliveto orans ac prævidens balænam illam, mortem, in sanguine suo quasi natare cœpit & clamavit ad Patrem? *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Dolorum quoque fluctibus oppressus ait per Psalmistam: *Super me confirmatus est furor tuus & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Psal. 87. & rursum: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Psalm. 68. Denique moriens in cruce & videns mortis rictus super se apertos, clamavit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Tunc ira Dei à flatu suo cessavit, & mare illud fervens, sanguinarium cor impiorum Judæorum sedatum est.

V. Jonas in ventre ceti triduo incolumis fuit, & tertio die resorptus ad imperium Dei, Christus in limbo Patrum, inter mortuos liber & secundum animam salvus ac beatus fuit, die tertio ad imperium divinitatis suæ resuscitatus surrexit. Inde per Apostolos suos peragrans mundum convertit universum, pœnitentiam & remissionem ei annunciando.

Superest ut & nos pœnitentiam agamus in cinere & cilicio, ut figura impleatur; alioquin Ninivitæ surgent & accusabunt nos. Gratias tibi ô cœlestis Jona, pro amore, quo te pro salute nostrâ obtulisti ad hauriendum fluctus iræ divinæ, & immisisti in os ceti. Concede nobis ut cum aliquando cetus ille, mors, os suum super nos aperiet, ne in illo pereamus, sed salui & incolumes conservati renovemur in die resurrectionis ad gloriam.

FIGURA TERTIA PASSIONIS DOMINI, SERPENS ÆNEUS.

Num. 21.

I. Serpentis speciem habuit, non venenum.
II. Cruciatus in cruce præsertim.
III. Summa & ænea quasi patientia armatus.
IV. Exaltatus omnia ad se traxit.
V. Exaltatus potius quam suspensus.
VI. Aspiciendus fide & contritione.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. *Ioan. 3.*

SErpentem illum æneum quem erexerat Moyses in deserto, ut, quicunque admorsi à serpentibus eum aspicerent, sanarentur, (Num. 21.) figuram Christi in cruce exaltati fuisse, testatur ipse Dominus Joan. 3. iis verbis: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis.* Sed abhorret forsan animus ab hac minus dignâ comparatione. Quomodo ergo serpens Salvator noster?

I. Serpentis speciem habuit, non venenum.

I. Serpens ille non verus, sed effictus ex ære fuit, adeoque imago tantum serpentis; & sine veneno. Serpens verè Dæmonem verus ignitum significat; ab hoc admorsum fuit genus humanum plagâ igneâ & insanabili: à serpente igitur sanatum est, sed tali, qui non esset peccator, (licet alioqui sub habitu peccatoris) adeoque veneno peccati careret. Is est Christus, qui in similitudinem carnis peccati venit; unde & *peccatum*, id est, hostia pro peccato, & *maledictum* à Paulo appellatur, *qui peccatum non fecit.* 1. Pet. 2. Ideò paulò ante mortem suam protestatus est coram Judæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ideò à Judâ, Pilato, uxore ejus, latrone, Centurione justus proclamatur. Si enim peccare potuisset, quomodo peccatum tollere potuisset? Judæi tamen odio excæcati, externam duntaxat ejus speciem attendentes, tanquam serpentem abominati sunt.

II. Cruciatus in cruce præsertim.

II. Flexuosus erat, instar serpentum humi repentium: ita Christus in cruce doloribus tantis cruciabatur, ut dubium non sit, præ doloris vehementiâ carnem ejus tenerrimam variè se inflexisse jam ad hanc, jam ad illam partem, ut scribit S. Brigitta. Quid enim putatis esse clavis affixum pendere per tres horas, extensum instar cordæ, spinis capiti infixis? Defluebat sanguis in faciem & alia membra ejus, carnem vexans, nec tamen poterat abstergere eum. Vulnera ejus cruenta ab alto Sole urebantur, & quod fieri solet, à muscis & vespis utique pungebantur: neque tamen eas poterat abigere aut contra Solem se tueri.

III. Summa & ænea quasi patientia armatus.

III. Æneus fuit serpens ille. Sed quomodo talis Christus? Æneus certè: non quod sensu careret; cùm tenerrimæ complexionis adeoque & sensûs esset; sed quia incredibili patientiâ armatus, ita ut mira-

retur Pilatus, inde converteretur latro, denique quasi æneus reputari posset; cùm ne minimum quidem impatientiæ signum aut verbum ab eo exprimi potuerit. Ergo sicut æs fortissimum est metallum, quod omnes ictus sustinet & contemnit; ita Christus patiens omnia probra & tormenta fortissimè tulit ac superavit.

IV. *Exaltatus omnia ad se traxit.*

IV. Exaltatus ita serpens traxit undique ad se à castris Hebræorum læsos à serpentibus, ut conspectus eos sanaret. Unde bene ex ære fuit; quia æs sonorum valde metallum est, & fusum in tubas vel campanas homines ad se convocat ac trahit. Ita etiam Christus in cruce exaltatus, & septem verba resonans traxit ad se totum mundum, prout ipse dixit Joan. 12. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*. Traxit elementa & Solem ad sui confessionem. Traxit latronem, Centurionem, & qui cum eo erant, ut ipsum confiterentur justum, Dei filium & Regem futuri sæculi; spectatores, ut percutientes pectora sua reverterentur: totum denique mundum per fidem & amorem. Quis enim Christum amore nostri pro nobis mortuum non redamet?

V. *Exaltatus potius quam suspensus.*

V. Exaltatus dicitur serpens, non suspensus: quia in altâ perticâ elevatus, ut omnibus esset conspicuus, sicque omnibus aspicientibus mederi posset. Christus etiam non suspensus, sed exaltatus in Cruce dicitur: 1. quia inde velut ex altiore loco in subjectum sibi Dæmonem gloriosè pugnavit, eumque derisit juxta id: *Ero mors tua ô mors*: per crucem enim ascendit ad tribunal & judiciariam potestatem, uti indicavit Sacerdotum Concilio: *Ex hoc erit filius hominis sedens à dexteris virtutis Dei*. Sic Marcus Arethusæ in Syriâ Episcopus sub Juliano Imp. in alto suspensus & melle perunctus, ut à vespis & muscis configeretur, tortores derisit, dicens eos in humili loco constitutos & terrenos esse, se verò in alto positum & sublimem. Theodor. l. 3. c. 7. 2. quia in cruce summam gloriam consecutus, adeo ut Crux ex infami ligno gloriosum effectum Regum tiaras ornet & humeros.

VI. *Aspiciendus fide & contritione.*

VI. Serpens ille aspiciendus erat, atque ita sanabat omnes à serpentibus admorsos. Verùm, quia ille corporalem duntaxat salutem dabat, sat erat, si corporeis oculis aspiceretur. Christus verò quia salutem animæ tribuit, spiritualibus oculis aspiciendus est; fide scilicet & contritione. Fidem quis non adhibeat, cùm totus mundus crediderit? Charitatem quis non impendat ei, qui sic nos dilexit? Serpens ille appellatur Heb. *Seraph*, id est, *ignitus*, quia sanabat morsus ignitorum serpentum. Sit ergo & Christus in cruce exaltatus nobis serpens talis, si mordet nos suggestione suâ serpens superbiæ, sanet nos Crucifixi humilitas, pendentis infami de ligno inter latrones: si serpens avaritiæ, sanet ejus nuditas & paupertas: si serpens luxuriæ, sanet ejus tormenta & species deformata: si invidiæ serpens, sanet ejus charitas: si serpens gulæ, sanet ejus sitis, fel & acetum: si iræ serpens, sanet ejus patientia & mansuetudo.

Quare ô benedicte & salutaris serpens, quando nostri causa serpentis speciem induere voluisti, ut morsu pestiferi serpentis nos sanares, sana infirmitates nostras, ut hic te per fidem, & ibi à facie ad faciem videamus.

FIGURA QUARTA PASSIONIS DOMINI, SAMSON.

I. Synagoga suum secretum pandit.
II. Attonsus quasi traditur Gentilibus illudendus.
III. Velut stultus illuditur.
IV. Alligatus columnæ flagellatur.
V. Amplectitur crucis brachia & concutit orbem.

Præceperunt ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. Iudic. 16.

Omnium Catholicorum veterum & recentiorum sententia Samson luculenta Christi figura fuit non in vitâ solùm, sed etiam in passione, de quâ nos loquemur.

Nomen Samsonis *Solem* significat. Et Christus *Sol justitiæ* dicitur Malach. 4. Et ipse de se Dominus Joan. 8. ait: *Ego sum lux mundi*. Dalila est *mendica* vel *debilitans*; quia debilitavit robur Samsonis: exprimens Synagogam.

I. Samson amore Dalilæ, alienigenæ, captus eam sibi despondit. Quæ viro molesta, donec expiscaretur secretum ejus, fecit eum dormire in sinu suo. Christus Synagogam peccatis plenam, pauperem, moribus Gentilem sibi despondit. Quæ ipsi molesta explorare ejus secretum cœpit: *Si tu es Christus, dic nobis palam*: Et in Concilio Caiphas: *Si tu es Christus, dic nobis*. Et Concilium: *Tu ergo es filius Dei?* Coram Caiphâ juridicè interrogatus secretum suum pandit dicens Caiphæ: *Ego sum*. Et rursum Concilio: *Vos dicitis, quia ego sum*.

II. Intellecto ejus secreto, totondit eum Dalila, viribusque spoliatum & à se repulsum Philistæis tradidit ligandum & illudendum. Synagoga ubi intellexit secretum Christi, robur scilicet fortitudinis ejus stare in divinitate, hypostaticè unitâ cum ejus humanitate, unde illum adorare & amare debuisset, totondit illum, gloriam ejus proscindendo & obscurando, nec non clamando: *Reus est mortis*; traditque eum Pilato eo fine, ut ab eo tanquam publicus malefactor, juridicè etiam à Romanis damnatus infami crucis supplicio periret: sicque suum sponsum repulit à se dicens: *Non habemus Regem nisi Cæsarem; tolle, tolle eum*. En quo amor Dalilæ Samsonem, quò amor hominum Christum adegit. *Reus est mortis*, dicunt, crucis scilicet infamis, cui eum destinârant. Itane auctor vitæ tot hominibus, reus est mortis? sed nimirum quia Adami & nostra peccata in se suscepit hinc reus est.

III. Vinctum & exoculatum Philisthæi duxerunt in Gazam, ut ibi illuderetur in urbe sibi notâ: quod utique innumeris modis factum. Sic & Pilatus exceptum Christum misit ad Herodem, velut Galilæum ad Galileæ Regem, ubi in veste albâ ab Herode &

de & totâ ejus aulâ velut ſtultus eſt irriſus ac deluſus. Multæ & incredibiles ſannæ conjectæ ſunt in Samſonem, velut hoſtem acerrimum Philiſthinorum: ſed nihil hæ ad ſannas, quibus exſibilatus Chriſtus. Quando vero oculis ſuis cæcatus eſt? utique quando ab Herode veſte albâ velut ſtultus, regiæ ſc: dignitatis candidatus, indutus & remiſſus eſt Pilato. Quod enim ſunt oculi corpori, hoc eſt mens & ratio animæ. Judicavit ergo Herodes & traduxit eum velut amentem, cæcum, inſanum.

IV. Incluſum in carcere Samſonem molæ aſinariæ alligârunt, ut eam verteret, interim, ut moris erat flagellis objurgabant, & verberibus agitârunt, velut jumentum aliquod. Chriſto hoc fecerunt Gentiles, quando eum columnæ alligârunt, & alligatum flagellarunt. Quanta hæc injuria, ignominia, confuſio, afflictio? Innocentem pronunciatum, ſervili ſupplicio, nudatum ſæviſſimè conficiunt velut nocentiſſimum.

V. Samſon dum illuditur, amplectitur extenſis valdè brachiis ambas columnas, quibus nitebatur domus, concuſſiſque illis, ſubruit domum, unaque ſecum occidit ruina domûs omnes Philiſtinorum ſatrapas, ibi congregatos & convivantes. Chriſtus extenſis manibus amba crucis amplexus eſt brachia, & in ea moriens concuſſit orbem terrarum totum, elementa quoque & cœlum, nec non ſpectatores, ut percutientes pectora ſua reverterentur: velum templi laceravit & Synagogam evertit. Idololatriam quoque oppreſſit & Gentiles, Baccho & Veneri ſervientes; ſed fæliciùs, quàm Samſon Philiſthæos, ut ſcilicet mortui Idolis & peccatis, Chriſto per fidem vivere inciperent. Samſon vindicavit ſe de inimicis; Chriſtus autem pro iis oravit.

Gratias tibi ô Divine Samſon pro immenſo illo amore, quo nos miſeros proſecutus, pro nobis tradi in manus peccatorum & peccata noſtra luere voluiſti. Extende in ſaxea corda noſtra manus tuas & concute ea ac contere; ut percutientes pectora noſtra revertamur in cœleſtem patriam noſtram.

FIGURA QUINTA PASSIONIS DOMINI BOTRUS.

I. *Sanguinem fundit pretioſiſſimum & copioſiſſimum.*
II. *Abſciſſus de terra viventium.*
III. *Pendens inter duos latrones.*
IV. *Preſſus in torculari vinum fudit.*

Botrus Cypri dilectus meus mihi. *Cant. 1.*

NOta eſt legatio miſſa in terram promiſſionis à Moyſe facta, Num. 13. In qua Legati ad torrentẽ botri abſciderunt palmitem cum uva ſua, quam portaverunt in vecte duo viri. Sancti Patres in hoc Botro agnoſcunt figuram Chriſti crucifixi, quem etiam botro comparat ſponſa Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

I. Botrus hic fuit maximus, ita ut duo viri eum geſtare in vecte deberent. Habuit copioſiſſimum liquorem, eumque rubrum, qualem uvæ omnes in Palæſtina: inſuper liquorem ſuaviſſimum ac potentiſſimum, vini ſcil. Cyprii ſeu Cretici. Unde botrus Cypri appellatur à ſponſa, quod ex Cypro vires in Palæſtinam delatæ putentur, ſecundum D. Gregorium, Bedam & alios. Vinum igitur continebat maluaticum; indicabat proinde terræ promiſſæ nobilitatem & fertilitatem. Chriſtus crucifixus pretioſiſſimum & copioſiſſimum effudit ſanguinem. Pretioſiſſimum, quia ſanguine infiniti valoris: copioſiſſimum, quia omnem quem habuit. *Sanguinem fundit pretioſiſſimum & copioſiſſimum.*

II. Abſciſſus fuit à vite velut matre (Hebr. *orbatus*) & à vicinis botris, velut fratribus in torrente botri. Chriſtus etiam ab Iſaia c. 53. (ubi paſſio ejus deſcribitur) dicitur *abſciſſus de terra viventium.* *II. Abſciſſus de terra viventium.*

Abſciſſus primo à patre, à quo in cruce derelictus; quia omni ſolatio deſtitutus. Secundo à matre cui violenter & contra jus ablatus; & ſic vitis, id eſt, mater, fuit etiam vulnerata graviſſimeque læſa. Tertiò à diſcipulis, à quibus & *avulſus* dicitur in Oliveto ad orationem perrexiſſe.

Abſciſſus, non abruptus; quia præpropero judicio condemnatus. Culter fuit ſententia illa: *Reus eſt mortis*; quia ſcil. ſe filium Dei juridicè interrogatus aſſeruit. Undè dicunt Sap. 2. *Gravis eſt nobis etiam ad videndum*; quem tamen Abraham *exultavit ut videret.* In torrente botri, id eſt Jeroſolymis, ubi Judæi velut impetuoſus torrens falſis eum accuſationibus & clamoribus obruerunt & ad mortem abripuerunt. Ideò per torrentem Cedron ad paſſionẽ introductus fuit.

III. Geſtatus eſt in pertica à duobus viris medius dependens. Chriſtus in cruce tribus incumbente medius? cum iniquis reputatus eſt. Sed cur medius? 1. quia repræſentabat maximum illum latronem Adamum, ibi ſepultum. Ibi unus botro dorſum, alter faciem vertit. 1. quia unus latro Chriſtum blaſphemavit, alter confeſſus eſt. Sic Legati aliqui Moyſi detraxerunt terræ promiſſæ, alii eam commendarunt. 2. quia populus Judæorum Chriſtum præcedens, dorſum ei vertit & blaſphemat uſque hodie: alter Chriſtianorum, ſequens, faciem obvertit & honorificat uſque hodie. Hic intravit terram promiſſam, id eſt, cœlum: alter non intravit, mortuus in deſerto. *III. Pendens inter duos latrones.*

I. Botrus hic in Crucis torculari preſſus & calcatus vitam cœlo digniorem effudit. Preſſus autem eſt primò coronâ ſpinea. 2. crucis duritie & membrorũ extenſione ac corporis pondere. 3. clavis vulnera lacerantibus. 4. latrone blaſphemante & pereunte. 5. Judæis exprobrantibus & inſultantibus. 6. militibus pro veſte ejus coram ipſo ludentibus. 7. ſiti ardentiſſimâ. 8. matris & chari diſcipuli præſentiâ. 9. nuditate. 10. affixione membrorum. Quot & quanta torcularia in uno torculari! Quàm verè igitur dixit: *Torcular calcavi ſolus!* Peccata noſtra torcular hoc aggravârunt. *IV. Preſſus in torculari vinũ fudit.*

Agnoſcimus jam te Domine Jesu, per botrum illum

illum fuiſſe præſignatum,& gratias agimus, qui noſtri abſcindi & premi in torculari crucis voluiſti: Petimus ut pretioſum illum paſſionis tuæ liquorem nobis communicare eoque nos inebriare velis,quo tandem in terram promiſſam pervenire valeamus.

FIGURA SEXTA PASSIONIS DOMINI, PASSER.

I. Velut paſſer vilis & contemptus fuit habitus.
II. Solitarius, quia derelictus.
III. Cruci alligatus, hyſſopo potatus.
IV. Super Adami ſepulchro occiſus.
V. Mactatus collo retorto, ſeu inclinato capite.
VI. E latere fudit aquam & ſanguinem.

Factus ſum ſicut Paſſer ſolitarius in tecto. *Pſalm.* 101.

INter aves nobis notas neſcimus viliorem, quàm ſit paſſer, nobis familiariſſimus. Non debemus tamen hanc aviculam contemnere, vel hoc uno nomine, quod typus Chriſti patientis ſit. De ipſo enim intelligunt S. Auguſtinus & Gregorius, quod pſal. 101. ſcribitur: *Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto;* Chriſtus videlicet in tecto Crucis, ſolitarius ac derelictus. Et confirmatur ex Levit. c. 14 ubi pro emendatione leproſi jubentur offerri duo paſſeres; quorum unus vivus permittitur evolare, alter mactari jubetur. In quibus partim homo peccator & Chriſtus, partim duæ in Chriſto naturæ repræſentantur.

I. Velut paſſer vilis & contemptus fuit habitus. I. Ergo paſſer appellatur Chriſtus, quia ut paſſer velut viliſſimus ſpernitur: ita Chriſtus ſpretus fuit à Judæis, qui nominant eum *deſpectum & noviſſimum virorum. Et quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus: unde nec reputavimus eum.* Iſa. 53. Quinque paſſeres dupondio, id eſt, duobus nummis vænibant tempore Chriſti: & Chriſtus 30. fl. venditus eſt; & homicidæ Barabbæ poſthabitus. Paſſer unus dimiſſus, alter occiſus: ita Barabbas, qui humanum genus deſignabat, dimiſſus: Chriſtus occiſus eſt.

II. Solitarius quia derelictus. II. Solitarius appellatur; quomodo? quia derelictus fuit à Judæis, dum componeretur cum Barabba; nec unus pro ipſo ſtetit, ſed omnes contra ipſum & pro Barabba. Derelictus a diſcipulis; quia fugerunt. Derelictus ab amicis & notis, quia ſteterunt à longè. Derelictus à Patre, quia orantem in Oliveto non audiit, crucifixum in ſummis doloribus dereliquit, nec ullâ conſolatione perfudit. Derelictus denique à ſeipſo, quia ſibi opem ferre noluit; ut nobis opem ferret.

III. Cruci alligatus hyſſopo potatus. III. Vivus paſſer cum cocco & hyſſopo cedri ligno alligandus erat, eoque ſanguis occiſi tangendus. Chriſtus Deus & homo ligno Crucis affixus eſt, cocco amoris. Hyſſopo propinatum illi acetum in Cruce, eo fine, ut fugientem animam diutiùs in corpore retineret, ſicque cruciatus & dolores Chriſto prolongaret. Sed ubi mortuum viderunt Chriſtum Judæi adeoque nil ampliùs pati poſſe, tunc petierunt eum tolli mox de cruce, ne vel mortuum diu aſpicere co[...] gerentur. Vide nequitiam. Vivus paſſer naturam Divinam, occiſus humanam notat.

IV. Paſſer mactandus, ſuper vas fictile occidi debebat. Vas fictile eſt Adamus, qui in monte Calvariæ ſepultus culpâ ſuâ fractus, à Chriſto ibidem reparatus eſt; prout inſinuatum Jerem. 18. Ibi inveni[...] paſtor ovem ſuam perditam & impoſuit ſuper humeros ſuos: ibi mulier, id eſt, Divina Sapientia accenſâ lucernâ reperit drachmam perditam; quâ repert[...] extinxit lucernam vitæ ſuæ.

V. Mactandus erat collo retorto, ex Lege Levi[...] 1. Chriſtus tradidit ſpiritum inclinato capite 1. u[...] Adamo infra ſe ſepulto, jam refecto & reconciliat[...] oſculum præberet. 2. ut ſe mori ex patris obedien[...]tia indicaret; q.d. *Ita Pater, quia ſic placitum fuit an[...]te* 3. ut à titulo Regis caput abſtraheret, qui regnu[...] ſuum in hoc mundo non quæſivit.

VI. Sanguis paſſeris dum mactaretur, in ſuppoſi[...]tam aquam defluere debebat, ſicque aquæ com[...]miſceri Ita Chriſtus poſt ictum lanceæ de latere ſu[...] profudit aquam & ſanguinem. 1. quia præcipua du[...] ſacramenta, baptiſmum & Euchariſtiam, eorumqu[...] effectum, qui eſt expurgare peccata & ſanctificare [...] purpurare gratia indicabat. 2. Ut ſummam amor[...] ſui profuſionem nobis oſtenderet, qui omnem om[...]nino effuderit ſanguinem, & ſi plus haberet, plus da[...]ret. 3. ut fideles aqua ablueret, incredulos & impios ſanguis condemnaret? ut ait S. Hieronym. in 3 Joan.

Vidimus igitur Audit. velum templi ſciſſum: vid[...]mus ſub velo latitantia myſteria Dominicæ paſſioni[...] ſupereſt nunc, ut agnitum Redemptorem noſtru[...] toto pectore proſtrati veneremur & adoremus, am[...]mus & glorificemus, &c.

THEMA SECUNDUM.
Septem Chriſti Verba; totidem Doctrin[...] artium liberalium.

§. 1. Rhetorica.

I. Docet Rhetoricam primo verbo, perſuadens Pat[...] clementiam.
II. Perſuaſit efficaciter.

Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. *Luc.* 23.

DAvid jam vicinus morti, Divino afflatus ſpirit[...] cygnæum quaſi acroama decantavit, in quo inter alia: *Sedens in cathedrâ,* inquit, *ſapientiſſimus Princeps inter tres: ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* 2. Reg. 23 Multum laborant interpretes, quis ſit iſt[...] Princeps. Ego vaticinatū arbitror Davidē de Chriſt[...] ſedēte in cathedra Crucis, in qua velut tenerrimus [...] innocentiſſimus ligni vermiculus pependit, juxta p[...] 21. de paſſione ſcriptum: *Ego autem ſum vermis & n[...] homo,* in cruce videl. Sapientiſſimus utique Princeps inter tres, ipſum, inquam, & latrones duos. Ibi ſapien[...]tian

tiam suam veluti Professor in publicâ Cathedrâ toti Orbi tradidit; nec pluribus quàm septem verbis, in quibus tamen, si rectè expendantur, 7. liberales artes modo aliquo docuit, quæ ut olim gratis & in publico Romæ docebantur, ita doctæ sunt à Christo.

I. In primo verbo docuit Rhetoricam. Hujus munus est, ornatâ & efficaci oratione aliquid persuadere. Voluit Christus Dominus cœlesti patri suo clementiam erga reos persuadere; idque fecit tam ardenter quàm efficaciter, sicut Aaron, quando posuit se inter vivos & mortuos, Num. 16. Ardenter, quia petitionem hanc omnibus præmittit velut potentissimam: quia cum lachrymis, Hebr. quinto. & sanguinis effusione. Qui plura vulnera habet, de acerbiori primò queritur. Patrem appellat, non judicem, sed misericordem appellans à justo Iudice; & paterna viscera ei in mentem revocans, filium utique audiendum insinuat. Quis enim petit patrem panem, piscem, ovum, & non auditur? Iam Christus petit inimicos suos tanquam panem suum: tanquam pisces in suam sagenam pellendos: tanquam ova excludenda & vivificanda; cumque esset in maximis tormentis, quasi sui oblitus, pro inimicis suis solicitus est; & cum jam omnibus membris ligâtis, iuvare eos non posset, linguâ saltem iuvat orândo. Oratoris est variis è locis ad persuadendum argumenta depromere. Idem facit Christus. Et primo à personâ patris, quia allegat paternam benevolentiam vtique filio non negandam. Vult enim dicere: Etsi illi, pro quibus oro, sunt indigni: ego tamen filius tuus non indignus sum qui audiar, quia semper facio voluntatem tuam. Deinde memento te etiam esse patrem eorum, qui de facto in me peccant. A Iudice ergo ad patrem appellat; vnde iam non dicit: *Pater mi*: sicut in horto, sed, *Pater*, universalis scilicet.

2. Ab exemplo suo, quo patrem emollire vult ad donandam reis veniam, eò quòd ipse etiam ab ijsdem offensus, & in duplo quidem, iam eam donârit. Vnde non ait: Dimittamus eis; quasi ipse adhuc pendere tà consensu patris; sed *dimitte* quasi ipse ex parte sua iam remittat, vel remiserit, vel non magni æstimet acceptam iniuriam. Sed quare non explicat, quidnam dimitti illis cupiat; Habet enim verbum *Dimitto* suum accusativum: Nimirum noluit accusare illos, voluit proinde addere verbo accusativum: debuisset enim peccatum eorum appellare scelus, nequitiam; sacrilegium, Dei cidium, & si quid peius vocari potest. Rursum quia contra omnia 10. præcepta deliquerant, omnia accusare debuisset; nullum ergo profert.

3. A ratione, quòd nesciant quid faciant. Quales inprimis fuêre milites Pilati; qui fortè omnino non noverunt Christum. Deinde Iudæorum plebs, quæ forè justum & innocentem esse solùm sciebat; præterea omnes peccatores qui etiam nesciunt, quantum Dominum offendant, quantos cruciatus Christo causârint; quanta animæ suæ damna inferant. Denique etiam modo aliquo Pontifices & Sacerdotes, qui saltem crassa aut affectatâ ignorantia nesciebant ipsum esse Dei filium. Hos ergo, quo poterat modo, excusavit, sicut solet reorum supplicio afficiendorum, Advocatus, miserorum crimina, quia excusare nequit, saltem extenuare v.g. furta ex paupertate, homicid a ex ira, adulteria ex ebrietate commissa ab eis esse.

Fuit autem efficax hæc oratio; quia 1. impetravit reprobis saltem dilationem pœnæ usque ad triginta & octo annos, quod figuratum in ficu sterili Luc. 13. ubi hortulanus pro ea orans utitur eadem penè voce: *Dimitte illam & hoc anno.* referens se ad hoc verbum: *Pater dimitte eis.* deinde quia omnibus gratiam specialem, qua converti poterant facilè, si vellent, obtinuit. Eò spectabant prodigia: latronis & Centurionis testimonia &c. Ibi tenuit elementa iam ad vindictam parata, ne insurgerent in impios; sicut David sermonibus confregit viros, bellatores suos, ne invaderent Saülem & occiderent. 1. Reg. 24. II. *Persuasit efficaciter*

Attende igitur, inquit S. Augustinus serm. 170. de temp. *Magistrum tuum & Dominum tuum, non in cathedrâ sedentem, sed in ligno pendentem circumspectis vndique turbis inimicorum & dicentem: Pater ignosce &c.* Hanc Christi doctrinam inculcat nobis Paulus ad Rom. 12. *Benedicite persequentibus vos. Benedicite & nolite maledicere*; vt simus imitatores Christi & filij patris eius. *Trip Dō, 21. post Pet. c. III.*

§. II. Geometria.

I. Cœlum appellat paradisum.
II. Ostendit vbi sit paradisus.
III. Indicat distantiam paradisi.
IV Infallibili certitudine operatur.

Amen dico tibi; Hodie mecum eris in paradiso. *Luc. 23.*

E Liberalibus artibus una est Geometria. Qui hanc artem callet, describit in charta Regiones, civitates, pagos: earundem speciem, an montosæ, sylvis & aquis dotatæ: item sub qua Cœli plaga sitæ: rursum earum distantiam ab hoc alterove loco depingit Hanc etiam artem sapientissimus noster magister Christus docuit nos in cruce, & quidem secundo verbo: ubi describit regnum suum, quale sit, ubi sit, quantum distet, maxima certitudine.

I. Depingit quasi in mappa regnum cœleste, quod desideravit latro, similitudine & vocabulo terrestris paradisi. Sic laudatur pulchritudo terræ Sodomorum, quòd esset *sicut paradisus Domini*. Genes 13. Quemadmodum enim paradisus fuit hortus deliciarum omnis generis; ubi perpetua amœnitas & cœli serenitas, ubi nulli morbi aut tristitiæ, ubi omnis generis fruges & oblectamenta, dulcissimi avicularum cantus, aquæ limpidissimæ, murmurantes rivi, florum omnium copia, bestiarum omnium obsequium &c. ita regnum Christi & visio beatifica hortus omnium deliciarum est: ubi lumen indeficiens, nullæ miseriæ, gaudia omnis generis eaq; purissima, &c. Quid putamus cogitasse latronem: quando audivit donari sibi paradisum? quid, quando eum aspexit? I. *Cælum appellat paradisũ.*

Fabri Sylva Nova, de Dom. Pp

aspexit ? Ejectus fuit à Judæis è mundo, quasi abortus luce indignus: & colligitur à Christo & ponitur in cœlo. Petiit tantùm memoriam sui : & obtinet consortium regni. Claudius Cæsar cùm occiso à conjuratis Caligulâ, omnia cædibus impleri videret, se in latebras abscondit, unde protractus à militibus, cùm ad necem se quæri putaret, in humeros à militibus sublatus, Cæsar nominatus & in castra delatus est (Sueton. & Joseph lib. 19.) cùm præ metu & gaudio vix pedibus insistere posset. Simile quid latroni contigisse non vanè ominamur.

II. *Ostendit ubi sit paradisus.* II. Ostendit nobis, ubi sit paradisus. Scriptura Genes. 1. ait inde oriri fontem, qui in 4. capita seu flumina dividitur. Tigrin, Euphraten, Gehon, & Phison. Ubi ergo hi 4 fluvii sunt, ibi erit paradisus: scilicet in Mesopotamia juxta Apameam, ubi Tigris & Euphrates coëunt, & inde mox in 4. fluvios dividuntur. Vidit Christus è boni latronis corde prodire 4. flumina. Fidem, quia confitetur & credit ipsum esse Regem futuri sæculi. Spem, quia dum alii clamant: *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*; ipse in eum sperat & ab eo salutem poscit; siquidem eum invocat, ut ejus memor sit ipsumque salvet. Charitatem in Deum, quia Christi innocentiam defendit contra obtrectatores, cum periculo majoris sui tormenti: in proximum, quia socium blasphemum reprehendit. Pœnitentiam, quia fatetur se justè pati & digna factis recipere veniamque implorat: *Memento mei.* Sufficiunt hæc ad salutem cuicunque peccatori, itaque mox ei paradisum designavit Dominus. Ostendit præterea paradisum ibi esse, ubi ipse est, dum ait: *Mecum eris. Vbi enim malè poterat esse cum illo, & ubi bene poterat esse sine illo?* ait Sanctus Augustinus tract. 51. in Joan. Ideò in fissurâ montis Calvariæ non fuit ejus crux à cruce Christi divulsa, uti crux mali latronis. Hinc Paulus cupit dissolvi & esse cum Christo.

III. *Indicat distantiam paradisi.* III. Indicat eidem distantiam paradisi, & quàm citò illuc perventurus sit, nimirum intra unam aut sesqui horam. Cùm enim Christus hora 9. obierit, & latro post crurifragium: paulò antè Solis occasum utique mortuus est, sic eâdem illâ die in paradisum translatus est; itaque sine omni purgatorio mox ad gloriam evolavit, quia in cruce per confessionem suam martyr (ut volunt S. Cyprianus & Augustinus,) & testis Christi factus est. Insuper ei prædixit, quòd in cruce non multis diebus, imò nec horis, sed brevissimo temporis spatio passurus esset, adeoque post duas horas in paradisum migraturus; quia dum latro fassus est, se digna factis recipere, adeoque libenter pro peccatis sui spati, meruità pœnis citiùs expediri. Unde & docuit nos, quomodo per compendium pervenire ad cœlum, remotissimam alioquin regionem, possimus: nimirum si tunc confiteamur & glorificemus Deum, cum omnes alii negant: & si in tribulationibus nostris admodum patientes simus & laudemus Deum, denique si nos ipsos accusemus, Adam, quia se excusavit & Deum obliquè accusavit: *Mulier, quam dedisti mihi, &c.* statim eo die ejectus est è paradiso: è contra latro, quia se accusavit, Christum vero Deum excusavit, mox eodem die jure merito intravit paradisum.

IV. Certè & infallibiliter operatur, confirmando verbum suum juramento, dicens: *Amen dico tibi.* Dubitare enim vel hæsitare poterat latro de tam grandi promissione, 1. ratione personæ propriæ, quæ nihil unquam boni fecerat, sed mala plurima; nec prius noverat Christum. 2. ratione personæ Christi, qui tunc ipsemet in cruce cum eo pendens, ab omnibus desertus & spretus, mortem jam expectabat. 3. ratione rei promissæ, paradisi scilicet, qui ad corpora potiùs quàm ad animas spectabat, & insuper ignotus erat, adhuc superesset. 4. ratione temporis, quòd *hodie*; cùm in cruce solerent communiter ad sextum usque diem affixi vivere. Has ob causas Dominus promissioni suæ asseverationem addidit, ne diffideret latro, sed in spe suâ firmaretur. Quàm bonus ergo ad largiendum Dominus!

Nos mali & fallaces Geometræ sumus, Terram cœlo majorem facimus; unde de terræ tantùm dimensionibus, non de paradiso litigamus. Nescimus ubi sit patria & paradisus noster: in terra illum quærimus, cum in cœlo sit: hîc exilium est. Nescimus qualis sit; in divitiis, in voluptatibus, in honoribus illum ponimus, cùm in virtutibus consistat. Nescimus quantum à nobis absit; longe remotum putamus, cum fortè hodie simus ibi futuri. Ergò quia tempus breve est, & fortè hodie finem accipiet, maturè nobis consulamus cum latrone, & clamemus: *Memento mei, &c*, ut audiamus: *Hodie mecum eris in paradiso.*

§. III. Dialectica.

I. Cur matrem consolatur;
II. Cur mulierem appellat.
III. Cur Ioanni matrem commendat.

Mulier ecce filius tuus. Fili ecce mater tua. *Ioan.* 19.

Dialectica ars dsserendi est, quâ verum à falso discernimus, illud approbamus, hoc improbamus: quo modo canes ex odore indagant feram, per discursum quasi. In tertio Christi verbo quædam consideranda sunt, an sapienter dicta sint. Quare Christus Magister noster exponere nobis debet, quā dialecticè locutus sit. Reliquit in his verbis suavissimum odorem: eum ergo investigabimus & curremus in odorem unguentorum ejus. Cant. 2.

I. Quid opus fuit, ut moriens Christus matrem commendaret. Nam 1. non solent morituri sanos consolari, sed ab iis potiùs consolationem accipere. Deinde videtur potiùs hoc verbo sauciâsse matrem, dando ei discipulum pro filio, servum pro Domino. Adhæc poterat Christus aliis modis providere matri, & pascere eam, ut Eliam & Paulum Eremitam ministerio coruorum. Ergo non opus erat commendare eam discipulo. Respondetur ad primum id decuisse; ut Christus etiam in agone suo ostenderet

deret amorem & ſolicitudinem erga afflictiſſimam matrem. Si enim quoties vidit priùs aliquem miſerum, cæcum, languidum, hydropicum, laborantem in mari, mox eis ſuccurrit: cur non ſuccurrat matri, videns eam ſtantem juxta crucem ſibique tenerrime compatientem: ut ei vicem rependeret, quod vel ciconiæ faciunt? Sic enim c. 7. monet Eccleſiaſticus: *Retribue parentibus, quomodo & illi tibi*. q.d. tracta eos ſenes, ſicut illi infantem te tractarunt. Vapores à terra elevati, iterum in eam per imbrem & rorem refunduntur. Eduxerunt etiam è luto liberos parentes & pro viribus exaltârunt: æquum igitur eſt, ut filii vicem reddant parentibus; demittendo ſe ad eos jam ſenes & ſublevando eorum miſerias.

II. Quare *mulierem* appellat matrem? Cùm enim latro eum Regem futuri ſæculi confiteri audet, cur ipſe non audeat appellare *matrem*? Unde S. Chryſoſtomus in Joan. ait: O *bone Ieſu, quid matrem tuam erubuiſti, quæ te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit, tam dure loqueris: mulier, inquiens?* Reſpondetur id feciſſe 1. propter ſe, quia jam jam moriturus matremque deſerturus alterum ei filium ſubſtituebat. Jam enim ad alterum ſæculum tendens oſtendit ſe omnem affectum erga carnem & ſanguinem exuiſſe velut mundo crucifixum, ab eo reprobatum, eundemque reprobantem. 2. propter matrem, tum, ne ejus animum appellatione matris, alias afflictiſſimum magis exulceraret, uti reſpondet Chryſoſtomus cit. (Ita Sara coram Pharaone virum ſuum Abrahamum non appellavit *maritum*, ſed *fratrem* ſuum: ſic ab eo inſtructa, ne illi vitam eriperet. Gen. 12.) tum ne ſuum contemptum ipſi etiam aſpergeret, ſi tam ſpreti filii mater vocaretur; tum ne rabidos canes, Judæos & milites, contra eam concitaret, ut vel probris & maledictis, vel aliis injuriis eam onerarent; tum ut oſtenderet eam eſſe mulierem illam fortem deſcriptam à Sapiente Prov. 31. Stabat enim velut palma, Cant 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*. Sic ſtandum in tribulationibus, mente ad Deũ ſemper erectâ, non dejectâ. Hujus exemplo nos, ſi & ipſi aliquando à Deo audiamus aliquid triſtius, ſi appellet nos *Non populum ſuum*, ſi pati ſinat, non ideo concidamus animo, non deſperemus. Iterum brevi audiemus: *Mater, & populus meus vos*.

III. Quare potius Joanni, quàm alteri diſcipulo vel conjugi ejus Joſepho matrem commendavit? Joannes enim junior omnibus, adhuc adoleſcens, qui matrem Dei ſervare poterat? Reſpondetur inprimis Joſephum juxta receptiorem ſententiam jam tum obiiſſe, quod ejus operâ non amplius eguerit Chriſtus & mater; alioquin ſi ſuperfuiſſet, non dubium quin ipſi matrem, ut prius commendaſſet. Joanni ergo præ cæteris commendari debuit. 1. quia ſolus è diſcipulis tunc præſens fuit. Quantum ergo laborandum, ne occaſiones bene agendi negligamus? Documento eſt Thomas, qui Chriſtum redivivum non vidit, quia abfuit. 2. Quia virgo virgini commendari debuit, quò & intemerata matris virginitas conſervata ſemper fuiſſe ſciretur: & ſyncerus ac puriſſimus amor inter ipſam & Joannem conſervaretur. Puriſſimæ veſtes puro reponuntur loco: pretioſa cymelia thecis holoſerico fultis aſſervantur: ſic puriſſima virgo virgini Joanni jure commendatur.

§. IV. Aſtronomia.

I. *Quid eclipſis ſeu derelictio Chriſti?*
II. *Cur derelinqui voluit.*
III. *Cur hanc derelictionem profitetur.*
IV. *Cur ait: Quare me dereliquiſti.*

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? *Matth.* 27.

AStronomia ars eſt cognoſcendi ſiderum motus conjunctiones & receſſus. Unde noſſe poteſt & prædicere eclipſes in Sole & Lunâ. Chriſtus in hoc verbo monſtrat nobis miram eclipſin & deliquium ſui. Unde bene huic verbo præmittit Matthæus factas eſſe tenebras à 6. ad horam 9. Illæ enim tenebræ ſeu eclipſis iſtam in Chriſto eclipſin deſignavit.

I. Quid fuit illa eclipſis & derelictio? Reſpondeo non fuit derelictio à gratia, quia ſemper fuit filius patri dilectus. *Scio pater quia ſemper me audis*, ait Ioa. 11. Nec derelictio humanæ naturæ à divinâ; quia quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, & *ſine pœnitentia ſunt dona Dei*. Si enim gratia non deſerit hominem niſi expulſa peccato, multò minùs gratia unionis Chriſtum. Denique ſic Deus non poſſet dici mortuus, nec ejus mors & paſſio fuiſſet infiniti valoris. Ergo erat 1. quaſi eclipſis Lunæ & tantum derelictio protectionis, gaudii & conſolationis, quæ priùs redundabat in partem animæ inferiorem ſeu ſenſitivam: ſicut Luna interpoſitione terræ deſeritur à Sole: vel ſicut Olympus vertice ſemper ſerenus, infrà ſuſtinet tempeſtates: vel ſicut æger anginâ laborans, videt & maſticat cibum, ſed tranſmittere non poteſt: vel ſicut homo ille Ezech. 1. à capite ad lumbos electro ſimilis, inde ad pedes igneus. Terra eſt Adam cum ſuâ ſobole. Umbra terræ eſt peccatum uſque in cœlum ſe extendens Unde prodigus ait: *Pater peccavi in cœlum & coram te*. Per hanc umbram tranſiit in paſſione Dominus, dum peccatum Adæ in ſe ſuſcepit, & ſic ejus humana natura ſecundum partem inferiorem omni conſolatione deſtituta & à conſpectu Dei quaſi ſumme elongata fuit, ſicut Luna à Sole, dum eſt in eclipſi: viciſſim maximis repleta doloribus ſine omni ſolatio, adeoque tota Luna eclipſata fuit. Deinde fuit quaſi eclipſis Solis, in quâ & Solis lumen à Lunâ nobis tegitur & aufertur, & ſimul Luna etiam, quia tunc in Novilunio eſt, lumen ſuum reſpectu noſtri amittit. Sic enim in paſſione & cruce Chriſti inprimis divinitatis ejus gloria, de quâ Joannes c. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre*, obſcurata fuit. 1. gloria perſonæ divinæ, quia qui ſupra Angelos ſedit, factus eſt quaſi *vermis, opprobriũ hominum, & abjectio plebis*; ita ut vilis etiam plebicula

I. Quid eclipſis ſeu derelictio Chriſti?

Eclipſis Lunæ.

Eclipſis Solis.

inter latrones eum fugeret, sperneret, execraretur. Potentia, dum jam nihil omninò posse videbatur, quique priùs alios salvavit, non posse jam seipsum salvare, imò pro auxilio Eliam invocare; quod illi exprobant Pontifices, latro, milites. Sapientia, dum coram Herode obmutescens pro stulto habitus, veste albâ indutus & spretus est: coram Principibus & Pilato quasi consilij inops nihil pro se dixit. Sed & luna, id est, humanitas ejus lumen omne tunc perdiderat: quia sublata videbatur ejus sanctitas & vitæ innocentia, cum inter latrones tanquam regni insidiator pendet, & se derelictum à Deo fatetur, quod non cadit alias nisi in reprobos. Majestas etiam regia, quæ prius ei à populo delata per acclamationem in Jerosolymæ ingressu fuit: nunc enim thronus ejus Crux, corona spinæ, aulici latrones, purpura nudum & sanguine respersum corpus, Musica blasphemiæ, aula locus Calvariæ infamis est. Vultus decor & pulchritudo, dum omninò deformatus nullam habet speciem, est ei aspectus; reputatur ut leprosus. Sermonis gratia, dum lamentari ad DEUM videtur: *Quare me dereliquisti?*

II. *Cur derelinqui voluit.*

II. Cur voluit ita derelinqui? ℟. 1. ut locus esset cruento sacrificio. Sic Isaac se ligari passus ad sacrificium, Gen. 22. Sic Samson à suis civibus, ut salvi essent à Philisthæis eorumque tyrannide. Judicum 15. sic ligatus filius, à chirurgo scindendus, non auditur à Patre. 2. quia nos dereliqueramus Deum, juxta id Deut. 32 *Dereliquit DEUM factorem suum.* Ut ergo nos eriperet à gehennâ, dereliquit filium in cruce: sicut mater ægrum deserit filium, cum audit duos alios filios abripi à flumine.

III. *Cur hanc derelictionem profitetur*

III. Cur hanc derelictionem magnâ voce testatur? ℟. ut surdos Judæos emittat ad psalm. 21. qui de ipsius passione scriptus clarissimè iisdem verbis incipit. Sic Azo juris consultus celeberrimus ob percussum ferventi irâ inimicum, ad Iudices exclamavit: *Ad bestias*; quod est principium lib. 31. ff. de pœnis, ut ex lege illâ sibi parcerent, velut homine in arte suâ excellentissimo: tametsi non solum non audierunt eum Judices, sed malè id interpretati damnarunt eum. Sic Judæi: *Eliam vocat iste* 2. ut futuros hæreticos convinceret, ne putarent aliqui eum non verè passum, ut Manichæi, Cerdon & Marcion: unde clamavit, ut sciremus passionem eius non fuisse ludum parvulorum. 3. ut nobis indicaret, quanto ipsi constiterit salus & redemptio nostra. Nesciunt filij, quos dolores causarit matri partus ipsorum. Rebecca dum gemini fœtus, Jacob & Esau in eius utero colliderentur, ajebat: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25. Sic in Christo certabant duo amores, amor vitæ propriæ, & amor salutis nostræ: inde dolores illi.

IV. *Quare me dereliquisti.*

IV. Cur mirabundus ait: *Quare me dereliquisti?* ℟. 1. ut testetur innocentiam suam. 2. ut indicet quantum distet cœlum à terra, id est quantum sudandum sit pro eminenti gloria cœlesti. 3. quia prævideràt suam derelictionem multis, ingratis scilicet, non profuturam, unde psalm. 21. queritur: *Sicut aqua effusus & dispersa sunt omnia ossa mea.* Clamat ergo cum Job. c. 9. *Quare frustra laboravi?*

§. V. Grammatica.

I. Significat sitim naturalem Christi.
II. Sitim adimplendi voluntatem patris.
III. Sitim plus patiendi, si opus foret.
IV. Sitim animarum.

Sitio Ioan. 19.

GRammatica est ars, quæ docet linguam latinam loqui & intelligere. & quia multæ voces sunt difficiles aut plura significantes, crebrò utitur interrogatione illa: *Quid significat* hoc vel illud Verbum? Tale verbum est Christi quintum *Sitio.* Alij enim sitiunt Deum, ut in psalm. 41. *Sitivit anima mea ad DEUM.* Alij justitiam Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Alij sanguinem, ut persecutores illi Apoc. 16. & *mulier ebria sanguine Sanctorum.* Apoc. 17. Quid ergo significat hoc Christi verbum?

Significat 1. sitim naturalem, quæ maxima erat ob tot sanguinis effusiones, ut psalm. 21. dicat *Aruit tanquam testa virtus mea & lingua mea adhæsit faucibus meis*; præ siti videlicet. Ea tamen homines latebat, quare eam explicat; & ut verè passum sciremus: Nemo alius credit, quantum affligat sitis hominem omni humore & sanguine exhaustum, nisi qui experitur. Hinc Cancellarius quidam Lovaniensis moriens dixit P. Carnelio à Lapide (qui hoc scribit in Joann. caput 19. vers. 28.) nunquam se illa psalmi 12. verba (*aruit tanquam testa virtus mea & lingua mea adhæsit faucibus meis*) ita intellexisse, ut tum ad vivum intelligebat, cum simili siccitate faucium & siti se laborare sentiret, atque ex illa metiretur, quanta fuisset Christi sitis & ariditas. Nihil ipse biberat à cœna pridiana: in Oliveto humorem pene omnem pridie exsudarat: in flagellatione & crucifixione, quod reliquum erat effuderat: accedebant dolores acerrimi, qui sitim excitabant; nam ut ait Cyrillus apud Corn. loco cit. *dolores innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera urunt.*

II. Sitim adimplendi voluntatem patris. Acrior hæc fuit & magis afflixit Christum, quam sitis corporalis; quod ex eo colligimus, quia cùm ex itinere fatigatus sitiret & aquam à Samaritana peteret, ubi ejus animam quasi venari cœpit, & jam captam apprehendit, sitis suæ uti & famis prorsus oblitus est; quasi sitim corporalem extinxerit illa altera longe ardentior; quam explicavit, cum mirantibus discipulis, quod de cibis emptis nihil comederet, respondit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Jo. 4. Hac igitur siti in Samaritanæ venatione non nihil satiata, oblitus est sitim corporis. Porro quia noverat ex voluntate Patris sibi in hac siti sua bibendum esse acetum, psalm. 68. vers. 22. *In siti meâ potaverunt me aceto* idcirco ne

hoc

hoc prætereatur, clamat: *Sitio*; ut hac voce moneat quasi milites, aceti sibi porrigendi: *ut consummaretur scriptura*, ait Joannes capite 19. tametsi bene noverat hoc acetum nihil sibi profuturum ad sitis refrigerium, nisi ut daret vires aliquas ad reliqua verba proferenda & diutiùs patiendum. Unde Beatus Laurentius Justinianus lib. de agone Christi capite 19. ait: *Magnanimitatem, quam gerebat introrsus, foris ad suorum exercitationem fidelium monstrare voluit: quamobrem, ut quæ deerant consummanda, perficerentur, ait Sitio.*

III. Sitim plus patiendi, si opus foret. Colligi hoc ex eo potest, quod acetum sibi oblatum biberit, quod sistendi sanguinem vim habet; adeoque quoad hoc vitam Christo prolongare poterat. Atque hinc videtur robur aliquod accepisse ad pronuncianda reliqua duo verba, quæ alioquin sicco planè ore proferre vix poterat, uti experientia docet. Quemadmodum enim Josue olim clamando: *Sol contra Gabaon, ne movearis* (Iof. 10.) Solem fecit consistere, ut die longius producto ulterius pugnare & omnino delere hostes Israelis posset: ita Dominus IESUS animam suam Sole illustriorem jam jam è corpore fugientem & ad occasum properantem, verbo *sitio*, & aceto sumpto retinere voluit, ut humefactâ aridâ suâ linguâ plura adhuc loqui, diutiùs orare & plus posset pati, donec ad ultimam usque guttam passionis calicem exhauriret, voluntatem patris ad unguem adimpleret, pro peccatis nostris copiosam redemptionem offerret, adeoque hostes animarum nostrarum usque ad internecionem deleret.

IV. Sitim animarum; propter quas sibi uniendas adeoque veluti bibendas de cœlo in terram descendit, sicut cervus desiderans & currens ad fontes aquarum. Quâ de re Beatus Laurentius Iustinianus lib. de agone Christi cap. 19. ait: *Sitiebat planè Angelorum redintegrationem: sitiebat etiam corporis ac membrorum unitatem* Et mox: *Quod enim mulieri uni Samaritanæ dixerat: Da mihi bibere; hoc in cruce nunc fixus omnibus ait: Sitio, Vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unire, vos mihi associare sitio. Hanc vocem in spiritu Propheta audisse testatus est, inquiens: Pretium meum cogitaverunt repellere. Cucurri in siti.*

§. VI. Arithmetica.

I. Consummatum pretium pro culpâ Adami solvendum.
II. Consummatum vetus testamentum.
III. Consummatum sacrificium.
IV. Consummatum lytrum redemptionis.

Consummatum est. *Ioan. 10.*

QUando Princeps aliquis suo Præfecto commisit præfecturam, ad ultimum præfectus rationes suas facere & Principi reddere debet, quomodo commissam sibi præfecturam administrârit. Ibi calculi subducuntur, & usque ad obolum omnia computantur. Hoc in isto verbo præstat Christus Patri suo, aliisque quibus debebat: unde docet nos Arithmeticam.

I. Consummatum est pretium, pro debito & culpâ Adami persolvendum. Statutum est Deut. 25. *Pro mensurâ peccati erit & plagarum modus.* Debuit autem Christus ex initio pacto, Adami peccata luere. Iam Adam peccavit superbiâ, cupiens fieri Deo similis: Christus se humiliavit usque ad crucem, factus similis latroni. Adam peccavit gulâ: Christus satisfecit felle & aceto. Adam peccavit amore placendi uxori suæ: Christus satisfecit repudiatus à synagogâ suâ. Adam peccavit inobedientiâ: Christus satisfecit obediendo usque ad mortem. Adam peccavit excusando malè peccatum suum: Christus satisfecit, non excusando, sed conticendo, cùm falsò accusaretur. Rursum Adam in horto paradisi perditionem nostram cœpit: Christus in horto Oliveti redemptionem nostram. Adam vocatus in horto se abscondit & fugit: Christus autem prodijt ultro. Adam in horto manum extendit ad arborem vetitam: Christus ad captivitatem. Adam in horto escam vetitam comedit: Christus per sanguinis sudorem iterum eiecit. Adam in horto se erexit ad carpendum fructum: Christus se depressit, procidens in faciem. Adam omnes homines perdidit: Christus ab omnibus passus est, à viris, mulieribus: senibus, juvenibus: principibus, privatis: sacerdotibus, laicis: liberis, servis. Iudæis, paganis: amicis, inimicis. Denique *clamaverunt omnes: Crucifigatur.*

I. *Consummatum pretium pro culpâ Adami solvendū.*

Rursum sicut Adam peccavit in paradiso, sic Christus luit in monte Calvariæ fœtido & infami. Adam peccavit in ligno: Christus luit in cruce. Adam extendit manus ad arborem vetitam, Christus ad crucem. Adam gustavit fructum suavem: Christus fel & acetum. Adam abscondit se ob nuditatem: Christus nudus exaltatus omnibus se ostendit. Adam uxoris blandam vocem audivit & suavem: Christus probra & contumelias. Rursum Adam peccavit in quinque sensibus; atque in primis aspiciendo lignum, quod esset pulchrum: Christo velati oculi. Adam audijt vocem mulieris, Christus blasphemias. Adam olfactu pomi delectatus, Christus fœtorem Calvariæ & sputorum sensit. Adam gustavit pomum suave: Christus fel & acetum. Adam tetigit pomum decerpendo, Christus in cruce manibus tranxfixus est.

2. Consummatum est vetus testamentum variis personis, actis, signis, sacrificiis, Christi passionem præfigurans. Abel innocentissimus à nocentissimo fratre, Christus à Iudæis fratribus suis occisus est. Arcus DEI Patris cœlestis positus est in nubibus: Christus cruci affixus in sublimem etiam aërem exaltatus. Isaac à patre suo ad sacrificandum ductus, & pro eo aries cæsus: Dei filius ad montem Calvariæ immolandus eductus, cæsaque humana ejus natura. Joseph à fratribus venditus: Christus à Iudâ venditus, deinde à Iudæis traditus Gentilibus. Agnus denique paschalis occisus, ingluviem & invidiam

II. *Consummatum vetus testamentum.*

Judæorum faturavit. Vacca rufa (corpus Domini è terrâ rubrâ formatum) cremata eſt igne amoris extra caſtra. Serpens veneno carens in ligno ſuſpenſus. Samſon moriens columnas complexus.

III. *Conſummatum ſacrificium.*

3. Conſummatum eſt ſacrificium Deo Patri pro nobis oblatum per ſummum ſacerdotem Chriſtum, Hic egreſſus eſt ad ſacrificandum è ſacrario Spiritûs ſancti utero Mariæ virgineo. *Introitum* ſuum peregit in nativitate, ibi *Kyrie eleyſon* cantarunt innocentes. *Gloria in excelſis* Angeli. *Epiſtolam* Joannes Baptiſta. *Evangelium* Chriſtus. *Credo* fidelium populus. *Sanctus* & *Benedictus* pueri in templo Chriſto acclamantes: *Hoſannæ filio David.* Conſecratio facta eſt in cœnâ. Elevatio in crucifixione. *Memento* pronunciavit latro. *Pater noſter*, Joſeph ab Arimathæâ, audacter petens corpus Chriſti. *Agnus DEI* Centurio cum cohorte. Sumptio in ſepulturâ facta eſt.

IV. *Conſummatum lytrum redemptionis.*

4. Conſummatum eſt lytrum redemptionis noſtræ à Chriſto perſolutum. Offenderamus Deum omnibus noſtris membris, ſenſibus, bonis, juxta Iſa. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Paſſus ergo Chriſtus eſt in omnibus ſenſibus. *Nulla profectò corporis pars ſeu ſenſuũ ſeu membrorum à cruciatu erat illæſa. Inſonabant ubique in ejus auribus blaſphemiæ, divini contemptus ſermonis: irridentium, plangentium vociferantium, maledicentiumque tumultus. Oculis intuebatur cũ illuſione capita agitantes: atq; Vah qui deſtruis templum DEI, dicentes. Matrem cernebat mœrore ſauciã & uberrimè lachrymantem, amicorum & affiniũ ſuſtentari manibus, foveri blanditiis, exhortationibus conſolari. Fœtore cadaverum occiſorum & ſanguinis putreſcẽtis ejus complebatur olfactus. Myrrhati quoque vini potus mellifluum illius os amariſſimum fecerat. Poſtremo in ſtipite poſitus infixos clavos geſtabat in manibus. A plantâ igitur pedis uſque ad verticem capitis nil à tormentis remanſerat liberum.* Ita B. Laurentius Juſtinianus l. de agone Chriſti c. 19. Adhæc paſſus eſt in omnibus membris, à plantâ pedis (quam baiulans ſibi crucem, huc illuc à tortoribus diſtractus & impulſus heu quoties offendit? quot lapidum vel etiam ſpinarum offendiculo cruentavit?) uſque ad verticem capitis, ſpinarum aculeis undique confixum: in oculis aſpectu circumſtantium, partim invidorum, ipſi inſultantium; partim charorum commiſerantium; veſtium quoque ſuarum aleæ expoſitarum: in auribus percipiendo tot probra & irriſiones, in capillis tractiones & evulſiones, in genis alapas & colaphos, in naribus ſputa, in ore fel & acetum, in collo catenas, in brachiis funes, in humeris crucis onus, in manibus & pedibus clavos, in reliquo omni corpore flagella & dilacerationes. Paſſus denique in omnibus bonis, animâ, corpore, famâ.

Diſcimus hinc diſtrictas DEO rationes eſſe reddendas de omnibus & ſingulis factis, dictis & cogitatis noſtris, quando Deus à filio ſuo tam ſeveras exegit, ut ne unum obolum, ne unum quidem ictum remitteret. Si enim Rex à filio ſuo tributum requirit, nihil ei remittens; quid remittet ſubditis ſuis?

§. VII. Muſica.

I. Vox hujus Muſicæ, eſt clamor validus.
II. Textus eſt.
III. Menſura eſt capitis inclinatio.

Pater in manus tuas commendo ſpiritu[m] meum. *Luc.* 23.

VIdimus hactenus Magiſtrum noſtrum è cath[e]dra Crucis docentem ſex liberales eaſque di[vi]nas artes, ſeptima adhuc ſupereſt, Muſica. Eſt en[im] verſus pſalmi 30. adeoque canticum. Cum ergo [in] hoc ultimo verbo Dominus evolet à doloribus [è] Judæorum manibus in manus ſui Patris, lætus c[a]nit velut avicula è laqueis liberata: *Pater in man[us] tuas &c.* ad inſtar cygni quoque, qui canit m[o]riens. Carmen id in Completorio canit Eccleſia qu[o]tidie.

Tria ſunt in Muſica: Vox ſeu cantus, textus, & me[n]ſura.

I. Vox & cantus in hoc ultimo Chriſti verbo e[ſt] clamor validus: *Clamans* enim *voce magnâ dixit: Pater &c.* Clamor hic & vocis exaltatio partim lug[u]bris, partim feſtiva & læta eſt. Lugubris 1. quia ind[i]cat dolorem ex mortis aculeo ſibi inflictum, acerbiſſ[i]mum & vi allatum. Amantiſſimi ſemper ſodales era[nt] in Chriſto anima & corpus, nulla unquam in re ſib[i] contrarij, qualis Jonathas & David ſibi conglutinat[i] qui proinde cum ab invicem ſeparari deberent, ſe mu[]tuo oſculantes fleverunt pariter. 1. Reg. 20. 2. quia in[]dicat dolorem, quo enixus eſt inſtar puerperæ filio[s] ſuos, ut eos cœlo pareret, quemadmodum Rache[l] dum pareret filium, doloribus afflicta appellavit fi[]lium *Benoni*, id eſt, *filius doloris mei*: Jacob verò *Beniamin*, id eſt, *filium dexteræ.* Humanitas Chriſt[i] dum clamat, teſtatur nobis partûs ſui dolores. & *Benoni* nos vocat: Divinitas verò *Beniamin*. Demonſtra[t] ergo nobis filiis ſuis, quantò ipſi conſtiterit nativitas noſtra, quæ ei tam doloroſa fuit, ut animam expulerit: adeoque nos debuiſſe ipſi prius eſſe *Benoni*, quam eſſemus *Beniamini* 3. quia hoc clamore extremo excitare vult ſurdaſtros, uti gallina voce raucâ monet ſuos pullos, quo fugiant accipitrem. quaſi dicat quoties congregare vos ſub alas meas volui! & ecce jam ultimum expando alas meas ſuper vos. Video imminentem vobis accipitrem: qui ergo toties clamavi & rogavi vos, nunc iterum & ultimum clamans rogo, ut ad me confugiatis. Timuit enim illis ab irâ Dei deſuper, unde expandit ſuper eos alas. Et ecce mox accurrit Centurio cum cohorte. Gentiles ad eum veniunt, Judæi recedunt.

Feſtiva & læta, 1. quia indicat, ſe velut Deum, poteſtatem habere ponendi vitam cum vult, & reſumendi cum vult. & nunc ſponte eam ponere; ſiquidem clamans exſpirat, miraculosè utique ex divinis ſuis viribus: quia ſi purus homo eſſet, ſic exhauſtus viribus in morte clamare non poſſet. Hinc enim Centurio videns quod ſic clamans expiraſſet, agnovit

ipsum esse Deum, Monstrat ergo se hîc Samsonem, qui columnas crucis amplectens vires adhuc habeat ad perdendos Judæos, si vellet; deinde ad movendum actu cœlum & terram. 2. quia ostendit se victorem & triumphatorem mortis & dolorum omnium superatorem; quo modo psalm. 29. canit per Prophetam: *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea & non compungar.* Jam non poterant ipsi amplius nocere Judæi, nec mors eum configere: sed contra ipse Judæos sibi venturi Judici subjecit & morti insultat: *Ero mors tua ô mors &c.* 3. quia vult terrere Dæmones, jam à se devictos, sicut leo suo rugitu bestias. Sic Josue tubarum strepitu & lagenarum confractione fugavit Madianitas. Jos. 7. Clamor Christi quasi tuba fuit: caro ejus moriens, lagena confracta. Sunt certe, qui putent Dæmones magno numero adfuisse Crucifixo, ut eum vel observarent, vel tentarent, uti Eusebius lib. 10. demonstrat. c. ult. Cætera animalia pleraque Musicâ delectantur, tygris sola ad tympanorum pulsum in rabiem accenditur & seipsam dilaceare conatur, teste Plut. in conjugalibus præceptis. Hoc verbo Christi, passioni suæ finem imponentis, recreati sunt in cœlo Angeli & in terrâ homines ab eo jam redempti: soli Dæmones sunt perterriti & in rabiem acti seipsos quodammodo laniantes, quòd suo molimine Christum cernerent victorem, se verò devictos & prędâ suâ spoliatos.

II. Textus est: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Mira est hæc oratio; quia cùm priùs aliis providisset, inimicis veniam, latroni paradisum, matri filium, Joanni matrem dedisset; sibi omnium postremò providet, & animam Patri commendat; quia nimirum venerat vitam suam pro nobis positurus, quasi animas nostras pluris æstimans, quam propriam. Quod enim pecuniâ meâ emo, magis amo, quam pecuniam meam.

Commendat autem Patri spiritum suum 1. propter ipsum Patrem, ac 1. ut offerat ei spiritum seu vitam suam tanquam pretium redemptionis nostræ, vitam pro nobis ponens. Unde Gr. habetur verbum *Depono*. Arabicè *pono animam meam*. Alludit ergo ad id Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato* (Hebr. *si posuerit peccatum*, id est, hostiam pro peccato) *animam suam, videbit semen longævum.* Hic ergo ponit se velut hostiam jam mactatam in manus patris, quasi in altare, pro peccatoribus. Quale pretium Audit, nonnè magis multo quàm res empta? 2. ut hoc ipsum opus redemptionis nostræ à se patratum Patri acceptum ferat tanquam primo principio & fonti bonorum omnium æquè ac fini; quemadmodum & in aliis suis operibus gloriam omnem ad Patrem retulit, omniaque sua illi adscripsit, uti faciunt bene morati filii, apud Romanos strenui victores, qui triumphali pompâ urbem ingrediebantur, recta ad Capitolium pergebant, ibique è curru triumphali Jovi gratias agebant, quod per eorum manus rem Romanam bene gessisset, eamque ut servaret & protegeret, rogabant, hostias quoque ipsi immolabant, lib. 10. Antiq. Roman. cap. 29. Christus nunc è curru Crucis idem patri suo facit, seipsum immolans hostiam.

2. Propter se 1. ut demonstret Judæis, sibi spiritum è corpore expulsum nequaquam interire, sed ad tempus tantùm breve deponi in securissimo loco, in manibus scilicet Patris sui, à quo mox eum majori gloria recepturus esset juxta prophetiam ps. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me: Domine Deus meus clamavi ad te, & sanâsti me. Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me à descendentibus in lacum.* Et infrà: *Conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ.* quasi dicat, sicut sartor scidisti quidem velut pannum pretiosum, corpus meum, sed eum accepisti in manus tuas, & confecisti mihi inde pretiosiorem vestem ac pulchriorem. 2. ut spiritum suum in condigno & debito loco deponeret, siquidem thesauri (2. Mach. 3.) & vasa sacra in templis asservantur. Si enim corpus ejus immaculatum novâ sindone involuendum, novo in sepulchro ponendum erat, spiritus ejus purissimus purissimis etiam in manibus deponendus erat: unde eum acceperat. 2. Propter se.

3. Propter nos 1. ut cum spiritu suo unà etiam nos, quos ad tempus desereret, Patri commendaret, ut vult sanctus Athanasius & alii; *qui enim adhæret DEO, unus spiritus est.* 1. Tim. 6: quasi caput loquatur pro membris. Sic oravit Joannis. 17. discedens è cænaculo ad passionem in montem Oliveti: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Bonus nimirum pastor, coactus discedere paulum ab ovibus suis, commendat eos summo Pastori, Patri suo: sicut & pater peregrè proficiscens commendat amico filios suos. 2. ne quis etjam justus & sanctus putet se securum in articulo mortis, ubi Dæmon homini maximè insidiatur, quemadmodum volunt aliqui eum morienti Christo adfuisse super brachio crucis sinistro, observantem eum, uti V. Beda scribit. Quare unusquisque videat, cui tunc spiritum commendet. Similiter cùm imus cubitum; quia ibi periculum corporis & animæ, ab insidiis Diaboli. Unde multi sancti eo versiculo in extremo spiritu usi, uti sanctus Nicolaus, sanctus Basilius, sanctus Ludovicus Rex & inprimis sanctus Stephanus: *Domine suscipe spiritum meum.* Testamur enim animam nostram à Deo acceptam immortalem, eidem consignandam usque ad resurrectionem, ejus protectioni commendandam. Unde Ecclesia quotidie ad finem Completorii hoc versiculo componit quasi ad lectum filios suos; quem & innocentes pueri canunt, ut similes eis simus. 3. Propter nos.

III. Mensura hujus cantûs appellari potest capitis inclinatio, cum quâ immediatè post dicta verba tradidit spiritum. Per hanc verò innuit creaturis 1. ut ejus divinitatem testentur variis prodigiis, & ignominiam crucis gloriâ miraculorum compensent. 2. ut tota mundi machina suo Creatori parentes & condoleat. 3. ut Judæorum scelus coarguat, quasi

III. *Mensura est capitis inclinatio. Vide reliqua in Trip. hoc § die 40.*

quasi ipsi jam indigni sunt creaturarum ministerio.

Vidimus Magistrum nostrum è crucis cathedrâ docentem, non, quas docent artium Magistri, humanas, sed doctrinas planè divinas. Superest nunc ut nos velut gnavi discipuli traditas nobis lectiones alto pectori inscribamus, ipsi quoque Doctori nostro non modò gratias condignas agamus, sed & mercedem persolvamus, quam petit per Sapientem Prov. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi.*

THEMA TERTIUM.

Christus spinis coronatus.

§. I. Velut sponsus.

I. Sponsus splendidè vestitur.
II. Sponsus corona adornatur.
III. Sponsus honoratur aureo annulo, & muneribus.
IV. Congratulatione amicorum condecoratur sponsus.
V. Sponso datur convivium magnificum.
VI. Musica adhibetur sponsi convivio.
VII. Sponso adiungitur sponsa.

Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suæ Cant. 3.

Christus Ecclesiæ sponsus.

QUando sponsus aliquis nobilis cum nuptiali pompâ prodit in publicum, solent passim è domibus confluere turbæ ad spectaculum id videndum. Sponsum Ecclesiæ esse Christum Dominum testatur inprimis Joannes Bapt. loquens de Christo Jo. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Christus scilicet cujus se amicum vocat. Unde S. Paulus 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Cùm enim Dei filius in miserum genus humanum conjecisset oculos, considerans non quale id jam esset, sed quale à se effici posset, id amare cœpit, & ut sibi desponsaret regnique sui consotem faceret, de cœlo descendit, quo amorem ejus sibi conciliaret. Verùm à sponsâ suâ Synagogâ Judaicâ malè sanè acceptus & fœdè coronatus est; ut videbimus.

I. Sponsus splendidè vestitur.

I. Solet sponsus in die desponsationis suæ abjectis obsoletis vestibus, novis ac festivis indui quàm splendidissime à parentibus. At videte sponsum Christum, quomodo vestiatur à novercâ suâ. Exuitur veste suâ dilectâ, utpote à matre (ut sentiunt multi) sibi factâ: miraculosâ, quia cum ipso crevit: sanctissimâ, quia per ejus tactum miracula facta: & induitur coccineâ, vili & ludicrâ; (quia purpuram referebat fictam:) acceptâ fortè à gregario milite, sordidâ proinde & fœtente; & hoc in atrio præsidis. En tibi Joseph innocentissimum, exspoliatum veste suâ polymitâ. Ille deprecatur fratres suos cum lachrymis utique; ne spoliarent eum veste suâ, tam dilectâ. Gen. 42. Et quis dolor, putatis, fuit Christo, spoliari veste suâ maternâ? Qui omnes homines & viventia cuncta

Christus veste sua à synagoga spoliatur.

vestit, ipse jam nudatur. Sed magis doluit Christu vestiri & cingi se coccino, id est, hypocritis, qui pu pura esse volunt, & coccinum sunt.

II. Coronâ de floribus & rosis, vel auro & ge mis factâ adornatur sponsus, tanquam Rex familiæ triumphator libididinis, à quâ servarit sese. At Ch stus, qui Rex Regum est & se per omnia immacu latum semper servavit sponsæ suæ, licet meretricul coronatur à novercâ suâ spinis acutissimis. Quis u quam vidit vel audivit quempiam coronari spinis? lim quidem corona de frondibus, tanquam ridicu rium donum, utpote sterile quibusdam dari sol teste Basilio Seleuc. Orat. 27. At non de spinis. Q hac non solùm sterilius, sed etiam magis ridiculu ignominiosum, horridum, dolorosum? Quis ne quantum vel una cruciet spina, etiam extracta? H David remorsum conscientiæ suæ comparans spi psalm. 34. ait: *conversus sum in ærumna mea, dum figitur spina*: seu ut Hieronymus legit, *dum infigi mihi spina.* Quid facient tot spinæ, tam acuta longæ, quales illæ fuerunt? Et quia spinas vel tan re horremus, videtur synagoga coronare illum s nis voluisse, ut velut abominabilis & immundus à mine tangeretur. Nil vilius etiam spinis; unde pa siquid ignominiosius esset, id ei pro coronâ dand fuisse. Ecce tibi Domine, vinea tua, quam plant tanto labore, ornasti tanto decore, quales tibi fruc ferat? Expectâsti *ut faceret uvas, & fecit labrus* hoc est, acerbas & immaturas uvas. Isa. 5. Septuag ta vertunt, *spinas.* Quid verò istæ spinæ, nisi spin Iudæi, peccatis pleni? quid nisi ingrati etiam Ch stiani? Hi longè magis doluerunt Christo, quam s næ naturales.

III. Honoratur aureo annulo à sponsâ, & di tur muneribus ab amicis ad nuptias invitatis, offeru tur pocula aurea & argentea affabrè facta, aliaque d na: monetis aureis, argenteis, & thesauris depro ptis implentur ejus manus. Quid muneris datum Ch sto? Arundo levis & inanis, quâ insultetur eius pa pertati, quasi non sit satis pauperi sponso nil tribuer sed oporteat etiam illudere eius egestati. Ita nimiru sponsa Iudaica exprobrat sponso suo inopiam. At n ne *propter vos* (ô Iudæi) *Christus egenus factus e cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis* Corinth. 8. Nonne in solatium pauperum, ut omn bus sui copiam faceret, & ut viam securiorem ad p randas vobis veras & æternas opes ostenderet, pa per esse voluit, cum nullius indigeret? Non legist illud Ecclesiastici 4. *Ne exasperis pauperem in in pia sua: cor inopis afflxeris?* Sed non tam afflix Christum vacua arundo, quàm inanis & vacua op ribus synagoga, quæ velut arundo vacua sonum qu dem edebat: *Nos Abrahæ filij sumus*; sed opera Abr hæ non faciebat. Quæ arundinis instar levi vento gitata, prius ei acclamabat: *Benedictus qui venit Re* nunc pro sceptro regio arundinem in manus porrigi Utinam nulli sint inter Christianos, qui synagoga imitentur.

IV. Mult

IV. Multâ & perhonorificâ congratulatione amicorum condecoratur: primus ei in templo & triclinio locus datur, & honor ab omnibus exhibetur. Sed quid sponso Ecclesiæ Christo? Saxo aut sedi altiori, quasi ludicro throno (ita scribit Clemens Alexandr. l.2.pædag.c.8.) imponitur, ut omnibus conspicuus fiat, omnium lusus; deinde genu flexo, non utroque sed uno, derisoriè illuditur & salutatur velut Rex fictus: *Ave Rex Iudæorum* Gr. χαῖρε, id est, *gaude*, Syriacè: *Pax tibi*. Sed ô insani, quæ causa gaudii Christo in tantâ confusione & afflictione? quæ pax ei potest esse, quem tot vexationibus exagitatis? Non legistis id Ecclesiastici septimo: *Non irrideas hominem in amaritudine animæ*. Damocli illi in mensa Dionys. Regis sedēti acclamatum: *gaude, gaude*: Sed quomodo gaudeat videns sibi imminere gladium? Christus non impendentibus sed præsentibus oneratur calamitatibus, & per jocum acclamatur ei: *Gaude, gaude*? Sed nimirum noverca Synagoga invitat ad Christi nuptias, non ejus amicos, sed cohortem militum, qui ex miseriis & afflictionibus hominum gaudium & delectationem capiunt, velut homines sævi ac barbari, imo verius canes, qui in prostratos sæviunt, de quibus psalm. 21. queritur Dominus: *Circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me.*

V. Apparatur sponso convivium nuptiale, magnificum. Christo quale? pro cibis exhibentur opprobria, alapæ & colaphi, pro vino sputa horrida ac fœtida, à nequissimis coquis & pincernis parata. De hoc vaticinatus & lamentatus est Jeremias Thren. 3 dicens: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*. quasi dicat colaphi & alapæ quasi cibi ejus erunt, quibus ita onerabitur, ut planè ad satietatem usque implendus sit. Cibus, quem desiderabat Christus animarum salus erat; at isti dant ei pro cibo opprobria, sputa, alapas, non solum ad gustandum, sed usque ad saturitatem. Cum enim cohors minimum faciat 500. milites, cogita jam & collige numerum alaparum, sputorum & probrorum. Quis unquam tale convivium vidit? Heliogabalus ille pictos cibos convivis suis apposuit, & famelicos posteà dimisit: at verbera & sputa pro cibo non dedit. Quid mirum ergo si Christus in monte Oliveti prævidens calicem passionis, sputis, colaphis & probris plenum, horrore concussus oravit: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*?

VI. Ut melius sapiat convivium, pulsantur interim cymbala & tympana, resonantque fides & cantilenæ. Sponso nostro Christo pulsatur caput, spinis confixum, arundine, & infiguntur ei aculei, ut planè cranium penetrent & usque ad cerebrum pertingant, atque ut sancta Brigitta libro quarto revelationum capite 70. scribit, sanguinis rivuli de capite per oculos, aures, genas barbamque defluerent; ita ut matrem de cruce, nisi vi compressis ciliis, videre non posset. Hoc in spiritu prævidens, etiam in personâ Christi queritur David psalm 68 *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Quid addiderunt? non potuit exprimere cruciatum, quem addiderunt; scilicet ictus prævalidos, quibus ejus capiti infixerunt spinas, per se alioquin acerrimè cruciantes. Quis nescit quâ refugiant ii, qui in aliquo membro cruciantur vel in eo tangi, nedum percuti aut scindi, verbi gratiâ, podagrici aut ulcerosi? cumque caput plenum sit nervis, qui per totum corpus descendunt, necessario una cum capite totum corpus dolore fuit penetratum ac concussum.

VII. Sponsa ipsi adducitur & lateri ejus sociatur, ut sibi mutuo consensu & fœdere jungantur. At Christus spinis jam coronatus cum produceretur ad sponsam, hoc est, ad Judæos à Pilato dicente: *Ecce Rex vester*, quid audit à sponsâ suâ? *Tolle, tolle, crucifige eum. Non habemus Regem nisi Cæsarem.* En tibi perfidam illam Dalilam, cujus amore tractus cœlestis Samson descendit in vallem Sorec, ut eam sibi desponderet; in cujus etiam sinu deposuit caput suum ac dormivit super genua ejus: en postquam fœdum in modum detondit sponsum suum, spinis & sanguine operiendo ejus capillos, jam ipsum à se repellit ac repudiat, tradendo in manus Gentilium, ut orbatus utroque oculo ac lumine suo, patre scilicet cœlesti (à quo derelictus fuit) & matre terrestri (à quâ abstractus) subjiciat cervicem molæ crucis, bajulandæ sibi ad Calvariæ montem. Hoc autem facit sponso, qui de cœlo propter ipsam descendit in vallem Sorec, in vallem lachrymarum, tractus amore ejus, ut eam sibi in sponsam & consortem regni sui assumeret. *Dalilam*, inquam, hoc est, *pauperem* (Hoc enim sonat Dalila) & *mendicam*, eamque Gentilem, in Idololatriæ cæcitate oberrantem. Ac quemadmodum Dalila non semel, sed quater repulit à se Samsonem, ut traderet eum Philisthæis ita & Judæi non semel sed sæpius succlamant: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum.* Et qui nam fieri poterat, ut tam ingratam & perfidam sponsam non repudiaret Christus? non illico disperderet? Sed nimirum expectabat conversionem sponsæ suæ, sperans ejus odium mutandum aliquando in amorem: quantumvis nôsset paucos tales inter Judæos fore. Sustinuit ergo hoc potissimum & quidem libentissime propter nos Christianos, ingenti numero credituros, qui tunc quidem adhuc Gentiles & in cohorte militum Ethnicorum constituti Christum sponsum nostrum tam indigne tractabamus, eiq; causam hæc patienti dederamus. Superest nunc Christiani, ut propter has injurias per nos sponso nostro irrogatas, inprimis toto corde doleamus. Quam doluit sponsa B. Alexij, ubi jam mortuum agnovit sponsum, quem in domo paternâ ignotum contemptui habuit aut certe habere permisit! *Lugubri* enim *veste induta, currens procidit super venerandum sponsi sui corpus: Hei mihi inquiens, mi turtur solitudinis amans, tot annos propter te vixi solitaria, & hodie vidua relinquor, nec habeo amplius, quem morer, quem exspectem* ! a Metaphrastes in ejus vita apud Sur. 17. Julij. Quanto vero nobilior, quanto & melior sponsus noster Christus? quanto igitur calidioribus lachrymis ipsi parentemus, quem peccatis nostris in tantam calamitatem & infamiam impegimus!

VII. Sponso adjungitur sponsa. Christus à sponsa repellitur.

Deinde injurias & odium convertamus in obsequia & amorem &c.

§. II. Christus coronatur ut baptizatus.

I. Baptizatur infans ob peccatum originale.
II. Baptizandus aquâ tingitur.
III. Baptizandus totus immergitur aquis ter.
IV. Baptizato adhibentur coronæ, & aliæ cæremoniæ.
V. Baptizando nomen imponitur.
VI. Habuit hunc baptismum semper præ oculis.

NOn solum sponsi solent coronis condecorari, ut diximus, sed & ij, qui baptizantur, adhæc Reges & Victores & Victimæ, imo & Symphosiarchæ, ut videbimus. Omnibus his titulis corona Christo decreta fuit. De corona baptismi testimonium habemus Severi Alexandri libro de Bapt. *Elevant*, inquit, *Baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, & sertis eos coronat sacerdos.* Idem testatur Sanctus Chrysostomus hom. ad Baptizat. Cyrillus Hierosol. in procatech. Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 23. & 40. Jam vero Christus passionem suam appellat baptismum. Marci 10. *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Ergo si Salvator noster in passione baptizatus fuit, coronam gestare debuit. Et gestavit certè, non coronam gloriæ, sed coronam ignominiæ & confusionis, uti videbimus.

> I. *Baptizatur infans ob peccatũ originale, Christus ob nullum.*

I. Qui baptizatur innocens, quales sunt infantes, non ob suum actuale, sed ob originale adeoque alienum peccatum baptizatur. Christus autem non modò non actuale, sed nec originale peccatum habuit; ergo non pro suo, sed pro alienis peccatis baptismum hunc suscepit, uti verissimum juxta id psalmo 68. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Et siquidem pœna correspondere solet culpæ, id in ea etiam coronatione expressum est. Quia enim parentes nostri candidissimam innocentiæ vestem perdiderunt ideo Christus coccineâ, sanguinem referente, imo revera sanguine perfusâ indutus est. Videbatur illis lignum vetitum pulchrum visu, ideo coronatur Christus ligno, quod horridum erat visu, spinis scilicet. Quia illi manum extenderunt ad vetitum lignum, ideo Christus arundinem in manu gestavit. Quia pomum eis visum erat bonum ad vescendum, ideo os Christi sputis repletum fuit & alapis. Quia Dei similitudinem appetierunt, ideo Christus fictâ genuflexione, velut Deus fictitius, adoratus est. Denique quod Adæ dictum: *Spinas & tribulos germinabit tibi terra:* hoc multo verius sensit in se Christus, & quidem in capite suo, quod non sensit Adam.

> II. *Baptizandus aquâ tingitur. Christus*

II. Baptizandus aquâ tingitur: Christus sanguine, & quidem filij Dei. Quia enim peccatum infinitatem aliquam contrahit a bono infinito offenso, aquâ expiari non potuit, sed eâ minimum re, quæ homini est pretiosissima adeoque sanguine & vitâ, præ quâ homo charius nihil habet, debuit. Unde Apost olus ad Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et quia sanguis etiam humanus nullam ad peccati gravitatem habet proportionem, debuit infinita persona, Dei scilicet filius, sanguinem suum dare, si justitiæ ad rigorem voluit satisfacere. En tibi lepram illam incurabilem, peccatum videlicet, quæ non sanguine puri hominis sed sanguine hominis Dei curanda fuit. Quam ob causam Isaiæ quinquagesimo tertio, dicitur: *Nos reputavimus eum quasi leprosum.*

III. Baptizandus toto corpore (juxta antiquam consuetudinem) immergitur in aquam, & quidem trinâ demersione. Idem Christo factum. Totus enim & toto corpore immersus est in dolores, ut nullum ferè ejus membrum doloris esset expers. Cervix ejus spinis perfossa est, oculi ejus ringentia canum ora circum se vident: aures illusiones audiunt & illud *Ave Rex*; nares fœtorem sputorum sentiunt: os silentio premitur: genæ alapis verberantur: manus arundine turpantur; corpus fictâ purpurâ. Hinc ps. 68. ait: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et hoc quidem trinâ vice in monte Oliveti, cum sanguineo sudore perfusus fuit. 2. in flagellatione toto undique corpore cruentatus. Sed quia caput ibi non videbatur sanguine tinctum, ideò 3. coronâ spineâ ipsud quoque coronatur, ut rursum sanguine è capite defluente per corpus baptizetur.

IV. Huic accedunt & aliæ cæremoniæ. Baptizandus enim sputo tangitur in auribus: Christus in coronatione suâ consputus est. Baptizatus veste albâ induitur: Christus primum albâ ab Herode, postea à cohorte militum coccineâ indutus est. Baptizatus cereum ardentem accipit in manum: Christo datur arundo. Baptizato corona de floribus imponitur: Christo corona de spinis. Baptizatus salem gustat: Christus salsam irrisionem devorare debet: *Ave Rex Judæorum.* Ungitur baptizatus oleo: Christus sanguine suo per caput defluente: *sicut unguento in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.*

V. In baptismo nomen imponitur: Christo verò quale? *Ecce homo*, inquit Pilatus, dum Christum spinis coronatum populo ostendit. Verum dic Pilate: qualis homo? Videtur sanè Pilatus, quia Christus adeo deformatus erat, explicare non potuisse, qualis homo esset; sed quasi in dubium revocare, homone esset an non. Quem enim appellaret? an Dei filium? at ne hominis speciem habebat. An filium hominis? at tigridē potius referebat aut pantheram, sanguineis maculis respersam. An Jesum & Salvatorem? at quî salvator appelletur, qui ipse tam afflictus est? An Nazarenum & floridum? at quales flores vulnera? An Regem Judæorum atqui fabula potius & ludibrium Regis erat. Denique Christus per Prophetam psalm. 21. negat se in eo statu hominis speciem habuisse: *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.* Olim cum pictoria ars adhuc nova & rudis esset

adſcribebant pictores ad ea, quæ pingebant: *Hoc eſt bos, illud equus, hoc arbor*, ut refert Ælianus l. 10. var hiſtor. c. 10. Chriſtus tam deformiter à Pilato ejusq; cohorte pictus fuit, ut addere debuerit: *Ecce homo*. Videte & obſtupeſcite, quouſque ſe demiſerit Dei filius; eouſque ſcilicet, ut jam nec hominis ſpeciem haberet, aut nomen mereretur: ſed opprobrium fieret hominum. Vidit hoc in ſpiritu & lamentatus eſt Iſaias c. 53. *Non eſt ſpecies ei neque decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus.*

VI. Deniq; Chriſtus hunc baptiſmum ſuum toto vitæ tempore præ oculis ſemper habuit, clarè & perſpicuè ſecundum omnes circumſtantias, proinde non paſſionis tantum tempore, ſed per totam vitam ejus memoria cruciabatur. Hinc Marci 10. aſcendens Jeroſolymam ad paſſionem ſuam ait: *Poteſtis baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Jam ergo prius quam reipsâ pateretur, patiebatur in mente, providens ac ſentiens acriter imminentem ſibi paſſionem. Hinc toties in Evangelio crucis, calicis & baptiſmi ſui mentionem facit, interim abſq; dubio toties quaſi aquâ ferventiſſimâ perfuſus, & in agone poſitus. Unde quod prævaricatoribus legis olim Deus minatus eſt: *Erit vita tua quaſi pendens ante te.* Deut. 28. vere etiam de Chriſto dici queat. Videbatur enim ſibi continuò in cruce quaſi jam ſuſpenſus eſſe & animam agere, quod indicat Tertullianus, qui ſic legit: *Erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* Saul Rex fortiſſimus quando audiit à Samuele ſuſcitato: *Cras tu & filij tui mecum eritis*; timore mortis ſibi prædictæ conſternatus, *cecidit porrectus in terram* omnibus deſtitutus viribus. 1. Reg. 25. Chriſtus verò in Oliveti monte ex præviſione mortis ſuæ, *procidit in faciem ſuam* & ſanguinem ſudavit. Interea tamen vehementiſſimè deſiderabat hunc baptiſmum ſibi accelerari. Hinc enim deſiderio illius accenſus exclamat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur!* Tametſi enim atrociſſima ſibi ferēda prævidebat, tanto nihilominus amore ſalutis noſtræ flagrabat, ut hujus comparandæ gratiâ, pœnas illas libenter & avidè ſuſciperet. Nimirum hic eſt ille amor, hoc amoris incendium, de quo Cant. ult. dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem nec flumina obruent illam.* Hic eſt ille *exceſſus*, de quo in Transfiguratione Chriſti loquebantur Moyſes & Elias cum eo, exceſſus nimirum amoris, quo ſe propter nos non abluere tantum aquis tormentorum, ſed immergere totum voluit.

* * *

§. III. Coronatur ut Victor.

I. Chriſtus victor.
II. Commeruit plures coronas.
III. Accepit à Synagoga ſpineam.

NIhil vulgò notius eſt, quam victores ſtrenuos condecorari variis coronis. Quare hoc etiam titulo Servatorem noſtrum fuiſſe coronatum aſſerit S. Ambroſius in cap. 23. Lucæ: *Corona de ſpinis*, inquit, *capiti Domini annexa oſtendit, quod de peccatoribus mundi tanquam ſæculi pœnis triumphalis Deo gloria quæreretur.* S. Hilarius in Matthæum: *Peccatorum eſt aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto victoriæ corona contexitur.* Similiter Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 95. *Spinea coronâ*, inquit, *ut victor redimitus eſt*: Sed quæramus, quomodo victor fuerit; quas meruerit coronas, & quas acceperit.

I. Victorem fuiſſe Chriſtum audimus ab ipſomet, *I. Chriſtus victor.*
Joan. cap. 15. *Confidite ego vici mundum.* Vicit enim 1. Dæmonem non modo in deſerto tentantem, ſed alibi paſſim homines obſidentem ac torquentem; ſiquidem ipſi cum majeſtate imperavit, os occluſit: ut homines dereret? potenter mandavit; ſupplices ſibi fecit, quo modo David devicit urſum & leonem, percutiendo eos, & eripiendo illi oves ſuas. Adhæc Dæmon hoc unum moliebatur, ut Chriſtum concitaret, ad ſe defendendum, & vindictam de Judæis ſumendam, vel ut miracula coram Herode ad oſtentationem faceret, vel ut ſaltem impatientiæ ſignum aliquod daret, quemadmodum & eo fine vexavit *1. Dæmonis.*
Sanctum Jobum. Adhibuit ergo quidquid eum cruciare poterat, & quæ maximè penetrant, illuſiones, ſannas, contumelias, deriſiones; quibus vel ipſe Samſon motus eſt ad ſumendam de hoſtibus vindictam, nec non & David manſuetiſſimus alioquin ad ulciſcendum ſe de improperio Nabal. Verum Chriſti erga nos amor hæc omnia ſuperavit. Nam ſi defendiſſet, vel miraculo ſuam divinam majeſtatem monſtrâſſet, mortem ſuam impediſſet, ſicque de ſalute noſtrâ actum fuiſſet. Aut enim aries hærens cornibus inter vepres mactandus erat, aut Iſaac Gen. 22. Vita ipſius erat noſtra mors: mors ejus vita noſtra. Huc ſpectat, quod ſanctus Athanaſius in ſerm. de cruce & paſſ. ſcribit: *Miraculum*, inquit, *novum & incredibile, quem per ludibrium ſubſannationemque pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta coccineam chlamydem, coronam ſpineam & calamum. Nam tametſi ea quaſi per contumeliam agebant, afficiebatur tamen inde ut ab eo latenter ſpoliarentur Dæmones. Cum enim ſanguine terra per Diabolum funeſtata & multis undis cruoris eſſet imbuta & ubique ſpinæ ob execrationem miſcerentur, & hoc chirographum nactus inimicus noſter omnes invaderet, & tyrannidem in omnes ut ſubjectos ſibi exerceret: ea de cauſa cum eum omnibus ſpoliaſſet Dominus, hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit, ut oſtenderet victoriam de morte non temere, ſed pro noſtra ſalute partam eſſe* Geſtabatque

Trip. in Paraſceve C. 6. p. 2. D.

in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasq; in corona & chirographum in calamo: quo instrumento jam olim nos Diabolus ari suo rationibus inscriptos habebat, ut una cum morte ista simul demoliretur, & rerum naturam ab illis malis purificaret, & pro spinis lignum vitæ largiretur utendum, & pro sanguine peccatorum, suo sanguine & terram & omnes emundaret. Ideo enim nostrum sanguinem gestans in veste coccinea suum omnino sanguinem in terram profudit. Unde factum est, ut in ea pro spinis bona, & vita repullulascerent.

2. *Peccati.* 2. Vicit peccatum, remittendo, exterminando; à se omnem etiam peccati suspicionem amoliendo; quibuscunque etiam sanitatem corporis impertiit, ijs & sanitatem animæ (ut communiter sentiunt) contulit & quacunque in domo velut amicus receptus fuit, et salutem & gratiam reliquit. 3. *Mortis.* 3. Mortuus, resuscitando mortuos, sanando omnes ægros: ipsam sponte & fortiter amplectendo eique obviando. 4. *Mundi.* 4. Mundum ejusque pompam, voluptates, honores, opes spernendo, & contemptui exponendo. Et hæc omnia non cum exercitu, non signis & armis militaribus, non fundendo sanguinem nisi proprium: & in hoc ipso vicit speciatim Judæos; non modo agendo; uti sapientia sua confundendo, è templo ejiciendo, verbo uno in horto prosternendo; sed etiam patiendo, dum plus cruciatuum pro salute humana tolerare paratus erat, quam ipsi inferre poterant. Deinde dum tandem ipsi manus dare eiq; se submittere, aut extremum perire debuerunt, Spinæ erant Gentiles & Judæi, asperi moribus & horridi, quos tamen conversos in coronam gloriæ sibi efformavit.

II. *Commeruit plures coronas.* II. Commeruisse verò non unam sed plures, facile ostendimus. Varias Romani coronas varijs donabant victoribus. 1. *Triumphalem.* 1. Triumphalem ei, qui non minus quam 5000, hostium una in acie occidisset. Christus non 5000. sed quinque Duces potentissimos seu exercitus integros prostravit, Dæmonem, Mundum, Peccatum, Mortem, Infernum. Insuper & nobis vires, hos omnes debellãdo suo sanguine comparavit.

2. *Obsidionalem.* 2. Obsidionalem ei, qui urbem vel exercitum ab obsidione liberâsset. Quam arcte nos obsessi à potestate tenebrarum fuimus! Certe nulla neque humana neque angelica vis ab ea obsidione eripere nos poterat. Christus *eripuit nos de potestate tenebrarum*, inquit Apostolus ad col. 1.

3. *Civicam.* 3. Civicam ei, qui servasset in prælio civem aliquem. At quot cives periclitantes servavit Christus! Quot à morbis, miserijs, Dæmonibus liberavit! quot à peccatis absolvit! Nonne adulterum à lapidatione eripuit? nonne discipulos suos in Oliveto, una cum ipso quasi in prælio constitutos servavit, ut illæsi abire possent? Denique nos omnes à tyrannide Dæmonis, ab Idololatrijs & peccatis alijs per baptismum & pœnitentiam liberavit.

4. *Muralem.* 4 Muralem ei, qui primus hostilia inscendisset mœnia. Atqui Christus omnium primus regnum Satanæ invasit, eum ejiciendo & torquendo: primus & solus Limbum patrum occupavit & destruxit, captivosque inde eduxit. Purgatorium eadem expeditione, ut volunt multi, expoliavit: denique cœli portas tamdiu clausas primus omnibus reseravit.

5. Castrensem seu vallarem ei, qui primus in hostium castra pugnando irrupisset. Atqui Christus primus in fortis armati castra, quæ in pace is possidebat, insilijt, eumq; armis suis spoliavit, & captivos ab eo detentos libertati restituit.

6. Navalem ei, qui primus in hostiles naves transiliisset. Idem fecit Christus, non solum imperans mari & fluctibus, sed etiam Dæmonis tentationibus, ne sævire possent.

III. Sed quæ coronæ huic Victori nostro datæ à Synagoga? non aurea, non argentea, non florea, non frondea, sed spinea, ô ingratam synagogam! Sanè Victores, qui hostilem exercitum debellassent, pro re bene gesta summo triumphi honore condecorabantur olim apud Romanos, & imponebantur, 1. currui triumphali ornatissimo. 2. coronam è lauro in capite gestabant. 3. purpura induebantur fulgente, auro intexta. 4. Armillas aureas in digitis, & 5. ramum lauri in manibus ferebant. 6. spectatores undique confluentes eis applaudebant & laudes accinebant.

At videte quem triumphum adornet Christo, tanto Victori, Synagoga. 1. In locum altiorem & theatrum sed infame, supra truncum vel lapidem elevat, ut omnibus conspicuus omnium fieret deridiculum: pro purpura veste vili & obsoleta coccinea chlamyde induit: pro corona aurea, dat & capiti ejus infigit spineam acutissimã: pro armillis funes, quibus manus ejus immitissime colligatæ tenebantur, tamdiu & tam stricte: pro ramo lauri dat in manus arundinem: pro applausu & laudibus dat sputa, alapas, fictas genuflexiones & scommata. En tibi mercedem, quam rependit mundus benefactoribus suis, Synagoga Christo, patri patriæ suæ. Sed nimirum Christus noluit mercedem pro beneficiis suis accipere à mundo, quemadmodum & Abraham à Rege Sodomorum pro obtenta victoria & recuperata præda ne filium quidem unum. Genesis 14. quin potius injurias, verbera & contumelias pro mercede computavit, sciens in altero primum sæculo requirenda esse benefactorum præmia: in hoc vero optandum potius ut benefacta nostra injurijs compensentur; ut tanto majori præmio afficiantur in cœlo. Contigit hoc Christo, contigit Apostolis ejus, qui postmodum mundum è tenebris in lucem eduxerunt omnibusque bonis cumularunt, tandem diris ab eo supplicijs enecti sunt: contigit hoc martyribus, alijsque piis Idem optandum nobis. Romæ olim victoribus quadriga certantibus datum fuit absynthium pro præmio seu corona, quod stomachum corroboret, ideoque in sanitatem; teste Plinio libro 27. capite 7. Quid hoc? absynthium amarum dari victori pro corona? Nimirum ut inde corroboratus plures alias & majores victorias sibi comparet. Idem nobis optãdum; si-

quis

quidem & hoc Christo contigit. Quare illi, qui dixerunt Sap. 2. *Coronemus nos rosis, antequam marcescunt*, turpiter errârunt, uti fatentur ipsi posteà in inferno positi, Sap. 5. *Ergo erravimus à viâ veritatis.* Nos igitur cum S. Catharina Senens. arripiamus hîc non coronam de floribus, sed de spinis, eamque imponamus nobis, ut post spinas, ibi coronemur rosis. Præivit ad hoc exemplo suo S. Agapitus Martyr, cùm non plurium quàm 15. esset annorum, & capiti ejus prunæ ardentes imponerentur. Memor enim spineæ coronæ Christi exultans ajebat: *Parum est in terrâ caput adurì; coronandum in cœlo. Quàm decore coronæ gloriæ ornabis caput afflictum pro Christo?* Ut in ejus Actis. Idem cogitemus & nos.

§. IV. Coronatur ut Rex.

I. *Quis est qui sic coronatur.*
II. *Quomodo coronatur.*
III. *A quibus sic coronatur.*
IV. *Quæ causa hujus supplicii?*
V. *Quomodo hæc pertulit.*

SI cui mortalium corona debetur, Regibus debetur. Est enim corona symbolum cumuli bonorũ, opum, potentiæ, dignitatis, regni, gloriæ, felicitatis, victoriæ, triumphi. Quam ob causam mos erat omnium gentium, Reges coronare. Huc respexêre improbi Judæi, & barbari illi milites, qui coronam spineam Christo vel procuravêre, vel imposuêre. Regem inaudierunt, sed quia nihil regium in eo apparebat, fictâ è spinis coronâ coronare eum & deludere voluerunt: sed videamus hunc mirum ludum.

I. Quis est, qui sic coronatur spineâ coronâ aliisq; ludibriis? Verissimus & legitimus Judæorum Rex, sic appellatus à Zacharia cap. 9 *Ecce Rex tuus venit tibi*: sic vocatus & adoratus à Magis, qui etiam quà homo duplex habuit regnum in terris, habetq; adhuc: Primum spirituale in animas, scilicet Ecclesiam, quàm in Judæa instituit ac gubernavit initio per semetipsum, posteà per Petrum ejusque successores suos Vicarios. Alterum physicum seu mundanum, quod habuit in omnes Reges terræ, saltem quoad jus, licet actu id non adierit: & hoc triplici titulo. 1. quà Dei filius. 2. quà homo Deo unitus, seu ratione unionis hypostaticæ. 3. quà redemptor. Ut enim Godefridus Bullionius jure merito ab omnibus Rex Jerosolymæ renunciatus fuit, quia civitatem occupavit: ita Christus mundi Rex, quem redemit & sanguine suo acquisivit. Adhæc debebatur illi regnum, ratione dignitatis ex jure distributivo. Nam si in Regem eligi debet, sapientissimus, potentissimus, ditissimus, nobilissimus, clementissimus, justissimus; certè ipse suis dotibus omnes mortales infinitis modis superavit. Quis illo sapientior, qui divina & humana cœlestia & terrestria, aperta & occulta omnia intellexit? quis illo potentior, qui ventis & mari imperavit, immundos spiritus compescuit, ligavit, fugavit, cruciavit? morbos omnis generis ipsamq; mortem facessere coëgit, cohortem integram uno verbo prostravit? quis illo ditior, qui pauculis panibus pascere aliquot millia hominum potuit, proinde ex aëre panes fecit, parique facilitate aurum & argentum potuisset: pisces, quotquot voluit, cepit? quis eo nobilior, qui de familiâ David fuit? nihil eo clementius, nihil & justius. Multis ergo titulis debebatur illi regnum & quidem totius mundi; speciatim vero regnum Judæorum, cujus erat Messias.

II. Sed jam secundò quomodo tractatur hic Rex à subditis? quomodo inauguratur? Quatuor potissimùm ornamenta Regem decent: corona aurea, purpureum paludamentum, sceptrum Regium, honor & reverentia à subditis exhibenda. Hæc omnia exhibentur Christo verissimo Regi, sed ficta, ludicra, probrosa & dira; postquam is dirissimè ad internecionem penè cæsus fuisset, corona imponitur spinea tanquam Regi miserrimo & calamitosissimo, sãguine perfuso: illi, inquam, qui in cœlo perfruebatur summâ beatitudine, & qui suo aspectu beabat ac recreabat omnes Angelos, delectabat ipsum patrem suum æternum. Chlamys induitur non purpurea, sed velut Regi pauperrimo coccinea, quæ purpuram quidem referebat, longè tamen vilior erat; tincta sanguine vermiculi rubri, qui innascitur grano tinctorio; quia nimirum eò redactus erat, ut jam vermi potiùs quàm homini similis esset: & hæc induitur illi, qui cœlum stellis, arbores foliis & fructibus, prata floribus, aves plumis, cætera animalia pellibus, hominem vestibus tegit & defendit: pro sceptro ei datur arundo vilissima & vacua, quasi Regi inanissimo & imbecillimo, qui nec glebam possideret, nec canem abigere aut edomare posset; illi, inquam, qui *tribus digitis appendit orbem terrarum*, qui *implet omne animal benedictione*, & cujus *regnum est æternum, ante quem columnæ cœli tremiscunt, coram quo curvantur, qui portant orbem; in cujus conspectu mundus totus gutta solùm roris antelucani est*; qui verbo aut nutu uno omnes adversarios suos prosternere, & in abyssum trudere poterat. Honor & reverentia ei exhibita non erant, nisi sputa, alapæ, fictæ genuflexiones, probrosæ salutationes, derisiones; quasi esset non Rex, sed homuncio omnium vilissimus, contemptibilissimus, qui tamen erat *figura & splendor Patris, ipsi æqualis, in cujus faciem desiderant Angeli prospicere, Rex Regum & Dominus Dominantium.* Et hæc omnia coram Judæis, hostibus infensissimis, qui ut viderunt eum tam miserè affectum, non tamen ullâ commiseratione moti sunt, sed magis magisque exacerbati velut canes rabidi in eum exclamârunt: *Crucifige, crucifige.* Prorsus sicut canes cùm quem oderunt, nec conspectum ejus ferre possunt, quin statim in eum latrent dentesque exerant. Vidi canem, qui vel audito nomine hominis, quem oderat, mox iram & rancorem suum latratibus ostendit. Quod etiam Judæi fecerunt. Cùm enim audiunt Pilatum dicentem: *Ecce Rex vester.* Mox illi exclamare & latrare: *Tolle, tolle, crucifige*: ut verissimè de illis dixerit per Psalmist. Dominus. *Circumdederunt me canes multi.* Psal. 21. Quis quæso tale spectaculum unquam vidit? Quis enim si vel parum aliquid hominis habet,

II. *Quomodo coronatur.*

habet, afflicti non miseretur, etiam hominis rei & mali? Solent certè ipsi actores, cùm reum puniri in corpore vident, vitam ei precari: spectatores condolere iis, qui suppliciis afficiuntur: malefactoribus Magistratus pœnas mitigare: ipsi lictores & carnifices solari & animare miseros. At Christo afflictissimo nemo est qui condoleat ex tanto numero; quin imò omnes ei insultant, & spinas suis sannis profundius infigunt. Quis audivit talia horribilia?

III. *A quibus sic coronatur.*

III. A quibus sic coronatur, illuditur? 1. qui hoc probrum ei procurârunt, fuerunt primarii Judæorum, Principes Sacerdotum, Scribæ & Pharisæi; qui plus aliis illuminati & edocti agnoscere eum pro Rege suo debebant: qui authoritate suâ populum everterunt, ut contra conceptam jam de Christo honorificam existimationem subitò mentem mutaret, & pro nequissimo haberet, quem priùs pro sanctissimo, imò Prophetâ magno & Dei filio habuit. Fuerunt illi, qui à Christo ejusque parte in cathedras exaltati & donis multis cumulati fuerant. Fuerunt illi, quorum honori Christus studuit, mittendo ad eos leprosos: quorum vulnera sanare, quosque sicut gallina pullos suos, toties sub alas suas congregare conatus fuit: qui denique ipsius gens & fratres, ac postremum creaturæ, subditi & mancipia erant. 2. Qui hunc ludum cum ipso luserunt, erant milites barbari, crudeles, vilissimi. Quis autem non asperiùs fert injurias à vilissimis homuncionibus sibi arrogatas?

IV. *Quæ causa hujus supplicii?*

IV. At quæ causa hujus supplicii? quomodo id commeruit Christus. Nam 1. ipsa innocentia fuit, adeò ut nec peccare posset vel minimùm. Ipsi ejus hostes nullum ei peccatum poterant objicere, sed nec in eum confingere. *Qui iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Isa. 53. 2. summus gentis suæ benefactor, & pater patriæ fuit. De cœlo in Hebræorum terram propter ipsos primo venit, ut eos aberrantes viam cœli doceret, exemplo suo duceret & ad sequendum alliceret atque animaret, beneficiis & miraculis innumeris sibi devinciret, pro quibus sanguinem fundere & vitam ponere statuit.

At Regnum affectavit & Christum Regem se asseruit, ajunt. Calumnia est ista. Conjuratus à Summo Pontifice, utrum esset Christus, asseruit. A Pilato utrum Rex esset, asseruit; sed eo sensu, quo Judæi per Regem Judæorum intelligebant Messiam: non quo nequiter calumniabantur affectari ab ipso regnum terrenum; unde mox Pilato se explicuit, quod non esset *Rex* in hoc sæculo. Deinde, quando Judæi post miraculum panum, rapere eum volebant & Regem constituere, nonne ipse fugit? Rursum eccur isti cives Jerosolymitani ingredientem in civitatem *Regem* appellârunt? nonne ex oraculo prophetico? Denique quid apparuit in Christo, quod Regem aliquem terrenum, vel regni insidiatorem saperet? Ubi ejus divitiæ? ubi palatium? ubi regnum? ubi satellites? Nonne hoc Pilatus eis inculcat, dicens: *Ecce Rex vester?* q.d. stulti! quomodo hunc Regem metuitis? quid in ipso regium?

V.

V. Et has tamen omnes injurias quomodo pertulit hic Rex summus & verissimus? Æquissimo, fortissimo, pacatissimo animo. Non de injuriâ protestatur, non de inhumanitate conquestus, non vindictam minatus est: nihil relaxationis petiit, non calumnias refutavit, non beneficia exprobravit, nihil oblocutus est, qui summo jure summâque potentiâ omnes repente poterat opprimere. Deus bone! quis hoc in mundo non dico Rex, sed vel cordatus homo unquam tolerâsset? Sed nimirum voluit Dominus hœroicum patientiæ & fortitudinis exemplum nobis præbere, ut sequamur vestigia ejus. Vidit etiam has injurias sibi à Christianis aliquando compensandas pro coronâ spineâ imponendam auream charitatis pro coccineâ veste purpuream sanctitatis & castitatis pro arundineo sceptrum ferreum constantiæ & martyrii; pro sputis & alapis, honorem & reverentiam.

§. V. Coronatur ut victima.

I. *Aliena expiavit peccata.*
II. *Ligatus est.*
III. *Coronatus est.*
IV. *Immolatus à Sacerdotibus.*
V. *Destitutus omni lætitiâ & consolatione.*

Eousque devenêre olim homines, ut coronæ, quæ olim teste Plinio lib. 16. cap. quarto soli Deo dabantur, postea etiam bestiis, quæ Diis immolandæ erant, imponerentur; ut testatur ibidem Plinius, & attestantur Acta Apostolorum cap. 14. de Lystrensibus, qui Paulo & Barnabæ sacrificare velut Diis cupientes, adduxerunt tauros & coronas, h.e. tauros coronatos. Bene ergo ex hoc etiam capite Christo imposita est corona, quia pro humano genere victima esse voluit; ac nisi simul Deus fuisset, sufficiens pro peccato hominum non fuisset. En quousque se demisit Deus nostræ salutis causa! Eo usque ut jumentum quasi & victima fieret. Sed quo modo & honore victima hæc excepta sit, videamus.

I. Victima non sua, sed aliena expiat peccata. Quid enim v. g. commisit vel committere potuit ovis, vitulus aut hœdus, ut pro populo mactari & immolari deberet? Sed parum est, pecudem pro homine mactari; at hominem innocentem pro nocentibus mactari, hoc commiseratione dignum, & tanto magis, si ipse se sponte suâ ad hoc offerat ex charitate, uti Christus Dominus fecit. Vidit is quantam stragem edere deberet justitia Divina in humano genere, peccatis & pœnis obnoxio; ergo ut innumeros reos ab imminente sibi gladio eriperet, ipse suam supponere cervicem voluit. Magni æstimârunt Romani M. Curtii primæ nobilitatis adolescentis amorem erga patriam, quando ad saturandum atque implendum, qui Romæ exortus erat, hiatum terræ sese sponte demisit. Populus enim in ostensionem debitæ gratitudinis, & honoris gratiâ, dona varia & fruges super ipsum certatim injecerunt; ut est apud Valer. Max. lib. 5 cap. 6. Quid nos jam debemus Christo, Dei filio, qui, ut hiatum inferni, exitium nobis minantem, clauderet, ultrò

amore

amore nostri in mortem misit? Sanè Hebræi quando in captivitatem ducebantur, & in viâ multis injuriis affecti velut pecora cervicibus minabantur, graviter id ferebant, existimantes se majorum suorum, non propria peccata luere. Unde Thr.5.ajunt: *Patres nostri peccaverunt & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus*; cùm tamen & ipsi rei essent. Quanto potiori jure poterit queri Christus ac dicere: Subditi mei, creaturæ meæ, majores mei, & qui post me erunt, *peccaverunt & non sunt*, & ego iniquitates eorum porto; juxta id Isa 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

II. Ligari & adduci ad ostium tabernaculi debebat Levit.1. Sic etiam Abraham immolaturus filium suum priùs alligavit. Genes.22. ne motum aliquem involuntarium & sacrificio indecentem ederet. Pari modo Christus immolandus vinctus est, & arctè quidem funibus constrictus. Pecudes ligantur in cornibus, adeoque sine dolore & dedecore. At Christus ligatus fuit in manibus, pari dolore & dedecore, difficilè enim hoc ferunt animi generosi. Unde S. Bernardus tract. de passione cap. 4. *Bene quidam Rex*, inquit, *cùm percussus humanâ sagittâ peteretur, ut se ligari permitteret, donec exscinderetur; quia levissimo motu mortem posset incurrere: Non decet, inquit, vinciri Regem, Libera sit Regum, sit semper salva potestas.* Sanè Samson quando amore patriæ suæ persuasus tradidit se ligandum & dandum in manibus Philisthæorum, ubi eos vidit vociferantes sibi occurrere, non ferens eorum insultationes, rupit vincula & correptâ mandibulâ asini percussit ex eis mille viros. Judic.15. At verò Christus amore nostri & vinciri se permisit, & vincula rumpere noluit, cùm facillimè posset; ne nos vinciremur & ad macellum duceremur. Si enim ipse in passione suâ vel parum se movisset, defendendo se, ipse quidem salvus fuisset, nos autem periissemus.

III. Serto coronabatur ex frondibus facto; verum Christus serto è spinis confecto coronatur, quasi bruto deterior & vilior sit. Hic jàm apparet aries ille cornibus hærens inter vepres, quem pro filio suo immolavit Abraham, Genes.22. Christum designans spinis coronatum. & pro hominibus immolatum. Nihil doloris sensit aries ille ex vepribus; (quid enim cornua & durissimum caput ejus sentirent?) at non ita Christus, qui nimium quantùm sensit spinas. Quid? leonem non semel legitur edomuisse & ad hominum opem implorandam coëgisse spina unica pedi ejus infixa, quid igitur doloris sensisse putamus Dominum ex tot spinis?

IV. Sacerdos ponebat manus super caput hostiæ; indicans se peccata populi imprecari hostiæ & pœnam à populo in eam transferre, At verò Christo Domino primo Sacerdos Summus Caiphas, deinde omnes Sacerdotes & Seniores, denique omnis populus ab eis perversus imposuêre manus, omnia peccata sua & commeritas pœnas ipsi imprecantes & imponentes clamando: *Reus est mortis, tolle, crucifige.* Non erat in tanto populo vel unus, qui pro Christo staret. En tibi ficum illam sterilem; ante paucos dies maledictam, in quâ nec unam quidem ficum esuriens reperit Dominus. Accessêre deinde milites, qui coronam spineam frequentatis ictibus profundiùs infixerunt, insuper & alapas in faciem addiderunt. Auxerunt Christo dolorem ipsi ejus discipuli, quorum alii dispersi & in ipso scandalizati erant, alius negavit, alius se suspendit. Auxit etiam, tametsi invita, sanctissima ejus manet, quam gladio doloris, sui causâ, transfixam sciebat, & cum grandi compassione sentiebat. Sed quod maximè sensit Christus, & profundissime infixit illi spinas, erat prævisa tot hominum ingratitudo, qui ex passione ejus nihil fructûs accepturi, sed graviùs se vulneraturi erant.

V. Nec oleum, nec thus addi sacrificio pro peccato voluit Deus, Levit.5. cùm tamen ea in aliis requireret sacrificiis. Christus hostia pro peccato fuit: quare & oleo & thure destitui debuit. Oleum lætitiam & consolationem, thus odorem bonæ famæ significat. Utroque caruit Christus spinis coronatus. Nam 1. omni solatio & patrocinio in tantâ civitate tantoque hominum confluxu destitutus, & solus in cohorte militum velut agnus inter lupos derelictus fuit, etiam ab ipso Patre suo cœlesti, quin & à se ipso, ita ut animæ ejus beatitudo tunc sensitivam ejus partem nihil afficeret aut sublevaret. Deinde in illo derisoriæ coronationis ludibrio omnem suam famam & existimationem, tantâ priùs in æstimatione habitam, coram Judæis & Gentilibus amisit, adeò ut jam pro nefario & sceleratissimo reputaretur, qui priùs habebatur sanctissimus: jam nil amplius posse, nihil sapere videretur; qui priùs *Propheta magnus & Rex Israel* vocabatur; jam eum nemo tangere vellet, sed omnes horrerent; qui priùs certabant inter se, ut vel vestem ejus tangere possent, quique parvulos suos, ut eis manus imponeret ipsi offerebant.

V. Destitutus omni lætitia & consolatione.

Fama quoque & existimatione.

Superest ut nos huic sanctissimæ victimæ, pro nobis tam benevolè sese offerenti tamque indignè habitæ gratos exhibeamus. Audivimus quid M. Curtio fecerint Romani, qui omnis generis munera ad ipsum injecerunt in hiatum; sed quid hoc juvabat? Nos sacrificium sacrificio, victimam victimâ compensemus. Dedit se nobis Christus, demus nos ipsi quoque *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Hoc est, quod à nobis petit: *cor contritum & humiliatum.* Sed quia hoc ipsum absque Dei auxilio acquirere non possumus dicamus cum Sanct. August. *Da quod jubes, & jube quod vis.*

* * *

§. VI. Co-

§. VI. Coronatur ut Conviva.

Qui convivæ cibi? quæ vina?

I. Spinea corona.
II. Vestis coccinea.
III. Arundo in manum data.
IV. Alapæ innumeræ.
V. Sputa in faciem ejus congesta.
VI. Derisio, ficta adoratio & salutatio.

ILluc usque devenêre coronæ, ut etiam convivæ apud gentes, quemadmodum apud Hebræos symposiarchæ (ut colligitur ex Ecclesiastici c.32.) gestarent coronas. Id quod etiam invaluit apud Germanos nobiliores, ut in circularibus conviviis, qui socios invitare & convivio excipere deberet, coronâ priùs imposita ad hoc admoneretur. Passio Christi Domini convivium quoddam fuit. Ipse enim Christus appellat eam *Calicem*, sibi à Patre propinatum: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* ait Petro Joan.18. Jeremias vero Thre.3. opprobria passionis ejus comparat cum cibis seu lauto convivio. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis.* Coronam igitur gestare debuit. Sed quale convivium! qualis corona!

Qui convivæ cibi? quæ vina? Qui cibi? quæ vina hujus convivæ? Omnis generis cruciatus & dolores, contumeliæ & opprobria: alia cum aliis commutata & sibi succedentia: colaphi, falsa testimonia, criminationes, derisiones, flagella, spinæ, sputa, alapæ, cachinni, fictæ adorationes & salutationes; post quæ secuta crux, fel, acetum, probra, sitis, mors, lancea. Quid mirum ergo si in monte Oliveti oravit Dominus, ut calix hic ab ipso transiret, in quo tot venena & mortis ac dolorum instrumenta vidit sibi exhaurienda? Petrus certè cùm in somnio offerrentur ei omnis generis quadrupedia & serpentina manducanda, abhorruit &: *Absit Domine*, inquit, Act. 10. Neque vero ad hæc tam horrida fercula sumenda quidquam condimenti appositum fuit, quale posteà in tormentis suis sensêre SS. Martyres; nulla consolatio à quoquam ei subministrata fuit. Verùm solos hîc cōtemptus in coronatione Christo illatos videamus.

I. Spinea corona. I. Primus ergo cibus erat spinea corona. Si straminea corona honesto viro imponeretur, quantæ id sibi ignominiæ duceret? At quid vilius spinis? quis honestior ipso Deo? Illi, qui creavit aurum, argentum, gemmas, uniones, flores & omnem mundi pulchritudinem, nihil aliud pro ornatu datur, quam quod habetur in mundo contemptibilissimum. Pro ignominia haberet & graviter plecteret Rex, si quis ejus coronæ vel unam vitream gemmam insereret, uti fassus est Arcardius Imp. S. Chrysostomo, apud Metaphr. in vita Alexand. M. nautam, qui ipsius diadema in mare delapsum, natando apprehendit, & capiti suo impositum attulit, capite mulctavit, teste Gregora. En mortalis Rex ferre non potest, ut ipsius pileum plebei hominis caput tangat; & Rex Regum immortalis ferre debet, ut fictitia e spinis corona ipsius verticem dedecoret?

II. Vestis coccinea, fictam purpuram referen
Persarum Regis vestem si vel laceram & donatar
sibi quis induisset, capite luebat, ut refert Plut. in A
tax. At hic vestis lacera & contempta ipsi cœli & te
ræ Regi induitur. Memini cuidam, qui per alch
miam ficto auro deluserat Principem, patibulu
extructum fuisse, auro fictitio obductum ad maj
rem ejus confusionem. Quæ confusio Christo veris
mo ac summo Regi fuit, fictitiâ indui purpura? Qu
honestus ferret sibi notam hominis stulti ad veste
suam assui?

III. Arundo in manu ejus; quam ipse Christ
apprehendere & sustinere manu sua adeoque spect
toribus suam ipsam inanitatem, stultitiam, præsun
ptionem, ostentare & deridendam proponere, ad m
jorem suam confusionem debuit. Auxit confusi
nem, quod subinde milites arundinem è manib
ejus eripiunt eaque spineam coronam capiti ejus a
tius intrudunt aut percutiendo infigunt, rursun
que in manu ejus tenendam reponunt; ita
instrumenta ignominiæ suæ ipsemet gestare & su
ministrare suis delusoribus cogeretur. Quis a
divit talia vel maximorum scelerum reo fieri? D
rum fuit leprosis præceptum in Levitico decim
tertio, quo tenebantur seipsos sordidos ac contam
natos clamare. At vitium id natu æ fuit, non volu
tatis. Christus tenendo & præferendo arundine
pro sceptro, vanum se ac fictitium Regem, in
regni insidiatorem clamare monstrato symbo
compellebatur.

IV. Alapæ innumeræ. Nemo nescit quantam v
una alapa viro honesto confusionem afferat. Pl
rique, mox ad gladium recurrunt vel ad duellu
provocant & sanguine compensare alapam volu
nec raro cædes propterea fiunt. Sanè quando Jer
boam Rex extendit solùm manum, minacit
contra virum Dei, jubens eum apprehendi,
bito Deo ulciscente exaruit manus ejus, ut non p
set eam retrahere. 3. Regum 13. Hîc milites impiissi
in faciem cædunt filium Dei & quidem impun
Paulus à Pontifice percuti jussus: *Percutiet te Deu*
inquit Actor.23. prædicens ei vindictam Dei ob ta
tam injuriam. D. Augustinus libro 1. de serm. Domi
in monte cap.38. refert homini, qui Thomæ Apost
lo alapam impegerat, vitam à leone ereptam & m
num à cane præcisam mordicusque apprehensam
domum, ubi Apostolus cœnabat, illatam, testem d
vinæ ultionis omnibus, qui aderant, futuram. En A
postoli sui alapam sic ulciscitur Christus, & suas no
ulciscitur.

V. Sputa in faciem ejus congesta; in faciem, i
quā, *in quam Angeli desiderant prospicere.* Sputa vel
abominabilia in angulos ejiciuntur vel pedibus obt
runtur, ne vel aspectu suo nauseam aliis movean
Isti in Dei faciem spuunt, quod Job in spiritu prævi
dens & quasi rem intolerabilem non ferens dixit. *Ab*
ominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem mea
conspuere non verentur, cap.30. Putant alibi Jobu
quoque verè & propriè loquendo consputū fuisse,

quidem

quidem ab ignobilibus hominibus, Iobo infensis, qui ejus calamitati insultabant. Id ergo tam acriter sensit, & non immerito. At quanto magis sensisse putamus Christum, à vilissimis homunciobus ad placitum & conspectum Judæorum, sibi infensissimorum, consputam faciem suam? Puella, quæ in Fabiæ Eudoxiæ, uxoris Heraclij Imp. elatæ feretrum de fenestrâ expuerat, jussu Heraclij rogo uxoris illicò imposita & viva combusta est. Cuspin. in Heracilio. At hic in cœlestis Regis faciem innumera & fœdissima sputa à vilissimis lixis & calonibus impunè conijciuntur, ô rem indignam!

VI. Derisio, ficta adoratio & salutatio. Acutissimum telum est dirisio, quod vel S. Elisæus impunè ferre non poterat, cum deridentibus se pueris maledixit, eâque maledictione ursos duos è sylvâ evocavit ad dilacerandos pueros. 4. Reg:2. quanquam *in nomine Domini* seu jussu Dei. Scimus multos Principes in sui derisores gravissimè animadvertisse. Heliogabalus Imp. cum Alexandriæ existens, convitia quædam civium in se jactata audisset, omnem eorum populum convocari in planitiem juxta Nilum jussit, quasi eam lustraturus, post exercitu circumdatam mactari jussit, sicque flumen eorum sanguine coloravit. Suidâ auct. Alij ut Severus & Caligula, siquis vel modicum nos risisset, plecti eum jusserunt. At hic quot convitia exonerantur impunè in Regem sæculorum?

Jam quo animo hæc omnia tam acerba pertulit Salvator? summa patientiâ, summo silentio, ut ne gry quidem loqueretur, dum hic ludus cum ipso luditur. Nimirum Christus prædæ animarum nostrarum intentus, cùm eam jam apprehendisset, tam constanter tenuit, ut nullis probris ac clamoribus inde avelli posset: nec verbera & spinas curaret, modo rosas è spinis legeret: Quemaomodum ergo Noë vino sopitus non animadvertit derideri se à filio: ita Christus amore nostri inebriatus, non curavit derisores suos. In Sophitis terram Indiæ cùm venisset Alexander M. donavit ei Sophites 150. molossos, ad venationem ingenuos; è quibus cùm duo immissi essent in leonem, mox eum retinuerunt; tum jussit Sophites unum abstrahi, ac si non posset, crus ei abscindi. Mirum; canis alto vulnere crure potiùs se truncari, quam prædam sibi eripi passus est. Refert Strabo lib. 15. Incubuit & Christus spinis coronatus prædæ animarum; unde non æstimavit jacturam famæ, existimationis, vitæ suæ. Nónne igitur æquum est, ut & nos contemnamus amore Christi quidquid in mundo patimur, eique pro tot tantisque plagis nostri gratiâ susceptis, serviamus toto pectore in sanctitate & justitiâ, omnibus diebus vitæ nostræ; Æquissimum justissimum.

(.·.‡.·.)

THEMA QUARTUM.

Ludus coronationis Christi quid demonstret.

I. *Quid sibi vult vestis coccinea?*
II. *Quid corona spinea?*
III. *Quid arundo?*
IV. *Quid sputa, alapa & ficta adorationes?*

Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. *Ioan.* 19.

PHilo in Flaccum refert, tempore, quo Herodes Agrippa Româ in Judæam rediit, Rex declaratus, & Alexandriam divertit, adolescentes Gymnasij Alexandrini, ad ejus contemptum lusisse talem comœdiam. Quendam nomine Carabam leviori insaniâ laborantem rapuerunt in Gymnasium, & sublimi loco statuerunt, ut spectari posset, moxque capiti eius diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento corporis stoream induerunt, pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regijs insigniis adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio, alij salutatum accedebant, alij *Marim* linguâ Syrâ, id est, *Dominum*, acclamabant. Meritò existimant Card. Baronius alijque hoc Agrippæ contigisse judicio divino in ultionem ludibrij, quo prius Judæi, nec non & patruus ejus Herodes Antipas, Christum illuserunt. Similem ergo ludum præluserant jam Judæi cum Christo innocentissimo, & si licet dicere, amore nostri insano. Sed cur? Audiamus.

I. Quid sibi vult vestis coccinea? Primo ostendit peccatum Adami, qui peccato perpetrato, spoliatus est veste innocentiæ & gratiæ, & indutus est veste pelliceâ inque eâ illusus à Deo: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est!* Christus itaque transgressionem Adæ in se luiturus, exuitur veste suâ, aut forsan albâ illâ, quâ indutus fuit ab Herode: & induitur coccineâ, ludicrâ, inquam, & fictâ purpura atque in eâ illuditur à cohorte veluti Rex fictus. Atque hæc est vestis illa, innocentis Josephi intincta in sanguine hœdi, Adæ nimirum peccato fœtentis. I. *Quid sibi vult vestis coccinea?* 1.

2. Ostendit peccata totius mundi gravissima, ipsi injecta & imposita, secundum Originem. Peccata enim coccino comparantur Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* 1. quia coccinum & purpura erat habitus meretricum; unde Apoc. 17. descibitur purpurata meretrix. Et quid peccata nisi infamis habitus amatorum mundi? 2. quia sanguinem refert, peccatum autem sanguine expiandum est juxta id Apostoli ad Hebr. 9. *sine sanguinis effusione non fit remissio.* 3. quia ut coccus semel lanam aut vestem imbuens, elui non potest: ita peccatum semel in animam admissum, viribus humanis deleri non potest, per solam gratiam potest. Quare cùm nemo mortalium pro peccatis satisfacere posset (sic enim Ier. 2. Dominus ait: *Quid vultis mecum judicio conscendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus*) Dei filius satisfactionem nostram in se suscepit. 2.

3. 3. Oftendit peccata noftra, quibus etiamnum oneramus & quantum in nobis eft, deformamus Salvatorem noftrum. Quando enim baptifmalem innocentiæ veftem exuis, peccato te commaculans, nónne Dhriftum, qui in te habitat, vefte coccineâ induis? Rurfum quando cum peccato lethali, fciens quis, communicat, quid nifi fictam & fordidam animæ fuæ immundæ veftem Chrifto imponit? Denique qui per hyprocrifin fingit fe bene agere foris, cùm intùs malè agat per intentionem pravam, quid nifi coccineam, pro purpureâ vefte dat? Quam multi tales politici, qui verbis & externâ veneratione Chriftum colunt, interim mandata eius fpernunt!

4. 4. Oftendit nobis viam ad beatitudinem, humilitatem fcilicet. Nam purpura pifcis, è quo humor purpureus, in imo pelago latet, tefte Pierio lib. 28. hierogl. inde tamen erepta ad ornamenta regum afcendit: fic prius humiliari debet, qui exaltari vult cum Chrifto.

II. *Quid corona fpinea?*
II. Quid corona fpinea? Oftendit 1. peccatum Adami eique inflictam pœnam Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo: fpinas & tribulos germinabit tibi.* Germinavit quidem Adamo, fed non in eius capite; at Chrifto in ipfo eius facratiffimo capite; quis nimi-
1. rum Adam, caput omnium hominum peccaverat. Ibi in fudore vultûs fui comedit panem fuum, quando cruorem è vertice in os defluentem bibit, Adam delectationem in pomo quæfivit & honorem divino parem: invenit autem dolorem & confufionem, quam hic luit Chriftus. Potuit Adam fpinas terræ exfcindere, fed non potuit Chriftus utpote ligatus evellere fpinas capitis fui.

2. 2. Oftendit peccata totius mundi fpinis fimillima juxta id Ifa. 5. *Expectavit ut faceret uvas, fecit autem fpinas*; ut legunt 70. Spinæ oriuntur ex neglectu agriculturæ, pungunt & cruciant, ad nihil profunt, nifi ut ignem alant. Talia funt peccata quoque. Corona verò fpinea & confufionem, ut dixi, adfert & dolorem; quemadmodum & peccatum. Confufionem ad Rom. 6. *Quem fructum habuiftis tunc in illis* (immunditijs & iniquitatibus gentilitijs) *in quibus nunc erubefcitis?* Dolorem. Pfalm 31. *Converfus fum in ærumnâ meâ, dum configitur fpina*; Hic nimirum fructus eft peccati. Quare Chriftus hac coronâ vult nobis intercludere viam peccandi, juxta id Ofe. 2. *Sepiam viam tuam fpinis & fepiam eam maceria & femitas fuas non invenies.* Evariz, Rex Gothorum, templorum aditus fpinis obferabat & fepiebat, ut introcuudi difficultas &ratitas oblivionem religionis induceret. Ravifio auct. Chriftus non templi fed inferni aditum fpinis fuis obferat, ut eum intercludat. Si enim ob aliena peccata fenfit fpinas Chriftus, quid fentient inferi ob propria?

3. 3. Oftendit peccata noftra, quibus velut fpinis Chriftus adhuc pungimus & vexamus; cùm nos in divitias, voluptates & folicitudines hujus mundi immergimus, Illas enim appellat Chriftus fpinas, quæ fuffocant fementem patris familias. Rurfum i ponimus Chrifto fpinas, quando ex vineâ Ecc fiæ, quam ipfe excoluit & fanguine fuo rigavit, p expectatis uvis, damus ei fpinas ingratitudi noftræ.

4. Viam ad cœlum, patientiam dolorum, fpi quidem confitam; quæ tamen fuo tempore pari rofas; quemadmodum & Chrifto gloriam ref rectionis immortalem pepererunt. Hac de causâ fa cta Catharina Sen. fpineam coronam elegit præ a rea &c.

III. Quid arundo? Oftendit 1. inanitatem arbo vetitæ, ex quâ Adam fperavit fcientiam boni & ma nec non fimilitudinem divinitatis: derifus prop hoc ab ipfo Deo; cujus vaniffimum appetitum luit arundine Chriftus à militibus delufus, quafi Rex Dei filius fictitius atque inanis.

2. Oftendit vanitatem creaturarum, quas DE derelicto amamus & fectamur. Quid enim illæ n fi baculus arundineus, de quo dicitur Ifa. 36. *Ec confidis fuper baculum arundineum confractum iftu fuper Ægyptum* 3. Oftendit peccata noftra. Nam i primis qui de Chrifti mifericordiâ, & immenfis ei meritis defperant, nonne baculum arundineum præbent? quid enim aliud fentiunt, nifi Chrifti pa fioni nihilo plus innitendum effe quàm arundini. 4 Oftendit viam & rationem debellandi Dæmonen Nam ut S. Athanafius fer. de Cruce & paffione ai *Arundinem accepit, cùm illi à Diabolo porrigeretu ignaro quòd contra feipfum gladium acueret, Dicitu enim arundo ferpentibus lethalis effe, atque inde potiffi mùm interfici.* Per arundinem intelligere ventren jejunio vacuum poffumus, de quo dixit Dominus *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nifi per orationem & jejunium.* Matth. 17. Deinde qui in propofitis fuis ac vitam emendandam tam inftabiles funt, ficut arundo vento agitata, nónne & ipfi pro fceptro folido & firmo porrigunt arundinem? Jeremias c. 51. vocat Ifraël *fceptrum hæreditatis Domini.* Multò magis fic appellandi funt Chriftiani. Jam fi quis Chrifto pro regio fceptro det arundinem, h. e. hominem inanem pro folido, foris Chriftianum, intus atheum; nonne graviffimam ei-injuriam facit? Hac porró arundine Chriftum percutiunt, eique coronam fpineam profundiùs infigunt, qui peccata fua etiam defendunt & *gloriantur in rebus peffimis.*

IV. Sputa, alapæ & fictæ adorationes oftendunt 1. Rebellionem creaturarum, quam fenfit Adam poft peccatum. Quæ enim prius ad nutum ipfi obedierant, poftea eum fugere, perfequi; illudere cœperunt, uti & propria caro colaphis eum cædere. Hanc ergo pœnam etiam in fe fuftinere fecundus Adam voluit, ut fanaret primum. Infultat Domino & Creatori fuo petulantiffima cohors viliffimorum militum & omnis generis contumeliis eum profcindit ac deturpat, ut homo reatum fuum agnofcens, à quanta fcilicet gloria, in quantam miferiam per inobedientiam exciderit, rurfum DEO fubjiciat.

2. Often-

2. Ostendunt universitatem peccatorum totius mundi, pro quibus Christus satisfacere debuit. Sputa è fœtido pectore extracta significant perversas hominum cogitationes, coctas in pectore. Fictæ salutationes: *Ave Rex Iudæorum*, significant verba impia, contumelias, blasphemias, execrationes, perjuria, detractiones &c. Alapæ, manibus inflictæ, denotant opera mala, idololatriam aliaque scelera sive à Gentilibus sive à Judæis perpetrata.

3. Ostendunt etiam peccata Christianorum, qui etiamnum Christo sæpe illudunt. Ac primò conspuunt eum, qui in pectore suo fovent ac coquunt cogitationes malas, odia, rancores, impudicitias. Apparuit aliquando S. Lutgardi Virgini sanctimoniali Virgo mœsto ac lugubri vultu habituque, questa quod eius filius ab hæreticis & pseudoChristianis rursum conspueretur ac crucifigeretur; ut in eius vitâ refert Lipelous 16. Junij ex Cantipratano. Non soli hæretici, sed etiam Christiani mali conspuunt Christum de novo, quando eum blasphemant, eius nomen, passionem, vulnera, sacramenta in honorant. Ficte Christum adorant, qui dum labijs orant, mentibus evagantur, & animum in patinis & popinis, pecunijs & prædijs, in cubilibus & impudicitiis habent; similiter qui sibi ignosci petunt, ignoscere tamen aliis nolunt. In faciem cædunt, qui publicè & impudenter cum aliorum scandalo peccant. Hi enim proximorum conscientias & facies ad Dei imaginem factas cædunt ac pervertunt. Cædunt eius faciem, qui Dei servos persequuntur; in illis enim facies & similitudo quædam Dei elucet. De talibus quoque dixit Ier. 15. Dominus: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Colaphos ei infligunt avari, qui manum & cor suum constringunt, clauduntque vis-cera sua pauperibus: alapas verò prodigi, qui quasi manu apertâ bona sua dilapidant & in luxum, pompam, voluptates profundunt. Cædunt eius faciem, qui S. Eucharistiam irreverenter tractant; pro quâ re exemplum refert. Io. Moschus in Prato spir. c. 30. de quodam pœnitente Meltinensi in Dade Cypry, qui perpetuis se castigabat fletibus, propterea quòd aliquando uxori suæ Catholicæ ipse Severianus sanctam communionem è gutture excussisset. Dicebat enim sibi post vesaniam illam astitisse virum quendam Æthiopem ac dixisse; *Ego & tu simul in unum supplicium condemnati sumus. Ego enim sum, qui conditorem omnium Dominum IESVM Christum in maxilla percussi, passionis tempore.* Hac de causâ igitur à fletu se desistere non posse.

4. Ostendunt etiam viam cœli, scilicet injuriarum tolerantiam ac contemptum. Quemadmodum enim statua, priusquam in aram collocetur, multis ictibus efformari debet: ita Christianus multis injuriis perfici, ut præclara cœloque digna imago fiat.

5. Ostendunt typum aliquem pœnarum infernalium 1. Chlamys coccinea, operimentum igneum, in quo ardebunt Inferi. 2. Corona spinea cogitationes funestas, imaginationes horribiles, vermis rodentis puncturas ac remorsus. 3. Arundo vacuam & inanem redemptionis aut relaxationis pœnarum spem, adeoque desperationem & pœnarum æternitatem semper ante oculos obversantem menteque agitatam. 4. Sputa, fictæ adorationes & palmæ ludibria, derisiones & sannas, quas patientur à Dæmonibus alijsque damnatis. Si enim Christus innocentissimus ob aliena peccata ferre ista debuit, quid expectandum ijs, qui ob sua propria abijcientur à conspectu Dei?

THEMA QUINTUM.
Flores decerpendi è passione Domini.

I. *Dei amor, flos echÿ.*
II. *Odium peccati, flos Mariæ Magdalenæ.*
III. *Spes & fiducia, Euphrosyne.*
IV. *Imitatio passionis Domini Calcar equitum.*
V. *Gratitudo, triffago.*
VI. *Quid debeamus tanto benefactori.*

Jam hyems transijt, imber abiit & recessit: Flores apparuerunt in terrâ nostrâ.
Cant 2.

QUando tristis hyems abijt, & frigidi imbres desinunt amœnumque ver se prodit, tunc apparent flores, nosque exire in hortos solemus ad eos colligendos. Abijt jam hyems passionis dominicæ, tristis & rigida. imber austerus sanguinis Domini de cruce cessavit, Inde prodière flores, de quibus sponsus Cant. 2. loquitur: *Iam hyems transijt, imber abijt & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Quænam vero terra ipsius, nisi ea, cui titulus appositus. *Iesus Nazarenus*. hoc est *floridus*? Nos igitur exeamus hodie, & colligamus aliquot saltem è terra flores.

I. Nobilis flos & notus est *flos echÿ*, Je länger je lieber, Germanicè hoc est *semper charior* Reperimus istum 1º in horto passionis, in quo discimus amare Deum si consideremus. I. *Dei amor flos echÿ.*

1. Quis nos redemerit? Deus, non per hominem aut Angelum, sed per seipsum. Multum deberemus Deo, si nos per servum redemisset è captivitate: sed hoc alteri non commisit: ipsemet se pro nobis captivum dedit. Magnus omnino fuit amor Jonathæ Regis filij in Davidem pastorculum, quando pro eius salute peroravit apud patrem, seque lanceæ patris propè configendum exposuit, Inde enim David eum dilexit vehementer, & cùm sibi valedicentes flerent, David amplius flevit. 1. Reg. 20 quia ipse servus erat, Jonathas filius Regis, amabilis nimis & decorus. 2. Reg. 1. At Christus Dei filius non solùm in cruce pro nostris servis suis peroravit ad patrem, sed etiam passus est & lanceâ crucis paternâ manu confixus occubuit. 1.

2. Quem? servum, ingratum, inimicum. *Vir pro justo quis moritur*, ait Apostolus ad Rom. 5. *nam pro justo forsitan quis audeat mori. Commendat autem chari-* 2.

charitatem suam DEVS in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis mortuus est. Quid dixisset ad hoc Seneca qui lib. 2. de ira cap. 27. ait: *Nimis nos suspicimus, si dignos existimamus, propter quos tanta* (cœli nimirum) *moveantur*? Multum fuit quod Judas pro Beniamino in servitutem se obtulerit, Gen 44. At hoc fratri præstitit. Multum fuit, quod egit filius aurifabri Toleti, sub Petro Rege Castolonis, quando pro captivo & occidendo patre vix multis precibus obtinuit, ut ipse plecteretur. Fulg. lib. 5. sed hoc fecit filius patri: vitam pro eo dedit, à quo vitam accepit. At quod præstitit nobis Christus, inauditum & majus omnibus est, dum pro servis & reis mortem ipse subiit dominus & ab omni labe purissimus.

3. E quanto eripuit periculo? è gehennâ. Quid non faciunt rei jam plectendi, si per alicujus preces liberentur à supplicio & infami morte? Dicat nobis expertus Theodolus, S. Nili filius (qui historiam scribit apud Sur. 14. Ian. de nece 38. Monach. in Sina) qui ab Arabibus captus & abductus, sæpius eorum Diis ab ipsis immolandus, tandem ante vicum, cui nomen Subaira, vænalis & nudus, gladio ad collum appenso statuitur, strictisque ensibus circumsistitur, mox plectendus, ni emeretur. Redeunt è pago barbari re infectâ, cum nemo plus quam 2. aureos dare pro captivo vellet. Ille igitur lachrymis omnium opem invocare, promittens non solum pretium sed & servitutem perpetuam. Ergo miseri juvenis misertus Episcopus loci eum tandem emit & liberum dimisit. Quis dicat quàm ei gratus & fidelis fuerit! quantas gratias egerit!

4. Quanto labore? Non auri summâ, non precibus, sed sanguine suo. Quantùm igitur amandus! Dicat Regina Armeniæ, Tigranis conjux quæ à viro post dimissionem è captivitate Cyri Persæ interrogata, quî placuisset ei Cyri humanitas? Illa: *Non in Cyrum, ait, oculos conjeci, sed in illum, qui dixerat se sanguine suo me redempturum*: Rogatus namque à Cyro Tigranes quanti redimere vellet conjugem? *Dabo pro eâ vitam libenter*, dixerat. Xenoph. Jam autem Christus pro te de facto se in mortem & tam crudelem dedit. Quomodo ergo potes oculos tuos aliò convertere & præter liberatorem tuum, creaturas aliquas amare? Quapropter inspiciamus hunc amoris florem, & redamemus saltem servatorem nostrum magis ac magis, **Je länger je lieber** / & dicamus: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum & refugium meum & liberator meus.*

II. Odium peccati, flos Mariæ Magdalenæ.

II Flos alius est, qui *Maria Magdalena flos* appeltur, aliter *nardus celtica*; & designat nobis odium peccati, quale sanè concepit pœnitens Magdalena. Hunc etiam reperimus in horto passionis Dominicæ. Nam passio Christi demonstrat quantum malum sit peccatum. Quâ de re scribit Sanctus Bernardus ser. 3. de nativitate: *Agnosce, ô homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari; si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio DEI filius moreretur.* Ergo peccatum tam incurabilis morbus est, ut nisi sanguine filij Dei curare nequeat; quod vel inde patet, quia alioquin filium pater nequaquam immolâsset. Audijt fortè pater aliquis servum infirmum non nisi sanguine sanari posse. Quid ageret hic pater? utique non hominem, non bovem, non ovem statim, sed primo, ut offerret Medico sanguinem, mactaret gallinam: qui si diceretur non esse sufficiens mactaret deinde ovem, posteà etiam bovem, denique servum potius quàm filium. At huic morbo peccati curando non sufficiebat sanguis vitulorum & taurorum; neque aliquorum hominum: sed omninò necessarius fuit filij DEI sanguis. Quantus ergo hic morbus fuit? Pertinax infirmitas debet esse lepra, quæ ex consilio Ægyptiorum Medicorum sanguine duntaxat humano nec aliter curatur. Persuasum id Constantino M. leprâ tacto sed ubi is audivit gemitus matrum & necandorum lachrymas infantum, abstinuit malens lepram ferre quàm subditos occidere. At verò pater cœlestis clamorem filij in Oliveto (*Abba mi pater transfer calicem hunc à me*:) & in cruce (*Deus meus, Deus meus &c.*) non exaudivit. Nimirum aut mori peccator æternum, aut filius ad tempus debuit. Deinde ex eo quod de cœlo advocari debuit Medicus, neque is Angelus, sed Dei filius, qui infinitam peccati malitiam infinito pretio deleret. Qualis morbus debuit fuisse Abagari Regis Edesseni, quod Jerosolymam usque miserit ad Christum, veluti ad medicum. à quo curaretur, uti notum ex historia. Quantum igitur malum quamque exosum, putatis erit peccatum Deo? Magnum foret odium Principis erga hostem, qui cives suos puniret vel ideo quia cum eo locuti sunt; majus, si etiam aulicos & propinquos maximum, si & filium unicum charissimum, innocentissimum quod ejus causam egerit. Iam vero ob peccatum primo Deus expulit aulicos & propinquos suos, Angelos è cœlo: deinde primos homines è paradiso: Denique ipsum filium cruci addixit, quia peccatorum causam in se suscepit. Quantum oderit Saul Davidem, patet vel ex eo, quod filium Ionatham, ejus Patronum, lanceâ petierit, in eo suam ipsius progeniem jam jam extincturus. 1. Reg. 10. Longè inplacabilius debet esse odium Dei adversus peccatum, eo quod proprium filium, qui in se luendum id susceperat, occiderit; ita ut peccatum in humeris etiam filij Dei securum & impune esse non potuerit. Quam abominandum diceremus esse fœtorem alicujus vasis si Rex aliquis trucidaret suos ephebos, qui illud præcisè attigissent? Quid si filius vas illud solummodo expurgasset ex cõmiseratione, ne abijceretur: & propterea à patre morte mulctaretur? Hoc contigit Dei filio, peccata nostra in se tollenti. Quanto odio haberet Samson incircumcisos Philisthæos, vel ex eo colligi potest, quod cum eos cuperet funditus deletos, nec aliâ vel meliori saltem ratione posset, nisi concuteret columnas ædificij, in quo illi epulabantur, adeoque simul

mul cum illis moreretur, nihil dubitavit suam vitam npendere, ut ipsi extinguerentur. En tibi depium odium Dei, adversus peccatum, quod tam ande est, ut ejus delendi gratia columnas crucis nplecti & vnà cum peccato commori voluerit. Sæus ostenderat Samson odium suum in Philistæos, im variis cladibus eos afflixit, sed nunquam ita tendit, sicut in morte sua. Similiter etiam Deus agis variis sæpenumero in peccatores immissis deonstravit suum in peccatum odium; sed in morte aximè, quando ipsum sanguine & cruce suâ delere gressus est. Quando ergo tam periculosus morbus penè incurabilis est peccatum, tamque coram DEO dus & abominabilis; quis audeat cum eo consorim deinceps habere vel minimum? Imò quis non us solo nomine audito exhorrescat? quis non exeetur tam execrandum malum?

III. Flos alius est, quem appellant *Euphrosynem*, os Augentrost / h. e. *solatium oculorum*. Designat erò spem, quam ex passione Domini haurimus. 1. desumitur ex cap. quinto ad Roman. ubi ait Aostolus: *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus eo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati salvi imus in vita ipsius.* q. d. Si Christus in vita adhuc ortali moriendo nos Patri reconciliavit, multò mas id faciet nunc vivens in gloriâ. Si mater amat fiim, & hæredem facit, dum eum gerit in utero vel patantis doloribus, amabit multò magis jam genim & sibi similem. Sic Rachel filium pariens cum olore, appellavit *Bennoni*; genitum autem pater apllat *Beniamin.* facitque ex *filio doloris filium dexte-*. Genes. 35. Qui suum ædificium à fundamentis im tanto labore & sumptu erexit, multò magis id rficiet, quando nulli ampliùs sumptus faciendi it labor est ferendus. Qui sordentes è cœno exaxit, multò magis retinebit apud se jam ablutos. ui nigram & deformem puellam adeo amavit, ut bi desponsaret? multò magis jam dealbatam & ilchram diliget. Qui tanto ære nos emit, jam emos utique non dimittet. Qui fugientes retraxit & ntis blanditiis ad se pellexit, jam ad se pellectos inquid deseret? Qui per tot maria navigavit, ut argaritam reperiret: multò magis inventam & nptam diliget ac servabit: uti pastor ovem amism &c.

2. Ex cap. 8. ad Rom. ubi Apostolus. *Qui etiam proio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit um, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donait?* Qui filium dat obsidem, non dabit promissum rvum aut pecuniam? Qui equum donat, non doabit frænum? Qui tanto pretio emit servum, quonodo eum vestibus destituet & cibo? Deinde quis on bene speret de illo domino suo, qui, ut convalesit servus, parat ei balneum è sanguine filii sui? Filio rodigo, ne diffideret de benevolentia patris, pater ccidit vitulum saginatum. At Deus occidit homini rvando filium, ne de suâ misericordiâ & bonitate omo diffideret.

3. Ex copiosa redemptione. Cùm enim una sanguinis gutta redimere nos potuisset, omnem effudit. Quæ veræ sordes tali tantoque lavacro ablui non possunt, ubi una gutta sufficit? Quando ergo singulæ guttæ possunt salvare infinitos mundos, quid erit tanta effusio sanguinis? Quare sicut flumina in mare se exonerantia, omnia perdunt nomina sua; quia nihil sunt respectu maris: sic peccata etiam gravissima respectu meritorum & sanguinis Christi nihil sunt, ideò evanescunt, cùm in eum merguntur. Quid igitur erunt peccata parva? guttæ, ut dicebat B. Ægidius Minorita. Dicite mihi, si qui parentes filium captivum à Turca oblatis omnibus bonis suis redimant, nunquid is dubitare de parentum amore poterit? Servus ille Centurionis dicitur fuisse domino suo pretiosus. Unde hoc colligitur? Ex eo quod pro ipso sanando herus tot & tanta fecerit: misit primò Judæos seniores, deinde amicos; ipsemet denique ad Christum venit, supplicans humilitate maxima. At quantò plura Dei filius non solùm fecit, sed & pertulit pro nobis? Misit Patriarchas, Prophetas, pòst ipse venit supplicans patri prostratus in Oliveto, fixus in cruce; mortem denique oppetens.

4. Illam ipsam copiosam suam redemptionem æstimat parvi. 1. quia Judæ proditionem appellat 4. tantùm calcitrationem: *Qui manducat mecum panem, levabit me calcaneum suum.* Joan. 12. Deinde Luc. ult. interpellatus à duobus discipulis de passione sua præterita, interrogavit: *Quæ?* quasi nesciret quid secum actum esset, aut quasi valdè parum id fuisset. 3. Nullam omninò memoriam refricuit discipulis, defectionis suæ, & negationis Petri. Quinimò Petro speciatim nunciari jubet resurrectionem suam. 4. Dum patitur, varia inimicis suis beneficia impertit: Malcho aurem restituit: pro crucifixoribus suis orat: clemētiæ suæ specimen in latrone edit, dū velin vitæ fine pœnitentem recipit in consortem paradisi. Mira res! terra & homines eum ejecerunt, quasi indignum qui in terra inter homines ageret: & cœlum atque Angeli eum receperunt tanquam dignissimum & nobilissimum concivem. 5. Sit civitas populosa, cujus cives mali sint, alii magis, alii minùs, unus autem præ cæteris supplicio dignus. Si dixerit quispiam Regem omnibus velle culpas dimittere, non ita verbis fides adhibebitur, atque si videant eum, qui plus omnibus deliquit, veniâ esse donatum. Talis latro: talis Paulus, qui ait: *Quorum ego primus sum.*

IV. Flos alius à nobis appellatur *calcar equitum*, Rittersporen / aliàs vaccinium. Et quid hic nisi calcar & stimulus ad imitandum Christi patientis exemplum & sequenda ejus vestigia? Nam 1. quis non lubenti animo patiatur unà cum Deo? Certè bonus latro crucem suam æquiori animo pertulit, quando cogitavit unà secum pati innocentem; quantò eum libentiùs pertulisse putamus postea, ubi agnovit eum etiam esse Deum? Ligno illo, quòd in amaras aquas injecit Moyses, correctas scimus aquas, & dulces effectas, Exod. 15. Lignum id vult Abulensis fuisse amarum & mortiferum, *Adelpha* appellatum; miraculo igitur dulcorasse aquas. Talis autem crux.

IV. *Imitationis Passionis Domini.* 1.

Itaque si lectus durus est, cogita crucem: si cibus desipit, fel & acetum: si vestis deest, nudum Christum: si morbus gravis, vulnera expende; sic fient tibi dulcia, quæ priùs erant amara, ex ligno amaro.

2. 2. Quis non patiatur libens post Deum? Certè Nicodemus ante Christi passionem timuit confusionem, ideo præ metu Judæorum nocte venit ad Jesum. Sed Jesus mox ei opprobrium crucis suæ in figurâ serpentis ænei insinuat, ut post ducem talem non timeret miles sustinere aliquod probrum. Quod sanè cumulatè præstitit, quando visa Christi patientiá in tantis opprobriis, non jam de nocte, sed in die venit depositurus Christum in sepulchrum.

3. 3. Quis non patiatur libentissimè pro Deo, qui pro nobis passus est? Multi se pro Imperatoris salute & fortunâ exponunt vitæ discriminibus, & id gloriæ sibi ducunt. Aliqui Ethnici pro Imperatorum salute & vitá se devoverunt, uti non unus pro Caligulâ. Turcæ reperiuntur, qui pro honore sui Imperat. graviter se incidunt & vulnerant. Et hoc isti in hominis gratiam, nullo aut exiguo suo commodo. Quid non sustineat homo pro tanto Imperatore & remuneratore Deo? Denique quis non patiatur minima pro eo, cum eo, & post eum, qui pro nobis passus est maxima? Hinc Sanct. Elzearius Comes injurias suas nihili æstimabat, quando convertit se ad Crucifixum, ut scribit uxori suæ.

V. Gratitudo: trissago. V. Florem alium germanicè appellamus, Vergiß mein nit/*noli mei oblivisci*; latini tussaginem. Et quid hic significat, nisi id, quod Ecclesiastici 29 dicitur: *Gratiam fidejussoris tui obliviscaris; dedit enim pro te animam suam?* Fidejussor hic est Christus, qui pro nobis dedit animam suam & 1. sua istâ immolatione clausit imminentem nobis infernum, aperuitque cœlum: ex mancipiis morte dignis fratres suos & cohæredes imò filios Dei fecit. Undè Joan. primò dicitur: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Meruit nobis, ut uno gemitu, unâ lachrymâ, uno verbo, *peccavi Domino*, unâ confessione & contritione possimus delere omnes culpas, (quandoque etiam pœnas debitas) ipsamque gehennam. Quis Magistratus dimittit reos liberos ob solas eorum lachrymas, gemitus, sponsiones emendationis? quis dominus debita suis debitoribus? At nos hoc habemus per Christum.

2. 2. Quomodo? 1. in propriâ personâ operatus est nostram salutem, 2. non pretio pecuniæ, sed sanguine, tormentis & morte nos redemit. Nullo labore constitit eum creatio nostra: at redemptio quam plurimo, 3 maximâ cum charitate, ut plura adhuc pati, si opus foret, paratissimus esset. Denique ita, ut pro singulis, vel uno tantùm idem pati vellet, ut colligitur ex Epist. ad Galat. secundo ubi ait Apostolus: *Dilexit me & tradidit semetipsum pro me.*

3. Ex merâ bonitate, nulla spe retributionis à nobis exspectatæ: nullis etiam præcedentibus nostris meritis. Hoc solùm petit, ut hoc beneficium acceptemus, ejusque pretio salutem nobis comparemus.

Quid vero retribuemus Domino pro beneficio isto? D. Thomas 2. 2. quæst. 107. artic. 2. tres gradus gratitudinis assignat 1. ut quis beneficium agnoscat, 2. ut laudes & gratias agat. 3. ut compenset pro facultate. Ergo 1. agnoscamus hoc beneficium, sæpè id particulatim meditando, in mentem revocando, magnitudinem expendendo, & nos servos Domini obstrictissimos agnoscendo. Audiamus Christum discipulos alloquentem: *Scitis quid fecerim vobis?* Et quid fecerat tunc illis? Aquâ eis pedes laverat. At quid fecit nobis? *Lavit nos in sanguine suo*, ait Joannes Apocal. 1. Neque ideo hoc beneficium minùs agnoscamus, quod & aliis omnibus sit exhibitum; non enim ideo minùs debemus Soli, quia & alios illuminat. Ita enim te illuminat, quasi te solum.

2. Prædicemus beneficium, de eo libenter audiamus & loquamur; uti fecerunt duo discipuli euntes in Emaus. Apud Seston urbem aquila à virgine enutrita in defunctæ rogum sese injecit, & cum eâ conflagravit. Plin 5. cap. 10. Nos ut quid simile Christo exhibeamus, subinde immergamus nos in piam meditationem passionis Dominicæ, & compassionem ejus, dicendo cum Thoma: *Eamus & nos & moriamur cum eo.* Joann. undecimo. Docuit hanc gratitudinem, & pissimum exercitium ipse Dominus Jesus sacrato suo *Nazareni*, h. e. *floridi* titulo in fronte insignitus Sanct. Edmundum adhuc puerulum, posteà Cantuarien. Episcopum, uti refertur in ejus vita apud Sur. 17. Novemb. *A quo tempore Edmundus nocte vel die studuit passionem Christi animo versare, in eaque meditanda medullitus delectari. Cùm autem quodam die festo multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur, se Dominicæ passionis commemorationem omisisse, caputque fessum quietem reposceret, sub auroram apparuit ei Diabolus, & ambas ei detinuit manus, ne crucis signum posset in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, Dæmon inter parietem & lectum decidit. Quem ille horrido gutture apprehensum adjuravit per virtutem passionis Christi & aspersionem sanguinis ejus, ut diceret quibus rebus vel maximè ab ipso infestando arceri posset. Respondit ille: iis videlicet, quas tu modò nominasti.*

(****)

DOMINICA PASCHÆ.

THEMATA.

I. *Sanctitas & gaudium hujus diei.*
II. *Triplex resurrectio nunciata per verbum, Alleluia.*
III. *Vernum tempus resurrectionis typus.*
IV. *Ovum rubrum typus futuræ gloriæ nostræ.*
V. *Christus resurgens similis panthera.*

THEMA I.

Sanctitas hujus diei & gaudium.

I. *Quia dies orientis Solis.* der Ostertag.
II. *Quia dies resurrectionis.*
III. *Quia dies Phase, seu transitus lætitia pleni.*

Veniunt ad monumentum, orto jam Sole. *Marci 16.*

ANtiqua Germanorum cantilena hodie concinitur: Also heilig ist der Tag / daß Ihn niemand erloben mag / dann der wahre GOttes Sohn: Adeo sancta est hæc dies, ut à nemine atis delaudari queat, nisi ab ipso Dei filio. Quod si es ita habet, qua ratione ergo diem hunc laudabo, uem laudare nemo satis potest? Imitabor ergo hoinem illum, qui reperta ove, quam perdiderat conocavit amicos & vicinos dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Imitaor & mulierem illam, quæ reperta drachmâ, quam miserat, convocavit amicas & vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Luc. 15. Perdideramus nudiustertius agnum ei immaculatum, qui tollit peccata mundi, pro nois immolatum: perdideramus drachmam, cœlo præantiorem: hodie invenimus ovem & drachmam ostram. Quod igitur nemo solus potest, faciamus mnes simul, dicentes & jubilantes; *Hæc dies, quam cit Dominus exultemus & lætemur in ea.* Causas por- gaudii nunc inquiramus.

I. Deprehenditur ex Germanica appellatione stern / seu Oster-Fest: haud dubiè ab Ost / id est, O-ente, qui Solem nobis post longæ noctis tædium nnia illustrantem & lætificantem affert. Sic enim hodierna dies Christum nobis attulit, qui Solis star *pertransiit benefaciendo,* omnia vegetans & recans. Inde antiqui Christiani ad Orientem adorant & templa ædificabant, quia inde Sole occidenoccidunt ferè & languent cæteræ creaturæ, flores ulti se claudunt: cum Oriente oriuntur & aperiunt Sic Christo occidente omnes languebant creaturæ eque Sol naturalis luxit, omnes etiam homines per iversum tristitia aliqua tangebantur, ut revelatum Brigittæ: at nunc cum eo omnia revixerunt. Mœrent in via Emautica discipuli: at viso Domino tedivo, suprà quam dici potest, gavisi sunt.

Videbatur etiam Christus Judæis ante triduum occidisse velut deinceps nunquam apparitiurus. Verùm decepti sunt. Sol quidem occidit, sed hodie rursum ortus est. Undè bene sabbathum in Solis diem transiit. Atque hic est exitus vitæ Christi gloriosus. Varios progressus habuit ejus vita, nunc lætos, nunc tristes ad instar illius Idumeani fontis, *Iob* appellati, de quo Sanct. Isidorus lib. 13. originum cap. 13. scribit, quòd in anno quater per singulas angarias colorem variet. 1. turbidus & pulverulentus; deinde sanguinolentus seu purpureus; posteà viridis; denique purus & limpidus. Eundem fluxum tenuit vita Christi, 1. enim à nativitate usque ad passionem fuit turbida, id est, mixta lætis & tristibus, nec vulgo perspecta; alii enim *dicebant, quia bonus est: alii, non, sed seducit turbas:* nunc quærebatur, nunc fugabatur: nunc esuriebat, nunc alios pascebat: nunc quærebatur ut Rex fieret, nunc ut vinctus duceretur. In passione fuit sanguinolenta & purpurea. In resurrectione viridis & læta. In ascensione demum crystallina & gloriosa, quando gloriam & decorem induit. Itaque istam varietatem excepit lætissimum pascha, & tandem gloriosa ascensio. Quid nocuerunt Christo Judæi? Promoverunt eum ad gloriam, ipsi reprobati & ejecti sunt. Lapidem angularem à se reprobatum statuerunt in caput anguli. Hunc ludum omnes pii hic ludunt, & lusit ipse S. Job, (à quo & ipso Idumæo videtur fons ille nomen accepisse) qui in maximis suis doloribus spe resurrectionis se consolabatur dicens: *Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* cap. 19. Prima Jobi vita etiam mixta fuit bonis & malis. Secunda sanguinolenta in tentatione. Tertia viridis, cum reddita ei omnia duplicia. Denique in cœlo crystallina, quando hodie Dei gloriam aspexit, ereptus à Christo è limbi tenebris.

II. Ex latina appellatione, Dies enim *resurrectionis* appellatur; non solùm ob resurrectionem Christi, ut jam diximus; sed etiam ob nostrã eamq; geminatam. Prior est secundũ carnem, quam expectamus: Christi enim resurrectio, etiam nostra est, uti probat Apost. 1. Cor. 15. *Si Christus surrexit à mortuis, quomodo dicũt quidã, quoniã resurrectio mortuorũ non est? Et si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit,* Idcirco enim mori voluit ut resurgere posset, nobisq; resurrectionẽ & mereretur & persuaderet. Qui namque seipsum resuscitare potuit mortuus, non possit alios suscitare vivus? nec caput resurgit sine corpore. Et si Adam potuit cadendo nos prosternere: cur non possit Christus resurgendo suscitare? Jam vero quantum hoc! sine metu, periculis, molestia, defectu, semper beatum vivere, & mori non posse! Empedocles Philosophus Agrigentinus amore immortalitatis, quam prædicari audierat, in Ætnæ montis voraginem insiliit. Cleombrotus Ambraciota lecto Phædone Platonis, de immortalitate animæ, de muro se in mare præcipitavit. Cic. lib. 1. Tuscul. Sic isti, sola humana licet fide ducti, desideratam immortalitatem sed stultè quæsierunt. Tanta res est immortalitas. Nec mirum: quid

II. *Quia dies resurrectionis.*

Quid enim est, quod omnia mundi gaudia confundit? Nonne mortis exspectatio? Hinc enim Balsasar Rex Babylonis, cum priùs in convivio lætus & hilaris laudaret Deos suos, postquam in pariete aspexit triste mortis omen, funestam scripturam; totus conturbatus, cibum omnem respuere, tremere & palpitare, nec non præ metu exclamare cœpit. Dan. 5. Quòd si ea scriptura ipsi nunciasset, æternum fore regnum & convivium ejus, quanto gaudio eum perfudisset? Hoc annunciat nobis Christi resurrectio.

2. Posterior secundum animam. Quàm multi enim priùs jacuerunt in sepulchro vitiorum fœtidissimorum? Et forsan multi adhuc diutiùs jacerent, nisi de istô Christus resurgens eos suscitasset. Hinc quasi cum eo redivivi spiritualiter, non jam jejunamus, non jam genua ad orationem publicam flectimus (quia hæc lugentium sunt) ob lætitiam resurrectionis Christi & nostræ, per paschale tempus.

III. *Quia dies Phase, seu transitus lætitiæ pleni.*

III. Deprehenditur ex Hebraico ejus vocabulo, *Phase*, quod est *transitus*, sic dictum primò ob transitum Angeli per domos Hebræorum in Ægypto. Secundò ob transitum eorum per mare rubrum, ut vult Augustinus tr. 53. in Joan. Tertiò ob transitum eorundem ex Ægypto in Palæstinam, ut Philo. Josephus & Nazianzenus volunt.

1. Omnia hæc nobis nunciat hodierna dies. 1. Judæorum perfidorum internecionem, confusionem & timorem: nostram verò liberationem, gloriam & gaudium. Unde Angelus prosternit custodes, mulieres erigit: *Nolite timere vos.* Judæi nunc territi dant pecuniam custodibus, ut Christi redivivi gloriam celent: sed nihil proficiunt. Ab eo namque tempore sensim defecerunt, & post 38. annos in paschate à Tito obsessi, primis hostium castris in monte Oliveti positis, capti, ejecti & dispersi sunt. Sederunt priùs fratres Josephi, & comederunt, Josepho in cisternam detruso: sed posteà famem passi sunt, Josepho in Ægypto deliciis affluente. Gen. 37. & 42. Eandem catastrophen senserunt Judæi: prius illudentes Christo Crucifixo, postea ejecti famem patientes ut canes.

2. 2. Nostram redemptionem, quia per mare rubrum sanguinis Christi liberati sumus ab hostibus nostris, Dæmonibus, nobis à tergo imminentibus. Quanta confusio Goliatho fuit, quod à pastoritio juvene, belli inexperto, quem priùs adeò despexerat, uno lapidis jactu prosterneretur & proprio gladio ab eo decapitaretur? Multò major est confusio Dæmonis, qui cùm tantus gigas sit à pueris & ancillis, ab homine mortali tam facilè superatur, postquam semel à Christo victus est. Celebre est, quod refert Bzovius Anno 1281. hoc ipso die resurrectionis Gallos inique dominantes Siculis, ad pulsum campanarum pro horis vespertinis omnes ab incolis trucidatos fuisse. Unde *Vespera Sicula* in proverbium abierũt. Dominati fuerant Dæmones generi humani cum immani tyrannide; hodie resurgens Christus & cum terræ motu quasi campana resonans, omnes internecioni dedit, nosque ab eorum tyrannide eripuit.

3. Patrum de limbo transitum ad gloriam, qu[i] de Ægypto in Palæstinam lacte & melle manante[m]. Quod non solùm ipsis sed & nobis maximum att[u]lit gaudium: non enim jam exspectare beatitudine[m] post mortem opus est, nisi quis hinc efferat secu[m] expurgandum aliquid. Perrupta est cœli janua, nem[i]nem foris remorans, qui se mundo non affixit.

Hæ videntur esse causæ, ob quas dies hodi[er]na semper omnium sanctissima est habita, & *Festu[m] Festorum* dicta. Quam proinde veteres Christia[ni] maximo in honore semper habuerunt, ita ut eo [die] Impp. Christiani mandarent aperiri carceres & [...] vi vinctos, uti Valentinianus, Valens & Gratian[us] sanxerunt lib. 8. de Indulg. Crim. Theodosius Im[p.] ut testatur Sanct. Chrysostomus orat. de Flavian[o]. Denique Imperator Otho Magnus paschatis fe[sto] non aulicos tantùm, sed & Principes Imperii ep[ulo] magnifico excipere consueverat. Accidit verò ut cu[m] dapes regio luxu inferrentur, puer nobilis cujusda[m] fame urgente manum patinæ immitteret. Id æ[gre] ferens dapifer, alapam puero impegit. Pædagog[us] pueri irâ percitus dapiferum transfodit. nec mo[ra] ab ipso Cæsare, cessantibus reliquis ob diem festu[m] comprehensus, tantâ vi reluctatus est, ut nisi [sa]tellites intervenissent, Othonem ipsum interfec[is]set. Jamque in vincula pædagogus ducebatur, [læ]sæ Majestatis reus. Cæsar verò re secum altiùs p[er]pensâ: *Nil gravius in eum committatis*, inquit, *utr[um] majus delictum? Ego resurrectionis Dominicæ, ille ma[je]statis Imperatoriæ oblitus est. Præstat ergo non judica[ri] quam judicari.* Refert. Ioan. Paulus in jocoseriis. I[ta] tur ob hod. diei sanctitatem pepercit Imperator r[eo] læsæ majestatis suæ, vitæque insidiatori; imitem[ur] nos Germani Germanum Imperatorem, &, ut ple[ri]que volunt, Germanorum primum: dimittamus o[m]nes inimicos nostros, condonemus omnes injuri[as:] quando & ipsi Judæi vinctum unum è carcere in P[a]schate dimittebant; quia & nos hac die dimissi è vi[n]culis sumus tartariæ potestatis, & asserti in libert[atem] filiorum Dei; conresuscitati cum Christo ad v[i]tam nunquam interituram.

THEMA SECUNDUM.

Triplex resurrectio nunciata per herbam Alleluia.

I. *Resurrectio nostra spiritualis.*
II. *Resurrectio Christi solatii nostri unici.*
III. *Resurrectio secundum carnem universalis.*

Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Herba est Audit, quæ hoc verno tempore reper[i]tur in his terris & vocatur à Medicis *Acetosell[a]* (Sawertlee/) vulgò vero *Alleluia*; propterea quo[d] appareat circa tempus Paschale, quo lætissimum ub[i]que resonat Alleluia, denique ab Agricolis herba c[u]culi, quod enim cuculo prodeat. Quare sicut cucul[us] nu[...]

nuntiat vobis veris jucunditatem: ita herba *Alleluja* Paschatis lætitiam, non una in re contentam, uti nunc videbimus.

Audivimus heri cantari à Sacerdote in S. Missa tria Alleluja. Primum voce altâ, secundum altiore, tertium altissimâ. Designant autem meâ sententiâ triplicem resurrectionem. Primum nostram spiritualem in Dei gratiam, & hæc gaudio plena est. Secundum resurrectionem Christi corporalem, gaudio pleniorem. Tertium resurrectionem carnis omnium nostrum in die Judicij, gaudio plenissimam. Omnes has resurrectiones nunciat etiam nobis herba *Alleluja.*

I. Nunciat nobis resurrectionem nostram spiritualem, quâ secundum animam è sepulchro vitiorum eluctati sumus per pœnitentiam, & vestiti stolâ gratiæ candidâ, stamus in Dei gratiâ & amicitiâ. Habet enim herba, de quâ diximus, flores candidos, singulos in singulis stylis, purpureis distinctos venulis. Vidit aliquando in Spiritu sancto Joannes turbam magnam Sanctorum, stolis albis amictorum, & dictum est ei ab uno de senioribus: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.* Apocalypsis septimo. Idem ego mihi videre videor, dum aspicio vos Auditores, turbam, inquam, magnam Sanctorum qui venerunt de tribulatione pœnitentiæ & operum pœnalium in se susceptorum, & laverunt ac dealbaverunt stolas, hoc est conscientias suas in sanguine Agni Christi videlicet pro nobis immolati. Mira est hæc dealbatio, quæ fit in sanguine; quia nimirum pax conscientiæ nostræ & stola animæ candida, quæ est gratia Dei, Christo sanguine constitit; at nobis sanguinem non attulit, sed candorem, hoc est, justitiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto quæ sunt regnum Dei, ut ait Apostolus ad Romanos 14. Regnum, inquam, gratiæ, per quam regnat Deus in nobis, & per quam nos regnaturi sumus in cœlo, perfectè & completè. Atque hoc indicant venulæ floris, de quo diximus, purpureæ. Purpura enim Regum insigne est. Et quia per gratiam inchoativè jam Reges sumus, habentes pignus regni cœlestis in nobis, ideo stolæ animarum nostrarum purpureis venis ornatæ sunt. At hæc quanta est dignitas! quanti gaudii nuncium! Quando servi Saulis Regis nunciârunt Davidi ex ore Domini sui: *Ecce places Regi, & omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener Regis.* Quid respondit David? *Num parum videtur vobis generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis,* primo Regum decimo octavo. Denuncio etiam vobis Auditores quotquot hoc paschali tempore cum Deo reconciliati & in sanguine Agni dealbati estis: Ecce places Regi cœlesti, & omnes ejus servi, omnes Angeli & Sancti in cœlo diligunt vos. Et nunc designati estis, non dico generi, sed filij Regis Regum, Christi. Num parum hoc videtur vobis? Non adeo magnum erat esse generum Saulis, Regis novi, & brevi morituri. At parumne est, esse filium & hæredem Regis Regum immortalis? Parumne est hominem è terra formatum, fieri civem cœli? consociari Deo? frui bonis cœlestibus & æternis, eum qui hic tenuis, contemptus & pauper erat? diligi insuper & honorari ab Angelis & omnibus Sanctis? Parumne est habere jam intra se pignus gloriæ, pacem cordis & gaudium Spiritus Sancti? Cogitent qui ante ferias Paschales in statu peccati detenti fuêre, quanto in timore & turbine vixerint, cum viderent Pharaonem cum exercitu à tergo sibi imminentem; quam bene nunc ipsis sit, cum vident eum demersum in mari rubro sanguinis Christi, jacere peccatorum suorum cadavera ad littus projecta & enecta: se vero per mare illud incolumes transiisse. Cogitent quam grave saxum incubuerit sepulchro cordis eorum. Nunc id remotum est, & sepulchrum reseratum per confessionem, excusso fœtore. *Gaudete* igitur, *quia nomina vestra scripta sunt in cœlis;* Luc. 10 secundum præsentem saltem justitiam, quam spero vos consecutos esse.

II. Nunciat nobis resurrectionem Christi, unici thesauri & solatii nostri, secundum carnem. Nunciat hanc flos prædictus in suis tribus foliis, quæ cordis figuram exprimunt, & initio quidem incurva, languida & dejecta pendent, velut auriculæ catellorum dependulæ; postea se erigunt. Simili modo Christus tempore passionis in tribus foliis suis, corpore, animâ & divinitate videbatur contabuisse & prorsus elanguisse. Corpus erat plenum vulneribus ac doloribus, & destitutum viribus: anima plena tristitia: Divinitas humiliata, quia obscurata fuit ejus sapientia, dum in judicio nihil respondit: ejus potentia, dum se non defendit, nec ullum miraculum fecit: ejus sanctitas dum à Magistratu velut malefactor condemnatus & latronibus associatus est. At hodie surgens erexit folia ista maximâ suâ gloriâ. Eadem Christi resurrectio restituit cor Discipulis ejus & cæteris Christianis, qui sane tempore passionis & mortis Christi admodum dejecti, mœsti & desolati erant, ita ut plerique se absconderent metu Judæorum; aut intra parietes inclusi prodire non auderent; sicque amisêre & dejecêre animos, haben die Ohren gehenckt/ conciderat illis cor. At ubi Dominum suum redivivum viderunt, ibi erexerunt animos. Tunc prodire & ad sepulchrum currere, læta & fausta invicem nunciare. Audite duos illos abeuntes in Emaus, quam dejectis animis dicant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Lucæ decimo quarto. O *discipuli*, ait sanctus Augustinus sermone 140. de temp. *sperabatis; ergo jam non speratis. Ecce Christus vivit, spes mortua est in vobis.* Quantum igitur prius contristati fuerant de nece sui Domini, tantum postea exhilarati sunt è conspectu redivivi. Victis ad Thrasimenum Romanis, mater quædam Romana, cum post denunciatam sibi mortem filii sui, videret redeuntem è prælio filium, quem mortuum putarat, præ gaudio expiravit. Valer. libro nono capite 12. Quo gaudio perfusos putamus Christi discipulos aliosque ejus amicos, cum viventem aspexerunt, & quidem jam immortalem, longe augustiore formâ & ha-

II. *Resurrectio Christi solatii nostri unici.*

habitu,quam prius erat, gloriâ & honore circumdatum! Credo sane, si repente & inopinatò suis apparuisset,quod præ gaudio corruissent: idcirco sensim & per Angelos internuncios hoc eis gaudium insinuatum. Optârant forsan illi,ut provocatus de cruce descenderet & inimicos suos sterneret, gloriamque ac potentiam suam ostenderet; quo modo Samson diruptis vinculis stravit Philisthæos; at longè major gloria Christo & gaudium Christianis erat, resurgere eum à mortuis,& per hoc irrefragabile argumentum ostendere se Deum; siquidem purus homo seipsum suscitare mortuum nullo modo potest. Multo ergo majore gloriâ exivit de sepulchro,quàm descendisset de cruce; illâ enim ratione longè plures stravit hostes, omnes scilicet incredulos.

Magna fuit lætitia Hebræorum,quando post reditum è Babylone restaurârunt templum; *vociferabantur enim in lætitia & elevabant vocem*, ut habetur. 1. Esdr. tertio. Verum juniores solùm gaudebant, qui non viderant templum prius: qui majestatem prioris templi aspexerant,sine comparatione majorem, præ mœrore flebant. Non ita factum hic. Templum enim corporis Dominici, longè speciosius longeque augustius, priore hodie surrexit. Unde nemo piorum fuit, qui Christo resuscitato non gauderet. In ipso enim propriè verificatum est illud Aggæi secundo. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Quid profecistis ò Judæi, quando vetus templum corporis Christi vestro odio destruxistis? Ecce vobis novum, speciosius priore, cujus instaurationi occasionem dedistis. Samsonem in Gaza inclusistis, ut enim ille ecce portas mortis revulsas fert in humeris suis usque ad montem cœlestis beatitudinis.

III. Resurrectio sit undum chrinem universalis

III. Nunciat omnibus fidelibus lætissimam corporum suorum & gloriosam resurrectionem; & post illam, vitam beatam per omnem æternitatem: Nunciat hoc flos *Alleluja*, viridi colore trium foliorum; trifolium enim est viridis coloris. Quid verò color viridis nisi spem futuri alicujus boni, sicut virescentia prata & arbores vernum tempus annunciant? Hinc enim Dominus Lucæ vigesimo primo diem resurrectionis universalis veri & arboribus in vere germinantibus comparat. Quæ causa etiam est,cur Ecclesia in diebus Dominicis à Pentecoste usque ad Adventum utatur, in templis colore viridi; quia illæ appellantur Dominicæ peregrinationis ad cœlestem patriam, & sunt quasi octavæ & perennis commemoratio resurrectionis Christi. Quæ per Adventum aguntur, sunt expectationis Christi: quæ per Quadragesimam, sunt captivitatis & pœnitentiæ nostræ; quæ à Paschate ad Pentecosten, albo & festivo,ob Christi resurrectionem jam factam, utuntur habitu. Reliqua igitur,quæ significant peregrinationem ad futuram resurrectionem nostram, viridi colore spem certam nobis ingerunt ejus consequendæ.

Porrò tria floris folia, quid sunt nisi tres dies, quibus adhuc expectare resurrectionem illam necesse est? Quæramus ex Josepho somniorum expositore Quid sibi volunt illæ tres propagines vitis, quas pincerna in carcere vidit? *Tres propagines*, inquit, *tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque calicem juxta officium tuum.* Genesis 40. Similiter tria illa floris folia tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Rex gloriæ Christus ministerii nostri & servitii bene pieque ipsi impensi; tum denique afluet nos ad regiam suam cœlestem. Sed quinam illi tres dies? Dicat nobis sanctus Augustinus sermone nonagesimo de temp. & quidem ex Osea capite sexto dicente: *Vivificabis nos post duos dies, in die tertiâ suscitabis nos.* Quinam hi tres dies? *Prima dies*, inquit, *Passio Domini salvatoris est. Secunda, quâ descendit ad infernum. Tertia autem resurrectionis est dies.* Ad horum dierum normam, prima dies nostra est, dies passionis, quâ hic in mundo tribulationes varias sustinere nos oportet: altera dies mortis, quâ in sepulchro secundum corpus quiescendum est, usque ad evocantem ultimam tubam. Tertia summo mane è somno mortis nos excitatura, est dies resurrectionis universalis. Quid hoc triduum, Audit. respectu æternitatis secuturæ? Nonne tres tantum dies, imò tres horæ potiùs censendæ sunt?

Ibi restituemur in gradum pristinum paradisi, unde expulsi sumus imò longè nobilioris: illius nimirum, quem promisit Christus latroni in Cruce, paradisi cœlestis. Ibi offeremus Christo calicem passionum, & tribulationum, quas hic pro amore ejus sustinuimus: phialas item plenas odoramentorum, hoc est orationum & aliorum operum bonorum, quales obtulerunt Christo in cœlo 24. Seniores Apocalyp. 5. Ibi vicissim Christus offeret nobis calicem vini novi, quod se cum discipulis suis, aliisq; utiq; electis bibiturum in cœlo promisit: ibi ipse præcinget se & faciet nos discumbere, & transiens ab uno ad alterum, ministrabit nobis.

THEMA III.

Vernum tempus resurrectionis typus.

I. *Quia omnia tunc reviviscent.*
II. *Quia omnia innovabuntur.*
III. *Maxima erit resurgentium varietas.*
IV. *Varia sensuum oblectamenta accedent.*
V. *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur.*

Ibi eum videbitis. Marci ult.

Scimus ex Matthæo c. 24. diem resurrectionis omnium verno tempori à Christo comparatum esse, quando eam ficus germinanti & grossos producenti similem esse dixit; unde sentiunt aliqui Patres non absque magnâ ratione communem illam resurrectionem fore eodem planè die, quo Christus resur-

Qu... se &... prol... ter... resu...

rexit.

rexit. Reſurrexit autem die 27. Martii (ſiquidem die 25. ejuſdem menſis, uti incarnatus, ita poſt annos 34. paſſus eſt, ut ex communi ſententia oſtendit Cornelius à Lapide in c.27. Matth. v.35.) unde probabiliter habemus reſurrectionem omnium noſtrûm futuram in Martio & 27. ejus die, nec non ſummo mane, quo & ſurrexit Dominus. Fuit enim Chriſtus reſurgens exemplar ſimul & cauſa noſtræ reſurrectionis; cujus ipſum quoque vernum tempus ſpeciem aliquam exhibet, dū in eo omnia, prius quaſi ſepulta, reſurgunt. Ita ſentiunt Lactantius l. 7. c.19. S. Anſelmus in Elucidario. Macharius hom.5 & 12. nec non recentiores aliqui. Cyrillus Jeroſol. Catech. 4. qui propterea ait reſurrectionem Chriſti in horto factam; ut ſpem noſtram confirmaret, quâ noſtram reſurrectionem & ipſi expectamus, ſicut veris tempore expectamus abſque ulla dubitatione redivivos flores & herbas in hortis noſtris. Ergo exſpatiemur nunc in hortum, ut ibi ſpeciem aliquam reſurrectionis noſtræ intueamur.

I. Cernimus in Vere omnia, quæ prius ſub nivibus & gelu mortua quaſi & ſepulta erant, reviviſcere & reſurgere, germinare & refloreſcere: uti ſemina terræ mandata, prius ibidem corrupta & macerata, flores falce demeſſos aut Solis ardore arefactos, arbores decore ſuo nudatas. Idem videre erit in die reſurrectionis, ut prædixit Deus per Iſaiam.c.66. illis verbis: *Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt & cognoſcetur manus Domini.* h.e virtus & potentia Dei. Hyemem igitur nūc percurrimus, ubi unus poſt alterum cadit quaſi ſemen in terram, vel quaſi folium ex arbore; & tandem omnibus extinctis verificabitur illud, quod de decem Virginibus Chriſtus dixit: *Dormierunt & dormitaverunt omnes.* Sed repente mediâ nocte, hoc eſt ſummo manè clamor audietur: ſurgite mortui, *ecce ſponſus venit.* Pulchrè Minutius Fælix Cauſidicus Rom. in Colloquio Octavii Chriſtiani cum Cæcilio Gentili reſurrectionem ei poſſibilem perſuadens: *Vide*, inquit, *quam in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur & naſcitur: aſtra labuntur & redeunt: flores occidunt & reviviſcūt: poſt ſenium arbuſta frondeſcunt: ſemina non niſi corrupta revireſcunt. Ita corpus in ſæculo, ut arboris tempore hyberno occultant virorem ariditate mentitâ. Quid feſtinas ut cruda hyems reviviſcat & redeat? exſpectādum etiam corporis ver eſt.* Eodem ſeminis argumēto oſtendit S.Paulus 1.Cor.15. futuram reſurrectionem. *Sed dicet aliquis*, inquit, *Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient? inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granū, utpote tritici aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuique ſeminum proprium corpus.* Qui ergo mirâ ſuâ potentiâ granum tritici, floris aut arboris in terra ſeminatum & mortuum, producit in ſpicam tritici, florem, arborem: idem etiam humanam carnem & oſſa in cinerem reſoluta reproducet in humana corpora. Quo argumento ſcribit S. Gregorius. lib, 14. Moral. cap.29. ſe conviciſſe Eutychium Patriarcham Conſtantinopoli, ut eis moriens pellem ſuam manibus apprehendens diceret: *Confiteor quia in hac carne reſurgemus.* Ad hoc etiam animis noſtris fortiùs imprimendum Chriſtiani corpora defunctorum non more Romanorum, comburere, aut aliarum gentium, feris devoranda objicere? ſed in terra ſepelire voluerunt, ut velut ſemina terræ mandata ſuo tempore germinatura & reſurrectura eſſe ſciremus. Audiamus etiam hac de re S. Auguſtinum ſerm. 34. de verbis Apoſtoli. *Tota*, inquit, *hujus mundi adminiſtratio teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Videmus certe hyemis tempore vel adventu, arbores ſpoliari pomis, nudari foliis, ſed eas etiam verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere; quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, & veſtiri foliis, & poſtmodū pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de reſurrectione dubitas, ubi ſunt iſta, qui tempore quo Deus diſpoſuit, producantur? Dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? quæ nuſquam quidem videntur: ſed tamē Deus qui omnipotens eſt, & ea ex nihilo condidit, ſecretâ ſuâ virtute producit. Hinc jam ad campos & prata reſpicite, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpoliantur ac floribus & nuda remanent ipſa ſpatia terrarum: ſed iterum verno tempore reveſtiuntur, & novo ubiq; germine incipiente lætatur agricola. Certe herba, quæ ante vixit & moritur, rurſus reviviſcit ex ſemine: ſic etiam & noſtrū corpus reviviſcet ex pulvere.* Eò etiam reſpexiſſe videtur Oſeas c.1. quando dixit: *Magnus dies Iezrael.* Jezraël idem eſt quod *Semen DEI.* Quid autem corpora defunctorum niſi ſemen Dei, in terram projecta, & ab eo rurſum ad vitam excitanda? Unde ibi Cyrillus: *Magnus reverà dies Chriſti*; inquit, *quo omnes defunctos excitabit, & deſcendet quidem de cœlo, ſedebit autem in throno gloriæ ſuæ, & reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Præter hæc voluit Deus ſubinde per miraculum hoc ipſum demonſtrare. Sanctus Hardvvicus Archiepiſcopus Salisburg. in Feſto Sancti Andreæ pergens ad Eccleſiam dedicandam in Tale, dum per ſyluam (inde procul dubio Bluebach à miraculoſo flore poſteà vocatam.) tranſiit, aridum ramuſculum ex arbore decerpſit. Quem dum aliquamdiu in manu geſtaret, reviruit ac floruit; qui poſteà à fidelibus diu cuſtoditus fuit. Refert Henric. Caniſius tom.2. Antiqu. lect. Sanctus Martinus Eccleſiam conſecraturus Turonenſem, cùm vehementer reliquias à ſanguine Sancti Mauritii & Sociorum Martyrum expeteret nec habere poſſet, cultro exempto apud Augunenſes gramen apprehendit, & ceſpitem exſcidit, indeque non exiguam vim ſanguinis (utique martyrum illorum, quem ſtuderant) in vaſculum expreſſit, quo & templum conſecravit. Sur. in vita SS. Mauritii & Soc. Ad hæc lilia toto anno emortua atque arida, quæ collegerat Sanctus Severinus Presbyter, & in templo ſepulchri ſui repoſuerat, die quo mortuus fuit, ſingulis poſteà annis reviruerunt; ut ſcribit Grego-

jus Turon. de Gloria Confess. capite 50. Mespilus quoque ab eo per imprecationem arefacta, ejusdem precibus ad vitam & virorem rediit ut ibidem capite 50.

II. *Omnia innovabuntur.*

II. Videmus tempore Veris mundum innovari, ex tristi lætum atque hilarem, ex deformi pulchrum & ornatum, ex nudato vestitum, ex paupere divitem ac locupletem fieri. Idem continget electis in die resurrectionis, ut testatur Apostolus loco citato, *Seminatur in corruptione* (corpus) *surget in corruptione. seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus*
1. *animale, surget corpus spirituale.* Ergo primo pro corruptibili hoc corpore, tot miseriis, morbis, molestiis a frigore & æstu, a fame & siti, à sudore & dolore, à bestiis & hominibus vexato accipient electi corpus incorruptibile, quod nihil horum patietur, neque pati poterit. Cum templum Salomonis ædificaretur, *malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo.* tertio Regum sexto, quia nimirum lapides, ligna prius alibi tam exacte fuerunt elaborata, in lapidicinis & fabrorum officinis, ut in ipso loco templi sine omni strepitu compaginarentur. Pari modo electi hic in terrâ tunsionibus & pressuris expoliti lapides, ibi sine omni molestiâ suis coaptantur locis.

2. Secundo pro ignobili, opaco, fædo, accipient nobile & fulgidum, clarum & gloriosum, quale habet Sol, Luna & stella. Hujus claritatis speciem aliquam cernimus in vermiculis noctilucis, & in ferro cum ignitur. Cui accedent varii & vivacissimi colores, quibus exornabuntur supra omnium picturarum elegantiam, ut inter alios docet Divus Antoninus in summâ 3. part. tit. 30. capite septimo. Videmus è cineribus fieri vitra instar crystalli pellucidissima, depicta quoque vivacissimis coloribus ad miraculum. Videmus è limo terræ fieri vasa figulina, subtilissima, nitidissima, qualis Majolica, variè depicta. Quod ergo vitriarii & figuli è cinere & luto possunt, non poterit Deus millies & millies excellentius? Demonstravit hoc Jeremiæ Deus mittendo eum ad domum figuli, qui cum fecisset aliquod vasculum, quod inter manus ejus dissipatum erat; mox eo dissoluto fecit ex eadem luti massa, vas aliud pulchrius, quod ipsi placeret. Unde Dominus: *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere?* Jer. 19.

3. 3. Tertio pro infirmo, tardo, pigro accipient robustissimum, agillimum, celerrimum; ut teste Augustino libro vigesimo secundo de civitate capite ultimo mox ibi esse possint corpore, ubi volunt esse spiritu, sicut Angeli morâ brevissimâ & imperceptibili. Nulla ibi fatigatio, nullus languor, nulla virium remissio, nulla perveniendi remora erit. Quemadmodum ergo Angelus tulit Habacuc in ictu oculi ex Judæa in Babylonem, quingentis milliaribus distantem, & eadem celeritate retulit, Daniel. ultimo, ita poterit anima beati deferre corpus suum quacunque voluerit summâ celeritate. Hic jam plumbei sumus & domi portæ, nobismetipsis graves ob molestam corporis sarcinam: ibi *mutabunt electi fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ volabunt, current & non laborabunt.* Isa. 40.

Quartò pro crasso & animali, quod indiget cibo potu, somno, loco, accipient subtile, cœleste & quasi spiritale, quod omnia penetrare, nusquam poterit excludi aut impediri, nec egebit cibo, potu, somno, a determinato loci spatio: uti corpus Christi gloriosum in Eucharistiâ, & post resurrectionem, quod penetravit lapidem, januam, cœlos, quo modo radius Solis vitrum penetrat aut nubem. Quatuor has dotes expressit Apostolus primo Corinthiorum decimo quinto. Primam, cum ait: *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione.* Secundam: *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Tertiam: *seminatur in infirmitate surget in virtute.* Quartam: *seminatur corpus animale, surget spiritale.* Quæ idcirco dotes vocantur, quia uti dos sponsæ datur, ad vitam honestam conservandam, corporis ornatum &c. ita etiam dotes illæ corpori velut sponsæ animi adduntur supra essentialem beatitudinem, ut habeat & ipsum præter bona sponsi, qui est anima, peculiarem suam oblectationem, ornatum, honorem. Nunc corpora nostra velut arbores sunt in brumâ, sine foliis & fructibus, sine omni decore: & si aliqua videntur esse gratiosa, aut speciosa, quasi arbores nive conspersæ sunt, quæ liquescente nive suam ostendunt nigredinem, nuditatem & deformitatem. Ver illud resurrectionis aliam eis speciem induet. Jam si homines naturali quâdam propensione tam studiosi sunt in quærendo corporis nitore, candore, ornatu, & munditie, omnique nævo resecando ut scindi membra sua & uri patiantur; quid non agendum patiendumque ut illis dotibus ornemur? Quid non excogitant aliqui, ut molestias, dolores morbos & mortem arceant? ut celerrime iter peragant? quid si volare possent? montes & maria, terram, cœlos ipsos penetrare. Omnia hæc poterunt, si cum electis resurrexerint. Videntur hoc Christiani ubivis terrarum ex majorum antiquissimâ consuetudine profiteri, dum in die Paschæ cum novo corporis vestitu, si non ex toto, ex parte saltem, solent prodire; quasi memores resurrectionis suæ in qua sperant se cum splendido & glorioso corpore prodituros è sepulchro.

III. Videmus in vernantibus floribus multam varietatem, in colore, odore, magnitudine, virtute, pulchritudine, quibus alii alios excellunt, & quasi inter se certant de præeminentia (quæ varietas miram oculis jucunditatem præbet) interim tamen singuli flores aliquid in se continent, quasi singulare. Pari modo in electis maxima erit varietas pro diversitate meritorum; sicuti in floribus & arboribus summa est diversitas pro varietate seminum. Unde Apostolus loco citato subdit: *DEUS dat unicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* Et mox:

Alia

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtellâ differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Inter ſtellas quidem alia aliis major & lucidior apparet: non tamen adeo magna & multiplex varietas à nobis deprehenditur: ſed ſolùm magnitudinis gradus diſtinguuntur ab Aſtronomis; ac in carnibus, pecorum, volucrum ac piſcium, quæ in cibum veniunt, maxima reperitur; uti etiam in flores, herbas arborumque fructus: quæ diverſitas non modo nauſeam pellit & tædium, ſed rerum novitate appetitum ſemper acuit, accendit recreatque. In cœlo vero inter electos gloriæ accidentalis varietas quaſi immenſa erit, quæ per æternitatem omne tædium pellet, & ſemper recreabit, quando ſingulorum diverſæ coronæ, eorundem diverſa merita; quibus eas meruerunt, in mentem revocabunt. Ergo ſicut alii flores ſunt aurei coloris, uti Chryſanthemon (Goldblum) alii cærulei uti hyacinthus (Hyacinth oder Mertzenblum) alii purpurei, uti roſæ & tulipæ: alii candidi, ut lilia: alii variegati, alii aliorum colorum: alii ſolo colore, alii ſolo odore, alii utroque eminent: ita in beatis pulcherrimâ varietate alii fulgebunt quaſi aurei propter opera charitatis in Deum & proximos: alii quaſi hyacinthini cœleſti colore, propter vitam, quam duxêre contemplativam: alii purpurei, ob profuſum martyrio ſanguinem: alii velut lilia candidi, ob virginitatem: alii alio ſplendore ob alias virtutes emicabunt: alii pluribus virtutibus, uti Joannes Baptiſta & Evangeliſta, Agnes, Catharina, & ſimiles; qui ſimul fuêre Virgines & Martyres & Doctores, alii ſolo colore, qui ſibi tantùm vitam benè duxerunt: alii etiam odore, qui & aliis bonus odor vitæ, doctrinâ & exemplo fuerunt. Indicârunt hanc varietatem decem illæ cortinæ in tabernaculo expanſæ, ipſum undique operientes, quas fieri juſſit Deus *variatas opere plumario*, hoc eſt, variis coloribus texturæ arte inſertis, ex byſſo, hyacintho, purpura & cocco. Exod. vigeſimo ſexto. Decem cortinæ ſunt omnes electi, qui per obſervantiam decem præceptorum variis virtutum coloribus Eccleſiam militantem exornârunt, exornabuntque triumphantem; alii byſſo virginitatis, alii hyacintho contemplationis, alii purpurâ martyrii, & alii cocco charitatis. Hujus miræ & beatæ veritatis typum aliquem proponit nobis Deus in vernalibus floribus, ut ex fragili hujus exilii aliquali decore mentem elevemus ad decorem cœleſtis patriæ, & certemus inter nos virtutibus, quibus inter electos præ cæteris emineamus: quo modo Henricus Landgravius Thuringiæ propoſuit in haſtiludio anno mileſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo equeſtri nobilitati arborem aureis & argenteis foliis pleniſſimam, ut qui haſtam frangeret, argenteum: qui adverſarium equo dejiceret, aureum folium in præmium acciperet. Ex Chronol. Miſnenſi.

IV. Præter hæc accedunt Veri varia oblectamenta, quibus hominum ſenſus mirè recreantur: viſus terræ & arborum virore ac floribus: auditus vario & dulciſono avium cantu: guſtus novarum frugum & herbarum primitiis, nec non pullorum delicatis carnibus, olfactus florum & herbarum odoribus: tactus ſuavi recubitu in gramine & ſub umbræ refrigerio. Hinc jam ab exilio ad patriam aſcendamus: ubi oculi recreabuntur imprimis cœli ſplendore incomparabili, beatorum gloriâ & ſocietate, ſpectaculorum mirâ & infinitâ multitudine: aures ſuaviſſimâ harmoniâ, dulciſſimis colloquiis: guſtus ſuum habebit nectar & ambroſiam: olfactus ſuos odores, qui ſi è Sanctorum etiam cadaveribus & ſepulchris ſæpè incredibili ſuavitate emanarunt, multo magis è corporibus glorioſis emanabunt: quia florebunt ſicut lilium & ſicut odor balſami erunt: ſimiliter & tactus ſuas delicias habebit, adeoque *oculi, aures, nares, os, manus, guttur, jecur, pulmo, oſſa medullæ, &c. beatorum mirabili delectatione & dulcedinis ſenſu replebuntur*, ait S. Ambroſius lib. de ſimilitud. cap. 17. Denique omnes voluptates quæcunque in paradiſo fuerunt, umbra tantùm & pictura voluptatum cœleſtium erant, uti docet ſanctus Baſilius hom. de paradiſo, quia ſcriptum eſt: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſal. 35.

ſuum oblectamenta accedent.

V. Denique ſicut in vere plurimæ quidem plantæ revireſcunt & quaſi reviviſcunt, non tamen omnes: pleræque enim ſylveſtres arbores non innovantur. Reviviſcunt etiam herbæ malæ, ac longè majore numero, quàm bonæ. Veſtiuntur rurſum foliis ſuis arbores multæ ſteriles ac ſylveſtres, & quidem integræ ſylvæ, quarum reſpectu paucæ valdè ſunt fœcundæ & domeſticæ, quæ in hortis ſecluſæ ſunt. Idem continget in reſurrectione. *Omnes quidem reſurgemus*, ait Apoſtolus loco citato, *ſed non omnes immutabimur*; ad gloriam videlicet. Major longè pars reſurget ad ignominiam & gehennam: non in corpore glorioſo, ſed fœdo, miſero, paſſibili, licet incorruptibili. Undè de electo quidem dicitur Pſalm. 1. *Erit tanquam lignum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* De reprobis vero: *Non ſic impii, non ſic; ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Ideò non reſurgent impii in judicio*, videlicet *in concilio juſtorum*, uti mox ſequitur. Schema aliquod hujus diſcriminis, (ſi verum eſt, quod Hebræi antiqui tradunt) oſtenſum eſt in ſepulchro Prophetæ illius boni, qui in pœnam temporalem alicujus levis tranſgreſſionis à leone occiſus fuit. 3. Regum 13. & alterius mali, qui illum ſeduxerat, atque in ipſius ſepulchrum illatus fuit. Nam qua parte ſepulchri jacuit ille bonus flores eruperunt ſpecioſi & ſuavitate olentes; ex parte vero mali ſeductoris, creverunt fœdi & fœtentes, ſpinæ & urticæ, uti refert ex Rege Salomone Sanctius in eum locum, & in Job cap. 11. Quis autem neſcit plures eſſe herbas agreſtes inutiles, quæ à pecoribus depaſcuntur, quam hortenſes, quibus homines veſcuntur? Quare uti hodierna dies erigit nos in ſpem & lætitiam una ex parte, deprimit tamen ex altera in timorem & triſtitiam.

V. Omnes quidē reſurgent, ſed non omnes immutabuntur.

Si enim audiremus minorem duntaxat hominum partem resurrecturam ad gehennam, certè omnes merito totis artubus tremere deberemus: quanto magis cùm audimus forè longè plures, qui resurgent ad confusionem, quàm qui ad gloriam?

Ergo nos hodierna die ita gaudeamus, quemadmodum agricolæ gaudent hoc tempore, cùm aspiciunt segetes suas, jam ab hyemali frigore & glacie liberatas, jam viridantes & germinantes, & post breve tempus messem promittentes. Gaudent illi quidem, non ita tamen ut in messe; cogitant enim fieri posse, ut aëris injuriis fruges enecentur, ac proinde gaudio suo miscent timorem & jungunt orationem, quâ impetrent & messem. Ita agamus & nos: exultemus & lætemur hodiernâ die; sed & metuamus, nequa tentatione iterum prosternamur, atque ita pereat seges spei nostræ. Misceamus spem timori & jungamus orationem indeficientem, donec attingamus jucundissimam illam messem, colligendam in die resurrectionis, de qua dictum ab Isaia cap. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.*

THEMA IV.

Ovum rubrum typus futuræ gloriæ nostræ.

I. *Quia gignimur sicut ovum in hanc & aliam vitam.*
II. *Prodibimus in resurrectione è sepulchris, sicut aves ex ovis.*
III. *Animæ Beatorum in cœlo exspectant corpora sua.*
IV. *Beatorum corpora diversimode splendent.*
V. *Beatorum gaudia purissima.*
VI. *Beatorum gloria inamissibilis.*

Surrexit, Marc. 16.

Ælius Lampridius inter omina Imperii, quæ Alexandro Severo contigerunt, scribit etiam extitisse istud; quod ovum purpurei coloris eadem, qua ipse natus est die, in regia positum sit. Id cùm matri ejus oblatum esset, aruspices divinârunt Severum Imperatorem futurum. Quod & posteà factum, ob virtutem ejus, cui ovum Regii coloris regios ominabatur honores. Quid est, Auditores, quòd hoc sacro die rubrum seu purpureum ovum alter alteri damus, aut ab altero petimus, nec non etiam in Ecclesia benedici curamus? Quid paschati cum ovo, & cum ovo rubro? Ego sanè signum boni ominis esse autumno. Nati sumus hoc sacro paschate utique omnes, dum per S. confessionem & communionem paschalem Deo reconciliati ejusque filii facti. Et in hoc die Christus, qui se ipsum aliquando (Matth. 23.) gallinæ pullos convocanti comparavit, è sepulchro redivivus, purpureum nobis ovum attulit, comparatum ejus sanguine; felicissimi etiam ominis, quod videlicet post hanc vitam Reges in cœlo nos futurus & gloriosi corporis purpura vestiturus sit. Quid enim ovum istud, nisi spes futuræ illius & quidem beatæ resurrectionis: in qua de sepulchro velut ovo novi homines & cœli reges purpura duplici, animæ scilicet & corporis gloriâ vestiendi sumus? Nam ut sanctus Augustinus sermone 29. de verbis Domini docet, *spes nondum pervenit ad rem, & ovum est aliquid, sed nondum est pullus.* Et infra: *Ovum est & nondum pullus est & testudine tectum est: non videtur quia operitur, cum patientia exspectetur, &c.* Pictum itaque & rubrum ovum in paschate nil aliud menti nostræ ingerit, nisi spem resurrectionis. Quod ut melius vobis pateat, accuratius contemplabimur.

Ovum bis quasi gignitur. 1. ponitur, deinde exclusum vivificatur & fit pullus. Sic homo bis generatur. 1. per naturam in hunc mundum, ubi quasi vitellus in ovo hujus mundi angusto & tenebroso continetur; sed in regeneratione excluditur ex hoc in alterum mundum, ubi plenam & perfectam acquirit vitam.

I. Ex ovo vitâ carente prodit pullus vivus; antequam tamen hoc fiat, diu foveri ovum & corrumpi debet, deinde rumpi testa; tum prodit pullus vivus ex ovo non vivente. Sic omnino homo per naturam genitus fovendus ac disponendus est ad futuram vitam capessendam; postea testa corporis corrumpenda in sepulchro. Inde ad extremum egredietur homo redivivus, novus & glorificatus. Quis non miretur è fracto & tam fœtido ovo animal & quidem speciosum, verbi gratiá, ha... sidis aut pavonis nasci & prodire posse? Sic de fracto & putrefacto corpore DEUS efformabit hominem novum, de terreno cœlestem, ut ait sanctus Paulus primo Corinth. 15. hoc est, immortalem & gloriosum, de mortuo viventem. Præsens etenim vita, quia perpetuò corrumpitur instar ovi, mors est potiùs dicenda quàm vita. Unde Paulus quasi jam in mortali corpore spirans, cupit id confringi & inde liberari, dicens: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* hoc est, de corpore obnoxio morti, ærumnis, doloribus, fami, siti, frigori, nuditati, &c. ad Rom. 7.

Quare non est quod alicui impossibilis videri debeat resurrectio, quando simile quid cernitur in fœtu, ex ovo prodeunte. Dic enim mihi, quid in ovo est? nonne albumen & vitellus? Albumen nil est aliud quàm viscosus quidã humor seu pituita (Ein schleim) & tamen ex illo pullus fit, vitellus pulli nutrimentum est. Jam quomodo gallina solâ incubatione ex ovo seu albumine gignit pullum viventem? Ubi in ovo vita? ubi caro? ubi plumæ? ubi oculi? rostrum? cantus? Potest ergo gallina solâ incubatione hæc omnia dare ovo, & non poterit Deus idem præstare ossibus & cineribus nostris, animare scilicet illos & in pristinam corporis figuram restituere? Ita Spiritus sanctus in primâ rerum creatione ex aquis fecit aves creaturas, incubando eis quodammodo, sicut aves incubant ovis suis, ut indicat vox Hebr. *merachep*...

ubi nos legimus: *ferebatur super aquas.* Genes.1.

II. Ex ovo excluso prodit non piscis, non reptile aut quadrupes animal, quod aquis immergi aut terræ adhærere debeat, sed volatile, quod in aëre purissimo vivens maxima libertate quaquaversum se librare valet nullo labore, summâ facilitate; adeoque totum mundum perlustrare: adhæc lætissimè suavissimeque cantat, quasi ab omni imperio & jugo libera: visum etiam habet acutiorem & limpidiores oculos, carnem saniorem & nobiliorem quàm cætera animalia: libertatem quoque summam: unde non nisi astu capi, itaque omnibus aliis viventibus, etiam hominibus illudere potest, quòd nulli subjaceat, à nullo læsa, deprehendi & detrahi possit. Sic & Beati prodibunt in resurrectione è sepulchris, velut alites cœlestes: *erunt* enim *sicut Angeli DEI*, Christo teste; terrena omnia calcabunt & fastidient, purissimâ cœli aurâ vivent, omnibusque bonis affluent; quidquid in cœlo est, celerrimo quasi volatu perlustrabunt; ubicunque esse volunt, illic in momento erunt, & quidem nullo labore, deinde illudent morti, peccato, inferis, juxta id Apostol. loco citato dicentes: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Cœpit hoc impleri hodie in Christo, qui instar avis post resurrectionem in momento fuit, ubicunque se voluit; Judæis æquè ac Dæmonibus omnibus illudere potuit, juxta Psalm. tertium. *Ego dormivi & soporatus sum & exsurrexi: non timebo millia populi circumdantis me.* Impleri & in patribus è limbo eductis; qui tunc statim totum perlustrare orbem potuerunt: implebitur in electis omnibus die resurrectionis, juxta prædictionem Isaiæ capite quadragesimo. *Qui sperant in Domino* (en electi ex ovo gignendi) *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Mutabunt, id est, *innovabunt*, ut est in Hebr. fortitudinem suam, quia corpus, quod hic *seminatur in infirmitate; surget in virtute*, ait Apostolus loco citato. Qui debiles hic erant, surgent validi; qui morbis ac defectibus aliis corporis obnoxii, sani & integri; qui deformes, speciosi; terrestres, cœlestes, Aquilis verò similes erunt in majestatem & potestatem regiam quam in cœlo habebunt; (sicut aquila super aves omnes) tum volatum celerrimum & liberrimum, quo omnia penetrare & in momento sine labore pervagari poterunt; tum ob visus perspicacitatem, quâ Deum ipsum videbunt, sicut est, uti aquila Solem; tum denique ob cœlestem eorum habitationem, quâ supra cœlos, sicut aquila in altissimis montibus & petris, habitabunt. Ad illam vitam aspirabant sancti; præsertim morti proximi, ut Gerardus sancti Bernardi tam naturâ quàm religione frater, qui ut ipse scribit sermone 26. in Cant. morti jam moriturus, imò ad vitam potius evolaturus, insultare cœpit cantans: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Item: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Similiter S. Franciscus, qui morti vicinus in gravissimis doloribus aliud fomentum non habebat, quàm ut divinas laudes caneret & alios canentes audiret. De quo objurgatus ab Eliâ respondit: *non licere sibi aliud facere, cum sciret, se brevi cum Deo fore.* ut Bonavent. in ejus vitâ. B. Dionysius Carthusianus, qui anno integro ante mortem, quam sibi præsagiit, cantabat inter verba alia, illa Isaiæ supradicta: *Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c.*

Et sicut pulli tam in ovo formati rostello suo testam frangunt, cupientes egredi; ita sancti cupiunt liberari è corpore & in cœlum evolare cum Paulo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et, cupio dissolvi & esse cum Christo.*

III. Pulli ex ovis prodeunt vivi quidem, sed implumes & nudi, tenui cum lanugine albicante, aureo colori mixtâ: brevi tamen plumescunt; interim sub alis matris contenti & securi degunt. Ita & Beati post mortem, corporis tegumento carent usque ad communem resurrectionem; ubi demum plumas, id est, vestem immortalium & gloriosorum corporum accipient. Interim verò tenui quasi lanugine aureâ albicante vivunt, gloriâ scilicet animæ in conspectu Dei. Hoc est quod vidit Joannes Apoc.6. cum ait: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & clamabant voce magnâ: Usquequò Domine non judicas? &c. Et datæ illis sunt singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum.* Dicuntur esse sub altari, quia etsi Deum vident, ab hominibus tamen non videntur, cùm necdum corpora gloriosa pro mercede sua acceperint. Dicuntur accepisse singulas stolas, utpote quivis unam, gloriam scilicet animæ; quia alteram corporis accipient in resurrectione. Et nunc implebitur quod Prov. 31. scriptum de muliere forti: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, gloriâ animæ & corporis.

III. *Animæ Beatorum in cœlo exspectant corpora sua.*

Interim sicut pulli implumes sub alis Dei quiescũt: Sed quomodo absq; afflictione dices, si alterã stolam adhuc exspectant: Respondeo 1. quia dictum est illis à Deo; ut *requiescerent*, inquit S. Joannes. Dei autem voluntati nec volunt nec possunt contraire. Sic mulieres illæ sanctæ Christo addictissimæ in Sabbatho, quo sepultus fuit Christus, *siluerunt*, ait Lucas, h.e. nõ excurrerunt ad sepulchrũ, quia Sabbathi præcepto vetabantur. Unde Romæ in Cæmeterio S. Priscillæ hæc eorum vox in ipso limine inscripta legitur: *Hic exspectamus requiem.* 2. quia mora & exspectatio illa modica ipsis est, ut subdit Joan. ibid. & c.8. dicitur ea mora in cœlo silentiũ mediæ horæ: *Factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ, &c.* donec scil. 7. Angeli mitterentur cum 7. tubis ad denunciandũ diem judicii: Sed ait: quomodo tot anni, qui adhuc restant ad diem judicii modicũ tempus & quasi media hora dicuntur? Respondeo tanto gaudio affluere beatorum animas in cœlo, ut hanc moram quasi oblitæ brevissimam esse reputent. Confirmatur id ex somno vel ecstasi illius Monachi, qui 300. annis aviculæ cantu demulsus putavit se paucis horis illum audisse, ut alibi retulimus.

Trip. Dom. 21. post Pent. C. 7. 7.

V. Pulli

IV. *Beatorum corpora diversimodè splendent.*

IV. **Pulli ex ovis prodeuntes**, diversis præsertim non omnes pari nobilitate, formâ, magnitudine, pennarum pulchritudine, canendi arte prodeunt: sed alii aliis nobiliores, pulchriores, doctiores uti vel in ipsis gallinarum pullis patet, quorum alii pulchriores pennas præ aliis acquirunt. Pulli pavonum, phasidum, porphyriorum, psittacorum, corvorum Indicorum &c. nonne longissimè superant pennarum decore pullos passerum aut hirundinum? pulli philomelarum & acanthidum, cantûs suavitate nonne vincunt alios? Ita in resurrectione justorum alius alio pulchriorem corporis stolam seu gloriam accipiet, ut docet sanctus Paulus 1. Corinth. 15. *Non omnis caro eadem caro*, inquit, *sed alia quidem hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum; stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Nullis in animantibus ita lusisse videtur Divina sapientia uti in volucribus, tam in pennarum quàm in vocum varietate: at multò major varietas erit inter beatos, & inde decor cœlestis civitatis mirum in modum augebitur. Quare cùm proponantur nobis variæ vestes, gemmeæ, aureæ, argenteæ, sericæ, lineæ: pro Regibus, Principibus, Comitibus, Nobilibus, prout quis cucurrerit in hoc stadio; quisque intendat vires suas, ut quam nobilissimam lucretur. Student ferè omnes pulchris se ornare vestibus, in paschate præsertim: cur non potiùs in cœlo millies pulchriores comparant sibi vestes glorificati corporis & animæ? Interim tamen nulla inter Sanctos est invidia aut æmulatio, quemadmodum nec inter avium species, tametsi aliæ alias superent decore, cantu, magnitudine; quia unusquisque pro suâ capacitate præmiatur & satiatur.

V. *Beatorum gaudia purissima.*

V. Ovum puritate omnes alios cibos superat. Cùm enim undique testâ communitum sit; nec veneno infici, nec coquentium aut palpantium manibus inquinari potest: fumo non vitiatur, fuligine non amarescit, cinere non conspergitur, ab olla vel lance vitium non trahit. Sic & beatorum in cœlo gaudia purissima & integerrima sunt. In terrâ nullum bonum est, quod malis non permixtum sit, indeque amaritudinem contrahat. Est vir quispiam genere illustris, sed pauper: alius dives sed abjectus: alter in pretio habitus sed ægrotus. Rachel erat pulchra, sed sterilis: Lia fœcunda, sed lippa. Naaman dives erat, sed leprosus; Elisæus, qui eum sanavit sanus, sed pauper. Asa Rex quid non habuit deliciarum? interim gravissimis podagræ doloribus vexabatur. 2. Paral. 16. At in cœlo *mors non erit ampliùs, neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, &c.* Apoc. 21.

VI. *Beatorum gloria inamissibilis.*

VI. Ovum pressum utroque extremo ambabus manibus frangi nequit *Firmitas enim putaminum*, inquit Plinius lib. 29. cap. 3. *tanta est, ut recta, nec vi nec pondere ullo frangantur, nec nisi paululum inflexâ rotunditate.* Similiter gloria resurrectionis, quam exspectamus, talis est, ut nullâ vi creatâ abrumpi aut adimi electis queat: quemadmodum & Christus ita resurrexit, ut mori jam non possit, nec unquam gloriam suam perdere. Hæc est omnium nobilissima Beatorum gemma; quâ cùm careat mundi hujus prosperitas, quantacunque ea sit, vilissima est; imò quo major, eò miserior, quando cogitas eam brevi finem habituram. I[taque] enim Salomon, qui omnia, quæ desideraverat animus ejus, sibi compararat, uti recenset Ecclesiastis 2. subjicit: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.* Econtra Christus redivivus canit: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum* (in cruce) *& circumdedisti me lætitiâ* (in resurrectione) *ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Psalm. 29. q. d. pupugerunt me aliquando, sed non pungent ampliùs, ut explicat S. Augustinus. Hujus gloriæ typum exhibuit discipulis in transfiguratione, sed quia illa brevi duravit, vetuit eam aliis discipulis indicari à tribus, qui interfuerant, nisi post resurrectionem. Priùs enim scandalizari poterant in ejus passione, cùm viderent omnem ejus gloriam extinctam. At post resurrectionem non item, cùm viderunt eum gloriam assumpsisse stabilem, nec ampliùs pati aut mori posse, ut explicat sanctus Hieronymus apud Cornel. à Lapide Matth. 17.

At verò quis ita statuere ova erecta potest ut pondus quodvis infracta sustinere queant? quis ita erigere corpora nostra ut confringi nequeant? Solus utique Christus, qui sicut suum erexit, ita eriget & nostra. Interim nos, plerique saltem, non ita in Deum erecti stamus in hac vita, sed ovis jacentibus, quæ facillimè franguntur, similes sumus. Quare adhuc in timore incolatus nostri tempore conversari nos oportet. Scribit Spartianus ex tempore, quo natus est Antoninus Geta, gallinam in aula ovum peperisse purpureum; quod cùm allatum frater ejus Bassianus adhuc parvulus acciperet, & quasi ludens allisum ad terram frangeret, Julia mater exclamavit: *Maledicte parricida fratrem tuum occidisti.* Ac sanè occidit postea & quidem in matris gremio. Purpureum ovum peperit nobis Christus, cùm hodie surrexit, spem scilicet resurrectionis nostræ. Verùm jacet id adhuc, nondum erectum est, frangi ergo custodia & excidere atque allidi & perdi potest. Væ nobis si fregerimus; animas nostras occidimus. Omni ergo custodia custodiamus ovum hoc cum Job, qui dixit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo:* scilicet videndi Deum Salvatorem meum in cœlo.

* *
*

THEMA QUINTUM.

Chriſtus reſurgens ſimilis Pantheræ.

I. *In paſſione prædas egit, & poſt obdormiit.*
II. *II. Evigilans ſurrexit cum terræ motu.*
III. *Mirificum odorem attulit ſecum, ſpem reſurrectionis.*
IV. *Dæmon illo odore enectus eſt.*
V. *Chriſtus ſuam gloriam reſuſcitatus ex parte monſtravit ſuis.*

Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.
Marci 16.

VIdeo vos Audit. ſuſpenſos deſiderio videndi Salvatorem noſtrum à morte redivivum. Sed ubi eum videbimus: Recordamini quid ipſe ante tres hebdomades dixerit Joan. 8. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit & gaviſus eſt.* Diem paſſionis, inquit Sanct. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap 23. quando in monte Moria ſeu viſionis, vidit arietem cornibus hærentem inter vepres, quem immolavit Deo pro filio ſuo Iſaac. Aries enim ille Chriſtum denotavit, qui ſicut ovis ductus eſt ad occiſionem & pro nobis immolatus, ut nos viveremus. Vepres coronam ſpineam, frutex crucem, cornua arietis titulum crucis, pendulus aries Chriſtum crucifixum indicat. Vidit ergò Abraham à longè & figurâ arietis illius Chriſtum crucifixum Unde mons ille dictus eſt, *Dominus videbit* vel (ut eſt nunc in Hebr.) *Dominus videbitur*; vel, ut legit cit. Ambroſius, *Dominus apparuit*. Simili in figurâ monſtrabo vobis hodie Chriſtum ab inferis reſurgentem, non quidem in ariete, ſed in panthera, pulcherrimo animali, quod ideò forſan ſic appellatum eſt, quòd decore & odore omnia quadrupedia ſuperet; quemadmodum & Chriſtus appellatur *ſpecioſus forma præ filiis hominum.*

B. Petrus Damiani Card. in Epiſt. ad Deſiderium Abb. & Card. Pantheram è triduano ſomno reſurgentem ſic deſcribit.

I. *Hæc Panthera*, inquit, *cùm diverſis ſe venationibus refecerit, mox in ſuo ſpelæo ſe recipiens dormit.* Pari modo Chriſtus Dominus, poſtquam in paſſione ſuâ variis venationibus & prædis ſe refecit, poſteà obdormivit moriens & in ſepulchrum ſe recepit. Paſſio Chriſti non abſimilis venationi fuit, in quâ canes erãt partim Sacerdotum Principes, Seniores populi cæterique Judæi, Chriſto infenſi, partim milites Pilati, juxta id pſal. 21. *Circumdederunt me canes multi.* Venator erat Diabolus, qui canes illos invidiâ & furore plenos concitavit contra Chriſtum, prædam ex illo ſperans. Sed ipſe in laqueum ſuum incidit, & quia innocentem, Dei filium, in quo juris nil habuit, perſecutus eſt, ipſe præda, & omni ſua juriſdictione, quam habuit in humanum genus, turpiter ſpoliatus eſt. Itaque licet ipſe cum ſuis canibus Chriſtum in eâ venatione dirè exagitarit, & multis morſibus vulnerarit, interim tamen ipſe cum Judæis magis exagitatus & cruento ore ſpumans, abiit famelicus; Chriſtus verò è prædis ſuis, quas in paſſione cepit, lautè epulatus. Cepit in hac venatione Proculam uxorem Pilati, cepit latronem, cepit Centurionem & qui cum ipſo erant, cepit plebem cruci adſtantem, ut reverterentur percutientes pectora ſua, cepit paulò poſt orbem univerſum. Hic ejus cibus, hæc præda fuit. Quid quòd ipſa etiam opprobria, ſputa, verbera, ſpinas, clavos, lanceam pro cibis ſuis habuit? Ita enim de ipſo Jeremias Thr. 3. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis*; ſiquidem hæc omnia tam lubenti & hilari animo propter nos ſuſcepit, ut nos lucrifaceret & regno ſuo inferret, quaſi ea non injuriæ, ſed epulæ fuiſſent. Saturata ergò his prædis Panthera noſtra, ubi dicit: *Conſummatum eſt*, poſteà ad ſumnum ſe recepit.

II. *Poſt triduum verò* (pergit B Damianus) *refecta ſopore conſurgens, magnum emittit cum clamore rugitum.* Non abſimili modo Chriſtus poſt triduum mortis ſuæ (quæ ſomnus potiùs brevis fuit, juxta id pſal. 3. *Ego dormivi & ſoporatus ſum & exſurrexi*) redivivus ſtupendum dedit rugitum, è viſceribus terræ eructando fragorem, & quatiendo terram, *Et ecce terræ motus factus eſt magnus*, inquit Matthæus cap. 28. *Magnus*, inquit Sanctus Hieronymus, *ut cuncta concuteret & everſionem terræ funditus minaretur.* Sed quamobrem. II. *Evigilans ſurrexit cũ terræ motu.*

1. Ut orbi toti nunciaret Chriſti victoriam & de morte ac Dæmone, partum triumphum; quaſi repetens id, quod triduo antè dixerat: *Confide, vici mundum* Joan. 16. Cùm navis opulenta ex altero orbe redit in patriam civitatem, ſolet ei denunciare adventum ſuum, bombardæ exploſione. Chriſtus ex mortuis reſurgens, quaſi navis opulenta, peregrinis & ditiſſimis onuſta mercibus, dotibus ſcilicet glorificati corporis ſui aliorumque, qui cum eo reſurrexerunt, indicare toti Orbi per hunc terræ motum, reditum ſuum voluit; quia merces illas toti mundo attulit, quotquot eas emere viliſſimo pretio volunt. 1.

2. Ut hoc terræ fragore indurata Judæorum corda concuteret, & vel ad pœnitentiam, vel ſaltem ad erubeſcentiam & pudorem proſterneret. Ex oculato teſte, ſcribit P. Georgius Strengelius noſter in Labyrinthi parte 2. cap. 13 noſtra ætate Monachii leonem tali uſum venatione: Cùm videret paſſeres agminatim in caveam ſuam devolantes, humi jacuiſſe immotum inſtar mortui aut dormientis. Paſſeres, aſtuti alioquin, nihil leonem advertere opinantes, propiùs acceſſere, neſcio quid circa eum pipilantes. Tum repente leo irrugiit tam horrendum, ut paſſeres conterriti veluti exanimes conciderent. Leo autem jacentes ac trepidantes pede percutiens, facili ictu occidit. Paſſeres erant Judæi, aſtuti ſuo judicio, ut Chriſti nomen extinguerent, unde mortem crucis turpiſſimam à Præſide Gentili, unà cùm latronibus ei inferendam impetrarunt & procurarunt. Sed infirmi paſſeres erant. Compoſuit ſe ad mortem, quaſi ad 2.

brevem somnum Christus, obdormiit in cruce, ubi sanè nimis propè accessêre ad eum Judæi, ipsi illudentes, insuper & custodiam sepulchro ejus ponentes. Verùm ecce tibi tertio die irrugiit hic leo tam horrendo terræ motu, ut custodes sepulchri inprimis omnes conterriti corruerent velut mortui; posteà Judæi intellectâ à custodibus Christi resurrectione toti contabescerent, & consilii inopes stultissima figmenta ad eam supprimendam excogitarent. Sed nimirum vicit leo de tribu Juda & Judæos cum figmentis suis facilè obtrivit; denique per Romanos, quia resipiscere noluerunt, omnes exterminavit. Imitati sunt Judæi illi fratres Josephi, qui ut eluderent somnia & vaticinia ejus, vendiderunt eum in Ægyptum. Eo vendito putabant jam se ab ejus imperio liberos esse, quin & mortuum credebant. Unde dicunt de illo: *Alius non est super*. Genes. 42. Et: *uterinus frater* (Benjamini) *mortuus est*. Gen. 44. Verùm ubi audierunt illum ipsum fratrem suum, quem vendiderant, stare ante se, velut unicum servatorem suum, in majestate pauperis Principis, *non poterant respondere ei nimio terrore perterriti*. Genes. 45. Idem accidit Judæis, postquam in paschate audierunt, & in Pentecoste rursum confirmatam viderunt Christi resurrectionem. *Fiebat* enim *omni animæ timor, & metus erat magnus in universis*, ait Lucas Act. 2. Unde & dicebant ad Apostolos: *Quid faciemus viri fratres?* ibid.

III. Mirificum odorem attulit secum spes resurrectionis.

III. Cum eo simul rugitu (addit Damianus) *miræ suavitatis atque fragrantiæ odor egreditur, ut omnes pigmentorum vel aromatum species vincere videatur, Omnes autem bestiæ saltuum, ad quas odor ille pertingit ad eam protinus confluunt, ac tantæ suavitatis spiramine delectantur.* Attulit etiam Christus è sepulchro redivivus miræ & inauditæ suavitatis odorem, quo totum mundum ad se suique amorem attraxit, fidem scilicet ac spem resurrectionis infallibilem. Quemadmodum enim odor veris ex variis hortorum arborumque floribus spirans non homines tantùm, sed & apes atque aves aliaque animalia, ex prægresso hyemis rigore ac languore tabida restaurat, recreat & quasi rediviva facit: ita & spes futuræ resurrectionis, quæ proinde veri & plantis nova germina gignentibus comparatur à Domino, omne mortalium genus consolatur instaurat & lætificat: quæ & unicus ille atque incomparabilis odor fuit, quoad Christi fidem obviis ulnis amplectandam allecti, imò pertracti sunt Reges hujus mundi, regna & provinciæ. Exemplum in Job habemus, qui in gravissimis suis doloribus ab omnibus desertus, bonis omnibus spoliatus, hoc uno resurrectionis odore ac spe corroboratus, perstitit immotus, ut ne in minimo quidem delinqueret. Cùm enim carnem suam ulceribus plenam aspiceret, ita se consolans loquitur: *Scio quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea.* Quæ verba optat etiam in solatium omnium miserorum sculpi *stylo ferreo in plumbi lamina*. Job. 19. Unde & ab eâ illustratione deinceps non ampliùs luget ac queritur de dolorum suorum immanitate, quasi solâ resurrectionis memoria mirum in modum confortatus & exhilaratus. Nec immeritò sanè, quis enim agricola tristatur, quòd sementem in agrum jacere cogatur, tametsi non omninò certus est de messe? qui si certus esset de multiplâ refusione? Et tamen ille scit, quòd ea sementis priùs macerari in terrâ, sepeliri & mori debeat, quam fructum producat. Nimirum spes resurrectionis seminis omnem ejus laborem & seminis jacturam suavem ac levem facit. Quis mendicus doleret si spoliaretur suis centonibus eâ certe spe & promissione, quòd ipsi post paucos dies nova & pretiosa vestis pro vetere illa danda esset? an non potiùs gauderet? Cantor quidam senex, ut refert Plutarchus in Pompeio, comite filia Stratonica, coram Mithridate, Asiæ & Ponti Rege, in convivio psallebat. Rex Stratonicæ captus amore eam in pellicem suam abduxit, ægrè id ferente sene, qui è filiæ cantu quæstum suum faciebat. Verùm manè expergefactus domi conspexit vasis aureis & argenteis refertas coram se mensas, frequentem famulitii turbam, eunuchos & pueros, qui sibi exquisita pallia offerrent, atque in vestibulo stantem equum exornatum, sicut Regis amicis fieri solet. Derisui ergo primùm & ludibrio se haberi ratus efferre se ostio voluit. Verùm retinentibus eum ministris, exponentibusque divitis nuper defuncti opimam hæreditatem ei à Rege donari, atque annues has primitias & documenta esse reliquorum bonorum, ita vix tandem his fidem habens, purpuram induit, insiliensque in equum per urbem vectus est clamitans: *Mea hæc omnia sunt.* Sic compensato sibi quæstu, quem ex filia habuisset, gaudio plenus ac dives factus est. Similem quemdam ludum lusit cum Sancto Jobo Deus: abstulit ei possessiones suas, id duplum ei restituit. Sic ludit cum servis suis omnibus. Vitam miseram & momentaneam eis aufert, sed compensat beata & æterna. Quis non gaudeat ob talem commutationem? *Mea sunt omnia*, dicent, quæcunque in cœlo bona sunt.

IV. *Solus Draco cùm vocem ejus audierit*, subdit Damianus, *nimio terrore contrahitur, ac subterraneis illico specubus occultatur, ibique vim tanti odoris nullatenus ferens rigidus obstupescit & effœtus viribus & prorsus inanis tanquam mortuus deficit.* Quis hic Draco nisi Dæmon, qui propterea Christi resurgentis pedibus pingitur subjectus & ab eo conculcatus? Audiit hic vocem Christi ab inferis redeuntis, & confusum se, ac victum cernens in antrum suum tartareum recipere coactus, ubi frigidus torpet, nec cuiquam nocere ampliùs potest, nisi quis in sinum suum receptum, suggestionem ejus foveat per delectationem, & manum ei porrigat per consensum; ad instar illius simplicis rusticelli, qui stulta commiseratione obstupefactum frigore serpentem sustulit, fovit ac calefecit damno suo.

Quo

Quod fecit Tamerlanes ille Tartarorum Princeps Bajazeti Turcarum Imperat. cùm victum in caveam inclusit ferream, & sic conclusum undique secum traduxit; hoc Dæmoni fecit Christus: *expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* ad Colossens. secundo. Undique enim per universam Ecclesiam demonstratur subjugatus, & expellitur signo crucis, aqua benedicta, &c. ejicitur è corporibus & habitaculis per exorcismos, ex animabus per sacramenta, baptismi & pœnitentiæ præsertim. Rursum sicut Dracones à natura damnati sunt ad antra & deserta, ut nemini facilè, nisi qui propè ad eos accesserit, possint nocere; ita stygius ille Draco ad suum ergastulum constrictus est à Christo, ut nulli, nisi secum colludenti obesse queat.

Denique sicut obstinati Judæi à Christo contriti sunt, ut per orbem velut mancipia undique dispersi vagari & servire ad confusionem suam cogantur; interim tamen nec agrum nec cespitem terræ proprium habeant, in potestate nostrâ sit eos admittere vel expellere: fugare etiam facillimè vel affricato larido possimus: ex livido vultu agnoscamus: cogere ad servitia abjectissima pro libitu queamus &c. ita planè contrivit Christus Dæmones & subjecit nobis. Circumeunt per orbem velut canes invidi & famelici, nihil in mundo possident, precariò tantùm admittuntur: pelli ad nutum nostrum & excludi possunt, uno crucis signo, nomine Jesu, agno Dei &c. deprehenduntur facilè, & cogi ad obsequia nostra queunt. Denique Judæi permissi sunt vivere inter homines usque ad diem judicii in confirmationem fidei: Dæmones etiam non in tartarum omnes detrusi sunt, sed quam plurimi permissi suprà terram vagari & tentare homines, ad exercitium electorum, punitionem malorum; usque ad diem judicii.

V. *Panthera animal est colore quidem varium*, inquit Damianus loco cit. *sed specie pulchrum, & simplicitatis gratia mansuetum.* Habet enim in candido breves macularum oculos. Plin. lib. 8 cap. 17. In vitâ Patris Josephi Anchietæ scribit lib. 4. Sebast. Beretarius, eo aliquando cum piscatoribus egresso ad parandum piscatu victum, apparuisse in adverso littore duas pantheras; quas cùm socius ejus è propinquo spectare cuperet, præcepit abeuntibus Josephus, ut paulò post redirent, esse qui ipsas velint cominùs videre. Confecto opere duabus conscensis naviculis cum comitatu trajicit ad littusque accedit; illæ tam in littore placidè se spectandas præbent, ut eas per otium aspicere omnes ad satietatem potuerint. Non dissimili modo Christus resurgens cum quinque vulnerum cicatricibus, & glorioso corpore speciosissimus, se quidem suis amicis spectandum aliquamdiu exhibuit, at non multo tempore, per dies 40. duntaxat, ut desiderium illorum acueret, videndi sui in gloriâ suâ. Hinc Magdalenæ ad pedes sibi accidendi & & tangere se volenti ait: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad patrem meum.* Joan. 20. hoc est, noli jam immorari meo aspectui. sed vade ad fratres meos & nuncia eis resurrectionem meam; & tunc simul omnes sæpiùs ac diutiùs aspectu meo frui poteritis; diutissimè verò & per omnem æternitatem fruemini in cælo. Revertar enim & assumam vos ad meipsum & tunc videbitis me ad satietatem, juxta id psalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Iterum enim videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ergo Domine Jesu, fac quod pantheræ illæ fecerunt. Vidimus te jam, sed per speculum & quasi à longè; iterum ergo post labores vitæ nostræ ad nos redi, ut videamus te propè à facie ad faciem, & satiemur gloriâ tuâ.

FERIA II.

PASCHÆ.

THEMATA.

I. *Quinam eundo in Emaus devient à recto salutis tramite.*
II. *Cautela contra relapsum.*
III. *Resurrectio mortuorum ostenditur.*
IV. *Christus solus verè, seu omnium maximè peregrinus in mundo.*

THEMA I.

Quinam eundo in Emaus devient à recto salutis tramite.

I. *Qui ab Ecclesia deflectunt & fide.*
II. *Qui exiguam in Deum habent fiduciam.*
III. *Qui parùm amant Deum.*
IV. *Qui beatitudinem suam in terra quærunt.*
V. *Qui sine patientia cælum intrare volunt*
VI. *Qui à confessione & communione paschali se subducunt.*

Duo ex discipulis ibant in Castellum, nomine Emaus, Luc. 24.

Mirari aliquis posset, quamobrem Christus Dominus apparere priùs voluerit duobus his discipulis, qui erant ex 72. quàm suis Apostolis, saltem si Petrum demas. Mihi hæc videtur esse solida ratio, quia hi duo in majori diffidentiâ adeoque periculo lapsus erant, debiles in fide, spe, charitate. Sic enim & mater saniores relinquit filios, & succurrit infirmiori. Itaque hi duo cœperunt ire in Emaus, seu, ut nos Germani in hoc vocabulo ludimus, in Neben auß: adeoque deflectere à viâ salutis, quasi desperabundi de Christi resurrectione; ideò ad hos accurrit Christus, ut ad viam vitæ reducat. Utinam verò hi non multos haberent sectatores, qui cum in Jerusalem ire deberent, vel illic saltem manere; abeunt in Emaus. Tales ergo ut ad vitam reducamus, priùs inquiremus: & quidem in Evangelio, ne ab ipso longiùs abeam.

Multi eunt in Emaus.

I. *Qui ab Ecclesia deflectũt & fide.*

I. Qui ab Ecclesia vel uno fidei articulo deflectunt etiam dubitando. Videntur ita deviasse adeoque Neben auß ivisse isti duo discipuli: qui de resurrectione Christi desperabundè loquuntur; non crediderunt discipulis & mulieribus eam confirmantibus, nec prædictioni Christi, nec Prophetarum vaticiniis: quos ideò durè reprehendit Dominus: *O stulti & tardi corde ad credendum.* Quomodo enim sapiunt, quia alia omnia vident impleta, quæ prædixit Christus de passione suâ; resurrectionem verò toties ab eodem prænunciatam non credunt? Viderunt prodigia in Christi morte: populum compunctum, Centurionem & latronem credentes: & adhuc discipuli non credunt? Sic omnino qui post tot millium martyrum testimonia, post impleta tot Christi vaticinia, de eversione Jerosolymæ, Judæorum exterminio, Petri martyrio, Joannis morte naturali, mundi conversione, Evangelii per orbem disseminatione, sedis Petri stabilitate &c. post tot miracula & mundum conversum non credunt, merentur audire: *O stulti &c.* Unde Augustinus lib. 22. de civit. cap. 8. ait: *Quisquis adhuc prodigia ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Viderint ergo hic qui ab Ecclesia Catholica & petra Romana, super quam ea fundata est, deviare audent, atque ut carnis libertate fruantur, deflectunt in Emaus, in haram Lutheri vel Calvini; norint enim se certissimo tendere in Neben auß / & deviare à regno cœlorum. Ad ipsos enim spectat, quod dicitur Ecclesiastici 2. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo & ideò non proteguntur à Deo.* Quinam dissoluti nisi hæretici, qui ut ab omni jugo & lege liberi essent, Ecclesiam deseruerunt. Unde Rupertus Abbas in Exod. cap. 10. locustis eos comparat, quia ut Prov. 30. dicitur, *locustæ Regem non habent.* Volunt enim à legibus exempti vivere & nulli parere; quemadmodum locustæ, licet oculos habere videantur, cæcæ tamen sunt, corneis tantum oculis præditæ: ita hæretici oculos habentes non vident; qui duritie proprii judicii cæcatos habent. Ergo attendant sibi & seriò deliberent quà in religione mori velint. Deliberatio hæc de summa rerum & de æternitate est; accurata igitur trutina eget. Monuit hac de re Angelus Domini senem quendam ex crassa quadam simplicitate errantem, in Prato spirit. cap. 178. *Quadam enim die apparuit ei Angelus DEI, dicens: Dei senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? Ut Ægyptii monachi faciunt? an ut Hierosolymæ? Senex autem respondit ei: Nescio. Tunc ait angelus: Cogita & delibera. Post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergo senex ad alium narravit ei, quæ sibi dixerat Angelus. Quod cum audisset senex stupefactus ex auditu, diutiusque intendens in eum ac divinitus inspiratus dixit ei: Ubi sumis sancta mysteria? Respondẽs ille ait? Ubicunque invenio. Tunc ait illi senex. Non tibi ultra contingat, ut extra sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam communices, ubi nominantur sanctæ quatuor synodi. Nicæna trecentorum decem & octo patrum, Constantinopolitana centum & quinquaginta, Ephesina prima ducentorum, Calcedonensis sexcentorum & triginta. Cùm autem venerit Angelus, dic ei: Sicut Hierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit Angelus, & dixit seni: Quid est senex? Cogitasti? Dixit autem illi senex: Sicut Hierosolymitæ volo. Dicit ei Angelus, Bene, bene. Et continuò reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, & cum hæreticis condemnaretur.*

II. Qui exiguam in Deum spem & fiduciam habent, uti habebant etiam isti duo: *Nos autem sperabamus &c.* Quia enim Cleophas tertium in diem expectans Christi ab inferis reditum, necdum eum viderat, abiit in domum suam, quasi re desperata. Sed malè; quia tertia dies nondum finierat. Sic aliqui Deo terminum ponunt, manus hosti daturi, nisi mox succurrat, uti cives Bethulienses, qui nisi intra 5. dies Deus mitteret eis adjutorium, statuerunt se tradere Holoferni; ideoque jure merito reprehensi sunt à Judith? *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei?* Ad orationem ergo & confidentiam Judith adfuit tandem & succurrit eis Dominus. Judith. 8. Eadem diffidentia deliquit Rex Saul, qui jussus à Samuele expectare adventum ejus: dum scilicet propitiato Domino disceret, quid agendum esset contra hostes: septimo die videns populum diffluere metu, sacrificat ipse temerè, desperans de adventu Samuelis: sed vix absolvit sacrificium, adest Samuel & jure reprehendit Regem nimium diffidentem ac temerarium: *Stultè egisti: nequaquam ultra regnum tuum consurget.* 1. Reg. 13. Hos imitantur illi, qui nisi intra tempus, quod sibi præstituunt, audiantur suis precibus, vel successum optatum habeant, desperant de ope divinâ. Sed stultè. Nonne gladius Abrahæ jam in filium strictus, in tempore adhuc fuit inhibitus? Nimis pusillanimis fuit alius Abraham Marocci Rex, qui in pugna victus à seditioso quodam Elmoselo, & urbe exclusus spem omnem salutis, & regni recuperandi abjecit, itaque uxorem charissimam à tergo vehens, equum ex altissima rupe præcipitem egit. Joan. Leo lib. 2. cap. 45. Africæ. Sic desperat alius de honestâ sustentatione, & incipit furari; puella de honesto connubio & prostituit se; studiosus de profectu, & militiæ nomen dat. Sed qui estis vos, qui tentatis Deum? Videre est interdum agyrtas & joculatores, qui vitreum aliquod poculum projiciunt in altum, ut in mille partes confringendum putes: at cùm jam terræ cadendo appropinquat, dexterrimâ suâ manu excipiunt & illæsum servant. Ita lusit Deus cum Susannâ & Petro, jam jam educendis ad mortem, & interim eos servavit. Unde Psal. 36. *Iustus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

III. Qui exiguo in Deum amore calent; quemadmodum & hi duo, qui Dominum & Magistrum suum appellant non jam Dominum suum, sed Jesum Naza-

[N]azarenum & virum Prophetam. nimis humili ti-[tu]lo, quasi non audeant se fateri eius discipulos; [so]liciti fortasse, ne ignotus comes prodat eos He-[br]æis: ferè sicut Hebræi de Moyse diutiùs in monte [Si]nai absente: *Moysi enim huic viro, qui eduxit nos [de] Ægypto, ignoramus quid acciderit.* Exo. 32. Tales [su]nt, qui religionem suam profiteri non audent [in]ter acatholicos: nec ostendere pietatem inter [C]atholicos, transeunt Crucifixum, quasi eum non [n]ôssent: pudet eos publica humilitatis Christianæ ex-[e]mpla dare. Confunduntur isti à Josepho ab Ari-[m]atheâ, nobili Decurione, qui audacter intravit ad [P]ilatum & petiit corpus Jesu, idque refixit de cruce, [q]uam alij tangere horruerunt? uti & Nicodemo Prin-[ci]pe Iudæorum, (Ioan. 3.) qui abjecto timore 100. [li]bras unguenti attulit ad unguendum & sepeliendum [D]ominum. Confundunrur à Centurione & militibus [e]ius, qui non dubitârunt exclamare: *Verè filius DEI [er]at iste.* Confunduntur à mulieribus, quæ non timu-[e]runt cum aromatibus egredi ad sepulchrum, quod [sc]iebant custoditum à militibus, clausum grandi la-[p]ide. Confunduntur denique ab ipsis Gentilibus, [q]ui non erubuerunt ligneos & lapedeos Deos colere: [c]ùm sciamus nos Deum nostrum in ligno quidem [p]ependisse, sed in eo mortem vicisse & ab inferis re-[s]urrexisse, jamque cœleste regnum obtinere.

I. Qui beatitudinem suam in terrâ quærunt uti [i]sti duo, qui sperabant Hebræos à iugo Romanorum [p]er Christum redimendos, & sic iterum fœlicissi-[m]um ac potentissimum regnum in terrâ quale ha-[b]uerunt sub Salomone, in summâ pace rerumque [a]bundantia habituros. Sed reverà multum à veræ bea-[t]itudinis viâ aberrabant. In Emaus seu (Nebenauß) [i]verunt, non in Ierusalem, non in visionem pacis. [I]am redemerat Christus Israël unaque mundum to-[t]um, sed à iugo & servitute peccati, Diaboli, infer-[n]i: iam restituerat in libertatem filiorum DEI & [h]æredum cæli. Sed illi in aliam viam deflectunt: [i]n mundum hunc calamitosum, ubi nulla vera pax & libertas est. Mundus hic est terra Chabul: h. e. vilis & *lutosa*. nec digna retributio pro tantis Christi meritis & pretioso eius sanguine. Salomon Regi Hi-ram pro innumeris cedris & maximis ad elaboran-dum eas operis attributis paucas & viles civitates dedit, vilem & *lutosam* terram. Eam ubi egressus Hiram aspexit, contempsit dicens: *Haccine sunt civi-tates, quas dedisti mihi frater?* 3. Reg. 9. Num pro tantis cruciatibus & tot sanguinis effusionibus ipsâ-que infami ac dirâ morte nihil aliud existimabimus datum esse Christo à patre suo, nisi regnum huius mundi fluxum & inane? Absit ab humano corde Iu-daica hæc vesania. *Ridendus profectò Xerxes ille est*, in-quit Ælianus l. 2. var. hist. cap. 14. *quod cum mari terrisque Iovis operibus posthabitis, nova itinera & in-solitam navigationem sibi parasset, servivit platano & arborem coluit*, Ad eã enim umbræ causâ sua castra po-suit, & pretiosũ ornatum ex ea suspendit. Qui beati-tudinem in hac terra quærunt, quid aliud agunt, ni-si quòd cum Xerxe fugitivam umbram quærunt, eiusque gratia terram amant? Num putamus prota-li umbra nobis comparanda tanta egisse & passum esse Christum? Xerxe stultiores sunt, qui hoc sibi per-suadent.

V. Qui sine patientia cælum intrare volunt.

V. Qui à via regia salutis deflectunt, & cælum quidem intrare volunt, sed non ire ad passionem. Deviârunt etiam in hoc duo illi discipuli, quos ideò arguit Christus: *O stulti! nonne hæc oportuit pati Chris-tum & ita intrare in gloriam suam?* Si per hanc viam intrare Christus debuit in gloriam suam; quantò magis vos in alienam? Crux pons quasi pensilis est, omnibus transeundus, qui in cælestem civita-tem tendunt. Aspice omnes, qui in cælo sunt, & vide-bis omnes per hunc transiisse. Olim etiam DEUS filios Israël non duxit per hortos, rivos, sylvas, a-mœnaque prata, non per cultam & fertilem terram, rebus omnibus abundantem; sed per horridum, arenosum, incultum, asperum desertum, & hostibus infestum, per ambages, per mare rubrum, cum a-liâ via longè brevior, planior, fertilior, quietior pa-teret, in terram lacte & melle manantem; quia vo-luit ut per labores & certamina, per cupiditatum re-frænationem, fugam voluptatum, contemptum honorum & opum fluxarum nos intrare ad veras & æternas opes ac voluptates: In eiusdem rei signum Christus heri (sicut in crastino Evangelio audiemus) comedit prius piscem, sibi à discipulis oblatum; posteà favum. Piscis, cibus jejunantium est, & quia mari innatat, pœnitentiam significat, favus autem mel cælestis gloriæ notat. Et cur eorum reliquias dis-cipulis dedit, nisi ut sciremus nobis eodem modo prius piscem comedendum, si appetamus favum? pri-us jejunandum per Quadragesimam, quàm comeda-mus agnum paschalem.

VI. Qui à confessione & communione Paschali se subducunt.

VI. Qui à pœnitentia & communione paschali (quam aliqui SS Patres, ut Hieronymus & Augusti-[nus] putant Christum dedisse illis duobus) hoc tempore declinant; vel eam differunt sine causa. Declinant e-nim à præcepto Ecclesiæ adeoque via regia salutis. Tempus hoc paschale, tempus est, quo à iugo & ser-vitute peccati liberati sumus, significatum per Iu-dæorum Pascha quo ex Ægypti, ut dixi, servitute eruti sunt, in cuius beneficii memoriam unus ex vinctis do-nabatur Iudæis in Paschate, quem voluissent. Nonne ergo desipis, si tu solus hoc tempore in servitute & vinculis Dæmonis remanere velis? Petierunt Iudæi vinctum unum malefactorem: & cur tu teipsum non dimitti vis? Iidem etiam religioni sibi duxerunt, si crucifixorum corpora manerent in cruce per sabba-thum: & tu vis pendere in cruce peccatorum tuo-rum in Paschate? Certè Ecclesia iubet tales refrac-tarios arceri ab ingressu Ecclesiæ & post mortem etiam sepeliri (in Nebenauß) extra sacrum cœme-terium scilicet, ca. *omnis utriusque sexus*, de pœ-nit. & remiss. Exemplum terribile narrat Nau-clerus Præpositus Tubingensis, volum. 2 Generati-

one

onc 21. de quodam defuncto, pro quo cum die anniversario constituto in Ecclesiâ S. Petri Romæ celebraret Pp. Gregorius M. & cantaretnr introitus. *Requiem æternam dona eis Domine, audivit vocem de cœlo, Non faciam. Sed vir DEO devotus putans illusionem esse, jussit reincipere Requiem. Tunc rursus audivit vocem: Non faciã, quia anima illius damnata est. Prosequitur Gregorius officium, orans causam damnationis revelari sibi. Cui revelatur, quod propter inimicitias, quas remittere noluit, corpus Chiisti semel in anno omiserit recipere, & de hoc confessus non fuisset.*

Quando igitur vidimus non paucos deviare à tramite salutis, videat unusquisque & interroget seipsum: Quò vadis? In Jerusalem, an in Emaus? & siquidem huc deflexit cum duobus illis discipulis, curret ut quam primum & eâdem horâ relegat, quâ erravit, viam, & regrediatur in Jerusalem, ubi Christum in medio Beatorum intueri possit sine omni fine.

THEMA SECUNDUM.
Cautelæ contra relapsum.

I. *Experientia prioris lapsus.*
II. *Difficultas resurgendi.*
III. *Graviores pœnæ.*

Surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem *Luc. ult.*

DE præclarissimo & sapientissimo viro Thoma Moro, Angliæ Cancellario, refert Stapletonus in ejus vitâ, cap. 13. perlatum fuisse ad ipsum aliquando, quod captivus quidam reus perrupto carcere fugisset. Quo audito aliud responsum non dedit carceris custodi, quàm ut exinde carcerem diligentius clauderet atque obseraret, ne elapsus reus ad illum reverteretur & denuo intraret. Risu dignum videtur hoc responsum; quis enim hoc expectet, ut reus revertatur ad carcerem, quem effugit? Voluit ergo dicere vir sapientissimus: Non erit is tam stultus, ut in carcerem denuò redeat. Et tamen hoc, quod ironicè est dictum, in quibusdam alijs reis verissimum comprobatur. Fugerunt his diebus è vinculis Diaboli penè infiniti homines, quando à peccatis fuerunt absoluti; designati per Barabbam homicidam è carcere dimissum propter festum Paschæ, hoc est, propter immolatum agnum Dei immaculatum. Sed enim quàm multi sunt, qui hoc paschali tempore, postquam eluctati sunt è vinculis Diaboli, ad eadem revertuntur, quasi non in carcere, sed amœno loco fuissent! Claudendus igitur est hic carcer & diligenter obserandus; quia (sine joco) grande periculum est, ne ad eum revertantur. Duo illi discipuli eodem die, quo exierant, regressi sunt in Jerusalem: ita multi eodem die, imo quandoque eâdem horâ revertuntur ad eadem flagitia, à quibus discesserunt. Mirandum quidem hoc & paradoxum, verum tamen quia plerique mortales animarum vincula non æstimant, nisi cum hinc ad Judicem evocantur in articulo mortis. Nos vero aliter instructi,

præveniamus diem illum, & carcerem Diaboli di
genter obseremus, ne quis ad illum redeat.
Non possumus, ut arbitror, melius custodire ca
cerem Diabolicum, arcendis ab eo hominibus in
elapsis, quàm custodierit paradisum Deus Adamo i
de ejecto, ne ad illum reversus miserior evaderet. M
nijt autem Deus paradisum, ponendo ei pro custo
Cherubim & flammeum gladium atque versatile
quod & nos faciemus, ne redeant conversi ad pristi
peccata.
I. Primus ergo custos sit Cherubim, Angelus v
delicet: qui *plenitudo*, vel *abundantiâ scientiæ* exp
nitur. Hic est, qui absterrere à relapsu debet, ple
notitia & experientia prioris lapsûs. Quod enim a
mal tam brutum, quod non cavet in eandem red
decipulam, semel deceptum? Pisces semel hamo læ
non admordent eum amplius: aves semel laqueo pr
hensæ, si evadant, non redeunt secundò: asinus
mel in glacie lapsus, non facilè ad eandem impell
patitur. Denique *plerique naufragio liberati* inq
Tertullianus lib. de pœnit. cap. 7. *exinde repudium*
navi & mari dicunt; & DEI beneficium, salut
suam scilicet memoria periculi honorant. Hinc ref
Brusonius l. 4. cap. 25. de Siculo quodam mercato
qui cùm mari intempesto ficus omnes, quas veheb
naufragio perdidisset, posteà sedens in littore & tra
quillum mare videns, dixit, *Novi quid velis ficos*
mirum. quasi dicat Non redeo ad mare. Ex hac scien
& experientia fit, ut gravior sit lapsus posterior, qu
prior. Prior enim est humanus, quasi ex ignorantia
inconsideratione aliquâ profectus, posterior verò
quasi diabolicus, planè deliberatus & ex certâ sci
tiâ, qualis fuit Angelorum reproborum, ideoque
divino decreto est irreparabilis, ac veniâ & commi
ratione indignus. Quâ ex caussâ SS. Patres excus
ebrietatem Noë saltem à mortali peccato, quod
mel tantùm (neque enim piscator ictus redijt) n
dum expertus vini vim, inebriatus sit. Similiter & p
mum Lothi incestum cum majori filiâ, in inebriet
sibi insuetâ commissum, at non item excusari pot
alter ejus lapsus, rursum in ebrietate cum minore
liâ patratus, ut docet Corn. à Lapide Gen. 19. vers.
quia ex priori, inquit, *expertus jam vini potentia*
suamque temulentiam, sapere debuisset Loth &
ver sibique temperare vino, ne in secundum inci
ret. Hinc, arbitror, admisit Christus ex primo e
concubitu (quo prognatus fuit Moab) velut mi
culpabili progenitores aliquot in Genealogiam sua
Ruth videlicet Moabitidem, ex quâ Obed, avus D
vidis, & tota eius familia prodijt: non admisit
unum ex Ammon, qui secundo incestu Lothi c
minore filia natus est; ut intelligeremus ex primo
psu facilem esse regressum ad Christi gratiam &
miliam; difficilem ex secundo & relapsu. Vnde D
bolus in animam, è quâ exierat, regressurus *a*
mit alios septem spiritus nequiores se & ingressi habi
ibi; & fiunt novissima hominis illius pejora priorib
Luc. c. 11. In primo lapsu aderat unus Dæmon: in
cum

ındo ſeptem & quidem nequiores: in primo velut oſpites, in ſecundo velut inquilini, non facilè expellendi; quaſi jure hoſpitij gaudentes. Hinc fit, ut quemadmodum Dæmones, qui ex malitiâ peccarunt, peccato ſuo velut cæci in perpetuum circumeunt teſte Sancto Petro: *Circuit quærens quem devoret* 1. Pet.5. imò ipſo Satanâ: *Circuivi terram & perambulavi eam*, Iob. 1.) ſic etiam recidivi per continuos gyros reſipiſcentiæ & relapſûs, velut cæci oberrant, & nihil unquam proficiunt, juxta id pſalm. 15. *Impij in circuitu ambulant*, De quibus Sanctus Bernardus in pſalm. *Qui habitat*: *Qui in circuitu ambulat*, inquit, *proficiſcitur quidem ſed proficit nihil. Væ homini, qui ſequitur hunc circuitum: qui nunquam à propria voluntate recedit.*

II. Gladius flammeus. Docet experientia, quòd flammeo ſeu in flammarum formam ſecto inflicta gladio vulnera difficiliùs ſanentur. Notat igitur hic gladius curæ difficultatem, quæ ſentitur in ijs, qui in remiſſa ſibi peccata facilè reincidunt. Quemadmodum enim illi, qui receptâ valetudine relabuntur in priorem febrem & infirmitatem, magno in periculo ſunt: & qui perpetuò medicinis utuntur debiles admodum nec diuturnæ vitæ ſunt: ſic & qui crebro reincidunt in priora vitia. Atque ut illi deſperantur et tandem negliguntur à Medicis, quod contra eorum præſcripta noxijs ſibi cibis ac potibus utantur: ita & iſti ferè pro depoſitis habentur. Sic deſertus fuit Saul à ſpirituali Medico ſuo Samuele, non quando is primò inobediens DEI mandato fuit (offerendo holocauſtum non expectato Samuele 1. Reg. 13. ubi ſolùm audijt à Samuele: *Stultè egiſti*) ſed quando rurſum, parcendo Amalec, inobedientiam admiſit, 1. Regum 15. tunc enim *abiit Samuel & non vidit ultrà Saul uſque ad diem mortis ſuæ. Sed & lugebat Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd conſtituiſſet eum Regem ſuper Iſraël.* Pœnituit verò DEUM, quòd videret jam deſperatum; quomodo etiam dicitur pœnituiſſe, quòd feciſſet hominem, quem videret jam aliter non poſſe emendari, niſi diluvij exterminio. Geneſ. 6. Quod idem ſenſit Pharao toties relapſus poſt datam emendationis fidem, ad extremum et ipſe in mare demerſus velut deſperatus. Scimus templum Ieroſolymianum ter reædificatum & ter deſtructum eſſe? ſed ita ut poſteriores ruinas difficilius inſtaurarentur. Intra 7. annos primo extructum eſt à Salomone 3. Regum 6. v. 6: poſteà everſum eſt à Chaldæis. Reſtauratum eſt à Zorobabele poſt reditum Iſraëlis è captivitate, ſed non niſi intra 15. annos, & magna cum difficultate, à ſtructoribus armatis: ob ſiſtentibus vicinis hoſtibus, ut habetur 2. Eſd. 4. & oſtendit Corn. à Lap. in c. 2. Joan. v. 20. Deſtructum eſt hoc ab Herode, ut in auguſtiorem formam repararetur, quod tamen non niſi intra 46. annos factum, habetur Joan. 2. En quo ſæpius deſtruitur templum eo tardiùs ac difficilius inſtaurarur. Tandem & hoc à Tito everſum, deinceps reparari nequit, tametſi id Iudæi variè tentârunt. Quid contigit illi templo hoc contingit homini, qui templum eſſe Spiritus ſancti deberet; quo ſæpius relabitur, eo difficilius reſurgit, ac tandem ad reſurgendum omnes omnino vires perdit. Myſticè id oſtenſum in uxore Loth, quæ reſpectans in deſertam à ſe Sodomam, mutata eſt in ſtatuam inſenſilem, immobilem, & *ſal infatuatum, quod ad nihilum valet ultrà niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Tales enim fiunt tandem, qui toties in idem relabuntur peccatum, ſtupidi & immobiles. Non eſt mutata in ſtatuam, dum inter iniquos in Sodomis habitaret; mutata eſt, dum ad eos redire deſideravit; quaſi gravius ſit reverti ad iniquitatem, poſtquam ſemel ei renunciâris, quàm in prima iniquitate perſiſtere.

III. Gladius verſatilis, qui idem eſt cum flammeo, niſi quòd præterea acutus, & (ut periti linguæ Hebr. cum Pererio exponunt) biſ acutus, ſplendere & flammam vomere videretur: ſtringique ad feriendum; qualis erat ille, quem Joannes vidit ex ore Chriſti Iudicis exire, acutum utraque parte, ſententiam condemnationis denotantem. Apoc. 1. Minatur ergo Deus graviores pœnas ijs qui in peccata relabuntur, quàm ijs, qui primum inciderunt; & quales, niſi exterminium & mortem? Clarè hoc edicit DEUS per Eccleſiaſticum c. 26. *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi venit.* Quodnam illud tertium? *Qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum: Deus paravit eum ad rhomphæam.* Illam ſcilicet, ut timendum, quæ egredi viſa eſt ex ore Judicis venturi, ut dixi? & de quâ c. 2. ſeq. dicitur: *Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutã.* Quemadmodũ enim malefactores à tribunalibus huius ſæculi, ſemel iterumque dimiſſi, ſi rurſum eadem ſcelera perpetrent, tandem gladio exciduntur, quod ſpem emendationis tollant: ita, quid mirum, ſi agat DEI iuſtitia? Egit certe cum Hebræis toties in Ægyptum reverti cupientibus ac dicentibus: *Conſtituamus nobis Ducem & revertamur in Ægyptum.* Sed quid ad hæc DEUS? *Uſquequo detrahet mihi populus iſte? quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia atque conſumam.* Num. 24. & mox. *Omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto & in ſolitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorũ.* Id quod eis contigit; omnes in deſerto mortui ſunt; præter Joſue & Chaleb, qui ſoli ſtabiles reperti fuerãt. Idem non obſcurè minatus eſt Dominus languido illi ad piſcinam qui ut putat ſanctus Chryſoſtomus, annis 38. infirmus ibi iacuit: *Noli ampliùs peccare*, inquit *ne deterius tibi aliquid cõtingat.* Joan. 5 Bone Deus! poteratne aliquid deterius iſti contingere, qui 38. annis languidus, miſer & deſertus ad piſcinam jacuit? nunquid mors? at nonne morbus tam diuturnus, tantæ junctus deſolationi, morte ipſâ deterior reputari debet? Quid igitur niſi mortem æter-

III. *Graviores pœnæ.*

æternam ipſamque adeo gehennam minatus illi eſt Dominus, ſi relaberetur? Quid expectant navigantes, quando vident navim ſuam non ſemel, ſed iterum, tertiò & quartò impingere in eundem ſcopulum, niſi certum naufragium, & interitum? Quando igitur & tu peccator toties impingis in eundem peccati ſcopulum, quid aliud expectare potes, niſi demerſionem in gehennam? Senſêre priore ſæculo Neophyti Tolenſes in Mauricâ graviſſimam DEI vindictam poſtquam à fide, quam à ſancto FRANCISCO XAVERIO edocti ſuſceperant, ſimulque à Luſitano Rege defecerant, ſacrâ æde everſâ, cruces ſacraſque Divorum effigies fregerunt, bona etiam piorum fidelium invaſerunt; uti refert in vitâ S XAVERII Turſellinus lib. 2. cap. 5. in hæc verba *Primùm illorum ager ex feraciſſimo ſqualidus ac ſterilis factus, fruges etiam in horreis dirâ tabe conſumptæ: aquæ ſubitò amaræ noxiæque è ſalubribus redditæ: fame quoque ac lue multi mortales abſumpti. Cæleſti irâ afflictis Luſitani belli incubuit moles. Quippe Molucarum inſularum Præfectus, Franciſco pii belli felicem exitum ſpondente classem adverſus perfidos miſit cum delecta Luſitanorum manu. Et claſſis Dux, ſancti viri prædictione ac ſpe divinæ opis erectus, haud ſegniter bellum capeſſebat. Placuit tamen, priuſquam inferentur arma, experiri per legatos, an ſpes veniæ oblata poſſet rebellium mentes ad ſanitatem revocare. Poſtquam ſuperba eorum reſponſa afferebantur, Luſitanus pœnæ avidus in hoſtem ducit. Arx eſt in edito loco poſita, nec minùs manu quàm ſitu munita. Et fraus hoſtium acceſſerat. Quippe imminentis belli haud ignari, circa muros longè ac latè ſtimulos mariceſque ferreos defoderant, in quos Luſitani ſeſe induerent, ſi propiùs acceſſiſſent. Exitialis non ſolum irrita oppugnatio extitiſſet, niſi præſentem peſtem Franciſci avertiſſent preces, interclusumque aditum aperuiſſent. Nondum Luſitani excenſionem fecerant, cùm mirâ opportunitate ſtare cum eis DEVM ac pugnare apparuit. Sol circa meridiem repentinâ caligine offuſa, haud diſparem nocti tempeſtatem dedit. Et ſimul ex vicini montis verticè cum horrendo mugitu ac fragore tetrum fœdumque erupit incendium, quo tres dies noctesque ingens cineris pumicumque vis (quod nunquam antea evenisse conſtat) inde egeſta: quæ non modo murices ferreos oppreſſit, ſed etiam arcis faſtigium æquavit. Ecce autem improviſo malo attonitis barbaris, major ex vicino terror incutitur. Per idem tempus terræ motus inſolitus tectorum urbis ingentem edidit ſtragem. Tolanis tam atroci tempeſtate defunctis, Luſitanus ſupervenit armatus. Nec prælium illud fuit. Pleroſque hoſtium aut ruinæ tectorum oppreſſerant, aut pavor compulerat in fugam. Et aggeratus pumex facilem in mœnia aſcenſum dabat. Ergo arx, oppidum totaque regio ſine ullo certamine ſubacta: victis certis conditionibus pax data: quarum illæ præcipuæ, ut templum everſum reficerent, bona piis adempta reſtituerent, ſuſcepta ſemel Chriſti ſacra in poſterum ſanctè colerent pieque.* Certè hinc apparet, quàm graves mereantur pœnas, qui à ſuſceptâ veritate perfidè retrocedunt. Graviter ſanctus Petrus epiſt. 2. cap. 2. ait: *Melius erat illis non cognoſcereviam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum verti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mand[ato].* Gravius enim iſti peccant, quia ex majori ſcienti[a &] cum majori ingratitudine. Certè etiam Magiſtr[atus] eos malefactores, qui poſt dimiſſionem, ob flag[itia] repetita ad carceres retrahuntur, ſeverius mu[lctat], quàm in primis vinculis; & ſi iſta effugerunt, p[oſt]liminio retractos arctius cuſtodit, nec gratia dig[na]tur. Videat ergo quiſque, ut carcerem, quem ev[aſit], tam fortibus repagulis ſibimet occludat, ut nec [ſi ve]lit quidem (appetitu ſenſitivo) reverti in eum po[ſſit], prohibente hoc voluntatis firmiſſimo & inviol[abili] decreto. Ad extremum audiamus Divum Chry[ſoſto]mum ſerm. de lapſu primi hominis tom. 1. ita ſcri[ben]tem: *Noli*, inquit, *peccare poſt veniam: noli vulner[ari] poſt curam: noli ſordidari poſt gratiam* Moxque [ſin]gulorum rationem reddens addit: *Cogita ô homo [gra]viorem culpam eſſe poſt veniam, renovatum vu[lnus] peius dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordi[dari] poſt gratiam. Quare indulgentiæ ingratus eſt, qui [poſt] veniam peccat: ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſ[um], poſtquam curatus eſt, vulnerat: nec mundari mere[tur], qui ſe ipſum poſt gratiam ſordidat. Porrò qui poſt a[b]lutionem non peccat, meretur & præmium: qui [poſt] curam cautus eſt, ſanctitatis poſſidet donum: qui [gra]tiam illæſam tenuerit, æternitatis accipiet regnu[m].*

THEMA TERTIUM.

Reſurrectio mortuorum oſtenditur

I. *Ex reſurrectione Chriſti.*
II. *Ex naturali propenſione animæ ad corpus ſuum*
III. *Ex cooperatione corporis cum anima.*
IV. *Ab exemplis.*
V. *Ex miraculis.*

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simo[ni].
Luc. 24.

LIbro 1. Eſdræ cap. 3. ſcribitur, quòd cum rev[erſi] è captivitate Babylonica Judæi templum Sa[lo]monis deſtructum reædificaſſent & jam oculis aſpi[ce]rent, tanta fuerit omnium lætitia & jubilus, ut [p]clamore exultantium voces eorum intelligi non p[oſ]ſet *Nec poterat quiſquam agnoſcere vocem clamoris [læ]tantium*; ait ſacer textus. Video etiam hodie inſol[ito] gaudio & jubilo Chriſtianos undique perfuſos, q[ui] nunquam aliàs toto anno; unde paſſim alter alteri [fe]lix Paſcha precatur. Verum & hic ego non agnoſco [...]tis vocem lætantium, & quid ſibi velit, quod omne[s a]deò jubilent. Forſan lætantur aliqui, quòd jejunii te[m]pore ſuperato carnium eſus reſtitutus ſit. At hoc E[pi]cureum eſt. Forſan alij, quia jucundum Veris temp[us] poſt triſtem hyemem rediit. At hoc puerile eſt. For[ſan] etiam aliqui, quod aſperum pœnitentiæ tempus tr[an]ſierint, & jam rurſum uſque ad ſequẽs Paſcha liber[è] vivere liceat. At hoc planè impium eſt. Alij fo[rte] ſaniùs, quòd hodie templum corporis Chriſti re[æ]dificatum ſit, & quidem in ſplendidiorem forma[m]
qu[...]

uàm erat prius, quemadmodum & Judæi gavisi fue-
. Et hi quidem bene ac jure merito. Verùm si
hristus sibi soli resurrexit, quid inde nobis accedit?
aque hæc potissima ac ferè unica huius diei lætitia
t, quod suâ resurrectione Christus nostram stabi-
verit. Hoc sensu intelligere possumus, quod nuncia-
t heri Angelus: *Dicite discipulis, quia præcedet vos
Galilæam*, (id est, *revelationem*, vel *transmigra-
onem* ut exponit S. Augustinus l. 3. de consensu E-
ang.) cælestis beatitudinis, & vos brevi eum se-
uemini: sed fortè hoc gaudium nostrum turbabit
æc cogitatio, quomodo fieri queat, ut nos resur-
amus. Ergo audiamus testimonia, omni fide dignis-
ma.

Probavit I. ex resurrectione Christi: Hinc & nos-
ram probat Paulus 1. Corinth. 15. Primaria enim cau-
a, cur ad nos redimendos mortem oppetere voluerit,
ft, ut resurgere posset, adeoque suâ resurrectione
ostram comprobare. Alioquin saniùs & faciliùs mor-
em cavisset. Neque dicas difficiliorem esse nostram,
uàm Christi resurrectionem, quod eius corpus in-
egrum manserit, nostrum dissolvatur. Nam licet in-
egrum manserit, sanguis tamen effusus & intra illud
riduum iam corruptus atque in alia corpora mutatus
uit: idem tamen omninò & non alius iterum repara-
us & Christo restitutus fuit, ut idem præmiaretur,
ui in Christo passus fuit, *neque rectè resurrectio di-
i potest, ubi non resurgit, quod cecidit*, ait S. Grego-
us 14. mor. cap. 17. Adhæc nonne Lazarum jam qua-
riduo sepultum & fœtentem mox restituit vitæ? Ne-
ue debuit Adam potentior fuisse ad nos prosternen-
os & mortificandos, quàm Christus ad erigendos &
ivificandos; quia donum Christi est majus quàm no-
umentum Adæ, ut patet ad Rom. 5. *ubi abunda-
vit delictum, superabundavit gratia.* Sed peccatum A-
æ nos omnes occidit, gratia igitur Christi omnes sus-
itabit.

Ad hæc membra debent esse conformia capiti, ca-
ut autem nostrum Christus resurrexit & vivit: er-
o vivent & membra. Denique cur cum resurgen-
e Christo multi mortui resurrexerunt, nisi ut pri-
mitias resurrectionis nobis afferrent, velut Josue cum
djunctis legatis botrum, ficus, malogranata, terræ
anctæ indicia? Si potuerunt illi resurgere, cur non &
os omnes?

II. Ex naturali propensione animæ ad suum
corpus. Christus convicturus Sadducæos, negan-
tes resurrectionem, hoc argumento utitur, quod
dicat DEUS. *Ego sum DEUS Abraham. Isaac & Ja-
cob. Matth. 22.* Cum enim Sadducæi ideo tantùm ne-
garent resurrectionem, quia negebant animæ immor-
talitatem: quâ positâ necessario sequeretur illa: Chri-
stus solùm probat animas post mortem hominis vi-
vere; quo dato jam probavit illis & necessitatem re-
surgendi. Quia enim à DEO sunt omnes etiam
creaturarum naturales propensiones, uti propensio
felis ad capiendos mures, canis ad lepores; adeoque
non sunt frustrà; anima autem naturaliter propen-
det ad unionem cum corpore velut suâ comparte;
inde probatum est corpus resurrecturum. Debetur
enim homini suum corpus, sicut equiti in militiâ
debetur suus equus: sicut testudini sua testa, cui na-
turaliter affixa est. Alioquin ille eques, hæc testudo non
esset.

Ex eodem fundamento etiam Paulus argumen-
tatur 1. Corinth. 15. *Si in hac vitâ tantum in Christo
sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus homi-
nibus*; si nimirum non sit resurrectio. Objicies Apo-
stolo: posse saltem animam ob benefacta præmiari. Sed
respondeo hoc pacto dicendum fore, quòd Christus
non perfectè vicisset mortem, quæ dominaretur ad-
huc saltem corpori. Deinde violentum & contra na-
turam animæ est vivere semper extra corpus unde ne-
mo id sibi persuadebat aut metuebat futurum. Quare
resurrectio quoad substantiam & humanæ naturæ exi-
gentiam quasi naturalis est, licet in mundo & execu-
tione supernaturalis sit. Modus autem ille quomodo
non possibilis est? 1. quia DEUS, quod difficilius est,
è nihilo fecit omnia, facilius igitur ipsi ex uno aliud fa-
cere. Hinc Ierem. 18. cum figulus vas dissolvisset in
argillam, mox *fecit illud vas alterum*; tum Dominus;
*Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus
Israël?* in resurrectione nimirum, ut exponit sanctus
Hilarius in psalm. 2. Fecit illud, non ex alio, vas alte-
terum: *non ut interitu naturam perimat, sed qualita-
tis conditionem demutet*, ait Hilarius ibi; ut scilicet fi-
at vas pulchrum sicut placet DEO. Filius ille DEUS est,
qui idcirco de limo fecit hominem, ut sciremus, quod
cum pari facilitate restaurare per resurrectionem que-
at. 2. Nonne virgam Moysis mutavit in serpentem, &
rursum è serpente in eandem virgam, quæ prius fuit?
Exod. 7.

III. Ex cooperatione corporis cum animâ. Quâ *III. Ex cooperatione corporis cum anima.*
de re S. Paulus 1. Corinth. 15. ait. *Si ad bestias pugna-
vi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?*
quasi dicat quid prodest laborare pro virtute, si mer-
ces resurrectionis corpori laboranti non datur? Vn-
de Chrysost. in Matth. cap. 22. ait: *in omni re aut actu
virtutis agendæ, spes est futuri: Qui enim arat, arat ut
metat: qui pugnat, pugnat ut vincat.* Et mox: *Tolle
ergo spem resurrectionis, & resoluta est observantia om-
nis pietatis* Quæ enim foret justitia, si unus laboraret,
alius verò laboris præmium acciperet? Nonne
fuci expelluntur ab apibus, quia mel comedere vo-
lunt, quod non confecerunt? De Isabellâ Augustâ
& Hispaniæ Reginâ Caroli V. Imp. conjuge refert
Andræas Schortus in vitâ P. Borgiæ, quod cum
defunctæ funus in regium sepulchrum Illiberim de-
latum esset, ibidem more majorum sepeliendum:
prius, Illiberitani advocato publico Notario, cor-
pus detegi & inspici curiosè, nequa fraus subesset,
curaverunt; licet adessent viri Principes; qui id comi-
tati fuerant cum regiis litteris: posteaque primum,
ubi verè corpus Isabellæ deprehensum fuit, sepul-
turæ mandarunt l. 1. in vitâ Borgiæ cap. 7. Quod si in
regium sepulchrum non infertur funus, nisi constet

Regii ſanguinis eſſe; quantò minùs Deus permittet ut alius cœlo inferatur, qui non laboravit, pro eo, qui cœlum labore emit? Hinc pſalm. 23. ipſemet Chriſtus Dominus aſcendens in cœlum, inducitur ad ingreſſum ejus priùs ſemel iterumque pulſans: *Attollite portas principes veſtras & introibit Rex gloriæ*; mox ab Angelis interrogatus: *quis eſt iſte Rex gloriæ*; Ac licet ipſe reſponderet: *Dominus fortis & potens in prælio*; qui ſcilicet vicit principem tenebrarum ſuâ paſſione; nihilominùs iterum illi interrogant ſecundo inſtantem: *Attollite portas, &c. quis eſt iſte Rex gloriæ?* Cumque demùm reſpondiſſet: *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ*; tunc ei reſerârunt portas. Quare nemo in cœlum admittitur, niſi ſit homo virtutum, quas ipſe ſibi comparârit. Sicut non alia, ſed eadem lingua epulonis, quâ peccaverat, plectetur in inferno.

IV. *Ab exemplis Trip. loc. cit.* IV. Declaratur exemplis alibi adductis, quibus adde hydrargyrum ſeu argentum vivum. Hoc enim ſi manu deducas (ut experientiâ conſtat) in minutiſſimas arenulas & quaſi atomos, ita ut in pulviſculos evaneſcere videatur: mox ut eos rurſum manu aſſocias & conjungis, in priſtinam hydrargyri formam confluendo redeunt & quaſi reviviſcunt, ut notavit Gabr. Fallopius Medicus Mutinenſis, & olim Sanctus Gregorius Nyſſenus lib. de creat. hominis cap. vigeſimo octavo. Alphora primùm vermis eſt, poſt in piſcem tranſit; rurſum tabe conſumptus extra aquam, ut omnis caro ab oſſibus defluat, ſi in aquam remittatur, iterum carne veſtitur ut priùs & renaſcitur quaſi, fitque longè vivacior, quàm ſi corruptus non fuiſſet. Alb. M. de animal. lib. vigeſimo quarto in Alphora. In Chora unicâ reperitur palma quæ emoritur & renaſcitur ex ſeipſa, unde & Phœnicis avis, cui hoc fabulæ tribuunt, nomen habet, teſte Plinio lib. decimo tertio, cap. 4. Rurſum ex abietis ligno in magnis aquis putreſcente progigni aves, quæ Barliathes, vulgò Bernecœ, vocantur. certum eſt eorum, qui viderunt, teſtimonio, teſtaturque Geſnerus & alii, ſic ex putri & corruptâ materia renaſcentur corpora noſtra. Denique per viſionem hoc oſtenſum Ezechieli cap. trigeſimo ſeptimo in ſuſcitatione oſſium mortuorum; ad demonſtrandùm ſecundùm litteram quidem, tali modo eruendos è captivitate & reſtituendos in patriam Judæos: ſecundùm anagogen verò, ſic è ſepulchris reſurrectura & compaginanda mortuorum oſſa. Neque refert quòd partes humanorum corporum prorſus reſolutæ & in alia corpora mutatæ ſint; eas enim inde rurſum educere & in priſtinam formam mutare non eſt difficilius Deo quam erat naturæ, ea per corruptionem & generationem in alia mutare. Sic coierunt in unum mēbra S. Stanislai Epiſc. & Mart. diſſecta in minutas 72. partes ab Impio Boleslao, tam integrè, ac ſi nunquam divulſa fuiſſent, cumque digitus adhuc unus deſideraretur, lucerna cæleſtis eum in piſcinam conjectum & à piſce devoratum oſtendit: quare capto piſce inventus & extractus, corpori reſtitutus fuit. Ut in ejus vitâ. Ita verificatum id pſalm. 33. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Quin & Petrum ex Pettravino pago dudùm mortuum ac ſepultum idem Sanctus ſuſcitavit, ac ſecum ad teſtandum Boleslao adduxit. Sicut ergo Jonas in ventre ceti incolumis manſit; ſic corpora mortuorum in terrâ conſervantur Deo.

V. Ex miraculis. E quibus id ſtupendum, parum tamen notum peregrinis Sancti Jacobi quod ſcribit Lucius Marivæus Siculus lib. 5. rer. Hiſpan. de juvene, qui cum parentibus Compoſtellam pergens in civitate Sancti Dominici Calciatenſis divertens, à filia hoſpitis ad ſtuprum fruſtra pellectus, ideoque nequiter circumventus fuit, ita ut ipſa abeunti craterem patris ſui clam in cucullum ejus injiceret. Poſt ejus diſceſſum, furti reum agit apud Prætorem. Prætori reductum acceſſit, & puella craterem mox è cucullo ejus extraxit. Adoleſcens ergo ſuſpendio addictus eſt. Parentes mœſti ad S. Jacobum pergunt, & redeuntibus per eandem viam mater divertit, etſi reclamante viro ad patibulum, ubi filius ſuſpenſus fit. Accedenti filius acclamat ſe ſalvum & vivum precibus Sancti Jacobi, velut innocentem: iret igitur ad Prætorem, dum is in mensâ gallum & gallinam aſſam coram ſe appoſitam habet: aſſerit filium ivere, juberet proinde ſolvi. Prætor: *falleris, bona mulier*, ait: *filius tuus vivit ſicut hæ aves.* Mox utraque avis rediviva exurgit & in mensâ graditur, gallus inſuper cantat, ambo candidiſſimi coloris. Prætor mox Clerum convocat & pendulum vivum reperit, ſolutumque parentibus reſtituit. Tum gallus & gallina in locum templi vicinum cum ſolemnitate deportati, ubi ſeptennio vixere & pullum ac pullam ſimilis coloris reliquêre. Sicque ſingulis ſeptennis idem fit à ſobole. Quodque mirum, cùm perpetò illic tranſeant peregrini, & pennas illas auferant, nunquam tamen pennæ illis deficiunt, additque auctor, ſe ejuſmodi pennam ſecum habere.

Sed habito jam quòd reſurgemus, quid præterea erit nobis? Num ad ſimilem vitam, qualem nunc gerimus, reſurgemus? Minimè gentium, ſed ad feliciſſimam aliam, qualem ſecum attulit Chriſtus exemplar reſurrectionis noſtræ, juxta id ad Philip. tertio. *Salvatorem exſpectamus D. N. Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Et 1. reſurgemus omnes juvenes juxta ætatem Chriſti, ſpecioſi ſani, vegeti: Sole ſplendidiores, ferro robuſtiores, vento agiliores, radiis Solis ſubtiliores: quemadmodum & Chriſtus. Adhæc ſpecioſi ſupra Solem & Lunam: veſtitu elegantiſſimo, non qualis hic tantâ ſolicitudine emendicatur è pellibus animalium, aut bombycum texturâ, & terræ glebis. 2. Nunquam morituri, nunquam ægrotaturi, nihil paſſuri, quemadmodum & Chriſtus. 3. Liberi ab omni onere, ſubjectione, preſſura, plaga, quemadmodum & Chriſtus. 4. Statim ibi futuri, ubi eſſe voluerimus, quemadmodum & Chriſtus. 5. Cum amicis ſolis, ſynceris & boni

onis semper versaturi, quemadmodum & Chri-us. 6. Habituri quidquid volumus, quemadmo-um & Christus post resurrectionem paravit suis aximam piscium capturam, piscem assum & panem. mnia nobis subjecta erunt, omnes erimus princi-s, omnibus rebus dominantes. 7. Semper læti & cundi, quemadmodum & Christus à suâ resurre-one nunquam ampliùs contristatus fuit. 8. Ascen-ri cum gloriâ ad æternam fœlicitatem, perpetuam titiam, rerum omnium affluentiam, quemadmo-m & CHRISTUS. Hinc miratur Sanct. Chryso-musincit. Apostoli locum: *Papæ! Illine, qui ad xtram patris sedet, conforme fiet hoc corpus; illi, qui oratur ab angelis? illi, cui adstant incorporales illæ rtutes? illi, qui est super omnem principatum, potesta-n & virtutes, illi conforme fiet: Si ergo totus orbis la-rymis sumptis eos defleret, qui ab istâ spe deciderunt, m dignè collachymaretur? quòd cum promissis nobis ta sit, corpus nostrum futurum, ita glorioso Christi pori conforme, illi cum Dæmonibus abeant.*

Hæc ergo cùm ita sint, quis jam in DEI gratiâ stans ori trepidabit? imò quis non desiderabit? Audia-us Sanct. Hilarium in psalm. 2. *Confringi nos tan-am vas figuli tunc gaudeamus, ut per hunc novæ na-itatu profectum, in beatam illam ac DEO placen-m iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur.* Quemadmodum ergo agricolæ, dum arant & se-minant, solent cantare; quia sperant se projectum men cum fœnore recepturos: ita & nos mortem ariter excipere, imò exoptare decet, veluti semen-m messis incomparabilis. Eâ seminantis similitu-ne solabatur se in martyrio Sanct. Jonas Persa cum tre Barachisio; cumque Magorum principes digi-s manuum & pedum ei præcidi & ante oculos ja-ri fecissent, dicentes: *Ecce nunc digitos tuos in ter-seminavimus, exspecta inde, ut messis tempore multos itos recipias,* respondit: *Ego multitudine digitorum negeo, sed DEUS, qui me formavit, ille tempore su-ri corpus hoc reformabit.* Lipel. 29. Martii, ex Isaia e-ite Saborii Regis Persarum, auctore & specta-te.

Rursum ne doleamus mortem charissimorum: *si-t & ceteri, qui spem non habent;* ut ait Apostolus Thess. 4. quia suo tempore iterum eos videbimus. iscus Christianorum mos fuit teste Card. Baronio Martyrologio 21. Julii insculpendi in sepulchris, guram Danielis stantis in lacu inter leones incolu-is: ut indicarent Christianos in sepulchro etiam in-r vermes non absumi à morte, utpote cui jam Chri-us dentes excusserit. *Ero mors tua ò mors, &c.* Itaque cat quisque suis morientibus, quod Christus ad ortem pergens dixit suis discipulis: *Iterum videbo os, & gaudebit cor vestrum.* Joan. 16.

Hoc est gaudium nostrum hoc die, quod ego vo-is annunciare volui. Quare dicamus cum Ecclesia; æc dies, quam fecit Dominus, exultemus & læte-ur in eâ: præcedentem enim Christum sequemur n Galilæam. Ibi eum videbimus.

THEMA IV.

S. Eucharistia ovum cæruleum.

I. Est cibus saluberrimus, purissimus.
II. Verbo Christi fit ex pane corpus Domini.
III. Habet in una specie vim cibi & potus.
IV. Est cibus nutritivus & substantiosus.
V. Est vita bonis, mors malis.
VI. Est quorundam unicus cibus.

Accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis. *Luc. 24.*

ITerum paschale ovum attulit nobis Christus hodie; & quidem cæruleum de cœlo ad nos lapsum. Quodnam verò illud? Sacratissima Eucharistia, quam juxta communiorem & probabiliorem sententiam, hodie primâ vice porrexit iis, qui non erant Sacerdotes. Cæruleum hoc appello, quia est panis de cœlo descendens: Corpus Christi cæleste & glorificatum, quod etiam dignè sumentes facit cœlestes: sicut enim corpus Christi sumptum fecit, ut hi duo discipuli mox regrederentur in Jerusalem: ita & nos impellit ad cœlum, & facit cœlestes. Porrò quam cum ovo habeat conformitatem, nunc exponemus.

I. Ovum continet cibum saluberrimum, purissimum: sed absconsum intra album corticem. Eucharistia cibus animæ saluberrimus, purissimus est, maximèque nutrimenti, quia caro Christi virginea & vivificans, quæ vel solo attactu omnis generis morbos pepulit: absconsa tamen & tecta, candidâ panis specie. Et hoc in bonum nostrum. 1. ne horrorem aliquem in communione caperemus, si visibiliter appareret: quâ ratione etiam Medici pilulas & alia pharmaca, quæ aspectu suo horrorem aliquem parere possent ægro, auro vel saccaro obducunt, ut absque nauseâ sumi queant. *I. Est cibus saluberrimus, purissimus. 1. Sed absconsam continens Christi carnem. 2.*

2. Ut meritum fidei locum haberet. Sic enim longè majori fructu sumimus manna hoc absconditum, quàm Judæi illud in deserto visibile: quanquam & illud noctè semper delapsum fuit in terram, ut nescirent, quomodo & unde veniret; ideo enim clamabant: *Manhu quid est hoc?* q.d. Nescimus quid sit & unde proveniat; ad designandam multo maiorem nostram fidem, quam Deus à nobis requirit, ut majus meritum habeamus, qui magis glorificamus DEI potentiam, majora omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis opera ei tribuendo. Quâ de causâ Sanct. Ludovicus Rex Franciæ Christum in Eucharistia visibiliter apparentem vidare renuit, ne meritum fidei perderet. 3. ut sit probatio & coticula fidei nostræ. Hac de causa appellatur ab Ecclesia mysterium fidei, quasi abditissimum arcanum, in quo velut in lapide Lydio probatur fides vera, & deprehenditur ficta. Aquila examinat pullos suos ad aspectum Solis, & qui non rectâ atque immoti Solem intuentur, sed deflectunt obtutum, eos ab ungue dimittit, cadere & perire sinit: Christus in hoc Eucharistiæ mysterio credendo fidem 3.

noſtram trutinat, & quantam de ejus potentiâ ac veracitate æſtimationem habeamus, experitur. Credentes, velut dignè de ſua Divinitate ſentientes, ſuſcipit tanquam ſuos: incredulos verò abjicit, velut ſpurios & degeneres.

II. *Verbo Christi fit ex pane corpus Domini.*

II. Ex ovo intra paucos dies, incubante ſolùm gallinâ, fit pullus, vivens ex non vivente. Quin & apud Ægyptios in fornace ſubjecto temperato igne plurima ſimul ova intra paucos dies animantur, & excluduntur pulli, teſte plinio lib. decimo, capit. 55. Scaligero Exerc. 6. capit. ſecundo, Paulo Jovio lib. decimo octavo, hiſtor. aliiſque certiſſimis teſtibus. Quod igitur gallina ſolo incubatu, ſi ignis temperatus hoc efficere poteſt; non poterat CHRISTUS cui Pater omnia dedit in manus, ſuâ omnipotentiâ mutare panem & vinum in corpus ſuum etjam in momento & verbo uno? Nemo utique negabit hoc poſſe DEI filium, quod potuit Spiritus Sanct. incubans quaſi aquis, excluſit inde omnia animalia, germina, & reliquas creaturas, ut habetur Geneſ. primo, ver. 2. *Spiritus Domini ferebatur*, (Hebr. *incubabat* velut avis ſuper ova) *ſuper aquas*; ut obſervant Sanct. Hieronymus in quæſt. Hebr. in Geneſ. Baſilius, & Diodorus. Plus dicam, Giraldus Cambrenſis in Topographia Hiberniæ ſcribit in ulteriore Vetoniæ parte aves plurimas velut in quietiſſimo loco nidificare; quarum ova S. Beanus cujus ibi Eccleſia eſt, miro modo tuetur, ita ut ſiquis avium ova rapere vellet, mox videat converſa in pullos marcidos & rubros, quaſi recenter excluſos? ſin autem manum retrahat, videat rurſum in ova commutatos. Cur igitur hoc non credamus fieri à Deo poſſe in Euchariſtiâ per verba conſecrationis, ut panis in momento mutetur in corpus Chriſti?

III. *Habet in utraque ſpecie vim cibi & potus.*

III. Ovum vim cibi & potus habet; Unde ſcribit Plinius lib. 29. capit tertio, *Nullus eſt alius* (præter ovum) *cibus, qui in ægritudine alat neque oneret, ſimulque vim potus ac cibi habeat*. Ita Euchariſtia tametſi ſub unâ tantùm ſpecie, ſeu panis ſeu vini, cibat ſimul & potat, quia carnem & ſanguinem Chriſti præbet, qui utique totus & integer ſub utravis continetur, quia jam non moritur. Quare Laici ſub unâ communicantes nihilo minus accipiunt quam Sacerdotes ſub utraque, nec minùs reficiuntur. In cujus rei confirmationem plurima ſunt miracula facta, quibus è ſpeciebus conſecratis & per injuriam læſis ſanguis profluxit, uti pluribus in locis videre adhuc eſt: Accedit vaticinium Oſeæ cap. 14. ubi de fidelibus tempore Chriſti loquens ait: *Sedentes in umbra ejus* (Chriſti ſcilicet) *vivent tritico*. Quæ verb. 70. & S. Hieronymus vertunt, *bibent & inebriabuntur tritico*. Quomodo autem bibent & inebriabuntur tritico, niſi triticum vim potus ſimul & cibi habeat; In ovo albumen & vitellus eſt: in Euchariſtiâ corpus & ſanguis Chriſti, ſub quavis ejus ſpecie; quid utramque deſideramus?

IV.

IV. Ovum cibus eſt nutritivus & ſubſtantioſus, quaſi vicem carnis retinens, teſte Altmanſor lib. 3. capit, decimo quarto. Maximè vitellus, qui idcirco à vita nomen habet; quod inde vivat pullus. Halj & virtute reſtaurativam pectoris, ut docet Bercor. in reduct. moral. cap. decimo tertio, capit. 25. Albu. en cùm viſcoſum ſit, glutinis inſtar eſt. Pari mo Euchariſtia 1. panis eſt vitæ, quia non vitam gratiæ ſolam in nobis conſervat & auget, ſed etiam immortalem alteram gloriæ vitam per futuram reſurrectionem confert, teſte ipſo Salvatore, Joan. ſext. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Sicut enim efficax pharmacum à natura ſumente non vincitur, ſed vincit illam & ſibi aſſimilat: & ſicut mithridaticum à Mithridate Ponti Rege quotidie ſumptum ita corpus ejus immutavit, ac contra venena obſirmavit, ut cùm ſibi mortem veneno inferre vellet, non poſſet: ita in Euchariſtiâ Chriſtus, cum ſit utique potentior nobis, non immutatur in nos, ſed in ſe potiùs nos convertit: & in reſurrectione conferet corpori noſtro, novo quodam titulo, dotes glorioſas propter illam conjunctionem in ſumptione ejus factam; qua conjunctione poſt hypoſtaticam nulla maior eſt. Quare dato quod ex vi gratiæ non haberemus immortalitatem ſeu reſurrectionem, haberemus tamen ex vi Sanctæ communionis ut ex Patribus docet Cornel. à Lapide in Joan. cap. ſext. verſ. 55. Et quidem ſi corpus Eliſæi potuit ſuo contactu vitam reſtituere cadaveri ſibi injecto. quarto Reg. 13. quid mirum ſi corpus Domini à Verbo Divino, quod eſt vera vita hypoſtaticè aſſumptum, poſſit ſuo contactu mortuos in vitam revocare? Reſtaurat & confortat etiam pectoris vires perditas ut jam animoſi, quaſi leones ignem ſpirantes Dæmonibus videamur, contraque tentationes muniamur. Quod vel in duobus illis diſcipulis videre eſt qui confortati Euchariſtiâ, iam inclinante ad occaſum Sole, adhuc regreſſi ſunt celeri curſu per ſeſquimilliare Germ. ſeu per tres horas uſque Jeroſolymam pleni robore & lætitiâ. *Non enim fatigatione itineris prohibiti ſunt, non veſpertina hora impedimentum tribuerunt, ſed eadem hora ſurgentes regreſſi ſunt in Jeruſalem*, inquit Haymo Epiſcopus Halberſtad. in eum locum. Veriſimile etiam eſt præ gaudio eos cucurriſſe toto intervallo, adeoque intra horam unam, viam alioquin trium horarum percurriſſe. Si enim Elias vigore panis ſubcinericii, qui teſte gloſs. & Paſchaſio Pp. figura Euchariſtiæ fuit, ambulavit quadraginta diebus & noctibus uſque ad montem Oreb, adeoque roboratus eſt, ut Regi & Reginæ quos priùs timuerat, poſtea inſultaret. 3. Reg. 19. cur non poterat diſcipulos illos roborare panis ille à Chriſto eis porrectus Euchariſticus? 3. Cum Chriſto novo & fortiori amoris glutine nos unit, & quaſi in ipſum transfundit. Caro enim Chriſti in Euchariſtiâ non quà caro præcisè, ſed qua Divinitati unita facit, ut ſiamus participes Spiritus & Divinitatis ejus. Quemadmodum ergo anima Jonathæ dicitur conglutinata fuiſſe animæ Davidis, per amorem ſcilicet intimum, 1. Reg. 18. ita in Euchariſtiæ digna ſumptione conglutinatur Chriſti anima noſtris animabus.

V. Ova

V. *Ova valdè convertibilis sunt naturæ*: inquit Ber-
orius loc. cit. *Convertuntur enim in complexionem,*
iam inveniunt, sive bona fuerit, sive mala, & ideò sunt
na sanis & inutilia infirmis. Sic Eucharistia, quæ etsi
on convertitur in nos, pro subjecto tamen recipi-
ite est vita bonis, mors malis. *Qui enim manducat*
bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non
judicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi
imbecilles, & dormiunt multi, ait Apostolus primo
orint. 11. verè & corporaliter intellige; sicut expli-
t Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, & An-
lmus; qui addit etiam suo tempore propter indig-
m communionem post pascha multos infirmari &
ori. *Panis hominem alit, accipitrem necat*, ait Sanct.
ugustinus lib. secundo contra Manich. Sic Eucha-
tia eos, qui ut homines ratione utentes, & dijudi-
ntes corpus Domini accedunt, alit: qui verò ut
cipitres, rapaces, sanguinolenti, superbi, interibunt.
ppius Saufeius scriba, cùm à balneo domum rever-
s mulsum bibisset, ovumque sorberet, sorbitione
tinctus est, teste Plinio lib. septimo, capit. 53. Ita qui
st admissam nec deletam peccati dulcedinem, v. g.
llutionem voluntariam, adeoque indigni commu-
carent, mortem sibi sumerent. Terribile est, quod
fert Tilmannus Bredenbachius Collat. sacr. lib.
ptimo, cap. 60. de Geusâ quodam seu hæretico Hol-
ndiæ, qui No iomagi anno 1561. in hac ipsâ hodi-
nâ feria 2. paschæ, videns Eucharistiam deferri ad
grotam, illudens Sanct. Eucharistiæ transeunti, di-
: *Ego ovum istud* (paschale sibi appositum) *quod*
anu teneo, citiùs deglut. vero, quam ægrotans mulier-
la, Deastrum suum (seinen Gottigen:) & dum de-
rat, ovo suffocatus est, præsente eo parocho, qui
charistiam tulerat, & historiam divulgavit.
VI. Populi sunt, qui totâ vitâ ex ovis ferè tantùm
ntur (apud Ortel. in Thesauro Geogr.) ad exitum
nen in Oceanum, (im Eyrlandt.) Fuerunt etiam
i multo tempore solâ Eucharistiâ pasti sine omni
o viverent, uti Ludovicus Pius Imp. 40. diebus.
Nicolaus apud Helvetos annis 15. exemplo penè
centi Sanct. Catharina Senensis, ut testatur Pius 2.
Bulla canonizat. Sanct. Liberalis apud Petrum Na-
lem lib. 4. c. 93. Hos Abbas tribus annis, apud Palla-
um in hist. Lausiaca cap. 8. Niceph. lib. 11. cap. 34.
annes Monachus apud eund. Pallad. cap. 55. diutiùs
e alio vixit cibo. Horter in hebdomade, Joannes
ngulis diebus Dominicis angelico pane duntaxat
fectus. Plures referuntur à Bozio lib. 15. de signis
cl. 58. cap. 2. Sigeberto in Chron. anno 823. Or-
dino in hist. Soc. lib. 2. & aliis. In quibus videtur
l litteram impletum fuisse vaticinium Oseæ c. 14.
t. *Sedentes in umbra ejus* (Christi videlicet, ut ibi
plicat. Cor. à Lapide) *vivent tritico.* Quod utinam
nobis etiam dici queat, ita saltem ut vitam animæ,
uæ est gratia DEI, conservemus ac tueamur digno
frequenti usu ac veneratione cœlestis illius tritici.
bulam Aulus Gellius lib. secundo noct. Att. cap. 29.
fert de Cassita, quæ inter medias tritici segetes ni-
um suum posuit, & ubi pullos exclusit, illic se-
curè habitare & persistere nihilque trepidare jussit, donec agri dominus falce armatus veniat & metere incipiat. Fabula hæc utinam in nobis verificetur! quod fiet, si & ipsi nidum, requiem & spem nostram collocemus, habitemus, adolescamus, vires sumamus, alas ac plumas acquiramus & constanter vivamus in frumento Electorum & Sanctæ Eucharistiæ tritico sæpiùs adorando atque usurpando, quoadusque veniat Dominus cum falce sua, demessurus vitam nostram. Cassitam imitati sunt qui tam noctu quàm interdiu Sanct. Eucharistiam salutare & ante eam procumbere in more & deliciis habuerunt, uti credo ille Constantinopolitanus, nomine Zacharias, qui cùm per singulas noctes templum, ad Sanct. Sophiam dictum, precaturus ante summum altare SS. Eucharistiam veneraturus accederet, visus est Divina circumfundi luce, nec non advenienti fores templi divinitùs reserari, iterumque recedenti claudi, apud Raderum in Virid. SS. Eadem veneratione prosequebantur Ven. Sacramentum Sanct. Thomas Aquinas, B. noster Aloysius aliique, qui in eo requiem & nidum suum quærebant & inveniebant. Hos sequamur & nos Audit. neque imitemur illos, qui paschalia ova manibus solum tractant & aspiciunt, interim non comedunt, sed vel aliis donant, vel abjiciunt. Ad usum & sumptionem datur nobis ovum istud: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ;* ait Sapientia æterna, Dei filius, Prov. 9.

THEMA QUINTUM.

Christus solus verè, seu omnium maximè peregrinus in mundo.

I. *Quia peregrinâ linguâ locutus, mundo ignotâ.*
II. *Quia habitus ejus maximè peregrinus erat.*
III. *Quia doctrinam attulit prorsus peregrinam.*
IV. *Quia penè omnibus ignotus erat.*
V. *Quia velut peregrinus à mundo spretus & derisus fuit.*

Tu solus peregrinus es in Jerusalem? Luc. 24.

Rem acu tetigit Cleophas, quando Christum Dominum solum reputavit esse peregrinum in Jerusalem; tametsi alio sensu talem compellavit. Erat enim revera Dominus peregrinus, non modo in Jerusalem, sed in toto mundo, in quem è cœlesti patria descendit, ut eo peragrato ad patriam rediret. Rectè etiam solus dicitur peregrinus, qui uti nihil uspiam in hoc mundo habuit aut quæsivit, ita ex eodem cupidissimo animo ad patriam remeavit. Nos omnes; quotquot sumus, inviti hinc eximus, tametsi benè advertimus nos hic esse in exilio, nec habere manentem civitatem; unde nos agnoscimus quod peregrini simus, quia patriam nostram oculis non

Christus solus verè peregrinus.

non aſpicimus. Vir juſtus fuit Loth; ſuam tamen Sodomam, utpote amœnam & locupletem, ægrè valde deſeruit; tametſi ab angelis monitus, concremandam fore. Itaque Angelus Domini manum ei injicere & educere eum debuit ab imminente ignis periculo: ne cum impiis periret. Gen.19. Simillimi huic Loth ſumus: mundum hunc ſpecioſum inviti derelinquimus, licet audiamus eum aliquando igne conflagrationis exurendum. Itaque Angelus magni consilii, Chriſtus, habitu peregrini deſcendere de cœlo & divertere ad nos voluit, ut exemplo ſuo præcedens excitaret & animaret nos ad deſerendum mundum & deſiderandam toto pectore patriam noſtram cœleſtem. Quàm verè autem & propriè peregrinus fuerit, nunc videamus.

Solent peregrini ex his ferè notis agnoſci: Lingua utuntur incognita, habitum geſtant vilem & viatoribus commodum, recenſent mira & inaudita, à nemine noſcuntur, negliguntur & ſpernuntur.

I. *Quia peregrina lingua locutus, mundo ignota.*

I. Talis fuit Chriſtus Dominus, quia locutus eſt lingua, planè peregrinâ & civibus hujus mundi prorſus incognita. Idcircò ad eos dixit Joan. 8. *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* loquelam, h. e. idiotiſmum, ut exponunt aliqui. Sed quid mirum? Ipſe enim *de ſupernis* erat, illi *de deorſum* erant, ut ibidem dixit. Unde S. Chryſoſtomus in eum locum ait: *Id autem vobis evenit propterea, quòd mens veſtra humi repit, mei ſermones altè eriguntur.* Loquebatur Chriſtus linguâ cœleſtibus conſuetâ, & quæ res, quales reverà in ſe erant, exprimebat, v. g. divitias & voluptates appellabat *ſpinas*, Matth.13. cruciatus & paſſionem ſuam vocabat *calicem*, Joan. 18. laborem ſuum *cibum* Joan.4. Viventes in peccatis dicebat *mortuos*: *ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Matth. 8. Mortem piorum appellavit *ſomnum*: crucem *exaltationem*: peccatores *ægrotos*: juſtos vero *ſanos*: bona temporalia *mammonam iniquitatis*: caſtitatis ſtudioſos indigitabat *eunuchos*: longiſſimum tempus *horam* aut *modicum &c.* Ratio eſt, quia mundus vocat res ſecundum quod apparent, Chriſtus autem ſecundum quod reipſa ſunt. Mundus judicat & loquitur ſecundum faciem, Chriſtus ſecundum hominum conſcientiam, Mundus ex corporibus denominationem capit, Chriſtus ex animo & ſpiritu. Mundus ab initio rerum nomina ſumit, Chriſtus à fine & exitu. Mundus rerum menſuram à cœlorum motu accipit; Chriſtus ab æternitate, reſpectu cujus omne tempus punctum eſt & nihil. Itaque in rei veritate juxta idioma Chriſti & Angelorum, divitiæ non roſæ ſed *ſpinæ* ſunt; quia etſi corpus delectant, animum tamen longe gravius ſauciant. Paſſio *calix* quidam præclarus eſt, quia etſi ad modicum & initio mordet, in fine tamen indeficientem adfert dulcedinem. Labor *cibus* eſt, quia etſi corpus affligit & atterit, animam tamen meritis roborat & ſaginat. Qui in peccatis degunt, vivunt quidem corpore, ſecundum viliorem ſcilicet hominis partem, animo autem *mortui* ſunt, nobiliſſima ejus portione. Mors hominibus quidem interitus; Deo autem *ſomnus* eſt, quia ita facilè ſuſcitat mortuos, uti ſuſcitamus nos dormientes. Crux pro fide aut juſtitia irrogata hominem coram mundo quidem deprimit & confundit, coram Deo vero *exaltat*; & ſic de cæteris. Propterea monuit perverſos rerum æſtimatores: *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate,* Joan.7. A potiori fit denominatio; & juxta hoc axioma, denominant omnia cœlites; quorum linguam loquebatur Chriſtus; verè itaque peregrinus fuit, & ſolus in hoc mundo. Cæterum nos ſi cum illo, le Sodomis exire & ſalvare noſtras animas volumus, ejuſdem idiomate loqui oportet, adeoque res non ut apparent, vel ut initio arrident, ſed quales in ſe reverà ſunt, & quales in termino erunt expendere & æſtimare. Ita S. Franciſcus paupertatem vocabat *dominam ſuam*, corpus ſuum appellabat *aſinum*, quia brutum eſt & pigrum; pecunias dictitabat *muſcas*, quia vexant curis & moleſtant: creaturas omnes *ſuos fratres*, ob communem creatorem: è contrà mundus ut ſua vitia tegat, palliat nomine virtutis: ſuperbiam appellat civitatem, avaritiam providentiam, libidinoſos vocat gratioſos, iracundos animoſos, prodigos liberales, vanos & leviculos aſſerit affabiles & urbanos.

II. Quia habitus ejus peregrinus, h. e. vilis & contemptus fuit, minime competere viſus tali perſonæ, qualem ſe credi cupiebat & qualis reverà erat. Erat enim Rex gloriæ, cœli & terræ Dominus, & talem ſeſe eſſe variis rationibus demonſtravit; interim tamen externi ſplendoris nihil præ ſe ferebat. Veſtitus ipſi erat vulgaris & plebejus, victus pauper & communis, famulorum caterva nulla, divitiæ nullæ, ſed ſumma potius paupertas & contemptus opum. Hoc autem in Rege, præſertim tali, peregrinum, inuſitatum & admirabile eſt. Cæteri Reges & Principes ex pompâ dignoſcuntur, quam ſecum circumferunt; quæ in Chriſto nulla erat quin imo faſſus eſt, ſe non habere ubi caput reclinaret, uti certè non habuit: in ſtabulo, eoque alieno natus eſt, in cruce pendens mortuus, in alieno ſepulchro conditus: nudus ingreſſus eſt mundum, & nudus inde egreſſus. Quis unquam adeo pauper fuit? Alii peregrini habent ſaltem alicubi ſuam patriam & domunculam quâ ſe recipiant: Chriſtus in hac terra ubique peregrinus, ubique exul fuit. Unde Tertullianus lib. de Idololatria cap. 18. ait: *Ille Dominus in humilitate & ignobilitate inceſſit domicilio incertus: nam filius, inquit, hominis non habet ubi caput ſuum collocet: veſtitu incultus; neque enim dixiſſet: Ecce qui teneris veſtiuntur, in domibus Regum ſunt; vultu denique & aſpectu inglorius, ſicut Iſaias pronunciaverat &c.* Et mox: *Quales & quantis eum faſces producerent; qualis purpura de humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret niſi gloriam ſæculi alienam ſibi & ſuis, indicaret?* Ad extremum vendi voluit, ut ipſius pretio pauperibus peregrinis ſepulturæ locus emi poſſet. Itaque pauperibus omnibus longè pauperior fuit. Cauſam deſideramus? Verus ſplendor, pompa & divitiæ, nō in auro & argento, non in veſtibus & gemmis, ſed in virtutibus con-

consistit, sicut equi præstantia non in corporis ni-
ore, non in phaleris & ornatu, sed in rubore, agi-
itate, indole posita est. Aurum & vestium splendor
livitem prædicant, sed bonum non efficiunt. Aliæ
œlitum divitiæ, alii ornatus sunt, qui ipsos bonos &
anctos reddunt. Mundi cives cum sint nudi virtuti-
us; ornatum sibi quærunt externis è tegumentis:
uomodo Terpsithea, cùm esset toto corpore de-
ormis, imaginem sibi venustissimam fieri curavit:
ris sui turpitudinem falsis tabulæ pigmentis hone-
are cupiens; apud Theoph. in Ep. Græcis. Ita
nundus quidem: sed non id docuit Christus, qui no-
ræ quidem conditionis miserias cum naturâ nostrâ
ssumpsit: luctum, famem, sitim, lassitudinem, labo-
es, dolores, ignominiam, mortem; omnia hæc in
cohonestando & quasi deificando: solas mundi
ivitias & splendorem rejecit & contempsit. Nimi-
um vidit Dominus mundum hunc esse vastam
uandam & horridam sylvam, à feris & latronibus
festatam, sibi transeundam. Quemadmodum er-
o viator, qui talem pertransire sylvam debet, vilem
duit habitum, nullas secum pecunias fert, nisi quas
ecessitas requirit: ita egit Christus: qui alioquin,
cum splendore & opibus advenisset, multo plures
potentiores hostes repperisset, Ro. Imperatorem,
erodem, aliosque æmulos. Quisquis ergo per hanc
undi sylvam securus pergere cupit, peregrinum
itetur Christum, neque secum ferat, quæ allicere
sidiatores possint.

III. Quia doctrinam in mundum attulit pere-
inam, novam & stupendam, adeo ut eo prædican-
dicerent homines: *Quidnam est hoc? quænam do-
rina hæc nova?* Marci 1. Hujusmodi sunt inpri-
is octo beatitudines, illæ præsertim: *Beati paupe-
s spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esu-
unt & sitiunt, beati qui persecutionem patiuntur.* Rur-
m illa ejus pronunciata: *Qui amat animam suam
rdet eam.* Joann. 12. *Qui se exaltat, humiliabitur.*
ıc. 18. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit
ster minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit
ster servus.* Matth. 20. *Si quis te percusserit in dex-
am maxillam tuam, præbe illi & alteram: & qui vult
nicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Diligite
imicos vestros &c.* Matth. 5. *Cum invitatus fueris ad
ptias, recumbe in novissimo loco. Cum facis prandium,
i vocare amicos tuos, neque vicinos divites; sed vo-
pauperes, debiles, claudos &c.* Luc. 14. *Beatius
magis dare quam accipere.* Act. 20. similia alia.
octrina hæc nova & peregrina est in mundo; quia
undus ea tantum sapit, quæ carnis sunt, non
æ spiritus: quæ præsenti tempore fœlicitatem
omovet, non quæ futuro sæculo prospicit:
rena quærit, non cœlestia: per arma, vim &
bur, per astutiam & opes ascendere vult ad beati-
dinem suam; per honores & voluptates, non
r virtutes; unde toto cœlo aberrat. Quis enim
scit animam præferendam corpori? virtutem
tio? cœlestia terrenis, æterna temporalibus? ve-
& solida bona fictis & inanibus? Ad illa viam
docuit Christus: ad hæc trahit mundus. Uter verò audiendus potius: DEI filius, an mundus? Nullus hic dubitandi locus. Quare sancti viri, imitatores Christi, hæc sapientissima dogmata, mundo licet paradoxa, sibi sectanda proposuerunt, quæ frequens in ore habebat B. Ægidius, è primis S. Francisci sociis unus: *Si quis tecum contendat, cedas illi, & victor abibis: alioquin ubi vicisse te arbitraberis, ad extremum victum te senties. Si vis bene & acutè cernere,* (per fidem scilicet) *erue tibi oculos; si vis rectè loqui, præcide linguam, ut obmutescas. Si cupis esse membris integer, mutiles ea; si vis bene vivere, mortifica teipsum: si vis bene edere, ieiunes; si cupis dormire, bene vigiles. Si cupis lucrari bene, da operam, ut perdas. Si vis esse dives, esto pauper: Si vis esse in deliciis, affige te. Si vis esse securus, esto semper in timore. Si vis exaltari, humilia te. Si vis honorari, despice te, & honora despicientes te. Si vis habere bonum, sustine malum. Si vis esse in quiete, labora. Si vis benedici, desidera maledici.* Quibus subjecit: *Sapientissimus profectò, qui sic facit; sed non omnibus id studio est.* Ita in ejus vitâ 23. Aprilis apud Sur. Didicit hæc utique à Magistro suo Francisco, cui ante Crucifixi imaginem oranti dixit Christus: *Francisce amara pro dulcibus sume & teipsum contemne, si me vis cognoscere.* Ut in ejus vita. Alia longè pronunciata, alia dogmata sunt civium hujus mundi, è diametro his contraria: carni blandiendum, anima negligenda; voluptates sectandæ; virtutes deridendæ: præsentia quærenda, futura explodenda: honores rapiendi, contemptus fugiendus: vindicta sumenda, mansuetudo exsibilanda &c. At qui vexillum Christi sequitur & peregrinum se in hoc mundo agnoscit, his Sirenum cantibus aures occludit.

IV. Quia penè omnibus ignotus fuit, velut advenisset ex ultimis terræ finibus; nec mirum; quia de cœlo in terram venit. Peregrini ignoti sunt in exteris quidem terris, noscuntur tamen bene in patria sua: Christus in toto mundo ignotus fuit: ignotus Herodi & Pilato, ignotus Principibus sacerdotum, Annæ & Caiphæ: ignotus Scribis & Pharisæis, qui dicebant: *Hunc autem nescimus, unde sit.* Joan. 9. ignotus suis cognatis; *neque enim fratres eius crediderunt in eum.* Joan. 7. ignotus denique suis discipulis, quibus dixit in ultima cœna jam iturus ad mortem: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Joan. 14. plenè scilicet & perfectè. Hoc idem vaticinatus est in psal. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis & peregrinus filiis matris meæ.* Voluit quoque subinde ignotus esse ad tempus suis amicissimis; uti discipulis in mari laborantibus, ambulans supra mare; Magdalenæ ad sepulchrum, duobus euntibus in Emaus, discipulis piscantibus. Denique ubicumque se abstrahere potuit à tumultu populi absque neglectu muneris sui, ad quod missus est, curandarum scilicet animarum, ibi se subduxit; nunc in montem fugiendo, nunc in mare se recipiendo; nunc se abscondendo, nunc à loco, in quo magnum aliquid fecerat, mox abeundo; nunc in occulto

IV. Quia penè omnibus ignotus erat.

Jero-

Jerosolymam ascendendo &c. Gessit etiam se ac si nihil sciret de rebus mundi hujus, quod ex crebris ejus interrogationibus intelligimus. Parentes pueri arreptitii interrogat: *Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit?* Marci 9. Turbam: *Quis me tetigit?* Luc. 8. Philippum: *Vnde ememus panes?* Joan. 6. Sorores Lazari: *Vbi posuistis eum?* Joan. 11. Discipulos in hod. Evangelio: *Qui sunt hi sermones, quos confertis adinvicem?* Et iterum: *Quæ?* scilicet contigerunt. Jerosolymæ Pharisæos: *Cujus est hæc imago & superscriptio?* Matth. 22. &c. Tametsi enim omnia sciebat, quæ in mundo fiebant, ita tamen ea, quæ mundi sunt, negligebat, ac si minimè sciret. Docuit igitur hoc exemplo servos suos ut & ipsi latere, quantum absque præjudicio salutis proximi fieri potest, studeant potiùs quàm patere. *Nisi enim*, inquit sanctus Basilius in reg. fus. interrog. 5. *ab eâ, quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, conjunctione nos alienaverimus; & à familiari congressu secularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum commigraverimus, juxta illud Apostoli; Nostra conversatio in cœlis est; nullo modo scopum attingemus, Deo videlicet ut placeamus.* Et S. Bernardus de modo bene vivendi cap. 7. *Omnia quæ in hoc mundo sunt, servis Dei contraria sunt &c.* Et mox: *sancti viri peregrini sunt & hospites in sæculo: unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri voluerit; quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est &c. Et quantò se à conversatione hujus sæculi subtrahunt, tantò magis oculis mentis præsentiam Dei & Angelicæ societatis frequentiam contemplantur.* Gerunt etiam se quasi parum aut nihil in mundo scirent, juxta monitum Ecclesiastici 32 cap. *In multis esto quasi inscius: & audi tacens simul & quærens.* Quod sanè præstitisse Apostolum audimus ex ipsomet 1. Corinth. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum*, quasi dicat. Tametsi in humanâ etiam sapientiâ eruditus & versatus eram: adeo tamen eam ostendere non volui, quasi nihil de eâ nossem. Qui se mundo familiarem facit & multis miscet negotiis & confabulationibus; non modo existimationem suam brevi deperdit, sed etiam visco mundi facilè adhæret: quo modo columbæ, si è suo columbario evolantes aliis se jungant, facilè capiuntur. Unde Ose. 7. dicitur: *factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Columbæ agrestes si uni alicui cicuri, unguento perunctæ sese conjungant, non difficilè ab eâ trahuntur ad columbare, ubi intercipiuntur, teste Sancto Basilio epist. 175. ad Julittam. Ita viri etiam pii, religiosi & filii Dei si se aulis & aulicis, si filiis hujus sæculi, deliciarum & vanitatum unguento delibutis, crebrius sociare voluerint, metuendum ipsis, ne ab illis seducantur. Hinc Sanctus Petrus 1. Pet. 2. tam serio eos hortatur: *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Quia vero desideria illa sæpissimè procedunt à propinquis, expedit Christiano etiam notitiam exuere propinquorum profanam.

V. V. Quia ad instar peregrini & barbari ab hujus mundi civibus spretus, neglectus & derisus ac denique expulsus est, quod ab ipsorum moribus toto cœlo discreparet. Matth. 9. deridebant eum tibicines & turba tumultuans, cum dixisset puellam mortuam dormire. Luc. 16. deridebant eum avari, cùm loqueretur de periculo divitiarum. Luc. 23. deridebant eum Principes in cruce pendentem. eod. cap. Sprevit eum Herodes cum aulâ sua & illusit indutum veste albâ. Ejecerunt posteà Judæi Jerosolyma, adeoque juxta Christi parabolam, extra vineam suam & ejectum occiderunt. Denique in cruce pendentem omnes dereliquerunt; sepultum quoque ne resurgeret, lapide occluserunt: & suscitati famam & memoriam, quibus poterant modis, opprimere studuerunt. Itaque sicut peregrini solent allatrari à canibus, quacunque ingrediuntur: ita Christus in hoc mundo passim allatratus, & derisus & spretus ab impiis mundi hujus incolis fuit; ut non immerito dixerit per vatem Psal. 21 *Circumdederunt me canes multi.* Quod Domino gloriæ contigit, hoc etiam servis ejus & contigit & contingit adhuc, quotquot peregrini in hoc mundo & cœli cives sunt. Derisus fuit Gedeon à viris Socoth, Judic. 8. Derisus David in obsequio arcæ à suâ Michol. 2. Reg. 6. Elisæus à pueris, 4. Reg. 2. Job. ab uxore, Job. 2. Tobias à cognatis, Tob. 2. Paulus ab Atheniensibus, Actor. 17. Petrus à Gentilibus ludicrè attonsus; sic reliqui omnes. Verùm hic contemptus maxima eorum gloria est. Ostendit enim eos non esse de hoc mundo, stulto, impuro, misero, transitorio: sed de altero beato & sempiterno. Si de mundo essent, mundus quod suum est, diligeret; quia verò de mundo non sunt, sed ei planè contrarii, propterea odio & derisione prosequitur eos mundus. Agnovit hoc etiam Seneca ex rationis dictamine, qui in lib. de moribus scripsit: *Nondum fælix es, si non te turba irriserit.* Indicium enim præbes, te stultæ & perversæ plebi esse ad[...] similem, adeoque insipientem & injustum. Bene Lidochus hom. 48. *Multò*, inquit, *profuerit deridere, quam unum aliquem ut ipse derideat; [...] ... deri[...] ac ludibrio haberi solent, non item deridere.* Non movet rectum, si à claudis rideatur, quod rectis incedat pedibus; sed potius delectat. Pari modo justis summa delectatio est & quasi suavis cibus, contemni & derideri ab injustis; quo modo David videbatur sibi suaviter epulari & saturari opprobriis & lapidibus, ab impio Semei in se conjectis; nec non promoveri ad recuperandum regnum suum, quod & paulo post recepit. 2. Reg. 16. Quo exemplo instruimur eos, qui peregrini hujus mundi sunt, mundanorum injuriis, derisionibus & illusionibus è mundi hujus exilio salubriter expelli & in patriam suam cœlestem impelli.

Quando igitur talem habemus peregrinationis nostræ prodromum & Ducem, suo illustrissimo exemplo nos stimulantem, ut relictâ hac mundi Sodomâ & exilio ad patriam contendamus, superest ut remotâ omni dissimulatione præeuntem consti[...]

im ſubſequamur; nec cum uxore Lothi retroſpicia-
ius. Convertamus potiùs ad cœlum oculos noſtros, bi patria noſtra; quod adeò naturæ humanæ im-
reſſit Deus, ut vel Gentiles aliqui id cognoverint. :ribit enim de Anaxagora Philoſopho Laërtius, cùm us æmuli propter opes paternas actionem ei inten-
ſſent, ceſſiſſe eum ultrò litigantibus bona ſua. Cum-
ue de hoc ab amicis ſtultitiæ argueretur, digitos in elum ſuſtulit, dicens: *Illa patria mea eſt, illa hæredi- mea eſt: illam ego curo, non quæ ſuper terram.* Quid pientius & ſanctius dicere poterat homo Chriſtia-
us? Idem ergo & nos ac multò magis ſentiamus & camus, &c.

FERIA III. PASCHÆ.

THEMATA.

Favus paſchalis vita Beatorum poſt reſurrectionem.

I. *Tria ſymbola boni Chriſtiani.*

II. *Figura reſurrectionis Dominicæ.*

V *Ovum album, pax varia à reſurgente Chriſto allata.*

. *Varia pax optatur in rebus variis.*

THEMA I.

Favus paſchalis vita beatorum poſt reſurrectionem.

Quia fulgebunt glorioſi quatuor corporis dotibus.

I. *Satiabuntur ſine faſtidio.*

II. *Habebunt etiam corpori proportionatas delicias.*

V. *Converſationem habebunt jucundiſſimam.*

. *Stabili fruentur fœlicitate.*

I. *Omnes ſe mutuo amore pariter complectentur.*

Obtulerunt ei favum mellis *Luc. 24.*

NIhil hoc paſchali tempore notius, nihil & uſitatius quem Paſchalis favus, qui nunc omnium menſas ornat haud dubiè ob favum mellis, quam in die reſurrectionis ſuæ guſtavit Dominus noſter, uti in hod. Evangelio audimus. Quid verò is deſignet, Sanctus Gregorius Nyſſenus, Venerabilis Beda, Haymo, Gl. ord. diſſerunt, gloriam videlicet reſurrectionis & dulcedinem beatæ illius vitæ, quam exſpectamus poſt communem reſurrectionem. Chriſtus enim, *qui piſcis aſſus fieri deſignatus eſt in paſſione, favus mellis nobis extitit in reſurrectione*, ait Beda in hod. Evangelio. Favus eſt mel in cera; gloria reſurrectionis eſt abundantia gaudiorum in corpore glorificato. Præſignatus eſt hic favus, & Hebræis in V. T. etiam oſtēſus in figura, per illum favum mellis, quem reperit in ore leonis à ſe jugulati Samſon, quando reverſus eſt ex Thamnathâ, deſponsâ ſibi conjuge: è quo inprimis dedit partem ſuis parentibus, ut refert Sacra Scriptura Judic. 14. deinde tres partes attulit ſponſæ ſuæ dilectæ, ut addit Joſephus lib. 5. Antiq. cap. 10. & S. Ambroſius ep. 70. Leo ſævus, qui in Samſonem accepturum ſibi ſponſam, irruit ab eoque dilaceratus eſt, mortem diræ crucis indicat, de quo Dominus per Pſalmiſtam pſal. 21. dixit: *Salva me ex ore leonis & à cornibus unicornium.* h. e. à morte crucis. Mortem enim Dominus moriendo ſuperavit, inſuper etiam reverſus ab inferis favum mellis h. e. gloriam & dulcedinem reſurrectionis ex ore leonis eruit, meritorum ſuorum manibus; & inde quidem partem ſuam dedit patribus V. T. quaſi parentibus ſuis; ſponſæ verò ſuæ Eccleſiæ reliquum copioſo munere attulit. Jam vero videor mihi videre vos Audit. acuere dentes in hunc favum, & ſciendi cupidos, quis & qualis ſit futurus iſte favus: qualis beatorum fœlicitas poſt communem reſurrectionem, quam exſpectamus. Hoc indagabimus ex vivendi ratione, quam tenuit poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus: atque inde favum illum nonnihil delibandum vobis apponemus.

Fabri Sylva Nova, de Dom.

I. Chriſtus attulit redivivus ſecum quatuor dotes corporis glorificati; è quibus claritatem tamen abſcondit, quia oculi mortalium ferre eam non potuiſſent, teſte D. Auguſtino l. 22. de Civit. c. 19. *Claritas,* inquit, *in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potiùs abſcondita fuiſſe, credenda eſt; Non enim eam ferret humanus atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, ut poſſet cognoſci.* Eam tamen procul dubio oſtendit SS. Patribus quos unà ſecum ſuſcitavit: & forſitan aliqua etiam ex parte diſcipulis ſuis, quando in cœlum glorioſus aſcendit. Impaſſibilitatem oſtendit, cùm quinque vulnerum cicatrices ſine omni dolore retinuit: quæ tamen S. Franciſco, utpote adhuc mortali, impreſſæ dolorem continuum cauſarunt & ſanguine ſtillarunt. Rurſum quando vitam omnis famis & ſitis expertem per 40. dies duxit, qui tamen priùs poſt totidem dierū jejunium eſuriit. Ac licet aliquādo comediſſe legatur reſuſcitatus, nulla tamen appetitûs indigentia, ſed ad comprobationē reſurrectionis ſuæ comedit. Denique immortali corpore ad cælos aſcendit. Agilitatē demonſtravit, quando in momento jam hic, jam alibi, ubicunque voluit, adfuit, ſine omni laſſitudine aut labore; & quando in cœlum aſcendit, priùs paulatim propter aſtantes, deinde in momento, ubi ab oculis eorum ſubtractus eſt. Deniq; ſubtilitatem ſui corporis comprabavit, quando è lapideo & obſerato ſepulchro exiit, poſteaque januis clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt.

I. Quia fulgebunt glorioſi quatuor corporis dotibus.

Conſiderate jam quæ ſuavitas, quæ fœlicitas ſit futura electorum, quando jam induti ſplendido & glorioſo corpore pati nihil poterunt, multò minùs mori: quando nullo impediri obſtaculo, montium, murorum, munitionum: quo minùs omnia perrumpere, omnia penetrare queant; quando in ictu oculi quaquaverſum inſtar aquilæ evolare, & quocunque placuerit loco eſſe & conſtituere ſe corpore & animo: ſine omni fatigatione, ſine fame & ſiti ſemper jucundari: Quid non moliuntur in terris homines, ut ſe tueantur contra adverſarios? ædificant civitates & mœnia, arces in ſummis montibus, propugnacula & mu-

nitiones: pro tutela corporis constituunt sibi satellitia, comparant geruntque arma. Quid non ut appetitum edendi & bibendi exsatient? Quid non excogitant, ut itinera sua celeriter conficiant? Equos cursores adhibent & mutant, currus agitant, naves remis & velis impellunt, currunt, sudant. Quid non, ut splendidè se vestiant, pecuniarum impendunt? Nullo horum indigebimus in beata illa vita. O dulcis igitur vita! ô melleus favus?

II. *Satiabuntur sine fastidio.*

II. Non eadem specie & effigie Christus semper apparuit, sed alia & alia prout ei placuit, modò hortulani, uti Magdalenæ: modò peregrini, uti duobus euntibus in Emaus: modo viri gravis & mercatoris, uti aliis piscantibus, quasi pisces ab eis empturus, ut observat S. Chrysost. in cap. 21. Joan. Ita Beati post resurrectionem vestientur stola immortalitatis & lumine gloriæ, ut nullo unquam fastidio sui ornatus capiantur, quasi novis semper, & novis gaudiis perfundendi, & ornatibus vestiendi: quo modo manna Hebræis in deserto quoscunque sapores quarumcunque rerum exhibuit. Insolentes aliqui gloriosum sibi reputant, si vestium splendorem quotidie immutent. Nero Imp. nullam vestem bis induit, teste Suetonio. Heliogabalus Imp. non modò non eandem vestem, sed nec calceamenta, nec annulum iteratò resumpsit, teste Lampridio; quo videlicet novi appareant, & gloriam suam ostenderent. Ad vero hæc in terris innovatio cito finem habet, reditque ad præmordia sua, ut vel nostro sæculo experimur, ubi post tot vestimentorum variationes cernimus redire sensim antiquos Germanorum, priùs reprobatos habitus. Verissimum enim illud Ecclesiast. cap. 1. *Nihil sub Sole novum.* quando eadem recurrunt subinde, & quod nunc est, fuerit olim. Non ita supra Solem: sola beatitudo semper ita eadem quoad substantiam & immutabilis est, ut simul tamen absque fastidio velut nova & recens appareat & appetitum provocando satiet & satiando provocet. Unde S. Gregorius lib. 18. mor. cap. 28. de Angelis (par ratio in hoc de hominibus beatis) ait: *Desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio; quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Multa nova, mira, inusitata & inaudita vidit & audivit Regina Saba in aulà Salomonis: non tamen ita inescata & delectata est, ut ibi manere vellet semper; sed quasi jam ad nauseam satura deliciis Salomonicis, reversa est cum servis suis in terram suam. 3. Reg. cap. 10. At vero in cœlo tam mira & nova variarum rerum objecta semper sibi invicem succedent, ut nemo inde migrare velit, quia nemo satiari poterit.

III. *Habebũt etiam corpori proportionatas delicias.*

III. Comedit & bibit nec sine gustu, quod voluit: tametsi sine necessitate aut esurie, sine fastidio aut gravedine. Nam cibum sumptum aut annihilavit, aut in aërem aliamve materiam convertit: quo modo Sol attrahendo aquas convertit in vaporem & aërem: ut Sanctus Augustinus observat ep. 49. *Aliter*, inquit, *absorbet aquam terra sitiēs, aliter Solis radius candens, illa indigentia, iste potentia.* Habebunt ergo corpora Beatorum gloriosa etiam suas sibi proportionatas atque singulis sensibus singulas convenientes oblectationes & delicias; tum quia eas labore suo meruerint; tum ne frustrà in cœlo sint; tum denique, quia & damnati sensuum pœnas habebunt. Quemadmodum gi[...]tur nuptias celebrante Domino, sua etiam famuli nuptialia habent gaudia, herilis lætitiæ participes, convivantur, jucundantur, splendidè vestiuntur ita par est, ut dum animæ Beatorum cœlestibus perfruuntur gaudiis, assidentes sponso suo; socia quoque corpora, quæ fideliter eis ministrarunt, suo modo recreentur, tametsi longè sublimiori, quam hic in terris soleant. Ita docet S. Augustinus epist. 49 ita adjiciens: *Futuræ ergo resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non poterit, imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.* Et lib. 13. de Civit. ca. 22. *Non potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus* (glorificatis) *corporibus auferetur; quia spiritu vivificante subsistent.* Erunt vero hæ sensuum delectationes tam variæ etiam ac multæ, ut quemadmodum de ornatu corporum suprà diximus, nullum unquam tædium parituræ illis sint; quia novæ semper & novæ aliis succedent, ut decet S. Anselmus lib. de similitud. cap. 57. juxta id psalm. 15. *Delectationes in dextera tua* (beatitudine scilicet) *usque in finem.* q. d. Per omnem æternitatem, Unde S. Bernardus serm. 33. in Cant. eo suspirans ait: *Quis non illic vehementer cupiat pasci & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nihil ei formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit.*

IV. Conversationem semper habuit jucundam & amore plenam, jam cum antiquis Patribus è limbo ereptis; jam cum suis discipulis aliisque fidelibus, summa cum sua & illorum delectatione: quemadmodum experta est Magdalena, duo euntes in Emaus, discipuli congregati, Thomas una cum illis; alii piscantes, omnes denique in ejus ascensione. Omnes ab eo undique reversi sunt cum gaudio: Magdalena præ gaudio recursans clamat: *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Duo discipuli ita incaluerunt amore Domini, ut dimittere eum nollent. Decem Apostoli gaudio pleni Thomæ dixerunt: *Vidimus Dominum.* Thomas & ipse lætabundus: *Dominus meus, & Deus meus.* Joannes in piscatione: *Dominus est.* Ipse etiam Dominus nihil amplius triste, uti solitus erat ante mortem, afferebat in colloquium; imo oblivioni tradidit quidquid mœstum præcesserat. Hinc duobus illis in itinere disserentibus de passione ejus, respondit: *Quæ?* quasi nesciens, quæ facta essent nuperrimè Jerosolymis. Neque ullam pristinæ tragœdiæ, fugæ discipulorum, negationis Petri mentionem fecit: sola quæ ad consolationem pertinebant, deprompsit, semper amœnus & gratiosus. Tales erunt Beati, semper versantes cum amantissimis & integerrimis amicis, tot millibus Angelorum & aliorum cœli civium, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Episcoporum, Abbatum, Eremitarum, Monachorum, Virginum aliorumq; electorum; summa jucunditate & inexplebili gaudio. Nulla ibi memoria præteri-

...rum lapſuum, periculorum, miſeriarum, niſi in quan...um acuunt lætitiam de parta ſecuritate & gratia...um actionem Deique laudem. In reliquo dicere ...oterunt cum Joſepho evecto ad Principatum: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Gen. ...I. Quam etiam ob cauſam dixiſſe de illis videtur ...avid pſalm, 53. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quemadmodum ...um ebrietas non tantùm replet ſtomachum, ſed ...mo etiam caput implet, ut homo obliviſcatur ...nnium curarum & miſeriarum ſuarum, totuſque ... lætitiam effundatur, jubilet, cantet: ita gloria ...atorum non ſolùm animas, ſed corpora etiam ...cupat, facitque eos obliviſci omnium calami...tum; quæ nullæ in cælo erunt, adeò ut Sanctus Auguſtinus ſerm. de beatitud. cœli dicat, quòd unica tantùm gutta cœleſtis beatitudinis deflue...t in damnatorum pœnas, tanta dulcedine reple...t gehennam, ut nullum ſentirent tormentum. ...agna hujus mundi miſeria eſt, quod vivere co...amur inter eos, qui vel falſi amici vel manifeſti ini...ici ſunt; quæ vita ſæpè morte ipsâ acerbior eſt, ...faſſa eſt Rebecca, quæ præoptabat mori potius, ...àm vivere cum filiabus Heth Gentilibus, ſi ip...us nurus fierent. Geneſ. 27. Commorandum et...m hic nobis cum multis miſeris, ſordidis, infir...is, reprobis, inſolentibus: quin etiam inter fœda ...uta & moleſta animalia, mures, ſorices, culices, ...uſcas, vermes, ſerpentes, &c. Unde queritur Job ...p. 30. *Frater fui Draconum & ſocius ſtruthionum,* ...ibi vermes *ſorores*, putredinem appellat *matrem ſuam*. Nihil horum inter beatos: omnia amœna, omnia ...icunda.

V. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ſtetiſſe ...lùm legitur, jam inter diſcipulos, jam in littore ...aris, jam prope ſepulchrum. Statio hæc firmi...tem & ſtabilitatem cœleſtis beatitudinis indicat, ...uam attulit ſibi & membris ſuis reſuſcitatus Dominus; ea præſertim, quâ in littore maris conſti...t; quaſi jam extra omnem perturbationem, flu...uationem, mortalitatem & alia diſcrimina, uti ...xplicant Sanctus Gregorius homil. vigeſima quar...a. in Evangel. Haymo & alii in cap. Joann. vigeſi...mo primo. Talis eſt itaque vita illa beata, *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*: ſtatus, inquam, ...mmobilis, immutabilis. Eo ſitu vidit beatos ante ...hronum Dei Joannes Apocal. ſeptimo. *Stantes ante thronum Dei & in conſpectu Agni.* Similiter Da...iel cap. ſeptimo, verſ. decimo, quemadmodum & ...eraphinos Iſaias cap. ſexto ſtantes vidit, non ſeden...es: quia ſeſſio fit propter laſſitudinem, quæ à cœlo ...xulat. Stant ergo Beati & quidem ſolido in littore ...xtra omnes fluctus, quia norunt ſuam beatitudi...em ſibi nunquam auferendam. Sanctus Rembertus Bremenſis Epiſcopus cum victoriam contra Nortmannos precibus ſuis velut alter Moyſes impetraſſet, id effecit, ut deinceps locus ille, in quo preces fuderat, ſemper vernaret, ceſpite virenti lætus. apud Sur. 4. Februar. in vita. Hujuſmodi terra eſt, quam acquiſivit nobis Chriſtus ſua paſſione, ſemper vernans, ſemper virens, in quâ nulla hyemis & æſtatis viciſſitudo, ſed continuum ver; quemadmodum dixit Sancta Virgo & Martyr Dorothea Tyranno: *Sponſus meus me invitat, imus enim per haſce pœnas breves & exiles ad paradiſum deliciarum, ubi ſunt poma miræ pulchritudinis, roſæ, liliæ & flores innumeri, qui nunquam marceſcunt*; idque comprobavit miraculo poſt mortem ſuam mittens deriſori ſuo Theophilo, Scribæ judiciali, per Angelum flores & poma ſpecioſiſſima, recentiſſima media ferè hyeme, die 6. Februarii, ut in ejus vita. Nullus in mundo ſtatus verè ſtabilis & permanens, meri fluctus & fluctuantes naves jactantur in hoc mundo. Qui evehitur ad dignitatem, paulo poſt deſcendere jubetur? qui aſſequitur opes & proſperitatem, morti omnia cedere cogitur. Quoties cernimus nuptias, quas vehementiſſimus amborum conjugum amor contraxit, repente in acerbiſſima odia & divortia, quin & truculentas cædes deſinere? Unde Sanctus Auguſtinus in ſerm. de verbis Apoſtoli: *Amas uxorem nondum ductam, ſed adhuc ducendam; & forte ducenda amatur, ducta odio habetur.* Idem videre eſt in aliis hujus mundi rebus. *Cùm adhuc ordirer, ſuccidit me,* ait Rex Ezechias, Iſaiæ cap. 38. Plurimi cum Jonatha vix delibant parum mellis, & mors eis denunciatur. 1. Reg. 14.

VI. Stetit in medio diſcipulorum, quoties congregatis apparuit; ut noſſent ipſum pari amore omnes complecti, ſuaque eis bona ex æquo paratum communicare & omnibus opem ferre. Sic ſe habebunt etiam Beati omnes erga ſe invicem, ſummi, medii, infimi: intimo enim & pari amore ferentur erga omnes, quaſi omnes unius patris filii: nullo habito reſpectu, quales olim in hoc mundo fuerint; nobilis erga ignobilem, doctus erga indoctum, dives erga pauperem, ſummus erga infimum. Docturus hanc charitatem & concordiam diſcipulos ſuos de præeminentia inter ſe contendentes, Dominus ſtatuit parvulum in medio eorum, & tales fieri juſſit. Matth. cap. decimo octavo. *Talium eſt enim regnum cœlorum.* cap. ſequent. ſubdidit; quia videlicet, Beati in cœlo ſibi invicem pari amore addicti ſunt, quo modo omnia puncta in peripheria æquali ſpatio diſtant à centro. Quod etiam inſinuatur Apocal. 21. ubi dicitur Deus habitare cum Beatis in cœlo, velut in tabernaculo: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe cum eis erit eorum Deus.* Qui intra unum tabernaculum degunt, familiari & communi cum omnibus converſatione ac lege agunt, nulla parietum aut limitum ſeparatione diviſi, ita ut facilis unius ad alterum ſit aditus. Ita Deus in medio Beatorum, & ipſi inter ſe & cum Deo habitant. Unde S. Auguſtinus in pſ. 83 *Poſſident Ieruſalem cœleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diverſitate & diviſione limitum; omnes habent eam, & ſinguli habent totam; non anguſtat frater fratrem.* In humanis quidem minuitur hæreditas ſimulque mutua charitas, & naſcitur invidentia ex hæredum acceſſione; eoque ma-

VI. Omnes ſe mutuo amore pariter complectuntur.

gis,

gis, quò plures accesserint: non ita in cæli hæreditate, quæ cum inexhausta & indivisa sit, à singulis tota aditur & possidetur: & quo plures fuerint cohæredes, eo plus accrescit eis bonorum.

Atque hic est favus ille, quem diximus, paschalis, quemque in favo illo mellis hodie delibavit Christus, velut mortis triumphator & favi hujus inventor & auctor: nobis etiam communem fecit cum suis discipulis reliquias ejus dedit. Superest nunc ut acuamus dentes & obsonemus famem ad hoc tam desideratum epulum. Quis enim vel per umbram hanc conspectâ illâ Beatorum vitâ non toto pectore anhelet hanc miseram & momentaneam illico deserere & ad illam commigrare? Cervi maria transnatant, ut meliora pascua inveniant: & Christiani non desiderent exilium hoc relinquere, ut ad tam fœlicem patriam pertingant? *Interroga jumenta*, ait Job c. 12. (Hebr. *interroga elephantes*) *& docebunt te.* Refert sanè memorabile quid de elephante, cui nomen Hannonis inditum fuit, Pierius Valer. l. 2. hieroglyph. ex relatione Michaëlis Sylvii Regis Emmanuelis Lusit. Oratoris ad Pp. eum destinavit Rex pro dono Papæ mittere; sed belua constanter aversabatur navim. Indicatur Regi tandem elephantis Magistrum, puellæ cujusdam amoribus implicitum, nolle in tam remotam regionem ire, ideoque Hannoni persuasisse, ne permitteret se abduci in terram sterilem, horridam, barbaram, ubi ludibrio esset, neque victus neque ornatus suppeditandus: adhæc longum iter vastum mare, satis proinde esse ibi mori, imo & occidi &c. Intellectâ eâ fraude Rex minatur Magistro supplicium, nisi intra triduum Hannoni profectionem persuadeat. Itaque beluam aliis verbis aggreditur, donec se malevolorum fraude subornatum ac deceptum: rem longè secus habere; siquidem ad urbem totius orbis dominam, amœno loco sitam iturus esset: ibi summum orbis degere principem à quo in deliciis habendus, velut luseiniæ pullus, serico ornandus, vino malvatico esset potandus; proinde secum primo quoque tempore navim inscenderet: navigationem summâ celeritate peragendam. Ita Hannon persuasus, ubi signa data sunt, navim ultro inscendit, nec imperium toto itinere detrectavit. Potuit hæc bestia non difficilè persuaderi, auditâ Romanæ urbis pulchritudine, summi Pontificis majestate & dignitate, suis etiam honoribus & deliciis, quibus Romæ excipienda & perfruitura esset: & non possit Christianum excitare hic prægustus beatissimæ illius vitæ in cælo nobis paratæ, ut hujus mundi haram & inanes siliquas oblivisci velit, & ad summum cæli terræque Monarcham, ejusque regnum omni divitiarum ac deliciarum copiâ abundans totis viribus contendere? Sed nimirum sunt nonnulli perversi amatores hujus mundi, qui cùm se terrenis bonis stultè implicuerint, cæcoque amore affixerint, ea, quæ de beatâ illâ vitâ dicuntur, vel non credunt vel pro nihilo habent (juxta id Proverb. 27. *anima saturata calcabit favum*) idque etiam aliis nequiter persuadent. Sed videte vos Audit. & judicate, an non potius audienda sit DEI ipsius sapientia & veritas, Christ[us] Dominus noster, qui in suâ illâ post resurrection[em] vivendi ratione, eam prælusit atque ostendit, qu[am] cum ipso in cælo habituri sunt Beati. Apagite igi[tur] noctuæ & tenebriones, veræ lucis inimici; abite [...] cora & porci sordibus innutriti & favo hoc indig[ni] veni tu fidelis: *comede fili mi mel, quia bonum est [et] favum dulcissimum gutturi tuo.* Prov. 24.

THEMA SECUNDUM.

Tria symbola boni Christiani: Pax, syn[ce]ritas, mansuetudo.

I. Pacis amor & studium.
II. Synceritas.
III. Mansuetudo.

Pax vobis; ego sum; nolite timere. *Luc. 24.*

QUantum attulerit Noënæ familiæ gaudium [co]lumba illa, quæ diluvii tempore emissa ex [arca] rediit, & ramum olivæ, mordicus comprehensum [in] signum imminutæ aquæ secum tulit, cogitare [...] difficilè potestis Auditores. Nihilo minus gau[dium] quin imò longè plus attulit Christus Dominus à m[or]tuis resurgens desolatæ suæ familiæ, in domo [...] inter Iudæos, maris instar frementes & sævien[tes] quasi in naviculâ conclusæ, quando eis appar[ens] hanc salutationem attulit: *Pax vobis; ego sum; n[olite] timere.* Hoc enim verbo audito *gavisi sunt disci[puli]* ait Sanctus Joan. cap. 20. & adeo quidem, ut præ g[au]dio vix capere seipsos & credere tam optatum n[un]cium possent. Nec mirum, quia verba hæc quasi [oli]væ ramus erant ore Christi allatus, pacem restitu[tam] & persecutionis inundationem depressam, aman[tissi]mum quoque Magistrum in summâ gloriâ exaltat[um] ac sibi restitutum, jamque in pace, synceritate, m[an]suetudine adventantem nuncians. Cæterum vox [...] tria in se continet præclara documenta Christiani [ho]minis decentissima ornamenta, quæ hîc expo[ni]mus.

Primum est pacis amor & studium, indicatum [...] verbo: *Pax vobis*: Hanc pacem attulit nobis in[gre]diens in hunc mundum sub Cæsare Augusto na[tus] quo tempore pax fuit, in universo orbe; quod [...] legitur factum usque ad id tempus. Idcircò An[ge]lus ad pastores: *Et in terra pax hominibus.* Eam[dem] reliquit nobis velut in testamento pergens ad m[or]tem, post ultimam cœnam: *Pacem relinquo vobis, [pa]cem meam do vobis.* Denique resurgens à morte e[an]dem iterum commendat, ut in hodierno Evang[elio] & quidem sæpius. Quis igitur non videt, quanto [...] Christiani obligentur ad sectandam pacem, qu[am] commendavit eis Christus nascens, moriens & re[sur]gens? ad eliminandam quoque omnem ini[mi]citiam & discordiam; Solent enim filii dilig[en]ter observare parentum monita, præsertim u[...]

, ſæpiùs & ſeriò inculcata. Et quidem primi Chri-ani mandatum hoc parentis noſtri diligenter ob-vabant: oſculum pacis & foris & in templo ſibi in-:em dabant dicendo : *Pax tecum* : (unde 2. Cor. ait S. Paulus : *ſalutate invicem in oſculo ſancto.*) fra-s & ſorores ſe mutuò appellabant ; lites & contro-rſias pacificè primò inter ſe componebant, nec ad bunalia ſe trahebant ; unde Paulus 1. Cor. 6. con-venientes arguit : *Frater cum fratre contendit, & c apud infideles?* deinde preſbyteris & Epiſcopis cō-nendas relinquebant ; donec creſcente fidelium nu-ero decreſcente charitate, ſæculares Judices ad hoc nſtituti ſunt: Sanè Chriſti diſcipuli, tametſi ante ortem Chriſti quandoque inter ſe contenderint, po-à tamen non contenderunt ampliùs ; ſed & incul-bant alijs pacem in domorum ingreſſu : *Pax huic mui*, in Epiſtolis & ſalutationibus ; uti ſolet S. ulus in omnibus Epiſtolis ſuis, præmittens : *Gra-a vobis & pax à Deo Patre &c.* exceptâ eâ quæ eſt Hebræos. Nec apparet, quid melius & ſalubrius icui civitati ſeu communitati optari poſſit, niſi pax; e quâ nulla diu ſtare civitas poteſt, ſicut nec ædi-cium ſine vinculis & compagibus. Viderunt hoc Gentiles, è quibus unus *dicebat Scipio*, inquit San-us Auguſtinus lib. 1, de civit. Dei cap. 12. *Vt in fidi-us, tibiis atque cantu in ipſo ac voce concentus eſt uidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ut diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt; iſque ncentus ex diſſimillimarum vocum moderamine con-rs tamen efficitur & congruens : Sic ex ſummis, me-ijs & infimis interjectis ordinibus ut ſonis, moderatâ atione civitatem conſenſu diſſimillimorum concinere, & uæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in vitate concordiam.* Certè ſi hîc in templo audiatur el una alterave fiſtula diſſona in organo, aut mox in oncentu, omnium aures affliguntur, & pruriunt uamprimum ad exeundum pedes : pari modo in ci-itate, ubi pax exulat, & diſcordia regnat, moleſtiſ-imum eſt hærere. Hanc ob cauſam *mos veterum fuit* nquit ſanctus Gregorius M. lib. 19. moral. cap. 13. *ut eniores in porta conſiſterent & cauſas introeuntium udicarent, quatenus tanto eſſet pacificus urbis popu-us, quanto ad hanc diſcordes ingredi non liceret.* Fæ-lix illa civitas, quæ tales habet ſeniores atque cives. Certè Dominus Matth. 5. *beatos* prædicat pacificos, & *filios Dei* nominat; qui nimirum pacem facere & con-ciliare diſſidentes ſtudent. Et cur idem Dominus, pu-tatis, tunicam ſuam inconſutilem ſcindi à militibus noluit, nec crura ſibi frangi permiſit; niſi ut indicaret nobis, quòd unitatem corporis & veſtis ſuæ, Eccleſiæ ſalvam & integram eſſe cupiat? Eam rationem reddit Sanctus Auguſtinus ſuper pſalm. 33. *Venit perſecutor,* inquit, *& non fregit crura Chriſti : venit Donatus & dirupit Eccleſiam Chriſti. Integrum corpus in cruce in-ter manus perſecutorum eſt, & inter manus Chriſtia-norum non eſt integrum corpus Eccleſiæ.* In hunc finem inſtituuntur fraternitates admodum laudabiles, qua-rum ſcopus eſt, inimicos conciliare. Quæ utinam paſſim excitarentur. Fœda & deformis eſt ea civitas, quæ inſtar laceratæ veſtis in factiones & diſcordias divulſa & diſtracta eſt.

Secundum, Synceritas, indicata voce Chriſti: *Ego ſum.* quaſi dicat nolite diffidere ; Ego ſum Magiſter veſter, ille idem, qui ante triduum vobiſcum fui, cœ-nam vobis dedi & pedes ablui &c. non ſum ſpiritus, non phantaſma, non fictitius homo aut ſpectrum. Cumque adhuc hæſitarent, addit : *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum.* Alterum eſt hoc boni Chriſtiani ſymbolum & ornamentum, ut ſe alium non fingat, nec ſe abneget eſſe, quod eſt, ſed ubicun-que verſetur audeat dicere : *Ego ſum.* Hanc virtutem commendavit Chriſtus ſuis, quando dixit : *Eſtote er-go prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Matth: 10. Columbæ enim & felle & dolo carent. E-andem ſynceritatem eiuſque ſororem, veritatem, com-mendat nobis Apoſtolus 1. Cor. 5. ex Paſchali agno noſtro, Chriſto: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chri-ſtus ; itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ ; ſed in azymis ſynce-ritatis & veritatis.* Notum eſt Judæos comediſſe a-gnum paſchalem cum panibus azymis, non fermen-tatis, ipſos verò azymos panes comediſſe in paſchate per 7. dies. Illis figuræ datæ ſunt ; nobis Chriſtianis veritas ſervata eſt per figuras illorum ſignificata. Pa-nes azymi ſunt homines puri, veraces, ſynceri & ſim-plices, nullo dolo mixti, fermentati ſunt doloſi, frau-dulenti, mendaces, duplices. Quia igitur Paſcha no-ſtrum Chriſtus eſt, verus nimirum agnus paſchalis, pro nobis immolatus, quo jam veſcimur & fruimur; idcirco oportet nos Chriſtianos agere feſtum ſpi-rituale azymorum per hebdomadem, hoc eſt, per decurſum vitæ noſtræ ; ita ut ſimus azymi ſeu puri, ſynceri ac veraces, carentes omni *fermento nequitiæ,* ſeu *verſutiæ* (ut vertit Vatablus) nequam enim eſt, qui cum dolo & fraude male agit. Tales niſi ſimus, paſcha verum non manducamus, & fruſtra pro no-bis paſcha immolatum eſt. Agnus paſchalis debebat eſſe ſine macula, hoc eſt, ſine ſcabie, deformitate, defectu. Exo. 12. Quales etiam decet eſſe Chriſtianos, puros & ſine macula, ſine fraude & mendacio ; uti fuerunt certè primi Chriſtiani, ut patet ex Sancto Petro, qui eorum mentem appellat ſynceram 2. Pet. 3. *Veſtram excito in commonitione ſynceram mentem.* ſanctus Chryſoſtomus hom. 7. in acta Apoſtolorum, ait eos propter morum candorem fuiſſe acceptos a-pud Gentiles. ſanctus Juſtinus martyr antiquiſſimus ſcribit in Apologiâ ſecundâ Chriſtianos maluiſſe mori, quàm vel ſemel mentiri. Vigebat ea ſynceri-tas adhuc circa annum Domini 1100. tempore ſan-cti Anſelmi Epiſcopi Cantuar. qui putabat Chriſtia-num mentiri & fallere non poſſe ; unde famulis ſuis omnia ſua credebat, ut in eius vitâ. Durabat & ulterius. Petrus enim Abbas Claravallenſis, mono-culus, cùm ob quædam bona, litem ei moviſſet nobi-lis quidam, ipſum cum fratre ſimplice convenit, rem compoſiturus ; ſicque allocutus eſt : *Homo Chriſtianus es, ſi dixeris in verbo veritatis, quod bona*

II. *Synceritas.*

ifta, pro quibus contentio est, tua sint, & tua esse debeant, benè sufficiet mihi testimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quàm de verbo veritatis respondit: In veritate dico, quod mea sint hæc bona. Ad quod Abbas: Sint ergo tua tibi: ego de cætero non repetam illa. Sicque reversus est ad Claram vallem. Miles autem ad uxorem suam quasi victor rediens, cùm ei per ordinem recitâsset, quid Abbas dixisset, vel quid ipse egisset: illa territa ad verba tam pura tamque simplicia respondit: Dolosè egisti contra Abbatem sanctum, ultio divina nos puniet, nisi monasterio bona sua restituas, consortio meo carebis. Territus ille ad Claramvallem venit, bonis ultrò renunciavit, de indebita vexatione S. Abbatis veniam postulavit. Refert Cæsarius lib.6 histor.cap. 11. Duravit ad annum Domini 1400. & amplius. Etenim circa ea tempora, cum Carolus VI. Franciæ Rex bello Britannico contra Henricum IV. Angliæ Regem infœliciter gesto penè protritus, misisset Legatos ad Alphonsum Aragoniæ Regem, Valentiæ degentem, rogans ne, dum ipse bello Britannico implicitus esset, contra se bellum aliquod suscitaret ob suam in Occitanam partem, Galliæ Narbonensis, prætensionem: en tibi quod responsum tulit? *Etsi certò scio*, inquit, *plurimas Narbonensis Galliæ civitates ad Aragoniæ regnum pertinere, nihilominus hoc tempore, quo illum intelligo bello superatum & à Britannis protritum esse, nequaquam me arma contra profligatum Regem moturum esse affirmo.* Refert Panormitanus Alphonso familiarissimus in rebus ejus gest. l.2 cap.1. Quantus hic candor ac humanitas? sive Caroli tam candidè fatentis suam impotentiam; sive Alphonsi tam benevolè respondentis ac nolentis victum provocare, naufragum submergere? idque hosti denunciare! Est autem hæc syncæritas communitati pernecessaria. Quemadmodum enim corpus hominis subsistere non posset, si membra se invicem deciperent: ita neque civitas, si cives inter se fraudulenter & dolosè agant, adeoque candorem hunc exterminent. Si mentiretur oculus ori, dicens lapillos esse saccarum, cicutam esse lactucam, serpentem esse anguillam & piscem bonum, nónne perderet hominem? vel si os in Quadragesimâ vellet persuadere oculis, caput vituli esse caput piscis; nónne eos seduceret? Unde Apostolus ad Ephes. 4. *Deponentes omne mendacium* (non oris tantùm, sed & operis: simulationem, dolum, hypocrisin, fictionem) *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.* Dicite mihi, quid turbavit progressum structuræ turris Babel, nisi confusio & quasi mendacium ac deceptio linguarum; dum uno petente lateres alter præbuit cæmentum: hoc petente trullam, alter præbuit sportam &c. (ut pulchrè describit Marius Victor lib. 30. in Gen.) quia se mutuò non intelligebant? Idem eveniet civitati & cuivis communitati, si eliminata syncæritate, fraudibus & dolis, fictione & hypocrisi rem inter se agere velint.

III. *Mansuetudo.* Tertium, Mansuetudo, quam significat verbum Christi: *Nolite timere.* quasi dicat: In spiritu lenitatis & mansuetudinis, velut amicus vester venio ad v[...] non ut redarguam vos ob desertionem mei, vel [...]trum ob negationem; sed ut gratiam & lætissim[...] resurrectionis meæ & vestræ nuncium vobis affer[...] Hanc etiam virtutem seriò commendavit Chri[...] suis discipulis aliisque fidelibus, dum dixit. *[...] ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. simul [...] præcepit eis, ne virgam quidem in itinere gestar[...] qua nimirum vel se defenderent, vel alios offen[...]rent Matth 10. Oves solæ ex brutis animantibus [...]ermes sunt; non feriunt, non mordent, non lania[...], non jaculantur: sic & homo sine armis creatus [...], ut esset mitis. Denique ipse Dominus se in exe[...]plum proposuit: *Discite à me, quia mitis sum.* Ma[...] 11. Multæ oves intrant in unam etiam angustam c[...]lam, uti dicimus proverbio; quia mitia sunt ani[...]lia; cùm contrà pauci equi vix contineri in peram[...] stabulo queant, singulique separari, alligari, & re[...]gulis claudi debeant; quia natura feroces, ideo[...] insociabiles sunt. Duos tantùm filios habuit Ab[...]ham, Ismaëlem & Isaacum, eos tamen in domo [...] spatiosa licet, continere in pace non potuit, sed Ism[...]lem ejicere debuit; quia erat *ferus homo, manus [...] contra omnes, & manus omnium contra eum.* Simil[...] & Isaac non nisi duos habuit filios, Jacob & Esau, [...]que tamen illos in sua domo potuit simul ferre; [...] Jacobum amandare à se in Mesopotamiam coact[...] est; quia Esau homo asper & efferatus erat, insid[...] fratri struens: quod vel ipsa corporis habitudo [...]monstrabat; *erat enim totus in morem pellis hispidu[...] pilosus: Iacob autem lævis.* Gen. 27. Propter hanc m[...]rum asperitatem reprobatus est, quemadmodum [...] Ismaël: Isaac verò & Jacob à Deo benedicti. Qu[...] etiam promittit S. Petrus epist.1. cap 3. mansuetis: *N[...] reddentes malum pro malo, sed contra benedicent[...] quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate p[...]sideatis.* Benedictionem videlicet temporariam [...] hominibus, & æternam à Deo. Solent enim mansu[...]ti diligi inprimis ab hominibus, teste Ecclesia[...] cap. 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & su[...] gloriam hominum diligeris.* Patet in Davide, [...] *mansuetus in imperio, patiens in convitio*, inquit, S. Am[...]brosius lib:2. Offic. cap.7. *ferre magis promptus: quà[...] referre injurias: ideò tam charus omnibus, ut juven[...] ad regnum etiam invitus peteretur & resistens coge[...]tur; senex ne prælio interesset, à suis rogaretur, qu[...] mallent pro ipso omnes periclitari, quàm illum pro omn[...]bus. Itaque parentes eum filiis filii parentibus præfereb[...]* sic Ambrosius. Eandem ob virtutem diligebatur R[...] Aragonum Alphonsus, de quo suprà diximus; qu[...] mansuetudine sua quasvis etiam injurias facilè toler[...]ret. Cum quidam in itinere Regem præcederet, [...] musculusque arboris ab eo apprehensus in Regis [...]culum, qui proximè sequebatur, fortè dimissus inc[...]disset, livescente & tumescente oculo, condole[...]tibus amicis, Regem dixisse aiunt: *nihil se profe[...] dolere, nisi percussoris ipsius dolorem ac metum.* Panorm[...] lib. 4. cap. 12. gest. Quid humanius ac mitius tan[...] Rege? Cajetam dum obsideret, ejectam à civib[...]

imbel

ibellem plebem excepit & cibis refocillavit, pluris rum se vitam æstimare afferens quàm centum Caas. Quare urbem posteà sine vi & armis in ditiom suam redegit. auct. eodem lib.1.cap.26. Nihilo ic cedit Henricus II. Imperator sanctus, de quo aber apud Baronium anno 1047. n.9. ita scribit: *ntigit ut Abbas cujusdam monasterii, honesta possesiu equum offerret Imperatori: fuerat autem, ignorte Abbate, militi clàm sublatus, & eidem Abbati tio venundatus, Imperator donum comiter suscipiens, met vectioni jumentum mancipavit. Cùmque eidem no insidens iter ageret, occurrit miles, à quo subreptus rat. Hic impudenter aggrediens Imperatorem: Tu x, inquit, qui censura debes tenere totius justitiam, eum modò fraudulenter arreptum cerneris possidere. i Rex, si tuus est equus, ut ais, accipe illum cum sesso- & educ tecum quousque tibi fiat satis. Hic miles here, putans se illudi. At Rex compulit eum, ut manu ecta, duceret utrumque in suum dominium. O mite victi Principis ingenium!* Cui facto, omni laude dio simillimum edidit Theophilus Imp. Græcus. ichaëlis Balbi successor, qui de equo, quem vidua ædam mariti sui in bello cæsi fuisse clamabat & obabat, descendit, & equum alium, quem fortè nas est, conscendit; ex quo institutam in posterum osecutionem equorum, qui manu ducerentur, ut siid simile forsan accideret, parati adessent Imperari equi, refert Curopolata de official. Palatii fol 56.

Tria hæc ornamenta, docet Christianos etiam lumba. Est enim avis pacis amantissima; simplex sine dolo, mitis quoque & injuriarum patiens. m ei pulli toties abripiuntur, nequaquam resistit. orundem Doctor insignis fuit ipse, qui hanc doctrim attulit, Christus Dominus. Quid enim illo patius? *Non contendet, neque clamabit, neque audiet iquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non nfringet & linum fumigans non extinguet*, ait Matæus c.12. ex Isa, Quid illo syncerius ac veracius? *Ego m*, dixit cohorti, cum ad mortem quæreretur: non git, non negavit; *qui peccatum non fecit, nec inventus dolus in ore ejus.* 1.petr.2. Quid eo mansuetius? *Cùm aledicer etur, non maledicebat: cum pateretur, non cominabatur: tradebat autem judicanti se injustè.* Ib.

THEMA TERTIUM.

Figuræ resurrectionis Dominicæ.

Adam è sopore suscitatus.

I. *Noë ex vino ebrius evigilans.*

II, *Ioseph è carcere eductus, exaltatus.*

V. *Ionas è ceto evomitus.*

. *Iob post afflictiones sibi restitutus majori felicitate.*

I. *Daniel è lacu leonum magna gloria ereptus.*

II. *Securis demersa iterum è fundo enatans.*

III. *Templum priùs destructum, restauratum in meliorem speciem.*

X. *Vas figuli dissolutum in pulchriorem formam reparatum.*

X. *Granum frumenti in terra mortuum reviviscens.*

Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die.

Luc. 24.

VAriis quidem Prophetarum oraculis prædixit olim DEUS Hebræis filii sui Redemptoris nostri, resurrectionem ex mortuis: variis etiam figuris explicavit ac delineavit, velut rem humano intellectui ad credendum admodum difficilem; verùm nihilominus pauci admodum fuerunt, qui mysterium hoc caperent, & sub cortice litteræ nucleum veritatis, thesaurum, inquam, resurrectionis absconditum, deprehenderent. Ipsi etiam Christi discipuli, quando eis Magister de suâ resurrectione aliquid dicebat, id nequaquam intellexerunt. Jacebat igitur lapis, & quidem grandis valde supra cor eorum, adhuc obscuratum & durum ad credendum: premebatque lapis iste & claudebat non tam CHRISTI sepulchrum, quàm illorum animos, ita ut sepulto Domino de ejus resurrectione exiguam spem haberent. Verùm ecce devotæ illæ mulieres, dum adeunt sepulchrum, respicientes vident revolutum lapidem ab ostio monumenti; audiuntque Dominum nostrum surrexisse redivivum & idipsum credunt Angelo asserenti & sepulchrum vacuum sibi demonstranti. Ex hoc ergo jam patuerunt oracula Prophetarum, figuræ referatæ, prædictiones Christi de suâ resurrectione confirmatæ sunt; quæ omnia à Christo explanata fuisse discipulis hodiernum indicat Evangelium. Nos jam omissis aliis figuras hujus mysterii expendemus.

I. Hodie Adam è sopore suo exstatico, in quo ex ejus latere formata fuit Eva, suscitatus vidit Evam sponsam suam, cujus aspectu recreatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* Gen.2.q.d. Apage animantia illa priùs ad me adducta; non placent, non congruunt mihi, quia mihi dissimilia, prona in terram capita habent, & ratione carent; unde nec merentur nomine meo appellari. Mulier hæc placet, illa mihi similis est, unde ex meo nomine eam compellabo, ex viro *viram* seu *viraginem*. Adam noster secundus, primi restaurator Christus est. Huic immisit Deus Pater soporem (Hebr. *tardema* h.e gravem & profundum somnum) quando eum mori voluit: formavit ex ejus latere Evam, quando perfosso ejus latere ex profluente sanguine & aquâ formavit Ecclesiam, teste Augustino sent. 328. *Dormiente Adam fit Eva de latere: mortuo Christo lancea perforatur latus, ut superfluant sacramenta quibus formetur Ecclesia*, inquit. Evigilavit Adam noster, quando à mortuis resurrexit. Vidit Evam sponsam suam, quando revisit Ecclesiam suam, in discipulis & sanctis fidelibus constitutam: approbavit & quodammodò dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*; quando humanissimè eos salutavit, repudiatis impiis Judæis, velut brutis animantibus, sibi dissimillibus, nullà ratio-

I. Adam è sopore suscitatus.

ratione utentibus, dum nulli eorum se visendum exhibuit. Appellavit Ecclesiam ex nomine suo *virginem*, quando dixit Magdalenæ: *Vade ad fratres meos & dic eis: ascendo ad patrem meum & patrem vestrum*, & posteà quando ex nomine suo (Christi) appellari eos voluit Christianos. *Præfigurata est*, ait S. Augustinus serm. 150. de temp. *in protoplasto Adam Christi resurrectio, quasi sicut ille post soporem surgens Evam de latere suo fabricatam agnovit: ita Christus à morte resurgens ex vulnere lateris sui ædificavit Ecclesiam.*

II. Nec ex vino ebriu evigilans. II Hodie Noë ex vino, quo inebriatus & nudatus fuit, evigilans maledixit Cham irrisori suo, benedixit vero Sem & Japhet, qui pudorem ejus operuerunt, Gen. 9. *Noë*. inquit Augustinus serm. 153. de temp. *qui in opere arcæ & ipse suo nomine requiem DEI in sanctis significat, in eo vel maximè redemptoris nostri figuram repræsentat, quod cum esset agricola, vineam plantavit & vini poculo* (Ecclesiæ scilicet amore, uti ait idem serm. 250.) *inebriatus, in suo tabernaculo est denudatus. Quæ res ad illum propriè spectat, qui calice passionis adeò factus est ebrius, ut ipso tegmine corporis nudaretur ad tempus, & statim in resurrectione evigilans illis daret benedictionem, qui in mysterio venerantur ejus passionem, irrisoribus autem suis dignam maledictionem.* Hinc resurgente Domino Angelus custodes sepulchri prostravit & quasi exanimavit: sanctas autem mulieres, quæ Christum venerabundæ quærebant, animavit & solatus est: *Nolite timere vos.* Præterea hostes suos, impios Judæos, suâ in resurrectione, terrore & maledictione: discipulos vero suos gaudio replevit & benedictione.

III. Joseph è carcere eductus, exaltatus. III. Hodie Joseph è squalore carceris post triennalem captivitatem eductus & impexo capillitio suo detonsus, mutataque veste squalidâ in decoram, in Pharaonis aulam adductus, currui ejus impositus est, ut ab omnibus adoratus, toti regno suo dominaretur, indito ei nomine *Salvatoris mundi*, Gen. 41. Joseph Christi typus resurgentis fuit. Ergo Christus Dominus projectus & ipse innocens in lacum & carcerem sepulchri, tertio die, detonsâ illâ mortalitatis comâ, & squalidâ lacerati & ærumnosi corporis veste in gloriosam & immortalem commutatâ, productus & in currum gloriæ evectus super omnem creaturam constitutus est judex vivorum & mortuorum. Suscepit æternus pater filium superatis mortis doloribus resurgentem, velut Josephum ex ergastulo eductum, & dedit ei omnem potestatem in cœlo & in terrâ, nomen etiam supra omne nomen, ut propriè & verissimè diceretur *Salvator mundi*: & quidem universi, non solius Ægypti, aut unius duntaxat regni.

IV. Ionas è ceto evomitus. IV. Hodie Jonas Propheta à ceto deglutitus rursum evomitus est in aridam. Patet hoc ex testimonio Christi Matth. 12. quo se in corde terræ seu in limbo & sepulchro ad triduum mansurum indeque posteà resurrecturum dixit. Jonas filius *Amathi*, hoc est, *veritatis*, Christus est filius DEI, qui est ritas. Ejectus est à nautis Christus in tempestuos mare, quando à Judæis traditus ad illudendum flagellandum gentibus, deinde ejectus est Jerosoly in infamem montem Calvariæ ad crucem, variot mentorum genere in eum desævientem. Devora est à ceto, quando ejus anima mortis faucibus à c pore avulsa; suscepta est in limbo; corpus verò situm in sepulchro. Evomitus est à ceto Jonas, v cibus indigestus, arctans atque impediens respira nem piscis; quando Christus inferni, à quo te non poterat, despoliator ac domitor juxta Ose, *Ero morsus tuus inferne*, à mortuis resurrexit. Per inde Jonas in Niniven, & convertit civitatem impi quando Christus missis suis Apostolis convertit m dum Gentilem. Fusius hunc typum Christi ex cat Sanctus Augustinus lib. 4. de symb. ad Catech cap. 6.

V. Hodie Job post tot acceptas clades, post vulnera à Satanâ sibi inflicta, post derisiones & c tradictiones ab amicis illatas, sibi restitutus du majores acquisivit divitias, quàm prius habue benedicente DEO novissimis ejus magis quàm p cipio. Christus enim per ipsum præfiguratus, u suis repudiatus & despectus, Gentibus & ipsi quo tenebrarum potestati traditus fuit; post vest despoliationem & ignominiam, post omnis gen dolores & vulnera, quibus toto corpore concisus f rediit ad gloriam & splendorem duplo major quàm anteà habuerit; corpore glorioso, cum ing ti prædâ, quam abstulit è limbo. Audiamus Ruper lib. 2. de operibus Spiritus S, cap. 9. *Quid enim* inq *noster iste Iob quid, inquam, DEUS Christus, q homo Christus habuerat? Diligenter utrobique posse nis ejus apprehendamus, quas ante passionem suam buerat, & non dubium erit, quin cuncta receperit du cia. Quid DEUS Christus habuerat? Novem o nes Angelorum &c. Sed ecce quia semetipsum exin vit, formam servi accipiens, & hæc passus est, quæ pr cta sunt, DEUS & Rex Angelorum pariter & minum, ergo duplicia DEO Christo reddita sunt.* ille.

VI. Hodie Daniel è lacu leonum, in quem d tione invidorum à Dario, ad hoc coacto, innoc demissus: ubi & illæsus & à leonibus intactus f iterum ereptus est incolumis, indeque Rex Da mirè gavisus. Christus enim, quem prælusit Dan primò ab invidis Judæis delatus ad Pilatum, dam tusque ad mortem ab eo, ad hoc impulso, in sep chrum demissus, nihil ibi ab ullo verme aut put dine passus est: sed inde redivivus rediit ad super suâque resurrectione totum mundum recreavit & cognitionem Dei veri adduxit. Vicissim uti accusa res Danielis in lacum missi mox à leonibus disce sunt: ita perfidi & increduli Judæi, tradito Christi, à Tito imperatore eversi. His de causis tiqui Christiani solebant pro symbolo resurrectio Danielem in lacu stantem inter leones illæsum

de extractum insculpere sepulchris suis, teste Baron. Martyrol. die 21. Julij

VII. Hodie ferrum illud securis, qui ligna cædere arabat, discipulis Elisæi de manubrio in fundum Jor-anis delapsum, ad vocem Elisæi iterum enatavit & anubrio se aptavit; uti legimus 4. Reg, 6. Cecidit rum de manubrio in fundum aquæ, quando in mor- Christi solutâ unione corporis & animæ, Christi ima in limbum descendit, & illius portas perfregit, suimque prorsus excidit, & inferos extraxit, corpo-interim in sepulchro manente. Enatavit ferrum ad anubrium in resurrectione Domini, quando eius ima reversa de limbo se rursum univit corpori. Non itur frustrà gestum illud ad speciem leviusculum ripturæ sacræ mandatum est; quia maximæ rei a ca-um est.

VII. Hodie templum illud reædificatum est; de uo dixit Dominus: *Solvite templum hoc, & in tri-us diebus excitabo illud* Joan. 2. Corpus, inquam, hristi, de quo loquitur ibi, & quod hodie repara-it, quando redivivum exhibuit; id quod pulchrè xpressit cùm dixit: *Excitabo illud.* quasi dicat è omno mortis triduano excitabo. Porrò quod de mplo illo prædixit Aggæus cap. 2. his verbis: *Ma-r erit gloria domus istius novissimæ, plusquam pri-æ*; non convenit templo illi Jerosolymitano, uod Zorobabel reparavit, & posteà Herodes ex par-e instauravit (nisi ab extrinseco, quà Christus eo præsentatus fuit & docuit:) quare de templo ystico, Christi nimirum corpore, intelligendum idetur, quo sensu est verissimum: major enim fuit loria corporis Christi posterioris à morte resusci-ti; quàm fuerit prioris, quod habuit ante mor-em. Hoc enim passioni & morti erat obnoxium, lud verò gloriosum, immortale, impassibile, agile, ubtile, fulgidum.

IX. Hodie vas illud figuli luteum, ostensum Je-emiæ, & in rotâ dissolutum, iterum à figulo repara-um, & vas alterum factum est, sicut ipsi placuit. erem. 18. Vas illud luteum corpus Christi morta-e designavit; quod in utero virginis à Spiritu san-cto efformatum, posteà ab impijs Judæis dissolu-um & in cruce ab anima separatum est. Verùm unquid *sicut figulus iste*, ait Dominus, *non potero vo-bis facere*? Fecit ergo ex corpore illo mortali, cor-pus alterum immortale, quod frangi jam non po-est. Ita intellexit schema illud Ruffinus in expo-sitione symboli (inter opera Cypriani) ubi scri-bit: *Hic enim erat figulus, qui ut Ieremias docet pro-pheta, vas de manu suâ collapsum & confractum rur-sum elevavit manibus suis & reformavit, sicut pla-cuit in conspectu eius. Placuit autem ita, ut corpus quod mortale & corruptibile susceperat, de sepulchri pe-tra levatum, & immortale atque incorruptibile effe-ctum, jam non in terrenis, sed in cœlestibus & in patris dextra collocaret.*

X. Hodie granum frumenti projectum in ter-ram & in eâ mortuum repullulavit ac revixit multo cum fœnore, prout dixit Dominus Joan. 12. *Nisi gra-num frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ip-sum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* Ubi Augustinus tr. 51. in Joan. *Seipsum*, inquit, *IESVS dicebat: ipse erat granum mortifican-dum & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide omnium populorum.* Projecerunt Judæi Christum in crucem, mox à cruce sepeliendum & terrâ obruendum, ne eius nomen me-moraretur amplius. Sed quid effecerunt? Granum frumenti in terram sparserunt, ubi non modo non pe-riit, sed germinavit & uberius revixit. *Dixerunt illi*, ait idem Augustinus in præfat. psalm. 40. *quando mo-rietur & peribit nomen eius? id est, cum occiderimus eum, jam nomen eius non erit in terra, nec seducet ali-quos mortuus &c. Mortuus est & non periit nomen e-jus, sed seminatum est nomen ejus: Mortuus est, sed granum fuit, quo mortificato seges continuò exurgeret. Glorificato ergo Domino IESV Christo cœperunt mul-to magis multoque numerosius credere in illum, & cœ-perunt membra ejus audire, quod caput audiebat* Gra-num illud resuscitatum protulit culmum altitudine in-signem, Ecclesiam fidelium amplitudine & altitudine, quâ ad cœlum sese porrigit, omnia regna superantem. Protulit & spicam innumeris plenam cellulis, quæ sunt Episcopatus, Prælaturæ, monasteria, Eremi, Collegia, Seminaria, Parochiæ toto orbe diffusæ. Protulit & flo-res odoriferos, famam scilicet sanctitatis, primorum præsertim Christianorum; juxta id Apostoli 2. Cor, 2. *Christi bonus odor sumus.* Protulit & grana innumera quæ sunt fideles & electi omnes, quos secum resusci-tavit, dum eis resurrectionem ad vitam æternam suis meritis comparavit.

Granum frumenti in terra mortuum reviviscens.

Gaudeamus igitur in Domino, qui nobis the-saurum istum absconditum hodie revelavit, & gra-vem illum lapidem ab ostio monumenti revolvit, ut jam non modo Dominum nostrum redivivum cerne-re, sed & nos post ipsum aliquando resurrecturos ad similem gloriam sperare possimus; cui sit honor & gloria.

THEMA QUARTUM.

Pax varia à Christo resurgente allata, ovum album.

I. Pax inter Iudæos & Gentiles.
II. Pax inter Christi discipulos.
III. Pax homini à Dæmone.
IV. Pax homini à peccatis.
V. Pax inter homines.
VI. Pax à morte.

Pax vobis. *Luc.* 24.

NEcdum finis ovorum, Auditores, quæ attulit nobis Christus è sepulchro redivivus. Rubrum

& cæruleum vidimus; hodie nobis album exhibet. Id verò est pax optatissima, quam precatur nobis in hodierno Evangelio, sed ipso resurrectionis suæ die, discipulis suis apparens: *Pax vobis, ego sum: nolite timere.* Albus color pacis est symbolum. Ideo enim Angeli ad sepulchrum Domini in albis vestibus sedẽtes apparuerunt. Sedere enim pacificorum, stare pugnantium est. Olim quoque hoc usus obtinuerat, ut pacis petitio, non nisi sublatâ albâ veste firma & rata haberetur. Unde Æneas l 3. Æneid. ex candore equorum, qui in conspectu Italiæ apparuerunt, pacis omen accepit. Denique Tamberlanes ille obsidens urbem, primo die vexillum album, quasi pacis signum, si se dederent, prætendebat. Christus igitur Dominus noster mortis triumphator, candidum vexillum hodie expandit, optatissimo omine, pacem nobis denuncians: salutem nostram quærens. Sed quænam illa pax nobis hodie allata? Ante Christum resurgentem variæ pugnæ homines vexabant, quas omnes dissolvit Christus suâ resurrectione: sicque variam pacem tulit: uti jam videbimus.

I. *Pax inter Judæos & Gentiles.*

I. Pugna erat inter Judæos primo, deinde inter Gentiles utrum Christus verè esset D e u s & homo. Alij asserebant, alij negabant, & schismata atque hæreses inde ortæ sunt. Joann. 9. At Christus hodie resurgens pacem imperat, demonstrans se revera Deum & hominem esse; siquidem seipsum propria virtute à mortuis suscitavit, quod facere non potuisset, nisi D e u s fuisset: sicut & mori non potuisset, nisi homo fuisset. Certe Areopagitæ quando audierunt Paulum disserentem de resurrectione mortuorum Act. 17. *quidam irridebant eum, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Habebant enim principium philosophicum à privatione ad habitum non dari regressum. In morte autem sunt plurimæ privationes, verbi gratiâ, non audire, non videre, non loqui. Quare stando in naturalibus, quamvis D e u s poneret corpus defuncti integrum, cum omni perfectione organorum, & dispositionibus requisitis ad informationem; & poneret juxta id animam præbens ei facultatem ingrediendi corpus illud, quod habebat prius: non posset ingredi anima illudque resuscitare, tametsi maximè ad hoc inclinetur; quia sequeretur quod effectus esset melior suâ causâ (quod est contra rationem:) anima, quæ foret causa, melior esset toto homine, qui esset effectus: Quod falsum esse constat: totus enim homo melior est solâ animâ, quæ est pars tantùm hominis. Itaque opus hoc resurrectionis Christi est opus solius D e i & divinæ eius potentiæ. Quando ipse rususcitavit mortuos tanquam Dominus & imperans, ostendit se esse D e u m: quando autem resuscitavit seipsum ostendit se esse D e u m & hominem; nisi enim, ut dixi, homo esset, mori non posset: nisi D e u s esset: resuscitare se non posset. Hinc scriptura ipsum *resurrexisse* ait, alios *suscitatos esse*, ut advertit sanctus Bernardus sermone in pasch. Hinc etiam licet in eius incarnatione B. Virgo ei cooperata fuerit, dando ei carnem: & Judæi in redemptione, crucifigendo eum; in surrectione tamen nemo ei cooperatus fuit. Quis nim alius suscitavit eum, nisi ipse se? Hoc ergo si num omnium maximum & efficacissimum fuit ad p bandam eius divinitatem & humanitatem, quod p misit Judæis, quando signum Jonæ in se demonstr dum, & templi destruendi reparationem prædi Quando Elias suscitavit filium Viduæ, non impera sed orans, adeoque non suâ sed divinâ virtute, xit, ipsa: *Nunc in isto cognovi, quoniam vir D es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Regum. 17. At cùm Dominus suscitavit Lazar aliosque mortuos, velut Dominus imperans adeoq suâ virtute, debebant dicere Judæi: Nunc cogno mus, quia D e u s es. Dum verò audimus, quod ipsum ita suscitavit, dicendum nobis est: Nunc co novimus, quia verè D e u s & homo es. Itaque *P vobis*, ait Dominus.

II. Pugna seu controversia erat inter Christi d cipulos initio, an ipse verè resurrexisset. Quidam nim affirmabant, uti Petrus & duo illi reversi ex maus: quidam alij dubitabant: alij mulieribus & P tro ac duobus revertentibus ex Emaus non credebat Thomas usque ad octavum diem mansit infidelis. P tabant etiam aliqui, quando eis apparuit, se spiritu videre. At Christus pacem imperat & facit, dum tot argumentis probat vere à mortuis surrexisse, nemo, nisi pervicax & obstinatæ voluntatis hon contradicere possit. Etenim visibilem se & palpab lem præbuit, quod facere corpus gloriosum pote prout vult vel non vult. Comedit cum discipulis: fl tum seu anhelitum eis aspiravit: collocutus est, ade que omnibus quinque sensibus redivivum homine ostendit. Eadem effigies & plagæ quinque demo strabant illum ipsum esse, qui crucifixus fuera Accedunt scripturarum expositio, præteritoru dictorum repetitio & in mentem revocatio, p quadraginta dies cum discipulis conversatio, pr pria asseveratio, oraculorum impletio, Angel rum testimonia; quæ omnia non quidem ev dentiam veritatis faciebant, (hæc enim everti set fidem eiusque meritum) sed evidentiam credi bilitatis, quæ non obest merito fidei; licet beatiore illi sint, qui tot argumenta, ut credant, non inqui runt, teste Domino. Solam rationem naturalen sequi Ducem velle, omnino est non credere; qua re nemo prudens eam requirat. Itaque *Pax vobis*; nemo jam dubitet de verâ Christi resurrectione.

III. Pugna erat & quidem difficillima homin cum Dæmone, qui ante Christum potentissime miserè premebat humanum genus, & tetris Idololatriæ, auguriorum, oraculorum falsorum erroribus cæcabat, mutuisque in se odijs concitabat. Designatus per Draconem illum (Pharaonem) Ægypti aquas conturbabat pedibus suis & conculcabat flumina eorum; inquinabat enim suis illusionibus omnes vias & doctrinas hominum. Cui pro-

roinde dixit Dominus : *Expandam ſuper te rete eum & extraham te in ſagenâ meâ; projiciam te in rram, & ſuper faciem agri abjiciam te; habitare fa-am ſuper te omnia volatilia cœli &c. Tunc puriſſimas ddam aquas eorum & flumina eorum, quaſi oleum lducam, ait Dominus*, Ezech. 32. Fecit hoc Dæmoni hriſtus, quando expandit in Cruce manus ſuas; ſic-ue raptum & ligatum de poteſtate ſuâ dejecit & hriſtianis illudendum, ac quaſi dilaniandum de-t; quo facto puriſſimas reddidit aquas & ſaluber-mas, dogmata videlicet & doctrinas, quas Dæ-on priùs veneno errorum ſuorum infecerat. *Ipſe e-m eſt pax noſtra* (ad Epheſ. 2.) *pacificans ſanguine o, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* ad Coloſſ.

Quantam ille ſtragem intulit humano generi, dum on niſi humano ſanguine paſci, & tot millibus homi-am etiam chariſſimorum ne ſatiari quidem unquam oluit! quot lachrymas parentum, filiorum, propin-uorum provocavit! quot aquas turbavit! Fuit dhuc Romæ uſque ad tempora Honorii, adeoque d auctoris etiam, qui id ſcribit (ſanctus Proſper quitanicus de prædict. p. 3 cap. 36,) tale Dæmonis uſque ſacrificulorum ludibrium, machina ſubter-inea, Draconis magni ſpecie, quem humanis fune-bus ceu pactis hoſtiis oportuit placare. Adornaba-ir inicia mali Virgo, quæ floribus cæteroque mun-o culta in ſubterraneum illum carcerem ſubmit-ebatur, quaſi draconi munus è floribus allatura. Quæ ubi in fallaci gradu pedem poſuit, draco ille ictus exurgens machæram ſtrinxit & puellam quà ttigit diſſecuit. Tandem ubi ludibrium hoc Chri-tianis detectum eſt. Monachus quidam obtinuit, t in illud draconis cubile admitteretur; quo impe-rato, pertentans baculo ſingulos gradus, depre-endit uno cedente mox exſurgere ſtricto gladio monſtrum illud, ſed incaſſum: ſubducto enim cor-pore ictus gladii aërem ferit. Quare aliâ viâ in inſi-na loci penetravit & dolabris ligneam machinam confregit, populoque ſuum, quod ſtolidè colebant, Numen, ſpectandum & execrandum propoſuit; ſic-que urbem hac ſervitute & cæcitate diabolicâ libera-vit. Habemus hîc ſpecimen unum tyrannidis illius, quam draco ille magnus tenuit in homines. Sed hoc addendum, non quidem ita exciſum eſſe draconem il-lum, ut omnino in mundo non ſit amplius; ſed ita captum & conſtrictum eſſe, ut nemini nocere queat, niſi qui ad inſtar puellæ illius, ultrò ad eum accedere & flores porrigere, cum eo communica-re, ejus conſilia & opem implorare, magicis re-bus uti, conſenſum blandienti & tentanti dare ve-lit.

IV. Pugna homini erat cum peccatis propriis, quæ ipſi carnificum inſtar erat, quia ſemper dubius hærebat, an & quando ipſi remiſſa eſſent: proinde quaſi ſagittas corpori infixas gereret, requiem non habuit. Unde queritur David in peccato exiſtens pſalm. 37. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Et mox: *non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Pro-inde deſideravit audire aliquem, qui diceret ipſi re-miſſa eſſe peccata, pſalm. 50. *Auditui meo dabis gau-dium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Et obtinuit tandem illam, quando ex ore Nathan à DEO ad ſe miſſo audiit. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. Sed hæc gratia ſingularis fuit, aliis ante Chriſtum non contigit. At Chriſtus huic pugnæ *cogitationem invicem accuſantium ac de-fendentium*, ut ait Paulus ad Rom. 2. pacem imperat & affert in die reſurrectionis ſuæ, quando ſuis Apo-ſtolis poteſtatem remittendi peccata dedit. Poſtquam igitur reatus noſtros aperuimus Judici noſtro ſpiri-tuali, & audivimus ab eo: *Abſolvo te*; jam indicium habemus certum ex parte DEI, nos DEO reconci-liatos eſſe, ſicque pacem cordis acquirimus. Unde communiter Confeſſarii addunt, quod Chriſtus Magdalenæ reconciliatæ dixit: *Vade in pace.* quaſi dicat: eſto jam quieta in corde tuo. Pulchrum hu-jus beneficii typum exhibuit DEus, quando Ezechiæ ægrotanti ſanitatem promiſit per Prophetam, ſig-numque ejus conferendæ petenti, Soli imperavit, ut decem lineis retrocederet. 4. Regum 20. Quid enim Ezechias æger niſi peccatorem morti addictum indicat? & quid Solis retroceſſio per decem lineas, niſi ſacramentum pœnitentiæ, in quo peccator per decem præceptorum lineas retrorſum ire debet, præ-terita peccata in memoriam revocando & ex ore rur-ſum evomendo in confeſſione, quæ prius velut a-quam biberat? Intrarunt enim *ſicut aqua in inte-riora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Pſalm 108. Tunc certum habebit ſignum remiſſorum ſibi pecca-torum, cum audiet: *Ego te abſolvo.* Tunc pacem cordis habebit. Additum emplaſtrum de ficubus & poſitum ſuper ulcus, pœnitentia ſeu pœna injuncta eſt, levis & ſuavis.

V. Pugna & diſcordia erat inter homines; quando nullo ſolido fœdere colligati omnes quærebant, quæ ſua ſunt; & quia bona mundi inter tot diviſa ſæpe non ſufficiunt, unus abundabat, alter indi-gebat, hinc lites & contentiones exiſtebant. At Chriſtus hodie pacem imperat facitque, dum ſe in medio ſuorum conſtituens ait: *Pax vobis.* Vult e-nim dicere? Ego media in Trinitate perſona, me-diator veſter ſum, & acquiſivi vobis cœlum ſan-guine meo, ubi omnes abundabitis, & habebitis quidquid vultis. Pax enim apud Hebræos ſignifi-cat omne bonum. Quare ſicut frater filii prodigi non habebat, cur fratri invideret gratiam à patre factam; quia *omnia mea tua ſunt*, ait illi pater: ita nemo fidelis alteri quidquam invidendi cauſam ha-bet, quia DEI ſumus hæredes, cohæredes autem Chriſti. ad Rom. 8. Rurſum dicere vult: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*, omni-bus dare neceſſaria & ſuccurrere paratus. Id quod etiam ante paſſionem diſcipulis ſuis ita præſtitit, ut ſæpius inter ſe contenderent, *quis eorum videre-tur eſſe major*: omnes enim & ſingulos tantâ bene-

V. *Pax inter homines.*

volentiâ complexus fuit, ut singuli existimarent, se præ cæteris ei dilectos esse. Quare contentionem inter eos hac de causâ ortam sic sedavit: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Lucæ vigesimo secundo. Quid vero amplius quærimus, si Christum æquè nobis vicinum & ad opitulandum paratum habemus? eo destituti nihil habemus atque alii? nonne habito Christo omnia habemus? Lineæ ex circumferentiâ ad centrum ductæ, omnes æquales sunt. Vult dicere denique: *Omnes enim fratres estis*, ego autem pater vester; pacem ergo conservare debetis. Ita enim argumentantur filii Jacob, cùm a Josepho arguerentur, ne fortè proditores essent: *Omnes filii unius viri sumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali* Gen. 42.

VI. *Pax à morte.*

VI. Pugna erat inter homines, an mors terribilis & metuenda esset. Aliqui enim qui censebant animam cum morte extingui, ut plerique Gentiles, terribilium omnium terribilissimam dicebant, ideoque velut summum malum metuebant. Alii, qui immortalem quidem animam credebant, ad tenebras tamen descendere post mortem usque ad Christi adventum & resurrectionem ex scripturis norant; unde cum tristitiâ mortem obibant. Miseri alii velut malorum finem optabant & læti amplectebantur. Quid Christus? pacem imperat & facit mortis triumphator, qui dum hodie resurrexit ad immortalem gloriam corpore & animâ glorificatus denunciat nobis mortem piorum fidelium esse somnum & nativitatem potiùs quàm mortem. Ita enim de se canit Christus psalm. tertio. *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi.* Similiter piorum mors appellatur *exitus* & *iter* ad cœlum Sap. tertio *Æstimata est afflictio exitus illorum: & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.* Sicut ergo exitus Hebræorum ex Ægypto lætissimus fuit, quia iter ad terram lacte & melle manantem: ita mors fidelium exitus est è tenebris & servitute, & iter ad cœlum; ubi pax est sempiterna. Magnâ pace fruitur, qui hostem sibi jam subjectum habet, eoque utitur pro mancipio, sicut Sapores Rex Persarum, qui victo Valeriano Imp. pro scabello usus est in equum ascensurus: & Sesostres, cujus currum captivi Reges trahebant. At hoc nobis jam per Christum resurgentem facta est mors, scabellum, inquam & vehiculum ad conscensum cœli. Hinc S. Chrysostomus ho. 4. ad Hebr. invehitur in illos, qui defunctos fideles quasi extinctos plangunt. Idcircò enim ait in exequiis & funeribus accendi festivas lampades, ut sicut athletæ producantur: addi hymnos & psalmos, ut DEO gratiæ agantur, quod discedentes jam coronârit. *Omnia ista gaudentium sunt*, inquit. Quod si Jacob dicere potuit ad Josephi filium: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Genes. quadragesimo sexto. Et si Simeon canere: *Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*: cùm tamen adhuc ambo descenderent in limbum patrum; quanto magis lætari in morte Christi poterunt & in pace mori, qui sciunt, se ad Christum ire? Hinc senex quidam in Scithia moriens circumstantibus fratribus, repente aperuit oculos, risit; & hoc iterum ac tertiò. Cùm autem rogarent eum fratres, cur rideret, respondit. *Primò risi, quia omnes timetis mortem: secundò risi, quia non estis parati: tertiò risi quia de labore vado ad requiem.* Ruffinus quilejensis apud Rosweid. lib. 3 vit. Pp.

THEMA QUINTUM.

Varia pax optatur in rebus variis.

I. *Pax in animâ.*
II. *Pax in conscientiâ.*
III. *Pax in conjugio.*
IV. *Pax in civitate.*

Pax vobis. *Luc.* 24.

MOs salutandi & benè precandi apud Hebræos receptissimus fuit, pacem precari; quem observavit etiam Christus in hodierno Evangelio, observarunt Angeli in Christi nativitate salutantes pastores, observârunt Apostoli in suis epistolis, nec non in congressibus humanis. Denunciare autem pacis vocabulo intendebant, non quietem ab hoste solùm, sed ab omni adversitate, adeoque precabantur omnem prosperitatem; quia pax bonum universale est, ad omnia necessaria; sine quâ nemini prorsus benè esse, imo nec mundus stare potest: uti ostendit Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 1 de pace: quemadmodum nec regnum Diaboli; uti dixit Dominus Luc. 11. Hanc ergo pacem ad omnia utilem & per omnia necessariam vobis Auditores hodie ex ore Domini nostri precabor in hoc sermone.

I. Pax vobis in animâ, quam optare videtur Apostolus Colossensibus cap. tertio cùm ait: *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Gr. βραβευέτω hoc est, *imperet moderetur, gubernet.* Hæc pax habetur, quando quis compositos & sedatos rationique subjectos habet omnes animi motus & passiones; quæ sanè pulcherrimum est donum, quale est cum quis navigat in tranquillo mari, nullis adversis ventis, nullis fluctibus agitato. De quâ etiam locutus est Apostolus ad Ephes. 2. dicens. *ipse* (Christus) *est pax nostra, qui fecit utraque unum.* hoc est, carnem & spiritum ita inter se uniit, ut caro velut ancilla per omnia pareat spiritui velut dominæ, quemadmodum exponit V. Beda: *Erit* inquit, *in te pax, cùm devicta in te vitia cuncta virtutibus favere docueris: & membra quæ fuerunt arma iniquitatis peccato, feceris arma justitiæ DEI.* Qui hâc pace gaudet, velut Rex quidam imperat in corpore & animâ suâ, uti indicat Dominus Lucæ 17. cùm ait: *Regnum DEI intra vos est*, quando scilicet ratio gubernat & moderatur omnes animi motus juxta legem Christi. Quale fuit regnum Adami in paradiso; cùm dominabatur omnibus animalibus, ut ad ipsius nutum parere ei cogerentur: tale est, hoc imperium hominis,

nis, cui subjacent ac parent animi passiones. Et
emadmodum Adam eo tempore fuit vir ex omni
te perfectus: ita etiam censetur perfectus esse ille,
i tale in animo suo imperium habet. Unde Sanctus
ibrosius lib. de Jacob & vita beata cap. 6. ait: *Per-*
a virtus habet quietis tranquillitatem & stabilita-
, ideò Dominus donum ejus perfectioribus reservavit,
ens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vo-
Perfectorum enim est non facilè mundanis moveri,
turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore
cuti, non dolore vexari: sed quasi in littore tutissimo
versus insurgentes fluctus sæcularium procellarum
atem immobilem fida statione placare. Hoc firma-
tum Christianis mentibus Christus invexit, &c.
i accedit Sanctus Basilius in Psal 28. hom. 1. *Be-*
ictionis Divinæ species pax perfectissima esse videtur:
n status sit mentem procul intemperie omni constabi-
is. adeò ut pacificus vir hoc insigni tanquam proprio,
u internosci possit, siquidem sedatis est & peramœnis
ribus, contra qui adhuc compugnantium affectionum
gatur intemperie, is nondum effectus particeps est Di-
æ illius pacis, quam Dominus suis dedit Apostolis,
er est revera, qui hac pace caret: in mari enim na-
at tempestatibus agitato: habitat in domo, in qua
lla famula principatur dominæ, & Eva dominatur
amo.

II. Pax vobis in conscientia, quam optat Aposto-
Philippensibus. 4. dicens: *Pax Dei, quæ exsuperat*
nem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias
tras in Christo Iesu. Gr. νοῦν, id est, *intellectum*, q.d.
ta est & tam sublimis est hæc pax, ut intelligi non
sit. Custodit enim corda, inprimis ab omni tristi-
& melancholià, instillans in mentem juge & inef-
ile gaudium: juxta id Prover. 15. *Secura mens quasi*
e convivium. Quis in splendido convivio non ob-
scitur curas & tristitias? Certè eas bona conscien-
opprimit & contemnit. *Quemadmodum si brevem*
itillam, inquit S. Chrysostomus ho. 25. ad pop. *in la-*
n dejeceris profundum, statim extinxeris: itidem &
nis tristitia superabundantia in bonam missa consci-
iam extinguitur & facilè deletur. Propterea quidem
Paulus semper gaudebat: quoniam interius secun-
n Deum confidebat, neque tot malorum cupiebat sen-
: sed dolebat quidem ut homo: non tamen cadebat:
lis enim cõscientia scit se pacem habere cum Deo,
sse Dei amicum, Deum se habere patrem & qui-
n amantissimum, cœli hæredem se conscriptum,
. quâ igitur ratione tristitiæ locum dabit? Hinc S.
burtius martyr ad Tyrannum: *Omnis nobis vilis est*
na, inquit, *ubi secura comes est conscientia.*

2. Custodit corda ab omni hostili incursione, Dæ-
onum præsertim; faciens nos non modò inexpug-
biles, sed etiam terribiles, & formidabiles. *Quis*
m, ait Ambrosius in Epist. ad Philipp. 4. *non metuat*
n quem scit Dei esse amicum? Demonstratum id in
o S. Ambrosio fuit, de quo Innocentius quidam
ispex, cum maleficiorum causa torqueretur à Ju-
ce, edixit misisse se Dæmones, qui illum necarent,
sed Dæmones renunciasse, se non solùm ad ipsum ap-
propinquare minimè posse, verùm etiam nec ad fores
domus, in quâ manebat Episcopus, quia ignis insupe-
rabilis omne illud ædificium communiret, ut etiam
longè positi urerentur. Ita Paulinus Pres. in ejus vitâ.
Per idem tempus, addit idem auctor, *cùm vir illustris,*
Probus, puerum suum notarium, qui spiritu immundo
graviter vexabatur direxisset ad Episcopum, egressum
urbe dimisit Diabolus, timens ad virum sanctum perdu-
ci. Atque ita puer, quam diu Mediolani apud Episcopum
fuit, nulla comminatio Diaboli apparuit. Sed ubi egres-
sus Mediolano est & propè urbem pervenit, idem spiri-
tus, qui illum anteà habuerat, vexare cœpit. Qui cùm
interrogaretur ab exorcistis, cur quamdiu Mediolani
fuit nõ in illo apparuisset, confessus est Diabolus timuisse se
Ambrosium, & ideò recessisse ad tempus atque exspectas-
se in illo loco, ubi ab illo recesserat, donec reverteretur:
quo revertente vas, quod deseruerat, repetisset. Quam
verò imperterrito esset animo contra Imperatores
dira minantes, paret ex variis ejus scriptis. In Orat. ad
Mediolanenses in Auxentium ait: *Circumfusi milites,*
armorum strepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidẽ non
terrent meam. Et infra: *Non metuit arma, non barbaros,*
qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retine-
tur. Et lib. 5. epist 53 minanti sibi Calligono, præpo-
sito cubiculi Imp. ac dicenti: *Caput tibi tollo;* respon-
dit: *Deus permittat tibi ut impleas, quod minaris. Ego*
enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis.

III. Pax vobis in vestris domibus. Hanc precatus **III. Pax in domibus.**
est suis Dominus, cùm essent simul in unâ domo
conclusi & inter se de sua resurrectione dissidentes,
Petro & duobus, qui ex Emaus redierant asserenti-
bus, cæteris necdum credentibus, uti Marcus scribit.
Dum ergo sic inter se contendunt, venit Dominus,
& dirimens litem ait: *Pax vobis, ego sum.* Hanc ean-
dem pacem ut precarentur hospitibus, ad quos di-
versuri erant Apostoli, præcepit eis Matt. 10. *Intran-*
tes domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui. Qui-
bus verbis Sanctus Hieronymus pacem propriè sumi
vult pro ea, quæ discordiæ est contraria: *Pacem im-*
precamini hospiti, inquit, *& quantum in vobis est, dis-*
cordiæ bella sedate, &c. Vidit nimirum Deus quantum
in domo bonum sit pax domesticorum, & quantum
malum eorum dissidium. Etenim pax Hebræis non
solùm significat omne bonum & omnem prosperita-
tem, sed revera etiam inferre solet; undè eam antiqui
cum cornucopia pinxerunt; quia causa est abundan-
tiæ. Adhæc ubi pax est, ibi Christus est, quia *in pace fa-*
ctus est locus ejus. Psal. 75. & *ubi sunt duo vel tres con-*
sentientes in nomine meo, ibi sum in medio eorum, ait:
Matth. 188. Quod inprimis docere mundum voluit,
quando eo tempore nasci, quo pax in toto orbe fuit,
ut observat V. Beda in Comment. in Luc. 2. *Pacatissi-*
mo sæculi tempore procreatus, ait, *quia pacem magnopere*
quæreret atque amaret, edocuit, quia pacis charitatisque
sectatores semper invisere dignaretur, indicavit. Idem
hoc præstitit sensibiliter in Oratorio S. Petri, quod
in aula Clodovæi Regis Fr. Regio cubiculo conti-

 guum,

guum erat. Cùm enim Sanctus Remigius præparaturus Regem ad baptiſmum verba ſalutis præſente Rege ac Reginâ cum aulicis exorſus eſſet, repente lux copioſa totam replevit Eccleſiam & è luce vox pariter intonans: *Pax vobis, ego ſum nolite timere: manete in dilectione mea.* Mox ſubtractâ luce incredibilis odor ſuavitatis eadem in æde remanſit: prorſus ut auctorem pacis ac lucis eò veniſſe nemo dubitaret. Ita Hincmarus Archiepiſcopus Rhem. in eius vitâ apud Lipel. 1. Octob. Porrò ſicut Chriſtus in domo pacis vult habitare & gratiam ſuam effundere: ita etiam mater eius benedicta. Colligimus id ex ſacra eius ædicula, quæ ex Lauretana ſylva poſtquam à prædonibus infeſtari cœpit, emigravit in collem duorum fratrum Recinetenſium, qui concordibus animis eum poſſidebant, quaſi approbans & confirmans verbum filij in matre: *Vbi duo vel tres, &c.* Verum ubi ditata mirum in modum ædicula uterque emolumentum adtrahere incepit, & cum altercatione congreſſi, ab irarum certamine ad arma venêre, nec procul abeſſet, quin Germani fratres Auguſtiſſimam cellam fraterno cruore reſpergerent, tum eccè ab eo loco ad iactum ſagittæ in proximum alium collem novo miraculo ſeceſſit; uti refert Turſellinus lib. 1. c. 8. Benè ergò Dominus, quando præcepit diſcipulis, ut pacem precarentur domui, in quam ingreſſuri erant, addit: *Et ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* Matth. 10. Vel ut Sanctus Lucas ait: *Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra.* cap. 10. q. d. afferetis vobiſcum in eam domum meam benedictionem & omnem proſperitatem: ſed ſi ea reſpuat vos, & pacem meam, fugiet ab ea pariter omnis benedictio, & remanebit eis maledictio; uti ſubijcit: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicij, quàm illi civitati.* Sunt in quibuſdam civitatibus deſignatæ domus duæ, una cœli vel paradiſi, altera inferni nomine. Vultis ſcire, quæ domus ſit paradiſus, ubi pax hoſpitatur. Quæ ſit infernus? ubi pax exulat & diſcordia dominatur.

IV. *Pax in coniugio.*

IV. Pax vobis in coniugio, quam Annæ precabatur Heli Sacerdos 1. Regum primò. *Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, &c.* Quin imo precatus eſt ipſe D E U S, quando ex latere Adami dormientis formavit ipſi conjugem. Cur enim ex latere? *Vt & eandem in illis eſſe naturam demonſtraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam in illis inſereret,* inquit, Theodoretus quæſt. 30. in Geneſ. *Et ut firmam & inſolubilem debere eſſe oſtenderet unici coniugii charitatem.* ait Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 34. Sed cur ex latere dormientis? *Ne ſentiendo dolorem mulieri ex ſe formatæ poſteà doloris memor infenſus fieret,* inquit D. Chryſoſtomus homil. decima quinta in Geneſ. Rarum quidem eſt hoc inter coniuges donum ſtabili perſeverantia, iuxta veterem parœmiam celebratam à Sancto Hieronymo lib. 1. contra Jovæ. *Qui non litigat cælebs eſt.* Verùm quò rarius, eò charius. Quod enim eſt mare tranquillum vel tempeſtuoſum navigantibus: hoc eſt pax vel diſcordia coniugibus. V de Sanctus Chryſoſtomus homil. 19. in 1. ad Corin *Quando, inquit, domi inter maritum & uxorem fi rit diſſidium, non melius ſe habebit domus, quàm vis agitata tempeſtate, diſſidente gubernatore ab eo, q regit proram.* Et quemadmodum in hujuſmodi diſſi ac tempeſtate navis exonerari ſolet projecto on commeatu & pretioſis mercibus; ita in coniugio l gioſo omnia peſſum eunt & parta dilabuntur. Po ut hanc pacem conſequantur conjuges, vir in pri conſulenti uxori facilis aſſentiatur, quo modo Ab ham Saræ poſtulanti, ut ancillam, diſcordiæ cauſa eijceret, placidè conſenſit dicens: *Ecce ancilla tua manu tua eſt.* Geneſ. 16. Quo loco D. Chryſoſton hom. 38. ait: *Hæc in uxorem indulgentia, pace dom replevit.* Deinde uxoris defectus toleret, multa di mulet, pauca notet ac perſtringat; *qui enim neſcit ſimulare, neſcit regnare.* Vxor etiam ſtudeat viro fa lè aſſentiri in quibuſcumque rebus licitis. Audi Chryſoſtomum homil. 4. in 2. ad Tit. *Præcipuum,* quit, *illud eſt domeſticæ pacis ac bonorum omnium fu damentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit. N ubi hoc fit, nihil triſte contingere poteſt. Quo pacto en cum caput corpori connexum coniunctumque ſit, ulla ſeditio, ulla diſſenſio poſſit exoriri? Neceſſario profecto liqua omnia in pace ſunt. Principibus namque paca qui iam pacem dividere poſſit atque diſcindere? Que admodum econtrà his invicem aſſentientibus nihil lubre eſſe poterit, totaque nutabit familia.* Docuit h natura non obſcurè: dum viro vocem gravem & pr fundam, quaſi fundamẽtum pacis, mulieri vero grac lem, ſubtilem & altam dedit. Norunt autem Muſic artis periti, vocem profundam ſeu Baſſum, baſin fundamentum eſſe cæterarum debere, ita ut reliqu altiores voces ipſi, non ipſe alijs conformari debeat cantus compoſitione; alioquin conſonantia perib Quoniam igitur mulier natura ſic iubente altum v diſcantum loquitur, vir vero Baſſum; clarum eſt ipſa viro conſentire debere, ſi iucundum in conjugio cor centum, ſi pacem habere velint.

V. Pax vobis in civitate & quacunque commun tate, cum fratribus, propinquis, vicinis, concivibu Hanc precati ſunt Angeli mundo univerſo in nati vitate Chriſti. *Gloria in excelſis D E O & in terra pa hominibus.* Lucæ 2. Quæ quam neceſſaria ſit commu nitati, oſtendit in primis Dominus Luc. 11. verbis illis *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domu ſupra domum cadet.* Indiviſum conſequenter ſtabit Hinc eſt quod elementa & partes univerſi adeò inte ſe cohæreant, ut una in gratiam alterius contra naturam vel aſcendat vel deſcendat, ne diſſoluta inter ſe intereant. Idem ſuis commilitonibus ingenioſe demonſtravit Q. Sertorius Rom. militiæ ductor, dum equi ſenis & macilenti caudam iuveni robuſto obtulit, uno tractu evellendam: viciſſim alteram equi robuſti dedit ſeni, non tamen uno impetu, ſed ſenſim extractis ſingulis pilis eximendam. Iuvenis ergo operam ſuam fruſtra impendit, ſenex non difficilè

perfe-

rfecit imperatum. Tum ille ad ſuos: *Vos quidem con-rdes & unanimes in prælium progredientes Romani nquam ſuperabunt: palantes verò & diſperſos facilè gotio vincent.* Frontin. lib 4 cap. 7. Contra infirmas am aviculas ſturnos, columbas & ſimiles nihil po-t aquila vel accipiter nec eas invadere audet, quan-turmatim conjunctæ ſecant aërem: at verò diſſipa-ac ſeparatas animoſè aggreditur & facilè interci-. Par ratio eſt de militibus, dum ſeritè cogunt nul-nque aditum ad irruptionem hoſtibus permittunt. iam ob cauſam Eccleſia dicitur Cant. 6. *terribilis ut ſtrorum acies ordinata.* Nihil etiam contrà nos poſ-hoſtis ſive viſibilis, ſive alter inviſibilis: ſi tali pace iti eſſemus. Undè Tertullianus in lib. ad martyres 1. de ipſorum concordia ſcribit: *Inveniat Diabo-pace munitos & concordia armatos quia pax veſtra lum eſt illi.* Vos etiam Audit operam date, ut hac e vos munitos ſemper inveniat Diabolus, quia ve-pax bellum ipſi & exterminium eſt.

DOMINICA I.

POST PASCHA.

THEMATA.

Cur ſtemus ad orationem tempore paſchali.
Cur inſufflarit in diſcipulos Dominus.
Cordis pax quomodo paranda.
Ovum aureum, poteſtas remittendi peccata.
Signa reſuſcitatorum ſecundùm animam.

THEMA I.

Cur ſtemus ad orationem tempore paſchali.

In memoriam beneficii quo à lapſu erecti ſumus.
Ob ſpem futuram noſtræ reſurrectionis.
Ad conſolationem noſtram, qui jam videmur ſtare in Dei gratia.
Ad cautelam noſtram ut quaſi excubitores ſtemus ſuper cuſtodia noſtra.
Ad incitamentum noſtrum, ut jam quæ ſurſum ſunt, quæramus.

Venit Ieſus & ſtetit in medio. *Ioan* 20.

ANtiquiſſima conſuetudo eſt, ab ipſo Apoſtolorum tempore ad nos derivata, ſtare ad orationem, ſaltem publicam, tempore paſchali, quod inter Chriſti reſurrectionem & ntecoſten currit, & in omnibus inſuper totius ni Dominicis diebus, tamquã deſtinatis Chriſto re-genti. Patet ex Juſtino martyre antiquiſſimo qu. ad Orthod. & antiquiore Irenæo, qui circa annũ mini 176. martyr occubuit, diſcipulus S. Polycar-(quem Joan. Apoſt. habuit diſcipulum) in l. de pa-a, & præcipitur in Concilio Nicæno 1. Can. 29. uſam huic cæremoniæ dediſſe Chriſtus videtur, qui poſt reſurrectionem non niſi ſtetiſſe legitur, præterquam in Emaus, ubi cum duobus recubuiſſe ſcribitur Luc. 24 non electione, ſed condeſcenſione. Ante paſſionem quidem varios habuit ſitus: ſedit in monte docens, & ad puteum Jacob, decubuit in navicula ad capiendum ſomnum, poſitis genibus orabat in Oliveto, Luc. 22. ibidem procidit in faciem ſuam, Matth. 26. A reſurrectione verò ſtans dumtaxat ſcribitur. Jure igitur Eccleſia accommodat ſe Chriſto, velut ſponſa ſponſo ſuo. Videtur tamen hoc ipſum facere voluiſſe permota aliis magnis motivis & rationibus, quas hic diſcutiemus.

I. In memoriã beneficii per Chriſti reſurrectionẽ accepti, quo à lapſu rurſum erecti & Deo reconciliati ſumus. Ita inprimis reſpondet S. Juſtinus Martyr qu. 115 ad Orthodoxos hac de re propoſita, cur nimirum Dominicis diebus & à paſchate uſque ad Pentecoſten genua non flectamus precantes, *Quoniam*, inquit, *utrumque ſempiterna memoria recolere debemus, & caſum noſtrum in peccatum, & Chriſti in nos charitatem, qua ex caſu reſurreximus: idcirco genuflexio, quam ſex diebus adhibemus caſum noſtrum in peccatum ſignificat, non flectere autem genua Dominico die, reſurrectionis noſtræ ſignificatio eſt, qua Chriſti benignitate & à peccatis, & à morte, quæ ab illo interfecta eſt, liberati ſumus. Hæc autem conſuetudo ab Apoſtolorum temporibus cæpit, quemadmodum ait B. Irenæus martyr & Lugdun. Epiſcopus in lib. de paſcha* ſic ille. Juſtiſſima ſanè cauſa, ad tam grande beneficium memoriæ noſtræ benè inculcandum. Quò videtur reſpexiſſe ſponſus, quando Cant. 8. Sponſæ, Chriſtus inquam, Eccleſiæ ſuæ, ita loquitur: *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Eva ſcil. quæ ſub arbore à ſerpente decepta & cũ progenie ſua corrupta fuit. ſuſcitata deinde à Chriſto, ſub arbore crucis, Undè Guilielmus ibi: *Mortua eras*, inquit, *in peccatis vel innatis vel additis; vivificavi te ſub ligno crucis. De corpore meo pendentis in ligno, ſanguis redẽptionis quinque rivis ſtillavit ſuper te, & ita ſub arbore illa ſuſcitavi te.* ſuſcitavit autem unà ſecum, quando ipſe reſurrexit, teſte Apoſtolo ad Epheſ. 2. *Convivificavit nos in Chriſto* (Deus) *& conreſuſcitavit* Quid verò petit Sponſus pro hoc tanto beneficio? ſubdit mox: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* q. d. perpetuam hujus beneficii memoriam & cordi tuo imprime, & brachio, ſeu externo alicui memoriali ut tenaciùs eam retineas. Hoc ergo ait Eccleſia, dum nõ ſolum ore nobis prædicat reſurrectionis noſtræ beneficium, ſed etiam externa ſtationis cæremoniã ob oculos ponit. Moyſes poſtquã fugerat ex Ægypto, ubi mortem ei machinatus erat Pharao, in Madian, & ibidem ſe ſalvavit; ut hujus beneficii memor eſſet, primum filium ſuum appellavit *Gerſam*, hoc eſt, *peregrinus illic*; eo quod peregrinus eſſet in Madian & advena ſecundum vero *Eliezer*, hoc eſt, *Dei auditoriũ*: quia dixit: *Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis* Gen. 4. ut quoties aſpiceret aut vocaret filios ſuos, toties memor eſſet accepti à Deo beneficii Nos etiam per Chriſtũ erepti ſumus

I. *In memoriam beneficii, quo à lapſu erecti ſumus.*

ſumus de manu ſtygij Pharaonis, & facti cæli advenæ. Iuſtum igitur eſt, ut hujus beneficij memoriam & mente recolamus & præ oculis habeamus; quod fit per hanc ſtationem; certè fieri deberet: non ut quaſi infantes ſtemus ad orandum, ſed quaſi alter Moyſes conſideratâ illâ cæremoniâ mentem excitemus ad recolendum beneficium ſuſcitationis noſtræ ab inferis & cœleſtis noſtri municipatus.

II. *Ob ſpem futuræ noſtræ reſurrectionis.*

II. Ob ſpem futuræ noſtræ reſurrectionis & beatitudinis ſtatum, in quâ ſtaturos nos ſperamus coram DEO inter Angelos per omnem æternitatem. Situs enim ſtandi magis eſt connaturalis & conveniens homini, decetque valentem viribus, quales erunt beati omnes, ut docent Maldonatus, Suarez & alij, idque probari poteſt ex Apoc. 7. ubi Ioannes vidit beatos ſtantes ante thronum, & pluribus alijs locis (ſicubi tamen ſedere aut recumbere dicuntur, metaphoricè intelligendum eſt ob eorum majeſtatem & tranquillitatem, quemadmodum & Daniel cap. 7. vidit Angelos coram DEO aſſiſtentes; & S. Stephanus Chriſtum ipſum ſtantem à dextris DEI, Actor 7. qui etiam propterea poſt reſurrectionem ſuam, velut jam conſtitutus in ſtatu beatitudinis, ſtetiſſe ſolum legitur ut ad vertit Salmeron tr. de reſurrectione. Ratio eſt primo, quia nunquam ſentiens ullam laſſitudinem, debilitatem aut gravedinem corporis, quæ ſedere aut jacere eos compellat, quemadmodum in terrà nos mortales compellit; ſed erunt ſemper ſani, valentes, agiles atque hilares: nullus ibi languor, tædium aut ſomnus, ſed perpetua iucunditas. Secundò, quia tanta cæleſtium gaudiorum & ſpectaculorum ſuavitas erit, ut eà quaſi abſorpti ſemper ſtare & aſſurgere ad ea intuenda videantur: quo modo & nos experimur ſpectatores in comœdijs, cum quid mirificum producitur, aſſurgere & ſtando ſpectare; nullo penè tædio aut defatigatione. Ita enim *beati deſiderant ſine labore. quia deſiderium ſatietas comitatur, & ſatiantur ſine faſtidio; quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur*, inquit S. Gregorius lib. 18. mor. cap. 28. Hoc indicatum Exod. 33. v. 11. quando Moyſes loquebatur cum DEO de facie ad faciem; & tamen interim faciem ejus videre cupiebat, v. 13. dicens: *Oſtende mihi faciem tuam.* Vbi idem Gregorius: *Moyſes qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & eius faciem ad videndum poſtulare; quid rectius deſignat, quàm electorum perfectionem, qui jam ſpeculum illius ſummæ lucis intuentur, ſed tamen ad ipſam lucis veritatem pertingere cupiunt? iſta quidem cognitio lucis Electorum deſideria ſatiare non novit, ſed excitare: illa vero & ſatiare & excitare. Nam tam iucunda res eſt, ut ineffabiliter concupiſcatur; & tam plena, ut qui iam ſemper hanc in magno deſiderio viderunt, ſemper ineffabili plenitudine ſatientur.*

III. *Ad conſolationem noſtram qui jam videmur*

III. Ad conſolationem noſtram, dum jam è peccatorum ſepulchro per Chriſtum & cum ipſo reſuſcitati & in pedes erecti, bene ſperamus ſtare nos in DEI gratia, Deo reconciliatos atque amicos factos, qui prius, velut rei capitis ad eius pedes proſtrati iacebamus. Quam etiam ob cauſam, ab ipſo
Chriſto inſinuatam Matthæi 9. *Numquid poſſunt fili*
ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? nulla jam
jejunia ſuſcipimus, & pro mœrore quadageſima-
li cantica lætitiæ depromimus. Quemadmodum e-
nim Chriſtus priùs quidem onere peccatorum no-
ſtrorum in ſe ſuſcepto in terram depreſſus fuit, u
orans in Oliveto procideret in faciem, deinde ba-
julans crucem ſæpiùs corrueret: ubi verò reſurrexi
quaſi depoſito jam onere, non niſi ſtare viſus eſt: i
ſuo modo etiam illi, qui peccatorum ſarcinas per h
ferias abjecerunt, decet jam non ſedere vel jace-
re, ſed cum Chriſto ſtare, Vnde Apoſtolus a
Rom. 5. ait: *Iuſtificati ex fide, &c. per Chriſtu*
acceſſum habemus per fidem in gratiam ſtam, in qu
ſtamus. Advertit S. Hieronymus in Ezech. cap.
nullum peccatorem in ſcripturis ſtantem legi; ſ
vel jacentes omnes, aut ſedentes, quaſi terræ af-
xos adeoque terreos & lutoſos. Qui aſſurgunt & ſta
cœlo viciniores ſunt, remotiores, qui jacent aut ſ
dent. Atqui iſti, qui ſtant per gratiam, cœleſti patr
ſunt vicini: peccatores vero qui in ſordibus iace
aut in cathedra peſtilentiæ ſedent, procul inde a
ſunt. Nos ergo quia DEO reconciliati in gratiâ ei
ſtamus, meritò hoc beneficium ſtatione corporis i
colimus & celebramus. Claudus ille ex utero mat
erectus à S. Petro, præ gaudio ſubinde exiliebat
ſtabat & ambulabat, quaſi non caperet ſeipſum p
lætitiâ, laudans Deum. Act. 3. Quot millia Chriſti
norum hoc tempore erecta ſunt à fœdâ animi curvi
te, quâ terræ in peccatis adhæſerant? Iure igitur e
urgunt, imò exiliunt præ gaudio, ſtantque lauda
tes DEUM. Eunuchus ille Candacis *Reginæ*, cù
ſe baptizatum adeoque in Chriſto renatum vidit *ib*
per viam ſuam gaudens, de tantâ nimirum, ſibi
DEO collacta gratiâ. At. 8. Nihil minus eſt, quo
acceperunt illi, qui per iſtos dies DEO reconcilia
ſunt. Meritò proinde gaudent ac reliquum iter vi
ſuæ peragant in lætitiâ. Quo gaudio periuſum exiſt
mamus pincernam Pharaonis, quando juxta prædictio
nem Joſephi dignitati ſuæ priſtinæ reſtitutus eſt, q
paulo ante in carcere ſuſpendium metuebat? Gen. 4
Quo Naamanem illum Syrum Principem, cùm vid
lepam ſuam beneficio Jordanis adeo abſterſam, u
ſaniſſimus & puriſſimus inde diſcederet? 4. Regu
5. Atqui multo maius eſt, quod per pœnitentiam co
ſecuti nuper ſunt quicumque peccatores; nam & a l
prà peccati ſanati, & rurſum DEI gratiæ, in qua oli
ſteterant, reſtituti ſunt.

IV. Ad cautelam noſtram, ut quaſi excubitor
arcem cordis noſtri cuſtodiamus, ne redeunte cu
maioribus copijs adverſario eam iterum perdamu
Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat, ait Apoſtolus
Cor. 10. Et ad Epheſ. 6. *ſtate ergo ſuccincti lumbos v*
ſtros Rurſum ad Philipp. 4. *State ergo in Domino char*
ſimi. Turpe erat Romanis militibus ſtationem ſuar
deſerere in pugna: quare ſacramento militari a
hoc ſe aſtringebant, numquam ſe locum deſerturo
teſt

ut jam quæ sur-sum sunt quæramus

te Alexandro ab Alex.l.1.c.dier.gen.20. Hinc mili- Catilinæ occubuisse in ipso vestigio, quo consiste- nt, scribit Salustius. Christus quidē Dominus morte n superatâ nullam hac ex parte standi causam ha- it, qui mori ampliùs non poterat; at habemus nos ultò maximam, quos ut in pugnis adjuvaret stare am voluit, & reipsa ostendit in certamine sancti ephani. Undè sanctus Cyprianus lib.1.epist.5.scri- : *Hortamur vos per communem fidem, per pectoris stri veram circa vos & simplicem, charitatem, ut riam vestram forti & perseveranti virtute teneatis, huc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vitâ strâ quotidie dimicamus.* De M. Varrone Consule om. scribit Frontinus lib.4.cap.5. & ex Eutropio B. trus Damiani epist 8. ad Archiepiscopum Bisunti- um lib.3.Epist. quòd ubi apud Cannas cum Hanni- le congressus perdidit victoriam, numquam dein- ps ad vitæ suæ terminum recubans cibum sumpse- , sed stando semper? ut qui aliquod desidiæ vesti- um reliquerat, perpetuò ejusdem desidiæ supplicio subjiceret cautiorque fieret. *Quod si hoc faciunt thnici,* subdit Damianus, *ut famæ suæ nomen exten- ant, quid agendum est Christianis, ut in cœlesti sibi loriâ sedes acquirant?* In prioribus nostris conflicti- us cum carne, mundo, Dæmone, habitis sępè cladem ccepimus, quia non vigilavimus: ergo vel nunc icti emus in custodiâ. Malè cessit Heli summo Sacerdo- i sessio, dum Hebræi cum Philisthæis de summâ re- um dimicarunt; quando ipse Moysis instar potiùs e- evatis orare brachiis pro victoria debebat; undè in- ellectâ suorum clade retrorsum de sellâ cecidit & ervices fregit: sedens punitus, qui ad orationem & vigilias stare potiùs debebat. 1.Regum 4. Malè & Bal- tatari, quando sedit in convivio, dum hostis urbem obsidens jamjam irruptionem parabat, undè & gla- dio hostili eâdem nocte occisus est. Dan. 5. Malè & Zebeæ & Salmanæ Regibus eorumque exercitibus cùm super eos Gedeon, securè agentes irruit. Judic. 8. Malè Amalecitis, qui cum prædâ sua *di- scumbebant super faciem universæ terræ comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem; percussit* e- nim *eos David à vespere usque ad vesperam alterius diei.* 1.Regum 30. Omnes isti, qui non steterunt velut excubitores, miserè perierunt. Egimus & nos prædas ex peracta nuper pœnitentia, sed hoc ipso nobis magis vigilandum est; quia novimus pyratas non insidiari nisi opulentis & onustis navibus. Ad hoc insinuan- dum solebat olim Ecclesia neophytis, qui hodierna die vestem candidam, in baptismo acceptam, depo- nebant, dare agnum Dei ex cereo paschali confectum & à summo Pontifice benedictum, ut ex collo eum suspenderent & velut clypeum gererent conservandę puritati atque innocentiæ agninæ: memores illius a- gni, Christi, cujus militiæ nomen dederint & fidem spoponderint, ut notat Baronius anno 58.

V. Ad incitamentum nostrum, ut quantum possu- mus, unà cum erecto corpore & mentem eriga- mus ad cœlestia & avocemus à terrenis, quasi post quadraginta dies, seu brevissimum tempus ascensio- nem nostram in cœlum adornaturi. Eo certè nos transmittit Apostolus ad Coloss.3. scribens: *Si con- surrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sa- pite, non quæ super terram.* q. d. Si consurrexistis cum Christo, cum eodem sursum ad cœlum pergite, neq; hîc in terrâ domicilium vobis struite. Sic enim & ipse ab inferis resurgens, non nisi instar hospitis in terram divertit, & per paucos dies velut *peregrinus* (quo no- mine eum compellant duo illi discipuli Luc. 24.) in eâ commoratus est, rarus quoque apparuit cum mor- talibus conversans, sed ut plurimùm cum Patribus è limbo ereptis: adhæc eo tempore non nisi de regno Dei, & de suo ad Patrem itinere locutus: nullum sibi jam in terra domicilium conduxit, nullam supellecti- lem comparavit aut quæsivit, quia ad cœlum tende- bat. Nos ergo pari modo quæ sursum sunt quæramus, de cœlo sermocinemur, neque hîc in terrâ velut in- colæ habitemus, sed ut advenæ & peregrini ad pa- triam contendamus. Ad hoc indicandum stamus ad orandum, quo cœlo viciniores, cœlestia meditemur, terrena despiciamus. Lucæ cap. decimo tertio. vidit Christus mulierem adeo incurvam & ad terram in- clinatam, ut sursum omnino respicere nequiret: sic nimirum ligatam à maligno spiritu, uti posteà edixit. Hanc igitur ad se vocavit & manibus impositis erexit; quo facto illa mox glorificavit Deum. Typus animæ peccatricis est hæc mulier, quam Dæmon ita ligavit, ut non nisi in terram posset aspicere & terrena quære- re: solvit eam Dominus, quando manibus in cruce extensis à vinculo Satanæ eripuit: erexit quando unà secum conresuscitavit, ut quæ jam sursum sunt, non quæ in terrâ, quærat. Sed cur Dominus non ro- gatus sponte suâ vocat & sanat hanc mulierem? An quia mulier tunc in Synagogâ erat (uti ex seqq. colli- gitur) in quâ non terrena sed cœlestia aspicienda & contemplanda sunt? Sint ergo proni in terram Ethni- ci, sint Judæi, sint hæretici: certè qui in Christi Eccle- siâ sunt, tales esse non debent, quibus quotidie in S. Missa occinitur: *Sursum corda,* ipsique respondent: *Habemus ad Dominum:* Quid enim agimus nos in Ecclesia militante, nisi ut pugnando contendamus ad triumphantem? Navem esse scimus Ecclesiam ad cœlum tendentem, (teste sancto Clemente epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, cum ait; *Similis est Ecclesiæ status navi magnæ, quæ per undosum pela- gus de diversis locis & regionibus viros portat ad unam potentis Regis urbem properare cupientes;* designatam per arcam Noë, quæ ad extremum requievit super ex- celsos montes Armeniæ. Genes. 8. Ad quid ergo in terra habitacula ædificamus, qui in cœlum naviga- mus? Verùm dicet aliquis vivere nos in terra & vi- vere de terra; quomodo igitur non quærenda sunt terrena: Respondeo Ecclesiam navi, ut dixi, similem esse. Navis autem supernè, qua cœlum spectat, am- pla est: infernè, qua fundum, angusta. Hunc in mo- dum fideles cor suum dilatent versus cœlestia: coar- ctent versus terrena: illa magna solicitudine, hæc par- vâ inquirant: illa secundùm se & primariò, hæc verò secun-

ſecundario & in ordine ad cœleſtia; ſic induent & iſta rationem operum cœleſtium; ſi cœlo famulentur: hæc cum modo & moderamine, illa ſine modo.

Hæc vellem Audit. à vobis conſiderari, cùm hoc tempore & deinceps ſingulis Dominicis diebus ad orandum ſtatis; ſic enim fieret, ut hæc ſtatio non mera cæremonia, ſed præclarum etiam pietatis incitamentum & exercitium fieret, vobis denique in cœlo magnam remunerationem pareret.

THEMA II.

Cur inſufflarit in diſcipulos Dominus.

I. Vt hoc flatu conferret eis Spiritum ſanctum.
II. Vt eo ſymbolo poteſtatem abſolvendi eis daret.
III. Vt hoc afflatu confirmaret ſuam reſurrectionem.
IV. Vt ſpem reſurrectionis ſecundum carnem omnium communis, firmaret in nobis.

Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. Joan. 20.

SOlemus, neſcio quo dictamine, cùm infantes fortè cadunt & membrum aliquod parumper affligunt, in id inſufflare, quaſi ſolo oris halitu dolorem abſterſuri, vel certè mitigaturi. Erant Chriſti diſcipuli, ante Chriſti reſurrectionem, quaſi parvuli & infantes, parum adhuc firmati in fide & virtutibus; undè cùm vidiſſent capi & occidi Magiſtrum ſuum, omnes prolapſi ſunt in diffidentiam & puſillanimitatem, quaſi jam actum eſſet de ipſis. Vidit hoc piiſſimus Dominus, proinde in mœrore congregatis & incluſis, poſtquam reſurrexit, apparuit & quaſi dolorem abſterſurus, in eos inſufflavit, & quidem efficaci ac ſaluberrimo halitu, pluſquam humano. Quâ de re videtur vaticinatus eſſe Nahum cap. 1. cùm ait: *Ecce ſuper montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem. Celebra Juda feſtivitates tuas & redde vota tua: quia non adjiciet ultrà ut pertranſeat in te Belial: univerſis interiit.* Quæ ſic vertunt 70. *Aſcendit inſufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* Quis ſit ille *evangelizans pacem* ex hod. Evangelio intelligimus: Chriſtus, inquam, Dominus, pacem ſuis precatus in monte Sion Idem ipſe eſt *inſufflans*, qui aſcendit è terrâ ſepulchri, & eruit ſuos è mœrore & tribulatione. Quare S. Cyrillus eum locum ita explicat: *Quemadmodum*, inquit, *uſu receptum erat quibuſdam veſtes dirumpere, cùm blaſphemaſſet quiſpiam: ſic etiam inſufflare in facies ægrotantium quocumque modo. Et hoc præſertim & inſolentiſſime faciebant, qui adjurare conſueverunt & curioſis incantationibus à ſpiritibus & doloribus malè habentes, ſe liberare ſimulabant. Exemplo igitur è conſuetudine ipſorum petito ait: Aſcendit inſufflans in faciem tuam.* Et mox: *Aſcendit namque ab inferis & revixit Chriſtus, qui inſufflavit in faciem SS Apoſtolorum & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. Ita enim omni malo expediti ſumus & participes facti S. Spiritu in priſtinum naturæ decus quaſi ab ipſis elementa r[…] formamur.* Ita Cyril. Similiter S. Hieronymus in eu[…] locum. *Venit tibi Chriſtus, qui poſt reſurrectionem i[…] ſufflans in faciem Apoſtolorum ait: Accipite Spiritu[…] S. ipſe eſt qui te liberat de tribulatione.* Porro depr[…] hendo quatuor ægritudines, quibus eo tempore lab[…] rabant Chriſti diſcipuli & cum eis prima Eccleſi[…] quas hoc flatu Dominus potenter abſterſit & ſanavi[…] uti audiemus.

I. Ægritudo & tribulatio prima erat defect[…] Spiritus ſancti, qui diſcipulorum corda conſola[…] tur ac roboraret. Hunc per afflatum illum contulit e[…] Dominus non ita copiosè & perfectè cum omnibu[…] ejus donis, nec ita manifeſtè & publicè, ſicut poſteà i[…] Pentecoſte; ſed cum poteſtate abſolvendi, & clam a[…] privatim. Multum iſtud erat: ita enim confirmaba[…] diſcipulorum animos, ut adventum Spiritus ſanc[…] publicum facilè præſtolari & interim in oratione pi[…] iſque operibus perſeverare etiam incluſi poſſent. Si[…] mili quadam ratione datur Spiritus ſanctus etiam ba[…] ptizatis, quemadmodum & unctio quædam S. Chri[…] ſmatis: ſed non cum eâ plenitudine, nec ad illum ef[…] fectum, quo modo poſt baptiſmum datur ab Epi[…] ſcopo in ſacrâ Confirmatione. Itaque inſufflatio ill[…] Chriſti ſignum & quidam prodromus Spiritus ſan[…] cti erat; primo quia halitus qui ab ore procedit, ejuſ[…] dem naturæ cum illo, qui in pectore inſufflantis manet: ita Spiritus ſancti eandem planè naturam eandemque Divinitatem habet, quam habent, qui eum ſpirant, Pater & Filius. Deinde ſicut flatus ab ore flantis procedit: ita Spiritus ſanctus procedit à filio (uti & à Patre) quod negarunt olim Græci, ſed perfidè & hæreticè. Tertio ubi halitus, qui ex ore exiufflatur, ſub aſpectum non cadit, operatur tamen effectus, qui in oculos incurrunt: extinguit & accendit lumen, refrigerat & calefacit cibum & manus, pellit pulveres, gyrat rotulas, &c. ita Spiritus ſanctus latet in homine, nec videtur: mira tamen interim in eo operatur & per dona ſua ſe prodit. Prodit etiam in ipsâ, quam gubernat, Eccleſia, confirmando Martyres; ut ad quævis tormenta & mille mortes intrepidi atque infracti ſint. Prodit in Paſtoribus & Prælatis, qui præſertim primi cujuſque Eccleſiæ, Epiſcopatus, Prælaturæ, Abbatiæ adeoque penè omnes ſancti fuerunt, velut lapides fundamentales, ſolidi & perfecti ad ſtabiliendum ædificium à Spiritu ſancto poſiti. Prodit in Doctoribus, quos ex omni natione, in omni genere doctrinæ, inſigni ſanctitate præditos providit Eccleſiæ. Prodit in Eremitis, Monachis & religioſis aliis, quibus undique Orbem circumvallavit. Prodit in Deo dicatis Virginibus, quibus tot monaſteria, nec non domos multas in mundo implevit. Prodit in piis conjugibus, qui non modo in ſanctitate, ſed quandoque in virginitate & continentia ſtatum illum tranſigunt. Prodit in ædibus ſacris, auguſtiſſimis, ſumptuoſiſſimis, ornatiſſimis, toto orbe ſine numero diffuſis. In Epiſcopatibus, Prælaturis, monaſteriis,

ꝛeriis, Canonicatibus, Parochiis liberaliter dotatis: in Academiis & scholis undique erectis & florentibus: in tot passim hospitalibus, leprosoriis, orphanotrophiis: in Ordinibus militaribus pro Ecclesiæ defensione fundatis: in SS. Conciliis & Canonibus patrumque decretis saluberrimis: in piis & doctissimis libris penè infinitis: in sanctorum gestis planè admirandis & omni laude dignis. Taceo alia innumera. Quarto sicut nihil homini facilius est, quàm halitum expirare, aut in aliquem insufflare: ita ad cōmunicandum Spiritum Sanctum DEUS est promptissimus, ubi dispositum reperit subjectum.

II. Ægritudo altera erat defectus medicinæ & medicorum pro sanandis animæ vulneribus, hoc est Sacramenti pœnitentiæ & potestas judiciaria ad remittenda peccata. Hanc igitur conferre Apostolis voluit adhibita insufflatione, quasi signo externo potestatis illius, eoque percommodo. Nam inflatus monstrat causam efficientem absolutionis Sacramentalis: principalem quidem Christum, qui ut dicitur Thren. 4. v. 30. *est spiritus oris nostri.* q. d. vita & respiratio nostra; ministerialem vero Sacerdotem, qui est quasi os Christi pronuncians verba absolutionis, juxta id Jer. 15. vers. 19. *si separaveris pretiosum à vili* (h. e. ut in Hebræo explicatur, *si educas hominum animas pretiosas ab impietate*) *quasi os meum eris.* q. d. conjunctissimus & simillimus. Nam ut S. Chrysostomus Orat. 5. contra Judæos ait: *Os eorum, qui proximos convertunt est quasi os Dei.*

2. Monstrat effectum potestatis illius & pœnitentiæ, quæ est remissio peccatorum. Ut enim Deus inspirando in primum hominem spiraculum vitæ, animam & vitam ei impertivit: ita & Sacerdos absolvendo pœnitentem, gratiam ei confert, quæ est vita animæ. Hoc indicasse Christi insufflationem sentit D. Basilius in lib. de Spiritu Sanct. cap. 16. *Dominus enim,* inquit, *qui renovabat hominem, eique reddebat gratiam, quam ex efflatu Dei acceptam amiserat, inspiravit in faciem discipulorum, quibus ait: Accipite Spiritum Sanctum.* Flatu extinguimus ignem, delemus & depellimus fumum: ita potestas clavium delet peccata. Unde Isa. 44. ait Dominus: *Delevi ut nubem iniquitates tuas & quasi nebulam peccata tua.* Atra quædam nubes est peccatum, quæ conspectum & calorem Solis illius justitiæ nobis aufert, Dei, inquam, gratiam. Eam nubem delet flatus ille, ex ore Sacerdotis prodiens & pœnitentem absolvens. Porro sicut flatu & accendere possumus ignem, & extinguere: ita & Sacerdos potestate clavium, & solvere potest & ligare; aperire & claudere. Unde S. Chrysostomus hom. 85. in Joan. prædictam Christi insufflationem ita explicat: *Quemadmodum,* inquit, *Rex præfectos mittens, ut in carcerem reos intrudant, & ut liberent potestatem præbet: ita IESVS discipulos dimittens: hac munit authoritate.*

III. Tertia ægritudo erat defectus in fide resurrectionis CHRISTI, de qua discipuli, si non desperabant, saltem fluctuabant & subdubitabant. Licet enim Christum coram viderent, existimabant tamen se spiritum videre. Huic languori & errori occurrit Dominus plurimis quidem argumentis veritatem resurrectionis suæ comprobantibus, potentius tamen meo judicio per insufflationem, qua calidum adeoque verè vitalem halitum in eos insufflabat, ut manifestè demonstraret, se habere corpus animatum & vivens, non assumptum & phantasticum, adeoque non esse spiritum, qualem ipsi ominabantur. Quā in re admiranda est Christi bonitas & paterna solicitudo de suis discipulis in fide consolidandis, qui non contentus uno alterove judicio, per omnes sensus demonstravit eis veritatem suæ resurrectionis: per visum, præbendo se visibilem & conspicuum, statuendo se non in angulo aut remoto loco, sed in medio eorum: per auditum, loquendo cum eis voce & salutatione consueta, revocando quoque in memoriam, quæ cum illis egerat ante mortem suam: per tactum, invitando eos ad sui palpationem: *Palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet*: per gustum, manducando coram eis, & offerendo cibi reliquias, quo certiores fierent de facta comestione & cibi veritate: per olfactum, insufflando eis halitum, utique gratum & odoriferum. Quid amplius poterat facere ad faciendam fidem? Porro quia Dominus ab inferis redivivus Exemplar est resurrectionis nostræ, non solùm secundum corpus ad finem mundi, sed etiam secundum animam in præsenti sæculo per pœnitentiam (ideo enim in paschate voluit resurgere; quid autem pascha, nisi *transitus*, de vitiis nimirum ad virtutes, de peccato in Dei gratiam (ut exponunt S. Ambrosius & Bernard. in serm. de resurrect.) satagendum nobis est, ut si cum Christo resurrexerimus, idipsum paribus argumentis demonstremus. Idque

suam resurrectionem.

Vt & nos similiter ostēdamus surrexisse nos secundum animam,

I. Per visum. Præbeamus nos conspicuos, qui priùs latebamus: quo modo Joseph ab Arimathæa & Nicodemus, qui ante Christi Passionem occulti ejus discipuli erant, post mortem prodierunt & Christum honorifico sepulchro condiderunt. Joann. 19. Excusso enim & spreto Judæorum metu, quo priùs tenebantur, fidem suam publicè protestati sunt, corrigentes errorem & pusillanimitatem suam. Et tu ergo Christiane, si consurrexisti cum Christo, conspicuum te præbe in operibus pietatis, compare ad rem Divinam, ad Dei verbum, ad processiones publicas, ad exomologesin & mensam Domini. Adhæc monstra te munificum erga Christi pauperes, & vivere te ostendes.

I. Per visum.

2. Per auditum. Loquelā tuā te prode verè conversum ad meliorem frugem, Deum laudibus celebrando, quem priùs offendisti blasphemando: tantundem nunc orando, quantum priùs execrando: de Deo nunc loquendo, qui de Venere & Baccho priùs loquebaris. Adhæc agnosce & confitere priores tuos lapsus & insanias: quo modo Sanctus Paulus non erubuit fateri se blasphemum & persecutorem fuisse? Sanctus Augustinus suos errores & scripsit & deploravit: Ragnerus Dux Lotharingiæ, quas Ecclesiæ intulerat clades & injurias, publico testimonio

2. Per auditum.

nio pœnitens revocavit & ſatisfactione compenſavit, ſubſcribens inſtrumento ad hoc edito: *Ragnerus Dux & prædo, qui Eccleſiam Dei perſecutus ſum*, ut alibi diximus. Denique ſi cum Petro Chriſtum ter negaſti, factis ſaltem, ſi non verbis: fac ut eundem totidem vicibus amare te oſtendas.

3. Per tactũ. 3. Per tactum, palpari te & tangi, etiam per injuriam, patere æquo animo, & in calcitrantem non recalcitra. Magna animalia, elephantes, boves, equi, moloſſi, cum tanguntur, non difficilè id ferunt: parva autem & imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur, ut ait Seneca lib. 2. de irâ cap. 34. Magnum igitur & magnanimum te nunc oſtende, qui puſillus anteà fuiſti in ferendis injuriis. Ita Saulus prius lupus, poſt converſionem in agnum eſt mutatus & omnis generis perſecutiones cum gaudio perpeſſus. Conſtantinus M. prius leo, ſæviens etiam in propriam domum, poſt reſipiſcentiam & baptiſmum mitiſſimus evaſit & ſubjecit ſe presbyteris. Guilielmus Dux Aquitaniæ Epiſcoporum & Prælatorum contemptor & divexator, poſtquam egit pœnitentiam, ſupplex iiſdem factus, nihil non pœnarum ſibi injunctarum ab illis ſuſcepit, egitque.

4. Per guſtũ. 4 Per guſtum. detrahe ori tuo cibum potumque immoderatum, & cum aquilâ renova oblongum & curvatum vetuſtate roſtrum, allidendo ad petram Chriſtum, qui inſigne ſpeculum ſobrietatis fuit, providendo aliis cibum, ſibi negando, uti Joan. 4. v. 32. & alibi. Certè poſt reſurrectionem quando comedit & bibit (quod intra 40. dies ad ſummum bis aut ter & moderatiſſimè fecit) non ad ſuum guſtum & delectationem, ſed ad bonum diſcipulorum omniumque credentium ex charitate ſolùm comedit & bibit. Ita & tu bibe, ad vires ſolùm conſervandas, quibus Deo ſervias, & proximo. Si priùs vivebas ut ederes, nunc ede ut vivas. Si priùs inhiabas cibo corporeo, nunc inhia ſpirituali, Dei verbo & menſæ Euchariſticæ. Puellæ, quam ſuſcitavit Dominus Lucæ 8. filiæ Jairi, juſſit cibum dari, quo conſtaret, eam verè revixiſſe. Tu quoque ut oſtendas te reverà ſuſcitatum, ea, quâ dixi, comeſtione veritatem comproba.

5. Per olfactum. 5. Per olfactum. Fac ut in externâ etiam converſatione tuâ Chriſti bonus odor fias proximo in vitam & ſalutem, quem prius afflixiſti tetro vitæ odore. Quod egregiè præſtitit S. Adalbertus 2. Epiſcopus Pragenſis, qui cum in juventute fræna libertati laxaſſet, poſteà morte horrenda primi Pragenſis Epiſcopi, prædeceſſoris ſui, territus & correctus, totus à ſe alius factus ad frugem ſe recepit. Quod cùm miraretur quædam ſanctimonialis, quæ in juventute familiariter eum noverat, dicens illi: *Alium Adalbertum video. Cur qui quondam eras homo pulcherrimè lætus, nunc ſeverus es etiam inſtar Catonis cujuſdam rigidus? Nonne cum Magiſter ſcholarum ſapientiam docturus, venit ad noſtrum cœnobium, ludendo duxeras totum diem lætum? At ille graviter ſuſpirans projecit verbum cordis: Verè ſcias Domina, quia quidquid ejuſmodi feci vobiſcum jocando, alto & acerbo vulnere nunc afficit animum meum*. Ita in ejus vita apud Sur. 23. April.

IV. His acceſſit diffidentia ſeu defectus ſpei reſurrectionis futuræ ad immortalitatem, velut quart quędam ægritudo ſeu tribulatio, conſequens ex priore. Si enim Chriſtus non reſurrexiſſet, neque nos reſurrecturos ſperare poteramus. Hanc igitur tollit Dominus ſuâ inſufflatione, quâ indicavit ſe eſſe Deum qui cùm hominem condidit, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*; adeoque pari facilitate rurſum corpora noſtra emortua flatu ſuo reſuſcitare poſſe & velle; juxta typum Ezechielis c. 37. demonſtratum; quando in campo ſpatioſo vidit Deum intromittere ſpiritum in oſſa arida eaque mox reviviſcere. Sic enim i die judicii immittet rurſum & quaſi inſufflabit Spiritum & vitam in corpora mortuorum eaque animab ad immortalitatem: quomodo animatur quaſi & fi vocale organum muſicum ad reddendam vocum ſuavem harmoniam, quando elevatis follibus intromittitur in id flatus. Corpus quaſi organi receptaculum membra quaſi fiſtulæ, anima corpori immiſſa quaſi ventus eſt. Maximoperè & ſuper omnia refrigerat hi flatus corda Chriſtianorum, quorum *ſpes eſt reſurrectio mortuorum*, ut ait Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. Quemadmodum enim Darius Rex Babylonis *vehementer gaviſus eſt* & quaſi denuo revixit quando vidit Danielem è lacu leonum, ubi perditum putabat, vivum & incolumem educi. Dan. 6. ita revixit ſpiritus non modo Apoſtolorum, ſed omnium Chriſtianorum, quando viderunt Chriſtum, caput ſuum, ab inferis regreſſum, glorificato corpore & anima. Super oſtium lacus, in quem conjectus fuerat Daniel, poſitus fuit lapis, quem obſignavit Rex annulo ſuo. Dan. 6. Similiter & Judæi obſignarunt lapidem, ſepulchro Chriſti impoſitum, & munierunt cuſtodiâ militum: ſperabant enim impii illi prægravi lapidis mole ſe depreſſuros Chriſtum, ne lucem amplius aſpiceret. Sed nihil effecerunt. Surrexit enim Dominus corpore ſuo penetrans lapidem illum & marmoreum ſepulchrum. Quod factum prorſus ſtupendum, ad confirmationem fidelium renovavit Deus in S. Vitali, Epiſcopo Salisburgenſi, S. Ruperti fundatoris ſucceſſore. E ſepulti enim pectore caſtiſſimo crevit lilium candidiſſimum, & penetrans ipſum tumuli marmor prodiit in lucem, uti refert P. Raderus vol. 2. Bav. S. Nihil itaque eſt, quod obſtare Dei potentiæ queat ad ſuſcitanda corpora noſtra. Ergo exultemus & agamus gratias Salvatori, qui ſuo illo flatu reſuſcitavit corda noſtra, adeoque animavit, ut jam vivamus non ſolùm in terrâ, ſed etiam in cœlo.

THEMA III.

Cordis pax quomodo paranda.

I. *Fac justitiam.*
II. *Fac alterius potius quam tuam voluntatem.*
III. *Cupiditates reseca.*
IV. *Tace, & quiesce.*
V. *Esto patiens.*

Pax vobis, Joan. 20.

MUltoties sanè pacem commendavit nobis Dominus, pacem inquam, cordis, quæ animi bonū est, non reipublicæ ingrediens in mundum pacificando omnes gentes, & mittendo Angelos ad pastores, denunciandæ pacis gratia: *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus.* Rursum egrediens è mundo per mortem, post ultimam cœnam: *Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis.* Deniq; reversus in mundū post resurrectionem, toties precans pacem suis discipulis. Magnum igitur bonum, & pretiosa gemma debet esse pax; summo studio conservanda, toto vitæ nostræ decursu. Bene est, inquit aliquis, sed quâ ratione possimus obtinere & conservare pacem, siquidem vulgo dicimus: (Es kan niemand länger fried haben/als sein Nachbar will?) quasi dicat pacem nostram pendere à vicinis nostris? quamdiu ipsi non infestant, nos pacem quidem habebimus; at ubi illi nos invaserint, defendere nos cogemur; quomodo ergo pacem stabilem acquiremus?

I. Fac justitiam. Ita docet S. August. in id psalm. 84. *Justitia & pax osculatæ sunt*, dicens: *Fac justitiam & habebis pacem, & osculentur se justitia & pax. Si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis, amant enim se duo ista justitia & pax, & osculantur se: ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculantem justitiā. Duæ amicæ sunt: tu forte unam vis & alteram non facis.* Ita ille. Quod ergo quidam Angelus in formâ senis dixit apud S. Antonin. de duabus sororibus: *Date & dabitur*: quarum unâ expulsâ, fugiat etiam altera; hoc dicendum etiam de justitia & pace. Hinc toties in Scripturâ jungitur pax cum justitia, uti psal. 84. prædicto & ps. 71. *Orietur in diebus ejus justitia & abundātia pacis.* Et Is. 33. *Erit opus justitiæ pax*; hoc est pax erit merces justitiæ. Ratio est, quia qui bene & juste vivit, Deum inprimis secum & pro se habet: nec litem ei conscentia movet: proximus causam inquietandi non habet, quia & metuit ipsum ac reveretur. Quod si impius justo bellum moveat, pacem tamen ei non aufert quia Deum & cœlum auferre nequit; temporalium autem jactura justum non perturbat. Quare sicut Alphonsus Aragoniæ & Siciliæ Rex, dum fœdus cum principibus Christianis inire contra Turcas vellet: *Si vincemus*, ajebat, *terram: si vincemur cœlum habebimus* Lud. Mart. Siculus de mir. Hispan l. 11 Ita justi à malis vexati vel eos vincent, & terram habebunt ac pacem: vel vincentur, & cœlum habebunt. Similes sūt Echino terrestri; qui in cubili suo duas fenestras facit, unam versus Austrum, alteram versus Aquilonem: quaq; parte ventum futurum præcognoscit, fenestrā obturat: alteram recludit: sic contra omnem se tempestatem & ventum munit. Habet & hoc, ut contra canum morsus in globum se convolvat, & aculeis undiq; munitus, canum latratus & morsus illudat, refert plutarchus & Aristot. de animal. Ita enim justi duas in corde suo faciunt fenestras, versus terram unam, alteram versus cœlum. Si à terra oppugnentur, aperiunt fenestram, quæ respicit cœlum, & inde pacē ac quietem suam desumunt. Rursum contra impiorum latratus ac morsus, ad conscientiam suam se recipiunt & in patientiā se convolvunt, quā muniti velut æneo aut spinoso thorace omnes adversarios contemnunt. Utrumq; fecit innocentissima illa Susanna per calumnias senum morti adjudicata; nam & *flens suspexit in cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino:* & recipiens se ad conscientiam suam, dicebat: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor; tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me*, Dan. 13.

II. Fac alterius potius quam tuam voluntatem, adeoq; cede alteri, qui tecum contendit. Præstat enim parum de jure tuo remittere, quam pacem, bonum præstantissimum, perdere. Sunt quidam qui contentionibus gaudent, tantum, quia vincere volunt; sicque insani per plurimos gladios ad lectulum, per multas perturbationes & tristitias ad breve & imaginarium gaudium contendunt. Quanto rectius alteri cederent, ut meliore bono, pace frui possent! Id sanè fecit Abraham cedendo nepoti suo Loth, quam eligere vellet, terræ regionem; sic enim non solum pacem, sed præterea optimam & spatiosissimam regionem terræ Chanaan, in mercedem cessionis suæ à Deo accepit. Gen. 13. Videmus structores murarios, quando jungere volunt lapides, modò unum laterem dividere, modò truncare, ut cum vicino latere cohæreat & sic ambo simul stare possint. Pari modo ut cum proximis in pace possimus persistere, necesse est, quando alter nimium occupat spatii, fastu turget, vi & potentiâ suâ se expandit, ut de viâ ipsi cedamus, & de jure nostro aliquid remittamus, ne intricas & lites abrepti unà cum pace totum jus perdamus. Sic faciunt aurigæ, cedunt currui non solum magis onusto, sed etiam magis honorato & potentiori. Si enim rustici cū nobilibus aut militibus sibi occurrentibus contendere de via meliore vellent: & verbera sentirent, & tandem etiam cedere nihilo minus cogerentur. Atq; hæc est victoria, quam suadet Apostolus ad Coloss. 3. dicens: *Pax Christi exultet* (Gr. *palmam ferat*) *in cordibus vestris* Vincis enim & palmam fers, quando pacis retinendæ causâ, levius bonum perdis.

III. Cupiditates reseca. Hoc medium dat Cassianus collat. 16. capite sexto, ut nimirum omnes divitiarum & cujuslibet rei terrenæ cupiditates eliminentur, si conservare pacem velimus. Ratio, quia *meum & tuum*; est causa omnium contentionum ac perturbationum, Ruffinus in Vitis Patrum apud Rosvveid libro 3, refert hanc historiolam. *Duo senes erant in unâ*

II. Fac alterius potius quam tuā voluntatem.

III. Cupiditates reseca.

cellâ pariter sedentes, & numquam inter se vel qualemcumq; parvam contentionem habuerant. Dixit ergo unus ad alterum: Faciamus & nos vel unam litem, sicut & alii homines. At ille alter dixit ei: Nescio quemadmodum fit lis. Dixit ei ille: Ecce ego pono laterem in medio & dico: Quia meus est; & tu dic, quia non est tuus, sed meus, & ex hoc fit contentio & rixa. Et cum posuissent laterem in medio, dicente uno, quia meus est, ille alter primò respondebat: Ego meum esse spero. Cum ille alter iterum diceret. Non est tuus, sed meus, tunc ille respondit: Et si tuus est, tolle illum. Quo dicto non invenerunt, quemadmodum litigarent. Quid mirum? erant ambo contemptores opum. Quam multi alij pro uno latere, pro una terræ spithama aliaque re levissima contendunt, quia cupiditatibus pleni sunt! Si cogitarent omnes mundi contentiones non esse nisi pro uno latere, pro unâ terræ glebâ, nullatenus invenirent, unde litigarent.

Vidit hoc Isaac Patriarcha, cum in Palæstinâ peregrinaretur, Gen. 26. Fodit enim ibi pecoribus suis puteum, sed mox adsunt pastores regionis illius, & puteum suum esse contendunt dicentes: *Nostra est aqua*. Quid Isaac? nec verbo contradixit, sed appellavit puteum *calumniam*, & aliò pergens, fodit sibi alium. Iterum adsunt pastores, & pro hoc quoq; rixantur. Quid Isaac? puteum appellat *inimicitias*, & aliò profectus, alium sibi fodit; quem & in pace possedit. Nimirum Isaac peregrinus in terrâ erat, habitans sub tentorio, nec æstimavit puteos, adeo ut execraretur potiùs, velut causas jurgiorum; ipsoque vocabulo exosos redderet. Sic obtinuit, ut ipse Rex Palæstinæ tandem veniret, pacem ab eo postulans: *Vidimus*, inquit, *tecum esse Dominum & idcirco diximus: Sit juramentum inter nos & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali*, &c. Cogitent ergo qui lites habent: Qua de re contendimus? de puteo, de glebâ terræ; & quid opus de his rixari? Contumeliarum & inimicitiarum fontes sunt.

IV. *Tace & quiesce.*

IV. Tace & noli insufflare in ignem, præsertim qui te non urit. Docet hoc proverbium Germanorum: (was dich nit brennet/das blaß nit) Et Italorum: *Audi, Vide, Tace, si vis vivere in pace*, Volunt dicere: noli te miscere rebus & causis alienis, sed sine unumquemque agere quod agit; si tui officii non est, male agentes reprehendere. Didicit hoc Moyses damno suo, quando videns percuti Hebræum ab Ægyptio, occidit Ægyptium zelo inculto, ut vult S. Augustinus l. 22. contra Faustum, postea enim audiit reprehensorẽ Hebræum: *Quis te constituit principem & Iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Territus enim hoc verbo Moyses fugere à Pharaone & ex Ægypto coactus est Exod. 2. Habuisset ergo pacem si tacuisset, & alieno negotio se non miscuisset. Hoc docuit etiam senex ille in vitis Pp. apud Rosvveid. l. 5. libel. 1. cum dixit. *Si quis loquitur tecum de quacumq; causâ, noli contendere cum eo. Sed si bene dicit, dic: Etiam si autem male, dic ei: Tu scis quod loqueris. Et ne contendas cum eo de his, quæ locutus est, & tunc erit mens tua pacifica.* Eodem tendit quod Abbas Agathon adolescenti petenti, quomodo cum fratribus habitare semper in pace posset, respondit. *Observa præ omnibus, ut qualis primo die ingrederis apud ipsos, talis reliquum tempus peragas, & cum quiete adimplebis peregrinationem tuam Custodi enim ne quando loquendi fiduciam assumas, dicente Apostolo: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Ibid. l. 7 c. 42. Experimur fere ubiq;, quod hic sanctus docet Qui prima vice ingrediturus monasterium, aulam scholam, domum ibi sedem fixurus, nihil primo di[e] taxat, nihil reprehendit: omnia approbat & laudat, ve[l] saltem dissimulat: audit loquentes, videt discurrentes varia agentes; & ad omnia tacet, sinit ire res ut eunt unde hoc consequitur, ut qui in cœnobio, aulâ, scholâ, domo sunt, comiter eum alloquantur, demulceant solentur, honorent, &c. Ac si plusculum ibi hærens multa loqui incipiat nunc illud carpat aut sibi displicere dicat, mox adversarios sentiet & pacem suam perdet. Hinc toties monemur, ut in hoc mundo conversemur velut peregrini. Hi enim per civitates & regiones magna pace transeunt, quia cum nusquam di[u] hæreant, & nihil ad se spectare putent, quidquid vident vel audiunt, hinc benevolè accipiuntur ab hospitibus, honorantur ab incolis & cum pace dimittuntu[r] Hæreant paulo diutius & reprehendant mores aut leges civitatis vel regionis mox infigentur eis dentes hostes experientur. Unde illud: *Post tres sæpe dies pisci[s] vilescit & hospes.* Atq; hic est ille Agathon, qui tot[o] triennio lapillum in ore gestavit, ut silentio assuesceret, & per silentium pacem obtineret.

V. Patiens esto. Docuit & hoc Agathon prædictus *Si habitas*, inquit, *cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur: si glorificatur no[n] extollitur.* Ut in Vitis PP. l. 7. cap. 42. Simillimum est quod ibidem refert de Anub Abbate. Cum enim aliquando à gente Mazicorum pulsus esset à monasterio Scithi cum Abbate Pastore & quinque fratribus, & venissent in Terenuthi, habitare cœperunt simul i[n] deserto Gentilium templo. Anub noctu surgens vidi[t] ibi Idolum cœpitq; id lapidibus primum impetere deinde ab eodem veniam rogare. Advertit id Pastor & mane facto ex eo quæsivit cur id fecisset? Tum Anub: *Quando lapidavi statuam, audistine eam conqueri aut mihi indignari: Cui ille: nequaquam. Rursum Anub Quando ab ea veniam petii, audistine eam sibi gratulantem mihi q; insultantem? Minimè, inquit Pastor Tum anub: Si & nos eodem modo fuerimus hic constituti, sicut statua illa, ut quidvis à quocumq; pati, nec contradicere aut invicem insultare parati simus, tunc poterimus simul hic in pace permanere. Si quis autem hoc servare nolit, ecce quatuor ingressus sunt ad aditum templi hujus: unusquisq; quo vult exeat & quo vult vadat. Illi hoc audientes perstiterunt ibi in summâ pace, & quod apponebatur eis à dispensatore hoc comedebant, nec quisquam dicebat: Affer aliud quid, aut nolo, hoc comedere.* Fuit sanè statua talis etiam Patriarcha Abraham, qui audiens Saram suam iniquè secum expostulantem propter Agar ancillam, quod Dominæ insultaret: summâ tranquillitate eam composuit, non prout

prout merebatur, objurgando, sed calumniam patiendo eique potestatem in ancillam permittendo. Genes.16 Bene *adamas & fortis Athleta* a S. Chrysostomo eo loco propter hoc appellatus: Sicut enim adamas contemnit ictus malleorum, & sicut Athleta insultationes puerorum: ita homo patiens vexationes quorumcumque. Poterat sanè Abraham jure objurgare Saram, quod immerito quereretur siquidem ipsa suaserat, ut Abraham ancillam duceret in uxorem: psa etiam optaverat ut ex eâ filium susciperet: & jam marito petit, ut prægnantem domo pellat. Adhæc isperum valde erat, quod ab eo Sara petebat, ut nimium ipsam sterilem uxorem domi retineret, alteram secundam & jam prægnantem è domo ejiceret, qui anto desiderio hæredem expectabat. Sed nimirum Abraham ut pacem in suâ domo conservaret, noluit um uxore verbis contendere, probe sciens se hoc acto non terminaturum litem, sed inflammaturum. rgo vir prudentissimus pati potius voluit, ut uxor uorem pelleret, quam ut ambas perderet & cum illis acem quoque.

Superest nunc, ut si pacem hanc desideramus, quæamus per has vias. Qui pretiosam margaritam alicui invenit & vænalem deprehendit, abit & vendit omia, quæ habet, & emit eam, teste Salvatore nostro latth.13. Pretiosa margarita est pax cordis nostri, ado ut Apostolus ad Rom.14.v.17. eam dicat esse *regum Dei* in hac vita. Non sit ergo nobis durum facere uæcumque, ut hanc pacem comparemus. Faciamus istitiam, cedamus aliis, spernamus terrena, frænum ri imponamus, patiamur deniq; omnia, *Inquire pacem & persequere eam*, ait David ps.33. q.d. non solum dmitte pacem, si tibi ab altero offeratur? sic enim pax sequitur. Sed tu prior offer etiam renuenti aut à te fugienti. Sic tu pacem sequeris, imo persequeris, sic am apprehendes.

THEMA IV.

otestas remittendi peccata ovum aureum,

Sanat pestifera peccatorum ulcera.
. Confert thesaurum gratia.
I. Restituit & vivificat opera mortificata.
. Relaxat partem pœnarum.
Restituit animi tranquillitatem.

ccipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joan. 20.

VIdimus per elapsos dies non unum tantum paschale ovum à Christo resurgente allatum nobis donatum. Sed nondum omnia vidimus. Superest hucunum, idq; valde excellens, potestas scil. claum, quibus cœlum aperiri etiam lapsis post baptisum potest; qualescumq; illi sint & quotiescumque ciderint. Hoc affert nobis ipso resurrectionis suæ e, cum in hod. Evang. ait: *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* eoq; fruiti sumus in hoc paschali tempore. Ovū vero hoc ex thesauro meritorum Christi prodiit, & jure aureum appellari potest; quia animam luto peccati post baptismum iterum fædatam, abluit & ex lutea auream facit, dum aurea gratiæ veste postliminio induit. *Quemadmodum enim* inquit S. Chrysostomus hom. 45. in Joann. *si quis liquefacto auro manum vel linguam injiciat, quamprimum deauratur: ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur.* Sanguis ergo Christi in pœnitentiâ nos abluens aurum liquefactum adeoque aureum ovum est, vnde anima pœnitentis velut aureus pullus prodit. Porro quantum hoc donum sit, hic consideremus, vt de eo percepto dignas Deo gratias agamus: ne fortè in nos quadret, quod de leprosis illis sanatis, sed ingratis ait Dominus: *Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt.*

I. Ovum quod à medicis appellatur aureum, estque arte factum, pestiferum morbum curat. Ovique vitellus crudus cum sale (secundum alios cum croco) mixtus & anthraci, quod est pestiferum ulcus impositus sanat ipsum, inquit Bercorius in reduct. moral.13. cap.25. sicque à morte ægrum liberat. Potestas clavium sanat mortifera peccatorum ulcera æternam alioquin mortem peccatori allatura, sicque eum à morte æternâ & inferno eripit. Quanta est hæc virtus hujus potestatis! quantum est hoc donum! Quid hoc aliud, nisi sepulchra aperire & mortuos extrahere ac resuscitare? Inter admiranda scribit Aristoteles in admirandis cap. 28. fontem in Siciliâ esse vorticis formâ, in quo aves suffocatæ, quin & reliqua animantia, ubi fuerint immersa, revivuscunt. Sed quanto potior est homo brutis? Pœnitentiæ sacramentum seu potestas absolvendi fons est, de latere Christi exiliens, qui nos miseros mortales toties lethalibus plagis affectos, imo exanimatos revocat ad vitam. Unde S. Augustinus l. de pœnit. ait: *Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, &c.* Magnum Dei beneficium fuit piscina illa probatica Jerosolymis, in qua ad descensum Angeli sanabatur unus à quacumque infirmitate, qui prior ad motum aquæ ingressus fuisset. Joan.5. Sed hoc neq; stabile neq; universale fuit. At pœnitentiæ sacramentum a Christo nobis comparatum talis est piscina, ut quicumque, quotcumque & quocumque tempore à quocumque animæ morbo liberari possimus, quandocumque Sacerdos aliquis jurisdictionis potestatem habēs movet aquam, h.e. applicat nobis pretium sanguinis Christi, per absolutionem sacramentalem. Quantū esset illud si quis vinctos omnes è carceribus liberare & libertati restituere posset, nemine contra hiscere audente? Hoc Confessarii facere ex Christi concessione possūt. Quam potens ergo fuit verbum Christi: *Lazare veni foras*; ad excitandum è sepulchro Lazarum: tam potens est verbum Confessarii: *Ego te absolvo*, ad suscitādā à morte, & ex inferno eripiendam animam tuam. Quam potens erat verbum Christi. *Exi immunde spiritus*, ad expellendos spiritus malos è corpore: tā po-

I. Sanat pestifera peccatorum ulcera.

tens

tens est verbum Sacerdotis ad expellendos ex animabus, hoc uno discrimine, quod Christus potestate excellentiæ, sacerdos potestate ministeriali hoc agit. Quam potens erat verbum Angeli ad vinctum Petrum dicentis: *Surge velociter:* quo vix pronunciato dissolutæ sunt catenæ & ceciderunt de manibus ejus. Act.11.tam potens est verbum Sacerdotis *Absolvo te.* Latrones qui Monachos quinque à S. Adalberto Episcopo Prag. ex Italia evocatos, occiderunt, alligavit Boleslaus Rex ad illorum sepulchrum ut ibi fame interirent. Sed illi ubi ad pœnitentiam confugerunt, ruptis divina virtute vinculis liberati sunt. Gommer. l.2. Hoc secundum animam omnibus contingit verè pœnitentibus.

II. *Confert thesaurum gratiæ.*

II. Ovum cuidam in somno ostensum, pendulâ ex fasciâ lecti, conjectoris interpretatione portendit ei thesaurum auri argento cinctum, sub lecto reconditum, & reverà exhibuit, teste Chrysippo l. de Orat. & Cic. l.2. de divinat. Potestas clavium ostensa & data in hod. Evangelio thesaurum nobis ministrat auri & argenti, id est, gratiæ divinæ & virtutum infusarum, quæ eam consequuntur. Alterum vc hoc à priore donum est. Non enim quo quis reus læsæ majestatis è vinculis à Rege dimissus est, eo ipso in gratiam Regis receptus, & pristinæ dignitati restitutus est inter homines. Absalon ab exilio quidem ad preces Thecuitis revocatus fuit in domum suam, sed ad aulam & conspectum patris adeoque ad pristinam gratiam admissus non fuit. 2. Reg. 14. *Revertatur in domum suam, sed faciem meam non videat*, ait David. Multum pro eo laboratum, ut in gratiam reciperetur. At verò Sacerdotes suâ potestate non solùm absolvunt homines à vinculis, sed in pristinam etiam gratiam DEI restituunt. Cujus exemplum refertur in Vitis PP. lib. 6. libello 1. de Episcopo, qui duas mulieres, quæ priùs impudicè vixerant in S. Communione, quam distribuit, vidit stolâ albâ vestitas, splendidas habere facies, totoque corpore illustratas. Quod cum miraretur, quod prius de impudicitiâ ad eum delatæ fuissent, respondit Angelus causam hujus mutationis esse, quod resipuerint & per pœnitentiam ac confessionem divinum meruerint numerum & immutationem. Mirante adhuc Episcopo, quòd non solum punitæ non sint, sed etiam tali claritate & gratiâ donatæ, respondit Angelus: *Deum suâ bonitate longe superare homines, qui cum pro inimicis mori voluerit, multo magis effundit suum amorem & dona in eos, qui sibi reconciliati sunt.*

III. *Restituit & vivificat opera mortificata.*

III. Ova, ut refert P. Georg. Stengelius in ovis Pasch. c. 81. juventutem seni restituunt. Nam teste Æliano l 1. de animal. cap.48. ova corvi canos capillos faciunt nigros, ut homo senex appareat juvenis. Potestate clavium etiam restituuntur homini opera bona per præcedens peccatum enecta & mortificata. Præter lethale vulnus, quod est amissio gratiæ accipit homo per peccatum etiam alia. Perdit enim merita omnia operum bonorum prius acquisita: sicque remanet misera peccatrix anima omni ornatu denudata, calva & defœdata, teste Ezechiele. cap.18. *Si averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* At verò potestas clavium restituit homin[i] opera mortificata & pristinum thesaurum meritorum, juxta id Joël.2. *Convertimini ad me in jejuni[o] & fletu & planctu, &c. & reddam vobis annos, quo[s] comederunt locusta, bruchus & rubigo & eruca.* Ub[i] ad litteram promittit Hebræis annum fertilem, qu[i] compenset priorum annorum sterilitatem, pecca[]tis eorum immissam, si egerint pœnitentiam: my[]stico verò sensu suscitationem operum mortifica[]torum & restitutionem meritorum, quæ perdidera[]mus cum augmento gratiæ, ubi docent Theolog[i] cum D. Thoma 3. p. q.89. a.1. & 5. Non solent Prin[]cipes terræ recepto in gratiam omnia prorsus re[]stituere, quæ jure ei abstulerunt. Patet in David[e] æquissimo alioquin Rege, qui Miphibosetho, ad [] malè delato & in gratiam recepto, non omnia, qu[æ] abstulerat bona, restituit, sed dimidiam parte[m] tantam, 2. Reg. 19. At divina liberalitas long[è] se magis effundit erga pœnitentes. Quod ex argu[]mento rei levis colligi potest, quæ contigit S. Aichar[]do Abbati Gimesiensi apud Sur. 15. Sept. ex Fulbe[r]to. Is enim cùm aliquando negotiis impeditus [] sero Sabbati tonsorem vocasset, & capillum sibi a[] tonderi curaret, vidit Dæmonem in angulo stante[m] & detonsos ac decidentes capillos colligentem [] numerantem. Attonitus ergo quærit, cur id f[a]ceret. Cui Dæmon: se capillos eos suo princi[pi] ferre debere, aliquando contra Abbatem produce[n]dos, qui ferialem diem sic violaret. Ait Aichardu[s] *Dabo operam ut præveniam te & quod à me min[us] rectè gestum, mox per confessionem expiem, & ita confundam.* Fecit, ut dixit, convocavit fratres, publi[cè] suam culpam confessus & expiatus est. Mira re[s] capilli priùs ex parte detonsi, omnes ei restituti sun[t] ut nulla prorsus pars rasuræ vel tonsionis in eo app[a]reret. Ad quid hoc putamus à Deo factum? n[isi ut] sciremus, restitui etiam pænitenti per confessio[]nem, quidquid ei culpa abstulerat, etiam minim[a] quæque, & quasi capillos?

Famam quoque restituit deletque contracta[m] priùs infamiam, ut patet in Mariâ Magdalena, Ma[t]thæo, Zachæo, aliisque. In politicis, qui ob sce[]lus aliquod plexus incidit in infamiam, etsi precib[us] aut pecuniâ redemptus, retinet tamen infami[æ] notam. At non ita, qui per pœnitentiam DEO reco[n]ciliatus est; quin imo macula prior vertitur in glo[]riam.

IV. Ovo candido calculi pelluntur, ut refe[rt] cit. auctor de ovis cap. 49. Potestas clavium relax[at] etiam pœnas, non tantum æternas (quod ex pra[e]missis sequitur) sed ex parte etiam temporales, [] satisfactionis à Confessario injunctæ, quæ ut pa[rs] Sacramenti operatur longè efficacius, quam qu[æ] sponte assumitur. Non est spernendum etiam ho[c] bonum. Si enim quis tibi aureum nummum dare[t]

qu

qui ob aliquam eius virtutem aut dignitatem decu-
lo plus valeret, quam communis alius: nonne tu id
nunus magni æſtimares? vel ſi mille aureorum de-
itum centum aureis ſolvere poſſes, nonne multum
ret, vel ſi Alchymiſta aliquis argentum tuum in au-
um verteret, ut mille florenos, quos debes, poſſes
lvere centum aureis, quæ gratia tibi fieret? At hoc
bi præſtat abſolutio ſacramentalis, à ſacerdote im-
rtita: Si enim confeſſeſſio Davidis, quæ juris natu-
tantum fuit, magnam pœnarum temporalium mi-
gationem unà cum remiſſione culpæ obtinuit, mul-
magis obtinebit confeſſio & abſolutio ſacramenta-
. Convictus erat David adulterij & cædis non unius
riæ, ſed multorum aliorum, quos Ammonitæ gla-
o ſimul cum ipſo peremerunt: David etiam ore ſuo
um mortis pronuntiarat eum, qui non adulterium,
n cædem fecerat; ſed pauperi ovem dumtaxat ra-
erat; & nihilominus poſt duo verba: *Peccavi Do-
ino*, audit: *Non morieris*: cùm tamen ipſi eiuſque
mui gladium ſempiternum & mortem Deus per os
athan jam decreviſſet. Mitigata eſt igitur ei pœna,
pro patre eiuſque domo filius infans moreretur.
ominus quoque tranſtutit peccatum tuum: (gehen-
m in mitiorem pœnam commutando) *non morieris*,
as ſcilicet moriturus propter homicidium & a-
lterium, 2. Reg. 12. Quare bene Sanctus Chry-
ſtomus hom. 1. in Pſalm. 50. miratur quam diverſa
t DEI & hominum iudicia: quàm hæc ſevera,
àm illa mitia. Quam multa enim peccata his paſ-
alibus diebus condonata & pœnitentiis leviſſimis
luta ſunt à Confeſſariis, quæ ſi publicè conſtitiſſent
agiſtratibus, plexa fuiſſent gladio, laqueo, rotâ,
go; Ac licet metuendum per illas parvas ſatisfa-
iones non omnem omninò reatum abſterſum eſſe,
n dubium tamen, quin magna ſaltem pars remiſſa
, juxta contritionem pœnitentis. Quare ſicut vil-
cus iniquitatis remiſit uni debitori domini ſui 50. ca-
s olei, alteri 20. coros tritici. Luc. 16. ſic de pœnâ
mporariâ remittunt aliquid confeſſarii injungendo
œnitentiam.

V. Ovi luteum cruorem excreantibus prodeſt.
teng. loco cit. Aiunt etiam Medici teſtam ovi cine-
tam & in vino epotam ſanguinis eruptionibus me-
eri. Idem cap. 18. num. 8. Sanguis noſter peccata
nt, qui ſæpius è peccato erumpit, memoriam &
editatem ſcelerum noſtrorum nobis ante faciem
onendo & quaſi improperando, quemadmodum
cit Davidi, qui pſal. 50. fateretur ipſe: *Iniquitatem
eam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſem
r* quaſi ſanguis ſcilicet innocentis Uriæ à me fuſus,
erpetuo oculis meis obverſans. Vnde mox orat:
ibera me de ſanguinibus DEUS. Reſtituit ergo pœni-
enti priſtinam animi tranquillitatem & gaudium
onſcientiæ, quod indicavit Dominus in parabolâ
ilii prodigi, cui pater inſtituit convivium & ſympho-
iam.

Addit ſæpè DEUS extraordinaria quædam dona,
uti Henrico II. Angliæ Regi victoriam, mox poſt
peractam pœnitentiam, apud Sur, in vitâ S. Tho-
mæ Cantuar. Epiſcopi 29. Ian. apud Sur. Comiti pœ- c. 2. P.
nitenti filium in vita S. Anthelmi Epiſcopi Bellicenſis
26. Iun. apud eundem.

Supereſt igitur ut pro tanto munere DEO grati ſi-
mus, idque ſicut eſt revera, maximi æſtimemus & non
commutemus amplius pro ullo temporali bono. Tur-
nius cum Antonii partes contra Auguſtum ſecutus
fuiſſet, & victoria à parte Auguſti ſtetiſſet, metuens ſi-
bi, ſubornavit filium, qui à victore Auguſto veniam
peteret. Petiit & impetravit. Tum Turnius Cæſari gra-
tias agens, dixit: *Hæc una abs te, ô Cæſar, injuria facta
eſt mihi, ut vivendum & moriendum mihi ſit ingrato*,
ſignificans tantum ſe ab eo accepiſſe beneficium, dum
& vitam obtinuit & in gratiam receptus eſt, ut nullo
unquam tempore dignas ei gratias referre poſſet. Quid
jam dicat, quæſo, Chriſto Chriſtianus poſt tot inju-
rias ſibi irrogatas & ſibi condonatas, qui & à morte
per eum ereptus, & in gratiam receptus & novis do-
nis auctus eſt? Et quomodo melius gratias agemus,
quàm hoc donum dignè æſtimando & ſedulò conſer-
vando; Hoc igitur agamus, & doleamus, quòd ſub
tanto benefactore vivendum & moriendum nobis ſit
ingratis.

THEMA QUINTUM.

Signa reſuſcitatorum ſecundum animam.

I. *Vitæ immutatio.*
II. *Depoſitio odiorum & reſtitutio debitorum.*
III. *Patientia adverſitatum.*

Niſi videro in manibus eius fixuram clavo-
rum, non credam. Ioan. 8.

NOn eſt vana quæſtio, an plus obligemur ſancto
Thomæ, qui tardè; quam reliquis Apoſtolis, qui
citò crediderunt reſurrectionem Chriſti. Sanè Sanctus
Gregorius homil. in hodier. Evangelium ait: *Plus no-
bis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium
diſcipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando
reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in
fide ſolidatur.* Quod ſi ita eſt; volo hodie potius Tho-
mam, quàm diſcipulos alios ſequi. Eccur? Videntur ſibi
hoc tempore plurimi è vitiorum & damnationis bara-
thro erepti eſſe, adeoque cum Chriſto reſurrexiſſe. Et
credo hoc de pleriſque. Sed ut credam de omnibus &
ſingulis: hic ego Thomas ſum, ac niſi videro & tetige-
ro veſtigia, non credam. Neque verò Audit. hæc mea
infidelitas oberit vobis; proderit potius. Obeſſet ſanè,
ſi dicerem omnes ſurrexiſſe ſine omni dubio. Hinc e-
nim minatur Deus Pſeudo-prophetis Ezech. 13. *eo quod
deceperint populum meum dicentes: Pax, & non eſt pax,
Et ipſe* (populus) *ædificabat parietem* (caducum)
illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Videntur
ſibi multi erexiſſe nunc parietem contra gehennam:
ſed quid ſi è ſilicibus ſtructus ſit? quid ſi cum lu-
to obli-

to obliverint? Itaque nolo ego talis esse litor: Medicus esse malo.

I. *Vita immutatio.*

I. *Nisi videro* in te cicatrices seu *fixuras clavorum*, id est, signa quæ ostendunt te crucifixum adeoque novum hominem, non credam resuscitatum. Nam *ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana*, ait Tertull. lib. de pœnitent. cap. 2. Conversio hominis est, cum spectans occasum convertit se ad orientem. Moraliter: quando peccator, qui prius se convertit ad res occiduas, post vertit illis dorsum, & convertit faciem ad orientem, id est, Deum: quando recedit à viâ perditionis & sectatur viam salutis, nec sequitur amplius amatores suos. In vitis P P. apud Rosvveid. lib. 6. libello 4. dicebat Abbas Joannes de animâ, quæ desiderat pœnitere: *Quædam pulcherrima peccatrix fuit in quadam civitate, quæ habuit plurimos amatores. Quidam autem vir de Ducibus veniens ad eam dixit promitte mihi castitatem tuam & ego te accipiam in uxorem. illâ igitur promittente, eam introduxit in domum suam. Cumque à suis amatoribus quæreretur, agnito quod ille tam magnus vir sortitus eam esset in uxorem, dixerunt: Si accesserimus ad januam hominis tam potentis, cognoveritque desideria requirentium, procul dubio puniemur. Sed venite post dorsum domus, utamur solito sibilo cumque illa sibilantium sonitum audierit, descendet ad nos & inveniemur innoxii. Quæ cum audisset, signavit aures suas & exiliens in interiora domus ingressa est, atque clausit.* Sic nimirum postquam anima peccatrix à prioribus amatoribus se uni Christo despondit per pœnitentiam; redibunt mox amatores pristini eique sibilabunt. A quibus si refugiat & ad Christum confugiat, signum est eam verè pœnituisse & Christo fidelem esse. Quod si illis ostium aperiat, signum est, nondum recessisse ab eis, nec verè eam adhærere viro suo. Quare *si reverteris Israël*, ait Dominus, *ad me convertere*, id est, si convertas te, verè convertas, ut sis alius homo, non qui fuisti. Jerem. 4. Serpens bibiturus deponit venenum, sed post resumit. Ergone interea serpens non est; Iudæi vestes exuerunt & Christo substraverunt; sed mox reinduerunt, ergone mali non fuerunt, qui post eum condemnarunt? Non se ex integro convertit Grimoaldus Dux Bavariæ, postquam ad instantiam S. Corbiniani Frisingensis Episcopi, renunciavit incesto connubio cum Pildrude defuncti fratris sui uxore. Tametsi enim victus tandem una cum pellice ad pedes Episcopi accidit & promissâ thori separatione absolutus est, quia tamen *non longius, ut par erat*, inquit, Baronius anno 724. *à se fœminam illam ablegavit, reversus ad vomitum ulciscente Numine in se quoque* Dei *vindictam miser expertus est*: ab insidiatoribus interfectus: ipsa vero ad extremum in tantam ignominiam & inopiam redacta, ut non nisi asellum unum possideret, miserè tandem periit. Conversio etiam hominis est, cum qui supra caput stetit, conversus supra pedes stat. Peccatores prius capite in terram verso ambularunt, uti vidit cæcus ille, qui nondum plenè à Christo illuminatus, cum r[...] garetur quid videret, ait: *Video homines velut ar[...]bores ambulantes*, postea integre curatus cœp[...] clarè omnia videre. Marci 8. Peccatores prius am[...]bularunt velut arbores capite in terram verso, p[...]dibus sursum erectis. At vero conversi mutare [...]tum debent juxta id Apostoli ad Col. 3. *Si consu[...]rexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Sim[...]li modo æger ille ad piscinam Ioan. 5 sanatus [...] Christo jussus est surgere & tollere grabatum suu[...] Quæ prius ipsi requies fuit, postea onus & sa[...]cina facta est: quod prius ipsum portavit, po[...] ab ipso portatum fuit. Ita quæ prius deliciæ eran[...] post peractam pœnitentiam fiant horror, nau[...] & onus. Quod prius te velut debilem sibi alligavi[...] tu jam fortis effectus tibi alliga & vince. Ru[...]su[...] nisi videro in manibus tuis cicatrices, id est, me[...]moriam plangentem priora peccata tua, non credam[...] Quisquis enim verè conversus est, sæpè recorda[...]tur lapsuum suorum, eosque deflet & aversatu[...] Id etiam præcepit Deus Hebræis Ezech. 20. *Cu[...] induxero vos* (è Babylone) *ad terram Israël, reco[...]dabimini ibi viarum vestrarum & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebi[...] vobis* (70. legunt: *percutietis facies vestras*,) *in con[...]spectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecisti[...]* Hæ cicatrices vexarunt adhuc Davidem Psalm. 37. *Pu[...]truerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie ins[...]pientiæ meæ*, quasi dicat quando recordor lapsuum meorum videoque obductas cicatrices, tunc iterum fœtorem quasi ex putri vulnere sentio ob meam in[...]sipientiam, quâ peccavi tam stultè. Idipsum etiam recolit Psalmo 87. quem composuit *in rememoratio[...]nem de sabbato*, id est, quiete amissa in statu innocentiæ & gratiæ, ut explicant Augustinus & Gregorius; in quo inter alia ait: *Dolor meus in conspectu meo semper.*

II. *Nisi mittam digitum in locum clavorum.* Clavi qui peccatorem confixerunt ac vulnerarunt, sunt odia & rancores, sunt bona injusta & honor ablatus, sunt scorta & libidines, sunt libri prohibiti, impudici, magici & hæretici, uti & amuleta magica &c. Hi omnino extrahendi sunt, prout jubent Confessarii, ita ut in eorum locum digitum mittere possim. Multi quidem multa promittunt in confessione, quod velint removere ista, sed promissis non stant. Similes adolescenti illi nobili, propinquo Neronis, defuncto, quem in præsentia S. Petri Simon Magus suscitare divinis carminibus conatus est. Et visus est agitare caput, qui mortuus erat, ita ut clamor attolleretur Gentilium, quod jam viveret. Sed Petrus silentio indicto: *Si vivit*, inquit, *loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur.* Sed is nihil horum præstitit; separato ab eo Mago immobilis & mortuus mansit. Petrus eum postea verè suscitavit. Egesippus lib. 3. exc. Hierosol. cap. 2. Hunc in modum multi in confessione annuunt capite, se restituturos aliena, ejecturos pelli-

ꝇllices, vindictam depoſituros, libros impudicos ꝇmbuſturos. At non præſtant. Quid de his di-ꝇm? vultis credam eos vivere? Minimè: Thomas ꝇm. Niſi videro eos ſurgere, loqui, ambulare: cla-ꝇs illos, qui lacerarunt eorum mentem, exime-ꝇ, non credam eos vivere. Videtur talis fuiſſe Achab ꝇx Iſraël, qui cum machinatione uxoris occidiſ-ꝇ Naboth velut blaſphemum & ſpoliaſſet vinea ꝇ, erexiſſet ſimulachra, incluſiſſet Michæam in ꝇrcerem; ubi audivit ſibi ab Eliâ denunciari ſup-ꝇcium mortis, ſcidit veſtem, operuit ſe cilicio, ꝇunavit, dormivit in ſacco & ambulavit demiſſo ꝇpite. tertio Regum vigeſimo primò. Unde aliqui ꝇtant veram fuiſſe ejus pœnitentiam. Sed etſi hoc ꝇmus, ſolida tamen & perfecta non fuit, sed in-ꝇoata tantùm, ac ſi domum emam & non ſolvam, ꝇia non ſatisfecit, non reſtituit vineam & hono-ꝇn lapidato Naboth, nec confregit ſimulachra, nec ꝇchæam dimiſit. Clavi iſti adhuc ei infixi erant. ꝇn ergo ſurrexit, ſaltem integrè & ſolide, ſed ꝇantaſticè, ut vult Sanct. Gregorius homil. 9. in ꝇech. aut ſummum ad momentum, ut alii. Fuit ꝇtur hypocrita tantùm ſeu hyſtrio, externa pœni-ꝇtiæ ſigna præferendo. At verè pœnitentibus: *ꝇndite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*, ait ꝇel, capit. ſecundo. In corde latent odia, avaritiæ, ꝇpis amor hæreſis &c. illa exſcindenda & abjici-ꝇda ſunt. Magdalena omninò renunciavit impuro ꝇori: Zachæus bonis alienis: Epheſii, qui fuerant ꝇioſa ſectati, contulerunt libros magicos & com-ꝇſſerunt coram omnibus. Actor. 19 B. Anno Epiſco-ꝇs Colonienſis in raptu mentis vidit ſe inter SS. præ-ꝇes in cœlo ſedere, ſed una fœda macula in pectore ꝇhementer dehoneſtari, quam & fruſtra tegere ni-ꝇbatur. Itaque à cæteris repulſus è conceſſu, audiit ꝇamico, cui hoc narravit, ut memoriam offenſæ ꝇga Colonienſes aliquot à quibus civitate expulſus ꝇit, è corde deleret & in gratiam rediret, ſi eo con-ꝇſu dignus haberi vellet. Id quod ſtatim fecit, re-ꝇcatis Colonienſibus & bonorum confiſcatione ꝇaxata. Sur. tom 6. Ubi ſunt ergo, qui dicunt ſe qui-ꝇm remittere injuriam velle, ſed non obliviſci? Sie ꝇllen vergeben/ aber nicht vergeſſen? Sanct. Baſilius ꝇmil. 8. in Hexam. *Audite vos audite*, inquit, *qui gra-ꝇm amarumque geritis animum, quique mali memo-ꝇam vobis illæ, tanquam virtutem probitatemque quã-ꝇm exercere ſoletis, cuinam animali perſimiles ſitis. ꝇlim verberibus caſa camelus, ira longo poſt tempore condita, cùm idoneum opportunumque nacta fuerit, ꝇmpus malum illud tandem reddere ſolet*. Chriſtus cer-ꝇ reſurgens omnes non ſolùm injurias acceptas in ꝇaſſione, ſed & memoriam earum depoſuit. Nullius ꝇnim injuriæ unquam mentionem fecit; nemini ullam ꝇxprobravit. Deſertores ſui diſcipulos fratres appel-ꝇat: Petro perfidiæ reo præ cæteris nuntiari reſurre-ꝇctionem ſuam jubet: Euntibus duobus in Emaus & ꝇaſſionem ejus commemorantibus reſpondet: *Quæ?* quaſi neſciret quid ſecum actum eſſet in paſſione. Talis ſi fueris, credam te reſurrexiſſe.

III. Patientia adverſitatum.

III. *Niſi mittam manum meam in latus tuum*: Satan noluit credere quòd verè & ſolidè viveret Job ſecundum animam, priuſquam tactu eum exploraret. Rapuerat illi jam filios & bona omnia; ſed his non contentus: *Mitte manum tuam*, ait ad Deum, *& tange os & carnem ejus, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi*. Job ſecundò. Tetigit, ſed vivum & ſolidum reperit. Simili modo qui verè ſuſcitatus in domino vivit, vexatione, tribulatione, reprehenſione deprehenditur. Nam ſi patienter ea ferat tanquam millies debita peccatis ſuis, credo eum vivere: ſin verò, non credam. Qui enim verè pœnitet, non excuſat, non confunditur, nullam pœnam detrectat, ſed de ſeipſo vindictam ſumit. Saul poſt delictum ſuum increpatus à Samuele, ait quidem *Peccavi*; & hoc iteratis vicibus. Sed inprimis: malè excuſat peccatum, & in populum derivat: *Peccavi, timens populum & obediens voci eorum*; deinde vult honorari coram populo, non confundi aut vilipendi, ne regno ſuo excideret: *Peccavi; ſed honora me coram populo*, primo Regum decimo quinto. Coram populo tantùm vult honorari & quidem poſt peccatum. Sed hanc ejus pœnitentiam adeoque etiam ipſum reprobavit Deus per Samuelem. Non ſic David, qui & ipſe de peccato redargutus à Nathan ait: *Peccavi*, ſed addit: *Domino*. Non excuſat, non vult honorari, non timet confundi aut puniri: non dolet ob proprium damnum, ſed ob offenſum dominum: non ægrè fert reprehendi quaſi unus de plebe: & cùm poſteà à Semei homine plebejo impeteretur probris, quin etiam luto & lapidibus; audiretque *vir Belial & vir ſanguinum*: nihil oblocutus eſt, ſed agnovit illico manum Dei, per hominem illum ſe caſtigantem, velut centiês plus meritum: *Dimitte eum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei ut malediceret David*. Idem fecerunt in nova lege plurimi. Otho IV. Imper. ab Innocentio III. Pp. excommunicatus, quod Eccleſiæ dominia invaſiſſet multaque alia mala patráſſet, ob quæ imperio depoſitus fuit, ad finem reſipiſcens à Sigfrido Hildesheim. Epiſcopo abſolutus, in arce Hartesburg. decumbens, ineffabili compunctione pœnitens, coquinariis ſuis mandavit, collum ſuum ut calcaneis premerent, ſeque pro viliſſima Dei creatura reputarent. Crantz lib 7. Saxon. c. 37. Addit Cantipratanus l. 2. c. 53. ſe audiſſe ab iis, qui morbo & morti ejus interfuerunt, quod omni die dorſum Sacerdotibus Chriſti flagellandum dederit; ſicque tanta cum contritione obiiſſe, ut Conradus Epiſcopus Hildesheim. putarit ipſum vix una hora in purgatorio detinendum.

Hæc ſunt indicia, hi fructus verè converſorum, de quibus Joannes Bapt. dicebat: *Ne velitis dicere: filii Abraha ſumus, ſed facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ita & nos ne dicamus ſtatim: Filii Dei jam ſumus; ſed fructus pœnitentiæ oſtendamus. Dicite enim mihi, unde noſſe queam arborem jam mortuam rurſum revixiſſe, niſi ex ejus virore & fructibus? Hæc ſi non videam, revixiſſe non credam. Qui

ſunt fructus pœnitentiæ? Fugere peccata toto conatu, eadem in ſe punire, denique compenſare bonis operibus. Et quidem grandia peccata grandi pœnitentia, leviora levioribus expianda. Ideò lateris vulnus grande tota manu; vulnera manuum minora digito tangi vult Dominus. Unde S. Cyprianus ſerm de lapſis: *Quam magna*, inquit, *deliquimus tam granditer defleamus.* Magno ulceri magnum emplaſtrum applicandum.

DOMINICA II. POST PASCHA.

THEMATA.

I. *Quanta providentia nutriat Deus genus humanum.*

II. *Quàm bonus paſtor Chriſtus ſit.*

III. *Chriſtiani ſint oves.*

IV. *Oves Chriſti quomodo cognoſcant paſtorem ſuum.*

V. *Quas ob cauſas Chriſtus dare pro ſuis ovibus animam ſuam voluerit.*

THEMA I.

Quantâ providentiâ nutriat Deus genus humanum.

I. ***Nutrit magnificè.***

II. ***Paſcit paternè & amanter.***

III. ***Paſcit mirificè.***

IV. ***Paſcit ſapienter.***

V. ***Nutrit conſtanter.***

Ego ſum paſtor bonus. *Ioan.* 10.

SAlvator noſter Audit. Magiſter eſt & ſpeculum humilitatis, ſicut ipſe profitetur, Matth 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quomodo ergo ſeipſum prædicat in hodierno Evangelio dicens: *Ego ſum paſtor bonus*? Neque enim humiles commendare ſeipſos volunt. Non difficilis eſt reſponſio. Quando enim quis ſe commendat non ſui cauſa, ſed propter bonum aliorum, non ſolùm non reprehenſionem, ſed laudem meretur. Exempli cauſa, ſi quis dives, hoſpes, aut paterfamilias videat adventantes pauperes, peregrinos, qui ſub dio manent & hoſpitia intrare timent, eò quod parum viatici, & cauponum avaritiam habeant ſuſpectam. Si, inquam, dives ille vocaret peregrinos ita in domum ſuam: Ad me vos divertite: ego ſum bonus caupo; alii quæſunt aurum veſtrum; ego vero minimè: gratis vos alam & fovebo in domo mea, tantùm mihi gratias agite. Quis hoc ſuccenſere diviti huic poſſet, quod ſe bonum cauponem diceret? Jam ergo vidit Chriſtus pauperes in hoc mundo quam plurimos, qui jacebant ſicut oves non habentes paſtorem. Vidit etiam lupos & prædones, qui ſe jactabant paſtores, erant vero carnifices & laniones, qui oves non tam paſcebant, quam ad macellum trahebant; quare u[t] oves illas ad ſe alliceret, commendare illis debui[t] ſuam bonitatem, quod nimirum eas gratis paſcere & ad vitam, non ad mortem vellet. Quis hanc benigni tatem non laudabit in paſtore noſtro? Atqui nos [...] peregrini pauperes, nos hæ oves ſumus, quos ſan[...] paſcit quotidie, non tantùm ſpirituali ſed etiam ma teriali cibo; paſcit, inquam, gratis, nec aliud à nob[is] requirit, quàm ut ipſi grati ſimus, eum velut paſtore[m] noſtrum agnoſcamus & amemus. Quod ut impenſiu[s] fiat, videamus quomodo nos paſcat.

I. Paſcit nos magnificè; regio quaſi apparatu qualis fuit in convivio Aſſueri; quanquam illud um bra tantùm aliqua fuit iſtius, quod inſtituit Deu[s]. Ille excepit convivio univerſum populum, qui era[t] In Suſan: Deus excipit univerſos homines, quo quot ſunt in mundo. Ille in veſtibulo horti & n[e]moris, regia manu & cultu conſiti, ſedem convivi[i] poſuit: Deus in veſtibulo cæleſtis regiæ ſuæ, h. [...] in ſpatioſo terrarum orbe, quem ipſe manibus ſui[s] ut ſic dicam, condidit, ſuum præbet epulum: il[le] locum aulæis adornavit: ſed quid ornatius hoc mun do, in quo paſcimur nos. Ille omnis generis dap[es] in variis afferri vaſis, vinum quoque regiâ magn[i]ficentia dignum apponi juſſit: Deus innumera cibo rum genera, nec non potuum providit. Ille 188. die bus convivium continuavit: Deus ſuum continu[at] per multa ſæcula, & continuabit ad mundi finẽ. Hin[c] ut obſervat Procopius, creavit Deus mundum & e[a] quæ in ipſo ſunt, eo ferè ordine, quo magnifica al[i]qua apparatur cœna. Inprimis de die locus munda tur, ne quæ ſordes offendant convivas: deinde epul[æ] parantur & menſæ ſternuntur: poſt lucernæ undiqu[e] accenduntur, & dapes à dapiferis ad menſas inferun tur: tum præcedunt ſervi & miniſtri, quos ſequitu[r] Dominus & Rex epulaturus. Hunc in modum Deu[s] paravit homini menſam ſuam. Primo die creavit ter ram & lucem; ſequenti ſeparavit aquas & terram firmamento, & ſtruxit cœnaculum: deinde inſtrav[it] terram herbis & inſtruxit menſas, producendo om nis generis fruges. Poſt accendit luminaria in cœlo. Tum animalia, quæ ad eſum homini data, introdux[it] quaſi dapiferos, reliqua velut miniſtros & ephebos ad noſtram recreationem, Muſicam, Medicinam alia que ſervitia. Ad extremum introduxit hominem ve lut Regem, cœnaturum in menſa regia & opulentiſſi ma. Quid enim eſt, quod homo ad cibum & potum deſiderare poſſit, & non reperiat in hoc mundo? Bru tis non niſi ſimplicem & uniformem ferè cibum de dit; uti & veſtitum; at homini omnifarium: quidquid volat, natat, repit, graditur, hoc providit & permiſi[t] homini, juxta id Jac. 1. *Dat omnibus affluenter & non improperat.* Verum hic duo obſervanda ſunt.

Primum non apparaſſe Deum nobis menſas, quæ jam dapibus inſtructæ ſponte ſua incederent & nobis otiantibus obviarent, quales dicitur inſtruxiſſe, Jarchas Brachmanum Antiſtites, & Regi invitato obviã miſiſſe apud Philoſtr. Apoll l. c. c. 8. ne otium noſtrũ, & quæ indè oriuntur, infinita vitia foveret; ſed propoſu-

fuisse mensas illas labori & industriæ nostræ ; ita omnes quidem pascat , sed pro cujusque labore itiùs aut frugalius. Visum est hoc Gentilibus etiam ioni conveniens, quorum multi non nisi post cur- , venationes , luctas aliaque exercitia dabant filiis um. Lucani filiis suis nullum alium apponebant, quem à venatione domum reportassent , teste :xandro ab Alex. lib. 2. cap. 25 Apud Baleares In- as, matres pueros à prima statim infantia hoc la- e assuefaciebant , ut nisi oblatum cibum baculo funda priùs attigissent , eo vesci prohiberent, a ratione cibum laboribus quærendum esse doce- it. Idem ibid. Hoc igitur, quia decentissimum, us etiam instituit ; ut qui vult benè vesci , benè ùs laboret : qui bene cubare, bene sibi lectum ster- :.

Secundum. Non idcircò DEUM præparasse nobis nis generis victualia, ut iis ingurgitemur & helue- r. (Absit hoc à DEO) sed ut liberalitatem & be- olentiam suam nobis demonstret ; adinstar præ- itis viri, qui dilectis hospitibus opiparum instruit vivium , ex quam plurimis deliciis & bellariis fectum ; non ut omnia absorbeant indeque va- udini suæ noceant : sed ut pro libito, quæ sibi pla- simul & salubria sunt, accipiant ; quo modo et- Assuerus cavit , ne quis alterum adigeret ad essum moderaminis , in suo illo opulentissimo vivio.

II. Pascit nos paternè atque amanter, 1. quia et- n non rogatus, quo modo parens filios, quasi ex odam debito ; quod tamen in Deum propriè cade- non potest Quàm multos putatis esse , qui totis bus imò & septimanis nihil orant, & ad mensam lla precatiuncula aut pia cogitatione præmissa nsident velut bruta ? Malè enim sibi persuadent, se propria quadra vivere, cùm vivant ex alienâ, am paravit illis Deus, creaturarum ministerio , & idem plurimarum, Quot enim creaturæ collabo- e debent. donec parent tibi avem, panem, piscem ? harum , si vel una desit officio suo, v.g. pluvia non dat, aut Sol non calefaciat, actum est de victu no- o.

2. Quia non modò necessaria ad vitam confer- ndam dat , sed talia etiam quæ appetitum acuent, stum recreent & delectent , dulcia, sapida, succo- ; ac si qua ex natura sua saporem valdè gratum n habent , adjunxit condimenta , quibus sapida ldantur : salem , herbas, aromata saccharum, mel, :, butyrum, sinapi, acetum & similia , ad instar libe- issimi patrisfamilias, qui charissimos amicos omni ficiorum genere permulcet. Quòd si fortè alicui n sapit cibus etiam bene coctus, in promptu ha- t aliud triplex condimentum, scilicet laborem , in- iam, & desperationem melioris cibi. Quæ tria et- m viles cibos faciunt sapidissimos.

3. Quia esculentis illis & potibus addidit decorem, ratiam & pulchritudinem , quasi illecebram, allici- ntem & provocantem homines ad edendum & bi- endum : vino splendorem aureum aut rubicundum ; pomis ac piris genas quasi rubore perfusas ac ridentes : frugibus aliis colores varios præstantes, flavum cæruleum, viridem, rubrum: formas & figuras diversissimas, ne videndo eandem semper speciem contraherent nauseam ; quasi per hæc provocare eos & invitare ad vescendum velit, velut pater filios aut hospites amantissimos animat : *Comedite amici & inebriamini charissimi*, h. e. satiamini. Certè Eva pomi pulchritudine allecta est ad edendum pomum, sibi licet vetitum : similiter & ægroti, qui à cibis abhorrent, eorum sæpè aspectu provocati edere incipiunt.

III. Pascit mirificè 1. tot milliones hominum, qui vel fracti morbis aut senectute , vel mutili aut cœci, seipsos sustentare suis laboribus nequeunt : vel amore Christi in voluntariâ paupertate degunt , ut DEO liberiùs serviant, adeoque non labore manuum, sed ex stipe vivunt : interim nihilo minùs satiantur omnes, juxta id Psalm. 21. *Edent pauperes & saturabuntur*, rarissimè auditur perire aliquem inediâ ; nisi cùm interdum communis annonæ penuria est. Quod non solis in hominibus, sed in omnibus animantibus cernere est, teste Psal. 144. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione*, quia omnia serviunt nobis ; quodque mirandum est, pleraque sine omni nostrâ operâ aut curâ alit & conservat ; non est avicula tam vilis & parva, cui non singulis diebus præparet suum cibum, & reponat eo loco, quo inveniri ab ea possit.

III. Pascit mirifi. è.

2. Pascit sæpè in locis sterilibus ac desertis, ubi ob cœli intemperiem summa rerum inopia est ; supplendo eum defectum miris aliis modis, ut alibi dixi. In Quivirâ regione, novæ Hispaniæ reperiuntur boves vulgo Corcobado dicti, qui plurimarum rerum necessariarum defectum hominibus suppeditant. Sanguinem ejus indigenæ recentem bibunt vice potûs eoque sicco & concreto utuntur , aquâ diluentes tanquam lacte : carnem crudam edunt, quæ illis loco panis & carnis est ; cornibus utuntur ad pocula, vesicâ & ventriculo pro vasis, pelle pro utribus ; è corio domos, funes calceos ac vestes , ex ossibus arma conficiunt ; è nervis fila crassiora, pilis tenuiora (pilos enim instar lanæ tenues habent in quibusdam corporis partibus:) stercore ignem nutriunt. Itaque hoc unum animal ad omnes ferè usus vitæ indigenis conducit. Refert Gard. l. 7. de variet. c. 33. Perer. in c. 6. Gen. Mirabilius quod hæc eadem alteri genti præstet una arbor, dicta Coccus. Ex ea enim butyrum, oleum, acetum, saccharum, colorem coccineum, aquam, navigia, funes, vela, malum, clavos ac remos confici , ut nihil ex illa pereat asseverant Petr. Hispal. in sylva p. 5. cap. 17. Lud. Barth. rer. Indic. lib. 2. cap. 15. Odoardus Barb. de reb. sin. p. 4. cap. octavo Adhæc quæ alicubi hominibus venena sunt , alibi cibi salubres sunt , uti nobis Persica , quæ in Persia sunt noxia. Dracones sine noxa comeduntur ab Æthiopibus ; solo felle & lingua abjectis velut venenatis , teste Solino. Confirmat idem B. Petrus Damiani lib. 1. Epistolar. ep. decima septima ad Alexand. Pp. *Vidi certe* ; inquit , *grandævæ jam ætatis Episcopum*

2. Trip. Dom. 14. post Pent. 6. 2. F.

qui etiam ad fidem Christi convertisse non pauca Gentilium millia dicebatur. Hic perhibebat, quia dum per Æthiopiam transiit, magni draconis carnes, fame fauces obdulcante comedit, ut etiam juxta litteram illud Psalmistæ videatur impleri : Tu confregisti caput draconis, dedisti eum escam populo Æthiopum.

3. 3. Pascit mirandâ cum benedictione, ut sæpè tenui è penu quasi miraculo quodam plurimi sustententur. Comprobari hoc potest facto Friderici 3. Imperat. (ut alibi dixi) qui in Comitiis Coloniensibus hospitum ac civium capita censeri, simulque panes eo die reliquos jussit, invenitque quatuor aut quinque personis vix obolarem panem respondisse. Taceo naturæ miraculum, quo è paucis granis ingentes segetes, è pluviis vina aliasque fruges singulis annis gignit.

Vide Trip. Do. 4. Quadr. C. 9. G.

IV. *Pascit sapienter.* IV. Pascit sapienter. Primò enim juxta varia anni tempora & menses ferè, alia & alia victualia nobis producit ac proponit, ut ne fastidio eorum fatige-
1. mur, & omnia suis temporibus quiescant, quibus iterum multiplicentur. *Sed nec ipsos quoque proventus arborum aut agrorum*, inquit Petrus Damiani loco citat. *Omnipotens conditor in unam quodammodo congeriem coacervat; sed diversa diversis temporibus vel agenda vel edenda dispensat. Nam si eodem tempore cuncta ad vescendum poma concurrerent, & fastidium congesta vescentibus gignerent, & simul consumpta de copiâ inopiam generarent. Sed nunc ita diversis sunt variata temporibus, ut dum illa comeduntur, hæc maturescant, & dum alia consumpta pertranseunt, alia mox maturata succedant.* Denique si pruina aut grando damnum frugibus faciat, non omnia consumit; sed primitivas aut serotinas intactas relinquit.

2. 2. Permisit aliquid homini, ut suam adderet industriam ad comparandum sibi cibum; tum ut otium vitaret; tum ut honestè se recrearet agriculturâ, opificiis, venatione, aucupio, piscatione, navigatione, studiis litterarum; ut ita suavius ei saperet cibus, quem ipse sibi parasset, juxta id Psalm. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Atque ut cibum sibi per diem commodè compararet eoque frueretur exclusit à die feras bestias, ne hominis laborem turbarent, & ut ipsæ etiam noctu sibi victum quærere sine impedimento possent.

3. 3. Retrahit subindè manum & clades immittit in fruges & pecora, castigatque penuriâ variis de causis. 1. propter peccata, sicut bonus parens subtrahit aut abscindit filio cibum propter ejus delictum; uti minatur Deus Zach. 11. *Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur; & reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* 2. ut sciamus nos hæc victualia non habere à nostrâ industria aut cœcâ fortunâ, neque ex debito, sed a Dei beneficentiâ, cui proinde supplicare pro his & agere gratias oporteat. 3. ne crescente nimiùm rerum abundantiâ iis abutamur & ingurgitemur, indeque Dei obliviscamur. Deinde ut querelæ cessent multoru[m] qui se fruges & vina sua divendere non posse lamen[tantur], quòd nullo ferè in pretio sint propter eoru[m] copiam.

V. Pascit constanter 1. per totum vitæ nostræ d[e]cursum, singulis annis replens cellaria & horr[ea] nostra vino ac frugibus gyrans Solem circa nos, vel[ut] lapidem moralem, qui continuò molens farina[m] nobis infundat, quamdiu vivimus. Quod sanè v[e]lut maximum beneficium commemoravit Jac[ob] jam decrepitus Genes. 48. DEUS *qui pascit me [ab] adolescentia mea usque in præsentem diem.* Non pare[n]tibus suis, non agris, non pecoribus, denique nec lab[o]ribus suis adscribit sustentationem suam, sed De[o] à primâ ætate usque ad ultimam. Quod beneficiu[m] ut obtineret, fecerat jam dudum votum Deo, s[e] victurum se ei peculiari & quasi religioso cultu, Gen[es.] 28. *Si dederit mihi panem (DEUS) ad vescendu[m] & vestimentum ad induendum, &c. erit mihi Dom[i]nus in DEUM.* Idem faciendum esse omnibus ej[us] posteris insinuavit Deus, cum jussit Exod. vigesim[o] quinto juxta numerum 12, tribuum, offerri & prosta[re] semper 12 panes in mensâ sacrâ, ut scirent se ejus cu[l]tui obstrictos, qui continuo eos pascit.

2. Pascit etiam ingratos & rebelles sibi, panesq[ue] eis proponit, à quibus ipse lapidibus impetitur, bl[a]sphemiis, perjuriis aliisque sceleribus, ô pastore[m] bonum! clementem! patientem! Quis faci[le] reperitur, qui vel uno die pascere velit inimicu[m] suum? In Insula quadam Oceani Germanici, qu[æ] *Terra sancta* appellatur, incolæ ex halecum seu h[a]rengorum captu aluntur; qui cùm semel ex pet[u]lantia halecem unum captum, circa annum Domi[ni] 1530. virgis cecidissent: adeò deinceps haleces e[ius] loci imminuti fuerunt, ut cùm priùs ad bis mille ho[]mines vitam eo quæstu sustentarent, posteà vix cen[]teni indè vivere potuerint, ut refert Aldrou lib. te[r]tio de piscibus, cap. decimo. En propter unius homi[]nis petulantiam & ingratitudinem subtrahunt se pi[s]ces victui humano: & tamen Deus optimus & be[]nignissimus tot ingratorum injuriis quotidie, to[t] blasphemiis cæditur, lacessitur, nec subtrahit se illi[s] aut victum necessarium. Et quot pascit adhuc corvos nigros animo Gentiles, qui ipsum non noverunt quot Arabes, Turcas Judæos, qui ipsum persequun[]tur & blasphemant? Quot malos Christianos, qui ip[]sius donis & victualibus in suam perniciem & De[i] injuriam abutuntur?

Videte igitur Audit. quàm bonum pastorem ha[]beamus & quid ipsi debeamus. Sed quid à nobi[s] requirit? nihil aliud, nisi ut ipsum tanquam no[]strum pastorem agnoscamus & amemus. Discamu[s] hoc à Gentilibus. Ægyptiorum agri pluviis desti[]tuti, sola Nili inundatione fœcundantur. Ergo in[]undantis aquæ ulnam seu mensuram singulis in[]undationibus in templum Serapidis, cui id bene[]ficium adscribebant, deportare solebant: Constan[]

tinu[s]

ius tamen Imp. Christianus postea ad Ecclesiam A-
xandrinam deferri jussit. Socrates lib. 1. hist. cap. 14.
scamus à populo Hebræorum, qui vel semel à
risto in deserto pastus 5. panibus, voluit eum rapere
Regem creare Joan. 6.

THEMA SECUNDUM.

Quàm bonus pastor Christus sit.

Defendit oves suas.
Ad bona pascua ducit.
Quærit oves errantes.
Inventam ovem in humeros tollit.
Curat ut sanæ sint & medetur morbis.
Dat pro ovibus animam suam.

Ego sum pastor bonus? *Ioan. 12.*

Videri posse alicui verbum hoc Salvatoris nostri propriam laudem sapere, quasi seipsum commendaret, dicendo: *Ego sum pastor bonus.* Sed occur- huic scrupulo imprimis Eusebius Emissenus in dier. Evangelii expositione, qui ait: *Quod pastorem Dominus dicit, dignatio est, non promotio: inclinatio non dignitatis alicujus aliqua sublimatio. Sed non ligetur se pastorem dicere, qui pastoris officium in- ias & labores non est dedignatus subire.* Nemo jacta- ndum diceret Roman. Imperat. si se bonum agrico- n, vel etiam bonum nobilem assereret, demissio- n enim animi tali verbo demonstraret, omnibus mirandam Dei filius ex natura & essentia sua & hac ione solus bonus est. & interim se pastorem digna- appellare, quid mirum si addit bonum? *Ecce enim,* uit S. Gregorius in Evang. hod. *qui non ex accedenti o, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bo- .* Certè in Scriptura Sacra Reges & Principes fre- enter appellātur pastores ad eorum depressionem; ia ut tradit S. Hieronymus in cap 38 Ezech. *Super- n nomen imperii pastoris vocabulo mitigatur.* Deinde currit S. Gregorius hom. 13. in Evang. qui nobis idem periculosam esse propriam commendatio- m asserit, Deo verò nihil obesse. *Qui enim laudibus eget,* inquit, *nec verbis honorificis fit major vel sub- ior, tutò se potest laudare.* Denique occurrit Græcus erpres, qui sic refert Christi verba: Ἐγὼ εἰμὶ ποιμὴν καλός *Ego sum pastor ille bonus*; de quo nimirum va- nati sunt Prophetæ, venturum aliquando pasto- n, qui proprias suas oves, non alienas sit pasturus. ias cap. quadragesimo ait: *Ecce Dominus Deus in titudine veniet, & sicut pastor gregem suum pascet: brachio suo congregabit agnos & in sinu suo levabit: as ipse portabit.* Ezechiel cap. 34. *Suscitabo super eas storem unum, qui pascat eas: Servum meum David* i. e. Christum filium David: hic enim jam dudum erat mortuus ut notat S. Ambrosius lib. 7. Epist. .) Taceo alios. Unde intelligo Christum voluisse cere, se esse pastorem illum magnum & bonum, storum omnium caput & exemplar, qui in scri- tutis prædictus fuit, ut missioni suæ fidem apud incredulos conciliaret. Solùm igitur hoc superest, ut ostendamus quâ ratione Christus fuerit pastor ille bonus; quod hic investigabimus.

I. Bonus pastor defendit oves suas contra lupos, canes, fures; undè semper eis à tergo adest, ut periclitantibus succurrat. Hujusmodi pastor erat David, qui si forte Leo vel ursus rapuisset ipsi ovem, persequebatur eos, eruebatque eis prædam è faucibus, & occidebat eos, primo Reg. decimo septimo. Idem multò excellentejus præstat Ecclesiæ suæ Princeps pastorum, Christus. Quod enim olim præstitit Synagogæ Deus, nonne à potiori præstabit Ecclesiæ suæ Christus? De illius verò protectione sic loquitur Isa. 31. *Quomodo si rugiat leo & catulus leonis super prædam suam, & cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pavebit, sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, & super collem eius. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, &c.* contra Sennacheribum videlicet sub Ezechia Rege: Priori similitudine explicatur robur, posteriori pietas & clementia protectionis Divinæ. Ergo *sicut leo & catulus leonis esuriens,* inquit ibi Hieronymus, *si cernat ovium gregem, nulla pastorum voce terretur & multitudinem eorum, conscius virium suarum despicit: sic Dominus prælıabitur super montem Sion contra adversarios ejus.* Et rursum, *quomodo aves ut defendant fœtus suos, nidos supervolant: & sive serpentem, sive homines viderint avesque alias ad pullos suos accedere, oblita suæ imbecillitatis, rostro pugnant & unguibus doloremque pectoris garrula voce congeminant: sic Dominus proteget & salvabit Ierusalem.* Ita sanè Christus defendit Ecclesiam suam longè adhuc majore zelo, quàm olim Synagogam. Videre id erat in Sancto Stephano, cui laboranti in Concilio & imbre lapidum, ostendit semetipsum & gloriam suam, assurgens de cœlesti throno suo, ut præliantem adjuvaret atque animaret, victoremque cum triumpho exciperet. Act. septimo. Paulo pòst defendit exiguum gregem suum, qui erat Damasci, contra lupum illum, Saulem, minas & iras spirantem, pergentem in Damascum, ut affligeret fideles & vinctos abduceret. Velut avis prolifica rostro oris sui & clamore pugnavit pro fœtibus suis in hunc lupum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quemadmodum enim Aquila etiam cùm à nido suo avolat, oculos tamen ad eum semper reflectit, ut defendat pullos contra invasores: ita Christus Dominus in nidum illum suum vigilanti semper respexit oculo, & lupum inde depulit. Satis id ostendit Dominus adhuc in carne degens, quandò in monte Oliveti, tempestate & sibi & suis imminente, oraturus patrem avulsus est ab eis, quasi non sponte sed vi illata: nec magis procul, nisi ad jactum lapidis, ut mox adesse suis posset; cùm tamen legamus Agar ancillam recessisse à filio suo infante ad jactum arcus, adeoque magis procul. Genes. 21. ut proinde Christus magis amasse suos hinc colliga-

I. *Defendit oves suas.*

tur:

tur, quàm vel parentes ament filios ſuos. Neque ali-
ter receſſit, niſi ut vigilaret & dormientibus diſcipulis
invigilaret; quos & ſæpius reviſit. Quis ex his non
videt quàm fuerit paſtor bonus?

II. *Ad bona paſcua ducit.*

II. Bonus paſtor oves ſuas ad bona paſcua
ducit. Idem facturum Chriſtum prædixit Ezechiel
cap. 34. ubi de ejus miſſione & officio inter alia ait
in perſona ejus: *Paſcam eos in montibus Iſraël, in rivis
& in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcam
eos, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua eo-
rum: ibi requieſcent in herbis virentibus & in paſ-
cuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Ego paſcam
eos &c.* Paſcua in montibus ſunt contemplationes
& exercitia Anachoretarum & religioſorum, qui
in illis requieſcunt & impinguantur ſpiritu, lu-
duntque ſumma voluptate velut oves in herbis
1. virentibus. Paſcua in vallibus ad rivos ſunt. 1. Ver-
bi Dei prædicatio, omnibus paſſim obvia, & mul-
tis ad nauſeam uſque propoſita & inculcata. In
quo paſtorum bonorum induſtriam ſervare voluit
Dominus. Ille enim, ut ſcribit Vincentius in ſpec.
nat. to. 1. lib. 18. cap. 72. in æſtivis caloribus paſcunt
oves non verſus Solem, ne debilibus ovium capiti-
bus noceat, ſed averſo Sole: ita placuit Chriſto, ut
ipſius oves legem ex ore Sacerdotum requirant,
nec ipſi in SS. literis rimentur, & myſteria ſacra,
quæ non intelligunt, cum periculo ſuo ſcrutentur:
cùm debilem & obſcuratum habeant intellectum.
Eſt enim S. Scriptura quaſi vinum potens, quod mo-
dice ſumendum & à robuſtis tantùm, non à pueris
& mulieribus, h. e. ab ineruditis. Et quaſi Apotheca
continens varia pharmaca, ſed aliis utilia, aliis noci-
va: proinde non paſſim omnibus ab libitum permit-
tenda.

2. 2. Sacramenta, præſertim Euchariſtia, de qua
in ſpecie prædictum Iſa. 30. *Paſcetur in poſſeſſione tua
in die illo agnus ſpatiosè: & tauri tui & pupilli aſino-
rum, qui operantur terram, commiſtum migma come-
dent, ſicut in area ventilatum eſt*, h. e. frumentum me-
rum condimento mixtum & optimè præparatum.
Hujuſmodi autem frumentum & pabulum fide-
lium eſt Euchariſtia, quæ miram continet & ſapi-
diſſimam mixturam divinitatis & humanitatis Chri-
ſti cum ſpeciebus panis & vini, efficitque in eo-
rum animis mirabilem commixtionem ſui cum cor-
pore Chriſti, ut ipſi incorporentur & in ipſum
convertantur. Quanta hujus Paſtoris benignitas?
quantus amor erga oves ſuas, ut ſeipſum eis in pabu-
lum præbeat? *Quis paſtor oves*, inquit D. Chryſoſto-
mus hom. 83. in Matth *proprio paſcit cruore? Et quid di-
co paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores
filios aliis tradunt nutricibus; hoc autem ille non eſt paſ-
ſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit & per omnia nos
ſibi coagmentat.*

3. 3. Sunt exempla Sanctorum, quæ nobis pro-
vidit, conſcribi fecit, & proponit paſſim in eorum
imaginibus, hiſtoriis & converſatione. Solent paſto-
res ovibus petram ſalis offerre delingendam in cau-
lis, ut acuant appetitum & libentius ad ovilia rever-
tantur. Sal quid niſi Sancti, de quibus Domin
Vos eſtis ſal terræ? Matth. 5. Unde S. Gregorius hom. 1
in Evang. *Sæpe videmus*, inquit, *quod petra ſalis bru
animalibus ponitur, ut ex eadem ſalis petra lamb
debeant & meliorari. Quaſi ergo inter bruta anima
petra ſalis debet eſſe ſacerdos in populis &c.* Quis aute
neſcit ſparſim per univerſam Eccleſiam hujuſmo
ſalis petras, etiam adhuc viventes fidelibus propo
tas? Quot undique religioſorum monaſteria & col
gia? Quæ civitas imò quis pagus non habet ſuos p
ſtores & viros doctos ac pios, qui virtutum exem
præeant rudioribus? Atque ut illis grave non e
alere paſtores, providit eis Paſtorum Princeps Ch
ſtus de ſtipendiis ſufficientibus, ut ſine operibus, ſi
gravamine ſubditorum vacare officio ſuo q
ant.

III. Bonus paſtor errantem ovem non deſe
ſed per avia & devia quærit. Idem de Chriſto v
ticinatus eſt Ezechiel cap. cit. ubi ita Dominus; E
*ego ipſe requiram oves meas & viſitabo eas: ſicut paſt
&c.* Et mox: *Quod perierat requiram, & quod a
jectum erat, reducam.* Requirit autem variis medi
ut errantes ad ſe revocet, 1. ſibilo internarum inſ
rationum: quá ratione voluntatem ſuam inſinu
vit Deus Eliæ tertio. Reg. decimo nono, & inſinua
ſolet iis, qui facilè Deo vocanti parent, nec indig
tonitruis, fulminibus & hujuſmodi terriculam
tis, qualia ibi præceſſerant. Cujuſmodi etiam f
Iſaias, qui cap. 50. ait: *Dominus Deus aperuit m
aurem & ego non contradico: retrorſum non abii*,
Chriſtum reſpiciens, qui voluntati, imò nutui pat
ſui ſtatim acquievit & obtulit ſe ad redimendum g
nus humanum adeoque ad ipſam crucem; & ta
ſunt veræ & genuinæ Chriſti oviculæ, conform
paſtori ſuo minimeque degeneres, qui ſponte ei ſ
vire volentes permittunt ſibi aurem perforari
oſtium Domini ſui. Exod. 21.

2. Baculo paſtorali, ſubinde in oves projecto;
quo loquitur Propheta, Pſalm. 22. verſ quarto. *Vi
ga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Virga, i
quam, & baculus paſtoris (qualis eſt perſecut
Turcarum, hæreticorum, peſtis, fames, annonæ ca
tas, pruina, terræ ſterilitas &c.) de quo in eo pſalm
ſermo eſt: illa leviorem, hic graviorem cogitatione
indicat, & utraque conſolantur oves, quia caſtiga
do ad paſtorem reducunt; adeò ut propterea Iſa
Deo gratias & laudes canat cap. 12. *Confitebor ti*
(hoc eſt, laudabo te,) *Domine, quoniam iratus es mih*
Mox enim ſequitur conſolatio. *Converſus eſt fur
tuus & conſolatus es me.* Tunc dolendum & lame
tandum eſt, quando errantem Deus non caſtiga
ſed permittit ire in adinventionibus ſuis. Hinc d
eodem Salvatore noſtro dixit Iſaias cap. undecim
ad litteram: *Percutiet terram virga oris ſui.* Quis au
tem neſcit quàm blandè & quàm paternè temp
increparit Chriſtus peccatores? Ubi enim vuln
ravit, ubi occidit aliquem? Nonne in omni fe
admonitione ſua uſus eſt voce illa: *Nolite, nolite*, ho
aut illud malum facere? Et ſi quandam increpatio
nem

em aliquam adhibuit, nonne increpando aut ſana- t, aut certà ſanare intendit ? Hinc jure merito de ſo intelligit S.Ambroſius lib. de bened. Patriarch. p. 11. benedictionem illam tribui Joſeph à Moyſe ipertitam. *Cornua Rhinocerotis cornua illius in ipſis entilabit gentes, uſque ad terminum terræ,* Quod qui- m Chriſtus fecit, nemo ex tribu Ioſeph. Cur au- n cornibus Rhinocerotis ? quia cornu illud reme- um eſt veneni: unde cum aquas venenatas tangit, iat, hoc cornu, inquit, *Dominus* IESUS *comminuit ntes, ut ſuperſtitionem obtereret, ſalutem redderet, ſic- ipſe ait, percutiam & ſanabo.* Et in Pſalm. 43. *Noli nere, quia ventilat. Dixit enim, percutiam & ſanabo. na cornua, quibus fecit, ut cornua adverſarii timere queamus.*

3. Per concinatores quaſi per canes ſuos: quibus trema minatur, niſi latrent in errantes oves, ut re- rantur ad paſtorem ſuum Ezech. cap. cit. *Ego ipſe ſu- r paſtores requiram gregem meum de manu eorum & ſare faciam eos ut ultra non paſcant gregem, nec paſ- nt amplius paſtores ſemetipſos.*

4. Per exemplum, quo ipſe præceſſit oves ſuas l quæcunque ardua. Nunquam dixit Chriſtus diſ- pulis ſuis; præcedite me; ſed, *venite poſt me; & quere me.* Et iterum: *poteſtis bibere calicem, quem o bibiturus ſum?* Quis autem cordatus miles non ſe- atur præeuntem Ducem? certe oves paſtorem ſuum ne metu ſubſequuntur, quia ſub eius præſidio tu- s ſeſe reputant. Talis ovis fuit Jeremias, qui cap. . ait DEO *Et ego non ſum turbatus* (Cald. *non ſum ncitatus*) *te paſtorem ſequens : & diem hominis non eſideravi*, hoc eſt dies bonos, quales agunt filij hu- is ſæculi.

IV. Bonus paſtor ovem, quæ perierat, inventam on percutit nec affligit, ſed fatigatam potius in hu- neros aſſumit & reportat ad caulam ſuam. idipſum de e fatetur paſtor noſter Lucæ 15. in parabolà dicens: *Et um invenerit eam* (ovem) *imponit in humeros ſuos gau ens.* Vbi Gregorius Nyſſenus in catena: *Cum,* ait, *paſtor veniſſet ovem, non punivit, non duxit ad gregem ur- endo, ſed ſupponens humero & portans clementer an- umeravit.* D. Ambroſius id exponens in cap. 15. Luc. t; *Humeri Chriſti Crucis brachia ſunt : illic peccata ea depoſui : in illa patibuli nobilis cervice requievi.*) ſtupendum paſtoris noſtri demiſſionem, charitatem benignitatem ! quam ut antiqui Chriſtiani nobis ommendarent, ſolebant in templis & SS. calicibus ingere imaginem Salvatoris, ovem humero geſtantis dem de eo prædixit Iſaias cap. 40. *Sicut paſtor,* inquit, *regem ſuum paſcet : in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit : fœtas ipſe portabit* Præſtitit hoc Chriſtus toti imprimis generi humano, quando *pec- cata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum,* ut ait ſanctus Petrus 1. Pet. 2. quando reatum peccatorum no- ſtrorum ipſe in humeros ſuos cum onerosâ cruce ſuſ- cepit & perſolvit. Quod in ſpecie de Davidis (qui & ipſe graviter errârat, uti fatetur Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ perijt*) peccatis teſtatur Nathan, quando au- ditâ eius contritione, ſubjunxit : *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. Quomodo & quorſum tranſtulit ? utique ab humeris Davidis in humeros Chriſti Redemptoris; qui uti pro ipſius, ita pro o- mnium peccatis ſatisfacturus erat. Verum præter com- mune redemptionis beneficium, plus adhuc indicat Iſaias loco cit. quam Chriſtus in parabolâ ovis per- ditæ; quod nimirum in particulari ſingulos pecca- tores, cum requiſiti & inventi ad ipſum revertuntur, humaniſſimè excipiat & ſuaviter plus quam juſtos ſæ- pe demulceat, ſingulares eis velut agnis & infirmis exhibendo favores : ſuppeditando veſtitum & or- namenta, inſtruendo convivium animæ, quem- admodum in parabolâ filij prodigi ad patrem re- verſi ſubjecit. Hinc Publicanos & peccatores bene- volè admiſit etiam ad menſam. Hinc Thomæ, ve- lut ovi erranti, reperto in Collegio diſcipulorum ob- tulit ſe palpandum, quod tamen paulo ante nega- rat Magdalenæ. Cur vero ? quia Thomas adhuc a- gnus, tener & infirmus, ad paſtorem reverti inci- piebat; Magdalena vero tunc fortis jam in gratia ſtabat. Eandem ob cauſam Magdalenæ ad ſepul- chrum ſuum non permiſit tangere & oſculari pedes; quos tamen prius peccatrici jam pœnitenti liberaliter conceſſerat & oſculandos & unguendos. Petro no- minatim denunciari juſſit ſuam reſurrectionem : *Di- cite diſcipulis & Petro.* Marci decimo ſexto non ita alijs diſcipulis; quia Petrus ex lapſu confractus & pro tempore imbecillis; ideoque erigendus erat præ cæteris, qui ita non ceciderant. Videant ergo pecca- tores, quam bonum habeant paſtorem, qui magis eis blandiatur, quàm ſuis iſtis in gratia firmatis. *Qua- re ergo moriemini, domus Iſrael? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus DEVS Iſrael : revertimini & venite* Ezech. 18.

V. Bonus paſtor curam habet de ovibus, ut ſanæ conſerventur, & medetur morbis earum. Idem factu- rum ſummum paſtorem, Chriſtum prævidit Ezechi- el loco ſæpius cit. *Quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo : & quod pingue & forte, cuſtodiam; & paſcam illas in iudicio.* Quàm verè id de Chriſto dictum ſit, oſtendunt tot, quas contulit infirmis, ſanitates; ipſiuſque teſtimonium, quo ſe- ipſum appellare *Medicum* dignatus eſt; quando Mat- thæum a morbo avaritiæ curavit. Oſtendunt quotidia- næ curationes, quas impertit morbis & vulneribus a- nimarum noſtrarum, interventu ſacramentorum, ve- lut pharmacorum. Neque vero talis eſt quales alii Me- dici, qui ſæpè morbum vincere nequeunt : neque gra- tis, neque ſine cruciatu aut moleſtia curant; ſed *miſit DEVS Medicum* (Chriſtum) inquit Sanct. Auguſt. ſerm. 13. de Verb. Apoſtoli, *qui nos gratis ſanaret : qui ſanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad iſtam be- nevolentiam poteſt. Quis eſt qui dicat, ſanem te & do tibi mercedem?* Dat enim ſanato pignus vitæ æternæ. Adhæc addit : *Paſcam illas in iudicio*, h.e. ſapienter & diſcretè iuxta merita. Paſtor eas oves, quæ creſcere & fœtus gignere debent, ad paſcua arida in montes

V. *Curat ut ſanæ ſint & medetur morbis.*

cogit: quæ ad macellum destinatæ sunt ad pascua pinguia, sita in convallibus: illas arcet à pascuis rore melleo inspersis, has eo saginat. Non dissimili ratione Christus, quia duplicis sortis oves habet; alias, quæ sunt veræ oves nomine & re; alias, quæ videntur & vocantur oves, revera autem sunt hirci potius: Illi sunt electi, hi verò præsciti. Audite Pastorem nostrum, cit. cap. Ezech, mox subjicientem: *Ecce ego judico inter pecus arietum & hircorum*. Ubi vero? Primo in hoc sæculo, ubi oves & arietes pascit tribulationibus, juxta id Isa 30. *Dabo vobis panem arctum & aquam brevem* (70 vertunt: *panem tribulationis & aquam angustiæ*.) hircos vero seu reprobos impinguat bonis hujus sæculi terrenis; ut saltem hic fruantur bonis, qui frui ibi noluerunt; præsertim quia & ipsi subinde aliquid operantur boni, non ex Deo nec pro cœlo; sed viribus naturæ & pro terra.

VI. *Dat pro ovibus animam suam.*

VI. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*: exponendo se periculo vitæ pro tuendis illis; deinde æstu, frigore, pluviis, vigiliis, laboribus, earum causa susceptis sese conficiendo & vires atterendo, ut præmaturam mortem plerumque incurrat. Fecit in hoc etiam officium pastoris boni Christus & quidem excellentissimè. Non enim solas curas, vigilias & labo-

1. res omnes impendit suis ovibus; sed ipsam etiam vitam, & primo absolutè, non secundum conditionem accelerationis tantùm, ut alii pastores. Ipsi enim ratione unionis hypostaticæ debebatur immortalitas: cæteri pastores debent aliquando mori, tametsi ovibus se non impendant: Christus non debebat. Unde dixit Dominus: *Nemo tollit à me animam meam; sed ego pono eam à meipso*. Joan. decimo. Poterat enim reddere se invulnerabilem & impassibilem. Hinc in cruce clamans expiravit; ut ostenderet se sponte mori, cùm adhuc vivere posset, si vellet; sicut vires habuit ad clamorem extollendum; ex quo indicio conjectavit Centurio, ipsum plus esse quam hominem, adeoque Deum.

2. Dedit animam suam innocentissimam pro ovibus nocentibus. Scimus quidem Davidem, cùm videret peste plecti populum suum, ad Deum exclamasse: *Vertatur, obsecro, manus tua contra me*; adeoque mori paratum fuisse pro suo populo: verum id jure fecit; quia ipse peccarat non populus. *Ego sum, qui peccavi*, ait: *isti, qui oves sunt, quid fecerunt*: Reg. ult. Contrarium in Christo fuit: oves peccarant, pastor quasi innocens agnus fuit.

3. 3. Dedit vitam hominis Dei, toto mundo pretiosiorem, pro vita hominum, servorum sibi subjectorum, & quidem ita dedit pro omnibus, ut dare paratus etiam esset pro singulis. *Non enim*, ait S. Chrysost. in cap. 2. Epist. ad Gal. *Dominus recusaturus erat ob unum tantam exhibere dispensationem: adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum*. Hæc est illa charitas ejus, quam *nimiam* appellat Apostolus ad Ephes. 2. Quomodo enim non nimia, cum unum terræ vermiculum sicut omnes curaverit, cùm pro uno solo servo suo vitam suam dare voluerit & quidem ad crucis patibulum?

4. Dedit gratuito, nihil à nobis expectans. Alii pastores expectant à suis ovibus lac, caseos, carnes denique earum. Nihil tale à nobis sperare potuit Christus quia dare nil poteramus. *Poterat nulla offerre opprobria*, ait Chrysostomus in cap. 15. ep. ad Rom. *poterat quæ passus est non pati, si quæ sua erant, spectare voluisset. Verùm noluit; sed quod nostrum erat, spectare voluisset. Verum noluit, sed quod nostrum erat, respiciens quod suum, neglexit*. Et S. Bernardus serm. 2. de cœna Domini: *Sustinuit in assumpta carne peccata nostra: & hoc totum non propter se, sed propter nos; ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis.*

Vidimus Audit. quam justè & quàm verè pronunciarit de se Christus, quod de ipso prædictum fuit *Ego sum pastor bonus*. Quando igitur fuit, hodieque adhuc est pastor tam bonus, videamus nos, ut simus oves ejus bonæ.

THEMA III.

Christiani sunt oves.

I. *Nemini sint injurii.*
II. *Sint mites & injuriarum patientes.*
III. *Concordes sint.*
IV. *Sint pastoribus obedientes.*
V. *Timeant peccatum velut lupum.*
VI. *Sint utiles etiam proximo.*
VII. *Provideant morti suæ.*

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Ioan. 10.

PRimus noster parens, Adam, ubi ad ipsum Deus adduxit animalia, singulis sua nomina, naturis eorum, quas optimè norat, convenientia dedit; quæ & ipsis remanserunt; *Omne* enim *quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*, inquit Moyses Genes. secundo. Secundus & cœlestis noster Adam & parens Christus Dominus longè adhuc perspicacius agnovit rerū omnium naturas & proprietates, adeoque quale nomen ipse creaturis dederit, ipsum est & remanebit nomen ejus. Hic ergo in hodierno Evangelio, quo nomine nos appellat? non elephantes, non equos, non cervos, non boves; sed oves; voluit enim, ut Christiani ovium naturam & proprietates moribus suis ostenderent. Non erant quidem Gentiles eo tempore, quo id dixit Christus, ex ovibus Christi, sed potius ex lupis & hircis Satanæ. Providit tamen Christus eos per Evangelium in oves cōmutandos, & à suis Apostolis ad ovile suum adducendos. Dum igitur hoc audimus, jure merito nos deceret flectere genua nostra, & ipsi gratias immortales agere, qui oves nos appellare dignatus est, cùm adhuc lupi essemus, & ex lupis oves facere. Quando ergo nunc per gratiam ipsius in ovili ejus sumus, superest ut revera oves simus; ne in nobis eludatur vaticinantis Christi verbum. Id vero, qua ratione fieri debeat, audiamus.

I. Oves solæ ferè ex omnibus brutis sunt in-

ermes,

rmes, vnde nulli animali nocent, nullum odio abent, à nemine timentur, & nos medios inter vium greges ſecure ambulamus, quia cedunt omibus. Tales ſint Chriſtiani: nemini inimici, neini iniurioſi; adeoque nec terrorem ullum, ſed acem & affabilitatem præ ſe ferant erga omnes, & ac notâ dignoſcantur. Hujuſmodi fuiſſe primos hriſtianos ſæpè teſtatur Tertullianus, cujus illud elebre dictum eſt: *Chriſtianus nullius hoſtis eſt.* Juemur enim à Chriſto diligere etiam inimicos, neum amicos. Idem in Apolog. adverſus gentes: *ot à nobis nocentes*, inquit, *variis criminum elogiis cenſentur; quis illic ſicarius eſt?* (ſcilicet Chrianis?) *quis manticularius? quis ſacrilegus aut corptor aut lavantium prædo? quis ex illis etiam Chrianis aſſcribitur? aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeuntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? e veſtris ſember æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, de ſtris ſemper munerarii noxiorum greges paſcunt, neo illic Chriſtianus, niſi planè tantum Chriſtianus, ut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. Nos ſoli innocen*s. Et ſane iſtud eſt, quod præcipit nobis Apoſtos primo Corinth. decimo quarto cum ait: *Malia parvuli eſtote.* Græcè, *νήπιοι infantes.* quemadodum & Chriſtus, agnus appellatus eſt â Ioanne: ui planè nemini nocere ullâ ratione poteſt. Vndè anctus Maximus homiliâ quartâ in Paſch. ait: *abet & Chriſtiana ſimplicitas infantiam ſuam. cut enim infans neſcit iraſci, fraudare non novit, ferire non audet: ita & Chriſtianitatis infantia lentibus non iraſcitur, ſpoliantibus non reſiſtit, cadenbus non repugnat, &c. niſi quòd in hoc melior quàm aturæ infantia: iſta enim peccare neſcit, illa contem*it. Memoriæ proditum eſt haſtam illam Conſtanni Magni bellorum fulmen, cùm ipſe animum ad hriſtianam manſuetudinem traduxiſſet, in crucem uiſſe erectam; ut quæ antea telum extitiſſet pleum terroris, eadem eſſet aſylum benignitatis, uti efert Cauſſinus lib, duodecimo ſymb. cap. vigeſimo uinto ex Baron. anno 312. Vti haſtam in crucem, ita nimum ferocem mutavit in placidum & benignum. Qui enim prius ex levi ſuſpicione filium & coniuem occiderat, ipſamque Neronis ferociam ſpirare idebatur, ut enarrat Baronius anno 324. poſt ſuſeptum baptiſmum ex leone in ovem tranſiit, ita ut njurias ſuas, graves licet, minimè ulciſceretur, ſed deret. Paulum ex lupo in agnum ſuſceptâ fide muatum nemo eſt, qui neſciat. Id verò omnibus conveire Chriſtianis diſcimus ex Iſaia, qui de illis vaticiatus eſt cap. 2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres & anceas ſuas in falces.* q. d. depoſitis armis pacificè inter ſe vivent, quaſi agricolæ inermes, non quaſi milites armati.

II. Mitiſſimæ inſuper ſunt & injuriarum patientiſſimæ: patiuntur ſe non modo tonderi, ſed & ligari, & ligatas ad ephippia equorum ſuſpendi, à lanionibus hinc inde jactari, nec tamen vociferantur; quin etiam tondentibus ſe lanam denuo afferunt, ſimul & lac & agnos: omnis injuriæ oblitæ. Tales eſſe etiam decet Chriſtianos, ſi Chriſti oves eſſe & haberi volunt; quemadmodum & Julianus Apoſtata objecit Chriſtianis, cùm eos bonis ſuis ſpoliaret, in exilium ageret & aliis modis vexaret: *Veſtrum eſt pati* (aiebat accedentibus ad ſe & de injuriis, illatis ſibi conquerentibus) *cum affligamini; hoc enim eſt DEI veſtri mandatum*, apud Baron. anno 362. Nequiter quidem, verè tamen; non enim ſolùm Chriſti mandatum ſed etiam exemplum luculentiſſimum habemus; ſiquidem is *ſicut ovis ad occiſionem* ductus eſt & *quaſi agnus coram tondente ſe* obmutuit, ut prædixit Iſaias capite quinquageſimo tertio. Nec non Ieremias capite undecimo. *Et ego*, (inquit in perſonâ Chriſti) *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi.* Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum: iuſtum igitur eſt, ut ipſum pro viribus imitemur; quod ſanè agnovit Apoſtolus cùm ad Roman. octavo ſcripſit: *Propter te* (fidem ſcilicet & confeſſionem nominis Chriſti) *mortificamur totâ die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Ad litteram quidem id dicitur Pſalm. quadrageſimo tertio. de Machabæis vexatis & afflictis, quin & morte mulctatis ab Antiocho Epiphane, ut notat ibi Theodoretus: rectiſſimè tamen intelligitur etiam de Chriſtianis, qui ad majorem perfectionem obligantur, quàm Machabæi, adeoque etiam ad majorem patientiam, undè Apoſtolus ſubdit: *ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*; Chriſtum ſcilicet. Nihil obeſt ovibus lanæ detonſio, imo verò prodeſt, ne per æſtatis calores in ea ſuffocentur: ita Chriſtianis nihil demit perſecutio, ſed plurimum conducit. *Quid faciunt Sanctis mali?* ait Auguſtinus in Pſalm. quinquageſimo primo: *capillos radunt, nam illi capilli ſuperflua rerum temporalium ſignificant quia enim ſine ſenſu præciduntur illis, qui Deo adhærent ſic habent iſta terrena tanquam capillos.* Tales certè erant primi Chriſtiani, uti diſcimus ex Athenagoræ Philoſophi Athen. Chriſtiani, Apologia ad M. Aurelium Antoninum & Commodum Impp. ubi ait: *Non movet nos Dominum, quod facultatibus noſtris adverſarii moliuntur: non quod exiſtimatio famæ & honoris noſtri imminuatur integritas: non ſi quid aliud huiuſmodi aut etiam majus eſt, cui nocere homines queant, metuendum id nobis videtur. Quippè hæc etiam ſi vulgo maximi fiant, contemnere ſolemus, &c.* Porro qui tondentur, non ſe commovere, ſed patientes eſſe debent, quemadmodum & oves, dum tondentur; ſi enim ſe commoverent ac reniterentur, malè ſibi conſulerent; quia unà cum lanâ pellẽ forfex auferret. Pari modo Chriſtianus patientẽ ſe exhibeat, cũ tribulatur, ne ſibi plus noceat. Ita monet Apoſt. 1. Theſ. 3. *Nemo moveatur, inquit, in tribulationibus iſtis; ipſi enim ſciti quod in hoc poſiti ſumus*, q. d. ad hoc Chriſtiani facti ſumus, ut adverſa patiamur & tondeamur. *Audiat hoc omnes Chriſtiani*, ait ibi Theophylactus, ſe nimirum ad

ad hoc positos & vocatos esse, ad tribulationem, ad crucem cum Christo, & pro Christo fortiter sustinendam. Neque solum ad patiendum positi sunt Christiani, sed etiam ad benefaciendum suis persecutoribus. Ita enim idem Apostolus 1. Corinth. 4. ait: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* Hoc ovium, hoc *Christianorum est benefacere & mala pati*, ait Philo Carphatius in Cantica.

III. *Concordes sint.*

III. Maximè inter se concordes sunt: in angusto enim ovili quamplurimæ constrictissimè conclusæ summâ tranquillitate cohærent, eaque cohærentia se mutuo calefaciunt. Eadem concordia decet Christianos, qui omnes unius pastoris oves, unius parentis filii sunt, ideoque primi Christiani se mutuo fratres appellabant. Mirabantur id Gentiles, & interim dolebant, quia per eorum concordiam vinci se videbant, ipsos vero triumphare. Vndè Minutius Felix Tertulliano æqualis in Octavio ad ipsos scribit: *Sic mutuò, quod doletis, diligimus; quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius DEI parentis filii, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.* Hoc insigni, hac notâ discernebantur à Gentilibus Christiani: *odisse non novimus.* Quod utinam de nobis etiam dici possit. Et vero id deberet, si consideremus quod Apostolus ad Roman. sexto ait, nos in baptismo consepultos esse cum Christo in mortem. Nunquid enim non uno baptismo omnes baptizati sumus, uno ergo sepulchro omnes consepulti. At quis nescit mortuos in eodem sepulchro & cœmeterio, etiam qui priùs hostes erant & canè peius se oderant, summa jacere pace & concordiâ? Si ergo in baptismo mortui & consepulti sumus unde adhuc inter nos discordiæ, lites, odia, rixæ? Agnus paschalis in una domo comedi debebat, uti præceptum Exod. duodecimo, vers. quadragesimo sexto. *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras*: ad indicandum, debere esse unanimes & concordes, adeoque unius animi, unius cordis & voluntatis, unius patrisfamilias filios, denique unius moris in domo, qui agnum illum pacificum volunt manducare in sacra Eucharistiâ, quæ est sacramentum unionis. Certè Herodes & Pilatus, dum agnum illum immaculatum quasi simul & unitim comedunt, ille deridendo, hic verò condemnando ad mortem sibi reconciliati & *facti sunt amici ipsa die* inquit, Lucas capite 23. Bone DEus! Iudæus & Gentilis sibi reconciliantur, dum persequuntur Christum, agnum innocentissimum: & Christiani inter se dissideant, qui toties agnum illum simul edunt in unâ Ecclesiæ domo?

IV. *Sint, pastoris obedientes.*

IV. Pastori suo obediunt ad nutum, ita ut ad eius sibilum unum, mox relicto pabulo eum sequantur, & vocem eius audiendo, quid sibi velit, intelligant ac sine morâ obsequantur. Est hæc parendi promptitudo primaria etiam dos hominis Christiani, maximè necessaria. Quemadmodum enim oves sine pastoris ductu mox aberrant, & ubi deviarunt, per se r dire ad gregem vel caulam nesciunt nisi reducantu (teste Aristotele lib. 9. animal. cap. 3. *Repit in dese ta sine causa*, ait, *hyeme obstante ipsum sæpè eregediti stabulo: occupatum à nive, nisi pastor compulerit, abi non vult, sed perit desistens, nisi mares à pastore duca tur:*) ita etiam homines sibi relicti statim deviant, n redire per sese possunt, nisi à pastore aliquo adju Sensit hoc ipse David, quantumvis alioquin illun natus & Propheticus Rex; qui semel cum errâsset, h sit in errore illo per integros novem menses, non fo san ad DEUM rediisset, sed magis magisque aberr set, nisi DEUS ad ipsum Prophetam alium misiss Nathan videlicet, eius directorem. Hinc ipse lame tatur Psalm. centesimo decimo octavo. *Erravi sic ovis, quæ periit, quære servum tuum.* Senserunt etia Hebræi, qui contra edictum Moysis adeoque soli, Moyse pastore destituti, conati sunt ascendere mo tem Idumææ & per illum penetrare in Chanaan. N obviavit eis hostis, & *percutiens eos atque concide persecutus est usque Horma.* Num. decimo quarto. D viantem à grege ovem deprehendit lupus, leo vel u sus, & correptam devorat. Hominem etiam, qui d serto pastore & grege suo, libertatem suam sequit deprehendit non difficulter Diabolus. Ita 3. Regu 13. Prophetam, qui mandato Dei non paruerat ad n tum, dum à recta via sibi injuncta deflexit, in redi *invenit leo & occidit*; in pœnam inobedientiæ, q etsi mortalis culpa non fuit, ut plerique volunt, mo te tam horrenda plexa fuit.

V. Lupum, capitalem hostem suum, timent deò, ut & canes, & quidquid lupi speciem aliquo m do refert, fugiant maximoperè. Imo Albertus M. li 1. histor. anim. cap. 38. scribit, si funiculum ex intest no lupi sepeliveris in terra, ovile pecus eo transire pr hibebis, etiamsi fuste adigatur. Christianus fugiat pe catum, velut pestem & hostem sibi omnium noce tissimum; quin etiam omnem peccati speciem, iux id Apostoli 1. Thessal. quinto. *Ab omni specie ma* (seu ut alij benè etiam legunt, *mali*) *abstinete v* Sæpè enim sub ovina pelle lupus latet. Ex omnib malis unum duntaxat terribile est peccatum, ut oste dit Sanctus Chrysostomus in Ep. ad Olympiam. Et h mil. decima quinta ad populum *Calamitatum*, inqu *nomina philosophantibus tantum nomina rebus care tia: vera autem calamitas, Deum offendere.* Et in Ps 139. *Nihil est quod lædat hominem, nisi solum peccatu eo enim sublato omnia sunt facilia & expedita,* N mirum, quia cæteræ calamitates, ubi cessârunt, de nunt in consolationem, at peccati voluptas, ubi tra siit, desinit in amaritudinem. Refert ex Aristotel Pierius lib. 10. Hierogl. pelles ovium à lupis admorsa pediculos generare: quas qui induit, continuo illo rum morsibus cruciatur. Prorsus ita peccatum quem momorderit, mox in eo conscientiæ ver mem omni cruciatu sæviorem, continuo rodentem & cor exulcerantem gignit. Porro qui mundi iem

amant

mant, non ſinunt eos vermiculos diu apud ſe nidu-ari, ne illorum præda fiant; ſed quamprimùm vel nicum advertunt, illico veſtem mutant aut expur-ant. Idem agere Chriſtianorum eſt: ſi fortè a pecca-admorſi ſunt, & remorſum cordis ſentiunt, mox er pœnitentiam illud emundant. Oves quæ glaciem næ adhærentem non excutiunt, brevi interituræ eduntur, velut admodum debiles. Chriſtianus et-m, qui peccata ſua non feſtinat expiare & per con-ſſionem excutere, peſſimo judicio mortis filium ſe eclarat.

VI. Sunt animalia homini utiliſſima. Dant ei nam, unde ſe veſtiat, ſicque Evangelicam legem bſervant, *habentes duas tunicas dant unam non ha-nti*, uti dixit Sanct. Martinus, videns ovem tonde-, deinde dant ei lac in potum, fœtus etiam, & ipſas enique carnes ſuas in cibum. Tales etiam eſſe decet hriſtianos, non ſibi tantum utiles, ſed etiam proxi-o ſuo. *Neque enim Deus vult*, ait Chryſoſtomus omil. octava in Geneſ. *ut Chriſtianus ſeipſo tantùm ntentus ſit; ſed ut alios ædificet, non per doctrinam ſum, ſed etiam per vitam & converſationem.* Et ho-il. vigeſima in Acta: *Nihil frigidius Chriſtiano alios n juuante.* Et poſt pauca: *Tales ſunt, qui non pave-nt Chriſtum. Vide enim horum nulli improperari ſua* n die judicii) *peccata, non quod ſcortati ſint, non uod peierarint, nihil omninò, ſed quòd alteri non fuerint iles.* Propterea eos, qui à dextris Chriſti ſtabunt, ocavit *oves* (quæ hominem veſtiunt ſua lana, cibant is carnibus, potant ſuo lacte) quia nimirum is utiles fuerunt: qui vero à ſiniſtris, *hædos*: ve-t ſteriles & inutiles. *Talis erat*, ſubdit Chryſoſto-us, *qui talentum defoderat, irreprehenſibilem qui-m exhibens vitam. Qui autem aliis non eſt utilis, dic ihi, quomodo erit Chriſtianus? ſi fermentum com-ixtum farinæ non commutaverit totum in alium ha-tum: nunquid fermentum tale eſt? Quid etiam ſi un-entum non impleverit odore accedentes, unguentumne cemus?* ſic ille. Porro tales oves erant primi Chri-ani, qui per ſingulas Dominicas offerebant ſuas eemoſynas, quæ mitterentur & dividerentur pau-ribus Chriſtianis; quo nomine commendat Apo-lus inprimis Macedones, qui ſumma in pauperta-ſua liberaliſſimos ſe præbuerunt, & *dederunt, emet-ſos primùm Domino, deinde nobis*, inquit ſecundo Co-nth. octavo. Rurſum Galatas, ad quos ſcribit capit. uarto. *Teſtimonium perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, ulos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Durarunt ve-collectæ & datæ eleemoſynæ illæ uſque ad tem-ora Theodoſii Imper. ut obſervat Corn. in 2. Cor. 8.

VII. Ad finem diei avidius comedunt in paſcuis, i etiam hyeme adventante; quo nimirum ſibi pro-ideant in futuram noctem vel hyemem: Ita decet pere etiam Chriſtianos & ſibi in adventantem ſene-utis hyemem, ipſamque mortis noctem bene provi-ere de pabulo ſpirituali, verbi Dei & bonorum ope-am, frequenti inprimis uſu panis Euchariſtici. Ita onet & argumentatur S. Baſilius hom. 9. in hexam. *vves*, inquit, *accedente hyeme, pabulum copioſius avidi-uſque ventri ingerunt: proinde quaſi ſibi viaticum pro-videntes pro indigentia cibi futura.* Et mox: *Non tute tibi eandem O homo diligentiam adhibebis? non hoc tem-pore præſenti fruges tibi recondes? requiemque ad futu-rum formicæ* (& ovium) *exemplo parabis?* Jam audia-mus S. Ambroſium ſerm. 14. in Pſal. 118. *Quæ ſunt pa-ſcha fidelium niſi Chriſtus? Ipſe enim paſcit & reficit. Bona paſcua Divina ſacramenta ſunt. Carpis illic ro-ſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem.* Hinc anti-quitus Chriſtiani ad martyria ſe præparabant per fre-quentem uſum Euchariſtiæ, ut colligitur ex Tertul-liano & Cypriano. *Cùm adhoc*, ait Cyprianus ep. 54. *fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarios volumus, armemus.* Elias cùm per longum iter 40. dierum uſque ad montem Dei Horeb pergeret, priùs ad hoc ab Angelo confor-tatus eſt pane ſubcinericio, capiti ejus appoſito. Cum-que comediſſet Elias, rurſum obdormiit. reverſuſque Angelus excitatum denuo jubet comedere; *grandis enim tibi reſtat via*, inquit 3. Reg. 19. Quis neſcit grandem nobis viam ex hoc ſæculo in alterum ali-quando conficiendam? Qui ergo ad iter illud ſe jam quaſi accingunt, jure meritoque non ſemel ſed ſæpiùs cœleſti illo viatico ſeſe muniunt ac confortant.

Denique nec irreligioſæ ſunt oviculæ, quæ ſolent flectere genua antequam decumbant: & obſervatæ ſunt aliquando flectere genua venerabundæ ante imaginem B. Virginis, dum in paſcua exirent ac redi-rent, Smelcemis propè Inſulas, ubi ea imago adhuc in veneratione & miraculis comprobata eſt, teſte Ba-linghem in Calend. B. V. 30. Maii. Docent ergo nos et-iam pietatem in Deum & B. Virginem.

Vidimus nonnihil ovium proprietates; ſupereſt ut eas in nobis agnoſcamus, ſi paſtore Chriſto gaudere, ejuſque prædictioni atque exſpectationi reſpondere, ac demùm ſub ejus protectione ſecuri eſſe volumus. Quin imo non difficile vincemus hoſtes noſtros, non ſecus ac 12. Apoſtoli mundum ſubjugarunt, quia ve-lut oves in lupos miſſi fuerunt. Unde Sanct. Chry-ſoſtomus homil. trigeſima quarta in Matth. ait. *Certè quouſque ſumus oves facilè hoſtes vincimus: cùm verò in naturam luporum tranſimus, tunc ſuperamur: tunc enim nobis nullum à paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos ſed oves paſcit: atque cùm in lupum te converteris, abit confeſtim & relinquit te.* Sic ille. Hujus rei ut me-mores ſimus, geſtamus Chriſtiani Agnum Dei in pe-ctore: velut monile fidei & profeſſionis noſtræ.

Simus ergo in animo, quod foris ad pectus gerimus, ne dicatur nobis: *Foris Cato, intus Nero*: foris agnus, intus lupus.

(*,*)

THEMA QUARTUM.

Oves Christi, quomodo cognoscant pastorem suum.

I. *Norunt ubique præsentem & sibi invigilantem, & timent.*
II. *Norunt se vocantem, & parent.*
III. *Norunt benefacientem; & gratos se exhibent.*
IV. *Norunt castigantem & patienter ferunt.*
V. *Norunt misericordem simul & justum: unde post lapsum mox resurgere conantur.*
VI. *Hinc & timent eum offendere velut justum.*

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. *Ioan.* 10.

Oves norunt pastorem suum.

EXperientia confirmat id, quod asserit Dominus in hodierno Evangelio, cognosci nimirum pastorem à suis ovibus; quod tamen in aliis pecoribus non ita apparet. Alia enim cogi ad pascua & stabula debent à pastore subsequente: oves non item, sed sequuntur præcedentem, quasi eum norint, teste eodem Domino: *Oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur; sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Joan. decimo. Eadem hæc diversitas manifestè apparet in justis & injustis. Illi velut oves Christi agnoscunt pastorem sibi præsentem, agnoscunt se vocantem & præcipientem, agnoscunt se pascentem, agnoscunt flagellantem, agnoscunt ut Deum, agnoscunt ut patrem. Nihil horum nôrunt, qui non sunt oves Christi: nesciunt pastorem suum; undè fugiunt ab eo. Quâ sanè ignorantiâ quid esse perniciosius potest? Eccur enim isti, qui Christi oves non sunt, tam grandia admittunt scelera? quia non nôrunt DEUM sibi præsentem. Cur vocem ejus non audiunt? quia nesciunt vocantem. Cur ingrati sunt beneficiis? quia non agnoscunt benefacientem. Cur flagellis non emendantur? quia nesciunt flagellantem. Cur non timent & reverentur? quia nesciunt esse DEUM. Cur non toto corde amant? quia nesciunt esse patrem & amicum. Unde fit, ut etiam servos Dei spernant, fugiant, subsannent, persequantur; quia non noverunt eorum Dominum. *Hæc facient vobis,* inquit Joan. 16. *quia non noverunt patrem neque me.* Quia igitur hæc ignorantia tot malorum causa est, superest, ut nos velut oves Christi tueamur oculos nostros, ne quo pulvere turbati cœcitatem impiorum, qui pastorem suum nesciunt, & ipsi incurrant.

I. Norunt ubique præsentem & sibi invigilantem, & timent.

I. Qui oves Christi sunt, agnoscunt & reverentur pastorem suum, velut sibi præsentem & invigilantem ubivis locorum. Quemadmodum enim pastor bonus à grege non discedit, sed adstat continuò & vigilanti attendit oculo: ita oves Christi cogitant & nôrunt adesse sibi Deum suum. Hinc in eis oritur honor & reverentia erga eundem, ubicumque tandem sint; quia coram eo se adstare sciunt. Hinc viri sancti tam cauti & tam compositi in omnibus suis actionibu quia semper memores præsentiæ Divinæ, uti Elia dicere solitus: *Vivit Dominus, ante cujus conspectu sto.* tertio Reg. 17. Et rursum: *Vivit Dominus, ante cu jus vultum sto* tertio Reg. 18. Elisæus & alii, qui pe hoc sanctum exercitium ad sanctitatem perveneru & in eâ perstiterunt. Stetit aliquando Christus in m dio turbæ audiens concionantem Joannem & bapti mum ab eo petens. Joannes eum summâ reverent excipit & accedentem à se arcet, asserens se indignu qui ejus calceamenta solvat: cæteri qui aderant, nil omninò horum præstitêre Christo, imò velut unu de plebe, ut conjectare licet, truserunt & compress runt in conferta turbâ, nec vel minimùm honorâru & quamobrem? quia Joannes illum noverat, isti n noverunt adeoque nec curârunt. Unde Joannes: *M dius autem vestrum stetit quem vos nescitis, cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam cal eamen* Joann. Quem si æquè novissent alii, procul dubio c ram ipso in terram omnes supplices & venerabun corruissent. Judæis illis simillimi sunt, qui ad D præsentiam nullatenus attendunt, quia vel non cr dunt eum semper sibi adesse, vel certè non consid rant; quo modò improbi illi in lib. Job cap. 22. c cunt: *Quid novit Deus? & quasi per caliginem indic nubes latibulum ejus nec nostra considerat, & circa ca dines cœli perambulat.* q. d. quomodo in tanta l corum distantia sciat quid nos agamus? Ad cardin cœli, ubi nullus motus sed summa quies est, sub qu bus etiam nemo habitat, quietus sibi vacat, nec a nos attendit. Hinc uti in omnem peccandi licentia nullo pudore ruunt: ita etiam nullo stimulo ad be agendum incitantur, cùm Deum etiam nesciant sp ctatorem bonorum operum. E contrà oves Chri oculo pastoris sui & à peccatis cohibentur & a virtutem stimulantur. Quantum enim putatis calc additum S. Stephano ad strenuè certandum pro Chr sti nomine, ex præsentia & conspectu ipsius agono thetæ? Quem si lapidatores ejus similiter conspexi sent, utique in Stephanum nequaquam sævissent, se una potius cum ipso Christum adorassent.

II. Norunt se vocantem, quotiescumque audi unt sibilum aut vocem ejus, adeoque statim parent quemadmodum & agni è millibus aliis matribus su am agnoscunt vel ex sola voce: alias non audiunt. E illorum numero comprobatur fuisse Centurio, qu ex adverso Christi crucifixi stabat & audiens vocem expirantis Domini dixit. *Verè hic homo justus; & fi lius Dei erat.* In quæ verba Sanctus Bernardus serm. 28 in Cant. ait: *Ergo ad vocem credidit, ex voce agnovi filium DEI & non ex facie. Erat enim fortasse ex ovi bus ejus, de quibus ait: Oves meæ vocem meam audi unt, & cognosco meas & cognoscunt me meæ.* Et mox *Auri DEI filius, auri formosus innotuit: sed non Iu dæorum; quia erant incircumcisi auribus.* Ex eodem fuisse creditur mulier Samaritana, (nomine Photina, uti habet Martyrologium Roman.) quæ ad vocem Christi, asserentis se Messiam, sine hæsitatione credidit & currens ad civitatem, suis concivibus ipsum

ſum annunciavit. Joann quarto. Quam vocem Scribæ & Phariſæi, necnon Sacerdotes Judæorum ore ejus audiſſent, haud dubiè lapides ſuſtuliſ-
…nt, & in eam, æquè ac in Chriſtum, projeciſſent, …ia non erant ex ovibus ejus, ſed odio & invidiâ …cati ſprevissent eum. Ex eorum numero erat Sau…, quando voce Chriſti increpitus agnovit vocem …ſtoris ſui & dedit manus ad obediendum fidei: …n erant ejus comites, qui vocem Chriſti quidem …dierunt & cum Saulo ab ea proſtrati, non tamen …nverſi ſunt. Vocem paſtoris, ſui agnovit mox intellexit Petrus, quando è cuſtodia Rom. di…ſſus obviam habuit Chriſtum dicentem ſibi: *…do Romam iterum crucifigi*; apud Egeſipp. de ex… Jeroſol. Vidit enim Chriſtum his verbis ſibi in…uare, ut Romam reverteretur & martyrio ſe of…ret. Paſtoris hujus vocem audivit Antonius, …ando Eccleſiam ingreſſus lectis illis Domini ver…: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, &c.* …quam ſibi dictis mox requievit & poſſeſſiones …didit, in quibus erant 300 uberes palmæ: mo…â portione ſibi reſervatâ pro ſororis alimento, …rſum Eccleſiam ingreſſus cùm audiſſet illud Do…ni: *Nolite cogitare de craſtino*; reliquam quoque …tionem pauperibus diſtribuit ſorore fidelibus, ac …is virginibus commendata. Ut in vita ejus Atha…ius. Viciſſim oves Chriſti ſe non eſſe demonſtrant, … Evangelium ita audiunt, quaſi ad alios tantùm, … ad ſe ſpectarent ea, quæ dicuntur; ac multo …gis qui aures ſuas Evangelio prorſus claudunt, … ita ſæculi negotiis, voluptatibus & tumultibus obtundunt, ut vocem cœleſtis paſtoris percipe…on poſſint.

II. Nôrunt benefacientem, quotieſcumque do…n aut beneficium aliquod accipiunt; mox enim … adſcribunt atque acceptum ferunt, gratias a…do velut datori. Ita Sanctus Petrus ex ingenti & …benda piſcium captura, deprehendit Chriſtum … fuiſſe auctorem; ſiquidem ipſe priùs tota no…, tempore commodiori, nihil deprehenderit; …oque in genua procidens ipſum adoravit, præ…a ejus ſe indignum judicans. Luc. quinto. Simili… & Joannes poſtquàm advertit ingentem piſcium …itudinem, ad conſilium Domini, ſtantis in littore …ecdum cogniti, in reti eſſe concluſam, ex tam li…ri beneficio ſtatim agnovit Chriſtum, ejus au…rem; uti indicat ipſe, quando ita ſcribit: *Miſe…t ergo, & jam non valebant illud trahere præ mul…dine piſcium. Dixit ergo diſcipulus ille, quem dili…it IESVS, Petro: Dominus eſt.* Joan. 21. Ubi …ticula *ergo* indicat ſequelam ex copioſa piſcium …ltitudine ortam, ſcilicet Chriſti agnitionem. …de in eum locum Euthymius: *A proſpero, in…, id eventu intelligens, & quod tanquam ex …ſſo concluſi eſſent piſces.* Fœliciſſimum illum …um non adſcripſit induſtriæ ſuæ, non ſagenæ, … robori aut celeritati ſuæ, ſed conſulenti & per …aculum cogenti piſces Domino, q. d. ſupra humanas vires eſt hæc tam copioſa piſcium concluſio: igitur *à Domino factum eſt iſtud.* Non ſic impii non ſic; ſed ſi quid beneficii accipiunt id ſibi ſtultè tribuunt, uti Chaldæus ille Nabuchodonoſor, qui cum cepiſſet, ſpoliâſſet & vaſtaſſet Judæam potenti ſuo exercitu, adeoque Judæos velut piſces coegiſſet in rete ſuum & captivos abduxiſſet: ſibi eam capturam adſcripſit, non DEO; à quo tamen ad puniendos Judæos miſſus fuerat & robur omne acceperat. Unde de illo Habacuc cap. primo ita loquitur: *Totum in hamo ſublevavit, traxit illud in ſagenâ ſuâ & congregavit in rete ſuum, ſuper hoc lætabitur & exultabit: propterea immolabit ſagenæ ſuæ & ſacrificabit reti ſuo.* dicendo videlicet: Meâ virtute bellicâ, meo robore peperi triumphos iſtos: illa mihi DEUS ſunt, alium non agnoſco. Ob quem faſtum & inſolentiam minatur ei DEUS capit. ſequent. excidium & ſpoliationem rapinarum ſuarũ à Cyro & Perſis inferendã: *Quia tu ſpoliaſti gentes multas ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populo.* Idẽ continget Antichriſto, qui victorias ſuas & Regum debellationes adſcribet ſuo Maozim, h. e. viribus ſuis bellicis, eumque velut DEUM colet. Dan. undecimo. Sed poſt tres annos cùm dimidio turpiter interibit & mergetur in abyſſum. Idem expectent Principes politici, qui potentiam, divitias, favores, dignitates, gloriam, nobilitatem, ſuam, non DEO, ſed ſibi attribuunt; quia DEUS gloriam ſuam alteri non dabit; & tandem expoliabit ſpoliatores. Prævidens id Job cap. 31 *Si oſculatus ſum manum meam* (h. e. ſi meas opes adſcripſi mihi & induſtriæ meæ) *pro frumento oriatur mihi tribulus & pro hordeo ſpina.*

IV. Norunt caſtigantem ſe, & patienter ſuſtinent, imò etiam laudant, unde quando ſentiunt calamitatem aliquam, illico advertunt DEI manum, quæ ſibi eam immiſerit, ut Sanct. Job, qui percuſſus ulcere peſſimo non Diabolo id tribuit, a quo velut carnifice ſic confectus erat; ſed: *manus Domini tetigit me*, ait cap. 19. Similiter etiam David, quando calumniis & lapidibus impetitus fuit a Semei, mox agnovit plagæ auctorem Deum, qui per manum inimici caſtigaret ejus ſcelera, ut eo pacto ſanaret, 2 Reg decimo ſexto. *Dimitte eum ut maledicat*, inquit, *Dominus enim præcepit ejus malediceret David.* Hinc etiam Pſ. 38. ait: *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Ubi Theodoretus: *Semei ſimilis erat flagello; tu verò per illam caſtigationem afferebas: proptereà ſilens flagella accepi illum quidem deſpiciens, te verò in me animadvertentem reſpiciens.* Idem obſervarunt Hebræi primo Reg. 6. quando in prælio ſuccubuerunt & cæſi ſunt a Philiſthæis, dixerunt enim: *Quare percuſſit me Dominus hodie coram Philiſthiim* Certè Philiſthæorum brachiis & armis percuſſi & contuſi fuerant, non tamen illis adſcribunt plagam ſuam ſed DEO, velut Medico ſuo, qui inimicorum gladiis & lanceis, velut chirurgo- (IV. *Norunt caſtigantem, & patienter ferunt.*)

rum

rum lanceolis venam eis inciderit & noxium sanguinem emiserit. Non ita filii hujus sæculi, qui non sunt oves Christi: velut enim insani flagello irascuntur, quo percutiuntur, flagellantem se DEUM non agnoscunt: lapidem morsibus impetunt ut canes, projicientem non vident. Si quo modo tanguntur, Diabolo aut malis hominibus, vel adversæ fortunæ imputant. Aves cùm capiuntur, casu se in retia incidisse putant; cùm tamen ad hunc finem ab aucupe eis posita sint. Unde Amos tertio dicitur: *Nunquid cadet avis in laqueum absque aucupe?* Concluditque: *Nunquid est malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* Laborârunt hac insipientiâ Philisthæi, quando ab arcâ fœderis, quam ceperant, varias accepêre plagas, nec tamen agnoverunt ab arcâ sibi inflictas, sed potiùs casui tribuebant. primo Reg. sexto. Laborant usque in hodiernum cœcitate hac Judæi, necdum intelligentes, se ob Christum Messiam suum à se occisum exulare à patriâ & premi servitute. Ingens est pernicies hujus cœcitatis. Hinc enim qui castigantur, non tantùm se non emendant, sed irascuntur, murmurant & blasphemant, adeoque salutis pharmaca in venenum sibi convertunt.

V. *Norunt misericordem simul & justum: unde post lapsum mox resurgere conantur.*

V. Nôrunt pastorem suum esse misericordem, simul tamen & justum. Itaque si cadant, mox resurgere conantur, confisi de misericordiâ pastoris sui. Oves aberrantes inquietæ sunt & undique discurrunt adeoque ad unum pastoris sibilum recurrunt ad suum gregem: ita qui oves Christi sunt, quando à viâ mandatorum deflexerunt, ad vocem DEI arguentis ac revocantis, cito se reflectunt & redeunt ad pastorem suum. Patet in Davide, qui post lapsum inquietus: *Erravi sicut ovis, quæ periit*, inquit, *quære servum tuum.* Psalm. 118. Unde ad primam Prophetæ Nathan increpationem statim in se reversus vocem pastoris sui audiit & peccatum suum agnovit ac deploravit. Quamobrem ejus peccatum à Nathan in parabola rectè comparatur hospiti, qui divertit ad domum divitis, nimirum Davidis; siquidem hospes diu immorari non solet in aliena domo secundo Reg. duodecimo. Idem quando Sauli vel oram chlamydis tantùm abscidit, statim reverberatus est à corde suo. primo Reg. vigesimo quarto. Rursum postquam numeravit populum suum, dicens: *peccavi valdè hoc facto.* secundo Reg. vigesimo quarto. Patet in Petro, qui cum negasset Dominum suum, ad primum ejus obtutum mox errorem suum agnovit & amaris lachrymis diluit. Nôrat enim Magistrum suum mitem & clementem esse, qui non velit mortem peccatoris. Non ita novit Judas, qui faciem Magistri fugiens ad laqueum cucurrit. Hinc electi quando cadunt, dicuntur in faciem cadere, quia mox à lapsu pœnitentes resurgere nituntur; reprobi in dorsum, uti cohors in monte Oliveti, verbo Christi prostrata; & Heli, qui ex sellâ cecidit retrorsum & fregit cervicem, 1. Reg. quarto. qui nesciunt quorsum cadant; undè nec resurgere laborant. *In faciem nostram cadimus*, inquit D. Gregorius hom 8. in Ezech. *quia ex malis erubescimus, quæ nos meminimus perpetrasse; ibi enim cadit homo, ubi confunditur.* Reprobi ob lapsum non erubescunt, se[d] potiùs *lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebu[s] pessimis.* Prov 2. quandoque etiam *peccatum suum sicu[t] Sodoma prædicant.* Isa. 3.

VI. Rursum oves Christi timent offendere pasto[rem] suum, quia nôrunt ipsum etiam esse justum [&] severum peccatorum vindicem. Ovem se ostend[it] David, quando in exilio oberrans noluit mittere ma[num] in hostem suum Saulem, sciens Deum injuri[a]rum esse ultorem, dicens: *Quis enim extendet man[um] in Christum Domini & innocens erit?* primo Reg 2[6]. Ovem se ostendit Susanna quando maluit incidere [in] manus hominum, ut innocens lapidaretur, quà[m] peccare in conspectu DEI. Ostendit senex Eleazaru[s] qui excruciari maluit, quàm vetitis pollui cibis. *Na[m] etsi in præsenti tempore*, inquit, *suppliciis hominum e[ri]piar, sed manum omnipotentis nec vivus nec defunct[us] effugiam.* 2. Machab. 6. Astrologus quidam in au[la] Friderici Imp. Rodulphum Habspurgensem Com[i]tem summâ veneratione prosequi solebat eique m[a]jorem longè quàm aliis, licet eo potentioribus, rev[e]rentiam exhibere. Interrogatus de hoc à Cæsar[e] quamobrem pauperi Comiti tantum honoris p[ræ] cæteris deferret: respondit, quia nôsset eum futuru[m] Cæsarem, ipsius successorem; uti refert Cuspinianu[s]. Nemo ex proceribus, saltem potentioribus, hono[rare] eum dignatus est, quia non noverunt Cæsarem fut[u]rum adeoque suum dominum. Par ratio est de iis, q[ui] non sunt oves Christi: non verentur nec venerant[ur] eum in suis actionibus, quia non noverunt eum f[u]turum Judicem suum. Discrimen hoc notavit Sap[i]ens Prov. 14. cum ait: *Sapiens timet & declinat à ma[lo]: stultus autem transilit & confidit.* Timet sapie[ns] DEUM velut Regem & futurum aliquando Judice[m] suum: stulti dissimulant & confidunt, quasi evalu[erint] DEI judicium. Undè Hugo Card. in eum locum: *Stu[l]tus est velut equus excœcatus, qui nihil timet, quia n[i]hil videt: undè vulgò dicitur nihil esse audacius eq[uo] cœco.*

Quando igitur in hac pastoris nostri notitiâ ta[n]tum esse positum intelligimus, demus operam, [ut] simus, quod à nobis Pastor noster Divinus exigit, no[n] equi, non boves, non sues, sed oves, pastorem agno[s]centes.

THEMA QUINTUM.

Quas ob causas Christus dare pro suis ovibus animam suam voluerit.

I. Ut fidem & spem resurrectionis nobis implantare[t].
II. Ut animaret Martyres.
III. Ut doceret nos quoque ponere vitam pro fratribus.
IV. Ut doceret nos mortem contemnere.
V. Ut ostenderet quantopere nos amaret.

3onus pastor animam suam dat pro ovibus suis, *Ioan.* 10:

NOn invenio in historiis, nisi unicum pastorem, qui pro grege suo depugnans vitam im- enderit; & quidem in vitâ Sanct. Popponis, Abbatis abulensis, qui cùm iter ageret, vidit lupum irruisse pastorem, eumque prostratum ac per colli nuda reptum ad sylvam pertrahere conantem, Quam- iam sanctus ille prædam lupo eripuit, & enectum bilionem meritis suis vitæ restituit, ut in eius vita fert Everhelmus Abbas Altimontensis apud Sur. . Ian. Et quid mirum? Quis enim homo quantum- imque abiectus velit vitam suam dare pro vitâ o- um? Quid igitur est, quod audimus à Christo Do- ino: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis?* d facilis est responsio. Loquitur enim Dominus de store animarum, & de ovibus ratione præditis; ibus custodiendis à lupo tartareo certè obligatur stor impendere vitam suam. Sed adhuc instabit a- quis: Esto hoc æquum sit in pastore animarum, mine hominum custode: quo iure Dei filius ponit tam suam pro hominibus? Nonne vita filij Dei in- iities magis superat & præcellit vitam omnium ho- inum, quam vita unius pastoris vitam omnium o- um? Verum est, non abnuo. Hoc tamen non ob- inte voluit divinus ille pastor noster eousque se de- ittere nostri amore, ut etiam pro nobis vitam suam onere minime dubitaret. Hoc igitur grande amoris iraculum, ut paulò propiùs intueamur, exuemus ià cum Moyse terrenarum rationum calceos, & au- emus divinas.

I. Ut fidem & spem resurrectionis nostræ in suis vibus partim plantaret, partim confirmaret. Diffi- llimum est credere humano intellectui, eundem imero hominem semel extinctum, posse revivisce- : idem corpus jam absumptum à bestiis, igne, pu- edine, posse redintegrari: quod proinde Gentiles el nulli vel paucissimi credebant: Judæorum etiam ulti ut Sadducæi negabant, alii languide & diffi- ilter sibi persuadebant. Ex quo pernitiosissimo er- re ingens scelerum & malorum colluvies prodi- it. Quis enim abstineret vitiis & voluptatibus: imò iis non indulgeret genio & omni serviret libidini; iis virtuti operam daret: si nulla est retributio & es alterius vitæ? Ergò ut hanc fidem atque spem nplantaret & fortiter infigeret animis mortalium, oluit mortem, permissâ improbis potestare, subire t primis omnium posset resurgere propria virtute, quidem ad vitam immortalem. Tametsi enim c alii quidam à morte per Eliam & Elisæum fuêre iscitati, resurrexerunt tamen ad vitam mortalem, erum morituri. Primus omnium Christus ita re- urrexit, ut deinceps mori non posset; unde qui eo nortuo leguntur resurrexisse, vel non surrexerunt inte ipsum (ut indicat Matthæus cap. 27. vers. 53. *Ex- euntes de monumento post resurrectionem eius*) vel si priùs, non nisi dependenter & in virtute resurrecturi mox Christi, velut Ducis resurgentium; ut observat D. Thom. 3. part. quæst. 53. art. 3. Hinc appellatur, *Primitiæ dormientium*, primo Corinth. decimo quinto, & *Primogenitus mortuorum*. Apocal. primo. Primitiæ dicuntur primus terræ fructus, qui olim in lege veteri DEO offerebatur. Talis est inter mortuos Christus primitivus è terrâ fructus, resurgens & repullulans, ad vitam immortalem, velut granum frumenti, quod ceciderat in terram. Quemadmodum enim primus Adam causa omnium morientium. Ita Christus secundus Adam, factus est causa omnium resurgentium; ut discurrit Apostolus loco cit. vers. 21. Videmus interdum in celebribus nundinis comparere circumforaneos chirurgos, qui gladiis aut cultris seipsos fœdè incidunt, lancinant & perforant: moxque adhibito unguento statim persanant ut nil planè vulneris appareat; & hoc agunt, ut fidem faciant arti & unguento suo. Nolo hic iudicare, quàm solidè hoc fiat: id tamen est, quod assero, simili ex causâ permotum Christum Dominum, ut mortem in se admitteret, quò haberet occasionem seipsum resuscitandi, adeoque persanandi vulnus mentis nostræ, quæ, ut in Sancto Thomâ apparuit, difficilem se præbet in credendâ mortuorum resurrectione. Hinc in Apoc. cap. 1. quasi ostentans artis & unguenti sui comprobatam certitudinem, ait: *Fui mortuus, & ecce sum vivens; & habeo claves mortis & inferni*, q. d. quo modo ego à morte ad vitam redii, sic & vos meâ virtute redibitis. Hac, ni fallor, ex causâ dixit Joan. 2. ad Iudæos quasi adhortando: *Solvite templum hoc*, (corporis mei) *& in tribus diebus excitabo illud*, q. d. occidite hoc corpus, & prosternite, ut habeam occasionem tertio die restaurandi illud. Tunc enim videbitis, quis & quantus sim, tunc in me credet orbis, tunc incipient homines spernere terram & desiderare cœlum &c.

II. Ut animaret & præiret exemplo martyres penè infinitos, quos prævidit propter se variis cruciatibus exagitandos & enecandos, quo constantiores essent viso antesignano & Duce suo, primo glaciei hujus perfractore, & aciei perruptore; iuxta id Mich. secundo. *Ascendet pandens iter ante eos*, Hebr. *Porrets*, h. e. *effractor & perruptor*. Quemadmodum enim Moyses, dum præivit Hebræos ingrediens mare rubrum, suo exemplo animavit reliquos, ut animosè sequerentur: ita Christus suo exemplo incitavit fideles, ut ingenti numero ipsum imitarentur maxima alacritate ad fundendum sanguinem pro æternâ vitâ. Ita enim de Moyse Josephus lib. secundo Antiq. cap. septimo. *Moyses videns adesse DEVM, & mare de suo solo cessisse, primus progreditur, hortatur Hebræos ut alacriter sequantur per viam divinitus datam, &c. Illis impigrè subsequentibus; nimirum divina ope fretis, Ægyptii primum insanire eos putabant, in manifestam perniciem ruentes, &c.* Non aliter Christiani, primi præsertim, secuti maximâ alacritate

II. *Vt animaret Martyres.*

Chriſtum ad martyrium, ſtupentibus Gentilibus, quòd in ſuam, ut putabant, perniciem tanta hilaritate ruerent. Tam præclaræ & generoſæ cohortis Ducem non decebat eſſe alium, niſi DEI filium, hominem factum: primo ne quis inter electos ejus aureolam geſtaret, quam ipſe non meruiſſet. Erubeſcit inter ſtrenuos & exercitatos milites, qui nullas vulnerum cicatrices, nulla fracta membra, ut illi, oſtendere poteſt, eò quòd nulli prælio interfuerit: ita poſſet in cœlo Chriſtus rubore aliquo perfundi, ſi in medio heroum, qui pro ejus gloria decertarunt uſque ad ſanguinem, conſiſtens nullum demonſtrare vulnus poſſet, quod amore humani generis accepiſſet. Ut hoc audeam dicere animat me Apoſtolus ad Hebr. ſecundo ſcribens: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* h. e. Decebat Deum Patrem Chriſtum paſſioni tradere & morti, ut conſummaret opus redemptionis ſuæ & aureolam ſeu coronam ei imponeret, ſummo & heroico amoris actû, per mortem crucis. *Decebat*, inquit, quaſi alioquin nominis ejus claritati aliquid decederet, & in aliquo inferior fieret iis, quos redemit, martyribus. *Vnde* (ſubdit Apoſtolus) *debuit per omnia fratribus ſimilari.* Quæ cauſa eſt, cur Petrum appellarit Satanam, ſeu adverſarium, quando ipſi hanc gloriam quaſi eripere ſuo imprudenti conſilio voluit. Deinde quam potenter & nervosè provocaſſet alios ad martyria ſubeunda, ſi non ipſe prior rubrum hoc mare ingreſſus fuiſſet? Unde Cyrillus Jeroſolym. Catech. decimo tertio ait: *Quomodo* enim *corroboraret diſcipulos ad perferendam mortem pro veritate, ſi ipſe non pertuliſſet iſta? Ille dixit: Qui amat animam ſuam, perdet eam: ſi vitam amavit, quomodo id docuit, neque fecit, quod docuit? Primùm igitur, cum Deus eſſet, ab hominibus hæc patiens ſuſtinebat, ut homines ab hominibus poſtea iſta patientes, pro ipſo ejuſmodi perferre non puderet.*

III. Ut doceret nos quoque ponere vitam pro fratribus.

III. Ut doceret exemplo ſuo & nos ponere animam noſtram pro fratribus noſtris, vitam ſcilicet noſtram temporalem, pro vita illa illorum æterna & ſpirituali. Ita ſanè argumentatur S. Joannes epiſt. prima cap. tertio, in hunc modum: *Quoniam ille* (Chriſtus) *animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ubi inprimis non loquitur de vita animæ noſtræ ſpirituali, ſeu æterna ſalute; quia hanc ſibi quiſque potiùs quam alteri quærere tenetur, loquitur ergo de vita noſtra temporali, cui præferre jubet proximi æternam, & ſalutem animæ. At hoc etiam, dicet aliquis, durum videtur. Eſto hoc, Chriſtianum tamen & æquum eſt. 1. quia non eſt ſervus melior domino ſuo: Chriſtus autem mercator ſapientiſſimus & dominus noſter poſuit vitam ſuam tranſitoriam, pro æterna noſtra. Indignum autem plagiſque digniſſimum eſt, ſervum pluris æſtimare vitam ſuam, quàm æſtimavit ſuam dominus. Hujus Chriſti [e]xemplo admonemur, quoties accedimus ad Sa[cram] Euchariſtiam. Ita enim Proverb. vigeſimo te[rtio] dicitur: *Si ſederis, cœnare ad menſam potentis, ſapi[en]ter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte man[um] tuam, ſciens quia talia oportet te præparare.* (Ita [ha]bent 70.) *Quomodo talia præparare oportet, niſi [ut] ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, & ſi[c] debemus animas pro fratribus ponere?* inquit Sa[nct.] Auguſtinus tract. quadrageſimo ſeptimo, & oc[to]geſimo quarto in Joann. 2. quia vita noſtra tem[po]ranea reſpectu alterius æternæ nihil eſt; vix dra[ch]ma reſpectu theſauri immenſi, lapillus reſpe[ctu] margaritæ pretioſæ. Hanc enim Chriſtus e[mit] ſanguine ſuo, illam eripere nobis una aranea [po]teſt, 3. quia tali modo & occaſione ſi ponamus a[ni]mam pro fratre, ponimus pro Chriſto, cujus ille me[m]brum eſt. Quis autem non teneatur mori pro C[hri]ſto, cum ejus gloria id exigit? Quod ſi igitur [fra]ter tuus de te id non eſt meritus & forſan etiam [tuus] inimicus eſt, id tamen meritus eſt Chriſtus, [qui] mercedem tibi impendet non minorem, quàn[ſi] pro ipſo vitam dediſſes. Denique in corpore [no]ſtro & patimur & facimus, quando enim un[um] membrum afflictum eſt & in periculo verſatur, [pa]timur vulnerari cauterio membrum aliud ſanu[m], ut affectum conſervetur. Sumus autem nos me[m]bra unius corporis & conſimili modo nobis invic[em] obligati, ut ſcimus ex Apoſtolo primo Corin[th.] duodecimo. Ita ipſe quoque paratus fuit *fieri an[a]thema pro fratribus à Chriſto*, ad Roman. nono. [i.] e. excludi à beatitudine & gloria, imo, ut expli[cat] Chryſoſtomus, in æternum perire: &, ut Caſſian[us] collat. 32. cap. ſexto, æternis addici pœnis. Ita San[ct.] Vitalis miles cum vidiſſet Urſicinum Medicum [ob] Chriſtianæ fidei confeſſionem ductum ad ſupp[li]cium, paululùm in tormentis titubare, manife[ſto] vitæ ſuæ periculo exclamando ad conſtantiam ipſu[m] animavit: eaque voce Paulinum Judicem in ſe co[n]citavit, ut in vincula raperetur, & poſteà in fo[]veam projectus lapidibus obrueretur, apud Sur. [...] Janu. in Breviario die vigeſimo octavo April. Pa[ri] alacritate Sanct. Sebaſtianus dum Marcum & Ma[r]cellianum fratres in fidei confeſſione nutantes præ[]claro ſermone roboravit ad perſeverantiam, vitam ſuam expoſuit vinculis ac tormentis, morti ac mar[]tyrio.

IV. Ut doceret nos oves nimirum ſuas, morten[] contemnere & omnis generis injurias patienter ſu[]ſtinere. Ita Sanct. Gregorius lib. decimo quarto moral. cap. vigeſimo ſeptimo. *Redemptor noſter*, inquit *ſuſcepit mortem, ne mori timeremus.* Exarmavit enim mortem ſtimulo ſuo, quo feriebat prius homines, juxta vaticinium Oſeæ decimo tertio. *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Quo alludens Apoſtolus morti inſultat primo Corinth. decimo quinto. *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Sicut ergo cum ape, quæ ſtimulum

ſuum

um perdidit: & cum fera, cui dentes effracti sunt, dere absque damno vel timore possumus: ita nunc omnes cum morte. Unde Sanct. Chrysostomus mil. vigesima tertia in 1. Corinth. *Interroga mor-m*, inquit, *unde periit stimulus tuus? Unde dissoluta victoria tua? unde incisi sunt nervi tui? & pueris & ellis ridicula facta es, quæ & tyrannis & justis omnibus antehac eras formidolosa? Et corpus Domini ho-m omnium causam esse profitebitur.* Quia nimirum ominus corpus suum morti objecit, velut hamum, que ipsam cepit, ut sicut Jonam cepit: vel sicut nā ceto, qui cùm eum digerere non posset, evome- coactus est. Hinc enim mors jam somnus facta est transitus ad vitam, teste D. Bernardo tr. de natur. dign. Divini amoris cap. decimo quinto. *Hinc*, in-it, *transitum ad vitam, miseri infideles mortem ellant, fideles autem quid nisi Pascha?* Quin & Ju-i in morte sua & suorum non immerito plange-nt, uti Joseph mortem patris sui Genes. quinqua-simo. *Nondum enim*, inquit in eum locum Chryso-mus, *fuerunt portæ inferni confractæ, neque inferni ncula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio, & circò quia timuerunt mortem, hæc faciebant; nunc an- n propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus consummatio & quies quasi de vita in vitam trans-endi sic exultamus: & quid dico de vita in vitam! deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de rena ad cœlestem.* Ad hoc accedit exemplum Chri-, qui, ut ait Apostolus ad Hebr. secundo. *Pro omni-s gustavit mortem.* Quod explicans Theophylactus: *cut medicus*, inquit, *cum videt ægrotum fastidire ci-s & pharmaca, prior ipse ea sumit, ut ægrum ad ea-m sumendum inducat; ita Christus prior gustavit ortem, ut eam gustare non horreat Christianus.* Ne-e mortem solam, sed etiam mortis dolores, quæ-s tormenta & injurias superare docuit nos exem-o suo Christus, quando velut ovis coram tondenti-s se obmutuit: & quomodo solent oves ligatæ nc inde jactari & sine renitentia duci ad macellum; a se ab impiis agitari & educi ad supplicium permi-t. Hinc Apostolus ad Rom. octavo ait: *Propter te mor-ficamur tota die: æstimati sumus sicuti oves occisionis.* .d. ita patienter omnia supplicia perferimus, ut æsti-ment oves esse, quæ sine fugâ, sine reluctatione, sine efensione patiuntur suam lanienam, tuo nimirum lucti exemplo.

V. Ut ostenderet suâ morte, quantopere nos ama-et; quod indicat Joannes cap. decimo tertio, cùm it: *Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos.* Ubi Sanct. Augustinus tract. 55. *Quia*, inquit, *in tantum di-lexit eos, ut moreretur pro eis.* Et Rupertus in eum lo-cum: *Sic utique jam dilexerat eos, ut de cœlo ad terram descenderit propter eos, & ut qui erat DEUS invisibi-lis in sinu patris, homo visibilis de ventre fœmineo factus fuerit. Sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quòd homo fuerat factus, si non pro illis etiam pateretur; siquidem hoc ipse suprà dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Igitur, ut oportebat, dilexit eos, id est, dilectionem erga illos eousque perfecit, ultra quod non posset augeri, videlicet ut animam suam poneret pro illis.* Quid enim habet homo pretiosius vita sua? Certè Tigranes ille Armeniæ Rex cum uxore à Cyro captus, cùm ab eo interrogaretur, quid pro conjugis dilectissimæ redemptione daturus esset, nihil pretiosius, quod offerret, præter vitam suam habuit, quam & Cyro obtulit, apud Xenoph. in vita Cyri; indicans se daturum, si quid charius vita haberet. Christus etiam siquid anima sua pretiosius habuisset, utique obtulisset pro suis ovibus. Multi quidem inveniuntur, qui largitionibus & muneribus suum erga charos amorem contestentur: sed qui pati, gravia præsertim, in suo corpore velint, albo coruo rariores, qui etiam vitam dare, nulli planè sunt. Demonstraturus quondam DEUS suum erga Hebræos amorem, dixit eis pro os Malachiæ c. 1. *Dilexi vos.* Ajunt illi: *In quo dilexisti nos?* Quibus Dominus: *Nonne frater erat Esau Jacob? & dilexi Jacob: Esau autem odio habui?* h. e. in posteros Jacob, seu Hebræos, plurima beneficia contuli educendo eos ex Ægypti servitute, tuendo in deserto, inducendo in terram lacte & melle manantem, extollendo super omnia regna, reducendo è captivitate, &c. quoniam nihil exhibui posteris Esau seu Idumæis: quos damnavi ad terram asperam & horridam, destitui lege & prophetis, deserui in captivitate &c. At si amorem Christi nobis exhibitum velimus expendere, majora longè inveniemus. Non enim obruit nos gratiis & muneribus tantùm, sed præterea acerbissima & indignissima, ipsamque adeò infamem crucis mortem pati pro nobis voluit. Quis amorem hunc pro merito extollere imò capere satis queat? quis non amore reciproco langueat & mente prorsus excedat? quis tantum amatorem vel levissimè offendere audeat?

DOMINICA III.

POST PASCHA.

THEMATA.

I. *Quando parentes gaudere possint.*

II. *Quando parentes non gaudeant de liberis suis, sed tristentur potius.*

III. *Partus mulieris morti non absimilis.*

IV. *Non spernenda modica, è quibus nascuntur sæpè magna.*

V. *Iustos cur subinde ad modicum Deus deserat, & qui requirendus.*

THEMA I.

Quando parentes gaudere possint de filiis.

I. *Gaudere possunt, cum vident educari filios sub disciplina.*
II. *Cùm vident eos redolere bonos mores.*
III. *Cùm vident ob virtutem esse evectos.*
IV. *Cùm sciunt eos habere bonos institutores.*
V. *Cùm vident eos resipiscere ad meliorem frugem.*

Iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, Ioan. 16.

Non semper gaudium ex filiis.

FAcilè quidem do parentibus, quòd gaudere possint cùm nascitur eis filius. Sed quàm solidum tamen sit hoc gaudium, non satis adhuc perspicio. Videmus enim hodie nasci filium, cras aut perendie iterum mori: & jam concidit gaudium, atque in mœrorem transiit. Videmus sæpe filios male educatos vel moribus perversos: & quod ibi gaudium? Videmus nonnunquam incidere eos in publicas ignominias, & quæ ibi non confusio? Videmus sæpè manere stupidos & rudes: & quæ tunc lætandi causa? Videmus in gravia scelera labi & in iis mori, & quanta ibi lugendi materia? Quot lachrymas excussere Davidi Amnon & Absalon? Salomon quid de filio suo Roboamo loquitur Ecclesiastis 2. *Detestatus sum omnem industriam meam habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.* Augustus Imp. fœlicem se futurum dixit, si liberis caruisset; adeò enim perversos habuit, ut ipsum puderet. Denique de Judâ scimus Christum dixisse: *Bonum erat ei, si natus non fuisset.* Audimus quandoque parentes dicere filiis: Utinam in primo lavacro te submersissem. Modicum igitur verè est & fragile hoc gaudium. Quando igitur erit solidum ac magnum? Audiamus.

I. *Gaudere possunt, cum vident educari filios sub disciplina.*

I. Quando vident filios non blandè, sed severè potiùs educari sub disciplina. Abraham in die ablactationis filii (anno circiter 5. ætatis ejus) fecit grande convivium, in signum lætitiæ juxta morem antiquum, quòd tum infans vitalis futurus speraretur, ac jam per se vivere inciperet: secundùm Cajetanum ibi Genes. vigesimo primo. quia nimirum ingens est gaudium parentibus, cùm filii jam non lacte blanditiarum educantur, sed solido sapientiæ cibo assuescunt, ut ajunt S. Augustinus & Rupertus. Dionysius junior Siciliæ Tyrannus expulso in exilium Dione, ut ei summè noceret, filium ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur moribus. Nam puero scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Reversus in patriam pater & appositis etiam custodibus filium ad frugem reducere conatur sed maximo suo dolore intellexit frustra id fieri Filius enim indign[atus] assuetas voluptates sibi subtrahi, ex summa æd[ium] parte se præcipitavit, vitamque cum deliciis abrup[it]. Probus in Dione. Sic Andronicus junior Michaëlis ab avo Andronico indulgentissimè educatus, ad[o]lescens cœpit insolescere & tandem ope Venetoru[m] avum exturbare imperio, apud Gregoram lib. 8. Be[ne] igitur Ecclesiasticus c. 30. ait: *Lacta filium & pave[n]tem te faciet: lude cum eo & contristabit te.* q. d. filius a[b]lactatus & grandescens non est amplius tractandu[s] atque cùm esset sub lacte; fiet enim pervicax: qual[es] sunt infantes, qui cùm quid eis denegatur, indignãtu[r] plorant, clamant, omnia abjiciunt, ut vix sedari qu[e]ant, quin etiam parentes percutiunt; quia putant si[bi] omnia ad placitum indulgenda. Infantes quidem ve[]lut doli malique incapaces blandè educandi sunt, se[d] non item pueri, jam disciplinæ scilicet capaces: hi gra[]vem & seriam poscunt educationem & lasciviæ pue[]rilis castigationem. Sunt enim adhuc velut animalcu[]la bruta, quæ timore & virgâ coerceri debent; uti Jo[b] cap. vigesimo dixit: *Egrediuntur quasi greges parvu[li] eorum; & infantes eorum exultant lusibus.* Addit Eccle[]siasticus loco cit. *Non corrideas illi ne doleas* (alii: *[ne] condoleas:*) *& in novissimo obstupescent dentes tui.* Ob[]stupescent; quia non erit quod respondeas eis, si te ac[]cusent aliquando, quod per te perierint. Obstupe[s]cent, quia miraberis, quomodo tot blanditiis merue[]ris tantam filii ingratitudinem.

II. Quando vident eos bonos mores & virtute[s] redolere. Isaac, ubi sensit vestimentorum Jacob, fili[i] sui, fragrantiam, ita recreatus atque exhilaratus fuit ut cum gaudio in ejus benedictionem prorumperet dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Genes. vigesimo septimo. Quis fui[t] iste odor? non tam vestimentorum materialium (ta[]metsi & hunc fuisse concedo) quam moralium se[u] virtutum, quas exponit S. Ambrosius lib. secundo d[e] Jacob & vita beata cap. primo. *Nam licet,* inquit, *dulcis & suavis sit odor agri, quia est odor naturæ: tamen in Sanct. Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quàm continens erat parsimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, à quo primatum benedictionis accepit! Quàm pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur & paterna benedictionis munere sacraretur! Quàm religiosus ut fratrem recusaret lædere! Quàm verecundus ut patrem timeret fallere! Quàm reverens parentum & honorificus, ut matri quod jubebat, non posset negare* Sic Ambros. Hæ itaque sunt vestes filiorum quæ recreare debent parentes; non materiales illæ, quæ corpus ornant, sed animum plerumque perdunt, quia extollunt & insolescere faciunt, cùm è contrà vestis virtutum & viventes ornet, & mortuos comitetur ad cœlum.

III. Quando vident vel audiunt eos propter sua benemerita ac virtutes ad honores & dignitates esse evectos. Sic gavisus Jacob, quando audivit filium suum Joseph in Ægypto Principem factum ob suam sapientiam. Genes. 45. *Sufficit mihi, si adhuc vivit*

ivit filius meus. Et cap. seq. *Iam lætus moriar, quia*
idi faciem tuam. Redundat enim hæc dignitas &
onor in laudem etiam parentum, sicut in laudem
boris generositas fructûs. De Diagorâ Rhodio scri-
t Gellius lib. 3. cap. 15. quod cum tres ejus filii, lu-
ator unus, alter pugil, tertius pancratiastes, eadem
ympiade omnes vincerent & coronis insigniren-
r, filiique patris capiti coronas imponerent & sua-
ssimè eum amplexarentur, gaudio commotus pa-
in manibus filiorum animam efflârit. Memorabi-
etiam illud Helvetii Winckelriedi, qui audiens,
od ejus filius robustissimus sumpto fasce hastarum
rrumpens aciem Leopoldi Austrii, hostem turbâs-
& viam Helvetiis ad victoriam aperuisset, licet oc-
us, cum ei mors filii nunciaretur à partim gratulan-
us, partim condolentibus: *Quid est, ait, quod flea-*
? potius cur mihi gratulemini: quod filius meus
rte suâ patriæ libertatem defenderit. Anno Christi
47. Chron. Helvet. Quando ig... parentes gau-
re ob filiorum bonum volunt, ad virtutes & p...
ra facta eos edenda stimulent atque informent: sic
orum coronæ ipsorum etiam capita ornabunt.
nc Sapiens Prov. 10. ait *Filius sapiens lætificat pa-*
m: filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Et rur-
m cap. 15. *filius sapiens lætificat patrem, & stultus ho-*
despicit (id est, despici facit) *matrem suam.* Sapiens
ius eo loco, est filius honesti utique tenax: stultus
, qui corruptis moribus. Rursum Prov. 23. *Exultat*
udio pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo.
de mox conversus ad filium monet, ut hoc gau-
um suâ probitate parentibus pariat: *Gaudeat pater*
us & mater tua; suam enim reputant tuam lau-
m & honorem, quia ipsius institutioni & virtuti
asi hæreditati tibi traditæ adscribent homines tuas
rtutes: uti è contrà ignominiam & improbitatem
am. Memorabile est quod scribit Paul. Jovius &
bell. in Supplem tr. 24. de insigni Suevo Reissachio,
jus filius in obsidione Budæ impiger adolescens,
m ignaro patre in aciem prodiisset & strenuissimè
m Turcis pugnâsset, plurimosque occidisset, donec
circumfusis Turcis victus cæsusque esset, pater ejus
rtamen spectans ac fortitudinem demirans: *Omni*
ude juvenis hic, inquit, *adeoque honestâ sepultura dig-*
us est; quia tam strenuè certavit; cumque ejus ca-
ver afferretur, & detegeretur, agnovit filium suum:
aque rigentibus oculis nihil effatus, mortuus præ
udio, ut fas est opinari, concidit. Quòd si ob
ellicam virtutem filiorum sic lætanrur parentes,
antò magis gaudere debent, cum vident eos pro
eo & cœlo strenue dimicare? Et quale eorum gau-
um erit, cùm videbunt eorum virtutes & coronas
cœlo? quando audient: *Filius tuus vivit & do-*
inatur in regno cœlorum?

IV. Quando nôrunt eos habere bonos instituto-
es & Magistros. Hoc cogitans Tobias consolatus
st se, ac conjugem de filio dimisso in Mediam. Cum
nim illa fleret ob filii discessum, ille confisus de bono
uctore ei dato: *Credo,* inquit, *quod Angelus DEI*
onus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa
eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.
Tob. 5. uti etiam factum. Jure merito gaudent paren-
tes de bono Magistro filiorum. Multò enim præstan-
tius est bene institui, quàm fæliciter nasci. Magni re-
fert cujus navarchi fidei & peritiæ committatur, qui
ad Indos navigaturus est: neque satis est navim esse
validam, armis & commeatu instructam, sed navar-
chum oportet etiam esse gnarum regionum & peri-
culorum. Par ratio de Magistris. Hinc Philippus
Macedoniæ Rex, in ep. ad Aristotelem gratulatur sibi,
filium Alexandrum natum eo tempore, quo Aristote-
lem talem ac tantum posset habere præceptorem, à
quo filius tam in scientiis quàm in virtutibus præclarè
posset erudiri, apud Gellium lib. 9. Hinc Principes vi-
ri optimæ vitæ ac literaturæ viros ferè religiosos fi-
liis suis provident: & olim nobiles sæpe ad monaste-
ria filios erudiendos miserunt. Boni enim Magistri
& pædagogi, Angeli Raphaëlis beneficia exhibent
suis discipulis. Docent eos 1. fortiter apprehendere
piscem grandem, disciplinam, qui non devorabit te,
sed salvabit, quia cor habet ad pellendos Dæmones;
ac licet habeat fel, id tamen aperit oculos 2. Uxo-
rem eis quærunt, sapientiam prænobilem. 3. pecu-
niam recuperant, opes enim & dignitates confe-
runt. 4. Ducunt ac dirigunt ad viam salutis. 5. fa-
ciunt ut & ipsi suo felle disciplinæ alios ac sæpè parē-
tes illuminent, quo modo Tobias lumen oculorum
restituit parenti suo. Quantò gaudio excepit reducem
talem filium cum suo ductore Tobias & conjux!
quantùm se ductori obstrictos fatebantur! Et quid e-
rit, quando parentes filios suos conspicient in cœlo
cum ingenti gloriæ apparatu?

V. Quando vident eos resipiscere post lapsum *V. Cum vident eos resipiscere ad meliorem frugem.*
& DEI cultui se addicere. Ita gavisus est pater filii
prodigi, quando eum postliminio ad se reversum
excepit. Ita S. Monica, quæ tot lachrymis quæsivit &
secuta est aberrantem filium, quem ubi reperit cum
fœnore etiam Ecclesiasticum factum, jam mori desi-
deravit, quando ideo solum vivere eousque deside-
râsset, donec filium in salvo constitutum videret.
Incredibili gaudio perfusus fuit Jacob, quando dile-
ctum suum filium Joseph, quem à feris laniatum cre-
didit, non solùm vivere, sed etiam Principem in Ægyp-
to constitutum audiit, adeo ut eo conspecto dixerit;
Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. Gen. 46. Mor-
tem igitur alias amarissimam filii restituti aspectus
convertit patri in lætitiam: quanto magis exhilaret
parentes perditorum filiorum ad meliorem frugem
reditus? Adoravit moriens Jacob sceptrum filii Jo-
seph, DEO nimirum in illo gratias agens pro tali fi-
lio: sed longè fæliciores illi parentes, qui filios re-
linquunt virtutum splendore divites, in DEI servitio
regnantes. Posuit hoc gaudium ex filio charissimo
sacrum ordinem ingresso tantum in parentis pectore,
ut & ipse se resolverit, vitam ab eo tempore inculpa-
tam instituere & DEO militare. Hujusmodi enim
exemplum refert P. Fernandius in cap. 21. Geneseos
Dicam quid novi hodie, inquit, *vir quidam nobilis hac*
eadem hebdomada cum ingenti procerum comitatu ado-

 lescen-

lescentulum egregiæ formæ atque indolis reduxit ad cœnobium. Ibi filius cum admirabili alacritate mundum valere jubens religioni sese mancipavit. Ergo pater cum lachrymis: Alius, inquit, jam nunc ero: novam instituam vitam, utique talis filii pater.

THEMA SECUNDUM.

Quando parentes non gaudeant de liberis suis; sed contristentur.

I. *Quando proles illegitimæ nascuntur.*
II. *Quando matres in partu pereunt, aut fœtus.*
III. *Quando liberi parentes graviter offendunt.*
IV. *Quando sunt stupidi nihilque addiscunt.*
V. *Quando moriuntur filii ante parentes.*

Iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.
Ioan. 16.

GRammaticorum celebre dictum ac proverbium est: *Nulla regula sine exceptione.* Proponit in hod. Evangelio Christus Dominus Regulam: *Cum peperit mater puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium: quia natus est homo in mundum.* Quæ quidem plerumque vera est, habet tamen suas & ipsa exceptiones. Quoties enim audimus parentes lamentari propter filios? Et cur Jeremias cap 20. de se & patre suo ait: *Maledictus vir, qui annunciavit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus: & quasi gaudio lætificavit eum;* quod videlicet haberet filium, qui vastationem gentis suæ & extremas calamitates visurus esset? Et cur dixit Christus ad Calvariæ montem pergens devotis mulieribus: *Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt & ubera quæ non lactaverunt?* Luc. 23. Non est ergo regula hæc ita universalis, ut non habeat etiam suas exceptiones. Eas verò nunc audiemus.

I. *Quando proles illegitimæ nascuntur.*

I. Excipe ergo quando proles illegitimæ eis nascuntur; tunc enim confunduntur ac tristantur, tantum abest ut gaudeant: quia proles nata parentum crimen accusat & pœnas ab eis exigit. Dicat hoc Bethsabee illa, quæ ex adulterio cum Davide commisso, videns se concepisse, nunciat Regi: *Concepi.* 2. Reg. 11. non sanè ut rem lætam exponat, sed ut vitæ suæ & honori Regis consulat. Ipsa enim sibi timebat lapidationem, adulteræ à lege decretam: David vero Rex, etsi pœnam non timebat ab homine sibi inferendam, infamiam tamen & populi aversionem jure metuebat. Ambo hoc nuntio velut quodam tonitru graviter perculsi & quasi fulminati fuêre. Bethsabee dicit Regi: *O rex perii,* inquit sanctus Chrysostomus homil. 1. in Psal. 50. *& ille: Quid habes? prægnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsecus habeo & in ventre profero Proditorem. Si venerit & viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excusationem prætendam? Inveniet me gravidam & occidet me accusatore clamante. Videte & admiramini fratres, quantum malum sit delictis & peccatis obnoxium fieri? Rex militem timet & formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat & confusionis opprobria metuebat, &c.* Simili nuncio perculsus fuit Genebaldus vir generis dignitate conspicuus, qui cum post votum castitatis lapsus, prolem accepisset, appellavit eam *latronem.* In vita sancti Remigii 1. Oct. indicans suam illam prolem latronem sibi fuisse, à quâ spoliatus & enectus esset; cujus piaculi gratia septem annis inclusus egit pœnitentiam & amarissimè flevit. Et quia ob illicitum concubitum & alia peccata gravia sæpè nascuntur proles miseræ, hinc novus mœror parentibus accedit. Sensit hoc Robertus Francorum Rex, quando ei in pœnam illegitimi connubii; quod cum affine & commatre contraxerat, nata est proles collo & capite anserino. Inde enim in tantum fuit perterritus, ut repudiata uxore vitam seriò emendaverit & deinceps sanctè vixerit teste B. Damiano in Epist ad Desiderium Card. Baron. anno 998. Sensit ille nobilis, cui, quod venationis gratiâ dies festos profanare consuevisset, nata est proles canino capite & auribus, teste Cantiprat. l. 2. Apum cap. 49.

Trip. hoc Dom. 6. &. G.

II. Quando matres in partu pereunt. Exemplo est Rachel, quæ in secundo partu periit, unde filium *Benoni*, hoc est *filium doloris sui* appellavit. Gen. 35. Item nurus Heli 1. Reg. 4. quæ moriens in partu appellavit filium suum *Ichabod*, hoc est *non gloria* quasi dicat nihil hîc gloriæ aut lætitiæ. Et quid opus exemplis, cum id crebro contingat? Debent igitur puerperæ contra hoc periculum munire se. S. Eucharistiâ. Echinus marinus, ut scribit S. Ambrosius lib. 5. hexam, cap. 9. præsentiens tempestatem calculum validum arripit, eoque se velut anchorâ firmat & contra fluctus prægravat, uti apes contra ventum lapillis. Atqui gravis satis tempestas imminet parientibus: calculo ergo se muniant S. Eucharistiæ, quæ Apoc. 2. *calculus* appellatur *candidus*, secundum Hug. Card. Docuit hoc Moyses, qui cum uxor ejus pareret ei filium secundum, appellavit eum *Eliezer*, hoc est DEUS *meus adjutor.* Exod 2. ut intelligant parentes DEUM adjutorem sibi invocandum, cum dantur eis liberi, ut fæliciter lucem aspiciant, & in eâ diu ac bene vivant. Expertus fuit ipse vix natus DEUM adjutorem suum quando à nativitate mox necandus per mandatum Pharaonis, in flumen depositus & mirâ DEI providentiâ servatus est.

Hinc olim prægnantes matres benedictionem à presbyteris petebant; ut prolem fæliciter eniti possent, ut alibi retulimus.

III. Quando liberi parentes graviter offendunt: dissipant, quæ ipsi congregarunt tot sudoribus: ducunt uxores vel maritos contra eorum voluntatem; degunt vitam ignobilem: immergunt se in vitiorum sordes. Tantum est hoc parentibus tormentum, ut sæpe vitam eripiat; & si mortem non afferat, infa-

nfamiam tamen aspergit, ut mori præoptent potiùs, quam videre filios tales. Quemadmodum enim rbor decacuminata toti arbori ariditatem, ipsique etiam radici necem affert: ita filius unus flagitiis infamis toti familiæ ac parentibus mortem saltem civilem & ignominiam conciliat. De Ezechiâ Rege n hunc modum: *Cum ægrotasset Ezechias in tempore uodam & venisset ad eum Esaias Propheta visitanum; vocavit Ezechias filium suum Manassen, & cœit ei mandare, quod debeat* D E U M *timere, regere renum & alia multa. Et dixit ad eum Esaias. Verè quia on descendunt verba tua in cor ejus, sed & me ipsum portet per manum eius interfici. Quod audiēs Ezechias olebat filium suum interficere dicens: Quia melius t me sine filio mori, quam talem filium relinquere ui &* D E U M *exasperet & sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Esaias Propheta &c.* Sic le.

Quantum etiam affligantur parentes, cum contra eorum voluntatem filii nuptias contrahunt, patet ex parentibus reprobi illius Esau, qui valdè offensi fuerunt; quod duxisset filias Heth Gentiles. Gen. 26. In specie verò Rebecca dixit ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob uxorem e stirpe huius terræ, nolo vivere.* Gen. 27. Cùm enim parentes alioquin desiderent vivere in filiis suis, noluit Rebecca vivere in tam degeneri prole; quasi mors tavitâ melior sit: vita morte longe acerbior.

Denique si à bonis parentum moribus degenerant, monstra sunt. Platone teste. Quis autem parentum amet monstrum à se genitum? Rex Tartarorum Cassanus anno 1298. monstrosum partum ab xore suâ editum nullo modo agnoscere voluit, sed unâ cum conjuge, velut adulterâ igni adjudicavit; t sane concremasset, nisi ipsa per baptismum filio proli succurrisset, teste Jo. Villaneo lib 8. cap. 35. Quomodo igitur non dolebunt parentes, si videant uos liberos à se esse degeneres adeoque monstroos? Sensit certè ac doluit David, cum vidit depravatos filios suos, Amnonem & Absalonem sibi prorsus dissimiles. Sensit Augustus Cæsar, qui cætera felicissimus, sola prole infœlix fuit, ita ut illud Homericum ad omnem illius mentionem exclamaret: *utinam cælebs mansissem orbusque periissem!* Certè ob perversos filiæ & nepotum mores prodire etiam n publicum erubuit. Suet. auctore. Multum quoque mœroris peperit matri suæ Augustinus, multas lachrymas excussit, dum adhuc à verâ fide & salutis via aberraret.

IV. Quando sunt stupidi nihilque prorsus addiscunt, unde reip. prodesse possint. Testatur hoc Salomon. Prov. 19. *Dolor patris filius stultus*, inquit. Septuaginta transferunt: *Confusio patri suo filius imprudens* Chald *Filius stultus gravis est patri suo, sicut acida,* hoc est sicut labrusca. Labrusca nullis Solibus maturescit aut dulcescit. Quando ergo tales sunt liberi, adeò hebetes & stolidi, ut nullam acceptare disciplinam velint, & nihil prudentiæ ab ijs exspectari queat quomodo hæ labruscæ non faciant obstupescere dentes parentum? Queritur D E U S Isa. quinto de vineâ, quam sibi plantârat magno studio ac sumptibus; inde tamen non uvas dulces, sed labruscas tantùm collegit. Cur non doleant etiam parentes, quando vident filios suos, quos tot sumptibus & curis educari curarunt, evasisse non uvas sed labruscas? Cœpit jam hoc idem Salomon præsentire in stulto filio suo Roboam; unde in Ecclesiaste cap. secundo, id lamentatur: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub Sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem nescio utrum stultus an sapiens futurus sit.* Nondum certus erat Salomon de stultitia filii sui: nondum vidit eum sua imprudentia dilacerasse regnum & decem tribus à se abalienasse: nondum vidit eum thesauros suos tanto sudore congregatos perdidisse. Quid dixisset, si hæc scivisset? Est mirandum prorsus quod ex tanta fœminarum colluvie non nisi unicum filium eumque stultum & *imminutum à prudentia*, ut dicitur Ecclesiastici quadragesimo septimo, de semine suo reliquerit; cum dubitare non liceat, fuisse ei datum à parente præclarum institutorem omniaque subsidia ad comparandas disciplinas. Sed nimirum videtur à matre Ammanitide, seu Ammonitide traxisse mores perversos, qui mox ab ipso; aut certe sub ipso in eius subditos derivati sunt, ut est idolorum cultus & fœda impudicitia, ut habetur 3. Reg. 14.

V. Quando vident filios mori ante se, præsertim morte infœlici aut probrosa. Cupiunt enim parentes superstites vivere in filiis suis: gravius ergò ipsorum mortem ferunt, quam propriam. Nota est historia Patris, inquit P. Cornel. in Ecclesiastici cap. trigesimo qui cum filio ob crimen adiudicatus erat morti: dumque princeps sententiam molliret, unumque tantum plecti iuberet ac daret eis optionem eligendi vel jaciendi sortem uter plectendus esset, mira inter utrumque fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet: sed vicit tandem pater, dictitans se, licet plecteretur, in filio tamen fore superstitem: at si filius plecteretur, nullam sui, utpotè senis brevique morituri, nec filii fore propaginem & memoriam. Motus princeps pietate amborum, vitam utrique condonavit. Similis statua filii patrem decollantis cernitur Gandavi in ponte, quod pater à filio, cùm alioquin ambo rei, ambo plectendi essent, vita alterutri donata, vix multis precibus impetravit. Beyer, in Theat v. *Filius.* Simile est quod refert Tyraquellus præfat. in l. *Si unquam* in octavo, & patre & filio accusatis homicidij. Sed cum non constaret, uter reus esset, iussit Carolus II, Imp: filium suspendi: quod intelligens pater, ut filium à morte vindicaret, ac pœnam in se converteret, sponte crimen confessus est; ideoque suspensus est liberato filio. Senserunt hoc Ægyptij, qui tot tantisque plagis anteà percussi parum indoluerunt; at ubi eorum primogeniti omnes enecti fuere, flebant veniamque petebant, quod ita afflixissent Hebræos, ut

V. *Quando moriuntur filii ante parentes.*

ut scribit Josephus lib. 2. Antiq. cap. 5. *Toties* enim *quis moritur, quoties quis amittit suos,* ut dixit quidam. Sensit vidua illa, cujus unicus filius efferebatur in Naim, Luc 7 Quid doloris sustinuisse putamus Sedeciam Regem Hebræorum, quando captus à Rege Babylonis vidit coram se occidi filios suos, ipse post exoculandus? 4. Reg. 25. Quid Mauritium Imp. cum in conspectu suo plecti vidit à Phoca quinque filios suos? Bochnæ anno Christi 1578. mulier quædam infantem dum lavat, audito extra domum, alterius sui filioli fletu, accurrit properè, jacentem puerum offendit: is in cultro, quem manu gerebat, inciderat, seque ipse misellus transfixerat. Mater dolore amens recurrit ad infantem in alveolo relictum, hunc quoque submersum reperit. Superveniens maritus impotens sui uxorem corripit, verberibusque enecat. Trium miserorum obitu conspecto, scelerum conscientiâ & charissimorum pignorum commiseratione furens infœlix pater, laqueum collo induit. Refert Andr. Dudítius tract. de Cometis.

Multò adhuc magis dolent aut certè dolere debent, si videant mori in peccatis, nullâ præmissâ cum DEO reconciliatione. Quod certè acerrimè sensit David, quando inconsolabiliter deploravit interitum filii sui Absalon; pro ipso mori desiderans; ut sua temporali morte, æternam ejus redimere posset.

At verò quis & quantus erit parentum illorum dolor, qui damnati ad inferos aspicient ibi filios suos? Cujus rei exemplum refert Chrys. Henriquez in fasciculo sanctorum. Ord. Cisterc. lib. 1. dist. 25. cap. 2. de quodam Converso seu fratre Laico in Claravalle, *qui ad mortem infirmatus, vocato sacerdote, confiteri volens, repentè quasi mutus factus, non potuit. Media nocte oculos aperuit & confiteri voluit. Vocato ergo Henrico Abbate ait: Ego peccator immundus, ego omnium flagitiosissimus confiteor DEO & tibi Pater, quia cum essem pridem in monasterio meo, nomine Esron, quod situm est in Dacia, ex quadam fornicaria filium genui, & nec pœnitentiam nec confessionem super hujusmodi scelere hactenus egi: proinde nunc cum obmutuissem, maligni spiritus miserrimam animam meam ad loca infernalia rapuerunt, ibique vidi supplicia quibus mox exutus corpore, mancipandus ero ad puniendum. Ibi quoque ad cumulum damnationis meæ filium meum pridem mortuum reperi, iniquitates meas arguentem & exprobrantem mihi hujusmodi verbis: Heu detestande peccator, heu execrande proditor castitatis & religionis! nunquam natus vel adultus fuisses! quasi qui non esses, de utero translatus ad tumulum fuisses! quoniam exigente malitia tua ego in istas perduci merui miserias. His & auditis & visis contrahor atque coarctor nimis, tum propter ejusdem filii mei imputatam pœnalitatem tum pro mea jam jam imminente damnatione. Verum ab Henrico Abb. ad pœnitentiam erectus & absolutus, atque in bonam spem confirmatus, post horam revocato patre dixit, se iterum ad loca pœnarum reductum fuisse, & beneficio confessionis quidem à gehennis liberandum, purgatorio tamen expiandum.*

Videant ergo imprimis juvenes, qui temere & inconsulto involant in nuptias, ne decipiantur, c[...] sibi nil nisi rosas & mera gaudia imaginantur; [...] tamen longè plus fellis est, quam mellis; spinar[um] quam rosarum. Gladio simile est conjugium c[...] solum capulum, decorum & speciosum est, a[...] aut argento obductum; totum quod in vagina l[...] reliquum, acies & acumen, vulnera & mortem [...] tentat. Sic in matrimonio solum initium, solæ [nu]ptiæ jucundæ sunt; quidquid reliquum est do[lore] mixtum & curis est: filii in infantiâ dumtaxat & p[ue]ritiâ gaudium creant parentibus; toto reliquo t[em]pore curas & sæpissimè tristitias. Videant & pa[ren]tes, ut ita filios educent, unde gaudere possint. [Vi]deant ut eorum filii evadant *homines*. Tunc e[...] gaudet mater, quando ipsi natus est *homo* in m[un]dum, ut ait Dominus. Non agnovit Diogenes [...] hominibus, qui vitam pecudum vivebant; m[...] minus agnoscit DEUS. Videant & filii, ne parenti[bus] suis accumulent dolores, mitigent eos potius, ut [...] teras miserias suas facilius ferant. *Gaudeat & p[ater] tuus & mater tua,* inquit Sapiens Prov. 23. *& exu[ltet] quæ genuit te.*

THEMA TERTIUM.

Partus mulieris morti non absimilis.

1. *In morte dolores maximi.*
2. *Sunt incerta tempora mortis.*
3. *Sunt magna pericula.*
4. *Ibi dolores inevitabiles.*

Mulier cum parit tristitiam habet, qu[ia] venit hora ejus. *Ioan.* 16.

SOlemus quidem hoc tempore solito lætiores [es]se, tum propter gaudia paschalia, tum eti[am] propter verni temporis redivivam amœnitate[m]. Non arbitror tamen interim omnem omnino tristit[iæ] cogitationem esse deponendam. Scimus enim l[u]ctum gaudio insidiari & diluvium verno tempor[e] exunte videlicet Aprili nostro, cœpisse & toti te[r]rarum orbi tempore jucundissimo feralem luctu[m] induxisse. Experimur etiam post paschales feri[as] infirmari multos, nec paucos obdormire. Qu[...] res sanè suadet vinum hoc lætitiæ nonnihil tem[]perandum aquâ tristitiæ, & risum dolore misce[n]dum. Forsan ad hoc docendum Christus die quo resurrexit, non modo favum mellis, sed & p[i]scem gustavit Luc 24. Ut autem mellis dulcedo ga[u]dium, ita piscis lachrymas commendat & pœ[]nitentiam. Ecclesia quoque toto tempore pascha[]li, dum canit Alleluja, crucis saltem commemora[]tionem non omittit. Commodum ergo occurr[it] hodiernum Evangelium, quæ in doloribus partu[]rientis tristitiam nobis proponit, quam sensér[unt] Apostoli in triduo passionis & mortis Christi. Tran[]siit quidem hora illa tristis & funesta; superest ta[]men adhuc alia, omnes nos exspectans: hora, in quam, doloris & tristitiæ maximè, qualis est in pa[...]

ric[...]

atibus. Est autem hora mortis : quæ & ipsa qui-
n partus est, hominem transmittens ex hoc mun-
carcere ad vitam alterius sæculi : quo modo par-
naturæ transmittit ex angusto & obscuro matris
ro in hujus lucis usuram & vallem lachrymarum.
us ergo partus tristitiam & calamitatem nunc ex-
damus.

I. In partu sunt dolores maximi. Quod patet pri-
ex scripturæ, quæ maximos quosque dolores
nparat doloribus parturientis, ut Deut. 2. vers. 25.
Hie incipiam mittere terrorem atque formidinem
m in populos &c ut in morem parturientium contre-
ant & dolore teneantur. Et psalm. 47. *Ibi dolores ut*
urientis; & alibi frequenter. Deinde ex judicio
no, quod dolores illos in pœnam mulieri in-
t, unde patet nulli animanti tam difficilem esse
um, ac mulieri, ut etiam docet Aristoteles 7. de
anim. c. 4. & 9. Confirmat Rachel, quæ ob par-
lolores filium appellavit *Benoni* hoc est *filium do-*
mei. Alia apud Plin. l. 3. dixit, malle se decies sub
is vitam cernere, quàm semel parere. Aliæ spe-
s parturientium doloribus è conjugio in perpe-
n abstinuerunt. Verum licet magnos esse partus
ores nemo negaverit, longè tamen majores esse,
s patiuntur morientes, nisi præclarè prius ad ago-
illum præparati sint, dubium non est, & colligi
st ab ipso Christo (de cujus morte hæc para-
potest intelligi) primò ad mortem exeunte,
ndo *cœpit pavere & mœstus esse*, deinde ex ago-
nte in monte Oliveti, ubi luctans cum morte,
dum invadente, sed appropinquante & præ-
, sanguinem è toto corpore expressit : deni-
ex crucifixo, quando in ipsâ luctâ constitu-
& mortis aculeo confixus cum clamore valido
it spiritum. Si enim tantus hœros luctam illam
iit, & tanta cum difficultate superavit, quis
timebit sibi? Certè in psalm. 21. de sua passione
to, quasi metuens mortem orat. *Salva me ex ore*
is (utique mortis) *& à cornibus unicornium* (*de ap-*
us scilicet *crucis*, ait Tertullianus contra Judæos
10.) *humilitatem meam* Quatuor apices seu
iua fuere in cruce Christi morientis : summum,
num, dextrum, sinistrum, In hujusmodi cruce
let quivis agonizans, quatuor impetitus cor-
is. A dextris urgent cacodæmones, qui mul-
m sententiâ, si non omnibus, multis saltem
arere creduntur : certè non absunt suis tenta-
ibus & quidem vehementissimis; tum quia
imè nobis invident beatitudinem, à qua ipsi
derunt propter quod Deus, præmonens nos, ad
entem dixit: *Et tu insidiaberis calcaneo eius.* Gen.
Vbi Alcuinus : *Diabolus*, inquit, *insidiatur*
aneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acrius op-
nat. Quemadmodum enim Jacob & Esau collu-
i sunt in matris utero cum ingenti eius dulore,
n alter alteri lucis usuram & primogenituram
idens, posterior prioris plantam tenebat, quasi
n retrahere volens (propter quod Jacob *supplanta-*
appellatus est, Gen. 25.) ita etiam in morient

cum ipsius anima luctatur supplantator ille generis humani, retinere eam cupiens, ne ad lucis æternæ conspectum evolet. Tum quia tunc potentissimum juxta id Apoc. 12. *descendit Diabolus ad vos* (morientes maximè) *habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet* Ingens & crudelis solet esse militum furor, quando in occupata aliqua civitate non nisi tres aut quatuor horæ dantur eis ad prædandum. Falcones etiam Norvegiæ maxima celeritate & furia invadunt aves alias; quia dies ibi brevissimi sunt. Hinc colligimus sævitiam illius militis & accipitris tartarei, erga morientes.

A sinistris affligunt amici & propinqui, conjux, liberi, fratres, sorores, possessiones, opes & præhabitæ deliciæ, quæ jam derelinquere & aliis cedere cogitur. Quam acriter hoc cornu feriat & sauciet, vel ex eo facilè colligas, quod vel unius ex prædictis amissio, v. g. unius conjugis dilectæ, aut chari filii mors, aut domus conflagratio, ita sæpe hominem affligit, ut planè inconsolabilis fiat. Quid erit igitur omnia simul perdere uno momento, & hoc certissimè prævidere? Cogitate afflictum illum Job, quis sensus ei fuerit, dum tot ei clades una super alteram continuò nunciantur: primò boum & asinarum, deinde ovium consumptio, post camelorum, denique filiorum, ita ut respirare non posset, plaga plagam insequente.

Idem accidit morienti diviti præsertim & benè prius habenti, dum cogitat jam opes suas, in quibus accumulandis adeò laboravit, alteri relinquendas: jam delicias, quas habuit : jam propinquos in amore habitos : jam vitam ipsam luci subtrahendam. Omnes hæ cogitationes velut infausti variarum cladium, quæ tunc accipiuntur, nuncii sunt & aculei. Quod pectus tam ferreum & cordatum est, ut his nunciis non frangatur? Desuper incumbit moles illa gravissima reddendæ rationis Deo, de tot tantisque excessibus. Quam quidem vel solam vel omnium maximè timuit David, qui Psalm. 48. dixit: *Cur timebo in die mala?* (Chald. *in die tempestatis*) respondit : *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* quasi dicat unum hoc timeo, ne in fine vitæ peccata mea cingant & excutiant me. Videtur enim edoctus fuisse Saülis decessoris sui exemplo, qui ad mortem vulneratus petiit à milite omnino interfici: *quoniam me tenent angustiæ*, inquit, ut legimus 2. Regum 1. Quænam verò hæ angustiæ? Ex Hebræo exponit Abulensis : *Quoniam timent me oræ vestimenti sacerdotalis.* q. d. Recordor sacerdotum 85. quos olim innocentes & sacerdotali habitu indutos jussi occidi. 1. Regum 22. Illi me nunc cruciant & suarum vestium oris tenent, trahuntque jam ad inferos. *Videbatur sicut Saul*, ait Abulensis q. 5. ad eum locum, *quod propinquus morti, videret sacerdotes Domini, accusantes eum in judicio coram Deo.* Cui optime concordat quod alibi dixi de Henrico VIII. Angliæ Rege, qui in extremis positus cum aliud fari non posset, Monachos tantum in ore habuit; quos videlicet magno numero sine causâ occidi jussit, eos tunc tortores habuit. Clypeum

Enixit quidam, qui coopertus nulli damnum inferebat; cùm autem detegebatur, omnibus quotquot illum intuiti essent, terrori erant, adeo ut omnino illo viso corruerent, ut refert Tuso in cap. 11. Ecclesiastici. Cooperta nunc sunt peccata in cujusque corde, nondum coram judice Deo in lucem protracta sunt, ideo peccatoribus terrorem non incutiunt: at vero in articulo mortis discooperientur atque in ordinem disposita eorum mentibus objicientur; quibus visis quomodo non deficient? quomodo non corruent & tabescent?

Infra se aspicient fossam sepulchri & inferni, quasi leonem aliquem aperto ore hiantem eosque expectantem. Mors omnibus animantibus est terribilis; maxime vero hominibus, qui post primam mortem metuunt secundam, quæ est perditio æterna. Parisiis aliquando vulpes injecta fuit in aream leonis, quæ ubi leonem in medio jacentem velut hostem immanissimum & carnificem suum conspexit, miserandum in modum lamentari & in angulis parietum quærens effugia circumcursare cœpit, tandemque leonis aspectum non ferens diutius, ipsum invasit, sicque ab eo mox ad parietem allisa & extincta est, ut Chavassius in l. de prudentia refert. Cogitate quid jam sentiat homo moribundus, mortem & infernum in conspectu habens, nec jam mortem effugere valens, infernum insuper timens; quos gemitus, quæ lamenta edat in suo pectore? *Salva me ex ore leonis*; utique clamabit cum Davide. Hæc crux, hæc quatuor crucis cornua sunt, hæ quatuor unicornes, quæ invadunt morientem. O dolores parturientis! imo plus quam parturientis! Hinc fit, ni fallor, quod moribundi surgere è strato & quasi fugere conantur quodque stragula ad se trahere & linteamina solent. Vident enim leonem illum sese expectantem.

II. *Sunt incerta tempora mortis.*

II. Sunt incerta tempora. Tametsi enim novem menses tempus ordinarium, ut habemus Matth. 7. v. 27. id tamen non adeò certum est, ut non sæpè fallat, saltem aliquot diebus ac septimanis, quandoque integris mensibus. Teste enim Plinio lib 7. cap. 5. alij 7. alii 8. alii decimo vel undecimo mense nascuntur. Numerant quidem puerperæ dies (Sie rechnen auß/) quos ad partum usque superesse sibi existimant; nunquam tamen securæ sunt. In SS. litteris uxor phinees immaturo partu (septimo mense, ait Josephus lib. 5. Antiq. cap. 12.) prolem edidit 1. Reg. 4. Gracchus ideo nuncupatus, quod 12. mensibus in utero matris gestatus esset, apud Cælium l. 24. antiq. lect, cap. 4. Multo adhuc incertior est hora mortis præstituta hominibus. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus* (Hebr. *in robore* seu *robusti*) 80. *anni*. Hic quidem vitæ nostræ cōmunis terminus est, sed quàm pauci illum attingūt, quam multi in sua computatione decipiuntur? Erravit certè dives ille qui dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* Luc. 12. En *eâdem nocte sublatus est* inquit S. Gregorius 22, moral cap. 2. *qui in rerum abundantia multa tempora fuerat præstolatus*, Cu[...] rei exemplum affert l. 4. Dial. cap. 49. *Sicut cuid[...] nostrum*, inquit, *nuper certum est contigisse, qui d[...] somnia vehementer attenderet, ei per somnium lo[...] spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pe[...]nias pro longioris vitæ stipendio collegisset, ita repente functus est, ut intactas omnes relinqueret, & ipse se[...] nihil ex bono sperare oporteret.* Simile huic refert Ca[...]rius l. 5. cap. 17. de quodam converso, qui *cum ne[...] quò tenderet*, inquit, *& avem, quæ cuculus dicitu[...] voce nomen habens, crebrius cantantē audiret, vices [...]terruptionis enumeravit, & viginti duas inveni[...] easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem [...] easdem sibi computavit Eia, inquit, certe viginti [...]bus annis adhuc vivam, ut quid tanto tempore me [...]tificem in ordine? Redibo ad sæculum & sæculo d[...]tus, viginti annis fruar deliciis eius; duobus annis, [...] super sunt, pœnitebo. Haud dubium quin Diabolus supradictum Conversum, ut Episcopus fieret ad crea[...]dum induxerat aperto sermone, & huic suaserit, [...] tali augurio fidem adhiberet, & occulta suggesti[...] Sed Dominus, qui augurium odit, aliter quàm ill[...] dinaverat, disposuit: nam duos, quos pœnitentiæ putaverat annos, eum in sæculo vivere permisit, & [...]nos 20. deliciis ordinatos justo suo judicio subtraxit.* [...]mo igitur sibi vitæ limites præfigat, ne paucos [...]dem annos vel dies. *Tam debet esse mors ante oculo[...] veni, quàm seni, non enim citamur ex censu, sed ex [...]posito*, ait Seneca in Epist. Census non nisi evo[...] termino, depositum autem omni tempore re[...] potest. Talis est vita nostra, depositum, non cen[...] Unde 2. Pet. 1. ait. sanctus Petrus: *Certus* (s[...] *quod velox est depositio tabernaculi mei.* Corpus [...] & vitam in depositum accepimus. Denique [...] *conversi fueritis*, ait Psalmista Psalm. 7. *glad[...] suum vibrabit: arcum suum tetendit & paravi[...]lum, & in eo paravit vasa mortis.* Mors ecce g[...]dio & sagittis utitur; illo in eos, qui prope s[...] senes; his verô in eos, qui procul abesse videntur, [...]venes.

III. Sunt magna pericula. Multoties enim c[...]tingit, ut mater in partu pereat, uti contigit [...]cheli, Gen. 35. & uxori Phinees 1. Reg. 4. & cre[...] docet experientia. Itaque nescit mulier an eius p[...]les sit futura, *Beniamin*, hoc est *filius dexteræ*: an v[...] *Benoni*, h. e. *filius doloris*. Genes. cap. cit. Ita nescit [...] morituri, an eorum animæ ad Dei dexteram in c[...]lum, an ad dolores sempiternos in Tartarum mig[...]turæ sint. Timuerunt certè sancti etiam multi, n[...] timebunt illi, qui de sanctitate parum aut nihil [...]bent? Timent etiam illi, qui hic miseram plane [...]tam ducunt, ne ibi in miseriorem incidant. Cujus exemplum refert Æneas Sylvius (postea Pius II. P[...] in suo Comment. in Panorm. lib. 4. n. 1. de quod[...] cæco, qui ante annos 16. lumen se amisisse diceb[...] invitatus ad mensam cum aliis pauperibus ab A[...]phonso Aragonum Rege, & in capite mensæ seden[...]

Mini

inistrabat huic Rex, ac nobis audientibus interrogabat, cœcitatem molestè ferret. Cui cæcus, nesciens regem, qui secum loqueretur: Nisi divina gratia esset adjunto, nemo, inquit cœcus, vivere optaret, tanta est mi- ia cæcitatis, iis præsertim, qui aliquando lumen viderit. Tum rex, vellesne, inquit, ex hac vita migrare? nimè, inquit ille. Tum rex; at si miser es, cur è mise- eripi nolis? Nescio, inquit cæcus, an moriens ad ma- em miseriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi cum est. Tunc unus ex purpuratis: An nescis, inquit, d pie viventi loca tibi piorum patebunt? Scio, inquit us, tria esse loca, ad quæ dimissis corporibus animæ ho- um deferuntur. Piorum animas in cœlum evolare: lorum inferna petere, iis verò, qui cum antè fuissent li, tamen ante obitum suum sese recognovere, & do- es pro malefactis priùs obierunt, quàm pœnitentiam ent, purgatorium locum adeundum esse. Tum pur- atus, si hæc credis & peccato abstines, cur mori ne- Credo, inquit cœcus, benè morienti benè mihi even- um. Sed quis est hic, qui benè sese moriturum sciat? n Rex: sapit, inquit, cœcus: ex media Theologia sen- iam profert. Audivit cæcus Regem nominari, & nam Rex esset, Regem ipsum interrogavit. Tum rex: inquit, qui loquor tecum. Pleræque parturientes culum quidem evadunt, raræ extinguuntur, ni- minus tamen jure merito omnes sibi timent, ne è sint inter raras illas. Pro fabulâ refertur, quod en ego verum esse non difficilè credo, à Secreta- Apostolico scriptum de quodam Neapolitano, Vercellis in Cisalpina Gallia habuit hospitale, è exiguos proventus capiebat ob multitudinem orum, qui illud incolebant, etiam cùm bene valerent. Ab his ut se expediret, misit quendam cie Medicum, nomine Petrillum, qui convo- s hospitalariis dixit: Hodie unus è vobis vivus ari debet pro salute cæterorum: quare sortem tite inter vos; quis pro aliorum sanitate victi- fieri debeat. Eo audito omnes quantumvis malè cti ex hospitali profugerunt: ne unicus qui- n aleæ huic submittere caput voluit. Poggius in et.

Hoc si forte minus fidei habet, ecce tibi aliud fide nissimum ex vita sancti Gerardi Abbatis Bronien- apud Sur. 3. Oct. in hæc verba. *Per hoc tempus nulphus Marchio Flandriæ dominabatur, vir valde lentus quovis genere divitiarum, uti hodieque claret ditiori ejus sobole. Is morbo gravissimo vexatus, nul- n ex tantis opibus ei potuit adhibere curationem. Re- in eum quadraret versus ille; Æger dives habet mmos, se non habet ipsum. Perpetuis enim cruciamen- conficiebat eum calculus, morbus intolerabilis, urinæ atus obstruens. Multi quidem ad eum advolabant dici, suam peritiam egregiè jactitantes; ut scilicet à tunioso homine nummos & lautas epulas emungerent. jebant illi incisione opus esse, & sine ea nullam ei posse ri medicinam. Sed Princeps veritus; ne dum vita media captat vitam prorsus amittat, non patitur se lla ratione incidi. Porro medici animum ei reddere volentes, illo inspectante, octodecim eodem affectos morbo inciderunt, eosque omnes dempto uno, qui mortuus est, brevi curarunt. Sed ille unus è vita ablatus facile confirmavit Comitis animum, ne se pateretur incidi.* Ecce vobis unius interitus ex octodecim incisis absterruit hunc comitem ne periculum incisionis in tantis licet doloribus subiret; quam ergo temerarii suæque salutis prodigi sunt, qui sine timore vivunt, nec ad ultimum illum conflictum in quo plerique omnes, qui malè vixerunt, pereunt; imo in quo Sancti etiam naufragium timuerunt, providere sibi satagunt?

IV. Sunt ibi dolores inevitabiles. Nihil enim certius sibi eventurum novit parturiens, quam pariendi necessitatem & consequentes eam dolores; ali enim fœtum in utero, qui semper adolescit & tandem egressum quærit. Nihil est homini certiùs quam mors. Ex quo enim peccatum introivit in hominem, simul introivit mors. Ita testatur Apostolus ad Rom. 5. *Per peccatum mors in omnes homines pertransiit* quæ inter viscera nostra hospitans, instar teredinis domum corporis nostri perpetuo exedit & arrodit, donec planè subruat atque absumat, sicque animam expellat. Augustus Cæsar capta & expugnata Perusia in plurimos ejus incolas animadvertit, qui cum excusare aut veniam precari vellent, nihil aliud responsi tulerunt, præter id: *Moriendum est.* ita trecentos ad aram Julii Cæsaris hostiarum more mactavit. Sueton. in Augusto. Ex quo tempore nos ejecti à paradiso sumus, *moriendum* nobis *est*, quidquid opponamus. Pervulgatum id de Alexandro est; diu adulatoribus aures præbuisse, quasi Jovis filius, adeoque immortalis esset, donec ad Mazagas spiculo in crure sauciatus dolorem sensit, tum dixit: *se quidem filium Iovis dici corporis tamen ægri vitia sentire.* Curt. lib. 8. cap. 21. Videntur etiam juvenes aliqui similiter opinari, quasi immortales essent adeò nil de morte cogitant, vivuntque quasi æternum victuri. Verum dum & ipsi jam ex dentibus laborant, jam ex capite, vel stomacho, denique dum passim occumbere vident vel audiunt etiam sui similes, mortales se agnoscant. Conantur mulierculæ aliquæ ex clancularüs congressibus gravidæ, tegere uterum, ideoque arctè stringere, & virgines se jactare; quæ tamen ad extremum partûs angustiis comprehensæ, turpiter se prostituunt hominum ludibrio. Ita multi juvenes ac viri videri cupiunt robusti, tametsi infirmentur, nec de morte quidquam audire volunt: interim ab eâ sæpe opprimuntur præsentissimo salutis discrimine. Honestæ matronæ non dissimulant uterum, ex legitimo thoro gravidum, sed bene sibi provident, petunt piorum preces, attendunt sibi & fœtui suo, ne quid noxium edant vel bibant, continent se in quiete, muniunt se salutaribus sacramentis, & diem puerperii sui præ oculis semper habent, quasi is vitæ ultimus esset, aut certè esse possit. Sic oporteret omnes mortales sibi consulere pro fælici ex hac vita transitu,

IV. *Ibi dolores inevitabiles.*

Delinquunt hic amici sæpè & propinqui infirmorum, qui eis blandiuntur & promittunt sanitatem brevi recuperandam, sicque eos spoliant animæ remediis, vel omninò, vel ad minimum, ut tardiùs ea suscipiant, cùm vix adhuc spirant. Sic in puerperio vanâ spe lactata fuit Rachel ab obstetrice, in summis partús doloribus ei occinente: *Noli timere, quia & hunc habebis filium.* Verùm dum enixa est filium, animam simul emisit. Genes. trigesimo quinto. Quod si quis indicium aliquod beatæ mortis desiderat, videat an cùm Apostolo cupiat dissolvi & esse cum Christo. Quemadmodum enim fœtus cùm maturus egredi in lucem conatur: ita qui maturus cœlo est, spretis hujus mundi miseriis mori desiderat. Inter alia prædestinationis & hominis in DEI gratia constituti signa, non postremum est, si quis cum Apostolo desiderium habeat dissolvi & cum Christo esse; quod hac similitudine declarat Sanctus Ambrosius in id Psalmi 118. *Memor fui judiciorum tuorum.* Ait enim: *Videmus in seculo innocentes letos ad Iudicem festinare, odisse moras, celeritatem affectare judicii: Beatus itaque ille, qui cœleste judicium letus exspectat. Scit enim sibi regnum cœlorum, Angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum.* Quam & nobis largiatur Deus.

THEMA QUARTUM.

Non spernenda Modica, è quibus nascuntur sæpè magna.

I. Suggestio peccati & brevis immoratio.
II. Primum peccatum.
III. Peccatum veniale.
IV. Vnus perversus in communitate.
V. Lucrum iniquum, etsi modicum.
VI. Linguæ seu verbum unum incautum.
VII. Voluptas una noxia.

Quid est hoc, quod dicit modicum. *Ioan.* 16.

QUis crederet Audit. ex modico uno pomo modicè contacto prosilire innumera tela ad undique vulnerandum & enecandum hominem? Id tamen arte factum est à Scotica muliere, dictâ Fenellâ, quæ cùm Scotorum Rex Kennetnus Eruthlinthum Finellæ filium occidisset, mira arte statuam sibi effingi curavit, in cujus manu pomum aureum gemmis ornatum erat, quod quicunque tetigisset, statim plurimis jaculis inde prosilientibus confodiebatur: cumque ad eam visendam Regem invitasset, isque pomum tetigisset, hoc artificio & dolo Regem nihil suspicantem in Festicari oppido occidit. Refert Cardanus de rerum variet. lib. 12. cap. 56. Quis hoc videns non dixisset: Quidnam est hoc? quomodo è tam modico pomo prodeunt tot jacula: quomodò evibrantur solo ejus contactu? quomodo mactant hominem? Hinc ergo intelligimus non semper esse fidendum rebus etiam modicis, ut quæ sæpe pariunt mala maxima & innumera. Statuam hujusmodi machinatur Dæmon ad perdendos homines. Modicum proponit, quasi unum pomum, auro & gemmis o[r]natum, telis tamen virulentis undique repletu[m], cujus vel attactus homines interemit. Plurimi mo[r]talium non capiunt hoc modicum, æquè ac discipu[li] Christi tribulationis suæ modicum. Quare ut ca[u]tiores fiant, modica aliquot talia eis proponemus.

I. Modicum quid est suggestio peccati & modi[ca] immoratio: maximi tamen periculi, unde imma[ne] damnum prodire potest, nisi quamprimum suffoc[e]tur. Quemadmodum enim caput serpentis modic[um] sanè est, sed ubi id se inseruerit, trahit secum tot[um] corpus & venenum: ita & Diaboli prima tentatio [li]cet exigua sit, & circa modicam delectationem ver[se]tur, nisi tamen mox elidatur, insinuat se paulatim [ad] complacentiam & consensum extorquendum. Aud[ia]mus Sanctum Hieronymum in cap. 9 Eccles. *Diabol[us], inquit, serpens lubricus est, cujus capiti, hoc est, pri[mæ] suggestioni ni resistatur, non est dubitandum quin [in] penetrale cordis furtim illabatur.* Quamobrem, ut id[em] Sanctus Doctor in Epistola ad Eustochium scrib[it]: *statim ut libido titillârit sensum, ut blandum volupt[atis] incendiũ dulci nos calore perfuderit, erumpamus in v[o]cem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid [fa]ciat mihi caro. Nolo sinas cogitationes crescere, nihil [in] te Babylonium, nihil confusionis adolescat, dum parv[us] est hostis, interfice, ne zizania crescat, & detur in sem[i]na.* Audi Psalmistam dicentem: *Filia Babylonis mi[se]ra: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam; be[a]tus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram: Qu[ia] enim impossibile est ad sensum hominis non irruere [in]natum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædic[a]tur beatus, qui ut cœperit cogitare sordida, statim int[er]ficit cogitatus, & allidit ad petram: petra autem Chri[stus est].* Notus est apologus Abbatis Achillis de li[g]nis Libani, quæ ubi dederunt hominibus modicu[m] lignum, facto inde securis manubrio, omnia exci[sa] sunt. Minutissimum est semen bombycum, vel[ut] parvuli acini: quod tamen admotum uberibus fœminis & calore totum animatur & vermes gign[it]. Infantulus ille Moyses ex aquis sublatus, quia in Pha[raonis] aula sustentatus & educatus fuit, Pharaone[m] tandem edomuit & in mare demersit. Hac ratio[ne] *Diaboli primis titillationibus*, inquit Sanctus Cypria[nus] serm. de jejun. & tent. Christi, *obviandum est; ne coluber foveri debet, donec in serpentem formetur.* Et San[ctus] Bernard. serm. de triplici jud. *Oportet, si munda[s] conservare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus hujusmodi multâ cum indignatione occurrere & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur accessus.*

II. Modicum quid est primum delictum quod proinde velut res parva plerumque condonari solet; sed si admittatur & toleretur, trahit post se alia & alia graviora & graviora. Semel enim degustata peccati dulcedo facilè repetitur & sensim crescit in assuetudinem, vix emendabilem. Sufficit Diabolo ad peccatum primum nos pertraxisse, inde enim facilè in alia impellet. Sic enim de structoribus turris Babel dicitur, Genesis 11. *Cœperuntque hoc facere, nec*

e desistent à cogitationibus suis, donec eas opere com- *ant.* Unde sanctus Chrysostomus hom. 87. in itth. *Peccata prima*, inquit, *gradatim semper as-* *idunt; quapropter omni studio atque opera funditus* *ncipia peccatorum sunt evertenda: non enim vim* *icti solum consideres neque quia parvum sit cogi-* *, sed illud præcipuè tene, quia si radicem non* *ulseris, magnum in peccatum succrescit.* Et alibi. *:ile est rivum, cum primum à fonte scaturit quo-* *nque volueris flectere: at ubi aliorum fluminum* *essione auctus est, vix ulla arte posses ejus impe-* *n reprimere, aut cursum alio deflectere: ita facile* *vitium adhuc recens natum abscindere; at multo-* *n annorum natum ac roboratum, quis facile supe-* *e queat;* Notum est illius senis documentum a- d Dorotheum serm. 11. cujus jussu quidam ejus cipulus teneram arbusculam nullo labore evul- ; adultam vero & annosam arborem nullâ vi ex- pare potuit. Nec minus celebre est id Platonis, cum adolescentem alea ludentem increpasset og- rente illo: *Sic objurgas ob rem parvam? At*, in- it, *parvum non est assuescere;* apud Laërt. lib. 2. ri facilitate Dæmon dissolvit & disperdit totam nmunitatem, si vel modica dissensione rima a- iatur. Quam ob causam monet Apost. ad Eph. 4. *lite locum dare Diabolo*, in quem locum Sanctus rysostomus scribit hom. 14. *Oportet enim omnes iter esse mutua compactione constipatos, & simul illi stere. Iubemus itaque ut solutis inimicitiis, quas isque erga proximum habet in unum invicem con- rtamini. Nam ita non poterit umquam locum ha- e Diabolus quemadmodum si inimicitias inter vos eritis. Hinc innumera mala generantur. Et quem- modum quamdiu lapides bene compacti sunt, nihil- e vacuum inter se habent, firmi & infracti inter se stant: si verò vel foramen acus duntaxat quod u- nque penetret, aut scissuram, quæ capilli locum ha- it, fieri contigerit, omnia dissolvuntur ac pereunt: & Diabolus, donec compacti quidem ac bene com- iti fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. uam primum vero vel modicum nos relaxare poterit, n aliter quam quidam torrens toto impetu infunditur, m ubique illi solis duntaxat initiis opus est. Et hoc oriosum est. Si verò nactus fuerit initium nocendi, nia sibi ipsi subinde suopte ingenio vestigat & amplia- at.*

III. Modicum reputatur peccatum veniale, ma- a tamen affert damna. Excludit enim hominem à gno cœlorum, donec expietur, & addicit pœnis rgatorii. Exigua res est pessulus, occludit tamen tium & excludit ab ingressu: sic se habet pecca- m veniale. Adhæc lætificat Diabolum additque animum ad fortiores tendendos laqueos & acriùs ntandum. Quid non moliti sunt nequam illi spiri- s, ut vel ad levem risum tantum concitarent San- um Pachomium? Inter alia *videbantur uno con- isu concutere multa folia arboris, allatisque funi- s ea fortiter colligabant. Vtrimque autem stantes se vicem hortabantur trahere folia, tanquam maximum* *aliquem lapidem. Hoc verò faciebant, sic existimantes cor Sancti ad risum dissolvere, ut vel in hoc possent de eo gloriari.* ita in ejus vita Metaphrastes apud Sur. 14. Maii. Facilè manum arripit, si ei digitum porrexeris, quod miro exemplo docet Godtschalcus quidam re- ligiosus apud Cæsarium lib. 5. mirac. & hist. cap. 4. ex quibusdam studiosis Bavaris & Suevis, apud To- letum una cum ipso litteris operam dantibus. Cum enim illa à Magistro suo Necromantico obtinuis- sent, ut catervam Dæmonum exhiberet eis aspecta- bilem, eâ lege tamen, ut nihil ab offerentibus ac- ciperent & intra circulum descriptum sese conti- nerent: evocati maligni spiritus varios exhibebant ludos, nullo effectu: denique puellarum speciem assumentes circum eos saltitabant, & annulum au- reum porrigebant, ad quem dum unus juvenum digitum extra circulum extendit, subitò per manum à Dæmone abreptus non comparuit amplius: nec nisi multa Magistri instantia tandem receptus est totus macilentus & pallidus, quasi è sepulchro re- suscitatus: qui malo suo edoctus resipuit & Mona- chum Cisterciensem induit. Ita nimirum laborat Dæmon, ut vel digitum ei porrigamus, quo porre- cto non difficilè totam manum apprehendat, & è præscripto pietatis & religionis circo nos extrahat. Unicum obtutum conjecit David in mulierem & in- de in quot & quanta mala devolutus est? Unde San- ctus Chrysostomus hom. 12. cap. 7. ad Rom. ait: *Mu- lierem non aspicias, neque in theatrum ascendat: mul- to siquidem facilius est principio mulierem elegantis for- mæ ne videre quidem, quam postquam spectaveris, irrequietam ex animo, quæ inde nascitur, ejicere tu- multuationem.*

IV. Modicum quid est unus homo perversus in communitate, maxima tamen pernicies & rui- na plurimorum. Hoc enim est quod Apostolus 1. Corinth. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* sive pervertendo eam & sibi simi- lem reddendo: qua ratione unus pravus Doctor totam seducere civitatem, una mala & impudica mulier totam inficere domum potest; sive in peri- culum vitæ conjiciendo; qua ratione unus Achan totum Hebræorum exercitum hostili gladio expo- suit: unus Jonas omnes navigantes periculo naufra- gii: unus Judas (juxta sententiam sancti Ambrosii) omnes Christi discipulos tempestati objecit. *Non tur- batur ista, quæ Petrum habet* (navis) inquit: *turbatur illa, quæ Iudam habet. Etsi multa illic discipulorum me- rita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat, &c. lib. 4.* in Lucam. Arius una hæreseos scin- tilla modicum fermentum in Oriente fuit, & quia non mox extincta fuit, totum pene pervasit & accendit orbem: Lutherus in Saxonia modicum fer- mentum totam pene involvit Germaniam. Unus Lucifer in cœlo pravo suo exemplo quantam pertur- bationem, quantam Angelorum stragem edidit? Apoc. 12. *Caveamus igitur*, subdit Ambrosius loco cit. *perfidum: caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus.* Ozias Rex leprosus, non solum dum

IV. *Vnus perversus incommunitate.*

vive-

viveret, regio palatio exclusus est, sed etiam post mortem regio sepulchro, sepultus foris in agro. 4. Reg. 13. quasi etiam cadaver eius contaminare posset alia Regum cadavera. Postquam Ionas è navi ejectus fuit, rediit maris tranquillitas. Postquam exturbatus Achan, Deus populo reconciliatus fuit: postquam Iudas exivit de cænaculo, statim dixit Dominus: *Nunc clarificatus est filius hominis* Ioan. 13. Vbi D. Augustinus tr. 36. in Ioan. *Exiit Iudas & clarificatus est Iesus: exeunte immundo omnes mundi cum suo mundatore remanserunt.* Quasi neque Christus suam charitatem, neque Apostoli suam puritatē in societate unius improbi obtinerent: eo verò sublato acquirerent. Addit Augustinus: *Vbi malorum nullus erit, ibi bonorum nullus perit.* Lucifero ejectò & ad inferos projectò; subdit Ioannes: *Nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri.* quasi ante hoc Dæmonis exilium turbata fuerit aula cœli tota.

V. *Lucrum iniquum etsi modicum.*

V. Modicum est lucrum iniquum paucorum nummorum, magnum tamen affert damnum, domui universæ, quia plerumque devorat etiam iuste parta: quo modo una penna aquilæ iuncta pennis aliarum avium, eas devorare dicitur. Audimus de hoc Chrysostomum in orat. de avar. tom. 5. *Avaritia,* inquit, *fermentum quoddam vetus est, quæ quocunque inciderit, quamcunque domum intraverit, impuram eam facit: etiamsi parum ex injustitia lucratus fueris, universas facultates tuas fermentabit, proptereà sæpe pauca male allata, quamvis multa bona reposita eiecerunt. Quid enim, inquit: siquidem ex multis avarè agentibus non omnes eadem patiuntur vero Maxime patientur etiamsi non mox in ipso peccato patiantur. Quod si nunc effugerint, tunc vero magis metue: maiori enim supplicio afferuntur. Quin si ipsi effugerint, at hæredes eorum eadem patientur &c.* sic ille. Certè propter unicam feminam, Saram videlicet, Abrahæ coniugem, contra ius & fas sublatam in domum Regis Abimelech minatus est ei Deus subversionem totius domus, nisi eam viro suo rederet Gen. 20. *Redde viro suo uxorem,* inquit, *si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu & omnia, quæ tua sunt.* Quo audito Abimelech statim de nocte consurgens, restituit Abrahæ coniugem suam. En unica aliena mulier, si detenta fuisset, perdidisset Regem cum tota aula sua, adeoque propriam etiam ac legitimam coniugem filios & ministros: quid mirum si unum alienum bonum, licet exiguum, devoret etiam propria & juste acquisita?

VI. *Lingua seu verbum unũ incautum*

VI. Modicum quid est lingua, seu verbum unum incautum: sæpe tamen infert maxima damna; teste Sancto Iacobo cap. 3. *Lingua* inquit, *modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* h. e. magnas turbas excitat, ut explicat Em. Sa. Et mox. *Ecce quantus* (Gr. *modicus*) *ignis quam magnam sylvam incendit?* Quemadmodum enim cuneus modicum lignum est, intrusus tamen in arborem, findit & dissolvit eam: Ita lingua pestifera, detrahens aut susurrans levi sæpe verbo dissolvit amicitiam licet arctissimam integrarum familiarum, imò civitatum ac regnorum. Ita enim Ecclesiasticus cap. 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem h[...] bentes Lingua tert a multos commovit ac dispersi[...] de gente in gentem: civitates muratas destruxit, & [...] mos magnatum effodit: virtutes populorum concidit [...] gentes fortes dissolvit.* Convenit hoc cum eo, qu[...] Plutarchus in moral. scribit: *Vnius linguæ dolo & pr[...] ditione urbes conciderunt, regna, respublicæ.* Huiusm[...] di lingua fuit Antipatri, qui parentem Herodem m[...] levolis suis delationibus accendit in odium non m[...] dò externorum & aulicorum multorum, sed etia[...] duorum fratrum suorum, Alexandri & Aristobu[...] ut eos neci daret, apud Josephum libr. 16. Vt en[...] è minimo grano vel semine gignitur ingens arb[...] ita ex uno susurro maxima dissidia & bella. Sanct[...] Gregorius 3. past. admonit. 24. *Perpendant* inqu[...] *seminantes jurgia, quàm multipliciter peccant, q[...] dum unam nequitiam perpetrant ab humanis cor[...] dibus cunctas simul virtutes eradicant, In uno en[...] malo innumera peragunt; quia seminando discordia[...] charitatem, quæ nimirum omnium virtutum mater [...] extinguunt.*

VII. Modicum quid est voluptas carnis, sive perc[...] pitur ex peccato, sive sit voluptas carnis, sive inan[...] gloria, sive vindicta, sive aliud terrenum co[...] modum, quia momento transit: sed ingen[...] interim in cruciatus desinit; ignis scilicet æter[...] Modicum erat mellis, quod gustavit Ionath[...] in summitate virgæ, quam extenderat ad m[...] fluens, paululum delibandum, & tamen propt[...] hoc mori adiudicatur. Quo audito sic lame[...] tabatur: *Gustans gustavi in summitate virgæ paul[...] lum mellis & ecce morior.* 1. Regum 14. Gustat v[...] luptatem noxiam, qui vel intendit solum pecc[...] re, licet non peccet, rursum qui vel delectatur c[...] gitatione rei illicitæ, licet in opus non consentia[...] Idem hoc Ecclesiastes hami similitudine explic[...] cap. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqu[...] comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore m[...] lo cum eis exemplum supervenerit.* Quid vilius & exi[...] us uno vermiculo, quem in hamo gustat veri[...] quàm vorat piscis? quid levius uno iuniperi gran[...] quod in area aucupis turdus decepit? Et tamen du[...] ille vermiculum, hic granum unum gustat, compr[...] henditur ille hamo, tegitur iste retibus & amb[...] mactantur. Maxima, (quis negare possit?) fuit apu[...] Gentiles multos velut apud Massilienses & Ta[...] raconenses, dementia illorum, qui se pro expia[...] dis civiatibus offerebant in hostias & piacu[...] (catharmata appellata) ea lege, ut per 6. vel 8. me[...] ses, ad summum anno integro saginarentur variis d[...] liciis & summa quidquid liberet, gendi libertat[...] post exactum vero terminum, mactarentur sic[...] boves; aut in aquas mergerentur, aut simili ali[...] modo pessimè interirent; cujusmodi superstitio r[...] fertur in vita Sancti Cæsarii apud Surium 1. Novem[...] Quis enim vel parum mentis compos eligeret han[...] tam modicam saginam, pro tam dira morte; Quan[...] tulum enim est libertas & voluptas 6. vel 8. men[...] sium? At hac, imò crassiore longè, laborant demen[...]

ti[...]

ia.qui pro fluxa & penè momentanea unius illicitæ & vilissimæ voluptatis usura æternos gehennæ crucia-us eligunt. Itaque tales magis deplorandos quàm ommemorandos ait Sanctus Bernardus in Opusc. de haritate cap. decimo quinto. *Quàm fallax & deluso-ia sit illa fœlicitas perniciosa, quam plerique in carnis voluptate constituunt, in libro experientiæ legitur inces-inter, dum citò præterit quod delectat, & permanet sine ne quod cruciat. Sed de talibus lugendum sentio potiùs, uam loquendum.* Denique omnis delectatio, ait idem n ferm. de S. Clemente. *hujus mundi, universa ejus glo-ia, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modi-um est in illius beatitudinis comparatione, si tamen vel modicum dici debet, & non potiùs nihilum, vapor ad modicum parens.* Quisquis ergo sapit, caveat sibi ab is, quæ dixi, modicis, ne inde pertrahatur ad magna c incomparabilia damna.

THEMA QUINTUM.

ustos cur subinde Deus ad modicum dese-rat, & qui requirendus.

- *Vt castiget levia eorum peccata.*
- I. *Vt in humilitate eos contineat.*
- II. *Ne donum cœleste nobis ipsis tribuamus.*
- V. *Ne Deo propter hoc præcisè serviamus.*
- . *Vt donum consolationis pro merito æstimemus.*
- I. *Vt illis desolationibus cor nostrum expurgetur.*
- II. *Vt ferventiùs requiratur.*

Modicum & non videbitis me. *Ioan.16.*

QUod dilectis suis discipulis prædixit in cœna Dominus, se ad modicum temporis ab eorum oculis & suavissimo commercio subducendum sse, in passione & morte: quodque paulò post Apo-toli ingenti suo luctu experti sunt; id sentiunt sæpis-imè etiam alii pii, quamvis sancti & perfecti non minore suo mœrore: ita videlicet ut modo in ora-tionibus suis omni gustu careant & arescant planè, deficiente cœlesti pluvia: modò in anima sua omni destituantur cœlesti consolatione, ut ex rebus spiri-ualibus nullam omnino percipiant animi lætitiam: modo etiam tædio & languore adeo premantur, ut nullo prorsus appetitu afficiantur ad pia exercitia; sed omnia arida & insipida eis fiant. Neque hoc recens aut mirandum, sed jam olim prædictum à DEO est per Isaiam cap. 54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: In momen-to indignationis abscondi faciem meam parumper à te & in misericordiâ sempiterna misertus sum tui.* Hanc sponsi abscessionem sensit S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Antonius, qui subinde gemebundus excla-mabat: *Quàm libenter essem bonus Domine! sed cogi-tationes meæ non patiuntur.* Idem querebatur S. Bernar-dus ser. 54. in Cant. exclamans: *Exaruit Domine cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua tibi; nec compungi ad lachrymas queo: tanta est duritia cordis Non sapit Psalmus, non legere libet, non o-rare delectat, meditationes solitas non invenio. Vbi illa inebriatio spiritus? Vbi mentis serenitas? & pax & gau-dium in spiritu Sancto?* Ita sanctus hic lamentatur suam desolationem; sed quid tandem est, quod ita nonnun-quam Deus servos suos deserat? Audiamus causas. Deserit ergo ad modicum,

I. Ut hac sui subtractione castiget levia quædam eorum peccata, per patientiam expianda. Sicut enim pater filio indecens quid agenti, tristiorem ostendit vultum, ut errorem commissum ei insinuet & corri gendum moneat: ita & Dominus justis minùs cir-cumspectè se gerentibus, subtrahit ad tempus hilarem suam faciem; quomodo etiam David Absalonem quidem recepit in civitatem ab exilio, faciem tamen ei suam non exhibuit: *Revertatur in domum suam*, in-quit, *& faciem meam non videat.* secundo Reg. 14 quo delicti scilicet sui gravitatem intelligat & expiet. Con-tingit etiam justis interdum, ut Divinis inspirationi-bus aures occludant, & pulsare Deum ad ostium cor-dis sui diutiùs sinant; & quandoque etiam frustrà. Quare nil mirum si Deus talione eos puniat, & diu pulsantes, velut surdus foret, non audiat, sed desolatos stare, & pulsare permittat. Pater filium vini dulcedine inebriatum ita castigat, ut desideratum ei vinum sub-trahat, aut modica quantitate porrigat: cupedias fru-gum, quibus afflixit valetudinem filius, negat ad tem-pus: ita qui creaturarum amore nonnihil inescari & in illis quærere suam delectationem cœpit, meretur privari consolationibus Divinis, ut abjectis illis vilis-simis illecebris revertatur ad solidas. Id minatur illis Deus Isa. 39. *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam brevem*; sed in bonum eorum, sequitur enim: *Et non faciet à te avolare ultrà Doctorem tuum.* Sensit hoc Sanctus Martinus Episcopus, postquam aliquâ constrictus necessitate consensit cum Ithacianis in u-nius ordinatione, à fide orthodoxâ deviantibus. Immi-nuta enim ipsi fuit cum internâ consolatione gratia expellendi Dæmones, ita ut multis eam lachrymis vix recuperarit. *I. Vt castiget levia eorum peccata.*

II. Ut eos in humilitate contineat. Habent enim nō parum periculi consolationes Divinæ, quibus velut alis facilè in superbiam homo evehitur & casu gra-viore ruit. è contrà ubi est desolatio, ibi est humilitas. Bene dixit Ecclesiasticus c. 7. *Filiæ tibi sunt? non osten-das hilarem faciem tuam ad illas.* Sunt enim filiæ ad su-perbiam pronæ quæ nimium se effundent, si paren-tem sibi corridentem viderint. Idem timendū justo, qui cœlesti cōsolatione diu suaviter permulcetur (vix enim lachrymulā unam fundimus in oratione & illico nobis sancti ac spirituales esse videmur) ne suæ fragi-litatis oblitus efferatur supra se, quemadmodum vi-dere fuit in Absalone, qui ubi revocatus ab exilio Je-rosolymam, non solùm ad conspectum, sed etiam ad osculum patris admissus est: *Post hæc*, inquit sacer textus 2. Reg. 15. *fecit sibi currus & equites & 50 vi-ros, qui præcederent eum*; cœpitque insidiari regno pa-tris sui. Blandum patris osculū & benevolus aspectus *II. Vt in humilitate eos contineat.*

pennas

pennas ipsi fecit, quibus ad thronũ patris evolare conaretur. Quid igitur agit Deus? Dilectis suis filiis alas ubi nimirũ crescere incipiunt, præcidit, desolatione eos feriens, ut sic infirmitatis suæ pondere prægravati continere se cogantur. Bene hoc expressit Iob ca. 28. verbis istis: *Qui fecit ventis pondus.* Deus scilicet: quod est, teste sancto Gregorio in eum locum, *concessam electis de virtutibus gloriam, permissa infirmitate temperare.* Venti sunt justi, præsertim contemplativi qui quasi in sublimi aere cœlestium cogitationum deliciantur & circumvolant: ac proinde ne procul nimis avolent, libramento suo egent. Ventus erat Sanctus Paulus, qui cùm de se dixisset, raptum se in paradisum, subintulit: *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui me colaphizet,* secundo Corinth, 12. Quoniã igitur *homines*, ait super hoc exemplo Chrysostomus homil. prima ad populum, *multa cautionis, ne facilè extollantur, indigent, & maximè omnium sancti (nihil enim sic in arrogantiam extollere consuevit, ut officiorum conscientia & anima cum libertate vivens) ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes & tribulationes esse concessit, &c.* Voluit etiam Petrus quasi ventus evolare, dum petiit à Domino, ut posset ad ipsum super undas ambulare, sed Christus fecit illi pondus, ut viso fluctu territus inciperet timere, simulque in aquas mergi; ne haberet, quo se aliquando supra fratres suos extolleret, sed potiùs erubesceret. Si enim dixisset, se aliquando pedibus mare calcasse, quid audivisset? scilicet ut cos aut lapis ambulasti super undas. Denique talis ventus fuit Sanctus Isaac Monachus & Confessor prope Spoletanam urbem, vir miraculis clarus, de quo scribit lib. tertio dialog. cap. decimo quarto Sanctus Gregorius post enarratam eius sanctissimam vitam in hunc modum: *Sed hic sanctus, cum tot tantisque virtutibus, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione, incomparabiliter esset præditus, unum tamen erat quod reprehensione aliquâ dignum putabatur; quia nonnunquam tanta ei lætitia inerat, ut illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur. Sed magna est hæc omnipotentis DEI dispensatio, & plerumque contingit, ut quibus maiora bona præstat, quædam minora non tribuat, ut semper eorum animus habeat, unde se ipse reprehendat, quatenus dum appetunt perfecti esse non possunt, & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen laborando prævalent, in his quæ accepta habent, se minimè extollant, sed discant; quia ex seipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parva vitia atque extrema non possunt. Fit itaque ut miro modo una eademque mens, & virtute polleat & ex infirmitate flaccescat; quatenus ex parte constructa sit, ex parte conspiciat se esse destructam, ut per bonum quod quærit & habere nõ valet, illud servet humiliter quod habet. Sic ergo & in unaquaq; anima agitur, ut in humilitatis custodiam, aliquando ad lucra maxima, ex minimo damno servetur.*

III. Ne donũ cœleste no-

III Ne donum illud cœleste nostris tribuamus virtutibus, sed Deo potiùs, cujus donum est, adscribendum esse sciamus. Hanc ob causam dixisse vult S. Gregorius Iobum c. 7. *Visitas eum diluculò, & subitò probas illum.* Ita enim ait: *Quis nostrum nesciat, quia diluculum dicitur, cùm jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur; Diluculò ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce sua cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arce virtutis exaltat. Sed notandum quod Deus postquam diluculò visitat subitò hominem probat, quia & accedendo corda nostra ad virtutes provehit & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur, &c.* Et mox: *Quod bene nobis in historia sacra lectionis innuitur, qua Salomon & divinitùs accepisse sapientiam, & tamen post acceptam eandem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut tanta revelationis gratiam cepit, certamen turpium mulierum pertulit?* Et paulò post: *Sic & Helias visitatus diluculò sermone cœlos seruit, & tamen probatus subitò, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit.* Bene etiam S. Augustinus in Psalm. 113. ait: aquam consolationum, & gratiarum cælestium non nisi de petra illa fluere, de qua dicitur: *Petra autem erat Christus*, non ex nostris meritis. *Gratia ista*, inquit, *erumpentis aquæ de petra, (petra autem erat Christus,) non quasi ex operibus præcedentibus data est, sed miserante illo, qui justificat impium.* Idem confirmat S. Bonaventura de process. relig. cap. 21. *Negatur*, inquit, *sensibilis devotionis donum, ut ex hoc quis eruditior in gratia fiat, quòd à Deo sit, non ab homine; cùm non potest homo pro voluntate arbitrii sui habere, sed Deus qui dat ex se, cùm vult, infundit, & cum vult subtrahit, prout sibi placet & prout recipienti judicat convenire.* Quare si placere Deo quærimus, quando nobis subtrahit gratiam suam, binc nihilominus cum eo contenti simus; nec obmurmuremus. Placet patri filius, qui carnis portionem ab eo sibi appositam grato accipit animo, tametsi forè merum os sit, parum aut nihil carnis habeat; magis quàm qui sibi meliorem partem præripit aut apponi postulat. Similiter & mendicus qui cum patientia & silentio ad ostium domus excubat eleemosynam exspectans, quàm qui importunis clamoribus domesticos exjurgat. Bene ergo S. Bernardus serm. 21. in Cant. *Quamdiu*, inquit, *adest gratia, delectare in ea; te non existimes donum Dei jure hæreditario possidere, videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis, &c. Neque dixeris in abundantia tua: Non movebor in æternum: ne etiam illud cum gemitu dicere cogaris: Avertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus.*

IV. Ne Deo propter has præcisè consolationes serviamus: illisq; nimis adhærentes, pro eis Deum relinquamus. Facilè enim contigit ut quis nimis crebris ac pretiosis donatus muneribus ab amico, magis ipsa munera quàm amicum incipiat diligere. De talibus dicitur Eccles. 6. *Est amicus socius mensæ, & nõ permanebit in die necessitatis*, quo modo mures comedunt amant panem nostrum, interim tamen non fidunt nobis, serviunt nobis. Hinc Seneca l. de remed. fortu. *Mel. in*

qu

quit, *muſca ſequũtur, cadavera lupi, turba iſta ſequitur rædam, non hominem.* Hinc fratres ignavos, qui in re- igione Deo ſervirent propter commoda temporalia, . Franciſcus meritò appellabat *fratres muſcas.* Tales ieri etiam facilè poſſunt, qui continuis paſcerentur olatiis cœleſtibus, ut perpetuò mel ſugere, & nulla uærere animarum lucra, nihil pro Deo & ſalute alio- um agere & pati vellent. Certè Chriſtus notavit & atis aperte indicavit increpando eos, qui dulcedine anum, quos exhibuit turbæ in deſerto, ipſum requi- ierunt. *Quæritis me*, inquit, *non quia vidiſtis ſigna* quibus ſcilicet permoti in me crederetis) *ſed quia co- nediſtis ex panibus & ſaturati eſtis.* Ioan. ſexto. Vult icere: *Quæritis me propter aliud: quærite me propter me*; inquit S. Auguſtinus in eum locum tr. 25. Qui ropter ſuum commodum Chriſtum quærit, ſe ma- is quam Chriſtum diligit, & hunc eouſque dunta- at, quoad fruitur eius bonis: quibus ſubtractis, eum leſerit, uti muſcæ ollam melle evacuatam. Non vult abere tales ſervos Dominus, & quid mirum? nec os amamus ſimiles. Ambidextros deſiderat qualis rat Aod. Judic. 3. qui tam ſiniſtrâ, quàm dextrâ no- it pugnare Deoque adhærere, ſive conſolationes in- undat ſive deſolationes, qualis fuit Apoſtolus, qui d Philippenſes 4. dixit: *Scio & humiliari, ſcio & a- bundare*, gr. *excellere.* (*ubique & in omnibus inſtitu- tus ſum*) *& ſatiari & eſurire & abundare & penu- riam pati.* Quare ſive pauca, ſive multa, ſive etiam nulla in Dei ſervitio ſentiamus ſolatia, æquè conten- ti ac conſtantes in obſequio ſimus.

V. Ut donum conſolationis & præſentiæ Divinæ, quale & quàm magnum ſit, pro dignitate æſtime- mus, indeque colligamus, quam inexplicabile ma- lum ſit in perpetuum à Deo ſeparari; ſi hæc tantilla ſubtractio uberum ſponſi & ſolatii adeo nos affligit. Neſcimus æſtimare donum ſanitatis, donec ægritudi- ne aliquâ corripiamur: non credunt plerúmque di- vites pauperum miſeriis, niſi aliquando in pauperta- tem incidant: pari modo dum proſperè res noſtræ ſem- per eunt, dum mulcemur variis animi ſolatiis, non agnoſcimus Dei donum, nec pro merito gratias ei a- gimus; at ſi lacte illo deſtituamur, tum demum inci- pimus decere: O quam bene mihi fuit olim, cùm re- bus omnibus abundarem! cum ſine cura & ſolicitudi- ne in deliciis meis degerem! Et quid erit iſtis privari in æternum? ſemper in doloribus jacere? ſemper eſu- rire & ſitire? ſemper deſtitui omni conſolatione? Sci- mus Abſalonem cùm biennio arceretur à conſpectu patris, adeo doluiſſe brevem illam ſubtractæ aulæ moram, ut optaret potiùs interfici, quàm diutius eam ferre; videbatur enim ſibi eo tempore in cruce pen- dere. 2. Reg. 14. Quid igitur, putatis, erit, à conſpectu Dei & cœleſti eius aula æternum excludi? Hanc & priores rationes fere omnes bene expendit S. Catha- rina Senenſis, cùm aliquando incidiſſet in gravem deſolationem & tumultum atrarum cogitationum. Itâ enim de ea Confeſſarius eius Raymundus apud Sur. 29. April. *Repræſentabat ei Dæmon, formas virorum & mulierum, turpiſſime inter ſe concũbentium, & ne- fãdos ſermones jactantium, ipſamque ad turpia petulan- tiſſimè invitantium. Cogebaturque hæc & oculis & au- ribus clauſis videre & audire. Accedebat ad cumulum miſeriæ piiſſimi ſponſi abſentia, ut ipſi videbatur, nec vi- ſibiliter, nec inviſibiliter opẽ ferentis aut conſolantis. At illa nihilominus ſine intermiſſione & carnem affligebat, & precibus tota incumbebat. Atque in hoc præclarũ de ſe omnibus Divinæ gratiæ ſenſibili ſuavitate & conſo- latione deſtitutis, exemplum præbuit, ne ſolita ſua exer- citia propterea remittãt ſed augeant potius. Dicebat au- tẽ ſancta Virgo ſibiipſi: Tune viliſſima ullis te conſolatio- nibus dignam putas? Itane jam tuorum oblita es pecca- torum? An non ſatis eſt tibi, ſi poſſis vel damnationem æ- ternam evadere, etiamſi has tenebras & moleſtias ad ſupremum uſq; vitæ diẽ perferre oporteat? At verò Chri- ſto propter eius conſolationes ſervire voluiſti, & non po- tius, ut æternum illo fruaris? Nihil igitur de ſolitis remit- tas ſtudiis, quin addas potius aliquid. His ſanctæ humili- tatis telis illum ſuperbum Goliath proſternebat Chriſti Virgo, ſuumque animum confirmabat.*

VI. *Vt illis deſolationibus cor noſtrum expurgetur.*

VI. Vt cor noſtrum illis deſolationis & ariditatis, quaſi ſcopis expurgetur, quod alioquin ex quiete ni- miâ ſordes contrahere conſuevit, & ignavia velut ru- bigine gladius obduci. Stagnans aqua nonne terra fit & putida? nonne ranarum tantum & bufonum habi- taculum? & cur, niſi quia motu & fluxu caret? ita & cor noſtrum niſi viciſſitudine aliqua conſolationis & de- ſolationis agitetur, noſtrâ ignavia & voluntatis duri- tie cito inficietur. Bene hoc ipſum expreſſit Oſeas a- lia percommoda ſimilitudine cap. 7. v. 8. cùm ait: *Factus eſt Ephraim ſubcinericius panis, qui non reverſa- tur.* Hoc ipſo enim quo panis inter prunas diutiùs relinquitur & non reverſatur, ex una parte comburi- tur ex altera parte cineribus ſordidatur. Sic & animus ſi nulla fortunæ alteratione verſetur, dum etiam inter ſpirituales delicias quieſcit, ex fragilitate & imperfe- ctione noſtra, fit ineptior ad ſuſtinendum & delicati- or ad patiendum.

VII. *Vt ferventiùs requiratur.*

VII. Denique abſcondit ſe ſubinde Dominus, ut ferventius requiratur, & poſteà fortiùs ametur ac re- tineatur maiori diligentia. Ignis flatu compreſſus ardentiùs erumpit: & bonum dilatum animæ auget deſiderium. Nam *quod difficilius quæritur: dulcius in- venitur*, inquit S. Auguſtinus Conc. 2. in Pſal. 103. Ita S. Bernardus ſer. 74. in Cant. *Fortè ideo*, inquit, *ſe ſub- traxit* (Dominus) *quo avidius revocaretur, teneretur fortius: nã & Luc. 24. ſimulabat ſe longius ire: non quia hoc volebat, ſed quia volebat audire: Mane nobiſcũ Do- mine &c.* Hunc in modum *abſcondit ſeipſam*, inquit Climachus gradu 4. ſcalæ. *infantis mater, quem ſi ſe vi- derit anxiè inquirere, gaudio afficitur, ſicq; illũ inſtruit ſibi adhærere jugiter, affectumque ſuum altius infanti imprimit, eumque ad ſe ardentius amandũ invitat.* Ita Cant. 3. abſconderat ſe ſponſus; moxque cœpit eum undique ſponſa requirere, quem ubi ſero invenit, tunc ait: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam, &c.* In quæ verba Sanct. Gregorius 5. Mor. cap. 4. *Abſcondit*, ait, *ſe ſponſus cum quæritur: ut non inventus ardentius quæratur, & differtur quærens ſpon-*

sane inveniat, ut tarditate suâ capacior reddita multiplicius quandoque inveniat, quod quærebat Ad Sanct. Coletam Virginem Ord. Sanct. Claræ *venit aliquando bestiola quædam miri candoris & elegantiæ. Incertum erat, unde venisset, nec erat aliis similis, nec unquam ab aliquo conspecta fuit: nec semper ei aderat, ut agnellus: sed per vices modò apparebat ei conspicua, modò evanescebat. Erat aspectu gratissima & valdè delectabilis. Itaque multæ sorores eam summoperè cupiebant apprehensam manu contrectare, sed frustrà nitebantur, illâ vel disparente, vel alicubi latitante. Coleta ipsa quandoque cum filiabus suis eam cursu insequebatur: sed ipsa Coleta præcedens, unà cum bestiola ab aliarum oculis evanuit, nescientibus illis, quo translatæ essent. Nulli verò dubium esse debet, bestiolam illam significasse arcani quiddam, ejusque & internam & externam repræsentasse puritatem eximiam.* Ego sanè existimo bestiolam hanc significasse & repræsentasse Christum, purissimum animarum sponsum, qui subinde quidem suum sponsæ exhibet dulcissimum aspectum & præsentiam, ludens cum dilectâ: repentè tamen iterum se subducit, ut amorem sponsæ extimulet & desiderium acuat. Ita lusit Dominus cum Magdalenæ, postquam ab ea tam fervidè requisitus post suam mortem fuit. Ostendit enim se ipsi, sed non statim: deinde in hortulani specie, necdum se ipsi manifestans, donec ad extremum eam compellaret nomine suo: MARIA. Quâ re docuit Dominus se rursum ad suos rediturum cum solicitis consolationibus, si eo modo requiratur, quo quæsitus à Magdalena fuit. Ipsa tulit secum aromata: nos adhibeamus suaveolentem orationem. Ipsa sæpiùs introspexit in sepulchrum: nos introspiciamus conscientiam nostram, & videamus ubi & quâ ex causâ perdiderimus sponsi nostri præsentiam & consolationem. Ipsa interrogavit Angelos, ubi eum posuerint? nos interrogemus patres spirituales. Ipsa lachrymas fudit, cucurrit & recurrit, perseveravit ad sepulchrum, etiam aliis discedentibus; perseveremus & nos quærendo, & sic tandem dilectum nostrum & ipsi inveniemus.

DOMINICA IV.

POST PASCHA.

THEMATA.

I. *Quomodo arguatur mundus de peccato, justitiâ & judicio.*
II. *Cursus vitæ humanæ qualis.*
III. *Quo fine missus homo in mundum: de eo rationem DEO redditurus.*
IV. *Damna detractionis.*
V. *Quàm deceat Christianos veritas, dedeceat mendacium.*

THEMA PRIMUM.

Quomodo arguatur mundus de peccat[o,] justitiâ & judicio.

I. *Spiritus S. arguit mundum de peccato.*
II. *Arguit de Iustitia.*
III. *Arguit de Iudicio.*

Cùm venerit ille, arguet mundum de pecc[ato] & de justitiâ, & de judicio. *Ioan.* 16

Non dubito, Audit. persuasum vobis [e]quòd per Concinatores loquatur vobis S[pi]ritus Sanctus. Id enim docent SS. Patres, [&] hodiernum exponunt Evangelium, & [ra]tio ipsa convincit; cùm idem omninò spiritus [qui] olim per ora Apostolorum mundum Idololat[riæ] immersum redarguit, nunc vitiis deditum per ora pr[æ]dicatorum reprehendat. Sed forsan in hoc hæretis [in] dubio seu obstaculo: Quare Spiritus Sanctus cùm [sit] paracletus, seu consolator, per linguas Concionat[o]rum perpetuò nos arguit? Raro enim audimus [ser]mones consolatorios, sed plerumque invectivos [&] in scelera fulminantes. Quomodò Spiritus Sanct[us] dicitur *paracletus*, qui in mores nostros perpetuò [in]vehitur? quomodò Concionatores sunt linguæ *parac[le]ti*, qui in vitia nostra tam acres sunt Aristarchi? [A]d hoc respondet S. Iob. cap. 6. qui in suis vexationibu[s], quas sustinuit à Diabolo, sed Dei permissu, ita loqu[i]tur: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me non parc[at] ne contradicam sermonibus Sancti.* Quod explicans Gregorius lib. 7. moral. cap. 7. ait: *Electi feriri patern[a] correptione desiderant: & dolorem vulneris medicam[i]na putant. Ac si apertè diceretur: Qui ideo hic quibu[s]dam parcit, ut eos in perpetuum feriat: ideò me hic f[e]riat, non ut parcendo, in perpetuum pareat, &c.* Ita que S. Iobo Dæmonis vexatio, quantumvis dira [&] cruenta, fuit consolatio: quia futurorum & long[è] majorum cruciatuum fuit redemptio. Consolatio e[st] ægro, quamdiu eius morbum Medicus impugnat ca[ta]potiis & clysteribus, sectionibus, & ustionibus: qu[ia] hinc æger salutem sperat. Desperatio sanitatis est Me[di]ci desolatio & medicaminum subtractio. Ergo Spi[ri]tus sanctus tunc est vester consolator, quando pe[r] ora Concionatorum est vester redargutor. Audite re[p]rehensorem.

I. Spiritus Sanctus arguit mundum, h. e. mundo addictos homines, de peccato. Quomodo de peccato? Primo, quia cum sint Christiani, jurati Dei servi, in baptismo ei adscripti, fiunt perduelles & peccando adhærent Dæmoni, mundo & carni; Non ita arguit infideles & Iudæos, quia illi fidem non susceperunt: neque ea gratiæ auxilia ab ipso acceperunt, quæ obtinent Christiani: hinc Spiritus S. istos velut adulteros, Christo desponsatos, meritò redarguit. Baptismus & Christianismus teste S. Cypriano l. 3. ep. 2. ad Donatum, aliud non est, nisi *mors criminum & vita virtutum.* Et quid agit peccator Christianus? Crimina in baptismo à Christo destructa, iterum resuscitat: gratiam & virtutes in eodem extructas iterum demo-

ır. Dira interminatus fuit Josue reparatori destru-:urbis Jericho. Jos. 6. & sensit Hiel instaurator, dum ıcturâ durante perdidit omnem sobolem suam. 3. g. 16. Quid mirum si redarguat Spiritus sanctus ıristianos severius, quam infideles, qui dejectam bylonem iterum exsuscitant? Magis adhuc & ma-i jure reprehendit eos, qui non modo post baptis-ım, sed etiam post pœnitentiam toties peractam ıromissam emendationem toties relabuntur in ea-u peccata. Quemadmodum enim lepra semel cu-a & postea in cicatrice recrudescens detestabilior t, ita ut sacerdos talem leprosum contaminare ju-etur; quia plaga lepræ orta esset in ulcere, Levit. v. 20. ut explicat Divus Hieronymus in cap. septi-Mich: ita peccatum post veniam reviviscens, tur-s & coram Deo execrabilius est. Quare tales pec-ores Spiritus sanctus gravius redarguit & contami-, destituendo suâ gratiâ.

2 Quia post tot beneficia, præ aliis innumeris ho-nibus accepta, audent Deum offendere, & reddere lum pro bono, nec non ex divinis beneficiis cude-ibi arma, quibus in Deum pugnent. Non im-perat quidem gratis sua beneficia Deus: ingratis nen exprobrasse sæpissimè reperitur, uti inpri-s populo Hebræorum Jud. 2. *Eduxi vos de Ægy-& introduxi in terram, pro quâ juravi patribus ve-u, &c. Et noluistis audire vocem meam.* Rursum li sacerdoti, quod ejus domum extulisset ad digni-em summi sacerdotii & aliis condecorasset gratiis, e vero ingratus magis honorasset filios suos quam eum ejusque domum 1 Reg. 2. vers. 27. & seq. Reg. vers. 27. & seq. Regi quoque Sauli per Samuelem: *onne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribu-s Israel factus es? unxitque te Dominus in Regem su-Israel? Quare ergo non audisti vocem Domini, sed ersus ad prædam es & fecisti malum in oculis Domini?* Reg. 15. Davidi quoque per Nathan. *Ego unxi te in egem super Israel & ego erui te de manu Saul & de-tibi domum domini tui, &c. Quare ergo contempsisti erbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* 2. eg. 11. Christus ipse mitissimus alioquin non potuit on de ingratitudine notare novem leprosos sanatos, ui non redierunt ut gratias agerent. Luc. 17. nec non parabolâ conservum ingratum: *Serve nequam, o-ne debitum dimisi tibi: nonne ergo oportuit & te mise-eri conservi tui?* Matth. 21. Dignus redargutione est, adhuc graviora promeritus, qui constitutus in sum-na necessitate mutuum ab amico impetravit certâ estitutionis fide data; posteà tamen non restituit, mmemor beneficii. Fuit talis mulier illa, quæ san-guinis fluxu emoritura, jaspidis pretiosissimi, quem Alphonsus Rex Aragoniæ ejus manui infixerat ad re-medium, beneficio curata eundem postea benefacto-ri negavit, nec à se visum unquam asseruit, quam pro-inde Regis aulici, qui rei gestæ adfuerant, non imme-rito detestati sunt, ut ex Panorm, alibi retulimus. At quam multos huic mulieri similes reperies? Quot-quot in Deum peccamus, idem agimus omnino: pre-tiosissimum jaspidem, peccatorum remissionem & Dei gratiam quoties accipimus in sacramento pœ-nitentiæ? Et tamen ingrati Deo, non reddimus quod debemus Unde Ps. 36. verissime ait David: *Mutuabi-tur peccator & non solvet.* q. d. multa à Deo beneficia accipiet, quin vel unum beneficium rependat. Ita S. Augustinus in eum Ps. *Quanta,* inquit, *accepit pecca-tor, pro quibus non solvit; Accepit ut sit, acce-pit ut sit homo, multumque intersit inter ipsum & pecus. Accepit corporis formam, accepit in corpore di-stinctionem sensuum, ad videndum oculos, ad audien-dum aures, ad odorandum nares, ad gustandum palatū, ad contrectandum manus, ad ambulandum pedes, salu-temq; ipsam corporis. Sed adhuc ista & cum pecore ha-bemus communia. Accepit etiam amplius mentem quà possit intelligere, quâ possit capere veritatem, qua possit justum ab injusto discernere, qua possit indagare, desiderare creatorem, laudare & inhærere illi. Hæc om-nia accepit & peccator sed non bene vivendo, non reddit quod debet. Ergo foeneratur peccator & non solvit, non reddit ei à quo accepit, non agit gratias, imo verò repen-dit mala pro bonis, blasphemias, murmur, adversus Deum indignationem; ergo ille foeneratur & non solvit.*

3. Quia cum tam facili & passim obvio confe- 3.
ssionis remedio redimere & delere sua peccata pos-sint, negligunt tamen & hærent sæpe totis mensi-bus & annis in peccato, Deique odio & inimicitia; quæ sane ingens vesania est, omni increpatione & fla-gellatione digna. Dicite enim quantam objurgatio-nem meruissent Hebræi in deserto, à serpentibus ad-morsi, si erectum sibi pro remedio serpentem æneum aspicere neglexissent? Atqui peccatum serpente ma-gis virulentum est. Unde Ecclesiasticus cap. 21. *Quasi à facie colubri,* inquit, *fuge peccatum: dentes leonis den-tes ejus, interficientes animas hominum.* At hoc ex-piare possumus facili remedio, aspiciendo Chri-stum propter nos serpentem factum & in cruce su-spensum ob peccata nostra, & hoc cogitando cum do-lore de peccatis: expiare possumus indicando mor-sus nostros uni sacerdoti. Quid hac medela facilius? *Si corporis morbum patiamur,* inquit Sanctus Chry-sostomus homil. 46. ad pop. *omnia facimus & tra-ctamus ut à molestia liberemur: anima vero nostra ma-lè habente tardamus & differimus, propterea nec à pec-catis liberamur.* Et paulò post: *Tu verò hominem qui-dem exacerbans, & amicos & vicinos & janitores rogas, & pecunias impendis & multos absumis dies accedens & supplicans: & sive semel, sive bis, sive millies te repulerit irritatus, non recedis, sed magis contendens majorem af-fers supplicationem Deo autem omnium exacerbato, os-citamus & recedimus, & delitiis & ebrietati vacamus & omnia pro consuetudine facimus: & eum quandò propitium facere poterimus? quomodo verò non ex hoc ipso magis eum irritamus? Nam peccantes non do-lere, magis eum indignari facit & irasci, quàm pecca-re. Quapropter ipsam jam dignum est terram subire, nec hunc Solem intueri, neque penitus spirare, quod tam facilem habentes Dominum, & eum exaspera-*

mus, & exasperantes pœnitentiam non agimus. Ob hanc desidiam videtur objurgasse DEUS Salomonem 3. Reg 11. quòd in tam diuturno tot peccatorum statu hærens, tot pellices conquisierit, tot fana idolis struxerit, nec unquam interea de propitiando Deo curam habuerit, cùm sciret eum à patre suo Davide, uno verbo: *peccavi*, statim fuisse placatum: *Quia habuisti hoc apud te*, inquit, *& non custodisti pactum meum, &c. disrumpens scindam regnum tuum.* q. d. quia serpentem fovisti in sinu tuo, tot mulieres & tot idola, cùm tam facile posses eum abjicere, & neglexisti: disrumpam regnum tuum, uti serpens peccati dirupit animum tuum. Vel, *habuisti hoc apud te*, hoc est, remedium in promptu, si adhibere voluisses, dicendo cum patre tuo: *Peccavi Domino*; quo modo ps. 41. dicitur: *Apud me oratio DEO vitæ meæ*: hoc est, in promptu habeo remedium, orationem.

II. *Arguit de justitia.*

II. Arguit mundum de justitia. Quia enim sublata justitia stare nequit respublica, nec mundi totius gubernatio, quando in hominibus ea desinit, illicò DEI ira & increpatio incipit, nec quiescere potest, donec restituatur. Hinc de Persis, qui sub Cyro, & rursum sub Dario Hystaspi, tempore Zachariæ Prophetæ, vastarunt impiam Babylonem, ait Deus Zach. 6. *Requiescere fecerunt spiritum* (70. habent *furorem*) *meum in terrâ Aquilonis*. q. d. inquietus fui donec Persæ exsaturarunt appetitum meum, sumendo vindictam de

1. tyrannis Babylonis. Arguit ergo mundum. 1. de justitia malè administrata. Quod ostendi potest in Heli sacerdote, qui cum gravia filiorum scelera pro merito non castigaret; vocavit DEus in somnis puerum Samuelem, quater repetitis vocibus, ut per os ejus argueret Heli pontificem; quasi non potuisset quiescere Dei justitia, donec vindictam à reo sumeret. Quid verò ei nunciat? *Ecce ego*, inquit, *facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem; eo quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* vult dicere: ita puniam illum, ut omnium aures tinniant & timore concutiantur. 1. Reg. 3. Sic redarguit Regem Achab ob dimissum Israelitarum hostem, Benadad, per os prophetæ: *Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius & populus tuus pro populo illius.* 3. Reg. 20 Similiter & Saulem parcentem Regi Agag. 1. Reg. 15. Quin etiam instigavit Alaricum Gothorum Regem, ut Romam cum exercitu pergeret, ac vastaret propter admissa scelera, testante Alarico se ad hoc urgeri a quodam genio sibi suggerente, ut Romam vastaret. Quod cum nimis clementer, nec ad rigorem implevisset, eum paulò pòst naufragium in Sicilia passum miserè periisse referunt Sigebertus in Chron. Socrat. lib. 7. c. 10. Sozom. lib. 9. cap. 6.

2. 2. De Justitia omninò neglecta seu non administrata. Quæsivit ex hoc capite Absalon titulum exuendi patrem imperio & regno suo, asserens (sed falsò) neminem à Rege constitutum, qui audiret causas pauperum; existimans hanc querelam, velut potentissimam, plurimum valituram ad exauthorandu
Patrem, Davidem, 2. Reg. 15. Et verè alioquin hic
fectus tantus est, ut totam rempublicam lamenta
nibus impleat; quibus ipsis Spiritus Sancti per ora
pillorum & viduarum aliorumque, quibus jus n
dicitur, redarguit Magistratus. Redarguit per piissim
& æquitatis amantissimos Reges, S. Ludovicum G
liæ Regem qui singulis septimanis bis publico in
co causas pauperum audiebat, apud Bzovium a
1270. nec non Alphonsum Aragoniæ Regem,
singulis feriis sextis iisdem jus dicebat, ut à poten
rum injuriis eos defenderet, teste Panormit. lib. 1.
storum ejus.

3. De justitia impedita, interversâ, elusâ per
lentiam & potentiam, per munera, per astus. Quo
mnes inprimis arguit per Isaiam cap. 1. *Principes
infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequu
tur retributiones. Pupillo non judicant, & causa v
non ingreditur ad illos.* quia scilicet ab istis non spe
munera & favores: unde eorum causas cæteris p
ponunt, vel depravant & rejiciunt: Et rursum c
*Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes injusti
scripserunt: ut opprimerent in Iudicio pauperes, &
facerent causæ humilium: ut essent viduæ præda eor
& pupillos diriperent. Quid facietis in die visitation
calamitatis de longe venientis? ad cujus confugietis a
lium?* Arguit per Gentiles & Barbaros, qui pleri
maximam justitiæ tuendæ habuêre rationem, uti
reopagitæ judices æquissimi, ac severissimi, qui no
judicabant in tenebris, ne personas acciperent vel
rum moverentur aspectu. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5.
tilas Gothorum Rex rogatus, ut parceret cuidam,
virginem constupraret: *Ejusdem*, inquit, *ingenii est,
licto se obstringere, & delictorum supplicia impedire:
ninò autem aut hunc pœnam dare, aut Gothorum re
publicam interire necesse est.* Sigon 19. de Occid. in
Theodoricus item natione Gothus, Rom. Rex Ju
ces, qui causam viduæ nomine in venalis triennio
penderant, posteà ad Regis jussum, intra biduum
pediverant, quia sic Rex jussisset sic excepit: *Quan
eum vobis detuli Magistratum, nonne omnes causas
singulariter viduarum commendavi; Mortem e
promeriti, qui causam duorum dierum, spatio trium a
norum protraxistis.* eoque momento jussit eis cap
amputari; ut alibi recensui. Arguit per majores n
stros, Germanos justitiæ amantissimos, inter qu
Otho I. Germanorum Imp. excelluit, de quo scrib
Cranzius l. 3. Metrop. c 12. *Otho I. Imp. cum exped
tionem militarem crebrius duceret per Italiam, procu
ad pedes ejus mulier, querens quod per vim passa es
stuprum, ac rogans justam legum vindictam. Imperat
vero ob festinationem ad reditum suum rejiciebat leg
executionem. At mulier vicissim: Quis tum, inqui
tibi Rex, hanc tam atrocem illatam injuriam in men
tem revocabit? tum ille suspiciens in proximam Eccle
siam: Hæc, inquit, erit testis inter me & te & in signu
justæ ultionis. Sicque illam dimisit, ipse vero cum
suo comitatu progressus est. At cum pedem rebus in Ita
lia pacatis referret ac videret Ecclesiam, recordatu
simu

...ul delatæ querimoniæ. *Iussit itaque advocari mulie-*...n. *Quæ cum statim advolasset ad Regem, sic eum al-*...uitur: *Serenissime Rex, vir de quo sum olim questa,* ...nc *meus est maritus peperique ex eo & injuriam abo-*...vi. *Non sic*, inquit, *Rex, per Othonis barbam sentiet* ...labrum. *Nam inter vos facta collusio sacris legibus* ...n *imperat; jussitque virum securi percuti.*

III. Arguit mundum de judicio 1. De eo non præ-...so nec præcogitato. Quâ de re Chrysostomus ho. ...in Ep.2. ad Thessalon. *Dic mihi homo*, ait, *Tribuna-* ...*Christi cùm sistendus sis omnia magis loqueris quam* ...*isto? Et quidem quando tibi cum Iudice causa est ple-*...*mque verbotenus duntaxat, non nocte, non die, non* ...*iquo temporis articulo, non aliqua hora aliud quid* ...*queris, semper de causa illa, quam agendam habes.* ...*um verò de omni vita tua rationem redditurus & pœ-*...*s daturus sis, neque alios etiam pateris, qui te hu-*...*s judicii admoneant. Atqui propterea cuncta periere* ...*intercidere, quod humano quidem tribunali tempo-*...*lium rerum gratia sistendi, neminem non monemus,* ...*minè non rogamus, indesinenter de illo solliciti sumus,* ...*mnia hujus gratia facimus: ad tribunal vero Christi* ...*enturi, idque brevi neque per nos ipsos aliquid, neque* ...*r alios facimus, judicem non rogamus; quamvis* ...*obis multum spatii ante judicium permittat; ut illa* ...*cuere aggrediamur, & nihil eorum quæ ad ipsum reci-*...*unt, prætermittat bonitate illa sua & benignitate.* Non ...getur in judicio illo de jactura vitæ hujus & aliarum ...erum temporalium, sed de summa salutis aut per-...itionis nostræ æternum duraturæ; quis hoc judi-...ium non timeat? Certè sanctus Gregorius lib. 16. ...moral. cap. 31. ait: *Dei misericordiæ oblivisci ejus dici-*...*ur, qui justitiæ Dei fuerit oblitus. Quia quisquis eum* ...*nunc justum non timet, posteà invenire non valet mi-*...*sericordem, &c.* Quis non arguendos diceret reos, ...qui saltando & jubilando exirent ad suum educti ...supplicium? At hoc agunt illi, qui immemores ...se pergere ad judicium, exultant cum malè fecerint, & ita vivunt, ac si nullum omnino futurum sit judicium.

2. De eodem toties inculcato. Principum mandata si semel tantum promulgentur & postea curiæ affigantur, obtinent vim suam, & omnibus incutiunt terrorem, ne quis ea transgrediatur: Dei vero decreta & judicium toties inculcatur hominibus, & tamen à paucis curatur. Inculcatur ac timetur in lapsu Angelorum tot millium ob unicum peccatum; quam ob causam psalm. 75. dicitur: *De cœlo auditum fecisti judicium.* Quâ de re S. Bernardus serm. 2. de verbis Isaiæ 6. *Quid* inquit, *putas? Indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut nō discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Qualem ergo putas, necesse est hominem invenire, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Inculcavit inprimis parentibus post transgressionem in paradiso judicatis & condemnatis: posteà in diluvio, in Pentapolis incendio, in terræ hiatu absorbente rebelles. Denique nihil frequentius in sacris litteris, quam judicii extremi memoria, ut vel solos Prophetas legenti patet; quia nimirum ea noster *pædagogus est ad exercendam pietatem*, ait D. Basilius in id Isa. 1. *Quærite judicium.* Viderit is, qui hunc prædagogum à se repellit, quid Deo responsurus sit. Certè muri Iericho conciderunt, postquam sacerdotes septies clangendo tubis eam circumjerunt. Ios. 6. Iam vero non septies sed septingenties clamant undique & inculcant sacerdotes Dei judicium, & interim dura peccatorum corda minimè moventur.

3. De eodem deriso & contemptui habito. quasi nunquam futuro. Quâ de re præclarè Origenes hom. 8. in Levit. ita scribit: *Vereor, ne ignem non membris singulis sed toto corpore mereamur. Cum enim lasciviunt oculi, vel per illicitas concupiscentias vel per spectacula diabolica, quid aliud nisi ignem sibi congregant? Cùm aures non avertuntur ab auditis vanis derogationibus proximorum; cum manus è cæde nequaquā & rapinis ac deprædationibus continētur, cum pedes volucres sunt ad effundendum sanguinem, cumque corpus non Domino sed fornicationi tradimus, quid aliud nisi totum corpus tradimus in gehennam? At hæc cum dicuntur contemptui habentur. Quare? quia fides deest. Alioquin si tibi hodie diceretur, quia judex seculi vult te crastino vivum exurere, & his auditis esset tibi unus diei spatium liberum, quanta faceres? quomodo & per quos discurreres? quam humilis, quam lugens & sordidus oberrares? Nonne effunderes omnem pecuniam tuā in eos, quorū intercessione evadere posse te crederes? Nōne omnia quæ possides redemptionem faceres animæ tuæ? Quod si etiam aliquis te retardare aut impedire tētaret, nonne diceres, pereant omnia pro salute mea, nec quicquam remaneat, tantum ut ego vivam? Hoc quare faceres? quia inde dubitares, hinc dubitas. Et ideò bene Dominus dicit: Putas veniens filius hominis, inveniet fidem super terram? Et quid ego dico de certis indubitatisque periculis? Tantum modo si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur; nonne omnibus vigiliis excubatur, advocato patrono munera præparantur, etiam si anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio? Nos quare non credimus, quod omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis prout gessit, sive bona sive mala? Hæc si integre crederemus, esset nobis secundum quod scriptū est: Redemptio animæ viri, divitiæ eius. Sed unde possumus hæc vel credere vel intelligere, cum ne ad hæc ipsa quidem audienda conveniamus? Quis enim vestrū cum recitantur scripturæ præbet auditum?* Sic ille. Prævidit Spiritus sanctus fore ad finem mundi, (cui nos propinquus esse vix est quod dubitemus) hujusmodi homines liberrimos, qui ut suis concupiscentiis velut equi effrænes adhinniant & indulgeant negabunt futurum judicium, quos redarguit per sanctum Petrum epist. 2. cap. 3. dicentem: *venient in novissimis diebus in deceptione illusores dicentes: Vbi est promissio aut adventus eius?* Verum *apparebit in finem* (ait Habacuc c. 2. & ex eo Apost. ad Heb. 10.) *& non mentietur, si moram fecerit, expecta illum,* *quia*

quia veniens veniet & non tardabit. Aut enim Deus non est, aut justus est. Quod si justus est, ergo statuit diem, in quo reddet unicuique secundum opera sua; cum hoc in isto sæculo non fieri sæpissimè videamus: imo justos negligi, opprimi, extingui, injustos vero coli, adorari, exaltari.

Quare concludo cum S. Gregorio scribente ad Justinum Prætorem Siciliæ, epist. secund. his verbis: *Per omnipotentem Dominum rogo, in cujus tremendo judicio nostrorum actuum posituri rationes sumus, ut ejus respectum semper gloria vestra ante oculos habeat: quam sit vita brevis, aspicite: ad quem ituri Iudicem: Cuncta lucra hic relinquimus, & solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus.*

THEMA SECUNDUM.

Cursus vitæ humanæ qualis.

I. *Est sicut aquila volans ad escam.*
II. *Dies nostri quasi naves poma portantes.*
III. *Velociores cursore.*

Vado ad eum qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Ioan. 16.

Quæsitum fuit aliquando è Philosopho quodam: quid esset vita hominis. Is ad hoc quæsitum, paumper se conspicuum ostendit, mox se proripiens abscondit; indicans vitam hominis non esse nisi momentaneum sui conspectum, moxque cursum ad sepulchri latebram. Apud. Rud. Agric. l. 1. cap. 24. Hoc idem docet nos cælestis philosophiæ Doctor Christus, cum in ultima cœna stans sermonem ad discipulos habuit, moxque inde ad montem Oliveti indeque ad mortem suam perrexit; quando id claris verbis edisserens ait: *Nunc vado ad eum, qui misit me.* Et mox: *Modicum & nunc videbitis me.* Indicat enim vitam hominis esse viam ad mortem, & quidem brevem ac solum unum *Nunc.* Hoc vero ut clarius perspiciamus, audiamus etiam alterum sapientem, Jobum, qui c. 9. vitæ suæ cursum describens ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum. Pertransierunt sicut naves poma portantes: sicut aquila volans ad escam.* E tribus elementis cursum vitæ suæ demonstrat, ex aëre per volatum aquilæ: ex aqua per navis transitum; ex terra per cursoris velocitatem. Et tamen adhuc quamplurimi homines intelligere nolunt se ad mortem ire, nec interrogant se: *Quo vadis?* Putant se nunc quiescere, nec nisi post multos annos viam alterius sæculi inituros, cum tamen jam de facto quam celerrime eò tendant adeoque semper vadant. Qualis autem ea via sit, ex Jobo nunc videbimus.

I. *Est sicut aquila volans ad escam* I. Dies nostri pertranseunt, *sicut aquila volans ad escam*, inquit Job. Aquila celerrimo impetu, *instar tormenti*, ut ait Isidorus lib. 10. cap. 7. devolat in prædam eamque si abripere non potest, frequentatis ictibus pulsat, lædit ac fatigat, v. g. leporem aut porcellum, donec conficiat. Sic dies vitæ humanæ primò celerrimo volatu pertranseunt, quam celerit
currit Sol; deinde homines invadunt curis, miserii
morbis, ærumnis, rapinis, odiis; & si non statim en
cant, frequentatis saltem ictibus enervant & con
ciunt. Sensit hoc inprimis ipse Job, qui primo nu
cium accepit, boves suos & asinos à Sabæis ablat
deinde venit alter nuntians oves quoque igne cæ
tus lapso tactas omnes periisse. Rursum alius nu
tiat camelos à Chaldæis raptos. Post hunc alius af
rens filios unà cum filiabus ruina domus oppress
ad extremum ipsa ejus caro pessimo ulcere percu
tur à capite usque ad plantam pedis: super omnia a
cedit uxor & insultat ei. Ecce tibi hic lepusculus qu
ictibus pulsatus est. Unde c. 16. queritur: *Convulner
vit lumbos meos & effudit viscera mea, concidit
vulnere, super vulnus.* Hinc ergo jure merito appel
vit Jacob dies vitæ suæ *dies malos* Genes. 47. *Dies pe
grinationis meæ centum triginta annorum sunt, par
& mali.* Cur *parvi* seu pauci? quia celerrime tra
sierunt. Cur *mali*? quia curis & ærumnis pleni, ipsu
etiam plurimis ictibus lacerarunt, modo fratris od
modo soceri Labani persecutione, modo raptu fili
modo dulcissimæ conjugis Rachelis præmatu
morte, modo dilectissimi filii Josephi perditi
ne; modo Simeonis, alterius filii, in carcere d
tentione. 3. Repente & insperato, in medio sæ
vitæ cursu & ætatis ac prosperitatis flore homine
abripiunt, sicut aquila corripit aves in ipso vol
tu, lepores in cursu, pisces dum læti & securi ludu
in aquis. Sensit etiam id Job, qui in medio pr
speritatis & abundantiæ, cum jam charissimos, lib
ros, adultos & nubiles ipse sanus & valens habere
de repente in die una omnibus spoliatus est; u
testatur cap. 16. *Ille ego quondam opulentus repentè co
tritus sum. Tenuit cervicem meam & confregit m*
Huncin modum homines in medio prosperitatis
ætatis cursu vel percutiuntur ac conteruntur morb
aliisve ærumnis, aut omnibus omnino spoliantur a
insperata morte. Sensit hoc inter alios Æschyl
Poëta Athen. qui ruinæ mortem oraculo sibi denu
ciatam fugiens, tecta dum vitat, & sub dio in saxo s
det calvo & aperto capite, aquila testitudinem i
caput dimittit saxum esse rata, sicque ipsum ene
cat. Plin, lib 10. cap. 3. Sensit hoc prænobilis vir Be
tholdus de Betholtiz cognomine Schranck, q
cum anno 1256. Pragæ per pontem gloriosus (fo
san ad palatium Regis) equitat, & turri mino
civitatis appropinquat, lapis de apice turris dejicitu
à duobus corvis, mutuo inter se pugnantibus, in e
quitantis caput eumque conterit. Lupacio auct. i
in Calend. histor. ad 18. Decemb. Sensit non ita pri
dem Polonus eques, quando Cæsareanus exercitu
cum Rege Dano conflicturus, per inferiorem Saxo
niam iter faceret, ubi utrimque paludosum solun
viam negarat, is enim militari fascia cæteroque habi
tu insigniter ornatus, & cane suo comitatus leporen
extemplo conspicit, per campi vicina spatia se prori
pientem. Quem dum primò canis, deinde herus equ
insequitur, repente in conspectu exercitus demergi
tur

in paludem, cespite opertam, ut nil amplius neque
quo, neque de equite præter pileolum capiti ex-
um apparuerit Refert P. Stengelius in Labyrin.
ict.p.1.c:6. Et quid multis? Sentiunt id quotidie
pauci, qui repentinis morbis aliisque miseriis op-
nuntur. Denique sicut aquilarum genus, quod
tures appellamus, prævenit strages & conflictus
ninum necandorum, atque ad locum stragis con-
at, teste Plinio l 10.c 9. ita multi ante tempus hinc
piuntur exigentibus eorum peccatis: uti contigit
ninibus, qui diluvio ob peccata sua absorpti sunt,
annis citius quam id eis destinatum sit, secundum
ron. Chrysost. & Hugon. cœpitque mense Majo
noante, quo homines de deliciis, de agricultura &
ctura cogitare solent.

I. *Quasi naves poma portantes.* Vita hominis recte
i comparatur, quia ut navis ab angustâ prorâ in-
t & rursum in angustam puppim desinit: ita vita
ninis ab infantia debili & insipiente oritur, & in
ectutem rursum debilem atque insipientem occi-
Hæc ergo celerrime præterlabitur ut navis in ma-
gitata vento, & remis insuper concitata: præsertim
oma & fugaces alios fructus ferat; hæc enim par-
ob levitatem ponderis facillimè propellitur, par-
ob periculum putrefactionis mercium fortissimè
pellitur. Sic currunt dies vitæ nostræ, non solum ex
pria fragilitate, sed etiam impulsu nostro, per in-
linatam & intemperantem vitam. Sentimus verò
potissimum, postquam ætas nostra una post al-
am elapsa est; tunc enim miramur, unde mihi tam
cani? unde jam rugæ! unde dentium lapsus? unde
lum debilitas? sicut mirantur navigantes, quod ter-
am repentè conspectum eorum fugiat.

2. Sicut navis in continuo cursu est: ita & vita no-
i. Unde S. Gregorius l. 6. ep. 26. ad Andream ait:
*a nostra naviganti similis est. Is namque qui navi-
stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur:
ergo & nos sumus, qui sive vigilantes sive dormien-
sive tacentes, sive loquentes per momenta temporum
finem quotidie tendimus.* Putant navigantes obvias
i naves, imo & rupes ac montes currere, se vero sta-
cum tamen ipsi celerrime currant: ita qui sani &
enes sunt, alios morti appropinquare, se vero mini-
existimant, cum æque celeriter ferantur, sed quasi
ensibiliter. Cum comitantur defunctum juvenem
virum ad sepulchrum, dicunt; Prô quam hic ce-
iter mortuus est? cùm ipsi pari passu incedunt.
uare ut hujus rei memores essent viri aliqui, suam
um naviculam, feretrum, inquam, aut circum fere-
nt, ut Maximilianus Imp. triennio ante mortem;
t in eo cubabant, ut Genebaldus Laudunensis Epis-
pus, 7. annis recubans in lectulo ad formam se-
lchri confecto. In vitâ S Remigii 1. Oct. aut crebro
æ oculis habebant, uti S Ida, vidua Egberti, majo-
domûs Caroli M. quæ feretrum suum quotidie a-
nentis implevit & pauperibus distribuit. 4. Sept.
ir.

3. *Sicut naves poma portantes;* quia plerique homi-
m onerant vitam suam rebus fluxis & fugacibus,
& nullius ferè pretii, (qualia sunt poma) quas ad vitam alteram secum ferre nequeunt: honoribus, divitiis, voluptatibus. Job certe in honoribus degebat, quia inter suos Rex quidam erat, ab omnibus honoratus, sic enim de se c.29 loquitur: *Quando procedebam ad portam civitatis, & in plateâ parabant cathedram mihi, videbant me juvenes & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, &c.* Et rursum: *cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, &c.* Habuit & divitias magnas, 7000. ovium, 3000. camelorum, 500. juga boum & 500. asinas, & familiam multam nimis. Habuit etiam delicias ac prosperitatem, bonam valetudinem, uxorem, 7. filios & 3. filias, morigeros, unanimes. Hæc tamen omnia ad extremum vidit aliud non fuisse quàm poma fugacia, de repente uno quasi die omnia putrefacta; seque eorum odore solùm ad modicum tempus recreatum esse. Hoc considerans S Jacobus c. 5. alloquitur divites: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: & aurum & argentum vestrum æruginavit, &c.* Ad finem vitæ enim cum ad portum appellent, deprehendent se pomis naves suas onerasse, eaque computruisse, & tunc *ululabunt;* sicut lupi (ululatus enim luporum est) cum fament, uti fatetur Sap. 5. *Quid profuit nobis superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, &c.* Ita Albertus Archiepiscopus Hamburg. anno 1072. cùm pauperum oblitus sua dispersisset in divites & adulatores, teste Cranzio in Metrop. l.5.c. 9. in extremis constitutus, crebris iteravit suspiriis: *Heu me infelicem & miserum, qui tantas largitiones in vanum effudi! Potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea convertissem, quæ pro sæculi gloriâ me distraxisse nunc nimium doleo.* ib.c.11. Fuit nostrâ ætate, ait Poggius in discep. de avaritia, qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim nummis aureis plenam, opem subsidiumque vitæ ab eis orans, quos tamdiu velut animam servasset; subinde murmurans: *Eheu quibus vos relinquam.*

III. *Velociores* sunt *cursore.* Primo enim cursor, mutatis equis continuò pergit, ut ad terminum sibi à Domino præfixum perveniat, tametsi subinde delassati concidant, saltem ultimus, cum alius non superest: ita homines de ætate in ætatem currunt, ad destinatum sibi à Deo terminum, mortem: & hic in infantia, alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in virili ætate equum corporis sui frangit; omnes certè in senectute, cum alius equus non superest. Auff dem letzten Post-Pferdt.

III. *Velociores cursore.*

1.

2. Velociores sunt cursore, quia certant cursu & præcurrunt se invicem ad mortem nescii, non cogitarunt hoc nisi sero reprobi illi, qui dixerunt Sap.5. *Transierunt omnia illa tanquam nuncius velociter percurrens.* Ubi 70. legunt, *præcurrens*: quasi multi simul cursu certent uti illi duo, qui Davidi victoriam nuntiarunt; vel uti Petrus & Joannes, currentes ad sepulchrum Christi. Sic enim currunt multi, licet inscii 2.

inscii ad sepulchrum suum, quasi vellet unusquisque primus esse; quod sanè mirum est. Dum enim iracundi & contentiosi ad arma currunt & se ad duella provocant: dum luxuriosi corpus insatiabili libidine enervant & corrivales fiunt; dum ebriosi poculis certant: dum intemperantes epulis delicatissimis morbos sibi conciliant: dum avari propter opes augendas maria trajiciunt & innumera pericula subeunt; quid aliud agunt, quàm quod inter se certant, quis prior ad sepulchrum veniat?

3. 3. Denique sicut cursor festinanter transit loca occurrentia; nec eorum deliciis fruitur, sed ea solùm aspicit, & vix indè aliquid delibat: nullum prandium aut cœnam, sed carptim bolos aliquos, vel haustus sumit, & mox iterum equum ascendit, ut ad destinatum terminum celerrimè pertingat: ita homines etiam opulentissimi per hoc sæculum currunt. Nulla enim re se satiant, nec satiare possunt; vel enim prohibentur ab adversa valetudine, vel ab avaritia, vel à liberis, vel ab inimicis, vel tædio & fastidio affecti hinc inde saltant & consolationes suas quærunt, nec tamen veras & solidas inveniunt. Cum Jonatha gustant parum mellis, & morti addicuntur. Cum Ezechia telam vix ordiuntur, & statim ea succiditur. Unde subdit loco cit. Job: *Fugerunt* (dies mei sicut cursor) *& non viderunt* (seu non experti sunt) *bonum.* Animadvertit inter alios hæc Sanct. Viator Brixiensis, post Bergomensis Episcopus, adhuc in sæculo constitutus, scilicet sitim humanarum cupiditatum nullatenus hic sive gloria, sive opibus, sive voluptatibus expleri posse, eaque sæpè in adversa mutari viventibus possessoribus, ac quo altius ascenderunt, eo fœdius corruere; tandemque in fine vitæ omnibus cedendum esse, nec plus illis quàm sepulchrum 4. cubitorum superesse. Hinc omnia jucunda ei sordere & cœlestia sola sapere. Accessit nomen Viatoris, quod monebat vitam hanc non nisi viam esse, ab utero matris ad uterum terræ & sepulchrum. Inde mundanis omnibus spretis ad cœlestem Philosophiam sese contulit, ut in ejus vita Antonius Benalius apud Lipel. 1. 4. Dec. Intellexit hoc Thomas Morus, qui pro tuendà justitia in carcerem conjectus ab impio Henrico 8. Anglorũ rege, dicebat vitam aliud non esse nisi carcerem reorum ad mortem damnatorum, unde alii citiùs, alii seriùs evocantur, alii breviore, alii longiore vita perducuntur, apud Staplet in vita cap. 12. Jam verò his ita se habentibus quomodo fieri potest, ut homines absque ulla cura periculi & salutis suæ in hæc terrena se tam liberaliter effundant, ac si in perpetuo & securissimo deliciarum horto degerent? Dicite quæso; si quis mortis reus ad furcam, rotam aut rogum educeretur longiore forsan vitæ spatio, iisque in via nugaretur, rideret, cachinnaretur, de fabulis & nugis discurreret; imo se beatum ac nescio quem principem reputaret: quid de illò diceremus? An non videmus, qua ratione tales captivi in carcere seipsos negligant, & de solo suo judicio ac processu cogitent? Hoc igitur nunc agamus, quotquot in hoc mundi carcere sumus. Interrogemus nosmetips non semel sed quotidie, & si fieri potest, singulis hor *Quo vadis miser? quo vadis? Vado ad eum, qui misit* vado ad judicium: vado ad æternitatem seu fœlici mam, seu infœlicissimam.

THEMA III.

Quo fine homo missus in mundum: de rationem Deo redditurus.

I. Missus est in mundum, ut Deum colat.
II. Vt per merita sibi gloriam comparet.
III. Vt creaturis utatur ad eum finem, cujus gr creatus est.

Vado ad eum, qui misit me. Ioan. 16.

DE litterarum studioso quodam adolescente, mine Vicelino, patria Mindensi, scribit Helm dus presbyter lib. 1. Chron cap. 43. & Cranzius lib Saxon cap. 29, eum à mecœnate suo, viro Comite Canonicos quosdam perdiscendarum causa lite rum missum, ubi domum reversus est, à sacerdote ci interrogatum: quem librum sibi prælectum au visset. Ille; *Statium*, respõdet. Rursum sacerdos: qu nam argumenti liber is tractaret. Ibi vox fauci hæsit, planeque obmutuit miser adolescens, nesci quid audisset, vel in scholis didicisset. Tum deric eum sacerdos atque exsibilare, velut frustrà natu frustrà ad studia missum: proinde jam inter homi nullo loco habendum. Pupugit ea derisio anim Vicelini, & pudore opplevit adeo, ut ex eo temp animum collegerit & ad studia adjecerit: itaque p fectus Pade bonam, inde Lutetiam tantum profe ut facilè doctissimus suo ævo evaserit, factusque E scopus Aldenburgensis Holsatas ad fidem conver rit, circa annum Domini. 1134. Fassus ipse pos est, non semel illam increpationem suique confusi nem fuisse sibi initium profectus & salutis suæ. meo Audit. ne simile quid contingat multis è nos numero. Omnes nos à Deo in hunc mundum mi sumus, ut artem bene & Christianè vivendi addis mus; & jam vadimus ad eum, qui misit nos, qui & terrogabit primo quem librum audiverimus. Resp debimus: Evangelium. Rursum inquiret, quid lib ille tractet, quid in eo didicerimus? Hic hærebũt m ti, qui ne quidem scient, quid sit Evangelium, quid Christianè vivere, & cur in hunc mundum missi si Ne ergo confundamur in illo examine, jam nos ip examinemus.

I. Missus est homo in hunc mundum, ut Deu suum veneretur, laudet, colat, eique ad nutu serviat. Quod inprimis subtili penicillo indic vit Moyses, quando in descriptione creatio mundi tum demùm Deum appellare solet *Dom num*, postquam descripsit hominem ab ipso creatu Priùs enim non nisi *Deum*, post creatum homine consta

nſtanter cap. 2. 3. & 4. appellat *Dominum Deum*, vel ecisè *Dominum*. Cauſam dat S. Auguſtinus l. 8. de n. ad lit. cap. 11. ut ſc. declararet Deum peculiari ratione & propriè eſſe hominum Dominum hominesq; ſerviendum Deo & obediendum factos. Quem in em etiam ſolum hominem fecit Deus erecto ad :lum capite, ut velut ſervus Dei ad imperium ejus nper erectus & attentus ſit. Neque de hoc ulla du- andi cauſa eſſe poteſt. Ad quid enim Reges aliie domini ad aulas & familias ſuas aſſumunt ſibi nulos, niſi ad obſequia, ſervitia, honorem & eximationem ſuam tuendam & conſervandam? Hinc 43. ait Dominus: *Populum iſtum formavi mihi, laun meam narrabit.* Non eget Deus ſervitio vel lau- creaturarum, quando tamen creaturas formare ivoluit, decet omnibus modis, ut ipſæ non ali, quàm Creatori & ſummo benefactori ſuo fernt, omniaque ſua obſequia deferant. Et propte- Chriſtus primam in oratione Dominica hanc peonem poſuit: *Sanctificetur nomen tuum.* ut nimi- n nos eum corde, voce & opere quantum poſſuis, ſanctificemus, laudemus & veneremur, *non quaſi ſit ſanctum nomen Dei*, inquit S. Auguſtinus lib. le ſerm. Dom. *ſed ut ſanctum habeatur ab omnibus minibus, id eſt, ita illis innoteſcat Deus, ut non exiſtint aliquid ſanctum, quod magis offendere timeant.* tis etiam hoc oſtendi poteſt ex eo, quod ſolius honis cauſa, non in ſui gratiam, (cùm nec ipſe, nec geli mundo hoc viſibili indigeant) mundum hunc quæ in eo ſunt crearit, ac proinde hominem ad ſui lius gloriam. *Erat conſequens & neceſſarium & piũ*, quit Lactantius in Epit. diu. Inſtit. c. 10. *ut cum homi- s cauſa tantum operam molitus ſit, cum tantum illi noris, tantum illi poteſtatis tribuerit, ut dominetur undo: homo agnoſceret tantorum beneficiorum auctom, qui fecit mundum propter ipſum, & ei cultum & norem debitum redderet*; ſic ille. Ex quibus omnibus atet nos à Deo in hunc mundum ideò miſſos eſſe, : in omnibus & per omnia ipſius gloriam quæmus & voluntatem faciamus; quomodo ſervi ab ero miſſi in agrum vel ad peragenda negotia, non ium ſed heri commodum quærere ac promovere: uomodo Legati Regis miſſi ad Comitia, non ſua, ed domini ſui jura propugnare, & tueri tenentur. Verum plerique mortalium adeo hoc non expenlunt, ut ne intelligere quidem videantur, ac proinle arbitrentur, ſe nequaquam alia de cauſa, quam ut ſibi & ſuis commoditatibus ad libitum ſerviant, n hunc mundum veniſſe: alii ut honores & dignita- es, alii ut voluptates & delicias, alii ut theſauros & poſſeſſiones ſibi & ſuis poſteris quærant: de obſequio Dei & reddenda ratione vitæ ſuæ nihil planè cogitent; ingrati ſimul & perfidi legati: ſimiles corvo illi, quem emiſit Noë ex arca, ut ſibi nunciaret an diluvii aquæ ſenſim minuerentur & de virore arborum quidpiam appareret; ipſe vero poſthabito hoc mandato, oblitus ſui Noë, cadaverum pabulo allectus, ſuum quæſivit commodum; uti ſentiunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Liran. Abulenſis, Geneſ. 8. non ita columba poſt corvum emiſſa, quæ ramum olivæ portans ore rediit, non quod ipſa foliis aut etiam fructibus oleæ paſceretur, ſed ut hero, à quo emiſſa fuit, rationem legationis ſuæ redderet, velut bene & fideliter defuncta ſuo munere. Corvi ſunt filii hujus ſæculi, qui Dei & legationis ſuæ neſcii aut immemores, non Dei gloriam & voluntatem, ſed ſua commoda quærunt & cadavera ſectantur; quales illi, de quibus Iſai. 1. dicitur: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Sed quãta hæc perfidia! quid non merētur ſupplicii! Edgarus Anglorum Rex morbo amiſit Elfredam Reginam, ex qua Edovardum ſuſceperat. Per idem temporis fama pervaſerat Horgerium, Ducem Cornubiæ, filiam habere nomine Alfredam, forma elegantiſſimam. Edgarus dedit negotium Ethelvoldo familiari ſuo, puellæ viſendæ, ſuiſque verbis & nomine à Duce connubii ejus petendi; ſi modo pulchritudo famæ reſponderet. Ethelvoldus ubi puellam ſupra modum ſpecioſam adeoque Rege dignam eſſe vidit, immemor mandati regii, eam ſibi nuptum dari magnoperè petivit & impetravit. Ad Regem reverſus ait puellam non eam eſſe, quam deceat nubere Regi, ac non multo poſt, ubi ſenſit Principis animum hoc pacto ab amore alienatum, incipit paulatim apud eum agere, ut ſibi ejus voluntate liceat puellam in matrimonio habere. Id quod Rex, qui illius jam formam aſpernatus erat, ultro conceſſit. Crebreſcebat deinde indies magis Alfredæ pulchritudinis rumor, cum Rex cupidus videndi, de induſtria venandi gratiâ ad villam Ethelvoldi acceſſit. Is ubi Regem adventare intellexit, fertur rem omnem uxori aperuiſſe, oraſſeque uti communis ſalutis cauſa, ſe negligentius ſolito comptam juveni furenti oſtenderet. At fæmina immemor conjugalis amoris ac filii communis ab Ethelvoldo ſuſcepti, quam elegantiſſimè potuit regi venienti obviam facta, ultro caſtum reſolvit pudorem, & mariti è medio tollendi cauſa extitit. Refert Malmes Burienſis libro 2. cap. 46. Ergo perfidus hic legatus & ſponſam, quam Regi ſuo nequiter ſubduxit, & unà vitam perdidit. Sponſa, quam per noſtram in hunc mundum legationem ſibi quærit Deus, gloria ipſius eſt, de quâ Iſai. 42. ipſe dixit: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Corvi igitur ſunt iſti, qui Dei gloria & obſequio neglecto ſua commoda in hoc mundo quærunt & ſectantur. E contra verò columbæ ſunt filii lucis, qui in omnibus actionibus ſuis Dei gloriam & laudem quærunt, eamque ore laudis & benedictionis ad ipſum referunt: nec vel in minimo tangere volunt; qualis erat fidelis ille legatus Eliezer, qui domino ſuo Iſaac ſponſam adduxit, quam requiſivit: nullo proprio commodo penitus quæſito. Geneſ. 24. Quin imò nec cibum ſumere voluit, donec negotium domini ſui perageret: *Non comedam*, inquit, *donec loquar ſermones meos.* Extollit etiam dominum ſuum; *Dominus benedixit Domino meo valdè, magnificatusque eſt, &c.* tales utinam ſervi Dei omnes noſ eſſemus!

II. *Ut per merita gloriam sibi comparet.*

II. Ut per merita & labores gloriam sibi in cœlo comparet, visionem beatificam, Angelorum consortium & ipsius summi boni æternam possessionem. Tam bonus enim est Creator noster, ut licet jure meritissimo requirere à nobis omnia servitia, nullo exhibito stipendio posset; voluit tamen potius velut opulentissimus & liberalissimus Dominus remunerari servos suos ineffabili mercede, quæ omnem eorum appetitum satiaret & omnem spem transcenderet. De hac loquitur Dominus Joan. 4. ad discipulos: *Qui metit, mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam: ut qui seminat, simul gaudeat & qui metit.* Quibus verbis incitat eos omnes, imò & nos omnes ad laborandum secum, spe mercedis æternæ vitæ, secum participandæ. In hoc mundo messores non sibi sed domino metunt: exigua mercede & diurna tantum contenti esse debent; non ita qui Deo serviunt & metunt: quidquid enim metunt, totum ipsorum est. Subdit ergo: *Ego misi vos metere, quod non laborastis* hoc est, cum labore non seminastis. Idem repetit. Joan. 15. illis verbis: *Posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* q. d. posui vos messores in agro Ecclesiæ meæ, ut fruges meas metatis, non tam mihi, quam vobis ipsis. Qualis & quanta merces! quanta remuneratio! Natalitiis Christi Salvatoris diebus Rex Anglorum Richardus auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro more exornarat; tum Episcopus Aquensis Bonifacii Papæ legatus manè in ea sacrificium peregit; qui dum pontificalia exueret indumenta, Rex de aræ ornamentis nil moveri jussit; apprehensoque postea humanè per manum Legato, cum ad aram accessisset dixit: æquum non videri, ea die Pontificium Legatum in aliena veste ornamentisque sacrificasse: & propterea quæcunque nunc in ea æde essent, ei dono se dare. Refert Fulgos. l. 4. c. 8. Quid videtur vobis: an nō pari, imò centies millies majori liberalitate offeret Deus servis suis divitias gloriæ suæ & ornatum cœli, quando illi in Ecclesia ejus, induti gratia & meritis, imo & vestimentis (quæ sunt virtutes) Christo gnaviter & industriè laborarunt? Audiamus dicentem Apostolum. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ad Gal. 3. Et rursum ad Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* h. e. vitam & virtutes ejus, ut in vestra conversatione ipsum repræsentetis: rursum, applicate vobis merita & sacramenta ejus. Hoc ergo si faciamus, ducet & ipse nos quàm humanissimè ad templum gloriæ suæ dicens; non videri decens, in alienis vestimentis nos ipsi laborasse: totum ergò thesaurum suum cœlestem nobis donabit. Non enim vult à nobis ipse ditari: nos ditare gaudet thesauris meritorum & gloriæ suæ. Hinc profectò Joannes, quando ductus est ab Angelo in montem magnum & altum, ut videret civitatem sanctam & Jerusalem cœlestem, totam ex auro mundo & gemmis pretiosissimis constructam, vidit inter alia in portis ejus inscripta nomina duodecim tribuum filiorum Israel, hoc est, omnium electorum, qui non carne, sed spiritu filii Israel sunt. Apoc. 21. Quid verò sibi volunt nomina electorum in portis illis cœlestis civitatis ... nè in portis civitatum, non inscribuntur alioquin ... mina aut insignia cœmentariorum aut fabror... qui struxerunt eas: sed Principis aut Regis, cujus ... civitates, quique sumptus dedit ad eas exstruen... Dum ergo Christus Dominus cœlesti suæ civitat... pingit nomina suorum servorum, nonne apertè i... cat se illam civitatem donasse servis suis, qui velu... bri & cæmentarii in ea extruenda quomodocu... laborarunt, tametsi ipse sumptus dederit? Jam si ... quispiam terrenus exstrueret civitatem, ex arge... auro & gemmis pretiosis, promittens jurejuran... eam donaturum ipsis structoribus, quicunque ... ædificium labores aliquos contulissent: quis non ... gaudio exiliret & seipsum excitaret ad collabo... dum? Gregarius quidam Macedo mulum auro a... lexandrum Magnum ferendo onustum agebat. ... fesso jumento sarcinam ipse in humeros subla... portabat. Vidit Rex obviantem sibi onere oppres... ac re intellecta, cū ille id depositurus esset: *Ne de... gere*, inquit, *sed absolve reliquum itineris; atque in... torium tuum hoc defer.* Plut. in Alexand. Num p... tis Regem cœlorum immortalem minus libera... futurum erga eos, qui ad ipsius gloriam labo... ipsique suas & aliorum animas lucrari, & ad ejus ... sequium afferre satagunt? Nefas hoc cogitare, q... quid portamus, quidquid lucramur, nostrum esse ... let, ipse per se ditissimus. Quis ergo nunc fatiga... sub tam suavi Christi jugo, tamque levi & opt... onere? Bene igitur monet Apostolus ad Hebr... *Fili mi noli negligere disciplinam Domini: neque fa... ris dum ab eo argueris.* Quia nimirum ut paulò ... subdit: *Omnis disciplina fructum pacatissimum e... citatis per eam reddet justitiæ propter quod remissas ... nus & soluta genua erigite*, quasi dicat cum Ale... dro: Ne defatigemini, sed absolvite reliquum i... quia vestrum est aurum, quod portatis, & fructus ... stitiæ vestræ pacatissimus.

III. Ut creaturis, quas propter hominem D... creavit ipsique subjecit, in eum utatur finem, cu... gratia huc missus est, scilicet ad serviendum De... parandum sibi in cœlo thesaurum. Habet qu... Legatus suam instructionem à Principe suo ac... ptam, quorsum & quâ via, quo comitatu & quot su... ptibus ire v. g. ad comitia, quousque aliis cede... jura & reputationem domini sui debeat tueri, qua... diu hærere &c. Quibus omnibus Legatus sese ... commodare solet, nisi infidelis esse, & pro gra... iram Domini reportare velit. Deliquerunt hac i... Legati quidam Atheniensium, qui missi in Ar... diam, quoniam alia via, quam à magistratu imp... tum erat, profecti fuerant, tametsi summo stu... mandata perfecissent, & rem benè egissent, tam... morte mulctati sunt. Ælian. l. 6. var cap. 5. Cæter... ut legatus, quæ in mandatis habet, commodè pe... gere queat, accipit à Rege suo omnia subsidia, quæ ... hujusmodi legationem requiruntur: ne in domin... suum refundere causam queat, si rem sinistro eve... peragat. Ita Eliezer, de quo suprà, Abrahami serv...

issus in Mesopotamiam ad quærendam filio ejus onsam, accepit ab hero decem camelos, oneravitque eos ex omnibus bonis domini sui, armillis & auribus aliisque vasis aureis & argenteis, cùm vestibus pretiosis, quibus inventam sponsam ornaret & sponderet domino suo Isaaco, quod & fidelissimè it, Gen. 24. Hunc in modum etiam Deus mittens s in hunc mundum, dedit nobis ex omnibus bonis s, non tantum quæ ad vitæ sustentationem, sed am quæ ad delectationem faciunt: subjecit nobis nia pecora, volucres cœli & pisces maris: ita tan ut eis non aliter, quam ad præstitutum finem nsequendum uteremur, videlicet ad Dei gloriam salutem nostram æternam. Non ergo alia via, am quæ nobis præscripta est, eundum: non alius mitatus, non alia pompa præter assignatam quænda, ut ad finem destinatum pertingamus. Faciunt c exactissimè bruta animalia; veluti hirundines, æ ad prolificandum quærunt sibi locum sub tectis, empestatibus securum, nidum non maiorem, quā llorum corpuscula exigant, struunt: nec plus de no aut plumis inserunt, quàm nidi angustiæ ferant. c diutiùs nobiscum hærent, ubi finem suum assetæ sunt. Habent etiam servi in una domo suam isque facultatem familiæ administrandæ: unus ves ad cellarium, alius ad horreum, alius ad vestium, alius ad ærarium, alius ad stabulum, sed oms ea lege, ut hæc aliter non administrent, quàm bonum domini & ad eius placitum. Ergo cellarius on apponet vinum domino, quod sibi sapit, sed omino sapit, & quantum ipse vult. Coquus non ad stum suum, sed ad palatum heri cibos præparabit: abularius si sapit, non saginabit equos nimio pabu, ut ignavi fiant, sed moderato, ut sint utiles Domio, & sic de cæteris. Pari modo nos, si fideles Dei seresse, & bono ipsius, deinde etiam nostræ mercedi olumus consulere: necesse omnino est, ut in creatus, à Deo nobis concessis, non sectemur gustum norum, nec vino proluamus nos instar lurconum, ec cum Cajo Caligula volutemus nos in auri acervis, nec cum impiis illis percurramus omnia prata, nguentis nos impleamus, rosis coronemus; sed in uantum nobis conducunt ad finem præstitutum & obsequium Dei, solummodò his utamur. Vult nos anos esse? simus: vult infirmari? non recusemus: vult nos vivere diu? vivamus: vult mori citò? moriamur: vult esse pauperes, vult nos abundare? ad utrumque parati simus. Inter Assueri puellas ipsi desponsandas, hoc discrimen erat, quod reliquæ ad Regem ingressuræ accipiebant ad ornatum, quidquid postulassent à Præposito gynecæi: Esther verò *non quæsivit muliebrē cultum, sed quæcumque voluit Egeus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit*; ipsaque libenter accepit. Ita factum ut ipsa Regi præ omnibus placeret, & in Reginam eligeretur, aliæ verò ipsi subesse cogerentur, Esth. 2. Simili planè modo plerique in hoc mundo sibipsis eligunt quæcunque placent: pauci sunt, qui cum Esthere ea tantum accipere volunt, quæ Deus ipsis offert. Interim isti Deo placent: illi vero displicent.

Atque hæc est Audit. conditio & lex, quâ in mundum venimus missi à Deo, ad quem jam vadimus, etiam, dum in hac missione adhuc negotiamur, tota enim vita nostra iter est & legatio ejusque negotiatio & reditus ad eum, qui misit nos. Cogitet ergo quisq; an, & quà ratione munus hoc obierit, brevi rationem Deo redditurus. Interroget seipsum singulis diebus: *Quo vadis? vado ad eum, qui misit me*, quique strictè examinabit me de peracto meo negotio; quem finem mihi præfixerim, quantum pro stipulatâ mercede laborârim, quo modo bona Domini mei, mihi concessa, usurpârim. S. Leoni Papæ 9. natione Germano plurimis miraculis & sanctitate claro *Rex Danamarchiæ* (seu Daniæ) *transmisit avem psittacum in munere, in quo quædam Divina apparuit gratia, admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba discant, magistra fame, hæc tam (ut fertur) nullo cogente toto itenere dum ad Dominum Papam deferretur: Ad Papam vado, recinebat. Et mox, ut ei est præsentata, nemine docente, voce dulcisona. Papa Leo in clamabat.* Ita Wibertus Archidiaconus in eius vita apud Sur. 19. Apr. Ab hoc psittaco nos discamus toto vitæ nostræ itinere sæpiùs cogitare & nos ipsos interrogare: *Quo vadis?* simul & respondere: *ad Papam vado*, ad supremum Pontificem omnium Pontificum vado: *vado ad eum, qui misit me*, quique examinabit me, quid in hujus mundi scholâ didicerim, quid effecerim, profecerim. Timeat unusquisque ne obmutescat cum Vicelino, quia tunc non erit tempus emendandi se, & quod neglectum est, compensandi. Qualis ibi pudor occupabit eos, qui ne, cur viverent quidem intellexisse deprehendentur! quod nobis avertat Deus.

THEMA QUARTUM.

Damna detractionis.

Detractores arguuntur.

I. De peccato.
II. De Iustitia.
III. De Iudicio.

Cùm venerit ille arguet mundum de peccato, de justitiâ & de judicio. *Ioan. 16.*

Iaculum detractionis tres simul configit.

Godefridus Dux Bullionius Lotharingius præclarissimus uti scribit Claudius Paradinus in symb. heroum, cum urbem Ierosolymorum obsidés in turrim Davidicam telum ejaculatus esset, tres simul alites eo confixit, quod, ut par est credere, omen ei fuit occupandæ Ierosolymæ & regiæ dignitatis in eadem obtinendæ, unde ea familia usque in hodiernum tres aves sagitta confixas gerit in insignibus. Verum quid hoc miramur. Tam periti jaculatores multi adhuc supersunt, qui non minùs dextrè tres uno jaculo ferire & configere norunt: quodque amplius est, nunquam aberrant, singulis enim jaculis ternos semper tangunt. Quinam verò illi? S. Bern. ser. de tripl. custodia, detractorem esse ait, qui tres configit uno ictu propriam

 ani-

animam audientis, denique eum, cui detrahit. Plerumque etiam triplicem cædem committit: vitam animæ gratiam, extinguens in se & audiente, vitam civilem in absente, vitam æternam & quandoque corporis in seipso, cum pœnas dat. De talibus sagittariis dicitur Ps. 10. *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*, Verum isthæc jacula nihil boni ominis nunciant: multum verò mali. Quia enim jaculatores isti à spiritu mendacii instigantur ad jaculandum, reprehenduntur à spiritu veritatis in hodierno Evangelio: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio.* Quod sibi detractores inprimis dictum arbitrentur, ut videbimus.

Detractores arguuntur.

I. *De peccato.*

I. *De peccato*, quia graviter peccando eripiunt vitam animæ, gratiam sibi & audienti, quando is libenter detrahentem audit. Sic enim Prov. 24. legimus: *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente conjurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit*, audientis scilicet & dicentis. Patuit in Mariâ, sorore Moysis, quæ ubi ei detraxit ob ejus uxorem Sephoram Æthiopissam, una cum fratre Aaron statim à Deo punita incidit in lepram candentem velut nix, & nubes recessit à tabernaculo. Num 12. Multa hic consideranda sunt. 1. Mirantur aliqui, cur non & Aaron lepra punitus uti Maria. Respondent, quia Maria velut æmula Æthiopissæ videtur sola, vel certè prior (quia prius nominatur) locuta contra eam & fratrem Moysen: Aaron auscultasse eam & approbasse detractionem. Alii ob reverentiam Sacerdotii parsum ei volunt, alioquin æquè ac sororem plectendum fuisse, ut sentit Abulensis 2. Cur nubes à tabernaculo, ad cujus introitum stans in nube Deus vocarat Mariam & Aaron, recessit? Resp. In signum, quod à Maria & Aaron recessisset Dei gratia, & lepra peccati eos corripuisset. Ita Origenes ib. hom. 7. *Si est in aliquo*, inquit, *gratia Spiritus S. & obtrectat & detrahit, recedit ab eo post obtrectationem, & lepra repletur anima ejus.* 3. Cur lepra castigata detractio Mariæ? 1. Respondet S. Ephrem agens de morbo linguæ: *Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus.* Accusabat Maria nigrorem & turpitudinem corporis in Sephorâ, adeoque ipsa longè nigrior & turpior effecta est in anima per peccatum & in corpore per lepram. Itaque detractor longè magis se commaculat, dum maculas aliorum carpit & accusat, quo modo fluvius dum terram inundat & suis aquis collutulat, ab eadem terra sordes ad se trahit & turbidus evadit.

Detractio castigata lepra.

1.

2. 2. Quia ut lepra per contagium polluit proximum, ita detractor audientes. *Sicut lepra proprium corpus devorat* inquit Aug. ser. 26. ad fratres in eremo, *& sibi adhærentes inficit sic & murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit ac perimit.* Hinc ex lege Levit, 13. jussit Deus leprosos separari extra castra (uti & Mariam) & insuper os contectum habere, ne halitu suo contaminarent alios. Cambajæ Rex, ut Ludovicus Barthema l. 1. Indicarum rerum c. 1. scribit, quia veneno ab infantia enutritus est, si quem vult interimere, solo sputo seu [a]helitu interficit. Sic nimirum detractor, quia ver[e]no maledicentiæ imbutus est, solo anhelitu perim[it] audientes.

3. Jussus etiam est leprosus ibidem vestime[nta] dissuta gestare & capite nudo incedere ac clama[re] se sordidum? quo nimirum vitaretur ab omnib[us] velut immundus, pro nostra verò doctrina, ut int[el]ligamus detractores ordinariè se prodere, quod i[psi] sordidiores & pejores sint iis, quibus detrahu[nt] quodque hoc ipso, quia detrahunt, jam pro immu[n]dis & sordidis peccatoribus habendi ac fugiendi si[nt]. Interrogavit aliquando frater quidam Joannem A[b]batem (in vitis Patrum apud Rosvveidum lib. 6. [in]certo Græco authore:) *Quomodo anima habens p[ro]pria vulnera, non erubescit detrahere proximo suo?* [...] *senex: Erat quidam homo pauper, habens uxores d[uas] malè vestitas & pene nudas, Qui cum ad nundinas [vi]cinas navigare vellet, rogaverunt eum, ut simul ire[nt]. Eas ergo quia in publicum ducere non audebat, ut[pote] laceras, inclusit in doleum unum & transfretavit. Ci[rca] meridiem una populo recedente advertens silentium, [...] lit & reperit vestem curtam, vilem, rusticam, eaqu[e] cooperuit, sicque audenter in publico incessit. Altera p[ro]spiciens è dolio eamque videns ait: Ecce stulta ista ru[sti]cana in tunicula non erubescit. Cui maritus: ô mira[cu]lum! Hæc utcumque confusionem suam cooperuit, tu [ve]rò undique lacera & nuda non erubescis culpare ve[stem] tam vel rusticam? Ita est omnis detractor qui propria m[a]la non videns aliena semper accusat.*

II. *De justitia*, quia eripit proximo vitam civil[em] seu famam & existimationem, unde homo sperni, [...] feri, adeoque enecari incipit. Ita enim S. Clemens R[om.] in 1. ep. ad S. Jacobum ait: *Homicidiorum tria gene[ra] esse dicebat S. Petrus, & pœnam eorum parilem esse [di]cebat. Sicut enim homicidas, interfectores fratrum: [...] detractores quoque eorum, eousque odientes homicid[as] esse manifestabat* Jam vero homicidæ tanto sunt pej[o]res & abominabiliores, quò plures vel præstantior[es] viros necant. Ergo & detractores, qui sua detractio[ne] plures vel sanctiores infamant. Audivimus supra M[a]riam factam leprosam, adeo ut appareret cande[ns] velut nix, quod detraxisset Moysi, totius populi D[u]ctori. Contingit interdum, ut nix in vertice mo[n]tis commota evolvatur in tantum globum, ut pag[os] & oppida integra mole sua obruat. Sic parum n[i]vis commovit avicula in Defrinorum montium ve[r]tice, quæ sensim deorsum descendens & in pilæ fo[r]mam se revolvens semper aucta in tantam crev[it] amplitudinem, rotata usque ad imum montis, ut su[a] mole oppida destruxerit maxima, teste Olao M. l. 2. c. 13. Sic nimirum unica detractio, quæ irrogatur personæ publicæ vel religiosæ, à cujus imperio, doctrina exemplo alii dependent, ingentem stragem edit. Quis nescit acriter castigari, & abominationi esse eos, qui publicos fontes aut puteos corrumpunt au[t] inficiunt? Hoc agit, qui talibus personis, qui sunt fontes, unde plebs bibit, detrahit, unde Prov. 25. dicitur: *Fons turbatus pede & vena corrupta, justus cadens corâ[m] impio-*

npio. Certè David cum Sauli Regi partem chlamy-
is abſcidiſſet, mox percuſſiſſe eum pectus ſuum; quia
hriſtum Domini violaſſet. 1. Reg. 24. Unde cap. 26.
uando rurſum habebat occaſionem necandi Saulem,
t ad Abiſai: *Ne interficias eum; quis enim extendet*
anum ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit?
hlamydem Regis truncat, qui religioſum vel alium
dignitate conſtitutum detractionis dente mordet.
aturali quodam odio abhorremus à ſerpentibus,
uia clam inadvertentur adrependo mordent & le-
ſſimo vulnere quâſi acu facto necant hominem,
on ut eum comedant & ingluviem ſatient, ut leones,
d ex naturali quodam odio. Atqui *ſi mordeat ſerpens*
ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit, in-
uit Eccleſiaſtes c. 10. In perva & Mexicana regione
eſtatur Pineda in c. 10. Eccleſiaſt. ſe vidiſſe) ſunt ſer-
entes, qui in capite ferunt nativum quoddam cartila-
neum crepitaculum, cujus tinnitus etiam procul
ſtantes admoneat adventantis mali & cavere jube-
: Si vel hoc facerent detractores, eſſent utcunque
lerabiles; ſi in faciem quem reprehenderent vel
cuſarent. At in ſilentio mordent, cùm non ſenti-
tur ictus.

III. *De Iudicio.* quia eripit detrahenti & audien-
non invito vitam æternam, quandoque etiam tem-
oralem, juſto DEI judicio. Inprimis enim plurimi
oc peccatum non confitentur, quia non agnoſcunt
deliquiſſe; ſive quia verbo tantùm læſerint: ſive
uia vera dixerint; ſive quia ipſi non detraxerint:
d detrahentes tantùm audierint. Deindè licet con-
teantur, vix unquam ſatisfaciunt reſtituendo fa-
am. Hoc enim valdè durum eſt & difficilè: ſicut
ves facilè avolant è caveis, ſed non facilè iterũ capi-
ntur. Quid igitur ſupereſt illis niſi ſeverũ Dei judi-
ium? Certè hoc minatur eis Deus Pſalm. 49. dicens:
edens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus
lium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti &
acui: exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis, Arguam
e & ſtatuam contra faciem tuam q. d. quia ego tacui
d tuas obtrectationes nec ſtatim te corripui, putaſti
ne etiam delectari tuis ſermonibus & libenter eos
udiſſe? Minimè gentium; quin imò ſuo tempore
ublicè te confundam. Sic confudit Noddonem
um ſocio detrahentem S. Arnulpho Epiſcopo Me-
enſi, inflammando eorum veſtes, ut porcorum inſtar
n volutabro ſe volvere & flammam extinguere co-
gerentur. Sur. 16. Aug. nimirum, quia detractores ri-
mantur ſordes tantum; quemadmodum & porci.
S. Vincentius Ferrerius ſer. 1. in Dom. in albis ſcribit:
Nota quod erant duo, qui quendam diffamaverant, &
diffamatus & unus diffamans adhuc vivunt, & unus
diffamator obiit & ſtetit per aliquod tempus in purgato-
rio. Et cùm exivit, credidit ſtatim ire ad paradiſum. Et
dixit Deus: Non intrabis, quia primo habes facere reſti-
tutionem famæ iſtius. Et ego ſcio illud eſſe verum, quod
anima redit, quia ego ipſe fui per ipſum diffamatus, &
à me veniam petiit. Triennio poſtquam Patres noſtræ
Societatis ex monte Politiano, civium injuriis vexati,
diſceſſerunt, *quidam civium ſatis anteà bene ab re do-*
meſtica conſtitutus poſt ingentem calamitatum ſeriem
eo demum adductus eſt, ut complures dies præter omnem
vim naturæ trahens miſeram animam, nullum inve-
niret ſæviſſimæ mortis finem, quo malo ad animi ſui cu-
ram per Dei bonitatem converſus intelligenſque ſuppli-
cium id divinitus ſibi immiſſum, acciri jubet multos è
civibus; inter hos Bellarmini patrem alioſque. Quibus
lecto circumfuſis moribundus ſummo cum doloris ſenſu
intermortuus ſingultibus hæc palam profitetur: Ego miſer
ac perditus is fui, qui habitu hominis Ieſuitæ ementito,
ad infamiam Patribus conflandam, ut cogerentur Mon-
te Politiano abire, quod pròh dolor accidit; quaſi unus ex
iis furtim noctu meretricis domum ingreſſus ſum: unde
iniqua in Patres diſſipata infamia eſt: & propter hoc im-
mane facinus evidenter ſentio Deum eſſe, qui tanto in
agone, uti videtis, detinet me, nec ſinit mori. Iam igitur
vobis coram omnibus aperio & confiteor indigniſſimum
ſcelus meum, vos obteſtor, ut Deum pro me precemini, ut
tantam injuriam mihi condonare velit, damnumque
ac detrimentum remittat, quod ego exceſſu illorum Pa-
trum univerſæ huic civitati peperi. Hæc ritè conteſta-
tus, non multo poſt omnibus admirantibus, tanquam ſo-
lutis, quæ ad id tenerent vinculis, è vitâ migravit, 15.
Cal. Sep. anno D. 1566. Addit auctor hiſtoriæ P. Franc.
Sacchinus, ſe rem totam teſtibus ſubſcriptam vidiſ-
ſe, alios ferè omnes, qui infamiæ Patrum auctores
fuerunt, miſerè periiſſe poſteaque civitatem enixè Pa-
tres repetiiſſe atque obtinuiſſe. Hæc Sacchinus to. 2.
Annal. Soc. anno 1563. num. 25.

Ex his, quæ diximus, poſſumus cognoſcere ma-
gnos quidem jaculatores eſſe detractores, ſed peſti-
lentes & pernicioſos, omni probro potius quam lau-
de dignos: quibus non cœleſtis Jeroſolyma ſperan-
da, ſed gehenna metuenda ſit. Quiſquis ergo à ſpiri-
tu S. non vult redargui de peccato, de juſtitia & judi-
cio, detractionis telum in proximum non emittat.

THEMA QUINTUM.

Quàm deceat Chriſtianos veritas, dedeceat mendacium.

I. *Quia diſcipuli Chriſti ſunt.*
II. *Quia habitaculum Spiritus ſancti.*
III. *Quia liberi & ingenui.*
IV. *Quia fideles appellantur.*
V. *Quia mutuâ charitate devincti.*

Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.
Ioan. 16.

LAudaturus aliquando Sponſus Eccleſiæ, Chriſtus, ſponſæ ſuæ decorem, ab oculis ejus incipit & ſimiles eos aſſerit oculis columbinis: *Quam pulchra es amica mea! quam pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet*; ad naturam columbæ utique & indolem potius reſpiciens, quam ad colorem oculorum. Columba enim animal eſt ſim-

 plex,

plex, ſyncerum, candidum abſque omni dolo, uti & abſque felle. Tales ergo requirit ſponſas Chriſtus, quæ columbarum oculos habeant, tales & commendat: quocirca etiam talem nobis Doctorem dedit, Spiritum S. qui in ſpecie columbæ ſuper ipſo apparuit, quem in hodier. Evangelio appellat *ſpiritum veritatis*, qui nos docturus ſit omnem veritatem, candorem & ſynceritatem. Figuram hujus Doctoris habemus in Jona, qui exponitur *columba* filius *Amathi*, quæ vox ſonat *veritatem*. Jonas igitur ſeu columba prognatus eſt ab *Amathi* ſeu *veritate*: & Spiritus S. procedit à Patre & Filio, qui eſt *Veritas* Patris Ioan. 14. & Ioan. 5. Quod ſi Doctor noſter eſt ſpiritus veritatis, quid aliud conſequitur, quam ut nos Chriſtiani ſimus ſtudioſi & diſcipuli veritatis? Beati vos, Audit. ſi tales fueritis. In amorem enim & amplexus veſtros ruet, & in laudem veſtram prorumpet cœleſtis veſter ſponſus, dicens: *Quam pulchra es amica mea! quam pulchra es!* Quod ut aſſequamini, audite rationes, quæ ad veritatem loquendam, & mendacium fugiendum vehementer vos impellunt.

I. Quia diſcipuli Chriſti ſunt.

I. Quia diſcipuli Chriſti eſtis, qui eſt Doctor veritatis & ad docendam veritatem venit in hunc mundum. Ita enim Ioan. 8. ait Dominus: *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis. & cognoſcetis veritatem.* En tibi lectionem & doctrinam, quam Magiſter noſter tradidit nobis: *Veritatem.* De qua Pilato reſpondit: *Ego in hoc natus ſum & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Atqui nos Chriſtiani ſcholam huius Magiſtri jam à baptiſmo noſtro omnes intravimus, adeoque veritatis ſtudioſi ſumus: pulcherrimi ſane ſtudii, pulcherrimæ lectionis, ita enim de eâ ſanctus Auguſtinus ep. 9. ait: *Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum. Pro illa enim fortius Martyres noſtri contra hanc Sodomam, quam pro illâ mille Heroës adverſus Trojam dimicaverunt.* Solent ſtudioſi philoſophiæ ſuorum Magiſtrorum dogmata fortiter imbibere & imbibita tueri contra adverſarios, Platonici Platonem, Ariſtotelici Ariſtotelem. Ita ſeptem illi fratres Machabæi religionem Magiſtri ſui, Eleazari, contra Antiochum ſtrenue defenderunt & imitati ſunt uſque ad diriſſima ſupplicia. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. 22. ita inducit loquentes: *Eleazari diſcipuli ſumus: pater priùs certavit, filii poſteà certabunt.* Et ſanctus Ambroſius lib. de Jacob cap. 11. *Sequimini patrem filii, doctorem Diſcipuli.* Jam vero nos Magiſtrum habemus, ipſam Dei ſapientiam, adhæc veritas Chriſtianorum ſuo decore omnem humanam pulchritudinem ſuperat; quis ergo non eam adamare & defendere etiam uſque ad ſanguinem velit, ſi pro unius Helenæ fragili decore multi Græcorum principes præliari & in prælio occumbere non dubitârunt? Talem Heroëm è V. T. adducit D. Ambroſius in Pſal. 18. lib. 12. Iſaiam Prophetam, qui cum impiiſſimum Regem Manaſſen Dei juſſu acriter reprehendiſſet ideoque in carcerem miſſus eſſet: *fertur ei in carcere poſito,* ait Ambroſius. *Diabolus dixiſſe: Dic quia non à Domino locutus es, quæ dixiſti: & omnium in te mente affectuſque mutabo, ut qui indignantur injuriam, abſolutionem conferant. Sed ille gratius judicavit pro veritate ſupplicium, quàm pro adulatione beneficium.* Similem heroinam ſub lege nova profert Sanct. Hieronymus ep. 49. de muliere Vercellenſi ſepties icta nec tamen enecta, quæ ingentia tormenta paſſa eſt, nolens fateri crimen falſo ei impoſitum, ne mendacio Deum offenderet; inclamabat enim ſæpius dum torqueretur: *Teſtis es Domine Ieſu, cui nihil occultum, non ideo me negare velle, ne peream; ſed ideo mentiri nolle ne peccem.* Itaque pro veritate tuenda pugnavit ad mortem uſque, tametſi eam gladius in caſſum feriens occidere non potuit. Neque hoc iſta ſola: ſed & alii antiqui Chriſtiani mori malebant, quàm mentiri. Imo Anthimus Epiſcopus Nicomedienſis quæſitus ab apparitoribus, cum ſe ipſum ignotis eis prodidiſſet & hoſpitium exhibuiſſet, illique viri Sancti benevolentiâ capti dimittere eum vellent, dicturi Magiſtratui ſe quæſitum Anthimum invenire non potuiſſe, reſpuit oblatam ſibi libertatem, ne illi vel ſolis labris propter ipſum mentirentur ut in ejus vita Metaphraſtes apud Sur. 27. Aprilis.

II. Quia habitaculum Spiritu Sanct. de cœlo ad vos miſſi, quando in Spiritu Sanct. renati & baptizati eſtis, teſte Apoſtolo 1. Corinth. tertio. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis;* Et cap. ſexto, *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* Quid verò crebrius audimus, quàm ipſum eſſe ſpiritum veritatis, & docere omnem veritatem, ut in hod. Evang. & alibi. Hoſtis igitur eſt mendacii & falſitatis, & fugatur è domo cordis noſtri, quando ſpreta veritate mendacium admittimus. Fumus expellit apes ex alveari & hoſpites è domo: ita *Spiritus Sanct. diſciplinæ effugiet fictum* inquit Sapiens Sap. primo. Quis autem magis fictus quàm mendax? Certè quando abominatio deſolationis ſtare cœpit in templo Ieroſolymitano (quæ ex communiore ſententiâ alia non fuit quàm zelotæ, ficti patriæ & religionis zelatores, revera autem prædones & vaſtatores, qui ſub ſpecie defenſionis expilabant templum & cives) tunc in feſto Penticoſtes audita eſt vox à ſacerdotibus in templo clamans: *Migremus hinc*, teſte Ioſepho lib. ſeptimo de bello cap. 12. Cur in die Pentecoſtes? num quia Spiritus Sanct. qui prius eo die deſcenderat in Ieroſolymam, eodem ipſam deſeruit, cùm ficti zelatores patriæ templum occuparunt? Quomodo enim ſpiritus veritatis ſtet cum ſpiritu mendacii & fictis hominibus quomodo Arca ex ſimplici & uniformi ligno Setin quod ſimillimum eſt ſpinæ albæ, ſtabit coram Dagon, Idolo ſeu ficto Deo, ſemipiſce & ſemihomine. Certè etiam homines recti & ſynceri averſantur & fugiunt fictos ac mendaces: quanto magis fugiet tales ipſe ſpiritus & fons omnis veritatis? Hinc Apoſtolus ad Epheſ. quarto cùm dixiſſet: *Omnis ſermo malus* (Græc. σαπρὸ *putris* & *corruptus*; cujuſmodi eſt mendacium, ut paulo antè præmiſerat; quod nos

Ger

Germani appellamus Faule Fiſch / piſces putridos) *x ore veſtro non procedat;* mox infert: *Et nolite contriſtare Spiritum S. Dei, in quo ſignati eſtis.* Tyranni aliqui fuerunt, qui corpora vivorum putridis jam & fœtentibus alligare cadaveribus conſuêrunt. Simile quid auſu temerario agunt, qui ſpiritum mendacii: putridum & mendacem inducunt in templum Spiritus veritatis. Quis à tanto ſcelere non abhorreat? quis mendacium non oderit cane peius & angue?

III. Quia nequaquam ſervi, ſed liberi & ingenui, imo quidem Reges eſtis & appellamini in SS. litteris, uti Apoc. 1. *Fecit nos regnum* (hoc eſt Reges,) *&* *ſacerdotes*, unde & *Chriſtiani*, hoc eſt *uncti* dicimur. Mentiri autem ſervile vitium eſt, ex timore & neceſſitate, ad ſe quomodocunque tuendum excogitatum itque expreſſum; ut indicatur Pſalm. 17. *Filii alieni mentiti ſunt mihi.* quaſi dicat ſpurii & abjecti. Hinc ingenui viri, Principes præſertim, ſummo ſibi dedecori ducunt mentiri vel ſemel. Quod etiam notavit ſapiens Prov. 27. v. 7. iis verbis: *Non decet Principem labium mentiens.* Quare Alphonſus Rex Arrag. dicebat ſimplex verbum Principum tantum valere ad fidem debere, quantum privatorum hominum jusjurandum, apud Panormit. lib. 1. dict. & fact. ejus n. 58. Scimus ſummum Hebræorum ſacerdotem veritatem Rationali ſuo inſcriptam geſtaſſe in vocabulis *Urim & Tummim*, hoc eſt, *doctrina & veritate*; quod videntur imitati eſſe ſummi Ægyptiorum Judices, qui in collo gerebant imaginem ex ſaphiro, cui inſculptum erat nomen, *Veritas*, uti refert Ælianus libr. 14. cap. 34. qui addit optandum, ut non tam in lapide, quam in mente inſculpta geratur veritas. Quæ ſi Chriſtianis ita infixa eſſet, dubio procul à turpiſſimo hoc vitio maximè abhorrerent. Certè Ptolemæus Rex Ægypti, cum quendam ex 70. Interpretibus, quos in Ægyptum è Judæâ vocarat, interrogaſſet, quâ ratione veritatem colere poſſet, hoc reſponſi tulit: *Si primum ſtatueris magnum dedecus eſſe omnibus hominibus mentiri; multò verò magis Regibus, qui cùm habeant poteſtatem agendi, quæ velint, cur mentiantur non habent. Deinde ſi hoc etiam conſideraveris, Deum eſſe veritatis amatorem*, refert Ariſtæas lib. de 70. Interpret. Sanè Apoſtolus, 1. Cor. 15. ita nos hortatur: *Sicut portavimus imaginem terreni* (Adami:) *portemus & imaginem cœleſtis* (Chriſti videlicet.) Hujus imaginem nomine quidem gerimus, dum à Chriſto dicimur Chriſtiani: gerimus & externâ unctionis cæremoniâ, velut quidam Reges; ſed requirit prætereà Apoſtolus ut in animo & moribus Chriſti imaginem præferamus. Verum audiamus quid ſcribat D. Thomas in Opuſc. de Princip. erudit. *Qui loquitur mendacium*, inquit, *Diaboli figuram gerit & imaginem: hic enim mendax eſt ab initio. Aliquando auditurus eſt princeps mendax qui denarius falſus eſt, verba illa: Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Et cum reſponſum fuerit, Diaboli, dicetur ſtatim: Reddite ergo quæ ſunt Diaboli, Diabolo.* Sic ille.

IV. *Quia fideles appellantur.*

IV. Quia Chriſtiani eſtis & appellamini *fideles* qui fidem non Deo ſolum, ſed etiam hominibus debeant præſtare? adeoque viri ſimplices & ſine omni dolo eſſe. Hujuſmodi erat jam fidelis Chriſti futurus Nathanael, de quo Dominus Joan. 1. dixit: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Quæ verba expendens ſanctus Auguſtinus tractatu ſeptimo in Joann. ſcribit: *Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt. Quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt & tanquam duo corda habet. Unum quaſi ſinum cordis habet, ubi videt veritatem: & alterum ſinum ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in pſalmis: Labia doloſa. Quid eſt labia doloſa? ſequitur, in corde & corde locuta ſunt mala. Quid eſt in corde & corde niſi duplici corde?* Nec vacat myſterio, quod vir minimè doloſus dicatur verè Iſraelita ab Iſraele: qui & Jacob, de quo ſcriptum legimus. *Iacob autem vir ſimplex.* Gen. 25. verſ. 37. Qui etiam ita abhorruit à mendacio, ut ſi fratris perſonam ſibi affingeret, patris maledictionem incurſurum ſe metueret; ac licet tandem id fecerit, ex ſimplicitate tamen, ob matris imperium, cui, ut videtur, invincibili ignorantia ſtandum putabat, id egit. Gen. vigeſimo ſeptimo. Avus quoque ejus Abraham adeo veritatis amans & mendacii hoſtis erat, ut quando conjugem ſuam metu inſidiatorum appellavit ſororem ſuam, ideoque de hoc quaſi mendacii reus ab Abimelech argueretur, illico falſum hoc crimen à ſe depulerit, dicens: *Alias autem & verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Gen 20. Idem obſervarunt Sancti alii, adhibendo amphibologica verba, juſtitiæ vel charitatis tuendæ causâ, ne mendacium incurrerent; uti S. Athanaſius, qui requiſitus ab inſidiatoribus utrum Athanaſium vidiſſet, reſpondet eum non longè abeſſe, ut in Brev. & vita. S. Fælix Presbyter Nolanus à ſatellitibus interrogatus, ubi eſſet Felix, hoc reſponſi dedit. *Neſcio Felicem*, In vita 14. Januar. S. Franciſcus de Paulâ interpellatus à lictoribus, an reus fugitivus hâc tranſiſſet; manum inſerens in manicam: *Per hanc*, inquit, *non tranſivit.* In vita 2. Apr. Sur. & Lipel. Ubi vero talis cauſa non erat, etiam hujuſmodi æquivocatione pii ſemper abſtinendum ſibi ſentiebant. Notus eſt & alibi relatus, S. Anſelmi Epiſcopi candor, qui omnibus Chriſtianis aliquid aſſerentibus liberaliſſimè credebat, putans eos mentiri non poſſe. Cumque ob hanc nimiam confidentiam domeſtici imponerent, deque hoc ipſe moneretur, nolebat credere, dicens: *Nunquid non Chriſtiani ſunt? quomodò ergo mentiri poſſunt?* In vita 2. Apr. alii cum in re aliquâ certi non eſſent, eam adhibebant cautelam, ut ſub dubio rem aſſererent, quemadmodum ſolitus eſt S. Joannes, qui c. 4. *Erat hora quaſi ſexta*, inquit, &c. 19. *hora quaſi ſexta.* De quâ conſuetudine laudatur S. Dominicus loricatus à Petro Damiani l. 1. Epiſt. ep. 19.

V. *Quia mutua charitate devincti.*

V Quia mutua charitate velut fratres colligati eſtis. Eâ verò unio ſine veritate & veracitate conſervari nequit, ſed neceſſario diſſolvi debet, uti & humana conver-

conversatio ac commercia omnia. Si enim alter alterum sermone decipiat, quis fidem habeat etiam seria affirmanti? & quâ ratione homines se mutuo intelligent? Eveniret certè hominibus, quod structoribus illis turris Babel, qui ubi linguarum confusione se non intellexerunt ampliùs, desinere à structura & dividi ab invicem necessariò debuerunt, ob linguas divisas. Quid enim aliud est alteri mentiri, nisi ignotâ lingua loqui? imò vero longè pejus; quia peregrina lingua etsi non instruit, saltem non decipit, nec pervertit, mendacium vero seducit & album pro nigro vendit. Scimus porro quàm impensè commendarit Christus suis fidelibus mutuam charitatem, adeo, ut ex hac dignosci eos vellet ab aliis nationibus, voluitque, ut unum omnes essemus, sicut ipse & pater unum sunt Joan. 17. Idem inculcat Apostolus ad Ephes. quarto asserens; Christianos omnes unum quasi corpus esse; quod sanè dissentientibus inter se membris nequaquam stare potest. ***Propter quod***, inquit, ***deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra*** Unum membrum non seducit alterum: manus non ingerit ori lapidem pro saccaro, serpentem pro pisce: nec objicit pedi lapidem, ut in eum impingat & cadat: sed objectum potiùs removet, ne pes cadat: pedes non inducunt corpus in lutum & cloacam, quamdiu mundam habere possunt viam, sed ducunt ad commodiorem, &c. Quod nisi membra facerent, seipsa cum toto corpore perderent. Idem sub alio schemate nobis imprimit Apostolus, dum passim in suis Epistolis *filios lucis* nos appellat; uti inprimis in eâdem Epistolâ ad Ephes. cap. quinto. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate & justitiâ & veritate.* Et 1. ad Tessalon. 5. *Omnes vos filii lucis estis & filii diei: non sumus noctis neque tenebrarum.* Quid vero luci & diei similius quam veritas? quid tenebris & nocti quàm mendacium? Jam *si quis ambulaverit in die*, ait Dominus Joan. undecimo *non offendit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.* Idem prorsus evenit eis, qui ducuntur veritate, & qui mendaciis: hi enim offendunt, illi nequaquam. Qui noctu in tenebris ambulant, in alio impingunt, nemini honorem debitum deferre nôrunt, invenire domos nesciunt, in foveas incidunt, denique in perpetuo periculo perditionis sunt. Idipsum experimur, si alter alteri passim mentiri præsumeret. Quod igitur est Sol in mundo, hoc est veritas in communitate. Quamobrem sapientissimus ille Gentilium Moyses Pythagoras inter alia præcepta symbolica etiam hoc tradidit: *Contra Solem non loquaris.* h. e. contra veritatem, apud Erasm. Chiliade 1, Cent. 1. de symb. Solem è mundo aufert qui aufert veritatem. Hinc etiam Gentiles amare consuêrunt veraces, tametsi ingrata loquentes: odisse è contra mendaces, licet blanda garrientes. Chosroes Persarum Rex Gentilis cùm Apameam obsideret, interrogavit ejus urbis Episcopum Thomam, an se videre in urbe cuperet. Cui Episcopus, se nequaquam id desiderare; sed contrarium potiùs. Miratus est Rex candorem ejus, & amore complexus est Evagr. l. 4. histor. Eccles. Augustu[s] etiam Imper. cùm Ægyptium sacerdotem Epami-nondam, captum in triumphum duxisset, audissetqu[e] virum illum, veritatis amantissimum, nunquam alicujus mendacii fuisse deprehensum, libertate eum donavit & magnis decoravit muneribus. Contrà Pamphilum quendam Romæ mortuum hominem, totun[m] ex mendaciis compositum, qui numquam vera dixisse perhibebatur, Claudius Imp. jussit canibus & avibus objici insepultum, ædes quoque ejus diru[i] bona fisco addici, uxorem & liberos procul deportari, Spartiano auct. Quid ergo putatis, à Deo expecte[n]t mendaces, si talem mercedem acceperunt ab hominibus & quidem Ethnicis? Audimus tremendam vocem Psalm 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, quasi dica[t] cæteros quidem peccatores odit Deus, mendace[s] vero & perdet: quia nimirum & ipsi perdunt velu[t] pestis Remp. Audimus etiam Apocal. ult. tonante[m] in cœlo vocem Christi: *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis servientes, & omnis q[ui] amat & facit mendacium.* E contrà de veracibus au-dimus Psal. 14. suaviter canentem: *Domine quis hab[i]tabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in mon[te] sancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui n[on] egit dolum in linguâ suâ.* Hoc igitur agamus, si in De[i] tabernaculo habitare desideramus.

DOMINICA V. POST PASCHA.

THEMATA.

I. *Ratio exorandi DEUM.*
II. *Quid sit in nomine Christi orare.*
III. *Quo potissimùm tempore sit orandum.*
IV. *Orationis potentia.*
V. *Vita Christi similis cursui Solis.*

THEMA I.

Ratio exorandi DEUM, cum tribulamu[r]

I. *Timendus Deus, dum castigat.*
II. *Unanimi voce invocandus.*
III. *Inquirendus auctor flagellationis.*
IV. *Ejicienda & corrigenda peccata, publica præsertim.*

Usque modò non petistis quidquam in nomine meo. Ioan. 16.

PRoverbium est Latinis: *qui nescit orare, eat a[d] mare.* Der nit betten kan / soll auffs Meer gahn. Videri posset alicui, quod hucusque nondum sciamus orare, siquidem audimus in hod. Evangelio: *Si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis* & tamen nos jam per plures annos instamus oration[e]

pr

o pace & tranquillitate Ecclesiæ rogantes, nec taen pacem illam adhuc impetravimus; sed videmus dies novis procellis Ecclesiæ naviculam concuti jactari. Quæ hujus rei causæ? An fortassis haenus nondum rectè oravimus; ut illud Christi Domini in nos quadret, quod in hod. Evangelio audiviıs: *Vsque modò non petistis quidquam in nomine o?* q.d. necdum scivistis orare. Quare ut discamus are, eamus ad mare: eamus ad navigantes, qui in ıri periclitantur. Illi sciunt orare periculo edocti, ales reperio inprimis eos, qui fugientem Jonam ctabant in sæva maris tempestate & præsentissimo ufragii periculo. Illi nos docebunt, quomodo oıdum sit, ut conquiescat mare. Et quia hæc septina orationi destinata est, demus operam, ut vel à ıtis tandem aliquando discamus rectè orare, & à o impetrare, ut Ecclesiæ navicula jactari tandem inat.

I. *Timuerunt viri, & clamaverunt ad Deum suum.* muit unusquisque, ne fortè ipse esset hujus npestatis causa propter offensum Deum suum; unei supplices fiebant. Efficax hoc est medium ad plaıdum Deum timere & invocare eum, veniamque ere. Cùm enim Deus flagellum aliquod nobis imttit, aliud non intendit, quam ut timorem sui nobis utiat, & ut nos sub ejus manu humiliemus; quemmodum pater cùm iratus filiis rugitum edit, vel gam aut baculum eis intentat, non aliud quærit, am ut eos timore corripiat & ad officium cogat. : *Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni: Pugna um finem, cùm jacet hostis habet.* Ubi ergo Deum tiere eique nos prosternere cœperimus, desinet iras- Itaque enim Mich. 6. dicitur: *Vox Domini ad civitem* (Jerosolymam) *clamat & salvus erit timentibus men tuum*, quasi dicat, Deus per me tubali voce tornntes & rebelles Judæos corripit: & qui voce hac tterriti nomen ejus timuerint, salutem consequenr: cæteri fame & gladio peribunt: Certè quando egi Josiæ allatus fuit liber legis fortè repertus, terriles Dei comminationes continens contra prævariıtores Hebræos, isque coram eo lectus cor ejus perrruit adeò ut vestimenta sua scinderet, meruit Rex vadere pœnas illo libro interminatas, uti legimus .Reg. 22. *Pro eo, quòd audisti verba voluminis hujus* ait Dominus per Holdam Prophetidem Josiæ) *& erterritum est cor tuum & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, &c. idcirò colligam te ad patres tuos & colligeris ad sepulchrum uum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, uæ inducturus sum super locum istum.* Sic terrere oluit Niniven prædicatione Jonæ, & quia territa ıd pœnitentiam cucurrit, ei pepercit. Similiter nno 396. minatus urbi Constantinopolitanæ per os ervi sui fidelis, se eam igne cælesti perditurum. Conversis igitur ad pœnitentiæ luctum civibus: visa est dicto die ignea nubes impendere civitati, non sine odore sulphuris. Quare ad Ecclesiam fugère, & plurimi baptismum suscepêre, sic abiit nubes. Sed iterum auditur, proximo sabbatho perituram urbem. Migrant ergo omnes cum Arcadio Imp. in agros. Et rursum apparet fumus ingens supra civitatem. Verùm, quia territi ad DEUM clamaverunt, nihil mali accidit. Sic Augu. de urbis excidio lib. 9. ubi subdit: *Quid dicemus? utrum ira ista Dei, an potiùs misericordia fuit? Quis dubitat misericordissimum patrem corrigere voluisse terrendo, non perdendo ferire; quando nihil hominum, nihil domorum, nihil manium tanta impendens præsentia læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, & consternato illo, qui feriendus erat, miseratione revocari, ita factum est illi civitati:* Sic Augustinus. Ad Gades fons est teste Strab. l. 3 & Plin. l. 2 c. 97. qui cùm mare intumescit & procellis sævit, decrescit ac subsidit: ita quando Deus nobis irascitur, nil melius quàm se demittere & sub ejus manu humiliare, quemadmodum suasit Angelus Agar ancillæ, quando illa Saram dominam durius se affligentem fugit: *Revertere ad dominam tuam & humiliare sub manu illius* Genes. 16.

II. Simul omnes unanimiter Deum invocarunt, quod inde apparet, quia cùm unus Jonas ad interiora navis descendisset & dormiret, descendit ad eum gubernator navis & dixit ei: *Quid tu sopore deprimeris? surge & invoca Deum tuum si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Ita monet Joel c. 2. *Vocate cœtum, congregate populum; coadunate senes, congregate parvulos: egrediatur sponsus de cubili suo.* Multum potuit postulatio decem fratrum apud Josephum, Ægypti Principem, nihilominùs ubi is audivit superesse eis adhuc fratrem undecimum, voluit ut & ipsum adducerent, si postulata impetrare vellent. Fuit n. is Josepho charissimus, quia frater uterinus, unde & in mensa quinque partibus plus escarum ab eo accepit. Gen. 43. Qui autem sunt Deo secundùm præsentis sæculi bona charissimi, nisi nobiles, Magistratus & divites? Illis enim honores, opes, aliaque plurima sæculi hujus commoda, quæ pauperibus negavit, liberalissimè dedit, adeò ut quintuplo aut etiam centuplo plus quam alii acceperint. Jure igitur postulat, ut & hi, & quidem præ cæteris diligenter Deum orent, publicis quoque precibus & supplicationibus intersint. Quis enim magis tenetur Deum orare & diligere, eique gratias agere: qui majora, an qui minora ab eo accepit dona & beneficia? nónne qui majora? Hinc S. Cunegundis ex Imperatrice monialis quæ Juttam neptem suam promoverat, ut in monasterio à se extructo Abbatissa fieret, quando vidit eam à processione domestica abesse & domi ad mensam sedere, alapam ei inflixit tanto robore, ut digitorum stigmata perpetuò in facie ejus apparerent, ut in vita S. Cunegund 3 Mart. Debebat enim promotricis suæ Cunegundis monita audire, & facta Abbatissa exemplum præbere suis sororibus in peragenda processione: & quia pietatis exemplum non præbuit, præbere eis in facie sua exemplum vindictæ divinæ coacta est. Sanè Imper. noster Rom. hoc triduo pedibus comitatur processionem, quidnì faciant hoc subditi?

II. *Vnanimi voce invocandus.*

Trip. in hac Dom. C. 5. in G.

III. Nautæ illi miserunt sortes, ut cognoscerent unde III.

Inquirendus auctor flagellationis.

unde illis ea tempestas immissa esset, & cognoverunt, à Deo provenisse ob peccatum Jonæ. Ita inprimis agnoscere oportet auctorem tribulationis nobis immissæ, & quidem illum esse Deum, non casum aut naturam aut creaturam aliquam. Non est nobis opus sortes mittere & causam tribulationis investigare, qui scimus à Deo plagas omnes velut æquo vindice prodire. Licet enim casu nobis evenire videantur, quia præter nostram intelligentiam & opinionem eveniunt, à Deo tamen immissa sunt. Sic aves dum laqueo capiuntur, casu sibi videntur incidisse, cùm tamen auceps in eum finem laqueum eis pararit. Unde Amos 3. dicitur: *Nunquid cadet avis in laqueum absq; aucupe?* concluditque: *Nunquid est malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* malum pœnæ intellige. Homines si cui malum intentant, mali auctores dici nolunt, at non ita Deus: quinimò irascitur, si flagella ejus non ipsi, sed casui aut Dæmoni malisve hominibus adscribamus, uti de captivitate Babylonica Judæis immissa testatur Thren. 3. *Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente, &c.* Vult enim ut sciamus, nos ab eo flagellari ob peccata nostra, ut ea detestemur; & quamdiu id agnoscere nolumus; tamdiu pergit nos flagellare: non secus ac nos cùm vulgarem ludum ludimus, pulsando unius tergum, vultu obvelati; (Stockschlagen) tamdiu enim pergimus illum cædere, donec indicet eum à quo percussus est: si alium accuset: iterum eum cædimus. Sic lusit Deus cum Azotiis illis Gentilibus Philisthæis, postquam Arcam Dei cepissent. Cùm enim posuissent eam in templo Dagon, & vidissent suum Dagon coram Arca corruisse, non credebant id ab Arca, sed casu contigisse, unde restituunt Dagon in locum suum: sed en altero mane vident rursum Dagō suum & quidem graviùs collapsum adeoque confractum. Dum verò necdum agnoscunt plagæ suæ auctorem Deum, ecce *aggravata est manus Domini super Azotios & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte natium* (Ps. 77 v 66. dicitur: *Percussit nos in posteriora*: vide Das Stockschlagen) *Azotum.* Illi verò necdum deprehenderunt Hebræorum Deum ejus percussionis auctorem esse, sed opinabantur ex aliqua aëris intemperie & loci infectione luem illam forsan prodiisse: unde jubent Arcam ab Azoto submoveri & per terram suam circumduci. Et ecce quacumque ducebatur Arca, percutiebat Philisthæos & stragem magnam edebat. Illi verò cœcati adhuc dubitant, an hoc Deus Hebræorum fecerit; ideò Arcam plaustro imponunt & vaccis sine ullo rectore trahendam committunt, ut ex illarum progressu ac via suæ calamitatis auctorem agnoscant, si nimirum rectà ad fines Hebræorum pergerent: alioquin adhuc opinaturi, casu sibi accidisse. Denique ubi viderunt vaccas cum Arcâ rectà ad fines Hebræorum tendere, tum demum deprehenderunt Deum Hebræorum sibi plagam inflixisse, nec dubium videtur tunc removisse Deum ab eis, quod immiserat, flagellum. 1. Reg 5, & 6. Neque solùm agnoscere oportet, quòd Deus nos castiget; sed etiam quòd castiget nos ob peccata nostra: sicut nautæ per sortes ag-
noverunt propter Jonam se puniri. Illustre exen
plum est in Hereberto Archiepiscopo Colon. qui di
turnam siccitatem indeque ortam famem & pesten
dum facta populi supplicatione, nec tamen impetra
pluviâ, culpam in se agnoscit, quasi ipse ejus plag
causa esset, qui medius inter Deum & populum sta
debuisset, cum lachrymis se accusans inter mensæ co
loquia, subitò Deum placatum & copiosum imbre
fruges jam penè emortuas fœcundantem vidit, or
nium admiratione: teste Ruperto Abb. Tutiensi
vita 16. Martii, apud Sur.

IV. Ubi deprehenderunt Jonam fugitivum à D
& prævaricatorem esse causam tempestatis, tande
ejecerunt eum è navi in mare. Jonas noster inprin
peccata publica sunt, quæ dum non corriguntur, co
ripit nos Deus, uti propter Achan castigavit totu
Hebræorum populum. Videndum ergo imprimis,
talia in nobis peccata vel peccatores sint, ut quan
primùm ejiciantur. Deinde etiam peccata priva
nimiùm invalescentia & gravia. Hæc nisi ejiciantu
frustrà sunt preces nostræ; quia hostem Dei nobiscu
vehimus, peccatum. Bias Græciæ sapiens cum in
piis & flagitiosis hominibus in navi periclitans, cù
illi Deorum opem implorarent: *Silete,* inquit, *ne D*
vos nebulones hîc navigare sentiant: siquidem Deus i
piorum precibus irritatur magis ad vindictam, quàm
opitulandum flectitur. Laert. lib 1. cap 6. Tergiversa
sunt hac inre vectores Jonæ, qui primò quidem me
ces & onera ejiciebant, ut alleviarent navim, Jona
retinebant. Sed nihil effecerunt: Jonas ejiciend
fuit. Hunc in modum aliqui putant se eleemosyn
placaturos Deum, licet in peccatis suis pergant. Q
profectò multum errant, & Deo injuriam faciunt, t
ste D August. dicente: *Parvas faciens elemosynas*
peccatum non deserens, quasi corruptum Iudicem put
te posse redimere, cùm etiamsi totum dares & pecca
non desisteres, teipsum deciperes, pecuniā perdendo & pe
cata non redimendo. Simile exemplum habetur 2. Re
20. in Seba, qui ob rebellionem concitatam conti
Davidem obsidebatur à Joab in Abela civitate. Han
igitur cùm impugnaret Joab, conquerenti de hoc sa
pienti mulieri respondit, nequaquam se civitatis va
stationem quærere, sed solius Sebæ: *Tradite illum so*
lum, ait, *& recedemus à civitate.* Decollarunt erg
cives Sebam ejusque caput per murum projecerun
ad Joabum, qui mox recessit à civitate. Sic *civita*
non nisi propter civium peccata infertur excidium. De
sine peccare & civitas non peribit, ait S. Ambr. ser. 85.

Deinde intellecta sorte & exinde Dei voluntate ut Jonas reus ejiceretur, rursum tergiversati sunt & remigabant ut navim ad terram appellerent, Jonamque salvum exponerent; sed nil effecerunt: ejiciendus fuit in mare Jonas. In terram deponere volunt Jonam, qui affectum peccati retinent, nec id detestantur ex animo: ablegant à se pellicem, sed non valde procul: dimittunt injurias, sed non ex corde, & data occasione vindicare se desiderant: restituere

aliquan-

quando aliena volunt, sed non statim, nec cui dē-nt: libros hæreticos seponunt & abscondunt, sed n comburunt aut abjiciunt prorsus, &c. Qui sanè n abjiciunt in profundum maris peccata sua, nec rè ea detestantur.

Denique cùm ejiciendum intellexerunt Jonam, platum (ut ait Arias in Jonam ex Eleazaro, proba-i auctoritate) collo tenùs immerserunt in mare; um quievit mare. Quòd ubi adverterunt, retraxe-nt eum in navim: & rursum incepit sævire tempe-s. Itaque ad extremum dimiserunt eum prorsus, placatum fuit mare. Sæpe hactenus advertimus ad-isse Deum Ecclesiæ suæ, eruisseque eam à gravissi-s periculis, debellasse & extinxisse hostes ejus, sic-e quievisse ad tempus aliquod persecutionem; quo-m ad DEUM clamavimus & ejecimus peccata per nitentiam. Sed quia posteà eadem repetimus & in nostrum recipimus, inde rursum sævit mare, & um flagellamur, quia rursum flagellis digna com-ttimus. Refert Beatus Petrus Damiani ep. 19. ad exandr. II. Papam. lib. 2 epist in Eremo regionis Lu-li fuisse fratrem vagabundum extra suam cellam, em proinde Prior Joannes de monte Feretri, tan-n à fratribus nudari & flagellari jussit: verùm dum ipit post verbera se induere, iterum superbè locu-est. Jubetur ergo rursum exui & rursum verbera-sed rursum se dum vestit, procaciter obloquitur, que rursum ad verbera nudatur; & hoc ad 7. vices. st septimam verberationem tandem resipiscens cla-t Diabolum à se fugisse, à quo stimulatus obloqui târit. Simili planè modo nostrâ pervicaciâ exas-ramus Dei iram & cogimus quasi eam, ut conti-ò in nos sæviat, dum continuò pergimus eam irri-e.

Vidimus quomodo oraverint navigantes in mari, quomodo impetrarint maris tranquillitatem. Hos itemur, & desæviet, ut sperandum, aliquando pro-la.

THEMA SECUNDUM.

Quid, in nomine Christi orare.

Iussu & in verbo Christi.
. *Amore Christi & ob merita ejus.*
I. *In persona ejus.*
. *In nomine Iesu.*
Ad nomen & gloriam ejus.

men, amen, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

Evit. 2. legimus institutum à Deo sacrificium quoddam omnibus commune, etiam pauperi-us, qui animalia offerre non poterant, *mincha* ap-ellatum seu farris oblationem, quòd esset de simila, ui thus imponeretur & oleum superfunderetur. Quid ero hoc sacrificium, omnibus commune, quod ne-no non offerre potest? Utique oratio, quam signifi-at simila, quia oratio est cibus animæ. Ea verò 1. de simila, id est, pura esse debet non mixta furfuribus terrestrium cogitationum. Thus verò superimpositum significat, placituram Deo orationem, thure designatam, si condecoretur oleo superfuso, SS. nominis JESU, de quo Cant. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Nam ut oleum facit panem sapidiorem: ita orationem Deo gratiorem reddit nomen Christi, orationi adjunctum, de quo in hod. Evangelio dicitur: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sed quid est petere in nomine Christi? Audiamus.

I. *In nomine*, hoc est jussu meo (uti exponit Ribera) & quo modo Petrus dixit: *in verbo tuo laxabo rete*; id est, jussu tuo. Scimus Thecuitem illam impetrasse veniam & reductionem ab exilio Absaloni parricidæ, quia Joab dux militiæ Davidicæ eam subornarat ac miserat ad postulandam reo veniam. Unde David ubi audiit eam à Joab missam & instructam, respondit Joabo: *Ecce placatus feci verbum tuum,* quasi dicat, non tam ad mulieris, quàm ad tuum verbum placatus, facio quod petisti. 2. Reg. 14. Jam verò etiam Christus docuit nos potentem & efficacem orandi formulam, adeoque posuit in os nostrum verba hæc: *Cùm oratis dicite: Pater noster qui es in cælis, &c.* Ipse etiam docuit nos artem impetrandi, imò extorquendi quæ petimus, perseverando scilicet, & pulsando continuò, eò quòd cælestis pater velit diu multumque rogari, nec timendum esse ne simus ei molesti, si instanter oremus, sed econtrà potiùs si à precibus cessemus. Jam ergo si David non potuit cum honestate repellere orationem mulieris, jussu & informatione Ducis bene de se meriti, propositam in casu licet tam gravi: multò minùs repellet orationem nostram Deus, jussu & subornatione Filii sui, cujus merita infinities majora sunt in Patrem, à nobis deprompta. I. *Iussu & verbo Christi.*

II. *In nomine meo*, id est, amore mei, seu propter me & merita mea, si nimirum te indignum putas, qui audiaris. Ita exponit S. Chrys. & Theophylact. Tali modo & titulo filii Jacob mortuo patre, timentes ne Joseph memor sceleris in se commissi graviter eos affligeret, fratri supplicarunt: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*, quasi dicāt, quia nos indigni sumus, ut veniam nobis des, attende ad patrem tuum dilectum, ejusque, cujus & nos filii sumus, & ex cujus ore te rogamus, amore parce nobis. Gen. ult. Pari modo nos cùm plerique indigni simus, qui audiamur propter nos, rogamus Patrem nostrum cælestem, ut audiamur amore Filii ejus, qui frater & pater noster fuit: sicque nos orare iussit: *Dimitte nobis debita nostra.* Videmus omninò fratres Josephi confinxisse precationem illam, quasi ex patris ore acceptam, quia Jacob jam expertus Josephi erga fratres benevolentiam, non dubitabat de constāti ejus clementia, alioquin ipsemet vivens pro eis II. *Amore Christi & ob merita ejus.*

precatus esset : nec poterat difficilè fraudem hanc subolfacere Ioseph : nihilominus tamen blandè & leniter eis respondit, ne timerent sibi, imò super eos lachrymas fudit multisque argumentis confirmavit eis suam benignitatem. Iam si hoc Ioseph fratribus suis olim tam malignis sibique infensis & nunc præ metu mentientibus : quid nobis non sperandum de Deo Patre, si nomine filii eius qui revera jussit nos petere suo nomine omnia, ipsum oremus? Simili artificio impetravit S. Alexius hospitium à patre suo ignotus, ingerendo ei memoriam filii sui peregrini, amissi : *Serve Dei benignitatem exerce in me pauperem, ut de micis mensæ tuæ comedam : & Deus benedicat tibi, & si qui tuorum peregrinantur, Deus reddat tibi eos incolumes.* Quo verbo pater Euphemianus statim recordatus filii sui Alexii velut etiam peregrini & parentum amicorumque ope destituti ac desecti, mox recepit eum in domum suam & commendavit uni famulorum suorum. Metaphrastes apud Sur. 17. Iulii. Ergo si & nos pauperes rogemus Deum amore filii ejus, qui & ipse propter nos pauper & peregrinus factus est; quid non impetrabimus? S. Eduardus Angliæ Rex nemini quidquam negavit, rogatus amore S. Ioannis Apostoli, ita ut uni peregrino (qui S. Ioannes erat) annulum de manu detractum dederit; uti refert Alredus Abbas in vita 5. Ian. Quid ergo non dabit Pater cœlestis rogatus amore Filii sui dilecti, in quo bene sibi complacuit.

III. *In persona ejus.* III. *In nomine meo*, i.e. in persona mea, quasi ego petam: vel, (quod eodem redit) petite velut fratres aut filii mei, quasi alter ego; uti exponit Euthymius. Sic impetravit Iacob benedictionem ab Isaac patre in persona fratris sui primogeniti, Esau, cujus vestes induit, & formam corporis in pilosa pelle repræsentavit, velut mysticus Esau; quo nomine minimè eum mentitum esse vult S. Augustinus, dicendo se esse Esau, Gen. 27. Iam vero & vos *quicunque baptizati estis, Christum induistis*, ait S. Paulus ad Gal. 3. Sumus etiam omnes membra & fratres Christi velut primogeniti nostri. Quare si ex nobis non meremur accipere benedictionem Patris cœlestis, petamus eam in persona Christi, cujus membra sumus, quem & in baptismo induimus. Verum hic videndum ut non sola voce dicamus nos esse filium Dei, sed ut vestes quoque ejus induamus, ipsumque virtutum ejus fragrantia modo aliquo redoleamus, neque ei contradicamus operibus nostris, ipsive orationi. Iacob si vestes Esau veluti manipulum in brachio gestasset, nihil obtinuisset, induere eas debuit: sic omninò nihil juvat meritaChristi nisi conformem te facias. Quid n. juvat dicere: *Pater noster*, si te filium non exhibeas? Quid, *sanctificetur nomen tuum*, si tu quæras proprium, vel Dei nomen blasphemas? Quid, *fiat voluntas tua*, si tu eam non facias? Quid, *adveniat regnum tuum*, si tu ab eo refugias? Quid, *dimitte nobis debita nostra*, si tu nolis offensam debitori tuo dimittere? Ora sicut Christus oravit, tum alibi, tum in Oliveto, prostratus, constanter, resignanter, attentè. Præc rè hac ratione convicit S. Eleemosynarius quenda virum illustrem, qui ignoscere inimico noluit; qu in ejus vita refert ita Leontius: *Malitiam reserva tem quendam illustrium, contra alium principem, au ens hic magnus Ioannes, monuit eum sæpè & suasit concordiam: & non potuit eum convertere ad pace Semel ergo mittit & adducit eum sanctus, quasi pr publica: & facit Missas in oratorio suo, nullum hab nisi ministrum suum. Cum ergo sancta benedixisset l triarcha & orationem Dominicam inchoasset, cœ runt dicere tres tantum illi Pater noster: & cum p venissent ad sermonem, quo dicitur: Dimitte nobis de ta nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nost innuit domestico Patriarcha, ut taceret. Siluit e & Patriarcha, & remansit Princeps solus dicens v sum: Dimitte nobis sicut & nos dimittimus. Et sta conversus sanctus dicit ei mansueta voce: Vide in qu terribili hora quid dicas Deo: Quoniam sicut ego dim to, ita & tu dimitte mihi. Tanquam ab igne statim c ciatum ferens prædictus Princeps, cecidit in faciem pedes sancti, dicens: quæcunque jusseris Domine, fa servus tuus. Et reconciliatus est inimico suo ex t cum omni veritate.*

IV. *In nomine meo*, sc. Iesu, seu ad salutem vest uti exponunt S. Gregorius & Augustinus in hunc cum. Sic oravit David Ps. 62. *In nomine tuo lev manus meas. Quid accepturus?* ait August. in eum *Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima m Putatis aliqua pinguedine repleatur anima mea? I tatis aliquam pinguedinem carnis desiderasse anim istam fratres mei? non n. hoc pro magno desiderat, pingues arietes, ut pingues porci illi mactarentur, veniret ad aliquam coquinam, ubi inveniret aliqua sonia pinguia, unde saturaretur: Ergo aliquid spiritu debemus intelligere.* Non enim corpus, non domu non cellam arietibus, pecunia, cibis voluit repleri, animam. Quæ causa est cur Christus in oratione bis præscripta, unicam tantum boni terreni petition inseruerit, *panem* scil. *quotidianum*, utpote sine q vivere adeoque etiam piè vivere non possumus na raliter. Reliquæ omnes petitiones sunt cœlestes animæ juvandæ gratia formatæ. Non ergo petunt nomine ejus, qui temporalia, solum petunt; quia h & exigua & nullius momenti sunt, ac sæpe perni osa, quod insinuavit Dominus filiis Zebedæi respo so illo: *Nescitis quid petatis*: quàm veris bonis in nem, quam periculis plenam sublimitatem. Vide tur enim primas sedes in regno terreno petiisse, sentiunt Chrysostomus & Theophylactus. Simil hi sunt pueris, qui circa Ioannis festum emendica ligna ad excitandum ignem à S. Vito & Florian Lieber Herr S. Veith / bescher uns ein Scheit / Vite mitte nobis ligna. Sed quo fine hæc publica ratio & modulatio? ut excitetur ignis. Et quid cu igne? ut eum transiliamus, donec extinguatur. M gna res, frustum ligni: Magna res transilire aliqu vicibus ignem. Et quid si aliqui in ignem incidar & vestes comburant aut etiam corpus? Ita nimiru qu

ni temporalia ſolùm petunt, ligna petunt, excitare nem lætitiæ, & aliquot vicibus tranſilire volunt. ui tamen brevi extinguitur & ſæpe multos urit hic ibi in inferno.

V. *In nomine meo*, i. e. ad nomen meum, ſed ad oriam nominis mei, quo modo Matth. ult. dicitur, *ptizantes eos in nomine patris.* Græcè, *ad nomen pa-* *ti*. Ita orandum monet Eccleſ.13. *Omni vita tua di- e Deum, & invoca illum in ſalute tua.* (Regia ha- nt, *in ſalutem tuam*) Sic orabat David Deum 2. eg.7. pro ſe, domo & populo ſuo, ita orationem udens: *Vt magnificetur nomen tuum uſque in ſem- ernum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus per Iſrael.* Sic orabat Judith proſperari conſilium um ſeque corroborari contra Holofernem, tandem concludens precationem: *Vt domus tua in ſancti- atione tua permaneat, & omnes gentes cognoſcant, ia tu es Deus & non eſt alius præter te.* Judith.9. rat, & vult decipi Holofernem, vult Aſſyrios deleri, lt obſidione urbem liberari, vult ſe corroborari: nnia tamen eo tendunt, ut domus Dei ſanctificatio rmaneat, religio vigeat, Deus vero cultu colatur & gnoſcatur & prædicetur, *quia non eſt alius præter* m, ſive (ut Græc. habet) *præter ipſum pro genere Iſ- el*, ὑπερασπίζων, conſervator, protector.

Sed nos ferè propria tantum commoda quærimus: pacificè vivamus & fruamur bonis terræ; unde on mirum ſi non audiamur, teſte Jacobo in ep. c.4. *titis & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in con- piſcentiis* (Gr. *voluptatibus*) *veſtris inſumatis.* Sic idæi carnes poſtularunt non quaſi ad iter neceſſa- is, cum manna ſat virium eis præſtaret, ſed ad volu- atem. Unde cum iis voluptuosè veſcerentur, puni- ſunt, & locus ſupplicii *ſepulchra concupiſcentiæ* ap- ellatus eſt, Num.11. Similem in modum Chriſtiani ulti, quia petierunt aliqua pro ſuis cōcupiſcentiis, ea uidem obtinuerunt, ſed ad ſuam perniciem. Quid uæſierunt Chriſtiani in terra ſancta, poſt quam eam ccuparunt & aliquamdiu tenuerunt? contenderunt o eminentia & dignitate regia, & alter alterum im- edivit. Quid jam terra illa? *ſepulchra concupiſcentiæ?* Quid tot rebellionibus quæſiverunt Græci? Primam dem in Eccleſia, & independentiam à Romana. Quid jam eſt Græcia? *Sepulchra concupiſcentiæ.* Quid lagnates proteſtantes? Exemptionem à Papæ obe- ientia, Epiſcopatus & prælaturas. Quid apoſtatantes ivitates? libertatem carnis. Quid Rex Angliæ Henri- us? pellices & primatum, templorumque expolia- ionem. Quid aliud jam ſunt eorum regiones, niſi ſe- pulchra concupiſcentiæ? Non ita oremus nos; ſed um Zacharia. *Vt ſine timore de manu inimicorum no- ſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia oram ipſo omnibus diebus noſtris.* Luc.1.

THEMA III.

Quo potiſſimùm tempore ſit orandum.

I. *Orandum in rebus dubiis.*
II. *In electionibus faciendis.*
III. *Quando iter agendum.*
IV. *Quando contrahendum matrimonium.*
V. *Quando cibus ſumendus.*
VI. *Quando res difficiles aggrediendæ.*
VII. *Ad alia etiam negotia.*

In illo die in nomine meo petetis. Ioan.16.

QUærere poſſet aliquis, quam ob cauſam dicat Dominus in hod. Evang. *In illo die in nomine meo petetis*; ſiquidem ipſe ſuis jam dudum præcepe- rat, ut omni tempore orarent. Ita enim Luc. 18. di- xit: *Oportet ſemper orare & non deficere.* Et rurſum cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes.* Ad quid ergo hic in futurum tempus ablegat ſuorum orationes? Juſta eſt hæc quæſtio, ſed non difficilis reſolutio. Verbum *vigilate*, quod orationi junxit Dominus, rem hanc explicabit. Nonne milites præſidii, qui ſtant in excubiis, jubentur vigilare conſtanter omni tempore, etiam hoſte procul abſente? Ita ſanè. At- tamen illis hoc ſpeciatim mandatur, ut die & tem- pore, quo hoſtis propè eſt & imminet præſidio, ma- ximè invigilent; quia major urget neceſſitas. Quam- diu Chriſti diſcipuli fuere cum Magiſtro ſuo, in ter- ris ambulante, non erant multum intenti fundendis orationibus quia patrem ad manum habebant, qui omnes eorum neceſſitates per ſe noverat & depel- lere ſolebat. Verum quia paulo poſt orbandi erant pa- tre ſuo, in cœlos abituro, & tunc exponendi variis periculis, invadendi à perſecutoribus velut agni à lupis; idcircò eos monet, ut in illo die, in quo talia experturi erant, ad precandum ſe conferrent, & fer- ventius quàm alias orationi invigilarent. Quod Apo- ſtolis dixit, idem & nobis dicit. Omni tempore quan- tum per alia negotia fieri poteſt, orandum quidē eſt: verum ſæpe incumbit major quædam neceſſitas, quæ conſtantiorem ſimul & ardentiorem requirit oratio- nem. Ea vero tempora aliqua hic indicabimus.

I. Orandum in rebus dubiis, cùm reſolutio faci- enda aut alteri danda. Ita Rex Joſaphat ignorans in re dubia, num reſiſtere potentiſſimo exercitui, an tradere ſe deberet? quid egit; *Cumque ignoremus*, in- quit, *quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſi- dui, ut oculos noſtros ad te dirigamus*, moxque totum contulit ſe ad rogandum Dominum; à quo accepit reſponſum: *Nolite timere neque paveatis hanc multi- tudinem, &c.* 2. Par. 20. Idem ante ipſum obſervavit David 1. Reg.23. cum conſuluit Dominum: *Num va- dam & percutiam Philiſthæos iſtos?* nec prius ivit, quàm audiret à Domino: *Vade, & percute Philiſthæ- os.* Neque minus neceſſaria eſt oratio iis, qui reſpon- ſa aliis daturi ſunt, quantacunque alioquin præditi ſint ſapientia; quod inprimis in more habuit Pam- bo Abbas ſapientia divina & prudentia inſignis, quo- ties enim reſponſum vel conſilium ab eo petebatur, nun-

I. *Orandū in rebus dubiis.*

nunquam illicò respondit, sed spatium aliquod sumpsit prius rem Deo commendandi, qua industria effecit, ut, quemadmodum in articulo mortis confessus est, nullum unquam verbum protulerit, cujus ipsum pœnituisset. Pallad. in hist. Lauf. Hunc imitatus noster P. Leon. Lessius, quoties de causa aliqua difficili consulebatur, vir omnium sententia doctissimus & piissimus, prius invocare solebat Spiritum S. præmittendo Hymnum: *Veni Creator spiritus*, teste P. Corn. in c. 33. Eccles.

Hoc verò qui neglexerant, graviter sæpe decepti fuere, uti contigit Iosue, Hebræorum Duci, aloquin & sapientia & rerum experientia clarissimo, quando impostoribus Gabaonitis facilè nimis credulus pacem dedit, & Gentiles homines in fœdus recepit, quia *os Domini non interrogavit*, precibus videl. Dei voluntatem explorando. Ios. 9.

II. *In electionibus faciendis.*

II, In electionibus faciendis & mittendis sortibus, quia in his omninò cæci sumus, in illis cæcutimus. Quem verò sapientiorem inveniemus ducem in his tenebris, quam Deum? Docuit hoc Christus, qui tamen omnia prævidebat, quando enim electurus erat 12. Apostolos, prius *pernoctavit in oratione Dei*. Luc. 6. non quod ipse egeret ea oratione vel directione, sed ut nos instrueret plerumque ignorantes & cæcutientes, in re præsertim tali, è qua plurimorum salus pendet. Audiamus Theophylactum in eum locum: *Post orationem elegit Christus discipulos, ut doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut revelet, quis idoneus sit, &c.* Tales enim nisi Deus demonstret, non est facile scire, ut observat D. Gregor. in lib. 1. Reg. 16. ideoque Deum Samueli dixisse. *Vnges quem monstravero tibi.* eod. c. Hinc Ecclesia in 4. temporibus, quibus ordinationes ministrorum Ecclesiæ fiunt, trinum in singulis jejunium præmittit & prolixiores in missa preces adhibet, quo idonei ministri à Deo impetrentur. Tridentina etiam Synodus sess. 24. c. 1. statuit, ut quamprimum Ecclesia Episcopalis vacaverit, supplicationes precesque publicè & privatim fiant, indicanturque a Capitulo, quibus bonus pastor obtineatur. Christi exemplum secutus est S. Petrus, quando electurus loco Iudæ alterum Apostolum, præmisit orationem. Act. 1. Nec minor cura adhibenda in sæcularium gubernatorum electione; quod inprimis docuit Samuel, quando electurus populo Regem, convocavit eum in Masphat, sive quia ibi erat locus adorationis, ut habetur 1. Mach. 3. v. 46. sive quia *Masphat*, significat *speculationem*, teste S. Gregorio in eum locum ubi ait: *Bene igitur Samuel populum in Masphat convocat, ut electio boni Antistitis non sit humano judicio, sed divino; cùm non talis eligitur, qualis hominum arbitrio decerni potest; sed qualis in sacro eloquio declaratur.* Unde rectè in littera additur factam esse convocationem ad Dominum; scil. ad audiendum & exequendum verbum Domini, ut explicat Cajetanus.

III.

III. Quando iter agendum, periculosum præsertim & longinquum. Hoc inprimis discimus [...] psalmista, quia Ps. 67. quasi iter aggressurus ita pre[...] catu: *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Deinde Tobia seniore, qui dimittens filium suum in Medi[...]am cum comite Raphaele, bene illis precatur: *Ben[e] ambuletis, & Deus sit in itinere vestro, & Angelus [e]jus comitetur vobiscum.* Tob. 5. & sanè obtinuit, quo[d] petiit, anticipata exauditione, Angelum filio com[i]tem. Denique ab Apostolo & primis Christianis Mil[e]tanis, quibuscum flexis genibus precabatur navim i[n]gressurus, Act. 29. & rursum Act. 21. cum Tyrii[s] quando navigaturus, ad littus eis valedixit, ubi a[d]huc monstratur locus in arenis, in quibus ponent[es] genua orabant; ut refert ibi P. Corn. à Lap. quasi documentum viatorum, ut iter aggressuri insistere[nt] vestigiis primorum Christianorum, priusque se com[mendent] Deo quam mari aut alteri viæ pericul[is] expositæ. Unde S. Gregor. Nyssen. orat. 1. de ora[t.] Dom. ait: *Ita viator, ita qui expeditionem vel nu[p]tias parat, si cum oratione quælibet agat, prospero [&] fœlici successu negotiorum à peccando abducetur, nu[l]lo adversario animam ad vitium trahente.* Et pro[p]terea Ecclesia Itinerarium composuit recitandu[m] inprimis Clericis peregrè euntibus; nec non & ali[is] pro occasione. Sedulo hoc observavit Synesius in d[e]script. Pentap. calam. *Cum, ut ad navem conscendam quispiam rogabit*, inquit, *paulisper ut expectent, ab[...]lo petam. Primum n. ad Dei templum accedam, alta[re] circuibo, pretiosissimum pavimentum lacrymis perfu[n]dam, non prius discedam, quam januam illam thr[o]numque illum osculatus fuero.* Quin imò solent e[t]iam nautæ, quantumvis alioquin barbari & irrel[i]giosi navigationes suas diutius duraturas aut per[i]culosas à precibus & certis cæremoniis ter effus[o] vino inchoare: Profuit hoc pium exercitium Sophia[e] Theodorici, Hollandiæ Comitis uxori, quæ cum a[d] limina S. Iacobi in Gallicia peregrinata, latrones i[n] via obvios sibi haberet, oratione sese muniit, ejusqu[e] vigore latrones ita constrinxit ac ligavit, ut de loc[o] se non movere, nedum manus ei inferre possen[t.] Quare illi stupore correpti, veniam postulant & supplices fiunt, qui prædones advenerant; quam u[bi] obtinuerunt, in fugam se proripuerunt. Auct. Ioa[n.] Trithemonio in Chron. Hirsaug.

IV. Quando contrahendum matrimonium; quando cum sit indissolubile, magna & matura consideratione Deique auxilio opus habet. Cujus rei exemplar se exhibuit Isaac, quando eo tempore, quo expectabat sponsam sibi adducendam, exivit *ad meditandum in agrum*, Gen. 24. seu ut vertit Chaldæus, *ad orandum*, causam exponit Sylvester Petrasancta Metaphora 48. *Verisimile est*, inquit, *preces ejus ad Deum tum fuisse, ut matrimonio (quod procurari interea temporis non ignorabat) esset beatè, esset fœliciter, & ut cederet ad virtutem sibi, & promissæ: nec aliter deinde fuit.* Id exemplar Isaac aliis item sponsis proponit S. Chrysostom. in eum locum hom. 48. *Hunc æmulentur viri, inquit, si sponsas ducere curent.*

nt. Quare enim, dic oro, statim ab initio sordibus im-
risinu puellæ aures tam turpibus cantilenis. tam in-
npestiva illa pompa? nescis quomodo adolescentia per se
malum propensa? Cur honesta nuptiarum mysteria
vulgas? Oportebat omnia hæc depellere & verecun-
um principio docere puellam, & sacerdotes vocare, &
cibus & benedictionibus concordiam conjugii con-
ingere, &c. Itaaco ad hoc pium exercitium præivit
rsterio pater Abraham, qui defuncta Sara Cethu-
n duxit in uxorem. *Cethura* enim *thurificata* expo-
ur: & quid thus nisi orationis typus? Decet igitur
onsas prius thure orationis sanctificari à sponso &
issim, ut fælix & faustum sequatur matrimonium;
quod juniori Tobiæ suasit Raphael: *Tu autem*
n acceperis eam: ingressus cubiculum per tres dies con-
ens esto, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum
Tob 6.

V. Quando ad mensam cibus sumendus; quod
eò rationi consentaneum est, ut etiam infideles &
bari id agendum sibi rati sint. Turcæ inprimis,
i prælongas orationes suis præmittunt cœnis, va-
; cum gesticulationibus & ritibus. Calecutien-
m Rex non prius considet ad mensam, quam qua-
ni sacrificuli precibus fusis cibos sacrarint suo
olo, teste Ludovico Romano. De Hebræis res
ra est, & probatur exemplo Samuelis. 1. Reg. 9.
alibi id ostendimus. De antiquis Christianis fa-
ur idem S. Chrysost. hom. 79. ad pop. *Opus est,* in-
it, *nos & mensam petentes & desistentes Deo gra-*
s agere: mensa namque ab oratione sumens ini-
m & in orationem desinens nunquam deficiet, sed
te largiùs omnia nobis afferet bona. Idem hom.
ad pop. formulam benedicendæ mensæ hanc re-
iset: *Benedictus Deus, qui pascis me à juventute*
a: qui das escam omni carni imple gaudio & læti-
corda nostra, ut omnem sufficientiam habentes
undemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Do-
no nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium
n S. Spiritu in secula, Amen. Gloria tibi Domine,
ria tibi Sancte, gloria tibi Rex; qui dedisti nobis ci-
in lætitiam, imple nos Spiritu S ut inveniamur in
spectu tuo beneplacentes, non erubescentes, quando
ldes unicuique secundum opera sua. Senserunt deni-
e nonnulli damno suo neglectum hujus benedi-
onis, uti Monialis illa apud S. Gregor. l. 1. Dial c. 4.
æ in lactuca Dæmonem devoravit quia benedictio-
m precum non præmisit: Religiosus, qui in vino
dem ex causa hospitem illum sorbuit, apud Jacob.
Voragine in vita S. Dominici: Puella Coloniensis,
æ in muscæ effigie Dæmonem deglutiit, dum in
sine prævia oratione comedit, apud Joan. Nider,
. 5. form. c. 11.

VI. Quando res difficiles aggrediendæ sunt,
æ nostras superare vires videntur. Ita monet S.
egor. Nyssenus in l. de orat. *Si oratio negotium*
a esserit, peccatum adversus animum non inveniet
itum. Deten m mem ria in corde fixa atque fundata,
ita consilia adversarii manent. Neque hoc solum,
sed etiam salutarem sortientur exitum, cœpta sic ne-
gotia; quod inprimis duæ illæ heroinæ, Judith &
Esther ostendunt. Illa in castra Holofernis cum uni-
ca famula transiit, ut illi caput auferret; quid hac re
difficilius? Et tamen oratione mediante perfecit.
Hæc verò Assuerum Judæis iratum, & omnibus ter-
ribilem, vi precum ad Deum fusarum mitigavit &
ex leone in ovem mutavit, ut decreto immutato fa-
veret Judæis & iram converteret in eorum hostes.
Hinc etiam SS. Martyres ad tormenta sustinenda &
difficilia sua certamina per orationem se armarunt,
quod qui non fecerunt, sæpe succubuerunt, uti testa-
tur S. Cyprianus tr. de duplici martyrio: *Novi ego,*
inquit, *ac flevi quosdam magna animi fortitudine*
præditos, qui jam coronæ proximi defecerunt, & quem
diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa?
Dimoverant oculos suos ab eo, qui solus robur dat in-
firmis: intermiserant orationem, ac cœperunt ad hu-
mana præsidia respicere. Dictum his videtur, quod
Isa. 30. legimus: *Væ filii desertores ut faceretis consilium*
& non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum
meum.

VII. Quando etiam alia quæcunque actitan- VII. *Ad alia*
da, ut non aberremus & Deum offendamus. Ita mo- *etiam*
net S. Augustin. l. de salut. docum. cap. 28. *Admone* *negotia.*
opus, inquit, *quodcunque inchoaveris facere, primum*
invoca Deum & gratias ei age, & cùm consummave-
ris, illud similiter fac. Quin etiam Cambysen Persa-
rum Regem filio suo Cyro tale præceptum dedisse
refert Xenophon in Cyropæd. *Nihil in publicis vel*
privatis rebus agas, nisi sacris peractis Deorumque vo-
luntatibus per auguria conspectis & cognitis, quid a-
gendum & quid non agendum, explores; humanum e-
nim genus erroribus plenum est &c. More hic gen-
tili; rectè tamen innuit Deum actionem nostrarum
moderatorem necessariò invocandum, nisi decipi
velimus. Atque hinc est, quòd partim à Domino jube-
mur *semper orare, & non deficere.* Luc. 18. & 1. par-
tim ab Apostolo; *sine intermissione orare.* 1 Thess. 5.
quia ubique scopuli in hoc mundi mari, nulla securi-
tas est. Unde D. Chrysost. in Psal. 129. *Opus est ventis*
à puppi, inquit, *ut diei spatium absque naufragiis tran-*
sigamus. Multi namque per dies singulos scopulis occur-
runt, & frequenter illiditur scapha atque submergitur;
atque propterea nobis opus est oratione, matutina præ-
sertim. Nec minus necessaria est oratio vespertina,
priusquam cubitum eamus; cum non minime etiam
dormientibus immineant pericula. Hujus rei docu-
mentum habemus in jugi sacrificio, quo diebus sin-
gulis agni duo, unus manè, alter vesperè immolari
debebat ex lege veteri, Exo. 29. rursū thymiama ado-
leri manè semel & vespere semel Exo. 30. Denique
sicut Moyses duo specialia tēpora precibus sacrabat:
unum, quando Arca ad profectionem manè elevaba-
tur; tunc n. orabat: *Surge Domine & dissipentur ini-*
mici: rursum quando vesperi deponebatur, dicebat;
Revertere Domine ad multitudinem exercitus tui. Nū.
10. ita Christianus cùm manè surgit, oret Deum,
ut

ut tartareos dissipet hostes, ne ipsi nocere possint, cùm verò ad lectum revertitur, roget Deum ut revertatur ad se tuendum nocturno tempore. David bina Dei precatione non contentus, tertiam addidit, meridianam, Psalm.54. *Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo; & exaudiet vocem meam.* Idem imitatus Daniel, tribus temporibus in die flectebat sua genua & adorabat. Dan. 6. Nimirum hi indicabant, quantum fieri potest, omni tempore orandum esse, quia semper inter hostes versamur & laqueos. Hinc Chrysost l.1.de orando Deum comparat orationem nervo: *Si quis dicat*, inquit, *animæ nervos esse deprecationem mea quidem sententia verum dixerit. Quemadmodum enim corpus nervis cohæret, vivit, currit, stat & compactum est adeò ut si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua; ita tibi deprecatio: per hanc datur velut ex aquis subvolare cœlumque transcendere ac proximum fieri.* Scimus Jacobum Patriarcham, ubi nervum pedis ejus Angelus incidit, mox claudicare incepisse, indeque permotos Hebræos non manducasse in posterum nervum ullum. Gen.32. Nil aliud continget nobis, ubi nervus orationis nostræ fuerit incisus: claudicabit vita nostra, quia secundum corpus quidem ambulabit, sed non secundum animam. Servemus igitur nervum istum: neque etiam permittamus extrahi nos ab aqua quotidianæ precationis, ne tabescamus & moriamur.

THEMA IV.

Orationis potentia.

I. *Est clavis omnia aperiens.*
II. *Est armatura & murus.*
III. *Est scutum & clypeus.*
IV. *Est pons & paries ad superandas tribulationes.*
V. *Est musica, Psalmus & cythara.*
VI. *Est thus & thymiama.*
VII. *Est thesaurus & divitiæ.*

Exivi à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Ioan.16.

REm miram! Auditores. Eandem illam viam, quam decurrit Salvator noster veniendo in hunc mundum, percurrit etiam oratio nostra, fusa ad Deum: solis terminis inversis. Exiit is à patre & venit in hunc mundum, hinc iterum discessit, & rediit ad patrem, sed cum ingenti lucro; qui enim solus, pauper & nudus venit in mundum, natus in stabulo: cum ingenti multitudine SS. Patrum, è limbo ereptorum, & SS Angelorum, ad patrem reversus est, ut cum Jacob dicere posset: *In baculo meo transivi Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior*, Gen.32. Exit nostra oratio à nobis in terra positis, & vadit in cœlum ad Deum, patrem nostrum: inde iterum ad nos revertitur in terram: sed quæ nuda, paupercula & inanis ascendit à nobis, revertitur ad nos cum ingenti lucro, & quidem duplici: cum merito boni operis, & cum dono postulato, vel certè æquivalente aut meliore alio. Hinc à Dionysio Areopagit lib de divin.nom c.3. comparatur oratio funi seu catenæ, de cœlo ad nos demissæ, per quam orantes a Deum ascendunt & iterum descendunt: à Deo attrahuntur, & Deum ad se trahunt. Quam porrò potens nobis hæc catena, nunc investigabimus.

Potentiam orationis variis metaphoris descripse Patres & DD.

I. Aliqui appellant eam clavem, ad quævis ap rienda idoneam; uti S. Augustin. de exhort. ad Cc mitem cap.28. *Est* inquit, *oratio clavis cæli: ascend precatio, & descendit Dei miseratio.* Certè oratio E liæ, uti cœlum clausit ne daret pluviam annis tribu & medio: ita & aperuit, ut effunderet copiosam. Reg. 17. & 18. Josve orando cœlo imperavit, & Sc lem stare fecit, Jos.10. *Obediente Domino voci hom nis*, inquit sacer textus; quasi oratio tam potens e set, ut imperaret ipsi Deo Sed audiamus Augustinun plurima alia exempla paucis complectentem serm.2 ad fratres in Eremo: *O quàm grandis, inquit, est ips orationis causa! ô quàm grande mysterium! E Moyses orabat in monte, & Iosve Amalec devinceb Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ corporis adipiscit. Per orationem Saulus efficitur Pa lus & Doctor gentium: Ieremias confortatur in carc re: David inter leones exultat: Iob in sterquilin triumphat: Susanna inter senes defenditur: parad sum de cruce latro invenit: Stephanus de torrente cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Paulo exa ditur.* Certè si aliquando timendum erat, ne De obseraret hominibus cælum & aures suas, passion tempore timendum erat: & tamen in ipsa cru pendens oranti latroni aures simul suas & cœlum a peruit; neque solum quod is petiit, sed etiam plus d dit: præter sui memoriam, & regnum; quomodo parabola prodigum filium pater non solùm recepi quod rogabatur, in mercenarium, sed etiam in filiun Neque cœli duntaxat, sed & alias quascunque ser reseravit sæpe oratio Sanctus Eparchius Abbas in c vitate Burdegalensi ad carceris ostia fervidas prec fudit, custode adstante & exitum rei suspensa ment præstolante: peracta oratione, omnia carceris ost aperta, pessuli rejecti & confracti: vinctique omne egressi, impetu ad Ecclesiam facto pergentes, popul acclamante, mortis periculum evaserunt; ut in ejus vi ta 1. Julii apud Lipel,

II. Alii appellant armaturam & murum cont hostes inexpugnabilem. Ita B Petrus Damiani tract ad Dominicum c. 6. *Ad semper victricia arma oratio nis*, inquit, *pro studio recurre*, Sanct. Chrysost. lib.2.d orando Deum: *Quemadmodum civitas, quæ mur cincta non est, facilè venit in potestatem hostium*

propter

opterea quod prorsus absit id, quo fuerat hostium in-rsus arcendus: sic & animam non munitam precibus iabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo ne-tio omni genere scelerum implet. Nam primum ad a-mam quidem precibus communitam non audet pro-us accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi precatio subministrat, magis vegetans animam, uam cibus vegetat corpora. Et libro primo eodem actat. *Si Dæmones nos conspexerint deprecatione mu-itos, illico resiliunt, non aliter quam prædones ac faci-orosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum ibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum preca-onis præsidio, hic avulsus deportatur à Dæmonibus & calamitates variaque mala impellitur.* Typum hu-s potentiæ exhibuit David, quando in nomine Do-ini, hoc est, prævia oratione occurrit Goliatho, & rostravit eum, uti observavit idem Chrysostomus omilia tertia de Davide & Saule, ubi subdit: *Quid niraris si vox justi & furorem mitigat & hostes deji-it cum impios quoque spiritus expellat?* Cornuta Moysis facies ita terruit filios Israel, ut appropinqua-e ei non auderent. Exodi trigesimo quarto. Unde vero illi hæc cornua nisi ex oratione & consortio ser-monis Dei: Qui ergo orationem pro galea quodam-modo sibi imposuerint, terrebunt & fugabunt non modò homines malos, sed & ipsos Dæmones: sicut taurus suis cornibus in fugam pellit imbelles greges. Eò spectat quod Psal. 43. dicitur: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus in-surgentes in nobis.*

III. Alij appellant scutum & clypeum; ad repellendas Dæmonis, mundi, carnis tentationes validissimum, uti Sapiens Sapient. 18. vers. 21. *Proferens servitutis suæ scutum, orationem.* Ita sanctus Ambrosius in orat. fun. de obitu Valentini: *Bonum,* inquit, *scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur.* Et S. Hieronymus in Epistola ad Salvinam: *Semper in manibus tuis sit divina lectio & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Scimus urbem Hai à Josue expugnatam, dum ipse manu levaret in sublime clypeum suum, Dei mandato. Josue 8. quo modo etiam Moyses, dum elevaret orando manus suas, in fugam compulit Amalec, Exod. decimo septimo. Quod ergo significabant elevatæ manus Moysis, hoc & elevatus Josue clypeus, orationem scilicet in cœlum emissam. Hoc clypeo se tutatus est contra omnes suos inimicos David, toties ad psalmum & orationem confugiendo, quoties aliquo in periculo fuit. Unde sanctus Chrysostomus libro 1. de orando Deum: *David,* inquit, *multos ac sævos inimicos effugit precationis ope, non aliis armis exercitum muniens, &c.* Eodem clypeo se suumque Diaconum texit ac defendit sanctus Gregorius Thaumaturgus; quando in monte orantes quæsiti ad necem ab insidiatoribus visi quidem sed non agniti, & pro duabus arboribus habiti sunt, ut in vita. Contra hostes castitatis præclarum etiam scutum est & fuit quamplurimis. Ita enim testatur sanctus Gregorius Nyssenus oratione 1. de Orat. Dominica, ubi ait: *Oratio pudicitiæ præsidium atq; tutamen est, oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum.* Hoc suam pudicitiam defendere, Judith contra Holofernem, per ardentem orationem se Deo commendando; Susanna contra duos senes per suspirium & exclamationem utiq; ad Deum cum sciret homines, qui succurrerent, procul abesse. Non minus præclarè sanctus Chrysanthus adolescens cùm ob susceptum baptismum ab irato patre Gentili, Polemio, in carcerem detrusus primum, postea pejore consilio, ad delicias eductus inter puellarum speciosarum lusus, & lascivias, ut ab illis perverterent, constitutus esset, orationis scuto arrepto, prælongam & ardentem deprompsit ad Deum orationem, in qua ad finem hæc: *Nunc ego te Domine supplex oro, ut mihi adversus istas feras opituleris, ut quemadmodum serpentes dormiunt ad vocem incantantium, sic ipsæ me precante dormiant, ne mihi libidinis bellum inferre queant. Quoniam agnosco te verum Deum, qui homines in te credentes defendis, & invictam illis virtutem elargiris. Hæc ille cum dixisset, tam ingenti virgines somno sunt oppressæ, ut nisi ex triclinio exportarentur, excitari non possent. Foris igitur ceperunt cibum, Verum cum in locum, ubi erat Chrysanthus, revertissent, gravis eas rursum somnus complexus est.* Ita Verinus & Armenius, Stephani Papæ Presbyteri, teste Baronio apud Surium 25. Octob. Quantum deniq; valeat hoc scutum contra Dæmonum jacula, jam dictum & luce clarius est.

IV. Est pons & paries ad superandas tribulationes.

IV. Alii pontem & parietem ad superandas tribulationes efficacem; uti Climachus gradu vigesimo octavo. *Oratio tentationum pons,* inquit, *tribulationum paries interpositus.* Tentationes & tribulationes sunt velut aquarum fluenta, quæ demergunt aut certe abripiunt & in angustias redigunt hominem: sed ut pontis beneficio superantur absque periculo quæcumque tandem flumina: ita & tribulationes orationis adjutorio. Pontem transeunti apparent quidem rapidæ aquæ, & terroris aliquid eminus incutiunt, nocere tamen nequeunt: idem accidit oranti: turbatur ex aspectu instantis tribulationis, sed si instanter oret, non perturbatur, modò non in aquas, sed ad semitam & pontem, hoc est, non ad imbecillitatem propriam, sed ad Dei adjutorium oculos convertat, non suis viribus temere præfidens, sed in Dei robore confidens. Ad hunc pontem confugit Jacob, quando fratris iram fugiens transiit per Jordanem in Mesopotamiam ubi in via altare erexit & ad id oravit, Genesis vigesimo nono, ideoque asylum reperit apud Laban: rursum inde regressus cum iterum Jordanem transiret & metueret sibi ab occursu & ira fratris, ad orationem veluti ad pontem se recepit cùm dixit: *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo;* statim ab Angelo luctatore confortatus est, ut non timeret amplius. Genesis 32. Atque hinc Psalmo 145. dictum est: *Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus: spes ejus in Domino Deo ipsius.* Cur Deus Jacob, & non Abraham aut Isaac hic appellatur? Quia scilicet Jacob in summa paupertate & angustia per orationem speciali ratio-

tione Deum adjutorem ſenſit; ut & alii in tribulatione confugiant ad pontem orationis. Huc confugit Joſaphat; quando venerunt ei nuntii: dicentes: *Venit contra te multitudo magna:* Ammonitæ, Moabitæ & Syri videlicet: quid agat bonus Rex? *Ioſaphat timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum: ſed & omnes de urbibus ſuis venerunt ad obſecrandum eum.* Et quid obtentum: *Cum cœpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos,* nam hoſtes in ſemetipſos verſi mutuis concidere vulneribus. Joſaphat cum ſuis laboravit integro triduo in colligendis hoſtium ſpoliis, ſecundo Paralipomenon vigeſimo. Similis hoſtium ſtrages precum beneficio obtenta deſcribitur ſecundo Paralipomenon vigeſimo quarto. *Egreſſus eſt Zara Æthiops cum exercitu ſuo, decies centena millia, & curribus trecentis. Porro Aſa* (Rex Juda) *perrexit ob viam ei & invocavit Dominum Deum, &c.* deinde: *Exterruit itaq; Dominus Æthiopes coram Aſa & Iuda, fugeruntq; Æthiopes, & perſecutus eſt eos Aſa. Grandis quippe terror cunctos invaſerat.* 2 Paralip. 14 At ſerio quidem obſervandum eſt barbaris illis gentibus pro Hebræis immiſſum divinitus terrorem, ut ſine prælio, ſine armorum corporumque congreſſu, ac mutuo conflictu infinita illa Æthiopum multitudo repente perturbata, & conſternata in effuſam ſe converterit fugam. Videlicet ubi ſanctus ille Rex ad Deum ſuum confugiens illius opem ſupplex & illachrymans experierit illis verbis *Domine non eſt apud te ulla diſtantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus; adjuva nos Domine Deus noſter, in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem; Domine, Deus noſter tu es, non prævaleat contra te homo.* ſecundo Paralippom. 4. Prius *multitudinem* & plures dicit, nunc vero *hominem* cum Dei virtutem implorat, ante quam unus homo, quin & nullus homo eſt illa multitudo. Sed recentem audiamus huic ſimillimam orationis efficaciam; quam refert Pater Bened. Fernandius in capite 35. Gen. ſect. 5. *Memini,* inquit, *hoc loco, quod planè miraculum huic perſimile noſtro hoc tempore in Guinea contigerit. Rex quidem Angolæ (vaſtiſſimum unum eſt ex Æthiopum regnis) ad pellendos è ſua regione prorſuſque delendos Luſitanos coegit exercitum, in quo, ultra decies centena millia hominum numerabantur, E noſtris fere ducenti erant ſclopetarii ſub inſigni viro, inter claros gentium duces memorando, Paulo Didaco: uterque jam cominus exercitus: Mars in promptu. Ergo pater Balthaſer Barreira Societatis Ieſu; vir piiſſimus ac religioſiſſimus, quem ego multis annis & novi & colui, concione brevi habita, monet omnes, ut ad deprecandum Deum procumbant; exclamat deinde, ruant Deo duce in hoſtem, quamdiu ille provolutus humi ante Crucifixi Ieſu imaginem pro omnibus ſupplicat. Ergo noſtri facto impetu in denſiſſimam illam Æthiopum colluviem primores quidem proſternunt; nec alius deinde labor & opus. Terrore ſiquidem Dei conſternantur barbari, tergaque vertentes, vel ipſo tantum corporum congreſſu, alii alios perturbant, & proruunt, fœdaque & inaudita ſæculis clade profundam quandam & latam telluris voraginem fugientes ita compleverunt, ut prolapſorum cadaveribus æquata jam planities, quendam quaſi pontem per corpora mortuorum vivis ad fugam præſtiterit. Denique incruentâ partâ victoriâ receptuique canente duce noſter ille ſacerdos ab humo ſe extulit & in gratiarum actionem Chriſto Domino ſuos eſt cum ingenti gaudio cohortatus. Conſtant hæc omnia teſtimonio Ducis ac militum, & per litteras ejusdem Patris à quo paulò poſt in Luſitania rem ipſam non ſemel vere conteſtatam audivimus.*

V. Appellant eam alii Muſicam, harmoniam, Pſalmum & cytharæ ſuavem ſonitum, ex ſancto Paulo & Jacobo, qui Pſalmum & orationem fere conjungunt & pro eodem ſumunt, Ille 1. Corinth. 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente,* ait; hic verò cap 5. *Triſtatur aliquis veſtrum, oret: æquo animo eſt, pſallat.* Hinc Ambroſius in id Pſalmi 42. *Confitebor tibi in cythara,* ait: *Habet cytharam ſuam anima noſtra. Neque enim diceret Paulus: Orabo ſpiritu, orabo & mente: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente, niſi cytharam haberet, quæ plectro Spiritus ſancti reſultaret.* Porro ſicut cantus & muſica recreat melancholicos & ſerenat turbidas mentes: ita & oratio. Ideo ſanctus Jacobus dixit: *Triſtatur aliquis veſtrûm, oret.* Scimus melancholiam Saulis depulſam fuiſſe cytharâ Davidis, pſaltis & precatoris peritiſſimi, 1. Regum 16. Idem in aliis quoque mœſtitia oppreſſis præſtat oratio, ut ipſi Davidi in triſtitia poſito. Ita enim ait Pſalmo 108 *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi ego autem orabam.* Ubi Divus Chryſoſtomus hom. 29 in Gen. *Vidiſti,* inquit, *unde quærat auxilium? Alii dolos machinabantur & calumnias & inſidias: ego autem ad inexpugnabilem murum confugio: ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem preces, inquam, per quas omnia, levia & facilia mihi fiunt.* Eadem muſica ſerenavit mentem, mœrore afflictam Anna Mater Samuelis, quæ *cum amaro eſſet animo, oravit ad Dominum, flens largiter.* Sed quis fructus orationis ejus? *Abiit mulier in viam ſuam & comedit; vultusque illius non ſunt amplius in diverſa mutati.* primo Regum primo. Prius enim præ ſe ferebat vultum modò mœſtum, modò iracundum, modò in terram demiſſum, ob ſterilitatis opprobrium, & Phenennæ improperium: per orationem verò adeò exhilarata fuit, ut jam nihil curaret, quidquid ipſi objiceretur. Unde ſanctus Chryſoſtomus homilia 1. de fide, ait: *De hac muliere forſitan aliquis non abſurde dixerit: Qui ſeminat in lachrymis, in exultatione metet.* Pſalmo centeſimo vigeſimo quinto, quaſi oratio ſit ſemen, quod triſtitiæ lachrymis rigatum, lætitiæ fructus pariat. Quod non de Anna illa duntaxat, ſed de ipſo etiam Chriſto Domino dici etiã poteſt. Qui enim ante orationem in monte Oliveti fundendam, cœpit pavere & tædere & mœſtus eſſe, poſt orationẽ ſurrexit ad certamen totus impavidus, ſerenus & tranquillus, occurrens velut leo armatæ cohorti, ut obſervat S. Laur. Juſtinianus de triumphali Chriſti agone cap. 6.

VI. Alii quamplurimi thus & thymiama, ſeu

ſuaviſ-

suavissimum suffitum, ad Deum nobis placandum potentem & efficacem; & hoc ex ipsis Sacris literis Psalmó enim 140. appellatur thus seu incensum: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Apocalyp. 5. dicuntur *Phialæ aureæ plenæ odoramentorum esse orationes sanctorum.* Solebat enim in phialis thymiama offerri in templo Salomonis, in altari thymiamatis. (ad quod alludit Joannes) ad placandum iratum Deum. In cujus rei documentum Abraham mortua Sara duxit uxorem Cethuram Genesis vigesimo quinto quæ significat thus vel incensum; ut discat unusquisq; fidelis orationem sibi habere adhærentem & inseparabilem, ac si conjux ejus esset, ut observat Origenes in eum locum, *Patriarcharum conjugia,* inquit, *semper indicant aliquid mysticum. Cethura interpretatur incensum & bonus odor: ille Cethuram duxit uxorem, & bonus Christi odor efficitur, qui sine intermissione orando offert Domino semper incensum in conspectu suo.* Quia frequentissime delinquimus, saltem venialiter Deum inhonorando, justum est ut ad manum semper habeamus thus orationis, quo eundem nobis reconciliemus, exemplo Davidis, qui psal. 14. ait: *Apud me oratio Deo vitæ meæ,* quasi dicat semper ad manum habeo medicinam, quando aliqua ratione Deum vitæ meæ tutorem offendi, thus orationis. Quam vero ad eum finem potens sit oratio, colligitur ex oratione & sacrificio Noë: odoratus est enim Dominus odorem suavitatis ejus, & promisit se imposterum non deleturum aquis mundum. Genesis 8. Deinde ex oratione Moysis, qua tenuit iratum Deum, ne gladium suum stringeret in populum desertorem & vituli adoratorem, Exodi 32. Idenim indicat Deus illis verbis: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos & deleam eos.* Chaldæus scribit: *Intermitte precationem, faciamque te in gentem magnam.* Quod jure miratur sanctus Bernardus sermone de Beata Maria Magdalena cum ait: *Promittit plurima Moysi creator omnium: & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit.* Voluit nimirum Deus ea loquendi formula indicare, quantum apud ipsum valeant piorum preces. *Sententia enim Dei sanctorum precibus frangitur,* ait sanctus Hieronymus, in capite 13. Ezechiæ. Hinc Deus puniturus impios vel impedit justorum pro eis preces, uti factum legimus Jeremiæ septimo, cum castigaturus Israelem præcepit Jeremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & ne obsistas mihi,* vel è vivis aufert, juxta id Isaiæ 55. *A facie malitiæ collectus est justus.*

VII. Alii denique thesaurum & divitias nuncupant, quod homo orationi deditus omnis generis opibus spiritualibus ditari facile possit. Ita sanct. Chrysostomus homilia 4. de incomprehens. Dei nat. *Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, &c.* Et lib. 2. de orando Deum: *Quemadmodum,* inquit, *ubi Regina quapiam ingreditur civitatem, necesse est, ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet postea quam deprecatio venit in anima, omnes virtutes simul ingrediuntur. Nam quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio, &c.* Atque hinc est, quod Dæmon vehementer laboret, ut perturbet orationes nostras, novit enim quantum ex oratione capiamus præsidium & thesaurum; livore igitur & odio stimulatus mille phantasias menti nostræ objicit, ut sine fructu saltem oremus. Id expertus est sanctus quidam Abbas, Marcellus, qui in Prato spirit. capite 152 quasi de alio (revera autem de se) narravit, *quod nocte quadam surrexerit, ut psalmos ex more caneret. Cumque psallere cœpisset, audivit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis; turbatusque senex cogitabat dicens: Unde hoc in loco vox buccinæ perstrepit? Milites hic non sunt, bellum hinc abest. Et cum ista secum volveret, Dæmon prope illum veniens dixit ei: Utique bellum est. Si ergo oppugnari ac repugnare non vis, vade, dormi, & non oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi filioli, nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit atque contristat, & contra nos commovet Dæmones, ipsumque perditionis auctorem satanam, sicut perpetua psalmorum meditatio. Nam omnis quidem divina scriptura utilis nobis est, contristatque non mediocriter Dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe, si una pars laudet Imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neque movetur contra laudantes, cum vero ad injurias & contumelias non laudantium conversi fuerint, tunc adversus eos excitamur; ita & Dæmones non ita commoventur, neque contristantur in aliis scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cum psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim vero maledictis insequimur Dæmones.*

THEMA V.

Vita Christi similis cursui Solis.

I. *Sol erat in ortu suo.*
II. *In progressu vitæ.*
III. *Sol erat in efficacia.*

Exivi à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. Joan. 16.

PAucis verbis Christus Dominus totam vitæ suæ periodum, in quâ tot tantaque gessit, quæ mundũ implere possent, describit in hod. Evangelio: *Exivi à patre,* inquit, *& veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Describit autem ferè eo modo, quo David Psal. 18. sub typo & similitudine Solis: *Ipse tanquam sponsus,* ait, *procedens de thalamo suo: exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio ejus, occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.* Hunc enim quem vide-

videmus Solem, expressum gessisse Christi typum, agnoscunt non pauci patres; uti sanctus Joannes Damascenus in orat. de transfiguratione, Athanasius Sinaita lib. 5. Hexam. S. Chrysost. in homilia. de virtute tomo 5. *Ecclesiastes dicit*, inquit, *oritur Sol & occidit Sol, & ad locum suum revertitur. Ortus est nobis Sol justitiæ Christus, de sancta Maria secundum carnem genitus; oriens quippe nomen est illi: occidit vero quando post crucem ad inferna descendit. De hoc Sole justitiæ & Malachias* (c. 4.) *pronuntiat, dicens: In diebus illis orietur Sol justitiæ & sanitas erit in pennis ejus.* sic ille. Ex Solis igitur periodo investigemus cursum vitæ Christi Domini.

Tria tanguntur psal. cit. in Sole consideranda: Ortus, assimilatus progredienti sponso de thalamo: deinde cursus ab oriente ad occidentem, cōparatus cursui gigantis: deniq; efficacia, qua per calorem suum omnia lustrat, fovet & vegetat.

I. Sol erat in ortu suo.

I. Prodiens in tenebris.

1. In ortu suo Christus egressus est velut Sol oriens & sponsus de thalamo suo. Recte inprimis per thalamum intelligimus castissimum Deiparæ uterum cum sancto Augustino in prædictum psalmum: *Ipse*, inquit, *tanquam sponsus, cum Verbum caro factum est, in utero virginali thalamum invenit, atque inde naturæ conjunctus humanæ, tanquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, fortis majestate super omnes, exultavit ad currendam viam.* Verum magis forsan ad litteram processit de thalamo, quando è mundo errorum & ignorantiæ tenebris oppleto prodiit velut Sol in nocte, dum ascendere super horizontem ex occulto nobis inferiori hemisphærio incipit & lucem adfert nocti hemisphærii nostri. Hinc Ecclesia Christi nativitati applicat id Sapientiæ 18. *Cum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*, h. e. in medium terræ perditæ, extrema ignorantia & malitia laborantis. Quam etiam ob causam media nocte Christus nasci voluit, ad indicandas mundi tenebras, eo tempore vigentes.

2. Cum splẽdore cœlestium signorum.

2. Processit instar sponsi gloriosus & spectabilis cum cœlestibus signis? quo modo & Sol in ortu suo est speciosissimus, cinctus undique aurora velut corona, præmittens Luciferum vel Paranymphum suum: afferens secum lumen jucundissimum. Præmisit enim Joannem Baptistam velut Luciferum & Paranymphum suum, sanctitate & sapientia conspicuum. Præmisit auroram, sanctissimam matrem suam tenebricoso mundo plurimum lucis inferentem: è qua ipse prodiit velut Sol, totius fons luminis; adhæc venit cum splendore & stupendis miraculis, mittens Angelum ad pastores, stellam ad Magos, varia denique alia signa, quę annotarunt historici per varias regiones.

3. Prius illuxit subli-

3. Sic progressus est, ut quemadmodum Sol oriens non statim in omnibus, sed iis, qui in altis degunt montibus & turribus illucescit: ita ipse non subitò omnibus, sed quibusdam sibi magis conjunctis & excellentioribus lumen suum impertiit; inprim S. Josepho; inde Joanni Baptistæ & parentibus eju posteà pastoribus, vigilias super grege suo gnavit agentibus; deinde tribus Magis, siderum contempl tioni & oraculorum studio addictis; posteà SS. il senibus Simeoni & Annæ Prophetissæ. Qui omn quò humiliores coram mundo, eò altiores erant c ram Deo; juxta Psal. 111. *Exortum est in tenebris lum rectis, misericors & miserator Dominus.* Sic etiam let sponsus primarios suos amicos invitare ad su nuptias, & præferre aliis.

4. Uti Sol non simul ac semel totum illumi hemisphærium, sed sensim magis & magis, quò tius ascendit: ita etiam Christus suam divinitat sub humana natura veluti sub nebula vel densa exh latione nonnihil latentem & obscurè emicante paulatim procedente ætate magis & magis expli vit, unde dicitur à S. Luca profecisse *ætate, sapientia gratia apud Deum & homines*, nimirum instar Sol qui dum ascendit altius & altius super horizonte non fit in se calidior aut luminosior, sed quoad ef ctum magis & magis splendorem & calorem suu effundit atque expandit. Id apparuit in Christo, cù jam duodennis medius inter Doctores sapientiæ su radios explicare cœpit, inde paulatim magis in pat sua ostendere, &c.

5. Sol in exortu suo amœnus est & suavis, qu nec calore nimio affligit, nec lumine obruit hom nem: at in meridie fit ingratus & ferè intolerabili dum nimis calefacit, & splendore suo oculos reve berat. Quod idem ferè & sponso accidit, qui du sponsus est, sponsæ acceptissimus est: at progres temporis cum subinde sponsam propter aliqua viti redarguere incipit, tum gratiam deperdit & molestu ei fit. Non aliter Christo contigit, dum in infanti pueritia & adolescentia signa tantum benevolenti & gratiæ Synagogæ ostendit, deinde initio prædi cationis suæ morbos depulit, obsessos liberavit, vi num in nuptiis, panem in deserto providit, gratu omnibus fuit; ita ut eum rapere & Regem vellen constituere At ubi demum in potentum & Magi stratuum vitia invehi eorumque nævos ostender cœpit, jam ingratus & exosus factus est. Venit aliquando in suam patriam & prædicavit in Synagoga, ita ut omnes mirarentur *in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus* At posteaquam addidit: *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*; idque ex Scripturis comprobavit; mutatis mox animis ejecerunt eum è civitate & præcipitare conabantur. Luc. 4. Idem expertus est Apostolus in Galatis, ut patet in ejus Epistola ad Gal. 4. & sanctus Chrysostomus, qui per vim ab Imperatore Antiochia extractus & Constantinopolim adductus: postquam ibi in vitia etiam Imperatricis invehi cœpit, inde ejectus est. Idipsum persæpe Concionatoribus evenit, ut initio excipiantur, magno cum applausu, dum nihil adhuc carpunt: ubi verò tandem edocti experientia grandia observant auditorium scelera & gravius objurgant, tum non solum inamœni, sed exosi etiam fiunt:

uo modo Archagarus Medicus cum Romam, ubi iedicinæ usus non fuerat, primùm venisset, & mulɔs persanasset, omnibus gratus jus Quiritium & taernam in Compito Acilio consecutus est; at ubi vulera maligna secare & urere cœpit, odium civium inurrit, vulnerarii & carnificis nomen accepit, auctore 'assio Hemina apud Plin. l.29.c.1.

II. In progressu suo *exultavit ut gigas ad curren-am viam: à summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus sque ad summum ejus.*

1. Sol celerrimo cursu totum percurrit & perlustrat rbem intra brevissimum 24. horarum spatium. Pari ıodo Christus spatio trium annorum & medii prædicatione sua pervasit totam Judæam & Galilæam, nplevitque sua doctrina & fama sanctitatis ac miraılorum suorum: postea per Apostolos suos 12 intra ıucos annos disseminavit Evangelium suum per uversum orbem; cæterum uti Sol in oriente minus ıbet virium, quàm in occidente: ita fides Christi ıagis viget in regionibus occidentalibus, quàm in rientalibus, quas penè jam deseruit. Unde S. Auguinus l.4 Conf. c.12. de Christo: *Exultavit*, inquit, *gius ad currendam viam. Non tardavit, sed cucurrit amans dictis, factis, morte, descensu, clamans ut redeaıus ad eum.* Quod etiam in ipsius persona loquens ferit David Psalm. 61. *Cucurri in siti*; scilicet animaım.

2. Sol quacunque vadit, terram & quæ in ea deınt vegetat, fœcundat, recreat, sanat, vivificat, fovet consevat, ubique suæ beneficentiæ vestigia relinıens. Pari modo Christus teste S. Petro, Actor. 10. *ertransiit* (Judæam) *benefaciendo & sanando omnes ppressos à Diabolo*, alludens ad Solis cursum; ac si aertè dicat, ejus cursum non alium fuisse, quàm Solis, ui vitæ infatigabilis dator, illuminando & fovendo ıundum, perpetuò discurrit. Unde S. Ambrosius in ucam ait: *Ubique Iesus curat, ubique sanat, in itinere, ı domo, in deserto, ut Deum se & hominem demonstraet*; adeò ut in cruce etiam latronem è faucibus satanę riperet, Centurionem cum cohorte illuminaret, circumstantes ad percutienda pectora commoveret. osset hoc in omnibus Christi itineribus non difficile stendi. Transiturus per mare Tiberiadis ad Gerasenos sedat in trajectu tempestatem: in termino duos berat dęmoniacos Matth 8. Inde redit Capharnaum, sanat mox paralyticum. Inde egreditur ad mare, c in via vocat Matthæum. Vocatus inde ad filiam Archisynagogi; in via sanat Hæmorrhoissam; in terınino suscitat puellam; in reditu duos cæcos sequenes se luce donat Matth 9 Alio tempore ascendit Jeosolymam ad festum Scenopegiæ: in itinere tuetur ivitatem unam Samariæ, quam igne cœlitus misso erditam volebant duo Boanerges: inde progressus ıbvios habet decem leprosos, & emundat eos. Matt. 9. Pergens iterum Jerosolymam ad passionem suam, n via ante ingressum Jericho, cæco donat lumen: in ngressu salutem impertit Zachæo: in egressu rursum alterum cæcum, (ut indicat Marcus cap. 10.) à cæcitae liberat. Denique quaquaversum ibat, beneficia & dona plusquam regalia, utpote divina, in miseros dispergebat: præterquam quod continuo *circumibat castella in circuitu docens*, ut ait S. Marcus c.6. v.6. ubi verbo *circumeundi*, continuam & indefessam ejus indicat excursionem. Quod Theophilus Antiochenus in Catena aurea rectè observavit: *Non solum*, inquit, *in civitatibus prædicabat Dominus, sed etiam in castellis, ut discamus parva non spernere &c.* Filii hujus sæculi contraria via incedunt: *Ubique relinquamus*, inquiunt, *signa lætitiæ: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sapient. 2. planè sicut serpens Chersidros, qui quacumque serpit, fumum emittit, teste Lucano lib. 9.

3. Nunquam stetit au: à bene agendo cessavit

3. Sol semper currit, nunquam stat aut quiescit. Pari modo Christus semper in exercitio fuit, etiam cum dormiret: tametsi parum & raro dormiebat, & plerumq; in oratione pernoctabat. Unde S. Bernard. in epist. 253. ad Guarinum Abb. scribit: *Ipse hominis sæculiq; author quamdiu in terris visus est & cum hominibus conversatus est, nunquit stetit? Et quidem teste Scriptura pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exultavit ut gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit &c.* Quare sicut peritus & solers Medicus nullam minus incolit domum, quam suam: alienas verò perpetua vicissitudine frequentat, ægrotis scilicet providens: ita Christus Dominus nunquam domi suæ, à quo tempore prædicare cœpit, inventus, sed alibi semper in obsequio aliorum fuit.

4. In meridie ætatis humanæ, calorem suæ amoris effudit maximè.

4. Sol cum ad supremum mundi verticem in meridie ascendit, tunc calidiores in terram radios vibrat, quibus aëris nebulas absumit & umbras nemorum extinguit, clarissimaque luce mundum illustrat. Ita etiam Christus in medio vitæ humanæ, anno scilicet ætatis 33. nec non in medio die in crucem erectus majores amoris sui flammas ejaculatus est in homines, quorum pectora accendit ita ut qui ad spectaculum illud aderant, percutientes pectora sua reverterentur: peccatorum caligines abolevit, & totius generis humani salutem operatus est. Typicè hæc salus promissa fuit. 1. Reg. 11. quando populus Hebræorum promisit viris Jabes Galaad auxiliarem manum, nūcians: *Cras erit vobis salus, cum incaluerit Sol.* Incaluit autem Sol justitiæ Christus, maximè cum in cruce ad meridiem circa horam diei sextam exaltatus fuit; quia tunc ostendit mundo charitatis suæ fervorem, & percussit eum radiis suis, ut & ipse in amorem ejus incalesceret, cum pro ejus redemptione & salute æternæ dedit ipse vitam suam, & infamem sustinuit crucem. Rursum cum in cœlum assumptus inde misit ignem Spiritus S. è quo mox 3000. hominum ita incaluere Christi amore, ut fide suscepta terrena omnia abjicerent. Non absque mysterio olim Nehemias urbis Jerosolymæ custodibus præcepit: *Non aperiantur portæ Ierusalem, usque ad calorem Solis.* 2. Esdr. 7. significavit enim allegoricè portas cœli non reserandas, priusquam

quam Chriſtus aſcenderet, ubi perfectiſſimo amoris igne incaleſcens, ſua morte vitam noſtram mirabiliter redimeret.

5. *Eclipſin in morte paſſus.*

5. Cum Soli ſe directè inter ipſum & oculum noſtrum Luna interponit adeoque recta opponit, tunc obtenebreſcit & eclipſatur Sol, ad breve licet temporis ſpatium, donec corpus Lunæ ſibi objectum pertranſeat. Chriſtus etiam eclipſin paſſus eſt, cùm directè & ex compoſito cum omni conatu & violentia Diaboli ſynagoga ipſi ſe oppoſuit, & Pilato crucifigendum tradidit, adeoque ejus conſpectum amœniſſimum toti mundo abſtulit; verùm ingenti ſuo damno, & maximo ipſius Chriſti & Chriſtianorum bono. Nam & Chriſtus tertio die emerſit è mortis tenebris, & lucem ſuam maximo cum fœnore recepit, & orbi reliquo toti impertiit ac donavit: ipſis verò incredulis Judæis tenebras, quas cauſarunt, reliquit; uti prædixit Amos c.8. *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet Sol in meridie & tenebreſcere faciam terram in die luminis: & convertam feſtivitates veſtras in luctum & omnia cantica veſtra in planctum.* Experti ſunt id Judæi, & ſentiunt uſque modo, dum in tenebris cæcitatis ſuæ ſub jugo Chriſtianorum & aliarum gētium gemunt. Solem nimirum extinxerunt, & hinc diem ſuſtulerunt, remanſitque eis nox: econtrà tenebræ, Gentilium, qui ſuſceperunt Chriſtum, converſæ ſunt eis in clariſſimum diem. Hoc ipſum ſignificavit eclipſis Solis, quæ patiente Domino miraculo effecta fuit, ut explicat S. Chryſoſt. hom. 2. de Cruce & Latrone: *Hodie,* inquit, *apud Iudæos ab hora ſexta uſque ad horam nonam Sol obſcuratus eſt. Non enim ferre poterat æther injuriam Creatoris. Retraxit radios ſuos ne videret impiorum facinora: non quòd deitatem, injuria tangeret, ſed quia quæ audaci ſuperbia fiebant, in contumeliam ejus reputabantur. Hodie apud Iudæos tenebræ ſunt, apud nos autem nox in diem converſa eſt. Etenim pietati hoc proprium eſt, ut in tenebris fulgeat: impietas autem etſi in lumine fuerit, tenebreſcit. Fidelibus nox in diem mutatur, infidelibus autem ipſa lux tenebreſcit. Et de fidelibus quidem ipſa Scriptura dicit: Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur. Infidelibus autem & dies in noctem mutatur, dicente Scriptura: Palpabunt ſicut cæci parietem, & ambulabunt in meridie ſicut in medio noctis.*

III. *Sol erat in efficacia.*

III. Efficacia Solis tangitur illis Pſalmi verbis: *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Etenim

I. *Mundi oculus.*

1. Sol eſt mundi oculus, quo ſublato cæcus eſt & ſterilis. Ita etiam Chriſtus mundi hujus lux eſt, qua ſublata mera cæcitas & ignorantia, errorumque chaos, mera quoque virtutum ſterilitas erit. *Quemadmodum ſi Sol non eſſet,* ait Clemens Alexandrinus orat. ad gentes, *quod alia quidem aſtra attinet, nox eſſent omnia. Ita niſi verbum cognoviſſemus & eo illuminati eſſemus, nihil differremus ab avibus, quæ paſcuntur, ut qui pingueſiamus in tenebris & morti nutriamur.* Patuit in Gentilibus, qui ante Chriſtum vixerunt; ubi nemo ferè Deo, ſed mundo omnes & carni vivebant: neque ſicut in die honeſtè, ſed velut in nocte fœdè ambulabant. Unde Dominus Joan. 8. *Ego ſum lux mundi;* cap. 9 *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Fue etiam Prophetæ & viri ſancti lumina quædam mundo, ſed exigua, & quaſi ſtellæ: unde de Joan Baptiſta, ait Joannes Evangeliſta: *Non erat ille lux, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* (Chriſto ſci *Erat lux vera* (Chriſtus) *quæ illuminat omnem hon nem venientem in hunc mundum.* Itaque ſicut ſte omnes lumen ſuum à Sole accipiunt, ita omnes Sa cti ſuam lucem, ſapientiam & ſanctitatem mutuan à Chriſto, ut fatetur ipſe Baptiſta Joan. 1. *De pleni dine ejus omnes nos accepimus.* Ipſe enim velut So fons lucis in omnes fideles ſuam effundit lucem gratiam, nec tamen inde minus habet, quia eſt lux p ma & infinita per eſſentiam. Joannes illuminavit dæam, alii Sancti alias orbis partes: Chriſtus tot mundum. Alii foris lumen aliquod menti accend poſſunt, per rationes & diſcurſum: Chriſtus præte etiam mentem intus & immediatè illuſtrare lum infuſo poteſt: quo modo illuſtravit Prophetas, Ap ſtolos, & Evangeliſtas. Jam *ſi cæco damnum eſt hu Solis gratiam non videre,* inquit S. Ambroſ 4. Hex. 1. *quanto magis peccatori damnum, veri luminis mu re defraudatum perpetuæ noctis tenebras ſuſtinere?*

2. Sol quidem omnes illuminat, quantum eſ ipſo: ſed ſi quis oculos claudat, aut dormiat, vel fe ſtræ valvas claudat, aut ſpecum ſubeat, nihil ab eo minis accipiet, ſua tamen culpa. Pari modo Chri ad omnes omninò homines ſuum extendit lum ubique prædicat Evangelium ſuum. Sed ſi quis aud id negligat, ſibi adſcribat. Ut enim Academia ſeu niverſitas omnes admittit, quicunque ſtudere & e diri volunt; (unde & nomen habet) eos tamen, diſcere nolunt, non cogit ad ſe accedere, ita Chri omnibus lucem ſuam proponit; ſi qui tamen eam giant, ſibi adſcribant, ſi in tenebris hæreant ac p eant. Non enim fruſtra dicitur Pſ. 33. *Accedite ad e & illuminamini.* q. d. ſi qui illuminari volunt, ac dant ad lumen, veniant ad ſcholam. Venit aliquan Chriſtus in patriam ſuam Nazareth, & ibi prædi bat, ſed *non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi p cos infirmos impoſitis manibus curavit:* ait S. Mar c. 6. *propter incredulitatem eorum;* qua occluſerant culos ſuos, ne viderent hoc tam ſpecioſum lum Unde S. Baſil. in Pſ. 33. ait: *Quemadmodum enim ſen bile hoc lumen non omnibus ſimiliter exoritur: ſed h bentibus oculos & vigilantibus, his item qui nullo terſtite impedimento prohibentur, quin frui poſſint c ritate Solis primùm adventantis: ſic & juſtitiæ verum lumen, quod illuminat omnem venientem hunc mundum, non omnibus ſuum ſplendorem præb ſed his qui vivendi formulam nihil ipſo indignam e gunt. Lux, inquit orta non peccatori, ſed juſto. Vt en ortus eſt Sol, non veſpertilionibus, quæ noctu prodeu pabulatum: ſic & lux ſua quidem natura ſplendiſ eſt ac vi prædita illuminandi, non tamen omnes cla tatis participes exiſtunt. Sic & omnia qui malè ag odit lucem: & non venit ad lucem ut ejus opera n manifeſtentur. Accedite igitur ad ipſum & illumin*

mi

ihi, & facies vestræ non confundentur. Accedit Origenes hom. 1 in Gen. *Sicut Sol & Luna illuminant cor- nostra: ita & à Christo atque Ecclesia illuminan- mentes nostræ, ita tamen illuminamur, si non simus ntibus cæci. Nam sicut Sol & Luna corporalibus o- s cæcos, quamvis illustrant, illi tamen recipere lu- n non possunt: ita & Christus lucem suam præstat ntibus nostris, sed ita demum nos illuminabit, si ne- quam cæcitas mentis impediat.*

. Qui propinquiores Soli inter utrumque tropi- habitant, & maximè qui sub Zonâ torrida, plus o luminis & caloris participant: minus, qui re- iores, ut qui ad Septentrionem. Eadem ratione, Christo, fonti omnis lucis, propius se jungunt (ad- Dei gratia, non puris naturæ & liberi arbitrii viri- , uti docebant Semipelagiani, facientes Dei gra- liberi arbitrii pedissequam) resistendo & rece- lo à Diabolo, se humiliando, o ando, pœnitendo, itatis opera exercendo & Deum amando; plus entur luminis & caloris à cœlesti illo Sole. Ita ait S. Jacobus c. 4. *Appropinquate Deo & appro- uabit vobis.* Quem locum expendens Origenes paulò ante cit. ait: *Sicut non æqualiter oculi corpo- stri illuminantur à Sole, sed quantò quis in loca ra conscenderit, & ortus ejus editioris speculæ in- one fuerit contemplatus, tantò amplius & splendo- us vim percipiet & caloris; Ita etiam mens nostra tò altius & excelsius appropinquaverit Christo, viciniorem splendori lucis ejus objecerit, tantò ificentius & clarius ejus lumine radiabitur, sicut r Prophetam: Appropinquate mihi & appropin- o vobis.* Exemplum præbuit nobis Chananæa quæ dum à longè sequens Christum orabat, re- m sæpius passa est, at ubi instando ferventius o- ni propè ad Christum accessit, exaudita est, ut rvat Eusebius Emissenus in eum locum. *Relicto lamore*, inquit, *qui eminus fiebat, propius accessit. utem non ita, sed ubi statim non assequimur, desi- s, cùm propius oporteret accedere & frequentius oni incumbere.*

Sol conciliat sibi hominum imò omnium ani- ium amorem, ut ad ejus lumen prodeant è do- s & latebris, apricatum & gavisum ejus calore & ne. Non aliter Christus Dominus, si, quis ipse sit, æ ejus vivendi ratio fuerit, agnoscatur, omnes amore trahet, adeò ut præ ipso omnia alia sper- Solem adeò adamarunt Gentiles plerique, ut eo habuerint, quemadmodum & Manichæi hæretici; quia nihil amœnius, nihil jucundius, nihil utilius ejus lumine noverunt. Hinc enim non vidisse Solem, erat perinde ac nunquam vel frustra vixisse, uti patet ex Ecclesiaste c. 6. *Frustra venit & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit Solem.* At infinities miserior & frustra natus est, qui non novit neque amat Christum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, ad Col. 2. In quo pii omnes inveniunt suas delicias & divitias, easque inexhaustas, dum ejus gesta & dicta meditantur summa cum dulcedine.

5. Sol quandoque nocet iis, qui ab ejus æstu sibi non cavent. Præter experientiam enim legimus Judithæ conjugem æstu Solis, tempore messis enectũ, Judith: 8. & filium Sunamitidis itidem tempore messis 4. Reg. 4. Pari modo Christus tametsi natura sua suavissimus & ad miserendum pronissimus, simul tamen est justissimus; quare si quis spreta ejus clementia, temerè incurrat in ejus justitiam, sentiet ejus æstum & percutientes radios. Nosse vultis quando? Dico *tempore messis*, h. e. judicii tam particularis cujusque quàm universalis; de quo Dominus ait Matth. 13. *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* O æstum intolerabilem; Hinc Malach. 4. appellatur *Sol justitiæ*: habens licet *sanitatem in pennis suis*, sanitatem enim justis, justitiam & iram affert injustis. Quemadmodum enim Samson (qui exponitur, *Parvus Sol*) suæ gentis quidem amantissimus & studiosissimus fuit, adeo ut pro ea vinciri se passus sit, at incircumsorum, scilicet Philisthæorum, hostis & persecutor acerrimus: ita Christus Dominus suis quidem servis amicissimus, hostibus verò hostis infensissimus est; quod experientur saltem in die messis & Judicii, post hanc vitam. Fons in Troglodytis esse dicitur, *fons Solis* appellatus, apud Plin. lib. 1. c. 103 qui interdiu quidem dulcis est & frigidus, suavis bibentibus: noctu verò amarus & fervens; ita ut nec tangi queat. Non absimilis huic fonti Christus est, quem si in die & tempore, quo bene operari licet, de fonte gratiarum ejus bibamus, suavissimum experiemur: at si qui in nocte primum, cùm jam bene agendi tempus non est, ex ipso bibere velint, sentient ardentissimum atque amarissimum. Nos ergo ex hoc fonte bibamus dum dies est, & hauriamus salutem à Domino.

5. *Nocebit multis in tempore messis reprobis scil.*

***

IN FERIIS ROGATIONUM.

THEMATA.

I. Modi orandi.
II. Orationis defectus & conditiones.
III. Oratio Dominica delet septem peccata capitalia.
IV. Requisita varia & commoda orationis.

THEMA I.

Modus Orandi.

I. Vide quis tu, qui rogas.
II. Quem rogas.
III. Quid rogas.

Petite & dabitur vobis. Luc. 11.

Videmus Auditores instrumentales Musicos priusquam ludere incipiant fidibus, accommodare & concordare instrumenta sua; ne alioquin inconcinno tono audientium aures feriant. Oratio instrumentum quoddam musicum est, quo Dei aures permulcere intendimus. Hinc David in suis Psalmis toties adhibet citharam suæ orationi: *Confitebor tibi in cithara: Psallam tibi in cithara, &c.* Verùm ne Dei aures cantu nostro offendamus, accommodanda est prius cithara & componenda oratio, ut suis constet numeris. Ita sanè monet Eccles. c. 18 dicens: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi qui tentat Deum.* Tentaret enim Deum, qui insulsum ipsi aliquid caneret, ut per hoc cœleste donum ab eo impetraret; quasi surdastro ludens eum vellet decidere. Itaque videndum, ut prius quàm oramus quomodo orandum sit, intelligamus. Quod hic exponemus.

Divus Chrysost. homil. 9. ex variis in Matth. locis præparationem istam explicat dicens: *Scriptum est: ante orationem præpara animam tuam. Quid est ante orationem præpara teipsum, nisi expoliatus cogitatione prava sic accedas ad Dominicam orationem?* Et mox: *Ergo vide quis rogas, quid rogas, quem rogas. Quis? homo. Quid? indulgentiam. Quem? Deum.*

Ante omnia ergò vult, ut exuamus pravas cogitationes præcedentium scilicet actionum & cogitationum nostrarum. Sicut enim corda cytharæ vel alterius instrumenti musici, digito mota, diu resonat, donec rursum digito tacta compescatur: ita præcedentes nostræ actiones & cogitationes relinquunt in mente nostra tinnitum aliquem cogitationis aut facti præcedentis, quæ per novam aliam cogitationem comprimi debet; ne consequentem orationem tinnitu suo turbet. Hoc vel ipsi Gentiles intellexere, qui proinde hoc adagio, quod Plutarchus Numæ Regi adscribit, utebantur: *Adoraturi sedeant,* significantes eos, qui rebus divinis vacant, vacare animo debere & vini Deo attentos esse. Hebræis hoc idem insinuaturus Deus, jussit ad Deum accessuros exuere
calceos, uti Moysen Exod. 3. Josuen Jos. 5. quod ad-
huc faciunt Saraceni & Turcæ templum ingressuri
Quid autem calcei nisi impuræ & terrenæ cogitatio-
nes, concinnatæ ex pellibus mortuorum animalium
h. e. reliquiis & curis mortalium rerum? Nos Christia-
ni adoraturi in templo, prius aqua lustrali, ad lime
templi nos aspergimus: ut ea partim terrenas cogit
tiones abstergamus, partim Dæmonis insidias pell
mus, partim baptismi nostri memores, mentem i
Deum elevemus. Deniq; in hunc finem, quoties s
cerdos in templo orationem inchoat, præmittit ve
bum *Oremus*; quo præsentium animos excitet,
mentem à terrenis avocatam in Deum elevet. H
præmisso

I. Cogitandum 1. Quis tu, qui orat? *Homo,* inq
Chrysost. cit. Homo dictus ab humo. Terra cœlu
homo Deum alloquitur: quanta ergo submissio
Deus in oratione appellandus est? Ac nisi hæc adl
nemo orare facilè præsumat. Docuit hoc Abraha
Gen. 18. ita Deum alloquens: *Quia semel cœpi, loqu*
ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis. Quid hoc est
cere: Loquar ad cœlum, quia terra sum? Ad Domi
cœli & terræ, quia pulvis sum? Respondet Phil
Quis rer. div. sit hær. *Tunc enim tempus est, ut creatu*
suum creatorem appellet, quando agnoscit, quàm ipsa
nihil. Hoc ergo requirit Deus ab orante, ut se nihil
agnoscat, terram & pulverem nôrit. Quod si nos n
dicantes, qui se nobilem jactaret ac simul divit
reputaret, nullo modo audiremus: si requirimus,
mendicantes suam miseriã agnoscant, & demissè
tant: nec facilè damus iis, qui paulò honestius ve
sunt aut frigidè petunt; quid, putatis, à nobis requ
Deus? Hinc sponsæ Cant. 1. ait sponsus: *Si ignora*
pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vest
gregum tuorum. q. d. Si putas te esse tam pulchram
ignoras tuam vilitatem; abi hinc ad bruta anima
quibus te similem esse scias: non eges ope mea,
potius non es digna. Sic ferè Augustin. de unit. Ec
14. c. 16. Greg. 16. mor. 21. Bern. in Cant. 35. seq. Hinc
go edocta sponsa, paulò pòst subdit: *Dum esset Re*
accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis,
dum Dei filius, sponsus meus, recumberet in sinu
tris, accessi cum nardo humilitatis (nardus enim h
ba humilis & despecta est, grati tamen odoris) & t
odore gratissimo perfudi nares ejus. Ut exponi
Bernard. serm. 24. Jam si Abraham Deo tam charu
divino alloquio dignus habitus; si ipsa sponsa,
humilitate loqui Deo non audet, quomodo aud
homo peccator?

Sed mirabitur aliquis, cur Abraham in medio
mum colloquio se cinerem agnoscat, ac profitea
& non initio. Cui respondet D. Gregor. 18. moral. c
33. *Sancti omnes quando in Dei visione proficiu*
quanto magis divinitatis interna conspiciunt, ta
magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legit
quod Abraham cinerem & pulverem se esse
fi

...us est, nisi cùm habere meruit Dei collocutionem &c. ...s ergo quia longè distamus à DEO DEIque co...tione, ideo magnificè de nobis sentimus: sicut ru...us paulo ditior in pago, magnum se esse reputat; ...ubi arcem nobilis domini intrârit, negligi se ...ebit & vix æstimari: ubi ad aulam Imperatoris ...erit, planè nihil se esse intelliget, nec respici à ...quam, imo nec tolerari. Sic & nos quo altius in ...tione ad DEUM ascendimus, eò viliores nos ag...cimus.

II. Quem? *DEUM.* Nomen DEI deducunt ali... ἀπὸ τοῦ δέος, quod *timorem*: alii à verbo quod δαίω, ...nificat *nosco* aut *scio.* Magnâ ergo cum reverentiâ ...orationem accedendum, magno cum timore ...divinam majestatem nos undique circumspi...tem, & oculos Sole splendidiores defixos in ...habentem. Si enim ad Reges & Principes ver...facturi sæpè obmutescunt, majestate, vultu & ...entia eorum territi: quem non terreat ipsius ...i præsentia? Esther sanè Assuerum allocutura, splen...te ejus vultu adeo perterrita est, ut ante eum cor...ret. Esth. 15. Regina Saba coram Salomone stans ...ensque ejus majestatem ac sapientiam, non ha...bat ultra spiritum 3. Regum 10. Si ergo Reginæ co...n Regibus stantes animo linquuntur, ob eorum ...aspectum majestate plenû; quomodo nos homun...i coram DEO possumus adstare? Salomon ut ac...turis ad se timorem ac reverentiam injiceret, po...t juxta thronum suum leones fictos: duos juxta ma...s singulas, & in sex gradibus, per quos adeundus ...t, utrinque sex leunculos, adeoque leunculos 12. ...er quos ascendendum erat supplicantibus, ut ibi...m habetur. Si ad Regem mortalem ita accedendum, ...toque cum timore ei loquendum erat; quid non ...uiret DEUS immortalis? Sanè ipsi Seraphini tun... Angeli coram DEI majestate facies suas alis ve...bant, Isa. 6. quasi eos vilitatis suæ puderet, ut ait ...ctus Chrysostom. quid nos homunculos facere ...portet?

III. Quid? *Indulgentiam*, ait Chysostom. ...onum postulatum. Verum nos pro tempore alia ...dicamus. Gilimer Wandalorum Rex in monte ...apuâ præruptissimo juxta Hipponem à Duce Pha...inclusus, cum esset in angustiis misso ad Pharam ...bellario, tria ut sibi mittere vellet, petiit: panem, ...ongiam & citharam. Panem, quod diu nullum vi...disset, ex quo Carthagine excidisset: spongiam ...uâ lachrymas abstergeret: citharam ad decantandas ...uas miserias & fallendum tempus. Hæc cum au...disset Pharas, gravi dolore motus ac humanæ for...unæ ludibria subsannans, omnia ei misit. Pro...cop. lib. 4. Wandal. & Cedren: Nos in hac lachry...marum valle inclusi, quid aliud à DEO petamus, quam hæc tria?

1. Panem *qui replet mentem, non qui ventrem*, inquit Chrysostomus loco citato Quamquam uterque peti potest, ille tamen potior est: panis inquam verbi DEI & Eucharistiæ ut ibid. exponit Chrysostomus. Sed quid opus petere, cum uterque ad nauseam penè passim nobis offeratur? Orandum ergo potius ut dignetur nobis DEUS appetitum & famem spiritualem illorum panum dare. Constat infirmos, ubi cibum omnem aversari incipiunt, morti appropinquare. Idem dicendum de ijs, qui verbi Dei & S. Eucharistiæ nauseâ laborant. Sic enim Eliu amicus Jobi ait: *Abominabilis ei fit in vitâ suâ panis & anima illius cibus ante desiderabilis: tabescet caro ejus, ossa quæ tecta erant nudabuntur: appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.* Iob 33. Alludit ad ægrotum qui jam respuit omnem cibum, unde concidit eius caro, ossa prominent, cadunt vires, & permittuntur ipsi à medico noxia quæque, uti fruges, vinum, aqua, quia desperatur. Idem contingit spiritualiter ijs, qui nauseant cibos illos spirituales: perdunt enim vires animæ, & devorant mortifera quæque nullo prohibente, & bibunt quasi aquam iniquitatem. Senserunt in deserto Hebræi, & quidem bis, cùm nauseam ceperunt cœlestis illius mannæ. Primò enim Num. 11. puniti sunt plagâ ignis. 2. rursum nauseantes multati sunt serpentibus ignitis. Num. 21. Addo, si quis putat se omni tribulatione carere, petendum ipsi esse panem tribulationis. Sic enim Hebræis præcepit Deus, ut 7. diebus comederent panes azymos, Exo. 12. qui Deut, 16. vocantur *panes afflictionis*, quia insipidi erant, ut insinuaret Christianis, eis totâ vitâ comedendum panem tribulationis, si in terram promissionis pervenire velint. Hoc pane sustentatus fuit Michæas in carcere, *pane* inquam *tribulationis & aqua angustiæ* 3 Regum ultim. Hoc cibatus in exilio S. Sylverius Pp. scribit: *Sustentor pane tribulationis & aquâ angustiæ, nec tamen dimitto officium meum.* Hic promittitur Isa. 20. *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam brevem.* Scimus enim abundantiam & saturitatem panis perdidisse Sodomam; Ezech. 16. Panis ergo, hoc est victus moderatus salubrior est; qualem petiit Jacob: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c.* Gen. 28.

2. Spongiam ad tergendas lachrymas. Hæc autem quid nisi patientia? Abstergit enim lachrimas patientia, cùm speratur ejus fructus. Non ergo petendum est, ut non lachrymemur, nec tribulemur; sed ut lachrymas nostras abstergere possimus spongiâ patientiæ, quæ eas absorbeat. Stulti illi Judæi, illudentes Christo crucifixo, stultè argumentati sunt, ipsum non esse filium DEI, quia à Patre derelictus, à cruce non liberaretur. Contra sapienter latro bonus econtrario collegit ipsum esse DEI filium, quod à Patre derelictus, & in manibus inimicorum positus, mirâ tamen patientiâ omnia sustineret. Sic in Tobiâ cæco erraverunt ejus cognati, stultè colligentes spem ejus vanam esse, quod cæcitate tactus esset. Tob. 2. cum ex ejus patientiâ contrarium colligere deberent; juxta id Raphaelis *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tob. 12. Sic *arbores ipsæ*, inquit S. Hieronymus in epist. ad virginem quandam in exilium missam tom. 9. *tanto numerosiore gravantur fructu, quanto acerbioris frigoris violentia reprimuntur. Cum præcoces flores* 2. *Spongiam*

flores opportuna castigatio refrenando ad periculum je- stinare non patitur, utile impedimentum pruinæ: & quod reprimit, non obfocat, sed includit. Itaque ferum Dei in tribulatione auxilium, dilecti sui virtutum flores non obfocat, sed includit: ut majori postea fructu foras erumpant. Nam si (ut Hieronymus subdit ibidem) *paulò clementior vis extiterit imbrium, quanto luxuriant prius indisciplinatâ festinatione, tanto post fructibus deseruntur, cum futuræ vires importuno tempore consumuntur* Non ergò cito eripi à tribulatione optandum, sed ut eam diu cum patientiâ sustinere valeamus, precandum est.

3. Citharā. 3. Citharam ad decantandas nostras miserias; ita nimirum ut in tribulatione præter patientiam sentiamus etiam gaudium & hilaritatem. Gaudium hoc precatur Raphael Tobiæ in ejus cæcitate dicens: *Gaudium tibi sit semper.* Tob. 5. Sed fortè quærat aliquis cum Tobiâ: *Quare gaudium mihi, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video?* Respondeo: Quomodo gaudent & cantant agricolæ, cum arant & semina in agros spargunt? Quomodo gaudent jubilantque milites, cum eis civitas oppugnanda & diripienda traditur? Et cur non oblatrant canes, sed exultant potius cum ossibus impetuntur? sanctus Bernardinus ser. de tribulationibus tom. 3. talem hujus rei similitudinem proponit: Fuerunt duo sub pœna mille aureorum vel certè mortis sustinendæ missi in carcerem: quibus à pio viro duæ bursæ, totidem aureis plenæ, injectæ sunt in carcerem per fenestram, non sine aliquantulâ ipsorum læsione, incidentibus bursis in capita eorum. Quâ re indignatus alter, ictum se dolens, bursam extra fenestram in projectorem rejecit: alter verò bursam sibi adjectam tollens & perlustrans, invenit inibi tantum auri, quantum ipse pro redemptione suâ requirebat. Hic ergò ex ictu minimè dolens, sed vehementer gaudens: dat aurum debitoribus & se à morte liberat. Omnes nos debitores sumus divinæ justitiæ. DEUS igitur ex occulto injicit nobis tribulationis bursam, auro remunerationis plenam, qua dissolvere debita nostra non difficile possimus. Jam verò qui tribulationem excutit per suam impatientiam, ictum quidem sustinet, nec tamen se liberat. At qui tribulationis fructum considerans, eam libens amplectitur, à morte se eripit. Hinc ergo sanctus Jacobus capit. primo scribere suis non dubitavit *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; sciens quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.* Perfectum quia mercedem suam in tuto collocatam. Agricola seminans & milès pugnans fraudari possunt spe suâ: patientia verò minimè, quia repositam habet in cœlo coronam suam. Videbantur fratres Josephi depressisse fratrem suum, cum in cisternam deposuerunt ac vendiderunt, revera tamen exaltârunt potius; dando ei occasionem ut princeps illorum fieret. Propterea ipsis postea plurima benevolentiæ signa exhibuit, quasi gratias agens pro suâ depressione. Putârunt etiam fratres Athenaidis illius, quæ postea Eudoct Imperatrix Theodosij junioris conjux facta est, sororē se depressisse, cùm è domo & hæreditate ejecerunt, revera tamen exaltârunt, dum eo pacto occasio ei fuerunt, ut Imperatrix fieret; propter quod ipsa fratribus postea maximas egit gratias. Cuspinian. in Theodos.

Quare Auditores citharædos imitemur, & prius quam oramus, orationis nostræ citharam ben[e] concinnemus, ne DEUM quem placare quærimus potius irritemus, dum quid insulsum canimus, Exemplo & documento nobis sit Aman, qui Regi[nam] pro suâ vitâ rogaturus, quia eam, quam d[e]bebat, decentiam & diligentiam non adhibuit, c[a]dens rustico more super lectulum Reginæ, i[n] eâ ipsâ petitione mortem invenit. *Videns enim Re[x] Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther* jussit eodem illum in ligno suspendi, quod paravera[t] Mardochæo. Paranda igitur est, cum oramus anima, nec temere ad summam majestatem effun[]dendæ preces, ne indignationem pro benevolentiâ justitiam pro misericordiâ; mortem reperiamus pr[o] vitâ.

THEMA SECUNDUM.

Orationis defectus & conditiones.

I. Habeat caput.
II. Habeat cor, seu fiduciam.
III. Habeat pedes.

Quis vestrum habebit amicum & ibit ad i[l]lum mediâ nocte? *Luc. 11.*

DE signarunt aliquando Romani, teste Plutarch[o] Trajani Imp. præceptore (in Catone) ad pace[m] inter patrem & filium componendam, tres legatos i[n] Bithyniam, quorum unus caput habebat vulnerib[us] confossum, alter vecordia laborabat, tertius podag[ra]. Visus his legatis Cato Censor Rom. dixit populi Ro[m.] legationem *nec caput, nec cor, nec pedes habere.* Tim[eo] Audit. ne & nos multoties similem legationem ad D[EUM] instituamus. Legatio nostra oratio est, de quâ Dav[id] Psalm. 87: *intret in conspectu tuo oratio mea.* In que[m] locum sanctus Augustinus ait: *Mira virtus orationi[s] quæ illuc intrat ad Deum quò caro pervenire nequi[t].* Verum legationem hanc tam misere sæpe instituim[us] ut & capite & corde & pedibus carere videatur. Qu[o] casu parum utique sperare de eventu ejus possumu[s]. Quare, ne incassum & ad derisum nostrum orationem emittamus, videamus quomodò ea constituta esse d[e]beat.

I. Habeat caput, & primo attentionem, ita u[t] caput hoc non sit concisum variis vulnerum cic[a]tricibus, id est, variis cogitationibus ad rem no[n] pertinentibus. Vt enim vulnera & cicatrices dehone[stant] faciem; ita cogitationes impertinentes ad ora[]tionem. Et hoc si voluntariè admittantur. Nam [si] strennè reluctêris, ea non deformabunt. Erg[o] sicut Hebræi templum & murum Ierosolymæ rea[e]difica[

cantes adversante Sanaballat, unâ manu gladium ad pugnandum, alterâ trullam ad struendum tenebant; ita nos una manu gladium, luctando contra vagationes mentis: altera orando, rosarium teneamus. 2. Esdr. 4. Itaque valebit talis oratio, si non ut oratio saltem ut luctatio.

2. Prudentiam in petendo; ne petat aliquid stultum vel puerile. Stultum quid petiit Diogenes, quando oblata sibi Alexandri M. munificentia, ut peteret gratiam, quacumque opus haberet, nihil aliud petiit, quàm ut à se recederet, ne Solem sibi auferret. Plut. in Alexandro. Atqui hoc sanè permulti faciunt. Ne fluxo aliquo temporalium bonorum fomento priventur, petunt Christum à se recedere, qui gratiam eis offert; quâ ad fidem convertantur, vel ab aliis peccatis resipiscant: oftert vero per confessarios, Concionatores, libros &c. Tales fuerunt Geraseni illi, Luc. 8. quos ad quem vocaturus Dominus curavit primo duos eorum energumenos, curaturus omnes. Sed cum viderunt ejectos Dæmones corripuisse eorum porcos & in mare demersisse, rogaverunt eum, ut discederet ab eis. O stulti? ubi caput vestrum? Itanè pluris æstimatis porcos, quam animas vestras? Dæmonesnè mavultis, quàm medicum animarum, Christum? Ita sanè multi rogant: Sine me in mea fide Lutherana mori. Noli me urgere in meis dolosis usus, negotiis, deliciis ad confessionem. Non jam vacat mihi. Sine me gaudere bonis hujus vitæ, pascere & depascere porcos meos: ne mihi immittas lucem aliquam &c.

II Habeat cor; id est, animum seu fiduciam. Hanc enim si non habeat, nihil efficiet: sicut Esau exauditus à patre non fuit, quia de ejus voluntate dubitavit, Gen. 27. *Num unam tantum benedictionem habes?* vult S. Ber. De talibus dicitur Ose. 7. *Factus est Ephraim* (Israelitæ) *quasi columba seducta non habens cor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt* q. d. sicut columbæ facilè à suo domino, & columbari recedunt, & jungunt se aliênis columbarum gregibus nunc huic, nunc illi: sic populus meus me dereliquit, opem nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum imploravit in suis necessitatibus. Idcirco desertus iam à DEO est, quia non habuit cor, id est fiduciam in DEUM suum. Æger deseritur à Medico quando is, quia non statim primo curatur pharmaco, alium atque alium advocat, & si ipsi non statim curant, imperitorum etiam consiliis utitur. Jure autem deseritur, quia Medicum spernit, dum nullam in eo confidentiam habet. Et nonne multò magis ad injuriam patris cedet, si filius ei diffidat; Maxime verò maximum ad injuriam DEI, si diffidat homo? Hinc enim Christus in hod. Evangelio posuit parabolam, quæ fiduciam nostram erga DEUM maximam excitare debet: *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Cur pater non det filio? & quidem panem? Unde Chrysostomus hom. 24. in c. 7. Matth. in hunc locum: *Et tu igitur, ait, ista considerans, non desistas; ne recedas, nec omnino abeas, quousque clausa reserentur. Si enim tu hoc studio mentis accesseris & dixeris: nisi accepero non recedam, prorsus accipies.* Tali resolutione armatus Tobias junior cum Saram peteret in uxorem, dixit ejus patri: *Hic hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes & promittas mihi dare Saram filiam tuam.* Tobiæ 7: ita enim obtinuit. Non aliter Paulus simplex, cum ei à sancto Antonio dæmoniacus oblatus esset, ut eum liberaret, nec tamen Dæmon recedere vellet, dixit ei: *Aut exibis, aut abeo ut id dicam Christo isque faciet ut sit tibi væ. Cumque Dæmon: non exibo diceret; abiit & in ipso meridiei æstu regionis calidissimæ stetit supra petram tanquam columna & sic orabat Christum: Tu vides IESV Christe, qui fuisti crucifixus sub Pontio Pilato, me non descensurum ex hac petrâ, neque esurum neque bibiturum donec moriar nisi me nunc audieris & hunc Dæmonem ab homine ejeceris. Adhuc eo loquente exclamat Dæmon Recedo, recedo vi expellor, nec ampliùs regredior.* Palladius in histor. Laus. capite 28.

Sed quomodo acquirendum tale cor? Respondeo si fuerit mundum à peccati affectu; hæc enim munditiès mater & origo animosi cordis, seu fiduciæ est, teste Joanne ep. 1 cap. 3. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, diffidit enim* ait S. Gregorius 10. mora. 15. *accipere se posse, quod appetit qui profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit, & cor nos in petitione reprehendit, cum resistere præceptu ejus quem postulat meminit.* Si enim conscientia te convincat; quod tu non audias DEUM, quomodo te audiet DEUS? Igitur accessuri ad orationem cor nostrum expurgare ab omni pravo & hostili erga DEUM affectu laboremus. Hinc locuturus DEUS populo, & traditurus legem mandavit ut prius sanctificarentur & lavarent vestimenta, nec uxoribus appropinquarent, nec jumenta ad montem admitterent, & quidem sub pœna lapidationis aut confossionis, Exod. 19. ut interiorem munditiem accessuris ad DEUM per externam illam inculcaret. Quin & olim *in nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant, quomodo manibus loti, candidis induti vestimentis in Ecclesiam ingrediantur*, ait sanctus Chrysostomus homilia 52 in Matthæum. Et homilia 6. in 2 ad Timotheum, *non libenter oramus, nisi ante laverimus.*

III. Habeat pedes eosque duos, fervorem & perseverantiam. Fervorem incidat Dominus, cum ait: *Petite & accipietis. Quærite & invenietis. Pulsate & aperietur vobis.* Petite voce & clamore, quærite oculis, levando eos ad cœlum, pulsate manibus, eas elevando ad cœlestia dona excipienda, sicut paupe- III. *Habeat pedes.* 1. *Fervorem.*
res orare præ foribus solent: orant, cantilenam canunt, clamant, pulsant, saccum explicant. *Pauperes,* inquit B. Petrus Damiani serm. de Spiritu S. *cum ad altiora degentibus aliquid accipere gestiunt, ora mox sacculorum laxant: & sic ad accipiendum parati,*

quibus pravalent vocibus clamant, ut dum sic paratus quisque per specular domûs aspicitur, facilè misericordiam consequatur. Cujus profectò sacculi sinum, indubitanter expandimus, *si perfecti amoris incendio donis cœlestibus inhiamus*; additque exemplum Davidis, cordis sui sacculũ ita explicantis Ps. 56. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniã in te confidit anima mea. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.* Et paulo post expandens saccum: *Paratum cor meum, Deus paratũ cor meum: cantabo & psalmum dicam.* Imo vult etiam canere fidibus: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Illustris est visio Sanct. Hermanni Canonici Præmonst. Steinveluelden. qui sub cantico Benedictus vidit duos Angelos, qui utrinque fratres in choro cantantes insensabant; & quosdam quidem cum multâ hilaritate & reverentiâ: qui nimirum corde & voce ferventer cantabant; alios neglectim præteribant, qui scilicet vel non canerent, vel non adverterent, quid canerent: ab aliis cum horrore resilirent, qui videlicet indigna mente agitabant; apud Sur. 7. April.

2. *Perseverentiam.* 2. Alter pes perseverantia est, quàm præcipuè urget & commendat Dominus nobis in hod. Evangelio; uti & Ecclesiasticus cap. 17. *Sta in forte propositionis & orationis altissimi DEI.* q. d. Maxima distantia est hinc ad cœlum, diu igitur stare ante fores cœli debes, donec responsum accipias. In Cameris Regum & Impp non statim expediuntur causæ, sed expectandum donec sors cujusque exeat ac responsum. Idem requirere videtur Ecclesiasticus in Camera aulæ cœlestis. Quamdiu miseri homines expectant causæ suæ expeditionem, corporis salutem aut eleemosynam! Sanè æger ille ad piscinam suam per 38. annos expectavit suam salutem, instanter suam experiendo sortem, quoties aqua movebatur, tametsi videret semper se ab aliis præveniri, qui magis attenti, magis fortes, vel ab aliis adjuti erant: nec tamen despondit animum donec tandem spe sua gavisus & à Christo sanatus est. Quod exemplum proponens Chrysostomus hom. 35. in Joan. inquit: *Pudeat nos & incredibilem socordiam nostram deploremus: triginta octo annos ille exspectaverat continuos, nec ejus impletum est desiderium, nec id culpâ aut negligentiâ ejus factum est; nec propterea desperavit, nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus.* Sed quid de Dalilâ, quæ ut aurum sibi promissum venaretur, quid non laboris & machinarum adhibuit ut secretum expiscaretur à conjuge? Ter enim delusa à Samsone non destitit tamen ei per multos dies tamdiu molesta esse donec impetraret quod petierat, & hoc auri tantùm promissi gratiâ. Quid non tentandum, non sustinendum, ut cœlestes impetremus à DEO gratias!

Ergo si volumus legationem nostram admitti in conspectum DEI, demus operam, ut suis numeris constet. Erit alioquin Cato, erit acerbus ille Censor & irrisor Dæmon, qui deridebit eam, velut omni ex parte miseram, destitutam capite, corde carentem, pedibus truncatam.

THEMA TERTIUM.

Oratio Dominica delet septem peccata capitalia.

I. *Delet superbiam prima petitio.*
II. *Secunda avaritiam.*
III. *Tertia acediam.*
IV. *Quarta gulam.*
V. *Quinta invidiam.*
VI. *Sexta iram.*
VII. *Septima luxuriam.*

Sic vos orabitis: Pater noster. Matth. 6.

VIdemus hoc tempore arbores sensim explica[nt] fructus suos, eorumque spe nos quidem recre[a]re, nondum tamen maturos dare. Deprehendi eg[o] arborem admodum salutarem, quæ non modica[m] spem fructuum nobis promittit, imo fructus jam ma[]turos quos hodie decerpere & concedere possumu[s] præbet. Quænam vero illa? scribit Ovetanus lib. [] hist. cap. 5 in Hispaniolâ insulâ arborem esse, cui no[]men est *Pater noster.* Gignit ea fructus, quanta e[st] avellana nux, cui si fervens aqua superponatur, o[b]verseturque in linteum aut laneum pannum, macula[s] extergit ac quascumque labes. Quod in labes corpo[]ris arbor ista potest, hoc in labes animi potest Orati[o] Dominica, seu *Pater noster*, si tamen fervens aqua de[]votionis ad illam accedat. Septem capitales anim[i] labes scimus, totidem antidotis ex oratione illâ de[]sumptis maculas has tergemus

I. Fœdissima macula est superbia; quia homine[m] fœdum DEO & hominibus odibilem reddit, Ecclesia[]stico teste cap. 10. *Odibilis est coram DEO & homini[]bus superbia,* quæ Luciferum ex pulcherrimo Angel[o] reddidit fœdissimum. Unde Isa cap. 14. de eo dicitur *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadave[r] tuum.* En ex speciosissimo Angelo tetrum cadave[r] fecit superbia. Hinc eam appellamus *fœtidam* Di[e] stinckende Hoffart. Iactatores superbos appellamu[s] *cuculos*, qui suum tantùm nomen decantant. Con[]stantinus M. Trajanum Imper. quod quibuscunqu[e] operibus à se structis suum affixisset nomen, *herbam parietariam* appellabat; ipse suum quantiscunque [a] se editis nunquam addebat. Baron. anno 324. Ride[t] quidam (Serarius in Judic. cap. decimo tertio.) vi[]sum à se nomen Quæstoris, & unà murarii fabri i[n] murulo quodam novo uncialibus litteris effictum verbi gratiâ: *Anno tali hic Schaltetus jussit extrui hanc maceriam; struxit hic murarius.* Denique tam fœda est superbia, ut nisi palliata specie humilitatis prodire non audeat. Huic labi extergendæ quid melius adhibeamus, quàm primam illius Dominicæ orationis sententiam: *Sanctificetur* (ô DEUS) *nomen tuum? Quid enim habes quod* (à DEO) *non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis:* ait Apost. 1. Corinth. 4. Quis alienis insolescit vestibus? *Sanctificetur* ergo *nomen tuum, Pater noster qui es in cœlis:* quia ex te uno omnia

nnia fluunt. Angelus qui apparuit Manue patri mſonis, rogatus ut ederet nomen ſuum, quo ho- rari poſſet, renuit edicere: *Cur quæris nomen meum, od eſt admirabile? ſi vis holocauſtum facere, offer illud omino.* Judic. 13. Memorabile eſt etiam quod refert etſer. de S. Cruce l. 2. c. 64. ex Joan. Linturio, anno 05. Pilſnæ in Bohemia contigiſſe. Cum mulier ſim- ex tranſiens imaginem crucifixi pendentis inter as alias cruces latronum ligneas, reverentiam ex ore non Chriſto, ſed latroni dextro ſeu converſo hibuiſſet: ille magno fragore ſe unaque crucem am flexit & convertit ad Chriſtum, manſitque eo u poſtea ſemper. Quid verò aliud ſibi voluit niſi c: non meum Domine, non meum, ſed ſanctificetur men tuum? A te habeo paradiſum & gloriam; non ne.

II. Fœda etiam labes avaritia eſt, quæ infamem ddit hominem, adeò ut avari appellentur *ſordidi*, & aritia *ſordes*, quia terram vorant; unde bufonibus mparantur: pro vili lucello litigant & neſcio quæ iunt ac patiuntur. Hinc omnibus exoſi & fabula nt, ſicut bubones avibus aliis, quia noctu eas præ- ntur, quâ ratione & avari occultè & per varias ar- s deprædantur homines. Hinc audiunt Ein Klezen- ucker/ Schinder/ Schindfuſſel. Er ſchind ein Lanß ab ein Balg/ &c. Poſſeſſiones illorum, *prædæ* appel- ntur. Unde Frideric. Imp. videns opes maximas oſmæ Medici ex mercatura corraſas: *Quæ convitia quas contumelias putatis hunc perpeſſum*, ait, *donec ditaretur?* Æn. Sylvius de dictis Alph.

Labem hanc abſterget ſecunda orationis Domi- cæ petitio: *adveniat regnum tuum*. Quid enim eſt in undo, quod ſatiare avarum poteſt? Regnum habuit chab & quidem opulentum, nec tamen eo conten- s eſſe poterat, donec vineam pauperis Naboth do- ui ſuæ vicinam obtineret: cumque ea ipſi negare- r, incidit in lectum, quaſi ægrotans: *Da mihi vi- eam tuam*, inquit, quaſi mendicans à paupere, ut ad- ertit Sanct. Ambroſ. lib. de Naboth. Unde Diogen. os, qui immenſas opes cumularent appellabat μεγαλοπτώχους, id eſt, *magnificos mendicos*. Eliminare igi- ır, imo ſatiare avaritiam noſtram volumus? cogite- mus & dicamus: *Adveniat regnum tuum*, Pater cœ- ſtis. Illud regnum eſt, quo omnes ſatiabimur; ut ixit David Pſalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria ua.*

III. Turpis macula eſt acedia, quæ hominem ter- à indignum & omnibus oneroſum reddit; ita ut tales ppellemus *terræ pondera, ignavos canes, aſinos, fucos, &c.* Et ſervum illum pigrum, qui talentum ſuum de- odit hoc convitio Dominus increpat: *ſerve male & iger.* Avis nomine Aſterias manſueſcit in Ægypto & atenus humanam vocem intelligit, ut ſi quis huic onvitium faciens appellet *ſervam*, ex ea contumelia raſcatur: ſi quis vocet *pigram*, ea dolenter tanquam gnobilitatis & ſegnitiei redarguta indignetur. Apol- onius apud Cauſſin. lib. 6. At multo turpiùs eſt ho- mini appellari pigrum. *Homo enim naſcitur ad labo- rem & avis ad volatum*, ait Elephaz; Job. cap. 5. Ut avibus pennæ ad volatum, ſic homini manus ad labo- randum datæ. Turpe eſt inſtrumentum artis toto die circumferre, v. g. calamum ſupra aurem & nihil un- quam ſcribere.

Huic maculæ tergendæ ſerviet tertia petitio; *Fiat voluntas tua*, Pater cœleſtis. Hujus enim voluntas eſt, ut quotquot filii Adæ ſumus, omnes laboremus. Ipſe etiam poſuit parentem noſtrum in paradiſum, ut ope- raretur & cuſtodiret illum. Tametſi enim paradi- ſus per ſe omnis generis frugibus plenus, earumque fertilis eſſet, debebat tamen nihilominus Adam e- juſque filii ſibi in eo laborandi occaſiones quærere, ſervareque hortum illum, ut nihil damni acciperet. Multo magis id ei neceſſarium erat, poſtquam in exi- lium & ſterilem terram ejectus fuit: quando ei in pœnam novum inſuper laborandi præceptum da- tum eſt: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus co- medes ex ea cunctis diebus.* Et rurſum: *In ſudore vul- tus tui veſceris pane tuo.* Qui ergo nobis manus & vi- res, nec non præceptum ad laborandum dedit, repo- ſcet aliquando in judicio labores noſtros. Certè SS. Martyres, Epictetus & Aſtion ſub Diocletiano pro fi- de torti eluſerunt omnes pœnas & ſuperarunt dicen- do: *Fiat voluntas Dei in nobis.* Quod demirans primo Vigilantius judicii Aſſeſſor, deinde in ſe expertus, & ipſe Chriſtianum ſe profeſſus, ea voce tormenta om- nia vicit & martyrii palmam meruit. Roſvveid. lib. 1. Vit. PP. ſic excitet ſe piger: cogitet per unum Dei ver- bum & mandatum fieri voluntatem ejus in cœlo & in terra. Cur cœli tam regulariter nobis rotantur? quia Deus mandavit. Cur mare non excedit terminos ſuos? quia Deus mandavit. Cur aves nobis canunt, piſces tacent, &c? quia Deus ita juſſit.

IV. Gula & ebrietas grandis macula eſt, quæ ho- minem planè in brutum convertit, unde tales appel- lamus *porcos ebrios*. *Quid autem fœdius*, ait Muſſonius l. de victu, *quàm ut homo bruti animalis imago ſit.* Qua- re Lacedæmonii nullum efficaciùs medium ad aver- tendos ab ebrietate filios ſuos fore arbitrati ſunt, quam ſi ſervos ſuos inebriatos eorumque fædas ac brutas inſanias ſpectandas eis exhiberent.

IV. *Quarta gulam.*

Verùm præſentius hujus maculæ tergendæ reme- dium erit quarta illa petitio: *Panem noſtrum quotidia- num da nobis hodie.* per panem intelligit cibum & po- tum, paſſim obvium, & minime delicatum aut exqui- ſitum. Unde ad majorem explicationem addit, *quo- tidianum* h. e. vulgarem, obvium, non feſtivum aut exquiſitum. Hic fuit pabulum primorum pa- rentum eorumq; poſterorum ferè ad diluvium uſ- que ubi tamen homines diutiſſimè vivebant & ſaniſ- ſimi erant, uſque ad 900. annos. Unde Eccleſiaſticus cap. vigeſimo nono ait: *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Quod Rabanus Epiſcopus Mogunt. explicat de victu primorum parentum & omnium eorum, qui ante diluvium vixerunt, quod fermè pomis ar- borum & oleribus veſcerentur, iiſque contenti vive- rent; licet carnibus etiam, qui volebant, veſci poſſent; quod tamen ſanctiores non fecerunt: Poſteà cum diluvium & ſalſedinem maris, terræ vis & fœcundi-

tas debilitata fuit, & hominum laboribus tota terra excoli cœpit, conceſſus eſt omnibus promiſcuè carnium eſus. Geneſ. 9. ita tamen ut iis moderatè veſcerentur, non ſecus ac oleribus & herbis. Ita enim loquitur ibi DEUS: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*, q. d. comedant carnes, ſed quaſi olera: ad ſanitatem & neceſſitatem, non ad voluptatem & ingluviem. Quis enim oleribus ſe ingurgitat aut diſtendit ventrem; *Vtantur carne tamquam oleribus*, ait Sanct. Ambroſ lib. de Noë cap 39 *non ad diſtentionem nec ad ruinam corporis.* Rurſum *initium* h. e. caput & ſumma victûs humani *eſt aqua & panis*, id eſt, victus facilis & obvius Sufficiat homini ut vitam cibo qualicunque ſuſtentet: lautitias non quærat. Videat jam qui plus ad ſe rapit, quàm à DEO poſtulat, quomodò de hoc reſpondeat, nonne rapinam facit? Rogatus aliquando Diogenes obſonium comedens à quodam, ut liceret participem eſſe, conceſſit. At cùm is avidius voraret: *Participem eſſe dixi non devorare*, ait. Idem reſponſum accipiet à DEO qui petens panem, immoderatè ſe ingurgitat: *Panem*, dixi, pete, eumque *quotidianum*: non cupedias, non luxum nec ingluviem.

V.
Quinta in invidiam.

V. Invidia & ipſa gravis macula eſt, quæ non animum tantùm, ſed & vultum livore deformat. Hinc ad Cainum fratri invidentem Dominus. *Cur concidit facies tua?* quare oculos à fratre avertis & in terram aſpicis atque contabeſcis? Unde à Sancto Cypriano ſer. de zelo & livore, *tinea & rubigo animæ* appellatur, quia clam eam depaſcit: à Sapiente verò Prov. 14. *Putredo oſſium invidia.* Appellatur & *canis*. Certè ægrè confitentur homines ſe invidere aliis, adeo turpe eſt hoc vitium.

Remedium eſt quinta petitio: *Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vis tibi lucere Solem? patere ut & alteri luceat. Per amorem proximi potes facere tuum, quidquid boni proximus habet: per invidiam perdis in teipſo, quidquid alteri invides; ut docet Sanct. Auguſtinus homil. 15. in lib. 50. homil. *Congaude illi, ut DEUS gratiam alii quam donavit, tua eſt, &c.* E contra claudere vis alteri januam ad DEUM? tibi claudes. Expertus eſt Macedonius magiſter officiorum Gratiani Imp. qui cum aliquando ſancto Ambroſio quidpiam ab imperatore petituro palatii fores occluderet, audiit ab eo: *Et tu quidem venies ad Eccleſiam, quam nec clauſas quidem januas inveniens non ingredieris.* Factum ut prædictum. Poſt mortem Gratiani reus actus ad Eccleſiam confugit, nec tamen eam ingredi potuit, licet januæ paterent. Paulinus in vitâ Ambroſii. Sic qui per invidiam alteri januam cœli claudit, ſibi claudit: contra qui per amorem reſerat alteri, ſibi reſerat.

VI.
Sexta iram.

VI. Fœda etiam labes ira eſt, quæ hominem in furiam & quaſi in ipſum Dæmonem commutat, adeò ut Plut. lib. de cohib. irâ, ſuadeat iratos adducendos eſſe ad ſpeculum, ut ſeipſos contueantur; ſic enim fore ut ab irâ abhorreant. Et Seneca libro 2. de ira, capite 36 aſſerit multis iratis profuiſſe aſpexiſſe te in ſpeculo, ne in poſterum iraſcerentur.

Quæ igitur huic fœditati ſpongia? ſexta petitio *Et ne nos inducas in tentationem.* Cogita iracunde tentari te à Dæmone & ad iram ſtimulari, ac velut equum calcaribus adigi, ut in hoſtium gladio incurras, uti vidit aliquando ſanctus Martinus ſuum Brictium incitari contra ſe à Dæmonibus ei acclamantibus: *Eja te Bricti, eja te Bricti*: objurga Martinum, convitiare Martinum. Quod ubi poſt a Martino intellexit, erubuit ſimul ac doluit Ne igitur audias tentantem & inſtigantem te Diabolum dic Patri cœleſti: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sic egit David, quando deprehenſo in ſpelunca Saul hoſte ſuo capitali, ſtimulatus à ſervis ſuis ut eum tunc occideret, continuit ſe, & oram dumtaxat chlamydis ei abſcidit, (1. Reg. 24.) dicens: *propitius mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini.* Sic Alphonſus Rex Aragoniæ, cum Pirertum Pincernam ſuum pervicacem, qui juſſus dare poculum generoſo adoleſcenti, renuebat, pugione ſtricto inſequeretur, fugientem aſſecutus, ne jam prehenſum iratus feriret, pugionem in ipſâ irâ abjecit; quaſi recolens illud: *Et ne nos inducas in tentationem.* Panorm. lib. 1. de geſtis ejus cap. 11.

VII Turpiſſima omnium labes eſt luxuria, adeò ut apoſtolus ad Eph. 4. eam nec nominari in nobis velit: *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis.* Proptereà etiam D. Lucas Magdalenam non meretricem ſed peccatricem appellare voluit. Conſentimus & nos Germani, qui hoc vitium ſuo nomine, non niſi quando exaggerandum eſt ad pudorem, nominamus, ſed modeſtè circumſcribimus per voces *Et cætera*, & ſimiles: Lupanaria, Frawenhäuſer vocamus, hoc eſt, ædes mulierum, huc ſpectat ultima petitio: *Sed libera nos à malo.* A quo malo? quod appellare nefas, à malo impudicitiæ. Cogita ergo imprimis gravitatem hujus peccati, quod nec ore proferre decet. Deinde inſta orationibus, ut ſi eo correptus es, ab eodem libereris. Quid enim agit, qui ferreo vinculo conſtrictus eſt, niſi ut alicujus operam liberatoris invocet? Ferreum vinculum eſt luxuria, DEUS ergo invocandus, vinculi hujus diruptor eſt. Senſit hoc David admiſſo adulterio per novem menſes in peccato hærens, unde clamat: *Libera me de ſanguinibus.* de quibus? non audet pronunciare commixtionem ſanguinis ſui cum adulterâ. Senſit Auguſtinus, qui hoc peccato velut ferreâ catena, ut dicebat, implexus orabat: *Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis.* Senſit Salomon Sap. 8 dicens. *Vt ſcivi quod aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det, adii Dominum & deprecatus ſum illum.*

Ergo ô benigniſſime & ſuaviſſime *Pater noſter qui es in cœlis*, da nobis ut intelligamus quam fœda macula ſit ſuperbia, ac proinde ut nomen noſtrum nunquam celebrare velimus, ſed *ſanctificetur nomen*

tuum

um Da ut agnoscamus avaritiæ turpitudinem, & gnorum hujus mundi miseriam & inopiam, *& adveniat regnum tuum*. Da ut agnoscamus acediæ fœ-rem, & ut in nobis ac per nos *fiat voluntas tua sicut cœlo & in terra*. Da ut cognoscamus fœditatem gu-l, & ut vivere tibi possimus, tantùm *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Da ut perspiciamus maculn invidiæ, *& dimitte nobis debita nostra sicut & nos mittimus debitoribus nostris*. Da ut agnoscamus tur-udinem iræ, *& ne nos inducas in tentationem*. Da ut elligamus labem luxuriæ, *& libera nos à malo*.

THEMA IV.

Tribulatio amicus compellens ad Deum.

Non tam beneficia quàm flagella peccatorem emendant.

Pro hoc amico petendi tres panes.

micus meus venit de via ad me & non habeo quod ponam ante illum.

Luc. 11.

NOn difficilè intelligimus quis sit ille amicus, à quo petuntur tres panes: magnus scilicet amis ille noster Christus. Nam *quis amicior nobis, quàm i pro nobis corpus suum tradidit*? ait in hodiernum vangelium S. Ambrosius. Sed quis alter ille ami-s, qui de via ad amicum venit? S. Augustinus serm. . de verbis Domini indicat esse quamcunque neffitatem, crucem, tribulationem. Sed quâ ratione, quies, crux, morbus, fames, inopia, inimicus, calumator, conjux importunus, vicinus malus hostis &c. nicus appelletur? Certè hic viator de nocte venit, nicum de somno excitat, vult habere quod comet, multum incommodi secum affert, & tamen ami-s appellatur, & revera erat; quia sicut hic hospes nicum suum impulit ut ad divitem amicum perge-t & ambobus annonam sufficientem pararet, quod lias non fecisset: ita tribulatio hominem è quiete uidem evocat, sed ad DEUM dirigit, ut meliora bo-a ab eo accipiat: non secus atque Angeli, qui eduerunt Loth è Sodomis, ingrati quoad hoc quidem primis fuerunt; sed postea gratissimi facti sunt, uando eorum impulsu effugit incendium & servat vitam. Quia verò pauci adhuc capiunt hoc ver-um, ideo latius explicandum erit.

I. Duo maximè funes sunt, quibus trahit ad se Deus homines, timor & amor, seu beneficia & flagella. Ita enim Ose 11. ait: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*. Funiculi sunt flagella, vincula charitatis sunt beneficia: Adamum post lapsum ad Deum esse retractum testatur Sapiens cap. 10. *Eduxit illum à delicto suo*. sed quibus funibus? non sane beneficiis; per hæc enim potius elongatus fuit à Deo. Habuit omnium rerum abundantiam in Paradiso; nonne igitur, dicet aliquis debebat amare Deum? Sed contrà egit; Itaque funes maleficorum adhibendi fuerunt, quia aurea charitatis vincula rupit: condemnandus erat ad labores & sudores, ejiciendus in exilium, vestiendus pelle hispida: occidenda coram eo pecora; sicque instans ei mors præ oculis ponenda, quo intelligeret, se simili modo aliquando cadaver futurum. Sic ergò factum ut rediret ad Deum per pœnitentiam in exilio; qui ab eo fugerat in paradiso. Quod contigit primo parenti, hoc contingit ejus filiis. Mallet quidem Deus vinculis charitatis trahere nos ad se, ideoque ordinariè primum illa adhibet; sed quia plerumque pejores inde evadimus, ideoque flagellum a[...]pit. Hoc Isa. c. 26. petiit à Deo in populum Heb[...], quia beneficiis non moveretur: *Misereamur impio inquit, & non discet justitiam*. Et rursum: *Domine dabis pacem nobis*. Sed mox experientia quasi edoctus, eos inde pejores factos, subdit: *Indulsisti genti Domine, indulsisti gentis; nunquid glorificatus es? elongasti* (à te) *omnes terminos terræ*.

Patet hoc in ll. Judicum & Regum passim, ubi Hebræi post longam pacem & ubertatem frugum, pejores evaserunt, ad Idola cucurrerunt: quod tamen in Ægypto sub flagello Pharaonis, & posteà in captivitate Babylonica minimè fecerunt. Sunt in regno Mogor valetudinaria avium, morbo affectarum. Ad unum delatus fuit læsus accipiter, ibi ut sanaretur: qui dum æger fuit, quietus & innocuus fuit: at ubi sanatus est, cœpit mox vexare aves alias, pungere & occidere. Hinc querelæ contra ipsum: ideoque à præfecto exturbari jussus est, ut scribit P. Emmanuel Pinner. in relat. Ind. P. Hajo. Sic nimirum contingit plerisque hominibus: humiles & quieti sunt, dum flagellantur: insolescunt & turbulenti fiunt, si flagella ab eis amoveantur, paupertas, morbus, carcer. Talis accipiter erat Wenceslaus VI. Imp. Rex Bohemiæ, qui ob profligatos mores à senatu Pragæ in carcerem communem conjectus adeo misere habitus fuit, ut vermiculis & sordibus scateret; ubi quidem didicit Deum timere. Interrogatus enim in carcere, qui valeret? *Nunquam melius*, ait. *Cùm enim omnibus humanis præsidiis vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium habui; nunc illis omnibus exutus solum Deum cogito & in eo spem meam omnem colloco*. Æn. Sylv. in hist. Bohem. Bene est, sed quid actum? Post semestre carceris in publicum balneum ductus beneficio naviculæ evasit, cumque ad pristinum ingenium rediisset, à fratre Sigismundo iterum captus & Duci Austriæ Viennam incarcerandus mittitur. Inde iterum elapsus, pejor evasit & Hussitas fovit, pincernam denique, qui contra eos verbum protulerat, in terram prosternit & pugione conatur interficere, sed dum impeditur in paralysin incidit, ex qua miserè tandem velut bestia ab omnibus derelictus periit ex irâ paralyticus. Ita ergo qui in tribulatione positus de DEO cogitare cœpit, ereptus ex eadem, iterum DEI oblitus est. *Indulsisti genti Domine; indulsisti; numquid glorificatus es?* Idem communiter experimur in aliis, qui ob flagitia vincti, libertati restituuntur, vel etiam ex

Periculoso morbo rursum convalescunt, quod rebus Prospere succedentibus redeant ad ingenium. Quid igitur DEus? quando vincula charitatis nil proficiunt, corripit, flagellat, funes & vincula, quibus perduelles capiat & coerceat. Alibi insinuavimus Apologum Cyri Regis Persarum, Jonibus recensitum, de tibicine, qui cum alliciendis piscibus frustra cecinisset; tandem sagena in mare expansa, reluctantes ad se traxit, apud Herodot. lib. primo Non aliter agit DEUS. Cum enim suavi beneficiorum & blanditiarum cantilenâ non allici videt homines ad obsequium suum; quid agit? sagenam suam expandit, & [illegible] flagella eos ad se trahit. Ita sub 2. Philippis Impp. Christianis disciplinam & mores pax longa corruperat, ut scribit sanctus Cyprianus serm. de lapsis. Unde alicui ostensum refert epist. 8. quomodo ad pristinum fervorem revocati sint. *Illud ostensum est,* ait, *quod sederet paterfamilias sedente sibi ad dexteram juvene, qui juventus anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillum manu tenens, mœsto vultu sedebat: Alius verò in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur, quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei: Iuvenem qui ad dexteram sedet, contristari & dolere, quod præcepta sua non servarentur, illum verò in sinistra parte exultare, quod sibi daretur occasio, ut à patrefamilias acciperet potestatem sæviendi. Et videmus impletum, quod fuerat ostensum. Et hoc nobis per visionem exprobratum scias, quod dormitemus in precibus nec vigilanter oremus.* Hoc de Decii persecutione immanissima, quæ mox subsecuta Christianos ventilavit & à somno excitavit.

Nunquid non talis piscis fuit Jonas? Hic fugiens à DEO, comprehensus est in mari per immanem tempestatem & injectus in os piscis, ibi didicit orare & reverti ad DEUM, quando in ventre ceti aquis undique cinctus, tantum non suffocabatur & vix respirare poterat, uti indicat in oratione; *Circumdederunt me aquæ usque ad animam. abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Ibi recordatur DEI & vovet iturum se ad templum Jerosolymitanum Deoque immolaturum; Joann. 2. Bene consonat nomen Jonæ cum columba, quam significat. Ut enim columba ex arca demissa, quia non reperit ubi, quiesceret, aquis orbem undique inundantibus, rediit ad suum Noen, & libenter passa est se apprehendi & in arcam trahi, sic Jonas fugitivus ubi se omni ope destitutum vidit, reversus est ad DEUM suum. De Roberto Gallorum Rege sic scribit B. Petrus Damiani Card. qui obiit anno 1080. lib. 2. Epist. 15. ep. ad Desiderium Card. *Robertus Gallorum Rex, avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptra successit propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum & caput habentem. Quos etiam, virum scilicet & uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi communi excommunicavere sententia. Cujus sacerdotalis edicti tantus undique populum terror invasit, ut ab eius universi societate recederent, nec præter duos sibi servos ad necessarii sibi victus obsequium remanerent, qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat vel bibebat, præcepto cibo abominabilia judicantes pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coarctatus angustiis ad sanum consilium rediens, divortii incestum, initque legale connubium.*

Atque ut ex Indiis etiam aliquid audiamus: in orâ piscariâ bellus quidam casus extitit. In prætereuntem quendam Gentilem una ex crucibus statutis in publico, ventis imbribusque labefactata fortè incidit & vulnus inflixit. Ille divinitus ea plaga admonitum se, ut fieret Christianus, interpretans continuò vovit, si convalesceret, laturum cereum ad ædem sacram & baptismum subiturum. Quod utrumque mox voti damnatus cum fide præstitit Sacchin. tom. 2. Annal. Societ lib. 8. num. 178. anno Cogitare quisquam poterat & haud dubie cogitarunt aliqui, maximum hoc fuisse homini infortunium, imò DEI vindictam, à trabe Crucis ad terram affligi: quomodo Melitenses senierunt de sancto Paulo, à vipera admorso, quod vindicta DEI quasi magni sceleris reum ageret & vivere non sineret. Act. ult. verùm casus ille salutem attulit homini, ut hac virgâ castigatus ad fidem disponeretur ad salutem.

II. Quando igitur Crux & tribulatio nequaquam inimicus, sed amicus noster est, quid agendum nobis est, quando hic hospes ad nos divertit? Num expellendus est? Minime gentium: sed eundum nobis etiam media tribulationis nocte ad magnum illum amicum nostrum, Christum, & petendi ab eo tres panes, quos illi apponamus.

Primus est lumen, quo cognoscamus tribulationes nobis à DEO immissas. Hoc nobis satis esse debet, multùmque solatii afferre. Quis enim aulicus per fenestram fortè prospiciens, si manu Regis à tergo percutiatur, indignabitur, ubi cognoverit Regem id fecisse? imo quis non sibi gratulabitur? Signum benevolentiæ est, cum in sæculo isto DEUS nos castigat; quia hoc ipso ostendit se curam nostri habere, ut ad sanam mentem nos revocet. Itaque postulemus lumen, quo intelligamus practicè non speculativè solum, tribulationes non esse lapides, sed panes potius à DEO in nos projectos. Quis autem canis latrat, cum pingui osse petitur?

Secundus est mentis hilaritas, quâ ferientem DEI manum patienter excipiamus. Ita monuit virum nobilissimum B. Petrus Damiani Card. Ep. lib. 8. ep. 6. *Charissimè & dulcissime frater,* inquit, *dum verberibus cingeris, dum cœlestis disciplinæ transitionibus castigaris, non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitia mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat, sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio resultet in ore. Laudanda quippe divina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat? ad hoc premit ut elevet; ad hoc secat, ut sanet; ad hoc dejicit, ut exaltet. Qui enim bona agit,*

agit, & mala suscipit, quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc in cœlo .ll multiplicius cumulatur. Porro autem Medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæq; petierint alimenta relaxant: at quos erigendos esse conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdicunt: antidota insuper & amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. Quid ergo mirum si medicus animarum omnipotens Deus & quos ad vitam eligit, sub districta severitatis suæ lege constringat? Nam & animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimenta præbemus; eorum verò penuriam, & maciem parvipendimus, quæ ad usum seminis & ad propagandam sobolem reservamus. Vites quoque & quæque fœcundæ arbores putationibus subjacent; steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius, eò diffusius patent. Noli itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere, sed condole: immò quia ipsi non dolent, potius ingemisce. Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare, quia qui nunc, ut ita fatear, pœnarum inanium levitate deprimeris, remunerandus postmodum, pretiosi auri pondera reportabis.

Tertius est gratiarum actio pro immissa tribulatione, velut pro cœlesti beneficio. Certè si tumore aliquo noxio laboramus; Chirurgum vocamus, qui cauterium ustione faciat, ad curandum tumorem; ac licet dolorem nobis infligat, gratias tamen ei nihilominus referimus & pretium pro labore persolvimus, quia remedium adhibuit. Quidni igitur Deo etiam gratias agamus pro flagellis, cum aliud non sint nisi infirmitatum nostrarum curæ & cauteria? *Erit etiam in tribulatione remissio*, inquit D. Chrysost. hom. 5 ad pop. *si semper Deo gratias agamus.* Econtra deflenda est potius impiorum felicitas. Nam & Medici desperatis omnia, quæ placent, sumenda permittunt: & damnati ad mortem per dies aliquot priùs bene habentur: & animalia mactanda, ad mortem saginantur: & arbores ac vites igni deputatæ non putantur, sed luxuriantibus ramis diffundere sese permittuntur.

Itaque *omne gaudium existimate fratres cùm in varias tentationes incideritis*, Jac. 1. Agnoscite amicos vestros & cum gaudio excipite: & ut habeatis quod ante eos ponatis, ad magnum illum amicum currite, qui dabit vobis quidquid necesse est; & post patientiam coronam.

THEMA V.

Requisita varia & commoda orationis.

1. *Oraturi egrediantur è cœno peccatorum.*
2. *Orandum cum fide.*
3. *Orandum devotè.*
4. *Orandum constanter & perseveranter.*
5. *Orandum in templis potiùs quàm in locis profanis.*

Fabri Sylva Nova. de Dom.

Quis vestrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte. Luc. 11.

MIrantur & rident nos adversarii nostri, Acatholici, quod his præsertim diebus deseramus ædes nostras & exeamus supplicatum ad Sanctor. ædes, easque remotiores: *Sinite illos, cæci sunt & cæcorum duces.* Cur enim non mirantur etiam illum, qui in hod. parabola ivit media nocte ad amicum suum, panes postulatum? Respondebunt illum non habuisse panes in domo sua, ideo compulsum ivisse ad amicum. Bene est; & nos sæpè in ædibus nostris non reperimus panes cœlestium gratiarum, quos alibi tamen reperire in ædibus sacris possumus & Sanctorum interventu à Deo impetrare. Non invenit Naaman in patria remedium lepræ suæ: perrexit ad domum Elisæi inde ad Jordanem: ibi invenit. 4. Reg. 5. Non invenit Chananæa Medicum filiæ suæ, qui eam à Dæmonio liberaret, in tota Phœnicia: ivit ergo in Judæam ad Christum Dom. & invenit Medicum finiæq; liberatorem. Mat 5. Bene igitur & piè per hos dies ad sacra loca peregrinamur. Verùm ut hæc sacra, quæ suscipimus, itinera, cum fructu peragamus, & in domo inprimis magni amici nostri, Salvatoris, nec non Sanctorum ejus panem optatum accipiamus, opus est oratione potenti & efficaci, quam discemus nunc ab ea, quam dixi, Chananæa.

1. E finibus Tyri & Sidonis seu ex Chananæa, Gentili & impia terra, quam inhabitabant posteri illius Chanaan, à Noe maledicti, egressa venit ad JESUM. Docet ergo 1. oraturos egredi è peccatorum cœno, saltem cum voluntate ea deserendi, & ad Deum per pœnitentiam sese convertendi, novamq; vitã inchoandi. Prisci ad orationem fundendam loca munda eligebant, utiq; à naturæ lumine edocti mũdo è corde preces effundendas, ut placere Deo possint. Unde Aug. in Ps. 33. scribit: *Mũdus est locus, oremus hic, dicis. Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui?* Locus immundus erat Chanaan, inde igitur egressa est nostra Chananæa. Quisquis ergo audiri in oratione vult, cor suum expurget à sordibus peccati. Audiatur Chrys. ho. 6. in Ep. 2. ad Timot. *Cùm sordidus manibus*, inquit, *orare non audeas, sordes ipsas atq; immunditiam offerens ex rapina, nihil grave esse putas? &c.* Et ho. 52. in Mat. *Siquis pedes tuos stercore sordidatis manibus, supplicando tangeret, non modo non exaudires, verùm etiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nam qui orat, quasi manu lingua utitur, qua genua Dei supplicando attingit.* Et hom. 10. cùm Presbyter esset designatus: *Quemadmodum in coronis non satis est flores esse puros nisi pura sit & manus eas contexens: sic & in sacris hymnis oportet non verba tantùm esse pia, verùm etiam animum hymnos concinentem.* Largissimam benedictionem petiit à Deo Salomon orantibus in templo à se extructo: non ausus est tamen petere gratiam qualemcunque, etiam temporalem, veluti pluvias in

I. Oraturi egrediantur è cœno peccatorum.

ficcitate, frugum proventum, &c. nisi pœnitentibus. Ita enim precatur: *Si clausum fuerit cœlum & non pluerit propter peccata eorum & orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo & à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo, &c.* Et paulo post: *Siquis cognoverit plagam cordis sui & expanderit manus suas in domo hac: tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis & facies ut des unicuique secundum omnes vias suas.* 3.Reg. Itaque nec pluviam unam vel quid aliud impetrandum aut petendum censebat Salomon, nisi priùs Deo pœnitentia placato.

2. *A turba curarum sæcularium.* 2. Docet ad orandum egredi à turba, curis domesticis & tumultibus sæcularibus, ut soli cum Deo quietius loquantur. Quod etiam ipso Domini exemplo discimus, qui *dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Matth. 14. v. 23. *Vt tam à tempore quàm à loco,* inquit ibi Div. Chrys. hom. 41. *tranquillitatem orandi quæramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis perturbationis expultrix.* Idem fecit Moyses quando Pharaone dicente: *Rogate pro me:* respondit: *Egressus à te orabo Dominum* Exod. 8. v. 29. Nam ut ibi Lyranus: *præsentibus Idololatris nolebat orare.* Rursum Exod. 9. v. 29. *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Quia nimirum civitas erat plena Idololatria, ait ibi Lyran. Sic iterum Moys. & Aaron oraturi Dominum prius dimissa multitudine ingressi sunt in tabernabulum fœderis, Num. 20. v. 6. Nimirum uti vasculum ambiente aëre non impletur, nisi à liquore in se contento prius evacuetur: ita & cor nostrum non capit dona cœlestia nec ad se trahere potest, donec à terrenis cogitationibus sese evacuet. Unde Ps. 101. dicitur: *Respexit in orationem humilium,* quod sic Hieron. vertit: *Respexit ad orationem vacui.*

II. *Orandum cum fide.* 1. II. Oravit cum fide, & 1. quia significat virtutem Theologicam, quia vocat Christum *Filium David,* h.e. Messiam, Judæis promissum adeoque Deum. Necessaria est hæc fides quasi basis orationis. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* inquit Apostolus ad Rom. 10. vers. 14. Et Aug. ser. 36. de verb. Dom. *Si fides deficit, oratio perit: quis enim orat, quod non credit?* Et hoc inprimis de fide generali intelligitur. Quare ii, qui vera fide carent, nihil sibi polliceri de precum auditione possunt: quemadmodum & Baalitæ frustra postularunt ignem de cœlo, licet miras gesticolationes ederent & se cruentarent, cùm econtra fidelis Elias mox illum impetrarit. 3. Reg. 18. Cujusmodi certamen inter Catholicos & Arianos Niceæ fuit exhibitum auctore S. Basilio, qui convocatis Arianis sortem hanc proposuit: *Claudantur templi fores, & firmis utriusque partis signaculis muniantur. Primique vos dies tres totidemque noctes in precibus expendite; & siquidem euntibus vobis ad Ecclesiam divinitus reserantur, vestri juris æternum manebunt: sin minus, nos unicam in oratione vigilem agemus noctem, & siquidem mane cum psalmis & litaniis ad eam tendentibus ultro patuerint, nobis tunc perpetuum adjudicabuntur. Ariani cum postulatum æquitatis plenissimum recusare non possent, quod reliquum erat ad preces vigiliasque sese componere, toto deinde triduo exacto, ad Ecclesiam venere. Sed fores templi perfidorum precibus nequaquam cessere. Itaque demum fessi, inanes recessere: Basilioque tempus precandi similiter concessere. Tum vir sanctus advocata fidelium concione, pernox in precibus divinam cum implorasset opem: facto manè, longo supplicantium agmine, Kyrie eleison prolixè inclamantium ad templum processere. Aderat Arianorum ingens multitudo: parata & templum occupare, & Antistem cum Orthodoxo populo inde repellere, si pariter fores, ad eorum preces, mansissent obseratæ. At Præsule sancto, sublatis manib. templi valuas, in vocibus Christi Iesu virtutem invocante, vectibus vi orationum contritis, pessuli laxatis clavis decidere, & ostia tanquam valido concussa vento, liberam orthodoxis, stupentibus admodum Arianis, ingrediendi potestatem fecere.* Neque solum hæc sed etiam particularis alia fides orationi socianda, qua credimus Deum juxta promissionem suam daturum nobis quod petimus, si id expediat nobis & debito modo petatur. Ita enim Dominus: *omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis* Marc. 11. Credendum enim fide divina, Deum esse fidelem in promissis suis.

2. Quia significat fiduciam seu spem corroboratam, qua animemur ad orandum, velut indubiè audiendi: non minùs necessaria orant quam fides propriè dicta, de qua diximus. Vult enim Deus ab orante non modo glorificari de sua omnipotentia, qua possit nobis omnia præstare: sed etiam de sua bonitate, qua velit & paratus sit, quantum est in se, ad omnia præstanda. Injuria afficit divitem mendicus, si credat quidem esse potentem, sed non esse liberalem, adeoq; se ab eo nihil accepturum. similiter æger Medico si reputet quidem artis peritum, sed interim inhumanum & difficilem, adeoq; in ipso parum spei ponat. Unde Moyses & Aaron quando in educenda à saxo aqua hæsitarunt, non, an possit Deus, sed an velit ingrato populo tantum exhibere miraculum & beneficium, Dei indignationem incurrerunt & morti addicti sunt. Num. 20. Jam vero fides orantis glorificat Dei potentiam, fiduciam, bonitatem, misericordiam & liberalitatem. Hac etiam prædita & excellenter quidem fuit Chananæa. Nam inprimis appellat eum *filium David,* quasi revocans ei in memoriam patrem Davidem, qui fuerit humanissimus nec petentibus quidquam negarit: deinde cùm à Domino repulsam tulisset, quod non deceret panem filiorum canibus præbere, nihil ob hoc absterrita; sed animata potiùs, argumentum inde sumpsit convincendi Christum ad se audiendam: *Imo Domine,* inquit, *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum.* q. d. pro me est hoc, quod ais, neque me repellere potes, quia ex ore tuo evincam, quod mihi micam dare velut catello debeas. Unde Dominus laudans hanc ejus fiduciam exclamat: *O mulier! magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

III. Oravit devotè, & primò quidem ferventer, *III. Orandum devotè. 1. Fervente*

quia

uia magna voce, unde discipuli dicunt. *Dimitte eam, uia clamat post nos.* Clamor ille vocis indicabat clamorem etiam cordis, quod fervide oraret utpote alde afflicta ex filiæ miseria. Clamor hic ubi deest, on facile ascendet oratio ad cœlum; quia ut S.Bernard.serm.4.de Quadrag. ait: *Tepida oratio in ascensu nguescit: fervens cœlum sine dubio penetrabit: unde ertum est, quod vacua redire non poterit.* Accedit S. hrys.ho.5.de incompreh.Dei nat.tom.5. *Orationem ommendo, quæ ab imis animi prodeat. Vt enim arbores, uæ radicem altius miserint, quamvis summum ventoum excipiant impetum, non frangi aut evelli possunt: c orationes, quas animus de suo reddiderit imo, tutè ffixæ efferunt sese in excelsum, & nullo pervertuntur ggressu cogitationum. Vnde Propheta insignis ait: De rofundis clamavi ad te Domine.* Hoc idem indicaant manus Moysis graves, quæ ubi in altum elatæ uerunt, impetrarunt suis victoriam: ubi lassæ verò elabi & cadere cœperunt, nihil obtinuerunt; sed vinebat Amalec. Exo.17. manus elevatæ contentionem rationis, remissæ teporem significant. Quare bene onsulebat B. Jordanes Ord. Prædic. Generalis II. orationem saltem initio cum fervore inchoandam: fore ihilominus ut sensim languescat: quemadmodum n choro Psalmus alta voce inchoandus est; siquidem aulatim cadit & descendit vox: quomodo & manus Moysis sensim collabebantur.

2. Attente; nihil enim aliud vel egit vel locuta est dum oraret: soli & unicæ orationi instabat, quia nihil aliud nisi filiæ miseriam cogitabat, cui salutem quærebat. Qui bene jaculari & scopum tangere vult fixè arcum tenere & ad unicum locum, non ad plures intendere debet: ita *inter orandum,* inquit sanctus Ephrem l.de panoplia, *animam vagari permittas, eris velut qui tenet quidem arcum, verùm sagittam contra adversarium dirigere nequit illam in vanum intentione emittens.* Idem alia similitudine declarat S. Gregor.in Præfat. l.2. super Ezech. *Mens quæ superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere possit divisa. Scimus autem, scimus omnes, quia & fluvius, qui in multis rivis dividitur à suo alveo, siccatur.* Euphrates quamdiu collectus fuit, Babylonem descendit contra Cyri exercitum: at ubi in plurimos alveolos à Cyro distractus fuit, hosti aditum ad urbem occupandam præbuit, ut ex Xenoph.l.7.Herodoto lib.1. dictum alibi. Sic orans si ad preces suas attentus & collectus fuerit, magnum ab oratione præsidium habebit, eritq; inexpugnabilis: at si culpa sua in varias & inutiles distractus evagationes; nihil ab oratione speret: velut urbs sine præsidio est. Neq; hoc solum, sed etiam abominatio fit coram Deo, quales vocantur illi 25. viri apud Ezech.c.8. inter templū & altare constituti, interim dorsa habentes contra templum de qua re audiamus B.Pet. Dam. in Epist.ad Cardinal.l.2.Ep.cp.7. *Hoc unaquaque mens in divino deputatur examine, quod versat per concupiscentiam in cogitatione. Fornicationem imaginatur vel adulterium, lupanar efficitur meretricum: effusionem sanguinis meditatur & odium, campus est frementium bellatorum: ciborum, & suavium epularum versat quis in cogitatione delicias, quid aliud in conspectu Dei videtur, nisi cacabus, sive lebes, in quo cibus excoquitur: controversias tractat, atque litigium, quid aliud, quam tribunal Iudicis aspicitur, sive forum, unde cùm Dominus ad Ezechielem diceret: Ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic, præsto subjungit: & ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Quod enim versatur in mēte, tamquam depictum cernitur in pariete. Et mens ipsa earum rerum imagines contrahit, quas sedula meditatione revolvit, & tamquam diversis actionum imaginibus pingitur, prout vana, vel utilia meditatur. Ac si quispiam micantia nunc astra suspiciat, nunc declinet oculos in latrinam: modo miretur radiantis auri fulgorem, modo scabram ferri contempletur æruginem; sic humana mens terrena dum meditatur, & infima, procul dubio terra conspicitur; cum verò quæ pietatis sunt, tractat, cùm divina cogitat atque cœlestia, merito cœlum, templum Dei videtur atque sacrarium.*

3. Humiliter & modestè. Etenim se canem nequaquam diffitetur, sed candidè fatetur; interim tamen dum jus canum & suam miseriam proponit non infert conclusionem, sed relinquit potius Christo inferendam. Unde D.Chrys.serm.100. de hac ejus humilitate scribit: *Meritò quæ se canem confessa est, in hominem commutatur, merito adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili & provida humilitate dejecit.* Et D.Augustinus in Psalm. 58. *Iam dudum canis,* inquit, *modo mulier. Vnde jam mulier quæ paulo ante canis? Confitendo humiliter, non repellendo, quod à Domino dictum erat.* Et mox: *suscepit humiliter convitium, & meruit beneficium.* Itaque ex horum Pp. sententia plus consecuta est, quàm petiit: una enim cum sanata filia recepta est in Christi filiam. Et cur hoc? quia Deus ad orationem humilium respicit: quid autem ipsa humilius, quæ se catellum appellat? Etenim canes quidem majores prodesse possunt dominis suis, custodiunt domos, arcent fures, capiunt lepores, defendunt à lupis oves: catelli verò nihil tale præstare possunt, sed præcise blandiri sciunt. Talem se agnoscit bona ista fœmina. *O mulier! magna est fides tua:* magna est humilitas tua. Eadem humilitate quondam Axa illa, filia Caleb & uxor Othanielis, cùm à patre suo postulasset terram aquis irriguam, statim accepit irriguum duplex, superius & inferius. Josuæ 15. Sed qua industria? *Cum suspirasset,* ait textus: *sedens in asino,* seu ut Chaldæus transfert, *delapsa de asino.* Ergo humilis hic gestus & de asino descensus tantam promeruit benedictionem; quid non impetrabit humilitas à Deo, ad dandum paratissimo & ditissimo? Melius longe orationis vehiculum est humilitas quàm asinus. Ita enim appellatur à Chrysostomo in Ps.9.v.13. *Orationis vehiculum,* inquit, *invenitur humilitas.*

3. *Humiliter.*

4. *Reverenter.*

4. Reverenter; quia *adoravit eum*, ait Matthæus, utiq; flexis genibus; & jure meritissimo, quia ipsi flectendum omne genu, à quo omnia habemus. Quod si enim Reges terræ honorem hunc non admittunt solùm, sed requiritur etiam, non exhibeatur Deo? De Dionys. Sicil. Rege refert Laert. lib.2. c.8. ipsum aliquando ab Aristippo gravi Philosopho interpellatum pro amico, nec tamen preces admisisse: prostratum igitur Philosop. ad pedes Regis, gratiam impetrasse. Quod cum vitio daretur Philosopho, quasi tantus vir se nimium dejecisset: *Non ego*, inquit, *in causa sum, sed Dyonys. qui habet aures in pedibus.* Notavit quidem iste fastum Dionysii; sed quod Regi forsan non debebatur, certè debebatur Deo, qui dixit per Isaiam c.45. *Mihi curvabitur omne genu.* Ad hanc reverentiam spectare etiam videtur, ne oratio cum Deo cœpta ob profanam causam vel hominem qualemcunque facilè interrumpatur. Cujus rei specimen dedit S. Ludg. Ep. Monast. qui *cum ad aulam Carol. Magn. Imp. evocatus esset, fortè tunc Antistes, dum consuetudinariis ex more psalmis & orationibus instaret, dixit cubiculario, ut præcederet, se mox, divino peracto officio, secuturum. Dum secundò & tertiò nunciis venientibus, ille ab incepto non moveretur opere, accusatores ejus occasionem se invenisse lætati, ex hoc ipsius facto criminationem cumulabant. Verum, dum completis psalmodiis ante Imper. venisset: dixit Imper. Quare nostrum mandatum sic difficile accepisti, E. iscope, ut tot accersitus nunciis statim venire despiceres? Quia, inquit, Deum, & tibi ô Rex & cunctis hominibus præponendum arbitrabar, hoc enim ipse mihi præcepisti, curam Episcopalem committens, idcirco à tuis, licet vocatus nunciis, Omnipotentis servit um intermittere inconveniens judicavi. At mox divino peracto obsequio, paratior ad Regis imperium veni. Quod responsum ejus Imp. optimus v. neratus: Gratias, ait, habeto Episc. quia talem te modo reperio, qualem antea æst. mabam. Fuerunt autem aliqui, qui facta bonitatis tuæ, malevolè apud me interpretati sunt, sed hos deinceps minus gratos habebo, & nullius verba super tua criminatione me ulterius accepturum spondeo.* Apud Sur. 26. Mart.

IV. *Orandum instanter & perseveranter.*

IV. Oravit instanter ac perseveranter; tametsi primò non audita, deinde bis repulsam passa, ad extremum enim audita est. Certè etiam Moyses ad primum ictum non elicuit statim aquam è petra, sed ad secundum. Num.20. Similiter Elisæus pallio Eliæ percussit Iordanem primò, & non sunt divisæ aquæ confortato deinde spiritu rursum percussit, & tum divisit aquas 4. Reg.2. Ita egit Chananæa, primò ponè sequens cùm responsum non audiret, propriùs accessit & denique ad ipsum Christum in domum penetravit atq; ita evicit. Eadem constantia superavit. S. Hier. suas tentationes, uti ipse scribit in Ep. ad Lætam: *Memini me clamantem*, inquit, *diem crebro junxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, donec rediret Domino impetrante tranquillitas.* Sara illa junioris Tobiæ per tres dies & noctes instabat orationi, donec eam Dominus liberaret ab improperio. Tob.3. Mos etiam Christianorum est in necessitatibus publicis per 40. horas continuas orandi, tum ad memo riam sepulturæ Christi, qui per totidem horas in se pulchro decubuit; tum ut hac continua pulsation ostiū cœli clausum perfringamus. Nemo enim nesc obsessam civitatem continuis assultibus & tormen torum quassatione tandem ad deditionem cogi; alic quin vero non, si interruptione facta vires recipia. Quare non cessandum ab oratione, quia *si permane postulando*, inquit, D. Chrys. hom.24. in Matt. *etiam non continuo accipias, accipies tamen; propterea quip ostium clausum est, ut tu ad pulsandum inducaris: i circo non celeriter annuit, ut tu diutius inquiras. Pe mane igitur in quærendo atque pulsando, & absq ambiguitate percipies.*

V. Secuta est Christum usque ad domum, in q ipse sibi hospitium delegit, & in ea demum quod p tiit impetravit, ut habet Marc. c.7. Oravit quidem in via, unde diceb. Apost. *Dimitte eam, quia clam post nos*; sed in domo primum audita est. Docet igit orationem majori fructu fieri in Ecclesia & Don Dei, quam in ædibus profanis vel aliis locis. Audi mus S. Chrys. hom.79. ad pop. *Et domi quidem*, inqu *orari potest, si autem ut in Ecclesia non potest, ubi tan patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimit emittitur. Hic enim majus aliquid est, puta unanimit & consonantia charitatisque vinculum & Sacerd tum orationes.* Certe etiam in V. T. sacra loca ad c randum & delegerunt & adierunt, uti inprim templum Salomonis, de quo ipse in sua oratione i precatur. *Tu exaudies in loco isto, &c.* q. d. magis hi quam alibi. 1. Mach. 3.46. dicit. *Venerunt in Maspha contra Ierusalem; quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel*, quia sc. Samuel oratione sua consecra rat Masphat 1. Reg 7. In montem Moria, Abrahæ sa crificio sacratum, perrexit Rebecca, ut consulere Domin. Gen.25. In Hebron ire voluit Absalon velu voti reus. 2. Reg. 15. Io 4. Patriarch. monum. insign Hebræi ter in anno ad templum vel tabernaculum peregrinabantur ex præcepto Deut 16. quod & ips Dominus servavit. Quin & Gentiles aliqui confluebant Jerosolymam, ut ibi adorarent. Joan. 12. Et Eunuchus Candacis Reginæ. Act. 8. de Christianis antiquis testimonia habemus plurima. Scimus de S. Hel. quod religionis causa venerit Jerosolym. Ex Euseb. libro 3. de vita Constant. & S. Ambr. ord. de obitu Theod. S. Hieron. invitavit Romæ nobiles matronas, ut in terram S. peregrinarentur & persuasit non paucis. Idem Rusticum ut votum eundi illuc persolvat, monet ep. 46. Nec non desiderium ep. 54. in qua ait: *Certè adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est.* Et in ep. ad Marcellum asserit, homines Deo devotos putare se minus religionis & scientiæ habere, si terram sanctam non vidissent. S. Alexi. commendat B. Virg. imago, qui relictis nuptiis peregrinus factus Edessam venit ibique 17. annos in vestibulo ædis B. V. transegit Di: it enim ædis custodi: *Introducito servum Dei qui dignus est regno cœlorum.* Accedunt hæ rationes, Nam 1. peregrinationes cedunt ad Dei honorem, & SS. cùm eorum gratia & amore itinera suscipimus,

&pa-

& patrios Lares deserimus, parentes, liberos, filios: a-
ii sua commoda, opificia, negotiationes & lucra, Si-
ut enim ad honorem Salomonis fuit, quod Regina
abæ ad ejus aulam visendam & sapientiam audien-
lam venit: & sicut ad honorem Medici facit, si ad eum
passim ægri de lōge veniant, ejus opem implorantes:
ta ad honorem Dei & SS. cedit, si ad eorum SS. ædes
& reliquias peregrinemur opem postulantes. Et sicut
Antonius v.g. glorificatus fuit ex eo, quod è longin-
uo plurimi homines ad ipsum visendum abierint in
esertum: ita procul dubio sanctis ad honorem cedet,
eorum ædes piè visitentur.

2. Sunt opera pœnitentiæ & satisfactionis, quia la-
orem & mortificationem continent. Inprimis in pe-
ibus incedere, vili habitu se vestire, parum commodè
er viam tractari, humi vel in stramine cubare: æstum
igus aut pluvias sustinere, certè patientiam requi-
unt. Quare Democritus Philosophus interrogatus,
uid prodessent peregrinationes, respo: *Vitæ frugali-
tem docent. Ossa quippe & thorus herbaceus, famis
laboris dulcissima medela sunt.* Stob. ser. 38. Deinde
ravibus olim peccatoribus pro pœnitentia longin-
uæ vel etiam perpetuæ peregrinationes injunctæ,
i Conrado cuidam germano sub Ladislao Rege
ng. in vita S. Emerici 4. Nov.

3. Augent devotionem. Præsentia n. loci sancti val-
celebris vel miraculosi, aut magni alicujus Sancti,
sanctum horrorem & devotionem incutiunt non ra-
rò. Sæpe ibi corriguntur & compunguntur peccato-
res. Cujus exemplum refert Tursellinus in hist. Lau-
ret. l. 5. c. ult. de quodam flagitioso homine qui ædem
Lauretanam impudenti fastu ingressurus, divinitus
repulsus est, unde adiens Confessarium, quid sibi con-
tigisset, recensuit & confiteri cœpit: sed quia impræ-
meditato nec integrè confitebatur, dimissus à Con-
fessario, ut præmeditatus rediret, cùm hoc consilium
sperneret, iterumq; ædem intrare vellet, iterum re-
pellitur. Quare compunctus redit cum lachrymis ad
Confessarium & ex integro confitetur: tum nullo la-
bore ad ædem admissus est. Benè ergò S. Chrys. ait ho.
66. ad pop. *Futuri judicii vestigia & signa Sanctorum
ædes exhibent, ubi Dæmones flagellantur, corriguntur
homines & liberantur.*

Vidimus Auditores, orandi magistram, mulierem
Chananæam; mulierem inquam Gentilem, nō Chri-
stianam, quæ tamen, ubi audita est, beneficio oratio-
nis suæ Christiana effecta est; neq; dubium est, quin
ab eo tempore vitam instituerit Christiano homine
dignam. Et hoc unde obtinuit nisi per orationem, o-
mnibus numeris constantem? Eam igitur orandi ra-
tionem & nos imitemur; sic etiam fiet ut bene & piè
vivamus, quia non temerè dixit S. Aug. hom. 4. ex 50.
Rectè novit vivere qui rectè novit orare.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

THEMATA.

Gaudendum nobis de ascensione Christi.
Desiderium ascendendi in cœlum excitatur.
Cur ascensio Christi dicatur admirabilis.
Quatuor viæ in cælum ex monte Oliveti.
Tribus miraculis continuis cur in monte Oliveti illustrare Christus voluerit ascensionem suam.

THEMA I.

Gaudendum nobis de ascensione Christi.

Quia Dominus noster tam gloriosus ascendit in cœlum.
Quia & nos una cum illo ascendimus in spe.
Quia jam perfectius adhærere possumus Christo.
Quia jam mercedem nobis promissam cernimus.
Quia exinde cœpimus mortem non timere.

Dominus quidem Jesus, postquā locutus est eis, assumptus est in cœlum. *Marc. ult.*

QUid est Auditores, quod hodie post cantatum Evangelium, cerei Paschalis, qui à Paschate usque huc per integrum officium ardere solebat, lumen extinctum sit? An fortassis indicat, lumen nostrorum oculorum, Christum hodie per ascensum in cœlum ab oculis nostris subtractum? Ita omnino. Sic enim Evangelium prædictum loquitur ad finem: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.* At verò verbum istud & hæc cerei extinctio tristia nobis nova, non læta videntur annunciare, quasi nobis dicant: Dominus quidem Jesus subtractus est à vobis in cœlum, & lumen oculorum vestrorum extinctum est: vos igitur terricolæ in tenebris jam sedetis. Quæ ergo nobis causa lætitiæ hodierna die? Et qua ratione S. Leo Pp. serm. 1. in hod. Festum vult, *ut dignis exultemus gaudiis & pia gratiarum actione lætemur?* Videtur enim nobis dicere, quod Angelus Raphael excæcato Tobiæ dixit: *Gaudium tibi sit semper*, Cui Tobias: *Quale gau-*

le gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo , & lumen cœli non video? Tobiæ 3. Quomodo nos gaudebimus qui lumen cœli & terræ, Christum jam non amplius videmus? Verum Auditores nihil istud obstat, quo minus hodie dignis exultemus gaudiis; quando & S. Lucas capite ultimo asserit discipulos Christi, à spectaculo ascensionis ejus *cum gaudio*, & quidem *magno* regressos esse in Jerusalem. Superest ergo videre, quibus rationibus gaudere de ascensione Domini possimus.

I. Quia Dominus noster tam gloriosus ascendit in cœlum.

I. Quia hodie Dominus noster tam glorioso triumpho ascendit in cœleste regnum suum. Scimus jam cui credamus, quantus ille & quam potens Dominus sit; cœli nimirum & terræ Monarcha; prout etiam sanctus Paulus secundo Timoth. 1. ait : *Scio cui credidi &c.* Quis autem servus non gratulatur sibi, cum videt suum Dominum ad summa evectum imperia? Vidimus quidem eum cum in terris degeret, omni sapientia & virtute præditum, sed interim vili habitu & aspectu spretum à Judæis, velut reum accusatum, quod se Regem fingeret; illusum ab Herode, derisum etiam à Pilato dicente: *Ergo Rex es tu?* quasi diceret tu homo tam inops, miser, vilis? At verò hodie ostendit se revera Regem esse , nec quales sunt Reges hujus sæculi, mortales, terreni, angusti, miseriis subjecti &c. sed immortalem, æternum, universalem, omnibus imperantem, cœlestem. Quis unquam nubibus imperavit? quis in cœlum visibiliter ascendit? quis ibi thronum suum posuit, nisi Christus Dominus noster? & quem ibi jam timere potest ? imò quis ipsum non timere debet? quis in cœlum jaculari potest , & in quem ipse de cœlo jaculari non potest? Cum quis Princeps evehitur ad Imperatoriam dignitatem, evehuntur simul & aulici ejus, quia majora acquirunt stipendia, titulos, respectus, honores. Certè sub Henrico III. Imperatore Moguntiæ Pentecosten celebrante, famuli Moguntini Episcopi & Fuldensis Abbatis in templo usque ad cædes & sanguinem digladiati sunt pro honore & præcedentia suorum dominorum. Naucl. vol. 2. gener. 36. ut nimirum per heros etiam ipsi ministri magis coruscarent. Quid ergo non speramus nos à Domino nostro, evecto super omnes cœlos & super omnem potestatem? Accedit quod non tantum servi; sed & fratres ejus sumus, sic ab ipso appellati Joann. 20. *Vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum.* Scimus quanto gaudio perfusus sit Patriarcha Jacob, quando audiit filium suum Joseph non solum vivere, sed dominari velut Principem toti Ægypto. Revixit enim spiritus ejus, & dixit: *Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit.* Genesis quadragesimo quinto, quasi dicat jam nihil est, quod ulterius petam, hoc mihi instar omnium est; nec minus gaudere fratres ejus potuerunt, quando ab eo audierunt: *Quia omnes opes Ægypti vestra erunt*, eodem capite. Non poterat Joseph patri suo jam seniculo nisi ad breve tempus benefacere, multo minus vitam prorogare: nec fratribus nisi terrena bona conferre; quia non cœlo sed terræ, eique angustæ imperabat. At verò frat noster primogenitus , qui jam cœlo & terræ imp rat, vitam nobis omni ex parte beatam conferre p test. Sufficit ergo nobis , quod ipse in cœlo regn quomodo enim fratribus suis non communicabit r gnum suum ? Ipsi data est omnis potestas in cœlo in terra. In ejus vestimento (id est, Sanctis & sobo ut explicant sanctus Ambrosius, Gregorius & al scriptum est: *Rex Regum & Dominus Dominanti* Apocal. 19. quia filios suos faciet Reges, qui per ve mentum designantur juxta id Isa. 49. *Omnibus velut vestimento vestieris.* Perfectius tamen erit h gaudium , si merè & præcise gaudeamus prop Christi gloriam , quam jure merito sustulit post t iniquissima Judæorum opprobria & odia ; quan videmus jam gloriosa ejus ascensione confusos d Judæos, qui illum è medio sublatum & erasum de t ra iverant. Clamaverant illi: *Videamus si veniat E liberans illum:* Et: *si filius Dei est, descendat de cru*. Sed videte jam Judæi, non liberatum ab Elia, sed g riosius ascendentem in cœlum, quam curru igneo ptus sit Elias. Hic enim non in cœlum, sed alio; n suis sed alienis viribus abreptus est; Christus prop virtute ascendit in cœlum. Videte non jam desc dentem de Cruce, quod aliquis Samson aut Milo p tuisset , sed gradientem in multitudine virtutis s per nubes ad cœlum.

II. Quia & nos una cum illo in cœlum ascen mus. Siquidem ipse omnium electorum nomi velut eorum Legatus & Princeps hodie cœli arc occupavit , ut eam successu temporum subsecutu custodiret. Ita enim ipse prædixit Joannis deci quarto *Vado parare vobis locum.* Et: *si abiero & pra ravero vobis locum, iterum veniam & accipiam ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis.* Accedit Ap stolus ad Ephesios 2. *Consedere nos fecit in Christ cœlestibus :* nos adhuc viventes in spe, mortuos e ctos in re. Et sanctus Leo sermone primo de Asce sione. *Hodie non solum paradisi possessores firmati mus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetra mus.* Quando Dominus aliquis præmittit s vum suum in templum, ut ipsi sedem aliquam occ pet brevi secuturo, verè dicere potest, se in temp sedem habere. Quando exercitus oppugnans ci tatem videt jam Ducem suum cum multis aliis co militonibus stantem , supra muros & vexillum a tantem , etiam qui adhuc foris pugnant se vicisse civitatem expugnasse clamant. Scimus jam D cem nostrum cœli mœnia conscendisse , & post sum tot milliones Sanctorum subsecutos esse , c igitur non dicamus nos cœlum occupasse ? Pu nandum quidem nobis , qui adhuc in terra sumu sed confidimus nos cum Duce nostro brevi ibi fut ros, ubi ipse est. Godefridus Bullionius ubi p mus feria sexta & hora nona , qua Christus pass fuerat, muros Jerosolymæ conscendit , reliquo e ercitui suo portas urbis aperuit cumque intromis

V

...videratis paulò ante, cùm ab assultu repulsus esset ...c fatigato militi quietem dedisset, hominem igno...um supra montem Oliveti clypeum agitantem eo...ue signo monentem, ut nostri resumptis animis de...uo assultum facerent, fore ut jam urbe potirentur, ...ti factum. Christus jam in cœlo quasi clypeum a...itat & nos ad pugnam adhortatur. Quis non bene ...eret de victoria obtinenda? Ac licet pugna hæc dif...cultate non careat; & subinde succumbamus, non ...men animus despondendus, sed potius redinte...andum prælium, & si primo assultu non vicimus, ...ncemus, secundo: si secundus non successit, succedet ...rtius.

III. Quia jam perfectius Christo adhærere pos...mus, quam si in terris visibiliter nobiscum perman...sset. Hac enim de causa putant sanctus Augustinus ...ctatu decimo tertio in Joannem, Gregorius octavo ...oralium capite nonagesimo quarto, & Bernhardus ...hristum dixisse Joannis decimo sexto. *Expedit vo...ut ego vadam*; scilicet in cœlum; quia Apostoli dū ...esentem cernebant Christi humanitatem, ei soli ...ærebant ob præclarissimas virtutes in ea resplen...ntes: cum tamen inde ad divinitatem ejus transire ...ue potissimum per amorem adhærere debuissent. ...o etiam sensu sanctus Leo sermone secunda de A...nsione vult dixisse Christum Magdalenæ: *Noli me ...gere, nondum enim ascendi ad patrem meum*, hoc inquit, *nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me ...u carnis cognoscas. Ad sublimiora te differo, majora præparo: cum ad patrem ascendero; tunc me perfe...s veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis reditura quod non cernis*. hac de causa etiam spon...ostquam diu sponsum quæsivisset solicitè cumq; ...ulcissime conversata fuisset, ad extremum ita ...dit totam conversationem suam, Cantic. ultimo. ...*e dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum ...r montes aromatum*. Cur ad extremum fugere ju...quem tot suspiriis quæsivisti? Quia ejus absentia ...or ei, quam præsentia erat. Quod si visibilis Chri...præsentia & cum Apostolis conversatio impedi...tum aliquod perfectionis erat, fuissetque nobis, si ...scum in terris visibilis remansisset, quid erit con...atio periculosa & familiaris nimis cum creaturis, ...tem ad se rapientibus & à Deo prorsus avocanti...cum creaturis illecebrosis cum hominibus per...s? Quomodo illi poterunt Deum syncerè dilige...qui amore implicantur liberorum, pecuniarum, ...ptatum, honorum? Accedit quod majoris meriti Christum, quem non videmus, credere eumque ...ere, quam si in terris nobiscum remansisset, ut di...ipra sanctus Leo, *Beati* enim (magis) *qui non vi...nt & crediderunt*. Plus namque honoramus vi...gravem, si nudis ejus verbis fidem demus, quam quæ dixit, ad oculum nobis demonstrari peta... Hoc est quod extollit sanctus Petrus epistola 1. ...e illis verbis: *Quem cum non videritis, diligitis: ...em nunc quoque non videntes creditis*. In quem locum Oecumenius ait: *Si enim oculis carnis ipsum non intuiti, ex sola auditione amatis, considerate, quantum amorem, ubi eum videritis, præ vobis feretis: præsertim cum in gloria vobis revelabitur. Si enim passio ejus ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est?*

IV. Quia jam mercedem nobis promissam cernimus.

IV. Quia jam finem laborum nostrorum & mercedem nobis promissam, quæ est ascensus in cœlum, similis conscensui Christi, quasi à longè aspicimus. Idcirco enim ipse videntibus discipulis ascendit, idcirco vestigia sua loco, unde ascendit, impressa reliquit; idcirco viam, qua per aerem ascendit claudi nunquam permisit, uti scribit sanctus Hieronymus de locis Hebræis ex Actis Apostolorum. Ecce enim Christus, qui in hoc mundo asperam, pauperem & laboribus plenam vitam egit, quam gloriosum finem sortitus est? Bene veteres virtutem per palmam expressere; quia infra scabra & ascensu perdifficilis est: superne verò speciosa, dilatans comas & ramos suos. Talis fuit vita Christi, prius spinosa & nuda in terris, postea gloriosa in cœlis. Unde ait Canticorum septimo. *Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus*. Fœlices ergo sunt, qui Christum imitantes, duram ac laboriosam virtutis viam sectantur; quia in fine vitæ gloriosam ejus mercedem invenient. Solent Chiromantici ex manuum liniamentis divinare, quid cuique eventurum sit. Ausim & ego non temere divinare vobis Auditores, qualem aliquando vitæ clausulam sortituri sitis, si inspexero manus vestras. Qua ratione? dicetis. Si piis & sanctis laboribus attritas habueritis, gloriosi aliquando cum Christo Duce vestro ad cœlum ascendetis; sin verò delicatas & his laboribus inassuetas, cœlo excludemini. Olim candidatus quidam Scipio Nasica in ædilitatis petitione adolescentulus cum competitore descenderat; hujus ergo manus cum rustico opere duratas & callosas tetigisset, interrogavit: num manibus ambulare consuesset. Quod ut populo innotuit, repulsam Scipio passus est, quod ipse delicatulus hominem agricolam sprevisse visus esset. Valerius libro septimo capite quinto, Non aliter continget ei, qui molles & operibus insuetas demonstrarit manus in mortis articulo. Repulsam enim patietur. Qui vero callosas produxerit, gloria cœlesti dignus censebitur. Quo videtur spectare illud Ehu: *Deus in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, Job. 37.

V. Quia exinde cœpimus mortem non timere.

V. Quia ex hoc tempore cœpimus mortem non metuere, sed potius desiderare, ut cum Christo simus ubi ipse est in cœlo. Si in terris remansisset, cum ipso hic manere cuperemus, mori nemo vellet: at quia nunc per mortem ad ipsum imus, quis mori trepidat? Eò igitur anhelabat, eo suspirabat toties Paulus dicens: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo*. Et iterum: *Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Similiter Joannes

Apo-

Apoſt. ait: *Veni Domine Ieſu.* Apocalyp. ult. Ejus diſcipulus S. Ignat. ad leones pergens: *Tota tormẽta Diaboli in me veniant, tantum Chriſto fruar.* Soli improbi mortem timent, qui non ſciunt, vel non amant Chriſtum. Jacob quando audiit filium ſuum Joſeph dominantem in Ægypto, ſine mora terram, domum & fundos ſuos hilariter deſeruit, ut videret filium: *Vadam & videbo filium meum.* Et ubi eum vidit: *Iam lætus,* inquit, *moriar,* Geneſ. 46. Nos qui ſcimus Chriſtum dominari in toto cœlo, quomodo non libenter derelicto mundo dicemus: *Iam lætus morior?* Ad ipſum enim pergimus: ipſe locum in cœlo omniaque bona nobis jam paravit. S. Guthbert, Epiſc. Lindisfarnenſis ut ſcribit Venerabilis Beda in ejus vita cap. 12. cùm aliquando in longinquo itinere non haberet diverſorium, ubi maneret & reficeretur cum Comite ſolicito de hoſpitio & refectione, juſſit illum bono animo eſſe, ſurſumq; aſpiciens dixit: *Vides aquilam illam in altum volantem? Illa nobis hoſpitis præbebit officium,* mox in flumen devolans aquila, captum piſcem permiſit Guthberto & ſocio. Longinquo itinere ad cœlum imus, verum ſi Chriſti ſervi ſumus, de hoſpitio ne ſolliciti ſimus. Vides Chriſtum in cœlum volantem? Ille nobis hoſpitium & cibum parabit: ille hoſpitis officium exhibebit: *Amen dico vobis, quia accinget ſe & faciet* nos *diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit* nobis. Jam nunc hoc obſequium præſtat Sanctis, qui ſunt in cælo: jam cum illis nuptiale ſuum convivium celebrat. Igitur *Gaudeamus & exultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni* Apoc. 19.

Trip. in hoc F. G.

THEMA II.

Deſiderium aſcendendi in cœlum excitatur.

1. *Ex aſpectu cœli.*
2. *Ex cœleſtium bonorum copia promiſſa.*
3. *Ex jure patriæ & municipatus noſtri.*
4. *Ex Chriſti videndi deſiderio.*

Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Act. 1.

Excogitarunt Mathematici (Cardanus libro 17. de ſubtilitate rerum, mihi pag. 872.) tale inſtrumentum, quo ſeipſum quis trahere ſurſum in quamcumque altitudinem turrium poteſt, fune ſuperne ad trochleam appenſo & ex adverſa funis parte pondere paulò leviore, quam ſit ipſe homo, alligato. Nemo Chriſtianorum eſſe debet, qui non ſummis votis deſideret poſt Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum ad cœlos aſcendere. Qui enim hoc non deſiderat, civis cœli non eſt, cæloq; indignus eſt, ut qui luculentum dat indicium ſe huic terræ affixum atque addictum eſſe & cœleſtia non curare. Sed quo inſtrumento, dicet aliquis, qua machina, quibus funibus ad cœli deſiderium nos elibrabimus? Funiculis utemu[r] de quibus Oſeæ undecimo ait Dominus: *In funicu[lis] Adam traham eos.* Hi, judicio meo, fuerunt freque[n]tes imo juges meditationes præſentis exilii, in qu[o] ejectus erat Adam, & poſſeſſi prius paradiſi, in quo [o]mnibus deliciis circumfluebat, quæ utique Adam[um] traxerunt ad pœnitentiam & cœleſtis patriæ deſid[e]rium. His ergo funiculis Adami & nos utemur, [&] ſpreto hoc exilio in patriam aſpiremus. Atque imp[ri]mis trahit nos.

I. Cœli ipſius aſpectus, quod haud dubie ide[o] co Deus in conſpectu noſtro poſuit & tam pulch[ris] exornavit luminibus, ut eo aſpiremus, ejusque con[ſi]deratione terram velut luteam deſpiciamus; [quo]modo merces peregrinæ & pretioſæ idcirco in fo[ro] omnibus ſpectandæ proponuntur, ut emantur. Ibi [er]go regio ampliſſima & pene immenſa: hic quid [ni] maximæ anguſtiæ? Eccur enim tot undequaque l[i]s propter unum agrum ac fere unum ceſpitem, quia ſumus vaſa, quæ faciunt ſibi invicem anguſt[ias], (ait S. Auguſt. ſer. 10. de verb. Domini.) quomodo domo figuli, ubi unum alteri incumbens id premi[t] confringit. Hinc neceſſe ut bella, fames, peſtes ſub[in]de ſtragem hominum edant, tametſi miſerabil[es] ut cæteri, unde vivant habeant. Quoties contin[git] ut quis ex una domo in aliam migret, ſolum qui[a] lius anguſtias ferre non poteſt? Terra hæc anguſ[tiſ]ſima eſt, cœlum autem ampliſſimum. Audi teſ[tem] Baruch: *O Iſrael quam magna eſt Domus Domini!* c. 3. Ibi regio ſemper luciddiſſima, nullas unquam adm[it]tens tenebras, quia *civitas non eget Sole neque Lun[a ut] luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam & [lu]cerna ejus eſt Agnus,* inquit Joann. Apoc. 21. Non [er]go lux ibi morti & viciſſitudini obnoxia, qualis eſt [So]lis & Lunæ, ſed ſtabilis & perpetua. Claritas Dei q[ua]ſi Sol, humanitas Chriſti quaſi Luna eſt. Hic noct[em] luminibus illuſtrare, de die etiam perſpiciliis [ple]raro uti cogimur, interim adhuc in quam pluri[mis] cæcutimus. Nihil horum ibi neceſſarium. Jam [ſi] domo lucida cupimus habitare, ad cælum aſpirem[us]. Ita David pſalmo centeſimo decimo nono. *Heu m[ihi] quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum [ha]bitantibus Cedar.* hoc eſt, in tenebris, præſertim in[tel]lectus. Ibi regio eſt ſtabiliſſima, quemadmodum [i]pſum cœlum ſolidiſſimum, motum habens ſtabili[ſſi]mum, à tot ſæculis invariatum, & ne una quidem ſ[tel]lula immutatum. Unde bene Joannes loco cit. de[ip]ſo ait: *Civitas in quadro* (quæ eſt figura ſtabiliſſim[a]) *poſita eſt:* Et qualis eſt ſtructura, talia ſunt & cætera [ple]na in ea contenta. Unde exclamat Auguſt. in S[oli]loquiis capit. 35. *O regnum beatitudinis ſempiter[næ], ubi juventus nunquam ſeneſcit: ubi decor nunqu[am] palleſcit: ubi amor nunquam tepeſcit: ubi ſanitas n[un]quam marceſſit: ubi gaudium nunquam decreſcit: [ubi] vita terminum neſcit!* Hic quid ſtabile habemus? [Cu]mus noſtræ terreæ, corpora terrena, ſubſtantia t[er]rena eſt, & cum partis bonis frui volumus, cogim[ur] migrare. Jam ſi è domo ruinoſa fugiunt mure[s]

hiru[ndines]

hirundines, teste Solino & Plinio l. 10. c. 23. quis non libenter emigret è mundo hoc ruinas undiq; minante? Ibi regio pacatissima, quam nullus ingredi inimicus, nullus turbare casus, nullus infestare hostis potest. Quod indicavit Dominus, cum post resurrectionem discipulis in mari fluctuantibus ipse in littore stetit. Joan. 21. Hic quasi in mari, perpetuis tempestatibus, tentationum & persecutionum fluctibus jactamur; jam hinc jam illinc lacessimur & vellicamur: nihil horum ibi; sed pax summa & summa quies. Nemo libenter incolit domum tumultuosam, aut tempestatibus, ventis, imbribus, nivibus perviam. Terra talis est, cœlum verò nunquam.

II. Eò trahunt nos cœlestium bonorum affluentiæ, quæ in cor hominis non ascenderunt; de quibus id unum in præsens sufficere potest, quod ait S. Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 25. *Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora: propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ plenæ deliciis & circumstantia temporalium bonorum rectè meritoq; contemnerent. Non enim falsò aut parvo affectu dictum est Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Psal. 83. S. Nicol. Tolentinas exiguum aliquem prægustum cœlestium gaudiorum hausit in terra, nam *ante suum obitum mensibus sex qualibet nocte ante preces nocturnas auribus suis cantiones audivit Angelicas longè suavissimas, adeoq; delectabiles, ut diceret: Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Ita auctor vitæ apud Sur. 10. Sept. Quid erunt reliqua gaudia & bona illius patriæ? At verò in hoc mundo quæ gaudia? nonne inania omnia, impura & fugacia sunt? quanta bonorum indigentia? Alius vellet hæc & hæc, non habet unde emat: alius habet pecuniam, non invenit, quod emere cupit. Vulgo dicitur Norimbergæ reperiri omnia venalia. Sed quam vanè! ubi illic medicamentum contra lepram, podagram, mortem? Ubi divitiæ & deliciæ Indorum, apparatus Persici &c? In cœlo sunt omnia & prostant gratis, sine pretio.

III. Eò trahit patria nostra, ad quam inhabitandam creati & vocati sumus. Quis autem est in exilio vel peregrino solo, qui patriam non desideret? præsertim si cui extra male est. Bestiæ ad nativas suas latebras recurrunt: aviculæ suos nidos repetunt, & si capiantur innatam sibi libertatem quærunt inquietæ semper in caveis. Ad sua centra elementa magno impetu revertuntur; ad mare flumina veluti ad fontem. Atqui animus noster è cœlo oriundus, in terra inquilinus est. Quin etiam si cui extra patriam bene est, patria tamen optatior est, uti docet Adam ille Idumæus è regio semine adolescens, qui Joabi metu profugus in Ægyptum, cum ibidem à Pharaone blandissimè haberetur, ubi inaudiit patriam suam jam hostili metu liberatam omnibus modis institit apud Regem, ut redire sibi in patriam liceret; neque ab hoc desiderio valuere eum retrahere omnes Ægypti deliciæ ac Regis blanditiæ. 3. Regum 11. Qua igitur ratione fieri potest, ut homo non aspiret, non totis artubus anhelet ad cœlestem suam patriam, qui in hoc exilio tam malè habetur? tam variè affligitur? Quis enim hic sua sorte ita contentus est, ut non aliam desideret meliorem?

IV. Eò trahit summus noster thesaurus & deliciæ orbis, Christus Dominus noster; ubi est enim thesaurus noster, ibi & cor ac desiderium nostrum. Defer alicujus avari thesaurum & sepeli in agrum, ibi habebit cor & cogitationes suas: defer inde in curiam, illuc etiam convertet cor suum, non secus ac magnetica acus convertit se ad ferrum, quocunque loco id ponatur. Jam vero thesaurus noster Christus ubi, nisi in cœlo est? qui & propterea in conspectu suorum fidelium elevatus est in cœlum, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & ante eos volitans* (Deuter. 32.) ut ad evolandum ex hoc mundo & corpore nostro nos invitaret. Hinc S. Bern. ser. 2. de ascensione ait: *Quæramus quæ sursum sunt; quia illic profectò thesaurus noster est Iesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* ad Coloss. 2. Scimus ad sapientissimum Salomonem videndum & audiendum venisse è remotissima regione Reginam Saba 3. Regum 10. Scimus aliquos Philosophos peragrasse longinqua terrarum spatia, ut Sapientem aliquem insignem coram audirent. Quis autem sapientior ipsa Dei sapientia, Christo? Moysis adhuc pueruli pulchritudinem ut spectarent Ægyptii, abjectis seriis negotiis abierunt qua ipse prætenbat, teste Josepho lib. 2. Antiq. cap. 5. Atqui in Christo glorioso tanta est pulchritudo, ut si omnium stellarum fulgor, omnium florum venustas, omnium gemmarum elegantia in unum confluerent, ad ipsum collata velut nix coram Sole colliquescerent. Si virtutum splendor homines ad se trahit, veluti in S. Antonio, ut Alexandrini aliique longè positi in solitudinem ad ipsum spectandum abirent, & Imperatores vel acceptis ab eo literulis summè sibi gratularentur; in Christo Domino inhabitat omnis omnium virtutum plenitudo, gratia & decor. Si magnopere desideramus videre parentes nostros, multo tempore non visos: vel etiam insignes benefactores, uti Ottonem Imperatorem milites, sanctum Nicolaum civis ille ter ab eo injecta auri massa donatus: Christus Dominus est summus benefactor & parens noster, à quo omnia accepimus. Si denique eos, quos maxime amamus, uti Jacob filium Josephum; si illum, qui è summo discrimine nos eripuit, uti Maximilianus primus Imp. juvenem, cujus opera è præcipitio ereptus fuit: si inquam illos, quos summo desiderio noscere cupimus: Quis major noster amator, quam Dei filius, qui pro nobis animam suam posuit? *qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam,* inquit Apostolus ad Galat. 1.

IV.
Ex Christi videndi desiderio.

Quid autem desiderabilius excogitari potest, quam hæc omnia adeoque totius divinitatis plenitudinem videre simul collecta in uno homine, nobis simili & fratre nostro Christo, nostri amantissimo.

Sed quid est Auditores, quod nos miseri mortales, ad hanc ascensionem ex hoc mundi ergastulo tam frigide anhelemus? imo plerique ferè emigrare trepidens

dent ac refugiant? Nimirum quia miserias nostri carceris & exilii, patriæque nostræ fœlicitatem non expendimus, non cognoscimus. Quemadmodum n. unus aliquis in sylva Carbonarius, fumoso in tuguriolo habitans & à puero innatus, præfert illud suum antrum Principum palatiis, quia hæc nunquam vidit; ita nos carceres nostros, quos incolimus, stellatis cœli regionibus miseri anteponimus, & nostras oblectatiunculas cœlestibus illis deliciis. Sic cœlum amittimus & terram non retinemus. At verò nonne ad fidem dictis habendam de cœlesti nostra patria, satis nobis esse deberent matris nostræ Ecclesiæ testimonia, quæ in tot millibus piis filiis suis eo aspirat semper & modis omnibus contendit? Eorum alii infinito numero tradiderunt corpora sua tyrannis excarnificanda: alii relictis omnibus è mundo exierunt & eremos incoluerunt summa in paupertate & ærumna: alii innumeri monasteriis se incluserunt : alii seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Quid hæc omnia causavit nisi ardens desiderium cœlestis patriæ? Et gemit adhuc continuò Ecclesia, quod tam multi ejus filij præsentibus inescati, nihil de cœlo cogitent. Quam rem insigni parabola expressit S. Bernh. in ser. de primordiis, mediis & novissimis nostris, *Quid hic,* inquit, *nisi labor & dolor & afflictio spiritus? sed nunc ita contingit tibi ac si puer in carcere natus sit & in carcere sit nutritus, & quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia & anxietate matris suæ. Illa enim scit unde doleat, & quia novit bona, graviora sunt ei mala, & recordatione pacis amaritudo ejus amarissima est. Tibi magna bona videntur minora mala, & præ majoribus compedibus, quibus assuetus es, minores annulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Vtrumq; labor est, sed quia fames gravior magis, comedere n. scis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere, quam esurire. Sic se habent universa sub Sole.*

Hi sũt funiculi, qui si fortiter apprehendantur, evehere nos poterunt ad Christum, thesaurum nostrũ, in cœlis repositum; præsertim si ad horum piam meditationem accedat fervens oratio , qualem adhibuit Sponsa Canticorum 1. dicens: *Trahe me post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ubi S Bernh. ser. 21. *Trahe,* inquit, *quodammodò invitam, ut facias voluntariam ; trahe torpentem, ut reddas currentem.*

* *
*

THEMA III.

Cur Ascensio Christi dicatur admirabilis

1. *Quia triumphus tam gloriosus coram paucis exhibitus.*
2. *Quia ascendit ex monte Oliveti, è quo prius detractus fuit ad crucem.*
3. *Quia corpus Christi prius deformatum, nunc evectum supra Angelos.*
4. *Quia pater amantissimus discedit à filiis gaudentibus.*
5. *Quia ita à nobis discessit, ut interim nobiscum maneret.*
6. *Quia corpore levissimo vestigia impressit lapidi*

Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. Mar. ult.

MIranda quidem sunt omnia Christi gesta, ma[...]nalia & mysteria: unum tamen ex omnibus v[...]lut maximè mirandum prædicat Ecclesia & appel[...] *admirabile:* ascensionem ejus in cœlum. Ita n. in Lit[...]nis orat: *Per admirabilem ascensionem tuam libera n[...] Domine.* Admirabilis sanè fuit Christi ex Virgine c[...]ceptio & incarnatio: admirabilis ejus nativitas, adm[...]rabilis Epiphania: admirabilis vita, doctrina & mir[...]cula; admirabilis Eucharistiæ institutio : admirabil[...] resurrectio; in his tamen ab Ecclesia admirabilis ap[...]pellatur sola ascensio quam etiam ipse Dominus ma[...]gis admirandam fore, quam Eucharistiæ institution[...] insinuavit Joan. 6. dicens incredulis : *Hoc vos scanda[...]lizat. Si ergo videritis filium hominis ascendentem, u[...]bi erat prius:* q. d. majus vobis miraculum ostendam & signum meæ potentiæ, in ascensione mea. Et san[...] quid hac mirabilius? Ascendit caro humana ad Ange[...]los: sine curru, sine equis: non ambulat, non volat, no[...] vehitur, non equitat, & tamen ascendit per immens[...] cœlorum spatia: ex quo etiam à discipulis videri am[...]plius non poterat, ascendit in ictu oculi , penetravi[...] quoque & reseravit oculos, solidissime clausos, sin[...] clavibus & arietibus: duxit insuper secum ingentem beatorum exercitum, quotquot ex V. T. electi erant. Magna quidem & mirabilia sunt ista; sed potentiæ divinæ nihil admirabile, quia nihil difficile. Magis multo miranda est Christi ascensio, qua instruit ad virtutem, quod nunc videbimus.

I. Admirabilis est, quia triumphus tam gloriosus & inauditus, coram tam paucis testibus exhibitus est, nimirum coram Apostolis & paucis aliis Christi amicis in loco solitario: cum tamen ejus passio & crucifixio, in urbe omnium celeberrima & coram ingenti populo, ipso sic volente, peracta sit. Quæ ergo gloriæ sunt paucissimis ostendit, quæ ignominiæ quam plurimis. Nonne hoc mirandum & contra hominum aliorum consuetudinem est, qui turpitudinem & vilitatem suã tegere, gloriam vero ostentare omnibus viribus conantur? Trahimus vitium istud à primis nostris parẽ-

ibus; quos imitatus est Pharisæus in templo orans, Lu.18, qui habebat utiq; peccata, sed ea reticebat, bona opera duntaxat sua ostentabat. *Erat enim* inquit D. Aug in ps.31.tr.2 *tanquam in statione Medici curādus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat.* Non ita Christi imitatores; sed peccata & defectus suos fatentur, bona sua tegunt: sicut prudentes viatores, qui aurum abscondunt quantum possunt, in tibialia vel calceos: Vestes autem laceras induunt, quo prædonum manus evadant. Ita S Eduardus Angliæ Rex visionem & benedictionem Christi quam sub sacro acceperat, nemini aperuit, nec ab eo qui simul aderat, aperiri voluit, usque ad mortem. Econtra non erubuit per publicam viam gestare in humeris claudum. Ut in ejus vita 5. Jan. Docuit etiam nos, ut in bonis nostris actibus solo Dei & conscientiæ testimonio contenti simus, quæ magna & solida gloria est, mundi verò gloriam negligamus. Sic egit Abraham, quando heroicum illud facinus immolationis filii sui edere voluit: *De nocte* enim *consurgens stravit asinum suum* cum dimisit omnes, dixitq; ad pueros suos: *Exspectate hic cum asino*, & ipsum filium oneravit lignis ut solus in recessu alti montis nullo teste opus id perageret. Sufficiebat enim ipsi, quod Deus id aspiceret. Unde montem illum appellavit, *Dominus videt* aut *videbit*, Gen. 22. q.d. videt Dominus sacrificium Abrahæ licet nemo alius videat.

II. Quia ascensio ista facta est ex monte Oliveti, ex quo antea detractus fuit Christus ad crucem & sepulchrum: quid hac re mirabilius? ex eodem monte descendere ad summam crucis ignominiam, & ascendere ad summam cœli gloriam? Quis non dixisset Christo: Domine paulo ante in monte hoc sanguinem fudisti, proditus, captus, & ad mortem abductus es: & iterum vadis illuc? & per illum ad cœlum ibis? via hæc ad mortem ducit, non ad cœlum. In horto Oliveti quid quæso reperit Christus nisi tristitiam, sudorem, sanguinem, calicem passionis, osculum Judæ, vincula & captivitatem? Hæccine sunt scala cœli? flores gloriæ? Sunt omninò. Quisquis ergo ad cœlestem gloriam cupit ascendere, prius conetur descendere ad crucem & tribulationē: quisquis fructū gaudii legere, flores tristitiæ prius edere. Unde Apost, ad Eph 4. de Christo ait. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit?* Descendit prius de cœlo in terram: post de monte Oliveti in sepulchrum & limbum: hinc ergo rursum ascendit in cœlum: sicut pila impetu projecta in terram, resilit in altum. Refert Plinius l.33. c. 9. in locis fulmine tactis reperiri gemmas, quæ *ceraunia* seu *fulminea* appellantur & summa diligentia à Parthorum Regibus conquiruntur. Nonne tibi videtur ejusmodi locus esse mons Oliveti? nonne fulmen in illum incidit quando calix passionis Christo etiam nauseanti propinatus est, & irrefragabilis moriendi necessitas a patre insinuata est? Verum ex isto fulmine pretiosa gemma enata est, summo studio a Christo quæsita: dextera patris ad quam inde ascendit. Sic Pincerna Pharaonis ex eodem carcere evectus est ad dignitatem pristinam, ex quo pistor ejusdem detractus est ad furcam. Gen. 40.

III. Quia corpus Christi prius deformatum nunc evectum supra Angelos.

III. Quia in eo corpus Christi, quod in cruce deformatum fuit, & in sepulchro lividum, vulneribus plenum & enectum jacuit, hodie evectum est, imo evolavit supra omnes Angelos ad cœlorum fastigium. Quid hac re mirabilius? quis enim vidit vel audivit volare in altum corpus humanum: cum ex natura sua grave tendat deorsum? Certè etiam ipsos Angelos rem hanc miratos esse scribit sanctus Ambrosius lib. 4. de fide sanctæ Trinitatis capite primo, & indicat Psalmus vigesimus tertius introducens Christum cæli fores pulsantem: *Attollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ*, *interrogant enim Angeli: Quis est iste Rex gloriæ?* Et rursum Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ?* Edom *rufum:* Bosra civitas Idumeæ, *vindemiam* significat. Volunt ergo dicere Angeli: Quis est iste, qui incedit veste sanguine cruentata, quasi vino rubro in torculari perfusus? uti mox explicat Isaias Sed ne miremini Angeli: hac ipsa enim de causa, quia vestem carnis suæ tinxit sanguine in passione sua, idcircò nunc ad vos & supra vos ascendit, velut victor mortis. Magnum certè & stupendum est, carnem evolare in cœlum, & ad cœlestes spiritus, imò & supra illos. Hoc nimirum in Christo consecuta est, & consequetur in electis; quia simul cum anima militavit, simul cum anima passa est & sanguinem fudit, quod Angeli non potuerunt. Quemadmodum enim cum domino in aulam Imperatoris admittitur ejus famulus, sic ad aulam cœlestem corpus cum anima, cui fideliter servivit. Caro velut armiger Jonatham (primo Regum decimo quarto,) strenue secuta est ascendentem in montem & pugnātem in Philisthæos: gestavit arma spiritus, jejunia, temperantiam, sobrietatem, castitatem; pugnavit unà cum ipso orando, genua flectendo, manus erigendo, vigilādo, peregrinando; verbera, cilicia, sitim, æstum, frigus perferendo; vulnera, tormenta, supplicia sustinendo. Quid ergo mirum si armiger cum Jonatha, famulus cum hero cœli aulam ingrediatur, & quandoque Angelos transcendat, qui talia facere nequeunt? Unde sic loquetur ad Deum anima fidelis: Suscipe me Domine geminum animæ carnisque servitium. Te jubente & adjuvante in illo sæculo communem hostem communi intentione divicimus: habet itaque speciales fructus & fragilitas corporis mei. Ego intellectu, discretione, consilio spiritualiter contra adversarios steti: caro hæc corporaliter operis sudore, sobrietate & jejunio dimicavit. Ego quidem huic fidem, quam dederas, tradidi, sed contra impugnantia blandimenta virtutem de ejus abstinentia & contritione mutuata sum, In commune laboravimus, sit commune quod tribues &c. Ita loquitur & hac de re discurrit Eusebius Gallicanus hom. 1. de Ascens. tom. 5. Biblioth. SS. Pp. Sed jam videant illi, qui ita blandiuntur carni suæ, ut ab omni onere exem-

exemptam esse velint. Orare subinde volunt, sed per commodè sedendo, nec nisi aura temperata & tempore sibi placito. Dare eleemosynas volunt, debita remittere, ægros solari, errantes corrigere: sed carnem onerare jejunio, vigilia, cilicio aliave molestia, absit, absit. Quomodo ergo præmiabitur caro, si non pugnaverit? quis tam pigram carnem evehet in cœlum? Strages illa quam una cum armigero suo edidit Jonathas inter Philisthæos, visa est velut miraculum à Deo, ut eo loco dicitur. Habent etiam SS. Angeli pro ingenti miraculo quod anima humana corpore adjuta, tantam de carne, mundo, Dæmone, obtinere victoriam possit, unde suo consortio dignissimam esse judicant & carnem & animam.

IV. *Quia pater amantissimus discedit à filiis gaudentibus.*

IV Quia in hac Ascensione Pater amantissimus & deliciosissimus discedit à filiis, & tamen filii gaudent. Ita n. habet. Lucæ capite 24. *Recessit ab eis & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Certe prius ægrè separabantur a Christo vel ad mod. cum temporis spatium, quomodo ergo nunc separati per totam reliquam vitam, discedunt ab eo cum gaudio magno? Nimirum quia Christum, quem plusquam se amabant, viderunt tam glorioso triumpho pergere in gloriam suam: & se non ita multo post eum secuturos simili triumpho. Hoc est discrimen inter pios & impios, Dei & mundi servos; quod illi in vita gemunt, in morte canunt: hi in vita canunt, sed in morte gemunt. Ferunt Sirenes, piscium genus, forma mulieribus non absimili, cujusmodi in India captas complures scribit noster Sacchin. in Lamio libro 2 in vita suaviter canere: at in more lamentari ac gemere, (ut confirmat Conr. Gesn. lib. 4. de aquatilib. testimonio Germanorum, qui ejusmodi captas viderunt & morientes velut ægrotos lamentari ac gemere audierunt) ob amarum sanguinem, qui in cor morientium se recipiens tristem causet sonum. Contra cygnus gemit in vita, suaviter autem in morte canit sanguine dulci, qui remanet, in cor velut castellum se recipiente. Sirenibus similes sunt mundi amatores, qui in hujus vitæ voluptatibus absumunt dulcem sanguinem suum, in morte gemunt nihil habētes solatii de vita benè peracta. At vero servi Dei in mundo quidem tristitiam habent. *Mundus gaudebit*, ait Dominus; *vos vero contristabimini*: verum in morte sua suavissimè cantabunt, dum dulcis ille bonæ conscientiæ sanguis recipiet se in cor eorum & spem mercedis æternæ. Siren fuit Antiochus ille Rex impius & Hebræorum persecutor, qui moriens gemebat: *Recessit somnus ab oculis meis & concidi, & corrui præ sollicitudine: & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui jucundus eram & dilectus in potestate mea! Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, &c. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena*, 1. Machab. 6. Similiter Henr. 8. Angl. Rex, Schismaticus & immensi sanguinis innocentis fusor, tot Episcopor. religiosor. sacerdotum & aliorum Catholicorum, cui morienti monachi expulsi & occisi ante oculos obversabantur, ita ut ex eo crebrò appellare audiretur; haud dubie ab ipsis aliisq; coram Dei tribunali accusatus. Florimundus libro 6. de ortu hæres. Idem de Cambyse Persarum Rege refert Herodot. l. 3. Cum n. suo ipsius gladio saucius in Ecbatanis Syriæ sibi moriendum esse videret, deflevit omnem suam conditionem, & sera pœnitentia scelerum subiit, quod fratrem Smerdem interfecisset, germanam sororem sustulisset, Apim vulnerasset, Prexaspis filium sagitta interfecisset, multos denique Persarum procerum injustè occidisset. Persæ ut Regem lamentantem conspexere, universi vestimenta resciderunt & cum insano homine insaniverunt Cum Saul requireret asinas suas, nec inveniret, dixit illi Samuel, juxta sepulchrum Rachel ipsum intellecturum, ubi sint ejus asinæ, 1. Regum 10. Multi in vita sua nequeunt invenire peccata in conscientia sua: juxta sepulchrum invenient. Contra Dei servi gaudio replentur in morte, dulci vitæ piè peractæ recordatione, unde cupiunt dissolvi & dolent hic se diutius detineri. Qualis inter alios S. Antonius qui audiens à Paulo Eremita, ipsum mox è vita migraturum, flevit rogans ut se comitem itineris acciperet, teste Hieron. in vita Pauli. S. Monica filio August. jam converso, cœli cupida dicebat: *Fili quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc & cur hic sim nescio Quid hic facio?* August. lib. 9. Confess. c. 10. Denique si in morte justorum quempiam flere oportet, solum Diabolum oportet. *Ille igitur pectus pugnis tundat*, inquit S. Chrysost. hom. 32. in Matt. *quia tentandi ipsos occasionem amisit.*

V. Quia ita à nobis abiit, ut interim nobiscum maneret. Ita enim ipse paulò ante discessum suum: *Ecce ego vobiscum sum*, inquit, *omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Mat. 28. Quod non solum verum est de præsentia spirituali, qua per directionem & opitulationem nobis semper adest, sed etiam de præsentia corporali in S. Eucharistia. Certabant in Christo amor triumphantis & militantis Ecclesiæ, quarum utraq; postulabat eum sibi præsentem. Itaq; ut ipse utriq; satisfaceret; triumphanti se donavit ad gloriam & gaudium: militanti ad meritum & solatium; illi se visibilem, huic invisibilem exhibens: ut hæc ambulans per fidem, pertingeret ad illam.

VI. Quia corpus Christi ascendentis, tametsi ex dote gloriosa levissimum esset, terræ tamen in qua stetit, vestigia sua impressit atque impressa reliquit, ut testatur S. Hier. in locis Hebr. & S. Paulin. ep. ad Severum 2. & alii, ita ut in hodierno die visantur, nec eradi queant. Quid autem vult sibi hoc? Justi cum moriuntur, relinquunt post se virtutum vestigia, nūquam intermoritura, & memoriam indelebilem: impii vero nequaquam. Quis enim jam æstimat Reges hujus sæculi, reprobos; quantumvis opibus & robore præcellentes? quis non eos vituperat & spernit? At verò piorum virtutibus libri pleni sunt: eorū reliquiis gaudet & gloriatur Ecclesia: eorundem memoria

magno

magno cum honore celebratur. Unicum hoc dicam: articulam foleæ unius calceamenti, quod geftavit S. Franc. reverenter & inftanter petiit fibi dari Phil.2. Hifp. Rex loco maximi thefauri, quæ & Burgali affervatur, tefte P Laur Diaponte in c 8. fap. ho.150 Quinam verò talia mundo veftigia honoris & fanctæ memoriæ imprimunt, nifi qui in corpore levi, agili & fubtili, quafi glorioso & cœlefti extra corpus habitant? qui corpus fpiritui fubjiciunt, & ab illicitis refrænant? Nam qui pondere corporis fui feruntur ejufque appetitibus, vivuntque inftar pecorum; quid hi laudabilis memoriæ mundo imprimerent? de talibus enim dicitur Ecclefia.3. *Vnus interitus eft hominum & jumentorum.* In quæ verba S. Bern. *Quid ni*, inquit, *fimiliter exeat, qui fimiliter vixit? more beftiali incubuit terris: more beftiali excedat terris.* ferm.82. in Cantic. Ut ergò nullam poft fe laudem, nihil memoria dignum relinquunt beftiæ: ita nec illi homines, qui brutorum vitam degunt.

His igitur perfectis, jure merito Ecclefia afcenfionem Domini noftri appellat admirabilem, quia pluribus in rebus mira & ftupenda fuit etiam ipfis Angelis. Sed quid prodeft nobis admirari afcendentem Dominum, nifi & fequamur: Audimus enim Angelos dicentes: *Viri Galilæi, quid ftatis afpicientes in cœlum?* Act.1. q. d. quid admiramini Dei filium cœlos petere, unde defcendit? Adlaborate potiùs, ut ipfum fequemini. Hoc nos mirabimur, fi viderimus fervos eò etiam intrare, quo præceffit Dominus. Id enim in Ecclefia mirantur SS. Angeli Cant. 8. cùm admirabundi ajunt: *Quæ eft ifta, quæ afcendit de deferto, deliciis affluens, innixa fuper dilectum fuum?* Nimirum, uti S. Ambrof. in Pf.118. fer.14. v.5. explicat, *mirantur illæ virtutes, ex ifto confragofo fcopulofoq; deferto aliquam afcendere animam poffe fine magnorum labe vitiorum, & ideò gratulantur repertam, quæ veftimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento infipientiæ fæcularis, fed magis fapientiæ fpiritalis & gratiæ candore mundarit.* Porrò qui ad hanc admirabilem pervenire afcenfionem defiderat, obfervet ea, quæ in eandem fententiam fcribit S. Greg. (apud Cornel. Cant.8. v.1.) *Sancta anima*, inquit, *de deferto afcendit, quia in exilio hujus peregrinationis pofita ad cœleftia gaudia mente & cogitationibus tendit. Vnde & Paulus dicebat. Noftra converfatio in cœlis eft. Deliciis affluit quia S. Scripturæ meditationibus intendens, cœlefti pabulo affiduè mentem pafcit. Super dilectum innititur, quia in folius auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur.*

THEMA IV.

Quatuor viæ in cœlum ex monte Oliveti.

1. *Perfeverans oratio.*
2. *Mifericordia erga miferos.*
3. *Mortificatio & patientia.*
4. *Affidua judicii cogitatio & memoria.*

Videntibus illis elevatus eft. Actor.1.

NOn caret documento, quod Salvator nofter coram fuis difcipulis & *videntibus illis elevatus eft* in cœlum. Voluit enim procul dubio per hoc demonftrare, fe effe aquilã illam, de qua dixit Moyfes Deut. 32 *Sicut aquila provocans ad volandum pullos fuos & fuper eos volitans expandit alas fuas.* Nimirum ut doceret fuos quorfum & qua via evolare ad cœlum etiam ipfi poffint ac debeant. Quam quidem viam olim difficilem fibi effe Salomon teftatus eft Prov.30. *Viam aquilæ in cœlo* videlicet. In quem locum S Ambr. l.2. de Salom. c.2. ait: *Aquilam in hoc loco Chriftum Dominum noftrum debemus accipere, qui poft venerandam refurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire poffe poft mortem, velut aquila revolavit ad patrem &c.* Porro viam cœli, qua fequi eum liceat, infinuavit nobis per veftigia fua monti Oliveti impreffa, quafi per illa loquens: Qui me fequi vult, montem hunc confcendat. Invenio verò in illo quatuor vias quas expendemus.

I. Chriftus ibi crebrò orare confuevit, tefte Joan. c.18. *Frequenter Iefus convenerat illuc cum difcipulis.* Et Luc.21. *Ibat fecundum confuetudinem in montem Olivarum.* Ibi ergo orabat & alias & immediatè ante paffionem. Hæc eft via prima, de qua Pfal. 65. *Benedictus Deus qui non amovit orationem meam & mifericordiam fuam à me.* In quem locum S. Aug ait: *Cum videris non à te amotam deprecationem tuam, fecurus efto, quia non eft à te amota mifericordia ejus.* Duo hæc, mifericordia Dei & oratio noftra funt ficut duæ veficæ, quibus innatant pueri, ne fubmergantur. Quamdiu illas arctè fibi adftrictas gerunt, tamdiu fecuri funt à fubmerfione. At ubi una folvitur vel frangitur, tunc altera etiam deferit eum. Sic mifericordia Dei, quamdiu nexa fuerit cum oratione noftra, tamdiu fervabit nos: foluta vel fracta oratione, folvitur etiam ac frangitur mifericordia Dei, homoque perire ac mergi incipit. Nonne Jonas jam in profundum maris demerfus à ceto fuit? & tamen ubi orare cœpit, iterum emerfit & in littus ejectus fuit. Nonne Petrus jam mergebatur? & tum ubi oravit: *Domine falvum me fac,* emerfit, Matth.14. Similiter alibi difcipuli omnes jactati in tempeftate & proximi fubmerfioni, ubi clamarunt: *Domine falva nos perimus;* iterum emerferunt. Maximoperè ergo cavendum ne funis ille frangatur, qui noftram orationem & mifericordiam Dei connectit. In ufu veterum fuit ut Deos fuos funibus manicifq; vincirent, ne à fe difcederent.

I. Perfeverans oratio.

Sic Tyrii obſidione preſſi Herculem vinxerunt , ne diffugeret ut refert Plut. proble. c.71. Et Curt. in vita Alexand. l. 6. c.4. Idem fecerunt Lacedæmonii cum Martis ſtatua, ut Pauſan. l. 3 Nos fortiori & veriori nexu alligare nobis Deum noſtrum poſſumus, oratione aſſidua, quæ eſt funis quidam è piis petitionibus & ſuſpiriis contextus. Sic enim Moyſes, cùm Deus diceret populo: *Non aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis eſt*, orat. *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Et mox audit: *Et verbum iſtud quod dixiſti, faciam.* Exod 33.

II. *Miſericordiæ ergà miſeros.*

II. Ibi miſericordiam exhibuit, primò ſuis diſcipulis, immunitatem eis præſtando: *Sinite hos abire*; utpote adhuc debiles & timidos; deinde cohorti, permittendo ut proſtrati reſurgerent, denique Malcho comprehenſori ſuo, cui abſciſſam auriculam reſtituit. Et bene hæc in monte Oliveti, quia oleum & oliva typus eſt miſericordiæ in ſacris & profanis literis. Unde Samaritanus ille in vulnera ejus, qui in latrones incidit, oleum & vinum infudit. Atque hæc eſt altera ad cœlum via, quam expreſſit Chriſtus, cum in illo monte ſedens dixit examen judicii de miſericordiæ operibus maximè inſtituendum: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare &c.* ut oſtenderet *quantum valeant opera miſericordiæ ad priora delenda peccata* , ait ſanctus Aug. l. 21. de civit. c. 27. Ideo Salomon oſtium oraculi fecit de lignis olivarum & in eo ſculpſit Cherubim & palmas. 3. Regum 6. ad indicandum, quod per opera miſericordiæ ſit facilis & expedita via perveniendi à SS. Angelos & cœleſtem palmam. In hac via Tobias cæcus licet cap. 4, inſtruxit filium: *Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. In gehennam*, legit Cyprianus epiſt. 52, quia alioquin potuiſſet ei dicere filius: quare tu non facis eleemoſynam, ut lumen recipias? ſi de tenebris corporis locutus fuiſſet, ut diſcurrit Auguſt. ſer. de verb. Dom. 18. Certè S. Hier. epiſt. ad Nepotian. ait: *Nunquam memini me legiſſe mala morte defunctũ qui libenter opera charitatis exhibuit.* Extorquet enim quodammado à Deo maximam retributionem adeoque cœlum ipſum, quando homo pauper dat Deo ditiſſimo in ejus pauperibus juxta id: *quod uni ex his minimis meis feciſtis , mihi feciſtis.* Ad quod confirmandum, audite quomodo Græculus quidam Poëta expreſſit ab Aug. Imp. alioquin tenaciſſimo & illiberali liberaliſſimam eleëmoſynam. Solebat is deſcendenti à Palatio Auguſto honorificum aliquod epigramma porrigere. Id cùm fruſtra ſæpe feciſſet, nihil muneris accipiens, rurſuſque eum id facturum vidiſſet Auguſtus breve manu ſua in charta exaravit epigramma græcum: pergenti deinde ad ſe obviam miſit. Ille legendo laudare & mirari voce & vultu. Cumque acceſſiſſet ad ſellam, demiſſa in burſam pauperem manu paucos denarios protulit, deditq; Imperatori, addens: *Non ſecundum fortunam tuam Auguſte: ſi plus haberem, plus darem.* Secuto omnium riſu: diſpenſatorem vocat Cæſar, & ſeſtertium centum millia Græculo numerari juſſit. Macrob. libro 2. Satur. cap. 4. Jam ſi hujus pauperis donum potuit aperire illiberalem Imperatoris manum ad tantam munificentiam, quid non poterit eleëmoſyna data Deo ad dandum promptiſſimo? Certè placuit Deo liberalitas S. Servuli mendici, qui collectam eleëmoſynam diſtribuit in alios pauperes. Ideò in articulo mortis audiit cantum Angelorum & in eo emigravit. S. Greg. hom. 15 in Evang. teſte.

III. Ibi paſſionem ſuam inchoavit , & quaſi i torculari preſſus ac cum morte luctatus eſt, tactus i agonia: ibi cohorti ſe ligandum obtulit & inde a crucem perrexit. Itaque oſtendit eandem eſſe via ad gloriam, quæ eſt ad paſſionem & crucem. Babylonii pueros Hebræorum per ſaginam præparare ſolebant , ut in conſpectu Nabuchodonoſoris venir ac ſervire poſſent, Dan. 1. At non ita Daniel: *Tent nos*, inquit, *& dentur nobis legumina & aqua.* q per jejunium evademus ſpecioſi & placebimus Re gi. Hanc viam etiam Chriſtus oſtendit ſuis diſcipu lis, quando eos duxit ſecum ad montem Oliveti luctaminis, ad montem captivitatis. In templo Salo monis nullus lapis non politus eſt in ſtructuram, tamen in templo non audiebatur ſecuris aut ma leus, quia ſcilicet alibi poliebantur ac dedolabantu 3. Regum 6. ſic ad cœli municipium nemo admitt tur niſi bene dedolatus tribulationibus , quod t men hic, non ibi fit, ut explicat ſanctus Gregoriu 34. moral. cap. 10. Qui ſic dolatur & patienter fer utique in via cœli regia eſt, teſte Chryſoſtomo ora tione tertia de Lazaro: *Siquidem videris*, inquit, *vir tutis ſtudioſum , innumeris tamen affligi moleſtiis beatum hunc puta , ut qui commiſſa peccata hic d luat & illic partam habeat mercedem.* Quin etia ſiquis prius male vixit; poſtea tamen tribulatur ad expiationem ſuorum peccatorum pœnas fert pa tienter in eadem cœli via eſſe ſe non dubitet. Quo utique contigiſſe creditum eſt Friderico Comiti d Iſenburg, qui S. Engelbert. Archiepiſc. Colon. occidi Is enim tandem captus & Henrico Archiepiſcop Colonienſi venditus , ad rotam tractus clariſſim pœnitentiæ & patientiæ ſigna dedit, publicè & priva tim peccata ſua confeſſus: carnifici etiam manus, bra chia & pedes ſecuri amputandos ultrò porrexit , cum 16. ictus accepiſſet, nullam vocem aut ejulatu edidit, in rotam ſic truncatus evectus continuo ora vit & circumſtantes ut pro ſe orarent, rogavit uſqu ad matutinas noctis preces, ſub quibus ſpiritum red didit, magna apud omnes ſpe ſalutis ſuæ relicta. U in vita ſancti Engelberti 7 Novembris. Sur. ex Cæſa rio.

IV. Ibi Chriſtus ſedens contra templum, ut Mat thæi 24. & Marci 13. habetur, multa de futuro d judicii variis parabolis edixit; de ſervis Dominu ſuum expectantibus , de virginibus fatuis & ſapien tibus, de talentis exigendis à ſervis, de ſegregation ovium & hædorum , de examine judicis &c. qui ſcilicet in die judicii ſuper illum montem deſcenſurus & ibi judicaturus eſt. Idcircò etiam Angeli du aſcendente Domino meminerunt deſcenſus ejus a judicium.

Deni-

Denique in eo monte proſtravit uno verbo, *Ego ſum*, otam cohortem. Eſt is mons incumbens valli Joſa-hat, præaltus, ut ex eo videri omnes plateæ Jeroſo-ymæ queant, nec non mare mortuum, ut Adricho-nius & alii referunt. Aſcendit ergo Chriſtus ex hoc monte Oliveti, indicans ſe in montem hunc iterum everſurum velut orbis Judicem & omnia luſtratu-um, juxta id Soph. 1. *In tempore illo ſcrutabor Ieru-ſalem in lucernis* (ad literam, extraham è latebris ves per Chaldæos, quò ſe abdiderunt) *& viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis*. q. d. ſcrutabor eos, qui etiam inter bonos degunt & boni putantur, cùm non ſint: & eos qui in mari mortuo defixi in fæcibus ſunt. Quare qui crebrò in conſideratione & timore illius judicii verſatur, ſecurè ad cœlum graditur. *Beatus enim homo, qui ſemper eſt pavidus*, ait Salom. Prov. 28. Et S. Clem. ep. 1 ſcrib. S. Pet. dicere ſolitum: *Quis peccare poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos judicium Dei ponat?* Eodem ut reſpiciant Apoſtoli & nos, videntur monere Angeli aſcendente Domino: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* q. d. non eſt illic via cœli, ubi eam quæritis, in alto; ſed in vallem Joſaphat deſpicite: judicium imminens, cùm rurſum venerit conſiderate.

Hæc eſt via, hæc veſtigia; quibus ſi inſtamus, non dubium cœli ingreſſum reperiemus. Ac propterea utique Chriſtus aſcendens monti Oliveti veſtigia pedum ſuorum impreſſit, ut aliquot ſæculis perſeverarint, etſi crebrò à peregrinis raderentur, teſte D. Hier. in locis SS. quin & uſque hodie inter Turcas Chriſtiani nominis hoſtes, ut teſtantur recentiores Geographi & peregrini. Voluit ergo per hæc veſtigia quaſi inſinuare illud, quod de ipſo vaticinatus eſt Iſai. cap. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis* (q. d. abeuntis) *Hæc eſt via, ambulate in ea.*

THEMA V.

Tribus miraculis continuis in monte Oliveti cur illuſtrare Chriſtus voluerit aſcenſionem ſuam.

Vt ſuam aſcenſionem aliaque myſteria comprobaret.
Vt amorem ſuum erga nos hoc indicio teſtaretur.
Vt victoriæ ſuæ monumentum nobis relinqueret.
Vt oſtenderet viam cœli patulam.
Vt viam cœli nobis oſtenderet.

Aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei. Marci ult.

CUm dilecti quique ab invicem diſcedunt, ſolent alter alteri relinquere memoriale aliquod. Idem fecit Chriſtus. *Egregium planè monumentum* (inquit Cardinalis Baronius in Annal. anno Chriſti 34 numero 232.) *ſuæ ad cœlos aſcenſionis Dominus Redemptor noſter non modo ſuis Apoſtolis, ſed poſteris quoque ſpectandum reliquit: nimirum ſuorum ſacrorum pedum terræ impreſſa veſtigia. De his olim Zacharias cap. 14. Propheta intellexiſſe videtur, cùm propheticè hoc locutus eſt: Stabunt pedes ejus in die illa ſuper montem olivarum, qui eſt contra Ieruſalem ad orientem* De illis porrò veſtigiis teſtem habemus inprimis ſanctum Hieron. de loc. Hebr. Act. Apoſtol. *Mons Oliveti*, inquit *ad orientem Ieroſolymæ, Torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur. Cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuò recipiunt. Denique cum Eccleſia, in cujus medio ſunt, rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tamen cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi & concamerari potuit, ſed tranſitus ejus à terra ad cœlum uſque patet apertus.* Sic ille, cui accedit alter teſtis ſanctus Epiſcopus Nolanus ad Severum ſcribens in hæc verba: *Mirum verò inter hæc quod in Baſilicæ aſcenſionis locus ille tantum, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captivam in ſua carne ducens captivitatem noſtram, ita ſacratus divinis veſtigiis dicitur, ut nunquam tegi marmore ac paviri receperit, ſemper excuſſis ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentavit apponere. Itaque in toto Baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitis ſpecie virens permanet & impreſſam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perſpicua ſimul & attigua venerantibus arena conſervat, ut verè dici poſſit: Adoravimus ubi ſteterunt pedes ejus.* ſic iſte. Eadem habet Severus Sulpitius Sacr. hiſt. lib. 2. Magna ſunt & mira iſta beneficia, non ſine magnis rationibus à Chriſto impertita, quas hic inveſtigabimus. Relicta igitur ſunt hæc veſtigia

I. Primò ut hoc miro & ſtupendo monumento comprobaret veritatem non ſolùm ſuæ in cœlum aſcenſionis admirabilis, ſed etiam aliorum myſteriorum & dogmatum nobis à ſe traditorum, quæ omnia per aſcenſum illum adeo confirmata ſunt, ut nemo ſtupidus aut contumax illis queat fidem denegare. Quis enim non credat eum de cœlo veniſſe, qui in cœlum tam ſtupendo modo coram tot teſtibus rediit: rediiſſe verò oſtenditur per impreſſa illa veſtigia? Rurſum quis non credat ipſum eſſe Deum, qui in cœlos ſic evolavit? Quis enim alius unquam hoc præſtitiſſe legitur aut præſtare potuit? imò cui hoc fieri ab homine poſſe unquam in mentem venit? Quare ex hac miriſſima ſua aſcenſione comprobavit Dominus mirum aliud dogma ſuum, de præbenda carne & ſanguine ſuo in S. Euchariſtia, quod aliqui velut durum nimis & incredibile reputabant. Joan. 6. ubi Dominus ait: *Hoc vos ſcandalizat?* quod videlicet poſſim panem & vinum convertere in carnem & ſanguinem meum dareque ad ſumendum ſine detrimen- I. *Vt ſuam aſcenſionē aliaq; myſteria comprobaret.*

to aut consumptione mei? *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Subaudi: quid dicetis? adhucne scandalizabimini & fallacem me reputabitis? Non arbitror. Ex illo enim ascensu cognoscetis me esse Deum & panem, qui de cœlo descendi, cùm eo videbitis revertentem: agnoscetis ergò omnipotētem & veracem, cui merito omnia credenda omniaq; possibilia sint. Quando igitur hæc ascensio quasi sigillum & manus propria est, subscripta aliis Christi miraculis eaque authentica reddit; voluit eam Dominus non solùm videntibus suis discipulis & primis Christianis spectabilem exhibere, sed etiā in posterorum, qui eam non viderunt, mentibus hoc visibili & perpetuo monumento insculpere & toti mundo cōprobare, etiam infidelibus, ut conspectis illis vestigiis credere in Christum possint, & ad hoc extimulentur. Itaq; etsi Turcæ aliud testimonium divinitatis Christi non haberent præter hoc, sufficere hoc ipsis & posset & deberet ad fidem suscipiendā, præsertim si addantur etiam reliqua, quæ dicemus, miracula circa eum locum; vestigiorum perpetua restauratio, pavimenti instrati rejectio, laterum quibus fornix concameranda erat, repulsio. Huc enim spectare videtur, quod dicitur Hab. 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.* Lapis, inquam seu marmora, quæ ad tegendū & consternendū pavimentum illud applicita quidem sed rejecta: lateres qui ad viam ascensus Dominici claudendam fornice, adhibiti fuere: isti omnes clamabunt & accusabunt inprimis Christianos, qui tam frivolè & tepide credunt verbis Christi: Deinde Turcas & infideles, qui hæc vident oculis suis, nec tamen pensi habent aut cordi ducunt.

II. *Ut amorē suum erga nos hoc indicio testaretur.* II. Ut amorem suum ergā nos mortales indelebili hoc indicio contestaretur & demonstraret, ut qui propter nos de cœlo descenderit, & eodem propter nos è loco illo cum immensā electorū multitudine, ut & nobis locum pararet, reversus sit; sicque etiam reciprocum erga se amorē in nobis excitaret. Solent amantes amoris mnemosyna sibi invicem relinquere, quæ magno ipsis constiterunt. Ita Jac. vita decessurus dilectissimo filio Josepho dedit partem unam extra fratres ejus, agrum sc. Sichē: *quam tuli*, inquit, *de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.* Variant ibi interpretes, quo gladio & arcu Sichimā acquisierit. Chaldæus vertit *quam tuli in oratione mea & deprecatione.* S. Hier. in detrad. Hebr. *quam emi in fortitudine mea. h. e. pecunia, quam multo labore & sudore acquisivi.* Christus autem Domin. & pater noster quod amoris signū filiis suis reliquit? vestigia sua mōtis Oliveti impressa, quem sacravit oratione & sudore suo: viam inquam cœli patulam, quam nobis comparavit pretio sanguinis sui, gladio patientiæ & arcu crucis suæ. Videtur ergo nobis dicere: Videte filii mei, quanto vobis pretio compararim viam cœli, quot ærumnosos & difficiles passus amore vestri fecerim, cum tristitia & mœrore ascendendo in hunc montem, ibi sanguinem sudando, manus ligantibus & genas cædentibus dando, gladium & arcum, quo me defendere poteram, sponte abjiciendo, & tradendo me judicanti injuste. Hæc est pecunia, qua vobis cœlum emi. Agrum illū Sichem, seu Sichar, magna in æstimatione & pretio, habuere posteri Jacobi, Joseph inprimis, qui moriens in Ægypto mandavit, ut illuc ossa ejus deferrentur sepelienda; Jos. ult. v. 32. Deinde Samaritani, etiam semigentiles illi, inter quos Samarit. nomine Photina, jactat puerum Sichemitanum à patre Jacob sibi fuisse datum Joan. 4. Quid non igitur nos gratitudinis, quid non reciproci amoris exhibeamus Christo Domino qui viam cœli nobis aperuit & apertam hæreditariè reliquit?

III. Ut nominis & victoriæ suæ, quam de mundo peccato, morte & Dæmone debellato comparavit trophæum suis illis vestigiis nunquam obliterandis velut characteribus indelebilibus in montem incideret, adeoque quasi repeteret id, quod dixerat olim *Confidite, ego vici mundum* Jo. 16. Hoc indicant vestigia, quæ toties erasa, nunquam deleta sunt; neque potuerunt tegi aut vestiri instratis marmoribus. Cogitaverant hostes Christi, Judæi, nomen ejus è mundo prorsus eliminare, ut nulla ejus memoria superesset, uti prædictum Isa. 11. *Mittamus lignum in panem ejus,* inquiunt, *& eradamus eum de terra, & nomen ejus non memoretur amplius:* h. e. cibemus eum ligno crucis maledicto & infami, ut nemo de eo sic infamato loqui imposterum audeat. Ad eundem finem mirè laborarunt, ne vicinæ Gentes Christum ab Apostolis sibi prædicatum agnoscerent & reciperent, ut ex Justini Dialogo cum Triphone diximus alibi. Verum inani frustra laborarūt. Dicere enim possumus, quod in simili casu dixerat eis Christus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. 19. Clamant certe lapides, & gloriam Christi prædicant, illa inprimis arena, quæ vestigia ejus impressa deleri in se non permisit & retinet in hodiernum: deind marmora excussa, denique lateres fornicis non admissi ad obstruendum aeris meatum. Quare vestigia illa Christi templo honorifico condecorata sunt & universo terrarum orbe in veneratione habita, & honorantur usque hodie, quodque mirabilius est, ab ipsis Christi persecutoribus custodiuntur & conservantur, quod certè non minus stupendum eo, quod in vita S. Norberti c. 37. legimus, lupum, qui ovibus ejus insidiatus fuerat, ad ipsius imperium custodem ovium factum esse. Gloriosè magnificatus fuit Deus, quando Pharaonem cum exercitu suo, hostem & contemptorem divini nominis sui, dejecit in mare & submersit cum suis curribus; cujus magnificentissimè victoriæ & gloriæ monumentum extare voluit in vestigiis & sulcis, quos rotæ curruum Ægyptiacorum fecerant, adhuc extantibus, & in mari, quantum acies oculorum videre potest, apparentibus: quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente rursus, ut fuerant, renovari testatur S. Gregorius Turon. lib. 1. hist. c. 10. & ante ipsum Paulus Orosius lib. 1. cap. 10.

Quis

isnon ſimiliter videt glorificari Chriſtum in ſuis s veſtigiis Oliveto impreſſis & ad preſens ſeculum eletis ac toties renovatis? quis non iis conſpectis nit triumphum de impiis Judæis, qui nomen ejus ſum & extinctum ibant?

IV. Ut oſtenderet cœli oſtium ſuo ingreſſu jam ractum adeoq; patulum eſſe omnibus, qui ipſi adſerint per fidem & charitatem, quod poſtea ad olum S. Steph. oſtenſum clamanti: *Video cœlos aper- & Ieſum ſtantem &c.* Dum ergo meatum illum r quem aſcendit, obſtrui fornice prohibuit (id od in templorum noſtrorum ſtructuris Eccleſia itatur, dum in medio fornicis rotundum ſtruit ramen) viam cœli ab ejus aſcenſione omnibus aertam eſſe indicavit, noſq; ad cœleſtem patriam dederandam invitavit: quo modo mercatores cùm ofinas ſuas aperiunt & merces ſuas exponunt, emptoes ad ſe alliciunt. Certè canes ubi è veſtigiis cervum el aliam feram deprehenderunt, totis eam ſequunr viribus, neglectis & ſpretis omnibus impedimens vel illecebris per avia & devia, donec inveniant, ventam porrò latratibus & morſibus invadunt, doec in poteſtatem ſuam redigant. Hoc fine nobis Doninus ſua reliquit impreſſa monti veſtigia, ut perpecta feliciſſima laborum ejus clauſula, curramus n odorem unguentorum ejus, nec deſinamus eum atigare ſuſpiriis & precibus, donec ipſum apprehenlamus. Hujuſmodi catelli erant illi, qui dicebant Pſ. 31. *Invenimus eum in campis ſylvæ, introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*, & ſunt tales quam plurimi pii fideles, qui ut hæc adorent & oſculentur veſtigia Jeroſolymam per tot maris & Turcarum diſcrimina peregrinantur. Unum ex illis memorabilem refert Rudolph. l. 4. hiſt. c. 6. his verbis: *Contingit ut quidam à Burgundia ex Auguſtodunenſi territorio Lethbaldus nomine, cum cæteris Ieroſolymam pergens deveniret, qui proſpectis locis omnium ſacerrimis, cùm ad illum locum montis Oliveti deveniſſe contigit, ex quo Salvator ad cœlos aſcendens, tot idoneis teſtibus, venturus inde judicare vivos & mortuos eſt repromiſſus, projiciens ſe in crucis modum toto proſtratus corpore, cum lachrymis inenarrabili mentis jubilo exultavit in Domino, erigens ſe identidem palmis ad cœlum extenſis, niſu, quo poterat corpus librabat in altum, ac in voce hujuſmodi aperiebat mentis deſiderium. Ajebat namq; Domine Ieſu, qui propter nos de ſede majeſtatis tuæ deſcendere dignatus es; ut genus hominum ſalvares, quiq; ex hoc loco, quem oculis intueor, carne veſtitus remeaſti ad cœlos, unde veneras, obſecro tuam omnipotentiſſimam bonitatem, ut ſi hoc anno eſt mea anima ex hoc corpore migratura, non hinc recedam, ſed in conſpectu aſcenſionis tuæ fieri contingat. Credo enim quoniam ſicut te ſecutus ſum corpore, qualiter ad hunc devenirem locum, ſic anima mea illæſa, & gaudens poſt te ſit ingreſſura ad paradiſum. His peroratis reverſus eſt cum ſociis ad hoſpitium. Erat autem jam hora prandii. Cæteris vero diſcumbentibus, converſus ipſe ad lectulum vultu alacris ac veluti gravi ſopore paululum requieturus, illico namque obdormiſcens ignoratur quid viderit, protinus dormiens exclamavit: Gloria tibi Deus. Socii quoque hoc audientes, monebant illum ut ſurgens comederet, qui noluit, ſed vertens ſe in latus aliud, dixit ſe pati aliquid incommodi, recubanſque uſque ad veſperum, convocatis ſui itineris ſociis, vivificæ Euchariſtiæ requirens accepit viaticum, illiſque dulciter ſalutatis emiſit ſpiritum.* Hæc Rudolph. qui ex relatione eorum, qui omnia ſpectarant ſcripſit, quæ ſcripſit.

V. Ut viam cœli, qua ipſum ſequi ad cœleſtem patriam poſſemus, nobis indicaret, ſi nimirum veſtigiis ejus inſiſtamus & vivendi rationem, quam ipſe tenuit, pro viribus imitemur; id quod ſanè exigit Jo. ep. 1. c. 2. *Qui dicit ſe in ipſo manere*, inquit, *debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare.* Similiter ſanctus Pet. ep. 1. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Non hoc perfectis ſolis & religioſis, ſed omnibus Chriſtianis dictum intelligendum eſt, quia ut S. Aug. in Pſ. 36. ait: *Chriſtianus eſt, qui non aſpernatur viam Chriſti, ſed vult viam Chriſti ſequi per paſſiones ipſius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam, qua ipſe ivit. Dura videtur, ſed ipſa eſt tuta via. Alia forte delicias habet, ſed latronibus plena eſt.* Et anterius: *Per dura ambulavit, ſed magna promiſit; ſequere. Noli tantum attendere, quo iturus es, ſed & quo perventurus ſis. Tolerabis dura temporalia, ſed ad lætitiam pervenies ſempiternam.* Ergo qui poſt Chriſtum conſcendere in cœlum vult, cum ipſo ad montem Oliveti pergat; & inprimis inter ſpem & metum conſtanter incedat, intuens ex una parte præmia in cœlis promiſſa bonis, ex altera gehennam præparatam malis. Etenim mons Oliveti præaltus eſt, ut ex eo videri tota hinc civitas Jeroſolyma inde vero cerni mare mortuum poſſit. Jeroſolyma cœlum, mare mortuum repræſentat gehennam. Quiſquis ergo poſt Chriſtum aſcendere cupit in cœlum, duos illos terminos præ oculis ſemper habeat, beatorum in cœlo gloriam; & reproborum in inferno confuſionem ac tormentum.

IV. Vt viam cœli nobis indicaret.

Porro ſicut Chriſtus in hoc mundo anguſtum ſemper locum tenuit, in arcto Bethlehemitico antro natus eſt, in arcta cruce conſtrictus mortuus eſt, in anguſto ſepulchro conditus, per anguſtum callem in cœlum ſublatus eſt: ita decet Chriſtianum in hac terra ſtantem nequaquam ſe expandere & laxam viam inire, ſed anguſtam potius, & ſeſe coarctare. In cujus rei documentum, quando Moyſes petiit à Deo, ut videre poſſet faciem ejus, reſpondit Deus: *Cum pertranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea* Exod. 33. quaſi dicat (uti explicat ſanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 10.) *Hoc faciam, ſed ita ut capere potes, ecce ponam te in foramine petræ: Cùm enim exiguus ſis, in parvo circumſcriptus eris.* Nimirum nec ipſam Domini humanitatem poſſumus ſequi niſi circumſcripti & conſtricti humilitate, contemptu noſtri, vitæque noſtræ reſtrictione. Chriſtus dum aſcendit in cœlum faciem ad occidentem,

tem, dorsum vertit ad orientem, ut testatur Adrichom & qui eò peregrinati sunt: pari modo qui ad beatam illam vitam tendunt, non ad orientem blandientis fortunæ & illecebrarum hujus mundi oculos suos dirigant, sed ad occidentem exeuntis & cum mœrore finientis: non ad vitam inchoantem, sed ad mortem sensim adrepentem. Hoc qui fecerit, cum Tyrio illo servo (de quo sæpiùs mentionem fecimu ex Just. hist. l. 18. quique oculis in occidentem versis a cacumina montium spectans, cæteris ad orientem a spicientibus, prior Solis ortum vidit, adeoque in R gem electus est) Rex eligetur & una cum Christo a scendet regnaturus in cœlo.

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

THEMATA.

I. *Quare & quàm immeritò aliqui scandalizati sint in Christo.*
II. *Quàm sit grave & periculosum præbere scandala.*
III. *Cur mali persequantur & odio habeant bonos.*
IV. *Ratio & modus accendendi in nobis ignem Spiritus sancti.*
V. *Stimuli ad emigrandum ex hac vita cum desiderio.*

THEMA I.

Quare & quàm immeritò aliqui scandalizati sint in Christo.

1. *Quia docuit mundo & carni contraria.*
2. *Quia mediam tenuit in sua conversatione viam.*
3. *Quia fecit mirabilia.*
4. *Quia passus est indigna.*
5. *Quia à variis variè aspectus est.*

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, Ioan. 16.

Lamentatur Jeremias querula sanè voce cap. 15. *Væ mihi mater mea: quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam! omnes maledicunt mihi.* Quibus verbis gemit, quod multorum contumeliis & probris impetatur propter suas minaces prophetias: cum tamen ipse causam nullam dederit, siquidem nec ad fœnus accepit, nec dederit: quæ duo solent communiter contentiones excitare. Sanctus Hieronymus in eum locum: *Potest, inquit, hoc de Ieremia intelligi, quod non in toto orbe terrarum; sed in terra Israel sit judicatus. Verè autem Domino competit salvatori, de quo scriptum est: Ecce hic est positus in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel.* Sanè ipsum esse, in quo multi scandalizandi sint, indicat ipse in hod Evangelio, dum post ultimam cœnam ad monet discipulos ne & ipsi ex illis sint, quia prædixe rat eis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ist nocte.* Matth. 26. v. 31. Mirum profectò hoc: quomod enim Dominus causam dare potuit alicujus scandal aut ruinæ aliis? Non fœneravit alteri, nec fœneravit e quisquam & tamen plerique Judæi, præsertim Jerosolymitani ei maledixerunt, & maledicunt usque hodie. Causas igitur inquiramus.

I. Quia docuit mundo & carni contraria. Und Marc. 1. dicunt Judæi: *Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova?* Ex hoc capite scandalizati sunt Matt. 15. quando Christus externas eorum lotiones & cæremonias reprobavit, & internam potius sanctitatem quærendam esse dixit: Unde de hoc discipuli ad eum: *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* similiter & illi, qui dicebant: *Durus est hic sermo & quis potest eum audire?* Joan. 6. Sed insipienter & immeritò. Cogitare enim debebant, quod Dominus toties dixit, doctrinam ejus cœlestem esse, de cœlo allatam, quare mirum non esse, si non sapiat terræ & terrenis, carni & sanguini. Clarè hoc indicat Dom. Joan. 8. ubi ait: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Loquebatur Christus de suo in cœlos abitu: sed quia illi de terra terreni erant, scandalizabantur in ejus verbo & temerè arguebant eum, quasi seipsum interfecturus esset. Christus quasi ignis erat, sursum tendens & cœlestia petens: ipsi quasi terra erant, deorsum inclinantes & terrena quærentes. Videbant ergo Christi doctrinam suis intentionibus, concupiscentiis, & desideriis adversari, eosq; ex statione & jure suo depellere, adeoque ad novas leges, quibus ipsi non obligarentur, velle alligare. Hinc in eum impegerunt, quasi in lapidem sibi obstantem & progressus suos impedientem. Provenit autem hoc ex depravata hominum natura, quæ post lapsum primorum parentum sibi relicta, tota pene carnalis facta & carni subjecta est, ita ut carnalia ferè tantùm, non spiritualia: terrena, non cœlestia sapiat: cumque carni inserti sint homines, putant se ad hoc jus habere ut carnalia quærant, & carnem suam foveant. Verùm Christus vidit id ex depravata hominum voluntate provenire, &

i corrigatur, in interitum corporis & animæ eos ripere; idcirco obſiſtere eis debuit & conatum adpere ut à terra eos abſtraheret & ad cœleſtia erige-. Tametſi enim carni inſerti ſimus, rationalem taen animam habemus, cujus ductu regi nos vult, uti cet & oportet; fortior enim trahit poſt ſe debiliom. A brutis infantibus & amentibus nihil tale exigit, d permittit eos ſenſibus duci: exigit vero ab homi-, uſum rationis habente. Qui in ſolitudine procul hominibus degit, ſibi ipſi permittitur, ut vivat xta libitum ſuum: at qui in civitate degit, civium gibus adſtringitur. Hinc ergo Chriſtus Dominus andalum factus eſt Judæis: quia ipſos à terra ad cœm, à carne ad ſpiritum extrahere & elevare voluit: ſis contranitentibus & jus quaſi ſuum terrenæ & rneæ molis allegantibus. Homines ad honores proolare cupiebant, quibus ille: *Vade retrò poſt me: non bis ea, quæ Dei ſunt.* Homines carni ſuæ blandiri & xare frænum cupiebant: Chriſtus eam ſubjugare, acerare & immolare ſuadebat. Ac jure quidem; uia ſi in ejus aula cœleſti degere aliquando volumus ores ejus aulicos induere, & ruſticanos exuere deemus. Contingit hoc idem Dei ſervis, in quibus mū- hujus amatores ſcandalizantur; quia vident ſe ab s reprehendi, à terrenis cupiditatibus avocari & uaſi violenter abſtrahi atq; expelli ſuis doctrinis, exmplis, moribus, precibus, monitis, &c. Cogitant autem id eos vel ex odio vel invidia agere, vel etiam in ommodum ſuum ut ipſi magni æſtimentur: vel etim ex vana perſuaſione & deceptione; quia ipſi cum erreni ſint, terrena etiam cogitant. Hinc S. Chryſ. ho. 8. ex variis in Matth. loc. *Vis,* inquit, *non tibi evenire candalum? noli eſſe terrenus. Propterea dico, mundus errenus ſcandalum habet, terra iſta neceſſe eſt ut habeat ſcandalum. Noli portare terrenum, ſed cœleſte, & ſcandalum non habebis.* Conſiderent ergo terrei & carnales neceſſarium ſibi eſſe ut arguantur & impediantur à progreſſibus ſuis per juſtos; quia alioquin fierent planè beſtiales, imo beſtiis multo pejores, & quaſi Diaboli, niſi eorum cupiditatibus Deus & pii obſiſterent. Apparet hoc in militibus, qui cum nihil unquam de cœlo cogitent, fiunt quaſi Diaboli: obvios quoſque invadunt, vulnerant, mactant, imò & fugientes in ſylvas canibus venantur, veluti feras, juxta id Mich. 7. *Vir fratrem ſuum ad mortem venatur.*

II. Quia in converſatione ſua media inceſſit via: non omnino rigidam neque etiam laxam ducendo vitam. Qui per medium populi incedit, in multos impingat, & a multis trudatur neceſſe eſt: & qui in media contignatione habitat, ab inferioribus fumo vexatur, à ſuperioribus lotio perfunditur. Hinc quia mediam vivendi rationem tenuit Chriſtus, Diſcipuli Joannis & Phariſæi, qui videbantur religioſi, impingebant in Chriſtum, quaſi laxius converſantem: contra principes & opulenti ſpreverunt eum, quaſi nimis vilem, pauperem & abjecto habitu incedentem. Teſtatur id ipſe Domin. Matth. 11. *Venit Ioannes neq; manducans neque bibens: & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens: & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* Prodiit hoc ſcandalum ex eorum ignorantia, qui non intellexerunt finem & intentionem actionum Chriſti, qui in hunc mundum venit, ut daret omnibus perfectum virtutū exemplar, quod omnes in ſuo ſtatu & gradu imitari poſſent: ac præſertim ut peccatores à vitiis abſtraheret & ad Deum converteret. Ad hoc autem conſequēdum neceſſe erat, ut cum eis converſaretur, ederet ac biberet, quo eos ad ſui notitiam, indeque ad amorem & ſequelam alliceret: ſicut venator ut feras jaculetur & in rete cogat, viridem induit veſtem, uti docet S. Thom. 3. p. q. 4. a. 2. Deinde ut oſtenderet *quod in omnibus talibus* (cibo, potu, veſtitu, &c.) *non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt,* ait S. Auguſt. l. 3. de doct. Chiſt. c. 12. Errant proinde cum iſtis; qui cùm vident aliquos lautiùs edere aut bibere, delicatius veſtiri aut cubare, inde occaſionem ſcandali arripiunt; cùm interim ſtatum, conditionem, finem, intentionem eorum neſciant. Sic impegit in S. Arſ. eremicola quidam ſenior, uti refert Metaphraſtes in ejus vita apud Sur. 19. Jul. *Ægrotanti aliquando Arſenio Sacerdos Eccleſiæ vile ſubſtravit ſtragulum & capiti quoque pulvinar ſuppoſuit propter morbi afflictionem. Cum autem unus ex ſenibus veniſſet ad illum viſitandum, & illum ſic vidiſſet utentem ſtragulis & pulvinari, ei dubitatione commotus eſt animus. Quod cum deprehendiſſet Sacerdos & eum ſeorſum abduxiſſet. Qualis, inquit, erat vita tua priuſquam eſſes monachus? Ille verò: Magna, inquit, me premebat inopia rerum neceſſariarum egeſtatiſque mala me cruciabant. Cui Sacerdot: Sed hic, inquit, quem vides, Arſenius, erat pater Imperatorum quando erat adhuc in vita mundana, magnaſque habebat opes, & abundabat deliciis, jacebatque in ſumptuoſis & mollibus ſtragulis. Quocirca tibi quidem, qui nunc es inter monachos, eſt facilior vita & minus obnoxia moleſtiæ, ut qui ſis à prioribus liberatus anguſtiis. Qui autem ex tantis divitiis & deliciis ſua ſponte venit ad tantam humilitatem, & nunc eam ſuſtinet, quomodo non eſt dignus, qui habeatur in admiratione? Hæc cum audiſſet & intellexiſſet ſenex & ſeipſum condemnavit, & petiit veniam à Sacerdote, propterea quod non rectè cogitaſſet.* Confirmatur hoc ſimili exemplo, quod habetur in prato ſpirituali c. 45. de presbyteso quodam Stephano, qui ex jecinoris dolore graviter ægrotus à Medicis edere carnes juſſus, comedit. Interim advenit frater ejus ſæcularis, cæteroqui pius, qui *videns illum veſcentem carnibus ſcandalizatus eſt, & valde contriſtatus, quod ex tanta abſtinentia atque continentia in extremo vitæ ſuæ tempore, ad comedendum carnes devolutus eſſet. Mox ergo in extaſi factus, vidit quendam dicentem ſibi: Quare ſic de presbytero ſcandalizatus es? Quia illum veſci carnibus vidiſti? Neſcis, quia neſſitate compulſus, & propter obedientiam id fecit? Nempe propterea ſcandalizari non debuiſti: Nam ſi merita, & gloriam fratris tui videre cupis, ultro convertere, & vide, Converſuſque vidit fratrem ſuum crucifixum cū Domino. Aitque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus eſt.* Ex quo patet errare eos,

qui offenduntur ob aliquorum exemptiones, dispensationes & immunitates à communibus oneribus, cùm hæ suas causas habent, nec impeditione quo minus aliquis Deo nihilominus maneat conjunctus & crucis ejus particeps. Sunt enim illæ quasi confortamenta, quibus Dei servus roboratur, ut diutius ac fortius in posterum ei servire queat.

III. *Quia fecit mirabilia.*

III. Quia fecit mirabilia, cum summa potestate ejiciendo dæmonia, patrando stupenda miracula, & quasi potestatē habens prædicando cœlestia; & quia multi ipsum esse Deum non credebant, malis artibus ea comparata, vel à dæmonum assistentia ei subministrata impiè existimabant. Hinc illa Pharisæorum blasphemia: *Hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub* Matt. 12. hinc illa admiratio: *Vnde hic literas scit, cum non didicerit?* Joan. 7. Hinc ajunt: *Vnde huic sapientia hæc & virtutes? Vnde huic omnia ista? & scandalizabantur in eo.* Matth. 13. Solet summum sensibile sensum offendere, v.g. summa lux Solis oculos perstringit ac lædit: summi bombi tonitruorum aut bombardarum aures percellunt ac vulnerant: summus calor aut frigidus tactum lædit &c. ita summa Christi potētia ac sapientia, captum humanum longe excellens, offendit Judæos. Verùm stultè & immeritò; cogitare enim debebant ipsum plusquā hominem adeoq; Deū esse: vel saltem tantam sapientiam & miraculorum potestatem à Deo ipsi collatam esse. Id enim demonstravit miraculis in hujus veritatis confirmationem factis quæ fallere non possunt. Verum invidia & malevolentia cor eorum aliò deflexit, ad malignas nimirū cogitationes, quasi à Dæmone ea mutuasset, uti exponit Abulensis, Maldonatus, Lyran. & Carthus. Quare Theophyl. eam offensionem tribuit invidiæ eorum. *Obstupescebant*, inquit, *quod solet invidis accidere. Sicuti pauper vicinus repente in splendidiore vestitu prodeat, & videat eum vicinus invidus, dicit: Quomodo hic tam sumptuosis vestibus indutus est? Vnde huic vestis illa?* Scandalum hoc invadit etiamnum plurimos alios, qui cùm vident aliquos summè excellere sive in sapientia, sive in divinis, sive in vestitu, mox apud se conjectant, quasi malis artibus sibi comparassent. Verùm huic offendiculo charitas occurrere debet, de qua 1. Joan. 2. dic. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Suggerit enim charitas, hæc talia & tanta à Deo provenire & collata esse proximo, cui bene & non malè vult, nec bonum esse dubitat, dum non convincitur esse malus.

IV. *Quia passus est indigna.*

IV. Quia passus est indigna, ut caperetur, illuderetur, denique condemnaretur ad infamem crucem. Hinc multi imprudentes cogitare cœperunt; omnem ejus vitam & doctrinam meram illusionem fuisse, ut quem viderunt jam quasi à Deo desertum, imò velut peccatorem ab eo castigatum & cum latronibus ejectum atq; abjectum Ita enim loquuntur apud Isa. c. 53. *Nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Lepra enim apud Judæos sæpe erat pœna peccati. Et de hoc scandalo loquitur Dominus, Matth. 26. cùm ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Nimirū imprudens vulgus ita judicare solet, ut cùm quis in calamitatem quamcumque tandem incidit, eum ob delicta sua puniri à Deo existimet; qui error non apud Gentiles solùm communis, sed etiam apud Judæos frequens erat; ut colligitur ex illa Judæorum apprehensione, qua eo judicarunt peccatores fuisse, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis. Lucæ 13. nec non ex ill Apostolorum interrogatione: *Rabbi quis peccavit, hi an parentes ejus ut cæcus nasceretur?* Joan. 9. Hinc v sa alicujus calamitate continuò scandalizabantu eumque velut enormem peccatorem aversabantu Hinc Christo jam capto & coram tribunali accusat maleque accepto nemo amplius patrocinari aut f vere, nemo causæ ejus se miscere voluit; imò omn condemnarunt eum rerum mortis; prorsus sicut c nes cùm eorum unus in rixa cadit, omnes eum inv dunt, sive læsi ab eo fuerint sive non. Credibile est c ves Jerosolymitanos, etiam qui Christo prius fav rant, ubi viderunt eum jam condemnatum cum latr nibus educi, seipsos redarguisse, quasi in ipso fœ decepti essent, quem jam videlicet latronibus ju ctum & æquiparatum cernerent. Verum stultè & in quissimè. Cogitare enim debebant non quæ passi est, sed quam innocenter & immerito. Recolere d bebant vitæ ejus sanctitatem, nulli defectui obn xiam, grandia ejus erga se merita & benefacta, d ctrinam cœlestem & inculpabilem. In templo Sal monis duo erant altaria, unum foris in atrio, alta holocaustorum, sanguine cruentum & fœdo odo horridum: alterum in templo, altareq; thymiamat auro splendidum, & suavissimo odore plenum. Regum 6. Ita in Christo Domino duo videre er tempore passionis ejus: carnem undique dilaniata & cruore perfusam, velut ingentis alicujus malef ctoris; & hoc quidem foris: sed intus tamen vide poterat ac debebat vita ejus innocentissima, sanctiss ma, omnium virtutum odorem referens, & longe la teque spargens. Hujus alterius suavitas non diffici poterat illius fœtorem corrigere: si Judæi voluisse æqui Judices esse.

Quod Christo accidit, crebrò etiam aliis integr vitæ hominibus evenit, ut si quando in aliquam cala mitatem incidant, vel in tribulatione sua ad tempu deserantur, alii ex ipsis scandalum incurrant, quasi c jusmodi flagellum culpa sua meruissent & Deo exo si essent. Ita impegerunt Melitenses in S. Paulun cum à vipera invasum & admorsum viderunt. Ind enim conjectabant ultione divina velut reum ess percussum. *Vtique homicida est homo hic*, dicebant *qui cum evaserit è mari, ultio non sinit eum vivere.* Verùm mox errasse se deprehenderunt, quando Paulus sine noxa bestiam excussit. Tunc mutantes sententiam in contrarium, dicebant illum esse Deum. Actor. ult. Similiter errarunt in Jobo amici ejus, qui tantam ejus calamitatem ipsi inflictam cernentes, reputabant ejus peccata causam dedisse; ut patet Job. 4. v. 7. & seq. Verùm ad extremum & ipsi se deceptos vide-

viderunt, quando Deus cum honore restituit ei omnia in duplum. Idem De Christo cogitare Judæi debebant, scriptum videlicet esse de ipso psal. 117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Idem de aliis multis afflictis credere æquum est. Lapides enim à structoribus primo calcantur pedibus, & huc illuc projiciuntur, denique attolluntur in ædificium ad ejus ornatum; ita etiam Deus justos hic sæpe deprimit & aliorum pedibus subjicit; sed in fine eos extollit, & in cœlestis Jerosolymæ structuram inserit.

V. Qui à multis conspectus & inspectus est per colorata perspicilia. Qui viridibus utitur perspiciliis, omnia viridia esse, quæ intuetur, existimat: cærulea qui cæruleis. Cives Jerosolymitani multi, si non plerique omnes, Christum aspexerunt per affectum depravatum & perversam opinionem suorum Magistratuum, summorum sacerdotum, Principum & Pharisæorum. Hinc conceperunt similem in Christum opinionem, & cœperunt una cum illis eum condemnare & clamare: *Non hunc, sed Barabbam.* Fateor, grave & periculosum est hoc scandalum, quod à Magistratu & superioribus datur. Id enim est instar fermenti, de quo Apostolus 1. Cor. 5. ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Est instar oculi cæcutientis, qui totum corpus seducit. Unde S. Chrysostomus hom. 1. de verb. Aposto. *modico vino utere: Sicut in corpore, inquit, aliquo quidem membro corrupto non est magnum damnum: oculis vero læsis vel capite contrito totum corpus inutile redditur: sic & qui in alta quadam tamquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam & jacturam facit: non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est, in ipsum respicientibus.* Verum audire Judæi Christum potius debebant, qui de Pharisæis malitiose scandalizatis ait ad discipulos: *Sinite illos cæci sunt & duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. Non est imitandum exemplum superiorum, quando legem Dei violant: lex præferenda subditis & ob oculos ponenda, qua & Magistratus obligantur. Hinc psalmo 118. dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam & non est illis scandalum,* quasi diceret, non scandalizabuntur exemplo pravorum, qui legem Dei diligunt & omnibus rebus præponunt. Hac consideratione evasit scandalum Mathathias una cum filiis suis. Cum enim Legati Antiochi instarent, ut relicto Deo vero, thura Diis immolaret, dicentes: *Fac jussum Regis, sicut fecerunt omnes gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem, & eris tu & filii tui inter amicos Regis & amplificatus auro & argento & muneribus multis:* respondit & dixit magna voce: *Et si omnes gentes Regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque à servitute legis patrum suorum & consentiat mandatis ejus. Ego & filii mei & fratres mei obedimus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei, &c.* 1. Mach. 2. Multo minus turba in hujusmodi judiciis audienda est. Turba enim sic ferè instituta est ut *uno oscitante oscitet alter,* & sicut unus in pago canis latrare incipiens, excitat omnes alios ad latrandum canes, quotquot sunt in pago, tametsi nullum hostem videant, nec quid agatur advertant, ita plebs vociferans trahit secum alios. Hinc bene in psalmo 21. ait per Prophetam Christus judicatus: *Circumdederunt me canes multi.* Quis vero stolidorum canum latratum, quis plebis imperitæ clamorem curet? *Hippomachus, pugilandi Magister* inquit Ælianus lib. 2. var. hist. cap. 6. *cum athleta quidam ex ejus discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo universa plausum tolleret, percussit eum virga Hippomachus, inquiens: Tu vero perperam, neq; sicut oportebat, fecisti, quod melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent: innuens, eos qui unumquodque ritu gerunt & administrant, non multitudini, sed iis tantum, qui rei scientiam aliquam habent, placere oportere.*

Quibus omnibus perfectis, manifestè patet Christum Dominum nullo modo per se & directe dedisse causam his offensionibus; cum nihil omnino terreni quæsiverit in terra, nec suum sed aliorum bonum ac salutem. Tota igitur culpa in Judæis fuit, qui velut cæci in meridie in Christum impegerunt. Quod ipsum etiam assero de illis Christianis, qui in aliorum factis tam temere se scandalizant. Si enim audirent D. Chrysost. nunquam scandalum incurrerent. Ita enim ille hom. 60. in Matth. *Cujus rei gratia tollenda erant scandala, an propter nos, qui detrimento afficiuntur? Sed non inde qui detrimentum patiuntur, pereunt, sed desidia & ignavia sua: quod virtutis cultores verum esse ostendunt, quia non modo nullam à scandalis patiuntur injuriam, sed plurimum etiam lucrantur. Qualis certe Iob ille erat, qualis Ioseph, quales justi denique omnes. Quod si multi pereunt, propter negligentiam suam id accidit. Nisi enim ita res se haberet, si propter scandala ipsa homines perirent, universi sane homines id paterentur: quoniam vero multi evadunt, qui non effugit, sibi ipsi culpam attribuat. Nam scandala quidem, ut jam tetigimus, excitant etiam atq; acuunt, & perspicatiorem faciunt non solum eum qui sibi diligenter cavit, verum etiam eum, qui forte incidit: nam posteaquam se inde eripuerit, cautior atq; tutior redditur. Quare si diligentiores sumus, non parvum fructum ea ex re cœpimus, quare vigilare semper compellimur.*

* * *

THEMA II.

Quam sit grave & periculosum, præbere scandala.

1. *Væ dicitur scandalizantibus ob scandali gravitatem.*
2. *Dicuntur eruendi & abjiciendi è communitate.*
3. *Iubentur mergi in mare cum mola asinaria.*
4. *Ne scandali occasio detur nihil non agendum; & ferendum.*

Hæc locutus sum vobis ne scandalizemini Joan. 16.

OBservarunt viri doctissimi, sacræ scripturæ Interpretes, non unum discrimen inter maledictionem quam pronuntiavit Deus in primos nostros parentes, pessimo serpentis sibilo seductos, & in serpentem, ipsorum seductorem. Inprimis enim *neque mulieri* (inquit Rupertus libro de victoria verbi Dei, capite decimo quinto.) *maledicta es: neque viro, maledictus, dixit; sed tantum hoc: Maledicta terra in opere tuo &c. Soli serpenti dixit: Maledictus eris, quo videlicet dicto firma & immutabilis intelligenda est sententia æternæ damnationis.* Rursum Procopius in eum locum: *Mirabile,* inquit, *vide judicium deceptos interrogat, deceptorem non interrogat, sed quasi malum & mali auctorem & penitus incorrigibilem veniaque indignum affatur.* Denique serpens inter tres prævaricatores ultimò interrogatus, primus condemnatur: *Quia fecisti hoc, maledictus eris &c.* Quid sibi volunt ista? Nimirum interest plurimum inter seductorem & inter seductos: inter auctorem scandali & inter scandalizatos. Isti merentur pœnam: ille etiam maledictionem. Isti ad judicium citandi sunt; ille vel injudicatus & absque processu judicii condemnandus. Isti quidem luent: sed ille omnium primus, qui scandalum præbuit. Audimus in hodierno Evangelio quanta dixerit Christus suis discipulis, ne scandala incurrerent: quanta ergo dicturum putamus iis, qui scandala præbituri sunt? Dixit certè illis severa & terribilia, quæ nunc audiemus.

I. Væ dicitur scandalizātibus, ob scandali gravitatem.

I. Locutus est Matth. 18. Dominus: *Væ autem homini, per quem scandalum venit,* Gravem esse hanc comminationem indicat particula *væ. Væ n. in Scriptura,* inquit sanctus Gregorius hom. 9. in Ezechiel, *sæpius de æterno luctu, quam de præsenti solet intelligi.* Et sanctus Chrysostomus hom 7. in Gen. *Væ enim hoc,* inquit, *est quasi lamentantis supplicium illud inexcusabile subituros.* Hinc Isaiæ 30. dicitur: *Væ impio in malum.* Et Job 10: *Væ mihi si impius fuero.* Ex quo sequitur scādalum datum, si ad lethale peccatum inducat, semper esse lethale & gravissimum peccatum; quia non unum tantum vulnerat, sed duos semper ad minimum: scandalizatum & scandalizantem, atque hunc multo gravius, quia hic homicida est alterius. Quare teste Climacho gradu vigesimo sexto, Scalæ paradisi, *Sunt inter immundos spiritus reliquis nequiores, qui peccatum solos operari nos minimè consulunt,* (qui scilicet ad scandala danda impellunt) *ut graviori supplicio nos mulctandos parent,* quo modo scilicet periti venatores ad unam avem, verbi gratia anatem, non statim jaculantur, sed occasionem captant, ut duas aut tres uno jaculo mactent. Hujusmodi autem venator Lucifer fuit ab initio, quando cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli Apocalypsios duodecimo. Quem velut genuinæ proles imitantur scandalosi, id quod lamentatur sanctus Bernhardus sermone primo in Septuagesima. *Vtinam,* inquit, *soli nos impugnarent maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis atque aliis mille modis.* Confirmatur hoc ex eo, quod Joannis octavo Dominus dixit: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio.* In quem locum sanctus Augustinus tractatu quadragesimo secundo ait: *Homicida dicitur Diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit: verbum malum seminavit & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades: si fratri tuo mala persuades, occidis: & ut scias quia occidis, audi psalmum: Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ & lingua eorum gladius acutus,* Occidit Dæmon sua suasione primos nostros parentes, corpore & animo: occidit scandalizans, si non corpus, saltem animam, quod longe gravius est, quam si ipsum Dæmonem in hominem intruderet ad vexandum illum. Sed quid dico non solum necat hominem, sed ipsum etiam Christum, cujus sanguinem denuo fundit. Ita scribit sanctus Bernhardus in sermone de conversione sancti Pauli: *Denique,* inquit, *si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quam à Iudæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Quin etiam talis destruit totum opus Dei, teste Apostolo ad Romanos decimo quarto scribente? *Noli propter escam destruere opus Dei;* hominem scilicet, scandalizando esca vetita. Qui autem destruit hominem, destruit totum Dei opus, non solum redemptionis, sed & creationis, quia propter hominis salutem cœli & universa creata sunt. Destruit inquam, dum ædificat peccatum. *Scandalum enim non bonæ rei, sed malæ exēplum est, ædificans ad delictum,* inquit Tertullianus libro de vel. virgin. capite tertio, sanctus Chrysostomus homilia vigesima quinta in epistola ad Romanos sic exponit? *Salutem fratris vocat divinum ædificium: si ergo Ecclesiam destruere grave est & scelestum: multo magis si hoc templo spirituali fiat. Augustior enim est homo magisque venerandus quam Ecclesia. Non enim* prop-

opter parietes mortuus est Christus , sed propter ista Spiritus sancti templa. Denique si Pharisæis hypocri-is,qui occultando sua scelera se solos perdebant,ad-o minatus & toties *Væ* ingeminat Dominus , quid xpectabunt Christiani,si publice libereque peccan-es scandalo sint aliis? Quod sane prudenter experi-ens sanctus Gregiorius Nazianzenus apologo-um primo dixit:*Mihi timor incutitur,cum & Phari-ıos probris affici,& Scribas redargui video.*

II. Locutus est eodem Matthæi citato capite hæc: *i autem manus tua vel pes tuus scandalizat te,abscin-e eum & projice abs te.* Causam exponit sanctus Chry-ostomus homilia sexagesima in illum Matthæi lo-um scribens:*Nihil enim*,inquit,*ita perniciosum ac pe-iferum , ut consuetudo pravorum hominum & con-er satio : ideo magna quadam cum vehementia jussit ocentes à nobis propinquos depellere : eos vero ampu-ndos atque projiciendos esse consequentia ipsa rerum gnificat ,qui scandali authores sunt*. Qui pestifero la-orant vel extinguuntur morbo,sua contagione om-a inficiunt,idcirco omnia quæcunque ipsi tangunt el tetigerunt,averruncari ex ædibus & projici vel in quam vel in ignem solent. Pestem igitur esse scanda-authores indicat Dominus,dum erui jubet & proji-;& quidem in profundum maris, uti addidit : *Qui andalizaverit unum ex pusillis istis,expedit ei, ut su-endatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in ofundum maris*. Quid commisit mola asinaria seu ɔis molaris,ut cum scandaloso demergi in mare de-at? Nimirum videtur Dominus loqui de homine, ii molam asinariam vel gyravit vel tetigit,ideoque on ipse solus,sed una cum mola, quam traxit, de-ergendus in mare dicitur , ne ex eorum contagio lluantur alii : ut observat ad eum locum sanctus nbrosius sermone decimo. Quam ob causam Apo-lus scandalosum quendam & incestuosum forni-rium è communitate ejiciendum & tradendum sa-næ scribit & mandat Corinthiis primo Corinthio-n quinto rationem adjungens. *Nescitis quia modi-um fermentum totam massam corrumpit* ? hoc est od unius hominis scandalum omnes alios inficiat? *purgate vetus fermentum* putidum istum fornica-m è cætu vestro ejicite. Hinc etiam Achan,qui suo to scandalizavit Israel,cum omni domo & supel-tile sua,lapidatus & combustus est. Josue septimo. nc jubet Deus prælio instante ejici de exercitu mi-s formidolosos, ne corda cæterorum subvertant pavore suo imbuant. Deuteronomii vigesimo. ıc Jeroboam,qui erectis aureis vitulis *peccare fecit ael*, eversus & deletus est de superficie terræ cum ni domo sua.tertio Regum decimo tertio. Quin o viderunt etiam malum hujus contagiosæ pestis ntiles,& simili remedio sustulerũt. Etenim Assue-, cum intellexisset Reginam Vasthi , conjugem m,detrectasse ejus imperium,statim animadvertit n suis Consiliariis fore hanc ejus insolentiam scan-osam toti regno suo: *Egreditur*,inquit quidam Re-consultor,*sermo Reginæ ad omnes mulieres,ut con-temnant viros suos & dicant,Rex Assuerus jussit , ut Regina Vasthi intraret ad eum,& illa noluit. Atq; hoc exemplo omnes Principum conjuges Persarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum.* Itaque Regina mox repudiata & ab aula expulsa est. Esther primo. Ecce nec Reginæ quidem parcitur à Rege Gentili,ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Videant magistratus Christiani,quid Deo responsuri sint,si gravia scandala tolerent. Surget Assuerus,surgent ejus Consiliarii in die judicii & accusabunt illos.

III. Locutus est eodem Matthæi capite in hunc modum. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis,qui in me credunt,expedit ei,ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Quibus verbis indicat præstare mori & quovis diro supplicio è vita exterminari,quam ferire aliquem scandalo, quia mersio est mors corporis solum,scandalum vero datum est mors animæ tam propriæ quam aliorum qui scandalizantur. *Cur hoc dixit*,inquit sanctus Bernhardus epistola septima ad Adam monachum , *nisi quia significare voluit tam gravia inposterum manere tormenta,ut eis comparata mors temporalis nec pœnalis esse videatur,sed commoda*? Quocirca etiam tractatu de interiori domo capite 35.scribit: *Mori timeo,quia non sum paratus. Malo tamen mori & misericordiæ Dei me committere & commendare; quia benignus & misericors est,quam de mea conversatione alicui scandalum facere.* Mori igitur vir sanctus maluit, quam alicui præbere occasionem lapsus in peccatum. Jam si mori & quidem tam diro supplicio,quale est demersio,extingui præstat , quam scandalum præbere,quid aliud præbenti nisi gehenna expectanda & demersio in infernum? id sanè,ut diximus,indicat *Væ* particula: *Væ mundo à scandalis*: Et rursum Sapiens Proverbiorum vigesimo secundo. *Qui seminat iniquitatem,metet mala: & virga iræ suæ consummabitur.* Ubi Beda: *Qui verbo aut exemplo suam iniquitatem in alios sparsit,messis loco vindictam recipiet.* Messuere hanc Dei vindictam Madianitæ , qui scandalum objecere Hebræis , filias suas ut cum eis & scortarentur & idola venerarentur,quos proinde Deus ad internecionem deleri jussit,(inter quos etiam cæsus est Balaam, scãdali illius inventor & incentor. Numerorum trigesimo primo) adeoq; temporali & æterno supplicio punivit? Hebræos vero qui ab illis seducti in scandala incurrerunt,suspendi jussit contra Solem. Numerorum 25.non tamen nisi reos:gravior enim pœna debetur seductori quam seducto; *quandoquidem & serpens*,inquit D.Chrysostomus hom. 25.in Epistola ad Romanos,*magis punitus est quam mulier , quemadmodum & mulier plusquam vir & Iezabel majores pœnas dedit,quam Achab vineæ raptor ; ipsa quippe universum istud negotium texuerat , Regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris , graviora patieris , quam qui per te subversi sunt. Neque enim peccare tantum in se perditionis habet,quantum quod reliqui ad peccandum inducun-*

III. Iubentur mergi in mare cum mola asinaria.

ducuntur. Meſſuit & David hanc Dei vindictam, cui quidem pœnitenti, aliorum peccatorum pœnæ fuerunt remiſſæ aut certè mitigatæ, ſolius ſcandali reſervatæ. *Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti* (ſcandalo videlicet) *inimicos Domini; propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12. Meritò igitur ait Tertullianus lib. de cultu fœmin. *Neſcio an impunè abeat, qui alicui cauſa fuerit perditionis.* Vult dicere: non credo talem fore impunem. Scandalizarat autem David inimicos Dei, quia impii & leves homines culpam in Deum ſolent conjicere, quando conſtituit aliquem Magiſtratum & magnis proſequitur beneficiis, qui tamen graviter delinquat. Certe S. Chryſoſt. in ſerm. contra concubinarios tom. 5. aſſerit magis Deum ſentire & gravius plectere peccata leviora, quæ cum ſcandalo fiunt, quàm graviora, quæ neminem lædunt. Idcirco enim vult Moyſen & Aaron in deſerto morti addictum eſſe ob leve diffidentiæ verbum ad aquas contradictionis, coram populo enunciatum: cum tamen alias longe graviori diffidentia Deo reſtitiſſet Moyſes. Numerorum 11. v. 21. Indicant id verba illa Dei ad Moyſen & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introduceretis hos populos in terram, &c.* Numer. 20. Hanc etiam ob cauſam legimus Sanctæ Catharinæ Senenſ. ſororem è medio ſublatam & graviſſimas purgatorii pœnas exſolvere coactam fuiſſe, quod multis precibus ſororem ad ornandum faciem impuliſſet, ut virginem CHRISTI ad conjugii ſpem mundique amorem alliceret. apud Raymundum in vita ſanctæ Catharinæ Senenſis. Simili modo punitam, filiis, marito & vita denique orbatam ſcimus Prætextatam, quod levi & profano cultu virgines Deo ſacratas ornaſſet, è ſancto Hieronymo epiſt. ad Lætam. Sed cur molæ aſinariæ appenſione demergendum ait Dominus ſcandali authorem? Reſpondet ad hoc Salazar in c. 3. Proverb. ut pœna accommodetur delicto. Nam cum ſcandalizans ei comparetur, qui lapidem pedi opponit, ut ad ruinam impellat: adverſus illum ſic Chriſtus: Melius longè illi eſſet, quod mola aſinaria, id eſt, lapide ingenti collo appenſo deturbaretur in mare, quam ut ſcandalo etiam exiguo tamquam parvulo lapillo objecto puſillum ad ruinam impelleret. Aliam præclaram hujus rei cauſam dat Beatus Petrus Chryſolog ſerm. 27. *Quare lapis molaris,* inquit, *quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum ſecernit, panem piè laborantibus ſubminiſtrat. Bene ergo illi, qui elegit miniſter ſcandali magis eſſe, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuiſſet ad vitam, quia ſenſus ad vitam datos, mortis convertit in ſcandalum, ſuadendo aliud videre, aliud audire, aliud ſentire, aliud ſapere, quam erat in Chriſto, quam erat in ſcientia ſalutar.* Viderint ergo parentes, qui ſcandala præbent liberis ſuis; viderint mulieres, quæ fuco ſuo decipiunt juvenes, quid ſupplicii mereantur. Sanè Ezechielis decimo quarto ait Dominus: *Qui ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, ponam faciem meam ſuper hominem in exemplum & in proverbium, & diſperdam illum de medio populi mei,*

IV. Locutus eſt Matth. decimo ſeptimo ad Petrum cum didrachma ab eo exactum eſſet: *Ergo liberi ſunt* (à tributo) *filii; ut autem non ſcandalizemus eos vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me & te.* Ne enim exactores offenderentur, quaſi Chriſtus vellet ſe ſubtrahere à communi lege & ſubjectione Imperatoris eumque aſpernari, voluit in ſumma rerum penuria piſcem è mari evocare, qui pro ipſo ſatisfaceret. *Ex qua re,* ait Sanctus Gregorius homil. ſeptima in Ezechielem, *nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus vitare proximorum ſcandalum debemus.* Copioſius Sanctus Baſilius in reg. brevior interrogat. 64. *Quotieſcunque in iis, quæ ex mandat[o] vel fiunt vel dicuntur, homines offenſionem incurrunt & in iis ſcandalizantur (ut in Evangelio quidem i[n] his, quæ à Domino ex voluntate patris fiebant, & di[]cebantur) enim verò tunc ea in memoriam nobis ſun[t] revocanda, quæ de hujuſmodi hominibus idem dom[i]nus reſponderit, quando illum adeuntes diſcipuli ſic a[d]locuti ſunt: Scis quod Phariſæi, audito verbo hoc ſca[n]dalizati ſunt? Sic enim illis reſpondit. Omnis plantati[o] quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitu[r.] Sinite illos: Cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus aute[m] ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent. San[e] que multa hujuſmodi cum in Evangeliis, tum apu[d] Apoſtolum reperire quis facile poſſit. Vbi vero in h[is] quæ poſita in poteſtate noſtra ſunt, impingit aliqu[is] ſcandalizaturve, enim verò tunc veniendum eſt [in] memoriam eorum Domini ad Petrum verborum, qua[n]do dixet: Ego liberi ſunt filii. Vt autem non ſcandaliz[e]mus eos, vade ad mare & mitte hamum & eum piſce[m] qui primus aſcenderit tolle: & aperto ore ejus, inveni[es] ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te, & ite[m] eorum quæ Apoſtolus ad Corinthios ſcribit his verb[is] non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meu[m] ſcandalizem, & alio in loco: bonum eſt non mand[u]care carnem & non bibere vinum, neque in quo fr[a]ter tuus offenditur, aut ſcandalizatur aut infirmatu[r.]* Hac igitur de cauſa Deus ipſemet ſcandala è med[io] quantum per ipſum ſtabat, tollere conſuevit: [ut] in corpore Moyſis patet; quod idcirco occul[te] nemine præſente ſepelivit & reliquo tempo[re] abſconditum eſſe voluit, ne Judæi, ad Idolol[a]triam proni, ſi id deprehendiſſent, Moyſen c[o]lerent, velut numen. Deuternom. 34. uti ſentiu[nt] S. Chryſoſtomus hom. 1. in Matth. Theodoretus [&] Procopius. Eodem conſilio Ezechias Rex confr[e]git ſerpentem æneum, qui jam quaſi divinum al[i]quid coli à Judæis cœperat 4. Reg. 18. Abraham ſ[e]paravit ſe à Loth, (Gen. 13.) dans ei optionem el[i]

gen

gendi quam vellet regionem, deteriorem ipse non gravatè accepturus, ne litigium glisceret magis, quod jam ortum erat inter eos. Sed cur cessit senior juniori? patruus nepoti? Causam insinuat sacer textus, dum interserit: *Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in illa terra*, quasi dicat Moyses, ne in scandalum Gentilibus cederet contentio hæc inter Dei servos, & duos propinquos, voluit sopire litem Abraham etiam cum detrimento suo. Qua de causa quoque dixit Apostolus 1. Cor. 6. *Frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles?* Præclariora his habemus in lege nova S. Procopius sub Diocletiano Martyr, carbones ignitos manui à Judice impositos, quod cogeretur vel ex dolore excutere eos in subjectam Idoli aram, constanter potius retinere, donec carnem absumerent, quam excutere maluit, ne rejectis prunis videretur immolasse cum Christianorum scandalo, apud Surium 8. Julii. Ustazanes Persa Saboris regis eunuchus & educator Christianus, cum vi coactus Solem adorasset & ob hoc à Simeone Episcopo acriter reprehensus fuisset, mox pœnitere & lachrymis errorem suum plangere corrigereque studuit, prodens se Christianum Regi & offerens ad martyrium, quod cum ei indictum esset, in hoc unum incubuit, ut scandalum quod dederat, auferret, ideoque à Rege pro omnibus suis obsequiis ipsi tamdiu præstitis nil aliud gratiæ petiit, quam ut præconis voce pronunciaretur plecti non ob aliam causam quam quod Christianus esset Sur. & Lipel 21. Apr. Sed quid tantorum virorum exemplis opus? A brutis discere possumus quam cavendum sit, ne quem offendamus pravo exemplo. Avis Dicæa seu Justa appellata defodit excrementa sua, ne inveniri queant, quia mortales enecant teste Æliano lib 4. de animal. Serpens è pellucido fonte non bibit, priusquam totum, quo turget, venenum effundat ne fontem inficiat, ex quo animalia, cum biberint, enecentur; uti passim auctores scribunt. Et videtur eò respexisse Dominus cum Matth. 10. dixit: *Estote prudentes sicut serpentes.* Quid agat igitur Christianus, ne pravis suis actibus offendiculo sit aliis? Videat, videat ut hanc potius serpentis imitetur naturam, quam maledicti illius & à Dæmone possessi nequitiam & pestiferam suggestionem qua in lapsum impegit primos nostros parentes unaque omnes nos ne alioquin incurrat in eandem aut similem maledictionem, qualem ille audiit; quod à nobis procul avertat Deus super omnia benedictus.

THEMA III.

Cur mali persequantur & odio habeant bonos.

1. *Quia in moribus sunt eis dissimiles.*
2. *Quia boni malos arguunt.*
3. *Quia vident eos à Deo amari plusquam se.*
4. *Quia vident se cum bonis suis terrenis despici ab illis.*

Venit hora, ut omnis qui interficit nos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Joan. 16.

BEne enim hodier. consonat Evãgelio, quod Matth. 10. dixit Christus Dominus ad discipulos suos: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ut enim oves inter lupos nihil aliud expectare possunt, quam suam necem & l.l enam: ita & Apostoli in perverso mundo nil aliud nisi gladium & persecutionem poterant sperare. Sapienter Ecclesiast. c. 13. dixit: *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.* q. d. nunquam hoc sperandum. Non caret tamen hoc admiratione. Quid enim nocet agnus lupo: quid justus peccatori, ut eorum odia & persecutionem sustinere debeant? De lupis quidem non mirandum: quia in ovibus quærunt pabulum suum, inveniunt suave epulum. Sed cur justum odit peccator, cum ex illo nõ nutriatur? Nimirum ex duplici causa existit antipathia inter animantia: primo ex appetitu cibi sibi convenientis, uti in lupis erga oves. in felibus erga mures, in canibus erga lepores &c. secundo ex mero odio & naturæ contrarietate, uti inter hyænam & pantheram, inter serpentem & hominem &c. Atq. ex hoc capite peccator odit justum. Lupus invadit ovem, quia ovis ei suavis cibus est: peccator vero justum, quia justus ei insuavis est. Ita enim loquuntur improbi Sap. 2 *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis.* (70. volunt, *quia insuavis est nobis.* Ovis inter lupos erat Joseph inter 10. fratres, summo habitus odio, indeq; eorum manibus hostiliter apprehensus, veste sua nudatus & in cisternam projectus, posteaque venditus. Quid commisit hæc ovicula simplicissima & innocẽtissima ut tam crudeliter vexaretur? Nimirũ suis fratribus *insuavis* erat cibus, quia nimirum difformis & contrarius illis. Quod Josepho contigit, contingit & aliis justis. Causas nunc videamus.

I. Oderunt Josephum & persecuti sunt fratres ejus, quia habuit *vestem polymitam* seu diversicolorem, distinctam à fratrum vestibus. Hinc oderunt mali bonos, quia sunt eis in moribus dissimiles; mali enim mundanos, boni cœlestes habent mores. Illi delectãtur ambitione, avaritia, gula, libidine: hi verò humilitate, paupertate, sobrietate, castitate. Hanc allegant causam impii Sap. 2. *Gravis est nobis etiam ad videndum quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Pupigit vestis illa multicolor Josephi, quam fecit ei pater, ocu- *I. Quia in moribus sunt eis dissimiles.*

los fratrum, fuitque ſemen primum odii fraterni: unde tandem eam miſero detraxerunt, & hirci ſanguine tinxerunt atq; cruentarunt. Pungit etiam improbos ſancta & variis virtutibus ſplendens vita piorum: quare etiam adlaborant aut certè deſiderant, ut ea ipſis detrahatur & fætido hircorum ac peccatorum cruore defædetur ac collutuletur, quò nimirum ſibi ſimiles fiant. At dum virtuoſi reprobis reſiſtunt & virtutes tuentur ſuas: hinc illorum odium & perſecutiones incurrunt. Cur enim pugnent frigida in calida, & calida in frigida, niſi quia habent contrarias qualitates: & quia calidum cupit ſibi aſſimilare frigidum, hoc autem ei reſiſtit: ſimiliter & calidum reſiſtit frigido, ab ipſo impugnatum; hinc diſſidium & pugna inter utrumq;. Vide hoc & Cic. in l. de amicitia poſt med. ita ſcribens: *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequūtur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias: nec ob aliam cauſam ullam boni improbis: improbi bonis amici eſſe non poſſunt*, Cupiunt pii malos ad bonam frugem reducere, iſti ſe opponunt: deſiderant & mali pios pervertere, ut ſibi ſimiles reddant, pii reſiſtunt: hinc odium ſuſtinent & perſecutionem. Ac licet boni taceant nihilque omnino moliantur in malos, ipſa tamen eorū vita tacite redarguit corruptos horum mores, ideo vel aſpectus eorum malis eſt intolerabilis, uti fatentur Sap. 2. *Gravis eſt nobis etiam ad videndum.* Hanc ob cauſam Nero ille peſſim. quod Thraſeæ Senat. optimi venerabilem ferre ſpeciem nequiret, è medio eum ſuſtulit, uti refert Tacitus l. 16, Anna. Hinc factum ut Jacob in domo patris ſui juxta fratrem Eſau, ſibi infenſum perſiſtere non poſſet, ſed exulare cogeretur, quia vel aſpectus ejus gravis alteri fuit, adeo ut necem ei intentaret. Gen. 27. *Nam iniquitatis filii*, inquit Cyrill. Alexandr. l. 10 in Gen, *cum clarorum hominum virtutem, reprehenſionem quodammodo ſuæ pravitatis exiſtiment, veluti immanes quædam feræ in eos crudeliter ruunt.* Eſau uti corpore piloſus & hiſpidus, ita corde & animo quoq; erat aſper & horridus ferus & improbus: Jac. econtra levis corpore, & ſuavis moribus, mitis & innocens. Eſau venator foris agebat & per ſylvas vagabatur: Jacob domi cum parentibus perſiſtens ad ſeipſum & ſalutem ſuam attendebat: hinc fratri exoſus & ſudes erat in oculis.

II. Quia boni malos arguunt.

II. Quia *accuſavit* fratres ſuos *de crimine peſſimo*, Gen. 37. *Credendum eſt*, inquit ſanctus Thomas 2, 2. q. 33. art. 7. ad 2. *quod fratres ſuos quandoq; admonuerit, licet id non ſit ſcriptum.* Idem ſentit eo loco Abulenſ. Quamquam ea præmonitio non videtur fuiſſe neceſſaria, tum quia patri rem denunciavit, cujus erat noſſe delicta filiorum: tum quia velut frater minimus 16. annorum, minime auditus fuiſſet. Altera hæc cauſa eſt odii & perſecutionis malorum in bonos; quia illorum ſcelera iſti redarguunt & accuſant, quod etiam fatentur improbi Sap. c. 2. cit. *Circumveniamus juſtum, quoniam improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Non ferunt veſpertiliones lucem, nec ſcabioſa capita pectinem amant. Unde Amos c. 5. ait. *Odio habuerunt loquētem in porta* (Prophetam prædicantem, vel Judicem corripientem) *& loquentem perfecte abominati ſunt.* Quia ut ait ſanctus Greg. 16: mor. c. 1. *arrogantes ſicut inflantur laudibus, ita inflammantur correptionibus*; quo modo trigides efferantur ad tympanorum ſonitum, apud Plut. de ſuperſtit. Sic efferatus ad prædicationem Jerem. Phaſſur, conjecit eum in carcerem, quod minaces ejus prophetias ferre non poſſet. Jer. 20. Sic Herod. ad increpationem Joan. incluſum in carcere decollari juſſit. Mar. 6. Herodias quoq; ob eandem cauſam caput ejus petiit. Saul ad filialem Jonathæ admonitionem, ne perſequeretur innocentem David, ira inflammatus lanceam arripuit, ut configeret eum. 1. Regum 20. Deniq; quæ cauſa eſt, cur agricolæ illi, quibus in parabola Dominus commiſſam dixit ab hero ſuo vineam colendam, tam crudeles fuerint in ſervos domini ſui ad ſe miſſos; ita ut alium cæderent, alium occiderent, alium lapidarent? Mat. 21. Non alia niſi quia ſervi illi, ſuo Domino fideles, exegerunt à vinicolis fructus hero debitos; qui autem pendere eos debebant, erant hero infideles, ideoq; fructum a ſe exigi audire noluerunt. Hoc eſt quod agunt juſti: inſtant, urgent reprobos, ut Deo ſuo præſtent debita obſequia. At hic clamor offendit aures improborum: hinc in eos ſæviunt & bilem ſuam effundunt. At quam hoc indignum! quid n. niſi charitas pios extimulat, ut dehortentur à malo reprobos & incitent ad bonum? Miratur id Apoſt. in Gal. c. 4. *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Quis n. non amet veritatem, cum ſit animæ cibus unice deſideratus? Quis niſi inſanus aut phreneticus Medicum invadit verberibus, curam ſibi adhibentem? Tales itaq; non tam homines, quam Dæmones eſſe videntur, juxta id Eccl. 21. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris*, h. e. Dæmonis maximi peccatoris, ut exponit Sanctius in 1. Reg. c. 15. Optime Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 9. *Speculum*, inquit, *non eſt malum deformi, eo quod ipſum deformi oſtendat qualis ſit, ita nec is, qui reprehendit, ei male vult, qui laborat animo, nec enim ei delicta adjungit, ſed ea quæ adſunt peccata, oſtendit.*

III. Quia *plus cunctis filiis à patre amabatur*; quod ex variis indiciis obſervarunt fratres. Eandem odii ſui cauſam allegant impii Sapient. 2. citat. quia ſcilicet *gloriatur patrem ſe habere Deum*; ſibi ſcilicet faventem & benevolum. Et paulò ſuperius: *filium Dei nominat.* Vident nimirum reprobi juſtos Deo cordi eſſe, & defendi plerumq; ab inſidiis, ſæpe etiam glorificari in hoc ſeculo, tendere magnis paſſibus ad beatitudinem & patriam cœleſtem: vident eorum virtutes & ſanctitatem. ſe verò humi repere, & vitiorum cœno immerſos numquam emergere, adeoque deorſum ſemper ad vitia propendere & ad inferos pergere: hinc perſequuntur illos ex invidia. Ex hoc fonte profluit odium Dæmonum in homines, quia vident gloriæ ſedes in cœlo ſibi aliquando, ſi perſtitiſſent in gratia, deſtinatas, jam occupari ab hominibus. Unde ſanctus Antonius vidit aliquando Dœmonem gigantis ſpecie uſque ad nubes caput attollentem, animaſque ad cœlum evolantes manibus extenſis prohibentem ne tranſirent, & dolentem maximè quod aliquæ,

quas

quas non poterat impedire, ad cœleſtia tranſvolarent. Athan. in vita cap. 38. S. Adelgund. vidit eundem dirè plorantem & ſortem ſuam lamentantem, quod illuc Adæ filios aſcendere conſpiceret, unde ipſe cum ſuis ſemper exulare cogeretur. In vita 30. Jan. Teſtem hujus odii habemus S. Gregorium, qui l. 5. moral. c. 5. *Hoſtis callidus primo homini invidendo ſurrepſit, quoniam amiſſa beatitudine minorem ſe immortalitate illius agnovit.* Ex eodem fonte manavit odium & parricidium Caini, ut ibidem ſubdit Sanctus Greg. *Et Cain ad pertrandum fratricidium corruit: quia deſpecto ſuo ſacrificio prælatum ſibi infremuit, cujus Deus hoſtiam accepit; & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, ne utcumque eſſet, amputavit. Hinc Eſau ad perſecutionẽ fratris exarſit; quia primogenitorum benedictione perdita (quam tamen pro eſu lenticulæ ipſe vendiderat) minorem ſe eo eſſe, quem naſcendo præibat, ingemuit. Hinc fratres Ioſeph tranſeuntibus Iſmaelitis ipſum vendiderunt: quia cognito revelationis myſterio, ne ipſis fieret ille melior, ejus profectibus obviare conati ſunt, Hinc denique Saul Davidem, lanceam intorquendo proſequitur: quem enim magnis augeri quotidie virtutum ſucceſſibus ſenſit, ultra ſe excreſcere expavit:* Huc denique ſpectat frater filii prodigi, qui ob receptum à patre filium, ſeipſum gaudio & convivio privat, & dolore cruciat. Luc. 15. Sed quæ hæc eſt ſtultitia, ex alterius bono ſibi ipſi virgam plectere & verbera infligere? Optimè ergo Jacob de invidia filiorum ſuorum erga Joſephum dixit: *Fera peſſima devoravit eum, beſtia comedit Ioſeph.* Geneſ. 37. Verè feræ peſſimæ ſunt invidi, quia de illis ſcriptum eſt Pſal. 13. *Devorant plebem meam ſicut eſcam panis.* In quem locum S. Chryſoſt. tom. 1. in Pſ. illum: *Qui propter invidiam*, inquit, *mortem fidelium eſuriunt. Et non dixit, comedentes, ſed devorantes aut exedentes, feris crudeliores. Feræ etiam cum carnem humanam guſtaverint, mox ceſſant, propter inſuetum nutrimentum erubeſcentes. Impii autem & invidi fidelem perpetuò maledictis exedentes, non ſaturantur.*

IV. Quia *enarravit* fratribus ſuis *omnia ſua*, quibus indicabatur fore eum aliquando Principem, fratres vero ei ſubjiciendos. Præbuit hæc narratio maximum ſeminarium odio fraterno & perſecutioni, ut teſtatur ſacer textus hic verbis: *Hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum invidiæ & odii fomitem miniſtravit.* Gen. 37. Pari modo reprobi perſequuntur & oderunt probos, quia partim audiunt eos in ſolo Deo gloriari & promittere ſibi bona æterna in cœlo, impiis verò prædicere & minari pœnas æternas (uti faciebant 7. Machabæi Antiocho 2. Mach. 7.) ſpernere verò & exſibilare hæc infima eorumque ſectatores velut ſtultos & infantes vanitatem & mendacia quærentes: partim etiam vident eos mundi contemptores ac deriſores, adeoque à mundanis ſe ſeparare, &c. Hanc cauſam etiam tangunt impii cit. cap. 22. Sap. cum ajunt: *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo* (juſto) *& abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis.* Eandem aſſignat Chriſtus Matth. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego eligi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Senſus eſt, inquit Cornelius ibi: Si vos diligeretis opes, honores, delicias, libidines, &c. uti mundus diligit, ipſe vos ut ſui ſimiles diligeret. At cum videt vos hiſce ſuis cupediis contraria diligere & diligenda docere ſcilicet contemptum terrenarum opum, honorum, deliciarum, libidinum, idcirco odit vos mundus. Adhæc ea quæ ſperant & magnificant pii bona cœleſtia, impii pro inanibus ſomniis & vanis illuſionibus habent: pii autem veriſſima eſſe aſſerunt, ſicut & Joſephi ſomnia veriſſima erant, à Deo ipſi immiſſa. Certe Apoſtolus mundana omnia, quibus mundus obtinetur, reputat *velut ſtercora*, ad Philip. 3. S. Auguſt. verò nugas. l. 8. Confeſſ. c. 11. ubi ait: *Retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ.* Econtra crucem, paupertatem, humilitatem maximo loco habent. Quemadmodum enim Hebræi exoſi erant Ægyptiis, quia mactabant & comedebant oves & ſimiles pecudes, quas Ægyptii venerabantur velut numina; unde Moyſes Pharaoni dixit: *Non poſſumus immolare in terra hac: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.* Exo. 8. Ita etiam ſervi Dei odio ſunt mundi aſſeclis; quia quod iſti vivere volunt, illi mortificant: quæ iſti adorant, illi mactant: quæ illi magni faciunt, juſti contemnunt: vitulos ſcilicet aureos divitiarum, &c. Unde S. Greg. lib. 20. moral. cap. 16. ait: *Oves Ægyptii edere dedignantur: ſed quod abominantur Ægyptii, hoc Iſraëlitæ DEO offerunt, quia ſimplicitatem conſcientiæ, quam injuſti velut infimam abjectamque deſpiciunt, hanc juſti in virtutis ſacrificium vertunt, & excolentes rectè puritatem ac manſuetudinem Deo offerunt, quam abominantes reprobi ſanctitatem putabant.* Neque verò ſolum hæc terrena ſpernunt juſti, ſed præterea etiam ipſos mundi amatores & peccatores contemnunt, eorumque potentiam & faſtum & minas pro nihilo habent, uti Samuel Saulem, quem DEO rebellem dignari amplius aſpectu noluit: Elias Achabum: Eliſæus Regem Iſraël, cui dixit: *Si non vultum Ioſaphat, Regis Iuda, erubeſcerem, non attendiſſem quidem te neque reſpexiſſem.* 4. Reg. 3. Mardochæus quoque impium & ſuperbum ſprevit Amanem, velut DEO mortuum: neque ipſi aſſurrexit prætereunti, Eſth. 3. In ſolo enim DEO omnia ſe habere ſciunt. Hinc exurgit odium impiorum erga pios, uti obſervat etiam gloſſa in Sap. 2. *Potentes ſæculi*, inquit, *qui beneficiis divina poteſtate collatis abutentes, quos conſortes habent naturæ, dedignantur habere conſortes gratiæ; & honorem & reverentiam, quam ſoli DEO debuerunt, in ſeſe transferre contendunt, eos autem qui conſentire nolunt, odiis & cruciatibus proſequuntur; ſed juſto Dei judicio in inſidiis ſuis capiuntur iniqui unde Proverb. 11. dicitur: juſtus de anguſtia liberatur, & traditur impius pro eo.*

Quando igitur vidimus quæ cauſæ ſtimulent malos ad perſequendum bonos, *nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus*, ait Sanctus Joannes epiſt. 1. cap. 3.

Quid enim mirum si filii Diaboli oderint filios Dei? Si filii serpentum oderint filios hominum: Gaudete igitur potius: quia(ut subdit Joannes) *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

THEMA IV.

Ratio accendendi in nobis ignem Spiritus Sancti.

1. *Oratione assidua & fervente.*
2. *Meditatione vitæ & beneficiorum Christi.*
3. *Pœnitentia.*
4. *Precibus Sanctorum.*
5. *Consideratione gehennæ.*

Cum venerit Paraclytus. Joan.15.

Ignis Sp. S. nostra industria accendendus.

Mirum quid, Auditores, legimus in Levitico capite decimo filios scilicet Aaronis, Nadab & Abiu devoratos esse ab igne sacro; quia ad sacrificium usi fuerant igne non sacro, sed alieno. Ignis ille typus Spiritus sancti fuit, quia & igne Spiritus S. super Apostolos venit. Verum hic alienus est, quando nullâ nostrâ operâ excitatus est. Non vult Deus talem ignem alienum, non vult dare Spiritum sanctum, quem nulla nostra accenderimus industria. Hinc est Auditores quod ait Dominus Luc.12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* De igne Spiritus sancti loqui Dominum docent plerique omnes, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius. Sed si ita desiderat ignem illum accendi, cur ipse eum non accendit? Nimirum quia à nobis vult eum accendi; ut sic ignis ille noster fiat. Sed qua ratione, dicet aliquis, accendemus ignem illum? Audiamus.

I. Oratione assidua & fervente.

I. Ignis excitatur flatu. Flatus noster oratio est, dum enim oramus, halitum ad Deum efflamus, & crebrò quidem. Ergo frequens & perseverans oratio excitabit in nobis ignem Spiritus sancti. Ita fatetur Salomon se per istud medium impetrasse Spiritum sapientiæ: *Optavi & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Sap.7 Imo Christus ipse Lucæ 11. cum jussisset instanter orare, subdit: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Scimus Eliam orationi instantem ac dicentem: *Exaudi me Domine, exaudi me, &c.* ter aquis perfuso altari; curvando se in modum arcus, ignem de cœlo holocausto suo absumendo impetrasse. 3. Regum 18. Poterit ergo & oratio talis impetrare Spirit. S ignem, maxime si accesserint crebræ lachrymæ & ardentia suspiria. Denique hoc medio usi sunt Apostoli & primi Christiani ad impetrandum Spiritum sanctum. *Erant enim perseverantes unanimiter in oratione,* ait S. Lucas Act. 1. per decem videlicet dies. Græcè habetur προσκαρτεροῦντες hoc est, *perdurantes* & difficultatem operis assiduitate superantes. Orare e. non est minima difficultas, qu[...] mens velut arcus tenditur & ad cœlestia attollitu[...] phantasia interim constringitur & vinculatur, ne i[...] distractiones evagetur: quod multo tempore continuare est difficile. Multum ergo hic labor impetrat. I[n] vita sanctæ Lutgardis Virginis Tungrensis scrib[it] Thomas Cantipratanus, apud Surium decimo sext[o] Junii, quendam ejus specialem amicum, virum sæcularem, qui gravi se scelere obstrinxerat, confessum quidem esse & egisse pœnitentiam, in precibus tame[n] suis nullam indulgentiæ sentire potuisse consolationem, adeo ut parum abesset, quin in desperatione[m] incideret. Venit ergo ad Lutgardem & ei tum peccatum tum miseriam suam explicuit. Illa bis terque pr[o] eo Dominum orans, nullum responsum accepit, ne[c] miser homo melius habuit. Tum illa cum Domin[o] precibus luctans: *Aut dele me* inquit, *de libro vitæ, au[t] dimitte illi noxam hanc.* Mox misericordia flexus Dominus: *Ecce,* inquit, *remisi illi.* Quibus verbis ille confestim perfectam veniæ spem concipiens ad tranquilliorem animi statum, quam fuerat ante lapsum, Domino miserante pervenit.

II. Excitatur speculo Soli obverso. Eo artifici[o] Archimedes classem hostium incendit. Speculum hoc meditatio est & consideratio vitæ & beneficiorum Christi, nostræque difformitatis ab exemplari & ingratitudinis; de quo Apostolus ad Hebræos duodecimo ait. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Ipse nimirum cum dives esset, propter nos egenus factus est: nihil in mundo possedit, cujus erat totus mundus, ex humili virgine in stabulo natus, noluit Rex ab hominibus fieri, esurivit, sitivit, fatigatus est; insuper propter nos vinctus, falsis criminationibus accusatus non respondit, flagellatus & crucifixus est. Nos vero quam ei dissimiles sumus! Hac meditatione excitavit in se ignem Spiritus sancti Elisabetha tenella: cum imaginem Crucifixi suo ornatui tam dissimilem contemplata est, ut corona capiti detracta vehementer erubesceret. Adhæc quam ei ingrati sumus pro tantis beneficiis! quoties ejus vulnera denuò peccando renovamus! quoties ejus sanguinem pedibus calcamus ipsumque rursum crucifigimus! Ex hac consideratione, beneficiorum scilicet Dei & suorum peccatorum, quibus æternam mortem commeruisset; Dei vero benignitate redemptus & gratiæ restitutus esset, Petrus Raimundus, Sanctæ Catharinæ Senensis Confessarius tantam concepit contritionem, ut rugitus ederet, & tantum non cor ei rumperetur, id quod precibus Beatæ Catharinæ impetravit, In vita Catharinæ 29. Aprilis capite decimo nono. Et hoc est, quod in ps. 38. ait David *Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis.* Non dubiũ quin etiam discipuli Christi & primi illi Christiani eo tempore, quo Jerosolymis inclusi Spir. S. expectarunt, identidem acta, dicta & beneficia à Christo accepta recolentes inter se con-

tule-

tulerint, & doluerint, quod tantis beneficiis non pro merito responderint, quemadmodum illi duo euntes in Emaus dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur nobis in via?*

III. Excitatur percussione, uti patet in silice. Percussio hæc quid aliud est nisi peccatorum nostrorum accusatio, deploratio & punitio? Hac usus Publicanus, cùm percutiens pectus suum, dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Accendit verò hac percussione in se ignem Sp. S. quia *descendit justificatus in domũ suam.* Eodem medio usus est S. Hier. plangens in Eremo, ac puniens peccata fame, frigore, nuda humo vix ossa hærentia affigens, uti describit in epist. 22. ad Eustoch. *Vbi* inter alia ait: *Memini me clamantem diem crebrò junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante tranquillitas.* Hoc eodem medio accenderunt in se ignem Sp. S. quamplurimi Judæi, qui in monte Calvariæ visis prodigiis percutiebant pectora sua & revertebantur utiq; compuncti cum Centurione. Deinde qui in die Pentecostes audientes concionantem Petrum, seque redarguentem, quod sprevissent & crucifixissent Christum, qui jam in cœlis regnans ipsorum Dominus & Messias esset, *his enim auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?* Act. 2. q. d. Quid remedii nobis erit, quæ spes, quod refugium qui tam grande scelus cõmisimus? In fratres nos accipite, & baptismo abluite à peccato nostro. Quo facto & ipsi Deo reconciliati sunt & Sp. S. igne perfusi. Bene ergo S. Bern. tract. de modo bene vivendi ser. 10. ait: *Compunctio Sp. S. reducit ad se, quia cùm Sp. S. mens visitatur, statim homo peccata sua plorat.* Quod hi fecerunt & dixerunt Petro aliisq; Apostolis, facite & vos ac dicite Confessariis: *Quid faciemus viri fratres?* quomodo expiabimus peccata nostra? confitemini illa & plorate. Habuerunt ante Judæi illi plusquam saxea corda, siquidem in passione Christi saxa scissa sunt, ipsorum corda scissa non sunt. Nunc tamen ad vocem Sp. S. de cœlo lapsam & objurgationem Petri scinduntur, & ignem Sp. sancti concipiunt. Nunquid aliquis magis saxeus esse vult, quàm illi fuerunt?

IV. Excitatur affricatione corporum solidorum, v. g. duorum lapidum molarium, vel rotæ & silicis. Similiter & ignis Sp. S. excitari in nobis potest, si jungamus nos viris piis & spiritualibus, vel imploremus opem Sanctorum. Ita primi illi Christiani manebant cum Maria matre JESU, seque ad illam quasi affricabant, ut filium suum ipsis benevolum redderet. Ita nobilis quidam & mundo deditus Ephebus cùm S. Elisabethæ preces pro se implorasset, illa juvenem ad templum duxit & unà secum orare jussit. Prostrati igitur ante altare, dum aliquamdiu orant, ita juvenis calere in corpore & animo cœpit, ut sæpius clamaret, se comburendum esse, nisi Elisabetha ab oratione cesset. Deficiens verò animo præ calore dum sustentatur, deprehensus est manus habere inflammatissimas, ut vix ferri possent. Postea totus immutatus sæculo valedixit & Franciscan. Ord. intravit. Ut in vita. Adhuc melius agunt, qui hoc tempore se ipsi Christo per S. communionem affricant & uniunt ad eamque dignè sese præparant. Ad hoc insinuandum ascenderunt discipuli in cænaculum, ubi Christus Pascha celebraverat, & ibi manserunt ac forsan etiam missas celebrarunt adeoq; communicarunt. Cænaculum illud *grande & stratum* fuit, Luc. 22. Et tale sit cor communicantium. *Grande* per fiduciam magnam, quã te in sinum Domini cum Joanne projicias in eoque suaviter recumbas *stratum* per virtutes, fidem, charitatem, humilitatem, reverentiam.

V. Denique ignis igne excitatur. Quare si, quæ diximus, nedum possunt ignem Sp. S. accendere in nobis, ad ignem gehennæ descendamus, & ex illo maledicto ignem sanctum accendamus. *Omnis enim igne salietur*, inquit Dominus Marci 9. Quomodo omnis homo igne salietur? nonne ignis absumit? sal conservat? Ita est; sed ignis inferni bene per meditationem inspectus & quasi sensu perceptus vim habet conservandi à corruptione adeoque vivificandi hominem. Hinc S. Chrys. ho. 2. in c. 2. ad Thessal. 2. ait: *Nemo eorum, qui gehennam ob oculos habet, in gehennam incidet. Nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet.* Et supra. *Etenim si aspectus tantùm mortui hominis mentem nostram adeò pavore contrahit, quanto magis gehenna & ignis ille inextinguibilis? quanto magis vermis non moriens? si perpetuò gehennam recogitaremus, non citò in illam incideremus.* Certè potuit ea cogitatio accendere ad fidem adeoque ad gratiam Sp. S. & ipsum martyrium 28. milites, qui jussi fuerant à Sapore, Persarum Rege, S. Acindynum cum sociis mittere in fornacem ardentem. Cum enim milites illi essent prope os fornacis & intolerabilem ejus ardorem ferre non possent. Sancti, qui eos viderant territos: *Quid statis*, inquiunt, *quod jussi estis non facientes? Si hic, qui est conservus & est ad tempus ignis vobis visus est tam terribilis: ignis ille gehennæ, qui nunquam desinit, & nunquam extinguitur, quemadmodum à vobis tolerabitur: Ad hæc illi: Et quomodo poterimus effugere, quod vos dicitis, supplicium? Nisi abnegato Idolorum cultu, ajunt illi, Christo vero Deo verè credideritis, non poteritis effugere illa supplicia.* Ad hæc illi statim manus dederunt. & *nunc vestram*, inquiunt, *consecuti doctrinam tranquillis sumus animis, aliquam spem salutis, ut par est, expectantes.* Ergo qui prius astare fornaci non potuerunt, Christi signaculo armati una cum Martyribus læti fornacem ingressi, martyrii palmam consecuti sunt. Metaphrastes apud Sur. 2. Nov.

V. *Consideratione gehennæ.*

Habemus igitur non unam, sed plures rationes & industrias, quibus accendere in nobis ignem illum amoris divini possumus. Quare ne cum filiis Aaron alienum quæramus ignem, sed propria potius industria conemur una cum Dei gratia accendere in nobis ignem illum, quem Servator noster cupit vehementer accendi.

THEMA V.

Stimuli ad emigrandum ex hac vita cum desiderio.

1. *Dei monentis vox*
2. *Mundi odium & insidiæ.*
3. *Labores & miseriæ hujus mundi,*
4. *Miseriæ hujus vitæ externæ.*

Absque Synagogis facient vos. Joan.16.

MIgravit à nobis nuper Salvator noster, & mundum hunc reliquit. Neque est quod hoc aliquis miretur: non enim ita belle & benevole habitus est à mundo, ut longiorem in eo moram desiderare posset, etenim sine honore ab eo exceptus est, & cum ignominia per crucem ejectus. Quod exhibuit mundus patrifamilias, hoc & domesticis atque amici ejus Apostolis, uti prædixit eis Christus in hodierno Evangelio: hoc exhibet & aliis justis, adeo ut non videam, quocumque tandem me vertam, quidnam Dei servos retinere in hac vita possit, quin ocyus emigrare & ad alteram evolare vitam magnopere desiderent. Præclaram hujus rei effigiem habemus in illo Jacob, magno Dei servo, qui serviens Laban socero; ubi ditari cœpit, sensit mox aversum à se vultum ejus, nec non filiorum ejus invidas & mordaces oblocutiones; quibus accessere nimii & diuturni labores in servitio obeundo, Dei quoque meritum dicentis: *Revertere in terram patrum tuorum.* Quibus ipse expensis relinquere constituit domum soceri sui & redire in patriam suam; id quod etiam fecit. Genes.31. Nos etiam si æqua lance ponderare volumus miserias hujus mundi, quibus affliguntur servi Dei, nequaquam mirari possumus, si relicto mundo emigrare in cœlestem patriam toto pectore desiderent; mirandum potius esset, si diutius hic hærere & moras trahere vellent. Hoc ergo desiderium, Salvatorem nostrum sequendi, ut in cordibus vestris excitem, audiamus quæ sint illa, quæ nos hinc emigrare jubent, stimulant & impellunt.

I. *Dei monẽtis vox.* I. Primum est Dei monentis vox, variis modis exhortans, ut relicto mundo in patriam contendamus: præsertim afflictionibus, quas immittit servis suis, ut miseræ hujus vitæ tædio afficiantur; quam etiam ob causam Hebræos tradidit Ægyptiis dura premendos servitute & flagellis corripiendos; *ut odio prosequerentur Ægyptios*, inquit Theod. *& illorum Deos, à quibus talia passi erant, & ut diligenter parerent mandatis Dei:* quo videlicet exeuntes ex Ægypto, sacrificarent in deserto & ad terram sibi promissam commigrarent. Qui si cuncta prospera eis successissent, si propitiam habuissent Ægyptum, nunquam de Deo, nunquam de terra promissa cogitassent. *Nam si miseriis illis afflicti,* addit Theod. *nihil
minus recordabantur deliciarum Ægypti, & sæpenu
mero illuc redire conati sunt, quis illis nullam mol
stiam passis suadere potuisset, ut Ægyptum relinqueren*
Ita ille quæst.13. in Exod. Idem contingeret Dei se
vis, si blande & comiter in mundo haberentur: Qu
si adhuc multi tam ægrè cum relinquunt, tot plenu
amaritudinibus: quid fieret, si melle, non felle pl
nus foret? De Hebr. egressu ait Moyses Deuter.
*Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos
super eos volitans expandit alas suas, &c.* Aqu
pullos suos plumis jam vestitos, cùm è nido
prædam evolare tardant, rostro ferire dicitur &
do expellere. Sic agit Deus cum servis suis: ferit
pungit eos, rostro & ore mundanorum, probris,
diis, injuriis, spoliationibus, ut è nido hujus mu
evolent, & prædam suam in cœlo quærant. Ad h
etiam incitare & provocare eos voluit Christus, du
videntibus discipulis suis ascenderet in cœlum, *si
aquila provocans ad volandum pullos suos & super
volitans.*

II. Secundum est sinister oculus Laban, de q
Jac. ad suas conjuges: *Video faciem patris vestri, q
non sit erga me sicut heri & nudius tertius.* Altera h
causa fugæ ipsius fuit; quæ etiam Dei servos voca
mundo. Laban ad initium comiter excepit Jacob,
paulo post mille fraudibus & injuriis affecit, seve
que ei vultum ostendit, cui hilarem priùs ostender
Sic mundus fallacissimus initio blanditur, sed ut
cipiat: allicit ut occidat; escam in hamo porrigit. S
Rex Davidem initio amavit, dum ejus cantu mulc
retur & victoriis gauderet: postea odio habuit, atq
uti legimus 1. Reg. 18. fecit quidem tribunum su
mille viros; sed quo fine ita eum extulit? *Sit super e
manus Philisthinorum* inquit. Honoravit ergo, ut o
cideret eum: ita mundus agit; quis ei fidat? quis a
hærere cupiat? Ipsum suum patremfamilias & a
ctorem vitæ cum plausu in Jerosolymam introdu
& post quinque dies ejecit atque occidit: quanto m
gis ejus domesticos simili modo excipiet? Dein
Laban filiis & aliis servis suis velut suis domesticis
conterraneis placidum ostendit vultum; soli Jac
velut extero & peregrino exhibuit aversum: ita mu
dus cultores suos, filios hujus sæculi non facilè pers
quitur aut affligit: sed eos dumtaxat, qui è mundo
migrare contendunt. Serpentes, qui Syriam incolu
incolis terræ nihil nocent, peregrinos solum invadu
& vulnerant, auctore Plinio l. 8. cap. 9 planè ita mu
dus agit. Videre id erat in Abele & Caino *Ecce just*
inquit S. Amb. l. 2. de Cain. *innocens, pius, propter gr
tiam devotionis odia fratris incurrens, immaturus a
huc ævi sublatus est parricidio; & iniquus, sceleratu
impius, etiam fraterna cæde pollutus longævam du
ætatem, posteritatē reliquit, urbes condidit, & hoc m
ruit permissione divina. Nonne in his apertè vox D
clamat: Erratis qui putatis hic esse omnem viven
gratiam?* Adhæc Laban, licet sciret se perfidia sua cau
sam Jac. genero dedisse fugiendi, id tamen dissimu
lavit & omnem culpam in Jac. innocentem conjeci
It

mundus ſua peccata tacet & diſſimulat omnem-
eculpam in pios rejicit. Exemplo eſt Rex Achab,
cùm impietate ſuâ commeruiſſet ut prohibere-
a pluvia cœlum, cauſam impegit Eliæ: *Tune es,
conturbas Iſrael?* Cui Elias: *Non ego turbavi Iſrael,
tu & domus patris tui.* 1. Regum 18. Ita olim Gen-
s quaſcunque patiebantur calamitates, bella, pe-
n, famem, ſiccitatem, Chriſtianis adſcribebant, ut
illorum Deos ſua religione conturbaſſent & ad
undiam provocaſſent; indeque occaſionem ca-
pant capiendi & mactandi Chriſtianos, uti refert &
llit S. Auguſt. II. de Civit. Etiam hodie mundi aſ-
æ fere in religioſorum tantum nævos debacchan-
& eorum vitia aut fingunt aut exagitant, ſua in-
m graviora longè ſilent & prætereunt. Quis ab
uſmodi patrefamilias non ſe proripiat? quis ad-
ere ipſi velit? Præterea Laban ſtultitiæ damna-
Jacob, quod ab ejus ſervitute ad libertatem &
iam profugiſſet: *Stulte operatus es,* inquit. Pror-
ita mundo ſtultum videtur, quidquid boni a-
t; præſertim quando jugum Dæmonis & mundi
unt, & vel ad religionem ſe recipiunt, aut per a-
pietatis vias cœleſtem patriam repetunt. Que-
r ob hanc injuriam, de Goth. & Wandal. quando
nan. Imp. Italiam & alias provincias invaſerunt,
lv. Maſſil. Epiſcopus, quod ingreſſum ſtatus reli-
i in probrum & ſtultitiam vertiſſent, vitamque
gioſorum pro delirio habuiſſent ac venditaſſent.
im, inquit l. 4. de vero jud. & provid. *ut melior eſſe
tentaverit, deteriori abjectione calcatur: ac per
omnes quodammodo eſſe mali coguntur, ne viles
antur. Et ideo Apoſtolus clamat: Sæculum to-
in malo poſitum eſt.* 1. Joan. 5. *Merito enim to-
eſſe in malo dicitur, ubi boni locum habere non poſ-*
Sic ille. Quis non libenter deſerat, imò velis re-
que fugiat mundum in maligno poſitum, ubi bo-
locus non eſt?

II. Tertium eſt labores & miſeriæ tam corporis
n animæ, quibus in hoc mundo fatigantur & pre-
tur ſervi Dei, uti ſenſit & lamentatus eſt Apoſt.
om. 7, *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpo-
ortis hujus?* Hæ vero ut dixi, ſunt duplices.

Miſeriæ corporis hujus multiplices. Primo
ipſum per ſe eſt luteum, ſordibus plenum, fra-
nudum, aſpectu horridum, omnis generis mor-
obnoxium, ideoque medicinis, ſacrificationi-
veniſectionibus, thermis, acidulis fovendum, ſa-
lum, conſervandum: nunc friget, nunc æſtuat:
ſitim patitur, nunc famem: laborat ingerendo,
rendo, egerendo. Nimis parum comedit vel bi-
murmurat: nimis multum, & gravatur, impe-
inebiatur.

Multi naſcuntur miſeri, cœci, claudi, manci, gib-
debiles, ſervi, mendici, infames, parentum mor-
vitiis obnoxii. Alii miſeri ex variis caſibus fiunt;
untur à parentibus & cognatis: fiunt leproſi,
ioſi, calculoſi, podagrici, &c.

Quinque hominis ſenſus ſæpe magis homi-
torquent, quam recreant, perdunt quam ju-
. Quantæ miſeriæ partim propriæ, partim ali-
næ oculis aſpiciendæ! quanta mala & horrenda au-
dienda! calumniæ, contumeliæ, convitia, dicteria, de-
riſiones! quot inſipida guſtanda in paupertate præ-
ſertim & tempore famis, uti equorum, murium, & ca-
daverum carnes! quot fœtores tolerandi! Tactus
quoties læditur cultris, urticis, ſpinis!

4. Multo tempore indiget donec vires acquirat: 4.
multum adhibere laborem debet, donec perficiatur
& aliquid addiſcat. Cum enim bruta vix nata ſciant
quærere nutrimentum ſuum, quadrupedia mox cur-
rant, aves volent, piſces natent: nihil horum poteſt
homo, niſi poſt multos annos & labores; neque ta-
men adeo ſe perficit, ut ſibi ſatis conſulere & de om-
nibus neceſſariis providere queat.

5. Omnis ejus ætatis miſerias ſuas habet: infantia 5.
fragilitatem, ignorantiam, ſordes, diſciplinam: juven-
tus præcipitantiam, temeritatem, inconſtantiam, in-
diſcretionem, ad vitia pronitatem: virilis ætas labo-
res, curas, æmulationes, perſecutiones, inimicitias:
ſenectus debilitatem, oblivionem, contemptum, con-
tinuam infirmitatem.

6. Omnes etiam naturæ dotes ſuas habent miſerias. 6.
Robuſtus es? nimium præſumis, periculis te exponis,
alios ad pugnam provocas, graviora onera feres, dif-
ficilius morieris. Formoſus? habebis æmulos, inſidia-
tores caſtitatis. Econtrà debilis & infirmus es? hoc
ipſo miſer, & ſemper cum medicinis res tibi erit. De-
formis? contemptui aut etiam deriſui es.

Denique omnes diu vivere volunt, interim ſenes
fieri nolunt. Ad mortem omnes currunt, & mortem
interim horrent fugiuntque remis ac velis. Quæ om-
nia conſiderans Apoſtolus ad Rom. 7. exclamat: *Infe-
lix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
h.e. morti & corruptioni obnoxio; ſiquidem *corpus
quod corrumpitur, aggravat animam,* ait Sapiens Sap.
5. Corrumpitur autem a calore nativo ſenſim abſu-
mente humidum radicale, quo modo ignis ceram, vel
tinea corrodit veſtimentum juxta id Job. 13. *Tanquam
putredo conſumendus ſum & tanquam veſtimentum,
quod comeditur à tinea.*

Secundò. Miſeriæ animæ humanæ, quatenus pec- *Miſeriæ*
catis eſt obnoxia, & peccandi occaſionibus expoſita; *animæ.*
qua de cauſa vita hominis perpetua eſt militia. Job. 7. 1.
Nam inprimis habet in rinſecum & inſeparabilem ho-
ſtem, concupiſcentiam, quæ inſtar ſarcinæ gravis ho-
minem deprimit ad bruta & carnalia deſideria, beſtiis
communia; quibuſcum pugnare continuo oportet,
niſi ab eis mergi in interitum & degenerare in bru-
tum velit. Semper ergo in armis ſtare, & beſtiam il-
lam, ſibi alligatam coërcere ac compeſcere debet, ne
ipſe beſtia fiat.

2. Accedit peccatum originale, quod non mo- 2.
do Deo inſenſum facit, ſed etiam obnoxium plu-
rimis miſeriis & peccatis: quo modo morſus lupi
pelli ovinæ infixus, pediculos in ea gignit, teſte Ari-
ſtotele apud Pier. libr. 10. Sic enim morſus illius ſer-
pentis parentibus noſtris infixus, carnem eorum &
noſtram concupiſcentia, è qua tot pediculi malo-
rum deſideriorum & peccatorum prodeunt, vitiavit,

Quis autem talem pellem, tot pediculos gignentem non desideret exuere?

3. 3. Hinc etiam prodit mira quædam pronitas ad peccandum, difficultas verò ad bene operandum & virtutum studium; dum caro ad præsentia, quæ sensibus apprehendit, rapitur valde potenter: ad futura verò, quæ tenuiter apprehendit, leviusculè: bonum, jucundum & utile præfert honesto. Sic Agar ancilla pravum Ismaelem citò & facilè peperit: Sara verò domina pium & bonum Isaac tardè & post multos labores.

4. 4. Ex hac pronitate & infirmitate fit ut facilè labatur & quidem graviter, accedentibus tot externis peccatorum illecebris, quibus omnibus difficulter homo resistit, saltem multo tempore. Quemadmodum enim Samson licet Nazaræus & fortissimus, tandem à muliere, tot modis & illecebris eum fatigante, persuasus & deceptus est: ita sæpe etiam viri perfecti & spirituales, si peccandi occasionibus sese exponant, tentationum importunitate in ruinam impelluntur.

5. 5. Quod si graves lapsus cum Dei gratia vitamus minores tamen omnes, sine specialissima Dei gratia (qualem B. Virgo & fortè paucissimi alii habuerunt) vitare minimè possumus; tametsi possumus singulos: quo modo infirmus aliquis centum passibus potest facere singulos seorsim, sed non omnes gressu continuo. At vero huic necessitati venialiter peccandi subjacere maxima miseria est. Præstat enim millies mori, quàm Deum vel levissimè offendere; tametsi nulla omnino pœna peccatum sequeretur. At verò sicut umbra corpus, ita culpam quoq; necessariò sequitur pœna, sive in hac sive in altera vita, quæ est ignis purgatorii, levioribus etiam culpis decreta. Quis autem nō malit inter mortuos esse, quàm tali pœnæ addici? Taceo vermem conscientiæ, qui mox peccatum sequitur, & hominem castigat. Taceo remedium, quo deleri culpæ debent, dolorem & confessionem. Taceo incertitudinem remissionis peccatorum, dum nescimus utrum synceram pœnitentiam egerimus.

6. 6. Bona opera non solum, ut dixi, cum difficultate peragimus, sed etiam imperfectè, communiter multis aspersa nævis: oramus languidè & inattentè, jejunamus ægrè & exiguo rigore; largimur eleemosynam rarò & parcè. Denique quæ etiam perfectè agimus, mox suos insidiatores habent, vanam scilicet gloriam, quæ à tergo sequitur, & si non omnem prorsus, multam tamen mercedem nobis suffuratur. Ita contingit nobis sicut tribus molentibus, ut dicebat S. Anselm. (habetur in ejus vita) quorum primus farinam suam negligit, & in aquam excidere sinit: alter partem excipit, partem etiam perdit: tertius vix tandem totam conservavit. Primus notat eos, qui opera sua omnia terreno tantùm fine peragunt: secundus eos, qui operantur bona, sed multa sine merito, dum vel non ex motivo virtutis, vel non debito modo, vel depravato fine, mixto cum vana aliqua gloriola: Demum pauci cum tertio sunt, qui purissima intentione totum conservant meritum.

IV. Stimularunt etiam Jacobum ad deserendum Laban & profugiendum in patriam filii ipsius Laban, qui invidiæ stimulis acti improperarunt ei divitias labore suo partas; quasi ex bonis patris eorum, non industria sua, ditatus esset. Et hæ sunt miseriæ externæ quæ in omnium hominum statu & conditione reperiuntur. Etenim si in alto dignitatum culmine sedes: quæ ibi non sunt pericula, insidiæ, curæ, cupiditates ascendendi altius & altiùs? Dicat Achab, qui nō obtenta, quam petebat, unius pauperis vinea, abii domum indignans & frendens, posuitque se in lectum quasi ægrotans 3 Reg. 21. Dicat Aman, qui cùm omnia habere se existimaret, nihil se habere dixit quamdiu vidit Mardochæum sibi genua non flentem Esth. 5. Dicat Sigismund. Imp. qui asinos feliciore Regibus dicebat, ob eorum curas & labores incessabiles. Et per quot labores pervenitur ad labores illos per quot servitutes ad servitutem illam? Quòd si humili loco & subjectus es, jam hoc ipso abjectus quoque, & potentiorum jugo pressus es; unde tot lamenta clamantium in cœlum.

2. Si de excelso stemmate Principum aut Regum es; ducere cogeris sponsum aut sponsam, quam parentes aut Regni proceres volunt: non quam t desideras. Et hinc quàm multa sæpe incommoda & miseriæ in Principum connubiis; Quod si d vili plebe es, connubium honestum difficilè re periés. Taceo alia innumera, pericula, curas, insidias, &c.

3. Si dives es, iterum miser in conservandis, au gendis, dispensandis opibus perpetuo solicitus; aliorum quoque dicteriis & insidiis expositus (unde di cit Sophocles: *Invidia sequitur divites*) adhæc inex plebilis, nihil te habere putabis, nisi alia & alia ac quiras: interim non tam tibi quàm aliis laboras: si verò pauper es, jam hoc ipso miser, de crastino solicitus, ob divitum avaritiam querulus, & constitutu in periculo mentiendi & furandi. Unde sanctus Bern serm. de obed. & patientia ait: *Sudat pauper in oper foris, sed nunquid minus anxiè dives intus in ipsa su cogitatione laborat?* Et ser de miseria humana: *Nem quippe ex filiis Adæ sine labore hic vivit, nemo sin dolore. Aperit pauper os suum in oscitatione; aperi dives in eructatione: & interdum hic gravius fastidio quàm ille inedia cruciatur.*

4. Si uxoratus es, in labyrintho miseriarum es Quid enim ibi non calamitatis in tam forti vinculo quod non nisi mors dissolvit? ibi servitus mutua, ib zelotypia, ibi jurgia & dissidia, ibi cura filiorum, ib aut conjunctio violenta, & hoc ipso miseria, aut se paratio per mortem luctuosa. Denique *sicut servi fugitivi,* inquit sanctus Chrysostomus libro de Virginitate capite 41. *singuli separatim vincti à sui dominis, rursumque tenui quadam catena inter se constricti, alius alium sequi cogitur, & liberam non habent abeundi facultatem: sic conjuges, cùm sui curam sustinent, à communibus conjugii vinculis necessitate premuntur.*

Quod

Quod si cœlebs es, à magno quidem onere liber es: nterim tamen adjutorio cares, & cum propria carne ellum tibi est; quod sensit in se Paulus & tam molete tulit, ut mortem sibi optaret ad Rom. 7. Ubique gitur pugnæ, ubique miseriæ.

5. Si habeas liberos, miserias etiam habebis in ducandis, elocandis, perdendis, dotandis, & si reprobi fuerint, tolerandis. Certè Rebecca mori præoptabat, quàm videre filium malo matrimonio illigatum: *i acceperit Iacob uxorem de stirpe hujus terræ*, inuit, *nolo vivere*. Genes. 27. Quid si Jacob ipse improbus fuisset, aut matrem vexasset? Si liberos non abeas, miserum te censebis, desiderio illorum; & iteum mortem forsitan optabis cum Rachele illa sterili, dicente ad maritum: *Da mihi liberos, alioquin moiar*. Gen. 30.

6. Si habes amicos, habebis & commensales; habebis & qui crebrò tuam opem invocabunt: crebrò te molestabunt. Unde dicimus: viel Schwanger/ viel Spieß. si nullos habeas, jam hoc ipso miser, quia in necessitate desolatus vives.

7. Denique nemo nisi magna virtute præditus, sua sorte contentus est; nemo sine cruce; nemo qui non putet aliis omnibus melius esse quam sibi. Si in hac regione degas, cupis degere alibi, quod hic tibi desint ista & ista: idem dicunt, qui alibi degunt. Nimirum in terra sumus, non in cœlo; in exilio, non in patria.

Itaque consideratis omnibus, si sapimus, cum sancta Monica dicemus: *Nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Quid hic facio?* Augustinus libro 9. Confess. cap. 10. Ciconiæ, quando obsidente Aquilejam Attila, adverterunt civitatem, ad extrema redactam: squalore, extinctorum cadaveribus, & viventium lamentationibus repletam, inde migrarunt, & hoc ipso Attilam ad persistendum in obsidione admonuerunt. Nos dum tot undique malis premi nos videmus in hoc mundo, cur non in tutiorem locum emigrare desideremus? Colligamus igitur sarcinas, accingamus nos ad iter, & disponat quisque domui suæ velut hodie moriturus & ad Christum migraturus.

IN FESTO PENTECOSTES.

THEMATA.

I. *Mundus à Spiritu S. renovatus.*
II. *Spiritus sanctus cur in spiritu vehementi venerit.*
III. *Sacramenti Confirmationis fructus.*
IV. *Lingua reformata à Spiritu S.*
V. *Pax Christi qualis sit.*

THEMA I.

Mundus à Spiritu S. renovatus.

1. *Sublata barbaries & tyrannis.*
2. *Impius Deorum cultus correctus.*
3. *Charitas Dei & proximi plantata.*
4. *Tenebris ignorantiæ sublatis lux mundo illata.*
5. *Virtutum sterilitas in fœcunditatem mutata.*
6. *Fœdæ libidines averruncatæ.*
7. *Iura prius perversa sibi restituta.*

Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Psalmo 103.

Ecclesia, Auditores, in hodierna solemnitate frequenter nobis occinit versiculum illum Psal. 103. *Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, qui ad litteram quidem loquitur de renovatione terræ annua, quæ post exactam hyemem omnia enecantem & sepelientem, in vere & æstate quasi reviviscit & induit aliam faciem, hilarem, decoram, fœcundam, pulsa hiemis tristitia, deformitate, sterilitate; & hoc beneficio Solis ad nos ascendentis, prius elongati. Jam ergo simili modo renovatum esse mundum per adventum Spiritus sancti insinuat Ecclesia, ex tristi nimirum sterilique hyeme mutatum esse in amœnissimam & fertilissimam æstatem. Quod quidem prævidisse etiam videtur Salomon Cantic. 2. quando in persona Christi excitat Apostolos ad peragrandum orbem terrarum & disseminandum Evangelium his verbis: *En dilectus meus loquitur mihi* (Christus Ecclesiæ, in monte Sion congregatæ & orationi vacanti, præ metu adhuc inclusæ in cœnaculo) *Surge amica mea, columba mea, formosa mea & veni*: q. d. surge è lectulo quietis, in quo per 10. dies jacebas, & egredere ad prædicandum Evangelium. Eccur verò? *Iam enim hyems transiit*, subdit, *imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra.* hoc est, (ut ibi ex Origine, Theodoro & sancto Gregorio, exponit Cornelius à Lapide) rigor & timor legis Mosaicæ, ac frigus geluque infidelitatis Gentium transiit, imber errorum & vitiorum abiit, quia Sol vernus, puta Spiritus sanctus illuxit, qui calore suo tam hyemem quam imbrem fugavit, ac flante Austro gratiæ suæ flores Sanctorum, (quales fuere primi credentes) ac Martyrum produxit in terra nostra. Tempus ergo putationis advenit, quo vos, ô Apostoli Ju-

ſi Judæorum & Gentium ignorantiam & infidelitatem omnemq; cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputetis, ut fructus bonorum operum proferant. Vox turturis, Joannis præcurſoris ad pœnitentiam vocantis, jam audita eſt. Itaque Spiritus ſanctus maximum hodie bonum univerſo mundo intulit, deſideratum ſcilicet ver & æſtatem poſt tam longam & auſteram infidelitatis hyemem; ut meritò omnium animi exhilarari & cum aviculis hoc tempore Deo laudes canere debeant, pro tam grata & ſtupenda mundi renovatione. Quod ut fiat, exactiùs paulò & hyemem illam & æſtatem iſtam expendemus.

I. Sublata barbaries & tyrannis.

I. Hyems tyrannus quidam & latro naturæ eſt omnia mactans & mortificans, ac ſub nive & glacie ſepeliens. Talis erat ſtatus mundi ante adventum Spiritus ſancti tyrannicus, beluinus, ſanguinarius; quia homines ſævi, truculenti, barbari, omnia viribus & potentia, non jure (paucis exceptis) metientes. Itaque qui Rex vel Princeps, natio vel civitas, Dynaſta vel miles robore potentior vel audacior erat, debiliorem invadebat abſque ulla juſta cauſa: ſicut verbi gratia Alexander M qui totius mundi latro & prædo erat. Nabuchodonoſor, Antioch. Imp. Rom. Carthaginenſes aliique & inprimis noſtri Germani, qui ex ſolis prædis vivebant ita ut Germania, imo & totus mundus non niſi vaſta ferarum ſylva, aut oceanus marinis beluis plenus eſſet, ubi major minorem, fortior debiliorem invadebat & devorabat; uti adhuc contingit in Braſilia, qua parte necdum ad fidem converſa eſt. Tyranni erant plerique Principes vi, ac potentia imperium occupantes; unde metu ſolum & terrore ſubditos coërcebant, quorum ea ſolemnis vox erat: *Oderint dum metuant.* Exiſtimabant ſibi quidvis licere in quoſvis, uti jactabat Imperator Caligula: alii certè idem actitabant, ſubditos pro beſtiis & jumentis habebant, emebant & vendebant in mancipia, & tractabant velut bruta, impunè quoque mactabant. Matribus licitum erat fœtus in utero ſuffocare: parentibus filios non ſolum vendere, ſed etiam quos alere non poterant, occidere: multi, ut olim ita adhuc in Braſilia, filios ex ancillis procreabant eo fine tantùm, ut natos ſaginarent & ſaginatos devorarent: alii eos paſſim Diis ſuis immolabant: ad funera dominorum ſervos mactabant: ſpectacula gladiatorum, qui ſe abſque ulla cauſa ad ſolam hominum delectationem mutuis vulneribus conficerent, proponebant & hoc laudi datum Imperatoribus ſi multa talia ederent, uti Trajano, qui 10000. gladiatorum uno munere populo exhibuit. Nota eſt Turcarum Imp. tyrannis in fratres & cognatos proprios, imò & filios. Quamobrem illius temporis homines Iſaias cap. 11. appellat leones, urſos, pardos & lupos. Et c. 35. dracones & malas beſtias.

At vero ubi Spiritus ſanctus Chriſti Evangelium diſperſit & prædicavit per igneas Apoſtolorum linguas: ibi hyems tranſiit & tyrannis hæc ceſſavit, vitaque hominibus ſecuritate & humanitate plena reſtituta eſt, beſtiæque illæ in homines mutatæ ſunt uti prædixit Iſaias cap. 11. *Habitabit lupus cum agn* inquit, *& pardus cum hœdo accubabit, vitulus & le & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minab eos.* hoc eſt, quivis pauper Apoſtolus vel Prædicato abjectus. Et cap. 35 *In cubilibus, in quibus prius drac nes habitabant, or etur viror calami & junci.* Et mo *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per ean nec invenietur ibi.* Id quod factum eſſe per Evang lium & hiſtoriæ teſtantur & hodie quoque exper mur. Principes regunt cum amore, diſcretione, r tione, juſtitia, clementia. Sublata mancipiorum ſerv tus, ſublata gladiatorum ſpectacula, injuſtæ invaſio nes, parentum in liberos ſævitia, & contraria omn invecta: amor, benevolentia, humanitas, charita commiſeratio, &c.

II. In hyeme negliguntur agri, non coluntur v neæ; vel ſi aliqua cura adhibetur, fimus tantum ſtercora in ea efferuntur. Idem fiebat in mundo ant miſſionem Spiritus S. Nemo Deum colebat, nem curabat, pauciſſimi verum Deum agnoverant, uti Ju dæi: De quorum tamen inani religione & vitioſo D cultu ſæpè Deus conqueſtus eſt, uti Mal. 2. *Diſpergar ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtra rum;* quo modo ſcil fimus ſuper agrum diſpergi ſole Reliqui planè impii & blaſphemi, cultum, quem De debebant, lapidibus & dæmonibus impendebant, & ferè pecorum tantùm, quin & humano ſanguine et iam propriorum filiorum cruentabant: erga Deo ſuos, cùm ab iis non audirentur, peſſimè affecti erant plagis eos afficiebant ac contumeliis: pleni deniqu ſuperſtitionibus & impudicitiis, quibus Diis ſuis ſe placituros putabant, quos etiam ſubinde cum in periculis verſabantur, funibus alligabant ad fana & ædes ſuas, ne fugerent. Stulti illi Baalis cultores rogū tranſiliebant, clamores in cœlum tollebant, cultellis ſe incidebant. 3. Reg. 18. Denique feſta eorum impudicitiâ plena & pudenda erant.

At ubi Spiritus ſanctus mundum igne ſuo pervaſit, ibi cultus Dei erectus & miro modo propagatus eſt. Quis enim enumerare queat religionis & pietatis exercitia Chriſtianis uſitata? Feſtivum habent diem ſemper Dominicum Creatori omnium, de quo Gentiles ne ſomniarunt quidem; deinde Sanctis illuſtrioribus, quales nulli apud illos. Feſta Gentilium profana & ſcelerata mutata ſunt in ſacroſancta. In diebus illis S Miſſæ interſunt; & plurimi quotidie. Singulis diebus ter ad orandum pulſus datur; præterea manè cùm ſurgunt, & veſpere cum decumbunt, ſuas preces offerunt. Qui in ſacris ſunt, ſepties in die laudem Deo ſeparatim dicunt vel decantant, & plerique religioſi diu noctuque perſolvunt. Nemo ferè eſt, qui precariam coronam ſecum non circumferat: pauci qui ſuas actiones à ſigno crucis & pia oratiuncula non incipiant: qui domi ſuæ imagines ſacras & altariola non habeant ad domeſticam devotionem: quæ & paſſim publicis proponuntur locis ad eam excitandam. Omnes adſtringuntur ad annuam confeſ-

ſionem

onem & S. mensæ communionem: paucissimi, qui am non sæpius ultrò frequentent. Quid de sacris oncionibus dicam, singulis festivis diebus haberi solitis? & quid illis non docetur ad Dei cultum spectans? ad quid non stimulantur? quot quantaq; virtutum exempla non proponuntur? Nihil simile viguit Gentilismi hyeme.

III. Hyems suo frigore corpora constringit & elida glacie omnia obducit. Idem videre erat ante dventum Spiritus sancti si charitatem spectes, sive in Deum, sive in homines. Nam quod ad priorem spectat, nemo inter Gentiles pro honore vel amore Deorum suorum vitam posuisse aut grave aliquid sustinuisse legitur: cùm vicissim Christiani tot millia martyrum habeant, qui Dei cultu & amore omnis generis tormenta & supplicia acerbissima summa tolerantia & gaudio sustinuerint, & verò etiam ultrò se s obtulerint. Si posteriorem spectes, adeò frigebant charitate mutua & gratuita Gentiles, ut rari valde necessitate suis adessent, ne dicam alienis. Satis id olligitur ex litteris Dionys. Alexandr. apud Eusebium lib 7. cap. 17. & Baronius anno 263. ubi scribit tempore pestis dirè in Alexandrinos grassantis Gentiles suos quidem è domibus extrusisse, seu mortuos seu moribundos, amicissimos etiam deseruisse, semivivos in plateas ejecisse à canibus devorandos, neminem alteri opitulatum esse: cùm econtrà Christiani non tantùm suis, sed etiam Ethnicis in ea calamitate dstiterint, necessaria præbuerint, morientes animarint, defunctos laverint ac sepelierint, ipsamque ab infectis pestem in se derivarint, magnoque numero in-le libenter occubuerint ad stuporem vel ipsorum Gentilium. Taceo charitatem, qua se mutuo fratres appellabant, & ut fratres diligebant, mutuoque pacis osculo salutabant, & pro invicem mori parati erant. Taceo liberalitatem, eleemosynas & hospitalitatem summam, quam Gentilium etiam pauperes senserunt, quin & aliqui abusi, alii inde conversi sunt, uti Pacomius; prout alibi retulimus.

IV. Hyems dies breves & parum lucis, longas verò noctes & multum obscuritatis habet ob elongationem S. l s. Ante adventum Spiritus sancti quantæ in mundo tenebræ! quam exigua lux erat circa res divinas & cœlestes! Quot quantæque superstitiones quot mendacia dæmonum oracula! augurum & ariolorum figmenta! Eorum enim vanitatem & imposturam vel ipsi Gentiles manibus palparunt. Inde enim Cato major dicere solebat demirari se, quod aruspex aruspicem aspicere posset sine risu; quia pervidebat omnes eorum vaticinationes meram imposturam esse & rarissime evenire, quibus tamen alii plerique summi & infimi addicti erant. Ex avium volatu, ex animalium intestinis, ex equorum hinnitu, (quod de Germania testatur Tacit.) omnia capiebant; fœminas etiam de futuris aut arcanis rebus consulebant, uti scribit Plutarchus de fœm. virtut. & de Germanis Paulus Diaconus libro 4. rerum Lombard. In vita etiam sancti Bonifacii Germaniæ Apostoli legimus Germanos deditissimos fuisse aruspicinæ, sortilegiis, incantationibus, quod inde certius fit qui à nec dum omnino abstinent. Taceo nefandam Idololatriam, qua lignis & lapidibus, fontibus & arboribus (uti Germani) imò rebus vilissimis, uti visco, velut numini immolabant.

Adventus Spiritus sancti has tenebras discussit, & lucem non modo divinarum rerum, sed etiam humanarum scientiarum longe plurimam induxit, ita ut Isaiæ capite 11. prædixerit: *Repleta est terra scientia Domini, sicui aqua maris operientes*, terram scilicet. Repleta inquam vaticiniis plurimorum sanctorum, qui futura multa infallibili certitudine prædixerunt; repleta sapientiâ cœlesti & Theologicâ, ut doctorum virorum, ac librorum præsertim, copia undique redundet, quin imò etiam aliqui illiterati, uti SS. Antonius & Franciscus tantâ sapientiâ pollerent, quanta nec in omnibus Ethnicorum Philosophis inveniri poterat: repleta denique aliis etiam scientiis & artibus liberalibus, ut passim ubique scholæ, gymnasia & Academiæ, & doctorum virorum agmina indies progignant.

V. Hyems summam sterilitatem terræ inducit: nulli flores, nullæ herbæ, nullæ agrorum fruges, non arborum fructus sunt; non denique aviculæ, nisi quædam inutiles & viles, uti passeres, corvi & picæ nobiscum remanent. Pari modo in Gentilismo summa erat virtutum verarum ac solidarum sterilitas, nullum bonorum operum studium, quia nullam pro iis in altera vita expectabant mercedem. Quare omnia eorum acta etiam laudabilia ex motivo tantùm naturali, vel virtutis per se honestæ & apponendæ, vel (ac potissimum) ex vanæ gloriæ appetitu prodibant, adeoq; vitiorum potius quàm virtutum proles erant. Neq; enim Deum ejusq; gloriam, sed seipsos & terrena commoda pro fine habuerunt. Hinc nulli inter eos Sancti, nulli ex omni parte inculpati, sed omnes penè ad unum vitiis immersi erant. Qui optima inter eos docebant, ea ipsi non faciebant; qualis erat Seneca, omnium sententia celebratissimus à virtutum documentis, de quo tamen Dion. scribit: *In plerisq; contra facere visus est, quàm philosophabatur. Assentatores detestabatur, cum ipse reginas coleret, & libertos, & laudationes quorundam componeret: reprehendebat divites is, cujus facultates erant aureorum tricies centena millia: quiq; luxum aliorum damnabat, quingentos tripodas habuit, de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes & pares inter se, in quibus cœnabat. &c.* Feruntur quidem aliqui Philosophi opes delicias, & honores contempsisse, sed quam pauci illi? forsan unus & alter. Et quam illi ipsi in aliis flagitiosi! quàm ficti & ambitiosi? Solum philosophiæ studium & hominum applausus ad id eos permovit.

V. Virtutum sterilitas in fœcunditatem mutata.

Adventus Spiritus S. sterilitatem illius hyemis vertit in fœcunditatem uberrimam æstatis, juxta prædicationem Isaiæ c. 55. *Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.*

Saræ ſcilicet ſeu Eccleſiæ, quam Agar ſeu Synagogæ. Similiter Ezech. c. 36. hoc prædicens; *Terrra illa inculta*, inquit, *facta eſt ut hortus voluptatis.* Quis enim tam cæcus eſt ut non videat quot virtutum ſcholas & palæſtras undique erexerit Eccleſia? Quis neſcit magnam Ægypti partem in monaſteria & ſanctorum Eremitarum habitacula tranſiiſſe? quis numeret cænobia tot religioſorum? quis pios cætus & fraternitates, in quibus magna æmulatione virtutum ſtudium fervet? quis alia piorum opera ſancta & quidem quotidiana? Paradiſus igitur evaſit vaſta illa ferarum ſylva, omni virtutum genere excultus, ut videre eſt ex SS. hiſtoriis.

VI. *Fœda libidines averruncata.*

VI. Hyems inſuper lutum & immunditias affert ex pluviis & tempeſtatibus ferè continuis. Et quid mundus protulit ante Sp. S. miſſionem, niſi omnium ſcelerum immunditias, libidinis præſertim & impudicitiæ? Exiguus ibi aut nullus conjugii honor & fides: receptiſſima uxorum repudia & multiplicitas: nulla penè propinquitatis ex ſanguine habita ratio. Promiſcua ibi libido, & proſtitutiones uxorum ac filiarum, ut vel ex Madianitis diſcere poſſumus, qui filias ſuas ſtultiſſimè Hebræis proſtituerunt. Quin & pæderaſtia adeo invaluit, ut pene omnes potentiores corriperet. Græcis nihili viſum eſt libidine præpoſtera uti, puerorum amoribus indulgere, & quidem in ipſa Sparta, ubi adoleſcentum Gymnaſia erant. In media Roma antiquitus publica apertiſſimaque lupanaria erant. Paſſim in urbibus Veneris templa ad quæ ſedebant mulieres ſe publicè proſtituentes, ad hoc Veneri deſtinatæ & quaſi ſacratæ; quales ſupra mille Corinthi erant dedicatæ fano Veneris, teſte Strab. l. 8. & 11. Apud Babylonios omnes indigenæ mulieres ſemel in vita ſe ad fanum ejuſdem Deæ hoſpitibus exponebant, uti præter Herodotum teſtatur etiam Baruc. c. 6. de Phœniſſis idem ſcribit S. Athan. l. cont. Idola. Denique filiæ nuptui non dabantur, priuſquam ab altero quodam, qui ſponſus non eſſet, corruptæ eſſent, quod de Perſis, Medis, Armenis teſtatur Strab. l. 11. de Lydiis, Herodot. l. 1. O cæcitatem parentum! ô inſaniam maritorum! ô dementiam hominum! De his Apoſtolus ad Eph. 4. *Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ & in operationem immunditiæ omnis.* Ubi cauſam tanti mali indicat; quia ſcilicet nihil boni aut mali ab alia vita ſperabant, ideò fræno timoris carebant. Aliam indicat S. Athan. loco cit. quia Deorum & Dearum ſuarum ſpurciſſimarum exempla ſibi proponebant imitanda, velut honeſta & pulchra, adeoque ſanctam Deiſque gratam exiſtimabant ſuam impudicitiam & proſtitutionem. Hinc mundus eo tempore non niſi fimetum & volutabrum turpiſſima[illegible] erat. Sanctiſſimus inter ipſos habeba[illegible], qui tam nefandis ſceleribus contaminatus non erat, quod de Socrate celebrat Plato, ejus auditor (apud Quintilianum) quod Alcibiaden juvenem formoſiſſimum, qui ad ſui abuſum ipſi ſe obtulerat, non admiſerit. O mira continentia, nolle ſe illo vitio, quod inter Chriſtianos rogo adjudicatur, polluere! Ergo ubi Spir. S. igne ſuo mundum pervaſit, omnem hanc ſpurcitiam exuſſit & delevit, ejuſque loco caſtitatem implantavit, cælibatus & virginitatis amore[m] Chriſtianis ingeneravit, ut tot millia monaſteria vi[r]ginibus implerentur: deinde vidualem continentia[m] reddidit amabilem; ipſum quoque matrimonium f[e]cit ſanctum & inviolabile, velut Sacramentum; ita [ut] adulteria evaneſcerent, vel ſiqua contingerent, grav[i]ter punirentur, nec fornicationes quidem ſimplic[es] eſſent impunes, ſed velut peccatum mortiferum ſu[b] metu pœnæ æternæ caverentur. Plantavit viros, q[ui] ſumma continentia agerent cum fæminis de reb[us] ſalutis: qui mori mallent caſti ac virgines, quàm u[l]fornicatione vel etiam conjugio caſtitatem perder[e]: qui in ipſo etiam matrimonio virginitatem ſervare[nt].

VII. Hyems ſolet nivibus vias publicas obſtru[e]re & pervertere, ita ut plerumque non qua recta v[ia] tendit & eundum foret, ſed per anfractus & qua pr[i]mi viam per nives aperuerunt, pergendum ſit. Sim[i]li modo in Gentiliſmo jura (quæ ſunt vitæ & regul[æ] vivendi) omnia penè perverſa aut diſtorta ſaltem [e]rant. Quia enim legis latores ferè erant Principe[s] ſumma vitæ libertate paſſim delinquentes & leg[es] omnes violantes, hinc eorum leges quoque pravæ [e]rant: aut ſi forſan æquæ forent, ab eorum vivendi ra[]tione rurſum evertebantur, & plebs Principibus ſu[is] potius quam legibus ſe accommodabat. Quid n. bo[ni] expectes ab eis, qui ſpurciſſimos & omni ſcelere con[]taminatos homines, Saturnum, Jovem, Martem, Me[r]curium; cædibus, raptibus, adulteriis, rapinis & furti[s] infames in Deos retulerunt, & qui eos non colerent reos impietatis habebant ac damnabant? Quid ab ii[s] qui ſuis furiis, clamoribus, homicidiis ipſi ſibi Rege[s] crearunt, & cum voluerunt iterum obtruncarunt? Id autem infidelibus conſuetum & ſolemne erat. Denique ſi quis viam juſtitiæ ac virtutis norat, impetu tamen vulgi & totius communitatis abreptus ambulalare non audebat, niſi omnium odium & gladios incurrere vellet. Teſtatur hoc Senec. de ſuis Rom. præ cæteris licet cultiſſimis, l. de beata vita c. 1. *Nihil magis, inquit, præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur. Atqui nulla res non majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: optima ratio ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla multa ſunt, nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta concertatio aliorum ſuper alios ruentium, &c.*

At ubi Sp. S. in mundum venit, leges inprimis reformavit & ſanctiſſimas præſcripſit dictavitque Patribus in tot Conciliis, ipſiq; inprimis Summo Pontifici, quem in ferendis legibus errare non permittit, nec permiſit unquam. Legantur Sac. Script. SS. Canones, SS. Patrum ſcripta. Quid non ibi ſanctum? quid non ſalutare & rationi congruum? Ex his jam intelligere poſſumus, quanta bona mundo Sp. S. attulerit, & quantam ei debemus laudem & gratiarum actionem ob hæc tanta beneficia. Quid enim non deberemus ei, qui nos è leonum lacu aut aliarum bellua-

rum

rum ſpelæo aut certe è ſaltu feris & latronibus infeſto educeret in terram ab omni hoſtilitate liberam? Quid illi qui nos oberrantes in vaſtiſſima ſylva in viam rectam, aut è profundo & obſcuriſſimo carcere in lucis hujus uſuram & libertatem conſtitueret? Quid illi, qui incolentes terram ſterilem & infrugiferam, tranſmitteret in aliam fertiliſſimam centuplum pro uno grano afferentem, omnis generis frugibus & deliciis redundantem? Quid illi, qui ipſos in cloacam fætidiſſimam & tantum non demerſos extraheret, & in paradiſum floribus conſitum, variaque odorum fragrantia redolentem collocaret? Quid illi, qui è tumultuantis plebis furia, compreſſione & violentia? Quid huic tali nunquam, non deberemus? quas gratias non ageremus? quas laudes non caneremus? quid obſequii non exhiberemus? At hæc omnia præſtitit mundo adeoque etiam nobis Spiritus ſanctus à Patre & Filio miſſus, igne ſuo mundum recreans & renovans, calefaciens & illuminans. Quam miſeri eſſemus, ſi per annos tres ſolummodo continua ſemper hyems, nulla æſtas foret? quæ triſtitia nos occuparet? quæ penuria affligeret? Sane quādo in æſtate vel per unam ſeptimanam inſolitum invaleſcit frigus, illicò lamentamur & peſſima quæque ominamur, de frugum exiguo aut nullo proventu, de metu infirmitatum & ſimilia. Quid ſi tota æſtas in hyemem commigraret? Talis erat mundus ante adventum Spiritus ſancti, totus erat hyems. Ex quo verò Sol ille ſacer ad nos venit; jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.

THEMA II.

Spiritus ſanctus cur in ſpiritu vehementi venerit.

Denuntiat Conſolatoris adventum.
Nuntiat Chriſti ingreſſum in cœlum.
Nuntiat datam Apoſtolis Dei gratiam.
Nuntiat continuum Iubilæum.

Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, Act. 2.

QUando vehemens ac repentinus oritur ventus, ſolemus interrogare, quid ventus iſte portendat. Si ab Aquilone prodeat, frigus expectamus; ſi ab occidente, pluvias: ſi à meridie ſiccitatem & calorem: ſi ab oriente, ſerenitatem. Hodie vehemens ac repentinus de cœlo ventus deſcendit ſuper Chriſti diſcipulos aliosque Chriſtianos numero centum viginti Jeroſolymis congregatos. Quo facto convenit multitudo hominum & mente confuſa eſt: ac ſine dubio interrogavit unuſquiſque, quid ſibi ventus ille vellet. Nos ergo hoc indagabimus: ſed non ſimul omnia nunc dicemus; quia & ſub forma ignis & linguarum venit, quod audiemus in aliis ſermonibus.

I. Annunciat Conſolatoris adventum, nos refrigerantem, tertiam in Deitate perſonam, Spiritum ſanctum advenientem ſuper Eccleſiam Chriſti. Quid enim ventus niſi quidam ſpiritus? unde in Sacris litteris ſpiritus ſæpiſſime ventum ſignificat, quia eſt exhalatio depulſa à nube, ſicut ſpiritus ex ore hominis efflatus. Quadrat autem nomen ſpiritus tertiæ perſonæ, quia ejus proceſſio eſt quaſi expiratio & reflatio ex intimo præcordiorum calore, & amore Patris atque Filii. Hinc etiam Chriſtus inſufflando in diſcipulos dedit eis Spiritum ſanctum Joannis vigeſimo. Adhuc ſicut flatus procedit à pectore & ore: ſic Spiritus ſanctus à Patre & filio. Et ut ſonus prodit à nube impellente & aëre depulſo: ita Spiritus à Patre & filio. Porro ſicut ventus æſtuantes reficit & refrigerat, & quaſi ardentes tenuiſſima velut aqua perfundit: ſic primò Spiritus ſanctus corda noſtra præſertim in tribulatione æſtuantia conſolatur: eo ſcilicet modo, quo tribus pueris in fornace Babylonica poſitis, Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, ut in eo choros ducerent & laudarent Deum Danielis tertio. Sic Theodorus adoleſcens Antiochenus à Juliani Apoſtatæ præfecto propter pſalmorum cantum excruciatus dixit Ruffino, qui id ſcripſit, ſe quidem aliquid doloris ſenſiſſe, verum aſtitiſſe ſibi adoleſcentem, qui ſudorem ei abſtergebat & animum confirmabat, ut voluptati potius quam dolori eſſent ea tormenta, apud Socratem libro tertio capite decimo ſexto. Ita ſancto Victori Martyri Mediolani ſub Maximiano, plumbo perfuſo, Angelus plumbum refrigeravit ac ſi aqua eſſet, uti Maximianus notarius teſtis oculatus ſcribit apud Surium octavo Maij. Ita ſanctus Xaverius gaudebat, cùm in tabula natans & in arboribus pernoctans petiit non auferri crucem, niſi major daretur. Deinde efficit ut patienter expectemus futuram vitam & mercedem laborum noſtrorum. Deniq; ut poſt lapſum non deſperemus ſed recurramus ad Dei miſericordiam. *I Denunciat Conſolatoris adventum.*

II. Annuntiat nobis Chriſti in cœlum ingreſſum & captam ejus poſſeſſionem, velut nuncius ad nos deſtinatus, Venit enim de cœlo & affert munus à Chriſto promiſſum, ſed ſtupendum ſupra vires naturæ, ignem Spiritus ſancti deſcendentem, cum alioquin ignis ex natura ſua aſcendat, non deſcendat. Venit autem cum tonitru, ut explicet gaudium cœlo illatum per ingreſſum Chriſti. Quanto gaudio affectus eſt Jacob, quando audiit filium ſuum Joſeph dominari in Ægypto? quando vidit plauſtra onerata & miſſa ſibi à filio? Geneſis quadrageſimo quinto. Dominari vero Chriſtum in cœlo indicat ventus demiſſus cum igne ac tonitru. Quis enim hoc niſi Deus poteſt? Voluit quidem thraſo quidam hanc poteſtatem tribuere Alexandro Magno tonante cœlo dicens: *Hoccine tu feciſti?* Voluit Jacobus Philippi ſecundi Hiſpaniæ Regis filius per imprudentiam imperare vento, *II. Nunciat Chriſti ingreſſum in cœlum.*

dicens: *Præcipio tibi ut ne mihi moleſtus ſis* : ſed mox audiit à beato Aloyſio aſſiſtente: *hoc non humanæ ſed divinæ poteſtatis eſſe.* In ejus vita. Annunciat porrò Dei erga ſuos benevolentiam, quia per illud tonitru terruit ſolùm incredulos, fideles confortavit & animavit, nec proſtravit ſed refrigeravit. Annunciat inſuper nos quoque in Ægyptum vocari, hoc eſt, in cœlum, ut participemus de gloria Joſephi noſtri. *Quo nimirum præceſſit gloria capitis, eo vocatur & ſpes corporis,* ait ſanctus Leo ſermone prima de aſcenſione. *Venite ad me,* ait Joſeph, *& ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* Geneſis quadrageſimo quinto. Idem nobis Chriſtus per eum ventum nunciavit, Cujus rei argumenta ſunt plauſtra gratiarum hodie Chriſtianis de cœlo miſſa, confirmatio in gratia, gaudium & conſolatio, robur ad profitendam fidem, linguæ variæ, infidelium terror, acceſſio tot fidelium Hinc ſecuta pluvia baptiſmi ſuper 3000. hominum.

III. Nunciat datam Apoſtolis Dei gratiam.

III. Annunciat collatam cœlitus gratiam Apoſtolis. Erant illi priùs velut naves expectantes ventum ad navigandum. Eò adveniente cœli tuba inſonuit, & naves perrexerunt ac primo ſtatim 3000. hoſtium ceperunt Ventus tenuiſſima res eſt, potentiſſima tamen, ſi vehemens, ad ſternendas arbores & turres, ad equites & domos aliò transferendas : ita Apoſtolorum pauperum, rudium, inermium voces, exiguæ licet, ſtraverunt Imp. Philoſo. Idolorum Pontifices & ſacerdotes, Idola, fana, augures, aruſpices, &c. Vento tam vehementi nemo reſiſtere poterat. De quo ſpiritu intelligere poſſumus id Oſeæ decimo tertio. *Adducet ventum urentem Dominus & exſiccabit venas ejus.* Iſaiæ vero capite 2. ad litteram de hoc dicit. *Deſertos faciam montes & colles & omne gramen eorum exſiccabo & ſtagna arefaciam.* Feruntur olim Pſylli Pœnorum populi Auſtro vento irati fuiſſe, quòd eorum paludes omnes arefeciſſet; quare communi conſilio arma contra eum ſumentes progreſſi ſunt in arenam. Sed repente Auſtro flante arena excitata omnes oppreſſit. Herodotus libro 4. Tales erant principes ſæculi, qui ſe Evangelio oppoſuerunt & Spiritui ſancto loquenti per Apoſtolos ; uti & initio ſtatim Principes Judæorum, præcipientes eis ne ampliùs loquerentur in nomine Jeſu, ſed fruſtra erant: *Si* inquiunt, *juſtum eſt audire vos potius quam Deum, judicate.* Et mox : *Principes convenerunt in unum adverſus dominum & adverſus Chriſtum ejus: convenerunt enim verè in civitate iſta, adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum, &c.* Act. 4. Uni Stephano diſputanti de Chriſto non poterant reſiſtere omnes Legiſperiti & Doctores.

Erant Chriſtiani illi 120. velut fiſtulæ in organo collectæ, efformatæque ad pronuntiandas Chriſti laudes: omnes erant pariter in eodem loco: ſed deerat eis ventus, qui fiſtulas inflaret atque animaret. Eo adventante mox cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, & in omnem terram exivit ſonus eorum. Ille dedit eis os & ſapientiam, cui nemo reſiſtere poterat: & quo magis premebantur folles, eò magis reſonabant fiſtulæ; & quidem ſonum ſuaviſſimum. Erant velut corpus Adami è limo à Deo effigiatum & organizatum cui defuit adhuc ſpiritus intus alens. Nondum ſe movebat, nondum loquebatur. Inſpiravit ei Deus ſpiraculum vitæ, & cœpit vivere, loqui, ambulare &c. Quod idem mundo accidit, qui prius mortuus & cadaver erat, poſt adventum Spiritus S. vivere cœpit. Appoſitè ergo S. Ambr. ep. 33. ad Demetriadem to. 5 *Implet igitur,* ai, *Spiritus S. organum ſuum & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum, qui ideo cum die pentecoſtes in Apoſtolos plebemque credentium, ſicut à Domino fuerat promiſſus, influeret, in ſpecie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum, eos ſuper quos inſederat, fecit effari, ut dubium non eſſet per ipſius inſpirationem utilem affectum rationabilemque ſermonem animæ fidelium miniſtrari.*

IV. Annunciat Chriſtianis plenarium & continuum Jubilæum, durans uſque ad finem mundi. Solebat Jubilæum (quo omnia debita remittebantur, & unuſquiſque redibat ad poſſeſſionem ſuam, & ſervi dimittebantur) apud Hebræos tubæ ſonitu promulgari, & quidem 7. buccinis ſeu bubulis cornibus. Joſ. 6. v. 13. Buccina hæc eſt ſonus de cœlo factus ſeu potius ventus ſonitum illum edens, annum remiſſionis omnium peccatorum nuncians. Ventus ſcopa cœli eſt diſſipans ac diſpellens nubes. Ita Spiritus S per datam ſacerdotibus poteſtatem abſolvendi, delet peccata juxta id Iſa. 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Peccata quid niſi atræ nubes ſunt & denſæ nebulæ, auferentes nobis radios Solis? Eas delet Spirit. S. deſignatus etiam per illum ventum vehementiſſimum à Moyſe impetratum, qui arreptam locuſtam projecit in mare rubrum, ita ut in cunctis finibus ne una quidem remaneret. Exodi 10. Quid locuſtæ niſi peccata ? quid mare rubrum niſi ſanguis Chriſti? In eo Sp. S. ubi quem afflaverit, demergit omnia peccata uſque ad unum. *Cum per gratiam ſuam,* inquit S Gregor. in 2. Reg. 2. l. 2. c. 2. *Sp. S. electorum corda viſitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat, quia ut ſe menti infuderit, eam protinus in vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat: facit enim ſtatim odiſſe, quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroque valde gemiſcere, quia & mala quæ odit, ſe damnabiliter amaſſe recolit, & bona quæ diligit, odiſſe: quis enim audet dicere, licet omnimoda peccatorum ſarcina prægravetur, quod perire poſſet aliquis viſitatus gratia Spiritus ſancti?*

Ideo appoſitè die quinquageſimo poſt paſcha miſſus; quia annus quinquageſimus Jubilæus erat, Hoc idem ſignificavit Chriſtus, quando inſufflando in Apoſtolos die reſurrectionis ſuæ dixit: *Accipite Spiritum ſanctum Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Quantum vero hoc donum! quanta ſacerdotum poteſtas! Deus peccatori dicit : Ego de libro vitæ te deleo. Sacerdos verò abſolvens; Ego te iterum inſcribo. Deus ait: Ego te ad tartarum condemno: ſacerdos ego te in cœlum mitto. Deus ait: Ligate catenis pec-

cato

catorem. Sacerdos: Ego solvo eum. Deus: occidite eum. Sacerdos: ego volo ut vivat, Sic etiam consequenter remittuntur nobis debita, dimittimur à servitute Dæmonis, redimus ad pristinam hæreditatem & possessionem gloriæ. Sine vento putresceret aër, unde inficeretur atque inficeret homines. Ventus eum purgat. Unde Austria dicitur aut ventosa aut venenosa, idem nostræ civitati aliisque contingeret nisi beneficio absolutionis crebrò expurgaretur. Videant ergo qui hoc vento rarissimè purgant animum. Certè servum, qui in Jubilæo noluit uti privilegio libertatis & vindicare se à servitute, sed adhærere maluit domino suo, debebat herus ex lege applicare ad ostium domus suæ & aures ejus subula perforata affigere ad ostium: in signum perpetuæ servitutis, qua deinceps obstrictus esse debebat, Exodi vigesimo primo & Deuteronomii decimo quinto, Et hoc in ignominiam & pœnam neglectæ libertatis, ait sanctus Thomas & Cajetanus. Ita nimirum qui in vita neglexit se redimere à servitute Dæmonis per pœnitentiam, nec vult audire sacerdotem inde se evocantem, figetur à Diabolo ad ostium domus suæ, inferni scilicet subula impœnitentiæ, quæ est peccatum in Spiritu sancto irremissibile: non secus ac bos mactandus alligatur ad macellum. Ibi serviet absque fine, *serviet tibi usque in æternum*; ait Dominus hero illi Deut. 15. Nos ergo, ne sic affigamur ad servitutem Dæmonis, quæramus libertatem nostram beneficio pœnitentiæ. Dicamus id Cant. 4. *Veni Auster & perfla hortum meum.* Veni S. Spirit. & expelle è corde meo, quidquid illud turbat, omnes atras nubes, ut in serenitate conscientiæ tibi servientes, ad æternam serenitatem perveniamus.

THEMA III.

Sacramenti Confirmationis fructus.

Confirmatio facit militem Christianum,
Facit terribilem dæmonibus.
Facit servum Christi proprium & perpetuum.
Perficit Christianum.
Facit regem regio animo præditum.

Paraclitus autem Spiritus S. ille vos docebit omnia. Joan. 14.

MAgnum hodie donum de cœlo Ecclesiæ collatum est, Spiritus S. videlicet, qui Apostolos & primos Christianos simul congregatos num. 120 homines perfecit in fide, & creavit Doctores, effecit strenuos milites, terribiles dæmonibus, servos Dei perpetuos & peculiares, in gratia ejus confirmatos, denique & Reges. Sed fortasse dicet aliquis: Quid nobis inde affert seu gaudii seu emolumenti, in quos Sp. S. hoc modo non descendit? Esto, in nos visibiliter non descenderit; esto linguarum donum non dederit: non deest tamen nobis etiamnum illud donum. Descendit nimirum super nos ille idem Spiritus sanctus licet invisibiliter in Sacramento confirmationis, in quo etiam nobis eadem illa confert suo modo, quæ contulit hoc die in primos Christianos. Testatur hoc columba illa nive candidior, quæ S. Remigio Episc. attulit de cœlo ampullam S. Chrismatis ad confirmandum Clodoveum, 1. Gal. Reg. Christ. teste Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi in ejus vita. Quod nimirum ipsi visibiliter attulit columba, hoc nobis invisibiliter adfert Spirit. S. in confirmatione nostra? Quare videndum nunc, quid nobis conferat hoc donum & Sacramentum.

I. Facit militem Christianum & luctatorem, ut docet S. Augustinus in sententiis n. 342. Vita Christiani militia est. Unde Paulus Timoth. scribit. *Labora sicut bonus miles Christi.* J. 2. Tim. 2. Pugnare illi opus est contra fidei persecutores & hæreticos, nec non contra peccata & tentationes: debet etiam profiteri fidem & servare Dei mandata. Ad hæc vires præstat sacramentum confirmationis; eoque spectant verba illa hod. Evang. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*; corde scil. ore & opere. Hostes fidei nostræ duplici impedimento absterrebantur, ne eam amplecterentur; quæ & nobis objiciebant quædam difficilia credenda & quædam facienda. Sapientes n. mundi utpote inflatos, pudebat pro Deo adorare hominem, in stabulo natum, pauperem, denique flagellatum, crucifixum, mortuum: rursum imitari ejus paupertatem, sectari humilitatem & patientiam, condonare injurias, diligere inimicos, crucem ferre, carnem edomare, &c. Hinc Christianos stultos iudicabant & à fide Christi ac sequela retrahere volebant. Christus igitur ut suos contra hos armaret, sacramentum hoc instituit, quo signaculum crucis in fronte eis imprimeretur, unaque gratia ad superandos hos pudores ac timores, ipsosq; fidei adversarios daretur. Frons sedes pudoris est; ibi ergo cruce signatur Christianus, ut crucem non erubescat, sed ea quasi gladio armatus in cōspectum hostium prodire gestiat. Cur iter facientes gladio se armant? nonne ut minus timeant & se in periculis defendere queant? Sine confirmatione Christianus est miles sine gladio. Videtur hujus sacramenti figura fuisse aureus gladius, quem in visu dedit Jeremias Judæ Machab. ad pugnandum pro lege & gente Hebræa contra persecutores Gentiles, dicens: *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* 2. Macabæorum ultimo. Aureum hunc gladium & munus à Deo ad debellandos fidei & pietatis Christianæ hostes dat Episc. Christiano dum eum confirmat. Per baptismum quidem militiæ Christi adscribimur, & licet per unctionem, quæ in baptismo fit, gladio aliquo accingamur, nondum tamen vires & cor habemus ad illum evaginandum; quomodo Themistocles Atheniensium Dux de Cretensium Duce Theutide Orontho dicebat, se eum non timere; quia gladium quidem haberet ad jugulandum non tamen cor ad evaginandum. Habemus fidem ex baptismo, sed nondum cor ad profitendum ac

dandam

1. Confirmatio facit militem Christianum.

danda publica pietatis exempla. Caruit hoc corde Novatus, qui quoniam sacramentum hoc non accepit, in persecutione negavit se esse presbyterum, & hæresis auctor factus est, teste Eusebio in historia Ecclesiæ. Similiter tempore *Antichristi*, ait sanctus Vincentius sermone secundo Dominica tertia Quadragesimæ, *simpliciter baptizati & non confirmati cadent abnegando fidem Christi, confirmati vero stabunt firmi & stabiles contra Antichristum, pugnando dicentes: vade rabide, ego servo firmam fidem Chresti.* Quod saltem de majori parte intelligendum videtur. Vicissim eo armatus sanctus Stephanus tam strenuè pugnavit ac vicit tot adversarios suos; quādo plenus Spiritu sancto *intendens in cælum vidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei.* Actorum 7. Sed si vidit Patrem & filium, cur non vidit Spiritum S. Respondet S. Gregorius Nyssenus oratione de S. Stephano, quia secum illum habebat, una cum ipso è castello cordis ejus pugnantem. Pater se ei ostendit velut præmium & mercedem magnam nimis. Filius velut speculum & exemplar pugnæ, Sp. S. in ipso & cum ipso pugnabat; unde *plenus Spiritu S.* fuisse dicitur Actorum 7. Patet & in Catholicis confirmatis, qui rarissime audiuntur à fide deficere; cum vicissim quotidie plurimi hæretici ad nostram fidem convertantur. Accedunt alii hostes, mundus, caro, Dæmon, qui nos undiq; vexant ac fatigant; tres contra unum pugnant: & nisi induamur virtute ex alto, quomodo his resistemus? Quare huc aptissimè referimus, quod in cœna Christus instante sua captivitate inter insidias Judæorum dixit: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium,* Luc. 22. Gladium Sp. S inquam.

II. Facit terribilem dæmonibus.

II. Facit terribilem dæmonibus. Si enim signum crucis manu nostra formatum pellere eum potest; quanto magis in hoc sacramento manu Episcopi frōti nostræ impressum? Eo spectat, quod in hodierno Evangelio dicitur *Venit Princeps hujus mundi & in me non habet quidquam.* Pulchrum hujus rei typum habemus in Hebræis, in Ægypto adhuc hærentibus, qui postquam Dei monitu domuum suarum superliminaria tinxerunt sanguine agni, percussor Angelus à Deo missus ad percutienda Ægyptiorum primogenita, ædes illorum transiliit, nec cuiquam nocere potuit. Exodi 12. Rupertus eo loco sentit non improbabiliter percussorem illum fuisse malum Angelum; quia dicitur Deum non permissurum ut noceret Judæis; quasi alioquin & his nociturus esset. Quod si sanguis agni in superliminari domus percutientem Angelum arcuit, multo magis poterit hoc idem præstare signaculum Crucis, Christi sanguine rutilans, fronti nostræ inscriptum. Senserunt hoc Gentiles eorumque sacrificul, uti scribit Prudentius in Apotheo contra Judæos se puero contigisse, de quodam sacrificulo, qui præsente Imperatore Juliano victimas mactabat & inspiciebat exta aliasq; partes, inde Deorum oracula cogniturus; nihil tamen cognoscere poterat: omnia turbata, Deosq; suos in fugam actos videns. Unde corruens in terram & exclamans ad Imperatorem asserit aliquem Christianum balsamo unctum adesse, qui Deos suos fuget & conatus suos irri
tos faciat: illum proinde expelli jubeat: *Lotus proc*
absit & unctus, inquit, Tunc & Imperator posito di
demate ait: Quis est hic numinibus nostris contrari
ac religionis Christianæ socius, qui frontem chrism
tis inscriptione signatam ferat? Tunc unus de arm
geris Augusti, in medio projectis armis, ait: Ego sun
cujus Deus Christus est &c. Ejus nomen fugiunt D
vestri &c. His obstupefactus Imperator tremens rel
quit templum Dæmoniorum & in palatium sol
profugit, cæteris Deum Christianorum admiran
bus ac laudantibus. Idem contigisse aliis sacrificu
sæpe scribit Lactantius libro quarto de vera Sapien
capite 27. ideoque Christianos illos martyrio af
ctos. Recentius est, quod Thomas Cantipratanus
bro 2 Apum versu 37. scribit de cœco bubulco; ut
libi retulimus.

III. Facit servum Christi proprium & perpetu
seu mancipium. Servi apud Hebræos 7. ann. lib
erant. Quod si dixerit servus: *Diligo Dominum me*
non egrediar liber, offeret eum Dominus Diis (id
Judicibus) *& applicabitur ad ostium & postes, perfo*
bitque aurem ejus subula (in signum, quod adve
quæque tolerare velit) *& erit illi servus in saecul*
Exodi secundo. in sæculum, hoc est usque ad ann
Jubilæi quinquagesimum. Hujusmodi servum,
ex amore Christi perpetuæ ejus servituti se addi
usque ad Jubilæum cœlestis gloriæ, facit confir
tio. Indicat enim confirmandus se amore Christi D
mini, cui jam olim à baptismo servierit, nolle ab
separari: sed tota vita servire velle. Idcirco patitur
bi perforari aurem hoc est infligi alapam & cruce s
nari frontem, ut demonstret se ad aspera & dura qu
vis, tam pro ipso quam ab ipso perferenda parat
esse: quo modo & amore Judas pro fratre suo Ben
mino in servum se perpetuum obtulit Josepho,
cens: *Ego proprie servus tuus sim.* Exodi quadrage
mo quarto, quasi dicat servus peculiaris & perpetu
Olim Gentiles, & hodie Turcæ servos emptitios st
mate fronti inusto notant; ne facile possint ac vel
fugere; utpote mox prodendi & retrahendi. Mag
profectò dignitas & gratia est, talem esse servum Ch
sti. Ut patet ex elogio sepulchrali Moysis: *Moyses s*
vus Dei. Deuteronomii trigesimo quarto. Talis en
vix perire potest; quia si per peccatum aliquod fo
aufugerit; retrahetur à suo domino. Unde bene h
sacramentum cum balsamo confertur, quia balsa
conservat etiam corpora mortua, ne omnino perea
ac putrescant Et huc spectat, quod in hod. Evangel
dicit Dominus: *Si quis diligit me: ad eum veniemus*
mansionem apud eum faciemus. quasi dicat, illum, q
Spiritu sancto confirmatus fuerit, in proprium n
strum hospitium deputabimus; sicut solent prin
pes in itinere certa sibi hospitia deligere & insi
nibus suis ornare: conclavi etiam suo inscribere n
men suum; ne quis facile intrare aut occupare id pr
sumat.

Exemplum habemus in juvene illo, quem sa
ctus JOHANNES Apostolus cuidam Asi

Episc

Episcopo comendarat, qui ab eo confirmatus, cum tā- dem neglectus ab Episcopo fugisset, & latronum socius imò princeps evasisset, quæsitus à Joanne & repertus, mox se in fugam dedit, posteà tamen restitit & in gremium Joannis rediit, tandemq; præclarus Ecclesiæ minister factus est, apud Euseb. l. 3 c. 17. Mirum Auditores! Cur enim inermem non cum sociis adortus est? cur timidus Apostoli faciem erubuit? cur ad patrem supplex rediit; an quia sigillo confirmationis notatum se cognovit, Christi servum proprium & perpetuum esse, quem fugere non posset? an quia gratia confirmationis hoc in eo operata est? Certè oves signatæ non facilè perduntur; notantur illæ scissurâ in aure, vel cruce in dorso, aut simili aliâ notâ: Christiani signantur in fronte.

IV. Perficit Christianum in virum perfectum, non quidem ita, ut ea accepta statim quis perfectus sit, sed quod in ea accipiat specialem & copiosam gratiam ad eam perfectionem obtinendam: quo modo studium Theologiæ non statim Theologum perfectum constituit, sed Theologicæ perfectioni consequendæ addicit & adjuvat. Eò spectat, quod in hod. Evang. dicitur: *Cum venerit paraclitus, ille vos docebit omnia* Et Isa. 54. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino.* Ob hanc causam à Græcis appellatur τελείωσις, id est, *perfectio*. Unde S. Clemens in Ep. ad Julium & Julian. ait se à S. Petro audisse, neminem perfectum Christianum esse, qui hoc sacramentum ab Episcopo non acceperit. S. Cyrillus Hierosol Catech. 3 asserit baptizatum nō- dum esse proprie dignum nomine Christiani, ante susceptam Confirmationem, sed eò tendere solùm ut Christianus sit. Christianus enim à Chrismate seu unctione nomen habet, quæ in hoc confertur sacramento. Atq; hæc causa est, quod non à simplici sacerdote, sed ab Episcopo solum administrari debeat. Quemadmodum enim studioso ultimā manum imponit professor Theologiæ, creando eum Doctorem; reliquas leviores artes docent inferiores Magistri: ita Confirmatio, quæ ad perfectionem ducit Christianum, non nisi ab Episcopo confertur: alia pleraq; sacramenta ab inferiorib. sacerdotibus conferuntur. Hinc bene appellatur manus impositio. Professio Christiani requirit, ut studeat evitare peccata, ut servet omnia mandata, conetur etiam, quantum fieri potest, præstare plusquam præceptum est; adhæc ut animam exornet virtutibus, adeoq; sit intus ornatus sanctitate & foris bono exemplo. Ad hoc autem gratia quædam peculiaris requiritur; sine quâ homo quasi puer est, ad artes exercendas inhabilis: proinde periculo non caret hoc sacramento neglecto è vita discedere, ob perfectionis defectum, secundum Hug. de S. Vict. Sicut non exiguum damnum est studia cœpta ad finem & coronidis impositionem non perducere.

V. Facit Regem, dando ei regium animum. Solent Reges oleo perungi, uti olim in vetere lege, ita & nunc in nova. Ad quid ergo unctio confirmati, nisi ut ipsum quoq; Regem efficiat, non quidem opibus & imperio externo, sed interno. Idcircò S. Petrus Christianos appellat *regale sacerdotium*. Et Prudentius Chrisma & unguentum Confirmationis appellat *regale*, apud Th. Boz. de sign. Eccl. l. 2. c. 5. & 4. ita ut quod interest inter Reges & privatos homines, hoc intersit inter confirmatos & non confirmatos. Reges debent habere & communiter habent cor latissimum, ut non moveantur facilè seu prosperis seu adversis. Cujusmodi cor datum est primò Sauli post unctionem 1. Reg 10. ubi dicitur: *Immutavit ei cor aliud* Similiter ultra sapientiam & prudentiam Deus Salamoni 3. Reg. 4. *dedit latitudinem cordis, sicut arenam maris*, ut videl. imperterritus esset in omnibus difficultatibus & ad omnia exequenda. Hanc ergo multo magis confert Spir. S. confirmato, ut tam in prosperis quam in adversis magnanimum se exhibeat. Ita testatur Urbanus Pp. de Consecr. dist. 5. c. omnes. *Cum Spiritus S.* (in confirmatione) *infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur*. Et S. August. tr. 9 in Joan. ait de S. Petro: *Adhuc etiam tunc* (post resurrectionem Christi) *amor* (Petri) *ipse infirmus fuerat, & angustus, donec eū roboraret & dilataret Spiritus* S. Ab illo enim tempore nulla re amplius turbatus fuit, sed imperterritus stetit ac locutus est in publico & mediâ Jerosolyma, similiter ante tribunalia, nullam sibi viam occludi ad evangelizandum passus. In hunc finem confirmatus alapam ab Episcopo excipit, cum gaudio potius & risu, quam cum dolore aut indignatione, ut sciat omnes tribulationes pro Christo sibi contingentes æquo & hilari animo ferendas esse. Eò spectat, quod in hod. Evang. dicitur: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* Et hoc est, quod passim PP. dicunt, per hoc sacramentum, Christianum fieri ex puero virum. Absq; hoc Sacramento baptizatus est velut puer qui vel anseres sibilantes timet: eo suscepto in virum evadit. *animo præditum.*

Facit ergo Confirmatio ambidextros qualis erat Aod ille Judex & Princeps Hebræorum Judic. 3. Quales & requirit Paulus 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiæ à dextris & à sinistris per gloriam & ignobilitatem, per infamiā & bonam famam, &c.* Talis fuit ipse: *Scio & abundare, scio & penuriam pati* Philip. 4. Quod si hoc sacramentum facit viros, milites, Dæmoni terribiles, servos Christi proprios ac peculiares, deniq; Reges; nonne etiam conferet eis gloriam in cœlo majorem ac coronam regiam? Quo enim vas grandius est, eo plus vini capit. Et viri plus mercedis accipiunt, quam pueri cum laborant. Idipsum igitur expectare confirmati in cœlo possunt.

* *
*

THEMA IV.

Linqua reformata à Spiritu ſancto.

I. *Sit ignea, & puritatis amans.*
II. *Sit innoxia neminem lædens.*
III. *Sit humilis, non magniloqua.*
IV. *Sit ſedata, gravis, matura.*
V. *Diſpertiat ſe ad erudiendos alios.*
VI. *Depromat verba ex cerebro.*

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2.

QUi calamo exarant litteras, ſcribæ, cum attritum uſu vel obtuſum advertunt calamũ ſuum, cultello adhibito reformare ſolent & aptare ſcriptioni. Lingua nobis à Deo data eſt velut calamus Spiritus S. qui inhabitat in nobis, eaque velut calamo depromit & in hominum cordibus quodammodo inſcribit ſuam ſapientiam. Id voluiſſe Pſalmiſtam, quando dixit Pſal. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, ſentit S. Baſilius in eum Pſalmum commentans: *Sicut enim calamus inſtrumentum eſt delineandæ ſcripturæ accommodum, ipſum manu viri periti promovente ad eorum, quæ ſcribenda ſunt, characteres exprimendos: ſic & lingua juſti Spiritu S. eam movente, cordibus credentium verba inſcribit vitæ æternæ: tincta quidem non atramento, ſed ſpiritu Dei viventis. Scriba igitur Spiritus S. quoniam ſapiens eſt & omnes docens.* Sic ille. Verum calamus iſte per continuum uſum, tot ſæculis continuatum, admodum obtuſus & mutilus factus eſt in hominibus, ut nil amplius eruditi, nihil culti ſcriberent, ſed inſulſa fere omnia, fæda & inconcinna. Vidit igitur divinus ille Scriba, Spiritus S. neceſſarium eſſe tandem reformare calamum iſtum, & ad meliores ſermonum characteres efformandos habilem & idoneum reddere. Quare in primitias Chriſtianorum demittere ſe voluit in formâ linguæ igneæ, eaque formâ oſtendere, qualis Chriſtianorum lingua eſſe debeat, quod hîc expendemus.

I. *Sit ignea, & puritatis amans.*

I. Lingua hæc, quæ apparuit in capitibus fidelium, fuit *tamquam ignis*, ait ſanctus Lucas. Quis autem neſcit ignem eſſe elementum, uti ſublimiſſimum, ita omnium puriſſimum? nihil impuritatis pati, ſed potius purificare omnia impura? Itaque linguæ fidelium abhorrere debent ab omni impuritate, & quæ ab aliis ſordidè dicuntur, pro viribus emendare & quodammodo exurere. Lamentatur Iſai. c. 6. in hæc verba: *Væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego ſum.* Aliquam ergo impuritatem contraxerat in linguâ. Sed ecce unus de Seraphim advolavit & calculo ſeu prunâ ignitâ tetigit ac purificavit linguam ejus. Dixit enim: *Ecce tetigi hoc labia tua & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* Sanctus Ambroſius libro primo de Spiritu ſancto capit nono, ait calculum illum ignitum, ſymbolum fuiſſe Sp. S. puram igitur linguam requirit Spir. S. quia prunâ candenti eam purificavit etiam in Iſaia, qui non niſi venialiter putatur inquinaſſe linguam ſuam. Calculus ille deſumptus fuit ex altari thymiamatis, in quo non cremabantur niſi ſpecies aromaticæ optimi odoris; (unde & thuribulum appellatur, ad Heb. 9) referente cor hominis Chriſtiani, à quo exulare debet omnis impuritas. S. Chryſoſtomus in Pſ. 140. ait: *Quemadmodum oportet thuribulum nihil habere immundum, ſed ſolum ignem & ſuffitum: ita etiam linguam nullum oportet proferre verbum, quod ſit ullâ maculâ aut labe reſperſum, ſed ſanctitatem & laudem. Sit ergo os tuum thuribulum; vide autem ne id fimo impleas. Tales enim ſunt qui loquuntur verba turpia & immunda.* Alibi idem Sanctus oſtendit ipſum Dæmonem cum Deo loquentem ſervâſſe hoc decorum, ne inhoneſtum aliquod effutiret verbum, quando dixit: *Carnes ejus* (Jobi) *tange, ſi in faciem benedicat tibi*, id eſt, *maledicat*, inquit homilia 4. de patientia Jobi, *Etenim ſcriptura benedictis maledicta velavit. Et quare hæc ſcripta ſunt? Vt tu fidelis diſcas, cum alieni mali turpia narraveris, eadem verborum honeſtate velare, neq; honeſteris turpibus operam præbens, turpium locutionem fugiens; propterea inquit Apoſtolus* (ad Eph. 4.) *omne verbum turpe non exeat de ore veſtro.* Sic Chryſ. Quem Apoſtoli locum ſic legimus in vulgatâ: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat:* ubi græcè habetur, *omnis ſermo putris* aut *corruptus*, adeoq; turpis, ut bene exponit Chryſoſt. Idem repetit Apoſtolus ad Col. 3. *Deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Puriſſimum hominis membrum eſt lingua, quod omnem putredinem & fœtorem reſpuit, omnem impuritatem expuit. v. g. pomum putridum, velut pilum unum cibo adhærentem: eccur igitur non ſimiliter averſetur impuritatem, quæ adhæret ipſis verbis, quæ pronunciat? Diſcant hoc Chriſtiani vel ab homine Ethnico. Archytas namq; Tarentinus, Philoſophus Pythagoricus, *cum neceſſitas aliquando poſtularet*, inquit Ælian. l. 14. var. c. 19. *abſurdius aliquid dicere, non profatus eſt, ſed id quidem tacuit, inſcripſit autem in pariete; monſtrans quod dicendum erat, neq; ut diceret, cogi potuit.* Viderint Chriſtiani, qui turpia loquuntur, quam ab Ethnico confundantur. Audiant etiam minantem ſibi Prophetam Iſaiam c. 11. *Deſolabit*, inquit, *Dominus linguam maris Ægypti*, Quæ eſt lingua maris? utiq; ſpurca & impura, quæ turpia verba evomit; ſicut mare cadavera & omnes immunditias in ſe projectas ejicit, juxta id Apoſtoli Judæ: *Fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones.*

Sit … xia, nem

II. Licet ignea foret, neminem tamen læſit aut adusſit; ſed innoxia prorſus, imò placida & blanda erat. Talis etiam lingua Chriſtianorum ſit, oportet: ardeat charitate, ſplendeat prudentiâ, neminem verò urat, mordeat aut lædat; cujuſmodi linguam habuêre prius filii hujus ſæculi, de quibus Pſalmo 56. dicitur: *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Sanctus vero Jacobus ca-

pite

pite tertio linguam talium appellat *ignem*, sed urentem & cruciantem: *Lingua ignis est, &c. quæ maculat totum corpus & inflammat rotam nativitatis nostræ.* hoc est, universum vitæ nostræ cursum, velut alii exponunt, orbem universum. Nemo nescit quantum noceant ignes illi missiles, qui ab hostibus projiciuntur in obsessas civitates, & quacumque incidunt, omnia inflammant & incendia excitant, sicque demum obsessos ad deditionem compellunt. Hujusmodi ignem esse linguam maledicam, vult dicere Jacobus, quæ dum alios invadit & urit, ad iracundiam quoque provocat, ut similia vel atrociora verba, in maledicum evomant, adeoque in peccatum & servitutem Dæmonis trahant, & è cœlo exturbent. *Nihil enim sic mordet,* (inquit sanctus Ambrosius libro secundo de Interpellatione Jobi) *ut durior sermo. Multi cum vicerint adhibita tormenta, sermonum duritiem non sustinuerunt.* Patet in Davide, qui continuas & gravissimas à Saule persecutiones & injurias sustinuit patienter, maledicentiam tamen Nabalis, quâ servus fugitivus ab eo compellatus fuit, adeo ferre non potuit, ut totus irâ æstuans jamjam se armârit ad perdendum hominem cum omni suâ familiâ, adeoque nisi uxor Nabal blandiloquio suo intervenisset, gravissimo peccato se obstricturus fuisset. primo Regum vigesimo quinto. Ubi Theodoretus: *Qui in Saulem,* inquit, *tantam ostendit lenitatem & patientiam. Nabalem tamen tentat occidere, auditis convitiis & contumeliis.* quæstione quinquagesima quarta in primo Regum. Bene igitur sanctus Augustinus in epistola prima Joannis, *Major est,* ait, *machæra linguæ quàm ferri.* Gladius enim corpus ferit & in terram prosternit: lingua verò maledica etiam animam ferit, & è cœlo sæpe in infernum, è gratia in peccatum excutit Ignem domi nostræ diligenter custodimus, & securo loco reponimus, ne erumpat in incendium. Non minori curâ Deus ipse linguam nostram velut arcem quandam munivit, dentibus quasi muro, labiis quasi vallo; & cur hoc, nisi ut doceret nos attendere linguæ nostræ, ne cui facilè noceat, & quasi ignis alios inflammet? Quò videtur spectare quod Psalmo 72. dicitur: *Posuerunt in cœlum os suum & lingua eorum transivit* (Hebraicè *ussit*) *in terra.* quasi dicat, linguæ maledicorum velut incendiarii terram inflammârunt. Verum illi seipsos longè gravius sauciant, quam quos linguâ suâ feriunt, juxta id Psalmo quinquagesimo tertio: *Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Chald. *offendunt seipsos linguâ suâ.*

II. Descendit de cœlo in terram, cùm tamen esset ignea, itaque contra naturam ignis, qui sublime petit. Lingua veteris hominis ad instar ignis elementaris sublimia profert, ad sui exaltationem & magnificentiam loquitur quo sensu intelligunt aliqui id Jacobi 3. *Linguam modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* Syrus vertit: *se extollit.* Didicerunt hoc filii hujus sæculi à Magistro suo Diabolo, qui altè nimis primus intonuit: *In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, &c.* Isaiæ 14. ideoque dejectus in abyssum est. Ex hac ejus schola prodiere velut ex equo Trojano quamplurimi discipuli, dicentes: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?* Psalmo 11. gloriosi nimirum & jactabundi milites; quibus etiam se admiscuit Phenenna illa conjux Elcanæ, quæ suam intuens fælicitatem ac fæcunditatem, contempsit Annam, consortem suam sterilem, & probris invasit. 1. Regum primo. Cui tamen Anna in suo cantico præclarum documentum accinuit: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro* (Septuaginta legunt: *non procedat magniloquentia de ore vestro*) *quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* 1. Regum 2. q. d. Deus solus novit, quis magnus vel parvus, extollendus vel deprimendus sit. Id quod paulò post experta est Phenenna, cum vidit Annam multa fœcunditate & prosperitate divinitus collatâ florentem, se verò sterilitate, &, ut Hebræi cum Historiâ scholasticâ, & aliis docent, filiorum suorum orbitate mulctatam; quo modo gallina, dum ovum à se positum cantilena sua prodit & quasi jactat, amittit, subtrahente id matrefamilias Idem meritò timere possunt, qui supra alios se extollunt, & demittere linquam suam ad pauperes & humiles alloquio dignandos nolunt; ne aliquando eis subjiciantur, & præterea etiam opem eorum invocare cogantur; uti contigit Epuloni, qui Lazarum mendicantem nec responso sublevavit, posteà in gehennâ invocare coactus est. Idcircò sine dubio in lingua sua potissimum fuisse cruciatum sentit sanctus Augustinus sermone 227. de temp. *quia per eam superbe loquendo contempserat pauperem. Ipsa enim lingua, quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi daretur, gravius gehennæ flammis exuritur.* Similitèr D. Chrysologus sermone 122. *Si te,* inquit, *jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? Quia magis lingua uritur, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit.* Cogitent ergo magnates fieri posse, uti ipsi subjiciantur illis, quos alloqui jam despiciunt, vel non nisi turgide & contemptim affantur, scriptum enim est: *Disperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam.* Psalmo undecimo. Quare Christiani humilia de se loquantur, non alta & magna, semper se accusent, servos se inutiles dicant, &c.

IV. Lingua illa sedit, ut ait Lucas, seu incubuit super Apostolos aliosque præsentes Christianos. Quid vero ea sessio, nisi tranquillitatem, gravitatem & maturitatem sermonis Apostolis à Spiritu sancto communicatam indicat? Talis ergo sit sermo Christianorum. Primò, sedatus & moderatus; Ignis in lucernâ vel cereo si non sedatè ardeat, sed à vento agitetur, & cereum properè absumit, & parum lucis præbet. Similiter qui exactum vult aliquid efficere, sedere ad opus debet, non ambulare. Pari modo qui linguâ concitatâ & passionibus turbatâ profert sermonem, & in loquendo impinget, & facilè alios offendet. Sedendo igitur loquere, non cur-

IV. *Sit sedata, gravis, matura.*

currendo, non ambulando. 2. Non ſit garrulus & vagus: quia hic indicat hominem ſtultum, qui omnia quæ in buccam veniunt, mox effundit: ille verò ſapientem, qui dicenda prius expendit, nec niſi cum ratione loquitur. Quod etiam viderunt Philoſophi Gentiles, è quibus Solon unus dixit: *Nullus ſtultus tacere poteſt.* Et Apollonius rogatus, qui eſſent hominum optimi? reſpondit: *Qui in dicendo ſunt breviſſimi.* E Chriſtianis vero Alphonſus Rex Aragonum homines vanis ſermonibus deditos, *utres diſtentos & veſicas vento turgidas* appellabat. Panormitanus libro quarto. Quare ſicuti cum ſtultis verſari conſultum non eſt: (repente enim & ſine cauſa clava ſua feriunt proximum quemque, etiam heros ſuos) ita & cum loquacibus. Propterea arbitror dixiſſe Eccleſiaſticum cap. nono verſ. vigeſimo quinto. *Terribilis eſt in civitate ſua homo linguoſus: & temerarius in verbo ſuo odibilis erit.* Quomodo terribilis, qui non niſi lingua armatus eſt? quia nimirum lingua ſua utitur velut ſtultus clava aut ligneo gladio ſuo, quo abſque ratione ferit proximum quemque; cùm habeat linguam vagam & inſtabilem, perpetuo agitatam, nec rationi alligatam. Diximus alibi Theofredum Hiſpaniæ Regem à ſtulto ſuo coriacea clava occiſum: & alibi ſtultum Maximiliani primi Imperator. in eo jam molimine, quo ignem in pyrium pulverem injicere, & armarium totum cum Cæſare & ſeipſo inflammare cogitabat, deprehenſum. Tales ſtulti ſunt linguoſi, proinde jure merito, omnibus metuendi, nullum enim arcanum ſciunt reticere, nullius vitium ſibi perſpectum occultare: omnia blaterant & in aliorum aures effundunt; unde odia, inimicitiæ, contentiones, ſuſpiciones innumerabiles oriuntur. Ex quo etiam ſequitur alterum, quod adjecit Eccleſiaſticus, ut ſint *odibiles*, non ſolum ob ea, quæ diximus, damna & pericula, ſed etiam ob ipſam inanem & ratione carentem loquacitatem. Lycon Philoſophus Peripateticus dicendi ſuavitate adeò excellens ut pro *Lycon Glycon*, hoc eſt, ſuavis appellaretur, dicebat: *ſicut hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt; ſic garrulos perpetuo obtundentes moleſtos eſſe auditoribus.* Unde Proverbium ortum: *Hirundines tecto ne excipe.* Mare oderunt plurimi, ſed maximè Ægyptii teſte Plutarcho in ſymptom. & Pierio libro 31. hierogl. quia non ſolum navigantes jactat, vexat, nauſea & timore penè continuo replet; ſed etiam vicinas terras ſalſugine ſua ſteriles reddit. Multo magis garruli odio habendi, quia inquieta ſua lingua, (Jacobi 3. *lingua inquietum malum*) non minus quam mare terram ſuis fluctibus, obruunt aliorum aures & ſterili loquacitate implent; ut de illis etiam rectè intelligi queat; quod ſupra ex Iſaia diximus: *Deſolabit Dominus linguam maris Ægypti.* Denique ſicut qui multum ambulat, ſæpius cæſpitat; non qui ſedet: ita qui multum loquitur, crebro offendit & mentitur; non qui tacet.

V. Lingua illa ignea ſeſe diſpertivit ſupra ſingulos, qui aderant, centum & viginti homines. *Apparuerunt* enim *illis diſpertitæ linguæ*, ait Sanctus Lucas. Diſpartitæ, hoc eſt, diſtributæ per ſingulos, ita ut quilibet haberet ſuam linguam ſuper caput ſuum. Tales etiam eſſe decet linguas Chriſtianorum, quæ ſe diſtribuant & impertiant aliis, maximè ignorantibus, ut inſtruantur ad ſalutem. Hoc eſt quod Salomon Proverbiorum decimo in juſto commendat: *Vena vitæ os juſti*, inquit. q. d. Os juſti ſolet eſſe fons aquæ vivæ diſpertiens ſe undique & dividens hominibus ad eorum uſum. Quemadmodum enim ex uno fonte ducitur una vena ad hortum, alia in atrium, alia in culinam, alia ad piſcinam, &c. ut tota domus uno fonte quaſi rigetur & recreetur: ita os Chriſtiani boni & veri diffundere verba vitæ deberet per integram domum vel civitatem. Unde Hugo Carenſis ita locum illum explicat: *Os juſti eſt os prædicatoris vel Doctoris, à quibus ad alios fluunt verba vitalia.* Illi quidem ex proprio ſuo officio ad hoc deputati ſunt, Chriſtianis autem cæteris, qui tali vitæ vena gaudent, incumbit idem ex charitate. Certè Samaritana illa nullum à Chriſto mandatum acceperit, ut traditam ſibi veritatem ſuis civibus annunciaret, nihilominus inſtigante charitate mox relicta hydria cucurrit ad civitatem, & quæ à Chriſto didicerat, publicè prædicavit: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci; nunquid ipſe eſt Chriſtus?* In quæ verba Sanctus Chryſoſtomus ait: *Venerat hauriendæ aquæ gratiâ, & cum verum fontem inveniſſet, contempſit alterum, & supernâ veniente gratia Apoſtolico munere fungitur.* Fons incluſus & à fluxu ſuo cohibitus, putredinem & fœtorem contrahit gignitque ranas & alias immunditias. Eadem de cauſa Iſaias pollutum ſe eſſe conqueritur, ex eo quod reprehenderit Regem Oziam, conatum adolere incenſum, cum Sacerdos non eſſet, & alios delinquentes proceres. *Væ mihi quia tacui*, inquit, *quia vir pollutus labiis ego ſum.* Iſaiæ capite ſexto. In quem locum Sanctus Hieronymus epiſtola centeſima quadrageſima prima ad Damaſum: Iſaias, inquit, *quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium deſignarat, labia habebat immunda.* Scimus quam metuendam increpationem incurrerit ſervus ille piger, qui talentum ſibi creditum, quo plura alia poterat lucrifacere, abſcondit. Matthæi vigeſimo quinto. Lingua Dei talentum & quidem pretioſum eſt, niſi iram Dei incurrere velimus. Audiamus Sanctum Chryſoſtomum in eum locum, homil. ſeptuageſima nona in Matth. *Talenta, inquit, hic pro eo quod unuſquiſque facere poteſt, accipimus, ſive auctoritate protegere, ſive pecuniis juvare, ſive doctrina admonere, ſive alia quapiam re proximis prodeſſe queas.*

VI. Lin-

VI. Lingua illa, uti communiter ſentiunt & indicat Cyrillus Hieroſolymitanus catech. ſuper capita Apoſtolorum aliorumque præſentium fidelium ſedit: quo videtur inſinuatum linguas fidelium non tam ex ore quàm ex cerebro & vertice capitis promere ſua ſenſa debere: nec non de ſupernis potiſſimum & cœleſtibus rebus ſermocinari. Tradunt Anatomici linguam duas habere venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum, quo natura utique nos docere voluit, non duntaxat cor ſeu voluntatem & appetitum ſenſualem conſulendum eſſe, cum quid ore proferendum eſt, ſed etiam cerebrum ſeu rationem, quæ idipſum approbet, velut præſes appetitus. Quò videtur etiam ſpectare, quod ait Eccleſ. c. 32 *Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum,* q. d. habeat rationem & cerebrum, quod in capite ſedem habet. Ita nos Germ. dicimus: Nimb die Zung in Backen/ q. d. vide quid loquaris. Ad hæc qui verus Chriſtianus eſt, de Deo & cœleſtibus potius gaudet inſtituere ſermonem, quam de terrenis: de Capite Eccleſiæ, Chriſto, quàm de calceis & involucris carnalibus. De ſancto illo puero Samuele dicitur 1. Reg 3. *Crevit autem Samuel & Dominus cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram,* h. e. non loquebatur de terrenis, ſed de cœleſtibus, ut exponit Hugo Cardin. Si enim Dominus erat cum eo & ex abundantia cordis os loquitur (Luc. 6.) quid mirum ſi ipſius verba non in terram & terrena, ſed in Deum & cœleſtia ceciderunt? Sic enim & Apoſtoli, ubi repleti ſunt Spiritu ſancto, cœperunt loqui; quidnam verò? *Loquebantur magnalia Dei.* Act. 2. Talia ergo qui loquuntur, oſtendunt ſe habitaculum Spiritus ſancti eſſe: uti econtrà, qui de vanis ſolùm & terrenis rebus ſermocinantur, Dæmonis hoſpitium eſſe. *Talis enim,* inquit S. Auguſtinus tract. 2. in Ep. Joan. *eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis, terra es. Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Nihil magis hominem diſtinguit à bellua, quàm locutio; ita nihil magis diſcernit pium ab impio, quàm locutio de Deo & rebus divinis. B. Bonaventura opuſc. de perfect. vitæ c. 4 ait: *Argumentum quaſi infallibile eſt, ut ſi ſit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonicè, videtur quòd non ſit Theutonicus. Sic qui eſt in mundo & mundana non loquitur, evidenter demonſtrat ſe in mundo non eſſe; qui enim de terra eſt, de terra loquitur.* Joan. 3. Concludo cum D. Laurentio Juſtiniano de perfectione monaſt. converſ. c. 15. *Videmus,* ait, *agricultores, cùm in unum coadunantur, repentè & ſine tædio, de iis, quæ agriculturæ ſunt, ſermocinari; artifices mechanicos de artificiis; mercatores de mercimoniis ſuis; oratores de ſuis facultatibus confabulari. Et prôh dolor! ſoli Dei ſervi, quæ proprio congruunt ſtatui audire vel loqui non curant; aut ignorant.* Et ſtatim: *Ut plurimum tacent propria & utilia, & de alienis proloquuntur negotiis. Cum vana audiunt, & ſcurrilia loquuntur, intenti ſunt: cùm verò ſpiritualia, citò fatigantur, & perſæpe miſerabiliter merguntur ſomno.* Quare videat unuſquiſq; & cõſideret linguam ſuam, an reformatione aliqua indigeat. Ita enim S. Hieronymus in Epiſt. ad Principem, ſuper illa verba Pſal. 44. *Lingua mea &c.* ait: *Debeo linguam meam quaſi ſtylum & calamum præparare, ut per illam in corde & auribus audientium ſcribat Spiritus ſanctus.* Qui bene reformavit calamum ſuum, reformavit totam ſcriptionem ſuam: & qui linguam emendavit non ſermones tantùm, ſed & omnem vitam emendavit. Ait enim S. Jacobus cap. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus.* Qui clavum ſeu gubernaculum navis vertit, totam navim vertit. Quod eſt navi clavus, h. e. lingua homini, ut ibidem notat Jacobus. Reformate igitur linguam, & reformaſtis vitam.

THEMA V.

Pax Chriſti qualis ſit.

I. Pax Chriſti eſt pax ſancta.
II. Eſt interna & pax cordis.
III. Eſt ſtabilis & conſtans etiam poſt offenſam.
IV. Eſt pax univerſalis cum omnibus etiam inimicis & malis.

Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.
Ioan. 14.

COmmunis ſalutandi & felicitatem apprecandi mos apud Hebræos fuit, pacem precari. Verum quando ſtrenuus ille Dux Gedeon talem ſibi ab Angelo deferri ſalutationem audiit: *Pax tecum, ne timeas;* tanti hoc æſtimavit donum, ut illico altare Domino erigeret, vocaretque illud, *Domini pax.* q. d. Nõ eſt hæc vulgaris & humana pacis apprecatio, ſed divina. Opus igitur eſt eam, quanta poſſumus maxima veneratione excipere & erecto altari celebrare. Judic. 6. Nihil & nobis frequentius, quam pacem exoptare, & alteri precari; interim tamen pacem ſæpe non obtinemus. Eccur vero hoc? quia vulgarem tantùm & humanam quærimus: divinam, quæ eſt Domini pax, nec petimus nec curamus. Hanc ergo pacem in hodierno Evangelio nobis offert Dominus: *Pacem meam do vobis,* inquiens. Neque ſolum offert, ſed etiam affert per Spiritum S. ſuum, quem hodie in mundum miſit, ut veram & ſolidam pacem, quæ eſt *Domini pax,* in mundo ſanciret atque ſtabiliret. Quam enim Dei filius ſua paſſione nobis comparavit, eam hodie Spiritus S. quaſi diſpenſator theſaurorum Chriſti, in fideles diſpertivit eorumque impreſſit cordibus, ita ut in poſterum ſumma ſemper pace, etiam mediis in tumultibus & perſecutorum gladiis, fruerentur & gauderent. Hæc eſt illa *pax Dei, quæ* Apoſt. ad Phil. 4. teſte, *exuperat omnem ſenſum:* & de qua ad Coloſſ. 3. ait: *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Et quam ad Gal. 5. recenſet inter fructus Spiritus ſancti; quam & nunc qualis ea ſit, explicabimus.

I. *Pax Christi est pax sancta.*

I. Pax Christi est pax sancta, tendens ad bonum, non ad malum. Ita explicat pacem Christi Euthymius: *Mundus sive mundana sapientes pacem mutuò dant mali causa, ego verò pacem do vobis boni causa.* Similiter Theophylactus in eundem textum: *Non talis est pax mea, qualis mundi, quæ sæpe in malo fit & plane stulta est: sed talem ego do, ut & inter vos pacem habeatis & unum corpus sitis.* Hanc Christi pacem attulit hodie Spiritus sanctus & in cordibus Apostolorum primorumque Christianorum firmiter implantavit, ut fierent cor unum & anima una, ad propugnandam Christi fidem, eradicandam Idololatriam, debellanda vitia. Non est talis pax, quæ ad malum tendit, quam inspirat spiritus nequam suis mancipiis. Hujusmodi pacem inierunt structores turris Babel, stultam & vanam, cum dixerunt: *Venite faciamus nobis turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum.* Sed quam ob causam? Eam mox addunt; *Et celebremus nomen nostrum, &c.* Ergo vanitas & superbia finis hujus unionis fuit, adeoque perversus. Addit S. Augustin. l.16. de Civ. c.4. Nemrod auctorem hujus structuræ eo collineasse, ut hæc turris esset arx suæ tyrannidis & impietatis. Quæ quidem unio & pax si Deo placuisset, linguarum divisione disturbata non fuisset. Gen.9. Hujusmodi pacem iniere inter se fratres Josephi, cum dixerunt: *Ecce somniator venit; venite occidamus eum,* Gen.37. Iniere Pharisæi & Sadducæi, quando conspirarunt ut caperent JESUM in sermone, sectis alioquin inter se divisi & discordes. Matth. 19. Rursum Pharisæi & Herodiani, Matth. 22. Nec non Pilatus & Herodes, qui prius inimici, quando agebatur de condemnando CHRISTO, facti sunt amici. Luc.23. Cujusmodi etiam pax fieri solet inter hæreticos, sectis licet contrariis addictos, quando agitur de invadenda Christi Ecclesia vel Summo Pontifice. Hujus pacis typum habemus in trecentis illis vulpibus, quas cepit & caudas colligavit Samson, injecto igne in caudas earum, ut Philisthæorum segetes invaderent & comburerent. Judic.15. Qua de re S. Augustin. in Psal.80 ait: *Hæreticorum opinio diversa est, vanitas una est.* Et mox: *Ergo in pejus isti consentiunt, quamvis dissentire à se invicem videantur. Ideo Samson caudas vulpium colligavit. Vulpes insidiosos maximeque hæreticos significant, dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus latentes & decipientes, odore etiam tetro putentes.* Ubi audimus non solos hæreticos, sed etiam alios insidiosos, qui ad malum patrandum uniuntur, per has vulpes notari. Qui sanè ad ignem, quem in caudis gerunt, attendere deberent, ne postquam libidinem suam ad nocendum aliis explerunt & ipsi eo igne ad extremum comburantur in gehenna, uti notat idem August. ser.107. de temp. *Prima,* inquit, *habent magna & blanda, & deceptoria opera: posteriora ligata, id est, damnata & in ignem in fine trahentia.*

II. *Est interna & pax cordis.*

II. Est pax interna, & pax cordis, conscientiam pacificans & serenans: non externa solum, qualis est pax mundi. Ita explicat Christi pacem primo S. Augustin. cum in ea Domini verba scribens ait: *Ej pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicita cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* E S. Ambros. in lib. de Jacob. & vita beata cap.6. *Perfect virtus,* inquit, *habet quietis tranquillitatem & sta bilitatem. Ideo Dominus donum ejus perfectioribı reservarit dicens: Pacem meam do vobis, pacem mea relinquo vobis: Perfectorum enim est non facilè mund. nis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicion non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in li tore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularit procellarum mentem immobilem fida statione placar Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus i vexit, pacem internam invehens animis probatoru ut non turbetur cor nostrum, neque animus exagitetu Hanc pacem super omnem mentem esse Doctor Apost lus asserit, dicens: Et pax Dei, quæ exuperat omne mentem, custodit corda vestra.* Et mox: *Pax aute Imperatoris solicita providentia aut manu militu quæritur, aut bellorum prospero cedit eventu, aut inte necione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arm convertunt, in ea pace nulla virtus nostra sed event est. Certe gloria pacis illius ad Imperatorem refertu istius pacis fructus in nobis est, ista pax sublimior, q corporalium passionum excludit illecebras perturbati nesque mitigat, quam ea, quæ barbaricos sedat incursı istius pacis major est fructus, quo spiritualis nequit tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur: pl enim est ostio clauso intra te hosti resistere, quam r moto.* Ita Ambrosius. Hæc est illa pax, quam in ho Evangelio promisit Christus Apostolis, quamq attulit resuscitatus, ita ut gaudio repleti non ampli ulla tristitia tangerentur: completè vero & copio dedit hodie per missionem Spiritus Sancti, ita ut i posterum non modò non turbarentur adversa patie tes, sed etiam *irent gaudentes à conspectu Concil* flagris ac verberibus inflictis, quod *digni habiti e* sent *pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quam pace omnibus excellentiorem ita extollit S. Chrysost. hom. de eo: *Potestatis & pacis ejus non erit,* tomo *Quantam,* inquit, *pacem monstravit nobis, ut ipsa principalem hæreditatem daret nobis dicens; Pace meam do vobis, pacem meam relinquo vobis! Qua pacem potuit meliorem donare, quam ut carnem spir tui subjicere disceremus? Quam pacem potuit d nare, nisi ut, qui eramus inimici Dei, & longe positi p ipsum nos reconciliaret Patri? Quam pacem potuit dar nisi ex populo Judæorum inimicorum & crucifixoru ejus applicaret fidei suæ & gentes æquè sociaret s bi, ut faceret utraque unum, & populum pacifica ret inimicum sibi, & nobis gratiam donare confir matis sibi?* Parum aut nihil juvat nos pax civilis & externa, si in propria domo pacem non habeamus sed continua jurgia, cum uxore litigiosa, vel immo rigeris liberis, vel infidelibus domesticis aut invidi vicinis; uti vicissim non curatur multum, si bella & jurgia foris sint, modo intra domum propriam pa sit & tranquillitas. Pari ratione si anima bene si

cun

m Deo & seipso compositus, pro nihilo æstimantur , quæ foris turbant & tumultuantur: econtra nihil vat foris habere pacem, si in corde bellum sit. Nam *uamvis plurima pace & cura externa fruamur* : ait em Chrysost. hom 34. in Gen. *si intra nos cogitatio- m nascatur tempestas, tumultus & seditio, nihil ex- na pax nobis proderit. Sicut & neque miserabilius est quid civitate, quæ licet præsidiis & muris bene sit nita, intus tamen cives foveat proditores.* Optime am S. Hieronymus in Epist. ad Gal. 5. *Non*, inquit, *temus tantùm in eo esse quærendam pacem, si cum a- non jurgemur: sed tunc pax Christi, hoc est, hæredi- nostra nobiscum est, si tranquilla mens nullis passio- bus perturbetur.*

III. Est pax stabilis, inconcussa, etiam post of- nsam. Ita explicat pacem Christi sanctus Augusti- s tract. septuagesimo septimo in Joan. & verba illa: *cem meam do vobis. Hoc autem est*, inquit, *quod imus apud Prophetam: Pacem super pacem; pa- m nobis relinquit iturus, pacem suam dat nobis in e venturus: pacem nobis relinquit, in qua ma- ntes hostem vincimus: pacem suam nobis dabit, ando sine hoste regnabimus, &c.* Hinc Dominus illa verba immediatè subjicit: *Non turbetur cor strum.* Hujus pacis symbolum est olea, ut cui lia nunquam defluunt, sed hyeme & æstate vi- nt, jure igitur & appositè allata Noë à columba, signans stabilem mundo pacem deinceps à dilu- o concedendam. Et talem accepere pacem hodie postoli primique Christiani; qualis à Christo omissa, Joannis decimo sexto. *Iterum videbo vos, gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo llet à vobis.* Accepit, inquam una cum ipsis tota Ec- esia, Christi sponsa, quæ dixit Canticorum 8. *Ego urus & ubera mea quasi turris, ex quo facta sum co- m eo quasi pacem reperiens.* q. d. Postquam à Do- ino electa sum in sponsam, pacem reperi inconcus- m, velut murum aut turrim fortissimam, omnes inas & injurias spernentem, omnia adversario- m tela excutientem. Impugnatur quidem sponsa, cclesia, foris ab hostibus, Gentilibus & hæreti- s, sed non expugnatur; ideò pace continua frui- r. In domum illam Evangelicam, super Petram structam, inundatione facta illisum quidem est umen, sed non commovit eam, multo minùs ravit: ita Ecclesiam invadunt persecutores, sed on evertunt, nec solum non à loco, sed nec à uiete sua dimovent. Idem etiam accidit justis, acem adamantibus & verè etiam possidentibus. In- estantur interdum à jurgiis & contentionibus ali- uorum hominum inquietorum; sed non ideo pa- em perdunt; quin imò fugientem persequuntur & d se retrahunt velut servum fugitivum. Idcircò e- am dicitur Psal 33. *Inquire pacem & persequere eam.* Ibi sanctus Augustinus: *Pacem ex parte hic habea- mus, ut ex toto corde illic habere mereamur. Quid st ex parte? Concordes simus hic, diligamus pro- imum, quomodo nos, sed non possunt nisi existere ixæ aliquæ, quomodo inter fratres & sanctos exti- terunt; sed non quæ occiderent concordiam: non quæ interimerent charitatem; nam & tibi ipsi resistis a- liquando, & tamen non te odisti, rixam ergo tecum ha- bes, sed ista rixa ad concordiam tendit.* Non perdidit pacem Abraham, quando cessit Lotho & pastoribus ejus, jurgia cientibus, sed fugituram pacem potius retraxit, quando pacis tenendæ causa cessit juniori & ab eo divertit. Genesis 12. Idem dico de aliis justis pace fruentibus. Non hæc pax impiis, qui tamdiu pacem dant, quamdiu non offenduntur; imò sæpe nec tamdiu, cum etiam non offensi sæpe pacem turbent.

IV. Est pax universalis, non cum uno duntaxat aut altero, sed cum omnibus, etiam inimicis, si fieri potest, & malis. Ita explicat Christi sententiam Eusebius Emissenus in eum locum, cum hæc subjicit: *Mundus enim non dat pacem nisi his, à quibus accipit pacem. Sed quid dicit Apostolus? Si fieri potest, quod ex vobis est, omnibus hominibus pacem &c. Et Psalmista: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Et talem quidem pacem dedit Iesus discipulis suis dicens: Diligite inimicos vestros, &c. Hanc autem pacem debemus habere cum malis, non ut eis malitiæ consentiamus, sed ut ab iniquitate eos ad justitiæ viam trahamus.* Sic ille. Quo etiam tendere videtur expositio Augustini supra citat. cum ait: *Delectet sic tenere istam pacem, ubi adversarium concorditer vincamus, ut desideremus pacem, ubi adversarium non habebimus.* Desinet enim adversarius esse, si cum eo pacem inierimus. Hoc est quod Apostolus ad Rom. scribens c.12 nobis commendat: *Si fieri potest*, inquit *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Id quod ante Evangelium præstitit David imprimis dum in aula Saulis sibi infensissimi ita versabatur, ut nemini offensionem præberet; deinde dum exulabat inter Gentiles; de his enim (uti sensit Beda) Psalm. 119. dixit: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Post Evangelium verò didicerunt omnes Christiani & præstiterunt plurimi, imprimis Apostoli in hodierno die, quando pacem obtulere & dedere iis, qui ipsorum Magistrum & patrem amantissimum paulo antè occiderant, adeoque eos in fratres dilectissimos receperunt. Deinde eorum posteri, præsertim qui in trecentis primis annis inter Gentiles & Tyrannos sicut oves inter lupos commorati, è quibus sanctus Ignatius Martyr, qui ex itinere ad Romanos scribit se custodiri *à decem leopardis, hoc est militibus, quibus cum benefeceris, pejores fiunt.* Et quid mirum hoc præstare sibi mutuò servos, quod præstitit servis Dominus? Nonne is cum Juda, pacis inimico, vixit pacifice? Quando enim ipsum, etiam malè agentem, asperè objurgavit? In cœna ad Bethaniam indignanti & murmuranti ob effusum unguentum, quid respondit? *Videte fratres*, ait sanctus Augustinus in capite 12. Joannis, *non illi ait: Propter furta tua dicis ista, furem noverat & perdere nolebat, sed potius tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia nobis patientiæ exemplum demonstrabat.*

IV. *Est pax universalis, cum omnibus etiam inimicis & malis.*

Dixit

Dixit ergo ei Iesus: sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Joan. 12. Pari cautela & modestia versatus est inter Scribas & Pharisæos sibi inimicos, cedendo eorum furori, ne calamum quassatum confringeret: nec non iterum cum Juda, quando ejus osculum suscepit, *illud Davidicum complens: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*; inquit Ven. Beda in eum locum.

V. *Est gratuita nō mercenaria.*

V. Est gratuita, non mercenaria, qualis est pax mundi. Quo sensu etiam dixisse Dominum: *Pacem meam do vobis,* indicat Augustinus loco citato. *Homines,* inquit, *propterea dant sibi pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo, mundo perfruantur: & quando justis dant pacem, ut non eos persequantur, pax non potest esse vera, ubi non est vera concordia, quia disjuncta sunt corda, &c.* Pax hæc tamdiu conceditur, quamdiu commoda ab altero percipiuntur: iis substractis, vertitur in bellum. Sic lupi ad Mæotidem paludem cum piscatoribus studiosè versantur: qui si maritimæ prædæ partem fuerint assecuti, & pacem habent & tanquam fœdere eis devinciuntur; si nihil accipiant, eorum retia lacerant & distrahunt, damnumque inferunt. Ælian. l. 6. anim. c. 35. Sic muscæ Leucadæ, sanguine tauri, qui iisdem feriri solet, saturatæ recedunt, alioquin incolas vexant: sic Teneti monedulas placentis mitigant, ne seminibus noceant. Idem l. 8. & 17. Non ita pax Christi, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi & membrorum ejus, ut ad salutem perducantur: quo mod[o] Apostolus 2. Cor. 13. dixit: *Non ero gravis vobis; n[on] enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos.* Apostolum sec[u]tus Gregor. VII. Pontifex, pacis amantissimus, cu[m] dissidium, quod inter ipsum & Henricum IV. Imp. [e]rat, concordibus votis dirimeretur, & pacis conditi[o]nes præponerentur, dicebat: *Pacis conditiones non a[]spexero, modo Henricus* (qui multis cladibus Eccl[e]siam afflixerat) *cum Deo primum pacem ineat.* Plati[na] in vita. Sanè tria illa millia Judæorum, qui hodie, [&] alii, qui postea Apostolis dexteras dedere, nulla a[] lucra aut temporalia commoda quæsivere, adeo [ut] suis etiam bonis divenditis in paupertate more re[li]giosorum vivere cœperint, indeque summa anim[o]rum conjunctione convixerint. *Meum* enim *& tu[um]* omnis dissensionis causa est.

Præclarum igitur, ut vidimus, est hoc donum, p[acis] inquam Christi, ab ipso nobis promissa & hodie n[o]bis per Spiritum S. copiosè transmissa, quam proin[de] nos jure meritissimo cordi nostro firmissimè de[bemus] imprimere, ne eam amittamus. Sanè Gedeon hoc ta[n]tum bonum sibi optatum ut grata mente reciperet [&] memoriæ suæ insculperet, erexit illico altare Do[mi]no, ut audivimus. Igitur & nos hoc donum, ut gra[to] animo accipiamus & in nobis conservemus, erig[a]mus etiam altare seu monumentum illius in co[rde] nostro, & hujus pacis memores semper illi stud[ea]mus & dicamus. *Domini Pax.*

FERIA II. PENTECOSTES.

THEMATA.

I. *Dulcis hospes animæ Spiritus sanctus apud quos hospitetur.*
II. *Cur Spiritus sanctus in specie ignis apparuerit.*
III. *Iubilæum quid sibi velit.*
IV. *Quanti æstimanda sit S. Confirmatio.*
V. *Peccatum summo odio habendum velut tenebræ Ægyptiacæ.*

THEMA I.

Dulcis hospes animæ Spiritus S. apud quos hospitetur.

I. *Apud pauperes spiritu.*
II. *Apud contritum spiritu.*
III. *Apud humiles.*
IV. *Apud quietos & pacificos.*
V. *Apud trementem sermones Dei.*

Qui facit veritatem venit ad lucem. Ioan. 3.

INter alios honorificentissimos titulos, quibus condecoratur ab Ecclesia Spiritus sanctus in hymno Missæ hodiernæ est non infimus, quo vocatur *D[ul]cis hospes animæ.* Appositè ad id, quod habetur [in] hodierno Evangelio, & applicatur Spiritui sancto [di]ctum Christi Domini: *Lux venit in mundum.* [Sicut] enim & lux, cum manè perfundit aërem & implet d[o]mos nostras, dulcis & gratissimus hospes hominu[m] [est]. Verum uti lux non ad omnes penetrat (neque en[im] cœcos, neque eos qui claudunt oculos, aut funest[o]rum valvas, aut qui subterraneas subeunt specus, ill[u]minat) ita & Spiritus sanctus non divertit ad omn[es] homines. Quemadmodum & columba à Noë ex ar[ca] emissa, non sedit in turbulentis fluctibus, non in cad[a]veribus, non in terra lutosa, sed in olea solummod[o]: ita & Spiritus sanctus non accipit suum hospitium [in] corde iracundo, neque in avaro, neque in obscæn[o], sed in pacifico, liberali & casto & hujusmodi virtu[ti]bus aliis instructo. Quoniam igitur minimè dubi[to] paratos esse vestros animos ad excipiendum hunc t[a]lem hospitem, videamus qualia hospitia potissimu[m] sibi deligat.

Id expressit Deus Isaiæ 66 vers. 2. dicens: *Ad que[m] respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiri[tu]* (70. vertunt, *nisi ad humilem & quietum*) *& treme[n]tem sermones meos?* Quæ verba S. August. in Psal. 10[]

co[]

oncione 2. & sanctus Bernardus sermone 1. super Missus est: ita referunt: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?* Quare si conjungamus 70. Interpretum versionem cum vulgata nostra reperiemus quinque hospitia, quæ potissimum exoptat sibique deligit spiritus sanctus.

I. Primum est *pauperculus*; non qui necessitate talis est, sed qui voluntate, & pauper spiritu, contemptor divitiarum. Talis enim dum cor suum evacuat à mundanis cupiditatibus, gratum & idoneum Spiritui sancto præparat habitaculum. Hac de causa per afflatum dedisse Christum Apostolis Spiritum sanctum sentit D. Augustin. l. 2. cont. Epist. Parm. ex prophetia Isaiæ c. 42. dicentis: *Qui dat flatum populo, qui super terram, & spiritum calcantibus eam.* Ita enim scribit: *Nomine flatus Spiritum sanctum intelligimus, cum Christus Dominus insufflavit in resurrectione & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Id autem quod Propheta dixerat: Qui dat flatum populo, qui est super terram, tunc evidentissimè factum est, quando repleti sunt omnes Spiritu S. Qui & datus est & datur eis, qui calcant terram, id est, contemnunt eam.* Ita ille. Non possunt simul stare spiritus proprius & spiritus Dei. Hinc enim à sponsa dictum vult S. Ambros. in Cantic. 4. *Surge Aquilo & veni Auster.* Aquilo ventus septentrionalis, frigidus & austerus est. Auster meridionalis, calidus & placidus. Unde Ambrosius per Aquilonem intelligit spiritum diabolicum, per Austrum verò divinum. *Iste ventus*, inquit in Ps. 1. (Auster scilicet) *aspirat, si Boreas ille gravis ventus flare desierit.* Præclarè hoc B. Jordanus Ordinis sancti Dominici secundus Generalis Magister, suis insinuavit, cum in die Pentecostes Capitulum ingressus, breviculam ad fratres hanc exhortationem habuit, sed solidam & pondere plenam: *Hac hebdomada, patres, crebrò dicemus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Non ignoratis, quòd si vas oppleri aliqua recenti re debeat, oportet id evacuatum reddi, quo anteà erat oppletum. Sancti igitur Apostoli repleti sunt à Spiritu sancto, quia evacuati erant à spiritu suo. Et hoc etiam in Psalmo cantamus: Auferes Spiritum eorum & deficient, à se scilicet, ut proficiant in te: & in pulverem suum revertentur, & sic emitte spiritum tuum & creabuntur, &c. quasi diceret David: si tua gratia voluntatem propriam, & singularem ac privatum à se evacuaverint amorem, tuo replebuntur sancto Spiritu.* Quo verbo fratres apprimè ædificati recessere. Ita in ejus vita Leander Albertus apud Sur. 13. Apr.

II. *Contritus spiritu*, hoc est, miser, afflictus, angustiatus, & in sua miseria suspirans ad Deum. Talis enim sua desolatione suisque suspiriis trahit ad se Spiritum sanctum, uti Apostoli & primi Christiani in una domo conclusi, continuò orantes & ad promissum sibi Spiritum suspirantes, traxerunt eum ad se; qui proinde cum vento vehementi super eos venit, quasi dulce refrigerium omnium miserorum & afflictorum, qui nulla alia solatia à mundo sperare possunt, qualia habent ii, qui mundana felicitate vallati sunt. Hinc Eliu ad Job cap. 35. ait: *Non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me? qui dedit carmina in nocte?* In quem locum Divus Gregorius lib. 26. moral. cap. 12. *Carmen*, inquit, *in nocte est lætitia in tribulatione; quia etsi pressuris temporalibus affligimur, spe jam de æternitate gaudemus.* Qui terrenis recreantur solatiis, cœlestia à se excludunt, adeoque Paracleto, qui cœlestia affert solatia, locum non præbent, idcircò ejus solatiis non perfruuntur, quia vacua tantùm viduæ illius vasa oleo impleta fuerunt, non ea, quæ aliis rebus plena erant. 4. Regum. 4. Oleum quia lenit & ungit, Spiritum sanctum consolatorem & spiritualem ejus unctionem apertè repræsentat. Hic ergo in illos homines, qui terrenis consolationibus destituti sunt, oleum consolationis infundit: cæteris verò dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.* Luc. 6. Ægyptii, quia non à cœlo per pluvias, raras valdè eo loco, sed à Nili inundatione suorum irrigationem agrorum adeoque fœcunditatem expectant, cœlum nunquam aspiciunt. Ita qui mundanis irrigantur deliciis, cœlestes non curant nec desiderant: at verò pauperes & afflicti, quia à terra nihil solatii sperant, ad cœlum oculos erigunt, adeoque velut vacua vasa & sitientes agri replentur à Spiritu sancto. Similes hi sunt terræ promissionis, de qua Deuteron. 11. dicitur: *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est & campestris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper invisit & oculi ejus in ea sunt à principio anni usque ad finem ejus.* Quid aliud sunt pauperes Christi, nisi hujusmodi terra, quæ à solo cœlo suam expectat consolationis aquam? In hos respicit Spiritus S. hos rigat & fœcundat, ut fructus proferant cœlo dignos. Hi cum Davide, spiritu paupere, dicunt: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, Ps. 142. Et Ps. 118. cum suspirante ad cœlum: *Quando consolaberis me? quia factus sum sicut uter in pruina*, h. e. aridus, exsuccus, sitibundus consolationis tuæ. Denique cur non in Ægypto sed in deserto primum Deus dulce manna dedit Hebreis? nonne quia in Ægypto sedebant ad ollas carnium & piscium aliasque carnis illecebras? In deserto verò quia nihil talium aderat, ideoque ad cœlum suspirabant, manna acceperunt.

III. *Apud humiles.*

III. *Humilis.* Sed cur in humili corde requiescere vult Spiritus sanctus? Rationem reddit Eccles. 3 versu 2. cum ait: *Humilia te coram omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Superbi non honorant Deum, sed abjiciunt & negligunt, solos se honorari volunt, uti Pharao, Nabuchodonosor, Antiochus, Nicanor & similes. Absit ut in tales se dimittat Spiritus sanctus, humiles invisit, quia ab ipsis agnoscitur & debito honore excipitur. Possumus hoc discere ex concione sancti Petri, quam in die Pentecostes habuit, in qua asserit ex prophetia Joelis cap. 2. effundendum fuisse Spiritum sanctum super filios hominum, & quidem super servos & ancillas. Verbum

bum effundendi similitudinem aquæ tribuit Spiritui sancto,unde Arabicus textus legit: *Inundare faciam spirituum meum.* Quis autem nescit aquam in montes non ascendere, sed demissa tantum loca petere: & quo demissiora sunt, eo majori impetu in ea descendere? Pari modo Spiritus sanctus non nisi humilia petit. *Et quidem super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo*, ait S.Petrus, q.d. ut sciatis super quos homines descensurus sit Spiritus sanctus: super humiles nimirum & abjectos, quales sunt servi & ancillæ. Talis inprimis & præ omnibus fuit Beatissima Virgo, quæ quia humillimam se agnovit Domini ancillam, ideo Spiritu Sanct. mox impleta est. Unde Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Eccur verò? *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Uti discurrit Sanctus Bernardus serm.1. super Missus est: *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietum? super humilem dixit, non super virginem. Si ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, sicut ipsa perhibet: Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus.* Habemus hujus doctrinæ & in Josue præclarum testimonium. Etenim arca fœderis, cum remissa à Philisthæis esset in terram Israel, stetit in agro Josue Bethsamitæ 1.Reg.6. Sed cur in agro Josue sedem sibi fixit? Neque enim id casu factum, siquidem vaccæ eam trahentes, sicut peculiari Dei providentia ibant, ita etiam stabant. Unde bene Theodoretus quæst.15. ait: *Plaustrum, quod à nullo homine regebatur, habebat Arcam: & onus & aurigam.* Ratio igitur cur in agro Josue Arca quieverit, affertur ab Abulensi, quia *reputatus est à Deo vir justior cæteris.* Unde vero justior? an quia cæteris humilior? Certè ex Domini sententia Matth.3.dicentis: *Sic decet nos adimplere omnem justitiam*, (h.e. humilitatem, ut exponit glossa) eum baptismum peteret, humilitas est justitia, & qui justior humilior. Quis a.humilior Duce Josue, qui cum 12. tribubus suas in terra sancta portiones distribuisset, sibi omnium vilissimam, incultissimam & sterilissimam delegit civitatem Thamnathsaraam? Jos. cap.19. An quia cæteris rectior & simplicior corde erat? Tales certè Deus super alios etiam amat, teste Sapiente Prov.3. qui ait: *Abominatio Domini est omnis illusor & cum simplicibus sermocinatio ejus.* Quis autem simplicior illo eodem Josue, qui Gabaonitis sibi imponentibus tam citò credidit, qui ex sua fide & simplicitate eos metiebatur? Ita enim de eo S. Ambros. 3.Offic. cap.10. *Iosue citò credidit, adeo sancta erat illis temporibus fides ut fallere aliquos posse non crederetur.* Tales igitur desiderat alumnos Spiritus Sanctus qui & humiles sint & simplices seu recti corde: quales certe erant primi illi 120. Christiani conclusi in domo una, quasi in Xenodochio, cum expectarent Spiritum sanctum. Econtra vero *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*; ait Sapiens Sap.1.

IV. *Apud quietos & pacificos.*

IV. *Quietus*, h.e. pacificus, mansuetus & mitis. Idcirco enim Spiritum sanctum alio tempore super Christum baptizatum in columbæ specie descendisse vult inprimis S.Chrysost.hom.13. Matth. *Quia ipse spiritus*, inquit, *mansuetudinis est spiritus, propterea in ejus specie apparuit.* Cui accedit B. Paschasius l.2. ad ea verba: *Et vidimus spiritum descendentem*, Matth.3. *Apparuit*, inquit, *in columba, ut ostendat quales futuri essent, qui ad gratiam Spiritus sancti pervenirent. Ex quo quia columba fel non habet, patenter insinuat, quod in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam venire devotus exoptat; siquidem columba tantæ benignitatis fertur à natura esse, ut omnium avium pullos quasi proprios dicatur suscipere, atque suis laboribus enutrire.* Cui accedit S.Chrysost. qui hom.3. ad pop. ait: *Non habitat Spiritus sanctus ubi furor maledictus, iracundus.* Denique columba avis amicabilis & gregalis est: & tales esse desiderat, qui in communione habitant, ut omni felle amaritudinis, odii & invidiæ deposito concordes & pacifici inter se cohabitent. Quod inprimis observandum iis, qui in nosocomiis & Xenodochiis degunt, ubi varii ex variis regionibus congregantur, ac nisi columbina mansuetudine præditi sint, ex domo pacis & concordiæ facient domum jurgii & discordiæ. Cæterum Spiritus S. quia omnis dissidii hostis est, tales in suo contubernio non tolerat, sed quemadmodum schismaticos ejecit de Ecclesia, ita etiam tales ejicere solet è communitate. Hanc ob causam Spiritus sanctus utique, cum per manus impositionem daretur ab Apostolis, & à seditioso illo Simone mago expeteretur, instigavit sanctum Petrum, ut è fidelium cætu eum repelleret dicens: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, &c. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Act.8. Quodnam hoc fel amaritudinis? iræ & invidiæ, ut vult Vatablus (fel enim sedes & materia est iræ) eo quod videret suos discipulos transire ad partes Christi & Petri, adeoque à suis despiceretur.

V. *Tremens*, h.e. solicitus ad excipiendum & faciendum Dei verbum ac præceptum, seu ut Isaias: *tremens sermones Dei.* Pium hunc tremorem, metum ac reverentiam erga Dei legem suscipiendam, ut immitteret Spiritus S. in fideles, venit cum tonitru & spiritu vehementi, nec non in forma ignis: quemadmodum & lex vetus in monte Sinai promulgata fuit cum turbine, ignibus, buccinis adeoque maximo cum tremore. Placet enim Deo cor tremens ad sermones ejus. In tali etiam pectore libenter divertit & hospitatur Spiritus S. quod à simili ostendit Sanct. Chrysost.hom.34. ad pop. *Nam si nos, inquit, cum servum nostrum mandata nostra strenuiter implere videmus, & cum majori timore, majorem erga eum benevolentiam exhibemus: multo magis bonus Dominus propterea dicebat: Super illum respiciam trementem sermones meos. Igitur tremiscamus, exhortor, & cum multo timore ipsius impleamus mandata; ipsius enim sermones sunt. Et cum didicerimus quæ placeant ei & quæ suscipiat, illa tractemus, & tales esse studeamus, ut quietem; mansuetudinem & humilitatem multam exhibeamus, & omnia ipsius cum reverentia obeamus præcepta, ut nostræ mentis affectum suscipiens, & no-*

& nostra delectatus obedientia, super nos quoque dignetur aspicere,&c. Idem attestatur S. Joannes epist. 1. cap. 3 *Qui servat mandata ejus*, inquit, *in illo manet & ipse in eo.* Impleverunt ad amussim Christi mandatum Apostoli: ideo super ipsos requievit Spiritus sanctus. Jussi enim à Domino sedere in civitate, donec induerentur virtute ex alto, Luc. ultimo, ita ut jussi erant, sederunt in una civitatis domo, decem diebus, donec impleretur Christi promissio. Digni igitur habiti, quibus tantum donum daretur. Nec mirum, quia obediens suam voluntatem conformat divinæ, & transcribit Deo; hinc vicissim Deus se transcribit homini; & manet in obediente, sicut obediens manet in Deo. Debet autem cum timore ac tremore excip Dei verbum ac mandatum, quia timor est velut acus aut seta, quæ filum amoris divini adeoque etiam Spiritum sanctum introducit in animam ut ait S. Augustinus tr. 9 in Epist. 1. S. Joan. Hac ratione Saulus cum audisset vocem: *Ego sum Iesus, quem persequeris: tremens ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* Cui Dominus: *Ingredere civitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Et quid ei dictum: *Saule frater*, ait Ananias *Dominus misit me Iesus, ut videas & implearis Spiritu sancto.* Act. 9 Ecce quia tremens excepit Dei verbum, impletur Spiritu sancto.

Postquam igitur vidimus, qualia potissimum hospitia dulcis ille hospes animæ, Sp. S. seligat superest, ut nos, qui tanto gaudere hospite volumus, ita ei præparemus corda nostra, qualia desiderat: Evacuemus ea à cupiditatibus & terreno spiritu, suspiremus ad cœlum & desideremus Spiritum sanctum, humiliemus nosmet ipsos, pacem sectemur, & magna solicitudine excipiamus Dei verbum.

THEMA II.

Cur Spiritus sanctus in specie ignis apparuerit.

I. Vt indicaret Spiritus S. proprietatem.
II. Vt ostenderet Deum mundo reconciliatum.
III. Vt indicaret Apostolorum robur, eis conferendum.
IV. Vt indicaret Dei amorem erga nos.
V. Vt nuntiaret plenariam remissionem.

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2.

Levit. 9. legimus in primitiis Aaronis ignem cœlitus delapsum super ejus sacrificium, qui deinde magna cura foveri semper à sacerdotibus debebat ac fovebatur, adeo, ut cum migrare cogerentur in Babylonem, de eo soliciti, è templo elatum in puteum absconderint 2. Mach. 1. Celebravit etiam Christus primitias quodammodo & encœnia sua in cœlo ante decem dies. Et quia victimas suas, gregem suum, in terra collocatum habuit, eo demisit ignem cœlestem, Spiritus sancti symbolum, qui eas victimas devoraret, h.e. gratas sibi ostenderet. Victimæ illæ sunt, primi Christiani. Ignis vero ille semper usque hodie conservatus est in Ecclesia, & servabitur deinceps usque ad diem judicii. Quando igitur tanti momenti est hic ignis, videndum quid sibi velit,

I. Indicat suo modo proprietatem Spiritus S. Primò enim ignis typus est amoris, adeoq; etiam Spiritus S. qui est amor Patris & Filii. Ignis ardorem excitat & in sui naturam convertere obvia quæque conatur, ad eaq; se extendit, si gratum ejus pabulum sint, v. g. ab una domo ardente ad alteram; atq; ubi pabulum apprehendit, quasi præ gaudio crepitat: ad candelam fumigantem se inclinat & descendit ut eam accendat: ita amor hominem inflammat adeò, ut in se convertere amatum velit & ad eum se extendat, ac præ gaudio jubilet. Unde amorem ardere vel frigere dicimus, pro ejus intensione vel remissione. Atq; hinc est quod amatam rem osculo petamus, quasi eam devoraturi & in naturam nostram conversuri, velut ignis facit. Hoc etiam est, quod quærit Spiritus S. homines amoris sui igne inflammare. & in se quasi convertere. *I. Vt indicaret Spiritus S. proprietatem.* 1.

2. Ex Sole in speculum reflexo generatur ignis: ita ex amore Patris reflexo in filium procedit Spiritus S. Hoc ex parte intellexit Mercurius Trismeg. cujus est decantata illa sententia: *Monas genuit monadem & in se suum reflexit ardorem.* Unde nos hoc discimus, quod sicut amor Patris in filium, per Spiritum sanctum iterum se reflectit in Patrem; ita amor Dei in nos effusus, iterum se reflectere ac redire in Deum debet. 2.

II. Indicat Deum orbi placatum & reconciliatum: quia ignis erat non devorans, nec crucians, multò minùs absorbens, qualis erat Eliæ, devorans quinquagenos & rursum alios quinquagenos, missos ab Ochozia Rege 4. Reg. 1. sed placidus & suavis, qualis Abelis & Eliæ, absumens eorum acceptabile & gratum Deo sacrificium; vel potius qualis erat ignis in rubo, splendens, sed rubum non comburens, Exod. 3. qualis trium puerorum, qui in igne ludebant & delicias agebant, ambulantes & cantantes. Deus sub veteri lege exhibuit se Hebræis velut ignem urentem, teste Moyse Deut. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est;* puniendo eos modis extraordinariis & supra naturæ vires, uti diluvio, pluviâ sulphureâ, hiatu terræ, serpentibus ignitis, igne cœlitus immisso, morte subita plurimorum. 1. Regum 6. & 2. Regum ult. punit etiam sub lege novâ fideles suos prævaricantes, sed plagis ferè naturalibus & ordinariis duntaxat, uti peste, fame, bello, grandine, pruina. Hos quasi per Pædagogos: illos quasi per carnifices. Erat ergo indicium clementiæ, benevolentiæ, amicitiæ, pacis: quo modo ignes festivi à nobis accensi publicam indicant lætitiam & tripudium. Ratio, quia hodie cœlum & terra sibi invicem munera miserunt omni æstimatione majora. Terra misit Deo Patri filium, humana carne vestitum cum infinito meritorum cumulo. Pater vicissim misit terræ Spiritum sanctum filio coæqualem, *II. Vt ostenderet Deum mundo reconciliatum.*

atque ita misit, ut in nobis personaliter inhabitaret longè eminentiori modo, quàm quo in universo mūdo & ubique præsens est; velut amicus scicum amico. Non adeò magnum est divertere Imperatorem iter agentem in diversorium cauponis, ut in eo per unam noctem hospitetur & moretur; at divertere ad aliquem velut amicum, ut cum eo dulciter converfetur, hoc verò maximum est. In priori hospitio relinquet fortè memoriam sui aliquam & insignia sua: at in posteriori cor & animum, gratiam atq; amicitiam suam. Hoc secundo modo divertit Spiritus sanctus ad primam illam Christi Ecclesiam, & ad justificatos omnes dans illis seipsum, velut hospitem perpetuum; adeò ut si, per impossibile, priùs in homine per omnipræsentiam suam non fuisset, tunc inciperet esse personaliter. Ex quo discimus nos vicissim Deo ita tradere, ut non nostra duntaxat, sed nosipsos ei demus; quo modo Josephi industriâ subditi Pharaonis, non tantùm argentum & pecora sua; sed seipsos denique Pharaoni vendiderunt, Gen. 47.

III. *Vt indicaret Apostolorum robur eis conferendum.*

III. Indicat Apostolorum robur accipiendum à Spiritu sancto ad profitendam & propugnandam fidem. Ignis enim inter alias proprietates, mollia indurat, ut ova, si paulò diutius elixentur: vasa figuli, lateres &c. Erant Apostoli sub disciplina Christi benè quidem instructi & moribus efformati spatio triennii: sed nondum consolidati adeoque indurati ad ferendas persecutiones. Erant quasi ova mollia: quasi lateres à Sole tosti. Spiritus sanctus igne accedente solidi effecti sunt, quasi in fornace cocti, adeò ut jam nil timerent, quia in gratia confirmati & virtute ex alto induti. *Qui enim priùs tremebant*, inquit S. Chrysostomus hom. 74. in Joan. *ac formidabant, post Spiritus sancti acceptionem, in media pericula prosilierunt, per ferrum, ignem, bestias, pelagus & ad omnem calamitatem se intrepidi exposuerunt, & illiterati & idiotæ ita audenter disputabant, ut auditores in admirationem adducerent; ex luteis ferreos, & in cœlum erigens, nulli humano affectui subjectos reddidit Spiritus. Talis illa gratia, quæ mœrorem solvit, malas cupiditates consumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominem esse quem afflat: sed tanquam in ipsum cœlum translatus, omnia quæ illic sunt contemplatur.* Ergo in igne venit Spiritus sanctus velut primus Episcopus, confirmationis sacramentum fidelibus administrans. Ejus enim munus est perficere spirituale ædificium atque illustrare, quod extruxit Christus. Sine confirmatione sumus quasi templa jam extructa, sed nondum exornata: benedicta lustrali aqua, sed nondum manu Episcopi perfectè consecrata ac dedicata. Sumus velut cultri, chalybe non firmati: velut pumiliones, perfectam staturam nondum assecuti, adeoque imperfecti homines, ut scribit S. Clemens epist. ad Julium & Julian audivisse se à sancto Petro, Magistro suo. Denique Christiani erimus, sed luctatores nondum erimus, nisi confirmati, teste sancto Augustino in sent. Et quemadmodum ignis non solum mollia indurat, sed vicissim etiam dura, uti ferrum, emollit: ita Spiritus sancti gratia potest indurata corda flectere & emollire. In vita S. Francisci c. 11. Nobilis mulier habens virum crudelem venit ad S. Franciscum rogans, ut suis ad Deum precibus virum leniret; cui Franciscus ait: *Vade & dic illi ex parte Dei & mea, quod nunc tempus est clementiæ, postmodum justitiæ.* Quo nunciato cecidit Spiritus sanctus super eum & mox in virum alterum mutatus respondit uxori: *Domina serviamus Domino & salvemus animas nostras.* Uxore ergo suadente, reliqua ætate cœlibem vitam duxerunt, & ambo eodem die ad Dominum migrarunt.

IV. Indicat amorem Dei erga nos. Proverb. 25. docuit Sapiens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput ejus.* Hoc est, accendes eum amore tui, qui prius odio frigebat: induratum liquefacies & emollies. Dicunt aliqui Medici (apud Salazar. In eum locum) insaniam quandoque accidere homini ex nimia frigiditate cerebri: corrigi verò per ardentes carbones, in acerra capiti insani hominis impositos. Insani profectò erant Judæi quando, ut sanctus Augustinus ait, multa febre phrenetici insanierunt in Medicum suum, dum ipse in cruce suspensus eos curaret. Jam hoc egit Deus: misit enim in capita nostra, qui prius inimici eramus, ignem cœlestem cum innumeris donis Spiritus sancti. Neque hoc solum super fideles, sed etiam effudit in baptismo sanguinem suum super inimicos suos qui eundem paulò antè fuderant. Mira utique res! Quis enim non exspectasset à Christo potius lapides & fulmina in tam immanes hostes? Verùm donū potius & amorem suum effundere in eos voluit, ut ex inimicis faceret am cos. Hinc enim compuncti dicebant Apostolis: *Quid faciemus viri fratres?* Illis, inquam, Apostolis, quos prius cane pejus oderant ac persequebantur; nec dubium quin amarè fleverint, quòd Christum Messiam suum tam indignè acceperint, quem proni adorare & summo prosequi amore debuissent. Quid enim facilius quàm ignem igne accendi? Ergo si divinus amoris ignis ita quoque ad nos descendit; quomodo non accendamur amore ejus reciproco? Sanè primi illi Christiani, ita hoc igne correpti fuerunt, ut omnibus possessionibus suis abjectis & in commune collatis semper in templo versarentur Deum laudantes, panem pauperibus largientes, quotidie communicantes, semper orantes, nihil nisi cœlum cogitantes & operantes. Quare S. Hieron. epist. 2. ad Damasum. PP. ita scribit: *Ille ignis mittitur, quem Hieremias ferre non poterat, qui cùm animæ nostræ arcana penetrarit ita nos dissolvit, ita à vetere homine in novum excoquit, ut in illam vocem possimus erumpere: Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus.*

V. Indicat plenariam remissionem & quasi exustionem omnium peccatorum, meritis Christi comparatam, & à Spiritu sancto hodie promulgatam, nec non inchoatam. Maximum excitaret gaudium Princeps ille, qui omnium subditorum debita dissolveret, eorumque syngraphas publicè combu-

eret: uti patet è quorundam exemplis. Justinus junior Imperator, initio Principatus sui omnium æs dissolvit alienum, conquisitis omnibus fæneratoribus, extinctis chirographis & redditis pignoribus. Quo facto animos simul civium & militum sibi conciliavit. Ita Cuspinianus in ejus gestis. Similiter & Romanus Lacapenus Imperator omnium civium debita persolvit, & tabulas nominum combussit, auctore Cedreno. At verò quanto plus est, quod egit hodie Christus dum chirographa peccatorum nostrorum per ignem Spiritus sancti comburenda ad rogum damnavit? Si magnum est liberare à debitis pecuniarum: quanto plus est liberare omnes homines à debitis peccatorum & pœnarum infinitarum? Quorum dissolutionem promulgavit heri Christus per ora Apostolorum & dissolvit per baptismum; quis non afficiatur erga tam liberalem Dominum? Principes hujus sæculi licet quandoque offensas in se admissas delinquentibus remittant, non tamen eos facilè recipiunt in amicitiam, nec conferent eis gratias, multo minus hæreditatem suam. At verò quibus Christus remittit offensas, iis confert etiam gratiam & jus gloriæ suæ. Simile quid, si terrena cœlestibus comparari possunt, exhibuit Joseph fratribus suis, non enim solum remisit eis injurias sibi illatas, sed præterea etiam impertiit quamplurima beneficia, & ostendit benevolentiæ argumenta; munera donavit, convivium apparavit, oscula infixit, perpetuum alimentum in terra optima providit. Quibus omnibus mirum in modum devinxit sibi fratres, (Genesis quadragesimo quinto.) ut erroris admissi seipsos redarguerent. Quanto plus nos obligamur Christo, fratri nostro primogenito, qui post tot injurias à nobis acceptas tanta in nos confert bona, non remissionis tantum, sed etiam gratiæ & amicitiæ, communisque mensæ, denique & gloriæ in terra viventium selectissima? Quis tam durus erit, qui tot benevolentiæ testimoniis ad pœnitentiam non molliatur? tot amoris stimulis ad redamandum non excitetur? Durat adhuc ista Dei nostri liberalitas & profusio, exhibeturque frequentissimè in salutaribus sacramentis præsertim pœnitentiæ, quod instar ingentis rogi omnia nostra debita consumit, & in cinerem redigit. Id unum observandum, ut hoc beneficio utamur, dum rogus adhuc ardet. Fertur Alexander Magnus cum urbem obsideret aliquam, consuevisse ante eam accendere prægrandem facem, moxque per præconem cives admonere, ut qui se ipsi tradere ejusque frui gratia vellent; ad ipsum, dum fax arderet; egrederentur, salvi & incolumes futuri & asylum inventuri: secus vero si post extinctam facem dedere se vellent. Obsidere Christus die Pentecostes cœpit mundum hunc rebellem, facemque ignis de cœlo missi accendit, ut ei gratiam denunciaret suam atque indulgentiam omnium delictorum; ea tamen lege, ut dum ardet fax, & offertur nobis gratia, eam acceptemus. Alioquin, si pænitentiam diu nimis differamus, & in mortis articulo primum confugere ad eam velimus, ingens fore periculum, ne repulsi pereamus.

Superest ergo jam, ut nos hac gratia oblata, dum possumus, utamur, & siquidem jam accendimus in nobis ignem amoris divini, demus operam ut eundem conservemus. Judæi ignem de cœlo lapsum in puteo absconderunt, migraturi in Babylonem; quasi nulla alia de re soliciti. Ita nobis super omnia adlaborandum, ut charitatis ignem inextinctum sedulò custodiamus. Atque hoc est quod Josue jam morti vicinus commendavit populo Hebræo: *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.* Jos. 23. Eccur enim quæso virgines fatuæ à nuptiis exclusæ sunt, nisi quia in suis lampadibus ignem charitatis minimè conservarunt? Et cur morientibus datur cereus ardens in manus, nisi ut meminerint ignem gratiæ conservandum usque ad mortem? Nos igitur hunc cereum ita tueamur, ut nullo extinguatur tentationis vento, &c.

THEMA III.

Iubileum quid sibi velit.

I. *Sensu litterali notat plenissimam remissionem.*
II. *Sensu allegorico signat tempus gratiæ.*
III. *Sensu tropologico denotat fraternam injuriarum remissionem. & animæ propriæ redemptionem.*
IV. *Sensu anagogico notat diem resurrectionis.*

Lux venit in mundum. Joan. 3.

Quinquagenarius numerus, à quo Pentecoste suam sortitur appellationem, numerus sacratus est, symbolum & index perfectæ pœnitentiæ & remissionis; uti docet sanctus Hieronymus sub initium libro secundo in Isaiam. Hinc psalm. quinquagesimus maximè pœnitentialis est: hinc anno quinquagesimo. Jubileum institutum fuit, in quo concedebatur plenissima remissio. Levitici vigesimo quinto. Porro nostrum novæ legis Jubilæum a Festo Pentecostes cœpit promulgari post adventum Spiritus S. luce sua Apostolos copiosissimè replentis, cui non absimilem jure merito æstimamus gratiam & indulgentiam, quæ conceditur fidelibus per Jubileum Apostolicum, afferens secum ignem comburentem & delentem omnia nostra debita, & foventem corda nostra calore gratiæ cœlestis: adeoque altera & repetita quædam Pentecoste est. Quo ut liberalius fruamur, explicare aggredimur, quidnam sibi voluerit Jubileum veteris legis. *Iubileum repetita quasi Pentecoste est.*

I. Jubileum veteris legis ad literam significabat Hebræis plenissimam remissionem servitutum ac delictorum, & restitutionem bonorum abalienatorum. In eo enim servi Hebræi omnes à jugo servitutis liberi fiebant: deinde contracta debita ex mutuo vel vendito debenti remittebantur (si enim remissio debitorum fieri debebat etiam anno septimo, ut habetur Deuteronomii 16. versu 2. multo magis in Jubileo, *1. Sensu literali notat plenissimam remissionem.*

leo, qui fuit annus pleniſſimæ indulgentiæ:) adhæc redibat unuſquiſque ad poſſeſſionem & fundum ſuum, quem vendiderat; denique eo anno nemini ſerere licuit aut metere; & fruges, quæ ſponte hinc inde gignebantur, in uſum pauperum cedebant: cæteris anno præcedente tanta frugum copia proveniebat, uti ſufficeret anno ſequenti ſe Jubileo: quod etiam fiebat ſexto quoque anno, ſabbathicum præcedente quando vero ſabbathicum Jubilæus immediate ſequebatur, anno ſabbathicum præcurrente: tot naſcebantur eis fruges, ut ſabbathico & Jubileo atque tribus annis copiam ſuppeterent. Porrò Deus hunc annum inſtituit Judæis non unam ob cauſam.

Cauſa. 1. 1. Ne tribus Iſrael confunderentur, ſed ex poſſeſſionibus cuique tribui aſſignatis dignoſcerentur; idque inprimis propter Meſſiam, ut conſtaret Judæis juxta vaticinium Jacobi ex qua tribu naſciturus eſſet, ſcilicet ex tribu Juda. Gen. 49. ut obſervat
2. Abulenſis. 2. Ut familiæ honeſtæ in ſua honeſtate permanerent; ne quis prodidus de familia omnia dilapidaret in fraudem & damnum poſterorum, adeoque familiam everteret; quo fine etiam multi nobiles fundarunt bona Fidei commiſſa, ad conſervandam familiarum honeſtatem & nobilitatem.
3. 3. Ut poneretur modus avaritiæ divitum, qui non ſatiantur alioquin coëmendis pauperum fundis & poſ-
4. ſeſſionibus, adeoque eos devorant. 4. Ut ſervaretur aliqua inter Judæos æqualitas & opum mediocritas: ne aliqui fierent ditiſſimi, alii pauperrimi; itaque invidiæ, ſuperbiæ, luxui, arrogantiæ, murmuri & imprecationibus occaſio daretur: ſed omnes ſua ſorte contenti amicè inter ſe degerent.
5. 5. Ut ſcirent Judæi ſe à Dei liberalitate terram Palæſtinæ obtinuiſſe adeoque non tam dominium quam uſum ejus habere, uti indicatur Levitici 25. verſus 23. Denique ut pauperes in anno Jubilæi ſolatium aliquod haberent in perceptione frugum, quæ tunc ultro naſcebantur; & divites inde diſcerent ſubvenire & compati illis. Si enim anno 50. uti & 7. non haberent quod meterent, adeoque queruli dicerent, *Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus neque collegerimus fruges noſtras?* recordarentur pauperum, quia illa egeſtate & ſolicitudine perpetuò laborant, & nullo prorſus anno habent quod metant.

Cur anno quinquageſimo. Cæterum ad hoc Jubilæum quinquageſimus annus poſt ſeptem annorum ſeptenarios decurſos à Deo præſtitutus eſt propter ſeptenarium numerum, qui propter diem ſabbathi, ſeptimum, inſtitutum ob beneficium creationis mundi, ſacer eſt in SS. literis, ideoque Hebræis variis modis inculcatus. Nam 1. ſeptimus dies erat feſtus, ſabbathum videlicet 2. ſeptima hebdomade completa erat Pentecoſte. 3. ſeptimus menſis erat quaſi *ſabbathum menſium*, ut ait Origenes hom. 23. in Num. magna ex parte ſacer, Feſto Neomeniæ, Tubarum, Expiationis, Tabernaculi, Cætus ſeu Collectæ. 4. Septimus annus erat ſabbathicus, annus ſacer libertatis ac remiſſionis à ſervitute & debitis. 5. poſt ſeptem hebdomadas annorum, ſcilicet poſt ſepties ſeptem, ſeu 49 annos conſtitutum fuit Jubilæum; omnia hæc feſ[...] tendebant in gratiarum actionem, pro beneficio creationis, ut ſcirent & meminiſſent homines à quo creati & bonis omnibus locupletati eſſent: ne aliquando dicerent cum Pharaone illo: *Meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum.* Ezechiel. 29. verſ. 3. ſed ut ipſi ſubjecti & grati eſſemus pro tot tamque continuis beneficiis, quæ à creationis tempore conſtanter percipimus. Denique Jubileum hoc denunciabatur Hebræis anno præcedente per inſonantem buccinam, eamque paſtoralem, qua evocari ſolent pecora ad paſtum educenda; ad inſinuationem publicæ lætitiæ, quod perfundendi eſſent ſervi educendi ad libertatem, debitores liberandi ære alieno, pauperes reducendi ad poſſeſſiones ſuas. Septies ergo completo ſeptenario annis ſcilicet 49. ſequebatur annus 50. in quo ſumma animi quiete & ſpirituali gaudio voluit Deus coli memoriam beneficiumque mundi conditi, atque iſtud erat Jubileum Hebræorum, ſatis, ut apparet, carnale, pro illius populi ſtomacho & capacitate. Nunc videamus ſpiritualia.

II. Senſu allegorico denotabat tempus Chriſti gratiæ, de quo vaticinatus eſt Iſaias cap. 61. in perſona Chriſti loquens: *Spiritus Domini ſuper me, ut prædicarem annum placabilem Domino.* q. d. annum divinæ benevolentiæ, quo dimittentur captivi, ſanabuntur cœci & contriti corde, &c. (ut præmiſeram) ſimilem anno Jubileo. Quæ verba velut de ſe ſcripta legit Chriſtus ex libro ſibi tradito in ſynagoga patria, Luc. 4. aſſerens in ſe tunc fuiſſe impleta. Fuit enim & eſt tempus iſtud pleniſſimæ remiſſionis, cui gratia potiſſimum fuit inſtitutum à Deo antiquum Jubileum, ut omne ſuum gaudium, libertatem, redemptionem, remiſſionem & reſtitutionem bonorum omnium requirendum in Meſſia ſcirent. Et quidem Chriſtus ad initium anni illius, quamdiu in hoc mundo vixit, fuit admodum liberalis & profuſus ad indulgentias & quaſcunque gratias quibuscunque impertiendas. Tam enim corporales morbos & miſerias omnium, quos pertranſiit, ſaltem requiſitus, ſanavit, quam ſpirituales, remittendo pœnitentibus peccata non ſolum quoad culpam, ſed (ut colligere ex Evangelio licet, & quia Dei perfecta ſunt opera) etiam quoad pœnam, nemini injungens ſatisfactionem aliquam pœnalem, præter reſipiſcentiam: *Vade & noli amplius peccare.* Sic abſolvit Magdalenam, ſic adulteram, ſic paralyticum, ſic debilem ad piſcinam ſanatum, ſic latronem pœnitentem, ſic Petrum & Thomam, ſic Matthæum, Zachæum. Neque verò ex hoc aliquis deducat hanc ſequelam, quod etiam reliquo gratiæ tempore tam copioſa indulgentia & liberalitas omnibus impertienda ſit; quod enim ad morbos corporales ſpectat, quia conducunt ſæpe mentis ſanitati, non expedit illos tolli: & quos ſuſtulit Chriſtus, non niſi in ordine ad ſanitatem animorum ſuſtulit, ut per id populum conciliaret & poſtea etiam à peccatis ſa-

re

,ſimulque ſe Meſſiam demonſtraret. Quod atti-
t ad morbos animi, reliquit ſuæ Eccleſiæ poteſta-
n & remedia ad eos perſanandos , non tamen ita
ofusè,ut nihil omninò pœnæ perſolvendæ ſuper-
et pœnitentibus;quia hoc non expediebat : ne li-
è nimis homines delinquerent & remedia vitiis
andis neceſſaria negligerent. (Eſt enim ſatisfactio
dicina peccatis admiſſis,& frænum admittendis.)
t itaque tempore illo major data indulgentia;
a major in populo adhuc carnali indigentia ; &
a ipſe gratiarum Dominus præſens aderat. Solent
ncipes in publica lætitia, verbi gratia inauguratio-
vel nuptiis ſuis, tales impertire ſubditis ſuis gratias
avores , quales non concedunt aliis temporibus.
tthias Corvinus Ungarorum Rex anno ſalutis
'6. Budæ nuptias cum Beatrice Aragonia cele-
ns, publicæ hilaritatis gratia, noxios omnes in car-
e deprehenſos, ſolutos dimiſit : prætereà alia cri-
na impunitate donavit, debita ad tempus proro-
it, & ne creditores ullo modo ſævirent in debito-
per menſes aliquot, legem promulgavit, Bonfin.
o quarto Dec. 4. Conſimili ratione æquum ac
veniens fuit, ut Chriſtus Eccleſiæ ſponſus, dum in
is degens ſua quaſi ſponſalia & nuptias celebra-
majorem liberalitatem exhiberet filiis ſponſæ; id
od indicare videtur Matthæi nono, quando diſci-
s Joannis reſpondet, cur diſcipulos ſuos non af-
at jejuniis: *Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere , in-*
, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Veniet autem tem-
cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.
quid igitur Eccleſiæ adhuc novitiæ & teneræ
ſente præſertim ſponſo & gratiarum auctore in-
gendum erat ; quod poſteà continuari non expe-
bat. Certe etiam Saul Rex in die publici gaudii,
i ex debellatione hoſtium, noluit occidi reos læ-
majeſtatis ſuæ. primo Regum undecimo. Et David
ndo ab exilio redux reſtitutus eſt in regnum ſuum
lem reum abſolvit Semeium. *Ergone hodie,* inquit
rficietur vir in Iſrael? An ignoro hodie me factum
em in Iſrael? Et ait Rex Semei: Non morieris. 2 Re-
19. Non igitur mirandum ſi parem aut majorem
hentiam exhibuit Chriſtus peccatoribus ; quo
pore in mundo de peccato , Dæmone & morte
mphavit. Neque tamen omninò poſteris etiam
ilis negavit hanc munificentiam ſuam: quin imò
nde exhibet, quoties ſcilicet per ſuum Vicarium
nanum Pontificem Indulg. plenar. & Jubileum
cedit. Tunc enim condonare unà cùm culpis etiā
nas ſolet, pro exiguo quodam piorum operū pen-
uod ſanè ingens eſt beneficium. Ex theſauro enim
itorum ſuorum & Sanctorum perſolvit debita
ra, noſque liberos dimittit ab omni reatu & ſer-
te Dæmonis, nec non priſtinæ poſſeſſioni meri-
m noſtrorum reſtituit. Cardinalis Roman. Ec-
iæ, ſi noxio ad ſupplicium ducto galerum ſuum
onat, à ſupplicio eum liberat & vita ac libertate
at, teſte Alex. Loſſæo ex Paulo de Caſtro in lib.
ctos in princ. C. de appellationibus. Quæ gratia
i reo contingat, quāto cum gaudio perfundi ex-

iſtimamus ? At hoc & quidem longè majus exhibetur peccatori, cum conceditur indulgentia: ad pœnas enim purgatorii aut alias hujus ſæculi pergenti imponitur quaſi galerus Cardinalitius, cùm applicatur ſatisfactio Chriſti & Sanctorum, ut ab omni pœna liber ſit. Quis tantam Chriſti benevolentiam & munificentiam non ſummis extollat laudibus & excipiat gaudiis? Solent etiam apud Sinas nonnunquam Regis beneficio generali largitate condonari culpæ & debita , ut refert ex noſtrorum literis P. Lorinus in Levit. c. 25. Idem agit ſummus Pontifex pro fidelium ſolatio ad finem mundi jam accelerantem, ut deficiēte ſenſim fervore & rigore pœnitentiæ, ſuccurratur illis ex theſauro Indulgentiarum. Gratâ igitur mente & impenſo ſtudio ſuſcipere nos decet tam ſalutare Jubileum.

III. Senſu tropologico deſignat Jubileum, quod unuſquiſq; ſibi ac fratri ſuo impertire debet, eripiendo inprimis animam ſuam è captivitate Dæmonis, & reducendo ad priſtinam cœli poſſeſſionem, quam peccato vendidimus: deinde dimittendo etiam in libertatem eos, qui nobis obligati ſunt, ſive debito aliquo contracto, cui non ſunt ſolvendo: ſive allatâ aliquâ injuriâ. *Hoc vere ſanctum* (inquit Rupertus in Lev. c. 25. exponens nomen) *& pulcherrimum Iubilei feſtum eſt Evangelicâ clangente buccina celebrandum, ita ut revertatur homo ad poſſeſſionem & familiam ſuam, cum offenſam in nos remittimus , ut omni diſcordia ſoluta cuncti redeant ad priſtinam familiam pacis & concordiæ, atq; habeant cor unum & animam unam, canantque: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Æquū verò & juſtum eſt, ut qui plenam remiſſionem ſuorum debitorum petit expectatque à Deo, hoc idem beneficium proximo impendat; præſertim ut condonet levia, qui condonari ſibi vult grandia. *Gratiam pro gratia,* ait Joa. Bapt. Joan. 1. Qui impertit inimico gratiam, gratiam à Deo accipiet: indulgentiam pro indulgentia. *Da & accipe,* ait Eccleſ. c. 14 *& juſtifica animam tuam.* Da veniam homini, & accipe veniam à Deo: ſic juſtificabis animam tuam & frueris Jubileo. Nihil accipies ſi nihil dederis. Unde Pſ. 7. ait David : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* h. e. vacuus hinc diſcedam ſine ullo quæſtu, quem facere poteram ſi ignoſcere voluiſſem. Hebr. habetur, *fatuus* pro *inanis,* q. d. fatuus merito judicabor, ſi theſaurum, quem ab inimicis mihi comparare poſſum, è manibus elabi ſivero. Hoc enim eſt quod Zacharias cecinit: *Salutem ex inimicis noſtris & de manu omnium , qui oderunt nos.* Luc. 1. Jam ſi proximis noſtris indulgentiam liberali dare manu jubemur, multo magis nobis ipſis, ut unuſquiſq; redimat animam ſuam è ſervitute Dæmonis, ſicq; poſtliminio revertatur ad poſſeſſionem ſuā, patriæ cœleſtis , quam pro vili lucro aut voluptate turpiter vendidit. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo,* inquit Eccleſiaſt. c. 30. Quia nimirum vincta & miſera ſervitute oppreſſa eſt, redime igitur eam, ſi placere Deo quæris. Quis in carcere concluſus ob capitale crimen, ſi carceris oſtium ſibi apertum à cuſtode vi-

III. Senſu tropologico denotat fraternam injuriarū remiſſionē, & animæ propriæ redemptionem.

deat,

deat, non quamprimum inde profugiet? Certè cum Salamanticæ S.P.N. Ignatius & socii ejus duo ob inanem suspicionem publicæ custodiæ mancipati fuissent, accidit, ut reliqui vincti, nescio qua fortuna carcere aperto, omnes effugerent; præter socios Ignatii, qui unà cum illis tenebantur in separato carceris ergastulo; quia nimirum illi rei, isti innocentes erant; ut habetur in vita S. Patris l.1.c.15. auct Ribad. Neque hoc mirandum; quis enim non consulit vitæ suæ, cum occasio patet? Signum igitur manifestum est nescire peccatores se vinctos esse Diaboli, dum aperto Jubilei ostio necdum eluctantur, nec evadere curant.

IV. *Sensu anagogico notat diem resurrectionis.*

IV. Sensu anagogico denotat gaudium resurrectionis & quietis sempiternæ, quæ sequetur septenarium completum, seu mundi ætates septem; ubi primo Angeli clangente ultima tuba denunciabunt Jubileum; deinde à servitute liberabuntur omnes servi DEI, & quiescent in sancto beatitudinis otio: revertentur quoque ad primam suam possessionem, paradisum scilicet cœlestem, qui inde ejecti fuerunt, accepta prius peccatorum remissione; cessabit deniq; omnis agricultura meritorum & demeritorum: cessabunt omnia debita naturæ humanæ, timor, languor, curæ, morbi, servitus, mors, & jubilabunt omnes Filii Dei, & in templo ejus dicent gloriam. Porrò hoc omnium fœlicissimum Jubileum jam nobis demonstratur à longè conspiciendum & lucrandum, nec non per id, quod Ecclesiæ indultum est, non difficile obtinendum, si quæ præscripta sunt remedia sedulò adhibeantur. Nunc ergo contingit nobis suo modo quod contigit Sancto Stephano, pro Christo decertanti contra perfidos Judæos, ut nimirum videamus nobis cœlum apertum, adeoque paratum ad nos excipiendos, si cum Protomartyre illo pugnare non negligamus. Certè cum in illus Sancti Festo quidam Concionator Reginaldus Ord. Prædicat. concionem haberet & inter alia diceret: *Ecce nunc cœli aperti sunt volentibus introire, sed mox in æternum claudentur iis, qui hoc vitæ & bene agendi tempus neglexerint*; audiit hæc quidam celebris Bononiæ Doctor, nomine Moneta, qui prius conciones de industria fugerat, & vix tandem eò pertractus erat; audiit inquam & quamprimum verbis illis captus ac permotus est, ut abdicato sæculo sacram Reginaldi peteret & indueret religionem; ut habetur in Chron. PP. Prædicat. lib.1. cap.37. p.1. Nunc igitur prostat vænale regnum cœlorum, & quidem vili pretio: nunc Jubilæi tempus est, nunc annus remissionis. Cogitate quale gaudium nunciaretur inferis, si quod Jubileum buccinâ clangente per infernum promulgaretur. Sed actum est cum illis: non audient hunc sonitum usque in æternum. Rogus ille gehennæ denotatus est per rogum illum, quem accendit Nabuchodonosor, adeò ut ejus flamma ad 49. cubitos ascenderet, ut habetur Dan.3. quinquagesimum tamen non attingeret. Rationem desideratis? Exponit B. Petrus Damiani Card l.6. Epist. ep.24. *Non enim ad quinquagenarium numerum, id est, usque ad mystici Iubilæi potuit pertingere Sacramentum. Iubileus enim annus requietionis est.* Ignis vero ille inextinguibilis est, & qui eo comprehensi sunt, *requiem non haben die ac nocte, sed fumus tormentorum eorum ascende in sæcula sæculorum.* Apoc.15.

THEMA IV.

Quanti æstimanda sit S. Confirmatio.

I. *Colligitur id ex cura & solicitudine Episcop rum.*
II. *Ex desiderio suscipientium.*
III. *Ex odio satanæ.*
IV. *Ex damno neglectus.*

Lux venit in mundum, & dilexerunt hom nes magis tenebras quàm lucem. Joan. 3.

MAximum & admirandum Dei opus est, cœli terræ (quis negare potest?) è nihilo procr tio. Attamen si hoc opus destitutum luce foret, qua to bono careret? Quis tunc æstimaret illius op amplitudinem & pulchritudinem? quam ea inf mis machina esset! Hinc enim Gen. 1. cum crea terræ mentio facta esset, statim subjicitur: *Terra tem erat inanis & vacua.* Quia antequam lux fie omni carebat ornatu & decore; non eam vestieb plantæ, non homines incolebant & animalia, aq quoque cooperta erat. At ubi lux creata fuit, t aliam induit speciem, cùm vestiri plantis & inc suis cœpit. Mihi videtur homo post suscept baptismum, nondum accepta confirmatione, multum abludere à cælo & terra illa vacua, pri die mundi creata. Possidet enim baptizatus cœlu cùm accepta Dei gratia vivere cœlo cœpit: poss & terram, quia accepta vita naturali vivere te cœpit. Verùm adhuc informis atque inornatus ap ret, quamdiu Spiritus S. sua luce eum non co strat; hanc vero à Spiritu S. homini præberi docet T tull. l. de resurrect. carnis, cùm omnia, quæ ad c firmationis Sacramentum spectant, exprimens: *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, anima muniatur: caro manus impositione adumb tur, ut anima à Spiritu illuminatur.* Ergo lucem mini præstat Spiritus S. Magni igitur æstimand est hoc Sacramentum, quod hominem ex inform incomposito facit ornatum & compositum. Id v unde colligi queat, nunc videbimus.

I. Colligitur ex cura & solicitudine pastoru qui eam conferunt. Pastor cujus sunt oves, solici est de illis, ne eas perdat; idcirco inter alias in strias eam etiam adhibet, ut suas oves notet signac aliquo impresso, quod aboleri nequeat. Dux eti militiæ, qui milites suos educere vult ad præliu curat inprimis ut armis debitè instricti sint, ne si oves ad macellum ducat. Ita Saul emissurus David ad singulare certamen contra Goliathum, priùs e munire conatus est propriis suis armis. 1. Reg.

Pr

rinceps pastorum & summus noster militiæ Dux, hristus, prævidens pericula nostra & hostes, à quius impugnamur, solicitus de nobis, & ipse quoque os signare Confirmationis charactere & munire eis armatura volens, instituit hoc sacramentum; uti ædixit Joannes Baptista Matthæi tertio, cùm ait: *se vos baptizabit Spiritu sancto & igni*. Spiritu sano in baptismo, igni in Confirmatione, quo confirmavit in Pentecoste discipulos suos visibiliter; alios ostea invisibiliter, ut exponit ibi sanctus Anselmus. *ni*, inquit, *confirmationis ad corroborationem & inammationem bonæ operationis & munimentum bonoum operum*. Solicitus etiam pastor Paulus cum veisset Ephesum & invenisset ibi quosdam credentes, rimam habuit curam interrogare de confirmatioe: *Si Spiritum sanctum accepistis?* Cumque illi nec auisse quidem se aliquid de Spiritu sancto dicerent, tpote baptizatos solum baptismate Joannis, conestim jussit eos baptizari, & ipse confirmavit eos. Atorum decimo nono. Solicitus etiam sanctus Boniacius Archiepiscopus Moguntinus de F isonibus, am initiatis & sacramento Confirmationis armanis, ad eosdem peregrinatus est cum vitæ suæ discrimine imo & dispendio: quos enim velut filios Spiritu ancto confirmandos expectavit, hostes reperit & siarios, ut in ejus vita. Quid de sancto Maurilio Episopo Gandav. dicam, qui vocatus ad quenlam puerum moribundum confirmandum, pauluum tardans reperit puerum jam defunctum? Quare hanc suam, ut ipse ajebat, negligentiam multis annis uxit, relictoque Episcopatu, clam fugiens prælongam ac molestam suscepit peregrinationem mari ransmisso, septennio exul, donec Dei voluntate repertus & reductus est. Venantius Fortun. in ejus vita. Non aliter sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuar. cùm ex Anglia migrans in quodam loco plurimos confirmasset, jamque inde discessurus puellam, quæ eandem confirmationem flebili affectu expetierat, suorū consilio non irrationabili persuasus, eo subsidio destituisset, paulò post errorem qualē qualē expendens, tantum concepit dolorem, *ut quamdiu vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit*. Ut in ejus vita Edinerus libro secundo, capite trigesimo secundo, refert in hæc verba: *Venerunt* (Bertini) *ad eum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis unctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et hos pro quibus petitis, libens in hac causa suscipiam: & alios hoc sacramento egentes, si præsto fuerint, non abjiciam. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes magnificè lætati sunt & gratias egerunt confirmatisque pueris suis, illico totam urbem his, quæ ab ejus ore acceperant, impleverunt. Videres ergo viros ac mulieres, magnos ac parvos, è domibus ruere certatimque currendo ad nostrum hospitium prædicti gratia sacramenti properare. Plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus Episcoporum illic fuerat, tali officio passus occupari. Sexto demum die, cum jam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei, quod instabat, festinare compelleret, ecce puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebamur, introiit, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex sociis nostris audientes, nimis molestè tulerunt, & verba illius, utpote qui jam talium erant tædio affecti, contradicendo depresserunt. Quid plura: Virum precibus puellæ assensum tribuere volentem, ipsi objecta longitudine diurnæ viæ, objectis periculis, quæ nocturnos viatores, in peregrina quam maxime patria, comprehendere solent, detinuerunt, & ne voci ipsius auditum præberet, obtinuerunt. Sed ubi aliquantum processimus, venit patri in mentem, quibus acquieverit quid egerit. Illico nimis impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit cordis dolorem, ut quamdiu vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit.*

Fabri Sylva Nova de Dom.

II. Ex desiderio & fervore suscipientium. E quorum numero sunt inprimis Bertinenses, uti jam audivimus ex vita sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi. Japonii tanto cum pietatis sensu superiore sæculo ad fidem conversi, sacramentum hoc adierunt, ut Aloysius Episcopus Japoniæ admiratus diceret, se nusquam reperisse gentem, quæ tantam præferat pietatem & devotionem erga hoc sacramentum. Dau oltius in Catech. tomo tertio capite quinto. Non minor solicitudo fuit primorum Christianorum, ut sacramento hoc munirentur, præsertim persecutionis tempore, ut patet in tribus illis conversis è gentilismo Marcelliano, Secundiano & Veriano, qui à Xisto Papa confirmati ad martyrium se præpararunt, & ad id obeundum sponte obtulerunt, apud sanctum Antoninum p. 1. histor. c. 7. tit. 7. parte 9. In Aproniano, qui à Sisinnio Diacono baptizatus, & Marcello Papa oblatus est, sacro chrismate consignandus, eo comperto à præside ad martyrium ductus, apud Lipom. tomo 4. *II. Ex desiderio suscipientium.*

III. Ex odio Satanæ erga hoc sacramentum. Quod inprimis ostenditur ex confessione ariolorum, qui dum præsente Juliano Apostata Imperatore nihil conjectare ex victimarum extis & visceribus possent; exclamarunt se suaque vaticinia impediri à quodam uncto Christiano, qui sit præsens; deprehensusque unus ejusmodi ex armigeris Augusti, qui se confirmatum protestatus omnia conturbavit & terrore implevit, apud Gregorium Turon. de glor. mart. capite 41. Simile est quod refert Lactant. libro quarto de vera sapientia capite vigesimo septimo. *Cum Diis*, inquit, *suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest consultus reddere Vates. Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere.* Hanc eandem ob causam affirmat S. Hyppolitus in libello de con- *III. Ex odio Satanæ.*

ſummatione mundi, futurum ut Antichriſtus inter alia edicat & jubeat, ne quis in fronte ſua crucem pingat; utique ex dictamine mali ſui genii, qui ſacræ crucis in fronte pictæ acerrimus hoſtis eſt. Hac enim de cauſa videtur inſtigaſſe ſuperioris ſæculi hæreticos, ut hoc ſacramentum una cum Epiſcopis, quorum eſt id conferre, prorſus eliminarent. Quemadmodum enim Philiſthæi, cum prævalerent aliquando Hebræis, rem eo deduxerunt, ut nullus eſſet in terra Iſrael faber ferrarius, qui eis arma cuderet, quibus oppugnari ab illis poſſent. primo Regum decimo tertio, ita omnino Cacodæmones effecerunt apud plurimos, in ſchiſma & hæreſin prolapſos, ut hoc ſacramentum, & qui id conficiunt, Epiſcopi prorſus exterminarentur; ſcientes ſe his armis eorumq; fabris graviſſimè impugnari.

IV. *Ex damno neglectus.*

IV. Ex damno quod imminet ſaltem iis, qui hoc ſacramentum ſuſcipere negligunt. Id vero tale eſt, quale militis gladio deſtituti dum in militia verſatur. Quando David per feneſtram à ſua Michol demiſſus fuit ad declinandas Saulis inſidias, libertatem quidem conſecutus eſt, ſed interim inermis vagabatur in ſolitudine, ubi & leones & urſi, homines item adverſarii, nihilo mitiores illis, occurrere ei poterant. Quid igitur agat? Ad Achimelech ſummum ſacerdotem venit, & ab eo gladium Goliathi, quem in loco ſacro depoſuerat, repetiit, eoque ſe impoſterum ſtrenuè tutatus eſt, primo Regum vigeſimo primo. Evaſimus & nos per baptiſmum è manibus inimici noſtri capitalis, Diaboli, & liberi quidem ſumus, nondum tamen armis ſatis communiti; vagamur enim adhuc inter plurima pericula, quaſi inter urſos & leones, inter inimicos; gladio igitur opus eſt & quidem ſacro & præſtanti. Hunc quis nobis exhibeat niſi ſummus aliquis ſacerdos ſeu Epiſcopus in ſancta Confirmatione? Ita ſenſit & docuit ſanctus & antiquiſſimus Pontifex Melchiades Papa, ut habetur diſtinctione 5. capite de his, de conſecratione: ubi hæc legimus: *Quid mihi prodeſt* (ait hæreticus) *poſt myſterium baptiſmi, myſterium confirmationis? Quaſi non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adjection novi generis indigemus.* Cui Melchiades reſpondet: *Non ita dilectiſſimi. Imo ſicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque receperit in militum numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum: ita in baptiſmo recipitur homo in militiam, & in confirmatione coarmatur ad pugnam.* Hoc ergo gladio qui carent, quomodo ſatis ſe defendent contra inſidiatores, hæreticos, Turcas, improbos, Dæmones? Certè Euſebius libro ſexto hiſtoriarum capite trigeſimo quinto. (vel juxta aliam editionem trigeſimam tertiam) ſcribit Novatum, cum rejeciſſet hoc ſacramentum, non ſolum à Dæmone correptum fuiſſe; ſed etiam cum eſſet presbyter, in perſecutione præ metu negaſſe ſe eſſe presbyterum. Adhæc vir S. Vincentius Ferrerius Concione in Domin, 2. Quadrageſimæ affirmat in Antichriſti perſecutione, fore in confeſſione fidei conſtantes eos, qui Confirmationis ſacramento fuerint communiti: multis interim deficientibus, qui ſolo ſuſcepto baptiſmo, confirmationem non acceperunt. Et ſanè ipſa experientia ſatis demonſtrat Catholicos eo ſacramento munitos rariſſime deficere ad hæreticorum partes, etiam cum ab ipſis in carceres truduntur ſeu fidei cauſa, ſeu ob quædam delicta; quin imò ad martyria ſe paratos exhibere. Econtra Acatholici non ſolum fidem ſeu potius perfidiam ſuam continuo immutant, & cum aliis ſectis commutant, ſed etiam cum ad partes Catholicorum deveniunt, magno numero ſe convertentes, ad Eccleſiæ gremium redeunt: neque etiam videre eſt apud illos, qui pro tuenda fide ſua ad martyria ſe offerant, aut maria transmittant ad propagandam ſuam gentibus opinionem. Propterea Chriſtus jam ad cœlos aſcenſurus ſuos admonuit: *Vos autem ſedete in civitate* (Jeruſalem) *quoadusque induamini virtute* (Gr. *vi & robore*) *ex alto.* Lucæ vigeſimo quarto, q. d. quoadusque vos accingam gladio. Nam, ut ait ſanctus Chryſoſtomus in Catena: *Sicut milites invaſuros multos Dux exire non ſinit, donec armati ſunt: ſic & Chriſtus diſcipulos ante Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit.* Quare uti Conſtantino Magno dictum oſtenſo crucis ſigno: *In hoc ſigno vinces:* ita dictum ſibi exiſtiment cæteri Chriſtiani. Signo Crucis in confirmatione ſibi impreſſo, ſe aëreas poteſtates multo facilius, quam ſi eo carerent, debellaturos. *Inde eſt,* inquit Beatus Petrus Damiani ſermone primo in Feſto Dedicationis, *quod decretalis pagina, & ſanctorum Patrum inſtituta decernunt, non eſſe differendam poſt baptiſmum ſacramenti hujus virtutem; ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit. Delibuti igitur utriusque roris unguento, illo ſanati, confortati iſto, ſecurius deſcendamus ad ſingulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliæ, vel magnitudo moveat ſtaturalis quia nobiſcum eſt magnus Dominus Deus noſter, & magna virtus ejus, apprehendens arma, & ſcutum, ut exurgat in adjutorium nobis.*

THEMA V.

Peccatum ſummo odio habendum velut tenebræ Ægyptiacæ.

I. Quia eripit homini Deum, ejusque gratiam.
II. Aufert lumen intellectus.
III. Perdit omnia noſtra bona opera & merita.
IV. Quia bene agere & mereri aliquid non permittit.
V. Non concedit lapſo facultatem per ſe reſurgendi.
VI. Hominem infamat.
VII. Peccatorem cruciat.
VIII. Trahit in tenebras exteriores.

Dile-

Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Joan. 3.

ÆNeas Sylvius, postea Papa Pius II. dictus, scribit in suo Commentario super acta Alphonsi Regis Aragoniæ libro quarto capite primo, interrogatum aliquando ab Alphonso cæcum jam grandævum, qui ante annos sedecim lumen se oculorum amisisse dicebat: an molestè ferret suam cæcitatem? illumque respondisse: *Nisi divina gratia esset adjumento, nemo cæcus vivere optaret; tanta est miseria cæcitatis, iis præsertim, qui aliquando lumen viderunt.* Non difficile credi potest, quod hic cæcus dixit; experimur enim densas & diuturnas præsertim tenebras supra modum esse molestas. Obnube vultum infantulo; mox velamen omni conatu detrahet ab oculis. Cæci quotquot occurrère Christo, nil aliud petierunt, etiam optione data quidlibet petendi, nisi ut viderent. Eccur vero, nisi quia tenebras pro maxima habuere miseria? Certè etiam Moyses, cum per octo gravissimas plagas frustra conatus esset frangere pertinaciam Pharaonis, nonam adjecit, tenebrarum triduanarum, quasi omnibus graviorem; unde eam Euthymius *gravissimam* appellat, quia lumen adimit rerum omnium pulcherrimum & inprimis hominibus maximè opportunum; nec gravior plaga secuta, nisi ultima rerum mors & internecio primogenitorum. Jam si res ita habet, quomodo fieri potest, ut reperiantur homines, qui, teste Domino in hodierno Evangelio, tenebras magis diligant quàm lucem? Intelligit autem secundum Glossam, per tenebras peccatum. Si tenebræ sunt peccata, qua ratione diligi possunt? Quomodo non potius summo odio habentur & diris devoventur? Nimirum quia hæ tenebræ non corporales, sed spirituales sunt, non videntur homines earum horrorem & miseriam satis capere & apprehendere. Quare eas describemus & Ægyptiis illis tenebris densissimis ac Cimmeriis, non dissimiles esse ostendemus.

I. Tenebræ densissimæ, quales sunt in cæco, & erant in Ægypto, conspectum cœli & delectabile Solis lumen eripiunt; uti questus est Tobias, cum Angelo respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Tobiæ quinto. Peccatum etiam eripit homini Deum ejusque gratiam, & omnem amicitiam; conjicitque in summum Dei odium & disgratiam; quia ipsum summa & infinita injuria afficit, præferendo ei vilissimam creaturam: qua ut potiatur, repellit Dei legem & separat se ab eo adeoque cum perversis illis Judæis, spreto Christo, Dei filio, eligit sibi Baraboam homicidam. Septuaginta interpretes addunt per Ægyptias tenebras, non modò subtractum Ægyptiis lumen cœli, sed ipsum etiam cœlum fuisse perturbatum, eisque velut iratum emisisse turbinem, procellam & tempestatem. Peccatum etiam Deum natura sua tranquillissimum quodammodo perturbat & ad iracundiam provocat; ita ut in peccatores ejaculetur varia calamitatum & plagarum tela. Quemadmodum enim cœlum semper in se serenum est, nullam habens admixtionem: Sol etiam splendorem suum semper in nos effundere solet, nec nisi è terra ortis & obductis subtrahit vaporibus ac nubibus: ita Deus nisi peccatorum nostrorum caligine obnubatur, semper nobis serenitatem suam offert & beneficia exhibet, iniquitates vero nostræ cogunt ipsum, ut tonare & fulminare incipiat. Vapores è terra versus cœlum ascendentes compellunt irasci cœlum & mutare naturam suam, serenam in turbidam: peccata nostra ad Deum usque fœtorem suum exhalantia, ad iram eum provocant; juxta id psalmo octuagesimo secundo. *Persequeris illos in tempestate tua.* Unde vero in Deo, semper serenissimo, & quomodo tempestas? è peccatis nostris. Hæc compellunt eum, ut mutet quasi naturam suam, & ex suaveolente rosa fiat spina, uti fatetur Isaiæ 27. versu quarto. *Quis dabit me spinam & veprem?* Quod explicans Hieronymus: *Quis me faciet durum atque crudelem*, ait, *ut mutem naturam meam?* Et in Zachariam capite decimo quarto, *Deus cum per naturam dulcis sit, vitio nostro amarus efficitur, non sibi sed patientibus, quibus amara tormenta sunt*, Hinc cœlum ob peccata Regis Achab & sectatorum ejus, factum est quasi æneum è liquido, quando per tres annos & sex menses non dedit pluviam. tertio Regum 17. Jam vero quid infelicius, quam Dei gratia excidere, eumque sibi iratum habere? Multi cum vel austeriori verbo objurgantur à Papa vel Imperatore aliove Rege aut Principe, vel ipsorum aula excedere aut conspectum evitare jubentur, in tantum incidunt mærorem, ut mortem sæpe incurrant, & quandoque sibimet inferant. Patet in Absalone, qui morte acerbius duxit vivere ejectum ab aula & conspectu patris sui, 2. Reg. 14.

II. Tenebræ spoliant hominem usu oculorum, qui non plus in tenebris vident, quam si cæcati & destructi essent: quod sensere Ægyptij, qui sanis alioquin oculis nihilo plus viderunt, quàm cæci. Peccatum similiter aufert homini lumen intellectus, & infert cæcitatem: præsertim luxuria & ebrietas, iracundia & invidia. Unde psalmo octuagesimo primo dicitur: *Nesciverunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* Quemadmodum enim Sole occidente, tenebræ operiunt terram: ita *cum reproborum cordibus Sol justitiæ occidere cœperit, cæcitatis umbra vehementer crescit adeo, ut divino non illuminentur lumine, sed mortifera noctis involvantur obscuritate*, ait sanctus Gregorius Magnus in Psalmo centesimo primo. In talem noctem inciderunt primi nostri parentes, quando audita deambulantis Dei voce, fugerunt subter arbores, ut ab eo se absconderent. Et quomodo se absconderent ab eo, quem videre omnia paulò antè clarissimè intellexerunt? Nimirum peccatum has eis tenebras induxit, ut putarent se latere & effugere Deum posse; quod etiam contingit aliis peccatoribus, ut sibi persuadeant, se posse in suis latebris impunè & liberè delinquere, velut extra omnium oculos:

II. Aufert lumen intellectus.

de Deo nihil cogitantes. Quanta Hebræorum cæcitas fuit, cùm Aaroni dicerent: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant?* Exodi 32. *Nam si Dii*, ait sanctus Chrysostomus homil. 5. de pœnit. tom. 5. *quare dicis, fac? quomodo enim Dii, qui fiunt? Sic malitia obcæcans sibi ipsi repugnat & semetipsum extinguit. Vnus factus vitulus, & clamat ingratus populus: Hi sunt Dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti, &c.* Et quomodo præcedat aureus ille vitulus? qua ratione vitulus monstret viam hominibus, & præsidium exhibeat? Peccatum igitur fuit, quod ita eos cæcavit; & cæcat etiam alios, ut sæpe insana prorsus sequantur consilia & excogitent figmenta, adeoque turpissimam mulierculam reputent speciosissimam & adorent velut Deam, juxta id Poetæ: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

III. Perdit omnia nostra bona opera & merita.

III. Tenebræ in causa sunt, cur homines spolientur bonis suis, quantocunque labore & sudore comparatis: nesciunt enim cæci sua custodire: & densis noctium tenebris expoliari solent ædes: denique in tenebris facilè res nostras amittimus, uti mulier illa, quæ accensa lucerna quæsivit drachmam suam, utique in tenebris perditam. Peccatum etiam facit, ut omnia nostra merita, quantacunque ea sint, Deus obliviscatur & aboleat, perinde ac si nunquam patrata fuissent. Ita enim testatur Ezechiel capite decimo octavo. *Si averterit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus, quas fecerat non recordabuntur.* Quæ major esse pestis potest, quàm hæc peccati, quæ omnia virtutis & gratiæ opera simul ac semel extinguit? quam virulenta pruina, quæ omnes flores & fruges una nocte decoquit & exurit, ac si nunquam floruissent aut fuissent! Subtili penicillo hoc depinxit David psalmo centesimo decimo octavo cum dixit: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* quasi dicat, qui peccant, nunquam justi fuerunt, nihil unquam boni fecerunt. Quid ais David? Ergone quando tu peccasti, prius in via Dei non ambulasti? Non, respondet: quia omnia perierunt & in fundum maris ceciderunt, quæcunque prius bene egi. Periit labor pastoritius in servatis ovibus; periit labor certaminis, quo devici Goliathum, perierunt aliæ victoriæ de Philisthæis partæ: periit meritum mansuetudinis, qua inimicis peperci: periit religio, quâ fœderis arcam colui: perierunt omnino alia bene pieque à me præstita, ac si nunquam bonus fuissem. O stragem miserabilem! Ergone propter unam rem vilissimam malè concupitam, tantam divitiarum suarum jacturam facere quis poterit? Intellexit hoc vel rustica una puella, quæ hospitio susceptum quendam Eremicolam, cùm adverteret vim sibi ab eo parari, his verbis cœpit alloqui: *Quantum temporis habes, frater, in monasterio? Dicit ei frater: Decem & septem annos. Ergo tu, inquit puella, vis propter unam horam amittere tot annorum labores? Quoties fudisti lachrymas, ut carnem tuam Christo Domino puram immaculatamque servares? Et nunc totum laborem illum brevissimæ voluptatis gratia tibi perire vis? Veruntamen si, ut vis, audiero te, peccesque mecum, habesne quo assumas, & enutrias me? Dicit ei frater: Non. Tunc illa: In veritate non mentior, si humiliaveris me, multorum malorum causa eris. Dicit ei monachus: Quomodo? Puella respondens: Primum quidem, inquit, quia perdis animam tuam. Secundo quoniam & anima mea abs te requiretur. Hoc enim tibi juramento protestor per eum, qui dixit: Noli me mendacem facere: quia si humiliaveris me, continuo mihi ipsi laqueo vitam extorquebo inveniensque homicidii reus, atque in judicio ut homicida judicaberis. Igitur antequam tot malorum causa fias, revertere in pace ad monasterium tuum, & ora pro me. Rediens igitur in semetipsum frater ac respiciens, statim reversus est ad monasterium suum, prostratusque Abbati, & veniam postulans oravit, ut ultra tam de monasterio non egrederetur. Et cum in contritione cordis egisset tres menses, migravit ad Dominum.* Ita refert Joannes Moschus in prato spirituali capite trigesimo nono. Simili argumento & quidem duplici redarguit Samuel Saulem ob violatam Dei obedientiam, proponendo ei & malum, quod incurrit, jacturam regni sui: & bonum, quod amisit, regni scilicet stabilitatem, sibi & filiis conferendam. *Stultè egisti*, inquit, *nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* primo Regum 13. Itaque peccator præter merita anteactæ vitæ perdit etiam peccando ingens illud meritum, quod obtinuisset, si tentationi resistens peccatum omisisset. O pestiferum vermem, qui totum Jonæ umbraculum depascitur unius spatio diluculi, Jon. 2.

IV. Tenebræ obsistunt, quo minus operemur, præsertim aliquid culti, artificiosi & laude digni operis; neque enim scribere, neque pingere, neque sarcire, neque aliud quid, quod oculorum & luminis ministerio eget, potes; nisi fœdissimum & absurdissimum aliquid. Quod inprimis contigit Ægyptiis, qui ob densissimam illam tridui noctem nihil poterant operari, imo nec loqui, nec comedere, nec è cubili surgere, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, nisi ut præsens malum sentirent, ut ait Philo 1. de vita Moysis. Peccatum etiam quamdiu inhæret animæ, nulla actio sancta & placens Deo, nullum cœli meritorium opus fieri potest, licet habueris omnem fidem, & tradideris in pauperes omnem substantiam: sine charitate enim nihil agis, nihil es, inanis es: æs sonans & cymbalum tinniens es. Hinc Dominus Joannis nono ait: *Venit nox quando nemo potest operari.* Antequam lux crearetur, quid erat terra? Respondet Moyses Genesis primo. *Terra erat inanis & vacua* (Symmachus vertit: *otiosa & indigesta*) & (hoc est, quia) *tenebræ erant super faciem abyssi.* quasi dicat, nullæ erant herbæ, nulli fructus, nulla opera, quia lux aberat. Sic omnino etiam anima in peccato constituta, inanis est, vacua, otiosa & indigesta, destituta bonis operibus & meritis quia luce gratiæ privata. Idem ostendere voluit Deus Hebræis per umbram legalis immunditiæ: quando edictum fecit. *Quidquid*

tetige-

tetigerit immundus (scilicet leprosus, semifluus & menstruata) *immundum erit.* Num. 19. Hunc in modum quidquid prodit, quidquid fit ab eo, qui in peccati statu persistit, sive eleëmosyna, sive jejunia, sive oratio, sordet coram Deo, qui ab immundo & inimico venit. Quæ certè misera est conditio, qualis esset illius, qui domino suo cupiens placere, nihil non obsequii præstaret, interim ei semper displiceret. Servire è non gradir, è cosa di morir, dicunt Itali.

V. Densæ tenebræ quasi vincula hominem constringunt ac retinent, ne progredi & iter facere queat: cùm nesciat quo vadat, ubi cadat vel impingat. Tales imprimis erant Ægypti tenebræ, adeo crassæ, ut Ægyptii *vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt*; ait Sapiens Sap. 17. Et infrà: *Una catena tenebrarum erant omnes colligati.* Exod. 10. additur: *nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat.* Idem accidit iis, qui in peccato hærent: neque enim resurgere à lapsu, vel movere etiam se ad Dei gratiam reparandam suis viribus possunt, nisi Dei gratia ipsos excitet, adjuvet & erigat: Prima enim gratia sub meritum non cadit; alioquin non esset gratia; ut cum Concilio Trid. docent Theologi. Quare similis est peccator collapso elephanti, qui nisi adjuvetur ab aliis elephantibus aut venatoribus, surgere non posse dicitur, ob gravem corporis molem & pedum inhabilitatem: vel equo in altiorem foveam præcipitato, qui nisi validis extrahatur funibus, per se non emergit. Talem captivitatem Jerosolymæ lamentatur Jerem. Thr. 1. *Dedit me in manu, de qua non potero surgere.* Nulla enim ratione emergere è captivitate potuissent, nisi Deus cor Cyri Regis ad hoc concedendum permovisset. Atque hoc, ni fallor, sibi voluerunt 70. Interpretes, quando ad Eccles. c. 16. v. 15. addiderunt hæc (ut habent græca exemplaria:) *Dominus induravit Pharaonem, ne nosceret eum; ut utique cognoscerentur operationes ejus in eo quæ sub cœlo, omni creaturæ misericordia ejus manifesta, & lumen ejus & tenebras ejus divisit adamante.* Neminem his postremis verbis facem adhuc prætulisse ait ibi Tufo. Videntur autem hac ratione commodè explicari. Dum Ægyptii involverentur tenebris, Hebræi interim in suis sedibus & stationibus luce fruebantur. Jam verò dicat aliquis: Cur Æ[illegible]ptii habitantes prope & inter Hebræos, præsertim in Gessen, non migrarunt ad Hebræos, ut luce ipsorum gauderent? Respondent 70. lucem Hebræorum à [illegible]ebris Ægyptiorum divisam fuisse adamante, hoc est, muro quasi adamantino, fortissimo & insuperabili; quomodo Ovid. l. 4. Metamorph. dixit inferni aditum obseratum esse adamante: & regias Martis foris Statius lib. 7. Ut igitur adamas nullis malleorum ictibus cedit aut confringitur: ita & peccatum nullis humanis viribus contineri in peccatore aut tolli potest ab eo, ut in Dei gratiam redeat & lumen gloriæ videat, nisi Dei gratia ipsum præveniat, & peccati duritiam frangat. O malum virulentum & pestiferum.

VI. Tenebræ obscurant hominem & quasi honore sibi debito spoliant, dum incognitum faciunt, qua de causa aliquando mendici sancto Stephano Ungariæ Regi, sub obscuram noctem eleëmosynas distribuenti, barbam evulserunt, quia eum non noverant. Imò & infamant eos, qui tenebrarum amantes vagantur noctu, & sequuntur suos amores, aut furta & latrocinia. Unde Dominus in hodierno Evang. *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem.* Adamatæ igitur tenebræ ostendunt hominem malum. Ita & peccatum hominem infamia quasi nigredine aspergit, vilem & obscurum reddit; adeò ut inprimis tegere cogatur peccati sui turpitudinem, ne coram aliis pudefiat; quod videre fuit in Herode, qui Joannem incarceravit, ne amplius audiret redarguentem se de incestu suo. Quærit enim in peccato utilitatem quidem aut voluptatem, turpitudinem verò inde emanantem subterfugit; Deus autem quia justus est, profert in lucem, quod peccator in occulto facit; ut in Herode & Davide aliisque claret, quandoque etiam infami supplicio punit. Deinde in corde suo erubescit de peccato perpetrato, licet nemo eum arguat. Certè Joannes Herodem coram alio tribunali minimè accusavit, sed ad solius conscientiæ suæ tribunal adduxit: nec tamen ab Herode sustineri potuit, quia *inimica furi lux est, & qui ægris oculis sunt, solares radios ferre nequeunt*, ait sanctus Chrysostomus homilia 28. in 2. ad Corinth. Hinc Cain abscondit fratrem à se occisum, teste Josepho: Moyses Ægyptium &c. Hinc fœtere dicuntur peccatores Deo & hominibus, ob infamiæ, quem emittunt, pessimum odorem. Hinc eorum nomina sæpe abolentur & proscribuntur, domus subruuntur, familiæ exauthorantur & in ordinem redigguntur. Deus ipse Ps. 15. ait: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

VI. *Hominem infamat.*

VII. Tenebræ præsertim diuturnæ hominem affligunt, uti quæstum fuisse Tobiam supra diximus; quia hominem sciendi cupidum constringunt ad ignorantiam & compingunt quasi in carcerem. Id verò inprimis factum in Ægypti tenebris, in quibus malè sibi conscii omnia pavebant & horrebant, sive sonum avium, sive mugitum bestiarum, sive strepitum arborum, sive murmura aquarum audirent, ut docet Sapiens, Sap. 17. Non aliter peccatum suum auctorem & parentem proprium invadit & cruciat, uti sanctus Chrysostomus homilia 20. in Genesin describit his verbis; *Peccator habens acrem illum accusatorem conscientiam, nunquam sic in solitudine versatur, quin suspiciones timeat, umbras tremiscat, & eos, qui conscii sunt, & qui non sunt. Perpetua in animo ejus tempestas est, & reciprocantes ac contrarii fluctus. Insuper neq; somnus ei suavis, sed terrore & formidine plenus: neque cibus voluptatem præbet: neq; amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate possunt: sed quasi carnificem circumgestat se lancinantem & flagellantem*

VII. *Peccatorē cruciat.*

continuò: ita post abſurdum facinus obambulat, nullo conſcio, ſuſtinens intolerabiles pœnas illas, & Iudex ſui factus & accuſator. Id verò idem ſanctus Pater oſtendit 1. in fratribus Joſephi, qui in anguſtias redacti ſtatim recordantur ſceleris ſui dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum minimum, &c.* In quæ verba homilia ſexageſima quarta in Geneſi ait: *Vide nunc quomodo conſcientia eorum, incorruptus ille judex, adverſus eos inſurgat, & nullo arguente vel in medium quidpiam afferente ipſi ſui ipſorum accuſatores fiant.* Et Theod. ibidem. *Inde conſtare poteſt apertè conſcientiæ judicium eſſe inevitabile: refricat enim memoriam ſceleris ante duos & viginti annos admiſſi.* quæſtione centeſimâ ſecunda. Ac tametſi Joſephus nihil hoſtile moliebatur, ſed lautum potiùs prandium eis apparabat, ipſi nihilominùs introducti ad triclinium, ſuſpicati ſunt inſidias ſibi paratas, & capitis periculum metuebant ob deportatam in ſacculis pecuniam, tanquam de furto convicti forent. Deinde id oſtendit Chryſoſtomus homilia 28. in 2. ad Corinth. in Herode, qui Joannem à ſe decollatum ſurrexiſſe à mortuis dixit, Marci 16, ipſum eſſe, de quo fama erat, Chriſtum arbitratus; ob remorſum ſcilicet conſcientiæ, ne forſan ab eo rurſum argueretur & pœnas necis ei dare cogeretur. *Adeò vireſcentem,* inquit, *habebat metum & perpetuum certamen, & neque conſcientiæ poterat abjicere formidinem, ſed manſit judex ille incorruptus, conſtringens illum, & quotidie pœnam cædis exigens.*

VIII. *Trahit in nebras exteriores.*

VIII. Poſtremò tenebræ non ſolùm hominem uſura lucis & aſpectu rerum omnium delectabilium privant, ſed immani etiam triſtitia afficiunt, uti experiuntur cæci, & qui in ſubterraneis carceribus detenti ſunt; maximè verò experti ſunt Ægyptii, qui in ſuis tenebris audiebant horribiles ſonitus, videbant per flammas intermicantes ſpectra & monſtra terrifica, quæ illos tantùm non exanimabant, ut habetur Sap. decimo ſeptimo. Peccatum etiam non modò aufert hominibus lumen gloriæ, & cœleſtis beatitudinis conſortium, ſed abjicit prætereà in tenebras gehennæ exteriores, ubi in mediis ignibus eos cruciabit terrifico ſpectrorum & larvarum, quas objicient eis cacodæmones, aſpectu aliiſque innumeris pœnis. Ibi per circumfuſum ignem videbunt quidem ea, quæ ad cruciatus eorum augendos faciunt, quoad cætera verò in perpetuis erunt tenebris. Unde infernus appellatu[r] *terra miſeriæ & tenebrarum,* Job cap. decimo, verſ[u] vigeſimo ſecundo. *Miſeria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem,* ait ſanctus Gregorius libro non[o] moral. cap. 46. *quia foris dolor cruciat, quos diverſo[s] vero lumine intus cæcitas obumbrat.* Appellatur & *umbra mortis* eodem loco; tum ob perpetuos timore[s] quales habent, qui umbras timent. Unde ibide[m] Gregorius: *Infernum & umbra mortis obſcurat e[t] ſempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus tradi[ti] & in ſuppliciis dolorem ſentiunt, & in doloris anguſti[is] pulſante ſemper pavore feriuntur, ut & quod timen[t] tolerent: & rurſus quod tolerant, ſine ceſſatione pert[i]meſcant.*

Quæ cùm ita ſint, quis jam non dico adamar[e] ſed non horrere ſuper omnia horribilia poſſit ten[e]bras peccatorum, quæ in tot tantaque mala hom[i]nem conjiciunt? quid enim his miſeriis comp[a]rari queat? Cogitemus vel hanc, qua interdiu fru[i]mur, lucem, & quas noctu patimur tenebras. Qu[id] uſura lucis jucundius & amœnius? quid den[ſis] noctis tenebris mœſtius ac moleſtius? Quid er[go] lux cœleſtis? quid tenebræ infernales? Ac pr[o]pterea conſtituit Deus nos in terra inter cœlum [&] infernum: ait auctor imperf. homilia 34. in Matt[h.] *ut ſuper terram habitent certantes, in inferno vict[i,] in cœlo victores, ut & nos in medio conſtituti, contenda[]mus ad eos aſcendere, qui ſunt in cœlo. Et ne fortè n[e]ſcias, quid debeas fugere, aut quid debeas ſequi, utriu[m]que dedit tibi quaſi modicum guſtum inter lumen & tenebras habitanti. Noctem de inferno, lumen de cœlo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, & lux tibi referat de ſplendore cœleſti.*

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

THEMATA.

I. Septem dona Spiritus ſancti à Chriſto edocta.
II. Cur in forma linguæ Spiritus ſanctus apparuerit.
III. Quàm neceſſarius fuerit mundus adventus Spiritus ſancti.
IV. Lex Evangelica quàm ſit ſalutaris, & quomodo ſervanda.
V. Qui non intrent per oſtium ad honores.

THEMA I.

Septem dona Spiritus ſancti à Chriſto edocta.

I. *Donum timoris, in apparitione facta SS. mulieribus.*

II. *Donum pietatis in apparitione facta Petro.*
III. *Donum scientiæ in apparitione facta duobus pergentibus in Emmaus.*
IV. *Donum fortitudinis in apparitione facta januis clausis.*
V. *Donum consilii in apparitione facta piscantibus.*
VI. *Donum intellectus, quando aperuit eis scripturas.*
VII. *Donum sapientiæ in apparitione ultima & ascensione.*

Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant. Joan. 10.

Vitam nobis daturus venit in hunc mundum Christus DEI Filius, uti audimus in hodierno Evangelio. Qualem porrò vitam? Non sanè hanc naturalem, quam accepimus à DEO in prima creatione, sed vitam supernaturalem, qua vivit anima nostra secundum DEUM, vivit vita gratiæ, victura aliquando vita gloriæ. Quænam igitur hæc vita, quam promittit Dominus in hoc Evangelio? Ad hoc respondet Thophylactus in hunc locum: *Ego veni ut vitam habeant, sancti Spiritus communionem.* Hic enim Spiritus sanctus non quidem formaliter, sed effectivè est causa vitæ spiritualis, qua vivimus in Dei gratia. Quare sicut Deus in prima creatione hominis inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, hoc est, animam rationalem, simulque vegetativam & sensitivam, ex qua oritur vita: ita Christus Dominus una cum Patre in faciem Ecclesiæ die Pentecostes congregatæ inspiravit Spiritum Sanctum, per quem secundum gratiam viveret in Deo, ad consequendam vitam æternam. Magnum igitur est hoc donum vitæ spiritualis & supernaturalis, tantoque majus vita corporali & naturali, quanto corpus superatur à spiritu, terra à cœlo, tempus ab æternitate. Porrò hanc vitam Ecclesiæ non quomodocunque sed abundantius & copiosè dedit, non uno instructam dono, sed septemplici, quo teste Isaia cap. 11. repletus fuit ipse Christus Dominus, qui in suam Ecclesiam totum suum effudit Spiritum. Porrò ut sciremus hæc dona à Salvatore nostro nobis & impetrata & collata esse, voluit ea sigillatim in septem apparitionibus post resurrectionem suam (uti observavit S. Bernardus serm. 3. in Resurrect. Domini) prælusione quadam, non solum ostendere, sed etiam exhibere, quæ nunc paulò fusius expendemus.

I. *In prima*, inquit Sanctus Bernardus, *Spiritum timoris accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit Angelus de cœlo & terra motus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab Angelo consolari.* Invadunt sæpe hominem tentationes vanæ, superbæ, ambitiosæ & præsumptuosæ, ne discrimina sibi occurrentia aut imminentia prævideat, caveat & prævertat; unde incautus sæpe labitur ex nimia sui æstimatione aut præfidentia. Typum talis hominis gessere sanctæ illæ mulieres, quæ pia quidem intentione summo mane exeunt ad Christi sepulchrum, quasi alios, etiam Apostolos prævertere cupientes: interim tamen non cogitant gravem lapidis molem, cui removendo impares habebant vires: non considerant armatos sepulchri custodes, à quibus deprehensæ facilè necari poterant, velut Christi sectatrices. Quid igitur hic Dominus? Immittit eis *spiritum timoris*, ingerendo grave pondus lapidis, excitando terræ motum, proponendo eis Angelum, fulgureo aspectu eas terrentem. Ita enim Lucas ait. cap. 24. *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vultum in terram, &c.* Docuit ergo hic Dominus, quam indigeamus spiritu timoris, ne nimium præfisi in pericula nos ingeramus, nisi Dei gratia nixi. Quam multi enim præsumunt de se multa! Ambiunt atque adeunt dignitates & honores, nec cogitant de grandi lapide, qui eis incumbit, de reddenda functionis ratione. Quam multi putant se fortes esse contra Dæmones, qui cum ad rem venitur, terrentur aspectu boni Angeli? Quam multi se jam cœlo adhærere credunt, qui tamen in tribulatione, nec unum terræ motum sustinent? Bonus ille Elisæus magnam in suo baculo habuit confidentiam, quando eum dedit servo suo, ponendum super defunctum Sunamitidis filium, quasi ejus contactu mox surrecturus esset puer. Sed non surrexit puer, & vidit se deceptum Elisæus, quia eam spem non habuit injectam sibi à Spiritu sancto sed ab humana cogitatione, quæ interdum plura sibi promittit, quam concedit Deus. Id quod maximè expediit Elisæo, ne altius saperet de se quam oportere. Itaque cautior factus, cum timore Domini & melius rem aggreditur. Ascendit enim cœnaculum, & clausit super se ostium, præmisit orationem, (quod antea non fecerat) & suomet corpore tangit corpus exanime magna sui arctatione & molestia; neque tamen illico puer revixit, sed lente admodum: prius oscitavit septies, deinde oculos aperuit, denique surrexit, 4. Reg. 4. Impegit in hunc magnum lapidem graviter quidam Musicus, Carthusianorum Ordinem ingressus, qui initio, ut scribit Dionysius Carthusianus in exhort. ad Novit. *videbatur ferventissimus esse, quippe qui suis viribus confidebat: sicut Gigas ille, quem David arguit sua virtute fidentem. Cumque fratres constantiam ipsius mirarentur, & eum coram de suo fervore laudarent, interrogarentque anne illi esset Dæmon infestus, qui illi exitum persuaderet, respondit ille: Nec Diabolum (ait) nec matrem ejus curo, usque adeo mihi animus in perseverantia est robustus, ut ante arborem illam (quercum demonstrans) possetis manibus evellere, quam animum meum posset Diabolus à sancto proposito detorquere. Sed nunquam profuerunt verba ventosa. Semper enim alta cadunt, inflata:*

flata crepant, tumefacta premuntur. Nam paulò post venit illum invisere unus ex amicis cantoribus, qui modica sua suasione adhibita facillimè illum retraxit ad sæculum. Non avulsus nec vim aliquam passus, sed tenuissimo tentationis vento afflatus loco cessit, & pristinæ se musicæ vanitati restituit. Adhuc stat arbor illa, quam illa monstrarat, tot agitata turbinibus, tot nimbis interea fatigata; ille autem vel levissimo flatu à fundamento revulsus & expulsus est; quia propter superbiam pede motus stare non potuit.

II. *Donum pietatis in apparitione facta Petro.*

II. *In spiritu pietatis apparuit Simoni, quia magna omnino & verè Domino IESV digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter & ante cæteros dignatus est apparere, quam præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat: ut ubi abundavit delictum; superabundaret & gratia*, ait S. Bernardus ibid. Communis PP. sententia est, Petro nominatim annunciatam fuisse Christi resurrectionem, ne ob lapsum suum à discipulis cæteris se velut indignum eorum consortio & Christi discipulatu separaret, ideoque in desperarionem incideret. Itaque Dominus non injuriæ acceptæ memor, sed infirmitatis humanæ in discipulo suo conscius prævenit eum erigere & singulari quodam favore corroborare in spe remissionis peccati, seu jam obtentæ, seu mox obtinendæ. Neque hoc solum, sed eidem etiam præ cæteris discipulis speciatim apparuit, ut constat ex cap. 24. Lucæ; quo nimirum lapsum & luctantem cum desperatione ocyus adjuvaret. Et videte comitatem atque humanitatem Domini: non repente ipsi apparet, sed prius nuncio illo & signo benevolentiæ suæ disponit ad resumendum animum & spem recuperatæ Christi gratiæ: ne alioquin perterritus contremisceret. Ecce tibi Patrem filii prodigi, pœnitenti & revertenti de procul occurrentem, atque, ut probabile videtur, in collum ejus ruentem & osculum infigentem, adeoque plus favoris quam alteri filio, cæteris, inquam, Apostolis non lapsis, exhibentem. Quis peccator non excitetur ad resipiscentiam, cum videt tanto amore recipi perduellem discipulum? Quid non expectare possunt à Deo justi? si hæc exhibita sunt peccatori? Figuram hujus facti habemus in Jacob Patriarcha, qui Josepho filio dedit partem unam extra fratres ejus; quia nimirum perierat, & inventus est; mortuus erat & revixit. Gen. 48. Durum est hoc hominibus & admodum difficile, offensas citò remittere, & eos, qui offenderunt, in gratiam recipere. Multi se hic torquent, versant & revertant, quidvis aliud facturi potius quam injuriam oblivisci, dissimulant quidem ad tempus, sed data occasione iterum prorumpunt ad vindictam: atque ut curatum sit vulnus, manet tamen cicatrix & memoria. Magno igitur Dei auxilio ad hoc indigemus; quod porrexit nobis Christus dono Spiritus sancti nobis missi; docuitque stupendo illo suo exemplo, quo post suam resurrectionem, ne mentionem quidem fecit unquam de lapsu Petri; quasi is nunquam contigisset. Præstitit hoc etiam ante legem Evangelicam mitissimus Rex David, cum eos qui de tribu sua contra ipsum rebellarant & Absaloni adhæserant, metuentes offensum sibi Regem, ad gratiam suam invitavit, nuntians illis: *Fratres mei vos, os meum & caro mea vos, quare novissimi reducitis Regem?* 2. Reg. 19. Ubi Liranus: *Ex hoc, quod erant de tribu Iuda, verecundabantur apparere in conspectu ejus: & ideo David hoc advertens mandavit ut venirent securè, quia paratus erat remittere.* Ducem porrò illorum rebellium, Amasam, peculiari benevolentiæ suæ signo exhilarat sibique reconciliar, addens: *Et Amasæ dicite: Nonne os meum & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* In quo viro præfiguratum deprehendit Petrum Liranus: *Iste, inquit, inter omnes plus peccaverat contra David, quia fuit Princeps exercitus Absalon, cum tamen esset nepos David; & ideo ipsum specialiter nominavit: sicut & Christus post resurrectionem suam, per Angelum expressit specialiter Petrum: Dicite, inquit, discipulis ejus & Petro.* Marci 16. *quia propter Christi negationem non fuisset ausus inter Christi discipulos comparere, nisi fuisset specialiter nominatus.* Adde etiam paulò post declaratum esse pastorem totius Ecclesiæ & Apostolorum Principem. Cæterum in V. T. pauca tantæ virtutis habemus exempla, in novo verò post missionem Spiritus sancti quamplurima, ex dono scilicet ejus, quod *pietatis* appellatur. Unicum hic dulcedine plenum audiamus de S. Romualdo ex B. Petro Damiano vitæ illius scriptore. *Solemni quadam die dum Vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo resideret & eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repente ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam animadversione exclamare cœpit & dicere: Agite nunc, inquit agite & quantocyus properate, quia jam fratris Gregorii cellam fur frangit (hic autem Gregorius Archiepiscopus in Gentibus postmodum consecratus est) qui protinus exilientes ad cellam perniciter currunt & furem jam parietes infringentem inveniunt: Quem capientes ad Magistrum pertrahunt, & quid de tam sacrilego raptore faciendum esset inquirunt. Quibus vir sanctus cœpit hilariter dicere; Et ego, fratres ignoro, quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus sibi oculos? sed postea non videbit. Incidimus ei manum? sed amplius non laborabit, ac per hoc forsitan fame peribit. Si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intro eum minate & cibum illi prius apponite, ut quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Et ita vir sanctus exultans in Domino, postquam cibari latronem fecit, deinde modestè correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permisit.*

III. *In spiritu scientiæ duobus pergentibus in Emmaus, scripturas exposuit, incipiens à Moyse & Prophetis;* inquit Bernardus in loco cit. Inter tentationes, quæ possunt nos prosternere, est etiam ignorantia, deceptio, oblivio, inadvertentia, quibus profligandis necessarium est donum scientiæ, quo

satana

anæ astutias, mundi imposturas, vanas persuasio-; & carnis deceptiones agnoscere possimus, sug-:eus nobis veritates idoneas ad eas superandas. s ergo aperuit Christus duobus illis pergentibus Emmaus, qui magna sanè cæcitate tenebantur, eò ut à Domino audirent: *O stulti & tardi corde!* oquuntur enim inprimis quasi Christum Deum n agnoscerent: *Prophetam magnum fatentur*, init Beda, *filium Dei tacent, vel nondum perfectò dentes, vel soliciti ne inciderent in manus Judæo-m persequentium, quia nesciebant quis esset, cum o loquebantur, &c.* Deinde nesciebant quale risti regnum futurum esset, expectantes tempo-e, sed aureum, quale erat sub Davide & Salo-one. Adhæc fidem non adhibebant mulierum & ngelorum testimonio de resuscitato Domino. Ni-uum quantum igitur indigebant dono scientiæ, uod in via contulit eis Dominus, aperiendo scri-uras & corrigendo eorum errores, denique se sis manifestando in fractione panis. Tunc agno-runt eum, & inprimis seipsos redarguerunt, di-entes: *Quare eum non tenebamus? quare vel ad des ejus non corruimus? quare nobis ipsis & cordi-us nostris non credidimus? Ubi eum quæremus? ubi um inveniemus?* uti in eum locum piè discurrit usebius Emissenus. Hunc in modum cùm scien-æ dono illustramur, tunc reprehendimus errores ostros & deprehendimus nos ipsos dicendo: Heu e cæcitatem meam! ubi fui? quid feci? quomodo deò desipere potui? Sic egisse Davidem legimus, ostquam ex vana quadam curiositate numerari ussit populum suum. Cùm enim necdum expleta umeratione ira Dei irruisset in Israel,) 1. Paral. 27. ers. 24.) deprehendit hoc monitore statim errorem uum, & percussus à corde suo cœpit resipiscere, va-itatem suam agnoscere & culpam deprecari: *Pecca-i valde in hoc facto, sed precor Domine, ut trans-feras iniquitatem servi tui, quia stultè nimis egi,* 2. Regum 24. Deinde illi duo discipuli sic illumi-nati accelerato gressu reversi sunt Jerusalem, ut lætissimum hoc nuncium annunciarent, & doctri-nam quam à Domino perceperunt, etiam sociis communicarent. Ad hoc enim confertur donum scientiæ hominibus, ut non sibi tantùm, sed & aliis lucem scientiæ præferant. Porrò hujusmodi viros quamplurimos habuit & habet etiamnum Ecclesia, uti sanctum Antonium, qui cùm litteras non didicis-set, ingeniosissimus tamen & prudentissimus erat, ita ut philosophos ad se venientes in eremum erudi-re posset: Sanctus Ephrem qui in visu accepit ab An-gelo librum cum eoque cœlestem sapientiam & fa-cundiam, nec non precibus sancti Basilii linguæ Græ-cæ cognitionem. Sanctum Equitium Abb. qui phle-botomo in lingua tactus ab Angelo, gratiam prædi-candi & fervorem unà cum præcepto accepit. San-ctum Ambrosium, qui igne cœlitùs misso in capite coopertus intelligentiam psalmorum: Sanctum Tho-mam Aquinatem qui explicationem difficilimorum Sacræ Scripturæ locorum: sanctum Bernardum, qui fatetur se à fagis & quercubus eruditum: sanctum Ignatium P. N. qui literarum adhuc ignarus Mino-ressæ orans tanta Sanctissimæ Trinitatis perspicacia illustratus est, ut non dubitarit de ea librum scri-bere.

IV. *In Spiritu fortitudinis januis clausis intravit ostendens manus & latus, sicut solent in signum vir-tutis clypeorum foramina demonstrari*, inquit ibidem sanctus Bernardus. Succumbimus non raro ex im-becillitate, quando aut lethale peccatum gravi ten-tatione suadetur admittendum, aut necessitas im-pendet perdendi fortunas, honorem, vitam, aliud-que grave subeundi incommodum. Hic certè vir es-se debet, qui Deo inoffenso eluctari, & perdere potiùs omnia, quàm ipsum Deum vult. Opus hîc igitur dono fortitudinis desuper collato, cùm hu-manæ vires ad hoc non sufficiant. Indigebant vehe-menter hoc dono discipuli Domini eo tempore, du-plici ex causa: primò, quia erant ibi inclusi & ab-sconditi propter metum Judæorum, ut ait Joannes capite vigesimo, *quia timebant*, inquit Haymo in eum locum, *ne sicut interfecerunt Magistrum suum Dominum* JESUM CHRISTUM *vocibus suis, ita inter-ficerent eos*. Secundo, quia viso Christo in medio sui *conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre*, Lucæ vigesimo quarto. Christus igitur spiritu fortitudinis suæ occurrit utrique timori, priori quan-do clausis intravit januis, discipulis quasi inadver-tentibus, donec eum amicabili specie cernerent intra se. Ita Euthymius in eum locum: *Januas*, inquit, *non pulsavit, ne turbarentur, sed clausis illis introivit tan-quam Deus, &c.* Multò magis turbati fuissent, si clavi aut vi adhibita aperuisset vel perrupisset fores. Ita-que hoc pacto primum obicem removit. Sed adhuc terrentur, existimantes se spiritum videre. Statim etiam occurrit huic terrori, dum imprimis consue-ta salutatione eos alloquitur. *Verbi ante passionem ad eos habiti meminit: Pacem relinquo vobis, &c.* in-quit sanctus Chrysostomus in eum locum. Facie igi-tur mansueta & voce familiari, aliisque additis ar-gumentis, timorem istum sustulit; uti voce illa: *Ego sum, nolite timere, &c.* Timemus etiam nos sæpissime vitæ & fortunis nostris; ne dum secta-mur pietatem. Dei cultum & religionem, perdamus temporalia: timemus subinde nobis ab ipsomet Deo, velut ab austero & formidabili exactore & difficili largitore, quo modo servus ille piger, qui dixit: *Scio quia homo austerus es, &c.* Lucæ decimo nono. Verum contra hæc Christus dono Spiritus sancti, quod est fortitudo, munit nos imprimis, dum præsentiam & assistentiam suam nobis promittit, di-cens: *Ego sum, nolite timere.* Quid timetis me præsente? *Ego sum, quem mors fugit, inferna tre-muerunt, tartarus Deum confessus est*, inquit Beatus Petrus Chrysologus sermone in illud Evang. sermo-ne tertio Pasch. Certè Job cap. decimo septimo ait: *Pone me juxta te & cujusvis manus pugnet contra me.*

IV. Donū fortitudinis in appari-tione factâ januis clausis.

Et David Ps.22. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hoc dono armatus Sanctus Carolus Borromæus Cardin. cum reformaturus Congregationem quandam moneretur à suis, ne eam adiret, insidias enim & necem ibi ei parari, plenus fortitudine respondit: *Ergone Deus in mundo est pro nihilo? Imo vero ibo, Deus cujus causam ago, tutabitur me: quod si nolit, lubens pro eo occumbam.* Quocirca hoc fiduciæ suæ præmium tulit, ut ibidem glans ferrea è sclopo in eum emissa vestem quidem ejus penetrarit, sed ad cutem hæserit, nulla Sancti læsione, ut in ejus vita. Deinde armat nos consideratione bonitatis & clementiæ suæ; ait enim: *pax vobis, nolite timore*, q.d. nihil in me formidabile. Videte latus & manus meas amore vestri perforatas. Denique si me habeatis vobis benevolum, quid vobis à Judæis metuitis? nonne mecum omnia habetis? nonne melior vobis sum quam si totum mundum habeatis?

V. *Donum consilii in apparitione facta piscantibus.*

V. *In spiritu consilii frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit*, ait Bernardus. Erramus sæpissimè ex præcipitantia nostrarum resolutionum defectu consilii, posthabitis sanioribus eligimus deteriora, & quandoque insana prorsus consilia, adeoque mittimus rete in sinistram partem, cum ad dextram esset mittendum. Succurrit huic miseriæ Dominus dono Spiritus sancti quod *Consilium* vocatur? inspirans singulari providentia media idonea ad vincendam indiscretionem & præcipitantiam illam. Caruit hoc dono & ad sinistram navigii misit rete Samson, quando reposuit caput suum in sinum mulieris ad capiendum somnum, toties ab ea licet deceptus Judic.16. Sic enim amore ejus cæcatus & ligatus, proditus est hostibus. Pollebat econtrà Joseph, quando solicitatus à domina sua & per vestem apprehensus, relicta in ejus manu tunica fugit. Gen. 39. Poterat robustus adolescens luctando superare mulierem; sed fugere, etiam relicta veste, maluit, edoctus dono consilii longe securius esse in certamine castitatis fugere quam resistere, & vestes perdere quam pudicitiam; uti Sanctus Ambrosius l. de Joseph c. 5. ait: *Nec pluris fecit vestimenta corporis, quam animi castimoniam. Reliquit tanquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat: & aliena judicavit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi.* Rursum vestem reliquit, ne tangere cogeretur mulierem, eruditus eodem Spiritus Sancti dono, tactum mulieris viro venenosum esse, uti observavit Sanctus Hieronymus lib.1. advers. Jovinian. *Quomodo, inquit, qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus & fœminæ sentit naturam suam & diversitatem sexus intelligit. Unde Ioseph quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex manibus ejus, & quasi ad morsum rabidæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat, abjecit.* In sinistram navigii mittunt retia, qui in consiliis & actionibus sequuntur passiones suas: ad dextram verò qui intentionem. Unde S. Petrus Chrysologus in serm. supe illud Evang. *Revocat ad dextram*, inquit, *quo turbo passionis egerat & redegerat ad sinistram.* Mittunt ad sinistram rete, qui consilia petunt à rudibus & malis hominibus: uti Roboam à juvenibus perversis: in dextram, qui ab expertis, bonis & sapientibus. Mittunt ad sinistram, qui pravam & sinistram in agendo intentionem habent: in dextram, qui bonam & sanctam. Unde Eusebius Emissenus in eum locum: *In dextra piscari est veram & Catholicam doctrinam syncero affectu & mundo corde prædicare.* Illi nihil capiunt, qui sinistra piscantur intentione: plurimum qui recta.

VI. *In spiritu intellectus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*, ait Bernardus cit. Tentationes quædam prodeunt ex ruditate & obscuritate intellectus nostri in rebus fidei: unde nascuntur dubia, perplexitates, nebulæ, diffidentiæ, languor ad credendum, qualis erat in duobus euntibus in Emmaus, quibus ait Dominus: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ scripta sunt, &c.* Quare aperuit illis sensum, & explanavit Scripturas, quæ de ipso aliquid prædixerant; quia talibus necessarium est donum intellectus & declaratio scripturarum ac dubiorum resolutio. Qui hoc dono præditi sunt, consulunt in suis actionibus SS. scripturæ oracula, ut cum illis conveniant; quod si ea non intelligant, consulunt doctores, adeunt sedulo & cum gustu conciones: non ægrè ferunt, sed libenter admittunt reprehensiones velut discipuli censuras præceptorum; & duo illi tardi corde increpationem Domini. Atque hi similes sunt Jacob, filio morigero, qui monita matris suæ Rebeccæ omnia libenter admisit & secutus est, ut patet in præripienda patris benedictione, & suscepta peregrinatione in Haran ad instantiam matris, denique in accipiendis uxoribus ex ejusdem desiderio & voto. Genesis 27. Qui hoc dono carent similes Esau fratri Jacobi, barbaro & immorigero, qui contra votum & voluntatem parentum duxit uxores alienigenas; quæ offenderant ejus parentes. Gen. 26.

VII. *In spiritu sapientiæ die quadragesimo apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est, & viderunt filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes: postquam verò coram eis ascendit ad patrem, jam cœpit sapientia declarari:* ait Bernardus cit. Exurgit nobis sæpius tædium rerum supernarum & vilipensio spiritualium ac cœlestium, eo quod immersi carni, sensuales potius appetamus delicias; quo modo filii Israel nauseam conceperunt ex quotidiano manna, cum dixerunt: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo: recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cepæ & allia, &c.* Contra hoc tædium armat nos Dominus dono Spiritus Sancti quod voca-

vocatur ſapientiæ, & ſpretis hic terrenis elevat nòs ad amorem rerum cœleſtium, ut jam nihil deſideremus in terris, ſed ad cœleſtia aſpiremus. Impreſſit hoc donum Dominus valde potenter ſuis, quando in eorum conſpectu aſcendens in cœlum traxit quodammodo ſecum mentes eorum, ita ut oculis suis cœlo affixi & ſuſpenſi hærerent, nec jam viderent aut curarent, quæ in terris agebantur; ſiquidem nec Angelos ſibi adſtantes obſervarunt, donec eorum alloquio ad ſe reducerentur, quaſi in ecſtaſi prius fuiſſent conſtituti. Dono igitur ſapientiæ ſæpe excitamur & adjuvamur, ut noſtras omnes actiones & intentiones ad cœlum dirigamus. Laborarunt ea in re diſcipuli illi, qui jam jam aſcenſuro Domino interrogarunt eum: *Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* temporale ſcilicet, quale erat ſub Salomone & adhuc magnificentia majori. Sed ad hanc quæſtionem quid reſpondet Dominus? Non reſpondet directè, ſed ablegat ad Spiritus ſancti miſſionem, qui eos in hac re docturus ſit; interim paulatim incipit elevari à terra & cœlum petere, ut hoc facto ſatisfaciat eorum quæſtioni, dicens quodammodo: Videte quale & ubi ſit regnum Iſrael, quod quæritis reſtitui: in cœlo eſt, quo ego vado? non in terra, ubi vos hæretis. *Quemadmodum* (inquit in eum locum ſanctus Chryſoſtomus homilia ſecunda in Acta) *cùm videmus infantem plorantem ſemperque cupientem aliquid à nobis accipere, quò nil illi eſt, pus cum occultato potiùs quod concupiſcit, oſtendimus illi manus vacuas, dicentes: Ecce non habemus. Itidem & ille fecit Apoſtolis. Sed quemadmodum puer ille, ſi poſteà nihil oſtendamus inſtat plorando, videns ſe eſſe deluſum, deinde eo relicto diſcedimus, dicentes, vocat me talis, & aliud quiddam ejus loco quod concupiſcebat damnus, volentes illum avocare ab eo quod maluiſſet accipere, extollentesque illud quod in alterius locum damus, eo dato repentè ſubducimus nos: Itidem fecit & Chriſtus, &c.* Quia ergo velut infantes erant incapaces tantæ reſponſionis, remiſit eos ad Spiritum ſanctum docturum eos omnia: interim tamen ſua aſcenſione reſolvit quæſtionem, & quæ ſurſum ſunt, ſapere docet, non quæ ſuper terram; quod & nobis largiatur Deus.

THEMA II.

Cur in forma linguæ Spiritus ſanctus apparuerit.

I. *Ad Spiritus ſancti proprietatem repræſentandam,*
II. *Ad indicandum donum linguarum.*
III. *Ad arguendos infideles, & Iudæos, & Chriſtianos malos.*
IV. *Ad reformandam linguam noſtram.*

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ. Actor. 2.

AUdivimus his diebus qua pompa & ſpecie venerit Spiritus ſanctus nimirum cum vento vehementi & cum igne, nondum tamen audivimus, quare in ſpecie linguarum ſe diſpertierit Chriſtianis. Hoc ergo nunc videndum.

I. Ad proprietatem Spiritus ſancti repræſentandam. Intellectus verbum mentis formans, eſt quaſi Pater: Verbum mentis Filius: Lingua ſeu vox linguæ quaſi Spiritus ſanctus ab utroque prodiens. Rurſum Pater eſt quaſi cor, Filius quaſi guttur, Spiritus ſanctus quaſi lingua, ab utroque procedens. Tria illa membra connexa ſunt, quemadmodum & tres divinæ Perſonæ in Deo. Pater eſt quaſi fons, unde emanat aqua: Filius eſt quaſi canalis: Spiritus ſanctus quaſi fontana, dividens aquas & quaquaverſum per tubos effundens. *I. Ad Sp. S. proprietatem repræſentandā.*

II. Ad indicandum donum linguarum, Apoſtolis & primis Chriſtianis conferendum, cujus beneficio primitiva Eccleſia ex variis nationibus coaleſceret. Hoc indicat Lucas cum ait: *Cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Promiſit hoc idem Chriſtus diſcipulis Matthæi decimo. *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Ubi non ſolum lingua ſed etiam ſapientia à Spiritu eis inſtillanda promittitur. Linguæ porrò illæ ignitæ erant, *ut verbis igneis loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicant*, ait ſanctus Bernardus ſermone primo in Pentecoſte. Erat autem donum illud linguarum duplex eis infuſum, ut ſcilicet omnibus linguis loqui poſſent, & ut una loquentes à pluribus diverſarum linguarum nationibus intelligerentur, quo modo ſanctus Vincentius Ferrerius dum Hiſpanicè concionaretur, ab Italis, Gallis, Flandris & Anglis intelligebatur: & ſanctus Xaverius, qui duodecim diverſa interrogantibus una reſponſione ſatisfecit. *II. Ad indicandum donū linguarum.*

Datum verò eſt eis hoc donum 1. ut orbem univerſum peragrantes, Evangelium omnibus nationibus annunciare poſſent; quod facere non potuiſſent, ſi earum linguas proprio ſtudio diſcere debuiſſent. Modo verò cum in omnibus nationibus ſufficientes ſint omnium linguarum prædicatores, neceſſarium id non eſt. Subinde tamen etiam poſterioribus ſæculis, quando ſalus proximi aut gloria Dei id exigebat, conceſſum fuit hoc donum, ut dixi de ſancto Vincentio & Xaverio. Teſtatur etiam ſanctus Irenæus libro 5. capite 6. audiſſe ſe multos univerſis linguis loquentes. Sanctum Bernardinum in Conc. Florentino Græci, Sanctum Antonium Ulyſſipon. coram Pontifice Italicè prædicantem variæ nationes intellexerunt. S. Ephrem Syrus cum ſanctum Baſilium inviſiſſet & lingua ignea Græcè concionantem audiſſet, petiit impetrari ſibi ab eo gratiam intelligendi & loquendi Græcam linguam. Orarunt ergo ſimul: & poſt Baſilius: *Iube nos ſurgere*, ait. Tum Ephremi lingua ſoluta, hæc protulit prima

verba: Σῶσον ἐλέησον ἀνάστησον καὶ διαφύλαξον ἡμᾶς τῇ χάριτι. *Salva, miserere, resuscita & custodi nos tua gratia.* Amphilochius tomus primus operum Ephrem. Sancta Ludgardis virgo Monialis Teutonica consolat. rimulierem afflictam Gallicanam, germanicè loquebatur, & tamen ab afflicta illa, quasi Gallicè loqueretur, perfectissimè intellecta fuit. Ita enim desolata illa post colloquium ad cæteras Moniales protestatur: *Cur dixistis hanc sanctissimam fœminam esse Teutonicam, quam ego prorsus Gallicam cognovi? Neque est sub cœlo ulla alia, quæ me verbis suis ad spem veniæ reducere potuisset.* Ita Thomas Cantipratensis in ejus vita apud Surium 16. Junii.

2. 2. Ut per miraculum gentes ad fidem attraherentur; uti factum post Apostolos aliosque per sanctum Xaverium, quem cum concionantem diversæ nationes sua lingua expeditè loquentem audissent: id pro maximo miraculo ab iis habitum non solum auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit, uti fatetur Cardinalis de Monte in relatione de eo facta in Consistorio coram Greg 15.

3. 3. Ut mundus intelligeret omnes nationes in una fide colligandas esse, adeoque fidem unam eandemque per omnes nationes propagandam. Contraria est Ecclesia turri Babel, quæ est hæresis; per hanc enim dividuntur homines à se invicem, in varias sectas, ut alter alterum non intelligat, veluti structores turris Babel. At in Ecclesia Christi variæ nationes congregantur ut se invicem omnes intelligant. Quære ex Indo, Mexicano, Anglo, Germano, Catholicis, quæ sint fidei dogmata, quot sint sacramenta &c. omnes idem respondebunt. Non sic hæretici, quia inter se divisi.

III. III. Ad arguendos infideles, Judæos & Christianos malos atque ingratos; juxta prædictionem Christi: *Cùm venerit ille,* (Spiritus sanctus) *arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio.* De peccato arguit infideles, quia non crediderunt in eum, cùm tamen audissent Apostolos loquentes variis linguis, quas non didicerant, facientes prodigia, evertentes Idola, sanctissimas leges tradentes, sanctissimè viventes, totum orbem convertentes.

Ad arguẽdos infideles & Iudæos & Christianos malos.

1. *Infideles de peccato.*

2. *Iudæos de justitia.* De justitia Judæos; quia *Iustum;* Dei filium occiderunt, quia in sepulchro non repererunt, quia custodes narraverunt. Hinc toties pungit eos per Petrum in prima ejus concione: *Per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et, *Dominum eum & Christum fecit Deus, quem vos crucifixistis.* Actorum 2. Iterum: *Deus glorificavit filium suum Iesum, quem vos tradidistis & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.* Actorum 3. Posteà totum Concilium & Principes: *Quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis.* Actorum 4. Pungit per sanctum Stephanum eis exprobrantem: *Cujus* (*Iusti*) *vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Actorum 7. Quibus auditis alii compuncti sunt ad pœnitentiam, ali ad cruciatum & confusionem. Et jure quidem: pu pugerunt enim & ipsi Christum lingua, cum clama runt: *Crucifige.* Arguit eos cum per Titum inclu sit, occidit, cepit, dispersit, è terra sua ejecit. Ar guit etiamnum, dum tot sæculis dispersos sub ju gum Christianorum aliarumque gentium misit, pre mit, & velut testas figuli confractas calcat earur pedibus, &c. Unde usque in hodiernum appellantur Christianis Deicidæ, subsannantur & exterminar tur.

De judicio arguit Christianos malos, quia cu Dæmon jam judicatur, victus & enervatus, tamq facilis, trita ac plana in cœlum via facta sit, à Martyribus, Confessoribus, Virginibus superat adhuc tamen ab ea deflectunt; quos proinde jud cium longè gravius manet, quam Judæos v Gentiles. Quemadmodum enim Bethlamitæ, qu mera libidine & curiositate sine reverentia arca fœderis inspexerunt, subita morte plexi sunt: Ph listhæi verò qui non solùm inspexerunt, sed etia attrectarunt, dum captivam abduxerunt, nulla ex eo pœnam incurrerunt. 1. Regum 5. & 6. qu nimirum illis velut Judæis perspecta erat Arc majestas: his verò minimè, velut Gentilibus: i & Christiani habent cur magis timeant Dei erg se vindictam, quam cæteri qui non nôrunt Chr stum.

IV. Ad reformandam linguam nostram. Ve nit enim velut recreator & renovator mundi, juxt id Psalm. 103. *Emittes Spiritum tuum & creabuntu & renovabis faciem terræ.* Si quid verò indigeb reformatione, lingua indigebat; quia eam *nullu hominum domare potest*, eademque hominem fac inquinatissimum, si perversa est: ostendit virun perfectum, si castigata est, teste sancto Jacobo capit tertio. Ergo Spiritus sanctus 1. ostendit nobis lin guam igneam, quæ nimirum ignitur in S. commu nione fitque regius Christi equus, juxta id Chrysosto mi homilia 52. in Matth. *Magis quàm pupillam ocul linguam tuam custodias. Regius quidam equus est lin gua nostra. Si ergo ei frænum immiseris & doctrina tu gradarium feceris, ascendet in eum Rex & quiescet in eo: Si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem permiseris, Diaboli eam vehiculum fecisti.* Sic ille.

2. Ostendit linguam perversam futuram aliquando igneam in gehenna, qualis facta est Epulonis; quæ, ut vult sanctus Gregorius homilia quadragesima, ideò præ aliis membris punitur, quòd in conviviis ut fieri solet, vaniloquiis & detractionibus, &c. vacarit. Cogita & alios ob linguæ intemperantiam fuisse punitos. E multis vide unum. Nobilis quidam Prussiæ patibularios, qui Leunenburgensi Prussiæ in furca pendebant, ex petulantia & in animi levitate ad mensam transiens invitavit. Illi ad dictum diem manè hora nona comparuerunt cum catenis suis, & mensæ assederunt. Finito convivio (in quo epulæ disparuerunt) gratias egerunt nobili,

eum-

rumque vicissim invitarunt ad patibulum suum post quartum mensem. Nobilis diligenter sibi cavit, extremoque die dicti termini expatiatur equo: itaque deprehenditur à lictoribus, qui prædones (quorum tunc magnus ibi numerus erat) pervestigabant, & pro prædone habitus in illud idem patibulum suspenditur. Refert Gasparus Hennenberger in Chronico Pruss. Bene igitur Ecclesiasticus capite septimo monet; *Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat & exaltat, circumspector Deus.*

THEMA III.

Quam necessarius, fuerit mundo adventus Spiritus sancti.

I. *Vt ad bene agendum & cœlestia quærenda nos impelleret.*
II. *Vt mundum renovaret.*
III. *Vt invictos redderet contra persecutores,*
IV. *Vt Ecclesiam perficeret.*
V. *Vt esset pater & consolator pauperum.*

Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant. Joan. 10.

Sive mundi hujus creationem, sive Ecclesiæ Christi fundationem considero, utrobique deprehendo sine Spiritu sancto neque illum, neque istam obtinuisse vitam, vigorem & perfectionem. De mundi creatione ita scribit Moyses: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Genesis primo, ut nimirum eis vim prolificam inderet, indeque omnis generis animantia & germina produceret & vivificaret; quo modo aves incubando ovis suis fovent ea & animant atque excludunt; quod indicat vox hebræa *merachephet*, quod est, instar volucrum nido incubare. Prima etiam Christi Ecclesia ex 120. fidelibus metu Judæorum conclusa & congregata in una domo montis Sion, quid nisi terra erat inanis adhuc & vacua? vita & vigore ad prædicandum Evangelium, mundumque convertendum, planè destituta? Venit igitur super eam Spiritus sanctus & incubando parvæ illi domui, quasi nidulo & ovis suis, vitam eis tribuit, robur quoque & leoninos spiritus ad invadendum mundum barbarum & perversum, ad Christi fidem adducendum. Quare sicut mundo perficiendo & exornando necessarius fuit Spiritus sanctus, ita & Ecclesiæ Christi, animandæ, roborandæ, perficiendæ, cujus rei causas aliquot indicabimus.

I. Ut ad bene agendum & cœlestia quærenda nos impelleret. Difficilis est virtus in natura peccato corruptâ, sed maximè lex Christi, quæ sanctitatem & perfectionem urget ac requirit, difficilis, inquam, homini, carni immerso & passionibus aggravato. Unde sanctus Augustinus libro de spirit. & lit. capite tertio, ostendit non sufficere homini liberum arbitr. ad implendam justitiam Christianam, sed necessarium esse Spiritum sanctum. *Nos,* inquit, *dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vincere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est etiam nunc cum per fidem ambulatur.* Cogita in mari navim prægrandem ferro onustam & absit ventus; quàm multi remiges necessarii erunt, ut propellant navim! & quàm lentè procedet ea navigatio! Postea spiret ventus secundus, & vela expandantur; videbis navim non tam currere quàm volare. Navis est homo, oneratus corporis miseriis & necessitatibus, pressus passionibus: hinc impeditur à progressu ad virtutes & cœlestia cogitanda agendaque (*corpus* enim *quod corrumpitur aggravat animam.* Sapient nono) quare si desit ei flatus & impulsus Spiritus sancti, hærebit miser in salo, nec ulla ratione propriis pergere viribus poterit. Pari ratione nihil proficiunt, qui sine Spiritu sancto alios docent. Audiamus sanctum Basilium homilia de Spiritu sancto. *Da mihi navim,* inquit, *gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esse spiritum venti, nonne cessat omnis qualiscunque apparatus si desit operatio spiritus? ita licet sit sermonis ampla suppellex, mens profunda & eloquentia & intelligentia, si non adsit, qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia.*

quærenda nos impelleret.

II. Ut mundum renovaret. Hanc mutationem prævidens lumine prophetico David, Psalmo nono *Annunciate inter gentes studia ejus,* seu ut Aquila vertit: *mutationes ejus.* Quam translationem secutus Theodoretus ad eum locum: *Revera,* inquit, *mutatio fuit rerum omnium maxima. Qui quondam inimici erant, amici sunt, longinqui proximi: filii, qui in ignorantia erant, in cognitione sunt; qui in tenebris, in luce, in spe vitæ, qui mortui erant; pauperes, hæredes regni cœlorum; Iudæi procul, & gentes prope; filii canes, & canes filii.* Quæ potentia, quæ vires, tantam tamque stupendam rerum omnium inversionem facere in mundo poterant, nisi Spiritus sanctus Apostolos eorumque posteros, prædicatores, ad hoc armasset & confortasset? nisi Spiritus sanctus audientium corda afflasset & salutari timore corripuisset? Hinc enim Psalmo quadragesimo septimo. (qui adventum Spiritus sancti luculenter ostendit) dicitur de mundi superbia ad humile Christi jugum depressa: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* In quem locum sanctus Augustinus: *Breviter,* inquit, *evertes superbiam gentium.* Porro per Tharsim intelligit superbam & olim navigationibus florentem, gentiumque domitricem, Carthaginem: quasi typum mundi indomiti, quem prædicatione externi judicii edomuit

II. *Vt mundum renovaret.*

 Spi-

Spiritus sanctus : *Quomodo in spiritu violento?* inquit ; *Sic enim eum tremuit omnis superbia judicaturum, ut in humilem crederet , ne excelsum expavesceret.* Eodem hoc timore corripuit Judæos prius plane induratos , ut se in fide Christi erudiendos committerent Apostolis , quos demisso Spiritu sancto agnoscere & venerari cœperunt , velut homines cœlestes & divinos, qui cum Elia ignem è cælo evocare & in hostem evibrare possent; uti indicat sanctus Lucas Actorum secundo illis verbis : *Fiebat autem omni animæ timor, & metus erat magnus in universis.*

III. Ut invictos redderet contra persecutores. III. Ut fortes & invictos contra adversarios & persecutores nos efficeret. Ita Divus Cyrillus libro decimo in Joannem capite trigesimo nono. *Oportebat*, inquit, *ut illum habentes, tam adversus Diabolum quam adversus persecutiones hominum fortes efficeremur.* Et mox: *Quod in discipulis factum fuisse invenimus, qui per spiritum sanè ad eam fortitudinem ab humana ignavia reducti sunt, ut nec ulla pericula timerent, & Christo inseparabiliter inhærerent.* Hunc petebat David , quando dicebat: *Spiritu principali confirma me.* Psalmo quinquagesimo primo. *Sciebat enim David, quod infirma esset omnis anima, nisi Spiritus sancti virtute fuerit firmata* , ait in eum psalmum sanctus Gregorius. Fortissimus erat Samson, dum spiritum fortitudinis secum haberet; quid enim tunc non effecit? *Irruit in eum spiritus Domini , & dilaceravit leonem quasi hædum in frusta discerpens.* Judicum decimo quarto. At ubi eum spiritus hic deseruit, una muliercula à se abegit, & in hostium manus impegit. Debebant Apostoli eorumque sequaces, prædicatores, invadere leones rugientes, hoc est, Reges & Tyrannos, barbaros, superbia tumidos , immanes, truculentos, & Christo subjicere, Qua vero ratione hoc efficerent suis præcisè nixi viribus? Necesse igitur fuit, ut Spiritu sancto corroborarentur & in viros æneos quasi aut igneos mutarentur. Propterea Dominus noluit , ut statim à resurrectione & ascensione sua prodirent in aciem ad invadendum mundum: sed dixit: *Vos autem sedete in civitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Luc. vigesimo quarto versu quadragesimo nono. In quæ verba sanctus Chrysostomus ait: *Sicut milites invasuros multos nemo Dux exire sinit, donec armati sint: sic & discipulos ante Spiritus descensum ad conflictum egredi non permisit: unde subdit. Vos autem sedete in civitate &c.* Neque vero hoc in Apostolis solum operatus est, sed in aliis quoque fidelibus, quos afflatu suo replet. Hinc Divus Basilius libro sexto de vera virg. *Divino instigante amore*, inquit, *rotas carnificum, verbera, ignes, carceres & bestias non expavescit quis , contemnit pretiosas & decoratas vestes & vili indutus tunica ac sacco , quantumcunque perpendat in oculis hominum hæc deliramenta esse, vult stultus ab hominibus haberi, ut divina (si ita dicere licet) insania sapienter sit insanus.*

IV. Ut Ecclesiã perficeret. IV Ut Ecclesiam vivificaret, exornaret ac perficeret in Dei cultu & vitæ sanctimonia. Ita sanctus Augustinus sermone secundo Feria secunda Pentecostes *Anima*, inquit, *omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambula: omnibu simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus & officia singulis. Sic est Ecclesia Dei: In aliis sanctis faci miracula, in aliis loquitur veritatem, in aliis sancti custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudiciti conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria o perantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anim corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christ quod est Ecclesia : hoc agit Spiritus sanctus in tota Ec clesia, quod agit Ecclesia in omnibus membris corpori* Adam è limo terræ à Deo efformatus, hominis qu dem speciem habebat , sed antequam inspiraretur spiraculum vitæ, nec movere se, nec loqui, nec aliu quidquam agere poterat; postea vero & locutus est ambulavit, & omnis generis functiones peregit. V rum quia per peccatum secundùm animam se destru xit, nova instauratione indiguit. Unde Divus Cyr lus Jerosolymitanus. Catech. decima septima. *Suffla tio Dei*, inquit, *cum obscurata esset per peccatum, no indigebat inspiratione.* Itaque per adventum Spirit sancti corpus Ecclesiæ prius quasi terreum & sen destitutum, vivere & in membris suis varias undiqu operationes edere cœpit. *Respice*, inquit ibi Cyrillu *cujuslibet nationis Episcopos, sacerdotes, diaconos, m nachos, virgines & reliquos laicos, & respice magnu hunc præsulem & gratiarum parochum seu exhibit rem, quomodo in universo mundo aliis castitatem, ali virginitatem, aliis studium paupertatis, aliis vim r pellendi adversarios spiritus tribuat ; & quemadm dum Sol uno radio progressu illuminat omnia: ita Spir tus sanctus eos qui habent oculos, illustrat.* Id ipsu sanctus Chrysostomus homilia decima tertia in Ge nesin super id: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum v tæ*, alio simili declarat. *Formatum corpus hoc juxt præceptum Domini, quasi instrumentum erat, quod e gebat aliquo se movente, imo sicut lyra, quæ opus hab aliquo, qui possit arte & scientia sua per membra su quasi per fistulas convenientem illi melodiam domin repræsentare*, Hujusmodi lyra erat Ecclesia, lyricen v rò Spiritus sanctus, qui mutam lyram illam fecit r sonare, & omnis generis cantilenas Deo gratas can re. Domus erat Ecclesia, à structore quidem Christ affabrè constructa, egebat tamen adhuc insigni aliqu artifice, qui eam exornaret, dealbaret, depingeret, fe nestris, fornacibus, & variis utensilibus impleret at que instrueret, & hic est Spiritus sanctus, de quo Ec clesia canit in Responsorio Feria sexta post Penteco sten. *Omnium est artifex, omnem habens virtutem, o mnia prospiciens.*

V. Ut pauperes, afflictos & angustiatos, quorun ingens numerus in Ecclesia futurus erat, consolare tur & protegeret , ne in suis afflictionibus animun desponderent. Aspera quæque Apostolis suis ferend Deus prædixerat Joannis decimo quinto. *Absque sy nagogis facient vos, &c.* docuerat & aliis justis pe varias tribulationes intrandum esse in regnum cœlo rum : commendarat paupertatem & patientiam a-

micis

aicis ſuis. *Adverſis enim probatur amor*, inquit Chryſostomus homilia ſexta de Sancta Feria Paſſionis, *affectio penſatur periculis*, *pœnis examinatur dilectio*, *morte perfecta charitas innuitur*. Ad hæc autem ſuperanda neceſſarius erat aliquis conſolator, qui eſt Spiritus ſanctus, propterea ab Eccleſia in hymno appellatur *Pater pauperum & conſolator optimus*. Stannum ia metalla defendit ab igne, ne urantur & concre-entur, teſte ſancto Hieronymo in Zachariam capite uarto. Ita Spiritus ſanctus ſua conſolatione tuetur flictos, ne animo cadant. Quem inprimis experti nt Apoſtoli, è quibus Paulus ſecundo Corinthiorum primo ait: *Sicut abundant paſſiones Christi in nobis; ita & per Christum abundat conſolatio noſtra.* Nimirum ſicut Angelus Domini deſcendit in fornacem i erant tres pueri, & fecit medium fornacis, quaſi ntum roris flantem: ita Spiritus ſanctus deſcendit Apoſtolos, ut eos in variis & continuis tribulaonibus poſitos, & in prædicando Evangelio deſuntes, ſuaviſſimo ſuo afflatu ſubinde refrigeraret. eque vero illi duntaxat, ſed & alii pauperes & affli-, qui vel propter fidem ſpoliandi erant bonis ſuis, l ob amorem Christi ſponte electuri ſtatum pauertatis, vel ob varios caſus in eam devolvendi, innti planè numero, indigent hoc refrigerio; quod undè ipſis quoque exhibuit Spiritus ſanctus. Unde im putatis tot ubique locorum inter Chriſtianos mus pauperum, Xenodochia, noſocomia, orphatrophia, leproſoria & ſimilia hoſpitalia, (quorum e adventum Spiritus ſancti nulla ferè mentio fit) i à Spiritu ſancto, qui fidelium mentes ad eorum ndationes & dotationes faciendas excitavit? Hanc m ob cauſam utique paſſim & ubique ferè doos illas Spiritui ſancto velut Præſidi ac Patrono atas obſervamus, Hic namque eſt qui initio ſta-n Eccleſiæ inſpiravit Apoſtolis, ut à ditioribus riſtianis exigerent collectas ſeu eleemoſynas ntaneas ſingulis Dominicis (quia & in Dominica Spiritus ſanctus miſſus fuit) & diſtribuerent in uperes, qui erant Jeroſolymis præſertim, exuti bo- ſuis, uti patet ex Apoſtolo primo Corinthiorum imo ſexto verſu primo. ad Galatas ſecundo, verſu imo. Inſpiravit primis Chriſtianis divitibus; ut nditis ſuis fundis pretium Apoſtolis traderent pro mmunibus Eccleſiæ neceſſitatibus & alendis pauibus, ut habetur Actorum quarto. Qua in re cum dem admiſiſſent Ananias & Saphira, increpans e- Petrus, dixit Ananiæ inprimis: *Cur tentavit ſatacor tuum, mentiri te Spiritui ſancto?* poſtea ejus njugi *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum mini?* Actorum quinto. Utrobique audimus dedatione illa offenſum eſſe Spiritum ſanctum. Ec- verò, niſi quia ipſe eſt pater pauperum: & proteeorum erat, in quorum ſuſtentationem depoda erat eleemoſyna illa, per votum eis addicta? piravit piis & ſimul opulentis Chriſtianis, ut paſ- fundarent, extruerent & dotarent Xenodochia & uſmodi pauperum domicilia per univerſum Chriſtianum orbem innumera, quibus ſublevarentur miſeriæ pauperum, ſenum, orphanorum, fractorum, ægrorum, leproſorum, peregrinorum, qui prius ſub gentiliſmo erant deſolati, deſpecti, neglecti. Hujuſmodi fundatores hoſpitalium domorum erant ſanctus Chryſoſtomus, ſanctus Baſilius, ſanctus Gregorius Magnus, Pammachius apud ſanctum Hieronymum epiſtola 26. Zoticus Conſtantinopoli apud Baronium, anno 330. Pelagius Papa II. ſanctus Adelhardus, ſanctus Anſbertus, ſancta Editha, ſanctus Gualterus, aliique.

His igitur expenſis nonne ſatis apertè videmus veniſſe Spiritum ſanctum, ut vitam haberent homines, qui ante adventum ejus velut mortui jacebant & ad interitum tendebant? Hunc itaque vitæ noſtræ inſpiratorem laudemus, veneremur & amemus.

THEMA IV.

Lex Evangelica quam ſit ſalutaris, & quomodo ſervanda.

Columna ignis & nubis fuit typus legis Evangelicæ.

I. *Quia lumen accendit, & qua eundum docet.*
II. *Quia ad rectè agendum etiam ſtimulat.*
III. *Protegit ab hoſtibus, tuetur in tentationibus.*
IV. *Demonſtrat patriam cæleſtem, eoque ducit.*

Vadit ante eas & oves illum ſequuntur. Joan. 10.

MAgnum profectò & ſtupendum donum ac beneficium contulit Hebræis Deus, quando per deſertum ad promiſſam terram peregrinantibus miſit columnam ignis, quæ duceret ac præcederet eos toto illo itinere. Plurima enim bona contulit eis columna illa; viam ipſis monſtravit, noctu eos illuminavit ſimul & calefecit, protexit ab inimicis, ac denique induxit in terram lacte & melle manantem. Verùm longe majus non immeritò aſſerimus beneficiũ legis divinæ, promulgatæ per hos dies ab Apoſtolis in mõte Sion; ut quæ nos ad inſtar illius columnæ igneæ, per hujus noſtræ peregrinationis vias ducit & inducit non in terram lacte & melle manantem, qualis erat Paleſtina; ſed in terram viventium; in cæleſtem beatitudinem: in ipſa etiam peregrinatione tantò majora nobis confert bona, quanto præſtantior eſt veteri lege nova. Quare de ea merito intelligimus, quod Prover. 4. legimus, quaſi à Deo nobis dictum ac promiſſum: *Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis.* Per hanc enim contulit nobis, ut ſine errore & difficultate viam ſalutis ambulare poſſemus. Unde *Pentecoſte dedicatio legis eſt*, ait ſanctus Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam: præfigurata in Pentecoſte Judæorum, qua & ipſis lex in monte Sinai promulgata fuit. Porro columnam illam Hebræorum ducem, fuiſſe

Lex Evangelica figurata per columnam ignis & nubis.

fuiſſe legis noſtræ luculentum typum, ex dictis intelligimus, quia ut illa Hebræos in terram optimam: ita nos lex noſtra in cœlum ducit, ut proinde de ea dicere poſſimus, quod in hod. Evangelio Dominus de paſtore ait: *Vadit ante oves, & oves illum ſequuntur*, Hujus ergo ductoris beneficia, & qui eum ſequi nos oporteat, nunc videamus.

II. *Lumen accendit, & qua eundũ docet.*

I. Columna ignis per noctem Hebræos illuminavit, & per diem in ſpecie nubis viam oſtendit. Idem nobis præſtat Lex Evangelica, & ſuo modo etiam leges aliæ tam civiles, quàm Eccleſiaſticæ. Lumen enim accendunt nobis & docent quà eundum ſit. Hinc in ſpecie ignis Spiritus ſanctus illapſus eſt in corda primorum Chriſtianorum, inſcribens in illis legem ſuam; ideoque *lux & lucerna* appellatur lex in ſacris litteris, uti Proverbiorum ſexto, *mandatum lucerna eſt & lex lux* Et pſalmo decimo octavo. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Lucerna, quia, ut ait ſanctus Ambroſius in pſalmo 118. verſu 105. *nobis in hac mundi nocte prælucet, ne ſicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus veſtigiis, & viam veram invenire nequeamus.* Lux quia per diem ambulantibus viam virtutis præmonſtrat. Lucerna noctu prælata & lux diurna foveas, laqueos & lapides, quibus mergi, capi & impingere poſſemus, oſtendit: ita & lex. Unde Paulus ad Romanos ſeptimo ait: *Peccatum non cognovi niſi per legem, Concupiſcentiam neſciebam* (eſſe peccatum) *niſi lex diceret: Non concupiſces.* Hinc qui legibus carent vel non utuntur, paſſim graviſſimè labuntur & impingunt in varia peccata, vivuntque velut beſtiæ in omni turpitudine, uti Braſili, qui ſe invicem, & inprimis advenas capiunt, mactant, devorant, velut immanes feræ, quia uti in ſua lingua carent tribus litteris F. L. R, ita carent Fide, Lege, Rege. Quare veriſſimè Plato dixit libro quarto de legibus; *neceſſe eſſe hominibus leges ponere, ut ſecundum eas vivant: alioquin nihil à feris diſcreparent. Cauſam eſſe: quod nullius hominis ingenium ita natura inſtitutum eſt, ut quæ ad publicum humanæ vitæ commodum conferunt, ſufficienter cognoſcat, ut optimum id, quod novit, ſemper agere poſſit ac velit.* Ruſum ob eandem cauſam Proverbiorum ſeptimo comparatur lex pupillæ oculi: *Fili ſerva mandata mea & vives: & legem meam quaſi pupillam oculi tui.* Primo. Quia ſicut pupilla oculi, quæ eſt parvus quidam Sol, hominis greſſus dirigit, ſine quo nihil rectè fieret. Secundo. Quia ut in pupilla alterius videt unus quaſi in ſpeculo ſuam imaginem, ita & in legibus videt homo ſeipſum. Unde ſanctus Gregorius homilia decima ſeptima in Evangelio comparat præcepta ſpeculis mulierum, quibus ornabatur labrum æneum, ut in eis ſacerdotes tabernaculum ingreſſuri ſemetipſos contemplarentur; quò nimirum maculas in hoſtiarum immolatione contractas cernerent & abſtergerent. Exodi trigeſimo. Sic enim quaſi ex reddita imagine ſuos vultus componunt animæ, ſe in præceptis inſpicientes. Et ſicut *augurium*; inquit Plinius libro vigeſimo octavo, capite ſexto, *ex ipſo homine eſt non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddunt*: ita quamdiu homo in præceptis ſeipſum contemplatur, tamdiu ſpes eſt de ejus ſalute: actum vero erit, ubi legem ſpreverit.

II. Columna illa, non ſolum demonſtravit vi am, ſed etiam ad eam capeſſendam Hebræos pro vocavit & incitavit, dum ſe movendo, quando per gendum erat, præcedebat: & quando quieſcendum ſiſtebat. Lex etiam homines, non ſolum qua eun dum ſit, illuminat, ſed ad eundum etiam ſtimul & allicit partim præmii ſpe, partim pœnæ metu Hominis intellectus ſuo indiget lumine, nec tame ideo ſtatim ſequetur eum voluntas, niſi ſtimuletu & alliciatur. Itaque lex non ſolum illuſtrat in tellectum, ſed impellit etiam voluntatem, ſu viter tamen & blandè, ut ſequatur intellectun Ob hanc cauſam appellatur *alligatura ſalutis*, *vincula*, quaſi Medicorum, quibus alligatur h mo velut æger, dum curatur, uritur aut ſecatu ne ſibi & aliis noceat, ſed ut ſanitatem recuper ac conſervet. Ita enim Eccleſiaſtici ſexto dicitu *Injice pedem in compedes ejus & in torques illi collum tuum.* Et mox: *Decor enim vitæ eſt in* *& vincula ejus alligatura ſalutaris.* Quema modum enim ſaucio emplaſtra: phrenetico lig mina: infanti in cunis poſito faſciæ & vincu ſaluti ſunt: ſaucio ut curetur, phrenetico ne ſ & aliis nocumentum afferat, infanti ne è cunis c cidat: ita lex homini libero, præſertim paſſionib obnoxio, ſalutaria injicit vincula; ne ſibi & aliis p niciem inferat. Unde Philo libro de Joſepho di Legem eſſe *Medicum civitatis.* Rurſum Eccleſ ſtici vigeſimo quinto appellatur *lex vitæ. Dedit legem vitæ & diſciplinæ*; quia dat vitam animæ, cut anima corpori: unde etiam animæ aſſimulat Proverbiorum decimo nono. *Qui cuſtodit ma datum, cuſtodit animam ſuam.* Ut enim anin vegetat hominem & impellit ad actiones vital ita lex vivificat hominem & inducit ad hone tem morum, Anima diſcedente, perit homo: lege ſu lata vel contempta, perit animus, perit & reſpubli Unde Plato dixit: *Lex eſt liberi hominis anima.* Demoſthenes, *civitatis animam eſſe leges.* Deniq Chriſtus ipſe: *Hoc fac & vives*, inquit, hoc eſt, ſer legem charitatis.

III, Columna illa protexit Judæos non m dò ab æſtu per diem & à frigore per noctem, ſ etiam ab hoſtibus Ægyptiis, interponens ſe me am inter ipſos à tergo inſequentes, & Hebræ præcedentes. *Erat nubes tenebroſa & illuminans n ctem*, ait Moyſes Exodi decimo quarto, tenebro verſus Ægyptios, illuminans verſus Hebræos, ſeu Chaldæus exponit: *erat nubes & obſcuritas Ægypti Iſrael autem erat lux tota nocte.* Denique Pſalmo ce teſimo quarto legimus: *Expandit nubem in prot ctionem eorum.* Similiter & lex protegit ab hoſ bus & tuetur in tentationibus. Civitates & Re publicas legibus defendi deprehenderunt etia

Ge

ntiles, è quibus Heraclitus dicebat, *magis pugnā-m pro legibus quam pro mænibus; Sine mænibus e-n civitas stare potest, uti Sparta stetit: sine legibus n potest.* Defendit etiam lex ab hostibus intestinis civium injuriis, adeoque pacem in Republica fa-& conservat; uti indicant cives Jerosolymitani, m scribunt ad Hebræos, qui erant in Ægypto: *daperiat* (Dominus) *cor vestrum in lege sua & in eceptis suis, & faciat pacem.* secundo Machabæo-m 1. Nec mirum: *finis enim legis est dilectio.* Qui igit, neminem lædit: pacem igitur offert. Deni-e etiam protegit ab æstu tentationum, quod ex almo trigesimo sexto discimus, ubi dicitur: *Lex ei ejus in corde ipsius, & non supplantabūtur gres-s ejus;* ab eo videlicet, qui insidiatur calcaneo e-s. Qui nudis incedit pedibus, facilè læditur, præ-tim si inter serpentes & venenatas similes bestio-s graditur: non ita qui munitus calceamentis. Cal-us est lex, præsertim Evangelica, ligans quidem edem, (unde calcei olim caligæ dicti, ut patet ex en 14. v. 23. & Act. 12. vers. 8. quia callum vel cal-em ligant, quemadmodum & lex à ligando, quia omines ligat) interim tamen muniens contra of-ndicula. Unde monet Apostolus ad Ephes. 6. ut si-ius *calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* .d. calcei vestri sint Evangelium pacis, seu lex E-angelica semper in conspectu & memoria vestra; *t serpens,* inquit Divus Cyprianus apud Cornelium oid. *à nobis calcatus obteratur; ne vi armatos pedes ossit mordere.* Plenius adhuc sanctus Gaudentius ract. 5. Exodi eum locum explicans: *Sicut calcea-menta terrestria,* inquit, *pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui, vel spi-narum resistant aculeis: ita legis divinæ præcepta qui-nus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti Diabolo, & asperrimo Aqui-loni Gentilium & hæreticorum undique compungen-tium spinis ac tribulis.* Sanè Christus Dominus cal-ceatus lege V. T. contrivit caput serpentis illius tentatoris, oggerendo ei: *scriptum est: Non tentabis Dominum Deum. Scriptum est: Dominum Deum tu-um adorabis & illi soli servies.* Matthæi quarto. I-dem non difficilè efficiemus nos, si legem Evange-licam in tentationibus nostris, semper ad manum & in mente habuerimus; ostendit enim nobis quid sit malum & cavendum.

IV. Columna illa introduxit Hebræos in ter-ram promissionis, lacte & melle manantem. Idem præstat nobis lex Evangelica; demonstrat enim nobis portum cœlestis patriæ, & si ejus ductum se-quamur, eo nos inducit. Audiamus sapientem vel potius ipsum Deum per os ejus loquentem Prover-biorum 3. vers. 1. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum & annos vitæ & pacem apponent tibi?* Jan-senius & Baynus *longitudinem dierum* ad præsen-tem vitam referunt, *annos verò vitæ* (Hebr *vita-rum*) & *pacem,* quæ Hebræis significat omne bo-num, ad alteram. Quod præsentis vitæ fælicitatem & tranquillitatem homini lex observata soleat ap-ponere, vel Gentiles intellexere. *Quemadmodum inter navigantes* (inquit Dion. orat. 74. de lege) *qui faces turrium observant, ii maximè salvi evadunt, portusq; inveniunt: ita qui secundum legem vivunt, tutissimè per viam transeunt, commodamque sedem nanciscuntur.* At nobis Christianis præter hoc pro-missa est etiam vita æterna, legem custodientibus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Verum sicut columna illa nihil Hebræis profuisset, nisi ejus du-ctum secuti fuissent: ita pariter & lex nihil nobis pro-dest, nisi observetur. Propterea in hodierno Evan-gelio Dominus, cum pastoris officium tetigisset verbis illis: *Vadit ante eas;* mox addit: *& oves illum sequuntur.* Non sanat ægrum medicina, nisi suma-tur: nec ornat hominem vestis, nisi induatur: ita ne-que lex, nisi servetur. *Aureum vestimentum,* inquit D. Chrysostomus homilia 5. ad pop. *Pulchrum qui-dem est, etiam cum videtur: multò pulchrius autem nobis videbitur nostro circumpositum corpori: sic & Dei mandata pulchra quidem sunt, etiam cum lau-dantur: multo autem pulchriora cum explentur & apparent.* Observanda porrò est legitimè, ut requirit Apostolus 1. ad Timotheum 1. *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Loquitur ad litteram quidem de lege veteri, qua sic utendum vult, ut ad Christum ducat hominem; id tamen etiam de nova & omni alia lege intelligi potest.

1. Itaque observanda est amore Dei & virtutis, non timore pœnæ; & hoc sensu etiam explicat ver-ba illa Apostoli sanctus Chrysostomus homilia 2. in 1. ad Timoth. *Alio item modo,* inquit, *legitime uti-mur lege, cum scilicet magna eam intentione serva-mus. Quid est magna intentione? Quemadmodum,* inquit, *fræno legitimè utitur, non is equus, qui lasci-vit, neque qui mordet, sed qui illo pulchrè agitur: ita & is lege utitur legitimè, non qui litteræ necessitate sobriè ac justè vivere cogitur. Quis autem illa le-gitimè utitur? Qui hoc novit, quod ipsa non indiget. Nam qui ad id virtutum culmen evasit, ut non legis metu rectè factis insistat, sed virtutis tantum gratia: hic ea legitimè atque securè utitur.* Et paulo post: *Quicunque igitur servorum more à malis abstinent, hi legis destinatione fraudantur: Idcirco enim ea imposita est, ut puniat transgressores.* Hanc ob cau-sam quando præceptum aliquod nobis commen-davit, mercedem potius observatoribus, quam pœ-nam transgressoribus adjecit; ut quando disseruit de obligatione sumendi corporis & sanguinis sui; vi-tam quidem dignè sumentibus proposuit; non ve-rò mortem indignè manducaturis (quod tamen A-postolus postea fecit) minatus est. Eadem ni fallor de causa, cœlum quidem & luminaria cœlestia con-spicua nobis esse voluit: infernum autem minimè; ut potius amore beatitudinis, quam metu gehen-næ nobis bene vivendum & mandata ejus servan-da esse intelligeremus. Servum se non filium osten-dit esse Cain, quando patrato parricidio, & intelle-cto suo supplicio, de hoc magis doluit quam de pec-

Quomodo servanda sit lex.

1. Amore Dei & virtutis.

suo & divino judicio, cum dixit: *Omnis qui invenerit me occidet me.* Genesis 4. *Angustæ mentis homo* inquit sanctus Ambrosius libro 2. de Abel & Cain, cap. 9. *præsentem mortem veretur, perpetuam negligit & divinum judicium non reformidat: interitum solum corporis deprecatur.*

2. *Ad intentionem Legislatoris.*

2. Ad intentionem legislatoris, quod etiam esse legem observare *legitime*, scribit loco citato sanctus Chrysostomus. *Sunt enim,* inquit, *qui hac minimè utantur legitimè, puta cum eam verbis exponunt, operibusque transgredi non verentur.* Quale esset, si quis, ut verba sonant, vellet exponere eam legem: *Non alligabit os bovi trituranti.* vel eam: *Siquis te percusserit in unam maxillam, porrige ei & alteram, &c.* Rursum non legitimè legem observat, qui coram hominibus simulat se legis studiosum, at secreto dum à nemine videtur, eam prævaricatur. De hoc Ecclesiastici 32. dicitur: *Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiosè* (Gr. *hypocriticè*) *agit, scandalizabitur in ea.* quasi dicat, fiet ei lex lapis offensionis & petra scandali ad damnationem, quæ posita est ut esset ipsi scala cœli. Denique beatus Petrus Damiani libro 2. Epist. epist. 5. alium modum illegitimum taxat cum ita scribit: *Secundum propriam quippe legem Deum colere cernitur, qui specietenus quidem ejus mandatis obtemperat: sed in iis quæ facit, ad propriæ utilitatis commodum principaliter spectat, & dum exteriorem Christianitatis exhibet regulam, sub honestatis quidem colore se palliat: sed ad hoc intrinsecus, ut in hac vita prosperetur, anhelat. Tunc autem Deum secundum ejus legem ac cæremonias colimus, si quidquid eum velle cognoscimus neglectis omnino, quæ nostra sunt, votis omnibus adimplemus.*

3. *Constanter.*

3. Constanter, ut parati simus etiam usque ad mortem pro Dei lege servanda decertare; quo modo Susanna dixit: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Daniel. 13. Et primus è septem fratribus Machabæis. *Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari,* 2 Machabæorum 7. Nihil juvisset Hebræos sequi columnam ignis ad tempus aliquod, nisi ad ingressum usque Chananææ cum ea perrexissent. Quid enim sine ea egissent in transitu Jordanis, summè periculoso? Ut ergo columna illa non deseruit illos usque ad introitum terræ promissæ: (ut colligitur ex Deut. 31, v. 16.) ita nec deserta ab illis fuit. Usque ad mortem igitur legi Dei adhærendum est, imò tunc vel maximè, cum mortis vadum omnium periculosissimum transmeandum. Lycurgus Lacedæmonius cum suis civibus leges præscripsisset, juramento eos adegit, ut eas observarent, quousq; oraculum Delphicum consuleret de confirmandis illis legibus. Delphos igitur abiit; verum ne cives juramento absolverentur & legibus illis renunciarent, redire in patriam noluit. Plut. in Lycurgo. Non absimili modo Christus dedit nobis legem & distribuit talenta sua, jussitque negotiari cum iis, donec à profectione sua, in cœlum suscepta reverteretur: *Negotiamini dum venio,* inquit Luc. 19. non veni autem ante mortem nostram; quia voluit ut constanter usque ad vitæ finem ei studeremus. *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* inquit Matth. 24.

4. Integrè, nec una quidem excepta, quia scriptum est: *Iota unum aut unus apex non præteribit lege, donec omnia fiant.* & rursum: *Qui solverit unu de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in rgno cælorum.* Matthæi 5. In cithara vel organo si v una corda aut fistula dissonet, totam harmonia perdit: ita vel unica lex præterita totum virtutu concentum turbat. *Vt in cithara* (ait Chrysostom homilia 36. de virtutibus & vitiis) *non satis est in no tantum nervo concentum efficere, sed universi pe cutiendi sunt numerosè & decenter: sic & unanim virtute non satis est nobis ad salutem lex una, sed niversæ summa cum diligentia conservandæ sun* Clara est sententia sancti Jacobi capite 2. *Quicun que totam legem servaverit, offendat autem in un factus est omnium reus.* Erraverunt in hoc Pharisæ qui putabant, si saltem major pars legum servare tur, sufficere. Et Rabbini aliqui putantes eos, q plus bonorum operum quam malorum haberen salvandos. Item Christiani aliqui tempore sanc Augustini, Enchirid. 75. qui putabant se salvos fo per eleëmosynam, licet præcepta violarent, ob di ctum Christi, Lucæ 11. *Date eleëmosynam & ecce o mnia munda sunt vobis.* Contra sicut bonum est e integra causa, ita justus est non nisi ex integra legu omnium observatione.

Est ergo talis omnium reus. 1. Quia una transgressione jam legem Decalogi infregit; quæ jubet omnia servari. Lex decalogi est quasi una corona aurea, cui si unum radium demas, jam violata est. Tunica inconsutilis Christi, dissuta ad nihil valuisset, quia tota dissoluta fuisset.

2. Quia charitatem extinguit, unde tota lex perit. Hinc sanctus Gregorius homilia 27. in Evangelium ait: *Omnia præcepta unum sunt in radice charitatis.* Sic mergitur, qui uno palmo ab aqua superatur æquè ac qui 10. cubitis. Jam vero per unum etiam peccatum contemnitur Legislator. Unde subdit Jacobus: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit etiam non occides.*

3. Quia perdit Dei amicitiam, gratiam & vitam spiritualem, incurritq; mortem animæ & gehennæ, æquè ac per multa peccata. Sic qui toto corpore armatus, excepta una parte (uti Achab inter pulmonem & stomachum. 3. Reg. 22.) si vulneratur ibi lethaliter, æquè perit ac si undiq; nudatus fuisset. Ita qui in uno membro lethalem plagam accepit; perinde est ac si in omnibus accepisset.

4. Quia æquè damnabitur. Qui unam portam aperit hosti, æquè prodit civitatem, ac qui omnes aperit. Diligentissimè igitur cavendum, ne vel unum præceptum violes. Exemplum scribitur in scala cæli & spec. Ex. dist. 9. ex 149. à Valerio Veneto in Prato florido part. 1. l. 1, c. 1, ex 1 Et p. 2. l. 4. c. 102. de de-

...a quadam domina, quæ assiduè precabatur De... ut ei indicaret, qua in re potissimum fœminæ i... displicerent. Rapta igitur in oratione & ducta ad ...endas inferni pœnas, vidit ibi Comitissam sibi ...m notam, constitutam in gravissimis pœnis, à ...æmonibus cruciatam. Dum hæc in pœnis volve...ur, venit ad illam dominam, clamans miserabili...: *Væ mihi miseræ, ego fui casta corpore, fui semper ...tinens, feci multas eleëmosynas & alia charitatis ... pietatis Christianæ opera: & solummodo propter ...atum mei corporis nimium & studium me comen... & ornandi fui justè condemnata, siquidem eo orna... scandaloso multis fui causa & ruina peccati, pro...cando eos ad concupiscentiam mei, & scandalizã... etiam servos Dei sanctos & castos. Tunc altera: Er... hoc est quod maximè Deo in fœminis displicet? Ita ..., inquit illa; quia vanus ille ornatus inflammat ho...ines ad pessima desideria & omnem Dei offensam. ...lox autem à duobus dæmonibus abrepta ferreis un...s, & in caldarium plumbo liquefactum injecta & ...mmersa est; altera emendata.*

THEMA V.

Qui non intrent per ostium ad honores.

I. Quidam intrant per portam potentiæ.
II. Alii per portam cognationis.
III. Alii per portam nummariam.
IV. Alii per ostium virtutis.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est & latro, Joann. 10.

NOtum est quod Livius & ex illo S. Augustinus l. 5. de Civit. scribit, Romæ templum fuisse *Honori* pòsitum, contiguũ templo *Virtutis*, ita structum, ut non pateret ad id aditus, nisi per templum *Virtutis*. Qua re indicatum, ad honores non patere aliam viam nisi viam virtutis. Hoc est meo judicio, quod in hod. Evang. Christus insinuat, cum ait: *Qui non intrat per ostium &c.* Multi enim ad Prælaturas conantur intrare & intrant, sed non per ostium virtutis, irrepunt per fenestras & foramina velut fures & latrones; uti mox videbimus.

I. Intrant aliqui per portam potentiæ. Et qui illi? Primò qui per potentiam aut minas comparant sibi honores, beneficia, dignitates. Hac porta intrare ad regnum conatus fuit Absalon, quando coacto exercitu patrem in exilium egit atque oppugnavit. Sed quo eventu, scimus. Capillis enim quercui implexus hæsit: mulo, cui insederat, subter se transeunte, tum a Joab, à quo prius patri reconciliatus fuerat, tribus lanceis transfixus, ac postremum lapidum congerie obrutus & tumulatus est. secundo Regum decimo octavo. Rarò meliorem eventum sortiuntur, qui per vim promovẽtur ad honores vel seipsos intrudunt. Omnium enim si non lanceis, certè linguis confodiuntur & lapidantur. Augustus Cæsar 20. ætatis anno Consulatum invasit, admotis hostilibus ad urbẽ legionibus missisque legatis, qui eum sibi deposcerent, cumque Senatus cunctaretur, Centurio, princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, dixit: *Hic faciet, si vos non feceritis.* Is licet postea Imperator factus diu regnarit, moriens tamen à 40. juvenibus abripi se conquestus est. Suetonius in Augusto: qui addit id præsagium fuisse, quod à totidem prætorianis militibus elatus sit, sed forsan indicabat à tot dæmonibus abreptum esse in orcum. Bajazetes Turcarum Imperator Sigismundo Imperatori querenti de Bulgariæ invasione, diem constituit ad jus suum ipsi demonstrandum: cumque in tentorium suum omne genus armorum comportari jussisset, vocatis legatis; *Vobis vestra*, inquit, *mihi hæc arma Bulgariæ provinciam jure optimo, & acquirent & defendent.* Aug. Corozettus de dict. & fact. memor. Verum & hic quem finem habuerit, scimus, quando à Tamerlane captus in caveam ferream inclusus & ad spectaculum circumductus, miserè periit. Itaque isti, sicut per vim ingrediuntur ad honores & dignitates, ita & per vim communiter ejiciuntur. Quemadmodum enim Philisthæi cum armis captam arcam fœderis ad sua traxissent castra, ab illa maximam cladem acceperunt: ita qui armis aut potentia trahunt ad se dignitates & officia, malè communiter ab eis accipiuntur; nusquam enim tuti sunt, ubique insidias metuunt; sicut fur in domo, ubi furatur.

2. Per eandem portam intrant, qui armatis precibus ac litteris commendatitiis obtinent dignitates & officia. Adferunt hi literas, quales sunt picturæ & imagines, sculptæ à chalcographis, quæ ordinariè res pulchriores effingunt, quam re ipsa sint. Et ferè sunt litteræ Uriæ datæ à Davide secundo Regum 11. quibus mandabatur: *Ponite Uriam ex adverso belli* (hoc est in acie prælii) *ubi prælium est fortissimum, & derelinquite eum, ut percussus intereat.* Putant isti se promoveri ad honores, & mittunt ad curas & gravissima salutis pericula, ubi derelicti plerunque pereunt.

II. Alii per portam cognationis. Quales consanguinei magnatum & potentum. Per hanc portam intravit ad Principatum Abimelech, suadens viris Sichem, cognatis suis ratione matris, ut in Principem reciperetur; quia *os vestrum & caro vestra sum*, inquit Judicum nono. Persuasi illi elegerunt eum, sed tyrannum experti sunt. Qui malè tandem periit, turpiter occisus à muliere; fragmine molæ in ejus caput è turri dejecto. Intrare hac via conatus est etiam Core cum sociis, quod ei velut primogenito deberetur sacerdotium, Numerorum 16. sed absorptus est à terra. Conabantur eadem ingredi

II. Alii per portam cognationis.

gredi ad sessionem dextræ & sinistræ Christi, filii Zebedæi, matris interventu, sed repulsi sunt, & ad sua merita remissi. Neque ipsis sed Petro primatus Ecclesiæ collatus est à Christo, ut parentes æque ac filii discerent, non habendam rationem sanguinis in conferendis dignitatibus maxime Ecclesiasticis. Non enim decet ut res sacra & divina, qualis est jurisdictio, præsertim Ecclesiastica, ad usum sæcularem, uti familiam ditandam, ornandam, conservandam, evehendam dirigatur; quo modo impius Balsasar ad convivium adhibuit sacra templi vasa. Exprobrat hoc Deus hujusmodi promotoribus Mich.3. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus*. Et Hab. 2. *Væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus*. Sion dignitates Ecclesiasticas, civitas sæculares indicat, quas non sanguini sed virtuti vult conferri Deus.

III. *Alii per portam nummariam.*

III. Alii per portam divitiarum. 1. Qui muneribus dignitates comparant. De quibus Ecclesiasticus cap.13. ait: *Si largitus fueris, assumet te; & si non habueris, derelinquet te.* Qui per saltum aut sylvam transit, non ascendit steriles & sylvestres arbores, sed fructiferas, cerasos, ficos, moros & similes. Sic fere honores sequuntur illos qui dona ferunt: alios negligunt. In apologo illo Joatham Judic.8. ligna electura regem primo iverunt ad frugiferas plantas, olivam, ficum, vitem: ultimo demum, postquam illæ se excusarunt, venerunt ad inutilem rhamnum. Per hanc portam Caiphas intravit ad Pontificatum; unde etiam tam iniquus & perversus Judex fuit. Conatus est & Simon Magus per hanc intrare ad potestatem dandi Spiritum sanctum, offerendo pecuniam Apostolis. Actor.8. Sed audiit à Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, id est, tecum erit, ut exponit Beda & glos. qui & postea Romæ de volatu suo magico à S. Petro depositus, confractis cruribus, sequenti die miserè cruciatus interiit. Hunc imitantur qui adscitis alienis promotorum alis ad dignitates evolare nituntur; sed infelici plerumque eventu decidunt eò periculosius, quo altius evolarunt. Nam ut ait Sapiens Prov.14. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem.* Qui hac via ascendunt ad honores & dignitates, quid aliud sunt nisi vituli aurei; qualis fuit ille, quem effinxit Aaron, & plebs adoravit? ut enim vitulus ille nil prorsus seu divinitatis, cujus gratia coli posset, seu sensus habuit, sed præcisè aurum è spoliis Hebræorum conquisitum: ita tales nil præter aurum, è quo (forsan è rapinis parto) conflati sunt, ob quod digni honore vel præfectura essent, habent: cætera vituli sunt rudes, petulantes, carnales. Denique sicut vitulus ille ad extremum à Moyse contritus est & in pulverem redactus: ita & isti tandem contemnuntur & in fumum abeunt. Neque tales aurum torvis oculis aspicere ac contemnere munera possunt, qui beneficio auri & munerum ad sublimes gradus ascenderunt.

2. Qui promissis, v.g. libertate, promotione, gratiis aliis gradum sibi ad honores quærunt, vel ab aliis promoventur. Talis, Chan, Tartarorũ Princeps, qui cum non ita pridem Stephanus Poloniæ Rex è vivis abiisset, ipse in comitiis de Rege creando habitis inter alios etiam per legatos intervenit, promittens omnibus quam vellent sequi religionem: *Tuus Pontifex meus Pontifex*, ajebat: *tuus Lutherus meus Lutherus esto.* Beyrl. in Apopht. v. Ambitio. Nimis crassè barbarus iste; alii subtilius promittunt opes, honores, privilegia, immunitates, modo eorum suffragiis & brachiis evolent in altum. Quam his dissimilis S. Guntherus Monachus ad S. Emeramum Ratisbonæ? Huic cum Otho Imperator obvius dixisset: *Quid dabis mihi, si te fecero Episcopum Ratisbonensem?* crepidam sibi detrahens & Imperatori demonstrans. *Hanc*, inquit, *crepidam tibi dabo.* q.d. nihil prorsus. Ex quo tam generoso verbo ratus eum tali munere dignum Imperator, in Episcopum promovit, ut dixi alibi ex Bavaria sancta Raderi.

IV. Alii denique ingrediuntur per portam virtutis, & hi per ostium rectè & legitimè intrant. 1. qui per humilitatem, cum sint digni, indignos se reputant. Hanc viam ostendit Christus contendentibus de præeminentia discipulis dicens: *Quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Matth.20. Ratio est, quia qui se dignitatibus indignos judicant, ii labores & pericula earum intelligunt atque expendunt, neque ad initium blandiens, & progressum prosperum, sed ad finem, sæpe funestum, attendunt. Justino lib.18. hist. auctore, cum in Tyro declarandus Rex diceretur, qui primus orientem Solem conspexisset: aliis omnibus ad orientem se convertentibus, unus solus occidentem spectans, observavit mox orituri Solis radios in cacuminibus montium, sicque Rex electus est. Ita qui non ad auspicia & fælices progressus sublimium officiorum attendit, sed qui occidentem & luctuosum frequenter exitum spectat, dignus est imperio; quia talis suæ infirmitatis & volubilis fortunæ memor, procul omni dubio moderatè imperabit. Miratus aliquando fuit Job se ad regale fastigium evectum: unde plorabundus exclamavit. *Quare misero data est lux?* Job.3. Ubi D. Gregorius l.5. mor. c.2. ait: *Lux miseris datur, quando, qui se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ potestatis accipiunt, & tolerare insuper honoris onera compelluntur.* Hoc expendant, qui inviti extolluntur & gemant, non exultent, sub jugo sibi imposito.

2. Per labores & merita. Hanc portam ostendit Christus duobus discipulis desiderantibus jure cognationis (ut videtur) sedere ad dexteram & sinistram ejus, cum ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth.20. Calicem passionis scilicet & meritorum. Apud Persas, qui Rex denunciatus erat, priusquam diadema sibi imponeret, ex recepto more ducebatur prius ad delubrum Deæ bellatricis & ibi calicem lactis acidi debebat exhaurire, uti fecisse Artaxerxen scribit Plutar-

archus in Artax. Quid mirum ergo, si & Christus Dominus, qui & ipse amarissimum doloris calicem exhausit, antequam intraret in gloriam suam, eundem vel similem calicem proponat exhauriendum, intraturis in gloriam alienam, si benemerita requirat ab ambitiosis?

Videat ergo quisque per quam januam intret ad honores, officia & dignitates. Si enim per aliam quàm per hanc ultimam intrarit, fur est & latro. Quid verò expectandum furi & latroni, nisi cruces & rotæ? Videat ingressurus ad honores & dignitates, ne per latam illam viam & spatiosam portam ingrediatur ad inferos.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

THEMATA.

I. *Summè veneranda & crebrò invocanda SS. Trinitas.*
II. *Omnia nostra opera in nomine SS. Trinitatis salubriter peragenda.*
III. *Quænam in SS. Trinitate Christiano imitanda.*
IV. *Summa & universalis Christi potestas quid à nobis requirat.*
V. *Quid agendum ut Christus sit nobiscum.*

THEMA I.

Summè veneranda & crebrò invocanda sacrosancta Trinitas.

I. *Quia ab ipsa creati sumus ad ejus imaginem.*
II. *Quia ab eadem conservamur & sustentamur.*
III. *Quia per ipsam reformari tres animæ nostræ potentiæ debent.*
IV. *Quia in nobis inhabitat velut in templo.*
V. *Quia ad vitæ cursum in cœlum dirigendum indigemus ejus auxilio.*
VI. *Quia velut cives cœli perpetuò eam laudabimus.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Matth. 38.

MEmorabile est, quod referunt Annales apud Baronium anno 668. & Cuspinian. mortuo Constante Imperatore successisse ei in imperio filium Constantinum cognomento Pogonatum seu barbarum. Qui cum haberet duos fratres natu minores, Tiberium & Heraclium, populi orientales magnis vocibus postulabant, ut hi duo fratres una cum primogenito pariter coronarentur: ut sicuti crederent in Sanctissimam Trinitatem, ita & à Principibus tribus regerentur. Pia quidem petitio; sauciavit tamen valde Constantini animum & ad invidiam pertraxit, adeò ut fratres naso truncaret & postea neci daret. Celebravimus hactenus solemnitates divinarum personarum separatim ab Adventu usque in hodiernum diem. Et per adventum quidem supplicavimus Deo Patri, ut mitteret nobis Filium. Eo misso, à natalitio ejus die celebravimus Festa Filii usque ad ascensionem ejus. Digresso à nobis Filio celebravimus elapsa septimana solemnitatem Spiritus sancti. Hodie incipimus simul & unitim trium personarum unionem in essentia, adeoque Deum unum & trinum una solemnitate celebrare, ut sicut in cœlo regnat inter beatos: ita & in terris regnet inter nos. O regnum acceptabile! ò Regem desiderabilem! ô amabile Sanctissimæ Trinitatis imperium! Quare accedamus ad hunc Regem nostrum & rogemus eum, ut ipse imperare nobis velit. Quod ut faciat, videndum ut ex parte nostra deferamus ei debitum honorem, subjectionem & obsequia, propter causas quas dicemus.

I. Quia à Sanctissima Trinitate creati sumus & quidem ad ipsius imaginem. Indicat id sacer textus: *In principio creavit Deus* (Hebr. *Elohim*, hoc est *Dii*, ob pluritatem personarum) *cœlum & terram: & spiritus Dei ferebatur super aquas.* In principio Filius, in Deo Pater, in spiritu Dei indicatur Spiritus sanctus. Insinuavit idem Deus, quando dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quemadmodum vero artifices solent suis operibus artefactis communiter imprimere nomen aut symbolum suum, uti fusores, pictores, sculptores, ensium & cultrorum fabri, aliique: ita Deus homini insculpsit suam imaginem, longè magis indelebilem, quam insculpserit Phidias ille nomen suum clypeo Minervæ (è quo nisi fracto clypeo eximi non poterat) ut sui auctoris memor eique gratus & subjectus esset. Consistit verò ea in tribus animæ intellectualis potentiis, memoria, intellectu, voluntate. Memoria receptaculum specierum quasi infinitarum, Patrem; intellectus, in quo sapientia consistit, Filium; Voluntas, in quo amor, Spiritum sanctum denotat. Neque solùm nos, sed etiam nostri causa mundum hunc creavit mira Patris potentia, Filii sapientia, Spiritus sancti bonitas,

I. Quia ab ipsa creati sumus ad ejus imaginem.

Adhæc quæ creavit nos, eadem in baptiſmo, quo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti abluti ſumus, etiam recreavit, & in filios adoptavit, fulgentiſſimaque gratiæ veſte exornavit. Ibi enim tota SS. Trinitas, quemadmodum in baptiſmo Chriſti præſentem ſenſibiliter ſe exhibuit, ita nobis inſenſibiliter adfuit; & Pater quidem nos in filios, Filius in fratres, Spiritus ſanctus in ſponſas ſuſcepit, gratiæque veſte condecoravit. Quando S. Otto Epiſcopus Bambergenſis in Pomeraniam profectus, gentem illam ad fidem perduxit & baptiſmo tingere cœpit, viderunt ipſi cives primò, deinde etiam Epiſcopus *jucundum ſanè ſpectaculum: in vultibus baptizatorum omnium videlicet, quendam jucundum & ſpiritualis gratiæ rutilare fulgorem, ita ut baptizati à non baptizatis, velut lux à tenebris facilè diſcerni poſſent: quidvè tenebroſus Dæmon ſuis cultoribus & quid Deus lucis auctor & amator ſuis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit.* Unde maximus ad baptiſmum populi accurſus fuit: qui priùs diu tergiverſatus erat. Ut eſt in vita S. Ottonis 2. Julii.

II. *Quia ab eadem conſervamur & ſuſtentamur.*

II. Quia ab eadem conſervamur & ſuſtentamur, non ſecus ac folia à ſua arbore, radii à Sole; neque ſolùm nos, ſed & orbis terræ, in qua degimus, univerſus. Hinc Iſaias cap. 40. ait: *Quis appendit tribus digitis molem* (Hebr. *pulverem*) *terræ?* q. d. ſicut inſtitor bilance librat aureos & retinet uno aut tribus digitis, verſatq; prout vult: ita Deus orbem terræ velut pulverem unum retinet tribus illis digitis, Patris potentia, Filii ſapientia, Spiritus ſancti bonitate. *Sunt hi tres digiti*, inquit Gloſſa, *Poteſtas Trinitatis.* Idem Chriſtus Dominus oſtendit ſancto Annonio Archiepiſcopo Colonienſi, quando *radiantibus oculis*, inquit Segebertus in ejus vita c. 58. *in ora ſtupentis comem ſe ac placidum ingerens, protenſis coram eo tribus ſiniſtræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens: Ecce Pater, moxque ſecundum: Ecce Filius: poſt hæc & tertium: Ecce Spiritus. Et vocem intra fauces paululum cohibens: Ecce tres, ait, in una Deitate ſimiliter adorandæ perſonæ, quibus gloria par dicitur ab univerſali ſemper Eccleſia.* Conſiderate hic Auditores, divinam majeſtatem & in nos miſeros ſupremam poteſtatem, qua nos in medio aëre quaſi capillo apprehenſos tenet tribus digitis, quos ſi diducat, mox in nihilum recidemus; utinam non multi in damnationis barathrum! Quantum blandiremur & quid non ſponderemus ei, qui ex turri pendulos in fune retineret, ut ne cadere permitteret! Et quomodo huic miſero auderemus inſultare? quomodo nos opponere? Jam non miror illud D. Hieronymi, ſeu potiùs Dydimi dictum lib. 3. de Spiritu ſancto. *Nulla venia conceditur in Trinitatem blaſphemantibus.* Quid enim hoc aliud niſi in ipſum remiſſionis principium delinquere adeoque truncare manum, à qua quis ſuſpenſus tenetur? ſuccidere ramum, in quo ipſe ſuccisor pedem figit? Certè Cynocephalus, quia ejus complexio & valetudo à Luna dependet, eaque creſcente proficit, decreſcente deficit; quando Luna in novilunio ſe abſcondit, & ipſe viribus deſtruitur, cibum reſpuit, demiſſo in terram vultu mœret; aciemque oculorum perdit. Quid igitur agat miſer? Erectus in anteriores pedes in ſpeciem precabundi Numen ſuum, Lunam, adorat; quaſi ſupplex rogans, ut ſuo reverſa lumine vires ei reſtituat; ſicque cum renovata Luna renovat recipitque vires ſuas. Refert Horus Apollo hierogl. 4. aliique. Quid nos ratione utentes homines? nonne à SS. Trinitate toti dependemus? Quid ſi Patris potentia vires corporis nobis ſubtrahat & volutari in ſtrato ægros ſinat? Quid ſi Filii ſapientia rationis uſum auferat? Quàm miſerum animal eſt homo ratione deſtitutus? Quid ſi Spiritus ſancti bonitas ſuſtentationem, cibum & potum aliaque neceſſaria? Quæ lamentatio? quis clamor deficiente pane aliiſque vitæ neceſſitatibus?

III. Quia ab ejus influxu Trinitas potentiarum noſtrarum, intellectus ſcilicet, memoriæ & voluntatis poſt naturæ lapſum depravata reformari debet. Memoria poſt lapſum illum beneficia nobis collata in aquam ſcribit & obliviſcitur: injurias verò illatas in æs incidit & alta mente reponit animoque verſat: quæ ſibi debentur, meminit; quæ Deo & aliis debet, oblivione ſepelit: quæ utilia & ſalutaria dicuntur in concione & piis colloquiis aut libris, neglectui habet: quæ curioſa, ludicra & inutilia ſunt, obſervat: inſtar cribri, in qua paleæ remanent, triticum perfluit. Intellectus noſter aliorum defectus & peccata acutè videt, in propria cæcus eſt: ad terrena lynx eſt, ad cœleſtia talpa. Voluntas noſtra ad ea, quæ prohibita & mala ſunt, prompta & expedita eſt: ad virtutes languida: terrena ei ſapiunt, cœleſtia deſipiunt. Eget igitur hæc trinitas noſtra reformatore aliquo, qui perpetuò eam corrigat & concupiſcentiis depravatam renovet. Hic verò quis alius niſi divina illa Trinitas, à qua & ad cujus imaginem noſtra efformata eſt? Pater ut ex memoria deleat ſpecies rerum vanarum, turpium, illicitarum, injuriarum: inſerat ſpecies rerum divinarum, piarum, honeſtarum, beneficiorum à Deo aliiſque perceptorum, ipſius Dei & cœleſtis beatitudinis. Filius ut in propriam conſcientiam magis, quàm in alienam perſpicax ſit: cœleſtia potiùs quam terrena intelligat, de Deo quàm de rebus creatis cogitet. Spiritus ſanctus ut languorem voluntatis noſtræ ad virtutem ſtimulet, quò cœleſtia ſapiat, amet & ambiat, terrena verò deſpiciat. Rurſum reformabimus memoriam, occupando eam in recordatione beneficiorum à Deo acceptorum; Dei ubique præſentis & omnia noſtra inſpicientis. Intellectum, occupando eum in meditatione vitæ Chriſti, lectione piorum librorum, auditione verbi divini, converſatione cum patre ſpirituali. Voluntatem, conſiderando amorem Dei erga nos, noſtram ingratitudinem: bonorum cœleſtium nobis promiſſorum excellentiam, terrenorum vilitatem. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate c. 29. omnia

paucis

paucis complexus sic precatur: *Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te.*

IV. Quia in nobis inhabitat velut in templo suo, si tamen justi sumus. Ita enim Christus Joan. 14. ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* una videlicet cum Spiritu sancto qui & ipse inseparabilis est à Patre & Filio. Manet autem non sicut Imperator, v. g. in hospitio publico; ad quod divertit ex itinere: sed sicut in domo amici, ad quam divertit, ut effundat ibi gratias suas, converseтur & delicietur. Hac ratione & in hujus rei figuram misit tres Angelos ad Abraham, ut hospitio ejus uterentur & filium ei promitterent ex senili & sterili uxore. Genes. 18. Fuisse autem tres illos Angelos typum SS. Trinitatis, inde colligitur, quia illos velut unum adoravit & affatus est: *Domine si inveni gratiam, &c.* ut cum Ecclesia, (quæ canit: *tres vidit & unum adoravit*) sentit Ambrosius, Eusebius, Cyrillus, Quare sicut Abraham maximo studio & solicitudine servivit hospitibus illis, apparavit prandium, lavit eorum pedes: ita cogitandum nobis solicitè, quos honores, quæ obsequia debeamus exhibere supremæ illi majestati SS. Trinitatis, ut in nos velut amicos suos effundere gratias suas dignetur. Unde Apostolus 1. Cor. 6. monet: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quando vir honestus & dignitate conspicuus domum nostram ingreditur, auferimus è medio, quidquid indecorum videtur & oculos ejus offendere potest. Quanta ergo solicitudine tollendum est è corde nostro omne peccatum, quod solum & gravissimè Deum offendit? Sanè Zachæus quando in domo sua vidit se habere Christum, hospitem tam sanctum & cœlestem, mox iniquum mammona ab ejus oculis a[...]re & restituere aliena fategit. Luc. 19. Idem nos faciamus: non hæreat in nobis vel ad unum diem, non modò grave, sed nec leve peccatum, quod non mox pellamus per displicentiam & contritionem: econtra paremus ei exemplo Zachæi gratissimum convivium è piis operibus; manè quasi prandium, invocando ejus opem: vesperi quasi cœnam, gratias agendo.

V. Quia ad vitæ nostræ cursum in cœlum dirigendum maximopere ipsius SS. Trinitatis directione indigemus. Æsopus, ut ferunt, solus incedens cum interrogaretur ab apparitoribus, quò iret; respondet, *nescire se.* Magistratus id responsum pro derisione habens & iniquè ferens, in vincula eum conjecit. Quare Æsopus: *Iam bene igitur nescire me dicebam, quo irem: nesciebam enim quod in carcerem iturus essem.* Idem quoque nos omnes dicere possumus in cunctis viis nostris, quia *incerta providentia nostra.* Sap. 9. Unde Sapiens Prov. 20. *A Domino diriguntur gressus viri,* ait: *quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Quod si rebus aliis verè dici potest, multo magis de viis, quæ ad Deum dirigunt. In his enim tribus indigemus medicis: viribus, ut possimus: sapientia ut sciamus: promptitudine, ut velimus. Opera ergo SS. Trinitatis ad hoc nobis opus est: Patris potentia, ut possimus vincere difficultates: Filii sapientia, ut cognoscamus finem, & intelligamus viam & eligere possimus media: Spiritus sancti bonitate, ut alliciamur & propellamur ad ambulandum & bene operandum. Veteres ingressuri viam, Herculi sacrificabant, teste Festo Pompejo lib. 14, ~~Alex. ab Alex. l. 3 cap. 22.~~ quo nimirum viæ eorum dirigerentur ab eo, qui plurima confecit itinera, & quem, ne corruerent aut læderentur, sibi suis viribus auxilio futurum credebant. Habeant illi Herculem suum: noster viæ ductor est SS. Trias, quæ nos potentissimè defendere Patris potentia: certissimè dirigere Filii sapientia: suavissime impellere Spiritus sancti bonitate & amore potest. Unde bene Ecclesiasticus cap. 11 ait: *Sapientia & disciplina & scientia legis apud Deum. Dilectio & via bonorum apud ipsum.* Et Psalm. 107. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Quia etiam ipsa voluntas bona ad ambulandum in Dei lege, Dei donum est. Et vide DEUM auxiliantem: *Cum ceciderit, non collidetur,* subdit, *quia Dominus supponit manum suam.* Hanc suppositionem operatur brachium, manus & digiti. Brachium Deum Patrem, manus Filium, digiti Spiritum sanctum repræsentant. Hic est noster Hercules, hunc invocemus. De sancto Benedicto in solitudine degente scribit B. Petrus Damiani sermon. 8. in Vigilia sancti Benedicti: *Tres corvi per omnem viam individui sibi comites fuerunt, ejus assiduè vestigia prosequentes: hodieque in sylva, quæ venerabili monasterio Cassini montis adjacit, duo, sive, ut ferunt, tres corvi annua semper revolutione nidificant; quos ab illis antiqui temporis corvis nonnulli prodire per traducem seminis asseverant. Et reverà quotidie monasterii foribus advolant, crocitantes & alas ac rostra pandentes, solitam escam, velut debitum censum ex vetustæ possessionis jure deposcant.* Sic ille. Non dubito S. Benedictum in his 3. avibus contemplatum esse SS. Trinitatem, viarum suarum ducem comitemque. Cogitemus idem & nos, atque ut SS. Triadi gratos nos exhibeamus, singulis pensum orationis alicujus ei deferamus.

VI. Quia cives cœli sumus, ubi una cum SS. Angelis SS. Trinitatem perpetuo laudabimus una voce cantantes: *Sanctus, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus,* Isa. 6. Cum enim singula Dei opera in illa contemplabimur; in singulis aspectibus novo gaudio perfundemur & prorumpemus in admirationem & laudem illam Dei: *Sanctus, sanctus, sanctus;* & hoc sine fastidio ac defatigatione, novo semper gustu per omnem æternitatem. Qui igitur Angelorum cives futuros nos speramus, eorum linguam hic addiscere nos oportet. Quare Ecclesia docuit nos, quoties signo crucis frontem pingimus, toties simul commemorare id mysterium. Simillimam Triadis doxologiam Deo decantare docuit monuitque puer in sublime raptus tempore Theodosii

VI. *Quia videlur cives cœli perpetuo eam laudabimus.*

dosii junioris, contra terræ motum Constantinopoli grassantem, ut alibi dictum. Eandem Leo VI. Imp. militibus suis quotidie recitandam indixit. Insinuavit hoc idem Deus in V. T. quanquam obscurè, quando cum Abrahamo fœdus iniens ei præcepit: *Sume tibi vaccam triennem & capram trimam & arietem annorum trium*; ad sacrificandum scilicet. Gen. 15. Ad quid hæc animalia è triplici quadrupedum genere, & trium annorum singula præcipiuntur sacrificanda? nonne typum Trinitatis insinuant Abrahamo? Rursum Levit. 6. v. 15. præcipitur, ut sacrificium de farre sit pugillus similæ, conspersæ, oleo, thureque superposito. Ubi simila primam Trinitatis personam, oleum secundam, thus tertiam, non obscurè indicat. Anna quoque mater Samuelis in tribus vitulis & tribus modiis farinæ obtulit Deo filium suum. 1. Reg. 1. ut videlicet unà cum filio munera sua Deo offerret. Ipsi denique Magi Gentiles tria Christo nato attulerunt munera. Videntur ergo omnia Trinitatem colere velle; quia omnes esse beati cupiunt. Ergo si inter beatos & SS. Angelos esse aliquando volumus, laudemus & veneremur hîc cum illis SS. Trinitatem, quam venerantur ipsi in cœlis.

Trip. in F. Trin. C. I. G.

THEMA II.

Omnia nostra opera in nomine SS. Trinitatis salubriter peragenda.

I. *Vt monstremus nos esse servos Dei trini.*
II. *Vt sciamus opera sine ipsa perfici non posse.*
III. *Vt opera Deo digna peragamus.*
IV. *Vt sciamus opera nostra ad ipsam dirigenda.*
V. *Vt SS. Triadi nos conformemus.*

Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Matthæi 28.

ANno 1601. Clemens Papa octavus retulit in Sanctorum album Virginem Deo sacram ex Ordine S. Dominici, nomine Agnetem de Montepolitiano ex Hetruria Italiæ. Huic apparuit aliquando Deipara Virgo, tres ei pulcherrimos lapillos porrigens ac dicens: *Scito filia te sacras mihi ædes excitaturam; quocirca hos tres lapillos cape & effice, ut quævis tua ædificatio constantissimæ fidei individuæ Trinitatis fundamento nitatur.* Ita Lipelous 20. April. ex Bulla Clementis VIII. Videtur hoc Deiparæ monitum spectare etiam ad nos, Auditores; saltem aliqua ex parte. Templum Dei sumus nos, sæpiùs attestante Apostolo, uti 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis?* ædificati in baptismo supra fundamentum SS. Trinitatis, in cujus nomine baptizati & sanctificati sumus. Verùm adhuc superest perfectio hujus templi, ornatus bonorum operum & virtutum, à nobis adjungendus, ut docet S. Basilius homilia 10. in Hexam. (*Per imaginem animæ impressam meæ*, inquit, *obtinui rationis usum: verùm Christianus effectus utique similis efficior Deo.*) quò nimirum mereamur imaginem gloriæ ejus recipere in fine. Quemadmodum ergo in tribus pulcherrimis lapillis, Patre, Filio & Spiritu sancto velut in fundamento extructi sumus: ita eorum opera & auxilio perficiendi & bonis operibus exornandi sumus. Vidit hoc sancta mater nostra Ecclesia, quæ omnes suas preces, horas, missas, conciones, sacramentorum administrationes inchoat ab invocatione SS. Triadis. Decet igitur ut matrem imitentur in hoc filii; idque ob plures causas.

I. Ut monstremus quales simus structores & operarii, fideles scilicet & servi SS. Trinitatis. Hebræi ut se veri Dei cultores ostenderent, appellabant ipsum *Deum Abraham, Isaac & Iacob*, uti docuit eos Dominus; & fecit Daniel cap. 3. v. 35. Hos enim ipsorum patres Dei veri cultum habuisse eique gratos fuisse ostendit ipse Deus, qui se Deum, trium illorum fidelium servorum suorum voluit nominari. Nos verò Christiani, ut veri Dei trini & unius cultores, à Judæis æquè ac Gentilibus distinctos, per invocationem SS. Trinitatis nos esse demonstramus. Etenim SS. *Trinitatis mysterium*, ut ait S. Basilius adversus Eunomium, *Christianorum & religionis nostræ maximè proprium dogma est, per quod distinguimur à Gentilibus & Iudæis: cùm hi unicum Deum agnoscant in persona unica; illi plures Deos naturis ac personis.* Servi Turcarum empti vel capti stigmatibus, quæ dominorum symbolum indicent, notantur, ne ab ipsis facilè profugiant. Nos ut Dei veri servi ab omnibus agnoscamur, SS. Trinitatis velut Dei ac Domini nostri symbolum fronti nostræ inscribimus & operibus nostris præmittimus. Scimus enim opera infidelium Deo grata non esse. Confitemur ergo nos à Deo creatos, redemptos & sanctificatos esse: Patri creationem, Filio redemptionem, Spiritui sancto sanctificationem nostram attribuimus. Quia verò Deus exosa etiam habet opera peccatorum: idcircò ad initium cujuscunque operis salubriter invocamus Sanctissimam Trinitatem, ut nos etiam servos ad omnem ejus voluntatem paratos & peccati hostes esse protestemur. In Concilio Nicæno pro tessera Christianorum institutæ fuerunt litteræ, quæ *formatæ* appellabantur, cum inscriptione harum quarum litterarum π. υ. α. π. quæ sunt initiales nominum πατὴρ, υἱὸς, ἅγιον πνεῦμα, hoc est, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Abique isthac tessera non recipiebantur pro Christianis, ut patet ex Cardinale Baronio anno 325. Quare ut opera nostra Deo accepta fiant, decet ea consignare tessera fidei, invocatione sanctissimæ Triadis. Qua re etiam monemur ut ne aliquid indignum Deo nostro admittamus. Sic tem-

pla

pla cruce insigniuntur, ut sacra esse sciantur, prophanis rebus interdicta.

II. Ut sciamus opera nostra sine ipsa perfici non posse. In omni enim opere tria requiruntur: scilicet ut possimus, sciamus & velimus operari; quemadmodum ad opera manualia tria concurrunt, brachium, manus & digiti: brachium, à quo manus & digiti prodeunt, Deum patrem notat, ut Tertullianus in prax. cap. 3. notat. Manus, à qua digiti, Filium: Digiti, qui è manu simul & brachio, Spiritum sanctum, ut advertit Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 6. Ergo ad operandum requiruntur primò vires ut possimus. His caruit Miphiboseth, qui cùm vellet sequi Davidem, vires non habuit, utpote claudus, 2. Regum 19.

2. Prudentia ut sciamus. Hac caruit Samson, dum secretum aperuit mulieri, cæteroqui fortis. 3. Voluntas, quâ caruit Salomon, dum sciret quidem abstinendum à mulieribus alienigenis, noluit tamen. Pilatus poterat Christum absolvere, & nôrat ejus innocentiam, itaq; potestatem & scientiam habuit, robur tamen voluntatis, non habuit. Potentiam Patri, Sapientiam Filio, Voluntatis motum Spiritui sancto appropriamus. Jam ergo quia opera quędam difficilia sunt, indigemus potentia. Quàm difficile erat Judithæ, utpote mulieri, Holofernem Ducem strenuum plectere capite! Idcircò priusquam id faceret, oravit: *Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut hoc, quod credens pro te fieri posse cogitavi, perficiam.* Judith. 13. Deinde egemus sapientia, ut agendo non erremus. Hac *qui indiget, postulet à Deo*; inquit S. Jacobus cap. 1. Indiguit certè Salomon ad gubernandum populum & discernendum verum a falso, petiitque 3. Reg. 3. nec non Sapient. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*; eamque impetravit à Deo. Indigemus denique pectore & cordata voluntate, ut ne terreamur. Difficile est præbere collum carnifici, pro fide Christi amputandum. Ad hoc verò agendum roboravit commemoratione sanctissimæ Trinitatis filium adhuc puerum sancta Dionysia, nobilis matrona in Africa, quæ à Wandalis Arianis ad martyrium ducta, cùm videret filium timere inter carnifices, eum nutu oculorum primũ, deinde voce sic animavit: *Memento fili mi, nos in nomine Trinitatis baptizatos in matre Catholica: non perdamus indumentum salutis nostræ, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem & dicat ministris: mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* Sic confirmatus filius velociter martyr effectus est. Vict. Utic. in persecut. Wandal. l. 3.

III. Ut sciamus opera nostra, quæ facturi sumus, talia esse debere, ut sint digna Deo, digna luce & aspectu, non solum hominum, sed etiam sanctissimæ Trinitatis. *Qui facit veritatem*, inquit Dominus Joan. 3. *venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Veritatem intellige practicam, seu id, quod rectum & justum est, quodque Deo placet ejusque conspectu dignum est. Hoc ut fiat, prodest inchoare opera omnia in nomine sanctissimæ Triadis, ut sic in Deo, hoc est, velut in conspectu Dei fiant. Livio Druso architectus quidam ædes se structurum recipiebat, in quas ex nulla alia domo esset prospectus. *At potius*, inquit ille, *ædifica mihi domum, si potes, in qua quidquid agam, universus populus Roman. videre possit.* Ludovicus Vives de Christ. fœm. lib. 2. Similiter Acacius Berrhoeæ in Syria Episcopus ædes suas somni, cibi & quovis alio tempore omnibus patere voluit: ut cùm plures spectatores haberet, nihil nisi quod honestum esset & pium, vel ageret vel meditaretur, veritus semper ex improviso advertantium turbam. Nicephorus libro 12 cap. 47. Hunc in modum opera nostra in nomine sanctissimæ Trinitatis rectè inchoantur, ut sic tanquam in conspectu summæ majestatis & in Deo Patre, Filio & Spiritu sancto fiant, velut opera lucis. Cogitemus ergo cùm quid facere molimur, nos in aperta domo seu in publico versari, sive comedamus, sive eamus cubitum; sive aliud quid agamus; siquidem spectatorem & arbitrum actionum nostrarum invitavimus Deum trinum. Gemma Jonace nascitur *Triophtalmos* dicta, quod tres hominis oculos exprimat. Plinius libro 37. capite 11. Talis est sancta Trinitas, trioculeris scilicet, seu, ut Divus Gregorius Nazianzenus appellat, lumen unum in triplici face. Triplici illo oculo contemplatur opera nostra; jure ergo merito cauti & attenti in omni nostra actione esse debemus.

IV. Ut sciamus actiones nostras ad sanctissimam Trinitatem; velut ad fontem & originem earum aliarumque rerum omnium esse dirigendas: *quoniam*, ut ait Apostolus ad Rom. 11. *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, intellige ex Patre, a quo velut primo principio omnia promanant: Per ipsum, intellige per Filium, per cujus sapientiam omnia facta sunt & fiunt: In ipso intellige in Spiritu sancto in quo velut in amore Patris & Filii, & quasi in fine omnia terminantur. Opera nostra rursum fiunt ex Deo velut à causa excitante, per Deum velut à causa comitante & cooperante: in Deo velut in finem & scopum. Insidiatur Dæmon operibus nostris, ut ea sibi rapiat aut perdat per inanem gloriam aliosque terrenos fines. Præveniendus est igitur; quod fiet, si opera nostra inchoëmus à sanctissima Trinitate, ipsique transcribamus velut fonti, unde promanant; quemadmodum & Christus omnia sua opera retulit ad Patrem. Cujus rei typum ostendit Aaron, qui sacrificaturus jussus est a Deo gestare in fronte laminam auream eique inscribere: *Sanctum Domino.* Exod. 28. In Hebr. est nomen tetragrammaton, quod mysterium Trinitatis non obscurè continet cum essentiæ unitate in quatuor illis litteris. Igitur in fronte seu initio cujuscunque operis pii sanctissimam Trinitatem

Ut sciamus opera nostra ad ipsam dirigenda.

Trip. in hoc F.C 1.B.7.

nitatem pingendam & invocandam monet aurea illa lamina, ut sit sanctum Deo & sanctissimæ Trinitati. Eò tendit sanctus Paulus cùm 1.Corinth.10. ait: *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Contraponit enim Christianos Gentilibus, qui vinum & escas suas prius Idolis immolabant, postea ex mensa Idoli ad mensas suas transferebant & ad ejus honorem sumebant; vultque ut econtrà Christiani cibos suo Deo verò quasi immolent, sumendo eos ad gloriam ejus: idemque faciant in aliis operibus. Unde olim moris fuit apud Christianos, ut initio operis se signarent more adhuc recepto, q. d. Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut indicat Tertullianus lib. de corona mil. Et sanctus Hieronymus ad Eustochium. Quod etiamnum in plerisque sacris functionibus facit Ecclesia, inchoans & finiens orationes, sacra, conciones, sacramentorum administrationes, nomine Trinitatis, ut in gloriam Dei fiant, & hostis humani generis nihil inde delibet. Si Gentilis prior immolasset cibum Idolo, nihil inde gustabat Christianus: & vicissim, si Christianus benedixit mensam, non edebat inde Gentilis. Pari ratione si mox opera nostra immolemus SS. Triadi, nihil inde sibi rapiet Diabolus.

V. *Ut sanctissima Triadi nos conformemus.*

V. Ut animæ nostræ sanctissimam Trinitatem fortiùs imprimamus eique nos conformemus. Hac enim de causa ait S. Ambrosius libro 1. de Jacob, cap. 4. baptismum administrari in nomine Trinitatis ejusque invocatione, ut baptizati sanctissimæ Triadi similes evadant; quo modo Jacob virgas triplicis speciei, populeas, amygdalinas, & plataninas, ex parte decorticatas misit in aquam, de qua biberent oves, ut similes virgis illis fœtus conciperent. Genes. 30. Amygdalina virga Patrem, principium reliquarum personarum, indicat; quia amygdalus prima omnium arborum floret. Populea, Filium; quia populus folia ex una parte alba, ex altera habet nigra: sicut Dei filius ad naturam, quam ab æterno habuit, divinam, assumpsit & humanam. Platanina Spiritum sanctum, quia platanus præ omnibus arbor maximè umbrosa est: quod etiam tribuitur Spiritui sancto. Luc. 2. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Jacob igitur *potaturis ovibus*, ait Ambrosius, *virgam styracinam & nucinam & de platano* (per primam intelligit Patrem, per secundam Filium, per tertiam Spiritum sanctum.) *proponebat in canalibus, quò concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria haudquaquam decolores fœtus piæ mentis conceptione formarent. Bonæ oves, quæ bonorum partus operum, fidei sacræ non degeneres ediderunt.* Ita Ambrosius loco citat. Aqua benedicta crebrò nos aspergimus, ut recordemur baptismi nostri: sic etiam decet ut opera nostra inchoëmus cum sanctissimæ Trinitatis nomine & invocatione; quo sciamus in eo nomine nos baptizatos esse, ut ei quoad fieri potest similes efficiamur, & talia opera edamus, qualia ipsa demonstrat. Qualia verò illa? Primò summa concordia inter tres personas, licet inter se oppositas; quod enim una vult, & hoc altera: quod una ad extra facit, facit & altera.

2. Tres illæ personæ ad intra proprias quidem habent operationes, ad extra verò communes, & simul omnes omnia operantur. Unde Joannes 5. ait Christus: *Non potest filius facere à se quidquam, nisi quod patrem viderit facientem. Quæcunque fecerit pater, hæc & filius similiter facit.* Hunc in modum nos in privatis quidem pietatis exercitiis & vivendi modo proprium sequi gustum possumus: in publicis tamen accommodare nos communi piorum & sapientum modo deberemus, & vitare singularitatem, verbi gratia, cum aliis jejunare, orare, supplicatum vel ad templum ire, confiteri, communicare. Luciferum, non Deum, sectantur singulares. Is enim cæteris Angelis coram Deo assistentibus (Dan. 7.) solus ajebat: *Sedebo in monte testamenti & similis ero altissimo.* Isaiæ 14. nolens cum aliis Angelis bonis Deo se subjicere. Hinc S. Augustinus lib. 19. de civit cap. 12. benedixit, superbum, dum consortem habere non vult, sed singularis esse cupit, perversè Deum imitari, quippe qui Deum non exprimat, cùm ipse in essentia unus, & in personis perfectissima concordia junctis trinus sit. Qui ergo Deo similis esse vult, nequaquam singularis, sed arctissima cum fratribus unione conjunctus sit, prout monet Apostolus ad Galat. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Iudæus, nec Græcus: non est servus, nec liber: non est masculus nec fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.*

THEMA III.

Quæ in sanctissima Trinitate imitanda Christiano.

I. *Inspectio sui ipsius.*
II. *Amor Dei jam cogniti.*
III. *Concordia animorum in diversis statibus & conditionibus.*
IV. *Communicatio bonorum.*
V. *Zelus honoris mutui.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Matth. 28.

Sanctus Edmundus Anglus, Cantuariensis Archiepiscopus, cùm Parisiis adolescens operam liberalibus artibus daret & jam Geometriam sociis suis prælegeret, circulis & figuris aliis Mathematicis effingendis insudans, mater ejus sanctissima, nomine *Mabtika*, in somnis ei apparuit ac quæ sivit quid sibi vellent figuræ, quibus adeò intentus esset.

Ille

Ille ubi respondit, quod visum fuit, mater apprehensa manu ejus tres in ea circulos pinxit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum ordine eos appellans, addiditque: *Hisce deinceps figuris, fili mi, intentus esto, omissis istis, quibus te occupas.* Tum ille matris vocem intelligens, mox ad Theologiæ studium se transtulit. Ita habet ejus vita apud Sur. 16. Novembr. Videtur mihi hæc sancta mater non filium tantum suum, sed omnes mundi sectatores piè redarguere. Quid enim illi faciunt aliud nisi circulos terræ pingere, eamque inter se per circulos & districtus dividere, dimetiri & pro ea litigare? Quid agitis? inquit sancta hæc mater; Cur non potius studetis tribus illis circulis sanctissimæ Trinitatis, in quibus vera sapientia & omnis thesaurus latet? Bene est ò Mabilia. Sed videris nos remittere ad difficile nimis studium, de quo ipse sanctus Paulus in hod. Epistola exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Verum est audit. Sciendum tamen studere non esse otiari, sed impensè laborare. Cortex frangendus est, si nucleum edere volumus. Hoc ergo nunc agamus.

I. Pater ab æterno seipsum cognoscens & quasi in speculo inspiciens, ac comprehendens suam divinam essentiam, format intra se conceptum & imaginem vivam sui ipsius, quæ est filius *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus.* (Hebr. 1.) *& imago ejus invisibilis* (ad Coloss. 1.) in qua imagine sibi immensum placet, ita ut ea sola beatus & contentus, nihil aliud requirat. Imitabimur in hoc Deum pro modulo nostro, si & ipsi consideremus & inspiciamus assiduè, non alios, sed nos ipsos. Sic enim producemus & ipsi in nobis pulcherrimam imaginem, contemptum nostri. Audiamus de hoc sanctum Bernardum libro 2. de Considerat. ad Eugen. cap. 3. *A te tua consideratio incipiat; non solum autem, sed in te finiatur: quocunque vageris, ad te revocaveris eam cum salutis fructu: tu primus, tu ultimus tibi. Sume exemplum de summo omnium patre, Verbum suum & emittente & retinente. Verbum tuum consideratio tua, sic procedat ut non recedat, sic progrediatur ut non egrediatur; sic exeat ut non deserat.* Insinuat enim Eugenio Papæ, ut memor sit, quod ex paupere Monacho sit factus Summus Pontifex; uti magis exprimit cap. 5. Deus simplex substantia est, nos compositi sumus ex anima & corpore. Videamus quid sumus secundum corpus. Terra utique, quia ex terra. Unde Adam à terra rubra Adami nomen accepit, ut in ea velut in speculo seipsum contemplaretur, quoties terram aspiceret. Quare ubi sui oblitus, Dei similitudinem appetere cœpit, audiit: *Terra es & in terram ibis*; q.d. Adam vocaris & Adam es & in Adam ibis. *Quid superbis terra & cinis?* Ecclesiasti 10. Sic voluit Deus ut Moyses virgam manu gestaret eaque omnia prodigia coram Pharaone patraret, ut memor esset se pastorem fuisse & pastorali virga pecora egisse. Secutus hoc exemplum Amicus R.E. Cardinalis, qui agnum cum adjecto libro pro insignibus sibi elegit & præferre non erubuit, quod patre opilione natus esset, ut jam alibi retuli. Taceo Viligisum & Agathoclem, eadem demissione celebres. Porrò secundum animam videamus, non quales alii, sed quales nos simus, juxta id Joannis in epist. 2. monitum. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis:* Multi aspiciunt alios, & seipsos negligunt: unde fit ut steriles sint & inanes omni virtute. Moysi dixit Deus: *Mitte manum tuam in sinum tuum.* Quod ubi fecit Moyses, eduxit leprosam, Exod. 4. Sic nos, qui communiter persuademus nobis ipsis, habere nos manus nitidas & ab omni labe immunes; si eas mitteremus in sinum nostrum, sæpe educeremus oppidò leprosas. Quatuor animalia Ezech. 1. prorsum duntaxat aspiciebant, ad suos nimirum gressus, non ad alienos. *unum quoque ante faciem suam gradiebantur;* sine corporis conversione seu circumspectione ad alia. Vel ante faciem suam, quia seipsa non alia adspiciebant. *Oculi sapientis in capite ejus: oculi stultorum in finibus terræ.* Prov. 17.

II. Cognitionem illam & comprehensionem suiipsius, per quam filius gignitur, immediatè sequitur amor inter Patrem & Filium: & hic amor est Spiritus sanctus. Imitabimur & nos in hoc sanctissimum Trinitatem, si postquam Deum cognovimus, etiam amemus. Qui enim Deum cognoscit, quomodo non amare potest? spernit Deum, qui non æstimat: qui non æstimat, non cognoscit. Quod est adeps in carne, hoc est amor in homine. Sine adipe arida est caro, & insipidus homo sine amore. Hac de causa Deus adipem intestinum hostiarum immolatarum sibi adoleri & incendi præcipit, Levit. 3. & puniit morte filios Heli, qui adipem Deo immolari non permittebant, sed sibi rapiebant. 1. Reg. 2. Adeps ille amorem significat qui aspera quæque lenit & sapida ac grata facit. Hunc sibi Deus impendi vult. Sine hoc aridum & insipidum est, quidquid ipsi damus. Hinc munera Caini non placuerunt ei, quia solum erant è frugibus terræ: Abelis placuerunt, quia ex adipe erant; adeoque una cum munere amorem & cor suum dabat. Hoc est quod Prov. 13. Deus petiit: *Præbe mihi fili mi, cor tuum.* Nec mirum, quia & ipse dedit nobis cor suum, Filium inprimis, qui sua morte nos à morte & dæmonis servitute eripuit, deindè Spiritum sanctum. Amor non vult nisi amore compensari. Cætera obsequia pecunia aliisque modis compensari possunt, ut si mihi pingas, cantes, labores; non est opus ut vicissim tibi pingam, cantem, laborem, sed contentus es pecunia: at qui amat, redamari vult. Si non esset inter Patrem & Filium mutuus amor, adeoque Spiritus sancti beatitudo & gaudium non esset, Deus non esset. Ita sine amore Dei nemo ei placere, nemo esse beatus potest. Denique communicavit nobis etiam imaginem suam, & impressit memoriæ, intellectui, voluntati; fecit insuper nos supremos mundi

II. *Amor Dei jam cogniti.*

dominos: omnia nobis ſubjecit & conſervat uſque hodie. Quis talem Dominum non amet? Parum erat, quòd ſolum inteſtinorum adipem peteret Deus ex hoſtia. Et quid magnum exigit à nobis ſi amorem exigit, qui ſic prior nos amavit?

III. *Concordia animorum in diverſis ſtatibus & conditionibus.*

III. Tametſi inter tres divinas perſonas maxima eſt oppoſitio, utpote inter patrem & Filium, inter utrumque & Spiritum ſanctum ita ut impoſſibile ſit unius rationem alteri convenire; coëunt tamen in ſummam unitatem & identitatem eſſentiæ. Unde Chriſtus ait: *Ego & Pater unum ſumus.* Pater eſt origo, nec habet originem. Spiritus ſanctus habet originem, nec eſt origo. Filius eſt origo & habet originem. Hunc in modum nos licet genere, natione, ſtatu, ſexu, conditione, ætate, &c. diverſiſſimi ſimus, in fide tamen & charitate unum eſſe debemus: quemadmodum de primis Chriſtianis ait Lucas Actorum 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Erant inter illos variarum nationum homines, qui in die Pentecoſtet converſi ſunt, ex Judæis & Gentilibus, Samaritanis, Græcis, Latinis, ſibi priùs infenſiſſimis, omnes tamen in Chriſto unum erant; quia uno Spiritu ſancto colligati. Et hoc petiit à Patre Chriſtus Joan. 17. *ut ſint unum ſicut & nos,* inquit. Hujus rei figura fuerunt quatuor animalia currum Evangelii trahentia apud Ezechielem cap. 1. admodum diſſimilia. Bos enim tardiſſimus eſt, aquila velociſſima. Leo ferociſſimus, homo natura manſuetiſſimus: omnia tamen pari contentione, concordia & pace currum trahebant. Duravit in Eccleſia diu ſumma illa unio, teſte Tertulliano Apolog. 39. ita ut Gentiles dicerent de Chriſtianis: *Ecce quomodo ſe amant! quomodo pro ſe invicem mori parati ſunt!* unde tunc omnes *fratres* ſe appellabant. Et ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 2 de pace contra Arianos ait: *Non minùs quàm ipſa ſecum divinitas (niſi hoc nimis magnificè dictum videatur) inter nos* (Catholici) *conſentimus concordeſq; ſumus, labiumque unum & vox una exiſtimus: animo atque ore Patrem & Filium & Spiritum ſanctum celebramus idque de nobis prædicitur, quòd verè in nobis ſit Deus, eos, à quibus unitur, uniens.* Hac eadem ſanctiſſimæ Trinitatis unione inſtructi & armati in fidei confeſſione unanimes perſtiterunt in tormentis tres illi Martyres Perſæ: Manuel, Sabel, Iſmaël, cùm eſſent è Perſia Legati ad Julianum Imp. Apoſtatam miſſi ad ſanciendum fœdus. Cùm enim initiò honorificè habiti, poſteà ab impio Imp. ad impia ſacrificia invitati, renuiſſent iis participare, quòd Chriſtiani eſſent, ad carcerem & tormenta tracti ſunt. Inter quos cùm Manuel ſeparatim vexaretur ac tentaretur, reſpondit is Imperatori: *Neſcis quænam ſit nobis ſententia, cùm ſimus unus uni colligati & unum omnes ſentiamus? Aut ergo tres ſupera, aut à tribus recede. Eſt venerandus numerus ternarius, quo nos ſumus honorati. Sancta Trinitate nos tres ſumus muniti, à qua nobis quoque adeſt, ut ſimus uniti & ut maneamus infracti. Quæ enim ſunt unius, trium eſſe exiſtima.* Ergo martyrio affectos, terra ſe ultrò aperiens eodem tumulo recepit clauſitque. Ita in eorum Actis apud Sur 17. Junii. Hac ratione ſi modo Chriſtiani inter ſe uniti forent, contra omnes hoſtes invicti forent.

IV. In tribus illis Perſonis ſumma eſt bonorum omnium communicatio, quanta nimirum poſſibilis eſt. Pater enim totam ſuam ſubſtantiam ac divinitatis theſaurum infinitum communicat Filio. Rurſum Pater & Filius Spiritui ſancto, ſolis perſonalitatibus, ut quæ aliis communicari nequeunt, quæque illas ab invicem diſtinguunt, ſibi retentis. Adhæc ſanctiſſima Trinitas homini etiam imaginem ſuam communicavit: dando ei memoriam, intellectum, voluntatem, ut dixi. Imitari nos hoc poterimus, ſi facultates & bona noſtra, quibus carere poſſumus; maximè ea, quæ dando non auferuntur nobis, ut ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia, egentibus communicemus: quo modo nimirum Pater non ſolùm amat Filium, ſed etiam bonum ſuum omne ei communicat, & uterque Spiritui ſancto. Non ergo corde ſolùm ſed & opere diligendus proximus. Tradunt Medici venam quandam medio in corde reperiri, quæ ad brachium extenditur. Ita Joannes Valver. quodlib. 6. tal. 5. ſiniſtrum ramum grandis arteriæ è corde ad ſiniſtrum brachium produci aſſeverat. Quid hìc docet natura, niſi corde ſimul & brachio, id eſt, affectu & opere diligendos eſſe proximos? Ita ſanè ſponſus ait ſponſæ Cant. 8. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* q.d. dilige me meaque membra, corde & opere. Sic egere certè poſt adventum Spiritus ſancti primi Chriſtiani, quorum *cor erat unum & anima una,* ut diximus. Sed an ſolo corde ſe mutuò diligebant? Nequaquam; ſed *habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantiam, vendebant & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erant.* Actorum 2. Deus bone, quid audimus? Vendebant prædia & fundos, nec non ſubſtantias ſeu mobilia, pecora & ſupellectilia. Et cur? quia ad cœleſtia anhelantes, terrena omnia nihili faciebant. Audiebant etiam ab Apoſtolis Judæos brevi puniendos; & è terra ſua ejiciendos. Videbant longè plures pauperes Evangelium amplecti, & quia nullo habito conditionis reſpectu omnes ſe ut fratres amabant, inopiam pauperum & ſuis facultatibus ditiores ſublevabant, & proprio ori detrahebant, quod egenti proximo darent. Ejuſdem communionis ſpeciem exhibuerunt Eremicolæ ſub Macario Abbate, cui cùm aliquando uva pro munere delata eſſet, ille eam ad alium fratrem velut infirmiorem detulit. Hic eam rurſum alteri fratri propè habitanti, & hic rurſum alteri pro munere attulit, & ſic uva per omnes cellulas hinc inde diſperſas, neſcientibus quis eam primò dediſſet, delata, iterum domum rediit ad Macarium, cui primò oblata fuerat: qui ex tanta fratrum charitate & continentia non parum conſolationis accepit. Pallad. cap. 20. Ruffin. lib. 3. Ac

licet

icet postea aucto Christianorum numero refrixe-it illa magna charitas, remansit tamen in religiosis quos imitantur multi sæculares.

V. Tantus est personarum divinarum inter se mor, ut una non tam suum quàm alterius zelet ac efendat honorem. Pater de Filio mittendo in ter-m ait: *Qui verba ejus audire noluerit, ego ultor e-istam.* Deuteronomii decimo octavo. Filius patris onorem zelans ejecit mercatores è templo dicens: *olite facere domum patris mei, domum negotiatio-is.* Joannis secundo. Zelat honorem Spiritus sancti, im ait: *Quicunque dixerit verbum contra Filium mittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum san-um, non remittetur ei.* Matthæi duodecimo. Spiri-s sanctus arguit mundum de peccato, quia non edunt in Christum. Joannis decimo sexto. Imita-mur in hoc Sanctissimam Trinitatem, si proprias jurias & contemptum patienter feramus, Dei ve-& proximorum injurias acriter sentiamus, &, si cet, castigemus. Ita fecit Moyses *vir mitissimus* Numerorum duodecimo) in propriis injuriis, cō-mptu & obmurmuratione: acerrimus contra vin-x injuriarum Dei & proximorum. Zelo enim Dei census occidit multa millia Idololatratum Exodi igesimo secundo. Zelo proximi occidit Ægyptiū, i afflixerat quendam Hebræum. Exodi secundo. quid mirum? Apud Ægyptios enim qui proxi-um à latronibus vel aliis cæsum aut injuriis affe-um, si poterat, non juvisset, mortis reus erat. Si nō poterat, injurium accusare debebat, aut plagis & tri-iana inedia puniebatur, teste Diod. Siculo libro 2. erum antiquarum capite 2. Pulchrè Amphilochi-Iconii in Lycaonia Episcopus Theodosium Im-ratorem docuit, Dei potius quam proprium ho-orem zelare. Cum enim petiisset ut Arianos urbi-is pelleret, & Imperator difficultates objiceret; nit in palatium & Imperatorem salutavit, filium us Arcadium, declaratum nuper Cæsarem, non lutavit. Cum indignè hoc ferret Imperator: *Et cur*, inquit, *filii tui honorem adeo quæris, Filii autem ei, qui ab Arianis blasphematur, honorem negligis?* nendatus hoc verbo & convictus Imperator mox ianos ejici mandavit. Theodoretus lib. 5. cap. 16. edren.

THEMA IV.

umma & universalis Christi potestas quidâ nobis requirat.

Requirit à nobis fidem illimitatam.
Maximam spem & confidentiam in ipsum.
Summum honorem & reverentiam.
Maximum timorem.
Omnem subjectionem & obedientiam.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Matth. 28.

VEtus consuetudo fuit, inquit Haymo Episcopus Halberstadiensis in capite 2. Matthæi, *ut nullus intraret ad Regem sine muneribus.* Et hoc sive in subjectionis & obedientiæ, sive in pacis & amicitiæ, sive in lætitiæ & gratulationis significationem. Fuit autem hic mos tam apud Gentiles, quam apud Hebræos. De Persis testatur Cælius Rhodiginus libro 13. capite 16. Regibus cum lustrarent suas provincias, dona offerenda fuisse. De Parthis scribit Seneca epistola 17. *Nemo Reges salutare poterat sine munere.* Apud Japones singulis annis Dynastæ adeunt Imperatorem instructi variis donis. Romani Imperatores Calendis Januarii sedentes præ foribus palatii expectabant & capiebant munera, teste Suetonio in Caligula. De Magis ab oriente ad Christi incunabula munera ferentibus testem habemus Matthæum. Denique Deus quoque Optimus Maximus legem dedit Hebræis ad templum vel tabernaculum accedentibus: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Exodi vigesimo tertio. Adhuc & inter Christianos Principes viget hæc consuetudo. Adeo igitur invaluit hæc munerum oblatio, ut pro injuria haberetur, si quis Regi præsertim nuper inaugurato munus non dedisset; ut patet ex primo Regum decimo, ubi appellantur *filii Belial*, hoc est, exleges & adulterini, qui Sauli proclamato Regi munera non obtulerant. Fuit Saulis regia inauguratio luculentus typus Christi Domini, ad regiam & summam in cœlo & terra potestatem exaltati. Ut enim Saul prius à Samuele in Regem fuit inunctus: postea nihilominus per sortes electus: ita Christus Dominus inchoatè quidem jam ab incarnatione sua, completè verò post resurrectionem suam Rex cœli & terræ constitutus, & in hodierno Evang. supra montem in præsentia plusquam 500. fratrum promulgatus est. Quare sicut Sauli, cum Rex inauguraretur, qui boni & morigeri fuerunt, munera attulerunt: ita omnino decet, ut nos Christiani Regi nostro immortali sua quoque, qualia ipsum decent, munera offeramus. Quænam verò ea sint, quæ summa ejus potestas requirit, nunc exponemus.

I. Requirit à nobis fidem universalem & illimitatam ad credendum omnia revelata, quantumcunque videantur intellectui nostro difficilia, qualis est præsentia Christi Domini in Sacra Eucharistia, resurrectio mortuorum, incarnatio verbi Dei & similia, quæ vel traditio divina vel scriptura S. proponit. Si enim Christo Domino, etiam qua homini, data est omnis potestas in cœlo & in terra; ergo nihil non imperare, nihil non efficere poterit sive in cælo sive in terra. Poterit igitur mutare panem & vinum in corpus & sanguinem suum, & quidem æquè facilè, atque in nuptiis Canæ vertit aquam in vinum, unica voce: *Haurite*, & olim verbo, *Fiat*, *Requirit à nobis fidem illimitatam.*

creavit totum mundum. *Quid enim omnipotenti Deo difficile*, ait ſanctus Cyrillus Alexandrinus in Joan. capite 2. *Aut quomodo qui à nihilo ad eſſe res omnes provocat non multo facilius unum ad aliud permutabit atque traducet?* Hinc cum Joannes capite 13. dixiſſet: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus*; paulò poſt accepit in ultima illa cœna panem in manus & dixit: *Accipite, hoc eſt corpus meum &c.* Matthæi 26. Pari facilitate educet mortuos è ſepulchris qui in ejus rei præludium ſuſcitavit Lazarum quatriduo ſepultum, ac ſi è ſomno dormientem excitaret. Propterea enim dicebat: *Vado ut à ſomno excitem eum.* Joan. 11. quia ut ait ſanctus Auguſtinus tra. 49. in Joan. *Lazarus Domino dormiebat; hominibus mortuus erat, qui eum ſuſcitare non poterant. Nam Dominus tanta eum facilitate excitabat de ſepulchro quanta tu excitas dormientem de lecto.* Non majori labore defendere Eccleſiam & poteſt, & defendet, deprimetque ejus hoſtes, qui opprimere eam volunt: quemadmodum nullo labore, ſolo Dei digito, hoc eſt, unico imperio ejecit Dæmones numeroſiſſimos & potentiſſimos è corporibus Lucæ 11. & alibi. Quidvis igitur ex quovis & per quodvis facere poteſt; quo modo luto oculis impoſito, eos illuminavit Joan. 9. & alibi expuendo in oculos cœci. Marci 8. cùm luto & ſputo potius cæcari, quàm illuſtrari ſoleant oculi. Denique *Domini ſunt cardines terræ*, inquit Anna illa ſancta, *& poſuit ſuper eos orbem.* 1. Reg. 2. q. d. ea facilitate mundum gubernat & vertit, ut res humanæ ſuſque deque ferantur & varias ſubeant viciſſitudines, qua gyrat orbes cœlorum in ſuis polis & cardinibus, veluti rotam unã. Faceſſant igitur infideles, hæretici & increduli, qui potentiam Chriſti illimitatam limitibus conſtringere & ſuo metiri intellectu volunt; quo modo Indi illi ſtupidi aureum modium, ſimilem illi, quo frumentum metiuntur, demergunt in mare, exiſtimantes eo modio modum ſe aquis ponere, ne inundent terras: quaſi vaſtiſſimum & potentiſſimum elementum parvo modio conſtricturi eſſent, apud Philoſtratum. Nihilo plus ſapiunt, qui Chriſti omnipotentiam includere terminis laborant. *Forſitan Dei veſtigia comprehendes?* ait Sophar, Job. 11. *& uſque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terra menſura ejus & latior mari.*

II. *Maximam ſpem & confidentiam in ipſum.* II. Summam ſpem & confidentiam in ipſum. Si enim omnem poteſtatem accepit in cœlo & in terra, ergo utrobique poteſt nos juvare & beare. Quantacunque igitur tentatio vel calamitas nos invaſerit, memores ſimus Domini noſtri, cui *data ſit omnis poteſtas*; quo modo & tres illi adoleſcentes jamjam injiciendi in fornacem ardentem dixerunt Nabuchodonoſori, *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis & de manibus tuis ô Rex liberare.* Quod & factum miſſo de cœlo Angelo, qui *excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis nequ[e] contriſtavit.* Dan. 3. Quod idem in tentationibu[s] nobis à Chriſto exſpectandum eſſe, ſi firmam in e[o] ſpem habuerimus, ſcribit in eum locum ſanctu[s] Hieronymus: *Anima*, inquit, *perturbationibus op[|]preſſa & variis moleſtiis occupata, cum hominum d[e]ſperaverit auxilium, & tota ad Dominum fuer[it] mente converſa, deſcendit ad eam Angelus Domin[i] ſcilicet ſermo divinus & excutit flammæ æſtuant[es] ardores: ut nequaquam ignita jacula inimici cord[is] noſtri arcana penetrent, nec illius fornace claudam[ur].* Revelatum id quoque ſanctæ Virgini Gertrudi ſcri[|]bit Bloſius in Monili ſpirit. cap. 11. his verbis: *Secu[|] illa confidentia, quam quis erga me habet, credens m[e] revera poſſe, ſcire & velle ſibi in omnibus fidelit[er] adeſſe, transvulnerat cor meum tantamque vim f[a]cit pietati meæ, ut nullatenus poſſim hujusmodi abe[s]ſe vel deeſſe.* Cauſam porro inferius addit, *quia im[|]poſſibile eſt*, inquit, *hominem non percipere quod ſan[|]cte credidit & ſperavit. Itaque utile homini eſt [|] magna ſperando à me mihi bene credat.* Qui eni[m] tam cordatè in Dominum confidit, magna eu[m] gloria afficit, agnoſcendo eum non modo om[ni] poteſtate pollentem, ſed etiam omni benevolent[ia] & clementia præditum. Ac propterea Apoſtolu[s] commendat Abrahæ confidentiam, ad Roman.. *In promiſſione Dei non hæſitavit diffidentia*, inqui[t], *ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſim[e] ſciens, quia quæ promiſit, potens eſt & facere.* Quem[|]admodum vero honorant Deum & glorificant, q[ui] cordatè in eum ſperant: ſic viciſſim inhonorant, q[ui] languide, aut omnino ſpem abjiciunt. Qua de re ar[|]guit Deus Moyſen & Aaron, quando juſſi percute[|]re petram ad fundendam aquam, diffidenter locu[ti] ſunt: *Num de petra hac vobis aquam poterimus eli[|]cere?* Ait enim Dominus: *Quia non credidiſtis mihi ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introduce[|]tis hos populos in terram, quam dabo eis*, Numer. 2[0]. Ubi ſciendum non eos defeciſſe fide, quaſi Deu[s] non poſſet aquam è petra dare, quod jam ſemel i[n] Raphidim experti fuerant, Exodi 17. Sed ſpe & fi[|]ducia: quia non expectabant à Deo tantum benefi[|]cium populo tam rebelli & ingrato conferendum Non diſſimili modo honori Chriſti derogant, qu[i] de ejus ope nihil aut parum ſperant; ſimileſque ſun[t] militibus qui arundinem in manus ei dederunt & ſpinas impoſuerunt pro corona, purpuram pro regio paludamento induerunt. Cava enim arundo inanis ſpei ſymbolum eſt, ut patet 4. Reg. 18. verſ. 2[1]. & Ez. ch. 29. Indicant igitur iſti inane eſſe Chriſti imperium, fictum ejus regnum, poteſtatem nullam aut inſufficientem. Pudenda res! Nonne audimus dicentem; *Data eſt mihi omnis poteſtas?* Certè cum Joſepho commiſiſſet Pharao gubernationem regni ſui, & ad eum remiſiſſet ſubditorum petitiones, dicens: *Ite ad Ioſeph & quidquid ipſe vobis dixerit, facite*; venerunt ad Joſephum omnes fame & penuria oppreſſi, & ſubſidium invenerunt. Gen. 41 Et nos Chriſtiani tantam non habebimus fiduciã in Chriſtum,

um, cui audimus collatam à patre omnem pote-atem in cœlo & in terra?

III.Summum honorem, reverentiam & obser-ntiam, velut omnium Domino & summæ maje-ti, respectu cujus nihil sumus, & cui omnia no-a accepta ferre debeamus. Josephum fecit *Pha-o ascendere super currum suum secundum, claman-præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præ-situm scirent esse universæ terræ Ægypti* : quin & pellavit *Salvatorem mundi*, hoc est Ægypti, Gen. quia scilicet totam Ægyptum suo consilio ser-verat. At vero Christus quia totum mundum sal-vit, super universum mundum constitutus est, a-oque etiam ab omnibus adorandus & colendus, rissime appellatur *Salvator mundi*, & per anto-masiam *Dominus*. Quare de ipso sub figura Cyri edixit Deus, Isa, 45. *Subjiciam ante faciem ejus tes, & dorsa Regum vertam* hoc est, flectam, ut n venerentur supplices. Quod de Christo postea resse edixit Apostolus ad Philip. 2. *In nomine Ie-omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & in-norum.* Proinde decet imprimis omnes fideles, audito nomine Domini sui caput inclinent, & am ipso genua flectant cum omni humilitate, ju-antiquissimum decretum Pp. & Concilii Lug-nensis cap. *Decet* de immunit. Eccles. libro. 6. *ut n, sublime illud nomen Iesu pronunciatur, omnes il-venaremur, saltem capita inclinando.* Decet ut nè, quando surgunt, primò omnium ei sua obse-ia deferant; & vespere quando cubitum eunt, se-ommendent; ut testentur hac ratione se omnes s actiones ad ipsius beneplacitum & gloriam in-fuere velle: per ipsum in hunc mundum ingredi egredi. Quam ob causam olim petiit primitias gum & decimas, ut sciremus ipsi debere vitæ træ exordium & complementum. Decet ut to-nos, quanti quanti sumus, ipsius servitio devo-mus; siquidem ipsius sumus, ipsi vivimus & rimur: quomodo subditus agricola suo vivit & ritur domino. Non defuere inter Gentiles, qui salute Imperatorum aut Regum suorum armis ugnarunt vel sua capita devoverunt, cum vide-t ipsos de vita periclitari; (uti pro vita Caligulæ totantis apud Sueton.) existimantes mortem il-um sua redimi morte posse. Quod si hoc illi pro , à quibus vitam minimè acceperunt, quid non eundum pro eo cui vitam & omnia nostra emus? Sanè fratres Josephi, quando defuncto re viderunt se totos in ejus potestate & domi-constitutos, ab ipso uno dependere, supplices eum venere; & *proni adorantes in terram dixe-t: Servi tui sumus.* Genesis 50. Si hoc fratres fra-& jure quidem exhibuerunt, velut ad dignitatem æ proximam exaltato: quid non debeant servi isti Domino suo ad supremam majestatem & u-ersalem in omnes creaturas potestatem à Deo re sublimato? Decet ad extremum de sua etiam bstantiâ honorare Deum; ut monet Sapiens Pro-rb. 3. *Honora Dominum de tua substantia*; id quod de pauperibus intelligit Venerabilis Beda cum aliis. Optimus est hic modus conciliandi sibi Deum: fo-vendo eum in pauperibus. Qui Magistratum, ut cau-sæ ipsorum faveat, sibi devincire volunt, munera dant conjugi aut filiis illius. Hoc unguentum est, quo inungunt causæ suæ currum, ut expeditè per-gat. Qui ergo apud Deum conciliare sibi gratiam desiderat, ungat cum Magdalena pedes Christi, qui sunt pauperes.

IV.Maximum timorem, *quia ipse est, qui consti-tutus est à Deo Iudex vivorum & mortuorum*, in-quit, sanctus Petrus Actorum 10. versu 42. & qui-dem summa cum potestate, ab omnibus aliis Judi-cibus libera & absoluta; ut non detur ab eo ulla ap-pellatio, cum nullus eo superior sit. Quis non me-tuet eum, in cujus manu sitam novit omnem fortu-nam suam, vitam & salutem, nec non perditionem æternam? Hinc enim exclamat Jeremias cap. 10. di-cens: *Non est similis tui Domine: magnus es tu & ma-gnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te o Rex gentium? Tuum est enim decus.* Chald. *tuum enim est regnum.* Cajum Caligulam Imp. timebant etiam amicissimi & potentissimi, quia subinde inge-rebat illis summam potestatem suam, quam in eos haberet. Lautiore aliquando convivio effusus subi-to in cachinnos fuit; tum Consulibus, qui prope as-sidebant, quidnam rideret quærentibus: *Quid*, in-quit, *nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim posse?* Idem; *quoties uxoris aut amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur.* Sueton. in Calig. Improbè quidem & tyrannicè hæc ille; quia in vitam innocentum, quã nemini dederat, nihil juris habuit. At vero Do-minus noster, cum sit absolutus vitæ & mortis Do-minus, a quo vitam & omnia accepimus, in manu sua omnes continet, & vitam quandocunque vult, jure auferre potest aliasq; infligere pœnas pro nutu & arbitrio suo, uti fatetur Job c. 9 v. 17. *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiã sine causa.* Nec solum occidere corpus, sed & ani-mam potest mittere in gehennam. Quis non metuat talem Dominum? Hinc etiam viri justi sibi timue-runt. Ezechias Rex bonus & sanctus erat, & tamen audita mortis sententia sibi denunciata, *convertit faciem suam ad parietem & oravit Dominum & fle-vit fletu magno*, 4. Reg. 20. Quem locum expendens Divus Hieronymus l. 1. contra Pelagian. *Certe, in-quit, justus erat Ezechias & corde perfecto. Iturus e-rat ad Dominum: plorare non debuit. Quæris rationẽ fletuum? Si cogitaveris hominem, non miraberis cau-sas doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad judicium Domini, habens conscientiam peccatorum.* Quis ergo hunc tantum Dominum offendere non timebit, e-tiam levissimè? Sanè Ananias & Saphira, quando au-dierunt a Petro se non peccasse in hominem, sed in ipsum Deum, illicò mortui conciderunt. Actorum 5. præ terrore & mœrore, existimat Origenes, tract. 8. in Matth. *Puto*, inquit, *quoniam audiens Ananias hæc verba, ideo cadens expiravit, quoniam non susti-*

[IV.] *Maximum timorem.*

nui

nuit arguitionem Petri ſed cruciatus in ſe adeo eſt punitus,ut etiam expiraret , verbis videlicet Petri catechizantibus animam ejus. Nec Petrum hic exiſtimare debemus interfeciſſe Ananiam , ſed illum non ſuſtinuiſſe acritudinem verborum Petri , &c. Noverat is utique quod paulò ante ad principes populi dixerat Petrus c.4. *Hic eſt lapis.qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli : & non eſt in alio aliquo ſalus.* Si per Chriſtum ſolum ſalus obtinenda eſt,quis in eum peccare audeat? aut ſi fortè peccavit , præ timore non corruat? Simili terrore percuſſus fuit quidam vir Valentiæ, nomine Gayna , qui cupiens ſequi Sanctum Vincentium Ferrerium , Ordinis Sancti Dominici : cum juſſus ſua diſtribuere in pauperes mediam partem ſibi clã retinuiſſet,de hoc à viro ſancto , divinitus etiam id edocto,increpitus, præ terrore coram multis humi proſtratus cum multis lachrymis culpam faſſus eſt & veniam impetravit ; ut in ejus vita 5.April.apud Sur. Quid erit à Chriſto ſummo Judice deprehendi in peccato? quid increpari & argui?

V. *Omnem ſubjectionem & obedientiã.*

V. Omnem ſubjectionem & obedientiam quia omne in nos jus & imperium habet.Non adeo periculoſum eſt mortalis alicujus domini imperia detrectare ; quia licet ab uno hero migrare ad alterum. At non licet jugum & ſervitutem Chriſti excutere; quia nec ipſum effugere. Gravi argumento putabat Pilatus ſtringere ſe Jeſum, quando ei dixit: *Mihi non loqueris ? Neſcis , quia poteſtatem habeo crucifigere te? & poteſtatem habeo dimittere te?* Joann.19. At tu mi Pilate verte folium & audi potius : Tu hunc crucifigere audes?an neſcis,quia poteſtatem habet mittendi te in gehennam,& poteſtatem te ſalvandi? Cum Tiberius à Juſtino Imp. domino ſuo moribundo deſignaretur Imperii ſucceſſor,dixit Juſtino : *Si volueris, ſum: ſi nolueris,non ſum* Evagr.lib.5.c.13.Niceph.lib.17.cap.4.Idem noſtrum unuſquiſque Deo dicat oportet : ſi volueris, me vivere & beare, vivus & beatus ero ; ſi nolueris, non ero. Quis igitur in tali ſtatu poſitus Deo reluctari audeat, pleniſſimam poteſtatem in omnes habenti ? Cum Antiochus Epiphanes obſideret Alexandriam , ſub Romanorum tutela tunc temporis conſtitutam , miſſus ad eum à ſenatu eſt Popilius Lænas,Senator Romanus, qui juberet obſidionem ſolvere. Cui reſpondit Antiochus,rem hanc maturius ſe deliberaturum ac reſponſum daturum. Quid ad hoc Popilius? virga, quam gerebat, vitrea, lineam circum Antiochum duxit , inquiens : *Hocne in dubium revocandum eſt,an hoſtis Romanorum eſſe velis? non præteribis hanc lineam donec id definias.* Territus hac voce Antiochus,Rex alioquin potens; *Parebo*, inquit ; & ab Alexandria diſceſſit. Plut.in apopht. Cogita & tu quicumque es, an Dei mandato opponere te velis. Hocne in dubium revocabis, an parere illi velis , cui *data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra?* Pare igitur & ſubditus eſto potentiſſimo, cui omnis anima ſubjecta eſſe debet. *Sicut enim corona ſoli Regi competit : ſic propria voluntas ſoli Deo* , inquit Divus Anſelmus lib.8.de ſimilitud cap.8. Tuam igitur voluntatem per omnia con forma cum voluntate Chriſti. Dic cum S.Job c.6 *Hæc mihi ſit conſolatio, ut non contradicam ſermoni bus Sancti.* Dic cum Heli Sacerdote : *Dominus eſt quod bonum eſt in oculis ſuis faciat* , 1.Reg.3. Di cum Juda Machabæo: *Sicut fuerit voluntas in cœl ſic fiat*, 1.Mach.3.

Hæc videntur eſſe, quæ à nobis Rex noſter cœl ſtis requirit,munera, ſi non omnia, ſaltem potiſſ ma. Neque enim aurum vel argentum deſider ab hominibus,qui talia ipſis donat & pro nihilo h bet: ſed fidem, ſpem, charitatem, honorem, tim rem , ſubjectionem. Viderint ergo illi , qui h ipſi ſubtrahunt , cum nemo non habere in pron ptu & ſine damno ſuo præſtre queat. Audient en & iſti, quemadmodum & illi , qui ſpreverunt Sa lem, filii Belial, hoc eſt, *exleges*, vel ut 70.vertu *filii peſtilentes*: vel ut Chaldæus habet,*filii impro tatis*, & rapientur ſuo tempore ad gladium & int necionem.

Nos verò Audit. de his dicamus cum Jacob P triarcha : *In conſilium eorum non veniat anima m & in cœtu illorum non ſit gloria mea. Maledictus ror eorum, quia pertinax , & indignatio eorum,qu dura.* Gen.49. Dicamus econtra Domino noſtr quod olim Hebræi Gedeoni : *Dominare noſt quia liberaſti nos.* Jud.8.v.21. Quod Amaſai Davi *Tui ſumus & tecum filii Iſai. Pax tibi, pax tibi : pax adjutoribus tuis.* 1.Par.12.verſ.18. Ipſum dei que omnibus votis & ſtudiis amplectamur, & cu cælitibus illis procidamus ante eum & adorem viventem in ſæcula ſæculorum & mittamus cor nas noſtras ante thronum ejus,dicamuſque: *Dign es Domine DEUS noſter accipere gloriam & hon rem & virtutem , quia tu creaſti omnia & prop voluntatem tuam erant.* Apoc.4. Et iterum : *Dign eſt agnus ; qui occiſus eſt, accipere virtutem & di nitatem & ſapientiam & fortitudinem & honor & gloriam & benedictionem,&c.* Apoc.6.

THEMA V.

Quid agendum ut Chriſtus ſit nobiſcum.

I. *De abſentia ejus contriſtemur cum Magd lena.*

II. *Doceamus ignorantes , cum mulieribus trib ſanctis.*

III. *Defleamus peccata noſtra cum Petro.*

IV. *Simus hoſpitales & liberales erga pauperes , dignè communicemus cum duobus euntibus Emmaus.*

V. *Simus unanimes & concordes cum decem Ap ſtolis.*

VI.Con

VI. *Congregemur in festivis diebus ad rem divinam ut Apostoli cum Thoma.*

VII. *Bona intentione etiam temporalia curemus cum discipulis piscatoribus.*

VIII *Magno desiderio venturum expectemus cum iisdem in monte Galileæ Christum expectantibus.*

IX. *Agamus omnia ad gloriam ejus, sicut und cim recumbentes.*

X. *Servemus Dei mandata cum euntibus in Bethaniam.*

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi Matth. 28.

INcomparabile donum promisit in hod. Evangelio & reliquit Ecclesiæ suæ Christus mox in cœlum abiturus, cum singularem ei protectionem adeoque suimet præsentiam promisit ac reliquit. Quid enim illi deesse potest, cui Deus adest? quis illi nocere, quem Deus protegit? *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* inquit David Ps. 26. Præclarè etiam sanctus Fælix presbyter Nolanus; cum inter angustias duorum parietum, telæ, quàm aranea ex tempore contexuerat, obductu ab insidiis Gentilium defensus fuisset, dixisse fertur: *Præsente Christo tela araneæ fit murus: absente Christo murus fit araneæ tela,* uti S. Paulinus de S. Fælice Episcopo Nolano scribit. Prius id deprehensum in sancto, ut dixi, Fœlice; posterius hoc in Cn. Plotio, cive Romano, qui latens in regione Salernitana, cum ne tortis quidem prius servis indagari posset, ubi lateret, solo odore deprehensus est, uti refert Adrov. l. 5. de Insectis. Hinc igitur Hebræi, cum salutaturi aliquem bene ipsi precari vellent, id solum dicebant: *Dominus tecum;* vel si plures essent obvii, *Dominus vobiscum.* Ita Booz messoribus suis salutem dicens: *Dominus vobiscum,* inquit, Ruth. 2. Et Angelus Domini Gedeoni: *Dominus tecum, virorum fortissime,* Judicum sexto. Similiter Archangelus Virgini Mariæ: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Luc. primo. Jam verò quando *usque ad consummationem sæculi cum Apostolis se manere promisit, ostendit usque ad consummationem sæculi non defuturos electos; cum quibus ipse manere dignatur;* inquit, Haymo Episcopo Halberstadiensis in hodierno Evangelio. At quinam illi electi, hac Christi præsentia & singulari protectione dotati? Multi enim ita vivunt, ut hac Christi præsentia destitutos non immeritò judicemus. Quæramus igitur, si possumus, illos, qui indicium præbent singularis illius protectionis. Venerabilis Angliæ Apostolus, Beda, in homilia super hodiernum Evangelium scribens conjecturas hujus Christi præsentiæ & paternæ protectionis colligit ab illis, quibus apparuit Christus post resurrectionem suam, decem distinctis vicibus. *Decies,* inquit, *visum post resurrectionem Dominum, Evangeliorum nobis & Actuum Apostolorum prodit historia, ubi ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Primo quidem Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Deinde idem Mariæ & alteri ejusdem nominis fœminæ, regredientibus à monumento nunciare discipulis, quæ ibi compererant, occurrens apparuit. Tertio Simoni Petro. Quarto Cleophæ & socio ejus, cum quibus ipse gradiens in Emmaus ibid. in panis fractione cognitus est. Quinto apparuit eis januis clausis, ubi non erat Thomas. Sextò post dies octo, quando erat cum eis & Thomas. Septimò piscantibus ad mare Tiberiadis. Octavò in monte Galileæ, quod hodierna lectione audivimus. Nonò recumbentibus illis undecim. Decimò viderunt eum ipsa die non jam in terra positum, sed elevatum in aëra, cœlosque petentem. Hac ergo frequentia corporalis suæ manifestationis ostendere voluit Dominus, ut diximus, in omni loco se bonorum desideriis divinitus esse præsentem.* Ita V. Beda. Jam singula videamus.

I. *Apparuit ad monumentum lugentibus: aderit & nobis absentiæ ejus recordatione salubriter contristatis,* inquit, idem sanctus Pater. Quando parvuli vagiunt, suo illo vagitu matres ad se advocant longe potentius, quam si vocibus accerserent. Poterunt ergo lachrymæ piorum Deum quoque ad se quodammodo evocare; ipse enim per Isaiam c. 66. ait: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Confirmat sanctus Laurentius Justinianus in ligno vitæ de oratione cap. 9. *O lachryma! vincis invincibilem* inquit, *ligas omnipotentem, inclinas filium virginis, aperis cœlum, fugas Diabolum.* Certè Magdalena suis lachrymis, dum fleret ad sepulchrum, attraxit ad se Christum, ut se præsentem sisteret, & lachrymas ejus abstergeret manifestatione sua. Quin etiam Agar ancillæ ejusque filii Ismaelis lachrymis evocatum è cœlo Angelum ad eos consolandos legimus Gen. 21 Danieli quoque cum luxisset tribus septimanis pro salute populi, apparuit Angelus de cœlo & solatus est eum, Dan. 10. Denique per hanc viam populus Hebræorum retraxit ad se fugientem & abalienatum à se Deum. Exod. 33. Cum enim audisset sibi dicentem: *Non ascendam tecum* (in terram promissionis) *quia populus duræ cervicis es; audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo;* ad indicandum luctum suum. Quo facto precatus est Deum Moyses: *Respice populum tuum, gentem hanc,* statimq; placatus Dominus reddidit se Israeli, &: *Facies mea præcedet te,* inquit, *& requiem dabo tibi,* h. e. ego ipse præcedam te, ut mea nixus præsentia & ope securus quiescas & ad terram promissam pervenias; ut ibi explicat Corn. à Lap.

I. *De absentia ejus contristemur, cum Magdalena.*

II *Occurrit revertentibus à monumento* (mulieribus) *ut agnita resurrectionis gaudia prædicarent aderit & nobis, dum bona quæ novimus, proximis fideliter annunciare gaudemus,* inquit Beda loco cit. Gratissimum Deo opus est Evang. prædicare; & quæ salutis sunt, ignorantes docere, errantes reducere & peccantes corrigere, habet tamen annexam non

II. *Doceamus ignorãtes, cũ mulieribus tribus sanctis*

parvam difficultatem; itaque præsentiam & assistentiam Dei necessariam habet & meretur. Hac enim de causa Dominus, cum in hodierno Evangelio misisset ad prædicandum Apostolos, dicens: *Euntes docete omnes gentes, &c.* mox addit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, quasi dicat: *Cum sicut oves*, inquit, Divus Prosper libro 2. de vocat. Gent. capite 2. *introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, ô discipuli, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem sæculi in hoc opere non derelinquam.* Simili promissione animarat in V. T. Jeremiam missum ad prædicandum & arguendum improbos: *Quæcumque mandavero tibi loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum*, Jeremiæ 1. Sensit etiam hanc Christi assistentiam sanctus Remigius, quando Clodoveum Franciæ Regem adhuc Gentilem cum aulicis Christiana catechesi imbuit. Dum enim verba salutis dare cum magna pietatis significatione exorsus est, repente lux copiosa totam replevit Ecclesiam, & è luce vox intonuit: *Pax vobis, ego sum nolite timere, manete in dilectione mea.* In vita S. Remigii 1. Octob. Lipel. Denique hoc ipsum in veteri lege promiserat Deus sacerdotibus & principibus familiarum, qui erudierunt in lege populum ignorantem; ait enim: *Confortamini & agite diligenter & erit Dominus vobiscum in bonis*, 2 Paral. 19 v. 11.

III. Defleamus peccata nostra cum Petro.

III. Apparuit Petro lapsum suum amare deploranti & ad requirendum Dominum hac illac discurrenti, anxio & solicito, Aderit & nobis, si peccata nostra defleamus & Christum requiramus. Ploratus & luctus iste adeò Christo placet, ut se mox præsentem pœnitenti sistat. Ita testatur sanctus Gregorius Nyssenus in oratione ad eos qui alios durius judicant: *Lachrymarum*, inquit, *effusio lavacri vim habet, gemitus que reducit gratiam, quæ paulisper recesserat. Si orationi nostræ fidem non habes, Petrum in ædibus Principum interroga, & dicet tibi, quomodo abnegationis peccatum amarè lugens expiaverit, nec in Simonem mutatus sit, sed Petrus permanserit Apostolus*, sic ille. Itaque Petrus amarissimis suis lachrymis, quibus lapsum suum & absentiam Christi, Domini sui, deflevit, obtinuit, ut Christus præ cæteris discipulis ipsi appareret, & gratiam ac benevolentiam suam per Magdalenam speciatim denunciaret. Sic nimirum prodigus ille filius, ubi ductus pœnitentia rediit ad paternum sinum, sua resipiscentia & verecundia patrem è domo excivit in occursum & amplexum suum. Luc. decimo quinto. Prodigus Christi filius factus erat Petrus, quando in domo Caiphæ perfidè negando & loquendo cum ancillis perdidit portionem substantiæ suæ, quæ alia non erat nisi Jesus, & quam perdere timuerat, cum audiret: *Non habebis partem mecum.* Videns ergo paupertatem suam, flevit amarè, & postea cum Joanne surgit & currit ad sepulchrum, requirens Patrem, quem deseruerat. Et en præ cæteris discipulis apparet ei Dominus & ruit in collum ejus, suam offerens gratiam. Quis non arbitraretur, vultum paternum Petro negandum, qui patrem negarat? quis non saltem objurgandum aut torvè aspiciendum? Nihil horum actum; sed ne mentione quidem commissi erroris facta recipit Dominus Petrum in pristinam benevolentiam, ac velut pater prodigi, induit stola prima gratiæ primæ; ornat deinde annulo, desponsando ei Ecclesiam suam; cum ait: *Pasce oves meas* addit calceamenta, cum incitat & animat ad sequendum se per mortem crucis; denique ad prandium adhibet, è pane & pisce divinitus præparatum, una cum cæteris discipulis. Proh quanta vis pœnitentiæ! quam potenter attrahit Deum, tametsi prius expulsum & indignissimè desertum! Hoc nimirum est, quod per Jeremiam dixit Dominus exercituum: *Bonas facite vias vestras & studia vestra & habitabo vobiscum in loco isto* Jeremiæ 7. h. e. corrigite mores & pœnitentiam agite: sic iterum ero vobiscum.

IV. *Apparuit in fractione panis his, qui se peregrinum esse putantes ad hospitium vocaverunt: aderit & nobis, cum peregrinis & pauperibus quæcumque possumus bona libenter impendimus. Aderit & nobis in fractione panis, cum sacramenta corporis ejus videlicet panis vivi, casta ac simplici conscientia sumimus*, inquit, Beda ibidem. De hac posteriori præsentia dubitare non possumus; quia per fidem novimus Christum realiter & corporaliter nobis adesse in S. Eucharistiæ sumptione; sive ad vitam, si dignè: sive ad mortem, si indignè sumpserimus. De priore etiam vix dubitare possumus, cum habeamus Domini verbum: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; & sciamus non semel contigisse, ut qui pauperem ad mensam vel hospitium suscepit Christum ipsum, habitu pauperis tectum, in persona susciperet; ut alibi diximus. Habemus ejusdem rei promissionem Isaiæ capite quinquagesimo octavo. *Frange esurienti panem tuum & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: & gloria Domini colliget te* (70. legunt: *circumdabit te.*) *Tunc invocabis & Dominus exaudiet: clamabis & dicet: Ecce adsum.* Quisquis ergo colligit egenos & vagos & inducit in domum suam, & ipse colligetur à Christo, & qui audit vocem pauperum; exaudietur à Deo. Certè duo illi non agnoverunt Dominum sibi præsentem, nisi postquam coegerunt, ut ad se diverteret: cumque illorum intentio esset, ut hospitē suum pascerent, potius ab eo pasti & salutari cibo refecti sunt. Unde S. Gregorius Pp. in homilia supra hodiernum Evangelium cum recensuisset exemplum cujusdam patrisfamilias, qui inter alios peregrinos etiam Christum susceperat, sequenti nocte sibi dicentem: *Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti?* subjicit: *Ecce in judicium veniens dicet: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ecce ante judicium*

dum

dum per membra sua suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit; & tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. Porro eadem occasione *apparuit in abdito de sua resurrectione loquentibus: adest & nobis modo ejus dono idem agentibus. Aderit nobis semper, cum ab externis operibus ad tempus vacantes, de ejus gratia locuturi convenimus,* ait Beda cit. Et Eusebius Emissenus in eundem locum: *Bonum est loqui de Iesu, bonum est semper in mente habere; quia nec ipse eorum obliviscitur, qui ejus memores sunt.* Plenius Haymo Episcopus Halberstad. in eandem sent. *Notandum,* inquit, *quia non de superfluis, non de vacuis, neq; ea, quæ ad detractionem pertinent, neq; risum moventia loquebantur, sed ad invicem de his omnibus quæ acciderant; scilicet qualiter conversatus esset innocens & sine querela in mundo, qualiter signa & miracula operatus sit, quomodo odiis Iudæorum & calumniis traditus sit ad crucifigendum, qualiter se resurrecturum prædixerat quod nondum videbant. Quia ergo hæc & hujusmodi de illo loquebantur, contigit, ut etiam illum, quem absétem putabant, corporaliter viderent, & in his etiam ad litteram, suam promissionem Dominus adimpleret in qua dicit: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum &c. Vnde subditur: Et factum est, dum fabularentur & secum quærerent & ipse Iesus appropinquabat cum illis,* sic ille.

V. *Apparuit cum foribus clausis intus Iudæorum metu residerent.* Aderit etiam nobis, si unanimes fuerimus & in sancta pace simul vixerimus; uti tunc Apostoli & primi Christiani. Testem hujus rei habemus Apostolum, qui 2. Cor. 13. scribit: *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum,* Suavis harmonia trahit ad se homines, & viros principes, qui in aulis præstantissimos alunt & undique conquirunt Musicos. Nulla autem suavior harmonia est quam pax Christiana. *Si harmonia chordarum,* inquit, Origenes homil. 26. in Numer. *fuerit consonanter aptata, sonum suavem modulati carminis reddet; si vero sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: ita & hi, qui Deo militant, si dissensiones & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur.* Discordia igitur fugat Deum; quod ex Numer. 12. capite discere possumus, ubi excitata dissensione & murmuratione à sorore Moysis & fratre Aarone, nubes recessit à tabernaculo, & in nube Deus loquens *iratus contra eos abiit.* Discere possumus à domo Lauretana, in qua Christus educatus fuit. Hæc enim orta inter fratres, in quorum agro sedem fixerat, discordia, mox recessit ab eo loco, ut ex Tursellino alibi audivimus. At vero pax & concordia, velut suavis harmonia, Deum quasi ad se trahit & præsentem sistit cum sua benevolentia, uti experti sunt Christiani illi, qui Actorum 4. cum Apostolis, unanimiter levaverunt vocem ad Deum orantes. Mox enim *motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu S.* Motus iste loci, quid nisi Dei præsentiam indicavit, suos protegentem? Castor & Pollux duo sidera conjuncta sunt, à duobus fratribus sic appellata: horum si uterq; simul appareat, serenitatem: sin alteruter dumtaxat, tempestatem nunciat uti refert Corn. Act. ult. v. 11. Simili modo Christiani si unanimes fuerint, Christum Solem sibi præsentem; sin divisi, absentem experientur.

VI. Congregemur in festivis diebus ad rem divinam, ut Apostoli cum Thoma.

VI. Apparuit post octo dies, cum in octava resurrectionis & Dominica die rursum essent congregati Apostoli una cum Thoma, nondum fideli. Joan. 20. Aderit & nobis, si in Dominicis diebus fuerimus in templo ad rem divinam congregati. Testem adduco sanctum Cyrillum Episcopum Alexandrinum, qui in eum Joan. 20. locum scribens: *Iure igitur,* inquit, *sanctæ congregationes die octavo in Ecclesiis fiunt: & foribus sublimiori modo clausis, visibiliter simul atque invisibiliter Christus omnibus apparet: invisibiliter quidem ut Deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam, ut firmiter credamus, quia templum verè suum suscitavit. Quod autem mysticæ benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsis probatur. Fractum enim panem distribuebat dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterii vera quædam confessio & commemoratio est, quod propter nos & pro nobis Dominus mortuus sit, & resurrexerit & divina nos benedictione propter hoc replet,* sic ille. Quisquis ergo Christum sibi præsentem desiderat, rei divinæ sedulus in templo assistat.

VII. Bona intentione etiam temporalia curemus cum discipulis piscatoribus.

VII. *Apparuit piscantibus, eique apparens divinis adjuvit beneficiis: aderit & nobis, cum necessaria vitæ temporalis recta intentione curamus, justisque nostris laboribus subsidium suæ pietatis adjungit:* inquit Beda loco citato. Ergone etiam Christum possumus habere præsentem sua benedictione in servilibus operibus & quibuscunque laboribus etiam profanis pro victu institutis? Possumus omninò, & quidem duplici fructu. Quemadmodum enim Apostoli in ea piscatione non solum piscium copiam insolitam ad imperium Domini ceperunt, sed etiam piscem jam recenter assatum cum pane ad littus invenerunt: ita qui cum Domino labores suos peragit, non modo temporalem obtinebit benedictionem, sed etiam æternam. Sed qua ratione? Sicut monuit Dominus, ad dextram mittat retia. Quænam dextera, nisi recta intentio? quænā sinistra, nisi perversa? Ad dextram mittit retia, qui omnem suum laborem dirigit ad Dei gloriam & salutem animæ: ad sinistram verò, qui quærit gloriam suam & corporis commoditates. Nihil in sinistra prendidêre Apostoli licet tota nocte piscati essent: in dextra jussu Domini retia laxantes, cepêre 153. magnos pisces. Cur non plures, nec pauciores? Respondet sanctus Hieronymus in c. 47. Ezech. *Ajunt,* inquit, *qui de animalium scripsêre naturis, de quibus Oppianus Cilix*

est Poeta doctissimus, centum & quinquaginta tria esse genera piscium quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum. Ergo sicut Apostoli quasi omnia piscium genera eo tractu ceperunt: ita qui labores suos etiam indifferentes dirigit ad Dei gloriam, omnem benedictionem, temporalem & æternam sibi comparabit, & omnia sua opera reddet meritoria. Pisces illos Apostoli quidem suo labore ceperunt: piscem vero assum & panem in littore Christus eis paravit. Pari modo si in omni actione sanctam habuerimus intentionem: & nobis victum in terra sufficientem comparabimus, & in cœli secura statione portuq; salutis parabit nobis Christus panem essentialis beatitudinis, cum pisce accidentalis. Atq; hoc sibi velle videtur, quod Amos c.5. ait: *Quærite bonum & non malum, ut vivatis, & erit Dominus Deus vobiscum.*

VIII. Magno desiderio vẽturum expectemus, cum iisdẽ in monte Galilea Christum expectantibus.

VIII. *Apparuit cum minorato eodem metu apertis eum gressibus in montis vertice quærerent,* inquit, Beda cit. scil. in monte Galilææ. Matth. 28. Præmoniti erant discipuli, ut irent in Galilæam, ubi absque timore Dominum viderent & cum eo agerent. Iverunt ergo illuc & convenerunt cum illis in montem (putatur probabiliter fuisse Thabor) plusquam 500. fratres (teste Apost. 1. Cor. 15. v. 6,) quorum in Galilæa plurimos habebat. Ergo quia maximo videndi Magistri & Domini sui desiderio illuc confluxerunt, videre illum meruerunt, non soli, quibus promissum erat, Apostoli, sed etiam alii quamplurimi. Aderit igitur & nobis Dominus, si magno desiderio eum quæramus, & venturum expectemus, uti illi expectarunt. Ita enim legimus etiam 2. Paralip. 15. v. 2. *Audite me Asa & omnis Iuda & Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum derelinquet vos.* Qui nullum in mundo voluit esse vacuum, non permittit etiam inane esse nostrum desiderium, quo desideramus ipsum, quia *esurientes implevit bonis.* Quis enim serio eum quærit, & non tandem invenit? *Abraham exultavit ut videret diẽ ejus: vidit & gavisus est.* Zachæus ascendit in arborem, ut videret eum: vidit & insuper in domum suscipere meruit, magno suo gaudio.

IX. Agamus omnia ad gloriam ejus, sicut undecim

IX. Apparuit recumbentibus: aderit & nobis, cum juxta Apostoli monitum, *sive manducamus sive bibimus, sive aliud quid agimus, omnia in gloriam Dei facimus;* ait Beda ubi supra. Sed de hoc dictum aliquid superius. Id porro ex hoc docemur adfuturum nobis Dominum etiam in mensa, si inter edendum fuerimus Dei memores, & quemadmodum Tob. 7. dicitur; *Epulemur benedicentes Deum:* & ut cap. 9. *si cum timore Domini convivium* exerceamus. Ita enim monemur ps. 67. v. 4. *Iusti epulentur in conspectu Dei,* q.d. sicut eos decet, qui Deum sibi semper adesse considerant: non sicut illi *convivantes sine timore, semetipsos pascentes,* ut ait S. Judas in sua epist. quales erant Balsasar & optimates ejus ex vasis sacris epulantes & bibentes. Dan. 5. sed quales describit S. Ambrosius in Malach 1. v. 6. tom 2. in fin. his verbis: *Qui est utilis Christianus, semper debet patri ac Domino suo laudes dicere & in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus,* 1 Cor. 10. *dicẽs: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani Apostolus voluit esse convivium, ut magis fides Christi, quam prandii sagina comedatur, & plus reficiat hominem Dominici nominis frequens invocatio, quam epularũ multiplex & copiosa collatio, meliusq; pascat esurientem religio quam sagina.*

X. *Novissimè illis apparuit ascendens in cœlum. Aderit & nobis ut eum post mortem sequi mereamur ad cœlos, si ante mortem eum in Bethaniam, unde ascendit, id est, in domum obedientiæ sequi curamus,* Et mox: *Venimus ibidem & nos, si quod ille monet, agimus, quod promisit, intendimus,* inquit Beda. Secura & certa est hæc veniendi ad Christum via: observatio mandatorum ejus. Audivimus enim ante octiduum Dominum dicentem: *Si quis diligit me sermonem meum servabit & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Vidimus qua ratione possimus obtinere, ut Dominum nobiscum habeamus. Hoc igitur jam agamus. Fuit aliquando Antiochia terræ motibus crebrò conquassata, præsertim anno 528. quo in periculo remedium hoc civibus succurrit. *Vnusquisq; enim civium Christi nomen foribus inscribẽs, eo modo terræ motum dispulit, cum Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset. Christus nobiscum, state.* Ita refert Nicephor. l. 17 hist. c. 3. Igitur & vos Audit. inscribite cordibus vestris hæc, quæ audistis & didicistis ab Apostolis & primis Christianis. Sic, ut spero, obtinebitis ut Christus vobiscum sit, & jam nihil metuatis, sed intrepidi stetis, hic in omni adversitate; & ibi in omni fœlicitate.

* * *

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Adinventiones Christi Domini in S. Eucharistiæ institutione.*

II. *Accessuros ad S. Eucharistiam quales esse deceat.*

III. *Causæ processionis cum S. Eucharistia.*

IV. *Ad processionem Corporis Christi vocantur cæci, claudi, debiles, pauperes.*

V. *Pompæ processionis, quæ fit in Festo corporis Christi, explicatur.*

THEMA I.

Adinventiones Christi Domini in S. Eucharistiæ institutione.

I. *Est inventio ad stabiliendam Dei Ecclesiam.*

II. *Est inventio partiendi se inter Ecclesiam triumphantem & militantem.*

III. *Est adinventio ad coërcendos à peccatis homines, & ab admissis expurgandos.*

IV. *Est adinventio ad peccatores Christo devinciendos.*

V. *Est inventio compellendi fideles sine vi ad cœnam agni.*

Notas facite in populis adinventiones ejus. 1. Paralip. 16.

QUando David Rex intulit Arcam fœderis in Jerusalem cum solemni pompa (in qua etiam ipse Rex, præ gaudio saltabat coram Arca) & reposuit in tabernaculo, quod tetenderat ei, tunc ulit holocausta & constituit omnis generis Mu-ss & cantores, qui variis instrumentis & suavi lodia canerent jugiter ante Arcam, inter eos ve-principem Cantorum, Asaph & fratres ejus, qui hoabant carmen suum his verbis: *Confitemini mino & invocate nomen ejus: notas facite in po-is adinventiones ejus. Cantate ei & psallite ei: & rate omnia mirabilia ejus*, 1. Paralip. 16. Sed hic ecuperem quæ tantæ causa lætitiæ, quæ tantæ emnitatis, propter Arcam unam ligneam, illa-i civitati? Quæ sunt adventiones illæ, quæ abilia in hac Arca? Aliam profectò ego non invenio, nisi quòd existimem Davidem velut Prophetam vidisse & expendisse in Arca illa typica veram aliam Arcam, omni laude & veneratione dignam, quam nòs his diebus cum solemnitate circumducimus per plateas: corpus, inquam, Salvatoris nostri, quo pro nobis immolato fœdus sempiternum inter Deum & genus humanum sancitum atque erectum est. In hac Arca cernere licet miras & stupendas Dei adinventiones, omniaque mirabilia; ut proinde jure meritissimo quidquid ad honorem illius excogitare possumus, nunc exhibeamus. Quod ut impensius fiat, consideremus nunc adinventiones illas.

I. Egregia inventio est ad conservandam, muniendam & stabiliendam in vigore suo Ecclesiam. *I. Est inventio ad stabiliendam Dei Ecclesiam.* Vulgata est aquilæ industria & quasi adinventio, qua nidum & pullos suos defendit seu contra ventos seu contra venena lapide ætite, ex Plinio & aliis; nec non ex sancto Hieronymo in capite 65. Isaiæ, ubi addit. *Si hoc verum est, rectè affectus Dei in suas creaturas Aquilis comparatus est: qui omni custodia protegit liberos suos, ut draco & coluber antiquus, diabolus & satanas obrepat novellis fœtibus, ut ad omnem lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion omnes adversariorum frangantur insidiæ*, alludens ad locum Isaiæ 28. *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem &c.* Ætites continet intra se minorem alium lapidem, qui auditur quidem resonans, sed non videtur. Ita Eucharistia foris referens speciem panis materialis & visibilis, continet intra se panem, qui non videtur oculo, sed auditur per fidem. Hanc ergo ponit Christus in Ecclesia sua velut præsidium & munimen fortissimum ad ejus conservationem. Testem imprimis adduco Timotheum presbyterum Hierosolymitanum, qui in orat. de Propheta Simeone ait: *Divinæ ac mysticæ mensæ operam demus; per quam mundus firmatur, per quam terrarum orbis consistit, per quam regnum conservatur, per quam Ecclesia augetur, per quam Deus sanctifica ur.* In hujus rei symbolum manna cœlo lapsum instar roris jacuit per circuitum castrorum Israelitarum, muniens ea instar mœnium aut valli. Exod. 16. vers. 13. Rursum ex accepto gustato roborati sunt Hebræi ad præliandum ac devincendum Amalec, hostem primum ac potissimum. Exod. 17. Sic enim Ecclesia beneficio Eucharistiæ munitur contra hostes imprimis invisibiles, Dæmones, qui per eam terrentur ac fugantur. Unde

Psalm. 22. propheticè de illa dicitur: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant nos.* Accedit S. Cyprianus lib. epist. 2. *Cum ad hoc fiat Eucharistia,* inquit, *ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.* Deinde contra visibiles, qui non semel debellati à fidelibus S. Eucharistiâ ante pugnam communitis, ut patet ex historiis; ac ne procul eamus, habemus exemplum de Germanis nostris in Vita S. Udalrici, qui Augustæ obsessus ab immensa Ungarorum multitudine, præsidiarios suos milites ante pugnam sacro viatico omnes recreavit animavitque illis Psalmi 22. verbis: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* effecitque ut barbari insultum facere timerent, & adventu Ottonis Imp. territi ab oppugnatione desisterent, occurrentesque Ottoni cæderentur & fugarentur. In vita S. Udalrici 2. Julii. Quin etiam in defectu hujus sacri pabuli solum ejus symbolum in litibus distributum, vires & victoriam eis comparavit, uti refert Æn. Sylvius lib. 3. Comment. in Panorm. c. 50. his verbis: *Henricus Rex Angliæ, Regis hujus, qui nunc regnat pater, circumventus ab exercitu Gallorum Regis, quacumque obtinuisset in Gallia dimittere voluit, si cum suis incolumis abire permitteretur. Negantibus Gallis nocte subsecuta vocatis centurionibus & decanis militum: Neque fugere,* inquit, *commilitones, neque ex hostibus incolumitatem consequi possumus, quamvis cedere regno Galliæ voluerimus, sola nos arma tueri possunt. Non est cur numerosum exercitum formidetis. Justam causam justus Deus adjuvabit. Ite & alter alteri peccata vestra confitemini, pauxillumque terræ ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ Salvatoris alter alteri porrigite. Crastina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. Sic dimissa concione, peractis quoque quæ jusserat, curare milites corpora præcipit. Sequenti die ut primum lux orta est commisso prælio incredibile dictu, octo millia suorum, sexaginta millia hostium fudere; cæsa ingens turba, nobilitas Galliæ propè capta, paucos fuga servavit. Eaque potissimum dies Gallorum opes fregit.* Et quid mirum? Si enim figura S. Eucharistiæ in V. T. potuit delere innumerabilem Madianitarum exercitum: cur non etiam symbolum aliquod ejusdem ad memoriam ejus devotè susceptum? Legimus autem Judic. 7. visum in somnio militi evidam panem subcinericium devolutum in castra Madian, ea percussisse atque subvertisse & terræ funditus coæquasse; quo quidem ad litteram designatus fuit Gedeon, qui parva manu postero die Madianitarum fugavit exercitum: mysticè verò S. Eucharistia utique panis verus, vitam animæ tribuens & castra hostium Ecclesiæ evertens.

Præterea sicut ætite lapide firmatur etiam nidus aquilæ: ita & Ecclesia per Eucharistiam conservatur in suo fervore & nitore; quæ si absque eo lapide esset, langueret & deficeret in virtutum progressu, nulla aut exigua foret cura conscientiæ expurgandæ & confessionis ritè faciendæ: sorderent undique templa & nihilo plus venerationis, quam stabula vel profanæ domus haberent, quemadmodum videre est apud Lutheranos & Calvinistas, qui adeò non ornant aut venerantur ea, ut nec pileum deponant, cum ea ingrediuntur, nec magis quam horrea excolant. Id quod etiam apud Judæos tandem fieri cœpit, ut in templo suo venderent oves & boves, &c. adeoque ex illo speluncam latronum facerent. Cadente verò templorum cultu & reverentia caderet consequenter omnis etiam pietas & religio. Absque S. Eucharistia esset, quod haberemus sacrificium ad placandum Deum? quod purgantes animæ expectarent suffragium? quod moribundi haberent viaticum? quod miseri & afflicti reperirent solatium? quem peccatores haberent Dei timorem? quod nos haberemus Passionis Dominicæ memoriale? quam referremus gratitudinem?

II. Præclara adinventio est Christi Domini partiendi se inter Ecclesiam triumphantem & militantem, utramque sponsam suam, ut cum utraque possideret, licet altera in cœlo, altera in terra, immenso divisæ intervallo habitarent. Scimus coram Salomone duas litigasse mulieres pro uno infante vivo, utraque contendente, ipsum sibi deberi velu suum. Sapientissimus Salomon adinvenit rationem investigandi veram infantis matrem, quando allat præcepit gladio, ut divideretur infans, & pars un mulieri & pars alteri daretur; tunc enim veræ ma tris prodit affectus & obtinuit filium, 3. Reg. 3 Verum in hoc judicio Salomon alterius postulat nequaquam satisfecit, quia orbatam filio dimisit non enim utrique poterat dare filium, nisi disse ctum. At verò quod Salomon non potuit, hoc ad invenit & potuit præstare ille, qui plus est quàm Salomon. Cui dubium esse potest, ascensuro ad cœ los CHRISTO contentionem fuisse inter Ecclesiam triumphantem & militantem? inter patres è limb eductos, cum Christo ascensuros: & inter ejus fide les adhuc in terra degentes? Contendebant illi sib Christum deberi, velut Regem suum, regnum cœlo rum, tot laboribus partum, in possessionem acce pturum & cum ipsis regnaturum. Contra nitebant tur isti eum retinere in terra velut Ducem mili tantibus apprimè necessarium, quo destituti neces sario debeant hostibus succumbere. Justo sanè vide tur utriusque Ecclesiæ petitio. Quid igitur ad hæ Christus? Adinvenit rationem planè admirandam qua ita se divisit, ut maneret cum utraque integ & vivus: in cœlo cum triumphantibus naturali for ma visibili: in terra cum militantibus Sacramenta forma & invisibili: replicando ita corpus suum, u simul in cœlo & in terra diverso tamen modo exi steret. O sapientiam verè plusquam Salomonicam imò divinam! ô adinventionem gratiosam & omn acceptatione dignam! At nonne etiam militans Ec clesia habet eum in specie sensibili & visibili? Ha bet quidem sed in aliena, sub specie panis & vini

triium

iumphans eum possidet in sua & propria. Illa um videt in habitu peregrini, paupere & vili: ista am contemplatur in decore Regis, gloria & honoe induta. Ista triumphans videt eum nunc mentis culis, visura post resurrectionem etiam oculis corporis: illa vero militans videt eum nunc oculis corporis, tangit, gustat, sed in aliena specie; visura aliquando etiam in propria, corporis & mentis oculis, elat hominem & Deum. Typum aliquem hujus irae partitionis Dominicæ hæreditatis præmisit saac, quando moriens paternę benedictionis hæreitatem ita divisit duobus filiis, Jacob & Esau, pro a contendentibus, ut ferè eandem ambobus daret. acob dixit: *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguene terræ abundantiam frumenti & vini.* Ad Esau erò: *In pinguedine terræ & rore cœli desuper erit ened.ctio tua.* Genes.27. Quis hic non videt parem, nò ferè eandem patris benedictionem? Unum d t discriminis, quod Jacob primò rorem cœli, deide pinguedinem terræ: Esau vero priùs terræ pinuedinem quàm cœli rorem acceperit. In abunntia frumenti & vini agnoscimus typum corpos & sanguinis Domini: in rore cœli divinitatem hristi, in pinguedine terræ ejusdem humanitam: in Jacob Ecclesiam triumphantem, in Esau ilitantem. Ergo Christus inter hos fratres & duos lios suos dividit ita hæreditatem corporis & sanuinis sui, adeoque benedictionem suam; ut triumantes quidem videant prius in cœlo mentis ocusipsius divinitatem; visuri post resurrectionem culis corporis etiam humanitatem: militantes erò videant eum nunc oculis corporis (sub aliena et specie) visuri eum post resurrectionem in proia, & præterea oculis mentis etiam divinitatem us. Denique sicut Isaac filio Jacob dedit hæreditem suam in Chananæa, uberi & amœna: filio erò Esau suam hæreditatem in Idumæa, aspera & ontosa: ita Christus quoque cœlitibus se dedit cœlo amœnissimo: terricolis in terra laboriosa & rumnosa. De Ottone I. Imp. scribit Fulgosus lib.8. 2. præclarum hoc regiæ benevolentiæ consilium. itigarunt coram eo duo pro agro uno; nec erat facile discernere, uti ager adjudicandus esset, cum ideretur utique deberi. Quid egit Imperator? mit agrum ab uno, & alteri eum donavit: sic utrique satisfecit; dum uni quidem agrum, alteri preum agri dedit. Simili ratione dirimit Christus litem seu desiderium utriusque Ecclesiæ sibi dilectæ: iumphanti dedit suam præsentiam in cœlo conspiciendam, ad eorum beatitudinem explendam: lteri in terra per fidem intuendam, ad meritum omparandum.

III. Egregia & sapientissima adinventio est omponendis ad modestiam hominibus, & certis altem temporibus ad pœnitentiam vocandis. Meninime priori anno 1644. in Cathedrali templo eccoviensi vidisse miram industriæ cujusdam & eligiosissimi Præpositi adinventionem, augustam, ideliçet & vetustam quandam speculam ad templi parietem editiore loco sitam, ita undique perforatam, ut bonus vigil & inspector, quidquid uspiam in templo fieret, non difficilè intueri, ipse verò præsens videri non posset; & hoc in eum laudatissimum finem, quo pietas & honestas, decor & religio in domo Dei ab omnibus servaretur, metuentibus videlicet oculum pastoris gregi invigilantis. Hujusmodi est inventio Salvatoris nostri, qua tametsi è cœlo etiam videt & coram inspicit omnia acta omnium hominum, illis tamen velut absens & longè remotus apprehenditur, adeoque parum à plerisque curatur. Quare voluit Dominus statuere sibi speculam in terra S. Eucharistiam, in qua ipse præsens velut ex abscondito omnia nostra cerneret, à nobis quidem crederetur, non tamen cerneretur. Ita sanè eum contemplata fuit sponsa Cantic.2. dicens: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quis hic paries nisi panis species, quæ ipsi quasi fenestræ sunt, per quas clarè nos intuetur: nobis verò quasi cancelli, qui nos impediunt ne ipsum videamus? Quis nescit oculum patrisfamilias præsentem componere domesticos ad modestiam & labores? Et quo alio fine misit Deus Filium suum in mundum ad perversos & contumaces vineæ suæ cultores, nisi ut ejus præsentia & conspectu ad officium reducerentur & redderent domino suo debitos fructus? Ait enim: *Verebuntur filium meum.* Matth.21. Syrus vertit: *Erubescent propter filium meum.* Quod quidem improbi illi cultores, Judæi scil. increduli minimè præstiterunt, præstant tamen Christiani, qui in templo imprimis ob præsentiam Christi in S. Eucharistia & cùm per plateas defertur componunt se ad modestiam, pietatem & religiosam ejus venerationem, percutiunt pectora sua & ipsi se commendant. Et quid mirum? Si enim pueri S. Bernardini Senensis condiscipuli ipso adventante se ad modestiam receperunt & silentium, dicentes: *Sileter Bernardinus adest*; ut in ejus vita est: non recipient se mortales ad morum honestatem, timorem & reverentiam, cùm norunt adesse Deum Dominum & Judicem suum? Composuit certè se ferocissimus alioquin & contumax contemptor Ecclesiæ & servorum Dei, Guilielmus Aquitaniæ Comes, schismaticus, quando cum præ foribus Ecclesiæ commorantem sanctus Bernardus, corpus Domini super patenam tenens, ita aggressus & affatus est: *Ecce ad te processit filius Virginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest Iudex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet. Nunquid & ipsum spernes? Nunquid & ipsum sicut servos ejus contemnes?* Quid actum? *Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem & sacratissimum corpus Domini in manibus ferentem, expavit & diriguit, membrisque tremebundis metu & dissolutis quasi amens solo pervolvitur. Elevatus à militibus rursum in faciem ruit, &c.* Ab eo igitur tempore ita se emendavit & talem egit pœnitentiam, ut ad magnam sanctitatem pervenerit, Refert

missis expurgandos.

Refert Guilielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6.

IV. *Est adinventio ad peccatores Christo devinciendos.*

IV. Præclara adinventio est, qua Christus peccatores à peccatis abstrahere & sibi devincire queat. Declarari istud potest non absimili quodam facto. Vexaverant per annos ferè 40. Galliam Nortmanni & multis cladibus afflixerant. Quod huic malo remedium excogitat Gallorum Rex, Carolus simplex dictus? Rolloni eorum Duci filiam suam, Gillam, despondet & in dotem addit Neustriam, quæ nunc ex ipso appellatur Nortmannia. Sic eum non solùm sibi devinxit ad contrahendam amicitiam, sed etiam ad suscipiendam fidem & baptismum, in quo nomen accepit Roberti. Refert Gaguin. lib. 5. Baron. anno 853. Cuspin. in Ludovico III. Vidit etiam Rex æternæ gloriæ, Christus homines quamplurimos sibi adversaturos & regno Ecclesiæ suæ damna illaturos; quare invenit hoc remedium, ut eos oblata in escam carne sua copularet sibi adeoque consanguineos faceret; ut hoc pacto inimici esse desinerent, & amici fieri inciperent, memores si in Christi sanguinem peccarent, in seipsos peccaturos: & vicissim si in carnem suam peccarent, etiam carnem Christi offenderent; ut qui ejus consanguinei sint. Unde in persona Christi sanctus Chrysost. homilia 61. ad pop ait: *Volui frater vester fieri, carnem propter vos & sanguinem communicavi: vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado.* Per sacramentalem communionem igitur copulatur anima nostra cum Christo fiuntque nuptiæ spirituales teste S. Ephrem in tract. de Judicio: *Est enim anima nostra*, inquit, *sponsa sancta facta immortalis sponsi: nuptiarum autem copulæ divina sunt sacramenta, per quæ sancta anima jungitur sponso; dum cum timore atque tremore dignè sumuntur.* Jam si sponsæ, si consanguinei Christi per Eucharistiam efficimur, quid ni etiam cohæredes & consortes regni ejus? Qui enim seipsum nobis in cibum dat & cum carne nostra suam commiscet, quomodo non & regnum suum & omnia quæ possidet?

V. *Est inventio copellendi fideles sine vi ad cœnam agni.*

V. Ingeniosa adinventio, qua Christus sine vi compellit mortales venire ad se & cœnam suam. Compellit enim amore, & trahit ad se volentes. Quâ de re vaticinatus est Oseas cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, & declinavi ad eum ut vesceretur.* Originale Hebræorum habet: *In funiculis hominum traham eos.* Tauris enim funibus, homines trahuntur amore & beneficiis. Unde Chaldæus vertit: *sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis.* Loquitur autem partim in præterito partim in futuro; quia partim de manna V. T. quo per asperum desertum traxit Hebræos in terram promissionis; partim de Eucharistia seu manna N. T. quo nos trahit per hujus vitæ asperitates ac tentationes ad cœlum. Jam verò quomodo sine vi adhibita compellit & trahit nos ad se in Eucharistia? Vinculis amoris verissimi & fortissimi.

1. Verus & fortis amor desiderat adesse & adhærere amato: quo modo Elisæus Magistro suo Eliæ, qui discedere ab eo non semel jussus: *Vivit Dominus*, inquit, *quia non derelinquam te*, 4. Reg. 2. Christus in hoc sacramento nobiscum semper manere voluit in terra, non deserturus nos usque ad finem mundi. Quantus est hic amor?

2. Verus & fortis amor unit se cum amato, quàm maximè potest. In Eucharistia Christus unit se nobis intimè, in nos intrando & unum quasi ex se & nobis faciendo: quo modo desiderabant præ amore Jobum domestici comedere & in se convertere dicentes: *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Job 31.

3. Verus & potens amor communicat se suaque amato, uti Jonathas vestes suas Davidi, ut seipsum quodammodo in illo intueretur, 1. Regum 18. Elias pallium & duplicem suum spiritum dilecto discipulo Elisæo. Christus in Eucharistia communicat seipsum dignè communicanti cum omnibus meritis & thesauris suis quos acquisivit.

4. Verus & tener amor solet dare placida & jucunda: uti pater filio dulciaria, equellos, ensiculos, balistas, fides, &c. quemadmodum Jacob dilecto filio suo Josepho fecit vestem polymitam. Genes. 37. Christus se nobis in cibum sub specie panis & vini, alimenti nobis congrui & accepti dedit, ut non modo sine horrore, sed etiam cum gustu dulcedinem spiritualem præberet.

5. Verus & magnus amor tolerat injurias ab amato sibi irrogatas, nec propterea eum deserit: ut Samson imposturas & proditiones suæ Dalilæ. Judic. 16. Christus pergit nos amare & cibare suo corpore, etiam cum à multis sæpè indignè excipitur & malè habetur: quodque omnium maximum est, quærit amorem eorum, a quibus nihil commodi sperare potest, nec ulla ratione dependet; sed à quo ipsi toti quanti pendent. Qualis hic & quàm mirus amor? Quis hoc amore non trahatur ad amorem ejus reciprocum & frequentem illius cœnæ magnæ accessum? Fratres Josephi postquam viderunt tanta sibi à Josepho fratre exhibita beneficia, resoluti sunt in lachrymas, ut scribit Josephus in Antiquit. Quid nos nisi lachrymas amore plenissimas rependemus Christo Domino?

Ergo *Confitemini Domino & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus.*

THEMA II.

Accessuros ad S. Eucharistiam, quales esse deceat.

I. Decet esse pauperes & famelicos.
II. Decet esse debiles.

III. De

II. Decet esse cæcos.
V. Decet esse claudos.

Exi citò in plateas civitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Luc. 14.

JUre meritò S. Eucharistia *cœna magna* appellatur. *Magna*, quia à magno imò summo Regum Rege instituta. *Magna*, quia magno Christianorum orbi parata. *Magna*, quia magno pretio sanguinis Christi comparata. *Magna*, quia magnos fructus parit dignè accedentibus, magnum periculum indignè sumentibus. At verò dicet aliquis, unum ei deest, quia magnos hospites non habet. Magni enim hospites sunt Principes, Comites, Barones, quorum tamen loco hìc introducti sunt pauperes, debiles, cæci, claudi. Quales hi convivæ? Nonne magnam cœnam magni hospites decent? Verùm Auditores, oportet hos convivas bene intueri, non sunt tam parvi ac despecti, sicut apparent. Imò verò magni sunt, & utinam nos omnes iis similes essemus, futuri utique convivæ Christi etiam in cœlo. Itaque hos ad præsens accuratiùs inspiciamus.

I. Accedamus velut pauperes, cum inani stomacho, & fame, primò ita ut ab amore rerum terrenarum liberi & vacui simus. Pauperes enim sunt, qui nihil in mundo possident, victu & amictu tenui contenti; ac per hoc mensa Christi digni ejusque capaces sunt. Hi enim æstimant mensam ejus, & pro ea gratias agunt. Unde Psal. 21. dicitur: *Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Tales sunt; qui non terrena quærunt eorumque amore impliciti sunt, nec eorum copiam desiderant nec inopiam timent: sed cœlestia solùm appetunt. Hanc ob causam Deus manna Hebræis non nisi peregrinantibus de cœlo pluit, quamdiu scilicet peregrini in tabernaculis habitabant, nihilq; stabile possidebant. Similiter non nisi postquam defecit farina subacta seu pasta, quam tulerant de Ægypto, durantem per 30. dies (secundùm Josephum) manna acceperunt. Exod. 12. & tunc manna cum gustu comederūt, dicentes: *Manhu? quid est hoc?* quam bonus & sapidus cibus? Ubi in terram promissam ingressi habilem locum acceperunt, manna privati sunt. Denique quia aliqui memores ollarum Ægyptiarum, spreto manna, pretiosissimo cibo Angelorū (hoc est, quo meliorem vix Angeli desiderarēt) carnes appetierunt, plagā ignis correpti sunt, Num. 11. Quis enim pretiosum vinum aut unguentum mittit in vas tetro odore imbutum? Sic in hod. Evang. ii, qui spretā cœnā Domini sumptuosissimā prætulerunt ei villam, boves, nuptias, à cœna exclusi audierunt? *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam*; cum scilicet frustrà aliquando desiderabunt eam.

2. Ita ut cum fame & desiderio ad eam properemus, uti faciunt pauperes: non divites, qui ferè nunquam esuriunt, sed fastidiunt etiam optima quæque esculenta & poculenta. Pauperes multis & ferventibus precibus solùm petunt panem, & admissi ad mensam, maximo cum gustu & appetitu comedunt, quidquid tandem apponatur, quia famelici sunt. Laudant etiam quosvis cibos, licet minimè exquisitos. Eucharistia omnium delicatissimus & nobilissimus est, quia panis vitæ est. Debet igitur cum fame & appetitu quæri. Hinc Beata Virgo canit: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 1. Quanto studio pauperes inhiant eleemosynis, cùm larga manu distribuuntur? Et tamen ea absumpta post paucos dies, mox iterum esuriunt. Quid si ad lignum vitæ parandum via esset, quo non modo famem sed & mortem arcere liceret; quis eò non contenderet, vel si non posset, afferri sibi non curaret? Atqui Eucharistia est panis vitæ, immortalem ac beatam vitam nobis conferre valens. Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

II. Accedamus velut debiles cum timore & tremore; quia sicut debiles & infirmi palpitant & tremunt, sunt mites & pacifici, quantumvis priùs feroces fuissent: dant omnibus bona verba, nulla arma tractare sciunt aut volunt, sed pacem & quietem optant: sic qui ad Christi mensam accedunt, amici ejus esse debent; arma si qua habuerunt, peccata videlicet, deponere: imò ea plangere & pacificè venire. Non licet ad Pontificem cum gladio intrare, quia & ipse gladium non habet, nec armis se tuetur. Ad Imperatorem Turcicum Legati non nisi tentis utrimque brachiis introducuntur. Hac ratione Saulus, cùm priùs persecutor Christi, armatus isset, Damascum pergens & Christianos persequens, cùm in via prostratus & debilitatus, Christo manus dedit ac dixit tremens & stupens: *Domine quid me vis facere?* manibus tractus Damascum introductus est ad baptismum. Act. 9. Damascus *sanguinis succus* exponitur. Et quid Eucharistia nisi sanguinis Christi succus? Ad hunc ergo sugendum nemo armatus, nemo gladiatus veniat. Amicus sit & quidem familiaris, qui ad mensam alterius accedit. Unde Canticorum quinto dicitur: *Comedite amici.* An nescimus quomodò Christus protestatus & turbatus fuerit, quando Judas cum hostili proditionis gladio, in pectore occultato, sine omni timore assedit ad ejus cœnam ultimam? Joan. 13. *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, ait, quasi dicat: Ego quidem summi amoris cœnam vobis exhibeo; verùm ecce hostis unus mensæ meæ assidere audet. Languere etiam præ amore & corruere deberemus; sicut sponsa quando introducta in cellam vinariam sponsi, viribus deficiens dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cantic. 2. quemadmodum & non paucis Sanctis contigit post sumptionem Eucharistiæ, uti sancto Francisco, Dominico, Xaverio, &c. considerantibus Christi in Eucha-

II. Decet esse debiles.
I. Per sui deditionem.

Eucharistia amorem, bonitatem, liberalitatem, misericordiam, sapientiam, humilitatem, potentiam.

2. *Per fiduciã in Deum.*

2. Sicut debiles, cùm incedunt, baculo se sustentant: sic qui ad Christi cœnam accedunt, ubi, quod in ipsis erat, fecerunt ad purificandam animam, cum baculo piæ fiduciæ, ad ipsum pergere debent, innitentes non suæ dignitati ac justitiæ, sed humanitati & benevolentiæ Christi, nos ad se vocantis. Quando Joseph, Ægypti Princeps, manifestavit se fratribus suis, primò quidem territi sunt, ob scelus in eum admissum, nec poterant ei respondere. At quando humanissima voce dixit: *Accedite ad me*; accesserunt propè & excepti osculo, ausi sunt ei loqui; postquam scilicet jam deflessent peccatum suum, quod in eum commiserant. Genes. 45. Vocat & nos ad se Christus & quidem humanissimè, ut dixi: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Nixi igitur hoc verbo, ubi peccata nostra expiavimus, confidenter accedamus, interim tamen semper memores debilitatis & inhabilitatis nostræ, dicentes ex una parte cum Centurione: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; ex altera cum Zachæo suscipientes eum magno gaudio. Thronum Salomonis sustinebant duæ manus hinc & inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas 3. Regum 10. Talis est thronus Christi, manus porrigit amicis, ut confidenter accedant; leones verò ostendit ut interim considerantes nostram parvitatem cum timore accedamus.

III. *Decet esse cœcos.* I. *Per fidem.*

III. Accedamus velut cæci cum fide. Primò claudendo oculos sensuum & nostrarum rationum circa hoc mysterium. Ut enim cœcus non suorum oculorum, quos cœcatos habet, sed alienorum, etiam pueri unius vel catelli, ductu incedit, atque ita securè pergit: sic oportet nos in hac re nequaquam duci sensibus nostris aut humanis ratiunculis, sed verbo Christi ac fidei. Hoc prædictum Isa. 11. *Vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus* (hoc est humilis prædicator vel Apostolus) *minabit eos.* Sic puer unus regebat gressus exoculati Samsonis & duxit eum ad epulum Philisthæorum Eucharisticum, hoc est ad convivium, in gratiarum actionem, ob Samsonem captum institutum. Judic. 6. ubi ipse recuperavit vires pristinas, & longè majorem victoriam de hostibus suis obtinuit cœcus, quàm unquam priùs obtinuerit videns; denique cum illis occumbens, salutem populo suo temporalem, & sibi æternam acquisivit: templum verò Dagonis evertit. Ita plus meremur si fide, quàm si oculis aut scientia ducti pergamus ad Eucharistiam: recuperamus enim vires gratiæ novas, & debellamus vitia nobis adhærentia, ipsosque cacodæmones: æternam quoque salutem nobis paramus. Hac de causa Ecclesia ante sacram communionem cantat: *Credo in Deum patrem omnipotentem*, ut priùs quasi oculos velemus & Deo omnipotentis verbo ac ductu nos committamus. Quomodò enim errare possumus, si Deum dicentem ac ducentem sequimur? Et, si quod fieri nequit, in errorem duceremur, dicere Deo liceret: Domine tu sic duxisti nos. Quid inde nobis timendum foret? Verissimum ergo & hîc est, quod ait Dominus Matt. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Melius est nobis cœcos intrare in regnum cœlorum, quàm cum duobus oculis proprii sensus & voluntatis mitti in gehennam. *Notus est mihi quidam*, inquit, Artimodorus lib. 1. Onirocritiæ cap. 28, *qui visus est sibi tres oculos habere & cœcus factus est.* Sic contingit illis, qui divina supra vires suas scrutari & censere volunt, & plus se quàm alios videre sibi videntur; quemadmodum hæretici, qui proptereà in plurimos errores ipsamque cœcitatem incurrerunt, quia plus se videre, quàm SS. Patres & Concilia putabant.

2. Claudendo sensus omnes versùs res creatas & cogitationes terrenas; solum mentis oculum in Deum attollendo & Christum hospitem nostrum cogitando: quo modo Daniel in captivitate Babylonica omnes alias fenestras oraturus clausit; eam tantùm, quæ Jerosolymam ejusque templum spectabat, aperuit; ut nihil interim de impia Babylone videret aut cogitaret. Dan. 6. Sic & nos ad Christum accessuros decet ipsum solum præ oculis & in mente habere.

IV. Accedamus velut claudi cum humilitate & reverentia. Nemo nescit claudos hoc ipso, quia crura erecta non habent, humiliore gressu incedere, imò ad perfectam hominis staturam raro pervenire; & hinc non immeritò humiliores etiam animo sunt. Rursum claudi dici possunt, qui curvato corpore sunt. Ergo qui caput, corpus & genua ob reverentiam alterius flectunt, claudi dici poterunt, sicque claudi seu curvi ad Christum accedemus, quando cum modestiâ, humilitate & debitâ reverentiâ accesserimus, juxta prædictionem Isaiæ capite 60. *Venient ad te* (ô Christe) *curvi filii eorum, qui humiliaverunt te & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Utrumque discimus à filio Jonathæ Miphibosetho claudo (quoniam infans ex ulnis nutricis ceciderat) qui vocatus à Davide jam constituto Rege, *corruit in faciem suam & adoravit.* Audiens deinde à Davide: *Tu comedes panem in mensa mea semper*: respondit: *Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum, similem mei?* 2. Regum 9. Fuit sanè Miphiboseth filius Jonathæ & nepos Regis Saul; & en quomodo se humiliat coram Davide; *canem mortuum* se appellat. Et cur? quia claudus adeoque Davidi in aula inutilis suo judicio erat. Canis claudus, canis quasi mortuus est; quid enim domino prodest? nec leporem capere, nec lupum pellere, nec anatem ex aquis afferre, nec domum domino custodire potest. Gratis igitur panem heri sui comedit. Idem de se sentiebat Miphiboseth, ut qui servire Regi non

posset,

posset, seu in militia, seu in venatione, seu in saltibus aliisque exercitiis aulicis ; gratis igitur panem ejus comederet. Multo majore jure nos hoc Christo Domino nostro dicimus, cùm ad ipsius mensam invitati accedimus. Quid enim ipsi prodesse vel dare possumus, qui ab ipso omnia habemus? Et tamen ille ad mensam suam invitat nos: ad mensam, inquam, in qua nec Angeli ex se digni sunt sedere. Nonne igitur jure merito ante ipsum corruimus, & canes mortuos nos agnoscimus? Refert Sozomenus in historia sua arborem Idololatricam à Dæmone infessam, propè Heliopolim, (ubi Dominus noster infans in Ægyptum fugiens divertit) incurvasse se ad terram, venienti Dei filio honorem exhibendo. Ecce dæmones & arbores incurvant se coram Christo, & hoc Christianus ægrè faciet? Scimus certè ex Evangelio dæmones Christo in obsessis occurrentes ad terram se prostravisse, ipsumque adorasse. Quid igitur nos Christiani? quomodo non arguemur, si Dominum Deum nostrum nobis occurrentem non æquè, non magis veneremur?

Isti ergò sunt gratissimi Christi hospites, magnæ cœnæ magni convivæ. Abeant igitur & valeant, qui ad villas, boves & uxores eunt. Abeant divites, qui terrena tantùm sapiunt, cœlestia fastidiunt; veniant pauperes. Abeant robusti luctatores, peccato armati; veniant debiles. Abeant oculati qui sensibus ducuntur; veniant cæci. Abeant erecti & superbi? veniant humiles & venerabundi: comedant & bibant è mensa Domini hîc in sacra Eucharistia, ibi in cœlesti gloria.

THEMA III.

Causa processionis cum sacra Eucharistia,

V. Tripart. in F. Trinit. Conc. 4.

I. *Vt nos gratos tanto beneficio exhibeamus.*
II. *Vt hac solemnitate compensemus; quod in ejus cultu per annum negligimus.*
III. *Vt hac nostra devotione compensemus; quas ab aliis sustines injurias & despectus.*
IV. *Vt hæreticorum perfidiam redarguamus.*
V. *Vt divinæ voluntati & Ecclesiæ Rom. nos obedientes monstremus.*

Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos. Luc. 14.

Contingit Christo Domino idipsum ferè hodie, quod ei contigit cùm in asello triumphum agens, à populo & discipulis magno cum applausu inductus fuit Jerosolymam. Alii enim admirati sunt dicentes; *Quis est hic?* Matth. 21. alii audientes ipsi accini; *Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini*; Dicebant: *Magister increpa discipulos tuos*. Luc. 19. alii cùm audirent pueros in templo clamantes: *Osanna filio David*; dicebant indignati Christo: *Audis quid isti dicunt?* Matth. 21. Ducemus & nos hodie ac per urbem circumducemus eundem illum Salvatorem nostrum solemni cum pompa & jubilo, quamvis humili asello, sub specie panis incedentem. Quod imprimis mirabuntur aliqui & interrogabunt, quid sibi velit, quod in urbis plateas Christum Dominum nostrum efferamus. Alii fortè offendentur solemnitate pompæ & jubili, cupientque tacere cantum, tubas, tympana bombardas, velut sumptus non necessarios. Denique alii fortè acatholici pejus adhuc cogitabunt, nos nescio quid idololatricum committere. Sed respondendum his cum Christo: *Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt*. Tanta sunt testimonia præsentiæ Christi in hoc sacramento: tanta miracula eandem comprobantia, ut si nos taceamus, lapides clamaturi sint. Quare ut horum seu curiositati seu ruditati occurramus, afferemus eis causas, quæ Ecclesiam permoverunt ad hanc instituendam decentissimam solemnitatem.

I. Instituta igitur est, 1. Ut nos gratos & memores tanti beneficii ac doni, quo ipsum Donatorem pro dono accepimus, erga Deum demonstremus. Est enim gratitudinis officium, non solum agnoscere beneficium seu donum, sed id etiam deprædicare & publicare, juxta id Psalm. 65 *Venite, audite & narrabo omnibus, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*. Sic videmus passim viros nobiles in collo gerere & ostentare aurea numismata (Gnadenpfenning) insignita effigie Imperatoris vel Principis, à quo ea amoris gratia dono acceperunt. Hebræi ita è Arcam fœderis, in qua urna aurea continens manna, & virga Aaronis, & Tabulæ legis erant repositæ (Exod. 16 & ad Hebr. 9.) circumferebant secum humeris Levitarum & Sacerdotum, per desertum toto peregrinationis tempore, maximo cum honore, in terram usque sanctam, demumque ingenti cum triumpho intulerunt in domum David, & postremùm in templum Salomonis. Circumgestant etiam in hodiernum usque circum synagogas suas id, quod putant se habere præstantissimum, *Thabor* scilicet seu volumen legis, accuratissimè descriptum manu pelleque in mundissima. Quid ni potiori jure nos eum, qui est panis vivus, de cœlo descendens, qui est ipse summus omnium Sacerdos, ipseque Legislator & dator legis, circumferimus in publico: & toti mundo inonstramus beneficia Dei nostri, nulli alii genti unquam concessa? Adeo hoc naturali rationi consentaneum est, ut ipsi etiam Gentiles ductu luminis naturalis ad hoc nobis præiverint. Persas enim quia igni plurimum se debere existimabant,

I. Vt nos gratos tanto beneficio exhibeamus.

bant, à quo omnia vegetari cernebant, Regi suo iter agenti ignem præferebant, teste Herodiano. Romani, quia anserum clangore à somno excitati fuerunt ad depellendos à Capitolio hostes Gallos; quotannis certo die anserem splendidè admodum in lectica & veste stragula solemni pompa circumduxerunt, ut habent Antiquit. Rom. libr. quarto, capite decimo primo. At nos quanto majora beneficia à Servatore nostro accepimus? nonne ipse nos triennali prædicatione à vitiorum somno excitavit? nonne sua morte à morte nos suscitavit? Audi ipsũ sponsi nomine loquentem sponsæ, Canticorum octavo: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Sub arbore mater nostra Eva occidit nos: sub arbore Crucis Christus suscitavit nos, summis in doloribus mortem in Cruce subiens. Quid igitur pro tanto beneficio postulat à nobis: *Pone me ut signaculum super cor & brachium tuum.* Signaculum seu sigillum imaginem Principis continet, unde aureæ monetæ imprimitur, & sic ad memoriam Principis in collo gestatur. Christus non imaginem, sed seipsum imprimit sacræ hostiæ, mediante verbo sacerdotis in altari. Ergo ad ejus memoriam ponamus eum supra cor: nec solùm supra cor, ut in mente nostra habeamus, & beneficium agnoscamus; sed insuper supra brachium, ut eum brachiis nostris publicè circumferamus & monstremus omnibus benefactorem nostrum. Si enim gentes aliquæ eorum, quos diligunt, notas, ad perpetuam ipsorum habendam memoriam, cauterio sibi imprimi curant, vel in brachio, vel in sinistra (ubi cor hominis est) parte pectoris (quod Mauris & Saracenis fœminis frequens esse asserit Ghislerius in capite octavo Cantic. v. 6.) quid ni decet, ut nos quoque amatorem nostrum summum, qui sanguine suo nos emit, sua morte vivificavit, cordi nostro insculpamus & brachio, hoc est, internis externisque viribus, animi & corporis veneremur quantum possumus?

II *Vt hac solemnitate compensemus, quod in ejus cultu per annum negligimus.*

II. Ut hac solemnitate compensemus, quod à nobis per decursum anni in hujus sacramenti cultu & veneratione neglectum est. Quemadmodum enim *in Festis Sanctorum; quia circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certum diem, in quo generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebritate communi quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum ex steret, solveretur: ita quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur, & fideles (festivitate ipsa instante) intra se præterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemniis, sæcularibus forsan agendis impliciti, aut aliâs ex negligentia ve l fragilitate humana minùs pleni gesserunt, tunc attentè in humilitate spiritus & animi puritate restaurent;* inquit Urbanus Papa IV. in Decreto instit. hujus Festi, quod habetur in Clement. libro 3. tit. 16. de relig. & vener. SS. Fateri debemus parum nimis venerationis deferri à plerisque huic sacramento; dum in templo elevatur & monstratur, dum ibi visitatur; dum ad ægrotos defertur. Inde enim scandalizantur quandoque Judæi, Turcæ & hæretici; imprudenter quidem: quia non ideo fides mala, quia malè à quibusdam observatur; neque etiam possibile nobis est semper excubare ad obsequia Domini nostri, cùm alia etiam agenda sint: & Apostoli ipsi non semper, sed suo tempore tantùm Christum adorârint; & quod priùs neglexerant, compensârint post ejus resurrectionem & ascensionem. Itaque conamur hoc annuo saltem cultu resarcire id, quod in veneratione Domini nostri per annum neglex imus.

III. Ut compensemus nostra devotione injurias, quas sustinet à perfidis Judæis, Turcis, Hæreticis, nec non malis quibusdam Catholicis, qui sacrilegè eum suscipiunt. De Judæis certum est quòd Christum in suis synagogis quotidie blasphement; & passim monumenta supersunt, quæ docent eos Christum quasi de novo crucifixisse in sacra hostia, ut Passavii, Deckendorffii, Sternebachii, in Marchia Brandeburg. villa Cnobloch, in Sachazere Poloniæ oppido, apud Bozium tom. 2. fol. 77. de signis Ecclesiæ.

Turcæ anno 1453. capta Jerosolymâ, crucifixi imaginem tympanis præeuntibus per fora & plateas ex urbe in castra rapuerunt, sputo, luto, jaculis impetentes, pileo ei imposito, clamantes: *En Christianorum Deum, crucifixum.* Cuspinian. Quid de hæreticis, Calvinistis & Lutheranis dicam: quorum illi iniquissimè Christum in Eucharistia tractant, hi nullo modo venerantur?

Nec minor illa injuria, quæ ipsi infertur à Catholicis interdum, cùm sacrilegè suscipitur. Quare ne Christus Dominus his injuriis offensus iram in universam terram justissimam concipiat, nonne æquum est, ut nos eum alterâ ex parte nostro obsequio demulceamus ac detineamus ab inferendis pœnis? Sic enim cùm Christus in cruce à Judæis subsannaretur ac reprobaretur, Deus Pater celebrare eum cœlestibus prodigiis cœpit, latro & Centurio confitentur, Joseph & Nicodemus honorificè eum sepeliunt in sindone munda, sepulchro unguẽtis perfuso.

IV. Ut confundamus hæreticorum perfidiam & insaniam, vel potiùs convertamus splendore hujus solemnitatis. Dum enim vident nostram in hac fide constantiam, fervorem & unanimitatem, ipsi interim erubescere debent, quòd ab hac religione defecerint, & Deum suum demonstrare nequeant, quia sacerdotes non habent. Quemadmodum etiam

etiam ad præſentiam Chriſti crucifixi latro bonus erectus fuit ad pœnitentiam, alter commotus ad blaſphemiam: ita fideles ad præſentiam Chriſti roborantur & gaudent, infideles rumpuntur & dolent. Sic ad præſentiam Arcæ Hebræi animati & exhilarati, Philiſthæi contra territi ſunt. Ita Solis lux oculos ſanos recreat, lippientes offendit. Adhæc licet ipſi Chriſti præſentiam, dum in Euchariſtia circumfertur, non credant, nihilominus tamen horrore aliquo concutiuntur, dum eam intuentur, vel præſentem audiunt; nec prope accedere audent. Mirum quid de ſeipſo Lutherus refert in Colloq. Menſal. apud Aurifab. capite 7. & 13. ſe nimirum, dum Islebiæ adhuc juvenis indutus veſte Sacerdotali comitaretur Venerabile in F. Corporis Chriſti ante Sacramentum, quod ferebat Dominus Staupizius, adeo perterritum fuiſſe, ut ſudorem emitteret & cogitaret ſibi pereundum eſſe præ anxietate. Quare poſt proceſſionem ſe id confeſſum Domino Staupizio; qui dixerit: *O veſtræ cogitationes non ſunt Chriſtus*; ſicque cum ſolatio receſſiſſe. Cruciabatur nimirum Chriſti præſentia Lutheri malus genius, qui ejus humero inſidebat in Comitiis Auguſt. anno 1518. uti vidit & recenſuit Baroni de Erpach. Imp. Maximilianus. Genius, qui in eodem Luthero, dum caneretur Evangelium in templo: *Et erat Ieſus ejiciens Dæmonium*, corruens terribiliter clamavit: *Ha! non ſum ego, non ſum ego*, ut ſcribunt Cochlæus, Lindanus, Surius, Florimundus lib. 1. c. 5. Genius, qui poſtea nocturna diſputatione ipſum impulit, ut miſſam aboleret & multa amenter de hoc Sacramento doceret. Fœderis arca, ob mira quæ effecit, terruit gentes, quacumque iret: Sic Euchariſtia pepulit Saracenorum exercitum in Valentiæ regno, Turcas ex Aſſiſio, demerſit Albigenſes in aquis ambulantes, dejecit Guilielmum in manu S. Bernardi, ejecit dæmones in ejuſdem manu, convicit Bonovillum hæreticum in S. Antonio de Padua, Judæos ſæpe puniit.

V. Ut divinæ voluntati, & Eccleſiæ Romanæ obedientes nos monſtremus. Dei voluntatem fuiſſe inſtitutionem feſti hujus patet ex libello Dieſtemii edito anno 1603. Ubi refertur Julianam Leodienſem Virginem in Leproſorio, quod mons Cornelii appellabatur, ſanctitate conſpicuam ob multas ecſtaſes, varias prædictiones, cogitationum alienarum cognitiones habitam, crebro in oratione vidiſſe quaſi Lunam plenam, una tantum ſciſſura laceram, ob oculos verſantem, tandemq; didiciſſe, per eam deſignari Eccleſiam, quæ unam adhuc ſolemnitatem deſideret Corporis Chriſti, moneret proinde Clerum, ut illa inſtitueretur. Cæterum virgo ad hoc ſe idoneam aſſerens diu multumque renuit, orans Deum, ut alteri hoc negotium commendare vellet. At Deus, per ipſam & deinceps per perſonas humiles hanc ſolemnitatem inſtituere & promovere ſe velle, reſpondit. Quare tandem victa indicat Joanni de Lanſenna Canonico Leodienſi ad S. Martinum, viro pio & docto. Hic idem inſinuat Jacobi de Threcis Archidiacono Eccleſiæ Leod. qui ob virtutum & doctrinæ merita, poſt Epiſcopus Verdun. tum Patriarcha Jeroſolymitanus, denique Pontifex Urbanus 4. dictus, eſt creatus. Is ergo cum duobus Patribus Prædicatoribus rem contulit, viris doctis, qui reſponderunt, id S. Scripturæ non modo non contrarium, verum potius conforme eſſe. Interea dum res ſuſpenſa & Jacobus ille ad Pontificatum evectus eſſet, morareturque ad urbem veterem, ſeu *Orvieto*, non procul inde ad Bulſenam civitatem contigit, ut cum Sacerdos quidã celebrans de veritate præſentiæ Chriſti dubitaret, S. Hoſtia ab eo ſupra calicem elevata ſanguinem ſtillaret in calicem ipſamque ſacram mappulam, cumque is plica facta delere eum vellet, plurimis maculis corporale ſeu mappulam cruentaret. Quæ res populo oſtenſa ad ipſum quoque vicinum Pp. allata, refricavit Pontifici in memoriam priſtinam revelationem Julianæ ante annos 35. circiter factam, decrevitque cum Cardinalibus, ut feſtum hoc inſtitueretur & ſolenniter celebraretur. Vocavit inſuper S. Thomam Aquinatem, qui Officium pro eo componeret, uti factum. Ita referunt partim Dieſtemius, partim S. Antonius 3. parte tit. 19. cap. 1. Onuphrius & alii. Ubi hoc inter alia obſervandum, voluiſſe Deum per humiles perſonas, qualis erat puella illa, nec non & ipſe Urbanus IV. qui ex obſcuro, paupere tenuique lare, patre cerdone in Gallia, Provincia Campania, natus ad Pontificatum evectus eſt, feſtum hoc promoveri; ut oſtenderet, quod *non in multitudine eſt virtus tua Domine, neque in equorum viribus, voluntas tua eſt, nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi, ſed humilium & manſuetorum ſemper placuit tibi deprecatio*, ait Judith c. 9. Quare etiam David ante Arcam ſaltans; *Ero humilis in oculis meis*, ait, *magis quam fui*. Similiter Prov. 9 dicitur: *Siquis eſt parvulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: Venite & comedite panem meum*. Et Dominus: *Sinite parvulos venire ad me*. Cum his & diſcipulis exclamemus: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini: O ſanna filio David*.

THEMA IV.

Ad proceſſionem Corporis Chriſti vocantur cæci, claudi, debiles, pauperes.

I. *Cæci, h. e. acatholici qui præſentem in Euchariſtia Chriſtum non vident.*

II. *Claudi, h. e. qui ad hodiernam ſolemnitatem non veniunt ut Chriſto honorem deferant.*

III. *Debiles, h. e. qui nulla ferè devotione & reverentia proceſſioni interſunt.*

IV. *Pauperes, h. e. quicumque oppreſſi ſecundum animam.*

Exi cito in plateas & vicos civitatis & pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Luc. 14.

PArabola hodierna de cœna magna ad litteram quidem intelligenda est de cœlesti gloria; rectè tamen ab Ecclesia accommodatur Sanctæ Eucharistiæ, dum intra Octavam Corporis Christi legitur; siquidem ea in ultima Christi cœna instituta est: & sicut cœna sub initium ferè noctis, adeoque in obscuro fit: ita Eucharistia in crepusculo quasi & obscuritate fidei sumitur. Quæ quidem *magna* etiam jure merito vocatur, quia à magno Rege pro magno populo, magno pretio & fructu apparata est. Hæc per istam Octavam passim nobis proponitur. Servi porrò, qui ad eam vocant, a Deo missi, prædicatores sunt. Cum ergo hoc sit Concionatorum munus, faciam quod jubeor, & vocabo ad hanc cœnam cæcos, claudos, debiles & pauperes; quia tales etiam adducti fuerunt ad cœnam illam magnam.

I. *Cæci, h. e. acatholici qui præsentem in Eucharistia Christum non videt.*

I. Quinam verò cæci? nonne acatholici, qui post clarissima Christi & sancti Pauli testimonia, post consensum omnium Patrum, post tot tantaque miracula in ipsa Evangelii meridie nondum videre volunt Christi in Eucharistia præsentiam? Nam primò quid esse clarius potest, quàm ea Christi verba: *Caro mea vere est cibus &c.* &; *Comedite, Hoc est corpus meum?* Et illa Pauli 1. Corinthiorum 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Et capite 11. *Quicumque manducaverit panem hunc indignè, reus erit corporis Domini?* Ac licet sensus noster aliter judicet, nonne magis Deo credendum, quam sensui nostro fallaci & infirmo? Et nonne magis glorificatur Deus, quando ejus omnipotentiæ nihil non possibile credimus, quàm si ei limites ponamus? Eccur enim iratus fuit Moysi & Aaroni eosque in deserto morte punivit, nisi quia ejus omnipotentiæ vel certè bonitati in aliquo diffisi sunt? Numerorum 20. Jussi erant loqui ad petram, ut daret eis aquas: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*, verbi gratia, dicendo; Petra in nomine Domini Dei nostri da nobis aquas, sed illi cogitarunt: Quid loquemur petræ? quid responsi nobis dabit? & quomodo aquas populo rebelli? Unde non petræ, ut jussi erant, sed populo loquuntur ac dubitanter quidem: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Ergo Dominus: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Ecce qui credunt Deo difficillima quæque, ii sanctificant Deum: qui non credunt, inhonorant. Data ergo per impossibile, quod in hac re erraremus, fidens dico, non posset nos punire propter hoc Deus, quia ipsi asserenti rem difficillimam credim⁹ adeoque eum maximè sanctificamus, dum ejus omnipotentiæ omnia subjicimus.

2. Deinde nonne Ecclesia per 800. annos universa semper id credidit? nonne postea contra Scotum, Berengarium, Wiclefum, primos ejus hostes semper triumphavit? Denique quod passim miraculis per orbem totum veritas hæc comprobata est? Unum hic audiamus. Anno 1563. cum Erfordiæ R. Dominus Theodoricus Baumeier sigillifer in festo Corporis Christi circumgestaret Venerabile, nobilis quidam Lutheranus id deridens ait: *Ecce qualem cuculum hic senex portat.* Eo dicto subitò cadit in terram & fit epilepticus. Tum gestatur in ambitu in sacellum, vocatur Medicus D. Joannes Hebenstreit qui mox pronunciat casum esse desperatum. Sic post paucos dies in magna impatientia moritur. Refert Guil. è Gent, in libello de Eucharistia. Quibus positis si adest ibi Christus, cur eum non adoremus? Quod si ante usum non adest, quomodo verum est, quod dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus* siquidem ante usum hæc dixit.

II. Quinam claudi? Utique illi, qui oculos quidem fidei habent, pede verò operis boni carent. Claudi, inquam, qui cum Deum suum inter nos esse & cum pompa triumphali prodire credunt, ad ipsum tamen, ut ei suum homagium præstent, non accedunt, nec comitantur. Duo pedes homini Christiano necessarii sunt: fides & charitas. Nam *si habuero omnem fidem ita ut montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum*, 1. Corinth. 13. Reperio in SS litteris sæpius conjunctos Petrum & Joannem, uti Joann. 20. simul currentes ad sepulchrum. Rursum Joan. 21. simul piscantes. Iterum Actor. 3. simul euntes ad templum & claudum erigentes. Rursum Act. 4. simul respondentes & opponentes se Magistratui. Denique Act. 8. simul missos in Samariam nuper conversam. Quod sanè magnam inter eos amicitiam intervenisse indicat, ut notat sanctus Chrysostomus. Nec sine mysterio, quia Petrus Ecclesiæ petra Christum Dei Filium præ cæteris confitens, fidem: Joannes verò dilectus Christi discipulus qui solus præ cæteris cruci ejus adstare non timuit, charitatem significat. Hi ergo duo simul currere ad visendum Christum in triumpho suo debent, hi simul erigere claudum, qui fide quidem calet, sed amore Dei friget. Multi haud dubiè cuperent adesse hodiernæ processioni & deferre Christo suo obsequium; sed timent sibi propter alios; ne singulares, parum cordati, hypocritæ, devotuli, religiosi dictitentur. Hi Joannem non adferunt, qui non habito respectu aliorum condiscipulorum, inter tot opprobria & pericula solus adesse crucifixo Domino suo nequaquam timuit. *Perfecta enim charitas foras mittit timorem*, ait idem Joannes epist. 1 c. 4. Sane in judicii die omnes ad Christum convolabunt, velut aquilæ ad cadaver, & ab eo satiari cupient; quod indicat Christus Matth 24. de illo tempore loquens: *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*; omnes nimirum homines, ut volunt Abulensis & Maldonatus cum Barradio: sed non omnes ibi invenient pabulum. Qui-

cunque igitur illic saturari à Christo volunt, hic illum requirant. Hic ejus sacrum corpus, velut occisum nostri causa, propabulo nobis proponitur; huc ergo advolemus, si ibi bonis omnibus satiari desideram?. Notabile est quod in vita sanctæ Cunegundis legitur apud Sur. 3. Martii quæ ex Imperatrice monialis facta, cum adverteret neptem suam Jutam, sororis filiam, non sequi crucem in processione cum aliis monialibus, sed ad mensam hærere ut epulis vacaret, inflixit ei alapam, ita ut inpressa digitorum vestigia maxillæ ejus perpetuo adhærerent, nec ulla ratione deleri possent. Fuit ei hoc quasi sigillum impressum acerrimus deinceps stimulus ad virtutem; nec non aliis quoque ad meliorem frugem. Quid igitur, putatis debetur iis, qui eo tempore prigritiæ, gulæ, aliisque vanitatibus serviunt, quo Dominus illorum prodit in processione publica? Timendum est, ne talem aliquando eamque indelebilem alapam infligat Christus claudis illis, qualem in hodierna parabola inflixit cœnæ suæ cōemptoribus: *Dico vobis, quia nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Dicere enim poterit: *Nescio vos, non novi vos*: quia in conspectu meo non apparuistis, & cum inter vos essem, non me visitastis.

III. Quinam debiles? Utique illi, qui credunt quidem & accedunt ad processionem, verum exigua ut nulla cum devotione & veneratione Domini sui, genua non flectunt, saltem utraque: pectus non tundunt, manus non erigunt, caput ægrè aperiunt, ad terminum præfixum non comitantur, mentem non attollunt ad considerationem rerum, quæ aguntur, sed humi planè repunt. Similes Judæis illis, qui Christum Deum crediderunt; publicè tamen confiteri non sunt ausi: quia *dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, ut ait Joannes c. 12. Qui utinam cogitarent, quidnam egerit David coram Arca, cum ea introduceretur in Jerusalem. Non erubuit expoliare se regiis vestibus, & vilibus indusiolis more Levitar. induere, coram Arca saltare, ludere, canere. Ac licet ab uxore propter hoc rideretur & argueretur, non ideo ab incepto destitit, sed alacrius perrexit: *Et ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*, ait 2. Regum 6. Magna nimirum in veneratione erat Arca apud Judæos eorumq; *gloria* appellabatur; uti patet ex 1. Reg. 4. vers. 21. *Translata est gloria Israel (hoc est) arca.* Asservabat enim manna, eratque signum fœderis inter Deum & ipsos erecti: super ipsa Deus dabat responsa, &c.

At quanto nobilior Eucharistia ipso manna? quanto nobilius Dei cum Christianis fœdus? Sed quid dico de Davide? Cogitent quid sustinuerit Christus nostri causa: quantas confusiones coram Judicibus & populo, præsertim cum educeretur inter latrones ad Calvariæ montem; qui postquam exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, *confusione contempta sustinuit crucem*, ad Hebr. 12. passus est se nudari, velari, cædi, subsannari, latronibus æquari, in eorum medio crucifigi. DEUS ergo propter servos suos confusionem pati vult; & non vult servus pro suo Domino? Deinde nonne in hac ipsa sacra Eucharistia se iterum expoliat gloria sua, & in exigua panis specie se occultans nobiscum ambulat summa demissione? Adsunt quidem aliqui huic solemnitati ac processioni, verum instar infantium qui nesciunt quid agatur, licet ipsi etiam præsentes, albis vestiti, rosis coronati, cymbala concrepent. *Fratres nolite pueri effici sensibus*, ait Paulus 1. Cor. 14. Itaque interesse nos oportet huic solemnitati velut viros, expendendo beneficia Salvatoris nostri, qui se nostri amore exinanivit & de cœlo ad nos descendit, viam cœli nos docuit ac præivit, sanguine suo pretioso & morte redemit, ita ut gravissima quæque peccata nostra, quæ alioquin ab hominibus ipsis plectuntur gravissimis suppliciis, solis lachrymis & gemitibus, una confessione delere possimus, quandoquidem reliquum ipse pro nobis solvit: insuper gloriam immortalitatis nobis comparavit, nosque reges cœli & cohæredes suos effecit. Quæ omnia indicamus, dum rosis coronati incedimus, dum omnis generis musica instrumenta, bombardarum item explosiones velut militarem musicam adhibemus, dum varia vexilla quasi Victoriæ trophæa erecta gestamus. Cogitare verò inprimis oportet nos illum Dominum, Salvatorem ac triumphatorem nostrum habere hic præsentem; indeque ingenti accendi lætitia. *Lætas hic habeamus lachrymas, & lætitiam lachrymantem* (ait Urbanus IV. Pp. in E . de hoc Sacramento) *nostram memorando liberationem & recolendo passionem Dominicam.* Sicut enim Judæi in templo restauratione partim lætati sunt ob reparationem secundi, partim fleverunt ob destructionem primi, Esr. 3. ita coram hac Ven. Eucharistia partim nos lachrymis recordemur Dominicæ passionis, qua dissolutum fuit sacratissimi corporis ejus templum: partim cum gaudio gloriosæ ejus resurrectionis, qua templum illud rursum instauratum est.

IV. Quinam pauperes? Utique nos omnes, variis miseriis & oneribus pressi secundum animam. Quis enim nostrum dicere audet, se non egere bono aliquo? non premi malo aliquo? Ergo sicut olim prodeunte in publicum Christo, obviarunt illi pauperes undique & afflicti; iste visum, ille auditum, alius gressum petiit: ita obviemus & nos. De Christo in terris ambulante in corpore mortali ait S. Petrus Act. 10. *Pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Solis nimirum instar undique radios beneficiorum spargens. Hunc solem pauper ille cæcus ad Jericho suis clamoribus velut alter Josue stitit, quem oculis non viderat, sed transire solum audierat. Luc. 18. Sufficiat ergo & nobis ex auditu fidei scire Christum jam transire, licet oculis non videamus. Cæcus ille oportunè & importunè vociferatur: JESU *fili David miserere mei*; & increpitus ut taceret, multo magis clamavit. Sanctus Ambrosius putat eum prius in egressu Christi in

IV. *Pauperes h. e. quicunque oppressi secundum animam*

civita-

civitatem non auditum, altero die in egressu rursum adfuisse & orasse ad aliam portam, sicque tandem auditum esse: quemadmodum Lucas in ingressu capite decimo nono. Marcus verò in egressu capite decimo ait cæcum sanatum. Sic ergo & nos per omnes portas & angulos urbis observemus Christum & oremus: si in primo non audierit, audiet in secundo vel tertio. Sistamus & nos Solem hunc cum cœco & Josue, orando: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Josue decimo, contra Ecclesiam & fideles tuos. Da Domine ut videamus, fide scilicet firmissima, tuam in Eucharistia præsentiam, erige claudicantes pedes nostros & excita ad amorem tui, conforta debilitatem nostram, ut agnoscamus beneficia tua, dita paupertatem nostram meritis ac virtutibus.

THEMA V.

Pompa processionis, quæ in Festo Corporis Christi fit, explicatur.

I. *Splendidus ornatus tam laicorum quam clericorum.*
II. *Corona de rosis & floribus.*
III. *Vmbella à viris honoratis supra Dominum gestatur,*
IV. *Cerei ardentes gestantur ab aliis.*
V. *Vexilla gestantur.*
VI. *Arma Christi gestantur à puerulis.*
VII. *Musica adhibetur.*
VIII. *Bombardæ explodu ntur.*
IX. *Campanæ omnes resonant.*
X. *Ornatur tota civitas.*

Impleatur domus mea. Luc. 14.

Dominus & Salvator noster, Auditores, pergens Jerosolymam ad passionem suam, divertit prius in Bethaniam, vicinam Jerosolymæ, & ibi sumpsit cœnam in domo Simonis leprosi. Ibi mox adest Maria Magdalena cum unguento pretioso, & ungit pedes Domini, tergitque capillis suis: deniq; unguentum fracto alabastro totum effundit in caput Christi, *& domus impleta est ex odore unguenti.* Vidit hoc Judas proditor & indignè tulit unguenti effusionem, quod 300. denariis vendi potuisset. Audite jam Christum Dominum, defensorem Magdalenæ: *Sinite eam, quid illi molesti estis? Quod habuit hæc, fecit.* Marci decimo quarto. Quid est, quod loqueris Domine? Judas queritur de nimia unguenti profusione: & tu respondes: *Quod habuit hæc, fecit,* quasi dicat: dimitte illam, quia plus non habuit, quod profunderet, hoc enim quod fecit, ejus amori & meæ dignitati parum est aut nihil: plus ergo faceret, & jure quidem faceret, si plus haberet. Magdalenam imitatur his diebus mater nostra Ecclesia, dum effundit supra Christum Regem suum totam devotionem, adeoque cor & affectum suum per varias ceremonias, cultum & venerationem, quibus totam civitatem implet, quasi unguento pretioso. At erit fortasse Judas aliquis, qui cultum hunc reprehendet velut nimium & superfluum. Cui nos respondemus: Quod habemus, facimus: nimis sanè parum est, imò nihil, quod facimus. Plus facere nos deceret & quod semel in anno facimus, singulis anni diebus oporteret facere, atque utinam hoc possemus? Jam ergo quanto jure hæc ei debeamus & quid sibi velint; nunc dicamus.

I. Splendidiore ornatu comparent fideles, non solum laici, sed & multo magis Clerici in paramentis sacris, quam possunt, splendidissimis; nequaquam vero ad suam, sed ad Christi Regis nostri immortalis gloriam. Nemo igitur hoc jure inculpabit. Si enim Principum Majestatem ornat aulicorum cultus: Si aulici Salomonis suo etiam vestitu traxerunt in stuporem Reginam Sabæ. tertio Regum decimo, versu quinto. Si rectè commendatur Judith, quod in diebus festis procederet cum magna gloria, Judith capite decimo sexto ad Dei scilicet honorem: Si Levitæ ac sacerdotes, quando vasa sacra aut Arcam gestabant, cum pretioso ornatu procedere debebant: non millies magis decebit, ut summum nostrum gloriæ Regem; non jam per umbram, sed in propria persona nobiscum ambulantem conducamus cum omni, quo possumus, decore & ornatu? Tametsi enim scimus eum solo hoc externo splendore præcisè spectato, parum aut nihil affici, si tamen ab affectu pio procedat, non potest ei non placere, præsertim si cum interno animæ ornatu conjunctus sit; id quod intendimus. Quemadmodum enim Christus sacræ cœnæ suæ promisit lotionem pedum, ut per eam manu ducerentur atq; instruerentur ejus discipuli ad emundanda pectora ab omni peccato, quo saltem Judas proditor contaminatus erat; sicque ad sacram illam mensam puri accederent (id quod insinuavit Petro: *Quod facio: tu nescis modo, scies autem postea,*) ita quoque externa illa vestium munditiies admonet fideles, ut coram cœlesti Rege suo, mundo corde appareant: detersa, per contritionem saltem, omni peccatorum labe. Nec aliud voluit Jacob Patriarcha, quando periturus in Bethel ad sacrificandum, toti familiæ suæ indixit novum & mundum vestitum: *Mundamini & mundate vestimenta.* Genesis 35. neque aliud Deus, quando jussit populum accepturum legem in Pentecoste lavare vestimenta sua. Exodi 19. ne sordidi comparerent. Externo enim nitore internum eis inculcabant. Et meritò quidem. Si enim Joseph ad conspectum Pharaonis admissus non fuit nisi attonsus & mutata veste, sordida in nitidam, Genesis quadragesimo primo. Si ad aulam Assueri & Persarum Regum non licebat sacco, hoc est, squalida veste indutum intrare, Esther quarto, quomodo licebit in sordibus peccatorum apparere coram cœli & terræ Rege? Certè ob

ob præsentiam Judæ proditoris Christum in mensa illa sacra turbatum & protestatū esse scimus: *Quia manus tradentis me, mecum est* Joa.13. Quid si multi tales adfuissent?

II. Coronis de rosis aliisque floribus redimiti incedunt. Jure hoc fit ad honorem veri Dei, quod olim ad inanium Deorum cultum Gentiles fecerunt, 2. Machabæorum 6. Significant autem primo regiam dignitatem, quā servis suis contulit Rex Regum per traditionem corporis & sanguinis sui, ut hic dominemur vitiis per virtutes; ibi verò morti & miseriis omnibus per beatam immortalitatem. Cōstans Imp. Constantini M. filius urbem Romam ingressus; videns civium Rom. splendorem, tot Reges videbatur sibi videre, quot cives. Cuspinian. in Constante. Verius multo hoc dicitur de Christianis; de quibus S. Joannes Apoc. 1. ait: *Fecit nos regnum,* seu ut Tertullianus & multi Græci codices legunt, *Reges* 2. Suaveolentiam castitatis, quam desiderat Rex noster. Tametsi enim quovis peccato offenditur, maximè tamen peccato impudicitiæ. Qua de causa non solum matrem habere voluit virginem, sed etiam nutricium Josephum, à quo sæpius attrectandus, gestandus, ducendus, educandus erat. Quin etiam mortuus noluit nisi in sepulchro novo, in quo scilicet nemo prius sepultus adeoque nullius cadaverosus fœtor fuisset, sepeliri.

III. Umbellam supra Eucharisticum corpus Domini viri honorati gestant. Solent hoc facere etiam Imperatori primarii viri alicujus civitatis, quam ingreditur: quanto ergo potius fit ei, cui *data est omnibus potestas in cœlo & in terra:* adeoque domino omnium civitatum? Designat verò umbella hæc arcanum hujus mysterii, quod proinde Apocalypsis 2. appellatur *manna absconditum:* quia sub eo cœlesti cibo Christus latet, miro modo absconditus, sibi tamen non insueto. Quid enim non absconditum, & intellectum nostrum non excedens in mysteriis Christi? Quis nostrum comprehendit, quomodo una persona duas sustentat naturas, humanam & divinam? Quomodo Christus natus sit ex virgine? Quomodo clausis ostiis ad discipulos intrarit? cælos penetrarit? mundum sine armis subegerit? Typum hujus arcani præmisit Deus in V.T. cum jussit fieri duos Cherubinos aureos, qui partim alis, partim corpore suo tegerent propitiatorium seu operculum Arcæ. Exod 25. Noluit enim Deus inspici arcana suorum oraculorum, quę ex propitiatorio dabat, nec vult à nobis examinari suam potentiam. Idcircò enim Saulum prius, quam ipsi divina mysteria revelaret, per triduum excæcavit. Act. 9. quia Deus major est corde nostro.

IV. Alii præcipui viri cereos ardentes ferunt. Ritus hic accendendi cereos coram Ven. Eucharistia ab Apostolis desumptus est. Ita enim Actorum 20. cum convenissent fideles una cum Paulo ad frangendum panem, hoc est ad S. communionem, *erant lampades speciosæ in cœnaculo.* Indicant autem cerei & faces illæ, rationes credibilitatis, quibus mysterium Eucharistiæ, licet nobis absconditum, omni fide dignissimum demonstratur; ita ut nemo nisi pervicax & temerarius de hoc dubitare possit. Faces illæ sunt clarissima ipsius Christi omnipotentis, qui falli aut fallere nequit, verba: testimonium S. Pauli: consensus PP. Conciliorum & totius Ecclesiæ per tot sæcula: manna V.T. quo velut typo & umbra præstantior utiq; debet esse Eucharistia: tot tantaq; miracula, quæ passim contigerunt & adhuc per orbem Christianum visuntur. *Trip. in D. Trin. C. 6.*

V. Alii vexilla gestant, sua quæque tribus: quo modo & Hebræi in deserto circa tabernaculum castra figentes, sua singulæ tribus & familiæ expandebant vexilla. Numerorum 2. versu 2. quibus indicabant victoriam de Ægyptiis aliisque gentibus partim obtentam, partim obtinendam. Vexilla enim erepta & erecta victoriæ trophæa sunt. Nobis significant varias victorias, quas obtinuit Christus in Eucharistia, contra varios adversarios, Judæos, hæreticos, Scotum, Berengarium, Wiclefum, Calvinum, Bonovillum, contra Donatistas & Albigenses, nec non contra Turcas: partim per Concilia, partim per miracula, partim per adversariorum extinctionem. *V. Vexilla gestantur.* *Tr. in Do. Trin. C. 6.*

VI. Puerul Angelorum habitu gerunt arma Christi passi. Debentur illi Christo Domino velut ejus Ephebi. *Ubi est Christus in Eucharistia;* ait sanctus Chrysostomus homilia 36. in 1. ad Corinth. *ibi etiam non deest Angelorum frequentia; ubi autem est talis Rex & talis Princeps, ibi est cœleste palatium, imo ipsum cœlum.* Et homilia de sacra mensa: *Ad hanc mensam assistunt Cherubim, descendunt Seraphim, qui vultus demittunt.* Et S. Ambrosius libro 8 in Lucam: *Est corpus, de quo dictum est Caro mea vere est cibus, circa hoc corpus sunt veræ aquilæ, quæ alis circumvolant spiritualibus.* Arma passionis, quæ gerunt, ingerunt nobis memoriam Christi passi, in hoc sacramento ab ipso commendatam. Si enim quærant hæretici, cur Eucharistia in specie panis tantum, non item vini, adeoque Christus velut exsanguis esset, repræsentetur, respondebunt Angeli ideo hoc fieri, quod arma illa; flagellum, spinæ, sudariū, clavi, lancea, crux, omnem ei exhauserint sanguinē, quo lytrum redemptionis nostræ persolveret. Ostendunt ergo hæc tartarei hostis arma à Christo superata & triumphata, Deo esse dicata adeoq; sanctificata: sicut Judith vasa Holofernis obtulit in anathema oblivionis, h.e. in detestationem & expulsionem oblivionis: seu in sempiternam victoriæ memoriam. Judith. ult. & sicut David gladium Goliathi reposuit in Sacrario, 1. Reg. 21. *VI. Arma Christi gestantur à puerulis.*

VII. Cantores tum vocales, tum instrumentales omnis generis organis accinunt laudes Regi nostro, jure meritoque; quia & in hymno suo canit S. Thomas Aquinas: *Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.* Si enim tres illi pueri in fornace, quando viderunt Angelum Domini *similem filio Dei,* (ut dixit Nabuchodonosor) secum ambulantem & flammas excutien- *VII. Musica adhibetur.*

teri,cœperunt uno ore non modo Deum laudare, sed omnes etiam creaturas,ad Dei laudem invitare, Dan.3.quanto magis decet nos ad præsentiam ipsiusmet filii Dei prorumpere in Dei laudes, quibuscumque possumus modis,instrumentis,jubilis; adeoque totum mundum ad hoc invitare. Si etiam David Rex cum induceret Arcam in civitatē suam, & ipse & omnis Israel ludebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis,2.Reg.6.quanto potiori jure facimus id nos, coram ipso Domino cœli & terræ? Quid enim Arca illa lignea nisi rudis quidam typus S.Eucharistiæ erat? Et tamen in ea David videbatur sibi intueri Christum Dominum suum. Quid fecisset coram ipsomet Domino vere in carne præsenti? Et si tantus Rex ludere in citharis minimè erubuit: qui inferioris conditionis sunt, erubescant Regi suo obsequia deferre & laudes cantare? Omnibus ergo lignis fabrefactis, omnibus modis,qui excogitari possunt, Christus in Eucharistia colendus & laudandus est. Utinam cerneremus, quanta in veneratione habeant hoc Sacramentum Indi,non ita pridem ad fidem conversi. De Goensibus ex Salsettensi Collegio scribit P. Hieronymus Majorica in Annuis de anno 1620. eos,cùm sibi obviant, vel literas scribunt,ita se salutare : *Laudetur SS.Sacramentum*,fol.172.Ital.impres.

VIII. Bombardæ explodun- tur.

VIII. His accedunt bombardarum & sclopetorum festæ explosiones, nec non armati stipatores, ad terrorem & confusionem infidelium & hæreticorum : quo intelligant nos paratos esse ad defensionem fidei nostræ, quam bombis tormentorum toti orbi patefacimus,nixi præsidio Ven. Eucharistiæ,quæ hostium nostrorum terror est; quia ut ait S.Augustinus lib.1.ad Januar. *Sacramento corporis Domini subjugatus est mundus*, Videant Judæi Agnum illum,quem in cruce peremerunt, jam in toto Christiano orbe coli & celebrari Deoque sacrificari in omni loco; dum ipsi cum lege & sacrificio suo omniq; dominatu confracti & sub pedibus jacent. Videant Hæretici fidem Catholicam huc usq; inextinctam,imò hæresum extinctricem,semper efflorescentem à primo sui exordio.

IX. Campanæ omnes resonant.

IX. Æra quoque campana resonant interea, dum processio fit,& cur,nisi ut excitent fideles ad orationem, quò Deus conservare in Ecclesia velit juge sacrificium & pium sanctumque usum ac venerationem S.Eucharistiæ? Etenim hac sublata quid nisi ruina immineret? Hac enim de causa Antichristus cum Orbis erit Monarcha, auferet sacrificium Eucharistiæ,ita ut nemo publicè celebrare illud audeat,usumque communionis,quo fideles, qui per illam vehementer in persecutione corroborabuntur,facilius à fide dejiciat sibique subjiciat;ut habetur Dan.12.

X. Ornatur tota civitas.

X. Denique tota civitas quasi unum fit templum, dum terra, qua transit Rex noster floribus,& gramine insternitur, plateæ frondibus, domus tapetibus & sacris imaginibus exornantur: quatuor in 4. orbis plagis aræ excitantur,ubi sub dio 4. Evangelia cantantur & benedictio datur. Quibus omnibus imitamur imprimis pios illos cives Jerosolymæ, qui intranti urbem Christo super asello,partim substravere vestes & ramos ; partim frondes manibus gestavere. Deinde veteres illos & SS. Patriarchas, qui ubicumque Deus ipsis apparuit & locutus est, ibi ædificarunt altare: locum illum, quo Deum vidissent,pro sacro habentes;uti Abraham Gen.12.v.7.Isaac Gen.26.v.25.Jacob Gen. 28.v.18. & 35.v.7. Moyses Exodi 17.v.15.Gedeon Judic.6.v.24. Clarè idipsum Deus indicavit Moysi Exodi 3.& Josue Josue 5. quando eis apparens, jussit eos exuere calceamenta,propterea, *quia locus, in quo stas, terra sancta est*,inquit. Unde sancta,nisi ex ipsius Dei,qui ibi apparuit,præsentia ? Denique Davidem,qui introducens Arcam in Sion,jussit in via tota, licet alioquin extra tabernaculum sacrificare non liceret, mactari plurimas hostias , ita ut septimo quoque passu septem sacrificarentur tauri septemque arietes 2.Reg 6. adeoque superaris sub dio extructis; quasi Arcæ præsentia omnem locum sanctificaret & in templum commutaret. Porrò nos quatuor tantum aras extruimus ob 4.Evangelia ad eas decantanda,quibus indicamus sonum Evangelii unaque majestatem ac fidem Ven.Sacramenti ad 4. mundi partes esse propagatam.

Habemus igitur jure meritissimo impendi Regi nostro,Christo quidquid his diebus per universam fit Ecclesiam: neque nimium esse, quod facimus sed heu nimis parum. Quod habemus hoc facimus, vel certe facere deberemus , quia omnia Christo debemus,quæcumque habemus, Quamquam parum nimis est externa ista pompa, nisi eam interna comitetur pietas & devotio: cortex est nucleo carens: vitis frondosa sine botris : cadaver est anima destitutum. Quare si perfectum Regi nostro obsequium exhibere volumus , cultum internum externo jungamus. Parum egisset Magdalena , si unguentum dumtaxat super Christum effudisset, nisi simul cor suum cum unguento effudisset. Hinc Marcus ait unguentum illud fuisse nardi spicati. Est enim duplex nardi unguentum;unum foliatum dicitur,quod ex foliis nardi conficitur; alterum spicatum,quod ex spicis: hocque illo lōgè est præstantius,quia plus habet substantiæ & medullæ, teste P. Cornelio in capite Joannis 12. Foliato unguento Christum perungunt , qui externo tantum cultu: spicato,qui interno eum venerantur: utroque, qui utrumque adhibent. Non ergo folia sola, sed etiam fructus Christo offeramus. Abstineamus per hos dies,quibus transit per nos Christus, à pravis cogitationibus,sermonibus & factis. Cogitemus Deum non frustra mandasse Moysi & Josue , ut exuerent calceamenta eo loco,quo ipse præsens eis apparuit, Voluit enim dicere, & ipsis & nobis, exuenda esse opera mortua,præsertim cùm ipse se præsentem sese in carne exhibet. Tota nostra civitas per hos dies locus sanctus est,templum quoddam est : deponamus ergo calceos fœtentium peccatorum;ut mun-

dI mundum, pulchri ad pulchrum eamus. Imputatur non domus sed tota nostra civitas odore hujus unguenti, quod hisce diebus effundimus in humilitate & paupertate nostra super caput Salvatoris nostri, ut ita etiam, quod agimus, ipsi probetur & prædicari aliquando queat coram toto mundo in die Judicii.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Quanta bona conferat homini pœnitentia.*
II. *Damna peccatorum venialium.*
III. *Quare gaudeant Angeli in conversione peccatoris.*
IV. *Qua ratione majus sit gaudium in cœlo de uno pœnitente, quam de 99. justis.*
V. *Quo fine Deus accenderit in nobis lucernam conscientiæ.*

THEMA I.

Quanta bona conferat homini pœnitentia.

I. *Vestit & ornat illum Dei gratia.*
II. *Restituit bonorum operum merita.*
III. *Restituit jus hæreditatis cœlestis.*
IV. *Parit & restituit tranquillitatem animi.*
V. *Restituit bonam famam.*

Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Luc. 15.

VIdentur Scribæ & Pharisæi suam prodere inscitiam, velut parum versati in sacris scripturis, dum iniquo animo ferunt & aspiciunt peccatores ad Christum accedentes & cum eo manducantes. Si enim vel parum inspexissent librum primum Moysis, illico reperissent præclarum quendam typum hujus benevolentiæ, quam Salvator noster exhibuit peccatoribus, jam per pœnitentiam sibi appropinquantibus; & quidem in Pharaone & Josepho. Nunquid enim Joseph in carcere detentus & pro reo habitus (tametsi falso) evasit totus squalidus, impexus, lacerus & horridus? Et tamen a Pharaone è carcere in aulam evocatus, ibi detonsus & ablutus mox veste byssina indutus, annulo regio & torque aurea exornatus & currui Regis impositus & *Salvator mundi* appellatus est. Genesis quadragesimo primo. Cur igitur non liceat etiam Christo Domino eripere peccatores è compedibus Satanæ & squalore peccatorum, & pœnitentiam agentes exornare donis suis & gratiis magnificis? Itane mortalem Regem decet magis esse liberalē erga suos subditos, quam Dei filium erga creaturas suas? Sed dicent Scribæ & Pharisæi Josephum explicasse somnium Pharaoni & frumento implevisse simulque ingenti gaudio aulam Pharaonis. At nihilominus præstant peccatores pœnitentes: sua enim conversione famam & sitim Christi suavissimè reficiūt, sanctos quoque Angelos potant lachrymis suis, denique cœlum gaudio replent. Jure igitur merito qualia bona Pharao contulit in Josephum, talia & tantò majora, quantò Regem superat Deus, confert in pœnitentes, uti nunc videbimus.

I Joseph exutis & abjectis squalidis vestimentis suis indutus est stola byssina. Pœnitens fœdis peccatorum maculis deletis & exstirpatis vestitur Dei gratiâ, veste plusquam byssina aurea & gemmea, omnem creatam pulchritudinem, etiam Angelicæ naturæ, longè superante; & quidem à Christo Domino, quem ad hoc in mundum esse venturum prædixit Isaias capite 61. verbis illis: *Dominus ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde & ut ponderem lugentibus Sion & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*, hoc est pallium festivum, decorum, pretiosum, quod aliud non est nisi Dei gratia. Mira est hæc metamorphosis, uti in Josepho ita & in peccatore, è carcere servitutis diabolicæ extracto, pro sordibus & squalore vestimentū tam honorificum capessente. Quod etiam prævidit Zacharias capite 14. cum ait: *Erunt lebetes in domo Domini; quasi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Jerusalem & in Juda sanctificatus Domino.* Lebetes sunt ollæ nigræ & cacabi, in quibus coquuntur carnes: phialæ aureæ sunt pocula, in quibus adolebatur thymiama ex odoriferis aromatibus confectum, libabatur & bibebatur vinum quasi libamen Deo. Quid aliud sunt peccatores nisi fœdi ac fœtidi, nigri & fuliginosi lebetes, in quibus aliud nil continetur, coquitur & cogitatur nisi caro & carnalia desideria? At verò si lebetes illi defricentur per pœnitentiæ lixivium calidamve lachrymarum aquam, tum induunt aliam speciem & fiunt aureæ phialæ, plenæ boni odoris, ad Dei cultum peridoneæ. Ita explicat eum locum sanctus Hieronymus, ubi addit: *Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phialas Domini, & dicere potuerint: Christi bonus odor*

I *Vestit & ornat illū Dei gratia.*

odor fumus, & pro virulentia carnium varios cœperint flores gestare virtutum. tunc erunt in Ierusalem & in Iuda sanctificati Domino. Ierusalem enim visionem pacis, Iudas exprimit confitentem. Habuit quidem Joseph antequam venderetur & in carcerem truderetur, vestem polymitam, adeoque pulchriorem quam haberent ejus fratres. Verum ea nihil erat ad vestem illam byssinam, quam postea à Pharaone accepit. Ita sæpe contingit, ut peccator per pœnitentiam ad majorem sanctitatem & gratiam assurgat, quam fuerit gratia prior, per lapsum deperdita. Exemplo est in nova lege Petrus, qui postquam lachrymis diluit peccatum suum, sanctior surrexit, & *ad soliditatem suam rediit petra*, inquit sanctus Leo ser. 9. de passione; *tantam inde recipiens fortitudinem, ut quod in passione Salvatoris expavit in suo post supplicio non timeret.* In veteri lege David exemplo est, qui ante lapsum ambulabat quidem in mandatis Domini, non ita tamen velociter ac fortiter, uti postea cum ex lapsu resurgens collegit vires suas. Qui enim prius interdum cæspitabat, postea viam mandatorum cucurrit; unde psal. 17. testatur; Deus, *qui præcinxit me virtute & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum & super excelsa statuens me.* Pudor enim prioris lapsus & timor divinæ justitiæ, quam senserat, frænum ei, ne peccaret, injiciebant, & calcar currenti in via mandatorum addebant; adeoque in solida petra super excelsa statuebant. His addere possumus Thomam Apostolum, qui incredulitatem suam adeo correxit, ut postea majora terrarum spatia velut cervus aliquis percurrerit, quam ullus Apostolorum, adeo ut ad Indos usque penetrarit: Magdalenam quoque, quæ post lapsum longè plus Christum dilexit, quam dilexerit ante lapsum. Ex quo exemplo S. Ambros. in ps 37. argumentum sumens ait: *Cui plus dimittitur plus diligit. Unde sæpe videmus aliquos, qui ante negligentes fuerant Christiani, peccato aliquo commisso fieri diligentiores & ex illo per pœnitentiam evadere solere perfectos.* Non est in hominum viribus similis potentia, quanta est in pœnitentia: corpus deforme nemo efficere speciosum, ætate confectum nemo restituere juventuti potest: pœnitentia hoc potest.

II. Restituit bonorum operum merita.

II. Josepho *dedit* Pharao *annulum in manu ejus*, ad sancienda & firmanda regia decreta, adeoque inauranda quasi, ut quidquid ille scripto mandaret, pro regio mandato haberetur. Pœnitenti etiam restituuntur bonorum operum merita, quæ sunt velut annuli manum adornantes & quasi inaurantes. Annuli nobilitatis insignia erant apud Romanos, distinguentes equestrem ordinem à plebe, teste Dione l. 48. & colligitur ex epistola S. Jacobi c. 2. proinde exauthorati ab eo ordine, jus annuli amittebant. Porrò etiam *gravatis somno*, inquit Plinius libro 33, c. 1. *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur.* Pari autem Deum & diviniore religione, dormientibus seu morientibus per peccatum mortale detrahuntur omnia bonorum operum merita, quæ prius velut annuli manus eorum ornabant: ut patet ex Ezech c. 18. *Si averterit se justus à justitia sua &c. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Pœnitentia has justitias è sepulchro resuscitat, adeoque velut aureis annulis manum pœnitentis iterum exornat & locupletat. *Non enim sicut in sensibilibus rebus*, inquit D. Chrysostomus hom. 6. in Gen. *ita & hic usu evenit. Illic enim is, qui ex divitiis in extremam redactus fuerit inopiam, ærevi eas recuperare nequit: hic autem per misericordiam Dei (si modo condemnare facta nostra & jam sistere ignaviam voluerimus) poterimus statim ad pristinā abundantiam redire. Talis est Dominus noster, tamque magnificus & liberalis. Unde & clamat per Prophetam* (Ezech. 18.) *dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Confregit Moyses tabulas legis, quando iratus sceleri Judæorum, vituli cultorum, projecit eas de manu & allisit ad petram. Exodi 32. Sed en misericors Deus præcepit ei paulo post, ut præcideret sibi tabulas novas, in quibus iterato inscriberet Dominus eadem verba legis. Exodi 34. Frangimus tabulas decalogi, quando frangimus vel unum ex præceptis ejus; quia *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, ait S. Jacobus c. 2. At vero Dei misericordia, quando resipiscimus per pœnitentiā, adeoque novas tabulas efformamus, iterum in eas inscribit eadem prorsus verba legis tam secundæ quam primæ tabulæ, h. e. easdem gratias, quas perdideramus, nobis restituit; adeoque non solum gratiam justificantem amissam, sed etiam quæ per illam paraveramus merita bonorum operum. Solum hoc discriminis est, quod uti Deus primas tabulas ipse paraverat & Moysi obtulerat, secundas vero ipse Moyses præcidere & dolare (ut habetur Deut. 10.) debuit, supplex quoq; cum populo rogare, ut Deus iterum in eis exarare verba legis dignaretur: ita & primam gratiam donat nobis omnino gratis: at si culpa nostra eam perdidimus, requirit ut per pœnitentiam, contritionem, orationem & alias piorum operum actiones disponamus nos ad recipiendam gratiam alteram. Unde præcit. c. 18. Ezech. additur: *Facite vobis cor novum & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel.*

III. Josephi *collo torquem auream circumposuit* Pharao. *Torques*, inquit Philo in eum locum, *symbolicè datur Regibus à populo, quasi ei dicat populus: Dono tibi torquem quasi ornamentum in probitate & prosperitate, sed quasi vinculum & catenam qua vincieris in improbitate & adversitate.* Regiæ igitur dignitatis insigne olim torques aurea fuit. Hanc dignitatem Deus præter dictas gratias confert etiam pœnitenti, ita ut non modo condonet offensas omnes, offeratq; benevolentiā & amicitiā suā, restituat bona perdita, & quasi fisco adjudicata, sed præterea etiā jus hæreditarium regni sui cælestis. Non solent tā profusa liberalitate occurrere homines iis, à quibus semel offensi fuerūt, satis esse reputāt, injurias eis remittere; pristinū favorē, familiaritatē & dignitatem,

tem, quâ exauthorati sunt, non facilè restituunt. umanissimus quidem erat David & filii Absalom nantissimus; eum tamen ob admissum parricidiū legatum, ad instantiam quidem Joabi revocavit in rusalem, non admisit tamen ad aulam & conspeum suum, nisi post biennium, 2. Reg. 4. Salomon ioque maledico Semei injuriam patri suo illatam misit & in Jerusalem habitationis locum assignat, ita tamen ut torrentem Cedron non transiret, ne ad civitatem suam Bahurim & fundos ac possesones suas reverti posset, 3. Reg. 2. quod præscriptū si durum valde & permolestum esse debuit, con-ingens eum in perpetua quasi custodia. Non tam rcè Deus agit cum pœnitente, sed restituit eum integro pristinæ libertati, gratiæ & juri ad cœtem hæreditatem. Cujus rei typum exhibuit Dadi, quem ob lapsum afflixit quidem variis tribulaonibus, & imprimis persecutione filii Absolom, à o ejectus è solio suo & Jerosolyma profugus haravit ad tempus in desertis locis, quia tamen eam dictionem in ultionem peccati sui patienter ac li-nter à Deo excepit, & pœnitentiam egit, revocat eum Deus & restituit in regnum suum, filio in ælio cæso. Unde S. Ephrem tract. de pœnit. ait: *vit pœnitentia etiam Apostolos constituere. Hæc trum propriæ dignitati restituit, sua negatione col-sum. Non solùm autem Apostolos facit, sed etiam ges constituit: Davidi enim pœnitentiam agenti, penes eum regnum permaneret, efficit &c.* Cogi-t ergo peccator, qui à regno cœlorum excidit, id non moliendum subeundumque sibi judicet, iò regnum id recuperare possit. Certè Eduinus ex Nordanhumbrorum in parte Aquilonari Anliæ, cum ab Edelfrido pulsus esset è regno suo, exaretq; apud Edualdum Regem, viro cuidam gra-, licet incognito, sese offerenti ad restituendum i regnum, nulla prorsus mora ei promisit se obsendaturum ejus consiliis & doctrinæ Christianæ res & mentem præbiturum, si regno suo postliminiò potiretur; quod etiam consecutus est, sueptoque baptismo satisfecit voto suo, ut est in vi-sancti Paulini Episcopi Eboracensi auct. Beda lio secundo hist. Angl. apud Sur. 10. Octobr. Quòd ob terrenum regnum recuperandum, è tanto fai subjicere se Ecclesiæ ejusque sacerdotibus stait Rex, quid non laborum & dolorum suscipiat in pœnitens, ut cœlorum regnum Dæmonis astu & lio sibi ademptum, recuperare queat?

IV. Josephum *fecit Pharao ascendere super rrum suum secundum.* Quid hic in currum regium census nisi quietem & tranquillitatem animi si-nificat? Quis enim nescit hominem, qui cursu é ambulatione fatigatur, quiescere in curru, & sque omni molestia vel labore iter peragere? rgo currus hic digito quasi notat animi serenitam, quam acquirit pœnitens peracta pœnitentia t recepta Dei gratia. Peccatores non in curru veuntur, sed in terra ambulant; unde lamentantur apientiæ quinto dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis: ambulavimus vias difficiles.* Vel ad summum, si in curru quasi suaviter degunt, non nisi in curru rusticano & onerario vehuntur, qui frequenter eos concutit, pulsante & objurgante conscientia. Non sic Josephus, qui in currum regium adeoque pensilem evectus fuit. Non sic pœnitentes Deo reconciliati, qui jam pacem conscientiæ denuò adepti, in pace in idipsum dormiunt & requiescunt. Testem habemus Sophar in lib. Job cap. undecimo ubi ait: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuā, & eris stabilis & non timebis*, quasi vera quies & stabilitas mentis ex pœnitentia oriatur: sicut nubibus sublatis redit aëris serenitas. Nec mirum; omnis enim inquietudo animi ex peccato oritur, juxta id Jeremiæ Thren. 1. *Peccatum peccavit Israel, propterea instabilis facta est.* Vatablus vertit: *Propterea variè jactata est.* Etenim *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Isa. 57. Jactantur enim variis variarum concupiscentiarum æstibus, quasi calida quadam febri, quæ nullo frigore restingui potest, sed perpetuò sitiens nunc vinum, nunc aquam, nunc cerevisiam desiderat, indeque semper magis sese accendit: præterea etiam stimulis conscientiæ perpetuo agitatur. Quemadmodum ergò nauta, cùm a mari recipit se ad portum, ibi invenit requiem: ita & peccator cum recurrit ad pœnitentiam, ibi reperit pacem. Unde subdit ibi Jeremias: *Ipsa autem* (Jerusalem) *gemens conversa est retrorsum;* scilicet ad Deum per pœnitentiam. Typum hujus conversionis habemus Exod. 15. in Hebræis, qui fugientes ex Ægypto transitoque mari rubro venerunt in Mara ad aquas amaras; inde digressi venerunt in Elim, ubi erant 12. fontes aquarum; quasi ex amaris pœnitentiæ aquis recta & immediatè perveniatur ad dulces fontium, animas refrigerantium, aquas. Unde ibi Origenes hom. 7. *Primò deductus est populus ad aquas amaras & salsas, postea venitur ad fontes. Sequitur: Et 70. palmæ & castrametati sunt juxta aquas.* Ecce ad dulces fontes & palmarum trophæa conquiescunt Hebræi, postquā degustarunt aquas amaras. Præclarum hujus doctrinæ exemplū refertur in vita S. Bononii Abb. Locedensis apud Lip. 30. Aug. his verbis: *Quidam immani in fratrem suum odio incensus, tandem illi necem intulit, ferroque peremptum abscondit. Ingens & scelestum facinus æternis suppliciis expiandum. Veruntamen fratricida, paulò post incredibili animi dolore saucius, commissum scelus pura oris confessione & vera pœnitudine expiare constituit. Exposuit igitur crimen sacerdoti, multisque cum lachrymis medicinam postulavit. Exhibuit is se medicum, per omnia prudentem & hominē justis animi dolore fractum, septennali nihilominus pœnitentia damnavit. Nec recusavit ille amaros pœnitentiæ dolores, modò ab assiduo conscientiæ angore & admissi flagitii cruciatu liberari posset. Itaque ex eo quo fratrem peremerat mucrone, circulum brachio dextero circumdedit; to-*

tumque ſe lamentis & variis corporis afflictionibus dedidit. Sed cum domeſtica furiæ, quæ eum die nocteque perſequebantur, vix ullas ab æterna damnationis metu inducias concederent, tandem ille Sanctorum ſtatuit implorare patrocinia; ut quod ſuis lachrymis meritiſque non poterat, illorum aliquando precibus à Deo obtinere mereretur. Itaque poſt alia atque alia Sanctorum limina piè obita ipſo natali S. Bononii ad ejus etiam ſepulchrum venit ſupplex, Deumque flens atque ejulans precabatur, ut tanti ſui famuli interceſſione ſibi propitius eſſe dignaretur. Dumque orationi ferventer inſiſtit, & S. Bononium interventorem ſolicitat, ecce in magna virorum atque mulierum circumſtante turba, circulus qui caute & carne jam pen[e] contectus erat, per Christi clementiam diſſiliit: omneſque illæ conſcientiæ fuſæ fugatæque furiæ, ſummam conſcientiæ tranquillitatem & incredibile animi gaudium reddiderunt. Tunc is in lætitia ſalutaris Chriſti mirabiliter exultans, ferreum illum nexum ad ſancti altare ſuſpendit; & voce maxima, quanto à S. Bononio affectus eſſet beneficio, conteſtatus eſt.

V. *Reſtituit bonam famam.*

V. Joſepho *vertit nomen* Pharao, *& vocavit eum lingua Ægyptiacâ Salvatorem mundi.* Mira & magna nominis commutatio! prius à ſuis fratribus *ſomniator* appellabatur: *Ecce ſomniator venit.* Gen. 37. poſtea ab hera ſua Ægyptia *ſervus*: *Ingreſſus eſt ad me ſervus Hebræus,* Geneſ. 39. Denique a Rege *Salvator mundi* vocatur. Similis caſtatrophe gloriâ & honore plena ſequitur pœnitentem, ità ut recuperet bonam famam & nominis æſtimationem peccato prius perditam, adeoque non jam peccator & ſervus, ſed Dei amator & amicus vocitari mereatur. Propterea baptizatis adultis abolito priore nomine datur novum & ſanctum, è Sancto aliquo illuſtri deſumptum. Qua de re S. Hieronymus in id Pſalmi 15 *Nec memor ero nominum eorum; Mutamur*, inquit, *in lavacro; & ex filiis hominũ vocamur Filii Dei. Vox Chriſti: non memor ero iſtorum nominum, quæ prius ante fidem habuerunt, illa enim recordabor; quia creſcentibus meritis nomina addita ſunt nova. Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Joan. 15. Idem contingit pœnitentibus, ut imprimis teſtatur S. Chryſoſtomus homil. 6. in Marcum loquens de lachrymis, quibus pedes Chriſti lavantur. *Vide*, inquit, *quanta ſit miſericordia Salvatoris. Peccata noſtra mali odores ſunt, putredo ſunt; tamen, ſi agamus pœnitentiam propter peccata, ſi ploremus peccata noſtra putrida, unguentum efficiuntur.* Patet hoc in ipſa Magdalena, de qua ibi ſermo. Ea enim prius *peccatrix* dicebatur, ſed per pœnitentiam abolevit nomen iſtud, & amatrix Chriſti jam audit. Sic etiam David magis commendatur propter pœnitentiam, quam prius apud homines vituperaretur ob adulterium & homicidium: ſic Matthæus, ſic Paulus, ſic Pelagia, ſic Maria Ægyptiaca, ſic Cyprianus Magnus & Aglaë, Guilielmus Aquitaniæ Dux, aliique plus laudis & exiſtimationis acquiſierunt per pœnitentiam, quam prius ſorderent per iniquitatem. Nam (ut advertit B. Arnoldus Carnot. tract. de verb. Chriſti in cruce) *niſi quis ad antiqua revertatur contigia, nulli prior præjudicat vita.* Videtur hoc initio creationis ſtatim docere voluiſſe Deus, quando creato ex aquis firmamento mutavit nomen & appellavit id nomine *cœli*. Geneſ. 1. verſ. 8. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum.* Poſtquam ergo cœlum ex aquis formatum & quaſi natum eſt, non jam *firmamentum* ſed *cœlum* eſt vocatum; quo admoneremur, eos, qui ex aquis baptiſmi renaſcuntur vel aquis lachrymarum abluuntur in pœnitentia & in puriorem ac meliorem aſſurgunt vitam, adeoque ex aquis cœlum quodammodo fiunt, nomen aliud deleto priore & quidem cœlo dignum acquirere. Idem ſi non intellexere ſaltem expreſſere vel ignorantes Philiſthæi illi, qui cum ab Arca fœderis a ſe capta dirè & fœdè affligerentur, partim ulceribus anuum partim murium ingenti multitudine, ut mala hæc amolirentur, fecere ex conſilio Sacerdorum & ariolorum ſuorum anos & mures aureos, miſeruntque Deo Iſrael unà cum Arca pro munere, quo ſibi placaretur & cladem ab eis tolleret; quoſq; prius cum efformandos ſuaderent, anos appellarunt & mures, poſtea cum Deo mittendos dicerent, vaſa aurea honorifico nomine indigitant. 1. Reg. 6. Quò loco obſervat imprimis S. Gregorius ipſa peccata, cum delentur per pœnitentiam, fieri quaſi aurea & non modò labem nullam aſpergere pœnitenti, ſed honorem potius. *Dum commiſſa*, inquit, *attentius lugemus injuſtitiæ ſplendorem membra deaurantur.* Deinde aboleri per pœnitentiam infame peccatoris nomen & mutari in nomen juſti honorificum. *Quid eſt*, ait, *quod res iſtæ* (ani & mures) *eædem honeſtiori nomine exprimuntur, niſi quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus terſa non ſunt, in deformitate ſua attentiùs videnda atque lugenda ſunt: ea verò quæ jam ſunt diluta magnis fletibus, non attentius neque in deformitate ſua reſpicienda, ſed æſtimatione humiliatis aliquando cogitanda.* Et paulò poſt: *Quaſi aurea jam vaſa conficit* (pœnitens) *quia peccata videt, non quibus ſe obligatum videat, ſed quæ omnipotens Dei laudibus impendat.* Exemplo eſt Magdalena, de qua canit Eccleſia: *Fit ex lebete phiala, in vas translata gloriæ, ex vaſe contumeliæ.* De eadem ſcribit S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. *Illa in Evangelio meretrix virgines quoq; ipſas honeſtate ſuperavit.* Quod etiam de aliis pœnitentibus confirmans B. Petrus Damiani in epiſt. 4 de Deo omnipot c. 3 *Novimus*, inquit, *utriuſque ſexus homines, poſt abominabiles voluptatis illecebras ad tantam religioſæ vitæ perveniſſe munditiam, ut non modo caſtos atque pudicos quoslibet in ſanctitate præcederent, ſed & non contemnenda multarum virginum merita ſuperarent.*

Mira igitur & magna nimis eſt vis pœnitentiæ. Quare ô peccatores; quicumque & quotcumque eſtis, nolite ad Phariſæorum murmura attendere, quin imò ſpretis illis *appropinquate Deo & appro-*

pin-

linquabit vobis: accedite ad Chriſtum *& illuminamini,* & reformamini, & in vaſa aurea commutamini.

THEMA II.

Damna peccatorum venialium.

Multa bona auferunt.
I. Multa mala inferunt.
II. Ad majora mala diſponunt.

i perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam & evertit domum, & quærit diligenter? Luc.15.

Poſſet forſan aliquis vitio vertere huic mulieri nimis curioſam ac penè ſordidam induſtriam, a vilem unam drachmam tanto requiſivit ſtudio, cendit lucernam & evertit totam domum. Quod im paſtor abiit prolixo ſatis itinere ad requirenun ovem, id quidem jure feciſſe videtur; eſt enim vis alicujus non ſpernendi pretii & utile valde imal; at requirere drachmam unam, ſeu dena am tanto labore & ſtudio non videtur operæ preum. Cogitare, inquam, hoc aliquis poſſet: & verò i ſentiunt homines quamplurimi, qui peccata idem gravia, quibus Dei gratia perditur (cujus niſſio depingitur in amiſſione unius ovis) magni ciendam & deplorandam exiſtimant: at verò jacuram illius lucri, quod amittitur admiſſo peccato niali, quæ per amiſſionem drachmæ ſignificatur) rvi aut nihil æſtimant; quaſi dicant: Etſi monem unam perdidi; adhuc in Dei gratia, adhuc ovis riſti ſum: jacturam unius drachmæ, quam perdi admittendo peccata levia, non magnopere ſen-. His tamen ita ſentientibus occurrit & contraeit hodiernum Evangelium, quod quidem prio loco & præ omnibus requirendam monet om, hoc eſt, animam culpa lethali per injuin noſtram perditam: poſt hoc tamen, addit n negligendam drachmam, hoc eſt, animam ſam culpa veniali, ſed ipſam quoque perdin, ſtudioſè requirendam. Quod ut majori cura ſolicitudine fiat, videbimus in præſenti jacturæ jus damna.

I. Bona multa auferunt. Quænam verò illa, conſcientiæ tranquillitas & quies mentis, quæ munditie conſiſtit; & hoc ſiquis ſciens & pruns venialia admittat. Talia enim relinquunt poſt remorſum in animo, eum accuſantes de voluna & ſtudioſa malitia: non ita quæ ex debilitate inconſideratione quaſi incauto obrepunt; quia c habent patrocinium aliquod, quo admiſſa nonhil elevantur. Comparat Deus fideles ſuos oculo, iò pupillæ oculi. Deut.32. *Cuſtodivit eos ut pupillam oculi ſui.* Et Zach.2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quis autem neſcit oculum turbari & vexari uſque ad lachrymas vel minimo incidente pulviſculo? Unde Salvianus Maſſilienſis lib.1.de provid.& guber. Dei ait: *Perfectæ & ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Salvator, juſſit ab iis cautiſſimè etiam minima vitari, ſcilicet ut quàm pura eſt pupilla oculi tam puta eſſet Chriſtiani hominis vita: & ſicut ſalva intuitus incolumitate pulveris labem in ſe oculus non reciperet, ſic vita noſtra labem in ſe penitùs impudicitiæ non haberet.* Proverbio dicimus; *Habet & pilus umbram ſuam.* Sic omnino peccatum etiam leve obſcurat nonnihil & turbat mentis ſerenitatem, ne tam claro & libero oculo aſpicere poſſit Deum ac ſeipſam. Quo ſenſu poſſumus intelligere, quod ſponſus Cant.4.ad ſponſam dixit: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in uno crine colli tui.* Neque ſolum ſponſum, ſed & ſponſam ac multò gravius vulnerat crinis peccati levis, quia menti ejus radium aliquem cœleſtis luminis ſubtrahit, tenebras aliquas inducit.

2. Favor Dei peculiaris, quem ex parte imminuunt, ita ut Deus non eodem benevolentiæ aſpiciat oculo ſpõſam ſuam, ſicut priùs aſpexerat; quod experta eſt S.Catharina Senenſis, quæ ob unicam oculi deflexionem & animi orando diſtractionem, à Chriſto reprehenſa ita erubuit, ut potiùs coram toto mundo confundi præoptaret, quam ſimilem reprehenſionem iterum ſuſtinere; ut in ejus vita. Nec mirum; ſi enim ſponſo vehementer diſplicet, ſi ejus ſponſa in alium juvenem vel oculos conjiciat cum aliqua blanditie: quantò magis diſplicebit Chriſto, ſi ejus ſponſa, quam ſanguine ſuo emit, in creaturam aliquam oculos convertat & [illegible] deflectat? Hinc Iſaias cap.59. ait: *Peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine: & digiti veſtri iniquitate.* In quem locum Oleaſter explicans ait: *Opera veſtra tam majora, quæ per manus intelliguntur: quàm minora, quæ per digitos, immunda ſunt.* Itaque & levia peccata Dei avertunt oculos à nobis.

2. Favorem Dei peculiarem.

3. Actiones bonæ & ſtudioſæ, quæ peccato veniali vitiantur, adeoque Deo ingratæ atque inſipidæ, homini verò inutiles fiunt & meritum ſuum perdunt: quo modo Eccleſiaſtes cap.10.ait: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Muſcas verò illas, levia eſſe peccata, uti otioſum verbum & ſimilia diſcimus à ſancto Bernardo in ſerm. de triplici cuſtodia. *Vilis res eſt muſca moriens,* inquit, *ſed exterminat oleum ſuavitatis. Levis res ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat, &c.* Ut ergo muſca in cibum aut poculum incidens nauſeam gignit homini: ita peccatum veniale opus ex ſe alioquin bonum vitiat & moleſtum Deo efficit, adeoque privat merito, ut teſtatur S Gregor 21.Moral. cap.4 *Incrementum meritorum,* inquit, *quod bonæ vitæ ſtudiis augetur, plerumque mali admixtione terra-*

3. Meritum actionum bonarum.

retrahitur; & bonum, quod animus operando construit, hoc alia penetrando pervertit. Muſcæ omnia quibus inſident, maculant : ita & veniales lapſus: & quemadmodum ſcriba, ſi pilus ejus calamo quantumvis tenuis adhæreat, nihil culti exarare poteſt, ſed totum quod ſcribit, aut deletur aut inculte ſcribit : ita & ſi operi noſtro venialis culpa miſceatur, maculam ei aſpergit, ut parum aut nihil prorſus coram Deo valeat.

4. *Gratias Dei ſpeciales.*

4 Dei dona & gratiæ ſpeciales, quas ob tales lapſus ſubtrahit Deus ſuis; alioquin concedendas. Colligimus id ex verbo Domini ad Petrum recuſantem lotionem pedum ſibi à Domino ſuo exhibendam. Cum enim Petrus dixiſſet : *Non lavabis mihi pedes in æternum*; Dominus reſpondit ei : *ſi non lavero te, non habebis partem mecum.* Joann. 13. Quam negat ei partem? beatitudinemne cæleſtem? At vero quod Petrus fecit, ex reverentia aliqua, & ſummum ex imprudentia quadam veniali fecit. Itane ergo propterea à cœlo excludatur? Quare non improbabiliter Toletus & Palatius exiſtimant Chriſtum eſſe locutum de participatione corporis ſui, quam negaturus ei erat in ſacra cœna, ſi lotionem non admiſiſſet. Unde habemus Deum meritò negare ſuis gratias ſæpè ſpeciales & paterna ſubſidia, quando ab eis offenditur, licet ſolum venialiter. Nec mirum : ſolemus enim & nos, uti patres filiis, domini ſervis ſubtrahere aliquas gratias minime eis debitas, ſi officium ſuum negligenter obeant, vel in re levi offendant. Hinc ergo ariditates in oratione, deſolationes in tribulatione, duritia ad compunctionem, indevotio in ſacra communione, in rebus divinis cœcitas, &c. quia tales eleëmoſynas apud Deum demeruimus peccatis venialibus.

5. *Progreſſum in virtutibus.*

5. Progreſſus in virtutibus & vitæ perfectione, quem non leviter impediunt aut ſaltem retardant. Quemadmodum enim echeneis, exiguus piſcis, magnam navim etiam velis incitatam à curſu remoratur, ideo remora dicta, teſte Plinio l. 9. & aliis: ita peccata levia progreſſum in virtute cohibent: cum enim ipſa ſint imperfectiones, utique à perfectione hominem retrahunt. Eo facit quod Eccleſiaſtici 19. dicitur : *Operarius ebrioſus non locupletabitur.* Tametſi enim operarius unà potatione non omnia ſua dilapidet, ſenſim tamen dum hodie bibit, & cras & perendie parum aliquid potando abſumit, nunquam diteſcit. Vidit hoc & Plutarchus in libro, cui titulus: *Quemadmodum ſentias te in virtute creſcere*; ubi inter alia: *Sicut qui divites ſe fore deſperant, parvos ſumptus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant, ſi parvum parvo adjiciatur : ſpes autem ad finem propius accedens ſimul cum divitiis auget divitiarum amorem : ita & in rebus ad virtutem pertinentibus qui non multa concedit, neque dicit: Quid tum poſteà, modo ſic, alias melius : ſed ſingulis intentus, ubi vel minimo peccato vitium ſe inſinuans veniæ locum dare videtur, ægrè fert & indignatur : manifeſtum facit ſe purum aliquid ſibi jam comparaſſe, quod inquinari nullo modo velit; faciles enim & negligentes facit, ut Æſchylus ait, opinio concepta nihil eorum, quæ habemus, magnum eſſe. Maceriam aliquam aut ſepem conficientibus nihil refert obvium quodque lignum aut lapidem humi jacentem adhiberi, aut columnam aliquam à monumento aliquo delapſam ſubjicere, quo modo & homines vitioſi omnia promiſcue facta omnes temere actiones congerunt ac coacervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ veluti ſacri ac regii ædificii, jactum jam eſt aureum fundamentum, nihil eorum quæ aguntur, temerè admittunt ſed veluti amuſſi rationis aptant ſingula atque concinnant,*

II. Multa mala inferunt. Eorum quinque recenſet S. Laurentius Juſtinianus, de Gradibus perfectionis cap. 1. *Licet veniale delictum*, inquit, *ſ[e] perpetrantem æternæ mortis nequaquam faciat reum maculat nihilominus animam, fervorem charitat[is] minuit, potentiam animæ in bonis operibus debilita[t] retardat à gloria, & ſæpe fit peccati mortalis occaſi[o].* Ergo primo animam commaculant quaſi ſpor[ca] quadam, teſte S. Auguſtino homil. 50, in lib. 50. homiliarum. *Quamvis*, inquit, *ſingula non lethali vulnere feriant, ſicut homicidium & cætera hujuſmod[i] tamen omnia ſimul congregata velut ſcabies, quo plu[ra] ſunt, necant & noſtrum decus ita exterminant, [ut] ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum, ca[]ſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quo[]tidianæ pœnitentiæ deſecentur.* Porrò quanto nobilior eſt anima corpore, tanto fœdior eſt macula peccati etiam venialis macula corporis. Eas porrò labes abſterſurus in diſcipulis ſuis Dominus dixi[t] *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Joan. [13]. Erant enim illi, (proditore excepto) mundi, quo[d] ad gravia peccata attinet, ſed veniales habeba[nt] ſordes, quaſi pulverem in pedibus; quos etiam ab[]luere voluit Dominus (ita enim exponunt S. Auguſtinus & Venerab. Beda eum locum) ut nos doce[]ret, abſtergendas etiam & cavendas eſſe pro viribu[s] maculas leviores; quæ niſi valde fœdarent animam non demiſiſſet ſe eo DEI Filius, ut per ſeipſum ea[s] ablueret. Idcirco enim, ut ait Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro e[a] ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, &c.* Jam ver[o] *minima neglecta*, inquit S. Bonaventura in prolog[o] ſpeculi diſcipl. *eo turpius moribus maculam inge[]runt, quo vitari facilius cognita potuerunt.*

2. Fervorum charitatis minuunt. Aqua ign[i] aſperſa, cum tepefacit ſuaque urendi vi deſpol[i]at & cinis carbonibus injectus ita eos ſopit, ut & ſplendorem eorum opprimat & ardorem reprimat adeo ut juxta eos poſiti nullum penitus ſentiamu[s] calorem. Unde hoc niſi quia aqua igni contraria eſt cinis denſus & obſcurus, ignis econtra ſubtilis eſt & lucidus? Pari modo peccatum veniale ex affectu erga terrenum aliquid, terræ naturam indui[t]

adeo-

ꝺeoque charitatem, quæ velut ignis ad Deum & ꝺelestia tendit, à suo cursu retrahit, ab ardore cohiꝺet. Calor corpora reddit levia, frigus gravia & ꝺonderosa: hinc tepor seu frigus peccati venialis ꝺiseram retinet animam, & ad bona opera, Dei & ꝺroximi dilectionem evolare non sinit, juxta id ꝺp. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam ꝺ terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogiꝺntem.* Ægro aut vulneribus confecto si imponas ꝺrcinam, quomodo eam portabit? quomodo curꝺre poterit? aquilæ si affigas baculum paulò graviorꝺm, quomodo in altum volabit? Anima nostra per ꝺ gravatur à concupiscentia, cui si insuper affigas terꝺnos affectus à Deo retrahentes, quomodo in oratioꝺe fervebit; quomodo lachrymis compunctionis irꝺgabitur? quomodo interna suavitate irrorabitur? quoꝺodo ad patiendum & moriendum pro Christo inꝺammabitur?

3. Vires animæ debilitant, quia multiplicatis ꝺeccandi actibus pravos ei ingenerant habitus, virꝺutum progressui & sanctitati adversantes. Est aliꝺuis optimus organicen, digitorum celeritate & ꝺabitudine ad pulsandum organum præcellentissiꝺnus: si assuefaciat se ad stivam & aratrum tenendum, ꝺd fodiendam terram, aut ligna cædenda, videbis ꝺaulatim digitos ejus rigentes & stupidos, ignavos ꝺc arti organicæ inhabiles. Idem contingit animæ, ꝺuæ peccatis venialibus crebrò operam dat; contraꝺit enim peccandi habitum; unde ad contrarias pecꝺatis virtutes, languidam, ignavam & ineptam sese ꝺeprehendit. Confirmari id potest exemplo neꝺuissimi, à fide & religione Apostatæ, Lutheri, qui ꝺum adhuc Monachus esset, nihil utique meliùs ꝺòrat, quàm crucem in fronte pingere, quia nil ꝺonachis consuetius; ubi tamen abjecto cucullo & ꝺathol. fide hæresin procudit & in ejus impietate inꝺuruit crucique valedixit, tandem crucis signum pinꝺere in fronte nesciit, quod cùm gesticulando efforꝺnare rursum aliquando tentaret, nec tamen veteri ꝺore & instituto posset, derisoriè subintulit: (Marge Gottes Mutter/wie waren wir vnder den Pabstꝺumb mit der Meß vnd mit den Creutzen geplagt? Refert Gretserus de cruce l. 4. c. 16. En tibi hæresiarꝺhas prius ad formandam crucem tam expeditos, poꝺteà intermisso habitu, utpote ad cantharos & teꝺtudinem tractandam assuefactos, tam rudes & ineꝺtos. Sunt ergo peccata venialia quasi compeꝺdes; qui affectuum nostrorum pedes rebus infirꝺmis adstrictos tenent, ne ad ardua & cælestia ferantur.

4. A gloriæ consecutione remorantur & impediunt, donec expientur. *Non* enim *intrabit* in cœlestem Jerusalem *aliquid coinquinatum*, ait sanctus Ioannes Apoc. 21. Exiguum ferrum est vectis, januam tamen occludit, ne domum ingredi possis. *Ex volucrum aucupio disce*, inquit S. Ephrem in lib. de morbo linguæ, *quæ parva videntur, non ideo contemnenda. Contingit ut avis in laqueum incidens, minimâ capiatur ungulâ: & alarum vires franguntur ac debilitantur ob ungulam vilem, & cùm totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.* Unus igitur inordinatus affectus, qui est quasi pes, uni peccato veniali obstrictus, retinet animam alioquin alatam & Dei gratiâ præditam; ne ad cœlum evolet. Neque hoc dumtaxat, sed prætereà detrahit & obligat ad pœnam, nequaquam levem aut exiguam, quod inde colligimus, quia sæpius in hac vita plexum est morte violenta, subita vel horrenda, ut alibi ostendimus.

Tripart. Dom: 5. post Pent. c 3.

5. Sæpè fiunt occasio peccati mortalis 1. Propter conscientiam erroneam, ut ait Laurentius Justinianus, quâ quis putat grave esse peccatum, quod admittit, cùm leve sit; vel econtrà cùm ex vincibili ignorantia æstimat leve id, quod grave est. Itaque contingit eis, quod viatori, qui vel diffidens aquis, quasi nimis profundis à transitu absterretur, vel nimium credens, quasi minimè profundis, cùm sint profundissimæ, mergitur, juxta id Ierem. 15. *Plaga mea desperabilis facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* 2. Quia qui nimis pronus est & inverecundus in hujusmodi peccatis committendis, meretur à Deo deseri, ut in graviora prolabatur. In aulis parvæ incuriæ vel socordiæ ita sæpè Regum animos offendunt, ut ad iram provocent; unde ipsi à servis negligentibus communiter gratiam & benevolentiam suam abstrahunt: quid mirum ergo si id Deus agat, præsertim si frequentius officium servi negligant? Semel tantùm & iterum neglexit David in Saulis aula stationem suam, relinquens vacuum in mensa locum suum, & mox concitavit iram Regis in se, mortisque filius declaratus est. 1. Reg. 20. Tametsi enim errores parvi sunt, cogitari tamen debet, magnos esse illos, qui offenduntur. Quis verò major Deo?

5. Sæpè ducunt ad mortale.

III. Ad majora mala disponunt. Quod inprimis indicat Sophar in l. Iob; cùm Dominum in nobis post vanitatem videre iniquitatem asserit c. 11. *Ipse* inquit, *novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat?* Quem locum explicans S. Gregorius 20. moral. cap. 9. *Ex vanitate in iniquitatem ducimur, cùm priùs per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus, &c.* Brevi qui initiò assuescunt è littore prosilire in aquas ad natandum, paulò post audaciores fiunt, ut de prealto etiam ponte desilire in flumen pro ludo habeant: & qui prius rivulos transnatare discunt, posteà etiam lata flumina natando superare velint, donec tandem nimium sibi præfidentes merganrur. Optimè S. Dorotheus doct. 3. *Ex his minimis & verè vilibus*, inquit, *ad magna contemnenda delabimur. Cùm enim cœpit quis dicere: Quid est, si verbum hoc unicum locutus fuero? Quid est si modicum hoc comedero? Quid si in rem hanc invendero? Ex hoc, quid id, quid illud, admittitur mala & amara esca & sensim incipit quis ac pedetentim in majora & graviora prolabi, &c.* Scimus Davidem ex in-

III. Ad majora mala disponunt

cauto uno fœminæ aſpectu non ſolùm in adulterium, ſed etiam inde in homicidium eſſe devolutum. Judam ex parvis furtis in tantam creviſſe avaritiam, ut Dominum ſuum pro modico argento venderet: exempla alia quotidiana ſunt. Unde Job 41. dicitur: *Ante faciem ejus* (Diaboli) *præceſſit egeſtas.* Præceſſit egeſtas & cupiditas nummorum in Juda, ſecuta eſt fames argenteorum, quam ad extremum conſecutus eſt Diabolus, totus in Judam intrans. *In Occidentalis Indiæ Inſula, Iſabella dicta,* inquit Fab. Juſtinianus in cap. 4. Tobiæ verſ. 23. doc. 3. *minutiſſimi inſecti genus inter arenas naſciferunt, quod Ninguam vocant. Id poſtquam pedes incedentium invaſerit; intrans digitorum ungues & cutem, vix initiò ſentitur; attamen niſi ſtatim crebra lotione & ſcalpro interimatur, quidam in cute oriuntur folliculi, in quibus maxima lendinum copia ab eo generata, ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta excedens nullum aliud deinde remedium relinquat, niſi membri præciſionem aut uſtionem. His planè ninguis ſimillima ſunt peccata venialia, quæ cùm primùm hominis invadunt animam, niſi ſtatim abjiciantur pœnitentiæ aqua, vel timore ignium ſtygiorum, ad graviſſimum mortiferæ culpæ interitum ducunt.* Bene proinde in Pſal. 136. dicitur: *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.* In quem locum S. Auguſtinus. *Qui ſunt,* inquit, *parvuli Babyloniæ? Naſcentes malæ cupiditates.* Sunt & parva peccata, quæ antequam adoleſcant in grave aliquod peccatum, allidenda ſunt ad petram. Radix ſpinæ quæ rhamnus dicitur, tenera & blanda eſt; at ſpina ex illa progrediens admodum aſpera, ut tangentes ſe cruentet. Ita ſcribit S. Auguſtinus in Pſal. 57. *Quid eſt rhamnus? ſpinarum genus eſt, denſiſſimæ quædam ſpinæ eſſe dicuntur. Primò herba eſt, & cùm herba eſt, mollis & pulchra eſt: ibi ſunt tamen ſpinæ poſtea proceſſuræ.* Sic peccata levia per ſe quidem non adeò multùm vulnerant, quia charitatem & gratiam Dei non elidunt: ſunt tamen radices, è quibus tandem naſcitur ſpina gravioris peccati, quod poteſt animam transfigere & à Deo ſeparare.

Quare ad extremum videat unuſquiſque ut non modò ovem perditam, ſed & drachmam requirat: nec vulpes ſolùm annoſas ſed & parvulas capiat; quia ex parvis magnæ fiunt. *Si certare ſtatuiſti*, ait Iſichius presbyter lib. de temper. & virt. ad Theob. cap 1. *imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam. Illa quidem minutas venatur muſcas: quòd ſi tu eodem exemplo, labore quietem animi comparare volueris, irremiſſe pueros interfice Babylonicos, &c.* Quòd ſi tales muſcas in cor tuum incautè admiſiſti, lachrymis tuis interfice; quo modo Beata Paula Romana levia etiam peccata planxit, *ut illam graviſſimorum criminum crederes ream,* inquit S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium.

THEMA III.

Quare gaudeant Angeli in converſione peccatoris.

I. *Propter Deum, in cujus gloriam omnia refunduntur.*
II. *Propter Chriſtum, cui congratulantur captam prædam.*
III. *Propter ſemetipſos.*
IV. *Propter pœnitentes.*
V. *Propter cacodæmones.*

Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

MIro fortunæ luſu evectum ad Imperatoris ſupremam dignitatem fuiſſe Claudium ſcribit Suetonius, & Joſephus lib. 19. Antiq. cap 2. Cùm enim poſt necem Caii Caligulæ omnia Romæ turbarentur & ſeditionibus plena eſſent, ita ut nobiliſſimi quique in periculo vitæ verſarentur, inter eos Claudius, nobilitate facilè primus, ſeſe in abditum contulit locum, ne fortè à tumultuantibus militibus deprehenſus ad necem raperetur. Sed en dum in ſolarium ſemel prodiit, velo tamen obductum, pedum indicio à milite Grato nomine, conſpectus, apprehenſus & productus eſt, pavore & mortis metu adeò conſternatus, ut ad genua ejus procidens, vitam ſibi donari precaretur, denique præ timore ſtare in pedibus nequiret. Sed en dum is mortem expectat, Cæſar ab eodem milite ſalutatur, & à ſociis in caſtra defertur, tremens adhuc & dubius inter ſpem & metum; delatus à militibus Imperator conclamatur, & Cæſareis ornamentis indutus per urbem circumducitur. Quod hic Claudius metuit, jure ſibi metuere poſſit quivis peccator, ſe nimirùm quæri à Deo ad necem & ſupplicium velut reum læſæ divinæ Majeſtatis. Sed deponite metum & è contrà bono animo eſtote, quicumque tales rei & peccatores eſtis. Ecce enim Dei filium in hod. Evangelio vos undique quærentem, non ut laniet & mactet, ſed ut errantes reducat, repertos in humeros ſuos imponat, impoſitos ad cœlum in caſtra Angelorum geſtet, ibi vos in Reges cœli evehat, & in veſtri gratiam publicæ lætitiæ ſolemnitatem in cœlo SS. Angelis indicat. Quis hæc audiens non excitetur, & ad pœnitentiam actutum agendam non extimuletur? Sed forſan dicent aliqui: Quæ ratio eſt, cur Angeli lætentur in converſione peccatorum? Audiamus.

I. Gaudent & gratulantur ſibi propter Deum, in quem velut in fontem bonorum omnium omnia refundunt. Norunt enim Deum eſſe amatorem anima-

nimarum, pro quibus requirendis miſerit de cœlo ilium ſuum: & ex altera parte ſummè Deum mant, pluſquam ſeipſos; hinc gaudent quando ident converti peccatorem, quia vident impleri eſiderium Dei ſui. Certè Dominus, quando datth. 18. hanc eandem de ove perdita & inventa ropoſuit parabolam, dixiſſetque gaudere eum, qui nvenerit ovem ſuam, ſubjunxit: *Sic non eſt volun-as ante patrem veſtrum, ut pereat unus de puſillis ſtu:* q. d. ſic Deus non vult, ut pereat ipſi vel unus tiam minimus & abjectiſſimus homo; imò ſimili nodò gaudet de ejus reſipiſcentia. Quæ res adeò lara eſt, ut in dubium revocari nequeat. Quis enim ater non gaudet, quando videt filium, in cujus ducationem, inſtructionem, promotionem tot uras & impenſas contulit, moribus integerrimum, cientiis excultiſſimum, victoriis inclytum, reip. tiliſſimum & omnibus gratiſſimum? Viciſſim non lolet, ſi videt omnem ſuam induſtriam, ſpem & la-borem in filio periiſſe? Quòd ſi tamen poſt hæc fi-ius diceretur ſe totum immutaſſe, errores ſuos gnoſcere & ad voluntatem patris ſe adeò accom-nodaſſe, ut nihil ampliùs ab eo deſiderari poſſet; ionne maximo gaudio perfunderetur pater? Ita anè docet parabola filii prodigi, quem ad frugem converſum ſummo gaudio excepit pater. Quid? ionne gaudent & gloriantur homines, quando ſuâ nduſtria plantârunt ſibi arbores frugiferas, vident-que eas fructus afferre plurimos, vel gratiſſimam in eſtu umbram dare? Quomodo ergo non placeat Domino Deo adeoque gaudium afferat, ſi videat hominem, propter quem tanta fecit, cœlum & ter-ram, & quæ in ea ſunt creavit: filium ſuum in ter-ras miſit: Angelos ei cuſtodes dedit: parentes, præ-ceptores, pædagogos, paſtores addidit, ut hære-dem regni ſui conſtitueret: ſi, inquam, videat eum ſibi per omnia morigerum, virtutibus excultum, mundi ornamentum adeoque cœlo dignum? Pro-fectò Deus, cùm vidit homines planè perverſos, ta-ctus dolore cordis intrinſecus delevit homines de terra per diluvium & cum eis omnia penè animan-tia, adeoque tam præclaram mundi fabricam planè evertit & confregit: conſequens igitur eſt, ut tan-tundem ſibi complaceat, ſi videat homines eſſe ta-les, quales ipſe quærit & deſiderat, morem ſibi ge-rentes: tametſi fortè priùs aliquando ſenſit ſibi re-belles. Jam ergo ſi Deus gaudet ſuper uno tali ho-mine, ad frugem reducto, hinc neceſſariò conſequi-tur exhilarari omnes Angelos totamque cœli au-lam; quæ Deo Regi ſuo ita addicta eſt, ut ipſius bo-num habeant pro ſuo, gaudium ipſius ſit gaudium ipſorum; ita ut gaudere nequeant, ipſo non gau-dente: non poſſint non lætari, ipſo exultante. Tota exhilaratur familia, cùm hilarem videt patremfa-milias: ita omnes Angeli gaudent gaudente Deo ſuo ſuper uno pœnitente. Quando nunciatum & evulgatum fuit in aula Pharaonis, veniſſe fratres Joſephi, *gaviſus eſt Pharao*, inquit ſcriptura, *atque omnis familia ejus*, Geneſ. 45. verſ. 16. quia nimi-rum aula Regis quaſi ejus corpus eſt; unde exhila-ratur exhilarato capite. Sic & aula cœleſtis quomo-do non exultet exultante Rege Deo ſuo in adventu & reverſione pœnitentum? Flores, quia omnem ſuum vigorem à Sole accipiunt, cum eo oriente ſe aperiunt & quaſi oriuntur: cum occidente claudunt, & quodammodo occidunt. Sic per omnia cœleſtis aula Deo ſe conformat, quia ab ejus influxu & gratia tota dependet.

II. Propter Chriſtũ, cui gratulantur captam prædam.

II. Propter Chriſtum Dominum; cui congra-tulantur captam ab ipſo prædam, tot laboribus quæſitam. Atque huc propriè tendit gaudium An-gelorum, de quo Dominus in hod. Evangelio ait: *Veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi &c.* In quem locum Ven. Beda ſcribit: *Inventa ove domum redit, quia paſtor noſter reparato homine ad regnum cæleſte re-diit. Ibi amicos & vicinos invenit, illos ſcilicet An-gelorum choros, qui amici ejus ſunt, qui voluntatem ejus continuè in ſua ſtabilitate cuſtodiunt. Vicini quoque ejus ſunt, quia claritate viſionis illius ſua aſſiduitate perfruuntur.* Optimè etiam Haymo in eundem locum: *Amicos ac vicinos dicit Angelos: amicos tanquam ea diligentes, quæ ille diligit: vici-nos, tanquam illi propinquos.* Quia enim SS. An-geli Chriſtum ſummo amore diligunt, conſequen-ter etiam cum eo gaudent, cùm gaudere ipſum vi-dent, & diligunt eos, quos ipſe diligit. *Dicitur cer-tè*, inquit Sanct. Bernardus ſerm. de S. Michaele pro-verbiali verbo: *Qui me amat, amat & canem meum: nos verò ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis.* Quâ de cauſâ etiam, ut ſuprà tetigimus, cùm vulgatum eſſet in aula Pha-raonis, veniſſe fratres Joſephi, gaviſus eſt Pharao & omnis familia ejus, Geneſ. 45. quia ſcilicet Joſe-phum ſummè adamarant, ideò & fratres ejus; eo-rumque adventu ſummè lætati ſunt. Jam verò gau-dium inventæ ovis, ſuum eſſe potiùs indicat Domi-nus, quam ovis. Propterea *notandum*, ſubdit Beda loco cit. *quod non dicat: Congratulamini ovi inven-tæ, ſed, mihi; quia videlicet ejus eſt gaudium vita noſtra, & cùm ad cœlum reducimur, ſolemnitatem lætitiæ illius implemus.* Congaudebunt igitur gau-denti Chriſto omnes ejus Angeli, quia de ejus fa-milia ſunt, & quos ille diligit, non poſſunt non dili-gere. Gaudet agricola, quando ex agris ſuis multo labore à ſe cultis copioſam meſſem colligit: ſed & ſervi ejus, quando domino ſuo tam uberes fruges demetunt, quia & ipſi ſuas inde placentas come-dunt. Gaudet Princeps quando tot excurſionibus, retium expanſionibus, jaculis & clamoribus feram aliquam cepit; quam etiam depingi curat, & ad principes alios tranſmittit; neque tamen ſolus, ſed & venatores gaudent, quia ex venatione illa ſtatu-tam ſuam portionem accipiunt. Denique gaudet Dux militiæ, qui multis machinis & molitionibus hoſtilem aliquam munitionem in ſuam redegit poteſtatem: ſed gaudent etiam miniſtri ejus cæteri-que milites. Quid ni igitur gaudeant cum Chriſto

SS. Angeli & totis animis gratulentur ei messem peccatorum, in horreum ejus devectam; feras tanto sudore captas? hostes edomitos? Angeli, inquam, qui sunt ejus quasi messores, catelli venatorii, milites & ministri; Ipsi enim sunt, qui Christi incarnationem, nativitatem, resurrectionem, ingressum denique in cœlum hominibus nunciarunt: ipsi Christo in deserto esurienti, in monte Oliveti oranti atque agonizanti, & procul dubio alibi etiam frequenter ministrârunt: ipsi Ecclesiæ defensores, nostri custodes, denique in fine mundi velut Christi messores congregabunt electos & deferent in ejus horreum. Congaudent igitur Domino suo, cujus gratiâ & amore omnia illa præstant summâ delectatione. Quare non immeritò ipsis applicari potest, quod Isa. 9. dicitur de electis omnibus: *Lætabuntur coram te, si ut qui lætantur in messe: sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia.* Quòd si lætantur messores, multò magis ipse Dominus, cui illi metunt. Unde Origenes hom. 23. in Num. *Agit festum Christus*, inquit, *qui pro salute nostrâ sanguinem fudit, cùm videt prodesse, quod se humiliavit, factus obediens usque ad mortem. Agit festum Spiritus sanctus cum his, qui convertuntur, videns sibi templa parari.*

III. **Propter semetipsos. 1. Quia augetur eorum numerus.**

III. Propter semetipsos. 1. quia per conversionem peccatorum augetur adeoque exornatur eorum numerus, quoad Dei laudes concinendas potentiores fiunt. Ita Origenes homil. 23. in Num. cit. *Lætantur Angeli*, inquit (in conversione peccatoris) *ad quorum festivitatem accedunt conversi.* Præcipuum Angelorum munus, conatus & intentio summaque delectatio est, ut quam maximè possunt, Deum collaudent; quod ut potentiùs præstent, etiam in terra homines ad hoc extimulant; uti patet ex Raphaele, qui utrumque Tobiam adhortans, ait: *Benedicite Deum cœli & coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Et rursum: *Ipsum benedicite & cantate illi.* Tob. 12. quomodo philomelæ cantu mirè delectatæ provocant suis modulis alias ad cantandum & respondendum. Ita legitur in Commentario virorum illustrium Ord. Cisterc. S. Bernardum aliquando vidisse, dum hymnus *Te Deum laudamus* cantaretur, beatos Angelos multâ claritate fulgentes, mirâ vultus alacritate gestientes, utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modò illum, ad piè, ardenter & cum debita mora hymnum illum, quasi ipsis familiarem, decantandum excitasse atque animasse. Ipsi etiam Ecclesiam docuerunt more suo psallere in templo, ut testatur Socrates lib. 6. c. 36. *Dicendum autem & hoc*, inquit, *unde consuetudo responsoriorum hymnorum in Ecclesia initium cepit. Ignatius Antiochiæ Syriæ, tertius ab Apostolo Petro Episcopus, unà cum Apostolis aliquando conversatus, visionem Angelorum per responsorios hymnos S. Triadem laudantium vidit, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit: unde & ad omnes Ecclesias ista traditio manavit. Et hæc est ratio hymnorum responsoriorum*; qui nimirum alternè canuntur, ut fit in choro. Desiderant ergo SS. Angeli & quidem summis votis, ut quemadmodum ipsi in cœlo semper laudant Deum (uti patet ex Apoc. 4. v. 8. & 5. v. 13.) ita & nos quasi Angeli terrestres eundem laudemus in terris, ac demùm unà cum ipsis etiam in cœlis. Quod cùm fieri, saltem inchoatè, in conversione peccatoris vident, maximopere inde gaudent.

2. Quia sic restaurantur in cœlo ruinæ, Dæmonum lapsu causatæ, & replentur sedes ab ipsis desertæ. Omnia creavit Deus & *disposuit in mensura & numero & pondere*. Sap. 11. consequenter etiam Angelos in tali numero, qui cœlestem regiam decebat atque ornabat. Quia verò quam plurimi perduelles facti numerum illum imminuerunt, adeoque decentem illum ornatum in Angelorum numero vitiarunt; hinc conjicere licet, reliquis illis sanctis displicuisse hanc rupturam, quòd pulcherrimam illam & omnibus numeris perfectam laudis symmetriam ex parte imminuerit: quo modo symphoniæ suus decor aufertur, cùm requisitæ aliquæ voces aut instrumenta desiderantur. Quando igitur advertunt è terra adventare Musicos & quidem præcellentes, qui derelictas illas voces laudibus suis compleant, adeoque symmetriam illam desideratam in integrum restituant, hæc res SS. Angelis ineffabile gaudium parit, ut qui ad hoc creati, totique intenti sunt, ut Dei laudes celebrent quanto maximè conatu possunt. Ita exultant milites, cùm defectum sui exercitus clade al quacausatum, per alium subsidiarium militem resarciri vident. Sic gaudemus nos quando integram nationem, vel unum etiam doctrina aut nobilitate celebrem virum ab hæresi vel infidelitate converti ad fidem cernimus vel audimus. Sic exhilaravit Apostolos Matthias loco Judæ electus: Quadraginta martyres sub Licinio custos pro desertore uno se substituens ipsisque adjungens, apud S. Basil. orat. in 40. Mart. Atque in hunc sensum Angelorum gaudium explicat Origenes homil. 23. in Num. *Agunt*, inquit, *Angeli diem festum lætantes super iis, qui refugientes consortia Dæmonum per exercitia virtutum Angelicis se festinant sociare consortiis.*

IV. Propter pœnitentes. 1. Quia ut ait Euthymius in hod. Evang. *benigni sunt erga homines*; & amant eos, in quibus Dei similitudinem, adeoque etiam suam cernunt, velut sibi cognatos; qui si ad Deum convertantur, fiunt omnino eis similes adeoque fratres, ejusdem hæreditatis participes, eodem gratiæ vestitu insignes. Scimus similitudinem causam esse amoris, amorem verò gaudii: quid mirum ergo gaudere Angelos, quoties acquirunt novum aliquem fratrem, sui amantissimum, si etiam inter homines id fieri videmus, cùm vel societates & fœdera inter aliquos contrahuntur, vel per connubia affinitates & fraternitates; Tale gaudium concepit S. Cæcilia, quando sponsi sui Valeriani fratrem

fratrem Tiburtium Diis abrenunciantem & DEUM verum audit confitentem. *Mox enim deoſculata eſt ejus pectus & dixit: Revera hodie confiteor te eſſe planè meum fratrem. Quomodo enim DEI amor tuum fratrem fecit eſſe meum conjugem: ita & ſimulachrorum contemptio fecit te meum eſſe fratrem.* Ita in vita S. Cæciliæ Metaphraſtes apud Sur. 22. Novemb. Quemadmodum ergo Tiburtius ex affine per converſionem factus eſt Cæciliæ frater, velut eadem Dei fide & gratia condecoratus: ita SS. Angeli pœnitentes ex cognatis ſecundùm naturam, recipiunt in fratres ſecundùm Dei gratiam. Hinc tanto magis creſcit eorum gaudium, quantò major eſt amor fratrum quàm affinium vel remotè cognatorum.

2. Quia vident ſua induſtria (*omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*, ad Hebr. 1.) ad frugem reductos. Aſpiciunt enim illos velut filios ſuos, quos & ipſi ſuo modo in Domino genuerunt, præſervando à malo & dirigendo ad bonum. Sic gratulatur ſibi hortulanus cernens arbores, manu ſua plantatas, tandem, etſi ſerò, fructus ferre optatos. Sic Magiſter cùm advertit juvenem evadere in virum reip. utilem; quem ſuo labore excoluit. Sic lætati ſunt fideles congregati in domo Mariæ, cum viderunt Petrum, ſuis æquè ac reliquæ Eccleſiæ precibus, ereptum è cuſtodia Herodis, noctu adventantem; Act. 12. Viſo enim eo Rhode puella præ gaudio non aperuit ſtatim oſtium: ipſi poſtea tantopere in jubilum extulere voces, ut manu eis ſilentium indicere Petrus debuerit, ut advertit ibi gloſſa v. 17. Hanc denique ob cauſam ſanctus Paulus appellat Philippenſes *gaudium & coronam ſuam*, ad Philip. 4. v. 1. videns à ſe converſos creſcere in fide & virtutibus, quod ipſi maximum gaudium & quaſi regiam coronam afferebat. Cum tali gaudio & corona viſus eſt B. Adelgundi S. Amandus Epiſcopus Trajectenſis, cinctus corona plurimorum albatorum aſcendere in cœlum. Cum enim quiſnam eſſet, requireret, reſponſum accepit ab Angelo: *Vir DEI Amandus migravit à ſeculo, & quia ſacerdos in vita extitit dignus & tam glorioſus, nunc ad gaudia ſui Domini pertranſiit. Turba autem quam vides albatorum, hi ſunt, qui per inſtantiam prædicationis ipſius ad exemplum tanti Magiſtri feliciter conformati, digni Deo & ſanctorum claritate judicantur aſcribi cæleſtibus. Quibus pro eo, quod paſtor bonus extitit & idoneus in regno ſanctorum & terra viventium ſuper eos princeps in æternum apparebit modis omnibus glorioſus.* Ita Baudemundus in ejus vita apud Sur. 6. Febr.

V. Propter Cacodæmones, quibus velut hoſtibus ſuis capitalibus præda nobilis erepta eſt, maximo illorum dolore & confuſione, cùm peccator aliquis reverſus eſt ad Deum. De Chriſto Domino, quando ſupercilioſum Archiſynagogum, ex invidia obſtrepentem manifeſto miraculo, paucis verbis repreſſit, ait S. Lucas c. 13. *Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus, & omnis populus gaudebat in univerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo.* Dæmonis è ſchola prodierat is princeps, & Magiſtri ſui malitiam probè referebat: quando ergo pœnitens ſua confeſſione os Dæmoni occludit, applaudit vincenti tota Angelorum cohors; quo modo Apoc. 12. lætati ſunt omnes cœlites & laudarunt Deum, cum viderent quòd abjectus eſſet Draco in terram, dicentes: *Nunc facta eſt ſalus & virtus &c. quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte*; homines videlicet juſtos. Quoties ergo reſipiſcit peccator, toties proſternit ſuperbum illum Draconem, indeque jucundiſſimum præbet Angelis ſpectaculum; quale edidit Regi Sauli & univerſo Hebræorum populo David, quando ſuperbum & jactabundum illum vaſtumque Goliathum, ipſe inermis & militiæ inexpertus lapide uno ſtravit, & proprio ejus gladio decollavit. Inde enim exhilaratus eſt Rex Saul, uti in memoriam ei Jonathas revocat verbo illo: *Vidiſti & lætatus es.* 1. Reg. 19. exultavit univerſa Judæa; quando *egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael cantantes chorosque ducentes & cantantes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18. Nihilominus recreantur & applaudunt SS. Angeli & quaſi epinicium cantantes obviant pœnitenti, cùm ipſe alioquin imbecillis & pumilio reſpectu cacodæmonis, triumphat de ipſo. Certè exhilaramur nos Catholici, quando audimus Eccleſiæ hoſtes à quocumque, qui à parte noſtra ſtet, eſſe depreſſos, tametſi nos ipſi minimè pugnaverimus: quis dubitat hoc idem fieri in cœlo, cùm hoſtis omnium cælitum debellatur & confunditur?

Perſpectis igitur tot rationibus, quibus exhilarantur Angeli, imò totum cœlum ex converſione vel unius peccatoris, videat jam peccator, quanto bono afficere, non jam dico ſe, ſed ipſum cœlum poſſit, ſi reverti ad Deum velit: omnes enim cælitum choros gaudio replebit. Prôh quantus eſt hic ſtimulus feſtinandi ad pœnitentiam! Inter magna Raphaelis beneficia, ſibi & ſuis collata recenſet Tobias & hoc, quod conjugis ſuæ parentibus gaudium crearit, dum ab inſidiis Dæmonum eam liberavit Tob. 12. Prædicabunt etiam in cœlo & ſummis laudibus extollent SS. Angeli peccatorem, ſi agendo pœnitentiam, excitarit ipſis gaudium. Viciſſim ſi nil aliud eſſet, quod gehenna dignum faceret, vel hoc unum eſſet, quod cum facilè poſſet, cœlum lætificare nollet. Benè advertit hoc S. Ambroſius in hoc Evangelium ſcribens: *Hoc quoque*, inquit *proficiat ad incentiva probitatis, ſi unuſquiſque converſionem ſuam gratam fore credat cœtibus Angelorum; quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offenſam. Et tu igitur eſto Angelis lætitia, gaudeant de reditu tuo.*

* * *

THEMA QUARTUM.

Qua ratione sit gaudium in cœlo de uno pœnitente quàm de 99. justis.

I. Propter rei optatæ novam accessionem.
II. Quia lapsi pœnitentes ferè fortiores resurgunt.
III. Quia de præda majori labore parta.
IV. Quia jucundius Deo spectaculum.

I. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore, pœnitentiam agente, quàm super 99. justis, qui non indigent pœnitentia. Luc. 15.

NEscio an non-nemo objectare Christo Domino posset, quod objecit olim Joab Regi Davidi, interitum Absalonis filii inconsolabiliter deploranti, 2. Reg. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* q. d. Videris ô Rex, magis amare rebellem & infensum tibi filium, quàm nos amicos & fideles servos tuos; dum stragem & mortem ejus deploras, cujus vita & victoria, nostra fuisset mors & strages. Posset, inquam, forsitan hoc aliquis objicere Salvatori nostro, cùm audit in hod. Evangelio, reliquisse eum in deserto 99. oves, periculis expositas, & abiisse ad requirendam unam ovem perditam, sua culpa exerrantem. Quid enim hoc sibi vult, quòd unum peccatorem improbum, temerarium, rebellem patri suo, qualis erat Absalon, tanto labore quærat; interim SS. Angelos, vel etiam homines justos deserat, sibi amicos & fideles ac per omnia morigeros? Cur lachrymas alio tempore effundit super civitatem Jerusalem, sibi tam infensam tamque perduellem, obstinatam & cœcatam: interim justos, amicos suos gemere permittit in paupertate, nuditate, tribulatione & persecutione? Quid hoc videtur aliud, quàm diligere odientes se & odio habere diligentes se? Verùm Audit. etsi res hæc mira & stupenda est, Dei tamen clementiam, amorem & benevolentiam erga miseros & aberrantes peccatores adeò deprædicas, ut cum à nobis auditur, omnes una simul in facies nostras cadere & cum Apostolo Paulo dicere deberemus: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus quòd Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* 1. Timoth. 1. Ostendit ergo in hodiernis parabolis suum de converso peccatore gaudium, certa ratione majus esse, quàm quod de justis habet: hoc verò quàm verum sit, nec una de causa, nunc exponemus.

I. *Propter* I. Majus est hoc gaudium propter rei optatæ novam accessionem, quæ parit novum & actua[le] gaudium, quod prius in possessa fuit quasi antiquu[m] & habituale tantum. Ita enim comparati sumus, [ut] bonis recenter acquisitis multò magis delectem[ur] quàm diu jam in potestate habitis. Multis hoc exem[]plis ostendit S. Augustinus l. 8. Confess. c. 3. velut æ[]gri filii, qui cum ex desperata valetudine sanit[ati] restituitur, majus in domo paterna excitat gaudiu[m] quam fuerit in ea prius cum sanus esset: quo mo[do] procul omni dubio in domo Reguli, postquam i[n]sperato & subito filius morbi proximus convalu[it] ingens orta est lætitia, ob quam servi domino su[o] obviam missi sunt ut quamprimum currerent [&] nunciarent illi hoc gaudium. Ioan. 4. Sit filius al[ius] cum parentibus multo tempore in domo pater[na] nunquam aliquo lætitiæ signo excipietur à paren[ti]bus, si forte ex paterna vinea vel agro, vel à foro [re]vertatur in domum; nullum ei convivium instru[u]nt parentes. Verùm abeat procul ad terras exteras, [&] post multos annos revertatur in domum patria[m] postquam ejus reditus ferme desperatus fuit: vi[de]bis quanto plausu, gratulatione & lætitia filius [ex]cipiatur: quàm solemne convivium ipsi appare[tur]. Ita factum cum Tobia juniore, qui dum in pa[terna] domo hæreret, nihil insueti gaudii movebat par[en]tibus: quin imò adeò illis curæ non erat, ut eo u[te]rentur pro tabellario, emittendo foras in long[in]quam regionem pro repetenda non magna pecun[ia]. At verò ubi ille diu valde abfuit adeo ut de ejus [re]ditu fluctuarent jam parentes, dum filius dilec[tus] tanto tempore non comparet: jam tunc illi agr[e]scere, quanto se solatio privarint, nihilque aliud c[o]gitare quàm filii reditum cœperunt. Qui ubi ta[n]dem reversus est, indicibile gaudium in domo ex[ci]tavit: mater ejus à longè filio reduce conspe[cto] *currens nunciavit viro suo dicens: Ecce venit fil[ius] tuus. Consurgens cœcus pater ejus cœpit offendens p[e]dibus currere, & data manu puero, occurrit filio su[o]* quin & ipse canis quoque, *qui simul venerat, in v[ia] præcurrit, & quasi nuncius adventus, blandimen[to] suæ caudæ gaudebat*, ut habet sacer textus Tob. Denique *amplius*, inquit S. Augustinus loco cit. *[a]nima delectatur inventis aut redditis rebus, quas [di]ligit: quam si eas semper habuisset.* Quis dubitat v[i]duam, matrem filii unici defuncti, postquam eu[m] Dominus à morte suscitavit & restituit matri su[æ] centies plus gaudii in animo sensisse, quèm sense[rat] prius cùm bene valentem & viventem in sua dom[o] cerneret? Propterea Dominus in parabola de fil[io] prodigo, quam hod. duabus subjicit, causam gau[dii] paterni de reverso filio hanc adducit fratri eju[s] *Gaudere te oportebat, quia frater tuus hic mortu[us] erat, & revixit: perierat & inventus est.* Quand[o] igitur peccator, in servitute Dæmonis constitutu[s] æternæ perditioni proximus adeoque jam penè d[e]positus, insperato resipiscit & abrumpit vincula, r[e]ditque ad Creatorem & patrem suum, quid miru[m]

ſi in cœlo novum & inſolitum excitetur gaudium, adeoque majus, quàm haberi ſoleat de iis, qui nunquam perierunt? Hinc igitur apparet, quàm ultro & ſapienti conſilio permittat ſubinde Deus aliquos collabi: quò nimirum ex eorum reſurrectione novum & inſuetum tam ipſis quàm toti cœlo reparetur gaudium. Bene igitur D. Ambroſius in Apol. David c.2. ait: *Beatus ille, qui ſe potuerit reparare poſt lapſum. Quoniam poſt mortem quoque reſurgere munus beatorum eſt.* Quare ſicut reſurrectio electorum in die judicii incomparabile & ipſis & toti cœlo afferet gaudium: ita & reſipiſcentia pœnitentis, quæ futuram illam lætitiam jam quaſi inchoat.

II. Majus gaudium eſt, quia lapſi per pœnitentiam fortiores ſæpè reſurgunt, quàm fuerint prius, vel ſint alii nunquam lapſi. Ita hoc gaudium explicat Sanctus Gregorius in hom. ſuper hodiernum Evangelium, quæ eſt 34. *Conſiderandam eſt*, inquit, *fratres mei, cur Dominus plus de converſis peccatoribus quàm de ſtantibus juſtis in cœlo gaudium eſſe fateatur. Vnde hoc, niſi quòd ipſi per quotidianum viſionis experimentum novimus, quia plerumque hi, qui nullis ſe oppreſſos peccatorum molibus ſciunt, ſtant quidem in via juſtitiæ, nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cæleſtem gratiam anxiè non anhelant: & plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia ſecuri ſibi ſunt, quòd nulla commiſerint mala graviora. At contra nonnunquam hi, qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore compuncti, ad amorem Dei inardeſcunt. Et quia erraſſe ſe à DEO conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus compenſant. Majus ergo gaudium ſit in cœlo, quia ut Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam eum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas uberes fructus profert, quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit & nunquam fertilem meſſem produxit.* Ita Sanctus Gregorius. Hoc idem amplius declarat Haymo Epiſcopus Halberſtad. in hodiernum Evangelium his verbis: *Sunt nonnulli, qui poſt adulteria, poſt falſa teſtimonia, poſt cætera facinora peracta, convertuntur ad pœnitentiæ lamentum, carne & vino ſe abſtinent, linum deponunt, pompas iſtius ſæculi relinquunt, ſecreta monaſterii petunt: & in omni oratione ac jejuniorum & vigiliarum obſervantia acriter ſe affligunt, ut veniam à DEO conſequi mereantur. E contra ſunt juſti, qui valde ſecuri ſunt, quia nulla peccata graviora ſe commiſiſſe recognoſcunt, & ideo anxiè ad patriam cæleſtem non anhelant &c.* Typum hujus rei cernimus in Petro & Joanne piſcantibus in mari Tiberiadis. Joannes Chriſtum ad littus ſtantem prior agnoverat, Petrus poſterior: & tamen ad Chriſtum prior pervenit; quia præ nimio Chriſti deſiderio & amore ſe in mare conjecit & natando ad eum contendit: Joannes in navigio hærens poſterior advenit. Petrus, qui paulò antè negaverat ſed culpam acriter defleverat, lapſum pœnitentem deſignat: Joannes, qui non deliquerat, juſtum in DEI gratia ſtantem. Sæpè igitur lapſus adeò fortiter reſurgit & ad Chriſtum totis viribus contendit, ad cœlum quoque anhelat: ut multis paraſangis antevertat eos, qui nunquam ceciderunt. Patet hoc in plurimis, Petro, Paulo, Magdalena, Pelagia, Maria Ægyptiaca, Guilhelmo & aliis. Certè etiam ipſi SS. Angeli ob mundi creationem talia ac tanta lætitiæ indicia nequaquam ediderunt, atque in mundi reparatione & redemptione. Ibi enim in conclavi cœli ſolùm Deo congratulati ſunt, juxta id Job.38. *Vbi eras, cùm me laudarent ſimul aſtra matutina & jubilarent omnes filii DEI?* h. e. Angeli, ut exponit Sanctus Hieronymus. At in mundi reparatione prodierunt foras & cecinerunt carmen: *Gloria in excelſis Deo*; apparuerunt in veſtibus albis & feſtivis, nunciantes Chriſti reſurrectionem & in cœlum ingreſſum &c. qua re ſatis declararunt plus ſibi gaudii acceſſiſſe ex mundo reparato quàm creato: ex novæ legis pœnitentibus, quàm ex juſtis veteris legis torpentibus.

III. *Quia de præda majori labore parta.*

III. Majus gaudium eſt, quia de præda multo & majori labore parta. Propter peccatores enim, qui non ex aliena & originali culpa, ſed ex propria & actuali lapſi ſunt, potiſſimum Dei filius in mundum venit, tantumque in ſatisfactione exceſſum fecit, ut non quocumque opere, ſed pœnali: non uno ſed compluribus doloribus, non levibus ſed atrociſſimis tormentis: non qualicumque, ſed morte crucis peccata eorum redimeret: quod pro juſtis opus non erat. Unde per Iſaiam cap. 43. v. 24 proteſtatur ad populum: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Complutenſis editio legit: *Pro ſcuto me oppoſui iniquitatibus tuis*, q.d. velut ſcutum omnes ictus à divina juſtitia in te vibratos ob peccata tua, ego in me ſuſcepi. Solemus verò ea, quæ majori labore & difficultate acquiſivimus, pluris æſtimare & magis amare. Patet ex Patriarchæ Jacob teſtamento, qui filio ſuo Joſeph dilectiſſimo & de ſe ſuiſque omnium optimè merito, dedit partem unam peculiarem, agrum videlicet Sichem ſeu Sichar, velut majori in pretio à ſe habitum, quia eum primò pecunia emit ab Hemor; Geneſ. 33. verſ. 19. poſtea ab Amorrhæis occupatum (uti valde probabiliter cenſet Pierius & Cornelius cum Andr. Maſio, tametſi id in SS. ſcripturis nòn habeatur) iterum abſtulit ſed manu armata: *Do tibi partem unam extra fratres tuos: Quam tuli*, inquit, *de manu Amorrhæi in gladio meo & arcu.* Gen. 49. ſeptuaginta vertunt: *Do tibi partem eximiam.* Erat ergo hic ager eximius & charus valde Jacobo; quia caro pretio emptus. Hac ratione non difficile intelligimus, peccatores cùm pœnitentiam agunt, majus parare gaudium CHRISTO & cœlitibus; quia plus ipſi laboris crearunt, majorique pretio conſtiterunt: non enim pecunia dumtaxat, h. e. levioribus ſatisfactionis operibus, jejuniis, vigiliis, fatigationibus, humicubationibus, orationibus &c. eos ſibi emit: ſed inſuper etiam gladio & arcu ſanguinem fundendo & crucem perferendo eos, redemit.

mit. Hanc rationem tangit S. Augustinus loco supra cit. lib. 8. Confess. cum illud Christi gaudium de peccatore hoc simili declarat : *Triumphat victor Imperator, & non vicisset, nisi pugnavisset: & quantò majus periculum fuit in prælio, tantò majus est gaudium in triumpho.* Hinc ergo Christus errabundam ovem in suos humeros suscepit, quod aliis ovibus non fecit ; quia propter illam multos difficiles passus fecit, ut indicat S. Hieronymus in Ep. 61. ad Pammachium : *Dei filius*, inquit, *propter unam morbidam ovem, alapas, crucem, flagella sustinuit: & suis humeris portavit ad cœlum, bajulans & patiens delicatam peccatricem.* Denique S. Gregorii celebre verbum est : *Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.*

IV. *Quia jucundius Deo spectaculum*

IV. Majus est gaudium in cœlo peccatorum conversio, quam justorum consistentia ; quia jucundius Deo & cœlitibus præbent spectaculum, quando è captivitate Dæmonis miro vel stratagemate se extricant vel fortitudine eluctantur ; siquidem id difficilius est & majori eget certamine, quam in sua libertate & statione perseverare ; tametsi & hoc suam habet difficultatem, ita & laudem habet. Quemadmodum enim Salomon prius templum brevi tempore & nullo contradicente perfecit, destructum autem propter peccata non nisi 15. postea 46. annis restitutum, inimicis sæpè contradicentibus sed tandem divino favore perfectum fuit : sic multi laboris est, si quis accepta fidei sacramenta peccando contemnit, pristinam restituere dignitatem : longo pœnitentiæ labore abluendus, cujus ablutioni ipsa vitiorum consuetudo, quasi inimica Samaritanorum turba repugnat, tanto ad superandum difficilior, quantò diutius terram cordis virtute vacuam possedit ; inquit Ven. Beda 1. Esdr. Debebant ibi Hebræi una manu trullam, altera gladium tenere, adeoque struere simul & pugnare : debent etiam peccatores omnes adhibere vires, si è peccatis præsertim inveteratis eluctari velint. Cæterum hæc lucta uti difficilis, ita gloriosa est & perjucundum Deo præbet spectaculum ; de quo etiam intelligit Sanctus Bernardus serm. 31. ex parvis, id quod Apostolus 1. Corinth. 4. ait : *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. Ita plenè*, inquit, *& malis & bonis pariter. Illos enim sollicitat invidiæ passio ; istos compassio misericordiæ, ut in nos incessanter intendant : illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Diligenter consideratur utrimque quid agimus : ut imque dicitur : O si ad nos transeat!* Sed imprimis Deus delectatur hoc spectaculo, victoriam peccatoris expectans : quod colligimus ex pœnitentia Achab, qui cum audita Dei in se mortis sententia, scidisset vestimenta sua & operuisset cilicio carnem suam, jejunassetque dormiens in sacco, & ambulasset demisso capite, Deus hoc ejus certamen considerans ait ad Eliam : *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me; quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* 3. Reg. 21. In quæ verba exclamat sanct[...] Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ : *O fœlix pœn[...]tentia, quæ Dei ad se traxit oculos, quæ furentem se[...]tentiam Dei, confesso errore mutavit!* Et cur ait D[...]minus : *Quia humiliatus est mei causa?* nonne poti[...] suiipsius causa, ut veniam a Deo obtineret, humi[...]atum dicemus ? Sed rectius utrumque dicamus ? [...] causa, ut diximus, & Dei causa, ut ipsi jucundu[...] in sua pœnitentia spectaculum exhiberet. Eam [...]nim Christus suum esse cibum asserit, ubi Samari[...]nam ad pœnitentiam adduxit. Ioan. 4. *Meus cib[...]* inquit, *est ut faciam voluntatem patris mei.* Quæ[...] S. Ambrosius ep. 3. lib. 1. *Quæ est voluntas Dei ? [...]ea : cum conversus ingemueris, tunc salvus eris?* Su[...] quidem & animæ justæ gratissimus Dei cibus ; h[...]bent tamen animæ pœnitentum peculiarem qua[...]dam gratiam & gustum, ut sic dicam, in ore De[...] quo modo ferina caro gratior est Principibus, qu[...] domestica, & cur ? nisi quia rarior jucunda[...] veneratione comparata est ? Designatum hoc vi[...]tur in Isaaco, qui amorem suum in Esau magis [...]clinarat, quàm in Iacob. Gen. 25. Eccur verò, cu[...] illè esset asper & horridus, hic verò lævis & g[...]tiosus ? *Eo quod de venationibus illius vesceretur*, [...]quit Scriptura. Non venabatur Isaac, sed gaude[...] tantum venatione filii. Ita etiam Deus delectatur [...] quasi cibatur animabus peccatorum, quando [...] ipsimet capiunt & mactant, occidendo pravas s[...] concupiscentias, castigando delicta in seipsis ; ju[...] id Salvatoris : *Qui amat animam suam, perdet e[...] & qui perdiderit animam suam, in vitam æterna[...] custodit eam.* Hæ sunt venationes, quæ jucundu[...] Deo spectaculum exhibent ; hi cibi, quibus liben[...] vescitur : hæc denique est dulcis Christi sarcina, [...]vicula, inquam, reperta, & humeris ejus gestata [...] cælestem electorum caulam. Quò verò hæc, q[...] diximus, mira & stupenda facilius vobis persuad[...]tis, Auditores, interrogo vos inprimis : Si Deo ga[...]dium non adfert, & quidem maximum, conver[...] peccatorum, ad quid eos plerumque tamdiu to[...]rat, expectat ad pœnitentiam ? imo cur etiam t[...]tur contra invasores, ut Cainum & Lamech ? G[...] 4. Cur de zizanis æquè ac tritico dixit ; *Sinite [...] traque crescere usque ad messem?* Matth. 13. Dein[...] cur obsecro peccatores, toties perduelles & rela[...]sos, quoties in se eversi ad ipsum recurrunt & v[...]niam petunt, recipit in gratiam, vel in uno die se[...]tuagies septies, toties ab illis desertus, repudiat[...] & contemptus, nisi eorum conversionem & salute[...] incredibili siti expeteret ? Quis enim nostrum ill[...] faceret ? quis ab uno semel spretus eum postea [...] amicum recipit ? Nonne rem etiam charam sem[...] petentibus negatam, postea etiam ultro oblata[...] sæpe respuimus ? At non ita agit cum peccato[...] Deus, cujus animam millies petitam & millies n[...]gatam, tandem verò aliquando concessam lætis[...]mo animo suscipit. Deus *enim*, inquit S. Hiero[...]mus in cap. 2. Ioel. *Non humanam imitatur impat[...]entiam, sed longo tempore nostram præstolatur pœn[...]*

te[...]

tentiam. Quin imò *si etiam* 40. *annis in peccatis vixissem*, inquit Ludov. Blosius in append.cap.3. *& tempore resolutionis meæ instante peccata mea purè confessus, cum perfecto amore ex fundo cordis mei saltem spatio unius salutationis sic meipsum in DEUM recipere possem, ut revera totus ad ipsum conversus, & ab omni peccato aversus invenirer: tunc nimirum statut purus atque innocens ex hac luce migrarem.* Denique cur DEUS de cœlo descendit in terram, nisi ut salvaret peccatores? Cur reliquit 99. oves, novem Angelorum choros, ut perditam requireret; cur inventam in humeros sustulit, peccata ejus luendo in corpore suo, si eam non amaret & salvam esse cuperet? *Erat pastoris una ovicula*, inquit Tertullianus l. de pœnitentiâ cap. 8. *sed grex chartor non erat, una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur.* Et cap. 9. *Convivio gaudium suum exornat; filium enim* (prodigum) *invenerat, quem amiserat; chariorem senserat, quem lucrifecerat. Deus ergo te filium suum etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti; magisque de egressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur: sed si pateat ex animo &c.* Quare ad extemum ita peccatorem excitat: *Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari.* Sic ille.

THEMA QUINTUM.

Quo fine Deus accenderit in nobis lucernam conscientiæ.

- I. *Ut instar libri nos doceret quid agendum, quid omittendum.*
- II. *Ut instar pædagogi nos retraheret à malo & impelleret ad bonum.*
- III. *Ut esset actionum nostrarum testis inevitabilis & incorruptibilis.*
- IV. *Ut esset advocatus pauperum contra jus oppressorum.*
- V. *Ut esset accusator prævaricantium.*
- VI. *Ut esset tortor malorum.*

Mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam?
Luc. 15.

QUemadmodum in cœlo, ita & in terra duo luminaria magna, duas lucernas, Dei sapientia accendit: In cœlo Solem & Lunam, in terra legem & conscientiam. Solem accendit ut præesset diei, Lunam ut præesset nocti: Lex data est homini, ut illustraret & dirigeret eum in externis actionibus, velut Sol: conscientia ut internis & occultis ejus actionibus lucem veritatis ostenderet velut Luna. Lex igitur luminare majus & lucerna mundi est: conscientia luminare minus & lucerna mentis est. De priori habemus testem Sapientem Proverb. sexto, vers. vigesimo tertio. *Mandatum lucerna est & lex lux.* De posteriore Psalmistam Psalmo quarto. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nec non sanctum Damascenum, qui conscientiam appellat *lucem mentis nostræ.* Adhæc Beatum Nilum in parænesi scribentem: *Conscientia pro lucerna utere in actionibus. Ea enim quæ in vita bonæ sunt actiones & quæ malæ ostendit.* Cur Dei Sapientia magnum illud lumen accenderit, alibi disseruimus, superest ut inquiramus etiam, cur in nobis accendere voluerit lumen alterum minus, seu lucernam conscientiæ. Ergo hanc accendit: *Suprà, Fer. 3. pent. th. 4.*

I. Ut esset nobis instar libri, docens nos fideliter absque ullo personarum & conditionum respectu, quid agendum, quid fugiendum sit. Alphonsus Aragonum Rex *optimos Consiliarios esse mortuos dicebat; libros videlicet designans, à quibus sine metu, sine gratia quæ nosse cuperet, fideliter audiret*, uti refert Panormitan. libro tertio de dict. & fact. ejus capite primo. Talis est omninò conscientia, velut liber, inquam, cuivis sine omni metu & respectu prima veritatis principia denuncians ac præscribens; unde & *liber* appellatur Apocal. vigesimo, ubi de die judicii & examine ejus dicitur: *Et libri aperti sunt.* Et Daniel. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Quinam verò sint hi libri, explicat mox Joannes, cum addit: *Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum.* In quo verò alio libro, nisi in conscientia cujuscumque descripta sunt opera? Atque hic ipse est lumen & lucerna illa à DEO in nobis accensa, ut demonstret nobis, quid pulchrum, quid fœdum, quid prosequendum, quid fugiendum sit, de quo Psalmo 4. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? signatum est* (Hebr. *expansum est*, velut liber scilicet) *super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Lumen ergo hoc ostendit reddendum unicuique quod suum est, neminem fraudandum, nemini mentiendum, quod tibi non vis fieri, alteri non faciendum, aliaque legis naturalis præcepta, & quid secundum rectam rationem fieri debeat juxta id Isa. 51. *Lex mea in corde eorum*, & Psalmo 36. *Lex Dei ejus in corde ipsius.* Etenim, ut inquit Sanctus Chrysostomus homilia 5. in Genes. *divinæ misericordiæ est, qui hominum generi concessit, ut unicuique nostrum insitum sit indepravabile judicium conscientiæ, habentis inter bonum & malum justum discrimen, id quod potissimum omnem nobis defensionem tollit, quòd non per ignorantiam in peccata incidimus, sed per animæ desidiam & virtutis negligentiam.* Et homilia 12. ad populum. *Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscien-* *I. Ut instar libri nos doceret quid agendum, quid omittendum.*

tiam nobis expreſſit & per ſe diſcibilem conſtituit bonorum & contrariorum ſcientiam. Non enim opus habemus diſcere, quòd malum eſt fornicatio, bonum continentia, ſed ab initio hoc ſcimus, Legislator poſtea leges ferens & dicens : Non occides : non intulit ; malum enim cædes : ſed ſimpliciter, non occides, inquit : prohibuit enim peccatum dumtaxat non docuit. Quare igitur qui dixit ; non occides, non addidit, quod malum cædes ? quoniam præveniens conſcientia nos hoc docuit, & tanquam ſcientibus & intelligentibus ita loquitur Et hom. 13. ſeq. *Sic & adulterium*, ait ; *malum eſſe putamus, & neque hic laboribus & diſciplina nobis eſt opus, ut peccati hujus malitia noſcatur, ſed omnes, in hujuſmodi ſententiis ſumus per nosipſos docti. Et virtutem licet ipſam non obeamus, commendamus: ſicut viciſſim vitium, licet operemur, odimus. Et hoc fuit maximum* Dei *beneficium, ut conſcientiam quidem noſtram & voluntatem, interim & ante actionem virtuti applicaret, impugnari autem ſineret improbitate. Sicut igitur dixi, horum quidem amborum cognitio omnium hominum conſcientiæ inſita eſt, nec ullius indigemus præceptoris ad hæc diſcenda.* Sic Chryſoſtom.

II. *Vt inſtar pædagogi nos retraheret à malo & impelleret ad bonum*

II. Vt eſſet inſtar prædagogi, retrahens nos à peccatis, & impellens ad virtutes : impediens à malo & promovens ad bonum. Ita appellatur ob Origine libro ſecundo in cap, 2. Ep. ad Roman. *Velut pædagogus*, inquit, *animæ quidam ſociatus & rector ut eam de melioribus moneat, vel de culpis caſtiget & arguat.* Et meritò, quia uti prædagogi munus eſt, refrænare puerum ab inhoneſto : ita conſcientiæ munus eſt hominem retrahere & abſterrere à peccato. Unde Lipſii celebre dictum eſt ; *Conſcientia ante peccatum eſt frænum poſt peccatum eſt flagrum*, libro primo Polit. mon. capite quinto. Similiter ſanctus Chryſoſtomus homilia duodecima ad populum, conſcientiam aſſerit eſſe præceptorem à Deo nobis datum, quem etſi alios omnes ſpernamus, effugere non poſſumus. *Multos*, inquit, *& alios præter conſcientiam præceptores nobis Deus propoſuit etenim patres filiis & dominos ſervis, viros uxoribus, & doctores diſcipulis, & legislatores & Iudices ſubditis, & amicos amicis &c. Tot autem Doctores nobis propoſuit, ut facilis nobis utilitatis inventio & reparatio fieret, multitudine ad id compellentium non permittente nos à conferentibus nobis excidere. Etenim ſi parentes contemnamus, Magiſtratus timentes, erimus omninò mitiores. Et ſi illos in peccatis deſpiciamus, nunquam conſcientiæ increpationem effugere poſſumus.* Deprehenderat aliquando David capitalem ſuum inimicum Saulem Regem in ſpelunca, & incitabatur à ſervis ſuis, ut ejus cæde ſe redimeret ab ejus vexatione, allegantibus etiam Dei voluntatem. : *Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis.* Et ſubibat jam cogitatio cædis faciendæ : ſed pædagogus conſcientiæ potior & potentior omni illa ſuggeſtione fuit, repreſſitque Davidem, ne inferret manus Regi. I enim ad ipſum poſtea locutus eſt : *Cogitavi ut o ciderem te : ſed pepercit tibi oculus meus : Dixi enim non extendam manum meam in dominum meum quia Chriſtus Domini eſt.* 1. Regum 24. Qu hic oculus Davidis niſi lumen mentis & conſcie tia ? Ex oculis enim mens interna ſe prodere ſ let ; unde hic ſignum pro ipſa re uſurpatur, qu modo Eccleſiaſtici quadrageſimo octavo dicitur S dies adjeciſſe Regi Ezechiæ ; quia ſignum fuit adject vitæ. Conſcientia igitur fuit, quæ retroegit Da dem, ne Regium ſanguinem effunderet, tametſi h ſtilem. Quinimò cùm ei dumtaxat oram chlamy abſcidiſſet, mox *percuſſit eum cor ſuum* ; quaſi hanc parvam ignominiam inferre Regi non deb iſſet. Vere igitur conſcientia fuit ei in priore ac frænum, in poſteriore flagrum. Hinc præclarè ſa ctus Chryſoſtomus homilia quarta de Lazaro co ſcientiam appellat *ſacram anchoram* ; quia ut a chora navim retinet, ne à ventis abrepta in ſcop los impingnat & mergatur : ita conſcientia retin hominem, ne in præcipitium peccati à paſſionib rapiatur. *Conſcientiæ increpatio*, inquit, *ſacra anchora, non ſinens nos tandem in peccatorum deme gi profundum* Retinuit etiam hæc anchora Ari num quendam adoleſcentem, qui pretio conduct ad tollendum è medio ſanctum Gregorium Naz anzenum, cùm ad ægrotantem irruiſſet, repen ſceleris conſcientia retractus, animum mutavi ut ad ejus pedes cùm lachrymis ſe abjecerit, ve am expoſtùlans ; ut in ejus vita ſcribit Gregor. Pre byt.

III. Ut eſſet actionum noſtrarum teſtis inev tabilis atque incorruptus ; quo nomine à Docto ribus communiter & ſæpiſſimè appellatur, imò dic tur : *Conſcientia mille teſtes.* Sanctus Eligius ho milia. octava : *Abſit*, inquit ; *accuſatrix accuſat* (in examine ſcilicet conſcientiæ) *teſtis conſcienti carnifex timor.* Teſtem incorruptum & inevit bilem aſſerit Sanctus Chryſoſtomus homilia terti de verbis. Iſaiæ. *Quemadmodum*, inquit, *ſeipſum nemo poteſt effugere, ita nec illam ejus curiæ* (conſcientiæ) *ſententiam. Hoc enim tribunal non pecuni corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eò quò divinum eſt & à DEO noſtris impoſitum mentibus* Non eſt igitur opus, ut ab externo arguatur teſte qui ſeipſum ſecum gerit & teſtem & Judicem, adeoque *verum & domeſticum tribunal*, ut ait ſanctus Gregorius Nazianzenus oratione decima quinta Seipſum videt conſcientia, & à ſe ipſa terretur ac contremiſcit velut à carnifice. Unde Sanctus Bernardus libro quinto de Conſideratione capite duodecimo ait *Nullus moleſtior oculus ſuo cujuſque: non eſt aſpectus ſive in cœlo ſive in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit. Non latent tenebræ vel ſeipſas. Se vident, quæ aliud non vident.* Tam potens & irrefragibilis eſt hic teſtis, ut etiam à Gentilibus ſubterfugi non potuerit. Referunt enim Græ-

corum

corum apophtegmata quendam Pythagoricum philoſophum a ſutore emiſſe calceos, & cum paratam non haberet pecuniam ad ſolvendum, oraſſe ſutorem, ut in craſtinum expectaret diem. Quo cùm veniſſet ſatisfacturus, audivit ſutorem interea temporis eſſe defunctum; tacuit igitur debitum & gratulabundus domum rediit, quaſi liber jam à debito. Verùm conſcientia minimè tacebat & abeuntem revocabat ad ſolvendum debitum, velut obligatum, licet nemine onſcio; quare in domum ſutoris rediens & pecuiam injiciens: *Tibi*, inquit, *vivit, qui aliis defunctus ſt*. Quanta vis conſcientiæ etiam in iis, qui luce Eangelii carent!

IV. Ut eſſet aduocatus pauperum, contra jus & is oppreſſorum. Ipſa enim ſi bona & inculpata ſit, a hominem tuetur, ut nihili planè faciat omnes hoiles machinas. *Nihil eſt jucundius*, inquit ſanctus ernardus de inter. domo capite vigeſimo ſecundo: *ihil tutius, nihil ditius bona conſcientia. Premat corpus, abat mundus, terreat Diabolus, illa erit ſecura. Bona nſcientia ſecura erit, cum corpus morietur: ſecura im utraque in die iudicii ante tribunal terrificum jui judicis ſtatuetur*. Et paulò ſuprà appellat eam *temum Salomonis*. Scimus in templo Salomonis, cùm truereretur, malleum & ſecurim non fuiſſe auditam. Regum 6. quia ſcilicet procul inde lapides omnes oliebantur & ligna ſecabantur, Talis machina eſt onſcientia bona, quidquid ſtrepitus & tumultus t, extra eam eſt, non intra. Cum tumultus iquis oritur in civitate, vel hoſtium incurſus inruit, ad templum confugimus, velut ibi aſylum reerturi. Ita cùm orta eſſet ſeditio inter Hebræos, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, Numer. decimo ſexto. Tabernaculum fœderis eſt onſcientia bona, inter ipſam & DEUM erecti, ſecutatem ei præſtans & aſylum, dum ipſa ſibi bene conat. Ad hoc ſe recepêre fratres Joſephi, quando peuniam pro frumento expenſam domi ſuæ iterum reererunt in ſuis ſaccis. Reverſi enim (quod auſi on fuiſſent, ſi furti rei fuiſſent) ad Joſephum, ecuniam retulerunt & diſpenſatori ejus dixerunt: *Non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam in marſpiis noſtris*. Mox enim audierunt: *Pax vobiſcum, olite timere*. Geneſis quadrageſimo tertio. Rurum ſequenti capite, cùm in ſacco Benjamini reperus eſſet ſcyphus Joſephi, nihil metuentes, præteruam ſoli Benjamino, mox reverſi ſunt in oppidum: Benjamin verò cùm eſſet innocens nihil omninò timuit neque ſe verbulo defendit, fretus conſcientia ua. Eo ſe recepit (Iſaiæ trigeſimo octavo) Rex Ezechias denunciata ſibi morte; convertit enim faciem ad parietem, templi videlicet, juxta quod Salomon palatium extruxerat (ut explicat ibi Cornelius) quia æger illuc ire non poterat, & dixit: *Obſecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis egerim*. Ubi ſanctus Hieronimus: *Felix conſcientia*, inquit, *quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur*. Eo confugit Suſanna, quando adulterii falsò accuſata, & omni præſidio innocentiæ ſuæ deſtituta, cum jam duceretur ad pœnas, flens ſuſpexit in cœlum & oravit: DEUS *æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt adverſum me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ iſti malitiosè compoſuerunt adverſum me*. Facta hac oratione & ad DEUM appellatione, reperit aſylum non modò in ſua conſcientia, ſed etiam coram populo advocatum & defenſorem Danielem, qui ejus accuſatores in nequitia deprehendit & damnavit, ipſam vero liberavit.

V. Ut eſſet accuſator prævaricantium & quaſi canis eos allatrans, donec furtum deſerant. Hoc inſinuatum Caino, quando ei dictum à DEO: *Sin autem malè (egeris) ſtatim in foribus peccatum* (hoc eſt, peccati conſcientia) *aderit*. Geneſis quarto, q. d. accubabit velut canis præ foribus alligatus domui, furem allatrans. Porrò canis hic offa medicata minimè ſopitur, ut ſileat & quieſcat, ſed indeſinenter latrat. Unde ſanctus Chryſoſtomus concione quarta de Lazaro ait: DEUS *nobis inſevit conſcientiam, idque quovis patre amantius. Nam pater ubi ſemel, iterum ac tertiò deciesve filium increpaverit: ſi viderit incorrigibilem manere, deſperans abdicat, expellit è familia, à cognatione rejecat. At non eodem modo conſcientia, ſed licet ſemel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tum que non obtemperet, monebit iterum nec deſiſtet uſque ad ſupremum halitum, ſive domi, ſive in bivio, ſive in menſa, ſive in foro, ſive in itinere, frequenter & in ſomnis peccatorum nobis ſimulachra ſpectaque repræſeneat*. Poſtea docet idem ſanctus Pater DEI ſapientia factum, ut non continuò, ſed per intervalla hominem conſcientia objurget, ne is animum deſpondeat, ſed ſubinde relaxatione aliqua reſpiret. *Porrò non tunc ſolùm* (ſubjicit Chryſoſtomus) *cum ipſi peccamus, verùm etiam quum alii committunt eadem, vehementer inſurgit, magnaque contentione nobis acclamat. Num ſcortator, adulter aut fur non modò quum accuſatur ipſe, verùm etiam quum audit alios eadem auſos accuſari, ipſe ſibi videtur flagris cædi, dum increpantur alii, ſuorum admiſſorum reminiſcens; & alius quidem vocatur in jus, hic verò flagellatur, cui nullum crimen intenditur, ſi fuerit eadem auſus*. Quam veritatem miro exemplo, quod ſcribit Majolus tom. tertio, colloc. tertia confirmabimus. Quidam ſervus nomine Pandocheus vehementer efflagitabat connubium filiæ domini ſui, quam ducere non poterat, quia pauper & peregrinus erat: accidit, ut profecturus aliò paterfamilias cum tota domo ſua, hunc reliquerit ſervum, qui venientes hoſpites exciperet: cumque mercator quidam abſente ſene, divertiſſet ad hoſpitium, ubi ipſe ſolus manebat, nocte eum occidit, & in ſtabulo

V. Vt eſſet accuſator prævaricantium.

ſepelivit, equuum vendidit, pecuniam abſtulit & abſcondit; nullus ſcivit, ſecura erat res; rediit dominus; invenit omnia benè diſpoſita, paulò poſt finxit Pandocheus ſe à patre vocatum, licentiam petiit, obtinuit, rediit, ſed dives ita ut gener fieret domini ſui, & hæres (unica enim erat filia) crevit in tantum, ut ad ſenatoriam dignitatem illius civitatis pervenerit, eaque diu perfungeretur: ſed licet foris ſic proſpera cuncta ſuccederent, intus tamen validis dilaniabatur conſcientiæ cruciatibus, ita ut potius mori vellet, quàm ſic vivere. Accidit, ut quadam die aſſiſtere deberet in Senatu, & capitali ſententia juxta leges plectere homicidam quemdam: doluit, timuit, anxiatus eſt, è domo egrediens mandavit uxori: ut ferculum aliquod gratum ſibi appararet, ob moleſtiam, quam patiebatur, non poterat enim aliquid placidè comedere: interea ad Eccleſiam pergit, ſacrum auditurus, rediit domum, ſcit uxorem emiſſe caput vitulinum, quo ipſe delectabatur, pergit ad illud videndum, aſpicit non caput vitulinum ſed hominis mortui; ſtupet, horreſcit, clamat deceptum ſe eſſe ab uxore, inde ad curiam proficiſcitur, cùm judicibus ſedit: cum ordo poſtularet, ut ſententiam diceret, ſtatim ubi ſecundum legis præſcriptum capite mulctandum homicidam pronunciaſſet, aſſurgit eandemque ſententiam de ſeipſo pronuncians, pandens latrocinium, homicidium olim à ſe commiſſum: ſuppliciter petiit ne ſupplicium gravius ſubire cogeretur: erant ex præſentibus, qui melancholiæ illud adſcribebant, quibus ipſe talia affatus eſt: *Scio vos me ſuſpectum non habere, nec ſanè alterius atrocioris ſceleris mihi conſcius ſum, quæſo tamen etiam atque etiam ut juſto capitis ſupplicio affectum ab atrociſſimis iſtis conſcientiæ doloribus, quos multis jam annis ſuſtinui, ſupplicio, quod promeritum ſtatuo, liberetis, efficiatiſque, ut ſatisfiat juſtitiæ Dei.* Quid plura? inventis oſſibus eo loco, quo ipſe mercatorem obtruncaverat, ipſo volente, & petente factum eſt, ut cum altero homicida ſimul decapitaretur. Eſſe verò hunc conſcientiæ latratum opus miſericordiæ divinæ ad retrahendum à ſceleribus ad pœnitentiam peccatorem, oſtendit homilia decima in Geneſ. Chryſoſtomus: *Quaſi Medicus optimus*, inquit, *non ceſſat ſua medicamenta apponere, & ſi ſemel depellatur, neque ſic deſiſtit, ſed continuam curam gerit. Hoc & conſcientiæ opus eſt, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem nos venire: ſed ob oculos proponat, ut vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur.*

VI. *Vt eſſet tortor malorum*

VI. Ut eſſet tortor malorum & carnifex, imò inchoatus quidam infernus. Ita Divus Bernardus ſermone quarto de Aſſumptione Virg. ait: *infernus quidam & carcer animæ reæ conſcientia.* Similiter Sanctus Ambroſius libro primo offic. capite duodecimo. *Ipſam impiorum requiem, dum vivunt, in inferno eſſe*, ait. Sanctus Auguſtinus in Pſalmum quadrageſimum quintum: *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio quàm conſcientia delictorum.* Iſaias capite ſexageſimo ſext & Christus Dominus Marci nono, *vermem* appellant: *Vermis eorum non moritur.* Rationem dat Ambroſius libro ſeptimo in Lucam capite 14 *eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem r ſenſumque compungunt, & quædam exedunt v ſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermes ex un quoque naſcuntur tamquam ex corpore peccator* Carcere moleſtiorem Sanctus Chryſoſtomus ſcribit homilia vigeſima ſecunda de nequitia depu ſa: *Sicuti*, inquit, *qui carcerem inhabitant, c pitis damnati, damnationem operientes & mo tem, vel ſi delitiis abundanter fruantur, vita agunt moleſtiorem & anxiam; ſic qui improba co ſcientia moleſtantur.* Et concione prima de L zaro: *Quin & alioqui antequam illic puniantu jam nunc qui improbè agunt, atque in peccatis v vunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illu menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circumdari ſeric mancipiorum greges circumferre, alios ſubmove in foro, ſed explica mihi iſtius conſcientiam, videbis intus gravem peccatorum tumultum, j gem metum, tempeſtatem, turbationem: vide velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ co ſcendiſſe regalem, & tanquam judicem quempia ſedentem, & cogitationes loco carnificum adh bentem, in oculto ſuſpendentem, lateraque co ſcientiæ radentem ungulis, pro commiſſis vehem ter inclamantem, quum nemo ſciat, niſi qu ſolus DEVS hæc videre noverit. Etenim q committit adulterium, etiamſi millies fuerit div etiamſi nullum habeat accuſatorem: non deſin tamen intus ſeipſum accuſare: & voluptas quide temporaria eſt, dolor verò perpetuus, timor una que ac tremor, ſuſpicio & anxietas, angulos metu umbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, conſci inſcios, illam ipſam quam corrupit & virum que affecit contumelia. obambulat amarum accuſatore circumferens conſcientiam, quum ſit ſuo ipſius jud cio damnatus, nec vel ad breve tempus poſſit reſpir re. Nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequent ſomniis hæc iniquitatis ſimulachra videt, ipſiuſq Cain vitam vivit, gemens ac tremens ſuper terra quum nemo ſciat, intus tamen habet ignem implic tum*, Confirmat hanc doctrinam exemplum quo ſcribit pater Benedictus Fernandius noſter in capu trigeſimum quartum Geneſis ſectione quarta, *Mo riebatur apud nos*, ait, *vir primariæ nobilitatis jamque ſacramentali confeſſione expiatus, divin Euchariſtia paſtus, ſacra demum unctione ad ex tremum luctamen præmunitus, ardentem cereun dextra tenens, inter adſtantium preces, & crebras ſuaviſſimorum nominum* Iesu *&* Mariæ *imploratio-*

ıtiones , oculis jam penè mortuis, vocibus interruptis onuit adstanti Confessario : Sed quid de illa puella? uodicto in æternum conticuit. Videlicet , juvenis pu- llam sed non per vim , plebejam illam quidem , cor- rperat , ac deinde bene dotatam in matrimonium ho- stum locaverat. Et nihilominus hoc unum de cun- is totius vitæ flagitiis moribundum discruciabat ve- ementius. Quid facient sub illam terrorum æquè periculorum horam injusti , violentique pu- laris pudicitiæ prædatores? Denique hoc verme & ortore plexus fuit Absalon , dum in quercu pendu- s diu vivens hæsit, uti vult sanctus Chrysostomus Psalmum septimum. *Absalon*, inquit, *invitus pe- ndit, & non statim de medio sublatus est , sed tan- ıam in judicio diu suspensus est & ligno affixus , & eo è superis ferente sententiam , longo tempore pe- ndit , à conscientia deinceps flagellatus. Ipse enim ıpiebat in patris gulam dexteram intingere : pater ıtem vel sic rogabat milites ei parcere. A vana au- m gloria (quod dixi) erat adeò alienus , ut etiam st mortem eum lugeat. Et ut scias quod factum est, n fuisse humanæ industriæ , sed totum fuisse divini dicii , capilli & lignum eum alligarunt , & bru- ım eum animal tradidit , & pro fune quidem coma, o ligno autem arbor extitit , pro milite autem eum ad- uxit mulus. Considera autem id quod est admirabile, nemo suorum ad eum accedere ausus est , cùm tantum fuisset spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur , nec vinctus ad patrem afferretur , quo- niam paterna viscera ei parci velle ultra modũ indica- verant: & quod est admirabilius, qui patrem ei reconci- liavit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemẽs accusator : sed is quidem eum occidit , Deus autem tulit sententiam.* Sic igitur conscientia , quæ data nobis est ut sit advocatus noster apud Deum pro tuenda causa nostra; si ejus monita non audiamus, fiet nobis carni- fex; quo modo Joab. qui Absalonem prius patroci- nio suo reconciliavit patri, & quidem iteratò: postea contumacem tribus lanceis confodit.

Bene igitur , monuit Dominus Matthæi 5. *Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè adversarius tradat te Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Adversarius hic conscientia est, ut docet auctor quæst. Scripturæ sa- cræ qu. 26. quæ peccantibus se opponit & oblatrat, donec ei consentiamus , & quod illa dictat faciamus; cui nisi consentiamus in hac vita , trahet illa nos ad tribunal Christi, & quæ nobis data à Deo fuit in advocatum, fiet in accusatorem & tor- torem.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

Præstantia & necessitas verbi Dei.
. *Exceptiones ob neglectum verbi Dei refellun- tur.*
I. *Filii hujus sæculi quantum laborent nihil capi- endo.*
V. *Stimuli ad Christianam perfectionem quæren- dam.*
. *Industriæ , quibus multa & magna merita non multo labore comparari queant.*

THEMA I.

Præstantia & necessitas Verbi Dei.

Instar panni vestit & ornat animam.
. *Ditat sicut aurum & argentum.*
. *Cibat animam velut bos assatus , suffertus variis cupediis.*
. *Pabulum est sensuali & corruptæ naturæ.*

Cum turbæ irruerent in Jesum ut audirent verbum Dei, Luc. 5.

QUid est, Auditores , quòd in hodi- erno Evangelio turbæ irruant in Jesum, ut audiant verbum ejus? Tantine est ver- bum Dei , ut pro eo audiendo irruant in ipsum prædicatorem Jesum? & forsi- tan (ut alibi Lucæ duodecimo fecerunt) se invicem conculcent? Si magna & copiosa munera Christus proposuisset: si quemadmodum Imperator in sua in- auguratione facere solet, aureas & argenteas mo- netas in populum sparsisset : si pretiosos pannos , si assatum bovem, si cumulum avenæ diripiendum de- disset ; (hæc enim in prædam dantur adventantibus, pannus in vestem , bos in victum, pecunia in via- ticum, avena in equorum pabulum) non mirarer e- quidem , si talis prædæ gratia se comprimerent & conculcarent. Jam verò nihil tale, sed simplex Dei verbum spargitur à Christo : & ecce irruunt , com- primunt & conculcant se, ut audiant verbum ejus. *Verbum Dei pretiosum donum, non absimile donariis.*

 Quid

quæ ab Imp. coronato in vulgus sparguntur.

Quid si forsan illi oculos habuissent multò illuminatiores quam nos habeamus? Quod si perspexissent verbum Dei habere aliquid simile cum Imperialibus illis donariis, adeoque esse aurum & argentum? esse pannum & vestimentum pretiosum? esse bovem assatum & pabulum necessarium? Ita sanè mihi videtur, quod ut nos etiam videamus, hic adlaborabimus.

I. Instar panni vestit & ornat animam.

I. Est instar panni, quo vestire possumus animas nostras, quod enim de sapientia divina ait Sapiens Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*; hoc idem de verbo Dei, quod affert & gignit illam sapientiam, rectè dici potest. Offert enim homini non unius sed varii generis pannos, unde sibi virtutum vestes honestissimas facere queat. Peccati originalis præcipua pœna fuit, quæ nobis adhuc inhæret, spoliatio justitiæ originalis & virtutum supernaturalium, eam comitantium; quibus sublatis nudi & fœdi remansimus una cum protoplastis, quam ob causam illi se absconderunt & timuerunt Deum adventantem *eò quod nudi essent*; non quia corpore (nam & ante peccatum erant nudi, nec tamen erubuerant) sed quia nudi animo, cui nuditatem & pudorem peccato suo induxerant. Veste igitur gratiæ & virtutum ornatu indigemus miseri. Huic conficiendæ pannos & materiam exhibet Dei verbum, gratis diripiendum. Docet enim nos rectè vivere, docet nos virtutes, & quo pacto eas consequi, ac fugere vitia debeamus; docet nosse & amare Deum, docet viam cœli, in quibus omnibus consistit vera sapientia. Et certè experimur eos, qui crebrò, & attente avidèque audiunt Dei verbum, homines esse pios, justos, compositos, omni virtutum genere ornatos: eos verò qui rarò, vel nunquam audiunt, esse virtutibus nudos, sordibus vitiorum immersos, & ut ait Clemens Alexand. lib. 1. strom. *sues qui magis delectantur luto, quam aqua munda.* Contra verò *qui in verbis veritatis germane & sincere sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cœlum feruntur.* Ratio in promptu est, quia verbum Dei monstrat rationem, quâ vestis virtutum sarta conservetur, lacerata aut fœda resarciatur & eluatur, quod alibi non discitur. Unde quæso fit, ut milites tam perversi, tamque insolentes & in omne vitiorum barathrum tam projecti sint, hoc præsertim tempore? Utique quia nunquam audiunt verbum Dei, nullæ jam iis conciones fiunt, quare nihil de Deo & divinis rebus cùm audiant, quasi athei fiunt. Apparet idem satis luculenter in iis nationibus, in quibus raræ habentur per annum conciones, quòd in iis disciplina Christiana vehementer frigeat; homines efferati sint & ad vitia proni, pervicaces, correctuque difficiles evadant. Sicut econtrà ubi frequentes toto anno fiunt & audiuntur conciones, homines videbis compositos, modestos, mansuetos, tractabiles & Dei timore præditos. Non est hoc commentum, sed Prophetæ Amos vaticinium, imò Dei per os ipsius, cap. 8. dicentis: *Mittam famem in terram: non famem panis, nequ[e] sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Additqu[e] mox effectum hujus famis: *In die illa deficient virgi[nes] pulchræ & adolescentes in siti.* In quæ verba S. Hie[ronymus] ibid. *Deficient*, inquit, *virgines, quia ver[bum] Domini non invenient. Ex quo intelligimus, quan[do] doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, ca[stitatem], mori omnes, abire virtutes, quia non comede[runt] verbum Domini; quod qui comederit, saginat[ur] ejus cibo audiet per Salomonem. Iustus comedens satur[at] animam suam: animæ autem impiorum esurient.* Pr[o]verb. 13. sic ille. Jam verò videmus plerosque corpo[]ris ornatui admodum studere, ut vestibus nitean[t] omniaque ferè membra suum peculiarem & grati[o]sum ornatum habeant, caput elegantem pileum, pileus spiram & plumam, aures suas inaures, co[l]lum torquem, digiti annulos, manus armilla[s], lumbi baltheum, femur gladium, tibiæ ocreas a[ut] tibialia, pedes nitidos calceos, calcei rosas, &c. [A]cur non pari saltem cura studet unusquisque orna[re] animam suam? Ornatum verò illum ubi compar[a]bunt, nisi in verbo Dei? Socrates Xenophontem i[n] quodam angiportu aliquando obvium habuit, & cù[m] videret ipsum adolescentem bonæ indolis esse, po[r]recto baculo vetuit, ne præteriret; cumque il[le] constitisset, rogavit ubi venderentur pulchræ veste[s], pocula aurea & similes merces, quibus homines ute[]rentur. Ad id cùm promptè respondisset Xenopho[n], percontatus est ulterius, ubi homines fierent bon[i]; cùm adolescens responderet, se id nescire; *Me igitu[r] sequere*, inquit, *ut hoc discas.* Ex eo tempore Xenopho[n] factus est discipulus & auditor Socratis. Erasmus lib. [] apoph. Absurdum planè est scire, ubi parare queas ho[]nestam vestem, & ignorare ubi comparare possis ho[]nestam vitam. Absurdius adhuc scire & non quærer[e], cùm passim obvium sit Dei verbum & quibusvis diri[]piendum detur; quo honestatis vestes comparari po[s]sunt non difficilè.

II. Est quasi aurum & argentum in publico di[]spersum. Testatur id Psalm. 11. *Eloquia Domini, e[lo]quia casta, argentum igne examinatum.* Qui aurum & argentum habet, quid in mundo non habet? Qu[i] Dei verbum amant & studiosè audiunt, divites i[n] cœlo & coram Deo fiunt. Inprimis enim paras tib[i] meritum, dum attentè audis. Deinde Dei gratiam, dum tibi applicas, eoque velut aratro cordis tu[i] agrum à noxiis herbis expurgas. Nam, ut ait Auctor operis imperf. homil. 40. in Matth. *Sicut rastro ferreo radicitus evelluntur herbæ à vinea: sic & acri sermone vitia de populo resecantur.* Resecuit hoc rastrum è corde mimi cujusdam vitium luxuriæ; qui cum duabus pellicibus luxuriosè vivens, dum in concione audiit illud unicum: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*; mox immutatus & conversus pellicibus renunciavit, & monasterium ingressus est, cujus exemplo & ipsæ se pœnitentiæ addixerunt. In Prato spirituali cap. 32. *Salix dicitur radicem non habere*, inquit S. Hierony-

ymus in Psal. 136. *sed si ramus absciditur & plan-tur secus aquam, statim virescit. Ita & peccator li-peccaverit, licet ceciderit: tamen si sit secus aquas, est, si legit sacras scripturas & audit verbum divi-à sancto viro, viret ejus anima & in pœniten-n convertitur.* Quis à mimo illo, luxuriæ im-so & omni virtutis radice destituto virorem pœ-ntiæ expectasset? Et tamen ubi ad aquam verbi ni accessit, in momento quasi revixit. Adhæc jam gratia & virtutibus divites sunt, semper di-es fiunt, dum iidem perficiuntur & augmentis ulantur. Hinc idem Chrysostomus homil. 1. de aro ait: Eos, *qui sobrietatem amplectuntur, reddi-m destiores magisque compositos, dum ex oratione ra declaratur, quod optimis ducantur consiliis, qui abducuntur exemplo multitudinis. Non erexi qui-ægrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi fir-res: non abduxit à vitio sermo noster, sed tamen qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentio-* Et in homilia de Anna & Samuelis educatione: *emadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam escit altitudinem: sic & hic divinorum eloquiorum rina assiduè irrigatus ad virtutis fastidium perve-* Cesset pluvia, cesset irrigatio, non crescit arbor, in sua mensura consistet ac demum exarescet. n qui agros tuos aut arbores tuas steriles redde-rugiferas; nonne te ditaret? Rursum qui ex fœ-dis fœcundiores faceret, vel stannea vasa tua in entea, argentea in aurea converteret, non te ditio-redderet? At hoc Dei verbum facit. Denique bum illud thesaurum in cœlo parat; docet enim ias artes illum acquirendi, & qui illud amant liuntque sicut decet, frequenter & cum gustu, umentum præbent se hæredes esse thesauri il-cœlestis. Colligunt id SS. Patres, uti S. Grego-hom. 18. & S. Bernardus serm. 1. in septuag. ex Christi verbo, Joan. 18. *Qui ex Deo est, verba audit.* Sicut enim ovis, quæ audit vocem pasto-& sequitur, secura est à lupo: quæ verò non au-, facilè aberrat & in lupi fauces incurrit: sic & Christi pastoris verbum audiunt, in tuto & sal-nt: qui verò audire detrectant, errant à salutis & in lupum stygium incidunt. Jure igitur sibi erepossunt, qui verbum Dei negligunt, vel per-ctorie tantum audiunt. Audiant illi S. Bernar-n citat 1. serm. in Septuag. *Nonnullos*, ait, *sic in-dum audientes invenies, ac si nihil omninò ad eos ptineant, quæ dicuntur: non intrare cor suum, non utere mores suos, non cogitare, ne fortè quod diunt, dictum sit propter eos. Magis autem si sermo vivus & efficax adversus vitia illa processerit, bus se illi sentiunt obligatos, dissimulant & aver-t oculis cordis, aut qualibet adinventione palli-vitia & seducunt miseri semetipsos. In his ergo sa-s signa non video. Magis autem vereor, ne fortè pterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi Deo.* Sic ille.

III. Est quasi bos assatus, suffertus perdicibus, phasidibus, caponibus, leporibus, nefrendibus & similibus; quia est cibus animæ varius & copiosus. Habemus hoc ab ipso Christo clarè dictum Matth. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* In quæ verba Paschasius Ratbertus lib. 2. in Lament. Jer. in Bibl. SS. PP. ait: *Integer homo ex duabus constat substantiis, anima videlicet atque carne: & sicut caro sine cibo potuque vivere non potest; ita & anima sine pane verbi Dei potuque spirituali.* Cibus hominis non uniformis, sed varius à Deo destinatus est, ne fastidio eum repleret. Dei etiam verbum varias proponit escas & delicias, suffertas variis conceptibus, historiis, dictis sapientum, similitudinibus, quibus appetitus excitetur: singulis concionibus novas & novas, ita ut varietatis finis non sit. Quemadmodum etiam manna omnium escarum*, quas quisque desiderabat, gustum & saporem habebat: ita & verbum Dei ad omnia nobis prodest, & præbet medicinam. Ita enim Origenes hom. 7. in Exod. scribit: *Si tu verbum Dei tota fide & devotione susceperis, fiet tibi ipsum verbum, quæcumque desideras,* v. g. *Si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humilitatum Deus non despicies. Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium, dicens: Lætamini in Domino, & exultate justi. Si iracundus es, mitigat te dicens: Desine ab ira & derelinque furorem. Si in doloribus es, sanat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens; Dominus allevat de terra inopem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris.* Huic accidit S. Basilius, qui homil. 2. de Jejunio, concionem appellat convivium, uti & Eusebius Gallicanus in festo S. Matthæi: *Quoties Episcopi & sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties convivium præparatur, in hoc autem convivio tales potiones taliaque infirmis antidota anteponuntur, quibus cœci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, mortui resuscitantur, omnesque morbi omnesque infirmitates sanantur.* In convivio variæ proponuntur epulæ, ut quisque, quas sibi salutares aut gratas judicat, sumere possit: ita & in concione variæ afferuntur doctrinæ pro cujusque stomacho seligendæ. Nemo tenetur omnia comedere, quæ in convivio apponuntur: sicut nec bovem assatum absumere. Sumat quisque quantum sibi prodest, & capere potest.

Cibat animam velut bos assatus, suffertus variis cupediis.

Quare si quem ipsa honestas & utilitas verbi Dei non alliciat, ipsa saltem jucunditas allicere deberet. Hanc enim sentiens mirabatur David Psal. 118. exclamans: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* non secus ac Hebræi quando primùm manna cœlo lapsum gustantes exclamarunt; *Manhu? quid est hoc?* suavitatem ejus admirati. Verbum Dei cælo delapsum est, & cœlestem adfert dulcedinem, dum auditores ad cœlum dirigit & in via confortat, & demum cælestis gloriæ manna illis promittit. Quid enim dulcius quam audire vocem denunciantem sibi Dei gratiam? Sic enim

Paulus

paulus Act. 20. prædicationes suas appellat *Evangelium gratiæ Dei*; quia scilicet gratiam Dei denunciat hominibus; quemadmodum & ipse facit in omnibus ferè suis Epistolis; *Gratia vobis & à Deo patre, &c.* non à mortali Principe, sed à Deo. Et mirum valdè est, quòd multi tantâ aviditate nova, quæ alibi fiunt, indies legere & audire desiderant, quæ tamen parum aut nihil utilitatis, & sæpè plus mœroris quam gaudii afferunt, sæpissimè conficta sunt: Dei autem verba, quæ simul & jucundam & saluberrimam & verissimam doctrinam continent, in fastidio habent. Ad cantelenam unam, quæ fidibus aut cithara luditur, multi de nocte surgunt, somnum abrumpunt, & ad fenestras currunt. Ad convivium invitati quanto appetitu, quanto desiderio convenitur? Super animæ convivio nauseat anima nostra. Caveamus ne cum Hebræis propterea puniamus.

IV. *Pabulum est sensuali & corruptæ naturæ necessariū.*

IV. Est quasi pabulum depravetæ naturæ necessarium. Homo per peccatum originale bruto & equo similis factus est, tum quoad ignorantiam tum quoad concupiscentiam, quæ instar effrænis equi, perdito aureo justitiæ originalis fræno, rebellis rationi in præcipitia ducit hominem. Quare ad divinam providentiam pertinebat huic malo providere, sicut ex bonitate sua providit hominis fami, siti, nuditati, infirmitati, cibum, potum, vestem, medicinas. Ejus ergo ignorantiæ providit verbum Dei, quo animum dirigere & salutem consequi potest. Sine lumine isto perpetuò erraret, in tenebris ambularet, sine pabulo isto periret. Quemadmodum enim sal necessarius est carnibus enectis ne putrescant: ita verbum Dei hominibus per lapsum Adæ corruptis. Unde Dominus Marci 9. ait: *Habete in vobis sal*, quia uti *conservat sal carnes, sic sermo Doctoris non sinit in hominibus carnalibus inextingu bilem ignem generari*, ait Theophylactus. Homo in statu naturæ lapsæ est velut lac aut sanguis pecorum, vasculo exceptus, qui nisi continuò agitetur; mox coagulatur. Unde Ps. 118. dicitur: *Coagulatum est sicut lac cor eorum.* Propterea licet excōmunicati arceantur à divinis Sacramentis, à verbo tamen Dei minimè arcentur; imò ad id potiùs modis omnibus trahendi sunt, ut eo sanentur. Nimis enim durum foret cibum necessarium talibus prohibere. Sciens hoc humani generis hostis modis omnibus laborat, ut homines à Dei verbo audiendo abstrahat. Fecisse hoc videtur Act. 20. concionante Paulo usque ad mediam noctem; sub quâ oppressus somno adolescens lapsus de fenestra ex cœnaculo, sublatus est mortuus. Auctorem namque ejus tragœdiæ facit Diabolum S. Chrysostomus ibid. Hom. 4.. *Conturbavit festum*, inquit, *Diabolus, quantum potuit, demergens somno auditorem ac deprimens.* Ut scilicet concionem turbaret; uti & factum est. Sanctus Epiphanius, Dorotheus & Chronicum Alexandrinum referunt (apud Sanctium in 2. Reg. cap. 7.) prævidisse Nathan prophetam lapsum Davidis in grave aliquod peccatum, antequam adulterium committeret; quare quàm celerrimè è patria adv lasse Ierosolymam, ut verbo & adhortatione lapsum Regis anteverteret; verùm Belial seu Diab lum objecisse illi in via corpus examine, quod dum sepulturæ, ne à feris devoraretur, manda tempus extraxit. Cùm ergo cognovisset spiritu p phetico flagitium à Davide jam admissum esse, infecta in patriam rediit. Nihil de his sacræ litt habent: videtur tamen non spernenda ob patr illorum auctoritatem hæc narratio, ex qua pa quid non machinetur Dæmon, ut à verbo Dei ho nes avertat, quò in scelera eos præcipitet. Sanè iam Cyrillus Alexandrinus in Ioan. cap. 19. opina Dæmonem post buccellam in ultima cœna intr in Judam, ut cum perurgeret ad surgendum & exe dum è cœnaculo, ne moram ibi diutiùs tahens sermonem Domini, post cœnam habitum, audi resipisceret & proditionis scelus expueret. Quare derint illi, qui destinatâ opera sub concione libro gunt, vel alia agunt, ne attendere cogantur ad verbum. Certè scriptura tales appellat *serpentes furiosos* Psal. 57. *Furor illis secundum similitudi serpentis: sicut aspidis surdæ & obturantis aures s quæ non exaudiet vocem incantantium & venefic cantantis sapienter.* In quem locum S. Augusti ita scribit: *Magus incantat ut educat aspidem de te brosa caverna; utique in lucem vult educere; illa tem amando tenebras suas, quibus se involuta occu re dicitur, quòd exire noluerit, recusans tamen au re illas voces, quibus se cogi sentit allidit unam au terræ, & de cauda obturat alteram, atque ita v illas, quantum potest, evitans non exit ad incant tem. Huic similes dixit spiritus Dei quosdam non dientes verbum Dei, & non solum non audientes, omninò ut non valeant audire, facientes.* Sed qui his serpentibus rependat Deus aliquando vicem claudat aures suas, cùm ipsum invocabunt? C id fecisse refert Iacobus à Vitriaco Card. serm. 1 & ex eo Ioannes Raulinus: fuisse enim virum, verbi Dei auditum pertinaciter fugiebat: eo mor & ad templum delato, cùm sacerdos justa persol re inciperet, imaginem crucifixi manibus è cruce lutis digitisque utramque aurem obturasse; proi ac si diceret: non auditus non audio. Visum id ab mnibus, qui aderant explicuit sacerdos, homin videlicet verbi divini contemptorem fuisse, nec quam persuaderi potuisse, ut Christiano more c ciones frequentaret. Sic velut Dei hostis è templo latus in profana humo defossus fuit.

THEMA SECUNDUM.

Exceptiones ob neglectum verbi Dei refelluntur.

I. *Propter Concionatorem.*
II. Propter Concionem.
III. Ob personam propriam.

Sede

Sedens docebat de navicula turbas.
Luc. 5.

MIratur jure meritò S. Ambrosius lib. 4. in Lucam cap. 5. fervorem illius turbæ, quæ in hod. Evangelio irruit in Dominum, ut audiret verbum ejus. Ita enim ait: *Vesper incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, urgebant: & ideò ascendit in Petri navim.* Poterat hæc turba facilè excipere contra sermonem Domini, ab eoque se subducere, tum quia tempore incommodo, vespertino scilicet, concionem haberet; tum quia in loco minimè sacro, sub dio videlicet, ubi vel Solis æstus audientes vexabat, vel tempestas alia; tum quia ad littus maris, ubi urgente turbâ comprimebantur auditores, quin & in maris undas vi impellebantur: tum denique quia Dominus ex insolita cathedra, fluctuante & vili è navicula verba sacra faciebat. Verùm Audit. nullæ tales exceptiones audiuntur à turba in hod. Evangelio: quin imò è contrario irruebat in Dominum, ut audiret verbum ejus, tametsi non exigua sua incommoditate. Confundit ergo & arguit non paucos nostri temporis tepidos Christianos, qui, ne audiant DEI verbum, non dico ad mare, sed in templis prædicatum, exceptiones afferunt, impedimenta prætendunt, inania plerumque & ficticia. His igitur occurrendum duximus, quod nunc faciemus.

I. Excipiunt aliqui contra Concionatorem. 1. Quia fortè acrior in reprehendendo est. Prætendit hanc causam Achab contra Michæam Prophetam 3. Reg. 22. *Ego odi eum, inquit, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Congregaverat is 400. pseudo-prophetas, qui loquerentur ei placita, ut in prælium descenderet, spe certæ victoriæ, sed deceptus fuit, in prælio occubuit; qui si Michæam audiisset, vixisset. Ingrata sunt lixivia præsertim acria capiti psorâ & scabie pleno, sed tamen necessaria: neque sordidæ patinæ benè abluuntur frigidâ aut tepidâ, sed fervente solùm aquâ. Diabolus est qui suggerit blandos Concionatores, non acres audiendos; quemadmodum Philisthæi caverunt, ne esset faber in Israel, qui posset Hebræis arma cudere, ut sic inermes sub potestate sua continerent 1. Reg. 13. Sed quis ferat, inquiunt, strepitum fabrorum & objurgationem Concionatorum? Sybaritæ illi delicatuli & molles ea infamia adhuc laborant, quòd fabros è civitate sua exturbarint, quò suavius & diutius dormirent: adeoque nec gallorum quidem cantum tolerarint, teste Athenæo lib. 12. qui tamen ob hanc mollitiem pœnas tandem dederunt, quando in equis suis, quos ad tibiam saltare docuerunt, exeuntes in prælium à Crotoniatis, qui tibiis inflatis equos illorum ad saltus provocabant, saltantes cæsi & oppressi sunt, teste Aristotele in eorum Rep. Qui ligna secare vult, securim ferro armatam habere debet; quod si à ligno seu manubrio excidat, nihil jam secare potest. Unde discipulus Elisæi 4. Reg. 6. exiens ad secandum ligna, cùm ei ferrum de securi in aquam delapsum esset, clamavit: *Heu, heu heu Domine*, q. d. quomodo jam ligna secabo, amisso ferramento? Et quomodo dura peccatorum corda findentur ad pœnitentiam, si concio eos non scindat? Quomodo contra hostes se defendent, qui arma non habent, nec periculi sui admoneri volunt? Cùm apud Amyclæos (est id oppidum Italiæ inter Cajetam & Terracinam) subinde nunciaretur hostium adventus, idque falsò, & ob eam rem civitas frequenter inani terrore quassaretur, latâ lege cautum est, ne quis unquam hostis nunciaret adventum. Atqui post evenit, ut jam verè advenirent hostes. Quod cùm nemo nunciaret, propter legis interdictum, civitas de improviso capta est. Qui casus populari joco dedit occasionem, ut dicerent *Amyclas silentio periisse*. Erasm. in Adag. His simillimi sunt delicatuli illi, qui nihil triste, nihil asperum, quo feriantur, audire in concione volunt, sed: *loquimini nobis placentia*, ajunt. Quibus aliquando continget, quod Amyclæis, ut dum ipsi dicunt *pax, pax*: veniat hostis & repentina mors, auferatque imparatos ad DEI tribunal.

2. Quia fortè ipse bonus non est. Sed contra jam armavit nos Christus dicens: *Quæ dicunt, facite; secundum opera verò eorum nolite facere.* Scimus ex Act. cap. 5 etiam umbram Petri, & Act. 19. Semicinctia Pauli sanasse ægrotos. Umbra Petri sunt, qui potestatem quidem Petri habent ad prædicandum, vitam tamen & virtutes sancti Petri non habent. Semicinctia sunt velamina linea vel pellicea, quibus opifices (qualis erat Paulus) pectus & femoralia operiunt; cujusmodi opificibus similes sunt concionatores, qui benè quidem loquuntur, sed non bene operantur, sicque ab anteriori parte velati & muniti sunt, non à tergo. At non impedit hoc, quin & ipsi suis sermonibus peccatores sanare ac convertere queant. Videmus sæpè in hortis magnatum cultioribus aquam limpidissimam ac frigidam effluere è fontanis per capita non tantùm Angelorum & hominum affabrè fictorum, sed etiam per capita serpentum, leonum & aliarum bestiarum, neque propterea inde bibere quis horret. Salubertima est verbi Dei aqua, tametsi quandoque fluat per os impuri prædicatoris. Adhæc nonne sæpè in mediis spinis & vepribus reperiuntur implexæ vites indeque dependentes botri? Et quis propterea eos non decerpit, quia inter spinas pendent; Unde S. August. tract. 46. in Joan. super id: *Nunquid colligunt de spinis uvas?* hac de re ait: *Botrum carpe, spinam cave*, p. q. quando ex ore reprobi prædicatoris audis doctrinam bonam, botrum in spinis vides: carpe botrum, cave spinas. Unde subdit: *Pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum.* Et mox: *Cathedra ergo Moysis vitis erat, Pharisæorum mores spina erant*, doctrina bona per malos, palmes in sepe.

2. Quia fortè non bona vita.

II. Alii prropter concionem, 1. quòd sit nimis longa. Fateor cavendum esse Concionatori, ne nimis diu populum detineat, & horam non excedat, interim si id raro & in serio valde argumento contingat, non ideò concionem statim arguendam censeo. Scio enim Christum subinde etiam diutiùs protraxisse

II. Propter Concionem.

se sermonem, uti illum, quem in monte habuit, relatum à Matthæo, ut arbitror, compendiosè, per tria integra capita, scilicet quintum, sextum, & septimum, & quem post ultimam cœnam habuit, relatum à Joanne per quinque capita, scilicet 13.14.15.16.17. De S. Paulo scribit Lucas Act. 20. quòd aliquando Troade protraxerit sermonem usque in mediam noctem. Quod tamen magno audientium bono & solatio factum fuit. Nam inter concionandum adolescens quidam Eutychus nomine, *sedens super fenestram, cùm mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum & sublatus est mortuus.* Hic puto aliquorum voces tonuisse contra Paulum, quòd longiore sua oratione effecerit, ut hic adolescens somno obrueretur & lapsu vitam amitteret. Verùm expectemus paulum. Descendit enim Paulus & incubuit super mortuum eumque vitæ & sanitati pristinæ restituit, magno omnium solatio & fructu, ad credendum Evangelio; qui sanè non prodiisset, nisi Paulus sermonem tam diu protraxisset. Hinc appositè nomen adolescentis fuit Eutychus, h.e. *bona fortuna*; quia lapsus ipsi & aliis fortunatus fuit. Refertur de sancto Augustino in ejus vita aliquando ex concione præter intentionem ejus producta & in ipso cursu argumento mutato in Manichæos invecta, secutam esse insignem conversionem alicujus negotiatoris Manichæi, nomine Firmi, qui altero die postea ad ejus pedes veniens, errorem deposuit. Ex quo Augustinus intulit sæpè Concionatorem duci à Spiritu sancto ac dirigi præter ejus intentionem, ad dicendum ea, quæ minimè intendit, vel præcogitavit. Testatur etiam Moyses Abbas apud Cassianum collat. 1. c. ult. ex propria experientia quandoque pro merito ac desiderio audientium dici à Concionatoribus, quæ ipsi non intenderant ac præcogitarant, adeò impulsos à Spiritu sancto vel vetitos, prout Act. 16. legimus.

2. *Quod non videatur satis culta.*

2. Alii, quòd non videatur eis culta satis vel docta concio, nihilque novæ doctrinæ afferre. Sed respondetur imprimis non decere ut in templo nova enarrentur, standum potiùs antiquis, juxta id Jerem. 6. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Antiqua ibi potiùs ruminanda & inculcanda sunt. *Nunquam enim nimis dicitur, quod nunquam satis discitur*, ait Seneca epist 27. Non uno statim ictu clavus infigitur, plures addendi sunt: sic etiam veritas peccatoribus præsertim, non primâ statim suasione infunditur. Athenienses carpuntur Act. 17. quòd *ad nihil aliud vacarent nisi aut dicere aut audire aliquid novi.* Interim si quis infaustum aliquid eis nunciasset, eum graviter mulctabant, ut fecerunt tonsori cuidam suo, qui cladem Atheniensium in Sicilia acceptam eis nunciavit. Quia enim triste testimonium tulit & testes non habuit, in rotam eum alligarunt, donec venirent, qui ex clade illa fugerant. Itaque omnes dissipati tonsorem ad rotam reliquerunt. qui tandem à lictore solutus, quæsivit ex eo, quid de Nicia, Duce exercitus, audierit, nam is perierit, ut refert Plut. tract. de Garrulit. Sic contingeret Concionatori, qui nova pro concione diceret: fidem non inveniret, unde quasi ad rotam alligatus, undique traduceretur. Cultus dictionis valde elegans frustra desideratur in concionatore: siquidem nec ipse Paulus *venit in sublimitate sermonis neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, 1. Co. 2. quod etiam demonstrat ex ejus Epistolis, nullâ elegantiâ sed rudi calamo scriptis, Cornelius à Lap. & propterea Christus non sapientes hujus mundi, sed rudes alios elegit in Apostolos, ne virtus Evangelii & conversio mundi tribueretur humanæ sapientiæ. Piscatores etiam hominum voluit eos esse, non culicum & muscarum, quæ retibus capiuntur aranearum subtilibus ac fragilibus. Sublimem dicendi modum in S Chrysostomo correctum à vetula, & correctionem ab eo libenter acceptatam, scimus ex ejus vita.

3. Alii quòd eadem sæpiùs reiterentur & ad nauseam inculcentur. Objectum hoc fuit B. Jordano Ord. Præd. Generali Magistro; qui ad hoc respondit: *Si quispiam bonas herbas legisset, illasque ad pulmentum faciendum accuratè præparasset, essetne conveniens illas projicere & pro aliis colligendis laborare?* In ejus vita apud Sur. 13. Febr. Quæ sæpiùs iterantur, meliùs excocta & præparata sunt, quàm quæ recenter afferuntur: majori igitur in pretio & æstimatione habenda sunt.

III. Aliqui excipiunt ob propriam personam, 1. quidam se jam sat doctos existimant, proinde non egere alio Doctore. Hi tamen scire debent imprimis pisces marinos licet in aquis salsis degant, nihilominus tamen cùm coquuntur, ut fiant sapidi, indigere sale. Deinde pisces multi cùm in aquis nascantur & versentur, tamen sine cœlesti aqua vivere non possunt. Nam ut Aristoteles l. 8. de animal. cap. 19. ait: *Piscium genus maximâ ex parte annuis pluviis vivit: ita enim non modò plus cibi nanciscitur, sed etiam omnino pluvio humore juvatur.* Pari modo qui in humanæ sapientiæ aquis versantur, aquas verbi Dei cœlestes expectent. Hinc Moyses Deut. 32 dixit: *Concrescat ut pluvia doctrina mea.* Isaiæ etiam 55. cap. verbum Dei comparatur imbri. Deinde licet aliqui scientiam & intellectum habeant, non habent tamen rerum expeditam memoriam & promptam voluntatem ad faciendum, quod præcipitur. Adducant ergo ad concionem duas illas sorores suas memoriam & voluntatem. Taceo, quòd aliqui putant se scire, cùm non sciant quæ debent: alios nôrunt, seipsos ignorant. Vidit Nabuchodonosor somnium, & filius ejus Balsasar scripturam in pariete: non tamen intellexerunt; ac licet eis exposita sint à Daniele, adeoque perspecta, non tamen emendârunt se, ut ille eleemosynis redimeret peccata sua, hic verò armis se defenderet & convivium desereret. Quid? ipse David, illuminatissimus propheta, seipsum sine prædicatione Nathan expedire à laqueo peccati non potuit. Divitem, oviculæ raptorem, mox censere & judicare novit: seipsum adulterum & homicidam non agnovit. Non solent neque debent ægroti Medici sibi ipsis mederi;

mederi: ab aliis curandi sunt; quia amore proprio facilè excedimus, nimium indulgendo. Par ratio in cura animæ.

2. Alii de labilitate memoriæ suæ queruntur, quòd non possint retinere ea, quæ dicuntur. Nota est doctrina illa senis cujusdam Abbatis in vitis Pp. l. 3. & 5. apud Rosvveid. qui fratrem conquerentem quòd nil retineret ex audito Dei verbo, jussit è duobus vasis unum aqua implere rursumque evacuare, hocque sæpiùs repetere, denique interrogavit, utrum mundius esset? Illo respondente: vas, cui aqua sæpiùs infusa fuit, mundius esse altero; subjecit Abbas: *Pari modo, etiam tu, licet non retineas audita, purior tamen audiendo evades.* Adhæc tametsi ad tempus è memoria evolent, quæ audita sunt, sæpè tamen in casu necessitatis eadem in memoriam recurrunt & salutare consilium ingerunt; quo modo pincerna Pharaonis ad tempus quidem oblitus fuit Josephi, interpretis somnii sui. At post duos annos ubi audivit Pharaonem quoque somnium vidisse, recordatus est Josephi, Genes. 41. Ita Crœsus Lydorum Rex Solonis concionem (neminem ante mortem dici beatum debere) sprevit & oblitus fuit. At ubi captus à Cyro & pyræ cremandus est impositus, tum illius memor exclamavit: *O Solon!* magno suo bono; nam auditâ exclamationis causâ Cyrus ei vitam donavit. Herod. lib. I.

3. Alii de loco, quòd commodum non habeant, aut sedem paratam. Non videtur hæc querela sufficere coram DEO. Scimus enim in V. T. Hebræos non nisi stantes verbum Dei audivisse, uti Exod. 20. v. 18. Samuel quoque locutus ad populum: *Nunc ergo state*, inquit, *ut judicio contendam adversum vos.* I. Reg. 12. Sic olim Christiani. Unde S. Augustinus serm. 49. de diversis, suos auditores alloquens, *Ut ergo*, inquit, *vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis.* Et homil. 40. inter 50. *Propter eos*, ait, *qui aut pedibus dolent aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paternâ pietate solicitus consilium dedi & quodammodo supplicavi, ut quando aut passiones prolixæ aut certè aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter & cum silentio sedentes attentis auribus audiant.* En Augustinus rogare etiam invalidos debuit, ut ad sedendum se componerent. Denique Optatus Milevitanus lib. 4. contra Parmen. de suo tempore ait: *Populus in Ecclesiâ sedendi non habet potestatem.* Certè ipse Christus Dominus concionem Joannis conferto populo stans audisse videtur. Ita enim Joannes ait: *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis, &c.* Joan. I.

* *
*

THEMA TERTIUM.

Filii hujus sæculi quantum laborent nihil capiendo.

I. *Ambitiosi.*
II. *Superbi alii.*
III. *Avari.*
IV. *Libidinosi.*
V. *Iracundi.*
VI. *Ebriosi & gulæ mancipia.*

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Luc. 5.

Laboriosa est piscatorum ars, non tamen injucunda, quando bene succedit: quæ si nullo fructu fiat, non solùm laboriosa, sed etiam tædiosa & molesta est. Queruntur Christi discipuli in hodierno Evangelio de suscepto piscationis labore, quando nihil ceperunt: sed minimè queruntur, quando rete plenum piscibus attraxerunt. Labor eis jam suavis erat, qui priùs amarus fuerat. Quis autem suavem reddidit, nisi Christi præsentia? quis priorem amarum nisi ejusdem absentia. Quod Petrus ejusque socii egerunt, hoc agunt suo modo omnes mortales. Omnes enim piscantur ut bene beateque habeant; & omnes in eo laborant, boni & mali, qui DEO & qui mundo serviunt. Sed non omnes æquè laborant. Laborant boni, sed cum gaudio, quia fructuosè & cum Christo piscantur, & in die piscantur: laborant etiam mali, sed cum molestia & mœrore, quia sine fructu, utpote sine Christo & noctu piscantur. Dulcis illis labor est, quia per Christum salutaris: amarus verò istis, quia absente Christo inanis. Verùm non videntur piscatores mundi agnoscere labores suos in peccatis suis, quibus operam dant; proinde eis demonstrandos esse duximus.

Plus laborant in peccatis mali, quàm boni in bene agendo.

I. Ambitiosi nonne maximè laborant? Laxant isti retia sua, ut piscentur honores & dignitates, primas sedes & honorum titulos, &c. Sed dum eos capiunt & ad sese trahunt, mirum in modum laborant. Quis enim nescit ambitiosos nunquam quiescere, sed semper ad altiora tendere? atque ubi ad ea perveniunt, sibi metuere? S. Augustinus lib. I. de Civit. ca. I. ait: *Dum dominari appetunt; ipsa eis dominandi libido dominatur.* Non enim patitur eos quiescere, donec depressos videat, à quibus metuit. Patet inprimis in fratribus Josephi, qui cùm ab eo audissent, quòd vel somniasset futurum eum Regem suum, exæstuare cœperunt animis & armare se contra eum, modosque excogitare quomodo eum perderent: *Nunquid Rex noster eris?* inquiunt. *aut subjiciemur ditioni tuæ?* Genes. 37. Fastuosus ille Nabuchodonosor videtat in somnis admirabilem

 quan

quandam statuam, qua significabatur Rex aliquis potentissimus; & inde mox *conterritus est spiritus ejus.* Dan.2. Eccur verò? quia metuebat ne quis alius Rex ipso potentior surrexisset, & proinde non quievit, donec vocaret omnes magos & ariolos, maleficos & Chaldæos, qui ipsi denunciarent, quidnam statua illa foret. Ecce vel in somnis visam unam statuam ferre non potuit, quin totus cohorresceret & undique investigaret, an regni sui æmulum vel insidiatorem indicaret. Eandem ob causam turbatus est Herodes audiens alium Judæorum Regem natum, nec quiescere potuit, donec infantum miserabilem stragem ederet. Quantum laboravit Absalon, ut populum sibi devinciret ejusque favore ad regiam Patris sedem ascenderet? *Manè consurgens stabat juxta introitum portæ*; & salutabat ingredientes, manum eis porrigebat & osculum infigebat; causas quoque eorum audiebat & quasi destitutas Judice dolebat. 2.Reg.15. Quorsum omnia hæc tam operosa? tam Regis filio indigna? ut subditorum suffragium pro sua promotione emendicaret. O *ambitio!* exclamat Sanctus Bernardus l.3. de considerat. ad Evangel cap.1. *quomodo omnes torquens omnibus places? Nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquietat.* Et Sanctus Ambrosius l.4. in Lucam: *Ambitio ut dominetur aliis, priùs servit: curvatur obsequio, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior fit demissior.* Plenius Innocentius Pp. 3 l.2. de contemptu sæculi c.26. *Ambitiosus,* inquit, *humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, visis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit ac amplexatur, applaudit & adulatur. Bene novit illud Poëticum: Etsi nullus erit pulvis, tamen excutit illum. Quorsum hæc omnia? Vt laudetur ab hominibus, & à singulis approbetur.* Quantum laborant alii, ut sponsam sibi acquirant, sua fortuna nobiliorem, quò per eam assurgant ad gradum altiorem, v.g. ut ex Comite fiant Principes! Certè propter hoc præsentissima etiam vitæ discrimina adire sæpè non dubitant, qui honoribus insidiantur. Scimus enim Davidem pro obtinenda Regis filia. ad 100. Philisthinorum præputia comparanda inflammatum fuisse. 1.Reg.18. Othonielem pro Emesenda uxore, filia Calebi, munitissimam urbem Cariathsepher expugnandam aggressum. Jos.15. Quibus addi potest Julianus Apostata, qui cùm lethali vulnere ex telo divinitùs intorto percussus in Perside ad ripam fluminis jaceret, tametsi ob spretam religionem mori se fateretur, consilio tamen cum sacrilegis sacerdotibus habito, se clam in fluvium præcipitem dare voluit, ut divinitùs abreptus in cœlum crederetur: teste Nicephoro l.10.c.37. Taceo alios labores, quibus urgentur ambitiosi in conservandis suis eminentiis.

II. *Superbi alii.*

II. Nihilo minus laborum suscipiunt alii superbi, qui, ut placeant hominibus, corpus adornant. Sunt & isti piscatores, expandentes retia sua ut capiant & attrahant amasios atque amasias. Quid enim illa tot varia corporis ornamenta, nisi totidem retia? sic certè appellat ea Isidorus Pelusiota l.2.ep 289. Neque parum laborant in hac sua piscatione & corporis adornatione. Verè enim dixit Plautus: *Negotii quantum in muliere una est? quæ noctes diesque, omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur.* Gravant sese auro, ut planè incurventur; onerant pedes calceis, ut sine difficultate & lapsus periculo, aut etiam absque succollantium subsidio nequeant incedere: stringunt corpus circulis & arctis adeò thoracibus, ut ægrè spiritum trahant: corpus ipsum pigmentis & lavacris affligunt & enervant: innumera alia fastidia, dum comuntur, pectuntur & vestiuntur, sustinent. Quis hæc laboriosa esse neget? Bene S. Ambrosius l.1. de Virginibus: *Si cervix,* inquit, *premitur si gravatur incessus, nil pretium juvat: nisi quòd vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid interest utrum aliena sententia an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores, quàm qui publicè jure damnantur: quòd illi optant exui, vos ligari.* Optimè profectò; quid enim interest, aureis graveris vinculis an ferreis? Qualia ergo Martyres pro Christi nomine & cœlo pertulere vincula; talia ferunt superbi pro Diaboli obsequio & gehenna. Optimè hic quadrat, quod S. Chrysostomus hom.7. in 1.Epist. ad Timotheum scribit: *Timeamus dilectissimi, ne verba illa terribilia audire contingat: ligate ipsi manus & pedes. Quid hoc tibi infœlix mulier jam conspicaris, manusque & pedes vinciri permittis? Nemo ex vinculatorum numero manus pedesque vincitur. Quid caput etiam obligas? Non sufficit manus pedesque vinxisse? Quid cervicibus quoque innumera imponis vincula? Omitto solicitudinem, quam ista secum invehunt, metum, anxietatem rixasque cum viro aliquando ipsis indigeant, mortem quam sustinent, siquid ex his perire contingat. Haccine obsecro voluptas est? Vt alius oblectetur aspectu, tu teipsam & vinculis & curis atque periculis & angoribus quotidianisque corrixationibus subjicis.* sic ille. Exemplo est Regina Jezabel, quæ ut novi Regis Jehu captaret amorem & benevolentiam, depinxit oculos suo stibio & ornavit caput suum: nihil autem aliud expansis superbiæ retibus cepit, quàm ut præcipitaretur de fenestra & à canibus devoraretur, 4.Reg.9. Sapienter igitur & facetè simul de his talibus Thomas Morus dixit: *Quàm multi in hoc sæculo eo labore infernum mercantur, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent!* Cuidam etiam matronæ, quòd se totos dies ornare consuêsset, fertur dixisse: *Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum rependat, magnâ, me judice, te injuriâ affecerit.* Ut in ejus vita c.12.

III. Avari quantum laborent in piscandis & trahendis ad se pecuniis, prædiis, possessionibus; nemo est qui nesciat. Laxant illi inprimis & expandunt retia sua, quàm possunt latissimè, quasi omnia ad se tracturi, quidquid vicini habent; quemadmodum verba illa Matthæi: *relictis retibus suis*, explicat Albertus Magnus ser. de S. Andrea. *Per rete,* in-

quit

uit, *notatur avaritia, sive rerum concupiscentia; avaritia qu ppe est rete Diaboli, quod expandit super faciem universæ terræ.* Atque hoc videtur esse quod sub typo retium, quæ texunt araneæ, dixit Isaias c. 59 potissimum de avaris & nummorum aucupibus: *Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia & opus iniquitatis in manibus eorum.* Loquitur ad litteram de Hebræis, qui in Babylone constituti varias artes excogitarunt & tetenderunt laqueos, ut pauperes & plebejos caperent, opprimerent ac devorarent. Hoc autem quis magis quàm avari moliuntur. Audite S. Ambrosium in Psalm. 9. *Cùm videris aliquos*, inquit, *studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatibus; affectando decori, dices illud Isaiæ: Telam araneæ texuerunt: quæ diuturna esse non potest &c.* Aranea quanto labore telam suam perficit? centies in gyrum it, & fila ab ore deprompta mirabili industria affigit atque interim se eviscerat, adeoque enervat, ut vel muscam unam capiat. Idem negotium est avari, mundum & nundinas circuire, diu noctuque cogitare & modos excogitare, quibus artibus aliorum & ferè pauperum solùm substantias intercipiat ac devoret. Dat mutuum sub fœnore, paratam offert pecuniam pro ipsorum fundis, premit exactionibus. Sed audiamus de hoc Divum Augustinum in Psal. 126. *Iubet*, inquit, *avaritia, ut mare transeas, & obtemperas: jubet ut te ventis procellisque committas: jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo, quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare. Quia avaritia imperat, servis: quia Deus jubet, odisti.* Deinde, ubi lucra compararunt, non fruuntur illis, sed quandoque etiam necessaria detrahunt ori suo. Quare optimè sanctus Chrysostomus hom. 50. comparat avaros cum iis; qui ad metalla damnati sunt. *Nullum*, inquit, *inde emolumentum, nullas opes consequuntur, sed periculo magno atque detr mento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, de labore & morte, quamplerumque obeunt, ad fructum suum inde convertentes:* Idem in libr. de patientia ostendit exemplo latronum, qui dies noctesque agunt insomnes, degunt in antris; expectant viatores in quavis cœli asperitate, ut transeuntes spolient: certi quasi, se tandem aliquando capiendos & tormentis excruciandos esse. Quæ retia non expandit Dalila Sampsoni, ut argentum sibi à satrapis Philistinorum promissum piscaretur? Blanditiis dilinivit virum vinoque sopitum dormire fecit super genua sua: funes septem à Philisthæis petiit, quibus eum vinxit: crines ejus cum licio plexit, & adacto clavo terræ affixit: denique tonsorem vocavit, qui crines illi abraderet. Iudic. 16. Tantæ molis erat promissum lucrari aurum. Quid dicam de laboribus, quos avari impendunt in opes conservandas, expendendas, augendas? *Has qui habent*, inquit S. Prosper l. 1. de vita contemplat. cap. 13. *sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Bene igitur Sapiens Prov. 23. monuit: *Noli laborare, ut diteris;* quando tot laboribus non parantur nisi labores.

IV. Libidinem sectantes & ipsi expandunt re- IV.
tia, ut fœdissimas carnis suæ capiant voluptates; & Libidino-
quot quantisque laboribus, timoribus, suspicioni- si
bus & curis? *Nam*, ut S. Chrysostomus hom. 3. de Verbis Esaiæ scribit, *quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi judicis ira, ubi gladius & carnifex, ubi barathrũ ac depor[…]o? Omnia pavet metuitque qui talis est, umbras, parietes, ipsos lapides tanquam vocem emittentes omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius si voles, tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum esse flagitium præterquam ipsi uni, & mulieri, quam adulteravit: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accusatricem ubique secum ferens?* Quid enim non laboris suscipiunt, donec optatis potiantur amo ibus? Scimus Sichem illum principis filium, ut, quam rapuerat, Dinam retinere posset, passum esse se cum suis circumcidi. Gen. 34. Scimus Amnon ob incestum sororis amorem contabuisse & macie attenuatum fuisse, morbum simulasse, nihilque non molitum, donec libidinem expleret suam. 2. Reg. 13. Et quis nescit quas non machinas excogi arit, & tentarit David, ut patratum jam adulterii scelus supprimeret, ne patefactum ingenti infamia ipsum aspergeret? Reg. 12. Uriam, cujus uxorem violarat, è castris excivit, convivio excepit, inebriavit, & in domum suam remisit; sed cùm hæc frustrà essent, eum gladio filiorum Amnon exponit & neci dat. *Videte & admiramini fratres*, inquit S. Chrysostomus hom. 1. in Psalm. 50. *quàm malum sit delictis & peccatis obnoxium fieri: Rex militem timet, & formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat, & confessionis opprobria me uebat. Nonne tu Imperator? nonne gladii potestatem habes? Habeo*, inquit, *sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem.* Neque minus patiuntur scortatores alii; quid enim de illis idem S. Doctor scribat, audiamus. *Iam*, inquit hom. 1. in Ep. ad Rom. *quid de scortatoribus dicas? Qui modicam ob voluptatem tantam servitutis turpitudinem, tantũ pecuniarum sustinent sumptum: tum verò terrorem assiduum, breviter vitam Cain vivunt, seu veriùs dicam, illa etiam vita multò duriorem: hinc præsentia pertimescentes, illinc futura formidantes, & amicos & inimicos, & conscios & minimè conscios suspectos habentes: à qua quidem solicitudine & anxietate, somnum quidem dum capiunt, eximuntur: somnia diversis timoribus plena identidem illis alternante ac renovante conscientia, sicque illos territante.*

V. Iracundi quoque habent suos non exiguos V.
labores & discrimina vitæ, curis & anxietatibus
plena. Laxantisti retia sua, ut capiant & in potesta- Iracundi.

tem suam redigant inimicos suos. Sed quantæ molis & discriminis est hoc effectui dare? Pisces quidem dum capiuntur, nesciunt resistere, at verò inimici nostri armant se contra nos, si eos capere velimus. Quare iracundi magis venatores quàm piscatores esse videntur. Venatores enim armati sclopis & venabulis adoriuntur feras, præsertim sævas & armatas, à quibus ipsi capi & mactari possunt: adhibent in auxilium molossos, clamores cient & terrores. Non aliter iracundi & vindictæ cupidi, arma enim expediunt & circumferunt, alios ad tuendas partes suas sibi sociant & velut canes venaticos ad inimicum allatrandum incitant: quo modo Eudoxia Imperatrix trahere ad se conata est Episcopos, ut una secum persequerentur S. Chrysostomum, cui infensa erat. Exemplo est Rex Saul, qui cùm odio haberet Davidem, quid non laborum suscepit, ut è medio eum tolleret? Investigavit eum non semel per altissimos montes & abruptissimas petras, solis ibicibus pervias: ingressus est speluncas: oberrans cum 3000. virorum velut venator unam perdicem aut feram quærens: nec tamen quod quæsivit, invenit; sed ipse potiùs bis in manus Davidis incidit, ingenti suo pudore ac periculo. Denique cum iram suam exerunt aut vindictam sumunt, quales ibi clamores? quæ spumationes! quæ cordis & faciei inflammatio! quæ formido! qui conflictus! Quis labores hos suscipere vel pro grandi oblata mercede vellet? Quare de his propriè dictum videtur Psal. 7. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Cætera enim peccata concipiuntur & patrantur cum aliqua voluptate, tametsi post se relinquunt aculeum & dolorem: ab ira & vindicta etiam cum dolore & cruciatu concipiuntur ac perpetrantur. Unde in eum psalmi versiculum ait Divus Chrysostomus: *Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere; vide quot mala patiatur: furore repletur ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur: invadit timor, pavor ac tremor; quomodo offendet, quomodo rem perficiet; & ante eum, quem est injuria affecturus, seipsum perdit. Qui autem iram expulit, ab his omnibus liber est, & jure certè &c.* Et mox: *Vides quàm res sit facilis virtus, difficilis autem vitium: quemadmodum illa quidem est tranquilla, hoc verò turba & tumultu refertum! Hoc ergo describens dicebat Propheta: Ecce parturiit injustiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Confirmat idem homil. 20 in Matth. *Quis enim labor est*, inquit, *fratri indulgere conturbanti? Labor quidem in remittendo nullus, in retinendo verò inimicitias maximus. Siquidem iracundia liberari magnam menti reddit quietem, & valdè hoc est facilè volenti.* Denique de iracundis ait Eliphaz: *Verè stultum interficit iracundia* Job. 5. h. e. jugulat: conficit, cruciat, mactat. Sensit hoc Saul, infensus Davidi. Sensit Antiochus infensus Hebræis. Sensit Herodes Christo infensus.

VI. Ebriosi & gulæ mancipia piscantur ca[...] tharos & patinas; ad hæc capienda laxant quasi re[...] tia, ventres & abdomina sua; nec tamen sine labor[...] eoque multiplici. Laborant inprimis se ingurg[...] tando supra appetitum imò ad nauseam, atque ut ap[...] petitum heluandi instaurent, vomunt cum molest[...] & cruciatu, salsiuscula comedunt, quæ eunde[...] acuant; ut postea rursum vomant; atque ita m[...] lam istam velut equi aut mancipia vertunt & tr[...] hunt. Unde Plutarchus in lib. de præcept. salut[...] ait: *Vulgus hominum, qui vacationis gratia i[...] plent corpus & vice versa explendi gratia invi[...] natura evacuant, ingluvie non minus, quàm in[...] nitate torquentur; imò verò tanquam deliciaru[...] vinculo gravantur ingluvie: inanitatem semper [...] locum voluptatibus machinantur.* Cruciantur erg[...] siti & fame cùm inanes sunt: cruciantur, cùm r[...] pleti sunt, ut difficilè respirent, difficilius se ev[...] cuent. *Vocem amittunt*, ait Divus Ambrosius [...] Elia & jejun. *colore variantur, oculis ignescunt, o[...] anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, se[...] su excedunt.* Et quæ non pericula incurrunt in ip[...] ebrietate? Et postea quas molestias, debilitat[...] & morbos? Verè Sapiens Proverb. 26. *Quomodo [...] spinas nascatur in manu ebriosi.* Septuaginta l[...] gunt: *Spinæ nascuntur in manu temulenti*; quia su[...] vulnerantur poculis, ut explicat D. Ambrosius lib.[...] Ep. 7. quoties ergo poculum ori admoves, toties ti[...] spinas infigis.

THEMA IV.

Stimuli ad perfectionem quærendam.

1. *Exigit perfectionem à nobis natura.*
2. *Eamdem exigit Deus.*
3. *Exigit Christus.*
4. *Exigunt majores nostri, primi Christiani.*
5. *Exigimus nos ab aliis.*

Duc in altum & laxate retia vestra in capturam. Luc. 5.

Videor mihi in hod. Evangelio videre typum quemdam status civitatis nostræ: & quidem in Christo Domino, qui primò stabat secus stagnum Genesareth in terra; sed quia ibi plebs obruebat illum, ut persistere non posset, inscendit in naviculam Petri, petiitque eam à terra reduci pusillum, & inde docuit plebem. Denique in altum mare duci jussit, ubi non solum piscium multitudinem, sed & Petrum ac socios cepit, & discipulos suos effecit. Civitas hæc nostra ante 50. annos quo loco steterit, nostis vel audistis: in compressione nimirum hæreticorum, qui eam ita presserunt, ut planè opprimere

velle

esse viderentur. Ergo per Dei gratiam mutavit
atum & inscendit in naviculam Petri, adeoque à
urba illa hæresios & vitiorum abducta est: sed quid
adhuc pusillum? Infirmi adhuc multi sumus, ne-
ue adeò in virtutibus solidati; spectant adhucali-
ui è propinquo terram & terrena bona. Quid igi-
ur? ad tertium locum cum Christo pergendum est:
uc in altum: ad perfectionem. Voluit Christus
cum in altum duci quotquot in navi erant, nemi-
em excepit: similiter vult nos omnes ad perfectio-
em tendere. Ita enim ipse ad omnes dixit Matth.
Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœle-
is. Ita docuit & Petrus in epist. 1. capite 1. *Et ipsi in*
mni conversatione sancti sitis, quoniam ego sanctus
m. Ita & Jacobus capite primo. *Vt sitis perfecti & in-*
gri, in nullo deficientes. Verùm huic doctrinæ contra-
cunt multi, qui putant sibi ad perfectionem minimè
onnitendum esse, sufficere sibi stare in medio vel
no gradu; qui sane non parum errant, siquidem
erfectionem exigunt à nobis multi, ut videbi-
us.

I. Ergo conatum ad perfectionem exigit à nobis
sa natura; in qua videmus omnia viventia crescere
proficere cum ætate: plantas, bestias, hominem
oad vires ad staturam corporis; cur ergo non etiam
escat secundùm animam? Ac licet aliqua horum ter-
inum habeant; propter defectum nutrimenti, homo
men secundùm animæ incrementum, terminum
on habet, sed tota vita crescere in virtute debet;
uo modò crocodilli tota vita crescunt, teste Plinio
bro octavo capite vigesimo quinto & pisces maris;
uia pabulo abundant, teste eodem libro nono capite
ecimo quinto & Aristotele libro sexto animaliũ cap.
ecimo septimo. His ergo similes esse homines, juxta id
labacuc 1. *Facies homines pisces maris.*; adeoque sem-
er crescere debent, donec mortis sagena conclusi e-
ucantur ad alterum sæculum.

Ratio est primò, quia tota vita nostra cursus est ad
ravium: finis hujus cursus mors est. *Dies nostri,* ait
David 1. Paral. 29. *quasi umbra super terram, & nulla*
t mora. Umbra una cum cœlo semper promovetur,
unquam stat: sic se habeat cursus hujus vitæ ad al-
eram beatam, nullam admittat moram: semper in
notu sit ad majorem & majorem consequendam per-
ectionem.

2. Quia nisi proficiamus, mox incipimus deficere:
isi in altum perfectionis ducamus, ad imum defectio-
is relabemur. Qui enim non proficit, deficit, teste san-
to Gregorio 3. parte pastoralium. capite trigesimo
quinto *In hoc quippe mundo,* inquit, *humana natura*
quasi more navis contra ictum fluminis condescenden-
is, uno in loco nequaquam stare permittitur: quia ad
ima relabitur, nisi ad summa conetur. Idem ostendit
sanctus Bernardus epist, 91. ad Abbates, ex visione sca-
æ Iacob, in qua Angeli vel ascendebant vel descen-
debant, nulli stabant. Ratio est quia natura nostra
per originalis peccati labem ad peccatum inclinata
est; unde nisi perpetuò ad virtutem incitetur, sua-
ptè fragilitate paulatim cadit & desinit. Similiter
qui artem aliquam seu linguam addidicit; is aut pro-
ficiet in ea aut deficiet; si enim crebrò eam exerceat,
verbi gratia organicen, aut linguam, quam didicit,
exteram, in ea se perficiet: si non exerceat, sensim ob-
liviscetur.

II. Progressum ad perfectionem exigit à nobis II.
Deus: neque à solis sacerdotibus aut religiosis, sed Exigit
etiam à sæcularibus, uti supra audivimus. *Fallis teip-* Deus.
sum prorsus, inquit Divus Chrysostomus libro ter-
tio contra vitæ monasticæ vituperatores, *& deci-*
pis, si putas aliud à sæcularibus viris, aliud à Mona-
chis requiri. Desiderat enim pater omnes filios sibi
habere similes; suamque in illis speciem intueri, juxta
id Levitici vigesimo primo *Sancti estote, quia ego san-*
ctus sum. Scimus etiam Deum Abrahæ adhuc in vete-
ri illo & rudi legis statu dixisse.: *Ambula coram me &*
esto perfectus. Genes. 17. Probavit eum etiam in mul-
tis, quæ sunt maximæ perfectionis, uti in deserenda
patria, in immolando filio. Et cur ab Abrahamo per-
fectionem exigat, non exigat à Christiano? Nos cer-
tè Christiani peculiari ratione *filii Dei nominamur &*
sumus primo Joannes tertio. Quis autem nescit quòd
parentes optent tales habere filios, qui cum ætate
crescant in scientiis, virtutibus, rerum experientia?
Ideò enim constituunt eis pædagogos, mittunt eos
ad scholas, exteras provincias, Principum aulas, ut
acquirant filios omni scientia & virtute excultissi-
mos. Et quàm ægrè ferunt, si filii in scholis nihil
planè proficiant & stolones domum redeant! Quid
miramur ergo si & Deus velit habere tales? Et hinc
utique toties & tamdiu nos flagellis suis castigat;
ut vel his verberibus compellat progredi à tepo-
re ad fervorem & virtutem. Quid enim sibi vult a-
rator, cùm arantes boves à tergo sequens stimulis
exagitat, nisi quia ignavos gressum accelerare cu-
pit? Et cur Balaam ille asinam suam tam instanter
verberibus objurgavit, nisi quia illa pergere non vo-
luit?

III. Eundem à nobis exigit Christus, Matthæi III.
quinto dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater* Exigit
vester cœlestis perfectus est. Qui etiam propterea tanto Christus.
nos pretio redemit, & , ut ait Apostolus ad Ephe-
seos quinto. *Dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro*
ea. ut illum sanctificaret & exhiberet ipse sibi gloriosam
Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut a-
liquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.
En qualem nitorem desiderat, in nobis Christus? qua-
lem scilicet sponsus desiderat in spõsa, & quæ respon-
deat pretio, quod pro ea emenda dedit. Sibi enim
vult eam placere, non aliis. Isaias capite quinto asse-
rit Ecclesiam à Christo plantatam veluti vineam, o-
mnibus necessariis instructam. Verum cùm expectas-
set ab ea fructum maturum & vinum generosum, de-
prehendit labruscas tantum, id est, uvas immaturas
& acerbas. Quare indignatus vineæ, statuit eam
vastare. De synagoga quidem hoc ad litteram dici-
tur. Sed quid si etiam quadret nobis? Libro 3. Reg.
capite 9. legimus quantum contulerit Hiram, Rex
Tyri, Salomoni ad structuram templi; nempè ligna
cedri-

cedrina & abiegna per 20. annos, à suis cæsa & deposita, quotquot habuit necessaria; insuper & 120. talenta auri. 3. Regum cap. 9. quæ sanè ingentem conficiunt summam, qualiacumque tandem ea talenta fuerint. Sed cùm Salomon pro tanto auro & 20. annorum operis ac lignis non daret ei in compensationem nisi 20. oppida vilia & sterilia: contemplatus ea Rex Hiram, indignè tulit, dicens: *Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* q. d. suntne hæ civitates datæ à fratre pro tanto subsidio? atque ut Josephus scribit suas sibi Salomonem habere jussit, appellavitque *terram Chabul*, hoc est, *lutosam*, seu ut alii volunt, *arenosam*. Quid verò, putamus, contulit nobis Christus, ut templum cœlestis gloriæ nobis extrueret? nonne 33. annis pro eo ipse laboravit? nonne sanguinem suum dedit & in ligno vitam? Jam si pro tanto labore & pretio demus ipsi *terram Chabul*, animas nostras steriles, *lutosas & arenosas*: an non meritò indignetur? an non eas repudiabit?

IV. *Exigunt maiores nostri primi Christiani.*

IV. Exigunt majores nostri, primi Christiani, qui in omni sanctitate & justitia vixerunt & omnium virtutum admiranda exempla nobis reliquerunt. Gloriati sunt Hebræi de Abraham patre suo sanctissimo. Sed à Christo audierunt: *Si Abrahæ filii estis, opera Abrahæ facite.* Joan 8. Hoc argumento Tobias cœcitatem suam consolatus patienter tulit, cùm amici ei insultarent, quasi frustra Deo serviisset: *Nolite ita loqui*, inquit, *quoniam filii sanctorum sumus.* Tob. 2. Eodem Mathatias moriens animavit filios suos ad tutandam contra Gentiles religionem suam. *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis, gloriam magnam & nomen æternum.* 1. Mach. 2. Idem nobis dictum putemus. *Filii enim sanctorum sumus*: filii S. Bonifacii, Ruperti, Kiliani, Wilibaldi, Udalrici, Ottonis, Wolfgangi, Corbiniani, &c. qui fidem Christi Germaniæ intulerunt, adeoque patres nostri sunt. Quales porrò illi viri fuerunt! quam sancti! quàm perfecti! Lamentatur Isaias in oratione Hebræos sui temporis adeò degenerasse à majoribus suis, ut planè ab eis non agnoscerentur ampliùs, dum ait: *Abraham nescivit nos & Israel ignoravit nos.* Isa. 63. quia cùm filii à patribus degeneres facti sint suam similitudinem in eis non inveniunt, sed exosos Deo vident, ut exponit ibi sanctus Hieronymus. Idem contingit sensim Christianis, & magis apparebit postremis temporibus. Idcircò enim dicitur Elias tunc venturus, ut sua prædicatione convertat cor patrum in filios, Malach. 4. effecturus nimirum sua prædicatione ut Judæi residui ad Christum convertantur, adeoque digni fiant amore majorum suorum, fidelium & sanctorum; quod etiam de Christianis tepidis, qui eo tempore futuri sunt, non temere dictum putamus.

V. *Exigimus nos ab aliis.*

V. Denique ipsi nos exigimus ab aliis ut nobis bene & exactè omnia nostra peragant, veluti ab opificibus, ut nobis optimas vestes, calceos, domos faciant: agros & vineas pulcherrimè colant. Hinc quærimus tales artifices, qui artem suam optim calleant & studiosè impendant, Medicos, Chirurgos, Advocatos non nisi peritissimos & optimos i quirimus. Similiter & famulos volumus habere fideles, celeres, peritos, omnique virtute prædito: Memini mihi dictum à Domino quodam se vel habere pædagogum filio suo omni virtute instructum, omni vitio carentem. Quid mirum ergo tales nos velit habere servos Deus? Audite qual regni gubernatores Regi suo adolescentulo adju gi petierunt Cathalani: *Constitui volumus*, inqu unt, *septem viros, qui Deum timeant, justitiam c lant, cupiditates suas sub fræno teneant, neque don ac muneribus moveantur.* Panorm. l. 4. de reb. Alp Ecce quales & quam omni ex parte perfectos requ runt isti populi administros Regni! Quin & artific bus, Medicis, Chirurgis, Advocatis, qui nobis subjec non sunt, indignamur, quando non reperiuntur ta periti, quales desideramus. Quanto æquius indignab tur Deus servis sibi subjectis, si in fide & charitat adeoque in vita Christiana imperfecti sint?

Adhæc mundi sectatores semper proficere & lios præcellere opibus & honoribus conantur. M les qui vexillifer evasit, ad Capitaneatum aspira inde Colonellus appetit fieri, inde supremus mil tiæ Dux. Denique videmus non nisi illos celebr ri, diligi ac provehi, qui in arte sua, qualiscumqu ea sit, valdè excellunt: reliquos non æstimari. T les Deus desiderat, Eccles. 33. *In omnibus operib tuis præcellens esto.* Sanctus Gregorius Nazianzen epist. ad Eudoxium ait: *Ne sustineas inter gracul excellere, cum aquila esse possis.* Aquilas desider Deus, juxta id: *Vbi est corpus, ibi congregabuntur e aquilæ*, id est, sancti ad Christum Judicem. Et c adeò pertinaci studio prosequimur bona, quæ ret nere non possumus, cætera vero non curamus? cu non potius magni & opulenti esse cupimus in cœlo Ergo cum Carolo V. dicamus: *Plus ultra*; & cum Do mino nostro: *Duc in altum.* Ibi capturam faciemu immensam. Quantum dolebunt ibi, qui hic perfect esse non laborarunt: Ergo laxate, laxate, quantum po testis, retia vestra in capturam.

THEMA QUINTUM.

Industriæ quibus multa & magna merita non multo labore comparari queant.

1. *Si sponte & hilariter quæ agenda sunt agamus.*
2. *Si cum magna charitate bene operemur.*
3. *Si ex pluribus virtutum motibus opus bonum perficiamus.*
4. *Si heroica patremus opera.*
5. *Si quæ agimus, exactè faciamus.*
6. *Si palam faciamus, quæ ad ædificationem spectant.*
7. *Si omnia opera ad Dei gloriam dirigamus.*

Cum

Cum hoc feciſſent concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Lucæ cap. 5.

ALexander M. rogatus aliquando, qua tandem ratione tot hoſtes & nationes tam brevi temporis ſpatio in poteſtatem ſuam redegiſſet ſibique ſubjeciſſet, reſpondit: *Conſilio, eloquentia & arte imperatoria.* Ita refert Stobæus ſer. 54. In hod. Evangelio audimus Chriſtum Dominum innumeram piſcium copiam in rete coegiſſe ſuo imperio. Quod ſi quis eum rogaſſet, qua ratione id effeciſſet, maximè cum Petrus tota nocte laborans nihil omninò ceperit: non abſimile, arbitror, reſponſum dediſſet: *Conſilio, eloquentia, & arte imperatoria.* Conſilio, ſuadendo Petro, ut in altum duceret: eloquentia, perſuadendo piſcatoribus, ut in ipſius nomine jactum tentarent & laxarent retia in capturam: arte imperatoria, imperando piſcibus poteſtate ſua divina, ut in retia confluerent. Miram hanc piſcandi artem forſitan & vos Auditores noſſe deſideratis. Sed quid magni eritis, ſi piſcatores fueritis, & nihil niſi piſces quantocumque numero ceperitis? Quid inde in altera vita lucri reportabitis? De his enim Iſaias cap. 19. ait: *Mærebunt piſcatores & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent. Quare æmulamini chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis* (1. Cor. 12.) Retia veſtra in cœlum mittite, & virtutum merita copioſa, eaque paucis jactibus & exiguo labore vobis comparate; quibus in cœlo divites & beati ſitis. At unde nobis, dicetis, hæc induſtria? Docebit vos hanc Dominus in hod. Evangelio, proponendo quaſi typum vobis piſcationem Petri.

I. Si quæ facimus, ſponte & hilariter, non coactè & ægrè faciamus. Tali promptitudine perfeciſſe opera ſua comprobatur Sponſa ex eo, quod ait Cantic. 5. *Manus mea diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Probatiſſima hæc, ſeu, ut alibi vocatur, mirrha *prima*, eſt quæ ſponte ſua fluit ex frutice: ſecunda eſt, quæ ex inciſa adeoque coactè defluit. Illius libra una præſtat duabus vel tribus myrrhæ ſecundæ. Indicat ergo opera bona, quæ impulſu amoris ultro & cum gaudio fiunt: quorum unum tale plus meretur, quam plurima alia, quæ ab invito patrantur. Luculenter id oſtendit S. Ambroſius ſerm. 14. in Pſal. 118. ex eo quod dicitur Pſalm. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi,* ait enim: *Expectat Dominus voluntarios miniſtros. In Iſaiæ libro dicit Dominus capi 6. Quem mittam? utique ſervulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, invenerat. Sed maluit eum ſpontaneæ oblationis non fraudere mercede, qui ut ipſe ſe offerret, praſtolatus eſt. Et quamvis ſciret ejus affectum, expectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam ſe offerens. Unde Iſaias miſſus eſt ad populum. Ideo de eo dictum eſt: Quia Iſaias audet & dicit. Etenim quaſi voluntarium organum uberiore ſpiritus ſui gratia Chriſtus implevit.* Hanc ob cauſam etiam Dominus cum poſſet imperare Petro, ut navim à terra reduceret; vel hoc ipſemet uno nutu facere, noluit tamen; ſed rogare potius voluit Petrum, ut abduceret cymbam; quo doceret, opera, quæ voluntariè & libenti animo fiunt, ipſi maximè placere: non amari, quæ vi quadam extorquentur. Quia verò ea, quæ ex obedientia fiunt eadem cum promptitudine, non modò non imminuunt meritum, ſed adaugent: idcircò poſtea imperare aliquid Petro voluit, ut duceret in altum. Quare ſi ex Superiorum obedientia prompto animo faciamus imperata, non ex propria electione, conduplicamus meritum, addendo bono operi, quod peragimus, etiam opus obedientiæ. Quemadmodum enim mater Moyſis, Iochabed, non tantum recepit filium, ex aquis extractum, aluit & educavit velut ſuum (quod aliàs libentiſſimè velut mater gratis ei præſtitiſſet) ſed etiam velut alienum, mercede ad hoc conducta à filia Pharaonis, adeoque duplex lucrum ex uno collegit opere. Exod. 2. ita qui opus bonum peragit, non modò libens volens, ſed inſuper ex voluntate Superiorum, duplex meritum reportat; operis nimirum per ſe boni, & obedientiæ. Atque hac de cauſa Petrus tam copioſam concluſit piſcium multitudinem Domino remunerante tam promptum ejus parendi ſtudium, quo contra ſpem ullius fructus retia expandit ad imperium Domini.

II. Si cum magna charitate bona operemur, quod videtur indicari verbo *Laxate*: Laxant enim retia ſua, qui, quàm ferunt, ſpatioſiſſimè extendunt: laxant corda ſua, qui quæ poſſunt, omnia faciunt; & ſi valerent majora facere vellent. Corda Deus reſpicit, *nec perpendit quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferatur,* ait Beda, ſeu, ut ait S. Auguſtinus: *Divites & pauperes non interrogat Deus in arcâ, ſed in corde.* Philo in l. de victim. offerent. ait Deum in templo duo habuiſſe altaria: unum aureum ſeu auro tectum, in quo vota & deſideria ſancta fidelium offerebantur: alterum non inauratum ſed vulgare, in quo animalia in victimam immolabantur. Cur illud aureum, hoc non? quia Deus potius affectum & charitatem, cum qua offeruntur hoſtiæ, quàm ipſas hoſtias reſpexit. Hac via Abraham maximo ſuo merito ſuſpecit tres Angelos in hoſpitium ſuum; tametſi minimè lauto excepit convivio, nec magnifico in domicilio, Geneſis cap. 18. Aquam enim lavandis pedibus obtulit, panes appoſuit & vitulum mactavit; ſed quia maxima charitate hæc exhibuit, ideò in ſterilitate ſua filium pro mercede obtinuit. Inſtitit enim ut ad ſe diverterent: feſtinavit indicatum Saræ, ut hoſpitibus cœnam pararet: attulit aquam, cucurrit ad armentum & tulit inde vitulum; & interim omnia hæc extenuat, pauxillum aquæ, buccellam panis tantùm promittit. Unde S. Chryſoſtomus in eum locum ait: *Quia magna alacritate proceſſit, & contentione*

II. Si cum magna charitate bene operemur.

assecutus est venationem, & prædam intra retia concusit. Qui forti lacerto tendit arcum, poterit ligneo telo perforare januam, quam non perforabit ferreo, si remissè arcum extendat, uti experientia compertum: ita qui dat sitienti potum aquæ cum charitate, plus lucri spiritualis poterit obtinere, quàm si integrum vas vini tribuat cum murmure. Charitas enim est mensura & norma meritorum. Id videtur in Levitico cap. 27. sibi voluisse lex illa: *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur.* Siclus sanctuarii quid nisi amor Dei est? *Pondus meum amor meus*, ait S. Augustin. lib. 11. de civ. c. 8. omnia ergo opera nostra charitate ponderantur: quantò hæc major fuerit, eò plus illa valebunt.

III. *Si ex pluribus virtutũ motivis opus bonum perficiamus.*

III. Si unam eandemque actionem ex pluribus virtutum motivis faciamus, vel etiam aliarum circumstantiarum accessione ornemus & ditemus: quo modo annulus aureus ex gemma pretiosa, vel imago ex adjectis regionibus fit pretiosior & elegantior. Prioris industriæ exemplum est, si quis jejunet, non solùm ut Ecclesiæ præcepto velut filius obediens satisfaciat, sed etiam ut carnem suam castiget: rursum ut sibi de victu aliquid detrahens, pauperi id impendat, denique ut exemplo suo proximum ædificet. Quatuor hic merita ex uno jejunio prodeunt. Rursum si quis eleemosynam det nõ tantùm, ut pauperi succurrat ex misericordia, sed etiam ut eum à furto vel alio peccato revocet; vel ut proximum ad eandem liberalitatem excitet, &c. Posterioris, si quis jejunet, & tempus quod cænando consumeret, piæ orationi dedicet, victum sibi subtractum pauperibus transmittat vel ipse eis afferat. Si quis concionem audiat, interim stando loco incommodo, velut in Solis æstu seipsum mortificet, sua attentione & silentio interim alios ædificet: execrationes & tussim, ne alios turbet, cum difficultate sua cohibeat, &c. Rursum si dum uni bono operi vacat, v. g. reficiendis pauperum vestibus, vel lavandis pedibus, interim oret vel pium aliquid meditetur de vita Christi. Si expansis brachiis, vel nudis innixus genibus, vel prostratus in terram oret, &c. Sic enim eadem, ut dicitur, fidelia duos dealbare parietes, imò tres vel quatuor non difficilè poterimus. Certè qui industrii sunt œconomi, artem hanc præclarè callent & sedulò exercent ad augendam rem domesticam. Illustre est quod de Thracia muliere legimus, apud Constantinum Porphyrogenitum l. 1. Them 3. in hæc verba: *Rege ad murum urbis considente, præteriit Thracis uxor, urnam capite gestans, manibus verò colum & fusum; à tergo autem equus ponè alligatus erat, atque urna quidem, quam vertice gerebat, referta erat aqua, manibus verò nens colum, & fusum exercebat, ponè autem equus, quem adaquarat, cingulo annexus sequebatur: quam conspectam Rex vehementer admiratus est; & unde, quænam, ex qua urbe esset, rogavit. Quæ respondit, Mysiam se ratione esse. (est verò id Thraciæ oppidum.) Rex itaque arrepta ex hac muliere occasione, missa ad Imperatorem Thracum, Colyn nomine, legatione, colonos inde cum uxoribus, & liberis accepit: turbam satis numerosam: ex hac natione vocati sunt Asiæ minoris incolæ Thracerii, quòd sit operosa, ac laboriosa, & opere manuario victum sibi quæritans.* Potuit hæc mulier tria simul opera pro lucrando pane mira industria peragere: & non velimus aut possimus nos pro tantis cœli coronis similia facere? Videtur mihi hanc industriam insinuasse Dominus in hodierno Evangelio, dum ait: *Laxate retia vestra.* Quænam illa plura retia? Unica erat navicula, in qua navigabant, quæ utique non nisi unicum habuit rete: eccur igitur *retia* laxari jubet Dominus? An quia unum rete nonnumquam instar plurium est, cùm doctè nimirum & industriè laxatur? Ita sanè Petrus in hac una sua piscatione multa virtutum merita collegit: meritum obedientiæ, dum ad jussum Domini rete in mare jecit, licet fructum non speraret: meritum humilitatis, dum interim coram eo procidit in genua orans: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: meritum religionis, dum Christum adorat velut Deum & cultu latriæ veneratur: meritum charitatis, dum in partem prædæ socios piscatores advocat: meritum paupertatis voluntariæ & contemptus mundi, dum relictis omnibus sequitur Christum. Certè hac sua industria mirè placuit Christo & meruit ab eo in Apostolorum numerum adlegi, ac denique primatum inter eos consequi, velut bonus & industrius paterfamilias.

IV. Si opera patremus heroica, quæ raræ sunt virtutis. Hoc ni fallor indicant verba illa Domini: *Duc in altum.* Ad littus maris non nisi parvi pisces, in alto mari magni capiuntur; & hi notant opera heroica, quorum unũ plus meriti parit, quàm vulgaria simul plurima. Tale est, quando toti multitudini resistimus erranti à via veritatis, & oppositum tuemur ac sectamur, quo modo Josue & Caleb, soli opposuerunt se Legatis aliis promissæ & lustratæ terræ detrahentibus, eamque è contrario mirè commendarunt, populumque tumultuantem sua constantia composuerunt. Qua unica cõmeruerunt, ut soli ipsi ingrederentur terram illam: & Josue insuper in principatu Moysi succederet: Caleb verò quia prior populum compescuit, velut animosior etiam ipso Josue, singularem à Deo laudem propter heroicum actum obtinuit: *Servum meum Caleb*, inquit Dominus, *qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc.* Num. 18. Tale est votum castitatis in conjugio, quale erat S. Juliani & Basilissæ Martyrum, qui cùm prima nuptiarum nocte virginitatem Deo vovissent, SS. Angeli præsente Christo & beatissima matre ejus acclamarunt: *Vicisti Iuliane, vicisti*; Et, *Beata es Basilissa*? moxque Juliano liber oblatus est, in quo scriptum erat: *Iulianus deputetur in numero eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: & Basilissa, in numero virginum, quarum Maria tenet principatũ*; responderuntq; Angeli, *Amen.* Refert D. Anton. 1. p. Chron. t. 8. c. 1. par. 20. & Metaphr. ap. Sur. 9. Jan.

Tale

Tale etiam eſt injurias æquo & hilari animo perferre. Qua de re B. Ægidius Minorita dicebat; *Longè præſtabilius eſt & conducibilius magnam injuriam Dei amore abſque murmure perpeti, quàm centum famelicos homines quotidie paſcere & multo tempore jejunare uſque in veſperam, donec ſtellæ emicent in cœlo*, apud Sur. 23. April. in ejus vita. Tale orare pro inimicis, quod quia S. Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis egit, dum ab impiis iniquiſſimè occideretur, ideo poſt mortem tot miraculis claruit: quod vel ipſe Satan in obſeſſo conteſtatus eſt. *Quãdo volutabatur in ſuo ſanguine*, ait, *& jam moriturus erat, percuſſoribus ſuis medullitus ignovit, ita dicens; Pater ignoſce illis. Propter hunc ſermonem tam potens effectus eſt apud altiſſimum, ut non negetur ei, quidquid ab illo petierit. Idque pro comperto habeatis numquam ullum Coloniæ ſediſſe Epiſcopum in Pontificis cathedra, qui tantum poſſit apud Deum, tantique apud illum ſit meriti, ut Engelbertus.* Ita in ejus vita Cæſarius apud Sur. 7. Novemb. S. Eliſabetha vidua ea oratione qua precabatur, ut Deus omnes ejus inimicos ſingulari aliqua gratia donaret, pluſquam aliis omnibus precibus ſuis Deo placuiſſe, omniumque peccatorum remiſſionem obtinuiſſe, refertur à M. Avila epiſt. 6. Hujuſmodi opus eſt Deo gratias agere tempore tribulationis & tentationis, de quo idem Magiſter ep. 2. ajebat: *Plus valet unum Deogratias tempore tentationis, quàm ſex millia in proſperitate.* Similiter avertere vel revocare aliquem à peccato plus meretur apud Deum, quàm mille eſurientes paſcere vel Eccleſias ædificare. In hujus rei informationem Deus in V. T. maſculos ſemper fœtus, tam hominum quàm ovium offerri ſibi voluit; uti Exod. 12. agnum maſculum, & Exod. 13. primoginita omnia maſculini ſexus, ut indicaret maſcula & heroica ſeu virilia opera maximè Deo placere & apud ipſum plurimum valere.

V. Si quæ agimus bona, quantumvis in ſe parva ſint, magno tamen ſtudio & exactè peragamus. Eximium enim quid eſt etiam in parva re excellere, & *ſatius eſt bene agere aliquid exiguum, quàm multa perfunctoriè*, ait Plato in Theæteto. Nam magnum eſt omne quod benè fit. Unde inſignis Grãmaticus pluris æſtimatur, quàm mediocris orator aut Philoſophus: peritiſſimus aliquis artifex v. g. pictor celeberrimus magis honoratur & ditatur quam Medicus aut Doctor aliquis minus in arte ſua vel ſcientia excellens. Hinc etiam una imago artificiosè picta plus valet, licet parva ſit, quàm mille aliæ rudes & magnæ. Poeta Græcus Euripides intra triduum non niſi tres verſus ſcripſit. Carptus propter hoc ab Alceſtide Poeta tragico, dicente ſe intereà centum compoſuiſſe, reſpondit: *ſed hoc intereſt: tua triduò tantummodo, mea verò in omne tempus ſufficient* Gyrald dial 7. hiſt. Poet. Non ſecus is, qui exigua excellenter tamen perficit opera virtutum; plus multò laudis & meriti acquiret, quàm qui plurima, ſed neglectim. Inſinuatum hoc videtur à Domino verbo illo, *Duc*, non enim ait: Da vela ventis, vel impera remigibus, ut impellant navim; ſed, *duc*: ipſe labora & remiga, donec in altum maris veniamus. Magis elaborata cenſentur quæ ab ipſis artium magiſtris perficiuntur: quàm quæ miniſtris eorum committuntur. Petrus nauticæ & piſcatoriæ artis magiſter erat: proinde navim melius quàm alii regere ſciebat. Quare omnia noſtra accuratè faciamus, & minimo etiam labore magna lucra faciemus. Ideò monuit Eccleſ. c. 33. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.* Quidquid enim loquimur aut agimus, irrevocabile eſt, æternum eſt? quare uti Zeuxis ille moroſè quidem omnia ſed excellenter pinxit, quòd *æternitati pingere* ſe diceret, teſte. Plinio l. 35. c. 9. ita etiam ſatagamus nos, ut in omnibus etiam minimis noſtris actionibus accurati ſimus, quia æternitati operamur. Nihil etiam magni agit, qui in agendo nullam difficultatem ſentit: plurimum verò qui laborat in ſuo opere & cum Petro remigat. Diogenes cum in foro ſub acri hyemis frigore ſtatuam æneam complexus eſſet, interrogatus fuit à Lacone, an quid algoris indè ſentiret; Negante illo: *Quid igitur magni facis?* inquit Plut. in Lacon. Parum ergò merentur, qui parum laborant bnè operando. Econtrà vidua illa, quæ cùm non haberet niſi pugillum farinæ, Elłæ impenſum, recepit maximo fœnore 3. Reg. 17. Et quæ duo habens minuta, miſit in gazophylacium, prælata eſt à Chriſto omnibus opulentis, quæ grandia obtulerant Luc. 21.

VI. *Si palam faciamus, quæ ad ædificationem ſpectant.*

VI. Si quæ vel ex præcepto vel ad Dei gloriam tuendam atq; amplificandam, vel ad ædificationem proximi pertinent, palam faciamus, & animo imperterrito: longè plus merebimur, quàm ſi clam & intra privatos parietes. Non ſemper in occulto facienda ſunt bona, ſed in prædictis circumſtantiis longè majori fructu fiunt in publico. Quod videtur inſinuatum à Domino, dum interdiu juſſit Petrum retia laxare, quod priùs tota nocte, ſed in vanum Petrus fecerat. Quando piſces capiendi, h. e. quando animæ lucrandæ, vel Dei honor quærendus eſt, de die piſcandum eſt, ut videant homines opera noſtra bona, & inde ædificentur, ac glorificent Deum. Unico illo actu, quo Joſephus ab Arimathæa & Nicodemus Chriſtum de cruce depoſitum cum honore ſepelierunt, plus haud dubiè meruerunt, quàm in omni priori vita ſua: quia per illum actum Judæorum odio & infamiæ nec non vitæ periculo ſe expoſuerunt. Sic enim & ipſe Dominus in medio terræ ſalutem operatus eſt, cùm in civitate celeberrima, in feſto paſchatis ſolemniſſimo, in conventu hominum frequentiſſimo, in ipſo meridie, medius inter latrones, infami in cruce mori voluit, ut copioſa ejus eſſet apud Deum redemptio.

VII. *Si omnia opera ad Dei gloriam dirigamus*

VII. Denique ſi omnia noſtra opera ad Dei gloriã dirigamus & offeramus. Hac enim ratione ea quaſi inaurabimus & meritoria efficiemus, licet alioquin in ſe cuprea tantùm, & indifferentia, ruſtica, fabrilia, vel politica ſint. Id in alia piſcatione Chriſtus ab inferis redivivus, ſed in hoc eodem mari Tiberiadis

docuit discipulos, cum *in dextram navigii* jussit mittere retia. Joa. 21. Quid n. dextra nisi intentio cœlestis? quid sinistra nisi terrena est? In sinistra ne unus quidem pisciculus in dextra 153. magni pisces capti sunt. Qui ergo omnia sua opera dirigit ad DEUM, in omnibus lucratur, & quasi usurarius quidam sive edat sive laboret, sive dormiat, sive vigilet, perpetuo ditatur. Sic pecunia ex consilio Domini datur ad usuram, & cum fœnore recipitur. Sic contingere potest, ut quemadmodum claudus pergens in via continuo, quandoque antevertit velocem cursorem, sæpius divertentem: ita opifex vel ruricola continuo hoc lucro superat religiosum desidem. Sed de hoc alibi sæpius diximus.

Quando igitur vidimus, quot industriis & quàm facilè maxima comparare merita, adeoque cum B. Petro ingentem piscium capere multitudinem possimus; utamur hisce mediis, ducamus in altum & laxemus retia nostra in capturam; sic ipso Alexandro M. ditiores & potentiores evademus; sic cum B. Petro ad culmen gloriæ ascendemus.

* * *

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Ira immoderata quantus prædo.*
II. *In ira quid agendum.*
III. *Reconciliatio cum inimico docetur.*
IV. *Iustitia falsa vario ex capite.*
V. *Ira aliena incendio quomodo occurrendum.*

THEMA I.

Ira immoderata quantus prædo.

I. *Aufert homini mentem & rationem.*
II. *Aufert honestatis gravitatem.*
III. *Aufert pacem cordis.*

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5.

JUre merito Audit. timere nobis possumus ac debemus, dum in hod. Evangelio audimus seriò asserentem Salvatorem: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Cui vero judicio? humanone an divino? Non arbitror humano; quis enim propter iram trahitur ad judicium? igitur divino illi severissimo. Sicut enim homicidæ & prædones rapiuntur ad tribunalia humana: (vult dicere Salvator) ita propter iram vocabuntur homines ad tribunal divinum. Quis sibi hic non metuat? quid enim communius & frequentius inter homines, quam iræ fræna laxare? & quid magis timendum, quam Dei judicium, quod adeò deprecatur David Ps. 114. dicens: *Non intres in judicium cum servo tuo?* Et cur ira tandem judicio Dei obnoxia est? Audite, & dicite mihi, nunquid non fures, prædones & latrones trahuntur ad judicia? Ita est, respondebitis. At quid si ira immoderata & infrænis, talis prædo sit & latro? Tametsi enim fortè proximum non despoliat, ipsum tamen iratum & spoliat & mactat, id quod sanè spectat ad Dei tribunal, qui non solum præcipit, ut ne alterum lædamus, sed ut ne ipsos quoque. Jam vero iracundiam pessimum prædonem esse testatur Cassianus Abbas, vir doctrina & pietate illustris de Institutis renuntiantium lib. 8 qui est de spiritu iræ. cap. 1. ubi docet iram eripere homini tria potissimum bona & decora admodum præstantia, *Consilium*, *Gravitatem*, *Pacem.* Jure igitur prædo & magnus quidem appellari potest quia animum deprædatur, uti mox videbimus.

I. Aufert homini consilium, mentem & rationem; quia *vir iracundus agit sine consilio*, ait Cassianus loco cit. Præter experientiam testatur id S. Greg. l. 5. moral. c. 3. quod densissimas tenebras menti objiciat, confirmatq; ex Eccles. c. 7. dicente: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Ubi causam addit: *quia nimirum intelligentiæ lumen subtrahit, cùm mentem permovendo confundit.* Et infrà: *Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: Sol non occidat super iracundiam vestram* (ad Eph. 4.) *quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit* Quod est Sol mundo, quod oculus corpori, hoc est ratio animæ hominis. Tolle Solem, quæ miseria in mundo erit? tolle oculum corpori, quæ calamitas? Et quid homo ratione destitutus? nonne omni bestia calamitosior? Hanc verò, licet ad tempus, quādiu nimirum homo iratus est, tollit iracundia: quātus igitur prædo est? Porrò ex hac deprædatione sequuntur plura alia damna. 1. Enim iratus nullius boni consilii capax est. Nam *ut fumus*, ait Aristoteles apud Stobæum ser. 18. *mordicans oculos non videre permittit, quæ pedibus adjacent: sic iracundia oboriens rationem offuscat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non sinit ipsam iracundia sine labore potiri ac molestia.* Naaman videns, quòd Eliseus ad ipsum nō egrederetur, sed ablegaret ipsum ad Jordanem pro cura lepræ suæ, ad iram concitatus sprevit sanum consilium, & prætulit aquas patriæ suæ aquis Jordanis. Verum ubi consilio servorū discussa est iracundiæ nebula, tum demū expertus est,

t,quantum aberrarit,quamque bene Propheta ipsi onsuluerit 4. Reg. 5. *Fluvios ergo Damasci iratus etulit, Iordanem meditatus elegit*, ait S. Ambros. c.4. Lucæ. Eudoxia Christiana & Catholica Imeratrix S.Chrysostomo infensa, plena iracundiæ eneno, ut Chrysostomum hæreseos accusare & eere posset, nihil non molita, etiam Epiphanium ypri Episcopum in suam trahere sententiam coata est. Cui cum ille non satis assentiretur, sed odim potius deponendum suaderet, illa in furiam a,in hanc execrabilem prorupit vocem *Nisi tu, Ephani, adjuveris, ut Ioannes exilio mulctetur, ego ausa Idolorum templa aperiam, omnibusque ea adoanda proponam.* Ut in vita S. Chrysost. 14. Sept. En æcum & desperatum iratæ fœminæ consilium! einde reddit hominem inutilem ad omnem admistrationem & gubernationem. *Ira enim viri justiam Dei non operatur*, ait S. Jac. c. 1. *quia dum perurbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne uod furor suggerit, rectum putat*, inquit S. Gregor. b.5. moral. c. 30. Quare cholerici & qui iram fræare nesciunt; ad sceptra & tribunalia idonei non unt, tametsi collum torque & digitos annulis auteis ornent atque onerent. Abripiuntur enim non ua æquitas vocat, sed qua passio & ira rapit. Inde lud iracundi hieroglyphicum in Hiero. collectan. b.6. homo ferocissimo equo insidens, à quo susque eque raptatur, hunc obvius quidam interrogat, uorsum tam festinanter abeat? Cur respondet mier, equum digito demonstrans, & hæc verba in auem loquens: *Quò isti placet.* Iracundos enim siquis oget, quorsum tam præcipiti impetu ferantur, reespondebunt, si verum fateri velint: Quò iracundia os trahit. Ex quo satis patet, iratum in quamplurina alia impellere peccata, pronum ac facile esse.

Adhæc obtenebrato intellectu & inflammata passione sævit in res innoxias velut insana belua. Nil dicam de Xerxe, qui ob classem tempestate disjectâ iratus mari & ventis, jussit Hellesponto trecenta verbera infligi & colaphos incuti, apud Herodot. l. 7. Nil de Cyro, qui Gyndem flumen ob demersum ejus equum in 180. alveos, iratus dividi jussit, eod. auctore. Maximianus Imp. cùm S. Pantaleonem nullis enecare suppliciis posset, tandem feris objecit, quæ cum ad Martyris pedes supplices adrepsissent, furorem Imperator in feras convertit, omnesque trucidari jussit. In vita S. Pãthaleonis 27. Julii Lipel. Bego gener. Ludovici Franciæ Regis, cùm per ostiũ oratorii nõ nihil humile, ipse corpore procerus, ingrediens caput impegisset, quòd non satis se inclinasset, ira percitus jussit dirui oratorium, dicens ad suos: *Cavete ne huc revertens istud hic inveniam, alioquin certè pœnas lueris.* Verùm ubi id dirui cœptum, ipse à Dæmone obsessus est. In vita S. Rigoberti Episcopi Rom 4. Jan. Deniq; ira *commotus gladio sæpe transverberat innocentem, amicos & fratres*, ait S. Ambros. in Ps. 36. Sic Alexander M. Clytum amicissimum sibi in ira peremit. auct. Curtio. Sic Carolus VIII. Franciæ Rex in Britaniæ Ducem exacerbatus cum suos educeret apud Cenomanos, repente in suos comites stringit gladium unum atque alterum occidit, complures vulnerat, quoad lassitudine confectus ex equo decidit actus in furiam. Æmilius l. 10. Quæro jam, si quis aliquem oculo privaret, aut feroci equo sine fræno imponeret, aut in furiam atque insaniam ageret; quomodo non ille pro nocentissimo prædone habendus & mulctandus esset? At hoc facit nobis ira immoderata. Prædo igitur est, & quidem animarum, proinde reus erit judicio.

II. Aufert homini auctoritatem seu *ipsam honestatus gravitatem*, ait Cassianus cit. *quæ etiam viris sæculi hujus solet familiaris existere, quam nullo modo possidere poterimus, licet nobiles & honesti natalium prærogativa putemur; quia vir iracundus inhonestus est.* Inprimis n. deformat hominem in facie, ita ut non tam homo, quàm fera belua aut Dæmon esse videatur. *Oculi consueti non apparent*, ait S. Basil. ho. de ira, *sed ignei micantesque dentes acuunt velut sues grassantes: vultus sunt liventi sanguine suffuso. Ora tumore increbescente, venæ ob turbati intra viscera spiritus angustiam disrupta. Vox aspera & intensa, sermo inconstans & confusus ac temerè cadens, nec concinnè, nec significanter, ne ex parte quidem prolatus.* Et mox: *Videre licet manus quidem erectas etiam adversus contribules & per omnes corporis partes distractas: pedes extra omnem ordinẽ & ab re certatim discurrentes, denique partes corporis omnes insaniæ instrumenta factas.* Sic Basil. Similiter S. Chrys. Hom. de mansuetudine, ubi ait iratum videri à Dæmone obsessum. Cujus ratio est, quia ira est effervescentia sanguinis circa cor, quæ proinde hominem ita succendit, ut naribus fumos, ore & oculis ignes spirare velut ardens caminus videatur, eaque non extinguitur, donec aliquid glutiat & devoret, sive famam, sive substãtiam, sive sanguinem, membrum aut vitam alicujus, convitiando, spoliando, vulnerando, mutilando, mactando, juxta id Ecclesiastici 23. *Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat.* Hinc irati circumeunt velut rabidi canes aut leones quærentes quem devorent aut mordeant saltem: hinc & labia mordent, quasi minitantes aliis similem morsum aut devorationẽ, ut testatur Sapiens Prov. 16. *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.* Quãdo igitur ira tam deformem efficit hominem, & planè in bestiam commutat, nonne ipsi omnẽ auctoritatẽ, gravitatem & existimationem, detrahit? Et nonne hoc unũ, satis foret ad cavendum hunc prædonem? Audiamus Ethnicos homines. Galenus lib. de cog. & curand. animi morbis ait, se adhuc puero inspectante hominẽ clave januam aperire properantẽ; nimia celeritate & aviditate aperiendi cæcatum, quò magis festinaret, eò minùs profecisse. Igitur cùm diu clavem huc & illuc propere iter versando frustrari se cerneret, ita excanduisse, ut instar rabidi clavem dentibus, fores pedibus invaderet, mox sursum & deorsum cursaret: & non diu post tragico vultu, ocu-

II. *Aufert ei honestatu gravitatem.*

oculis ſcintillantibus ac tumentibus, ore ſpumanti, & voce incondita in cœlum converſus, ſuperos ipſos execrationibus diriſſimis laceraret & Deum ipſum inde, renovatâ Gigantum audaciâ, exturbare velle videretur. Qua omni inſania tamen non impetravit, ut clavis ſeram panderet, quàm nullo negotio aperuiſſet, niſi inſaniiſſet. Hoc exemplo puer Galenus ita didicit iram deteſtari, ut poſteà nulli unquam viſus ſit ira etiam leviſſima commoveri. Plutarchus l. de cohib. iracundia ſic de ſe ſcribit: *Sicut Hippocrates ait, eum morbum eſſe graviſſimum, qui faciem ægrotantis quàm maximè mutet in diverſum: ita conſpicient alios ob iram maximè ſibi excedere, & vultum immutantes, calorem, inceſſum & vocem in diverſum vertere; hinc velut imaginem ejus mali mihi fingebam, admodum dolés, ſi aliquando tam formidabilis viderer amicis & aliis, non tantùm aſpectu truci & inamœno, verùm etiam vocem emittens immitem & aſperam. Quòd ſi mihi eſſet famulus diligens, haud moleſtè ferrem, ſi in ira ſpeculum adferret, &c:* Teſte enim Seneca l. 2. de ira cap. 36. *quibuſdam iratus profuit aſpexiſſe ſpeculum: perturbavit illos tanta mutatio ſui.*

Accedit quòd iracundus prodit internos animi ſui morbos, & inſipientiam ſuam, ſeque aliis deriſui & contemptui, exponit, à quibus priùs magni æſtimabatur. Hæbræorum proverbio, *Backis, baccos, baccaas, in loculis, poculis & foculis mens hominum cognoſcitur.* Foculi notant iram, ut refert Cornel. in c. 31. Eccl. Dum enim iracundus fræno rationis perdito, quidquid in corde virulenti gerit, impotens ſui effundit, hoc ipſo qualis intus ſit oſtendit; ſicque omnem gravitatem ſuam perdit. Rectè dixit Iſaias c. 57. *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Hebr. *nunquam non ſtercus & lutum projiciunt.* Quod maxime de iracundis, qui inſtar maris fervent, intelligendum eſt. Quando enim mare oſtendit, quæ intus habet, horrenda & ſpurca, niſi cum efferveſcit ac veluti iracundiâ temulentum in littora ſe effundit? tunc enim algam & ſpumam & quidquid fœdi habet, ejicit. Idem facit iracundus, quem *mare ventis commotum* appellat S. Chryſoſtomus homil. 9. in Gen. prodit enim impatientiam, ſuperbiam, inſipientiam, levitatem, ſcurrilitatem, puerilitatem ſuam.

III. *Aufert pacem cordis.*

III. Aufert pacem, ſiquidem *nec quieti eſſe à perturbationibus noxiis, nec poterimus carere peccatis, tametſi nequaquam nobis inquietudines ab aliis inferantur: quia vir animoſus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata,* ait Caſſianus loco cit. Quem locum deſumpſit ex Prov. c. 15. ubi nos legimus: *Vir iracundus provocat rixas.* Hinc Joſeph fratribus præcipit: *Ne iraſcamini in via.* Gen. 45. ſciens ex ira naſci rixas. Unde Hebr. habetur: *ne rixemini*; quaſi iram ſemper comitetur rixa. Quæ autem pax eſſe poteſt, ubi rixæ ſunt? Quanquam ira per ſe pacem animæ turbat, ſicut tempeſtas tranquillitatem aëris. ſicut modicum fellis aut abſinthii immiſſum in vas melle plenum, totum mel corrumpit, & amaricat: ita iracundia pacem cordi[s]. Hinc Apoſtolus ad Eph. 4. peccata iræ vocat *amaritudines: Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis.* Ratio e[ſt], quia iræ ſedes & materia eſt fel & bilis, quæ in ir[a]to effunditur in ſtomachum & alia membra. Hi[nc] iracundo omnia amara ſunt, quæcumque dant[ur] vel dicuntur, vel etiam comedenda apponuntu[r]. Adhæc iracundus pace corporis, quæ eſt ſanitas, ſpoliat, dum ſe ipſum quaſi exedit & conſumi[t] ſicut polypus, ſi venatio eum deficiat (teſte Ælian[o] l. 1. anim. c. 17.) quaſi iratus ſua brachia arrodi[t] ſicut tinea pannos, à quibus oritur, abſumit: & ſic[ut] Tigris ad tympanorum pulſum (auct. eodem Æliano) ſæpè in tantam exurgit iram, ut ſeipſam diſce[r]pens interimat. Cujus amentiæ, ſed falsò, accuſav[it] Iobum Baldad: *Quid perdis animam tuam in furo[re] tuo?* Iob 18. alii vertunt: *diſcerpens animam tua[m]*. Quod veriſſimè tamen in iracundos dicitur, q[ui] dum alios glutire & ferire volunt, ſeipſos perdu[nt], diſcerpunt & exedunt curis; rancore, odio; nec i[n] animo ſolùm, ſed in corpore etiam, dum ſibi ipſ[i] vitam abbreviant, Nonne videntur Tigrides fuiſ[ſe] illi pluſquam 40. Iudæi, qui ſe devoverunt ex irà [&] odio in S. Paulum, quòd nec manducare nec b[i]bere quidquam vellent, donec occidiſſent eum. Actor. 23. quaſi vellent, ſe mactare inedia, niſi m[a]ctent Paulum, ut exponit S. Hieronymus in c. 2[?] Prov. apud Lorin. ibi. Sed paulus quidem è man[i]bus eorum evaſit, ipſi verò interim inedia macera[ti] ſunt. Quid, quòd non paucos propria ira interemi[t]. Inter alios Wenceslaum illum Bohemiæ Regem & Imp. fœdiſſimum, qui pugionem ſtringens in poci[l]latorem ob leve verbum monitorium (nunciat[o] enim Regi Huſſitarum ſeditione, dicebat procilla[]tor; *At ego hoc prævideram*) incidit præ furore i[n] apoplexiam, deinde in paralyſin, in qua velut por[]cus in volutabro poſt 18. dies animam exhalavi[t], ut ait Cuſpinianus. Deinde Matthias Corvinus Un[]gariæ Rex, qui cùm Neoſtadium in Auſtria occu[]paſſet, die palmarum ficus ſibi apponi juſſit, & cum ſelectiores haberi non poſſent, (velut Curèus & ali[i] referunt, quòd aulici ficus recentes ſibi ex Itali[a] allatas devoraſſent) in tantum ira intumuit, ut apoplecticus concideret, ac velut amens, mutus, belua[e] inſtar horrendos mugitus edens obiret. Chron. Ungar. anno 1490. Bonfin. lib. 8. dec. 4. Bene igitur dixit Eliphaz. Iob. 5. *Verè ſtultum interficit iracundia.* Stultus ibi iratum ſignificat, uti alias ſæpiſſimè in ſcriptura, ut quaſi pro eodem habeantur. Iracundi enim ob leviſſimam quamque rem ſicut ſtulti iraſcuntur. Contra Solem, ſi paulò ſit ferventior; contra ventum, ſi perflet vehementius; contra frigus & æſtum, ſi magis ſint intenſa, quàm eorum mollities ferat, indignantur; iraſcuntur calamo, ſi non reddat atramentum, teſſeris, chartis luſoriis, ut quandoq; dentibus velut canes eas dilacerent. Quid aliud ſtultus faceret? Taceo morbos alios ventriculi,

…ili, capitis, podagræ, quos ira parit, bilem in stomachum & alia membra ejiciens: ex quibus vita minuitur, juxta id Ecclesiastici 30. *Zelus & iracundia minuunt dies.*

Quid igitur nos Audit. Nonne apertè vidimus, quantus prædo sit iracundia, quæ hominem despoliat præstantissimis, quæ habet, bonis, ratione & consilio, auctoritate & existimatione, pace interna & externa, sanitate denique & quandoque vita, quodque omnium calamitosissimum, fælicitate æterna, si cum ira sua hinc discedant? Hinc cautè & sapientissimè Christus hod. Evangelio immediatè subjicit optimum consilium; *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius Iudici, & Iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris.* Qualem verò carcerem? ignem Diabolicum, perpetuum, æternum. *Amen dico vobis,* ait, *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

THEMA SECUNDUM.

In ira quid agendum.

Commenda causam tuam Deo.
I. *Ne festina.*
II. *Ne loquaris, neve arma corripias.*
III. Meum & Tuum pelle.
IV. *Nihil serium tunc aut severum statue.*
V. *Mentem avoca, & aliò converte.*
VI. *Sol non occidat super ira tua.*

Omnis qui irascatur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5.

Vitam nostram naviganti similē rectè asserit D. Gregorius ep. 26. ad Andream l. 6. Nam, ut alia taceam, sicut navigantes tempestatibus sunt expositi, ideòque nolle debent, qua ratione eis occurrere navimque regere oporteat: ita homines in hoc fluctuante mundi pelago navigantes tempestati iracundiæ maximè sunt obnoxii, ideoque benè attendere sibique cavere debent, ne gravis alicujus peccati naufragium incurrant. Dubia est salus navigantium in tempestate; ita & irascentium, uti indicat Dominus in hodierno Evangelio: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* In judicio litigatur & dubia adhuc versatur causa litigantium, ut vel absolvantur, si vincant: vel condemnentur, si succumbant. In iracundia etiam, qui se virum exhibet, & frænat eam ratione, velut peritus gubernator navim, gloriam habebit: qui verò ignavum & effœminatum sese præbens vincitur, ignominiam & damnationem. Ergo videndum superest, (quia ferè nemo est, qui non subinde irascatur) qua ratione gerere nos in hujusmodi tempestate debeamus; quod hic faciemus.

Actorum penultimo capite legimus S. Paulum, cùm Romam vinctus è Judæa per mare duceretur, gravi tempestate comprehensum esse, in qua partim ipse, partim navarchi varia moliebantur, ut naufragium evitarent: & navi quidem fracta omnes salvatos esse. Nos hæc eadem imitabimur. *Quod actum in navigatione sancti Pauli Act. 27. hoc in ira agendum.*

I. Sanctus Paulus periculum illud naufragii Deo commendavit; quod inde colligo, quia proptereà jejunarunt, (*cùm multa jejunatio fuisset,* ait Lucas) & Angelus Domini Paulo assistens dixit Deum ipsi donasse omnes animas, quę in navi erāt. Optimum etiam foret insurgente iracundiæ motu, se & causam suam Deo commendare, exemplo illius Annæ 1. Reg. 1. quæ afflicta ab æmula sua Phenenna, quòd esset sterilis, *cùm esset amaro animo,* per orationem recurrit ad Deum, & effudit animam suam in conspectu Domini, coram Arca in Silo; causam & afflictionem suam Domino proponens ac committens. Idem egit David, quando deprehenso Saule in spelunca cogitavit eum occidere, sed mox mentem in Deum reflectens, mutavit consilium dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo.* 1. Reg. 24. Ubi Divus Chrysostomus hom. 1. de Davide & Saule: *Vides,* inquit, *quanta iræ tempestas coorta fuerit? At non processit ulterius, neque fecit naufragium, eò quod gubernatrix illicò sentiens periculum videlicet, pia ratio tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim David cor ipsius, ac velut equum subsilientem ac ferocientem revocavit iram.* Hanc Davidis mansuetudinem docet idem Sanctus hom. 3. de Davide & Saule, animo proponendam, quoties ad iram concitamur. *Quemadmodum qui laborāt ab oculis,* inquit, *si spongias ac vestium colore cyaneo pannos tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen: similiter & tu si Davidis imaginem præ oculis habeas, & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem.* non enim, ut mox subdit, inimicus tuus Saule deterior est, qui tot insidias struxit Davidi. Longè tamen efficacius exemplar ad iræ remedium proponit nobis S. Ambrosius tract. de conflictu virt. & vit. hoc: *Si passio Redemptoris ad memoriam reducatur, nihil tam durum quod non æquo animo toleretur.* In praxin hoc redigebat S. Elzearius Comes Ariani, qui quoties injurium aliquid sibi fieri aut dici sentiebat, illicò fugiebat ad Christi passionem, nec ab ejus consideratione desistebat, donec ira subsistente, rediret animo tranquillitas. *I. Commenda causā tuam Deo*

II. Tardè navigabant (ut ibidem v. 7. dicitur: *cùm multis diebus tardè navigaremus*) ideoque navim *accingebant,* hoc est, (ut Beda & alii cum Corn. ibi explicant) ponderibus appensis frænabant quasi & retardabant: ne impetu abriperetur in scopulos, &c. Idem agendum exurgente motu iracundiæ monet inprimis S. Iacobus cap. 1. *Sit autem omnis homo tardus ad loquendum, & tardus ad iram* *II. Ne festina*

Et

Et Ecclesiastes c. 7. *Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.* q d. Solent enim stulti tantùm, & qui sui impotentes sunt, uti infantes &

Trip. hac Do. C.5. C.

mulieres, citò irasci. Quare *ut nutrices pueris dicunt: ne plora, & accipies, ita dicendum animo commoto: ne clama, ne festina, ac melius quævis consequeris*, inquit Plut. in moral. Sapientes ratione imperant iracundiæ, & *ira rationi sicut canis pastori obedit*, ut ait S. Basilius hom. de ira. Cogitant enim se nihil boni per iracundiam efficere, nec causam suam probare, sed suspectam & pejorem facere: nam *qui citò movetur injuria*, inquit S. Ambrosius l. offic. cap. 6 *facit se dignum videri contumelia dum vult indignus videri*: deinde iracundia sua non nisi mentis impotentiam & stultitiam suam prodere: denique etiam alios, quibus irascitur, eadem ira ac-

Trip. hac Do. C.7. B.

cendere, eadem stultitia imbuere. Multò minùs festinandum ad ipsam vindictam & iræ executionem, sed frænanda navis, ne in scopulos incurrat (quemadmodum incurrit Theodosius Imp. ut alibi diximus) vel in altum abripiatur à recto itinere. Romani ut huic festinationi occurrerent, lictorum fasces, qui Consulem anteibant, funibus colligatos esse volebant; ut si qua causa puniendi reos cogeret; mora aliqua punituro daretur, donec lictor scilicet fasces solveret atque expediret, apud Rosin. de antiquit. Rom. l. 1. c. 43.

III. Ne loquaris neve arma corripias.

III. Armamenta navis projecerunt in mare. v. 19. Quod etiam observandum in iracundiæ tempestate, ne scilicet linguam maledicam velut gladium exeramus, vel arma ad feriendum corripiamus; nescimus enim eo tempore arma tractare, aut linguâ rectè uti, dum ratio obnubilata est. Ut enim puer, dum alium quærit ferro lædere, seipsum magis vulnerat ob imprudentiam: ita iracundia, cùm aliis nocere studet, sibi sæpe magis nocet, ut ait Plut. in moral. Hinc sapiens ille Aragonum & Siciliæ Rex Alphonsus cùm Pyrrhum procillatorem suum jussisset Gaspari, uni aulicorum, quo cum graves inimicitias Pyrrhus gerebat, ex patera, quam manu ferebat; propinare, Pyrrhusque imperium geminanti non paruisset: Alphonsus ira succensus, Pyrrhum stricto gladio ut eum feriret, insecutus est: statim verò assecutus, cùm vulnus jam inferre pararet, iræ fræna contraxit gladiumque abjecit. Fulgosus l. 4. cap. 1 Panormitanus lib. 1. Alphonsum ait poculum suum dono dedisse alteri, idque Pyrrhum offerre noluisse.

IV. Meum & Tuum pelle.

IV. Jactantes triticum in mare alleviabant navim. v. 38. Necessarium quidem hoc ad victum erat, ideò primò jactu id non ejecerunt; quia tamen necdum remisit tempestas & extrema metuebant, etiam triticum ejicere coacti sunt, ad levandam onere navim. Triticum hoc quid nisi cupiditates sunt humanæ? nisi *meum* & *tuum*, pro quibus omnis ferè ira exoritur, omnis contentio instituitur? Quare qui eas à corde suo ejicere nollet, næ is continuò fluctus omnes iracundiæ sedaret & mentis serenitatem recuperaret. Vidit hoc Ægyptius quidam Anachoreta, qui interrogatus, cur adeò se omni-bus corporis voluptatibus subtraheret, respond: *ut hac ratione omnem iræ causam & occasionem pi-cidam. Ira quippe ut de voluptatibus certans acce-ditur, ita voluptatum suppressione sopitur.* Refert N-cephorus lib. 11. hist. Eccl. cap. 43. Cur quæso ir-scimur, nisi quia aliquid nobis adimitur, sive sit pecunia, sive fama, sive honor, sive imperiū, si commoditas aut voluptas aliqua? Qui ergo h omnia spernit, & pro minimis habet, videbit se n-quaquam causam irascendi habere, nō magis qu infantes, quando irascuntur & plorant ob subtra sibi crepundia, globulos aut baculos. Solæ cupi-tates terrenæ sunt, quæ gravant navim cordis n-stri. Unde Plutarchus l. de coh iracund. ait: *Ra iræ inordinatus amor sui est, cupiditas nimia, sup-bia, elatio animi; hæc tolle & remedium apposu iræ.* Quemadmodum enim aspides semper bi conjuges (teste Plinio l. 8. cap. 23.) solent incede ut una alterius causam & defensionem suscipiat etiam in homine se mutuò comitantur appeti concupiscibilis & irascibilis, ut hic illius caus agat, & à lædente vel impediente defendat. Qu si igitur concupiscibilis ita sit moderatus, ut n facilè lædi possit, quia scilicet res concupiscibi parum aut nihil curet, nec irascibilis insurget læsorem sororis suæ. Videre id erat in servo D Stephano, cujus horreum cùm malevolus quid incendisset aliique ei dicerent: *Væ, tibi malum c tigit*, respondit: *Væ ei qui accendit*, apud S. Greg rium lib. 4. Dialog cap. 19.

V. Milites Paulum & alios captivos occid volebant; prohibuit tamen Centurio. v. 42. P ratione durante iracundiæ tempestate nemo rium aut severum aliquid statuere debet. Sua hoc inprimis Seneca l. 3. de ira, cap 12. *Nihil,* quit, *diligenter in fluctu cernitur. Non potuit im trare Plato à se tempus, cùm servo suo irasceretur, ponere illum statim tunicam & præbere scapulas v beribus jussit, sua manu ipse percussurus. Postqu intellexerit irasci se sicut sustulerat manum susp jam detinebat & stabat percussuro similis. Inter gatus deinde ab amico, qui fortè intervenerat, qu ageret? Exigo, inquit, pœnas ab homine iracun velut stupens gestum illum sæviturо deformem sa enti viro servabat, oblitus jam servi; quia aliu quem castigaret potiùs invenerat. Itaque abstulit in suos potestatem, & ob peccatum quoddam comm tior: Tu, inquit, Speusippe servulum istum verbe bus objurga, nam ego irascor.* Idem alio loco: *Cù iratus fueris*, ait, *nihil agas, nihil dicas, quod ab i imperetur.* Deinde Petrus Damiani epist. 16. Adelaidem l. 7. ep. *Sicut intuentis visum aqua,* quit, *dum quiescit admittit, si turbatur obtundit; humanus animus in ipso, perturbationis articulo offensam recti judicii regulam & lineam non atte dit. Unde necesse est, ut in posterum sententia differ tur, quatenus æquata justitiæ lance judicium, qu perturbata nequiverat, mens quieta suspendat.* H regu

regula usus David dicebat. *Turbatus sum & non sum locutus.* Psal.76. Qui etiam (ut mox ibidem advertit Damianus) in Joab & Semei, à quibus graviter offensus erat, non animadvertit dum viveret, & iræ stimulus locum in eo habere posset; sed vindictam commisit filio, post mortem demum suam, ubi irasci non ampliùs poterat, reis inferendam. 3. Reg. 2. Itaque David instar Platonis non ad horam tantùm, sed usque ad mortem suam suspensum tenuit brachium suum, ne in ira sese vindicans limites æquitatis transcenderet.

VI. Paulus afflictorum & periclitantium animos à timore & labore nonnihil avocavit, dum eos cibum sumere jussit, & ipse prior sumpsit; quò instantis periculi nonnihil obliti vires & animum resumerent. vers. 35. Ita etiam expedit in fluctibus iracundiæ alio mentem convertere & honesto aliquo negotio sese occupare. Laudatur hac de re Clinias Philosophus Pythagoreus ab Æliano l. 4. var. hist. c. 23. *Is si quando*, inquit, *in iram delapsus esset; atque ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim priùs quàm prorsus invaderetur ab ira, & elucesceret in ipso mentis affectus, chordis adaptatis, citharam pulsavit. Interrogantibus autem ob quam causam id faceret: Quoniam, inquit, mitigor animo.* Profuit etiam hoc B. Columbino, qui aliquando à negotiis domum cum non modica fame & prandendi orexi reversus, cùm mensa necdum parata esset, vehementer exarsit iracundia. Conjux ut, dum parabat cibos, virum placaret, librum obtulit parùm delibandum. At ille commotior, prandendi non legendi tempus esse murmurans librum abjecit. Mox tamen resumpsit & lecturus aliquid, in vitam Mariæ Ægyptiacæ incidit, dum ergo legens pergit, non modò iram omnem sedavit, sed insuper historiæ dulcedine captus, statuit deinceps in DEI impensiore cultu, & vitæ castimonia (quam & conjugi persuasit & ipse DEO vovit) totam vitam agere.

VII. De puppi miserunt anchoras quatuor. v. 29. ut ita navim sisterent, donec dies illucesceret. Periculosum & temerarium est noctu in tenebris navigare: sic etiam iram per noctem retinere. Idcirco Apostolus ad Ephes. 4 scribit: *Irascimini & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram.* In quem locum S. Chrysostomus ait: *A die ipso ad pacem Paulus impellit, secretum enim noctis veretur, ne fortè solum excipiens sauciatum majus profectò vulnus efficiat.* Eccur verò noctem veretur? *In die namque* (adjungit) *multi sunt advocantes atque retrahentes, in nocte autem quia solus relinquitur, intraque semetipsum cogitationum æstibus huc illuc jactatur, in immensum verticem minarum fluctus tumescunt, fitq; major omninò sæviorque tempestas. Idcircò præveniens Paulus vult jam reconciliatum nocti tradere, ne ullam occasionem de solitudine diabolus inveniat, per quam iracundiæ fornacem possit accendere eamque efficere sæviorem.* hom. 6. in c. 5. Matth. Similiter S. Augustinus in l. de patientia: *Sol super iracundiam nostram si occiderit, periclitamur; non licet nobis una die sine patientia manere.* Quid igitur factu opus? anchoræ jaciendæ, ira mox deponenda est. *Vt nautæ præsentientes tempestatem* (noctu præsertim) *anchoris firmant naves: ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in diversum nitendum;* inquit Plut. in Moral. Sed quæ anchoræ? Quatuor novissima consideratione expensa & in fundum cordis jacta. Mors inprimis, quæ brevi nos conjunget in cœmiterio & omnes pares faciet. Deinde judicium de quo audimus in hod. Evangelio: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio,* & post judicium inferno. Idipsum etiam iracundis proponit considerandum S. Chrysostomus homil. 2. in Joan. *Quamobrem*, inquit, *huic indomitæ belluæ nolimus habenas remittere, sed præduro fræno, metu scilicet futuri judicii eam cohibeamus. Quotiescumque dolore aliquo amicus te vel familiaris affecerit ad iramque concitarit, veniat in mentem, quæ tu contra Deum commiseris, quodque si à proximo offensam & contumelias æquo animo toleraveris, levius in te Dei judicium provocabis. Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Cùm hoc succurrerit, omnis ultionis cupiditas continuò evanescat.* His adde gehennam ignis, quã etiam minatur iracundis hodiernum Evangelium, & videtur in ira sua inspexisse David Psal. 76. cùm ait: *Turbatus sum & non sum locutus: cogitavi dies antiquos & annos æternos* (in gehenna puta) *in mente habui.* Denique gloriam in cœlo & coronam immarcescibilem, paratam iis, qui de ira sua gloriosè triumpharint.

THEMA III.

Reconciliatio cum inimico docetur.

I. *Ab Hebræis.*
II. *A Gentilibus.*
III. *A bestiis.*
IV. *A creaturis omni sensu carentibus.*
V. *Ab inferis & dæmonibus.*

Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.
Matth. 5.

OLim apud Gentiles qui læso nonnihil cerebro erant, Anticyram mittebantur, ut meliùs sapere discerent. Erat enim Anticyra Insula, in qua hellebori (Nießwurtz) herbæ expurgantis cerebrũ, copiosus erat proventus. Itaq; dicebãt: *Vade & naviga Anticyras, ut sapere discas.* Magnoperè delirãt, qui recõciliari inimicis suis nullo modo volunt His igitur in hod. Evangelio proponit Christ⁹ Dominus & Magister noster brevem lectionẽ, compre-

hensam unico vocabulo: *reconciliare*. Quam quidem nos Christiani omnes scire & dudum didicisse deberemus. Reperiuntur tamen aliqui tam stupidi tamque læso cerebro, ut hanc vocem minimè addiscere & pronunciare queant. Ferunt munus ad altare, veniunt ad templum necdum reconciliati cum inimicis suis. Quid igitur ad nos Dominus? *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Sed quò eat ut hoc discat? ad Anticyras, ad Hebræos, Ethnicos, bestias, &c. Isti eum docebunt & porrigent helleborum. Eò igitur tales ablegemus.

I. Docetur ab Hebrais.

I. Vade ad Hebræos. Genes. 13. Ascendit Abraham cum nepote suo Loth ex Ægypto versus Chananæam cum plurimis pecoribus. Cumq; eos locus capere non posset, cœperunt eorum pastores inter se de terræ spatio rixari. Quid ad hæc Abraham? negliisceret contentio & in cognatos se extenderet, prior nepotem alloquitur, senior juniorem: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Vide hîc in lege naturæ mirandam virtutem Abrahæ. Senior fuit Abraham ac poterat imperare nepoti; non fecit. Ditior eodē fuit, poteratque eum vi opprimere, noluit. Poterat ipse prior terram eligere; dedit optionem nepoti quam vellet, ipsi cessurus quacumque. Denique humanissimè eum rogat, ne litigare velit: *Ne quæso sit jurgium*, inquit, & rursum: *recede à me obsecro.* Sed causa tantæ humilitatis? Triplicē ibi deprehendo.

1. 1. *Fratres enim sumus*, inquit. Loth filius erat fratris Abrahæ, frater ab eo vocatur. Frater quasi *fere alter dicitur*. Turpe & inauditum esset, si manus sinistra cū dextrà litigare vellet. Jam verò Christiani nonne fratres sunt, Christo in baptismo incorporati, velut membra unius corporis? Hinc primi Christiani non aliter se quàm *fratres & sorores* appellabant.

2. 2 Quia ut ibi additur: *Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.* Ad quid hoc commemoratur? Quia vidit Abraham, quia hoc jurgium si glisceret, scandalizandos esse gentiles illos, si ipsum, quem virtutis laude insignem ac quasi gentium doctorem jam norant, litigare cum propinquo cernerent (uti advertit S. Chrysostomus ibi) pro re fluxa, *meo & tuo*. Cogita & tu non parum scandalizari tua inimicitia tam pertinaci alios, præsertim pusillos & imperfectos. Addit idem Chrysostomus turpe futurum fuisse Abrahamo, si cum inferiore & juniore contendisset, quæ est tertia ratio, quam indicat Abraham illis verbis: *Ne sit jurgium inter me & inter te.* q.d. non sumus pares, ego senior, opulentior, patruus, id est, *quasi pater tuus*. Itaque Deus ipsi hanc humilitatem cumulatissimè compensavit, dum totam Chananæam dedit: cùm interim Loth malè deceptus parvam terræ portionem eamque perditioni proximam sibi elegisset: Sodomam videlicet. Hoc ergo fecit Abraham ante omnem legem scriptam, & nesciat post legem Evāgelicam facere Christianus? Nónne audimus in hodierno Evangelio: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum? Vade* igitur, *vade reconciliari proximo tuo.*

II. Vade ad Gentiles, qui à solo naturæ lumine legem accipiebant. Ex horum numero Aristippus Philosophus cum Æschine nescio quid simultatis habuit. Cumque illi quidam diceret: *O Aristippe ubi amicitia vestra?* respondit: *Dormit, sed ego eam excitabo.* Moxque adiit Æschinem, dixitque: *Adeóne tibi videor infœlix & insanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te?* At Æschines: *Non mirum*, ait, *si cùm in omnibus me præcellas ingenio: hoc quoque quid factu opus erat, prior sensisti.* Refert Plut. tract. de ira cohibenda. Unde & mirare hîc in Ethnico triplex rursum motivum reconciliationis faciendæ.

Primum, quia quamdiu diffidemus, tamdiu amicitia dormit adeoque nihil boni operatur, tempus malè perdit, cùm posset plurimum boni facere. At dum amicitia dormit, certè inimicitia non dormit, sed cor lancinat & vexat innumeris cogitationibus felle & amaritudine plenis, timore & rancore, ita ut Deus vix queat punire tales graviùs, quàm si permittat mutuis odiis & inimicitiis in se mutuò desævire: sic enim miseri seipsos dentibus suis mortificant & puniunt, velut canes idem os rodentes.

Secundum, quia exponimus nos in derisum & fabulam hominibus: Ecce isti Philosophi, dicent: qui cæteris sapientiores esse & aliorum odia reprehendere solent & conciliare deberent, inter se contendunt diffidentque, quod in plebeis turpe est. Ubi est amicitia vestra? dicunt: ubi virtus & sapientia vestra?

Tertium, quia qui prior amicitiam dormientem excitat, & de gratia ineunda agit, ille vincit; quia virtuosior & sapientior est, præmiumque in cœlo alteri præripit. Jam verò agnoverint hoc Gentiles, & non agnoscant Christiani. Parum esse asserit Christus, quando id facimus, quod Ethnici faciunt: *Si salutaveritis fratres vestros tantùm*, inquit, *quid amplius facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. Quid verò si ne id quidem, quod Ethnici faciunt, faciamus Christiani? Ergo *vade* Anticyras & disce ab Ethnicis *reconciliari fratri tuo*. At hi, inquies, Philosophi fuerunt, qui ita inter se luserunt. Ergo tantò magis imitandi sunt, quia sapientes. Quòd tamen si tibi non sufficiunt, vide barbaros milites a signo cœlesti tametsi naturali, facilè à discordiis ad concordiam redactos. Ex illis Drusus, (apud Tacitum lib. 1.) tumultuantibus Pannoniis legionibus & in Romani nominis perniciem jam jā erupturis, vidit nocte intempesta Lunam defectum pati: illa, inquam, nocte, quam Tacitus minacem appellat, ex eoque prodigio in spem erectus denūciat indignari cœlum, eorumque flagitia inductis tenebris aversari. Quid plura? componuntur exci-

tati

ati motus, sedantur tumultus, Centurioni miles, Imperatori paret Centurio, & quæ prodigia despe-rationem militibus, firmissimam spem accertissi-mam duci anxio pepererunt. Lunæ ille defectus à natura erat, quia tamen rudi populo aliquod ira-ti numinis indicium videbatur, ideo positis armis sese composuêre ad pacem & concordiam. Nobis non vanum omen, sed minatur in hodierno Evan-gelio ipsum Dei verbum, quod asserit: *Qui irasci-tur fratri suo: reus erit judicio, reus erit consilio, reus gehennæ ignis.* Quantus & quàm terribilis superni luminis defectus! non videre ampliùs lucem, sed in tenebris exterioribus & tartareis versari per omnē æternitatem! Quis ad hunc minacem sermonem, ad illum minacem diem, non componat amicitiam & ruat in amplexum suorum inimicorum.

III. Vade ad bestias, & ab his helleborum pe-te. Mutianus apud Plin. l. 8. c. 50. prodidit, quod di-cam. Erat pons prætenuis, duæ in eo capræ sibi in-vicem fuerunt obviæ è diverso, cùm igitur ambas angustiæ pontis non caperent, nec reditum longi-tudo pontis admitteret in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluente, altera accubuit, at-que ita altera proculcans supergressaque transiit. Quid jam agas tu, si in aliqua contentione cornua sua cornibus tuis apponat inimicus tuus & cedere tibi nolit? Bestia una alteri obvianti cedit atque in genua procumbit, & homo non velit cedere ac cō-ciliari inimico, cùm in angusta cœli via constituti, subterfluenti inferni flumini sint expositi? Sed vi-dete & ciconias quàm discordiarum hostes sint. In magno spec Exemplorum dist. 9. ex. 62. narratur, cùm Gregorius IX. Papa ante initum Pontificatū dictus Hugolinus, Apostolicæ sedis Legatus in Lombardiæ quadam civitate, dissidentes inter se magnates vellet conciliare, & una quidem pars ar-bitrio ejus se submitteret, altera verò nihil de pace statuenda audire vellet, excommunicatum esse Ca-pitaneum, dissensionis auctorem & pacis repudia-torem. Hoc fulmen ubi contempsit Capitaneus, ci-coniæ tremuerunt, quæ turribus & caminis ejus nidos superstruxerant; quippe illicò infestam sedē deseruerunt, nidosque suos in alterius Capitanei, qui Legato Pontificis obtemperare paratus erat, domum transtulerunt. Hoc postquam vidit contu-max ille, se scilicet à Deo irato punitum, veniam submissus petiit, vinculoq; anathematis ligatus to-tum se in Legati voluntatem tradidit. Ac ne putes temerè ciconias migrasse, postquam Capitaneus iste in Legati & Dei gratiam rediit, redierunt & ci-coniæ ad domum illius, nidosque suos reportarunt. Quid hic nos Auditores? Non frustrà dixit Domi-nus noster. *Aspicite volatilia cœli.* Et quod Jer. c. 8. ait: *Turtur & hirundo & ciconia custodierunt tem-pus adventus sui* (scilicet quando & ubi nidificent) *populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Quis enim nisi Deus duxit & reduxit illas cico-nias? scito igitur Deum à discordibus avolare, ad concordes advolare sua gratia. Ergo naviga Anti-cyras, & disce vel à brutis reconciliari fratri tuo.

IV. Unde ad rudes & omni sensu carentes crea-turas. Quem sensum habent muri & lapidum con-geries? At istæ discordes fugiunt, ad concordes mi-grant. Ædes B. V. Lauretana è lateribus constructa Dalmatiam primò è Galilæa, post inde in agrum Picenum & sylvam Dominæ Lauretæ Angelorum manibus delata est. Verùm cùm occasione frequen-tis ad eam peregrinationis raptores aliqui in sylvam sese abdere ac spoliare transeuntes cœpissent, fugit & migravit extra sylvam in vicinum collem, qui duorum fratrum erat quasi in concordiæ locum ex discordiæ & rapinæ barathro; post menses aliquot, cùm opulentioribus in dies donis cumularetur ac ditesceret, inde avaritia stimulante fratres, dum uterque ad se emolumentum trahere conatur, fra-terno odio inter se dissidere cœperunt, & cum alter-catione congressi ab irarum certamine ad arma venere, jamque parum aberat, quin fratres augustis-simam Deiparæ cellam fraterno cruore consperge-rent, tum Deus in odium tanti sceleris maternam domum ad jactum ferè sagittæ in alium fundum & vicinum quendam collem versus mare submovit, quasi paratam iterum mare transnavigare, nisi odia & inimicitiæ cessent. Ita ferè Horat. Tursellin. in hist. Lauret. lib. 1. cap. 7. & 8. Quid hic dicemus Au-ditores? Nónne illud Salvatoris: *Quia si hi tacue-rint, lapides clamabunt?* Luc. 19. Si non movent nos exempla Hebræorum, Gentilium, bestiarum, parie-tes nos moveant. Cur enim illos Deus amovit à di-scordibus, Angelorū opera, nisi quia Deo & Ange-lis odibiles sunt discordes? Addere possem oleum, quod de corpore sanctæ Walburgæ Eystadii distil-lat per marmoreum eumque densum lapidem. Nā observatum est, & uti P. Gretserus tract. de oleo hoc edito, indicat, quòd, moniales ejus loci quoties in discordiam aliquam inciderunt, toties oleum illud fluxum suum stiterit, donec inter se convenirent. Nimirum hoc est, quod Christus Matth. 18. dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quasi econtrà dicat: Ubi non sunt congregati, ibi & ego non sum; vel certè inde migro. Vade ad Anticyras & reconciliare fratri tuo, eruditus vel ab ipsa ruditate rudioribus lapidibus.

IV. *A creaturis omni sensu carentibus.*

V. Vade ad inferos & Cæcodæmones, & disce ab illis. Hi enim ostendunt se discordiarum aman-tes, imò incentores esse. Patet hoc Marci 5. ubi le-gio ejecta unanimi consensu, cum aliàs inter se liti-garet, 2000. porcos in mare præcipitavit. Et cur? ut Gerasenos inter & Christum schisma excitaret, uti factum, quando ut discederet Christus, rogatus est ab incolis. Vidit hoc etiam S. Franciscus. Cùm enim Aretium Tusciæ civitas mutuis divisa discor-diis semet iret perditum, vir sanctus advolavit pa-cem compositurus, sed suburbii hospitio exceptus vidit Cacodæmones super civitate volantes, festis interim nutibus & gestibus plaudentes, fomitemq; discordiarum ministrantes & accendentes. Mox

V. *Ab inferis & dæmonibus.*

ergo Sylvestrum socium accivit, jussitque accedere ad urbis portam altaque voce atque in virtute obedientiæ Deo debitæ imperare dæmonibus, ut inde se quantocyus proriperent. Imperavit illis Sylvester, & mox paruère, confestim quoque civitas positis armis in mutuam concordiam coaluit. Ribaden. in vita S. Francisci.

Sed cur, dices, gaudet Dæmon hominum discordiis? Facilis est responsio 1. quia ipsa in se grave est peccatum, quando charitatem scindit. Deinde, quia dum dissidiis homines occupantur, ipse interim eos facilius oppugnare & opprimere potest. Quòd si igitur gaudent dæmones de inimicorum discordiis, utique gemunt Angeli & indignatur ipsis Deus.

Quid igitur? nondúmne didicimus pronunciare vocem. *Reconciliare*? Videte ne contingat vobis, quod Ephratæis, qui cùm discordiam concitassent contra Jephtu & Galaaditas, occuparunt Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephratæis transeuudum erat. Ibi ergo, si quis Ephratæus venisset transiturus, cogebatur enunciare vocem *Sciboleth*. Quam si non bene pronunciasset, sed dixisset *Siboleth*, statim velut hostis, è pronunciatione agnitus, jugulabatur in ipso Jordanis transitu Jud. 12. Eodem planè modo, qui discordias cum fratribus gerunt venient aliquando ad transitum Jordanis, ad *fluvium judicii*, & ibi ad quæstionem trahentur à Christo ejusque Angelis SS. ut pronuntient vocem: *Reconciliare* Ac væ ipsis, si non possint. Hoc ergo discamus hîc, ut munus Deo gratum, animas scilicet nostras Deo offerre ad altare cœli possimus.

THEMA QUARTUM.

Justitia falsa vario ex capite.

I. *Quando solum externa est.*
II. *Quando solum interna est, aut potius prætenditur.*
III. *Quando ficta est.*
IV. *Quando politica est.*
V. *Quando coacta.*

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.
Matth. 5.

Videbor forsan alicui Dominica præcedenti multùm nimis dixisse, cùm exegi perfectionē adeoque & sanctitatem à sæcularibus hominibus. Quare hodie taceбo, & alium testem adducam, qui pro me loquatur; & quem, nisi illum, de quo cælestis Pater intonuit: *Hic est filius meus dilectus: Ipsum audite?* Loquere ergo Fili Dei dilecte: Qualis & quanta esse debet perfectio Christianorum? *Amen dico vobis*, inquit, *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quis hîc non contremiscat? Clarum enim est vitam Pharisæorum fuisse inter cæteros Judæos talem, qualis est nunc religiosorū inter Christianos. Multi diu noctuque in oratione erant, bis in septima jejunabant, magnas eleemosynas faciebant, decimas omnium rerum dabant, durè in asseribus cubabant, legem semper præ oculis habebant, in victu & vestitu parci, luxum & voluptatem vitabant. Et tamen istis omnibus cōtentus non est Christus; sed plus adhuc requirit, si intrare in cælum velimus. Nonne ergo videmus, quantam perfectionem à nobis Deus exigat? Quid igitur? num justitiam aversatur? non justitiam, sed falsam & pharisaicam. Sic nos monetam repudiamus adulterinam, non quia moneta, sed quia falsa moneta est. Quænam verò illa falsa & adulterina est justitia? audiamus.

I. Quando solùm externa est, qualis erat Pharisæorum. Timent qui tales sunt, displicere hominibus non Deo; quia illud unicum in se ornant, quod homines aspiciunt, non id quod Deus inspicit, cor videlicet & internum hominem: vestitu incedunt vili, sed corde alios spernunt; non scortantur, sed corde concupiscunt: neminem lædunt, sed odium clam fovent; parcè domi vivunt, sed inhiant alienis conviviis. Scimus inter immunda animalia cygnum quoque reprobatum esse Levit. 11 quia nimirum candorem gerit in plumis, subtus pellem & carnem habet nigram, duram, digestu difficilem. Hujusmodi sunt illi, quos dixi, Pharisæi, foris albi, intus nigri. Quid verò tibi videretur, si quis hospitem habiturus Regem, omnia quidem ministrorū ejus conclavia emendaret atque ornaret; ipsius verò Regis conclave sordibus plenum relinqueret? Num in tale hospitium Regem intraturum putas? Heli sacerdoti Deus iratus fuit, & varias plagas intulit, quòd magis honorâsset filios suos, quàm se. 1. Reg 2. *Quia magis honorâsti tuos quàm me, præcidam brachium tuum & brachium domûs patris tui, ut non sit senex in domo tua. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Cor conclave Dei est, exterior conversatio ad homines spectat. Deo igitur præ omnibus cor præparandum & expurgandum est. Unde Ecclesiastici 2. dicitur: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Præparantur corda, cùm ab omni peccatorum sorde purgantur, & hoc ob conspectum Dei, cui nihil displicet nisi peccatum, idque multò maximè. Induit Heli filios suos ornatis quidem Levitarum vestibus, sed non expolivit eorum animos; timuit correptione eos contristare, & non curavit contristare templum Dei, peccatis ipsorum fœdè profanatum. Ipsi etiam filii corpore ornati, animo inquinati in templo incedebant; quia Deum corda rimantem non timuerunt, ideò morte repentina extincti sunt, tam filii quàm parens.

II. Quan-

II. Quando solùm interna est vel potius esse rætenditur. Vult enim Deus sic lucere lucem no-ram coram hominibus, *ut videant opera vestra bo-a & glorificent Deum* Matth. 5, Propterea voluit)eus tabernaculum fœderis non intus tantum or-atum de auratum esse, sed foris etiam pellibus hya-nthinis, cœli colorem referentibus coopertum. xod. 26. *Deaurabis eam auro mundissimo intus & ris.* Cur hoc? quia & interiorem & exteriorem ho-inem vult benè esse compositum. Hinc sponsam udans sponsus Cant, 1. ait. *Ecce tu pulchra es amica ea, ecce tu pulchra es* Et rursum cap. 4. *Quàm pul-ra es amica mea. quàm pulchra es!* Cur utroque in co bis pulchra dicitur? Quia sponsus vult, *ut sit lchra in op ribus exterius, & in animo interius,* ait ossa Interlin. Vult ergo Deus non solum corde ligi proximum, sed opere. Vult non solum cor-credi, sed ore etiam confessionem fieri ad salu-m. Vult corde nos esse humiles, sed etiam cul-m externum cordi non dissonare. Vult corde esse brios, sed & victu tenui contentos. Vult ex corde mitti injurias, sed nec verbò nec opere vindicari. xterna enim opera indicant de internis. B. Tibur-is martyr, socius S. Sebastiani, cùm quendam Tor-atum nomine, Christianum se profitentem, & ca-llos gestantem super apicem frontis, tonsoris arte mpositos cerneret, Fabiano præfecto, antè quem stebatur, ait: *Credisne illustrissime vir, hunc esse hristianum, qui in sui lenocinio molliendo capitis nbrias admittit? qui tonsorem diligit? qui schapulis olliter gestit? qui fluxum gressum improbo nixu di-endit? qui negl ctis viris fœminas curiosius intue-r? nunquid tales pestes Christus dignatus est habere rvos suos?* apud Baron. ann. 286. n. 16. Neque di-t quis externum splendorem adhiberi solùm, ut onsulatur honori & familiæ, vitentur hominum btrectationes &c. Timor enim hic perversus est; uia perfecta charitas pellit timorem. Hinc lepus iter immunda animalia censūs & repudiatus est, evit. 11. quia timidos significat in obsequio divi-o.

III. Quando est ficta & fucata, directa vel ad anam gloriam vel ad alios fines temporales, ut ùm aliqui eunt ad templum, ut videant homines, udiunt concionem, ut judicent; dant eleemosy-as, ut divites videantur; jejunant ut parcant sum-tibus; peregrinantur, ut fabulentur aut compoti-ent: velut Iudæi illi Ierosolymitani, qui exierunt n Bethaniam, non tam ut Christum, quàm ut Laza-um viderent. Quid de hac justitia dicemus? Id ni-nirum quod Aggæus c. 1. ait: *Qui mercedes congre-avit: misit eas in sacculum pertusum.* Vidit ali-quando B. Arsenius Angelum in eremo sua dicen-em: *Veni ostendam tibi opera hominum.* Ivit ergo & vidit Angelum inter alia fundentem aquas in ca-talem pertusum, unde mox effluebant: *Sic agunt ho-mines,* inquit Angelus. Quinam verò illi? qui opera sua bona faciunt ob terrenos fines; mox enim effluit, quod infundunt. Nota est historiola illius advenæ, qui in hospitio diversatus, cùm nil ei foret appositum, symbolum tamen ab hospite postulatus est. Qui cùm nil debere, quòd nil edisset aut bibisset, se diceret, hospes ipsum saltem nidore ciborum satiatum asseruit. Quare alter monetam deprompsit & sæpiùs in mensam projecit, ut tinnitum ederet. Tum ex hospite quæsivit, an placuisset is tinnitus: Asserente illo, *En,* inquit, *talem tu solutionem accepisti, qualem mihi cœnam dedisti.* Pari moneta solvetur aliquando talibus, qui Deum vano operum simulachro pascunt, juxta id Iob 8. *Spes hypocritæ peribit.* Non potest placere uxor marito, quæ alteri se comit. Et quomodo placebit Deo, qui non ut ipsi, sed hominibus placeat; aut ut sibi consulat, laborat? Ab illo ergo mercedem petere debet, cui placere studuit.

IV. Quando politica est ad vulgi placitum se accommodans; quia nimirum ita cursus mundi vadit, cui se conformat quovis loco & tempore, non ut Dei gloriam, sed sua commoda quærat. Qui hanc justitiam sectantur, similes sunt Tarando, feræ apud Gelones seu Tartaros, bovis magnitudine, capite cervino, quæ ad oves locorum & fruticum, quibus adhæret, formas villi densi colores, quibus hirtum corpus vestitur, immutat; utique ne à venatoribus facile videatur & capiatur. Plin. l. 8. c. 34. Caussin. l. 7. symb. c. 10. Sic enim politici ut se servent & pabulum sibi quærant, omnium, quibus adhærent, moribus se accommodant. Qualis vero hæc sit justitia, declarat Isaias cap. 64. cùm in persona talium ait: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Vatablus & alii legunt: *Quasi vestimentum centonum universæ justitiæ nostræ.* Quemadmodum enim mendici vestem sibi ex variorum colorum centonibus consuunt, ut eleemosynam conquirant: ita politici, ut favores, opes, honores sibi parent, omnibus sectis, omnibus opinionibus & mundi consuetudinibus sese accommodant. Ut ergo talis vestis Principis conspectu indigna est, sic talis justitia Deo exosa. Hujusmodi fuit Saul Rex, qui ut regium sceptrū & existimationem sibi conservaret apud populum, ejus nutui se accommodavit contra Dei mandatum, servando optima quæque ex præda Amalec, quæ una cum cæteris vastari Deus præceperat. Unde deprehensus culpam Samueli fatetur: *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini & verba tua timens populum & obediens voci eorum.* 2. Reg. 15. Rogat insuper Samuelem, ut veniat secum ad sacrificandum Domino: quo suam apud populum retineat existimationem & nomen, pleneque videatur implesse præceptum Dei, quod accepit. Itaque & pœnitentia ejus ficta & politica tantum fuit; utpote non dolentis de offenso Deo sed timentis amissionem famæ & regni sui. Ideò à Deo reprobatus fuit & meritò. Persuadere quidem conatus est Samueli, se implevisse verbum Dei: *Benedictus tu Domino: implevi verbum Domini,* interim à vocibus gregum, qui sequebantur, proditus est, & mendacii

IV. Quando politica est.

dacii redargutus à Samuele: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis?* Ita licet isti laborent suam palliare justitiam, produntur tamen & mendacii arguuntur à voce, oculo, incessu petulanti &c. à pupillis & viduis, quos oppresserunt, à prædis & rapinis suis. Tales verò erant & Iudæi aliqui, omnium ferè gentium idola subinde adorantes, unde comparat eos Jeremias meretricibus, quæ se obviis quibusvis viris substernebant, uti c. 2. *In omni colle sublimi & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Et cap. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*: Idolis scilicet variis. Quis autem talem meretricem nulli certò adhærentem marito recipiat? quis non spernat & expellat?

V. *Quando coacta.*

V. Quando coacta. Scrmus enim Exod. 25. præcepisse Deum, ut acciperentur ad fabricationem arcæ & tabernaculi primitiæ ab ultroneis: *Ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas.* Et Moyses legem promulgans inquit: *Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino.* Exod. c. 35. Verum Iudæi tempore Christi plerique ex timore servili dumtaxat legem observabant, quod nequaquam Deo placuit. Tibine placeret, qui rem tuam tibi reddere jussus, abjiceret in lutum & abiret? Certè hoc modo Iudas, à carnifice conscientia coactus restituere, quos sacrilegè acceperat argenteos, projecit in templum & abiit. Matth. 2. Similiter & Dæmon compulsus à Christo, ut dimitteret hominem, quem obsederat, projecit illum in medium & deseruit. Luc. 4. nec non & puerum illum, Luc. 9. manifestè indicans quàm ægrè quamque invitus imperata faceret. Quis autem dicat illam Judæ restitutionem, vel hanc Dæmonis obedientiam ulla ratione Deo placuisse? vel laude aliqua dignam fuisse? Sanctus Gregorius l. 3. Dial. c. 16. scribit solitarium quendam Marcium nomine in monte Marsico Campaniæ habitasse in specu; *ubi catena sibi ferrea pedem ligavit eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi, quam catenæ ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens ei per discipulum suum mandare curavit: Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Marcius protinus eundem compedem solvit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum, qui hunc tenere ligatum consueverat, atque in tanto se spatio sine catena coercuit, in quanto & anteà ligatus mansit.* Libere quidem non coactè sese ad catenam alligarat iste, ne tamen aliquando facti pœnitens necessitati alicui subjaceret & coactus pateretur, quod sponte elegerat, suasit Benedictus ut depositâ catena per omne tempus & in singulis suis actionibus meritum augeret. Hac de causa etiam sanctus Polycarpus, ut omni ex parte voluntarium Deo sacrificium in suo martyrio offerret, cum in rogo comburendum affigere carnifices clavis vellent, renuit & dixit: *Sinite me hoc modo, Nam qui mihi patientiam ad ignis flammas sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiam, ut sine commissuris clavorum, quibu[s] me affigere statuitis, constans absque ulla corporis cō[m]motione rogo adhærescam.* Idcircò eum non clavis, sed vinculis solùm ligarunt. In vita apud Sur. 26. Ian. Rationem exponit S. Basilius homil. 9. Quod Deus non &c. *Et tu*, inquit, *servos, non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse, tibi existimas sed cùm sponte omnia, quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte sua virtuteque illi obtemperat. Virtus enim ex voluntate perficitur, non ex necessitate.*

Quare, Auditores, videmus quanto jure nobis timere debeamus, ne fortè in judicio coram Deo reprobi inveniamur, qui justi nobis hic videmur. Audimus enim Dominum dicentem Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo,* Tunc fiet quod 1. Pet. ait sanctus Petrus: *Iustus vix salvabitur* h. e. multi qui se justos putant, non salvabuntur, aut difficilè. Quando mercatores sciunt ipsa pondera ulnas & mensuras à Magistratu examinandas, tempestivè sibi provident, easque prius ipsi examinant sic agendum nobis. Justitiæ nostræ examinandæ sunt. Itaque ne deprehendantur injustæ, *sitis integri & perfecti, in nullo deficientes,* ait sanctus Jacobus. c. 1.

THEMA QUINTUM.

Iræ alienæ incendio quomodo occurrendum.

I. Ignis gliscentis suffocatione.
II. Blanda & molli r sponsione.
III Abscessu illius, cui alter irascitur.

Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Matth. 5.

TRemendum profectò quin & severum nimis videre possit hoc supplicium, iracundiæ destinatum, ignis gehennæ videlicet: nequaquam tamen est injustum. Quid enim judicant homines, cùm quem audiunt alienis vel propriis etiam ædibus merâ petulantia vel nequitia injecisse ignem? nonne omnes clamitant, medios in ignes injiciendum incendiarium, ut patiatur id, quod fecit? Atqui ira, qua se quis inflammat, quid nisi ignis est? quid ex oculis, ore, naribus, vultu, nisi ignem spirat? Ita enim Nahum 1. v. 6. dicitur: *Indignatio ejus effusa est ut ignis.* Idem variis in locis testatur sanctus Chrysostomus, uti homil. 30. ad populum. *Ignis est*, inquit, *vehemens ira, omnia devorans: nam & corpus perdit & animam corrumpit*: Et hom. 3. in Joan. *Vehemens ira affectus est & omni flamma vehementior.* Et hom. 25. in Ioan. *Ita vehemens ignis est,*

t, omnia consumit &c. Denique & Arist. 1. de a- ima, iram dixit esse accensionem sanguinis circa or. Quod cùm ita sit, quid mirum, si iracundus, qui corde suo ignem hunc accendit, igni adjudice- ur? Quid igitur hic remedii, cum tale incendium ritur in aliquo? Itane spectatores tantùm illius in- endii erimus? Absit à Christianis ista barbaries at- ue inhumanitas; quin imò modis omnibus colla- orandum nobis, ut hic ignis sopiatur, quampri- ùm fieri potest: eo enim consopito, sopiemus i- nem inferni, qui hominem iracundum alioquin xpectat. Videmus certè in civitatibus passim affer- ari instrumenta & vasa varia restinguendis incen- iis, scalas, harpagones, æneos cacabos, coriaceas mphoras & similia: adhiberi quoque varias indu- trias, aquam affundi, materiam igni subtrahi, æ- es dirui &c. Provideamus igitur & nobis de hu- usmodi suppellectile & discamus aliquot industri- s, quibus sopiamus in proximis nostris ignem ira- undiæ.

I. Ignis ad initium priusquam invalescat in in- endium, suffocatione facillimè extinguitur. Hoc ensu existimat Petrus Ravennas dictum à Domino Matth. 5. *Dico vobis non resistere malo.* Ait enim: *tique Christianis hoc dicit: Vult nos vitia non com- ensare vitiis; sed superare virtutibus, in ipsis adhuc cint llis iram extinguere: quæ si pervenerit ad to- um furoris incendium, sine sanguine non sedatur*, q. d. ra proximi cùm adhuc quasi in favilla est & ena- citur, facilè extingui, quasi aqua, potest: ubi verò reverit, non nisi sanguine extinguitur. Idem pul- ch. a similitudine explicat Plutarch. in tract. de ira cohibenda. *Sicut flammam*, inquit, *pilis leporis, elly- chnio aut paleis accensam facile est inhibere: ubi ve- rò solidas ac crassas res corripuit, celeriter absumit: ita qui iram ab initio animadvertit &c. is non magno opus habet labore, sed plerumque ipso silentio & con- temptu oppressit.* Suffocabimus autem iram proxi- mi, si irascenti nihil obloquamur adeoque non resi- stamus. Unde S. Ambros. l. 1 de offic. c. 21. *Noli re- spondere irato*, inquit; *citò culpa culpam excutit; si lapidem teras; nonne ignis erumpit?* Siquis enim ma- ledictum maledicto, convicium convicio retorque- at, vel quidvis aliud asperum irascenti respondeat, procul dubio ebullienti flammæ ostium aperit, ut incendium erumpat. Quod si cum rixante rixari ve- lis, silicem silice teres & ignem elicies. Præclarum hujus rei exemplum dedit non de plebe, non de se- natu unus; sed regia dignitate conspicuus Alphon- sus Rex Aragonum. Huic namque *Capuam cum ex- ercitu transeunti miles quidam ira effervescens in foro ipso obviam factus, comprehensis equi loris Re- gem sistere coëgit, neque prius dimisit, quàm quæ li- buisset, in Regem etiam armatum petulanter effudis- set. Rex nihilo magis animo commotus, ire perrexit convitiatorem ne paululum quidem conspicatus;* Ita Panorm. in ejus factis l. 1. Nimirum optimè ait S. Chrysostomus homil. 47. in Joan. *neque febribus laboranti aut gravi inflammatione quisquam irasci- tur, sed his morbis affecti, sui misericordiam & la- chrymas movent. Hujusmodi est iratus animus, qui si in te rosiliet, tace & opportunam ei plagam infliges. Si contumeliam contumelia prosequeris, ignem exci- tabis.* Et rursum homil. 16. in Matth. super id; *Qui autem dixerit fatue*, ita scribit: *Sicut manente ami- citia, etiam quæ molesta sunt, levia ducuntur: sic ini- micitiis obortis levia quæcunque pro gravissimis au- diuntur. Nam etsi simpliciter aliqua dicuntur de malo tamen animo prolata creduntur; atque ut in igne cũ scintilla exigua est, etsi plurimum lignorum admove- as, non ea facilè comprehendit, si verò satis in excel- sum flamma consurgat, non jam ligna, sed & saxa & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat: & per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accendi- tur &c. ita accidere etiam in ira solet, Quidquid ali- quis dixerit, continuò pabulum pessimi hujus afficie- tur incendii.* Tantum igitur abest, ut per resisten- tiam iratus componatur, ut magis exacerbetur. Nam ut ait Sapiens Proverb. 27. *ferrum ferro exa- cuitur: & homo exacuit faciem amici sui.* Rursum Auctor op. imperf. hom. 12. *Iracundia per iracun- diam non compescitur*, inquit, *sed irritatur: quemad- modum si ignem cum igne conjungas, major flamma succenditur.* Pelicani nido ignem aucupes injici- unt; quo viso advolat & alarum quassatione ignem conatur restinguere, sed interim magis accendit, & simul amburit alas suas, teste Pierio l. 20. hierogl. c. 61. Pari modo qui iratum volunt compescere ob- jurgatione, correptione, clamore: plerumque irritant magis, quam mitigant, adeoque etiam ipsi involvuntur eo jurgii incendio & comburunt se.

II. *Blanda & molli responsione.*

II. *Ignem ardentem extinguit aqua*, inquit Ec- clesiasticus c. 3. & nihil homini notius quàm aqua- rum effusione incendia restingui. Silentio quidem, ut diximus, videtur securissimè suffocari ignis ira- cundiæ, proximum tamen ad hoc remedium est, quod tradit Sapiens Proverb. 15. v. 1. *Responsio mol- lis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Tor- mentorum jacula molli lana excepta vim suam per- dunt: fulmen quoque in re molli evanescit. Cui sen- tentiæ accedit S. Chrysostomus hom. 3. de Davide & Saule eam sic declarans. *Quemadmodum*, inquit, *si inflesin scintillam ignis, excitas incendium: contra si spuas extinguis; & utrumque tibi in manu est, quo- niam utrumque ex ore tuo proficiscitur: Idem fit & in inimicitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones excitas ignem, accendis carbones: sin mites ac moderatos admoveas sermones, priusquam exarde- scat, ignem omnem extinxeris.* Elephantes capti dif- ficilè edomantur: si vinculis constringantur, ma- gis feroces fiunt: neque deliniuntur cibariorum il- lecebris: quod tamen Indi instrumento musico, quod *scinapsum* vocant, vernaculam eis accinant, tunc aures arrigunt & sensim mitescunt cibumque objectum accipiunt. Ælian l. 12. de animl. cap. 44. Quid ferocius erat Saule? Hic tamen à David de, quem cane pejus oderat, blando sermone edomitus fuit,

fuit, quando post se clamantem audit: *Domine mi Rex*. 1. Reg. 42. v: 9. *Levavit enim vocem suam & flevit*. ibid. v. 17. *Vide*: inquit S. Chrysostomus loco cit. *quantum fecerit lucri David hac locutus. Animum sanguinis ac cædis sitientem repente ad lamenta & ejulatus compulit*. Neque solum lachrymas ab hoc silice excussit, sed eo etiam adegit, ut filii nomine ab eo compellaretur: *Nunquid*, ait, *vox hæc tua est fili mi David*? Quin & in tutorem filiorum ejus quasi adlectus est, dicente illo: *Iura mihi ne deleas semen meum*. Eadem arte placavit Iacob infensum sibi fratrem Esau, Gen. 32. cum appellavit dominum suum: *Præcedat Dominus servum suum*, v. 14. Ubi Chrysostomus homil. 58. in Gen. *Nihil*, inquit, *mansuetudine violentius: nam sicut rogum, cum valde accenditur, aqua injecta restinguit: ita & animum camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit*. Quibus accedit Abigail illa, quæ Davidis iram, jam se accingentis ad extinguendum Nabal, blando sermone adeò mitigavit, ut hoc responsum ab eo exprimeret: *Benedictum eloquium tuum & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem & ulciscerer me manu mea*. 1. Regum. 25. Sed audiamus hanc artem bene edoctos. Exemplum unum refertur in Prato spirit. cap. penult. in hæc verba: *Narravit nobis Abbas Sergius dux monasterii Abbatis Constantini, dicens: Cum aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene, erravimus de via & neque scientibus nobis neque volentibus, inter sata inventi sumus, & aliqua de satis volentes nolentesque calcavimus. Quod cum vidisset agricola (erat enim illic operans) cœpit contra nos injuriosa multa proferre cum iracundia dicens: Vos monachi estis? vos timetis Deum? Si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profectò non fecissetis. Tunc ait nobis S. senior: Per Dominum nullus ei respondeat. Conversusque ad illum dixit: Rectè locutus es, fili mi, Nam si timorem Dei haberemus, non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumeliis impetebat nos. Rursumque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili, nam si veri monachi essemus, istud non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis quoniam peccavimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem, accessit propius, prostravitque se ad pedes senis, dicens: Peccavi, indulge mihi: & per Dominum assumite me vobiscum. Dicebatque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus, & acceperit habitum*. Sed quid mirum hoc præstare Christianos, quibus lex hæc mansuetudinis à Christo Domino adeò inculcata est? Id potius mirandum, etiam inter Gentiles repertos fuisse artis hujus non tam studiosos, quàm Magistros. Invitarat aliquando ad mensam Socrates Euthydemum, & intervenit Xantippe rixosa conjux Socratis consuetis suis jurgiis, contentionibus & convitiis, mensamque evertit: Cernens hoc Euthydemus ira percitus cum indignatione surgens abitum parabat. Cui Socratus. *Nonne nuper apud te idem fecit gallina involans in mensam; me nihil indignante?* Sic iram Euthydem[i] extinxit & in risum convertit. Plut. de cohib. ira. Verè igitur *responsio mollis*, seu ut alii legunt, *jocos[a]*, *frangit iram*.

III. Ignis incendii sopitur, si materia ei subtrahatur, quæ alit ignem; ut si domus diruatur &c. Iracundia etiam proximi sedatur, si qui bilem e[i] movit, vel cui is irascitur, ab irato se subducat. Ho[c] voluisse Apostolum, quando ad Rom. 12. scripsi[t] *Date locum iræ*; sentit D. Ambrosius l. de Joseph c. 13. quasi dicat Paulus: *Declinemus eam ne nos ill[a] corripiat*; velut ignis videlicet, qui fortè succensu[s] in exitiale gliscit incendium & obviantes sibi co[r]ripit. S. Basilius etiam in regulis brevior. Interrog. 244. quærit: *Quid est, dare locum iræ?* & respond[et] *non resistere malo. Vidit illud: Cum autem persequen[]tur vos in ista civitate, fugite in aliam*. D. verò An[]selmus in eum locum: *Ille dat locum iræ*, inquit, *q[ui] iram superbientium humiliter fugiendo declinat, no[n] se contra acceptas contumelias erigens, sed de loco p[]humilitate recedens*. Eadem doctrina est S. Grego[]rii 3. p. pastor. c: 17. *Iracundos*, inquit, *melius corr[i]gimus, si in ipsa iræ commotione declinamus. Pertur[]bati enim quid audiant, ignorant. Sed cùm ad [] redeunt, tanto libentiùs exhortationis verba recipi[]unt, quantò se tranquillius tolerari erubescunt*. Ru[r]sum S. Ambrosius l. 1. offic. c. 5. *Hæc sunt arma ju[]sti, ait, ut cedendo vincat, sicut periti jaculandi cede[n]tes solent vincere & fugientes gravioribus sequen[]tem vulnerare ictibus*. Sic vicit Iacob fratrem suu[m] Esau, sic vicit David Saulem, sic Christus Judæo[s] ipsum lapidare volentes, Tauro furioso, equo fero[] cienti, cum discurrunt per plateas, cedimus, & ne[]quaquam inde erubescimus: eccur igitur pudo[r] si fugere iracundo, cùm ab illis brutis nihil diffe[]rat. Non fuit dedecus Josepho fugere ab hera castitatis insidiatrice, sed magna potius gloria. Pari ra[]tione & gloria fugimus iracundos. Unde auctor Op. imperf. homil. 12. ait. *Sicut Ioseph dimisit palliu[m] in manu meretricis: ita & tu projice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliore velamento justitiæ; ne fortè dum vis vendicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas*.

Intellexerunt etiam hoc nonnulli Gentiles, quorum erat hoc celebre adagium: *Ignem gladio ne fodito*. h. e. ne iratum concites, nec materiam ei subministres, qua magis irascatur: Et illud: μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ h. e. *ne ignem igni adjicias*; quod clamasse carbonarium quendam, cùm ignem fornacis igni adjecisset, indeque accensus conflagraret, refert Diogenianus. Plutarchus quoque l. de cohib. ira. *Ira*, inquit, *his vehementius incitatur, quæ faciunt aut dicunt irati; proinde quiescere optimum est aut effugere, aut occultari, & sese ad silentium velut in portum recipere, sicut solent, qui epilepsiam oborientem senserunt*. Quod si tamen aliquis omninò sibi persuaserit, turpem esse hanc fugam, revera lau-

udatissimam, permittam ei, ut irato sese opponat, dqua ratione? Qua S. Guido Abbas Pomposia-us occurrit Heriberto, Ravennatum summo Anti-iti, iras coquenti, nescio qua de causa, in ejus mo-isterium, manu armata destruendum. Quod cum aures sanctissimi viri perlatum esset, triduanum nnibus jejunium indixit, positisque laneis vesti-s, cilicinis omnes indui voluit; hortatusque est os, ut precibus & lachrymis pugnarent; nec du-arent, quin iis facilius armis quàm gladio & cly-o de inimicis victoriam obtinerent. Quod sanè lchrè consecutum est. Nam cùm illi toto illo tri-o humi cubantes in cinere & cilicio assiduò Do-ni misericordiam implorarent, & Archiepisco-s præcipiti mente, ad tyrannidem exercendam niret, statim obviam ei cum timore processerunt, ue in Ecclesiam summo cum honore illum per-xerunt, cum ille repente animo ita commutatus, ut profusa ingenti lachrymarum vi scelus suum testaretur, fratresque perpetuò sibi amicitiæ fœ-re ita copularet, ut nullæ deinceps inimicitiæ il-l violaverint. Ita Lipelous 31. Martii in vita S. uidonis. Qua ratione? qua Petrus Abbas Caven-occurrit Rogerio castri S. Severini domino, qui ipse cœnobium ejus variè affligens, agrum unum pturus cum armis advenerat. Verum *Petrus in ursum ejus ad agrum tuendum egressus, fratres se-m duxit, cum quibus psallere instanter cœpit. Ille am minas suas pravitate vincere gestiens, cum ar-torum manu in locum venit, cogitans quia is, qui nas suas seminando contemneret, ad eundem agrū armatorum præsidio non venisset. Sed cum propius ederet, contra se non mucrones ensium, sed missile tionum vidit. Tunc illud saxeum pectus à feritatis duritia emollitum est, sola enim religionis contemplatione superatus, arma projecit, de caballo descendit, atque ad sancti viri vestigia projectus, suæ temeritatis veniam postulavit.* Ita habet ejus vita apud Sur. 4 Martii. Qua ratione? qua similis alius Abbas occurrit alteri cuidam hosti sui monasterii, de quo hæc scribit B. Petrus Damiani in epist. ad Oldericum Episcopum l. 4. Epist ep. 9. *In Galliarum finibus audivi, inquit, gestum fuisse, quod refero. Inter Abbatem & quendam sæculi præpotentem orta est non levis de possessione contentio. Cumque à partu utriusque fautoribus nimis diu certaretur, & jurgiis, tandem ut armis ageretur utrimque condictum est. Et sæcularis quidem paratis militum copiis campum præliaturus ingreditur, acies struit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator inflammat. Silvescunt omnia gladiis, rubent clypei, vociferantium clamor attollitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt, tela stringuntur, & solus adversæ partis impetus ad congruendum accensis manibus expectatur. Abbas autem non in armis terrenis spem suam, sed in humanæ salutis auctore constituens, cunctis, qui pro se dimicare convenerant, suum prohibuit comitatum; solos autem monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri præcepit, sicque cum illis, velut galeatis & loricatis fidei munimento Crucisque vexillo ad locum certaminis venit. Cumque vir ille non ferrea, ut sperabat, arma conspiceret, sed tanquam cælestem atque Angelicam aciem adventare cominus advertisset, tantus eum cum suis omnibus divini timoris horror invasit, ut desilientes de equis, protinus arma projicerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Sic, sic nimirum titulos victoriæ triumphalis obtinuit, qui non in frementibus equis, non micantibus gladiis spem posuit, sed ex divina tantum potentiæ virtute præsumpsit.*

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Quamobrem Christus miraculo multiplicārit panes*

II. *Vulgus seu turba hominum commiseratione digna.*

III. *Pœnitentia, quæ in mortis articulo fit, suspecta.*

IV. *Quomodo verbum Dei audiendum.*

V. *Septem media ad proficiendum.*

* *
*

THEMA I.

Quamobrem Christus miraculo multiplicārit panes.

I. *Vt se Deum esse Iudæis ostenderet, qui olim eos pavit.*

II. *Vt spem nostram in Deum erigeret.*

III. *Vt indicet necessarium nobis esse pabulum verbi Dei.*

IV. *Vt hoc miraculo præluderet institutioni S. Eucharistiæ.*

V. *Vt ostenderet divitibus rationem multiplicandi opes suas.*

Manducaverunt & saturati sunt.
Marci 8.

PRopheta Isaias, qui vitam & miracula Christi tam dilucidè descripsit, quasi non tam Propheta, quàm Evangelista foret, tetigit etiam aliquid de hodierna refectione capite trigesimo cùm ait: *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam brevem: & non faciet à te avolare ultrà Doctorem tuum.* Per panem intelligit cibum. per aquam potum, qualemcumque illum, phrasi Hebræa. Jam verò ubinam Salvator noster cibum dedit populo, nisi in hodierno Evangelio? Ubi potum nisi in Cana Galilææ? Utrobique selectissimum & suavissimum, & quidem miraculo provisum. In nuptiis Canæ habitis, extollebant vinum, velut præstantissimum: in convivio hodierno panis fuit tam sapidus, ut rapere Christum vellent, qui ex eo comederunt, & creare Regem. At verò *panis* iste *arctus* fuit, & *aqua*, seu vinum nuptiale *breve*: quia panis hic non nisi bis datus in solitudine & uni turbæ; vinum verò illud non nisi semel, paucis convivis ad finem convivii & ad brevissimum tempus. Et cur hoc? ne, si constanter exhiberentur, facerent ab illis avolare Doctorem suum & gignerent in eis nauseam verbi Dei, extimulando carnalem appetitum; quod jam fieri cœpisse Dominus ostendit, cùm postea eis dixit: *Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.* Joa. c. 6. Voluit tamen semel & iterum Dominus panem hunc arctum dare ob causas mox indicandas.

I. Ut se Deum esse Judæis ostenderet qui olim eos pavit.

I. Ut fidem in DEUM excitaret & imprimis ostenderet Hebræis se esse verum Deum adeoque illum ipsum, qui olim pavit eorum patres in deserto (cujusmodi locus & iste erat Matth. 15. *Unde nobis in deserto panes?*) per quadraginta annos, misso cælitus manna. Tametsi enim Elisæus quoque Propheta 20. panibus hordeaceis centum viros saturavit 4. Regum 4 id tamen non nisi ipsius precibus à Deo impetratum esse indicavit ipse, cum dixit: *Hæc dicit Dominus: Comedent & supererit.* At verò Christus nihil simile effatus est quando panes multiplicavit, sed per potestatem excellentiæ sola benedictione sua panes auxit & de novo produxit, ut demonstraret se esse Deum, qui ab initio mundi creati benedixit terram, ut proferret fruges, aquam ut pisces &c. Unde sanctus Augustinus tract. 24. in Joannem ait: *Quis enim & nunc pascit universum mundum: nisi ille, qui de paucis granis segetes, creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes; potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.* Hinc utique accepit Christus panes multiplicandos priùs in manus suas, ut inde quasi è terræ gremio fruges, vel e aëre manna effunderet in discipulorum sinus & mensas discumbentium; Elisæus autem panes nequaquam tetigit, sed allatos præcisè apponi jussit, ut ostenderet se ministrum tantum & instrumentum illius esse miraculi. Neque vero ob hoc solo fecit Judæos Dominus, sed ob omnes omnino mortales, ut ex hoc miraculo agnosceremus & cum gratiarum actione diligeremus eum, qui non minore miraculo quotidie nos pascit frugibus terra mirabiliter productis. Unde subjicit Augustinus: *Hoc ergo admotum est sensibus, quò erigeretur mens, & exhibitum oculis, ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur & erecti ad fidem & purgati per fidem etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibiliter nosceremus.* Certè nequaquam minus, sed potius majus miraculum esse videtur, multiplicari nobis semina in gremio terræ quæ alioquin corpora sibi mandata absumere & devorare solet, quàm multiplicari panes in manibus Christi, qui *aperit manum suam, & implet omne animal sua benedictione.* Et tamen videntur pauci mortales beneficium hoc, indeque Deum benefactorem suum agnoscere & debita gratitudine colere. Hebræi certè accepto manna, stupentes dixerunt *Manhu? manhu? quid hoc? quid hoc?* Et cùm non minori miraculo pascat nos Deus quotidie pauci mirantur & gratias agunt. Quod sanè mirum est. Quis enim cum Paulo Eremita sedens in specu, vel cum Daniele in lacu, si quotidie acciperet panem & victum suum, seu à corvo seu ab homine peregrino, non miraretur & laudaret suum benefactorem? quis videre eum non cuperet, qui hæc ipsi mittit? quis vel ignotum etiam non maximè diligeret? quis non quotidie diceret seu cum Daniele: *Recordatus es mei Deus & non dereliquisti diligentes te?* Dan. ult. seu cum Emerita: *Eja Dominus prandium nobis misit, verè pius, verè misericors?* Vel cum sene illo Jacob: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem?* Gen. 48.

II. Ut spem nostram erigeret in Deum, qui inprimis suos in defectu humanorum auxiliorum adjuvare soleat præsidio divino, & præsertim eo temporis momento, cùm res in angusto & desperatione conclusæ videntur. Hanc rationem affert Victor Antiochenus in hod. Evang. *Etenim,* inquit, *cùm panes non haberent, post triduanam perseverantiam neque commodè in deserto habere possent citra detrimenti cujuspiam periculum, impransi dimitti non poterant. Quòd si ejusmodi necessitas non urssisset, Servator utique consuetam miraculorum virtutem hic non ostendisset: siquidem turba non sectabantur illum propter corporalem annonam: sed propter spiritualem escam.* Similiter Chrysostomus in Matth. cap. 15. *Non in prima,* inquit, *die, neque in secunda miraculum fecit: sed expectavit, ut omnibus* con-

consumptis indigentia coacti majori admiratione factum prosequerentur &c. Planè ad eum modum (ut hinc etiam Judæi possent agnoscere suum altorem, quem olim habuere per desertum) quo in solitudine peregrinantes olim non acceperunt manna de cælo, donec omnis farina, quam tulerant de Ægypto consumpta, adeoque fames (neque enim serere aut metere in solo alieno & sterili poterant) coorta esset, post dies nimirum triginta, quibus duravit farina ex Ægypto sublata, teste Josepho. Vult enim Deus, ut prius quàm succurrat appareat nostra Indigentia & necessitas, ne alteri quàm ipsi præstitum adscribamus auxilium. Qua eadem causa noluit in Cana subministrare vinum prius, quàm appareret vini defectus: non succurrit Sarephtanæ per Eliam augumento farinæ, nisi in necessitate extrema, cùm jam non plus haberet, quàm pugillum unum. 3. Reg. 17. Neque viduæ alteri per Elisæum incremento olei, nisi postquam omnibus rebus exuta fuit, usque ad paucas olei guttas, quibus inungi facies posset. 4. Reg. 4. Susannam non prius eripuit, quàm ad mortem duceretur. Dan. 13. Discipulos in mari periclitantes, non antequam clamarent: *Præceptor perimus.* Luc. 6. Paralyticum tum demum sanat, quando se ab omnibus derelictum dixit, Ioan, 8, Alioquin enim ingrati homines vel sibi vel fortunæ, vel præcisè naturæ & necessariis causis liberationem & salutem suam adscribunt. Quare ne miremur, si Dei manum auxiliarem necdum sentimus, quia ut videtur, necdum extrema patimur. Adhæc præ cæteris attendit ad eos, qui in ejus obsequio se occupant, vel ejus causa patiuntur aliquid. Hanc causam ipse Dominus indicat, cum ait: *Quia ecce jam triduo sustinent me* Numerat ergo dies, quibus in servitio ejus distinentur pii, ut velut mercenariis sua causa laborantibus dignam rependat mercedem. Experti sunt hoc quotquot scimus propter Deum aliqua vel egisse vel sustinuisse. Elias in exilium actus ob prophetiam suam, pastus est à corvis & vidua 3. Reg 17, Daniel in leonum lacum ob invocatum Deum positus, refocillatus pulte Habacuc. Dan. ult. Sanctus Paulus Eremita in solitudinem ob fidelium persecutionem compulsus, à corvo quotidiano pane altus. Sancta Catharina Virgo & Martyr, per 12 dies à columba in carcere sustentata. Sanctus Hermannus pro Dei obsequio iter agens optimum vinum in summa lassitudine è vacua lagena bibit; aliique innumeri. Eadem de causa Hebræi, quia Deo vocante Ægyptum deseruerunt, ut in deserto ipsi sacrificarent, ibidem miris modis sustentati sunt; ut diximus. Non minore Dei providentia Christiani anno Domini 1098. Deo etiam monente per sanctum Bernardum, ad terram sanctam recuperandam profecti, cùm Antiochiæ extrema victus penuria laborarent, rore suavissimo cœlitus misso, pasti & confortati sunt, adeo ut quicunque eo rore conspersus fuit, integrum animi & corporis vigorem ac sospitatem reciperet, tanquam nihil laboris ac molestiæ toto illo itinere passus esset: qui vigor etiam equis eorum, non hominibus tantum concessus fuit, ut ex Æmilio lib... hist. Franc. Tyrio lib. 6: belli sacri alibi retulimus.

Trip. Dō. Trin. c. 9. 6.

III. *Vt hoc miraculo designaret, quòd viam sæculi præsentis aliter incolumes transire nequimus, nisi alimento verbi sui Christus nos reficiat*, inquit Venerabilis Beda. Similiter Beatus Remigius: *Peccatores* ait, *per pœnitentiam conversi. in cursu labentis sæculi pereunt, si absque sacræ doctrinæ pabulo dimittantur.* Quod etiam mystico sensu tangit Dominus, dum ait: *Et si dimisero eos jejunos deficient in via.* Rursum quando colligi fragmenta jussit, ut in itinere delassatis iterum restaurare vires possent, monens Christi fideles, ut per hujus vitæ cursum semper in promptu habeant fragmenta verbi Dei, seu doctrinas ex eo acceptas & memoriæ mandatas, quibus identidem refici & corroborari queant. Corda auditorum quasi cophini sunt, quibus è concione auferunt & in animam suam inferunt panem illum. Verùm cur soli Christi discipuli panes residuos auferunt? cur non & alii de plebe? Respondet ad hoc sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam; quia Apostoli designant electos, qui soli adlaborant, ut panem verbi Dei non solum auditu comedant, sed etiam ut secum auferant & in memoria reservent, ut suo tempore iterum eo se reficiant. *Non otiosè*, inquit, *quæ turbæ supersunt, à discipulis colliguntur; quia ea, quæ divina sunt, apud electos faciliùs possis, quàm apud populos reperire.* Electos igitur se non inani ostendunt argumento, qui verba Dei audiunt & custodiunt; habent enim quo se in hoc laborioso vitæ itinere sustentent & confortent. Timere sibi ac languere cœpit aliquando Elias ob minas Jezabelis, mortem ipsi machinantis. 3. Regum 19. fugit ergo & in via deficiens præ languore & lassitudine projecit se subter unam juniperum: ubi cùm obdormisset, Angelus Domini apposuit ei panem subcinericium & aquam, jussitque eum comedere. comedit Elias *& ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Oreb.* Quin etiam si Abulensi q. 8. in eum locum credimus, toto illo tempore, quo in specu latuit & quo regressus est, vigore solius prædicti panis vixit. Porrò de hoc cibo ait Rabdanus: *Sicut corpus sine alimento corporali subsistere nequit: ita nec anima vivere sine verbo Dei.* Quadraginta illi dies & noctes totum vitæ nostræ cursum, usque dum ad montem cœlestis beatitudinis perveniamus, designat. Elias illo pane confortatus relegere iter suum jussus, nequaquam jam timere aut repugnare auditus est, quin potius adire Regem Achab eique insultare, & Reginæ, quàm prius timuerat, mortem comminari regnique infælicissimum exitum. Pari modo verbum Dei roborat pusillanimes & languentes in via cœli; ne terreantur minis, nec à justitiæ tra-

III. Vt indicet necessariū nobis esse pabulum verbi Dei.

tramite facilè d. fl. ct..nt, ſed ut potius ipſi Dæmoni ejuſque pompis fiant terribiles: promittente eis Dei verbo omnem aſſiſtentiam ac denique beatiſſimum finem, mercedemque copioſiſſimam: ſimulque miniſtrante plurima incitamenta ad ſectandas virtutes, arma quoque ad reſiſtendum Diabolo & pompis ejus & quæ ad defenſionem ſui ac conſolationem faciunt &c.

IV. *Vt hoc miraculo præluderet institutioni SS. Eucharistiæ.*

IV. Ut hoc miraculo præluderet myſterio SS. Euchariſtiæ a ſe inſtituendæ: quod indicat ipſe Dominus, qui paulò pòſt (ut ſcribit ſanctus Joannes capite 6.) inſtituit ſermonem de cœleſti pane corporis ſui. Quia enim myſterium illud profundiſſimum ac difficilimum eſt, voluit Dominus præmittere miraculum non abſimile illi, quod facturus erat in inſtitutione Euchariſtiæ. Quemadmodum in veteri lege Exod. 4. perſuaſurus Moyſi & Hebræis aliis rem ferè incredibilem, quòd Moyſen ex paſtore creaturus eſſet Ducem populi & Deum Pharaonis, Hebræos verò erepturus è graviſſima ſervitute, ſceptro quoque ac dominatione condecoraturus; edidit eis ſignum in virga verſa in colubrum, rurſumque in ſe reverſa: deinde in manu leproſa, priſtinæ ſanitati momento reſtituta: ita Chriſtus Dominus ut nos ſenſibus affixos faciliùs perduceret ad credendum illud ſacratiſſimum myſterium, præmiſit hoc miraculum, quo facilius aſſenſum daremus illi alteri, utpote non abſimili. Inprimis enim ſicut in illo panem & vinum mutavit in corpus & ſanguinem: ita in iſto aerem circumfuſum, vel aliud elementum convertit in panes, dum eos multiplicavit; niſi malit quis dicere per creationem addidiſſe Chriſtum augmentum quinque panibus, quod majoris adhuc virtutis & difficultatis eſt. Deinde ſicut panem abſque potu Chriſtus appoſuit, quia ſcilicet panis ille, ut multi ſentiunt, etiam ſitim pellebat: ita Euchariſtiam ſic inſtituit ſub duabus ſpeciebus panis & vini: ita duo ſimillima fecit miracula, aquam vertendo in vinum ad nuptias: & aërem in panes in hodierno Evangelio, velut verus Melchiſedech panem & vinum offerens. Adhæc uti prius Dominus cœleſtibus doctrinis populum inſtruxit & languidorum morbos ſanavit, quàm hoc epulum præberet: ita etiam requirit, ut nemo ad ejus menſam accedat, niſi priùs bene inſtructus & ſanatus à peccatis. Unde ſanctus Ambroſius in cap. 9 Lucæ: *Nemo,* inquit, *cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus.* Et paulò pòſt: *Myſterii ordo ſervatur ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet.* Denique in hoc convivio non niſi viri computantur, ut habet Matthæus cap 15. parvulos & mulieres excipiens: in priore etiam ſimili convivio idem aſſerit Jonnnes cap. 6 *ænigmaticè docens*, ait Dives Cyrillus Alex, lib. 3 in Joannem *omnibus, qui viriliter probitatem ac fidem amplectuntur, non imbecillibus ac mollibus cœleſtem à Salvatore cibum præberi.*

V. Ut divitibus oſtenderet modum & ratio nem multiplicandi opes ſuas, ſi nimirum eas libera liter erogent in pauperes, quo modo ipſe erogavi panes ſibi oblatos & plures ex menſa ſuſtulit, quan erogarit. Unde Cyrillus lib. 3. in Joan. cap. 18 ait *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quaſi magna voce dicitur: Quantò plura dabis li beraliter ac miſericorditer, tantò tibi plura largiu confluent &c.* Quod ſi non fiat in hac vita (quo tamen ſæpiſſimè contingit) certè fiet in altera Septem hic fuere panes in eſurientes diſtributi, & ſinguli panes ſingulas peperere ſportas panibus re fertas: alibi quinque panes, adhuc fœcundiores genuere duodecim, adeoque quinque panes creve re in quinque millia. Joan. 6. Fœcundiſſimus age eſt manus Chriſti, millecuplum refundens. Quo autem in ſinum pauperum ſpargitur, in manum Chriſti velut in agrum ſeminatur. Demonſtravi hoc ſimillimo miraculo beatus Jordanus Ord. Præ dic. Magiſter generalis 2. diffidenti cuidam cau poni, uti refert Leander Albertus apud Sur. 13 Febr. *Contigit aliquando ipſum cum duobus fra tribus & laico ſacris initiato, dum ex Italia in Ger maniam contenderet, ad hoſpitium divertere in vi co, cui nomen Vrſatia, in medio Alpium ſito, ut cibum ſumeret; jam enim hora & labor diu protractus iti neris montium illos ſub invitaverat: ſed caupone di cente, non eſſe quod apponeretur præter panes duos, juſ ſit menſam apponi. Demum cœpit ex dictis panibus (priùs benedictione peracta) egenis, quibus plurimum ea loca abundabant, partes multas elargiri. At cau po & fratres illi ſuccenſentes, priùs clauſo oſtio ne am pliùs egeni ingrederentur, præmonuere, affirmantes eo in loco duntaxat panes illos inveniri poſſe nec eſſe pro ſe ac ſociis ſufficientes: quare ne ſic erogaret illos, ne mox ipſe cum ſuis penuria cibi laboraret. Sed viri Dei juſſu, nec moti cauponis verbis, nec à fide, quã in Deum repoſuerat, janua reſeratur, introducuntur egeni; & ut prius benedictionem accipientes, ita ut triginta partes viritim divideret adeo pingues, ut unicuique abundè ſufficerent: nec propter hoc virum Dei & ſocios panis defecit, Quin imò & caupo cum uxore & familia ex eo, qui reſiduus fuerat, abundè epulatus eſt. Quo viſo perterritus caupo, & virum Dei admiratus eſt ac veneratus, & ſine prandii ſolutione abire permiſit. Quin etiam eum donavit vini lagenula, quam ſocii ſecum deferre conſueverant.* Non opinor opus hoc probare pluribus cum plurima de hoc tradant SS. Patres & alibi nos vidimus. Id ſolum hic divitibus obſervandum noto, quod docuit eos Chriſtus, dum in cælum prius ſublevavit oculos, quàm panes diſtribueret. Hoc enim & divitibus imitandum propoſuit, ut nimirum oculos elevent in cælum, & unde ſua omnia habeant, bene conſiderent. Nonne è cælo à quo lucem, calorem, virtutem generativam rerum omnium, quibus ipſi fruuntur? Eo igitur accepta refundant; inde enim velut ab Oceano iterum ad ipſos redibunt ſuo tempore,

pore, si non in hoc, certè in altero sæculo. Nonne cœlum eas, quas à terra attrahit exhalationes & vapores, iterum ei restituit per salutarem pluviam maximo cum fænore? Nonne quando videmus nebulam sursum ascendere & attrahi à Sole, statim ominamur securam altero vel eodem die pluviam? Nonne dicere solemus: Nebula hæc de cœlo brevi ad nos redibit in pluvia? Et quoties dicimus post longam siccitatem, si pluat, aurũ pluere? triticum pluere & vinum? Sic res habet cum eleemosyna: quidquid per manus pauperum attrahit ad se Deus ex tua eleemosyna, certissimè tibi restituet cum grandi usura.

Postquam igitur vidimus quàm æquo & salubri consilio miraculum hoc in panibus Christus ediderit super est ut ipsum non solum agnoscamus velut Deum omnipotentem, sed etiam amemus velut patrem & altorem liberalissimum. Imitemur pium illum populum ho. Evangelii & rapiamus Christum Dominum ut sit Rex noster, nosque servi ejus. Dicamus ei, quod illi Isa. 3. *Princeps esto noster*; quia tu es *Medicus*, qui possis mederi necessitatibus nostris, *in domo tua est panis*

THEMA SECUNDUM.

Vulgus seu turba hominum miseratione digna.

I. *Quia sunt vexati.*
II *Quia jacent.*
III. *Quia sunt velut oves sine pastore.*

Miseror super turbam. Marci 8

DE potentissimo illo Persarum Rege Xerxe scribit Herodotus lib. 7. Valerius Max. lib 9.13.& alii, spectasse eum ex alta specula in Abydenis campis juventutem suam bellicam, ingenti exercitu Hellespontum operientem, eaque visa ingemuisse & illachrymatum esse. Causam interrogatus à patruo suo Artabano, respondit. *Subiit animum meum cogitatio, quàm brevis & misera sit hominum vita, quando ex tam numerosa multitudine post annos centum nemo superfuturus est.* Salvator etiam noster summus gloriæ Rex, in hodierno Evangelio videns ex monte non exiguam turbæ multitudinem ingemuit super eam, dixitque? *Miserior super turbam*; non quidem, quòd intra centum annos morte consumenda esset (quod jam olim decreto Dei statutum est) sed quòd fame laborans, nisi reficeretur, vitæ discrimen incursura: seu, ut alibi in simili spectaculo, apud Matth. 9. dicitur *Videns turbas misertus est eis: quia erant vexati & jacentes, sicut oves non habentes pastorem.* Non tam ingemiscit ob inediam corporum quàm animarum: nec ob sacerdotes & pastores, Legis peritos, Pharisæos, Scribas; sed ob turbam & oves seu promiscuum vulgus quod sane miseratione maximè dignum, & quidem ob causas illas, quas indicavit Dominus, Matth. 9. uti mox videbimus.

I. Quia sunt *vexati*: inprimis à rectoribus sæpenumero malis, à quibus inquietantur & trahuntur in omnem partem, quocunque illi præeunt: cum hæreticis fiunt hæretici, cum Lutheranis Lutherani, cum Calvinistis Calvinistæ; mutant religionẽ quoties illi mutant, Unde bene S. Basilius epist. 82. ad Patrophilum Episcopum scribit: *Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atq; aliam aëris partem jactatis. Quorum judicia ne moraretur, sed per Evangelia absolutè institueretur*, existimat ibidem se convaluisse è gravi infirmitate. Ergo ut à vento nebulæ: ita à Principibus trahuntur & circumferuntur turbæ. Patuit in Hebræis, qui in gratiam suorum Regum idola colentium, & ipsi ea coluerũt, nunc ista, nunc illa: uti in gratiam Jeroboam deficientes à Salomone & filio ejus, & in gratiam Jehu, deficientes à Rege suo Achab colendo vitulos pro Baal, quem coluerunt prius sub Achab; de quo queritur Oseas c. 7. *In malitia sua lætificarunt Regẽ: & in mendaciis suis Principes.* Idem fecerunt in Ægypto, ubi cum Ægyptiis Ægyptiorum Idola coluerunt, ac postremum, quando in gratiam suorũ Principum Annæ & Caiphæ Christum, quem paulò antè glorificarant & cum triumpho in civitatem introduxerant, reum mortis exclamarunt & ad crucem postularunt. Cujus levitatis & inconstantiæ causam reddidit apposite Marcus Vigerius corda 7.c.118. in hæc verba: *Quare Principes sacerdotum & seniores persuaserunt populis, ut peteret Barabbam, Iesum verò perderent? Mare sine vento nemini nocet, utque libet, sese exhibet remigabile. Vento percitum, remis attingi non potest. Velis agendum est pro ventorum arbitrio: quòd si magis desævierint, vela discindunt. Temonem loco dimovet fluctus. Ita pro impetu tempestatis vique ventorum mare extollitur, convolvitur, rapit atque submergit. Plebs quoque sibi dimissa placabilis est, ad prosequendum justum & æquum facilè persuasibilis, hanc primores pro auctoritate suis affectibus, quasi ventis inquietant, rapiuntque specie consilii, quocunque volunt; & sæpe in furias perniciẽque sui trahunt.* Quòd certè experti sunt postea Judæi, quando ob hoc scelus exterminati & per orbem dispersi ac subjugati sunt

Quia sunt vexati. I. *Sequuntur fortè duces suos quacunque tandem præeuntes.*

2. Deinde à se invicem, dum unus alterum vexat & inquietat, ad vitia pertrahendo & à virtutum cursu impediendo; testatur Seneca lib. de beata c. 1. *Nihil nos*, inquit, *majoribus implicat malis, quam quòd componimur ad rumorem, optima rati ea quæ multorum assensu recepta sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium, quod in strage magna hominum evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium post se trahat. Primi exitio sequentibus sunt &c.* Ejus rei typus fuit illa turba, quæ impediit Zachæum, ne videre Christum in terra constitutus posset. Unde de eo Eusebius Emissenus (ut putatur,) in hom. *mala turba*, inquit, *quæ à tali tantoque bono hominem deturbat.* Cuperet quis toto pectore vivere semper sobrius, sed ecce veniunt & invitant amici se ad ipsius mensam,

2. *Se invicẽ conturbant.*

Quid hic agat? parare lautius prandium cogitur, meliora vina depromere, hoſpites ad hilaritatem excitare, præbibere, reſpondere, ad tres quatuorve horas menſæ aſſidere. Hinc manè capitis dolor, temperantiæ jactura æquè ac pecuniæ. Vellet alius avidis auribus attendere concioni; ſed ecce turba murmurans aut ſocii fabulantes mentem ejus avocant & ad ſua colloquia trahunt; quo modo ex Judæis multi dicebant ad alios Christi auditores: *Dæmonium habet & inſanit: quid eum auditis?* Joan. 10. v. 20. Deſiderant alii per frequentem confeſſionem & communionem Deo ſe unire; at hoc inſuetum eſſe turba oggannit, ad convivia potius, ad ludicra invitat & tantùm non cogit ſuis vexationibus. Hæc cauſa eſt, cur David exul à Judæa inter Gentiles degens dixerit ad Saulem de aulica ejus turba. *Ejecerunt me hodie, ut non habitem in conſpectu Domini, & dixerunt: Vade, ſervi Diis alienis.* 1. Reg. 26. Loquitur de illis, qui inſtigârunt Saulem, ut Davidem perſequeretur. At ubi hi dixerunt Davidi: *Vade & ſervi Diis alienis?* Facto, non verbo dixerunt, quando coëgerunt eum à Judæis profugere ad Gentiles. Hoc enim aliud non erat quàm impellere in Idololatriam. Quid enim vexationis & tentationis pati utique inter Gẽtiles non debuit David Judæus? Quare tu, ajebant, noſtrum panem comedis, & cantilenam noſtram non canis? tu ſolus hic alium Deum coles, quàm noſtrum? An noſtros cibos ſpernis? Neſcis alios Judæos quoties ad nos profugerunt, coluiſſe Deos noſtros? Quis, quæſo, turbæ hujus impetus ſuſtineat? Hinc S. Auguſtinus ſerm. 164. de temp. baptizatos graviter monet: *Timeo de vobis non tantum à paganis, non à Judæis, non ab hæreticis, quantum à Catholicis. Eligite vobis de populo Dei, quos imitemini. Nam ſi Turbam imitari volueritis, inter paucos anguſtam viam ambulantes non eritis.*

II. Quia jacent. In terrenis curis. II. Quia ſunt *jacentes*. Ubi? 1. In terra, hoc eſt, in terrenis bonis; atque inprimis in carnis cura, voluptatibus & commoditatibus carni blandientibus; quos deplorat Apoſtolus ad Philipp. 3. dicens: *Multi* (ecce vulgus & turbæ) *ambulant, quos ſæpe dicebam vobis* (*nunc autem & flens dico*) *inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*, q. d. qui ſoli ventri ſtudent ejuſque commoditatibus. Teſtatur idipſum Thucydides: *Vulgus hominum cupiditatibus agitur*, inquit, *non ratione*. En Corn. Tacitus lib. 14. *Vulgus eſt voluptatum cupidus, & ſi eò Princeps trahat, lætum.* Denique Philo lib. de Joſeph: *Sicut coci*, inquit, *omnia eſculenta ad ſuavitatem oris comparant, utilia negligunt: ſic ignobile vulgus ſecurum de commodis, præſentem tantùm voluptatem venatur.* Patuit certè in Hebræis per deſertum peregrinantibus, qui licet manna, omnis generis ciborum continens ſaporem, haberent, ejus tamen nauſeam ceperunt; quòd ipſius color, odor, forma & ſimiles qualitates ſemper eædem exiſterent, adeoque eorum apetitui minùs placerent: quemadmodum gulones, pueri præſertim, qui ſæpe non tam ventrem quam oculos & phantaſiam cibo ſaturare cupiunt, & ſi negetur, indignantur aut plorant. Hinc *vulgus promiſcuum flagravit deſiderio ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ai... Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamu... piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis. in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones porrique & cæpe & allia.* Num. 11. Verum hæc eorum ſtult... planè concupiſcentia Deum ad iracundiam conci... tavit, ut percuteret eos *plaga magna nimis: & moyſ... res intoleranda viſa eſt*; quòd nimirum populus cæleſti & quaſi Angelico pane repudiato, deſiderare terreſtres & viliores longè cibos, merâ ventris curâ & curioſitate.

Deinde in lucro comparando, juxta id Iſa. 1. *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributione...* Cauſa eſt, quòd vulgus ferè ex fæce hominum conſtat, qui cùm excellentia & ſublimia virtutum, ſcientiarum & cœleſtium rerum bona parum capiant, minùs verò expendant; hinc ea parvi æſtimant, vilio aque illa diligunt; & quia viciſſim toti ſunt immerſi negotiis ſæcularibus, opificiis, laboribus, quibus victum & temporalia ſibi parant, videntqu... præſens commodum inde ſibi emergens, vilitatem & pericula eorumdem non cogitant; ideò ſe toto illis addicunt. Hinc Sapiens Sap. 14. *Creaturæ De... in odium* (h. e. in abominationem ſeu Idolum) *fact... ſunt & in tentationẽ animabus hominum & in muſcipulam pedibus inſipientium*, non ex intention... Dei, ſed ex hominum perverſo judicio & inordinato appetitu, qui creaturas in Idola ſibi deligunt, diligunt & ſectantur, uti mures laridi fructulum in decipula; ſicque illis ineſcati capiuntur; quia periculum impendens non conſiderant: præſentia tantùm bona amant, quantumvis vilia, viles vulgi animæ: æterna, vera, & ſolida non curant. Sapienter id demonſtrat apologus ille de quatuor muribus, duobus ſcilicet parentibus cum gemina prole; qui penarium ingreſſi, ut ſatiarent gulam, vident præpinguem arvinam aqualiculi ſuilli ſupernè ad parietem è clavo dependentem. Monſtrant eam prædam ſeniores junioribus, & hortantur ad aſcenſum, ac præeundo animant, rependo ſurſum in pariete. Sed diffidunt ſibi juniores & laborem fugiunt: interim humi ſuboleraciunt laridi modicam particulam, ſed in muſcipula repoſitam. Quâ reperta devocant è pariete ſuos genitores, veluti ad prædam præ manibus exiſtentem, nulloque labore conſtantem. Sed dehortantur illi, modicum id eſſe dicentes, & periculo plenum: ad ſequelam potiùs ſuam invitant, velut melius edocti de murium captendulis, in quas ingreſſos quidem vidiſſent, ſed non egreſſos. Surdi ad hæc juniores, intrant in muſcipulã, & miſeri mox capiuntur, capti ſeniorũ opem fruſtrà implorant. Ita & amuſſim imperita hominum turba, licet à ſapientib. invitentur ad ſuperna & ſolida bona; quia vident ea procul poſita & labore cõporanda, eligunt potiùs terrena, veluti præſentia, tametſi vilia & modica ac periculo ſalutis plena; ſicque his ineſcati capiuntur miſeri, fruſtra aliquando ſuam veſaniam deploraturi.

2. Sub dio in loco publico & periculis exposi-
to, uti turba illa, de qua loquitur Christus. Unde
Glossa interlin. Illud *jacentes* interpretatur, *vanâ*
securitate torpentes. Vana hæc securitas quasi pro-
pria est vulgo; uti passim testantur SS. litteræ. Apud
Isaiam cap. 28. dicunt: *Flagellum inundans cùm*
transierit, non venit super nos. Apud Isaiam cap. 5.
Non venit super nos malum; gladium & famem non
videbimus. Idem egit populus in diebus Noë, quan-
do, teste Beroso, Noën vaticinantem diluvium de-
riserunt & in summa securitate vixerunt: quo modo
etiam vivent ultimis temporibus, teste Domino
Matth 24. *Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus*
hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium
comedentes & bibentes, & nuptui tradentes, usque
ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non co-
gnoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes: ita
erit & adventus filii hominis. Addi possunt Tyrii,
qui urbi suæ in mari sitæ nimiùm præfisi, non nisi
Pygmæos præsidiarios in ea posuisse dicuntur E-
zech 27 Et Jebusæus, qui claudos & cæcos in ar-
ce Sion. 2. Reg 5. Verùm & illi expugnati sunt à Na-
buchodonosore: & iste à Davide. Quare ob hanc
ignaviam & securitatem miseratione digna est ho-
minum turba; tunc enim maximè ei exitium im-
pendet, cùm maximè securam se judicat. Solet
namque hostis explorare sedulò adversariorum
torporem, & tunc eos obruit. Ita sexcenti illi viri
de tribu Dan, quærentes sibi possessionem, ubi de-
prehenderunt populum habitantem in urbe Lais,
vivere absque timore, securum & quietum; repen-
te obruerunt urbem *& populum quiescentem atque*
securum percusserunt in ore gladii. Judic. 18. Multò
majori solertia Dæmones observant populum tor-
pentem & securè quiescentem. Hinc tam multi
moriuntur ex plebe sine remediis animæ; quia ru-
dis plebs non expendit sua pericula, pondus salutis
& perditionis æternæ; ac proinde dormiunt in u-
tramque aurem nimiùm præfisi suis viribus aut
Dei misericordiæ, ætati aut valetudini suæ, &c.

III. Quia sunt *sicut oves non habentes pastorem.*
Et primò, quia *multitudo vulgi more magis quàm*
judicio, post alium alius, quasi prudentiorem sequitur,
sicut ovis ovem, inquit Salustius ad Cæsar. Unà ove
de ponte vel navi desiliente in undas cæteræ omnes
sequuntur, tametsi enatare nesciant; una aber-
rante cum ea aberrant omnes. Ita vulgus se habet,
uno legem transgrediente, vel aliquid aliud impunè
audente, reliqui sequuntur & audent similiter.
Funestum hujus rei exemplum legimus apud Æ-
neam Sylvium in descriptione Europæ c. 7. & alios,
qui expugnationem Constantinopolis describunt.
Ibi enim cùm præsidiarii muros urbis exteriores
contra Mahumetem fortissimè defenderent &
Turcas jam penè ad desperationem usque repu-
lissent, dum redintegratur oppugnatio, unus è præ-
sidiariis, Joannes Justinianus, vulneratum se vidēs,
portam sibi, quæ ingressum ad civitatem occluserat
intra pomerium, sibi aperiri petiit & obtinuit; quâ
semel apertâ præsidiarii cæteri & ipsi ordine sequi
seseque subducere cœperunt; sicque ubi cessatum à
pugna hosti truculento & barbaro florentissimam
civitatem occupandam dederunt. Unicus ergo mi-
les à pugna desistens & ostiū fugæ aperiens omnes
post se traxit. Idem heu sæpissimè in negotio salutis
accidit: uno alterove jugum detrectante, detrectant
omnes, uno desiliente in infernum, desiliunt & so-
cii ejus. Quam ob causam dicitur, Psal. 48. *Sicut*
oves in inferno positi sunt. Idem videre est in vani-
tatum & novitatū imitatione, quæ si non delictum
saltem indicium est stultæ vanitatis & levitatis ho-
minum, qui ab omni vento circumferantur, velut
nubes sine aqua, ut ait S. Judas: & veluti infantes qui
veteribus crepundiis fractis & abjectis nova alia &
alia desiderant. Adinvenit aliquis, vel alibi inven-
tum novum vestitum induxit in civitatem, statim
videbis asseclas, qui imitantur; si non omnes, saltē
plurimos. Id enim *omni multitudini insitum est, ut*
rerum novitate & immutatione latetur, inquit A-
gatias l. 3. Stupida enim plebs id solummodò pul-
chrum existimat, quod novum & peregrinum est.
Utinam ad virtutum imitationem, in quibus verus
hominum ornatus consistit tam prona & expedita
foret! sed heu miseria! ad vitia sequenda promp-
tissima est: ad virtutes veró difficillima: sicut *exi-*
guum absynthium, inquit D. Gregorius Nazianze-
nus in Apologetico *amarorem suum melli celerrimè*
impertiverit: mel econtrà ne duplo quidem majus,
dulcedinem suam absynthio infuderit: ac parvo qui-
dem lapide submoto, flumen totum in pronum trahi-
tur; ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere
cohiberi reprimique vix potest.

2. Quia sunt rudes & stupidi, quemadmodum *2. Quia sunt rudes.*
& oves stupidissima sunt animalia: nulla pascua in-
venire, nec ab illis, ad caulas suas redire sine pastore
sciunt. Hinc Exod. 24 præcipitur: *Non sequeris tur-*
bam ad faciendum malum, quia nimirum parum lu-
minis, parum intellectus habet. Joannes Pp. inter-
rogatus, quid à veritate foret remotius? *Vulgi sen-*
tentia, inquit. *Quidquid enim laudat, vituperio di-*
gnum est: quidquid cogitat, vanum: quidquid loqui-
tur, falsum: quod improbat, bonum est: quod appro-
bat, malum: & quidquid extollit, inane. Qualia verò
sunt dictamina, qualia vulgi judicia? Injuriam tibi
& tuis factam talione vindicandam: inglorium &
infamem esse, qui id non faciat: duellum si offera-
tur, acceptandum, nisi honorem perdere malis: in
conviviis propinantibus ad æquales haustus respō-
dendum; nisi facias, eos contempseris: eâ, nec vi-
liori, pompâ & corporis ornatu incedendum, quo
solent alii in pari statu: ut consulas statui & fami-
liæ tuæ, omnia tentanda, debita contrahenda, subdi-
tos premendos, Ecclesiæ leges posthabendas: vitā
& fortunas tuendas, etiā cum neglectu legis divinæ:
non esse ferendas injurias, confusiones, verbera: &
non curandum de debitis, quandocunque tandem
dissolvantur, quantumvis serò & cum creditorum
damno: hominum respectum habendum: pecuniam

ante omnia quærendam, virtutem post nummos, & similia. Hæc vulgi & stultæ plebis Philosophia & Theologia est. Christianæ philosophiæ è diametro opposita, adeoq; omni commiseratione digna: quia per hanc rectà tendit ad interitum: proinde etiam spernenda & angue magis fugienda. Audiamus de hoc Chrysostomum hom. 2. in epist. ad Hebr. *Cur non magis*, inquit, *ego contemnam eos, qui nesciunt admirari, quæ digna sunt admiratione? Nam & pictor, si ab omnibus irrideatur atque reprehendatur, donec eos indoctos perspicit & suæ artis expertes: illorum verba penitus non attendit, sed solo sui ipsius testimonio contentus est. Non verò sinemus nos multorum opinioni subjacere? propterea digni sumus, qui contemnamur ob id, quòd non magis vicissim eos contemnimus.* Præstantissimus ille statuarius Polycletus eodem tempore duo simulacra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta peritiæ artisque normam. Gratificatus verò plebi hoc modo est: Ad singulorum accessum transposuit, & commutavit aliquid, morem gerens uniuscujusque voluntati & dictationi. Itaque proposuit utrumque, & alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens autem Polycletus: *At hoc*, inquit, *quod vituperatis & reprehenditis, vos fecistis: quod verò suspicitis, ego*, Producet aliquando suas statuas Deus, secundum ipsius legem effictas, justos videlicet: & ex altera parte vulgi statuas, juxta ipsius mentem & leges effictas & spectandas exhibebit toti mundo in judicio. Ibi apparebit illorum fœditas & deformitas, qui juxta leges vulgi vitam instituerunt: pulchritudo vicissim eorum, qui juxta leges Dei. Hæc dicet, mea est pictura; illa autem vestra est.

Vidimus hominum turbam commiseratione dignam, quia jacet, quia vexata est, quia sicut ovis sine pastore est. Quid igitur superest nisi ut à turba hac nos separemus, eique prorsus opponamus, nisi cum illa errare & perire velimus? Antisthenes Philosophus, quodam die theatrum ingressus, adversus populum nitens progrediebatur. Rogatus cur ad faceret? respondit: *Hoc in omni facere vita studeo.* Laert. lib. 6. Sensit hic sapientis esse in omnibus à vulgo dissentire. Idem agamus nos Philosophi Christiani opponamus non stultæ plebi, nec sequamur turbam, sed potius Dei legem in omni vita nostra, ut cum verè sapientissimus semper vivamus in cælo.

THEMA TERTIUM.

Pœnitentia, quæ in mortis articulo fit, suspecta.

I. *Quia valde difficilis*
II. *Quia extorta magis quàm spontanea.*
III. *Quia infirma nec valde laudabilis,*
IV. *Quia infrequens.*
V. *Quia Deo injuria,*

Quidam enim ex eis de longè venerunt Marci 8.

SOlicitum audimus Salvatorem nostrum supe esuriente turba, non habente panes; præsertin super iis, qui procul valde advenerant: *Quidam enim ex eis*, inquit, *de longè venerunt* q.d. Istis maxim timeo, ne redeuntes domum fami succumbant: d illis, qui propè habitant parum aut nihil timendum Doctissimus Episcopus Halberstadiensis, Haymo super hod. Evangelium scribens, ita rem explana *Sunt multi in sancta Ecclesia, qui ab ipsis infantiæ su cunabulis mancipantur in servitio Dei & omni tem pore vitæ suæ immaculatè Deo servire student, sive i monasterio sive in Canonicatu. Isti tales de propè ve niunt; quia per illicita non erraverunt. Et sunt mult qui post experta conjugia à Deo sibi concessa: & qu post divitias hujus sæculi benè dispensatas relinquun sæculum, & veniunt ad servitium Dei: sed non veni unt de longinquo, quia legitimo conjugio usi sunt. Sun etiam multi, qui post homicidia & adulteria, post sa crilegia ac perjuria & rapacitates, post ebrietate innumeras & post cætera hujus sæculi flagitia perac relinquunt omnia mala, & convertuntur ad Deun in factis & cogitationibus. Isti tales de longinquo veniunt; quia quantò amplius peccant, tantò longiùs Deo recedunt: non corpore sed mente. Hi tales considerantes magnitudinem peccatorum, ne deficiant i consideratione peccatorum suorum, pascendi sunt jugiter verbo Dei.* Sic Haymo bene & sapienter. Hi enim postremis maximè metuendum, ne, si præsertim ad finem vitæ primùm se convertere & in patriam suam cælestem reverti velint, fessi deficiant in via. Istis igitur potissimùm panis apponendus est, & quis magis salutaris, nisi seria consideratio maximi illius periculi, quod subeunt omnes illi, qui postquam vitam suam in flagitiis consumpserunt, sub articulum mortis primùm convertere se volunt. Quod hic ostendemus.

I. Sera illa pœnitentia admodum difficilis est, non uno ex capite. Nam inprimis perturbationes variæ ægrotantem occupant, ex morbi doloribus, ex timore mortis, ex amicorum lamentis, ex anteactæ vitæ & quidem flagitiosæ memoria, & similibus; quæ mentem ei penè eripiunt, & à piis cogitationibus abstrahunt. Rectè enim Cicero dixit 3 Tuscul. quæst. *Quemadmodum oculus turbatus non est probè affectus ad suum munus fungendum; reliquumque corpus, cùm à statu motum, officio suo ac muneri deest: sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum.* Rectè etiam Plutarchus lib. de tranquill. animi dixit, rem morosam esse ægrotationem; nam *ægrotis uxor molesta est, & Medicum incusant: & lectulum molestè ferunt, ex amicis etiam siquis accedit gravis est, & qui discedit molestus.* Optimè igitur S. Basilius orat. 4. de pœnit. *Quid expectas*, inquit, *ut te febris ad pœnitentiam vocet; cùm neque salutaria verba ampliùs proloqui, neque quidquam accipere poteris, cùm in ipso capite morbus inhabi-*

abitet? non manus ad cœlum ampliùs tollere, non in ides erigi, non genu flectere, cùm precatio erit ha- nda; non commodè doceri, non certò confiteri, non dire in gratiam cum DEO, non renunciare ini- icitiis; & fortassis etiam neque intelligere neque a- imo comprehendere mysteria divina poteris; siqui- em præsentes ambigant, an aliquem sensum eorum, ua fiunt, habeas? Quid faciliùs & consuetius ho- ini, quàm manum ad os ducere? at hoc tamen æ- ris difficile est. Meræ & perpetuæ audiuntur eorũ uerimoniæ: *Caput meum doleo, caput meum doleo,* amabat puer ille, Solis radiis percussus. 4. Reg. 4. iud loqui vel agere non potuit. Quid? Ezechias ex, vir optimus, accepta mortis sententia pertur- atus fuit, nec aliud nisi lachrymari & mortem de- ecari auditus est. Isa. 58. Verùm omnium maxi- am parit difficultatem vitiosa vivendi consuetu- o & diuturna vitiorum servitus. Scimus quàm dif- culter expedierit se Jacob è servitute, quá se ad ptem annos obstrinxerat Laban socero suo pro- achele filia. Illis enim exactis dolosè ab eo cir- umventus est, ut totidem aliis annis servire ei co- eretur. Genes. 29. His etiam finitis rursum ab eo etentus adjecit annos sex priori servituti duræ ac boriosæ. Ad extremum igitur, quia se aliter expe- ire non potuit, fuga se proripere coactus est: sed & fuga ab insequente, prorsus immiti hero, depre- ensus, graviter objurgatus, non sine injuriosa suæ ibstantiæ perscrutatione. Genes. 31. Ita nimirum æmonis mancipia, ubi se in ejus servitio diutiùs etinuerunt, difficillimè eripiunt: insequitur vete- ator improbus fugientes, & maximè cùm è vita iscedunt, affligit, admissorum scelerum assuetudi- em, adeoque jam abdicandorum impotentiam, œnitentiæque difficultatem ingerens, indeque in esperationem aut sui saltem neglectum impellens. Hinc monet Jeremias cap. 13. v. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & an- equam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Qui sunt hi montes caliginosi, nisi adversariæ for- itudines, Dæmones, vitia inolita, mortis & gehen- æ umbra oculis obversans? &c. In hos offen- dent, qui ad mortem usque pœnitentiam distule- runt; fugam parantes in tenebris, per vias dubias, præruptas, salebrosas, & latronibus circumsessas.

II. Extorta magis est quàm spontanea. Morbus enim gravis & periculosus quid nisi eculeus qui- dam est, hominem metu mortis & judicii cogens ad confitendum & furtum abjiciendum? Fures & la- trones, cùm tormentis adiguntur ad fatendum sce- lera, per hoc à pœnis non (saltem omninò) se libe- rant; quia non sponte sua, sed coacti à malefactis sese continent. Semei etiam cùm vidisset Davidem restitutum in regnum suum, obviam quidem exiit, petiitque ab eo veniam, & impetravit; sed ad tem- pus solùm; posteà enim David puniendum Salo- moni commisit; quia non amor Davidis, sed timor servilis ad hoc eum compulit. 2. Reg. 16 & 3. Reg. 1. Similis pœnitentia fuit in Pharaone, quando plagis undique coangustatus dixit ad Moysen: *Peccavi etiam nunc, Dominus justus: ego & populus meus im- pii.* Exod. 9. Verùm ubi cessavit plaga, mox iterum reversus est ad priorem suam duritiem & rebellio- nem. Similis in Benadad, qui cùm bello captus fuis- set ab Achab, mirum in modum coram eo se demi- sit & ablatorum restitutionem promisit: ubi verò missus & libertati restitutus est, nihil præstitit, sed bellum denuò Achabo movit, in quo Achab ceci- dit; ut videre est apud Sanctium in 3. Reg. 21. v. 34. Similis in Nabuchodonosore, qui licet ad bestias exactus ad se tandem rediisset & Deum cœli ado- rásset; videtur tamen post restitutionem in regnum suum, rursum ad ingenium rediisse, cùm non lega- tur idola abjecisse, nec ablata restituisse, neque è ca- ptivitate Judæos dimisisse; ita ut non frustrà dixe- rit ei Daniel quasi dubitando de ejus pœnitentia: *Peccata tua eleemosynis redime, &c. forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis.* Dan. 4. Unde S. Salvianus l. 1. de Eccl. Cat. ait; *Hoc ipsum, quod dicit forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi po- test, quam difficilè jam in supremo positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint: quoniam Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam; dat consilium de metu, & tamen dubitat de effectu: hortatorem se agendi, non impetrandi authorem facit.* Denique sic concludit: *Magnâ profectò, ut verè pœniteat, ac denique salve- tur, Dei misericordia, quia suam ad mortis angustias confessionem distulit, & largissima, qui dives est in pauperes, munificentia, ut Dei gratiam ex puncto mereatur, opus habet.* Qui similem vi extortam & instabilem pœnitentiam in lege nova desiderat, in- veniet in Valeriano Tyranno, qui 12. fratres Afros Christianos per mare captivos secum ducens, cùm exorta ingenti tempestate vitam desperasset, illo- rum fratrum opem & preces imploravit, Christia- num se futurum pollicitus; verùm cùm sedata divi- nitùs procella, portum attigisset, voti sui oblitus, Christi virtutem Jovi adscripsit, ingratus planè cu- culus; indeque martyres Romam ductos variis affe- ctos cruciatibus enecuit, ut in eorum vita Alfanus Episcopus Salernitanus apud Lipel. 1. Sept. Inve- niet simillimum huic in præfecto Ariano, qui & ipse ad preces Martyris Sabini in mari ad despera- tionem usque jactatus, scripsit ad Sabinum, verba hæc in scheda. *Vnus est Deus Sabini, Christus Iesus, post quem non est alius.* Verùm ubi post hanc confes- sionem mare conquievit & ipse ad portum appulit, martyrem tormentis dirè cruciavit, & alligato de- mum ad collum saxo in flumen demersit, apud Metaphr. in Lipel. 13. Martii.

III. Infirma & parum laude digna est; quia of- fert DEO vitæ partem infirmiorem, cùm vix jam peccandi facultas est. Ita loquitur S. Augustinus serm. 37. de temp. *Pœnitentia quæ ab infirmo peti- tur, infirma est: pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Similiter S. Basilius

III. Quia infirma nec valdè laudabilis.

orat.4.de pœnit. *Quid facies, ò homo, cùm multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; ubi verò in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cùm illorum nullus sit usus, sed necessariò labant ac torpent ob longi temporis tabem?* Reprobavit Deus in V.T. victimas debiles, cœcas, claudas aliisque defectibus obnoxias. Unde per Malachiam cap.1.verſ.8.ait: *Si offeratis cœcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nónne malum est?* Et verſ.13.quæritur: *Intulistis de rapinis claudum & languidum, & intulistis munus: nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?* Ad quid verò hæc de victimis cura apud Deum, nisi quia sensu mystico tales requirit pœnitentes, qui dum adhuc vegeti sunt, & vires ad bene vel malè agendum habent, convertantur? Ita exponit eum locum S. Petrus Chrysologus serm.109. *Non*, inquit, *offeras mihi claudum, non luscum, non mortis contagione pollutum, sed maturum sine macula. Hinc est quòd Apostolus vivam Deo petit hostiam.* Ad Rom.12. videlicet. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Optimè etiam Hugo Victorinus lib.3.de claustro cap.10. scribit: *Quando ex senectutis defectu aures obturantur, oculi turbantur, & ut breviter cuncta perstringam, ipsi in se & per se deficiunt: hi non offerunt agnum immaculatum, sed ut ita dicam, porcum saginatum.* Sanctus Augustinus hom.41.ex 50.dubiam valdè asserit pœnitentiam, quæ ab infirmo fit. *Vis te dubio liberare?* inquit? *Age pœnitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti.* Ita enim monet Ecclesiasticus cap.17.v.27. *Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis & laudabis Deum, & glorificaberis in miserationibus illius.*

IV. *Quia infrequens.* IV. Rara & infrequens est; quia subtrahitur sæpè vita vel Dei gratia, eousque pœnitentiam differentibus. Ita inprimis testatur D. Isidorus l.2. de officiis Eccleſ.c 16. *Non dubitamus*, inquit, *circa finem justificari hominem per pœnitentiæ compunctionem: sed quia rarò id fieri solet, metuendum est, ne dum ad finem differtur conversio, incerta occupet mors, priusquam veniat pœnitentia. Pro qua re etsi bona est ad extremum conversio; tamen multò melior est, quæ longè ante finem agitur, ut ab hac vita securiùs transeatur.* Huic accedit S. Gregorius l.15. Moral.cap.24. *Sæpè ii, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat, quæ peccaverint.* Merentur enim tales præsumptuosi privari iis bonis, quæ temerè sibi arrogant, cùm à sola Dei liberalitate & misericordia pendeant: qualis est vita longæva & Dei gratia. Quemadmodum enim pater filio, qui ad studia missus perpetua instituit convivia, & profundit omnem pecuniam suam in canes, sclopos, equos, parasitos, vestium luxum, &c. tandem subtrahit manum, & nihil aut parùm admodum pecuniæ transmittit: ita etiam Deus eos, qui ipsius gratia & vita sibi concessa diutiùs abutuntur, tandem destituit conversionis gratia, aut abripit morte subita. *In curia cujusdam militis*, inquit Cæsarius, celebris & religiosus auctor in Mirac. & l. 10. c. 60. *sicut à quodam religioso viro veraciter audivi, nidus erat ciconiarum, maris scilicet & fœminæ: illa, absente masculo, adulterium admittens frequenter paludi, quæ domui proxima erat se immersit. Quod cùm miles notasset, causam scire volens, fossam sepibus operiri præcipit. Quid plura? cùm illa admisso scelere solitam aquam peteret, nec ei ingressus pateret, interim mas venit, crimen agnovit, adulteram rostro impetivit: ad cujus interfectionem, cùm solus non sufficeret, cum furore avolans, & post horam rediens, multis sibi ciconiis associatis, in oculis omnium, qui in curia aderant, miseram interfecit.* Simili animadversione punit sæpè Deus & quidem justissimè eos, qui sub præsumptione pœnitentiæ, qua se abluendos à peccatis nullo negotio & sine dubio præfidunt, ut viam ipsis ad pœnitentiæ lavacrum obstruat. Quo sensu etiam capi potest, quod per Oseam cap.2.ait: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet.* Non invenerunt certè filii Heli, qui sceleratè viventes, cũ corriperentur, dicebant: *Quando senuerimus, tunc pœnitebimus*, ut scribit Philo Hebræus in Antiquit.Biblicis. In hujus enim vanæ confidentiæ aut sanè irrisionis vindictam factum est, ut uno die ambo in prælio occiderentur, priusquam ad canos pervenirent aut resipiscerent; id quod Deus patri eorum comminando prædixit per virum Dei. 1.Reg.2. *Præcidam brachium tuum, ut non sit senex in domo tua.* Exemplum sibi notum refert Cæsar. Recupitus è S.N in Opusc.de sign. prædest. c. 4. *Novi adolescentem*, inquit, *nobilem, qui lascivis amoribus implicatus dictitabat satis sibi fore ad salutem, si ante mortem, unam horam vel alteram ad pœnitẽdum haberet. Enimverò tunc actum à se perfectæ contritionis eliciendum, quo salvus fieret. Infelix cùm quadam nocte post epulas ad peccandum accederet, repentino lapsu confracta cervice, non una aut altera, sed 9. & 10. horis supervixit, sine voce sine sensu: ac nullo edito pœnitentiæ signo miserè periit.*

V. Injuria est Deo, dum non nisi fœcem vini offert, totum vini vas Dæmoni consecrat. Quâ de re conqueritur Deus Mich.7. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*, (Chald. *post vindemiam*) *non est botrus ad comedendum.* Totam ergo vitæ vineam dare vindemiandam Diabolo, & Deo non nisi pauculos botros, qui fugerunt manus vindemiantiũm, nónne hæc grandis injuria est? Audiamus Senecam lib. de brevitate vitæ. *Non pudet te*, inquit, *reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit?* Quæ sententia explicat id, quod diximus; reliquias vindemiæ saluti nostræ & Deo dare, prorsus turpe & propudiosum esse. Idipsum alio simili declarat

S,Chry-

S. Chrysostomus in Psal. 14. *Si nullus nostrum,* inquit, *vult possidere servum senem, nec qui habet delectum exercitus, senes refert in numerum, imperante autem necessitate & vi impellente, tunc senes etiam ad bellum proficiscuntur: multò magis regnans virtus mavult adolescentiam, quàm senectutem, &c.* Hinc justo Dei judicio sæpè tali *animadversione percutietur peccator* (inquit S. Augustinus serm. 3. de Innocent.) *ut moriens obliviscatur sui, qui cùm viveret, oblitus est Dei.* Quærit Abulensis in lib. Josue quæst. 42. cur Achan ille furti reus, dum inquireretur Dei jussu per sortes, fuga sibi non consuluerit; & hanc inter alias causam, meo judicio veriorem, reddit: quia ex Dei vindicta ignavo obtorpuit metu, ne pedem loco movere posset, & mens ac ratio ab eo fugit, ita ut nesciret, an & quorsum sibi fugiendum esset: quo modo de Pharaonis exercitu dicitur Exod. 15. *Fiant immobiles quasi lapis.* Et quo modo homicidæ sæpenumero ita dejiciuntur à ratione, ut nesciant fugam inire post patratum facinus. Idem peccatoribus contingere multoties in ultimo vitæ discrimine solet, ut Dei ac salutis suæ prorsus obliti, de pœnitentia nihil cogitent. Exemplo est Comes quidam Matisconensis, de quo hæc refert Petrus Ven. Abbas Cluniacensis lib. 2. de miraculis cap. 1. *Hujus urbis* (Matisci) *principatum quodam tempore sub nomine Comitis quidam obtinens super personas & res ecclesiasticas execrandam tyrannidem exercebat. Longè enim exuperans aliorum prædonum nequitiam, non solùm ex parte Ecclesiarum substantias diripiebat, sed reditus earum omnes cum suis possessionibus sibi tyrannica violentia subjugabat. Nam Canonicos de Ecclesiis, ipsos etiam Monachos de monasteriis suis ejiciens, terras omnes, reditus omnes & quæcumque eis ad hujus vitæ subsidium à majoribus data fuerunt, immisericorditer abstulit, jurique proprio mancipavit. Ostenduntur adhuc ab incolis antiquarum ecclesiarum ruinæ, ex quibus ipse sacra religionis cultores ejiciens venerabilia loca, omnipotenti Deo religiosè servientium multitudine referta, in eremi solitudinem redegit. Ita se totum Deo subtrahens, mundo dedicans, gehennæ & tremendorum Dei judiciorum oblitus: ut Evangelicus ille judex, nec Deum timebat, nec hominem verebatur. Cumque diu concessa potestate abusus, quotidie se ipso deterior fieret nullaque jam spes correctionis ejus existeret, iram adversus se omnipotentis Dei jam non revocandam commovit, atque in se dirissimè expertus est scripturæ sacræ sententiam dicentis: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et quia nequitia ejus non occulta sed publica, non cum timore sed cum audacia Deum provocaverat, non latenter, sed publicè, non tantùm invisibiliter sed etiam visibiliter, terribile factus est tyrannis principibus in exemplum. Nam cùm solenni die Matiscone in proprio palatio resedisset, eumque multitudo tam militum quam diversi ordinis circumstaret, repentè ignotus homo equo insidens per ostium palatii ingressus, omnibus conspicientibus & admirantibus, usque ad ipsum equitando pervenit. Cumque ei adstaret se ei velle colloqui dicens, ut surgeret ac se sequeretur, non tam monuit quàm imperavit. At ille invisibili potentia constrictus, nec jam resistere valens surrexit, atque usque ad ostium domus processit. Ubi equum paratum inveniens eumque ab eo conscendere jussus, ascendit. Cujus statim habenas ille corripiens statim cum velocissimo cursu per aëra ferri, cunctis conspicientibus capit. Cumque immenso ejus clamore ac miserabili ejulatu tota civitas commota ad tam invisum spectaculum concurrisset, tamdiu eum per aëra currentem attoniti conspexerunt, quamdiu naturalis oculorum acie eum subsequi potuerunt. Qui cum eum diu, succurrite cives, succurrite, vociferantem audirent nec juvare valerent subtractus tandem visibus hominum, æternus, quod meruerat, factus est socius dæmonum. Ab hoc tam horrendo spectaculo universi ad propria recedentes, sicut supra dixi, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, exemplo inaudito & miserabili didicerunt.* Ita Ven. ille Abbas. Quis hic non videt Comitem istum in extrema calamitate oblitum fuisse sui? Ecce enim per aërem raptus, à civibus opem postulat; Quis enim ex illorum numero post ipsum evolare & miserum Dæmoni eripere atque in terram deponere posset? Ad Deum exclamare, ejus misericordiam invocare debebat. Sed nimirum quia vivens oblitus fuit Dei, ideò moriens oblitus est sui. Actum est de humano auxilio, quando peccator incidit in manus Dei. Arabum proverbium fuit: *Natat in aqua ante vesperam.* Siquis enim de die in undis periclitetur, spes est adfuturum periclitanti auxiliatorem: sed si de nocte in aquas cadat, quis ei succurret? Dies est, dum tempus pœnitentiæ est, & tum auxiliarem manum porrigere sacerdotes possunt: at cum ingruit nox & funesta instat mors Deique vindicta jam sævit; quis prædam jam comprehensam Dæmoni eripiat? Itaque *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eccle. 5.

THEMA QUARTUM.

Quomodo verbum Dei audiendum?

I. *Sustinendus Concionator.*
II. *Sedulò attendendum.*
III. *Custodiendum Dei verbum.*

Ecce jam triduo sustinent me.
Marci 8.

Bene quidm pavit & saturavit Dominus turbas & quidem iteratis vicibus: non videntur tamen

turbæ multùm in pietate inde profeciſſe. Nam cùm prima vice eas paviſſet, quæſierunt quidem Dominum: ſed quid ait illis? *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna* (ad credendum) *ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis* Joan. 6. Poſt hodiernam refectionem Phariſæi & Sadducæi non contenti hoc ſigno, petierunt ſignum de cœlo: diſcipuli verò obliti panes ſumere in navim, ſoliciti ſunt de panibus. Quare utroſque jure merito reprehendit Dominus. Idem puto non raro contingere Concionatoribus: proponunt illi panem verbi Dei (non minùs neceſſarium homini, atque eſt panis naturalis: *quo deficiente*, ait S. Hieronymus in 8. cap. Amos, *perit pudicitia, caſtitas moritur & omnes abeunt virtutes*) ſuis auditoribus & toties ac toties, nec tamen inde fructum magnopere deprehendunt. Quid igitur eſt cauſæ? Videntur mihi multi non ita hunc cibum ſumere, ſicuti deberent: nec qualis ſit, agnoſcere. Quare dicamus aliquantum de modo accumbendi ad hunc panem.

Sapiens in lib. Sap. cap. 8. à ſuis Auditoribus tria potiſſimum requirit: *Tacentem me ſuſtinebunt: loquentem me reſpicient: ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent.* Quæ tria reperio etiam expreſſa in convivis hod. Patienter enim ſuſtinent Dominum per triduum, donec eos reficiat: recumbunt in terram & reſpiciunt in Dominum, quomodo eos refecturus ſit: denique manus apponunt ori ſuo & comedunt: quæ tria requiruntur à bonis verbi Dei auditoribus.

I. *Suſtinendus Concionator.*

I. Suſtinuerunt Chriſtum partim tacentem & miracula patrantem, partim ambulantem & loquentem. Ergo antequam loquitur concionator, expectandus eſt animo ad audiendum præparato.

2. *Præmiſſa oratione.*

Et 1. præmiſſa oratione juxta id Actor. 6. *Nos in oratione & ſermonis doctrina perſeverabimus.* Unde Paulus etiam initio ſuarum epiſtolarum orat. Cauſa eſt, tum quia concionator non niſi aures corporis, Deus autem aures cordis aperire poteſt, ita aperuit Lydiæ illius purpurariæ, Actor. 16. *Cujus Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicibantur.* Tum quia Dæmon mox inſidiatur auditui verbi Dei, ſicut Draco Elephantis auribus, quas ſua proboſcide defendere nequit, teſte Solino de ſitu orbis c. 35.

2. *Formata bona intentione.*

2. Formata bona intentione; qualis enim eſt intentio audiendi, talis erit & fructus. Audi Chryſoſtomum homil. 1, imperf. cap. 11. *Vnumquodque membrorum ſuſcipit nutrimentum & convertit ipſum in ſe ſecundùm ſuam naturam & diſpoſitionem: ut puta; quod ſuſcipit jecur, totum fit ſanguis; quod autem ſuſcipit fel, bilis fit totum: quod verò aſcendit in pulmonem, phlegmata efficiuntur: quod autem in mammillas, totum efficitur lac. Sic ſacerdotibus in Eccleſia loquentibus verbum omnes ſuſcipiunt, unuſquiſque autem convertit illud ſecundùm proprium cor: ita ut unum ipſum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam: in cordibus autem perverſis ſuſcitet iracundiam quaſi bilis: in aliis autem operatur dilectionem dulciſſimam quaſi lac: in aliis verò odia quaſi phlegma nocivum & expuendū.*

3. Purificato animo ab affectibus erga peccata. Eccur olim audituris verbum Dei, duobus Ducibus Hebræorum Moyſi Exod. 3. & Joſue Joſ. c. 5. præcipitur, ut priùs calceamenta exuant, cùm ambo eſſent juſti? Utique quia Deus ad audiendum verbum ſuum requirit non ſolùm cor à peccati exuviis liberum, ſed etiam ab affectibus inordinatis erga illud; ſiquidem auditores vocantur ut fiant duces & inſtructores etiam aliorum. *Quapropter hortor rogóq;,* inquit S. Chryſoſt. h 3. de David & Saule, *ut priùs confeſſione ac pœnitentia, aliisq; remediis omnibus ſeſe à peccato ex theatricis ſpectaculis contracto, perpurgent, atque ita divinos audiant ſermones. Neque enim hic mediocriter à nobis delinquitur, id quod vel ab exemplis cuivis perſpicuè videre licet. Nam ſi famulus in arculam ubi herilia veſtimenta pretioſa aureaque recondita ſunt, ſervilem tunicam ſordibus ac multis pediculis refertam imponat: age dic mihi, num eam contumeliam æquo animo ferres? Quid autem ſi quis in vaſculum aureum, in quo ſemper unguenta ſervari conſueverint, ſtercus ac cœnum infundat: an non & plagas infligeres, qui ſcelus hoc commiſiſſet? Et poſt hæc ſcriniorum ac vaſorum, veſtium & unguentorum tant curaa ſolicitabimur, animam verò noſtram omnibus iſtis viliorem eſſe putabimus? atqui ubi ſpiritus infuſum eſt unguentum, eò diabolicas pompas immittemus? eò fabulas Satanæ, eò cantilenas meretriciæ turpitudinis plenas?*

II. Recubuerunt in terra convivæ. Et quid hoc deſignat? ſedulam attentionem, ita ſcil. ut mens non evagetur. Cogita pretium verbi divini. Ramenta auri quàm accuratè colligunt aurifabri! Corporis Chriſti particulas ſacerdotes! At verbũ Dei non minus eſſe vult S. Auguſtin. in 59. hom. 26. ipſo ejus corpore. Ideò Dominus juſſit aſſervari panũ reliquias Joan. 6. Quærit idem Auguſt. ſer. 26. de verb. Domini, cur Magdalena deſidiæ & inurbanitatis notata à ſorore non reſponderit, neque ſe excuſarit vel uno quidem verbo, præſertim cùm fœminæ ſint ad propulſanda crimina proclives; reſpondetq; id feciſſe ne vel uno verbo ſermonem Chriſti interrumperet vel audientis attentionē. *Si enim parares reſpondendi ſermonem,* inquit, *remitteret audiendi intentionem.* Legatos Principum perorantes arrectis auribus audimus: cur non magis Dei legatos? Jannottus Manettus Florentinorũ Legatus ad Regem Aragonum Alphonſum, *prolixam nec minus elegantem orationem, dum pronunciaret, attentionem patientiamq; Regis apprimè miratus eſt, quòd ne oculos quidem à ſe diutiſſimè dicente minimùm deflexiſſet, nec manus moviſſet. Sed & illud inprimis memoria dignũ judicavit, quòd cùm à principio ſtatim orationis naſo Regis muſca ſuperſediſſet, non priùs quàm peroratũ eſſet, Rex illam abegiſſet.* Ita Panorm in Comm. Regis Alph. l. 1. Ecce ad politicã perorationē tanta cum patientia attendit Rex: judicate nunc an nõ pari, imò longè majori attentione aures verbo Dei præbere nos oporteat.

2. Neque

2. Neque ſenſus evagentur veluti circumſpicien-o, loquendo &c. Pictores ſunt concionato:es;ergo t ſpecioſas in Auditorum animis imagines effor-ient, quieti & immobiles eſſe auditores debent elut tabulæ pictorum. Unde Chryſoſt. ho. 30. in A-ta: *Ingredere in pictoris officinam*, inquit, *& vide-is multum illic ſilentium: ergo & hic ſit; etenim ſic egias & pingimus imagines, & nullam privati ho-ninis propter colores virtutis*. Et mox; *Stylus igitur ſt nobis lingua; artifex autem Spiritus S.* Quærit i-em quare Dominus durius reſponderit cuidam di-ipulo cupiēti ſepelire patrem: *Sine mortuos ſepelire ortuos ſuos*, Matth. 8. reſpondetque ho. 41, in Matt. e concionis abrumperet filum dicens ſe, à parentib⁹ vocatum eſſe. Similiter durius reſpondit ei, qui nun-iavit concionanti, foris ſtare matrem & fratres ejus, uærentes eum: *Quæ eſt mater mea & qui ſunt fra-res mei? Ecce mater mea & fratres mei*; qui ſcil. di-igenter audiunt concionem. Matth, 12.

3. Neque ad alios attendat, ſed ad ſe. Unde dici-ur Prov. 23. *Cum ſederis ad menſam Principis: ſta-ue cultrum in gutture tuo*. q. d. ſchneid dir ſelbſt für, tibi præſcinde non aliis, tanquam tibi ſoli in au-em loquatur concionator. Multi avidè audiunt, ſed aliis, non ſibi applicant audita, ſimiles vini empto-ibus, qui aliis, non ſibi vina emenda delibant: & coquis, qui non ſibi, ſed aliis coctos prægustant ci-bos. Matth. 10. ait Christus diſcipuls; *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*. At non legitur Domi-nus in aurem eis locutus. Vult ergo dicere, id quod publicè omnibus dixit, habendum quaſi ſingulis in aurem dixiſſet, velut ad ipſos tantùm, non ad alios ſpectans.

III. Panem manibus apprehenderunt & ori in-geſſerunt, maſticarunt, glutierunt. Quid hoc? Cu-ſtodiam indicat verbi divini, 1. Memoriæ traden-dum. Quid Petrum in ruinam impulit, niſi oblivio- verbi divini, quod prædixerat illi Christus: *Quia antequam gallus cantet bis, ter me negabis?* Econtrà Scribæ illi, qui verba Chriſti dicentis: *Diliges Domi-num Deum tuum &c*: accuratè retinuit & fideliter repetiit, reſpondit: *Non es longè à regno Dei*, Marci 12. Pueros eſſe vult Spiritus S. auditores verbi Dei. Ita enim Iſa, 28. ait: *Quem docebit ſcientiam & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avul-ſos ab uberibus*. Atqui ſcimus à pueris peti repetiti-onem traditæ lectionis: quemadmodum & Chriſtus poſt hodiernam refectionem examinavit ſuos diſci-pulos; quot cophinos ſuſtuliſſent, quando nunc 7. & alias 5. panibus turbam refecit. Vnde S. Chryſ. ho. 5. in Matth. *Non oportet*, inquit, *omninò à cætu Eccleſiæ re-cedentes, contrariis huic ſtudio negotiis implicari: ſed domum continuò recedentes ſacros replicare libros, & conjugem pariter liberoſque ad eorum, quæ dicta ſunt, collationem vocare, hiſq; altius animo ac peni-tus inſertis, tum demum ad ea, quæ hujus vitæ ſunt neceſſaria curanda procedere. Si enim balneum egreſ-ſus, publica conventicula evitas, ne beneficium bal-nei fomento partum negotia moleſtiora corrumpant quantò magis cum ab Eccleſiæ congregatione regrede-ris hoc te oportet efficere? Nunc verò contraria agen-tes, cuncta diſperdimus: nondum quippe utilitate ſer-monis firmiter in mente defixa, plurimus irruens ſæ-cularium impetus actionum, omnia pariter evellit.*

2. Ruminandum: Cibus non maſticatus nec digeſtus ſtomacho non prodeſt. Audiamus ſanctum Chryſoſtomum hom. 41. op. Imperf. *Sicut qui mit-tit in os ſuum fragmentum panis aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus & ita dimittit eum in ſtomachum: ſic & cùm audimus verbum Dei, neceſſe eſt ipſum meditari in ore ſenſus, & videre quid eſt, quod dicit aut unde dicit, aut propter quam rem dicit*. Judæis certè præceptum, ut legem Dei in manibus ligarent: ponerent inter oculos. in-taque meditarentur ſedulè domi foriſque, recumbentes, ſurgentes. Deut. 6. Cur non faciant hoc & Chri-ſtiani? Immunda cenſebantur animalia, quæ non ruminarent, Levit. 11. Atqui *ruminans animal in-nuit divinorum eloquiorum meditationem*, ait Thc-odoretus quæſt. 11. in Levit. S. Auguſtinus ſerm. 218. de temp. ſumit comparationem ab avibus; quibus non ſatis eſt, poſuiſſe ova, ſed opus ea etiam fovere. Et ſer. 91. de manna, quo cadente dicebant Hebræi: *Quid eſt hoc? Manna ergo interpretatur, quid eſt hoc?* ait, *vide non ipſa nominis virtus ad diſcutiendum te provocat, ut cùm audieris legem Dei recitari in Eccleſia, ſemper interroges ut dicas Doctoribus: quid eſt hoc?* — *2. Menreruminandũ.*

3. Executioni mandandum, quod eſt manum ori, ſeu verbo Concionatoris admovere. Hoc eſt quod Luc. 11. ait Dominus: *Beati qui audiunt ver-bum Dei & cuſtodiunt illud*. Et Joan. 14. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Qui habet in ſermonibus & ſervat in moribus, ait Augu-ſtinus. Multi poſt auditam concionem inter ſe col-loquuntur, an fuerit bona concio. Quibus ego re-ſpondeo, penès ipſos eſſe bonam vel malam concio-nem. Si enim eam obſervent, bona fuit: ſin minus, mala fuit. Ita enim medicinam tum demum aſſeri-mus eſſe bonam, quando in ægro vires ſuas exe-ruit & deſideratum effectum edidit: malam verò, quando ſumenti nihil profuit. Idipſum aliis ſimi-libus declarat Clemens Alexandr. l. 2. ſtrom. *Quem-admodum ſphæra ludere, non ſolùm dependet ab eo, qui mittit ſphæram, ſed ei etiam eo opus eſt, qui numeroſè eam excipiat, ut ex ſphæræ legibus peragatur ludi ex-ercitatio: ita etiam ut ſit doctrina fide digna, accidit, quando fides eorum qui audiunt, quæ eſt ars natura-lis, confert ad diſciplinam. Adjuvat terra fertilis ad ſeminum dejectionem. Neque enim optimæ doctrinæ eſt aliqua utilitas, niſi adſit ejus, qui diſcit, ſuſceptio; ne-que puophetiæ, niſi adſit obedientia eorum, qui audi-unt. Aridæ enim feſtucæ, quæ ſunt paratæ ad ſuſcipi-endam urendi facultatem, facilius accenduntur pro-ter cognationem: & lapis qui vulgò iactatur ferrum trahit, & lachryma ſuccini attrahit feſtucas, & ele-ctrum movet paleas.* — *3. Executioni mandandum.*

Quare Audit. ne fiamus similes Pharisæis & Judæis multis, qui nihil fructus spiritualis ex hod. refectione ceperunt; discamus aliter nos ad mensam verbi divini accedere per præparationem præviam, per attentionem, per custodiam ejusdem. Sic enim & *mäducabimus & saturabimur*, ut possimus dicere aliquando cum Davide: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

THEMA QUINTUM.

Septem Media ad proficiendum.

I. *Quotidie incipere te existima.*
II. *Cogita Deum tibi semper adesse.*
III. *Omnia opera tua ad Deum dirige.*
IV. *Verbum Dei sedulò audi.*
V. *Examen Conscientiæ fac quotidie.*
VI. *Frequens & pius usus S. Confessionis & communionis.*
VII. *Seria resolutio ad proficiendum.*

Quot panes habetis? Qui dixerunt: septem. Marci 8.

QUatuor millia fuisse in hodierno convivio scimus ex S. Marco. Lucas addit, parvulos ibi præsentes in numerum non venisse. Causam dat Origenes hom. 1. in l. 4. Num. *Donec inest alicui nostrum vel puerilis vel lubricus sensus, haberi apud Deum in sancto & consecrato numero non meremur*; inquit. Hoc est quod dudum dicebam, crescere nos oportere in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris, si Deo placere & in electorum numero esse velimus quemadmodum & Apostolus ad Eph. 4. monet: *Veritatem facientes crescamus in Christo per omnia*. Per omnia, nimirum membra, seu omnes & singuli. Per omnia, quaquaversum in omnibus virtutibus. Per omnia, seu omninò & necessariò. At jā dicet quis: Quomodo crescemus seu quibus mediis? Panes comedite. Hinc enim crescunt pueri in viros, quando panes comedunt. Quot istiusmodi panes habemus? *Septem*, ajunt discipuli in hod. Evangelio, depromamus ergo illos.

I. *Quotidie incipere te existima.*

I. Tres suppeditat nobis S. Carolus Borromæus. Quorum primus, quotidie inchoare te existima cum Davide, qui jam senex cùm dixisset: *Cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui*: motus cogitatione æternitatis subdit Ps. 76. *Dixi nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ excelsi*, Quis autem nescit omne initium fervere? novas scopas melius verrere quàm antiquas? Qui immensum pelagus coram se videt, in Indiam navigaturus, ubi per aliquot septimanas navigavit, nihil adhuc itineris se fecisse ait; unde remiges & nautas incitat quotidie ad labores, quasi primum è portu solvisset. Qui civitatem expugnare statuit, ad novos assultus continuò milites suos excitat. Quantò magis pro acquirendo regno cœlorum novos semper spiritus resumere debemus? Sive enim cogitemus dies æternos in cœlo nunquam satis eos mereri possumus: sive in inferno, nunquā satis eos fugere. Quotidie ergo instauremus vires ad laborandum & fugiendum. Quid agunt Euclìones, qui pecunias congregant? Quandonam audiuntur dicere: satis sibi divitiarum esse? parcendum tandem curis & laboribus lucri causa institutis, contrahenda vela, quibus aurum sibi afferebatur? nunquam. Ecce isti *ut iniquè agerent, laboraverunt*, ait Jer. c. 9. Et nos non laboremus ut pro regno cœlorum æternùm possidendo bene agamus?

II. Cogita Deum semper tibi præsentem adesse, sicut reverà est, tuaque omnia inspicere. Hoc indicavit Deus Abrahæ Gen. 17. *Ambula coram me & esto perfectus*, q. d. sic fies perfectus. Imperativus enim sæpè ponitur pro futuro in SS. litteris. Quis coram Principe stans, aut quis servus coram domino suo agens non componit mores suos? Et cur non magis vereamur oculos Dei? Samuel unde à puero tantum profecit, ut Deus ipsi loqueretur, & adhuc adolescens ad imperandum Israeli assumeretur? quia coram Deo simul & magistro suo Heli sacerdote ambulavit. Sic enim dicitur 1. Reg. 2. *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.* Sic & David Psa. 118. *Servavi mandata tua & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* S. Dositheus ex dissoluto milite perfectus monachus evasit. Unde? ex illo S. Dorothei Magistri sui præcepto: *Cogita semper Deum tibi præsentem & te coram illo stare*, ut in ejus vita. Inde etiam ad miram sanctitatem pervenit Josephus Anchieta noster. Vidit hoc & Seneca, qui l. 1. ep. 11. ait: *Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat &c.*

III. Omnia opera tua tendant ad Deum. Insidiatur Dæmon operibus nostris, sicut Apoc. 12. legimus stetisse draconem ante mulierem parturientem, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret. Verum infans editus mox raptus est in cœlum & mulier fugit in solitudinem. Sciebat ista mulier, quæ animam sanctam repræsentat, tanti esse valoris opus justitiæ, per filium masculum designatum, ut non nisi coram Deo collocandum esset; idcirco celerrimè prolem suam ad Dei thronum direxit, ne à dracone devoraretur. Insidiatur operibus nostris igneus ille draco, ut edita mox deglutiat & inania reddat, per terrenos fines. Ergo si sapimus, mox ad Dei gloriam ea elevemus; nos ipsos verò per humilitatem abscondamus, quasi nihil boni fecissemus. Dolendum verò quod pauci mulierem hanc imitentur. Plures struthionem sequuntur, qui non in arboribus & alto loco, ut aliæ aves, sed in arena ponunt ova sua, de quo Job cap. 39. ait: *Derelinquit ova sua in terra: obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, Duratur ad filios quasi non sint sui: frustra laboravit.* Idem faciunt qui opera bona nulla præ-

prævia bona intentione peragunt. ſed ex conſue-
dine, quaſi ad menſam vel lectum eant: ſic ea in
rra ponunt, ubi facilè ab hominibus per inanem
oriam conculcantur, imò etiam ſuaptè inanitate
reunt, nec ad Dei conſpectum aſcendunt: non er-
non niſi terrenam mercedem acquirunt; itaque
ſtrà laborarunt. Hinc majores noſtri docuerunt
rvulos ſuos, ubi orarunt, orationem ſuam elevatis
anibus in cœlum quaſi ejaculari, dicentes: ſchut
ffgen Himmel.

IV. Verbum Dei ſedulò & piè audi. Moyſes ad tium tabernaculi fecit labrum æneum de ſpeculis ulierum, ut introeuntes in eo ſe inſpicerent & malas ſuas abſtergerent. Exod. 38. Multò magis reurit Deus, ut animus, quàm ut corpus mundum in nſpectu ipſius ſit & à ſordibus tergatur. Speculm noſtrum Dei verbum eſt in templo prædicam: id enim unicuique, qualis ſit & eſſe debeat, reæſentat. In eo igitur crebro ſe inſpiciat, qui malas omnes tergere & proficere vult. Verùm cur ſpeculis mulierum erat lavatorium? Quia mures potiſſimum ſpeculis utuntur & crebrò quim eoque fine, ut ab omni ſe immunditie expurent. Viri rarò utuntur ſpeculis. & ſi fortè inſpicint, ferè ex curioſitate tantùm, ut videant an canos l rugas habeant, non ut maculas abſtergant. Hinc nctus Jacobus c. 11. vult ut Dei verbum audiaus, non quemadmodum viri: *Si quis auditor eſt erbi & non factor, hic comparabitur viro conſidenti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit im ſe & abiit & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Be ait, *vultum nativitatis ſuæ.* Multi enim conſident vultum nativitatis alienæ tantum, quemadmoum Acco anus illa delira, quæ videns in ſpeculo iam imaginem, putabat eſſe aliam mulierem, unde m arrrdebat, alloquebatur, ei minabatur &c. (uti iam infantes faciunt) apud Rhodiginum l. 17. ap. 2. Multi dum concionem audiunt, non ſe exiſtiant, unde quos perſtrictos pùtant, rident, damd alios in ea ſe videre: alios depingi non ſe ant, & ſeipſos negligunt, adeoque nihil proficint. Simillimum huic ſpeculum ſunt libri pii, vita hriſti & ſanctorum, quorum vitam intuentes, noram inde corrigimus & ipſis conformare ſtudeus.

V, Examen conſcientiæ, quotidie fac. Sæpius n Canticis laudat Sponſus Sponſam ab oculis columbæ, uti c. 1. & 4. *Oculi tui columbarum.* Et viciſſim ſponſa c. 5. laudat ſponſum ab oculis columbæ: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima.* Amant columbæ juxta aquas limpidas ſedere, tum ut iis ſe lavent, tum ut in iis Niſi circumvolitantis umbram videant, quò ſibi ab eo cavere poſſint. Pari modo anima pia in examine conſcientiæ ſuæ velut aqua limpida ſeipſam primò inſpiciat & abluat; deinde inſidias Dæmonis diligenter inveſtiget. Ita Origenes hom. 3 in Levit. *Ferunt hoc genus avis* (columbas) *cum ad aquas venerit, quia ibi ſolent accipitris inſidias pati, venientem deſuper inimicum volitantis umbra aquis inſpecta deprehendere. Quod ſi & tu ita proſpicere potueris inſidias Diaboli & cavere, ſacrificium Deo, columbas obtuleris.*

Sed ſi aquæ illæ lacte ſunt lotæ, adeoque valdè candidæ, quid opus eas inſpicere per examen? id nimirum vult Spiritus ſanctus ut in examine conſcientiæ etiã bona noſtra opera inſpiciamus & examinemus, quæ videntur eſſe lactea, an bene facta ſint & nullo aſperſa nævo. Cujus rei doctrinam præbuit ipſe Deus, dum omnia opera ſua examinans quaſi & inſpiciens ſingulatim, vidit quòd eſſent bona, adeò ut etiam lucem inſpexerit: *Et vidit Deus lucem quòd eſſe bona.* Quæ caligo poterat eſſe in lumine? nimirum voluit, ut nos omnia opera noſtra ad trutinam revocemus, etiam quæ lucida & lactea apparent, juxta id Job. *Verebar omnia opera mea:* c. 9.

VI. Frequens & pius uſus S. Confeſſionis & Communionis.

VI. Frequens & pius uſus ſacræ confeſſionis & communionis. Quando Chriſtus Jeroſolymam intrare ad virtutum omnium conſummationem & glorioſiſſimam Dæmonis, mortis & peccati debellationem voluit, mandavit diſcipulis duobus, ut aſinam ſibi adducerent: *Solvite & adducite mihi.* Qui ſolverunt & adduxerunt, & Chriſtum eæ impoſuerunt Matth 21. Vis tu ad perfectionem aſcendere? Vide ut patres ſpirituales ſolvant à peccatis animam tuam, quoties alligatam vinculo aliquo peccati noris. Nec hoc ſolùm, ſed roga inſuper ut adducant eam ad Chriſtum, hoc eſt, inſtruant, corrigant, media emendationis præſcribant, vias virtutis acquirendæ demonſtrent. Demùm Chriſtum aſinæ in ſacra communione imponant, prius tamen veſtibus diſcipulorum, hoc eſt, ſanctis virtutibus inſtratæ. Aſina vero Chriſtum cautè & ſuaviter portet, quemadmodum aſini nec impingunt pedibus nec ſuccuſſant equitem, nec in lutum intrant, cùm evitare poſſunt.

VII. Seria reſolutio ad proficiendum.

VII. Seria reſolutio ad proficiendum quotidie ſine dilatione. Docet hoc ſapiens illa mulier Prov. 31. quæ ex hoc laudatur, quia *manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Quòd ſi ad fortia manum mittamus, debellando primaria noſtra vitia per actus heroicos, nullo ferè negotio reliqua expugnabimus, Diffugiet totus hoſtium exercitus, ſi Golliathus fuerit proſtratus. Sed manus applicanda eſt, & quemadmodum mulier illa *operata eſt conſilio manuum ſuarum*, hoc eſt, ſtatim executa eſt ſua conſilia, quaſi conſilia in manibus fuiſſent; ita agendum nobis. Incipiamus paulatim à minoribus præliis aſcendere ad graviora. Quòd ſi facere recuſemus, culpa noſtra peribimus. Chronicon Alexandrinum refert mirum Theodorici Regis Rom. factum. Vidua quædam, dicta Juvenalis, Regi queſta eſt, quod jam toto triennio cauſa ejus protraheretur in curia, quæ biduo expediri facilè potuiſſet. Vocati à Rege Judices, qui cauſam ventilabant mandatum accipiunt, ut quàm fieri poſſit citiſſimè, viduæ litem terminent: quod & fecerunt, bidui ſpatio, uti vidua prædixerat, cauſam expedi-

pedientes. Tum Theodoricus judices adesse jubet, qui lætabundi advolant, quasi rem bene administrassent. Tum interrogat, Qui factum est ut bidui spatio expediveritis, quod spatio trium annorum non fecistis? iis respondentibus: Quia majestas vestra, ut id faceremus mandavit. Rex dixit: Quando cum vobis detuli magistratum, nonne omnes causas & inprimis viduarum commendavi? mortem commeruistis, qui causam duorum dierũ triennio protraxistis; eoque momento jussit illis capita amputari. Jam tibi, quisquis es, causa animæ tuæ demandata est, quantò citius expedienda, quia nec biduum tibi promissum. Et quomodo hoc negotium salutis tuæ omnium maximum non aggrederis, sed de die in diem differs? quid respondebis Deo? Laborandum est, ais. At quam brevis labor? & quomodo ad præmium accedes sine labore? *Si quis non vult operari: nec manducet*, ait Apostolus 2. Thessal. 3.

Ergo Audit. arripiamus panes istos, si crescere velimus. David certè Psal 101. ait: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Sed cur obliviscimur hunc panem, qui materialem non obliviscimur? Nonne Pharisæus ille in convivio sedens cum Christo, quasi epulas convivii pro nihilo duceret præ cælesti illo, dixit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*: Luc. 14. Solus enim ille panis satiabit appetitum nostrum. Quare ut ad panem illum aliquando perveniamus, crescere studeamus, atque ut crescamus, & inter viros recenseri, digni cælesti mensa, mereamur, de septem istis panibus, quos hic proposuimus, indesinenter comedamus.

* * *

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Arbori bonæ similem debere esse hominem.*
II. *Homines ambulantes velut arbores.*
III. *Quæ retineant perversos ne converti & bonos fructus ferre possint.*
IV. *Quæ retineant justos, ne peccare queant.*
V. *Perfectio Christiana quibus in rebus potissimum consistat.*

THEMA I.

Arbori bonæ similem debere esse hominem.

I. *Humorem Spiritus sancti de cœlo ad se trahat.*
II. *Cortice bonæ famæ vestiatur.*
III. *Adversitatibus exerceri debet.*
IV. *Culturam educationis habeat.*
V. *Fructus bonos ferat.*

Arbor bona fructus bonos facit. Matth. 7.

ARbori comparari hominem audimus Audit. in hod. Evangelio & rectè, quia arbori non absimilis est homo; nisi quòd, ut antiqui ajebant, arbor sit inversa, radicem, è qua alimentum sumit non in terra fixam habens, sed ad cœlum erectam. Quæ etiam causa est, cur doctissimus Philo Judæus in l. *quòd deterius pot. insid.* hominem appellet *plantam cælestem*. Soli enim homini Deus caput sublime dedit, ut alimenta sua è cœlo sumat, & fructus cœlo dignos adeoque cælestes, proferat. Et tales esse vult nos omnes Christus, dum in hod. Evangelio requirit bonam arborem, quæ bonos fructus afferat. Nunc ergo videamus, qua in re potissimum bonæ arbori debeamus esse similes.

I. Arbor bona humorem terræ ad se attrahere & inde vivere debet: quod nisi fiat, exarescit & emoritur. Homo etiam ut secundum animam vivat & fructus bonos ferat, gratia Spiritus S præditus sit necesse est, id quod egregiè ostendit B. Petrus Damiani in ser. 21. qui est de Spiritu S. *Arbor namque solo radicitus fixa succos ex uligine concipit, quibus per inferiora diffusis & incrementa se roboris erigit & germen emittit. Quique autem fideles arbores sumus, intra sanctæ nemus Ecclesiæ illius summæ agricolæ dispositione plantati. Si ergo ut in fructuosæ arbores arescere nolumus, si securibus excidi ac deputari ignibus inutiliter formidamus, in illa supernorum civium patria, in humanitate Redemptoris nostri, per charitatis glutinum spei nostræ radix semper inhæreat, ut ad proferendos bonæ operationis fructus in robur fortitudinis fortiter convalescat. Sed sicut arbor si vegetantis succi humore deseritur, protinus exiccatur: sic & anima nostra, nisi Spiritus S. gratia fuerit rore perfusa, funditus arefacta, ad nullius sanctæ operationis germen poterit esse fœcunda.* Sic ille. Porrò sicut arbores humorem, è quo vivunt, de cœlo ferè expectant, à pluviis nim. ita & nos gratiam

Dei,

Dei, quæ ad bene operandum nos excitet & in operando adjuvet, non nisi à Deo accipimus; & per quid aliud, nisi per orationem? Quam ergo necessaria est arboribus frequens irrigatio, tam necessaria est homini assidua precatio. Unde S Chrysostomus om. 1. de precatione tom. 6. ait: *Quare nobis, qui ab illo instituimur, vita est in precibus traducenda, usque mens perpetuo irriganda: non enim minùs quàm arbores aquis illis indigemus universi. Nam neque illæ possunt esse fructuosæ, nisi humorem radicibus ebibant neque nos preciosissimas pietatis fruges fundere, nisi precibus irrigemur.* Hinc David orabat Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.* Ubi S. Augustinus: *Comple*, inquit, *me ad faciendum fructum bonum.* Quòd si ad orationem lachrymæ accedant, eo potentior erit irrigatio. Sicut enim vino rigatæ arbores citius adolescunt & firmiores in terra radices agunt, teste Plinio lib. 12. c. 1. ita & anima lachrymis perfusa uberiores virtutum fructus gignet, ut testatur supra cit. Petrus Damiani Opusc. 13. c. 13. *Lachrymarum*, inquit, *mador animam ab omni labe purificat & ad proferenda virtutum germina nostri cordis arva fœcundat. Sæpe namque miserabilis anima velut sub pruinali glacie comas & foliorum ornamenta deponit, & recedente gratia, ipsa sibimet derelicta, tota remanet arida & quasi decidentium florum decore nudata. Sed mox ut lachrymæ ex munere intimi inspectoris eruperint, protinus hæc eadem anima revirescit, torporis ignavi frigore solvitur: & tanquam arbor verna Austri fomite recalescens, redivivo virtutum suarum flore vestitur.* Sic ille.

II. Arbor ut sit bona, cortice vestita esse eumq; conservare debet: alioquin brevi intereat necesse est. Par ratio est de homine, qui nisi præter internam sanctitatem, bonam etiam famam sibi quærat & tueatur, facilè deficiet, & Dei gratiam perdet. Quemadmodum enim cortex arboris succum & calorem quasi vestis quædam fovet & continet: ita bona existimatio defendit virtutes homini insitas, & custodit, ne thesaurum illum prodigat. Qui enim bonam apud omnes existimationem habet, timebit utique gloriæ suæ maculam aspergere, quod non nisi peccando fit: quemadmodum qui nitidas & pretiosas gerit vestes, non passim ubique considet, sed mundo dumtaxat loco: qui vilibus indutus est, nullum locum evitat; quia sordes non curat jam antè sordidatus. Hinc Joelis 1. dicitur: *Ficum meam decorticavit* (hostis) *nudans spoliavit eam & projecit: albi facti sunt rami ejus.* Ad litteram de Chaldæorum exercitu, qui Judæos expoliarunt, sicut locustæ ficuum cortices arrodunt & arrodendo arbores destruunt, sermo est. At hoc idem morali sensu accidit ei, qui famæ suæ rationem non habet: ea enim deperdita, perit etiam cura honestatis & virtutis: ea conservata, servatur etiam magna solicitudine morum honestas. Ipsa certe continuit illũ senem Eleazarum, ne cum scandalo juvenum simularet se comedere contra legem carnes porcinas. *Cogitare* enim *cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam & ingenuæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus; & secundùm sanctæ à DEO conditæ legis constituta, respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est*, inquit, *fingere &c.* 2. Mach. 6. Quamobrem teste D. Hieronymo ad Celantiam epist. 14. *Apostolici præcepti & exempli est, ut habeamus rationem non tantum conscientiæ sed etiam famæ*. Non enim facilè creditur admisisse scelus aliquod, qui boni nominis existimationem habet. Unde apud Persas lex erat, ut siquis de crimine aliquo convictus esset, non priùs condemnaretur, quàm tota ejus reliqua vita probe à Judicibus expensa esset. Nam si cætera probus, in hoc tantùm facinore peccasset, humanæ fragilitati veniam dabant, & quamvis noxium absolvebant: sin verò multis aliis vitiis vita ejus obnoxia foret, omnium calculo damnabatur; quòd non casu, sed habitu deditaque opera malus esse videretur.

III. Arbor ut sit bona & frugifera, tempestatibus vexari & exagitari debet, frigidisque potius quàm calidis afflari ventis. Teste enim Plinio lib. 17. c. 2. *Aquilone maximè gaudent: densiores ab afflatu ejus latiores & materiæ firmioris: alioqui si blandiantur Austro defatiscentes.* Et rursum: *Qui dixit*, inquit, *hyemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit.* Par ratio est in homine: Qui ait prosperam semper fortunam optandam & a DEO petendam esse, non pro homine vota facit, nec consulit ejus saluti; siquidem adversa magis ipsi prosunt. Mundus beatos prædicat illos, quorum *promptuaria plena sunt, eructantia ex hoc in illud; oves fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boves crassæ &c. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, Psal. 143. Sed non pro bono & salute eorum vota faciunt isti, Magis exoptanda est tribulatio & adversitas, quia longe salubrior, hominem in virtute stabilit ac confirmat. Intellexit hoc & Seneca, qui in l. de provid. cap. 4. scribit: *Quid miraris bonos viros, ut confirmentur concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur & radices certius figit. fragiles sunt quæ in aprica valle creverunt.* Zachæus non in urbanam sed sylvestrem ascendit arborem, in sycomorum, *ut arbor bona fructus bonos faceret*, inquit sanctus Ambrosius l. 8 in Luc. In illa vidit Christum, & inde consecutus est salutem. Sycomorus verò quia agrestes habet & insipidas ficus, quæ non maturescunt, nisi unguibus vellicentur, aut ferreis unguibus scalpantur, teste Plinio lib. 13. c. 7. idcircò rerum adversarum, quæ carni minime sapiunt, proventum significat. Sed quæ carni insipida sunt, menti plurimùm prosunt, ad videndum Christum & consequendam salutem promovẽt. Unde Apostolus 2. Cor. 4. dixit: *Licet is, qui foris est homo noster, corrumpatur, interior tamen renovatur de die in diem.* Aquilo igitur austerus & frigidus magis homini conducit, quàm blandus & calidus auster. Eam ob causam

III. *Adversitatibus exerceri debet.*

videtur dicere Eliu in l. Joc c.37.v.22. *Ab aquilone aurum venit.* q. d. ab adversitate spirituales proveniunt divitiæ. Viderunt & reipsa experti sunt hoc etiam Gentiles illi Philistinorum Satrapæ, nec non & eorum arioli ac divinatores; quando captam ab eis arcam fœderis jubent restitui Hebræis: illi quidem dic. *Dimittite arcam Dei Israel & revertatur in locum suum*, hi verò: *Si remittitis arcam Dei Israel: nolite dimittere eam vacuam.* 1. Reg.6. Eccur vero non potius arcam Dei detinent ut hac præda gloriari & insultare Hebræis possint? Nimirum arca plaga magna percutiebat Philisthæos, & dejiciebat ipsorum Dagonem: unde cognoverunt Dei veri potentiam, sui verò Idoli inanitatem: adhæc plagis correpti aperiebant oculos & agnoscebant errores suos atque injurias, quas intulerant Jud. easque deplorabant, unde & fana sua destituebant &c. Vidit ergo Dæm. ventum hunc austerum promovere illos ad Dei veri cultum: idcirco dat consilium, ut arca remittatur.

IV. *Culturam educationis habeat.*

IV Arbor ut bona fiat, suam etiam culturam requirit, præsertim cùm adhuc tenera est: adulta verò expurganda est à vermibus, ramis arefactis, musco adhærente &c. Homo etiam ut bonus fiat, educatione indiget & disciplina; sine qua stipes & truncus erit. Hinc forsan antiqui parentes, nato sibi filio depanxerunt eodem die arborem in hortis suis, uti parentes Marii quercum, *Marianam* inde appellatã, apud Cic. l.1. de leg. ut docerent forte, pari passu incedere culturam hominis & arboris. Ita n. Ps.127. dicit. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Etenim oleaster, si inserãtur ei surculi olivæ, feret baccas non oleastri, sed olivæ: ita & qui malæ est indolis, disciplinæ insitione facilè fiet bonus. *Certum n. est*, inquit Clem. Alexand. in pæd. *non natura sed disciplina viros bonos & honestos fieri.* Ex agresti stipite, si implantetur ei surculus urbanus, fiet arbor urbana & nobilis. Rursum *detruncatas nonnulli pinus aut incensas ustasque flammis in querceta observarunt verti*, inquit S. Bas. ho 5, in Hexam. *Sunt & quarum sua natura vitium agricolæ cura diligentiaque deponere ac extrudere novimus, ut punicas acidas amygdalasque amaras. Cùm n. ima in parte radici propinqua asti pini perforatæ cuneum ex pino pinguem per mediam adactum medullam susceperint, saporis tum fastidio gratum in usum mutato, dulcescũt.* Quare si etiam teneræ ætatis, tametsi ea malam indolem & ingenium traxerit ab utero vel prima institutione, cuneus disciplinæ adigatur in animum, poterit & ipsa commutari in virum bonum & tractabilem, ex puero malo & indomito in sedatũm, in mitem ex immiti. Neque solum hoc, sed ex bono melior, ex virtuoso virtuosior evadet, qui bene excultus fuerit, quemadmodum & arbores. Miles quidam R. Artax per Persid. equitanti malum punicum maximum obtulit dono. Rex magnitudinem ejus admiratus interrogavit. E quonam horto depromptum hoc donum mihi affers? Illo verò respondente, è domo sua & ex suis agris: gavisus Rex supramodũ, missis regiis muneribus virum ornavit, &. *Per solem*, inquit, *iste homo tali curatione & diligentia poterit etiam civitatem, meo quidem judicio, ex parva ampliorem reddere.* AElian. l.1. var. hist. c. 33. Quod hic in malogranatis adeò incrassandis sua cultura effecit, poterit & homo in excolenda anima & sua & aliorum, eaque sua industria lætificare Deum & Angelos. Hinc multi in adulta ætate & sibi irascuntur & parentibus ac Magistris suis, quod in juventute melioribus disciplinis non fuerint imbuti, uti inter alios Maximil. I. Imp. qui cùm adhuc adolescentulus in Dialecticis ferè sophismatibus dumtaxat rebusque aliis parum utilibus instructus ætatem trivisset; postea maturus sensit neglectum sui ac dixit: *Si hodie viveret præceptor meus Petrus, efficerem, ut se instituisse me pœniteret.* Cusp. in Maximiliano. Sed & in matura ætate habet homo, quod excolat in seipso: quemadmodum & hortulanus in arboribus. Quare monet S. Chrysostom. hom. 24 de variis in Matth. locis: *Esto itaque homo arbusculæ tuæ valde diligens cultor, esto hujus plantationis solicitus semper amator: ut in ea arida, quæcumque sunt, abscindantur: quæ infructuosa sunt amputentur; quæ fructuosa sunt excolantur: diffusos ramos & nemorum opacitate condensos spiritali falce compone, ut abundantes fructus potius, quàm luxuriam mali germinis nutriant: ramorum nimios & abruptos excessus diligenti solicitudine reseca, ut resecatò in fœcunditatem fructuum exurgant. Vbertate enim germinis, non inani specie, dominus delectatur. Steriles non amat; fœcundas exoptat, fructuosas diligit; aridas amputare consuevit. Sagina igitur tuis fructibus dominum, ut suis te ipse saginet. Sterilitate tua non esuriat, ne & ipse faciat te esurire. Da illi fructus quos exigit: & accipe quos promittit. Exhibe ei quod donat. Tribue ei nascentia, quæ cupit; & ipse tibi, quæ cupis attribuet. Tunc enim poteris ejus fructibus saginari, si ejus esuriem à te contigerit satiari.*

V. Arbor bona fructus ferre bonos debet neque opera solum sed & verba bona. Ita enim Ecclesiasticus c.27. ait: *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius; sic verbum ex cogitatu cordis hominis.* Ex fructu arbor, & ex sermone cor agnoscitur. Unde Dominus Matt.12. *Ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Similiter Clemens Alexandr. 2. pædag. cap. 5. *Cùm verba*, inquit, *omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Arbor mala non facit bonos fructus. Matt. 7. Sermo enim fructus est cogitationis.*

2. Fructus ferre suos, non alienos debet. Odericus l. 1. fatetur se spectasse apud magnum Cham, pinum arborem ingentem, ex cujus ramis singulis, tanquam è vitibus uvæ, prægrandes uniones ac gẽmæ dependebant. Fructus hi non proprii illius arboris, sed alieni erant; quales sunt quorundã nobilium, qui de virtutibus majorũ suorum solummo-

dò ſe jactare ſolent, cùm de ſuis nequeant: quandoque & religioſi aliqui, qui è ſanctitate fundatorum & prædeceſſorum ſuorum gloriam ſibi venantur. Quibus dicitur Jer. 11. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?*

3. Fructus ferat ſponte ſua, nullo cultorum labore, quemadmodum & arbores jam adultæ ferunt. Unde Plinius l. 23. cap. 1. ſic introducit arborem loquentem: *Plurimum homini voluptatis ex me eſt: ego ſuccum vini, liquorem olei gigno, ego palmas & poma totque varietates: neque ut tellus per labores aranda tauris &c. at ex me parata omnia & ſeſe porrigentia ultrò, & ſi pigeat attingere, etiam cadentia.* Faciet hoc & homo, ſi pauperibus & afflictis manum auxiliarem porrigat, nullo etiam merito & reciproco exhibito obſequio: nulla præmiſſa opis imploratione. Ita Loth non rogatus, ſed ipſe potiùs rogans ſuſcepit adventantes hoſpites, & quidem ſummis precibus, ut ad ſe divertere dignarentur. Gen. 19. Ita David proprio motu inquiſivit, an quis eſſet de domo Saul ſuperſtes, ut benefaceret ei puopter Jonathan 2. Reg. 9. Pari induſtria *B. Paula clinicos* (incurabili morbo affectos) inquit D. Hieronymus epiſt. 27. *totam urbem perquirens damnum putabat, ſi quiſquam debilis & eſuriens cibis ſuſtentaretur alienis.*

4. Fructus in ſublimi gerat, non ad terram deprimat, ne ab obviis alioquin ſtatim diripiantur, & domino ſuo auferantur, Inſidiatur vana gloria bonorum operum fructibus, etiam in alto collocatis & in ſecreto poſitis, nedùm iis, qui oculis aſpicientium & rapinæ collaudantium expoſiti ſunt; teſte S. Baſilio in Conſtit. monaſticis c. 11. *Illa*, inquit, *vel in ipſius cœli convexis, inſidiarum adverſum nos collocatrix virtutes ramis in cœlum uſque licet expanſis ac porrectu adornatas profligare ac deturbare pertinaciſſimè contendit,* Quanto magis igitur timendum virtutum ramis ad terram depreſſis? Itaque paulo poſt ſuadet idem S. Pater, uti fructus illos in altum evehamus ad Dei ſolius gloriam; quomodo Apoc. 12. partus, cui inſidiabatur draco, quam primum editus fuit, raptus eſt ad Deum & thronum ejus. Eo conſilio uſus S. Friard. eſt, cùm enim baculum in terram defixiſſet & infuſa aqua ſæpius rigaſſet, brevi frondes & germina & poma baculus arbor facta protruſit, & in magnam arboris proceritatem excrevit. Quo miraculo plebs commota turmatim ad Friardum convenire, velut ad virum ſanctum, cœpit. Videns igitur Friardus fructus operum ſuorum terræ nimiùm vicinos adeoque vanæ gloriæ ad rapinam expoſitos, arrepta ſecuri arborem ſuccidit, uti refert S. Gregorius Turon. in vita Pp. c. 10. apud Sur. 1. Aug.

Quare Audit. ſi hæc quæ diximus, quæque requirit arbor, nobis nō defuerint, promitto vobis à Deo ſingularem protectionem, qua ipſe vos tuebitur, donec implantet in hortum gloriæ ſuæ. Fuit hujuſmodi arbor bona S. Gregorius Thaumaturgus, qui in Decii perſecutione unà cum Diacono ſuo fugit ad montem, cumque proditus eſſet, inſecuti perſecutores montem cinxerunt, & perſcrutati ſunt; cæterùm Gregorius *hortatus eſt comitem ſuum*, ait Nyſſenus in ejus vita, *ut firma erga Deum fiduciæ conſiſteret, eique ſalutem committeret, ſimiliter atque ipſe faceret manus ad orationem extendens ac ne, ſi prope quidem perſecutores acceſſiſſent, metu fidem excuſſam projiceret. Exemplum ejus rei, quam præcipiebat Diacono, ſeipſum præbebat, cum & immotis oculis & paſſis manibus & habitu arduo atque erecto cœlum intueretur. Ita factum eſt ut ſcrutatores præter duas arbores paululum inter ſe diſtantes* (Gregorius ſcilicet orans cum ſocio eis videbantur eſſe duæ arbores) *neminem ſe vidiſſe affirmarent: quibus digreſſis proditor videns non eſſe arbores ſed homines, procumbit ad pedes S. Gregorii creditque ſermoni & qui paulo ante perſecutor fuerat, unus ex profugis factus eſt.* Ita ferè in ejus vita.

THEMA II.

Homines ambulantes velut arbores.

1. *Conſideratâ humanæ fragilitatis conditione.*
2. *Conſideratis fructibus, qui ab homine expectantur.*
3. *Conſideratâ apprehenſione noſtrâ.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matt. 7.

VIdemus quidem frequenter arbores infrugiferas excidi & in ignem mitti. Sed quis vidit aliquando arbores hujuſmodi in ignem ambulantes. Vidit ſane cœcus ille ad Bethſaidam, necdum plenè à Chriſto illuminatus, Marci 8. Interrogatus enim à Chriſto, *ſi quid videret. Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.* Vidit ergo iſte arbores ambulantes, homines ſcilicet ſteriles, quales fuiſſe illos credibile eſt; & quorſum ambulantes, niſi in damnationis ignem? Ut enim arbor inutilis aliò non ambulat niſi ad focum: ita & homo ſterilis non niſi ad infernum, Domino teſtante in hod. Evangelio. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Miſeri & cœci homines! Quod enim arbor ſterilis eat in ignem, id non ſua voluntate, quam non habet, ſed aliena facit; nec ſe ipſam ad ignem promovet: at verò ſtultus peccator propriâ voluntate & ſuiſmet pedibus ambulat ad ignem, & quidem inextinguibilem. Videndum ergo accuratius, qua ratione homines ejuſmodi ambulent velut arbores.

I. Conſiderata humana fragilitatis conditione.

I. Si conſideremus humanæ conditionis miſeriam & fragilitatem, homines & quidem omnes videbimus ambulare ſicut arbores.

Quomodo ambulant arbores? Initio dum teneræ arbuſculæ ſunt, fragiles admodum ſunt, unde alligari debent; facilique de cauſa læduntur atque exareſcunt, ideò parva ſepicula cinguntur. Tum in juventa quaſi adoleſcentes, ſpecioſæ fiunt aſpectu, tenero & lævi cortice, humorū abundantia in folia luxuriantes, ſeſeque dilatantes. Pòſt in virili quaſi ætate conſiſtentiam ſuam habent & fructus ferre incipiunt. Denique cùm annoſæ evadunt, ſpeciem & decorem ſuum ſenſim amittunt, areſcentibus & cadentibus ramis, intùs putredine conſumuntur & ſterileſcunt: poſt hæc vel modico agitatæ vento incipiunt crepare, (krachen) & tum ſuaptè infirmitate cadunt, vel alieno robore exſcinduntur. Interea variis etiam morbis homini communibus vexantur, uti vermiculatione, ſideratione & dolore membrorum, ut teſtatur Plinius l.17.c.24. Denique excisarum ligna, ſi utilia & pretioſa ſint, uti cupreſſi, cedri & ſimilium, reſervantur & adhibentur ad ornatum rerum variarum: quæ vero inutilia, curva, nodoſa, applicantur igni fovendo. Sic ſe habet curſus vitæ humanæ: fragilis eſt in infantia; ideò nutrice eget: ſpecioſus in adoleſcentia, petulans & luxurians; unde pædagogo opus habet: frugifer in ætate primum adulta: denique in ſenecta perdit ſenſim vires & decorem ſuum, cadunt dentes, oculi, capilli, nutant pedes, tremunt manus, vox rauceſcit: ſicque tandem concidit ſive propria debilitate, ſive alieno impulſu & violentia: variis interim morbis fractus velut arbor paulatim exciditur. Certè pulſus cordis noſtri, ſi attentè obſervetur, videtur eſſe ſonus duorum qui ſerra diſſecant arborem, ſuntque illi duo ſectores, ſyſtole & diaſtole. Morte obita vel ad dextram cadit, ſi bona arbor fuit, æternæ fælicitatis: vel ad ſiniſtram, ignis inextincti, ſi mala. Hanc humanæ vitæ fugacitatem & inconſtātiam deſignari per arbores quaſi ambulantes viſas à cœco, ſentit D. Petrus Chryſologus ſerm.176. dū quærit, cur ei homines apparuerint *ſicut arbores, non ut columnæ aut aliud quid; neque ſtantes ſed ambulantes.* Et reſpondet: *Quia poſt curam Chriſti viderat, quod homines velut arbores tranſirent in hoc ſæculo, non manerent: temporalem plantationem germinis humani eſſe in hac vita mox videt, quem curaverat Chriſtus,* q.d. aliquid vidit is, nondum plene illuminatus: vidit enim homines non ſtantes, ſed ambulantes: non ut columnas, ſed ut arbores: quia colūnæ nullis flatibus quatiuntur: unde ſtabilitatis ſymbola ſunt: arbores verò facilè & continuò agitantur, viciſſitudini obnoxiæ in frondibus, floribus, fructibus, ætate, ideoque levitatis & inconſtantiæ typi ſunt. Hoc igitur primo omnium ſemi-illuminatus vidit, & bene quidem, dum homines inſtar arborum ambulantes ſeu tranſeuntes vidit, quales tamē ſe eſſe oculati multi non vident. Verùm aliud eſt, quod nundum ille vidit, & in quo erravit, dum homines velut arbores aſpexit. Quàm enim magnæ, altæ ac ſpatioſæ ſunt arbores? quàm parvus, humilis & anguſtus eſt homo! Et ubi tales gigantes inter homines? Nimirum ſicut qui per nebulam intuentur, omnia majora quàm ſint, aſpiciunt, & *imperfectis oculis,* ait ibidem Chryſologus, *grandeſcunt formæ, turbantur ſpecies, res falluntur ipſæ; quia non jā viſionem capiunt, ſed adhuc umbram ſuſtinent viſionis.* Jam in hoc cum cœco iſto hallucinantur homines parum illuminati, qui ſeipſos & terrena omnia velut longe majora aſpiciunt & æſtimant, quàm revera ſint. Talē ſeipſum aſpiciebat Nabuchodonoſor in arbore illa magna, forti & procera, contingente cœlum. Videns enim potentiam ſuam ſuper omnes Reges terræ, neminem metuebat, neque Deum quidem; nec advertit quod ei dictum fuit *Succidite arborem & præcidite ramos ejus &c. & cum feris pars ejus in herba terræ;* ſe videlicet à regno in ſylvas ejiciendum & cum feris fœno paſcendum Dan.4. Sic etiam cœcutiunt mundi ſectatores omnes, qui res exiles & viles, uti voluptates, opes, honores, pro rebus ingentibus & planè divinis habent atque adorant: viciſſim verò res verè magnas & ſublimes quaſi exiles & humiles ſpernūt, vel exiguo nimis pretio æſtimant. Talis fuit Judas, cœcus planè mercator, qui unguentum à Magdalena è parvo vaſculo effuſum trecentis æſtimavit denariis ſeu 50 florenis noſtris: ipſum vero totius cœli & terræ Dominum non niſi 30. vendidit argenteis, qui faciunt 10. noſtros florenos. Marci 14. E contra Magdalena nihili æſtimavit unguentū licet pretioſum: tanti vero Chriſtum, ut cum effuſo unguento etiā alabaſtrinam pixidem fregerit ſuper caput Chriſti, quaſi innuens, ſe totam ſuam ſubſtantiam libenter pro ipſo daturam. Nimirum oculata fuit Magdalena, cæcus fuit Judas.

II. Si conſideremus fructus bonorum operum, qui expectantur ab homine, ſimilis videtur arbori ambulanti ſeu progredienti ad fructificandum. Inprimis enim arborum plantulæ, ut ſuo tempore nō ſolùm multos, ſed etiam delicatos fructus afferant, in ſeparato horti loco, quem *ſcholam* hortulani appellant, ſimul plantantur in eoque quaſi educantur, deinde ubi adoleverint, in varias horti partes tranſplantantur ac diſtribuuntur. Sic educandi ſunt homines, ut fructū bonorum operum afferant & proſint Eccleſiæ ac Reip. Ad ſcholam mittendi ſunt, ut ſub cura unius Magiſtri quaſi hortulani excolantur diſciplinis & virtutibus: alioquin, ſi ſibi relinquantur, nec ſibi, nec aliis proderunt. Jam verò inter Arbores paucæ tales plantæ ſunt, quæ ſub cura hortulanorum, in *ſchola,* uti vocant, educantur ad hoc, ut hortos magnatum non ſolum adornent, ſed etiam pretioſis & delicatis fructibus repleant. Pleræque negliguntur & ſibi relinquuntur, quomodocūque adoleſcant: non putantur, non purgantur, neq; irrigantur, & vix ulla cura eis adhibetur, unde fit ut parum durent, ſed mox emoriantur; vel muſco obducantur, evadant tortuoſæ & horridæ, quaſi ſylveſtres, parumque fructificent. Hoc vidit cœcus ille, jam ex parte videns: pleroſque nimirum filios ſine cultura adoleſcere & ſibi relinqui. Vidit etiam

hoc

hoc & reprehendit in Megarensibus Diogenes ille, satis oculatus, qui, ut refert Ælianus l. 12. var. hist. c. 56. dicebat *se Megarensis alicujus arietem esse malle, quàm filium.* Quo significabat, Megarenses pecoris diligentiorem curam gerere, quàm liberorum. Nil enim aliud docebant, nisi sordidam frugalitatem & avaritiam; teste Vive l. 2. de fœm. Christiana. Quod sane in malum parentum cedit; inde enim fit, ut filii parentum ipsorum vitæ & opibus insidientur. Jam si hoc Gentilis homo in Gentilibus reprehensione dignum & absurdum judicavit; quanto magis hoc ipsum absurdum erit videre in Christianis? Mos antiquus fuit, ut parentes, quo die natus est eis filius, eodem in horto suo arborem depangerent, inciso filii nomine. Ita docet Donatus, dum Maronis refert vitam. *Virga,* inquit, *populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multo ante satas populos adæquarit.* Die etiam quo natus est Marius, plantata creditur quercus, quæ ab illo *Mariana* vocata est, de qua Cicero l. 1. de legib. Et quid sibi per hoc voluere veteres? An ut memoriam filii etiam absfuturi aliquâdo, domi semper præsentem haberent: an potiùs ut intelligerent filios nô secus ac novas plantulas magna cura & industria sibi excolendos, quo nimirum domui suæ ornamentum sicut & incrementum cultura sua afferrent, sicut horto afferunt arbores bene cultæ? Ita sentio.

2. Arbores pleræque suum tempus, quo fructum ferant, habent, utpote semel tantum in anno: paucæ biferæ aut triferæ sunt, uti ficus. Multi etiam reperiuntur homines, qui si in anno semel boni operis aliquid faciant, confiteantur & communicent; ve si olim aliquid boni fecerint, satis sibi fecisse putant. Sed hi meminisse debent ficum, quæ absque fructu reperta fuit, à Christo maledictam fuisse indeque exaruisse, Matt. 21. tametsi, ut Marcus addit c. 11. *tempus ficorum non erat.* Nimirum docere voluit Christus, ne in virtutum progressû imitemur arbores, quę certo tantùm tempore fructificant; sed ut nullo tempore steriles inveniamur: quin potiùs virtutum studio assiduè incumbamus. Similes esse nos decet ligno vitæ, quod describitur Apoc. 22. & affert fructus 12. *per menses singulos fructum suum;* dandam proinde operam ut singulis mensibus singulos peculiarium bonorum operum fructus edamus, uti confessionem & communionem menstruam; aliisq; piis operibus, quantum fieri potest, semper studeamus, juxta id Ecclesiastis 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Quod etiam palma docet, quæ singulis mensibus singulos petrudit ramos, teste Pierio l. 50. hierogl. cui similem esse justum ait propheta ps. 91. *Iustus ut palma florebit.* Denique videmus communiter arbores alternis duntaxat annis fructum ferre. Sic etiam multi ambulant, qui ad tempus propter instantes necessitates orationi incubuerunt: postea lassati desinunt orare; contra id Apostoli ad Rom. 12. *orationi instantes.* Et ad Coloss. 4. *Orationi instate.* Non mirum de arboribus si fructus alternent? quia nimiùm se exhaurirent, & fructibus nos obruerent. Non timendum hoc de nobis, si instemus orationi.

III. Considerata apprehensione nostra.

III. Si consideremus apprehensionem sensuum nostrorum, multoties videntur homines ambulare velut arbores, & arbores velut homines. 1. quando præaltæ arbores vento agitantur. Tunc enim apparent, quasi emigrare & stationem suam deserere velint; verùm cacumina tantùm & frondes movent, non stipitem, quæ terræ affixæ eodem semper loco hærent. Pari modo homines multi, peccatis valde affixi, videntur interdum moveri in concione, aut in aliqua tribulatione & calamitate seu propria seu aliena: rursum in confessione, præsertim in periculo mortis; & tunc concipiunt aliquod emendationis propositum, promittunt confessario quidquid ille injungit & suadet; verùm capite solùm annuunt non corde: ore promittunt, opere fallunt; vento enim ægritudinis, tribulationis, timoris vel reprehensionis cessante, eodem loco & luto infixi manent, quo priùs hærebant; quia nihil seriò promiserunt vel proposuerût. Exemplo est inprimis Pharao, qui cùm castigaretur plagis, promisit se dimissurum populum: *videns autem quòd data esset requies* (alii legunt *respiratio*) *ingravavit cor suum & non audivit eos.* Exod. 8. Exemplo est Arianus Præfectus Hermopoli, qui sub Diocletiano S. Sabinum martyrem dum affligit, in medio fluminis navigans, tempestate obruitur & tantum non fluctibus hauritur; itaque Sancti quem in vinculis cruciarat & adhuc detinebat, opem implorare coactus, Christum confitetur, & postulata charta scribit: *Vnus est Deus Sabini, Christus Iesus, post quem non est alius.* Verum ubi ad hanc confessionem tempestas cessavit, ipseque incolumis evasit, postea ad indolem reversus, immaniùs quam priùs sævit in Martyrem, demumque saxo alligatum in flumen demersit. Metaphr. apud Sur. 13. Mart. Similes huic multi, quandò comprehenduntur periculoso aliquo morbo, tum ad confessionem fugiunt, & promittunt quidem emendationem, sed multoties ore tantum; uti fere qui in luxuriæ luto infixi sunt, & ubi convaluerunt, redeunt ad antiquam sylvam, adeoque ostendunt se fictè promisisse aut non seriò proposuisse.

2. Quando navigantes prætervehuntur juxta sylvas, tunc videntur ipsi sibi quidem stare, sylvæ autem & arbores ambulare; cùm econtra ipsi transeant, arbores nullo modo. Tales non pauci sunt, qui perverso judicio opinantur aliquos ambulare ad infernum, quomodo arbores steriles & inutiles pergunt ad ignem se verò stare in securo loco & gratia Dei, cùm contrarium sæpe verius sit. Ita nimirum Heli sacerdos piissimam fœminam, Annam, labiis tacite motis orantem judicavit & appellavit temulentam, dicens: *Vsquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.* 1. Reg. 1. interim seipsum non vidit currentem ad supplicium ob nimiam erga filios indulgentiam. Ad Macarium Ægyptium seu seniorem adduxerunt aliquando parentes ex vicino oppi-

oppido filiam, reputantes eam magicis artibus conversam esse in equam: implorantes ejus opem, ut puellam pristinæ formæ restitueret. At ille ait: *Ego hanc, quam ostenditis mihi, puellam video, nihil in se pecudis habentem; hoc autem quod dicitis, non est in ejus corpore, sed in oculis intuentium.* Itaque sacro oleo eam ungens non tam puellam, quam parentum oculos effascinatos sanavit. Pallad. c. 19. in vitis Pp. l. 2. apud Rosvv. Sic nimirum sæpe contingit, ut alios intueamur velut pecudes, cùm nos ipsos tales esse nesciamus: quemadmodum qui vertigine laborat, putat omnia circa se gyrari; se verò immotum stare: cùm revera gyret ejus cerebrum tantum. Errant in hujusmodi errore Judæi illi, qui nunciabant Christo de Galilæis, quos Pilatus occidit in monte Garizim, dum sacrificarent, Lucæ 13. quasi nimirum Deus illorum sacrificia reprobasset, velut hominum reproborum, ipsique ad interitum ivissent. Quibus Dominus. *Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

Rectius longe ageret, qui alios omnes pios ac bonos, ad cœlum properantes, seipsum vero reprobū & ad inferos currentem judicaret ad suam confusionem & vitæ emendationem; exemplo illius Coriarii Alexandrini, de quo revelatum fuit S. Antonio, ipsum nondum pervenisse ad illius perfectionem. Quare Antonius pergens Alexandriam, eum perquisivit & perursit, ut sibi recenseret opera sua. Cui ille: *Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse; unde & ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico quod omnis hæc civitas à minore usque ad majorem ingrediatur regnum Dei propter justitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam. Quod verbum antequam quiescam serò ex cordis mei recenseo veritate.* Quod audiens Antonius resp. *In veritate fili, sicut bonus aurifex sedens in domo tua cum requiete regnum Dei adeptus es; ego autem veluti sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.* apud Rosvveid. in vitis Pp. l. 7. c. 15.

Laudandus de hac humilitate etiam Alexander Abbas in Prato spirit. c. 168. qui ingerebat fratribus suis: *Patres nostri deserta & tribulationes persequebantur, nos autem civitates & requiem sequimur. Sub patribus nostris vigebant nuditas & humilitas, in nobis autem avaritia & superbia regnat. Va tibi Alexander, va tibi, quanta erit confusio tua quando cæteri coronabuntur?* Pie etiam de se suique similibus judicabat S. August. cùm dixit: *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine.* l. 8. Confe. c. 8. Sic ergo & nos ambulemus, ne cum infrugiferis arboribus in ignem ambulemus.

THEMA III.

Quæ retineant perversos, ne converti & bonos ferre fructus queant.

1. *Prava consuetudo.*
2. *Infamia.*
3. *Respectus humanus.*
4. *Amor insanus mundi & voluptatum.*
5. *Dæmonis laquei.*
6. *Subtractio gratiæ divinæ.*

Non potest arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7.

IUre merito terremur & conscientiam nostram convenimus, quando cœlum procellas & fulmina ejaculatur. *Leo* n. *tunc rugit* (dicebat S. Ceadde Epis. Anglus apud Bedam in hi. Ang. *quis non timebit.* Fulminare videtur Christ. in ho. Evang. & uno quasi ictu mactare omnes peccatores, quando ait: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Et rursum: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Qualia hæc tonitrua! qualia fulmina! Quis n. non intelligit per arborem malam designari peccatorem? At vero fructus, ut ait Dominus, bonos ferre arbor mala nequit. *Nunquid n. colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* ut Paulo ante dix. Dominus. Ergo actum erit de peccatore, dicet aliquis in ignem ergo mitteretur. Verum hoc non sequitur; potest homo malus malam exuere voluntatem, & sic evadere bonus, adeoque bonos quoque fructus facere; qui dum malam habet voluntatem, non nisi malos faciet. At vero quàm difficile sit, ut homo inveteratus malorum fiat bonus, hoc vult dicere Dominus, quasi fieri nequeat, moraliter loquendo. Quis n. facili negotio arborem agrestem, quæ acerbos gignit fructus, commutabit in hortensem, ut ferat dulces? Nihilo facilius est mutare peccatorem ex perverso in bonum. Quæ verò huic mutationi obstant, nunc videbimus.

I. Prava consuetudo, quæ transit tandē quodammodo in naturam, ut mali videantur sibi non posse à peccatis abstinere & ad meliorem frugē redire. Gravissimis verbis hoc testatur Jer. c. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Quæ sententia non ita intelligenda est, quasi absolutè & omnino sit impossibile consuetudinē inveteratam exuere, sed (modo loquendi vulgari) quod admodum difficile: quo modo etiam Diog. cùm improbum argueret, dicebat: *Æthiopem lavo*, apud Anton. in Meliss. c. 32. Videmus quam raro & quàm difficulter exuamus patriā linguā & pronunciationem, quam à parentibus & teneris unguiculis didicimus, ut penè impossibile nobis sit desuescere. David adhuc juvenis satis robustus erat ad ferenda arma, pugnatu-

gnaturus cum Goliatho; nihilominus cùm armatura Saulis indutus esset, dicebat: *Non possum sic incedere; quia non usum habeo.* 1. Reg. 17. q.d. contrario ac levi vestitui, pastorali scilicet assuetus sũ. Prius enim est habere non usum, quam non habere usum, ut Dialectici docent; indicat n. contrario usui assuefactum esse; quale esse facere bonum, cùm non solum id non didiceris, sed econtrà didiceris malum. Demonstravit hoc senior quidam suis discipulis apud B. Dorotheum ser. 11. quando uni ex illis discipulis imperavit, cupressum ut evelleret: quæ cum admodum esset parvula, statim perfacile avulsa est, una tantum admota manu: postea ostendit alteram majusculam, quam duabus apprehensam manibus evulsit; rursus ostendit tertiam, deinde quartam majorem, & deinceps, donec nec solus, nec cum socio eas valuit ob earum magnitudinem evellere. Tunc senex conversus ad omnes discipulos suos ait: *Ad hunc modum sunt passiones & affectus nostri, dum parvuli sunt & recentes, summa facilitate & quiete, modo velimus, excidere eos & extirpare possumus si vero eos uti parvulos & exiguos neglexerimus, paulatim obdurescent nec valebimus eos extirpare nisi maximo conatu & labore.* Facile enim est rivum cum primum à fonte scaturit, quocunque volueris flectere; ac ubi aliorum fluminum accessione auctus est, vix ulla arte possis ejus impetũ reprimere, aut rursum alio derivare: ita facile est vitium adhuc recens natum abscindere; at multis annis corroboratum quis facile superare queat? *Ante languorem* itaq; *adhibe medicinam.* Eccl, 18. Innato quodam vitio levitatis & pronitatis ad ridendum laborabant Tirynthi, ideoque ad res serias gerendas plane inutiles erant; qui proinde ad oracul. Delphicum confugisse dicuntur, precatum ut hoc vitio liberarẽtur, vaticinatumque Deum fuisse: immolatum Neptuno taurum si continentes risum in mare abjicerent, cessaturam eam ridendi pronitatem, illos autem metuentes, ne quid peccarent adversus Oraculi responsum, sacro pueri ne interessent, vetuisse; unum tamen, cùm id rescivisset, turbæ permixtum ridiculũ quid dixisse, inde cæteros quoque ridere incepisse; ...e demonstratum operam ludi in cõsuetudine inveterata, quasi in altera natura emendanda. Refert Athenæus l. 6. Diphnosophiæ.

II. Infamia, in quam qui semel incidit, jam pudorem omnem exuit adeoq; ad sanã mentem redire quasi nullo modo potest; uti patet in mulierculis; quæ ob prostitutã pudicitiam factæ infames, pulsæ sunt è civitatibus: in furunculis & crumenicidis, qui semel ad numellas tracti auribus truncati, vel alia publica ignominia affecti sunt. Hi enim cùm omnium odium incurrerint, à nemine recipiuntur aut juvantur; unde quasi necessariò in pristinum vitiorũ barathrum se immergunt, ut vitam quomodocumq; sustentent: similes arbori decorticatæ, quæ diu vitam suam tueri nequit, diffluente undiq; nativo humore & affligentibus eam tempestatibus. Unde Joel. c. 1. de gente Chaldæorũ Judæam vastatura vaticinatur. *Ficum meam* (synagogam) *decorticavit: nudans spoliavit eam, & projecit.* Projecta autem ficus quomodo fructus feret? Qui vestimento caret, aut sordido nimis indutus est, dicet se coram honesto viro apparere non posse. Fama hominis morale vestimentum est; quo si nudatus sit aut sordidus, hoc ipso ab honestorum consortio exclusus est; cum abjectis ergo abjectè vivere compellitur. Patet in Caino, qui peracto parricidio, licet Deus impunitatem ei promitteret, licet parentes suos pœnitentiæ addictos cerneret, ipse tamen ad meliorem frugem minimè rediit, sed pejor evasit, factus tandem dux latronum, ut scribit Joseph. l. 1. Antiq. c, 3. Quam ob causam? quia ejectũ se à Deo & hominibus videns membrorum tremore notus omnibus factus, jam quasi stigmaticus, coram aliis apparere non est ausus, ideoque velut latro latibula tantum quærere & malefactis se totum tradere quasi coact⁹ est, uti indicat illis verbis: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis qui invenerit me, occidet me, Quia ex tremore corporis & furiatæ mentis agitatu, quisque eum me esse intelliget, qui mereatur interfici,* ait S. Hieronymus ep. 125. ad Damasum q. 1. itaq; ne ab aliis invaderetur, ipse potiùs alios prior invadere quodammodo compulsus est.

III. *Respectus humanus.*

III. Respectus humanus, quem Dei gloriæ præferunt; quod indicat Dominus Joa. 5. arguens Judæos. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis: & gloriam, quæ à Deo est, non quæritis?* q.d. placere mundo potius quam Deo vultis, ideo Evangelio meo quod humilitatem, patientiam, paupertatem, res à mundo spretas prædicat atque inculcat, credere non potestis; quia *nemo potest duobus dominis* (contrariis) *servire* ac placere. *Quasi enim naturæ necessitateq; accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, ut gloriã Dei amittant, & à solo Deo decidant,* inquit D. Cyril. in eum locum. Abstulerat Rachel furtim Idola quædam parenti suo, Gen. 31. discedens cum marito; & cum parens insecutus scrutaretur eorum tabernaculũ, quærens idola sua, Rachel super ea expansã veste sedit, nec assurgere voluit, imo se non posse dixit: *Ne irascatur Dominus meus, quod corã te assurgere nequeo,* inquit, sed cur; *quia juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi,* ait. Infirmitatem fingit, sed fingit tantum: quia revera non infirmitas, sed pudor & respectus humanus causa fuit, quo minus assurgere posset; quia deprehensi furti rea timuit; quod ne fieret, ideo *assurgere nequeo,* ait: nõ possum meipsam confusioni exponere. Quàm multi hoc respectu moti aliena nunquam restituunt; quia non possum, inquiunt, me confundere & prostituere ridendam aut fabulam hominibus! Novi hominem qui concioni nunquam interesse solitus, cùm de hoc neglectu à me interpellaretur, mihi hoc responsi dedit: Quid dicturi essent homines, si me aliquando in concione viderent? non possum eas audire sine mei derisione. Ecce quid non potest hominum respectus.

IV. Amos

IV. *Amor insanus Mundi & voluptatum.*

IV. Amor immoderatus & quasi insanus rerum terrenarum, sed præsertim carnis voluptatum; quod colligimus ex eo, qui ad cœnam magnam invitatus respondit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Luc. 14. *Amor* enim *rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum*, ait Glossa ex sancto Gregorio, quod etiam designatum in Idolis illis, sensu morali, quibus Rachel insidens, dixit se non posse surgere, ne videlicet parenti ea reddere cogeretur. Viderat ea à patre in maximo pretio & æstimatione haberi, & forsan erant aurea vel argentea. Hujusmodi idola sunt voluptates, opes, bona aliena, propria existimatio, nimium adamata; quibus insident atque adhærent aliquando pertinaciter, ut planè ea deserere nequaquam posse se existiment, quo modo ficus illa in apologo, ab arboribus requisita, ut rex earum fieret, respondit: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, & ire ut inter cætera ligna promovear?* Jud. 9. Exemplum refert Septemcastrensis cap. 21. de quodam Christianæ fidei desertore, apud Turcas constituto. *Illum in familiari colloquio interrogavi*, inquit, *Quare hoc fecisti? aut quid te movit? Nihil aliud respondere potuit, quàm: Maledicta dies sit, in qua hoc feci. Et ego non reverteris ad fidem Christi? Tum ille retorto collo & averso vultu? Non possum, inquit.* Nimirum tenuit illum viscus, sive is esset uxor, ac liberi, sive opes inter Turcas partæ, sive aliud quid. Quod amor nimius, hoc etiam præstat odium Vatinianum; quale occuparat fratres Josephi; de quibus dicitur Gen. 37. *Oderant eum; nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Bene ergo Jacob descripsit odium illud, quando dixit: *Fera pessima comedit Ioseph.* Quis à fera pessima expectet aliquid boni?

V. *Dæmonis laquei.*

V. Dæmonis laquei, quibus perversi retinentur, velut musca in tela araneæ laqueis involuta, unde emergere nō nisi difficillimè potest. Talis enim homo dicitur *venundatus in peccatum*, Achab. 3. Reg 21 & Is. 42. *Quis cæcus, nisi qui venundatus est?* Et cui alteri nisi Dæmoni, cujus imperio paret? Sunt inter peccatores, qui operam suam ad tempus tantùm locant; alii qui seipsos omnino ei vendunt, ut jam redimere nequeāt, nisi difficilimè, quemadmodum Achab Jezabeli suæ in servitutem quasi māncipium addictus fuit, ut ejus imperio resistere nō posset, sed per omnia obedire amore ejus cæcatus, & vecors effectus cogeretur. Pulchrè id declarat S. Anselmus, qui, ut est in ejus vita apud Sur. 21. Apr. aliquando conspexit puerum cum avicula in via ludentem: *Quæ avis pedem filo annexum habens, sæpe, cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam usque ad se dejiciebat: & hoc ingens gaudiū illi erat. Factum est id frequentiùs. Quod pater aspiciens miser condoluit, ac ut rupto filo libertati redderetur, optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis; Considerastis, inquit, jocum pueri? Et confessis considerasse, ait: Simili consideratione jocatur Diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos pro sua voluntate in diversa vitia protrahit. Sunt enim quidam ut verbi gratia dicam, avaritiæ, aut luxuriæ & similium flammis succensi, & ex magna consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta considerent, defleant, seque à modo à talibus cessaturos sibi promittant. En more avis se volare liberos autumant, Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia dejiciuntur. Fitque hoc sæpius, nec omnimodè liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ divinæ, filum pravæ consuetudinis dirumpatur.* Confirmat hoc Sanctus Chrysostomus hom. 22. in Gen. *Impius*, inquit, *cùm in profundum malorum ceciderit, contemnit. Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim postea quasi in retibus comprehensa trahitur; & sicut sus in luto volutabri immergitur: sic & ista à mala consuetudine obruta, ne sensit quidem peccatorum suorum fœtorem.* Laquei & retia ista sunt varia terriculamenta, quæ objicit captivis suis, ne cōvertant se, uti timor pœnitentiæ, desperatio veniæ aut constantiæ in proposito bono, pudor cōfessionis, respectus humanus, & similes cogitationes, quibus eos opprimit, involvit & retinet. Et in Epistola ad Theodorum: *Hoc est, quod non permittit eos respicere, neque eò reverti, unde exciderant. Nam flagitiosa desperatio perinde atque collarium incumbit in animæ cervicem, & compellens oculos in terram demittere prohibet, ne ad dominum suum suspiciant;* quasi in ergastulum Dæmonis complacti, nec jam sui sed ipsius sunt. Accedit S. Gregor. l. 2. mor. c. 1. ubi ait: *Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea Diabolus possidet; unde & de proditore dicitur: Cùm Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotis. Si enim Iudas & non Diabolus possideret, ipse potiùs in eo bonum, quàm Diabolus malum poneret.* Nemo enim facilè semen bonum in alienum agrum projicit: nec semen malum in agrum suum.

VI. Subtractio gratiæ divinæ, proveniens ex demeritis præcedentibus & spretis Dei auxiliis ac vocationibus. Eo spectat quod Ecclesiasticus c. 7. ait: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Quo loco P. Joan. Lorinus distinguit despectorum a Deo triplex genus: eorum, qui sunt in peccato mortali, quamvis forsitan sint de numero prædestinatorum (pro eo enim tempore despiciūtur:) deinde eorum, qui sunt reprobati, etiamsi pro aliquo tempore sint justi: denique eorum, qui peculiari modo propter multa & gravia peccata per subtractionem maximam auxiliorum ac permissionem tentationum dicuntur dimitti ac tradi in desideria cordis sui, psal. 80. v. 13. Rom. 1. v. 24. atque derelinqui à Deo. Hos ultimos (de quibus hic loquimur) nemo dicitur posse corrigere, quia vix umquam vel rarissimè se convertunt, ac acquiescunt bonis aliorum consiliis. Quod autem vix unquam fit, impossibile dicitur. Audiamus de hoc l. 2. de Cain & Abel c. 9. *Nihil gravius*, inquit, *quàm errantem à Deo deseri, ut se revocare non possit* (moraliter loquendo)

do) *Mors peccatoris finem peccando adfert ; vita autem divino gubernaculo destituta præcipitatur & in graviora prolabitur : ut si gregem pastor relinquat, incurrent bestiæ : ita cùm Deus deserit hominem , ingruit Diabolus. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi medicina defuerit.* sic ille. Quemadmodum enim Pharao tibi Moysem à se repulit verbo illo : *Cave ne ultrò videas faciem meam* : Moysesque resp. *Ita fiet, ut locutus es : non videbo ultrà faciem tuam.* Exo. 10. 28. 29. paulò post secuta est demersio ejus & interitus : ita ubi Deus recedit à peccatore nec amplius eum movet, reprehendit, castigat, nisi forte vulgaribus tantum auxiliis, quibus absolutè quidem moveri posset, non tamen movebitur; tunc actũ est de salute ejus. Toties enim repulsus Deus, & quasi recedere jussus, cum vocaret peccatorem, tandem ita recedit, ut non aspiciat eum amplius oculis misericordiæ specialis ; neque excitet à lethargo , in quo miser quiescere & perire vult. Recedente Sole à nostro climate, & non nisi modicum lumen caloremque terræ nostræ impertiente cessant fruges, incipit sterilitas, induratur frigore terra ; recedente à nobis Deo, & subtrahente copiosam illam gratiã suam : quid nisi sterilitas & induratio cordis nostri superest? Exempla passim occurrunt. Herbertus Episc. Chrysopoli. schismaticus, vexator Catholicor. & religiosor. improbus, tactus ægritudine lethali & visitatus à Bellevallensi Abbate *conventusque de confessione peccatorum, & de pœnitentia admonitus, pugillum strinxit & applicans ori, buccinabat in eo : post modicum verò deponens manum , quam strinxerat, ore canebat,* (quasi monitorem suum derisui haberet & exploderet) *Erubuit Abbas, quòd non posset aliud obtinere responsum : & agnoscens judicium Dei, non sine multa confusione recessit. Necdum vir sanctus de civitate exierat, & jam in plaustro boũ Herberti cadaver efferebatur infaustum , clamante populo & dicente: Benedictus Deus, qui tradit impiũ.* Ita Gaufrid. Abbas Altæ tumbæ in vita S. Pet. Archiepisc. Tarentasii, apud Sur. 8. Maii ; bene in plaustro boum evectus est, qui bovis instar vixit. Cui non absimilis fuit Frider. Cileiæ Comes , qui ob amorem concubinæ uxorem interfecit, atque deinde inter scorta turpissimam vitam egit. Huic ex amicissimis quidam pœnitentiam, suasurus ait: *Annum jam supra 90. agis, nec minus voluptati servis , quam si sis adolescens. Age jam demum moriturum te scito, atque de sepulchro cogita. Cui Fridericus : Istud , inquit, ago.* Nam *sepulchrali marmori hoc Epigramma insculpendum statui : Has mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio ; scio, quid reliqui : abundavi bonis omnibus , ex quibus nihil fero mecum , nec quod bibi atque edi ; quodque inexhausta voluptas exhausit. Tum amicus: Sardanapali epitaphium, inquit, memoras, quod, Aristotele teste, non hominis , sed bovis sepulchro inscribendum fuit* Ita Æn. Sylv. refert. l. 1. Comm. in Panormit. Ecce vobis, quàm verè dictũ sit à Domino: *Non potest arbor mala fructus bonos facere,* Et illud Jerem. *si mutare potest Æthiops pellem suã* : Et id Ecclesiastici. *Perversi difficilè corriguntur.*

THEMA IV.

Quæ retineant justos, ne peccare queant.

1. *Recordatio beneficiorum à Deo acceptorum.*
2. *Strages meritorum nostrorum.*
3. *Præsentia Dei in omni loco.*
4. *Turpitudo & servitus peccati.*
5. *Timor secuturæ pœnitentiæ.*
6. *Timor extremi judicii.*
7. *Timor mortis.*

Non potest arbor bona malos fructus facere Matt. 7.

ERit forsan aliquis prudentulus, qui deprehendere velit fallaciam in argumento Christi, quo ostendit ex similitudine arboris, non posse hominẽ bonum afferre fructum malum. Quod enim bona arbor bonos fructus tantum afferre queat , facile concedet : sed negabit id de homine, qui per liberũ arbitrium, quod non habet arbor movere se de bono ad malum potest. Sed defendit & explicat Magistrum suum charissimus atque illuminatissimus discipulus Joan ep. 1. c. 3. cùm ait : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet : nec potest peccare , quoniam ex Deo natus est.* Quodnam illud semen? *Semen est verbum Dei,* ait Dominus Matt. 13. Jam sicut arbor ob vim seminis boni, eam vegetantis , nequit ferre fructum malum, dum ab ea non deseritur : ita & vis verbi divini in homine operantis, quamdiu in ipso manet , nõ permittit hominem bonum ferre fructum malum. Eo modo quo Mithridates Ponti Rex veneni antidoto à puero assuetus , cum à Romanis obsessus, venenum hausisset , mori non potuit. Pli. l 23. c. 9. Quæ autem sit illa tam potens vis & energia Verbi seu doctrinæ Christianæ , nunc videndum.

I. Recordatio beneficiorum, quæ à Deo accepimus & quotidie accipimus. Ponamus n. aliquem servum à domino benignissimè habitum, ditatum & exaltatum, habitumque instar filii , instigari ut dominum occidat ; nonne dicet : hoc non possum? Exemplo est Joseph qui tentatus est de stupro à domina sua memor beneficiorum , quæ à domino suo acceperat : *Quo modo,* inquit, *possum hoc malum facere?* Gen. 39. S Polyc. proconſ. dic *Christum injuriis afficito & te dimittam* : resp. 86. *annis illi jam inservivi, & nullo me hactenus affecit incommodo, quomodo igitur regem meum, qui me hucusque servavit incolumem, injuriis possum afficere?* 26. Jan. Lip. Car. 4. Imp. hominem, qui sibi necem pararat, ad se vocavit eique aureos mille dedit dono , quibus nubilem filiam nuptui collocaret. Homo gratias egit & ad conspiratores regressus : *Tam liberalem & clementem Principem,* inquit, *ferire , nullo pacto possum.* AEn Syl. l 4. in Com. Panorm. En nec improbus, quidem potuit ferire Imperato. à quo unum beneficium accepit. Quot nos quotidie à Deo accipimus? Fierine igitur possit , ut homo probus offendat Deum, adeoque arbor bona malum fructum faciat.

I. *Recordatio beneficiorum à Deo acceptorum*

II. *ſtrages meritorũ noſtrorũ.*

II. Strages meritorum noſtrorum omnium, quã facit unicum peccatũ mortale: evertit enim omnia noſtra bona opera, quæ priùs comparavimus. Audimus mercatores, quando eorum merces viliori pretio ab illis extorquere volumus, ſæpiſſime dicẽtes: non poſſum, non poſſum tam vili pretio dare. Quis impedit ne poſſint? quia cariori pretio eas ipſi emerunt, adeoque ſi viliori pretio vendere ſua vellent, ſe, uxorem ac liberos ad incitas redigerent, omnẽque ſuam ſubſtantiam tot ſudoribus comparatam perderent. Hoc cogitant & juſti, ac multò quidem juſtius, quia de cœleſti beatitudine, maximiſque in cœlo coronis agitur. Cùm ergo tentatio eos provocat, ut pro fluxa voluptate, honore aut lucro æterna ſua præmia dare conſtituant; Non poſſum, clamant, non poſſum. Talem deſcribit S. Nilus adoleſcentem Eremitam, qui in Arabiæ ſolitudine a Barbaris Saracenis in ſpelunca deprehenſus atq; ut latentia in ſolitudine monaſteria eis oſtenderet, vehementer impulſus: *Quid?* ajebat: *adeone puſillo & abjecto animo me eſſe creditis, ut omnis præcedentis vitæ labores, breviſſima hujus vitæ amore contaminare velim? Abſit, abſit: hæc mihi potius cavea, quæ virtutis ſudores accepit, ſepulchrum erit.* Sicque à barbaris fruſtatim conciſus & interemptus eſt apud Lipel. 14. Ian.

III. *Præſentia Dei in omni loco.*

III. Præſentia Dei in omni loco. Thales philoſophus dixit, homines æſtimare debere, Deum omnia cernere Deoq; omnia eſſe plena, & tunc caſtiores fore; teſte Cicer. l. 2. de leg. Hoc nos Chriſtiani non exiſtimare, ſed pro certo habere debemus: ex fidei noſtræ præſcriptione. Huc etiam intendens peccandi poteſtatẽ ſibi ademit caſtiſſimus Joſeph, qui ubi beneficia Domini ſui meminit, & Dei omnia cernẽtis oculum obſervavit, ita loquitur: *Quomodo poſſum hoc malum facere & peccare in Deum meum?* vel ut 70. legerunt: *Quomodo peccabo coram Deo me?* Gen. 39. Eodem vinculo conſtricta caſtiſſima Suſanna à ſcelere ſe defendit contra improbos ſenes, dum potius mori elegit quàm coram Deo peccare: *Melius eſt mihi incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Dan. 13 Erant in conſpectu Suſannæ duo Judices mortem ei intentantes; nec tamẽ ad hos attendit, ſed ad Deum unum Judicem omnia cernentem, qui non corpora tantum perdere, ſed & animas poſſet. Illos ergo contempſit, quos corporis oculo aſpiciebat: hunc timuit, quem mentis oculis cernebat. Illi verò ſenes, quia *everterunt ſenſum ſuum & declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum,* ideò peccare non timuerunt. Quamquam etiã improbi ſæpe, ſi Dei præſentis recordentur, à flagitiis abſterrentur. Notum eſt exemplum illius proſtitutæ, quæ Abbatem Ephrem ſolicitans ab ſtuprum adducta in forum medium & juſſa ſe proſternere ad flagitiũ, videns populi multitudinem dixit: *Quomodo poſſumus hoc hic facere, tanta multitudine adſtante? Confundemur enim.* Ipſe autem ait: *homines erubeſcis, quanto magis erubeſcere debemus Deum, qui revelat occulta tenebrarum?* Illa igitur confuſa & confutata receſſit. Ita Rosvv. l. 5. vitæ Pp. libel. 10. & l. 1. ubi additur eam poſtea reſipuiſſe & peractâ omniũ peccatorum confeſſione in monaſterium ſe incluſiſſe. In vitâ S. Ephrem. Quis diſcipulus graviter delinquere auderet, ſi ſciret Magiſtrum ſibi unà cum ferula undique à tergo eſſe, quacumque iret? Vidit Hoc Gentilis Seneca: *Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi: nihil ab illo vacat: opus ſuum implet ipſe.*

IV. Turpitudo & ſervitus peccati. Turpitudo tanta eſt ut lucem fugiat, & tenebras quærat, imò & in ipſis tenebris timeat ſibiq; diffidat. Nemo pretioſis indutus veſtibus conſidere in ſordido loco vult: multo minus in cloacam aut volutabrum inſilire. Unde Chares Dux milites ſuos pulchrè veſtitos ad ſordidos labores compellere nõ potuit, donec juſſit eos invicem veſtes commutare. Poliæno auct. l. 2. Atqui hoc facturum novit juſtus, ſi in peccatum conſentiret. Hoc etiam expendit Joſeph, ne conſentiret dominæ illecebris, cum ait: *Quomodo ego poſſum hoc malum facere?* Philo Hebr, expendens particulam *ego*, ait: *Quomodo ego, qui ad hanc diem purus permanſi, ab adulterio incipiam leges contemnere? flagitio meam ſanctiſſimis patrum meorum moribus informatam fœdare vitam incipiam? Egone Hebræus cũ Ægyptia, fidelis cum infideli?* Sciunt etiam ſe peccati & Dæmonis ſervituti mancipandos, ſi peccent, juxta veriſſimum S. Petri ep. 2. c. 2. verbum: *A quo quis ſuperatur, ejus & ſervus eſt.* Quis autem in tam duri tyranni ſervitutem ſe conjiciet, ſi ſapit? præſertim ſi advertat ſe indè emergere non poſſe, niſi per ejus, quem offendit, opem? Et quomodo hanc ab eò, quem tantopere contempſiſti, impetrabis?

V. Timor ſecuturæ pœnitentiæ. Notum eſt id Demonſthenis, qui prò una nocte cum Laide Corinthia tranſigenda medium talentum ſeu trecẽtos coronatos, proſtibuli mercedem poſtulatus: *Non emo tãti pœnitere,* inquit. Macrob. l. 2. Sat. c. 2. Novit vero juſtus nihil certius ſecuturum, ſi peccet, quam peccati pœnitentiam vermem conſcientiæ rodentem, pudorem confitendi & ſatisfaciendi neceſſitatem, nec tamen certum ſe fore an hoc remediũ habiturus ſit? ſi quidem & infernus plenus eſt pœnitentia, ſed ſera & inutili. Retraxit hæc cogitatio à peccato jamjam patrando bonum illum Davidem optimo adhuc pietatis ſemine imbutũ. Cum enim à Nabal ſpretus ne panem quidem ſibi & militibus ſuis impetrare potuiſſet, inſuper & contumelias retuliſſet, accinxerat ſe cum ſuis ad perdendum illum cum omni domo ſua. Verum occurrit illi in via Nabalis uxor, Abigail, quæ ut à propoſito eum averteret, dixit ei inter alia: *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis domino meo, quod effuderis ſãguinem innoxium, aut ipſe te ultus fueris.* 1. Reg. 25. Eodem argumento religioſa alia mulier retraxit à peccato quendam Dei ſervum, de quo Joa. Moſchus in Prat. ſpir. c. 204. ita ſcribit: *Frater quidam à ſerpente morſus eſt, ingreſſus que eſt civitatem, ut curaretur. Suſcepit autem illum religioſa quædam mulier & timens Dominum, & curabat eum. Cum verò mo-*

dicum

dicum cœpisset à doloribus deseri, cœpit illi Diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebatq́; tangere ipsius manū. Quæ dixit ei: Non ita, pater, Christū time. Recole tristitiam, & pœnitentiæ dolorem, quem in cella tua passurus es. Memento gemituum & lachrymarum, quas effusurus es. Hac ille, & alia similia cùm ab ea audisset, fugit ab ipso pugna diaboli, jamq́; erubescens inde fugere volebat, non valens præ pudore in ipsius faciem intendere. Illa rursus eum in visceribus Christi miserans dicebat ipsi: Noli discedere, Pater. Opus adhuc habes fomentis. Non erat puræ animæ illa cogitatio, sed perditi, corruptorisq́; diaboli suggestio. Atque ita sine scandalo curatum illum à se cum viatico dimisit. Bene profectò arbor illa vetita appellata fuit arbor scientiæ boni & mali: priùs, inquam, boni, postea vero mali, quia fructus ejus primo quidem dum ederetur bonus fuit & dulcis: postremo autem desiit in mœrorem & amaritiem,

VI. Timor extremi judicii & confusionis in eo instinendæ. Nicocles fælices dicebat Medicos, quorum successus quidem sol intueatur, errores verò terra operiat. Maxim. ser. 50. At vero errata & peccata hominum terra non operiet, sed Sol justitiæ proferet & toti mundo revelabit. Hinc Davidi qui adulterium clam commiserat & omnibus modis supprimere conabatur, dixit Nathan: *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum illud* (ad puniendum te) *in conspectu omnis Israel & in conspectu Solis.* 2. Reg. 12. Multi multo tempore seipsos quasi strangulant, timentes confiteri grave aliquod peccatum, ne coram uno sacerdote suam existimationem perdant;, tametsi id in ejus mente sepeliendum norunt, quid si coram multis in templo publicè confiteri deberent? Quæ igitur erit confusio coram universo mundo? Hoc alias perpendit David Psal. 118. quando dixit: *Confige timore tuo carnes meas*; seu ut S. Hieronym. ex Hebr. legit; *horripilavit caro mea: à judiciis enim tuis timui.* Filii Jacob, postquam Josepho Principi in Ægypto sub attestatione jurisjurandi sese obligassent, quod fratrem suum minimum sistere ei vellent, nulla vi à patre adigi potuerunt, ut sine fratre promisso redirent ad conspectum Josephi; quin imo dicebant: *Ire non possumus* sine fratre scilicet. Gen. 44. v. 26. quia sine ingenti confusione & discrimine non poterant coram illo apparere velut rei perjurii. Pari ratione dicunt justi: Non possumus ire ad patrandum grave peccatum, quia non possumus apparere, ante vultum Dei, velut sceleris rei.

VII. Timor mortis. quæ imminet peccatorib. undique & omni momento insidiatur. Nulli hæc ætati parcit neque tempori indulget: alii in somno, alii inter cœnandum, alii cum primum meditantur crimen, ab ea abripiuntur: alii medio in scelere, alii vix perpetrato. Jam quis ab illo homine crimen expectet, qui cum crimine mortem expectat? Hoc fręno se Susanna cohibuit à consensu in nefarium opus: *Si enim hoc egero*, ait, *mors mihi est*, h. e. mihi velut adulteræ imminebit mortis supplicium: & apparitores, qui mihi insidiabuntur & ad judicium me tradent; imminebit etiam mors æterna Deique ira. Dā. 13. Neque enim sola mors temporalis, sæpe improvisa & repentina, imminet peccatori, sed etiam æterna, quæ vix uno digito abest à peccante, velut aqua à navigante, ad eum mergendum. Rumpatur una corporis tabula, cesset uno nutu Deus illum conservare; & inferni incola erit. Quis sciens ac prudens se pro fluxo bono in æternas illas miserias præcipitare potest? bene quidam dixit non nisi duos carceres pro peccatoribus necessarios, unum inquisitionis, alterum stultitiæ. Si enim quis non credit uni peccato decretam esse gehennam, ergo est hæreticus & ducatur ad carcerem inquisitionis; si autem credit & adhuc peccat, ergo insanus est & ducatur in carcerem stultorum. Unde sequitur in inferno nō esse nisi incredulos & stultos voluntarios. Quod fatentur Sap. 5. inferni: *Nos insensati* (en stultitiam) *vitam illorum* (justorum) *æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore.* (en incredulitatem.)

Habemus igitur qua ratione arbor bona nequeat fructus malos facere, adeoque nos, si velimus, possimus fieri quasi impeccabiles. Quemadmodum enim primi parentes in paradiso, si ad arborem vitæ recursum suum semper habuissent & reliquissent arborem vetitam, non potuissent mori: sic & nos, si ad hæc antidota in omni tentatione recurramus, nec post tergum ea ponamus, fieri non poterit, ut in peccatum consentiamus.

THEMA QUINTUM.

Perfectio Christiana quibus in rebus potissimum consistat.

1. *Consistit in conatu faciendi plusquam præceptum est.*
2. *In evitatione venialium etiam peccatorum.*
3. *In vitiorum strenua expugnatione.*
4. *In contemptu rerum temporalium.*

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matthæi. 7.

Vidimus ante octiduum parvulos non censeri in numero electorum: magnos esse debere & perfectos, qui intrare volunt in regnum cœlorum. Qui verò illi magni? qui perfecti? Id nobis exponit Christus in hod. Evangelio dicens. *Qui facit volūtatem patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Et: *Quicunque enim fecerit voluntatē patris mei*, ait alibi: (Matt. 12.) *ipse meus frater & soror & mater est.* Si frater, soror & Mater Christi, utique magnus & perfectus est. Rursum Matth. 5. Christus dixit: *Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est:*

Si ergo ejus voluntatem fecerimus, utique & ipsi perfecti erimus, utpote ei conformes. Videndum ergo quibus in rebus Dei voluntas facienda sit.

I. *Consistit in conatu faciendi plus quã præceptum est.*

I. Voluntas Dei Patris est, ut conemur facere plusquam nobis mandatum est, adeoq; etiam observare multa, quæ concilii tantùm sunt. Id enim attestatur Apost. 1. Thess. 4. *Sic ambuletis ut abundetis magis. Hæc n. volunt Dei; sãctificatio vestra.* S. Chrys. & Theoph. sic explicant; *Vt abundetis magis, i.e.* inquiunt, *ut aliquid supra mandatum cupiatis facere, ut imperata superetis. Quemadmodum enim terra nõ ea solum semina, quæ accepit, reddit & profert: sic animus non debet in præceptis consistere, sed etiam ea transcendere.* Huius autem rei duas video causas.

1. Nisi plusquam præceptum est, vel quæ præcepta sunt, perfectius facere conemur, etiam ea quæ præcepta sunt, facilè omittemus: sicut facilè impinget navis in scopulum aut littus, si propè ei adhæreat: non facilè si ab eo longe recedat. Monuerat Angelus Lothum è Sodomis profugientem, ut in monte, qui imminebat oppido Segor, se salvaret. Gen. 19. *Salva animam tuam & ne stes in omni circum regione sed in mõte salvum te fac.* At verò Loth senex metuens viribus suis ne impares essent ascensui; *non possũ* inquit, *in monte salvari. Est civitas* (Segor) *hæc juxta, ad quem possum fugere, parva & salvabor in ea,* Verùm ubi ex illa vidit vicinas 4. civitates, terribili flamma consumi, timens ne in Segor parum tutus esset, ipse mox ultrò profugit in montem, velut locum multò securiorem. Suadet Deus omnibus imo præcepit ut si salvi esse velimus, ad montem perfectionis ascendamus; nec præcise in iis, quæ præcepta sunt, sistamus: quia parum secure habitat, qui non longe se à tentione & hoste separat. Multi verò cum Loth in valle ad radicem montis hærere volunt, solis insistendo præceptis. Sed parva ibi securitas: magna verò in monte perfectionis. Qui enim nil nisi qood præceptum est, agere vult, indicat se etiam illud, quod debet, ægre & difficulter agere, adeoque facilè permoveri posse, ut & illud intermittat. Econtra qui plus quam debet faciat aut conatur facere, remotior est à lapsu; non n. facile negliget sacrum die festo, qui quotidie audit sacrum: communionem in paschate, qui singulis mensibus communicat: non sumit vindictam, qui bene facit inimico. Deinde minori difficultate observabit præcepta. Qui enim assuevit ambulare in ocreis, multò levius postea ambulabit in calceis.

2. Nisi plus quàm præcipitur facere conemur, pigros valde ac tepidos Dei servos esse nos ostendimus: non secùs ac servus ille, qui priùs quàm heri imperata faceret, tabellam suam inspiciebat, num hoc ipsius officium in tabella cõsignatum esset. Talibus potissimùm ait Dominus. Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus; fecimus quod debuimus,* Ac si dicat, inquit sanctus Bernardus tract. de præcepto & dispen. *Si solis contenti istis præceptis & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionis vos consiliis & suasionibus mancipatis, libri quidem estis à debito, sed non pro merito gloriosi: evasistis pœnam se nõ accepistis coronam.* Susis Regi boves singuli quotidiè centum cados aquæ in hortos minus riguo hauriunt, & hoc quidem non difficile, labori huic di assueti: verum ut alterum supra dictum numerur hauriant cadum, nullis nec verberibus nec blanditi induci possunt, teste Æliano lib. 7. animal. c. 1. Exist mare posset aliquis numerare eos posse aut tabellar arithmeticam inspicere, ut plus solito non laboren Boves dixeris potius quam homines, qui in gratiar Dei creatoris & redemptoris sui, à quo tam liberal ter habentur & redempti sunt, nihilo plus facere vo lunt, quàm eis injunctum est.

II. Voluntas Dei Patris est, ut non solum gravi peccata seu morti era, sed etiam levia ac venialia p viribus vitare studeamus. Ita enim legimus Prov. 7 *Fili serva mandata mea & legem meam, ut pupillar oculi tui.* Quis autem nescit pupillam oculi offen levissimo etiam tactu & pulvisculo, qui in eum inc derit, ideoque à natura benè communitum, à nob etiam sedulo custodiri. Vult igitur Deus adeò ex ctè servari legem suam, ut eam etiam levioribus rebus transgredi vereamur. Unde S. Ambr. l. 6. hex c. 4. de hac pupilla loquens ait: *Quia innocẽtia & in tegritas levi sorde violatur & gratiæ suæ munus om tir, & ideò perspiciendum est, ne quis eam pulvis err ris oblimet, aut vexet festuca peccati.* Sentit ergo c scientiæ integritatem à minimis etiam defectib vexari & affligi. Vexatur autem quia si dedita ope & studiose committantur, relinquunt post se amar tudinem quandam & remorsum, ac si apis suum i fixisset aculeum: & pacem animi infestant. Sens hunc aculeum David, quando Sauli persecutori su in spelunca reperto, cum vitam adimere posset, o chlamydis tantùm abscidit. Mox enim *percussit c suũ David,* h, e. Davidem ut habent 70. *percussit co eum.* Ecce ob tam levem offensiunculam statim ve xatur oculus Davidis, 1. Reg 24. Ac quemadmodu oculus pulvisculo vexatus fundere lachrymas cogi tur: ita etiam leviuscula peccata deflenda & suis pœ nis sive hic, sive in purgatorio expianda sunt. Scimu enim multos ob talia errata morte plexos esse, velu uxorem Loth, Ozam, Moysem & Aaron, Aaronis fi lios: S. Hilar. ob unam in oratione distractionem Dæmone flagellatum: multos etiam in purgatori vel ob unum veniale detentos. Isaias lamentatur o leve suum peccatum, quod Oziam non correxerit *Væ mihi, quia tacui,* inquit Isa. 6. S. Mart. ob erroren unum ex obreptione admissum sensit sibi imminutam vim expellendi dæmones, ideoque multis lachrymis eum deplanxit. August. ita deflet veniales noxas, ut alii gravissimas. Denique sicut oculus pulvisculo vel minima musca turbatur & videndi vigore destituitur, sic qui venialia admittunt, lumine gratiarum non exiguo privantur. Unde David ps. 6. ait: *Turbatus est à furore oculus meus* (Hieron. *caligavit præ amaritudine*) Et Psal. 3. *Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum & ipsum non est n. ecum.*

III. Vo-

III. Voluntas Dei Patris est, ut contra vitia & pravas affectiones nostras pro viribus pugnemus; ac tametsi interdum succumbamus, mox tamen resurgere studeamus, & prælium redintegremus. Sic præcepit Paul. Timot. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu* 2. Tim. 2. non ait: vince, sed *labora*. Gr. *mala sustine*. Quemadmodum enim Dux exercitus missus ab Imperat. ad reprimendum hostem, satisfaciet Imperatori & præclarus miles audiet, si præstet quantum potest, numquam non infestet hostem & machinationibus ejus occurrat, strenueque pugnet; & si forte aliquando succubuerit, mox vires restauret & animum resumat ac novis copiis hostem adoriatur: ita & nos voluntati Dei satisfactionem dabimus bonique milites erimus, si pro viribus nostris fortiter certemus contra hostes animæ: ac licet interdum superemur, recolligamus vires ad denuò pugnandum. Talis miles utique bonus & perfectus, quia ab ipso Deo laudatus, fuit Job, qui c. 14. ait: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Militavit ergo Job & quidem toto vitæ tempore, nunc contra sævientem Dæmonem, nunc contra insultantem uxorem, nunc contra obtrectantes amicos & licet in paucis & exiguis quibusdam conflictibus succubuerit, ac leviter peccarit, (ut docet Salmeron prolegom. 10. can. 24.) perfectus tamen miles fuit, quia mox resurgere laboravit, uti fatetur ipse c. 39. *Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem.* Quod illud unum? Verbum illud, quo dixerat gravius se punitum, quam suorum peccatorum reatus exigeret. Et c. 42. *Idcirco ipse me reprehendo in favilla & cinere* Hinc S. Greg. in Cãt. *Tota pulchra es*, ait: *Dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & à majoribus se observat, quamvis frequenter peccet: per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assiduo servat.* Sanè Deus Jobum dilaudavit coram Dæmone velut strenuum militem, & quasi in eo gloriatus est: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra?* Mundus ergo censetur, qui assidue se mundat & vestes suas: sic & perfectus esse censetur, qui semper se perficit. Et hoc voluit Deus cum Deut. 18. præcepit: *perfectus eris &c.* Nam absolutè perfectum esse & sine omni macula, non est hujus, sed alterius vitæ in cœlo. Semper n. Jebusæus inter Judæos degit, & concupiscentia vivit in membris nostris, quæ domari quidem potest, extirpari omnino non potest. Judic. 1.

IV. Voluntas Dei patris est, ut bonis temporalibus non adhæreamus, sed ea potius contemnamus velut fluxa & inania. Ita enim præcipitur ps. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* In quem locum S. Basil. ait: *Illud: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, te admonet ut ne animo erga illa afficiaris, sed ad usum tuum sume necessaria.*

Cor divitiis non apponendum.

Quomodo cor non apponendũ? 1. sicut rebus mutuo acceptis nemo apponit nomen aut insignia sua. Unde Bias dicebat, *fortunam pecunias divitibus dedisse non dono, sed mutuo: quia quos modo evehit, citò*
iterum deprimit. Jam qui mutuò quid acceperunt, 1.
inprimis ea non amant, quia ut aliena aspiciunt. Deinde cautè iis utuntur, quia de restitutione cogitant sibi facienda, non sine difficultate.

2. Cor non apponendum; sicut in fundo, qui ex inundatione tibi advenit, domum tibi non ædificas. Timendum enim ne proxima inundatione rursum tibi auferatur. 2.

3. Cor non apponendum, eo modo, quo Ramises Rex Ægypti obeliscum altissimum erecturus per artificem, filium suum alligavit cacumini, quasi pluris obeliscum æstimaret, quam filium. Plin. l. 36. c. 9. Hoc agit, qui divitias ita amat, ut iis cadentibus ipse quoque cadat in fletum, indignationem, desperationem, blasphemiam, &c. 3.

4. Cor non apponendum: sicut rapido flumini nos nõ committimus, cum aliquod refrigerium indè percipere volumus, sed in ripa sedentes pedes solum immergimus & manus ad lavandum, ut mox cum volumus eas retrahere possimus. Uti iis licet ad necessitatem & commoditatem nostram, immergere se iis per amorem non licet, nisi perire velimus. Ita Seneca, qui dixit: *Rebus hujus sæculi non me trado, sed commodo; & à me fortuna illas abstulit, non avulsit.* Quæ commodantur, repeti possunt ad libitum: non quæ donantur. Quæ radices egerunt præsertim altas, difficulter evelluntur: sic & divitiæ, si cui fortiter adhærent, cum dolore & difficultate amittuntur: non ita, quæ non adhærent. Barucam seu capillum fictitium sine dolore abjicies, naturalem absque dolore tibi non evelles. Notum arbitror id quod in vita S. Ant. de Padua legitur, eum in exequiis cujusdam usurarii concionaturum thema id sumpsisse: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Sub concione dixit inter alia: *mortuus est hic dives & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus & in illius medio invenietis cor ejus; corpore jam humato.* Abierunt homines propinqui, & cor adhuc calidum in medio nummorum invenerunt. Sur. 13. Jun. Quid videtur vobis de isto? nonne cor suum apposuit imò affixit nummis? Ad thesaurum quidem inclusit, sed è cœlo exclusit. 4.

Vidimus quæ sit voluntas Dei, quæ ratio perfectionis Christianæ. Superest jam ut crescamus in viros perfectos, ne forte cum parvulis parvuli reperti, in censum electorum minimè veniamus.

(* * *)

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Veræ prudentiæ dictamina, à Villico iniquitatis accepta.*
II. *Prudentia carnalis, seu filiorum hujus sæculi qualis.*
III. *Eleëmosynam dandi modus & industria.*
IV. *Tria satisfactionis opera non nihil facilitantur.*
V. *Divitiæ cur mammona iniquitatis appellatæ.*

THEMA I.

Veræ prudentiæ varia dictamina à Villico iniquitatis accepta.

1. *Actiones non præcipitandæ, sed cum consilio inchoandæ.*
2. *In peractas res facienda reflexio.*
3. *Ratio habenda famæ seu boni nominis.*
4. *Ante judicium paranda justitia.*
5. *Non deponenda, quibus pugnandum, arma.*
6. *Suo malo doctus quisque cautior fiat.*
7. *Omnibus deperditis cœlum saltem nobis tuendum.*

Quid faciam? Luc. 16.

DOcturus Jeremiam Deus verba sapientiæ, quorsum, putatis, Prophetam ablegavit? Num in civitatem Abelam, doctorum Academia florentem? minimè. Num ad aulas principum? nequaquam. Num ad Prophetas & videntes? neutiquam. Num ad sacerdotes & Legisperitos? nihil minus; sed ad domum figuli ipsum ablegavit. Ita enim ait Jer. 18. *Descendes in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Et quid ibi didicit? Vidit luteum vas fingi manu figuli; quod quia ad mentem ejus malè formatum erat, à figulo dissipatum & refectum est in eam, quæ placebat, formam. Ita Propheta à figulo didicit verba Dei; didicit sapientiam. Videtur etiam Christus Dominus ablegare nos in hod. Evangelio ad discẽdam veram prudentiam. Et quorsum ablegat? non ad Doctores & Prophetas, non ad sanctos & justos; sed ad villicum iniquitatis, velut ad Magistrum veræ prudentiæ. Tametsi enim & ipse primo quidem malum effinxit vasculum, malum, inquam, villicum & dispensatorem domini sui, ideoque dissipatus est & ab officio depositus; postea tamen edoctus malo suo vas aliud effinxit, quando vitæ & famæ suæ sapientius prospicere & parare sibi amicos cœpit à quibus reciperetur tempore senectutis suæ. Ad hunc igitur ablegati, discamus, Auditores, vel ab homine rustico prudentiam. Quid verò ille docet? Audiamus.

I. Actiones tuas non præcipita, sed cum consilio aggredere, uti docet Villicus quando ait: *Quid faciam?* Tria enim sibi proponit media, & ex illis eligit, quod sibi videbatur optimum. Ferdinandus Bavariæ Dux monetam cudit, in qua visebatur prudentia specie virginis, delphino insidens & una manu bilancem tenens, gerensque pro symbolo tria verba: *Cognosce, elige, matura.* Virgo videbatur dicere: *Cognosce*; Bilanx: *Elige*; Delphinus sua agilitate: *Matura.* Caussin. in Aula lib. 3. s. 26. Atque hi tres sunt primarii prudentiæ actus, consilium, judicium & imperium.

Consilium, ut noris, quid aggrediaris, num tibi expediat, an noceat, de quo Ecclesiastici 32. v. 24. dicitur; *Fili mi sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

Judicium, ut media & viam disquiras, qua ad id, quo tendis, pervenias; ut si castitatem ambias labores indesinentes, studium litterarium, oculorum continentiam, fugam pravæ societatis & familiaritatis mulierum, orationis studium, castigationem corporis, sacramentorum usum, Dei omni præsentis cogitationem eligas & frequentes.

Imperium, ut strenuè & studiose exequaris, quod faciendum sanè judicasti. Hæc tria qui adhibuerit, prudentiæ laudem obtinebit, quamvis res successum non habeat, quia fortè Deus aliter vult, vel Dæmonum negotium intervertit &c. Contra qui hæc omiserit; malè sibi consulet; ut si matrimonium eligat, nec cogitet an moribus sponsæ mores ejus congruunt: vel si studium litterarum; nec attendat, quod hebeti sit ingenio, &c.

II. Post actiones tuas peractas reflecte in eas, & vide quomodo peregeris. Id docet Villicus, quando accersivit debitores domini sui, & quantum deberent examinavit. Optimè ipse Dominus Deus, quãdo singula opera sua primo singulatim, & postremo omnia simul inspexit & ad ea se reflectens *vidit quod*

quod eſſent bona. Gen. 2. Non egebat Deus illa refle-xione, quia in operibus ſuis errare nõ poterat: inducitur tamen à Moyſe velut inſpector operum ſuorũ propter nos, qui in noſtris actionibus ſæpiſſimè erramus. Itaque prudentia dictat, ut homo crebro per examen conſcientiæ ſua opera inſpiciat, an rectè & in Deo facta ſint. Ita facere videntur *pictores*, ait Plutarchus l. de cohib. ira, *qui opera ſua priuſquam ſa abſolvant, per intervalla temporis contemplantur: ita enim abducto ab iis pauliſper viſu, ſæpius judicium revocantes, etiam exigua diſcrimina obſervando attingunt &c.* Haud aliter in iis, quæ operamur, quandoque retrahere manum de tabula ſeu opere oportet, contemplantes quæ fecimus, num bene an malè nobis ceſſerint, & qui emendari queant. Ita olim Gentilis ille Hierocles jubebat: *Hic volo, inquiens, omnia præcepta, quæ prius Pythagoras præſcripſit, quaſi in unum faſcem comportes, ut in ea tanquam in divinas leges intuens in mentis tuæ interno velut tribunali eorum, quæ bene vel male geſta ſunt, examen facias.* Apud Stobæum ſer. 3.

III. Attende ad tuam famam & quid alii de te ſentiant, inquire. Defecit in hoc villicus, ante amotionem ſuam, id enim ſi feciſſet, cùm jam diffamari de mala fide cœpit, utique cautior factus eſſet & rem Domini ſui non diſſipaſſet; poſtea tamen ſuo malo doctus rationem famæ ſuæ habuit, cum mendicare erubuit. Dictat igitur prudentia non pro nihilo habere, quid de nobis alii dicant: quin imo maximi id facere. Docuit hoc Chriſtus, quando interrogavit diſcipulos ſuos, quid de ipſo dicerent homines, Matth. 16. Fieri communiter ſolet ut errores noſtros alii accuratius perſpiciant, quam nos ipſi. Itaque ex aliis intelligere potes qualis ipſe ſis. Si malum quid de te loquantur, & tu verum id deprehendas corrige vitam: ſi falſum eſſe noris, ſerviet tibi ad meritum & majorem cautelam, ut ne talis fias, qualis eſſe traduceris. Idem ſuadet & Plutarchus loco cit. de cohib. ira, ubi allatæ pictorum ſimilitudini ſubdit: *Quandoquidem non licet, ut aliquãdiu à nobis ipſi digrediamur, noſtri ne ſentiendi faciamus aliquam intercupedinem (quod ipſum efficit potiſſimũ, ut ſui quiſque prior ſit, quam aliorum judex) proximum eſt ut interdum amicos conveniamus, iiſque præbeamus nos conſiderandos: non an celeriter conſenuerimus, aut corpus melius pejuſve ſit affectum: ſed an moribus noſtris tempus boni aliquid addiderit, aut vitii advenerit.* Laudat hoc nomen B. Petrus Damiani ep. 12. ad Gothifredum Ducem lib. 7. Ep. Hugonem Tuſciæ Marchionem, quòd ſubinde ſolus vel uno contentus aſſecla adjunxerit ſe agricolis & opilionibus, ſibi ſubjectis, & interrogarit, quid de Marchione, domino ſuo, ipſi loquerentur & ſentirent. Cujus etiam ſaniſſimi conſilii admonuit B. Jordanus Dominicanorum generalis Magiſter Fridericum Imperatorem in colloquio familiari dicens: *Plurimũ, Cæſar, miratus ſum, quod abs te minimè de iis, quæ dicuntur per diverſas provincias, fuerim interrogatus, cùm ſcias nos continuè per omnem ferè Chriſtianitatem divagari & qui rumores audiuntur, quæ de te fama percurrat. Reſpondente Cæſare, ſe habere curſores, veredarios per orbem terrarum & in curiis principum, ex quibus cognoſcere ac omnia, quæ fiunt ad amuſſim ſcire poſſet: dixit Iordanus: Chriſtus orbis terrarum Dominus, licet omnia adhuc in humanis agens ſciret, tamen à diſcipulis de ſe quærebat dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Tu quidem Imperator homo es, & multa quæ de te dicuntur, ignoras: quorum ſcientia tibi imperioque tuo plurimum conduceret: Fertur enim per provincias &c.* Tum recenſet ei non pauca, quæ in ipſo vulgus reprehendat. Auct. Leandro Alberto in vita B. Jordani, apud Surium 13 Febr.

IV. *Ante judicium parandæ juſtitia.*

IV. *Ante judicium para juſtitiam tibi.* Eccleſiaſtici c. 18. Docemur hoc à villico, qui videns ab officio ſeſe deponendum, & ad ſtipem redigẽdum, adverſus eam providit ſibi de bonis amicis, ſub quorum præſidio ſe conſervaret. Pagurus cancri genus, tamdiu ſe in antro continet, donec vetere exutus teſta, novam duriorem induit: hoc præſidio armatus latebris, quas verno tempore incoluerat, relictis egreditur & novis aculeis in novo tergore rigeſcens adverſarios contemnit, quos prius declinarat. Cauſſin. in ſymb. l. 8. c. 57. ex Junio in adag. Cancrum hunc imitati ſunt Apoſtoli, qui poſt aſcenſionem Domini latuerunt in una domo, velut adhuc inermes, uſque ad Spiritus ſancti adventum, cujus robore armati demum prodierunt, & mundum ſceleribus contaminatum invaſerunt fæliciterque ſubjugarunt. Noluit autem Saul emittere Davidem ad ſingulare certamen niſi armis ſuis bene communitum: ſed quia David pluris æſtimavit arma ſibi à parente ſuo tradita, baculum & fundum, quibus & magis aſſuetus erat, ideo cum illis glorioſam obtinuit victoriam. 1. Regum 17. Dictat igitur prudentia, ne ſine debita armatura certamina vel alia diſcrimina adoriamur: ne diſputemus cum hæreticis, niſi in fide orthodoxa propugnanda bene fundati, ne in conflictus periculoſos, converſationem cum pravis ſociis, mulieribus &c. temere nos ingeramus: denique ne ad mortis, quæ à villicatione nos deponet, ultimum certamen, ſine armorum ſpiritualium, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, extremæ unctionis, præſidio ulla ratione deſcendamus.

V. *Non deponenda, quibus pugnandum, arma.*

V. Non temere te exarma iis, quibus tibi pugnandum armis. Id ſanè villicus fecit, quando audita exauthorationis ſuæ ſententia, non ſtatim tradidit hero ſyngraphas debitorum ipſius, ſed retinuit & prius obtulit debitoribus, ut inde aliquid delerent, & ipſe per hanc benevolentiam ſibi in futurũ proſpiceret. *Accipe,* inquit, *cautionem tuam & ſcribe 50. tu ſcribe* 80. Dictat & hoc prudentia, ut arma non abjicias, quibus te defendere debes. Antigonus Rex bellum gerens contra Eumenem Cardianum, miſit Legatos ad Macedones, ut Eumenem Ducem exercitus ſui deſererent, cum magnificis promiſſis. Macedones vero Legatis minabantur; ideoque ab Eumene ſupervenięte laudati ſunt; hoc apologo: Leonem

nem amantem virginis contuliſſe cum patre puellæ de nuptiis; Patrem reſpondiſſe, quemadmodum paratus quidem ſit ad puellam concedēdam, formidare autem leonis ungues & dentes, ne quando cōtractis nuptiis ex aliqua cauſa exacerbatus, belluine ſe gereret cum puella. Spopondit ergo leo ſe abjecturum ungues & dentes, quod cum vidiſſet pater, baculo erepto leonem facile interemit. Nil aliud moliri Antigonum: eouſque promiſſiones extēdere, donec exercitu potiatur, atque ita de Ducibus pœnas ſumat. Diodor, l. 10. Aſtus hic etiam Dæmonis eſt, unum hoc percutientis, ut ſpiritualibus te præſidiis, quaſi unguibus & dentibus exarmes: ut preces conſuetas & examen conſciētiæ quotidianum oblivioni trādas, ut cultum B. Virginis intermittas, ut hebdomadariæ aut menſtruæ exhomologeſi valedicas, ut alia pia tibi ſolita exercitia neglectui habeas; his enim armis ſepoſitis, facile te ſupplātabit ac conficiet. Mirum hujus rei exemplum refertur in Prato ſpirit. libello approbato à Conc. Nicæno 2. de quodam incluſo in monte Olivarū, vehementer impugnato ab Aſmodæo fornicationis ſpiritu; qui propterea cum Dæmone expoſtulans, dixit: *Quādiu nō dimittis me? Recede jam à me, qui mecum conſenuiſti. Apparuit autem ei dæmon viſibiliter dicens: Iura mihi, quia nemini dices, quæ tibi dicturus ſum, & te non amplius oppugnabo. Iuravitque illi ſenex dicēs: Per inhabitantem in altiſſimis nulli dicam, quæ mihi dixeris. Tunc ait illi Dæmon: Noli adorare hanc imaginem & ultra te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expreſſam figuram Dominæ noſtræ S. Dei genitricis Mariæ, ferentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ait incluſus dæmoni: Dimitte me ut deliberem. In craſtinum autem hoc ſignificavit ipſi Abbati Theodoro Æliotæ tunc habitanti in Laura Pharan, narravitque illi omnia: Senex autem ait recluſo: Vere Domine Abba, illuſus es, quia juraſti dæmoni. Veruntamen benefeciſti hoc revelans. Expedit autem tibi nullum in illa urbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quā ut neges te adorare Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum matre ſua. Confirmatum igitur & corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco ſuo. Apparuit ergo dæmon incluſo rurſus dicens: Quid hoc eſt peſſime ſenex? Nonne tu juraſti mihi, quia id nemini diceres? Et quare dixiſti ei, qui venit ad te? Dico tibi, quia ut perjurus in die judicii judicaberis. Reſpondit incluſus dicens: Scio quidem quia juravi; veruntamen Dominum & creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam.*

VI. *Suo malo edoctus quiſque cautior fiat.*

VI. Tuo aut alieno malo edoctus cautior eſto inpoſterum. Documentum etiam hoc à villico trahimus, qui prius incōſideratus rem familiarem domini ſui peſſimè adminiſtravit; quod ubi male ſibi ceſſiſſe, & dejectionem ab officio, vidit; tum aperuit oculos, & *quid faciam?* inquit; adeoque in anguſtias redactus ex improvido œconomo providus fieri cœpit, de victu & domicilio belle ſibi proſpiciēs, ex bonis heri ſui, quem cogitabat parum de rebus ſuis ſolicitum, parum etiam damni cenſurum, ſi vitæ neceſſaria inde ſibi quæreret. Prudentis igitur eſt ſuo vel alieno etiam errore ſapere, ne in poſterum impingat in eundem vel ſimilem ſcopulum. *Quemadmodum enim cicatrix admonet cavendum eſſe vulnus: ita memoria præteritorum, malorum reddit cautiores*, inquit Plutarchus in Moralibus. Hanc ob cauſam Moyſes loca ea, in quibus populus Hebræorum graviter offendit Deum & propterea plexus fuit, in cautelam ipſorum & aliorum, monumento aliquo notavit, uti ad petram Horeb, ubi populus murmuravit; locum enim illum appellavit *Maſſa*, h. e. *tentationem* quia tentaverunt Deum Exod. 17. Rurſum quando murmurarunt ob laborem itineris, & propterea igne divinitus immiſſo caſtigati ſunt, appellavit locum *incenſionem*. Num. 11 Iterum quando impetratas carnes intemperanter devorarunt, ideoque rurſum igne correpti fuerūt, appellavit locum: *ſepulchra concupiſcentiæ*. Ibid. quò nimirum ex his ſcopulis & quaſi ſuppliciorum locis publicè erectis (quo modo & fine eriguntur rotæ & patibula) cautiores redditi, nō impingerent amplius tam ipſi quā alii *Callidus* (h. e. prudens) *vidit malū & abſcondit ſe*, inquit Sapiens Prov. 22. 3. q. prudens vidit ub impegerit vel ipſe vel alii, & inde cautior factus cavet & abſcondit ſe. Tradit Alb. M. de animal. in ſerpente, ſiquis ſerpentem occidat & comburat vel etiam in palum ſuſpendat, ejus nidore & fœtore percepto fugere à loco reliquos ſerpentes, quaſi metuentes ne idem ſibi contingat. Quin etiam aliæ pene omnes beſtiæ divitant loca, in quibus læſæ; laqueos & hamos, quibus feræ captæ fuerunt. Et hoc non faciat homo? toties ebrietate ſua verberatus, vinum non caveat &c.

VII. Omnia ſi perdas, domum tibi ſaltem ſeu tabernaculum æternum, ad quod te recipias, proſpicere non negligas. Præbet hoc prudentiſſimum cōſilium etiam villicus, qui cum advertit omnibus ſe ſpoliandum, adeoque ſua peſſum ire, ad unam rem attēdit, ut ea non privaretur, domo, ſc. in quam velut in aſylum ſeſe reciperet ejectus à ſuo domino. Hāc vero domum, qualis eſſe debeat Chriſtus exponit, cum ait: *ut recipiant vos in æterna tabernacula.* Quidquid ergo in mundo tibi contingat, quidquid boni auferatur, quidquid mali inferatur; unum hoc obſerva, ut domū tibi in cœlo præparatam habeas, de qua Apoſtolus 2. Cor. 5. cum cap præcedente præmiſiſſet ferēdas imperterrito animo omnes tribulationes, ſubdit: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domū non manu factā, æternam in cœlis.* Atque hoc eſt in quo David omnem ſpem ſuam collocavit pſ. 26. dicens: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ.* In quem locum S. Auguſt. ſcribit: *Quæ eſt illa una? Vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Hæc eſt una, domus enim ea dicitur, ubi ſemper manebimus. In iſta peregrinatione dicitur domus, ſed propriè tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium & quodammodo mi-*

antium est &c. Porro sub eadem particula intelli-
intur omnia ea , quæ ad beatam illam domum
insequendam necessaria sunt, uti fides, spes, cha-
as, & similia dona supernaturalia. *Serpens*, inquit,
Chrysostomus hom. 53. in Matt. *totum seipsum
idit, nec admodum curat, si corpus inciditur, donec
put suum integrum servet. Eodem tu quoque modo
ter fidem catera perdere non cures. Profundas uni-
rsam tuam pecuniam; tradas corpus, vita ipsi, si
s est, minimè parcas; dummodo fidem serves: qua
put & radix est: qua servata, etiam si omnia perdas
nia tamen rursus majori cum magnificentia recu-
rabis.* Summus ille sacerdos Heli, acceptam in
ælio Hebræorum cladem sine magna animi con-
ernatione audiit: fugisse Israelẽ corã Philisthiim,
inam magnam factam esse in populo, insuper &
ios filios suos in eodem conflictu occubuisse, ni-
l super his commotus; at ubi dictum est, etiam
cam Dei captam esse, ibi correptus dolore ceci-
t de sella retrorsum fractis cervicibus mortuus
t, 1. Reg. 4. Ita viri sapientes, temporalia damna
cilè ferunt sed spiritualia ferre nequeunt sine ani-
i quasi deliquio & ingenti dolore. Parum illis est
er peccatum grave perdidisse bona fortunæ, læsis-
corporis valetudinem, perdidisse famam & inci-
isse in infamiam, perdidisse gratiam principum; il-
d unum eos cruciat, perdidisse gratiam Dei, adeo-
ue etiam cælum. Agnovit hoc sero licet, prodi-
us filius, postquam in se reversus est. Non enim
olorem prætulit, quod perdiderit substantiam suã,
on quod ad haram compulsus sit, non quod pater-
a hæreditate exciderit, sed quod peccarit in cælum
: patrem suum. Lucæ 15. Igitur & nos Audit. dis-
amus ab hoc villico providere nobis ante omnia,
t habeamus amicum Deum, in cujus æterna taber-
acula recipi possimus, cùm è mundo ejiciemur.
Omnia si perdamus, caput conservemus, fidem
Catholicam charitate informatam. Omnia si per-
lamus, Arcam saltem ne perdamus, cæleste, in-
uam, tabernaculum, in quod, cum defecerimus, re-
ipi mereamur,

THEMA II.

Prudentia filiorum hujus sæculi, seu carnalis, qualis.

1. *Prudentia carnis docet præsentia futuris, temporalia æternis præferre.*
2. *Ad commoda sua attendit, non ad impendentia mala.*
3. *Novit comparare sibi terrena, non cælestia bona.*
4. *Adhibet quævis media, ad finem suum sive honesta, sive inhonesta.*
5. *Bona externa præfert internis.*
6. *Aliis scit consulere, non sibi.*
7. *Novit omnia eludere.*

Fabri Nova Sylva de Dom.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Luc. 16.

VEteres eleganti apologo introduxerunt collo-quentes inter se bombycem & araneum, non sine utili morum informatione. Araneus querebatur, quod in suis telis mira & operosa industria atque ingenio pertexendis, diu noctuque laborans se evisceraret viresque exhauriret, ut operi suo materiam necessariam subministraret: interim quoque vilissimo cibo sese sustentaret: & tamen adeo nullo fructu, ut, postquam telæ suæ supremam imposuit manum, plerumque ex ancillis una omnium abjectissima, scopis arreptis totum ejus opus & structuram evertat, adeoque in momento multarum laborem horarum destruat. Econtra verò bõbyx domi suæ in summa quiete residens parum aliquid filet, nunquam foras prodeat, sed sua se domo includat, & tamen ejus opus in tanta æstimatione sit, ut ad Regum aulas ascendat; interim etiam in ædibus delicatissimè nutriatur & habeatur. Verum huic querelæ bombyx occurrit, mirum id non esse quia tu, ajebat araneo, solummodò muscas capis, ego Reges capio & telis meis exorno. Exprimit hæc fabula maximum discrimen inter filios lucis, & filios tenebrarum, mundi sectatores. Eviscerant se hi & miras excogitant artes atque industrias, quibus magni evadant, cùm econtra illi tantum in operando industriam non adhibeant, nec tam solerti studio ad id incumbant; interim tamen Deo placeant & ad cælum ascendant: cùm illi in odio apud Deum sint, & post labores suos sine omni mercede ex hoc mundo exturbentur. Sed quæ hujus rei causa? Quia nimirum filii hujus sæculi suis illis industriis non nisi muscas quærunt & venantur, filii verò lucis Deum & cælestia quærunt. Vidimus alias, quid istis dictet vera prudentia; videamus nunc quid illos prudentia carnis doceat.

I. Prudentia carnis docet præsentia futuris, temporalia æternis præferenda esse. Oritur hoc ejus dogma ex defectu fidei & spei, quia futura & æterna in cælo bona nulla esse credunt, vel consequi desperant. Erat hæc prudentia penè omnium philosophorum Ethnicorum, de quibus S. Remigius in c. 8. Ep. ad Roman. ait: *Philosophi definierunt prudentiam esse bona temporalia appetere, & mala temporalia cavere. Quæ prudentia quia carnalis est, idcirco generat mortem æternam, quoniam dum bona præsentis vitæ omni aviditate desiderantur & adversa pro Christi nomine vitantur, bona æterna vitæ pro nihilo habentur.* Porrò in homine fideli hæc prudentia intoleranda planè stultitia est. Quis enim sapiens præferat terram cælo? luteum hoc tabernaculum pere-

I. Prudentia carnis docet præsentia futuris, temporalia æternis præferre.

grinorum,imò carcere vinctorum & stabulum servorum,in quo tam mali quam boni hospitantur,aulæ illi regiæ, in qua Deus habitat cum amicis suis? Quis fugacia & momentanea bona eligat præ æternis? Dicite enim mihi: Quis non mavult emere fundos stabiles,quàm res mobiles,cæteris paribus? Has enim auferre fures illos minimè possunt. Quis non homini noto ac fido potiùs committit bona sua quã alicui ignoto & dubio? Quis facile struit domum, hortum aut palatium ad littus rapidi fluminis? nonne videmus passim arces quascunque munitissimas, ea de causa in summis montibus structas, ut contra prædones tutiores essent? Quid verò mundus nisi ejusmodi fluvius aut verius torrens aliquis? Hic n. quasi lutulento profluvio inundans defert secum divitias,honores, voluptates, & alia hujusmodi bona terræ,eaq; utramvis in ripam exonerat: huc pecuniam expuit illuc honorem infert,alibi voluptates relinquit.Sed quis credat huic torrenti? Increscet n. iterum cùm minimè expectatur,& hæc omnia, quæ ad margines expuit, rursum absorbebit & ad alios fundos deferet. Nonne igitur præstat quærere sibi domum stabilem & bona sempiterna,quæ nullo infortunio subrui & tolli possunt? Quis porro cælum aspiciens, ejus soliditatem & stabilitatem non advertit? quis terram considerans, inconstantiam & mutabilitatem ejus non deprehendit.

II. *Ad commoda sua attendit, non ad impendentia mala.*

II. Ad commoda quidem sua attendit,eaq; cautè videt,sed futura sibiq; impendentia mala nõ prospicit. Declaratur hoc Æthiopicæ cervæ fabula. Ea cùm nescio quo casu oculum unum perdidisset, alio acutum videns,bene quidem pastui prospexit,imminens tamen periculum non advertit. Nam ut venatores à longè visos vitare posset, non in campos aut agros pabulatum ivit,sed ad ripas aquarum; & quidem ita ut sanum oculum ad terrã, qua venatores poterant accedere,cæcum verò ad flumina,unde nihil sibi metuebat,converteret. Quis eam non securè pabulari diceret? Verùm secus accidit. Dũm enim à terra nihil metuit, venator prænavigans cervam prope littus securè pastam conspicit, indeque emisso telo sternit. Hunc in modum satis sibi cauta videtur esse carnis prudentia, cùm tamen lusca sit;uno enim oculo ad sua quidem commoda graviter attendit,altero verò cæcato nocitura sibi non cavet Talem habebat Pharao, qui ad solam Hebræorum spoliandorum prædam attentus dicebat: *Persequar & comprehendam,dividam spolia & implebitur anima mea. Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea,* Exodi decimo quinto. Verùm ad liquidum iter maris, quod ingressus est,minimè attendit: deletionem inimicorum intentavit, suam non prævidit.Balaam ille aliis etiam futura & pericula,quæ post mille annos erant subituri, vaticinari, & pessimum consilium dare Regi Balac potuit: suum autem periculum & interitum non prævidit, quo in clade Ammonitarum periit, Numer. 24.

III. Lynx est ad terrena bona sibi comparanda, talpa ad cælestia. Oculata est hæc prudentia ad spolia sibi quærenda sed non ad animam locupletandã. Alexander, Judæorum Rex,ob avaritiam crudelitatemque suam Judæis invisus, Alexandram uxorem monuit, ut cùm egisset animam, Pharisæorum clementia & consilio usa, confestim cadaver in publicum efferendum curaret; convocatisque illico civibus quasi illorum faveret vindictæ, palam diceret se tradere Alexandrum jam defunctum dilaniandum civibus,ut quem in vivum nequissent, in mortuum saltem iram justam exercerent. Alexandra secuta hoc consilium,cum per Pharisæos,populo liberos suos Hircanum & Aristobulum commendasset, ut innocentes, impuberes & nihil mali meritos, ita universæ multitudinis animum movit,ut non solùm liberis regnoque salubriter consuluerit, verum etiã mariti funeri,cui regio more justa persolverunt. Josephus l.13 c.23. & 24 Antiq. Novit hic astutè providere regno filiis suis, quin etiam corpori suo, ut cum pompa sepeliretur, nec interea tamen providit animæ de regno cælorum sibi parando. Ita plurimi etiam viri docti norunt partium litigantium causas agere,norunt è tribunalibus sese extricare,loculos suos ditare:pro animæ tamen salute procurandã juvare se nesciunt. *Noctua,* inquit S.Basil ho.8. in Hexamer. *persimiles hominibus iis fit,qui evanidæ & inanis sapientiæ studio incubuere. Nam ut illius aspectus nocte quidem valet, Sole autem illucescente non mediocriter obfuscatur & hebetescit: sic & istorum hominum mens acutissima quidem ad vanas res prospiciendas esse videtur, hebetissima vero caligeneque referta ad ipsam lucem veram percipiendam evasit.* Et quid noctuæ in tenebris nisi prædas agunt,intercipiendo aviculas & diripiendo nidos earum? Idem hoc studium est prudentum hujus sæculi.

IV. Ad finem suum consequendum quæcunque adhibet media,sive honesta sint sive inhonesta,modo proficua sint & utilia. Patuit hoc in Jeroboam, cui Deus tradidit decem tribus è Salomonis regno, quod ideo sciderat, quod ille adorasset Deos alienos, uti ipsi insinuavit per Achaiam Prophetam 3. Regum undecimo vers. trigesimo primo. Et quid agit Jeroboam? Vidit rationem aliquam(sed ex prudentia carnis) satis efficacem ad stabiliendum sibi regnum,si avocaret populum à templo & itinere Jerosolymitano,Judæis per se molesto.itaque excogitato consilio fecit duos vitulos aureos & dixit eis: *Nolite ultra ascendere in Ierusalem:ecce Dii tui Israel,&c.* stultum plane consilium; propter Idololatriam enim audit scissum fuisse regnum Salomonis,& ipse per hanc eandem vult stabilire suum: seductus à prudentia carnis;quæ dictat habendam rationem status, & ad hunc firmandum omnia adhibenda media,sive honesta sive inhonesta sint;in sua potius ratione, quàm in Deo confidens. Sed periit Jeroboam cum omni domo sua, per hanc stultam prudentiam.

Talis omninò prudentia fuit hod. Villici, qui ut inopiam fugeret; furtum pro medio adhibuit; itaque ut malum pœnæ evitaret, malum culpæ elegit minori malo mederi cũ majori ſatagens; quod eſt ſtultiſſimum ſimul & impium. Vera enim prudentia dictat omnes potiùs pœnas, clades & cruciatus ſuſtinendos, quàm vel unum peccatum admittendum.

V. Bona externa præfert internis: honores, opes voluptates, exiſtimationem, rationem ſtatus, &c. virtuti & gratiæ Dei, carnem ſpiritui. Modo enim ſic bene habemus, modo coram mundo magnificamus, jam contenta eſt, ea, quæ non apparent, animi bona, parvia ut nihili æſtimat. Deuter. 21. præcepit Deus v. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, volueritq; ſubſtantiam inter filios ſuos dividere, nõ poterit filium dilectæ facere primogenitũ & præferre filio odioſæ.* Quem locum ita interpretatur B. Petrus Damiani lib. 8. ep. 9. *Duæ,* inquit, *hominis uxores, virtus ſunt & voluptas; livoris, & odii inter ſe invicem velut quadam zelotypia diſſidentes. Et voluptas quidem ad hanc viam, virtus ad æternam pertinet gloriam. Illa planè dilecta eſt, quia virum ſuum, hoc eſt, fragilem cujuſque ſpiritum maleſuada jucunditate demulcet; iſta verò dicitur odioſa, quia per arctam & anguſtam vitam homines ire conſtituit, & aſpera ſẽper ac dura proponit. Sed filius odioſæ nobis primogenitus eſt; quia virtutem Conditor noſter nobis originaliter indidit: voluptas autem & qualibet carnalis illecebra ex vitio noſtræ pravitatis emerſit. Sed quia non eſt iſtius temporis per ſingula verba hujus præcepti figuram enucleanter exponere, ſufficiat hoc ad cõpendium dicere: ut ſi non poſſumus dilectam uxorem, quæ nobis procul dubio noxia eſt, à thalami noſtri ſocietate repellere ſtudeamus ſaltem odioſam, quæ ſobria eſt & honeſta in primogeniti dignitate præferre, quatenus ſi nobis difficile eſt quantulamcumq; ſaltem hujus vitæ dulcedinem non ſentire, prærogetur tamen dominii palma virtuti, relinquatur ſervitus voluptati* Actus virtutis longè præſtantior eſt quacunque voluptate, honore & divitiarum copia. Primogenitus igitur cenſeri, & præferri illis debet: ſtabile n. eſt & ſolidum ac verum bonum: caro putreſcit & perit una cum voluptate, opibus, honoribus. Cujus rei inſigne documẽtum habemus in Chriſto, qui virtuti duntaxat ſtuduit atq; incubuit, externa bona omnia ſprevit ac fugit, contraria mundo via incedens ſtabulum pro nativitate, vilem Nazareth viculum pro patria, crucis ſuppliciũ pro morte elegit. Unde S. Chryſ. ho. 9. in Matt. ait: *Nazareth erat viculus viliſſimus: imò non ille tantummodo, ſed cuncta prorſus regio Galilææ: propter hoc dicebant Phariſæi: interroga & vide, quoniam Propheta à Galilæa non ſurgit. Verum ille tamen ne inde quidem erubeſcens vocari, oſtendit quòd nullius, quæ ſecundem hominem magna videntur, indiget. Nam & diſcipulos de Galilæa regione elegit, ubique occaſiones amputans, deſidia ac torpore languentibus: ac docens quòd nullius rei indigeamus externæ, ſi voluerimus ſtudere virtuti; propterea ne domum quidem uſpiam poſſedit. Et Herodis inſidias fugit & natus in præſepio collocatur & in diverſorio manet & matrem elegit pauperem: nos videlicet erudiens, ne quid horum erubeſcendum eſſe putemus. Itaque ab ipſis omnium principiis univerſam mundi pompam, ſuperbiam atque arrogantiam calcans, ſolius nos ſectatores præcipit eſſe virtutis.* Quam ob cauſam Joannes Apoc. 5. 7. vidit Chriſtum velut agnum occiſum de dextra ſedentis in throno (Patris æterni) accepiſſe librum: non de ſiniſtra; quia per dextram bona interna & ſpiritualia, per ſiniſtram bona externa & fluxa ſignificantur: *quia veniens Chriſtus in hunc mundum,* inquit Rupertus in eum locum, *per incarnationis myſterium, nihil divitiarum aut gloriæ de ſiniſtra: ſed tantummodo librum ſive igneam legem accepit de dextra. Bonum exemplum cunctis præbens diſcipulis & credentibus in ſe, nihil divitiarum aut gloriæ voluit aut quæſivit in hoc mundo.* Quis autẽ melior & ſapientior rerum omnium æſtimator, quàm Chriſtus Dei ſapientia? Errat igitur humana prudãtia, quæ de externis tantũ illis bonis ſolicita negligit interna, de ſiniſtra Dei aufert bona, quæ ad modicum parent: de ejus dextera nil ſolidi & veri boni ſibi quærit aut deſiderat,

VI. *Alius ſcit conſulere non ſibi*

VI. Aliis conſulere novit, ſibi verò minimè. Talis erat prudentia in Scribis & Phariſæis, qui Magis quidem indicarunt locum, ubi Chriſtus naſci deberet: ipſum verò Chriſtum inter ſe commorantem & miracula facientem non agnoverunt: ſed ſigna de cœlo ab eo petierunt: ſimiles iis, qui Arcam Noë & familiæ ejus ſtruxerunt: ipſi verò non intrarunt, ſed in diluvio perierunt. Ita Balaam Regi Balac prudẽs ſed peſtiferum dedit conſilium, quo Hebræos enervaret: ſibi interim non conſuluit, ne eorum gladio in prælio interiret. Nũ. 24. Celelebratiſſimus erat à conſiliis dãdis Achitophel, adeo ut ſcriptura dicat: *Conſilium Achitophel quod dabat in diebus illis; quaſi quis conſuleret Deum, ſic erat conſilium Achitophel,* 2. Reg. 16. v. 23. Et dedit ſane rebelli Abſaloni efficax conſilium ad ſtabiliendum ſibi patris regnum: verùm ſibi ipſi conſulere non potuit. Cũ enim ipſius conſilio ſtatim non eſſet per ſuffragia aliorũ ſubſcriptũ omnis conſilii inops quò ſe reciperet niſi ad laqueũ, non invenit 2. Reg. 17. Norat utiq; manſuetudinem Davidis, à quo ſi veniam offenſæ peteret, facilè impetraret; id tamen huic tam naſuto viro in mentem non venit; quod tamen ille Semei & ipſe regiæ majeſtatis reus obſervavit & gratiam à Rege impetravit. Itaque voluit hic prudentiſſimus ſcilicet Conſiliarius corpore & animo perire, ne ſolum corpus amitteret: voluit infamem laqueum proprio collo inſerere, ne infamiam leviorem incurreret apud homines,

VII. *Novit omnia eludere.*

VIII. Novit omnia eludere, omnes laqueos evadere, præterquam Dæmonis. Excelluit hac prudentia ſeu potius aſtutia Dionyſius ſenior. Siciliæ Rex, qui ſacrilegia ſua facetis excuſare dictis norat.

Locris Proſerpinæ templum ſpoliarat, mox cum claſſis illius ſecundo vento navigaret? *Videtis*, inquit, *quam proſpera navigatio à Diis immortalibus detur ſacrilegis*? Juſtin. l.21. Val. Max. l.1.c.2. Idem Epidauro Æſculapio barbam auream detraxit, quod negaret decorum Apollinem imberbem, ipſum verò barbatum conſpici (Æſculapius enim Apollinis filius habebatur ab Ethnicis.) Jovi Olympio detraxit magni ponderis aureum amiculũ, dicens æſtate grave eſſe, hyeme frigidum. Menſas aureas & æreas Diis bonis inſcriptas ſuſtulit, aſſerens ſe bonitate Deorum uti. Phialas aureas, pateras & coronas, quas ſimulachra porrectis manibus ſuſtinebant, velut offerentia tollebat, dicens ſe oblata accipere, non eripere: addens abſurdum eſſe, à quibus quotidie bona flagitamus, ab his ultrò porrigentibus nolle accipere. Valer. ibid. Bene de talibus dicitur Jer. 4. c. 22. *Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Verum hi ſuo tempore incident in laqueos Dæmonis, unde ſe extricare non poterunt. Cujus rei exemplum (quod alias obiter perſtrinxi) recenſet Beatus Petrus Damiani lib. 2. c. 115. *In Longobardiæ*, inquit, *finibus vir erat verſipellis ingenii & acutiſſimæ ſubtilitatis, duplex animo, ſermone lepidus, concinnandis fabricandiſque commentis edoctus, in reperiendis ac variandis conſiliis vehementer aſtutus. Nunquam erigebat brachia contra torrentem, ſed ex quocunque latere mundanis turbinis eum aura proflaret; ille protinus aptum calliditatis, atque verſutiæ pallium opponebat. Accidit autem ut hunc poſt obitum quidam frater nocturna viſione conſpiceret. Lacus erat igneus, qui flammivomis vaporabat incendiis, & crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem, quem lacum tribalis enormitatis videbantur obſidere dracones variaque ſerpentium genera, hinc inde per circuitum ſpatiari. Vir autem ille, quem diximus, in ipſa flammarum ſtridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere, ſed obſtantibus beſtiis dolebat aditum non patere. Modo ſcilicet ex hac parte fugam parabat; ſed ecce ſerpens obvius aderat. Per aliam partem erumpere ſatagebat: ſed ecce rurſus alia beſtia laxo gutture ſtridens, iter occluſerat. Ille rurſus & alia ad evadendum loca tentabat, ſed inſurgentibus beſtiis, omnino meatus aufugii non patebat. Porrò autem cum veritas dicat: Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis; hoc illi juſto Dei judicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis aſtutiæ vanitatem, ex quibuslibet hujus ſæculi ſe noverat laqueis expedire: ita poſtmodum verſa vice nullo valebat ingenio ſupplicium, quo cruciabatur, evadere. Qui nimirum ſi prudentiam, qua callebat, in divinis ſtuduiſſet exercere mandatis, non cremaretur inter rigidiora ſerpentium, ſed gauderet potius inter agmina Beatorum.*

Concludo cum recentiori alio, quod ex Inſulis Philippinis ſcripſerunt ad nos Patres noſtri in Reſidentia Spiritus Sanctus & Carigana commorantes de anno 1613. Ibi indigena quidam multo auro & mancipiis opulentus ab amico, pietatis cultore, admonitus eſt, ut depoſita avaritia tandem Deo ſe dederet. *Memineris*, inquit, *quod in concione audivimus, qualiter Deus peccatores punit, quos diluvio quondam perdidit*; cui reſpondit avarus jocator *Aurum habeo, quo ſcalam fabricabo ita ſublimem, ut ſi mundus iterum aquis obruatur, ad æthaream regionem poſſim aſcendere.* Non multo poſt cum rivulum pertranſiret, in pauculas lapſus aquas interiit. Ita conſcribit Philippus Monettus in Annuis Annorum 1613. & 1614. Lugd. impreſſis.

THEMA III.

Eleëmoſynam dandi modus ſeu induſtriæ.

1. *Ultrò danda.*
2. *Citò danda.*
3. *Danda omnibus.*
4. *Liberaliter danda.*
5. *De melioribus danda.*
6. *Cum diſcretione.*
7. *Clam, quoad fieri poteſt, danda.*
8. *Ex propriis danda.*

Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.

Luc. 16.

VIdebitur forſan alicui hodie, Evangelium cum eo, quod præcedenti Dominica legimus, non ſatis cohærere. In illo enim audivimus non poſſe ab arbore mala expectari fructum bonum: in hodierno verò audivimus villicum iniquitatis, utique malam arborem, protuliſſe fructum talem, quem laudarit ipſius dominus, quod prudenter egiſſet rebus ſuis proſpiciendo. Verum eſt. Audit, prudenter rebus ſuis conſulit hic villicus: imo amplius quid dico: docuit nos omnem ſaluberrimam induſtriam & rationem exercendi artem omnium quæſtuoſiſſimam, quæ eſt eleëmoſyna. Itaque malus villicus, mala iſta arbor fructum bonum tulit? Non certe, quia fructus ille vermem unum aluit, qui totum fructum perdidit. Elargitus eſt liberaliter in pauperes debitores oleum & triticum, & eo, quo convenit, modo: ſed ex alieno, non ex ſuo. Hinc *villicus iniquitatis* appellatur, hinc arbor mala fuit, quia fructum tulit, unico obnoxium defectui. Nos ergo fructum hunc guſtabimus, ſed vermem exſcindemus.

I. Ultrò, non rogatus, convocavit debitores domini ſui, ut remitteret eis debiti portionem. Ita monet Apoſtolus 2. Cor. 9. dandam eſſe eleëmoſynã, *non ex triſtitia aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem*

rem diligit Deus. Ad idem hortatur Tobias filium
ſuum: *Etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Ergo
imprimis dandum etiam non petentibus; uti docuit
S. Auguſt. in l. 50. homil. ho. 19. *Perfecta eſt miſeri-*
cordia, inquit, *ut ante occurrat eſurienti cibus quàm*
roget mendicus. Non enim eſt perfecta miſericordia,
quæ precibus extorquetur. Sed ſi tacet mendicus, lo-
quitur pallor in facie, penè laſſus, feſſus & eliſus, nuſ-
quam ſuſpectus. Feſtina pietate ſuccurrere ne audias
rogantem, ne quod debetur Domino, vendicet tibi. Imi
tare Deum tuum, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bo-
nos & malos, & pluit ſuper iuſtos & injuſtos. Et ecce
veniet tibi pluvia antequam roges, deſcendet ubertas
nocte dum ſtertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto
vigilat dies, excubant elementa, fructus te neſciente
effunduntur. Lactat cælum & parturit terra, tot cella-
ria meſſium, dum neſcimus ſic accipimus, & tantas o-
pes comedimus antequam rogemus. Et tu homo modi-
cus panem modicum precibus vendis? Non rogaverũt
quatuor millia Ieſum in deſerto ſeptem panes & pau-
cos piſces, ut infinita agmina pranderent, qui prandio
viciſſet ſaltem uſuram menſura. Hanc doctrinam ſe-
cutus inter alios S. Rich. Epiſc. Ciceſtienſis, *non raro*
ſtipem elargitus eſt etiam antequàm rogaretur: cum-
que non deeſſent, qui ſciſcitarentur, cur pecuniam da-
ret non petentibus, reſpondit: Scriptum eſt: Domine
prævenisti eũ in benedictionibus dulcedinis, itemque
carè ſatis emitur, quod precibus obtinetur, apud Sur.
3. April. Intellexit hoc & Seneca, qui in l. 2. de bene-
f. c. 1. *Illud melius, occupare antequam rogemur, quia*
cùm homini probo ad rogandum os corruat & ſuffun-
datur rubore, qui hoc tormentum remittit, multipli-
cat munus ſuum. Non tulit gratis, qui cum rogaſſet ac-
cepit. Sic erimus filii patris cæleſtis, qui *deſiderium*
pauperum exaudit. Pſ. 9. Deinde dandum cum hilari-
tate; *nõ enim ab ipſa donationis magnitudine vel par-*
vitate, inquit Iſidorus Peluſiota l. Epiſt. ep. 118.
Sed ex animi propoſito eleëmoſyna æſtimatur. Male
conſulunt ſibi imprimis, qui mœſto aut amaro ani-
mo dant; de quibus Auguſt. in Pſ. 42. *Eleëmoſyna,* in-
quit, *plerumque fit à triſtibus & murmurantibus, ut*
careant tædio interpellantis, non ut reficiant viſcera
indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus. At ſi
panem dederis triſtis: & panem & meritum perdidiſti
II. Quod debitorib. dedit, cito dedit, ideo dixit
eis: *Sede citò & ſcribe* 50. Idem in Eleëmoſyna faci-
endum præſcrib. Sap. Prov. 3. *Ne dicas amico tuo* (qui
ſanè eſt pauper, per quem ſperas regnum cœlorum)
Vade & revertere: cras dabo tibi; cùm ſtatim poſſis
dare. Ubi 70. addunt, *Non enim ſcis quid pariet ſequẽs*
dies. Bene hoc advertit S. Adalbert. 2 Prag. Epiſ. &
Mart. qui equitans pauperi viduæ ſubſidium peten-
ti occurrens, cùm dixiſſet: *Mecum hic nihil habeo,*
cras veni ad civitatem, ſumens à me tuæ neceſſitati,
quæ dare valeo, mox tactus meliore cogitatione: Voca
mulierẽ, inquit famulo: quis ſcit ſi uſque mane vivã.
Hodie compleat acceptio datum, ne ego judicium, illa
ſetiat damnum. Et data cappa, qua amictus erat, reli-
quit exemplum bonum, ut opus non tardet, neſcienti-
bus quid futura pariat dies. Sic auctor vitæ apud Sur.
23. Apr. Prima iſta ratio eſt, cui accedit altera, quia 2.
qui citò dat, bis dat, mox ſublevando neceſſitatem
proximi. Tertia, quia cito dans, dat cum dono & ani- 3.
mum, bene erga pauperem affectum. Unde Senec. de
benef. ait: *Si de die in diem trahens profuit, non ex ani-*
mo fecit. Itaq; duas res maximas perdidit, & gratiam
& tempus Quarta, quia alioquin cogis eum reverti
& rurſum petere cum pudore, cum jactura temporis
& lucri, ut videatur facilius potuiſſe emere. Graviùs
adhuc errant, qui mendicos priùs quam dent, exami-
nant; ad quod S. Chryſ. ho. 21. in c. 12. ad Rom. ita lo-
quitur: *Ne ſcruteris pauperum vitam atq; negotia, nã*
extremæ illud inſolentiæ eſt, pro uno pane totam homi-
nis miſeri vitam curioſe inquirere, &c. Graviſſimè
illi qui etiam duris verbis petentibus datum expro-
bant. Apud Baleares inſulas matres cibum infanti-
bus in baculo porrigebant, teſte Strab. 3. & Vege-
tio de re milit. l. 1. c. 16. Matres Hibernæ nato infan-
ti gladii mucrone primos cibos porrigebãt, teſte So-
lino c. 35. Nihil aliud videntur agere, qui cum ver-
bis objurgatoriis dant miſeris eleemoſynam. Quid
hac de re Seneca? *Fabius Verrocoſus,* inquit l. 2. de
benef. c. 7. *beneficium ab homine duro aſpere datum,*
panem lapidoſum vocabat; quem eſurienti accipere
neceſſarium ſit eſſe acerbum. Tiberius Cæſar rogatus à
nepote M. Ælio prætorio, ut æri alieno ſuccurreret,
edere illum ſibi nomina creditorum juſſit. Hoc non eſt
donare, ſed creditores convocare.
III. Non uni, ſed convocatis ſingulis debitorib. *III. Dandam*
domini ſui aliquid donavit. Pari ratione non uni tan- *omnibus.*
tum aut alteri, quia v. g. propinquus, aut notus eſt,
aut aliunde placet, danda eleëmoſyna, ſed multis,
imo quantum vires ferrent, ſingulis, qui comparent.
Ita jubet aut certè conſulit Dominus Luc. 6. *Dum*
tempus, inquit, *habemus, operemur bonum ad omnes.*
In quem loc. S. Aug. l. de ſal. doc. c. 46. *Ad omnes ho-*
mines faciamus bonum. Ad omnes dico, non per par-
tes, nõ ad unum vel duos aut ad tres, ſed ad omnes ho-
mines. Christus enim non pro ſanctis tantum eſt paſſus
ſed pro peccatoribus & impiis & ſceleratis aſcendit in
crucem, & paſſione ſua nos omnes revocavit in vitã.
Non ſanctis tantum Deus dedit Solem & Lunam &
pluviam & omnia naſcentia terræ & omnes fructus,
qui oriuntur in terris; ſed in commune omnibus homi-
nibus dedit illa, qui Solem ſuum facit oriri ſuper bo-
nos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos; ideo om-
nibus hominibus dedit in commune, ut bonum noſtrũ
& eleemoſyna noſtra, & charitas noſtra & patientia
in commune omnibus hominibus diſtribuatur. Simili-
ter ac plane ad mentem Chriſti Senec l. 4. de benef.
c. 23. *Si Deos,* inquit, *imitaris, da etiam ingratis, nam*
& ſceleratis Sol oritur, & piratis maria patent: ſic il-
le. Profuit hoc magnopere viduæ Sarepthanæ, quæ
dum Eliæ Hebræo, cùm ipſa eſſet Gentilis, adeoque
homini exoſo (tales enim erant Hebræi Gentilibus)
imo & auctori ſterilitatis ac famis, hoſpitiũ & men-
ſam ſuam communicat, meruit fontẽ olei & farinæ:

in domo sua non deficientem. 3. Reg. 17. Quod advertit S. Chrys. ho. contr. Jud. cùm ait: *Erat & Sidonia vidua, quæ Eliam excepit pane & aqua, & authorem famis non est reverita.* Quæ enim alienigenæ & inimico dantur, non amore proprio, sed ipsius Dei dari censentur.

IV. Liberaliter danda

IV. Liberaliter uni 50. cados olei, alteri 20. coros tritici remisit. Qua de re Apostolus 2. Cor 9. ait: *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus* (hoc est largiter) *de benedictionibus & metet.* Bene comparat eleëmosynam semini; *ut discas*, ait ibi Chrys. ho. 19. *quod plura recipis quàm das, neq; dixit largiter metet, sed in benedictionibus, quod illo multo majus est.* Tenuissimos vapores attrahit à terra Sol, & copiosas inde in terram pluvias remittit: idem facit eleëmosyna. Parcum ergo semen paucam segetē: pauci vapores parcas ferent pluvias. Hinc Isa. c. 58 *Cùm effuderis*, inquit, *esurienti animā tuam & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, requiē dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animā tuam; eris quasi hortus irriguus.* Quāta hæc est & quàm liberalis remuneratio! verum si *effuderis*, h. e. liberaliter impertiveris cor tuum esurienti. Audiam. & Chrys. h. 37. ad pop. *Non dare, sed cum copia dare, præsertim, h. e. eleëmosyna. Propterea q; propheta non simpliciter dixit, dedit: sed quomodo? Dispersit, dedit pauperib. Quid n. utilitatis cùm tantum abundans dederis, quantum si quis ex magni cyathum hauserit & neq; generosum viduæ mulieris animū imitatus sis? Quomodo verò dices? Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam; cum secundum eius misericordiā ipse non miserearis, forte neq; secundum parvam? Etenim multum confundor, cùm multos video divites equis cum frænis aureis insidentes, & post se trahentes servos auro micantes & lectos habentes argenteos, vel aliam majorem jactantiam: & cum pauperi dandum fuerit, pauperrimis pauperiores redditos.* sic ille.

V. De meliorib. danda

V. De meliorib. dedit; de oleo sc. & tritico, de selectis frugibus. Ad hoc hortatur Tob. filiū suū, Tob. 4. his verbis: *Panem cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.* Non alium panē aut mensam, non alias vestes, quam quibus ipse utebatur, communicandas vult pauperibus. Non ait: da panem mucidum, nigrum, hordeaceum, quo servi aluntur: non vestes attritas & laceras: sed *panem tuū, & vestimēta tua.* Similiter & Job: *Si comedi buccellā meam solus, & non comedit pupillus ex ea!* Job. 31. Christus deniq; *Cum facis convivium*, ait Luc. 14. *voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris.* In quē loc. Alb. M. *Confundantur hic*, inquit, *qui dicunt pauperibus non esse danda delicata, quamvis n. eis non sint delicata porrigenda continuè ne consuescant, crudele tamen est dicere, quod nihil unquam delicati debeat porrigi pauperibus: quia sine deliciis omnimodis non potest vivere natura humana.* Neh: 8. *habes: Comedite pinguia & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi: pinguia autem & mulsum sunt delicata.* Primi Christiani ad lauta convivia pauperes convocabant, ita ut Gentiles eos sugillarent, test. Tertull. in Apol c. 39. *Et cænulas nostras*, inquit, *præter quā sceleris* (infanticidii sc. quod in S. comm. Christ. se manducare dicerent) *infames ut prodigas quoq; suggillatis.* Quib⁹ resp. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur n. ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidē inopes quoq; refrigerio isto juvamus &c.* Latet in pauperibus Christus, cui per ipsos damus, ipsi quoq; sunt fratres nostri, & cur subinde saltem mensa nostra nōn gaudeant? nonne etiā canibus sæpe multi è mensa sua porrigunt bolos optimos, quales ipsi comedunt?

VI. Cum discretione remisit uni plus, alteri minus prout videbat ipsos sc. indigere. Idē eleëmosynario faciendū indicat Ps 40 *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Cum intellectu igitur & prudenter dispēsanda est eleëmosyna: atq; præferendi inprimis illi, qui, præ verecundia petere non audent, uti scribit S. Bernh. ad Reg Sicil ep. 207 *Beatus*, inquit, *qui intelligit, non super cupidum, sed super egenum & pauperē; illum, inquam, pauperem, qui invitus petit, & verecundè accepit, & accipiens glorificat patrem, suum, qui in cœlis est.* Mendiculi qui ostiatim quærunt victum, satis noti sunt, nec difficilè victum inveniunt, at honesti & nobiles, qui domi inclusi premuntur inopia. nec mendicare audent, Christiana industria quærendi & juvandi sunt. Deinde *cùm omnibus prodesse non possis*, ait S. Aug. l. de doctr Christ. c. 22. *his potissimum consulendum est, qui per locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur*, Idē indicat Ap ad Gal. 6 *Operemur bonum ad omnes maximè autem ad domesticos fidei, si quis autem suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.* Tertio senes junioribus præferēdi, cæteris paribus. Id insinuat Eccl. c. 4 dic. *Congregationi pauperum affabilem te facito: & presbytero* (h. e. seni) *humilia animam tuam.* q. d. (ut Paulus de Palatio exponit (*præfer senes pauperes aliis pauperibus.* Nec injuria cùm senectus honorabilis sit, interim etiam virib. exhausta, quo minus victum sibi parare queat. Diog. percunctanti quid esset in vita miserrimū: *Senex*, inqtit, *egenus; siquidē ubi naturæ præsidia destituunt hominem extraneis rebus fulcienda est naturæ imbecillitas.* Deniq; boni perversis, fideles infidelibus præponendi. Hoc voluit Eccl. cum dix. c. 12 *Da misericordi & ne suscipias peccatorem: da bono & ne receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio.* h. e. humili & bono da potius quàm peccatori, juxta phrasin Hebræorum, qui cùm comparativo careant, positivum per negationem exprimunt. *Malus vir dolium est perforatū, in quod omnes immittens gratias in vanum effudisti. Benefacere malo est nutrire serpentem, qui te æquè ac alios mordeat*, ait Plut. in moral. Cæterum cum facultas suppetit, etiā

mali

mali excludendi non sunt, quia ejusdem nobiscum naturæ, possuntq; fieri boni, vel ex ipsa etiam eleëmosyna; vel certè dari eis potest, ut pium aliquod opus faciant, quæ duplex quædam eleëmosyna est.

VII. Clam aliis convocavit non omnes simul; sed remotis arbitris singulos debitores. Sic ergo danda eleëmosyna, ut nō vitietur vana gloria, ideoq; mercede careat. Indicat id Eccl. c. 29 cùm ait: *Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* q. d. absconde in ejus sinu eleëmosynā, ne per vanam gloriam avolet. Clariùs adhuc Christus Matt. 6. *Sit eleemosyna tua in abscondito.* veluti thesaurus sc. ne diripiatur. Qua de re Orig. ho. 2. in Ex. ita scrib. *Refert S. Sc. quod de tribu Levi quædam genuit masculum, nimirum Moysem, & videns infantem esse elegantem, occultavit eum mensibus tribus: unde, si non propterea nobis præcipitur, ne actus bonos in publico geramus, ne justitiam nostram coram hominibus faciamus, sed ut clauso ostio oremus patrē in occulto, & quod facit dextera nostra, nesciat sinistra, nisi enim in occulto fuerit, diripietur, ab Ægyptiis invadetur; in flumen jactabitur, fluctibus submergetur; sicut filius Israel Ægyptii faciebant; ergo si faciam eleemosynam quæ opus Dei est, masculum gener...; sed si ista faciam, ut hominibus innotescat & ab hominibus laudem quæram, & non occultavero, rapta est ab Ægyptiis & in flumen demersa.* Sibi potius quàm pauperi vel Christo dat, qui pro vana gloria dat. Deinde pauperi, si is honestus sit nō consulit, nisi ei occultè det. Bene Dom Matt. 6. *Cùm facis eleemosynā, noli tuba canere.* Ubi D. Chrysol. ser. 9 *Bene tuba; quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis: verecundiam pauperum non relevat, sed fatigat; ergo homo daturus Deo, da secretò, ut quod dederis, non sit oneris, sed honoris.* Ita Booz ille præcepit suis messoribus, ut de industria projiceret de suis manipulis, quo colligere eos Ruth absque rubore posset. Ruth. 2. S. Nic. noctu clam injecit pauperi suas eleemosynas. Quin & Arcesilaus, ut refert Se. l. 2 de benef. amico pauperi subvenienum ratus pulvino ejus clam sacculum subjecit, ut amicum invenisse potiùs sibi videretur aurum, quam accepisse.

VII. Peccavit in hoc uno villicus, quod non ex propriis, sed ex heri sui bonis remiserit debitoribus, sicq; eū iterato læsum sibi reddidit infensum. Ecce tibi vermem in fructu alioquin bono. Qui ergo sua eleemosyna Deum sibi facere propitiū cupit, debet præter jam dicta & hoc observare, ut de suo det, juxta id Prov. 3. *Honora Dominū de tua substantia & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* In quem loc. S. Aug. l. de vita Christi c. 12. *Melius est,* ait, *te non facere eleemosynam, quam unde paucos tegis, inde plurimos denudare. Illā eleemosynam Deus comprobat, quæ de justis laboribus ministratur, sicut scriptū est: Honora Deum de tuis justis laboribus, &c.* Nam *illam eleemosynam abominatur & reprobat, quæ de lachrymis præstatur alienis.* Aqua si mundà est, lavat; si immunda inquinat: Sic & eleemosyna, de qua Luc. 11. dic. Domi. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Neque huic contradicit hod. Evang. cùm ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Non n. per mammonam iniquitatis intelligit opes malè partas sed justè partas, ut alias videbimus.

THEMA QUARTUM.

Tria satisfactionis opera nonnihil facilitantur.

1. *Jejunium seu carnis maceratio;*
2. *Oratio.*
3. *Eleemosyna.*

Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam.

Vulgari proverb. dicim. *Paupertas excitat artes.* Quod sanè in hod. villico ad incitas redacto pulchrè elucescit. Audierat hic à domino suo, deponendum se ab officio & ad stipem redigendū. Quid igitur ipse? Varias excogitat artes & industrias vitæ conservandæ, atq; inprimis videt unam quidem esse elaborando panem quærere, sed displicuit ei labor. Ergo aliam adinvenit, stipem videlicet ostiatim cōquirendam. Sed nec istud placuit, quia probrosum id putabat. Tertiam igitur reperit, comparandum sibi favorem apud notos & amicos per largitiones. Verū quia ex propriis id efficere non poterat, effecit ex alienis. Ecce tibi paupertatem artes excitantem. Pauperes nos omnes & obærati Deo sumus, ob plurima peccata propter quę quotidie oramus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quid igitur faciemus? qua ratione nos exsolvemus? Certe villicus iste in angustias redactus digito nobis monstrat non unam, sed tres vias, quibus nos liberare à debitis possimus. Primo fossionē seu laborem, si velimus per jejunium & alias corporis castigationes nosmetipsos punire. Secundo stipē seu orationem, sedulam & frequentem. Deniq; eleemosynam. Atq; ita monstrat nobis tria receptissima satisfactionis opera, quibus nos liberemus à cōtractis debitis. Verum videor mihi videre non paucos villico huic persimiles: & alios quidem dicētes: *Fodere non valeo.* Alios: *Mendicare erubesco.* Alios, qui aliena malint rapere, quam sua elargiri. Quibus proinde occurrendum duximus, ne refugiant amplecti tria hæc saluberrima satisfactionis opera.

I Sunt inprimis, qui fodere nolunt, h. e. carnem macerare jejuniis, abstinentiis, genuflexionibus, vigiliis, frigore æstu, laboribus, itineribus, multo minus ciliciis, flagellis, humicubationibus & hujusmodi mortificationibus. Quid faciemus istis? Ingerendum ante omnia carnem esse hostem nostrum internum & gravissimum, qui nisi coerceatur, certissimo perdet nos, sicut Eva Adamum, sicut Jahel Sisaram, sicut Dalila Samsonem. Est enim similis equo, qui si bene pastus sine fræno liberè vagetur, sessorem suum ejiciet aut in præcipitia ducet, mordebit, calcitrabit.

I. Jejunium seu carnis maceratio. 1.

Unde S. Auguſt. l. de ſalutarib. docu c. 10. ait: *Sicut equis frana ſunt imponenda, ita corpora noſtra jejuniis vigiliis & orationibus ſunt infrananda. Nam quẽadmodum auriga ſi frana relaxaverint, in pracipitia ducuntur: ita anima noſtra cum ipſo corpore, ſi eicrenum non impoſueris, ad inferni pracipitia dilabitur.* Satis manifeſte hoc Apoſtolus docet ad Rom. 8. ſcribens: *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 1. Cor. 9. ſeipſum in hujus diſciplinæ exemplum proponit, cum ait: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Quare ſicut aurigæ munus eſt, equis ſemper attendere, ne nimio ſaginentur pabulo; neq; ſine fræno liberi dimittantur, ſed ut oneribus premantur & ſub flagello contineantur: ita munus noſtrũ eſt carnem noſtram modo conſimili tractare. *Hoc eſt opus veſtrum* (inquit D. Aug. in cit. Pauli loc. ad Ro. 8.) *in hac vita, actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere.* Et mox: *Mortua eſt una delectatio, ſed vivit altera: illam, dum non conſentis, mortificas: cùm cœperis omnino non delectare, mortificaſti. Hac eſt actio noſtra, hac eſt militia noſtra.* Sed ais: hoc ipſum eſt, quod mihi difficile nimis eſt, carnem frænare. At tu qui hoc dicis virne es an infans, qui equum domare nequeas? Nõne turpe eſt viro, ſi regi ſe & ſubigi patiatur ab uxore? Spiritus tuus vir eſt, caro uxor eſt. Multi *indignãtur adverſus Adam*, inquit S. Bernh. ſer. 1. de omnib. Sanct. *quod obedierit voci uxoris ſua plus quam Dei: & ipſi quotidie Evam ſuam, carnem videlicet, audiunt plus quàm Deũ. Fratres, ſi modo præſentem videremus Adam in eo articulo poſitum, aſcendentibus cogitationib. in cor ejus, coarctari inter precem uxoris & praceptum Creatoris, nonne clamaremus adverſus illum dicentes: Cave tibi miſer: vide ne feceris, ſeducta eſt mulier, non acquieſcas ei? Vt quid ergo quoties apprehendit nos tentatio ſimilis, non perſuademus ſimiliter nobis ipſis?* Quid verò ſi Adam ad ejuſmodi exhortationem reſpondiſſet: Non valeo repugnare uxori meæ: nõ poſſũ ei negare quod petit, tametſi animadverto, quod jugulũ meũ petat, quid quæſo dixiſſemus? Itane tu vires, ut nequeas reſiſtere mulieri? & quidem ſubjectæ? & inſidianti tuæ vitæ ac ſaluti? Non te pudet Adam? Atqui idem planè audire meretur, qui aſſerit ſe fodere non valere, carnem ſuam frænare & coërcere non poſſe. Verum dicent aliqui, uxorem eſſe diligendam quemadmodum & carnem propriam, uti docet Apoſt. ad Epheſ. 5. *Viri*, inquit, *debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua: nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit.* Sed ad hoc reſp. S. Bernh. in Pſal. *Qui habitat*, ſer. 10. *Cæterum*, inquit, *ſic amet anima carnem ut non ipſa in carnem tranſiiſſe putetur, dicaturque ei à Domino: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Diligat anima carnem ſuam, ſed multo magis ſeipſam ſervet. Amet Adam Evam ſuam, ſed non ſic amet, ut voci ejus plus obediat quam divinæ. Denique ne ipſi quidem expedit ſic amari, ut videlicet cui caves à flagello paternæ correptionis, theſaurizes iram æternæ damnationis.*

Itaque, ut Bernhardus monet, cogitet homo qua ratione poterit ſuſtinere in carne ſua dolores gehẽnæ, ſi ſuſtinere nequit modicam ejus caſtigationem, atque ab illicitis voluptatibus refrænationem. Niſi enim frænetur, tradet eum in manus Dæmonum, ſicut Dalila non repulſa, nec repreſſa tradidit Samſonem in manus Philiſthinorum.

Ad extremum cogitet, ſe dum hac ratione carnem fodit, fodere theſaurum incomparabilem, quẽ ſibi comparabit refrænando carnem ejuſque appetitus malos; futurum enim ut quanto plus cum anima laborarit caro, tãto in cælo delicias majores obtineat. Certe quantum placeat Deo vel ab uno deſiderato cibo appetitum inhibuiſſe, docet illuſtri exemplo B. Petrus Damiani in Epiſt. 10. ad Alexandr. Pont. l. 1. Epiſt. *Abbas quidam*, inquit, *ut mihi relatũ eſt, ſuavis edulii concupiſcentia ductus, Naupredam ſibi præcepit acquiri. Cumque miniſtri dicerent, hoc genus eo loci difficilè poſſe reperiri, extitit qui diceret, unam tantùm in venalibus Naupradam ſe vidiſſe propoſitam, nullo pacto minùs quàm viginti nummorum Papienſium ſolidis coëmendam. Iuſſit Abbas numerari pecuniam. Coquorum autem diligentia perfunctus, & lautè decoctus, Abbati piſcis apponitur; ſed antequam tangeretur, ecce pauper ad januam, hoc potiſſimum ſibi dare, quod Abbati eſſet appoſitum anxiè poſtulabat. Mox ut erat, integrum piſcem, nihil heſitans vir Domini, mittit ad pauperem. Illico pauper, qui videbatur cum ipſa paropſide plena piſce, in ſublime ſe extulit & librata manu, velut xenium portans, cælum cunctis videntibus penetravit.*

II. Sunt qui orare nimis ſibi difficile cenſent. Quod quidem villicus iſte dicere non eſt auſus, quis enim eſt qui non poſſit orare? Ægri, afflicti, debiles ſenes dicere poſſunt ſe non poſſe fodere, non poſſe laborare, ſed nunquid dicere poſſunt, ſe non poſſe orare? Pauperes, alieno oppreſſi ære, religioſi & qui ſui juris non ſunt, dicere poſſunt ſe nõ habere quod in eleëmoſynam erogent, numquam tamen dicere queunt, precari ſe Deum non poſſe. Quid n. facilius oratione, præſertim urgente neceſſitate? Poteſt quidem corporis infirmitas vel laſſitudo obſtare, quo minus ad cælũ manus elevemus, genua diutius flectamus, vocales preces ore depromamus, quo modo manus Moyſis in oratione fatigatæ tandẽ cadebant: impedire tamen nequit, quo minus in nobis ſemper adſit precandi voluntas & animus in Deum ad precandum erectus ac paratus. Unde Rupertus Abbas l. 3. Comment. in c. 20. Exod. ait: *In Moyſe corpus deficiebat, non voluntas aliquando ceſſabat. Si ergo fragilitatis cauſa in Moyſe excuſari non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excuſari?* Multo facilius (quis negare velit?) fuit Moyſi orare pro victoria contra Amalec, quàm pugnare, & tamen quam pugnando non paraſſet; orando obtinuit. Oratio enim univerſale medium eſt ad omnia comparanda, quæ alioquin, armis, largitionibus & obſequiis præſtitis difficulter comparantur.

Neque

Neque etiam est, quod objicere quis possit, se non [illegible] se facundum aut eruditum ad bene precandum; [il]drudem & imperitum. *Non quærit* enim *Deus*, [in]quit Divus Chrysostomus in Psalm. 4. *Lingua* [el]*egantiam, nec verborum compositionem, sed animæ* [pu]*lchritudinem, & si ille ea, quæ ipsi placent, loqua*[tu]*r, tota re effecta recedit. Vides quanta felicitas. In* [h]*ominibus quidem oportet eum, qui ad aliquem acce*[di]*t, esse & dicendi facultate præditum, & posse blandi*[ti]*is sibi conciliare omnes asseclas Principis, & multa a*[li]*a excogitare ut gratus & acceptus esse possit. Hic au*[te]*m nullo alio, præterquam sola sobria & vigilanti mē*[te] *opus est. Et nihil est quod prohibeat quo minus prope* [D]*eum simus. Deus enim appropinquans ego sum* (Ier. [23.]) *& non Deus procul. Quamobrem quod longè ab*[es]*t, à nobis proficiscitur. Ipse enim semper prope est.* [E]*t quid dico vos opus habere dicendi facultate? se*[pe]*numero ne voce quidem opus habemus. Nam si* [v]*el in corde locutus fueris, & eum, ut oportet, vo*[c]*averis, vel tunc quoque facile annuit. Ita & Moy*[se]*n audivit. Ita & Annam. Non adsistit miles qui ex*[pe]*llat, non satelles qui tempus interrumpat. Non est* [q]*ui dicat: Non est nunc tempus accedendi; veni po*[st]*ea. Sed quando veneris stat audiens, etiamsi tem*[p]*ore prandii, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte in*[t]*empesta, etiamsi in foro, etiamsi in via, etiamsi in cu*[bi]*li, etiamsi intus in judicio apud magistratum fueris, & eum vocaveris, nihil vetat quo minus tuam peti*[ti]*onem audiat, si ritè vocaveris. Non potes dicere: Ve*[r]*eor accedere & orare, adest meus inimicus. At hoc et*[i]*am impedimentum ablatum est. Neque enim inimi*[c]*um tuum attendit, nec tuam interrumpit petitionem:* [s]*ed semper & assidue potes eum interpellare, & nulla* [a]*dest difficultas, neque enim opus est janitoribus qui te* [i]*ntroducant, non dispensatoribus, procuratoribus, cu*[s]*todibus aut amicis, sed quando ipse per teipsum acces*[s]*eris, tunc maximè te audiet, tunc quando neminem* *rogaveris.*

Non valet etiam excusatio illa, quam afferunt aliqui, quòd in ipsa oratione perpetuò distrahantur, vel gustum nullum sentiant, Dominus enim *cognovit figmentum nostrum* (Psalm. 192.) & hanc fragilitatem nostram; solùm enim requirit ut faciamus quod in nobis est, diligenter resistendo talibus distractionibus, easque repellendo, quo modo Abraham à sacrificio suo aves abigebat & fugabat advolantes, Gen. 15 vel quo modo quidam Hebræi ædificantes murum civitatis una manu faciebant opus, altera tenebant gladium 2. Esdr. 4. Habet etiam vulneratus in prælio miles suam gloriam & mercedem, uti & oratio variis evagationibus sauciata. Nam ut B. Virgo dixit aliquando sanctæ Brigittæ, gravibus inter orandum tentationibus divexatæ, *solet Cacodæmon orantes quibus potest modis disturbare. at tu filia, quibuscunque tandem perturbationibus in oratione distraharis, da operam ut in bona voluntate tua & sanctis desideriis prout potueris, perseveres: & erit hæc optima & utilissima oratio.* Refert Blosius in Monil spirit. cap. 3. bene etiam in hunc sensum dixit Abbas Pastor in l. doctrin. Pp. l. de orat. n. 7. *Semivivemus pauca, etsi immunda; ne famis tempore moriamur.* Vult dicere: Oremus, tametsi parum bene & collectè, ne planè bonis cœlestibus destituamur.

Nihil etiam valet illa excusatio, quæ prætendit sæculares occupationes impedientes orationem. Neque enim petitur multa & longa oratio, qualis à clericis & religiosis requiritur; sufficit sæcularibus, præsertim illis, qui publicis distinentur officiis, breviter subinde se ad Deum reflectere per orationes jaculatorias. Etenim *Christus & Paulus*, inquit San. Chrysostomus hom. de fide Anno tom. 1. *jussit breves sed crebras fieri precationes, ex paucis intervallis. Nam si in longum extenderis verba, cùm frequenter parum sis attentus multam audaciam Diabolo suppeditasti, ut accedat, supplantetque ac mentem ab his, quæ dicuntur, avocet: quod si frequenter ac subinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facile poteris esse sobrius & vigilans, ut precationem multam cum attentione perficias.* Cui accedit D. Augustinus ep. 21. de orando Deum, ad Probam: *aliud*, inquit, *est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Ex quo dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas & raptim quodammodo jaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio.* Cui rei confirmandæ servit, quod S. Macarius respondit religiosæ Virgini quæ 700 orationes quotidie faciebat *rariores preces inter alia honesta exercitia tantum valere, quantum crebriores nihil aliud agentis.* Palladius apud Rosvveid. l. 8. Vitæ PP.

Multò verò minùs audiendus villicus in hod. Evangelio, dicens: *Mendicare erubesco.* Nam ut istud pudor quidem sit apud homines, nequaquam tamen est apud Deum, cujus mendici nos omnes sumus; à quo omnia expectare necesse est. Nescit Dei majestatem, & suam paupertatem ac vilitatem, qui orare erubescit, nec considerat exemplum, quod præbuit nobis Christus, qui cùm esset Dei filius pernoctavit tamen in orationibus & prostratus ante patrem suum oravit. Erubescat facere servus, quod fecit cœli & terræ Dominus.

III. Sunt etiam quam plurimi, qui per eleëmosynam redimere se nolunt. Dicunt enim primo, sibi III.
sua necessaria esse ad vitam sustentandam, nihil habere se superflui. Quibus responderi inprimis potest, eos nihil perdere, si quid dent pauperibus; dare enim sibi quod per aliam viam ad ipsos redibit. Insinuavit hoc Apostolus 1. Cor. 16. v. 2. quando dixit: *Per unam sabbathi unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit.* Græcè pro *recondens*, habetur *thesaurizans* q d dum pauperi recondit, sibi thesaurizat. Adhuc apertiùs id expressit Sapiens Prov. 5. v. 17. *Deriventur fontes tui omnes foras, in plateis aquas tuas divide: habeto eas solus, nec sint alii participes tui.* Quomodo solus habebit, qui in plateis dividit aquas? Utique quia

Eleë mosyna.

fructus eleëmosynæ in pauperes erogatæ, ad ipsum dantem, & quidem solum redibit. Unde D. Chrysologus serm. 7. scribit: *Da pauperi, ut des tibi.* Deinde ait Apostolus: *recondens, quod ei bene placuerit*, q. d. da vel parum aliquid pro facultate. *Deinde indigenti* (ait S. Chrysostomus hom. 7. de pœnit.) *& tribulato compatere. Si verò hæc minus habueris, vel suspirium si profers, atque omne dedisti.* Sed mirum est quod non desint aliquibus pecuniæ, quas ad lusum aleæ, ad ornatum vestium, ad convivia impendant; desint verò quas dent pauperi. Pro aureo vitulo conflando liberaliter exhibentur inaures & armillæ, exod. 32. pro pauperibus nihil est quod dari possit à divitibus; uti queritur Nehemias c. 5. *Sed fortasse ob id non das Deo, qui tibi plura daturus est,* inquit Divus Chrysostomus homil 7. in Epistol. ad Roman. *quod multo post tempore dat. Atqui & hæc quoque in vita dat. Verus est etiam sermo ille: Regnum cœlorum quærite, & hæc omnia addentur vobis. Vides liberalitatis ac munificentiæ magnitudinem? illa tibi,* inquit, *asservata sunt nec minuuntur: quum interim sæculi hujus bona tanquam additamenti ac nè corollarii loco largior. Adde his quod redditum longo post tempore debitum opes tibi tuas auget; nam fœnus quidem majus fit. Etenim in fœneratitiis pecuniis id usuvenire videmus: ut fœneratores libentius his expensum ferant, qui quod mutuo acceperint, multo post tẽpore soluturi sint; nam qui protinus resolvit, is fœnoris cursum interrumpit: qui autem in solvendo serus est is quæstum majorem efficit. Itane verò obærandis hominibus moram non ægrè ferimus, sed & modis omnibus major illa ut fiat excogitamus: obærando autem Deo sic nos pusillanimes gerimus, ut hoc nomine cunctemur ac tergiversemur?*

Alii prætendunt, nutriendos & dotandos esse liberos. His respondet D. Chrysostomus hom. 9. de pœnit. *Deus filios tibi dedit, fructum ventris accepisti, non quo sæva, sed quo pia misericorsque fias. Ne igitur causam clementiæ pietatisque sævitiæ causam feceris. Cupis hæreditatem bonam filiis tuis relinquere eleëmosynam relinque, quò te omnes laudibus efferant vulgatamque artem memoriæ tuæ relinquas.* Simili fere modo respondet S. Basilius orat 14. de divit. & paupert. ad eandem excusationem: *Quando petebas,* inquit, *à Deo, ut te liberis frugi ornaret, num etiam illud addidisti: Da mihi filios ut mandata tua negligã ac nihil pendam? da liberos ne in regnum cœlorum intrem? Quis verò sponsionem faciet, filium tuum rebus datis ac relictis rectè usurum? Multis enim divitiæ ministras se præbuerunt ad intemperantiam. Vide igitur ne eas, divitias, quas magno cum labore congessisti, aliis velut materiem quandam peccandi des, & ut deinde binas pœnas pendas, cum ob ea, quæ ipse perperam fecisti, tum ad quæ perpetranda campum alteri suppeditasti. Multi quidem quamvis à parentibus nihil accepissent, sibi ipsis domos pararunt: verùm anima tua, quam tu deseris, quis misericordiam tribuet?*

Alii prætextum quærunt è vitiositate mendicantium, quorum plerique mali adeoque indigni videantur eleëmosynis. Sed vanus est hic prætextus; quia inprimis Christus dixit: *Omni petenti & tribue.* Luc 6. Rursum (uti ad hanc excusationem respondet San. Chrys. ho. 2. de Lazaro, merito hic audiendus) præcepit: *Estote similes patris vestri, qui est in, cœlis, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes qui in naufragium inciderint excipit liberatque sive mali fuerint sive boni, denique quicunque fuerint qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. Tu proinde si videris hominem, qui in egestatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ gesta examina, sed medere miseriæ. Quid ipse tibi negotium accersis? Liberavit te Deus omni tali solicitudine & curiositate. Quàm multa plerique fuerant dicturi, quamque difficiles erant futuri; si Deus præcepisset ut priùs accurate vitam factaque singulorum disquireremus, ac tum demum conferremus eleëmosynam? Nunc hac omni curiositate nos liberavit. Cur ergo curas supervacaneas accersimus nobis? Aliud est judex, aliud eleemosynæ largitor. Ideo vocatur eleemosyna, quia eam & indignis damus. Unde & Paul. dixit? Quod bonũ est facite erga omnes, sed maxima erga domesticos fidei. Quod si indignos curiose discutiamus disquiramusque, ne digni quidem facile in nos incident. Quod si indignis quoque præstiterimus beneficiũ, nimirum & digni, quique omnium illorum malitiã virtute pensẽt, venient in manus nostras: sicut evenit beato Abrahæ, cui minimè curioso quales essent qui præteribant, contigit tandem ut & angelos exciperet hospitio. Hunc igitur & nos imitemur, simulque cum hoc nepotem illius Iob. Quandoquidẽ & hic primogenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est imitatus. Ergo dicebat: ostium meum jugiter patebat cuivis advenienti. Non sic huic patebat, ut alteri esset occlusum; sed indifferenter apertum erat omnibus. Hoc exemplum & nos imitemur: nihil exquirentes ultrà quàm oportet. Nam ad hoc ut pauper dignus habeatur eleemosyna, satis est egestas. Quid si quis cum hac cõmendatione nos adierit, ne quid amplius curiose scrutemur: nec n. moribus, demus, sed homini: nec illius ob virtutem nos ejus misereat, sed ob calamitatẽ, quò nimirum & ipsi copiosam à domino misericordiã nobis conciliemus, ipsique digni simus in quos ille suam conferat benignitatem.* Sed quid opus SS Pat. ad hoc in testes vocare? Ipsi Gẽtiles hoc intellexerũt. In iis Aristo. cuidam increpanti quod homini malo eleëmosynam dedisset. *Non mores,* inquit, *sed hominem commiseratus sum. Improbis etiam in necessitate constitutis vir bonus succurrit. Debetur enim hoc officium si non meritis illius, qui juvatur, certè naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est.* Ita refert Laertius lib. 5. cap. 1.

Sed dices, (inquit D. Bas. or. 14. de divit. & paup.) *Quẽ obsecro, injuria afficio, si mea retineo & conservo quænã ista tua sint, cedo? unde ea accipiens in hanc vitam intulisti? perinde ac si quis in theatro spectandi locũ occupet deinde ingredi volentes arceat, suum esse judicans id, quod omnium ad usum constitutum est. Ejuscemodi equidem sunt constituta, præoccupantes sibi vendicant propter temporis quandam anticipationem.*

um si unusquisq; tantum ex iis caperet, quantũ satis se ad vitam tolerandã, & id, quod redũdaret, ei, qui ous habet, largiretur, nemo esset dives, nemo inops, Nonne nudus ex utero matris excidisti? nonne rursum nudus in terrã reverteris? Ea verò, *quæ tenes unde habes? si casu dicis te ea consequutum esse, impius es, qui eq; conditorem agnoscis, neq; gratiam ei, qui hæc in contulit refers, sin verò fateris à Deo profecta esse, ua habes, cedo rationem, ob quã ea in te collata sunt, num injustus est Deus, qui inæqualiter nobis ea, quæ ad vitam sunt necessaria distribuit? cur tu divitiis circumfluis? cur illi egestas imperat? Profectò nulla alia e causa nisi ut & tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem acciperes, & ille ob magna patientiæ certamina præmiis afficeretur.* Sic Basilius.

THEMA QUINTUM.

Divitiæ cur mammona iniquitatis appellatæ.

. *Quia plerumque per iniquitatem comparantur.*
I. *Quia ferè iniquos faciunt.*
II. *Quia fere alios lædunt.*
V. *Quia à progressu virtutum impediunt.*
. *Quia fallaces & infida.*

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16.

IN via S. Hila. Ab. scrib. S. Hier. allatũ aliquando coram eo fuisse, virentis fascẽ ciceris à fratre quodam, qui ex proprio, cõtra Monach. regulam, excoluerat suum hortulum. Hilar. mox olfecit mãmonam iniquitatis in prædicto fasce; itaque putorẽ ejus teterrimum se sentire exclamat; atq; ut res cæteris constaret, dare eum bobus jubet & brutis animalib. simulq; adverti an comestura sint. Quod ubi factum est, *boves exterriti & plus solito mugientes, ruptis vinculis in diversa fugerunt.* Deprehendit etiam Christus in divitiis & opibus mãmonam iniquitatis: siquidem hoc nomine eas compellavit; adeoq; insinuavit magnas præsertim divitias fœtore injustitiæ minimè carere; quẽ alii, seculo huic addicti, nequaquã olfaciunt. Quid igitur faciendũ? Mittã ante vos, Audit. fascem divitiarum, & dabo examinandũ, an revera puteant ex mãmona iniquitatis. Quod ubi olfeceritis, spero etiam horrorem concepturos & ab amore illarum non minus refugituros, quam ab iniquitatis pabulo fugerunt illi boves. Igitur ostendamus vere & sapienter immodicas divitias fuisse à Domino appellatas *mammonam iniquitatis.*

I. Quia plerumq; immodicæ præsertim divitiæ per iniquitatẽ colliguntur. Hanc causam reddit Divus Hier. ep. 150. ad Hedib. *Omnes,* inquit, *divitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Vndè & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives aut iniquus aut iniqui hæredes.* Et in c. 33. Isa. *Avaritia mater calumniæ: nisi n. cum alterius damno & malo pecunia alteri non coacervantur.* Cui accedit Sa. Chrys. ho. 12. in 1. ad Tim. *Fortè,* inquit, *absque cupiditate opes congeri possunt atq; innoxiæ possideri? Sed id profectò fieri nulla ratione potest, ut perniciosissima hæc perturbatio innoxia sit, atq; id Christus dicens definit sua sententia: Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis. Quid igitur, inquies, si patri hæres quisque successerit? Injustè profectò coactas accepit opes: neq; n. ex Adam majores sui traxerunt divitias, fieriq; potest ut & alii plures ætate præcesserint, atq; inter plurimos inventum esse quempiã, qui injustè aliena susceperit.* Et inf. *Dic mihi, quæso, unde tu dives es? ex avita, inquies, hæreditate: alius itidẽ ex hæreditate paterna. Potesne longam seriẽ reperens opes istas probare carere injustitia? Nunquam profectò id poteris, verum necesse est horum initium ac radicẽ ex aliqua iniquitate manasse. Vnde id constat? Ex eo sc. quod Deus ab initio non fecit alium quidẽ divitẽ, alium pauperẽ: neq; huic thesauros effodiendos ostendit, illum hac investigatione priva vit: sed eandẽ omnib. aperuit humũ. Quo igitur pacto, cùm illa cõmunis sit, tu illius permulta jugera possides, proximus verò nec unius glebæ possessione lætatur? Pater inquies, mihi ista reliquit; ille autem à quo ea suscepit? A maiorib. sc. sed necesse profectò est, per successionis lineã ascendendo invenire principiũ, id autẽ injustitia carere non potest.* Sic ille. Quidquid tandem sit semper immodicæ opes de injustitia aliqua suspectæ adeoque infames sunt; cùm non nisi per magnam parcitatem & industriam, quæ rarò ab omni injuria aliena est, conquiri debeant.

II. Quia ferè iniquos faciunt, & instrumentũ iniquitatis sunt. Quod inprimis ostẽdi ex S. Jac. 2. potest, ubi ait: *Nonne divites blasphemant bonũ nomẽ, quod invocatum est super nos?* At qua ratione dices Christi nomen blasphemant? Nõ verbo, sed facto, dũ vel opprimunt pauperes illorumq; possessiũculas ad se trahũt, ut ibid. addit Jac. vel, ut Cajet. ait, dum divitiis intumescunt. Quæ quidẽ nomini Christiano maximè contrariæ sunt. Certè S. Aug l. 50. ho. superbiã *divitiarum vermẽ* appellat, & sicut rara poma sunt quæ ab omni verme intacta sunt: ita rari divites superbia non admorsi. Quare S. Salv, ad ea Jac. verb. l. 3. de prov. scri. *Quis est omnino dives, aut innocentiã servans, aut à cunctis scelerib. manus abstinens. Vtinã vel à maximis, quia volunt sibi id fortè quasi majores privilegiũ dicare, ut jure suo crimina vel minora cõmittãt. Quis est autẽ humano sanguine non cruentus, aut cœnosa impuritate non sordidus? Vnũ quidẽ ex his ad pœnam æternam sufficit; sed prope nullus divitum non utrumq; cõmisit.* Certè viri boni & sancti erant Abrah & Loth; nihilominus tamen ob eorum magnas opes discordia gliscebat: ac nisi ab invicẽ discessissent, in graves inimicitias utiq; devenissent. Gen. 13. Unde in eum loc. Chrys. h. 33. in Gen. *Vide,* inquit *quod facultatũ multitudo statim causa sit discessus, divisionẽ operatur, cõcordiã impedit & cognationis vinculũ dirimit.* Neq; minus proclivis est ad alia vitia prolapsus, ubi suppetant divitiæ, quæ ad omnẽ libidinẽ suppeditant instrumenta & facile aperiant viã

II. Quia fere iniquos faciunt.

Unde Philo l. de Abraham divites comparat equo aut asino bene pasto & lascivienti, qui sessorem vel non admittit, vel excutit aut in præcipitia ducit, cùm per abundantiam pabuli vires acquisierit & petulantiam carnis accenderit. *Est ingens malorum initium*, inquit, *ut quidam non male conjectans dixit, nimia bonarum rerum copia, quarum satietatem quidam non ferentes tanquam jumenta lasciviunt, à cervicibus excussis naturæ legibus.* Et unde prodiit vitulus ille, quem adorarunt Hebræi? nonne ex auro? *Projeci illud in ignem*, ait Aaron, *egressusque est hic vitulus.* Exodi trigesimo secundo. Quis autem nescit vitulum lasciviæ typum esse? Hæc verò unde prodit nisi ex rerum copia, quasi genuina matre?

III. *Quia ferè alios lædunt.*

III. Quia inique alios lædunt, plerumque si non semper. Sunt enim velut arbores prægrandes & spatiosæ, quę omnem circum positum succum ad se trahunt, unde non patiuntur juxta se adolescere virgulta & arbores minores. Queritur Socrates apud Aristophanem de cardamo seu nasturtio; ea enim herba humorem omnium circumjacentium herbarum ad se attrahit. Huic divites simillimi sunt, qui pauperum bona ad se trahunt; qua de re queritur etiam Jeremias cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur? &c. proficiunt & faciunt fructum*, nec sine aliorum injuria nam sequitur: *Usquequo lugebit terra & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea?* Luxit ita bonus Naboth, quando per immanem injuriam spoliatus est sua vinea ab iniquissimo Achab, quia ipsius domui vicina erat, neq; solum vinea, sed & propter vineā vita sua. 3. Reg. 21. Sic lugent pauperes cùm urgente necessitate coguntur emendicare à divitibus mutuum sub usura, prœstito etiam pignore, & quandoque adjecto munere, certo tempore restituendum, quo quidē ad breve tempus nonnihil reficiuntur, sed postremum devorantur; quod similitudine febricitantium pulchrè declarat Gregorius Nyssen. in orat. contra usur. *Qui pecuniam*, inquit, *ita cum fœnore reddendam accipit, pignus & arrham paupertatis accepit, specie beneficii exitium domum reportans. Quemadmodum enim is, qui precibus victus febricitanti, & quem vehementissime calor sitisque nimia exagitat, mori poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum pro brevi tempore, dum poculum exhaurit; sed non longè post acerbissimam & decuplo graviorem febrim misero parit; sic & qui egeno pecuniam sub fœnore commodat, necessitatem illius non sublevat, sed calamitatem potiùs auget.* Quid autem communius divitibus, quàm hoc pacto pauperes devorare? Prætexitur usuræ titulus quidem licitus, v. g. census; cùm tamē quas requirit census conditiones minimè præstentur: prætexitur lucrum cessans vel damnum emergens; sed fictè plerumque & mendaciter. Neque verò alienos solum sic deglutiunt divitiæ, dum eorū substantias exhauriunt sed & longe iniquius proprios hæredes, filios ac filias, dum inique partis bonis eos ditare satagunt, interim salute & beatitudine spoliant. Funestam piscatori suo prædam, congrum, describit Petrus Damiani Card. l. 2. Epist. ep. 18. ad Desider. Card. *Nostris quippe temporibus*, inquit, *audivi contigisse, quod narro: Piscator quidam parvulum in lembi sui prora filium suum posuit, ac in fluenta progrediens, congrum prolixæ magnitudinis cepit. Lætus itaque prædam projecit in navim, ita ut caput ejus contra puerum verteret, puer autem è regione sederet. Sed cùm piscator intentus remigio redire contenderet, & alacris de prosperæ fortunæ successu sollicitudinem non haberet; pavefactus puer in piscis aspectu, lugubris exclamavit: Ita me respicit, jam me bestia devorabit. Cui pater alludens: tu, inquit, eum devorabis, non ipse te. Cumque puer idipsum secundò repeteret, sed ejus verba pater ineptias deputaret; tandem piscis sublatus in aërem puerum violenter impetiit, eumque repente corripiens, aquis se cum rapina sua raptor immersit, ac neutrum ultra comparuit.* Lactabat hic miser parens se spe bonæ prædæ filium suum: & interim vidit filium suum prædam prædæ suæ factum. Sic omninò divites sibi persuadent, tum demum bene & laudabiliter labores atque industrias se suas impendisse, si relinquant liberis suis opimam hæreditatem, quasi piscationis suæ prædam? sed ferè decipiuntur, cùm sæpissimè videant adhuc oculis suis eam ab hæredibus vel dilapidari, vel ad ipsorum perniciem & interitum desinere: nec aliud fuisse, quàm fomentū ignaviæ, superbiæ, insolentiæ, luxus omniumque vitiorum. Sed audiamus de hoc D. Chrysostomum hom. 50. in Genes. *Quare, dic mihi*, inquit, *& tibi ipsi hæc onera spinarum congregas; & filiis tuis materiam, & occasionem malitiæ te relinquere non sentis? Nescis quòd dominus majorem curam pueri tui gerit, tu autem tanquam illius majorem curam gerens, occcasiones illi relinquere studes, quæ submergi ejus animam faciant: An nescis quòd juventus per seipsam ad ruinam proclivis est, & ad malitiam levi momento inclinatur: quando autem & opum affluentiam acceperit, multo magis ad malum proruit? Sicut ignis cùm fomitem invenit validioribus flammis exurgit: ita & quando in juvenem, materia pecuniarum inciderit, tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam flagrare faciat.*

IV. Quia à progressu virtutum adeoque ab ingressu cœli vehementer retinent. Cùm possessoribus namque suis velut cum infantibus ludunt. His enim nutrices ut aureum nummum auferant, pomum unum offerunt; divitiæ aurum offerunt, ut virtutem & cœlum abstrahant. Scimus ex libro Numer. c. 32. Rubenitas & Gaditas, quia pro suis, quibus abundabant, pecoribus repererunt extra Jordanem pascua sibi commoda, resignasse partem hæreditatis suæ; quam accepturi erāt in terra promissionis, longe nobiliorem: pascua igitur campestria inescarunt illos, ut meliora perderent: ut pecorum pabula eligerent, & hominum deliciis, ficubus, malogranatis & prægrandibus botris, terræ lacte & melle mananti renunciarent. Hoc modo & divitiæ im-

ponunt possessoribus; carnis pabulum porrigunt, & animæ pascua in cœlo ubera atque æterna surripiunt. Unde D. Gregorius lib. 27. mor. cap. 10. ait: *Qui jumenta plurima possident, Iordanem transire refugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt, &c.* Pari opum impostura retenti in Babylonica captivitate, & à regressu in terram sanctam ac patriam detenti sunt multi Hebræorum milleni, suorum amore prædiolorum ac domuncularum quas in eo sibi compararant exilio, præferentes passerem manutentum, aquilæ in tecto sedenti. Eam enim ob causam remansisse in Babylone multitudinem Judæorum inæstimabilem scribit Josephus libro undecimo Antiq. cap. 1. & 5. Eadem deceptione retinent divitiæ suos plerumque possessores huic mundi exilio affixos, ut modicum hoc quod habent, regno cœlorum præferant. Qui fasciis aut vinculis involuti & ligati sunt, à progressu impediuntur. Tales sunt prædivites, de quibus dicitur Soph. 1. *Disperierunt omnes involuti argento.* Involuti nimirum sicut musca tela araneæ, quæ proinde ad libertatem suam avolare nequit, sed præda fit araneæ, quo modo etiam avari involuti suis opibus in prædam Dæmoni cedunt. Paulò aliter explicat, sed eodem tendit Rupertus, cùm ait: *Eadem involutione ita grosse facti, ut nimis difficile sit introire eos in regnum cælorum Dei.*

V. Quia fallaces & infidæ, cruciant & gravant ac postremo mergunt suum possessorem. Quod crucient, habemus ex Domini testimonio, qui spinis eos comparat. Matth. 13. cujus rationem reddit D. Chrysostomus hom 23. in Joa. *Quemadmodum enim spina*, inquit, *eos, qui tangunt, lacerant: ita horum cupiditas. Sicut facilè igni comprehenduntur & odio habentur agricolis, ita hujus sæculi negotia.* Ecclesiasticus cap. 14. *Dolores & labores* appellat, cùm ait: *Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in divisione sortis?* Nam ut rectè Doctor Prosper libro secundo de vita contemplation. capite decimo tertio ait: *Divitias qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Intellexit hoc & Diogenes Laertius, qui cuidam de nocte sibi sacculum nummis repletum è lectuli capite subtrahere conanti dixisse fertur: *Tolle infelix, ut facias utrosque dormire*; significans pecuniam, tam possessoris quam raptoris quietem non parum interrumpere, dum illi ut eam custodiat, isti ut eam suffuretur, non semel evigilandum. In Prov. Phil. Quare si divitiæ tam iniquæ sunt in dominum suum ut dolores ipsi afferant & quietem adimant, à quo tam impensè tamque tenerè adamantur, nonne merito appellantur mammona iniquitatis?

Sed non omnes sentiunt dolores & puncturas, quas afferunt hæ spinæ, quia induratum est cor eorum, qui divitiis immersi sunt. Non audiunt hos sermones, quia ut ait Sanctus Ambrosius sermon. octavo in Psalm. 118. *Clausas habent aures & cœno æris obtusas: nummus magis illis resonat, quam verba divina.* Nares fœtori huic assuetas habent, unde jam ex illo nihil patiuntur. Quamobrem vel hoc ipso mammona iniquitatis rectè appellantur opes, quia ab iniquis solum æstimantur. Justi enim & cultores Dei spernunt eas & pro nihilo habent. Certe Sanctus Paulus appellat eas *stercora*, Sanctus Bernhardus *glebas terræ*, Sanctus Franciscus *muscas &c.* Unde qui divitias, quales revera sint & quid mali progignant, sapienter considerat, non modo non ambit, sed exosas etiam habebit. Vidit Anna Tobiæ conjux se amore recuperandæ pecuniæ, cujus gratia filium Tobiam amandarant in Mediam, in tristitiam incidisse, in curam & solicitudinem, ne forte illius causa perderent filium unicum & dilectissimum, ideoque pecuniam execrata, ad virum dixit, *Nunquam fuisset pecunia ipsa, pro qua misisti eum.* Tobiæ quinto. Eandem aversatus Sanctus Gregorius Nazianzenus oration. decima sexta appellat *perditionis instrumentum*, &c. *Utinam*, inquit, *pereant divitiæ: nisi pauperibus subveniant. Quid enim opus est multa reponere latronibus & furibus & mutationibus temporum, quæ ea in alios transferunt?* Nec defuere ex Gentilibus, qui hoc intelligentes aurum abominati sunt, inter quos notissimus ille Crates Philosophus aurum suum in undas projiciens: *Abite*, inquit, *pessimæ divitiæ: ego vos mergam, ne à vobis mergar.* Albani unà cum defunctis, eorum divitias sepeliebant, ideoque ferè cuncti in paupertate vixerunt. Strabon. libro undecimo. *Babytace oppidum Persidis est*, inquit Salinus capite quinquagesimo sexto, *in eo mortales universi, odio auri coemunt genus hoc metalli, & in terrarum profunda abjiciunt, ne polluti usu ejus avaritia corrumpant æquitatem.* Idem testatur Plinius libro sexto capite vigesimo septimo. Nos vero Christiani ita aversemur opes, ut non quidem in maria aut terrarum profunda, sed in sinus pauperum eas abjiciamus. Ita ex mammona iniquitatis fient instrumentum pietatis & pretium salutis.

(* * *)

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Mira mercatorum ejectio ex templo.*
II. *Sua quisque vitia ut ejiciat è templo animæ suæ, incitamenta.*
III. *Cur Dominus sua manu castigarit nundinatores templi.*
IV. *Varii effectus, quos in peccatore producit mala conscientia.*
V. *Deploranda Iudæorum cæcitas, nec non multorum Christianorum.*

THEMA I.

Mira mercatorum ejectio è templo.

1. *Mira est propter iram mitissimi Agni.*
2. *Propter ejicientis potentiam.*
3. *Propter flagellum quo usus Christus.*
4. *Ob diram increpationem.*
5. *Ob merces nundinantium.*

Ingressus templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes. Luc. 19.

Mirum quid refertur 1. Regum 14. Jonathan filium Regis Saulis, una cùm armigero suo irruisse in stationem Philistinorum, & numerosum eorum exercitum edita viginti virorum strage, in fugam compulisse, quod adeo stupendum erat, ut sacer textus dicat accidisse quasi miraculum à Deo, nec immeritò, conjecto in fugam exercitu hostili ab uno juvene ejusque armigero. Videtur illa Jonathæ irruptio typus & præludium quoddam fuisse illius irruptionis, quam in hoc Evangelio Christus fecit in numerosum populum, nundinas agentem in templo Salomonis. Solus enim Christus Dei filius, natura humana velut armigero suo stipatus, fugavit omnem illum populum & è templo ejecit unà cum suis gregibus. Quæ res tanta est, ut eam Sanctus Hieronymus censeat fuisse maximum miraculum. *Mihi,* inquit, Matt. 21. *Inter omnia signa, quæ fecit Christus, hoc videtur mirabilius esse; quod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contrà sævientibus & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque evertere & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.* Ita Hieronymus. Miram ergo hanc irruptionem jure merito accuratius contemplemur.

I. Mira est propter iracundiam à mitissimo agno assumptam & vindictam in nundinatores templi exertam. Ubi enim alias toto vitæ tempore vidimus iratum Christum? ubi ejicientem, ubi percutientem aliquos, nisi quando in templo reperit nundinatores? quod uti bis accidit, ita bis eos ejecit. *Quæsitu dignum est,* inquit Sanctus Chrysostomus homil 22. in Joan. *qua gratia Christus adeo hic indignatus est, & maximè cùm aliis injuriis contumeliisque affectus, Samaritanus & dæmonium habens appellatus, nihil tale fecerit: nunc non contentus solis verbis, sed etiam flagello arrepto sic eos ejecerit.* Nimirum immanis Dei injuria est, profanare templum ejus & contumelia afficere, quæ ipsum Deum directè & immediatè tangit; de qua Heli sacerdos ad filios in templo delinquentes dixit: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* 1. Re. 2. Indicans graviora longe esse peccata contra præcepta primæ tabulæ (quæ sunt tria prima Decalogi) iis, quæ contra præcepta secundæ tabulæ committuntur: quia illa Deum immediatè, proximè & in se: hæc verò mediatè tantùm & in alio Deum offendunt: hæc semel, illa bis, ut Abulensis q. 14. explicat similitudine furti, quod quis contra edictum Legislatoris committit in ipsum Legislatorem, & illius, quod in alios homines. Tale verò est peccatum, quod invadit Dei cultum, sive locus sacer, sive persona sacra, sive actio sacra violetur. Hujusmodi erat illud filiorum Heli, quod morte plexit Deus & in filiis delinquentibus & in patre, non serio satis prohibente. Hujusmodi & illud Heliodori, qui ab Antiocho Rege missus Jerosolymam, ut ærarium templi expoliaret, à duobus juvenibus in templo utrinque eum stipantibus, continuis verberibus flagellatus est; quo malo edoctus Regi renunciavit: *Si quem ô Rex, habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illum, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit eò quod in loco sit verè quædam Dei virtus &c.* 2. Machab. 3. Gentilis ille erat, templum Salomonis nequaquam ita, ut nostra templa, sanctum erat, denique nihil aliud nisi aurum è templo tollere jussu Regis voluit, nonne gravius est si Christianus templum

plum Dei corporali præsentia longe sacratiùs, non auro sed honore & cultu suo, qui auro millies prævalet, expoliare audeat.

II. Ob ejicientis potentiam, qua unus tam multos sacerdotum ministros & institores, (uti supra ex Hieronymo audivimus) sibi infensos & mortē machinantes, avaritiæ studentes, tam facilè ejecit, quod vix integra militum legio potuisset. Quis audeat leoni prædæ incubanti prædam eripere? Avari quasi leones sunt; unde quod Ps. 33. dicitur: *Divites eguerunt & esurierunt*, Hieronymus vertit: *Leones esurierunt*. Nundinatores isti veluti leones prædis & lucris inhiabant, jamque incubabant, & quidem magno numero, nec tamen obsistere audēt uni homini inermi sese expellenti; quis hoc non miretur? Statuarii asserunt nihil ita difficile esse in statua, atque ungues perpolire. Nihil etiam difficilius & periculosius, quàm avaritiam divitum arguere & corripere; mox enim arguentem unguibus suis invadunt. At hic nemo erat, qui Christo se opponere auderet. Quæ hujus rei causa? Sanctus Hieronymus existimat igneum quiddam atque sydereum radiasse ex oculis Christi, & divinitatis majestatem eluxisse in ejus facie, quod eos terruerit. Deinde immisit pavorem in cor eorum, de quo Deuter. 28. dicitur: *Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos & animam consumptam mœrore, &c.* Deuter. 32. *Quomodo prosequatur unus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo quia Deus suus vendidit eos & Dominus conclusit illos?* Id quod vendo à cura & tutela mea removeo & alteri relinquo. Sic agit Deus cum præfractis peccatoribus. Hinc à Deo deserti cervi fiunt ex leonibus. Similiter qui conclusos se & ab hoste cinctos vident, animum despondent. Quādo robur exercitus Syri Regis ἀορασίᾳ tactum, vidit se intra civitatem Samariam conclusum, cinctumque undiq; mœnibus & hostibus, nemo, unus eorum se movere ausus est; quin potiùs, ut Sanctus Chrysostomus homil. de Helisæo & Syror. insid. ait, *tunc reddito visu lamentantur & plangunt, tunc se captivos, tunc reos, tunc se morti proximos recognoscunt.* 4. Regum 6. Idem accidisse puto istis nundinatoribus in templo comprehensis. Vident se in domo non sua, sed Dei, & in aperto flagitio comprehensos; hinc timor & fuga eos comprehendit.

III. Ob instrumentum, quo ad hoc est usus. Credibile est enim fuisse paucos funiculos in flagellimodum nexos; quali enim usus fuerat in prima electione Joann. 2. Samgar vomere uno percussit de Philistheis sexcentos viros, Judicum 3. Samson asini mandibula mille Philisthæos, Judicum 15. quia robur eorum instrumento vim supra naturam impressit. Quid Christus? funiculos sparsim in via jacentes, qui nec puerum terrerent, colligit & connectit, iisque pellit & expellit, quotquot erant in templo nundinatores, cum gregibus & armentis suis. Quis hic non miretur? quis hic non deprehendat divinam in ipso potentiam? Nimirum manus ejus omnipotens impressit his funiculis plusquam humanas vires, ut tam multos tamque fortes sternere & fugare posset. Quid si gladium arripuisset? At hunc reservat in diem judicii, de quo Deuteronom. 32. ait: *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis. Gladius meus devorabit carnes; &c.* Unde bene Joannes cap. 2. dixit Christum ex funiculis fecisse *quasi flagellum*; quia funiculos illos nondum ita exacuerat, ut possent medios scindere & dividere, sanguinemque noxiorum devorare; sed hoc reservavit ad diem judicii. Quidquid ergo hic cladis nobis infertur sive è bello, sive è pestilentia, sive è fame, grandine, pruina, &c. nondum flagellum, sed *quasi flagellum* tantùm est: exiguum & leve est. Deinde probabile est funiculos illos fuisse ipsorum mercatorum, qui eos secum, ut solent, attulerint & abjecerint. Ergo quemadmodum David Goliatho caput abscidit proprio ejus gladio, 1. Regum 17. ita Christus hos nundinatores propriis eorum funibus cæcidit; quia nimirum peccator dum delinquit, sibi ipsi virgas plectit, & funiculos nectit, quibus hic cædatur, & in inferno suspendatur; quemadmodum Aman sibi ipsi furcam erexit, quam innocenti pararat. Hinc bene Proverb. 5. dicitur: *Iniquitates suæ capiunt impium & funibus peccatorum suorum constringitur.* Alii legunt, *ligatur, tenetur, suspenditur.* Ligatur autem hic & illaqueatur velut Dæmonis captivus: suspenditur in inferno & strangulatur propriis sceleribus per eorum remorsum. Unde Albertus Magnus in serm. de Sancto Clemente Mart. ait: *Nota quod malitia est funis, per quem diabolus peccatores suspendit in inferni patibulo; & nesciret per quod suspenderet eos, nisi ipsi apportarent ei funem, per quem suspenderentur.* Fridericus Comes Palatinus tres vicinos sibi Principes Germanos, qui Heidelbergam, ejus metropolim, post agrorum vastationem, obsidere parabāt, incautos parvo exercitu cinxit atque cepit; postea redemptos convivio excepit: cætera quidem splēdido; panem tamen non apposuit, quod cùm illi mirarentur, causam reddidit: *Vastatu vestra incursione segetibus meis & meorum rusticorum, panem perdidistis. Discite nunc subditorum sudoribus parcere, quorum laboribus victum nostrum constare videtis.* Refert Heldio in Chron. Belle & hic Princeps convivas istos constrinxit propriis peccatorum suorum funibus.

IV. Ob diram increpationem, qua *latrones* appellat nundinatores illos. Quomodo enim latrones, cùm vendiderint res suas? Respondeo fuisse institores aut famulos sacerdotum, in quorum persona tangit Christus potius ipsos sacerdotes, illorum dominos, qui dum lucra sectabantur in templo, simul & scandalo sauciabant plebis animos, more scilicet latronum, qui ut pecunias acquirant, viatores etiam vita spoliant. Voci huic terrificæ, ut verosimile est, miram emphasim addidit, juxta id Psalm. 67. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* IV. *Ob diram increpationem.*

Sau-

Sauciavit igitur hac voce conſcientiam ſacerdotum qui in loco ſacro lucris inhiabant, & quidem iniquis cariſq; nimium venditionibus emptores, eoſq; ferè pauperes tantùm, expoliabant. Tametſi enim ex rebus venditis & ad ſacrificium allatis ſuam ipſi portionem capiebant, ea tamen non contenti, etiam lucrum & rapinam ex earum venditione ſibi comparabant; quod forſan latrones non facerent, ſi à viatoribus ſpontaneum aliquod munus acciperent. Jam verò latrones atque fures voce Magiſtratus facile percelli nemo eſt, qui neſciat. Quod etiam contingit aliis, qui res iniquas moliuntur, cujuſmodi exēplum ſuppeditare nobis poteſt Græcium noſtrum, in quo cùm nō ante multos annos (fere 70.) tumultuo ſi quidam cives, Lutheri hæreſi infecti, circiter quingenti, in medio civitatis foro noctu armati conveniſſent, ut media nocte curiam invaderent & Catholicorum domos opprimerent, ecce repentinum & inexpectatum tonitru horrendum in mundum intonat, quo illi conſternati, exiſtimantes ingens tormētum ex arcis propugnaculo, civitati imminente in ſe exploſum eſſe, omnes dejectis capitibus trepidarunt, & per urbis compita quaquaverſum diffugerunt. Ita ſcribit Jacobus Præpoſitus Stanzenſis in Reformat. Styriaca fol. 15. Jam ſi unum tonitru potuit exarmare & in fugam compellere tot armatos, cogitate, quid erit vox Chriſti Judicis, in die Judicii reprobos damnantis, *Vox illius*, inquit Joan. Apoc. 1. *tanquam vox aquarum multarum*. Vel ut Daniel. c. 7. vidit: *Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur à facie ejus.*

V. *Ob merces nundinantiũ.*

V. Ob merces nundinantium; quæ erant animalia ad ſacrificium emenda, & monetæ pecuniariæ in gazophylacium mittendæ adeoq; templo non indignæ. Unde V. Beda in c. 2. Joa ait: *Videbantur licite vendi in templo, quæ ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerentur Domino, ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honeſta putaretur, exhiberi, diſpulit negotiatores injuſtos, & feras omnes ſimul cum iis, qui negotiabantur ejecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus, faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias, quæ ſibi immolarentur, ementes in templo vidit & eliminare feſtinavit?* Maxime quia hæ merces non vendebantur ab eis in ipſo templo, ſed in atrio templi ſolùm: Et quantò ſacratiora ſunt templa Chriſtianorum, templo Salomonis? In illo, dum ædificaretur, noluit Salomon ut ictus mallei aut ſecuris audiretur (3. Reg. 6) ſed procul extra locum templi ligna & lapides ſecarentur, poſteaque ædificio cum ſilentio aptarentur: & non offendent Chriſtum, qui in templo rident, cachinnantur, de profanis rebus garriunt, nugantur & rem divinam turbant? Sed neque iſtud ſatis eſt, ſi quis dicat ſe orare in templo ſi enim non attente oret; vel ſi ſub concione oret, cùm Dei verbo opus habet, neque hoc Deo placet, ſed ejectione dignum eſt.

THEMA SECUNDUM.

Sua quiſque vitia ut ejiciat è templo animæ ſuæ, incitamenta.

I. *Cogitemus majores noſtros.*
II. *Cogitemus priora facta noſtra.*
III. *Cogitemus rem non adeo eſſe difficilem.*
IV. *Cogitemus pudorem quem incurrimus.*
V. *Cogitemus propoſita nobis præmia & emolumenta.*

Ingreſſus templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes. Luc. 19.

THeodoſius Imp. uti refert B. Petrus Dam. libro 7. Epiſt. ep. 11. ad Gotifredum Tuſc. Ducem, cùm Imperium videret ſceleratis repleri ex nimia ſua conniventia & clementia, miſit veredarium ſuum ad Eremitam quendam ſanctitatis nomine celebrem, petiturus conſilium, quid in tali rerum ſtatu faciendum ſibi judicaret. Quid ad hoc Eremicola? ſarculum arripit & hortulum ingreſſus, Legato inſpectante ſarrit, & noxia demolitur germina & urticas extirpat, bonas verò herbas excolit & communit oluſcula. Tum abire Legatum, & referre Imperatori ea, quæ vidit, jubet. Mentem Eremitæ mox intellexit Imperator, ut nimirum ex Imperio reprobos extirparet, bonos confoveret: ſic egit, & rempublicam compoſuit. Quale reſponſum ſimul & documentum dedit Imperatori prudens Eremita tale nobis præbet in hod. Evangelio ſapientiſſimus Dei filius. Templum Dei eſſe ſingulos Chriſtianos Apoſtolus teſtatur variis in locis, uti 1. Corint. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* Atqui templum hoc ſæpius videmus multis in Chriſtianis repleri urticis & herbis peſtilentibus, vitiis, inquam, variis. Quid hic conſilii? quid facti opus? En tibi reſponſum à Chriſto, facto, non verbo, datum: Flagellum namque arripuit cùm videret templum Dei à nundinatoribus contaminatum, & ejecit improbos, violatores domus Dei, & hoc ipſo quaſi ſymbolo oſtendit, quid in templo Dei, quod ſumus nos, facere nos oporteat: ejicienda nimirum eſſe potenti manu vitia, quæ animos noſtros polluunt Deoque abominabiles faciunt. Verùm dicet aliquis: Res hæc difficultatem habet. Quis enim facilè exuat habitus male contractos? Quis tantam vitiorum colluviem ſolus expellat? Unde nobis flagellum tale quo turbam hanc ejiciamus? Dabimus vobis aliqua in hac concione: vos ea arripite.

I. Cogitemus parentes & majores noſtros quam à vitiis abhorruerint, & pietati ac virtuti fuerint

rint addicti. Solet enim hic ſtimulus multum invitare filios, ne à parentum virtutibus degenerent, quos ſibi velut Idæam & vivendi regulam à teneris propoſitam ſemper habuerunt. Hac cogitatione conatus eſt Tobias avocare à peccato familiares & domeſticos, ſibi inſultantes: *Nolite ita loqui*, inquit, *quoniam filii ſanctorum ſumus*. Tobiæ 2. Sanctorum ſcilicet parentum & Patriarcharum illorum, Abraham, Iſaac & Jacob, &c. qui uti in morigeris & ſanctis filiis ſummè ſibi placent & gratulantur: ita in perverſis maximè diſplicent & indignantur. Eodem ſtimulo excitavit Mathathias filios ſuos ad pugnandum ſtrenuè pro templo Dei & patriis legibus: *Mementote*, ait, *operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum*, 1. Mach. 2. 51. Ita & Poëta Ethnicus (Virg. l. 12. Æneid.) Aſcanium ad fortia patranda excitat memoria patris Æneæ, & avunculi Hectoris. Seipſum adhuc melius admonuit parentis ſui Boleslaus 4. Rex Poloniæ, qui cùm patris ſui imaginem collo appenſam in aurea gereret lamina cũ difficile quidpiam aggrediendum eſſet, eam exoſculabatur dicẽs: *Eja dive parens, ne ſinas ut quid vecors indignumque tuo nomine admittam* Cauſſin. in aula S. l. 1. Etenim ſi de piis & virtute claris natus parentibus impiè & turpiter vivas, quid niſi facem ſplendentem geris, quæ tuam prodat ac demonſtret fœditatem? Hinc merito talibus indignabundus occlamat Deus Pſalmo 4. *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Hebr. *Vſquequo inclyti mei ignominioſe diligitis vanitatem?* q. d. cum ſitis ex inclyta & inſigni glorioſaque progenie, cur ſectamini vanitatem & peccatum? Ita enim explicat S. Chryſoſt. *Quoſnam*, inquit, *vocat filios hominũ? eos, qui vivunt in improbitate, qui ſunt proclives ad vitium. Quod autem eos, qui ſunt ad vitium propenſi vocat filios hominum, audi: Videntes filii Dei filias hominum.* Gen. 6. Filii igitur Dei juſti, filii & filiæ hominum vocantur ſolito vitioſiores ac turpiores. Degeneres illi filii, dum ſe fœdis voluptatibus dediderunt, Dei in ſe iram provocaverunt & diluvium induxerunt. Merentur etiam non vulgarem pœnam, qui à piorum parentum veſtigiis deflectentes, vitiis ſe contaminant. Quod ſi quis parentum radiis non coruſcat; ſciatis in baptiſmo effectum eſſe filium Dei, quo nomine Apoſtolus ſæpe nos cõpellat. Quis verò in tanta nominis gloria non ſtrenuè ſe gerat, ut omnia ab animo ſuo vitia extirpet? Alex. M. & quidam alii fortes viri non ægrè audierunt appellari ſe filios Dei, ut hac de ſe concepta opinione animarent ſemetipſos ad fortius agendum & res magnas aggrediendas, uti ſcribit Varro apud D. Aug. 3. de civit. c. 4. Cùm ergo nos Chriſtiani non vanè inſigniamur huc præclariſſimo titulo, judicate an hoc calcar non acriter nos ſtimulet ad expellenda ab animo noſtro omnia vitia & virtutes inducendas.

II. Cogitemus priora facta noſtra, quibus adjuvante Dei gratia non paucas obtinuimus de vitiis noſtris victorias; dum variis è peccãdi periculis generoſe eluctati ſumus, & pravos quoſdam habitus quibus aſſueveramus; deſuetudine depoſuimus. Quàm multi enim exuerunt jurandi & pejerandi, execrandi, ingurgitandi, ſcortandi, ludendi, rixandi & pugnandi conſuetudinem, & contrariam induerunt? Quod igitur in aliis vitiis debellandis & potuimus facere & fecimus: cur non poſſimus & faciamus in iis, quæ jam adhærent nobis? Multum addit animi militibus ſemel expugnaſſe hoſtem, & reddit cautiores, ut ne partam gloriam iterum deperdant. Glaucus Cariſtius, puer adhuc, in agro colendo vomerem, qui ab aratro exciderat, manu loco mallei in ſuum locum reſtituit. Ductus poſtea à patre & Olymphia cùm ab adverſario conficeretur plagis, & jam ſuccumbens deficeret, inclamavit proſiliens pater: *Percute quà aratrum* Quo ille ſtimulo concitatus irruenſq; violentiùs velut impetu capto adverſarium vicit, ſtatuamque meruit. Pauſanias l. 6. Potuit hunc juvenem priſtini ſui roboris memoria ingeſta confirmare ad reſumendas vires & hoſtem ſuperandum cur non & nos Chriſti athletas ad debellanda vitia, quorum non diſſimilia jam alias debellavimus? Certè commemoratio priorum heroicorũ actuum Davidem excitavit, ut cum Goliatho, magna illa corporis mole, congredi duello minimè dubitaret. *Paſcebat*, inquit ad Saulem, *ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos & percutiebam eruebamq; de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me & apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam interficiebamq; eos. Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus: erit igitur Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis.* 1. Reg. 17. Cogitemus hoc & nos. Expugnavimus haud dubie jam alias vitia quædam nobis inhærentia; erit igitur hoc cui adhuc mancipati ſumus, quaſi unum ex illis: æquè facilè ſuperandum, modò viri eſſe voluerimus.

III. Cogitemus hoſtes noſtros, qui nunc dominantur nobis, tanti roboris non eſſe, uti nobis imaginamur. Quàm n. facile contraximus hoc vel illud vitium, aliquoties iteratis vitioſis actibus, tam facilè id deponemus, intermiſſo ejuſdem pravo exercitio. Invincibilis planè videbatur eſſe Goliath populo Hebræorũ quem tamen Deo confiſus David ſtravit primo lapide. Simile certamen oblatum in ecſtaſi fuit Abbati Theodoſio, adhuc tyroni, cum Æthiope ingentis magnitudinis, attollentis caput ſupra ipſas nubes; quem ille, ubi primum dimicare orſus eſt, illicò in fugã compulit; fuit autẽ Dæmon, in prato ſpir. c. 66. Non multò difficilius erit, expugnare vitia noſtra, ſi unà cum Davide manũ mittere in peram, ſeu admovere operi & bellare voluerimus. *Simul enim ac velle cœperimus* (*pugnare in vitia*) inquit ſanctus Doroth. doctr. 10. *cœperimus auxiliante Deo & pugnare. Non deerit, qui nos adjuvet, modò ipſi decertemus. Proinde quidam ex Patribus frequenter dicere ſolebat. Da ſanguinem & accipe Spir. h. e. certa, contende, enitere, & habitum procul dubio acquires.* Polyercon Peloponeſis aditum obſidentibus, milites

III. *Cogitemus rem non eſſe adeò difficilem.*

suos ad periculum adeundum hac ratione cõfirmavit: Pileum sibi imposuit & tunicam duplicem indutus: arreptoq; baculo dixit ad eos: *Qui nos in certamen vocant, hujusmodi sunt homines, ô commilitones.* Postea his depositis & accepta armatura: *Qui verò manum cum illis conserent,* inquit, *tales sunt usque in hoc tempus multorum præliorum victores.* Dixit & persuasit, ut actutum hostem aggredi contenderent. Polynæus lib. 4. Fingit sibi aliquis invincibilem planè esse contractam ebriositatem. Quasi verò vincere eam tam difficile sit! abstine à compotoribus, & appone mensæ tuæ certam mensuram & quotidie parum detrahe: sic expugnabis vitium. Assuetudine didicit Milo portare unum bovem, imponendo eum humeris suis, dum adhuc esset vitulus: & sic una cum vitulo crevere ad portandum vires. Fuit quidam iracundiæ adeo addictus, ut sibi persuaderet nullum esse medium sese ab ea liberandi. Quæsitum igitur ex illo est, an alium in hoc vitio nosset sibi parem, & inventus tandem est. Cum hoc spiritualis pater pactum tale iniit, ut si patienter ferre posset ternas injurias, certam ei pecuniam numerare vellet. Suscepit hic non difficile oblatam conditionem & præstitit quod promisit. Paucis post diebus rixæ occasio oblata est inter illos duos: quorum ille more suo onerare istum aggreditur non paucis contumeliis. At iste memor pactæ & stipulatæ sibi pecuniæ, ne verbo se defendit, sed instar piscis tacuit. Miratus alter insolitam hujus æque cholerici mutationem, abiit ad patrem & fassus est possibile esse, quod prius abnegarat, ut iracundiæ vitium expugnari queat, quod in socio vidisset. Itaq; à Patre particulari in hoc vitium indagine armatus & ipse tandem victor evasit. Refert noster Georg. Reeb in tra. de prud. Christ l. 3.

IV. Cogitemus pudorem quem incurrimus.

IV. Cogitemus immanem illum pudorem, quo partim in vivis nosipsos confundemus, partim post hanc vitam confundemur in judicio, si tam ignavi simus, ut nos ipsos regere & vincere nequeamus; præsertim Christiani, qui ad spiritualia hujusmodi certamina tot habemus arma & præsidia. Quid enim nonne scimus à Deo dictum esse Caino: *Sub te erit appetitus ejus* (peccati) *& tu dominaberis illius?* Gen. 4. Nonne confusio est viro, si per omnia reg[illegible], quin & puniri ac percuti se permittat ab uxore sua? Atqui vitia tua & eorum appetitum tibi subjectum esse velut domino, audis ab ipso Deo. Nonne usque hodie expostulamus cum Adamo, quod Evæ suæ obsecutus pomum vetitũ gustarit, & simul nos perdiderit? Nonne fuit ignominia Samsoni, quòd hic tantus hostium debellator, ab una muliercula sibi illudi seque ligari passus est, & quidem multoties, ita ut in hostium manus ab ipsa traderetur? At hoc ipsum tu quoque pateris, si a tua concupiscentia superari te permittas. Ita enim Eccl. c. 18. v. 31. ait: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quàm facilè potuisset Samson, si vir esse voluisset, repellere suam Dalilam! quàm facilè compescere! Satis quidem fortiter in initio se gessit, priusquam amicæ arcanum suum candide aperiret. Tametsi enim in sinu ejus recubuit, ubi tamen clamorem audiit: *Philisthiim super te Samson;* ubi mox exsilit & vincula ab[illegible]it, neglecta quoq; Dalila & spretis delitiis in hostes se armavit eosq; fugavit. Ita licet interdum concupiscentiæ nostræ nobis illudant, nequaquam manus demus, ubi de salute nostra rem agi animadvertimus: pereat caro, pereat deliciæ; modo animas nostras in peccati servitutem non tradamus. At se totum permittere & submittere huic Dalilæ, brutæ, inquam, concupiscentiæ, seq; bruto miseriorem facere, proh! quanta est hæc confusio! Hinc enim Ps. 48. v. 21. ille in talem hominem sarcasmus: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis.* Manus enim dando gulæ similis fit porco: admittendo dominatricem superbiam, fit leo: rapinam sectando fit lupus: acediæ serviendo, fit asinus. Et hoc cùm tam facilè obsistere posset tam fœdæ metamorphosi. Surgent aliquando Ninivitæ, surgent Gentiles & confundent accusabuntq; Christianos, qui se subjugari à suis Dalilis permiserunt, & in beluas transire, quàm edomare vitia sua maluerunt. Surget Demosthenes, qui blæsam & raucam linguam lapillis ori injectis & clamoribus correxit. Surget Diogenes qui labore & studio vitia expugnavit, aliique innumeri.

Augetur hæc confusio, si consideremus quàm ægrè feramus vitia in aliis: quàm acriter objurgemus: quam sæpe & plectamus. Certè David dum in statu peccati mancipium libidinis adhuc perseveraret, cito & vehementer prorupit in sententiam mortis, latam contra eum, qui pauperi cuidam unam oviculã abstulisse dicebatur. *Vivit Dominus,* inquit, *quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: ovem reddet in quadruplum.* 2. Reg. 12. Interim tamen in sinum suum minime inspexit quod ipse viro alteri uxorẽ abstulisset. Nonne hoc turpe fuit, propter ovem ablatam alterum neci adjudicare, & interim seipsum adulterii & homicidii reum minime damnare, imo nec agnoscere?

Co... pro... nob... mi... emo... men...

V. Cogitemus præmia & emolumenta maxima, quæ ex tali pugna & victoria nobis comparabimus. Quænam vero illa? 1. pax conscientiæ & lætitia cordis quæ sequitur necessario vitiorum debellationẽ. Unde enim cor inquietatur, nisi à vitiis & concupiscentiis nõ edomitis? Illis ergo superatis, fiet quod promisit Deus servis suis Lev. 26. *Dabo pacem in finibus vestris, dormietis & non erit qui exterreat.* Id quod de pace cordis, quæ externa & politica pace longe nobilior & utilior est, semper & maximè verum est. Degunt igitur victores illi in vera Jerusalẽ, h. e. in *visione pacis:* sicuti econtrà illi, quibus vitia dominantur, degunt in Babylone, hoc est in *confusione* & tumultu cordis sui, de qua dicitur Isaiæ 14: *Ponam eam* (Babylonem) *in possessionem ericii.* Ad litteram: ita devastabo ut ericii in ea habitacula sua posituri sint: mysticè, cor impiorum quasi habitaculum ericiorum erit, quia peccata in eo latentia perpetuo

perpetuo eos pungent, rodent & cruciabunt.

2. 2. Honor & gloria, etiam apud homines. Tales enim homines, qui post vitia expulsa, virtutibus coruscant, omnibus accepti, & in honore sunt etiam apud reprobos, uti patet in Abrahamo, quem licet externum & ignotum in fœdus expetierunt Principes Gentiles, propter ejus virtutem Gen. 14. Similiter in Isaac, quem in terra sua item peregrinum venerati sunt Principes Geraræ dicentes. *Vidimus Dominum esse tecum, & idcircò nos diximus: Sit juramentum inter nos & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali.* Gen. 26. Deprehenderunt enim ipsum esse virum justum & virtuosum, ab omni peccato immunem. Non aliter & Jacobum amabat Laban, homo Gentilis, conabaturque omnibus modis retinere semper in domo sua, quia eximias ejus virtutes fuerat expertus Gen. 19. Unde S. Chrysost. ho. 5. in Gen. ait: *Tanta virtutis potentia est, ut revereantur & multum laudent eam etiam, qui illa carent. Sicut & vitium etiam ab his, qui mali sunt, subinde accusatur & carpitur.* Consentit D. Bern. serm. 7. in Psal. *Qui habitat* *Pseudoprophetam Balaam recolite,* inquit. *Et ipse iniquus justorum mortem optabat, & novissima sua horum similia fieri precabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis.* Denique virtus magnos & nobiles, peccatum verò parvos & ignobiles facit, ut ostendit D. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Levit. Et probatur exemplo Samuelis & Heli, quorum ille ex obscurissimo loco, Ramathaim sophim, ob virtutem ad summi sacerdotii dignitatem: hic vero è nobili prosapia & summo sacerdotio ad ignobile vulgus ob peccatum depressus est in filiis suis.

3. Singularis Dei protectio; qua protexit inprimis Abraham flagellando totam Pharaonis aulam propter ipsum injuria affectum Gen. 12. Deinde justum Loth, quo non nisi subtracto voluit perdere Sodomam Gen. 10. Eliam, quem in summa rerum penuria corvi ministerio pavit cæteris fame pressis. Ex quibus patet verum esse id Ecclesiastici 16. *Melior est unus Deum timens, quàm mille sibi impii.* Experti sunt Assyrii, quorum 185000. occidit propter unum David, 4. Reg. 19. *Protegam urbem hanc,* inquit, *propter me & David servum meum.* Propter unum Petrum servandum & è vinculis eripiendum permisit sedecim milites, carceris custodes, necari ab Herode Act. 12. Quin etiam addit justis sæpenumerò etiam benedictionem in bonis terræ, ut honestam & commodam vitæ habeant sustentationem, uti factum legimus Agg. 2. *A die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. Nunquid jam semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam.*

4. 4. Merces in cœlo inexplicabilis atque immensa, de qua Joan. Apoc. 2. in persona Christi ait: *Vincenti* (seipsum & vitia sua) *dabo manna absconditum &c.* Et rursum: *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, &c.* Et iterum: *Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram patre meo & coram Angelis ejus.* Iterum: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, &c.* Denique: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno ejus.* Ap. 3. Quid amplius, quid honorificentius, quid gloriosius dici aut dari potest? Audiit & consideravit hæc magnus quidam in sæculo Jurisperitus, qui cùm multos & assiduos labores in clientum causis tolerarет, denique ita secum constituit: *Si laborandum sit, multo satius esse Dei causa laborare, qui tantam mercedem reddit, quàm causa mundi qui mercedem vel nullam vel brevem & exiguam dat,* sicque se recepit in Societatem nostram. Platus lib. 3. de statu relig. cap. ult.

THEMA III.

Cur Dominus propria manu castigarit nundinatores templi.

I. *Quia Christus ipse volebat intrare.*
II. *Quia Magistratuum peccata ipse punit.*
III. *Quia in domo propria latrones deprehendit.*
IV. *Quia in flagranti delicto reos deprehendit.*
V. *Quia voluit specimen præbere suæ potentiæ.*

Ingressus templum cœpit ejicere vendent:s in il o, & ementes.
Luc. 19.

RES admiranda nec non tremenda foret, si videremus Regem cæteroqui clementissimum mansuetissimumque aliquando in iracundiam adeò exardescere, ut correpto gladio verberare inciperet servos suos atque è domo sua impetu facto omnes ejicere. Quis enim hoc viso non cogitaret, gravissimum aliquod scelus servos admisisse, quod concitaret herum ad vindictam propria manu de ipsis sumendam? Videmus in hod. Evangelio Salvatorem nostrum, agnum mansuetissimum, qui nullis alioquin injuriis, nullis contumeliis permoveri ad iram poterat, sive dæmoniacus & Samaritanus, sive ipsemet Beelzebub ab impiis vocaretur: quique ad extremum inflicta sibi verbera, tormenta & mortem crucis æquo animo excepit; videmus, inquam humanissimum Dominum ad vindictam incandescere, & flagello à se confecto sævire in servos & creaturas suas, nundinatores, templi, eosque inflictis plagis è templo ejicere. Quis hoc non miretur, Quis ad hanc Dei iram non tremat & expavescat? Et quid tandem sceleris admisere illi, quod ipsum Dei Filium ad ultionem concitavit. Utique non aliud, nisi

quia domum Dei suis mercimoniis & fraudibus contaminarunt. Sed cur manu propria & non per alios potius scelus hoc castigavit? Ad hoc respondebimus impræsentiarum.

I. *Quia Christus ipse volebat intrare.*

I. Ad hoc respondet Do. Ambros. lib. de Abel & Cain c. 4. *Christus*, inquit, *de templo ejiciebat nummularios, quia ipse volebat intrare.* Ac si non posset templi sanctificator cum templi profanatoribus commorari in eodem loco. Quando autem duo cōtraria conveniunt in eodem loco vel subjecto, id quod potentius est, alterum expellit. Quod etiam post triduum præstitit Salvator cum suo proditore, in quem ibi Satanas cum buccella ingressus est, mox ei dixit: *Quod facis, fac citius*, jubens hac voce eum à se discedere, ut exponit idem Ambros. cit. *Ut quia*, inquit, *introierat in illum satanas, ipse abiret à Christo. Ejicitur itaque, atque excluditur, eò quòd jam cum Domino Iesu esse non possit, quia cœperat esse cum Diabolo. Nulla enim communicatio Christi ad Belial.* Et Judas quidem cum hospite suo, Diabolo, ad verbum Domini statim exivit; quia manum omnipotentis Dei, à qua tam dire Satan percussus cœloque ejectus fuit, ferre non potuit. Eadem ratio est vitiorum, quæ non nisi Satanæ militant: quod in Zachæi domo patuit, quam ubi Christus intravit, statim avari in Zachæi quasi flagello Domini ejecta est. Unde D. Ambros. cit. ait: *Zacharias excipiendo Christum exclusit avaritiam, relegavit perfidiam, renuntiavit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat: quia non cohabitat erroribus.* Et paulo post Zachæum sic loquentem inducit: *Iam non sum Zachæus non prædo, non fraudator. Reddo, quæ sustuli, reddo, quæ auferre consueveram. Iam dono pauperibus, quos antè nudabam; jam mea confero, qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina postquā Christus intravit.* Idem in figura Arcæ fœderis prælusum est à Deo, quando ad ejus adventum diffugêre aut succubuere hostes Israelis. Unde cum in itinere per desertum elevaretur ad progressum, dicebat Moyses: *Surge Domine & dissipentur inimici tui.* Numer. 10. Quamobrem Hebræi producebant eum ad castra, tempore belli, & quidem magno hostium pavore, uti paret Josuæ 6. & 1. Reg. 4. Eadem in templum Dagon illata, non est passa juxta se Idolum, sed semel atque iterum prostravit, 1. Reg. 5. Quorsum verò hæc spectant, nisi ut videamus quanta injuria Deum afficiat, qui peccatum velut capitalem ipsius hostem inducit in cor suum, Deo consecratum. Ea enim tanta est ut ipsum etiam Deū provocet ad flagellum sua manu corripiendum & vindictam sumendam. Quando igitur Dominus primò per baptismum, deinde per pœnitentiam iterum ad te intravit, vide ne admittas hostem ipsius infensissimum, peccatum; vide ne eum inveniat, quando ad te ingressurus est in sacra communione; ne in tempore iræ suæ disperdat te.

II. *Quia Magistratuū peccata ipse punit.*

II. Respondet sanctus Gregorius lib. 24. Moral. cap. 14. *Quia rectores habent Iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit & cathedras vendentium columbas evertit: nimirum significans, quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum.* Admodum probabile est, quod sentit D. Hieronymus, Beda, & alii, nundinatores istos fuisse sacerdotum ministros, qui jussu & nomine dominorum suorum mercimonia in templo exercebant (imò aliquot summi Pontifices, uti Anacletus ep. 2. Pius I. ep. 1. Julius I. in rescripto contra Orientales putant ipsos sacerdotes è templo fuisse ejectos) ut empta populus pecora ad sacrificia offerret. Quod etsi alioquin ex lege concessum erat, turpe tamen fuit, ut has nundinas sacerdotes & in templo Dei proponerent. Quia verò sacerdotum dignitas plebi subjici non debet, ideò eorum peccata Christus ipse plectere voluit, uti idem S. Gregorius hom. 17. in Evangelia clarius exponit: *Quo modo*, inquit, *subditorum culpas per Præpositos ulciscitur, tunc Præpositorum mala per semetipsum sæviens damnat. Unde & ingressus in templum, per semetipsum quasi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei pravos negotiatores ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit: quia subditorum quidem culpas per pastores percutit, sed pastorum vitia per semetipsum ferit.* Boves illi duodecim ex ære fusi, qui gestabant mare æneum, facies quidem antrorsum versas & conspicuas habebant, terga vero & posteriora introrsum abdita gerebant. 3. Reg. 7. Significabant autem 12. Apostolos & eorum sequaces animarum pastores, baptismum in Ecclesia administrantes; quorum exempla bona prostare omnibus ad imitationem debent, mala vero abscōdi, quia suo tempore judicabit eos Christus & severè quidem puniet quasi propria manu, ut qui suo scandalo alios etiam perverterint, & quod alios docuere faciendumque intellexere, minime ipsi fecerint. Quod etiam de Magistratibus sæcularibus intelligedum est. Quemadmodum enim Samuel Propheta Regem Amalecitarum, Agag, sua manu obtruncavit. 1. Reg. 15. Ita Deus Principes & Prælatos, cum legibus non subsint, per semetipsum punire solet. Unde Ps. 81. dicit: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Nempe ut in rep. crimina leviora ad inferiores Judices referuntur, graviora vero ad supremum Magistratum: ita gubernatorum scelera, quia fœdiora & damnosiora sunt, Dei judicio reservantur. Nemo igitur præsumat judicare aut quavis violentia invadere Prælatos, quia hoc aliud non esset, quam eripere Christo flagellum ejusque jurisdictionem sibi arrogare.

III. *Quia in domo propria latrones deprehendit.*

III. Quia in domo Dei adeoque propria latrones deprehendit: sua igitur manu sanctissimam suā domum ab immundis beluis juste expurgavit. Scimus quanta in iracundiam exarserit Assuerus, quando vidit Amanem corruisse super lectulum Reginæ tametsi precabundum, contra omne tamen decorū. Id enim

Id enim Rex ſiniſtre interpretans : *Etiam Reginam:* inquit, *vult opprimere, me præſente in domo mea.* Quare in eum mox, non per Judices, ſed ore proprio ſententiam mortis tulit. Eſth. 7. Videbatur enim Aman Reginæ inſidias moliri & aulam regiam in lupanar velle convertere. Jam vero ſcimus adulteros à marito in flagitio deprehenſos jure merito invadi, & manu ejus propria necari impunè. At quid Eccleſia niſi domus, imo & ſponſa Chriſti? eo enim nomine in officio Dedicationis ſæpiſſimè compellatur. Hanc ſuam domum hanc & ſponſam magno admodum zelo Chriſtus cuſtodit & cuſtoditam vult. Idcirco enim de ipſo, templum à nundinatoribus expurgante, ſcriptum fuiſſe Pſ. 68. *Zelus domus tuæ comedit me,* intellexerunt Apoſtoli. Ex nimio enim zelo illo, domus ſuæ mundandæ, occaſionem dedit Judæis, ut vitæ ejus inſidiarentur & crucem procurarent. Itaque Dominus templo, velut ſponſæ ſuæ ſedulo invigilat; ſicut & illis, qui in eo commorantur: obſervat eorum verba riſus, nutus, aſpectus: ac quiſquis eam modo aliquo contaminare audet, pro adultero habetur: meritoq; timet, ne in præſentem Dei vindictam incidat. Jam verò queritur Dominus in hod. Evangelio domum ſuam converſam eſſe in ſpeluncam latronũ. Qua ratione? quia per negotiationes iniquas quaſi ſpoliabantur ibi homines. Quare alibi, cum ſimiliter expuliſſet nundinatores apud Joan. c. 2. dixit. *auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Quænam verò illa fuerunt, quæ ad nundinas illas proſtabant? Boves & oves, & columbæ & æs nummulariorum, ut ſcribit ib. Joan. Quinam inferunt boves in templũ? Utiq; tardigardi, qui ſub finem rei divinæ poſtremi ingrediuntur (auff der Ochſenpoſt) quid enim bove tardius? Verum *quem non infirmitas detinet,* inquit Cæſarius Arelatenſis hom. 29. *non ſine reatu animæ ſuæ tardius ad Eccleſiam venit. Rogo vos fratres ſi inſtitores, ſi aurifices maturius vigilant, ut poſſint corporis neceſſaria providere, nos non debemus ante lucem ad Eccleſiam ſurgere, ut peccatorum indulgentiã accipere poſſimus?* Quinam inferunt oves? utique loquaces, qui garritu ſuo & ſe & alios turbant atq; à re divina & verbo Dei impediunt; quid enim ovibus frequentius quam balatus edere? primum ſacellum Chriſto dicatum invenimus antrum illud Bethlehemiticum, à Chriſto nato conſecratum; at myſterio non caret, quod in eo ſummum ubiq; repertum eſt ſilentium. Nihil in eo locuta legitur Deipara; (quando enim ait Lucas de ea : *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, &c* Per verba intelligi facta) nihil Joſephus, nihil Magi, nihil denique Angeli. Videtur ergo Deus in hoc primo ſacrario ſancire voluiſſe ſilentium; eoque templa alia quaſi privilegio aliquo cohoneſtare. Quinam inferunt columbas? nonne illi, qui vagabundis oculis, quaſi columbæ in templo circumvolant? nonne etiam illi, qui profanis cogitationibus huc illuc liberrimè evagantur, jam in domum, modo in agrum, modo in horrea, modo ad convivia, &c. Quinam vero pecunias? Utique comptuli illi, qui auro & gemmis onuſti veniunt ad templum, ut ſuas oſtendant divitias, ſiquidẽ ornatus pretioſus divitem potius, quam ſpecioſum demonſtrat. Non ad iſtas nundinas extructæ ſunt Eccleſiæ; ſed ad alias, de quibus Sanctus Chryſoſtomus hom. 21. in Gen. ait : *Eccleſia Dei eſt mercatus quidam ſpiritualis, medicorumque officina animabus, & par eſt, ut ſicut qui ad nundinas veniũt, inde multis mercibus conquiſitis redeamus, vel quaſi è Medici domo receptis, quæ animabus noſtris congruent, medicam ntis exeamus.*

IV. *Quia in flagranti delicto reos deprehendit.*

IV. Quia in flagranti delicto reos deprehendit. Nemo autem neſcit vehementius accendi vindictæ appetitum in Judice; quando ipſe reum in facinore deprehendit; tunc enim tempus eſt exercendi zelum juſtitiæ, ut oſtendat quam ſibi cordi ducat juſtitiam Deique honorem; quamque averſetur legũ transgreſſiones. Sæpius objurgati fuere Judæi per ora Prophetarum de variis injuriis templo illatis, uti Jerem. 11. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa?* Et Iſa. 26. *In terra ſanctorum iniqua geſſit,* Et diſſimulavit ad tempus Deus, donec ipſemet in terram & templum ſuum veniret. Quando igitur in perſona deprehendit prævicatores, nunquid jam diſſimulare aut differre diutius vindictam potuit? Nullo modo, ſed prætermiſſa omni forma judicii & proceſſus ordinarii, reos jam convictos adoriri debuit & plectere ſua manu, ad demonſtrandum honoris zelum erga patris ſui domum. Neque erant quod opponerent improbi, in ipſo ſcelere deprehenſi; quare, uti Dominus admodum probabiliter ex ipſorum nundinantium funiculis fecit ſibi flagellum, ad caſtigandos & ejiciendos illos: ita ex ipſorum peccatis a ſe deprehenſis cauſam vindictæ ſibi deſumpſit, ut non haberent ulla ex parte, quo ſe excuſarent. Quemadmodum enim cœlum ſemper ex ſe ſerenum eſt, nec niſi ex objectis ſibi a terra vaporibus occaſionẽ ſumit fulminandi & tonandi, vineas & agros grandine verberandi: ita Chriſtus Dominus, non niſi ex funiculis, ab ipſius templi violatoribus ſibi oblatis, flagellum fecit, & anſam vindictæ arripuit. Quid ad ſui defenſionem objectare poterant? Unde Pſ. 9. dicitur. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Quam ergo temerarius eſt peccator, qui peccatum ſuum diutius continuare & in longum quaſi funem audet contexere? Nonne fures & latrones quam poſſunt celerrimè flagitia ſua perpetrant, ne in flagranti comprehenſi delicto ſine ullo juris proceſſu ad ſupplicia abripiantur? Et tu audaciſſime in via peccatorum ſtabis? & in cathedra peſtilentiæ ſedebis?

V. *Quia voluit ſpecimen præbere ſuæ potentiæ.*

V. Denique hac oblata occaſione voluit præbere Dominus ſpecimen aliquod potentiæ & ſeveritatis ſuæ, quam in die judicii exeret plena & armata manu in reprobandos. Hic flagello ſolum è funiculis conflato Dominus uſus eſt, & tamen ingentẽ

populi

populi multitudinem nullo negotio nemineque obsistente è templo ejecit: quid faciet quando arripuerit gladium suum bisacutum? De fortissimo illo Heroe, Georgio Castriotto, dicto Scanderberg scribit Barletius libro primo vitæ capite vigesimo octavo, petitum aliquando fuisse à Mahumete, Turcarum Imperatore gladium ejus, quo in præliis uteretur, bona fide remittendum. Misit illum Georgius, sed cùm nemo in aula Turcica repertus esset, qui eo commodè uti posset, remisit eum Turca & renunciavit Castriotto, non videri hunc ipsius gladium esse, quod intractabilis esset. Cui rescripsit Georgius, bona se fide gladium suum misisse, verùm robustam manum & brachium suum, quo medios scindere Turcas & transversos dividere soleret, non misisse. Simile aliquid nobis demonstravit Dominus in hod. Evangel. exiguos enim & ad verberandum valdè inidoneos assumpsit funiculos; & his tamen stravit & ejecit tam copiosum populum. Quod si hoc levi flagello neminem enecuit, uti non dubitandum: scire tamen debemus, validam & robustam manum suam nondum omninò demōstrasse. Flagellavit enim reprobos hic ad pœnitentiam, ibi flagellabit ad internecionem. Quod si tam paucis funiculis tantam edidit stragem & injecit terrorem: quid erit cum arripiet romphæam, de qua Deut. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, &c. gladius meus devorabit carnes.* Pugnat hic cum peccatoribus manu quasi sinistra; sicut peritus pugil cū tyrone: ibi utetur dextera & seriò percutiet. Quare perspecta jam fortitudine sinistræ manus illius, timeamus ejus dexteram, & dicamus cum S. Job. c. 13 *Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar: Manum tuam longè fac à me & formido tua non me terreat.*

THEMA IV.

Varii effectus, quos in peccatore producit mala conscientia.

I. *Cor pavidum.*
II. *Deficientes oculos.*
III. *Animam consumptam mœrore.*
IV. *Vitam quasi pendentem ante se.*
V. *Timorem continuum.*
VI. *Tædium vitæ & sui met accusationem.*

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Luc. 19.

JUre miretur aliquis, cur nemo ex tota multitudine eorum, qui in templo negotiabantur, Christo se opposuerit, quando unus ipse tam multos è tēplo ejecit: cur nemo se defenderit & vim vi repulerit. Sed videtur causam tangere Dominus, quando negotiatores illos ex obliquo *latrones* appellavit. Quid enim timidius est latrone, cum imminentem sibi cernit Judicem? latrones autem erant illi, quia iniqua & turpia lucra venabantur in ipso templo, quasi ibi laterent in aliqua spelunca. Et si rem bene expendimus, latro dici potest omnis peccator, qui cùm Dei hostis & gloriæ ejus prædator sit, latet in conscientia sua velut in spelæo interim tamen vivit in continuo timore ac pavore, quemadmodum dicitur Deuter. 28. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis, &c. dabit tibi Dominus ibi cor pavidum & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die. Manè dices: quis mihi det vesperum? & vespere: quis mihi det mane?* Quibus verbis non unus sed varii affectus insinuantur, quos in peccatore producit mala conscientia, uti nunc videbimus.

I. *Dabit tibi Dominus cor pavidum*; quia in perpetuo timore est; prout etiam Levit. 26 dicitur: *Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostiū: terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente.* Patet inprimis in Caino, qui patrato parricidio profugus in terra timuit, cum vel nemo adhuc præter parentes ejus extarent, vel deinde meri ejus consanguinei, à quibus tamen ita sibi timuit, ut ædificaret sibi civitatem qua se tutaretur, Genesis 4. ut ibi Rupertus cap. 10. & alii explicant. *Latebat miser*, inquit D. Ambrosius in Psalm. 33. *tremens & timens: & cum percussor adhuc deesset, ipsa sese injusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non ut vita suavitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, ut percussorem suum quotidie moriendo pateretur.* Signum ergo illud à Deo impositum, potius ei crux quam solatium erat, secundū Ambrosium S. Chrysostomus homilia 3. de verb. Isa, locutus de adultero. *Omnia*, inquit, *pavet metuitq;, qui talis est, ūbras parietes, ipsos lapides, tanquam vocem emittentes, omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes; eos, qui norunt omnia, eos qui nihil norunt, &c.* Notum illud de Besso, quem post occisam matrem, refert Plutarchus de sera Num. vind. hirundinum nidos hasta deturbasse, quod diceret ab eis parricidium suum evulgari & garriri. Idem meruit Herodias à lingua Joannis, si forte revivisceret, si credimus Niceph. l. 1. c. scribenti: *Herodias Joannis reprehensionem etiam post capitis resectionem verita, conjungereq; id reliquo corpori timens, apud se remotis arbitris in abstrusiore Regiæ loco sepeliendum duxit.* Metuit ergo Herodias emortuum Joannis caput. O miseram peccatricem.

II. *Deficientes oculos*: ita videlicet ut eos levare ad hominum, præsertim honestorum aspectum non audeant. Patet hoc in facinorosis, qui *averterunt faciem suam ne videant cœlum, & non recordentur judiciorum justorum*; uti de duobus senibus improbis dicitur Dan. 13. Ita Caini facies dicitur concidisse: *Cur concidit facies tua?* Gen. 4 *Nonne si bene egeris, recipies?* Hebr. *levabis*, vel *attolles tibi*: faciem scilicet, quam nunc velut malè tibi conscius abscondis? Sic

Sic etiam ait 2.Reg.2.v.22: Abner Asaëli: *Recede, ne forte compellar confodere te in terra, & levare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum:* quem militiæ principem, & primum in aula Regis futurum sciebat. Neq; solum oculi corporis, sed etiam mentis eos deficiunt, ut nihil considerate & prudenter agere queant, perturbata nimirum ex facinore conscientia, uti patuit in Abimelech, Rege Geraræ, qui cum afflixisset Isaacum, & postea deprehendisset ipsum esse Dei amicum, timere sibi ab eo cœpit, & pacem deposcere, asserens interim se nihil eum læsisse. *Ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, &c.* Gen. 26. *Vide*, inquit S. Chrys. ho.52. in Gen. *quomodo pugnantia inter sepræ mentis angore & turbatione loquuntur: ne feceris nobis malum, & interim timent sibi, quod eum offendissent.* Neque solum cæcutientes & perturbatos, sed etiam elingues facit mala conscientia; ut patuit in Hebræis, quando cum eis expostulavit Elias ob desertum Deum Israel, & receptũ Baal, dicens: *Usquequo claudicatis in duas partes! Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Quid ad hoc illi? *Et non respondit ei populus verbum* 3.Reg.18. Quia nimirum malè cõscius animus non habet quod respondeat, cernens se convictum, teste Eliphaz c.5. Job: *Iniquitas contrahet os suum*, uti etiam dicimus ab eo, qui reprehensus quod nuptiali careret veste nihil habuit quod responderet. Matt. 22.

III. *Et animam consumptam mœrore;* Idem minatur Levit 26.39. illis verbis: *Tabescent in iniquitatibus suis.* Mœror ergo velut longa tabes sensim consumit eos, qui male sibi conscii sunt, & vitam eis præcindit. Apud Ægyptios mos erat, ut parẽtes, qui filios occidissent, tribus diebus & noctibus continuis circa defuncti corpus assisterent, publica etiam custodia adstante: sicq; continuo dolore factiq; pænitentia affligerentur. Diod. lib.1.c.6. Sequitur hæc pœnitentia & mœror omnes facinorosos, tametsi eorum scelera & damna data non proponantur eorũ oculis, quocunq; fugiunt, eã pœnam secum ferũt quia continuo roduntur & paulatim consumuntur. Expertus est Althemenes, ille Caratrei, Cretensium Regis, filius, qui patrem in seditione non agnitum, cum occidisset, fugiens hominum consortia solus per deserta & invia oberrans, dolore consũptus expiravit auct. eod. Diod. l.5.c.13. Congruit malæ cõscientiæ quod Isa. c.14. dix. de Babyl. *Ponam eam in possessiõ. ericii.* Ericius n. dum fœtum mille aculeis horridum in utero gestat, eniti differt; tandem ejus aculeis prorsus enecatur. Quid aliud mala consciẽtia nisi hujusmodi fœtus, mille angorũ aculeis armatus? Hujusmodi ericium alebat impius Imp. Ner. I. Christianor. persecutor, qui ut humanum sanguinem, quo se cruentarat, abstergeret, balneum omnibus deliciis constans, variasq; voluptates excogitavit, quibus sese proluens, Dei & divinæ vindictæ cogitationem amoliretur & impressos sibi scelerum aculeos mitigaret, frustra tamen fuit. Omnem humanam vocem perhorrescebat, si catulus paululum latraret, aut caneret Gallina, aut si ramus arboris, vẽto moveretur, graviter concutiebatur: nec audiebat loqui clarè cum præsentibus; tandem seipsum ferre non valens & variam mortem frustra sibi inferre tẽtans, fugit è Roma & ad quartum ab urbe lapidem seipsum transfixit. Suet. & Xiphil. in Nerone.

IV. *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Quod inprimis sic exponi potest; quasi peccator seipsũ sibi videre videatur velut patibularium, jam ob scelera morti addictum, imo jam suspensum, vel sic, quasi eos, quos graviter offendit, semper ante oculos sibi obversantes & suspensos, vindictamq; petentes videat. Hoc sensu utiq; dicit Dav. ps.50. *Peccatum meũ contra me est semper*, quasi vir armatus, vel Urias ab eo occisus (unde postea addit: *Libera me de sanguinibus*) semper exposcens vindictã. Unde D. Ambr. in ps.35. *Offenditur nobis*, inquit, *ultrix nostri imago peccati, nec quietũ reum suũ esse permittit inferens miseram servitutem, atq; in sua vincula trahit, ut emendare se non queat &c. Itaq; cum oramus, peccatũ offũditur: ubi somnus sensum corporis laxaverit, peccatũ recurrit; semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit; vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem,* Sic ille. Quod etiam gravibus quibusdam peccatoribus & maximis parricidis visibili specie contigisse legimus, uti Ner. Imp. qui cum matrẽ occidisset, fassus est materna se specie exagitari furiarum verberibus ac tædis ardentibus, apud Suet. Theod. Ro. Regi, qui occiso Symmacho caput piscis, mensæ illatum, aspexit velut caput Symmachi, eoq; conterritus à mensa in cubiculum discessit & terrore inde concepto brevi extinctus est, auct. Joa. Magn. Cœlio l.27.c.22. & aliis Const. Imp. Græco, quem frater Theod. Diaco. ab eo occisus, habitu diaconi per quietem crebrò insecutus est, poculum sanguine plenum ei præbens ac dicens: *Bibe frater.* Quod ut fugeret Constans in Siciliam sedem transtulit, ibiq; periit. Cedren in compend. hist. Simile est quod in Prat. Spirit. c. 166. refertur de latrone quodam, qui à Zosimo susceptus in monast. an. 9 in eo vixit, postea habitum sæcularem a Zosimo repetiit. *Senior autem tristis effectus ait illi: Cur fili? Qui respondens ait: Ecce novẽ (ut nosti pater) annos egi in cœnobio, & quantum potui jejunavi & continenter vixi & cum omni quiete, & timore Dei fui in subjectione, & scio quia infinita illius bonitas multa peccata mea remisit mihi. Verum tamen aspicio sæpius puerulum astantem, & dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cum ad communionem pergo, & in refectorio hæc eadem mihi dicentem; & vel una hora non sinit me quiescere. Ideo itaq; pater abire volo, ut pro puerulo moriar: Frustra enim & sine causa occidi puerulum istũ. Sumptis ergo vestimentis suis exiit: Et cum sic indutus pergeret Diospolim tentus est & sequenti die decollatus.* Vere igitur S. Bas. ho. in divites avaros ait: *Sicut umbra corpus, sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem manifestam referens.*

IV. *Vitam quasi pendentem ante se.*

V. Te

V. Timorem continuũ.

V. *Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* quasi dicat: nusquam fides, ubique insidias timebis & insidiatores vitæ tuæ. Idem testatur Eliphaz in cap. 15. Job: *Cum pax sit,* inquit, *ille semper insidias suspicatur. Non credit quod converti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Patuit hoc primum in Caino qui etsi nota immunitatis à Deo signatus omnes velut insidiatores fugiebat, dicebatque: *Omnis qui viderit me occidet me.* De quo S. Chrysostomus homilia 20. in Genesin ait: *Peccator habens acrem illum accusatorem, conscientiam, nunquam sic in solicitudine versatur, quin suspiciones timeat, umbras tremiscat & eos, qui conscii sunt, & qui non sunt. Perpetua in animo ejus tempestas est ac contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed terrore & formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet: neque amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate possunt: sed quasi carnificem circumgestat, se lancinantem & flagellantem continuo, &c.* Patuit deinde in fratribus Josephi, qui licet omnem humanitatem & benevolentiam à Josepho prius accepissent, cum ad eum introducti fuissẽt, dira sibi ominantes: *Introducti sumus,* inquiunt, *ut devolvat in nos calumniam & violenter subjiciat nos servituti.* Genesis 43. Rursumque ubi fratris beneficio jam diu in Ægypto sustentati optimeque habiti essent, patre defuncto, metuunt sibi à fratre, ne recordatus pristinæ injuriæ, ultionem de iis sumat. Genesis 50. *Ne forte,* inquiunt, *memor sit injuriæ, quam passus est & reddat nobis omne malum, quod fecimus.* Artemon ob vitæ improbitatem adeo timidus fuit, ut domi plerumque vixerit, duobus servis supra caput æneum scutum tenentibus, ne quid supernè caderet in lect. ea non nisi adoperta, eaque humili vectabatur, metu ruinæ, ideo *periphoretus* dictus. Plut. in Pericle. Fulg. lib. 9. c. 14. Dionysius Syracusan. tyran. non nisi à filiabus tonderi se passus est insidiarum metu ob suam tyrannidem; postquam filiæ adoleverunt, nec illis fisus sibi ipse candentium juglandium aut nucum putaminibus barbam & capillum adussit: cubicularem quoque lectum lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat; forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obseravit. Val. Max. l. 9. c. 14. Mithridates Ponti tyrannus cum somnum caperet, præter excubitores, etiam taurum, equum & cervum mansuefactos adhibebat, ut illorum vocibus & motib. de insidiis moneretur. Ælia. l. 7. c. 66. apud Caussin. in symb. l. 7. Masinissa Numidarum Rex salutem suam custodia canum vallavit. Val. loco cit. En igitur quam vere improbis dictum sit: *Timebis die ac nocte & non credes vitæ tuæ.*

VI. Tædium vitæ & timet accusationẽ.

VI. *Mane dices: quis mihi det vesperum? Et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, &c.* Fatentur ergo se perturbata mente esse, & unde, nisi quia rei sunt? Habet etiam hoc mala conscientia, ut seipsam prodat, nec occultare queat, ob mentis inquietudinem & vitæ tædium. Exemplo est primò Lamech, qui nemine cogente fatetur crimen suum: *Occidi virum in vulnus meum & adolescentem in livorem meum* Gen. 4. In quem locum Chrys. ho. 20. *Quis istum, dic obsecro, talem ad confessionem adegit? Nullus alius quam conscientia, &c. Ita enim se habet peccatum, ut priusquam fiat, obtenebret ac decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifeste nobis absurditatem proferat & ostẽdat.* Post hunc fratres Josephi, qui scelus à se in fratre vendito patratum sedulo absconderunt, & tunica ejus sanguine hœdi tincta patri fucum fecerunt; at postea cum angustia quadam premerentur, mox ipsi culpam suam agnoscunt & fatentur: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Gen. 42. Atqui aliud erat crimen de quo tunc arguebantur; furtum videlicet, sed quia furti conscientiam nõ habebant, fatentur illud alterum, cujus erant cõscii. Recentius est quod scribit Buthnerus in Epist. hist. de tonsore quodam Erfordiensi, qui cum tonderet Canonicum quendam, patrinum suum, vidit in mẽsa bursam (in qua 300. flor. erant) ab eo depositam; unde permotus avaritia, gulam ei præcidit, eumque domi suæ clam sepelivit. Facinus occultum mansit usque ad annum 16. quo tempore tumultus quidam ortus in civitate est, ad quem sedandum missi lictores, cum à tumultuantibus in fugam acti essent confugere in tonsoris domum velut in asylum. At vero is repentino lictorum adventu consternatus, quasi ipse sceleris reus ad necem quæreretur, illico se interfecti Canonici reum fatetur, paratum ad vincula & pœnas subeundas, quo audito attoniti lictores reum abduxerunt, sic ille pœnas dedit.

Jam ergo ne miremur, quod nemo ex omni nũdinatorum turba sese defendere & opponere Christo ausus sit; rea enim conscientia vires eis abstulit, os obstruxit, cor ademit. Quisquis ergo tanta, quæ diximus, mala & tormenta incurrere non vult, conscientiam non offendat.

THEMA V.

Deploranda Judæorum cæcitas, nec non multorum Christianorum.

I. *Quia non agnoverunt Medicum & Salvatorem.*
II. *Quia non agnoverunt suam cæcitatem.*
III. *Quia non cognoverunt tempus visitationis suæ.*
IV. *Quia non cognoverunt diem gaudii sui brevissimi*
V. *Quia non agnoverunt se incurrere in arma Romanorum & excidium suum.*

Quia si cognovisses & tu. Luc. 19.

PLatonis in l. de Rep dial. 3. sententia fuit: *Lachrymæ à claris viris removendæ sunt.* Quod ab ipsa doctrice natura videtur desumpsisse; siquidẽ viri fortes ad fletum non facile commovẽtur: aut si commoventur, inde erubescunt. Hinc David Rex plo-

plorans interitum Abſalonis, operuit vultum ſuum: nec non ob ploratum illum reprehenditur à Joab. 2. Regum 19. Ezechias Rex denunciata ſibi mortis hora, in lachrymas reſolutus convertit vultum ſuum ad parietem; quaſi puderet flentem apparere Regem. 4. Reg. 10. Cleomenes etiam Spartanorum Rex matri valedicens multis cum lachrymis, ab eadem monitus eſt, ut in publicum proditurus vultum componeret ad ſerenitatem, diſſimulatis lachrymis. Plut. in Cleom. Quæ cum ita ſint, quid quæſo ſibi vult, quod Chriſtus Dei Filius flere auditur in hod. Evangelio ſuper Jeroſolymam, & quidem publicè coram turba plurima? Magna utique neceſſitas eſſe debuit, quæ ad fletum eum compulit, neque alia fuit, quam Judæorum miſeranda cæcitas, quam indicat ipſe Dominus inter lachrymas & ſingultus verba illa exprimens: *Quia ſi cognoviſſes & tu!* Ea vero quanta & quam merito deploranda fuerit, nunc videbimus.

I. Deploranda fuit, quia non agnoverunt Medicum & Salvatorem ſuum: quin imò repellebant eum & præterea mortem ei machinabantur: non credentes tot teſtimoniis & ſignis, quæ ipſum demonſtrabant verum ipſorum eſſe Meſſiam. Quam eorum cæcitatem deſignari per ficulneæ groſſos, de quibus Cant. 2. dicitur: *Ficus protulit groſſos ſuos,* ſentit S. Bern. ſer. 60. in Cant. *O groſſum,* inquit, *vipereumque affectum odire hominem, qui hominum & corpora ſanat & animas ſalvat! O nihilo minus intellectũ groſſum, & certè bovinũ qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei!* Et mox: *Non fuga Dæmonũ non obedientia elementorum, non vita mortuorũ beſtialem hanc & pluſquam beſtialem habetudinem ab eis depellere quivit: de qua non minus mirabili quam miſerabili cæcitate factum eſt, ut in illud tam horrendum tamq; enormiter groſſum facinus proruerint, Domino majeſtatis injicientes manus ſacrilegas. Ex tunc itaque dici potuit, quia ficus protulit groſſos ſuos, &c.* Ficus nimirum illa ob ſterilitatem ſuam à Chriſto maledicta, Matth. 21. & altera ob eandem cauſam excidi juſſa, Luc. 13. Groſſi ſunt ficus immaturæ, quæ florum loco primò protruduntur, ſed mox decidunt, nec unquam matureſcunt, quales erant Judæi illi incorrigibiles, qui primi licet à Chriſto vocati ad ſalutem, nullis tamen beneficiis, nullis ſignis & miraculis maturari ad fidem ſuſcipiendam potuerunt. Utinam verò nõ hujuſmodi groſſi reperiantur etiam inter Chriſtianos. Reperiuntur enim non rarò qui quaſi Medicos ſuos non agnoſcerent, ſed pro hoſtibus haberent, ita eos fugiunt, oderunt, invadunt probris & contumeliis, quin etiã aliquando verberibus. Cæci corpore ductorem libenter admittunt & amant: ita enim cæci illi, quos ſanavit Dominus, omnes clamabant & orabant, ut lumẽ reciperent: cæci vero animo tenebras ſuas amant, & viæ directores reſpuunt. Quæ major eſſe miſeria poteſt? quæ major cæcitas? Videntur hac laboraſſe Geraſeni illi, qui cum vidiſſent porcos ſuos Chriſti permiſſu à dæmonibus agitatos & in mare præcipitatos eſſe, rogaverunt eum, ut diſcẽderet à ſe; quia ut ait cap. 8. Lucas, *timore magno tenebantur* Ecur verò? quia Gentiles cum eſſent, metuebant ne ad lumen fidei à Chriſto adducerentur. O inſanam cæcitatem! quaſi dicant: *Recede à nobis, quia viam ſcientiarum tuarum nolumus.*

II. Quia non agnoverũt ſuam cæcitatem.

II. Quia non agnoverunt ſe eſſe cæcos: ſimiles Harpaſti, famulæ cæcæ, quæ ſe cæcam neſciebat, & domum potius tenebris oppletam aſſerebat, ut de ea ſcribit Seneca in Epiſt. 50. ad Luciliũ. Ita enim Dominus ad Phariſæos Joan. 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: Quia videmus, peccatum veſtrum manet,* h. e. ſi ex ignorãtia invincibili eſſetis cæci, peccatum non incurreretis; quia vero ignorantiam veſtram defenditis & haberi vultis videntes ac ſapientes, hinc peccatum incurritis. Rurſum ſi cæcitatem veſtram agnoſceretis, facilè remedium cæcitati veſtræ vel quæreretis vel admitteretis; quia vero non agnoſcitis; ideo cæcitas veſtra incurabilis eſt; cum Medicum non curetis. Hinc redarguti à Chriſto, objecerunt pro ſcuto legem ſuam, quaſi ex illa ſatis illuminati & communiti non egerent ipſius doctrina, cum tamen legem nec, ut decebat, intelligerent nec ſervarent. Communis eſt, hæc miſeria multis aliis peccatoribus, qui ſe in tenebris ambulare & à via ſalutis deviare neſciunt, adeoque defendunt etiam peccata ſua & filios lucis ſe exiſtimant. Horum typus erat Sedecias Rex, cui per Ezechielem prædixit Deus Ezech. 12. *Facies ejus operietur, ut non videat oculo terram.* h. e. in Babylonem captivus ducetur prius tamen exoculatus, ne videat terram illam. Ergo ille excæcatus in Babylonem ductus eſt; ſed quia cæcus erat, Babylonem nõ vidit. Ita aliqui excæcati abducuntur in Babylonem æternæ *confuſionis* (id ſonat Babylon) exiſtimantes ſeſe duci in Jeruſalem ad viſionem Dei; quales inprimis ſunt Hæretici, & alii ſuis erroribus pertinaciter adhærentes, dicentes: *pax, pax, cum non ſit pax.* Videbunt aliquando cæci iſti ſe eſſe in medio terræ hoſtilis undique concluſos, cum aperti fuerint oculi eorum: quo modo Syri milites dum capere quærunt Eliſæum, aoraſia tacti, in medium Samariæ deducti ſunt, cumq; aperuiſſet Dominus oculos eorum, viderunt ſe in medio terræ hoſtilis conſtitutos, velut oves in macello cõcluſos eſſe 4. Reg. 6. Tunc intelligent id pſalmiſtæ Pſ. 118. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.*

III. Quia non cognoverunt tempus viſitationis ſuæ.

III. Quia non cognoverunt tempus viſitationis ſuæ, quo ſalutem ſuam quærere poterant facillimè oblatam ſibi à Chriſto. Mira etiam & miſeranda erat hæc Judæorum dementia. Nullæ enim creaturæ occaſiones perficiendi ſe negligunt: ignis proximam ſtatim apprehendit & abſumit materiam, ſibi oblatam: aqua in decliviorem viam ſibi apertam illico decurrit: aer in vas liquore evacuatum continuo ſubingreditur: animalia à frigidis regionibus, ſibi periculoſis, ſtatuto & commodo tempore emigrant in calidiores, uti ciconiæ, alia è calidis in frigidiores, uti turdi. Judæi vero Dei veri

cognitione imbuti nescierunt nec viderunt tempus salutis suæ sibi à Christo delatum, cum tam claras alioquin haberent Prophetias, quæ id denunciabant. Hinc queritur Deus de illorum cæcitate, Jer. 8. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Norunt ergo animalia illa tempus veris, tempus seminandi & plantandi, tempus nidos struendi & proles educandi, tempus pabulum suum quærendi, tempus austeram hyemem fugiendi; at verò cæci Judæi non agnoverunt tempus illud acceptabile & diem salutis, quem attulit eis Christus, toties eis promissus. Eam cæcitatem alio simili exprobrat eis Christus, Matth. 16. dicens: *Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum enim est cœlum. Et manè: Hodie tempestas; rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli judicare nostis; signa autem temporum non potestis scire?* Signum videlicet temporis, quo venire debeat Messias, veluti 70. hebdomades Danielis, Dan. 9. & vaticinium Patriarchæ Jacob, de translatione sceptri Juda, Gen. 49. & cæterorum Prophetarum. Tali porrò cæcitate multi adhuc laborant, etiam Christiani: in rebus terrenis lynces, in cœlestibus talpæ: prudentes in sæculo, insipientes in cœlo; oculatissimi in congerendis nummis, ignorãtissimi in comparandis virtutibus ac bonorum operum meritis: sapiunt in bursa, desipiunt in conscientia; similes incolis civitatis in Insula Thule, qui noctu quidem vident, interdiu cæcutiunt, apud Ant. Diog. in ll. incredibilium. Deinde pretiosi temporis commoda ad quærendam æternam suam salutem minimè observant. Quis vere non arguat dementiæ mercatorem, qui elabi sinit nundinas, quibus merces sibi coëmere necessarias debet? Quis non agricolam, qui opportuna ad serendum, arandum & metendum tempora negligit, & ad hyemem differre labores istos cupit? In urbe Ambrosio ad radices montis Parnassi coccus nascitur, è cujus fructu, qui cicer non excedit, animalculum nascitur culice non minus: quod, ubi maturuit fructus, alas induit ac fugit, nunquam reversurum: at si legatur antequam maturescat; ex ipsius sanguine color fit coccineus, quo lanæ tinguntur ad vestitum elegantem & pretiosum. Refert Nicol. Leonicus lib. 4. c. 10. Occasio huic animalculo similis est, quæ si in tempore, cum offertur, arripitur, pretiosum homini fructum affert: sin vero negligatur, avolat non reditura, maximo ejus damno. Sensit hoc damnum sponsa, dum ait Cant. 5. v. 5. & 6. *Surrexi ut aperirem dilecto meo.* Sed interim tardat & forsan occupat se nonnihil circa myrrham ad ungendum & poliendum corpus. Ait enim: *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrá probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atq; transierat.* In quem locum Theodoretus scribit: *Quantum paret detrimenti pigritia, & quantum laboris afferat ignava, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso januam vult aperire, cogitur paulò post non solũ ad januam usque progredi, sed civitatem percurrere & plateas circumire atque in custodes incidere, & vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vocanti paruisset, hæc omnia incõmoda evitasset.* Econtra cautior in hoc David tempora orandi & benefaciendi observans: *Præveni*, inquit, *in maturitate & clamavi* (70. habent, *præveni ante tempus.*) *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.*

IV. Quia non cognoverunt tempus gaudii sui præsentis esse brevissimum, adeoque, ut appellat Dominus, *diem* unam, quam tamen *diem* elegerunt sibi præ beata æternitate, compensandam aliquando doloribus æternis. Tempus illud 38. annorum fuit, quibus elapsis cœpit eorum excidium atque exilium duraturum usque ad finem mundi, una cum gehenna nunquam finienda. Jam vero eadem cæcitate laborant Christiani, paucos vitæ suæ dies ducunt in bonis, & postea in puncto ad inferna descendunt. Unde S. Greg. hom. 39. quæ est in hod. Evang. *Suam hic diem*, inquit, *habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt; ad pacem sunt: quia dum rebus in temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est; ubi justi lætabuntur, & cuncta quæ modo ad pacem sunt, tunc nec in amaritudine rixæ vertentur: quia rixari secum incipiet, cur damnationem, quam patitur, non expavit: cur à prospiciendis malis sequẽtibus oculos mentis clausit.* Sic ille. Quis cæcus & insanus eligat pacem unius diei, sub pœna atrocissimi belli, vel perpetuæ rixæ, per omnem reliquam vitã duraturæ? Quis cum epulone illo vellet ad paucos annos epulari splendidè, & postea famem ac sitim perpetuam tolerare in inferno? Stultam mercatricem appellavit sapientissimus Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, conjugem suam, quæ suaserat marito, ut vitam 10. aut 20. annorum eligeret ut præferret vitæ æternæ, apud Staplet. in ejus vita. Ita desipiunt, quicunque hujus vitæ commoditates sectantur cum dispendio æternæ fælicitatis & damno perpetuæ miseriæ: guttam mellis sorbent, hausturi postea mare fellis amarissimi.

V. Quia non noverunt magnis sese passibus pergere in laqueos, à Romanis sibi parandos, ac denique in excidium suum tam corporum, quam animarum. Non viderunt se a dæmone agitatos impelli in præcipitium gehennæ, quomodo aquila *Stillaris* dicta, taurum in præcipitem locum agit & ruinam dum ejus capiti insidens & morsus infigens, alis suis expansis oculos ejus tegit atque obnubit, ut miser quò currat nesciat, uti refert Ælianus lib. 2. anim. c. 39. Quanquam non tam diabolus, quam ipsorum met malitia eos excæcavit, dum promeruit, ut tali venatori, Diabolo agitandi permitterentur. Unde de illis dicitur Sap. 2. *Erraverunt; excæcavit enim eos malitia eorum.* Id quod etiamnum accidit iis qui terre-

terrenis bonis immersi futura mala præcogitare & cavere nolunt. De qua re sanctus Gregorius homilia citata ait: *Perversa anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia: quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbant: dumque in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem vadit?* Ita ad gladium & internecionem suam ivit Balaam; quando contra expressum Dei mandatum dedit Regi Balac improbum consilium ad perdendos Hebræos; siquidem in itinere vidit Angelum, gladio evaginato contra se stantem & monentem, ne aliud loqueretur, quam sibi præciperet Angelus; certus alioquin, sibi imminere gladium; perrexit tamen nihilominus & docuit Balac Regem rationem ponendi scandalum coram Hebræis, muneribus ejus cæcatus, adeoque cum videret imminentem sibi Dei vindictam & gladium interminatum, clausis tamen avaritia oculis, incurrit in illum, atque ita gladiis Hebræorum in cæde Madianitarum occisus est. Numerorum trigesimo primo. Bene proinde de se ipso vaticinatus est Numerorum vigesimo quarto, versu tertio. *Dixit Balaam, filius Beor: dixit homo cujus obturatus est oculus.* Verè enim; etsi alioquin videns suum periculum obturatum habuit oculum muneribus sibi promissis. Hac via & ratione pergunt ad interitum plerique peccatores. Vident enim periculum damnationis peccato conjunctum; vident hamum sub esca latentem; quia tamen escam amant, obturatis inde oculis involant in hamum, escæ conjunctum. Vident serpentem inter fraga hærentem: sed quia serpentem non ita celerem fore existimant ut ab ipso mordeantur, fraga legere pergunt, sic intercepti à serpente & admorsi pereunt. Ita nimirum voluptatibus, honoribus, divitiis obturantur oculi, ut eorum amore non caveatur periculum, sed incautè incurratur, clausis quasi oculis.

Superest ut hanc animi plagam, vel ipsius Dei lachrymis deplorandam, à nobis excutiamus precibus lachrymis, aliisq; sanctis operibus, ne cęcitatem nostram serò nimis deploremus,

---

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Triumphator Pharisæi Publicanus.*
II. *Honor templo debitus à multis ignoratus.*
III. *E templo qui deteriores redeant,*
IV. *Contra superbiam remedia.*
V. *Damna, quæ infert vana jactantia.*

THEMA I.

Triumphator Pharisæi Publicanus.

I. *Quia retro stetit, Pharisæus ad Altare.*
II. *Quia apertè oravit; Pharisæus apud se.*
III. *Quia vultum depressit; Pharisæus erexit.*
IV. *Quia neminem sprevit; uti Pharisæus.*
V. *Quia se humiliavit; Pharisæus jactavit.*

Descendit hic in domum suam justificatus ab illo. Luc. 18.

HOdiernum Evangelium videtur mihi esse stadium quoddam, in quo duo cursores certant inter se, ubi quemadmodum dicere solemus, posterior præcurrit (der hinter laufft voran/) Publicanus retrò stans descendit è templo justificatus præ Pharisæo, stante coram Altari. Fuit olim in Dania inter Athletas septentrionales quidam, Heraldus nomine, qui cum equis cursu certans eos superabat, non quidem pedum celeritate, sed duobus tantum baculis, seu grallis innixus; quarum subsidio tantos edebat saltus, ut velocem equum in stadium admissum cursu longè anteverteret; auctore Saxone Grammatico libro decimo quarto. Danicæ historiæ. Similem athletam exhibet nobis hodiernum Evangelium Publicanum scilicet, cursorem planè mirabilem, qui duobus nixus baculis, supplici oratione: *Deus propitius esto mihi peccatori:* & demisso corporis habitu, quo oculos deprimebat & pectus tundebat antevertit cursu phaleratum illum equum Pharisæum, quadrupetante sonitu quatientem templi campum: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c. jejuno bis in sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.* Ita enim de ipso pronuntiat cœlestis agonotheta Christus: *Dico vobis, descendit hic justificatus* (Publicanus) *in domum suam ab illo,* hoc est, præ illo. Verum hic requirent aliqui, qua ratione & qua in re superarit Pharisæum Publicanus ille, quod nunc ostendemus.

I. Pharisæus orabat stans, utique prope Altare, siquidem ad ejus distinctionem dicitur infra, *Publicanus à longe stans*, quasi Pharisæus steterit pro- *I. Quia retro stetit, Pharisæus ad altare.*

prope Sanctuarium. Stabat ergo prope Altare, ut ipso situ ostenderet suam confidentiam & cum Deo amicitiam, quemadmodum & illi, quibus exprobrans Isaias capite 58, ait: *Appropinquare Deo volunt.* Et Ezechiel capite 33. *Stetistis in gladiis vestris.* Chaldaicè. *In fortitudine vestra.* Qui coram Imperatore stant, præsertim si prope adstant, præsumuntur primarii ejus amici & Principes in aula, talem se coram Deo reputabat Pharisæus. Non ita Publicanus, qui à longe stetit, indignum se conspectu & propinquitate Dei judicans, quemadmodum illi decem Leprosi, qui velut immundi, steterunt à longè, cum invocarunt Salvatorem. Cogitabat enim se esse filium illum prodigum, qui à Dei Patris sui domo discedens abierat in regionem longinquam: cogitabat se à cœlo propter sua peccata longissimè abesse: cogitabat Deum ignem esse consumentem reprobos velut ligna arida & inutilia: se verò tale lignum esse, dignum combustione & consumptione. Hac ratione, dum recessit quodam modo à Deo, attraxit ad se Deum: econtra Pharisæus repulit à se, dum præfidens se esse justum, ad illum prope accessit. Testudo dum in maris fundo manet, in securo degit: at dum sereno cælo è mari emergit & Soli sese objicit, gaudens tangi ejus radiis in dorso exsiccatur, quo fit ut in summo maris fluitans immergere se nequeat, atque ita piscatorum præda fiat. Plinius libro nono capite 10. Idem elatis accidit, qui dum se in altum efferunt, & nescio quæ de se præsumunt, quasi magni sint coram Deo, ejusque amici; hoc ipso omni Dei gratia destituuntur: & dum in fastu suo supernatant, dæmonis præda fiunt. Expertus est hoc quidam Monachus in vita S. Pacomii, qui ad Pacomium & Palamonem Abbates, foris adveniens, superbiæ spiritu inflatus, confidenter ait: *Si quis vestrum sinceram fidem adeptus est, is surgat & nudis plantis prunas has calcare non vereatur, ut nobis fidei suæ testimoniū præbeat. Audiens hoc Palamon statim tantam verborum ejus insolentiam increpavit, & temeritatis, eum, quod rem tantam, nulla urgente necessitate proponeret, redarguit. Is autem majori elatus superbia, in carbones, nudis pedibus prosiliit, & Dæmonum operatione illæsus, eos superavit, atque viris sanctis, quod infirma vel nulla fide præditi essent, impiè exprobravit. Cumque callidus Dæmon eum in fraudem impulisset hoc modo, majore dolo in eum grassari constituit. Itaque assumpta formosæ mulieris specie, quodam die ostium cellæ ejus pulsavit, finxitque se ære alieno gravatam, à creditoribus inquiri; cujus rei periculum ut evitaret, infimis precibus cellæ ipsius latebras petivit. Is autem recenti superbiæ suæ vitio adhuc occæcatus, judicare non potuit dæmonis illam elusionem esse; itaque ipsum dæmonem in forma mulieris latentem excepit, & sine ulla insidiarum suspicione, sermones cum eo miscuit. Cumque dæmonem ejus ad vitium propensio non lateret, cœpit eum carnis illecebris titillare, qui mox cupiditate victus, totus in libidinem miser exarsit. Cumque jam in amplexus, cæca mente ruere vellet, dæmon eum verbere excepit, humique prostratum penè exanimem reliquit. Non multò post ab eodem dæmone misere agitatus, emota mente, per sylvas montesque cucurrit, ac tandem in fornacem balnei semetipsum præcipitans, statim combustus petiit.* Ita Lipelous ex Metaphraste 14. Mart. Non cogitavit iste Deum ignem consumentem, se verò lignum aridum esse uti cogitavit Publicanus; alioquin se cum ipso à Deo elongasset, nec combustus periisset.

II. Pharisæus *apud se orabat*, inquit sanctus Lucas: Tumor enim in mente illum ita inflabat, ut non nisi secum orare & loqui destinaret: coram aliis verò orare & loqui vix dignaretur, ut exponit ibi Cornelius. Fuit ergo similis dissipatori villico, qui dicebat: *Quid faciam? mendicare erubesco.* Luc. 16. Sic nostri temporis hæretici, cum in templo orant, caput pileo immergunt, & orant *apud se*, quasi orare pudeat. Non ita Publicanus: percutiens enim pectus suum dicebat: (utique expressa voce) *Deus propitius esto mihi peccatori.* Non damno orationem tacitam; sed orationem, quam superbia tegit, & quæ sine omni externa compositione ac devotione funditur. Eo enim pertinet, quod Apostolus ad Phil. quarto ait: *In omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum*; per actus scilicet devotionis, humilitatis, reverentiæ, etiam externos; nam *oratio absque devotione*, inquit B. Laurent. Justin. in ligno vitæ de orat. cap. 6, *auribus Dei inexaudibilis est.* Et c. 7. *Ipsa est suavissima harmonia, quando vox cognoscitur animo consonare: nam si hæ duæ res discrepabili sibi varietate dissentiāt, nequaquam possunt gratam Deo orationis facere cantilenam.* In harmonia requiritur ut cum voce manus & organa concordent: pari ergo modo cum oratione gestus externi consonent; interna devotio cum externa. Nota & devota fuit oratio Eliæ, qua *pronus, in terram posuit faciem suam inter genua sua.* (quo gestu expressit miserrimum Hebræorum statum, qualem exprimit infans in utero matris, habens faciem genibus adhærentē, ut scribit Isidorus l. 11. c. 1.) unde facile exauditus est & obtinuit pluviam, post trium annorum & sex mensium ariditatem. 3. Reg. 18. Miramur sæpe quod orantes pro victoria, hostium debellatione, frugum proventu, & similibus Dei donis minimè audiamur. Sed quid mirum? Ubi enim fervor in oratione? Quis non cernit plures Pharisæos, in orando incompositos, indevotos, quam Publicanos, prostratos, ferientes pectora sua?

III. Pharisæus supra alios homines sese extollebat, & erecto capite ac oculis (quod cum de publicano neget Lucas, affirmare videtur de Pharisæo) dicebat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri.* Nihil se cōmune cum aliorum miseriis habere existimabat, sed omnibus præcellere in vitæ conversatione. Contra Publicanus oculos & vultum in terram dejecit, & à cœlo avertit; indicans se nihil cœlo dignum gessisse; imo velut prodigum filium peccando id perdidisse

diſſe; quo modo is, qui ſubſtantiam ſuam ludo perdidit, aſpicere eam non audet. Phariſæus igitur inſtar equi tumidi erecto incedebat collo; Publicanus verò inſtar humilis aſelli capite demiſſo: unde hic deſcendit juſtificatus ab illo; quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* ait S. Jacobus cap.4. Cur hoc? quia ſuperbi ſunt vaſa arrogantiæ vento plena: humiles verò vaſa vacua, gratiæ Dei capacia. Superbi ſunt quaſi montes, qui pluviam cœleſtium donorum præ faſtu non æſtimant, ſed repellunt & excutiunt: humiles ſunt valles, quæ libenter eam recipiunt, complectuntur & conſervant: Superbi involant in jus Dei, quo ſibi gloriam ſuam reſervat & reſervari vult: humiles jus illud ſalvum Deo & intactum relinquunt, & quantum in ipſis eſt, tuentur. Talis erat Job, qui dicebat cap.31. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè. Si oſculatus ſum manum meam ore meo!* h.e. ſi opera mea, veluti eleemoſynas meas & ſimilia quaſi ſplendentia coram hominibus aſpexi, & ſic ea ore meo laudavi, & tanquam mea mihi adſcripſi! ut explicat S. Gregorius in Moral. Ubi addit plus nobis de malis noſtris metuendum eſſe, quàm de imperfectis bonis exultandum. *Neque enim*, inquit, *abſolutus eſt debitor, qui multa reddit, ſed qui omnia: nec ad bravium victoriæ pervenit, qui in magna parte ſpectaculi velociter currit, ſi juxta metas veniens, in hoc quod eſt reliquum, deficit.* Et mox: *More itaq; viatorum nequaquam debemus aſpicere, quantum jam iter egimus; ſed quantum ſupereſt, ut pergamus: ne pauliſper fiat præteritum, quod indeſinenter & timidè adhuc tenditur futurum. Ampliùs igitur debemus inſpicere, quæ bona necdum fecimus, quàm ea, quæ jam nos feciſſe gaudemus.* Quis ergo putat ſe aliquid habere, unde ſibi placere poſſit: cogitet ſe multò plura non habere, vel plura mala, quàm bona habere, unde ſibi diſpliceat. *Age igitur*, inquit B. Petrus Damiani epiſt. 11. ad Deſiderium Abb. & Card. l.2. Epiſt. *noli frater, quod plerique faciunt, tantummodò ſi quid eſt in te virtutis attendere, & vitia quaſi poſt tergum poſita negligentias judicare. Imitare naturalis in pavone diverſitatis exemplum. Qui nimirum pullinos & velut ignobiles pedes præ oculis ſemper habet, inſignem vero caudæ pulchritudinem poſt ſe ſpectabilem præbet Videt in pedibus ruſticum aliquid quod ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat. In promptu eſt, unde ſe debeat in humilitate deprimere; poſt tergum gerit, unde valeat quaſi præ cæteris avibus ſuperbire.* Vidimus alibi ex Juſtini hiſtoria lib.18. ſervos Tyri depreſſis heris ſuis illum conſtituiſſe eligere Regem, qui primus orientem Solem vidiſſet: hunc verò ab eo priùs viſum, qui in occaſum oculos converterat; cæteris ad orientalem plagam aſpicientibus. Phariſæus in hod. Evangelio ad orientalem plagam operum ſuorum laudabilium, oculos direxit: Publicanus ad occidentalem, operum ſuorum vituperio dignorum: ſic deſcendit iſte juſtificatus præ illo: ſic regiam gratiæ coronam obtinuit. Bene igitur Job dicit: ait: *Si vidi Solem cùm fulgeret:* orientem ſcilicet & mihi arridentem.

IV. Phariſæus Publicanum probro notavit, dicendo: *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* Et quidem temerè atque injuſtè; ſi enim priùs noverat eum injuſtum, nunc tamen in templo aſpiciebat pœnitentem, orantem, ſe humiliantem, percutientem pectus ſuum; adeoque jam non ampliùs talem, qualis fuerat. Bene ergo Eccleſiaſticus cap.6. ſuperbum comparavit tauro, dicens: *Non te extollas in cogitatione tua velut taurus*, cornibus ſcilicet proximum feriens, ut exponit Lyranus & Dionyſius. Taurus enim ſolus ſemper ferè paſcitur, non admittens alios, & cornibus ferit accedentes; quales præſertim in Scythia, qui tantæ ſunt ferociæ & roboris, ut equum cum ſeſſore jaciant in ſublime cornibuſque excipiant. Plin. lib.8. cap.15. Alb. Magnus l.22. de anim. Ita Phariſæus ſolum ſe bonum reputabat: *non ſum ſicut cæteri hominum*; quo modo etiam ſuperbus ille Aman ſe jactabat, quòd nullus alius præter ipſum invitatus eſſet ad regium convivium. Eſth.5. & nulli alii quàm ipſi ſummus honor à Rege decretus eſſet. Eſth.6. Feriit deinde & ventilavit cornu ſuperbiæ ſuæ miſerum Publicanum, quemadmodum & Aman pauperem Mardochæum, erigendo ei patibulum. Sed iniquè & perverſè, non enim cogitare debebat, qualis aliquando fuerit, ſed qualis jam ſit. Amaſis Ægypti Rex obſcuro loco natus, ut ſuos ad colendum ſe induceret, pelvim auream, abluendis pedibus adhibitam conflari in ſtatuam Idoli juſſit, quam cum ſubditi adoraſſent, ſibi idem præſtandum ſubjecit; nec conſiderandum quis aliquando fuerit, ſed quis jam ſit. Idem de publicano ſentire Phariſæus debuiſſet; quod quia non fecit, ipſe reprobatus: publicanus juſtificatus: ipſe in pelvim, publicanus in ſtatuam formatus eſt: quemadmodum & Mardochæus humilis evectus eſt in equũ regium, ſuperbus Aman in patibulum. Econtra Publicanus percuſſit pectus ſuum, non alienum: ſe accuſando, non alios. Percuſſit verò pectus veluti petram, peccatis induratam, ut inde fontem lachrymarum eliceret. Percuſſit velut fontem & originem peccatorum ſuorum, quæ non niſi de corde exeunt. Non accuſat dæmonem, à quo ſeductus ſit: non pravos conſultores, non parentes, non amicos aut ſocios, multò minùs Deum, uti primi Parentes, quòd ab eo creatus, quòd libero arbitrio donatus, quòd labi permiſſus ſit, ſe accuſat.

IV. *Quia neminem ſprevit uti Phariſæus.*

Habent etiam ſuperbi hoc, quòd aliorum errores nôrint & obſervent, ſuos verò ignorent atque negligant: quemadmodum hic Phariſæus, qui publicani injuſtitiam aſpexit, ſuam hypocriſin & jactantiam non vidit. Similes celebri illi Meſſalæ Corvino, nobili oratori, qui poſt longam ægrotationem ſuum ipſius nomen oblitus eſt, aliarum verò rerum ſcientiam retinuit, auct. Solino capite 7. polyhiſt. Alios penè omnes nôrunt ſuperbi, ſeipſos verò neſciunt. Laborabat hoc vitio David, cùm in peccato

adhuc degeret. Divitem enim, qui pauperi cuidam oviculam abstulerat, mox reum mortis pronunciavit: se verò, qui Uriæ conjugem abstulerat, reum non agnovit. 2. Reg. 12. festucam in oculo divitis vidit, trabem in oculo suo non vidit. Laborabant Scribæ & Pharisæi; qui in muliere deprehenderunt adulterium, in seipsis verò peccata sua non viderunt, quibus proinde Dominus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8. ubi accusatores condemnavit, accusatam absolvit.

V. *Quia se humiliavit, Pharisæus jactavit.*

V. Pharisæus depromit & recenset suam justitiam, jactans opera sua; *Jejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo*, & hoc ipso perdit ea. Unde S. Gregorius 29. mor. cap. 17. *Pharisæus*, inquit, *civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium & eleëmosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cùm locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus nō est.* Et homilia 7. in Ezech. *Pharisæus, qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi penè per circuitum suæ civitatis custodiæ vigilavit. Sed quia unum in se foramen superbiæ non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit.* Contingit huic Pharisæo, quod glorioso cuidam militi Helvero, dicto Winchelriedo, qui ob cædem factam exul à patria, draconem, qui vicinam ad pagum Underwalden / hoc est, *Transylvaniam*, appellatum, novos accolas infestabat, se perempturum professus, si in patriam reciperetur, belluam quidem interfecit: sed cùm in applausum victoriæ gladium cruentum extulisset, sanguis draconis, gladio adhærens, in brachium ejus defluxit & virolento suo contactu triumphatorem necavit. Refert Stumpfius in Chron. Helv. Quid profuit huic victoria, quam cruor victi interemit, vitaque simul & patria exuit? Quid Pharisæo jejunium & decimatio, quem gloriola inde captata omni mercede spoliavit? Sapientiùs ergo Publicanus non suas exposuit eleëmosyna & similia opera laude digna, (quibus utique non omninò caruit) sed delicta sua; sicque triumphavit. Viator per infestam latronibus sylvam, non induit vestes splendidas, sed laceras & detritas, ne ornatu suo prædonum ungues in se cōcitet. Gallina, quæ liberaliore cantu ova sua prodit, amittit: ecōtra struthio ova sua in scrobe sub arena condit; eaque paulùm digressus, prorsus obliviscitur, nec tamen ideò pereunt ova, quin imò Solis calore arena tepefacta fovet & excludit illa. Plinius l. 10. c. 1. S. Gregorius in c. 20 Job, S. Isidorus lib. 12. Sic, sic virtutum opera cautè abscondenda, & ab operantibus oblivioni danda sunt; nec tamen ideo peribunt, quin imò cœlestibus radiis fota & calefacta ampliores fructus gignent: eo videlicet tempore, quo carne exutâ corporeque fracto, veluti ruptâ testa, ante divini Judicis conspectum sunt prodiitura. *Humilitas* enim teste D. Basilio in Constit. monast. c. 17. *tutissimus est virtutum omnium thesaurus*; dum custodit virtutes & à rapacibus cœli vulneribus defendit. Neque solum Publicanus tacet bona opera sua, sed producit eorum vice peccata sua: *Deus propitius esto mihi peccatori.* q. d. fateor, quia peccator sum, sed misericordiam imploro. Unde Arabicus vertit: *Parce mihi, quia peccator sum.* Leprosi in veteri lege clamare debebant se immundos esse. Hoc facit Publicanus, secundùm animam se immundum clamans. Atque hæc est optima ad cœlum via, *si se homo semper accuset*, ut dicebat Anachoreta quidam apud Dorotheum doct. 7. Teste etiam sancto Augustino sent. 118. *Melior est in malis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.*

Vos jam Audit. judicate utri ex his duobus cursoribus palma deferenda sit, superbo Pharisæo, an humili Publicano.

THEMA II.

Inhonorantes certo modo Templa, cæci & claudi merito dicuntur.

I. *Cæci sunt.*
II. *Claudi sunt.*

Duo homines ascenderunt in templum, Luc. 18.

PRoverbio olim dictum fuit, seu apud Judæos, seu apud Jebusæos: *Cæcus & claudus non intrabunt templum*; uti legimus 2. Reg. 5. Et videtur dictum hoc non carere fundamento: cæci enim templum difficulter invenire, claudi verò difficulter adire possunt. Morali sensu hoc proverbium possumus exponere, si dicamus eos, qui vel cæci sunt, non agnoscentes sua peccata, cùm sint peccatores: vel claudi sunt, agnoscentes quidem peccata sua, sed non detestantes; ingredi in templum minimè debere; quia domus Dei est, adeoque piorum tantùm non impiorum receptaculum. Quo jure igitur, dicet aliquis, ascenderunt in templum duo illi peccatores in hod. Evangelio, Pharisæus & Publicanus? Pharisæus enim etsi pedes habuit operum bonorum: cæcus tamen fuit, quia ea sibi non Deo attribuit. Publicanus verò etsi oculos habuit, quibus se agnovit esse peccatorem: pedibus tamen caruit operum bonorum. Ad hoc respondemus Publicanum quidem claudum ascendisse, sed in ipso templo, dum se humiliter accusavit, erectum in pedes fuisse: Pharisæus verò dum sibi velut cæcus arrogavit opera sua, etiam claudum evasisse omnique opere bono destitutum fuisse. Itaque Publicanus juxta id proverbium dignus ingressu templi fuit, quia jam neque cæcus neque claudus fuit: Pharisæus verò indignus, quia cæcus cùm esset, etiam claudus effectus est. Tales igitur nos è templo excludemus, h. e. templo Dei indignos ostendemus in hod. concione.

I. Cæci

1. Cæci eſſe videntur 1. qui ferè toto anno vix ſemel aut iterum veniunt ad templum, quique eo præterito eunt potiùs ad nundinas, ad ludos, ad popinas, ad prata aut agros. Quid enim de his videtur vobis? nonne videntur iſti templum non videre, adeoque cæci eſſe? Certè Spiritus ſanctus ſatis auguſta templa Eccleſiæ providit, eminentiora ſuper alias ædes, ut omnibus eſſent conſpicua, & tamen adhuc aliqui non videntur ea cernere. Quid enim diceres de illo, qui filum inducturus in acum à foramine ejus crebrò aberraret? nonne cæcutientem judicares? Hoc autem videre eſt in plurimis, qui dum ad templum eundum eſt, abeunt ambulatum, aucupatum, piſcatum, luſum, potatum, mercatum. Sunt reverâ tales cæci ſaltem corde, ut qui lucem fugiunt, quam in templo reperirent; ſed quia tenebras amant velut malè agentes, *ideò non veniunt ad lucem,* uti ait Dominus Joan. 3. Teſtem adduco S. Ambroſium, qui ſermonem ſuum primum ita inchoat: *Libenter nos prædicare & gratanter opus Dei facere manifeſtum eſt. Sed cùm videmus plures è fratribus pigriùs ad Eccleſiam convenire & Dominicis præcipuè diebus minimè cœleſtibus interesse myſteriis, prædicamus inviti: non quò nos pigeat loqui, ſed quia negligentiores prædicatio noſtra gravet potiùs, non emendet. Ideò inviti loquimur & tacere non poſſumus. Prædicatio enim noſtra in plebe aut regnum operatur aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quiſquis enim frater Dominicis non intereſt ſacramentis, neceſſariò apud Deum caſtrorum deſertor eſt divinorum. Nam quomodo ſe excuſare poteſt, qui ſacramentorum die prandium ſibi domi præparans, prandium cœleſte contemnit, & ventris curam faciens, animæ ſuæ negligit medicinam?* Ita Ambroſius. Scimus Chriſtum a Chriſtianis majorem exigere juſtitiam & perfectionem, quàm exegerit à Judæis: & tamen illi ex lege ſua ter in anno tenebantur aſcendere Jeroſolymam; quod iter remotiores intra tres, quatuor vel quinque dies vix conficiebant: præter hoc etiam ſingulis Sabbathis in Synagogas ſuas ad rem divinam conveniebant. Nos templa paſſim ad manum quaſi & in vicinia habemus, & adire moleſtum dicimus? Viderint porrò illi etiam, qui cum Jeroboamo alibi vitulos erigunt, ut ſocios vel ſubditos à templo Dei abducant, ne ſimilem interitum cum ipſo ſortiantur. Porrò cæci iſti non à templo, quod per ſe fugiunt, arcendi, ſed ad illud invitandi imò trahendi & compellendi ſunt, ne excludantur è templo Dei cœleſti.

2. Qui cum faſtu & hiſtrionico vel meretricio ornatu ad templum aſcendunt. Videntur enim iſti planè quorſum eant, minimè videre, adeoque cæci eſſe. Eunt ſiquidem ad Chriſtum crucifixum, Magiſtrum & amatorem omnis humilitatis: hoſtem capitalem omnis ſuperbiç. Qua fronte igitur tales coram eo apparere audent? Quàm enim ſedulò cavent aulici, ne coram Rege ſuo appareant peregrino veſtitu, qui Regi exoſus eſt? Itaque videntur iſti ſibi non ad Chriſtum, ſed ad amaſios & amaſias ſuas ire. Ita enim eos alloquitur S. Chryſoſtomus hom. 8. in 4. ad Timoth. *Quid dicis? Deum precatura pergis & ornamenta aurea circumfers flavoſque crines & ipſos auro compoſitos? An verò ſaltatura ad Eccleſiam pergis; Nunquid hic nuptias & laſciviæ oblectamenta conquiris? num ut tui ſpectaculum præbeas? num tibi nunc inſtruendus eſt thalamus? Illic nempe monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatu crinium, illic pretioſa veſtis locum aliquando fortaſſis habeat. At verò nunc nullo tibi hujuſmodi ornatus atque apparatu opus. Acceſſiſti ut Deum pro peccatis tuis ſupliciter depreceris, &c.* Quare S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus *ſæpe fœminas impudico & meretricio habitu, quaſi inſtrumenta dæmonum ad pertrahendas & in venerem alliciendas animas effugavit. Iuvenes qui ſpectatum venerant, quantacunque nobilitate & gratia pollerent, caſtigatos verbis acriter extruſit.* Ita in ejus vita Vinc. Mainardus. Cæci erant iſti ſecundùm animam, jure igitur è templo ab Epiſcopo expulſi. Perſpicaciores oculos habuit S. Eliſabetha, quæ dum in ſponſi, Ludovici Landgravii Thuringię domo educeretur & à ſponſi matre Sophia ad templum duceretur, ingreſſa templum coronam confeſtim deponebat atque tamdiu inglorium verticem oſtendere perſeverabat, quoad ritu ſacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cùm Sophiæ, velut temerè factum, vehementer diſpliceret, percontanti cauſam ita reſpondit Eliſabetha: *Abſit à me tanta procul impietas, ut ibi caput meum turrito faſtu micantis coronæ ſuperbiat, ubi caput Salvatoris mei ſpinis coronatum acerbè compungitur.* Ita Jac. Montanus in vita.

3. Qui in templo indecenter ſeſe gerunt. Non videntur etiam iſti ſcire, ubi ſint: an in domo Dei, an in aliqua profana; adeoque velut cæci ibi commorantur. Tales ſunt inprimis, qui de rebus profanis in templo colloquuntur, de quibus S. Chryſoſtomus homil. 38. in 1. ad Corinth. ait: *Multi pergunt ad templum Domini non ut orent, ſed ut negotientur, ut civilium domeſticorumque negotiorum ſermones faciant; unde cætera omnia faciliùs in Eccleſia deprehendas, quàm Eccleſiam ipſam,* q.d. iſti neſciunt ſe in Eccleſia eſſe. Non aliter D. Baſilius in Pſal. 28. ad ea verba: *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Ait enim: *Qui in templo Dei eſt, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obſcœnis rebus differtos ſermones pronuntiet, ſed in templo ejus quiſque dicet gloriam. Aſſiſtunt verba deſcribentes Angeli, adeſt & Dominus, affectus intrantium conſiderans. Preces cujuslibet manifeſtæ ſunt.* At verò profani illi velut excæcati præſentiſſimum ſibi in templo Deum minimè conſiderant; alioquin coram eo talia loqui non auderent. Putant igitur iſti ſe in foro, non in templo eſſe.

3. Qui in templo ſe indecenter gerunt.

Tales qui in templo impudicos oculos undique circumferunt & per hoc videntur inſinuare ſe in lupanari potiùs quàm in templo eſſe. Ita enim ſcribit Divus Chryſoſtomus orat. de non contemnenda Eccleſia tom. 5. *Quid agis ô homo in Eccleſia ſtans?*

formæ

formas mulierum curiosè contemplaris? Lupanar tibi videtur esse Ecclesia & foro ipso despicabilior? Nam in foro quidem metuis & erubescis videri mulierem curiosè contemplari? in templo verò Dei, ipse tecum loquente, deque his comminante, talia audes in ipso tempore, quo audis hæc facienda non esse? Præstaret hujusmodi oculos cæcos esse, quam ad hos usum accommodari, &c.

Tales, qui sub re divina ad somnum se componunt, videntur enim sibi in cubiculo vel lecto suo, non in templo esse. Non tulit. B. Constabilis Abbas Gavensis, ut Dauferius Diaconus in ipsius sepulchrum dum in templo commoraretur inter sacra, brachio innixus obdormisceret, sed dormienti apparens dixit: *Quare de sepulchro meo facis grabatum?* Qui timore quidem correptus, paulo post tamen sui oblitus iterum ibi obdormiit, iterumque à Beato audivit; *Nonne tibi prohibui, ut de sepulchro meo non faceres tibi grabatum?* Qui timore perterritus, à somno surgens, brachium suum adeò contractum sensit, ut nullo modo ipsum seu plicare seu extendere posset, precibus tamen beati rursum sanatus est. Apud Sur. 16. Febr. Jam si Beatus hic non tulit, ut ipsius sepulchrum pro lecto aut fulcro etiam alteri serviret: quâ ratione feret Deus, ut ipsius habitaculum convertatur in dormitorium? Tales, qui incomposito corporis habitu vel situ ibi morantur, sub re divina sedent, ad orandum membra non decenti forma componunt: quod sanè taxat Tertullianus l. de orat. *Contra scripturam,* inquit *fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit, siquidem irreverens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus, quem maximè reverearis ac venereris: quantò magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationi adstante? Factum hoc istud irreligiossimum est, nisi exprobramus Deo, quòd oratio nos fatigaverit.* Sic ille. Quod saltem observandum videtur tempore S. Missæ, & universim observavit S. Martinus Episcopus, qui in templo nunquam sedere visus est. Nihilo minùs cæci forent; qui in templo circulos agere aut obambulare vellent ad forensia negotia tractanda, quasi in foro essent; quod inprimis prohibet Concilium Trid. sess. 22 de reform. Tales, qui & mentem liberè nimis in templo distractam habent & alibi vagantem. Videntur enim & isti nescire ubi sint, qui propterea à sacerdote submissa admonentur illa voce: *Sursum corda:* Cujus loco S. Basilius in sua Liturgia habet: *Ubi mentes vestræ?* S. Gregorius Nazianz *Ubi corda vestra?* Cui verbo respondet populus: *Habemus ad Dominum.* Vult ea voce Ecclesia nos excitare & animos nostros, ut se colligant & cogitent, ubi locorum sint: num in horreis aut vineis aut in thesauris suis; denique ut sciant se cum Deo nunc agere.

II. *Claudi sunt.* I. *Qui serò*

II. Claudi esse videntur 1. qui serò nimis veniunt ad officia divina, cum aliorum turbatione & verbi Dei neglectu. Graviter hoc notat S. Chrysostomus homilia 31. in Matth. ita loquens: *Communia officio & Ecclesia omnium est, quam vos priores, nos posteriores intramus illorum formam & exemplum observantes; atque ideò communiter omnibus confestim cùm intraverimus, pacem secundùm illam legem offerimus. Nemo ergo desidiâ veniendi studio supersedeat, nemo sæcularibus suspensum animum rebus habeat, cùm jam ad prædicandum sacerdotes intraverint: non enim parva imminet punitio.* Magnam semper laudem, quin & prærogativam, obtinuit promptitudo ad bene operandum. Ita enim Joan. 5. legimus illum duntaxat in piscina fuisse sanatum, qui post motionem aquæ primus in eam descendit. Et quia paralyticus ille, qui 38. annis ad piscinam illam jacuit (ut sentit D. Chrysostomus hom. 35. in Joan.) utique primus omnium, etsi non in aquam, quod non potuit debilis, ad locum tamen illum, ubi jacebat multitudo languentium, venit, ita ut ante ipsum ex omni illa multitudine nemo illuc descenderit, ideò meritò solus præ omnibus à Christo sanatus est. Scimus etiam ex vita S. Nicolai, eo tempore, quo agebatur de electione Episcopi Myrensis, divinitùs vulgatum oraculum, eum eligendum esse in Episcopum, qui manè primus in Ecclesiam venisset. Ita nimirum Deo supra omnes placent, qui ad Dei obsequium & parandam salutem suam celeres & expediti adeoque inter primos sunt. Scimus econtrà postremos agminis Israelitici, qui lassi residebant, cæsos fuisse ab Amalec. Deut. 25. Qui enim postremi ad bene agendum veniunt, tepidos se produnt in amore Dei adeoque debiles & ad lapsum faciles: uti econtrà qui primi sunt, fervidos se ostendunt adeoque constantes in proposito virtutis.

2. Qui cum gravi aliquo peccato, necdum retractato, ad templum ascendunt. Pes curvus seu claudicans, affectus à Deo, adversus & distortus est, uti enim corpus pedibus, ita mens affectibus, quò vult, defertur. Quâ verò fronte in domum & conspectum Dei veniat, qui hostilia in eum arma secum gerit? quomodo impuritas coram ipso puritatis fonte apparere audet? *Quomodo post consuetudinem cum scortis,* inquit D. Chrysostomus de libello repudii tom. 4. *in Ecclesiam venire poteris? quomodo manus, quibus scortum contrectasti, in cœlum extendere audebis?* Certè Deut. 32. præcepit Deus ne mamzer, seu filius ex scorto natus ingrederetur in Ecclesiam Domini; quod aliqui ad literam de tabernaculo & templo intelligunt, uti Theodoretus, Olympiod. & Dion. Carthus. alii de jure civilitatis, sed quidquid de hoc sit, mysticè certè sensu indicavit Deus, nequaquam decere ut impuri & graves peccatores, necdum pœnitentes, appareant in ejus domo cum spurcitiis suis. Unde Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes ita explicat: *significat eum, qui pro uno solo, qui est Deus, multos sibi falso nomine adscribit Deos: sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres, propter veri patris ignorantiam.* Et verò qui variis se peccatis contaminat, aliud non agit, quàm quòd tot sibi Deos procudit, quot creaturis adhæret præ ipso creatore. Spu-

Spurius igitur eſt,adeoq; à templo arcendus. Quid quòd etiam Athenienſes prohibuêre meretrices & adulteras à phanorum ſuorum ingreſſu ? uti refert Lactantius l.1.c.20. Si impura idolorum templa impuras excluſêre fœminas ; ſanctiſſimum Dei veri templum admittat ſceleratos? D. Chryſoſt. hom. 74. in Matth. aliud hoc non eſſe aſſerit, quàm ſiquis fœtidum cadaver inferat in aulam regiam. *Quomodo,* inquit, *cùm tantis ſordibus refertus malè intus oleas, in Eccleſiam & templa ſancta venire audes? Nam ſi quis mortuum in regiam obruerit, is ultima ſupplicia luet: cogita tu quàm acerbâ pœnâ vexaberis, qui atria hæc adire ſancta & obſcæno fœtore implere non erubeſcis? Imitare meretricem illam, quæ pretioſo Chriſti pedes unxit unguento, & bono totam replevit domum odore, cujus tu contrarium in hac domo facis.* Sic ille. Quin etiam imitare publicanum hod. qui etſi cum peccatis intravit, in templum, pœnitens tamen intravit: quæ fac & tu peccator.

3. Qui finem rei divinæ expectare nolunt, ſed ocyùs ſe proripiunt, non accepta dimiſſione & ſacerdotis benedictione. Claudos appellare poſſū iſtos, qui uno quidem pede bene ad templum veniunt, altero verò malè iterum recedunt, & ita viam ſuam in fine corrumpunt: quia finis coronat opus. Non fruſtra ſculpſit Salomon in oſtiis templi ſui Cherubim & palmas; quia Cherubim, ut exponit Vener. Beda, ſignificant juſtos, qui in Dei Eccleſia degunt: palmę verò perſeverantiam eorundem in bono, quæ ſola palmam fert & coronam, quemadmodum & benedictio fidelibus non datur niſi in fine S. Miſſæ, indicans benedictionem illam, quam ad finem mundi impertiet ſuis Chriſtus: *Venite benedicti patris mei.* Certè Saul perdidit Regnum, quia præſtitutum ſibi à Samuele terminum adventus ejus non expectavit, 1. Reg. 13. De qua re S. Gregorius in eum locum: *Ecce,* inquit, *quàm magna perdidit, qui ut putabat, nulla contempſit. Ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſiit, gloriam tantæ dignitatis amiſit. Vnde & per Prophetam dicitur. Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Eccl. 2. *Suſtinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non conſumant. Quibus nimirum væ eſſe dicitur, quia nō ſolùm incepti laboris mercedem perdunt; ſed etiam apoſtatus ſui pœna feriuntur. Pœna autem ſuperbi, & inobedientis Regis declaratur: Quod ſi non feciſſes, præparaſſet jam Dominus regnum tuum.* Sic ille: Scimus mercedem operariis vineæ non fuiſſe numeratam niſi *cùm ſero factum eſſet.* Matth. 20. cùm operarii in vinea ad finem uſq; diei labores produxerunt. Scimus denique Chriſtum duodennem ad exemplū noſtrum, etiam ultra præſtitutum terminum Jeroſolymis remanſiſſe & in templo perſtitiſſe, ut nobis non difficile eſſet præſtolari ſaltem finem. Sequamur igitur Doctorem noſtrum diſcipuli, ut ab ipſo aliquando audiamus: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum, &c. Et ego diſpono vobis regnum.* Luc. 22.

THEMA III.

E templo qui deteriores redeant.

I. Qui intrant ut ciconiæ.
II. Qui intrant ut infantes.
III. Qui ſicut ruſtici.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo. Luc. 18.

MIra res, Auditores, duo homines aſcendunt in templum ut orent, Phariſæus & Publicanus; & tamen in tam ſancto loco non ambo ſanctificati ſunt; ſed unus ibi à peccatis ablutus, alter peccatis inquinatus eſt: unus inde vitam, alter ſibi mortem extulit. Quidnam hoc eſt? obſecro. Nonne templum locus eſt in quo veluti in thermis ſalutaribus ſanantur ægri? *Eccleſia ſanè locus quidam eſt medicinæ ſpiritualis,* inquit ſanctus Chryſoſtomus homilia prima in Geneſin, *& eos, qui huc veniunt, decet ne domum redeant, niſi congrua remedia acceperint, illaque ſuis vulneribus adhibuerint.* Quomodo igitur Phariſæus è templo domum redit ſauciatus & vulneratus? Rem hanc declarare mihi videtur David Pſalmo 21. ubi domum ſuam, ab arcæ præſentia ſanctificatam, & myſticè Eccleſiam noſtram appellat *locum paſcuæ. In loco paſcuæ ibi me collocavit.* Et rectè; in Eccleſia enim ſaginamur velut oves Chriſti in prato, paſcuis verbi Dei, orationis, miſſæ & ſacramentorum. Jam verò in locum paſcuæ ſeu pratum ingrediuntur oves, & pabulum inveniunt ſatiatumque ventrem efferunt: in pratum involant aves, milvi & ciconiæ, & inveniunt ibi mures, ranas, bufones & ſerpentes, eoſque comprehenſos inde ſecum auferunt: intrant denique & homines; ſed alii velut infantes, floſculos viles & fugaces, alii fœtentes, alii mortiferos inde ſecum auferunt. Idipſum videre eſt in templo, in quod multi ingrediuntur, ſuo ſæpe damno pejùs egrediuntur, dum noxia ſecum efferunt è bono licet prato; uti videbimus.

I. Involant aliqui in templum ſicut ciconiæ & milvi, ſed non auferunt inde niſi ranas. Qua ratione? 1. Ranæ infames ſunt à clamoribus, quibus unitim garrientes aërem replent, & hominibus obſtrepunt. Quibus ſimillimi ſunt, qui in templo confabulantur, nova indagant ac recenſent. Iſti ergo ranas & quærunt in templo & ſecum auferunt. Quanquam & à ranis iſtis pudefiunt, quia ſæpiùs ranæ ſub re divina tacere juſſæ, tacuerunt, ut dixi alibi. Intrant ergo iſti ut homines & fiunt in templo ranæ; nonne igitur pejores exeunt? Si enim domi dicere deberent quid in templo profecerint, nil niſi confabulationem ſuam afferre poſſent. Faciunt igitur è templo paludem ranarum (ein

I. *Qui intrāt ut ciconiæ.*

Trip. hac Dom. C. 2. B. 4.

Froschälcken/) Parúmne hoc est? nonne flagello Christi dignum, qui negotiantes ejecit?

2\. 2. Alii efferunt serpentes; qui ad instar aspidum obturant aures, ne audiant Dei verbum in templo, quo arguuntur. De quibus Psalmo 57. dicitur: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium.* Ut enim aspis, teste Isidor. lib. duodecimo, Origene capite quarto, Augustino, Arnobio, & aliis, ne incantationem audiat, aurem alteram terræ affigit, alteram cauda obturat: ita aliqui ne pungantur Dei verbo, studio avertunt mentem ad cogitationes terrenas, vel in libellum aliquem inspiciunt aut aliquid legunt. Quales erant illi Judæi, qui ad concionem Stephani continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Act. 7.

Dicet aliquis parum referre si legamus potiùs in libello pio, quàm si audiamus concionem. Respondeo si ideò legas ne verbum Dei audias, graviùs te peccare, quàm si Christum volentem ingredi domum tuam excluderes. Duo illi Boanerges cùm Christum Samaritani excluderent ab ingressu civitatis suæ, dixerunt: *Vis dicimus, ut descendat ignis de cœlo & consumat illos?* Luc. 9. Non permisit quidem id Christus, quia non magni æstimabat ex oppido sed maximi æstimat excludi è corde; quod faciunt, qui aures verbo Dei claudunt, de quibus Christus Matth. 10. ait: Sodomæ & Gomorrhæ tolerabilius fore in die judicii, quàm ipsis.

3\. 3. Alii efferunt mures. Quâ ratione? Mures semper aliquid rodere gaudent. Et tales sunt qui Concionatorem judicant & carpunt; quòd non eleganter dixerit, quòd non eruditè, quòd oscitanter, quòd fabulosa attulerit, &c. De his Ezech 33. dicitur: *Audiunt sermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur.* Quomodo vertunt in canticum oris sui? quia sicut ipsi nihil nisi ludicra & fabulosa in ore habent: ita Concionatorem non nisi fabulosa dicere putant. Quales enim ipsorum fauces sunt & palatum, talis videtur esse illis verbi Dei sapor. Unde S. Ambrosius in Psalm. 11. ait: *Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ?* Quomodo carmen musicum? quia censent concionem esse doctè concinnatum figmentum ad demulcendas aures excogitatum. Sed quid de his Propheta? *Cùm venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scies quòd prophetes fuerit in Israel.* Venit, inquam, postridie illius prædictionis nuncius ex Judæa in Babylonem ad Ezechielem, verificans prædictionem Prophetæ ac dicens: *Vastata est Ierusalem*; scilicet à Chaldæis, ut ibid. v. 21. habetur.

4\. 4. Alii efferunt bufones. Qui injiciunt oculos impudicos in aliquas personas, quarum species illis hæret in corde & virus diffundit; quid nisi fœdum & venenatum bufonem efferunt? Bufones Solem fugiunt, unde in cavernas se abscondunt, fimum & lutum diligunt, & tales sunt libidinosi. Bufones cùm tanguntur, veneno inficiunt. Venus etiam cùm aspicitur solùm, fundit venenum. Bufonem nemo non horret: cur non magis fugienda Venus? Ezech. 8. monstraturus Deus Prophetæ abominationes pessimas, quas faciunt in templo homines, jubet ipsum fodere parietem templi & introspicere. Vidit ergo picturas varias reptilium & animalium, uti crocodilorum, serpentum, felium, bufonum, talparum, vespertilionum (quæ Ægyptii velut numina colebant) aliaque Idola, & viros ante ea stātes cum thuribulis in manibus, quasi illis sacrificantes. Quæ hæc abominatio pessima nisi oculi lascivorum in templo aspicientes imagines illas bufonum virulentorum? Unde minatur eis Deus furorem & indignationem suam, dicens: *Non parcet oculus meus, nec miserebor. Et cùm clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

II. Alii intrant cum infantibus, qui non nisi viles aliquot flosculos ibi decerpunt & secum auferunt. Flosculi sunt partim suavis Musica templi partim jucundæ narratiunculæ, quæ subinde insperguntur concionibus à verbi Dei præconibus eo tantùm fine, ut sint vehicula verbi divini, & ut Auditores, ad seria plerumque somnolentos, excitent; ac denique ut traditam veritatem solertiùs memoriæ commendent; solent enim magis hærere, quæ jucundiora & gratiora sunt. Itaque sicut flores in mensam spargimus, tametsi eos non comedimus: & rursum varia bellaria, vel condimenta ciborum, ut gustum excitent & acuant: non ut inde fames sedetur: ita gratiosa quædam interdum miscentur concionibus, ut appetitum audiendi saniora acuant, somnolentiam pellant, &c. Quis nescit Medicos delicatis ægris ingratas potiones saccaro aliisve dulciariis miscere? pharmacopœjos sua pharmaca speciosis vasculis propinare, ut nauseam ægris arceant? sic agunt concionatores. Medici & Pharmacopolæ salutares duntaxat herbas colligunt ex hortis, flosculos alios negligunt: infantes contrà istos colligunt, illos verò negligunt.

Alii, quia non habent internum animi ornatum, pauperiores Pharisæo, explicant externum in forma & vestitu instar pavonum, qui tunc expandunt flabellum suum & spectandum arrogantes proponunt, cùm sui amatores vident. Videntur isti non venire ad templum, ut Christum & rem divinam videant, sed ut ipsi videantur, quo modo fertur aliquando dixisse Carolus V. Imp. de quodam duce de Najara, qui visurus Imperatorem petiit accessum. Cumque magna admodum pompa & splendore adventaret, videns eum Carolus, dixit: *Profectò hic, non tam ut nos videat, quàm ut à nobis videatur, videtur advenire.* Porrò hæc superbia fœtor est coram Deo, ut ex Angelo illo patet, qui

cum

cum Eremita incedens clausit nares, non ante cadaver, uti Eremita fecerat, sed ante comptum juvenem, addens causam: *Tu cùm sis caro, sentis fœtorem carnis. Nos autem quia spiritus sumus, sentimus fœtorem spirituum qui ex peccatis procedit; qualis hic è superbia*, apud S. Antonin. 4. p. summæ tit. 14. cap. 6. §. 1.

Alii pestilentes etiam ac mortiferos, uti puer ille Elisæi, qui missus in agrum ad colligendas herbas pro pulmento, collegit colocynthidas, herbas amaras & pestiferas, putans esse uvas sylvestres, quas cùm coxisset, clamarunt epulantes: *Mors in olla.* 4. Reg. 4. Et qui isti, Utique illi, qui ad templum veniunt sacra percepturi, velut herbas optimas, colligunt mortiferas, dum indignè ea suscipiunt: uvas quærebant, & labruscas efferunt ac mortem. Nam *mors est malis, vita bonis*, inquit S. Thomas Aquinas in hymno. Similiter & illi, qui auditum Dei verbum sinistrè interpretantur & trahunt ad suam perniciem: quo modo tres illi latrones deprædaturi horreum S. Winvvaloci Abb. cùm id noctè intempesta ingressi, aperto ostio multaque luce perfusum cernerent, dixerunt: *Videtur Deus probare facinus nostrum. Vnde enim alioqu n hæc lux & aperta ostia?* In v ta 3. Mart, apud Sur. Sic enim improbi lucem verbo Dei sparsam ad suas intentiones detorquent.

III. Alii intrant sicut rustici in pratum, ut inde fœnum evehant, quod tamen domi mox è curru ejiciunt. Et tales sunt, qui mox obliti, quæ audierunt bona, nihil eorum agunt, de quibus 2. Petr. 2. dicitur: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti.* Huc etiam pertinent, qui rem divinam, cui interfuerunt, parvi aut nihil æstimant ac pro ludo habent. Hujusmodi exemplum describit Æneas Sylvius in descriptione Europæ capite 2. de nobili quodam Styro in hæc verba: *Fama est eaque celebris inter Styrienses nobilem quem, iam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit, seipsum laqueo suspendere. Id ægrè ferentem ex docto quodam viro remedium petivisse adversus eam tentationem. Consilium datum, proprium uti sacerdotem conduceret, qui sibi manenti in arce quadam solitaria singulis diebus rem divinam faceret: paruisse nobilem atque annum fermè continuâsse, nulla suspendii cogitatione interveniente. Postremò rogatum à sacerdote, ut presbytero vicino, qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esset; licentiam dedisse, proponentem in animo paulò post sequi & sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc una nunc altera causa retentum. Denique circa meridiem profectum agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem divinam in monte peractam esse & populum omnem abiisse diceret. Contristatum eo nuncio nobilem infelicemque se esse dicentem, quia eo die sacratum Christi corpus non vidisset: agrestem consolari cœpisse. Venditurum, si vellet nobilis emere, præmium, quod inter existendum divinis meruisset, sagumque nobilis petiisse pretii nomine. Venditione facta nobilem nihilominus montem ascendisse atque orasse in templo. Reversum autem in proxima arbore suspensum agrestem invenisse, sed posteà diris cogitationibus haud quaquam vexatum fuisse.* Ita ille. Nonne videmus hic Pharisæum & Publicanum alterum mortem, alterum vitam è templo extulisse?

Quare Auditores si cum Publicano in templo justificari, non cum Pharisæo inquinari volumus: si vitam, non mortem è templo efferre, intremus non ut milvi & ciconiæ, non ut infantes, non ut rustici; sed ut oves in pascua, simplici & recta intentione, ut pascamus animas nostras, &c.

THEMA IV.

Contra superbiam remedia.

I. *Consideratio majestatis divinæ.*
II. *Consideratio propriæ infirmitatis.*
III. *Consideratio vanitatum, de quibus homo superbit.*

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 18.

Duellum spectavimus in hodierno Evangelio, inter Pharisæum & Publicanum, quale ferè commissum fuit olim inter Goliathum & Davidem 1. Regum 17. Prodit ibi Goliath cum magna corporis mole ac robore, Davidi insultans, confisus in armis suis, gladio, hasta & clypeo: David autem neque staturâ magnus neque armis munitus, præterquàm funda & lapidibus, confisus in nomine Domini: & tamen exilis vastum, inermis armatum stravit. Prodit etiam hic in hod. Evangelio Pharisæus, jactans opera sua bona, & insultans Publicano. Prodit & Publicanus, sed humilis & inermis, sola orationis funda instructus, Deique misericordiæ confidens atque orans: *Deus propitius esto mihi peccatori*; & ecce hoc uno lapide sternit & vincit Pharisæum, descenditque justificatus, velut David triumphans in domum suam. Quis hic Goliathus? quis hic Pharisæus, nisi Superbia, *vitiorum regina*, uti appellatur à sancto Gregorio libro tertio moralium capite trigesimo tertio. Princeps inter capitalia peccata? Hæc fastu & arrogantia sua nemini non insultat, etiam perfectis viris, eosque ad certamen provocat & extrema minatur. Itaque pugnandum est contra illam humilitate Davidis & Publicani. Ac siquidem eam vicerimus, sperandum est non difficilè superaturos nos alia vitia: non aliter ac devicto Goliatho fugerunt omnes Philisthæi. Qua verò ratione pugnandum sit, nunc videamus.

Tribus armis David ad certamen se instruxit, lapide, funda, baculo. Tria etiam arma suppeditat nobis contra superbiam S. Chrysostomus hom. 43. ad pop: *Quomodo*, inquit, *possumus superbiam extinguere? Si Deum agnoscamus. Nam si ex ignorantia Dei nascitur; cum ipsum cognoscimus expellitur omnis insolentia. Cogita ipsam humanam naturam, quod nihil sit homo. Præsentium rerum utilitatem cogita & quod ab umbra somnioque nihil differant. Hæc poterunt nos à tali proposito abstrahere.* Eadem proponit D. Thomas 2. 2. q. 162. art. 6. ad 1. *Postquam motus superbiæ deprehensus fuerit per rationem*, inquit, *tunc facilè evitatur.*

I. *Consideratio majestatis divinæ.*

I. *Ex consideratione magnitudinis divinæ, secundum illud Iob. 15. Quid tumet contra DEUM spiritus tuus?* Verba hæc protulit Eliphaz ad Jobum cogitatione & oculis in cœlum abreptum: *Quid te elevat cor tuum; & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Verius ad superbum verba hæc dirigenda sunt, qui elevat cor suum contra Deum, & quasi magna cogitans hominesque contemnens attonitus cœlum spectat; sed stultè. Quis enim divinam majestatem cogitans, non dico se erigere, sed vel aliquid esse cogitare potest? Certè sancti quique quo propius ad Deum accessere, eo magis nihil se esse cognovere: non secus ac Luna, quæ quo magis Soli appropinquat, eo magis perdit lumen suum. Moyses cum Deo loquens, impeditum se lingua ab eo tempore fatetur. Exod. 4. Isaias Dei arcana aspiciens, impurum se labiis clamat, Isa. 6. Paulus ad tertium cœlum raptus, nescit loqui, quæ vidit: quemadmodum qui fixis oculis Solem aspexit, turbatur visu & penè cæcatur. Sancta illa quatuor animalia, cum fieret vox super firmamentum, submittebant alas suas. Ezech. 1. Quia nimirum sancti *tanto fiunt apud se humiliores*, ait in eum locum S. Gregorius, *quanto eis illud altum est, quod super Angelos sonat.* Dicat nobis Isaias, quanta sit divina majestas. *Ecce gentes*, inquit cap. 40 *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* In quem locum S. Chrysostomus hom. 20. de incompreh. Dei nat. & in c. 1. ad Eph. ser. 3. ait: *Cogita ergo quanta hujus stillæ vel guttulæ pars tu sis, & quantus sis respectu Dei.* Et Sanct. Hieronymus in eum locum: *Quomodo si à situla modica stilla fluat à portante negligitur: ita universa gentium multitudo supernis ministeriis comparata pro nihilo ducitur.* Momentum stateræ ex Hebr. *Sachar*, est minimus pulvisculus, qui injicitur in stateram & pondus, nec auget, nec minuit. Hujusmodi pulvisculi sunt Insulæ, regna, maria. Quid ergo jam eris tu unicus homunculus? nonne cum Abrahamo pulvis & cinis? Itaque homo si à Deo se elonget, non attendendo ad ejus majestatem; tunc quidem se aliquid esse, & quandoque magnum reputat, indeque insolescere incipit: at ubi Deo appropinquat, eum cogitando, ibi nihil se esse conspicit, aitque cum Davide: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Ps. 38. Sic stellæ absente Sole lucem suam ostentant: præsente abscondunt, quia respectu ejus nullæ sunt. Declarat idem B. Dorotheus tr. de renunciatione doctr. 2. *Memini*, inquit, *cum aliquando de humilitate verba faceremus, & quidam de illustribus viris Gazensibus audisset nos isthuc idem asserentes: nimirum, quod quanto quis Deo propius adhæret, tanto se magis peccatorem agnosceret, & viliorem prædicaret, admiratione illum & stupore affectum dixisse, quomodo hoc fieri potest? ignorabat enim, & volebat addiscere. Tum ego illi ajo: Dic mihi obsecro, præclare Domine, quem locum habes in tua civitate? Ille vero respondit: magnum quidem & principem locum teneo. Dico illi; Si Cæsaream iveris, quem locum ibi obtinebis? Viliorem, inquit, & pejorem omnibus, qui illic degunt. Tunc ego. Si vero, inquam, Antiochiam perrexeris, quem ibi te faceres? Cui ille, ut rusticum certè & semipaganum me haberem. Quod si ad regiam civitatem, inquam ego, perrexeris Constantinopolim, quem tibi locum putares? Certè, inquit, ut pauperem & mendicum me existimarem. Tum ego illi: Ecce, inquam, ita se habent sancti viri, quanto propius & vicinius ad Deum accedunt, tanto se viliores aspiciunt & peccatis magis onustos. Sic Abraham cum videre Dominum meruisset, terram se vocavit & cinerem: Isaias virum pollutum labiis, &c.* Si denique & Job dixit c. 42. *Nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* h. e. putavi me terram & cinerem, ut habent 70. Ergo sanctissimi quique quo altius ad Dei contemplationem evecti fuere, eo magis se nihil esse viderunt. *Quid igitur tumet homo contra Deum?* Nondum vidit Job Dei Filium se exinanientem, ut fieret & appellaretur *filius hominis*: nondum humiliantem se usque ad mortem crucis. Hoc videmus nos. Non igitur reprehendat se superbus, videns ante se Dei Filium propter se adeo humiliatũ, imo humiliantem semetipsum: nec appellantem se, quod erat, *Dei Filium*; sed quod misericorditer assumpserat, *filium hominis*, quod gloriæ erat occultantem; quod humilitatis, demonstrantem?

Co[nsidera]tio infi[rmita]tis.

II. *Ex consideratione propriæ infirmitatis* ait S. Thomas loco cit. *secundum illud Ecclesiast. decimo. Quid superbit terra & cinis?* Jonam fugitivum ita interrogarunt nautæ: *Quod est opus tuum? quæ terra tua? & quo vadis?* Jon. 1. Hæc tria sunt, quæ de se exquirere debet homo, ingressum, progressum, & egressum. *De quo factus sit homo, quid faciat homo, quid futurus sit homo*, ut ait Sanctus Innocentius III. Dom. Septuag. ser. 1. *Quæ terra tua?* Terra utique turba seu Adama, ex qua factus est homo. Hæc enim origo & patria nostra nonne admonet nos ne superbiamus? Bene Ecclesiasticus cap. 10. *Non est creata hominibus superbia*, q. d. non competit hominibus superbia, sed potius humilitas: sicut rusticis non est creatum holosericum, gemmæ & uniones; quia non conveniunt illis, sed sagum rusticanum potius. Quare sicut apes arrepto lapillo se prægravant armantque contra ventum; & sicut naves saburra

burra

burra onerantur contra tempestates: sic armare se homo cogitatione terræ, matris suæ, debet contra superbiam. Unde Ambrosius lib. 3. ad Virg *Contemplationem corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus jactantiæ alicujus aura te circumferat* Hoc fine Æthiopum Antistibus vas terra plenum præfertur. Sabell. l. 8. Ennead. 10. Reges Mogor in more habent strenuissimos quosque ex populo & quibuscunque opificiis ad militiæ ac reipublicæ munia idoneos assumere, verum ut eos in officio ac humilitate contineant, jubent eis præferri artium, quas prius exercuerunt, instrumenta, uti fabro malleum; sartori forficem, sutori subulam, ut referunt Epistolæ Indicæ excusæ Moguntiæ anno 1599. Sic quoq; Deus voluit ut Moyses populi Dux electus virgam pastoralem, qua prius oves rexerat, secum ferret. Homo in mortali suo corpore terram & saccum stercorum undiq; circumfert, ut memor originis suæ non insolescat. Quid enim nisi terram & sordes gerit in corpore & egerit ex ore, naribus, auribus, oculis, &c.

2. *Quod opus tuum?* Utique non aliud nisi laborare & pati miserias ac calamitates, quibus subjectus est homo. *Homo nascitur ad laborem*, ait Eliphaz Jobi 5. *Quis enim numerare poterit*, ait sanctus Augustinus de visit. infir. c. 6. *præsentis vitæ molestias, esurire, sitire, algere, calere, lassari & innumerabilia ex ipsa consuetudine nobis domestica &c.* Et S. Bernar. ser. 10. in Cœna Dom. *Quid habet homo miser à mũdo? famem, sitim, nuditatem, frigus crucians, cauma perturbans, scabiem cutis, dolorem capitis, chiragram in manibus, podagram in pedibus, morbum in liene, morbum in jecore, undique miseriam intus & extra.* Quis homo immunis est à plaga variolorum & macularum? (der Kindsblattern vnd Flecken.) Adhæc affligitur homo frequenter à minimis bestiolis, muscis, culicibus, cimicibus, pediculis, à quibus vix nec sine magna molestia defendere se potest. Quæsiverunt de his Marciõ & Manichæus, cur ea Deus creasset. Quibus sanctus Hieronymus (in Ps. 91. verba illa. *Quam magnificata sunt opera tua*) *Ego tibi breviter respondeo*, inquit, *ut ostenderetur, ô homo, fragilitas tua. Qui enim cogitationem tuam in cœlum ponis, respice, morderis à cimice & contremiscis. Quid erigeris in cœlum & cogitatio tua transcendit in cœlum? Ecce à pulice vulneraris.* Sic ille, propterea etiam Deus superbiam Pharaonis non per ursos, leones aut tigrides, sed per muscas, ciniphes & ranas castigare voluit, ut agnosceret utilitatem & infirmitatem suam. Denique *morbosum & ærumnosum ipsius Adami corpus effecit*, ait sanctus Chrysostomus ho. 11. ad pop. *per ipsam docens naturam, ne unquam talem conciperet cogitationem*, scilicet, se posse fieri Deum. Atque idcircò cum omnia sua opera Deus laudasset, hominem non laudavit, ne periculo superbiæ exponeret.

Rursum *quod est opus tuum*, quod non sit imperfectum, fragile, luteum? Cœperunt post diluvium ædificare filii Adam turrim Babel; sed quo fructu? nullo prorsus; nam opus imperfectum relinquere coacti sunt, & pro glorioso nomine, quod quærebant, *confusionem* seu *Babel* messuerunt. Antiqui pictores & sculptores, sua opera consignabant verbo *Faciebat*, non verbo *Fecit*, ut indicarent ea imperfecta esse, teste Plinio in præfatione hist. nat. Sic se habent cætera quoq; hominum opera: imperfecta sũt, fragilia sunt: telas aranearum texunt, cum infantibus è luto ædificant. Et interim sibi nomen immortale quærunt è luteis operibus?

Denique *quod est opus tuum?* peccare nullo fine. Nam Apostolo teste ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei.* Qua sententia prosternit & cõdemnat tam Judæos, quam Gentiles, qui se mutuò spernebant & de sua justitia se jactabant. Eadem etiam omnium hominum cristas dejicit, omnes iræ Dei obnoxios facit, & Dei gratia indigos. Dicat igitur unusquisque sibi: Ergo & ego & peccavi & egeo gratia Dei, præsertim si cogitet illud Augustini homilia 23. ex 50. *Nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo si desit rector, à quo factus est homo.* Quando Philisthæi remiserunt Arcam in terram Israel posuerunt vasa aurea, quæ vocarant pro peccato, in capsellam ad latus Arcæ. 1. Regum 6. Rationem dat S. Gregorius: *quia dum altitudo divinæ cognitionis mentem elevat; ad virtutem humilitatis, infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt* Dum ergo animam rationalem gerimus, quantiscunq; dotibus præditam, ad latus capsellam, peccatorum nostrorum memorem geramus; ne superbiamus.

3 *Quo vadis?* Respondet Deus Gen. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Unumquodque enim secundum Philosophos, resolvitur in ea, ex quibus componitur. Significasse fertur (apud Fab. Justinian. in Tob. cap. 4. de Superbia) hoc idem Philosophus morti proximus, qui rogatus à discipulis, ut documentum eis quod relinqueret, descripsit duo OO, seu duos circulos. Quos illi sic interpretati sunt, animam & corpus, e quibus homo est compositus, perficere in morte hominis circulum, & redire eo, unde venerunt: animam ad Deum, corpus in terram hanc esse viam universæ carnis? Quod si homo ob circulum animæ velit se extollere, deprimat se per circulum corporis. Hæc duo sanctus Bernardus lib. 2. de considerat. Eugenio Pp. expendenda præscribit: *Consideranda*, inquit, *duo hæc simul: rationale, mortale; is tibi exinde occurrit fructus, ut & mortale quod in te est, rationale humiliet, ut rursum rationale mortale confortet* Si superbierit homo ex rationali, quod ei commune est cum Angelis; ex mortali fit humilis, quod participat cum jumentis. Rectius forsan sic expones duos illos circulos; ut corpus quidem in terram, unde prodiit, anima vero ad Deum Judicem, à quo creata est, progrediatur. Quanta hæc humilitatis materia! Idem sibi inculcari jussit Ethnicus Rex Philippus, teste Ælinno libro 8. var. hist. c. 15. *Cum enim in Cheronea fudisset Athenienses, licet fortuna evectus, tamen appetitũ rationi*

 sub-

ſubdidit,neque contumelioſè aut intemperanter aliquid egit proinde conſultum eſſe putabat, quemdam ex pueris quotidie hoc ei manè in memoriam revocare,quod eſſet homo; quare puero delegavit hoc officium,neque ipſe prodibat antea ſicut fertur,neque quiſquam,qui eum convenire vellet,prius ad eum introibat,quam ſingulis diebus puer hoc ter ei proclamaſſet dicens:Philippe homo es. Verum magis patheticè oſtenſum eſt viro cuidam nobili,de ſuperbia tentato,quò vaderet,in monaſterio Hemenrode, in quo converſatus uſque ad ſenium porcos paſcebat, ut refert Cæſarius libro quarto hiſtoriarum capite 4. Is enim demum talia apud ſe cogitabat : Quid eſt quod agis Liffarde?(tali n.nomine appellabatur)tu nobili genere natus in hoc monaſterio à tuis deſpectus,ſubulci adhuc perſonam geris?recede miſer & eos confunde,qui tuam non agnoſcunt nobilitatē. Hæc cum per noctem cogitaret,ſtatuiſſetque mane è monaſterio recedere,illicò quædam illi apparuit reverenda perſona,quæ ut ſe ſequeretur manu ſignavit,Surgens ille citus è lecto,illamque ſequutus, oſtia omnia ad ſenis aſpectum patefieri conſpexit, donec ad cæmeterium pervenerunt, quod cum introiſſent, ſtatim aperta ſunt etiam mortuorum ſepulchra, & ſenex monachum nuper ſepultum Liffardo oſtendens ait: *Vides Liffarde hunc hominem? Citò talis eris: quo vis ire?* cumque ad alia putrida corpora multum fœtentia conſpicienda illum vellet ducere; *Parce mihi Domine ait parce, haud enim illa poſſum videre.* Cui ductor: *Si quod cito eris,non ſuſtines videre,ut quid per modicam ſuperbiam vis de portu ſalutis recedere?* Ad ſe inde reverſus Liffardus promiſit divina auxiliante gratia perſeverantiam,cumque ad cubiculum ſuum ſenex illum reduxiſſet,evanuit. Ecce quam efficaci pharmaco,mortis meditatione, ſuperbia depreſſa eſt. *Nō eſt reſpectus*,ait David,*morti eorum,nec firmamentum in plaga ipſorum.* Pſal 72. *Quod non cogitaverunt*(vertit Hiero.) *de morte ſua.* Et Chaldæus: *Non terrentur, neque conturbantur propter diem mortis ſuæ.Ideo tenuit eos ſuperbia,operti ſunt iniquitate.* Nō cogitaverat Liffardus de morte,cum eum ſuperbia tenuit.Cogitavit mortem Job & cinere caput ſuum aſperſit; cogitavit ſe moriturum,& omnia vana contempſit. Hæc itaque ſunt, quæ cogitare debemus ad ſuperbiæ noſtræ medelam.Quæ eſt terra tua? quod opus tuum ? & quo vadis?

III. Conſideratio vanitatum de quibus homo ſuperbit.

III. *Ex imperfectione bonorum,de quibus homo ſuperbit ſecundum illud Iſaiæ 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri.* Inprimis enim quid ſunt omnia illa de quibus inſoleſcit,& ſuperbit homo,opes,honores,voluptates,fama,forma, veſtes,familia,ſcientia?nonne aurum,gleba terræ?honor,fumus?voluptas mel exiguum? fama, opinio hominum?forma, flos fugax?veſtis aliena, pellis? familia,virtus, ſcientia, ſcintilla luminis? Suntne hæc talia, quæ inflare poſſint hominem , cœlo & ſublimioribus atque æternis bonis natum? Poteſtne placere ſibi & aliis homo prænobilis in ſago ruſticano?Atque ut demus hæc aliquid eſſe,quā modica tamen ſunt reſpectu eorum,quæ non habet homo?Notum illud Socratis factum, qui Alcibiadem ex prædiis ſuis inflatum duxit ad Geographicam tabulam,jubens quærere prædia ſua Quæ cum ibi nō extarent: *Cur igitur*,ait, *ob illa inſoleſcis, quæ nulla pars terræ ſunt?* Idem de omnibus aliis poſſeſſionibus judicium ferri poteſt Quot alii in terris degunt longè te majores,ſapientiores,ditiores, nobiliores, ſublimiores?Et ſi forte in terris non ſint, quot ſunt in inferno Dæmones,quorum vel minimus doctior, ingenioſior,fortior,nobilior te eſt?Et ſi hi non placent,quia damnati:vide in cœlo Angelos. *Solitarius equus*,ait ſanctus Jo.Climachus gr.25 *nonnunquam currere videtur,at ſi gregi ſocietur,tunc ſuam agnoſcit tarditatem.* Et poſt pauca: *Cuidā fortiſſimo athletæ Chriſti,qui ad hanc beatiſſimam virtutem* (humilitatem) *feſtinabat, impuri dæmones laudem in corde ſubſeminabant.At ille divina inſpiratione malignorum ſpirituum nequitiam pio & religioſo compendio vincere aggreditur.Deſcribit in cellulæ pariete altiſſimarum virtutum appellationes, puta perfectæ charitatis,angelicæ humilitatis, mundiſſimæ orationis,incorruptibilis caſtitatis & hujuſmodi virtutum reliquarum.Cum ergo illum cogitationes extollere cœpiſſent,dicebat illis: Eamus ad arguentem, adveniensque relegebat appellationes illas , ſibique ipſi clamabat:Cum has omnes poſſederis,tunc ſcies, quam longè adhuc à Deo ſis Cum enim eas poſſederis,ſervus eris inutilis;feciſti enim quod facere debuiſti.* Præſcribe tibi in tabula fidem Abrahæ, obedientiam Iſaaci,fidelitatem Jacobi, caſtitatem Joſephi manſuetudinem Moyſis,patientiam Jobi, humilitatem Joannis Bapt. Et vide an ea attigeris ; & tunc ſervum te inutilem dic. Quod ſi ob naturæ dona te inflari ſentis,audi Chryſoſtomum hom.39.ad pop, *Fortis es,& altum ſapis,nonne per ea magis humiliari debes?Quare ſapis altum in re viliſſima? Nam & leo te eſt audacior & aper fortior,nec es ad eos culex. At & latrones & fures & gladiatores & ſervi tui fortiores ſunt: hoc igitur laude dignum? Sed pulcher es & ſpecioſus.Cornicum oſtentatio , non es pavone pulchrior neque propter florem neq; propter alas. Verum & cygnus valde pulcher eſt,& aliæ aves multæ, quibus ſi fueris comparatus , aſpicies te quaſi nihil. Frequenter a. & viles pueri & innuptæ virgines, & meritoriæ mulieres & molles viri hanc gloriam habuerunt. At es locuples?unde,quid poſſides?aurum,argentū,lapides pretioſos,hæc ſunt & latronum & metalla ſcrutantium gloria,Sed ornaris & comeris? Verum & equos comptos videre licet,apud Perſas quoq; camelos,hominum vero ſcenicos omnes. Non confunderis in his alta ſapiens,in quibus bruta tecum ſociantur,& ſervi & homicidæ & molles, & latrones, & fures?Sed propter vocem altum ſapis.Cygno luſciniave nunquam tu ſuavius canere potes. At in artis varietate?Et quid ape in hoc ſapiētius: quis phrygio,quis pictor, quis geometres hujus operam poterit imitari? Sed in veſtis ſubtilitate? Verum hac araneæ tibi præ-*

ſtant

stant, At in pedum velocitate, rursum primas ferunt bruta, lepus & caprea. Sed acutè cernis? tamen non sicut dorcas, nec ut aquila. At auditum habes acutum? sed asinus acutiorem. At olfactum? Verum canis te præcedere non sinit, &c. Vides quantum nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora sapiens etiam brutis vilior inventus est.

Deinde unde sunt & cujus illa, de quibus insolescit? itane ea omnia cum homine nata sunt? secumne is intulit in mundum vestes pulchras, opes, prædia, dignitates, scientias, virtutes? Nihil minus. *Quid habes, quod non accepisti?* ait Apostolus 1. Cor 4. *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Omnia enim quæ habet, vel naturæ, vel gratiæ dona sunt: itaque à Deo ipsi veluti pauperi & his omnibus egenti benevolè donata. Quis *n.* gloriatur aut superbit de vestitu licet splendido, si eum velut indigus dono accepit? an non potius erubescit de sua paupertate, in qua alioquin nudus aut centumculatus esset? Discamus hoc à Christo, de quo Joannes c. 13. ita scribit. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit à cœna & ponit vestimenta sua, &c* cœpitque lavare pedes Apostolorũ. Unde quæso hoc inauditũ humilitatis exemplum? Nimirum quia scivit & expendit se omnia, quæ habebat, à Patre accepisse, idcircò surrexit & posuit vestimenta sua, adeoque instar servi præcinxit se & lavit pedes discipulis. Ac licet summam illam potestatem, quam habebat secundum humanitatem, acceperit etiam à seipso, qua Deo, tamen eam non sibi sed patri adscribit, ideoq; velut alienam agnoscit & cum veste quasi deponit, formamq; servi induens, stupendum humilitatis exemplum edit. Quid jam faciat homo pauperrimus & nudissimus, qui prorsus nihil à se ulla ratione, sed omnia à Deo habet, quæcumque habet.

Denique quamdiu hæc bona durabunt? *Omnis caro fænum & omnis gloria ejus quasi flos agri?* ait Isa. c. 40. Cum flore igitur pereunt. Herodot. l. 1. ait, Reges Babylonios sceptrum gestare solitos, in quo rosa aut alius quivis flos erat affabrè factus. Quid a. flore fugacius? Rosa Plut. auct. contra ebrietatem valet. Sceptro igitur, quod eos fastu ebrios reddere poterat, rosam affigebant, quæ licet pulcherrima & florum regina marcescit tamen illicò. Quod hi in dignitate forsan cogitabant, idem alii cogitent, in aliis suis bonis ac præcellentiis, rosas nimirum & flores esse. Quid minus homini ex terrenis bonis auferri quam scientia potest? At videte Simonẽ Thurvaium Anglum, Parisiensis scholæ præfectum, qui cum inflatus scientiâ dixisset se totã Moysis & Christi doctrinam defendere ac tueri, & rursum evertere atque annihilare posse, repente à Deo punitus, omnem suam scientiam ipsumque Alphabetum & nomen suum oblitus est, adeo ut instar pueruli rursum elementa litterarum addiscere visus sit. Polyd. lib. 5. an. 1201. Balæus Cent. 3. c. 41. Sic nimirum Deus humiliare superbos novit.

Videmus arma, quibus superbo illi Goliatho obviare possumus. Quæ si tibi nondum sufficiunt, postremum illud adhibe; quod adhibuit David, quando Goliathum proprio decollavit gladio. Teipsum execrare veluti superbum, quẽ deprimere non potes. Suggerit hoc S. Bern. ser. Dom. 4. post Pentec. his verbis: *Quæras fortasse quemadmodum suo ipsius gladio Goliæ possis abscindere caput? Id enim tibi tanto jucundius, quanto molestius hosti. Quoties te provocante vanitate, & recordationem comminationis divinæ, seu promissionis seu cæterorum, quæ supra diximus, confundi cœperis, & erubescere, devictus est quidem Golias, sed forsitan adhuc vivit. Accede itaque propius ne forte resurgat & stans super eum mucrone proprio caput ejus abscinde, de ea ipsa, quæ te appetit, vanitate perimens vanitatem. Elatæ siquidem cogitatione pulsatus si ex ea ipsa materiam & occasionem sumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps & abjectius tamquam de superbo homine sentias de te ipso: Goliam utique Goliæ gladio peremisti.*

THEMA V.

Damna quæ infert vana jactantia.

I. *Perdit opus bonum quod agit.*
II. *Peccatum insuper incurrit.*
III. *Perdit gloriam & gratiam, & incurrit odium;*
IV. *Prodit inanitatem propriam.*
V. *Derisionem meretur & reportat.*
VI. *Perdit sæpè donum, de quo se jactat.*

Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo. Lucæ capite 18.

EVangelus Tarentinus (auctore Luciano in dial. adversus indoctum) in theatro fidibus certaturus cum aliis, prodiit auro, purpura & geminis adornatus, cithara supra quam dici potest, aureis annulis, gemmis, picturis insigni, ita ut spectatores omnes in admirationem raperet & incredibili spe repleret; verum aggressus ludere, personat agreste quiddam inersque & incompositum simulque dum immodicè citharam increpat, rumpit tres fides; itaque ab omnibus derisus, à ludorum præfecto loris cæsus è theatro exturbatus est. Hunc secutus Eumelus quidam Eleus, pervetustam citharam afferens, cujus lignei erant clavuli, ipse vestẽ indutus vix una cum ferro decem denariorum pretii. At ille & bellũ edebat carmẽ, & ritè sicut ars poscebat, chordas feriens modulabatur. Duo hujusmodi citharœdi prodire mihi videntur in hod. Evangelio, quasi in theatro, cantu orationis inter se certantes. Pharisæus & Publicanus. Et ille quidem velut Evangelus prodit

suos

cum faſtu, jactans opera & expandens philacteria ſua, ſed dum hoc modo orationem inchoat, totam citharam rumpit, ideoque reprobatus à Deo cum ignominia diſcedit. Sequitur à tergo Publicanus, ſordido & abjecto habitu, pectus ſuum percutiens velut citharam pervetuſtam & peccatorum ſordibus inquinatam; interim tamen ſuave carmen ore ſuo depromit, & Dei ipſius applauſum promeretur. Hunc imitantur, qui peccata ſua confitentur & deplorant; Phariſæum autem qui ſeipſos jactant, qui quantum ſibi damnum, quantam in cithara ſua rupturam faciant nunc inveſtigabimus.

I. Perdit opus bonum quod agit.

I. Perdit opus bonum, quod patratum eſt quocunque tandem labore & induſtria. Patet hoc ex dicto Chriſti Matth. 6. *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Qui vero oſtentant aut jactant opera ſua, nonne tuba canunt ante ſe? Qui in foro aut publico hoſpitio pecunias ſuas depromit & numerat, fures ſibi parat: qui per vias latronibus infeſtas ſplendidus incedit prædones ſibi accerſit: ita qui ſe jactat, ſpoliationi ſe exponit. Judæi, dum gloriabantur de Arca ſua, perdiderunt illam, & viderunt abductam à Philiſthæis, quēadmodum pſal. 77. dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Ubi ſanctus Auguſtinus ait: *ipſam Arcam unde ſibi videbantur invicti, & unde ſibi applaudebant, virtutem & pulchritudinem eorum dicit.* Eadem ex cauſa Rex Tyri, ſeu, qui per illum adumbratur, Lucifer, audit ab Ezech. 28. v 17. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo.* In quem locum ſanctus Bernardus ſermone ſeptuageſimo quarto in Cant. ait: *Perdidit eam, cum fecit ſuam.* Quando igitur homo opera ſua per jactantiam facit, tunc ea perdit. Quanta vero hæc ſtultitia, multo ſibi labore quærere divitias, & mox uno jactu projicere in mare.

II. Peccatum inſuper incurrit.

II. Neque ſolum perdit meritum operum, ſed etiam adducit peccatum, quo collutulat perditque animam; quia Deo ſuffuratur gloriam & ſibi attribuit. Typum hujus rei præbuit Moyſis manus, quā ubi ad Dei juſſum è ſinu extraxit Moyſes, leproſam & immundam deprehendit: mundam vero & ſanam, cum in ſinum recluſit. Exo. 4. Sic enim qui opus bonum, per manum deſignatum, effert in publicum per jactantiam vel oſtentationem, malum & immundum cernet, lepra ſuperbiæ fœdatum: uti econtra ſanum & integrum, qui in ſinum id ſuum recondit. Propterea Eccleſ. c. 29. ait: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit.* Aliqui legunt: *Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis,* Manus nudatæ inter labores cito maculantur & vulnerantur: tectæ verò chirothecis mundæ perſeverant. Idem alia Legis veteris tropologia inſinuatum, quando præſcriptum: *Vas, quod non habuerit operculum vel ligaturam deſuper, immundum erit.* Quod ita exponit Rabbanus: *Quaſi vas ſine operculo vel ligatura polluitur, qui per ſtudium oſtentationis patens nullo taciturnitatis velamine operitur.* Denique per jactantiam mittuntur margaritæ bonarum virtutum ante porcos, ubi non ſolum ſuum perdūt ſplendorem, ſed luto etiam fœdantur & inquinantur, ut horrori & abominationi fiant iis, qui ad ornatum corporis ſui adhibere eas poſſent.

III. Pe[illegible] ri[illegible] gr[illegible] in[illegible] d[illegible]

III. Perdit gloriam & gratiam apud Deum & homines, & incurrit odium. Teſtis inprimis eſt experientia, jactatores rerum ſuarum audientibus, non modo oneroſos ſed præterea & exoſos atq; intolerabiles eſſe. Unde dicitur: *Propria laus ſordet.* Accedit S. Chryſ. ho. 3. in Matth. ita ſcribens: *Caveamus de nobiſmetipſis dicere glorioſa: hoc enim nos & hominibus inviſos, & Deo abominabilis facit. Et idcirco quanto majora fecerimus bona, tanto de nobis minora dicamus. Hoc enim modo maximam & coram Deo & coram hominibus gloriam conſequemur: nec ſolum gloriam, quæ à Deo eſt, verum etiam mercedem retributionemq; pleniſſimam.* Et mox: *Nam nos quoq; famulos habentes, tunc eos maxime comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obſecuti nihil ſe grande arbitrantur egiſſe. Itaque ſi bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna eſſe non poſſunt.* Contingit jactatoribus, quod contigit Judæis, qui temporale ſuum regnum per Chriſtum perdere timuerunt, cœleſte vero perdere non timuerunt, ac ſic utrumque amiſerunt. Ita enim qui gloriam apud homines, non apud Deum quærunt ſeſe jactando, utrobique eam perdunt. Hinc Dominus ad Judæos Joan. 5. *Gloriam ab invicem accipitis & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis* Ubi D. Cyrillus: *Quaſi enim natura,* inquit, *neceſſitateque accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, ut gloriam Dei amittant.* Quam vero decipiantur in hominum opinione, bene oſtendit S. Chryſoſt. ho. 72. in Matth *In mentem tibi veniat,* inquit, *quia etiā ille ipſe, à quo gloriam aucuparis, tanquam vanum te omnino condemnabit: & ſi amicus eſt, ſecum te reprehendet: ſin vero inimicus, etiam apud alios hanc ambitionem condemnabit. Ita contraria tibi eveniunt, quam deſideras. Tu quidem maxime cupis, ut de te admirans: Ille miſericors, ille humanus, ille benignus, dicat Ipſe autem iſtud non dicet: ſed ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit: ille, qui omnibus, quo vis modo placere hominibus ſtudet, cæteraque his deteriora. Sin vero tu celabis, tunc exclamabit: O miſericordem illum, atque humanum! Non enim grande aliud atque præcipuum occultari diutius Deus patitur. Sed ſi tu celabis, ille manifeſtabit: ita & mirabilior eris & majora lucraberis. Quare ad acquirendam gloriam contraria eſt omnino oſtentatio.* Sic ille veriſſimè. C. Marius militari alioquin virtute celeberrimus, una ſui jactatione plus gloriæ famæque perdidit, quam reliquis actis fortiter geſtis acquiſierit, publicæque commendationis vota demeruit, ut ſcribit Hannibal Scotus libro 5. Comment. in Tacitum Idem aliis cuculis accidit, ſui nominis decantatoribus.

IV. Pro-

IV. Prodit non virtutem sed inanitatem propriam. *Ligna, quæ plurimum fumi exigunt, ferè minimũ caloris exhibent: ac fermè minima possunt, qui plurima jactant*, inquit Thriverus apopht. 55. Qui sapiunt & vera virtute præditi sunt, similes sunt lapidibus illis, qui in Britania reperiuntur & accensi ardent quidem, fumum tamen non edunt, auctore Cardano l. 10. de variet. rer. c. 4. Vas si inane est, plenum est aëre, & si leviter tangatur, multum resonat: at ubi in illud bonus aliquis liquor infunditur, fugit aër, nec sonum edit vas, licet graviter percussum, nisi levissimum, ut patet & scribit Plut. de profect. *Vas pretiosum labia scientiæ*, inquit Sapiens Prov. 20. v. 15. Hoc si se jactet, vento se plenum indicat inani: sin taceat, plenum liquore sapientiæ & virtutis. Hujusmodi vas repletum fuit Moyses, qui licet ex consortio & colloquio cum Deo radientem accepisset vultum, instar Lunæ cornutæ, tantum abest, ut eum ostentaret coram Hebræis, ut etiam ignoraret, *quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Exo. 34. quod Chaldæus ita vertit: *Ignorabat Moyses quod multiplicatus esset splendor vultus sui*. Irradiabat quidem Moysis facies divino quodam splendore, & mirabatur populus insolitum hunc fulgorem: at qui fulgebat instar Solis, suam ipse non videbat lucem, seipsum nesciebat. Postea ubi admirabundam vidit turbam, & causam animadvertit, vir modestissimus velamen obduxit vultui, quo splendorẽ suum tegeret. At verò qui inanes sunt virtutibus, videri volunt, & quod in animo non habent ab hominum opinione sibi emendicare atq; affingere conantur, velut si strigosus & macilentus equus à phaleris & loris gloriam sibi venari vellet.

V. Derisionem meretur & reportat; quia stulta & deridicula est, prodens thesaurum suum furibus ac prædonibus, nec non æmulis & derisoribus. *Homo*, inquit Hector Pintus in c. 46. Ezech. *cooperit domi supellectilia, ne inquinentur: sic cooporire debet bona opera quæ agit, ne corrumpantur. Mirum est profectò, sed lugendum quidem, habere hominem domi suæ, vestes in apodyterio tectas parmam* (scutum parvum) *tectam lineo operimento, gladium opertum vaginâ, sagittas pharetra: solam autem virtutem, si quam habet, detectam. Omnia vult habere cooperta præter bona opera, quæ vult omnibus divulgari*. Cõsonat huic quod S. Bern. ser. 4 de Adventu scribit: *Insipiens tu*, inquit, *qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis: ignoras quod Arca ista non clauditur, nec seras habet? Quantò melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi sibi servãt, aliis non committunt? Propterea dico vobis charissimi: utile est abscondere magis quam ostentare, siquid habemus boni: sicut & mendici cum eleëmosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra aut ulcera si habuerint, ut citius ad misericordiã videntis animus inclinetur. Quã regulã Publicanus ille servavit multò melius Pharisæo, & ideo descendit justificatus ab illo, id est, præ illo*, Et serm. in Nat. Joann. Bapt. *Stultus ut Luna mutatur. Quia n. splendet Luna sine fervore. modo plena, modo exigua, modò nulla videtur, &c. Sic sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantiũ linguis vel vituperare licuerit vel laudare*. Et ser. 13. in Cant. *Stultus sum si cistellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te cum habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio est probare me vel improbare, prout volueris? Sed si retineo penes me, ipse fidelis servo mihi*. Solent igitur stulti jactatores communiter explodi ac derideri vel sarcasmis pungi. E quorum numero chymicus quidam obtulit libellũ Leoni X. Pp. jactans se auri conficiendi è quavis pene materia peritum; cui Pontifex magna expectanti nil aliud nisi crumenam vacuam donavit, addens: *Auro te donarem; sed quia, ut ais, artem id conficiendi ipse nosti, sola indigere crumena, qua id recondas; videris*. Corozettus in dict. mem. Alterum quendam Empyricum, qui se artem medicinam podagræ curandæ percallere gloriabatur, idẽ Pontifex non minus acute rogavit, ut sibi decem millia Ducatorum mutuò daret. Cui alter, pauperem sibi censum esse, nec habere vel parum quod alteri mutare possit. Atqui, ait Leo, si artem illam nosti, cum tot principes ingenti lucro & remuneratione curare à podagra queas, ne ditiorem te longe meipso esse oportet. Auct. ser. mem. Ita nimirum jactabundi *ventum seminant & turbinem metunt*. Ose. 8 inanem gloriam spargunt & confusionem colligunt, sicq; ut B. Petr. Dam. ser. 74. ait, *turdelam imitantur, quæ ex eo, quod digerit moritur. Ex ejus quippe stercore planta nascitur, de cujus humore fiscus conficitur, quo postmodum & ipsa capitur*. Sic n. jactatores suis ipsorum verbis capiuntur & illuduntur.

VI. Perdit sæpe donum, gratiam aut virtutem illam, de qua se jactabat; & meritò, quia ad prædã ea exposuit, uti Ezechias thesaurum, quem incautè Babyloniorum Legatis ostendit. Inde enim Barbarorum manus armavit & cupiditatem accendit ad diripiendum paulò post thesaurum illum, Isa. 39. Idẽ accidisse Giezi, servo Elisæi asserit Rabbi Salomon apud Liran. 4. Reg. 4. (siqua tamen Rabbinis illis fides habenda) Cum n. in mandatis haberet, ut nemine salutato pergeret cum baculo domini sui ad mortuũ suscitandum puerum, ille *occurrentibus sibi hominibus jactanter dicebat, se missum ad suscitandum puerum*; idcirco nihil effecit. Nimirum ut Theod. q. 17. ait, *sciebat Elisæus eum esse honoris cupidum & causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimentum, ne faciat miraculum*. Alia hujus rei exẽpla recenset Cæsarius lib. 8 hist. & mirac. de duobus Conversis Monasterii Hemmenrode, quorum unus sæpius viderat Angelum bonũ cum alio pio fratre ad opera manuum exeuntem, quod ubi retulit Hermanno Abbati, ab eo audiit. *Quia visionem retulisti nunquam Angelum de cætero videbis*; quod & factũ est. c. 43. Alter *cum in orationibus suis mellifluam divinitus accepisset dulcedinem & ob hoc sæpe labores suos negligeret, magister suus crebro eum arguit: Frater*

VI. Perdit sæpè donum, de quo se jactat.

ter certis temporibus est orandum, certis temporibus laborandum. Ille sicut homo simplex ut increpantem placaret, respondit: O Magister si sciretis causam, non mihi imputaretis: rogo ut detis mihi osculum, putabat enim quod impressione labiorum eandem posset sentire dulcedinem. Cui mox ut osculum dedit ille, gratiam irrecuperabiliter ut puto, perdidit iste. ibid. c. 95. Terribilius est quod refert S. Gregor. 4. Dial. c. 51. perditum etiam regnum cœlorum, & pœnas inferni acquisitas à jactatrice lingua cujusdam monialis, *quæ quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem, jactantiam & stultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta atq; in Ecclesia sepulta est. Eadem autem nocte custos ejusdem Ecclesiæ per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars una illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat; cumq; hoc surgens manè fratribus narrasset, & locum ostenderet, in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem fœmina igne corporeo fuisset concremata.*

Judicate nunc Audit. utrum hoc non sit citharam uno tactu rumpere, cum quis uno verbo se incipit jactare. Quinque enim chordas rumpit, dum totidem partim bona perdit, partim damna incurrit. Apage igitur Evangele cum cithara tua, apage Pharisæe cum cantilena tua, laude propria sordida: Veni tu Eumule, veni Publicane, & cum vetusta cithara cane imperfectiones & miserias tuas: sic exturbato illo, placebis Deo & descendes in domum tuam justificatus præ illo.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. Proximus omni conatu ad Christum adducendus
II. Surdi aliquot laude digni.
III. Quatuor surdi periculosi.
IV. Rectè ut loquendum ex natura & structura linguæ.
V. Tempus tacendi & tempus loquendi.

THEMA I.

Proximus omni conatu ad Christum adducendus.

I. Opus hoc divinum & nobilissimum est.
II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani.
III. Præcipit hoc idem charitas fraterna.
IV. Suadet idipsum fructus incomparabilis.
V. Varii sunt modi proximum lucrandi.

Adducunt ei surdum & mutum, Marci 7.

NOsse vos credo Auditores ex Vitis SS. Patrum beatum Nonnum Episcopum Antiochenum, quando Antiochiæ transeuntem vidit mulierem peccatricem, miro corporis cultu ornatam, largiter flevisse seque ipsum redarguisse, quod ipse tantam animæ suæ, virtutibus expoliendæ, numquam adhibuisset curam, quantam mulier illa corpori suo fucando impendisset. Jac. Diacono auctore vita sanctæ Pelagiæ. Idem prope accidit mihi, Auditores, dum partim in hodierno, partim in aliis Evangeliis aspicio Judæos pro salute proximorum, non animæ, sed corporis dumtaxat, tam sollicitos ac solertes, ut prôh dolor! longè superent curam nostram, quam de proximorum, non temporali, sed æterna, non corporis, sed animæ gerimus salute. Ecce enim illi adducunt Christo surdum & mutum, & pro eo deprecantur ut imponat illi manum: cum tamen miser ille posset absque duce ad Christum accedere. Rursum Marci sexto adducunt ei cæcum. Alibi adferunt paralyticum in lecto jacentem, & cum per ostium non possent, intulerunt per tectum & demiserunt ad pedes Domini. Lucæ quinto. Alibi intellecto Christi adventu in terram Genesareth, percurrẽtes universam regionem illam cœperunt in grabatis eos, qui male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. Marci 6. Quis, rogo, nostrum tantam habet curam de salute proximorum æterna? Jure igitur merito nos ipsos reprehendimus, ob talem & tantam ignaviam. Quam ut excutiamus evigilemus, obsecro, & audiamus rationes, quæ nos excitare debent, ut salutem proximorum solicitè quæramus, adeoq; deviantes ad Christum adducamus.

I. Opus hoc lucrandi animas, plane divinum est & omnium nobilissimum, quod ita extollit Clemens Alex. l. 1. strom. *Maximum est & perfectissimum bonum quando à malè faciendo & à re male gesta ad virtutem & bonam actionem possit quis aliquem traducere.* S. verò Chrys. ho. 35. in 1. ad Cor. *Nihil*, inquit *adeo potest nos Christi efficere imitatores, ut erga proximum cura. Sed licet jejunando, humi dormiendo, corpus maceraveris: nullam autem proximi curã habueris; nihil egregium feceris, sed adhuc longè ab hujusmodi abfueris imitatione.* Neq; hoc mirandũ, lu-

Opu... divi... & n... simu...

crum

rum enim animarum unica fuit causa, quæ de cælo Christum in terram adduxit; quem proinde imitantur qui ad ipsum adducere student animas. Imo tales ipsum quasi *os Dei* appellantur Jer. 15. ut exponit idem Chrys. ho 3. in eandem Ep. *Nihil est*, inquit, *quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus, Itaq; si & immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris; si unam converteris animam. Qui enim educit pretiosum ex indigno, tanquã os meum eris*, inquit *Ierem. &c.* Tales enim sunt Deo simillimi & conjunctissimi, ut idem explicat orat. 5. contra Judæos. Et quia *per talem Deus verba sua eserit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo quæ potest, humanam animam evellit*, ait S. Greg. 18. mor. c. 23. Qui etiam 34. mor. c. 7. ait: *Nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum*, Deniq; Theophyl. in c. 1. ad Heb. *Angelicum est*, inquit, *mortalium saluti inservire.* Id enim faciunt Angeli custodes: quemadmodum & Angeli, qui Lothum eduxerunt è Sodomis, Angelus Tobiæ, &c.

II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani, & Christi amatores. Testatur hoc idem S. Chrysostomus in hom. de S. Philogonio: *Non est*, inquit *qui proinde declaret doceatq; quis sit fidelis & amans Christi, quam si fratrum curam agat proq; illorũ salute gerat solicitudinem.* Et in hom. de hab. cura salutis proximi, tom. 1. *Hæc summa vitæ nostræ est, hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra sunt spectamus sed & membra nostra perversa corrigimus & instruimus.* Rursum ho. 60. in Matth. *Non est nobis satis ad salutem, quod virtuosè ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare.* Alibi vero negat esse Christianos, qui hoc ad se spectare negant, ut hom. 20. in Acta Apost. *Qui aliis non est utilis*, inquit, *dic mihi quomodo erit Christianus? Si fermentum commixtum farinæ non commutarit totum in alium habitum, numquid fermentum tale est? Quid etiam si unguentum non impleret odore accedentes, unguentumne dicemus? Ne dicas: impossibile est mihi adducere alios: nam si fueris Christianus, impossibile est, ut hoc non fiat, &c.* Hebræis legem datam scimus Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non præteribis, sed sublevabis cum eo.* Quomodo non centies magis incumbit Christiano, ut ne pertranseat errantem proximum suum, aut sub peccati onere jacentem, sed quibus potest modis, manum ei porrigat, & humo sublatum ad Christum adducat?

III. Præcipit hoc idem charitas fraterna, imo & lex naturalis, videmus enim & bestias sibi mutuo sæpe opem ferre in periculis constitutis. Elephas si in foveam cadat, protinus cæteri congerunt ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, omnique vi conantur eum extrahere, teste Plinio l. 8. c. 8. Scari pisces captivos suos è nassis extrahunt mira dexteritate, caudis eorum mordicus apprehensis, eodem auctore lib 32. cap. 2 *Sic nautæ* (homines alioquin barbari) *quoque faciunt*, ait S. Chrysostomus ser. de hab. cura proximi: *cum per magnum & spatiosum mare navigant; licet navis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cum tamen viderint alios vel à longè naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem illorum contemnunt calamitatem: sed sistunt navem & ejiciunt anchoras, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto emergat.* Deniq; errantem viatorem siquis animadvertat illicò de errore admonet & ad viam reducit, uti vir ille ignotus, qui aberrantem in agro Josephũ puerũ videns, statim interrogavit quid quæreret, & indicavit ei fratres, quos quærebat, Gen 37. Cur nõ millies magis solicitus sit homo, ut deviantem ab æterna salute animam reducat ad semitam? Homo enim animal sociale, non sibi tantum attendere, sed & proximo suo debet. Unde S. Leo in ser. de S. Laurent. *Nullus bonus*, inquit, *sibi solus bonus est, nec cujusquam sapientis, sibi tantum amica sit sapientia: & hæc verarum natura virtutum est, ut multos à tenebroso abducant errore.* Laudat eo nomine justum Loth sanctus Chrysostom. ho. 43. in Gen. quia hospites viatores (Angelos duos) è nocturnis tenebris eripere volens, pertraxit in domum suam, ne foris in plateis manentes cõtumeliam paterentur ab impurissimis civibus, & tum subjicit: *Qualem igitur habebimus defensionem, cum justus nec filiabus parcit, ut hospitum servet curam; nos autem ita immisericorditer erga fratres nostros afficimur & sæpe tam frigida & absurditatis plena verba proferimus? Quid enim, inquit, mihi cum eo commune: Mihi non est curæ, nihil mihi negotii cum eo. Quid dicis homo; Nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, ejusdem tecum naturæ, sub eodem estis domino, sæpe etiam ejusdem participes mensæ, spiritualis illius, inquam, & terribilis, & dicis: Nihil commune habeo cum eo: immisericorditer præteris & non porrigis jacenti manum.*

IV. Inducit ad hoc opus fructus incomparabilis, quem parit in proximo ad Christum adducto, & refundit in adducentem. Eum explicat sanctus Jacob c. 5. cum ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte & aperiet multitudinem peccatorum.* Igitur inprimis eripit hominem à morte & quidem æterna, qui proximum convertit, & ut S. Judas vers. 23. ait: *rapit ab igne*, scilicet tartareo. Quantum istud lucrum est? Certè si quem hominem ab incendio eripere posses, nihil non molireris: & ereptus quantas tibi gratias deberet? At plus est infinities incendium gehennæ, quam incendium unius domus: vita æterna quam temporalis, *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est*, exclamat S. Bernardus ep 54. Tanti igitur pretii est, quanti sanguis Christi, siquidem eo comparata est. Supra etiam ex Chrysostom. diximus, ne universum quidem mundum æquiparari animæ posse; quia non homo propter mundum, sed mundus propter hominem creatus est. Adhæc *operit multitudinem peccatorum*, tum suorum,

IV. Suadet idipsum fructus incõparabilis.

rum, tum illius, quem convertit; tum etiam aliorum qui per illum scandalizari poterant. Vicissim vero qui tantum lucri facere culpa sua neglexerit, videat quomodo Deo de hoc rationem redditurus sit. Audiat D.Chrysost. orat. 1. adversus Judæos ita concionantem: *Quemadmodum non ipsi tantum fures dant pœnas, verum etiam eadem pœna plectuntur ii, quibus cum esset potestas vetandi non vetuerunt tamen: ita non solum qui impiè agunt, verum etiam qui cum possint ab impietate revocare, tamen vel ob pigritiam vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Alioquin talentum illud, quod acceperat ac defoderat servus ille, reddidit integrum; attamē dat pœnas, eo quod non auxerat lucrū; ita tu quidem etiamsi ipse purus & innocens perseveres, cæterum non augeas talentum; nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem, quæ ille patitur, patieris.*

V. Varii sunt modi proximum lucrandi.

V. Plures sunt modi revocandi ab errore deviantes & ad viam cœli revocandi nec admodum difficiles. Quatuor potissimum invenio modos, quibus Judæi exhibuere Christo ægros suos.

1. Projiciendo ad pedes Christi.

1. Alii projecerunt eos ad pedes Domini ab ipso curandos, uti Matth. 15. Hoc faciunt secundum spiritum, qui peccatores corrigunt, reprehendunt, castigant, quin etiam scelerum reos, cum opus est ad supplicia condemnant: hac enim ratione, dum è vivis eos abjiciunt ad pœnitentiam agendam cogunt adeoque ad Christi pedes projiciunt. Exemplum dedit Samaritanus ille, qui in vulnera sauciati vinum & oleum infudit, impositumque jumento suo ad Medicum perduxit. Vinum asperitatem correctionis notat: oleum admixtam lenitatem. Itaque Samaritanus ille curam adhibuit jacenti, tametsi alienæ gentis homini: tametsi præterierint Sacerdos & Levita. Itaque & tu, *ne dixeris*, inquit S. Chrysost. orat. 5. adversus Judæos, *apud temetipsum: Homo sum mundanus, uxorem & liberos habeo: ista sacerdotum sunt, ista Monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat. Ubi nunc Sacerdotes? ubi nunc Pharisæi? ubi Judæorum Doctores? sed proinde quasi venatum quendam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione vel corporis vel animæ, ne dicito apud temetipsum: Quare ille & ille eum non curavit? sed à morbo libera. Ne petas ab illis causas negligentiæ. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud temetipsum: quare ille aut ille hoc non sustulerunt; sed festinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapsis cogita, &c.*

2. Gestando ad Christum.

2. Alii apportarunt eos in grabatis, uti Luc. 5. paralyticum. Hoc facient qui beneficiis, eleemosynis, precibus devincient sibi & Christo aberrantes à salute; quo modo & illi, qui in hodiern. Evangelio deprecabantur Christum pro surdo & muto. Sic cum Samaritano oleum infundimus vulneribus sauciati. Hac industria uti solebat Sanctus Serapion, qui primò *vendidit se histrionibus 20. nummis: & cum signasset nummos, eos apud se servabat. Tamdiu autem permansit & serviit mimis qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, & avulsit à theatro: præter panem & aquam nihil sumens, neque præ meditatione Scripturarum ore silens: longo autem tempore primus compunctus est mimus, deinde mima, deinde universa eorum familia.* Dictum est autem quòd *quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati, à theatro recesserunt: & cum ad vitam honestam & piam processissent, virum valde reverebātur. Ei itaque dicunt: Adesum, frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti à turpi servitute. Dicit ergo eis: Quandoquidem Deus est operatus & salva facta est anima vestra, vobis dicam mysterium actus; Ego vestræ animæ misertus, cum essem liber exercitator, genere Ægyptius, ea de causa meipsum vendidi, ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram.* Rursum: *cum venisset in loca Lacedemonis, audivit quendam ex primis civitatis esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Ei rursus seipsum vendidit in primo actu. Et cum intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi & ejus uxorem, adduxit ad Ecclesiam. Tunc eum amantes, non amplius habebant tanquam servum, sed tanquā germanum fratrem & patrem, & Deum laudabant,* apud Rosvveid. l. 8. Vit. PP. Quod si vir hic tanta fecit pro conversione proximorum, nos leviora saltem facere studeamus.

3. Aliqui ad Christum sola instructione directi sunt; uti Magi à Scribis & Sacerdotibus ablegati in Bethlehem, unde nasciturum Messiam deprehenderant in Scripturis. Ita & Joannes Baptista suos discipulos direxit ad Christum, cum eum primo turbæ demonstrando dixit: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi.* Rursum duobus discipulis: *Ecce agnus Dei.* Joan. 1. Qua re effecit, ut saltem duo ejus discipuli sequerentur Christum, Andreas cum socio. Ubi inprimis notandum, noluisse Joannem cogere aut impellere discipulos ad sequelam Christi, sed solo indicio manuducere, ut ipsi tantum bonum sponte sequerentur, majore suo merito; satis jam edocti de laude & commendatione Christi, accepta à Magistro suo. Primam isti lauream reportant, qui sola voce admoniti veniunt ad Christum & faciunt imperata, designati per Hebræorum Principes, de quibus Num. 10. ait Dominus ad Moysen: *Si semel clangueris, venient ad te Principes & capita multitudinis Israel.* Populus prolixiore vel repetito sonitu convocandus erat. Ex hac plebe fuisse Regulum illum qui non nisi signo edito crediturus erat, indicat Christi reprehensio: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Vicissim in Principum numero computandos esse Sichemitas, qui ad solam Samaritanæ vocem (*Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq; feci: numquid ipse est Christus?*) exierunt ad Christū & rogaverunt eum ut secū maneret, ostendit eorum ad credendū promptitudo, nec non Christi benevolentia, qui

ad

ad eorum instantiam biduo cum eis mansit, magno eorum fructu & conversione. Joan.4. Unde miratur eorum virtutem & promptitudinem S. Chrysostomus in eum Joan. locum homilia 34. *Admirabiles* inquit, *extiterunt*, *& quòd crediderunt & quòd sine signis & miraculis crediderunt. Verba audierunt tantùm*, *& tam certa locuti sunt. Quid si miracula vidissent? Nonne plura & majora dixissent?* Sed nec minùs mirabilem ostendit ibidem Samaritanam, quæ ubi Christum Messiam audiit, mox relictâ hydriâ cucurrit ad civitatem & annunciavit ei præsentiam Messiæ, nullo accepto ad hoc mandato, quin etiam posthabito suo dedecore, quo à Christo notata fuit. Quo exemplo admonemur omnes, non solùm docti & religiosi, sed illiterati quoque & sæculares ut quicunque instruere in re aliqua rudiores valemus nullatenus omittamus. Viderint qui talentum suum defodiunt, quæ objurgatio eos expectet. Arguet eos Samaritana illa: arguent leprosi illi, qui deprehensâ in castris Syrorum desertis opum & cibariorum abundantia, pro scelere habuerunt, si Samariæ civibus fame pressis id non indicassent: *Si tacuerimus*, inquiunt, *& noluerimus indicare usque mane, sceleris arguemur.* 4.Reg.7.

Deinde notandum Joannem non semel duntaxat, sed sæpiùs suis auditoribus demonstrasse Christum, voce illa: *Ecce agnus Dei*, & aliis similibus: nec destitisse ab hac denunciatione, donec in carcerem mitteretur; exemplo suo docens, ne facilè desinamus adhortari proximum, etiam rebellem, ut tandem resipiscat. Laudat hujusmodi instantem adhortationem justi Loth S. Chrysostomus homilia 43. in Genesin. Is enim cum invitasset peregrinos duos (Angeli erant illi) in domum, illique non acquiescerent, sed in platea se mansuros dicerent, compulit illos iteratis vocibus ad se divertere. *Etiam post tantam exhortationem*, inquit, *quàm fecerat, cùm vidit eos renuere non fuit negligens, neque ab instituto suo destitit, neque fecit, uti nos interdum facimus; qui si quando aliquem hortari dignamur, & posteà videmus parumper detrectantem & renuentem statim desistimus: id quod contingit, quia citra desiderium & favorem hoc agimus, & maximè quòd putamus sufficere excusationem, si dicere possimus, fecisse nos officium nostrum. Amisisti in venatione prædam: aberrasti à thesauro, & tuo functus es officio? &c.*

4. Alii ad Christum adducti sunt, uti in hodierno Evangelio surdus & mutus: & Marci 8 quidam cæcus. Hac ratione ad Christum veniunt, qui bonis aliorum exemplis ad pœnitentiam pertrahuntur; quæ ratio longè efficacior est priore: sicut multò potentiùs alteri persuademus, si viæ duces nos adjungamus, quam si præcisè viam manu aut verbis ostendamus. Unde S. Leo in serm. de S. Laurentio ait, *Licet facilis ad exhortandum sit ratio & efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce.* Hac viâ ad pœnitentiam adduxit S. Marcianus presbyter Constantinop. Ecclesiæ œconomus fraudulentum quendam monetarium seu trapeziten. *Erat ei familiare intempestæ noctis silentio vicos circuire platearum, ut silentio furtiviore ad stentæ benignitatis ubera in pauperes laxaret. Vt verò monetam suis usibus convenientem ad manus semper haberet, aurifabri domum, provecta nocte frequentabat, qui noctis tenebris & maligno candelæ lumine, ad lucri occasionem usus, iniqua trutina aureos ponderabat. Marcianus verò scelus & fraudem dissimulans, paulatim hominem in sui admirationem attraxit, adeò ut magno desiderio caperetur eum cognoscendi, quidnam vir Dei minuta ista pecunia ageret. Dedit igitur cuidam è pueris in mandatis, ut vestigiis ejus callidè insisteret. Secutus puer, studiosè Marcianum observat, & summa diligentia quidnam agat explorat, vidit ergo eum, postquam plurimos variis miseriis afflictos præsenti pecunia sublevasset, ad mortuum quendam, in cauponis cujusdam domuncula jacentem ingredi, cadaver magno charitatis studio abluere & post lachryma & oscula, vestibus indutum decenter in lecto componere. His visis puer exhorruit, & concito gradu quæ viderat suo Magistro renunciavit. Obstupuit ille tanta viri pietate, gravi in eum admissi sceleris dolore perculsus veniamque cum lachrymis flagitavit. Quem Marcianus benignè amplexatus, nequaquam se ab eo injuria affectum simulare, nec unquam hominem tanquam improbum aversari, quin et amaximo deinceps benevolentiæ studio eum prosequi.* Metaphr. apud Sur. & Lipel. 10. Jan. Sed recentius aliud audiamus Ludovicus Granatensis vir ex ordine Prædicat. doctrina & pietate conspicuus circa horam noctis undecimam in cubiculum se abdiderat & magno singultu ac suspiriis editis corpus suum flagellabat, à nemine se exaudiri arbitratus tum adminiculo noctis, tum etiam temporis intempesti securum se credens: ecce nobiles duo per plateas, quibus cubiculum Ludovici imminebat; ad locum inhonestis voluptatibus destinatum pergentes, audiunt illic verbera flagellorum, quin & devotæ animæ orantis querelas & expostulationes, quibus veluti ab ore concionatoris profectis, incorde & conscientia perculsi, pedem fixerunt ad illas melius exaudiendas; valdéque tanto exemplo permoti, se invicem alloquentes: Ah! dicebant, nos miseros. En quomodo bonus ille religiosus flagellis in membra sua, & hoc quidem tempore sævit, qui nunquam forsan mortali aliquo delicto Deum offendit. Et nos peccatores & miseri hac eadem hora ad Dei præcepta violanda contendimus. Non dubium ad nostram confusionem Deum permisisse hæc à nobis audiri: crastina die, inquit unus, quis religiosorum in hoc ultimo cubiculo habitet resciam, ut ejus me precibus orationibusq; commendem. Sic ambo intrinsecus animo compuncti, & ad meliorem mentem revocati, à perverso resilière proposito, reversi domum, unde venerant. Ita habetur in ejus vita cap. 4. Possent hac eadem via non dissi-

difficilè reducere ad Christum domini servos suos, & parentes liberos, si eis ad virtutem præire exemplo vellent. Hæret enim in animis filiorum, quod fieri à parentibus vident; inde piorum parentum filii communiter pii & devoti sunt. Laurentius Justinianus, ut cæteros mittam, Venetiarum decus, & Patriarcha adhuc puerulus mortuo patre, cùm videret matrem jejuniis, orationibus & eleemosynis vacantem, audiretque ferreâ catenâ ad lumbos cinctam, nec interim disciplinam domesticam negligere: maternæ pietatis æmulus, semper cum eâ impubes adhuc agere, clamque sibi lectum sternere; virentiaque ligna pro molliore pluma sibi subjicere cœpit, donec vale dicto matri, secutus præterea vocem nocturnam, monasticam vitam complexus est, in qua sic claruit excelluitque, ut & hodie inter beatos insignis habeatur: scriptis testatus est, secutum se veram pietatem, & matris exemplo, & virginis divinam sapientiam repræsentantis pollicitatione, quæ per somnium illi occurrit. Parentes igitur qui bonos liberos exoptant, non solùm verbis illos moneant, sed seipsos tales faciant, quales eos habere desiderant. Hos & horum similes modos lucrandi proximum breviter tangit Divus Chrysostomus homilia 30. in Matthæum, cùm ait: *Cùm inimicum aliquem veritatis videris, omni studio ac curâ conare eum ad virtutem reducere, primùm vivendi exemplis, deinde orationis gravitate, ac postremùm patrocinii & auxilii copiâ. Non graveris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi sunt enim boni Medici, qui non uno curationis modo utuntur: sed cùm viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant. Quare tu etiam animarum Medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi utaris.*

THEMA II.

Surdi aliquot laude digni.

I. *Qui diabolicas suggestiones non audiunt.*
II. *Qui probra in se conjecta surda aure pertranseunt.*
III. *Qui inter detrahentes obturant aures suas.*
IV. *Qui carnem & sanguinem non audiunt.*
V. *Qui falsas delationes non audiunt.*

Adducunt ei surdum. Marci 7.

SÆpiùs quidem in Scripturis sacris accusantur surdi & vocantur ad audiendum Dei verbum: non venientes objurgantur, uti ab Isaia cap. 42. *Surdi audite & cæci intuemini.* Et in Evangelio Marci 9. comminatur Christus surdo & muto Dæmonio: *Surde & mute spiritus ego præcipio tibi; exi ab eo.* Intereà tamen reperio legem à Deo datam in V. T. quæ favere videtur surdis. Ita enim legimus Levit. 19. *Non maledices surdo*, quasi etiam surdi inveniantur aliqui, qui nequaquam mereantur vituperium, sed potiùs laudem. Et certè talis fuit vir secundùm cor Dei, David, qui Psalmo 37 dixit de se inter calumniatores constituto: *Ego autem tanquam surdus non audiebam.* Quin imò Michæas Propheta cap. 7. prædicit Christianos, è gentibus convertendos, surdos evasuros æquè ac mutos, ut exponit Sanctius. Ita enim ait: *Videbunt gentes & confundentur super omni fortitudine sua* (quia nihil scilicet potuerunt contra fidem Christi ejusque disseminatores) *ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt*, quasi dicat, obmutescent & obsurdescent quando audient in se jactari probra & contumelias, suggeri consilia prava, &c. Tales igitur surdi, utinam juxta hoc Michææ vaticinium simus omnes nos. Quibus verò in rebus potissimùm surdos nos esse deceat, nunc videbimus.

I. Surdi boni & laude digni sunt, qui Diaboli & mancipiorum ejus suggestiones ac tentationes adeò contemnunt, quasi minimè audiant. De tali surdo sub typo onagri dicitur Job 49. v. 7. *Contemnit multitudinem civitatis: vocem exactoris non audit.* Exactorem dici Dæmonem, qui continuò à mancipiis suis exigit nova & nova peccatorum tributa, testatur Isaias cap. 9. cùm ait de Messia, quòd *sceptrum exactoris* superaturus sit. Et ita exponit S. Gregorius l. 30. moral. c. 13. eum Jobi locum, *Quis*, inquit, *intelligi exactor alius nisi Diabolus potest, qui semel in paradiso homini malæ persuasionis nummum contulit, & quotidie ab eo hujus debiti exigere reatum quærit? Hujus exactoris sermo est malæ suggestionis inchoatio. Hujus exactoris clamor est jam non levis, sed violenta tentatio. Hic exactor loquitur, cùm leniter suggerit. Hic exactor clamat, cùm fortiter tentat. Clamorem ergò exactoris non audire, est violentis tentationum motibus minimè consentire. Audires enim, si ea, quæ suggerit, faceret.* Ita Gregorius: Quis verò est onager? respondet ad hoc idem S. Pater eod. l. capite 12. *Onager*, inquit, *qui in solitudine commoratur, non incongruè vitam eorum significat, qui remoti à turbis sæcularibus conversantur. Qui aptè etiam liber dicitur: quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet.* Hujusmodi onager erat imprimis S. Antonius, qui in solitudine degens omnia dæmonum terriculamenta flocci-pendit ac contempsit, eorumque effictos Psalmos, modulationes suaves, nec non scripturarum eloquia surda aure pertransiit. *Frequenter enim*, inquit in concione ad fratres, *legentibus nobis quasi echo ad extrema verba respondent. Dormientes quoque excitant ad orandum, ut totius noctis somnum eripiant. Plerosque etiam dum se in Monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coërcent, & pristina, quibus conscii sunt, peccata imputant. Sed spernendæ sunt eorum increpationes & admonitiones jejunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio.* Et paulò post: *Nos autem vestigiis sanctorum inhærentes eandem*

dem gradiamur viam, qui memoratas subtilius fallacias parvipendentes canebant : Cum consisteret adversum me peccator, obmutui & humiliatus sum & silui à bonis. Et iterum: *Ego verò tanquam surdus non audiebam, &c.* Apud D. Athanasium in vita. Ex qua doctrina habemus melius & efficacius non elidi dæmonis insidias, quam per contemptum, si velut surdi ejus suggestiones aspernemur. Cæterum præstare onagris hoc quidem perfacile est, iis, inquam, qui terrena omnia pro nihilo ducunt, & solum Deum in solitudine cordis sui quærunt : qui cum Antonio objectum sibi à Dæmone aureum & argenteum discum velut cæci & surdi pertranseunt: iis verò qui transitoriis hisce rebus afficiuntur, perdifficile. Propterea Dæmon mundanis magis quàm religiosis nocet, quemadmodum & milvus nihil potest in sylvestres aves, utpote ignavus in pernices: sed in pullos solùm domesticos, qui parum volatu & celeritate valent. Quisquis ergo hujusmodi surdus esse desiderat, mundana omnia spernat: cogitet Dæmonem puerum esse horridum, nigrum, deformem, imbellem, timidum, qualis & apparuit S. Antonio, qui proinde ei respondit: *Multum ergo despicabilis multumque contemptibilis es: nam & obscuritas tua & ætas, infirmarum sunt signa rerum. Nulla mihi jam de te cura est. Dominus mihi adjutor est & ego exultabo super inimicos meos.* Quo dicto ille evanuit. Malè sibi consulunt, qui cum Dæmone disputare aut sermocinari volunt, uti sensit Eva, quæ si ad serpentis sibilum surda fuisset, planè eum contrivisset. Unde S. Ambrosius in Psalm. 38. ait : *Vicissemus si Eva tacuisset : atque aut Adam surdus fuisset, aut Eva obmutuisset. Ille, ne vocem suæ uxoris audiret : ista, ne loqueretur marito, & lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet.*

II. II. Qui contumelias & calumnias aliasque injurias in se conjectas surda aure pertranseunt. Optimo enim & nobilissimo modo sic se defendunt, quemadmodum & canum latratus non faciliùs sedamus quam tacendo & dissimulando: excitamus impugnando. Plus etiam dedecoris habet, qui contumelias infert, quam qui eas sustinet, & interim contemnit. Doctorem & coryphæum hujus surditatis habemus Christum Dominum, qui *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non cōminabatur.* 1. Petri 2. qui *quasi agnus coram tondente se obmutuit & non aperuit os suum.* Isa. 53. Cumque Judæi contra eum indignati essent propter applausum puerorum, relictis illis abiit. Matth. 21. vers. 17. *ut recedendo compesceret*, inquit Auctor oper. imperf. homil. 38. *quos respondendo non potuit : quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quam respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, & illum non placas, & teipsum subvertis.* Denique coram præside & Herode accusatus falsis testimoniis nihil respondit; ut dixerit in ejus persona Propheta : *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Psalm. 47. Quasi omnem non modò voluntatem sed etiam facultatem respondendi sibi eripuisset. Hac ratione *Christus calumniis appetitus silentium detulit triumphale*, inquit S. Ambros. serm. 17. in Psalm. 118. non solum vincens calumniatores suos, sed etiam triumphans, longe gloriosius quam si longa disceptatione calumnias depulisset. Quæ fortasse causa est, cur eum sponsa in Canticis assimilarit capreæ & hinnulo cervorum. *Similis est dilectus meus capreæ*, cap. 2. & rursum : *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum.* cap. 8. Etenim cervus nō modò sine omni noxa, sed medicinæ loco etiam ad salutem devorat serpentes : caprea vero helleborum, venenatam etiam herbam, sine damno vorat, teste Plinio lib. 25. c. 5. Ita sponsus Ecclesiæ, Christus, non modò patientissimo animo devoravit omnes contumelias, probra & improperia, sed videbatur etiam delectari & saginari illis, ut loquitur Tertullianus lib. 3. de patientia cap. 3. *Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.* Laudandus quidem in hac re fuit Saul, quando in Regem electus à quibusdam filiis Belial spretus fuit, dicentibus : *Num salvare nos poterit iste?* & ipse dissimulabat se audire. Hebr. *factus est quasi surdus.* 1. Reg. 10. Verum ea surditas & dissimulatio necessitatis fuit; siquidem noviter electus Rex vires ad vindicandum se non habuit. At verò Christus Dominus cùm summam haberet facultatem ac virtutem sese vindicandi, noluit tamen ea uti; quin imò se quasi abdicavit sponte, quando dæmoniacus appellatus, respondit: *Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat & judicet.* Cur hic Judicem se dissimulat? Respondet D. Chrysostomus homil. 18. in Evang. *Illatas contumelias Patris judicio reservat: ut nobis profecto insinuet, quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc ulcisci non vult & ipse qui judicat.* Adhæc Saul dissimulabat se audire derisiones, interim tamen audiit & inde amaritudinem aliquam sensit : at vero Christus per os Prophetæ ait : *Ego autem sicut surdus non audiebam.* quasi de responsione vel vindicta nihil plane cogitans. Hunc magistrum suum gloriosè secutus est D. Bernardinus Senensis, de quo ita quidam ejus contemporaneus scribit, apud Surium 20. Maii. *Eunte illo quandoque cum fratre per plateas urbis Senensis, petulantes pueri à tergo illudebant ei, & in ejus nudos calcaneos lapillos jactabant. Nudis enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, ut plus ex frigore molestiæ caperet. At ille ne semel quidem respiciens, nec quicquam omninò commotus pergebat itinere suo, perinde ac si surdus ac insensibilis esset. Socius vero id indignè ferens: Non advertis, inquit, quid isti insolentes pueri faciunt? Respondit vir sanctus: Faciant illi quidquid libitum erit eis, materiam nobis exhibent, unde sempiternæ gloriæ coronas nobis texamus.* O præclarum Christi imitatorem?

III. Qui inter detrahentes constituti obturant aures suas, ne audiant detractiones. Hoc inprimis III. *Qui inter*

suadet

detrahentes obturāt aures ſuas.

ſuadet Eccleſiaſticus c. 28. dicēns: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire.* Gr. *ſepi poſſeſſionem tuam ſpinis.* Alludit ad agrorum fines, quos agricolæ ſpinis ſepiunt, ne quis ingredi præſumat: itaque vult ut ne ad aures quidem admittamus linguam detractoriam. Quænam verò ſpinæ quibus ſepiantur aures contra ejuſmodi linguam? Primò ſi oſtendas ſeu verbo ſeu ſigno alio tibi diſplicere ejuſmodi narrationes. Sic enim nugivendulus ille, ſi viderit merces ſuas tibi diſplicere, brevi claudet officinam ſuam, & deſinet tibi moleſtus eſſe. Nam ut ait Salomon Prov. 25. *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Auſterus ventus eſt aquilo, aſper & frigidus, diſſipans nubes, unde *ſcopa cœli* dicitur: ita vultus triſtis & tetricus linguam detrahentem compeſcit, velut atram nubem. His ſpinis ſepiit aures ſuas S. Pachomius, qui audiens detrahentem, *avertens ſe ab eo velut à facie ſerpentis concitus abſcedebat, illud pſalmi frequenter inſinuans: Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar.* Pſal. 100. Davidis igitur exemplum ſecutus fuit, qui detrahentes etiam perſecutus fuit. Quod ita expendit Div. Chryſoſt. hom. 42. in Gen. *Vidiſti, inquit, virtutis eminentiam? Non ſolum non recipit, quæ dicuntur, ſed & abigit volentem fratri ſuo maledicere.*
2. Secundò ſi ad ſomnum te componas aut dormiturientem ſimules. Hac arte ſepiit aures ſuas Maches ille ſenex, quin & habuit gratiam obdormiendi inter ejuſmodi ſermones; uti ſcribit Joa. Caſſian. lib. 5. de inſtit. renunciant, c. 29. *Vidimus,* inquit, *ſenem Machetem nomine à turbis fratrum eminus commorantem hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, ut quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio ſpiritualis, nunquā ſomni tempore penitus laxaretur. Siquis verò detractionis verbum ſeu otioſum tentaſſet inſerere, in ſomnum protinus concidebat, ac ſi nec uſque ad aurium quidem ejus pollutionem virus obloqui poterat pervenire.*
3. Tertio ſi ſermonem alio divertamus. Hoc medio uti ſolebat Thomas Morus Angliæ Cancellarius, qui ſi ejuſmodi ſermones incidiſſent, alio eos derivans, ajebat v.g. *Dicant alii quidquid volunt, ego dicam domum illam pulcherrimè extructam, ejuſque architectum virum excellentem & præclaro ingenio eſſe.* Ita Staplet. in ejus vita.
4. Quartò ſi detractori vitium oggeramus proprium, ut ſeipſum Medicus curet, quo modo Chriſtus accuſatoribus adulteræ reſpondit: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8.
5. Denique ſi poteſtatem habentes compeſcamus detrahentes; qua ratione S. Franciſcus audiens ſemel fratrem quendam denigrare famam alterius, converſus ad Vicarium ſuum, dixit: *Surge, ſurge, diſcute diligenter: & ſi accuſatum fratrem innocentem repereris, accuſantem durâ correctione cunctis redde notabilem.* Nonnunquam vero eum, qui fratrem ſuum famæ gloria ſpoliaret, judicabat habitu ſpoliandum, nec ad Dominum oculos levare poſſe, niſi priùs quod abſtulerat, reddere pro poſſe curaret. Ita S. Bonaventura in ejus vita c. 8.

IV. Qui carni & ſanguini omniſque voluptatis illecebris à Deo avocantibus aures occludunt. Qua de re audimus loqui Iſaiam cap. 33. dicentem: *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem* (h.e. ne carnis concupiſcentiis obediat) *& claudit oculos ſuos, ne videat malum: iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* q.d. in cœlo. Quem locum explicans S. Gregorius 23. moral. c. 25. *Quid eſt,* inquit, *obturare aures ſuas, ne audiāt ſanguinem, niſi peccatis ſuadentibus, quæ de ſanguine & carne naſcuntur nō præbere conſenſum?* Solent certè cōſanguinei perſæpe avocare hominem à via virtutis & trahere ad ſæculi vetitas vel ſaltem periculoſas delicias; quibus ſi ſapis obſurdeſce, & imitare vaccas illas, quæ junctæ plauſtro Arcam fœderis recto itinere vexerunt in terram Iſrael, nō audientes nec curantes vitulorum ſuorum mugitus 1. Reg. 6. Plorent ſanguine juncti, parentes, filii, murmuret caro, clamet pellex: *Itane deſeres me? & ab hoc tempore non licebit amplius hoc & illud?* clauſis perge auribus in virtutis via: ſic venies in *Bethſamas* h.e. *in domum Solis.* Legem tulerat Deus Deuter. 13. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ aut filius tuus, vel filia ſive uxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quē diligis ut animam tuā, clam dicens: Eamus & ſerviamus diis alienis, &c. non acquieſcas ei nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis & occultes eum: ſed ſtatim interficies* (h.e. accuſabis eum ut interficiatur) *ſit primum manus tua ſuper eum & poſteà omnis populus mittat manum.* q.d. primus in eum lapidē mitte. Quid ſeverius edici poterat ad cognatorū affectus, ſi divinis obſequiis adverſentur, amputandos? Non multū intereſt, utrum quis in Idololatriæ crimen, an in aliud ſcelus mortiferum abducatur à carne & ſanguine, in eandem enim Vulcani ollam incides, in quam cadunt Idololatræ. Nō urgebantur 7. fratres Machabæi, ut Idola adorarent, ſed ut contra legem ſuam porcinis ſolùm veſcerentur, & tamen occluſerunt aures ſuas, ne parerent Regi Antiocho: quorū natu minimus ait: *Quem ſuſtinetis? Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis.* 2. Machab. 7. Idem dic Sirenibus vetitarum voluptatum: non audio, non obedio, niſi legi Dei. Occlude aures pellici, quæ te invitat ſicut meretrix illa Proverb. 7. *Veni, inebriemur uberibus & fruamur cupitis amplexibus, &c. fili mi, ne abſtrahatur in viis illius mens tua, neq; decipiaris ſemitis ejus.* Contra hujuſmodi Sirenes fide quaſi cera aures noſtras obſtruamus, cogitantes quam ſeriò ac ſeverè fides noſtra prohibeat omnia ſcelera ſub interminatione gehennæ, jactura regni cœlorum &c. Ita ſuadet S. Paulin. ep. 4. ad Severum ſcribens: *Arbor illis eſt virga, de radice Ieſſe, quæ totum corporis noſtri quadriremem regit, & cui ſi juxta illam Poëticam fabulam in prophetica veritate nectamur, voluntariis adſtricti nexibus & obſtructis non cera ſed fide, neque corporis ſed cordis auribus, contra huju mundi varias ad capiendū, pares ad nocendum illecebras, tuti & innocui ſcopulos voluptatum quaſi ſaxa Sirenum prætervehemur.*

V. Qui

V. Qui falsas accusationes & delationes importunas aliaque blandimenta contra justitiam ad aures non admittunt. Eo etiam respexit Isaias loco proximè cit. cùm dixit: *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem*, h.e. fictas delationes & criminationes, quæ petunt innocentum sanguinem. Ad hoc attendant Magistratus, ne faciles aures præbeant quibusvis delatoribus & accusatoribus, sed in ipsos prius inquirant, cujus famæ & vitæ sint. Celebre dictum est Cæsaris Domitiani? *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Apud Suet. Ejusdem frater Titus Imp. delatores assiduò in foro flagellis ac fustibus cæsos ac novissimè traductos per amphiteatri arenam, partim subjici in servos ac venire imperavit, partim in asperrimas Insulas avehi. Idem Suet. in Tito. Gentiles alii in Creta Jovem pingebant auribus carentem, ut ea effigie admonerentur omnes, Principes inprimis & Magistratus, non expedire, ut aures præbeant delatoribus; sed quoad fieri potest, ipsi omnia recognoscant & inspiciant. Midæ verò Phrygum Regi asininas appinxere aures, quòd omnia, quæ in regno fiebant, per delatores & subauscultatores investigaret. Sapientius multo Samuel, Judex Hebræorum, subditos suos ipse frequenter visitavit, eorumque urbes obibat, & in primariis earum, Bethel, Galgala & Masphat tribunalia sibi constituebat; sedem verò judicii ordinariam collocarat in Masphat, quæ vox speculationem significat; indicans necessariam esse Magistratui populi inspectionem, & caussarum recognitionem 1. Reg. 7. Quàm verò perniciosum sit delatoribus facile credere, memorabili exemplo ostendit Phædrus libertus Augusti Cæsaris l. 3. Fab. cap. 49. *Quidam*, inquit, *libertus accusavit heram apud herum de adulterio, ut utriusque heres evaderet. Herus ut scelus deprehenderet, finxit se foras proficisci: at noctu festinus domum rediit: adit lectum in tenebris, virum in eo cubantem deprehendit, quem suspicans esse adulterum, ex impatientia præcipitanter confodit. Ac illato lumine videt esse filium suum: quare præ dolore impatiens eodem pugione, seipsum transverberat. Vxor apud centumviros agitur rea viricidii & filicidii, quòd tam virum quàm filium occiderit. Augustus Cæsar rei veritate vestigata & perspecta hanc tulit sententiam: Libertus, qui omnis mali causa extitit, det pœnas: nam heram orbatam tam viro quàm filio miserandam magis, quàm damnandam censeo.* En pater impatiens, impatientiæ suæ hæc damna retulit, primò cædem filii; secundò, cædem suiipsius, tertiò, uxoris orbitatem, calumniam & vitæ periculum.

THEMA III.

Quatuor surdi periculosi.

I. *Qui bona consilia & correctiones non audiunt.*
II. *Qui verbo Dei aures occludunt.*
III. *Qui causas pupillorum non audiunt, nec expediunt.*
IV. *Qui veniam rogantibus dare nolunt.*

Ephpheta, quod est, adaperire. Marci 7.

Mirari aliquis posset, quamobrem Christus tot ceremoniis surdum hunc curarit, cum illi qui adduxerunt eum, non peterent nisi solùm manus impositionem, & Matthæus dicat multos eo tempore cæcos, claudos, debiles ad ejus pedes projectos, & omnes mox curatos esse. Denique nonne uno alterove verbo mortuos excitavit? Quid igitur causæ est, quòd ad unius surdi aures aperiendas tam multis utitur mediis, parergis & cæremoniis? Sed nimirum Christus morbos corporales curavit propter morbos animi: ideò illorum curam horum curæ accommodavit. Quando igitur ad surditatem corporis corrigendam tam multa adhibuit media, manifestè indicavit quàm gravis animi morbus sit, surditas spiritualis, quàm difficilis emendatu. Quinam verò potissimum morbo hoc laborent, paucis indicabimus, & si fieri potest; remedium adhibebimus.

I. Primi sunt, qui bona consilia & correctiones non audiunt neque admittunt, de quibus dicitur: Psalmo 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter.* Sunt hi in periculo præsentissimo interitus. De Banaja referunt sacræ litteræ 2. Regum 23. quòd descenderit in cisternam & percusserit ibi leonem in diebus nivis, qui nimirum casu in illam inciderat, ut refert Josephus. *Repugnantem*, inquit, *ictu baculi, quem gerebat exanimavit*, quia nimirum ut vivus extraheretur, adjuvantem non admisit. Ita nimirum illos, qui cùm in peccatum lapsi sunt, nec inde eripi se patiuntur salutari correctione, sed potius reluctantur & repugnant, velut incorrigibiles perdit & extinguit Deus. Quæ enim spes salutis est, cùm æger repellit Medicum? cum respuit medicinam? Unde D. Chrysostomus in homilia de ferendis reprehens. tom. 3. ait: *In peccatis hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Idcircò sicut insipiens est, qui pharmaca rejicit: ita & stultus, qui non suscipit grato animo reprehensiones.* Sic insaniebant Judæi, quando sancto Stephano Medico & correctore suo

I. *Qui bona consilia & correctiones non audiunt.*

verba salutis proferente, aures occludebant. *Dissecabantur cordibus & stridebant* (more serpentum) *dentibus in eum, & continuerunt aures suas:* velut aspides surdæ & obturantes aures suas. Act. 7. Quod etiam fecerunt paulò ante suum excidium homini prophetico, nomine Jesu, qui plusquam septennio in urbe circumcursans exclamabat: *Væ, væ Ierosolymis*, exterminium eis denuncians verissimo præsagio; quem tamen adeo non audierunt, ut cōprehensum etiam acriter ceciderint. Joseph. lib. 7. cap. 12. Mirabilem etiam cladem senserunt anno 1618. Pluerenses apud Grisones, incolæ ferè 2100. tempore nuptiarum, dum in epulis, ludo, saltu alii lucris aliis occupati, montis vicini ruina oppressi sunt, qui prius sæpius præmoniti de impendente ruina, 1. per lapideam tabulam inter ædium rudera post repertam, Hebraicis litteris exaratam, in hæc verba: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus & quasi malleus conterens petram? Egredimini de Babylone, salvate animas vestras. Nemo taceat peccata eorum: veniet enim vindicta Domini & retribuet eis secundum iniquitates eorum.* Deinde per fœtorem intolerabilem, quasi de morituro monte egressum, fatale quid nunciantem. 3. Per duo examina apum inter se dimicantia ad internecionem utriusque (apud Cornel. à Lapide in cap. 6. Apocal. vers. 14.) 4. Per pastorem, qui ruinam montis aperiri sentiens gregem alio pepulit: ac denique per pauperem hominem (hic forte pastor ille fuit) qui id vaticinatus, & urbis Cancellarium Joan. Andræam Wertenman super ea re convenit, nec tamen auditus, sed potius derisus penè plagas retulit, falsi Prophetæ nomine appellatus & ablegatus cum indignatione. Refert Nicol. Bellus apud Georg. Stengel 2. p. Labyr. cap. 18. Sic nimirum & Noëmum deriserunt impii, quibus diluvium præsagiit, & alios, qui ejusdem idæam in æs inciderunt, teste Beroso Chaldæo l. 1. idcirco velut desperati diluvio exterminati sunt.

II. *Qui verbo Dei aures occludunt.*

II. Qui verbo Dei aures occludunt, idque vix toto anno semel audiunt. Et quid his dicendum, nisi illud Christi: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis?* De panthera scribunt S. Isidorus in Etimol. Albertus M. l. de animal. & post eos Berchorius in Repert. V. *Audire.* Geminianus de simil. quod non solùm animal sit variis & pulchris coloribus, sed etiam grato feris aliis odore, quo eas ad se attrahit: quin & voce suavissima, qua & suæ & alterius speciei bestias allicit: solus Draco ejus vocem oderit velut sibi venenosam, eaque audita in cavernam suam se abscondat. Quid vox pantheræ nisi verbum Dei pulcherrimum, suavissimum? Eam ergo Christi fideles, qui electi sunt, libenter audiunt ac sequuntur: at vero Dracones, qui ex Deo non sunt, filii tenebrarum, odio habent, itaq; tempore concionū in suis cavernis se abscondunt. Quid vero de his sperandum? Quod de hominibus qui cibum omnem aversantur, & marasmo laborant, de quibus dicitur Psalm. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quid enim nisi mors hanc surditatem sequitur? Judæos secutum est exterminium & abductio in Babylonicam captivitatem sub Sedecia, quando is *non erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini: sed & universi Principes Sacerdotum & populum subsannabāt nuntios Dei & parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus & esset nulla curatio. Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, &c.* Ut dicitur 2. par. ult. Similis clades excepit subditos Episcopatus Trajectensis sub S. Amando, eorum Episcopo, cum enim aures prædicationi ejus clauderent, alii risu eum exciperent, quidam aliis sceleratior sævo correptus dæmone animam miserè efflavit. Episcopus excusso in eos pedum pulvere, alio discessit, monasterium sibi cum suis exstruens. Mox per biennium terra illorum, qui ejus prædicationem spreverunt, in solitudinem quasi redacta est, desolati vici & castra, agri inculti relicti, eversæ domus, nullusque eorum, qui contempserunt eum, remansit, ut scribit Milo Monachus Monasterii S. Amandi in Sur. 6. Februa. Nimirum hoc est quod dixit Christus Matth. 10. *Quicunque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorū in die judicii quam illi civitati.*

III. Qui causas pupillorum & viduarum non audiunt & expediunt. Tales erant tempore Isaiæ Principes Judæorum, quos arguit cap. 1. *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant & causa viduæ nō ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus: Heu consolabor super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.* Quia n. à viduis pauperculis non sperant munera, ideo earū causas differunt vel dissimulant. Eodem spectant, qui pauperes mendicantes nō audiunt. De quibus dicitur Prov. 21. *Qui obturat aurem suā ad clamorem pauperis: & ipse clamabit & nō exaudietur.* En malitiam avari, obturat aurē & quidem ad clamorem pauperis. Huic duplicatæ malitiæ respondebit duplex pœna; nam primo & ipse incidet aliquando in calamitatē ut clamare cogatur: deinde non exaudietur. Sic contigit inprimis Macedonio Magistro officiorum Gratiani Imp. qui S. Ambros. ad Prætoriū, ut pro quodā intercederet, eunti fores occluserat. Eo n. viso ait ipsi Ambros. *Et tu quidem venies ad Ecclesiam, quam neq; clausas januas inveniens ingredieris.* Quod & factum. Nam mortuo Gratiano ad Ecclesiā confugit, nec tamen ad eam aditū patentibus licet foribus invenire potuit. Baron. ex Paulino anno 381. Ita qui viscera misericordiæ claudunt pauperibus, invenient aliquādo clausa sibi licet aliis aperta viscera misericordiæ Dei. Nonne id manifeste patuit in Epulone, qui quoniam Lazaro non dedit micas panis: positus in inferno clamavit ad A-

bra-

stabam & petiit guttam aquæ, nec tamen obtinuit? Unde S. August. ser. 25 de verb. Dom. ait. *Ideo negatur in pœnis misericordia diviti, quia ipse dum viveret, noluit misereri. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.* Specta huc, (quod obiter alibi retuli) pœnam talionis irrogatam homini illiberali, in speculo Christianorum Joan. Duegnu Hisp. c. 1. *Is cætera bonus, castus, humilis, modestus, nullique obnoxius in Deum blasphemiæ; adeò tamen asper, ut ne horum quidem mendicantium vocem ferre posset; remotius ab ædium janua novum struxit domicilium, unde nullos vel maximos pauperum clamores perciperet. Verùm ubi extremum ille diem obiit, ac elato in templum funere, sacris Episcopus operari cœpit: ecce huic novum & admirabile quidpiam objicitur. Quoties enim ad populum Episcopus verba hæc protulit; Dominus vobiscum, toties imago Christi Domini in crucem suffixi visa est illi manus clavis eximere ac in aures conjicere, ne preces pro illo defuncto factas perciperet. Tali monstro attonitus Episcopus, peracto demum sacrificio tantæ rei causam rimari statuit: nihil tamen à demortui vicinis aliud exprimere potuit, quàm præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et crevit non paulum inde admiratio, donec tandem certis auctoribus accepit, quàm asper ille & immitis in egenos extiterit, quos ne audire quidem, nedum adjuvare, vellet; tum enim ille certè animadvertit, Christum Dominum pro mortuo respuisse preces, qui pauperum clamoribus aures occluderet: cujus indicium fecerit imago Redemptoris aures manibus obstruens, juxta illud Sap. in Prov. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.*

IV. Qui veniam rogantibus dare nolunt. De quibus S. Jacobus in ep. cap. 2. ait *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Quomodo enim talis impetrabit peccatorum veniam, cùm hanc præ confusione petere non audeat, quam alteri dare noluit? Unde S. August. serm. 5. de verbis Domini ait: *Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum?* Et ser. 61. de temp. *Si inimicos non diligimus, qua fronte dicimus, Pater noster? qua ratione dicere poterimus: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus?* Hinc servus ille nequam, qui a domino dimissus, noluit misereri conservi sui, in carcerem retractus, nō legitur veniam amplius impetrasse, quia scil. petere non est ausus, quod servo prius negarat. Unde Eccles. 28. dicitur: *Homo homini reservat iram & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & pro peccatis suis deprecatur?* Exemplum refert Joannes Junior Ord. Prædicat. in Scala cœli, de quodam Burgensi, qui in tantum fuit rancore affectus, ut injurias sibi factas nullo modo indulgere voluerit. Qui cùm esset mortuus & portatus ad Ecclesiam & psalmi & orationes dicerentur pro eo, crucifixus eodem, quo supra diximus, modo retraxit manus clavatas de ligno & apposuit auribus & vox audita est: *Nec pepercit, nec parcam.*

Quando igitur vidimus quàm gravis & periculosa sit hæc surditas, non miremur si tanta fecit Christus pro surdastri illius cura. Quapropter & nos si fortè tales deprehendamus, nihil non faciamus pro eorum emendatione. Abducamus eos à turba; mittamus digitos nostros in aures eorum, discretè admonendo, suspiciamus in cœlum & ingemiscamus pro eis per orationem. Dicamus illis *Ephpheta: Adaperire. Surdi audite.* Isa. 42. ut ita simul laudemus Deum.

THEMA IV.

Rectè ut loquendum, ex natura & structura linguæ docetur.

I. Lingua radicem in corde habet, ut cordi consentiat.

II. Unica est, ut loquaris parcè.

III. In edito corporis loco est, ut loquaris cœlestia, potius quàm terrena.

IV. In ore calido est, ut spiret amorem & ædificationem.

V. In ore humido est ut loquaris cautè & pacificè.

VI. Infra aures, oculos, & nares est, ut loquaris postquam audieris, circumspexeris, & docueris te ipsum.

VII. Ori quasi carceri inclusa est.

Solutum est vinculum linguæ ejus & loquebatur rectè. Marci 7.

DElicatam valde & perdifficilem esse humanæ linguæ structurā, vel ex eo patet, quòd in embryone ultima animatur, & moriente homine prima emoritur. Ita enim Plinius libro 11. cap. 37. *Os,* ait, *primùm mori tradunt, cor novissimè.* Quod verò primum moritur, ultimum animatur, teste Aristotele l. 2 de gener. animal. c. 4. *Evenit namque omnibus,* inquit, *ut quod ultimum sit, hoc primum deficiat, & quod primum id ultimum.* Quod in structura linguæ fit, idem ferè in linguæ usu cernimus. Delicatus admodum & difficilis est linguæ usus, adeò ut sanctus Jacobus cap. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ex delicatæ linguæ formatione venit, ut rari homines sint, qui nullo prorsus linguę defectu vel impedimento laborent: multo tamen rariores sint, qui secundum mores lingua non impingant. Mutus hodierni Evangelii, non omninò mutus, sed balbutiens & impeditæ linguæ fuit, ut indicat Marcus voce μογιλάλος, Christus eum sanavit, ut rectè & expeditè loqueretur. At quis sanabit linguas eorum, qui secundum mores malè loquuntur? Naturam audiemus Magistram, seu potius Creatorem Deum in natura & structura linguæ. Ait

enim amicus Jobi Eliphaz: *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Job.5. Videamus formam & structuram linguæ, ut discamus loqui sine peccato.

I. *Lingua radicem in corde habet ut cordi consentiat.*

I. Lingua radicem suam habet in corde, ut doceat homines ea proferre linguâ, quæ in corde sentiunt, nec sit dissonantia inter mentem & sermonẽ. Intellexere hoc & Gentiles, qui propterea pomum persicum folio connexum (illud enim cordis, hoc linguæ speciem habet) cor linguæ consentiens esse debere interpretati sunt; ideoque eam arborem reputarunt sacram, teste Plutarch. l. de Iside & Osiride. *Plantarum Ægypti*, inquit, *præcipuè Deo sacram persicam esse referunt, quod fructus ejus cor, linguam amuletur folium.* Tradunt etiam Anatomici ex lingua duas venas tendere, unam ad cor, alteram ad cerebrum. Vult ergò natura omnimodè, ut lingua cum ratione & corde consentiat. Qui aliter loquitur in naturam peccat, unde omnium Theologorum sententia, omne mendacium cõtra naturam est, adeoque peccatum. Naturale est enim id foras depromere, quod quis intus gerit, non aliud. Quin & ipse Aristoteles 4. Ethic. cap. 7. docet omne mendacium per se esse pravum & fugiendum, cum non magis conveniat homini, quàm mugire, latrare, mordere, quod brutorum est. Cum igitur natura inclinet hominem ad veritatem, non nisi studio & violentia quadam adhibita loqui mendacia potest: sicut imitari voces bestiarum, mugitum, ruditum, latratum vel avium cantum non nisi adhibito studio & labore potest. Et quemadmodũ aves, ut præter naturalem suum cantum, discant alium artificialem, uti merulæ, vel enunciare verba humana, ut psittaci, ad hoc diu edoceri debent, donec sensim effingant discantque voces peregrinas, (unde dicimus: Dich dichten:) sic homines, ut mendacia loquantur, prius fingere dolos & linguam suam ad hoc edocere debent. Quod bene expressit Jeremias cap. 9. dicens: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii & non veritatis.* Quasi dicat, lingua eis data est, velut arcus, quo jacularentur ad veritatem ex oculo dextro: at illi contra naturam & morem sagittariorum jaculantur ad mendacium ex oculo sinistro. Unde paulo infrà, id repetens ait: *Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut non iniquè agerent, laboraverunt.* Ecce lingua, ut mendacium proferat, edoceri debet, sicut merula aut pica? ut alienas à natura sua voces aut cantilenas canant. Filii Hebræorum in Babylone à matribus Azotiis edocti, non jam Hebraica & paterna lingua, sed azotica & materna loqui cœperunt: *juxta linguam populi & populi.* 2. Esdræ 13. modo homines à natura quidem facti & formati ad loquendum veritatem, edocentur à mundo & Diabolo loqui mendacium, cujus pater est Diabolus, Domino teste, Joan. 8.

II. *Unica est, ut loquaris parcè.*

II. Lingua unica tantum data est hominibus, cùm tamen aures, oculos, nares, genas, manus, pedes habeant binos. Et cur hoc, nisi ut doceret plura eis audienda, videnda, investiganda, toleranda, operanda, perambulanda, quàm loquenda esse. Ita sanctus Basilius l. de vera virginit. *Natura*, inquit, *loquendi audiendique modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam unam nobis effinxit: & quasi duplum disciplinæ causa audire debeamus: & ad ea, quæ rogamus, sesqui altera proportione contractum referre sermonem.* Idem vidit ac respondit Demosthenes rogatus, cur habeamus aures duas & linguam unam: *Quia duplo plus audiendum quàm loquendum.* Maxim sermone 48. Clarissimè sanctus Jacobus cap 1. *Sit autem omnis homo*, inquit, *velox ad audiendum, tardus autem ad loquẽdum.* Ratio est 1. quia auditus sapientiam nobis infundit, lingua effundit. per auditum doctrinas accipimus, per loquelam damus. Quis autem non mavult accipere bona, quàm dare? Ad accipiendum manus habemus apertas, ad dandum vero clausas: ideo & natura aures nobis patulas & apertas, linguam verò clausam dedit. Hinc sicut juvenes profusiores ad dandum, senes verò tenaciores sunt: ita etiam juvenes, pueri & fœminæ, loquaciores, senes taciturniores, quia plus sapientiæ possident quàm illi. Sic vites juvenculæ, teste Gregor. M. (ut refert Tufo Ecclesiastici 8.) vinum quidem copiosius gignunt: vetustæ autem melius. Hinc & animalia, quò sapientiora, eò minùs vocalia sunt, uti Elephas, (qui etiam corpore licet maximo modicam valdè linguam habet) simiæ & leones. Hinc & aves, quæ bene ac suaviter canunt, modico anni tempore canunt; contra garrulæ & clamosæ toto anno, uti passeres, anseres, corvi, picæ. 2. Quia in audienda doctrina nullum est periculum: in eloquenda verò multum; sicut qui sæpe discurrit, sæpius cadit, quam qui rarò ambulat. Quid enim facilius quàm lingua impingere? Rursum si malè loquaris, offendes alios: si bene, teipsum facilè per inanem gloriam lædes. Unde August. in Ps. 50 *Feliciores*, inquit *sunt, qui audiunt, quàm qui loquuntur: qui enim discit, humilis est, qui docet, laborat ut non sit superbus.* Ideo S. Anselmus Cantuar. Episcopus testari solitus erat: *malle se inter pueros sub ferula Magistri pavere, quàm in conventu populorum Pontificiali cathedra præsidere.* Edinerus in ejus vita.

III. Lingua humana in edito corporis loco, in capite videlicet velut in suggesto & cathedra collocata est; non in depresso, uti lingua brutorum, voce terram feriens. Cur verò hoc? utique ut norit homo sermonem sibi cum Deo potius, quàm cum hominibus habendum, nec tam de terrenis, quàm de supernis & cœlestibus rebus, cavendum verò maximè à spurcis & lutosis, quibus bruta delectãtur. *Qui de terra est, de terra loquitur*, ait Joannes Bapt. Joan. 3. Ergo qui de cœlo est, de cęlo loquatur necesse est, *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Luc. 6. Et Romulus apud Melissam serm. 48. tom. 5. Biblioth. *vas fictile ictu & sono, hominem sermone probari*, ait. Confirmat D. Bonaventura Opusc. de perfectione vitæ c. 4. *Argumentum*, inquit, *quasi infallibile est, ut si sit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonicè,*

nicè, videtur quod non sit Theutonicus: sic qui est in mundo & mundana non loquitur, evidenter demonstrat, se de mundo non esse: qui enim de terra est, de terra loquitur. Scimus Christum Pharisæos *sepulchra dealbata* appellasse, unde id constabat? ex sermonibus eorum, qui fætore pleni è cordibus illorũ exhalabant. Unde Psal. 5. dicitur: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Sepulchra alioquin fœtorem cadaverum tegunt & sepeliunt; at qui turpia & fœda loquuntur, velut patentia sepulchra proferunt, fœtorem adeoque se ostendunt non nisi luxuriæ sepulchra esse. Alii perpetuo de opibus & pecuniis loquuntur, similes illi pisci, capto à S. Petro, qui cum pabulum aliquod sibi utile, verbi gratia, vermiculum aut muscam more habere deberet, staterem in ore habuit. Matthæi 17. Ad quid pisci pecunia? Huic ergo similes sunt avari, ut advertit Theophylactus, qui cum pabulum animæ suæ ruminare necesse haberent, non nisi argentum & pecuniam loquuntur. Alii nugas & futilia ferè semper in ore habent & nugigerulos se ostendunt, qualis ille rusticus sanctum Auxentium Abbatem de rebus salutis loquentem interpellans ea voce: *Bonus dies tibi Domine mi.* Cui ille: *Et tibi bonum tempus*, respondens stulto secundum stultitiam suam Sur. 14. Februarii. Contra hos Apostolus ad Ephesios 4. ait: *Omnis sermo malus.* (Gr. σαπρὸς hoc est, *putris*) *ex ore vestro non procedat.* Non ita vir Dei Samuel, de quo 1. Reg 3. dicitur: *Dominus erat cum eo & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*, quod ita exponit Hugo Cardinalis. *In cœlestia, non in terrena Samuelis verba ferebantur.* Cum enim Dominus esset cum eo, ut præmittitur, quid mirum si cum Deo & de Deo semper loqueretur? Laudandus etiam hoc nomine Carolus V. qui in tot militaribus expeditionibus adeo addictus orationi & in colloquio cum Deo frequens erat, ut de eo quidam dicerent: *Carolus sæpius cum Deo, quam cum hominibus loquitur.* Guil. Zenoccarus l. 5. de vita Caroli.

IV. Sita est in ore calido, quasi in clibano ardente. Et cur? ut in omni sermone nostro spiret amorem erga proximum, cui loquimur, juxta monitum Apostoli 1. Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant.* Vult dicere, non in contentione & schismate, a quibus prius dehortatus fuit Corinthios. Si omnia nostra, ergo & verba nostra in charitate fieri decet. Calebunt autem charitate: si proximum vel amore mutuo ac reciproco, vel amore Dei accendere conemur: nec pro re quapiam terrena cum eo litigemus, sed cedamus ei potius, ne tunicam Christi, charitatem, scindamus. Unde S. Chrysostomus orat. de S. Philogonio, *Meum & tuum* appellat *frigidum verbum*, quia charitate proximi caret. Ignem spirabat os Macarii Ægyptii Abbatis, quando furem spectans efferentem è cella sua supellectilem & jumento suo imponentem, accessit velut peregrinus & in asino onerando juvit, dicens summa animi tranquillitate: *Nihil intulimus in hunc mundum haud dubium quod nec auferre quid possumus: Dominus dedit & abstulit, sit benedictus in omnibus.* In vitis Patrum libro tertio, sexto & septimo. Quantum ignem efflabat omnes ejus socios in Hispania igni traditurum, rescripsit: *Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego vero id dico & opto, ut & tu charitate flagres & amici tui ac necessarii, non solum qui in Hispania, sed qui in universo terrarum orbe sunt!* libro 5. vitæ capite 2. Ribad.

2. Ut intelligamus os nostrum quasi furnum, & verba nostra quasi panes in eo pistos, indeque ad bonum proximorum clave linguæ depromendos esse. Scimus enim Dominum dixisse: *Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matthæi quarto. Ergo verba, quæ ad pascendum proximum ex ore procedunt, panes quidam sunt. Et talia quidem Christus semper ex ore suo deprompsit; quem imitantur boni, qui zelum animarum habent. Contra vero Dæmon lapides depromit: *Dic ut lapides isti panes fiant*, quem imitantur servi ejus, qui in destructionem proximorum scandala loquuntur, cædes & supplicia. Errarunt in hoc aliquando Jacobus & Joannes, quando ignem de cœlo in civitatem Samariæ voluerunt evocare, correpti de hoc à Christo. Lucæ nono, & propterea fortasse *Boanerges*, hoc est, *filii tonitrui* appellati. Marci tertio. Filius tonitrui appellari potest lapis, qui cum fulmine è tonante nube in terram evibratur, & designat verba iracundi in proximum tonantia. Non simus tales *Boanerges*. Furnus panum sit os nostrum, non nubes tonitruorum & fulminum. — *2. Et ædificationem.*

V. Lingua in ore humido est & humore ad loquendum eget. Cur hoc? Primò, *Non frustra lingua in humido est*, ait sanctus Augustinus super Psalmum trigesimum tertium, *nisi quia facile labitur.* Hugo Victorinus anguillæ eam comparat libro de Anima. *Labitur ut anguilla*, inquit. Qui in lubrico ambulat, facilè cadit: sic etiam linguæ facilis est lapsus. Anguilla a manibus facilè elabitur: sic verbum ex ore, quod revocari nequit. Scimus quomodo Jephte labilitatem linguæ suæ plangat Judic. 11. *Heu me filia mea! aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Job etiam dolet ob unum verbum minus consideratum: *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum, quibus ultra non addam*, Job 39. Hinc Abbas Sisois per 30. annos nõ aliud precabatur, quam *Domine Iesu Christe protege me à lingua mea. Et usq; nunc per singulos dies corruo per ipsã & delinquo.* Addebatq;: *peregrinatio nostra est, ut teneat homo os suum.* Vit. PP. l. 5. Ergo ut in lubrico caute & suspenso gradu incedimus, sic & loquamur juxta id Eccl. 4. *Noli esse citatus in lingua tua.* Et Senecæ ep. 72. ad Lucillum: *Summa summarum hæc erit tardiloquum te esse jubeo.* Sic egit David Ps. 38. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Et Abbas Pambo, qui rogatus de re aliqua non statim respondit, sed dicere solitus est: *Nondum habeo quod respondeam.* Palladius in Lausiac. c. 10.

V. In ore humido est.

I. Vt loquaris cautè.

2. *Pacificè.* 2. Ut sciamus linguam nostram unctam esse debere humore pacis & tranquillitatis: quomodo rotæ currus inunctæ, placide & sine stridore pergunt. De hujusmodi lingua Proverbiorum decimo quinto dicitur: *Lingua placabilis, lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conteret spiritum*, quasi dicat, sicut arbor vitæ contulisset edentibus sanitatem & servasset vitam: ita lingua placida alios sanat & mitigat servatque ab interitu. Sic Jonathas blando sermone mitigavit iram patris, ita ut juraret Saul, se non occisurum Davidem, primo Regum decimo nono. Abigail uxor Nabal iratum Davidem, primo Regum vigesimo quinto. Delectatur enim natura præsertim humana suavitate adeoque nectare, melle, saccharo, quibus devincitur & mitigatur, non secus ac suavi melodia. Unde Ecclesiastici quadragesimo dicitur: *Tibia & psalterium suavem faciunt melodiam: & super utraque lingua suavis.* Quare uti cervi capiuntur melodia, teste Pierio libro septimo, & Saul etiam malo spiritu exagitatus psalterio Davidis mitigatus fuit: ita feroces etiam homines necdum pacati, deliniuntur verbis placidis. Testis M. Antonius, qui ad mortem quæsitus & circumseptus à militibus, linguæ suę dulcedine adeo eos flexit, ut ad genua ejus acciderent. Valerius Maximus libro octavo capite nono. Testis David, qui sua melliflua oratione Saulem commovit ad lachrymas, 1. Reg. 24. Gedeon, qui repressit tumentes contra se. Judic. 8.

VI. *Infra aures oculos & nares est: ut loquaris postquam audieris.* VI. Lingua inter quinque sensuum organa non supremum obtinet locum in corpore humano, sed subjecta est auribus, oculis & naribus. Et cur, Auribus, ni fallor, ut discat prius audire quam loqui. Et propterea Christus surdi & muti hodierni prius aures expedivit, postea linguam aperuit: *Apertæ sunt aures ejus*, inquit Marcus, *& solutum & vinculum linguæ ejus*; quia & prius miserat Dominus digitos in auriculas ejus, tum tetigit linguam ejus. Pari ratione in Pentecoste prius Spiritus sanctus manifestavit adventum suum in sono, postea in linguis igneis. Et cur Ezechieli dixit Deus: *Dedi in aurem super os tuum* (Ezech. 16.) nisi quia prius audire debebat, ut bene loqueretur? Oculis subjecta est, ut prius quam loquatur, undique circumspiciat, quid loquendum sit.

Postquam circumspexeris. Mercator merces suas non nisi ad stateram, mensuram & ulnam vendit, multò magis verba ad stateram prius revocanda sunt, quam exponantur. Unde Ecclesiastici 28. dicitur: *Verbis tuis facito stateram*, ut scilicet prius veniat sermo ad limam quam ad linguam, ut exponit Hugo Carensis. Naribus, ut prius emendemus proprios defectus, quam corrigamus alienos.

Postquam docueris teipsum. Debemus ferè prius quam loquamur, nares extergere, ne humore ex iis defluente os impediatur. Ergo qui alterum docere vel reprehẽdere vult, prior ipse apprehendat nasum suum, eumq; expurget. *Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Qui naso caret absurdè loquitur: sic & qui sine ratione verba facit.

VII. Lingua ori quasi carceri inclusa est, septa duplici vallo, dentium & labiorum. Quæ causa? 1. quia lingua canis instar ferocis custodienda est, ne ad hominum morsus facile prorumpat. Ideò enim S. Jacobus cap. 3. ait: *Omnis natura bestiarum & volucrum & serpentium & cæterorum animalium domatur & domita sunt à natura: linguam autem nullus hominum domare potest; inquietum malum, plenum veneno mortifero.*

2. Ut sciamus raro & consideratè nobis loquendum esse, dum duo prius ostia nobis aperienda sunt quam sermonem proferamus. Frater Ægidius Minorita dicebat, optandum homini ut collum gruis instar oblongum haberet; quo nimirum sermo per longos meatus, tardius ab ore proficisceretur. In vita 23. Aprilis. Sed natura satis providit linguæ, duplici eam includendo repagulo, quod qui facilè nimis aperiunt, insipientiam suam produnt. Ad S. Antonium venit quidam vir maturus & religiosus adducens duos fratres admodum loquaces; cui Antonius: *Mi pater admodum facundos & bonos nactus es comites:* Cui ille: *Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet januam; quicunque enim vult, intrat in stabulum, & solvit asinum*, Indicans eos garrulos quidquid in buccam venit, effutire. In vita S. Antonii.

Vidimus Naturam, loquendi Magistram, sat superque nos docentem loqui rectè & prudenter. Superest ut ejus ductum in sermonibus nostris sedulò observemus. Zeno Zitticus puerum supra ætatem curiosius quædam ab eo indagantem, duxit ad speculum, jubens ut se in eo contemplaretur, & num judicaret tali vultui convenire tales quæstiones. Ite & vos ad speculum, quoties verba seritis, & videte an sermones vestri conformes sint linguæ, à natura vobis datæ & tali modo fabricatæ. Sic enim spes est fore, ut in omni locutione cauti & circumspecti sitis; quod largiatur vobis optimus & sapientissimus linguæ fabricator Deus.

THEMA V.

Tempus tacendi & tempus loquendi.

I. *Tace, quando nullum ex sermone fructum speras. Loquere, cum fructum & emendationem speras.*

II. *Tace, quando arcana tibi credita sunt. Loquere, cum Dei magnalia manifestanda sunt.*

III. *Tace, quando sermo tuus proximum lædet. Loquere, quando sermo tuus ad ædificationem servit.*

IV. *Tace, quando beneficium in alterum contulisti. Loquere, cum accepisti.*

V. *Tace in propria causa. Loquere in aliena.*

Aper-

Apertum est os ejus & loquebatur rectè. Marci 7.

DUæ potissimum litteræ sunt, in quibus pronuntiandis non pauci laborant, R. scilicet & S. Quem defectum anatomici provenire sentiunt è nervis motivis, qui in lingua sunt: qui si longiores sint, impediunt litteram S: si breviores, litteram R, uti refert Vincentius Belluac. in speculo, to. 1. libro 28. cap. 55. Duæ illæ litteræ magnopere desiderantur in loquela nostra: R, ut sciamus Reden/S, ut sciamus Schweigen: loqui & tacere. Videtur hoc defectu laborasse mutus in hodierno Evangelio: neque enim ita mutus fuit, ut nihil omninò loqui posset, sed quia male & impedite loquebatur, ut indicat vox Græca μογιλάλος, hoc est, parum aut ægrè loquens; & noster etiam textus, cùm jam curatum asserit rectè locutum; quasi prius loqueretur etiam, sed non rectè. Duos illos linguæ defectus deprecatur Regius vates Psal. 140. cum ait: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostio, non muro petit custodiri labia sua; quia murus semper includit: ostium vero modò aperitur, modo clauditur. *Qui ergo ori suo,* inquit D. Gregorius 7. Moral. cap. 17, *nequaquam poni obstaculum sed ostium petiit, aperte docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari: quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat.* Similiter S. Chrysost. in Psal. 140 *Nonnunquam,* inquit, *silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio Et ideo dicebat ille sapientissimus: Tempus tacendi & tempus loquendi,* Eccles. 3. *Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ: si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia.* Igitur ut & nos cum hod. muto recte loqui, quantum licebit, addiscamus, videamus aliquot tempora, quibus loquêdum aut tacendum sit.

I. Tace quando nullum ex sermone vel admonitione tua fructum speras. Ita monet Ecclesiasticus capite 32. *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.* Quod Syri declarant hoc dicto: *Ne emittas canem, ubi non est venatio.* hoc est, ne quem corripias vel doceas: si non est spes profectus vel fructus. Quis enim sapiens venari velit in pagis aut urbibus, ubi nullæ degunt feræ? quis sem nare supra scopulos? Propterea egregiè Zeno, ut ait Laertius in ejus vita, *interroganti cuidam; cur se unum omnium non corrigeret; respondit: quia tibi non credo, subindicans sibi non esse spem, illum, si corriperetur, fore meliorem.* Porro Syrus dictum sapientis verbum ita vertit: *In loco, ubi bibitur vinum, ne misceas sermonem.* Quem enim fructum emendationis speras à potatoribus vino calentibus? Hinc Moyses è Monte Sinai descendens & tumultum convivantium audiens, illicò fregit tabulas legis, quam à temulentis sciebat non audiendam; neque etiam scelus admissum eis exprobravit aut punivit, priusquam sanæ menti eos restituisset, offerendo eis aquam ad bibendum è vituli cineribus; qua hausta contra eos gladium strinxit. Exodi trigesimo secundo. Eadem prudentia correxit Abigail virum suum Nabal, nondum in convivio cum suis potitaret, neque eo die, quo adhuc vino æstuabat, sed sequente primum, quando crapulam edormierat. primò Regum 25. Quod isti cum ebriosis prudenter fecere, idem cum iracundis actitandum, cùm & illi furore ebrii adeoque extra se sint. Quemadmodum enim Medici remedia non adhibent, dum augescit febris, sed expectant, dum remittat; similiter & *nutrices* (ait Plutarchus) *pueris cum in periculo versantur vel casus vel incendii, nihil illis asperum loquuntur: at deinde asperis verbis ac verberibus etiam illos accipiunt, ne iterum eodem recidant.*

Loquere cum fructu & emendationem speras.

Loquere vicissim, quando à correptis emendationem aliquam speras. Ita monet idem Ecclesiasticus capite quarto. *Ne retineas verbum in tempore salutis,* h. e. cùm est spes salutis ejus quem corrigis, ut Jansenius & Dionysius exponunt. Stulte & inhumaniter ageret, qui frumenta, ex quibus divenditis plurimum lucri facere posset, perire in horreo suo sineret, donec in vermes conversa avolarent. Qui, cum bona admonitione lucrari proximum posset, obmutesceret, is & sibi & ipsi noceret, Deique maledictionem incurreret; juxta id Proverbiorum 11. 26. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Quod explicans D. Gregorius 3. p. past. admon. 26. *Frumenta,* inquit, *abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœnæ damnatur.* Delusit hac in re malignus hostis Monachum quendam sanctæ vitæ, Marinum nomine, uti scribit Petrus Damiani in epistola 21. ad Damian. libro 6. *Transfiguravit enim se in Angelum lucis & quasi legem dictitando mandavit: Cave,* inquit, *quia, qui Angelum Dei & aspicere & alloqui meruisti, indignum est ut de cætero cum hominibus loquaris. Protinus ille tanquam mandatum divinitus accepisset, à fratrum se funditus collocutione removit, seque sub rigida silentii censura constrinxit. Cui cum frater Romanus primo, deinde Abbas monasterii, ut sibi loqueretur, vehementer insisteret, & ille responsum pressis labiis non mitteret; Abbas fores cellulæ violenter irrumpens, dignis indiscretum fratrem verberibus castigavit, & sic ad reddendum sermonis officium compulit. Cui mox admonendum subjunxit. Idcirco,* inquit, *antiquus adversarius bonorum semper operum inimicus silentium tibi tentavit imponere: ut & tu fructum fraternæ ædificationis amitteres, & illi, qui à te sublevandi erant, tuæ consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, quia non malitia sed ex simplicitate peccaverat, ad mentem quantocyus rediit, & contempta suggestione Diaboli, admonitionibus pii Patris humiliter acquievit.*

II. Tace quando arcana tibi credita sunt.

II. Tace quando arcana tibi credita sunt occultanda, ne proximo vel reip. noceas, aut contra

fidem datam pecces; hoc enim æquum & justum est, & commendatur à Raphaële Tob 12. dicente: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Quin & necessarium, quando sub fide creditum. Notum est ex Plutarcho lib. 2. de fort. & virt. Rom. Alexandrum Magnum Hephæstioni, postquam matris epistolam ei legendam dedisset, os annulo obsignasse, nequando proderet, quæ legisset. Et meritò quia ut ait Ecclesiasticus cap. 27. vers. 17. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum;* ad votum scilicet & desiderium suum. Nemo enim cordatus volet habere amicum, quem aliquando expertus est infidum. Unde S. Augustinus, vel quisquis est auctor libri de amicitia, cap. 13. ait: *Secretorum revelatione inter amicos nihil turpius; nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos: sed omnia replens amaritudine indignationis & odii atque doloris felle cuncta aspergens, &c.* Viderunt hanc turpitudinem etiam Gentiles, è quibus Isocrates ad Demonicum scribit: *Diligentius tuenda sunt deposita verborum, quam pecuniarum.* Et Periander: *Sermones arcanos ne efferas.* Quin etiam non pauci mori & excruciari maluêre, quam arcana apud se deposita propalare. Hyperiden narrat Plutarchus de vita Rhet. & Hyper. ne arcana patriæ enunciaret, dentibus sibi linguam in tormentis amputasse. Zenonem Cleanthem non solum sibi amputasse sed & in tyrannum expuisse, refert Cœl. Rhodigin. Idem fecisse Anaxarchum Philosophum, postquam à Tyranno in pila saxea ferreis malleis, contusus fuit, auctor est Laërtius & alii. Denique Ægyptii, ut scribit Diodorus Siculus libro 2. cap. 2. linguam abscindi jubebant illi, qui secreta revelasset, Romani autem hujusmodi hominem aut vivum comburendum, aut in furcam suspendendum iudicarunt. Ita Paulus IC. l. si quis ff. de pœnis. Quod si hoc Gentilibus adeò persuasum adeoque sanctum fuit, multò magis esse Christianis debet qui vocantur fideles, quod fide erga Deum & homines nihil antiquius habeant.

Loquere cum Dei magnalia manifestāda sunt.

Loquere vicissim, quando Dei arcana tibi credita revelanda sunt: uti monuit idem Archangelus cum addecit? *Opera autem Dei revelare honorificum.* quando scilicet auditores sunt dociles & capaces divinorum mysteriorum, nam alioqui scimus præceptum esse à Domino, ne margaritas mittamus ante porcos. De cætero *cum Dei opera revelare & confiteri honorificum esse Raphaël Archangelus doceat, profectò celare vel silere opera Christi, periculosum est,* ait S. Severus Episc. Minoricensis in Ep. de Jud. convers. Idem monet S. Petrus in ep. 1. cap. 2. verbis illis: *Vt virtutes annuncietis ejus: qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Quibus verbis alludit ad Hebræos, qui ad singula beneficia divinitus accepta, singula statuerunt monumenta, ut eorum posteris & toti mundo Dei magnalia innotescerent, & quidem ipsius jussu vel instinctu. Modò enim erexerunt altaria in loco acceptæ gratiæ, uti Abraham Genes. 10. Jacob Gen. 28. Modo agnum paschalem in memoriam servatorum sibi primogenitorum Exod. 12. Modo celebrarunt festum Pentecostes in recordationem legis datæ, Exod. 19. & 24. Modò festum Tubarum ob liberationem Isaac à gladio parentis. Genes. 22. Conservarunt urnam manna plenam ob manna sibi cœlitus missum. Exod. 16. Celebrarunt festum Scenopegiæ seu tabernaculorum ob memoriam peregrinationis suæ per 40. annos in solitudine. Erexerunt 12. grandes lapides intra & extra alveum Jordanis, ob beneficium siccati amnis, &c. Quæ omnia stimulant nos Christianos, ut non minori sed majori longè studio recordemur & deprædicemus Dei beneficia, longe nobiliora quæ & olim à Christo in nos collata sunt, & usque hodie conferuntur. Quod etiam intelligendum de exaltatione Ecclesiæ nostræ Catholicæ. Ita enim hortatur suos S. Chrysostomus orat. 5. contra Judæos: *Moneo ut illos rumores augeamus, qui res nostras attollunt magnasque videri faciunt: non autem, fratres, illa exaggeremus quæ toti sodalitati dedecus offundunt. Contra si quid audierimus boni apud omnes proferramus, si quid verò mali pravique, apud nos ipsos occultemus, idque ut tollamus, nihil non faciamus.* Certè Dæmoniacus ille, à quo legionem dæmonum expulit Christus, ad unum Christi monitum abiit & universam Decapolim prædicavit, quanta ipsi fecisset Deus. Marci 5. Confundet iste nos in judicio, si taceamus Dei nostri magnalia, & beneficia nobis impensa, planè innumerabilia.

III. Tace quando sermo tuus proximum læsurus est, quocunque tandem modo, sive scandalo, sive malo consilio, sive detractione, &c. Docet hoc Apostolus ad Ephes. 5. v. 29. scribens: *Omnis sermo malus* (Græc. *putris; corruptus*) *ex ore vestro non procedat.* Quis verò sermo *putris* & *corruptus*, nisi obscœnus, amarulentus, dicax, qui proximo horrorem & nauseam conciliat, sicut putre pomum aut alius cibus putredine fœtens. Certè putrida illa poma, quæ non nisi favillam continent, natura condemnavit ad mare mortuum, ubi nemo mortalium habitat aut habitare potest, ut alibi non semel diximus: sic omninò decet verba putrida procul removere ab auribus Christianorum ne proximum inficiant atque offendant. Avis etiam δίκαιος seu *Justa* appellata hunc à natura instinctum habet, ut sua defodiat excrementa, ne inveniri queant, quia mortales enecant. Ælian. lib. 4. de animal. Sermo impurus, dicax, detractorius quid nisi excrementum tale pestilens, quod & audientem inficit, & eum in quem dicitur, necat? Defodiatur igitur in pectore, non prodeat in publicum. Ita præcipit Ecclesiasticus cap. 19. v. 10. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* Quem locum contra detractores adducens S. Chrysostomus hom. 3. ad popul. *Quid est,* inquit, *Commoriatur in te? Extingue ipsum,* defo-

defodito, ne exire permittas, oblivioni trade, Sed maximè stude, nec alios quidem dicentes tolerare: quod si quando susceperis, infodito, interime dictum: oblivioni trade, ut his, qui non audierint, similis fias & cum multa pace & securitate præsentem transigas vitam. Par ratio est de obscœnis verbis & dicteriis, cum æquè fœteant noceantque. *Archytas*, inquit Ælianus lib. 14. variar. historiar. cap. 19. *cum alias modestissimus fuit, tum etiam verborum obscœnitatem assiduè vitavit. Quum vero necessitas aliquando postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed id tacuit, inscripsit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat; neque ut diceret, cogi potuit.* Est hoc, fateor, aliquid in Gentili homine: verum quando sermo impurus lædere aliquem potest, tum ne parieti quidem inscribendus, sed omnino tacendus & defodiendus est.

Loquere vicissim, quãdo sermo tuus ad ædificationem tendit: quemadmodum subdit mox loco cit. Apostolus: *Sed si quis bonus* (sermo) *ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Proferatur videlicet. *Nam hac ratione*, inquit in eum locum sanctus Chrysostomus hom. 14 *Deus os tibi dedit ac linguam, ut & sibi gratiarum actionem persolvas & proximum ædifices.* Et mox *Si quæ facienda sunt, admonueris, multum illi* (*proximo*) *gratiæ contuleris. Si instruxeris ut os habeat benedictionibus assuetum: si docueris ut nemini malè loquatur, summoperè ipsum erudieris, gratiamque præstiteris. Si de Compunctione, si de pietate, de eleëmosyna disserueris, omnia ista mentem ejus emollient, pro his omnibus gratiam se debere fatebitur*, Gravissime reprehenduntur in sacris litteris duo filii Judæ, Her & Onan, quod in conjugiis suis rem detestabilem fecerint, effundendo semen in terram, ille, ut suæ libidini vacaret potius, quam ut semen & familiam patris sui propagaret: hic ne filium fratris Her occisi, non suo nomine appellandum, procrearet. Ille *nequam in conspectu Domini* vocatur, hic *rem detestabilem fecisse* dicitur: & propterea uterque à Deo in pœnam sceleris diro mortis genere necatus est, Genesis decimo octavo. Videat porro is, qui cum à Deo acceperit talentum ad Dei gloriam amplificandam & salutem proximi procurandam, retrahit verbum salutis ab ore suo & defodit in terram talenta sua, adeoque sinit labi & perire proximum, an non de simili scelere, negligentia & invidentia redargui possit à Deo adeoque pœnam etiam gravissimam mereatur.

Tace quãdo beneficium alteri contulisti, Loquere cum accepisti.

IV. Tace, quando in alterum beneficium aliquod contulisti, loquere ècontra & prædica beneficium, quod ab altero accepisti. Primum illud docet Christus in hodierno Evangelio, dum post collatum surdo & mutuo beneficium curationis, *præcepit illis, ne cui dicerent:* alterum ipse curatus & amici ejus, qui *quantò eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit. & surdos fecit audire & mutos loqui.* In quæ verba Theophylactus scribit: *Docemur hoc loco, quod quando benefacturi sumus, ne plausus vel celebritates ex beneficiis quæramus: quum autem beneficia acceperimus, ut benefactores, licet ipsi recusent laudemus & prædicemus.* Intellexit hoc etiam Seneca, qui libro secundo de beneficiis capite decimo scribit: *Hæc beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.* Doctores hujus legis dedit natura duos fontes in Bæotia juxta flumen Orchomenon, quorum alter memoriam, alter oblivionem inducit. Plinius libro trigesimo primo, capite secundo. Memoriam ex illo fonte bibit junior Tobias, quando reversus ad parentes recensuit beneficia sibi collata à comite, Raphaële. *Narravit* enim *parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem* (Raphaëlem) *qui eum duxerat.* Tobiæ undecimo. Oblivionem ex altero bibit anus illa sanguinis profluvio pene exanimata, quæ cum beneficio gemmæ inæstimabilis, ab Alphonso Aragonum Rege sibi oblatæ, sanata fuisset, gemmam retinuit & de ea restituenda interpellata, sibi ne visam quidem fuisse dixit; non sine stomacho Aulicorum, Alphonso verò subridente & ex fonte oblivionis collati beneficii bibente, remque dissimulante. In Panorm. libro 1. capite 52.

V. Tace in propria causa.

V. Tace in propria causa, cum inique accusaris, contentus bona conscientia & Deo teste; nisi tuum silentium alteri noceat. Est hoc consilium Christiano homine dignum: ferre potius injurias, quam cum jurgio & contentione eas depellere; quod inprimis docuit exemplo suo Christus, cum ad falsas accusationes in Concilio nihil respondit. Docuit David, qui Psalmo 38. dixit: *Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis.* hoc est, contentus bonà conscientia despexi inimicorum accusationes, neque in eis depellendis laboravi. *Siluit à bonis*, inquit sanctus Ambrosius in eum Psalmum. *Quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui judex, ideoque justus dicit: Quis contradicat aut resistat mihi? Et Apostolus Paulus dicit. Mihi enim pro minimo est, ut à vobis dijudicer aut ab humano die. Adversus calumniantes & peccatores justus suo judicio contentus est, meritorum autem suorum judicium Christo reservat, ideoq; addit: Qui dijudicat me Dominus est. Ad omnia igitur utile silentium.* Sic ille. Iisdem verbis se defendit S. Paula, ea decantando, si quando procacior fuisset inimicus & usque ad verbum jurgia prosiliisset, ut scribit S. Hieronymus Epistola 27. Melius se silentio quam responso defendit Christus coram Pilato; cum enim ad tam importunas accusationes nihil responsi dedisset, quæsivit is rationem dimittendi eum, Matthæi 27. adeoque plus valuit apud Pilatum Christi tam altum & stupendum silentium, quam totius populi accusatio. Unde S. Athanasius serm. de pass. & cruce ait: *Tacendo & non respondendo tam efficax erat in persuadendo, ut judex ultrò factiones conspirationis adversus eum initas & agnosceret & confiteretur.* Neque vero solius Salvatoris silentium tam potens ad sui defensionem fuit, sed etiam

castissimæ illius Susannæ, quæ cum iniquissimè delata raperetur ad mortem, nihil pro se respondit: & tamen *exaudivit Dominus vocem ejus*, sola conscientia clamantem: *est enim magnum*, inquit S. Ambrosius 1. offic. c. 1. *& negotiosum silentium, ut erat Susanna, quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta: tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec ullum majus judicium quam silentium, conscientia loquebatur, nec quærebat pro se hominum judicium, quæ habebat Domini testimonium.*

Vicissim loquere cùm vides iniquè condemnari alios. Cujus rei præclarum præbuit exemplum Daniel, qui bis iniquè condemnatus & demissus ad leones nihil prorsus pro defensione sua dixit, sola conscientia contentus, ideoque à Deo defensus. At cùm innocentem Susannam duci ad mortem vidit, minimè tacuit, sed palam exclamavit voce magna: *Mundus ego sum à sanguine hujus*; eamque à supplicio eripuit. Danielis decimo tertio.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Varii modi cœlum acquirendi.*
II. *Incitamenta ad diligendum Deum.*
III. *Christus summè diligendus, quia Samaritanus noster.*
IV. *Ratio diligendi proximum.*
V. *Oleum consolationis infunditur plagis afflictorum.*

THEMA I.

Varii modi cælum acquirendi.

I. *Labora pro cælo.*
II. *Eme illud.*
III. *Furare, si non potes aliter acquirere.*
IV. *Rape id per vim.*
V. *Mendica illud.*

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 10.

NOn dubito Auditores pari vos teneri sciendi desiderio, quo tentus Legisperitus fuit: qua nimirum ratione comparari regnum cœlorum queat. Et quidem Christus Dominus conditionem unam præscribit Legisperito, sed generalem, nimirum charitatem Dei & proximi; possumus verò alias assignare particulares & quidem plures, quæ tamen in charitate omnes fundantur. Earum aliquas depromit sanctus Bernardus in sententiis, dum ait alios cœlum violenter rapere, velut qui relictis omnibus Christum sequuntur: alios mercari, qui faciunt sibi amicos de mammonâ iniquitatis: alios furari, qui nonnulla bona occultè faciunt, quia laudem humanam vitantes, solo divino testimonio contenti sunt: alios compelli ad illud, uti pauperes necessarios, quos hîc ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat. Hujus igitur sancti Patris vestigiis insistemus, & varios acquirendi cœli modos proponemus, tibique pie Auditor nunc proponemus.

I. Vis igitur intelligere, qua ratione cœlum possidere queas? Lucrare id laborando, & servando præcepta. Eò enim remittit Dominus Legisperitum in hodierno Evangelio, proponendo ei utramque legis tabulam sed compendiosè, primam in dilectione Dei, secundam in dilectione proximi. Idem adolescenti cuidam respondit, eandem quæstionem proponenti, Matthæi decimo nono. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Nemo de hoc queri potest, cùm natura doceat panem, & quæcumque bona, præsertim eximia & quæ terram transcendunt, laboribus paranda esse, ut vel à brutis animantibus discimus: ideoque nos etiam mendicantes validos illicò rejicere & ad labores amandare solemus. Bene Petrus Damiani in sermone decimo nono, qui est de sancto Anthimo martyre: *Delicatus*, inquit, *miles est, qui ante vult triumphare, quam arma conserere, prius triturare, quam rura proscindere. Considerato nempe ordine scripturarum ritè perpenditur nostrarum series actionum. Prius enim lex* (in ll. Levitici & Deuteronomii) *deinde judicium* (in l. Judicum) *postremo subsequitur historia Regum. Nunc sanè nos expedit indicta nobis divinæ legis mandata servare; postea compellimur ante tribunal tremendi judicis rationem de nostris operibus reddere; postremo dabitur in illa superna claritatis gloria sine fine regnare. Teneat ergo ordinem, qui vitare vult Babylonem. Ille nimirum vitæ suæ ordinem vivendo confundit, qui ante vult ridere quam flere; cum Salomon dicat: Tempus flendi & tempus ridendi.* Sic ille. Hoc ut Hebræis, imo & nobis insinuaret Deus præcepit

Arcam testamenti, in qua tabulæ legis ponendæ & asservandæ essent, ita fabricari, ut haberet in circuitu coronam auream, Exod.25. quia nimirum custodientibus legem promisit coronam vitæ, omni auro pretiosiorem; juxta id Prov.7.v.2. *Serva mandata mea & vives, &c.*

Neque verò hæc conditio gravis alicui videri debet, cum mandata ipsa gravia non sint, ut ait S. Joannes Ep.1.cap.5. Nam, ut alia taceam, non tam afferunt homini laborem, quam auferunt, dum ferè omnia negativa sunt, & abstinere tantum ab illicitis jubent, v.g. non adorare Deos falsos, non blasphemare nomen Domini, non operari diebus festivis, non occidere, non mœchari, non furari, non dicere falsum testimonium. Quæ omnia si præciperentur, laborem maximum & planè intolerabilem imponerent; si nimirum diceretur nobis; adorabis Idola & hoc vel illo modo coles: Deum tuum blasphemiis onerabis: festos dies laboribus transiges: inimicos tuos occides: alienæ uxori insidiaberis: furibus te conjunges & cum illis furaberis, &c. Quis hujusmodi legem non tyrannicam & importabilem clamaret? Jam vero ab hoc liberant imò arcent nos mandata Dei; quod videtur voluisse, cum Ose.11. dixit: *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* q. d. auferam ab eis jugum, quo premuntur alii, qui dæmoni serviunt, & sub eo stimulantur ad blasphemandum, operandum festivo tempore, occidendum, mœchandum, furandum.

Eme illud.

II. Eme illud, si fortasse in mandatorum observatione minus feliciter progrediaris. Ita fatuis virginibus suasere prudentes, cum de oleo ad excipiendum sponsum necessario agebatur: *Ite ad vendentes & emite vobis.* Matth.25. In quæ verba S. Chrysostomus hom 79. in Matth. *Qui porrò vendunt? inquit, Qui pauperie premuntur. Ubi vero isti reperiuntur? In hac solummodo vita: hic ergo non ibi quærendi sunt. Vides quam magnas ab inopibus merces negociemur? Si hos pellas, magnam nostræ salutis spem evertisti.* Ita Chrysostomus. Similiter Hieronymus in eum locum: *Venditur hoc oleum, & multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur: quod in eleemosynis cunctisque virtutibus & consiliis intelligimus Magistrorum.* Suasit Nabuchodonosori, Regi inflato & impio, Daniel hanc negotiationem cap.4. *Consilium meum, inquit, placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Redimere est rursum emere, quod quis videlicet alteri aut vendidit aut oppignoravit. Qui ergo cœlum semel per peccatum vendidit, rursum illud emat, dando eleemosynam; quia illa hominem ad gratiam disponit, sicque modo aliquo, licet insufficienti pretio cœlum emit. Eodem redit, quod S. Ambrosius l. de eleemosyna & jejunio scribit in hæc verba: *Habemus plura subsidia, quibus peccata redimamus nostra. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* Quis hoc tam salutare medium comparandi cœlum non obviis amplectatur ulnis? Neque enim hic magnis thesauris opus. Audiamus S. Augustinum in Psalm. 49. *Quid tam vile, quid tam terrenum, inquit, quam frangere panem esurienti? tanti valet regnum cœlorum.* Audiamus S. Gregorium homil.5. in Evang. *Regnum Dei, inquit, tantum valet, quantum habes. Zachæo dimidium substantiæ valuit, viduæ duobus minutis, valuit alteri calicem aquæ frigidæ, &c.* Audiamus Petrum Chrysologum serm. 8. *Da terram & accipies cœlum; da nummum & accipies regnum; da micam & accipies totum.* Et S. Chrysostomus hom.9. pœnitent. *Mercatura negotiatioque cœlum est; da panem & accipe paradisum, parva da & magna suscipe: da mortalia & accipe immortalia.* Vis adhuc minori pretio cœlum? *Summi muneris loco alacritatem dona: si nihil habes, collachryma,* inquit S. Gregorius Nazianzenus de pauperum amore. Vis adhuc minori? *Si nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi in victu aut vestitu rationabili aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere,* ait S. Augustinus serm. 227. de Temp. Nota est historia Troili Episcopi, qui hortatu S. Joannis Archiepiscopi Alexand. 30. libras in pauperes erogavit, postea facti pœnitens ac planè in febrim deficiens, recepit pecuniam ab Archiepiscopo Joanne; indeque mox convaluit. Verùm sequenti nocte vidit per somnium, fulgidissimum in cœlo palatium cum ea inscriptione: *Mansio æterna Troili Episcopi,* quam tamen regius Cubicularius mox delere, ejusque loco scribere jussus est: *Mansio æterna Ioannis Archiepiscopi, empta libris* 30. Correctus hac visione Troilus didicit deinceps largioribus eleemosynis emere sibi cœlum.

III. Si neque emere potes, furare cœlum. Sunt enim & qui furantur cœlum occultis virtutum operibus; quorum typum fuisse hæmorrhoissam illam, quæ clam retro accedens tetigit fimbriam Christi, & quasi suffurata est suam sanitatem, ait S. Bernardus in sententiis. Simili enim modo sublegunt quasi cœlum, qui tecta pietate Christum attingunt; qualis inprimis Naaman ille 4. Reg.5. qui cum Regem suum comitari ad Idolorum phana cogeretur, excogitavit rationem sese abstrahendi ab Idolorum cultu ad cultum Dei veri, exportando secum terram ex Judæa, unde sibi vel altare erigeret, vel simile monumentum, ut etiam inter Idololatras non nisi Deum Israel coleret. Præclarissimo etiam stratagemate cœlum furatus est delitescens velut mendicus in paterna domo ditissima & splendidissima S. Alexius Confessor. S. Gregorius Litagiensis Episcopus *occultè subcinericios panes ex hordeo in mensa aliis triticeis supponebat, quos frangens egenis erogabat: ipse verò clam hordeaceos, nemine intelligente comedebat; similiter & de vino faciens. Nam dum aquam ei pincerna porrigeret, ad dissimulandum aquam aliam desuper effundebat, tali vitrum eli-*

geni, quod claritatem aquæ obtegeret. Ita sanctus Gregorius Turonensis libro de vita Patrum capite septimo, Non absimilis huic sanctus Radbodus Episcopus Ultrajectensis, qui cum vini potum & carnium esum ignoraret, dabat operam, ne unquam ea abstinentia ad aliorum notitiam perveniret. Quâ in re Dominus etiam servo suo mirabiliter opitulatus fuisse insigni miraculo perhibetur. Cum enim quidam signis minimè dubiis assequeretur, perpetuò aquæ potu eum uti, die quodam inter convivandum poculum ejus ex onyche factum, & auro congruenter ornatum mirabili dexteritate arripuit, è quo dum biberet, Episcopo suspirante & ingemiscente, aquam repente in vinum mutatum fuisse constat; Domino id pro sua misericordia operante, ne famuli ipsius virtus in publicum prolata periclitaretur. Ita in ejus vita Lipel. & Sur. 29. Novemb. Idem in vestitu lusêre Sancti alii, uti S. Eligius Episcopus Noviomensis, qui adhuc in sæculari & aulica vita apud Dagobertum Franciæ Regem constitutus, more aliorum aulicorum, ut vitaret ostentationem, aurò gemmisque ornatus incedebat, intrinsecus vero aspero indutus cilicio carnem macerabat. Ut in vita ejus Beatus Audoënus apud Surium 1. Decemb. Sancta quoque Editha Edgari, Anglorum Regis, filia cilicium asperrimum, quo diu noctuq; carnem divexabat, nitidis extrinsecus occultabat vestibus. Cumque die quodam Beatus Ethelvvoldus ornatiori eam habitu ingredi vidisset, dixit ad eam: *Non his, filia mea, indumentis, itur ad Christi thalamum; nec externo cultu corporis delectatur sponsus cœlestis.* Illa interni conscia habitatoris, ita respondit: *Crede mihi pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprina: Habeo Dominum meum, qui non tam vestem quam mentem attendit.* Apud Laur. Surium 16. Septemb.

Alii in conjugio conservarunt virginitatem ex mutuo consensu, amore Dei & virtutis illius, idque coram mundo solerter occultarunt, uti S. Henricus Imperator. S. Eduardus Angliæ Rex. S. Emericus Ungariæ Rex. Elzearius Comes Ariani, aliique multi.

IV. *Rape id per vim.* IV. Si furari displicet, rape id per vim. Sancta & laudabilis est hæc rapina, de qua Dominus Matthæi undecimo. *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Fures cum pudore aliquo clanculum res alienas carpunt: prædones verò cum violentia, sine pudore & omni respectu. Tales ergo sunt, qui maximo ardore perruptis omnibus impedimentis, spretoque respectu humano salutem suam quærunt quomodo sanctus Stephanus invasit Synagogam ejusque concilium, verbo Dei non attendens: *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus.* Et rursum quando contra eos palam exclamavit: *Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Actorum septimo. Nicodemus ille, qui primò quidem nocte venerat ad Christum, & occultè in eum crediderat, tum quidem velut fur ambierat regnum cœlorum. Verum ubi vidit Christum per summam injuriam actum in crucem in eaque mortuum, ex fure evasit prædo, & venit cum myrrhâ & aloe, ut honorifica cæremonia Christum sepeliret; hoc ipso se amicum & discipulum ejus profitens, Judæorumque scelus redarguens. Joannis decimo nono. Qui & propterea à Judæis in exilium pulsus, & anathemate percussus est, ut testatur Lucianus in Epistola de inventione sancti Stephani. Quin & ille pœnitens in cruce latro, hujusmodi prædo cœli factus est, quando manifestè Christum innocentem pronunciavit; & quando Judæorum magistratum coram non obscurè sceleris redarguit, dicens alteri latroni: *Neque tu times Deum?* quasi dicat, sicut isti Judices iniqui & insultatores Christi? Fuerat etiam, ut supra diximus sanctus Eligius, fur regni cœlorum, quando ob metum ostentationis sub splendido vestitu cilicium gestavit; verum, *postquam solidiora pietatis jecit fundamenta,* inquit in ejus vita Lipelous, *quæ humani favoris turbinem non extimescebant, illico cuncta ornamenta egenis distribuit, vilibusque deinde vestimentis contectus, & funiculo cinctus, pauperum domicilia benefactor lustrabat, &c.* Isti ergo propriè sunt raptores cœli, qui posthabito omni metu, & contemptu, hominumque obtrectationibus, Christum sequuntur, quales erant inprimis, qui Tyrannos redarguere, Idola, eorumque phana evertere; adeoque se martyrio exponere nihil dubitarunt; deinde qui per calcatum patrem & matrem, spretoque mundo sibi obsistente ad crucis vexillum in religiosum statum penetrarunt. Quin etiam quicumque depravatam suam naturam corrigunt & seipsos oppugnando superant, dici tales cœli raptores possunt; perrumpunt enim gravia salutis obstacula non nisi magna vi adhibita; qualis ille Anachoretæ discipulus, qui visus à magistro suo est una nocte septem in cœlo coronas meruisse, eo quod septies cogitationibus suis & cupiditati somni viriliter restitisset, apud Rosvveidum vitis Patrum libro quinto, libello septimo. Eo pertinet quod sanctus Ambrosius sermone decimo quinto scribit: *Aggredimur Christum non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur.*

V. Quod si demum & hoc difficile tibi patet, vade & mendica per assiduam & perseverantem orationem. Posse enim & oratione tali expugnari cœlum, docet non obscurè Dominus in parabola viduæ, quæ vindicari volens de adversario suo tamdiu institit apud Judicem, donec audita fuerit & causam obtinuerit. Luc. 18. Præmiserat Christus sermonem de tremendo suo adventu, ad quem ut comparati simus, adeoque regnum cœlorum acquiramus, subjungit eam parabolam, qua osten- V. *Mend[...] illud.*

dit posse obtineri ab ipso quidquid volumus, adeoque etiam securitatem in illo die, si instemus orationi. Nam si Judex ille iniquus qui nec Deum nec homines timuit, viduam importunis precibus opem ejus implorantem, tandem audivit, quantò magis audiet nos Deus justissimus & ad opitulandum pronissimus? *Quid conjectandum est*, inquit sanctus Chrysostomus lib. 2. de orando Deum *de benigno Deo, si judicem crudelem adeo mansuetum reddidit vidua supplicans?* Petitio autem illa vindictæ de adversario, nihil aliud significat nisi petitionem illam, qua postulant sancti omnes vindicari de inimicis in die judicii, juxta id Apocal. cap. 6. *Usquequò non judicas & non vindicas sanguinem nostrum?* aliud ergo non est nisi postulatio regni cœlorum, quod expugnari precibus posse docuit idem Dominus noster alia parabola cujusdam suscitantis instantia precum suarum amicum è somno & cubili suo, & impetrantis panes, quotquot habuit necessarios, Luc. 11. Amicus ille dormiens in cubili suo una cum pueris suis inclusis, alius non est nisi Deus in cœli conclavi cum sanctis suis summa in quiete degens. Potuit ergo importuna oratio clausum cubilis ostium tandem reserare & panes desideratos ab amico impetrare: poterit etiam oratio deprecantis assidua cœli fores aperire. Hinc sanctus Augustinus serm. 226. de temp. ait: *Oratio justi, clavis est cœli: ascendit precatio & descendit Dei miseratio.* Consentit Divus Chrysostomus homilia 2. de Elia: *Clavis*, inquit, *cœli fit sermo Heliæ sanctissimi. Iubet enim & claudit cœlum, orat postmodum & operitur; ut sanctorum meritum monstraretur non solum in terris posse, quod voluit, sed & in cœlestibus posse impetrare, quodcumque petierit.* Hac clave cœlum sibi reseravit Anna illa Prophetissa, quæ *non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*, Luc. 2. Reseravit etiam sibi Theodoricus de Rulant, qui Jerosolymam profectus, ante sepulchrum Domini sic precatus est: *Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare à vitiis pristinis; non me permittas redire in terram meam, sed ut hic mihi mori liceat, concede.* Oravit & impetravit Cæsar. libro 11. histor. capite 24. Reseravit sibi nobilis ille, qui ob vitam rapinis assuetam tandem captus & à Friderico Imp. suspendio adjudicatus, vivens in patibulo pependit, donec à transeunte quodam milite depositus & S. Eucharistia communitus fuit; & hoc ob certum orationum pensum, quod SS. Trinitati, corpori Christi & quinque Christi vulneribus, & Angelo custodi quotidie persolvere consueverat, teste eodem lib. 9. cap. 46.

THEMA II.

Incitamenta ad diligendum Deum.

I. Diligendus, quia Deus seu omne bonum.
II. Quia tuus.
III. Quia Dominus.

Diliges Dominum Deum tuum. Luc. 10.

REfert Joannes Junior Ordinis sancti Dominici in scala cœli studiosum quemdam è longinquo Parisios venisse, ut studeret Theologiæ. Ingressus scholam, primò statim die audit hanc perfectionem, *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, &c.* Eaque audita mox consurgit ac recedit. Interrogatus à Magistro cur abiret, quid ei displicuisset: *Nihil*, inquit, *sed antequam plus audiam, istud volo opere complere.* Et sic religionem intravit. Nimirum præceptum hoc tam excellens ac sublime est, ut si vel solum impleatur, perfectum hominem ostendat. Jam verò audimus & nos Auditores prælectionem istam à cœlesti Magistro nostro traditam, velut omnibus necessariam. Quid igitur faciemus nos? Ad monastæriane curremus, ut hanc opere impleamus? At hoc plerisque impossibile est. Cum cæteris ergo discipulis in schola hac manebimus, & verba nobis prælecta pro viribus expendemus, ut diligere Deum discamus.

I. Ergo diligendus quia Deus, id est, omne bonum. Unde Germanicè Gott quasi Gut/ Græcis, Arcadibus, Ethnicis, *Pan*, id est, *omne*, de quo Ecclesiastici 43. dicitur: *Consummatio sermonum, ipse est omne*; juxta Græcum textum. Et Exod. 33. Moysi cupienti videre Deum, dicitur: *Ego ostendam omne bonum tibi*, id est, Meipsum. Ergo quidquid boni desideramus, in Deo eminenter longeque præstantius invenitur, quàm in creaturis. Quis hoc bonum non amet? & quis non magis oceanum bonorum in Deo, quàm in homine venam? *I. Dilīgēdus quia Deus, seu omne bonum.* *Trip. Dom. 17. post Pent. c. 2. B.*

Ergo 1. amamus homines sapientia præcellentes; quis verò sapientior est Deo? Quis non amaret hominem qui sciret omnes artes mechanicas perfectissimè? quanti æstimaretur à Principibus? Quis non illum, qui omnes linguas calleret? Illum, qui omnis generis instrumenta perfectissimè sciret? Illum, qui omnes artes liberales & scientias? Illum, qui omnia nosset consilia, imò præterita, præsentia, futura indicaret? qui cum Salomone sciret omnes naturas herbarum, animalium, lapidum, &c à cedro ad hyssopum? Sanè Regina Saba ad sapientiam Salomonis audiendam tanto itinere

nere profecta, beatos pronunciabat, qui coram Salomone ftarent. Atqui à Deo hæc omnia, & in ipso in infinitum excellentius sunt. Vide miram orbis & cœlorum sapientissimam structuram. Nonne *cœli enarrant Gloriam Dei?* Psalm. 18. Quomodo? interrogat super id Chrysostomus, *Hoc*, inquit, *faciunt, cum nobis suam magnitudinem, situm, formam & constantiam ostendunt: quæ tot millibus annorum non inveterati sunt, neque tam multis motibus atque continuis attriti, neque suum cursum quidquam immutarunt.* Quis à nativitate cæcus, si repente cerneret & aspiceret cœlum nocte serena, non exclamaret? Quæ hæc domus tam ampla & speciosa? Quis illius artifex? Qui incolæ, &c. Vide quæ sub cœlo. Quanta hominum, nationum, linguarum, morum, vultum in eadem specie diversitas! Quanta animalium, plantarum, lapidum, metallorum? Quantæ arborum differentiæ? & tamen nullæ reperiuntur, quæ in diversis speciebus habeant similia folia vel fructus, magnitudine, odore, colore, figura. Similiter in floribus, herbis, lapidibus, frugibus, vinis, &c. Denique in minoribus rebus major apparet Dei Sapientia, quam in majoribus secundum Augustinum. Plinius lib. 11. cap. 2. inter animalia miratur culicem magis quam Elephantem, in eo tot sensuum organa, rostrum porosum, avidam sanguinis & potissimum humani sitim, &c.

2. Amamus homines bonos, munificos, benignos; & quis melior Deo? Cum enim solus sibi sufficeret & nullius egeret, voluit bonitatem suam effundere etiam in creaturas, suas divitias eis communicando, cumque tanta sit creaturarum multitudo, nullius obliviscitur, sed omnibus assignat necessaria. 1. Ad victum & sustentationem, ut passim inveniant cibum, aut certè quærant certis temporibus in alienis terris, vim discernendi salubrem ab insalubri, ne lædantur. 2 Miras industrias morbos suos curandi. 3. Contra hostes se muniendi ac defendendi eosdemq; agnoscendi. 4. Nidos mira structura & solertia ædificandi & quærendi. 5. Proles suas defendendi magna animositate & amore alendi. Denique prævidendi tempestates imminentes, ut sibi providere in futurum de victu necessario queant: præsentiendi hyemem, & pro ea sibi annonam congregandi in æstate. Et hanc curam non habet solum de maximis, sed etiam de minimis, ita ut unus passer non cadat in terram sine ejus voluntate. Certè nemo nostrum putat sua interesse, num passeres, muscæ & formicæ habeant necessaria ad vitam, sani sint an ægri. At Deo de his cura est. Adhæc non providit solum illis ut habeant esse qualecunque, sed etiam ut beatum esse, fœlix & jucundum, juxta id Psalm. 144. *Imples omne animal benedictione.* Sic videmus luscinias, cardueles, acanthides, delectare cantu non solum nos, sed etiam seipsas, ac tantum non exhaurire, cum voluptas teste Philosopho perficiat opus: vitulos, agnos, hœdos in gregibus currere, saltare, arietare, certare: colludere secum catulos & cum felibus, aves volatu certare, pisces exsultare, &c. Nimirum sicut Deus non solum habet esse, sed etiam jucundum & beatum esse, sic voluit etiam creaturis suo modo & pro dignitate singulis dare jucundum esse. Et hæc omnia largitur creaturis irrationalibus, quæ nequeunt eas dotes æstimare, neque Deo gratias agere; quanta ista bonitas! Unde amplius colligimus quanto præstantiora bona sint ea, quæ in hominem contulit in hac vita & conferet in futura; quandoquidem is ea agnoscere, æstimare & Deo laudes canere potest; si talia contulit iis, quæ hoc nequaquam possunt. *Cur autem hæc omnia* (inquit B. Petrus Damiani Cardinalis epistola 18. ad S.R.E. Cardinales, lib. 2. Epistol.) *potens rerum Conditor naturis animalium indidit, nisi quia diversa per hæc homini vitæ hujus emolumenta providit? Ut dum creaturæ, quæ subjectæ sunt homini, sese invicem fulciunt, ad utilitatem ejus, qui prælatus est omnibus, omnia referantur: & dum in operibus suis bonitatem miratur opificis, ipse non hæreat conditu, sed aspectum desideret Conditoris.*

3. Amare etiam solemus homines forma & decore præstantes; & quid pulchrius Deo, qui in infinitum excedit omnem pulchritudinem & à quo omnis pulchritudo, & respectu cujus, omnia formosa non sunt nisi unus radius lucis respectu totius Solis: una linea pictoris respectu totius picturæ? Si ergo miramur & amamus pulchritudinem gemmarum, florum, frugum, volucrum, palatiorum, hortorum, hominum, &c. sciamus hæc omnia esse nihil respectu Dei. Et si omnis omnium creaturarum decor in unum congestus esset, qualis hæc pulchritudo foret? neutiquam tamen adhuc cum divina vel in minimo comparanda esset. Adhæc tanta est in Deo, ut solus ejus aspectus faciat beatos cœli cives, ita ut nihil amplius desiderent; imò beatum faciat ipsum Deum, cujus beatitudo consistit in contemplatione, non alterius (hic enim nobilior ipso foret) sed suiipsius; ex ipsius Aristotelis sententia. Quare si pulchritudinē veram quærimus, in creaturis non inveniemus, sed illæ velut pauperes dabunt nobis obolum tantum & remittent nos ad divitem Deum.

De B. Christina, Virgine mirabili, scribit Thomas Cantipratanus in ejus vita & hoc ejus factum: Comite Loensi, Ludovico, (cui perspecta erat Virginis sanctitas) *die quodam in Ecclesiæ atrio procumbente, cum esset multo stipatus milite, Christina superveniens, clam ad ejus caput se inclinavit. Illo vero & corpus & oculos suos tollente, mirâ oris gratiâ dixit: O quam speciosus es Domine? Id autem milites audientes, dicebant Comiti: Audisne Domine, ut te hæc sancta prædicet? At comes: Ergo vero, inquit, novi, quem laudet illa. Non me, sed cœlestem & immortalem Dominum laudat, à quo pulchritudo omnis proficiscitur, quique est omnium pulcherrimus. Tum illa:*

illa: Verum, inquit, dixisti. Tu igitur quare illum non diligis. Quod hæc Virgo Comiti, nobis etiam dixit. Si enim, sicut ipsa ratio dictat, Deus est omnium pulcherrimus, quia fons omnis pulchritudinis, cur eum non diligimus?

II. *Quia tuus.* II. Quia tuus, hoc est, quia omnia propter te fecit, & in tuum obsequium, quasi ipse tibi serviens. Cui enim putatis creatam hanc mundi machinam? Non sanè Deo; quia solus sibi sufficit & in se habitat, & ab æterno ea caruit. Non Angelis, quia cum sint Spiritus, corporali oblectamento aut domicilio non egent. Multo minus bestiis, quia cum creatorem non agnoscant, non possent ei gratias agere neque dignæ sunt tam splendida & tam nobili domo. Plurima etiam eis nihil prosunt. Hominum igitur gratia, omnia sunt condita, quæcunque in mundo sunt. Tametsi enim homo non vescitur herbis, vescuntur tamen boves & oves, quorum lacte & carnibus nutriuntur homines, vestiuntur pellibus, &c. Et licet non edant vermiculos & muscas, eas tamen edunt volucres, quibus aluntur homines. Quemadmodum multi famuli in eadem domo, etsi diversa curant, & alter alteri subordinatus servit, omnes tamen uni demum domino laborant & serviunt: ita creaturæ serviunt homini, pulcherrimo concentu. Exempli gratia: Homo indiget carne brutorum, ut nutriatur: pellibus & coriis, ut vestiatur & calceëtur: viribus ut terram colat, pondera vehat: bruta verò animalia pascuis & herbis egent, quibus nutriantur: hæc pluviis: hæ vaporibus à terra per Solem attractis: hi ventis, ut de mari in terram ferantur, & dispertiantur. Venti è terræ exhalationibus prodire debent. Has extrahere Sol debet. Sol eget Angelo, qui eum gyret; Angelus Deo, qui eum dirigat & contineat in officio, Deus ergo & Angeli & cœli & elementa & corpora omnia nobis serviunt & laborant. Quomodo non amares Principem illum, qui in suo palatio una cum tota aula sua tibi inserviret, mensam sterneret, lectum pararet, cibos apponeret, aquam affunderet, edentem recrearet musicâ conversatione, floribus, &c. Jam Deus has creaturas condidit, alias ad hominem nutriendum: tot genera carnium, ferarum, volucrum, piscium, frugum, herbarum: tot genera vinorum, liquorum, acidularum. Alias ad vestiendum: tot genera pellium. Alias ad sanandum: tot genera herbarum, radicum. Alias ad recreandum & oblectandum 1. oculos: flores, animalia, aves præsertim, sylvas, campos, sydera. 2. Ad recreandas aures: avium cantus, voces hominum, instrumenta musica. 3. Naribus, moschum, flores, thus, balsamum &c. 4. Gustui, præter cibos tot condimenta, aromata, salem, saccarum, mel. 5. Tactui, sericum, telas bombycinas, &c. Alias ad sublevandum, ut jumenta. Alias ad castigandum, ut muscas, culices, pulices. Omnes ferè ad docendum. Denique Angelos ipsos ad nos custodiendum. Atque ut hæc nobis apta & convenientia essent, revidit opus suum post creationem. Quis ergo non amet talem Dominum pro nobis adeo solicitum? Dicite enim: si cui filio sponso parasset pater munitissimam arcem, splendidam, domum, omni supellectile instructam, stabula plena pecorum & equorum, servos ad omnia obsequia, quin & canes & falcones pro oblectatione, pharmacopolium refertissimum, vestiarium, horrea cellariaque plena; & hæc omnia plenario jure traderet filio, solum ea lege ut patrem suum diligeret: quomodo filius hic non diligere patrem posset? Atqui hoc nobis Deus fecit.

III. Quia Dominus & continuus benefactor tuus. Sustentat enim & conservat te continuò operans una cum creaturis, quas tibi subjecit, non secus ac nutrix infantem pascens, ducens, vestiens, in lectum deponens, custodiens: non secus ac arbor folia, flores & fructus conservans, sustentans ac maturans: ita ut alias subitò percundum nobis esset, nec vel unum spiritum attrahere possemus. Adhæc ne fastidium nobis creet, varios successivè cibos subministrat; jam has, jam alias carnes pro varietate temporum: nunc cervinam, nunc aprugnam: nunc hos, nunc illos fructus. Ac ne laboribus opprimamur, & ut simul suaviter occupemur, nunc messem siliginis, post tritici, post hordei & avenæ: post fruges arborum; hinc vindemiam, denique olivationem paravit: ut semper & occupemur & habeamus nutrimentum. Quis autem non amet illum patremfamilias, qui suis servis dat escam semper in tempore suo, manè, meridie, vespere? aliam & aliam? Denique quod omnem admirationem superat, dat etiam malis & ipsum blasphemantibus atque ingratis, volens eos beneficiis vincere ac sibi devincire. Jam si quis dominus servum suum ita diligeret, ut omnia, quæ possidet ipsius potestati permitteret, quasi ipsius sint, omnia insuper ad familiam regendam necessaria abundè suppeditaret, nec aliud ab eo requireret, quam amorem; quomodo obsecro servus hic offendere Dominum, quomodo non maximopere diligere posset? Exemplo est Joseph, qui cum Putiphar, ejus in Ægypto dominus; omnia ejus directionis & potestati tradidisset, impossibile sibi putabat, ut offenderet dominum suum: *Quomodo possum hoc malum facere?* inquit Genes.39. Atqui Deus omnia, quæ in domo sua sunt, nobis tradidit, imò nostri causa fecit, geritque se ac si nihil sciret, nec curaret mundum, quomodo igitur non possumus non diligere? quomodo possumus offendere? quomodo ejus oblivisci, qui nos semper in sinum suum trahit: cujus est aer, Sol, quo illuminamur, cibi, quibus vescimur, vestes, quibus fovemur? Certè si quis in peregrina terra iter agens, forte in domum rustici diverteret (cum aliud hospitium nō esset) essetque ab eo humaniter acceptus, lautè etiam pro facultate coloni habitus: si is hospitē suum non amaret: si discedens gratias non ageret, ac si posset, postea non vicissim honoraret: sa- III. *Quia Dominus.*

nè is oppidò inurbanus, impudens & barbarus censeretur. Et quis censeat meliori nota eos, qui locupletes quotidie accumbunt mensæ, opiparis cibis à Deo sibi instructæ, nec tamen attollunt oculos ad Deum, nec diligunt eum, neque agnoscunt atque expendunt, unde ista habeant? Hoc est quod exprobrat talibus Isaias cap. 1. *Audite cœli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Quare minimè mirandum, si interdum nobis necessaria subtrahantur, si tempestates adversentur, si fames aut morbi sæviant, si hostis premat, si, ut subdit Isaias: *Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igne: regionem vestram coram vobis alieni devorant;* quia tantam ingratitudinem necessariò sequuntur flagella, sicut magnetem ferrum persequitur. Neque ideo minoris æstimanda sunt hæc beneficia, quòd aliis etiam hominibus sint communia. Non enim tu ideo minus agnoscis humanitatem amici te lautè & suaviter in convivio tractantis, eoquòd plures tecum convivæ sint. Nec ideo minus Samaritanus ille leprosus Christo gratus fuit, quod unà cum ipso novem alii sanati sint.

Quare Audit. si audivimus lectionem præceptoris nostri, eamus nunc & demus operam, ut opere impleamus. Dicamus cum Davide, postquam ab hostibus suis liberatus fuit, canente: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus. Deus meus adjutor meus & sperabo in eum. Protector meus & corona salutis meæ & susceptor meus.*

THEMA III.

Christus summè diligendus, quia Samaritanus noster.

I. Cogita quis sit Samaritanus & Salvator noster.
II. Quem salvarit ac sanarit.
III. E quanto malo eripuerit.
IV. Quanto labore salvaverit.
V. Quid nobis contulerit.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Luc. 10.

NEmo, arbitror, Audit. unquam sanæ mentis homo in quæstionem vocavit, utrum amandi sint liberatores & servatores vitæ. Id enim tam perspicuum & naturæ lumine clarum est, ut vel bruta eaque effera animalia æquum & justum esse intelligere videantur. Notissimum est quod Gellius libro 5. cap. 14. refert de Leone qui Androdum, medicum suum ob extractam è pede spinam & curatum pedem, mirè adamavit & venationibus toto aluit triennio, & post Romæ inter bestias servavit in theatro; atque, ut scribit Seneca testis oculatus libr. 2. de benef. capite 19. protexit ab impetu bestiarum. Nec minus notum illud, quod Demetrius Physicus tradit apud Plin. l. 8. cap. 17. de Panthera, quæ ereptori catulorum suorum (qui in foveam inciderant) post varias blanditias, comitem se adjunxit reciproci amoris & gratitudinis loco, imò & dutricem per reliquam sylvæ viam. Nec minùs fide caret quod Palladius in histor. Lausi. c. 20. tradit de hyæna, quæ Macario Alexandrino, quòd sancti illius viri ope catulus ejus cæcus visum recepisset, pellem ovinam pro munere detulerit. Quibus gratitudinis officiis quid hæc animalia nisi amorem suum ostendere voluerunt erga servatores suos? Non est igitur hac de re movenda quæstio. Quid ergo Audit. interrogarène aliquis, ne dicam dubitare, poterit, an Servator noster Christus toto corde diligendus sit; cùm de suis privatis & exiguis servatoribus id asserant animalia bruta & ferocia? Spina peccati nos læseramus, Christus sanavit nos. In foveam damnationis incideramus, eripuit nos. Cæcitatem incurreramus, curavit nos. Solum ergo superest, ut præ oculis nobis ponatur Servator noster; eo enim conspecto non dubito, quin omnes in amplexum & amorem ejus toto pectore ruituri simus, quod nunc facere conabimur.

Hodierna parabola, si quid uspiam in toto Evangelio, describit ac depingit Servatorem nostrum ejusque beneficia in Samaritano. Nam

I. Quis est Samaritanus & Salvator noster? Christus Dei filius, qui amore nostri, videns nos à dæmonibus undique vulneratos jacere, de cœlesti Jerusalem descendit in hunc mundum, velut in vastam & latrociniis infamem sylvam, certissimo vitæ suæ periculo. Hic est enim qui olim Patriarchæ Jacob apparens scalæ innixus dixit. *Ero custos tuus, quocunque perrexeris.* Gen. 28. Samaritanus autem idem est, quod *custos*. Idem tacitè concessit ipse Dominus Joann. 9. cum per contumeliam vocatus Samaritanus, nihil ad id respondit. Hic ergo non misit Angelum nec hominem, nec aliam creaturam, sed ipse advenit ipse noster *custos*, Medicus & Salvator esse voluit. Pro re magna recensetur ab Historicis, quod Alexander M. Lysimachi vulnus sanguine stillans, detracto sibi de capite diademate ipsemet obligarit, apud Sabell. libro 7. En. 4. At vulnus id Alexander ex equo descendens, gladio suo in fronte Lysimachi ipse (licet imprudenter) fecerat. Quanto plus est hoc, quod Dei filius homini, servo suo, sua ipte culpa læso, vulnera obligare voluerit, detracto sibi gloriæ suæ diademate & servi forma indutus? Quis talem ac tantum Medicum non possit non summè amare simul & admirari? Multum profectò fuit, & magnum divinæ bonitatis argumentum,

tum, quod Raphael Archangelus unus è septem, qui semper in conspectu Dei stant, è cœlo jussu Dei venerit instar viatoris in domum Tobiæ, ut ipsi visum restitueret & filium ejus ab immani pisce liberaret, duceret ac reduceret veluti custos ac pædagogus ejus. Hoc enim ubi audiit Tobias cum suis in tantam admirationem raptus est, ut Scriptura dicat: *Cum hæc audissent turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam: & prostrati per horas tres* (quasi in deliquium vel ecstasin rapti præ stupore) *in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.* Tobiæ 12. Et merito quidem hoc. Sed quanto plus est ipsum Angelorum Dominum & Creatorem ad nos sanandos è cœlo in terram servi & viatoris habitu descendisse? Nunquid non multo plus quam si omnes Angelorum Chori ad nos descendissent? Quis ergo tantum beneficium non agnoscat? tantum benefactorem non ex toto corde omnibus viribus suis amet? Quid enim magis ad amorem provocat, quam beneficia; quam amor?

II. Quem sanavit ac salvavit? servum suum vilissimum, qui ipsi Domino & Salvatori suo rebellis fuit ipsumque sprevit magis, quàm Judæi Samaritanos: servum temerarium, qui suapte culpa descendit de visione pacis & gratia Dei inciditque in latrones dum se latronibus illis tartareis miscuit, à quibus ita malè acceptus fuit: hominem miserrimum, ab omnibus desertum, ferarum morsibus expositum, mortis filium. Quid in nobis erat, ut sic nos Dei filius amaret & ad nos salvandos descenderet? Si juxta Senecam lib. 2. de ira c. 27. (ubi ait: *Nimis nos suscipiamus, si digni nobis videmur propter quos tanta moveantur*) si, inquam, indigni sumus propter quos tanta (cœli scilicet) moveantur; quomodo digni, ut Deus ipse propter nos moveat se de throno suo? ut naturam nostram indutus descendat de cœlo? Erat potius cur nos abjiceret, quia nos illū abjeceramus, quoties peccatum commiseramus. Nonne Sauli ait Samuel: *Propterea quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus?* 1. Reg. 15. Et ita quidem contigit Adæ primum: nam quia abjecit sermonem Dei, ejectus est è paradiso exciditque è gratia Dei. Nihilominus Dei filius hunc ejectum, hostem patris sui adeoque & suum, è cœlo proscriptum collegit & servavit, sicut filia Pharaonis Moysen, de sententia patris in flumen abjectum ac mergendum. Quanquam Moyses filiam Pharaonis non offenderat: homo autem & Deum patrem & filium ejus offendit. Jam verò *vix pro justo quis moritur*, ait Apostolus ad Rom. 5. Christus autem pro injustis & rebellibus sibi hominibus mortuus est. Igitur hunc liberatorem suum non amabit homo? Siquis aulicus Regi familiarissimus, malo spiritu agitatus, stricto gladio adoriretur Regem, ut eum confoderet, verum per imprudentiam seipsum graviter læderet, ideoque conjiceretur in vincula: Rex verò intrans carcerem, ipsum vinctum liberaret, nec solum vita sed etiam pristina gratia & familiaritate donaret; quomodo aulicus ille Regem hunc non amare posset? Simile aliquid Adrianus Imp. designavit, quando Tarracone hyemans, dum seorsum a suis inambularet, servum in se stricto gladio irruentem vix cohibuit, quoad ministri trepido affuerunt. Cognita enim hominis insania, non modo non supplicio affecit ullo, sed Medicis quoq; curandum tradidit. Sabell. l. 4. Enn 7. At non adeo hoc mirandum; quia homo homini & quidem insano pepercit ac benefecit. Quantum verò illud est, quod Dei filius servo sanæ mentis sic exorbitanti, sic opitulatus est;

III. E quanto malo eum eripuit? Miser iste qui in latrones incidit, omnibus suis spoliatus, insuper & vulneribus concisus ac denique ab omnibus desertus fuit; itaque in summa calamitate nil nisi acerbam mortem expectabat. Verum mors hæc corporis tantum & temporalis erat, uti & spolia ac vulnera illa. At homo per peccatum in calamitates incidit, quæ animam ejus petebant & ad æternitatem spectabant. Contraxit enim ægritudinem, in qua magis jacere quam stare aut ambulare, noxia quam salutaria cupit: pronus ad malum, difficilis ad bonum. Quanto excellentior est vita illa, sempiterna omnibus bonis affluens, quàm hæc momentanea tot calamitatibus obnoxia? At homo per peccatum originale nec non actuale. 1. Spoliatus est gratia Dei, justitia originali virtutibus supernaturalibus velut vestibus animæ pulcherrimis: deinde habitaculo paradisi, dominio in quæcunque animalia, immortalitate, Dei amicitia, vita beata. III. *E quanto malo eripuerit.*

2. Vulneratus est gravissimè in intellectu, voluntate & memoria; & semimortuus factus est per peccatum, quod est prima animæ mors. Quando enim cogitas boni aliquid de passione Domini nostri, de judicio Dei, de inferno aut cœlesti regno, non commoveris, licet hæc valde magna sint & efficacia ad hominem commovēdum ad amorem, timorem & pia desideria: sed quando cogitas de fœda luxuria, aut injuria tibi facta, aut de aliquo temporali lucro, quod spectas, subitò inflammaris, & mutaris ad res sordidas, ad iracundiam & varia desideria. Item si quis pauperum ad te venit, qui à te petat eleemosynam confestim turbaris, timens ne ipse pauper fias, cogitando mox de necessitatibus uxoris tuæ & filiorum: sed si inutiles facias sumptus in symposia, vestimenta splendida, &c. non turbaris neque hujusmodi cogitationibus vel minimo timore percelleris. Item, si in concione commotus paululum, & nonnihil ad vitam in melius commutandam excitatus fuisti, infernalis gehēnæ metu, ubi primo domum veneris, animum mutas, atq; oblitus auditorum rursum vadis ad socios antiquos, cum illis agis & mundana pertractas: verùm si injuria aliqua tibi facta est, non tam cito illius oblivisceris, sed illud nocte dieque cogitas & revolvis, quibus te mediis ab eadem vindicare possis. Atque ita semivivus es & semimortuus: vivendo scilicet in malo, quod illicò sentis; moriendo in bono quod minimè sentis: 2. *Trip. in hac Dom. c. 5.*

ſentis : Ita diſcurrit noſter Coſterus ſuper hod. Evang.

3. Deſertus eſt ab omnibus; quia à nulla creatura juvari poterat, multò minus per ſeipſum aſſurgere. Pertranſit Sacerdos & Levita h.e. Lex & Prophetæ, nec ſanare poterant miſerum. Fuit ergo in eo ſtatu, in quo languidus ad piſcinam, qui dicebat: *Hominem non habeo, qui me mittat in piſcinam.* Joan. 5. Quid aget miſer in tali ſtatu? nonne cogitabit: O ſiquis veniret & opem mihi ferret? quam ego eum colere, quàm amare vellem! Et en adeſt Samaritanus noſter Chriſtus, qui hoc nobis præſtitit. Quis non amet hunc Salvatorem? Rudolphus Haſpurgenſis Imp. Jacobum Mullerum Tigurinum majore benevolentia, quam principes; pari, qua fratres proſequebatur. Mirantibus hanc inſolentiam univerſis, memorem ſe eſſe dixit beneficii à Jocobo accepti, quod illius fortitudine atque fide, cum contra Baronem Regenſpurgium pugnans multis vulneribus affectus à ſuis pleriſque deſertus fuiſſet, illius opera equo impoſitus & ex hoſtium manibus ereptus eſſet. Strumpſius in Chron. Quid verò noſter Samaritanus Chriſtus? nonne ipſe nos vulneribus conciſos & deſertos, nec non equo gratiæ dejectos, iterum in eũ reſtituit ac de manu hoſtiũ liberavit? Quam ergo eum proſequi omni amore & obſervantia debemus?

IV. *Quanto labore ſalvarit.*

IV. Quanto ſuo labore eripuit? Samaritanus quidem ex equo ſuo deſcendit & poſtquam vinum & oleum in afflicti vulnera infudit, ægrum in eo collocavit, ipſe pedes ſecutus eſt. Aliquid hoc laboris fuit: ſed pluris conſtitit Chriſto ſalus noſtra. Non enim vinum & oleum; ſed ſudorē & ſanguinem ſuum tot cruciatibus in nos fudit, ut vitam etiam effunderet. Vidit enim Chriſtus vulnera noſtra tam gravia & periculoſa eſſe, ut niſi ſanguine ipſius curari non poſſent. Quia igitur ſalutem noſtram pluſquam vitam ſuam amavit, ſanguinem pro ea dedit. Pelicani amorem erga pullos ſuos tantum eſſe ferunt, ut accenſo à Venatoribus circum eos igne, ipſe procurrens alis ſuis ignem extinguere conetur, licet interim aduratur & præda fiat, cum alias animalia cætera, etiam ferociſſima ignem refugiant. Aldrov. l. 19. Ornithol. c. 2. Pier. in hierogl. Vidit Chriſtus circa nos accẽſum undiq; ignem gehennæ, qui peccatoribus debebatur. Hunc ergo ut extingueret, en quid fecit? prodiit in manus inimicorum ſuorum & ſe ipſis excarnificandum dedit, ut tormentis ſuis, noſtra deleret. Bene proinde in Pſal. 101. cujus titulus eſt *oratio pauperis*, ait Chriſtus: *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis.* Magnus amor Arſinoes Reginæ fuit, quæ corpus ſuum cædendum gladiis ſicariorũ pro duobus filiis ad ſe confugientibus obtulit, ut ibid. refert Aldrov. At quanto major Chriſti, qui variis & exquiſitiſſimis tormentis, & acerbiſſimis ludibriis ſe pro nobis, ſervis ſuis, nõ pro filiis obtulit! Magnus amor Antonii Mariæ erga parentem Robertum fuit, videns enim patrem Venetorum exercitum contra Maximilianum Imp. ducentem, à Germanis circumdatum, in conferrtiſſimam hoſtium aciem ſe injecit, fortiſſimeq; pugnans aciem ſubmovit, patrique ſe recipiendi facultatem præbuit: ipſe interim in hoſtium poteſtatem venit. Bembus lib. 1. hiſt. Venetæ. Quanto major in nos Chriſti amor, qui per alapas, ſputa, flagella, ſpinas crucem, opprobria, mortem ipſam acerbiſſimam penetravit ad nos, tartareis hoſtibus circumdatos: & nos quidem liberavit, ipſe vero mortis præda factus eſt? Ipſe ergo de equo gloriæ ſuæ deſcendit in ignominiam & confuſionem crucis: de ſinu paternarum deliciarum in dolores mortis: de ſummo cœli throno in ſepulchrum. Ipſe nos jumento ſuo impoſuit, cum peccata noſtra h.e. pœnas eis debitas in ſe ſuſcepit & in corpore ſuo portavit ſuper lignum. Quis amore tanti liberatoris non colliqueſcat? Creſcit vero hic amoris ſtimulus, cum conſideramus quanto amore hoc Chriſtus fecerit. Tanto nimirum ut paratus eſſet, vel pro unico homine hæc omnia perferre, nec ſolum 20. ferè horis, ut fecit, ſed uſque ad diem judicii. Tanto, ut præ deſiderio patiendi, carnifices ſuos prævenerit, ipſeque ſponte in Olivero ſanguinem è ſuis venis, non tam anxietate (quanquam & hæc adfuit) quam animi fortitudine & ardore patiendi undique effuderit. Tanto, ut ſuam paſſionem, quamvis diriſſimam, non paſſionem, ſed calicem, appellarit, quaſi ſitienti ipſi ſalutem noſtram gratiſſimus hauſtus foret. Rurſum, licet ea 20. ferè horis, ut dixi, duraret, horam tantum unam appellat. Tanto, ut hæc omnia gratis fecerit, nihil è nobis remunerationis expectans. Quid ſi enim ipſi dare poſſemus, à quo omnia accepimus? Quis autem alius militat propriis ſtipendiis? Et quis noſtrum facilè greſſum pro altero facit, nulla prorſus ſpe mercedis?

V. Quid præterea nobis contulit? Miſſerum Samaritanus duxit in ſtabulum ſeu hoſpitium, & curam ejus egit: commendavit quoque ſtabulario & dedit ei groſſos 2. promiſit inſuper plenam mercedem curæ ſuæ. Chriſtus duxit nos ad Eccleſiam ſuam & commendavit paſtoribus. Dedit nobis theſaurum meritorum ſuorum, quibus recuperare ſanitatem, quoties eam læſimus, poſſimus: item paſtoribus denarios duos, poteſtatem ſolvendi & poteſtatem ligandi: item Verbi Dei & Sacramentorum diſpenſationem. Dedit nobis donũ Spiritus S. Dedit & corpus ſuum in Euchariſtia. Dedit & paſtoribus reditus ac proventus, cæteris protectionem ſuam & precum exauditionem; denique vitam æternam, ita ut jam ditiores ſimus, quam eramus ante lapſum.

Quid igitur adhuc requirimus ad hoc, ut Chriſtum Samaritanum noſtrum ex toto corde amemus? Jure Apoſtolus dixit: *Siquis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maranatha.* h.e. *Dominus venit.* 1 Cor. ult. quaſi dicat: ſit ille reprobatus & ejectus è fidelium & electorum cœtu: *Dominus* enim *venit* & properat ad judicium, in quo

tam ingratum hominem judicabit & damnabit. Huc etiam spectat, quod in hodierna parabola Dominus subjunxit dicens: *Quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*; scilicet in die judicii. Veniet ergo Dominus & mercedem reddet iis, qui ipsum dilexerint: nec non tormenta iis, qui post tanta beneficia non amarint.

THEMA IV.

Ratio diligendi proximum, exemplo Samaritani.

I. Condole & juva.
II. Ægris & miseris ministra, & ad proximi miserias te demitte.
III. In gratiam proximi aliquid tibi detrahe.
IV. Da proximo utilia.
V. Alliga ejus vulnera.
VI. Supporta debiliorem.

Vade & tu fac similiter. Lucæ cap. 10.

QUando hodiernum Samaritanum considero, videre mihi videor, id quod Salomon Proverbiorum 30. ait: *Stellio manibus nititur & moratur in ædibus Regum.* Stellio (Sterneyder) est animalculum simile lacertæ, stellulis collucens, quod pedunculis se affigens, muros facilè ascendit, & ad quævis palatia etiam altissima irrepit, cætera quidem horridum & exosum hominibus. De quo sanctus Gregorius libr. 6. moral. capite 5. ait: *Plerumque aves, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus resident: & stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus Regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique dum negligentia torpent, in pravis actionibus remanent, & simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda æterni Regis mœnia virtus operationis levat. Stellio ergo qui manibus nititur, in regis ædibus moratur, quia illo simplex per intentionem recti operis pervenit, quò ingeniosus minimè pervenit.* An non videtur avis fuisse Legisperitus vir ingenio & doctrina præditus, & tamen interim viam cœli ignorans, nec proximum suum agnoscens? Stellio contra Samaritanus, qui exosus Judæis, rudis, simplex, proximum & agnovit & juvit, adeoque viam cœli invenit? Quare Auditores, ut ad cœli regiam ascendamus, non egemus alis scientiæ, sed duabus duntaxat illis manibus, amoris Dei & proximi, quas nemo non habere potest. Quis autem non vult ascendere in cœlum? sequamur ergo Stellionem, sequamur Samaritanum, & ab hoc discamus proximum diligere.

I. Videns saucium Samaritanus misericordia motus est super eum, neque solum in corde motus est, sed facto etiam opitulatus est. Ergo qui proximum amat, dolenti condolere debet, nec solùm condolere, sed & juvare, uti & membra faciunt, ipseque Christus docuit, quando caput pro membris clamavit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Qui etiam velut verus Samaritanus quoties miserum aliquem vidit, non solum misericordia super eum motus est, sed & facto ipso opem ei tulit. Misericordia movetur super viduam, & filium ei resuscitat; miseretur super turbam & panes ei multiplicat. Idem nobis commendat discipulus ejus dilectus 1. Joan. 3. *Filioli mei non diligamus verbo vel lingua sed opere & veritate.* Et quid mirum? sentiunt hoc & faciunt bruta animalia. Nam & aves cum maria transvolant lassatas è numero suo sublevant & *lento volatu aërem provocantes, leves aurarum flatus excitant* (ait Eusebius Emissenus homilia de eo: Arundinem quassatam) *& cervi maria tranantes sublevant se invicem*, ut ibidem refert. Idem passim videre est in aliis bestiis, quomodo una offensa & opem clamoribus quasi invocante, cæteræ ejusdem speciei concurrant, ut vociferanti opem ferant. Naturam ergo exuisse videatur, qui fratribus in necessitate positis non compatiuntur, & cum possunt non succurrunt. Sanè si nobis arbores folia duntaxat ostenderent, fructus non darent, nequaquam cum eis contenti essemus. Quare Christus esuriens cum in ficu quæsisset fructum & folia tantum reperisset, eam maledixit atque arefecit. Pari modo *si frater & soror nudi sint*, inquit S. Jacobus c. 2. *& indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefimini & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Scribit sanè B. Petrus Damiani Epist. lib. 1. ep. 10. ad Alexandrum PP. suo tempore contigisse, ut dum duo convicanei ad ligna cædenda exirent, trabalis serpens, isque biceps eis obvians collum in eos attolleret. Illorum ergo alter securi caput unum serpenti amputavit: verùm elapso è manibus ferro serpens caput alterum attollens virum corripuit & in specum suam trahere incepit. Correptus miser socii opem implorat, ut vel securim suam ipsi adjiciat, qua se defendat. Verùm is monstri horrore consternatus fugam arripuit, & socium trahi passus est. Cujus rei cum pœnituisset, à sacerdotibus ei injunctum fuit exilium, in quo etiam in Italiam tempore Damiani venit; ut videtur ex Africa, quæ semper aliquid novi adfert.

II. Appropiavit misero quod etiam Samaritanus noster Christus fecit, qui cum ægris ferè semper versabatur, piscinam probaticam ægris plenam obambulabat, leprosos tangebat aliorumque affecta membra actu sanabat. Sic ergo qui proximum amat, paupertatem, sordes & ulcera morbosque ejus non aversatur, nec avertit vultum, ut faciunt delicati, sed associat se illis, sordes abstergit, ulcera palpat ac fovet, uti fecit S. Ludovicus Franciæ Rex, S. Elisabetha aliique, qui hospitalia adierunt, ægris ministrarunt, sordes eorum absterserunt, ulcera purgarunt, &c. Spirituali dilectione idem faciunt, qui ut

I. Condole & juva.

II. *Ægris & miseris ministra, & ad proximi miserias te demitte.*

ut lucrentur aut ſolentur proximum, ad ejuſdem ſe miſerias demittunt, uti fecit Eremicola ille, qui cum fratre ad civitatem, ut ſuos labores venderet, profectus, ubi audiit fratrem à ſe diviſum incidiſſe in fornicationem, adiit illum dicens: *Revertamur ad cellam noſtram. Reſpondente altero: Non venio, quia cum diſceſſiſſes à me, incurri in tentationem & fornicatus ſum. Ille autem volens eum lucrari, cœpit dicere: Quia & mihi contigit, quando ſeparatus ſum à te; ſed eamus & ſimul pœnitentiam agamus cum omni labore, & Deus ignoſcet nobis peccatoribus. Qui cum veniſſent ad cellam, retulerunt ſenibus quod eis contigerat & dederunt eis mandata, qualiter pœnitentiam agerent. Ille tamen unus non pro ſe, ſed pro illo alio fratre pœnitentiam agebat, tanquam ſi & ille peccaſſet. Videns autem Deus laborem & charitatem ejus, intra paucos dies manifeſtavit uni de ſenibus, quod pro multa charitate illius fratris, qui non peccaverat indulſerat alteri, qui fornicatus eſt.* Ruffin. l. 3. n. 12. apud Roſvveid. l. 5. libello 5.

III. *In gratiam proximi aliqui tibi detrahe.* III. De jumento ſuo deſcendit, in quod poſtea miſerum impoſuit. Ita Samaritanus noſter Chriſtus fecit, qui de throno gloriæ ſuæ ad ægrum genus hominum in terram deſcendit: adhæc quacunque tandem vocatus ad ægrorum domus deſcendit. *Non Ieroſolymis deſidens,* inquit S. Chryſoſtom. orat. 5. adverſus Judæos, *vocavit ad ſe ægrotos, ſed obambulabat civitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi tum corporis: attamen poterat eodem loco ſedens omnes ad ſe attrahere, non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, ut obambulemus & quæramus eos, qui pereunt. An non vides Medicos quoq; hoc ipſum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipſorum ædes deferri, ſed ipſi accurrunt.* Secutus exemplum Chriſti eſt Alphonſus Rex Aragoniæ, qui ut alias diximus, videns aſinum pauperis, onere depreſſum ac luto infixum, equo deſiliit & una cum paupere aſinum extraxit, Rex à pectore ruſticus à cauda aſinum ſublevans. Rurſum cum Puteolos obſideret & cadaver viri Genuenſis è triremi hoſtium ejectum littorique appulſum videret, celeriter equo deſiliit, iiſque qui aderant, omnibus deſilire juſſis, aliis negotium datur terram effodiant, aliis ut nudum corpus obvolvant: ipſe verò crucem ligneam ſua manu fabricatus humati ipſius capiti affixit. Panormit. lib. 1. cap. 25. & 14. Secutus & S. Godefridus Epiſcopus Ambianenſis, qui cum leproſi ad ejus ædes crepitaculis pulſarent, nihilque in culina, quod eis daretur, eſſet præter grandem unum ſalmonem, quem œconomus ipſi paraverat ad cœnam: mox ipſe piſcem in humeros ſuſtulit, & ad pedes leproſorum detulit, ut in ejus vita Nicolaus Monachus Sueſſion. apud Lipel. 8. Nov. Videant hic divites, qui nihil prorſus ſuæ menſæ, luxui ac ſplendori volunt detrahere, ut pauperibus quid largiantur. Quales illi Amos 6. *Qui dormitis in lectis eburneis & laſcivitis in ſtratis veſtris, &c. Bibentes vinũ in phialis & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph;* quibus minatur tranſmigrationem. Spirituali dilectione hoc faciunt, qui in gratiam proximi aliquid de rigore etiam & conſuetudine vitæ ſuæ relaxant ac remittunt, uti Sanctus Bernardus, abſtinentiæ præcipuus Magiſter, qui cum aliquãdo venientibus hoſpitibus extra ordinem cœnaſſet, idque diſcipuli crimini darent; *Non ego,* inquit, *ſed charitas bibit editque.* Æn. Sylvius in Comment. Panorm. l. 2. n. 60. Pari modo ſi quis peregrinus laſſus & famelicus præ pudore in die jejunii cibum ſumere nollet, niſi exemplo tuo provocatus, charitas dictares, ut cum illo ederes quia charitas major eſt aliis quibuſcunq; virtutibus.

IV. Infudit oleum & vinum in ſauciati vulnera. V.
Idem Samaritanus noſter Chriſtus fecit, dum non ſolum eſurientes cibo pavit, ægrotos ſanavit, ignorantes docuit, uti hic Legis peritum iſtum, ſed etiam ſanguinem ſuum in vulnera noſtra effudit eaq; perſanavit. Hunc ergo in modum proximo impendenda eſt charitas. 1. Corporaliter, ſi æger aut miſer eſt, infundendum vinum & oleum, h. e. danda non quæcunque eleemoſyna, ſed qua juvetur & ſublevetur proximus, vinum quo reficiatur; oleum quo ſanetur. Quid enim prodeſt dare eis viliſſima quæque & vetuſtate penè corrupta.

2. Spiritualiter per correctionem ſanandus eſt: alioquin enim quomodo amatur, ſi cũ ſanari poſſit non ſanatur? Verum correctio illa prudens & moderata eſſe debet, in ingenuis oleum lenitatis: in duris & pervicacibus vinum acrimoniæ: communiter utrumque ſuaviter commixtum. *Vrat, nõ exurat: corrigat, non perdat correctio,* inquit S. Ambroſius ſer. 18. Cæterum primò oleum, deinde adhibẽdum vinum, ut vult S. Bernardus ſerm. 44. in Cantica; *Fruſtrato enim,* inquit, *ſuavium oleo monitorum, oportebit ſanè uti mordacioribus medicamentis & vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo increpationibus atque invectionibus agere, & ſi cauſa requirit, & duritia tanta eſt, etiam cenſura Eccleſiaſticæ baculo percellere contemptorum.* Sic ille. Hinc Lucas dum præmittit oleum vino, inſinuat prius oleum, poſtea vinum ſaucio infuſum. Sic & Apoſtolus 2. Tim. 4. *Inſta opportunè, importunè. Argue;* (id eſt, argumentis convince) *obſecra, increpa.* En ubiq; lænitas præponitur auſteritati.

V. Alligavit vulnera ejus. Idem fecit Samaritanus noſter Chriſtus, qui non ſolum docuit modos & rationes peccata vitandi & ſanandi, ſed & pharmaca Sacramentorum nobis confecit ac reliquit, quibus velut emplaſtris vulnera animæ inflicta ſanaremus. Idem faciet proximo ſuo corporaliter quidem, qui eum docuerit artem aut induſtriam aliquam, qua fugere pauperiem & honeſtè ſe ſuſtentare queat, uti faciunt Ludimagiſtri & artium quarumcunque Magiſtri; qui pauperes & derelictos pueros colligunt ac docent artes ſuas. Spiritualiter verò qui non ſolum errantem, ut diximus, arguet, ſed qui etiam informabit, quomodo pecca-

ta

ta fugere & commissa diluere habitusque vitiosos exuere queat. Notum illud, quod sanctus Augustinus de quodam refert, qui cum in puteum incidisset aliusque superveniens sortem ejus defleret rogans: Quomodo huc miser decidisti? respondit: *Quid rogas aut refert quomodo inciderim? age potius ut me educas.* Refert Beyrl. in apopteg. Sic prudens Medicus non solum indicat causam morbi, sed remedia etiam præscribit, quibus valetudinem recuperemus.

VI Imposuit illum in jumentum suum, ipse pedes eum comitatus est, non absque suo periculo. Quid si enim latrones & ipsum invasissent, quomodo pedes effugisset? Idem fecit Christus Samaritanus noster, qui infirmos discipulorum ac impolitos mores patienter sustinuit, iis comedentibus jejunavit, iis dormientibus vigilavit; denique cùm pro peccatis nostris satisfacere non possemus, ipse ea in se sustulit ac portavit super lignum in corpore suo. Sic ergo amor proximi requirit, ut fortior supportet debiliorem. Idem Elephantes etiam facere docuit natura; cum enim pugnandum est, adultiores & fortiores ducunt agmen ac pugnam ineunt, juniores retrò ponunt, adeoque seniores pro junioribus periculo vitam exponunt. Hunc in modum præcipit amor, pro bono proximi incommoda aliqua subire, adeoque temporalem etiam vitam ponere pro alterius animæ salute, quando ea aliter servari nequit. Ita enim docet sanctus Joannes epistola prima, capite tertio. *In hoc cognovimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos deb. mus pro fratribus animas ponere,* quando scilicet de salute æterna periclitantur. Id enim dictat ordo charitatis, qui jubet animam corpori, æternitatem tempori præferre. Ita sanctus Paulus pro fratribus animam posuit: sanctus Sebastianus vitam suam exposuit morti & martyrio, ut SS. Marcum & Marcellianum ex tentatione parentum nutantes in fide confirmaret. Ita & Persa ille Pusices, ut Ananiam in cæde trepidantem animaret. In vita sancti Simeonis, vigesimo primo Aprilis. Lipel. sanctus Vitalis videns Ursicinum Medicum ad supplicium ductum titubare, voce sua corroboravit, unde & ipse tentus martyrioque affectus fuit. Sanctus Martinus cum arborem pinum, fano Gentilium proximam, excidere pararet, Gentiles verò id nulla ratione permittere vellent, nisi cæsam & cadentem arborem brachiis suis vellent excipere, spopondit lubens, & stans infra arborem jamjam in se cadentem precibus in partem alteram deflexit, ut in ejus vita. Porrò vitam suam temporalem pro alterius vita etiam temporali generaliter quidem nemo tenetur exponere; laudabiliter tamen faciet, qui amore virtutis vel ad aliorum exemplum exposuerit. Cujus exemplum præbet Alphonsus supradictus Rex, qui cum naufragos auxilium implorantes vidisset, suos cohortatus, ut opem ferrent, illi verò timerent ob exortam tempestatem, ipse navim solvit, dicens: *Satius est una cum sociis viris fortissimis occumbere, quam illos videre ante oculos extrema pati.* Panorm. libro secundo Gest. ejus. Docuit hoc & Christus, qui Lazarum ad vitam revocaturus, trepidantibus discipulis, cum periculo vitæ in Judæam rediit. Joann. 11.

VII. Duxit in stabulum & curam ejus egit eundemque stabulario commendavit. Idem Samaritanus noster Christus præstitit, tum quando exemplo suo ad omnem virtutem nos prævivit; tum quando per baptismum in Ecclesiam induxit & pastoribus animarum commendavit. Idem præcipit amor proximi, ut eum non quomodocunque, sed efficaciter juvemus & perfectam ejus curam habeamus. Quid enim prodest pauperi, qui laborat febri, si fragmentum panis tribuas aridum & durum, quod vix cani domestico dares? Duc eum in domum tuam, repone in lectum, medicinam adhibe & voca Medicum, juxta id Isaiæ quinquagesimo octavo. *Frange esurienti panem tuum,* (tuum, quem tu comedis, non quem canes edunt) *& egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum.* Spiritualiter verò, ut proximum errantem non solum dirigas consilio, sed ducas etiam bono exemplo ad virtutis viam. Quid enim si bene aliquem doceas, malè autem vivas? nonne una manu ædificas, altera verò destruis? Non ita Job, qui dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo,* capite vigesimo nono. direxit ergo cæcum verbo, ac duxit claudum exemplo. *Qui verbo alium docet sed facto non ducit, similis est homini, qui monstrat alteri viam ad S. Iacobum, sed ipsemet eo non vadit;* ajebat B. Ægidius S. Francisci socius. *VII. Duc ad virtutem & præexemplo.*

Hunc igitur in modum sit unusquisque nostrum Samaritanus, hoc est, custos proximi sui & curam illius habeat, quia scriptum est Ecclesiastici decimo septimo *Mandavit illis (Deus) unicuique de proximo suo.* Non simus instar Caini, qui dicebat Deo nequiter: *Num custos fratris mei sum ego?* Omninò, mi Cain, custos illius esse debebas, sic enim cum stellione, irrepere in palatium cœli poteras & gehennam evitare.

THEMA V.

Oleum consolationis infunditur plagis afflictorum.

I. *Cogitet afflictus castigari se à Deo, patre amantissimo,*

II. *Cogitet afflictionem esse medicinam suam.*

III. *Cogitet afflictionem suam esse minus malum impatientia.*

IV. *Cogitet se Deum habere spectatorem.*

V. *Cogitet mercedem incomparabilem patientiæ paratam.*

VI. *Cogitet inferni pœnas.*

Appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Luc. 10.

QUid sibi velint vinum & oleum in sauciati vulnera à Samaritano infusum, pulchrè nobis exponit S. Gregorius 20. moral, cap. 8. *Vinum*, inquit, *adhibetur & oleum; ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est: quia cum scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis.* Ex quo Doctore habemus, oleum consolationis adhibendum inprimis vulneribus afflictorum & errantium, cum aliqua tamen severitate. Nos jam alibi de correctione agentes, vinum errantibus infudimus: nunc oleum consolationis afflictis infundamus.

I. *Cogitet afflictus castigari se à Deo, patre amantissimo.*

I. Cogita affligi & flagellari te à Deo patre, tui amantissimo, non ab hoste, non à carnifice, tametsi flagellum ipsum forsan hostis & inimicus tuus vel etiam carnifex est. Hi enim instrumenta sunt, à Deo patre elevata ad te castigandum, juxta id Psalmo octuagesimo octavo. *Exaltasti dexteram deprimentium eum.* Levius autem fert plagas filius à patre, quam à carnifice inflictas, quis nescit? Amarissimum fructum fert absynthium, radicem tamen habet dulcissimam, præsertim id quod in Ponto nascitur, teste Plinio l. 27. cap. 7. Itaque licet paupertas, morbus, persecutio, exilium, bellum, carcer, acerbos tibi fructus gignat, scito tamen eos à dulcissima prodire radice, scilicet à paterna Dei manu. Indicaturus hoc Deus Judæis, ob peccata puniendis, porrexit Ezechieli librum scriptum intus & foris, in quo scriptæ erant *lamentationes, carmen & væ*, h. e. minæ gravis castigationis, Ezech. 2. qui tamen liber cum ex mandato Dei comestus à Propheta esset, factus est in ore ejus ut mel dulcis, c. 3. Unde hæc dulcedo ex libro tam funesto, nil aliud continente præter lamentationes & væ? A manu Dei, quæ porrexit librum istum, ut ait Isidorus, Clarius & alii. Dulces enim fiunt labores, dum à manu Dei provenire cogitantur: qua de causa etiam lapides S. Stephano dulces fuerunt, craticula Laurentio, carbones Tiburtio, &c. quod & Christus Dominus exemplo suo firmavit, quando Petro passionem ipsius impedire conanti in monte Oliveti dixit: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Joan. 18. q. d. calix bonus & acceptabilis est, quem porrigit pater filio: nequaquam amarus aut abominabilis; cur igitur non bibam illam?

II. II. Cogita afflictionem esse medicinam tuam. Diximus absynthium prodire ex radice dulci, nunc addendum, absynthio etiam illuminari oculos & visum acui, ut scribit Aretas in capite 8. Apocalyp. Idem vero & afflictis præstat; monstrat enim homini infirmitatem propriam qui se æneum & infractum reputabat; reducit eidem in mentem admissa olim peccata, quasi propter illa patiatur: uti fratribus Josephi, qui in angustiis positi post annos 20. & amplius recordati demum sunt & se mutuò redarguerunt sceleris sui, in fratrem admissi. Gen. 42. Neque solum ostendit sed etiam sanat peccata, si cum pœnitudine & patientia sustineatur; quo modo pluvia sanat rimas & quasi vulnera terræ, nimiâ siccitate scissæ & hiantis, ut ait Ecclesiasticus capite 35. *Speciosa misericordia Domini in die tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Pluvia arenti terræ quasi emplastrum est impositum, quæ etsi terram verberat, interim tamē sanat. Præter hoc imposterum reddit cautiorem & continet in officio, uti pædagogus puerum natura petulantem, quod testatur his verbis Divus Chrysostomus homil. 61. ad populum. *Magnum est bonum tribulatio, & hoc ex nostris discimus filiis; nam absque tribulatione nihil discerent utile: nos autem plus illis afflictionis indigemus. Si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt, multo magis nos, & præsertim tantis detentos: sed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, à nobis vero magna nimis: pædagogus autem noster tribulatio.* Certè eo pædagogo refrænatum se Apostolus dixit ab elatione mentis. 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*, sive is esset corporis aliqua infirmitas, ut multi volunt, sive aliæ tribulationes, sive carnis tentatio, ut alii. *Hic monitor*, ait S. Hieronymus epistola 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, *Paulo datus est ad premendam superbiam, uti in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens: Hominem te esse memento.* Quare ut optime monet S. Gregorius 3. p. pastor. admon. 12. *admonendi sunt ægri, ut considerent quanti sit momenti molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit.* Propterea S. Paulus, licet interrogasset Dominum, ut auferretur ab eo stimulus ille, non tamen exauditus fuit; *ut intelligat homo* (inquit S. Augustinus in id psal. 21. v. 3. *& non ad insipientiam mihi*) *medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.*

Cogitet afflictionem esse medicinam.

III. *Cogitet afflictionem minus esse malum impatientia.*

III. Cogita afflictionem tuam minus malum esse impatientia, quam incurris excutiendo afflictionem. Afflictio enim non nisi corpus premit, impatientia vero animam jugulat; de duobus igitur malis minus eligendum. Sanctus Andronicus martyr cum à Maximo Ciliciæ præside urgeretur ad deserendum Christum, eo dicente: *Antequam exterminetur corpus tuum, miser audi me*; respondit: *Melius est,*

est, ut corpus meum pereat quàm anima. In ejus actis apud Sur. 11. Octob. Verissimè & sapientissimè; corpus enim in hac vita nec tam diu nec tam dira potest pati, sicut anima. Jam si per impatientiam excutere coneris afflictionem tuam; corpus non salvabis, & insuper animam sauciabis. Moyses ubi projecit virgam suam in terram, versa est in colubrum, Exod.4. ita si abjicere velis tribulationis tuæ virgam, vertetur tibi in colubrum, & necabit animam tuam, quæ alioquin corpori tantum molestiam attulisset. Coluber quia umbras colit (inde enim nomen accepit) Diabolum repræsentat, qui & ipse *sub umbra dormit*; (Job.40) cum tenebrarum princeps sit. Suave igitur Dei jugum excutit, & gravissimum Diaboli incurrit, qui virgam correctionis repellit per impatientiam. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus: & ingrediatur domum & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber;* inquit Amos capite 5. Ubi S. Hieronymus: *His nominibus videntur mihi significari vel diversa supplicia, vel ipse Diabolus, qui rectè & leo & ursus & coluber appellatur:* nimirum leo in vita, ursus in morte, coluber in gehenna, ubi damnatos mordebit, ut ibi notat Hieronymus. Quo etiam sensu optimè dixit Ecclesiasticus c.25. *Non est caput nequius super caput colubri.* Leo prostratis parcit, ursus in morientes sævit, coluber mortuos rodit ac depascit. Qui fugit patientiam, incurrit impatientiam, & ex hac gehennam. Quis igitur ex his tribus malis, minimum non eligeret malum, præ majori altero & tertio omnium maximo? In vita S. Sulpitii cognomento Pii, Bituricensis Episcopi, legimus furem quendam in cellam viri sancti penuariam noctu irrepsisse. Cognovit id Episcopus divina revelatione, & misit unum è suis, ut furem inde educeret. Abiit is adjuncto socio & furem invenit, qui tamen anguillæ instar ex eorum manibus mira lubricitate elapsus est, sed cum effugii locum non reperiret, in puteum 80. fere cubitorum altum insilire maluit, quàm se captivum dare. Apud Sur. 17. Jan. Quis hunc non insanisse dicat? Nonne enim præstabat ad viri sancti genua cadere & gratiam implorare, quam in tale præcipitium ruere? Nihilo magis sapiunt, qui in calamitate positi mallint in gehennæ puteum per impatientiam se præcipitare, quam ad Dei flagellum sustinendum humiliter prosternere.

IV. Cogita te spectatorem habere Deum, qui te quasi in theatro cum bestiis pugnantem spectat magna sua voluptate & desiderio victoriæ tuæ; quemadmodum de se suique similibus testatur Apostolus 1. Cor.4. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Hujusmodi spectaculum Deus sibi, Angelis & hominibus exhibuit in Jobo, quem ad luctamen tradidit Satanæ, ita tamen ut animam ejus non læderet. h. e. ne illum occideret, seu ut Cassianus collat.7. c.12. Didymus & Olympiodorus censent, ne stuporem menti ejus induceret; quia luctantem cum Dæmone veluti cum leone cernere & victorem præmiare intendebat, quomodo Principes spectando luctantes cum bestiis se recreant. Intellexit hoc & Seneca, qui in l. de providentia cap.2. scribit: *Spectant Dii magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit. Tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestius fecit. Non sunt ista, quæ possunt Deorum in se vultum convertere, sed puerilia & oblectamenta humanæ levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignus vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si & provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quàm ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.* Hæc ille more Gentilium ex rationis dictamine, & quidem verè atque apposite ad Jobi certamen & aliorum, qui in afflictione sunt, justorum; qui si stupore aliquo capti aut phrenesi efferati paterentur aliquid, non majorem Deo voluptatem afferrent, quam si fera venabulo trajiceretur. At si pleno rationis & libertatis usu fortiter decertent cum calamitatibus, tum demum ad spectandum se provocant & delectant Deum: quomodo S. Stephanus sua fortitudine dimicans cum tot malevolis & doctis Judæis provocavit ipsum Christum Dominum, ad spectandum è cœlo ejus certamen. Notum satis arbitror quod de Ephebo Alexandri Magni scribit Valerius Max. l.2. cap.3. Is enim cum sacrificanti Regi assisteret, & carbone ardente, è thuribulo in brachium ejus delapso, ita ureretur, ut adusti corporis ejus nidor ad circumstantium nares perveniret, pressit tamen silentio dolorem, ne vel sacrificium Regis impediret, vel aures edito gemitu asperger et. Qua pueri patientia Rex adeo delectatus est, ut solito diutius sacrificaret, quo virtute juvenis animum suum pasceret. Quid ergo non ferat homo, ut Regis cœlorum oculos sua fortitudine, sua patientia oblectet, si hoc tulit puer ob morituri Regis gratiam & inspectantem oculum?

V. Cogita mercedem incomparabilem patientiæ tuæ paratam. De hac loquitur Ecclesiasticus cap.1. vers.29. *Usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis.* Quibus verbis alludit ad arbores, quæ in hyeme patiuntur gelu, nives, ventos austeros, unde & spoliantur foliis ac fructibus, indeque quasi canescunt & moriuntur: verum tunc introrsum vires suas recipiunt, ut omnis calor cogatur in radicem, quæ è terra humorem sugant; itaque radix fœta & gravida, in vere radiis Solis quasi vivificata germinat, & in lætas frondes, flores, fructus erumpit. Ita omninò patiens in adversis quasi in hyeme, introrsum per patientiam se recipit in animæ penetralia, ibique vires succumque patientiæ & aliarum virtutum colligit, quæ postea in vere alterius vitæ parient ei meritos lætitiæ & glo-

V. Cogitet mercedem incomparabilem patientiæ paratam.

riæ

riæ fructus. Porrò sicut hyems quarta anni pars brevis est respectu cæterarum trium partium, veris, æstatis, autumni, quæ sua amœnitate hyemem multo fœnore compensant & quasi sepeliunt, ita alterius sæculi vita, omni amœnitate & dulcedine refertissima absorbebit omnes hujus vitæ tribulationes, nimioque lucro beatitudinis compensabit. Servit huic declarationi versio Vatabli, qui citat. Ecclesiastici textus posteriora verba sic vertit: *Et postea exorietur ei lætitia*; alludens ad sementem, quæ in terram abjicitur, sepelitur & pedibus rusticorum calcatur, postea in vere aut æstate exoritur cum virore & lætitia, magno quoque cum fœnore: qua similitudine usus sanctus Jonas Martyr permisit sibi à Tyranno digitos omnes abscindi pro Christo & in terram abjici, velut sementem, apud Surium vigesimo nono Martii ut alibi recensuimus. Hujusmodi semen erat Joseph, dejectus primò à fratribus in cisternam, postea ab hero in carcerem, ubi cum triennio quasi sepultus fuisset, postea summa cum gloria extractus & regio currui impositus fuit. Unde perquam apposite benedicens ipsi pater dixit: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Genesis quadragesimo nono, *Crevit enim*, inquit Rupertus, *in terra paupertatis suæ & magnus vehementer est effectus, ut ipsemet dixit: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ* Genesis quadragesimo primo. *In terra*, inquit, *paupertatis*; quia pauper & spoliatus velut semen projectus est in cisternam & lacum, quasi in agrum, ut ibi cresceret. Hujusmodi granum fieri & esse desideravit sanctus Godefridus Comes Capenbergensis, qui cùm abdicato sæculo & Comitatu suo, ordini sancti Norberti sese addixisset, variasque à Friderico Comite Arnspergio socero suo persecutiones & injurias, graviores insuper minas pateretur, multis astantium, ob tanti viri reverentiam lachrymas continere non valentibus, vir Dei conscientiæ vallo munitus, omnem furoris illius impetum securus irridebat; vocatoque demum uno ex familiaribus suis ait: *Fortè infœlix iste me captivare disponit, tu verò Norberto dicito, quatenus etiamsi incarceratus fuero, ne quempro mei absolutione laborem vel exiguum impendat. Ego enim pro lege Dei mei non solum incarcerari, sed etiam in carcere mori utinam condignus inveniar. Ego in carcere Deum meum deprecabor; in carcere misericordiam & miserationes ejus alacriter præstolabor. Opto siquidem, ut quemadmodum scopa usu detrita novissimè flammis injicitur, sic corpus meum Christi exhaustum servitio, tribulationis demum igne consummetur.* Ita habet ejus vita 13. Jan.

VI. Ad extremum cogita pœnas inferni perpetuas. *Quis enim*, inquit sanctus Augustinus in Psal. 68. *non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? & quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?* VI. Contra fortiter

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. Media via quomodo incedendum.
II. Lepra peccati quàm detestabilis.
III. Lepra puniti, maximè vitandi.
IV. Tribulationis magna aliquot bona.
V. Gloria Deo danda gratitudine, peccati confessione, veritatis enunciatione, sui abjectione.

THEMA I.

Media via quomodo incedendum.

I. In fortunæ bonis mediocritatem elige.
II. In fortuna prospera & adversa, nec erigere, nec concide.
III. In via salutis inter spem & metum.
IV. In via virtutis.
V. In justitia distributiva, sine respectu personarum.
VI. In justitia commutativa, sine magis & minus.
VII. In justitia Christiana.

Cum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Luc. 17.

Ante octiduum demonstravit nobis Christus viam ad cœlum, amorem Dei & proximi: *Hoc fac & vives*, inquit. Hodie rursum aliam nobis ostendit viam ad vitam æternam, *auream* videlicet *mediocritatem*. Iturus enim in Jerusalem, transit non per fines, sed per medium Samariæ & Galilææ. Et cur, nisi ut doceat media virtutis via ad cœlestem Jerosolymam, *pacis veræ visionem*, esse perveniendum? Videtur hoc Isaias capite trigesimo nobis prædixisse; sic enim ait: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Quem

Quem præceptorem? utique illum, cui in hodierno Evangelio occlamant leprosi: *Iesu præceptor miserere nostri.* Pergit porrò: *Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* Quis hic post tergum monens, nisi Christus Dominus discipulos suos præcedens in Jerusalem, & dum per mediam Samariam & Galilæam incedit, hoc ipso, non quidem verbo, sed facto monens, media virtutis via incedendum esse & non declinandum neque ad dextram neque ad sinistram, si tendere velimus in cœlestem Jerusalem? Verum dicet aliquis: Quæ est illa via media, quæ ad vitam ducit? Audiamus.

I. In fortunæ bonis mediocritatem elige.

I. Si fieri potest, in fortunæ bonis, medio tutissimus ibis. Id enim petiit Salomon Proverbiorum 20 *Duo rogavi te, ut deneges mihi antequam moriar. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne fortè satiatus illiciar ad negandum & dicam: Quis est Dominus? aut necessitate compulsus furer & perjurem nomen Domini Dei mei.* Id explanans S. Chrysostomus hom. 14. de avaritia ait: *Si quando onus est justo gravius, demergit cymbam, rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usuvenit in nostris ædibus. Cum ultra quam usus postulat, congeris pecunias, ex qui venti procella & quivis rerum inexpectatarum incursus demergit cymbam. At si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facilè percurris undas.* Econtra si vacua omnino sit navis, nec saburra prægravetur, à fluctibus jactatur & abripitur vel evertitur: ita & egentes rebus necessariis, agitantur curis, unde ad furta & mendacia, vel prostituendum corpus (quod plurimis pauperculis puellis contingit) facilè abripiuntur. Hanc auream mediocritatem precatus est sanctus Franciscus hospiti suo in villa Tysi, propè Alverniæ montem, postquam ab eo benevole exceptus est hospitio, ita videlicet ut ejus domui nec divitiæ, nec paupertas à Deo daretur, sed victus tantum necessarius. Id quod usque hodie in ea domo perseverare scribitur à Luca Waddingo in Annal. Minor. an. 1215 ita ut hospes ille, quicunque sit nunquam ad pauperiem redigatur, sed nec divitias acquirat, unde id hospitium *domus sancti Francisci* appellatur. Quare cui hæc fortuna contigit, is Deo gratias agat, & aliam non desideret. Ita egit Jacob qui Genesis 28. ait: *Si dederit mihi* (Deus) *panem ad vescendum & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* hoc est, cultu & devotione singulari eum colam, erigam ei templum & dabo ei decimas. Ecce plus non petit, quam victum & vestitum; quibus & Apostolus jubet nos contentos esse 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vidit hoc & Plato Dial. 3. de legibus, ubi sic philosophatur: *In quocunque hominum cœtu nec inopia nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt.*

II. In fortuna prospera & adversa. nec erige te nec concide.

II. In fortuna ipsa inter prospera & adversa; ut nec extollamur prospera, nec deprimamur adversa: ne efferamur, si honoremur: nec animum despondeamus, aut ab officio desistamus, si despiciamur, juxta id Apostoli 2. Corinthiorum sexto. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros, per arma justitiæ à dextris & à sinistris,* hoc est in prosperis & adversis. In utrisque est periculum, si ad alterum declinantes, à medio excedamus; nam *cadent à latere tuo* (sinistro) *mille: & decem millia à dextris tuis.* Psalmo nonagesimo. Aod Hebræorum Judex ambidexter fecit sibi gladium ancipitem, & sinistra utens tanquam dextra, dum salutat Eglon, Regem Moab, pugione eum confecit. Judic. 3. Eglon hic (latine *Vitulus*) diabolum, carnem aut mundum notat: contra hunc pugnare dextra & sinistra debemus, ita ut nec insolescamus in prosperis, si à dextra nos impugnet: nec desperemus in adversis, si à sinistra. Sic pugnare sciebat Apostolus, qui ait: *Scio & abundare, scio & penuriam pati,* ad Philip 4. Sic pugnavit & dæmonem vicit Job, qui inter opes & secundas res fuit pater pauperum: in paupertate & afflictione patiens & Deum benedicens.

III. In via salutis inter spem & metum.

III. In via salutis, inter spem & metum; ne de salute diffidamus, declinando ad sinistram: neq; præsumamus, declinando ad dextram Genesis 12 Legimus Abraham fixisse tabernaculum suum inter *Bethel,* (id est, *domum Dei*) & *Hai,* (id est, *abyssum,* seu *vitam vallium.*) Ab occidente habuit Bethel, ab oriente Hai. Ita Christianus, qui ad salutem tendit, habitet inter spem vitæ æternæ, & inter metum abyssi seu vallis damnatorum. In anxietatis occasu speret benè de salute: in præsumptionis oriente timeat abyssum, juxta id Ecclesiastici 2. *Qui timetis Dominum: sperate in illum.* Ratio est quam dat sanctus Gregorius Pp. in epist. ad Gregoriam Cubiculariam Augustæ, cupientem certificari de salute sua: *quia mater negligentiæ solet esse securitas: habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir, qui semper est pavidus, &c.* Vicissim & nimia pusillanimitas mater est ignaviæ; quis enim quærat, quod desperat? Æque deliquerunt Hebræi, quando jam desperantes de ingressu terræ promissæ, abjecerunt animum progrediendi, volueruntque regredi in Ægyptum: ac quando jam obcæcati temerè cœperunt ascendere montem ad invadendos & exturbandos Chananæos. Num. 14. Nam ob illam pusillanimitatem morte puniti sunt à Deo: & ob hanc temeritatem ac præsumptionem cæsi sunt à Chananæis in monte existentibus, & adrepentes Hebræos facilè deturbantibus.

IV. In via virtutis.

IV. In via virtutis, quæ non in extremis, sed in medio est. *Virtutes in medio sunt, & nimietas omnis in vitio est,* ait S. Hieronymus in c. 10. Ecclesiastæ. Circa annum Domini 1017. in regione Aquitaniæ juxta maritima, ante solennitatem D. Joa. Baptistæ tri-

tribus diebus de cœlo pluit ſanguis;qui cadens ſupra carnem hominis, aut ſupra lapidem non poterat lavari:ſi verò ſupra lignum caderet, lavabatur. Cauſſin.libro primo ſymb.cap. 26. Caro humana nimis mollis,lapides nimis duri ſunt : lignum medio modo ſe habet;nec nimis molle nec nimis durum eſt;ſic ſe habet virtus.Qui nimis molles & remiſſi,rurſum qui nimis duri & ſtricti ſunt, utrique maculam peccati contrahunt,non vero qui medium tenent.Exempli gratia:Qui nimium edendo ſaginat carnem:& qui nimium abſtinendo debilitat, ut facere officium nequeat:uterque labem ſibi adſpergit. Unde quidam macilentus obvians obeſo cum dixiſſet: *Videris mihi habere faciem euntis ad infernum,* obeſus ei reſpondit: *Et tu videris mihi habere faciem euntis ad infernum.* Rurſum ſiquis nimis ſplendidè ſe veſtit,vel nimis ſordidè, quam ipſum deceat:in utroque macula hæret. Hinc Diogenes cum videret Rhodios adoleſcentes pretioſis magnificiſque veſtibus amictos,cum riſu inquit:*Hoc nihil eſt præter faſtum.* Deinde cum incideret in Lacædæmonios vilibus & ſordidis tunicis amictos: *Hic,* inquit,*alius faſtus eſt.* Ælian.lib 9.var.hiſtor. c.14. Hinc illud S.Hieronymi:*Pullas æquè ut candidas devita.* Similiter qui nimium cupidus pecuniæ,aliena ad ſe rapit.& qui nimium prodigus ſua diſſipat, uterque maculam habet.Genuenſi cuidam prodigo decoctori dixit fœnerator : *Quando tot facultates abligurire deſines?* Cui prodigus reſpondit: *Quando tu rapere alienas deſines?* Pontan.in Att. Bellar.p.3. ſynt.3.

V. In juſtitia distributiva,ſine reſpectu perſonarum.

V. In juſtitia diſtributiva, quæ requirit æquitatem & medium,reſpuit dexteram & ſiniſtram.Hinc juſtitia pingitur velut virgo cæca , habens bilancem in manu,neutram in partem declinantem , ſed in æquilibrio poſitam, qua cujuſque jus appendit. Non igitur reſpiciat perſonam,nec recedat ab æquo Judex,ſive amore amicorum,ad dexteram; ſive odio inimicorum,ad ſiniſtram.Non declinet ad dexteram,ut faveat diviti:nec ad ſiniſtram, ut pauperi, contra jus & fas,juxta id Exodi 23. *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.* Qui domum ædificaturus,fundamenta fodit,nec arenæ molli , nec duro lapidi parcit,ut ſolum excavet , alioquin domus corruet. Similiter qui vineam plantare in monte vult,tam magnas quam parvas arbores excidit. Sic agat Judex:non parcat magnis, nec parvis, ut jus violet Unde Jeremiæ c.2.dicitur: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna ; ut evellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes,& ædifices & plantes,* Quod ſibi dictum Magiſtratus intelligant,ſi vineā reip.plantare & conſervare ſimulque domum ſibi in cœlo ædificare volunt.

VI. In juſtitia commutativa,ſine magis & minus.

I.In juſtitia commutativa,quæ & ipſa extrema averſatur , magis ſcilicet & minus:medium verò, æquitatem amat. Vult enim ut juſto pretio,pondere,numero,menſura omnia commutentur : omnem exceſſum damnat.Vult ut non carius externis vendantur merces , quam civibus , ſimplicibus quam naſutis,divitibus quam pauperibus. Vult ut non vilius ememus; & carius quam fas eſt,vendamus.Verum dæmon ab hoc arcto tramite extrahere ad extrema homines ſatagit,præſertim in nundinis.Refert B.Vincentius Ordinis S.Dominici in Domin.4.Advent. Conc.4. Dæmonem aliquando S. Dominico oranti appropinquaſſe & tripudiando ceciniſſe hanc cantilenam *Magis & minus;magis & minus.* Cum autem fuiſſet adjuratus à ſancto Dominico,ut diceret, quid ſibi hoc vellet; reſpondit, quod quidquid ipſi lucrantur in hoc mundo,totum fiat per majus & minus. Medium autem eſt quod placet Deo,diſplicet Diabolo.Non dubito circumire dæmonem per nundinas & emporia & hanc cantilenam mercatoribus occinere , ut prætermiſſo medio eant ad dexteram vel ſiniſtram, & per magis & minus violent juſtitiam.

I. In [...]ſtitia Ch[...]iana

VII.In juſtitia Chriſtiana de qua Eccleſiaſtes capite 7.*Noli eſſe juſtus multùm.* Videbitur aliquis ſibi prorſus innocens,nec mereri, quæ immittuntur ſibi à Deo,flagella. Alius fortè nimium ſe abjiciet & omnium ſcelerum reum dicet, ſupra veritatem. Neuter bene agit:medium ergo tenendum.Nota eſt fabula de eo , qui in ponte vectigal ob vitium ſcabiei poſtulatum dare noluit,quaſi vitio careret, piſeo ſpoliatus , apparuit etiam alopecia laborans (grundig:)ad terram proſtratus, etiam hernioſus, apud Gilb.Cognat.l.1.Narrat.

Quare vigilandum eſt vobis Auditores,ut in omnibus viis veſtris medium teneatis, quia *adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret,* Nemo pedem unum efferat è medio virtutis. Vaccæ illæ quas junxerunt Philiſtæi,ad educendam arcam, *ibant in directum, per viam,quæ ducit Bethſames,& itinere uno gradiebantur,pergentes & mugientes, non declinabant neq; ad dextram neque ad ſiniſtram.* 1.Regum ſexto. Quid hoc indicabat,niſi quod etiam ſimplices & illiterati eſſent ſuave Chriſti jugum tracturi,& itinere recto , non declinantes ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram,ſed per mediam viam perventuri in Bethſames,id eſt,in domum Solis,Chriſti glorioſi? Ergo imitemur vel has vaccas,nec ſimus rudiores jumētis:pergamus recto itinere per virtutis viam.Ita ſanè monet Sapiens Proverbiorum quarto. *Ne declines ad dextram, neque ad ſiniſtram : averte pedem tuum à malo.* Ad dexteram declinat, qui in proſperis extollitur;ad ſiniſtram verò,qui dejicitur in adverſis. Ad dexteram declinat,qui nimium præfidit; ad ſiniſtram, qui deſperat. Ad dexteram declinat, qui rem ſuam prodigit;ad ſiniſtram , qui per fas & nefas auget.Ad dexteram diſcedit, qui violat juſtitiam amore amicorum;ad ſiniſtram , qui odio inimicorum.Rurſum ſanctus Auguſtinus libro ſecundo de peccat.mor.capite trigeſimo quinto.*Ne declines,* inquit,*in dexteram,ſuperba præſumptione juſtitiæ:nec in ſiniſtram,ſecura delectatione peccati.* Præterea ſanctus Gregorius Nazianzenus orat.26. *Æque inutiles ſunt iners ac ſupina ſegnities, & imperi-*

tia

tus fervor: ille ad bonum minimè accedens, hic autem ulterius cadens: ille per sinistram, hic per dextram in peccatum incidens. Denique ne declines ad dexteram, *ne tibi de virtutibus blandiaris, & dextris successibus ac spiritualibus extollaris: nec deflectens ad sinistrum tramitem virtutum, secundum Apostolum gloriam tibi ex eis in tua confusione conquiras;* ait Cassianus libro undecimo de Instit. renunc. capit. 4. Hæc si observemus, avertemus pedes nostros à malo, & per mediam Samariam & Galilæam ibimus cum Salvatore nostro ad cœlestem Jerosolymam.

THEMA II.

Lepra peccati detestabilis.

I. *Quia fœtidissima.*
II. *Quia diro lavacro indiguit.*
III. *Quia crudeli abrasione opus habuit.*
IV. *Quia immolatione filii Dei eguit.*
V. *Quia in ignem æternum ejicitur.*

Cum ingrederetur in quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17.

NIhil certius ac notius quàm lepram esse typum peccati in sacris litteris. Ut enim nullus est morbus tam infamis & horridus uti lepra (ideo enim *mors civilis* appellatur; quia ab hominum consuetudine excludit: quam ob causam decem isti à longè stant) ita nil fœdius & infamius peccato, quod hominem à Deo & cœlesti curia separat. Verum sicut umbra corpore, typus ipsa re incomparabiliter minus quid est: ita lepra peccato. Testem adduco sanctum Ludovicum Regem Galliæ, qui ex Seneschalco Campaniæ quærens: malletne lepra infici an peccato, cum is responderet: Peccato; acriter eum perstringens: *Toto cœlo erras,* inquit, *ecqua lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque si me amas, eam mentem mutato.* Jonvil. in ejus vita capite nonagesimo quarto. Unde vero istud, dices, possumus ostendere? Ex horribili & difficillima cura, quæ huic lepræ fuit adhibita; uti nunc audiemus.

Ex iis, quæ leprosis mundandis præcepta dedit Deus, non difficulter intelligimus peccati enormitatem ac fœditatem.

I. *Quia fœtidissima.* I. Primò enim debebant separari extra castra & os veste vel panno tegere, ob halitum pestilentem & fœtidum, quo alios offendere & inficere poterant. Levitici decimo tertio. Quantus sit peccati fœtor & quam abominabilis horror coram Deo, colligimus ex eo, quod in angelis pravis deprehensum mox tam dirè castigarit, ut eos è cœlo in tartarum dejecerit. Quin etiam in Revelatione sanctæ Brigittæ libro quarto capite septimo ajunt Dæmones coram Deo: *Plus diceimus: si res illa, quam præ omnibus diligis, quæ est virgo, quæ te genuit & quæ nunquam peccavit, si inquam illa peccasset, mortaliter & sine contritione divina mortua fuisset, sic diligis justitiam, quod anima ejus nunquam obtineret cœlum, sed esset nobiscum in inferno.* O abominandam lepram, quæ adeo fœtet coram Deo! Si enim primarii aulæ præpositi à Rege propter aliquod delictum traditi sunt carnifici, quomodo non tremant inferiores adeoque tota aula? Si tam fortes angeli rudentibus inferni de cœlo detracti & ad infernum alligati sunt, quomodo non trement imbecilles homines? Non dubitavit Deus tertiam partem stellarum extinguere ob peccatum: quis non timeat in terra positus? Deinde Adam, tanta consideratione post tot creaturas, ipsius gratia conditas à Deo creatus, totque ornatus bonis, è loco tam specioso, in exilium tam dirum, tot calamitatibus plenum, post unum peccatum ejectus est cum omnibus suis posteris. Quis inde non conjiciat quantum malum sit & quam abominanda lepra peccatum? Aspice confluxum plurimorum miserorum, cæcorum, claudorum, leprosorum, epilepticorum, paralyticorum, &c. aspice vastatas incendiis, rapinis, bellis regiones: aspice erecta passim ubique patibula, rotas, rogos, catastas, eculeos, cruces, cippos, infames lapides è curiis pendentes, carceres, &c. omnia hæc partim fructus, partim instrumenta sunt ad castigandum peccatum excogitata. *Ignis, grando fames & mors omnia hæc ad vindictam creata sunt: bestiarum dentes & scorpii & serpentes & romphæa vindicans in exterminium impiorum,* ait Ecclesiasticus capite trigesimo nono. Quid quod etiam fœtorem peccati Sancti quidam sensibiliter perceperunt, ut vel inde intelligeremus, quantum coram Deo fœteant. Refert Cyrillus Monachus in vita sancti Euthymii, fuisse aliquando obviam factum sancto Euthymio virum, qui sola mentis cogitatione turpe aliquid versaret & tamen tam Avernalem spiritum auramque pestilentem efflaret, ut ille gravi odore perculsus, à dæmone se infessum arbitraretur. Hoc vir in viro sensit. Fuerunt & fæminæ tam sagaces. Scribit Raimundus Catharinam Senis natam, usque adeo pios ab impiis distinxisse, ut impudicæ secum loquentis mulieris horrendum fœtorem tolerare non potis, nares obturare coacta sit. Cum vero Raimundus, qui illi à confessionibus erat, gestum hunc admiraretur, respondit Catharina, se ni hoc fecisset, præ nauseâ & animæ illius exhalata peste fœtoreque fuisse vomituram. His accedit sancta Brigitta vidua, quæ aliquando Jerosolymis Romam reversa, adiit ædes Domini Latini de Ursinis, *cumque in eas ingressa esset manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciscitanti illi ab ejus confessario, quid id sibi vellet, quod nihil loquens, manum naribus applicaret, responsum est: Te non tam recto animo constitutum invenit, atque tum eras, cum à te recederet. Admiratus Dominus Latinus: Ecquid ait, designavi? Verum* quidem

quidem est habuisse me litem cum quibusdam subditis meis. Ibat quandoque sancta Brigitta Romæ cum filia sua Catharina, & Petro Confessario, & Magno Capellano ad ædes Iordani de Marino volens invisere ejusdem Iordani uxorem. Qua præsente tantum ex actibus suis sensit fœtorem, ut vix ferre posset. Admirante ea causa non mediocriter Magno, quem diximus, & è Petro Confessario ejus percontante, quid hoc sibi vellet, ille respondit: Noveris pro certo, quandocunque coram ea quispiam mortifero peccato obnoxius stat aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offendatur, illam mox sentire immodicum sulphuris fœtorem. In ejus vita apud Surium vigesimo tertio Julii c.19.

II. Quia diro lavacro indiguit.

II. Debebant emundandi lavare vestes & corpus Levitici decimo quarto. At Deus peccatoribus à peccato abluendis longè aliud balneum olim paravit, diluvium videlicet. Ubi enim in hominibus invaluit peccati lepra adeò ut corrumperet universam terram, & homo quasi non homo, sed caro & brutum fieret, (Gen. 6.) lavit Deus terram diluvio, & demersit homines; non pepercit infantibus, nec bestiis innocuis, non audivit lamenta serò pœnitentium, non miserabiles vagitus infantium, non horridos bestiarum clamores. Unde Chrysostomus homilia 22. Genesis ait: *Istam pœnam communem ferunt, ut pœnæ gravitatem addiscatis. Et sicut ab initio cum peccasset protoplastus, terra maledictionem accepit: sic & nunc cum abolendus esset homo, bruta quoque cladis socia fiunt.* Sed cur reptilia & volatilia deleta sunt, non aquatilia? Respondet Lyranus, quia peccata non sunt facta in aquis, sed in terra, unde pascuntur reptilia & volatilia. Denique nec infantibus parsum. Dicebat pater & mater: moriamur Domine nos, sed vivant saltem liberi nostri: *Ego sum qui peccavi, isti vero oves sunt, quid fecerunt?* Moriamur saltem alia non tam dirâ mersionis morte. Nihil impetrarunt: *moriendum est*, dicebat Augustus Imperator ad Perusinos cives morti adjudicatos, supplicium deprecantes: pereundum vobis in aquis est, ut sordes lepræ vestræ tales esse intelligatis, quæ non nisi tam vasto & miserabili balneo possint abstergi.

III. Quia crudeli abrasione opus habuit.

III. Debebant emundandis abradi omnes pili corporis, barba & supercilia. At Deus peccatores longè aliter rasit. Ubi enim rursum emersit peccatum, abrasit Deus in Pentapoli quatuor civitatibus, Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, omnem decorem, omnesque incolas, per sulphureum incendium cœlo demissum: fecitque è paradiso terræ lacum horridum, fœtidum, mortuum mare, ubi nec pisces vivere, nec propè quis degere ad quintas leucas potest, quodque perpetuum fumum & nebulam in modum camini infernalis exhalat, ut scribit Borcardus, testis oculatus, in descript. terræ sanctæ. Confirmat Sapiens Sapient. 10. dicens: *In testimonium nequitiæ* (Pentapolitanorum) *fumigabunda constat terra, deserta. Constat*, id est; constanter stat. Et quia nec sic oppressum est omninò peccatum,

Trip. in hac Do. C. 4. G.

sed succrevit denuò, ideo propter illud vastabitur ante judicii diem mundus igne conflagrationis, qui omnem ejus decorem & venustatem abradet, omniaque in cinerem rediget, uti testatur idem Sapiens Sapient. 5. dicens: *Ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum* (impiorum) *& malignitas evertet sedes potentium.* Eandem ob caussam, ob peccata scilicet abradit Deus sæpe fruges terræ per siccitatem, grandinem, pruinam, ut testatur Divus Basilius homilia 8 in divites avaros: vastat bello & peste regiones, ut instar solitudinis horridæ & incultæ jaceant; quia cum in usum hominū omnia crearit, quando ipsi non reddunt Deo, quæ Dei sunt, subtrahit eis Deus, quæ pro ipsis creavit; ideò cum peccasset Adam terram propter eum maledixit: *Maledicta terra in opere tuo.* Propter domum Achab sceleratam inhibuit pluvias toto triennio & sex mēsibus 3 Regum 17. propter Hebræorum Idololatriā *prohibitæ sunt stillæ pluviarum, & serotinus imber non fuit* Jer. 3.

T. Dom. 2 post Pe. C. 3. E

IV. Debebant offerri duo passeres: eorum unus mactari & immolari ejusque sanguine aspergi mundandus: alter eo tinctus dimitti liber. At Deus pro emundatione peccatoris; (en tibi, qualem passerem!) filium suū occidit. De se enim Christus Psalmo centesimo primo, secundum Augustinum & Gregorium: *Factus sum sicut passer solitarius in tecto*; qui solus in cruce exaltatus & velut vilis passer spretus, nos redemit. Duo illi passeres significant duas Christi naturas, quarum una humana, mortem omnium terribilissimam subire debuit; altera divina, licet impassibilis, sanguine tamen alterius tingi, & una cum ipsa crucem ascendere & conspui, illudi, blasphemari; quò remedium pararetur lepræ hominis curandæ. Quis autem hîc non obstupescat? Qualis enim morbus esse debet, qui non nisi sanguine filii Dei curari potest? Certè si aliter curari potuisset, tam diro ac pretioso pharmaco Medicus cœlestis usus non fuisset. Qualis & quam pertinax morbus sit lepra vel inde conitare potest, quod pauci vel omninò nulli Medici reperiantur, qui eum sanare possint. Fuère tamen in Ægypto Medici, qui eum sanguine humano curari posse assererent & verè etiam curarent, si Plinio credamus libro vigesimo sexto, capite primo, qui id remedium Regibus Ægypti, si in eos lepra incidisset, consuetum, populis tamen funebre fuisse ait, quod humano sanguine temperari eis balneum deberet. Incidit idem malum in Constantinum Magnum Imperatorem cumq; Medicorum consilio infantes pauperum undiq; à matrum uberibus abrepti essent ad necem, ut eorum sanguine tale balneum pararetur; Imperator audiens matrum & infantum lamenta, cruento lavacro abstinuit, dicens præstare se solum eo fædo morbo intabescere, quam tantam infantium multitudinem cum incerta spe salutis crudelissima internecione deleri. Ut in vitâ sancti Sylvestri Papæ refert Baronius & alii. Jam verò lepra peccati tantum malum

V. G 4 in mentem fil Dei gr

est,

est, ut neque sanguine humano, sed divino duntaxat filii Dei potuerit sanari. Fieri fortè potest, ut subditi necentur pro servando Imperatore: sed quis capiat necandum esse Imperatorem, ut subditi serventur? Et quidem Constantinus motus vagitu parvulorũ pepercit illis: sed Deus pater auditis etiam filii sui lamentis in monte Oliveti & ipsa cruce (*Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*) non est dimotus à sententia sua, ut vitam condonaret filio; quando homines leprosi non aliter sanari nisi ejus sanguine poterant.

V. Leprosi ablegabantur, ut dixi, in solitudinem, ac nisi convaluissent, in perpetuum nemo eos aditu, congressu, colloquio dignabatur, nemo non velut pestem fugiebat. *Omni tempore, quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra*, ait lex Levit. 13. Solus habitabit, remotus à dulci hominum conversatione, leprosus inter leprosos sordidos & fœtentes, vestibus discissis, capite nudo, ore contecto, sordidum se clamans. At Deus peccatorem incorrigibilem in solitudinem longè miseriorem & diuturniorem exturbat, scilicet in ignem æternum. Siquis enim à peccato non fuerit hic mundatus, extra cœlorum castra eliminabitur, ad leprosorium inferni, extorris à cœli civibus, socius dæmonum & furciferorum, corpore horrido & ærumnoso, æstui infernali expositus, privatus omni potestate auxilii implorandi, perpetuis remorsibus seipsum redarguens & lancinans. Ac licet ipse Rex Ozias, vel soror Moysis tales essent, hac pœna mulctandi forent. Quantum ergo peccati malum, quod etiam illos, qui aliquando Deo amicissimi fuerunt in tantum malorum barathrum dejicit? Itaque propter peccatum privat Deus hominem bono infinito & punit malo infinito, ita ut in æternum non audiat ejus preces, lachrymas & lamenta, nec vel minimum commiseratur. Certè si infernus nil aliud esset, quàm leprosorium plenum leprosis & inter eos æternum commorandum esset, nonne satis horrendum videretur & velis remisque fugiendum? At sicut peccatum infinities grandius malum est lepra, sic infernus leprosorio.

Jam ergo si monere Deus potuit Deut. 24. *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ*, quomodo ego non monere possum omnes Christianos: Observate diligenter ne incurratis plagam peccati? Lepram enim incurrere, temporale malum est, utcunque tolerabile, nec in nostra potestate: at peccati lepra æterna est, nisi hic expietur; & nostræ potestatis est illam evitare. Cavete ergo quantis potestis conatibus malum hoc. Vel si incurristis, currite quamprimum & *ostendite vos sacerdotibus. Occurrerunt* hod. leprosi, non obviarunt, Christo: currite vos ad Confessarium; non expectate donec obviet vobis, ut sic in via vitæ hujus mundemini & detis gloriam Deo.

THEMA III.

Lepra qui puniti, maximè vitandi.

I. *Giezi ob Simoniam.*
II. *Ozias rex ob sacrilegium.*
III. *Maria soror Moysis ob murmur & rebellionem.*
IV. *Regio Galliciæ ob Arianam hæresin.*
V. *Duo quidam lepra pleni ob perjuria & juramenta.*

Occurrerunt ei decem viri leprosi, Luc. 17.

Jure quis interroget, quam ob causam inter Hebræos olim tot leprosi fuerint. Etenim in hodierno Evangelio decem occurrunt Christo, & alibi in SS. literis crebrò inveniuntur, nec non certæ leges illis præscribuntur; id quod in nationibus aliis rarum valde est. Ad hoc respondent inprimis Medici, regiones calidas, saxosas & salsas, caloribus & algoribus inæqualiter impetitas, qualis est Judæa, lepræ obnoxias esse. Quam causam fuisse ait Cornelius à Lapide in capite 13. Levitici, cur tempore belli sacri tot Belgæ, Franci, Germani ex Judæa domum redeuntes, leprosi reversi sint, ideoque tot ubique erecta ipsis fuerint leprosoria (non admissis in civitates) quæ etiamnum extant. Respondeo deinde Deum in veteri lege multoties in homines immisisse lepram ad eorum castigationem & flagellum, ob certa quædam, & graviora ferè, peccata, uti ex veteri Testamento liquet; quod tamen subinde, tametsi non ita frequenter, præstitit etiam in nova lege. Cum ergo lepra fœdus omnino morbus sit, non nisi ob gravia peccata quibusdam inflictus, videamus quos comprehenderit, ut inde non tam lepram, quàm ejus causam, peccata scilicet fugiamus & evitemus.

I. Giezi, servus Elisæi ob Simoniam, quam commisit accipiendo argentum & vestes à Naaman Syro, ob beneficium curationis ab Elisæo, hero, ipsi impensum. 4. Reg. 5. *Accepisti argentum*, inquit ipsi Elisæus, *& accepisti vestes &c. sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Justa fuit hæc punitio; qui enim spirituale beneficium ab hero exhibitum, cum pecuniaria mercede commaculavit, heroque suo sanctissimo notam avaritiæ inussit, meritò in carne sua maculam lepræ fœdissimam accepit. Fuit hæc ejus plaga, pharmacum aliis posteris contra Simoniam, uti S. Hilarioni, qui cum legionem dæmonum à quodam obsesso, nomine Oriono, ejecisset, curatus non post multum temporis venit ad ejus monasterium, plurimam quasi gratiam red- I. *Giezi ob Simoniã.*

diturus, dona afferens. Cui Sanctus: *Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sunt, quorum alter accepit pretium, alter obtulit; ut ille venderet gratiam Spiritus S. hic mercaretur? Cumq; Orionis flens diceret: Accipe & da pauperibus; respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas & nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.* Ita refert S. Hieronymus in ejus vita. S. Dominicus, dictus loricatus, *cum esset in sæculo clericus,* ait B. Petrus Damiani ep. 19. ad Alexand. II. Papa l. I. Epist. *Quia tunc Simoniaca vigebat hæresis, ut presbyter fieret, à parentibus ejus data est Episcopo hircinæ pellis aluta; sed quia, sicut ait Apostolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, hæc una beati viri culpa, multorum post bonorum probatur extitisse materia. Nam hoc pavore perterritus, contempsit sæculum, induit Monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ tanquam bellator intrepidus, arripuit institutum.* Porrò sicut leprosi ab hominum consortio excluduntur: sic etiam simoniaci ab Ecclesiæ separantur Sacramentis, uti idem Damianus scribit l. 2. ep. 2. Multo adhuc severius libro 8. ep. 11. ad cives Florentinos his verbis: *Anathematizamus itaque, & irrecuperabiliter condemnamus Simoniacam hæresim, primam omnium hæresum ex imis diaboli visceribus erumpentem, sese que adversus nascentis Ecclesiæ regulam exitialiter extollentem. Quæ nimirum adhuc ex ipso diaboli felle progreditur, & in perditionis filios pestilentissimè derivatur. Cujus scilicet auctori per Petrum dicitur: In felle amaritudinis, & in obligatione peccati video te esse. Quia verò fel columba non habet, Spiritus autem sanctus in columbæ specie super Dominum venit; isque amaritudine fellis intumuit, columbini spiritus capax esse non potuit. Quapropter omnes hujus nefandæ hæreseos peste corruptos, hæreticos esse indubitanter asserimus: eosque damnabiles atque à suis arcendos honoribus, juxta sacrorum Canonum sententias judicamus. Et infra, Cōstitutum est in Romano, sanctæ memoriæ Nicolao præsidente, Concilio, ut deinceps quicunque se pateretur à simoniaco provehi, nil penitus ex ea deberet promotione lucrari, & sic ministrandi jura deponeret, tanquam si hæc nullatenus percepisset. Hac itaque ratione jam non modo simoniacos reprobamus, sed etiam per eos exhibita Sacramenta contemnimus.* Sic B. Dam.

II. *Ozias Rex ob sacrilegium.*

II. Ozias Rex ob sacrilegium, quo incensum adolere præsumens, lepra in pœnam temeritatis illico tactus è templo ac regno ejectus est. 2. Par. 7. Habitavit ergo in separata domo usque ad mortem: sepultus quoque extra sepulchrum Regum; quasi etiam ossa mortuorum ab eo contaminari refugerent. Jure autem sic punitus est, quia cum eam templi partem, quam solis sacerdotibus ingredi licebat (ubi altare erat thymiamatis) ingredi ausus sit, ita plexus est, ut lepra prohibente jam nec ad regiam suam, & communem hominum conversationem ingredi posset: & quia ad regiam dignitatem usurpavit sacerdotalem, utraque privatus est; & quia ex sacro thymiamate gloriam sibi quæsivit, fœdam lepræ maculam sibi aspersit. Sed multo fœdior labes Episcopo cuidam Aretino, nomine Arnaldo, adhæsit, qui (ut paulò ante laudatus Petrus Damiani l. 2. Ep. ep. 15. ad desiderium Card. scribit) cum monasterio cuidam sui juris calicem aureum abstulisset & abalienasset, visus est cuidam è fratribus in lacu horrido mersus ad cervicem usque, potari aureo illo calice, aqua fervida & bulliente è sartagine infusa. Cumque is audita hac visione adhuc moras traheret in restituendo calice, repentinis doloribus oppressus mori se clamavit, adeoque etiam mortuus est. Cui non absimile est, quod in Chronico Cassinensi l. 2. cap. 62. legitur de Pandulpho, Principe Capuano, qui per Adelgisum sacra quædam paramenta cum aureo calice, Cassinensi Monasterio S. Benedicti pignoris loco abstulit per vim. Nam & Adalgisius paralysi & epilepsia tactus corruit, & fœdum præsentibus spectaculum dedit, & Princeps inde non emendatus post obitum visus est à venato e n cœnum profundissimum à duobus æthiopibus demergi, & extractus rursum immergi, propter illum, ut ajebat, calicem. Quare caveat sibi quisque ab Ecclesiæ rapinis, quia lepra sunt, justa etiam bona coinquinans.

III. *Maria soror Moysis ob murmur & rebellionem.*

III. Maria soror Moysis ob murmur & rebellionem contra Moysen, fratrem. Numer. 12. quæ & propterea à castris separata est; & jure quidem, ut, quæ fratri se sanctissimo comparare ausa est, fœda lepræ macula undique se conspersam cerneret; & quæ juxta ducem populi stare præsumpserat, jam ne cum populo quidem consistere posset, sed exclusa communi habitatione, foris sola degeret abominabilis. Propter hæc præcepit Deus Israeli Deut. 24. *Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed* (ut eam evites) *facies quæcunque te docuerint sacerdotes, &c. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ, &c.* Ad murmurationem Mariæ nubes recessit à tabernaculo, & mox lepra invasit eam: similiter cum subditi erigunt se contra Superiores, recedit ab eis divinum præsidium, & ipsi fiunt exosi atque abominabiles Deo & hominibus. Qua de causa Moyses ex Dei mandato dixit ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum* (Core, Datan & Abiron, rebellium & obmurmurantium) *& nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Num. 16. Quemadmodum enim lepra contagione sua facile alios inficit: ita & rebellio & murmuratio quærit sibi adhærentes, & non difficilè invenit secumque trahit. Lepra Mariæ dicitur fuisse *candens quasi nix.* Sed unde generata est hæc nix? Ex Æthopissa, Moysis conjuge, cujus causa obmurmuravit fratri Maria. Atqui in Æthiopia nix non cernitur, teste Franc. Aluarez de rebus Æthiop. c. 159. utpote calida nimis regione. Ergo inde malum Mariæ partum, ubi nulla mali causa erat,

nulla inquam causa murmurandi contra Superio-
rem à Deo constitutum, id quod cogitare deberent
qui Magistratui se opponunt. *Quid est enim Aa-
ron,* ait Moyses ad rebelles illos, *ut murmuretis con-
tra eum:* Num. 16. q. d. quid causæ contra illum ha-
betis, cum ipse non ingesserit, se sed à Deo vocatus
sit ad munus suum? Frustrà etiam contra stimulum
calcitrant, quia ut equus calcitrans sessorem se pun-
gentem non tangit, sed acrius ipse tangitur & sti-
mulatur; ita & obmurmurans non tam superiorem
quam seipsum lædit. Ideo ad Saulum Christus: *Du-
rum est tibi contra stimulum calcitrare.* Actorum 9.
Leprosus ita deformatur in vultu & aspectu, ut vix
agnoscatur & jam alius à se esse videatur: ita & re-
bellio atque inobedientia hominem adeo fœdat, ut
etiam creaturæ irrationales, eum velut dominum
suum non agnoscant, sed contra eum insurgant, uti
expertus est Adam, postquam Deo rebellis factus
est; & Propheta ille, quem ob prævaricationem mā-
dati divini, leo adortus est atque occidit, 3. Regum
13. *Quemadmodum enim canis,* inquit D. Chrysosto-
mus in psal. 3 *aut qualibet fera, quam homo benefi-
ciis cicuravit, sibique in omnibus obsequentem red-
didit, si vultum simulet alienum, aut proprium mu-
tet aut obscuret, fuligine puta aut cœno, aut colore
non proprio, non minus illum allatrat, morsuq; appe-
tit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo
quam si esset alienus: sic quia Propheta iste per inobe-
dientiam vultum fuligine fœdaverat, non agnovit
leo tanquam dominum suum, atq; ideo tanquā alie-
num interfecit Longè aliter se habuere leones cū Da-
niele.* Leones ergo alios Prophetas agnoverunt &
venerati sunt, illum invasit & occidit leo; quia aliam
induerat faciem, Deo non parendo. Sensit hoc idem
Saporius Constantis Imp. in Armenia præfectus,
qui rebellans domino suo, cum ad prælium se para-
ret atque exerceret contra Nicephorum, à Con-
stante contra se missum; dum equo suo vectus por-
tam civitatis egreditur & equum virga percutit, e-
quus saltum faciens, sessoris heri caput in portam i-
ta allisit, ut dejectum planè extinxerit. Baron. anno
667. Quin etiam ipsa terra murmurantes illos, quos
diximus, Core, Datan & Abiron non sustinens, hia-
tu absorbuit.

IV. Regio Galliciæ ob Arianam hæresin.

IV. Regio Galliciæ, quæ ob Arianam hæresin
plusquam aliæ provinciæ, lepræ plaga vexata, ad
præsentiam vero reliquiarum S. Martini (tametsi
non nisi abjurata prius hæresi) liberata est ab eadem
lue, *nec unquam usque nunc lepræ morbus super a-
liquem apparuit,* inquit & refert S. Gregorius Turo-
nensis lib. 1. mirac. S. Martini cap. 11. Jure etiam hæ-
resis plaga lepræ castigata est, cum ipsa lepræ simil-
lima (uti docet sanctus Augustinus lib. 2 Quæst. (Hæresis lepræ similima.)
Evang. tom. 4.) totum hominem deformem & ab-
1. ominabilem reddat. Nam inprimis lepra, ut ait A-
vicenna, *est cancer quidam universalis,* totum homi-
nem pervadens; pari modo de hæreticis ait Aposto-
lus 2. ad Timoth. 2. *Sermo eorum ut cancer serpit.*
Serpit partim in ipso homine, quem de uno errore
in alium, (quia semel è regia via deflexit) pejorem
& fœdiorem devolvit: partim extra hominem dum
ab uno transit ad alium, & occupat brevi tempore
integram civitatem & regionem. Qua de causa S.
Hieronymus in cap. 5. ad Gal. dixit: *Scintilla statim
ut apparuerit, extinguenda est, & fermentum à mas-
sæ vicinia removendum: secandæ putridæ carnes, &
scabiosum animal à caulis ovium repellendum; ne
tota domus, massa, corpus & pecora ardeant, corrum-
pantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria
una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, to-
tum orbem ejus flamma populata est.* Lepra similes
facit noctuæ dum oculos & aures in rotundam ef-
format figuram: hæresis quoque acuit oculos, sed
ad falsitatem investigandam & veritatem tegen-
dam. Siquidem obscuris scripturæ locis se tueri co-
nantur, clara autem fugiunt hæretici. Quare S. Am-
brosius in Malachiam. *Nolo te,* inquit, *imitatorem
esse noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem ta-
men pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebra-
rum caligines diligit, splendorem solis horrescit; mi-
rum enim in modum illuminatur obscuritate, lucē
cæcatur. Istud animal hæreticorum figura est atque
Gentilium, qui tenebras amplectuntur Diaboli, lucem
Salvatoris horrescunt, & grandibus disputationum
oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna.* Ad- 3.
hæc lepra faciem immutat, ita ut depilatione & tu-
beribus superciliorum, simiarum faciem repræsen-
tet: quemadmodum & hæresis monstrosum efficit
hominem, & absurdis dogmatibus cum ratione pu-
gnantibus ita evertit, ut simia potius quam homo
esse videatur, omnium se moribus & erroribus ac-
commodans, ut patet in nostri sæculi hæresibus
conflatis ex plurium errorum dogmatibus: quæ &
fictam sanctitatem uti simiæ præ se ferunt, & imi-
tantur orthodoxos. Lepra vocem efficit raucam & 4.
sonoram; hæresis perpetuo clamat, tumultus exci-
tat, & provocat ad scripturam, quam tamen rauca
& perversa lingua exponit ac depravat. Adhæc an- 5.
helitum lepra reddit fœtidum: hæresis contumelias
& blasphemias exhalat & effundit in SS. Patres
Pontifices, Beatos, Deiparam, ipsumque Deum:
fœtores præterea & verborum latrinas, uti videre
est in Luthero, Calvino, aliisque nostri sæculi hæ-
resiarchis eorumque sectatoribus. Lepra reddit can- 6.
didum, velut nivem, ut audivimus, cum tamen in
cute lateat putredo: hæresis etiam cygni instar foris
alba, intus nigra. Denique omnis hæresis desinit in 7.
fœtorem gulæ & libidinis, qui extremus illorū fi-
nis est, unicè quæsitus ac desideratus. Solus lepræ
morbus excludit homines ea lue tactos à commu-
nitate: sola etiam hæresis excludit hominem ab Ec-
clesia & fidelium communione. Quis ergo lepram
hanc non velis remisque fugiat?

V. *Duo quidā lepra pleni ob perjuria & juramenta.*

V. Duo quidam elephantiacō pleni morbo ob
perjuria & juramenta, qui venerunt ad S. Auxenti-
um Abbatem, ut ab eo sanarentur; quibus ipse: *No-
stis,* inquit, *fratres, qua de causa ira Domini in vos
deſæviat? Vos frequenter levissimis de causis sacro-*

san-

ſanctum illius nomen in vanum ſumitis: juratis ac pejeratis: ideoque juſto illius judicio præſens hæc calamitas vos premit. Sed jam tandem peccatum veſtrum agnoſcite, ut ſanitatem conſequamini. Oleo igitur benedicto eos perunxit & ſanitati reſtituit. Metaphraſtes apud Surium & Lipel. 14. Febr. Meritò iſti fœdiſſima lepræ macula aſperſi ſunt quia ſanctiſſimum Dei nomen irreverente & temeraria contaminarunt lingua, quantum in ipſis erat, fœdè. Unde Eccleſiaſtici 23. dicitur: *Vir multum jurans implebitur iniquitate*, (puta perjurii, blaſphemiis, injuſtitii.) *& non diſcedet à domo illius plaga.* Et mox: *Et ſi in vacuum juraverit, non juſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius.* q. d. ſicut Dei nomen in vanum jurando labefecit: ita & ipſe labefactabitur. Vel, *ſicut jurans caret reverentia erga Deum: ita mala careant reverentia erga domũ, ſed irreverenter & temere domum intrent, ut temerè Deum ille jurabat*, inquit Palacius in eum locum. Adhæc qui crebrò jurat, ſeipſum multis peccatis quaſi lepra replet & contaminat, dum ſæpe pejerat, vel irreverenter jurat. Turcarum ſuperſtitioſi quidam religioſi ſunt, qui pro viliſſima pecunia ſeipſos ſcindunt vulnerantque, ut toto corpore conciſi, quaſi leproſi appareant: ſic qui crebrò jurant, tota anima ſe cruentant, & quaſi lepram induunt. Unde S. Chryſoſtomus hom. 14. ad pop. ait: *Vtinam mihi liceret frequenter jurantium animas exuere, & ipſorum oculis ſubjicere vulnera & cicatrices quas quotidie capiunt à juramentis. Nec admonitionis aut cõſilii indigeremus: quoniam vulnerum aſpectus omni ſermone potentius, huic improbæ conſuetudini etiam plurimum adhærentes à malitia abducere poſſet.* Graviter etiam minatur Deus vanè & præſertim falsò jurantibus, Zach. 5. cum oſtendit Prophetæ *falcem* (ita habent 70. ubi nos, *volumen*) volantem; cujus longitudo 20. latitudo 10. cubitorum erat, addens: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, & omnis jurans ex hoc ſimiliter judicabitur.* Quid ſibi hæc falx velit, dicere poſſumus ex B. Petro Damiani ep. 10. ad Moricum Legum Doctorem libr. 8. Epiſtolarum. *Quiſquis*, inquit, *juſjurandum pejerans violat, Chriſti ſe corpore quaſi per quoddam abſciſſionis diſſidium, ſeparat, & à redemptionis humanæ myſteriis alienat. Nam cum hoc ex more dicatur ab illo qui jurat: hoc faciam, vel certè non faciam, ſic me Deus adjuvet: & iſtud ſecundum Evangelium, hoc cum Deo interpoſita conditione paciſcitur; ut ſi promiſſa non impleat, à Deo vel ſancto Evangelio ulterius non juvetur. Et ſicut tunc, cùm initiatus eſt Chriſto per catechiſmum ſacerdotalis officii abrenunciaverat diabolo, & pompis ejus; ita velut retrogandus ac transfuga, ſic Deo & Evangelio ejus abrenunciat, ut in eum quaſi ſuæ quodam conventionis fœdere, de cætero non confidat. Et ſicut Laban inter ſe, & Iacob acervum lapidum poſuit, & interclusit alterutrum præcavendo meatum; ſic iſte quodammodo inter ſe, & Deum ponit mentiendo perjurium.* Idemque paulò inferius confirmat hoc exemplo. *Vir in Peruſino territorio nuper ad extrema deveniens, duobus liberis ſuis, totidemque filiabus patrimonium ſuum proportione legavit, ut erciſcundæ hæreditatis maribus quidem relinquere biſſem; fœmineus verò ſexus ſuccederet in trientem. Poſt cujus obitum unus quoque filiorum ejus defunctus eſt, ſuperſtes verò frater parum putans, quia res defuncti fratris cum ſororibus non diviſit, ſed ut in earum quoque portiunculam controverſiæ calumniam moveret, adjecit. Quanto nimirum eſt aucta poſſeſſio, tanto magis eſt poſſidentis inflammata cupido. Quid plura? Fit forenſe judicium, diverſarum partium allegatores accedunt, cauſidici perſtrepunt, movetur quæſtio, calumnia litis intenditur, ab obſiſtentibus intentio removetur. Tandem inter partes alterutra deliberatione convenit, ut presbyter quidam, qui viri contra germanos fautor erat, ſe defuncti patris interfuiſſe judicio perhibeat, juſjurandum daret, ſicque deciſionis calculum cauſa ſuſciperet, omnemque controverſiam unius hominis teſtimonium conſopiret. Cumque presbyter pro viro contra fœminas juraturus accederet, jamque manum libro, qui propoſitus fuerat, applicaret; ſubitò terribilis ſerpens ex ea, quæ ſupereminebat arbore corruit, librumque complexus, ſpiris ſquamoſi corporis circumcinxit. Mirantur omnes attoniti & quodam quaſi prodigio ſtupefacti, præſertim presbyter ipſe diriguit: & juſjurandum, quod non veritati, ſed humanæ gratiæ devoveret, abjuravit. Sic igitur antiquus hoſtis, qui virus ſuæ malitiæ cordi presbyteri, ut contra veritatem juraret, infudit, adeſſe ſe huic juramento per familiarem ſibi beſtiam viſibiliter demonſtravit, illarum quoque patruus, qui rem quidem noverat, ſed pro favore viri, veritatis teſtimonium ſupprimebat, mox ut à judicio receſſit, ſimul cum eo, cui inſidebat equo, in præcipitium decidit: quem ſibi ſubſtratum beſtia toto corpore pene uſque ad mortem vehementer alliſit. Vt divina diſpoſitio patentèr oſtenderet quia qui cõſtantia ſpiritus pro veritate ſtare noluerat, etiam corpore non immerito cecidiſſet.* Quibus addi poteſt, quod in vita S. Eduardi Regis Angliæ ſcribit Ealredus apud Sur. 5. Jan. de Godvvino Comite, qui de morte fratris Regis ſe purgaturus apud Regem: *Scio ego Rex*, inquit, *ſcio adhuc de morte fratris tui, tuus me accuſat animus, nec eis eſt mas diſcredendum, qui me vel ejus vel tuum vocat proditorem. Sed ſecretorum omnium conſcius Deus judicet & ſic buccellam hanc quam manu teneo, guttur meum faciat pertranſire, & ſervet illæſum, ſicut nec tuæ proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conſcius exiſto. Cumque vir beatus buccellam manu benedicens ſignaſſet, miſer ille eam ori inferens, uſque in medium gutturis pertraxit. Tentat interius trahere, nec valet; tentat emittere, ſed firmius hæſit. Mox meatus, quibus ducebatur ſpiritus, occluditur, vertuntur oculi, brachia rigeſcunt. Intuetur infæliciter morientem Rex, & ultionem in eum*

ſen-

sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur dicens: Extrahite canem istum. Et factum est ita. Sed ad extremum audiamus S. Chrysostomum falcem illam Zachariæ nobis exponentem, ho. 27. ad pop. *Falx, inquit Zacharias, volans erat longitudine cubitorum viginti, latitudine cubitorum decem. Volans velocissimum ultionis incursum significat juramenta sequentem. Multorum verò cubitorum latitudo & longitudo vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At ex cœlo volare ex superno tribunali sententiã ferri. Falcata verò forma inevitabilem supplicii sortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non solùm secum arripit, verum & caput amputat: itidem & pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absisteret, quam quod suum est obiret: quòd si jurantes evadimus, ne confidamus: ad nostrum enim malum hoc fit. Nam quid censetis? quot post Ananiam & Sapphiram eadem quà illi sunt ausi? quomodo igitur eadem non sunt passi? Non quoniam ipsis ignotum sit, sed quoniam majori differuntur malo. Multa namque perpetrantes nec dantes pœnas, terreri magis ac timere debent: augebuntur enim eis supplicia propter impunitatem & Dei longanimitatem, &c. Recordamini fratrum Ioseph, qui fratrẽ suum vendiderunt, jugulare tentãrunt: vel potius ipsa promptitudine jugulavêre. Deceperunt, contristarunt senem, nihil pluribus post annis passi sunt, tandem verò in extremum periculum inciderunt, & hujus reminiscuntur criminis. Hoc itaque valde sapienter efficitur. Nam audi quid dicant. Et meritò: in peccato enim sumus de fratre nostro. Itidem & tu cùm aliquid acciderit, dicas: Etiam in peccato sumus, quoniam Christum non audimus, quoniam juravimus, juramentorum frequentia & perjuria super caput meum venerunt: confitere: nam illi quoq; confessi sunt & salvi facti. Quid enim & si non statim ingruit ultio. Nam & Achab propter Nabath, non statim post peccatum passus est ea qua pertulit: quare autem hoc fit? Dat tibi temporis præfinitionem, ut ablui possis: cùm verò perseveraveris tunc demum pœnam infligit.* Sic ille.

THEMA IV.

Tribulationis magna aliquot bona.

I. *Compellit recurrere ad Deum.*
II. *Humilem facit.*
III. *Cogit orare.*
IV. *Docet obedire.*
V. *Cogit inire pacem & familiaritatem cum humilibus & miseris.*
VI. *Trahit ad se divinum auxilium.*

Occurrerunt ei decem viri leprosi, Luc. 17.

MIrum quid de virgine quadam, Angadrisina scribit Marulus libro quinto, capite quarto. Hæc à patre desponsata Ausberto cuidam, Wandegisili Comitis Palatini domestico, pro tutanda virginitate à Deo precibus impetravit, ut lepram incurreret. Qua in ipsa deprehensa, exhorruit eam sponsus & repudiavit, quam priùs adamarat. Itaque virgo voti compos facta, religionem professa, & rursum à Deo sanata est; quo palam fieret, ideo factam fuisse leprosam, ne fieret corrupta. Mirum inquam hoc videbitur vobis Auditores, quòd sibi lepram aliquis, morbum tam abominabilem, postulet à Deo. Et tamen uti huic virgini optata fuit lepra, quia & salutaris: ita & leprosis in hodierno Evangelio utilis sanè fuit; dum ejus beneficio ad Christum ejusque cognitionem adducti sunt. Quod de lepra dico, de quocunque tribulationis flagello intellectum volo. Graviter quidem audiunt aures nostræ sonitum flagelli seu tribulationis, & vel ipsa voce terrentur. Verùm hac ratione etiam flagella damnanda & averruncanda essent, quæ triticum è paleis excutiunt: bacilli, qui pulverem è vestibus: potiones Medicorum & instrumenta chirurgorum, quæ morbos & vulnera curant: spinæ denique ex hortis, quæ odoriferas gignunt rosas. Hujusmodi autem sunt lepra & morbi alii, ac quæcunque tribulationes; quæ in se quidem asperæ & horridæ, fructus tamen optatissimos producunt; uti vel ex his leprosis colligemus.

I. Leprosi isti Christo occurrerunt, ut medelam ab eo quærerent. En tibi fructum primum fœdæ illius lepræ, & cujuscunque tribulationis, quæ compellit hominem sine peccatis sive miseriis aliis onustum recurrere ad Deum. Quando enim viri isti, præsertim Samaritanus, illorum unus, ad Christum ejusque cognitionem & fidem venissent, tanto præsertim desiderio & cursu; nisi lepra eos impulisset? Plurimi quidem alii ad Christum veniebant, ut eum vel audirent vel viderent: nulli tamen majori conatu & desiderio, quàm qui gravi aliqua infirmitate vexabantur. Hæmorrhoissa in conferta turba se intrusit, ut fimbriam ejus tangeret: Chananæa pro filio orans ter repulsam passa, non destitit à precibus: cæcus ille clamans, tacere jussus, multò magis clamabat: paralyticus à quatuor bajulis per tecti tegulas deponitur ad ejus pedes: Centurio pro servo charo mittit legationes: Regulus multo itinere ad Christum properat & pro filio ægro solicitè & instanter rogat; pater alius pro filio energumeno orat cum lachrymis: denique leprosi hodierni currunt ad eum. En igitur quàm verum illud D. Gregorii: *Mala, nos hic premunt, ad Deum ire compellunt!* Quemadmodum ergo

I. *Compellit recurrere ad Deum.*

ergo ad cœnam illam magnam Luc.14. nulli venerunt nisi tandem pauperes & debiles, & cæci & claudi; ac qui denique compulsi sunt intrare: ita ferè contingit, ut paucissimi veniant ad Christum ejusque cœlestem cœnam, nisi qui paupertate aut infirmitate alisque similibus plagis compelluntur. Hi sunt servi illi & invitatores muti, qui longè efficacius vocant homines ad cœnam illam, quam omnes Concionatores suis clamoribus. Quanti Concionatores fuere Moyses & Aaron? plus tamen effecere culices & ranæ apud Pharaonem ut dimitteret populum, quàm illorum orationes, clamores & objurgationes. Quantus & quàm eloquens Propheta fuit Isaias? hic tamen Manassen Regem sceleratum revocare ad pœnitentiam non potuit; potuere vincula Babylonica, quibus Manasses aggravatus fuit. Unde bene idem Isaias c. 26. ait: *Domine in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Hebr. *malmad*, quod & *doctrinam & stimulum* significat. Ait ergo homines plerosque sicut pecora stimulari tribulatione debere, ita ut bene sentiant & caro eorum murmuret; sicque in angustia positos reverti ad Deum. Sicut enim fortes & efferatæ bestiæ, uti Elephantes, flagellis & esurie solum edomari queunt; ita homines superbi & libertini; quorum doctrina & disciplina non est nisi stimulus, quo docentur asini. Memini leonem Monachii anno 1604. ad pugnam cum aliis bestiis committendam, non alia ratione in caveam ligneam, qua educeretur in certaminis locum, impelli potuisse, nisi fame penè confectum, dum non alia ei data fuit esca, nisi quæ caveæ imponebatur. Simili modo Carolus M. Hunnos in montibus Budæ obsessos, non nisi fame oppressos coëgit, ut se dederent, & Christianam fidem amplecterentur, apud Bonfin. l. 1. dec. 9. De cervis compertum est, quòd à canibus diu agitati, aut jaculo confixi, tandem ad venatores & homines se recipiant: velut apud ipsos humanitatem reperturi & gratiam: sic quoque effrænes homines vix alia ratione ad Deum reducuntur, nisi agitentur canibus tribulationum & jaculis plagarum; quibus se agitatum & confixum fatetur David Psal. 31. dicens: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Et tum subdit: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Sic denique filius prodigus, postquam à fame, frigore, nuditate, velut à canibus probè exagitatus fuit, tum demum dixit: *Surgam & ibo ad Patrem meum,* Luc. 16.

II. *Humilem facit.*

II. Steterunt à longe. En tibi fructum alterum, humilitatem. Cùm enim ex lege separati esse ab hominibus deberent, ne quem inficerent; indignos se rati sunt, qui propè ad Christum accederent. Eadem lepræ plaga miè depressit Oziam Regem Juda, cùm superbia elatus sacerdotale munus invasit, adolens incensum super altare thymiamatis, nec parens dehortantibus, sed minas potius intentans. Mox enim tetigit eum lepra & deformavit in fronte, unde ex templo, tum pudore, tum vi legis ductus, discedere coactus est (quod & fecit celeriter præ terrore;) resignare quoque muneri regio & tota reliqua vita habitare in privata domo velut leprosus; nec non extra regium tumulum sepultus est. 4. Reg. 15. & 2. Par. 26. Quo modo lepra supercilio sum Oziam, sic etiam Mariam depressit, Moysis sororem, & ipsam superbia inflatam contra fratrem Moysen & uxorem ejus Æthiopissam. Num. 12. Dum enim fratri se æquare, velut ipsa quoque Prophetissa, & uxori ejus præferre conatur, lepra à Deo percutitur, & separatur extra castra. Atque ne in similem fastum abriperetur aliquando Moyses, mirabili ostento Deus illum præmunivit. Jussit ut imponeret manum in sinum, & extraheret: extraxit & leprosam reperit. Exod. 4. Causam dat Theodoretus q. 10. in Exod. dicens: *Sic Deus legislatorem Moysen admonuit, ne de se altè sentiret, quòd per leprosam manum naturæ suæ cognosceret imbecillitatem.* Habuit certè Moyses manum Thaumaturgam, prodigia operantem. Ne igitur oscularetur manum suam, & sibi ea adscriberet, leprosam illi reddit Deus; monens fieri posse, ut leprosus fiat; à populo ejiciendus. Persuaserant adulatores Alexandro M. eum Jovis filium esse; qui honore delectatus, talem se jactabat. At ubi in obsidione cujusdam urbis, muros circumiens, ictu sagittæ in crure læsus, cruorem aspiceret & dolorem sentiret; ibi alas demittere ac dicere: *Omnes quidem jurant me Iovis filium esse, sed vulnus hoc me hominem esse clamat.* Seneca ep. 60 ad Lucil. Ad Gades fons est (teste Strab. l. 3. Plin. 2. c. 97.) qui cum vicini maris æstus maximus est, tum decrescit. Mare tribulationes in SS. literis significat, quia eas crebrò causat suis tempestatibus; & quia amarum est. Quando igitur tribulationes crescunt, & tentationes fervescunt, decrescit & deprimit se homo per humilitatem: quo modo David sæviente contra se Saule, depressit cor suum, canem se appellando: *Quem persequeris Rex Israel? canem mortuum persequeris.* 1. Reg. 24. Erigunt se quam plurimi confisi suis viribus & honoribus, quamdiu nil adversi patiuntur. At ubi in calamitatem v. g. in morbum incidunt, videntq; se nec florente ætate, nec opibus, nec honoribus aut amicis quidquam juvari posse, tum demum se humiliant & Deo manus dant. Idem per mysterium docuit Angelus Jacob, quocum luctabatur. Gen. 32. Cum enim superare eum non posset, tetigit nervum femoris ejus, ut debilitarentur vires: Et cur? ne Jacob, qui viderat se Angelo quodammodo prævalere, sibi de robore suo nimium placens, superbiret; ut ait Theodoretus. Sensit enim ex femoris ictu, se non modò ab Angelo vinci, sed & facilè occidi potuisse. Pari modo cum Deo multi pertinaces diu multumque luctantur, nec ullis Dei beneficiis vinci se patiuntur. Quid igitur Deus? venit cum flagello aliquo, & humiliat eos, ut suam infirmitatem agnoscant.

III. *Cogit orare.*

III. Levaverunt vocem dicentes: *Iesu præceptor miserere nostri.* En fructum alium, ferventem orationem. Communis ferè hominum querela est

quod

quod ad orandum tardos pertæsos, in ipsa oratione tepidos se & distractos sentiant. Quæ causa? tribulatio deest, quæ illos excitet. Unde S. Augustinus in Ps. 49. ad verba: *Invoca me in die tribulationis. Ad hoc; inquit, permisi diem tribulationis tibi fieri, quia forte si non tribulareris, non invocares me. Cum tribularis autem invocas me: Cum invocas me, eximam te; cum eximam te, glorificabis me, ut jam non discedas à me. Obtorpuerat quidem* (David) *& friguerat à fervore orationis, & dixit: Tribulationē & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi. Invenit tribulationē tanquam aliquid utile, putruerat tabe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat, invenit tribulationem tanquam ustionem & sectionem.* S. Chrysost. ho. 5. de incomprehens. Dei natura, rem ita pulchrè explicat: *Orationem, dico, inquit, non tenuem illam & desidiosam, sed eam, quæ intenta ex animo dolente & corde contrito proficiscatur. Hac enim est, quæ in cælum scandere valeat. Et quemadmodum aqua, dum per plana & ampla spatia fertur; non in altum exurgit, sed tenuem sese latè quaquaversus expandit: cum autem manu artificum subtus colligente stringenteq; coacta fuerit in angustum, jam inde solicita omni telo velocius se inexcelsum jaculatur, petitque regionem supernam: Sic mens humana dum otiosa & liberior, quam expedit, degit, diffunditur lateque diffluit, cum autem rerum eventu asperiori, casuque subtus coarctante adverso solicitatur, jam agilius se extrudit, & intentas dilucidasque orationes mittit in excelsum. Atque ut intelligas eas potissimum orationes posse exaudiri, quæ presso afflicto que animo reddantur, audi quid Propheta referat: Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.* Sic ille. Idem videmus in vicino nobis Muræ flumine, quod dum intra montes constringitur, cum impetu fluit & vivax est: at ubi se intra Græcium in planitiem diffundit, languidè pergit & tabescit. Hunc in modum ferventer orare edoctus fuit David, quando latitans in spelunca, 1. Reg. 24. perquisitus à Saule cum 3000. militibus ad necem fuit. Saule enim intrante speluncam illam, in qua ipse latebat, cœpit ardenter orare & recitare Psalmum 56. ut præfert ejus titulus. In quo inter alia sic ait; *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi: Misit de cœlo & liberavit me.* Fervens ergo ejus oratio, mox audita fuit. Sed quomodo? *Misit de cœlo,* inquit. Quid? Caldæus Paraphrastes explicat ita: *Præcepit araneæ ut ordiretur telam ad defensionem meam.* In ore scilicet speluncæ inferioris, in qua latebat David, ne suspicari posset Saul, inibi eum latere: quo modo S. Fælicem Nolanum defendit Deus inter duos angustos parietes, per araneæ telam. Vidit igitur David se præcisè unius araneæ telam pro latebra habere. Vehementius ergo cœpit instare orationi in tali periculo. Eadem tribulatio ad ferventer orandum compulit Hebræos in Ægypto jam dilatatos & inde in Dei cultu & oratione tepentes. Misit enim is Pharaonem, durum exactorem, qui ignavos operibus luti premeret & pro mercede flagellis oneraret. In hac tribulatione positi altius extulere vocem; nam *ingemiscentes propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Exo. 2. In quem locum Cajetanus ait: *Clamor tanta fuit vis, ut ascenderet ad Deum ab operibus. Afflictio siquidē tam crudelis servitutis vires præbuit clamori ad perveniendum ad aures Dei.* Sic & Jonas in ventre ceti demum ferventer orare didicit: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me.* Jon. 2.

IV. *Docet obedire.* IV. Jussi ire ad Sacerdotes & ostendere se, iverunt, cæca quadam obedientia, nondum sanati. En parendi promptitudinem, quartum lepræ fructum. Difficile est hominibus captivare intellectum & frangere caput suum, subjicere voluntatem suam aliorum imperio. Tribulatio id docet. Docuit sanè, & quidem lepra, potentem illum Principem militiæ Regis Syriæ, Naamanem, obedire pauperi Elisæo. Qui rogatus ab eo, ut suis precibus lepram ei abstergeret, non descendit ad eum, sed tantummodo per internuntium jubet eum lavare septies in Jordane. Indignè hoc primum accepit Princeps alti spiritus & reditum in patriam parabat. Sed quid ageret? lepra cruciabat simul & fœdabat: cum ea domum redeat? Ergo famuli monent ut viro Dei obediat. Paret & exuit vestes, descenditque in Jordanem septies, uti mandatum fuerat, & sanatur, non solum corpore, sed & animo; dum verum Deum agnoscit & colere incipit. 4. Reg. 5. Si non fuisset lepra, nunquam Princeps iste ad humilem Elisæum venisset, nec veri Dei cultum amplexus fuisset. Bonus ille Loth audiit quidem Angelorum bonum consilium, ut fugiens de Sodomis in monte se salvaret. Verum ipse ascensum metuens, ad pedem montis potius manere in urbe Segor voluit. Cæterum ubi respiciens vidit igneam pluviam & incendium depopulans vicinas civitates, mutato consilio ex Segor profugit in montem, quem prius frustra suaserat Angelus. Gen. 19. Audiunt multi Dei vocationem & Angeli inspirationes bonas, ut relicto mundo, societate prava, officio periculoso, salvent animam suam in monte religionis, aliove securiore statu, sed frustra. Tribulatio tandem cogit. Videmus passim bruta animantia ab hominibus edoceri, ut per omnia eis obediant & variè ludere discant, uti simias, quandoque etiam feroces bestias, ursos, tigrides, leones. Et qua ratione sub jugum coguntur, libertatis tam amantia? fame & flagello. Imple ea pabulo, nihil addiscent nec tibi obedient; & si prius paruerunt, mox redibunt ad ingenium, nec curabūt tuum imperium. Pari modo calamitas reddit homines morigeros & ad virtutes addiscendas paratos. Absit magistra illa: nullum curabunt vel admittent disciplinam. Ita testatus Isaias cap. 26. *Cum feceris* (Domine) *judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet justitiam.*

V. *Cogit inire pacē & fa-* V. Pacifice inter se vixerunt, cum alii essent Judæi, alii (vel saltem unus) Samaritani. Scimus

militritatem cum humilibus & miseris.

mus Samaritanos planè exosos fuisse Judæis, ut nec mensa nec vase ullo cum eis communi uti vellent: lepra hos inter se composuit, ut deposito mutuo odio, bene inter se convenirent. *Morbi communicatio*, ait Euthymius in hunc locum, *coadunavit*. Soror Moysis Maria facile tulit juxta se Æthiopissam, Moysis uxorem, postquam ipsa lepram incurrit. Incidant in eandem foveam homo & lupus, vel lupus cum ove, aut vulpes cum ansere: videbis inter eos bellum cessare & pacem regnare. Cur? quia ambo in afflictione sunt. Pincerna Pharaonis dum in suo officio & gratia Regis esset, nihil æstimavit Josephum, velut servum vilem, uti colligitur ex eo, quod restitutus suo gradui, per integrum biennium, etiam post acceptum beneficium, ipsius oblitus sit. At ubi commisso in Regem delicto compactus est in compedes & carcerem Josephi aliorumque vinctorum, ibi (ut solent miseriarum socii confabulari) ait Josephus libro 2 Antiq. cap. 3. *familiaritatem cum Josepho contraxit, & quia prudentem existimavit, visum somnium ei exposuit, orans ut indicaret siquod subesset, præsagium, deplorans suum infortunium.* Ecce par calamitas sancit familiaritatem & quidem salutarem inter Regium & nobilissimum Officialem, & abjectum mancipium, id quod prosperitas nunquam effecisset.

VI. Trahit ad se divinũ auxilium.

VI. Denique Christum Dominum suo clamore statim permoverunt, ut medelã eis afferret. Mox enim audiunt: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, q. d. salva res est, jam sanavi, pergite tantum ad lepræ Judices. Neque dubitandum Christum ex destinato obviasse his leprosis, ut eorum miseriæ misericordiam impenderet, adeoque ipsum potius occurrisse leprosis, quam leprosos Christo. Est enim inter hominis justi miseriam & Dei misericordiam quædam sympathia, qualis inter magnetem & ferrum: qua sicut magnes ferrum, ita miseria & afflictio trahit ad se Dei misericordiam, teste S. Chrysostomo, qui in ea verba Psalmi 9. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, scribit. *Opportunitatem hic dicit afflictionem. Qua de re? quod sit mater studii sapientiæ & maximè divinum attrahat auxilium.* Et mox: *Tunc autem maximè sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus.* Sanè leprosorum, tametsi ab hominum consortio separati sunt, Deus curam gerit, ut habeant unde vivant. Senex quidam in Vitis PP. ad 60 annos leprosus, cum ei pro sustentatione offerretur pecunia, respuit eam dicens: *Tu post 60. annos venis auferre nutritorem meum? totidem enim annis Deus me sustentavit.* Referunt ipsi leprosi minùs se cruciari lepra, si ex pane non proprio, sed mendicato vivant. Mendicatus autem panis ex sententia S. Francisci, est *panis Dei.* Quare uti leprosi Dei nutritorem habent: ita afflicti omnes ad Deum recurrentes, ipsum habent auxiliatorem. Vult Deus ut leprosi stipem mendicando quærant: vult etiam ut afflicti opem ab ipso postulent. *Ego feci & ego feram*, ait Isa. 46. Ego feci ut essent leprosi & miseri; ego eisdem opem feram, & supportabo illos gratia mea.

Verum si Deum ad se trahere volunt, adamantem non admittant, cordis scilicet duritiem. Nam qui adamantis instar flagellis non cedunt, sed incudis ad modum potius indurantur uti Pharao, Dei iram ad se trahunt, juxta id Zach. 7. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, &c. & facta est indignatio magna in Domino exercituum.*

THEMA V.

Gloria Deo danda gratitudine, peccati confessione, veritatis enunciatione, sui abjectione.

I. Datur gloria Deo gratitudine.
II. Peccatorum confessione.
III. Veritatis contestatione.
IV. Sui abjectione & demissione.

Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo. Luc. 17.

MAgno utique mysterio requisivit olim Deus censum à Judæis per singula eorum capita, quoties urgente causa numerandus erat populus, dimidium sicli, qui valebat nostros 20. cruciferos. Exod. 30. *Dabunt singuli pretium, inquit, pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recensiti.* Cur vero suas plagas redimere debebant censu pecuniario? Ad quid pecunia DEO. Nimirum illi populo, omnia in figuris cõtingebant, quæ nos Christiani impleremus in spiritu & veritate. Census igitur ille secundum D. Cyrillum aliud non denotabat nisi Dei cultum, seu gloriam & honorem, Deo per omnia debitum; quem omnes & singuli Creatori suo persolvere & possunt & debent, sive pauperes, sive divites. Hunc censum requisivit Dominus in hod. Evangelio à decem leprosis, nec dedit nisi unus, subtraxere cæteri, jure sanè merito propterea notati: *Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Nos igitur Audit. ne & ipsi hanc censuram incurramus aut pejores alias plagas, demus operam ut hunc cẽsum Deo exactissimè persolvamus. Qua vero ratione dari gloria Deo possit & debeat, docebunt nos SS. litteræ uti nunc audiemus.

I. Datur gloria Deo gratitudine.

I. Gratitudine, uti audimus à Christo Domino in hod. Evangelio. Dant enim Deo gloriam, qui agnoscunt se bona sua habere à Deo adeoque cum gratiarum actione eidem accepta ferunt, quod Samaritanus quidem fecit, reliqui novem non fecerunt. Unum hoc a nobis exigit tributum Deus pro omnibus donis suis, ut gloriam ei demus,

gra-

gratias agendo; quod adeo justum & æquum est, ut non modo Gentiles & alienigenæ, qualis erat hic Samaritanus, sed etiam bestiæ faciendum esse agnoscant, & verè etiam faciant. Justissima sane fuit illa Dei petitio, qua exegit fructus annuos à vineæ suæ cultoribus, missis ad hoc primò servis, deinde proprio filio suo. Matthæi vigesimo primo. At verò quid ingrati illi responderunt cuculi? *Hic est hæres*, inquiunt, *venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Quod verbum adeo turpe & detestandum erat, ut ipsimet improbi & ingrati Scribæ & Pharisæi (qui ea parabola notabantur) sententiam in agricolas illos adeoque in seipsos tulerint: *Malos malè perdet* (Dominus vineæ) *& vineam suam locabit aliis agricolis.* Merentur ergo ingrati, qui gratiarum actionem velut censum seu tributum domino suo subtrahunt, privari bonis & beneficiis acceptis: quod si insuper pro bono malum reddant, malè etiam perire. Quis verò nescit aut negare ausit mundum hunc totum & quæ in eo sunt, propter nos homines esse creata? & quo graviore sub onere, quam ut reddamus Deo nostro debitum gratitudinis tributum? ut laudemus benefactorem? Certè parentem nostrum Adam jure merito ejectum fuisse e paradiso, quod tot tantisque Dei beneficiis nihil retulisse gratitudinis legatur, censet Rupertus libro secundo, capite trigesimo nono. Creatus enim a Deo erat ad imaginem ipsius & Imperator mundi constitutus, nec tamen in gratiarum actionem prorumpere auditur. Positus est in paradisum, locum deliciarum plenissimum; & adhuc mutus est. Datur ei adjutorium simile ei, necdum laudes Deo canit. *Qui ergo gratiam Dei non agnovit*, ait Rupertus, *non mirum, quod ad hoc pertinet, ut & peccaret & peccatum suum non agnosceret quia res victrix est; eodem quippe intuitu & suum malefactum & divinum erga se cognoscit homo beneficium.*

Jam verò si exterminari ex hoc mundo digni sunt, qui Deo censum gratitudinis non reddunt, quid merebuntur illi, qui præterea, ut Judæi illi, injurias pro beneficiis rependunt? Malos malè perdet dixerunt in seipsos Judæi, quod & experti sunt, quando a Tito excisi a patria per orbem postea dispersi sunt, quia Dei filium, ad se pro exigendis frugibus missum, ejecerunt extra vineam & crucifixerunt. Viderint ergo qui Deo pro acceptis beneficiis mala rependunt, & creaturis sibi ad hilaritatem & salutem impensis impiè abutuntur ad injuriam Creatoris. Julianus Imperator Apostata, ut Joannes Bodinus refert, habuit in insignibus suis suæ perversitati symbolum non absimile, aquilam, quæ sagittis, de suismet pennis concinnatis, configeretur; indicaturus commune esse Imperatoribus, ut ab iis everterentur, quos ad nimios honores evexissent. Quam verè seipsum tetigit, qui Dei beneficio ad imperium evectus, postea a fide deficiens Deum impugnare, ipsismet Christianorum libris, quibus prius ad fidem informatus erat, cœpit! Utinam vero non plures etiam Christiani hunc Apostatam sequerentur! quod tamen faciunt illi, qui ea, quam ad benedicendum acceperunt a Deo, lingua Deum blasphemant, & quidem per salutaria, sibi ad salutem parata, sacramenta & Christi vulnera. Faciunt, qui vino & similibus creaturis ad reficiendum & exhilarandum animum datis, abutuntur ad belluinam ingurgitationem & ebrietatem. Faciunt alii plurimi, qui dona & talenta sibi à Deo credita convertunt in spicula, quibus in Deum pugnent. Ex unius ingrati hujusmodi supplicio aliorum pœnas colligamus, aliquando subeundas. Joas Rex Jerusalem ipsis in cunis servatus a cæde & tyrannide Athaliæ, clamque enutritus, postea à Jojada Pontifice adhuc puerulus in regiam sedem evectus, ad extremum pro mercede, filium Jojadæ, Zachariam, quod contra Idolorum cultum prædicasset, lapidibus peti atque interfici jussit. *Et non est recordatus Ioas Rex misericordiæ, quam fecerat pater illius secum, sed interfecit filium ejus*, secundo Paralipomenon vigesimo quarto. De quo tam immani Regis omnium ingratissimi parricidio ita scribit Genebrardus in Chronico, libro primo, anno 3327. *Zacharias filius Iojadæ in ipso templo occisus est. Hujus sanguis usque ad adventum Nabuchodonosoris instar ollæ bullientis, quasi ultionem deposcens, ferbuisse traditur. Nec id impunè tulit Rex, nam & ipse occisus est à duobus servis. Ex quo autem Ioas Zachariam occidit, cessarunt Dei in templo polluto responsa & oracula ex Debir, secretiore parte templi, in qua erat propitiatorium, & ex Ephod, ornamento Pontificio, ut scribit Divus Epiphanius.* Ità Genebrardus. Neque hæc Dei ultio diutius, quam ad finem anni dilata fuit, ut citato Paralipomeni loco habetur. Servi autem, a quibus occisus est, erant, ut Lyranus asserit, duo, unus Ammonita, alter Moabita, amico eximiis beneficiis à Rege prius condecorati, ut ita ingratus herus ab ingratis necaretur servis. Sed illud maximè notandum, quod sanguis Prophetæ ebulliens videtur evocasse Regem Nabuchodonosorem, ad puniendum scelus ingratitudinis in regnum ipsius. Ebullit adhuc sanguis Christi & vindictam petit contra ingratos Christianos, qui ipsius sacratissima passione, & sanctissimis sacramentis ingratissimi abutuntur, & fervebit usque ad judicii diem.

II. Peccatorum confessione; quemadmodum dixit Josue, quando Achan furti reum, ad fatendum culpam adhortatus est. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* Josue septimo. Quia nimirum Deus uti peccantium culpis offenditur, ita pœnitentium confessionibus glorificatur. Primo quia sic profitemur nobis adscribenda esse peccata nostra, non Deo uti blasphemi quidem hæretici docent. Dicimus itaque in confessione. *Mea culpa*, non tua Domine: *mihi confusio, tibi autem honor & gloria.* Ita Daniel c. 9 confitetur; *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei*, h. e. juste nos punis, & merito nos *II. Peccatorũ confessione 1.*

nos erubescimus ob peccata nostra. Hoc pacto reddendam Deo gloriam censuêre Philisthæi, quando in expiationem irreverentiæ suæ, in Arcam Dei cõmissæ, obtulerunt ei anos muresq; aureos, & quidem ex consilio suorum sacerdotũ dicentium: *Facietis similitudinem anorum vestrorum & similitudines murium; & dabitis Deo Israel gloriam*, 1 Reg. 6. Eo enim dono fatebantur suum delictum, Dei verò justitiam & potentiam. Immundæ bestiolæ, ut vermes, ranæ, serpentes, mures; dum spirant & vivunt, odiosæ sunt & nauseam movent; at ex auro conflatæ & gemmis distinctæ in deliciis habentur: ita peccata dum patrantur & adhuc in anima vivunt abominatio sunt Deo: eadem verò mactata & accusata in confessione deliciæ ei fiunt.

2. 2 Quia sic testamur Christi, Medici nostri, potentiam, sapientiam bonitatem & misericordiam; ut qui omnia nostra vulnera, quotcunq; & qualiacunque sint, sanare possit & paratus sit. Ita enim S. Augustin. in Ps. 94. *Quare maximè pertinet ad laudem Dei, quoniam confiteris peccata tua? Quia tanto amplius laudatur Medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua: tanto enim major est laus ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis.* Dum Martha fratris defuncti putredinem & fœtorem exposuit, hoc ipso Christi potentiam extulit; siquidem etiam quatriduanum & jam fætentem se excitaturum promisit & excitavit. Ita quò magis in confessione accusamus iniquitatem nostram, eò magis prædicamus nostri Medici bonitatem, ostendimus *Dei misericordiam superexaltare judicium*, & superare ejus justitiam; quia confitendo ad misericordiam eum inflectimus, tametsi ejus justitia delictis infensa vindictã exposcat.

3. 3 Quia in confessione pro Dei amore nobis ipsis irascimur, plecq; nos affligimus confitendo errata nostra, hostesq; Dei teterrimos; peccata, inquam, quasi captivos factos ad Dei pedes adducimus, prosternimus, accusamus & traducimus. Fidelis utique servus & amans domini sui est, qui non dubitat prodere & traducere hostes ejus, ut occidantur & pereant. Ita Mardochæus, quanti æstimaret honorem Regis sui Assueri, satis superq; ostendit, dum ei prodidit insidiatores vitæ ejus, Eunuchos duos. Esther, 6. Atqui hoc pœnitens agit, dum peccata sua prodit in confessione adeoq; etiam punit, confundit & traducit Dei amore, quem offenderunt, & quantum in se erat, delere voluerunt. Profectò illustrius in Deũ fidei & amoris signum est, si ego mea delicta, meas proditiones & insidias, meipsum proditorem patefaciam, quam si aliena deferam; quia longè difficilius est seipsum confundere & punire, quam alium. Id verò ago in confessione. Unde S. Ambrosius in Ps. 118 ser. 4. ait: *Qui sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse, quod fecit: in Diabolo prodidisse quod suasit, &c.* Sic ergo pœnitens honorem Deo ablatum per peccatum, restituit per confessionem, quo modo Judas restituit honorem (bona saltẽ ex parte) Christo, cum 30. argenteos retulit confitendo suum delictum & Christi innocentiam; quoad hoc bene inchoans pœnitentiam, sed in desperatione malè finiens.

4. Quia imaginem Dei vitiis emortuam revocat ad vitam; omniq; cœno deterso reddit nitidã Deoque gratam. Unde S. Gregorius Nazianz. ad Vital. *Peccati vel sola confessio*, inquit, *hominibus sæpè saluti fuit, acerbissimisq; lachrymis graves noxas abluit, animamq; vitio tetram obscœnamq; purgavit.* Quis autem neget ad gloriam Imperatoris cedere, siquis ejus statuam in foro stantem & luto vel vetustate fœdatam expurget & pristino nitori restituat? Eãdem Dei imaginem subtrahit confessio incendio gehennæ: quomodo igitur non Deum honorificat? Certè Metellus ille Pontifex Rom. quia Palladium seu Palladis simulachrum antiquissimum conflagrante templo Vestæ subtraxit ab incendio, maximum inde consecutus est decus & honorem, ita ut solus curru vehi in Capitolium posset, quod honori Pallidis suo periculo consuluisset & damno, visu nimirum amisso, teste Plinio l. 7. c. 44. Cur non etiam censeatur Deum magno honore afficere, qui ejus imaginem, seipsum eripit à gehenna, dum se accusat in cõfessione! Unde Pacianus in paræn. ad pœnit. *Gehennam*, inquit, *recordemini, quam vobis confessio extinguit.*

II. Veritatis contestatione.

III. Veritatis contestatione. Hoc sensu Pharisæi dum examinarent cæcum natum, à Christo illuminatum, & compellerent ad rei veritatem enunciandam, dixerunt ei: *Da gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Joa. 9. h. e. veritatem edicito, à quonam sanatus sis. Ergo qui veritati reddit testimonium, præsertim cùm ea per violentiam impugnatur & opprimitur, Deum honorificat. 1. quia talis Dei præsentis reverentia ductus, indignum reputat coram ipso, qui est ipsa veritas & cognitor omnium cordium, mentiri aut veritatem supprimere. Unde Glossa eo loco ait: *Dare gloriam Deo est veritatem de aliquo quasi Deo præsente dicere.* Qui enim mentiri audet, non videtur agnoscere Deum cordium cognitorem; intima omnia penetrantem & pervidentem; uti econtrà qui mẽtiri metuit, Dei oculum corda inspicientem revereri dignoscitur. Hanc utiq; ob causam Ananias & Sapphira morte subita, & forsan (uti S. August. ser. 27. de verb. Apostoli, & S. Basil. ser. 1. de Instit. Monach putant) etiã æterna plexi sunt, quia à S. Petro interrogati, mentiri Deo, cordium scilicet inspectori ausi sunt, quasi nimirũ Deus de ipsorum impostura nihil omninò sciret. Actor. 5. Unde Ecclesiast. 15. dicitur: *Viri mendaces non erunt ejus* (sapientiæ increatæ omnia cognoscentis) *memores*, quia de illo non cogitant; ait Lyranus.

2. 2. Quia Deus amator est veritatis, imò ipsa veritas; qui ergo veritatem propugnat & mendacium odit ac impugnat, Dei militem se ostendit pro gloria Domini sui strenuè certantem. *Non amat falsũ auctor veritatis*; inquit Tertullianus l. de spectac. c. 23. *adulterinum est apud illum omne, quod fingitur.* Propterea Eleazarus ille etiam fingere cibi à lege vetiti

comestionem noluit: *Nam, inquit, etsi præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* 2. Mach. 6. Ob eandem causam Jonas nautis interrogantibus quid fecisset, quod ipsius causa tam sæva tempestas orta esset, dixit eis omnem veritatem & confessus est peccatum suum; ut habetur Jon. 1. v. 10. Sed quã ob causam homo Hebræus & Propheta confitetur nautis barbaris & Gentilibus suam culpam? Audiatur ipse Jonas ad eos loquens: *Hebræus ego sum & Dominum Deum cœli ego timeo: qui fecit mare & aridam*; atque ideo, ut sequitur, veritatem premere non est ausus, sed liberè enunciare coactus est, quia servus Dei, qui ipsa veritas, & veritatis amator erat. Congruit nomen parentis ejus, *Amathi*, h.e. *veritas*; quia Jonas uti *filius veritatis*; ita ob timorẽ Dei, amator quoq; erat. Talem igitur qui se esse ostendit utiq; Deum glorificat, velut fontem veritatis & hostem mendacii.

3. Quia veritas est secundùm naturam, mendaciũ contra naturam. Qui autem secundum naturæ auctorem honorificat & collaudat: qui verò contra naturam agit; Dei ordinationi resistit & opus ejus invertere conantur. Aves dum cantant, canes dum latrant, boves dum mugiunt, homines dum humana voce loquuntur, Dei opus & sapientiã celebrant: quòd si aves latrarent aut obmutescerent, homines latrare conarentur vel mugire, canes aut boves loqui vel cantare, naturæ ordinem & pulchritudinem vitiarent adeoq; etiam auctorem ejus arguerent. Jã, ut vel ipse agnovit & docuit Aristot. 4. Eth. c. 7. veritas naturæ humanæ per se congruit, mendacium verò non magis quam latrare, mugire, mordere, quod brutis solum convenit. Hinc est quod veritatem loqui; nullius fere laboris sit, permagni verò mentiri; quia illud secundum naturam, hoc contra naturam humanam est. Sunt artes, quæ ob difficultatem requirunt multum temporis, donec addiscantur. aliæ faciliores, quasi à natura ipsa edoctæ, nullo negotio discuntur. Hujus generis est veritas, ad quã eloquendam natura ipsa comparati & quodammodò nati sumus: illius verò mendacium, quod cum naturæ adversetur & lucem fugiat, colorari fuco veritatis debet, multoq; tempore eget. Veritas merces suas, sicut in se sunt, depromit venditq; synceras & veras. Mendacium quia falsas & inutiles vendit, fingere eas ad speciem veritatis & fucare vel occultare debet, ne falsitas deprehendatur. Hinc Jer. 9. v. 5. de mendacibus dicitur: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium*, Quod explicans D. Gregorius 12. mor: c. 21. *Alius*, inquit, *relicta veritate mentiri deliberat, ut audientem animum fallat. Sed quantus labor est, solicitè custodire, ne ipsa ejus falacia deprehedi queat? Ponit quippe ante oculos, quid à veritatem scientibus responderi possit; & cum magno cogitatu pertractat quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exuperet. Hinc inde se circumtegit & contra hot ubi deprehendi potuerit, veritati similem responsionem quærit, qui si velit verum dicere, utique sine labore potuisset. Plana quippe veritatis via, & grave est iter mendacii. Unde & per Prophetam dicitur: Docuerunt linguam suam loqui mendacium.* Sic Gregorius.

IV. Sui abjectione & demissione, qua omnia nostra Deo, non nobis adscribimus. In hunc sensum Jeremias prædicat Judæis c. 13. v. 15 & 16. *Audite & auribus percipite. Nolite elevari: quia Dominus locutus est. Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, &c*, h.e. vestram infirmitatem & debilitatem agnoscite & in me solo auxilium adversus Chaldæos ponite & quærite. Qui ergo fatetur se absque Deo nihil esse, nihil posse: cum Deo omnia esse & posse; quia sua bona omnia Deo adscribit, is dat gloriam Deo, Hoc præscribens Ecclesiast. c. 3. v. 20. & 21. ait: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Superbi sua bona sibi, humiles sua Deo accepta referunt: unde illi gloriam Deo rapiunt, isti adferunt. Bene Lactantius l. 6. Instit. c. ult. ait: *Summus colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, humilitate opus est.* Hujusmodi cultus exemplum & normam præbuêre inprimis 24. illi seniores; qui *procedebant ante sedentem in throno & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc 4. hoc subjectionis ritu omnia sua bona Deo adscribentes. Præclarius adhuc exhibuit B. Virgo quando cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Unde verò glorificat Deum? sua humilitate omnes suas gratias ipsi adscribendo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.*

IV. Sui abjectione & demissione.

Simili modo Deo, non sibi gloriam dedêre illi, qui ob eximias virtutes suas electi ad summas dignitates, non nisi profundissimâ humilitate eas adierunt, uti S. Leo Pp. IX. qui electus ad summum Pontificatum sumpto habitu peregrini è Germania Romam pedes ivit, per ipsam verò Romam nudis omninò pedibus ad sedem suam intravit, S. Petrus Cælestinus ad eandem electus dignitatem, humili asello vectus Romam perrexit. S. Otto Bambergensis & S. Norbertus Magdeburgensis, Episcopi, uterque simili ritu ad occupandas suas sedes abeuntes, ubi primò cõspexerunt eas de procul; detractis sibi calceis nudipedes urbem & ædes suas ingressi sunt. Quid hi aliud sibi voluêre, nisi quod 24. illi seniores jactare scilicet coronas suas ad pedes Christi Domini? Quid aliud nisi dicere. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam?*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Volatilia cæli quam variè ferviant homini, mirâ Dei providentia.*
II. *Providentia Dei elucet in corvis.*
III. *Homo qualis sit lilia ostendunt.*
IV. *Lilia seu flores Deum nobis monstrant.*
V. *Servitus divitiarum quam misera.*

THEMA I.

Volatilia cæli quam variè serviant homini mirâ Dei providentia.

I. *Volatilia alunt nos.*
II. *Vestiunt & ornant nos, fovent, & calefaciunt.*
III. *Defendunt, monent, dirigunt.*
IV. *Recreant & oblectant nos,*
V. *Docent nos & instruunt.*
VI. *Castigant malè agentes.*

Respicite volatilia cæli. Matth. 6.

Creaturæ considerandæ velut ministri nostri.

NOn eodem modo & oculo aspexit Raphaëlem tam senior quam junior Tobias, quando illum primò ad se evocarunt in itineris ducem; & quando eum secundo ex itinere reducem viderunt. In priore enim congressu contemplati eum sunt, velut mercenarium, ex magno tamen genere natum: in posteriore verò intellexerunt esse Angelum, à Deo sibi missum ad suum ministerium; unde & in terram prostrati atque in stuporem rapti, Deum laudaverunt, pro tam singulari beneficio. Videmur nos eodem modo aspicere creaturas quo modo Raphaelem uterque, Tobias; consideramus enim illas velut Dei opera, magnifica & miranda, tanto opifice digna; sed hoc nequaquam sufficit; considerandæ enim sunt velut servi quidam Dei, in ministerium nostrum missi, à quibus grandia bona quotidie accipimus, quasi ab ipsius manu & beneficentia. Quod si à nobis fieret, utique in faciem & ipsi caderemus, Deumque in creaturis suis & agnosceremus & toto corde laudaremus. Hoc est, quod insinuat in hodierno Evangelio Dominus, cum nos cœli volucres contemplari jubet: *respicite volatilia cœli*, hoc est, iterum aspicite & melius considerate quasi angelos quosdam è cælo vobis missos, & videte quanta vobis bona per ea Deus conferat; id quod hic faciemus.

I. Volatilia alunt nos.

I. Alunt nos carnibus, pullis & quædam etiam ovis suis; & cibo quidem sapido, delicato, grato, salubri, vario & variis anni temporibus subministrato. Magnum certè fuit beneficium Hebræis à Deo impensum, cum innumerabilem coturnicum copiam in eorum castra immisit, bis intra 40. annos Exodi 16. primo egressionis anno; & Numerorum 11. anno secundo. At has & plures alias aves singulis annis ad nos mittit, & quidem ex remotissimis terris adducit: ita ut penè singulis mensibus alias & alias submittat, ne fastidium pariant, sed appetitum potius excitent, nunc coturnices, nunc fringillas, nunc parices & alaudas, nunc ficedulas, nunc merulas & turdos, nunc perdices & attagines, præter eas quæ in domibus cicures aluntur & toto anno haberi possunt, uti sunt gallinæ, anseres, anates, columbæ: & quæ montes & sylvas stabili mansione incolunt, urogalli, montani galli, perdices, phasides, &c. quæ deliciæ sunt nobilium: & alicubi in tanta copia, ut penè in nauseam vertantur, uti perdices in Bohemia, Polonia & aliis locis. Ac licet his capiendis labor ac industria requiratur, ea ipsa tamen hominibus & jucunda simul & utilis est. Quibusdam etiam in locis, ubi victus est penuria, Deus providit sylvestres quasdam aves adeò stolidas, ut capi se ultrò permittant, nec ulli se periculo prolis tuendæ causa exponant. Hujusmodi compertæ sunt ab Americo Vespuccio in Insula quadam Australi ultra Æquinoctialem Africæ, quæ tanta copia navigium oppleverant, ut manibus se comprehendi nullo negotio permiserint, apud Majol. tom. 1. canic. coll. 6. Ludovicus quoque Barthema de reb. Æthiop. c. 3. scribit in promontorio bonæ spei aves, quantæ anates sunt, adeo simplici à natura ingenio esse, ut accedentes homines fixo obtutu aspiciant, seque capi permittant, quin & captæ sibi gratulentur. Simillimas in nova Cemblâ deprehenderunt & ad victum suum conquisiverunt, qui superiore sæculo è Flandria ad mare glaciale enavigarunt; qui & eò loci è solis ferè eorum ovis, quæ incubantes interim aves non difficilè auferri sibi patiebantur, vitam tolerabant. Præter hæc ipsæ jam captæ venantur nobis aves alias, & vel robore sternunt, vel cantu in retia alliciunt. Verum incredibile quiddam & monstro simile, ait Aristoteles l. de admirandis capit. 113. dicunt iis, qui non viderunt antea in ea parte Thraciæ, quæ est supra Amphipolim: nam ubi pueri

ex plagis locisque proximis exeunt ad aucupium, accipitres etiam sumere ad aucupandum ajunt hoc pacto; ubi in oportunum locum pervenerint magna voce exclamantes vocant accipitres nomine, qui ubi puerorum vocem perceperunt, ad frutices accedentes obstrepunt, ubi pueri baculis percutientes aves deprehendunt. Illud verò quod omnibus est admirabile, cum ipsi accipitres aliquam aviculam ceperint, aucupantibus dejiciunt: ac pueri ex universa præda partem accipitri aliquam exponentes discedunt. Eadem habet Plinius l. 10. cap. 8. Ælian. lib. 2. animal. cap. 42. Quam multi etiam homines aucupio se sustentant! Quot sunt qui beneficio calami ab avibus accepti, non tantum sese alunt, sed etiam ad honores assurgunt! Quis ergò hîc non videt Dei munificentiam & paternam providentiam erga mortales omnes, tam malos quam bonos? Nam si de servis Dei loquamur, providit eis sæpe avium ministerio cibos per miraculum; uti Eliæ panem & carnes, Paulo & Antonio panem per corvos, Sancto Cuthberto Episcopo piscem per aquilam: qui proinde ad socium ajebat: *Disce filiole Dei fidem semper, & spem habere in Domino: quia nunquam fame periit, qui Deo fideliter servit.* apud Ven. Bedam. Denique multi ægroti, cum jam aliud nihil sumere possunt, aviculam desiderant, & sæpè eo cibi genere vires resumunt, uti contigit S. Anselmo & Petro Canisio, mira Dei providentia, quemadmodum alibi recensuimus.

II. *Vestiunt & ornant nos, fovent & calefaciũt.* II. Vestiunt & ornant corpora humana, fovent & calefaciunt. Cernimus enim passim militum & nobilium galeros struthionũ plumis exornatos: Principum verò aliis majoris pretii, uti ardearum selectis quibusdam, aliarumque peregrinarum avium rarioribus & decore præstantibus. Nobiles matronæ è struthionum plumis flabella sibi parant, quibus aërem temperent æstivis in caloribus. Legimus passim Indos, Brasilios & similes barbaras nationes è variarum avium pennis varii coloris speciosissimis subligacula & coronas sibi contexere, iisque velut vestitu honoratissimo gaudere ac triumphare. Diximus etiam alibi Principem Germanum è capitellis carduelium integrum pelliceum gestasse suffultum. Pelle & plumis cygnorum pectoralibus multi utuntur ad fovendum calore stomachum. Plurimi plumis avium replent suas culcitras & pulvinaria, ut commodius sedeant. Plerique omnes denique nonne in plumis anserum sese calefaciunt & somnum capessunt, magno fragilis naturæ humanæ commodo & beneficio in frigidis præsertim regionibus? Parva, dicet aliquis, & vulgaria sunt ista. Verùm quæro ego: quis facilè lectum suum plumaceum commutaret cum stramineo, tametsi multum auri adderetur? imò quibus nobilium adolescentum aut puellarum persuaderi potest, ut plumas & cristas capiti suo detrahant & valere jubeât? Auro non commutabunt, scio. Et unde illis, rogo, tam gratus hic ornatus? nonnè ab avibus? Et quando pro eo gratias aliquando egerunt Deo?

III. Defendunt nos, monent & dirigunt multipliciter. 1. enim aliæ devorant muscas, ne nimium multiplicentur atque infestent homines & pecora, uti hirundines & vespertiliones aliæque: aliæ vermiculos, ut passeres & cornices: aliæ serpentes & bufones, ranas similiaq; insecta, uti ciconiæ, ibides & pavones: aliæ cadavera brutorum ne auram inficiant, uti corvi, picæ & hujusmodi: aliæ minores aviculas, ne nimium multiplicentur, ut aquilæ & accipitres: aliæ mures agrestes, uti milvi. Serpentum in Ægypto maxima est copia, quare Deus providit ei ibides, ciconias majores, quę eos depabulentur. In Thessalia etiam tanta serpentum abundantia est, ut nisi à ciconiis (quæ illic plurimæ & sacræ sunt ob beneficium) perimerentur, indigenas migrare oporteret. Plinius l. 10. c. 23. Aves dictæ Seleucides ad montem Casium nunquam conspiciuntur incolis, nisi cum illarum præsidio est opus adversus locustas vastantes fruges; nec unde veniant, quove abeant, cognitum. Caussin. libro 6. Symb. capite 31. De iisdem sanctus Basilius homilia octava hexam. *Quonam pacto,* inquit, *tibi militias exercitusque locustæ terribiles enarravero, quæ velut agmine facto, sub una tessera in sublime universa simul elata, castris toto latè positis agro, non antea sanè fructus depascitur, quam ipsi sit à Deo concessum atque mandatum, ut seleucis avis eam insequatur, remedium cladis, edendi sine fine vorandique facultatem obtinens, insatiabilem à Creatore naturam sortitus, quo tanta divino beneficio pernicies è medio perbrevi tempore tolli possit?* *III. Defend. monent. dirigunt. 1.*

2. Aliæ nobis vigilant, uti anseres, qui minimos quosque strepitus adversantium & observant & clamoribus produnt, deinde galli gallinacei, qui horarum fluxus & diuturnæ noctis vigilias spatiaque cantu annunciant paganis, quia ferè horologiis carent. In Norvegiâ horologii aves vicem implent, cum totis tribus mensibus Sol non videatur, neque crepuscula aut dilucula agnosci possint; cornices enim conticescunt interdiu, deinde canentes consuetos Solis occasus indicant: atque ita incolæ horas eundi cibitum intelligunt. Quirinus in naufragio, apud Majol. tomo 1. canic. coll. 6. Aliæ complures de imminentibus pluviis & tempestatibus nos monent. Rursum sunt, quæ de periculo nos monent, uti hirundines, quæ cum domo migrant brevi ruituram nunciant, teste Solino Polyhist. capite decimo quinto. passeres cum à regione migrant, pestem imminentem una cum ipsis fugiendam, vulgò indicare feruntur; quod etiam de vulturibus asserit Laurentius Jubertus l. de peste, c. 5. Ubi illi hærent, pestis abest. 2.

3 Aliæ magnetis loco navigantibus sunt, teste Plinio l. 6. c. 22 *In mari Taprobanæ,* inquit, *siderum in navigando nulla observatio, septentrio non cernitur; sed volucres secum vehunt, emittentes sæpius meatumque earum terras petentium comitantur. Nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit. Legatis etiam ex Insula advectis.* Quid de miraculo- 3.

fis dicam obsequiis? S. Medardum puerum in agro aquila contra copiosum imbrem defendit, alas supra ipsum pendula expandens, ut in ejus vita apud Sur. Aliæ quatuor aquilæ corpus S. Stanislai à laniatu ferarum custodierunt: corvus S. Vincentii corpus ut in eorum actis.

IV. *Recreant & oblectāt nos.* IV. Recreant & oblectant nos adeoque à quamplurimis tristitiam & melancholiam pellunt. 1. cantu suo naturali, vario & mirifico, quem exhibent partim in sylvis gratis, partim in caveis inclusæ, pro

1. pabulo sibi exhibito. Quid autem cantu jucundius? Inter vocum tot centenas species, singulæ diversas habent, ut ex voce sola quamprimum agnoscantur. *Aliæ vocibus tantum strepunt*, ait S. Ambrosius l. 5. Hexam. c. 14. *aliæ canoro delectant suavique modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex institutione diversarum vocum obloquuntur discrimine, ut hominem putes locutum, cum locuta sit avis. Quam dulcis merularum, quam expressa vox psittaci est?* Videmus passim in ædibus magnatum psittacos & similes aves loquaces ad eorum oblectationem, magno pretio emptas. Legatus Regis Catholici Genuæ psittacum habuit, qui Litanias B. V. ad amussim decantaret, uti refert noster Bisciola tom. 2. Horar. subsec. libro 15. cap. 2. Ascanius Cardinalis Romæ alium, qui symbolum Apostolicum sine errore recitaret, apud Cæl. lib. 3. antiq. lect. cap. 32. Memini me vidisse & audisse alium in ædibus unius Ducis Bavariæ, qui Antiphonam Salve Regina caneret, sicut à pueris audierat, qui pani emendicādo in plateis id cantabat. Quid non corvi, picæ, graculi, sturni & similes effari didicerunt? quas nugas, risus, cachinnos, ludos non edere maximo Principum aliorumque oblectamento? Denique pennas suas ad chordas citharæ & musicorum instrumentorum pulsandas in plectra dant, ut homines lætificent.

2. 2. Pennarum varietate & pulchritudine. Quis enim nescit multa pecunia vendi peregrinas aves solummodò ad spectaculum? Hinc in aulis Principum videre est corvos Indicos, anates Turcicas, grues, picas Brasilicas ingenti & ferrato rostro armatas, struthiones altissimos, aquilas nigras & albas, phasides, pavos, gallos Indicos, onocrotalos & hujusmodi, quorum aspectu & ipsi se & hospites suos recreant, nec non divitias & majestatem suam ostentant.

3. 3. Variis suis obsequiis, ad quæ vel edoctæ sunt, vel ipsæ sensim cicures factæ assueverunt. Videmus acanthides manibus puerorum tractari, carducles sibimet cibum & potum in situlis utrinque pendulis quasi è puteo haurire, imò & situlas jam exhaustas iterum aquæ immergere, & impletas trahere, uti vidisse se refert Lud. Granatensis Introd. in symbol. lib. 1. c. 14. & passim videre est. Quanta Principum oblectatio est in aucupio avium prædacium! quanta aliorum in coturnicum, alaudarum, anatum turdorum, paricum & similium! Præter hæc viris sanctis mira sæpe obsequia supra naturam exhibebant, uti falco, qui sanctum Franciscum manè stato tempore ad preces excitabat, canens ad fenistram ejus; & si sanctus infirmaretur tardius solito clamans ut infirmo parceret, in ejus vita S. Bonaventura. Cygnus S. Hugoni Lincolniensi Episcopo ex ordine Carthusianorum quæ non amoris officia præstitit? Is enim ut refert auctor vitæ apud Surium 17. Nov. *familiarem se nulli exhibebat, nisi soli Episcopo, de cujus manu, cum primum venisset illuc, statim micas accepit. Caput etiam cum collo longo in ejus manicam satis amplam, quasi in aquam immersit: die noctuque apud eum mansit, diligenter eum custodiens & defendens. Cum autem Episcopus abscederet, mox avis regia in stagnum recurrit. Adventum etiam viri S. triduo aut quatriduo ante prænuntiare consuevit, volando, clamitando, cæterisque gestibus insolitis; adeò ut famuli sibi invicem dicerent: Præparemus singula: Episcopus mox aderit. Ultimo tamen adventu ejus ante mortem, solito more non occurrit: imo per ministros vix potuit adduci. Et cum educta fuisset, nullam lætitiæ aut familiaritatis exhibuit significationē: sed capite pendulo ægram se simulans, mœsta redibat. Mansit autem post obitum viri Dei in eodem castro annis multis. Nec potuit vacare mysterio, quod avis candida, imminens mortis periculum cantu nuncians, viro innocenti pio ac puro, mortisque minas nil formidanti, non absque nutu divino transmissa est. Sancti enim mortem habent in desiderio & vitam in patientia.* Ita apud Sur.

V. Docent nos & instruunt. Act. 1. in Dei Creatoris cognitione, ostendunt enim sua varietate, decore, cantûs dulcedine, industriâ, &c. Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam erga minima etiam animalcula, qui singulis ad contequendos suos fines sua media & vires præbuit, quibus cibum sibi parare, speciem suam conservare, nidos extruere, contra hostes se defendere, proles educare, morbos curare, tempora observare, & loca habitationi suæ commoda quærere atq; investigare nôssent. Quis non miretur è crocodili dentibus avem nutriri, dum hiantis os ingressa, eos scalpit & expurgat? Platalea cùm pisces amet, nec tamen capere sciat, quid agit? Insidiatur aliis avibus, quæ se in aquis mergunt piscesque extrahunt, illarum capita mordicùs ita premit, donec captum piscem ipsi dimittant. Cic. libro 2 de nat. Deor. Plinius libro 10. cap. 40. *V. Docent nos & instruunt. In Dei cognitione.*

2. Docent laudare Deum & orare quotidie; manè præsertim & vespere. Quā de re audiamus sanctum Ambrosium in ser. ad pop. tempore Quadrag. qui incipit: *Satis abundè. Nonne videmus mitissimas aves, cum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiosè agere prius quam procedant, ut Creatorem suum, quia loquela non possunt, suavitate demulceant: & quemadmodum unaquæque earum, quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium, ita ut videatur sibi devotius gratias agere, quæ dulcius personavit: hoc etiam peracto diei cursu similiter facere? Quid ergo sibi vult ista certis tempo-* 2. *In Dei laude.*

-ribus

ribus dispositâ cantilena & jugis intentio, nisi gratiarum quædam sit immoderata confessio? Pastori enim suo avis innoxia, quia sermone non potest, suavitate blanditur. Habent enim & aves pastorem suum, sicut ait Dominus, Respicite volatilia cœli, quoniam non seminant neque metunt, & pater vester, qui in cœlis est pascit illa. At quibus tandem cibis pascuntur aves? Vilissimis scilicet & terrenis. Aves ergo propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris & ingratus es? Quis igitur non erubescat sensum hominis habens sine psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aves ad gratificandum psalterii suavitate persultent, & ejus gloriam non versuum dulcedine personare, cujus laudem volucres modulatâ cantilenâ pronuntiant? Imitare ergo frater minutissimas aves, manè & vesperi Creatori gratias referendo, & si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam serie psalterii consolare. Non desunt etiam qui scribant (ut alibi diximus) qui alaudas septies in die more clericorũ, laudes die dicere ajunt.

3. *In fiducia habenda.* 3. Excitant nos ad fiduciam in Deum, uti monet Christus in hod. Evangelio; si tamen uti addit, quæramus ante omnia regnum cœlorum & faciamus Dei justitiam; quemadmodum & aves faciunt, juxta omnem Dei voluntatem; quod observat idem S. Ambrosius in Psal. *Beati immaculati* lit. 19. vers. 1. *Volatilia cœli, inquit, non serunt neque metunt, & Deus pascit illa, quia justitias Domini custodiũt nihil sibi proprium vendicando, sed ligno fructifero, quod Domini judicio communem ad escam datum est famem levare contenta. Ex his igitur nos cognoscimus quam divinæ subsidia providentiæ hominibus non deessent, si Dei justitiam servare vellemus. Qui alit aves, non aleret homines, quos ad imaginem & similitudinem sui fecit? Nonne pluris sumus illis? Naturæ prærogativâ pluris sumus, sed inferiores devotionis gratiâ, & prævaricationis injustitiâ.* Videmus inter alia summam avium temperantiam, in cibo, potu, somno, concubitu, prolium educatione, &c. ut ibid. observat Ambros. quam in hominibus rarò videmus. Aliæ in specie insignia probitatis pietatisque exempla præseferunt. Quis enim ita cupidinis Venerisque retibus irretitus est, quem non insigne illud in porphyrione adulterii odium revocet ad pudicitiam? Quæ obsecro fœmina tam impudica est, quæ visa turturis castitate, vitam eam nefariam ac belluinam non prorsus detestatur? Avis ea non nisi uni jungitur marito, conjugem nequam deserit, imò ne morte quidem à se dirempti mariti, quoad vivit, quem solitario gemitu testatur, thorũ violat. Quis erga parentes adeo durus & immanis est, qui ciconiæ, aut meropis, pellicanive pietate commutare non cogitet? Quem non moveat hirundinis, accipitrisq; in sui generis avibus sepeliendis amor? Quis adeo in suos inhumanus illiberalisque est quem ossifragæ benignitas in pullos aquilæ non faciat paulò humaniorem? Erubescant sanè illi, qui parentibus suis pietatis beneficium negant, & ad cornicis exemplar sese conferant, quæ pullos suos in juventute omni sedulitate pascit, ejusdem officii in senectute ab iis talionem receptura.

4. Docent in bono perseverantiam; quod egregio exemplo ostendit Dionysius Carthusianus in Opusc. Exhortat. ad Novitios: *Olim, inquit, in domum nostram, quæ juxta inferius Trajectum est, vir magnarum opum & qui in sæculo multa fuerat claritate conspicuus ingressus, habitum ordinemque suscepit. Verum (ut Isaias ait) qui recessit à malo, prædæ patuit, invidiâ Diaboli agitatus, qui prædam suam ad se revocare curabat, multis & magnis cœpit tentationibus fatigari. Cogitabat nempe quas divitias quasque delicias dudum habuerat, & quibus fuerat honoribus sublimatus; & hæc cogitans de vomitu pensitabat. Cumq; jam in id mentem non satis sanam impulisset, ut recederet, tali signo est ab amentia revocatus. Habebat nempe de voluntate Prioris aviculam arte canentem in cella sua, cum qua ludere solitus, suas temperabat angustias. Instante igitur die, quo abire decreverat acceptam aviculam emisit è cavea, ad quam apertis cellæ fenestris loquitur dicens: Vola (inquit) vola, & libere nunc, quo volueris, perge. Perge, inquam. Nam mox ego te consequar, eam cupiens libertatem, quã te nunc ipse donavi. Mirum dictu, avicula indomitum animal & omnis semper clausuræ impatiens, licet omnia paterent, & sub nudo aëre locaretur, divino, ut puto, instinctu colligata nusquam tentabat aufugere, nusquam voluit de cella commigrare. Ille cum sagacis esset ingenii, signum hoc Dei muneri adscribens, passus est se ab irrationabili animante doceri, intelligens multo magis illum oportere nusquam avolare, nec vana libertate potiri, nec instar uxoris Loth ad fumigantem Sodomam oculos retorquere. Mansit igitur stabilis, perseverans, pluris faciens gazis Ægyptiorum, improperium Christi.* 4. *In perseverantia.*

5. Docent post lapsum quærere medicinam, quæ est pœnitentia; siquidem ipsæ morbis suis medelas requirunt, accipeter herbam hieracium, hirundo chelidoniam, ciconia origanum, aquila ætiten, circus cichorium, milvus rahmnum, upupa adiantem, turdus myrti ramum, pavo radicem lini, ardea canchrum, palumbes, graculi, merulæ, perdices ramum lauri: columbæ & turtures helxinem herbam, anates & anseres sideriten, grues juncum palustrum, corvus occisum chamæleontem; uti recenset Aldrov. prologum. in Ornitholog. Quare Tertullianus l. de pœnit. ait: *Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? mutæ quidem animæ & irrationales medicinas sibi divinitus attributas agnoscunt.* Et mox: *Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, illam præteribit?* 5. *In pœnitentia agenda.*

Denique artes plurimas ab avibus edocti sumus:

œconomiam à pica & cuculo; in futurum sibi prospicientibus & commeatum reponentibus: politiam à gruibus & apibus, regem unum sequentibus: architectonicam ab hirundinibus: militarem à gruibus; in orbem conglobatis & contra aquilam pugnantibus: nauticam à milvis, flexu caudæ velut temone volatum dirigentibus: medicinam ab Ibibus, clystere alvum proluentibus sibiq; ita medentibus: astronomiam ab hirundinibus, turturibus, coturnicibus, ciconiis, quæ statis anni temporibus veniunt & abeunt: musicam à philomelis aliisque.

VI. *Castigant male agentes.*

VI. Castigant denique subinde prævaricantes singulari supplicio, ut intelligant, qua in re deliquerint. Proverbiorum trigesimo filios immorigeros devovet Salomon corvis. *Oculum qui subsannat patrem*, inquit, *effodiant eum corvi*. Et cur, nisi quia corvi ad extremum devorant parentes suos, filii ingrati erga parentes suos? Scimus etiam è libro Exodi, cinipphes, muscas & locustas, parva quidem volatilia, sed maximo detrimento immissa fuisse in Ægyptum, ad puniendam Pharaonis pertinaciam. S. Meinardum Eremitam apud Helvetios duo latrones occiderunt circa Caroli Magni tempora, quos Tigurũ usque corvi insecuti perpetuò infestarunt morsibus, que appetierunt, donec eo argumento proditi & cõprehensi ad rogum damnati sunt. Ut in ejus vita apud Surium vigesimo primo Januarii. Saracenus quidam cum Monachum capite truncasset à prægrandi ave in sublime abreptus, indeque in petram dejectus & confractus est; ut scribit Pet. Sanchez in regno Dei libro 8. capite 8. Vidimus alibi injustitiã cauponis, qui vinum aqua corruperat, à milvo, qui ejus à prora navis rapuit marsupium, meritò mulctatum, ex Gregorio Turon. de Glor. Confess. capite ultimo. Denique ubi Antichristus postremis temporibus in tartarum deturbatus fuerit, tunc Angelus Domini convocabit omnes aves ad devorandos Antichristianos, Apocalypsis 19. versu 17. *Venite*, dicet, *& congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium & carnes equorum & sedentium in ipsis, & carnes liberorum & servorum & pusillorum & magnorum*. Qui enim avium aliarumque creaturarum ministerio ad sua peccata abusi sunt, jure ab iisdem suis mancipiis ultionem sentient.

His ergo consideratis, alio jam oculo aspicere nos decet volatilia cœli, tamquam Dei servos scilicet, in ministerium nostrum à Creatore nostro quasi de cœlo missos, &c.

THEMA II.

Providentia Dei elucet in corvis.

I. In eorum alimonia.
II. In eorum vita conservanda.
III. In docilitate.
IV. In eorum partu.

Respicite volatilia cæli; quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester cœlestis pascit illa. Matth. 6.

Qualia sunt hæc volatilia, à quibus discere jubemur, Auditores divinam providentiam, & in Deum confidentiam? Matthæus universim dicit, *volatilia*; quasi omnia & singula; quia omnia à Deo pascuntur tametsi nec serunt nec metunt. Sanctus tamen Lucas in specie corvos nominat à Christo nobis propositos. Ita enim ait capite duodecimo. *Considerate corvos, quia non seminant neq; metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos*. Et quidem sanctus Hieronymus in Psalmum centesimum quadragesimum sextum ait: *Si de avibus cœli in universum diceret; cur non magis aquilas aut vultures nominavit?* Igitur præ cæteris avibus corvos nobis Christus considerandos præbuit indeque providentiam Dei & nostram in illum fiduciam discendam. Et fortassis ideò omni hominum generi, urbibus & pagis attribuit has aves quotidie aspectabiles, ut ab illis disceremus omnes miram Dei providentiam. Eamus ergò & consideremus illos.

I. Elucet Dei providentia in corvorum alimoniâ. Nam 1. licet eos reputemus aves planè inutiles, quia in cibum hominis non veniunt; nec gratum ei cantum exhibent, nec venationem, uti aves aliæ: adhæc infaustæ, & funesti coloris sunt & cadavera sectantur: rursum obliviosæ prolium suarum, quarum gratiâ pleræque ad nidos suos non redeunt; ut scribit Plinius; imo & benefactorum suorum, ut patet in corvo à Noe dimisso, qui hospitis & hospitii sui; in quo liberaliter fuit habitus minime recordatus; reversus non est ad ferendum responsum; imò & suiipsorum: non enim sibi congregant annonam, sicut formicæ pro hyeme; quin & cibum jam comprehensum quasi oblitæ, facilè ex ore cadere sinunt: denique voracissimæ simul & furacissimæ sunt: nihilominus tamen his omnibus non obstantibus, Deo de ipsis curæ est; ita ut nullius obliviscatur & vel per unum diem cibum eis subtrahat. Certè nemo nostrum passeres aut hirundines, aut corvos (nisi fortè doctos) domi suæ aleret; Deus autem pascit illos, quia novit ad quid prosint. — *I. In eorũ alimoniâ.*

2. Deinde pascit eos non minori providentia 1. præparando & quasi condiendo eis cibum ad gustum & saporem, unde dixit Job capite 38. *Quis præparat corvo cibum?* q. d. usque ad delicias? Deinde suggerendo varium & multiplicem; non solum fructus arborum omnis generis, sed semina etiam, vermes, carnes, panem & quibus ferè vescuntur homines. Adhæc ne aucto nimis eorum numero fortè alimenta deessent, distribuit eos per loca singula, pro locorum fertilitate, ita ut *locis aridioribus & ubi non satis cibi pluribus sit, duo tan-*

... incolant: & suos pullos cùm jam volandi potestas est, primum nido ejiciant, deinde regione tota expellant, ait Aristoteles lib. 9. de animal. capite 31. in urbibus & frequentioribus plagis plures reperiuntur, quia & plus pabuli habent: parvis in vicis non supra duo paria; ubi sectantur aratores, velut divites eleemosynarios, à quibus erutos ex agris colligunt vermiculos, capiunt ejecta cadavera, uti pauperes ea, quæ velut parum utilia divites abjiciunt, durum panem, laceras vestes, acidum vinum, quæ tamen uti pauperibus sunt deliciæ, ita corvis pabula illa.

3. In specie tamen observat & miratur scriptura sacra providentiam Dei erga pullos corvorum, qui in nido positi cùm plumescunt, initiò albicantes pennas acquirunt, ideo velut degeneres & alieni à parentibus non agnosci, sed deseri dicuntur. Quis ergò tunc illos alit? S. Chrysostomus hom. in Eliam ait: *Expositis ad aërem, utpote à parentibus neglectis, obvolitant animalia quædam, divina providentia suppeditata: quæ captantes illi crescunt & aluntur.* D. Hieronymus in Psalm. 146. *Philosophi dicunt,* inquit, *quòd de rore vivant pulli corvorum.* Plinius ait innasci eorum nidis vermiculos, unde aluntur. Quidquid sit, propter hanc alimoniam invocare dicuntur Deum, quod ab eo solo expectent cibum, cui tunc soli curæ sunt. Job. 38. *Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eò quod non habeant cibos?* Et Psalm. 146. *Qui dat jumentis escam illorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Jam ergo si Deus his volucribus tam abjectis, inutilibus, obliviosis, voracibus, cibum suppeditat tanta constantia, certitudine, copia, sapientia & providentia; quis non laudet ametque Deum? quis non in eum confidat? Si enim non obliviscitur eorum, qui etiam suorum benefactorum obliviscuntur, quomodo obliviscetur eorum qui grati sunt & memores, justi, utiles reip. virtutum decore ornati? Si Solem suum oriri facit super malos & pluit super injustos, quanto magis pluet super bonos & justos? Atque huc potissimum tendit argumentum Christi! si enim pascit tales aves tali providentia, quid nos diffidimus homines? Non otiantur quidem corvi, sed partim clamoribus, partim industria quærunt sibi victum, sed sine sollicitudine, nec sibi annonam cumulant, sicuti formicæ, quas idcircò S. Franciscus ob nimiam eorum providendi in futurum industriam quodammodo exosas habebat.

II. [...]rum [...]con-[...]andâ II. In eorum vita & valetudine conservanda. Æstivo enim tempore, cum maximè calor viget ante ficuum maturitatem, sitientes licet, abstinent à potu; quia tunc laborant profluvio ventris: ideoque siccis tantùm utuntur; ut testantur omnes ferè Physiologi. Deinde cùm venenatum quid comederint, mederi sibi norunt herba coracio, ab illis denominata, teste Aristotele in mirabilibus.

Ergo corvi abstinere solent etiam in siti, & appetitum refrænare, cùm potum sibi noxium sciunt: quid igitur excusationis afferet homo, qui tametsi sciat sibi nocere potum immoderatum aut potentem, nequaquam tamen se continet? Corvi abstinentiam pulchrè imitatus fuit David 2. Regum 23. cum desideraret aquam de cisterna Bethlehem. Eã enim, cùm à tribus viris præsenti vitæ periculo allata esset, effudit, ne videretur eorum sanguinem bibere. Similiter Alexander M. cum sitiente exercitu soli allata esset aqua, noluit bibere, ne militum patientiam frangeret. Curt. l. 7. Jam verò potus nimius frangit vires animæ & corporis; quomodo igitur homo corvo imprudentior, non se vincit ut abstineat?

2. Deinde novit corvus quærere sibi pharmacum, si fortè cibo valetudinem offendit: eccur igitur homo gula & ebrietate læsus remedium sibi non quærit? Illud verò non est sola confessio, quæ habitus non evellit, sed in futurum etiam cautela. Prævidet corvus damnum, quod sibi afferet potus, haustus in profluvio: cogita tu damnum, quod afferet tibi ebrietas, aliàs ad iram & libidinem proclivi.

Denique si nil aliud nos absterreret, solum Christi Domini serium præceptum Luc. 21. sufficeret: *Attendite vobis ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ & superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes.* q. d. sicut aves dum incautè pabulo, ab aucupe sibi insidiosè proposito, se ingurgitant, repentè laqueo capiuntur: sic eveniet ebriosis. Jam verò nonne corvi ad præceptum Dei abstinebant à cibis, sibi etiam gratissimis, & in magna quidem fame, tempore Eliæ? 2 Reg. 17. Ibi enim dicitur Deus præcepisse corvis, ut pascerent Eliam: & tulerunt illi singulis diebus manè panem & carnes: quas, nisi obstitisset Dei præceptum, utique in via centies ipsi devorassent. Jam ergo corvi obediunt Deo & abstinent famelici à tam grato cibo; & homo dicat: Non possum abstinere.

III. In eorum docilitate. Quis enim credat corvum, qui alioquin vix emeretur obolo, ita institui posse, ut 20000. florenis emitur? At hoc factũ esse magni auctores referunt. Ælianus, Plinius, Perottus & alii. Cum enim Augustus Imp. ex Actiaca victoria Romam ingrederetur victor, occurrit ei inter gratulantes quidam corvum tenens, quem docuerat proferre hæc verba: *Ave Cæsar Victor Imperator.* Miratus Cæsar tam officiosam avem, viginti eam millibus emit: multasque præterea similes comparavit. Quo exemplo motus pauper sutor, instituere quoque ipse aggressus est corvum ad parem & salutationem, sed impendio exhaustus ad avem non respondentẽ dicere solebat: *Opera & impensa periit;* seu ut Ælianus refert: *Oleum & operam perdidi.* Cœpit tamen corvus aliquando optatam salutationem exprimere, qua fortè edita, dum Augustus transiret, responderetque: *Satis talium salu-* III. In docilitate.

tatorum habeo domi; superfuit corvo memoria ut & illa, quibus Dominum querentem solebat audire, verba subjungeret : *Opera & impensa periit.* Ad quod subridens Cæsar, emi avem jussit, quanti nullam aliam emerat. Gesn. ex Perotto. De alio scribit Plinius lib. 19. cap. 4. qui ex nido pullus in officinam sutoris devolarat & maturè assuefactus sermoni, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam remeans. Qui postea à mancipe occisus, à populo Rom. super humeros duorum Æthiopum in constrato lecto præcedente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum elatus fuit, manceps vero regione pulsus, mox & interemptus.

Jam si hoc in corvo potest Dei providentia, quid non poterit facietque in homine, si bene institutus fuerit? Quid homo rudis & omni disciplina destitutus nisi inutilis corvus, ad vorandum & conquirendum sagax, nec aliud sciens nisi suum *Cras*? At si à teneris instituatur, quantus evadet quantique à mundo æstimabitur & Principibus, si nimirum latinis litteris bonisque artibus imbuatur, & Imperatores salutare & obsequio suo sublevare possit? Verùm uti corvi pullos jam plumatos è nido expellunt: ita parentes liberos citò à se depellere & aliorum disciplinæ etiam in extera regione subjicere debent, ut tales evadant. Id fecere Isaac & Rebecca, quando filium suum Jacob miserunt in Mesopotamiam ad serviendum maximo ejus bono; nam & in itinere viam cœli in scala didicit, & in domo Laban ab Angelo instructus est, quomodo gregem ovium copiosum sibi comparare ac ditari posset, uti colligitur ex Genes. 31. vers. 11. Unde ipsemet post miratus dixit: *In baculo meo* (id est, pauperculus) *pertransivi Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Genes. 32. sic nimirum filii, si Angelorum, id est, bonorum Magistrorum disciplinæ commendentur, cum duabus turmis revertentur, edocti viam cœli, & simul artes liberales, quibus magni etiam in mundo & divites evadent. Quam multi passim sunt, qui domi ex vasis ligneis & figulinis comedere buccellam suam debuissent, qui per institutionem bonam in litteris & bonis moribus evaserunt magni Consiliarii Principum, Barones quoque & Comites, comeduntque nunc & bibunt ex auro & argento? quorum mors communem luctum creat reipublicæ? quorum nomina clarent etiam post mortem?

IV. *In eorum partu.*

IV. In eorum partu. Pariunt enim semper ante vernum tempus, Martio mense, quia metuunt tonitrua, utpote sibi noxia quæ ejus ova perdunt, teste Alberto Magno. Quanta hæc providentia corvo à Deo collata! Et quid docet nos, nisi ut similiter opera bona pariamus, foveamus & excludamus ante mortis tempestatem, ubi propter horrenda tonitrua difficillimum erit bene operari? Ita monet Ecclesiasticus capite 18. *Ante judicium para justitiam tibi.* Moxque id declarans, addit: *Ante languorem adhibe medicinam, & ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem.* Ante morbum medicina optima est, diæta & temperantia: sic Christiano ante diem mortis & judicii sui optima provisio, facere bene & abstinere à malo. Ut ergo sanus facilè se conservat, servando diætam: ægrotus verò difficulter sanatur: sanus facilè operari bene, æger difficulter potest: ita operandum bene ante mortis tempestatem? Quid enim agent reprobi in ea calamitate, cum audient tonitruum illud à Medicis: Moriendum est. Quale illud: Uxor, chari liberi, amici, mundus deserendus est? Quale illud: Ad tribunal Dei eundum est? Quale illud: Ad æternitatem seu felicissimam seu miseriam migrandum est? Cujus ova, vota & desideria pia, non frangantur hac tempestate? Vidit hoc Eliu amicus Job, qui in l. Job cap. 36. ait de improbis: *Morietur in tempestate anima eorum.* Moriuntur in tempestate, qui naufragio in undis pereunt, & hi quomodo tunc cogitare de salute & bonis operibus possunt? Moriuntur in tempestate, qui velut poma immatura à tempestate & ventorum vi violenter abripiuntur: cujusmodi poma abjiciuntur ut inutilia vel dantur porcis: quales sunt qui nihildum pararunt bonorum operum, sed habuerunt dies vacuos, ducendo eos in bonis. Poma matura nullâ difficultate sequuntur manum carpentem & mensam dominorum exornant: ita qui pleni dierum & meritorum hinc discedunt, manu Domini suaviter decerpuntur & ad mensam ejus deferuntur.

Omnium sententia corvi sagacissimi sunt in præsentiendis ac præsagiendis tempestatibus, quas & certis vocibus prænuntiant, sibique consulunt, densas involando arbores. Quid igitur: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum: turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini*; ait Jeremias cap. 8. addamus nos & corvum. Videmus nos tendere ad senectam, aliquos pedem jam in sepulchro habere: videmus passim juvenes æquè mori ac senes: & tamen non consulimus saluti nostræ.

Considerate ergo corvos,

THEMA III.

Homo qualis sit, lilia ostendant.

I. *Ostendunt quid sit hominis vita.*
II. *Quid sit nobilitas, honor, dignitas.*
III. *Quid sit forma & pulchritudo corporis & vestium splendor.*
IV. *Quid sint opes ac divitiæ.*

Considerate lilia agri. Matth. cap. 6.

GEnes. 24. legimus Isaacum, dum expectaret è Mesopotamia desponsatam sibi Rebeccam, exiisse in agrum ad meditandum. Dumq; in eo opere se exercet, venit in occursum ejus Rebecca. S. Ambros. l. de Isaac. c. 1. & 3. ait hoc idem esse sapientis, qui ad spirituale cum Christo connubium aspirat, ut subinde de corporis cura exeat animamq; elevet per meditationem, hoc est hominem se cognoscat. Hoc verò ubi melius discet nisi in agro seu campo, considerando flores, quò nos remittit Christus in hod. Evangelio dicens: *Considerate lilia agri?* Quoniam igitur & nos expectamus sponsam cœlestem, gloriam videlicet, exeamus hodie in agrum, & meditemur aliquid ex libello florum, ut discamus quales simus, & qui vivere debeamus.

I. ...endunt ...id sit ...minis ...a. I. Docent quid sit vita hominis, flos nimirum unus. Ita Ps. 102. dicitur: *Homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.* 1. Florum vita brevis est, durans uno vix mense: ita & vita hominis. Ac sicut lilium non floret toto tempore, quo in agro est; sed uno alterove die; postea elanguet: sic homo non

...s sc. 1. per omnem ætatem floret, vigore, specie, opibus, deliciis, honoribus; sed modico valde tempore. In infantia & pueritia debilis est, insipiens, pauper: & talis iterum evadit in senecta. Unde Jacob dies vitæ appellat *parvos & malos*, paucos scilicet: detractis iis, quibus quasi non vivebat, in ærumnis & calamitatibus. Gen. 47.

2. 2. Florum vita instabilis & varia est: initio enim clausi sunt & nodi, postea se aperiunt & rident quasi, deniq; languent, corrugantur, cōcidunt & tabescūt, coloremq; mutant. sic & vita hominis varia est, jam pulchra, mox deformis: jam vegeta, mox debilis: jam felix, mox infelix: jam læta, mox tristis. Et sicut flores à vento perpetuo ferè moventur, sic homines à fortunæ casibus.

3. 3. Florum agri vita incerta est; sæpe enim demetuntur in pabulum pecoris, priusquam efflorescāt, vel calcantur aut depascuntur; cum tamen flores hortorum expectentur, donec deflorescāt. Sic se habet vita hominum: nescit finem suum; unde dicitur de exercitu Sennacherib, una nocte deleto: *Facti sunt velut fœnum agri, & virens herba tectorū, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem.* 4. Reg. 19. Ita enim multi in ipso flore juventutis, postquam exteras nationes viderunt & linguas didicerunt, postquam studia sua absolverunt, demetuntur falce mortis & spem parentum fallunt.

4. 4. Florum vita fragilis est, Sole & gelu exuruntur, vento exsufflantur vel franguntur, carptæ manibus tabescunt, tandem per se concidunt nullo demetente. Et quid fugacius vita hominis? Unde sequitur in Ps. cit. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet.* Aura pestifera necat homines quantumvis robustos, Sol vulnerat, haustus aquæ frigidæ lædit. Quin imò quotidie sensim emoriuntur; unde bene *fœnum* appellantur: *si ergo fœnum agri quod hodie est, &c.* Hinc populi Romani Duces singularū centuriarum, manipulum fœni conto affixum præferebant, Romulo institutore; inde milites manipularii dicti. Plut. in Romulo. Sic verificatum Dei verbum: *In quacunq; die comederis, morte morieris.* Quinam ergo fieri potest, ut homines mortis suæ obliviscantur & delicientur in his perituris rebus, saltent, rideant, ludant, dum gladius & falx mortis ipsis impendet? dum messor à tergo stat? Quis non potius ad æternitatem attendat, spreto isto puncto?

II. Quid sit nobilitas, honor & dignitas: flos nimirum, mox futurus fœnum, & similis infimę sorti. Unde Isaias clamare jussus c. 40. *Omnis caro fœnū, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos.* Secundùm Sanchez & alios ibi, loquitur de Chaldæis; qui tum potentia & viribus præcellebant & dominabantur orbi; consolans Judæos ne de sua liberatione ex eorum captivitate dubitent: siquidem Chaldæi licet tam potentes non nisi fœnum & flos sint. Dum in agro vel horto virent flores, magna inter eos cernitur differentia, colorum, odorum, virtutum, magnitudinis. At ubi demessi sunt & aruerunt, omnes fiunt pares, & promiscuè imponuntur currui & comedūtur à pecoribus. Non videntur hoc audire nobiles & magnates, ideo clamandum in aures eorum. *Omnis caro fœnum, omnis, omnis.* Flores ergo nobiles & ignobiles licet dum florent, multum inter se discrepent, in ortu tamen & occasu suo sibi mutuo sunt simillimi; nullo prorsus colore, nullo præditi decore; sic nobilium & ignobilium eadem nascendi & moriendi est conditio. Qui igitur nunc juxta se ferre ignobilem non vult, expectet parumper: veniet tempus cùm in sepulchro vel ossium congerie placidissimè eū feret. II. *Quid sit nobilitas, honor, dignitas.* 1.

2. Ad hæc flores quo nobiliores, tenuiores & amœniores, eo & fragiliores sunt, ac lęduntur citius: atque, ut Plinius ait lib. 16. cap. 15. *magna (ut palam est) hominum admonitione, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cùm alia durent.* Sic quo altiori in gradu dignitatis sunt homines, eo brevioris ævi communiter; sæpius item ægrotant magnates, quàm plebei, & citius moriuntur. Patet experientia in summis inprimis Pontificibus, quorum plerique paucis annis regnant, adeò ut nullus annos Petri, 25. scil. adhuc attigerit: quandoque etiam duo vel tres intra unum annum sederint. Unde in eorum inauguratione inter alias cæremonias stupa coram eis accenditur occiniturque: *Sic transit gloria mundi.* Item: *Beatissime Pater, annos Petri non videbis.* Nec multo diuturnior vita Imperatorum fuit, quorum tres aliquando anno Christi 78. successivè regnarunt; Gal- 2.

ba, Otho, Vitellius. Hinc, ut arbitror, Rom. Imperatoribus, dum inaugurantur, pomum aureum in manus datur, ut memores sint fragilitatis vitæ & imperii sui, quod pomi instar citò putrescit, juxta id Job. 9. *Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes.* Similiter Saul aliique Reges Hebræorum ex lenticula olei inungebantur 1. Reg. 10. & 4. Reg. 9. Lenticula autem est parvum vasculum, ad similitudinem lentis (ein Salbenhornle) factum, indicans parvum & breve fore eorum imperium, uti de Saul explicat S. Gregorius M. in locum illum 1. Reg. 10.

III. *Quid sit forma & puchritudo corporis.* III. Quid sit forma & pulchritudo, nec non vestium splendor: flos nimirum agri fragilissimus. Testatur hoc etiam Job c. 14. *Quasi flos egreditur, & conteritur & fugit velut umbra.* Umbra quo fit major, eo nocti & fini suo est propinquior: sic qui spectatissimè florent, celerrimè marcescunt, magna hominum admonitione, ait Plinius supra cit. Hujus miseriæ exprimento edoctus Job, cum prius tres filias repente perdidisset, ruina domus obtritas; & post tribulationem accepisset tres alias, tam speciosas, ut similes eis non reperirentur in terra; (Job ult.) ne de forma insolescerent, imposuit eis nomina rerum admodum fugacium: primam vocavit *Diem*, secundam *Casiam*, (Zimmetblum) tertiam *Cornustibium*, (Anstrichhornle.) Quid die una fugacius? quid casia, odorifero frutice, qui ab uno verme eroditur? quid cornustibio seu pigmento, quod flatu uno vel aura perit? Hinc etiam fœminæ multæ, formæ elegantioris, à plantis nomen acceperunt, uti *Thamar*, id est *palma*; *Esther* dicta *Edessa*, id est, *myrtus*: *Susanna*, id est, *lilium*: & nobilis illa puella (Actor. 12.) in domo Joannis Marci, *Rhode* dicta, id est, rosæ frutex: ut admoneantur omnes, quam labilis & fugax sit forma corporis, quæ, sicut flores unica pruina exuruntur, sic & ipsa fugit. Hederam Jonæ, unicus vermiculus exedit una nocte, unde in Hebr. de illa dicitur: *Filia noctis fuit & filia noctis periit.* Ex floribus ergo & liliis discant speciosi non efferre se aut placere sibi, sed timere potius & humiliari. Anno Domini 1560. in civitate Hisp. Granatâ, puella quædam pervenustum cariophyllorum fasciculum, ab amatore missum, in vasculum aqua plenum indidit. Inde quoties ad orandum se conferret, diabolus menti ejus fasciculum ingerebat. Indicat illa hoc Confessario, qui mandat abjici fasciculum, velut illecebram turpitudinis. Promittit puella, sed domi pulchritudine florum devicta, post luctam usque in multam noctem protractam, parcit tam decoris floribus; postridie evigilans primam cogitationem de cariophyllis suis suscepit; sed en dum mox à lecto oculos ad eos convertit, ita aridos tædosque videt, quasi igne perusti viderentur. Hac fugacitate florum conspecta omnem è corde suo inordinatum amorem & memoriam simul amatoris expulit. Refert P. Franc. Sacchinus in

Et vestiũ splendor. Lainio. Disce hinc & tu Christiane spernere venustatem. Addo, vestium splendorem ne tantum quidem esse, quantus est liliorum teste ipso Domino nostro. Itaque quis amare vel magni æstimare queat vestium pulchritudinem, quæ si vel Salomonis sit, floris decorem non adæquat? Nam 1. flores ornatum habent vivum, à propria natura: Salomon & Salomonici mortuũ & sæpe fucatum, ab aliis creaturis emendicatum: sericum à bombycibus, laneas vestes ab ovibus, pelliceas à lupis, vulpibus, martibus, mustellis: calceos à pellibus boum vel equorum, chirothecas à canibus aut ovibus; gossipium ab arboribus, indusia à lino, pileum à lutrarum pilis. 2. Florum ornatus nihilo eis constat seu pretio seu labore: nec gravat aut constringit eos, uti solent vestes. 3. Florum decor tam varius est, ut nemo tot varietates vestium excogitare queat. 4. Flores odorem ex se nativum varium & gratiosissimum spirant: nullum omninò vestes, aut non nisi fucatum & fictum habent. Jam si pudore affecti fuerunt magi Pharaonis, quod omnibus suis artibus cyniphes seu culices efficere non possent. Exod. 8. quomodo non pudet superbos vanæ suæ industriæ in corpore comendo & poliendo, quia nec unius floris adæquare pulchritudinem queunt? Certe in quibusdam Italiæ civitatibus consuetudo apud nobiles invaluit, ut quia fastum plebejorum superare non poterant, vilioribus se vestirent, honestis tamen, uti camelotto, ut inde noscerentur. Cur non ergo & alii vilioribus se vestiant, siquidem unius floris decorem vincere nequeunt?

IV. *Quid sint opes ac divitiæ.* IV. Quid sint opes ac divitiæ; flores scilicet & lilia agri, quod testatur S. Jacobus c. 1. *Dives sicut flos fœni transibit. Exortus est enim Sol cum ardore & arefecit fœnũ, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus suis marcescet.*

1. Primo enim sicut flores ardore Solis, gelu, attrectatione, facile pereunt: ita & divitiæ pereunt sæpe incendio, naufragio, rapina. Refert Lipsius lib. 2. de Constantia, Belgam quemdam Tulipam unam (rarum tunc eo loci florem) ab alio mille aureis emere voluisse, alterum dare noluisse, sperantem ex una illa plures alias; sed en sequente nocte à sorice exesa est & periit; sicque dum speratur majus lucrum, simul omne perit. Quam multi congerunt opes, frumentum, vinum, merces alias quæ, dum lucri augmentum speratur, pereunt! Frumentum vermes gignit & avolat: vinum degenerat & acescit: aurum rapitur: domus conflagrat.

2. Flores fœni seu gramen dum virescit, dulce est: cum maturescit, amarescit. Unde Cato suasit: *Fœnum ne serò seces.* Sic opes in hac vita dulces, at in morte cum relinqui debent, amaræ fiunt. Hinc Ecclesiast. c. 41. exclamat: *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Noli ergo serò secare hoc fœnum quando scilicet moriens cum amaritudine relinquere opes debes, sed mature eas bene & utiliter expende; ut de hoc gaudeas in morte.

3. Flores fœni oculos implent, ventres hominum non saturant: ita opes non satiant stomachum divitis, sed ferè oculos tantum. Avarus numerat pecu-

pecunias, ponderat aurum, expendere non audet: ſed aliis theſaurizat. Conſtans 2. Imp. cum exercitu Romam veniens, ſpecie amici, quaſi ſedem more antiquorum ibi poſiturus; verùm octiduo urbem deprædatus eſt & quidquid ferè in urbe ornatus fuit, abſtulit. Inde cum præda in Siciliam ſecedens, in balneo interfectus, & omnis ejus præda à Saracenis Panormum tendentibus direpta & in Africam delata eſt. Cuſpinian. & Fulgoſ. lib. 9. c. 4. Bene ergo Eccleſiaſtes capite ſexto: *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub Sole & quidem frequens apud homines: Vir cui Deus dedit divitias & ſubſtantiam, &c. nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud.*

Quando igitur vidimus & didicimus ex parvo florum enchiridio, quinam & quales ſimus, exeamus cum Iſaaco crebrò in agrum & meditemur in hoc libello; inde fiet, ut nos ipſos agnoſcentes, vitam quàm optimè componamus, fietque abſque dubio ut in iſta exercitatione perſeverantibus occurrat nobis ſponſa noſtra, cœleſtis gloria.

THEMA IV.

Lilia ſeu flores Deum nobis oſtendunt.

I. Oſtendunt Dei potentiam.
II. Oſtendunt Dei ſapientiam.
III. Oſtendunt Dei pulchritudinem.
IV. Oſtendunt Dei bonitatem.
V. Oſtendunt paternam Dei providentiam.

Conſiderate lilia agri. Matth. 6.

DUo ſunt potiſſimùm homini Chriſtiano ſcitu neceſſaria, teſte Auguſtino libro ſecundo Soliloq. capite 1. dicente: *Deus meus ſemper idem. Noverim te, noverim me.* Confirmat hoc idem Seraphicus P. Franciſcus, ſic orare ſolitus: *Domine quis es tu? & quis ſum ego?* Denique utrumque expoſuit ipſe Christus Dominus, quando S. Catharinæ Senenſi, (ut in ejus vita cap. 22. apud Sur. 29. April.) apparens dixit: *Si noſti filia, quis ſum ego, & qua tu: beata eris. Ego ſum, qui ſum: tu es, qua non es.* Duas has notitias divinæ majeſtatis & noſtræ vilitatis unde nos petemus? Non procul eundum eſt, ad Evangelium hod. recurremus: *Conſiderate lilia agri.* Hæc nos utrumque docent; noſſe Deum & noſipſos. Hoc ſecundum alibi oſtendimus, nunc oſtendemus primum.

I. *Oſtendunt Dei potentiam.* I. Oſtendunt Dei potentiam. 1. dum è tam parvo & vili ſemine videmus tantam florum amœnitatem brevi tempore prodire, imò ferè è nihilo; quis enim ſerit flores agrorum & camporum? quis excolit? nulla certè humana manus. Ubi eorum ſemina? quomodo per hiemem conſervantur, quando omnia extincta & mortua jacere videntur? & tamen vere ineunte catervatim protuberant, quaſi è ſepulchro reſurgerent: aut de novo crearentur. Sic nimirum Deus uno verbo omnia è nihilo fecit.

2. Dum ex uno eodemque fundo, una eademque pluvia tam diverſa florum varietas, in odore, colore, quantitate, forma, virtute progignitur. Hinc enim apparet, quomodo in Deo contineantur eminenter omnes res creatæ & creabiles in infinitum: ſicuti in una ſimpliciſſima terra per unam ſimplicem pluviam rigata continetur vis ſeminalis progignendi omnis generis flores & plantas. Quis non ſtuperet, ſi ex unico dolio videret educi omnis generis vina, quę in toto mundo habentur, prout quiſque voluiſſet? At Deus en tale vas, ut ſic dicam, tale cellarium & penus eſt, unde omnes creaturæ, quæ ſunt & creari poſſunt, nullo negotio, in momento, nullo labore per ipſius potentiam educi poſſunt & depromi. 2.

3. Eminent flores ſupra gramen, ut conſpicui ſint & ornent terram, quemadmodum ſtellæ cœlum; neque lædantur à vermiculis: & ut quaſi in perticam erecti monſtrent ſe hominibus: & tamen interim ſuſtinent infracti omnes tempeſtates, fragilique ſtylo firmiter inſiſtunt. Stylum habent corticee munitum & ita firmum, ut & tempeſtates ferre queant & ventis cedere. Multi eorum, præſertim nobiliores, Soli ſe obvertunt & cum eo ſe gyrant, eo occidente ſe claudunt, oriente aperiunt, quia inde vires & vitam accipiunt. Quem in modum dicebat Alphonſus Rex Aragoniæ aulici & populus accommodant ſe Principibus ſuis, à quibus fortunam ſuam expectant. Sic ergo docent nos conformare mentem & voluntatem noſtram per omnia cum divina. Uti enim flores à ſole: ita nos à Deo & multò magis dependemus. 3.

II. Oſtendunt Dei ſapientiam. 1. Dum videmus tantam florum varietatem in odore, colore, figura, virtute. Tametſi enim aliis quoque in creaturis mirè ludit auctor naturæ, maximè tamen in floribus. Quantus luſus in tulipis ſolis! ſunt omnium colorum, ſtriati, geſtreimbt / radiati, geflambt / punctati, gedipfelt / variegati, geſprengt / &c. Alii formam calicis, alii patinæ, alii calcaris, alii calcei, alii oris leonini, alii pilei turcici, alii coronæ imperialis, alii gladii, alii ſtellæ, alii gemmæ formam referunt. Nemo adhuc inventus eſt, qui omnes florum ſpecies, quæ in mundo ſunt, indagarit, licet varias terras peragrarit. Et hæc tanta varietas ab unico intellectu divino ſimul & ſemel in momento, nullo labore excogitata & facta eſt. Qualis illa mens! qualis ſapientia! II. *Oſtendunt Dei ſapientiam.*

2. Si conſideremus ipſum florum artificium. Jungamus omnium hominum, quotquot in mũdo ſunt, ſapientiam; & faciant mihi florem unum, lilium unum, quale eſt naturale, non poterunt. Unde ſanctus Ambroſius lib. 8. hexam. c. 11. ait: *Conſiderate lilia agri, quantus ſit candor in foliis, quemadmodum ſtipata ipſa folia ab imo ad ſummum videantur* 2.

tur assurgere ut scyphi exprimant formam, aut auri quædam species intus refulgeat: quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat injuriæ. Siquis hunc florem decerpat & sua solvat in folia, quæ tanti est manus artificis, quæ possit lilii speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, ut florem hunc redintegrare præsumat? Sic ille. Imò siquis ab uno flore vel unum folium decerpat, quis erit tam peritus artifex, qui aliud huic simile facere possit? qui eorum folia agglutinare & disponere?

3. Si tria, quæ potissima in lilio sunt, consideremus, virtutem medicinalem, candorem, & odorem: vestigium SS. Trinitatis non obscurè intuebimur. Virtus medica, Patris potentiam: Candor, Filii sapientiam qui est *candor lucis æternæ & speculum sine macula Dei majestatis & imago bonitatis illius.* Sap. 7. Odor amorem Spiritus S. repræsentat. Quid de flore granadillo, paucos ante annos ex orbe novo allato dicam? Nonne is coronam Christi spineam tribus clavis implexam: nonne quinque vulnera, lanceam & flagella affabre repræsentat, ut merito flos Passionis Domini appelletur?

III. *Ostendunt Dei pulchritudinem.*

III. * Ostendunt Dei pulchritudinem. Quanta enim vel in lilio uno cernitur amœnitas! In eo duplex color & duplex odor est; argenteus color in foliis, aureus in staminibus croceis: alius odor foliorum, alius & staminū. Quanta & in floribus aliis, uti cariophyllis, tulipis, rosis, elegantia & pulchritudo; quis pictor penicillo assequi eam potest? Quis artifex fingendo? Sanè testimonio Domini nec Salomon in omni gloria sua adæquare ornatum lilii potuit. Qualis ergò & quantus erit decor & ornatus Creatoris, si tantus est unius vilissimæ creaturæ? Si enim videres in aula Regis lixas culinarios vel stabularios, auro, serico, gemmis ornatos ac vestitos incedere, nonne prudenter argueres millies splendidiorem fore ipsius Regis ornatum? Si ergo fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quis erit ipsius vestitus? Et si pavimentum carceris in angulo palatii constitutū pretiosis lapidibus stratum cerneres, quid conjecturæ faceres, de ipsa Regis aula & conclavi? Qui enim tantam finxit pulchritudinem, quomodo non pulcherrimus erit supra quàm cogitari potest? *Qui finxit oculum, non considerat?* ait David Psalm. 93 non habebit oculos, qui aliis dat & effingit oculos? Non erit pulcherrimus, qui omnem finxit pulchritudinem? Unde & Psal. 49. ait: *Pulchritudo agri mecum est.* Sicut regia vestis non solum continet in se aurum, gemmas, sericum, ex quibus confecta est, sed etiam per eminentiam quidquid in Nobilium, Comitum, Principum vilioribus vestibus nitet. Flores, quos ostendit nobis Deus, sunt quasi frustula minuta à sartoribus decisa è pannis sericis, unde fiunt Agni Dei, quos mirantur parvuli. Quid si ipsam vestem sericam vel auream viderent!

IV. *Ostendunt Dei bonitatem.*

IV. Ostendunt Dei bonitatem. Primò enim quanta bona confert Deus in florem unum? Quàm pulchrè eum vestit, munit, tuetur, alit, dotat odore & vi medica? Quid ab eo igitur non speret homo? Neque enim flos agnoscit factorem suum, nec gratias ipsi agere potest: nihilominus tamen à Deo sic ornatur. S. Franciscus cùm in itinere obvias haberet aves variorum colorum una cantantes, inter eas considens, sic eas affatus est: *Sorores aves, multis nominibus Creator vester vobis pennas & alas impertiit ad volandum, vobis hæc pura liquentis aëris spatia concessit, vosque adeo liberaliter sine vestra solicitudine pascit ac nutrit.* Adhæc aviculæ colla tendere, alis gestire & cantillando gaudium ac gratitudinem suam ostendere. Ut in ejus vita S. Bonavent. Idem dicere floribus poterat vir sanctus. Quanto verò majora bona largitus est Deus homini, & quid non paravit in cœlo?

2. Flores non in alimentum, nec, ut plurimum saltem in medicamentum, sed tantùm in oblectamentum homini à Deo dati sunt; quàm bonus igitur Deus! Quemadmodum enim ipse non solum habet esse, sed beatum omnibusque bonis affluens esse: ita voluit dare homini non solùm vitam & quæ ad eam necessaria sunt, sed etiam quæ jucunda & delectabilia sunt; ut non solùm vivere, sed hilariter & jucundè vivere posset. Si quis ab amico in hospitium exceptus videret sibi non modò conclave, mensam, lectum, offerri, sed præterea omnia ad ornatum & delectationem spectantia: conclave ornari tapetibus, pavimentum sterni floribus, mensam instrui cupediis, adhiberi musicos, lectum ornari stragulis, apponi vittam & crepidas, odoriferum spargi suffitum, vocari ad conversationem amicos, &c. quis hunc amicum non amaret? non prædicaret? Hæc nobis Deus præstitit. Mundum hunc pulcherrimum & vastissimum in palatium concessit: nubibus ornavit & cœli luminaribus aureis: terram instravit viridi, veluti oculis gratissimo, graminis arborumque colore: mensam omni ciborum apparatu, ex avibus, piscibus, feris, pecoribus, herbis, frugibus instruxit: in musicos dedit aviculas, & quadrupedum voces varias: florum & herbarum, balsami, aliarumque rerum odores, aromata & infinita alia ciborum condimenta: vina & liquores alios diversissimos, generosissimos, ad recreationem canes venaticos, aves prędatorias, &c. Quomodo igitur tantum benefactorem non possumus non amare, laudare & benedicere?

3. Flores non omnes simul eodem tempore, sed successivè, nunc hos, nunc alios subministrat, ut per totam æstatem; & in locis calidis (uti in Ægypto, Neapoli & Genua Italiæ, Hispaniâ & Africa) per totum annum habeãt flores, alios & alios. Quin & in terras nostras subinde novi & prius incogniti nobis adferuntur, ut ita benignissimus Deus exilii hujus tædium hac varietate nobis alleviet. Quanta est hæc Dei bonitas! Non solum novos & novos fructus, aves, pisces, pecora pro cibo in singulos ferè menses, imò septimanas, homini providit, sed etiam nova oblectamenta oculorum & narium. Quemadmodum enim Assuerus in convivio illo suo, quod

exhi-

exhibuit, subditis suis, inter alia etiam ordinavit, ut aliis & aliis vasis cibi inferrentur in convivarum mensas, quo varietas vasorum acueret appetitum & pelleret fastidium. Esth. c. 1. ita etiam Deus providit nobis servis suis alios & alios flores, in quibus eorum, odorem, decorem & virtutes nobis proponit ad oblectandum animum & tædium fugandum.

4 Providit hæc non solum bonis & justis, sed etiam malis & injustis; imò his potissimum, ut per beneficia trahat eos ad sui agnitionem & amorem. Unde Dominus non quævis lilia, sed lilia agri vult nos considerare, quomodo vestiantur & muniantur. Quis autem nescit lilia agri esse zizania? zizania designare homines malos? Si ergo tales qui sunt instar fœni, quod hodie floret & cras in clibanum gehennæ mittitur, Deus sic vestit, quis cogitare poterit, quæ præparavit Deus diligentibus se? Si Nerones, Caligulas, Heliogabalos, Decios, Domitianos in hoc sæculo tam benignè habuit, quid faciet servis & amicis suis?

V. *Ostendunt paternam Dei providentiam.* V. Ostendunt Dei providentiam paternam erga homines inprimis. Primo enim si Deus flores, qui hodie sunt, & cras demetuntur, ita vestit coloribus, & odoribus, nutrit tempestatibus, conservat & propagat, cur non præstabit id hominibus, qui ipsum agnoscunt, ad imaginem ejus facti sunt, eique gratias agere ac servire possunt? Deinde si dat nobis flores & similia, quæ ad delectationem duntaxat faciunt, quanto magis dabit ea, quæ ad necessitatem spectant? Si enim in domo amici videres tibi conclave ornari tapetibus, pavimentum sterni floribus, spargi odores, adduci Musicos, num de cibo & potu ac lecto tibi parando dubitare posses? Non vult quidem Deus nos otiari, sed sine anxietate in ipsum confidere. Ita enim & lilia, tametsi & ipsa non otiantur, sed succum terræ ad se trahunt & per membra sua dispertiunt, interim tamen absque solicitudine sunt. Atque hic est primarius scopus ad quem collimat Christus hac liliorum similitudine, ne videlicet anxii & diffidentes efficiamur de Dei erga nos providentia. Quare meo judicio non parum errant, qui de vini & frumenti proventu tam soliciti, perpetuò accusant jam hanc jam illam tempestatem, quasi jam actum sit de vindemia aut messe. Inprimis enim nescimus nos, quæ tempestates & quando conducant frugibus: Deus novit, & quidem exactissimè. *Subtiles artifices*, ait Rob. Holcot in lib. Sap. *multum indignantur & meritò, quando corripiuntur & instruuntur ab insciis & ignaris artis suæ.* Deinde Deus paterfamilias noster, nos domestici ejus sumus, & ipsius gratia vivimus. Jure autem doleret paterfamilias, si domestici ejus conquererentur & murmurarent jam de pane, jam de vino, jam de vestitu, non placito, non sufficiente. Sic nefrendes seu porcelli grunniunt contra matrem, quando non dat eis lac ad libitum. Bene Philo lib. de Specialibus legibus ad finem ait: *Ille rerum parens & conditor, cujus nullum opus est supervacaneum, dentes non ut cætera membra nascenti statim addidit, ne infantem lacte nutriendum gravarent inutiliter, & fontes uberum, per quos alimenta derivantur, vexarent inter sugendum. Innaturale enim illud judicavit, creaturaque indignum rationali; hinc quod animalibus concessit nascentibus, ab illis ademit, & voluit sine dentibus nasci, ne ingrati ubera ferirent.* Ex hujus igitur sapientis sententia, divinæ providentiæ ubera dentibus quasi vexant ac morsicant, qui contra eam murmurant.

Consideravimus ergo lilia, & perspeximus in illis Creatorem nostrum potentissimum, sapientissimum, pulcherrimum, optimum, providentissimum. Superest jam ut nos credamus in tam potentem, admiremur tam sapientem, laudemus tam decorum, amemus tam bonum & liberalem, gratiarum actione prosequamur tam providentem, Patrem ac Dominum nostrum. Cui sit honor & gloria.

THEMA V.

Servitus divitiarum quàm misera.

Dives servus est divitiarum suarum, quia

I. Vilissimo munere occupatur.
II. Perpetuò urgetur ut plus laboret.
III. Exiguo & vili cibo pascitur.
IV. Non sibi sed aliis laborat.
V. Sæpe etiam vapulat, vel probris oneratur.

Non potestis Deo servire & mammonæ. Matth. 6.

FInxerunt veteres simiam à Circulatore hac ratione captam & in servitutem redactam. Monstravit ei circulator catenulam, qua visa petiit simia eam sibi donari. Donat circulator ejusque collo circumligat velut torquem auream. Sic misera dum in hac specie sibi placet, capitur & in servitutem redigitur. Mammona hic circulator, seu Dæmon ipse est. Monstrat hic hominibus catenam aurei splendoris, nobilium insigne, aurum & argentum. Allecti hac specie homines, torque hac condecorari volunt; sed dum eam accipiunt, laqueum in collo sentiunt & in miseram servitutem miseri trahuntur. Putantur quidem isti & appellantur domini, sed reverà servi sunt suarum divitiarum. Id enim testatur Christus in hodierno Evangelio, cùm ait neminem posse *servire Deo* simul & *mammonæ*. Ergo qui divitias amant serviunt mammonæ? servi igitur illius sunt. Sunt certè, nec feliciores Hebræis, cùm servirent in Ægypto, ut videbimus.

I. Quid faciendum incumbit servo? Sordidissima quæque opera: stabulum curandum, calcei purgandi, fimo currus onerandus & similia. Sic Hebræi in Ægypto operibus luti occupati fuere à Pharaone. Et quid aurum & argentum nisi lutum puri- *I. Vilissimo munere occupatur.*

ficarum & lucidiores terræ glebæ? Itaque servorum tantum & servilium ingeniorum est aurum & argentum fodere & tractare. Ac sicut Hebræi in opere illo collutularunt manus ac pedes: ita & divites inquinant animas suas sordibus peccatorum. Sanè Habacuc, capite secundo appellat divitias *densum lutum*. Paulus ad Philipp. 2. *stercora*. Qui lateres faciunt, terram rubram primo quærere & eruere, tum pedibus subigere debent, post manibus tractare & in formam redigere, tum in fornacem lateres reponere ac constringere, denique igne subjecto coquere. Sic avari primo undique circumeunt, ut pecuniam aut merces conquirant, merces ut vendant, bona verba dare, aut etiam astu uti necesse est: pecunia accepta inspicienda, & si aurum sit, ponderanda est. Tum fit separatio monetarum deteriorũ & meliorum: illæ ad quotidianas expensas destinantur, hæ in cassam reponuntur & quasi in carcerem compinguntur. Alphonsus Candiæ Dux apud Catalaunos scrinia varia aureis argenteisque nummis variarum regionum implevit, ita compactis & malleo cuneatis, ut eximi nulla vi manus possent. Hospites ergo derisionis gratia invitabat, ut aurum & argentum quale vellent, in quamcunque regionem ituri, inde acciperent: sic delusit simul hospites & opes suas ostentavit. Valla lib. 3. hist. Quinimò sic seipsum miser delusit, dum tam vili labore sese occupavit & nummorum usu privavit.

Trip. Tom. 16. post Pent. C. 4. B.

II. Perpetuo urgetur, ut plus laboret.

II. Perpetuo urgetur & stimulatur, ut plus laboris faciat, manè citius surgat, vespere serius decumbat; & si vel paululum otio vacet, increpatur. Ita perfecti operarum institerunt Hebræis in Ægypto servientibus Pharaoni: *Vacatis otio*, dicebant, *ite ergo & operamini; paleæ non dabuntur vobis & reddetis consuetum numerum laterum*. Exod 5. sicque eis duplicarunt labores, dum coëgerunt ultra pensum laterum etiam paleas conquirere. Simili tyrannide divitiæ imperant homini, ut plures semper opes conquirat, naviget, equitet, vigilet, cogitet, &c. quia quo quis plus habet, eo incipit plus posse habere, sibique parus jam opibus comparare; quæ enim procul posita sunt vel difficilia acquisitu, minus desiderantur: quæ verò ad manum sunt, & possessa jam pecunia parabilia, magis avidè quæruntur. Adhæc sicut area nequit impleri scientia: sic animus nequit satiari aut impleri auro. Pyrrhus Epirotarum Rex suo non contentus regno Romanis bellum inferre cogitabat; cui Cineas Legatus id dissuasurus: Et quid agimus, inquit, victis Romanis? Italia, ait Rex, tota potiemur. Et quid tum agemus? infert Cineas. Post Italiam, Siciliam capiemus. Ea capta quid porrò? Africam nobis adjungemus. Quid insuper? Græciam & Macedoniam invademus. Et quid faciemus his omnibus occupatis? ait Cineas. Tunc bone vir, inquit, in otio vivemus, compotabimus totis diebus, & mutuis colloquiis nos oblectabimus. At Cineas. Et cur hoc jam non facimus, cum omnia nobis ad manum sint, ut possimus jam in otio degere, compotare, & confabulari? suasit, sed non persuasit. Plut. in Pyrrho. Sic stultus ille, cum jam esset dives, (Luc. 12.) possetque frui bonis suis, videns uberes agri sui fructus, vult destruere horrea & majora facere: & tum dicere animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.*

III. Exiguo & vili cibo pascitur.

III. Exiguo & vili cibo pascitur, nec diu ad mensam sedere permittitur, surgere mox & labores repetere jubetur. Idem experti in Ægypto Hebræi; qui cœpis, alliis & porris ac cucumeribus se victitasse ajunt. Olim servis polentam molentibus pausicape ad collum inferebatur, ne, dum molebãt, polentam comederent, apud Jul. Pollucem onomast. lib. 7. c. 4. Quid aliud servus esuriens, nisi dives inter opes satiare ventrem non audens? Hoc enim ei prohibent ipsæ divitiæ. Audite Ecclesiasten. cap. 6. *Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias & substantiam & honorem & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo.* Cujus exemplum recenset Sanctus Ambrosius in lib. de Naboth. c. 4. *Novi ego divitem, inquit, in agrum proficiscentem panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de conditio minueretur.* (Similem non procul à Narnia, Umbriæ civitate, fontem describit Leander in Umbria, nunquam scaturientem, nisi cum annonæ penuria propediem futura est.) *Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ovum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatur vindicem esse Dei justitiam, quæ lachrymas pauperum nostro ulciscatur jejunio.* Sic ille. Fœdius est, quod Poggius Florentinus, Apostolicæ sedis Secretarius in disputatione de avaritia narrat de quodam, qui cum maximas congessisset divitias, filii autem adolescentes domi sumptuosius cœnitarent inter symphonias & cantus, magno dolore tacitus hæc ferens, semel tandem excitatus perstrepentium convivarum vocibus summa cũ anxietate prodiit tanquam è carcere è cavernula sua infulatus corvino vultu ac subrancido, vix conspiciens lucem ac desuper contemplans discumbentes, magna voce appellavit dispensatorem; &, *En*, inquit, *postquam sibi bona hæc meo sudore parta comessationibus ac deliciis consumere pergunt, ego quoque mihimet volo indulgere & dare me voluptati. Mihi acta est ætas: illi de se viderint: perdant omnia, ut libet, profligemus dum res suppetit, eme lactucam mihi, ut nos etiam convivemur.* O prodigum Apicium! imò ò fordium Euclionem.

IV. Non sibi sed aliis laborat.

IV. Non sibi sed hero suo laborat & lucratur: sicut Hebræi in Ægypto non sibi sed Pharaoni laborabant, lateresque coquebant. Ita & avari cogitant diu noctuque, vigilant, navigant, currunt, laborant, non tam sibi quam aliis: similes felibus Libycis; hos enim Gymnesiæ, populi in Hispania, cuniculo-

niculorum infesta multitudine vexati, cùm ex Africa ad capiendos cuniculos attulissent, non nisi ore obligato in foramina cuniculorum immittebant: quo fiebat ut prædam excuterent aut unguibus lacerarent, minimè tamen vorare possent. Strabo l.3. Sic Dæmon deludit avaros, quos instigat ad capiendas opes, quas tamen ipsis non concedit, sed alienis donat. Similes Midæ Regi Phrygiæ ditissimo, qui ut multas pecunias corrogaret, cibis etiam parcissimè fruebatur, omniaq; prope victui necessaria vendebat & in aurum convertebat. Hinc illi aures asininæ pingebantur, quod asinorum instar pretiosa humeris gestaret onera, non sibi sed aliis: ipse interim labruscis rapisq; victitaret: vel, ut Plutarch. de cupid. divit. scribit, instar asini balneatoris *ligna & malleolos identidem adportaret, fumo* interim *semper oppletus in nullam lavacri, caloris munditiaq; partem veniret*, Quod etiam expressit Ecclesiastes loco supra cit. cum addidit: *Sed homo extraneus vorabit illud.* Quod exponens Chald. Paraphrasis: *Etenim*, inquit, *uxor ejus tradetur viro alieno, qui hæreditabit eas & comedet ipsas* (divitias) *Omnis hujus rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fecerit ex illis quidquam boni, &c.* Minatur etiam iis verbis diviti subitam mortem, qua præpeditus non poterit facere testamentum, sicq; fiet ut ad extraneos devolvatur aut diripiatur, hæreditas. Nota est punitio avari (in vita S. Spiridionis Episcopi Trimithuntis,) qui frumentum in horreo occlusit, nec pauperibus ex eo quidquam communicare voluit; cujus horreum postero die illuvione aquarum dejectum in prædam cessit pauperibus, 12. Octobr. apud Surium.

V. ...etiam ...ulat, ...probris ...atur.

V. Sæpe & levi de causa vapulat vel probris oneratur ab hero. Sic Hebræi, operum præfecti, in Ægypto ad finem diei flagris cædebantur. Idem contingit avaris. Nam inprimis *divitias qui habent*, inquit B. Prosper l.2. de vita contempl. c.13. *sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Exemplum habemus in Achab, qui cùm ejus oculos verberaret vinea Naboth, projecit se in lectulum & avertit faciem ad parietem, noluitque cibum sumere, ita ut ægrotare quasi cœperit; quia non poterat habere eam 3. Reg. 21. Quo exemplo recensito, subjicit aliud S. Chrysost. hom. de avaritia tom.5. *Siccitas quondam occuparat civitatem nostram, & videre erat cœlum factum æneum, & mortem omnium gravissimam in dies expectari Deũque invocari, ut metu illo liberaret: cujus benignitate præter omnem spem multa & immensa pluvia superne decidit. Omnibus igitur celebritatem & festum diem agentibus, quippe qui ab ipsis portis mortis reverterentur, dives quidam tristis dejecto animo mœrore mortuus obambulabat. Cumq; multi eum causam rogarent, ne continere quidem intus potuit, sed cum tyrannide acerbi istius morbi pungeretur, causam in medium protulit. Decies enim mille, inquit, frumenti mensuris deinceps quid faciam, non habeo. Quid ais? Quod non omnes perierint, ut tu aurum accumules, &c.* Scimus quo adegit Judam avaritia, ad Christi scilicet proditionem, & inde ad laqueum, ab hoc in gehennam, & servitutem tartaream. Quod accidit etiam avaro illi, qui thesaurum sub tecto occultaverat. Supervenit enim prodigus quidam, qui decocta sua substantia & desperatis rebus dum eodem loco laqueum trabi aptat, vitam sibi erepturus, ecce thesaurum illum reperit, relictaq; reste lætus abiit. Avarus postea rediens cùm thesaurum non invenisset, laqueum à prodigo in trabe relictum, præ mœrore & desperatione collo suo aptat, sibique gulam frangit. Refert ex Platonis epigrammate ad Phylargyros Laërtius & Ausonius. Cui simillimum est quod refert Valentinus Leuchtius in Viridario regio l.4.p.2.c.23. de avaro, qui ne cogeretur mutuum dare indigentibus, defodit ruri aurum suum, quo dicere posset, se nec obolum in domo sua habere, quod etiam respondit patrino suo liberorum mole presso adeo, ut actus in desperationem sit. Qui cùm laqueum ramo arboris alligasset, sed altius quam attingi collo posset, quæsivit lapidem, cui insisteret. Eo reperto & sublato deprehendit ibi quid defossum esse, & invenit thesaurum patrini sui; eo ergo onustus valedixit arbori & reversus domum, lætus, inde cum suis vixit. Avarus postea requisiturus aurum suum, cùm ablatum cerneret, præ animi mœrore desperans laqueum, quem pauper in arbore reliquerat, suo collo induit, justissima Dei vindicta.

Verissime igitur Apostolus 1. ad Tim. 6. dixit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* Et S. Chrysost. hom 2. ad pop. *Avarus custos est, non dominus: pecuniarum servus non possessor. Facilius enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defosso auro communicaret.*

A qua turpi servitute custodiat benignus Deus.

* *
*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Documenta quædam ex hod. Evangelio.*
II. *Veræ pœnitentiæ indicia.*
III. *Civitas pulchra quænam.*
IV. *Cœmeterium schola virtutis.*
V. *Omnibus, etiam justis, in timore Domini semper vivendum: stimuli ad hoc.*

THEMA I.

Documenta quædam ex hod. Evangelio.

I. *Iuvenes moriuntur æquè ac senes.*
II. *Filii quandoque moriuntur ante parentes.*
III. *Amici plerique viventium, non morientium.*
IV. *Iuvenes ferè ad interitum, nisi frænentur tendunt.*
V. *Mundus expellit & negligit defunctos.*
VI. *Defuncti non plangendi immoderatè.*

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ. Luc. 7.

HIstoriam hodierni Evangelii videtur mihi in spiritu prævidisse Salomon, quando ita scripsit Proverbiorum octavo, versu primo & sequenti. *Nunquid non sapientia clamitat & prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus supra viam in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: Intelligite parvuli astutiam & insipientes animadvertite. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicem, &c.* Ubi vero legimus sapientiam Dei, quæ est filius ejus, Dominus noster, prædicâsse in media semita juxta portas civitatis, in ipsis foribus, nisi in hodierno Evangelio? Ibi enim cùm defuncto obviavit eumq; à morte suscitavit ad portam civitatis Naim prædicavit, pauca quidem verbo, multa vero facto; quæ hic inquiremus.

I. *Iuvenes moriuntur æquè ac senes.* I. Ecce tibi juvenes moriuntur æquè ac senes, quia *ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* Videtur hoc, quod ait Lucas, etiam dixisse Christus suis discipulis & turbæ sequenti: Ecce juvenis unus defunctus effertur, si non verbo, certè facto, quia ex composito rem ita disposuit, ut huic funeri obviaret. Ait igitur: ecce vobis juvenem defunctum. Sed quid hic novi nunciat? Scimus enim juvenes etiam morti esse obnoxios. Scimus certè, sed hoc quod omnes scimus, juvenes non recogitant, nec sibi contingere posse expendunt. Nullus enim ipsorum se in juventute moriturum existimat, omnes sibi longam & quasi termino carentem metam præfigunt. Porro non unam ob causam expellit sæpe
Deus juvenes ex hac vita. 1 Quando videt eos pe- 1.
stes futuros reipublicæ. Areopagitæ damnârunt aliquando puerum, quod cornicum oculos crudeliter confixisset; inde enim colligebant futurum eum aliquando crudelem & immanem, teste Quintiliano l. 5 c. 9 Idem sæpe Deus facit, uti legimus Psalmo 57. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* Ita absorbuit Anastasium Imp. Eutychianum, dum Justini, Justiniani & aliorum Catholicorum nobilium mortem machinantem fulmine occidit. Sic expedivit alios plurimos. Si enim ficus sterilis, frustra terram occupans, jubetur protinus exterminari, Lucæ 13. quanto magis perniciosa? Et hoc ipsum tamen fit in bonum reproborum, ne gravius peccent & plus damnationis habeant.

Quando sunt immorigeri, uti filii Heli, Ophni & 2.
Phinees, 1. Reg. 4. Qui enim promisit in Decalogo filiis morigeris vitam longævam, sine dubio minatus est immorigeris brevem. Exemplo est præter illos Heli filios, rebellis ille Absalō quem miro modo (solus utiq; Deus) quercui implicuit, ut periret. Unde D. Chrysostomus hom. de Absalone tomo 1. *Adest*, inquit, *arbor in campo, ramorum telis ornata; quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris injuriam in parricidam defendat. Adest, inquam, arbor, quæ nec patrem, ut tibi parcatur, audivit & jussa Dei instanter implere contendit.*

3. Quando ex præsumptione in juventute perver- 3.
sè vivunt quasi in senio pœnitentiam acturi. De quibus D. Cyrillus Alexandrinus orat. de exitu animæ ait: *Qui dicunt: Peccemus in juventute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ii à dæmonibus illuduntur ac deridentur, quoniam qui ultro peccant eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis falce demetuntur, ut Amon, Israelitarum Rex*, quarto Regum 21. Amon iste filius fuit Manassis, Regis Judæ 22. annorum cùm regnare cœpisset, & quia imitatus est vitia parentis adhuc juvenis, non pœnitentis senis, post duos annos regni à servis suis extinctus est. De quo scribit Glycas secunda parte annal.

annal. quod talem secum cogitationem volverit: *Pater meus à puero multa scelerata fecit, in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipse hac in ætate pro animi libidine me geram & deinceps ad Dominum me convertam Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectavit, quando patris calamitatibus nullo modo factus est melior,*

II. *quan- te mo- tur pa- es.*

II Ecce tibi filium, mortuum ante matrem suam. Graviter hoc affligit parentes, si sepelire cogantur filios suos, in quibus ipsi se victuros sperabant, Ideo Ægyptii, qui tot anteà plagis percussi vix aut parum indoluerant, cæde primogenitorum suorum tandem consternati dimiserunt Hebræos, ut refert Josephus 2. Antiquit. capite 13. *Flebant veniamque petebant Ægyptii pro eo quod ita afflixerunt eos*, Unde sanctus Basilius Archiepiscopus Seleuciæ orat. in laudem Elisæi & Sunamit. introducit viduam hod. Evangelii sic loquentem miserabiliter *En illum, qui me lachrymis prosequi debebat, ipsa prius lachrymo: quem decebat mihi sepulchrum parare, eum ipsa nunc sepeliam. Non amplius tuis amplexibus fruar, non amplius tuis suavissimis oculis recreabor. Par erat matrem, prius quam filium à morte rapi: hic enim est naturæ ordo, ut filii parentes præmittant. Sed quoniam ordinem pervertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, ut ad eos, qui mortui sunt, me quoq: adjungat, &c.*

Primus qui legitur in Ss. litteris mortuus ante parentes suos (morte naturali, non violenta) est Aran, qui mortuus est ante Thare patrem suum, frater Abrahami, trecentis fere annis post diluvium. Genes. 11. unde satis colligitur, prius id nec solitum nec visum fuisse. Causam præmaturæ filii morti videtur dedisse Thare parens sua Idololatria. Sunt verò qui tradunt eum statuas & Idola ex arte figulina finxisse, adeoque ansam filio præbuisse Idola adorandi. Itaque quia Deum verum commutavit in Idolum & vas figulinum contra omne naturæ dictamen, meruit etiam prætet naturæ ordinem privari filio suo, ut moreretur ante patrem. Et quid mirum, si posterioribus sæculis creberrimò id fiat, cùm videamus undique passim perverti naturæ ordinem etiam ab hominibus tam parentibus quam filiis? Circa annum Salutis 458. quo Litaniæ a Mamerto Episcopo instituebantur, animalia cicuria in solitudines fugere, econtra è sylvis feræ in medias urbes se inferebant. Similis quædam morum commutatio apparet nostro sæculo. Inspiciamus hæc nostra tempora. Nonne videmus juvenes, quin & viros nobiles degenerare in fœminas, dum ferè æquè longos capillos gestant ac mulieres! Scimus Apostolum ex naturæ dictamine dixisse, *quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi.* 1. Corinthiorum 11. quia hoc est signum animi mollis & effæminati (nisi fiat valetudinis aut frigoris causa) & tamen eo deventum, ut jam capilli juvenum æquè in humeros usque defluant, ac mulierum: imo hæ dum eos ligant & complicant, magis virilem comam habent. Palliola quoq; juvenum sunt ita breviuscula, uti olim erant fæminarum: fæminæ vicissim nobiles incedunt palliis longioribus, quæ olim erant virorum. Plumæ struthionum olim ornabant galeros duntaxat militum, nunc undique circumvolitant in capitibus fœminarum. Ocreæ & calcaria nusquam visebantur olim nisi in equitibus; (ad quid enim prosunt pediti?) jam qui equis carent, ocreas saltem & calcaria se habere demonstrant, cùm pedibus incedunt. Olim homines interdiu negotia sua tractabant & convivia peragebant, noctu quiescebant: nunc plerîq; nobiles noctu instituunt convivia & expediunt sua negotia, interdiu verò dormiunt; quod & olim faciebat perversissimus Heliogabalus, sed Gentilis Imperat. orbis portentum. Vestitus vero nunc qualis? fœmineus in virilem, virilis in fœmineum magna ex parte commutatus cernitur contra id Deut. 22. vers. 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea* Taceo collaria, caligas & calceos toties immutatos, & ad portentum compositos. Bene & vere vaticinatus est sanctus Chrysostomus (postquam exagitasset nova insolita calceorum ornamenta) de nostris temporibus homilia 50. in Matth. *Non erant* inquit, *talia veterum ornamenta & indumenta, sed viris probè convenientia. Quare ipse timeo, ne tempus veniat, in quo adolescentes apud nos vestibus atque calceamentis sine pudore aliquo mulierum utantur.* Et miramur adhuc, si videamus sæpissimè mori filios ante parentes? æstatem quandoque converti in hyemem, hyemem quasi in æstatem? vinum & frumentum flagellari à grandine & frigore? Ecclesiam Catholicam succumbere suis hostibus? Principes potentissimos deprimi à prædonibus? Plures nostrates vinci ab exteris paucioribus? Nos invertimus bonos mores, ideo Deus & natura invertit suum ordinem.

III. *Amici plerique viventium non morientium.*

III. Ecce tibi amicos, quousque tibi assistant & obsequia sua deferant! usque dum claudis oculos: ibi diffugiunt & te solum relinquunt. Quem enim, dic sodes, comitantur cives in hac pompa funebri? juvenem ne foras elatum? non hoc asserit Evangelista; sed ita scribit: *Et hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illâ.* Ergo viduam comitabantur, adhuc viventem, non filium ejus defunctum: in gratiam viduæ venerunt, non amore defuncti. Ita nimirum amici hujus sæculi non nisi viventes colunt: & si multum præstant usque ad sepulchrum eos comitantur: ulterius non curant. Ita planè accidit Francisco Cotinio, Comiti de Redondo, Indiæ Proregi, qui cùm elatus esset mortuus ingenti comitatu & depositus ad sepulchrum, tum ecce declaratur & publicatur alius Prorex, defuncti successor, Joannes Mendoza ipsi præsens funeri. Quid actum? Omnes qui Cortinium fuerant comitati ad sepulchrum, eo derelicto ad novum se convertunt Proregem & congratulatum veniunt comitanturque civitatem, nec remansit ad sepulchrum nisi unicum vile mancipium, quod defunctum inhumaret. Refert noster Frater Sacchinus in tom. 2. Annal.

Soc. De talibus amicis ait Ecclesiasticus cap. 6. v. 10. *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Et versu 8. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* cum tamen hæc fides magis debeatur afflicto, quã bene habenti. Plutarch. in Opusc. de discerет. comparat pediculis tales amicos: *Pediculi, inquit, discedunt à morientibus, & corpora relinquunt simul atque sanguis extinctus fuerit quo nutriri solent: assentatores autem videas nec attingere prorsus res aridas ac frigidas: nobilibus ac potentibus imminent, hisque aluntur; sed iisdem rebus commutatis statim avolant.* Tales inprimis fuêre cives Jerosolymitani, qui introeuntem triumphali pompâ Christum cum applausu exceperunt: eductum verò cum latronibus negaverunt & deseruerunt. Tales & cives erant Panormitani, qui concivem suam Agatham, Christi causa comprehensam & ex urbe eductam deduxêre aliquantisper; verum dum in via dissolutam fortè calcei corrigiam virgo alligabat, omnes retro conversi, ad sua discesserunt: itaque ad eos redarguendos impetravit, ut eo loco subitò enasceretur olea sterilis: sive quia olea tam hyeme quam æstate retinet suum virorem, quem Panormitani in hyeme adversitatis ibi perdiderant; sive quia Christianos quidem, sed steriles se ostenderant. Non erant tales amici Jonathas & David; neuter enim in adversis alterum deseruit. Jonathas pro Davide stetit contra patrem, etiam in exilium acto: David non deseruit Jonatham etiam in prælio cæsum, sed lachrymis ei parentavit ac jejunio, virosque dilaudavit, qui cum sepelierant.

IV. *Iuvenes ferè ad interitum, nisi frænentur tēdunt.*

IV. Ecce tibi juvenes ad sepulchrum & perditionem properantes, & nisi tangantur manu Dei, cursum illum suum nequaquam sistentes. Fuisset utique juvenis hic in sepulchrum depositus ibique in putredinem conversus, nisi Christus Dominus ipsi obvians, feretrum ejus tetigisset & stare fecisset: ita plurimi alii juvenes dum ardori juvenili liberius indulgent, quasi veredariis & concitatis equis feruntur ad infernum, secundum id Jerem. 8. *Omnes cõversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Quid igitur Deus? occurrit subinde illis & tangit eos periculoso morbo, egestate, carcere & vinculis, aut alio vitæ discrimine; de quo tactu loquitur Job cap. 19. *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Et Deus Exod. 11. *Adhuc unâ plagâ tangam Pharaonem.* Tacti hac ratione gradum figunt & in seipsos revertuntur cum prodigo illo filio, egestate tacto, & dicunt: *Surgam & ibo ad patrem meum:* cum Manasse in carcerem detruso & vinculis onerato orare incipiunt: *Peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ Domino, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cœli, &c.* cum Jona in ventre ceti: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum.* Jonas 2. Hæc tribulatio frænũ est, quo coërceret Deus equos illos à cursu suo; quod eis precatur David Psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus; in chamo & fræno maxillas eorum constringe.* Celtiberi equos suos in campo stare solos cogunt, infixo in eorum dorsa clavo, quem in extremo loro appensum gerunt, ut alibi notavi: Deus quoque libertinis illis clavum vexationis alicujus adigit in carnem vel animum ipsorum, & tum inhibent cursum suum. Talpa, Aristotele attestante, dum vivit, cæca est; morti proxima oculos aperit: formica etiam tunc primum alas induit, cum morti appropinquat, uti refert Cardanus lib. 9. de subtilit. ita qui in prospera valetudine, velut cæci in hoc mundo oberrant, & velut talpæ terram perfodientes, omnia prata percurrunt ac devastant: velut formicæ toti in congregandis opibus se fatigant, &c. tanguntur interdum adversa valetudine & appropinquant ad portas mortis: ibi aperiunt oculos, agnoscunt mundi vanitatem & errores suos, ibi cœlum cogitant & alas pœnitentiæ ad evolandum parare incipiunt: tametsi quandoque tardè nimis. Sed neque omnibus ita occurrit Christus, uti huic adolescenti, ut perversum illorum cursum inhibeat; idcirco Dominus non dixit: Dico vobis adolescentes: surgite, sed *adolescens tibi dico: surge. Tibi*, non omnibus hoc dico aut dicturus sum. *Tibi*, propter lachrymas matris tuæ: *tibi*, propter ædificationem populi circumstantis: *tibi* ex singulari privilegio, quia mihi occurristi. Hæ occasiones non semper ad manum sunt; unde nec tales gratiæ omnibus contingunt.

V. Ecce tibi mundum, quorsum ablegat homines defunctos? quos viventes coluit, amavit, honoravit: mortuos expellit & foras in terram ejicit & sepelit, velut carcinomata. Hoc nimirum retribuit suis cultoribus, hanc mercedem dat; ferè ad eum modum, quo ditiores usurpant poma aurea, quæ priùs applicant naribus, odorantur & contemplantur, posteà ad mensam exprimunt in cibos, & ubi eorum succum hausêre, ejiciunt per fenestras. Ita etiam sectatores suos mundus primò admiratur, extollit, amat, veneratur: ad extremum tamen morientes deplumat, nudat, spoliat; spoliatos domo ejicit affertque in sepulchrum; & si multum præstat, eousque comitatur: defossos verò deserit & æterna oblivione sepelit; neque enim eos à morte præservat aut reservare potest, multò minùs resuscitare. Quis jam tali domino serviat? Quam bonum est vicissim servire Christo Domino, qui inprimis sectatores suos, etsi per mortem nudatos rebus fluxis, divites tamen educit bonis veris & spiritualibus, quæ comitantur pios usque ad sepulchrum alteramque vitam. Deinde morti imperat & defunctos suos resuscitat ad vitam interminabilem. Illi igitur sunt, qui struunt ædificium super arenam, quod inundationis tempore totum subruitur, sternitur, abripitur; isti verò sunt, qui ædificant supra petram, quorũ domus stabit, etiam si torrens mortis in eam incurrat, quia supra virtutes & Dei gratiam fundata est. Sed subit hic admiratio, cur cadavera quidem homi-

homines è civitatibus ejiciant & foris in terra sepeliant: peccatores verò perversos, pessimâ famâ notatos, adeoque cadaveribus longè putentiores non ejiciant, sed foveant. Dicent illi à cadaveribus periculum imminere civitati, ne fœtore suo auram inficiant, indeque pestem inferant. At nonnè ex perversis & infamibus hominibus pestis longe gravior adeoque pestilentior imminet aliis civibus, qui circum illos degunt? Quàm facilè enim unus improbus pervertit alios plures? Miratur hoc D. Chrysostomus in Psalmo 5. scribens, qui etiam hinc concludit non tolerandos in communitate, qui scandalosa, turpia & cadaverosa verba ex ore suo depromunt. *Si enim mortua,* inquit, *corpora extra urbem sepelimus: multò magis eos, qui verba mortua, & qui alia* (cædes & rapinas) *proferunt, & ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longè amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies.*

VI *Defuncti non plangendi immoderatè.*

VI. Ecce tibi defunctos non plangendos immoderate, quorum resurrectio ad gloriam speratur. Ita enim monet Dominus, dum ad viduam ait *Noli flere;* & quasi rationem reddens, quare non esset defunctus ille deplorandus, accessit & tetigit loculum dicens: *Adolescens tibi dico, surge:* quia scilicet ab ipso brevi esset ad vitam revocandus. Unde Sanctus Ambrosius in hunc locum ait: *Flere prohibetur eum, cui resurrectio debebatur.* Non est tamen condemnandus susceptus pro mortuis luctus, si sit moderatus: magis tamen probandus pius succursus, quo à pœnis, si quas incurrerunt, eripiantur, uti docet S. Chrysostomus homilia 41. in 1. ad Corinthios. *Non,* inquit, *decet, ut juvetur* (defunctus) *non lachrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus aut credimus, pro istis agnum illum jacentem & peccata mundi tollentem deprecantes sed ut his consolatio aliqua sit.* Exemplo hoc confirmat Thomas Cantipratanus libro 2. Apum capite 53, *Avia mea,* inquit, *filium primogenitum habuit indole insigni, & decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, dumque sic filium lamentaretur. apparuerunt ei juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes: cumque memor filii eum inter illos non esse videret, & fleret, ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit: cui mater cum gravi dolore dixit: Et quid est fili, quod solus & non cum aliis graderis retardatus? Cui ille in togâ laterali magnum aquæ pondus ostendens: Ecce, inquit, mater, lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum ergo lachrymas commutabis, & in præsentia sacrificia corporis Christi cum eleemosynis pauperum pro me cor pium & devotum effundas, & tunc liberabor ab incommodo, quo nunc gravor.* Ex qua historia discimus, non tam lachrymis, quam piorum operum suffragiis parentandum esse defunctis; quod etiam confirmatur exemplo Sanctæ Lidvvigis, quæ cùm mortem Petronillæ, neptis suæ, acerbius flevisset, Domino displicuit, & in pœnam immoderatæ tristitiæ solita consolatione divina ad dimidium ferè annum spoliata fuit; unde edocta postea cautius se gessit in morte patris, luctum & dolorem prudenter moderando: ut in ejus vita Joannes Brugmannus libro secundo capite decimo apud Surium 14. Aprilis. Audiant hoc mulieres, in quas Divus Chrysostomus homilia vigesima octava in 1. ad Corinth. invehitur: *Quæ tam stultè,* inquit, *afficiuntur, ut infideles luctus magnitudine superent.* Rectius lugendum suadet idem sanctus Pater, quando propinqui cadunt in peccatum, & in eo moriuntur. *Luge, plora peccatorem,* inquit homilia 21. in Acta Apostolorum, *& ego deducam lachrymas & ego magis quam tu: quanto & majore supplicio obnoxius ille; & ego plorabo tali animo. Non te autem solum oportet plorare sed & civitatem totam & omnes occurrentes, tanquam eos, qui ducuntur ad mortem. Verè enim mors illa mala est, mors peccatorum, &c.* Certè Heli summus sacerdos non ad nuntium de filiorum cæde, sed de Arcæ captivitate exanimatus est, corruit & expiravit. 1. Regum 4. majus damnum reputans Arcæ amissionem, quam mortem filiorum simul etiam docens, magis deplorandam esse jacturam boni spiritualis, quam corporalis, adeoque etiam animæ unius in captivitatē Dæmonis abductæ, quam integri exercitus deleti. Hinc illud Sapientis Eccles. capite 22 versu 13 *Luctus mortui septem dies: fatui autem & impii, omnes dies vitæ illorum,* quasi dicat: corporis funeri sufficit modicus luctus: funeri animæ, in peccatis mortuæ, non sufficit tota vita. Ita S. Augustinus serm. 13. de Sanctis (ad fin. tom 10.) *Non in te sunt viscera miserationis, ut plangas corpus, à quo discessit anima; & non plangas animam, à qua recessit Deus?* Ad illam mortem igitur spectat, quod ait Christus in hod. Evang. ad viduam: *Noli flere:* ad hanc verò, quod dixit ad mulieres eductus ad Calvariæ montem. *Flete super vos ipsas & super filios vestros: quia venient dies, &c.*

THEMA II.

Veræ pænitentiæ indicia.

I. Si à peccatorum lecto surgat.
II. Si incipiat loqui & se accusare,
III. Si ambulet ad Christum,

Resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.
Luc. 7.

DEfunctus hic Adolescens secundum Glossam ord. & Venerabilem Bedam *significat hominem lethali criminum funere soporatum,* (ait Beda) *eandemque insuper animæ mortem non cordis adhuc cu-*

cubili tegentem, sed ad multorum notitiam per locutionis operisve indicium quasi per suæ civitatis ostia propalantem. Notum ergo & publicum peccatorem indicat: verum sicut mortuus, ut credatur verè ad vitam resuscitatus, signa vitæ ostendere debet: ita & peccator publicus per certa pœnitentiæ indicia, fidem aliis faciat, de vera & syncera sua pœnitentia. Conatus fuit Simon ille Magus adolescentem, Neronis propinquum, magicis carminibus à morte ad vitam suscitare; & jam videbatur agitare caput adolescens: verùm sanctus Petrus, qui tunc præsens erat, vitæ indicia exposcit: *Si resuscitatus est*, inquit, *surgat, ambulet, fabuletur.* Quorum nihil exhibere poterat defunctus; apud Egesippum libro 3. Excid. Jerosol. capite 2. At vero hodiernus adolescens à Christo suscitatus omnia hæc signa ad amussim demonstrat. Erexit se & resedit, locutus est, ambulavit ad Christum suscitatorem suum, deinde ad matrem suam. Quare & ego Auditores tum denique certus ero & persuasum mihi habebo, peccatorem à morte animæ seu peccatis, ad vitam gratiæ resurrexisse, si per similia indicia se vivere ostendat: si mentem in Deum erigat, si verbis Deum loquatur, si opere & conversatione ambulet ad Deum. Hæc igitur nunc investigemus.

I. Si à peccatorum lecto surgat.

I. Si erigat se è lecto peccatorum & resideat, mentemque sursum erigens. 1 agnoscat miserum & periculosum statum, in quo priùs jacuit alto sopitus somno, agnoscat iniquitatem suam, quod uti omninò necessarium, ita indicium est animi pœnitentis. Joseph Patriarcha tum demum aperuit se fratribus suis & exhibuit gratiam fraternam, imò verè paternam, postquam illi pœnitentiæ suæ de patrato in eum scelere vitæque in melius commutatæ varia præbuêre testimonia Genesis 45 Similiter & Deus non offert suam peccatori gratiam nisi ipse priùs agnoscat suos lapsus eorumque fœditatem ac gravitatem. Ita inprimis sanctus Ambrosius in Epistola ad lapsam quandam: *Pœnitentia sic agitur: Si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum & stridor dentium sine fine. Ergo hæc tu tecum cogitans & mente retractans, proprii facti tu ipse judex esto crudelior.* In hunc finem vult D. Gregorius Nyssenus in vita Moysis factas à Deo & indutas Adamo & Evæ tunicas pelliceas, ut earum aspectu peccati sui memores intelligerent se, qui ad divinam aspirarant similitudinem, superbiendo induisse belluinam; sicque disponerentur ad pœnitentiam. Quin & ipsimet protoplasti suæ transgressionis videntur semetipsos voluisse admonere, quando sibi ex foliis ficûs, utique illius, de qua fructum decerpserant vetitum, fecerunt perizomata: ut eorum aspectu agnoscerent delictum suum & per hoc cum Deo in gratiam redirent. Quando enim peccator sibi incipit displicere, ibi Deo placere incipit. Imo sanctus Chrysostomus homilia 9. in Epistola ad Hebr. putat hoc initio facto rem quasi jam confectam esse. *Si enim hoc esset*, inquit, (si nimirum veniremus) *omnia perficeremus: Sicut enim januam ingressus, jam intus est: sic qui propria cogitat mala, etiam ad curationem eorum utique veniet. Si autem dicat, peccator sum, non autem ad peccatorum suorum species descendat, dicens: quia hoc & hoc peccavi, nunquam cessabit, semper quidem confitens, correctionis vero curam nunquam faciens Si enim principium posueritis, utique etiam cætera consequentur, &c.* Idem confirmat homilia 41. ad populum. *Si nos peccati non recordemur, Deus ipsius non obliviscetur: si nos ejus meminerimus, Deus obliviscetur: à nobis ipsis ultionem sumamus, nos ipsos accusemus, ita placabimus judicem.* Illustre exemplum præbuit hac in re Thaisis illa pœnitens, quæ triennio inclusa, cùm egredi juberetur à Paphnutio Abbate, qui ex visione Pauli Abbatis cognoverat remissa ipsi peccata, respondit ei: *Testor Deum, quia ex quo hic ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens.* Cui Paphnutius: *Non propter pœnitentiam tuam* (quâ scilicet corpus afflixisti in cellâ) *remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo.* Apud Rosvveid. in Vitis Patrum libro 1. Nam, ut ait D. Chrysostomus sermone de pœnitentia. *Sicut ignis, qui in spinas inciderit, facilè ipsas absumit: ita cogitatio, quæ continuè in se ipsa omnia versat peccata, quæ à juventute fecit usque ad senectutem, ea exuit*, Porrò hanc recordationem & agnitionem peccatorum, dolor & detestatio comitari debet, ut jam quod homo prius malè amavit, odio prosequatur: quo modo Hebræi abjectis Diis alienis, Baalim & Astaroth, convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam & effuderunt in conspectu Domini. 1. Regum 7. Masphat *speculationem* seu *judicium* significat; & bene ad propositum: qui enim sua scelera verè speculando cognoscit, necesse est, ut ea rectè judicando condemnet. Quare si peccator ita abjiciat peccata, sicut illi abjecerunt Idola, & postea effuderunt aquam in signum execrationis (ita sentit Dionysius Carthusianus) ut sicut aqua effundebatur: ita sanguis eorum, qui ad Idololatriam redirent, effunderetur; satis luculentum dabit indicium veræ & synceræ pœnitentiæ. Ratio est quia dolor & detestatio est antidotum peccati, confectum ex ipso peccato: sicut theriaca ex viperæ veneno, oleum scorpionis ex ipso scorpione, delent eorum venena. Unde D. Chrysostomus homilia 5. ad populum. *Tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata, ideo ut tinea ipsum corrodit & consumit.* Ubi igitur uti cœperis hoc pharmaco, ibi signum das pœnitentiæ.

II. Si incipiat loqui & se accuset.

II. Si incipiat loqui & fateri atque accusare peccata sua. Tunc enim quando incipit humiliter se accusare, Deus incipit illum misericorditer excusare. Hac ratione stravit sibi viam ad veniam Lamech; quando patrato homicidio convocavit duas uxores suas & dixit eis. *Occidi virum in vulnus meum, &*

adoleſcentulum in livorem meum. Geneſis quarto. Hinc enim jam è lapſu cœpit erigi; imò ut Diodorus in Catena veterum Patrum Græcorum, eo loco ait: *elapſus judicium eſt, neque de pœnis agitur, propterea quod ingenuè peccaſſe fatetur. Cumque ipſe ſibi calculum tuliſſet damnationis, abſolutionem meruit à Deo.* Hujuſmodi indicium dedit David, quando redargutus à Nathan ſemet accuſavit: *Peccavi Domino*; & nullo modo excuſavit, multo minus negavit; propterea mox audiit à Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, Secundo Regum 12. Similiter quando ob numeratum populum dolens dixit; *Peccavi valde in hoc facto, ſed deprecor Domine ut transferas iniquitatem ſervi tui: quia ſtultè egi nimis.* Secundo Regum vigeſimo quarto. Tale & Hebræi quando abjectis Idolis, hauſerunt atq; effuderunt aquam dicentes: *Peccavimus Domino.* 1. Regum 7. Hoc etiam videntur ſibi voluiſſe duæ filiæ Loth, quando filiis ſuis ex inceſtu genitis, nomen alteri Moab, h.e. *ex patre meo*: alteri Ammon, h.e. *filius generis mei*, indiderunt, Geneſ. 19. Cùm enim ex ſententia D. Auguſtini libro 22. contra Fauſtum capite 42. graviter deliquerint, videntur pœnitentiæ vi adductæ ſua peccata in filiis accuſare & traducere voluiſſe, indeque veniam obtinuiſſe. Vim hanc accuſationis propriæ ad delenda peccata deſignavit, juxta D. Ambroſium libro 4. in Lucam capite 5. piſcis ille, qui primò ad hamum Petri aſcendit & didrachma in ore geſtavit. Eccur enim non in viſceribus, ſed in ore id geſtavit? Reſpondet ad hoc Ambroſius: *Non otioſè in ore piſcis inventum: ex ore enim tuo juſtificaberis. Etenim pretium immortalitatis eſt nobis noſtra confeſſio. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem.* Sic ille. Propria igitur peccati accuſatio præſertim in Sacramento pœnitentiæ quaſi didrachma & pretium eſt hominem exſolvens à tributo quod alioquin divinæ juſtitiæ pendere deberet. Unde ſanctus Chryſoſtomus in Pſalmum 140 verſu 4. peccati confeſſionem appellat *delicti ſolutionem. Cum ſciret Diabolus*, inquit, *peccati confeſſionem eſſe peccati ſolutionem, perſuadet animæ, ut ſit egregiè impudens*: ad excuſandas ſcilicet excuſationes in peccatis, ut eo Pſalmo dicitur: de quibus ſubdit Chryſoſtomus: *Hæc eſt via præcipua interitus, quando vel ipſa, quæ peccavit anima excuſſo timore excogitat excuſationes & prætextus quoſdam ad ignaviam; vel etiam quando cum quiſpiam adulteravit, volens alius ejus compunctionem excutere, dicit: Nunquid tu cauſa es? Cauſa eſt cupiditas.* Quemadmodum ergo peccati excuſatio via eſt ad interitum, ita accuſatio via ad ſalutem. Ratio eſt, quia *ex abundantia cordis os loquitur*: quando igitur homo peccatum ſuum accuſat, manifeſtum præbet indicium, ſe in animo id deteſtari. Quare ſicut evomere crudos & noxios cibos, qui ſtomachum onerabant, ſignum eſt purgationis & ſecuturæ mox ſanitatis: ita peccati accuſatio ſignum eſt ſalutaris pœnitentiæ, & obtentæ vel mox obtinendæ remiſſionis. Econtra peccatum negare, excuſare, occultare, extenuare, ſignum eſt impœnitentis, in peccatis morituri. Eva quidem & Cain, mater & filius, lethale crimen incurrerunt; hic tamen æternum ſubiit ſupplicium, illa evaſit: rationem diſcriminis dat Ambroſius libro de paradiſo capite decimo quarto. *Ideo*, inquit, *non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo, ſed magis confeſſa peccatum eſt, quam medicinalis ſecuta ſententia eſt. Cain quia voluit crimen negare, indignus judicatus eſt, qui puniretur in peccato, &c. Ideo accuſatori Diabolo ejus accuſatio reſervata eſt.* Peccavit Saul, peccavit & David: ſed ille gratiam non invenit, quia peccatum ſuum excuſavit: hic invenit, quia ſuum accuſavit.

III. Si ambulet ad Chriſtum.

III. Si ambulet, & quidem ad Chriſtum; ad quem etiam mox venerabundum acceſſiſſe hunc adoleſcentem, ſatis ex eo colligitur, quod dederit eum Dominus matri ſuæ; non poteſt autem dare quis, quod priùs ipſe non habuit. Itaque ſe Chriſto donaſſe videtur adoleſcens, velut alteri patri & vitæ ſuæ datori. Qui præter interna, externa quoq; pœnitentiæ argumenta præſefert, jam cenſetur ambulare ſecundùm animam, & quidem ad Chriſtum; vivere ergo ſe in Dei gratia oſtendit. Tale indicium pœnitentiæ ſuæ, & quidem veræ (ut ſentit Divus Hieronymus in epitaphio Fabiolæ, & ſanctus Auguſtinus in ſermone quinquageſimo octavo.) præbuit Achab Rex, quando denunciata ſibi mortis ſẽtentia *ſcidit veſtimenta ſua & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque dormiens in ſacco & ambulavit demiſſo capite.* Mox enim Deus quaſi placatus ad Eliam dixit: *Nonnè vidiſti humiliatum Achab coram me: quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus*: 3. Regum 21. Fuit igitur hic lugentis habitus ſignum veræ pœnitentiæ, quia fuit ſignum animi coram Deo ſe demittentis & majeſtatem ejus reverentis; unde Divus Hieronymus epiſtola 46. ad Ruſticum, ita legit textum illum: *Quoniam reveritus eſt Achab faciem meam.* Deus enim ſicut offenditur ſuperbia, ita placatur humilitate, quæ reſtituit ei gloriam ſuam, quam alteri non dabit. Et notandum eſt, quod Deus ex illo ipſo pœnitentis habitu conatur perſuadere Eliæ, ut & ipſe parci velit Regi, velut jam ex animo pœnitenti. Idem indicium præbuêre Ninivitæ, cùm induti ſaccis, cinere ſe conſperſerunt & jejunaverunt, &c ſic enim Dei iram ſedarunt. Ea namque cineris aſperſione exhibere ſe velut mortuos volebant, ut qui nec poſſint nec velint ſe opponere Deo ſibi irato.

Eodem ſpectat pudor, quem vultûs demiſſione peccator teſtatur, indicat enim ſe indignum eſſe, qui faciem ad Deum ac cœlum levet; quod eſt quaſi ſupplicium ſponte aſſumptum ad puniendum & eluendum peccatum. Eo indicio demonſtravit ſuam pœnitentiam Publicanus, & in oratione ſua Manaſſes, nec non filius prodigus dicentes, quod jam non eſſent digni qui cœlum aſpicerent. Ruben etiam primogenitus Jacob ob inceſtum ſuũ pœni-

tens & confusus fatetur in libello, qui Testamentum duodecim Patriarcharum inscribitur & habetur in Biblioth. Pp. tom. 3. *Usque ad mortem nostri non habebam fiduciam aspiciendi in faciem Iacob vel loquendi alicui fratrum propter opprobria: & usque nunc cruciat me conscientia mea de peccato meo. Ex tunc igitur custoditus sum & non peccavi* Econtrà non erubescere de peccato, impoenitentis signum est, juxta id Jerem. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Unde S. Gregorius in ps 1. poenitent. ait: *Illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequatur peccatum.* De illis Ezechielis cap. 2. dicitur: *Filii dura facie & indomabili corde,* hoc est, impudentes, quia *non erubescebant neque illos pudebat scelerum,* ut ait Theodoretus.

Ad eundem habitum spectant lachrymæ, quæ & ipsæ luculentum poenitentiæ sunt indicium. Indicium enim sunt amoris erga Deum, quem dolent esse offensum. Ita enim Judæi ex lachrymis Christi super morte Lazari fusis colligebant ejus in ipsum amorem: *Ecce quomodo amabat eum!* Joannis undecimo. Ad amorem enim spectat, dilecti damna sentire ac pro eis dolere. Sunt autem peccata quædam damna Dei, quo modo in eum cadere possunt; quia ipsum invadunt & è gloria ac possessione sua quasi exturbatum volunt. Rursum uti ex sanguinis effusione hominem agnoscimus graviter vulneratum: & eo gravius, quo plus effudit sanguinis: ita è fluxu lachrymarum, quæ sunt quidam animæ sanguis, cognoscimus animam peccatoris valde sauciatam, & hoc ob amorem offensi summi boni sui. Propterea sanctus Gregorius Nazianzenus tractatu 2. de bapt. dixit; *Poenitentes recipio, si lachrymis rigatos videro.* Tanta enim est inter animam & corpus connexio, ut nequeat facilè animi dolor ita claudi interius, quin aliquo modo erumpat exteriùs: sicut nec strepitus ita cõtineri in superiori parte domûs, quin redundet in partem inferiorem. Talia poenitentiæ indicia dedere David, Magdalena, Petrus aliique poenitentes. Sanè de Magdalena & Petro lachrymas profundentibus, nihil legimus, quod dixerint: solæ amborum lachrymæ testes sufficientissimi fuêre poenitentiæ ipsorum. Unde sanctus Ambrosius in Lucam ait: *Lachrymas Petri lego, satisfactionem,* (hoc est, exculationem) *non lego*, quia scilicet ipsius lachrymæ satisfactio proprie dicta (non excusatio) & peccati expiatio fuerunt. Unde ibidem ait Ambrosius: *Lachrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur.* De congruo intellige, ut loquuntur Theologi, non de condigno.

Denique eò pertinent quæcunque afflictiones, poenitentiæ causa susceptæ; quæ omnes ducunt peccatorem ad Christum, eique reconciliant, ac proinde nequaquam vanum poenitentiæ sunt indicium. Talis fuit afflictio Jobi, qui ad levissima licet expianda peccata vexationem sibi à Dæmone irrogatam auxit alia spontanea sedendo foris in sterquilinio, cùm utique domum haberet, in qua sine dubio commodius & absque pudore suis consulere miseriis posset, ut expendit Divus Thomas. Talis Davidis Regis, quando fugere Absalonem habitu poenitentiæ pedibus incedens maluit, quam intra munitiones se tueri & armis defendere; donec ita placato Domino exercitum conscribere cogeretur: rursum quando ob peccatum suum & filii desperatam valetudinem pronus in terra jacuit jejunus, &c. Omnia hæc & similia opera poenalia syncerae poenitentiæ non inania sunt argumenta, præsertim quando quis agnoscit parum adhuc & nihil esse, quidquid pro peccatis suis patitur & agit, proinde ad majora alia & quæcunque tandem supplicia sustinenda paratus; adeoque non modò non deprecatur poenam, sed minus esse intelligit, quidquid tandem patitur; dicens cum Hebræis illis Judicum decimo. *Peccavimus: redde tu nobis, quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos:* quando cum Jona dicit: *Si propter m orta est hæc tempestas, mittite me in mare.* Jonas primo, & cum David: *Ego sum qui peccavi. vertatur obsecro manus tua contra me.* Secundò Regum vigesimo quarto. Hi sunt passus, quibus ad Christum itur & vera poenitentia demonstratur, quos etiam in parabola filii prodigi non obscurè ostendit Christus, quando asserit eum in se reversum dixisse: *Surgam & ibo ad patrem meum & dicam: Pater peccavi in coelum & coram te.* In verbo *Surgam* habemus agnitionem & detestationem peccatorum: in verbo *Ibo ad patrem*, habemus externas corporis afflictiones: in verbo *Dicam*, habemus propriam accusationem. Quisquis ergo potentia resipiscentiæ & suæ cum Deo reconciliationis indicia quærit, his vestigiis insistat: Surgat, fabuletur, ambulet cum Romano illo adolescente: vel cum hodierno resideat, loquatur, & ad Christum vadat.

THEMA III.

Civitas pulchra quænam.

I. *Quæ speciosas habet turres, hoc est, Magistratus bonos.*

II. *Quæ curiam habet magnifioam, hoc est, justitiam bene administratam.*

III. *Quæ domos habet ornatas, hoc est, honestos incolas.*

IV. *Quæ domos habet pulchro ordine constructas, h.e. legum observantiam.*

V. *Quæ plateas habet amplas, hoc est, pacem & concordiam.*

VI. *Quæ plateas habet mundas, h.e si sua quisq; non aliena curet.*

V.I. *Quæ habet vicos stratos, & complanatos, h.e, liberos à scandalis.*

VIII. *Quæ templum habet nitidum, hoc est, cultam pietatem.*

Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

ITa usus jam obtinuit, ut cum laudare civitatem aliquam volumus, à pulchritudine laudemus. Si quam enim laudes à magnitudine, non satis laudasti: si à loci situ & amænitate, necdum extulisti: si à divitiis, parum adhuc dixisti: si à monumentis, necdum satis laudasti. Pulchritudinem & decorem ejus prædicare debes, ut dignis eam laudibus celebres. Hujusmodi fuisse videtur Naim, de qua in hod. Evangelio; siquidem vocabulum pulchræ civitatis sortita est (Naim enim hebr. idem est quod *pulchra*, seu *pulchritudo*,) utique ab ipsius pulchra structura, turrium ædiumque decore & similium ornamentorum. Commendari etiam nostra civitas potest à præcellentia Metropolitana, à munitione, ab excelso Archiducali Regimine, ab alma studiorum Universitate, à situ & amænitate loci. Nondum tamen satis videor eam laudasse, nisi etiam pulchram, nisi Naim dicam. Sed qui talem appellem, si pulchritudine non excellit! Video modum Audit. si nimirum pulchra & ornata sit bonis moribus. Pulchritudo hæc moralis nulla comparatione superat alteram artificialem. Illam autem habere, si velit, potest. Itaque ut velit, laboremus. Pulchra ergo civitas est.

I. *Quæ speciosas habet turres, Magistratus bo-*

I. Quæ speciosas habet turres. Per has jure merito intelligo civium capita & Magistratus, qui præ cæteris eminent & in conspectu omnium sunt, quemadmodum & turres supra civium domos extant. Sic appellantur Isa. 30. *Erunt super omnem montem excelsum elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres.* Ubi per turres intelligit Principes & capita Gentilium, quæ dum starent, continebant adhuc gentilismum in flore & vigore; ubi verò ea prostrata sunt sub Constantino M. tunc una cum illis cecidere Gentiles reliqui, & cœpit prorumpere Evangelium velut rivus aquarum & irrigare totum orbē. Quamdiu turres stant; tamdiu civitatem defendere possunt; si ruant, eam subruent. Hinc Deus Heli Sacerdoti dat signum ruituræ familiæ suæ, ruinam duorum primogenitorum suorum, Ophini & Phinees, velut turrium familiæ. 1. Reg. 2. v. 34. Tanti nimirum est exemplum Principum & Magistratus, ut secum aut sternat aut conservet subditos. Hinc Carolus V. Imp. urbes obiens, solebat in iis requirere tria P. Ecquis videlicet in urbe esset Prætor, Pastor, Præceptor. Ex his enim tribus capitibus dijudicabat cives. Et quidem convenienter SS. literis Sic enim Ecclesiastici 10. dicitur: *Qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Quemadmodum enim is, qui per compendium vult inspicere totam civitatem ejusque situm ac formam, ascendit unam civitatis turrim; inde totam lustrat: sic Carolus V. è tribus illis P. quasi è totidem turribus statim deprehendit, quæ pietas, quæ politia in civibus, quæ in juventute esset disciplina. Probat hoc Plutarchus tr. de his, qui serò à Num. pun. exemplo herbæ, quæ eryngium (Brachdistel) dicitur. Hæc enim si in capræ unius os immittatur, grex totus sistit, donec à caprario ei eximatur. Sic etiam si superiores sese Deo sistant, grex totus sistet se & quidquid ipsi præstiterint, subditi imitabuntur. Consentit Jeremias cap. 21. dicens: *Qui stultè egerunt pastores, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Hebr. *quia ut bruta effecti sunt pastores.* Quid mirum si bruto pastore præeunte brutus grex sequatur? Exempla quærimus? Philippus Macedo, pessimus rei suæ dispensator extitit; sic & sui omnes. Athæneo auctore lib. 4. cap. 20. Nero libidini deditus, noctu lupanaria obibat; idem imitati sunt subditi; itaque *in modum captæ civitatis nox agebatur;* ut Tacitus lib. 13. Annal. Idem videre erat in Saul. 1. Reg. 15. in Manasse. 4. Reg. 21. 2. Paralip. 33. *Rex Ioas,* inquit Josephus lib. 9. Antiq. cap. 8. *à pristinæ religionis cura facilè descivit, moxque & Principes populi consimilem in modum depravati sunt, adeo ut nihil antiquius haberent, quam juris & justitiæ contemptum.*

II. *Quæ curiā habet magnificam h. e. justitiam benè administratam.*

II. Quæ Curiam habet magnificam in medio civitatis, veluti in corde positam, ut omnibus pari celeritate possit adesse periculis, & ab omnibus adiri totamque civitatem inspicere. Curia domus justitiæ est, quæ tunc civitatem condecorat, quando omnibus ex æquo, sine personarum acceptione administratur. Repræsentavit hoc Calanus Philosophus Alexandro M. in corio sicco: illi enim in limitibus dum insisteret, subsiliebat; dum vero in medio id calcabat, totum conquiescebat. Plut. in Alex. Non quiescet civitas, nec acquiescet Magistratui, nisi in medio is constitutus, jus ex æquo omnibus dicat. Id injunxit Deus Judicibus Deut. 1. dicens: *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* h. e. Dei vices geritis, qui æquissimus cum sit, non respicit personam. Cujus sanè vices exactè gessit Hebræorum Judex Samuel, quando ab eo jussus ungere in Regem è filiis Isai magis idoneum, omnes sibi sisti, nullo excepto voluit, ut omnium talenta exploraret, nec aliquis conqueri posset, se non esse visum & auditum adeoque injustè reprobatum; cumque illi primum adducerentur seniores per ordinem, omnes repudiavit, & natu minimum Davidem, quem Isai neglexerat, ipse digniorem viderat, unxit in Regem, & quidem *in medio fratrum ejus,* ut habetur 1. Reg. 16. Causam dat S. Gregorius in eum locum: *ut unctum & medium se esse semper arbitretur. Videat se medium & communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio itaque ungitur, ut sit humilis & sublimis, sublimis in ordine, humilis in æstimatione. In medio item ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat.* Sic ille. Talis Rex Sal-

Salvator noster fuit (cujus typus fuit David) eam ob causam ferè in medio semper inventus, qui (ne procul eamus) cùm abiisset Capharnaum ad sanandum Centurionis servum, statim inde perrexit Naim ad solandam viduam & restituendum ei filium. Non sic Pharisæi, qui adulteram quidem in flagitio deprehensam adduxerunt ad Christum, ut eam condemnaret; non item adulterum, Joa. 8. cum tamen & ipse deprehensus utique sit, si illa deprehensa fuit.

III. *Quæ domos habet ornatas h. e. honestos incolas.*

III. Quæ domos habet ornatas & splendidas. Tales in genere morum sunt, quæ honestos habent incolas, nulla infamiæ labe notatos. Scimus sanè sub V. T. repertas fuisse domos certa quadam lepra infectas, quam vel ex aëris infectione, vel ex ipso leprosorum contagio contrahebant, vel certè ex Dei punitione, immisso aliquo verme aut qualitate corrosiva. Levit. 14. Quare jussit Deus erui lapides illos, in quibus erat lepra, ne totam domum inficerent, & projici extra civitatem in locum immundum. Quòd si postmodum reversa esset in eam lepra, domum totam destrui, & lapides ac ligna projici extra oppidum. Quid hæc lepra nisi morum corruptio in quorundam ædibus, quales sunt lusoriæ, amatoriæ & similes? *Infelices illæ domus sunt, quæ nihil differunt à theatris*, inquit S. Gaudentius tr. 1. de Evang. lect. Una hujusmodi infamis domus plures alias inficit, nec non toti civitati affricat suam infamiam, sicut toti domui unus infamis incola. Et dicite quæso, cur hod. vidua dilectissimum filium effert in sepulchrum extra civitatem, quemadmodum & nos facimus cum defunctis nostris, etiam dilectissimis? cur domi non retinemus, nisi quia fœtore suo inficerent domos nostras adeoque nos quoque secum perderent? At quid hæretici, adulteri, raptores, meretrices, scortatores, blasphemi, ebriosi & similes nisi cadavera? Hinc rectè S. Petrus Episcopus Alexandr. præcepit presbyteris, ne in cõmunionem reciperent Arium, *quem Deo mortuum esse sciret*, ut dicitur in Breviario 26. Nov. Idem de similibus judicium.

IV. *Quæ domos habet pulchro ordine cõstructas h. e. legum observantiam.*

IV. Quæ domos habet non promiscuo, sed distincto ordine constructas & in suas classes distributas. Hæ domorum classes juris ordinem significant & legum observantiam, non exiguum civitatis decus & firmamentum, juxta id Ecclesiastici 10. *Principatus sensati* (Gr. *ordinatus*) *stabilis erit*. Ordinem porrò maximam bene constitutæ civitatis laudem esse testatur Plato de Legibus dial. 6. *Ordinis ac legis*, inquit, *cùm civitas particeps est, omnia benefacta sunt*. Probat id exemplo Xenophontis Stobæus ser. 12. *Quemadmodum*, inquit, *lapides, lateres, ligna & tegulæ inordinatè quidem projecta, ad nihil utilia sunt: cùm verò ordinantur deorsum ac sursum, neque putrescunt neque fluunt ac testæ; in medio autem lateres & ligna, tunc domus bene constructa dicitur. Sic in bello licet multos habeamus milites, parum tamen efficient, nisi juxta arma & munimenta corporis, & ordinem collocet.* Par ratio de civitate. Si enim cives nullo inter se ordine nec iisdem legibus vivant; si nulla sit distinctio officiorum, statuum, temporum, locorum, negotiorum & laborum: nulla inter superiores & subditos, senes & juvenes, dominos & servos, cives & exteros, doctos & rudes: rursum si legum non habeatur ratio: si nihil suo loco & tempore fiat: si in una domo serventur stata jejunia, festivæ vacationes à laboribus, in alia non serventur: si una domus hanc, alia aliam religionem seu potius sectam tendat, quale erit chaos? quæ inter eos confidentia? quæ concordiæ stabilitas? Nonne tunc ea civitas similis erit domui collapsæ & dissolutæ, quæ nec speciem quidem domus habeat? Itaque tu (Clerice) supplex ora: tu (Prætor) protege: tuque (opifex) labora, & sic de cæteris.

V. *Quæ plateas habet ampla[s] h. e. pace[m] concor[diam].*

V. Quæ plateas habet latas, ut sine compressione facilem dent viam quibuscunque transeuntibus. Largæ hæ plateæ pacem & concordiam denotant, civitati pernecessariam, ut pulchra dici possit; quæ ideo *civitas*, quasi *civium unitas* dicta est, ut Honorius Augustodun. tract. 2. scribit. Olim, ut scribit S. Gregorius lib. 19 moral. c. 13. *mos veterum fuit, ut seniores in porta consisterent & causas introëuntium judicarent, quatenus tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret.* Debebant ergo Judæi, si quid litis haberent, prius id deponere ad portam civitatis, quam illam ingrederentur. Multò æquiori jure servaretur hoc à Christianis, qui in Christo baptizati *Christum induerunt*, ut ait Apostolus ad Gal. 3. addens: *non est Iudæus nec Græcus; non est servus nec liber; non est masculus nec fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Et sanè ex hac animorum unione laudat Ecclesiam Christianam Psalmista Psal. 86. his verbis: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Sed unde? subdit: *Ecce alienigenæ & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* q. d. En Ecclesiam constantem ex variis nationibus, albis & nigris, Principibus & servis, doctis & rudibus. Addit: *Nunquid Sion dicet: homo & homo* (h. e. plures homines) *natus est in ea?* q. d. num in tanta diversitate divisio est inter eos, inter hominem & hominem: & non potius unitas & unus homo, & una anima? Et tales quidem erant Christiani, in monte illo Sion, per adventum Spiritus S. ita conglutinati, ut fierent *cor unum & una anima*. Act. 2 & 4. Tale quid videntur præstitisse cives Naim, ut meritò *pulchra & gloriosa* etiam dici queat; nam qui portabant mortuum, Christo tangente feretrum, simul unanimes steterunt. Quod, si faciant etiam cives, quoties Magistratus vel nutu manus aliquid jubet, merebitur & ipsorum civitas dici *pulchra & gloriosa*. Sanè Plato Dial. 5. talem civitatem fore beatam omnique gaudio cumulatam ait; sed non nisi à Diis incoli eam putabat. Talem Agesilaus mœnibus non egere dixit, eo quod unio civium pro mœnibus sit, qualis erat Sparta.

VI. *Q[uæ] pla[teas] ha[bet]...*

VI. Quæ plateas habet mundas, atque ut tales conservet statis temporibus expurgat. Faciet autem hoc si jubeat unumquemque vertere præ foribus suis,

as, h.e quis- non a- curet

suis. Secundum mores istud fiet, non minima civitatis laude; si cives non curiosè rimentur aut investigent aliorum acta, sed ad sua attendant. Maxima in quibusdam civitatibus molestia est, quod vix passum aliquis facere possit, quem vicini non examinent, quo tendat & quid velit; seipsos interim negligant, similes illi Lamiæ, apud Plut. de curiositate, quæ cum foras iret, fictitios oculos accipiebat, quibus omnia in foro curiosissimè lustrabat: eosdē vero domum rediens, ad fores appendebat, vel in vasculo reponebat. Dudum hoc inhibuit Hebræis Deus, cum mandavit Deut. 24. *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi; non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit,* ne videlicet alterius domum curiosius perlustres. Quod si nec pro pignore alienam intrare domum licuit Judæis, quomodo liceat Christianis, nulla prorsus suadente causa, rimari aliorum domos vel negotia? Verrat unusquisque præ foribus suis, & expurget propriam mentem, ac relinquat alios. Moysi præcepit Deus, ut mitteret manum in sinum suum, quod ubi is fecit, extraxit leprosam instar nivis. Exo. 4. quo nimirum humilitatis suæ monumentum haberet in manu thaumaturga, secundum Theodoretum. Idem faciat unusquisque & satis lepræ in se ipso deprehendet; unde humiliter de seipso, de aliis melius sentiat.

II. ha- vicos os & lana- h. e. os à lalis.

VII. Quæ habet vias atque vicos stratos lapidibus & quidem belle complanatos. Vitiant civitatem scabræ & asperæ viæ; multò magis scandala & publica peccata, in quibus velut in lapidibus homines impingunt. Hæc enim sunt illa zizania, quæ evellere voluerunt Angeli, sed dilati sunt ad tempus; ad extremum verò mittentur, *ut colligant de regno Dei;* (Ecclesia) *omnia scandala.* Matth. 13. homines videlicet, scandala præbentes. Angeli hi Magistratus denotant, qui, cum zizania dignoscuntur à tritico nequaquam prohibenter ea evellere; sed tenentur potius. Ut viæ civitatis bene stratæ sint, necesse est lapides altius extantes deprimere, depressos verò erigere. Sic in civitate illi, qui offendiculo sunt aliis, deprimendi sunt: ii vero qui inculpatè in humili loco degunt, producendi & honoribus evehendi. Quæ duo Democritus sola & unica Numina credidit, *Pœnam* scilicet & *Beneficium.* Eadem Pius IV. Pp. in symbolo suo gessit sub imagine lauri & virgæ; præmio scilicet & pœna. Caussin. l. 2. symb. c. 2. His enim duobus mediis conservantur civitates; sicut econtra dixit Antisthenes philosophus, tunc perire civitates, quando bonorum & malorum nullum discrimen habetur.

Lapides nimium depressi sunt illi, qui cum ad Magistratus gerendos digni & idonei sint, minimè producuntur aut promoventur: nimium verò elevati sunt, qui licet indignissimi & ineptissimi sint, ad eos tamen evecti sunt; quod videre erat in Oppido Pistoriensi Italiæ; ubi prope horam diei tertiam spectantibus multis asinus tribunal publicum ascēdit & rugitum edidit, dans omen, uti creditum, Terentium arte pistorem, ex humili genere præfectum urbis futurum, uti refert Marcellinus Ammianus l. 27. c. 2.

VIII. Quæ ad extremum templum habet nitidum & piè adornatum. Et quid illud nisi pietatem & Dei cultum ac timorem repræsentat? Sine templo ejusmodi nulla civitas pulchra dici meretur, quantumcunque alioquin ornata sit; quin imò popina vel caupona potius erit, qualem se Maroneæ deprehensurum etiam velatis oculis dixit Stratonicus Citharista, potans cum sociis. Ajebat enim si per civitatem oculis tectis quacunque tandem duceretur, cogniturum se, quo in loco civitatis esset. Opertis deinde oculis deductus & interrogatus, ubinam esset? in caupona, respondit; tanquam caupona foret tota civitas. Athenæus l. 8. Dipnosoph. Sine Dei cultu quid nisi Maronea & temulenta civitas erit urbs quæcunque? Non fuisse talem civitatem Naim colligimus ex fine hod. Evangelii, in quo legimus: *Accepit autem omnes timor & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.* Pulchra imò pulcherrima fuit Jerosolyma, quamdiu in ea templi reverentia & cultus Dei inviolatè conservatus stetit. At ubi templum profanare & in emporium ac tandem in propugnaculum bellicum cōvertere Judæi cœperunt, tum urbs defloruit & eversa est. Salomon, qui templum extruxit, dum in eo verum Deum coluit, pacem & prosperitatem habuit; at ubi phana Gentilium suis uxoribus struere incepit, rebelliones & clades accepit. Templa igitur sunt munimenta urbium, vel Cicerone Gentili teste, qui l. 3. de nat. Deor. ait Romanis: *Diligentiore urbem religione, quàm ipsis mœnibus cingitis.* Hinc Thren. 2. dicitur: *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manu inimici muros turrium ejus.*

VIII. Quæ templum habet nitidā h.e. cultam pietatem.

Atque hac ratione, qua diximus, si civitas nostra constituta sit, verè pulchra & Naim adeoque omni laude digna erit, magis quam quæcunque aliæ civitates, quæ à lapidibus & lignis, à fabris & pictoribus pulchritudinem suam accipiunt. Testatur id S. Chrysostomus hom. 17. ad pop. Antioch. his verbis: *Disce quid tandem sit civitatis dignitas, & tunc manifestè scis, quod si habitatores ipsam non prodiderint, auferre poterit alius nemo civi atis dignitatem: Non quod metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinem & ornatum, neque quod multas habeat columnas & porticus & deambulationes, neque quod ante alias civitates prædicetur: sed inhabitantium virtus & pietas, hæc est dignitas & ornatus & tutela civitatis, ita ut si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab Imperatore consequatur honorem.* Sic ille. Cum Chrysostomo consentit examussim Marcus Aurelius Imp, qui ajebat, *Urbes & Respublicas gloriari debere non pulchritudine turrium,*

muro-

murorum, domorum aut platearum, sed virtute præditorum civium. Talis ergo si fuerit nostra civitas, verè Naim, pulchra & gloriosa erit; tunc ad eam veniet Christus eamque consolabitur, defendet & beabit.

THEMA IV.

Cœmeterium schola virtutis.

I. Docet quis & quantus sis.
II. Demonstrat juvenes æquè mori ac senes.
III. Ostendit pares omnes in sepulchro futuros.
IV. Pacem & concordiam inter discordes facit.
V. Ostendit quid sit caro adeò blandè habita & amata.
VI. Ostendit sementem resurrectionis nostræ.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

DOminica superiore exivimus in agrum & spectavimus *lilia agri*, pulchra & odorifera: hodie in agrum rursum evocamur, priori tamen multum dissimilem, minimè odoriferum, minimeque pulchrum. Ecce enim è Naim effertur adolescens, & quorsum? utiq; in cœmeterium; quod nos Germ. *agrum Dei* vocamus, ein Gottsacker. Hic (ni fallor) ager erat, in quem egressus fuit Isaac, cum exspectaret sponsam suam, ad meditandum scilicet res sanctas & cœlestes, qualis certè est mortis meditatio. Atque hæc est optima adolescentum schola, ad quam emitti, vel etiam cum hodierno adolescente efferri deberent, ut in schola mortis discerent benè vivere. Et sanè eo misit Deus Jeremiam & cum eo nos. Jerem. 19. cum ait: *Egredere in vallem filii Ennom.* (quod significat, *Ecce illi*) Septuag. vertunt *Polyandrum*, h.e. ad congeriem cadaverum virorum, seu cœmeterium. Sed quo fine? *Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum; & dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari: & in Topheth sepelientur.* Quod de illa civitate dictum, hoc de nostra intelligemus: omnes enim velut lagunculæ à morte conteremur & in agro Dei sepeliemur. Egrediamur igitur cum Jeremia ad scholam istam, & discamus bene vivere, ut possimus bene mori.

I. *Docet quis & quantus sis.* I. Vide & disce hac in schola quis & quantus sis; terra videlicet, in quam resolveris, & quidem tantilla, quanta est 6. aut 7. palmorum. Audimus quidem crebrò dictum esse à Deo patri nostro Adamo: *Terra es & in terram ibis.* Id tamen cæci mortales plurimi quasi credere non videntur, dum adeò insolescunt, & supra alios homines sese extollunt; donec veniant ad scholam istam, ubi plan convincuntur, quòd non nisi terra sint; quia in ean resolvuntur. Magna cæcitate laborabant Babyloni una cum Rege suo; qui Idolum quoddam Beli pro numine adorabant; quod Strabo l. 16. scribit fuisse statuam auream longitudine pedum 40. mille Babyloniorum talentorum pondere; cui dicatus ex auro erat crater, mille & 200. talentorum, uti refert Diodorus. Hoc fuisse Idolum satis probabile censet Pererius Dan. ultimo. De hoc Rex ad Danielem: *Non videtur tibi Bel esse vivens Deus?* An non vides quanta comedat & bibat quotidie? Verum Daniel *arridens: Ne erres Rex*, inquit; *iste enim est intrinsecus luteus & forinsecus æreus.* Postea accepta à Rege potestate destruxit Belum, & ostendit id, quod dixerat, Belum esse luteum; addens: *Ecc quem colebatis!* Græcè: *Ecce numina vestra!* quod tam de Belo, quàm de Dracone, dixisse credendum, ut advertit ibi Cornelius. Simili cæcitate laborant adhuc quamplurimi, qui ad externum tantummodò splendorem attendentes, putant se vel alios, totos esse aureos, quasi Deos aliquos: nihil luteum, nihil commune cum hominibus habentes; cùm revera toti lutei sint, extra vestimenta, quæ forinsecus gerunt. Id si non creditis, venite ad cœmeterium, & ostendite mihi ex illis aliud quid reliquum, præter pulverem & lutum. Tali cæcitate laboravit Antiochus ille impius, Judæorum persecutor, qui minabatur Jerosolymæ se eam conversurum in congeriem sepulchri. Quare ut eo properaret, jussit agitari currum suum; qui dum magno impetu trahitur, *contigit illum impetu euntem de curru cadere & gravi corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, &c.* ut 2. Machab. 9. Inde vermibus scatens & horrendum fœtens miserè consumptus est. Vidit hoc, sed meliore resipiscentia Philippus Imperator, qui ex equo lapsus in Hippodromo, & resurgens locum, quo in arena jacuerat, cernens dixit: *Ecce quàm exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium stultè affectamus!* Majol. tomo quarto, coll. quarto.

II. Vide hic & disce mori non modò senes, sed & juvenes, pueros atq; infantes. Inspice sepulchra: videbis parva & magna, & totidem ferè parva quot majora. Lege Epitaphia, quot ibi reperies, qui vitæ cursum suum vix inchoarunt aut dimidiarunt, & abrepti sunt! Daniel cùm disperso in pavimentum phani cinere, deprehendisset non Idolum Beli, de quo ante diximus, sed sacrificulos eorumq; uxores & liberos noctu devorare, quæ apponi solebant Belo, esculenta, ostendit Regi vestigia eorum, cineri impressa dicens: *Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sint hæc. Et dixit Rex: Video vestigia virorum & mulierum & infantium.* Dan. 14. Videatur

tur

tur quidam juvenes & robuſti viri dum in ſphæriſteriis, choreis & conviviis ludunt, ſaltant, potitant, eſſe, Dii quidam immortales. Verùm aſpice cœmeterium cineribus conſtratum: videbis certè ibi veſtigia & ſepulchra tam juvenum, quàm ſenum, pari ferè numero & facilitate extinctorum, in quorum numerum venit etiam adoleſcens, qui in hod. Evangelio elatus eſt. Non utique ſine cauſa & gravi documento dedit Samuel Sauli inter alia hoc indicium regiæ dignitatis ſibi conferendæ, quod in reditu ad ſepulchrum Rachel inventurus eſſet duos viros, à quibus de inventione aſinarum ſuarum certior redderetur. 1. Reg. 10. Voluit enim admonere deſignatum Regem humanæ fragilitatis, ex ſepulchro Rachel, magnæ ejus matris (erat enim Saul de tribu Benjamin, cujus mater erat Rachel) quæ mortua fuit in ipſo itinere, verno tempore & juxta Ephratam, (id quod inculcat Jacob filio ſuo Joſepho Gen. 48.) ut metuerent juvenes & cum ipſis Saul, ne & ipſi ſimili fato tollantur, in itinere ad regiam vel aliam quamvis dignitatem, verno etiam florentis juventutis tempore: juxta, non intra Ephratam h. e. *frugiferam* virorum ac ſenum ætatem. Idem alia ſimilitudine proponit Iſaias cap. 24. his verbis: *Quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Olivæ decutiuntur ex olea, quando adhuc acerbæ & immaturæ ſunt: contrà vero botri ex vite non colliguntur niſi quando maturi ſunt. Sic nimirum tollit cæca mors non ætate maturos tantum, ſenes, ſed & immaturos, juvenes.

III. *tendit res om-s in ſe-lchro turos.*

III. Vide & diſce hic nihil jam diſcriminis eſſe inter nobilem & ignobilem, divitem & pauperem, doctum & indoctum, ut proinde nemo debeat alterum contemnere, vel ſupra alium ſe extollere; cùm cœmeterium oſtendat nos omnes eſſe pares, æquè anguſto claudi tumulo, æquè computreſcere, æquè fœtere & à vermibus depaſci. Pulchrè S. Ambroſius l. de Naboth. cap. 1. *Ceſpes anguſtus*, inquit, *æquè & pauperi abundat & diviti: & terra, quæ viventis non cepit affectum, totum jam divitem capit.* Bene etiam Alphonſus Rex Aragonū interrogatus: *Quanam res Principes ac privatos, divites ac pauperes æquaret: Cinis*, reſpondit. Panormit. libro 4. de geſtis ejuſdem. Didicit hoc ipſum magno ſuo bono noſter B. Franciſcus Borgias, quando adhuc Gandiæ Dux vidit Auguſtæ ſpecioſiſſimæ, (Caroli V. conjugis) Iſabellæ funus, poſt aliquos dies, fætore & horrore plenum, quodq; exiguus tumulus ſceptra, coronas ac regiam majeſtatem exciperet clauderetq;. Inde enim ſæculo valedicere & Deo ſervire ſtatuit, aſſerens: *Auguſtæ mors mihi vitam attulit.* Ribad. libro primo vitæ capite 9. Simile ſpectaculum deſcribit ſanctus Auguſtinus ſermon. 48. ad fratres in Eremo in hunc modum: *Cùm eſſemus* (ego ſcil. & mater) *apud Oſtia Tiberina matre charitatu ſociati, expectantes temporis tranquillitatem cauſa remeandi ad Africam, & gratia illius, cui terra & mare obediunt, compulſi à Pontiano præfecto viro clariſſimo, qui de Roma ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reverſi ſumus ad intuendum diligentiùs magnifica ædificia & opera paganorum. Et ductus ſum cum cæteris ad videndum cadaver Cæſaris in ſepulchro, & vidi quòd omnino eſſet livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, & vermium per illum catervas tranſeuntes proſpexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum paſcebantur, crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis conſumptis, & revelatum erat narium fundamentum. Et intuens matrem Chriſtianiſſimam, dixi: Vtinam eſt Cæſaris corpus præclarum, ubi multitudo dominorum, ubi caterva baronum, ubi acies militum, ubi canes venatici, ubi equi veloces, ubi aves cantantes, vel thalamus pictus, ubi lectus eburneus, ubi torus regalis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria veſtimentorum, ubi capilli ſolares, ubi facies decora, ubi omnia quæ ſub cœlo ſunt? Te namque verebantur homines, te timebant Principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Vtinam quæſo ſunt hæc omnia, à quo receſſit tanta jactantia? Quo ivit tua magnificentia. Et reſpondit mater pietate plena: Fili omnia ſibi pariter defecerunt, quando defecit ſpiritus ejus, & dereliquerunt eum captivatum in ſepulchro trium brachiorum plenum fœtore & putredine. Eja ergo fideles Chriſti conſiderate quid jam ſumus.* Et paulò ante: *Eunces vos ô juvenes & potentes ad ſepulchra patrum veſtrorum, conſidetare quid fuerunt & quid ſunt. Monumenta aperiamus eorum & videamus quis dominus & quis ſervus, quis pulcher, quis turpis, quis rectus, quis curvus inter eos fuerit. Apertamus oculos corporis & mentis, & noſtram grandem miſeriam frequenter non pigeat conſiderare. Intremus ſepulchra & quid inveniemus vel quæ? Nam ſi reſpexerimus inveniemus mortuorum capita, renes & ventrem. Verum & indubitanter verum, mihi experto credite, quia in capitibus invenietis bufones ſaltantes generatos ex cerebro. In renibus ſerpentes generatos, in lumbis ambulantes. In ventre vermes ſcaturientes generatos ex viſceribus. Ecce quid ſumus & quid jam erimus, ecce in quod reſolvimur.* Bene igitur Gregorius Nyſſenus orat. 2. de beatit. monet. adeunda crebro cœmeteria velut officinam modeſtiæ & humilitatis.

IV. *Pacem & concordiā inter diſcordes facit.*

IV. Vide & diſce quanta ibi ſit pax & concordia inter omnes ſepultos, etiam eos, qui prius dum viverēt, inter ſe capitales inimicitias gerebant, nec in una domo, minus in eadem menſa ſe mutuo tolerabant. Ibi namque in eodem cœmeterio, in eodem tumulo, in eodem oſſuario, ſumma pace omnes cohærent. Quis hoc efficere potuiſſet, dum illi in vivis eſſent? mors id efficit. Hinc Senec. l. 3. de ira c. 43. *Quid ſervo*, inquit, *quid domino, quid Regi, quid clienti tuo iraſceris? Suſtine paulum: Venit ecce mors, quæ nos pares faciat.* Anno 1609. Baronis Warthonis Angli filius natu major in luſu Joannem Stuardum, Angliæ Regis cognatum, mendacii redarguit, ideo-

ideoque à Stuardo colaphum accepit. Inde ad duellum prope Londinum egressi ambo se mutuis vulneribus confoderunt: postea jussu Regis in eodem sepulchro humati sunt. Refert Emmanuel de Metern. l. 29. hist. Belg. En qui ob unam alapam & unam contumeliam simul stare in vasto Angliæ regno non potuerunt, postea in angusto uno tumulo summa tranquillitate persistunt usque ad diem judicii. Idem contigit Alberto Austriaco & Adolpho Nassovio, dimicantibus pro imperio postea Basileæ sepultis in eodem loco, vix palmâ inter se distantibus; ut dixi alibi ex Gerardo de Roo l. 2. hist. Austr.

Trip. 5. Dom. post Pent c. 5. E.

Apum examina quandoque inter se integra contendunt: sed injectu pulveris dirimuntur; teste Virgilio in Georg. Duo dimicasse visa sunt illarum examina in oppido Plure, Vallis Telinæ, paulò ante urbis oppressionem, ann. 1618. quæ ubi utrinque mortuæ conciderunt, una cum oppido, montis ruina oppressa sunt. Sic profecto qui in vita nullis artibus permoveri possunt, ut deposito mutuo odio, pacem amplectantur, tandem in sepulchro, cùm eis pulvis terræ injicietur, convenire inter se incipient. De quo intelligere possumus, quod Ps. 48. dicitur: *Sicut oves in inferno* (in sepulchro intelligunt Hebræi) *positi sunt: mors depascet eos*, vel ut legit Aug. *mors pastor est iis*. Jacent ergo defuncti velut oves in cœmeterio, sub pastore morte: qui in ovili Ecclesiæ sub pastore Christo convenire noluerunt; atque utinam non jaceant simul in inferno inferiori.

V. Ostendit quid sit caro adeo blande habita & amat[a]:

V. Vide & disce quidnam sit caro illa, quam adeo hic amant, & ad insaniam usque depereunt miseri mortales. Vide cadavera, vide nudata & vermibus exesa ossa, vide capillos calvariis detractos. Hæccine est illa Jezabel, quæ paulo ante tā formosa se ornavit & stibio depinxit. Nihilne ex tanta pulchritudine reliquum præter hæc ossa? Ubi frons oculi, genæ: ubi potentia & majestas regia? Hæc cogita & vide, num hæc ossa possis amare. *Nihil enim*, ait S. Greg. 26. mor. c. 29. *sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet; quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset.* Confirmat hoc B. Petrus Damianus epist. 26. l. 6. Epis. hac narratione: *Novi fratrem in Christo*, inquit, *qui distractam hanc mentis suæ regulam jugi ac pervigili servat intuitu, ut quotiescunque libidinis suggestio subrepit, mox cogitationi suæ velut expeditus ad proficiscendum dicat: Eamus*, inquit, *ad circam illico omnia cœmeteria ac sepulturas imaginando perlustrans, putrescentium virus saniemque cadaverum, scatentes quoque vermes & fætentium jus carnium curioso rimatur intuitu: cumque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate florentes his subjacuere molestiis, corpus etiam suum paulò pòst futurum non ambigit, quod illas esse jam cernit.* Retractus à libidine, ad quam explendum jam pergebat, Elias Eremicola est, dum in via absorptus quasi ab hiatu terræ vidit in sepulchris corpora mortuorum putrida & fætentia, audiitque à reverenda specie viro: *Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri: fuere jam ut vis.* Qui præ nimio fœtore & horrore corruit, post erectus & correctus rediit in cellam suam. Pratum spirit. c. 19. Ignis incendium terræ injectu facilè sopitur, & faciliùs quàm aqua: in Milesia quoq; herba est, teste Solino c. 12. quæ accensa ardet, nec aliter extinguitur quàm injecto pulvere. Ergo qui hujusmodi ardorem sentit, eat ad cœmeterium & injiciat sibi pulverem (saltem cogitatione) quem cernit in sepulchris: ita sopiet ignem.

VI. Ostendit sementem resurrecti- onis nostr[æ].

VI. Deniq; in hoc agro vide nostram sementem & spem messis nostræ, non tam sepultam, quam depositam. Hic est enim ager ille sanguinis Christi, in sepulturam peregrinorum. Ager, inquam, figuli illius cœlestis, qui è luto finxit nos, & per mortem frangit atque dissipat: denique in die resurrectionis iterum refinget & *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, uti in domo figuli per figuram ostendit Jeremiæ c. 18. In hoc agro corpus *seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* 1. Cor. 15. Quare uti semine sparsus ager spes est agricolarum: ita cœmeterium spes est Christianorum. Spes dixi, nondum res: quia sicut timet agricola interim dum sperat, ne in agro fruges pereant; ita jure merito timemus etiam nos resurrectionis nostræ messi, ne spem nostram fallat; quia scriptum est: *Spes impii tanquam lanugo* (uti est flos sicci cardui) *quæ à vento tollitur.* Sap. 5.

Multa ex agro semina devorantur à volucribus, ut docet parabola Evangelica Matt. 13. Multa etiam corpora sepultorum in cœmeterio diripientur in die judicii a stygiis illis corvis. Multæ in agris fruges grandine feriuntur: & multi sepultorum in agro illo sancto percutientur fulmine Judicis. Quid igitur agendum ut spes nostra in agro hoc irrita non fiat? utique tales nos esse oportet, quales sepeliri Christus voluit in agro suo Haceldama, empto in sepulturam peregrinorum. Peregrini igitur simus in hoc mundo, quales expetit S. Petrus epist. 1. c. 2. cum ait: *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Si vivamus in hoc mundo sicut peregrini in alieno solo, tunc messis nostra in salvo erit; non est quod timeamus metuendam illam diem. Sanè Artemidorus Oneirocrit. l. 1 c 46. asserit terræ motum omnibus injuriam denotare, præterquam peregrinis. Pari ratione dies illa terræ motus peregrinis nil nocebit: aliis verò omnibus qui terræ hujus cives & amatores fuerint, afferet interitum.

THEMA V.

Omnibus, etiam justis, in timore Domini semper vivendum: stimuli ad hoc.

Vide infra Dom.18.post Pent.th.4.
I. Incertitudo salutis nostræ.
II. Scandala & laquei passim obvii.
III Dei oculus omnia nostra inspiciens.
IV. Dei judicis potentia, sapientia, justitia.
V. Ultimus cum morte conflictus.

Accepit autem omnes timor. Luc.7.

EXploraturus Gedeon, quinam è suo populo apti ad militiam, qui inepti forent, duxit eum Dei monitu ad fontem *Harad* aquatum: ubi ex diverso bibentium modo non difficilè intellexit, qui idonei ad prælium, qui inidonei essent. Jud.7. Pari prorsus judicio possumus deprehendere, quinam apti ad regnum cœlorum, quinam inepti sint; & quidem ad fontem Harad, hoc est, *metus & pavoris* (id sonat *Harad*, ut observat Bened. Arias Jud.7.) Qui enim in timore Dei degunt, aptos se ad cœli regnum: qui sine timore, ineptos ostendunt. Testem adhibeo Sapientem Prov.14. ubi ait: *Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* In quem locum Ven. Beda *Sicut stulti*, inquit, *est de sua alacritate confidere, torrentem rapidum vel voraginem latiorem saltu velle transilire, sapientis autem ad planum vel pontem divertere: qui peccatum, quantum valet, declinat, timens ne involvatur malis, sapiens est; stultus autem ille, qui contemptim peccat, blandiens sibi.* Porro ut salutaris ille timor nobis ingeneretur, adeoque in numero sapientum & electorum nos constituat, præstantes ejus timoris stimulos aliquot videamus & nobis injiciamus.

I. *Incertitudo salutis nostræ.* 1. Primus est incertitudo salutis nostræ. Nescimus enim inprimis, utrum in Dei gratia simus, atq; ut hoc sciremus, ignoramus præterea, utrum in ea perseveraturi simus. Ita enim monet Apostolus 1. Cor.10. *Qui stat, videat ne cadat.* Et ad Phil.2. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Similiter Joannes ep.2 *Videte ne perdatis, quæ operati estis.* Et Apoc.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quæ sanè non vulgarem nobis incutere metum deben, cùm hinc dependeat salus nostra, vel perditio æterna corporis & animæ. Navigantes semper in metu sunt, quamdiu sunt in mari, tametsi vitam & fortunas suas solùm temporales perdere possunt; quanto magis timemus nos, qui dum vivimus, de æterna salute periclitamur? Quare *sicut mercatores inter navigandum*, inquit S. Macarius senior hom.43. *etsi ventum propitium & mare tranquillum nacti sint, necdum ad portum pervenerint, metuunt ne quomodo repente contrario vento excitato æstuet mare & navis periclitetur: sic & Christiani licet habeant in se prosperum ventum S. Spiritus adhuc tamen formidant, ne ventus adversariæ potestatis insurgat, qui flet & tempestatem fluctusque moveat animis eorum.* S Chrysost. hom. 8. in Epist. ad Phil. expendens id Apost. ad Phil. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*, ait, *Artifex etiamsi peritus sit & valde artificiosus, cum timore tamen & tremore stat metuens ne ab ædificio decidat: & tu credidisti, multa bona parasti, in sublime ascendisti caute teipsum continebis & cum timore stabis oculumque vigilantem habebis, ne inde decidat. Sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te dejicere conantur.* Non fuit in populo Hebræorum dignior imperio, quam Saul; & tamen ille è Dei amicitia lapsus & reprobatus est. Non erat vir ita secundum cor Dei, uti erat David, & tamen ille Dei gratia excidit, non uno sed duplici lapsu: tametsi in gratiam postliminio rediit Non erat sapientior quisquam Salomone, & tamen & ipse ad extremum dementatus & gravissimè lapsus est: incertum, an resipuerit. Ecce inter tres primos Hebræorum Reges, primus initio regni, secundus in medio, tertius in fine gratia Dei excidit, cum priùs essent omnes dilecti à Deo & virtutibus præcellentes. Quis ergo sibi non metuat? Unde S. Hieron. ep. ad Salviam scribit: *Si David amicus Domini, & Salomon amabilis ejus, victi sunt quasi homines ut & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exempla præberent: quis in lubrica via lapsum non metuat?* Quin imò quo virtuosior quis est, eo magis habet, quod timeat. Ita enim S. Greg. M. l.6. moral. c.24. *Anchora cordis*, inquit, *est pondus timoris; & sicut majoribus & ditiorib. navibus major anchora opus est: ita quo justior homo, majore timore eget.* Hinc bene de S. Simeone dixit S Lucas c. 2. *Simeon justus & timoratus.* Quia enim justus erat, anchoram timoris annexam habere justitiæ suæ debuit. Unde Galfridus in eum locum: *Ne mireris*, inquit, *si timuerit justus, & in quo Sp.S. erat Non enim erat vacuus coram latrone viator; & quomodo non timeret? Thesaurum habebat magnum in vase fictili, & timoratum fuisse miraris? Tua credo securitas aut de inopia aut de ignorantia est. Aut non deest, quod possit auferre aut deesse jam putas, qui possit auferre. Time igitur vel ob hoc ipsum, quod te invenis non timentem* Sic ille.

II. Secundus est scandala & laquei passim undiq; tensi, quos inter ambulare & non capi difficillimum est. Audimus certè Isaiam nobis occinentem c.24. *Formido & fovea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit. Qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam: & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* q.d. sicut feræ in sylvis à venatoribus, ita homines in hoc mũdo agitantur & capiuntur à dæmonibus. Si feræ terriculamentum (funiculum pennis volubilibus instructum) fugiant, cadunt in foveas, inde si emergant, incidunt incurrunt in canes, inde in sclopetarios. Sic ferè contingit hominibus, dum fugiunt laqueum unum, incidunt in alium Quæris solitudinem? incurris desolationem; fugis solitudi- II. *Scandala & laquei passim obvii.*

 nem?

nem? incidis in perversos socios fugis istos? pateris obtrectatores triumphas de istis ? invadet te vana gloria, ut advertit S. Leo ser. 8. de Epiph. *Hæc*, inquit, *Sanctis causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneāt in infirmitate naturæ.* Omnes hos laqueos vidit S. Cyprian. l. de mortal. *Quid aliud*, inquit, *in mundo, quàm pugna adversus Diabolū quotidie geritur? quā adversus jacula ejus & tela cōflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cū impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est: obsessa mens hominis & undique Diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat.* Notum est S. Antonio ostensum à Deo mundū laqueis plenum undique usq; ad cœlos, ita ut exclamaret: *Domine quis evadet laqueos istos?* Qua etiam de re audiamus Euseb. Emiss. ho. 4. ad Monach. *Nemo*, inquit, *de præteritis securus sit. Tāti laquei objecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes observant & custodiunt iter nostrū, tantæ foveæ & tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interjacent inter nos & finē nostrum: via ipsa, quæ per se ardua & arcta est, tantis spiritualium latronū insidiis obsidetur, tantos nos scopulos tantosq; fluctus trāsire necesse est, & videre, antequam anchoram optato in littore collocemus, & putamus nos de præteritis esse securos, & sine quotidiana cura, & sine quotidiano timore & tremore diem nostrum transigere debere? Quis transiens super alicujus profunda fluminis per arctissimi pontis angustias, etiamsi majorem partem inoffenso transmiserit pede, jam periculum evasisse se credat, cùm in ultimo pontis spatio si paululùm titubaverit, casum quem in medio spatio timebat, incurrit? Sic nos etiamsi magna pars vitæ istius prospere videatur fuisse transacta non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur: Quis in acie positus ante finem certaminis, aut ante victoriæ sententiam arma deponat?* Itaque continuò in acie nobis standum, nec arma deponenda sunt, quia uno debellato hoste, succedit alius, hoc subacto tertius: quod nunciavit Regi Syriæ Benadad, Achab Rex Israel verbis illis: *Ne glorietur accinctus æquè ac discinctus.* 3. Reg. 20. Ubi glossa ordinaria ait: *Providēdum est servis Dei ne secundum exemplum Achab perniciosa servitute sibi blandiantur, quamdiu hostis vivit, ne dum se quasi victores arbitrantur, per fraudem Diaboli pacem promittentis citius elidantur.*

III. *Dei oculus omnia nostra inspiciens.*

III. Tertius est Dei oculus, omnia nostra, quæ agitamus, inspectans & observans. Hūc proponit nobis S. Chrys. hd. 8. in Ep ad Philip. ita scrib. *Quomodo comparabitur iste timor? si cogitaverimus Deum ubiq; præsentem esse, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde sunt, & in profundo animi. Dic mihi si tibi semper proxime Principem standum esset, non cum timore adstares? quando comedis cogita præsentem esse Deum: adest enim. Quādo dormiturus es, quando irasceris, quādo rapis, quando deliciaris & quidquid tādem feceris, cogita adesse Deum, & nunquam in risum incides, nunquam ad iram accenderis. Si cogitationem istā semper habueris, semper in timore eris ac tremore, tanquam si prope Regem adstes.* Audimus igitur ex Chrysostomo astandum nobis semper esse in cōspectu Dei, sed & hinc exoritur causa formidandi. Audimus enim Isa. 58. reprehendi eos, qui *appropinquare Deo volunt.* Sunt autē illi, qui de Dei bonitate nimium præsumunt: sicut econtra nimium à Deo se elongant, qui ejus bonitati stultè diffidunt. Scitè Alex. M. interrogatus, quomodo ad Principē accedendū esset, resp. *Tanquam ad ignem, ut neq; ad eum nimis prope accedas, ne comburaris: neq; procul nimis abscedas, ne frigescas.* refert Jansenius apud Octav. de Tufo in c. 13. Eccles. v. 13. Pari ratione videtur etiam apud Deum nec prope nimis accedendum, nec procul abscedendum. Si de ejus clementia nimiùm præfidamus, certe nos comburemus: si diffidamus, gratiæ ejus calore destituemur & frigebimus. De nimia cum Principe familiaritate ait Eccles. c. 9. *Si accesseris ad illum, noli aliquid committere* (græcè *delinquere*) *ne auferat vitam tuam. Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Quem loc. explic. S. Aug. in Ps. 141. *Ignoras*, inquit, *quia in medio laqueorum ingredieris? ait Scriptura. Quid est in medio laqueorum? In via Christi. Et hinc laquei, & hinc laquei: laquei à dextris & laquei à sinistris. Laquei à dextris, prosperitas sæculi, laquei à sinistris, adversitas sæculi: laquei à dextris promissiones; laquei à sinistris terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat.* Ut ergo periculum est in prosperis, periculum & in adversis ita periculosum est de Deo nimium sibi promittere, & nimium diffidere. Quid igitur factu opus? Medium tenendum: ex parte bene in Deo sperandum, ex parte non parum timendum; id quod in duobus Samsonis parentibus mirè expressum est; cum pater quidem Angelo conspecto sibi metuens diceret: *Morte moriemur, quia vidimus Deum*, mater verò confidens responderet. *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset.* Jud. 13. *Quid est*, inquit D. Greg. 6. mor. c. 23. *quod ad visionem Angeli vir est timidus, mulier audax; nisi quod quando cœlestia nobis monstrantur; spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit?* Jam verò & hinc exurgit timor, quia nescimus utrum medium hoc constanter teneamus.

I[V]. *Dei Judicis potentia, sapientia, justitia.*

IV. Quartus, Dei Judicis nostri invincibilis potentia, infallibilis sapientia, inviolabilis justitia. *Quis vero non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum & justissimum:* inquit S. Innoc. 3. lib. 3. de contempt. mundi c. 15. Quis resistet potentissimo? Quis eludet sapientissimum? quis pervertet justissimum? Ipse inprimis nemini delinquenti parcit, qui non pepercit Angelis prevaricantibus; nec servis suis integerrimis, Moysi & Aaroni; quos vel ob unum non

adeo-

admodum grave delictum morti adjudicavit. Deinde propter unius peccatum totam sæpe posteritatem punit, uti sobolem Adami universam ob peccatum parentum: alios sæpe usq; ad quartam generationem; Judæorum gentem ob peccatum parentũ qui Christum occiderunt, usq; ad finem mundi. Unde ait Ex. 20 *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* 3. propter unum lethale peccatum punit in æternum, & quidẽ duplici pœna, privationis summi boni & dejectionis in ignem inextinguibilem. 4. Venialia etiã peccata punit igne purgatorii acerbissimo; & sæpe in hac vita morte violenta, ut patet in uxore Loth, Oza, Propheta seducto aliisq;. S. Hier. in Ep. 22. ad Eustoch. fatetur se ob nimium Ciceronianæ lectionis studium dire in somnio, jussu Christi flagellatum. S. Cathar. Sen. ob levem in oratione distractionem tã acriter à Christo reprehensa fuit, ut diceret malle se coram toto mundo confundi, quam similem cõfusionem sustinere. Hinc SS. quiq; constanter timuerunt Deum vel levissime offendere; uti S. Job, qui c. 9. ait: *Verebar omnia opera mea, sciẽs quod non parceres delinquenti.* S. Hilarion moriens timebat Dei tribunal post vitam tam austerè tamq; innocenter actam per 70. fere annos. S. Agathon moriens sibi & operibus suis metuebat; *quia alia judicia Dei alia hominum*, dicebat. Ratio est, quia nos non videmus fundum cordis nostri, & nescimus an in eo vitium aliquod nobis occultum lateat, quo Deo displiceamus: an opera nostra, quæ reputamus bona, vitientur ex aliquo capite: *judicia* autem *Dei abyssus multa*; unde fieri potest ut gratiam suam ob levia etiam peccata sensim nobis subtrahat, nosq; infirmitati nostræ relinquat. Hinc justis omnibus timendi causa existit; ob quam S. Augu. de S. matre sua Monica postquam ejus virtutes dilaudasset, ait: *Væ etiã laudabili vitæ hominũ, si remota misericordia discutias eam*, l. 9. Confes. c. 13. Quod August. dictum citans S. Greg. l. 29. mor. c. 9. ait *Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio torpemus. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicemur: quia districtè discussa ante oculos judicis, unde se maximè placere suspicatur, obruitur.* Hinc illud Dav. ps. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo.*

V. Quintus & ultimus, conflictus, quem cũ morte aliquando & forsan brevi inire cogemur. Qui navi vectus prævidet locum alicubi periculosum, sibi transeundum, v. g. Euripum in Danubio, vel Scyllã & Charybdin in Siculo mari, toto prævio tempore timet & subinde interrogat. Quando deveniemus ad suspectum illum transitum? quantum adhuc abhinc abest? ô si illum superassemus &c. Eodem in timore continuo versantur, qui velut capitis rei in carceribus detinentur. Quantumvis enim in illo commode habeantur & lautè tractentur, timorẽ tamen pellere nequeunt, dum supplicii sui diem præ oculis semper habent. Non ita pridem unus è captivis civitatis nostræ, morti adjudicatus, cùm à patre quodã nostro admoneretur, ne audito funesto mortis nuncio pusillanimis fieret; respondit ille, se pro tempore satis cordatum esse, solum metuere ultimæ horæ suæ, qua supplicio afficiendus esset. Crediderim hoc equidem; sed hæc ipsa hora est, quæ formidine replevit totum illud tempus, quo in vinculis tenebatur. Eccur vero nos & alii omnes salutari mortis timore totam vitam suam condiant, cùm sciant statutum esse omnibus hominibus semel mori & post hoc judicium? ad Hebr. 9. Quid enim refert utrum ex carcere, an ex domo nostra, ad judiciũ extrahamur? Et si SS. etiam viri horam illam transitus sui semper timuerunt, peccatores non timebunt? Ven. ille Abbas Elias dicere solebat: *Ego tres res timeo: Vnam quãdo anima mea egressura est de corpore: aliam, quando occursurus sum Deo: tertiam, quando adversum me proferenda est sententia*, apud Rosvv. in Vit. Pp. l. 5. libel. 3 S. Hier. qui timore gehennæ seipsum in asperum solitudinis carcerem condemnarat, scribit de se in Ep. 5. ad Florentium: *Ego diebus ac noctibus operior cum tremore, reddere novissimum quadrantem, quoad mihi dicatur: Hieronyme veni foras*. B. Arsenius moriens interrogatus, cur post vitam innocentissimam 120. ann. peractam metueret imminente morte? resp. *Revera hic metus, quo me videtis affici, nunquam à me recessit, ex quo factus sũ Monachus*. Metaph. in vita. De quo & sanctæ memoriæ Theoph. Archiep. cùm moriturus esset, dixit. *Beatus es, Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti*. apud Rosvv. loco cit. Et quid mirũ? Horruit asina Balaami, cum vidisset in angustiis duarum maceriarum Angelum, stantem evaginato gladio & avertit se ab itinere, Num. 22. quid mirum si homo, rationale animal, constitutus in angustiis hujus & alterius vitæ, timeat prævidens Angelum, seu Custodem, seu Michaelem, stricto ad judicium gladio, sese expectantem, sive ad salutem sive ad perditionem. Hinc S. Aug. vir tam integer & sanctus licet, in l. Medit. c. 39. ultimum illum conflictũ præcogitans: *Væ mihi misero*, inquit, *cum venerit dies judicii & aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicetur de me: Ecce homo & opera ejus. Quid faciam tunc Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam & adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione coram te stabo trepidus & confusus.* Remedium huic pavori volumus? semper paveamus. Ita enim Sapiens Proverbiorum 28. ait;

Beatus homo qui semper est pavidus.

* *
*

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Quomodo observandi dies festivi.*
II. *Quid faciendum diebus Dominicis.*
III. *Ebrietas usquequaque mala & stulta.*
IV. *Cogitationes malæ ad inquisitionem trahuntur.*
R, *Ratio comparandi sibi humilitatem*

THEMA I.

Quomodo observandi dies festivi.

I. *Intrandum in domum conscientiæ,*
II. *Sumendum animæ pabulum,*
III. *Extrahendus è puteo peccator.*
IV. *Iuvandi pauperes eleëmosynâ.*
V. *Abstinendum à servilibus operibus.*
VI. *Colloquia de rebus piis instituenda.*

Et ipsi observabant eum. Luc. 14.

DUplicis conditionis observatores habuit Christus Dominus in suis verbis & actionibus, benevolos & malevolos. Illi erant ejus discipuli, & fideles quidam alii, qui Christum observabant, ut verba ejus cordi suo inprimerent, & facta imitarentur. Isti erant Legisperiti ferè, Scribæ & Pharisæi, qui Dominum observabant, ut invenirent quod culparent & ad tribunalia deferrent. Nos etiam, Auditores, dum festivos dies colimus, habemus observatores, & duplicis etiam generis: Angelos beatos, ut pium nostrum cultum laudibus concelebrent & Deo repræsentent: & Angelos reprobatos, ut neglectum cultus divini & sacrorum dierum contemptum memoriæ commendent, quo tandem prævaricatores in judicio accusent. Quæ cum ita sint, habemus certe omnes, cur attendamus nobis in hoc sacro cultu. Qua in re ne erremus & malevolorum observatorum ludibrium fiamus, non video quid securius quidque melius agamus, quam si observemus cum piis & fidelibus, quid egerit Christus Dominus in hodierno Evangelii Sabbato; id enim si & nos imitari voluerimus, non dubium quin bene, quin pie & laudabiliter festa nostra celebraturi simus. Ad magistri igitur nostri cœlestis actiones attendamus.

I. Christus intravit in domum Principis Pharisæorum. Domus uniuscujusque conscientia est, in qua quisque latet, sibi soli cognitus. In hanc ergo & nos intremus festis diebus, & scrutemur internam nostram familiam, quo loco omnia sint, quam composita, quam integra. Hoc utique voluit Deus, quãdo Exodi 16. præcepit: *Maneat unusquisque apud semetipsum: nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Quomodo apud semetipsum, nisi in domo conscientiæ suæ? Multi cum prodigo filio tota septimana vagantur in regione longinqua & extera, extra domum suum, imo extra semetipsos; ergo saltem die septimo revertantur cum eodem ad seipsos. Ille *in se reversus* dixit: *Surgam & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. *Bene in se revertitur*, inquit ibi glossa, *qui à se recessit.* Theophyl. exponit: *à sua exteriore evagatione rediens* Totis sex diebus vagantur multi foris, in parando victu, lucro, deliciis, curis, solicitudinibus, ut liberis & conjugi, carni & mundo serviant, seipsos interim negligunt. Quare saltem die septimo seu festivo redeant ad se & cogitent ubi sint, quam longe à Deo recesserint, à quo & quem in finem creati sint, quantum ab eo deviarint, quomodo in gratiam cum Deo patre suo recipi possint &c. Ad formicam nos ablegat Sapiens Prov 6 *Vade ad formicam, ô piger*, inquit, *& considera vias ejus & disce sapientiam.* Quid vero agunt formicæ? hoc inter alia, quod singulis diebus prodeunt ad labores, sed interlunio cessant, nec è domo egrediuntur, teste Plin. l. 28. c 29 & l. 30. c. 11. Quid vero agunt die interlunii? Putantur opera sua interna & domestica lustrare, circumire & instaurare, ut scribit Aldrovandus l. de Insectis, quo modo scilicet Deus etiam, post perfecta sex dierum opera, *vidit cuncta quæ fecerat.* Gen. 2. Ergo si hoc formicæ, non faciat & homo, non intret semel in hebdomade propriam suam domum, ut eam perlustret, resarciat & instauret? Augustus Cæsar, cui plura quam ulli unquam obvenisse fælicitei tradunt, non desinebat quietem sibi precari, & vacationem à Rep petere: identidemque repetebat, se victurum sibi. Sueton. Jacob etiam cùm servisset socero suo Laban annis 14. veniam abeũdi ad sua verbis illis petiit: *Tu scis quomodo servierim tibi: justum est igitur ut aliquando provideam domui meæ.* Gen. 30. Cui, quæso, plerique serviunt totis sex diebus? Mundo ejusque curis ac negotiis; multi etiam carni & ipsi Dæmoni. Nonne igitur justum est, ut saltem die

I. Intrand… i dom… conscien…

tem die ſeptimo vel quocumque feſtivo provideant domui ſuæ & animæ propriæ ſaluti? *Quid enim*, inquit Salvianus lib. 3. ad Eccleſiam Cath. *ſive tam ſtultum, ſive tam perditum, quam ut aliquis de ſuo non ſibi conſulat; quam infidelis eſt, quam inſipiens, qui ut alium divitem faciat, animam ſuam ipſe condemnat?* Intravit autem Dominus in domum Phariſæi, utiq; hypocritæ (quales pleriq; erant Phariſæi) & quid in ea invenit? fictos amicos, invidos, ambitioſos, primos expetentes accubitus. Tu ſi ingrediaris domum mentis tuæ, forſan invenies etiam hoſpites hujuſmodi: Phariſæum inquam, & ſepulchrum dealbatum, foris candidum, intus plenum oſſibus mortuorum: pomum foris ridens & rubicundum, intus gemens & verme exeſum. Aperi hoc ſepulchrum: ſcinde pomum, & ſtude noſſe teipſum in die ſaltem feſto.

II. Intravit manducare panem. Hæc Chriſti intentio dirigit nos ad pabulum animæ præbendum in feſtis diebus. Quodnam vero illud? Panis verbi Dei & S. Euchariſtiæ. Prior ille quam neceſſarius adeoq; frequentandus ſit, oſtendunt panes illi propoſitionis duodecim veteris Teſtamenti, propoſiti in duabus menſis: qui per ſingula ſabbata cum recentibus commutari debebant; quia ſcilicet intra 7. dierum ſpatium priores aridi fiebant & ad eſum inidonei. Levit. 24. Idem vero contingit verbo Dei, niſi crebro ac, ſi fieri poteſt, ſingulis ſabbatis noſtris audiatur: perit enim è memoria & æſtimatione noſtra, niſi crebro inculcetur ac renovetur, ut expertũ ſe lamentatur David Pſal. 101. *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*; veritatem ſcilicet doctrinæ cœleſtis ut exponit Bellarmin. ib. Dum enim Sol proſperitatis affulget, facilè obliviſcimur Dei & ſalutis noſtræ inde ut fœnum areſcimus. Panis ergo verbi Dei vires reparare & vigorem animæ debet. Unde S. Greg. Nazianz. in orat. de Nativ. Domini ait. *Proh quot mihi feſtos dies ſingula Chriſti myſteria ſuppeditant. Quorum omnium unum hoc caput eſt, atque unus hic ſcopus, ſcilicet mea perfectio & inſtauratio.* Panis alter in altera menſa propoſitus eſt S. Euchariſtia, quæ cum ſit lignum vitæ noſtræ ſpiritualis, ſæpius etiam eſt deguſtanda, non ſecus ac lignum vitæ (quia vim habebat finitam ac limitatam) ut immortalitatem homini tribuere poſſet, ſæpius delibandum erat, ut deficientes ſenſim vires repararet. Et quidem olim Chriſtiani per aliquot ſæcula ſingulis Dominicis diebus ſacro illo epulo reficere ſe ſolebãt; quia vero fervor ille & fames ſpiritualis paulatim in hominibus defecit, & panis ille *panis Angelorum* (Hebr.) *Abirim*, fortium) eſt, ſumma animi puritate prędito-rum (quemadmodum & panes propoſitionis non niſi in menſa puriſſima, & ut vult Abuleñ. aurea ponebantur) idcirco ejus loco ſaltem ſpiritualis communio in ſacra miſſa ſingulis percipienda foret; videlicet per fidem, deſiderium & humilitatem, qua ſacro illo epulo ſummæ quidem deſiderato ſeſe indignos reputent, ideoq; extra menſam ad pedes Domini cum Magdalena ponant vel cum Syrophæniſſa ſub menſa ſeſe collocent, veluti catellos, qui vel micas ſolum ab ea menſa expectent: vel cũ Zachæo ex arbore fici Chriſtum aſpiciant, contenti ejus intuitu, quem ob ſuam utilitatem & impuritatem invitare & ſuſcipere non audeant in domum ſuam: vel cum Centurione dicant: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.*

III. Priuſquam Dominus manducaret panem, diſſeruit cum Judæis, & bovem aut aſinum collapſos forte in puteum extrahendos aſſeruit, etiam die ſabbati. Ergo ingreſſuri templum, ad ſacras illas, quas diximus, menſas, prius elaborent, ut aſinum & bovem, qui aliud nihil ſũt, quam ſtupidus & improvidus peccator, extrahant è peccati, imo & inferni, cui obnoxius ſit, puteo & barathro. Stupidior bove & aſino peccator eſt, quia bruta illa non inſiliunt in puteos, ſed impelluntur ſolum, aut caſu illabuntur indeq; eluctari totis viribus conantur, extracta non reincidunt, ſed impoſterum ſibi cavent. At peccator ſua ſponte inſilit in puteum: deinde non laborat, ut quamprimum extrahatur: deniq; nec cavet ſibi à relapſibus; tametſi novit, facile & pronum eſſe labi in peccati puteum, ſed difficillimum egredi. Ergo licet ſtatim ac quis lapſus in peccatum eſt; omnẽ movere lapidem debeat, ut quamprimum reſurgat; quia tamen pauci ad ſalutem ſuam tam attenti ſunt, ſaltem die Dominico primum hunc laborem ſuſcipiant, ut funem confeſſionis vel ſaltem contritionis apprehendant, eoq; ſeſe extrahant. Dies Dominicus, dies reſurrectionis eſt, in quo Dominus noſter cum multis Sanctis redivivus e ſepulchro prodiit. Nemo ergo die reſurrectionis maneat in ſepulchro. Hinc ſolemus die Dominico ex antiqua conſuetudine ſtare ad orandum, quaſi Deo per pœnitentiam jam recõciliati & in gratiã recepti. Dies ille Solis eſt, & quod Sol inter planetas 7. hoc ille inter ſeptem hebdomadæ dies: non ergo admittit tenebras, non fert peccatores. Conſuetum fuit Hebræis faciem perungere (ſabbatinis maxime diebus) pretioſo aliquo & odorifero liquore, quo nimirum in calida regione ſudorem, & qui inde oritur, fætorem abſtergerent, ut patet ex libro Ruth capite 3. verſu 3 libro Judith, 10. verſu 3. 2. Regum 12. v. 20. Luc. 7. v. 46. Quanto magis ſatagendum Chriſtianis, ut peccati fœtorem, quem per ſeptimanam contrahunt, die feſto abluãt unguento pœnitentiæ, cum ad Dei conſpectum ſub S. M ſſa accedunt.

IV. Vidit ante ſe hydropicum ad ingreſſum domus, & ſanavit eum. Videmus etiam nos feſtivis maximè diebus præ foribus Eccleſiæ variè afflictos miſeros, egenos; hos ſanare poteſtis vos, qui eſtis divites. Quomodo ſanare? Da vinum hydropico; & ſanabis ejus hydropem, ſeu aquæ appetentiam: non enim appetet aquam, qui habuerit bonum vinum. Da eleëmoſynam largam pauperi; & ſanabis ejus pauperiem: da afflicto conſolationem, & obli-

visse.

III. *Extrahendus è puteo peccator.*

IV. *Iuvandi pauperes eleëmoſynâ*

viſcetur ad tempus miſeriæ ſuæ. Non habuit Chriſtus, quod daret, aurum & argentum; dedit aliquid melius (& communiter in ſabbatis) ſanitatem & gratiam ſuam; tu ſaltem da quod minus eſt, panem aut pecuniam, imò quo ditior & potentior es, eo ditiorem da eleëmoſynam, ſi imitari Chriſtum cupis. Quæ enim major eleëmoſyna, quam impertire ægro ſanitatem; quam impertiit Chriſtus? Hinc Tobias ſenior juniori. *Quomodo potueris*, inquit, *ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Tob.4. A magna arbore multos expectamus fructus, paucos à parva. Magna arbor fuit, quæ dixit: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Domini.* Pſ. 51. In quem locum S.Chryſ.hom.32.in Ep.ad Hebr. *Non ſufficit, inquit, olivam eſſe, ſed opus eſt eam eſſe frugiferam. Sunt enim miſericordes, ſed modica per totum annum tribuentes, aut per ſingulas ſeptimanas, aut ſi quando fortunæ progrediuntur, iſti olivæ quidem ſunt, ſed non fructiferæ, &c.* Deinde Chriſtus non rogatus ſanitatem hydropico contulit, quia is forſan propter diem ſabbati coram Judæis aliis petere eam non eſt auſus. Sed nim. Chriſtus ex ſolo ejus aſpectu, & ventre aquis tumido ſtatim intellexit, quid miſer ſibi vellet, qui rogare non auderet. Ita Chriſtianus non expectet preces pauperum & fractorum: ipſa eorum miſeria opem implorat, fortiùs quam vox. Hinc Pſ.40.dicitur: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* h. e. qui ex aſpectu eorũ mox intelligit, quid velint: *Non enim eſt perfecta miſericordia*, ait S.Aug. l.50. homilia. ho.39. *quæ precibus extorquetur; ſed ſi tacet mendicus, loquitur pallor in facie, pede laſſus, feſſus & eliſus, nuſquam ſuſpectus.* Decet autem tunc inprimis, cum Eccleſiam fideles ingrediuntur ad exorandum Deum, exaudire prius orantes pauperes, in quibus latet Chriſtus, ne audiant illud Prov.21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis; & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Scimus etiam aſperum Dei verbum Deut.23. dictatum in immiſericordes, his verbis; *Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem nõ intrabunt* Eccleſiam *Domini in æternum; quia noluerũt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Ægypto.* Quidam volunt excludi eos ab ingreſſu templi, alii à municipio Judæorum; utrumque gravis pœna & ſimul ignominia erat. Ex quo diſcat Chriſtianus ſe indignum fieri ingreſſu Eccleſiæ, ſi pauperes ante eam jacentes, cum poteſt, non juvat, pane ſaltem & aqua.

V. *Abſtinendum à ſervilibus operibus.*

V. Interrogavit: *Si licet ſabbato curare?* Clarum erat curam ægri non eſſe contra legem Sabbathi; ne tamen Judæis ſcandalum qualicunq; modo præberet, voluit eorum ſaltem tacitum conſenſum priùs requirere: docens hac cautela ne nimis faciles ſimus in declarando tertio Decalogi præcepto ex proprio judicio; & ſpernendis etiam levibus ejus tranſgreſſionibus, ſi ſcandalum præſertim inde oriri queat. Atque hoc ni fallor eſt, quod Iſa 58. dixit Deus: *Si averteris à ſabbato pedem tuum* (h. e. longum iter non feceris, ultra mille paſſus ſcilicet) *& vocaveri[s] ſabbathum delicatum, &c. cibabo te hæreditate Iaco[b] patris tui.* Cibi delicati magna diligentia coquend[i] ſunt; quia parvos etiam errores coquorũ oſtendunt unde & vitiantur. Hujuſmodi cibus eſt caro ferina qua delectabatur Iſaac; & quia talem cibum, ferin[æ] ſaltem ſimillimum (ex duobus ſcilicet hædis parte[s] delicatiores) & ad guſtum ejus paratum obtulit [e]i Jacob, impetravit ab eo benedictionem de rore cœ[li] & pinguedine terræ. Geneſ.27. Delicatus dies e[ſt] ſabbathi dies, è ſeptem Deo ſegregatus, in quo ip[ſe] ſuas delicias quærit inter homines; delicatè igitu[r] & ad guſtum ejus celebrandus eſt, ut cœleſtibus ſi[-]mul & terrenis bonis benedicere eos dignetur. Do[-]cent hanc delicatam ſabbati obſervationem vel ip[ſa] bruta animalia, uti ſcribit & teſtatur curioſus Palæ[-]ſtinæ inveſtigator Adricomius in deſcript. terræ S. voce *Engaddi.* Fontem eſſe in Ægypto ait, in qu[o] Deipara puerum Jeſum laverit, cum in Ægyptu[m] fugiſſet, ideò fontem Jeſu appellatum: ex eo irriga[-]ri hortum balſami: & quia ejus aqua ad hoc inſuffi[-]ciens eſt, ex alio puteo in eundem fontem aqua d[e-]ducitur, beneficio rotæ à 4.bobus. *Mirum dict[u],* *inquit. Veruntamen à meridie ſabbathi uſq; ad aur[o-]ram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli poſſunt, [ut] in protrahenda aqua laborent: quod eſt fidei noſtræ te[-]ſtimonium celebre.* Matre S. Petri Cœleſtini Pp. *a[d] Dei ſanctos devotiſſima* (ait Petrus de Aliaco Car[d.] Cameracenſis in vita S.Petri Cœleſt. apud Suriu[m] 19.Maji) *eorum feſtivitates magno cum honore col[e-]bat: in feſto tamen decollationis B.Ioan.Baptiſtæ, qu[ia] ſequenti die panem facere opus erat, ſero illo fermen[-]tum diſponere volens, cœpit cum timore aquam in fa[-]rinam mittere. Et ecce tota farinæ maſſa ſubito vi[ſa] eſt vermibus ſcatere. Tunc illa tremens & in terra[m] cadens, à Deo veniam precatur, & ſtatim farina [in] ſtatum priſtinum revertitur.*

VI. In convivio inſperſit pios ſermones de hu[-]miliore loco eligendo, de invitandis pauperibus, [de] cõvivio cœleſti, propoſita parabola cœnæ magn[æ.] Docet ergo dies feſtos tranſigere honeſta converſ[a-]tione ac colloquiis piis, etiam ſub menſa; hoc eni[m] eſt ſabbatum ſanctificare, ſacra in eo tractare, co[n-]cionem ruminare, libros ſpirituales legere, pias h[i-]ſtorias recenſere, ſanctorum geſta enarrare, temp[la] viſitare, veſperas adire & ſimilia. In hujus r[ei] commonitionem præcepit Deus Numerorum 2[8.] Ut in ſabbato præter quotidianum & juge unius [a-]gni ſacrificium, mane immolarentur alii duo, ade[o-]que tres agni, quo ſciremus Deum in feſtivis dieb[us] triplo magis laudandum ac colendum, quàm in al[i-]is: ſanctis nimirum cogitationibus ac meditation[i-]bus, deinde piis colloquiis denique bonis operib[us.] Sacri enim dies ſacris actibus celebrandi: nec min[us] delinquere videntur, qui vanis & illicitis operib[us] eos violant, quam ſi aleas aut chartas luſorias a[d] altare offerent; neque enim minus ſacri ſunt die[s] Deo dicati, quam templa aut altaria.

Qu[i-]

Quid vero de his ſanctus Chryſoſtomus? *Nonnulli,* ait ſermone octavo de reſurrectione, *ex fratrum noſtrorum numero feſtivos ſe eſſe dubitant, niſi gulæ, niſi ventri, niſi luxuriæ ſatisfecerint. Dicendum nobis cum libertate eſt. Non eſt hoc, fratres, feſtivitatem colere Dei, ſed coinquinare. Vultis ergo ſcire, quid ſit hominem feſtivum eſſe? Imitamini in illo aliquos, qui primi hac feſtivitate uſi ſunt, dico ſanctos Dei: quorum ſemper fuerunt, ut legimus, dies ſobrii, noctes pudicæ, ſanctæ vigiliæ, ſopor caſtus, actus probi, converſatio honeſta, vita ſibi ex omni parte conſentiens. Neque illos ſequamur, quorum, ut ait Apoſtolus, finis eſt interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione.* Iſti enim cùm ſinum ſuum implere bonis operibus in ſacris diebus deberent, implent ſinum Diaboli malis operibus, non ſecus ac Turcicus ille ſacrificulus, qui in convivio dum ſuam longam manicam variis implere cupediis ex menſa ſubreptis laboravit, ad extremum deprehendit ſe non ſuam ſed proximè ſibi aſſidentis manicam incautè apprehendiſſe atque impleviſſe. In Legatione Busbequii. Non ita nos Auditores, non repleamus ſaccum Dæmonis noſtris tranſgreſſionibus, unde ipſe depromat accuſationum tela, quibus nos configat atque confundat: nec paſcamus ipſius ſtomachum fame & inedia noſtrarum animarum. Obſervat ille nos & diligenter notat, quidquid contra decorem agimus in feſtis, ut nos actis noſtris jugulet. Dirigamus oculos noſtros, non ad ſolum accuſatorem, ſed ad ſpectatores quoq; Angelos ſanctos, qui ad hoc obſervant nos, ut pios feſtorum cultores adjuvent in terris, & celebrent in cœlis.

THEMA II.

Quid faciendum ſit diebus Dominicis.

I. *Abſtinendum à peccatis; & ab illis reſurgendum,*
II. *Superſedendum negotiis & curis ſæcularibus.*
III. *Danda liberalius eleëmoſyna.*
IV. *Audiendum Dei verbum.*
V. *Sacra miſſa audienda.*

Si licet ſabbatho curare? Luc. 14.

SÆpius Chriſtus in ſabbatis curare morbos conſuevit, quodque notandum, ultrò omnes & à nemine rogatus. Ita hîc Lucæ decimo quarto hydropicum. Ita Lucæ decimo tertio mulierem incurvam. Ita Lucæ ſexto hominem habentem manum aridam. Rurſum Joannis nono cæcum natum. Et Joannis quinto, languidum ad piſcinam. Quam ob rem Judæi ipſum perſequebantur & ad necem quærebant velut legis tranſgreſſorem; cum tamen miracula non niſi opera pietatis, & Dei potius quam

hominis eſſent. Quare Chriſtus nihil eos moratus ſabbatum curatione morborum cohoneſtare voluit. Sed cur? ut indicaret in ſabbatis curandas eſſe animas. Ob curam enim animarum, curam adhibuit corporum. *Et quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi*, ait ſanctus Auguſtinus, ſermone quadrageſimo quarto de verbis Domini. Voluit proinde docere diem Dominicum debere proprium eſſe diem curæ, non corporum, ſed animorum. Videndum ergo quomodo feſtivis diebus animi curandi.

Quinque homines reperio in Evangelio curatos à Chriſto in ſabbato; qui ſanè non obſcurè indicant quinq; curas animæ adhibendas diebus Dominicis ſeu feſtivis.

I. Abſtinendum à peccatis, & ab illis reſurgendum.

I. In hodierno Evangelio hydropicum curavit. Quem verò is deſignat niſi peccatorem? De eo námque Job 15. dicitur; *Abominabilis & inutilis homo qui bibit quaſi aquam iniquitatem*, hoc eſt peccata tam libere perpetrat, ac ſi nulla prorſus pœna luenda eſſent, ſicut aqua nullo pretio bibitur. Sed corrigenda eſt hæc bibacitas ſaltem in ſabbato? ceſſandum à peccatis; quia ſcriptum eſt: *Obſerva diem ſabbati, ut ſanctifices eum.* Deuteronomii quinto, ſanctis ſcilicet operibus colas, nec peccatis inquines; hinc vel ipſi improbi Judæi Chriſtum in die feſto capere non ſunt auſi: *Non in die feſto* ajebant. Eſt enim dies ille *Dominicus* appellatus, quia ejus ſervitio deputatus. Quare ſiquis in peccatum lapſus eſt, curet ſacro illo die iterum reſurgere per pœnitentiam, & ſi non per confeſſionem, ſaltem per contritionem. Hoc enim eſt, quod innuit parabola Chriſti de aſino in puteum lapſo: per quem intelligit ad litteram hydropicũ myſtice peccatorem. Quid enim imprudens peccator niſi bos & aſinus in puteum inferni lapſus? Dies Dominica, dies reſurrectionis eſt, in qua nec Chriſtus manere in ſepulchro voluit, ſed ſummo mane reſurgere. Unde & nos in ejus memoriam ſtamus eo die ad orationem, quo & olim Chriſtiani velut Deo reconciliati & ſtabant & communicabant. Adhæc ſabbatum inſtitutum eſt propter quietem tam ſervorum, quam jumentorum, aſini & bovis. Deut. 5. At quomodo aſinus quieſcet in puteo? quomodo anima tua in ſtatu peccati letiferi? Erue igitur illam ut in die quietis inveniat quietẽ. Si enim S. Hier. ad v. Vigilant. ait: *Quando iratus fuero & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas martyrũ intrare non audeo: ita totus & corpore & animo contremiſco*, tu quomodo audebis cum gravi & certo peccato ingredi domum Dei?

II. Superſedendum negotiis & curis ſecularibus.

II. Lucæ 13. Mulierem inclinatam, quæ omnino ſurſum aſpicere nõ poterat, erexit die ſabbati. Quis talis? Reſpondet S Greg. hom. 31. in Evang. *Peccator dum deſideria inferiora ſequitur, à mentis ſuæ rectitudine curvatur.* q. d. homo curis & negotiis ſecularibus gravatus, qui eo quaſi pondere incurvatus tota ſeptimana terrã duntaxat aſpicit & terrena quærit, pro victu, veſtitu, familiâ, conjuge, liberis ſolici-

tus. Hic ergo in sabbatho nostro erigere se debet & cœlum potius ac divina quam terram & sæcularia contemplari. Idem typicè mandatum Exod. 16. cum Judæis prohibuit DEUS in sabbatho manna colligere (quod inclinato corpore fieri utique debuit) nec permisit foras exire: sed manere unumquemq; apud semetipsum jussit. Sic fecisse primos Christianos: patet ex antiquorum PP. decretis. 1. S. Gregorius Magnus in epist. ad quendam (apud Joan. Diac. lib. 4. vitæ cap. 51) ait: *Dominico die à laboribus cessandum est atque omnimodò orationibus insistendum, ut siquid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Nota id *omnimodò*, Durchauß gantz vnd gar. 2. S. Innocentius Pp. ep. 1. ad Decentium c. 7. ait: *Nisi tantum hymnis & psalmis & canticis spiritualibus dies illa transigatur.* Recolebant ergo Dei beneficia in Dominica die præsertim percepta, quæ sunt maxima & plurima. 3. S. Chrysostomus hom. 5. in Matth. ait: *Legem hanc nobis statuamus immobilem, nec nobis tantum, sed conjugibus etiam liberisque nostris, ut unum hunc totius hebdomadis diem, quo ad audiendum concurritur, totum in eorum, quæ dicuntur, meditatione ponamus.* 4. S. Hieronymus cum sociis Romæ solebat diebus Dominicis Basilicas martyrum visitare, ut ipse scribit lib. 12. in Ezech. cap. 40. unde colligitur id aliis quoque tunc consuetum fuisse. Denique siquid maxime necessarium animæ erigendæ ad Deum & curandæ, est examen vitæ per hebdomadem actæ, & status animæ, num qua parte lacerata sit, quorsum cursum dirigat, quid elapsis diebus lucri vel jacturæ fecerit, &c. Sanè in Palatinatu inferiori Calvinistarum opificum famulæ, cernentes per Calvini Spiritum festa abrogata, quibus olim proprias vestes resarcire poterant, adeoque se jam dominis suis tota septimana cogi laborare, impetrarunt à Magistratu diem vocationis in hebdomade, Mercurii videlicet, in quo possent resarcire proprias vestes, appellaruntque das Flickfest / ut refert Tympius in Mensa Theologophil. Si hoc isti pro suis lacernulis; curtu non in die saltem Dominico resarcis damna & vitia animæ tuæ? totis enim reliquis sex diebus corpori ferè soli attendis: animæ tuæ curæ nihil ferè tribuis.

III. *Danda liberalius eleëmosyna.*

III. Lucæ 6. curavit hominem qui habebat manum aridam, dicens: *Extende manum tuam.* Quis verò hic? Audimus S. Chrysostomum homil. 15. super epist. ad Hebræos: *Manus non faciens eleëmosynam arida est.* Extendenda est hæc manus maximè in sabbatis seu Dominicis diebus. Id enim Apostolorum tempore consuetum fuit, ut patet ex 1. Corinth. 16. ubi petit Apostolus, ut prima sabbati, id est, dominico die unusquisque seponat aliquid pro collecta in pauperes Christianos facienda. Ubi notandum illud: *unusquisque vestrum apud se seponat*, omnes includere, neminem excipere. Qui mos cum post annos 300. & amplius exolevisset, S. Chrysostomus pro eo rursum instaurando pulchram orationem habuit de eleëmos. & collationibus. Meritò vero Apostolus id jussit fieri die dominico, ut ibi S. Chrysostomus expendit; quia in eo & nos pauperes plurima à Deo beneficia accepimus. In eo creati & per resurrectionem Christi resuscitati & immortales facti sumus, in eo Spiritum sanctum accepimus, &c. Cujus rei typus etiam fuerunt panes propositionis per singula sabbata proponi in mensa ante Sanctum Sanctorum, & instaurari soliti, Levit. 24. quo indicaretur nos per eleëmosynam intrare in domum Dei debere, quia per illam etiam ad cœlum itur. Hinc pauperes maximè in dominicis & festivis diebus fores templi obsident, quasi Christi satellites, ut illorum beneficio ad Christum quæramus aditum. Divus Hieronymus ex Evangelio Nazarenorum ait hominem illum, cujus manus arida fuit, fuisse cæmentarium, qui proinde pro victu sibi parando maximè manu illa opus haberet. Et qua re magis indigent divites, quam manu liberali & in pauperes extensa, qua sibi gratiam parent & ædificent in cœlo tabernacula? Sanè D. Gregorius libro 4. dial. cap. 30. scribit de S. Deusdedit, qui sutoria arte se sustentabat, & quicquid lucri victui supererat, die sabbati ad S. Petri templum portabat, pauperibus distribuens, quod in spiritu quidam viderit splendidum ei in cœlo ædificari Palatium, operarios vero die sabbati tantum in eo ædificio laborare; quod utique notabat ejus eleëmosynas, quas die sabbati consueverat erogare, esse lateres & cæmentum, pauperes vero cæmentarios, qui in cælo ipsi struerent æternum tabernaculum.

IV. *Au... De... bum*

IV. Joannis 9. Cæcum natum curavit, ponendo lutum super oculos ejus, & mittendo eum ad natatoriam Siloë. Quis hic cæcus? Respondet ad eum locum S. Augustinus tract. 44. in Joan. *Genus humanum est ille cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum.* Homo igitur quivis natus in ignorantia rerum omnium, cæcus iste est. Hic in sabbatis illuminari debet per verbi Dei frequentem auditum, quem designat lutum, factum è sputo & terra; sputum Dei verbum, terra prædicatorem notat. Cœpit mos concionandi die Dominico ab Apostolis, Actor. 20. ubi *unâ*, h. e. primâ sabbati, seu dominica die Paulus disputabat & concionabatur ante fractionem panis. Idem Actor. 13. *Voces Prophetarum, quæ per omne sabbathum leguntur.* Idem præcipit S. Clemens in Constit. Apost. c. 59. dicens: *Quis enim apud Dominum excusare poterit, qui eo die* (Dominico) *ad audiendum DEI verbum salutare non convenit?* Idipsum ante 14. secula fuisse more receptum testatur Sanctus Justinus apol. 2. ad Ant. auctor antiquissimus. S. Augustinus lib. Confess. cap. 3. narrat se omnibus dominicis diebus convenisse ad S. Ambrosium concionantem. Idem ostendunt ipsius & aliorum sermones habiti in Dominicis & festis. Porrò non fecit Ecclesia præceptum de audienda in festivis diebus concione; quia non omnes æquè indigent. Nihilominus-

minus tamen ipsa Ecclesiæ consuetudo, conciones, plerisq; in locis semper habentis, vim quandam legis habere videtur. Certe multo tempore negligendam non esse, docet Christus, qui non vult agnoscere eos, qui verbum Dei non audiunt.

V. Joan. 5. languentem sanavit ad piscinam; quem jussit surgere, tollere lectum suum & ambulare. Quis hic nisi homo quivis ad bene operandum debilis? Piscina vero *probatica* seu *ovilis* S. Missam apte designat, in quam Angelus magni consilii Christus descendit movens aquam, id est; passionem suã in memoriam nobis refricans & quodammodo renovans. Habet ea quoq; rubentes ex hostia Christi aquas: uti habuit piscina ex immolatorum pecorum sanguine. Hic ergo roboratur languidus ac sanatur, Missa enim homini dat robur & benedictionem ad cæteras actiones peragendas, præsertim si in ea spiritualiter communicat, per meditationẽ illius mysterii. Si olim aspectus serpentis in hastili propositi sanare potuit Hebræos à serpentibus admorsos: cur non & sacrificium Missæ, Christum pro nobis crucifixum & immolatum continens ac repræsentans sanare queat languores nostros? Sane antiqui Christiani singulis saltem Dominicis diebus reipsa de sacrificio communicabant. Posteà præceptum ut saltem ei adessent & spiritualiter communicarent per fidem, ac desiderium atq; humilitatem, quâ se velut catelli infra mensam ponerent & indignos pane filiorum judicarent, sicut Chananæa, & Centurio, qui suam domum indignam reputabat, in quam Christus diverteret: & sicut Magdalena, quæ in domo Pharisæi non convivio assedit, sed ad pedes Domini se posuit. Sed quid de antiquis dico? Recentes & neophytos in Paraquariâ, Indiæ Occidentalis provinciâ contemplemur. Scribit inde Nicolaus Durande an. 1626 & 1627. in hunc modum: *Puerulus nondũ decimum ætatis annum attingens, Dominico die à sacro Missæ officio abfuerat. Quam noxam toti suæ ætati inustam æquales minimè ferentes, puerile suum in foro tribunal statuunt; quo ubi omnes confluxère, ibi reum in medio sistunt atq; eum pro se quisq; conspuant, variasq; in eum calumnias conjiciunt, Dæmonis eum filium appellantes: deniq; verberibus ac pugnis non leviter oneratum dimittunt: rogantibusq; adultis, quæ tanta esset in foro causa tumultus? alii puerum inferno oriundum, alii Dæmonis mancipium se ex cœtu suo proscripsisse respondent; quippe qui vero die (ita Dominicum appellant) missam fuisset ausus omittere.* Atq; istud illi, qui non ita pridem fuerunt Anthropophagi, feri & barbari. Quis jam non exclamet & dicat, quod ad Ezechielem dixit olim Deus c. 43. *Ostende domui Israel templum & confundantur ab iniquitatibus suis.* Videte Ecclesiam antiquam, quo fervore frequentârint rem divinam: videte & recentem in Orbe novo; quâ in æstimatione eam habeant quamq; ejus neglectum puniant in festivis diebus. Porrò tanta est hujus mysterii utilitas ac necessitas, ut Ecclesia præceperit singulis etiam laicis audire missam festivis diebus jam à Concilio Agathensi c. 47. celebrato anno 506.

Quærunt multi præstetne concionem audire an missam? Quibus respondet Stanisl. Hosius in Confess. fidei Cathol. c. 39. *Scirene præstat, an facere voluntatem Domini?* In concione discimus viam cœli: in missa vires accipimus, ut in ea ambulemus. Unum ergo oportet facere, & alterum non negligere. Quare S. Chrysostomus de incompreh. Dei natu, in eos graviter invehitur, qui concione audita non expectant missam.

Ergo Audit. quando hæc talia à Christo in sabbato facta esse scimus, superest ut ea tanquam monita nostra amplectamur. Satis enim hinc colligimus voluisse Christum Dominum, ut diem sabbati in curam animæ impendamus, prædictis quinque modis. Nec mirum; nam & Ethici aliqui prudentiores naturæ ductu dies festos sibi delegerunt pro animarum morbis persanandis. Sic enim de se Plutarchus scribit l. de non irascendo: *Hinc accommodavi his animum meum, quasi non minus sit pium, ut festos dies primum ab ira tranquillos aliquot, quasi siccos & abstemios transigerem, tanquam ferias agerem sobrietatis & mellis libamina facerem.* Nonne hic & similes accusare poterunt Christianos aliquos in judicio? Porro nos, Auditores, quidquid contra ogganniant mundus & dæmones, non sinamus nos impediri à bonis hisce operibus: quemadmodum & Christus non cessavit curare in sabbato ægros, licet nosset id displicere Judæis, stultis & impiis. Quinimo in odium illorum magis magisq. studeamus vacare piis illis actionibus, quemadmodum & Christus Judæis se opposuit eorumq; cæcitatem destinata opera confutavit frequentibus miraculis sabbatum condecorando. Videte vosmet ipsos variis ægritudinibus obnoxios, & vel in sabbato vos curate. *Miserere animæ tuæ placens Deo*, ait Ecclesiast. c. 30. Noli curare, quod displiceas mundo & diabolo, modo placeas Deo. Quare si per hebdomadem aridam habuisti manum, extende eam in sabbato. Si prius inclinatus ad terram fuisti, jam erige te ad cœlum. Si prius hydropicus & in puteo vitiorum merlus, eluctare in die sabbati. Si prius cæcus, curre ad natatoriam Siloë, ut lumen recipias. Si prius debilis, curre ad piscinam. Vidit Christus in hod. Evang. hydropicum coram se, ventre distento tumidum, toto corpore lividum, miserum & miserabilem, unde misertus ipsius curavit eum. Tu vero quæso vide teipsum, non minus sed magis miserum, & miserere animæ tuæ; sic sperare poterimus nos de isto temporali sabbato transituros ad cœleste æternum.

THEMA III.

Ebrietas usquequaque mala ac stulta.

I. Honesta non est.
II. Utilis non est.
III. Neque jucundum quid habet.

Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet? Luc. 14.

STupida fere animalia tantum, qualis bos & asinus, in puteos cadere solent; reliqua non facilè, quæ solertiâ aliquâ prædita sunt; quod sapienter indicat Dominus, dum in hodierno Evangelio non nisi de asino & bove lapsis in puteum, format argumentum. Porro ebrietatem sanctus Augustinus non uno in loco (sermone ducentesimo trigesimo primo de temp. & sermone trigesimo tertio ad fratres) optime appellat *puteum inferni*; facilis in eum lapsus, sed difficilis exitus. At vero quinam illi sunt, qui in hunc puteum cadunt? Boves ferè & asini tantum, stulti inquam & stupidi, quales fere rudis plebs & qui carnis mancipia sunt. Hinc optime advertit sanctus Ambrosius libro de Heliâ capite quinto, bonum illum Lothum, quando inebriatus fuit, mansisse in speluncâ; ut habetur Genesis decimo nono, versu trigesimo. *Convenit ebrietati*, inquit, *solitudinis locus, ferarum magis latibulis, quam humanis aptior domiciliis.* Ergo bestiæ & bruta sunt, non homines, qui in puteum ebrietatis incidunt. Quid enim ebrietate perniciosius? quid molestius? quid fœdius & inhonestius? Quomodo non bruta sunt, qui hoc tantum malum, omni ex parte cane pejus fugiendum, consectari non timent? Videre vultis? audite.

I. *Honesta non est.* I. Honesta nullo modo est. Quæ enim laus est, insignem potatorem esse? Persuadent quidem id sibi aliqui: sed asini solùm & boves: qui sapiunt, non credunt. Æn. Sylvium audiamus. Is l. 1, Comment. scribit: *Leonardus Felsechius nobilis eques, cum in Lipsiensem civitatem pervenisset, in qua Saxones liberales artes ediscunt; percunctareturque sobrinus suus, qui tum fortè illic studii causa degebat, quidnam & quantum profecisset? Homo, qui nosset eum & coadjutor ejus esset: Optimè, inquit, se habet amicus tuus Nam inter mille & quingentos, qui adsumus, scholares, hic unus bibendi palmam obtinet. Neque ingrata sese homo nunciasse putavit. Est enim mos apud Saxones dum conveniunt, hos primo loco ponere, qui plus adbiberint, eumque ludum ad æquales haustus compotationem vocant.* Sed quis prudens hoc non probro potius quam laudi ducit? Quid enim non turpitudinis affert homini ebrietas? Audiatur hac de re D. Chrysostomus, aliter longe sentiens quam lurcones illi. *Quid ebrio turpius?* ait aureum illud os homilia vigesima septima in Acta. *Ridiculus est famulis, ridiculus est hostibus, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus. Bestia est magis quam homo.* Idem sanctus Pater homilia vigesima nona in Genesin ebrium sic describit: *Iacet ibi ridiculus omnibus & uxori & pueris & famulis. Amici enim suam ignominiam cogitantes sese abscondunt & confunduntur: inimici autem oblectantur & irrident & execrantur, quasi hæc dicentes verba: Hunccine oportebat vivere? & hunccine oportebat spirare aërem? ô pecus! ô porcum!* sic ille. Neque hæc immeritò. Quæ enim gloria est, hominem exuere & bestiam induere! Quis etiam maximis promissis persuadeat honesto viro ut vel ad duas tresve horas bestiæ formam assumat, & instar beluæ insaniat coram aliis honestis hominibus? Quanta ignominia fuit, qua plexus est superbus Rex Nabuchodonosor, dum per annos 7. in sylvis oberrare, mugire & fœnum comedere bovis instar coactus est! Et hoc, quod ipsi immanis pœna fuit, homo ingenuus ultrò assumat? Nuper in Mexico, Indiæ Occidentalis Metropoli, Indus quidam vino deditus, Pœnitentiæ beneficio à vinolentia ad sobrietatem revocatus est postquam candidum adolescentem per quietē vidit, qui eum prehensa manu ad compotatorum cætum duxit: ubi animadvertit potantium vultus primo quoque poculo immutari, & paulatim magis ac magis, quo plus illi haurirent, deformes, tandemque plane similes Dæmonibus fieri. Quo aspectu territus & à temulentia adeo absterritus est, ut exinde in abstinentiæ amorem & observantiam mire incaluerit. Refert noster Bisciola tom. 2. Hor. subseciu. l. 10. capite 13. ex annuis anni 1585. Idem prorsus cerneret in aliis potatoribus, qui illuminatos haberet oculos. Quanquam quid opus? Eant ebrii vel ad speculum, seque intueantur: nonne totos sese alios ac pene in beluas commutatos videbunt? Hinc fertur Plato suos discipulos admonere solitus, ut se forte ebrios in speculo contuerentur; fore enim ex visa sui imagine, ut tam deforme vitium caveant. Fulg. l. 7. c. 1. Eodem fine Lacedæmones proponebant filiis suis temulentos servos, ut eodem fœdo spectaculo correcti à vinolentia abhorrerent. Plut. de Inst. Lacon. Clemens Alexandrinus l. 3. pædag. cap 8.

II. *Utilis non est.* II. Utilis non est, quod facilè ostendo. Vel enim animæ, vel corpori, vel externis bonis prodest. Non sane animæ, quam perdit teste Apostolo 1. Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ecce quantis sceleribus consociat ebrietatem! Quod expendens Augustinus ser. 231. ait: *Quicunque ebriosus pœnitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et paulo post, ebrietatem vocat *inferni puteum*, in quem sensim se demittit, qui pocula poculis addit usque ad ebrietatem.

I. *Non anim[...]*

Quod-

p. Dom. ...st Pent. ...ad G. Quodque magis miserandum & in hoc peccato speciale est, tales si in ebrietate moriantur, nequeunt saluti suæ consulere, quod tamen alioquin in momento fieri posset per actum contritionis. Parum ergo aut nihil sperandum de talium salute. Unde in Cap. *Audivimus.* de relig. & Vener. Sanctorum dicitur: *Vix pro talibus in ebrietatibus pereuntibus Ecclesia permittit orare.* Æn. Sylvius Comment. in Panorm. l. 1. scribit: *Alexander, qui ex Ducibus Maroniæ erat, egregius bibulus, cum mortem obiisset apud Viennam, diemque illi tricesimam in templo D. Stephani Canonici celebrarent, Sacerdos qui sitibundus cellam vinariam præpositura intraverat, vidisse se inter dolia deambulantem asseruit, & ad Ecclesiam reversus, cum orantes adhuc compresbiteros invenisset; Quid hic Alexandro inferias, inquit, agitis? Ille in suo templo lætus agit bibitque, vos hic siti arescitis.* Non inane hoc ostentum fuit, nihil illi profuisse preces Ecclesiæ, qui inferias suas in cella potius vinaria, quam in Ecclesia celebrarit, velut sitim infernalem extinguere ibi quærens.

2. ...corpo- Corpori quam obsit, manifestius est, quam ut probatione indigeat. Unde enim plerique morbi, & contra eos sustinenda remedia, nisi ex intemperantia vini? Quæ si alicui, non dico inferrem, sed imprecarer tantum, nonne me is pro capitali suo hoste haberet? Vere enim Anaxarchus Philosophus ajebat: *Siquis diviti imprecaretur manus & pedes inutiles, eum ægrè id laturum; cum tamen id malum sibimet accersant divites, se beatos putant.* Stob. serm. 28. Si cui podagram & chiragram, hecticam aut calculum, vertiginem & tremorem aut paralysin membrorum imprecarer, quam gratiam mihi ageret? At verò has miserias & alias longè plures sibi ipsis parant bibuli. *Quoties,* inquit S. Aug. ser. 231. de temp. *nimium potum accipiunt, tanquam in paralysin resoluti: dum suis pedibus ambulare non possint fœdissima latera aliorum manibus portantur ad lectum.*

3. ...fortu- ...onis. Fortunæ bona absumit & ad pauperiem redigit: pretiosum insuper tempus, quo quamplurima alia lucra corporalia & spiritualia cumulari possent, pessimè consumit: quod damnum majus illo est. ...ubi ...a, E. Unde canit quidam: *Damna fleo rerum sed plus fleo damna dierum. Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.* Cum Hugutio Fagiolanus præstans alioqui Dux, voracissimus tamen & bibacissimus, splendidum convivium ageret, admonitus Pisanos & Lucenses ad arma capessenda excitari & rebellionem cogitare, cum ocyus exurgens eam sedare potuisset, hæsit tamen in convivio. Itaque urbem utramque uno die amisit. Unde in eum lusit Petrus Navus, quod jam senex nec jam dentibus instructus duas urbes uno prandio absumpserit. Refert Fr. Petrarcha & alii. Bene ergo Sapiens Proverb 12. v. 11. dixit: *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.* Sic Balsasar sua compotatione, dum sedet in convivio, nihil solicitus de hoste urbem obsidente, Babylonem simul & vitam perdidit. Dan. 5.

III. Sed forsitan jucunda est. Quid? nihil ea molestius, nihil turbulentius. 1. Quia superfluus potus non jam sapit amplius, sed nauseam parit potius & fastidium, neque illum saporem habet, quem in siti habuit. Hinc Anacharsis Scytha dixit vitem gignere tres botros, *primum sanitatis, alterum voluptatis, tertium mœroris:* Vel, ut alii referunt, *primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium molestiæ;* sentiens vini potum quo longior & productior est, fieri deteriorem. Solemus nos Germani dicere proverbio de illis, qui inviti & nauseantes compelluntur edere: Mueß essen ist ein schwere pein: h. e. coactam comestionem esse tormentum. Quid ni etiam coacta potatio tormenti instar est? Hinc optimè S. Chrysostomus in Ep. ad Rom. hom. 9. ait: *Qui vino se obruunt; quæstionem tolerantibus, miserabiliores sunt.* Ut enim illi, qui torturæ subjiciuntur, coguntur edicere quæ nolunt: ita ebriosi cogunt seipsos vel etiam cogi se patiuntur ad bibendum quod nauseant. III. Neq; jucūdum quid habet. 1. Sed molestiam parit.

2. Quia crapula primò quidem sensus sopit, postea verò caput contundit, deniq; vomitū maximo cum dolore & nausea, quasi naturali consequentia, provocat. Unde S. Chrysostomus hom. 71. ad pop. *Quæ namque lætitia, inquit, non esse in semetipso, innumerosque pati dolores & omnia se circumferentia spectare, vertigineque detineri?* Similiter S. Isidorus Pelusiota l. 1. epist. *Vinum,* ait, *si intempestivè largiusque hauriatur, ulciscitur injuriam & pœnas exigit, à quibus injuriosè fuit exceptum, risum, ignominiam, opprobriumque adeò & verbera iisdem propinans.* Scimus ex l. Judicum c. 4. qua ratione Jahel animosa mulier lacte prius suaviter quidem potarit & plane consopierit æstuantem Sisaram Ducem Chananæorum: moxque consopitum, adacto per tempora clavo, terræ affixerit, non uno quidem, sed multis validis ictibus. Jahelis interpretamentum est, *qui* vel *quæ descendit,* vel *profit,* ut eo loco ait Serarius q. 17. & bene ebrietatem seu vinolentiam notat; hæc enim est *quæ ascendit,* & quæ propinata toties audit benedictionem illam, *profit.* Propinat ergo hæc ebriosis dulce vini lac; sed ubi eos implevit adeoque consopivit, tum eorum caput multis poculis contundit, ac denique per frequentes ebrietates ita terræ & potandi consuetudini affigit, ut tandem exuere eam nequeant. Consonat huic rei, quod in Isaia c. 28. de ebriosis legimus ex Hebræo: *Concussi* vel *malleati sunt à vino:* ubi vulgata legit: *præ vino nescierunt;* uti observat Oleaster, qui & addit: *Videntur enim ebrii crebris potationibus malleare se.* O miserum te, qui ad talem hospitem divertis. 2. Caput cōtundit.

3. Morbos adfert varios, eorumque remedia sæpe morbis intolerabiliora, quibus vita immaturè ipsis abrumpitur. Non opus hæc ostendere, cum experientia constent. *Ebrietas,* inquit S. Basilius hom. de ebrietate & luxu, *roboris corruptio, senectus imma-* 3. Morbos gignit.

matura, brevis temporis mors. Insinuant hoc etiam vel ipsi helluones apud Isaiam capite vigesimo secundo, versu decimo tertio, cùm ajunt: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quomodo cras? quomodo tam citò? Quia nimirum intelligebant suam ingluviem & bibacitatem mortis celeritate brevi terminandam. Erit fortè qui tale nihil expertus est, sed inter suas delicias & pergræcationes sanus semper & vegetus fuit. At non ideo is felicior est, imò longè infelicior; quia si post tot excessus suos *non flagellatur cum hominibus* (aliis) *flagellabitur aliquando cum dæmonibus*, ut ait sanctus Bernardus in declamatione sua. *In terra Austria*, ait Æneas Sylvius Comment. lib. 4. in Panorm. *cùm obiisset unus ex primoribus annos natus 93. qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla unquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset, idque Friderico Cæsari narraretur. Et hinc, inquit ille, immortales animas censere licet. Nam si Deus est, qui hunc mundum gubernat, ut Philosophi & Theologi docent, eumque justum esse nemo negat, profectò alia loca sunt, ad quæ post mortem animæ migrant, ibique pro factis aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam neque hic bonis sua præmia, neque malis sua supplicia reddi videmus.*

Quando igitur ebrietas nihil omninò boni, neq; honesti, neque utilis, neque jucundi habet, quis ad eam sectandam permoveri se patiatur? imò quia contraria omnia habet, adeòque fœda, noxia & dolorifica est, quis ab ea non abhorreat? Quàm rarò bos aut asinus incidunt in puteum, quia nimirum nôrunt cavere sua pericula? & hoc non sciat homo? *interroga jumenta*, ait Job. capite 12. *& docebunt te.*

THEMA IV.

Cogitationes malæ ad Inquisitionem trahuntur.

I. *Habent aliquid de Arianismo.*
II. *Habent aliquid de Calvinismo.*
III. *Habent aliquid de Lutheranismo.*
IV. *Habent aliquid de Iudaismo.*
V. *Habent aliquid de Turcismo.*
VI. *Habent de Gentilismo aliquid.*

Respondens ad illos dixit. Luc. 14.

Politicorum quidem dictum & axioma est, liberas esse à vectigalibus cogitationes, Die Gedancken seynd Zollfrey / quia scilicet à juribus humanis minimè curantur. Hoc tamen dictum ego nusquam legi in SS litteris. Imò deprehendo prorsus contrarium, uti Prov. 16. *Spirituum ponderator est Dominus.* Et Sap. 1. *Renum illius testis est Deus & cordis illius scrutator.* Et mox: *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Græcè habetur ἐξέτασις h. c. *inquisitio.* Ergo cogitationes ad *Inquisitionem* pertinent. Notum verò est ad eam non trahi nisi fidei Catholicæ hostes, hæreticos & qui à fide defecerunt ad Judæos, Turcas, Gentiles. Num igitur tales erunt cogitationes malæ? Certè non absimiles. Unde Christus in hod. Evangelio pravas Pharisæorum cogitationes quasi ad Inquisitionem trahit, dum ad eas respondens, manifestat & redarguit eas, idque non semel, sed iteratò. Videamus igitur, quid commune habeant cum Ecclesiæ hostibus, sacræ Inquisitionis reis.

I. Habere videntur aliquid de Arianismo; quia Arianismus est subtilis hæresis, quæ facilè hominem decipit, dum Christum Deo Patri quidem similem, non tamen æqualem esse arguatur. Unde adjectione unius litteræ *Iota* ad vocem homousion deceperunt Ariani Latinos in Concilio Ariminensi, ut admitterent Christum esse Patri *homousion*, pro *homoousion*: Latinis doli subtilitatem tunc non advertentibus. Rursum volunt dicendum esse: *Gloria Patri per Filium*; non, *Gloria Patri & Filio.* Sic ergo & cogitationes malæ subtilem malignitatem habent, quia occultæ sunt & intus in corde coquuntur. Unde Judæi & Pharisæi inprimis non videntur eas curasse, ideò à Christo sæpius redarguti. Ex Joseph. l. 12. Antiq. c. 13. excusat Antiochum à sacrilegio, quòd voluerit tantùm spoliare, non actu spoliarit templum Dianæ. Adhuc etiam plebeji aliqui videntur cogitationes malas pro peccato non habere, dum rarò vel nunquam eas confitentur, uti suspiciones, judicia temeraria, contemptus, intentiones malas. Imò viri boni ac docti sæpe laborant in deprehendendis illis. Unde rectè tineæ comparantur, quæ inadvertenter corrodit vestem. *Tinea damnum facit*, ait S. Gregor. l. 11. mor. c. 25. *& sonitum nō facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt.* De quibus dici Isa. 50. potest. *Tinea comedit eos.* Rursum comparantur capillis, quia ut illi de capite, ita hæ de intellectu prodeunt; & uti capillus admodum subtilis est, & sæpe dum non videtur, inadvertenter in cibo sumitur morbumque edenti gignit: ita & cogitatio difficilè deprehenditur & facilè nimis in cor admittitur, gravi tamen damno. Certè sanctus Job cæterà satis certus de honestate filiorum & filiarum suarum in verbis & operibus, solis eorum cogitationibus timuit & pro iis sacrificium obtulit per singulos. Dicebat enim: *Ne fortè peccaverint & benedixerint Deo in cordibus suis.* Job. 1.

II. Habent aliquid de Calvinismo, quia ut illi sub pallio Lutheranismi rectè & inadvertenter irrepserunt in Imperium cum sua blandiloquentia & hypocrisi, sicq; traxerunt ad se vel potius devorarunt sectas Lutheranorum: sic cogitationes malæ sub

sub specie innocentiæ irrepunt in animam, & paulatim serpunt eamque totam occupant. Dido ex Ægypto profuga veniẽs in Africam non plus terræ sibi à Rege Hiarba venundari petiit, quàm coriũ cervinum vel (ut alii) bubulũ caperet; postea id in minutas corrigias divisit eoque magnam agri partem cinxit ibique Carthaginem extruxit. Virg. Æn. 4 Sic quidam in fabula manubrium tantum à sylva petiit eoq; postea sylvam excidit. *Manubrium Diaboli est hominis voluntas, quæ animam ejus exscindit*, ait Abbas Achilles. Est & cogitatio. Hæc enim primò petit tantum habitare in phantasia, quasi in limine, per suggestionem: postea ingreditur in appetitum sensitivum per delectationem, quasi in suburbium. Post insinuat se in intellectum per inhæsionem & moram cum conniventia, quasi in civitatem, denique irrepit etiam in voluntatem per consensum directum & positivum, quasi in ipsam regiam. Unde ad opus tandem procedens omnia devastat. Quia igitur furtim & blandè ingreditur, maximè ipsi attendendum est. Hinc rectè primæ cogitationes malæ furunculis assimilantur, qui per parva irrepunt foramina, magnam tamen in domo spoliationem faciunt, & majoribus furibus ostium aperiunt. Quare mox capiendæ & strangulandæ sunt, ne ipsæ nos strangulent; sicut contigit Alcameni pyratæ, qui cùm Cajum Cæsarem cepisset eiq; joco suspendium minatus esset, dimisso Cæsare, postea ab eo captus & suspensus est. Sic enim nisi tu jugules cogitationem malam, ab ipsa jugulaberis. Unde S. Chrysost. hom. 4. in Gen. ait: *Iusti primam quamque malam cogitationem strangulant, improbi autem excipiunt eandem atque alunt.* Excipiunt, inquit, & alunt, sed suo damno, uti Ægyptius ille aspidem in domo sua, quæ dum alitur innocua quidem, catulum interim parit, à quo filius hospitis necatur, apud Plin. l. 10. c. 74 Ita nimirum cogitatio primò quidem ante consensum innocua, paulatim consensum elicit, quo hominem necat.

III. Habent aliquid de Lutheranismo: quia Lutherani semel in Rom. Imperium admissi, usque ad Concilium convocandum, postea nequiverunt amplius ejici; sed conati potius sunt ejicere Catholicos: ita & cogitationes malæ semel in cor admissæ & per delectationem degustatæ, difficulter repelluntur, teste S. Greg. l. 4. mor. dicente: *facilè est perversa opera vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione mentem corrigere.* Nodus in crasso fune non difficilè solvitur, at in capillo vel filo serico magna difficultate. S. August. serm ult ad fratres in Eremo ait. *Sicut vestimentum cãdidum si fuerit sanguine aspersum, si mox fuerit lotum, candorem suum recipit, si autem insederit & incoxerit macula, vix lavatur: sic & mens humana si surgentem cogitationem mox deleverit, poterit suum retinere candorem: si autem diutius residere permiserit, vix cum magno labore purgatur.* Additque hanc esse primam victoriam certaminis nostri occulti, quam Deus & Angeli spectant. Sunt instar impudentum canum, qui semel pasti nequeunt repelli: & per unum ostium ejecti redeunt per alterum; at si mox ad primum ingressum repellantur, fugiunt, nec facile revertuntur. Hinc adeo laborarunt etiam viri sanctissimi ut malas cogitationes vel modicum delibatas è corde excluderent. S. Benedict. specie fœminæ quam aliquando viderat, tentatus à Dæmone, in vepres & urticas se projecit in iisque volutavit. S. Francis. carnis tentatione apprehensus, postquam se flagellis acriter cecidit, in nivem nudus se projecit & in ea se volutavit.

IV. Habent aliquid de Judaismo. Quemadmodum enim Judæi suas synagogas implent clamoribus, quasi arderent, ac nemo facilè alterum intelligit: ita cogitationes malæ turbant animum quantumvis antea collectum, ita ut homo nesciat quid & cum quo loquatur. Sixtus Philos. ajebat: *Bona mens* (bona cogitans) *est chorus Dei, mala mens* (mala cogitans) *est chorus Dæmonum.* Hunc chorum perdit mala cogitatio, non secus ac cœlestes Angelorum choros una Luciferi cogitatio turbavit omnemque eorum harmoniam pessumdedit; ea scilicet. *In cœlũ ascendam.* Hinc enim homo retinetur ne audiat concionem, ne intelligat lectionem libri pii, ne advertat animum ad propriam orationem; contra id Eccles. 32. *Ne impedias musicam.* Adhæc sicut Judæi fœtere perhibentur suoque fœtore nauseam Christianis pariunt: ita cogitationes malæ fœtent coram Deo, tametsi latẽt homines. Exemplum refert Joannes Abbas apud Ruffinum Aquilejens. Presbyterum in vita Joannis Anachoretæ 27. Martii apud Surium de Eremicola Thebaidis, qui primo colludens cum turpi cogitatione, reperit panem in mensa sordidiorem solito, quem prius semper sapidissimum, mundissimumq; repererat. Post triduum crescente cogitatione ad delectationem usque (quasi accumberet mensæ ejus pellex) sordidissimum quasi à canibus & muribus arrosum & insipidissimum. Tandem omninò à cogitationibus malis occupatus & velut à barbarica cohorte cinctus, ut ait author, manus dedit & ad sæculum redire constituit cellamq; deseruit. Voluit nimirum Deus ipsi insinuare fœtorem cogitationum ejus in fœtore panum.

IV. Habent aliquid de Iudaismo. Tr. Dom. 18. post Pent. c. 5. E. n. 3.

V. Habent aliquid de Turcismo, quia uti Turcæ in auxilium vocati omnimodam vastitatem inducunt, mactant & perdunt omnia: ita cogitationes malæ, si usque ad cordis castellum admittantur, totum hominem evertunt. Atque hinc corrupta est terra coram Deo & repleta est iniquitate. Genesis cap. 6. ante diluvium scilicet. *Videns enim Deus,* ait Moyses, *quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.* Quantam stragem edidit in domo Ludovici Severi Bavariæ Ducis unica cogitatio falsæ suspicionis! Cùm enim is Donavverdæ residentiam suam haberet, pro tempore tamen ad Rhenum militia detineretur; conjux ejus Maria Brabantia, innocens

V. Habent aliquid de Turcismo.

ac pia fœmina binas literas misit, alteras marito nigra, alteras Henrico Ruchoni equitum ductori rubra cera obsignatas, tabellarius per errorem has posteriores Ludovico tradit. Quibus ille perlectis amatoria agi, malè tamen suspicatus, confestim cum paucis Donavverdam contendit maximis itineribus, diu noctuque dissimulatâ irâ. Ubi domum venit, furore plenus mox satellitem præ foribus excubantem obtruncavit; domo conscensâ Helicam virginem Breünebergensem confodit; præfectam Gynecæi de turri præcipitavit velut ambas rei conscias: postero die conjugem indictâ causâ, frustrà suam innocentiam contestantem, capite plecti jubet. Anno 1256. cujus rei gratia cum sequenti nocte occisorum manibus exagitaretur, præ timore ac tremore repente totus incanuit, cùm adhuc juvenis esset. Raderus in Bavaria. Sanctus Aventinus lib. 7. Annal. Bojorum. Cuspin. in Cæsar. Ecce quantam in una domo stragem fecit suspiciosa cogitatio.

VI. *Habent & de Gentilismo aliquid.*

VI. Habent aliquid de Ethnicismo; quia ut Ethnici Idolum, hoc est, imaginarium & fictitium Deum contemplando adorabant, indeque exultabant, interim verum Deum offendebant: ita cogitationes malæ falsam & imaginariam pulchritudinem alicujus peccati aspiciunt, indeque stulta delectatione se pascunt: interim verum & summum bonum amittunt, ac pro illa ficta suavitate vendunt. Certè sanctus Nilus in ascetico ait: *Omnis turpis cogitatio, quæ in animo figitur, sculptile est absconditum, quod pudor vetat in medium proferri.* Quam stultus foret ille, qui pro brevi spectaculo alicujus comœdiæ vel ludi expenderet totam substantiam suam? Hoc faciunt illi, qui unâ fœdâ cogitatione delectati perdunt regnum cœlorum. Exemplum refert Raulinus Ordinis Cluniacensis Theologiæ Professor in itinerario paradisi sermone undecimo de pœnitentia de Domicellâ viduâ, quæ pietati & liberalitati dedita magni fiebat apud Episcopum, confessarium suum. Verùm misera semel unum è famulis suis fixius intuita, sola voluntate in turpem consensit voluptatem: quam tamen quoniam opere non complesset, negligendam putavit. Unde ne instante quidem morte (cùm tamen maximè eam remorderet conscientia) præ pudore ausa crimen fateri, extincta est, & in ipso Episcopi sacello pro virtutis opinione honorificè sepulta. Sed cùm Præsul proxima nocte preces persoluturus eò ingreditur, videntur illi ardere omnia, progressus videt in sepulchro mulieris corpus ferreæ creati impositum, subjicientibus ignem dæmonibus, hàc illàcque illud versantibus. Episcopus cùm eam agnovisset, stupens causam ejus supplicii rogat. Cui illa ideò se damnatam ait, quod voluntatem tantùm peccandi cum famulo suo aliquando habuisset, idque confiteri erubuisset. Quis hic non obstupescat! Et quid dixisse putamus inferos cùm causam damnationis ejus intellexerunt? O stultarum omnium stultissimam, dixisse puto: nos talia sectati sumus, quæ in mundo aliquid sunt & pretio æstimantur, uti voluptates, opes, honores &c. Tua autem delectatio quid erat? *Gustans gustavi parum mellis & en morior*, ait Jonathas, ob paululum mellis delibatum. Tua delectatio quid nisi gutta mellis erat? & hanc tu pro æternæ mortis suppliciis emisti? Quis unquam adeò desipuit?

℞. Quare Audit. aperite oculos & cavete vobis à malis cogitationibus. Non sunt liberæ à telonio, uti mundus putat, nimis carò computantur, nimis dirè plectuntur.

THEMA V.

Ratio comparandi sibi humilitatem.

I. Cogita naturæ tuæ vilitatem.
II. Cogita peccata tua præterita.
III. Cogita non esse tua quæ habes.
IV. Cogita te ab aliis longè excelli.
V. Cogita Dei majestatem.

Vade, recumbe in novissimo loco. Luc. 14.

Beatus Dei servus, Simeon Stylites, cùm adhuc in sæculo constitutus, serviendi Deo cupidus, in templo SS. Martyrum propinquo, Deum rogasset, ut sibi rectum pietatis iter ostenderet, somno oppressus est, in quo videbatur fundamenta sibi effodere. *Dum hæc agerem*, inquit, *vocem adstantis cujusdam audio, alius effodi opus esse dicentis Cujus ego imperio obsecutus, incepto operi: re tandem, ut mihi videbatur, peracta me ad otium referebam: cùm rursus ille mihi adhuc effodiendum esse dicit. Cum hæc autem quater fieri imperasset: Satis, inquit; nunc autem si ædificium perfici cupis, indefessè tibi laborandum est: nam absq; assiduo labore fieri quidquam non potest.* Ita refert Theodoretus, Episcopus Cyrensis apud Surium 5. Januarii. Visio verò ista nihil aliud juveni Christi athletæ denunciabat, quàm si perfectum virtutum ædificium struere sibi vellet, profundum humilitatis ponendum esse fundamentum. Id quod beatus Simeon egregiè perfecit. Cæterum huic Sancto nihil singulare, sed quod nos omnes tangit, hac visione præscriptum est: opus nimirum esse, ut si inter beatos cælites in Dei mensa consedere desideramus, in novissimo loco recumbamus, adeoq; tanto profundius fodiamus fundamentum, quo altius extruere cupimus sanctitatis ædificium. Ita enim clarè S. Augustinus sermone 10. de verb. Domini ait: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & dispo-*

disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Hoc idem est, quod docet in hodierno Evangelio Dominus, dum jubet nos occupare locum novissimum, si desideramus ascendere ad summum. At verò non omnes habent necessaria instrumenta, palas & ligones, quibus hanc virtutum omnium basin in corde suo fodiant, ea igitur hic, saltem aliqua, suppeditabimus.

...ana- tuæ ...atem. I.

I. Cogita mi homo, tuæ naturæ vilitatem & fragilitatem. Et inprimis vide originem tuam, quæ nonnisi terra est. De Primislao Bohemorum Rege scribit Æneas Sylvius in hist. Bohem. ipsum ex homine rustico ad regni gubernacula evectum, qui dum inaugurararetur, sagum rusticanum jussit expromi, idemque, ut suæ originis memor, cum demissione imperaret, servavit usque ad obitum, apud Caussin. lib 3. symb. 47. Hoc age & tu quisquis es ad honorem, doctrinæ vel virtutis culmen aliquod evectus: pone in conspectu tuo terram, de qua ortus es; vel etiam primam tui originem, cum effusus es in hanc terram; & cristas utique demittes. Demisit certè David ad regium evectus thronum, quando originem suam expendit 2. Reg. 7. dicens: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque?* In quæ verba Divus Chrysostomus hom. in eundem textum tomo 1. ait: *Noverat se pastorem esse ovium, & non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnovit se ex nihilo fuisse sublevatum, & quia non est oblitus quis natus erat, perseveravit in culmine regali. Invenit gratiam ut & regnum perciperet, & inimico persequenti se Sauli, malum pro malo non redderet. Videtis quanta culmina procedunt de radice humilitatis, quam uberem fructum Deo offert.*

2. Cogita præterea hominem postremum inter omnes creaturas conditum, ut agnosceret se vilissimum, quo modo in paterna domo filius natu minimus omnium est despectissimus. Adhæc esse conditum eodem planè die, quo condidit Deus jumenta, reptilia & bestias, Genes 1. num. 24. ut sciremus nos à bestiis, sublata rationali anima, nihil planè distare, sed iisdem sordibus, fœtoribus & miseriis, quibus illæ obnoxiæ sunt, subjectos esse. Denique factum esse è pulvere & luto, velut vasa figuli: *Ne ignorando homo*, inquit Divus Chrysostomus hom. 12. in Gen *quomodo constitutus sit, magnus sibi videatur & præscriptos sibi limites transeat. Nam cum cogitaverimus, unde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit; etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea deprimemus & humiliabimur, & substantiæ nostræ qualitatem perpendentes, modestiam discemus.* Hoc medium adhibuit Abraham, quando ad familiare Dei colloquium evectus, ne inde superbiret dixit: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis.* Genes. 18. In quem locum Sanctus Chrysostomus: *Quoniam*, inquit, *non habebat peccata, quæ diceret: sed undique bonis operibus fulgebat, circumcursans & nihil contra se inveniens, ad naturam ipsam confugit, & quoniam terræ nomen videtur quodammodo honestum esse, cinis addidit.* Hom. 23. in 2. ad Corinth.

Cogita & fragilitatem tuam, qua hodie si stas, cras fortasse cades, & perdes ea omnia, quæ te in sublime tollunt. Unde monet Apostolus ad Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Quærit super hoc loco Sanctus Basilius in regulis brevior. interrog. 56. *Quis est altum sapiens?* Respondetque: *Sanè mea quidem sententia, is altum sapiens dicendus est, qui ipse seipsum extollit, qui propter rectè facta sua magnificè de seipso sentit seseque effert, more illius Pharisæi, & non cum humilibus sentit.* At quis nescit Pharisæum in ipso templo, ubi alii gratiam Dei acquirere solent, gratiam perdidisse? & quidem non ludendo, non bibendo, non otiando, sed orando, quia malè & cum fastu oravit, de statu gratiæ lapsum esse? Quis ergò sibi non metuat? Neroni poculum manu tenenti & jam bibituro fulmen excussit poculum, teste Philostrato lib. 4. cap. 14. Ita qui jam cœli fores manu apprehendunt, quasi mox intraturi, cadere adhuc & excludi, Deique indignatione fulminari possunt, si de virtutibus aut donis suis vanè se extollant. Quis ergo non humiliter de se sentiat, quantuscumque sit? 3.

II. Cogita peccata tua præterita.

II. Cogita peccata tua præterita quale pondus pœnarum tibi exsolvendarum post se trahant. Cur putatis Deum exhibuisse signum Moysi, inaugurando Legislatori & populi Duci, in manu ejus leprosa, è sinu educta? Exo. 4. Causam exponit Theodoretus in Exod. q. 20. *Moysen, inquit, admonuit, non superbire debere, sed agnoscere naturam, cum recordatione dextræ lepra prius infectæ.* Ut nimirum Legislatorem admoneret, ne elatè de se sentiret, sed per leprosam manum naturæ suæ imbecillitatem agnosceret ac memoria teneret; ut quando manus ejus miracula faceret, recordaretur fuisse prius leprosam; forsitan & peccaminosam, quando manu sua obtruncavit Ægyptium contra juris ordinem, adeoque cum peccato, uti sentit Divus Augustinus l. 22. contra Faustum cap. 70. & Oecomenius in Ep. Judæ. Ergo & tu quicumq; es, si fortasse manu, aut ingenio, aut virtute tua mira operaris, noli inde extolli; sed cogita manum, intellectum & voluntatem tuam fuisse aliquando leprosam, peccatis contaminatam. Hinc quidam ex antiquis Patribus interrogatus, quomodo posset anima humilitatē adipisci, respondit: *Si sua, non alterius peccata consideret;* apud Rosvveid. lib. 3. vitæ Pp. Idem suadet beatus Petrus Damiani Abbati Desiderio, R. E. Cardinali ep. 11. lib. 2. *Noli frater, inquit, quod plerique faciunt, tantummodo siquid est in te virtutis attendere, ut vitia quasi post tergum posita negligas judicare. Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum. Qui nimirum pullinos & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem vero, caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet, videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat: ignorat in cauda,*

quod eum mirabilem reddat. In promptu est unde se debeat in humilitate deprimere: post tergum gerit, unde valeat quasi præ cæteris avibus superbire. Te quoque quodammodo quod in te virtutis est, lateat, siquid verò vitiosum & correctionis est indignum, ab aspectus tui judicio non recedat. Hoc certè, si quis alius, egit Sanctus Paulus, qui etsi inter Apostolos plurimum laborasset, nomine tamen Apostoli indignum se judicavit, propter antegressa sua in infidelitate peccata. Ita enim scribit 1. Cor. 15. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia Ecclesiam Dei persecutus sum.* Ubi Sanctus Chrysostomus hom. 38 *Quanquam inquit, transacta erant ista omnia, sed neutiquam fuerat eorum oblitus.*

III. *Cogita non esse tua, quæ habes.*

III. Cogita non esse tua, sed aliena quæ habes bona. Hoc medium tibi præbet Apostolus 1. ad Timot. 6. cum Dei dona nobis commissa appellat *deposita. O Thimothée depositum, custodi,* inquit. Quis autem ob depositum apud se thesaurum superbit? Audiamus D. Macharium sancti Antonii discipulum, hom. 5 sic loquentem: *Quemadmodum si Rex apud quendam egenum, thesaurum suum deponat, is qui accipit custodiendum, non reputat illum ut suum, sed ubique fatetur inopiam suam, nec audet dispergere quidpiam ex alieno thesauro, semper hoc habens in animo quod non solum thesaurus est alienus, sed quod Rex & vir summæ potentiæ deposuit illum apud se, qui quando volet à se repetet: ejusdem debent esse sententiæ, qui gratiam Dei sunt adepti, nempe ut humiliter de se sentiant & mendicitatem suam confiteantur. Quemadmodum enim mendicus, qui thesaurũ à Rege depositum accepit, si de alieno thesauro confidens tamquam de propriis operibus extollatur & superbiam cor ejus concipiat, aufert ab eo Rex thesaurum suum, & qui loco depositi illum acceperat, talis manet, qualis erat antea, nempe mendicus: ita qui gratia Dei sunt præditi, si efferantur, & superbiam eorum corda concipiant, tollit ab eis Dominus gratiam suam, & tunc remanent ii qui prius erant, antequam à Domino gratiam accepissent.* Accedit quod ea, quæ hoc deposito, seu talentis à Deo nobis traditis, lucramur, non tam nostra, quam ipsius ope & industria lucramur. Ipse enim dat gratiam, quæ ad vim merendi extollat opera nostra: ipse ad merendum nos excitare & cum merentibus cooperari debet, non solum concursu illo generali, quo cum omnibus creaturis operatur, sed quodam auxilio speciali & supernaturali concurrente una cum voluntate nostra, liberè operante. Unde Isaias cap. 26. v. 12. dixit: *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Et sponsa poma, quæ in arboribus ejus creverunt, omnia adscribit sponso suo, velut plantatori arborum & horti sui primario. *Veniat, inquit, dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Cant. 5. v. 1. Hortus iste est anima justi, diversis virtutum stirpibus ab eodem sponso consitus: poma autem sunt virtutum opera, quibus sponsus mirificè pascitur & delectatur. Ita explicat sanctus Gregorius: *In hortum, inquit, dilectus venit & fructum comedit, quando Christus mentes visitat & bonorum operum delectatione se satiat.* Non extollitur hortulanus, quod arborem nobilium pomorum fertilem sua manu severit aut plantarit. Quid enim laudis habet, semen spargere, aut palmitem in terram depangere? Sol omnia reliqua facit una cum pluvia aliisque tempestatibus. Ita parum omninò est, quod de suo depromit homo, cum opus bonum perficit. Unde igitur superbiat? Accedit quod incertum nobis sit, an poma illa integra & sana & non vermiculosa sint, Deoque displiceant. Unde idem Apostolus 1. Corinth 4. dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Rationem dat Idiota in comtempl. t. de morte num. 2. *Quamvis enim, inquit, mihi certò constet, quia fidem habeo, per quam credo, nemine tamen nec de se nec de alio certò constat quod fidem habeat, per quam credat in Deum formatam charitate, &c.* Jam si nescimus an charitatem Dei possideamus, consequenter etiam nescimus an opera nostra in DEO & charitate facta adeoque DEO grata sint. Unde ergo extolli possumus?

IV. *Cogita[s] a alii[s] ... g exc[el]...*

IV. Cogita eas dotes, quibus tu excellis, in aliis quamplurimis esse longè excellentiores, & si non easdem, certè alias nobiliores. Ex infirmitate & cæcitate tua provenit, si tuas solùm dotes, & non alienas perspicis: quemadmodum de Antycirone memorat Aristoteles, quod ob visus imbecillitatem semetipsum tantum vidisset, quia visuales oculorum radii in medio aëre ob debilitatem contracti in ipsum resiliebant, eaque ratione propriam ei imaginem per reflexum objiciebant. Sic enim qui de suis dotibus superbiunt, se duntaxat considerant & in aliis nihil excellens aut laude dignum aspiciunt. Si videres tibi alios innumeros majoribus longe coruscare donorum & virtutum radiis, quam tu fulgeas; utique sicut stellæ coram Sole radios tuos absconderes & nihil te esse diceres. Ita Sanctus Antonius, cum hæc in mentem ejus cogitatio incidisset, nullum ultra se perfectum Monachum in Eremo consedisse; per noctem ei revelatum est, esse alium ulterius multo meliorem: ad quem visendum deberet proficisci. Manè igitur facto perrexit in desertum, cumque tertia die invenisset in spelunca sanctum Paulum Eremitam ejusque Angelicam vitam, reversus domum ad fratres suos: *Væ mihi, inquit, peccatori, qui falsi Monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto & verè vidi Paulum in paradiso.* Ita S. Hieronymus in ejus vitâ. Idem Antonius ne de eximia sua sanctitate se efferret, sedens in cella audivit vocem: *Antoni, necdum pervenisti ad mensuram coriarii, qui est in Alexandria.* Illuc igitur pergens, invenit coriarium, & hoc unum ab eo audiit: *Manè surgens dico, quod omnis hæc civitas à minore usque ad majorem ingreditur in regnum Dei propter justitias suas: ego autem propter mea peccata pœnam ingrediar sempiternam.* Cui Antonius: *In veritate filii ego necdum*

verbi tui assumpsi mensuram. Ruffinus l.3.n.129. Similiter magno illi Macario Abbati, eodem auctore n.97. apud Rosvveid. revelatum, necdum pervenisse eum ad perfectionem duarum mulierum, quæ in proxima habitarent civitate. Eas igitur ubi indagavit, audivit simul habitantes mutuo inter se consensu firmato nullum unquam sæculare verbum locutas. Idem cum vidisset alibi Monachos, severioris disciplinæ quam ipse foret, seipsum redarguens: *Vidi Monachos*, inquit, *& ego non sum Monachus.* Idipsum aut simillimũ quid haud dubie diceremus, si aliorum dotes & virtutes vel coram intueremur, vel mente saltem volveremus.

V. ogita Dei ajesta- m.

V. Cogita Dei majestatem, & nihil esse te invenies. Verè enim S. Bernardus lib. 5. de Consid. c. 6. ait: *Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potius non esse, quàm esse?* Certè Angeli supremi leguntur in conspectu Dei submittere alas suas & velare facies suas. Ezech. 1. *quia Sanctorum mentes*, inquit ibi S. Gregorius, *cùm creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescũt eorum animo virtutes, quas habent, & tanto fiunt apud se humiliores, quanto illud altum est, quod super Angelos sonat.* Sic Abraham in consortio sermonis cum Deo ad suum nihilum descendit & cinerem se ac pulverem agnoscit. *Sancti namque omnes*, inquit D. Gregorius 18. Moral. cap. 13. *quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem & pulverem se esse professus sit, nisi cùm habere Dei meruit collocutionem. Vbi enim ad immutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi pulverem vidit.* Quis verò jam se Abrahamo comparare ausit? Et si ipse pulvis coram Deo: quid nos? Jam si attendamus illam Dei majestatem sese humiliasse usque ad nostram infirmitatem, tamque in carne humana & habitu viatoris pauperis occultasse per 33. annos, nec non ad contemptus & irrisiones ipsamque crucem demisisse; quis obsecro coram ipso erigere se queat? *Prorsus detestanda*, ait beatus Laurentius Justinianus de humilitate cap. 2. *& miserabilis præsumptio est audire & oculis fidei conspicere Deum suum mitem & humilem, & velle sectari honores, appetere dignitates, & aliis præesse desiderare.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Quomodò ex toto corde diligendus Deus.*
II *Diligendus Deus ob beneficia in nos collata.*
III. *Christus simillimus Patri suo Davidi.*
IV. *Quales se filii parentibus exhibere debeant, ad exemplar Christi.*
V. *Præceptum diligendi proximum qui implendum.*

THEMA I.

Quomodo ex toto corde Deus diligendus:

I. *Vt nihil æquè ac Deum, multo minùs aliquid supra eum amemus.*
II. *Vt pro eo omnia dare velimus.*
III. *Vt omnia ejus præcepta servare velimus.*
IV. *Vt leviores etiam offensas evitemus.*
V. *Vt totam nostram spem in Deo collocemus.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

MIrabilis contentio coram Salomone agitata describitur 3. Regum 3. inter duas mulieres, eodem in cubili cum infantibus suis dormientes; quarum una in somno oppressit filium suum mortuumque clam cum alterius vivente commutavit. Cumque hæc repeteret filium, illa verò negaret, sed suum esse contenderet, jussit Salomon Judex gladium afferri ad dissecandum infantem vivũ, de quo erat contentio, ut pars infanti uni, pars alteri daretur. Quod ubi audivit ea, quæ verè mater infantis erat, servari infantem jubet: altera nequaquam, sed dividendum esse clamat. Ex quo non hæc, sed illa deprehensa est esse mater. Non absimilis contentio est inter Christum Deum ac Dominum nostrum, & inter Cacodæmonem de corde & amore hominis. Christus qui nos genuit per baptismum in sanguine suo, repetit cor nostrum velut suum fœtum: Dæmon qui non genuit, sed oppressit hominem sua suggestione, contendere non veretur, sibi id deberi. Cumq; id nullo jure ad se rapere queat, petit ad extremum, quod impudens illa mulier:

Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. Contendit inquam Satanas, ut qui totum hominis cor ad se trahere facilè nequit, saltem in quam plurimis, ut vel ejus partem obtineat. Contra impudentem istum humani generis hostem, præcipit in hod. Evang. Christus seriò & inculcat nobis mandatum Patris sui: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* q.d. vide ut totum cor & amorem tuum Deo tuo impendas ac ne dividi patiaris, ut partem Satanæ vel minimam concedas. Quod qua ratione facere quisque debeat, videamus.

I. *Vt nihil æquè ac Deum multò minus aliquid supra eum amemus.*

I. Ut nihil æquè ac Deum, multò minùs aliquid supra Deum amet, sed ipsum solum reliqua propter ipsum. Magnus nimis est Deus, qui & jure suo possidet cor nostrum, unde amorem ejus reciprocum requirit nec corrivalem admittit. Unde Exod. 20. ait: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes;* seu ut Deut. 5. repetit, *æmulator.* Quia scilicet hominis animam tantopere amet, ut non sinat eam impunè fornicari, seu alteri creaturæ adhærere: quemadmodum & vir zelotypus amans valde conjugem, alterum ei amasium minimè concedit; ac si quem talem deprehendat, multum non dimittit. Dux quidam Oppaviæ cùm uxori, quam ex Lituania acceperat, obviam ivisset & hujusmodi adolescentem corrivalem in comitatu ejus deprehendisset, parum aberat, quin eum canibus dilaniandum objiceret, teste Æn. Sylv. l. 4. Comm. in Panorm. Multo majorem Deus animarum zelum habet, quas non solum condidit, sed & sanguine suo reparavit sibiq; despondit. Hinc illis adulterantibus jure merito irascitur S. Jacob. c. 4. *Adulteri nescitis, quod amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus hujus sæculi fieri, inimicus Dei constituitur.* Adulteros appellat, qui deserto Christo sponso suo (de quo Apo. 2. Cor. 11. ait: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*) perfidi adhærent per amorem mundo & creaturis, sicque Dei inimici fiunt, qui sponsæ esse deberent. Idem exprobravit Elias Hebræis, alienos Deos sectantibus. 3. Reg. 18. *Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum,* jussitque apprehendi & occidi 450. Prophetas Baal. Pari in causa Samuel exhortans populum Hebræum. 1. Regum 7. ait: *Si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte Deos alienos de medio vestri Balim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Ecce totum cor vult habere Deus, & serviri ipsi soli. Nihil verò minus faciunt, qui alteri creaturæ præter Deum adhærent per amorem, quā fecerint Hebræi ad Idola deflectentes, nisi quod illi abjiciant solam charitatem Dei, hi verò etiam fidem eliminarint. Quærit S. Augusti. l. 1. de consensu Evang. c. 17. cur Romani Christum (ad petitionem Tiberii Cæsaris) in Deorum suorum numerum admittere voluerint. *Nam,* inquit, *coluerunt aliarum gentium Deos, quas Romanum subjecit Imperium, præsertim cùm eorum sententia esset, omnes Deos colendos esse sapienti.* Et respondit ib. cap. 18. *Nihil restat, ut dicam, nisi quia* (Christus) *solum se coli voluerit.* Totum enim affectum, totam animam postulat, omnem cultum & amorem sibi uni deposcit, neque aliorum Deorum communionem admittit. Qui creaturam aliquam plus aut æquè amat ac Deum, Idolum ei adjungit in corde suo; hinc igitur pugna & contentio oritur in conscientia, in qua Deus velut legitimus sponsus & inhabitator illicò indignatur & quasi obmurmurat, reprehenditq; sponsam, donec hostem ejiciat: ac nisi ea id quam primum faciat, plagas ei accumulat: *quem enim diligit Dominus, castigat.* Heb. 12. Non patiebatur in eodem utero levis & sanctus Jacob, hirsutum & flagitiosum Esau: nec Christus sanctus sanctorum tolerat in corde nostro, imò potius suo, tam carò à se empto, hircum illum Satanicum. Videant ergò quid agant, quantum adulterium committant, & quanta injuria Christum sponsum suum onerent, qui cor suum alteri quàm ipsi impendunt. Procul ab hoc scelere, tunc saltem fuit David, quando dixit Ps. 72. *Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terrã?* seu ut ex Hebr. legi potest: *Tecum non volui socium super te.* Ecce neq; in cœlo aliquid extra Deum esse protestatur, cui amorem suum vellet impendere, multò minus in terra. Si ergo neq; Angeli, nec cæelestes deliciæ dignæ sunt, quæ admittantur in conclave cordis nostri, ut pari amore cum Christo diligantur: quomodo res terrenæ in cor admitti possunt? Sed audiamus S. Chrys. in hunc Matth. locum hom. 42. scribentem: *Quid est,* inquit, *diligere Deum ex toto corde? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quàm ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quam in Deo; non in honoribus, non in auro vel argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus, aut amicis; sed hæc omnia existimas tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor tui cordis fuerit occupatus, jam ex toto corde nō amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem reputare, quàm virum suum: etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare, quam virum suum: etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem formosiorem debet putare quàm virum suum: etsi sit alter formosior, tamen coram oculis ejus alter formosior apparere non debet. Perfectum enim odium & perfectus amor judicium rerum non cognoscit: utputa, si perfectè odias aliquem qualiacunq; fuerint apud illum, omnia tibi displicent, sive quæ dicit, sive quæ agit: etsi verè bona sunt, tamen tibi mala videntur. Sic & si perfectè aliquem amas, quæcunque sunt apud eum placent tibi, sive quæ loquitur sive quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo &*

uxor ſi videns aliquem, dixerit, quam ſapiens vir! utinam vir meus talis eſſet! jam amor ejus minus habet de perfecto amore: & pro quanta parte amplius aliquid laudaverit in altero viro quam in ſuo; tanto dilectio ejus minor eſt ad virum ſuum. Sic ergo & omnis anima Chriſtiana, quæ ſponſa eſt Chriſti, ita diligere debet Deum: ut nihil ſit in mundo, quod amplius amet, quam eum aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum.

I. eo o- dare mus.

II. Ut pro eo retinendo omnia potius dare & amittere, etiam cor ipſum, hoc eſt, chariſſima quæque, ipſam etiam animam & vitam velimus, quam ipſi valedicere. Deus talis margarita eſt, quæ totius mundi, & ſi infiniti eſſēt mundi, omnium pretia lōgiſſimè excedit; quid mirum ergo, ſi quandoque petat ut omnia noſtra demus ad comparandam illam? Propterea Dominus dixit Matthæi decimo. *Qui amat patrēm aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam* (ecce etiā cor & vitam requirit.) *& ſequitur me, non eſt me dignus.* Qui hoc modo Deum non diligit, non toto corde diligit; quia non eſt paratus ad offerendum totum cor in holocauſtum Deo, qui partem illius ſibi reſervat. Templum Salomonis undique tectum auro fuit, etiam pavimentum domus & porticus & oſtia, *nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur.* tertio Regum ſexto. Sic etiam ornatum undique charitate debet eſſe cor noſtrum, quod eſt templum Dei, ita ut nihil poſſideat, quod amore Dei perdere non velit. Scimus enim Achabum Regem unica corporis parte tectum armis non fuiſſe, & ibi tamen ſagitta vulneratum atque enectum fuiſſe. 3. Regum ultimo. Quando igitur parentes Deo vocāti, verbi gratia, ad religionem filium unum, parati quidem ſunt dare unum, ſed non iſtum: non amant toto corde Deum. Quando quis ait omnia ſe toleraturum, ſed hanc vel illam injuriam ferre non poſſe, non amat Deum toto corde. Quando quis Dei amore paratus eſt bona ſua perdere, & cārcerem etiam intrare, ſed non vult dare vitam: non amat ex toto corde. Abrahamum aſpicite. Jubetur is à Deo immolare filium ſuum non Iſmaelem illum ancillæ filium, ſed dilectiſſimum ſuum & unicum Iſaacum. Non putatis ipſum vitam potius ſuam quam filium hunc fuiſſe daturum? Et tamen abſque ulla excuſatione aut mora parat ſe ad mactandum filium Geneſ. vigeſimo ſecundo. Paulum conſiderate, Pergens is Jeroſolymam, ubi Spiritus ſanctus ei prædixerat, multa amore Chriſti toleranda; & Agabus Propheta vinciendum ac ligandum, diſcipuli vero profuſis lachrymis retinere eum cuperēt, ipſe: *Quid facitis,* inquit, *flentes & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Actorum 21. Videte Magdalenam amore Chriſti ebriam; loquentem juxta ſepulchrum: *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.* Joannis 20. In quem locum Origenes homilia 10. in diverſ. ait: *O Maria, ſi corpus Ieſu fortè poſitum eſt in atrio Principis ſacerdotum, in quo Princeps Apoſtolorum calefaciebat ſe ad ignem, quid factura es? Ego eum tollam, ô mirabilis mulieris audacia? ô mulier non mulier! Et ſi ancilla oſtiaria interrogaverit te, quid factura es? Ego eum tollam, ô ineffabilis hujus mulieris amor! nullum locum excipit, nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutè promittit: Dicito mihi ubi poſuiſti eum & ego eum tollam.* Toto igitur corde diligebāt Chriſtum, ad omnia probra & tormenta pro amore ejus parata. Neque hoc durum nimis alicui videatur. Quid enim non faciunt homines propter eos, quos vehementer amant? nonne Sichem ille, Prin·ipis filius; Dinæ amore ſe circumcidi paſſus eſt: Gen. 14. Quid igitur non faciat, quid non patiatur homo amore Dei?

III. Ut omnia ejus præcepta, à maximo ad minimum velis ſervare; nullo excepto Id eſſe toto corde Deum diligere, colligitur ex cap. 11. Deuter. ubi dicitur: *Si ergo obedieritis mandatis meis, ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſerviatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra &c.* Et paulo poſt hoc explicans addit: *Si cuſtodieritis mandata mea & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus viis ejus.* Hoc igitur eſt ſervire Deo in toto corde ambulare in omnibus viis ejus. Erraverunt in hoc Phariſæi, qui ſufficere putabant, ſi major pars Legis ſervaretur: & Rabbini aliqui exiſtimantes eos, qui plus bonorum quam malorum operum haberent, poſſe ſalvari. Item Chriſtiani aliqui tempore S. Auguſt. in Enchi. 75. qui per ſolam eleemoſynam ſperabant ſalutem, licet mandata non ſervaſſent. Contra hos enim S. Jacobus c. 2. ait *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Quia nimirum Deus corde toto ſibi vult ſerviri & integro. Hominis cor ſimile eſt tunicæ Chriſti inconſutili, cujus una ſciſſura totam diſſolvebat, quia *deſuper erat contexta per totum.* Scimus certè Saulem incurriſſe Dei iram & reprobationem à ſceptro regio, quod cum miſſus eſſet a Deo ad internecione delendum Amalec. 1. Reg. 15 pepercit melioribus, nec omnia delens, quæ anathemati Deus ſubjecerat. Quidquid Dei præceptis vetatur, anathemati ſubjectum eſt Chriſtiano evitandum, alioquin Dei iram incurret & reprobabitur, perinde ac ſi nullum evitaſſet. Taxatur etiam à Scriptura Jehu Rex, qui ad præceptum Dei delevit quidem domum Achab & Idololatriam Baal de Iſrael, veruntamen ipſe non dereliquit vitulos aureos quos erexerat Jeroboam in Dan & Bethel: unde de eo dicitur: *Porro Iehu non cuſtodivit ut ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo.* Quamobrē? nonne omnem domum Achab 70. ejus filios; & 47. fratres Ochoziæ, propinquos domus Achab & omnes ſacerdotes Baal occidit? Ita eſt, ſed in uno defecit, *non* enim *receſſit à peccatis Ieroboam;* ait ſacer textus quarto Regum decimo. Itaque ſolos illos vitulos reliquit; in quibus & ipſe poſt impegit. Idem

III. *Vt omnia ejus præcepta ſervare velimus.*

videre est in Herode, qui ad instantiam Joannis, *Multa faciebat.* Marci 6. verùm pellicem suam amovere noluit: cujus rei causa æque damnatus est, ac si nihil eorum fecisset, quæ suggerat Joannes. Benè igitur Petrus Chrysologus serm. 94. ait: *Ama Deum & ama totus, ut possis omnia sine labore vincere peccata.*

IV. *Ut leviores etiam offensas evitemus.*

IV. Ut minores etiam offensas seu veniales saltem eas, quæ deliberatè committuntur, omni studio evitet. Qui enim perfectè amat, etiam in minimis offendere amatum refugit, nec cum ejus inimico quidquam commune vult habere. Unde Prov. 7. dicitur: *Fili serva legem meam quasi pupillam oculi tui.* Quis autem nescit oculum turbari & vexari vel à minimo pulvisculo? Ideò Deus *pupillam oculi*, ait S. Ambrosius l. 6. Hexam. c. 4. *tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est; quia innocentia & integritas* (designata per pupillam) *levi sorde aspersa violatur & gratiæ suæ munus amittit, & ideo perspiciendum est, ne quis eam pulvis erroris oblimet aut ulla vexet festuca peccati.* Vexatur enim & turbatur etiam oculus conscientiæ seu cor à parvis peccatis, deliberata voluntate admissis; uti sensit David, quando oram duntaxat Chlamydis absciderat Sauli Regi: *Percussit* enim *cor suum David* (hoc est, Davidem, ut habent 70. 1. Reg. 24.) *eò quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Taceo quod particula cordis permissa inimico, sensim ei aditum parat ad totum diripiendum, sicut parum ligni datum securi à sylva & effictum in manubrium, totam postea sylvam excidit. Hæc causa est, cur Moyses Pharaoni ad extremum se resolventi: *Ite, sacrificate Domino: oves tamen vestræ & armenta remaneant:* respondit: *Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula.* Exod. 10. Quærit etiam Dæmon, si totum aut dimidium obtinere nequit hominem, ut saltem ungulam seu minimam cordis ejus partem apud se retineat; sciens se per ungulam sensim ad se trahere totum cor posse: sicuti Hebræi si pecora sua in Ægypto reliquissent, facillimè eò pedem retulissent: qui etiam cùm nihil jam prorsus in ea haberent, eò tamen reverti desiderabant. Scimus sæpe ingentes cervos unica ungula laqueo implexa retineri; multò magis infimas aviculas: sic & *qui spernit modica paulatim decidet.* Eccles. 19. Ex toto igitur corde, & ex tota virtute diligunt Deum, *qui gnaviter & strenuè omnem* (quantum possunt) *defectum & imperfectionem cavent*, ait D. Thomas opusc. 61. c. 13. Denique S. Augustinus in Soliloq. c. 19. Deo sic loquitur: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

V. *Ut totam nostram spem in Deo collocemus.*

V. Ut totam suam spem & fiduciam in Deo collocet, non in seipso vel alia creatura. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, ait Dominus Matth. 6 consequenter & spes tua. In quo ergo quis fiduciam suam ponit, in eo reponit & cor suum. Jam verò quis est spes nostra, qui thesaurus, nisi Deus? Solus ille nos ditare & juvare omnibusque cumulare bonis potest ac vult, ad ipsum igitur solum apponere cor nostrum debemus. Injuriam ipsi facit, qui in creatura tamquam in Deo, aut magis quàm in Deo confidit, quasi vilis & fragilis creatura plus possit quàm Creator. In hunc sensum S. Chrysost. cit. homil. 22. in hunc Matth. text. scribit: *Qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut divinationes aliquid nunciare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autem diligit Deum? qui omne bonum credit esse Deum, & extra Deum non credit esse bonum.* Ergo qui ad Magos & ariolos currunt vel mittunt, cùm infirmantur, non sanè amant Deum ex toto corde, sed partem saltem spei & cordis sui ponunt in virtute Dæmonis, crystalli, magici carminis aut amuleti. De quibus queritur Deus Ose. 4. *Populus meus in ligno suo interrogavit & baculus ejus annunciavit ei.* Per baculum Chaldæ. Rupert. & Lyran. intelligunt Idola lignea: Isidorus pseudoprophetas, quibus velut baculis & scipionibus innitebatur populus: Hieronymus & alii, baculum divinatorium; quales erant sagittæ Nabuchodonosoris Ezechielis 21. è quibus in al[...]tum jactis conjectabat, quam civitatem aggred[i] deberet. Baculi hujusmodi sunt arioli & veridicæ qui cum sint rudes & stupidi velut baculi futura v[el] occulta annunciare audent, nescio tamen an stupidiores iis, à quibus interrogantur, certè utrique pari injuria & quidem intoleranda afficiunt Deum. His adnumero eos, qui in Deo parum fiduciæ ponentes, sperant æquè vel magis in divitiis suis. S[ci]mus Ananiam & Saphiram morte subitanea plex[os] esse, quod cùm pretium agri sui devovissent Ecclesiæ, partem sibi reservassent, ut humana prudentia sibi in tempore necessitatis, v. g. fugæ, persecutionis, senectutis, consulerent, Deo diffidentes. Act. Diviserunt isti cor suum, & partem ejus in Deo, partem in suo peculiolo posuerunt: sicque utrumque (ut timendum, & sentit S. August. serm. 22. de verb. Apostoli, & S. Basilius serm. 2. de Instit. Monach.) perdiderunt. Non ergò in fluxis & fluentibus divitiis sed in Deo immutabili cor ponendum est, ubi nec ærugo id consumit, nec tinea devorat, nec fures effodiunt. Videat jam quisque ne vel ille dividat, vel dividi patiatur cor suum, ut vel minimam ejus partem Dæmoni permittat; econtra laboret omnibus viribus, ut ex toto corde diligat Deum; Diabolica vitet contagia, & solum Deum pia mente sectetur.

THEMA II.

Diligendus Deus ob beneficia in nos collata,

I. *Ob bona, quibus nos cumulat, communia.*

II. *Ob mala à quibus liberavit, vel præservavit*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

SÆpius admonemur, ut diligamus Dominum Deum, ex toto corde nostro. Sed videor mihi audire aliquos ad hoc submurmurantes; Quomodo tam ardenter diligamus Deum, quem oculis non cernimus? Quæ enim sensibus non apprehendimus languide appetimus; quia absentibus objectis tenuiter movemur. Verum quidem est hoc: non videmus Deum, nec alio sensu percipimus; ejus tamen beneficia plus satis experimur, & quotidie percipimus, imo singulis momentis. At hoc sat superque movere debet nos ad diligendum Deum, & quidem ex toto corde. Quid enim, quæso, fuit, quod Rebeccam permoveret ad amorem Isaaci tam potentem, ut petita in sponsam, assensum mox præberet, quem tamen nunquam viderat? Quid amorem ejus adeo exacuit, ut spreta paterna domo, nec decem quidem diebus detineri in ea vellet, sed continuo ad sponsum adduci desideraret? Id enim testatur sacra Scriptura Gen. 24. Utique nil aliud, nisi pretiosa donaria, inaures & armillæ aureæ, vestes ornatissimæ, vasa aurea & argentea, quæ miserat ei sponsus, necdum ab ea visus. Possunt igitur eximia dona & beneficia hominem pertrahere in amorem donatoris, tametsi non conspecti: & quidem in ardentem, quo spretis omnibus aliis cupiat esse & manere cum benefactore suo. Et si hoc potuere in Rebecca pauca & exigua dona: quomodo non trahant nos in amorem Dei, magnifica ipsius & continua beneficia, quibus fruimur quotidie? Hoc ergo ut efficiant, ea nunc obiter inspiciemus.

Duo omnino sunt beneficiorum genera: bonis cumulare & à malis eripere vel præservare: utraque variis modis à Deo sibi collata unusquisque deprehendet.

I. Primam sedem obtinent beneficia generalia, toti humano generi concessa, quando propter id hunc mundum & omnia quæ in eo sunt, ad ipsius obsequium creavit. Quam amaremus Regem, qui nobis regium palatium donasset, omnibus rebus, quæ ad Principem spectant, instructissimum? Hoc palatium mundus est, nobis à Deo structum. Hujus 1 Laqueare, cœlum stellatum & quasi fornicatum, quam pulchrum & gratiosum est! quam amplum & firmum est! Varia siderũ dispositio & mutatio plures eorum cælos indicat. Quis vero est homo, ut propter eum tot & tantæ machinæ, atq; ut putatur, ab Angelis ipsis, tam constanter & regulariter gyrentur? 2. Pavimentum undiq; gramine quasi tapete pulcherrimo instratum. 1. ut mollius & nitidius homo ambularet. 2. ut in eo pernoctans mollius cubaret. 3. ut viridi colore velut oculis gratissimo & saluberrimo visum recrearet & conservaret. 4. ut fruges arborum in id decidentes mundiùs servarentur, nec adeò quassarentur. 5. ut pluviæ incidentes diutiùs hærerent & à terra imbiberentur. Ad honorandum Christum Judæi terram vestibus straverunt, nos herbis, gramine, floribus insternimus. Nobis idem Deus præstitit. Quis eum non laudet summe & amet?

3. Pro lumine diurno Solem dedit, unum omnibus terræ populis sufficientem, pulcherrimum, vastissimum, efficacissimum, celerrimum, medium cœli sic oblique secantem, ut omnibus luceret omniaq; vegetaret & sua obliquitate varia anni tempora sibi suaviter & utiliter succedentia efficeret. Suo etiam occasu noctem pro quiete & somno capessendo efficit: horas, dies, menses, & annos distinguit ac numerabiles facit. Diem hominum victui & laboribus, noctem feris ad prædandum dedit, ne vel hominibus nocerent, vel ab iis impedirentur. *3. Lumen diei.*

4. Pro somno & noctis tristitia temperanda lucernam Lunæ, quasi nocturnum lumen accendit, quod somnum non prohiberet: rursum ut viatoribus aliquid luminis impertiret: & afflatu suo terras saturaret corporaq; impleret. *4. Lucernam nocti.*

5. Pro aulæis suspendit in aëre quasi in pariete nubes, lucidas obscuras; tum ut Solis æstum arcerent ac temperarent, tum ut imbres terræ afferrent & infunderent. *5. Tapetes.*

6. Pro lavatorio, pluvias distillat guttatim, quibus corpora refrigeret & aërem, fontes & flumina perennet, potum animantibus det & terram riget: ita scilicet ut sensim terræ insidentes sensim imbibantur, quarum loco per hyemem dat nivem sicut lanam, quasi carminatam, ne viventia opprimat. *6. Lavatorium.*

7. Scopæ in hoc palatio venti sunt, ut aërem ventilando expurgent ac salubrem reddant: nubes adducant & abducant, inutilem terræ humorem absumant. Per eosdem navigia impellit & horum beneficio commercia per universum orbem rerum omnium facit. *7. Scopas.*

Jam servos hujus aulæ videamus. 1. promi & condi sunt tria elementa, aer, aqua, terra. Aer aves, terra quadrupedia, fruges & vinum: aqua potum & pisces subministrat. Hi promi inprimis non omnia simul eodem tempore sed successivè, nunc hęc nunc alia, itemque alia & alia suppeditant, tum ut copia nauseam non pareret: tum ut varietas fastidium pelleret, tum ut homines semper aliquid jucundæ operationis haberent. Aer nunc has, nunc alias aves: terra nunc has nunc illas feras ad victum commodas: fruges alias post alias: aqua singulis ferè mensibus alios pisces offert. Quodque mirum est, licet innumerabiles capiãtur, verbi gratia, pisces & aves, nullus tamen in illis speciebus defectus advertitur, v.g. in turdis, alaudis, fringillis, paris; neque nimia multiplicatio in illis, quæ non capiuntur, v.g. in corvis, picis, passeribus, hirundinibus. Deinde hi promi interdum condi fiunt & victum nobis subtrahunt ad tempus, tum ut intelligamus panem à Deo petendum esse, ipsumque adeo timendum; tum ne iis ad voluptatem abutamur; tum ne copia vilescant & nauseam creent; tum ut in penuria commode vendi possint. *Creaturæ in servos. Trip, Tom. 11. C 7. D. 1. Promos & condos.*

2. Ignem pro coquo calefactore & nocturna lucerna dedit; qui cùm valde necessarius sit, facilè proinde parabilis est, ex chalybe & silice, speculo, &c. maximè etiam fæcundus, seipsum multiplicans *2. Coquum & calefactorem.*

3. plicans & augens è minimis scintillis. 3. pro custo-
Custodes dibus domorum & corporum nostrorum canes de-
domorum dit, tota ferè nocte latrantes, nec non interdiu excu-
bantes, nostraque custodientes. Rursum ad vena-
tionem variam canes varios dedit, pro muribus &
4. soricibus capiendis feles: pro muscis araneas. 4. pro
Horologiũ horologio & excitatoribus gallos gallinaceos, qui
& excita- post medium noctis horarum spatia suo cantu pro-
tores. derent, & concisiore sono viciniorem & vicinio-
rem diem annunciarent, quod mirandum proponit
Jobo Deus: *Quis dedit gallo intelligentiam:* Job 38.
versu trigesimo sexto. 5. pro operariis & laboratori-
5. bus jumenta quæ nos & onera nostra veherent &
Operarios, portarent, uti equos, asinos, boves, camelos, ele-
phantes. 6. pro sartoribus & sutoribus ad nos ve-
6. stiendos, ferarum variarum pelles, & coria, lanam,
Sartores & bombycem, gossipium, linum, canabim. 7. pro
sutores. medicis & pharmacopolis, tot species herbarum,
7. thermas acidulas, &c. 8. Ad nostram delectatio-
Medicos & nem omnibus sensibus providit varia objecta, quæ
pharmaco- eos recreent Visui tot genera florum, aviculorum
polas. variis coloribus distinctarum, adeoque vilissima
8. etiam insecta, uti papiliones, locustas variis & spe-
Delecta- ciosissimis alis & corpusculis vestitos, ita ut Salo-
tiones va- monis gloriam superent. Auditui avium cantus,
rias, voces pecorum, instrumenta musica. Gustui tot
ciborum & potuum genera. Olfactui thus, balsa-
mum, myrrham, flores. 9. Pro instructoribus de-
9. dit pene omnes creaturas ad sectandas virtutes,
Instructo- vitia fugienda. Multas ut futura nobis prænuntient,
res. velut tempestates, prælia, &c. 10. Pro exercitio vir-
10. tutum & pro peccatorum vindicta dedit alia fero-
Censores. cia & venenata animalia, alia molesta & vexantia,
uti muscas, culices, pulices. Illa ut intelligamus à quanta dignitate per peccatum exciderimus: hæc, ut sciamus, fu quantam vilitatem infirmitatemque deciderimus, qui nec contra minutissimas bestiolas defendere sat nos possumus. Videmus ergo ex hoc capite quantum obligemur ad amandum Deum. Unde sanctus Augustinus libro decimo Confess. capite decimo octavo ait: *Cælum & terra & omnia quæ in eis sunt: ecce omnia mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles,* Neque minus hoc beneficium æstimandum, quia pluribus commune est. Pauper enim non minus agit gratias largitori magnæ eleemosynæ, quia & alii parem ab illo acceperunt: neq; æger sanatus Medico, quia & alii ab eo sanati sunt: neque tu liberali hospiti tuo, quia & alii ab eo excepti fuêre lauto convivio.

Sed descendamus jam ad particularia bona. Ac
Ob bona 1. cogita bona, quæ præ aliis acceperis a Deo. S.
particula- Franciscus (ut in ejus vita scribit sanctus Bonaven-
ria & pri- tura) aviculis ad se advolantibus talem aliquando
vata. concionem habuit: *Fratres mei volucres multum*
1. *debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit & pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, & sine vestra solicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc & similia loqueretur, aviculæ modo mirabili gestientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, & in illum attente respicere.* At vero aves Deum, uti non noverunt, ita nec laudare vel amare possunt: & quantula sunt illa, quæ avibus donara sunt? Vos verò qui Deum agnoscitis, & propter quos Deus non solum aves, sed omnia creavit, omniaque vobis subdidit quantò amplius, quam aviculæ, Deum laudare & amare debetis? 1. Dedit plerisque vestes integras & honestas, multis sericas & pretiosas, denique frigori arcendo sufficientes. Quam multos passim videmus centonibus indutos, sordere vermiculis, fœtere, frigere, à congressu & quandoque etiam à conspectu hominum arceri! 2. Mensam quoque honestam ac sufficientem, multis opiparam, nullo penè eorum labore paratam. Quam multi vicissim vix habent quod rodant, qui panem mendicant, nec nisi durum ac nigrum accipiunt! quot alii in sudore vultus sui vix tenuem victum sibi parare possunt! 3. Corpus integrum, vegetum ac sanum; cum alii multi videantur miseri, cæci, claudi, vel aliis defectibus ac morbis obnoxii. 4. Domum inhabitandam commodam, multis splendidam atque omnibus deliciis refertam. Quam multi alii coguntur sub dio morari ac pernoctare, vel in miserculis tuguriis vitam tolerare! 5. Libertatem velut alas, ad evolandum quà volunt & agendum quidquid placet; cum multi alii vel in vinculis detenti, vel servituti addicti, certo loco affixi sint vel morbo detenti. 6. Præterea lumen rationis, qua ad imaginem Dei facti sunt, habent. Quam miseri econtra qui rationis usu privati, in maniam inciderunt! quod brutum est tam infælix, uti mente captus homo?

II Secundam sedem obtinent mala, à quibus erepti & præservati Dei ope sumus. In vita sancti Francisci Xaverii scribit Turselli. libro 1. capite 9. Secretarium Legati Lusitani in itinere ex equo in profundum nivium acervum loco præcipiti, cui subjectus erat profundus torrens collapsum cum nemo ex comitum numero opem lapso ferre auderet ob ruinæ in præceps periculum, solus Xaverius ad eum descendit, eumque periculo exemit. Ob quam causam mirè dilexit eum semper Secretarius, nec aliter quam vitæ & salutis suæ parentem appellavit. Cogitate Auditores, an non & vos dum vivitis, varia in pericula subinde incideritis, & a quo erepti sitis. Unus forsan incidit in periculosum morbum nec semel quidem, & inde ereptus est. Alius in aquas & extractus est. Alius in prædones & eluctatus est. Alius in periculoso duello servatus est Alius ab incendio & collisione corporis, maleficiis maleficorum, &c. Et à quo ereptus? nonne Dei ope, qui misit ei Angelum, vel Medicum vel alium opitulatorem: Sed quid de lapsu animæ longe graviore? Quoties labuntur heu plerique in peccata gravia, quæ gehennam promerentur! & quoties inde erepti sint ope Confessariorum, imo Dei potius! Quoties denique præservati à lapsibus

alii

aliisq; gravibus periculis! Et cujus nisi Dei auxilio? Nonne igitur obligatissimos nos sentimus ad amandum toto corde Deum velut vitæ & salutis nostræ toties auctorem & parentem? David certè postquam senex ruminavit è quantis malis, periculis & hostibus, Dei ope liberatus esset, composuit Psalm. 17. cujus titulus est: *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum* (scilicet Philisthinorum, Jebusæorum, Ammonitarum, Absalonis & aliorum) *& de manu Saul.* & sic canere incipit: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum & refugiũ meum & liberator meus.* Quid aliud nos faciamus, qui è tot periculis Dei ope liberati sumus, nisi ut cũ Davide exclamemus toto pectoris affectu: *Diligam te Domine fortitudo mea!* Fieri igitur potest ut quis hæc omnia cogitans in Dei amorem non inardescat redametq; eum, à quo sic amatus est? Fit certe & nimis communiter. Hinc enim Alphons. Aragonum sapientissimus ac piissimus Rex, cum quidam viri docti laudarent dictum Hecatonis & Senecæ: *Si vis amari ama*; hoc dictum in solo Deo fallere ajebat: *Quis enim*, inquit, *aut certius aut flagrantius diligit, quam qui homines fecit atq; hominum causa omnia fecit: Cumq; id ita esse nemo vivus ambigat, quis tamen est, qui mutua charitate Deum complectatur? Imo vero quid mirabilius aut potius detestabilius est, cum aut hunc aut illum hominem amantibus nobis interdum in officio non respondeatur, Deum vero amantibus certissima sit illius charitas, nec charitas solum, sed amoris merces perpetua lux & sempiterna tranquillitas, nihilominus obdurati persistimus nec amantem redamamus; quod ego arbitror nobis evenire ob nullam aut certe exiguam in Deum fidem. Dum enim bonis hisce præsentibus atq; voluptatibus delinimur & obcæcamur, cœlestia, quæ non videntur, neque tanguntur, non modo non curamus, sed nec omnino futura confidimus, ut si quis admodum sitiens audiat aquam limpidam & puram procul esse: sed vicinam & propinquam potius bibat, licet turbidam & lutulentam.*

Ad verò quæso te; si pauper & esuriens in domum opulenti admittereris, qui te hodie per famulos suos pasceret, omnemq; humanitatem exhiberet, licet eum toto anno non videres, nonne in amorem ejus toto corde raperèris, ejusq; conspectum desiderares, ut ei gratias ageres? Quot enim serviunt Regibus, qui Regem nunquam vident, nihilominus vitam pro eo ponunt aut ponere parati sunt; quia ejus stipendiis liberaliter sustentantur: Ergo curramus in odorem Dei, &c.

THEMA III.

Christus simillimus Patri suo Davidi.

I. *In vultu & natalibus.*
II. *In virtutibus & conversatione.*
III. *In persecutionibus.*
IV. *In præliis & victoriis.*
V. *In Regni administratione.*

Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt ei: David. Matth. 22.

SÆpius audivimus in sacro Evangelio Christum appellari *filium David.* Quæ verò causa est quod Davidis solius, non item Abrahæ, Salomonis aut alterius de suis progenitoribus filius vocetur? Ita enim non à Pharisæis solum in hoc Evangelio, sed ab aliis etiam Judæis & ab ipsis pueris clamantibus, *Hosanna filio David*, Matthæi vigesimo primo: & à Gentili Chananæa orante: *Miserere mei Domine fili David*, Matthæi decimo quinto, quin & ab ipsis cæcis appellabatur: *Fili David, miserere mei*, Lucæ decimo octavo. Scio quidem à Matthæo capite primo appellatum etiam *filium Abraham*, quia & ipsi æquè ac Davidi specialis de Christo promissio facta est; non tamen vulgò sic appellabatur; sed præcisè *filius David.* Quæ hujus rei causa? Placet ea quam dant sanctus Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius; quia scilicet promissio Davidi de Christo ex ejus posteris nascituro facta, erat recentior, specialior & honorificentior, velut filii Regis, nihilominus tamen existimo potiorem aut non inferiorem causam esse, quia Christo David fuit quam simillimus, adeoque vir secundum cor ejus. Audimus sæpe filium qui patri quam simillimus est, solum inter fratres appellari *patris filium*, eò quod exactius quam cæteris, vultu simul & moribus patrem repræsentet. Videre id in Christo erat, qui in vita & conversatione sua magis Davidem, quam alios progenitores suos exprimebat, quasi genuinus & simillimus patri filius. Quod cum ad instructionem nostram serviat, ut & ipsi adnitamur Christo, Parenti nostro, conformare vitam nostram, nunc melius expendemus.

I. In vultu & natalibus. Primo. David erat adolescens rufus, pulcher aspectu & decorâ facie. Christus similiter *speciosus forma præ filiis hominum.* Deinde, *Igneum quiddam atque sydereum radiabat ex oculis ejus & divinitatis majestas relucebat in facie ejus*, inquit Hieronymus in Matthæum vigesimo primo & nono. Unde solo sui aspectu trahere ad se homines & consolari poterat. — *I. In vultu & natalibus.* 1.

2. David ex tribu Juda & civitate Bethlehem oriundus, adolevit inter pecora velut puer pastoritius, eratque natu minimus inter fratres suos: quibus tamen omnibus prælatus, in Regem à Samuele est unctus. Christus etiam è tribu Juda & in Bethlehem natus inter bovem & asinum à pastoribus visitatus, adolevit in obscura domuncula, arte fabrili se exercens: erat deinde inter discipulos suos velut minister & novissimus. Atque ita ab humili Davidis sede ad regiam dignitatem in cœlum evectus, omnium Dominus & Rex factus est, uti indicavit Angelus: *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus.* Luc 1. Sedem David prius humilem, postea sublimem.

Nos si pari modò veri Davidis filii & CHRISTI fratres esse volumus, ab humilitate incipiamus. Docuerunt hoc mira inventione Carinthii, qui non inaugurabant Ducem suum, nisi is prius agresti habitu, pastoralem baculum tenens, à dextra macilento bove nigro, à sinistra equo deformi stipatus pastorem magis quam Principem agens à primario quodam rustico lapidi insidente, peteret principatum, & ab eodem primariò objurgatus, quisnam esset, cur tam superbè incederet, velletne esse æquus Judex, &c. ictum unum, sed blandum ad malam acciperet, frigidamque rusticano illatam pileo biberet: ut refert Æn. Sylvius in descript. Europæ, cap. 20. Sic nimirum Deus neminem in cœlo creat principem, qui non potius hic bene depressus fuerit & noverit seipsum hominem, rusticanum, pauperem, nudum, &c. Certè ipsemet Rex gloriæ Christus non prius intravit in gloriam suam, quam infami crucis cathedra conscensa, inter duos latrones velut inter bovem macilentum & scabiosum equum, acetum è spongia delibaret. Quid mirum si hoc servi cogantur sustinere, quod sustinuit Dominus?

II. *In virtutibus & conversatione.*

1. *In misericordia.*

II. In virtutibus & conversatione. Inter complures ei simillimus fuit 1. in bonitate & misericordia. David cum esset in exilio ad speluncam Odollam, convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps. 1. Regum 22. Ita ad Christum in hoc exilio degentem, venerunt omnes afflicti, infirmi, & qui peccatis obnoxii cupiebant absolvi. Christus velut eorum Princeps omnes in suam gratiam recepit, omnes miserias & mærores eorum abstersit, commune omnium asylum, unde ipse exclamavit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Tales etiam simus fratribus nostris, ut simus filii David & fratres Christi.

2. *In mansuetudine.*

2. In mansuetudine. David calumniatorem suum Semëi, lapides cum probris in ipsum jaculantem non modò nulla appetiit vindicta, verum etiam defendit à milite suo, qui caput ei amputare volebat. 2. Reg 16. Saulem item, quando ab eo ad necem quærebatur, deprehensum, cum occidere posset, noluit, sed maluit cum fugere, imò defendit bis à furore militum suorum, ne eum interficerent 1. Regum 24. & 26. Denique hostium suorum Saulis, Abneris, Absolonis aliorumque mortem acerrimè deplanxit. Christus duos discipulos Boanerges, qui perdere optabant Samaritas inciviles & inhumanos, cohibuit ac confregit: *Nescitis cujus spiritus estis.* Luc. 9. Idem *cum clamore valido & lachrymis* interitum inimicorum suorum deploravit; cum ante passionem suam super asello ingrederetur Jerosolymam: adhæc in ipsa Cruce pro inimicis & crucifixoribus suis oravit; cumque cœlum & elementa sese jam armassent ad vindictam de illis sumendam & terra os suum aperiret ad eos deglutiendos, ipse ea repressit sua oratione, quomodo de Davide dicitur: *Confregit David viros suos sermonibus & non permisit eos, ut consurgerent in Saul.* 1. Regum 24. Et quemadmodum Saul ex mansuetudine Davidis sibi exhibita cognovit ipsum post se certissimè regnaturum: ita centurio ex mansuetudine (ut videtur) Christi agnovit ipsum esse Dei Filium. Nos ergo si filii Davidis & fratres Christi esse volumus, mansuetudine excellamus. Ipse enim Christus dixit: *Diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est.*

III. *Inter [illegible] tiaibu[illegible]*

III. In persecutionibus. David habuit hostem continuum, Saulem, dominum suum, ex mera invidia; quod ei præferretur virtutibus, prævaleret existimatione, cresceret gloria, & Rex Israel aliquando inaugurandus videretur. Deinde habuit hostem, proprium filium Absalonem; quem fugiens ascendit per montem Oliveti mœrore plenus & luctu: quique tandem ex arbore pendulus interiit, in pœnam sui sceleris. Christus hostem habuit continuum, Synagogam seu Principes ejus, Pontifices & scribas & Pharisæos; qui invidebant ei virtutes & miracula, quæ ipsi facere nequibant; quod omnium ore celebraretur & omnes penè eum sequerentur; quodque timerent ne Rex ipsorum fieret. Et quemadmodum David Saulem, ita Christus etiam Judæorum Principes fugere coactus fuit. Habuit adversantem etiam sibi Judam, filium quasi suum, qui & instar Absalonis Christo necem, dum ipse ascenderet in montem Oliveti tristis usque ad mortem, machinatus est, ac denique in arbore pendulus effudit viscera sua.

Nos si filii etiam Davidis & fratres Christi esse volumus, persecutiones quaslibet, undequaque veniant, æquo animo toleremus & de hoc gratulemur nobis.

IV. *In præliis & victoriis.*

IV. In præliis & victoriis. Pugnavit contra ursum & leonem David, quibus raptas oves è faucibus eripuit, vitamque simul extorsit, suffocando eos. Obtulit se unus & solus ad difficillimum illud certamen cum Goliatho, in quo non nisi baculo & quinque lapidibus armatus procedens, victor evasit & universum populum suum liberavit, sibique filiam Regis sponsam promeruit. Pugnavit etiam Christus contra dæmones, è quorum velut ursorũ dentibus extraxit passim homines obsessos, percu-

tiens

tiens invasores verbo & imperio, nec sinens eos loqui; sed maximè contra Principem dæmoniorum potentissimum, cum solus ipse sua passione & morte crucis baculo & quinq; acceptis vulneribus Goliathum illum vicit hostem humani generis, liberavitque illud à potestate illius: quod nemo alius præstare poterat. Ibi posuit animam suam pro nobis, sicut David pro suo populo: hic quidem animi præparatione, Christus vitæ amissione. David Goliatho proprio ejus gladio caput amputavit: Christus Dæmonem ligno stravit, quo ille in paradiso hominem prostraverat.

Nos si filii Davidis veri & Christi fratres esse volumus pugnare etiam debemus; *non adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates tenebrarum harum adversus spiritualia nequitiæ* & peccata: alioquin non coronabitur, nisi qui certaverit. Cumprimis vero adlaborandum nobis est, ut Goliathum, id est, primarium nostrum hostem seu vitium principale expugnemus? hoc enim devicto, reliqua vicisse reputabimur; certe superabimus non magna difficultate.

V. *Regni ministratione.* V. In regni administratione, quæ consistit in clementia & justitia. David in propriis injuriis ignoscendis, clementissimus fuit, in alienis & Dei præsertim injuriis ulciscẽdis severissimus. Unde 2. Reg. 23. vocatur *tenerrimus ligni vermiculus.* Eo nihil mollius est, cùm tangitur, nihil durius, cùm tangit; siquidem durissima quæque ligna suo rostello perforat. David primo quidem injurias patienter toleravit, sed tamen ad extremum contra pervicaces severissime ultus est; uti patet in Ammonitis, quos tribulis & carpentis ferratis contrivit. 2. Reg. 12. Denique morte instante æquum se præbuit Judicem, mandans Salomoni, ut prœmio afficeret fideles ejus servos, filios Bercellai: supplicio contrario puniret reos, Joab & Semei 3. Reg. 2. Sic etiam Christus in propriis injuriis patientissimus, in alienis & patris sui inprimis (ut cùm nundinatores ejecit flagello è templo) severissimus. Patientissime tulit probra impiorum in sua passione, sed postea in excidio Jerosolymæ terribilis ultor fuit: & talem se omnibus ostendet in die judicii, cujus typum præmisit in cruce, cùm pœnitenti latroni paradisum promisit, impœnitentem & blasphemantem perire passus est, terræq; motu crucem ejus à sua avulsit. Quid faciet in die judicii cùm inimicos suos ponet in scabellum pedum suorum (quod ex psalmi Prophetia in hodiern. Evang. Judæis insinuavit) uti Sapores Persarum Rex Valerianum imperatorem: Tamerlanes Rex Tartarorum, Bajazetem Imperatorem Turcarum? Nos ut Christi fratres simus, proprias injurias patienter toleremus: alienas vero & Dei præsertim acriter vindicemus.

THEMA IV.

Ad exemplar Christi quales se parentibus exhibere filii debeant.

I. *Imitari bonos parentes debent.*
II. *Parentes honorare debent.*
III *Defendere eos tenentur.*
IV. *Obedire eis debent.*
V. *Servire eis debent.*

Si ergo David vocat eum Dominum quomodo filius ejus est? Matth. 22.

DUo quidem somnia satis odiosa habuit ac recensuit patri innocentissimus puer Joseph, sed ob unum tantùm reprehensus est à patre. Genesis trigesimo septimo. Somniarat primò fraternos undecim manipulos caput submittere suo manipulo, idque recenset fratribus; sed nihil ad hoc pater asperum locutus est. Somniat secundò sese adorari visum à Sole, Luna & Stellis rursum undecim. Audit hoc pater, & quod erat, mens præsagiit, somniare filium aliquod imperium in patrem & matrem. Itaque de hoc filium redarguit; *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti: Num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?* quasi diceret, itane tu filius meus cogitas te futurum aliquando meum & matris tuæ dominum? Tu enim si meus es filius quomodo eris dominus meus? Simili argumento confutavit Dominus in hodierno Evangelio Scribas & Pharisæos: Si Christum vocat David Dominum suum, quomodo filius ejus est? quasi dicat, Duo hæc inter se non bene conveniunt, ut idem sit patris filius & simul ejus dominus. Filius colere parentem, defendere, sequi, juvare debet: Dominus ipse coli, defendi, præmitti, juvari & sublevari vult à subditis. Male igitur sonat, quando filius vult esse parentis dominus. Quomodo enim, si dominus, filius ejus est? Id quod nunc accuratiùs paulò expendemus.

I. Qui non imitatur parentem suum *quomodo filius ejus est?* Videmus enim ut plurimum filios sectari mores parentum. Unde D. Chrysostomus homilia 45. in Matthæum, *Ut regula est humanæ naturæ*, inquit, *ut omnis homo nascatur duos oculos habens & quinos digitos: alioquin tamen ut manifestentur opera Dei, nascitur homo sex digitos habens. Sic & homo extra regulam naturæ raro procedit, ut dissimilis nascatur parentibus filius.* Quod si aliquando contingat, ut parentum mores reprobi sint laborandum filiis est, ne illorum vitia imbibant: referantque naturam piscium, qui licet in salso mari degant, nihil tamen inde amaritudinis contrahunt. I. *Imitari bonos parentes debent.*

Qua de re S. Bernardus laudat S. Malachiam in ejus vita scribens: *De natali barbarie traxit nihil, non magis quàm de sale materno pisces maris*: malos scilicet parentum mores minimè sectatus. Cæterum in virtutibus nisi imitetur parentem filius: quo jure filius ejus erit? Quare S. Chrysostomus in sermone de Zachæo tomo 2. ait: *Si filii Abrahæ*, inquit Christus, *esse is, facta patris vestri faceretis. Non potest esse filius, quem diversi separant mores. Si Abrahæ es filius, imple paternos affectus. Quæ fecit, comple: quæ docuit, exerce: quæ docuit, imitare. Vnde tibi filii nomen exponis quem nec actus nec natura commendat? quem nec fides nec genus probat? quem nec mores nec prosapia indicat? quem paterna monita factis diffidentibus separant?* Apes ex boum capitibus nasci dicuntur; hinc aliquid in visceribus gerunt, quod caput bovis refert, uti scribit Aldrovandus. Ita omninò decet, ut veri parentum filii, eorundem robur, industriam, virtutem, studium pro viribus imitentur & visceribus suis insculpant. Quod adeo natura dictat, ut videre sit etiam in infantibus, parentum vestigia magna vi sectantibus. In vita S. Arethæ Martyris infans quinquennis matrem Christianam in rogum injici videns, è Tyranni manu admorso ejus genu se liberans, post matrem cucurrit & in rogum insilit, apud Sur. 24. Octob. Alius matrem suam boum nervis cædi conspicatus, è manibus tenentium eluctatur, facies eorum unguibus lacerans, latera pedibus tundens, elapsusque ad matrem currit, comprehensus ad saxum alliditur. In vita S. Julittæ apud Sur. 16. Junii. Jam contemplemur Christum, Dei Filium quam in suis actionibus & virtutibus repræsentarit Patrem suum æternum. Hic inprimis Joan. 9. dixit: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me.* Et Joan. 10. *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi.* Qua potentia olim pater è luto fecit hominem, ex aëre manna, ex aqua sanguinem, eadem ipse refecit fractos, luto illuminavit cæcum, aërem convertit in panem, aquam in vinum, panem & vinum in corpus & sanguinem suum. Qua potentia pater congregavit coturnices in castra Hebræorum; ea filius coegit pisces in Petri retia. Qua potentia pater quæcunque voluit fecit, dixit & facta sunt: eadem quoque filius quidquid ipsi placuit, dicendo mox effecit. Pater vidit omnia, quæ fecit & omnia erant bona: de filio ait populus: *Omnia bene fecit.* Eadem sapientia, qua pater omnia novit, peccatum Adami & Caini eis patefecit: Saram clam ridentem, populum erecto in castris vitulo peccantem Moysi denunciavit, &c. ea filius omnia cognovit; cogitationes hominum, consilia Judæorum, mortem Lazari absentis, peccata Samaritanæ, asinam in castello cum pullo religatam, Nathanaëlem sub ficu absentem, hominem in civitate amphoram aquæ bajulantem, Zachæum ex nomine, &c. Eadem bonitate, qua pater aperit manum suam & implet omne animal benedictione, qua tolerat impios & Solem suum oriri facit super bonos & malos: filius etiam *pertransiit* mundum *benefaciendo & sanando omnes oppressos*: cibavit bonos & malos, proditorem æquè ac Joannem in sua mensa toleravit, uti & rudes discipulorum mores: effudit Spiritum Sanctum & gratiam suam in Gentiles & Judæos, sanavit amicos & inimicos, inter quos est Malchus; oravit tam pro istis, quàm pro illis. Eadem clementia, qua pater eduxit è peccato Adamum cum sua sobole, dans satisfactorem filium; qua remisit peccatum vituli adoratoribus ad preces Moysis: recepit in gratiam Davidem & alios pœnitentes: filius quoque indulsit omnibus peccatoribus, peccata sua agnoscentibus: Magdalenam admisit, adulteram dimisit, publicanos recepit. Eadem misericordia, qua pater afflictionem Hebræorum in Ægypto vidit, & misso salvatore Moyse sustulit: filius etiam videns turbas non habentes pastorem dixit: *Misereor super turbam*, providetque eis panem: uti & discipulis piscantibus. Ex his intelligimus quam verùm & genuinum Dei Paris Filium se Christus exhibuerit. Videant jam filii, an & ipsi piis & sanctis suis parentibus similes se demonstrent: alioquin enim audient: *Quomodo filius ejus est?* Quæ verò hæc ignominia filiorum? quæ crux parentum, degeneres habere filios? Quantum existimatis vulnus inflictum esse optimo & integerrimo Samueli, quando audire debuit à populo suo in faciem sibi dici: *Ecce ut senuisti & filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis in Regem?* 1. Reg. 8. Quantum dedecus filiorum, repelli ab hæreditaria paternæ dignitatis successione, ob difformem vitæ rationem? ob scelera & flagitia non solum à parente non tradita, sed damnata & reprobata? Quanta ignominia fuit Scipionis, quando ei propinqui velut optimi patris Africani, filio degeneri annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt? *Dii boni*, exclamat super hoc Valerius M. l. 3. c. 5. *quas tenebras è quo fulmine nasci passi estis.*

II. Qui non honorat parentem suum, *quomodo filius ejus est?* Certè per Malachiam capite 1. ait Deus: *Filius honorat patrem: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?* Filius inquam verus & non degener; agnoscit enim parentem quasi creatorem aliquem suum, à quo vitam acceperit. Unde Deus Filiis præcepit: *Honora patrem tuum & matrem*, Deut. 5. *Iustum enim est, ut filii reverentiam exhibeant eis, per quos sunt*, inquit Divus Ambrosius in Epist. ad Ephes. cap. 6. Et *quia esse habemus ab eis*, ait Divus Thomas in Opusc. *debemus magis revereri quam dominos, à quibus solum res.* Hac de causa ubique gentium usus obtinuit, ut filii parentes non proprio eorum nomine, verbi gratia, Zachariam aut Annam, sed *patris* & *matris* nomine solummodò compellent. Unde Philo lib. 3. de vita Moysis: *Ne mortalium quidam, inquit, parentum nomina proferunt ii, quibus cordi est pietas, sed omissis propriis, honoris gratia utuntur naturalibus, patrem appellantes matremque, atque*

II. *Parentes honorandi.*

tia profitentur accepta immensa beneficia simulque suam gratitudinem. Exemplar hujus debiti exactissimè persoluti videamus in Christo. Hic enim de se inprimis ait: *Ego honorifico Patrem meum.* Joan. 8. id quod in omni sua actione fecit, attribuendo sua opera Patri cœlesti & ad ejus gloriam omnia referēdo; quam ob causam dictum esse de eo Cant. 5. *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis,* (qui colorem cœli referebant) censet Eucher. l. 3. in ll. Regũ; *quia ad gloriam patris universa, quæ Christus fecit, retulit.* Idq; indicat ipse Joan. 5. cum ait: *Non potest filius facere à se quidquam, nisi quod viderit patrem facientem.* Quia nimirum memor erat ex patre se habere, quæ ageret & quod esset. *Contestatam de se potestatem,* ait S. Hilarius in Psal. 138. *pro reverentia honorem ei, cui omnia meminerat confitenda, subjecit, non sibi adimens, quod similia patri posset, sed eum per quem similia posset, ostendens.* Eadem de causa dixit Joannes 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quem loquendi modum admiratur Rupertus lib. 3. Comment. in Joan. *Cum dicere posset,* inquit, *Tantus ego sum, ut credentem in me totum possim redimere mundum: tanta, inquit dilectione Deus dilexit mundum, &c.* Ex eodem reverentiæ fonte prodiit verbum illud Joan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Ex eodem emanarunt humillimæ ejus preces, quas ad patrem prostratus in faciem suam effudit in monte Oliveti & alibi. Discite hinc filii, quid observantiæ debeatis vestris parentibus, & judicate an filius dicendus sit, qui eos non dico inhonorat, sed etiam non honorat. Beatus Petrus Damiani Card. scribit ad Albertum, virum clarissimum, qui uxoris amore nullum matri suæ jus dominii in domestica rei familiaris ordinatione concedebat, in hunc modum: *Perpende quantæ crudelitatis sit, illos despiciendo contemnere, per quos habes & ipsum esse; quantaque dignum sit te genitoribus tuis humilitate submitti, quibus & naturalis essentiæ substantiam debes: & quod ad illis te non ambigis puerum percepisse, quantopere debeas nunc grata vice senibus redhibere. Vnde scriptum est: Fili suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Sed fortè dices: mater mea me frequenter exasperat, duris verbis meum & uxoris meæ corda perturbat: non possumus tot injuriarum probra perferre, non valemus austeritatis ejus & severæ correptionis molestias tolerare. Sed in hoc tibi copiosior merces acquiritur, si dum contumeliam suscipis, gratiã reddis & dum convitiorum sale conspergeris, humilitate blandiris. Hinc enim scriptum est: Eleëmosyna patris non erit in oblivione, nam pro peccato matris restituetur tibi bonum. Cum igitur pro peccato matris bonum restituitur, cur sæviens, vel injustè delinquens, non æquanimiter perferatur? Terribile certè est quod Scriptura dicit: Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Porrò qui parentes inhonorat, quoniam divinitus abducatur, nunquid non & in hac vita confunditur? Sed audi Scripturam: Gloria, inquit, hominis ex honore patris sui: & dedecus filii pater sine honore. Sed dum veterum congerimus testimonia Scripturarum, etiam novi casus apponere non gravemur exemplum; ut saltem ostensæ divinæ justitiæ vindicta perterreat quos mandatorum cœlestium vincula non refrænant.*

Pridie nempe post vesperam, ex ore illius Alexandri Venerab. Papæ me contigit audire, quod refero. Ardericus, inquit, quidam Mediolanensis urbis indigena, dum uxore ducta, celebraret nuptiale convivium, conquestus est opipator conspersum epulis defecisse pigmentum. Cumq; hujus rei calumniam sponsus in matrem, non sine quodam jurgii tumore devolveret: & cur hanc pateretur inopiam iratus, & contumax inquisisset; mater autem se sufficienter exhibuisse ministris hanc speciem è contrario responderet, ille, tandem iracundiæ felle permotus, manus inferre non timuit, eiq; protervus ac furiosè vesaniens, alapam irreverenter incussit. Sed, ô divina justitia! iracundiam nostram vindicans, sed non irata; in furentis animi rabiem sæviens, sed quieta; ulciscens impacatæ mentis insaniam, sed tranquilla. Vnde Salomon: Tu autem, *inquit,* Dominator virtutis cum tranquillitate judicas; & cum magna reverentia disponis nos. Eandem sanè percussoris maxillam, hoc est, sinistram, repente languor invasit, eumq; nimiis vexare doloribus cœpit. Cumq; languor in dies perniciosius ingravesceret, acerrimus dolorum stimulus hominem intolerabiliter fatigaret, mugitibus ac stridoribus ejulare compelleret; tandem mater, quæ privignum senserat in percussura, recognovit filium in natura; & non duritiem, ut ille meruerat, novercalem; sed maternorum viscerum exhibet pietatem. Jam nempe tumescentis mandibulæ caro turpiter computruerat, jam virus ac sanies per concavam vulneris fistulam distillabat. Cumq; miserè hominē hinc inde percelleret, & exhalantis corruptela putredinis, & intimi vis doloris; pœnitebat inniti connubii & alterum fortè virum jam metuebat uxori: & quam cernebat noviter nuptam, jam quodammodo quasi viduam deputabat. Addit tamen vir beatus, filium matris precibus ad Ecclesiam beati Martyris Nazarii fusis iterum sanatum esse. Hæc ille vir sanctus & fide dignissimus ex ore sanctissimi.

III. Qui parentis vitam aut honorem non defendit, *quomodo filius ejus est?* Cum enim filius pars quædam sit parentum, eorum vitam & honorem ita tueri debet ac proprium; quod si facere negligat, *quomodo filius* erit? Filios certè parentis sese ostenderunt Sem & Japhet, qui ebrii & nudati patris Noë verenda membra averso incedentes vultu operuere pallio, magnam propterea laudem patrisque benedictionem meriti. Gen. 9. Præclarum etiam hujus pietatis recenset exemplum Abdias in vita S. Andreæ Apost. de juvene quodam, Sostrato appellato, qui à propria matre ad immane flagitium sollicitatus, & quod eidem imperanti peccatum nollet parere, falso accusatus, quasi ipse vim inferre matri atten-

III. Defendere eos tenentur.

attentasset, decrevit apud se nihil prorsus obtendere in sui defensionem, ne matris impietatem manifestare cogeretur: passurumque potius quodvis tormenti genus, quàm matris dedecus. Qui tamen ob impiæ & impuræ matris delationem jam ad mortem condemnatus sancti Andreæ precibus Deo fusis fuit liberatus innocensque declaratus, matre à fulmine icta & in carbonis speciem combusta. Pari in parentes pietate motus videtur fuisse Samson, quando occurrentem sibi leonem invasit & dilaniavit; cùm ab eo sibi nequaquam timeret. Quia enim parentes ejus exiguò præibant intervallo, nocere illis leo poterat; ergo parentum vitam ut tueretur, vulnera & morsus à leone sibi infigendos sprevit, adeoque in leonem velut in hædum insiliit. Judic.14. Verùm intueamur Christum an etiam quoad hoc filium se patris sui præbuerit. Certè cùm in templo deprehendisset nundinatores, facto flagello eos corripuit ejecitque, causam addens: *Auferte ista hinc & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Joa.2. Certè proprias injurias nunquam ultus fuit, ad patris vero injuriam iram exerit, & tantæ multitudinis furori sese objicit, nihil pensi habens, quod inde necis insidias sibi structuri essent. Discite hinc filii tueri hominem & vitam parentum, si vocari & esse filii vultis. Quid verò de illis dicendum, qui parentes suos infamia aspergunt, aut aliis injuriis cum dedecore eorum afficiunt? Num filios dicemus? *Serpentes* potius & *genimina viperarum* appellandi sunt, quemadmodum & Judæi a Joanne compellati sunt, & jure, quia parentem & Creatorem suum impii occiderunt, uti viperam proles. Horum antesignanus fuit, impius ille Cham, qui patris Noë nuditatem derisit & fratribus aspiciendum ac deridendum proposuit: propterea à patre meritò maledictus. Gen.9. Huic accensendus non injuria venit Aldhons. VI. Hisp. Rex, qui matrem Therasiam captam carceri inclusit & compedibus adstrinxit. Sed quemadmodū Noanæ maledictionis fulmen Chamo inflictum fuit, ita & materna maledictio feriit Alphonsum. Dixit enim: *Quia crura mea vinculis alligasti, & mihi abstulisti honorem à patre relictum, Deum precor ut fias captivus, ut ego sum: demum crura tua fracta conspicias, sicut mea ferro vinxisti.* Paulò pòst id contigit, quando Alphonso per portam civitatis exeunte ad prælium, tibia ejus vectis ferro involuta pariter & rupta, ille verò in prælio victus captusq; est. Roder. Sanctius in hist. Hisp. p.1.c.14. *Honora ergò patrem,* ait S. Ambros. l. de bened. Patriarcha. *ut benedicat te: honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est & non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem &c.* Et paulò ante: *Ideo hanc parentibus gratiam* (benedicendi filios) *donavit Deus, ut filiorum provocetur.*

IV. Obedire eis debent

IV. Qui parenti morem non gerit, *quomodo filius ejus est?* Quia enim filii ab ineunte ætate rudes, adeoque à parentibus edocendi ac dirigendi sunt, utique eis parere debent. Unde Apostolus ad Eph. 6. ait: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Egregium & omni ævo memorandum hujus obedientiæ exemplum fuit Isaac, quando se à patre ad mortem innocens duci, ligari atque in struem immolandum poni permisit, nihil omninò contradicens: quasi nihil grave & acerbum censeret quod à patre susciperet. Verùm hic umbra tantum Christi obedientis fuit, qui omnis obedientiæ prototypon Joan.6. ait: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me;* quique factus est patri suo *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quam ob causam primi illi Christiani in oratione sua appellant eum *puerum*, Act.2. *Convenerunt adversus sanctum puerum tuum Iesum.* Quia nim. totâ vitâ velut puer parvulus aut servus domesticus patri morem gessit. Aspicite filii in exemplum hoc, & judicate quid à vobis requiratur: si ipse Dei filius morigerum se patri instar pueri exhibuit. Erravit igitur, sed paterno ex amore David, quando rebellem suum Absalonem *puerum* appellavit 2. Reg.18. dicens: *Servate mihi puerum Absalom.* Rursum: *Estne pax puero Absolom?* Non enim puer sed corroborata pervicacia & dura cervice rebellis erat, ideoque in duro robore seu quercu tentus & suspensus est. Sperabat nimirum bonus pater Absalonem fore puerum sibi aliquando cessurum, & conabatur excusare ipsius delictum: sed refractarium & quercinum invenit: propterea etiam sub cumulo lapidum tumulatus, jamque enectus quodammodo lapidatus fuit, juxta legem Deut.21. in contumaces filios latam; quia suâ pervicaciâ in lapidem induruerat. Non ergo filii, sed lapides & quercus potius appellari debent, qui parentum jussa spernunt: quemadmodum & Augustus Cæsar immorigeras suas proles, carcinomata duntaxat non filios vocabat. Et videre cupitis tale carcinoma recens punitum? Id offert P. Bened. Fernandus in cap.49. Genes. *Narravit fortè pia quædam mulier,* inquit, *illa tunc eadem hora cucurrisse ad inhumanum procul dubio spectaculum, & quiritanti fœminæ opem tulisse, quam filius furiosus adolescens matris objurgationem non ferens districto gladio impetivit, & nisi fortè resupina præ metu cecidisset, pectore ipso transverberasset: heus tu, inquam, mulier observa obsecro: iste & citò & sine confessione, & violenter morietur. Hoc enim mihi præsagit animus, & Dei testimonia, & quotidiana experientia persuadent. Quid tum postea? ejusdem dies infausta illa quidem nocte, cùm infelix ad meretricem ingredi tentaret, ab altero sui simili gladium districtum ore ipso accepit, amputataque lingua, qua matrem injuriis & conviciis dehonestaverat, transfossoque ulterius occipite procubuit absque ullo pœnitentiæ signo, indeque in tumulum sublatus, atque in inferno (ut credere par est) consepultus exemplo, atque horrori fuit filiis ne parentibus ingratos se, inurbanos, atque inhumanos, quorum in promptu vindex omnipotens adest, ullo modo exhibeant*

V. Qui parenti suo vicem non reddit, serviendo, assistendo, consulendo patienti aliquam necessitatem, *quomodo filius ejus est?* Accipiunt filii à parentibus præter vitam & institutionem etiam nutrimentum, multo eorum sudore comparatum; quare obligantur eis, ut præ senio repuerascentibus & debilitatis vicissim inserviant ac necessaria administrent, quod si facere negligant, quomodo eorum filii appellari possunt? quomodo non potius filii alieni & belluini? Audiant Eccles.c.7. sic loquentem: *Honora patrem tuum & gemitum matris tuæ ne obliviscaris. Memento quod nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quo modo & illi tibi*: tribuerunt scilicet victum & sustentationem, ut exponit Hugo & Carthusianus. Quemadmodum enim vapores à terra in sublimem ascendentes auram, ibi condensantur, & in pluviam resoluti rursum descendunt, eamque irrigant ac fœcundant: ita decet filios, quia parentum opera è luto extracti, bonis & honoribus aucti atq; sublimati sunt, iterum quanti quanti sunt, ad eorum necessitates & miserias sublevandas se demittere, adeoq; quod acceperunt, rependere. Id quod egregiè præstitit Joseph, qui *cum somniasset, quod Sol & Luna & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri*, ait D. Ambrosius l.1. de Officiis cap.17.

Quæ causa est cur parentes doleant tantopere mortem filiorum, nisi quia in illis spem & solatium, adeoque *baculum senectutis* suæ (uti vocabat Anna filium Tobiam. Tob.1.) amittunt? Hinc illa lamentatio Annæ ob dimissum filium in exteram regionem. Cogitent jam filii, quod si & ipsi perdidissent etiam baculum juventutis suæ. Quam ob causam Isaac luxit mortem matris suæ toto triennio, donec accepta conjuge luctum illum sponsæ amore temperaret. Genes.24. Qui mos & apud Sinas hodieque observatur, uti refert Nicol. Trigautius de expedit. Christ. ad Sinas l.1 c.7. *Inviolabili consuetudine receptum est*, inquit, *ut luctus patris aut matris in triennium protrahatur. Cujus rei causam reddunt hanc, ut suis parentibus, qui prius ætatis triennio eos ulnis gestaverant tantoque labore educaverant, vicem rependant.* Ecce barbari isti agnoscunt beneficia parentum; quid respondebunt ad hoc filii, qui mortem parentum optant & sua ingratitudine accelerant, adeoque adhuc viventes in luctum impellunt? Hinc filii appellandi, & non potius semen Chanaan & filii scelerati? Qui enim filii sunt, amant utique parentes suos: si amant, non deserunt, sed eripiunt è miseriis. Hinc duæ illæ sorores, Martha & Maria, nihil aliud Christo nunciant de fratre suo Lazaro, quam *Ecce quem amas, infirmatur*. Joan.11. *Sufficit ut noverit*, ait in eum locum tr.49. ad Joan. S. August. *non enim amas, & deseris.* Pari ratione dico: si filius es, amas parentem: si amas, non deseris. Econtra si deseris in calamitate positum, *quomodo filius ejus es?*

THEMA V.

Præceptum diligendi proximum qui implendum.

I. *Quis diligendus.*
II. *Quomodo diligendus.*
III. *Quibus officiis & obsequiis.*

Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Matth.22.

QUinquaginta aureorum debitorem quemdam ferunt à creditore suo in judicium pertractum, à Judice interrogatum esse, cur non exsolveret debitum. Cui ille, modum & rationem persolvendi se non invenire in paupertie sua. Tum Judex: Ego docebo te, ait, modum & rationem solvendi, quod debes. Ad hoc respondit debitor: Certè domine magno me beneficio afficietis, si hoc me docueritis; debeo enim & aliis plura, quæ solvendo non sum. Duobus modis docemus homines, verbis & verberibus; & videtur iste debitor non posteriore, sed priore modo doceri voluisse, quâ viâ & ratione scilicet satisfacere creditoribus suis posset, cùm tamen Judex alterum modum & verbera minatus fit, nec instruere sed cogere vellet. Debitores sumus nos, Auditores, unusquisque proximo suo. Ita enim testatur Apostolus ad Rom.13. dicens: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Grande est hoc debitum & quidem indissolubile, ita ut quantumcunque dissolvamus, semper adhuc debeamus. Unde S. Augustinus ep. 62. ad Cælestium scribens: *Semper debeo charitatem, quæ sola etiam reddita detinet debitorem.* Et infra: *Quam recipio, adhuc repeto: quam reddo, adhuc debeo.* Hoc igitur debito quâ ratione nos liberabimus? Verbisne an verberibus doceri modum volumus? Posteriorem hunc non expedit eligere; quis enim ferat manum verberantis Dei, ad quem clamat Job: *Manum tuam longè fac à me*, c.13. Itaque cum debitore illo alterum eligamus, ut verbis edoceri potius velimus, qua ratione huic debito nostro satisfacere queamus, quod nunc discemus.

I. *Diliges proximum tuum.* Proximus est homo quilibet, quia ejusdem naturæ particeps, ejusdem Dei Patris Filius & cœli cohæres. Itaq; præceptum hoc primò extendere se ad omnes homines debet; quia ratio diligendi est una omnium, qua diliguntur proximi propter Deum, cujus creaturæ & servi sunt omnes & singuli; præsertim Christiani, qui propterea sub initium nascentis Ecclesiæ velut per antonomasiam *fratres* dicebantur, uti patet ex 1. Joan. 1. ubi ait: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum* *non*

I. *Quis diligendus.*

1. *Omnes.*

non ad mortem, peccat, & dabitur ei vita. In quem locum D. Augustinus libro 1. de sermone Domini in monte cap. 43. *Fratres,* inquit, *Christianos significari multis divinarum scripturarum documentis probari potest. Sed manifestissimum est illud, quod Apostolus ita ponit: Sanctificata est mulier infidelis in fratre* (ubi vulgata legit, *per virum fidelem*) 1. Corinth. 7. Et paulò ante vers. 12. *Siquis frater uxorem habet infidelem.* Et paulò post num. 13. *Non servituti subjectus est frater aut soror:* hoc est, Christianus aut Christiana. Itaque & alienigenas Christiani appellabant fratres; unde sequitur pari amore complectendos esse omnes quia omnes membra unius corporis Ecclesiæ & capitis Christi sunt. Hoc modo Philippenses, imò fideles omnes diligebat Apostolus: ita enim ad Philippens. 1. ait: *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi,* Ita & Thessalonicenses se invicem amabant teste eodem Apostolo 2. ad Thessal. 1. cum ait: *Supercrescit fides vestra & abundat uniuscujusque vestrum in invicem,* In quem locum sanctus Chrysostomus hom. 2. ait: *Vide charitatem: Non alium quidem dilexerunt, alium verò minùs, sed æqua erat ergo quosvis dilectio. Hoc enim inquit cùm dixit: mutua omnium vestrum cujusque in alterum charitas. Erat enim æquivalens velut unius corporis. Nam & nunc apud multos invenimus dilectionem esse; ac ita ut illa ipsa dilectio dissidii causa sit. Quando enim bini vel terni conjungimur, & duo quidem vel tres vel quatuor vehementer colligantur, à reliquis verò nosipsos avellimus, dum ad istos refugium habemus, de istis omnia præsumimus, illud charitatis est divisio, non charitas. Non dic mihi: Si oculus omnem providentiam & curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis membris omnibus contemptis, uni isti intenderet, an non totum perderet? Absque dubio. Ita & nos, si charitatem, quam in universam Ecclesiam extendere debemus, in unum & alterum coarctaverimus, & nobis ipsis & illis totique Ecclesiæ perniciem inferemus. Ista namque non sunt charitatis, sed dissidii, schismata nempe & ruptura hiulca. Nam si ex integro homine divulsam aliquam portionem ceperis, atque ipsum quidem schisma sibiipsi unitum, continuum & conglutinatum fuerit, nihilominus etiam hoc pacto schisma est, propterea quod reliquo corpori coadunatum non est. Quid enim proderit quod aliquem vehementer amas? Humana est ista dilectio. Si verò non est humana, sed propter Deum illum diligis, dilige omnes.* Huic aliam rationem adjungit Divus Basilius de Instit. Mon. sermone 2. *Quemadmodum Deus promiscuè omnibus lucem impartitur, sic imitatione Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent; quandoquidem ubi deliquium patitur charitas, eò prorsus ejus loco odium succedit.* Huc forsan respexit Deus, cùm præcepit. Exod. 20. *Non ædificabis altare de sectis lapidibus.* Secti enim lapides sunt, qui in schismata divisi, uni præ altero adhærent, ut exponit Isid. Quid si tamen hæc lex ita declarata nimis alicui videtur austera, arripiat, si velit, eam amoris & affectionis, seu Agapis & Diathesis distinctionem, quam Abbas Joseph, usurpat apud Cassi. coll. 17. c. 14. amorem nim. omnibus impendendum, affectionem verò paucis: his duntaxat, qui vel parilitate morum vel virtutum societate connexi sunt.

2. Extendit se etiam ad malos & ingratos. Neque enim Christianus suam utilitatem, sed proximi indulgentiam & in ipso Deum quasi indigentem intueri debet, quem diligit propter Deum. Mercenaria illa dilectio Ethnicorum est, non Christianorum. Horum enim est imitari Deum & Patrem suum cœlestem *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Non quia nos boni, sed quia ipse bonus est, effundit in nos hæc beneficia; cujus ex nostra gratitudine nihil accedit: quemadmodum & Sol nihil acquirit, si admittantur à nobis ejus radii: nihil deperdit, si excludantur. Unde S. Chrysost hom. 30. in 2 ad Cor c. 13. *Si Sol, qui creatura est,* ait, *non eget nostris oculis, & licet nemo ipsum videat, manet tamen in sua claritate: nos autem qui radiis illius fruimur, utilitatem percipimus: multò magis de Deo sic loqui convenit* Ut ergò Sol non ob suam, sed ob nostram utilitatem radios suos nobis communicat: sic etiam nos gratis oportet proximos diligere; qualescunque illi sint. Quin imò subinde præstat malis benefacere quàm bonis, ne pejores, sed meliores fiant. Id egregiè intellexit præstitque Abbas Achilles, *ad quem venerunt aliquando tres senes, & unus ex eis habebat opinionem malam. Dicit autem ei unus de senibus: Abba, fac mihi unam sagenam ad piscandum. Et ille dixit: Non facio. Et alius dixit ei: Fac nobis, ut habeamus memoriam tui in monasterio nostro. Et ille respondit: Non mihi vacat. Dixit ei tertius, qui habebat malam opinionem: Mihi fac quæ tua, sagenam, ut habeam de manibus tuis benedictionem, Abba. Et ille statim respondit ei: Ego tibi faciam. Dixerunt autem ei secretò duo priores, quibus non acquieverat. Quomodo sic, quia nobis rogantibus noluisti facere, & huic dixisti: Ego tibi faciam? Respondit eis senex: Vobis ideo dixi: Non facio, quia non mihi vacat, & non contristabimini, huic autem si non fecero, dicturus est, quia de opinione mea, quæ mala est, audivit senex & ideo noli facere sagenam, & statim incidebamus funem ad sedandum animum ejus, ne tristitia absorberetur hujusmodi.* Rosvveid. in Vit. PP. l. 5. libello 10.

3. Extendit etiam se usque ad inimicos, juxta legem Christianorum; quia licet ipsi propter se forsan indigni sint, qui diliguntur; Deus tamen propter quem diligi jubemur, omninò dignissimus est, Præstitit hoc adhuc in veteri lege Samuel qui pro populo, à quo repudiatus fuerat, orare perrexit, dicens: *Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.* 1 Reg. 12. Eccur verò, *nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? Legis quidem veteris* (quæ amicos tantum dili-

diligere præcipiebat) *mandato instructus; sed nova gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis Evangelica perfectione reprehendit*, ait in eum locum S.Gregorius. Magnum quidem hoc charitatis exemplum, sed in viro religioso & Propheta: sub veteri lege rarum; quod tamen in nova lege frequens & passim reperire est etiam in sæcularibus, & qui ad vindictam promptiores sunt, juvenibus, cujusmodi erat non ita pridem Olissipone quidam, uti refert P. Benedict. Fernandius in cap. 33. Genes. sect. 8. in hunc modum: *Nuper Olissipone (in qua scribimus) in rixa publica unius adolescens alteri deformem inflixit alapam: læsus gladio vindictam expetens nocere certamen haud potuit inimico. Cumque id per multos dies gliscente ira moliretur. Ecce tibi ad oram Tagi (seu potius in littore maris aliquãdo deambulans videt prope scapham, quæ ab alio ad urbem iniquo tempore ferebatur, subito fluctuare atq; inimicum adolescentem à quo fuerat offensus cum aliis vectoribus in pelagus ruere præcipitem. Accurrit ergo ex ripa, & miserum, quia jam semel haustus gurgite rursus emerserat pene moribundus, cervicibus apprehensum tenuit, atque incolumem in arena constituit, sibi quidem gratulans, Deoq; habens gratiã, quod tam pulchram divinitus occasionem invenerit bene merendi de inimico, vitamque illi largiendi, cui mortem modis omnibus expetierat, tunc maximè cum facilè posset illam inferre. O verè generosum hominis animum, sed ò verè Christianum ingenium divinoq; persimile.* Certè talem sub veteri lege charitatem non quæsivisset Saul. *Quis enim*, inquit 1.Reg 24.vers.20. *cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?*

II. modo endus

II. *Diliges* eum *sicut teipsum*. Qua ratione? Eam explicat Apostolus ad Rom 12. cum inprimis ait. *Dilectio sine simulatione*, h. e. sit vera & syncera: ita ut quod proximo fit, tibi fieri existimes. Doceris hoc ab ipso Deo tuo, qui dixit Zach. 2. *Qui tetigerit vos* (servos meos) *tangit pupillam oculi mei.* Si igitur offendi censet Deus, & quidem acriter, cum offenduntur ejus servi. Rursum quando misit servos suos ad agricolas, ut acciperent *fructus ejus*. Matth. 21. indicat manifestè salutem agricolarum esse fructus ipsius: cum tamen agricolarum magis sit. Discis idem à Christo Domino, qui inventa ove dixit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam*. Luc. 15. Oviculæ igitur reductionem & vitam à lupis servatam suum reputat gaudium. Id. quando Saul. persequebatur Christianos, clamat de cœlo: *Cur me persequeris?* Act. 9. Denique in die judicii dicet electis: *Esurivi & dedistis mihi manducare, &c.* quasi cibus pauperi datus tantundem ipsi saporis exhibuerit, ac si ab ipso sumptus fuisset.

1. & re.

2. ctuose.

2 Dilige eum affectuose, velut filium aut fratrem, uti subdit Apost. ib. *charitate fraternitatis invicem diligentes* (Græc. φιλόστοργοι, h. e. *impensi & affectuosi amatores* suis) *honore invicem prævenientes*. In quẽ loc. S.Chrys. ho. 21. in Ep. ad Ro ait: *D c. (Apo.) alius in alium dilectione propensi h e. ferventer dilige. Noli in hoc consistere, aut diligaris ab alio, sed tu potius* erga alium prior diligendo prosili. Unde & subdit: *Honore alius alium præcedentes. Hac quippe ratione & nascitur dilectio, & nata perdurat.* Ita se dilexere mutuo Paulus Eremita & Anton. cum alter alteri cessit honorem, ut panem à corvo sibi allatũ frangeret, uti refert S.Hier. in vit. S Pauli. Simile charitatis certamen inter duos recenset S.Chrys. ho. 30. ad pop. *Erat quidam locus*, inquit, *thesaurum habens absconditum. Cum hoc nesciret dominus, locum alienavit. Qui emerat, cum perfoderet, ut agrum plantaret & excoleret, repositum invenit thesaurum: cumq; venisset ad venditorem, ut thesaurum reciperet cogebat: locũ enim se dicebat emisse, non thesaurum, vicissim ille respuebat donum, dicens: Locum vendidi, nec ullum in eum jus habeo. In quæstionem venerunt, unus quidem dare volens, alter vero contendens ne reciperet. Et quendam convenientes virum, disceptabant, & postea dicebant ei: Cui debet attribui thesaurus? Ille vero sententiam non protulit, dixit n. se quæstionem soluturum, & se possessorem futurum. Cumq; sponte concessissent, innumera postmodum mala sustinuit, & quod merito illi ab eo discessissent, ipsa re didicit.* Quale hoc certamen, Auditores? Quis hoc tempore inter Christianos talem ac tantam inveniat charitatem? talẽ benevolentiam? talem rerum temporalium contemptum? Sed cur hoc miramur? Nonne Deus quoq; ita nos dilexit ut prior iniret gratiam nobiscum & mitteret nobis filium suum, cum adhuc inimici essemus? *Quoniam ipse prior dilexit nos*, ait Joan. ep. 1. cap 4.

3. Dilige eum fortiter, ut pro ejus bono jacturæ propriæ aut discrimini te exponere non pertimescas Idem indicat Apostolus loco cit. cum subdit: *Spiritu ferventes* (in dilectione fraterna) quasi igne inflammati. Ita Abraham dilexit Loth nepotem suum, quãdo audiens eum abduci captum, cum 318. vernaculis suis persecutus est integrum quatuor Regum exercitum, invasit & cecidit, quasi leo quidam ignem spirans. Gen. 14. *Sic amabat nepotem*, inquit D. Amb. l. 1. de Abrah. c. 3. *ut pro eo nec belli declinaret periculum.* Idem, à patruo nim. edoctus, præstitit Loth, quando Angelos (nondum sibi cognitos) in platea magno suo periculo pernoctare volentes, *compulit oppido, ut diverterent ad eum*, Ge. 19. ubi D. Amb cit. c. 6. *Ille quidem inter quos habitaret, sciebat; tamen domum suam offerebat periculis, quibus offerret hospites.* Si hoc duo illi viri sub veteri præstitere lege, non faciant Christiani sub nova, gratiæ auxiliis plena & exuberante.

3. Fortiter.

4. Sedulo & festinanter, uti subjicit etiam Apoc. *Solicitudine non pigri.* Non expecta donec proximus jam malo suo liberatus vel desperatus est, sed præveni ejus periculum aut miseriam. Docum. simul & exemplo prævivit in hoc Domin. nost. qui ubi primum aliquem cum miseria conflictantem vidit, statim in spem erexit, etiam antequam eriperet. Ita paralyticum illum, qui coram se deposito dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth 9. Ita Jairum, cui à spe filiæ suscitandæ penè jam dejecto: *Noli timere*, inquit, *crede tantum, & salva erit.*

4. Sedulo & festinanter.

Ibid. Ita Centurionem: *Veniam & curabo eum.* Mat. 8. Ita viduam filii defuncti: *Noli flere.* Luc 8. Ita esurientes: *Facite illos discumbere.* Luc. 9. Ita adulteram: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8. Ita hydropicum: *si licet Sabbatho curare?* Luc. 8. Ita languidum ad piscinam: *Vis sanus fieri?* Joan. 5. Ita Martham sororem Lazari: *Resurget frater tuus.* Joan. 11. Neminem ergo passus est diu natare & cum fluctibus inter undas dimicare, quin illicò animarit & spe salutis roborarit. Hunc ergo charitatis Doctorem imitare Christiane, & si non mox opem ferre potes, saltem poteris solatium. Insignis Christi imitator fuit S. Antidius Episcop. Turon. qui (ut refert Sigebert. in Chron. Marulus l. 5. c. 8.) cum à Dæmonibus tripudiantibus intellexisset, eorum machinatione Pontificem Zosimum in peccatum fuisse inductum, eorum uni præcepit in nomine Domini, ut quam primum ab eo Romam deveheretur, quo lapsum revocare ad pœnitentiam posset: negotiumque fæliciter confecit.

5. *Gratis & sponte.* 5. Gratis & sponte, non propriæ utilitatis causa, quod indicat Apostolus, cùm addit: *Domino servientes*, q.d. non ab homine, quem amore prosequimini, sed à Deo, cujus gratia illum amatis, mercedem expectate. Hoc commendat nobis Dominus, cùm ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Joan. 15. Atqui nonne gratuito & spontaneo amore ipse nos complexus est? Quid enim nos ipsi dedimus aut dare possumus, pro tot tantisq; beneficiis. Simili charitate eripuit Abraham nepotem suum Loth è manibus barbarorum. *Assumpsit enim vernaculos*, inquit sanctus Chrysostomus homil. 35. in Genes. *& qui cum Loth educati erant, ut ultionem sponte & benevolè facerent, utpote servi pro suo domino certantes: ut quemadmodum Dux, ita & milites, non furore sed amore ad bellum incenderentur.* Fac hoc & tu Christiane: ama proximum tuum, non ut pastor pecorum, qui pabulum eis dat, ut lanam & pellem detrahas.

III. *Quibus officiis & obsequiis.* III. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, ait Dominus Matth. 7 explicans præceptum dilectionis proximi affirmativum. Et rursum: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando feceris*, ait senior Tobias filio, Tob. 4. explicans præceptum negativum. *Ea enim est regula dilectionis*, ait S. August. de vera rel. c. 46 *ut quæ homo vult sibi bona provenire, & proximo velit: & quæ sibi accidere mala non vult, & illi nolit.* Prius illud declarat D. Chrys. ho. 13. ad pop. *Non opus est*, inquit, *multis sermonibus, aut prolixis legibus, nec varia doctrina: voluntas tua sit lex, Vis beneficium capere? confer beneficium alteri: vis misericordiam consequi? miserere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede prius alteri: tu sis judex, tu sis legis tuæ legislator.* Ergo ut pauca declaremus.

1. *Sublevandus.* 1. Sublevandus est in miseria proximus & juvandus: quo modo etiam pisces scari, uno eorum hamum glutiente eique adhærente, cæteri funem morsibus conficiunt, ut socium liberent, teste Æliano libro 1. capite 4. vel quo modo *Medici*, inquit sanctus Chrysostomus orat. 5. adversus Judæos, *præscribunt ac præcipiunt hominibus, quæ possint illorum sanitatem tueri, omnemque morbum excludere. Cæterum ubi neglexerunt præscripta, & in valetudinem adversam inciderunt, non negligunt eos ipsi, sed tunc maximè multam adhibent solicitudinem, quo illos morbo levent.* Ac licet hoc sæpe laboriosum ac difficile sit, amore tamen proximi devorandum est; quia idipsum nobis fieri desideramus; præterea etiam proprii boni gratia, verbi gratia valetudinis recuperandæ multa sustinemus à Medicis vel Chirurgis. Hinc Plutarchus dixit: *Amor docet musicam.* In Musica nunc elevatur vox ad summum, nunc deprimitur ad imum, ita qui amat, nunc dilecti causa ad sublimia assurgit opera & difficilia patranda: nunc demittit se ad infima quæque. quo modo Christus nostræ salutis & instructionis causa, nunc opera miraculosa patrabat, ringentibus etiam & obstrepentibus adversariis: nunc ad Judæ pedes sese abjiciebat; nunc mortuos suscitabat, postea mortem ipse subiit.

2. Tolerandus est patienter in suis defectibus & miseriis, cum juvari & sanari nequit, juxta id Apostoli ad Gal 6. *Alter alterius onera portate.* Quod imprimis S. Basilius in Psal. 33. declarat similitudine ossium, corporis humani. Ea enim *ingenita sibi vi*, inquit, *præterea carnis mollitiem sufficiunt & pressius contrahunt: itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti fortitudine debilium fulcire ac ferre imbecillitatem, &c.* Deinde sanctus Augustinus in illa Apostoli verba homil. 22. exemplo cervorum, qui fretum tranatãtes gravia sua cornibus capita per vices & ordinem imponunt dorsis prænatantium. Sic ait. *iram fratris tui tunc portabis, cùm tu adversus eum non irasceris; ut rursus eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te tranquillitate sua supportet.* Idque declarat exemplo Christi, qui *sine peccato cùm esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua sed nostra: ita & nos libenter ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus.* 2.

3. Defendendus est contra obtrectatores & fama ejus tuenda. Ita Sapiens Prov. 10. ait: *Universa delicta operit charitas.* Quem locum etiam citat S. Petrus epistol. prima, capite quarto. *Ante omnia mutuam in nobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Qua ratione Constantinus M. peccata sacerdotum suo paludamento operire paratus erat. Præclarè hoc Christus fecit, quando locuturus cum Samaritana, omnes suos discipulos in civitatem misit, solus ipse ad puteum remansit. Eccur verò omnes cum unus aut alter sufficeret? Respondet Salmeron in eum locum; quia Christus Dominus sua Samaritanæ peccata objecturus erat. Jussit ergo discipulos recedere, *ut pudori ejus solitudine consultum esset,* 3.

& ut

& ut liberius posset ejus flagitia detegere atq; arguere: ac ut nos inde discamus proximum secrete primùm atque salubriter corrigere. Eadem charitate Judam proditorem Joanni quidem (submissa tamen voce) indicavit, cæteris tamen discipulis nullo indicio prodidit; quo famæ ejus consuleret, licet jam desperati: soli proditori speculum proposuit in quo seipsum cerneret.

4. Corrigendus est cùm errat. *Reprehensio* enim est *velut quædam chirurgia animæ*, inquit Clemens Alexandr. l. 1. Pædag. c. 6. Audiamus D. Augustinum epist. 1. ad Bonifacium: *Molestus est Medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est, &c.* Demades orator cùm vidisset Philippum Regem largiùs potum, cum amicis saltasse per mediam captivorum turbam, eisque petulantes exprobrasse suam calamitatem, liberè dixit: *Cum ò Rex fortuna tibi Agamemnonis personam induerit non pudet te factis agere Thersiten?* Ea admonitio adeò Regi profuit, ut exinde alius à se factus, totum vitæ genus in melius commutarit. Plut. in Apoph. Regum.

5. Denique nulla in re lædendus est, quia & nos lædi ab aliis nolumus. Porro huic rationi accedit etiam illa, quod proximus etiam Dei imago sit. Quis autem nescit pro reo læsæ majestatis haberi, qui Cæsaris imaginem violat aut lapidat? quod cùm fecissent Antiocheni aliqui graviter mulctati sunt. Antioch. non minus pœna dignos esse illos, qui proximum offendunt. *Quot*, inquit, *Dei imagines non tantum dejecerant, sed & conculcaverant? Cum enim reum angas, cùm dispolies, cum trahas, cum dejicias, Dei imaginem conculcas. Si vero dicas, quod non est ejusdem substantiæ homo cum Deo: quid tum neque enim æs statuæ ejusdem est cum Rege substantiæ: sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt: sic & in hominibus, etsi non ejusdem cum Deo substantiæ sint homines, sicut neque revera sunt: veruntamen imago vocati sunt & propter appellationem ipsos honorem recipere oportebat.* Sic Chrysost. qui ho. 42. in Matth. ait: *Sicut in imagine sua Rex honoratur vel contemnitur: sic & Deus in homine vel diligitur vel oditur.*

Vidimus rationem, qua reddere proximis nostris debitum oporteat. Superest nunc ut hanc doctrinam effectui mandetis; ne aliquando ad judicium tracti ob non persolutum debitum, à Judice audiatis: Docebo te persolvere; quando dicet: *Discedite à me maledicti &c.* quamdiu *enim non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. Quænam civitas felix censenda.
II. Bona civitatis requisita.
III. Digni pœnitentiæ fructus.
IV. Deum omnipræsentem præ oculis semper habendum.
V. Cur expediat nos incertos esse de gratia & salute nostra.
VI. In qua neque divites nimis neque pauperes sunt cives.

THEMA I.

Quænam civitas felix censenda.

I. Ea in qua magistratum non licet gerere malis.
II. In qua reprehensio magis timetur, quàm lex.
III. In qua cætera sunt æqualia, virtuti tamen quam vitio potior conditio deferatur.
IV. In qua legem omnes sicuti tyrannum metuunt.
V. In qua etiam non læsi vindicant injurias læsorum.

Venit in civitatem. Matthæi 9.

MAgna esse debet gloria & laus illius civitatis, quæ in hodierno Evangelio appellatur *Civitas Christi*, dicente Matthæo: *Venit in civitatem suam:* & videntur aliquæ civitates contendere inter se de hoc honoris titulo. Bethlehemitæ volent suam esse hanc civitatem; quia Christus ibi natus est; pro quibus stat Sedulius presbyter. Nazareni reclamabũt, suam esse hanc urbem; quia ibi Christus educatus est, quibus patrocinatur sanctus Hieronymus. Sed instabunt Capharnaitæ, & suæ civitat gloriam hanc adscribent; quia ibi Christus diu habitavit & prædicavit, plurimaque operatus est miracula; pro quibus est Chrysostomus, & plerique alii, quibus favet sanctus Marcus cap. 2. qui

qui paralyticum, de quo hodie, Capharnai sanatum asserit. Jam ergo dicent aliqui, O felicem civitatem, quæ Christi appellari civitas meruit! O beatos cives, quibuscum Dei filius tamdiu habitavit! ô sanctam civitatem in cœlum extollendam! Sed videant hi, an satis cautè hæc loquantur. Dicent enim aliqui Christo in die judicii: *Manducavimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti.* Quibus respondebi: *Nescio vos unde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Lucæ 13. Quin & de hac ipsa Capharnao expresse ait Matthæi 11. *Et tu Capharnaum quæ usque ad cœlum exaltata es, usque ad infernum demergeris; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem.* Non ergo civitates inde mox fælices reputandæ sunt; quia Christum habent intra muros suos, ejusque veram fidem, verbum & sacramenta, nisi habeant & virtutes à Christo edoctas, pietatem & sanctitatem; quod hic requiremus.

Convenerunt aliquando in convivio septem Sapientes, uti refert Plutarchus in convivio, quæstionem agitantes, quænam civitas seu respublica esset fælicissima; cui responderunt singuli bene & sapienter.

I. Ea in quâ Magistratum non licet gerere malis.

I. Respondet Pittacus *eam esse fælicissimam civitatem seu Rempubl. in qua Magistratum gerere non licet malis, licet bonis.* Huic sententiæ adstipulatur etiam Isocrates in Areopag. oratione seu de vetere Atheniensium Republic. ubi fælicitatem civitatis ponit in bonis gubernatoribus: *Ecquis omniũ ignorat*, inquit, *fælicitatem; neque magnificis murorum structuris, neque civium numerosa multitudine vel quæri, vel contineri sed sapientibus ac moderatis Reipubl. gubernatoribus? Est enim anima civitatis nihil aliud quàm administratio illius, quæ non minor est quam in corpore anima, &c. Huic oportet & leges & oratores & privatos homines esse similes, & sic unumquemque agere; prout illam sit nactus.* Verissimè enim Sapiens Ecclesiast. 10. v. 2. ait: *Secundum Iudicem populi, sic & ministri ejus & qualis est Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eodem modo Cicero lib. Offic. *Quales in Republ. Principes fuerint, tales erunt & cives.* Soli confertur Magistratus civitatis, quia ut inter planetas Sol medius emicat præ cæteris aliasque stellas illuminat, ita & Magistratus subditos. Jam ut flores & herbæ quædam ad Solis motum & se convertunt: sic populares in Magistratuum mores feruntur. Econtra si Sol inficiatur, & stellæ herbæ floresque, imo & homines pereant necesse est. Unde Apocalypsis 16. versu 8. dicitur: *Quartus Angelus effudit phialam suam in Solem; & æstuaverunt homines æstu magno & blasphemaverũt nomen Dei.* Compertum hoc in Davide Rege fuit qui cum adulterio & homicidio splendorem suum obscurasset, blasphemare fecit populum. 2. Reg. 12. stulte nim conquerentem, quod velut ignarus talẽ eis dedisset Regem. Docet idem Ecclesiastes cap. 10. vers. 16. *Væ tibi terra*, inquit, *cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt:* hoc est, voluptatibus se dant & post ingurgitationem consilia tractant. Quod egregiè etiam monet Divus Augustinus sermone decimo quarto ad fratres in Eremo tomo decimo. *Non puer*, inquit, *non insensatus vobis præesse debet, sed annosus, prudens, castus; ut sol & lux mundi cunctis appareat. Talis justitiam non poterit ignorare. Tunc enim Regnum Romanorum pacificè tamdiu perseveravit, quamdiu sapientes regere permiserunt: cumque justitiam ignorantes acceptores personarum facti sunt, sic justitiam perdentes, dominium orbis terrarum perdiderunt.* Perdiderunt alii populi & civitates suam etiam existimationem propter ineptos Judices & gubernatores. Laborat adhuc fama Pistoriensis civitas in Hetruria, Italiæ Provincia, propter hominem rudem, arte pistorem, nomine Terentium, ex humili loco ad Præfecturam urbis evectum; ut quemadmodum videtur, Pistorium, Italicè *Pistoria*, inde appellata sit memorabili præcedenti omine, quando in ea urbe sub horam diei tertiam spectantibus multis asinus excelsum tribunal ascendit atque inde ruditum usque adeo compositum, edidit, ut populum accurrentem alloqui & quædam dicere velle videretur, teste Ammiano Marcellino lib. 27. vaticinans suo ruditu urbem accepturam asinum pro Præfecto. Laborat etiam adhuc fama quarundam civitatum; quasi fures prius in furcam agere postea eorum causam examinare solerent, uti scribit Æn. Sylv. in descript. Europæ capite 20. & alii, cùm tamen id fortè semel tantùm ab inepto quodam Judice vel rudi Magistratu actum sit.

II. Cleobulus dixit eam esse felicem, & facile officium facturam, *in qua cives reprehensionem magis metuant quàm legem.* Tales enim verecũdiæ magis & honestatis amore velut ingenuos duci judicium est, quàm coactione. Oves se demonstrant, quę uno pastoris sibilo ad gregem revocantur; non hircos aut porcos, qui clamoribus objurgari & verberibus debent. Hujusmodi etiã subditos habere Christus in Ecclesia vult: oves scilicet, quæ vocem & sibilum ejus audiant; non hircos, qui recta non incedunt, & in præcipitia ascendunt, grege & pastore neglecto, ac proinde pastori multas gignũt molestias, quod & Magistratui faciunt subditi duræ cervicis. Unicus hircus in grege ovium plus fatigat opilionem, quam centum oves. Ita unus insolens homo in communitate, plus affligit Magistratum quàm tota communitas, ut dicebat beatus Jordanes Generalis Ord. S. Dominici apud Surium 13. Febr. Unus Judas Christum plus turbavit, quàm omnes alii discipuli; uti videre erat in cœna facta ad Bethaniam, quando murmurans contra Magdalenam, traxit suasu aut exemplo suo in sententiam suam & alios discipulos. Joan. duodecimo, ut indicat D. Augustinus libro secundo de consensu Evangelist. capite 79. Rursum in cœna ultima, cum ejus præsentia ad mensam Eucharisticam Dominum turbavit. Joan.

23. Ni-

13. Nimirum hircus fuit, qui nullas Magistri reprehensiones curavit.

III. | a cæ- | int æ- | a, | iti ta- | quam | poti- | ditio | atur.

III, Anacharsis eam laudavit, *in qua omnia æqualia habeantur, virtuti tamen potior, vitio deterior conditio deferatur*. Cui consonat, quod Solon alias pronunciavit: *Illam civitatem optimè habitari, in qua viros bonos affici honoribus: contra autem improbos pœnis, mos fuerit*. Eadem fuit aliorum sapientum sententia. Lycurgus duabus rebus contineri Remp. ajebat, *præmio & pœna*, Socrates eam civitatem ritè gubernari; *in qua invitantur boni præmiis, injusti dant pœnas*. Lysander eam Remp. maximè probabat *in qua fortibus viris ac meticulosis congrua utrisque redduntur*. Hinc Democrit. apud Plin. l. 2. c. 7. duos tantùm Deos, quibus omnia regerentur, ponebat, *pœnam & beneficentiam*, His adstipulantur sacræ literæ, in quibus legimus Deut. 27. Moysen promulgasse per sacerdotes legem Dei inter duos montes: Garizim & Hebal, quorum ille fertilis & amœnus, hic vero sterilis & inamænus erat: ita ut conversi primum ad montem Garizim amænum, recitarent plurimas (ad 28.) benedictiones & favores divinos, iis, qui legem servaturi erant, promissis: & rursum conversi ad Hebal inamænum, totidem exponerent plagas & maledictiones, prævaricatoribus legis decretas. Nimirum efficacior ratio ad inculcandas populo leges non est, quam *præmium & pœna*, quod etiam in brutis animantibus observari dixit Xenophon in Oeconom. quæ duabus rebus adduci ad obtemperandum dixit, scilicet delinimento, si sit generosius; ut equus, & plagis, si sit contumacius aut hebetius, ut asinus. Ita homines duri & viles pœnis, generosi præmiis ad officium incitandi sunt. *Nihil enim non*, ait Livius dec. 1. l. 4. *aggressuri sunt homines, si magna conantibus magna præmia proponantur*. Vicissim ubi nulla meritorum & demeritorum ratio habetur, nemo est, qui ad præclara opera manū admovere velit: ubi eadem merces datur vomenti in plateas, & purganti eas.

IV. | le- | mnes | ræ- | ve-

IV. Bias dixit eum popularem Reip. statum esse optimum, *in quo legem un.v rsi tanquam tyrannum metuunt*. Convenit hoc cum eo, quod scribit Moyses Deut. 33. *In dextera Dei ignea lex*. quia scilicet cum ignibus & terrore data fuit velut tyrannus & vindex transgressorum, quod idem Solon dixit eam civitatem optime gubernari adeoque fælicem esse, in qua cives Magistratus legibus obediunt. Justum est ut subditi legibus, quæ sunt quasi mænia (uti Heraclitus) & quasi Medicus in civitate (uti dixit Philo l. de Josepho) nec non Magistratui, qui est animata quædam lex, obediant; sed & Magistratus Dei se subjicere legibus, imo & suis, debet, si ad nutum sibi obtemperantes optat habere cives. Iniquum enim est alteri prohibere, quod ipse non vitas: vel à subdito exigere; quod ipse nolis præstare. Qua in re fœde deliquit Saul, qui postquam magos & ariolos de terra Israel abstulerat, ipse Pythonyssam adiit, ut ejus opera Samuel suscitatus futura sibi nunciaret. 1. Regum 28. Nec non Jehu Rex, qui occidit Idololatras & edicto prohibuit, postea manus supplices ad vitulos aureos extendit. 4. Reg. 10. Hujus farinæ etiam fuit Sibarita ille pædagogus, qui *cum puer, quem ducebat, per viam in ficum incidisset, & sustulisset; vehementissimè eum objurgavit: ipse vero ridiculè rapto, quod inventum erat, devoravit*, uti scribit Ælianus l. 14. var. hist. cap. 20. Nec aliter Judex ille paganus, qui cùm vicinus ei nunciasset, taurum suum insiliisse in hortum ejus, & prostravisse ejus vaccam; pretium vaccæ à vicino mox exegit, at cùm vicinus lapsum linguæ causatus, suam vaccam ab ipsius tauro occisam diceret, pretium ei Judex negavit; *hanc esse aliam rem* asserens; teste Gilb. Cognat. l. 1. Narrat. Non ita Samuel ille, Hebræorum Judex, qui abdicato munere seipsum populi judicio submisit, satis facturum omnibus, si quem læsisset aut gravasset aut munera ad pervertendum judicium à quoquam accepisset. 1. Reg. 12. Qui & obediens provincias, tres potissimum elegit civitates in quibus causas audiret & jus diceret; *Bethel, Masphat & Galgalam*, 1. Reg 7. *Bethel* h. e. *domum Dei*, ut non suam, sed Dei personam agere se nosset, ipsius quasi œconomus: *Masphat*, h. e. *speculum*, ut in subditorum mores & causas sedula speculatione inquireret: *Galgalam*, h. e. *rotam* seu *revolutionem*, ut hoc ipsum jus, quod aliis dicere soleret, ad seipsum revolvet; iisdem legibus utens, quibus alios ligaret.

Affine est Biantis responso, quod adjecit Chilo; asserens eam Remp. fore fælicem, *in qua maximè leges, minimè Oratores audiuntur*, requirens tales Judices, qui non ad speciosam causarum actionem, sed ad justam attendant.

V Solon fælicissimam dixit Remp. *in qua injuriæ auctorem non minus illæsi, quam qui læsus est, in jus rapiunt & puniunt*. Idem cecinit Menander, quibus consona Apost. doctrina ad Phil. *per viscera misericordiæ eos rogantis. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, &c. non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed quæ aliorum*. Id quod duobus modis intelligi potest. 1. in sensu collectivo, ut tam aliorum: h. e totius communitatis commoda quæramus, vel incommoda avertamus, quam propria. Quod sane æquissimum & Reip. necessarium est, si stare diu & beata esse cupiat. Quid enim prodest uni in privato domus angulo bene habere, deliciari, abundare; si totius domus imminentem ruinam non avertit? nonne ipsa corruente & ipse ruet vel opprimetur? Unde Cæsar in orat. ad suos Legat. & Cent. *Privatim quidem*, inquit, *nemo omnium ita potest lætis rebus uti, ut non idem cum Rep. corruente pereat: at Resp. si prospero succ ssu utatur etiam privatorum omnium pot st calamitates sublevare*. Et Salvia l. 3. de providentia: *Quæ rogo insania est & quæ cæcitas, ut egestuosa & mendicante republica divitias posse credant stare privatas?* Sane Job cùm in calamitate positus sui oblitus, oravit pro amicis suis, Deo licet infensis inde à Deo ereptus est & recepit omnia duplicia, uti insinuatur cap. 42 libri Job: *Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis*

V. *In quam etiam non læsi vindicant injurias læsorum.*

cis suis. E contra Jonas, quando contra vaticinium suum vidit Deum parcere civitati Ninive; ideoque ruituram existimationem suam, tamquam vanus vates fuisset, grande periculum subversionis suæ adiit. *Quoniam propriam utilitatem quæsivit*, inquit C Chrys. ho. 79. ad pop *& periclitatus est: & civitas quidem stabat, ipse vero submergebatur.*

2. Distributive, ut non tam propria, quam aliena etiam singulorum commoda vel incommoda in rebus temporalibus spectemus, quod quidem non præcepti, sed consilii & charitatis est. Fœlix ea civitas, quæ tales habet incolas. Sensit id Romana, quā diu Valens & Valentianus fratres, ita inter se divisum gerebant imperium, ut uterque collegæ nomine magis quam suo gauderet, subditis hinc inde lætitia affluentibus: ut ait Themistius orat. 9. Docuit hoc etiam Dominus noster, quando dæmones, *Tu es filius Dei*, clamantes à sui laude & manifestatione compescuit; *ne ejusmodi vociferatione Scribarum & Pharisæorum iram magis excitarent, eorumque invidiam vehementius accenderent*; inquit Victor Antiochenus Mar. 3. Fecit hoc & Moyses, qui fratrum injurias velut suas sensit. Exodi capite 2.

VI. *In qua neque divites nimis, neque pauperes sunt cives.*

VI. Thales eam civitatem prædicavit fœlicem *in qua neque divites nimis, neque pauperes sint cives*. Convenit & hoc cum voto Salomonis, qui Proverbiorum trigesimo duo à Deo postulavit: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria ne forte satiatus illiciar ad negandum & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer & perjurem nomen Dei mei.* Quibus verbis periculum utriusque extremi indicat. Divitiæ enim intumescere faciunt hominem, & contemnere non modo homines pauperiores, sed & ipsum Deum; cùm in suis operibus velut in Deo quodam omnipotenti stultè confidant juxta id Oseæ duodecimo *Dives effectus sum: inveni idolum mihi.* Aves quo plus plumarum habent, eo plus in altum evolant, ut patet in aquilis & accipitribus. Divitiæ tales plumæ sunt, unde Ezechielis decimo septimo vocatur superbus ille Nabuchodonosor, qui se ob divitias & pompam suam contra Deum extulit, *aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & varietate.* Atque hinc Apostolus 1. Timothei sexto mandat Timotheo: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum. Nam sicut vermis pomo: ita divitiis superbia innascitur*, ait sanctus Anselmus. Et sanctus Augustinus sermone quinto de verbis Domini. *Omne pomum habet suum vermem, &c. Vermis divitiarum superbia est*, Hinc etiam alterum oritur malum Reipublicæ maximè noxium, quod idem Salomon Proverbiorum 13. ait: *Inter superbos semper jurgia sunt*, quia, ut sanctus Augustinus epistola 120. ad Honoratum ait, *Superbia odit omne consortium.* Justi & sancti viri fuere Abraham & Loth, quia tamen prædivites erant, cohabitare simul non poterant, orto inter servos eorum jurgio, in ipsos etiam dominos facile derivando. Gen. 13. Unde Plato l. 3. de legibus: *In quocumque*, inquit, *hominum cætu nec inopia nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt: neque enim ibi contumelia aut injuria locum habet.* Exemplo est Spartana civitas, a qua Lycurgus sustulit opes & inopiam; & quamdiu civium suorum oculos à contemplandis Asiæ deliciis & fastu retraxit, tamdiu fælix fuit: infælix esse cœpit, ubi opes & delicias admisit. Val. Max l. 2. c. 1.

Vicissim nimia paupertas civium suas etiam habet difficultates. Compellit enim (ut advertit Salomon) quodammodo ad furta, & inde consequentia perjuria, quibus furta teguntur. Hinc Seneca paupertatem appellat *furti matrem*; & docet experientia fere pauperes tantùm ad patibula duci, qui urgente egestate ad furta & latrocinia sese converterunt.

Hæc sunt sapientum, licet Gentilium sana & salutaria placita, rectæ rationi & sacris etiam litteris admodum conformia; quæ si observarent cives, næ illi gloriari possent de felici statu suæ civitatis; magis quam Capharnaum, solo Christi inhabitantis titulo. Quid enim profuit, talem ac tantum habere civem, si non audiit monentem? quid profuit aliquando ad cœlum usque exaltatam fuisse, si inde demersa est usque ad infernum? Pari ratione quid emolumenti civitati nostræ accedet, si habeat speciosa templa, multa monasteria & religiosos, multas conciones, multa eruditorum consilia &c. si Christum non imitetur? si audiat bona & agat pessima? videat pietatem, sed non sectetur? *Beatus populus*, non cujus Dominus inhabitator, sed *cujus Dominus Deus est.* Psal. 143.

THEMA II.

Bonæ civitatis requisita.

I. *Horologium regularum: fides catholica.*
II. *Ædes sacra: pietas & devotio.*
III. *Schola: verbi Dei audiendi aviditas.*
IV. *Forum: mutua charitas & auxilium.*
V. *Curia: observantia legum & justitiæ.*

Venit in civitatem suam. Matthæi 9.

NOn est exigua laus Capharnaitarum, quod ipsorum Civitas vocetur *Civitas Christi*, ex eo quod in ipsa Christus inhabitare, teste Matthæo capite quarto uti & hodiernum miraculum patrare, teste D. Marc. c. 2. dignatus sit. Sed hinc multo magis crescit laus Capharnaitarum, quod præ cæteris ipsi Christū magno in honore apud se habuerint, ac velut patrē suum coluerint: quemadmodū colligimus ex Evang. Gloriantur aliæ civitates ædificiis, aliæ decore, aliæ munitione, aliæ sede Principis, nobilitate aliæ. Sed parva sunt ista, nisi etiam sint & dici pos-

possint *Civitates Christi*. Civitas nostra Græcium gloriari multis prærogativis potest, quod Styriæ Metropolis, sedes Austriacorum Archiducum, munita fortalitio, ornata magna nobilitate, condecorata Academia; sed parva hæc omnia erunt, nisi simul sit & appellari queat *Civitas Christi*. Quare videndum restat, ut investigemus quid ad hoc requiri possit ut talis esse & dici queat. Quod nunc moliemur. Sapienter quidam auctor politicus dixit: Quinque res declarant civitatem bene aut male habere: *Ædes precum, Curia, Schola, Forum, Horologium*. Sed hæc ille politicè ad ornatum civitatis politicum requirit. Nos hæc ipsa mysticè ad spiritualem ornatum derivabimus.

I. Horologium regulatum condecorat Civitatem. Unde Carolus V. Imperator urbes ingrediens, horologium aspicere solebat, & inde civium mores colligere, num ad honestatis normam essent compositi. Multum etiam confert civitati horologium justum, ut patet. Hoc verò mysticè fidem notat; quemadmodum enim horologium regit actiones hominum, monet quando surgendum, studendum, laborandum, edendum, &c. Sic fides dirigit actiones Christianorum. Rursum sicut horologium constare omnibus suis partibus debet, ita ut si vel unicus dens rotæ desit, totum horologium fallat: sic etiam fides omnes articulos fidei ab Ecclesia propositos complectitur; & si vel unum rejicias, tota fides cadit. Porrò horologium civitatis 1. decet esse unicum, idque justum, vel si plura sunt, omnia concordare; alioquin in civitate magna fiet confusio. Nescient liberi quando surgere & ad scholam ire; servi, quando pecora ad pastum exigere; ancillæ quando cibos parare; operarii, quando ad labores ire debeãt. Sic decet in civitate una esse fidem eamq; rectam, alioquin magna erit animorum confusio, dissensio, diffidentia; nec convenient Jacob & Esau in eodem matris utero, sed colluctabuntur inter se; quia ut S. Hier. in c. 10. Matt. ait: *Nullus est inter eos affectus fidus, quorum diversa est fides.* wo kein rechter glauben ist/ da ist auch kein recht vertrawen. Porro unam fuisse fidem Capharnaitarum, qui portarunt ægrum, indicat Matthæus cum ait: *Videns fidem illorum*; fidem inquam, non fides. Rectam fuisse cõvincit approbatio Christi. 2. decet horologium sonare simul & indicare horas, ut ab eis audiatur, à quibus videri nequit. Ita fidem oportet esse non speculativã tantum & mortuam, sed practicam, vivam, operantem per charitatem: ita ut vita & mors Christianorum consonent cum fide eorum. Et talis etiam elucet in Capharnaitis, quia non solum credebant ægrum à Christo sanandum, sed etiam gestarunt ad Salvatorem magna charitate. Unde dicitur: *Videns fidem illorum.* Videri debet fides, operans videlicet per charitatem; non latere solum in corde, juxta id Sancti Jacobi secundo. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

II. Ædes sacra, si augusta, ornata, munda sit. Indicat enim pium ac devotum esse civitatis populum. Quare Carolus V. Imperator civitates peragrans solebat respicere post horologium etiam templum & plateas, indeque colligebat, quales essent cives. Mysticè templum pietatem ac devotionem civium notat: maximum illorum decus. Et hoc habuisse etiam Capharnaitas indicat Matth. ad finem Evangelii illis verbis: *Videntes autem turbæ timuerunt & glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* Primò timuerunt, tum quia viderunt suas etiam cogitationes Christo perspectas fuisse, & ab eo deprehensas, adeoque ipsum esse Cardiognosten; tum quia audierunt eum summa & divina potestate peccata remittere; tum quia cognoverunt esse vitæ & mortis dominum, qui uti mox ægros sanare, ita sanos utique multo facilius frangere, mox & necare posset. Et hæc ipsa sunt, quæ Dei timorem & reverentiam in nobis excitare debent, quia omnia videt, omnia potest. Excitavit hæc cogitatio in civibus urbis Sichar non fidem solum in Christum, sed etiam magnam reverentiam atq; amorem; ita ut in civitatem suam ipsum cũ honore introducerent secumq; retinere cuperent; quia audierunt mentis arcana cõcivi suæ Plotinæ omnia revelasse. Joan. 4. Hæc ergò beata civitas erit, quæ Deum semper præ oculis habet & Christum desiderat. Luna tamdiu splendet, quamdiu Solem aspicit: ubi interjecta terra eũ aspicere desinit, cũ obscuratur; ita civitas florebit, quamdiu Deum præ oculis habebit: deflorescet, cum non habebit. 2. Glorificaverunt Deum, qui per Christum sustulit ægritudinem corporis & animi pariter in paralytico. Beata erit & civitas, quæ agnoscit prædicatq; Dei beneficia, & in specie quod habeat Dei servos, qui potestatem acceperunt à Deo, sanandi hominum ægritudines spirituales. Paralytici sunt peccatores, qui ne unum quidem gressum suis præcise viribus facere ad cœlũ possunt. Sacerdotes potestatem, qua eos sanent, habent. Hi sunt stabularii illi, quos constituit Dominus in parabola Samaritani, ut curam ægrorum haberent; quibus etiam ad hoc agendum contulit binos denarios, spiritualia & corporalia subsidia, ne succumbant oneri. *Quam bonus Israel Deus!*

III. Schola. Plurimum etiam commodi confert civitati schola bene constituta. Nos per eam hic intelligimus prædicationem verbi Dei, ibi schola nostra est, quæ si à civibus frequentetur, maxima eis bona afferet. Frequentarunt certè Capharnaitæ, qui inprimis avidè expectabant adventantem Christum teste Luc. c. 8. *Erant omnes expectantes eum.* reducem scilicet ex mari; deinde ubi intravit civitatem & domum, convenerunt ad eum multi (græcè habetur: *statim congregati sunt*) *ita ut non caperet ad januam, & loquebatur eis verbum.* Marc. 2. Quod etiam inde patet, quia præ multitudine populi non poterat inferri æger in domum, nisi per tegulas. Civitas ergo Christi erit, quæ avidè Dei verbum esurit & audit, teste Domino Joan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ratio est, quia qui cœli cives sunt, cœlestes

Marginal notes: 1. — 2. — III. *Schola: verbi Dei audiendi aviditas.*

lestes cibos desiderant: qui ex Deo nati sunt & Deum quærunt, norunt se ex verbo Dei vivere tanquam ex cibo mentis; inde velut ex materno lacte confortari & crescere in gratia & virtutibus. Nulla re citiùs animadvertitur, utrum quis sanus an æger sit, quam si cibū appetat vel respuat. Unde S. Chrys. hom. 14. in Gen. *Ut esurire signum est valetudinis in corpore: sic amare divina eloquia indicium maximū sanitatis in anima.* Qui navigare in Indias volunt, acum nauticam secum gerunt, & diligenter ac crebro aspiciunt, quo iter suum dirigant; alioquin multoties & gravissime aberraturi. Quia ad cœlum navigare volunt, verbum Dei sedulo audiunt, quia illud instar acus nauticæ recta dirigit nos ad cœlum. Civitas illa bene gubernabitur, quæ sæpe senatum cogit, & quid agendum sit in quavis re, deliberat. Senatus animæ Concio est, ubi auditur quid agendum sit cuiq;. Quemadmodum ergo civitas pessimè gubernatur, quæ vix semel aut iterum senatum in anno cogit: ita peribit ille, qui verbum Dei nunquam consulit. Porro ut primores maxime decet interesse senatui: ita etiam capita civitatis maxime indigent verbi Dei pabulo.

IV. *Forum mutua charitas & auxilium.*

IV. Forum. Hoc si variis mercibus sit repletum, si merces justo pretio vendantur, si varia ibi sint cōmercia, signum est civitatis bene constitutæ. Mysticum forum est commercium mutui auxilii, cùm alter alteri necessaria communicat & habens dat non habenti. Fuit hoc inter Capharnaitas. Cùm enim paralyticus ille nec manum nec pedem movere posset, quo ad Christum Medicum cœlestem adreperet, ecce quatuor cives pedes ac manus suas ei cōmunicant eumq; ad Christum gestant, cumque præ multitudine inferre in domum nequirent, ascendunt in tectum, & attollunt ægrum, non certe sine difficultate, & perfracto tecto ad pedes Christi deponunt, utique cum supplici insinuatione precum. Ad hæc ille etiam, cujus erat domus illa, neutiquam reclamat aut obluctatur, quod sibi tectum perforetur. Denique qui infra stabant circa domum, neque ipsi objurgant tecti perruptores, quod tegulas in se dejiciant, quod factum esse probabile est. Tale est commercium civitatis Christi, ubi alter alterius onera portat, dives pauperem, doctus indoctum, robustus debilem, sanus ægrotum, videns cæcum, sapiens errantem. Atq; hoc sibi voluit illa Græcorum fabula de cæco portante claudum, ut ambo sibi victum comparare possent. Quid enim hi duo agant, in vasta præsertim sylva, nisi cæcus claudum gestet, claudus cæcum dirigat? sic claudus acquirit pedes, cæcus acquirit oculos. Claudi sunt pauperes, quia sustentaculo vitæ carent. Cæci sunt divites, qui bonis suis immersi, cœlum in divitiis quærunt. Sed aberrant & graviter sæpe velut cæci in via cœli impingunt. Quid igitur facto opus? sublevet dives pauperem, & pauper suis precibus, vel etiam sua doctrina (quod faciunt religiosi maxime) divitem ad cœlum dirigat. Sic Apostolus 2. Corinthiorum 8 monet divites Corinthios, ut suis eleemosynis sustentent pauperes Jerosolymitanos. *Vestra abundantia,* inquit, *illorum inopiam suppleat, ut etiam illorum abundantia* (in pietate, meritis, fide, oratione) *vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas.* Abundant pauperes meritis, orationibus, doctrina, si religiosi sint, egent vicissim corporalibus adjumentis. Abundant his divites, & egent illis: faciant ergo commercium, sic fiet æqualitas. Talis civis erat Job, qui c. 29. ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo,* sic pauper divitem, dives bajulabit pauperem, & ambo pervenient ad Christum in cœlum.

V. Curia. Hæc si bono Magistratu prædita sit, utique maximum Civitati commodum simul & ornamentum erit. At nos per Curiam intelligemus custodiam seu observantiam justitiæ & disciplinæ. Hujus zelatores se ostendunt etiam Magistratus Capharnaitarum, dum rati Christum loqui blasphemiam (ubi in facto quidem errarunt) mox in animo conturbantur & indignabundi intra se dicunt; *Quid hic sic loquitur? Hic blasphemat.* Hostes ergo se blasphemiæ & divini honoris zelatores demonstrant, & quo ad hoc quidem bene; quod etiā civitatis est, honorem Dei defendere, & contumeliam castigare. Fecit hoc in cælo Michael, exturbando blasphemum Luciferum. Fecit in Cruce latro, socium, nec non alij Judæos, Christum blasphemantes, reprehendēdo. Par fere ratio est in aliis peccatis. Quando vero Magistratus, qui ex officio debet, non corrigit publica peccata, tum eripit ei Deus gladium & punit ipsemet subditos una cum Magistratu. Sunt in Apollonia oves Soli sacræ, quas noctu viri fortuna splendidi custodiebant. Porro Evenius aliquis suas pro more in custodia pecoris vices obiens, lupum ingredi in ovile, & sexaginta oves sua incuria devorari passus est: quamobrem judicio civitatis damnatus, oculis orbatus est, auct. Herodot. libro 9. Animæ fidelium oves non Soli, sed Deo sacræ sunt. Quisquis igitur harum ovium custos positus, officio suo deest, & lupos in eas intrantes, sceleratos inquam, castigare intermittit; videat quid mereatur: perdere nimirum oculos, quibus aspicere Dei gloriam, si vigilasset, poterat.

V. Curia [illegible]

Stultus hujusmodi & cæcus pastor fuit Sedecias, Judæorum Rex, qui adeo in regno suo invalescere sceleratos permisit, ut de eo Isaias dixerit c. *Omne caput languidum & omne cor mœrens: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Etenim sub ipso, uti 2. Paral. ult. refertur: *universi principes sacerdotum & populus prævaricati sunt inique juxta universas abominationes gentiū, & polluerunt domū Domini &c* quin & *nuncios Dei subsannabant;* quēadmodū & ipse Rex *non erubuit faciem Jerem.* Quid igitur Deus cum pastore isto? Tradidit eū in manus Nabucho. Reg. qui postquā ejus filios occidit in cōspectu patris, eruit ipsi oculos & captivum abduxit in Babylonem. Sic impletum fuit vaticinium Jere. c. 1. ad ipsum directum: *Virgam vigilantem ego video.*

Quia enim ipse Rex vigilare noluit super scelera populi sui, vigilavit virga Dei super ipsum Regem, & oculis, quibus lupos observare debebat, eum spoliavit.

THEMA III.

Digni pœnitentiæ fructus.

I. *Fuga peccati & occasionum peccandi.*
II. *Punitio dimissarum culparum.*
III. *Compensatio operum malorum per bona.*

Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Matth. 9.

AUdivimus in hodierno Evangelio dimissa fuisse peccata homini paralytico, sed quid est, quod eidem injungit Dominus, ut tollat lectum suum gestet que in domum suam: Si de littera loquamur, præcepit hoc ei Dominus, ut testatum faceret, vere & integre sanatum esse paralyticum, adeoque pristinis viribus plene restitutum, ne æmuli ejus Pharisæi calumniandi causam haberent. Sed si mysticam causam requiramus, eam exponit sanctus Bernardus in sermone de quatuor modis orandi, quæ videtur fuisse, ut hoc jussu Dominus quasi digito nobis ostenderet fructus pœnitentiæ, quos requirit a pœnitente, cui dimissa sunt peccata; non minori jure, quam quo hortulanus requirit fructus ab arbore, quam plantavit; quos etiam requisivit à suis pœnitentibus Joannes Baptista Lucæ tertio dicens: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Hos igitur designans ait Dominus paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* In quæ verba loco citato Bernardus: *Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum: si grabbatum tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus, sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud & ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, & ad ea, quæ antè sunt, te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites.* Ex fructibus enim cognoscitur arbor. Quæ explicatio non abludit meâ sententiâ a doctrina Divi Thomæ Aquinatis, qui in capite 3. Matthæi, triplices pœnitentiæ fructus dignos proponit, quorum unus est, *ut homo fugiat peccata, & peccandi occasiones; alter ut puniat in se, quod commisit & hoc judicio sacerdotis; tertius, ut tantum studeat ad benè agendum, quantum studuit ad peccandum.* Primus continetur in verbo, *Surge:* secundus in verbo, *tolle lectum tuum:* tertius in verbo, *vade in domum tuam.* Quæ omnia nunc paulò fusius declarabimus.

I. *Fuga peccati & occasionum peccandi.*

I. *Surge.* Quid hoc aliud quam dicere: Surge à peccatorum lecto, in quo jacuisti: fuge in posterum à peccatis, & peccandi occasionibus? quam dicere: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem &c. Qui furabatur, jam non furetur &c.* ad Eph. 4. Jacuit priùs miser ille paralyticus pronus in terra, postea ad vocem Domini erexit se, cœlo utiq; vicinior & à terra remotior factus. Idem fac tu, si per pœnitentiam à languore tuo sanatus es, erige te in pedes siste te paratum & expeditum ad faciendam Dei voluntatē & ambulandum in via Domini: quo modo currus aurigæ imperitia eversus, postea rursum erectus stat super rotas suas, ad progressum jam paratus, Deserē priorem situm, ita ut si priùs terram & terrena adamasti, nunc relictis illis cœlum & cœlestia desideres ac quæras: quo modo Jordanis aquæ ad præsentiam Arcæ, cessarunt fluere deorsum in mare mortuum, & stantes erexerunt se versus cœlum, ad instar alicujus montis. Denique si prius capite in terram verso ambulasti, jam erecto ad cœlum vertice ambula rectus, non ut arbores, sed ut homines; id quod est se convertere. Hunc pœnitentiæ dignum fructum ita explicat D. Chrysostomus hom. 21. ad pop. " Quod oporteat pœnituisse & à prioribus destitisse malis, & sic ad gratiam accedere. Audi quid Joannes dicat, quid vero summus Apostolorum baptizari debentibus. Ille nempe dicit: Facite fructum pœnitentiæ: & ne incipiatis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Hic autem interrogantibus rursus ajebat: Pœnitentiam agite & baptizetur quisq; vestrum in nomine Domini Jesu Christi. Pœnitentiam agens autem, non amplius eadem attingat negotia, quorū pœnituit. Proptereaq; jubemur dicere: Abrenuncio tibi Satana, ne amplius ad ipsū revertamur. Sicut igitur in pictoribus accidit sic & nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes & albas circūducentes lineas, & regias depingentes imagines: priusquam colorum veritatem superinducant, cum omni libertate hæc quidem delent, hæc vero repingunt, & errata corrigentes, & male se habentia transponentes: postquā vero jam colorem induxerint, non ampliùs libertatem habent rursum delendi & depingendi: quoniam imagines pulchritudini nocerent, & sine culpa fieri non posset: Hoc tu quoque fac, puta animam tibi esse imaginem. Priusquā igitur superveniat vera spiritus tinctura, male insitas tibi consuetudines dele, sive jurare, sive mentiri sive contumelias inferre, sive turpia loqui, sive ridicula facere solitus es, sive quid aliud hujusmodi non licitum faciendi consuetudinem habeas, erue consuetudinem, ne post baptismā rursum ad ipsam regrediaris. Hunc pœnitentiæ fructum vidit Deus in Ninivitis, *quia conversi sunt de via sua mala & misertus est,* Joann. 3. In quem locum idem S. Chrysostom. hom. 1. ad pop. *Cernis,* ait, *quod non jejunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit? Hæc dixi, non ut jejunium contemnamus, sed ut jejunium honoremus: honor enim jejunii est non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga.* Vicissim, ut idem epist. 5. ad Theodorum lapsum ait: *Corrumpit pœnitentiam, iterum*

 iisdem

iisdem malis institisse. Nam unus est, ait scriptura, qui extruit & alter qui demolitur . quid lucri accedit præter laborem? Expiatur quis à tactu mortui, & iterum attingit funus: quid emolumenti huic ex lavacro? Haud secus homo, qui jejunat de peccatis scilicet suis & pergit, eademque denuo committit, quis hujus preces exaudiet? Sic ille. Consentit ei antiquissimus Tertullianus libro de pœnit. capite 2. *Vbi emendatio nulla*, inquit, *pœnitentia necessario vana; quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est, hominis saluti* Neque solum fugere pristina peccata necesse est, sed peccandi etiam occasiones, ut ex sancto Thoma audivimus, si fructum pœnitentiæ facere velimus. Insinuatum hoc Judæis, quin & nobis, quando de muliere alienigena seu Gentili , quæ nubere volebat Hebræo, præceptum hoc à Deo latum est: *Radet cæsariem & circumcidet ungues & deponet vestem, in qua capta est*, Deuter. 21. vers. 12. Mulier hæc Gentilis Hebræo nupta significat animam à peccatis ad Deum conversam, ut exponit Lyranus in moral. & Rabanus; quæ ut Christo uniatur, non modo radere debet cæsariem, hoc est, vitia præterita deponere sed etiam ungues præcidere, id est, peccandi occasiones , quæ velut ungues facilè iterum nocere & vulnerare possunt, tollere. Itaque verè pœnitens ejiciat è domo aut fugiat pellicem, sociosque malos, comburat libros vetitos, carmina magica, aleas &c. Quod hac etiam similitudine declarat sanctus Chrysostomus libro 1. de compunct. cordis. *Sicut in corporibus & fistulis*, inquit, *nisi prius influentem humorem sistat, & vulnus tergat, quotquot imposuerit medicamina, mali fonte non obstructo , incassum omnia facit Medicus: ita nos nisi occasionem quasi mali fontem caverimus*. Fructum hunc edidit Petrus, quando agnito peccato suo egressus est foras è palatio Herodis & pravæ societate, à qua in peccatum fuerat inductus. Matth. 26.

II. *Punitio dimissarum culparum.*

II *Tolle lectum tuum*, quasi dicat porta jam tu onus, à quo prius portabaris: & si prius in lecto tuo suaviter quiescebas, nunc laboribus preme humeros & carnem tuam, juxta id Apocalypsis 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Typum hujus fructus insinuavit Deus in veteri lege , quando præcepit, ut offerens hostiam sacerdoti non solùm pectus, sed etiam armum offerret, Levitici 7. Pectus indicabat, necesse esse, ut pœnitens sacerdorti per confessionem pectus suum aperiat: armus vero, dexter, ut humeros etiam suos & quidem fortes ad ferendam sibi pœnitentiam à sacerdote castigandis suis peccatis injunctam, supponat. Ita dicitur Ezechiel 16. *Ergo & tu porta confessionem tuam quæ vicisti sorores tuas in peccatis suis &c.* Septuaginta vertunt : *Et tu sustine tormentum tuum. Portat autem tormentum suum* , ait sanctus Hieronymus in eum locum , *qui propria torquetur conscientia & isto sæculo sustinet propria voluntate cruciatum, ne æterna tormenta sustineat.* Modum vero & rationem præscribit Susannæ virgini lapsæ in Epistola vigesima secunda, ad Susan. tom. 9. *Inprimis omnis cura vitæ hujus intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima sicut es, quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris accipienda est tibi vestis, & mens & membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines qui occasionem luxuriæ præstiterunt Defluant oculis lachrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt, Pallescat facies, quæ quondam erubuit impudice. Totum denique corpus injuriis & jejuniis maceretur cinere aspersum & cilicio perhorrescat , quia male sibi de pulchritudine placuit &c.* Et in Epistola 27. ad Eustochium in tale exemplum pœnitentiæ adducit sanctam Paulã, quæ cùm moneretur ab eo, ut parceret oculis à lachrymis, respondit: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis sæpe vacavit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero. Ita Beata Paula; imitata Magdalenam, quæ instrumenta lasciviæ, nempe oculos, capillos, odores, in instrumenta convertit pœnitentiæ. *Quod sibi turpiter exhibuerat*, inquit Divus Gregorius hom. 13. in Evang. *hoc enim Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat ; sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat : sed jam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini osculans , hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta.* Itaque in holocaustum Deo immolavit membra, quæ mundo prius servierant, ut eo quasi supplicio punirentur simul & Deo sacrarentur. Bethsamitæ ubi receperunt Arcam, priùs à Philisthæis captam, & post in plaustro à duabus vaccis ad se relatam, combusserunt plaustrum una cum vaccis in holocaustum Domino 1. Reg. 6. ne plaustrum & boves, quæ sacræ rei deservierant, deinceps rebus profanis deservirent. Magdalena vero membra sua obtulit in holocaustum Domino, ne profanis & impuris rebus ampliùs servirent. Eandem peccatricem imitandam proponit S. Chrysost. in orat. de B. Philogonio, tom. 3. ita scribens: Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia pœnitentiæ: per quæ avocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lachrymas: per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Jesu. Unguento multos inescarat, per hoc pedes illius lavit. Proinde & tu quibus rebus provocasti Deum , per has rursum facito propitium: Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia, quumque & rapta restitueris illis, quos injuria affeceras, & alia insuper addideris, dicito juxta Zachæum: Reddo, si quid rapui, quadruplum. Provocasti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis, vicissim linguâ placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Eandem pœnitentem imitatus est B. Arsenius

ſenius, ex Imperatorum inſtructore Eremita, qui dum plecteret ſportas ex palmarum foliis, mittebat aquam in pelvim, ut infunderentur palmæ, & cùm fœteret brumoſa aqua odore, non permittebat, ut aliam aquam mutarent, ſed ſuper illam fœtidam aliam addebat aquam, ut ſemper fœteret, Interrogabant autem fratres eum dicentes: Cur non permittis pater, ut aqua mutetur, ſed peſſimo fœtore tota cella tua repletur? Reſpondens autem B. ſenior ait: Quoniam propter thymiamata & muſcata & alia diverſa, quibus in ſæculari converſatione ſine intermiſſione fruebar, oportet nunc me, dum in hoc corpore ſum, ſuſtinere iſtiuſmodi fœtorem, ut in die judicii de illo gehennæ inenarrabili fœtore liberet me Dominus & non cum illo divite, qui epulabatur in iſto mundo delicioſe & ſplendidè condemnetur anima mea. Ita de ipſo narrat Abbas Daniel apud Roſvveid. in vita Patrum l. 3. Beatus quoque Sabas Abbas cùm aliquando pomi ſpecie illectus, & ab appetitu victus ex arbore id decerpſiſſet: in pœnam erroris abjecit & deinceps tota vita pomis abſtinuit. Ut in ejus vita Cyrillus apud Sur. 5. Decembris. In hunc etiam ſenſum traxit B. Edildrida Angl. Regis filia, poſtea Abbatiſſa, corporis infirmitatem ſibi inflictam, colli ſcilicet tumorem, quo multum eſi doleret, tamen delectabatur, ſolita dicere: *Scio certiſſimè quia merito in collo pondus languoris porto, in quo juvenculam memini me ſupervacua monilium pondera portare; & credo quod ideo me uperna pietas dolore colli voluit gravari, ut ſic abſolvat à reatu ſupervacuæ levitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis de collo rubor tumoris ardorque promineat.* Ita ſcribit Venerabilis Beda libro 4 Hiſtor. cap, 19.

III. *Vade in domum tuam*, q. d. qui prius jacuiſti, nunc ambula; & redi eo, unde exportatus fuiſti. Pœnitenti etiam dicitur, *ut tantum ſtudeat nunc ad bene agendum, quantum ſtuduit ad peccandum*, ait D. Thomas cit. Redeat per bona opera eo, unde profugit per peceata, ad domum ſuam, ad conſcientiam ſuam, ad Eccleſiam, ad cœlum. *Eſt enim*, ut ait Clemens Alexandrinus libro 4 ſtrom. *ſufficiens homini purgatio, perfecta firmaque & ſtabilis pœnitentia, ſi cum de præteritis nos damnaverimus actionibus, anterius procedamus, poſtea intelligentes, & mentem immerſam ſuſtollentes tam ab iis, quæ per ſenſum delectant, quam à prioribus delictis.* Clarius idem exponit ſanctus Chryſ. hom. 10. in Matth. *Agamus*, inquit *pœnitentiam, pœnitentiam vero dico, non ſolum ut à malis prioribus deſiſtamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus: Si utique peccatis adverſa faciamus: verbi gratia aliena rapuiſti incipe jam propria donare. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam vel ſermone feciſti? refer benedictionis verba conviciis: & percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore evellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea & temulentia diffluebas? jejunio & aquæ potu utrumque compenſa, ut detrimentum, quod inde accepiſti, auferas Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? fœminam jam omnino non videas, majore tactus cautione poſt vulnera.* Egregium hujus fructus ſpecimen edidit David; quãdo aquam ex ciſterna Bethlehem tam deſideratam ſibique demum magna difficultate allatam non bibit, ſed effudit & libavit Domino 2. Regum 23. Cujus rei rationem exponit Divus Gregorius in Regiſtro l. 9. epiſt. 39. David, *inquit*, qui alienam uxorem tulerat, & pro ſua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe poſt de Bethlehemitica ciſterna voluit; quam cùm ei fortiſſimi milites attuliſſent, eam effundendo Domino libavit; licebat enim bibere, ſi voluiſſet; ſed quia illicita ſe feciſſe meminerat, laudabiliter abſtinebat: & qui prius pro culpa ſua morientium militum ſanguinem fundi non timuit, poſtmodum ſi aquam biberet, etiam viventium militum ſanguinem ſe fudiſſe judicavit. Neq; hoc ſolum præſtitit, ſed etiam quia ſuo peccato aliquos ſcandalizarat, ſeu (ut 2. Regum 12. dicitur) *blaſphemare nomen Dei* fecerat, laboravit; ut verbo & exemplo ſcandalum illud tolleret & ſeductos reduceret; ideo enim in Pſalmo 50. pœnitentiali ait: *Docebo iniquos vias tuas & impii ad te convertentur.* Quod etiam feciſſe ejus filium, Salomonem, aliqui exiſtimant, qui in ſignum pœnitentiæ ſcriptum ab eo Eccleſiaſten volunt, ad erudiendos eos, qui forte ipſius exemplo malo perverſi fuerant. Ita correxerunt errores ſuos ſequente pœnitentia ſanctus Marcellinus Papa ſiſtendo ſe ſupplicem Concilio, poſtea tribunali Imperatoris, ante quem negarat fidem ex timore: & inprimis ſanctus Petrus, qui trinam ſuam negationem emendavit trina confeſſione: *Domine tu ſcis. quia amo te.* Ita qui pro publicis ſuis peccatis publicas egere pænitẽtias: uti Theodoſius ſenior Imperator ob cædem Theſſalonicenſium: Henricus II. Angliæ Rex ob cædem S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi: Otto Imperator junior ob cædem Creſcentii ſenatoris, pœnitentiæ cauſa nudis pedibus de Romana urbe, ſic uſq; in Garganum montem ad S. Michaëlis perrexit Eccleſiam. Per totam etiam Quadrageſimam in Claſſenſi monaſterio B. Apollinaris; paucis ſibi adhærentibus manſit. Ubi jejunio & Pſalmodiæ, prout valebat, intentus cilicio ad carnem indutus, aurata deſuper purpura tegebatur. Lecto inſuper fulgentibus palliis ſtrato, ipſe in ſtorea, de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promiſit denique Beato Romualdo, quod imperium relinquens, monachicum ſuſciperet habitum; & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipſe pauperculo fratri cœpit eſſe ſubjectus; uti refert B. Petrus Damiani in vita ſancti Romual-

mualdi. His adjiciamus Philippum Comitem Namurcensem, de quo ita scribit Cæsarius lib. 2. hist.& mirac.c.18. *Ante hoc triennium defunctus est Philippus Comes Namurcensis, vir potens & nobilis filius Balduvvini Comitis Flandriæ; antequã moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate cõtritionem, ut talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus: quatuor Abbatibus ordinis nostri simul & sæpe confessionem suam facere consuevit, in tantum se accusans, tantum plangens, ut omnes ad lachrymas provocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo injiceret, rogaretq; confessores suos, ut se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis: filias fratris sui Balduvvini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cujus filiam duxerat uxorem: quidam dixerunt. quia vendiderat eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum civitatis suæ, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem prius Dominus tantam ei remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorẽ: sepultus in Ecclesia S. Albani Martyris, in qua ipse instituerat conventum Canonicorum, de suis justis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi advenientes, ad ejus tumbam sanitatem recipiant, ipsamq; terram circa sepulchrum effodientes, secum pro benedictione deportent.* Taceo alios quamplurimos. Unum id addo, nisi istiusmodi fructus sequantur pœnitentiam, suspectam eam videri, ne falsa & ficta sit. Si enim vivit arbor, cur non producit fructus? Si vere sanatus est paralyticus, cur non è lecto surgit & ambulat? *Quid prodest*, inquit V. Beda in verba Isaiæ: *Lavamini, mundi estote) spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes eum & seres in eo semen, unde gaudeas in futuro? Ita & qui deserit peccata, & ea non plangit pœnitendo nec bonum postea facere consuescit, nunquid fructuosum est peccata deserere & bona non facere?* E contra, *tribunal Judicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius dignã eum modo placare pœnitentia contendit*, inquit S. Gregorius M. in ep. ad Andream Episcopum Tarentinum.

THEMA IV.

Deum omnipræsentem præ oculis semper habendum.

Vide supra Dom.15.post Pent.th.5.& infra, Dom.19.th.4.

I. *Quia etiam Deus semper nos contemplatur.*
II. *Quia nos aspicit, ut testis, censor & judex.*
III. *Quia ejus bonitate fruimur continuo.*
IV. *Quia etiam hominum oculos reveremur in nostris actionibus.*
V. *Quia sine eo fræno in omnia scelera facile ruimus.*

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificaverunt Deum, Matthæi 9.

DUplicem audimus fructum quem in turba fecit Christus per hodiernum miraculum: *timuerunt* enim, ecce primus: *& glorificaverunt Deum*, ecce secundus. Et quidem jure merito glorificaverunt Deum, qui filium suum Jesum tanto miraculo glorificarat & mundo demonstrarat, simulque misero paralytico integram sanitatem restituerat. Sed quamobrem timuerunt? Quia nimirum Christus non solum sanavit paralyticum, sed etiam circumstantes Scribas ab errore revocavit. Viderunt enim illi cogitationes suas pessimas quibus Christum judicabant blasphemum, ipsi perspectas, seque in iis deprehensos esse, & hinc merito timuerunt. Quis enim in occulto peccans non metuit inspectorem? Hinc Samaritana illa, cùm peccata sua Christo nota esse audit, relicta hydria fugit. Joannis 4. Atque hoc est Audit. quod etiam nobis omnibus jure meritissimo timorem incutere debet, quod nimirum sciamus Deum omnipræsentem, conscium & inspectorem esse nostrarum actionum. Quam ob causam sacræ litteræ toties nos monent, ut Deum Cardiognosten præ oculis semper habeamus, uti Gen.17. *Ambula coram me & esto perfectus.* Et Deuter.8. *Recorderis Domini Dei tui.* Et Prov.3. *In omnibus viis tuis cogita illum & ipse diriget gressus tuos.* Idem commendavit Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Tob.4. Idipsũ pii majores nostri filiis suis inculcabant & inculcant hodieq; Germana illa vulgatissima voce: Hab Gott vor Augen. Inculcant inquam SS. litteræ & parentes: sed tamen, heu dolor! tam salutare documentum vix ulli persuadent. Si enim persuaderent, nemo facile peccaret. Peccandi autem nec finis est nec modus. Quid igitur nos? Producamus argumenta, quæ nobis id persuadeant.

I. Quia ipse Deus etiam semper nos contemplatur singulari quadam ratione, & numerat omnes gressus nostros, ut mores componat. Ita enim David ait. Psalm.31. *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac, qua gradieris.* Quænam hæc instructio Domine? *Firmabo super te oculos meos*, hoc est, fixo firmoque oculo te semper aspiciam. Et quid vis tibi hoc tam curioso aspectu? Hoc nimirum *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno maxillas eorum constringe.* Est ergo Dei oculus doctrina nostra & frænum ne exorbitemus, sed in via mandatorum Dei jugiter ambulemus, adeoque velut homines, non ut pecora vivamus. Non enim ita nos intuetur, sicut pecora aut creaturas alias, sed sicut pater filium, sicut Magister discipulum vel sicut testudines quædam maxime ova sua quæ solo aspectu fovent, Plinio auct. l.9 c.10. Et struthiones, secundum Cælium l.10.c.5. Suo enim conti-

nuo aspectu Deus continere nos in officio vult, fovere & perficere, juxta id Genes. 17. *Ambula coram me & esto perfectus.* Decet proinde ut nos quoque ad ipsum aspiciamus & dicamus: *Domine quid me vis facere?* Decet ut nos vicissim firmemus in Deum oculos nostros, ejusq; memoriam non deponamus, saltem diu, qui nostri nunquam obliviscitur. Ita enim S. Augustinus in prædicta Psalmi verba ait: *Non à te auferam oculos meos, quia & tu non auferes à me oculos tuos.* Quis enim pauper cùm à divite benignè aspicitur, non vicissim in eum respicit, ut subsidium aliquod paupertatis suæ ab eo accipiat? Jam verò *in omni loco contemplantur oculi Domini bonos & malos* ait Sapiens Prov. 15. Si nobis de cœlo loqueretur Deus, utiq; ad vocem ejus aures arrigeremus. Jam verò dum nos adeò impensè contemplatur, nutu oculorum suorum nobis quasi loquitur, ut ad ipsum attendamus. Ita Christus respexit Petrum in domo Caiphæ, & nutu oculorum insinuavit ei lapsum suũ persuasitque pœnitentiam, quasi diceret, ecce ego pro te judicor & ducor ad mortem, & tu mei oblivisceris meque notum tibi esse inficiaris? Hoc planè argumento utitur etiam Sponsus, cum sui jugem memoriam requirit à Sponsa, Canticor. c. 8 dicens; *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum,* q. d. semper mei sis memor, ut exponit Beda, S. Bern. ser. 15. in Cant. & alii. Signaculum enim seu sigillum continet in se imaginem sibi incisam prius, quàm ceræ imprimatur. Ubi impressum est, ceram sibi similem reddit. Ait itaque Sponsus se in mente sua jam dudum habere impressam nostri imaginem & memoriam, cupere tantùm, ut nos vicissim ipsius memoriam imprimamus & cordi & brachio nostro h. e. tam cogitationibus quàm operibus, seu internis & externis actionibus. Quæ sanè petitio æquissima est. *Quid enim est homo, quod memor es ejus?* ait David. Miratur hanc gratiam Daniel innocentissimus in lacu leonum, accepta à Deo per Prophetam esca: *Recordatus es mihi Deus?* q. d. Quanta hæc dignatio, ut Dominus cœli & terræ mei abjectissimi vermiculi memor sit! Dan. ult. Deus igitur absque ulla cessatione memor nostri est: & nos memores Dei non erimus?

II. Quia nos contemplatur non solùm ut speculator, sed etiam ut testis, censor & Judex: suo tempore facta nostra pro merito cujusque remuneraturus aut puniturus. Ita enim Sap. 1. dicitur: *Renum illius* (maledici) *aut testis est Deus.* Et Jerem. 29. *Ego sum Iudex & testis, dicit Dominus.* In humanis non permittitur ut idem sit testis & judex, quia non daretur reo locus defensionis ac remissionis contra iniquum judicem. At verò Deus idem & testis & judex est; nemo igitur reus contra eum se defendere aut sperare remissionem potest. Non eodem modo sustinemus oculos superiorum nostrorum, & eorum, quibus subjecti non sumus. Hos enim parum aut nihil curamus, illos verò multò maximè. Patet in severis parentibus, dominis & Magistratibus, quorum liberi, servi & subditi sæpe sæpiùs respectant, num ab illis videantur, utpote pœnas daturi, si deliquerint. Ita legimus Genes. 31. Laban inito fœdere cum genero suo Jacob, ne affligeret aliquando filias ejus, erexisse tumulum & appellasse *tumulum testis,* Dei videlicet, quem solum in testem vocabat, dicens; *Si afflixeris filias meas & si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.* Quomodo nullus testis? nonne servi utriusque, & Labani & Jacobi aderant huic fœderi? Ita quidem; sed nimirum Laban nullum alium testem admodum curabat aut à genero curandum existimabat, præter Deum, qui simul testis est & judex: unde addidit: *Intueatur & judicet Dominus.* q. d. sit testis & Judex. Hebræa addunt: *& specula.* Appellavit ergo tumulum illum tumulum testis & speculam; alludens ad speculas, quæ eriguntur in vineis, ut inde speculatores observent prædones vinearum (qui dum prædantur imprimunt speciem suam oculis speculatorum) & insequantur ac corripiant. Hujusmodi *speculator adstat desuper Deus, qui nos diebus omnibus actusque nostros prospicit:* ac siquid delinquamus, quasi specie impressa inscribimus oculo ejus, ut suo tempore judicet. Magna hinc existit causa attendendi nobis, ut qui scimus oculo Dei inscribi omnia gesta nostra. Bestiæ aliquæ attendunt, ut obliterent gressus suos, ne à venatoribus deprehẽdantur. Leones cauda delent vestigia sua: lepores variis saltibus sua turbant antecubilia: ursi averso corpore in sua ingrediuntur. Quid faciat homo, qui vestigia sua post se relinquit ubique, imò imprimit & inscribit oculo Dei? Quid agat, nisi ut Dei oculum semper observet, ac proinde caveat eum offendere; siquidem vestigia sua delere non potest? Stultè hac in re laborarunt Gentiles aliqui, teste Divo Cyrillo Hierosolymitano catech. 4. Nam *alii quidem Solem ponebant Deum, ut occidente Sole, noctis tempore sine Deo essent; alii verò Lunam, ut in die Deum non haberent.* Sed frustrà erant: Dei oculus nunquam occidit. Unde Augustinus sermone 46. de Verbis Domini. *Ipse,* ait, *timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? Videris. Lucerna ardet? Videt te. In cubile intras? Videt te.* In vita sancti Ludgardis scribit historiolam. *Admiserat quidam peccatum loco abditissimo, atque id sacerdoti revelare verebatur. Non diu post quidam sub peregrini specie rogabat illum, ut pro obtinenda venia peccati illius, quod præcipuè ipsum angeret, sibi caput lavaret. Fecit ille, ut erat rogatus, & ecce in vertice illius oculum cernit lucidissimum, exclamatque: ô hominem contra naturæ morem in vertice oculatum! Dixit autem peregrinus: Hic oculus te in abscondito peccantem vidit, quẽ nulla possunt scelera latere. His dictis ab oculis admirantis evanuit.* Bene S. Augustinus in Soliloq. *Ad quod tendo cùm operor, quidquid cogito, in quocunque delector, tu vides, oculi tui vident & considerant,*

 signas,

ſignas, attendis, notas, ſcribis in libro tuo ſive bonum ſive malum.

III. Quia ejus bonitate, liberalitate & miſericordia fruimur continuò. Unde Pſalm. 122. dicitur: *Ecce oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Quia enim ſervi & ancillæ expectant ab heris victum, amictum, auxilium, præſidium, mercedem; hinc ad eorum nutus & imperia jugiter aſpiciunt & mores ſuos componunt. Quin & catelli, qui ab heris ſuis victum præſtolantur, ad eos perpetuò reſpectant. Cynocephalus, quia vires ſuas à Luna recipere creditur, crebro eam aſpicere & quaſi adorare dicitur. Denique magnes etiam ad polarem ſtellam pertinaciſſimè ſe convertit reſpicitque; quia, ut videtur, ab ea vigorem ſuum accipit. Jam vero nos nonne toti quanti à Deo dependemus? nonne ejus beneficiis omni momento fruimur? Unde enim nobis vita, reſpiratio, victus, veſtitus, præſidium, pax, ſecuritas, ſanitas, opes, honores; commoda omnia, niſi à Deo? Bene igitur S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. de Theolog. dixit: *Non tam ſæpe ſpiritum ducere, quam Dei meminiſſe debemus: imò ſi hoc dici poteſt, aliud nihil quam hoc faciendum.* ſicut enim ad refrigerandum cor caloremque naturalem temperandum perpetua egemus reſpiratione: ita ad reſtinguendum concupiſcentiæ ardorem, qui vires animæ noſtræ jugiter atterit & rodit, nec non ad fovendam vitam ac valetudinem noſtram continuo ad Deum recurſu per orationem indigemus. Accedit Sanctus Bernardus qui in Medit. cap. 6. ait: *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordia: ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.* Et mox: *Illum ſemper ante oculos habere debemus, per quem ſumus, vivimus & ſapimus. Ipſum namque ut eſſemus, habemus auctorem: ipſum etiam ut ſapiamus, debemus habere Doctorem: & ut beati ſimus, ſuavitatis largitorem.* Quis non videt mendicos magna intentione attollere oculos ad feneſtras divitum, unde ſibi panes & pecuniæ dejiciuntur? Et unde nobis panes, pecuniæ, veſtes omniaque alia niſi à Deo, dante è cœlo pluvias & Solem, auram, ventos & quæ ex iſtis proveniunt bona? Neque enim puto fore aliquem tam ſtupidum aut ingratum, ut non Deo, ſed ſibi ſuæque induſtriæ aut fortunæ hæc talia adſcribat. Nimis enim is cæcus foret ac Dei iram non minus in ſe provocaret, quam provocavit Saul, quando parta ab Amalec victoria *venit in Carmelum & erexit ſibi fornicem triumphalem.* 1. Reg. 15. *Sibi,* inquit Lyranus, *non Deo.* quaſi ipſe victoriæ hujus auctor fuiſſet; cum potius Deus fuerit, qui tradidit in manus ejus Amalec. Qua re adeo offendit Deum, ut Samuel ei diceret: *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur.* Quod verò tantum ſcelus, quod Deus condonare non vult? Quia ſcilicet Deum triumphatorem præ oculis non habuit, ut ipſi gloriam daret & victoriam adſcriberet, ſed ſibi potius fornicem triumphalem erigeret, id quod indicavit Samuel, dum Deum *triumphatorem Iſrael* appellat; q. d. non tibi ô Saul, ſed Deo Iſrael fornix triumphalis erigendus erat, quia ipſe triumphavit. Quod quidem fecit Moyſes, cum & ipſe prius Amalec cecidiſſet: ædificavit enim altare & vocavit nomen ejus: *Dominus exaltatio mea.* q. d. Dominus in hoc prælio victor & exaltator meus fuit. Exod. 17. Jure igitur merito poſtulat à nobis Deus, ut ſive ante ſive poſt accepta beneficia in eum reſpiciamus, velut in datorem bonorum omnium; quo modo Petrus claudum ſanaturus ad ſpecioſam portam templi, prius ei dixit: *Reſpice in nos.* Actor. 3. ut intelligeret, quid à quo accepturus eſſet, & beneficio gratum ſeſe exhiberet.

IV. Quia ſolemus in actionibus noſtris homines revereri & illorum oculos obſervare. Quanto igitur magis decet ut Deum præſentem revereamur? Et vero non mediocris eſſet hæc Deo injuria, ſi ipſius præſentiam minus æſtimaremus, quam unius viliſſimi hominis. Quare de re S. Anſelmus: *Cum quid turpe facis, qui me ſpectante ruberes: cur ſpectante Deo, non magis ipſe rubes?* Sanctus verò Chryſoſtomus hom. 12. in Epiſt. ad Corinth. ait: *In ſceleribus Deo contempto, homines formidamus. Et homine præſente nemo ſcortaretur, ſed licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat, non modò adulterantur, non modo ſcortantur, verùm & alia longè graviora & auſi ſunt & audent. Nonnè hoc vel ſolum ſatis eſſet, quo cœlitus innumeris peteremur fulminibus? Sed quid ego adulterium, quid fornicationem commemoro? Multo namque his minora in hominum conſpectu facere formidamus, Dei autem minimè. Hinc omnia orta ſunt mala, quod ſcilicet in rebus turpibus nō Deum ſed homines timeamus.* Videtur hoc errore laboraſſe in juvenili ætate Moyſes, quando necem machinans Ægyptio, *circumſpexit huc atque illuc, & ubi nullum adeſſe vidit, percuſſum abſcondit ſabulo.* Exod. 2. Ad quid enim circumſpexit, ſi non male egit? Videtur inquam ergaſſe, uti ſenſit Auguſtinus & quidam alii. Alii tamen excuſant factum (uti inſinuatur Actor. 7.) & dicunt vitandi ſcandali & ſeditionis cauſa Moyſen adhibuiſſe illam cautelam. Itaque typum ſaltem exhibet ſtultiſſimorum peccatorum, qui omnem adhibent diligentiam, ne peccare videantur ab hominibus; nihil vero penſi aut cogitationis habent, quod à Deo judice videantur. Dictum aliquando Alexandro Magno fuit, Indum quendam ſagitta arcu emiſſa ſingulis ictibus medium annulum petere. Igitur accerſitum Rex juſſit, ut ſe præſente id ageret. Is autem adeo obſtinatum, ne id ageret, ſe præbuit, ut iratus Alexander morte eum damnarit. Cum ad ſupplicium duceretur, interrogatus cur non ſagitaſſet? vereri ſe, reſpondit, ne ſi coram Rege aber-

abeꝛraſſet, peritiæ opinionem amitteret. Fulgoſius l.8.c.15. Ecce verentur homines in præſentia morituri Regis, per errorem non culpabilem, perdere famam ſuam, & potiùs mori volunt; quis jam non omni ſupplicio dignos judicet eos, qui in conſpectu Regis Regum minimè verentur deviare à præceptis ejus, & turpiſſimos quoſq; errores committere?

V. Quia ſine eo fræno in omnium vitiorum barathrum facilè devolvimur; illo verò adhibito vix errare, minùs perire poſſumus. Quod eſt frænum equo petulanti, & anchora navi in pelago, hoc eſt practica cogitatio divinæ præſentiæ. Sine fræno ferox equus quorſum ducet hominem, niſi ad lapſum & præcipitia? ſine anchora navis in tempeſtate quorſum niſi in ſcopulos & naufragia? Fræno equus, anchora navis conpeſcitur. Aufer Dei præſentiam à conſpectu hominum, quid erit? Illud nimirum quod Pſal.10. dicitur: *Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Denique quod eſt oſtiarius domui, hoc eſt conſideratio divinæ præſentiæ homini. Filium Saulis, nomine Isboſeth, dormientem in lectulo ſuo ſub meridiem, duo viri Baana & Rechab, domum ejus ingreſſi; dum oſtiaria obdormiviſſet, percuſſerunt in inguine & interfecerunt in lectulo ſuo. 2.Reg.4. Oſtiaria obdormit, cùm Dei timor oculos à præſentia divina claudit, interim ingrediuntur animæ hoſtes, & facilè eam conficiunt, quaſi in inguine, hoc eſt, in parte maximè lethali, ubi mox extinguitur. Contingit verò illi, qui mulierem oſtio præpoſuit, mollem videlicet & debilem nimis cuſtodiam, dum non firmiter ac fortiter Dei præſentiam menti impreſſit. Dormit miſera anima, dum præſentiæ divinæ oblita, in vitia ſe projicit & voluptates vetitas. Verè *Isboſeth*, h. e. *vir confuſionis*; quia in meridie indubitatæ ſcientiæ, qua noverat ex fide & tot aliis teſtimoniis Deum ſibi peccanti adeſſe, nihilominùs in peccata ruit & in illis obdormivit. Sic ferè exponit S.Gregorius lib.1.moral.cap 36. Hujuſmodi *vir confuſionis* factus eſt & Samſon, quando in ſinu mulieris clauſit lumina ſua & obdormivit. Tunc enim omne robur perdidit unà cum capillo ſuo, ad reſiſtendum Philiſthæis; unde mox ligatus & in captivitatem abductus eſt ab eis; opprobrium factus non ſui tantùm, ſed totius populi Hebræorum Judic.16. Talis denique mulier *confuſionis* facta fuit Theodora illa Alexandrina, matrona primùm honeſtiſſima & caſtiſſima, procacis adoleſcentis crebris muneribus fruſtrà tentata. Quin etiam: *Erubeſco*, dicebat, *vel ipſum Solem tanti flagitii teſtem habere.* Quod quidem verbum una ex lenis, cum aliis artibus, tum magica hanc in rem probè inſtructa, excipiens. *Sed hoc*, inquit, *fiat poſt Solis occaſum, quò nec mortalium quiſquam, nec Sol hujus rei teſtis ſit.* Adhibuit deinde cuncta amoris fomenta ac ſenſim inter verba pudiciſſimæ matronæ animum libidine inflammavit perpulitque, ut cæca mente in medias amoris flammas ſeſe præcipitem daret. Sed vix perpetrato facinore, cùm abſterſa caligine, ſplendor veritatis ad mentem rediret, acerrimo doloris ſenſu compuncta cruciari animo, & amara admodum duci pœnitentia, Fœditatis ignominiam, ad quam ex caſtitatis honore tranſiiſſet, calido lachrymarum fonte deplorare: hæc & ſimilia effati: *O me miſeram! ô me infelicem! Quis mihi tribuat, ut vel in inferno abſcondas me Domine, donec pertranſeat furor tuus? ô peccati fœtor, ô deformitas, quæ antè tam ſpecioſa, tam blanda apparebas! quid faciam, quò me vertam? ô brevis voluptas, quam acerbos tu mihi dolores uno momento peperiſti?* Et talibus quidem lamentis peccati fœtorem & deformitatem Theodora abſtergebat. Conjux autem cauſæ tantarum lachrymarum & mœroris ignarus, eam modis omnibus à triſtitia & fletu, ad gaudium & hilaritatem revocare conabatur. Sed internus ille conſcientiæ vermis, nullo blandientis mundi gaudio foras ejici, nulla hilaritate deleri poterat. Nam licet illa epulas inter & falſa mundi gaudia lætitiam vultu ſimularet, peccati tamen prurigo, peſſimi inſtar ulceris interiora aſſiduò depaſcebat, ſtimulabatque ut convenientem ſuo dolori medicinam maturè exquireret. Nec jam facies aſſiduo fletu fœdata, mariti aſpectum diutiùs ſuſtinebat. Itaque virilem induens habitum ad ſacrarum fœminarum cœnobium cucurrit; ubi mox afferri ſibi Evangeliorum librum petiit, ut inde certior fieret, an ipſius delictum Deo patuiſſet. Illum ergo quamprimùm aperuit, in ea verba incidit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* E quibus ſtatim collegit, peccatum in Dei libro inſcriptum adeoque ei perſpectiſſimum eſſe. Quare ſub ementito habitu perpetuæ ſe pœnitentiæ, & viliſſimo Monaſterii cujuſdam miniſterio tota vita addixit. Ita ferè Lipel. & Surius ex Metaphr. 11. Sept.

THEMA V.

Cur expediat nos incertos eſſe de gratia & ſalute noſtra.

I. Ne in procuranda ſalute noſtra torpeamus.
II. Vt major fiat poſtea noſtra exaltatio de periculis ſuperatis.
III Vt merita noſtra augeamus.
IV. Ne extollamur & præſumamus de nobis.
V. Vt ſecuriores de ſalute noſtra fiamus.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificaverunt Deum.
Matth.9.

PRænobilis, pia & de ſalute ſua ſolicita quædam domina, nomine Gregoria, Cubicularia Imperatricis; petiit per epiſtolam à S.Gregorio Magno ut certam ſeſe redderet de remiſſione peccatorum, & quòd in Dei gratia eſſet. Cui reſpondit ſanctiſſ.

Ponti-

Pontifex (lib.6.epist.22.) *Quòd dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quousque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt; rem & difficilem & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debet, nisi cùm in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.* Deinde exemplo S.Pauli confirmat dicens: *Certò Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui jam ad cœlum ducitur: & jam timere non vult, qui adhuc in terra cõversatur?* Ita S.iste Doctor, non solius Gregoriæ, sed nostrum etiam omnium compescens desiderium; ne cupiamus scire, quod non expedit nobis, an de gratia Dei & salute nostra certitudinem habeamus. Nihil enim in hac re securius, quàm quod in hod Evangelio legimus de turba: *Timuerunt & glorificaverunt Deum.* Timeamus etiam nos, & ob hunc ipsum timorem nobis salutarem, glorificemus Deum; quod ut spero, facietis Auditores, si causas perceperitis, cur hanc certitudinem absconderit nobis Deus.

I. *Ne in procuranda salute nostra torpeamus.*

I. Primam hujus rei causam tangit S.Gregorius in Epistola præcitata, cùm subdit: *Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas; habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens redderis. Scriptum est enim: Beatus vir, qui semper est pavidus.* Cui consentit D. Augustinus in l. de perseverant. c.8. cum ait: *Utile est omnibus vel penè omnibus, ut quales futuri sint, scire non possint, ut quisque dum nescit an sit in bono perseveraturus, & humiliter & solicitè Dei gratiam imploret, cum eaque casum cavere & in gratia perseverare satagat.* Nimia securitas sæpe multos perdidit; uti imprimis Balsasarem cum tota aula & urbe sua Babylone. Erat enim Babylon imprimis urbs vastissima & frequentissima, ut propterea ab Isaia cap.13 v.11. *orbis terræ* vocetur. Erat in loco palustri habens muros altitudine ducentorum, latitudine 50. cubitorum, ambitu 480. stadiorum, ut scribit Orosius l.2. cap.6. Alluebat eam Euphrates, cujus latitudo est plusquam ad duo stadia, & profunditas tanta, ut nec duo viri alter super alterum stantes super aquam emineant, ut ait Xenophon, lib.7. Propugnatores erant innumeri. Hic omnibus Balsasar confisus sprevit hostilem Cyri exercitum, urbem obsidentem, & quasi inexpugnabilis instituit convivium suis magnatibus & indulsit genio, ut ostenderet se Persas non timere nec curare. Interim tamen Cyrus rationem adinvenit flumen divertendi & in partes secandi, ut facilè id tranaret & conscendere muros posset. Sic occubuit Balsasar, & civitas capta est, dum in utramque aurem quasi invicta dormit. Dan.5. Ita si non omnibus, saltem plerisque contingeret, si nôssent se in Dei gratia esse: darent sese otio, indulgerent quieti, vacarent suis commoditatibus, contra hostes non vigilarent, quasi inexpugnabiles forent; & hoc ipso præda hostibus fierent. Optimè Tertull. lib.2. contra Marcionem, cap.13. *Legimus*, inquit, *mali viam latam & multo frequentiorem. Nonne omnes illaberentur, si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo avellimur. Quid si nihil minaretur?* Sic ille.

II. Alteram tangit idem S.Gregorius. cùm cit. Epistolæ hoc adjecit: *Rursus scriptum est: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est, ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.* Optimè Scriptura Psal.2. tremori subnectit exultationem; quia quo majus præcessit periculum, v.g. in naufragio aut prælio indeque natus timor, eo majus sequitur gaudium, cùm evasum est periculum, id quod sequenti narratione declarari ex Justi Lipsii Monitis polit. lib.2. c.12. n.12. potest. Erat Eginhardus in aula Carolo Magno ab epistolis; vir, ut illo ævo, doctus & prudens. At quid non facit cæcus amor? in filiam domini sui exarsit, & ipsa in eum vicissim; quid facerent? Restinxerunt (ut solent amantes) furtiva sui copia & congressu: qui aliquamdiu latuit; donec hiemante quadam nocte, cum in secretiore cubiculo Eginhardus fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam nivem credidisse. Hæret & timet, ne à vestigiis deprehendatur vir in gynæceo fuisse. Consilio & astu subvenit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus tulit. Ecce ò sortem miseram; æquam tamen. Videt id fortè ex superiore domus parte auram captans Carolus, dissimulat, donec pleno die Principum fieret conventus. Hic rem narrat rogatque (at nomina suppressit) qua pœna famulus, qui sic in dominum, & filia, quæ in patrem peccasset, digni? cui illi: Mortis: Tum utrumque vocat, & coram se sistit, En, inquit, hi sunt qui peccaverunt. Tu Eginharde, tu filia, qui hoc ausi estis? (nec negandi erat locus; patrem, ac dominum, inspectorem accusatorem, judicem & vindicem habebant.(Quid meruistis? Mortem, inquiunt illi. At Carolus: Tamen mitem tu patrem, tu Dominum videto. Ignoscimus lege hac, quam dicam. Eginharde, hanc tuam latricem duces uxorem: concordes estote, & mutuum deinceps inter vos ferte. Dixerat. Illi à summo metu in gaudium inexspectatum translati, grates agunt, & gratulationes futuri connubii accipiunt. Similì ferè modo in Deum omnes delinquimus. Ait ipse: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Isa.42. v.8. Et tamen quis ausit dicere, se Deo gloriam suam non rapuisse aliquãdo? Quoties creaturam unam ipsius legi anteponimus vel etiam æquiparamus, plus aut saltem æquè eam diligendo, eique

eique adhærendo, toties Deo gloriam suam quasi filiam dilectissimam temerè abripimus. *Si dixerimus*, inquit Joannes epist. c. 1. *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quid igitur? nonne metuendi causam habemus velut læsæ divinæ majestatis rei? Quando igitur in hoc salutari timore constituti laboramus ut diluamus peccata nostra, interim semper pavidi, an satis placaverimus Deum à nobis offensum, tàdem cùm ad finem vitæ audiemus Dei placari vocem, in filios & amicos suos nos asserentem, tanto major erit nostra exultatio, quanto major in nobis præcessit trepidatio. Quamobrem subdit Joannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Quod cùm in hac vita obtinuisse nos confidimus, sed non absq; formidine; summa cum exultatione ad finem vitæ audiemus; quod etiam expectabat David dicens: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata* Ps. 50. Tali gaudio perfusa fuit Galla, ancilla Dei, filia Symmachi Consulis & Patricii Rom. quæ viro viduata Dei & pauperum servitio se mancipavit, cancri insuper ulcere in mammilla percussa est. Quæ dum nocte aliqua B. Petrum Apostolum coram se assistere videret, una de salute sua solicita, hanc ei quæstionem proposuit: *Quid est Domine mi? dimissa sunt mihi peccata mea?* Cui ille inclinato capite annuit dicens: *Dimissa, veni.* Itaque gaudio plena retulit Abbatissæ quod vidit, & tertio post die obiit. Refert S. Gregorius 4. Dial. c. 13.

I. ... rita ... a au- ... us.

III. Tertiam indicat idem S. Gregorius, dum ait: *Semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianas fletibus lavare.* Facit enim hic salutaris timor, ut dum nescimus an sufficienti lytro peccata nostra redemerimus, præ solicitudine plus semper lachrymarum & pœnitentiæ adjiciamus, atque ita supra debitum augeamus in cœlo nostra merita, adeoque studeamus magis ac magis in virtutum studio continuò proficere. Hac ratione solent parentes celare filios peculiolum, quod industria sua pararunt, ut nova ei lucra adjicere laborent; quasi nihil adhuc esset, quidquid acquisierunt. Ita S. Antonius Abbas suos in Christo filios adhortans ajebat: *Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini: & quasi cœpta voluntatis fortitudo succrescet.* Athanasius in ejus vita. Sanctus Franciscus quoque suos his verbis: *Fratres usque nunc parum profecimus; incipiamus nunc servire Deo: redeamus ad humilitatis & novitatis primordia.* Bonaventura in vita. Ipse S. Paulus scribit ad Philip. 3. *Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem* (scilicet necessarium est) *quæ quidem retrò sunt, obliviscens: ad ea, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Cursores enim quamdiu nesciunt, utrum ipsi palmam aliis cursu prærepturi sint, tamdiu intendunt vires & prævertere alios conantur, quantis possunt viribus & astutiis: at ubi se jam multo superasse alios spatio vident, tum ignaviæ se dant, & quasi pedetentim incedendo palmam expectant. Non vult Deus ut ullo tempore ignaviæ nos demus, sed jubet id, quod Eccles. c. 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare.* Hoc ut agamus, obvelat vultus nostros, ita ut nesciamus quantos in cursu nostro progressus fecerimus, quàm propè à meta absimus, ut nunquã deficiamus, sed novas semper ad currendum vires assumamus. Pulchrum hujus rei typum exhibuit Joseph, quando factus Ægypti Princeps dissimulavit se nosse fratres, & severum potiùs se, quàm blandum exhibuit, ut hac viâ timorem eis incuteret, & admissum in se crimen in memoriam revocaret, quò seipsos redarguerent, & culpam partim deflerẽt, partim etiam exsolverent, vario sibi incusso metu. Unde S. Augustinus ser. 82. de temp. ait: *Credendum est quòd Joseph ideò fratres suos tantis tribulationibus fatigaverit, ut illos ad confessionem criminis & ad medicamenta pœnitentiæ provocaret. Denique cum ingenti dolore dixerunt se meritò pati illa, quia peccassent in fratrem suum, videntes angustiam ejus. Et quia sciebat Joseph, quòd fratribus suis parricidii crimen sine grandi pœnitentia indulgeri non posset, & semel & secundò & tertiò illos medicabili tribulatione tanquam spirituali igne decoxit, non ut se vindicaret, sed ut illos corrigeret & de tam gravi crimine liberaret. Denique priusquam peccatum dicerent suum, & crimen quod admiserant, mutua inter se castigatione consumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cùm verò illos pro peccato, quod in se admiserant, humiliter videret afflictos, deosculatus est singulos & per singulos flevit, &c.* Prorsus hũc in modum voluit Deus, ut servi ejus ipsum non agnoscerent, amicusnè illorum an inimicus esset; quò peccata sua, sive magna sive parva, aliquãdo in eum admissa penitiùs introspicerent, acriùs deflerent & iteratis pœnitentiæ operibus fortiùs delerent; quod alioquin minimè facerent, si mox hilarem vultum & amicum se eis ostenderet: quemadmodum & Josephi fratres nunquam ita crimen suum agnovissent, minùs expiassent, nisi vultum fratris sibi ignoti reveriti fuissent.

IV. Quartam indicat idem Sanctus, cùm in cit. epistola scribit: *Adhuc timet* (Paulus) *qui jam ad cœlum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur?* Si enim Deus Paulo, jam ad tertium cœlo elevato tamque illuminato affixit pondus hoc timoris, ne supra alios extolleretur & nimium de se præsumeret: quanto magis id necessarium homini fragili & cæcutienti, qui Deum & seipsum parum agnoscit? Jam verò dum nescit homo, odio an amore dignus sit, humiliter de se sentire cogitur: dumque nescit an alii etiam Deo gratiores sint, quam ipse, jam neminem despicere potest. Nimia præfidentia & securitas de Dei amicitia in interitum traxit Heronem Eremitam, meritis cæteroqui magnum, ut seipsum in profundum puteum daret præcipitem; quasi nihil adversus casus ei nocere posset, unde semivivus extractus perstitit adhuc

IV. *Ne extollamur, & præsumamus de nobis.*

huc in persuasione sua, apud Rosvveid. l. 4. Vit. Pp. Cui seni quendam non absimilem scribit Hieronymus Majorica (in annuis Goënsibus de anno 1620.) Indum itidem senem, qui post confessionem magnis contritionis indiciis peractam, totus hilaris factus, stulto laudatori, quòd salutem suam jam in tuto posuisset, certus de cœlesti præmio, proinde se jam Deo per ultroneam mortem totum consecraret, ne à gratia ampliùs excideret, &c. sic eum paratum sibi immortale nomen, faciles aures præbuit, specioso seductus consilio, seque in profundissimum puteum injecit, atque ita procul dubio corpore & animo periit.

Expedüit etiam hic timor, ne alter alteri se præferret, & proximum contemneret: dum incerti sumus, uter altero justior & Deo gratior sit. Magnæ sanctitatis & austeritatis fuit S. Paphnutius Eremita, qui cùm vitam duxisset quasi angelicam, & scire cuperet, cui sanctorum similis esset, assistens ei Angelus dixit eum non sanctiorem esse quodā symphoniaco seu fidicine, qui in vicino pago canendi arte victum sibi quæreret. Stupefactus hac novitate adiit fidicinem, & in illo deprehendit talia duo virtutum heroicarum opera (quibus virginis Deo sacratæ pudicitiam inter latrones defenderat: & pauperem familiam trecentis solidis è servitute redemerat) qualia ipse nunquam se patrasse fassus est. Itaq; hoc percepto ferventiùs deinceps in virtutum studia incubuit: postteaque rursum desideravit, parem sibi ostendi; audivitque iterum vocem parem ejus meritis esse primarium quendam rusticum in proximo vico. Et hunc igitur quæsivit, eoque invento deprehendit ipsum per triginta annos cum uxore sua conservasse castitatem, & aliis pietatis ac misericordiæ operibus addictissimum, sibi reverà non imparem esse. Exhinc ergo persistebat in jejuniis & rationibus semetipsum ad majora & perfectiora extendens. Inde rursus orabat Dominum, ut sibi ostenderet, cui similis haberetur inter homines. Iterum ei vox divina respondit dicens: Similis es negotianti ei, quem videris ad te venientem. Mox occurrit ei negotiator Alexandrinus, qui decem leguminum saccos pueris suis impositos ad monasterium hominis Dei deferebat: & hunc ergo sibi non imparem reperit. post quæ cùm jam vir sanctus laboribus suis finem imponeret, Angelus Dei ad ipsum: *Veni jam benedicte & ingredere ea, quæ tibi debentur æterna tabernacula. Ecce enim adsunt Prophetæ, qui te in sinum suscipiant chorum. Hoc autem tibi priùs idcircò non revelavi, ne fortè elatus damnum aliquod tui laboris incurreres.* Refert Ruffinus Aquilejens. apud Rosvveid. l. 2. Vit. Pp.

V. *Ut securiores de sa-* V. Quintam ex illis Gregorii verbis: *Quia securæ de peccatis tuis fieri non debes,* possumus desumere. Quò minùs enim securos nos de peccatorum remissione esse cogitamus, eò securiores erimus. Quâ ratione? inquis. Quia quò magis lubricam advertis esse viam, eò cautiùs pedem figis: sicque dum magis lapsum times, minus incurris, quia magis tibi attendis. Nonnè arcta via est, quæ ducit ad vitam? Atqui hæc illa via est, quæ cum timore peragitur. Ita enim viam arctam explicat S. Chrysostomus homi l. 1. de Resurrect. *Propterea,* inquit, *Christus strictam & angustam eam vocavit. Neque enim vivere licenter & absque metu fas est.* Duo latrones juxta Christum pendebant: unus arctâ viâ cum Christo in paradisum ivit; quia nimirum timuit: alter latâ viâ ad gehennam abiit; quia non timuit. Ita enim ille ad istū: *Neque tu times Deum?* Unde S. Chrysostomus in Ps. 127. de converso latrone ait: *Quoniam exiguo tempore, ut oportuit, Christum timuit, beatus factus est dicente eo: Neque tu times Deum? Nullum enim est malum, quod non extinguat Dei metus.* Et S. Bernardus serm. 15. in Psalm. *Qui habitat,* ait: *Timor maxima spei est materia; quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem.* Hinc Ecclesiastici 2. dicitur: *Qui timetis Deum, sperate in illum.* Optimè in hunc sensum possumus exponere, quod ait Sponsa Cant. 2. v. 6. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quæ enim est læva Christi sponsi, nisi quæ minatur maledictionem hædis, qui in judicio stabunt ad ejus lævam? Quæ illius dexteræ, nisi quæ promittit ovibus benedictionem, statuendis ad ejus dexteram? Itaque sinistra Sponsi timorem gehennæ, dextera spem gloriæ haud dubiè designat. Quid igitur Sponsa? quid anima Deo devota? Ponam lævam ejus sub capite meo timorem Sponsi mei, condemnaturi impios, sedulò ruminabo & menti meæ imprimam; id enim si fecero, dextera ejus amplexabitur me; quia inde in spem erigor, tribuendæ mihi gloriæ. Rem exemplo confirmat S. Gregorius l. 4. Dial. c. 46. ubi ait: *Plerumque de culpis minimis ipse solus pavor egredientes justorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti; qui ad mortem veniens vehementer timuit, sed post mortem discipulis in stola candida apparuit, & quàm præclarè sit susceptus, indicavit.* Si præcisè pavor mortis in extrema luctâ abstergere potest leviores culpas, quid non poterit continuus pavor judicii divini?

Quare Auditores timeamus cum hodierna plebe & glorificemus Deum. Glorificemus, inquam, quia in timore suo vivere nos voluit, ut per illum via arcta ad gloriam veniamus. Interim in hoc timore semper degamus, juxta consilium Sapientis Prov. 23. *In timore Domini esto tota die: quia habebis spem in novissimo.*

* *
*

DOMI-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Nuptiæ Christi triplices: cum natura humana cum Ecclesia, cum anima fideli.*
II. *Beatitudo cœlestis similis nuptiis.*
III. *Quinam potissimùm cœlestes nuptias negligant.*
IV. *Deum ubique præsentem esse, rerum omnium inspectorem.*
V. *Documenta ex parabola.*

THEMA I.

Nuptiæ Christi triplices: cum natura humana, cum Ecclesia, cum anima fideli.

I. *Cum natura humana.*
II. *Cum Ecclesia.*
III. *Cum anima cujusque fideli.*

Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.

SPonsum quidem audivimus filium Regis factum in hodierno Evangelio, sed quæ ejus sponsa? Non unam assignant Patres, qui hanc parabolam exponunt, sed trifariam. Alii naturam humanam, quam sibi Dei filius univit & quasi despondit in utero matris suæ. Alii Ecclesiam, quam in cruce sibi copulavit. Alii animam cujusque fidelis, quam sibi despondet in baptismo, & post lapsum in pœnitentia. Consonat huic triplici Christi desponsationi, trina illa promissio sponsalium apud Oseam cap. 2. facta à Deo dicente: *Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia & judicio & in misericordia & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus.* Triplicata hæc dispensatio triplicem indicat sponsam, quam sibi despondit Christus, & partim adhuc despondet celebratque cum eis nuptias planè admirandas, de quibus hic agemus.

I. I. Nuptias contraxit cum natura humana, quando eam sibi univit Dei Filius in hypostasi sua divina. Et de hac intelligit hodiernam parabolam sanctus Gregorius homil. 38. in Evang. *Cùm humanam naturam*, inquit, *Verbum divinum assumpsit, tunc pater filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit.* Et S. Augustinus in l. 50. homiliarum hom 32. *Ipse*, inquit, *qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet Virginali, ubi sanctæ nuptiæ factæ sunt.* Verùm non communi, sed novo & miro modo; in nuptiis enim hominum (ut advertit etiam S. Gregorius) duæ solent conjungi personæ, in his autem non duæ personæ, sed duæ naturæ in una tantùm persona sunt copulatæ. Harum internuncius & quasi paranymphus fuit Gabriel Archangelus, consensum virgini persuadens, ut de immaculato & virgineo utero suo sponsam Dei filio traderet, carnem suam.

Admirandæ fuerunt hæ nuptiæ 1. quia sponsus erat summæ & divinæ majestatis, sponsa verò erat infimæ conditionis & summæ miseriæ, infinito intervallo à sponsi dignitate disjuncta. Tametsi enim caro, quam à Virgine acceptam induit, pura ab omni labe erat, miseriis tamen aliis, quas patiuntur homines, subjecta & obnoxia fuit, infirmitati, paupertati, mortalitati: quemadmodum & ipsa natura in aliis hominibus (extra Deiparam) fœda & abominabilis est ob peccatum originale. Solent homines plerumque nuptias ambire vel ob sponsæ pulchritudinem, vel ob divitias, vel ob nobilitatem. Nihil horum erat in natura humana, quã copulavit sibi Dei filius; quinimò secundùm se deformis, paupercula & ignobilis erat; qualis Æthiopissa, quam duxit Moyses in figuram horum sponsalium, Exod. 2. Miratur id S. Bernardus sermone 1. de Epiphan. *Quid tantoperè*, inquit, *declarat ejus misericordiam, quàm quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei verbum propter nos factum est fœnum?* Sed nimirum Dei filius sciebat rationem reddendi sponsam suam pulchram, divitem ac nobilem. *Admiranda.*

2. Quia miranda unio facta est in his nuptiis. In aliis quidem nuptiis fiunt *duo*, hoc est, duæ personæ conjunctæ in carne una: at hîc non duæ personæ, sed duæ naturæ, humana & divina, conjunguntur in persona una, divina scilicet, quæ velut gigas fortissimus sustinet humanam in sua hypostasi, ut bene in Psalm. 18. appelletur primò *sponsus*, deinde *gigas: Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Unde etiam factum ut persona Verbi ab utraq; natura communicationem acciperet idiomatum, & diceretur Deus homo, immortalis & mortalis, immensus & parvus, &c. Qua de re Damascenus

lib.3. fidei orthod.cap.4.ait: *Cum de perſona verba facimus, ſive ab utraque parte ſimul, ſive ab altera duntaxat, eam appellemus, utriuſque naturæ proprietates ipſi imponimus. Etenim Chriſtus (quæ vox utrumque complectitur) & Deus, & homo dicitur, & creatus & increatus, & paſſibilis & impaſſibilis. At cum ab una parte Filius Dei, & Deus nuncupatur, conjunctæ naturæ, id eſt, carnis proprietates recepit. Nam, & Deus paſſibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus; non quà Deus eſt, ſed quà idem etiam homo eſt. Eodemque modo cum homo, & filius hominis appellatur, divinæ eſſentiæ proprietas atque ornamenta ſuſcepit. Puer enim ævo omni antiquior dicitur, & homo principii expers, non id quidem quà ratione puer, & homo eſt: ſed qua Deus omni ævo prior, ad extremum puer factus eſt. Atque hic communicationis modus eſt: utraque videlicet natura proprietates ſuas cum altera communicante, propterea quod unam, & eandem perſonam conſtituunt, mutuoque ſe immeant.*

3. Quia nexus factus planè indiſſolubilis. Aliorum matrimoniorum nodum mors præſcindit: at non item nodum Verbi divini cum natura humana, tam quoad corpus, quàm quoad animam. Quamvis enim mors ſepararit animam Chriſti à corpore ad triduum, à Verbo tamen divino nec animam nec corpus potuit ſejungere. Quod enim Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimitit.

4. Quia perfectio & conſummatio hujus matrimonii contra naturæ ordinem facta eſt in paſſione morte Chriſti, adeoque in lecto crucis, quando dixit: *Conſummatum eſt.* Tunc enim factus eſt *Pater futuri ſæculi*, meruitque accipere prolem lectiſſimam & copioſiſſimam, Eccleſiam univerſam, de qua Iſaias cap.13. dixit: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Hoc ſemen ſeu hanc prolem peperit ei ſponſa, caro humana poſtquam ipſe è latere effudit ſanguinem & aquam; quò alluſiſſe videtur Iſaias cap.60. quando dixit: *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Cujus rei typus à Deo præmiſſus eſt in paradiſo, quando è latere dormientis Adami ſponſa ejus Eva formata fuit: ſic enim per mortem Chriſti Eccleſia redempta, nata & inſtituta, formata & ſanctificata eſt. Videmus hinc quantùm obligati ſimus imprimis Deo Patri, qui has nuptias fecit filio ſuo cum ſponſa tam abjecta, ductus amore ejus merè gratuito; juxta id Domini: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Joan.3. deinde filio ejus, Domino noſtro, qui tam vilem ſponſam non repudiavit, ſed per acerbiſſimam mortem ſuam ad vitam gratiæ & gloriæ regeneravit. Verè igitur *Benoni* & *filii doloris* ſumus, qui doloribus oppreſſimus ac planè enecavimus noſtrum parentem. Sed & Virgini Deiparæ plurimùm obligari ſumus, quæ ad matrimonium hoc contrahendum, carnem ſuam immaculatam velut ſponſam conſentiendo dedit, quando dixit, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quæ ſi conſenſum non dediſſet, nuptiæ iſtæ celebratæ non fuiſſent.

II. Nuptias celebravit cum Eccleſiâ, quam ſibi deſpondit in cruce Dei Filius. Et de his intelligunt potiſſimùm & plerique hanc parabolam. *Facit nuptias*, inquit eo loco S. Hieronymus, *Deus Chriſto & Eccleſiæ, quæ tam ex Iudæis quàm Gentibus congregata eſt.* De hac ſponſa loquitur Joannes Baptiſta Joan.3. cùm de Chriſto ait: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* Et Apoſtolus ad Ephes.5. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Contractæ fuerunt hæ nuptiæ & ratæ habitæ in cruce: conſummabuntur & perficientur in die Judicii, quando eam (in electis videlicet) è terra elevabit & introducet in cœleſtem ſuum thalamum. Paranymphus harum nuptiarum fuit Joannes Bapt. quando ſuis teſtimoniis, baptiſmo & concionibus Judæos ad Chriſtum ejuſque fidem amplectendam diſpoſuit ac præparavit.

Stupendæ etiam ſunt hæ nuptiæ. 1. quia in his ſponſus nobiliſſimus ſpōſam accepit non ſolùm vilem & ignobilem, ſed etiam fœdam & abominabilem, peccatis ingentibus & innumeris inquinatam; cujus typum geſſit Rebecca, quando camelo vecta ad ſponſum ſuum Iſaac adducta fuit, Geneſ.24. ut advertit S. Ambroſius l.1. de Abraham cap.9. *Cum veheretur*, inquit, *camelo, venit ad ſponſum, eo quòd populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, qui formæ ſuæ nullum haberet decorem, fidem eſſet atque conſenſum Eccleſiæ recepturus.* Et quemadmodum Rebecca conſpecto Iſaac ſponſo ſuo *tollens citò pallium, operuit ſe*: ita & Eccleſia, *pallio*, inquit D. Gregorius lib.1. moral. cap.14. *ſe operire curavit, quia viſo Domino infirmitatis ſuæ actiones erubuit.* nec immeritò; erat enim prius, quàm à ſponſo ablueretur, turpis ac deformis; uti exponit S. Chryſoſt. hom.20. in Epiſt. ad Epheſ. *Vis*, inquit, *audire ejus deformitatem? Audi Paulum dicentem: Eratis enim aliquando tenebræ* (ad Eph.5.) *Quid eſt atrius tenebris? Et tamen tanquam pro ſpecioſa, tanquam pro dilecta, tanquam pro admiranda, ita ſeipſum tradidit pro deformi. Hoc mirans dicebat Apoſtolus: Vix enim pro juſto quis moritur.* (ad Rom. 5.) *Et cùm talem accepiſſet, eam ornat & lavat.* Typus ejus erat etiam Moyſis uxor, Num.12. quæ cum Æthiopiſſa foret, nigra & deformis, vocabatur tamē *Sephora*, hoc eſt, *pulchra*, ut vertit Chaldæus & advertit S. Hieron. quemadmodum & Eccleſia *nigra* vocatur *& formoſa*, Cant.1. quia priùs nigra & deformis erat, poſtea a ſponſo effecta eſt formoſa.

2. Quia emit eam ſanguine ſuo. Mos olim fuit apud Hebræos, imo & Gentiles, ut ſponſi emerent ſponſas tum à parentibus tum ab ipſiſmet. Ita David emit Michol, filiam Saulis, centum præputiis Philiſthæorum adeoque cum certamine & periculo vitæ ſuæ. 1. Reg.3. Jacob Rachaëlem ſervitio 7. annorum, Geneſ.29. Oſee fornicariam ſibi emit in uxorem quindecim argenteis, Oſe.3. Saxones & Burgundiones trecentis ſolidis comparabant ſibi uxores à parentibus, ut ibi Ribera ſcribit. Chriſtus,

Dei

Dei filius, non certamine, non ſervitio præciſe, multo minus pecunia emit ſponſam ſuam, Eccleſiam, ſed pretioſo ſanguine ſuo, adeoque ſeipſum tradidit pro ea; nec una ſanguinis profuſione contentus plures etiam obtulit, uſq; dum nihil amplius ſanguinis haberet. Quis hic non obſtupeſcat?

3. Quia amore ſponſæ ſuæ, ut eam ſibi devinciret ac deſponderet, mira egit & ab ea perpeſſus eſt. Solent, qui ſponſas ambiunt, earum amorem reciprocum quærere & extimulare variis obſequiis, blandis alloquiis, pretioſis muneribus; ſubinde ſuas opes ſplendido veſtitu ipſis demonſtrare: denique ab eis illatas etiam injurias patienter ſuſtinere. Omnia hæc Chriſtus & fecit & pertulit, ut amorem ſponſæ ſibi conciliaret. Circuivit undique ſynagogas Judæorum, & in iis verba fecit, cœleſtia & ſuaviſſima; verba vitæ æternæ: ita ut *mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Adhæc dedit ſponſæ munera, quando turbas pavit optimis & ſapidiſſimis panibus, ſanavit omnis generis morbos, ſuſcitavit mortuos, remiſit peccata, innumera edidit miracula. Deinde ab ipſa pertulit omnis generis injurias, alapas, ſputa, flagella, accepit coronam ſpineam, affigi ſe in crucem & ibi derideri atq; occidi ab ea paſſus eſt: imo hæc omnia quaſi munera ſponſæ accepit, & *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, ad Hebr. 12. Denique pro hac tam injuria & ingrata ſponſa, de ſalute periclitante in cruce oravit & ad eam amplexanda in ſua brachia expandit, ad exoſculandam moriens caput inclinavit. Magnum & mirum ſuum amorem oſtendit Catharina Henrici VIII. Anglorum Regis legitima conjux per ſummum nefas ab eo repudiata, quando jam morti proxima non ſolum remiſit ei ſummam illam injuriam ſed inſuper litteris ad eum datis teſtata eſt ſe ipſi per amorem adeo nihilominus adhærere, ut eum omnibus rebus creatis longiſſimè anteferret, apud Florimund. l. 6. de ortu hæreſ. At quanto major eſt Chriſti amor erga ingratam ſponſam ſuam, dum pro ipſa orat, ad eamque brachia ſua extendit, dum ab ea occidi ſe & crucifigi patitur!

4. Quia ſua omnia adeoque ſeipſum etiam ſponſæ communicavit; ſua merita, virtutum exempla, ſapientiam cœleſtem, orationes, labores, paſſiones, ipſum denique nomen ſuum, ut à Chriſto, ſeu uncto, appellaremur *Chriſtiani*; quomodo & uxores à viris ſuis paſſim mutuare ſolent nomina; uti olim Caia a Caio, Cornelia a Cornelio, Sulamitis à Salomone, Servus ille Abrahami, Eliezer, nuptiarum inter Iſaac & Rebeccam procurator & paranymphus, inito fœdere nuptiali, ſtatim munera novæ ſponſæ contulit: *prolatis vaſis argenteis & aureis*, ait textus, *ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* Geneſis vigeſimo quarto, utiq; in figuram liberalitatis Chriſti, qua ſponſam ſuam Eccleſiam ditaturus erat, uti docet ſanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham capite 9. *Vbi*, inquit, *ſponſata eſt Eccleſia, accepit vaſa aurea & argentea, in quibus eſt theſaurus fidei*; quaſi ſuam Eccleſiam Chriſtus non videretur ſatis amare, niſi etiam locupletem faceret. Denique ſeipſum ſponſæ ſuæ in cibum dedit, ut, quam intime poſſet, ei conjungeretur & familiariſſime converſaretur tacito quodam colloquio, quali ſanctus Ludovicus Franciæ Rex & B. Ægidius ſancti Franciſci ſocius mutuo aſpectu inter ſe mirifice quaſi Angelico colloquio, ſine omni voce, ſuaviſſime tamen converſati & recreati ſunt, ut habetur in vita Beati Ægydii. Sic plane in S. communione *inter verbum & animam*, inquit ſanctus Bernardus ſermone 45. in Cant. *ac ſi inter duos vicinos familiaris admodum celebratur confabulatio. Cedit faſtus, ubi convaleſcit affectus. Adeſt dilectus, amovetur Magiſter, Rex diſparet, dignitas exuitur, reverentia ponitur. Verbum & anima habent linguas ſuas, quibus ſe alterutrum alloquantur. Verbi lingua, dignationis favor: animæ lingua, devotionis fervor.* Conjugum denique aliorum amor & beneficentia ſæpe parum durat; at Chriſti Domini erga Eccleſiam charitas & largitas finem neſcit, & in die judicii primum ſeſe exeret, cum veniet ſponſus in decore ſuo, aſſumpturus ſponſam in regnum ſuum; uti indicat parabola illa de adventu ſponſi, Matth. 25.

III. Nuptias contraxit cum animâ cujuſque fideli, quando eam ſibi deſpondit in baptiſmo per fidem & charitatem. Et de his loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 11. cum ait: *Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Verum ſponſa iſta non ſemper Chriſto adhæret duplici illo nexu, fidei & charitatis, ſed in quibuſdam fidelibus (qui ſcilicet in ſtatu peccati ſunt) nexu fidei ſolius. Quemadmodum enim in Veteri Teſtamento Abraham habuit Saram in primariam uxorem, & dominam familiæ, valde dilectam, & Agar in ſecundariam, & ancillam familiæ, parum dilectam: ita etiam Chriſtus habet quaſdam animas ſibi deſponſas per fidem & charitatem, quæ velut primariæ ſponſæ & dominæ per dilectionem ipſi adhærent: alias vero ſibi deſponſas per ſolam fidem, quæ velut ancillæ non diliguntur. Filius Saræ hæres fuit ſtabilium bonorum patris ſui: filius autem Agar non accepit niſi quædam mobilia bona & munera à parente. Ita qui per fidem & gratiam Chriſto adhærent, hæredes regni ejus cœleſtis ſunt: qui vero per fidem tantum, temporalia ſolum accipiunt bona.

III. Cum anima cujusque fideli.

Admirandæ etiam ſunt hæ nuptiæ. 1. Quia filii Dei cum vili & miſerâ creaturâ atque ancillâ ſuâ. Ne tamen ob hanc tantam diſparitatem diſſidium aliquod oriretur, ſponſus exinanivit ſemetipſum & ſervi formam induit, ut ſine diffidentia ſponſa ipſi velut pari adhæreret. Adhæc ejus vilitatem ſua nobilitate condecoravit, ejus paupertatem ſuis opibus ditavit.

Miræ etiam. 1.

2. Unde 2. ſponſus animæ ſibi deſponſæ omnia ſua communia facit: potentiam ut in ipſo omnia poſſit: ſapientiam & honorem: ipſum etiam patrem, ut filia Dei appelletur & cohæres ſponſi. Hinc paſſim in

Canticis bona sua ipsi communicare legitur, uti Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra*, h.e. in terra mea & sponsæ meæ. Unde Bern. ser. 59. in Cant. *In terra*, inquit, *nostra, non plane principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem: tanquam sponsus hoc dicit, non tanquam Dominus.*

3. Conjugium hoc & amor ex parte sponsi perpetuus & indissolubilis est, quamdiu eum sponsa non repudiarit. Audiamus Augustinum in psal. 90. *Non timeat sponsa*, inquit, *ne deseratur à sponso, non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Sanguinem suum fudit. Quod pignus dedit? Spiritum S. suum misit. Talia pignora dimittit ille sponsus? Si non amaret, talia pignora non daret.* Potest quidem sponsa sponsum à se repellere; quod agit, *si susceperit in cubile animæ suæ adulterum Diabolum: si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ ingressus fuerit ad animam, & receperit eum &c. meretricata est cum eo*, inquit Origenes homilia 12. in Levit. capite 2. Verum nihilominus modo ad sponsum redeat, & culpam deprecetur, mox ab eo in pristinum amorem & gratiam recipitur; quod sane inter homines rarum est. Hinc eam Threnorum 1. appellari in eo statu non viduam, sed *quasi viduam*, ait S. Pascasius libro 1. in Lament. Jer. *Quia*, inquit, *etsi ab sponso despicitur, sponsalitatis tamen ejus jura manent, ut si redierit, prioraque dilectionis opera impleverit, sponsum saltem per pœnitentiam, immortalitatemque recipiat.* Quinimo sponsus fugitivam & adulteram sponsam insequitur, & ad se retrahere totis viribus & multis precibus conatur. Unde Cant. 5. ad ostium hujusmodi sponso per noctem stans & pulsans ait; *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* quasi dicat, frigore crucior & pluvia perfundor amore tui, donec rursum ad me redeas. Hinc etiam non uxorem sed sponsam eā appellat, quod amor ejus erga ipsam semper recens sit & fervens; qui in uxore tandem tepescit. *Sororem* vero, quia caste amat; ut advertit S. Bernardus c. 3. de Pass. Domini.

4. Ex hoc castissimo conjugio sponsa etsi in se
4 vilis & ignobilis nobilissimas gignit proles, quas describit Origenes homilia vigesima in vigesimum quintum. Numerorum cum ait: *Dum igitur anima adhæret sponso suo, & audit verbum ejus, & ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit, & sicut ille dixit* (Isaias c. 26.) *De timore tuo Domine in utero concepi & parturivi & spiritum salutis tuæ feci super terram. Inde nascetur generosa progenies, inde patientia, inde mansuetudo & charitem, atque omnium virtutum proles veneranda succedet.* Deinde vicissim fœdas proles, quas anima adultera concipit è Diabolo, explicat dicens: *Quod si infelix anima divini Verbi dereliquerit sancta connubia, & in adulterinos se complexus diaboli tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos de quibus scriptum est* (Sapient. 3.) *Filii autem adulterorum imperfecti erunt, & ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filii sunt adulterii & filii fornicationis.* Sic ille.

5. Copulatur sponsus animæ sanctissima unione, quando ad cor ejus ingreditur in sacrâ communione, ubi fiunt quasi duo in carne una, & communicat sponsus spiritum & virtutes suas piè communicāti animæ; juxta id Salvatoris, Joannis sexto. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ita docet B. Laurentius Justinianus de triumph. Christi agone cap. 2. *Dominus Jesus sponsæ suæ*, inquit, *pro amoris pignore proque fœdere maritali, corporis & sanguinis sui sacramenta concessit, ut non solum in spiritu, verum etiam duo essent in carne una.*

Cum igitur ita se res habeat, cogitet jam anima fidelis, quid & quantum debeat Christo sponso suo. *Unde enim tibi ò humana anima*, inquit S. Bernardus serm. 2. Dom. 1. post Epiph. *Unde tibi hoc? Unde tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? Unde tibi hoc, & ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni & socia thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit. Dejere seculares affectus, seculares mores dedisce, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini, qui secet te medium, si fortè (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorē?* Denique nuptiale convivium in memoriam ei revocans: *Jam enim*, inquit, *desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur, nam cœna quidem in cœlo paratur, sed ibi vinum non deficiet; inebriabimur enim ibi ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur.*

THEMA II.

Beatitudo cœlestis similis Nuptiis.

I. *Ibi invitati omnes sunt honorati.*
II. *Ibi gratiosa personarum varietas est.*
III. *Ibi erunt omnis generis oblectamenta.*
IV. *Ibi & choreæ.*

Simile est regnum cælorum Regi, qui fecit nuptias filio suo. Matthæi 22.

VEnio Audit. invitaturus vos ad nuptias, easque plusquam regias, utpote cœlestes. Id vero mihi præcepit in hodier. Evangelio Rex cœli & terræ Deus, quando misit servos suos, ut vocarent invitatos ad nuptias. Invitati estis vos jam dudum in baptismo, & condixistis omnes, quod velitis comparere

rere. Jam nuptiæ in cœlo initium sumpserunt, vos adhuc expectamini. Nemo ergo sit, qui se excuset; nil enim istis nuptiis excogitari potest amabilius aut desiderabilius. Tauri pingues & altilia omnis generis, omniaque parata sunt, venite ad nuptias. Audite Joannem Apocalyp. 19. *Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se.* Et mox: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Quin imo, beati magis, qui ad cœnam illam veniunt. Quod ut fiat delineabimus vobis prius nuptias illas.

I. In nuptiis invitati omnes sunt personæ selectæ, & 1. omnes amici inter se: nullus inimicus. Ita & in cœli nuptiis. Unde clamat Joannes Apoc. ult. *Foris canes* h.e. litigiosi & invidi &c. Hinc Lucifer è cœlestibus nuptiis ejectus, quia rixas orsus fuerat. In conviviis aliis sæpe rixæ oriuntur, quia non omnes sunt veri inter se amici: idem in mundo videre est. Multi Reges amplissima & opulentissima regna possident, sed iis parum frui queunt, quia ab inimicis infestantur. Multi in conviviis lætari non possunt, quia vident adesse aliquos sibi infensos, aut criticos. Nihil tale in cœlo timendum. Unde civitas illa Apoc. 21. dicitur *aurum mundum, simile vitro mundo;* quia *unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi,* ait S. Gregor. 18. moral. c. 27. Et S. Bernardus in serm. de triplici gen. bon. *Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia civitas illa juxta Ioannem, purissimo vitro similis erit, ut sicut per vitrum lucidissimè cernimus, sic aliorum conscientias clarissimè videamus.*

2. Omnes sunt vestiti nuptialiter ac splendide (quod in aliis conviviis non semper fit) sic & in cælo. Unde in Evangelio hod. ejectus est è convivio, qui nuptiali ornatu caruit. Qualis autem vestis beatorum sit, exponit Joannes Apoc. 19. cum ait: *Vxor ejus præparavit se, & datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti. Byssinum enim justificationes Sanctorum sunt.* Byssus est linum tenuissimum (Schlair leinwath.) ut patet Exo. 29. v. 28. & significat purissimam & innocentissimam beatorum stolam, quæ per multas tribulationes pertransierit, quemadmodum linum, antequam in vestem transeat, macerari modis variis in aquis & fornace adeoque transire per aquam & ignem, tundi item, & carminari, filari, elixari rursum, texi ac deniq; rursum aquis crebro perfundi debet: sicq; purius semper ac candidius evadit. Hinc S. Longinus, Centurio, qui ad Crucē Christi conversus fuit, Judæorum molimine ad necem quæsitus & inventus, jamq; ad martyrium à lictoribus ducendus, conversus ad famulum: *Cito,* inquit *candidam mihi adfer vestem. Decet enim ad nuptias vocatum nuptiali & splendida ornatum veste incedere.* Metaphr. in vita apud Lipel. 15. Martii. Candida hæc vestis innocentia est; quia *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18. Ideo baptizati candidis induuntur, ut sciant cum innocentia sibi in cœlum ingrediendum.

3. Corona insignes.

3. Omnes coronam nuptialem gestant in capite, quam accipiunt à sponsis. Similiter & Beati. Ita enim Sap. 5. dicitur de illis: *Accipient regnum decoris & diadema speciei* (h.e. speciosum) *de manu Domini.* Diadema à circumligando dictum, coronam significat. Et hæc in beatis est securissima æternitas, quæ instar coronæ finem nescit; unde antiquis circulus & corona, æternitatis typus erant, teste Pierio l. 39. Nulla talis fælicitas seu corona reperitur in mundo quia omnia finem habent, quem ubi mundani cogitant, omne gaudium turbant: & quemadmodum corona de floribus cito flaccescit: sic & mundi gaudium. Corona beatorum est *corona vitæ;* Apoc. 2. *Corona immarcescibilis* 1. Petr. 6. *incorrupta.* 1. Cor. 9. Gaudium mundi minuitur paulatim consuetudine: at in cœlo crescit semper, ut ostendit sanctus Chrysostom. hom. 6. in cap. 4. ep. ad Hebr. Corona florum si revolvatur, ad eosdem flores reditur. Sed non ita in corona Beatorum, semper enim novi flores prodibunt ex ejus floribus.

4. Sponsæ Christi.

4. Omnes sunt propinqui sponsi. In nuptiis cœlestibus omnes convivæ sunt Christi sponsæ particulares, uti Ecclesia est universalis. Ipsi in baptismo desponsati sumus; interim usque ad nuptias illas quasi in sponsalibus degimus, & fidem nostram ei probamus: nuptias in cœlo demum celebrabimus. Ibi intima cum Christo & arctissima unione perfruemur, ut cum ipso quasi unum cor & anima simus, & quidquid Christus habet, ipsi quoque possideamus. Quid hac re majus excogitari potest? Paulus in paradisum raptus, nondum beatus erat & tamen ita absorptus in Deum fuit, ut nesciret, an in corpore an extra corpus fuerit. secundo Corinthiorum 12. Petrus in monte Thabor decorem sponsi solum aspexit, & mox extra se positus nesciebat, quid loqueretur. Quid erit ita unitum esse Christo, uti sponsam sponso!

II. Ibi gratiosa personarũ varietas est.

II. In nuptiis gratiosa quædam personarum varietas cernitur. Adest inprimis sponsus ipse, qui licet totius convivii nuptialis caput & causa sit, solet tamen aliis sedentibus mensas obire, ut videat, quid cui desit, omniaque eis non necessaria solum, sed quæ ad hilaritatem etiam & decorem spectant, suppeditet, omnesq; suo alloquio exhilaret. Idem facit suo modo Christus sponsus in cœlo.

1. Sponsus ipse.

De se enim dixit Luc. 12. *Amen dico vobis quod præcinget se & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis.* Vult dicere: Ego sponsus ita honorabo convivas meos, quasi non servi sed domini mei forent. (Ratio est, quia simul sponsæ Christi sunt, ut supra diximus; solet autem sponsus inservire sponsæ suæ) deinde adero omnibus ac suppeditabo eis semper alia & alia deliciarum fercula: nec patiar ut quid alicui desit: quod ab ipso desiderari queat.

2. Paranymphi.

2. Sunt ibi paranymphi in præcipuo honore, qui sponsam adducunt sponso. Et hi in cœlo erunt, quicunque alios seu doctrina, seu consilio, seu exemplo ad Christum adduxerunt; uti Apostoli provincias, quas ad fidem perduxerunt, Episcopi diœceses.

ses Abbates cætus suos, parentes filios; uti S.Symphorosa & S.Fælicitas, quæ 7. filios suos ad martyrium roborarunt.

3. *Virgines coronariæ.*

3. Sunt & virgines quæ gestant & distribuunt coronas. Et hæ in cœlo sunt; qui præter communem omnibus gloriam, etiam aureolas meruerunt, virginitatis, doctrinæ, martyrii; quibus etiam recreant alios beatos. Hujusmodi sunt S.Joannes Baptista & alter Evangelista, S.Stephanus. S.Catharina, &c.

4. *Iuvenes & viri.*

4. Sunt alii juvenes, alii viri. Isti sua quique dona offerunt sponsis: juvenes ab hoc exempti sunt. Ita in cœlo adulti sua quique merito Christo præsentant: Infantes, quia id facere nequeunt, gratis ex Christi meritis ad convivium admittuntur. Adhæc alii parvuli sunt, alii magni. Parvuli vestes parvulas habent, magni magnas: æquè tamen utrique nuptiales convivæ sunt, licet impari conditione; quia magni plus honorantur; cum parvuli majoris seu vestis seu honoris capaces non sunt. Sic erit in cœlo. Licet unus altero plus gloriæ accidentalis habeat, alter minus: hic tamen illi non invidebit, sed sua sorte contentus quisque erit; quia majoris capax non erit. Qui majora dona offerunt, priore loco sedent; posteriore, qui minora; nec hi tamen illis invident locum & honorem eminentiorem, Sic erit in beatis.

5. *Legati aliqui.*

5. Denique in nuptiis adsunt sæpe magnatum Legati, qui loco dominorum suorum gaudent nuptiali convivio. Nec isti cœlestibus nuptiis desunt. Quinam vero illi? Utique non alii, quam qui loco aliorum pietatis studia frequentant. Solent multi dicere. Non vacat mihi adire templum, audire concionem, adesse supplicationi, mitto tamen loco meo conjugem meam, liberos, vel servos meos. Ecce tibi Legatos, qui haud dubiè etiam ad cœlestes nuptias intrabunt loco delegantium, quorum ipsi vices obierunt in virtutum exercitiis.

III. *Ibi erunt omnis generis oblectamenta.*

III. In nuptiis adhibentur omnis generis oblectamenta. Oblectantur oculi in aspectu personarum, vestitu splendido comparentium, & vasorum aureorum, argenteorum, quibus adferuntur vina, vel quæ donantur sponsis, in ordine ministrorum variis spectaculis, mensæ apparatu, &c. Oblectantur aures musicis instrumentis ac cantoribus Oblectatur gustus in variis ciborum & vinorum pretiosorum generibus. Oblectatur olfactus in odoribus florum, unguentis pretiosis, aquis odoratis, suffitu suaveolenti. Tactus in recubitu & salutationibus. Sic & in cœlo Beati omnium virium tam animæ quam corporis oblectamenta habebunt. Et hæc sunt tauri & altilia saginata, h.e. deliciæ gratissimæ ad cujusque gustum factæ. Recreabuntur oculi è cœli ipsius splendore, deinde ex aspectu Christi & beatorum omnium: denique ex aspectu proprii corporis, fulgentis supra Solem; præsertim in iis partibus & membris, in quibus aliquid peculiare pro Deo passi sunt. In vita S. Walburgæ refertur, ejus cubiculum, cum ipsi à Custode lumen in tenebris negaretur, cœlesti lumine mirifico adeo illustratum fuisse, ut omnes stupore propemodum oppressi accurrerent 1. Maji apud Sur. Quid erit ergo splendor corporum gloriosorum.

Recreabuntur aures mutuo alloquio, nec non Angelorum ac beatorum omnium symphonia ad mirabili. Scimus è S. Francisci vita unum cythara tactum, ab Angelo editum ita mentem Francisc dulcedine permulsisse, ut putaret se in aliud sæculum migrasse. B. Christina obseratis januis per templum obambulans tantæ suavitatis promebat melodias, ut Angelicæ potius quem humanæ viderentur. Omnium enim musicorum instrumentorum harmoniam, mortalium omnium voces cantus il vincebat; quanquam longè adhuc suavior harmonia audiebatur inter ejus pectus & guttur, cum il mente excessisset; ita ut nemo mortalium eam ul arte imitari posset, ut in ejus vita. 23 Junii Su. Quid erit audire beatos illos tot tamque diverso quid Angelos beatorum laudes decantantes?

Recreabuntur nares odore mirifico ex ipsis beatorum corporibus prodeunte. Cæteri quoque sensus suis proportionatis delectationibus perfundentur, adeo ut omnes mundi hujus deliciæ quantumcunque augeantur, respectu cœlestium, non ni gutta, imò ne gutta quidem respectu oceani sint, quia inferioris ordinis sunt.

IV. At nonne etiam choreæ in nuptiis instituuntur? nunquid ergo & in cœlo? Facile hoc concesserim; id enim insinuatur Psal. 149. *Laudent nomen ejus in choro*, h.e. in tripudio, ut aliqui exponant. Et mox: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Ubi Hebr. *altas* significat tripudiare. Et Sap. 3. *Fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Tripudium hic erit 1. animæ cum corpore; quæ ibi mirifico amore sibi invicem gratulabuntur: anima corpori, quod sibi obediens fuerit: corpus animæ, quod ab ea bene gubernatum. Hic quidem inter se mutuò sæpius contendunt: anima sursum, caro petit deorsum ire: illa prorsum, hæc retrorsum tendit; ibi verò pulcherrimè secum convenient, & de mutuis obsequiis sibi congaudebunt. Gratiosè hoc descripsit & sensit se B. Christina, virgo mirabilis de oppido S. Trudonis, quæ obiit Anno Dom. 1224. Hæc enim postquam annis aliquot corpus suum pro defunctis in purgatorio diris & miris modis afflixisset, *ingressa templum ibi coram altari haud aliter atque saccum quendam aridis ossibus plenum sese humi abjecit, graviterq; gemiscens & crebro pugnis pectus & corpus verberans, ita dicebat: O miserum & miserabile corpus. quamdiu me miseram cruciabis? quousq; tandem me retardabis à Christi conspectu? Quando tandem missam me facies, ut anima possit libera reverti & evolare ad Creatorem suum? Væ tibi corpus miserrimum, & væ mihi, quod conjuncta sum tibi. Hæc & id genus alia dicens, tundebat pectus suum. At rursum* ...

pus

poris partes agens dicebat ſpiritui : O anima miſera cur adeo me affligis? ecquidnam te retinet intra me, aut quidnam eſt in me, quod te delectet? Cur non pateris me redire in terram, unde ſumptum ſum, ut illic quieſcam, donec in noviſſimo magni judicii die tibi reſtituor? Quare non proficiſceris ad requiem tuam, ut potioribus fruaris bonis in illis ſedibus ſempiternis? Hæc dicens, ducebat alta ſuſpiria, & anhelo pectore lachrymas fundebat. Deinde paululum quieſcens & cum ſilentio & ſancta meditatione in Deum ſyncerius incaleſcens, in dulciſſimum riſum ſolvebatur: apprehenſoſque pedes manibus ſuis cum ingenti affectu oſculabatur plantas ſuas, ita dicens: O mihi ſuaviſſimũ & feliciſſimum corpus, cur ita te verberavi? cur ego his te conviciis proſcidi? An non mihi morigerum te præbuiſti ad quævis rectè facta & bona opera, quæ Deo authore facienda ſuſcepi? Tu certè cruciatus & labores placidiſſimè ac patientiſſimè tolerasti, quos ſpiritus à te exigebat: rurſusque oſcula repetens, dicebat: Age nunc comiter, ſuſtine optimum mihique gratiſſimum corpus meum: aderit propediem finis laboris tui: jam in pulvere requieſces, jam dormitabis paululum: ac demum canente tuba reſurges omnis corruptionis expers, rurſusque animæ ſociaberis in illis gaudiis ſempiternis, quam in hac vita mœroris & doloris ſociam habuiſti. Talibus verbis & oſculis blandite demulcens corpus ſuum, poſt horam in illud quod diximus, admirabile jubilum prorupit, tantaq; in homine interiori jucunditate complebatur, ut corpus ejus rumpi videretur. Revera mirabilis Deus in ſanctis ſuis, & in Christiana ſua, ut ita dicam, ſuper omnem admirationem mirabilis. Ita Thomas Cantiprat. in ejus vita.

II. 2. Superiores cum ſubditis, parentes cum liberis, magiſtri cum diſcipulis, heri cum ſervis, quos per ſeveriorem diſciplinam ad frugem perduxerunt atque ſalvarunt. Unde qui prius eorum ductum & diſciplinam velut ſibi adverſam ægre ſequebantur, poſtea videntes ejus fructum, ſibi gratulabuntur eiſque gratias agent; quo modo credendum eſt Lothum & filias, qui prius ægrè ſequebantur Angelos ductores, poſtea ubi retro audierunt ſtrepitum igneæ pluviæ, cum iiſdem ſaltando & currendo profugiſſe, Gen. 19. Sic Magiſter diſcipulum, quem prius ſtimulare & objurgare ſolebat, quaſi ei infenſus videretur, tandem producit in theatrum & præmio condecorat; ducit in cathedram ſummo cum honore & gaudio, eique lauream Magiſtralem vel Doctoralem imponit. Tunc demum amari incipit à diſcipulo. Denique omnes omnino beati exultabunt continuo præ gaudio, quod evaſerint laqueos mundi & naufragia hujus vitæ, ſintque jam in portu & ſecura ſtatione æternæ felicitatis. Quod inprimis SS. illi martyres Gereon & ſocii teſtati ſunt Coloniæ, cum S. Evergiſlus Archiepiſcopus Colon. eorum templum ingrediens dixit: *Exultabunt Sancti in gloria.* reſpondet enim: *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Ut in ejus vita.

Jam dicite Audit. ān tales aliquando nuptias aut videritis, aut ſperare in hoc mundo poſſitis? nullibi certè niſi in cœlo. Ad has vos invitamini: Beati ſi omnibus impedimentis neglectis eas adieritis: infælices, ſi ſpreveritis. Ad ſpectacula & comœdias, ad ſplendida convivia, ad choreas celebres avidè currunt homines. Et quid hæc puerilia & momentanea? En tibi in cœlo ſpectacula, convivia, choreas perpetuas, omnis generis deliciis & gaudiis pleniſſimas. Venite ergo ad nuptias.

THEMA II.

Quinam potiſſimum cœleſtes nuptias negligant

I. Qui nuptias illas ſpernunt.
II. Qui terrenis bonis nimio amore adhærent.
III. Qui ſe nimium implicant variis negotiis.
IV. Qui non credunt verbo Dei.

Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam. Matth. 22.

INterrogo vos Auditores. Quis non jure doleret, imò & indignaretur, ſi lautiſſimum convivium amicis apparaſſet iique condixiſſent, tempore vero convivii audiret omnes quæſitis variis prætextibus convivium reſpuere, ita ut cogeretur obvios quoſque pauperes vocare? Scimus ſane Reginam Vaſthi ab Aſſuero repudiatam, quod ad convivium vocata non comparuiſſet, Eſther primo. Legimus etiam in Dubravio libro ſeptimo Bohemicæ hiſtoriæ Udalricum Bohemiæ Principem à Syba Verſovicenſi Dynaſta ad convivium invitatum, & cùm is abnueret, ſubornatum à Syba inſidiatorem, qui eum ſagitta venenata occideret. Feriit ſagitta capillos & tranſiit juxta aurem ejus in vicinum murum. Contingit vero hoc ipſi Domino Deo, qui nobis apparavit pluſquam regium in cœlo convivium. Et condiximus in baptiſmo, nos comparituros, Et tamen ecce plerique omnes fidem fallunt: ita ut cogatur Dominus mittere ad exitus viarum & introducere pauperes & vagos. Hocne feret Deus? non vibrabit arcum ſuum? Vibravit certè, & ſonus ejus tranſiit juxta aures noſtras, cum audivimus in Evangelio: *Rex autem cum audiſſet, iratus eſt & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos & civitatem illorum ſuccendit.* Quæ vero cauſa eſſe poteſt, quod ad tam opiparum convivium venire nolint homines? Audiamus.

I. Aliqui neglexerunt; qui nuptias illas non magni æſtimarunt, vel non magnopere ad ſe pertinere exiſtimarunt, vel aliorum exemplo ducti emanſerunt. Simili ratione multi ſalutem ſuam negligũt; quia *I. Qui nuptias illas ſpernunt.*

quia non æſtimant bona cœleſtia, vel quia contemptores cœli alios ſequuntur, ſimiles filiis Jacob, qui cum altero jam anno penuriam paterentur, non tamẽ circumſpiciebant nec providebant ſibi de annona. Gen. 42 Unde eis pater: *Quare negligitis?* (Hebr. *ut quid vos ipſi aſpicitis?*) *audivi quod triticum venundetur in Ægypto; deſcendite & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere & non conſumamur inopia.* Quid magis neceſſarium quam annona in futurum ſæculum, ut vitemus æternam illam famem inferni? Et tamen ſæpe alter alterum aſpicit, quid hic vel ille agat, de propria ſalute parum ſolicitus. Crediderim filios Jacob creſcente penuria miſerè vitam toleraſſe, furfures comediſſe & glandes, &c. hiſque utcunque refectos, meliora non inveſtigaſſe. Sic mundi amatores ſiliquis hujus ſæculi contenti, cœlum non quærunt. Sed nihil eſt hic quod nos ſatiet; horreum cœli quærendum, ſi ſaturari volumus. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, ait Pſalmus 16. Confundentur iſti ab apibus & formicis aliiſque beſtiis, quæ provident ſibi annonam in futurum, & ne unum quidem diem ſerenum negligunt, quin laborent & commeatum parent. Unde Salomon Proverb. 6. ait: *Vade ad formicam ô piger & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem ac præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi & congregat in meſſe quod comedat.* In quem locum Sanctus Hieronymus ſcribit: *Si tantillum animal principe carens & rationis expers natura duce ſibi providet in poſterum, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, doctorum magiſterio adjutus, ipſum conditorem habens ducem, debes in præſenti bonorum operum fructus congregare quibus in æternum vivas in futuro. Hæc etenim vita in eo meſſi comparatur & æſtati, quod nunc inter ardores tentationum tempus eſt colligendi futurorum merita præmiorum: at dies judicii hyemis ſimilis rigoribus; quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi: ſed tantum cogitat quiſque de horreo propriæ actionis, quod recondidit proferre. Unde Dominus præcipit dicens: Orate ut non fiat fuga veſtra hyeme.* Sic Hieronymus. Quid? nonne omnes hoc tempore occupantur in colligendis frugibus & vindemiis, pro futura hyeme? At vero conſiderandũ eſt, quia æternitati vivimus immortales, etiam illi providendum eſſe. Ridebimur alioquin, ſicut cicadam à formica fabulantur deriſam, quando in hyeme annonam petiit, dicente ea: *Æſtate cantaſti, hyeme nunc ſalta.* Quam putatis doluiſſe Ægyptios agricolas qui in ſeptem annos fertilitatis nihil ſibi repoſuerunt, venientibus ſterilitatis annis? ô nos inſipientes, dicebant, qui non audivimus prædictionẽ Joſeph, nec ſecuti ſumus exemplũ ejus recondenris ſibi in futurũ annonam! Ecce jam experimur annos ſterilitatis, de quibus nos monuerat, &c. Et quemadmodum illi ſeipſos tandem vendere Pharaoni in ſervitutem coacti ſunt: ita ignavi illi vendentur Cacodæmoni in ergaſtulum gehennæ.

II. Alius abiit in villam ſuam. Sub tali prætextu nuptias cœli negligunt, qui terrenis bonis nimium adhærent. Et 1. dum vilibus & quaſi villanis innati ſordibus meliora & ſuperna non capiunt nec cupiunt. Ita ruſticus ille, qui à Gregorio Pp. 13. prima vice lautis epulis more aulico tractatus, cum interrogaretur, quinam habitus eſſet? male, reſpondit. Poſtero die more ruſticano vilibus & ruralibus cibis appoſitis, optimè ſe paſtum reſpondit. At hoc agricolæ dicunt. Nos Chriſtiani ſcire debemus meliora & cœleſtia nobis parata eſſe. Hodiernum enim Evangelium ad delicatiſſimas epulas nos vocat, ad tauros & altilia, id eſt, ad optima & optatiſſima quæque; addens omnia parata eſſe; quia in cœleſti convivio nihil deeſt, id quod requirit appetitus humanus alioquin inſatiabilis. Idipſum Iſaias cap. 25 prædixit: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, & præcipitabit mortem in ſempiternum.* Ad has epulas omni dulcedine plenas invitamur Chriſtiani.

2. Dum præſentia etſi modica præferunt futuris, licet immenſis. Villa dat quidem parata bona, modica tamen, quotidie ſcilicet aliquid, ova, pullos, lac, vitulos, fænum, frumentum; aula dat futura & poſt annos ſervitio diuturno impenſos, ſed dat magna. Quare ſicut multi villam potius, quam aulam amant: ſic & terram potius quam cœlum; quia hoc in futurum ptomittit: illa jam dat. Tales filii Ruben & Gad. Num. 32. qui vicini jam terræ promiſſæ, cum haberent pecora multa & viderent terræ fertilitatem citra Jordanem, & paſcua uberrima, noluerunt trajicere fluvium, ad quærendam ſibi ſedem. Qui propterea à Moyſe acriter reprehenſi ſunt: *Nunquid fratres veſtri ibunt ad pugnam & vos hic ſedebitis?* Jure longè majori increpandi ſunt, qui hujus vitæ modicum bonum immenſo anteponunt vitæ alterius. Pecorum eſt hoc, non hominum, præſentia tantum quærere; de quibus Oſeas c. 10. ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* quia mavult ſcilicet triturare quàm arare, cum in tritura poſſit ſimul vorare, in aratura non item, ſed debeat expectare meſſem. Non idem ſenſus eſt agricolarum, qui ſpe futuræ meſſis libenter etiam arant. Deinde nonne omnes fratres noſtri, Beati, cœlum expugnare & Jordanem trajicere debuerunt? Et quam multi alii Chriſtiani viri, mulieres, parvi, magni, religioſi, ſæculares contendunt ad cœlum? Nonne contra fidem Baptiſmi agimus, ſi in terra remanere velimus? Denique nonne videmus, quam vicini ſimus terræ promiſſæ? quam vicinus mortis ſeu Jordanis tranſitus

III. Alius diſceſſit ad negotiationem ſuam. Hoc prætextu retinentur à cœlo, qui nimium implicant ſe negotiis, variis & variis; unde nunquam ſe extricare & tempus nanciſci queunt ad audiendum ſacrum, ad confitendum, communicandum, orandum

Simi-

Similes Hebræis, Pharaoni servientibus, à quo oppressi operibus luti & laterum & conquirendarum palearum, vix tempus respirandi habebant; unde non audierunt Moysen evocantem eos in terram promissam, ut habetur Exod. 6. Sentiunt hoc plurimi, qui non possunt se expedire à suis negotiationibus, commerciis, ædificiis, litibus, servitiis, ut vacēt Deo & rebus piis ac saluti suæ: quemadmodum & Salomon sese occupavit in extruendis palatiis, hortis, piscinis, vineis; navigiis in Tarsum missis pro simiis, pavonibus, dentibus eburneis, auro & argento: curam animæ suæ interim neglexit. Sed nonne hi desipiunt, dum puerilibus se negotiis dedunt, & negotiorum omnium maximum negligunt? *Nemo militans Deo*, ait Apostolus 2. Timothi 2. *implicat se negotiis sæcularibus.* miles enim non opificium, non mercaturam, non studium tractat, sed militiam. Unum est negotium maximum, animæ salvandæ, de quo 1. ad Thessalonic. 4. dicitur: *Vestrum negotium agatis.* Similes sunt isti pueris, de quibus Sanctus Chrysostomus homilia 80. in Joann. ait: *Pueri magna non desiderant, vilia solent admirari, currus, equos, aurigas, rotas luto factas, hoc aspectu delectantur. Quod si Regem in curru aureo sedentem & mulos albos junctos & eximium cultum viderint, ne respiciunt quidem. Tales nonnulli nunc viri reperiuntur, nulla his cœlestium cura, sed ad lutea tanquam pueri obstupescunt & terrenis divitiis blandiuntur, & gloriam & voluptates hujus sæculi magni pendunt, quæ ita puerilia sunt ut illa. Quæ vero & vitæ & gloriæ & requietis causa sunt, non curant, sed ut pueri his privati deflent, illa autem ne desiderare quidem norunt: ita & multi in ætate profecta, Ideo: inquit, Nolite pueri fieri sensibus.* Sic Chrysostomus. Nimirum ut infantes illi, qui in carcere nati & educati sunt, nihil eorum, quæ in mundo sunt, magni æstimant aut desiderant, quia nihil norunt nisi ea, quę in ergastulo sunt: ita miseri isti in his mundi tenebris enutriti, quia cœlum non considerant, nil nisi terram cogitant & amant.

IV. Alii tenuerunt servos Regis & contumeliis affectos occiderunt. Hæc impudentia illorum est, qui non credunt verbo Dei, vocanti eos ad nuptias cœli, neque ejus præconibus, sed calumniantur inanibus eos minis ludere & terrere homines, quales sunt athei & pseudopolitici, qui nullam aut certe modicam fidem habent; quo modo Ægyptii illi, monente Moyse, ut caverent, sibi & pecoribus suis eaque in secura loca reducerent quod omnia quæ in agris manerent, grandine perimenda essent neglexerunt ac spreverunt verbum hoc; unde & grandine perierunt una cum pecoribus. Exod. 9. Imo & ipsi Hebræi *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. non crediderunt verbo ejus.* Ps. 105. quod videlicet esset terra tam bona & fertilis. Ægyptii quia pluviam à cœlo non expectant, sed inundationem duntaxat à Nilo, quando Sol perambulat signum Leonis; ideo cœlum non curant, sed præcisè ad Nilum attendunt. Unde de illis Seneca lib. 4. nat. quæst. c. 2. ait: *Nemo aratorum cœlum aspicit*, econtra Leonem amat & undique capita leonum ficta canalibus affigunt, teste Caussino in Symb. Ita mundi amatores, quia de terra tantum suam fœlicitatem expectant, cœlum nihil curant; quia vitam alteram non credūt hinc cœlum non aspiciunt: ad Nilum tantum attendunt, ad reditus & proventus suos annuos, ad agros & vineas, ad greges & armenta, ad prædia & arces, ad mercaturas & industrias suas: colunt solum Leonem, Principem, opulentum amicum & fautorem suum, sicut meretrix illa Ose. 2. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum & potum meum.* An non talis fuit ille Nobilis apud P. Jerem. Drexel. lib. de cœlo l. 1. cap. 8: qui in convivio sedens dixit: *Si mihi Deus facultates meas ac voluptates ea lege transcriberet, ut in annos mille meo arbitratu liceret iis frui, ego me hercle suum Deo cælum non inviderem. Cantarem libere Cœlum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Vita mihi voluptaria ad mille annos extensa pro cœlo foret.* Bene in hunc exclamat Auctor, *ô agricolam! ô scrofipascum! imo ô porcum & scrofam! Hæccine oris Christiani vox?* Atheorum hæc vox est, & eorum, qui animam una cum corpore extingui sibi persuadent, nullamque alterius vitæ beatitudinem esse sibi imaginantur. Quid faciamus talibus, qui nullam sacris litteris fidem habent? Quæramus rationes alias, quibus eos convincamus, vel saltem ad absurda deducamus.

Animæ immortalitas comprobatur.

1. Inprimis deprehendimus in anima illimitatam & insatiabilem cognoscendi & appetendi vim, etiam eorum, quæ nullum habent ad commoda corporis ordinem, sed quæ merè spiritualia & æterna sunt, quibus etiam potissimum delectatur & gaudet. Non ita bruta animantia, quæ nihil norunt aut appetunt, nullaq; re delectantur aut dolent, nisi quatenus ea corpus bene aut male afficit. Hinc patet animam hominis ex natura sua corporalia omnia transcendere, adeoque spiritualem & immortalem esse.

2. Adhæc sapientissimus ille Rex Aragonum Alphonsus *maximū argumentum immortalitatis sibi videri dicebat, quod corpus in hac vita decrescere videmus, ac per omnia membra sua quasi fines & terminos habere: animos vero quanto magis ad annos accederent, tanto magis intelligentia, virtute & sapientia crescere;* uti scribit Panormit. l. 4 gestorum ejus n. 37. Rursum deprehendimus innatum nobis immortalitatis & beatitudinis perfectæ insatiabilē appetitum. Hinc nemo non quærit sibi nomen & famam immortalem: hinc posteris scribunt libros, erigunt sibi monumenta in structuris, Epitaphiis; hinc appetitus liberorum & posteritatis, in qua post mortem etiam vivant. Hic autem appetitus à Deo & natura est, cum innatus sit, sicut cani appetitus venandi feras, allatrandi exteros & fures, cato comprehendendi mures, accipitri capiendi aves &c. Nihil autem à Deo frustra factum; igitur appetitus hic expleri immortalitate debet.

Adhæc plurimi, etsi mortem corporis horremus, fluxam tamen hanc vitam parvi æstimant, ponendo eam pro laude, fama, libertate, vitando dedecore, virtutis pulchritudine, ut vitam alteram beatiorem consequantur vel saltem immortalem sui memoriā posteris relinquant. Argumentum igitur hoc est superesse animo humano talem vitam.

4 Præterea si anima hominis una cum corpore interit, sequetur summum hominis bonum esse in corporis commodis & hujus vitæ voluptatibus carnalibus, eritque verissima illa perversorum sententia: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*. Isaiæ vigesimo secundo. Itaque sapient illi & quidem soli, qui ventri & abdomini serviunt, ebrietati & scortationi vacant & in omnia vitiorum genera se projiciunt vitamque porcorum vivunt. Quin etiam beatiores erunt, qui fuerint sceleratiores, carni videlicet ejusque deliciis magis mancipati: infæliciores contra erunt qui virtutibus & pietati & sapientiæ student; quia illi ad finem & summum bonum suum propius, quam isti accedunt. Nec solum beatiores, sed & laudabiliores erunt, quia laude dignum est sectari summum bonum, eoque in tempore frui. At quis nescit istud contra omnium hominum sensum & opinionem esse? Quis enim unquam magis laudavit vitia quam virtutes? vitam Epicuream quam Christianam & religiosam? Quis improbos & perversos laudibus celebrare, ne dicam præferre sanctis viris, ausus est?

Quinto ex illa vanissima opinione sequitur pejorem esse conditionem hominum quam bestiarum, quarum tamen ille dominus est. Natura enim humana innumeris subest ærumnis, quarum expers est belluina. Assidue enim cruciatur curis & solicitudinibus, exagitatur timoribus & inprimis metu mortis, quē bruta nequaquam apprehendunt: tabescit invidia, conficitur mœrore, cruciatur desideriis uritur aliena prosperitate. Taceo paupertatem, servitutem, exilia, carceres, morbos omnis generis, labores, infamiam, bonorum jacturam aliaque innumera mala, à quibus bruta exempta sunt. Quinimò melius foret & congruentius naturæ, hominem nunquam extitisse, quam accepisse animum tot miseriis & morti simul obnoxium: cum bona, quæ homo in corpore percipit, nequaquam æquare mala, quæ experitur, possint.

Sexto sequitur nullam prorsus ullius virtutis aut honestatis habendam esse rationem, cum nihil inde sperare commodi, nullus laboris fructus queat. Itaque perinde erit furari ac dare eleemosynas, occidere & servare hominem, mentiri & vera loqui. Licebit ad consequendam voluptatem velut ultimum finem pejerare, rapere, mactare, adulterari &c. denique nullum foret peccatum, adeoque nec plecti à Magistratu possent improbi. Quis autem adeò atheus & insanus est, ut hæc dogmata probet? Quis nescit plurimum referre, utrum quis insanus hominem occidat; an alter, qui est sanæ mentis? illum pœna dignum, hunc commiseratione duntaxat esse? quis nescit punienda & culpanda scelerā, virtutes commendandas & præmiandas?

Septimo sequetur nullum esse Deum, nullamque ejus providentiam. Si enim Deus est, utique justus est, & proinde bonos remunerabitur, malos condemnabit. At vero id fieri in hac vita communiter non videmus, sed contrarium potius; impios exaltari, honorari, deliciari, dominari: pios deprimi, sperni, affligi, subigi. Ergo concedenda est altera vita, in qua cuique tribuatur; quod meretur & suum est.

Octavo figmentum illud eliditur ex conscientiæ flagello, quo impii cæduntur, & adeo quandoque ut ferre illud nequeant, & vitam potius sibi abrumpant. Hinc conantur quidam variis modis remorsum illum opprimere, vix tamen unquam possunt nisi plane obstupefiant. Hic vero certissimum futuri iudicii præsagium est & vindictæ, quæ sceleratos post hanc vitam manet.

Denique ut alia plurima taceam, quæ doctè in hanc sententiam proponit noster Lessius in tractatu de animæ immortalitate. Si cum corpore extinguitur anima, nulla prorsus politia stare posset. Quis enim sibi metuet audere omnia scelera, necare ipsos Reges & Magistratus & quoscunque sibi adversantes, si nihil eum manet præter extinctionem suam? Pereant ego, dicet impius, modo & iste pereat. Pauperes, ærumnosi, afflicti, oppressi necabunt proles suas, imo & seipsos; quis enim non malit cito & semel mori, quam diu in tormento & miseria vivere? At pauperibus sublatis mundus intereat necesse est, ut alibi ostendimus. Abominemur igitur & execremur illos, qui talia sentire vel loqui non erubescunt. Recedamus quoque ab illis, qui ob vanissimos prætextus à cœli nuptiis se excludunt. Pereant illi, si ita volunt, sed pereant sine nobis; qui fidem Christo in baptismo dedimus, nos omnibus posthabitis ad has nuptias accedamus, ad quas vocati sumus &c.

THEMA IV.

Deum ubique præsentem esse, rerum omnium inspectorem.

I. *Testatur id sacra Scriptura.*
II. *Ostenditur exemplis,*
III, *Ostenditur ex ratione.*
IV. *Confirmatur ex lumine naturæ.*
V. *Confirmatur ex Gentilium placitis.*

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes. Matth. 22.

MIrum Audit. quomodo homo ille non instructus veste nuptiali ausus sit intrare ad convivium nuptiarum. Quis enim vadens ad nuptias, non

ornatiorem sumit vestem? Non invenio causam aliam, nisi quia forsan putavit, se a Rege non videndum in conferta multitudine, suique quasi unius hominis rationem non habendam qua in re magnopere se errasse suo malo expertus est. Communis est hic error penè omnium peccantium, & quidem perniciosus. Dicite enim mihi; quid est, quod non unus sed innumeri mortales in Ecclesia militante, non una alterave hora, sed totis diebus, mensibus, annis versari coram oculis cœlestis illius Regis, sordidi & peccatis contaminati audent? Non invenio aliam causam, nisi quia se & ipsi latere posse existimant, nec videri in tanta hominum multitudine à Rege illo, tam procul à nobis, ut videtur, existente. Sed decipiuntur miseri; ac licet non statim objurgentur & ejiciantur, fiet tamen id suo tempore, nisi resipiscant. Hinc igitur monet Ecclesiasticus capite 16. *Non dicas: à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar. Quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* Quo modo videlicet discipuli in magna & frequenti schola garrientes: fures in conferta turba bursas præscindentes latere utcunque possunt. Non sic coram oculis Dei, qui ad singulos ita attendit uti ad omnes; quia *ecce cœli cœlorum,* addit ibi Ecclesiasticus, *abyssus & universa terra & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur.* quia totus mundus coram eo non est nisi atomus unus. *Ecce gentes quasi stilla situlæ & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus, &c.* Isa. 40. Facilè igitur quidquid in universo mundo est, uno intuitu cōtueri & penetrare potest. Quæ res, ut magis & potentius cordi nostro imprimatur, confirmanda est argumentis pluribus.

I. Testatur id passim Sacra Scriptura clarissimis verbis; uti Jerem. 23. *Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè? si occultabitur vir in absconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus! nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* q.d. nolite cogitare, quod ego, quasi in cœlo sub nubibus lateam & longissimè absens circa cardines cœli perambulem, nec sciam, quæ in terra fiunt, ut dicunt impii aliqui, Job. 22. *Quid novit Deus? & per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Ego enim è cœlo velut altissima specula omnia inferiora intueor. Similiter loquitur Ecclesiastici 23. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius. Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus* (Græcè: *decies millies*) *lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Sol non aspicit oppositum nobis terræ hemisphærum, nec profundum maris, nec quæ in terra latent, multò minus quæ in corde hominis; ea omnia tamen Deus videt & omnino penetrat. Idem inculcat Ecclesiastici 16. versu 16. & sequent. Concione David Psalm. 138. *Quo ibi à spiritu tuo & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me.* Eodem modo loquitur Amos. nono. *Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti & mordebit eos, &c.* Scribit Herodotus libro quarto. Persarum Regis Darii exercitum in expeditione Scythica rerum inopia laborasse, eoque intellecto tres Scytharum Reges, Scopasin, Taxacin & Indathyrsum misisse ad eum caduceatorem cum muneribus, ave, mure, rana, & quinque sagittis. Voluerunt autem eo munere, uti Gobrias Persis interpretatus est, illis denunciare hoc: *O Persæ nisi ut aves subvoletis in cœlum, vel ut mures subeatis terram, vel ut ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis eo unde venistis; his nimirum sagittis conficiendi.* Demonstratum id eventu, cum Darius turpi fuga consulere sibi debuit. Magnum ergo timorem incussit hæc denunciatio Dario, Regi potentissimo licet. Qualem non incutiat Dei denunciatio, quem nec in cœlum evolantes, nec terram subeuntes, nec in mare desilientes possumus effugere? Accedit Job, qui etiam omnes vias & passus nostros à Deo in numerato haberi ait capit. 13. *Observasti omnes semitas meas & vestigia pedum meorum considerasti.* ad instar scilicet Venatorum, qui ferarum semitas & vestigia observant, ut eas capiant & mactent. Et cap. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* moxq; explicans eos gressus, addit: *signasti quasi in sacculo delicta mea.* ad instar scilicet pecuniæ, quæ in diversis sacculis reposita inscriptum habet numerum; ad tempus quidem colligata, sed suo tempore depromenda. Plus addit Dominus Matt. 10. *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* In quem locum sanctus Augustinus sermon. de verbis Domini: *Quanto magis mores nostri, inquit, cui sic noti sunt capilli nostri?* Ponderabat Absalon capillos capitis sui semel in anno 2. Reg. 14. sed non ponderabat, minus numerabat capillos cordis sui, peccata sua; idcirco periit, quia numeravit Deus. Numeravit etiam regnum Baltasaris & complevit illud, tradendo eum gladio Cyri, Dan. 5. Numeremus nos delicta nostra & ponderemus, ne id Deus faciat cum confusione.

II. Potest eadem veritas ostendi variis exemplis. Quando Adam peccavit in paradiso una cum Eva, quis præter illos adfuit? Et nonne Deus mox deprehendit illum, etiam absconsum & indicavit ei peccatum suum? Genes. 3. Cain fratrem interfecit, *II. Ostenditur exemplis.*

& cadavere ejus abdito, rem clam fore putabat, ait Josephus lib. 1. Antiq. cap. 3. Verùm Deus : *Ecce vox sanguinis fratris tui*, inquit, *clamat ad me de terra.* Gen 4. q. d. sanguis & cadaver ejus stat coram me ultionem petens. Fugere etiam à Deo conabatur Jonas, quando inscendēs navim navigavit in Tharsis, & descendit in interiora navis, quasi Dei conspectum hoc modo fugiturus, saltem eo fine, ut ne à tam longe dissito loco revocaretur in Niniven. At vero immissa tempestate, & jacta sorte mox deprehensus est, & in mare projectus. *Ecce fugitivum Dei*, ait S. Gregorius 6. moral. cap. 13. *tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Qui ergo Deum fugere cupiunt, non quidē effugiunt, sed de attributo in attributum Dei, à clemente fugiunt ad iratum: sicut Jonas ad navim, tribus tantùm digitis à morte distantem; ad procellosum mare, ad immanem belluam, à clementissimo Deo fugit. Denique Achan, ex toto Hebræorum populo unicus fur fuit, qui furtum suum in terra abscondit, tamen visus est & proditus. Jos. 6. Quis igitur à Dei oculo tutus erit: quando hic unus in tanta multitudine non latuit? Quid quod etiam Deus sæpissimè sanctis etiam servis suis perspicaciam hanc concessit, ut longè distantia cernerent atque audirent, ac si præsentia illis forent? Mutarat habitum uxor Jeroboami, ut aliam se simularet, vadens ad Ahiam Prophetam, interrogatura de valetudine filii. Sed Propheta, licet præ senio cæcutiens, è sonitu pedū mox eam deprehendit, à Deo primum edoctus, & dixit: *Ingredere uxor Jeroboam; quare aliam te simulas?* 3. Regum 14. Ergo & qui mentiuntur ac se transformant in alios, patent servo Dei & non patebunt ipsi Deo? Cucurrit Giezi, servus Elisæi, post Naaman Syrum, & emunxit dolo munera, mentiēs insuper domino suo, se non ivisse quoquam. At quid ipsi Elisæus? *Nonne cor meum in præsenti erat quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* 4. Reg. 5. Simile est quod de S. Martino refert Gregorius Turon lib. 2. Hist. Franc. cap. 2. Cùm enim Brictius ejus discipulus absentem procul Martinum, delirum appellasset, postea Martinus placida voce eum compellans; *Nū ego Bricti delirus tibi videor?* Cumque ille turpiter confusus, dixisse id se negaret; *Nonne aures meæ*, ait Martinus, *ori tuo adhærebant, cùm hæc eminus loquereris?* S. Anselmus in lectulo jacens, dum secum meditatur, quomodo Prophetæ viderint absentia, & futura, repēte illuminatus videt per medios dormitorii & Oratorii muros fratres suos Monachos in templo occupatos pro apparatu Matutinorum; alios altare adornantes, alios luminaria accendentes, alium campanæ funem apprehendentem ad pulsandum. Ut in ejus vita. Ecce cor Elisæi, & aures Martini & oculi Anselmi adsunt longè absentibus, intra muros conversantibus, malè & bene operantibus, quasi coram agentibus, quid igitur non aderunt aures oculique Dei? Quid enim Deus, (à Græco δέ-ομαι quod est, *video*,) nisi *videns* & omnia contemplans? Et quid mundus nisi mare vitrum corā Deo? Apoc. 15. v. 2. Ut ergo vitrum pellucidum omnia demonstrat, quæ intus latent: ita Deo omnia manifesta sunt.

III. Idem ostenditur ex ratione, quæ convincit Deum necessario esse immensum, adeoq; ubivis locorum. Nam 1. si non esset immensus, posset eo aliquid majus & potentius magisque, in omnem partem expansum excogitari ac dari; unde Deus non esset. Rursum posset aliquid esse extra Deum, quod ab eo non foveretur ac conservaretur; quod esse nequit. Adhæc si non esset ubiq; & immensus, posset loco moveri & incipere esse in spatio, ubi nunc non est sicut mundus posset loco moveri per inane ad quodvis punctum & deserere hunc locum. Denique cùm sit infinitus entitate, debet etiam infinitus esse extensione. Sicut enim quantitas seu extensio sequitur entitatem rei: ita modus extensionis modum entitatis. Entitas Dei nescit modum seu terminum ergo & extensio. Ita ferè Lessius l. 2. de perfect. divinis c. 8.

Aliud argumentum suppeditat Psalmista psal. 63. canens: *Dixerunt* (impii) *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem; non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* q. d. fecitne Deus opus aliquod quod supra ipsum esset? potestne ignorare opus suum? potestne aliis dare, quod eminentius non habet? Facit huc, quod B. Petrus Damiani opusc. 3. c. 21. scribit: *Lynx tam incomparabile visus acumen habet, ut non modo quodlibet corpus solidum, sed & lapideos parietes penetret. Quod nimirum hoc modo probatur, quia si lynx ex una parietis parte consistit, caro vero altrinsecus ponitur, tanquam nihil intersit, ad eam protinus inhiat, atq; ut sibi præbeatur, anhelat. Si ergo mutum pecus tam vivax intuitus acumen habet, humanæ mentis intima Deus omnipotens quanto profundius videt?* sic ille. Quidquid de hoc sit, constat lynces acutissimum visum habere, ita ut *lyncei oculi* in proverbium transierint. Potuit igitur DEUS talem visum dare bruto animali, & ipse acutiorem non habebit centies millies?

IV. Idipsum confirmatur ex naturæ lumine. 1. Nemo, cùm Deum orat, dubitat exaudiri à Deo preces suas; alioquin enim frustra, & stultè oraremus. At omnibus hominibus à natura insitum est ut Deum in necessitate invocent. Ita enim & Gentiles illi nautæ, qui vehebant Jonam, *invocarunt unusq; Deum suum*: Jon. 1. Et illi sacerdotes Baal 3. Regum 18. *clamarunt ad Deum suum: transiliebant quoque altare, & incidebant se lanceolis*: proinde non solum audiri se, sed & videri à Deo suo credebant; decepti in hoc solo, quod falsum & fictitium Deum invocarint. Jam si natura hominibus persuadet, audiri eorum preces à Deo; quis dubitare potest, se ac co-

ab eodem videri? Sanè viſus multò longiùs ſe extendit, quàm auditus, ſi de humanis loquamur ſenſibus: non ergo difficilius eſt Deo videre homines, quàm audire, etiam ſubmiſſa ac preſſa voce orantes. Accuſat igitur & convincit ſeipſum homo, ſi in oratione quidem ſe componat ad modeſtiam & pietatem, extra orationem verò fræna laxet impudentiæ & levitati. Nunquid enim Deus videt nos orantes ſolùm, & non peccantes? Num in montibus adeſt tantum, & non in vallibus & campeſtribus, uti credebant Syri? 3.Reg.20. Sola ergo philautia decepti, putamus nos latere, cum male: patere verò, cum bene agimus.

Rurſum naturale eſt hominibus calamitate aliqua preſſis, ut in cœlum ſuſpiciant, opem à Deo præſtolantes. Ita Suſanna illa inique accuſata *flens ſuſpexit in cœlum*. Dan.13. Similiter S. Stephanus inter iniquiſſimos Judices intendit in cœlum. Act.7. Itaque in tribulatione poſiti credimus nos Deo eſſe cōſpicuos, & auxiliū ab eo exſpectamus: cur non item aliis temporibus dum in proſperitate & voluptatibus degimus? Sed nimirum in proſperis & lætis toti in lætitiam & voluptatem effuſi omnia alia obliviſcimur: in adverſis demum nos colligimus & ad cor redeuntes, undique auxilia conquirimus, ſicque ad Deum recurrimus; non aliter ac dum ægrotare incipimus, Medicos vocamus & imploramus; quorum, dum valemus, plane obliviſcimur.

V. Idem ſtabilitur ex Gentilibus, qui & ipſi Diis ſuis omnia ſua patere crediderunt, tametſi in hoc errarunt, quod cum capere non poſſent, quomodo unus Deus omnia videret & gubernaret, poſuerunt plures Deos; alium, qui in cœlo; alium, qui terræ; alium, qui maris & aquis; alium, qui ſylvis præeſſet, &c. Teſtatur hoc de ipſis S. Paulus Actor. 17. illis verbis: *Sicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt:* Virgilius 4. Georg. Deum namque *ire per omnes terras tractuſq; maris cœlumque profundum &c.* Et Ecloga 1. dixit: *jovis omnia plena* eſſe. Aratus, quem citat Paulus: *Compi: a numine magno conciliumque virum complet, pelaguſque profundum & pelagi portus, fauimur Iove & utimur omnes &c.* Plato & ex eo Virg. 6. Æneid. Deum eſſe animam mundi dixerunt: *Spiritus intus alit &c.* Lucanus lib. 2. *Iupiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.* Ennius quoque apud Ciceronem l.2. de nat. Deorum. *Thales Mileſius*, ait Cic. l.3. de reg. *qui ſapientiſſimus inter ſeptem fuit, dicebat homines exiſtimare oportere Deos omnia cernere & Deorum omnia eſſe plena, & ita fore omnes meliores.* Idem Thales interrogatus poſſetne homo clam Deo crimen patrare? reſpondit; *ne cogitans quidem.* apud Laërt. l.1. Heraclitus eis, qui ad ſe inviſendi gratia veniebant, nec ingredi volebant quod in caſa furnaria eſſet: *Ingredimini, ajebat; quia nec huic loco Dii deſunt immortales.* Ariſtoteles de partibus anim. cap. ult. Plinius lib. 2. cap. 7. dixit: *Deus totus eſt ſenſus; totus viſus; totus auditus; totus animæ, totus animi, totus ſui.* Seneca epiſt. 41. *Prope eſt à te Deus,* ait: *& cum eſt, intus eſt. Sacer intra nos ſpiritus ſedet.* Ægypti Deum pinxerunt, ſpecie oculi baculo ſeu ſceptro inſiſtentis. Sceptro ejus univerſale imperium, oculo ejus univerſalem circumſpectionem & omniſcientiam denotantes; apud Pier. in hierogl. l.33.

Quando igitur hæc veritas tot firmatur teſtibus quis jam niſi planè inſanus audeat contradicere? Et ſi id nobis perſuademus, qui tandem fit, ut Deum omnia implentem omniaque cernentem præ oculis non habeamus, ſed adeò liberè vivamus, ac ſi longiſſimè abeſſet? Sane qui in hodierno Evangelio deprehenſus eſt ſordidus in conſpectu Regis, cauſam temeritatis ſuæ reddere non potuit, ſed obmutuit. Quid reſpondebunt Deo, qui ante ejus conſpectum degere in peccatorum ſordibus non verentur? utique & ipſi obmuteſcere debebunt. Nimirum ſicut infantes rationis uſu carentes, ſi manu faciem tegant, adeoque alios non videant, nec ſe videri exiſtimant: Et ſicut Struthio caput abdens ſub frondibus, totum ſe latere putans, facile in manus venatorum incidit: ita miſeri ratione deſtituti, dum ipſi Deum non vident, ſe quoque ipſi clam eſſe putant, ſicque in cacodæmonum manus veniunt. *Quid tam ſtolidum,* ait S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 14. *quam putare quod Deum quidquam prætereat? Si enim radius Solis fundit lumen ſuper terram, & in ea, quæ clauſa ſunt, ſe inſerit: quomodo non poteſt intelligibilis Dei ſplendor in cogitationes hominum & corda ſemet, quæ ipſe creavit, inſerere?* Deinde cauſam hujus ſtoliditatis afferens: *Nolunt,* ait, *ſupra ſe eſſe judicem, quem nihil fallat. Nolunt et dare occultorum ſcientiam, qui metuunt occulta ſua prodi.* Si impii & Athei, quò liberius peccent, negant eſſe Deum. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Pſ. 13. Sic inſani hæretici, ne Eccleſiæ præceptis ſubjicere ſe cogantur, dicunt Papam eſſe Antichriſtum. Sic libidine æſtuantes & inſanientes duo illi ſenes *everterunt ſenſum ſuum & declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum.* Daniel. 13. Viciſſim ſapientes ſunt, qui Deum præ oculis ſemper habent & præſentem cogitant, juxta id Eccleſiaſt. c.2. *Oculi ſapientis in capite ejus, ſtultus in tenebris ambulat.* Caput noſtrum Deus eſt: illuc convertendi ſunt oculi; alioquin velut ſtulti in tenebris ambulamus, ſi à Deo præſente oculus deflectamus. Et quid talibus continget aliud, niſi quod ſordido illi, quod in hod. Evangelio nuptiis ſe miſcuit, id: oque velut filius tenebrarum tenebraſque amans, miſſus eſt in tenebras exteriores? Quod à nobis avertat Deus.

THEMA V.

Documenta ex parabola.

I. *Dei bonitas & juſtitia longè alia eſt quàm humana.*
II. *Iræ Dei cum miſericordia conjuncta.*
III. *Mortis memoria coërcet homines.*
IV. *Filii ſibi ipſis nuptias non faciant.*
V. *Pauperes ferè ſunt qui ad cœleſtes nuptias veniunt.*
VI. *Multi vocati, pauci electi.*
VII. *Deus hic longanimis ibi ſeverus.*

Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, Matth. 22.

SOlent ad ſpectandas nuptias homines confluere, ſpectare & obſervare, quæ ibi ſint perſonæ, quo modo veſtitæ, quo ordine incedant quid agant, quid loquantur, nullo plerumque fructu, ſed majore damno, vel ſaltem inutili curioſitate. Proponuntur nobis in hodierno Evangelio nuptiæ regales, filii Dei cum Eccleſia: nuptiæ planè admirandæ, quales nunquam viſæ, ad quas contemplandas prodit ipſe Rex cœli & terræ, Sponſi filii Pater, *ut videret diſcumbentes*. Eamus igitur & nos ad ſpectaculum iſtud, non ſicut Rex intravit, ut judicaret diſcumbentes: ſed ut ſpectatores, non curioſi ſed induſtrii: ut videamus & audiamus, quæ ibi geruntur, ad colligendum fructum: quo modo argumentoſæ apes circumvolant de floribus in flores, ut melle conquiſito favum ſibi conficiant.

I. *Dei bonitas & juſtitia longè alia eſt quàm humana.*

I. Videmus Dei bonitatem & juſtitiam longè tranſcendere bonitatem & juſtitiam hominum, juxta id Iſa. 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Aſpicite bonitatem & benignitatem Dei. Vocat ad nuptias filii ſui omnis generis homines, divites & pauperes: & vocat ſæpius: rogat inſuper ut veniant, denique de trivio abripit obvios & ignotos quoſque, bonos & malos. Quis Rex inter homines hoc unquam faceret? Sed aſpicite juſtitiam. Cùm inter invitatos unus deprehenſus eſſet abſq; veſte nuptiali, ligatis manibus & pedibus ejectus eſt in tenebras exteriores Quis unquā Rex mortalis ita deſæviret in hominem, qui nuptias ſuas ſine ornatu acceſſiſſet? Quantum ergo Dei cogitationes & opera ſuperant humanas cogitationes & operationes? Bene David Pſalm. 100. ait. *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Et Pſalm. 18. appellat Dei filium *ſponſum* ſimul & *gigantem: Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo exaltavit ut gigas ad currendam viam.* Quid ſponſo gratioſius? quid gigante horribilius? utrumque Deo competit; quod explicans ſanctus Auguſtinus ſermone duodecimo de Tempore. *Ad hoc*, ait, *ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam, amabilis & terribilis: ſeverus & ſerenus: pulcher bonis, aſper malis.* Eundem Pſalmo 44. depingit David primò velut *ſponſum ſpecioſum forma præ filius hominum*, addens: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*; paulo vero poſt accingit eum gladio & armat ſagittis acutis: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Sagittæ tuæ acutæ populi ſub te cadent &c.* Interim tamen homines plerique Deum tam bonum & tam juſtum minus curant æſtimantque, quam hominem Judicem aut Regem quemcumque; ſpernunt enim Dei vocationes, filii ejus cœleſtes nuptias negligunt & viliſſimis ſuis negotiationibus poſthabent, denique ſervos ejus vulnerant & occidunt. Quid mirum ſi etiam Dei judicia & ſupplicia ſeveriora ſint in illos: Solemus ſubinde dicere puero petulanti. Quare es tam improbus? neſcis quam auſterum habeas patrem? Idem nobis de Deo in hod. Evangelio dicitur. Audimus quàm tremendo & horrifico fragore detonuerit in hominem non veſtitum nuptialibus & nihilominus quàm multi ſedent in Eccleſia inter ſanctos & innocentes, edunt, bibunt cum illis fruuntur Dei verbo & ſacramentis, interim tamen hærent in ſuis ſordibus & in illis obſordeſcunt, nec timent Deum tam ſeverum.

II. Videmus iram Dei cum miſericordia conjunctam, juxta id Tobiæ 2. *Cum iratus fueris, miſericordiam facies.* Etenim cùm invitati ſpreviſſent Regis convivium, & ſervos indigne accepiſſent, Rex ubi id inaudiit, *iratus miſſis exercitibus perdidit homicidas illos.* Ergo priùs collegit miſitque exercitum ut ſubditi adventantis rumorem audire, ſibique conſulere ac legationem ad Regem expedire poſſent petereque ea, quæ pacis ſunt; tametſi id non fecerint. Exercitus Dei ſunt varii, quas in vita reprobis immittit, plagæ, ut per eas emendentur, bellum, peſtis, fames, grando, pruina, ſiccitas, inundationes, locuſtarum agmina &c. His admonet rebelles; ut fugiant à facie arcus, & ſupplicio gehennæ. Qui funda jaculatur, priùs lapidem gyrat, & gyrando terret admonetque hoſtem, ut ab ictu ſibi caveat non ita qui ſclopo in eum jaculatur; prius enim ſternit hoſtem, quàm audiatur ſtrepitus. Judices humani clam invadunt reos, & citius abripiunt ad pœnas, quam obſerventur; quia ſupplicium ab eis ſumere volunt, non pœnitentiam exigere. Deus primò minatur & invadit leviore plaga malos, tanquam fundibularius & David, qui funda inſtructus exiit ad prælium contra Goliathum 1. Reg. 17. (typus Chriſti Domini pugnantis cum hujus mundi principe,) quia ſalvare eos deſiderat juxta id Ezech. 18. *Nolo mortem morientis.*

III. Videmus mortis ſpeculum & memoriam optimum eſſe medium ad coërcendos à peccatis & pertrahendos ad frugē homines. Etenim poſtquam Rex

Rex iratus exemplum vindictæ statuit in reprobos, qui servos ejus contumeliis affectos occiderant; postquam eos perdidit & civitatem eorum succendit, alii, qui postea vocati sunt, sine omni tergiversatione venerunt ad nuptias, boni & mali; quia procul dubio inaudierunt, quid actum esset cum iis, qui nuptias spreverunt. Possumus hoc etiam discere ex mandato invitantis Regis: *Ite ad exitus viarum & quoscunq; inveneritis, vocate ad nuptias.* Exitus viarum propriè illarum termini & fines sunt. Homines dum peccant, ad initium solummodò viarum & actionum suarum attendunt, non ad exitum & finem, qui est mors & supplicium, ad quæ pergunt. Initium dulce, sed finis amarus est. Non potuit Pharao adduci plagis, ut dimitteret populum Hæbreorum: at ubi vidit necem primogenitorum, adeoq; domos undiq; impletas cadaveribus, *surrexit nocte, vocatisq; Moyse & Aaron nocte ait: Surgite & egredimini à populo meo.* Exod. 12. Ubi P. Cornelius. *Verisimile est*, inquit, *ipsum etiam Pharaonem tanta strage perculsum, timentemq; pejora surrexisse, ut Mosen adiret, quem suaviter quiescentem domi suæ inveniens, vocando excitarit, dixeritque: Surgite, egredimini.* Terruit etiam mortis nuncium obstinatum illum Saulem, qui cum initium viæ solum, & belli sui, non ad finem attendens, exploraret a Samuele jam defuncto successum belli, ad finem directus est, auditque ab eo: *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Quo audito consternatus, *cecidit porrectus in terram.* 1. Reg. 28. Mors cum prostravit, quem prius nulla Samuelis monita poterant prosternere. Mors ergo prædicator, omnium efficacissimus est; quod etiam fatetur S. Chrys. hom. 43. in Acta Apost. ubi c. 20. legimus sub concione Pauli Eutichum, adolescentem somno obrutum decidisse de cœnaculo & mortuum esse; eoq; casu Paulum concionem solvisse: Eccur verò solvit, cùm plura adhuc dicenda haberet? quia ut ait Chrisostomus, *pro Doctore casus fuit*, q. d. mors velut optimus Concionator supplevit id, quod dicturus erat Paulus. Sic etjam reor rebellium perditionem & civitatis exustionem postremis invitatis fuisse pro Doctore, ut aliorum supplicio eruditi, ad nuptias convolarent.

IV. Audimus non filium Regis sibi ipsi, sed patrem filio nuptias fecisse. Quid autem hoc, nisi documentum filiis, ut ne pro libitu & affectu suo inconsultis parentibus facilè sibi sponsas, aut filiæ sponsos quærant? si enim Regis filius non nisi ex patris consilio & molimine nuptias celebravit: si ipse Dei filius non nisi ex voluntate & beneplacito patris accepit sibi sponsam, naturam humanam & Ecclesiam, nonne temeritatis & irreverentiæ arguuntur filii & filiæ, qui passim insciis ac fortasse resistentibus atque lamentantibus parentibus conjugia sibi, non prout ratio, sed cæca libido dictat, moliuntur? Tametsi verò parentes liberos suos ad has vel illas nuptias (quæ cùm miseram & solicitam servitutem contineant, liberas esse vult Ecclesia.) compellere non debent, possunt tamen iis meliùs hac in re consulere, quàm filii sibi ipsis: habent etiam jus aliquod & patriam potestatem, ut in re tam gravi filios suos dirigant, obliganturque filii parentes rationabiliter invitos non offendere. Inculcavit hoc Raphael Tobiæ, sicut ex græca versione citat S. Prosper in l. de vocatione Gentium: *Memor esto*, inquit, *mandatorum Patris tui; quoniam præcepit tibi accipere debere uxorem de genere patris tui.* Non ex Gentilibus, inter quos tunc degebat. Paruitque Angelo Tobias; quemadmodum & Isaac patri suo Abraham, accipiendo in uxorem eam, quā ex Dei providentia pater ipsi designasset. Gen. 24. *Ita enim* (inquit ibi Rupertus) *juventutis petulantiam supergressus est, ut illam expectaret conjugem, quam Deus daret, non quam concupiscentibus oculis ipse cum dotè magna rapuisset.* Sed & parentes hinc docentur providere suis filiis, præsertim filiabus nuptias in tempore, & quidem honestas ac tales, quæ omni impuritate careant; quales erant convivæ hod. Regis, in quibus vel unicus impurus, vestitu nuptiali carens, minimè toleratus, sed ejectus fuit.

IV. *Fi... i sibi ... nupti- a... on fa- c... at.*

V. Audimus ferè eos solùm ad nuptias venisse; qui in viis publicis passim obvii erant, quales certè sunt pauperes: divites verò, qui villas possidebant & negotiationibus vacabant, eas respuisse vel saltem per ignaviam neglexisse. Consonat hoc cum eo, quod S. Jacobus cap. 2. ait: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Vocavit sane in hodierno Evangelio & quidem primo loco divites: quia pluribus bonis vallavit, pluribus beneficiis prævenit, ut facilè ad nuptias filii sui, si vellent, accedere possent. Contulit eis indolem bonam, institutionem à teneris bonam, opes copiosas, ne de victu solliciti à divino cultu retraherentur, & ut iis cælum mercari sibi possent, & similia: quibus sanè carent pauperes. Verùm culpa ipsorum, quæ adjumenta salutis sunt, impedimenta eis fiunt & contingit quod equo vel tauro pingui qui altorem suum calcibus vel cornibus impetunt, juxta id Deuter. 23. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*; cùm econtra macilenti boves & equi facile patiantur sese attrectari & quocumque velis duci. Contingit illis, quod arboribus, quæ frugibus cùm onustæ sunt, ad terram se inclinant, interim hoc ipso direptioni se exponunt & in prædam aliis cedunt. Contingit quod & Lunæ, quæ quò plenior fit, eo longiùs recedit à fonte luminis sui, Sole. Habent igitur qui multa possident & negociantur, cur sibi attendant, ne in laqueos incidant, quorum medio incedunt.

V. *Pauperes ferè sunt, qui ad cœlestes nuptias veniunt.*

VI. Audimus tremendam Christi sententiam: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quod ex eo colligimus, quia ex iis, qui primo loco invitati erant nul-

VI. *Multi vocati, pauci electi.*

nullus omnino ad nuptias venit; similiter ex iis, qui secunda vice vocati; ex illis verò, qui in tertia missione venerunt, unus adhuc repertus fuit, convivio indignus. Itaque secundum hæc vix tertia pars hominum, qui ad fidem vocati sunt, salvanda videbitur. Neque tamen hujus rei causa Deo adscribenda, sed hominibus refractariis, quia *nolebant venire.* Poterant sanè, si voluissent vim aliquam adhibere, & terrena cœlestibus postponere; quare si perierunt, sic voluerunt. Per suam libertatem & peccati voluptatem lapsus est Adam parens, & cum eo nos, de monte gratiæ & justitiæ originalis in vallem miseriæ & concupiscentiæ. Eò non reditur nisi per ascensum: non ascenditur, nisi vi adhibitâ, cum sudore & labore, per cupiditatum refrænationem, per crucem & mortificationem: contraria enim contrariis curantur. Hinc ergo non mirandum, si pauci sint electi; quia pauci laborare, pauci volunt luctari. Cedit interim ea paucitas ad majorem Dei gloriam, nec non electorum, quia Dei regnum adeoque Deum ipsum tanti æstimarunt, ut pro eo consequendo nullos labores respuerent. *Eos enim expectat gloria*, ait S. Isidorus l. 2. de summo bono, cap. 59. *quibus fuerunt laboriosa certamina.* Quæ ipsa vincentium raritas in Dei gloriam redundat. Non est honor Candidatis, si Academia quàm plurimos ad honorum gradus evehat, Magistros & Doctores creet, præmiis & muneribus mediocri solum litteratura præditos afficiat: sed si paucos & insigniter eruditos; alioquin horum gloriæ illi officerent. Cernimus ubiq; nobiliores creaturas esse rariores & hinc chariores. Raræ sunt aurifodinæ, raræ gemmæ, rari uniones, rari balsami, raræ phasides & porphyriones, rari unicornes, & quæcunque in pretio habentur. Virtus res pretiosa est, quæ à paucis emitur. Vitium res vilis est, quæ passim diripitur. Sibi imputent, qui ad vitium potius quàm ad virtutem adjecerunt animum: peccati servitutem prætulerunt cæli regno. Nihil non regnandi causa agendum & ferendum est. Carolus IX. Francorum Rex dum in Regem ungeretur, anxia erat mater, ne per ætatem (nam vix annum decimum excesserat) non esset sufficiens cæremoniis omnibus quæ tam solenni actu adhibentur, sufferendis. At: *feram*, inquit ille, *nec recusabo hunc laborem, quoties se regna offerent.* Annal. Franc. in Apophth. Christ. Laur. Beyrl. Potuit hic puerulus laborem hunc pro terreno regno capessendo sine molestia sustinere, & non possit homo maturus pati aliquid amplius pro cælesti regno? ô nos delicatos! ô molles & infantes.

VII. Audimus denique sponsi patrem initio quidem appellari *hominem Regem*; dum ad nuptias invitaret; postea verò *Regem* præcisè, cum reprobum puniret, uti advertit Sanctus Hieronymus in hodierno Evangelio. *Quando invitabat ad nuptias*, inquit, *& agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est: nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur & rex tantum dicitur.* Certè pater sponsi *hominem Regem* se ostendit, quando à primis invitatis ignominiosè rejectus sese continuit, ne eos plecteret; rursum quando alii secundo loco vocati, nuptias neglexerunt: tacuit & dissimulavit; at quando intellexit quosdam manus servis suis intulisse violentas: tum exsurrexit & perdidit homicidas civitatemque eorum succendit, adeoque sese Regem, non hominem ostendit. Sic plerumque agit Dominus cum hominibus sibi resistentibus. Mandat, remandat, expectat, reexpectat, *modicum ibi, modicum ibi.* Verùm ubi nihil se proficere videt, tum induit faciem aliam & non amplius hominem, seu humanum se ostendit, sed Regem, sed ultorem. *In loquela enim labii*, ait Isaias c. 28. *& lingua altera loquetur ad populum istum.* Quod potissimum faciet in die judicii, ubi se non tam hominem, quàm Regem & Judicem mundo declarabit. Tacet hic & silet, dum à reprobis offenditur, ibi *ut parturiens* loquetur, Isa. 42.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Regulus pusillus in fide, spe & charitate.*
II. *Regulus Evangelicus non absimilis regulo avicula.*
III. *Qua ratione Deus ubiq; præsens sit & concipi à nobis queat.*
IV. *Cur Astrologi interdum vera pronuncient.*
V. *Amor impurus periculosa & pessima febris.*

THEMA PRIMUM.

Regulus pusillus in fide, spe & charitate.

I. *Parvus in fide.*
II. *Parvus in spe.*
III. *Parvus in charitate.*

Erat quidam Regulus. Joan. cap. 4.

CÆlius Rhodiginus l. 24. cap. 6. refert de Regilliano quodam in Illyria militum Duce, contigisse, ut apud eum cœnarent milites. Adfuit autem & Valerius Tribunus, à quo illata quæstio, undenam crederetur Regilliani nomen productum. Aderat forte scholasticus, qui grammatico more inflectere orsus est: *Rex Regis Regi, unde Regillianus.* Succlamatum continuo à militibus: *Rex ergo esse potest? & regere igitur nos potest? Et à Deo inditum hoc nomen?* Quid amplius? Cum postridie publico se commisisset, à Principibus Imperator est consalutatus. Habemus & nos Audit. in hodierno Evangelio Regulum, seu Regillianum, parvum scilicet Regem, sed à Rege & regendo denominatum. Rex igitur esse poterat, & sanè evasit, ubi in fide, spe & charitate crevit, & Christianus factus domum suam totam ad fidem Christi adduxit. Timeo ne quam plurimi reguli adhuc simus pusilli in virtutibus. Sed non despondeamus animos: Reges fieri possumus, si evacuemus, quæ sunt parvuli. Itaq; & Reguli hujus & nostram parvitatem consideremus.

Parvus statura miles parvas habet ocreas, parvum sagum, parvum clypeum, parvum gladium, parvam galeam, parvam loricam. Sic etiam noster regulus antequam Rex fieret, parvum habuit fidei clypeum, parvam fidei galeam, parvam charitatis loricam.

I. Exiguum habuit fidei scutum (sic appellatur fides ab Apostolo ad Eph 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*) Oculum sinistrum tegit scutum, dextro locum dat: sic & fides oculum naturalis prudentiæ, qui humana ratione fulcitur, velat: ei, qui divina auctoritate nititur, locum dat. Scutum hoc in Regulo parvum & infirmum fuit. 1. Quia non nisi viso Christi miraculo crediturus erat, ut indicat ei Dominus verbis illis: *Nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Videtur enim arguere illum exemplo Samaritanorum civitatis Sichar, à qua paulo ante discesserat. Illi enim cum essent semi-gentiles, sola Christi doctrina contenti, nullo viso miraculo in eum crediderunt; at Regulus hic (ut colligunt Maldonatus & Jansenius ex ejus modica fide & reprehensione) Judæus erat, nec tamen crediturus nisi per signa erat. Deinde non dubitandum, audisse eum in Capharnao, unde venerat, multa de miraculis Christi ibi jam & alibi patratis: ea tamen fama non contentus aliud requisivit miraculum, illudque coram videre voluit. Reprehenduntur ergo hic in Regulo Christiani. 1. Illi, qui non contenti iis, quæ quotidie audiunt & legunt, miraculis & magnalibus Dei nova requirunt eaque non tam credere, quam coram aspicere volunt similes Pharisæis, qui post tanta Christi miracula dicebant: *Magister volumus à te signum videre.* Quibus respondet Christus: *Generatio mala & adultera signũ quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Matth. 12. Adulteri appellantur isti, quia à majorum, qui sine istis signis fidelissimè crediderunt, vestigiis & fide recedunt: condemnandi aliquando à Ninivitis & majoribus suis, nec non à civibus Sichar, qui sine miraculis crediderunt. Mali, quia etiam signa alia eluderent ac riderent, si darentur illis; ut qui Christi resurrectionem eludere conati sunt. 2. Illi, qui servare ea detrectant, quæ aliqui non Christiani vel Acatholici servant, v. g. Turcæ, qui Mahumetis legem mordicus observant, jejunia sua colunt, mensæ orationes longas præmittunt, à vino abstinent: similiter Judæi, qui ritus suos pertinaciter retinent, pauperes suos alunt, nec mendicare patiuntur, sabbathum strictè servant: rursum Anabaptistæ, qui injurias patienter ferunt, juramenta vana cavent, &c. Denique agricolæ & mendici, qui Deo pro exiguis bonis piè serviunt & gratias agunt, cum non faciant hoc nobiles & divites. S. Antonius per desertum iter faciens, obviam habuit Faunum seu Satyrum, quem cum audisset de Christo loquentem & preces pro se petentem, baculo suo terram percutiens dixit: *Væ tibi Alexandria, væ tibi civitas meretrix. Quid nunc dictura es? bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris?* uti refert S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremi. Hunc in modum ad convincendos quamplurimos Christianos in die judicii, non producet Christus Apostolos, qui amore ipsius sua omnia reliquerunt: non Martyres, qui pro ipso sanguinem fuderunt: non Eremicolas, qui in perpetua abstinentia & vitæ austeritate vixerunt; sed Reginam Saba, sed Ninivitas, sed S. Homobonum civem Cremonensẽ, qui in mercatura tam sanctè vixit ut primo statim anno post mortem in sanctorum album adscribi mereretur: S. Isidorum, qui in agricultura S. Lidvvinam, quæ in continuis morborum doloribus: S. Servolum, qui in mendicitate & paralysi sanctissimè Deo servierunt.

2. Quia requisivit Christi præsentiam, ad sanandum filium, quasi necessariã Unde ei Christus: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* q. d. Quia non credis me absentẽ posse mederi filio tuo, debeo (ut video) absentem sanare, ut me meamque illimitatam potentiam plenè cognoscas. Meruit etiam ex hoc capite reprehendi: siquidem Centurio ille Gentilis agnovit Christi præsentiam servo suo curando non esse necessariam, sed *tantùm dic verbo*, inquit, *& sanabitur puer meus.* Quod tamen regulus hic, qui velut Judæus, ut diximus, plus lucis habere debebat, non credidit. Reprehenduntur hic cum illo qui non credunt, (saltem practicè, dum non cogitant) Deum ubique sibi semper præsentem adesse, sive lateant, sive pateant: sive in templo, sive extra templum sint. Hinc noctu clam & extra templum au-

audent, quæ interdiu, palam & in templo non auderent. Sic audiemus sequenti Dominica servum egressum à conspectu domini sui sævisse in conservum, suffocando & incarcerando eum propter levissimum debitum, quod sanè in præsentia domini sui, cui millies plus debuerat facere ausus non fuisset. Quem imitantur plurimi, qui quasi egressi à cōspectu Dei, memoria præsentiæ deposita, quodvis malum audent. Seducta fuit hac ratione mulier quædam Alexandrina, Theodora nomine, apud Metephrasten & Sur. 11. Sept. quæ cum esset forma præstanti, tentata à juvene acriter restitit, judicii & gehennæ timorem constanter ei ingerens: *Quin etiam erubesco*, dicebat, *vel ipsum Solem habere testem tanti flagitii.* Audiens hoc lena quædam: *Sed hoc, inquit, à te fiat post Solis occasum & nullus erit, qui te cognoscat, neque futurus est ullus omnino testis apud Deum & homines.* Vulnerata est hoc dicto mulier facilè nimis credula, adeoque seducta, quod noctu scelus Deum latere audisset. Postea verò ubi deceptam audiit, & Deum omnia coram intueri agnovit, acerrimo dolore correpta, profugit à marito & virilem habitum mentita inter Monachos severissimam egit pœnitentiam, sub Zenone Imp. Audiant hi Deum Jer. 23. loquentem: *Putasne Deus è vicino ego, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abscondito, & ego eum non videbo! dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Audiant Ecclesiasticum c. etiam 23. *Ocul. Domini multo plus lucidiores super Solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi & hominū corda intuentes.* Alterum semper hemisphærium, & quæ intra terram sunt, Solis obtutum latent: Dei oculus omnia penetrat.

Fusius hoc Trip. Dom. 18.

II. *Parvus in spe.*

II. Exiguam habuit galeam spei. Galeæ nomine appellatur spes ab Apostolo 1. Thess. 5. *Induti simus loricam fidei & charitatis & galeam, spem salutis.* Ut enim galea caput munit, facitque ut quolvis ictus sine dolore ac penè sine sensu sustinere possit, ita spes salutis munit hominem, ut omnia dura atq; adversa contemnat.

Parva hæc in Regulo fuit, quia valde instanter petiit, citò Christus ut descenderet ad filium sanandum, dum is adhuc spiraret: quasi mortuum non putaret ab eo resuscitandum. Non ostendit se in hoc genuinum filium Abrahæ, qui jussus mactare filium suum, mox ad opus se accinxit, *arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Heb. 11. Ad locū enim sacrificii pergens ad famulos: *Expectate hic cum asino; ego a. & puer illuc usq; properantes; postquam adoraverimus, revertemur ad vos* Gen. 22. At quomodo revertemini, si puer occidendus est? nimirum, quia speravit à morte resuscitandum, ut promissio Dei in ipso impleretur. *Unde & in parabolam eum accepit*, addit Apostolus, h. e. in exemplum spei in Deum, omnibus posteris datum.

Similes illi.

Regulum sequuntur & cum ipso reprehendi merentur 1. qui de aliquorum perversorū emendatione desperant: unde eos omninò deserunt admonere

1.

supersedent velut incorrigibiles. Qui tamen scire debent posse Deum & mortuos, h. e. peccatores etiam conclamatos ac depositos ad vitam gratiæ revocare. Si enim & agricolæ norunt amygdala amara in dulcia commutare, uti & mala punica acida in dulcia, pinguem ex pinu cuneum per mediam medullā arboris adigendo, ut scribit S. Basil. in reg. fusioribus resp. 10 Haxa. ho. 9. cur non sciat Deus cor hominis mutare? S. Bernardus obviavit aliquando sicario, ducto ad supplicium, ex mandato Theobaldi Comitis. Petiit ergo reum vita donari. Cui Comes frustrà rogari, quod homo esset perditus, jam sæpius mortem commeritus & vita donatus, nec tamen emendatus. At Bernardus: *Ego eum diuturno supplicio conficiam, tu mihi eum dona.* Vix consensit Comes, quod incorrigibilem omninoq; desperatum diceret. At S. Bernardus inclusit eum in monasterio suo instructumq; induit habitu monastico; qui & pluribus annis in eo piè & laudabiliter vixit. Refert Platus de statu Relig. l. 2. c. 12. Sic impletum, & impletur adhuc sæpissimè, quod promissum Isa. 55. *pro saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus*, videl. *cum justorum mentes à prurigine & ardore vitiorū ad cogitationum temperiem (myrtus enim temperativæ fertur virtutis) tranquillitatemq; perveniunt dum jā terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus extinguunt*, ait S. Greg. 18. mor. c. 12.

2. Qui rem pro desperato habent, quando Deus, non illico de afflictione eos liberat, sed permittit eo redigi, ut actum de se & rebus suis putent. Hi audiant Chrysost. hom. 4. ad pop. *Potest, inquit, Deus omnia gravia hac ipsa die solvere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conversionem & pœnitentiam firmam & inconcussam, non dissolvit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum benè purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendaverit.* Qum etiam *si occiderit me, in ipso sperabo*, ait Job cap. 13. Fuit quidam Romæ vir opulentissimus, qui magnifico instructo convivio, quidquid vasorū aureorum & argenteorum tollebatur de mensa, in præterfluentem Tiberim jactari jussit. O prodigum, inquies, & malesanum hominem! Verum nedum judica. Præparari prius in Tiberi retia jussit, quibus omnia projecta exciperentur, & postea ad littus retraherentur. Hadrian. Junius l. 4. animadv. c. 8. Sic ludit sæpe nobiscum Deus. Aufert conjugem, liberos, famam, opes, fruges, valetudinem, vitam denique. Verum si in ipsum speremus, nihil nobis perit. Excipit enim omnia & restituet nobis vel hic vel meliore loco. Sic egit cum Jobo: cui abstulit omnia, sed postea reddidit duplicia. Sic cum Jona, Josepho, Davide, &c.

III. Parvam etiam habuit loricam charitatis. Lorica appellatur charitas cit. c. 5. ad Thess. 1. *Induti loricam charitatis.* Quia ut lorica totum corpus, ita charitas defendit & munit totam animam. Lorica seu thorax (ut est in Græc.) duas habet partes, quarum una superiorem, altera inferiorem corporis par-

partem tuetur. Charitas quoq; duplex est, erga Deũ scilicet, & proximum. Utraq; in Regulo defectum aliquem habebat.

Prima erga Deum, quia non nisi premente calamitate, morbo scilicet filii, venit ad Christum, quem prius in vicino, Capharnai videlicet, habuit præsentem, nec tamen requisivit. Tales sunt qui non nisi imminente naufragio, peste, morbo currunt ad Cõfessarium & pœnitentiam; similes Elephanti illi, Hannibali vocato, cæterorum ductori, qui jussus transvadare fluvium primus, respuit. Quare Magister vulnus ei gladio inflixit, & fugiens fluvium tranare cœpit. Elephas viso sanguine exacerbatus fugientem insectatus est, sicq; fluvium intrans, cæteros ad sequendum provocavit, apud Pier. l 2. hierogl. Jubet Deus peccatores trajicere fluvium pœnitentiæ & contendere ad cælum, sed plerumq; surdis canit, quia pœnitentiam & pietatem horrent. Quid igitur? Infligit illis plagam unam: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Ps. 15.

2. Erga proximum, videlicet erga filium, cujus quidem corporalem salutem solicitus quærebat, spiritualem tamen non curabat, nisi postquam conversus est ad Christum. Huic perquam similes imprimis pleriq; sunt parentes, qui fere tantum opes & honores ac opulenta conjugia quærunt suis liberis, de institutione eorum parum soliciti. Perinde illi agunt, ac si vestibus eos ornent: morbos vero & ploratus & vulnera eorũ negligant, vel si sauciato filio, prius ruptam vestem, quam vulnus curent. Isaac Jacobo filio suo benedictionem impertiens, primo rorem cæli, deinde pinguedinem terræ precatus est, Gen. 28. *Prima promissio cælestis est roris, secunda terrenæ opimitatis*, inquit Tertul. l. 3. contra Marc. c. ult. Contra filio Esau, qui bonis terrenis abundaturus erat, prius terræ pinguedinem, postea rorem cœli precatur. Qui ergo bene filiis cupiunt, prius eis prospiciant de bonis spiritualibus quã de corporalibus. Ita Tob. c. 4. postquam filium ad virtutem per multa documenta instituisset, ad finem demum indicavit ei decem argenti talenta deposita, unde sibi victum pararet. Idẽ fecere insigniores Patres V. T. Jacob, Moyses, Josue, Samuel, David, ac deniq; Salvator noster post ultimam cœnam, qui suos instituerũt salutaribus documentis, de terrenis nihil curarunt, vel non nisi parum, & in ordine ad Deum. Deinde consanguinei alii, qui ægrotorum corpora potius: c prius curare satagunt, quam animas. Curritur ad Medicos & Pharmacopolas, de Confessario non curatur, nisi cum æger fere desperatus est: contra praxin Christi, qui prius peccata paralytico dimisit quam conferret sanitatem, & in hod. Evangelio prius incredulitatem patris, quam morbum filii sanavit; cõtra Capitulum, *Cum infirmitas*, de pœn. & remiss. ubi Medicis præcipitur, ut jubeant ægros ante omnia advocare Medicos animarum, *si enim sic curritur propter lucrum paucorum dierum (quia & usque in senectam pauci dies) quomodo non currendum est pro vitâ æternâ?* inquit S. Aug. ho. 37. l. 50. hom.

Verum Auditores talis aliquando Regulus fuit, Regulus, inquam, fuit, parvum fidei scutum, parvã spei galeam, parvam charitatis loricam habuit, sed ubi ad Christum conversus plene in eum credidit, utique Rex factus est, & non solum fide, sed & spe & charitate crevit. Nos ergo similiter, si prius Reguli fuimus, in his tribus virtutibus, cuivis homini necessariis, pusilli, demus operam ut Reges fiamus: si secuti sumus pusillum, sequamur & magnum. *Cum essem parvulus*, ait Apostolus 1. Corinth. 13. *loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, Quando a. factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

THEMA II.

Regulus Evangelicus non absimilis regulo aviculæ.

I. *Quia tempore adversitatis ad Christum venit.*
II. *Quia orat in tribulatione.*
III. *Quia vicit Christum sua oratione.*
IV. *Quia per discursum seipsum ad fidem convertit & promovit.*
V. *Quia convertit secum domum suam.*

Erat quidam Regulus Joan. 4.

NOn consentiunt Doctores, quam ob causam pater infirmi filii, de quo in hodierno Evangelio sermo est, Regulus appelletur. S. Hieronymus hanc affert, quod fuerit de aulâ regiâ seu palatinus. S. Chrysostomus, quod *de regio esset genere, aut alia principatus dignitate fungeretur*, Origenes, quod forte esset de familia Tiberii Cæsaris, exercens pro eo aliquod officium in Judæa. Cardin. Baronius in Annalibus, quod videatur Princeps fuisse & dominus Capharnai. Nonnus quòd vir regius, regens exercitum. Verum quidquid de his sit, ego rectè sic appellatum dico, quia aviculæ illi, quam Latini *regulum* vel etiam *regaliolum*, Germani similiter ein Königle / vulgò ein Zaunschlüpfferle / (quòd sepes amet & transmeare soleat) appellant, persimilis reperiatur. Cum hac enim convenit nomine inprimis: deinde in mensura: quid enim regulus nisi parvus Rex? & quæ ex omnibus avibus regulo minor est? Videamus ergo num & aliæ hujus aviculæ proprietates Regulo nostro quadrent.

I. Regulus seu regaliolus per æstatem non in urbibus sed in sylvis conspicitur, at in hyeme, ad civitates migrat; uti refert Aldrov. l. 17. Orinth. c. 1. Æstas prosperitatis, hyems adversitatis tempus significat, juxta id Zach. 14. *In die illa* (calamitatis) *non erit lux* (clara & æstiva) *sed frigus & gelu.* Regulus quamdiu bene habebat, nec aliqua calamitate tangebatur, adeoque æstiva serenitate gaudebat, non accessit ad Christum, sed morabatur in Caphar- | I. *Quia tempore adversitatis ad Christum venit.*

 naum.

nao, quod significat *agrum delectationis vel jucunditatis*, aut *villam pulchritudinis*, at ubi eum tribulationis hyems invasit, ubi morbus filii lethalis in angustias conjecit, ibi deserit suum Capharnaum, & supplex ad Christum venit in Canam Galileæ, medelam filio & solatium sibi quærens. Sæpius observatum est leones, quando casu aliquo spinam pedi infixerunt, homini se prosternere & opem ejus implorare. Ita Plinius libro 8. cap. 16. scribit: *Mentor Syracusanus in Syria leone obvio, suppliciter volutante, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret sese, & vestigia lamberet, adulanti similis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnusque, & extracto liberavit cruciatu.* Fuit Regulus hic, dum bene haberet, quasi leunculus in sylva (sic Judæorum Principes appellantur *leones rugientes*, quia superbe dominabantur, Sophon. 3. & Rex Joachim appellatur *leunculus in sylva*, Ezech. 19.) nihil curās Christum, licet in Capharnao prius commorantem at ubi charissimo in filio pati & affligi cœpit, ibi ad medicum accurrit; & coram eo se prosternit; auxilium efflagitans. Hoc medio etiam sanctus Gregorius Magnus utendum suasit contra paganos rusticos persistentes in sua infidelitate, Ita enim scribit l. 3. Epistolarum p. 26. Ind. 12. ad Episcopum Sardiniæ: *Iam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inventus, ut ad Deum venire minime consentiat: tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Multo difficilius convertuntur & ad frugem perducuntur Principes & nobiles, quam agricolæ, quemadmodum & regulus avicula difficulter capitur, teste Aristotele l. 9. histor. animal. c. 11. Quare eos morbis plerumque invadit Deus, ut cum Regulo Evangelico ad Christum vel compulsi veniāt. Hinc de Jezabele, hoc est, nobili quadam sed hæretica muliere scribit S. Joannes ex ore Christi ad Episcopum Thyatiræ: *Non vult pœnitere à fornicatione sua, Ecce mittam eam in lectum*, hoc est, percutiam eam morbo; ut optime Aretas & Pannon. explicant. Apocalyp. 2. Solent etiam reguli, ut dixi, ad hominem proxime advolare, quasi mox capiendi: at si manu eos apprehendere tentes, in momento fugiunt. Idem videmus in magnatibus. Amant secum habere viros religiosos, à quibus tamen corrigi se non patiuntur.

II. *Quia orat in tribulatione.*

II. Regulus avis musica est & cantat tempore magni & sicci frigoris in hyeme, uti constat, & scribit Albertus Magnus apud Aldrov. Regulus etiam noster, qui in æstu prosperitatis fortè nihil cantavit, nunc cantat in bruma tribulationis; & quid? *Domine descende* (in domum meam) *priusquam moriatur filius meus.* Musica quædam cantilena est oratio, quando vox orantis concordat cum attento ad Deum animo, elevatis quoque manibus & positis humi genibus. Qui tam bene canit, Deum facilè placabit & ab hoste tutus erit. *Sicut enim fures*, inquit Climachus de discretione Græc. 26. *cum arma Regis aliquo in loco posita viderint, non illuc facilè ascendunt: ita & qui cordi orationem conjunxit, non fortuito ab intellectualibus latronibus violari poterit.* Quo facit id Psalm. 76 *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum & non sum deceptus*, Psalterium Illyricum legit: *& non sum captus ab aucupe.* Benè ergò sperandum est de illo, qui per orationem Deo se prosternit, uti indicat Dominus, loquens Ananiæ, qui timuit adire Saulum, velut lupum & Christianorum hostem: *Quære* inquit, *in domo Iuda Saulum nomine, Tarsensem: ecce enim orat.* Actorum 9. *Orat, igitur ne time*; ait in eum locum sanctus Chrysostomus homil. 20. in Actis. Vicissim *quemadmodum civitas*, inquit idem Chrysostomus libro 2 de orat *quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium: sic & animam non munitam precibus, Diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelere implet.* Et rursum: *Si teipsum oratione destitueris, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim piscis vita est aqua ita tibi deprecatio.* Perfectior hæc oratio in tribulatione erit, si cum laude & gratiarum actione conjuncta fuerit At quis, inquies, cantare & gratias agere in calamitate queat? Cantat certè regulus gelidissima in bruma: Diogenes etiam ille Philosophus in adversis casibus alta voce cantillabat, ut refert Stobæus sermone 106. qui tamen nihil mercedis ex illis sperabat; non gaudeat Christianus qui ex patientia tribulationis maxima sibi præmia in cœlo parata novit? Certè sanctus Franciscus hyemali in bruma per sylvam pene nudus incedens hilari voce & lingua Francica laudes Deo canebat, interim à latronibus tentus, verberibus mulctatus & in foveam nivibus oppletam dejectus, ubi emersit, altiore & hilariore voce personare Dei laudes cœpit, ut in ejus vita sanctus Bonaventur. Dicebat enim: *Tanta est gloria, quam expecto, ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet.*

III. Regulus licet minimo sit corpusculo, contra aquilam tamen pugnare conatur, ut refert Aristoteles libro 9. hist. cap 11. Plinius & alii apud Aldrovium & hinc regulum dictum volunt, quasi aquilæ, avium Regis, æmulum, imo & victricem. Fabulantur enim regulum de imperio cum avibus contendisse, ut pro rege haberetur illa, quæ sublimi volatu alias superaret: cumque id facilè præstaret, regulus, qui sub alis ejus latebat, insedit aquilæ capiti, inde se victricem asserens. Plutarchus de ger. reip. præceptis & Aldrov. loco citato. Aquilæ comparat Christum sanctus Maximus homilia 2. de Pentecoste; quia Rex omnium seculorum immortalis. Cum hoc certare conatus est. Regulus Evangelicus, dum ejus præsentiam, & quidem celerem, ad impertiendam filio sanitatem requirit, resistit ei Christus dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* quasi dicat nonne sat multa miracula vidisti? debeone tibi nova facere, quæ tu ipse videas? Non est hoc quod quæro, videtur dicere Regulus; sed ut filium meum sanes. At quid opus mea præsentia, replicat quasi

Domi-

Dominus: cùm absens possim sanare filium tuum? At ille: hoc ego non capio, quare descende, priusquam moriatur filius meus. Itaque sua instantia Dominum quasi compellit dicere: *Vade, filius tuus vivit.* Videtur hæc lucta similis illi, quà cum Angelo aliquando luctabatur Jacob. Genesis 32. Tenuit Jacob Angelum, debilis fortissimum, sed ille nervum Jacobo incidit: pervicit tamen Jacob, nec dimisit Angelum, donec benedictionem ab eo obtineret. Benedixit igitur ei Angelus, sed & nomen ei mutavit: *Nequaquam,* inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Potentissimus erat Christus; infirmus autem Regulus, sua tamen precandi instantia, licet ab eo ictus & de fidei imbecillitate redargutus, efficit ut benediceret ei Dominus: *Vade filius tuus vivit.* sed unà nomen etiam mutaret, faciendo ex infideli Christianum. Unde qui priùs à Joanne vocabatur *Regulus*, postea jam credens appellatur *homo: Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* Homo jam ratione utens efficitur, qui prius pusillus & Regul⁹ erat. Qua ex re discimus orationes infirmorum, qualis erat hujus reguli, etiam imperfectas, non incassum fūdi, sed impetrare aliquid. *Nam,* ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Joan. c. 34. *quemadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fovendos filios suos provocatur sic conquestuosus objurgationisque plenus clamor ad Deum, si ab infirmis adhuc & infantibus in habitu virtutis fit, petitionis locum retinet.* Confirmat hanc sententiam, quod in vita sanctæ Lutgardis Virginis scribit Thomas Cantiprat. apud Surium 16. Junij. Illa etenim *dicendis precibus canonicis sive horariis summopere in id incumbebat, ut non solum malas, sed etiam bonas cogitationes à se excluderet, &, quod in mortali corpore impossibile est, iis solis, quæ diceret, animam occuparet. Sed cum id efficere non posset grandes inde in ejus pectore existebant scrupuli, & tamquam nihil dixisset, cœpit singulas preces horarias bis terque repetere. Adeò vero hæc res animam ejus afflixit, ut nullus amicorum posset eam consolari. Fiebant autem à b amicis ad Deum preces pro illa, ut eam Dominus his scrupulis liberaret. Et ecce præter omnium expectationem, instar Amos Prophetæ induit Dominus opilionem oviculas sequentem, & posuit verbum in ore ejus. Ille mox relictis ovibus, planè rudis, ac tredecim milliaria conficiens venit in Aquiriam, accersitaque Lutgarde, cæteris audientibus dixit: Hæc dicit Dominus Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut scrupulo angaris. Placent Deo preces tuæ, & gratæ sunt in conspectu meo. His dictis, ille repentè aufugit, nec dabatur opportunitas, quisnam esset inquirendi, aut aliquid præterea cognoscendi. At postea tamen, quis esset, rescitum est. Dominus quoque per seipsum dixit Lutgardi: Nihil posthac formides: ego hunc in te supplebo defectum. Tum illa utrobique Dominum locutum esse sentiens, tranquillitati se dedit, nec ullum postea ea in re ordinatum scrupulum passa est.* Eadem Sancta ut ibidem refertur, versu illo latino, *Deus in adjutorium meum intende,* quem non intelligebat, & similibus vidit à se procul dæmones fugari, maximo cum horrore. Neque hoc adeo mirandum, quia, ut B. Jordanus Ordinis sancti Dominici 2. Generalis ad hoc respondit: *Gemma tantundem valet in manu ignorantis ejus pretium, quantum in manu cognoscentis;* apud Sur. 16. Febr.

IV. Regulus hoc admirandum habet, quod expertum se scribit Albertus Magnus nempe si deplumatus in veru parvo ad ignem apponatur, seipsum volvere, adeoque assare cernitur. Idem scribit Scaliger libro 2. de caus. plant. qui hanc causam reddit, quod ea aviculæ pars, quæ igni obversa adeoque assata est, ascendat: ea vero, quæ non est assa, velut gravior descendat. Neque hoc abludit à nostro Regulo: ipse enim cùm jam in Christum, saltem in Prophetam credere cœpisset, adeoque ad amplectendam fidem dispositus ex parte fuisset: in via, dum à servis audit filium sanatum, ut investigaret, unde hoc beneficium filio provenisset, horam indagavit, atque ubi intellexit eam planè fuisse, qua Christus ei dixerat, filium ejus vivere, inde collegit eum non dumtaxat Prophetam, sed auctorem collatæ sanitatis fuisse, adeoque esse Deum omnipotentem, qui vitæ & mortis haberet imperium; nec non promissum Messiam. Seipsum ergo per discursum (una cum divina gratia) perfecit in fide, adeoque vertit & convertit, ut ex integro assatus factus jam fidelis, gratissimum Christo cibum se ipsum præstaret. Habent in hoc Regulo, quod imitentur Christiani, in sua ad Deum conversione. Si enim ipsi placere & gratus fieri cibus volunt ad ignem amoris divini seipsos assare, vertere & revertere debent, reflectendo se. i. ad accepta ab eo beneficia quotidiana & innumera, à nativitate sua usque in hanc diem, uti monet Deus Isaiæ quadragesimo sexto, *Redite prævaricatores ad cor: recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus,* q. d. convertite vos ad priora tempora (dencket zuruck) quod ego vos creaverim, educaverim, è servitute Ægypti eripuerim, per desertum humeris meis velut aquila pullos suos super alis suis, portaverim, in terram lacte & melle manantem induxerim, &c. & quid vos mihi rependeritis pro tantis beneficiis: quid mihi debeatis. Non minora, sed majora longe sunt, quæ nos Christiani a Deo beneficia accepimus. Regulus noster unico restitutæ filio sanitatis beneficio motus credidit & ad Christum se convertit, ejusq; cultui se addixit: similiter etiam S. Cuthbertus, adhuc puer (postea Lindisfarnensis Episcopus) ex unius genu tumore laborans & claudicans, cùm ab Angelo, specie equitis illustris, edoctus fuisset rationem sanandi pedis, sanatusq; esset, tam insperato beneficio stimulatus se totum divino amori & cultui consecravit, ut in ejus vita 20. Mart. apud Lipel. & Sur. quid non agendum nobis, qui tot tantisque gratiis præventi a Deo sumus? Nonne vos uberrime implevistis horrea frumento, & cellaria vestra vino? reflectite vos parum (dencket zuruck) cum regulo: Unde

IV. Quia per discursum seipsum ad fidem promovit, & convertit.

vobis

vobis hæc bona? Et cum Hebræis: *Manhu? quid hoc*! unde hic panis & hoc vinum! nonne è cœlo & Deo? Certè discipuli Christi, quando gustârunt optimum vinum ex aqua sibi factum, crediderunt novo fervore in Christum Joan. 2. Cur non & vos
2. mentem in Deum tollitis? 2. Ad ingratitudinem suam, & innumeras injurias pro tot bonis Deo repensas. Exprobavit hoc inprimis Sauli Regi, transgressori mandati Dei, Samuel 1. Reg. 15. *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis*, inquit, *caput in tribus Israel factus es, unxitque te Dominus in Regem super Israel, &c.? Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es & fecisti malum in oculis Domini?* Similiter & Davidi, adultero & homicidæ exprobrat per Nathan Deus acceptos favores: *Ego unxi te in Regem super Israel & erui te de manu Saul & dedi tibi domum domini tui, &c. & si parva sunt ista, adjiciam tibi multò majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* qui tibi scilicet promisi, stabilitatem Regni in prole, Messiam è domo tua nasciturum, &c. 2. Reg. 12. Recogitet unusquisque, quæ & ipse, mala Deo retribuit pro tantis ejus bonis: legat in pavimento & pulvere descripta sua peccata, cum Scribis & Pharisæis illis, Joan. 8. & videat an non ipse quoque præ confusione subducere se ab oculis Dei debeat.

V. *Quia convertit secum domũ suam.*

V. Regulus dum in veruculo affixus ad ignem sese versat, vertit consequenter & veru secum, cui affixus est. Regulus etiam noster non se solum vertit, quando ad Christum se convertit, sed unà secum totam domum suam, cui & ipse suo modo affixus erat; *Credidit* enim *ipse, & domus ejus tota*; & hæc cujus instinctu & imperio, nisi sui patrisfamilias? Discant ergo ab hoc Regulo familiarum reguli, & juxta suam fidem ac pietatem reforment & instituant domos suas. Præiverunt illis exemplo suo Cornelius, Actor. 10 Lydia purpuraria. Actor. 16. & ibid. custos carceris Crispus. Archisynagogus. Actor. 18. qui unà cùm suis familiis susceperunt fidem, trahentes eas ductu suo. Idem in vita S. Sebastiani legitur 20. Jan. apud Surium de Chromatio Præfecto, qui fidei manus dans pertraxit ad eandem 1400 servos suos; postquam is divino etiam beneficio, uti filius Reguli, à gravi infirmitate convaluit. Sequantur ergo hos & alii patresfamilias, ac 1. convertant, quantum fieri potest, ad fidem & Dei timorem suos domesticos; eos verò, qui pestes quædam in domo sunt, expellant cum Davide Psal. 100. *Non adhæsit mihi cor pravum, &c.* & cum Abrahamo ejiciant ancillam, quæ domum perturbat aut levitate sua inficit. 2. expurgent domos suas à bonis injustè partis, unà cum Zachæo jam converso: *Siquid aliquem defraudavi, reddo:* simplum saltem, si non quadruplum; quia alioquin qui aliena possidet, *ædificabit sicut tinea domum*, inquit Job c. 27. tinea autem domum, quam inhabitat. lignum sc. aut vestem, perdit ac corrodit: ita bona injusta devorant domum, in qua hospitantur. 3. averruncent imagines obscœnas cum Rege Ezechia, qui confregit serpentem æneum, quòd scandalo esset Hebræis, ita ut adolerent ei incensum. 4. Reg. 18. Scimus Levit. 14. v. 40. præceptum fuisse Hebræis, ut lapides infectos domus leprosæ eruerent & projicerent extra civitatem, lapidesque alios sanos reponerent; alioquin tota domus leprâ inficeretur. Quid hoc? Albertus serm. in Dom. 3. Advent. in explicat: *Lepram*, inquit, *habens in domo, qui in thalamis suis depingi faciunt imagines lascivas, quasi chorizantes & sese mutuò amplexantes; qu etiam cortinas hujusmodi imaginum suspenderent a parietes suos.* Eruant hos lapides qui verè ad Christum conversi sunt. 4. Tollant & Vulcano donen libros hæreticos, obscœnos & magicos, exempl illius Mathematici, de quo S. Augustinus in Ps. 1 ait: *Portat secum codices incendendos; per quos fu rat incendendus; ut illis in ignem missis, ipse in refr gerium transeat.* Baalis aræ sunt libri hujusmodi, quibus se suaque immolant Satanæ lectores. Aud ant illi B. Thomam Archiepiscopum Valentinu concione 1. in Domin. Quadrages. *Lectio*, inqu *prophana librorum, quibus tantum gaudet levit humana, destruit mores juvenum, inclinat ad vi & vanum amorem, facit carneos & mundanos.* N *debet quispiam tolerare hujusmodi libros in do sua, neque permittere quod filius vel filia legat ips* Boni pastoris optimum monitum. hos sequim Auditores & in primis Regulum nostrum, ut vobis quoque dici queat: *Credidit ipse & domus ej tota.*

THEMA III.

Qua ratione Deus ubique præsens sit concipi à nobis queat.

I. Est ubique præsens.
II. Omnia intuetur.
III. Ubique operatur.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Joan. 4.

VIdentur verba ista reprehensionem contin & modicam vel nullam Reguli fidem argu Causam explicat S. Gregorius in hom. 28. qua in hoc Evangelium: *Poposcit namque*, inquit, *u scenderet & sanaret filium ejus. Corporalem ergo mini præsentiam quærebat, qui per spiritum quam deerat, Minùs itaque in illum credidit, q non putavit salutem posse dare, nisi præsens esse corpore. Si enim perfectè credidisset, procul dubio ret, quia non esset locus, ubi non esset Deus, &* ille. Non solius Reguli, sed multorum etiam C stianorum est hic error, dum Deum ubivis loco adeoque etiam sibi præsentem adesse, licet

fp

speculativè, credunt, tamen practicè negant, dum adeo dissolutè vivunt, ac si Deum à se quam longissimè abesse existimarent. Nimirum sensuales homines toti sensibus inhærentes; quia ipsi Deum præsentem non vident, ideo ad præsentiam ejus, videlicet creditam, minimè attendunt. Non capiebat Regulus quomodo absentem filium Christus sanare posset: divinitatis ejus immensitatem minimè percipiens. Non capiunt etiam multi alii, qua ratione Deus sit in omni loco, adeoque ubivis præsens; idcircò hoc quadantenus conabimur explicare.

Theologorum dictum est: *Enter, præsenter, Deus est & ubique potenter.* Quod explicat D. Thomas 1.p. q.8. artic.3. exemplo Regis, qui primò est per essentiam in ea regni sui parte, in qua habitat, stat, sedet vel cubat. Secundo per præsentiam in ea, in qua oculis propriis contemplatur ea, quæ fiunt. v.g. in theatro vel conclavi suo. Tertio per potentiam in toto suo regno, quia nimirum per illud totum ipsius actio & gubernatio saltem interventu ministrorum diffunditur. Omnibus his modis Deus est ubique, longe tamen perfectius: Primò per essentiam, non aliquem duntaxat determinatum locum, sed omnia implens. Secundò per præsentiam, quia non videt solum ea, quæ in cœlo aut in uno aliquo loco fiunt, sed omnia quæ in cœlo & in terra & ubivis locorum contingunt. Denique per potentiam quia non solum per angelos aliasq; creaturas, sed etiam per seipsum omnia operatur, quæcunque fiunt. Omnia complexus est S. Augustinus, cum in Epistola ad Fortunatianum scripsit: *Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est: Totus oculus est, qua omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: totus pes est, quia ubique est.*

1. Igitur totus est pes, h.e. ubique præsens per essentiam suam adest, omniaque implet. Quod 1. sic describitur Isa. 66. *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* More humano loquens indicat se cœlum & terram non modo implere, sed etiam longe ulterius per immensa vacui spatia excedere, ita ut cœlum sit ei quasi thronus tantum; in quo gloriam & magnificentiam suam Angelis & beatis omnibus ostendit: terra autem velut infima mundi pars, non nisi instar parvi scabelli, quod uno pede evertere & quacunque versare queat. Quare juxta hanc descriptionem omnes homines & quidquid supra terram est, quasi ante pedes Dei & circa ejus scabellum jacent in ejus conspectu, sicuti discipuli ad pedes sui Magistri circumsedentes, in quos ipse semper oculum figit, uno intuitu omnes contemplans & circumspiciens: nec non garrientes & petulantes observans suoque libello inscribens, ut suo tempore puniat. Cogitemus igitur terram hujusmodi scabellum, mundum totum scholam esse, nosque ad pedes Dei velut discipulos ejus sedere. Quis jam insolens esse audebit? 2. Jeremiæ capite 23. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.* q. d. audetne aliquis homo meam immensitatem in dubium revocare? Sed qua ratione implet? Sicut lux Solis, ubi non impeditur, totum pervadit aërem, & lucidum ac perspicuum reddit: ita multo perfectius Deus penetrat & implet totum universum. Sol non per se, sed per lumen à se productum virtute lucis suæ pervadit aërem: corpora etiam densa pervadere non potest: Deus autem qui est sua ipse virtus, & quidem potens, per seipsum omnia permeat ac penetrat non secus ac si concipiatur corpus Solis esse tam vastum, ut circumdet & in se includat ac penetret, quidquid in cœlo & sub cœlo est. Sanctus Augustinus libro 7. Confess. cap.5. sic rem concipiebat: *Constituebam in conspectu spiritus mei universam creaturam, quidquid in ea cernere possumus sicut est terra & mare, & aër & sidera, & arbores & animalia mortalia, & quidquid in ea non videmus, sicut firmamentum cœli, insuper & omnes Angelos, & cuncta spiritualia ejus, sed etiam ipsi quasi corpora essent, locis & locis ordinavit imaginatio mea, & feci unam massam grandem distinctam generibus, corporum creaturarum tuarum, sive quæ vera corpora, sive quæ ipse pro spiritibus finxeram, & eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram, sed quantum libuit undique versum sanè finitam. Te autem ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed usquequaque infinitum, tanquam si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam sed finitam, tamen plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari, si creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creavit Deus, & bonus est Deus, atque his validissimè longissimeque præstantior, sed tamen bonus bona creavit, & ecce quomodo ambit atque implet ea.* Quare sicuti pisces innatantes mari, ambiuntur undique mari, (tametsi non penetrantur:) ita homines aliæque creaturæ in Deo sunt & moventur, & insuper à Deo etiam penetrantur; sicut ait S. Paulus Actor. 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus.*

3. Isa. 40. dicitur: *Quis mensus est palmo quas & pugillo cœlos ponderavit?* q. d. quis nisi DEUS continet in manu sua terrarum orbem, & in pugillo suo cœlos? Quare sicut Imperator in globo aureo, quem manu gestat, totum orbem sibi subjectum & gubernandum repræsentat: ita Deus cœlum & terram quasi pilam aut pomum unum manu sua comprehendit, inspicit, regit & immensum excedit. Tali forma S. Benedictus in oratione totum mundum quasi parvum globum in radiis Solis collectum, & in eo SS. Angelos cum anima S. Germani Episcopi Capuani ad cœlum euntes vidit. Quærenti, quomodo id fieri potuerit, respondit; quia *videnti Deum angusta est omnis creatura.* Refert S. Gregorius lib. 2. Dialog. c. 35. Gerit igitur Deus totum mundum in manu sua quasi globum luminosum & perspicuum, in quo uno intuitu aspicit, quidquid in ipso est & fit; neque solum gestat, sed & sua essen- 3.

eſſentia penetrat & ambit, ſicut ignis ferrum, quod ignivit, imo magis intime.

II. *Omnia intuetur.*

II. Eſt totus oculus, quia omnia contuetur & quidem accuratiſſimè omnia penetrans & pervidens, tam futura & præterita, quam præſentia. Ita inprimis Apoſtolus ad Hebr. 4, ait. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* In quem locum S. Chryſoſt. ſcribit: *Sicut enim cum pecudes occiderit quis, & ex carnibus detraxerit pelles, omnia interiora revelantur & aperta ſunt oculis noſtris: ſic & Deo aperta ſubjacent omnia,* Metaphoram deſumpſit à verbo græco τραχηλίζειν quo utitur Apoſtolus, & ſignificatur vel excoriatio, uti intellexit Chryſoſtomus, vel diſſectio & denudatio inteſtinorum, uti Gagneius; ut intelligamus nihil coram Deo abſcondi vel includi poſſe, quod ei non pateat. Judæi in obſidione Jeroſolymæ ſub Tito, cum ex urbe fugitivi ſpoliarentur auro à militibus Romanis, hoc excogitarunt, ut aurum devorarent & ſic cum auro effugerent; teſte Joſepho l. 6. de bell. c. 15. Verùm deprehenſi à militibus, per medios ventres ſecti ſunt, aurumque inde extractum. Vult ergo dicere Apoſtolus. Etſi in viſcera ſua intima abſcondat quis peccata ſua: tamen ea videt Deus, cui omnes conſcientiæ nudæ & apertæ ſunt. Quare ſicut Acacias Berrhœæ in Syria Epiſcopus ædes ſuas omni, etiam ſomni & cibi tempore omnibus patere voluit, ut nihil niſi quod honeſtum eſt, ageret vel meditaretur, veritus ſemper adventantium turbam, (teſte Nicephoro l. 12. c. 47.) ita decet cogitare nos, quaſi in domo ſemper aperta & omnibus pervia habitemus, omniaq; noſtra ſcrinia ſemper ſint patula Dei oculo, omnia cōclavia, cubilia, triclinia. Idem affirmat Job cap. 7. dicens: *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* q. d. nullibi poſſum effugere oculos tuos, ubicunque ſim, adeo nuſquam tutus à conſpectu tuo ſubſiſtam. Fiunt arte pictorum tales hominum facies, quæ ex omni parte aſtantes aſpiciunt, vel in eos arcum intendunt, ſive illi ex oppoſito ſive à latere ſtent. Hujuſmodi facies eſt Deus, cujus oculi & ſagittæ ſemper in nos collimant, ubicunque ſtemus. Unde monet S. Auguſtinus ſerm. 46. de verbis Domini: *Ipſe timendus eſt in publico: ipſe in ſecreto. Procedis? videris: Intras? videris. Lucerna ardet? videt te. Lucerna extincta eſt, videt te. In cubile intras? videt te. In corde verſaris? videt te. Ipſum time, cui cura eſt, ut videat te, & vel timendo caſtus eſto: aut ſi peccaveris, quære ubi te non videat, & fac quod vis.* Julius Druſus deſideravit ſibi talem domum ſtrui, in quam omnes vicini liberum proſpectum haberent adeoque oculis ſuis cernerent, quidquid ipſe domi ageret. apud Lycoſt. in Apopht. Talem domum nos omnes inhabitamus; licet enim vicini neſciant, quæ domi & in latebris agamus, videt tamen Deus, cui totus mundus quaſi una domus patula eſt. Domitianus Imperator tempore ſuſpecti periculi appropinquante ſolicitior in dies, porticuum, in quibus ſpatiari conſueverat, parietes ſphengite lapide ſpeculari diſtinxit: è cujus ſplendore per imagines, quidquid à tergo fieret, provideret, auctore Suetonio in Domit. cap. 14. Deo totus ex ſphengite mundus eſt; in ipſo quacunque te vertas, cerneris à Deo; cernuntur etiam quæ in corde geris, quo ſphengites non pertingit. Neque ideo nos non videri credamus, quod nos Deum non videamus. Ad hoc enim reſpondet Sponſa Canticorum 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens per cancellos.* In quæ verba S. Bernardus. *Præſto eſt,* inquit *oculus cui omnia patent, etſi non patet ipſe. Vereor aſpectum exploratoris illius, qui poſt parietem ſtat, quem pro acumine viſus capreæ aſſimulavit ſcriptura: hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem.* Reperimus quandoque Imperatores per cancellos inſpexiſſe reos, ut non viſi eos viderent; quo ſpectavit Anaſtaſius, qui de ſancto Martino Papa agens, ait in judicium raptum, in *ſolarium diſpoſitionis,* ubi Imperator per cancellos eum aſpiceret. Hunc in modum Deus quaſi per cancellos omnia noſtra videt, tametſi non videatur.

III. *Ubique operatur.*

III. Totus eſt manus, quia omnia, quæ fiunt, ipſe operatur cum cauſis ſecundis; non ſicut Rex per miniſtros ſuos, ſed ſeipſo in omnia influens, (*operatur omnia in omnibus,* 1. Corinthiorum 12.) & reipſa præſens; quia id exigit ejus immenſitas. Ipſe etiam ſicut omnia fecit, ita & conſervare continuo ſuo influxu debet; ſicut Sol radios, arbor fructus, ramos & folia ſua. Ita inprimis ſanctus Paulus Act. 17. *Ipſe dat omnibus* (viventibus) *vitam & inſpirationem & omnia* Ipſe cum Sole & elementis omnibuſque agentibus concurrit adeo, ut ſine ipſo nihil fiat. Hinc Minutius Felix in Octavio reſpondens Gentilibus objicientibus quod Deum colamus, quem non videmus, ait: *imo ex hoc Deum credimus, quod eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim ejus & in mundi omnibus virtutem ejus ſemper præſentem aſpicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat.* Adhæc ut ait ſanctus Auguſtinus libro 4. de Geneſi ad lit. capite duodecimo. *Creatoris potentia & virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies omniſque creatura concideret.* Quare ſicut Magiſter manum pueri ducens, una cum ipſo ſcribit, quidquid puer ſcribit: ita Deus una cum agentibus naturalibus concurſu ſuo communi agit, quidquid ipſi agunt; quo ſublato nihil illa poterunt: multoque minùs in actionibus ſupernaturalibus. Jam ergo non difficile Dei omnipræſentiam concipere & imprimere nobis poterimus, ſi cum omnibus agentibus manum ejus inviſibiliter extenſam & ipſis cooperantem cogitemus. Certe ſi vir potens hoſpitio nos excipiat, & famulorum ſuorum interventu omnia nobis ſuppeditet, quidquid neceſſarium ac percommodum eſt; alio conclave, alio cibos, alio menſam apparante, alio miniſtrante, alio accinente, ludente

aliq;

alio, munera offerente alio, &c. omnia obsequia non tam famulis, quam ipsorum domino ascribemus, eique identidem gratias agemus, beneficia cordi imprimemus; tametsi ipse dominus cum famulis hæc agentibus nihil collaboret, sed imperet tantum ac sinum liberalitatis suæ aperiat. Quanto magis id ageremus & quidem in singulis obsequiis, si etiam ipse Dominus una cum famulis suis nobis serviret, coqueret, mensam pararet, pedes lavaret lectum sterneret, vestes exueret, mane nos excitaret, lumen afferret, canendo & ludendo recrearet! At hoc modo Deus cum suis creaturis, quæcunque tandem nobis serviunt una semper servit, cooperatur & collaborat, licet absque labore, quo modo etiam Sol operatur cum sublunaribus agentibus absque ulla molestia aut labore. Cum sapit cibus & potus, cùm fovet vestis, cùm illuminat Sol, calefacit ignis, refrigerat aër, lavat aqua, portat terra & fert fruges, recreant animalia, exhilarant flores, &c. omnia hæc Deus simul cum causis secundis agit, velut manuductor earum. Non igitur Soli aut elementis, non animalibus, arboribus aut floribus gratam beneficiorum memoriam, sed Deo debemus, & quidem toties, quoties ab eo aliquid accipimus quod omnibus momentis fit; ita ut bene dixerit S. Augustinus libro de dignitate conditoris, *Sicut nullum est temporis momentum, in quo non fruatur homo Dei bonitate: ita nullum esse debet, quo illum non habeat & meditetur præsentem.* Persæ, qui Solem omnium rerum datorem & moderatorem credebant, variis modis ejus memoriam sibi inculcabant. Manè ad ortum Solis surgere Reges jubebantur, coronam quoque radiis quasi solaribus cinctam gestabant, ignem Soli cognatum præferri sibi curabant. Ægyptii, quia Nili inundantiam (à qua sola agrorum fertilitatem & frugum proventum, utpote pluviis destituti, expectabant) signo leonis, cùm id Sol percurrit, adscribebant, passim leonum rictus in fontibus insculpebant, ad beneficii memoriam, quod ex leonis sidere percipere se credebant. Denique Hebræi, quia non vane sed verissime sibi persuadebant, se omnia alimenta a Dei manu percipere quoties in mensa novus cibus aut novus potus afferebatur, toties nova gratiarum actione eum excipiebant. Cùm enim melius vinum apponebatur dicebant *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui bonus es & benignè facis omnibus* Et hanc benedictionem vocant, *benigni & benefactoris.* Cùm aromata afferrentur: *Benedictus sis Domine Deus noster Rex mundi, creator arborum aromaticarum.* quam appellant *consummati convivii.* Ad fructus arborum: *Benedictus sis Domine Deus, qui creas fructus arborum,* Ad obsonia: *Benedictus sis Domine Deus noster, qui creas genera ciborum,* quam appellant *obsonii.* Ad species aromaticas: *Benedictus sis Domine Deus noster Rex mundi, creator arborum aromaticarum,* quam appellant *benedictionem deliciarum.* Denique nullos cibos sumebant, quin per singulos reflecterent se ad datorem Deum, ut refert Cornelius in 1. Timothei quarto ubi insinuat Apostolus idem factitasse primos Christianos, ex Hebræis conversos. Idipsum si non modo in cibo, sed etiam in aliis beneficiis à Deo collatis sive naturalibus sive supernaturalibus imitaremur, cito ad magnam perfectionem graderemur. Hæc enim est vita Sanctorum Angelorum, qui in omnibus actionibus suis semper in Deum aspiciunt, ideoque nunquam errare possunt. Quod si Regina Saba de servis Salomonis dicere potuit; *Beati servi tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam.* 3. Regum 10 Multo verius id dicetur de servis Dei, qui dicta ratione semper coram Deo stant. Hac viâ ad perfectionem ascēdit Enoch, qui cum Deo ambulans sublatus est: Abraham, ambulans coram Deo. Elias & Elisæus, quibus solemne erat dicere: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* De S. Abel scribit Josephus libro 1. Antiq. capite 3. eum justitiam coluisse, quod in omnibus actionibus suis Deum præsentem reputârit. Moyses, quia *invisibilem Deum tanquam visibilem sustinuit,* ut loquitur Apostolus ad Hebræos 11. v. 26. meruit à facie ad faciem cum Deo loqui, sicut amicus cum amico loquitur, ut est Exod. 33. versu 37. Dorotheus Abbas discipulo suo Dositheo hoc præceptum dedit: *Numquam cordi tuo Deus excidat: cogita semper Deum tibi præsentem & te coram illo stare.* Fecit ille ut jussus erat, & infra quinquennium è nobili milite & dissoluto juvene perfectus & sanctus evasit. Monachus, ut refert ipse Dorotheus. Idem consecutus est Josephus Anchieta Societatis nostræ Thaumaturgus, beneficio hujus exercitii, ambulando coram Deo, ut est in ejus vita.

Denique *amor Dei,* ait Richardus de sancto Victore de Græc char, capite tertio, *rebus his pro speculis utitur, & in omne, quod cernit, sui amatoris resultat sibi memoria.* Amemus igitur Deum & in omnibus creaturis inveniemus eum non magna difficultate. Invenit eum certè Regulus in repentina filii sui sanitate, quando audivit eum sanatum eadem hora, qua Christum audiit dicentem: *Filius tuus vivit.* Quis enim eum impulit ad quærendum horam, nisi amor Christi Medici sui, ut ei gratum se præberet? Ex hoc deprehendit eum esse omnipotentem & ubivis præsentem adeoq; verum Deum. Hinc ipse se suamq; domum totam ejus amori & servitio addixit. Quem & nos imitemur, &c.

THEMA IV.

Cur Astrologi interdum vera prænuncient,

I, *Casu sæpe fit.*
II. *Ex levitate consulentium,*
III. *Ex sagacitate conjectorum,*
IV. *Dei permissione.*
V. *Dæmonum ope.*

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Joan. 4.

HUmani generis hoſtem apparuiſſe aliquando B. Dominico & ſaltando cantillaſſe: *Magis & minus: magis & minus*: forſan audiviſtis, uti refert B. Vincentius in ſerm. Domin. 4. Advent. Quid autem ſibi voluit, niſi quod utroque delectetur hominum exceſſu: ſi nimis multum faciant, & ſi nimis parum. Hoc etſi non in omnibus locum habeat, habet tamen in multis, uti inprimis in credulitate, ſi nulli credamus, & ſi omnibus credamus: ſi omnia credamus, & ſi nihil credamus: Sanè in hodierno Evangelio redarguit Dominus Regulum ejuſque ſimiles de modica nimis fide, qua præter ſapientiam & verbum Dei etiam miracula requirebant: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*: Alibi verò monet, ne facilè nimis credamus, pſeudoprophetis videlicet: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.* Matth. 24. Non ergo quibuſcumque nec facilè nimis credendum. In quo exceſſu delinquunt multi hoc tempore, qui vanis impoſtoribus, Aſtrologis, inquam, judiciariis, ſtultè & temere credunt, ex aſtrorum ſitu & concurſu futuros eventus ſibi denunciantibus. Saltat & cantillat ſuper his Diabolus gratiſſimam ad tibiam; quos hic dehortandos cenſui.

Inprimis licet ſubinde vera nuncient, audiendi tamen non ſunt, quia Deuteron. 13. præcepit Deus: *Etiamſi dixerint vobis & ita evenerit, ne credatis eis.* Olim etiam augures & aruſpices (uti modò Zingari & veridicæ) quandoque vera nunciabant, nunquam tamen à cordatis impetrare potuerunt, ut iis fidem adhiberent. Quare ſi aſtrologos iſtos audire vellemus, quia interdum vera dicunt, eadem lege reducere augures poſſemus & aruſpices. Deinde licet interdum prædictioni reſpondeat eventus, multo tamen ſæpiùs fallit & aberrat, adeò ut licet vana ſit ars illa, carens fundamento, debeant tamen aſtrologi ſubinde vera dicere, nec poſſint ſemper mentiri, tametſi maximè vellent. Verùm ob raritatem rei, vel ob eventum inopinatum, vel etiam opera dæmonis fit, ut firmiùs imprimamus memoriæ, & ſæpiùs recenſeamus talia prognoſtica, quando ſemel vera dixerunt, quàm cùm toties falſa ſicut cùm ſemel aut iterum aliquid in via ambulantes invenimus, quàm cùm toties ambulantes nihil invenimus. Sic aves illas oſtentamus, quas jaculis confiximus; ſed non numeramus eas, à quibus multò crebriùs aberravimus. Ponat aliquis in Calendario contraria iis, quæ prædicunt; non minùs frequenter vera dicet, ut expertus eſt Picus Mirandulanus, qui ex 130. diebus ſeptem tantùm deprehendit reſpondiſſe prædictioni cujuſdam Prognoſtici. 3. Cur falſas prædictiones aliis cauſis, veras tantùm ſuæ Aſtrologiæ adſcribunt? Cur cauſam reddere neſciunt, quando aberrarunt? Si enim principia artis ſuæ adhibuerunt, utique non errabunt. Si autem errant, debent oſtendere cauſam erroris, quòd nimirum hoc vel illo principio non rectè ſint uſi; quod facere nequeunt. Quare ſi ex Aſtrologia poſſunt dicere, cur hoc vel illud contigerit hic aut ibi: debebunt ex eadem dicere, cur hoc vel illud non contigerit: quia contrariorum eadem eſt ſcientia. Ita ſartor non tantum novit cauſam, quare hæc aut illa veſtis bene facta ſit; ſed etiam cur hæc aut illa malè. Denique eventus illi rari ſuam veritatem ab Aſtrologia non deſumunt, ſed aliunde, ut jam dicemus.

I. Caſu & fortunâ aliqua, quæ prædicunt, evenire cenſent viri graviſſimi. Cùm enim tam multa quotidie mentiantur, mirum non eſt ſi interdum verum dicant, ſed mirandum potiùs eſſet, ſi in tam multarum rerum prædictione nihil unquam veri dicerent. Sic pueri quando velatis oculis fuſte armati procedunt; ut gallum fune alligatum mactent, aut ollam fictilem conterant, ut plurimùm aberrant, aliquando tamen ſcopum tangunt, ſi diu præſertim ludum protrahant. *Quis enim eſt*, inquit Tullius, *qui totum diem jaculans non aliquando collimet*? Sic quandoque accidit ut revera eveniat id, quod quis ſomniavit: quàm id rarò tamen? Et ſiquidem evenit, tunc miramur & narramus aliis: at ſi non eveniat, nec miramur nec curamus aliis recenſere. Contingit interdum ſuem roſtro ſuo literam unam, verbi gratia, C efformare in luto, num ideo dicemus ſuem eſſe ſcribam? Cùm igitur interdum aliqua contingant, plurima autem non contingant; ſignum eſt caſu contingere. Jam ſi vel ſemel mentienti fidem ampliùs non habemus, cur habemus Aſtrologis toties fallentibus? Certè S. Auguſtinus dicit, ſi vel unum in ſacra ſcriptura eſſet mendacium, aut ſi Eccleſia vel ſemel mentiretur ſe nec illi nec huic fidem adhibiturum; atqui Aſtrologi plerumque mentiuntur. Audiamus Ciceronem l. 2. de divinat. *Quotidie refelluntur Chaldæi. Quàm multa ego Pompejo, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum, ut mihi permirum videatur quendam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta videat quotidie re & eventu refelli.* Unde Platonem ſolitum mirari ait, *quod aruſpex videns aruſpicem non rideret*; dum nimirum ſtultis hominibus ita imponunt. Similiter Seneca in libello de morte Claudii refert Aſtrologos ſingulos annos imò ferè menſibus pronuntiaſſe mortem Claudio, quæ tamen annos 24. eos deluſerit.

II. Levitate conſulentium putantur ſæpe vera prædicere. Spes enim magni boni aut metus magni mali facit, ut præ expectatione eventus nimium tribuamus etiam fictis reſponſionibus: ſicut ebriis, quæ ſtant, moveri videntur. Eas etiam mali aut boni opiniones attendere ſolent Genethliaci, ut fortiùs impellamur ad bona proſequenda, opes, dignitates, ampla patrimonia, principum favorem: mala fugienda, egeſtatem, exilia, carceres, morbos, mortem; quando ſperamus illa proſperè ceſſura, timemus;

mus hæc ventura. In illorum ſpe animum aſſumimus, in horum metu dimittimus. Sic ferè etiam filii, prout eis parentes inſtillant deſideria, ut hic fiat Epiſcopus, hic Doctor, hic militiæ Dux, hic mercator, hic aulicus, apprehendunt, quæ promittuntur, & ſuſcipiunt cogitationes, diu noctuque ſtimulantes animam, quoad aſſequantur, id quod ſperant. Contrà quibus denunciatur infauſtus rei exitus, illi deſpondent animum, quaſi conclamati, & ſic incidunt in miſerias ſibi denunciatas. Exempla habemus ex Livio, in Rom. exercitu, cui cùm auguria & auſpicia ſecreto inſpecta infauſtum belli exitum minarentur, aruſpices & duces, ne militem in arma euntem funeſto nuncio conſternarent, verſis in contrariam partem auſpiciis, omnia fauſta & triumphalia portendi & à Diis promitti mentiti ſunt. quo mendacio utiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt & fortiter pugnantes, hoſtes, quos auguria victores nunciabant, vicerunt. Contra vero cùm Nicias Duclaſſis Athenienſium, incognita ſibi Lunæ defectione, portendi ratus claſſis naufragium, ſi ea nocte portum egrederetur: dum ſtulto metu occupatus diſceſſum differt, à Syracuſanis cum tota claſſe captus eſt.

III. Sagacitate conjectorum. Qui enim ingenio valent & prudentia, perſpectis cujuſque temperamento, corporis habitu, ingenio, conſiliis, opibus, ſtudio, animi propenſione, inſtitutione vitæ, genere, conſuetudine, familia, domo, patria, parentibus, uxore, liberis, dignitate, munere, poteſtate &c. quadam ſolertia & rerum uſu multa prævident futura. In hunc finem multi tales peragrant varias regiones, ut nationum & hominum mores & rumores varios expiſcentur. Sic præſagiit cladem Romani exercitus Hannibal & victoriam Afris, perſpecta imperitia & temeritate Varronis & Flaminii, Rom Coſſ, atque Impp. Deinde generatim & indefinite pleraque enunciare ſolent: v. g. pollicentur alicui honorem & dignitatem, cui prædictioni conciliant fidem, ſive quis ſacerdotio inauguretur, ſive à Principe honoretur, ſive laurea doctorali donetur, ſive urbi præficiatur &c. Alteri minantur periculum imminere: & quidquid tandem infortunati ei contingit, id contendunt ab aſtris fuiſſe portentum. Adhæc variis conditionibus involvunt prædicationes more Zingarorum v.g. reperies theſaurum ſi terram foderis: habebis liberos, ſi uxorem fœcundam duxeris: fies Epiſcopus, ſi in litteris excellueris: convaleſces è morbo, ſi Medicum bonum habueris eique obſecundaveris, ſed quæ hæc aſtrologia? Denique utuntur terminis obſcuris, ſymbolicis & æquivocis.

IV. Dei permiſſione, qua fit quandoque, ut conſulti aſtrologi etiam neſcientes enuncient quædam, velut aſina Balaam; quæ ex illorum demerito contingent: vel ut quæ falſa alioquin conſulentibus dixerunt, verificentur in pœnam conſulentium: vel ut per tales prædictiones illudantur & decipiantur atque in graviores laqueos incidant, ut docet S. Auguſtinus l. 2. de doctr. Chriſt. cap. 22. & 23. quo modo C. Caligula monitus ab aſtrologo ut à Caſſio caveret: ea de cauſa Caſſium Longinum Aſiæ proconſulem, virum præclariſſimum, è medio ſuſtulit; poſtea à Cherea tribuno, qui alio nomine Caſſius nuncupabatur, occiſus eſt. Ita Saul Pythoniſſæ ope ſpiritum Samuëlis evocans, audiit ſe cras apud inferos futurum: forſan in pœnam illius noxiæ curioſitatis, quam ipſemet prohibuerat aliis. Piſanus Archiepiſcopus, quia de ſuo exitu aſtrologos conſuluit, in pœnam ſuæ curioſitatis expertus eſt, quod ei prædixerunt, ſcilicet ſuſpendium. Quis hoc de tanto viro crederet? factum tamen eſt, nam in ſeditione à factioſis è Palatinis Florentiæ ædibus ſuſpenſus eſt; ut habent Annales Florentini. Huc referri poteſt Petrus Leontius Spoletanus Medicus celeberrimus, idemque aſtrologus, qui amicis ſæpius ſibi ab aquis imminere necem prædixit. Quare aquas & navigationes omnes quantum potuit, fugit, ideoque Venetias & Paduam deſeruit ac Spoletum conceſſit. Inde evocatus Florentiam ut Laurentium Medicen curaret, cùm contempto morbo Laurentium morti expoſuiſſet, eo defuncto, infamiæ metu ad inſaniam actus juxta Caregium, Villam in puteum præcipitavit, vel ut aliqui ſuſpicabantur, à Petro Laurentii filio præcipitatus eſt. Jovius Elogio 35. Non dubium, quin ex Dei vindicta, ſive ſponte ſive ab alio injectus ſit; quòd aſtris ſtultam fidem habuiſſet.

V. Dæmonum ſuggeſtione & operâ, quibuſcum magnam habent familiaritatem: unde malefici & Aſtrologi in jure ſimul copulantur. Atque hanc ob cauſam vult S. Auguſtinus l. 2. de Gen. ad lit. & l. 5. de civ. c. 7. magis cavendos Aſtrologos, quia ſatis clarum ſit indicium eos pactum aliquod habere cum Dæmone. Poteſt autem Dæmon aliqua prædicere, quæ quidem facta & nuper primum ſunt aliiſq; nondum conſtant: item quæ ipſe Dei permiſſione machinari cogitat: rurſum quæ probabiliter ſe hominibus perſuaſurum exiſtimat. Novit enim ſagaciter & multa experientia hominum inclinationes & ingenia, quibus laqueis capi aut inneſcari queant: item ex ſignis, literis, verbis, negotiationibus hominum ſagaciter cognoſcit ſæpe occultas eorum cogitationes. Hos verò Genethliacos communiter eſſe dæmonum diſcipulos colligi poteſt. 1. Quia plerunq; ſunt hæretici. Catholicis enim prohibetur hoc ſtudium ab Eccleſia. 2. Quia plerunque vitæ inquinatæ ſunt, & diſciplinam Chriſtianam ac pietatem contemnunt. 3. Quia fugiunt conſpectum & converſationem hominum, rarò verſantur in publico, fere in abdito & procul arbitris vivunt. Denique multi de iſtis capti, coacti pœnis id faſſi ſunt: omnes ferè ob irritas & inanes pleraſque prædictiones infames ſunt, & mendaces habentur. Dæmon etiam libenter ſe immiſcet iis, qui altiora ſe ſcrutantur. Utuntur quoq; terminis peregrinis, quemadmodum & magi, ut Allilage, Almugea, Rabut, Tialtael, &c. Ad- V. Dæmonum ope.

do & hoc, nihil prorſus boni, ſed pſurimum damni adferre prædictiones illas. Vel enim bona ſunt quæ nunciant, vel mala. Si mala, vel ſunt falſa, & tunc miſer eris, ſaltem fruſtra timendo: ſi vera, bis miſer eris; ea expectando, velut Tantalus ſaxum ſibi apud inferos quaſi in ſeruiturum, quoties bibere vellet, perpetuò impendens; (apud Athen. l. 7. c. 3.) & ea tandem ſentiendo. Si bona, vel mentiuntur, & tunc miſer fruſtra expectas: vel non mentiuntur, & tunc te ſpes cruciabit.

Vidimus jam unde interdum ea contingant, quæ prædicuntur ab Aſtrologis. Sed quid eſt, quod multi præſertim magnates, uni potiùs Aſtrologo impoſtori, quam tot aliis auctoritatibus contrarium docentibus & mandantibus credant? Damnat illos Scriptura, Eccleſia & Canones, SS. Patres, maximè Ambroſius & Auguſtinus, jura civilia, Theologi, Juriſconſulti, Philoſophi, ipſi aliquot Aſtrologi, uti Henricus Cornelius, qui ait *hanc artem non eſſe aliud quàm ſuperſtitioſorum hominum fallacem conjecturam, qui ob multi temporis uſum de rebus incertis ſcientiam fecerunt, in qua emungendæ pecuniæ gratia decipiunt imperitos, & ipſi ſimul decipiuntur.* Nimirum permittit Deus ut decipiantur à deceptoribus; quia ſic volunt, uti Achab à pſeudoprophetis 3 Reg. ult. Quibus S. Auguſtinus in Pſ. 61, occinit illud Pſalm. 4. *Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.*

THEMA V.

Amor impurus periculoſa & peſſima febris.

I. Vehementer animum incendit.
II. Honeſtatem detrahit & infamia aſpergit.
III. Ad inſaniam rapit.
IV. Nihil eo inſtabilius.
V. Tollit omnem guſtum rerum cæleſtium.
VI. Ad interitum amantem trahit & in fœdiſſima ſcelera.

Heri horâ ſeptima reliquit eum febris. Joan. 4.

COmmunis quidem morbus, & qui ferè ſperni ſolet, febris eſt: hoc ipſo tamen, quia ſpernitur, ſatis periculoſus eſt & ſæpe exitioſus. Vidit hoc in filio ſuo Regulus hodiernus, qui non quæſivit Medicum febricitanti filio, niſi quando jam ferè deſperatus erat: ac niſi omnipotentem Medicum acceſſiſſet, filium febri extinctum domi reperiſſet. Febris animi concupiſcentia eſt amor venereus, ſimilem in homine ardorem & tremorem membrorum efficiens, qualem febris cauſat, nec diſſimile periculum, interea tamen parum æſtimatur, parum evitatur, aut curatur à quamplurimis: hoc ipſo igitur cenſendus eſt magis periculoſus, quia non cenſetur pernicioſus. Quibus apponendus eſt Laurentius Juſtinianus, Patriarcha, qui cap. 2. de continentia ait: *Temporalium amor brevis, amarus & periculoſus eſt. Temporalium amor animæ mors eſt.* Hunc igitur ut caveamus, eum nunc deſcribamus.

I. Febris hominem inflammat & quaſi in igne coquit, unde & ſitim cauſat ardentiſſimam, obvia quæque etiam ſordidiſſima haurientem: ita etiam amor impurus, quod imprimis teſtatur S. Auguſtinus in Pſal 121. *Amor immundus*, inquit, *inflammat animam & ad terrena concupiſcenda & peritura ſectanda vocat perituram, & in ima præcipitat atque in profunda demergit.* Ex hac infami flamma oritur ardor inexplicabilis, ad extrema quæque amantem impellens, donec fruatur concupitis deſideriis. Quod imprimis cernere eſt in Ammone, Davidis filio, qui adeò deperiit propriam ſororem, ut ejus potiundæ gratia macie conficeretur & languorem incurreret, ac poſtremo tyrannica vi reluctantem opprimeret. 2. Reg. 13. Cui non abſimile eſt, quod refert Valerius M lib. 5. cap. 7 de Antiocho, Seleuci Regis filio, qui amore novercæ ad ultimam corporis tabem redactus non convaluit, donec Medici induſtria è venarum pulſu deprehenſa morbi radice, novercæ infandis amoribus potitus eſt. Magis adhuc ſtupendum, quod legitur in vita B. Vincentii Ord. Prædicat. apud Sur. 5. Aprilis de fœmina Valentina, quæ impuro viri ſancti amore æſtuabat integro anno, adeo ut tandem, aliter cùm non poſſet ejus colloquio frui, moribundam ſe ſimularet, quò vel hac ratione evocato ad ſe aperiret morbū animi ſui pelliceretq; eum in nefandum ſcelus: quod tamen execratus Vincentius, mox Dei vindicta punit, tradens impudentem fœminam Diabolo torquendā, donec à viro caſtiſſimo, qui in medio ignis non eſt æſtuatus, tandem liberaretur. Tantus igitur tamque impetuoſus eſt hic fœdus ardor, ut infanda ad ſui extinctionem excogitet, ac planè hominem conficiat & comburat, adeoq; verè de illo dixerit Job c. 31. v. 12. *Ignis eſt uſq; ad perditionem devorans & omnia eradicans germina*, q. d. omnia obſtacula perrumpens, donec ad amatum perveniat. Quis tam ſævo incendio ſe committere non cohorreat? Audimus apud Plautum in Ciſtel. 201. lamentari quendam in eo incendio verbis illis: *Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota. Exanimor, feror, differor, diſtrahor.* En quos cruciatus affert impurus & profanus amor. In rotam agit miſeros. Denique Nonnus lib. 42. Dionyſ. dicere non dubitavit: *Nonne poteſt extinguere ſitim amoris totus fluctus oceani.* Ergò ſicut ad incendium domus reſtinguendū omnia perrumpuntur oſtia & repagula, perfringuntur tecta, diruuntur domus, poſtulatur aqua; ita amoris furor nihil non audet & attentat,

tat, ut ardorem suum extinguat. Quod in Josephi domina apparuit, dum tam importunè tamque impudenter juvenem solicitavit. Gen. 39.

II. Febris homini speciem & pulchritudinem aufert, pallidum, exsuccum, horridum & deformem reddit: & impurus amor honestatem amanti detrahit, infamia aspergit & impudentia deformat. Quod inprimis videre est in Samsone, qui per amorem mulieris perdidit omne robur ac libertatem, quin & oculos & honorem suum. Unde D. Basilius orat. 5. de jejunio ait: *Cum se amori meretricio dedisset, robur omne penitus amiserat oculisque captus ludibrio erat pueris.* Deinde in Salamone, qui regia licet dignitate & tanta sapientia præditus servituti amasiarum fœdissimæ se subjecit, ut pro libidine earum, quidquid peterent, concedere & subministrare cogeretur, etiamsi injusta, impia & indecora præciperent. *Ex luxuria* enim (ait S. Thomas l. de regim. princ. l. 3. c. 8.) *factus est Salamon abominabilis populo suo in tantum, ut servi ejus rebellarent ei.* Unde Ecclesiast. 47. ei dicitur: *Inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo:* (Gr. *in potestatem redactus es corporis tui.* q. d. fecisti te mancipium carnis tuæ æquè ac mulierum) *dedisti maculam in gloria tua:* Et hoc in senili ætate, cùm omnium sententia, *turpe senilis amor* sit. Sed nimirum amor iste quem corripit, excæcat, ne turpitudinem suam videant: quo modo excæcavit duos illos senes amore Susannæ captos; *Ut non viderent cœlum neque recordarentur judiciorum justorum.* Dan. 13 Unde eorum uni Daniel ait: *Species decepit te & concupiscentia subvertit cor tuum;* ita ut nescirent, sub qua arbore Susannam vidissent. Designata est hæc talium cæcitas in nefandis illis & impurissimis Sodomitis, qui ob suam bestialem impudicitiam cæcitate percussi sunt ab Angelis, ne ostium domus Loth invenire possent. Ita enim cæcantur impuri amantes, ut cœli aditum & viam reperire, quamdiu in suo luto hærent, nequeant; siquidem hic amor mentem planè absorbet & in brutum convertit. Quare ex eorum cordibus non nisi crassissimi fumi, fœdissimarum voluptatum perpetuo exhalant & rationem obnubilant: quemadmodum è mari mortuo teter ascendit fumus & aërem obscurat; ita ut justissima Dei vindicta Sodomitarum terra in fœtentem illum lacum conversa sit, quia & ipsorum corda tales lacunæ erant. *Quemadmodum exhalationes,* inquit Clemens Alex. lib. strom. *quæ è terra & lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & nimbosum vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes & ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate & perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines.* Quamobrem fœdus hic amor appellatur *ulcus* à D. Ambrosio: *fœtor* à D. Bernardo: *cloaca* ab Augustino.

III. Febris in delirium sæpè rapit hominem ita ut ridicula & stulta planè loquatur. Non aliter impurus amor insana excogitat consilia, quibus cõsequatur finem suum, insana loquitur, insana molitur & agit. Nonne deliravit præ amore Sichem, quando ut raptam à se Dinam retinere posset circumcidi se passus est? Gen. 34. Nonne etiam Samson, quando captus amore Dalilæ toties reposuit caput in ejus sinum, toties ab ea repulsus? nonne quando manifestæ proditrici aperuit arcanum suũ, quo perderet vires suas & hostibus traderetur, Jud. 16. Et quid videtur vobis de Galeacio illo Mantuano, qui Papiæ hybernans, cùm puella, quam unicè amabat, in ponte obvia ei dixisset: *Quin tu bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, ponte in amnem amoris mei gratia desilis?* concitato repente equo desiliit in fluvium; unde ipse equo exanimato vix natando emersit. Pontan. lib. 1. c. 25. de fortit. Quanta hæc amentia ad stultam amicæ vocem committere se præsentissimo vitæ & salutis æternæ discrimini? Sed quid mirum? Amor enim hominem rapit extra se, & in corde amati constituit, ut jam non ad seipsum, sed ad voluntatem solius dilecti attendat. Rapuit certè & quidem ad insaniam usque Henricum, Comitem Palatinum, qui cùm uxoris Adelheidis consensu habitum monasticum assumpsisset, postea ejusdem amore ad sæculum retractus in furorem & amentiam incidit, in qua propriam, quam sic adamarat, conjugem arrepta securi capite truncavit, inde foras egressus, plausu manuum & cachinno, quod egerat indicavit. In vita S. Annonis Sur. 4. Dec.

Ad insaniam rapit.

IV. Febris varia & mutabilis est: nunc à frigore incipit & in calorem desinit: nunc à calore in frigus: modo tertiana, modò quotidiana fit: nunc citiùs, nunc seriùs advenit. Nihil etiam instabilius amore turpi: nunc fervet, nunc languet: mox in odium vertitur. Quod antiqui indicarunt, cùm alatum pinxerunt. Ita enim S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 234 *Corporum,* inquit, *amorem ob eam causam pictores cum facibus & pennis depingunt, quia nunc libidinem inflammat, nunc rursus ob saturitatem avolat.* Causam edit S. Gregor: Nazianz. orat. de S. Basilio: *Corporum siquidem amores,* ait, *quia res fluxas sibi proponunt, fluunt quoque ipsi non secus ac veris flores. Nec flamma consumpta materia remanet, sed una cum ea extinguitur: nec libido marcescente fomite subsistit.* Fundatur enim hic amor vel in forma corporis, vel in largis ignibus & muneribus, vel in amore reciproco, & similibus, quæ cum vento mutantur & evanescunt. Ardet quamdiu ætas floret, vel robur viget, vel species vernat, vel ad summum vita persistit, hujusmodi enim fomite alitur: quo absumpto vel fugiente, fugit ipse pariter. Exemplum hujus inconstantiæ videre est in Amnon, qui, ut diximus, deperibat adeò sororem, ut ejus gratia ægrotaret: ubi tamen eam insana violentia compressit; *exosam habuit odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat.* 2. Reg. 13. Plurima alia exempla passim recensentur; ut quod

IV. Nihil eo instabilius.

Sene-

Seneca in Medea refert. Illa enim Jasonem amasium insano prius amore complexa, posteà adeò exosum habuit; ut omnes ejus filios ipso inspectante nec impedire valente, occiderit. Idem suis amasiis, & inter eos proprio filio rependit Semiramis: & prio[r]e sæculo Henricus VIII. Angliæ Rex, qui suam Annam Bolenam, quam priùs adeò deperibat, ut repudiata legitima conjuge per fas & nefas duxeit, postea velut suspectam de alieno amore capite truncari præcepit. Florim. l. 6. Cujus rei ulterior ratio est, quia impurus non amat in amata persona nisi suam voluptatem & commodum: personam non amat, unde facili ex causa etiam odio habere incipit, sive quia eam novit sceleris sui complicem, indeque metuit sibi & pudori suo, sive quia à conscientia redarguitur & quantum in eo scopulo impegerit, seque ipsum læserit, cogitat. Præterea amasiam, quam polluit, reddit vilem atque infamem, unde velut scortum abjectissimum repellit: quo modo poma aurea, postquam expresso succo spoliata sunt, abjiciuntur per fenestram in plateas.

V. *Tollit omnē gustum rerum cœlestium.*

V. Febris gustum vitiat, ita ut dulcia & mellea videantur ipsi amara, eò quòd pravo humore infectus sit. Ita profanus amor tollit animæ gustum amoris Dei & rerum divinarum, despiciunt ei conciones, lectiones spirituales, pia colloquia, monita salutaria. Et quid mirum? Amor terræ & amor cœli se mutuo excludunt, nec in una sede morantur Dagon & Arca fœderis, & Diabolus & Deus. Quòd autem impurus amor Dæmonem habeat paredrum ex vita discimus Sancti Martini, cui aliquando cùm sisteretur puella, quam invaserat Diabolus, magicis solicitatus artibus unius adolescentis, qui puellæ pudicitiam expugnare conabatur: interrogavit Martinus Dæmonem, cur non potius sceleratum amatorem quàm innocentem puellam arripuisset. Cui ille: *Quia juvenis habet collegam meum, amoris Dæmonem*, quasi non minùs dæmoniacus sit, qui profanum amorem, quàm qui Dæmonem infessorem patiatur. Non dubito mendacem alioquin Diabolum viro tam sancto veritatem edicere coactum esse. Jam ubi pia desideria, ubi sanctæ cogitationes, ubi gustus rerum divinarum stare in pectore potest, quod amore carnis occupatum est, quod mephitim libidinis exhalat? Egregiè hoc ostendit D. Basilius in c. 1. Isaiæ v. 7. super id: *regionem vestram coram vobis alieni devorant*; ostendens fieri id ab impuro amore. *Fit hoc*, inquit, *per quam facilè circa animam humanam. Vide enim mihi tu juvenem quempiam à puero in splendida bysso intra ædes educatum, alacriter & studiosè ad orationes prodeuntem, nullum transmittentem beneficicentiæ officium, æterni illius judicii memorem, jugiter acquiescentem sermoni doctrinæ, talem deniq; mihi considera in fornicationem prolapsum. Quonam pacto post abolitionem prioru continentiæ, post desolationem tantorum fructuum, deinceps miserabilem illum è proximo consequitur omnimoda eversio priorum laborum? Isthæc conscientia admissi facinoru non jam eum comitatur, ut se conferat ad orationu locum, quòd nequaquam perstitit in officio ordineq; fidelium. Excidit enim. Non iterum in tractus consistit eorum, qui in arcano secessu deflent. Illum enim suppudet. Fit hinc ad orationem cunctatior. His qui causam exquirunt, commentitias nectit excusationes. Respondet se urgeri ab uno aliquo; quare non tam opperior horam communionis, & ob hoc ante orationem fidelium se subducit, ut ne deprehendatur ejus simulatio. Deinde sensim contracta consuetudine illius menti se inserit meditatio, ut abrepto proposito deficiat, deniq; ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur.*

VI. Febris si invalescat nimis, præsertim recidiva, tandem conficit hominem & in sepulchrum ejicit, quod jamjam factura erat filio Reguli, nisi Christus intervenisset suo auxilio. Amor etiam carnalis, si fræna ei laxentur, ducet hominem in fœdissimas turpitudinis cloacas, fornicationes, adulteria, incestus & præposteras libidines: quo modo Eva carnali amore Adamũ complexa prostravit in peccatum, exilium & mortem. Ne enim sola periret, traxit in ruinam etiam maritum. Idem faciunt amasiæ suis amatoribus. Unde B. Petrus Chysologus epist. 55. comparat eas viperis, quæ compari suo in congressu caput mordicus amputare feruntur. *Vos viperæ virosæ*, inquit, *quæ præ impatientia ardore libidinis Christum, qui caput* (Christianorum & Ecclesiæ) *est, vestris amatoribus detruncatis*. Quod agunt dum amatum in flagitium trahunt; quod non amare, sed angue pejus odisse est. Ita perdidit Samsonem sua illa Dalila, quam proinde appositè *viperam* appellat S. Ephrem tract. de judic. & retrib. cum ait: *Concupiscentia strenuum atq; invictum illum Nazaræum Samsonem captivum sumpsit, qui postquā concupivit cum vipera habitare, illicò capilli Nazaræo defluxere, oculisq; suis privatus, miserabilis atq; ridiculus omnibus subito est demonstratus.* Quod si hoc non faciat Dalila & amasia facit ipsa concupiscentia & impurus amor, qui in Holoferne invalescens erga Juditham, caput ei ademit: uti & Sichem juveni illi, quia illicito amore erga Dinam inflammatus in gladios fratrum ejus incurrit, vitam: Salomoni mentem, sapientiam, gloriam, opes, regni partem maximam, ipsum denique Deum. Nec desunt recentiora exempla, eaq; ferè quotidiana. Nobilis quidam nomine Wolfenschies à Roz[en]berg coëgerat in Helvetia uxorem cujusdam agricolæ, Conradi ex Bomgarten, ut vas sibi balnearium præpararet, eoque parato una secum in lavacrum consideret: sed fugit illa & marito è sylva redeunti rem gestam nunciavit: qui statim cum securi adfuit & nobilem in ipso balneo trucidavit, & impunè quidem. Refert Josias Simlerus l. 1. de rep. Helvet. Recentius desideramus? *In Austria anno 1591. Nobilis quidam impuro eoque magno & furori proximo distinebatur amore, ut nullum ejus neq; humanu neq; divinu admonitu faceret finem: ita vesano com-*

completa igne torrebantur tota præcordia: hac ratione furere desiit, terrore divinitùs incusso. Levicula correptus febri cùm taceret noctu lecto affixus, ante se videre visus rhedam flammiferam, subjectumq; equum flagrantem igne: tum rhedarius, informe monstrum, tetrumq; atque ipso (utar verbo ipsius) malo Dæmone truculentius, quo nil terribilius mortalium timori est. Quid cessas, inquit? quin conscendis currum dignum pro meritu tuu? horruit miser subito pavore defixus, tandem recepto animo corripit gladium proximum lecto; vibratq;, ut subveniatur interim magna voce domesticos inclamans: trepidi accurunt famuli domusque tota sopore discusso: quin etiam exciti vicini nonnulli quærentes clamoris causam, dein prætexentes impositum fuisse auribus oculisq; formidini allevanda. Verùm cùm fremeret adhuc esse in conspectu nec finiretur metus, insinuaret se potiùs in pectora aliorum, intempesta licet nocte venitur ad Collegium, mittuntur duo, qui aqua lustrali, crucis signo, & in cera consecrata imagine agni timorem tantisper leniunt, dum affirmaret æger Dæmonem abscessisse in præsens minaci vultu, sævaq; ira manifestum detectu deinde peccatu turpi perinde amore quam tristi animum terrore liberavit. Ita Bencius in Annal. Societat. nostræ. Delr. disquis. mag. lib. 6. capit. 2. section. 3. quæst 3.

Quando igitur vidimus quàm perniciosa ac periculosa febris sit amor venereus, superest Audit. ut contra morbum istum sedulò nos armemus. *Cave species*, ait S. Basil. admonit. ad fil. spirit. *per quas plurimos cernu periisse: quæso ne bibas poculũ, unde multos perspicis interiisse. Ne percipias cibum, quem edi in aliorum perniciem videris, ne incedas iter, quo naufragium perpessi sunt plurimi: devita laqueos, per quos captos cæteros senseris.* Devitavit certè Rex Gentilis, Abimelech, quando Isaaco quidem abstulit Rebeccam conjugem, existimans esse sororem ejus, non tamen eam attigit, sed amori frænum injecit, donec liberane an conjugata esset, agnosceret: edoctus nimirum plaga prædecessoris (fortis patris) sui, qui ob Saram Abrahæ abstractam, multis & gravibus calamitatibus una cum aula sua flagellatus fuit (Gen. 12.) non est ausus simile adire periculum: sed intactam remisit conjugem suo marito Genes. 26. Cùm ergo, tam grandia tamque frequentia sint amantium pericula & exitia, quis erit tam audax, impudens & amens, ut se in tam præsens & grave conjiciat discrimen? Seneca epist. 51. *Voluptates*, ait, *præcipuè exturba & invisissimas habe; latronum more, quos philetas Ægyptii vocant. In hoc nos amplectuntur, ut strangulent.* Feruntur alicubi statuæ esse virginum specie, quæ dum capitis reos expansis amplectuntur brachiis, repente iterum clausis comprimunt atque enecant. Hujusmodi sunt voluptates, vult dicere Seneca, talis est impurus amor, amplectitur, ut strangulet. Fugite igitur has virgines, fugite hos philetas.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *A vindicta inferenda quæ retrahere debeant hominem.*
II. *Infantes & insipientes esse, qui injurias non remittunt.*
III. *Deum præsentem præ oculo non habere quàm malum.*
IV. *Dignissima quæ juventur animæ purgatorii.*
V. *Documenta Evangelica.*

THEMA I.

A vindicta inferenda quæ retrahere debeant hominem.

1. *Dei prohibentu vox.*
2. *Dei exemplum.*
3. *Dei vindicta.*
4. *Honor quem inde reportas.*
5. *Damnum quod incurris.*
6. *Thesaurus quem acquiris.*

Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo ex cordibus vestris.
Matth. 18.

IUstinianus II. Imperator, cùm ad Trebellium Bulgarorum Regem fugeret in navi, oborta tempestate, in præsentissimum naufragii & submersionis incidit periculum. Sed cum à quodam comite itineris moneretur, ut Deo Optimo Max. promitteret omnes injurias inimicis se condonaturum, nec ab ullo pœnas exacturum, à quo læsus esset, acquievit imperator

promisit; adeoq; etiam periculum sedata tempestate evasit, & Bulgarorum insuper opera imperio restitutus est. Verùm perfidus & ingratus homo non præstitit, quod promisit; ideoq; tandem meritas pœnas dedit, quando captus à Philippico securi unà cum filio Tiberio percussus est. Refert Zonaras & ex eo Cuspinianus. Versamur etiam nos Audit. quamdiu in hoc mundo degimus, in continua tempestate & periculo salutis nostræ æternæ; cùm omnes debitores Dei simus, interim verò nesciamus an pro iis satisfecerimus. Quid igitur hic consilii? Unum suggerit nobis in hod. Evangelio Dominus, ut promittamus Deo, quod omnes omninò injurias omnibus inimicis nostris remittere velimus, nec in minimo vindicare. Votum istud Deo adeo placebit, ut & ipse nobis omnia debita nostra condonaturus sit. Testatur enim in hod. Evangelio, quales nos exhibuerimus erga inimicos nostros, talem se futurum etiam erga nos. Voveamus igitur hoc quotquot sumus. At hoc verò præstandum votum non una illa, sed complures aliæ stimulant rationes, quas nunc audiemus.

I. *Dei prohibentis vox.*

I. Dei inhibentis vox. Clamat is de cœlo, *Mea est ultio & ego retribuam*. Deut. 32. Et tu vindictam tibi arrogas? Quando canis tuus in obvium tibi hominem feroci incursat impetu, & tu unica voce eum objurgas; nonne illico cursum inhibet? nonne deponit jubam, & posita ferocia mitis ad te revertitur? Eccur igitur homo non ita obediat Deo, vindictam prohibenti, & parcere jubenti: Vide canem talem. Laban, hominem gentilem & aspero ingenio. Audiens hic fugisse generum & servum suum Jacob cum omni sua substantia, persecutus est eum 7. diebus, maxima cum furia vindictam in eum parans. Gen. 31. Sed interea dicentem sibi in somnis audit Deum: *Cave ne quidquam asperè loquaris contra Iacob*; & ecce ferox iste molossus mox deponit iram, & *qui tanto impetu*, ait D. Chrysostom. ho. 57. in Gen. *comprehendere Iacob & pœnam fugæ de eo sumere volebat: non solùm nihil asperum & durum adversus eum loquitur; sed sicut pater filium compellans, ita blandis verbis convenit: Quid fecisti? vide quanta mutatio! vide quomodo is, qui ut bestia insaniebat, ovium imitatur mansuetudinem?* Quod ergo barbarus hic & ira æstuans homo potuit præstare, tu non poteris Christiane? Sed videamus & Christianum, & quidem Roman. Imperat. potentissimum, Ottonem II. Tractus hic erat à malevolis in odium atrox Hereberti Archiepiscopi Colon. eò quòd inter alia vir sanctus vocatus ab Imperatore, maxima febri detentus non venisset. Concitatus ergo invidorum maximè stimulis ad iram Imperator, excusationi fidem non habens, cum furore respondit: *Si ad me dedignatur venire ipse eum, quia ægrotat, habeo visitare*, atq; cum hac iracundia mox furibundus Coloniam contendit. Verùm ipsa nocte, qua Coloniã ingressus, cùm sopori se dedisset, videt in somnis quendam quasi venerabilem virum, Pontificali veste ornatum, qui sic eum allocutus est: *Cave ô Imper. ne posthac amplius pecces in conservum meum Herebertum. Scito illum Deo esse acceptum, in quem si qui admiseris, tu sine judicio portabis judicium.* Qui multa? Mane facto cùm Herebertum advocasset ex surrexit *& virum Dei amplexatus est, se ab invi seductum & in odium ipsius impulsum fassus. Cœlu pro te clamat, inquit, indulge ergo, precor te, quod in malignatus sum: quia peccatum meum cognosco, n amplius addam adversari tuæ sanctitati. Quibus d ctis semel iterum tertio Pontificem osculatus est.* I Rupertus Abbas Tuitien. in ejus vita. Potuit ve bum Præsulis in somnis conspecti adeò converte Imperatorem è leone quasi in agnum, & non po sit Dei ipsius mandatum emollire cor Christiani, parcat fratri suo.

II. Dei exemplum. Nonne enim ipse tolerat in jurias nostras? illas quamdiu plerunq;? & quoti ac quam facile remittit? cogitatione David sese co tinuit, ne vindictam sumeret de exprobratore S mei, uti indicat psalm. 38. *Cùm consisteret peccat adversum me, obmutui, & silui à bonis*, & (h. e quia) *dolor meus renovatus est*. q. d. silui ad injuri mihi factas & contumelias objectas, quia dolui d injuriis Deo à me illatis. Ita exponit S. Chrysosto mus: *Cum*, inquit, *maledictis me incesseret Seme peccatum à me commissum revocavi in memoria considerans quod propter ipsum maledictis appetor punior, & regia expulsus fuga cogar meæ saluti consu lere*. Cogita & tu, mi homo, longe plures & gravi ores injurias Deo à te irrogatas, quam ab inimici tuis tibi sunt illatæ, vel etiam inferri possunt: cogi te ipsi debitorem esse decem millium talentorum inimicum verò tibi forsan centum denariorum. E eodem fonte videtur fluxisse indulgentia illa Davi dis, qua incestum Amnonis & rebellionem Absalo nis filiorum, quasi dissimulando sustinuit, nec, cùm posset acrius quid in eos statuit. Considerabat enim bonus Rex se non minori injuria offendisse Deum quam offensus esset à filiis, eorumq; insolentiam & improbitatem sibi decretam in supplicium & pœnam suorum peccatorum: hinc partim erubes centia, partim proprii peccati conscientia tentus dissimulare & sustinere potiùs quàm vindicare vo luit paria suis scelera. Accedit quod his ipsis injuriis, quibus nos afficimur, centies millies magis afficiatur Deus, cujus honor tangitur, cùm imago ejus violatur. Id videre est in Samuele 1 Reg. 8 quem sibi à Deo datum Judicem cùm tandem repudiassent, & pro eo Regem sibi postulassent, non doluit hoc Samuel, sensit autem Deus, ad ipsum loquens: *Non te abjecerunt sed me* q. d. hæc injuria me tangit, qui regnavi super populum, tibi parum aut nihl obest qui meus duntaxat vicarius eras. Quando igitur hoc ego fero, expectans ultionis tempus, vel populi resipiscentiam, cur tu id non feras.

III. Dei vindicta, quæ vigilat pro nobis, & imminet oppressoribus vel calumniatoribus nostris, multo acrior, quàm possit esse propria. Expertus hoc est servus à conservo suo in hodier. Evangelio

sen-

centus: qui nunquam sic de ipso vindicare se potuisset, sicut vindicavit Dominus, mittendo eum in carceres perpetuos, & tradendo tortoribus: *Quando decem millia talenta debebat,* ait in illum locum D. Chrysost. *non vocavit eum nequam, neque est conviciatus, sed misertus: quando autem contra servum ingratus est effectus, tunc dicitur: Serve nequam.* Satis superq; erat hæc Dei ultio prophetæ Zachariæ, quando à Rege Joas ingratissimo per summam injuriam lapidibus oppressus fuit. Nihil aliud enim dū inter lapides moreretur, pro defensione sua fecit aut dixit, quam: *Videat Dominus & requirat.* 2. Para. 24. permittens vindictam Deo, qui certe vidit & requisivit: nam anno evoluto adduxit Syrus copias, permodicas quidem, sed quas armavit Dei ultio ea fortitudine ut infinitam conciderent multitudinem & interficerent cunctos principes populi, quorum cōsilio Joas oppresserat Zachariam. Cùm autem regni templique thesauris vitam suam à Syris redemisset Joas, non tamen diu illius usura gavisus est, nam à propriis servis ægrotus in lecto interemptus est, *in ultionem sanguinis filii Ioiadæ,* Zachariæ scilicet ut ait sacer textus. Ad eam Zachariæ vocem videtur allusisse Christus, quando Samaritanus & Dæmoniacus à Judæis Jerosolymis appellatus, respondit: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.* Joan. 8. versu 50. Gloriam igitur & vindictam injuriæ suæ, quam ipse statim poterat quærere, quærendam commisit patri suo. Quanto potiori jure id faciendum nobis, ad quos non spectat ultio? *Deus enim ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit:* dicitur psal. 93. q. d. Ille prout liber, valet vindictam sumere: nobis hoc non licet, neque si liceret, possemus sicut libet. Jam vero quamdiu expectat Christus tempus vindictæ suæ? quamdiu tolerat injurias suas? *Tu autem ô Christiane,* ait S. August. serm. 2. de S. Stephano, *quæris vindicari de adversario tuo: qui tibi forsitan injuriam fecit, æstuas, furis, anhelas, festinas vindicari: attende Christum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ: propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum ac talem magistrum imitari? ideo pati voluit, ut tibi patientiæ suæ demonstraret exemplum.* Paraverat quidem Deus pater jam vindictam in hostes filii sui, quando eo in cruce facto terram concussit, lapides diffidit, Solem obscuravit, sed precibus filii rogantis: *Pater dimitte illis,* distulit vindictam, juxta parabolam cultoris vineæ, qui pro sterili ficu oravit: *Domine dimitte illam & hoc anno, &c. sin autem, in futurum succides eam;* ex parte in excidio temporali per Romanos, plene vero in excidio æterno per seipsum in die judicii. Nimirum Deus non tam suas proprias quam servorum suorum injurias festinat ulcisci, quasi gravius illas ferat quam suas. Ita enim Luc. 18. dixit Dominus: *Deus non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum.* Luc. 18. Clamant electi, non vocibus, ut vindictam postulent, quin potius orant pro suis inimicis: sed clamant eorum injuriæ, clamant vulnera, clamat sanguis, calumniæ, spoliationes, verbera, vincula: & hoc die ac nocte: *cito* igitur *faciet* Dominus *vindictam.* Quoties hoc deprehendimus in gestis Sanctorum? S. Martinus ab obviis militibus cæditur ad necem fere, & ille tacet: sed illico eorum equi velut saxei consistunt donec culpam deprecentur. Alius eum ferire conatur, sed mox resupinus in terram ruit. Maledicus in Sanct. Anselmum, statim equo excutitur & in terram sternitur. Faber illudens sanctitati S. Thomæ Aquinat. protinus ab ejus mula calcibus in os percutitur. Illusor S. Bernardini tegularius, mox è tecto decidit. Qui equum D. Thomæ Cantuarien. Episc. cauda truncarunt, caudas equinas acceperunt & ad posteros suos propagarunt. Præterea infinita alia. Unum hoc addo: non modo electorum injurias, sed etiam reproborum Deum inultas non ferre. Scimus enim septuplam ultionem statutam ab eo fuisse in illos, qui occiderent Cainū parricidam: & qui necaret Lamechum, itidem homicidam, septuagies septies fuisse puniendum. Gen. 4. Sed cur gravior de Lamecho quam de Caino decernitur vindicta? Quia nimirum Lamech scelus suum luctu & lachrymis diluit. *Quia facinoris eū pœnituit, illum nunquam: misericordiam Dei imploravit, ille abjecit,* inquit Lipomanus ibi. Quando ergo Dei vindicta pro nobis adeo vigilat cōtra obtrectatores nostros: ad quid nos vindictam quærimus? *Cū nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit: cùm autē ipsi concedimus, plusquam expectamus, efficitur,* ait D. Chrys. ho. 53. ad pop.

IV. Honor, quem reportas. 1. Virum te ostendes, qui non moveatur levi aura, quales laudat Apostolus ap Philip. 2. in sustinendis Ethnicorum injuriis invictos: *Sitis simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* In quem locum sanctus Anselmus: *Vult, inquit, ut Christiani sint quasi stellæ quæ in cœlo fixæ non curant terrena, sed tota intendunt, ut suos cursus & motus peragant, lucemq; spargant mundo.* Magis ad propositum nostrum S. August. in Psal. 93. *Quanta, ait, de ipsis luminaribus fingunt homines & patienter ferunt: quomodo justi patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes? Hoc ipsum quod jam dudum dixi: Quia illa stella Mercurii est, & illa stella Saturni est, & illa stella Iovis est: convitia fiunt stellis. Quid illæ, cum audiunt tanta convitia? Nunquid moventur aut non exercent cursus suos? Sic & homo, qui in natione perversa & tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in sæculo.* Cœlestes igitur se ostendunt esse, qui injurias contemnunt, imo & divinos, siquidem hoc Deo proprium esse, testatur ipsemet Ose. 11. cum ait: *Non faciā furorem iræ meæ non convertar ut disperdā Ephraim: quoniam Deus ego & non homo,* q. d. nequaquā ego similis in vindicta sum hominibus. Homo offensæ vindictā machinatur, ego reconciliationem; homo punit ut perdat, ego ut emendem: homo pati-

IV. Honor, quem inde reportas, 1.

passione & ira movetur, ego ratione & justitia moveor: homo reputat sibi dedecus si prior reconciliationem postulet: ergo hoc mihi honori duco, observandum etiam in Hebræo haberi, quia **El**, hoc est, *fortis ego sum*. Ergo fortium est injurias remittere; quia Dei fortis est. Fallitur proinde & fallit mundus, quando ignoscere, timidorum ulcisci, fortium & strenuorum esse dictitat.

2. 2. Justum te ostendes & immunem ab eo vitio, quod tibi objicitur. Audiamus testem sanct. Chrysostomum hom 12. in Ep. ad Rom. *Quum quidam te injuria affecit neq; finem facit de te apud quosvis obloquendi: tum demum laudato obloquente, apud eos qui tibi recitant, quæ ex illo audierint, hac certe ratione, si illum ulcisci volueris, poteris de eo pœnas sumere; etenim qui rem exaudient, ut sensu etiam maximè careant, te solum collaudabunt: illum contra, utpote, quavis noxia fera deteriorem, odio habebunt, quòd ille quidem nulla provocatus injuria, molestus tibi fuit, tu è diverso vel male ab illo habitus, beneficium pro injuria reposuisti: sic fiet, ut perficias sanè quæ in te ille maledicta conjecerit, ea omnia ut futilia esse videantur. Siquidem qui sugillatur mordeturq;, is quum propterea dolet, palam facit criminationis objectæ conscium se esse: qui verò ridet, is profecto risu ipso apud eos, qui rei testes consciique sunt, seipsum omni suspicione liberat.* Huic accedit Sanctus Ambrosius lib 2. de interpellat. in Job. 3. *Tacere*, inquit, *debeo, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet & scindatur cicatrix: tacere & qui non recognoscit: audit enim alterius, non suum crimen: quod si referat, suum facit: si tacet, retorquet, & conviciantem vulnerat.* Exempla hujus fortitudinis affert S. Chrysostomus hom. 62. ad pop. Annam ab Heli Sacerdote & æmula muliere contumeliosè habitam: Publicanum à Pharisæo, Miphibosethum à servo, accusatos & contemptim habitos: Magdalenam Pharisæi probro petitam, & adjungit: *Si verò mulieres & meretrices & publicani philosophabantur, & hoc ante gratiam: qua sumus digni venia, qui post tantam gratiam efficimur bestiis feriores, mordentes & calcitrantes?*

V. *Damnum quod incurris.*

V. Damnum, quod incurris, si teipsum vindices; siquidem te graviùs, quàm inimicum lædis. Falcones, quando in ardeam toto feruntur impetu, sæpe in ipsa, quam persequuntur, præda, seipsos configunt enecantque. Solet enim ardea, cùm ferri in se desuper falconem videt, acutum suum rostrum abdere sub ala & hosti invadenti ex occulto objicere: unde improvidus falco in eo se transfigit, ardea remanente illæsa, uti refert Aldrovandus in Ornith. Idem sæpenumero contingit iracundis vindictam molientibus, ut ipsi se conficiant. Wencesl. 6. Imp. dum ob leve verbum pugionem evaginat & stringit in pincernam suum, eum confossurus, incidit in paralysin & terræ alliditur, indeq; brevi exinguitur, ut alibi ex Dubravio diximus. Megarenses effractis caveis immiserunt aliquando leones in suos hostes: verùm suo interitu, nam leones in suos conversi cives miserabili spectaculo eos laniarunt. Pier. lib. 1. c. 8. Ita prorsus tela ultionis, quæ in inimicos evibramus, in nos ipsos revertuntur, & sauciant animas nostras: quo modo acuti sudes in digitos S. Crispini & Crispiniani infixi resilierunt velut jacula erinacei in eos, qui infixerant. In eorum actis, Octob. apud Sur. *Non impellamus ergo*, inquit Sanct. Chrysostomus in hod. Evangelium ho. 62. in Ma. *adversus pectora nostra mucronem: nunquam enim tantum tibi doloris afferre alius poterit, quantum tu tibi, si recordatus iræ vindictam quæras, & adversus teipsum sententiam Iudicis attrahas.*

VI. Vicissim verò si condonemus inimicis injurias, redundabit ab ipsis in sinum nostrum incomparabilis thesaurus gratiarum & remissionis peccatorum nostrorum. Recenset Jeremias c. 41 quatione Ismahel, quidam de regio semine, in dolo perit 80. viros pergentes in domum Domini & ferentes munera: quos cùm occidere cœpisset, decem inter eos reperti sunt, qui dixerunt ad Ismael: *Noli occidere nos; quia habemus thesauros in agro, frumenti & hordei & olei & mellis.* Quo audito cessavit & non interfecit eos, promissi spe thesauri. Offertur nobis ingens thesaurus, si parcamus inimicis: liberalis gratia & impunitas omnium scelerum; quis tanta promissione non moveatur ad parcendum? Quod si verò parcere minimè voluerimus, tempus ipsum tandem sepeliet & obliterabit acceptas injurias, & quidem nullo nostro lucro, ut benè observat Divus Chrysostomus homil. 52 ad popul. *Quod tempus facit* ait, *hoc propter Dei legem aut tempus facere non sustines? Et sine mercede potius, quam cum mercede vis tibi vitium extingui? Nec enim si per tempus hoc tibi fiat, erit tibi quicquam amplius, sed multa potius pœna: quoniam quod tempus efficit, hoc facere Dei lex non persuasit.* Viderunt hoc, quicumq; vera sapientia præditi & Christi doctrina benè imbuti fuere, ideoque non solum inimicis quascumque tandem injurias liberalissime remisere, sed insuper etiam beneficia non vulgaria impertivere, quibus thesaurum illum sibi compararent. Alexander Patriarcha Hierosolymitanus, *cùm illi quidam ex notariis suis furatus esset aurum, & metu perterritus fugiens in Thebaida Ægypti, incidisset vagus & errans in latrones ac ductus esset ab eis captivus ad extremas Ægypti partes, hoc comperto Dium Alexander redemit cum vinctum ac captivum 85. numismatibus. Quo reverso ita pie misericorditerq; usus est, ut quidam ex urbis habitatoribus dixerit aliquando: Nihil esset utilius quàm in Alexandrum peccare.* Ita habet Pratum spirit. capit. trigesimo quarto. Sixtus III. Papa Bassum, à quo cùm eligeretur in Pontificem, injustè accusatus fuerat, paulo post mortuum, linteaminibus involvit & aromatibus conditum ad Sanctum Petrum sepelivit, uti refert Platina in Sixto III. Alius quidam à convicaneo suo in rixa exoculatus, postea eidem in monasterio constituto tota vita sua ministravit cum omni sedulitate; quod refert B. Petrus Dam. l. 6. Epist. ep. 30.

Audi-

Audivimus quanto jure ſtatuendum nobis, ne injurias vindicemus, ſed potiùs liberaliter remittam' inimicis. Statuat igitur hoc unuſquiſque apud ſe & coram Deo, ſi ſalutem ſuam amat. Videat tamen & hoc, ne fidem Deo fallat, cum perfido Juſtiniano, & propterea pœnas det. Audimus in hodierno Evangelio quid actum ſit cum ultore ſervo: audimus & dicentem Dominum: *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis, &c.*

THEMA II.

Infantes & inſipientes eſſe, qui injurias non remittunt.

I. Quia ob rem levem commoventur ad iracundiam.
II. Quia in res ſæpe innoxias ſæviunt.
III. Quia invadunt ſæpè benefactores ſuos.
IV. Quia dum alios feriunt, ſeipſos gravius lædunt.

Ille autem noluit, ſed abiit & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum, Matth. 18.

VEriſſimè Iſaias capite quinquageſimo quinto dixit in perſona Dei: *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Homines enim vulgo illos magni æſtimant, reputantque viros fortes ac ſtrenuos, qui nihil injuriæ tolerant, ſed vindicare ſe de inimicis & vim vi repellere audent: eos verò, qui injurias ferunt, condonant aut diſſimulant, ſpernunt velut infantes & imbelles. Sed quid ad hoc os Dei? Prorſus è contrario, magnos aſſerit eos, qui ſuſtinent injurias: parvos autem & infantes, imo & ſtultos, qui ſufferre nolunt. Ita enim per os Davidis pſalmo ſexageſimo tertio ait de iſtorum telis: *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Saulis videlicet, Semei & aliorum Davidis inimicorum. Quærebat Saul Davidem ad necem omni ſuo conatu, quaſi in eo perimendo gloriam adepturus, & vir ſtrenuus evaſurus: ſed perdidit hoc conatu & gloriam & vitam ſuam. Viciſſim vero David dum ejus injurias patienter ſuſtinuit, & regnum ejus adeptus eſt & gloriam immortalem. Aſſentitur huic Dei ſententiæ Eliphaz apud Jobum capite quinto dicens: *Verè ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Stulti ergo & parvuli ſunt, qui iram in inimicos exerunt. Hoc ut mẽtibus hominum imprimat Chriſtus Dominus noſter, proponit nobis in hodierno Evangelio, inprimis virum fortem, hominem regem, qui debitori ſuo ingens debitum ſupplicanti remiſit; deinde ſtultum & infantem, ſervum ejus, qui læviſſimum æs alienum remittere conſervo noluit, ſed crudeliter extorſit, ut ab iſto exhorreamus, & illum imitemur.

Non in uno tantùm parvulum & infantem, imo ſtultum ſe oſtendit ſervus iſte nequam. Primo, quia ob leviſſimum debitum centum denariorum iratus fuit & invaſit debitorem. Deinde, quia compati potiùs debuit ipſius inopiæ, quam iraſci. Denique quia per hoc ſibi plus obfuit, quam profuit; retractus ad pœnas. Idem in infantibus & ſtultis obſervare eſt. Nam

I. Ob rem leviſſimam commoventur ad iram & indignationem, ploratum & clamorem; quin etiam ad verbera, quantum valent, infligenda. Unde ſanctus Chryſoſtomus homilia quinquageſima ſecunda ad populum ait: *Si quis contumeliam inferat, lugemus & contrahimur: ſi quis diripiat, idem patimur illorum more parvulorum infantium, quos aſtutiores coætanei pro nihilo irritant, ſed ex minimis contriſtãtes occaſionibus. Verumtamen & illos ſi ægrè ferre viderint, mordere pergunt: ſi vero ridentes: abſiſtunt. At nos & his ſtolidiores ſumus: pro quibus oportebat ridere, pro his lamentamur. Propterea ſupplico puerilem hanc omittentes ſententiam, cœlos petamus. Nos etenim eſſe viros vult Chriſtus perfectos. Itidem & Paulus præcepit dicens: Fratres nolite eſſe parvuli ſenſibus &c.* hic ille. Idem videre eſt in parvis animalculis, uti obſervat Seneca l. 2 de ira c. 34. *Puſilli hominis* inquit, *& miſeri eſt, repetere mordentem, ut mures & formicæ: ad quas ſi manum admoveris, ora convertũt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Non ſic magna animalia, ut equi, boves, elephantes, moloſſi. Unde idem c. 32. *Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit,* Videt enim à parvis parum aut nihil ſibi noceri poſſe. Hujus conditionis erat David, qui inter opprobria & lapides Semei ſecurus & immotus tranſiit: Saulis quoque inſidias fortiter ſuſtinuit, nec ſe ulciſci, cùm poſſet, voluit; unde & *canem mortuum*, qui nihil ſentiat, ſe appellavit: *Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris.* 1. Reg. 24. Viciſſim puſilli & infantes cenſendi ſunt ſervi ejus, qui ultionem ei ſuadebant, adeoque etiam parabãt: non ſecus atque in hodierno Evangelio, Rex quidem debitum condonat reo, ſervus autem minimè. Regium itaque & virile eſt injurias remittere, ſervile vero & puerile ulciſci. Patuit idipſum in Conſtantino Magno Imperatore & miniſtris ejus; qui cum ipſi tuliſſent ſtatuam ejus à quibuſdam lapidibus petitam, & monerent ad ſupplicium de reis petendum faciem manu palpans, nihil ſe in fronte paſſum aſſeruit: nec in auctores contumeliæ inquiri voluit, teſte S. Chriſoſt. hom. 20. ad popul. Franciſc. I. Franciæ Regi officiales nunciarunt, aliquos ejus ſubditos male de ipſo loqui, & murmurare, quod exactionibus populum gravaret, proinde puniendos velut reos læſæ majeſtatis. At non ita Rex; ſed ſubridens ait: *Attamen permittendum cenſeo, ut poſſint homines pro nummis ſuis murmurare.* Man muß dannoch die Leut umb ihr Gelt murren laſſen. Joannes Boterus in dict. memorat.

I. *Quia ob rem levem commoventur ad iracundiam.*

Trip. hac Do. C. 1. C.

Adhæc dum tam facile ad vindictam proſiliunt, puſil-

pusillos se ostendunt, ut qui passiones suas cohibere nesciunt, ad instar puerulorum, qui feroci equo insidentes quaquaversū abripiuntur; cùm viribus ad retinendum equum careant. Quis autem talem puerū pro insigni equite haberet? *Etenim iræ imperium ferre.* inquit S. Chrysl. ho. 45. in Act. Apost. *puerilis animi est: imperare autem fortitudinis fuerit.* Potuit Alexāder M. ferocem illum Bucephalum edomare, sed nō potuit iram suam, quando à Clyto, sibi alioquin amicissimo, audivit deteri laudes suas, sed iræ mancipatus, hasta eum appetiit & confodit à cōvivio. Cujus immoderati facinoris adeo paulo post eum puduit, ut hastam extractam in se retorserit, seipsū confecturus, ne tanto dedecori superstes viveret. Curt. l. 8. c. 4.

II. *Quia in res sæpe innoxias sæviunt.*

II. Iram sæpe exerunt in res innoxias, v. g. in virgam, qua cæsi sunt vel in cultrum, quo seipsos læserunt. Ita qui injurias suas ultum eunt, sæviunt in eos qui authores injuriæ non sunt. Prodit enim injuria illata, inprimis sæpe à perturbata mente injuriantis: cui potiùs compatiendum quam irascendū est non secus ac si mente captus se gladio invadat. Hadrianum Imp. Tarracone hyemantem, dum seorsim obambularet, quidam furiosus stricto invasit gladio, quem ille vix continuit, donec trepidanti ministri affuerunt. Tum vero comperta hominis amentia, non modo nullo eum affecit supplicio, sed Medicis etiam curandum dedit. Sabell. l. 4. En. 7. Quid aliud est adversarius tuus, nisi ira, odio aut invidia cæcat⁹, adeoq; mentis inops? Ergo compassione, non mulctatione, dignus, ne dum insanum punis, & ipse insano similis fias; ut observat S. Chrysl. ser. de mansuet. *Si ipse*, inquit, *ab ira vinceris, studens inimicum pari insania ulcisci, nullus umquam irarum pugnarumq; erit finis, sed semper qui insaniunt & rabidi sunt, vincere alios contumeliis & verberibus cogitant.* Continget igitur talibus, quod duobus illis fatuis, urbano & peregrino, quorum uterq, in more habuit trāseuntes scipione tangere; qui dum se mutuo contingunt, & quidem semper fortius ad verbera devenerunt, nec ab iis cessarunt, donec plane delassati & tuberibus pleni ab invicem distracti sunt, uti alibi retulimus ex Att. Bellariis Pontani. Nihilo enim magis sapiunt, qui convitia convitiis, verbera verberibus, injurias injuriis compensare student. Velut enim insani sine omni causa se invicem percutiunt. Sæpe etiam prodit à proprio peccato, quod inimico gladium præbuit contra nos ipsos. Hoc sensu dixerunt Hebræi Moysi & Aaroni Exo. 5. *Fætere fecistis odorē nostrum coram Pharaone & præbuistis ei gladium, quo occideret nos*, h. e. irritastis Pharaonem vestra importuna postulatione ut magis in nos furere cœperit. Male quidem hoc ingrati illi dicunt; bene tamen ac vere dicere nos possumus, præbuisse nos Deo gladium, qui est inimicus noster in proprium nostrū jugulum, dum ejus iram excitavimus & contra nos armavimus per peccata nostra, nondum expiata. Marius unus è 30. Tyrannis à milite quodam interemptus narratur apud Trebellium Pollionem, qui adoriens eum dixerit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Marius enim ante imperium faber ferrarius fuerat, ejusq; militis opera in fabrili officina usus. Hujusmodi miles est inimicus noster, qui non alio gladio, quam quem ipsi cudimus, nos adoritur. Quando ergo tale quid contingit, reflectamus nos parumper, an forsan ipsi nos dexteram inimici nostri armaverimus aliquando, quemadmodum fecere fratres Josephi, quando acuta ejus lingua (*Exploratores estis: Per salutem Pharaonis exploratores estis: Immunita terræ hujus considerare venistis*) quasi gladio impetiti, locuti sunt ad invicem: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum: videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus:* idcirco venit super nos ista tribulatio. Gen. 42. q. d. Nos hunc gladium fecimus: nos hujus principis linguam ita exacuimus, quando fratrem nostrum *somniatorem* appellavimus: nos aures ejus obstruximus ut non admittat preces & defensionem nostrā; quia & ipsum nos precantem non audivimus: nos carceri jam includimur, quia in cisternam inclusimus fratrem nostrum. Hæc autem ex Dei intentione ad ipsos castigandos accidisse indicat ipse Joseph, cùm ait *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Gen. 45.

III. Infantes in ira quandoq; feriunt eos, à quibus foventur, aluntur & gestantur, pædagogos, matres & nutrices suas; & contigit aliquando ut infans aciculam matri in pectus, dum eam manu ferit, intruderet adeoq; occideret, ut refertur in Theatro tragico Mart. Zeileri. Habemus quidem pro hostibus eos, qui persequuntur & calumniantur nos, cùm revera potius amici, pędagogi & nutricii nostri appellandi sint.

Nam 1. excutiunt à nobis & expiant peccata nostra; quam ob causam David, cùm à Semei lapidibus & calumniis peteretur, se immotū ei præbuit, quasi excutiendum à sordibus aut pulveribus, quibus vestem suam inquinasset. 2. Reg. 16. Unde & dixit Psal. 38. *Obmutui & non aperui os meum quoniam tu fecisti; amove à me plagas tuas.* Ub. Theodoretus: *Te permittente*, inquit, *inimicus perbacchatus est, & ille quidem similis erat flagello: tu vero per illud castigationem afferebas, propterea silens flagella accepi, illum quidem despiciens, te vero in me animadvertentem perspiciens.*

2. Promovens in via salutis, sicut lorum aut virga equum; quemadmodum de eodem Semei, Davidis quasi virga, disserit idem Theodoret. cit. loc. *Et iste quidem*, inquit, *lorum Dei & virga. Non video lorum sed video eum, qui me flagro cædit. Meis iniquitatibus abscribo calamitates. Non tango virgam, ne eum irritem, qui percutit.*

3. Sanant vulnera animarum nostrarum, veluti canes vulnera carnis, dum ea delingunt; & velut sanguisugæ, dum sanguinem nostrum hauriunt. *Medicus plane*, inquit B. Petrus Dam. Card. Epis. ad Dominicum Loricatum l. 6. Ep. ep. 41, *sanguisugas tumentibus ægroti membris apponit; virusq; simul cum sanguine*

guine ab intimis visceribus sorbere permittit: diversæ tamen intentionis est medicus & hirudo. Illa siquidem nil aliud gestit, nisi ut sanguinem bibat: iste ad hoc tendit, ut languidus convalescat. Illa satiatur & moritur: ægrotus autem dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem &c. Quid igitur mirum si Deus omnipotens, qui est medicus animarum sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, ut ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat, quatenus dum nobis hostile vulnus infligitur, ex eo potissimum salutis antidotum procuretur?

4. Ditant nos etiam meritis; quo modo Ægyptii Hebræos, dum eos afflixerunt. Etenim *Filii Israel*, inquit S. Ambros. l. de mansionibus, *dederunt paleas* (Ægyptiis) *& receperunt farinam: dederunt lutum, & receperunt argentum; dederunt lateres, & receperunt aurum.* Ditati sunt ergo Hebræi persecutorum suorum opibus; juxta id Zach. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Luc. 1. Unde qui seipsum vindicat, thesaurum in cœlo perdit, uti intellexit David Ps. 7. dicens: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, h, e, continget mihi, & merito equidem, ut amittam thesaurum, quem in manu jam habebam. Vacuus & irremuneratus abibo, *si dimisi hostes meos vacuos* (uti legit ex Hebr. S. Hieron.) & indonatos: Ergo ut *apes*, inquit Urbanus IV. Pp. in Ps. 50. *etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant: sic persecutores meos Domine amare volo, & punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, ut mellita jucunditas subsequatur.*

IV. Dum alios ferire volunt, sæpe magis sibi ipsis nocent; quia nesciunt arma tractare; vel ictum in tenella manu sua magis sentiunt icentes, quam icti. Idem contingit iis, qui seipsos vindicant: gravius in animo vulnerant se, quam adversarios, quemadmodum & apes, dum spiculum homini infigunt; ipsæ enim amisso spiculo pereunt; plaga autem modicó luto mox sanatur; quod videtur insinuasse David Ps. 17 cùm ait de inimicis suis. *Circumdederunt me sicut apes.* Nequit enim apis aculeum exerere sine viscerum eruptione, teste Aristot. l. 3. animal. c. 12. Plin, l. 11. c. 18. Accedit S. Chrys. in Ps. 7. *Si contumelia*, inquit, *affecerit* (inimicus) *magno animo & forti feramus; seipsum enim, non te affecit injuria. & si percusserit, ne dextram contra tendas. Ipse est enim qui verberatur: te quidem manu, sed se ira pulsans, & sibi malam apud omnes opinionem concilians Si quis enim furens vestem tuam lacerarit, quemnam dixeris malè patitene, qui passus es: an illum, qui malè fecit? Clarũ est, quod illum.* Et inferiùs: *Fecit aliquis injuriam? ense seipsum confodit. Non enim malè affectum esse, sed malè affecisse, hoc vero est malo pati.* Illatæ injuriæ revolvuntur in caput authoris; quo modo lapis ab Agricolao præfecto missus in martyrem, reversus in os jaculantis fœde id contrivit, in vita 4. Mart. militum sub Licinio 9. Martij. Flammæ, lapides, sagittæ immissæ in SS. Cosmam & Damian. redière in authores eosq; graviter læsere 27. Sept apud Sur. Verissimum ergo id Ecclesiast. c. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.* Galli gallinacei, quos Indiacos vocamus oderunt vestitum rubrum & rostris eũ impetunt atq; insectantur. Quare ante paucos annos puer quidam rubris indutus duxit post se illorum gregem ex Austria Ratisbonam usq;, solo coloris odio ipsum sequentes, ubi is Comitiorum tempore eos vendidit, jugulandos ad culinam. Pergunt etiam ad macellum Dæmonis, qui odio æstuãtes, proximum insectantur ut vindictam sumãt. Fuit sanè simili amentia plenus, qui anno 1560. ex Lusitania in Indiam per tot mortis pericula navigavit, ea sola de causa, ut inimicum suum in India interficeret; quem tamen ibi P. Arboreda de Societ. nostra Dei nutu deprehensum ad saniorem mentem reduxit: ut est in 2. to. Annal. Soc. nostræ. Quorsum hic ivisset, si in mari periisset? nonne ad infernum? Sic enim Ezech. 32. dicitur: *Descenderunt ad infernũ cum armis suis.* Bene S. Chrys. ho. 41. in Act. Apost. *Melius* inquit, *esset, viperam vel serpentem in corde positam esse, quam iram vel invidiam. Nam illæ quidem statim nos liberarent, hæc autem manet semper, dentes fortiter infigens, immissoq; veneno pessimarum cogitationum exercitus producit.* Neq; solùm animã ita sauciat vindictæ appetitus, sed præterea etiam medelæ aditum præcludit. Cæteri enim peccatores, etsi in peccati statu mereri nihil possunt, neq; satisfacere Deo, orare tamen possunt, & impetrare tandem veniam. At vindictæ cupidus nec orare quidem potest, cùm oratio fiat ei in peccatũ. Unde Ecclesiast. cit. loc. subdit: *Peccata illius servans servabit* (Deus) h. e. non remittet. Eccur hoc? Audi rationem mox subjectam: *Relinq, proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit reservat irã: & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* Certè servus nequam in hod. Evang postquam adeo tyrannicè invasit conservum, ideoq; ad pœnã retractus est, non est ausus gratiam iterato petere à Rege suo: quia repulsam timuit, qui conservo rogãti repulsam dederat. Quisquis ergo Deum vult habere *multum ad ignoscendum* sibi, sit etiam ipse multus ad ignoscendum proximo.

Vidimus quantó in errore sint, qui pro viris fortibus habent homines vindictam spirantes: pro pueris vero & effæminatis eos, qui injurias condonãt. Contrarium Deus asserit: Mundus ergo fallitur & fallit; quem vos spernite velut stultum & infantem.

Nolite pueri effici sensibus, ait Apost. 1. Cor. 14. *sed malitia parvuli estote. Sensibus autem perfectiores estote.*

THEMA III.

Deum præsentem præ oculis non habere quam malum.

I. *Hinc transgredimur legem Dei.*
II. *Hinc tam tepide oramus.*
III. *Hinc tam incauti, & leves sumus in moribus.*
IV. *Hinc insolescimus & laudibus delectamur,*
V. *Hinc multi hypocritæ.*
VI. *Hinc timemus in periculis.*
VII. *Hinc languemus in bene operando,*

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis. Matthæi 18.

JUre miretur aliquis quomodo fieri potuerit, ut servus ille paulo ante à domino suo dimissus condonato omni debito, tam crudelis esset in cõservum, ut obtorto collo suffocaret procidentem ac rogantem, nec non solutionem promittentem minime audierit, sed in carcerem detruserit. Quæ vero hujus sævitiæ causa? Nulla sane alia, nisi quam indicat Matthæus illis verbis: *Egressus autem servus ille.* Nam si præsente domino suo conservum reperisset, num putatis Auditores tam durè & tyrannicè illum invasisset? Minimè gentium. Oculus enim domini utique inhibuisset tantam crudelitatem. At ubi è conspectu heri sui egressus, reperit conservum, domino absente; ibi abjecto omni pudore & humanitate induit leonem, & dentes atque ungues injecit in conservum. Recte hoc advertit Theophylactus eo loco, *Nullum enim*; inquit, *qui in Deo manet, compassionis expers est; sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.* Idem prorsus accidit, quando à Dei conspectu egrediuntur homines, non cogitando ipsum præsentem ubique sibi adesse, tunc enim quasi extra Dei oculum positi nihil non audent, quantumvis iniquum & absurdum. Egressus est foras Judas à cœna & conspectu Christi, & prodidit Magistrum suum. Denique ipse Satan non nisi ubi egressus est a facie Domini, (Job. 1.) vexare cœpit Jobum. Patet igitur quam malum ac periculosum sit egredi à conspectu Dei, ejusque omnipræsentiæ memoriam deponere; id quod hic pluribus ostendemus.

I I. Unde obsecro, contingit, ut mandata Dei, quæ ipse *mandavit custodiri nimis* (psalmo 118.) sub interminatione ignis æterni, audeamus prævaricari? Causa non est alia, nisi quia non versamur mente & cogitatione nostra in conspectu præsentis Dei. *Oblitus est Israel factoris sui*, ait Oseas capite octavo, *& ædificavit delubra.* Quomodo delubra falsis Diis in conspectu veri Dei? quia nimirum oblitus fuit veri Dei præsentis & omnia inspicientis. Figurate id expressum à Maria, sorore Moysis, quæ apparuit leprosa. quando? quando Deus ab ea abiit, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Mox enim sequitur: *Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix.* Numerorum duodecimo. Nubes erat monumentum Dei præsentis; tolle hoc memoriale, & lepra peccati invadet te. Pisces subterranei atri & venenati sunt, ut in Ana Bœoticæ Hispaniæ flumine & in septentrionalibus terræ civitatibus apud Olaum Magnum in descript. Aquil. gent. quia lucem Solis non aspiciunt. Ne dubita & illos peccatis infectos esse, qui præsentiam Solis æterni præ oculis non habent. Id enim expresse ait psalmo nono David: *Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Exemplo est Adam, qui si Deum sibi semper adesse cogitasset, nunquam peccasset. Id ex eo ostenditur, quia se abscondit, cùm Deum visibili forma adventantem sensit. Si ergo patrato jam peccato coram eo apparere non est ausus multo minùs eo præsente peccatum admisisset; adeoque non peccasset, si omnipræsentem cogitasset. Interrogemus duos illos Judices senes, pudicitiæ Susannæ insidiatores: Quomodo adulterii scelus attentare potuistis, quod in aliis condemnastis? Quia *ostia pomarii clausa sunt*, ajunt, *& nemo nos videt* Danielis tertio. At nonne Deus aderat vosque videbat? Ita profecto, sed ad hoc non attendebant; Dei immemores erant: attendit vero Susanna, quæ dixit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini,* quasi dicat, conspectus Dei nullo modo permittit, tale scelus ut admittam. Absterruit hoc fræno à peccato mulierem impudicam sanctus Ephrem, & aliam sanctus Paphnutius, ut in vitis Patrum videre est & vulgo fere notum. Econtra qui Deum inspectorem cogitant, mandata Dei omnia sedulo observant. Ita David psalmo 118. *Servavi mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Hinc Enoch Deo placuit & vivens translatus est, quia *cum Deo ambulavit*. Gen. 5. Zacharias & Elisabeth justi ambo, quia *incedentes erant ante Deum in omnibus mandatis.* Luc. 1.

II. Quare in oratione nostra tam tepidi, vagi & distracti sumus? Quia Deum orantibus adesse & aurem admovere non cogitamus. Testis est præ cit. Basilius interrog 21. *Quæ causa est*, inquit, *cur animus temere evagetur & variis cogitationibus repleatur?* Et respondet: *Quod Deum adesse non credit, qui scrutetur corda & renes. Si enim hoc crederet, prorsus illud faceret, quod dictum est Psalmo septimo. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi.* Et interrogatione 201. *Quomodo quis assequi possit*, ait, *ne inter orandum mente distrahatur? Nimirum si certo credat Deum se ante oculos habere. Si enim Principem aliquis aut Præsidem intuens & cum eo loquens, oculos ab eo dimovere non solet, qui non credibilius est intentam*

I *Hinc trāsgredimur legem Dei,*

tam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur corda & renes? Certè Primatum, qui coram Imperat. Turcarum stant, nemo se movet, nemo mussitat, nemo tussit, nemo circumspicit aut oculum à Principe avertit, teste oculato Busbequio Ferdinandi Imperatoris Oratore in Epistola. Qui igitur, putatis, coram Deo adstandum erit? Videamus Abrahamum in monte Moria injunctum sibi sacrificium peragentem & simul orantem (sic enim ipse dixerat: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*) Tam intentus ad orationem & sacrificium fuit, ut nihil aliud audire vel cernere videretur. A tergo habuit arietem, cornibus hærentem inter vepres, nec tamen vidit vel audivit eum, nisi postquam voce Angeli perculsus, *levavit oculos suos*, quasi priùs nunquam circumspexisset. Adhæc repetito nomine revocatur ab Angelo: *Abraham, Abraham,* quasi primam appellationem, intentus nimium operi pio, non audivisset, & proinde iterum appellandus fuisset. Ita enim sanctus Chrysostomus in eum locum hom. 47. *Bene & hic*, inquit *geminatione usus est, ut superetur impetus justi, & quasi per vocem detineatur, dextera jam tendens ad pueri cædem.* Denique summo silentio totam hanc tragœdiam lusit, nihil omnino interloquens. Quæ causa virum istum tam intentum operi fecit ut à sensibus omnibus quasi abalienaret? Nimirum vidit Deum huic spectaculo præsentem adesse omniaque intueri. Idcirco enim nomen montis appellavit: *Dominus videt*, Gen. 22. Ac propterea ne in oratione & sacrificio suo turbaretur; reliquit ad pedem montis asinam & pueros suos, solusque ascendit in montem una cum filio. Hunc igitur in modum decet nos orare cum Abrahamo, ut explicat S. Bernardus in eum locum: *intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea venite ascendamus in montem, ubi Dominus videt vel videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me hic cum asino, corpore isto, donec ego cum puero; ratione scilicet & intelligentia usque illuc properantes, revertamur ad vos.*

III. Unde quæso, tam incauti & dissoluti, tamque leves & petulantes sumus in nostris moribus vitæq; conversatione, nisi quia ad Deum nos aspicientem & præsentem minimè attendimus? *Ambula coram me*, ait Dominus Abrahæ Gen. 17. *& esto perfectus* 70 vertunt: *esto irreprehensibilis* in actionibus tuis omnibus. Nam, ut in eum locum Cajetanus ait; *Nullum majus frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba & actiones hominis, quam ambulare ante faciem Principis.* Epicurus Philosophus ad amicum quendam: *Sic fac*, inquit, *tanquam spectet Epicurus.* M. Cic. etiam ut componeret mores fratris sui. Quinti Cicer. ad eum scribit: *Id facillime facies; si me, cui semper unicè magis placere voluisti, tecum esse semper putabis, & omnibus his rebus, quas dicet & facies, interesse.* Sen. deniq; ad Læl. *Aliquorum te authoritate custodi, sive Cato ille sit, sive Scipio aut Lælius, aut cujus interventu perditi quiq; homines supprimerent vitia.* Multum hoc in Ethnicis; sed altius consilium est, cogitare semper præsentem Deum. Nam in hoc nil opus ulla fictione, cum revera semper præsens nobis adsit. Deinde ipse videt non solùm exteriora; sed etiam interiora nostra. Denique tanquam censor & Judex actuum nostrorum, redditurus aliquando cuiq; secundum gesta sua. Quare si imaginaria viri gravis præsentia componere mores nostros potest, non componet vera ipsius Dei? S. Bernardinus Senens. adhuc adolescens tantæ apud coævos litterarum studiosos, ob vitæ modestiam & graves mores authoritatis erat, ut si forte illi inter se de rebus parum honestis sermones miscerent, viso Bernardino, mox dicerent, *Facessant hi sermones, ecce enim Bernardinus adest*, ut in ejus vita Sur, 20. Maij. Lepidus Triumvir deductus à Magistratibus in nemorosum hospitium minaciter cum iis postero die expostulavit, somnum ademptum sibi volucrũ concentu. Acilli Diaconem in longissima membrana depictum circumdedere loco, eoq; terrore aves tum siluisse narratur, & postea cognitum ita posse compesci. Refert Plin. l. 35. c. 11. Et nos ergo, quoties audimus loquentes alios de rebus impudicis & similibus, cogitemus nos circumdari undiq; à Deo omnipræsente, qui in improbos sermones aliquando animadvertet instar Diaconis.

IV. Unde fit, ut superbiat homo & laudibus delectetur humanis? Quia coram Deo se versari non advertit. Si enim hoc adverteret, utique non hominibus sed Deo spectatori cuperet placere, uti etiam docet S. Basilius in reg. brevior. inter 34. ubi quærens: *Quomodo qui possit captandæ laudis humanæ vitium declinare*; sic respondet: *Si sibi certo persuaserit ubique Deum adesse: siquidem est nemo qui cum in oculis domini sit, cum illius dedecore, conservo suo malit gratiosus esse, quam illi.* Scimus quid præterito sæculo evenerit Annæ Bolenæ, Henr. 8. Angl. Regis putatæ conjugi, revera autem pellici, quando Grenuici in publico spectaculo & Regis ipsius præsentia sudarium uni equitum, amoris gratia, adjecit. Id enim ubi conspexit Rex, arguens se à sua despici & amatori alteri postponi, Annam in discessu, priusquam rediret domum corripi & in captivitatem abduci, brevique post decollari jussit Florimundus de Ortu hær. lib. 6 cap, 4 Quis igitur audebit in conspectu Dei captare hominum laudes & applausum? Quis cupiet hominibus placere potiùs quam Deo? quomodo id impune feret? Bene id expendit Abraham, quando ad præceptum Dei immolaturus filium (facto sane plusquam heroico, cui totus orbis in theatrum, & creaturæ universæ ad spectaculum & applausum vix sufficerent) de nocte surrexit, & re nemini indicata, dimissisque servis, solus cum filio montem altissimum & nemini tritum aut perculsum, ascendit, ibique ad opus virtutis plane stupendum se accinxit. Nimirum cogitavit id, de quo monti nomen dedit, *Dominus videt*, seu *Dominus videbit.*

IV. *Hinc insolescimus & laudibus delectamur.*

Hoc ipsi satis superq; erat, quod Dominus videret,

ret,cui soli placere satagebat, Gen. vigesimo secũdo.

V. *Hinc multi hypocritæ* V. Unde quæso in mundo existunt hypocritæ, quid aliud præseferunt, aliud in corde gerunt? Quia nimirum Deum præsentem & cordium inspectorem non considerant. Ad quid enim malitiam suam in corde tegunt, nisi ut lateant? Et si cor suum Deo patere intelligerent, quomodo alios se fingere possēt? Scimus uxorem Jeroboami, alieno vestitu consiliũ ab Achia Propheta exquirentem, ubi detecta est à Propheta (dicente: *Uxor Jeroboam, quare aliam te simulas?*) non potuisse amplius seipsam negare 3. Reg. 14. nimium enim impudens fuisset, si jam deprehensa adhuc aliam se simulasset; & præterea frustra laborasset. Quis autem frustra laboret, ut se alium fingat? Sane mulier illa, curata à fluxu sanguinis, ubi se à Christo deprehensam advertit, *& vidit quia non latuit*, (ait Luc. c. 8,) mox se sponte prodidit, & *dixit omnem veritatem*. Marc. 5. *Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris*, ait Dominus Jerem. 4. Quid enim prodest furi, si ab aula tota nesciatur, à solo interim Rege in furto deprehendatur? Relicta aliquando aperta fuit thesauri theca S. Eduardi Regis Angliæ a Cubiculario Hugolino: quod advertens quidam, clam ingressus, magnum auri pondus iteratis vicibus inde sublegit & abiit. Cùmq; tertio pedem inferret, tum Rex: *Sufficiat tibi ablatum, apage hinc quantocyus, ne superveniens Hugolinus te videat ac puniat*. Ut in ejus vita 5. Jan. Quis hic non credat furem istum pene exanimatum esse? Qui si Regem, licet solum, inspectorem scivisset, num illi quidquam furatus esset? Sic impingunt hypocritæ: modo Hugolinus non videat, modo homines lateat Deum inspectorem non cogitant. Et quantum erit eorum dedecus, cùm aliquando à Rege illo oculatissimo detegentur & corripientur. Dicit hypocrita: *Quis me videt? tenebræ circumdant me & parietes cooperiunt me &c. & non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum &c.* Eccl. 23. Hominum oculos fallere potest, Dei oculos non potest. Venit aliquando ad Ælium Adrianum Imp. canescens quidam, petens nescio quid; negavit Imperat. Ille paulo post decepturus Adrianum rediit, sed infecto & fucato capite, eandem petitionem repetēs. Cui Imperator astum deprehendens: *Jam hoc patri tuo negavi*, inquit. Refert Spartianus. Frustra estis hypocritæ, si ementita vestra virtute & sanctitate cœlum à Deo expetitis: jam hoc immunditiæ vestræ negabit. videt enim fucum vestrum.

VI. *Hinc timemus in periculis.* VI Unde fit ut in periculis seu magnis seu parvis tam simus timidi & effæminati, pusillanimes & dejecti? quia Deum nobis præsentem adesse non cogitamus. Patet in discipulis Christi, qui dum soli absq; Christo navigarent, nocte fere tota & fluctus insurgentes naviculam obruerent, insuper phantasma se videre (Christus erat) existimarent, consternati sunt & exclamaverunt præ timore. Atquam primum Christus dixit: *Habete fiduciam ego sum*; omnis pavor eis ademptus est. Matt. 14. & Joa. 6. Rationem dat D. Cyrill. c. 23. *Cedit enim*, inquit, *omnis perturbatio cunctaq; pericula desinunt, cùm Christus adsit*. Nec mirum si enim nauclerum illum in tempestate trepidantem & scaphæ cursum retro vertere statuentem, animavit Julius Cæsar eâ voce: *Ne timeas, Cæsarem vehis & fortunam ejus*; apud Plut. in Cæsare; quanto magis animari debet Christianus in periculis, dum cogitat ipsum Deum secum esse? Id certè cogitabat David, in omnibus suis periculis, ut patet ex ps. 22. ubi ait: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

VII. VII. Quæ causa deniq; est, cur ad benè operandum tam languidi & ignavi simus? Quia ad Deum operum remuneratorem præsentem non attendimus. Quis enim nescit operarios in sui domini, milites in sui Ducis præsentia extimulari ad laborem & pugnam? Patet in Juda Machabæ & commilitonibus: *prostraverunt* enim, cum Nicanore Tyranno dimicantes, *non minus 35000. præsentia Dei mirificè delectati*. 2. Mach. 15. Unde S. Basil. in Reg. brev. interrog. 37. quærit: *Qui piger est ad mandatum quomodo is ita poterit excitari? Nempe si ei persuasum sit ubiq; Dominum Deum adesse & omnia cernere, & commemorationem illam veram esse; quæ facta est adversus pigrum, & similiter contra spem magnæ futuræ mercedis ab illo, qui per Paulum pollicitus est, accepturum unumquemque propriam mercedem secundum laborem suum.* Hac ratione etiam Sponsus revocavit ad se fugientem Sulamitidem, seu animam fidelem, & incitavit torpidam ad labores denuo resumendos & fervorem novum; solo suo aspectu. Cant. 6. & 7. Cùm enim discedenti occlamasset. *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* (Scholiastes: *Intuebimur in te quasi in spectaculum*) mox subdit: *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* q. d. Jam choreas ducit & pæana canit, confortata aspectu meo, ut ibi advertit Jansen. Ita milites inspectante Duce, pugiles corā Principe non tam pugnare quam choreas ducere videntur: urget enim præsentia Turni. Virg. 9. Æneid.

Quando igitur tantum obest è conspectu Dei egredi, vicissim adeo prodest, in conspectu ejus continuo versari, non imitemur servum illum malum, non fugiamus cum Sulamite à conspectu sponsi nostri; vel si aliquando fugimus, iterum redeamus, ut & ipsi coram eo non jam laboremus in virtutum studio, sed potiùs saltemus, ut digni fiamus, qui postremo inter electos omnes ducamus in cœlo choros castrorum interminabiles.

THEMA IV.

Dignissimæ quæ juventur, animæ purgatorii.

I. Quia sunt in statu valde calamitoso.
II. Quia seipsas juvare nequeunt.
III. Quia sunt sanctæ & cœli hæredes.
IV. Quia fratres & sorores nostræ.
V. Quia ob solos pœnæ reatus captivæ detinentur.

Misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Matth. 18.

COgor Auditores mendicare à vobis hodie largam eleemosynam. Sunt enim in quodam carcere teterrimo detenti quamplurimi Christiani; propter quædam debita non adeo magna constricti. Sunt autem omnes nobiles & maximæ familiæ; quin etiam sunt propinqui & amici vestri. In eo vero carcere dirè cruciantur, nec inde possunt egredi ut aliorum opem implorent, unde solùm expectant aliquos, qui ultro ad eos veniant opem laturi, vel per alios quid transmittant. Horum ego nomine vobis nunc supplico Auditores. Scire vultis, qui sint isti? Sunt animæ fideles, in purgatorio detentæ, ob quædam debita contracta & necdum persoluta. Sūt hæ omnes nobiles; quia filii Dei, cœlestis regni hæredes: sunt & propinqui & amici vestri. Carcer illorum est non ille, in quem servus nequam conjectus est, nunquam emersurus (hic enim infernum notat) sed ille in quem hod. Evangelium asserit conjectum esse servum à conservo, pro 100. denariorum debito. Ibi à severo judice Deo, durè sane habentur, nec exire permittuntur, donec solvant novissimum quadrantem: nisi vos Christiani illis succurratis. Ergo aperite viscera misericordiæ vestræ: sed audite primum, quæ dicam.

Dignissimæ sunt hæ animæ, quibus succurratis, quibuscum potestis modis;

I. Quia sunt in statu calamitoso supra quam dici potest; duabus gravissimis pœnis, damni & sensus cruciatæ. Illa excludit hæredes à deliciosissimo regno jam sibi parato & adjudicato: è parentis amantissimi aula & aspectu, uti Absalonem à conspectu parentis; quo in exilio mori potiùs quam vivere optabat 2. Reg. 14. Excludit à suavissimo beatorum consortio è jucundissimo cœli spectaculo & continet in tenebris. *[I.] Sunt [in sta]tu ca[lamito]so.*

Hæc affligit eas graviùs quam quævis pœnæ SS. Martyrum, vel maleficorum, suppliciis addictorum secundùm D. Augustinum tractatu 4. de vera & falsa pœnitentia cap. 17. Sanctum Gregor. in 3. Psalmo pœnitentiæ, Bedam, Anselmum, Bernardum, Thomam Aquinatem, qui addit etiam Christi patientis cruciatibus eam atrociorem esse, 3. part. quæstione 46. art. 6. ad 3. Siquidem de communi sententia ignis purgatorii non differt specie ab igne tartareo; qui agit non virtute naturali, sed ut instrumentum Dei. Jam autem eo graviùs ferit flagellum, quo fortior est qui flagellat. Asinæ maxilla in manu Sāsonis occidit mille viros, quæ in manu alterius nunquam potuisset vel canem unum mactare. Flagellum de funiculis factum in manu Christi ejecit oves & boves ac vendentes omnes è templo, quod in manu alterius vix puerum terruisset. Unde Deut. 32. ait Deus: *Cum acuero ut fulgur gladium meum, gladius meus devorabit carnes.* Quis nescit quanta vis sit fulminis? omnia penetrat, sternit, acerat, liquefacit: sic Dei gladius.

Accedunt testimonia tum eorum, qui pœnas viderunt, tum qui experti sunt. Cuidam apud S. Antoninum 1. part. tit. 5. cap. 5. part. 1. una hora in pœnis purgatorii longior visa est aliquot annis; unde & reditum ad vitam impetravit, cupiens hic morbis excruciari quibuscumque quantocumque tempore. Alius quidam redivivus in Monasterio Abbatissæ Milburgæ, (ut scribit S. Bonifacius Archiepiscopus & Martyr in Ep. ad Eadburgam Abbatissam, quæ est 21. Epist.) vidit in purgatorio animas velut in lacu sulphureo ardente demersas, quasdam usq; ad talos, alias ad genua, alias ad umbilicum, alias usq; ad asellas; inde tandem emergere purificatas, ut habetur in Biblioth. SS. PP. tom. 8.

II. Quia adeo inclusæ & vinctæ sunt, ut seipsas juvare & è carcere illo liberare nequeant. Neque enim pro se jam operari possunt: quia venit illis nox de qua Christus dixit Joa. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Sunt enim in termino. Neque ad nos vociferari, multo minùs exire possunt; ut implorent opem. Rarissimè permittitur uni aut alteri, ut vivis appareat & suffragia petat; & hoc propter alias etiam, quæ non emittuntur, ut una omnium loco mortalium opem flagitet, sicuti interdum è Turcarum vinculis aliqui ad nos mittuntur, pro liberatione plurium. Nemo nescit potiùs succurrendum esse pauperibus, qui mendicare vel non audent ob pudorem, vel non possunt ob infirmitatem. Nonne Capharnaitæ hominem paralyticum; quia propriis viribus ad Christum venire nequibat, portarunt & effractis tegulis submiserunt per ipsum tectum! Marc. 2. Quid Grues solent lassatas in volatu ac debiles viæ comites alis sustinere, donec vires ex quiete recuperent; ut referunt naturales historici, apud Aldrov. l. 20. c. 5. Ciconiæ parentes suos implumes fovent & succollant, teste S. Basilio ho. 8. Hexa. Delassatæ ac deplumatæ sunt purgantes animæ: suis viribus evolare ad cœlum è vinculis illis nequeunt: insuper & cæcæ sunt, dum nesciunt, quousq; in carcere illo detinendæ sint. Et non præstemus illis, quod bruta faciunt brutis? *II. Quia seipsas juvare nequeunt.*

III. Quia non sunt vilis aut servilis conditionis, sed omnes nobilissimæ, omnes sanctæ & innocentes, omnes filii & filiæ Dei, hæredes regni cælestis: tametsi nunc in egestate, miseria & vinculis sunt. *III. Quia sunt sanctæ & cœli hæredes.*

Quis autem talibus non compatiatur? Refert B. Petrus Damianus in Epist. ad Beatricem Ducissam, quæ est 14. l. 8. Guillam Marchionissam iter per Italiam facientem vidisse in transitu Basilicam, quam cum audisset appellari vulgo *ad S Mariam pauperem, indignata nimis & quasi nauseando fastidiens: Absit, inquit, absit, ut eam vocemus pauperem, quæ cœlestis gloriæ genuit largitorem. Absit, inquam, ut in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super Angelos elevata divitias possidet immortales in cœlo. Ac protinus intulit Estne mei juris hic ulla possessio? Cui responsũ: Est, quod haberet ibi villam in novem mansiones divisam. Hanc, ait continuo jure Ecclesia ista possideat, eamq; de cætero nemo pauperem appellare præsumat*, sic ille. Animæ purgantes filii Dei sunt, & tamẽ dum in purgatorio sunt, pauperes imo pauperrimæ sunt. Unde appellantur vulgo, die arme Christglaubige Seelen. Pauperes animæ fideles. At quis ferat filios Dei esse & vocari pauperes? quis non indignetur? quis ex paupertate non continuò eos eripere contendat? Certum etiam, quo quis probior est, eo digniorem beneficio esse eoq; melius id collocari: sicut semen in meliorem terram jactum, majorem fructum adfert. Atqui animæ illæ omnes sanctæ sunt, dignissimæ igitur omni auxilio; quæ etiam suo tempore fructum ferenti dabunt centuplum.

IV. *Quia fratres & sorores nostræ.*

IV. Quia insuper fratres & sorores nostræ sunt, unde appellamus eas, die lieben Christglaubigen Seelen. Quando Maria, soror Moysis lepra ob murmurationem percussa fuit, ideoque separata extra castra in locum solitarium quasi in leprosorium septem diebus, *populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria*. Numeror. 12. Quasi non cessarint pro ea orare, donec sanatam reciperent, velut suæ gentis fœminam, Ducis sui sororem fratres & sorores ob admissa quædam delicta in purgatorium relegatæ sunt. Quid agamus nos: dimittamus illos! absit, sed stemus simul nec moveamus pedem, donec omnibus tentatis modis eos liberemus. Alioquin confundent nos vel ipsæ bestiæ. Refert Lud. Granat. Introd. in symb. canem in quodam Monasterio sui ordinis alteri suo commilitoni, præ foribus monasterii jacenti infirmo, panem ex monasterio raptum attulisse & ad pedes deposuisse. Quis plus homo fuisset? Pisces marini, ob similitudinem cuculli, Monachi dicti, in Noruegiæ oceano, si quem suorum captum & captivum abduci vident, tantum circa navigium edunt strepitum ac tumultum, quasi navim eversuri, at non priùs discedant, quam captivus dimittatur, teste Olao l. 21. c. 1. Eccur ergo nos id non faciamus fratribus & sororibus nostris, captivis in purgatorio? Gratus erit Deo, ne dubitemus, strepitus & tumultus noster, si per pia opera vim ei inferamus: imo hoc maximè quærit. Deniq; audiamus S. Aug. serm. 44. ad fratres in Eremo: *Clamat porcus & cum eo clamare non cessant alii. Cadit asinus & omnes eum sublevare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce inhumanitas vestra, fratres.* Sic Aug.

V. Quia ob nulla scelera, quibus jam inquinatæ sint, (dimissa enim sunt) ibi detinentur, sed ob reatus pœnæ tantùm, seu ob quædam debita peccatis contracta, nondum persoluta. Non ergo patiuntur ut malefici, sed ut debitores. Adhæc multæ animæ ob res, nostro judicio, levissimas in purgatorio detinentur, adeoq; non talenta, uti servus nequam in hod. Evang. sed denarios dumtaxat aliquot, venialium offensarum debent. Vitalina virgo religiosa, quod sexta feria, qua Christus passus, caput abluere solita esset, S. Martino respondit se in purgatorio detineri, teste S. Gregorio Turon. in Glor. Confess. capite 5. Furseus ob acceptam vestem à moriente reprobo, apud Bedam, & Sur. 16. Jan. Ereboldus ob lac ex pecunia pauperum emptum, in vita S. Arnulphi 15. August. Quidam religiosus juvenis Ordin. S. Dominici ob novos soccos absque necessitate acceptos, apud Gerard. de Fracheto in vitis PP. Prædicat. Quare opus non est, ut omnibus nos spoliemus bonis, quibus illos liberemus; sed satis erit partem operum, quę facimus, ipsis offerre. Sunt enim in quovis opere satisfactorio tria commoda, meritum, satisfactio & impetratio. Primum nobis semper manet, reliqua duo aliis possumus applicare, quæ si defunctis aliisve dederimus, refundet nobis Deus centuplum; sicut B. Gertrudi virgini hanc ipsam ob caussam anxiæ condonavit Deus in compensationem charitatis suæ, quæ omnia sua opera erogarat in defunctos, omnes pœnas, promisitq; effecturum se, ut omnes animæ ab ea liberatæ morienti assisterent eamque in cœlum comitarentur.

Sed quomodo dicetis, eripiemus eas ex illo carcere? Quatuor modi occurrunt, quibus redimi quis è carcere possit. 1. Per munera demulcendo sibi Principem. 2. Per preces & libellum supplicem. 3. Per redemptionem nummariam. 4. Per translationem pœnæ in alterum, qui eam in se suscipiat. Iisdẽ quatuor modis redimi posse animas purgatorii scribit S Greg. M. in Ep. ad Bonifacium. Sacrificiũ missæ, quo velut munere gratissimo Deum placamus: oratione & intercessione commembrorum: eleemosynis, quibus redimantur pœnæ: jejunio, quo in alterum transferantur. Quæ omnia satis claire proponit nobis S. scriptura.

1. Sacrificium pro defunctis militibus suis offerri curavit Jerosolymis Judas Machabæus 2. Machab. 12. Ex quo loco colligit sanctus Augustinus libro de cura pro mortuis cap. 1. multo magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificio pecorum. In illo enim mittimus Deo Patri filium suum, velut munus acceptissimum quo justitiam ejus placemus ac rigorem temperemus. Sanè Pilatus reconciliavit sibi Herodem, quãdo misit ei Christum, quem videre cupiebat, ad judicandum & non placabimus Deum, si mittamus ei filium unice dilectum in missæ sacrificio, ut in eo sibi complaceat? Exemplum de sorore S. Malachiæ Episcopi refert sanctus Bernardus in ejus vita, audisse illum in somno eam foris stantem per triginta

dies

dies nihil gustasse. Re expensa reperit se totidem diebus pro ea non sacrificasse. Ergo rursum pergit pro ea libare, & paulo post videt eam ad limen Ecclesiæ pervenisse, non tamen intrare posse. Pergit iterum & videt eam in Ecclesiam intrasse, sed altare contingere non audere veste subcandida. Demum videt etiam in veste candidissima aggregari cœtui candidatorum. *Vides Lector*, inquit Bernardus, *quantum valeat deprecatio justi assidua! nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodò effractoris exhibuisse cœlestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur.*

2. Oratio. de hac loco cit. dicitur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis solvantur.* Sed de hac nos alibi diximus.

3. Eleëmosyna. De qua Tobias filio c. 4. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue*; scilicet in eleëmosynam pauperum & sacerdotum. Duplex hæc eleëmosyna est, quia & pauperes alit, & animas purgantes redimit.

4. Jejunium & alia mortificationis opera, uti peregrinationes, cilicia, vigiliæ, genuflexiones. lachrymæ &c. De hoc habemus exemplum Davidis, qui pro defuncto Saul jejunavit usq; ad vesperam. 2. Reg. 1. pro Abner. 2 Reg. 3. Virorum Jabes Galaad, qui pro Saul. 7. diebus. 1. Reg. ult.

Hæc cùm ita sint, quis tam durus tamq; inhumanus erit, ut captivis illis non subvenire velit? quis non vestes de collo detrahat, superfluas ad minimum, ut iis venditis eos redimat? S. Xaverius cùm in India Neophytorum Collegium instituisset, nec haberet unde eos aleret, scripsit ad Catharinam Lusitaniæ Reginam, rogans ut pecuniam, quæ Reginæ soccorum & crepidarum nomine annuatim ex Ora piscaria Indiæ penderetur, donaret illi Collegio in bonum & institutionem Neophytorum, addens, *non alios fore soccos aut crepidas aptiores, quibus ipsa scanderet in cœlum, quam pueros Oræ piscariæ Christianorumq; institutiones.* Mox illa rem probavit suumq; illud tributum Neophytorum Magistris volens ac lubens concessit. l. 1. Vitæ c. 1. Tursellinus. Habetis & vos pleriq; multa superflua, quibus carere & plurimum opis præstare animabus purgatorii potestis. Ad quid vobis plumæ in pileis, tot annuli in digitis? armillæ in brachiis? inaures in auribus? quid rosæ in calceis? quantò certiùs & securiùs portabunt vos ad cœlum animæ purgatorii, quàm vestimenta illa; quanto pulchriori ornatu cœlum ingredimini, si onusti animabus ex igne receptis fueritis; quàm si in splendido vestitu Christo Judici obvietis! Festinate igitur & currite in auxilium afflictarum; abripite è collo ornatum, qui vos gravat magis quàm juvat, & injicite in purgatorium, ut iis velut funibus extrahatis parentes, fratres, sorores & propinquos vestros, his enim & ipsi suo tempore trahent vos ad cœlum.

THEMA V.

Documenta Evangelica.

I. *Non abutendum Dei bonitate.*
II. *Corripiendi errantes cum spiritu lenitatis.*
III. *Injuria remittenda.*
IV. *Vltio non quærenda.*
V. *Disciplina etiam in rebus prosperis servanda.*

Simile est regnum cœlorum homini Regi. Matth. 8.

FRequens est Salvator noster in parabolis proponendis, uti per elapsas aliquot Dominicas nuper audivimus: nec sine magnis rationibus. Eæ siquidem tres animæ nostræ potentias, intellectum, voluntatem, memoriam, vehementer adjuvant. Intellectum illustrant, *ut quod per simplex præceptum* inquit D. Hieronymus in hod. Evangelium, *teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaq; teneatur.* Hinc difficiles doctrinas explicamus aliquo simili, quasi imagine depicta. Volunratem movent, quia fortiter persuadent, & intellectum convincunt, dum ad oculum rem demonstrant. Memoriam corroborant, quia species intelligibiles sensibilibus affixæ fortius imprimuntur & fidelius retinentur. Quare sicut margaritæ filo serico colligantur, ut simul custodiantur, & tum brachio appenduntur, ut semper in conspectu sint: ita Christus sua documenta, quæ Matth. 7. margaritis comparavit, parabolis, quasi fortibus alligavit filis, ut memoriæ nostræ firmiùs inhæreant, & quasi ob oculos semper obversentur: qua ratione etiam præcepit olim Hebræis, ut fimbrias in vestibus gererent, quarum aspectu memores essent mandatorum Dei. Num 15. Hujusmodi margaritas aliquot hod. parabolæ affixas nunc contemplemur.

I. *Ne dixeris: peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Eccles. 5. Videmus enim hoc in hod. Evangelio, ubi initio quidem Dominus clementissimè remisit immensum servo debitum, at ubi is clementia hac abusus est, terribilem ejus iram sensit. *Altissimus* igitur *est patiens redditor*, ait S. Greg. ho. 13. in Evan. *quia peccata hominum patitur & reddit; nam quos diu ut convertantur, tolerat, non conversos duriùs damnat.* Ira Dei est, velut amnes quidam, qui per aliquantum terræ spatium recondunt se sub terram (quod in pluribus locis Nilus facit) sed alio loco iterum erumpunt majore impetu & fragore. Ita loquitur Amos c. 8. *Iuravit Dominus in superbiam Iacob: si oblitus fuero usq; in finem omnia opera eorum &c.* Et

I. *Non abutendum Dei bonitate.*

 ascen-

ascendit quasi fluvius universus & defluet quasi rivus Ægypti, scilicet Nilus, qui repentè se effundit per universam Ægyptum & omnes sæpe vastat fruges. Expertus est hanc dilatam, sed non ablatam Dei iram Marchio Misnensis, Henricus, qui cùm ob Ecclesiæ bona usurpata redargutus à S. Bennone Episcopo Misnensi, venerabili seni duram inflixisset alapam, audiit ab eo, futurum, ut post annum admissi sceleris pænas daret. *Nec dicto fides abfuit. Circumacto enim anno cum dies ultioni dicta ad vesperum jam inclinasset, Marchio qui corde duro facinoris tanti nedum ullam egerat pœnitentiam: verum etiam ludibrio habens viri sancti præsagium, ad Consiliarios suos conversus, (& veluti Dictator Cæsar Spurinam olim aruspicem irridens) En, inquit, dies quem atrum nobis Benno futurum interminatus fuerat, sine noxa adest, (non considerans venisse quidem diem, sed nondum præteriisse.) Itaque adhuc loquens, subitò inevitabili Dei judicio non placido, ut antea, sed torvo terribilique vultu eum adorientem, pœnasque poscentem videre visus est: (erat enim paulo antea vita functus) suos igitur, ut suppetias illi ferrent, quoniam divus Benno eum impeteret, frustrà precatus, ingenua concidens, subitanea morte periisse dicitur.* Ita habetur in vita S Bennonis apud Sur. 16. Jun.

II. *Corripiendi errantes cum spiritu lenitatis.*

II. *Vos qui spirituales estis, corripite* (errantem) *in spiritu lenitatis*, ad Galatas sexto. Discimus hoc ex supplicio servi nequam, qui cùm ira & violentia debitorem suum invasit, tenuit & suffocavit, ac propterea revocatus à suo domino, traditus est tortoribus. In hujus rei figuram volunt aliqui morte punitum Moysen cum Aarone fratre, quod non juxta præceptum Domini: *Loquimini ad petram, & dabit vobis aquas*; eam allocutus esset, sed virga percussisset, & quidem bis. Num. 10. quasi displiceat Deo austera castigatio, & placeat moderata *in spiritu lenitatis*, verborum potiùs quā verberum; nisi necessitas aliud exigat *Medicum ajunt*, (ita scribit Seneca l. 3. de ira c. 36.] *cum Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem quia non expectavit dolorem tulit, &c.* Quemadmodum hic Medicus scalpellum spongia texit, sic mansuetudine, lenitate, laude tegenda quasi est correptio, præsertim magnatum. Idem suadet sanctus Gregorius 3. p. pastor. cap 18 *Considerandum*, inquit, *quod elatos plerunque utilius corripimus, si eorum correptionibus quædam laudum fomenta misceamus, &c Nam & equos indomitos blanda manu prius tangimus, ut eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subigamus. Et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur, &c.* Hoc est, quod advertit etiam monuitque Parysatis Cyri & Artaxerxis mater, asserens ei, *qui principes correcturus esset, utendum est verbis byssinis*, Plutarch. in apopht. Quod inprimis observavit Nathan, quando Regem David de admisso adulterio & homicidio redar guere aggressus est, involvens reprehensionen parabolæ velut scapellum spongiæ, aut ferulan bysso.

Idem observandum videtur cum duris & præ fractis ingeniis: ait enim Ecclesiasticus cap. 18. *Ne incendas carbones peccatorum, arguens eos.* Qui enir tales non suo tempore & loco, nec debito modi corrigit, magis plerumque ad iram suscitat, & i pejus impellit. Cautem in Harpatæ regione reperit ait Plinius l. 2. c. 45, ejus naturæ, ut licet ingens si uno tamen si impellatur digito, moveatur illicò: (andem si utraque manu totis viribus urgeas, no modo non impelles, sed retrocedere potiùs te infe cta cogeris. Sic præduri, superbi & efferati sæp blando verbo facile permoventur: acriùs vero ol jurgati magis se opponunt & efferantur. Unde Ambrosius ser. 18, ait: *Urat, non exurat. corrigat, ne perdat correctio.*

III. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc d precanti tibi peccata solventur.* Ecclesiastici 28 G ἄφες hoc est, remitte, injuriam scilicet. Docem hoc a Rege, qui remisit servo debitum, ipsi planè i solubile. Hocne tibi difficile est? Cogita inprimis i lum, cui remittis, esse proximum tuum, qui poss fieri amicus & benefactor tuus: quomodo Samar tanus factus est Hebræo, à latronibus conciso, pr ximus & amicissimus Cogita deinde videri sæpe nimicum, qui velut amicus plurimum tibi prodes *Phalerus*, ait Plinius l. 7. c. 50, *deploratus à Medic vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vuln rato pectore medicinam invenit ex hoste.* Ita multo ties qui te vulnerat, aperit ulcus & apostema tuum unde prodit sanies, quæ te enecasset, nisi prodiisse *Cuniper us Longobardorum Rex ad convivium S I annis Episc. Bergomatum fortè adhibuerat. Cum s monem uterque longius produxisset, Ioannes assent tione vitiorum adjutr. ce procul amota, nescio qu liberius ad comprimendas & restinguendas regias c piditates protulit; id e si demisse & leniter ac rem tis arbi ris, quæ inerat viro naturalis ingenii dexte ritas, factum esse ferunt: tamen Regis animus, cuj aures veritati minus patebant, tunc offensus e Quare ut Ioannis admonitiones sine ullo motu ac tu multu vindicaret, equum indomitum & effræna tum sterni jubet. Is sæpe insidentem, aut invitum lon gius exculerat: aut prioribus pedibus se erigendo ex cusserat, aut calcitrando super caput effuderat. Se in hunc elatus Ioannes eo adeò mansu to & obedien usus est, ut & incitatum sustineret, & arbitratu su flecteret ac moderaretur. Eâ re à Rege perspecta, jocu in admirationem versus est, & non modo equo Ioan nem donavit, sed postea præcipuo in honore habuit* Possumus ergo si remittamus injurias, salutem hau rire ex inimicis nostris; si tamen uti monuit Domi nus, remiserimus ex cordibus nostris, verè & syn cere, nec conditionate, sicut ille infirmus, qui dixi se ignoscere inimico, si mori se contingat: non igno

scere

ſcere, ſi vita ſuperſtes ſit. Talis enim venenum adhuc in pectore foveret, quo modo Tocho miles Haraldi IV. Danorum Regis coactus à Rege pomum è capite filii ſagitta excutere, fecit quidem imperata, ſed duas alias ſagittas ſibi reſervavit, ut primi jaculi errorem, reliquis duobus in ipſo Rege vindicaret. Saxo. l. 10.

IV. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Levit. 19. v. 18. Præbet huic doctrinæ cauſam ſervus ille nequam, qui violenter opprimens conſervum ob exiguum debitum, graviſſimè impegit, dum ad demiſſum revocatus debitum, carceri mancipatus & tortoribus eſt traditus: ultionem igitur invenit, dum ultionem quæſivit, ſed longè ſeveriorem, quam de conſervo ſumpſit. Verè igitur dictum Eccleſiaſt. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.* Mirum quid in Actis SS. Criſpini & Criſpiniani legitur: Rictiovarum Galliarum Præſidem mandaſſe, ut Martyribus ſudes inter ungues digitorum & carnem infigerentur; quod ubi fecêre lictores, martyres in horrendo illo cruciatu Deum invocarunt, & mox acutæ ſudes ex illorum digitis reſilire velut ſagittæ in miniſtros, qui infixerant, & alios quidem vulnerarunt, alios etiam enecarunt. Apud Sur. 25. Octob. Sic omninò accidit quibuſcunq; aliis, qui ſeipſos vindicant privata auctoritate; tela enim quæ in alios jaculantur, in ipſos reſiliunt & graviori longè vulnere eorum animas cruentant, mortali nimirum crimine: cùm ſuos inimicos non lædant niſi in corpore, fama vel fortuna. Hoc advertit S. Lambertus Abbas, & Epiſcopus trajectenſis, qui inſidiis inimicorum (Dadonis Pipini R. familiaris & ſatellitum) petitus ad necem, audito invadentium ſtrepitu, gladium quidem initio manu ſua corripuit, ſeſe defenſurus; verùm memor Evangelicæ doctrinæ, mox abjecit, & domino committens ſuam defenſionem oravit: *Eripe me de inimicis meis Deus meus.* Sic ſe in victimam Deo obtulit ſicariis. Nec vindictam Deus diſtulit. Dado enim paulò poſt terra lue correptus per os ejecit viſcera ſua: corpus in Moſam projectum eſt. Qui telo emiſſo ſanctum occiderat, in duello cum fratre congreſſus una cum ipſo peremptus eſt: reliqui intra annum penè omnes xtincti ſunt. Ita Godeſchalcus in ejus vita apud ur. 17. Sept. Non eſt igitur, non eſt hac incedendum a, ſi ultionem appetas, alia eundum eſt, & qua ia, niſi diſſimulando & Deo committendo injuiam; qui vindictam faciet manu longè potentiori. tamen & ipſe te ulciſci omninò volueris, tacendo t ridendo poteris. Docet te hoc Ambroſius l. 2. de nterpellat. in Job. c. 3. *Tacere debet, qui recognoſcit njectum, ne vulnus exaſperet, &c. audit enim alterius non ſuum crimen: quòd ſi referat, ſuum facit: ſi tat, retorquet & convitiantem vulnerat.* Et S. Chryſoſtomus hom. 12. in Ep. ad Rom. *Nihil tam eos à quibus lædimur, urere ſolet, quàm injuria illatio riſu cepta.*

V. *Diſciplinam in pace conſervate, filii.* Ita hortatur Eccleſiaſticus cap. 4. v. 17. Pax apud Hebræos proſperitatem ſignificat & fælicem rerum ſucceſſum. Vult ergo dicere: Diſciplinam meam ſervare non tantũ in adverſis, ſed etiam in proſperis; hæc enim ſolent alioquin mentem diſſolvere, quod apparet in hod. Evangelio, ubi grandis ille debitor tamdiu modeſtus & demiſſus fuit, quamdiu obæratus & debitorum pondere preſſus fuit; at ubi Domini ſui libertate, hoc onere ſublevatus, nemini quidquam debuit, adeoq; pacem ab exactore conſecutus eſt, ibi mox oblitus priſtinæ calamitatis inſoleſcere & in conſervum ferocire cœpit; quod profectò non feciſſet, ſi æri adhuc alieno obſtrictus fuiſſet. Videte enim quorſum miſer ille impulſus ſit à pace & ſecundis rebus.

Diſciplina etiam in rebus proſperis ſervanda

Proſpera nocent.

1. In faſtum & arrogantiam, quia ſervus conſervum ita objurgat, ſicut ipſe objurgatus fuerat ab hero ſuo, imò longè faſtuoſiùs; quaſi ipſe dominus, non conſervus illius eſſet. Patuit hoc & in Agar, ſecundaria Abrahæ conjuge, quæ cùm vidit ſe concepiſſe, deſpexit conſortem & dominam ſuam, Saram videlicet ſterilem. Gen. 16. *Non enim,* inquit Origenes in catena Græca, *cujuſvis eſt meliorem bene ferre fortunam, aut ex humili evecti non ſuperbire.* Verùm quemadmodum ſervus à ſecunda fortuna iterum ob inſolentiam dejectus eſt in calamitatem & carcerem perpetuum: ita etiam Agar ſuæ inſolentiæ pœnas dedit, ejecta è domo Abrahæ. 1.

2. In contemptum heri & oblivionem accepti priùs beneficii, dum nequaquam meminit ſe paulò ante eadem calamitate fuiſſe, in qua conſervum reperit. Idem videre erat in Hebræis, qui dum in Ægypto durâ premerentur ſervitute, Deum verum conſtanter coluerunt; (ut oſtendit Barradius, Pererius, & alii) at poſtquam à gravi illo jugo erepti, de cœlo in deſerto paſti, ab Angelo deducti & hoſtibus metuendi fuerunt, tùm primum erexerunt vitulum & excuſſerunt ſuave Dei jugum. Ac proptereà quando inducti ſunt in terram promiſſionis, non ſtatim omnes hoſtes circumvicinos ſuſtulit eis Deus, ſed plurimos reſervavit, qui ſubinde eos bello vexarent (ut patet ex l. Jos. & Judic.) ut labiles & inconſtantes in officio contineret, & ab Idololatria averteret. Prævidit etiam Joſeph pincernam cui prædixerat reſtitutionem in ſuum gradum, facilè immemorem futurum accepti beneficii; *ideò ſecundò,* ait S. Ambroſius l. 1. de Joſep. c. 6. *repetivit* (ſui ſcilicet memoriam illis verbis: *Memento mei cùm benè tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam &c.* Gen. 40.) *quia ſciebat non recordaturum, quòd evaſiſſet injuriam, cùm potentiam recepiſſet.* Et l. 2. de Interpel. in Job. c. 5. *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, oblivionem auctoris infundit, &c.* 2.

3. In amentiam & cæcitatem; ſiquidem conſervum in carcerem compegit, donec ſolveret debitum. Stulte! quomodo vinctus lucretur, quod liber non potuit, ad æs diſſolvendum? Res ergo ſecundæ 3.

oculos

oculos homini cæcant. Idcircò Isaias.c.28.dixit: *Sola vexatio intellectum dabit auditui*. quasi intellectus in prosperitate amittatur, in adversitate recuperetur. Quod exemplo Davidis & Salomonis confirmat S. Bernardus l.2. de consider. c.12. *Sapiens*, inquit *David, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum à sapientia: nec minor cui præsens fœlicitas, si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris, qui sapientiam retinuerunt, contraria sibi fortunâ, quam qui propitia non perdiderunt.* Ita posteà & alii Hebræi, propter res nimiùm prosperas devoluti sunt ad insanissimam idololatriam. Unde in eorum persona ait Oseas cap.12. *Dives effectus sum, inveni Idolum mihi.*

4. In ferociam beluinam, dum violenter hominem invadit & instar lupi in gula corripit ac suffocat. Quò etiam spectat quod de Hebræorum populo rebus prosperis saginato Moyses dixit: Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.* quasi optima fortuna hominem mutet in beluam, ut qui non jam armis, sed calcibus Deum & homines aggrediatur. Simile est quod Oseas c.4. ait. de eodem populo: *Sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Verùm *prosperitas stultorum perdet eos*, ait Salomon Proverb. 1. Quemadmodum enim vaccæ & boves saginati ducuntur ad macellum: ita qui e prosperis efferuntur & insolescunt, trahuntur a gehennam. Unde D. Gregorius l.6. moral. cap.3 *Quasi*, inquit, *per amœna prata in carcerem perve nit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum ten dit.* Ita ad carcerem ineluctabilem ductus est servu nequam per obtentam indulgentiam. Quare mise ricors Deus electis suis adversa magis immittit quàm secunda. *Solent enim nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergend moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine decl nare, eorumq; gressus tardat pulchritudo itineris, du delectat. Electis ergo suis Dominus hujus mundi it asperum facit, ne dum quisq; vitæ præsentis requi quasi amœnitate viæ pascitur, magis cum diu perger quam citius pervenire delectet, ne dum oblectatu in via, obliviscatur quod desiderabat in patria,* inquit D. Gregorius l.13. moral. cap. 24.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Deo gloriam, proximo charitatem, nobis confusionem deberi.*
II. *Quare Deus cor seu amorem sui exigat à nobis.*
III. *Lingua quàm cautè custodienda.*
IV. *Veritatem libenter audiendam esse.*
V. *Qui potissimum Deum periculosè tentent.*
VI. *Adducuntur aliqui ad speculum ad seipsos intuendos.*

THEMA I.

Deo gloriam, proximo charitatem, nobis confusionem deberi.

I. *Deo debemus gloriam.*
II. *Proximo charitatem.*
III. *Nobis confusionem.*

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.
Matth. 22.

SÆpiùs inculcatur nobis in hodierna & præcedente Dominica odiosum illud verbum: *Redde, redde, redde.* Audivimus ante octiduum Regem à servo exigentem rationes & debitum sibi reddi jubentem. Similiter & servum occclamantē conse vo: *redde quod debes.* Rursum ab irato Rege servu tormentis subjectum, quoadusq; redderet unive sum debitum. Hodie rursum audimus Christum d centem *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ su Dei, Deo.* Itane verbum hoc tam exosum ad nos mnes spectat? Ita est, Audit, ad nos omnes spectat, mnes enim debitores sumus, conclusi in hoc mu do, veluti in turri quadam, quæ obæratorum dic tur, ein Schuldthurn; unde non priùs dimittimu quàm dissoluta fuerint omnia nostra debita. Qua nam verò illa debita? dicetis. Audite magnum deb torem, latronem in cruce conversum, ea vobis e ponentem, imò & reddentem, Luc.23. *Neq; tu tim Deum; qui in eadem damnatione es?* En charitate reddit proximo: *Et nos quidem justè: nam digna fa cta recipimus.* En confusionem & accusationem reddit sibi. *Hic verò nihil mali gessit.* En gloriam rec dit Deo. Cùm enim tribus obligemur, Deo, prox mo, nobisipsis, latro hic justissimus simul & illum natissimus unicuiq; reddit suum, Deo gloriam, pro ximo dilectionem, sibi confusionem. Quid mirun si persolutis hisce debitis è carcere hujus mundi di missus & in paradisum admissus est? Nos ergo de bita hæc nostra nunc inspiciamus.

I. Deo gloriam demus. Ita mandat ipse Deu Isa.42 dicens: *Ego Dominus, hoc est nomen meum glo*

gloriam meam alteri non dabo. Et Jeremias cap. 31. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam obtenebrescat.* David etiam Psalm. 113. *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Denique Apostolus 1. Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria,* inquit. Et iure, quia ab ipso & per ipsum habemus omnia. Sed qua ratione gloria ei danda? 1. omnia bona, quæ habemus & accipimus & unquam accepturi sumus, ipsi adscribendo. Hoc unum enim tributum, hunc censum exigit à nobis, ut ejus beneficia nobis impertita ipsi accepta feramus, & (quod largitori homini facere solemus) dantis manum osculemur, non nostram, ut docet S. Bernardus serm. 3. in Cant. *Accipiendo donum osculare manum, hoc est, non tibi sed nomini ejus da gloriam.* Id quod adeo cautè observavit Job, ut dira sibi imprecetur, si in hoc deliquisset: *Si osculatus sum manum meam ore meo!* cap. 31 Furtum committet famulus, si quæ ad herum spectant, in suis retineat manibus: nihilo minus in Deum peccabit, qui bona ab eo accepta sibi adscribat; uti idem S. Bernardus serm. 13. in Cant. scribit: *Quidquid,* ait, *favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris.* Et serm. 83. *Quid nequius servo usurpante gloriam domini sui? nonne fur est & latro?* Hoc ipsum S. Franciscus mirè suis inculcabat, atque inter alia illud documentū dabat: *Quando servus Dei orans visitabitur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori & indigno de cœlo misisti Domine, & ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem:* dum scilicet ejus gloriam tibi suffuror & mihi adscribo; uti refert S. Bonaventura in ejus vita cap. 10. Deprehensus hujus furti reus Herodes Agrippa, quando in argentea miri artificii veste ad populum perorans & Deum se consalutari passus, gloriam Deo non dedit, sed sibi tacitè arrogavit, adeoque repente ab Angelo (malo, ut videtur Jo. Lorino in cap. 12. Act.) velut à carnifice percussus est. Josephus l. 19. Antiq. cap. 7. addit bubonem, dum id ageret Herodes, supra caput ejus in fune extenso (conopæi forsan) sedisse, calamitatis nuncium: proculdubio is fuis Diabolus, qui eum percussit; in nocturno avium & olei (quod in templis ardere solet) prædone, ostendens Herodem, divinæ gloriæ furem meritò puniri à consimili fure. Econtrà diligenter cavit sibi à furto hoc Propheta Elisæus, qui rogatus à Naaman, ut sanaret ejus lepram, misit nuncium dicens: *Vade & lavare septies in Iordane.* Hoc autem *sibi mandavit per nuncium,* ait Liranus eo loco (4. Reg. 5.) *ut Dei potentiæ magis attribueretur miraculum, eò quod Propheta non locutus fuit cum eo, nec eum tetigit sicut credebat Naaman, credens quòd in ipso Propheta esset aliqua virtus curandi ipsum.* Sic nimirum justi omnem a se gloriam repellunt & in Deum transferunt.

2. Dei magnalia & beneficia ad ipsius gloriam manifestando. Nam, ut ait Stephanus Pontifex apud Rheginonem in Chron. anno Domini 753 *sicut nemo se debet jactare de suis meritis: sic non debent opera Dei, quæ in illo per suos Sanctos fiunt sine suis meritis sileri; sed prædicari, sicut Angelus admonet Tobiam,* iis scilicet verbis: *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum,* Tob. 12. Quo verbo docuit Raphael, idem egit facto & agunt Angeli cæteri, qui ad hoc potissimum, ut laudes Dei celebrent, creati sunt, ut patet ex Apocalypsi Joannis, ubi crebrò inducuntur laudes Deo canentes & clamantes: *Sedenti in throno & Agno, benedictio & honor & gloria.* Apoc. 5. Proximi post hos facti sunt homines, ut & ipsi unà cum Angelis magnalia Dei prædicent, ut docet Ecclesiasticus cap. 17. *Posuit oculum suum super corda illorum* (hominum) *ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent.* q. d. ut unà cum Angelis laudes Deo concinant; ideò Deus sua scientia, quasi oculo fulgidissimo illustravit corda hominum, rerum tam supernaturalium quàm naturalium cognitione plurima; quin etiam creaturas alias, ratione carentes ad hoc creavit, ut suo modo & ipsæ gloriam Dei manifestent, juxta id Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum,* ut ita ex triplici creaturarum ordine fiat integra harmonia seu Musica, quæ in trium consonantia vocum, basi seu infima, tertia seu media, quinta seu summa consistit. Infimam canunt creaturæ irrationales, mediam homines, supremam Angeli. Scimus quidem Christum communiter præcepisse iis, quos sanaverat, ut nemini id dicerent ad exemplum humilitatis; mens tamen ejus erat, ut beneficia accepta divulgarent, tum ad hominum salutem, tum ad Dei gloriam. Unde dæmoniaco illi extra Judæam constituto præcepit: *Redi in domum tuam & narra quanta tibi fecit Deus.* Luc 8. Quod & ipse fecit non tantùm in domo aut civitate sua, sed in omni regione, ut habet Marcus cap. 5 Idque Ecclesia etiam facere consuevit jam ab antiquo, quando notarios constituit, ut acta Martyrum conscriberent; ut ex Concilio Carthag. 4. patet: miracula diligenter adnotavit vulgavitque, & beneficia accepta recitare consuevit in populo, ut testatur S. Augustinus 27. de civit. cap. 8. Denique à Christo taxantur novem leprosi propter hunc neglectum Luc. 18. *Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*

ejus prædicando.

3. Omnia opera nostra ad Dei gloriam faciendo. Hoc non uno loco inculcat Apostolus, uti ad Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis, in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, &c.* Et 1 Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ubi Theodoretus ita: *Omnia comprehendit, & sedere & ambulare & differere & misereri & docere: unus sit ei scopus, Dei gloria.* Pulchrè nos hoc ipsum docuit Magdalena, Matth. 26. quando in domo Simonis non aliunde quàm à capite unctionem incipiens, effudit unguentum in caput Christi, velut in membrum corporis primarium. (Caput enim corona-

3. Omnia opera ad ejus gloriam faciendo.

mus, non manus, nō pedes, non alia membra; quia à capite omnis vita hominis.) Christus autem caput nostrum est, cui omnis honor debetur, & à quo omnia. Quid unguentum pretiosum nisi opus bonum? Igitur hoc in caput Christi, hoc est, ad gloriam ejus inchoandum & peragendum, *quia nisi à capite,* (inquit Paschasius ad eum Matthæi locum) *unguentum hoc defluxerit, nihil in corpore prodesse potest. Si autem omnia quæcunque gerimus ad laudem Dei proficiunt & ad Christi gloriam, quodlibet opus refertur, tunc unguento pretioso ungimus caput Christi.* Fuit hoc opus tam præclarum, ut Christus edixerit id in toto mundo prædicandum. Nec immeritò, siquidem *mulier hæc,* inquit S. Hilarius eo can. 29. *omnem curam corporis sui, & totum pretiosæ mentis affectum in honorem Dei laudemque transfudit.*

II. *Proximo charitatem.*

II. Proximo charitatem debemus: uti inprimis testatur Apostolus ad Rom. 13 ubi cùm dixisset: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem,* immediatè subdit: *nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Sed cur vult Apostolus alia debita reddi, dilectionem verò proximo deberi. Itane debitores tantùm, non persolutores hujus debiti esse debemus? nequaquam, sed vult dicere, à cæteris quidem debitis quæ sunt justitiæ, nos liberari, quando reddimus, quod debemus, æs alienum, agrum, vestem: at verò à debito charitatis, tametsi eam proximo persolvamus & impendamus, minimè liberari, sed manere adhuc obnoxios, ad hoc ipsum debitum denuò reddendum. *Semper debeo charitatem,* ait S. Augustinus Epist. 62. *quæ sola etiam reddita semper detinet debitorem. Redditur enim cùm impenditur, debetur autem etiamsi reddita fuerit, quia nullum est tempus, quando impendenda jam non sit, nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Habendo enim redditur, non carendo. Et cum reddi non possit, nisi habetur, nec haberi potest, nisi reddatur imò etiam cum redditur ab homine, crescit in homine, & tantò major acquiritur, quantò pluribus redditur.* Sic Augustinus. Rationem explicat ulterius eo loco Theodoretus his verbis: *Non ut dilectionis debitum non exsolvamus (oportet enim id ante omnia exsolvere) sed ut in ipsa solutione id augeamus. Redditio enim debita multiplicat, ardentiorem enim dilectionem efficit.*

I. *Omni tempore.*

Debet ergo hæc dilectio se extendere 1. ad omne tempus vitæ nostræ, ut semper obligati simus ad diligendum proximum, quod egregiè inprimis præstitit Samuel populo suo rebelli, qui ipso rejecto Regem sibi postularat. Cùm enim ad redarguendum hoc delictum Deus terribilem immisisset procellam, perculsus populus recurrit ad Samuelem & dixit: *Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum ut non moriamur, &c.* Respondit Samuel: *Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & docebo viam bonam & rectam.* 1. Reg 12. Agnoscit igitur Samuel adhuc se obligatum ad impendendam populo, licet refractario, charitaten & quidem sub peccato, quia adhuc erat pater qua spiritualis sui populi ipseque populus tunc in mag no periculo versabatur. David etiam non deposu affectum suum paternum erga rebellem filiun quando ab ipso armata manu impetitus mandav suis Ducibus in ipsum emissis: *Servate mihi pueru Absalom.* 2 Reg. 18. *Puerum* appellat, ut scelus eju elevet, quasi errore lapsi puerili, quin & pro occi mori exoptavit. Itaque ab egentibus & miseris, gravi præsertim necessitate constitutis nunqua subtrahenda manus est, quia nunquam cessat obligatio charitatis.

2. Extendere se debet ad omne genus hom num, uti monet Apostolus ad Gal. 6 *Ergo dum tempus habemus,* ait, *operemur bonum ad omnes, maxi autem ad domesticos fidei.* h. e. Christianos. Itaq non amicis duntaxat gratis ac notis, civibus, cogn tis, sed inimicis etiam, & ingratis & ignotis & pe grinis charitas impertienda est; neque solum Ch stianis, sed etiam infidelibus, ex verbo Apostoli: merito, quia hoc ipso, quo quis homo est, dilecti ne prosequendus est. Si enim brutæ animantes sua amant speciem & gaudent societate, ac multoties juvant invicem, homines id non facient? Quare Ambrosius l. 3. Offic. c. 7. eos ex feris redarguer *Feræ,* inquit, *non excludunt feras, & homo exclu hominem: illæ etiam conformem sui generis adjuvar homo impugnat, qui nihil à se alienum debet crede quidquid humani est.* Quæ major esse distantia p test, quàm quæ erat inter latronem & Christū? Il tamen fidenter appellare Christum ausus pro reg consortio, ait: *Domine memento mei, cùm veneri regnum tuum.* Unde tibi latro tanta audacia, ut R cœlorum tui meminisse, & locum tibi dare in reg suo debeat? Quo titulo aut jure dignitatem tam e celsam petis? Tantane sunt benemerita & heroi facta tua? Nequaquam respondebit. Quid ergo? est ipsi sanguine junctus? Minimè gentium, dicet. A forsan tuus amicus & familiaris erat? nec hoc, r spondebit. Quid igitur est, quod te tam audace reddit? Nihil aliud, respondebit, nisi quia video i sum hominem esse, mei similem, & consortem cr cis. Hanc causam adfert Cyrillus Jerosolymit. Ca tech. 13. ex latronis persona inquiens: *Non dico, operum meorum memineris, hoc enim metuo: sed omn homo afficitur ad comitem suum, simul tecum eo a mortem, memineris comitis tui.* Similiter Ven. Dro go de sacram. Dom. pass. *Imaginis tuæ Deus miser re, sed in quo te agnoscam misereri? In eo, quod imag nem meam in te video, similem & eandem mecu miseriam pati. Quid ergo restat, nisi ut sperem de tan ta misericordia?* Neque Christus tanta petente repulit, nec dixit: Quid filio Dei cum latrone? qui Latroni cum paradiso? sed precantem mox exaudiit

3. Extendere ad omne genus obsequii, quo proximus indiguerit: ad opera misericordiæ corporali & spiritualia aliaque charitatis officia, in quantum quisq; potest. Latro in cruce conversus nihil minùs

erat

erat quàm prædicator, hic tamen ubi vidit peccare socium in personam Christi, prædicatoris officio assumpto, illum redarguit, & priùs quidem, quàm pro salute sua oret. Neq; ab eo abstinuit propterea, quod ipse veritatis Magister proximè adesset & taceret ad opprobrium sibi illatum, unde S. Chrysost. hom. de cruce & latr. *Et Magister*, inquit, *pendebat in cruce: & sanis persuasionibus alium invitabat ad vitam.* Simili modo Samaritanus ille Luc. 10. Medicus non fuit, non tamen intermisit medici officium infundens misero oleum & vinum.

III. Nobis confusionem debemus. Id fatetur inprimis Baruch. c. 1. ita precationem suam inchoans: *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ; sicut est hæc dies.* Deinde Daniel similiter orans: *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei: sicut est hodie.* h. e. sicut in captivitate ob peccata nostra constituti experimur. Confusio ergo 1. Judæis debetur, quod peccatis suis commeruerint è terra sua abduci in captivitatem Babylonicā: compedes eorum testimonium ferebant, quod dereliquissent & offendissent graviter Deum suum, sicuti captivos accusant & confundunt in carceribus. Reflectat se unusquisque ad priorem vitam suam & delicta juventutis suæ, & videat, an non & ipse aliquando Dæmonis compedibus irretitus fuerit in anima sua. *Quem fructum habuistis tunc, in quo nunc erubescitis?* ait Apostolus ad Rom. 6. q. d. ad quid profuit vobis sub Gentilium infidelitate impudicitia, ebriositas, cupiditas, iracundia, &c. nisi ut jam pudeat vos talium scelerum & turpitudinum? Cogitet hoc ipsum quilibet de se, & confunderetur in se ipso? Mediolanenses cùm aliquando Fridericum Imp. graviter offendissent, ipseque posteà rebellem civitatem vi armata occupasset, veniam precaturi, ipsum in Curia accedunt: inprimis Clerus omnis, & quicunq; fuerāt Ecclesiastici ordinis ministri cū Archiepiscopo suo, prælatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde consules & majores civitatis, item abjecta veste, pedibus nudis, exertos super cervices gladios ferentes. Radevicus lib. 3. c. 42. Tibi, ô peccator, similis, imò major debetur confusio, quia Deum offendisti.

2. Quod in captivitate illa tamdiu detinerentur usque ad 70. scilicet annum; adeoque consenescerent, quod indicant, cùm ajunt: *sicut est hæc dies*, &, *sicut est hodie.* Quanquam hoc non tam illis probrosum erat, qui ut retinebantur; quàm iis, qui posteà data à Cyro redeundi in patriam potestate, redire noluerunt, sed in Babylone remanserunt, partim ob coëmptos fundos, partim ob connubia cum Gentilibus inita, cives Babylonii facti; quæ non exigua eorum ignominia fuit. At longè ignominiosius est remanere in captivitate Dæmonis, in eaq; consenescere, cum facilè exire queas. *Dixit quidam jocans*, inquit Plutarchus tr. de vitioso pudore, *omnes Asiæ incolas uni servire homini, ideò quod unicam syllabam*, Non, *pronunciare nequirent. At qui improbè urgentur ad peccandum pudoris metu, ii etiam si nihil dicant, saltem sublato supercilio, oculisve in terram defixis multa possunt adversa ipsis & absurda evitare ministeria.* Sic ille. Pudor certè est ultrò & mera libidine se captivum Dæmoni facere, multò verò magis captivum persistere, eò quòd unicam syllabam *non*, h. e. non volo esse mancipium, nequeat peccator aut potiùs nolit pronunciare, amore alicujus momentanei & imaginarii boni. Et quæ tandem est stultitia, quæque ignominia, postquam pœnitentiæ beneficio captivitatem illam evasimus, paulò post ad eandem tam facilè reverti & arctiori carceri sese includere?

3. *Quia etiam opera bona sæpe inquinamus.*

3. Quòd ipsorum purificationes, cæremoniæ, & sacrificia, quibus se sanctificare conabantur, inania & vacua à fide & charitate nec non vana gloria, hypocrisi & similibus sordibus aspersa & inquinata essent; uti fatentur Isa. 64. *Facti sumus immundi omnes, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Non equidem est par ratio de operibus justorum; quæ in fide & charitate fiunt, uti paralogizant hæretici: debetur tamen ex alio capite nobis confusio; primò quòd opera nostra bona variis defectibus sæpe inquinemus, uti vana gloria, indiscretione, tepiditate & languore, murmuratione, &c. Quæ nihilo minor confusio est, quàm celeberrimi illius pictoris Zeuxis, qui cùm sibi applauderet, quod uvas à puero gestatas tam exactè pinxisset, ut aves advolarent ad carpendum illas: posteà se reflectens, sibi iratus & confusus est, quòd gestantem uvas puerum male pinxisset; si enim ad vivum elaborasset; aves aspectu pueri absterritæ fuissent. Plin. lib 34. c. 19. Sic multoties pingimus, opus quidem in se bonum, sed discretionem, fervorem vel humilitatem, quæ vanæ gloriæ volucres arceat, vel non appingimus, vel malè exprimimus. Plus igitur vituperii quàm laudis meremur. Deinde si una aut altera virtute instructi sumus; aliis pluribus caremus: vel si una fervemus, in aliis tepescimus, velut imperitus ille pictor, qui præter cupressum nil ferè pingere noverat, unde à naufrago rogatus, ut naufragium ejus pingeret, quæsivit num de cupresso adjici vellet aliquid. Habet quis scientiam unam, illam ubique jactat, loquitur, extollit; cùm in aliis nihil sciat. Habet virtutem unam, v. g. temperantiam aut castitatem, jam se perfectum æstimat, licet plurimos alios nævos habeat. Denique quam parum est, quod agimus aut patimur pro tanta, quam in cœlo expectamus, gloria? nō pudeat operarios pro maxima mercede segniter operari, & quidem maximo Regi? Quoties nos ipsi objurgamus & confundimus opifices & artifices, quando pro neglecto opere, pro rudi pictura, pro malè sarta veste magnam exigunt mercedem; Non pudeat te, dicimus, pro re tantilla, tam neglectim facta tantam petere pecuniam? Cur ergo non eadem mensura metimur nosmetipsos? Quomodo non erubescimus, qui pro immensa & immarcescibili corona tam parum sustinemus? Quàm enim tepidi in orationibus, quàm laxi in jejuniis, quàm parci in dandis eleemosynis, quàm duri

in confessione, quàm frigidi in S. Communione sumus? Confundamur igitur & præ confusione abscondamus nos unà cum Publicano, non audeamus oculos elevare in cœlum.

Atque hæc sunt debita, ad quæ obligamur, quæ si cum latrone illo pœnitente persolverimus, spes est nos cum eodem ex ergastulo hujus mundi eripiendos & in paradisum ad libertatem filiorum Dei fore admittendos.

THEMA II.

Quare Deus cor seu amorem sui exigat à nobis.

I. *Quia id exigit honor Deo debitus.*
II. *Quia prior nos amavit.*
III. *Quia nostra indigentia id requirit.*
IV. *Quia id requirit languor nostri exilii.*
V. *Quia amor Dei necessarius est pellendo amori mundi.*

Reddite ergo quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

MYsterio non caret, quod in veteri lege Deus præcepit cap. 7. Levitici, ut ex hostiis pacificis solum pectusculum daretur Aaroni, summo sacerdoti. Ita enim ibi legitur: *Pectusculum autem erit Aaron.* Neque difficilis apparet mysterii explanatio; amorem enim qui sub pectore & in corde sedem suam habet, exegisse Deus videtur, designatus per Aaronem, summum sacerdotem. Hoc enim ita explicat Salomon, quando in persona Dei loquens Prov. 23. ait: *Præbe fili cor tuum mihi.* Non utique cor carneum, sed mysticum, quod et amor in Deū elevandus, quo modo etiam pectusculum ab offerente elevandum erat in altum, ideò *pectusculum elevationis* dictum. Ita sapientem intellexit S. Bernardus, vir à Deo edoctus magis quàm ab hominibus, qui in epistola ad quendam postulantem: quid à nobis requirat Deus, respondit: *Cor nostrum nihil dignius producere potest, quàm ut ei se restituat, à quo factum est; & hoc à nobis Dominus expetit dicens: Fili da mihi cor tuum. Tunc siquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur super eum, & nihil vult penitus possidere præter eum, sicque colligato sibi animo eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor.* Jam verò dicet aliquis: Quæ causa est cur Deus à nobis diligi velit? Quid enim hoc ei prodest? vel ad quid nos juvat? Causas igitur inquiramus.

I. *Quia id exigit honor Deo debitus.* I. Quia id exigit honor ejus, & gloria ipsi debita. Si enim agnoscimus Deum velut summum bonum, adeoque tanti facimus, ut par est, impossibile est quin amemus & quidem super omnia. Quòd si non diligamus eum, signum est, quòd nec æstimemus, adeoque etiam spernamus. Hoc verò su[m]ma Dei esset injuria. A natura nobis insitum est, [a]petere id quod bonum est adeoque & amare: eo q[u]e aliqui, magis, quò id melius est. Quare sicut pop[u]li ut Albani & Babytaces, qui aurum nec æstima[nt], nec amant, sed in terram defodiunt & abjiciu[nt], hoc ipso spernere censentur: ita qui non amat D[eum], nullo in honore & pretio habet; ac proinde sper[ni]t eum. Quo majore indicio poterant Judæi mun[do] demonstrare, quòd pro nihilo haberent Christu[m] Dominum, quàm cùm oblatam sibi à Pilato ejus [re]demptionem, acceptare noluerunt, sed eo neglec[to], petierunt potiùs Barabbam sibi condonari? Non[ne] hoc erat spernere Christum, gratis sibi oblatum [re]jicere & repudiare? insuper vilissimum homunc[io]nem ipsi præferre? Videat ergo quid agat, qui Deu[m] non amat: pro nihilo enim habet. Videat qui p[ræ] ipso creaturam aliquam amat: vilissimum enim v[er]miculum ipsi præponit. Quantum sensisse deb[uit] Christus, se minoris æstimari, quàm homicida[m] unum? Et quanta Deo injuria est, ipsum non æ[sti]mari à suis creaturis, & infimo loco haberi? Hi[nc] jam intelligimus, quàm rectè dixerit per Isaiam c[ap. 1.] Deus: *Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* Hoc ipso enim quo sic amantem non red[a]marunt, certe spreverunt: & dum eo neglecto Ido[la] coluerunt, ipsum viliori pretio æstimarunt, quà[m] sit lignum aut lapis. Hinc consequenter etiam int[el]ligimus, quanto jure dixerit Apostolus 1 Cor. 1[6]. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Ch[ri]stum, anathema sit.* Qui enim non amat Dei filiu[m], hoc ipso spernit: ergo sit anathema, velut Numin[is] contemptor.

II. Quia id requirit amor, quo prior nos am[a]vit amatque adhuc continuò, dum tot benefic[iis] cumulat & benedictionibus prævenit. Jam ve[rò] tanto ejus amori satisfacere meliùs non possumu[s] nisi amore reciproco. 1. quia amoris hæc natu[ra] est, ut non velit compensari nisi amore. Omnia al[ia] debita possunt dissolvi pretio alterius generis, [ut] siquis mihi vestem faciat, non requirit ut viciss[im] vestem ipsi conficiam: si mihi domum fabricet, no[n] petit ut & ipsi domum aliquam struam: si pro m[e] iter faciat, non est opus ut pro ipso aliud iter fa[ciam]; sed sufficit ei, si pecuniam, aut quid aliud pe[cunia] æstimabile dem: solus amor petit reciprocum amorem, nulla alia re contentus. Quando ig[i]tur Deus adeò nos amavit, ut ad imaginem suam crearit, & mundum propter nos: filiū quoque suum dederit & cum illo omnia; quid huic amori aliud nisi amorem rependamus? 2. quia præter amorem nihil habemus, quod æquè nostrum sit. Cæteris omnibus quæ habemus, spoliari etiam inviti possumus, uti pecunia, fama, vita, corpore: solo amore solum libere possumus exhibere, spoliare nos nemo potest; unde ex hoc capite solus verè noster dici potest. Eo igitur unico veluti quodam pretio compensare Dei amorem aliquatenus valemus. Unde Sanctus Bernardus serm. 83. in Cant. ait:

Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus; in quo potest creatura etsi non ex æquo respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem v.g. si mihi irascatur Deus, num illi similiter reirascar? Non utique, sed pavebo, sed contremiscam sed veniam deprecabor &c.

III. Quia id requirit nostra indigentia, qui sine Dei amore nihil sumus; per amorem Dei beati evadimus, Ita S.Bernard. loco cit. *Deus*, inquit, *non ad aliud amat, nisi ut ametur; sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Consonat D. Hilarius in Ps. 2. *Amari se à nobis exigit*, ait: *non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiẽs, sed amore ipso potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se sibique nos obsequi idcircò à nobis expetit, ut digni beatitudinis suæ ac bonitatis munere per meritum amoris sui & obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor Solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti.* Sic ille. Accedit D. Augustin. ser. 39. de temp. *Sectamini charitatem*, inquit, *sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est.* Idem tr. 5. in Ep. Joan. quærit cur negotiator ille Evangelicus, qui plures inquirebat margaritas, inventa una pretiosa contẽtus, emerit eam. Matth. 13. Et respondit: *Hæc est charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi.* Verum unde sufficit? Ad hoc respondit S. Clemens Pp. in Ep. ad Jacobum, quia *omne bonum ipsa per se, si in vobis fuerit charitas, vos facere docebit. Velut frugi apicula per omnes virtutum flores circumvolat, earumq; succum melleum in amantis animam comportat.* Origines in cit. Matth. 13. locum scribit margaritas conchis inclusas ducem unum instar apum habere, cæteris grandiorem, qui totum agmen ducit: *eo capto*, inquit, *ferunt nullo negotio capi huic subditum agmen, quippe nulla tam subsistente ex toto grege, sed unaquaq; ceu loro vincta sequente gregis ducem.* Ita prorsus charitas dux & regina omnium virtutum est, qua habita nullo negotio sequuntur & comparantur omnes virtutes: ea desiderata nulla verè possidetur aut acquiritur: cùm ea ditissimi, sine ea pauperrimi sumus. Unde Apostolus 1. Cor. 13. ait: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. charitatem autem non habeã, nihil sum, nihil mihi prodest.* Ecõtrà qui eam habet, omnia habet, quia ut ibid. ait: *Charitas patiens est, benigna est &c.* Optimè & succinctè S. Aug. ser. 39. cit. *Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima, in Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima, in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis fortes ignes fortiter suffert, casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum, libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum.* Ita S. Augustinus.

IV. *Quia id requirit languor nostri exilii.*

IV. Quia id desiderat exilii hujus; in quo degimus, languor & amaritudo. Quid enim mũdus nisi vallis lachrymarum & miseriarum pelagus? Quare ut id alacriùs & suaviùs trajiciamus, amore opus habemus. Quidquid aggrediamur, tametsi laboris minimi, si absq; amore aggredimur, cum fastidio agimus, neglectè & perfunctoriè: si verò amor nos accendat, etiamsi asperũ & laboriosum sit, dulce nobis & jucundum fit. Vnde Apostolus 1. Cor. 13. v. 5. ait: *Charitas non est fastidiosa*; uti legit S. Chrysost. Patet in Jacob Patriarcha, cui septem anni servitutis videbantur pauci dies præ amore Rachelis, sibi desponsæ. Gen. 29. Qua de re S. Chrysost. ho. 33. in 1. Cor. ita scribit: *Iacob nonne pro mercede cognato servit annis bis septem? an non præter servitutem redire etiam dignus fuit, qui ita sibi pateretur imponi? Nunquid igitur commotus est risu, num turpe putavit, quòd homo liber & educatus ingenuè servilia negotia obiret atque id quidem apud cognatos? vel maximè enim mordere solet, si quis apud notos indigna patiatur. Minime verò hunc quidem. Quæ causa? Charitas, quæ tẽpus quoq; cùm longum esset, reddit breve: erant illi*; inquit, *instar paucorum dierum: tantum aberat, ut aut dolore aut verecundia ob eam servitutem afficeretur.* Jam si amor puellæ sibi in sponsam promissæ potuit Jacobo tam asperos labores melle condire, quid non poterit amor Dei, boni infiniti, immensi, inexhausti, interminabilis, summi? Agnovit certè hoc sponsa, quæ labores amore sponsi susceptos nõ myrrhæ fascẽ, sed *fasciculum* duntaxat appellavit. Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* Ita locum explicat S. Bernard ser. 43. in Cant. *Non fascẽ*, inquit, *sed fasciculum dilectum dicit; quòd leve præ amore ipsius ducas, quidquid laboris immineat & doloris.* Addit tamen sponsa, *Mihi*; quia amanti solùm talis est. Experiuntur matres; quæ dum filios suos educant, omnes eorum sordes, vagitus & clamores ferunt, omnes deniq; mœstitias eorum amore devorant. Videmus & in animãtibus miram matrum solicitudinem pro sobole eorum suscipi, nullo eorum tædio; quia nim, *ubi amor est, labor non est*, ait S. Augustin. in c. 21. Joan. Quare qui ærumnas & labores hujus vitæ leves sibi reddere cupit, Deum amet. Qumadmodum enim Moyses beneficio ligni, à Deo sibi ostensi, aquas amaras convertit in dulces. Eo. 15. Et Elisæus herbas itidem amarulentas & noxias per injectam farinã salubres & comestibiles 4. Reg. 4. ita Dei dilectio miseriis nostris a[illegible] dulces & amabiles efficit. Unde S. Bernard serm. de convers. ad Clericos c. 30. ait: *Nulla est tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret: quam non sapidam reddat sapientia, ligno vitæ.* Tolle amorem Dei è mundo, qui gemitus, quæ lamenta, quæ murmura, quæ rebellones, imò & desperationes passim ubique audientur & cernentur? Amor Dei hæc omnia sopit. Rursum qui Dei legem observatu facilem & jucundam reddere vult, amet Deum

Sexcentas & tredecim leges Judæi habuere, uti numerat Oleaster in c.3. Gen. Et tamen ait David Psa. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et ibid. non semel loquitur de iis, quasi ea mandata fuerint lex unica. Causam dat Oleaster, quia idem David ibid. dixit: *Dilexi legem tuam Domine.*

V. *Quia amor Dei necessarius est pellendo amori mundi.*

V. Quia hoc antidotum necessarium erat amori mundi noxio, qui cùm in sensus nostros influat, potenter ad se trahit homines, inficit & decipit, nisi alio contrario amore compescatur & elidatur. Ut enim clavus clavo, ita amor amore pellitur, debilior fortiore. *Novimus certè,* inquit Plutarchus in ser. de amore hum, *ancillas herum refugere consuetudinem, & reginas à privatis fastidiri, si quando amorem in animo dominum acciperunt. Nam sicut Romæ ferunt designato illo eximio dictatore, Magistratū ejurare cæteros, qui aliquem obtinent: ita quorum cunque amor factus dominus fuerit, à cæteris dominis & rectoribus manumissi & liberati ut servi templis consecrati vitam agunt.* Patet hoc in tot SS. martyribus & virginibus, qui amore Dei occupati respuerunt nuptias Regum & reginarum, malueruntque potius tormentis excarnificari, quàm illorum amores admittere. Unde D. Bernard. ser. 6. de ascensione, amorem discipulorum Christi erga Magistrum comparat virgæ Moysis conversæ in serpentem, qui serpentes Magorum Ægypti omnes pariter devoravit; adeò ut repudiato mundanarum rerum amore dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Et quemadmodum ventus roris flans ardorem fornacis Babylonicæ restinxit tribus pueris. Dan. 13. ita amor Dei elidit concupiscentiam rerum mūdanarum. Tolle è mundo amorem Dei, quantum (prôh Deus!) invalescet incendium terrenarum & carnalium cupiditatum? Quis finis erit avaritiæ? qui termini luxuriæ? quis continebit intra fines ambitionem & superbiam? quis coercebit amorem sui vitiosum? quis incumbet bonorum operum studio? At vigente in hominibus Dei amore, corruūt peccata, & assurgunt virtutes. Quot n. amore Dei cōtinēt se à flagitiis, alioqnin mox ruituri ob tētationē? Quàm multi rogati amore Dei pro eleëmosyna vel subsidio alio, statim postulata faciunt, nunquam alias facturi? Est ergo Dei dilectio frænum peccatorum, & stimulus virtutum. Unde S. Ambrosius lib. de Isaac & anima dixit: *Sicut mors est finis peccatorum, ita & charitas: quoniam qui diligit Deum, peccare desinit.* Hinc etiam illud boni sequitur, ut homo Deum amans omnia sua studia, curas & cogitationes ad ipsum convertat, à mundo verò abstrahat. Ubi enim est dilectus, ibi est etiam qui diligit. Unde Theodoretus orat. de charitate to. 2. ait: *Qui Deum amat, alia omnia despiciens & eum solum, qui amatur, respiciens, illius curam & suam in eum charitatem cæteris præfert omnibus: illa solum, & dicens, & faciens & cogitans, quæ ei, quem amat, placent & grata sunt, & abhorret omnia, quæcunque ille prohibet.* Exemplum præbet Joseph, qui mente, oculis & obsequiis totus in uterinum fratrem suum, Benjamin defixus fuit. Illum præ fratribus cæteris aspexit: amplexatus est, præ cæteris honoravit transmissis epulis, præ cæteris ad se retraxit ingesto clam scypho suo, *Morale est enim,* inquit S. Ambros. in lib. Joseph. *ut quos diligimus, eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio habet priores, eos obtutus offendat oculorum.* Idem videre erat in Magdalena, quœ amore Christi saucia, nihil aliud cogitabat, loquebatur, aspiciebat, quærebat, plorabat, nisi Magistrum suum, Christum. Fuit pictor quidam, Andocides Cycicenus, piscium amantissimus, ideoq; in omnes aquarum picturas inserebat pisces, adeò ut circa Scyllam, quā depinxerat, ubi nulli pisces sunt, multos pisces addiderit. Athen. lib. 8. Ita nimirū qui Deum amant, ubiq; eum præ oculis habent & cogitatione volvūt, & sermonibus inspergunt, & operibus suis adhibent; quod inprimis fecit S. Paulus, qui nomen JESU in singulis periodis adeoq; superfluè repetit & eructat quasi nil aliud in corde habuisset. Illum secutus D. Bernar. ser. 15. in Cant. ait: *Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Pauli imitator etiam fuit S. Julianus Anachoreta, qui teste S. Ephrem, ubicunque in suis libris reperit nomen Dei aut Domini, aut Jesu Christi vel Salvatoris, lachrymis id rigavit adeò frequenter, ut ea tandem nomina è libris plane delerentur; qui etiam causam rogatus ajebat: *Non irrigatur cor meum, nisi ploravi coram Domino Deo meo.* apud Sur. 9. Julii.

Atque isti sunt qui pectuscula sua elevarunt in cœlum, qui corda sua præbuerunt Deo, dum omnem suum amorem, curas, cogitationes & labores ad ipsum converterunt, in ipsum terminarunt, per ipsum gyrarunt, nihilque possidere præter ipsum voluerunt, quos & nos pro modulo nostro sequimur.

THEMA III.

Lingua quàm cautè custodienda.

I. Id exigit natura.
II. Exigit honor & existimatio hominis.
III. Requirit linguæ petulantia.
IV. Exigit linguæ labilitas.
V. Exigit verbi irrevocabilitas.
VI. Suadet fructus ingens, si bene regatur: damnum si malè.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. Matth. 22.

PUgnarunt aliquando inter se Hebræi, tribus Galaad contra Ephraim. Judic. 12. cumque Gala-di-



ditæ fugaſſent Ephraimitas, obſederunt vada Jordanis, per quæ illi domum reverſuri erant, atque adventantes illos coëgerunt pronuntiare vocabulum *Schibboleth*. Quòd cùm illi malè pronuntiarent, dicendo dialecto patria, *Sibboleth*: pro Ephraimitis agniti, mox in ipſo Jordanis tranſitu jugulati ſunt; ſicque ceciderunt 42000. Simillimo dolo utuntur dæmones contra nos, qui variis modis nos impugnant, lingua tamen potiſſimum nos perdunt, velut in tranſitu quodam, omnibus communi Idem quoque tentarunt in hod. Evangelio Phariſæi cum Chriſto; quem enim in vita & doctrina capere non poterant, conabantur ad extremum capere in ſermone. Qua in re oſtenderunt ſe progeniem dæmonis eſſe; qui etiam S. Jobo, cùm omnia membra afflixiſſet, ſolam linguam intactam reliquit, teſte ipſo Job, cap. 19. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*,) ſperans ſe per illam capere poſſe Jobum & ad blaſphemandum impellere, ut advertit S. Hieronymus in eum locum. Quare Audit. vehementer nobis omni ſtudio attendendum eſt ad linguam noſtram. Non enim minùs inſidiatur nobis Dæmon, quam S Jobo aut Phariſæi olim Chriſto Domino.

I. Exigit hoc natura, quæ linguam homini dedit, 1 Non niſi unicam, cùm alia ferè omnia membra dederit duplicia: duos pedes, duas manus, duas aures, duos oculos, duos narium meatus, unum ad cerebrum, alterum ad os tendentem; duas genas. Eccur verò, niſi ut homo norit raro, parcè adeoque cautè loquendum eſſe, uti docet S. Baſilius l. de vera virgin. adeoque bis audiendum antequam ſemel loquatur?

2. Conſtituit illam in medio capitis, velut in tutiſſima cuſtodia rationis, ſicut captivi in militia cuſtodiũtur in medio caſtrorum, (corpori guardia.) quod indicat Jac. c. 3. cum ait; *lingua conſtituitur in membris*.

3. Conſtrinxit eam & concluſit duplici oſtio, dentium & labiorum: quemadmodum civitas munita pluribus oſtiis obſeratur, ut, qui egredi noctu volunt, vel ingredi, per plures portas, priùs à cuſtodibus reſerandas, tranſire debeant. Et tamen quaſi natura adhuc parum feciſſet, præcipit inſuper Eccl. c. 25. *Ori tuo facito oſtia & ſeras*. Et prius quidem oſtium totum oſſeum & dẽtatum eſt, ut illicò mordeat linguam, ſi longiùs expatiari velit; alterũ carneum labiorum, ut compreſſum nec halitum quidem admittat vel emittat.

4. Denique alligata eſt, velut canis ad oſtium domus in catena, ne longiùs prorumpat, & obvium quemq; invadat. Unde *linguam à ligando* dictã volunt Varro & alii: quod inſtar canis ferocis ori velut caveæ alligata ſit, ne temerè in obvios erumpat morſumque infigat,

II. Exigit honor & exiſtimatio hominis. Multum valet ad permovendum hominem honor ſuus, cùm de illo agitur. Wann einem ſein Ehr daran gelegen iſt. Jam verò ex uſu linguæ pendet honor hominis Ipſa enim eſt index mentis, proditq; hominem, qualis intus ſit; ſicut index officinam, hedera cauponem, forfex ſartorem, calceus ligneus ſutorẽ. Unde Socrates adoleſcentem è ſermone cogniturus dixit: *Loquere adoleſcens, ut te videam*. Similiter & Medici ex lingua porrecta bonam vel malam corporis arguunt valetudinem. Hinc Eccle. 20 dicitur: *Sapiens in verbis producet ſeipſum*. Et viciſſim Iſa. 32. *Stultus fatua loquetur*. Quomodo enim artifices de ſuis tantùm artibus diſcurrunt, Philoſophi de Philoſophicis, Theologi de Theologicis, & inde agnoſcuntur, cujus profeſſionis ſint: ſic lingua prodit hominis animũ Joſephus hiſtoricus ille Hebærus, Galileæ præfectus cùm populum à ſeditione cohiberet, omnibusq; gratiſſimus eſſet, invidorũ calumniis circumventus, à Jonatha (miſſo à Pontificib⁹ Jeroſolymitanis) ſpecie colloquii evocabatur, revera autem ut à militibus deſtitutus interficeretur. Ille mil ti qui Epiſtolam attulerat, 20, drachmas numerari juſſit, quo quibus cùm is gratias egiſſet, facilè deprehendit juvenis ingenium turpi lucro deditum: & ad bibendum incitavit, pro cyatho vini quolibet d:achmam ſe numeraturum pollicitus. Qua ſpe illectus, mero copiosè hauſto, ſuapte ſponte inſidias adverſum Joſephum adornatas detexit. Refert ipſe Joſephut in ſua vita. Jam verò quis arcana ſua facilè aliis revelat? quis temerè demonſtrat aliis omnia ſua, quæ domi habet? Quis non occultare ſtudet vitia ſua? Quàm laborant aliqui, donec in confuſione Medico licet ſuo ſeipſos aperiant? Quis cum aliis ludens oſtendit colluſoribus chartas ſuas? Quæ civitas monſtrat hoſti loca inmunita, per quæ capi poteſt? Denique ut nullum aliud damnum ex incauta lingua ſequatur, prodit ea ſaltem mentis inanitatem ac ſtultitiam, vel ad minimum levitatem. *Vanus ſermo vanæ conſcientiæ eſt index*, ait S Bernardus de interiori domo c. 43. Quãdo Chriſtus dicit Judæis Joa 5, *Quò ego vado, vos nõ poteſtis venire*; reſponderunt illi ex malitia: *Nunquid interficiet ſeipſum*. Quibus Chriſtus: *Vos deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum*, q. d. vos hoc veſtro ſermone perverſam & terrenam veſtram mentem proditis: vos eſſe vermes & ſcarabæos, imò filios gehennæ, mihi, qui de cœlo ſum, contrarios. Quare ſicut Petro Chriſtum neganti dictum: *Loquela tua manifeſtum te facit*: te ſcil. Galilæum eſſe: ita lingua terrena & reproba oſtendit hominem ae terram & reprobos ſpectare.



II. *Reiquirit lingua petulantia.*

III. Exigit linguæ ipſius peſtiferum virus & nocendi vis, niſi coerceatur cauteq; cuſtodiatur. Quod enim eſt ſerpenti venenũ, apro dentes, cornua tauro, calces equo, roſtrum aquilæ, aculeus api, hoc eſt homini lingua. Hinc Hebræis dicitur *Laſcon*, quod eſt diminutivum à *Lais*, quod eſt *leo*, adeoq; *leunculum*, ſignificat. Et ſic appellatur ab Eccl. c. 29. lingua maledica: *immittetur in illos* (impios) *quaſi leo, quaſi pardus lædet illos*. Et certè in Scriptura S. comparatur ferè ſemper cum rebus immaniſſimis; cum igne, gladio, arcu & ſagittis, laqueis, veneno, ſepul-

chro,

chro fœtido, novacula acuta &c. Quis autem neſcit
arcus, venena, acutos gladios, novaculas cautè tra-
1. ctandas? 1. *Lingua ignis eſt*, Jac. 3. quia vehementer
Eſt ignis. urit & cruciat, magis quàm tormenta. Unde S. Am-
broſ. l. 2. de interpell. Job ait: *Nihil ſic mordet, ut*
durior ſermo. Multi cùm vicerint adhibita tormenta,
ſermonum duritiam non ſuſtinuerunt. Multi ergo in
perſecutione, qui tormẽtis non ceſſerunt, ad verbo-
rum injurias ſuccubuerunt. Et David: *qui in Saulem*
tantam oſtendit lenitatem & patientiam, Nabalem
tamen tentat occidere auditu conviciis & contume-
2. *liis*, inquit Theodoretus quæſt. 54. in 1. Reg. 25. 2.
Eſt gladius. Gladius. *Lingua eorum gladius acutus* Pſal. 56. quia
majùs in anima, quàm gladius in corpore vulnus a-
perit. Unde S. Aug. tr. 10. in Ep. 1. Joan. ait: *Major eſt*
3. *machæra lingua quàm ferri.* 3 Arcus & ſagitta. Jer,
Eſt arcus. 9. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii,*
quia etiam procul exiſtentes ferit, & ſæpe dolosè,
dum in alium collineare videtur, alium tangit. 4.
Laqueus Eccleſ. 51. *Liberaſti me à laqueo linguæ i-*
4. *niquæ*; quia capit & illaqueat non alios tantum ca-
Laqueus. lumniis, ſed ipſum etiam loquentem ſæpe. 5. Vene-
5. num. Jac. 3. *Lingua inquietum malum, plenum ve-*
Venenum. *neno mortifero.* Et Pſal. 36. *Acuerunt linguas ſuas,*
ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum
quia non rarò proximi famam & audientis animam
& multorum corpora lædit, excitando rixas & o-
6. dia; ſerpendo celeriter per totum reip. corpus. 6.
Sepulchrũ *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſalm. 5. quia
patens. ſæpe tetrum odorẽ obſcœnorum verborum, ut vi-
rulentum halitum calumniarum, convitiorum, de-
tractionum emittit. Item inſtar ſepulchri proxi-
mum crebrò deformat, devorat & infamat, aliiſ-
7. que exoſum reddit, 7. Novacula. Ita Pſ. 51. dicitur
Novacula. de lingua Doëg calumniatrice: *Sicut novacula acu-*
ta feciſti dolum; quia multoties, dum ſimulat ſe al-
terum laudare, excuſare, ornare, econtrà eum ſub-
dolè lædit, accuſat, deformat, adeoque gulam ab-
ſcindit, dum pilos radere ſe fingit lædendo alterius
famam, dum vult emendare. Denique à S. Jacobo c.
8. 3. appellatur *Univerſitas iniquitatis.* Et cur Uni-
Univerſi- verſitas? nunquid Academia eſt, in qua univerſæ
tas iniqui- ſcientiæ docentur. Ita profectò, ſed malæ & im-
tatis. probæ; quas in ea reſidens docet Diabolus. Docet
ibi primò principia; quia per linguam incipit ho-
minem impellere in lapſum. Per linguam & collo-
quium cepit Evam: & nonne capit puellas & ado-
leſcentes per converſationem? ſic incipit ſe tradere
civitas obſeſſa, quando incipit colloqui & tractare
cum hoſte. 2. Rudimenta quando docet proferre
rudes, inconſideratos & incompoſitos ſermones:
ſcommata, jocos fœdos, 3. Grammaticam, quando
docet aliis excogitare & dare mala agnomina, ap-
pellare furciferos; ſtultos, aſinos, nebulones &c.
4. Syntaxin, quando docet conſtructiones ſeu com-
parationes odioſas facere, unum extollendo, ut a-
lius deprimatur. 5. Poeſin, cum docet fingere &
mentiri ad ſe excuſandum vel alios accuſandos. 6.
Rhetoricam, cùm docet adulari & blandiri verb[is]
gratioſis; uti Phariſæi in hod. Evangelio: *Magiſt[er]*
ſcimus, quia verax & viam Dei in veritate do[ces]
&c. 7. Logicam, cum docet capere, alios in ſerm[o-]
ne, ut iidem Phariſæi, qui in hoc ipſo Evangel[io]
tentabant Chriſtum captioſo dilemmate, 8. Phil[o-]
ſophiam, cùm docet prodere aliorum arcana, rev[e-]
lare peccata occulta adeoque etiam detrahere 9. [A-]
rithmeticam, cùm docet addere & ſubtrahere ve[ri-]
tati: dividere, coram laudando, poſt tergum vit[u-]
perando. 10. Ethicam cum docet perverſos mor[es]
obloqui parentibus, ſenibus, Magiſtris: deride[re,]
murmurare &c. 11 Theologiam, cum docet per [ſa-]
cramenta blaſphemare & Chriſti ſanguinem ex[e-]
crari, de Sanctis irreverentur loqui. 12, S. Script[u-]
ram cum docet ejus abuſum & pravam interpret[a-]
tionem v.g Beatus vir, qui habet multum Silb[er-]
geſchirn. Item Selig ſeynd die Armen / dann nich[ts]
iſt jhr &c. 13. Controverſias, cum docet cavill[ari,]
conviciari, calumniari, rixari, clamare, furere &[c.]
14. Hebræam linguam, cum docet imponere: dec[i-]
pere, fucare, ſimulare, tegere & ſimilia.

IV. Exigit linguæ lubricitas & ad lapſum pr[o-]
nitas. Eſt enim poſita loco humido, & humorem a[d]
loquendum requirit, ut advertit S. Auguſt. ſer. 28. [de]
Verbis Apoſtoli. *Lingua*, inquit, *facilitatem hab[et]*
motus, in udo poſita eſt facilè in lubrico labitur. Qua-
re ſicut qui in lubrico ambulant, niſi baculo nitan-
tur & greſſum ſuſtineant, facilè labuntur; ſic & lin-
gua, niſi rationis directione nitatur. Adhæc vicin[a]
eſt cerebro & phantaſiæ; unde quod illa cogita[t]
mox effutire vult. Accedit naturalis propenſio ad
laudandum, excuſandum, adulandum, alios ver[ò]
carpendos, & accuſãdos. Quod eſt fœtus in utero
muſtum in dolio, ſagitta in corpore, cibus crudus [in]
ſtomacho, hoc eſt verbum ſub lingua latens. Sun[t]
quidem aliquæ feræ noxiis armis præditæ, non ta-
men ad nocendum pronæ; imò niſi neceſſitas coga[t]
ſolent ea abſcondere, uti catti & leones ungues, ca-
nes & lupi dentes, venenum ſerpentes, aculeum a[-]
pes, urinam formicæ; at lingua hominis ad nocen-
dum ſemper prona & expedita eſt. Aliæ feræ edo-
mantur & coercentur ſaltem fame, flagellis, oneri-
bus, funibus, capiſtris, facibus, &c. at non ita lin-
gua, teſte S. Jacobo c. 3. *Omnes naturæ beſtiarum &*
volucrum & ſerpentum & cæterorum domantur &
domitæ ſunt à natura humana: linguam autem nullu[s]
hominum domare poteſt. Inquietum, malum, plenum
veneno mortifero. Quis autem neſcit venenum id
longè periculoſius ac perniciosius eſſe, quod eſt in
vipera v.g. aut aſpide aliave inſidioſa beſtia, quam
quod eſt in catoblepa, valde ignava; Gladium in ma-
nu furioſi aut irati, quam in manu ſapientis aut pa-
cati? Equum ſub ſeſſore Turca aliove hoſte; quam
ſub amico? Dentes in ore rabidi canis, quã manſueti. V.

V. Exigit verbi ſemel emiſſi irrevocabilitas Eſt *Exigit*
enim lingula velut funda aut bõbarda, quæ temere *verbi*
emiſſum lapidem vel globum retrahere non poteſt. *irrevocabi-*
litas. Hinc

Margin (IV.): *Exigit linguæ lubricitas.*

Hinc Jephte cùm temerè (ut aliqui volunt) vovisset necem primò sibi occurrentis, ubi filia ei primo occurrit: *Heu me*, inquit, *filia mea! aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*; quàm te mactare videlicet. Judic.11. Ipse Job.c.39. ait: *Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem: & alterum, quibus ultra non addam.* In quibus tamen aut nullum aut levissimum peccatum erat, scilicet quòd tantam plagam meruisse se non putarit. Herodes cùm jurasset filiæ Herodiadis quidvis se ei daturum: postea petito Joannis capite contristatus est, quod sibi persuaderet promissionem factam non posse revocari. Scimus etiam quantū nocuerit Achabo verbum unum, condonans vitam blasphemo, Dei & Israelitarum hosti, Benadad. Rapuerunt enim servi Benadad verbum ex ore Regis; sed mox audiit ex Propheta Achab: *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* 3. Reg.20. Unde benè à S. Jacobo c.3. lingua comparatur igni: quia ignis dānum irreparabile facit, non sic ventus, aqua aut terra, quæ uni dant, quod alteri abripiunt. Quis ablatum honorem facilè auditur alteri restituere? At licet per restitutionem sanetur vulnus, manet tamen cicatrix & memoria aut fama.

VI. Suadet tum ingens utilitas, si benè regatur: tum ingens damnum, si male. Unde optima & pessima pars habita S. Jacobus c.3 ait esse *frænum equi, gubernaculum navis*; per illud autem totus equus, per hoc tota navis gubernatur. Est primum territorii propugnaculum; quod si custodiatur, terra ipsa ab hoste salva erit: si ab hoste occupetur, omnem terram prædæ exponit. Est instar ludi alearum teste S. Gregorio Nazianzeno orat. 1. de Theolog. cùm ait: *In verbis perinde atque in alea ludo versantur.* Ut enim per aleæ ludum facile uno alterove jactu magnæ opes perduntur & ipsæ sæpè vestes, ut jam honestè apparere non possit, qui perdidit: sic uno alterove verbo proditur sæpè ac perditur tota existimatio.

Quid igitur faciendum ne capiamur lingua nostra? Primò non præproperè loquendum, sed consideratè. Quod docet in hod. Evangelio Christus, qui non statim respondit quæstioni Pharisæorum, sed priùs ostendi sibi numisma petiit, ut ex illius inspectione responsum desumeret. Sic ferox equus semper in fræno tenendus, non laxandum ei lorum, David linguam suam *calamum* appellat psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ*, id est, *loquentis velocitatem cum scribentis maturitate conjungo*, inquit in eum locum S. Ambrosius epist. 45. quæ enim scribuntur, cum majore mora & consideratione promuntur, quàm quæ dicuntur; unde solidiora magisq; composita sunt. Deinde quia ex nobis solis non sufficimus ad frænandam linguam ut nunquam labatur, in tanta lubricitate totque lapsus occasionibus (ut indicat S. Jacobus cap. 3.) rogandus Deus frequenter cum Davide, psalm. 140. *Pone Domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis.* Et psal. 50. *Domine labia mea aperies.* Et cùm Esther cap. 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo.* Quid enim agat infans aut æger sedens in equo ferocienti, nisi ut robusti viri opem imploret, qui equum ducat ac contineat? Gubernator hic non nisi Deus est. *Domini est gubernare linguam*, ait Sapiens Proverb. 16. Quomodo scilicet Deus. Noë in arcam ingresso clausit foris ostium. Gen. 7. bitumine scilicet vel pice contra aquas oblinens. Quis enim alius hoc fecisset, Noë intus incluso; *Pone* ergo, *Pone Domine custodiam ori meo*; ut nonnisi ea, quæ ad salutem nostram & gloriam tuam sunt, loquamur. Amen.

THEMA QUARTUM.

Veritatem libenter audiendam esse.

1. *Quia pulchra est.*
2. *Quia illuminat.*
3. *Quia condecorat & ornat.*
4. *Quia arguit sui osorem.*
5. *Quia promovet ad veros honores.*

Magister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces. Matthæi 2.

NOn exigua laus Christi Domini fuit, quòd vel ab invidis Judæis *Magister verax & Doctor veritatis* diceretur. Quo etiam nomine commendatur à Josepho Judæo l.18. Antiquit. cap.9. *Erat*, inquit, *Doctor omnium eorum, qui libenter audiunt quæ vera sunt.* In ipsius etiam figuram Exod. 28. summus Pontifex in pectore gestare debebat duo illa verba, *Vrim & Thummim*, hoc est *doctrina & veritas.* At verò non semper æquè grata est veritas audientibus. Aspero enim vestitu, rugosa fronte, vultu serio incedit sicut & Christus in hod. Evangelio, cùm Judæos arguit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Rursum: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Desiderabant illi audire prohibentem tributa dari Cæsari, ut possent eum accusare: alii ut immunes fierent à censu Cæsareo: sed audiunt contrarium; quia veritatis Doctor erat. Hujus vos discipulos esse volo Audit. ita ut veritatem, tametsi sæpe ingratam, libenter audiatis. Ægyptiorum Judices, quia veritatem maximè audire & propugnare tenebantur, collo appensam gerebant imaginem ex saphiro, cui nomen erat *Veritas*, ut scribit Ælianus l.14.c.34. quod nimirum ea per saphirum bellè designaretur? Hanc ergo imaginem vobis appendam Christiani: quia veritas maximum Christianorum decus est, tanquam veritatis à Christo traditæ studiosorum, quia pulchrum, salutare, gloriosum.

I. *Quia pulchra est.*

I. Saphirus pulcherrima gemma est cærulei (olim saltem, ut antiqui testantur) coloris, punctis aureis quasi stellis interlucentibus decorata, adeoque cœli figuram referens, ut referunt Plinius & Isidorus. Cœlo quid lucidius, quid pulchrius, quid inexpugnabilius? Sic veritas tam pulchra & limpida est, ut etiam malevolorũ oculos perstringat & vincat: tam fortis ut etiam hostes suos assentiri sibi cogat. Patet exemplis etiam Ethnicorum. Cajus Caligula perversus, impudens ac truculẽtus homo, cùm modo instar fœminæ fœmineo, modo Deorũ cultu ornatus prodiret, aliquando in altissimo throno sedẽs tanquam Deus, vidit sutorem Gallum se ridentem. Rogans ergo, quid sibi de ipso videretur; audiit: *ipsius cultum videri sibi magnum deliramentum.* Convictus hac veritate lucidissima, correptionem æquo animo tulit ac sutori ignovit. auct. Xiphil. in Calig. Amasis cùm potationibus vacans multa passim suffuraretur, & ad oracula adductus, ab uno velut reus accusatus, ab altero velut innocens absolutus esset, post Rex Ægypti factus munera misit oraculo veraci, nulla verò mendaci: illud coluit ut verax, hoc sprevit ut mendax. Herodot. lib. 2. Tam pulchra igitur est veritas & tanta ejus vis ut nec impiis displicere queat, sed eorum calculo potius approbetur. Quod etiam patuit in Philistæis, qui Arcæ Judaicæ potentiam & sanctitatem, sui verò Dagonis inanitatem ac debilitatem ingenuè confiteri compulsi sunt, 1. Reg. 5. *Dura est manus ejus super nos*, ajunt, *& super Dagon Deum nostrum* Certè etiam Pilatus quando audiit Christum dicentem, se veritatis esse præconem, statim hanc de eo tulit sententiam ad populum: *Ego nullam in eo invenio causam*, Joan. 18. quasi ipsum veritatis nomen hominem Ethnicum & impium perculerit. Unde Rupertus Abbas in eum locum scribit: *Veritatis nomen amabile est. Et honorabile illud est: humana sponte natura consentit: & licet significatum ejus nequissimi nebulones oderint, tamen ipsum ejus nomen nulli unquam detestari licuit. Itaque victus & deficiens dicit ei Pilatus. Quid est veritas?*

II. *Quia illuminat.*

II. Saphirus *visum acuit*, ait Greg. Nyssen orat. 14. in Cant. Sic omninò veritas instillata aperit tibi oculos & videre tuos nævos facit. Solem amamus quia ostendit nobis res sicut in se sunt: atqui veritas Solis instar monstrat teipsum tibi, qualis es. Certè si gravi morbo laborares, non velles medicum dissimulatione uti aut silentio, vel obscuris verbis morbum dissimulare, sed morbi vim, causas, malitiæ & radicem indicare, ut cavere tibi in posterum & consulere sanitati posses. Hinc Aristoteles æger Medico dixisse fertur: *Ne me cures sicut bubulcum aut fossorem, sed morbi causam edissere, tunc parebo.* Cælius lib. 21. antiq. lect. cap 39. ex Ælian. lib. 9. De urso scribunt, ultro eum caput inserere in alvearium apum, ut illarum aculeis confixus, capiti suo debili & malis humoribus obnoxio medeatur. Plinius lib. 8. cap. 36. Hunc in modum Principes aliqui, quos nemo facilè, quemadmodum nec ursos, curare audet, mutato habitu miscuerunt se suis subditis, ut ... illis saltem redarguti suos defectus intelligere & ... mendare possent. Sic egit Ludovicus primus R... Ungariæ, qui ne plebs ab officialibus iniquiùs pr... meretur exactionibus & injuriis, dissimulato hab... tu per vicos & castella ibat; ibique eorum, nec n... suos defectus à subditis explorabat. Bonfin lib. ... dec. 1. Sic etiam Fridericus senior Dux Austriæ sæ... mutata veste solus inter agrestes versatus est, cu... quibus diurna mercede & arans & alia quævis m... nia faciens ruris, & de seipso & de purpuratis su... confabulari consueverat. Rogatus cur id facere... *Neque enim de me*, inquit, *alio modo verum aud... possum* Æneid. Sylv. l. 3. Comment. in Panorm. J... si hi tanto labore & sui abjectione veritatem ... venati sunt, quis non apprehendat obviis ulnis ... obviantem? Quod si eam quis audire & cognosc... re cupiat, audiat verbum Dei, vel legat sacras sc... pturas. Pro insigni munere misit Bonifacius V. ... Edelburgæ Reginæ Angliæ, speculum argenteu... auct. V. Beda l. 2. hist. Angl. anno Domini 625. qu... tales personæ studiosè indagant, si quos habe... nævos aut maculas, ut emendent. Vis hujusmo... speculum? Verbum Dei consule. Eo nos remittit I... dorus Pelusiota l. 2. ep. 135. cùm ait: *Spirituale spec... lum, hoc est, sacras scripturas, in quibus & proboru... virorum historia, & salutares leges à Deo posita con... nentur, perpetuò in manibus habendum esse. Hoc eni... speculum non modo deformitatem ostendit; sed etia... si velimus, in incredibilem quandam pulchritudine... immutat.*

III. Sapphirus ornamentum erat summoru... Pontificum, nec non Regum, & ut diximus, Jud... cum apud Ægyptios; unde & in magna veneratio... ne erat. *gemma gemmarum* dicta, uti refert P. Co... nelius in cap. 21. Apocal. Pari modo veritas in aur... & animum admissa, hominem nequaquam obsc... rat, sed magis elucidat & ornat gloria & existim... tione. Audiamus Sapientem Proverb. 25. *Inaur... aurea*, inquit *& margaritum fulgens, qui arguit sa... pientem & aurem obedientem.* Inauris etsi insert... perforat aurem & nonnihil vulnerat; ornat tame... non dedecorat; unde olim nobilitatis insigne era... teste Rhodigino l. 3. c. 25. ita etiam veritas instillat... auribus & admissa aliquantum ferit, non tamen in... famia sed honore potius afficit. Ita docet S. Chry... ho. 10. in Acta Apost. *Non est confusio*, inquit, *ab ali... corrigi, imò confusio est repellere corrigentes, & ... damnum propriæ salutis hoc facere. Et tu quidem, ... vestem induaris inversam, permittis te à puero admo... neri, & non confunderis ab illo discens; quamvis certi... in hoc magna confusio, &c. Et ornantem quidem t... fers servulum & calceantem, ornantem autem animam non fers* Celebrãtur sanè & laudantur usq; hodie magnates illi, qui veridicos increpantes se libẽter & demisse audierunt; uti in primis Moyses, qui à Iethro redargutus, non modo id dedecori sibi non duxit, sed aurem monenti libens dedit; idq; sua ipsius manu litteris consignavit & posteris enarravit.

Exod.

Exod.18. Nihil etiam honoris detraxit Pontifici Heli admonitio Samuelis pueri: nec sancto Petro reprehensio Pauli: quin potius augmentũ dedit. Theodosius Imp. quem ob cædem Thessalonicensium præcipiti sententia imperatam, litteris primo graviter reprehendit S. Ambrosius, deinde templo prohibuit ac communione, omnia libenter ac demisse tulit, suam in domum se includens, donec publica pœnitentia satisfaceret. Eundem aliquando ad chorum & altare oblationis causa prodeuntem & in choro hærentem exire ad sedes plebium idem jussit Ambrosius, quod chorus non pro sæcularibus, sed pro clericis factus esset. Cui etiam mox paruit. Quas ob causas Ambrosius eum in oratione funebri magnopere commendat: *Dilexi virum*, inquit, *qui magis arguentem quàm adulantem probaret; stravit omne quo videbatur, insigne regium. Deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obreperat, gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam, neq; nullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Nonne hæc est laus magna Imperatoris.

IV. Sapphirus veneno resistit & araneæ junctus eam occidit, ut Dioscorides refert. Quid vero aranea nisi venatorem muscarum stultæ adulationis & textorem subtilis & fragilissimæ telæ mendaciorum significat? Ergo veritas repulsa & exclusa mendacii amantem aliquando graviter sauciabit, arguet & necabit: cùm is advertet quantum sibi obfuerit non audivisse veritatẽ, sed adulatores potiùs, & captasse inanes muscas. Continget his, quod apud Hollandos cuidam, *qui in convivio igni propinquior accubuit, ita ut vestis ejus una adureretur. Id enim advertens è convivis quidam: Habeo, inquit, quod tibi nunciem. Tum alter: si quid, ait, tristius est, nolo audire in convivio, ubi convenit festiva lætaque esse omnia. Non est, inquit admodum lætum. Mox alter: Post convivium, ait, feria. Ubi cœnatum esset hilariter. Nunc inquit, dicito quidquid voles. Ostendit illi vestem à tergo enormiter adustam. Ibi stomachari cœpit, quod non admonuisset in tempore. Volebam, inquit, at tu vetabas.* Eras. in Adag. Sic enim multi correptiones pro re seria non habent, & quia tristes sunt, eas refugiunt, sed in morte demum videbunt laceratam animam suam, & dolebunt se clausisse aures suis veridicis. Crœsus Lydorum Rex opibus & fortunis insolens cum à Solone audisset neminem mortalium ante mortem beatum dici debere, Solonem tanquam stultum hominem, qui præsentem fælicitatem parvi nimis fecisset, in exilium expulit. Mox expeditione contra Cyrum Persarum Regem suscepta, cùm se hominem non esse recordaretur, captus regnoque exutus, pyræque ut cremaretur impositus jamque flamma correptus Solonis veridici sui recordatus, te ipsum alta voce inclamavit: *O Solon, ò Solon ò Solon!* Herod. lib. 1 Quo audito rogus jussu Cyri extinctus, causaque intellecta miser dimissus est. Hunc in modum punget aliquando veritas in inferno & mactabit araneas, id est, improbos, qui venatione aranearum, mendaciorum & adulationum delectati, veritatem audire respuerunt, dicentque cum inferis illis Sap.5. *Ego erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis.* q.d. nemo nos admonuit futuræ calamitatis, quam nunc experimur: nemo correxit. Sed quid dicitis miseri? Itane viam non vidistis? vel saltem discere à tot indicibus non potuistis? tot concionatoribus, confessariis, libris? Itane lumen sacræ Scripturæ non vidistis? Solem justitiæ Christum non novistis? Nimirum sicut in vita: ita & nunc in inferno mendacium amatis ac loquimini. Novistis utique sed audire & intueri noluistis: oculos & aures clausistis. Dicite igitur potius ac veriùs: Scivimus viam, habuimus indices, sed non audivimus eos. Vidimus lumen concionum, Solem Christum ejusque Evangelium, sed aspicere noluimus.

V. Sapphirus à Rom. Pontifice mittitur recens creatis Cardinalibus, eosq; inaugurat & quodammodo desponsat Ecclesiæ tanquam ejus senatores sicut annulus Episcopũ desponsat suæ Diœcesi, uti refert Cornelius in c. 21 Apoc. v. 19. Veritas etiam adamata & libenti animo accepta promovet ad veram libertatem & cœlestes honores. Quod inprimis indicavit Dominus Joan. 8. cùm ad fideles suos dixit: *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Gr. ἐλευθερώσει hoc est, liberos & ingenuos constituet vos. Liberos à servitute peccati, concupiscentiæ & ipsius mortis, à qua vos suscitabit ad vitam immortalem & beatam, ad quam & deducit. Idem confirmat Sapiens Prov. 15 v. 31. *Auris, quæ audit increpationes vitæ*, inquit, *in medio sapientium commorabitur.* Increpationes vitæ appellat veritatem seu doctrinam salvificam, quam docuit Christus Dominus; quæ & exaltat audientes, ut veri Christi discipuli & Doctores etiam aliorum fiant. Unde V. Beda in eum locum ait: *Discipulus, qui increpationibus docentium obedienter annuit, plerumq; proficiendo ad cathedram usq; Doctoris ascendit. Deniq; Paulus, qui increpationi sui Conditoris humiliter se subjstravit, ad sedem postmodum Apostolicæ dignitatis sublimiter pervenit.* Huic accedit S. Chrys. hom. 4. de patient. Job. *Si quis correctus*, inquit, *generosè tulerit correctionem, audit à Deo: Exurge; veluti cùm ad Hierusalem dixit: Exurge Hierusalem, quæ bibisti de calice iræ.* Isa. 51. Calix ille fuit captivitas Judæorum in Babylone, qua ubi castigati per 70. annos fuêre, rursum erepti & reducti sunt in patriam, ubi ruinas templi & Jerosolymæ instaurarunt. Ita & quicunq; doctrinam veritatis ad correctionem suam humiliter audiunt ac suscipiunt, ii velut cives cœlestes & ingenui, digni beatorum consortio, ad cœlestem evehentur Jerosolymam.

V. *Quia promovet ad veros honores.*

Quare Audit. ut illorum purpuratorum & sapientum numero accenseri mereamur, simus ex eorũ numero, qui veritatẽ libenter audiunt: pendeat hic

sapphirus & doctrina veritatis semper in collo nostro, ponamus hoc signaculum super cor nostrum & super brachium nostrum, & diligamus veritatem corde & opere. Non obmurmuremus & recalcitremus, quando reprehendimur, imò & castigamur: sed potius velut donum cœleste cum omni reverentia veritatem excipiamus, juxta monitum Beati Joann. Climachi: *Omni die objurgationes quasi aquam vita bibe.*)

THEMA QUINTUM.

Qui potissimum Deum periculose tentent.

1. *Qui sine omni reverentia Deum adorant, Dei bonitatem tentant.*
2. *Qui Dei sapientiam eludere conantur, ut hypocritæ ejus sapientiam tentant.*
3. *Qui DEO diffidunt, ejus providentiam tentant.*
4. *Qui per miraculum aliquid petunt, tentant Dei potentiam, & qui nimis præsumunt.*

Quid me tentatis hypocritæ. Matth. 22.

VIdentur verba illa Domini: *Quid me tentatis hypocritæ?* præseferre bilem aliquam & motum iracundiæ, quod etiam indicat Auctor Imperfecti, dum in ea scribit: *Vtilior enim est Deus iratus, quàm homo propitius.* (Quamquam ira & passiones aliæ in Christo non ita fuerunt, uti sunt in nobis; quia ex imperio rationis Christus eas assumpsit & deposuit cùm voluit; unde non passiones, sed propassiones fuisse in Christo docent Theologi cum Doct. Thom. 3. p. q. 15. art. 4.) Verum cur irascitur Pharisæis Christus tentatus ab illis qui vel ipsi Satanæ, cum ab eo tentaretur, non fuit iratus? Matth. 4. Non enim increpando, sed scripturas opponendo ipsi occurrit, dicens: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum. Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis.* Nonne potius tentatori Satanæ debuit irasci, quàm tentantibus Pharisæis? Non arbitror Audit. Satanas proscriptus est, & ex proscriptione sua factus est tentator; inde hoc nomine gaudet, è diametro contrarius Deo, qui *intentator malorum est neminemque tentat,* teste Jacobo cap. 1. Jam vero nonne indignum & flagris etiam castigandum, si homines Satanam potius quam Deum imitentur, adeoq; Deum tentent? Jure igitur meritò increpantur Pharisæi, quòd illo suo facto filios se diaboli, non DEI demonstrarint. Quare Auditores, grave delictum est, & planè diabolicum, Deum tentare, quod cupio vos omnes non minus quàm ipsum Satanam fugere.

Sed dicetis forsan: Quis nostrum est, qui hoc audeat facere? vel quomodo hoc contingit? hoc nunc audiemus.

I. Tentant Dei bonitatem & clementiam eaque abutuntur, qui sine omni reverentia ipsum adorant. Tales enim non videntur agnoscere Dei bonitatem & potentiam; qua velit ac possit postulata dare, & miseris opitulari; velut si quis à statua Idoli mendicet; quod fecisse ferunt Diogenem. Contra quos Ecclesiasticus c. 18. ait: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum* Qui mendicat, paratum se præbere ad accipiendum debet; manum aut sinum expandere; non vultum avertere aut dorsum obvertere: non jocari, non ridere, alioquin nihil expectare, nec egere reputabitur, sed illudere ei à quo petit Id vero aut simillimū quid agit: qui sine præparatione, h. e. sine consideratione divinæ majestatis suæque indigentiæ, adeoq sine reverentia Deum orat, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 79. art. 3. ad 2. ac si messem expectet ab agro, quen prius non aravit nec semente conspersit. Qui enin eleemosinam vel donum à divite expectat, per hu militatem & reverentiam ad flectendum divitem s disponere debet, sicut qui metere vult, prius agrun colat necesse est. Quomodo vero se disponet, qu sine prævia cogitatione, sine fine, sine reverentia o rat, nonne Deum tentat & quodammodo illudit, si ut milites illi, qui genu flexo Christum spinis coro natum, velut ludicrum Regem, à quo nil sperarent adorabant & salutabant? Matth. 27. Tales fuere il 25. viri, quos ostendit Deus per visionem Ezechiel stantes in templo & dorsa habentes contra templur Domini, hoc est, contra sanctum sanctorum & Ar cam Domini, spectantes ad orientem more Gentili um. Ezech. 8. Quam sanè *abominationem pessimam* appellat ibi Deus, additque: *Numquid leve est hoc do mui Iuda, ut facerent abominationes istas, quas fece runt hic: quia replentes terram iniquitate conver sunt ad irritandum me?* Hi ergo non exorant, sed ir ritant Deum & faces ei suggerunt ad irascendum a puniendū ipsos; quo modo Aman quia pro vita su supplicaturus Reginæ, non adhibuit debitam cære moniam, sed corruit super lectulum ejus, (secun dum Athanasianam synopsin, etiam genua Regin apprehendit) Regis iram in se magis concitavit, it ut oratio ejus fieret in peccatum & in laqueum, ipse que Rex indignaretur dicens: *Etiam Reginam vu opprimere, me præsente in domo mea!* statimque jube ret eum suspendi in altissimo patibulo. Esth 7. Vi derint igitur quid agant, qui ad orandum Deum sin omni devotione aut pia cogitatione corruunt, velu equi ad quietem; ne & ipsi plus iræ quam gratiæ re portent. Sensere id Moniales quædam in vita S Lutgardis, quæ ut scribit Thomas Cantipratanus i ejus vita apud Sur. 16. Junii, *sæpe reprehenderat mo niales in valetudinario manentes, quòd parum atten tè persolverent preces Canonicas divinitùs institutas*

Cum

Cum autem dimidio ante obitum suum anno, non videret divina majestate & reverentia dignam in sororibus emendationem ait: Scio equidem, quod post decessum meum culpam hanc manus Domini in sororibus vindicabit: & tunc memores verborum meorum, castigatæ cum multa humilitate se corrigent, & Dominus mox retrahet manum suam, quam jam extenderat ad ultionem. Quàm autem veraci spiritu hæc illa prædixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam ubi illa excessit è vita, confestim dira pestis invasit in illud monasterium, & brevissimo temporis intervallo quatuordecim probatissimæ sorores extinctæ sunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne ac spiritu sorores, uno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in uno tumulo sepelivi. Cùm se autem infirmæ sorores in valetudinario in dicendis canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente pestis illa protinus sopita est. Sic Cantiprat.

II. Dei sapientiam ac scientiam, qui an ejus oculos & sapientiam latere aliquid possit, periculum faciunt, dolos excogitando, vel se alios fingendo, uti solent hypocritæ; quales erant in hodier. Evangelio Pharisæi & Herodiani qui Christi amicos se simulabant, cum essent inimici & sanguinem ejus sitirent: captiosam insuper quæstionem proponebant, ut in sermone eum caperent, quibus ait Dominus: *Quid me tentatis hypocritæ?* Quod idem fecerunt sæpius Pharisæi, uti Matt. 16. v. 1. & 19. v. 3. Luc. 10. v. 23. Quibus non absimiles sunt, qui foris se justos & pios fingunt, cùm in corde reprobi sint, rursum qui in confessione tectim peccata graviora abscondunt; & qui ficta puritate ad sacram communionem accedunt. Omnes illi Deum quasi cæcum aut cæcutientem fallere conantur, adeoque ejus sapientiam gravissima injuria tentant. Instar enim mulierculatum, quæ, ut ait S. Gregorius Nazianzenus orat. in fun. patris, *nativa pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, theatriceque, ut sic loquar, comptæ ac ornatæ sunt, ob venustatem invenustæ atque ob fœditatem deformiores*, ut suo illo fuco incautis & stultis juvenibus imponant. Verum Deo non imponent. Si enim viri sancti tales fucos deprehenderunt, non deprehendet Deus? Deprehendit Achias propheta uxorem Jeroboam, quæ mutato vestitu aliā se finxerat, dicens ei: *Ingredere uxor Ieroboam: quare aliam te simulas?* 3. Reg. 14. Deprehendit S. Benedictus Spatharium Totilæ Regis, qui Regem habitu mentitus, ipsius sanctitatem exploraturus à Rege missus fuerat; mox enim audiit à sancto: *Depone fili, quod geris, nam tuum non est.* Ut in Breviario. Neque minùs isti quàm priores illi tentatores iram Dei in se provocant. Id enim testatur amicus Jobi Eliu, dicens: *Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint: morietur in tempestate anima eorum.* Job. 36. Quæ sanè terribilis sententia indicat ejusmodi simulatores æternùm perituros. *Cognosci enim peccatores refugiunt*, ait enim Gregorius Magnus. *quia sancti opinione omnium ferebantur, licet eos ad extremum jam flagella feriant, quamvis duci ad æterna supplicia non ignorent; tales tamen cupiunt apud humana judicia remanere, quales se studuerant semper ostendere. Deprehensi ergo etiam flagello percussionis extremæ, quia confessionem puram vel afflicti, exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt.* Morientur verò in tempestate, hoc est, morte violenta, nec non conscientiæ stimulo & honoris vani appetitu inter se confligentibus, ipsumq; in desperationem quasi redigentibus. Potuit procax uxor Putipharis marito persuadere se esse puram & integram: Josephum verò turpem & adulterum, castitati ejus insidiatum fuisse: verum Deus larvam ipsi detraxit, & Josephi integritatem aperuit, quando eum ad primam regni dignitatem & currum triumphalem evexit, quod cùm ipsa vidit, in triumpho scilicet vectum Josephum, impatientia muliebri furens (uti tradunt Hebræi teste Fernandez in caput Gen 41.) mortem sibi ipsi laqueo conscivit.

III. Dei providentiam, qui in angustia vel defectu qualicumque de ejus auxilio & ope diffidunt, & desperabundè loquuntur, quemadmodū Hebræi in deserto ob defectum aquæ jurgati contra Moysen: *Da nobis aquam, ut bibamus.* Quibus respondet Moyses: *Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum?* Quam ob causam Moyses *vocavit nomē loci illius: Tentatio, propter jurgium filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Exod. 17. Fuit ergo tam grave hoc peccatum illorum, ut nomen loco daret, & sæpissimè in scriptura ex illo nomine eis exprobraretur: quo modo in fragmēta ollæ, quam confregit canis, os ejus impingitur: uti fit Deut. 6. psal. 77. & 94. & 105. Porro non dubitarunt illi Deum sibi adesse sua divinitatis immensitate; sed an adesset sua providentia & paterna cura, quasi dicat, numquid nos Deus adjuvat? estne nobiscum, an deseruit nos? Dei bonitatem in dubium revocantes & experiri cupientes per miraculum, cùm tamen eam priùs toties experti essent. Gravis est hæc Dei providentissimi tentatio; *Quis enim operator*, ait S. Ambrosius l. 1. de offic. cap. 13. *negligit operis sui curam? quis deserit ac destituit, quòd ipse condendum putavit? non curare ergo quod feceris, summæ inclementiæ est.* Verum illa diffidentia populi dumtaxat fuit, contigitque anno migrationis secundo. Magis mirum illud, quod anno 40. in similem diffidentiam lapsi etiam sint ipse Moyses & Aaron, in simili aquæ penuria ad Cades, Numer. 20. Ubi cum rursum murmuraret populus, & Moyses juberetur à Deo petram percutere, ad eliciendam aquam, diffidenter locutus est. *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* nō quasi dubitarent, an id Deus posset facere, quod jam pridem experti erant, sed an populo tam ingrato, rebelli & incredulo tantum beneficium esset exhibiturus quod indicavit Moyses verbis illis: *Audite rebelles & increduli: Num de petra hac, &c.* Fuit ergo hæc Moysis, & Aaronis (tacitè idem sentien-

III. Qui Deo diffidunt ejus providentiā tentant.

tis) diffidentia & Dei tentatio nō lethalis ſed venialis tantùm; quia Deus abſolutè promiſerat aquam, quod ipſi ſub conditione tantùm vel ironicè dictum putabant. Et tamen ea re adeo Deus offenſus eſt, ut in expiationem illius peccati, ambos morte mulctarit, & ingreſſu terræ promiſſæ, cujus gratia totum illud iter ſuſceptum erat, privarit *Quia non credidiſtis*, inquit, *mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*, quaſi dicat, quia me tentaſtis, an mea bonitate ſuperarem populi iniquitatē, & amplius vellem benefacere, quā populus malefacere, non introducetis, &c. Quam pœnam in Moyſe tanto Dei amico & thaumaturgo conſiderans S.Baſil. in proœm. l. Ethic. *Verè, ut eſt apud Apoſtolum*, inquit, *rigidam Dei ſeveritatem video vereque illud dictum eſſe perſuadeo mihi: Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Quanto gravius igitur offendunt illi Deum, qui confidentiam in Deum omnino amittunt, adeoque deſperabunde de ipſo loqui audent, quaſi jam actum eſſet cum divino auxilio! Nec non & illi, qui in tribulationibus conſtituti plus præſidii ponunt in hominibus quam in Deo! Graviter id exprobravit Judith (Jud. c. 8.) Oziæ & Bethuliæ civibus, qui obſeſſi ab Holof. conſtituerunt ſe ei tradere, ſi intra quinque dies non veniret eis adjutorium. *Quod eſt verbum hoc*, inquit, *& qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet & furorem accendat*. Tentaverunt illi Deum quia experiri voluerunt, an poſſet ac vellet intra id, quod ipſi definierant, ſpatium eos juvare, & poſuerunt quinque dies pro termino, addito juramento ſe ultra eos non expectaturos auxilium, quod erat Deo tempus & modum miſerationis ponere. Temerarium i e. *Etenim aurifex*, ait S.Chryſ. ho. 4. ad pop. *donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ſic & Deus non abducit hanc* (tribulationis) *nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permiſit, ipſe novit & tentationis ſolvendæ tempus. Et ſicut citharædus neque nervum intendit, ut non abrumpat: neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat: ſic & Deus agit, neque in remiſſione continua, nec in longa tribulatione noſtram conſtituit animam; ſecundum ſuam prudentiam utrumque faciens*. Sic ille. Denique Saul, quia Deo diffiſus conſuluit Pythonyſſam de futuro eventu, à Deo interfectus dicitur 1. Paral. 10 quia ſcilicet datus in reprobum ſenſum & derelictus eſt à Deo, unde in proprium gladium incumbens ſibi vitam eripuit. 1. Reg. ult.

IV. *Qui peccatis addunt peccata, tentant Dei longanimitatem.*

II. Dei patientiā & longanimitatem, qui peccatis addunt peccata, & in eadem toties recidūt in iiſq; perſeverant. Quales imprimis illi apud Mala. c. 3. *Qui ædificati ſunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & ſalvi facti ſunt*. h. e. aucti ſūt prolibus opibus, honoribus, ideoq; ſcelera ſceleribus addiderunt ad hoc, ut experirentur an eſſet numen ſcelerum vindex; ſicq; tentaverunt Deum provocando quaſi ad bilem, ut viderent an ſe vindicaturus eſſet:

quæ ſane extrema eſt perverſitas. Eodem ſpectat
Hebræi in deſerto peregrinantes, de quibus dicit
Num 14. *Tentaverunt me jam per decem vices*, h
ſæpenumero Et pſ. 77. v. 56. *Tentaverunt & exac*
baverunt Deum excelſum & teſtimonia ejus non cu
ſtodierunt. Ludunt hi impudentiſſimè cum Deo, v
lut qui canem tamdiu vexant, donec ad latratum
denique ad morſum concitent, hoc enim eſt *exace*
bare aliquem, quaſi contendere velint cum Deo,
ipſe plus ignoſcere, quam ipſi peccare: ipſe diuti
expectare reſipiſcentes, quam ipſi immorari in
quitia ſua velint. Sic tentarunt aliquando Datis
Artaphernes, Darii, Perſarum Regis Duces, Græc
ad quos miſere legatos, urbium facturi periculu
& terram atque aquam ab iis poſtulantes. Et inſu
res quidem aſſenſerunt: ſed Athenienſes legat
proſcripſerunt. Verum quid Lacedemonii? & t
ram & aquam ſe daturos polliciti, conjecerunt l
gatos in puteum: ſic aquam eis dederunt: injecti
porro terra obruerunt: ſic terram quoque præbu
runt; ita ſe, quod poſtulatum fuiſſet, præſtitiſſe
ſtati. Suidas in Verbo Datis. Hunc in modum p
catores inveterati ludunt cum Deo: petunt terra
& aquam: aquam deliciarum & voluptatum, ut
ſe proluere & pro libitu innatare queant, terram
in diſſoluta ſua vita terram ſemper incolere nu
mortis metu queant. At non patietur Deus ita
deludi, ſed dabit eis terram & aquam: terram in
pulchrum, juxta id pſ. 48. *Sepulchra eorum domus*
lorum in æternum: & *aquam* gehennæ *intolerabil*
pſ. 123. Ita minatur hujuſmodi ludionibus De
Iſai. 28. Cùm enim ipſi dixiſſent Deo: *Manda*
manda, expecta: modicum ibi, modicum ibi, ipſe
natur eis Chaldæos, à quibus puniantur, *ut vad*
& cadant retrorſum, & conterantur, illaqueentur
capiantur.

V. Dei potentiam & virtutem, qui per mirac
lum aliquid petunt, quod via naturali obtineri p
ſunt: uti & qui ſe abſq; neceſſitate manifeſtis ac g
vibus periculis committunt, præfidentes de divi
auxilio. Eo impellere Chriſtum conabatur Sata
quando dixit. *Si filius Dei es, mitte te dorſum*. C
Dominus: *non tentabis Dominum Deum* Matt. 4.
mile in periculum conjicere parabant Judaizant
Chriſtiani eos, qui ex Gentiliſmo converſi erant,
nimirum una cum ſuavi Chriſti jugo portarent
iam grave jugum legis Moſaicæ, quibus proin
Petrus dixit; *Quid tentatis Deum, imponere jug*
ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſt
neque nos portare potuimus? Act. 15.

Hac ratione tentant Deum & miraculum petu
qui finem conſequi volunt nō adhibitis mediis: p
ci quaſi Angelorum manibus, cum laborare noli
ſimiles ſtultæ illi fœminæ Anabaptiſticæ, quæ cù
paupercula eſſet, ſciola tamen Bibliorum afflata
natico ſpiritu, vicinos plurimos ad convivium in
tavit, cui nihil ipſa ciborum paraverat præſentib
jam hoſpitibus & famem ſaturare cupientibus fr
ſtra cœlum invocavit, ut cibos ſibi deplueret, ſicq
cu

cum dirisu hospites jejunos domum remisit, apud Florim. de hæref. Orig. l. 2. c. 4. Eam imitantur; qui cælum sibi promittunt & convivium Christi, cùm nihil ad id bonorum operum parent.

Tentant, qui præsentes & periculosas peccandi occasiones adeunt ac frequentant, interim se a lapsu immunes fore per Dei auxilium sperant; quod aliud nō videtur, quàm miraculum expectare, teste Salomone Prov. 6. qui dixit: *Nūquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.* At nonne Deū tentaret, qui ignem sinu gestare illæsa veste præsumeret, aut pedibus calcare plantis non adustis. Neq; solùm, qui ad mulierem non suam ingreditur, sed etiam *fovet ignem in sinu suo*, ait Basilius (in Catena Græcorum, sive Magnus, sive alius quidam) *illigatur in eo, qui immundum sermonem avidè haurit, aut fœdam cogitationem in corde suo immorari sinit.* Par ratio de aliis propinquis peccādi occasionibus. Certè S. Bernardus ser. 65. in Cant. pro miraculo habet *cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam;* & plus esse quam mortuum suscitare. Inde Monachus ille matrem etiam vetulam per aquas trāsportaturus, pallio involuit manus, ne eas quoque modo adureret, in vitis PP. Rosvveid. l. 5. libell. 4.

Tentant, qui post vitam malè & dissolute peractā expectant beatam mortem. Miraculum temere peteret, qui in asino caudam pavonis requireret: idem faceret, qui post vitam malam speraret bonam mortem. Arbores dum cædūtur, in eam cadunt partem in quam priùs propendebant; & miraculum crederetur, si in contrariam partem caderent, quale obtinuit precibus S. Mart. ad Gentilium conversionem. Pari modo prope miraculum foret, si quis tota penè vita ad lævam venturi Judicis Christi propendēs, caderet ad dexteram ejus: vivensque cum hœdis, moreretur cum ovibus. Uni tantùm latroni, non utique, dixit Christus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Tibi, inquit, non vobis; nec aliis, nisi rarissimè. Qualem priùs in aula Cæsariem gestavit Absalon, talem etiam habuit in prælio & periodo vitæ suæ, liberam scilicet & volitantem; cum debuisset eam potius galea tunc operire. Sed nimirum galeæ non erat assuetus, ideo ex capillo suspensus hæsit.

Satis, opinor, vidimus, quinam illi sint, qui tentant Deum. Superest ut tam grave peccatum toto pectore fugiamus: ne, quod absit, Satanæ potiùs quàm Dei imitatores & filii efficiamur.

THEMA VI.

Adducuntur aliqui ad speculum ad seipsos intuendos.

1. *Vir puerilis.*
2. *Mulier ebriosa.*
3. *Senex impudicus.*
4. *Puer loquaculus.*
5. *Nobilis ignavus.*
6. *Christianus frigidus.*
7. *Homo crudelis.*

Cujus est hæc imago? Matthæi 22.

Socratis *præceptum erat*, ait Plut. l. de conjug. præceptis, *adolescentes, si in speculum intueantur, turpis formæ vitium debere morum virtute corrigere: formosos adhibere diligentiam, ne pulchritudinem pravitate morum contaminent. Sic matrona etiam, in manibus speculum ubi erit, sic secum loquatur, si deformis est: Quid essem, si deforet pudicitia? sin elegante forma: quanti fiam, si accedat pudicitia?* Ad speculum nos remittere videtur in hod. Evangelio Dominus, cùm ait: *Cujus est hæc imago?* non literali quidem mystico tamen sensu ut in sua imagine seipsum quisque aspiciat, & an ei, quam præ se fert, ætati, conditioni, statui conformem se exhibeat; ac siquidem id præstet, seipsum magis perficiat; sin minus, emendet. Hoc igitur nunc agemus & aliquos in genere ad speculum adducimus, ut seipsos contemplentur.

I. Vir puerilis inspice in speculo & dic: *Cujus est hæc imago?* Nonne pueri magis quam viri? Videas quandoque viros non virilia tractantes, sed puerilia planè & ludicra, virum minimè decentia, qualis erat prodigiosum illud monstrum orbis, Cajus Caligula Imp. qui subinde fœmineo se vestiebat & prodibat habitu, subinde Deorum cultu, cum omnium derisione. Idem aliquando nocte intempesta Principes senatus in palatium convocavit, quasi de gravissimis rebus cum illis consultaturus; iis tamen, ubi se stiterunt, nihil serii proposuit, sed saltationem instituit. Sueton. O virum! ô Cæsarem! imò ô puerum! ô stultum! Certe siquid est quod dedeceat viros, saltus & chorea est. Sed neque alia nugamenta viris conveniunt, quod vel pueri notant. Sanctus Malachias adhuc puer excitus aliquandò opinione cujusdam Magistri, famosi in liberalibus artibus, adiit illum causa discendi. *Intrans verò domum vidit virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem. Eo solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resilivit ab eo, ac deinceps illum nec videre curavit*, scribit in ejus vita Sanctus Bernardus. Ita nimirum pueri, facilè observant, quæ à viris fieri vident, indeque sæpenumero pervertuntur aut offenduntur. Intueantur ergo se in speculo viri, ut nihil indecorum virili barba faciant, quod & ipsis dedecus & aliis offendiculum sit. I. *Vir puerilis.*

II. Mulier ebriosa, *cujus est hæc imago?* Monstri alicujus horridi potiùs quam mulieris. Audiamus de hoc D. Chrysostomum hom. 45. ad pop. *Nihil* II. *Mulier ebriosa.*

muliere deliciis dedita turpius, ebria fœdius nihil, ipſius aſpectu flos deletur, oculorum tranquillitas & mãſuetudo turbatur, quaſi nebula quadam radios ſubeunte ſolares. Opus illiberale ac ſervile omniquepleenum ignavia. Quam eſt injucunda, fætens, vinum olens putrefactum, mulier carnium corruptarum ſuccum eructans, gravata nec ſurgere volens, plus æquo rubens, oſcitatione plena multaque caligine? Et hom. 71. *Quid ebria turpius muliere, quæ temerè circumferatur*, D. Hieronymus in reg. Monial. c 31. ebrietatem in fæmina *ſacrilegium* appellat, forſan ob legem Romuli, quæ ſic habet: *Si vinum biberit* (uxor) *domi, ut adulteram puniunto.* quia ſcilicet ex vinoſitate facilis eſt in adulterium prolapſus. Quare Plinius lib. 14. c. 13. tales mulieres eo ipſo necari poſſe ſcribit. Cauſa eſt, quoniam ebrietas mentem excutit, & pudorem, qui eſt frænum mulierum. Equo vero petulanti ſi frænum detraxeris, quid ab eo non metuendum erit? quis facilè eum retrahit? Hinc Anna illa conjunx Elcanæ, cùm ab Heli de ebrietate, licet immeritò, redarguta fuiſſet, reſpondit: *Ne reputes ancillam tuam, quaſi unam de filiabus Belial.* 1. Reg. 1. indicans mulieres ebrioſas, aliud non eſſe quam filias Belial, h. e. abſque jugo ſeu abſque fræno, quæ nulla honeſtatis habita ratione ad omnem laſciviam & impudicitiam facile rapiantur.

III. *Senex impudicus.*

III. Senex impudice, inſpice te in ſpeculo & vide *cujus eſt hæc imago?* Quanta enim deformitas ſit ſenex amorum ſectator, vel Ethnici videre; inter quos Ovidius canit: *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* Et Seneca l. 2. controv. cant. 7. *Senex amens*, inquit, *ſenex ebrius, circumdatus ſertis delibutus unguentis, & in præteritos annos retrò ſe agens & validus in voluptatibus, quaſi juvenis exultãs, nonne portentum eſt? luxurioſus adoleſcens peccat; ſenex autem luxurioſus inſanit.* Certè Sara indecorum reputavit conjuges in ſenio jam conſtitutas maritali officio defungi: *Poſtquam conſenui*, inquit, *& dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Gen. 18. Quam igitur fœdum & abſurdum erit ſenem alienis etiam implicari amoribus & in carne penè emortua quærere carnis voluptates? Unde S. Chryſoſtomus hom. 7. in Ep. ad Hebr. *Quomodo* inquit, *non eſt abſurdum & ſupra veniam, quod ſit, ut ſenex in taberna ſedeat, ſenex ad circum feſtinet, ſenex ad theatrum aſcendat, inſtar pueri currens cum plebe? Vere confuſio eſt & irriſio: ut canitie quidem ornetur extrinſecus, intrinſecus autem animum habeat puerilem: & ſiquidem vituperaverit illum juvenis, ſtatim canos in medium profert: tu illos reverere primus: ſi verò tu eis non exhibes reverentiam jam ſenes, quomodo juvenem tuos canos revereri deſideras? &c.* Ita Chryſoſtomus. Profectò ingens fuit confuſio duorum illorum ſenum, de quibus Daniel decimo tertio legimus, non ſolum quia Suſannæ pudicitiæ inſidiati ſunt, ſed etiam quia à Daniele juvene in nequitia deprehenſi & ſupplicio adiudicati, denique arborum indicio proditi ſunt.

IV.

IV. Puer loquacule dicito: *cujus eſt hæc imago?*

Deprehendit aliquando Zeno Citticus philoſop
ex Citto Cypriæ civitate oriundus, puerum
ætatem curioſius quædam ſciſcitantem, cui
dem nihil reſpondit, ſed duxit eum ad ſpeculum
bens ut in eo ſe contemplaretur, & videret, an ip
vultui convenirent tales quæſtiones. Videant
pueri & adoleſcentuli ne præpropera loquac
ſuam prodant inanitatem & ſtultitiam, nec d
ant ſeniores, quæ diſcere ab eis debent. S lentiu
verecundia angelicum eorum vultum ornat:
rulitas dehoneſtat; quia non melius loqui no
quam infantuli ambulare, cùm eorum lingua c
prudentia & rerum experientia. Angeli non
ſed nutibus loquuntur: idem ſi fecerint pueri,
cus ſibi angelicum comparabunt? dedecus vici
incauta loquacitate. In maris Caſpii inſulis av
peritur anſeris magnitudine, pennarum vari
facilè pulcherrima, dorſo vehementer rubro, ve
viridi, collo albo & diſſeminatis maculis crocei
ſtincto, duos cubitos alto, capite gracili & roſtr
gro: voce ſola turpis, quam ranis ſimilem em
Ælian. lib. 18. c. 39. Exprimit hæc avis adoleſce
los forma quidem decoros, ſed voce & garruli
abſonos, oreque nigro & inculto deformes. V
etiam pavones dicuntur habere veſtem Ange
vocem Diaboli Idem dici de illis poteſt adoleſ
tulis, qui forma quidem & vultu Angelos,
mone verò obſcœno & impudenti cacodæm
referunt.

V. Nobilis ignave & vitiis deſerviens c
templare te in ſpeculo & dic: *Cujus eſt hæc im*
Nonne agnoſces id, quod Joannes ſcribit Epi
po Sardicenſi: *Nomen habes quod vivas, & m*
tuus es. Apoc. 3. Unde enim nobiles dicti,
quia ex virtute & heroicis actis facti ſunt *noſcib*
Jam verò ſi nihil virtutis præſeferant, adeoque
tæ ignavia vel etiam vitiis obſcurent nomen ſu
quomodo vel quales erunt nobiles? Nonne
opte vocabulo facem quaſi ſplendentem ſibi p
ferunt, quæ ipſorum prodat ignobilitatem? In p
beis quidem hominibus plurima notantur vi
ſed ea non ita emicant, quo modo & in minori
ſtellis nullæ apparent maculæ, nec fit eclipſis, q
nobis apparent parvæ: ac verò in perſonis nob
tate & dignitate conſpicuis, parvi etiam nævi
omnibus obſervantur, ſugillantur & carpunt
qua ratione in magnis illis luminaribus, Sol
Luna, nemo non advertit luminis defectum, qu
do eclipſantur, quin & maculas aliquas in illis
parentes: quibus addit Plinius l. 8 c. 54. etiam à b
tis quibuſdam animantibus ſentiri eclipſes. *Slen*
apud veteres vocabantur Nobiles; unde ſplen
natalium & generis nomen ſortitus, teſte Le
dec 1. lib. 4. Tacito in vita agricolæ. Valer. Ma
8. cap. 1. Splendere igitur debent radiis vir
tum, niſi velut obſcuratus Sol prodigium eſſe
lint. Solent verè nobiles præferre in ſuis inſig
bus beluas virtute & robore præſtantes, ut l
nes, gryphes, tigrides, pantheras, aquilas, cygn

&c.quasi eorum majores non minori virtute & fortitudine claruissent, adeoque & ipsi clarerent. Verùm dicant, quæso, cujus erit imago, si talia jactent & in suis insignibus robora ostendant, interim in animis suis gerant lepores, simias, vulpes, &c.

VI. Christiane frigide, *cujus est hæc imago?* Nam & tu nomen habes quod vivas, & interim mortuus es. Nomen geris Christi & hominis cælestis, civis non hujus mundi, sed alterius sæculi, & interim à cælo aversus, terram dumtaxat spectas & terrena bona. Quale monstrum foret homo adeò incurvus, ut pecudis instar, capite in terram verso ambularet? Talis est Christianus, in terrena bona conversus, & à cælestibus alienus. Ejus typus erat mulier illa, Luc. 13 ita inclinata, *ut omnino sursum aspicere non posset.* De qua S. Gregorius ho. 31. in Evang. *Recta*, ait, *stat anima, cùm superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus, cùm hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum est, immunda illa desideria spargere. Dicunt ergo* (Isa. 51. *Dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus, & posuisti ut terram corpus tuum & quasi viam transeuntibus.*) *Incurvare, ut transeamus, &c.* Et mox: *Nos ergo viam malignis in nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curvamur. Pudeat ergo terrena concupiscere; & dorsa mentium ascendentibus adversariis præbere.* Sic Gregorius: ex quo docemur Christianum ad terram propensum, jumentum esse dæmonis, non Christi. Ligna curva molem non ferunt sibi impositam, sed citius franguntur: recta ferunt & magis solidantur. Christianus etiam ad terram curvatus, perditioni proximus, tandem corruet: stabit vicissim, qui Christum quærit & cælum. Christianus sola fide stans, & charitate non suffultus dimidius homo & monstrum est: qui fidem & charitatem possidet, perfectus homo est.

VII. Homo crudelis, teipsum contemplare; *Cujus est hæc imago?* hominis an leonis, aut alterius similis feræ? Homo animal mansuetum, sociale & amicabile ex natura sua est: quid igitur est homo durus, immisericors, crudelis nisi efferata bestia? lupus, leo, ursus? Hujusmodi unum aspicite: Otho Antonius, Montis Ferrati Comes atque Urbinatium Princeps, puerum, quem in cubilis ministerio habebat, resinato linteo atque sulphure perfuso involutum vivum in candelæ morem combussit; quod hora, quam ei præfixerat, se non excitasset. auct. Fulgos. l. 9. cap. 2. Itane hominem hunc dicemus, & non tigridem potius aut dæmonem? Displicet etiam Deo, nec videtur carere culpa veniali ea in homine crudelitas, quam exerit in bruta, uti refert noster P. Lessius apud P. Tannerum 2. 2. disput. de Justit. q. 8. dub. 3. qui & hoc crudelitatis exemplum refert ibi. *A prudentibus & expertis audivi. Deum subinde talia crudelitatis genera gravibus pœnis in hac vita vindicare, ut cum Patrum memoria quodam loco ex sola petulantia ab incondita plebe bos vivus excoriatus fuit, qui deinde per totum oppidum liberè discurrere permissus fuit, sensim enim deinceps felicitas & florentissimus oppidi status degenerare variisque miseriis affligi cœpit.* Quid igitur erit sævitia non humana, sed ferina in hominem ab homine effusa? quam pœnam non merebitur? Pœnam crudelitatis in Tusciæ Comite, Hildeprando, tametsi (ut videtur) expiato, adeoque in purgatorio solum detento visam à Rainerio describit B. Petrus Damiani epist. 7. lib. 4. Ep. Positus enim in tetro, piceo & sulphureo flumine dixit ad presbyterum: *Ego sum infelicissimus ille Comes Hildeprandus, cui pœnitentiam licet infructuosam imponere consueveras.* Cui presbyter ait: *Et quomodo tu Comes Hildeprandus es, cum sis tam obesi & mutilati corporis ut non humanam speciem, sed taxi potius videaris habere effigiem?* Cui Comes: *Tot, inquit, suppliciis atteror, tot novis & exquisitis quotidie pœnis affligor, ut non mirum sit, quòd corporis mei forma depereat: sed quòd aliquatenus vel essentia ipsa subsistat. Tantæ scilicet crudelitatis fui dum in corpore vixi; ut nunc sanctis omnibus odio habear, & ita me justa eorum severitas unanimiter despicit, quod nullus illorum adhuc pro me apud divinam clementiam intercessit.* Nimirum quia non humanam, sed ferinam potius sævitiam & taxi mordacitatem vivens præ se tulit; hinc talem quoque speciem mortuus expressit.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Fœdo luxuriæ morbo remedia depromuntur.*
II. *Inanis gloria grandis ignominia.*
III. *Peccator similis mortuo.*
IV. *Qui mortui mortuos suos sepeliant.*
V. *Cura parentum erga filios qualis esse debeat.*
VI. *Purgatorii animæ juvandæ.*

THEMA I.

Fœdo luxuriæ morbo remedia depromuntur.

I. *Fuga.*
II. *Sensuum custodia.*
III. *Sobrietas.*
IV. *Laborum exercitatio.*
V. *Mortis recordatio.*
VI. *Precatio assidua.*
VII. *Dignus & frequens S. Communionis usu.*

Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. 9.

MUlieris hujus morbus quid mysticè designet, exponit V. Beda in cap. 5. Marci, & Haymo Episcopus Halberstad. in hodiernum Evangelium, dum ajunt, fluxum sanguinis donotare *superfluitatem libidinis in carnali ardore libidinoso.* Ratio non una est. Ex eodem inprimis impuritatis fonte manat sanguis & semen: fluxus uterque fœdus est; sed prior cum dolore sine peccato, posterior cum voluptate sed peccaminosa: tantò fœdior altero, quantò abominabilius est peccatum defectu naturali. Denique uterque morbus difficilem admittit curam. Bona illa mulier omne suum peculium in Medicos expendit, nec tamen melius habuit, sed deterius, uti testatur Marcus c. 5. Libido etiam tale vitium est, quod difficile sanatur. Nihilominus tamen, quia prorsus incurabile non est, remedia inveniuntur, quæ si debitè adhibentur, expugnare illud possunt, non secus ac vestimentum Christi stitit fontem sanguinis laboranti fœminæ. Ea igitur nunc depromamus.

I. Fuga. I. Præcipuum, solidissimum atque omnium efficacissimum omnium sententia est *fuga.* Quod inprimis indicat Apostolus 1. Corinth. 6. cùm ait: *Fugite fornicationem.* Quem locum adducens S. August. serm. 250. de temp. *Cùm Apostolus,* inquit, *omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: Resistite; sed fugite fornicationem. Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem fugiendo superare.* Rationem exponit S. Thomas 2. 2. q. 35. art. 1. ad 4. quia experientia teste, tantò magis homo libidine incenditur, quantò magis particularia de ea considerat. Nimis enim vehemens & acre est hoc vitium, maximo cum impetu & furore carnem invadens instar furiosæ beluæ. Quare sicut fugere ejusmodi feram non est dedecoris, sed rationis, ita & fugere libidinis occasiones atq; incursus. Quemadmodum enim Josue per insidias expugnaturus urbem Hai, fugam primò arripuit, postea ex insidi eam cepit, Jos. 8. magna sua gloria; ita & in ho castitatis certamine gloriosa est, ut exponit in eu locum Origenes hom. 8. *Ista,* inquit, *fuga est, quæ h bet salutem: ista fuga virtutis est: ista fuga beatitud nem confert.* Neque verò juvenes primi in ea, fug sed senes fuerunt, in fronte exercitus, ut ibi dicitu *ne viri robusti turpe putarent fugere: sed senum a ctoritate regerentur,* inquit Cajetanus. Minus m lum est fuga salutem sibi parare, quam in pugna p rire: quemadmodum quidam nostri temporis m les, Piccininus nuncupatus dixit: *Minus malu est dici: Piccininus hic se à bello subtraxit; quam, h victus jacuit.* Qui cum homine sordibus opplet luctatur, quamvis eum prosternat, immunditia tamen contrahit ex illius contractu: ita qui cum l xuriæ vitio resistendo pugnat, mentem suam c gitationibus saltem immundis aliquatenus coll tulat: quamvis illud superet. Præstat igitur lepore & columbam esse in hoc certamine, quàm leone & accipitrem, qui ex capta præda cruenta repo tant membra, ora vel rostra. Vicit hac pugnan industria & quidem gloriosè, castissimus ille J seph, tot laudibus affectus à SS. Patribus. Gen 39. Fugiendæ igitur inprimis impuræ societates loca suspecta. Bellici tormenti usum habent G thi, quod *Blidam* vocant. Eo fundæ instar grav sima pondera emittuntur. Tradunt olim in ob dione urbis Calarmensis anum Gotha in torme ti fundam quietis captandæ gratia se collocasse, incautè soluto obice per aërem in hostilem urbe emissam, miro eventu in fœni struem decidisse, in multos annos supervixisse. Olaus l. 21. cap. 34 Septent. regionum. Ubi cubas, ubi sedes adolescen quando inter puellas & lenas recumbis & discum bis? In hujusmodi tormento & Blida te incau collocas, ubi levissimo impulsu excutieris in host lem urbem, in ergastulum Dæmonis, unde salies i gehennam: neque in molle fœnum decides, sed i ignem æternum.

II. II. Sensuum custodia, præsertim oculorum. Ho præscribit inprimis Eccles. c. 9. dicens: *Ne respicia mulierem multivolam, ne fortè incidas in laqueos i lius. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam ne fortè pereas in efficacia illius. Virginem ne consp cias, ne fortè scandalizeris in decore ejus.* Nam ut ai B. Nilus Abbas orat. 2. de luxuria: *Mulierum aspectu sagitta veneno illita, quæ ferit animam & venenum immittit, & quò diutius manet, eò magis vulnus tō putrescit, atque huic vulneri nulli ad declinādum apt clypei reperiuntur.* Testes sunt illi *filii Dei,* hi filii Seth ob justitiam, temperantiam & sanctitatem celebres, in quibus proinde Dei imago clarè relucebat qui demum, ut dicitur Gen. 6. *videntes filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi ex omnibus, quas elegerant,* & commiserunt talia scelera, quæ ut eluerentur, diluvio opus erat. Testis etiam David, & ipse sanctissimus, qui hac sagitta vulneratus fuit. *Vt enim ignis* (inquit D. Chrys. ho. 3. de verb. Isaiæ: *Vidi*

Vidi Dominum) *ubi fœnum aliquod aut culmum corripuerit, nihil moratur, sed simul ac attigit materiã, lucidam accendit flammam: itidem & ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum introitum, elegãtem ac venustam attigerit formam protinus exurit animum, &c.* Hinc edoctus Job pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine Job. 31. Singularis etiam in hac cautela fuit S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, qui etsi per. 52. annos crebrò fæminarum nobilium confessiones exciperet, ita tamen oculos ab eis avertebat, ut nullam de facie, si fortè obviaret, agnosceret. Cumque aliquando præpotens aliqua fucatam faciem in mutuo colloquio insolenter ostentasset, interrogatus postea de hoc, quare eam non arguisset respondit, se ejus faciem minimè vidisse. In vita 1. April. ad Sur. Par ratio est de colloquio & maximè de contactu, ubi maximum cernitur periculum. *Viret herba quæ aquis propinqua est: libidinis affectus in muliebri colloquio*, ait B. Nilus orat. de fornicatione Et D. Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 15. *Verba*, inquit, *petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est.* Rarum & fere inauditum est, quod scribit B. Petrus Damiani l. 2. Epist ep 18. ad Desiderium Card. *In quodam monte Orientis*, inquit, *lapides sunt igniferi, qui masculus & fæmina nuncupantur, & dicuntur pyroboli. Qui nimirum cum à se invicem procul sunt, non accenduntur; si verò fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur; ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus; ne de conspecta forma flamma prosiliat, quæ in nobis non montis sed mentis fruteta pervadat.*

III. Sobrietas, seu ebrietatis fuga. Hoc remedium exhibet Apostolus ad Ephes. 5. v. 18. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Causam assignat D. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum: *quia venter mero æstuans citò despumat in libidines.* Et D. Basilius l. de vera virgin. *Ecce*, inquit (Job cap. 40.) *virtus ejus in lumbis ejus, & potestas ejus in umbilico ventris. Ventre enim distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra ex humoris redundantia in profundo ferventis ad propria & naturalia officia moveri. Quippe superior venter suppetit illis incentiva libidinis.* Et S. Greg. Nazianz. in sentent. *Sic natura comparatum est, ut immodicam satietatem libido comitetur: Vt influens materia flammæ vires addit: ita vinum languentem libidinem excitat.* Quare Cyrillus Alexa in Levit. l. 7 luxuriam appellat *primogenitam ebrietatis filiam.* Exempla adducit S. Hieronymus in epist. cit Noën & Lothum. *Noë*, inquit, *ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Quare qui libidinem coercere cupit, crapulam devitet. Festivè Albertus Mag. serm. in Dom. 1. Quadrag. ait: *Castellanus fama subactus, castrum tradit ad libitum impugnantis: sic luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis & rationis tradit.* Nabuzardan Princeps coquorum Nabuchodonosoris destruxit muros Jerusalem, uti legimus 4. Reg. 25. Ergo vicissim sobrietas destruet muros Babylonis, & impudicitiæ. Pulcherrimum hujus rei exemplum refert Fab. Justinianus in c. 4. Tobiæ ex speculo Exempl. dist. 10, ex 14. de quadam speciosa, & nobili muliere, quæ absente marito à quam plurimis desiderata & tentata diu castissimè restitit; reportatis tamen victoriis audacior effecta liberior cum viveret, non multò pòst miserè quendam, Dogmarum nomine, juris utriusque Doctorem turpiter adamare cœpit, cumque vehementi æstu concupiscentiæ ageretur, nesciretque modum, quo conceptam explere posset libidinem, fronte eum meretricia missis nuntiis, ipsius fingens se egere opera, ad se introducit, adulterumque detexit amorem. At continentissimus cum esset Dogmarus miserabile ducens tantum suæ civitatis decus, tam indebitis amoris procellis agitari, ut & seipsum ab illa expediret: & illius simul mederetur infirmitati, se finxit per annum vovisse pane tantum & aqua jejunaturum, ob nescio quam seditionem, à qua mirè se ereptum dicebat: quo non expleto se neque illi, neque alii mulieri ex voto satisfacere posse dixit. At, inquit, cum non nisi sexaginta mei jejunii dies supersint, quos etiam juxta formam voti per aliam supplere personam valeo, si tu me amas, dimidiam eorum partem pro me jejunandam sume, his enim diebus expletis, simul erimus. Quam conditionem mulier, amoris impatiens cum promptè excepisset, jejunium cœpit; à quo ita post paucos dies debilitata est, ut ad se rediens, vehementer doluerit de concepto & mente patrato scelere, cumque etiam simul cognovisset, jejunium ad medicinam sibi à prudenti viro datum; hæc ad eum accersitum verba fecit: *Gratias tibi ago sapientissime virorum, qui, & honori meo & pudori providisti; vale, & me tibi debitricem teneto, quia tuo consilio deferbuit ardor, & marito revertenti me castam servasti.* Quomodo enim fame ferociores equi domantur; ita caro nostra quæ impinguata recalcitrat, jejuniis domita mansuescit. *Si jumento insideres*, inquit Augustinus, *si equo docereris, qui gestiendo te posset præcipitare, nonne, ut securus iter faceret cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea jumentum meum est, iter ago in Ierusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere; via a. mea Christus est, ita exultantem non cohibeo jejunio?* Hæc August. in tr. de util. jejunii tom. 9.

IV. Labor & exercitatio honesta ac continua. IV. *Labor & exercitatio.*
Hoc remedium suadet D. Hieronymus inprimis ep. 4. ad rusticum scribens: *Si tibi ipsi attendere à libidine optas, semper aliquid boni operis facito, ut te Diabolus inveniat occupatũ.* Apostolus quidẽ monet ad

Eph. 4. *Nolite locum dare Diabolo.* Quis verò magis locum ei præbet, quàm otiosus? Hinc enim fratres in Ægypto tam addicti erant laboribus in vita eremitica, quia dicebant laborantem Monachum uno dæmone pulsari, otiantem verò innumeris, apud Cassian. l. 10. Instit. c. 22. Labor itaque murus est civitatem animæ custodiens ab incursu dæmonum: otium perforat murum & præbet illis aditum. Præbuit certè in Sodomitis, ut testatur Ezech. c. 19. ubi inter alios libidinis ejus fomites, *otium* recenset. Præbuit in Davide, qui *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, remansit in Ierusalem, cumque surgeret de strato suo post meridiem & deambularet in solario domus regiæ, vidit mulierem &c.* 2. Reg. 11. Sic lapsus est in adulterium: cujus prima radix fuit otium & desidia eo tempore, quo ad bellum procedendum erat; quò si perrexisset David, non habuisset spatium cogitandi de muliere. Milites antiqui non nutriebant barbam, ne per illam in cõflictu apprehensi ab hoste tenerentur & cæderentur. Promissam hanc barbam otium parit qua Dæmon non difficilè apprehendit hominem & sternit in libidinem. Desine exercere agrum, statim videbis exuberantem in spinas & urticas aliasque inutiles herbas tametsi nihil in eo semines. Trade te ipsum otio, & mox deprehendes agmen immensum pessimarum cogitationum & cupidinum. Versa & vexa teipsum laboribus, & evanescent lolia illa. *Erat quidem frater in eremo*, inquit Ruffinus Aquilejensis presbyter, apud Rosvveid. in Vit. PP. l. 3. n. 15. *habitabat a. in loco, qui dicebatur Cellia, & impugnabant eum dæmones in passione fornicationis. Cogitavit autem apud semetipsum dicens. Quia forsitan oportet me magis in opere manuum laborare, ut extinguatur carnalis sensus meus. Erat autem idem frater arte figulus. Exurgens autem fecit in luto, & plasmavit quasi figuram mulieris, & dicit cogitationibus suis: Ecce uxor tua, necessarium est ergo ut super consuetudinem addas in opere manuum tuarum; & post aliquantos dies iterum similiter fecit ex luto, & plasmavit quasi filiam sibi, & dixit cogitationibus suis: Ecce generavit uxor tua filiam, necessarium est ergo ut magis magisque amplius exerceas opera manuum, ut possis pascere & vestire & te & uxorem & filiam tuam, & ita præ nimio labore maceravit corpus suum, ut non prævaleret jam supportare tantum laborem. Tunc dixit cogitationibus suis: Quia si non prævales nimium istum sustinere laborem neque mulierem requiras. Videns a. Deus fervens propositum mentis ejus pro certamine castitatis, abstulit ab eo molestiam impugnationis dæmonum. Et glorificavit Deum super magnitudine gratiæ ejus.*

V. Mortis recordatio.

V. Mortis recordatio. Hanc suggerit nobis D. Basilius ho. 11 in Hexa. ita scribens: *Cogitet velim membra hæc tua quæ nunc velut subsultant ardore libidinis, post aliquantum desitura esse, ipsis nim. dissolutis membris & in terram resolutis. Fac naturæ memineris, & ecce omnis illa ad improbitatem sectandam affectio peßumibit. Ingis hæc cogitatio salutare quoddam amuletum est, adversus quodcumque peccatum.*

Pluribus hanc medicinam alibi probavimus, solu[m]
id nunc dicemus, quod scribit S. Isidorus Pelusiot.
2. Epist. ep. 53. in hunc modum: *Cum aliquando ju*
venis quidam ad libidinem propensius ac mulieru[m]
servus, pulcherrimam virginem conspexisset, ejusq[ue]
amore captus fuisset, atque quò cupiditate sua frueretur, nullam non machinam movisset, illa principio qu
dem ejus postulatum repudiavit. Nam & nobilis &
casta erat, seque & animam & corpus ab omni libid
ne intactum servaturam esse Christo promiserat.
autem certior facta est eum propterea furore ac rab
præcipitem agi, rationem excogitavit, per quam & p
dicitiam suam incolumem retineret, & ipsius igne
extingueret. Attonso enim, vel, ut rectius loquar, a
raso universo crinium ornatu & elegantia facieq[ue]
sua cinere aqua permixto delibuta, eum ad se acc
vit: eique cum ingressus est, dixit: Tune hanc defo
mitatem amas? Ille verò tanquam ex furore revoc
tus; non modò libidinis ignem extinxit, verum etia
ingenti postea castitatis amore flagravit. Bene ad h
propositum S. Gregor. l. 26. mor. c. 29. ait: *Nihil sic*
edomandum desiderium appetituum carnalium v
let; quàm ut unusquisque hoc, quod vivum dilig
quale sit mortuum penset. Quod utique fecerunt il
qui Jezabelem Reginam prius tam florentem, p
stea à canibus devoratam dixerunt: *Haccine est il*
Iezabel? Illa tam superba, ornandi corporis tam st
diosa, quam modò pictis stibio oculis & capite m
tra redimito vidimus, quæ toti regno ipsique Re
imperabat? 4. Reg. 9. Vidit hoc etiam ipse Roma. S
neca, qui alicubi scripsit: *Libidinis initia continebi*
qui exitum cogitabit.

VI. Precatio fervens & assidua. Hanc medic
nam indicat Salomon Sap. 8. cùm ait: *Vt scivi quo*
niam aliter non possum esse continens, nisi Deus d
adii Dominum & deprecatus sum illum ex totis pr
cordiis meis. Quanquam enim ad omnia vitia expu
gnanda & virtutes comparandas indigemus De
auxilio, adeoque & oratione, maximè tamen ad vin
cendam libidinem; (quia potentissimus hostis est
planè hominem excæcans) & acquirendam casti
tatem, Angelis cognatam, hominibus quasi pere
grinam. Itaque oratio & quidem fervens hanc im
petrare poterit; præsertim si amori Dei conjuncta
sit. *Amor enim amorem excludit, & ignis spiritus ig*
nem, inquit Joa. Climachus, quemadmodũ & aqua
frigida frigus è membris extrahit. Certè Joseph amore domini sui, qui omnia sua ei crediderat, excussit amorẽ impurum dominæ suæ. Gen. 39. Quis n. amans Deum, possit ei præferre vilem voluptatem? quis destruere ejus imaginem? Quod si etiã lachrymæ ex hoc amoris fonte profluãt, tantò fortior erit precatio. Ita enim B. Laurent. Justinia. ho. de pœn. scribit: *Vitium libidinis, quod membra infestat, lachrymarum ubertas extirpat.* Et Hugo Victorinus l. de carn. nuptiis vit. *Duobus modis, inquit, ignis extinguitur, sc. dum subtrahuntur ligna, vel aspergitur aqua. Sic luxuriæ flamma, dum subtrahuntur carnis incentiva, vel dum mens irrigatur lachrymarum af-*

flum-

quentia, suffocatur ne noceat. Egregium hujus rei exemplum refert S. Odo 2. Abbas Cluniacensis de S. Geraldo Comite Aureliacensi adhuc juvene, cui humani generis hostis *quandam juvenculam ejus oculis ingessit. Quidum in ea colorem nitidulæ cutis incautus attenderet, mox in delectatione illius mollescere cæpit. O si protinus intellectu conspexisset, quid sub cute lateret! quia nim. nihil carnis pulchrum est, nisi fucus pellis. Avertit ille oculos, sed species per ipsos cordi impressa remansit. Itaq; augebatur, illiciebatur & cæco igni adurebatur. Tandem victus mittit ad patrem puellæ, qui se nunciat nocte venturum. Sequutus ille nuncium, violenter ad interitum animæ festinabat. Interim verò sicut solent captivi inter vincula, pristinæ libertatis gementer memorari, suspirat Geraldus & consuetam divinæ dilectionis dulcedinem recolebat. Et licet ægro affectu, rogabat Deum, ne se illa tentatio penitus absorberet. Venitur ad condictum, intrat hospitium puellæ, quia frigus erat, stetit in facie juxta focum. Geraldum verò jam divina gratia respexerat, cui tam deformis eadem puella mox visa est; ut non crederet eam esse quam viderat, donec pater ejus ipsam esse assereret. At ille intelligens id non sine divino nutu fieri, quod eadem juvencula non eandem venustatem in ejus oculis haberet, mox ad Christi misericordiam se recolligit; & profundè suspirans concitus equum ascendit; & nil cunctatus gratias agens Deo, raptim abire properavit. Nimius algor frigoris tum forte ingruerat, cui se tota nocte torreri permisit, ut sc. pravæ delectationis teporem glacialis asperitas puniret. Iubet autem protinus patri, ut hanc nuptui traderet. Quam & libertate donavit, & quoddam prædiolum jure testamentario concessit.* Apud Sur. 18. Nov.

VII. Dignus & frequens S. communionis usus. Nihil profuere Hæmorrhoissæ medicinæ aliæ, profuit tactus Christi. Ergo si forsan prædicta remedia nihil dum effecerunt, adhibeatur hoc postremum, quo Christum in Eucharistia, cum omni reverentia & humilitate tangimus. *Quòd si solo tactu Christi,* (ut in hac muliere) *corrupta redintegrantur; quomodo nos vivemus & manducamus?* ait D. Cyrillus Alex. l. 4. in Joa. c. 14. Est enim ibi *vinum germinans virgines,* Zach. 9. Merito de hoc intelligimus, quod S. Ambrosius de Christo scribit in c. 5. Lucæ: *Novum medicamentum novus magister advexit. Hoc de terra non pullulat; imprudens est omnis creatura hujus confectionis. Venite omnes, qui incurritis peccatorum varias passiones; utimini peregrino medicamento, quo venenum serpentis excluditur;* illius nim. serpentis, qui suo afflatu carnis incendium in primis parentibus eorumque sobolé excitavit. Selenus amnis vim habere dicitur, extinguendi cupiditatem carnis & amorem, teste Pausania in Attic. Longè nobilior Seleno fons est S. Eucharistia, qui ut ait S. Chrysost. (apud Corn. in illum textum) *impuri amoris flammas restinguit & regiam in nobis reformat imaginem,*

Vidimus non deesse remedia huic morbo, quam quam difficillimo. Superest nunc, ut præscriptis utantur medicinis; qui medela indigent, culpa alioquin sua, si pereant, peribunt. Audiunt enim alioquin illud Jer. 8. *Nunquid resina non est in Galaad? aut Medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?*

THEMA SECUNDUM.

Inanis gloria, grandis ignominia.

I. *Quia ludibrio dæmonum hominem exponit.*
II. *Servum facit ambitiosum.*
III. *Hominis inanitatem ostendit.*
IV. *Stultitiam ambitiosi prodit.*
V. *Exploditur ab hominibus.*
VI. *A Deo despicitur ac deprimitur.*

Exiit fama in universam terram illam. Matth. 9.

PRofundum Apostoli Pauli dictum est. 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* Sapientes hujus mundi ut famam sibi cõparent, struunt ædificia & affigunt eis nomina atq; insignia sua; adsciscunt magnificos titulos, ducunt pompas, adornant ludos & spectacula, typis vulgãt stemmata sua; & tamen per hæc omnia parum aut nihil efficiunt: quo modo Annon ille Carthaginensis, qui ad divulgandum nomen suum & divinos sibi comparandos honores coëmit plurimas aves docuitque cantilenam illam: *Annon est Deus;* spe tamen delusus, & potius derisus est, quando emissæ aves & una cum libertate ad consuetum victum reversæ, cecinerunt non quod Annon, sed quod natura eos docuerat; uti refert Ælianus l. 14. var. histor. cap. 30. Aliam viam iniit Christus & quidem contrariam, quam mundus stultam reputat: magnifica enim opera & miracula sua occultari jussit; uti hodiernum illud excitatæ à mortuis puellæ. *Præcepit illis vehementer,* inquit D. Marcus cap. 5. *ut nemo id sciret.* Et tamen in totum factum hoc Christi ubiq; divulgatum est. *Exiit fama hæc,* inquit Matthæus, *in universam terram illam.* Desipit ergò mundus, quando per inanem gloriam comparare sibi famam & honorem quærit; cùm eo modo perdat & extinguat potius, id quod hic ostendere conabimur.

I. *Quia ludibrio dæmonum hominem exponit.* I. Vitium istud hominem ludibrio dæmonum exponit. Illi enim quando armis suis vincere nos nequeunt, nostris nos invadunt, convertendo opera nostra bona in tela & retia ad sternendum & capiendum nos, dum iis dilaudatis ad inanem gloriam evehunt. *Vitiorum auctor Dæmon,* inquit B. Fulgent. ep. 3. ad Probam c. 15. *in eo, quod non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis: armis, quibus eliditur, surgit, & virtute, qua dejicitur, dejicit:*

laudat, quâ ſe proſpicit ſuperari, virtutem, ut victus poſſit captivare innocentem. Hinc ipſum aggreſſus Chriſtum, cùm ſe aliis armis nihil in eo tentando proficere cerneret, ad ejus laudes recurrit, clamans: *Scio quis ſis, ſanctus Dei.* Marci 1. Verùm à Chriſto repulſus & tacere juſſus eſt. Mirum diabolici hujus ludibrii ſpecimen recenſet Climachus gr. 21. *Notavit*, inquit, *quidam ex his, qui videre acutiùs poterant, narravitque quod viderat: Cùm ſederem*, inquit, *in cœtu quodam, advenientes ad me, cenodoxia & ſuperbiæ dæmones juxta me ex utraq; parte ſederunt, & unus ex his quidem digito ſuo illo noviſſimo pulſavit latus meum, hortans, ut aliquid quod ad contemplationem pertineret, ſive opus quodlibet in deſerto à me geſtum loquerer. Quod cum à me expuliſſem dicens: Convertantur retrorſum & erubeſcant qui mala cogitant mihi; protinus is, qui à ſiniſtris erat ad aurem mihi dixit: Eja benefeciſti, magnusq; effectus es, quippe qui imprudentiſſimam matrem meam viceris. Ad quem ego ritè ſequentes verſus aſſumens, dixi: Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Eja benefeciſti. Eundem ergo cùm interrogaſſem quomodo inanis gloria ſit ſuperbiæ mater, ita reſpondit: Laudes*, inquit, *animam elevant & inflant; porrò cùm anima ad elevationem venerit, jam tunc illam ſuperbia aſſumens in cælum usq; attollit, & usq; ad abyſſos dejicit.* Ludunt ergo cum ambitioſo dæmones, uti pueri cum pilâ, in altum eam projiciunt, ut ad manum decidens fortiùs percutiatur & procul elidatur. Ludunt uti vulpes ludere cum veſpis ſolet; caudam enim ſuam hirſutam in veſparias cellas immergit, & ubi veſpæ magno numero ei, velut ulturæ ſuis aculeis injuriam, adhæſerint, ad terram vel parietem allidit: ita veſpas necat, & poſteà earum favum devorat impunè, uti refert Ælianus lib. 4. hiſtor. anim. cap. 39. Inſidiatur etiam dæmon bonorum operum favis. At exerimus aculeos? ſtrenuè pugnamus contra exurgentem elationem? Tum ille: Euge! belle! acclamat, jam viciſti, jam ſanctus es. Cui ſi adhæreamus, tum allidit nos, & ſurripit favum noſtrum. Aggreſſus eſt hac cauda Simeonem Styllitam in columna ſtantem & parum abfuit quin jam jam adhæſurum caudæ ad terram allideret. Etenim ut Antonius ejus diſcipulus ſcribit in ejus vita c. 6. transformavit ſe in angelum lucis, *fulgens in ſplendore cum equis igneis, & currus igneus apparuit juxta columnam, ubi ſtabat beatus Simeon, illuxitque cum fulgore & ſplendore quaſi ſpecie Angeli fulgens. Et dixit Diabolus blandis ſermonibus: Simeon audi verba mea, quæ tibi Dominus mandavit. Miſit me Angelum ſuum cum curru igneo & equis igneis, ut rapiam te, quomodo rapuit Eliam. Tempus tuum jam eſt: Et tu ſimiliter aſcende jam mecum in currum, quia Dominus cœli & terræ tranſmiſit hunc; aſcendamus pariter in cœlos, ut videant te Angeli, & Archangeli cum Maria Matre Domini, cum Apoſtolis & Martyribus, Confeſſoribus & Prophetis: quia gaudent videre te, ut ores Dominum, qui te fecit ad imaginem ſuam. Et jam locutus ſum tibi, ne tardes aſcendere. Simeon completa oratione dixit: Domine vis rapere me peccatorem in cœlum? Et elevans dextrum pedem, ut aſcenderet in currum levavit dexteram manum & fecit ſignaculum Chriſti. Cùm ſignum crucis feciſſet, continuò diabolus nunquam comparuit, &c.*

II. Servum facit ambitioſum, qui cupiebat fieri dominus, quod teſtatur inprimis Philo l. de Joſeph. *Nam*, inquit, *qui auram populi captans concionatoris locum ſuperiorem extraxit, ſicut venalitius ſervus ſit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris dominis.* Solebant enim vænales ſervi in locum altiorem aſcendere, ut omnibus conſpicui eſſent & emptores allicerent: quod ipſum etiam agit, qui gloriam hominum aucupatur: venalis eſt, emptorem expectat, cui ſe pro vana laude vendat. Imò S. Chryſoſtomus homil. 43 ad pop. mancipiis viliorem aſſerit. *Non poteſt*, inquit, *gloriæ ſervus homo, non omnium ſervus eſſe, & ipſis ſervilior mancipiis. Non enim tam noſtris præcipimus ſervis, qualia captivis ſuis illa turpia & dedecore plena negotia loqui facit & pati: maximè cùm obſequentes viderit, imperia magis tendit. Fugiamus itaque fugiamus hanc ſervitutem.* ſic ille: Certè qui ſectantur gloriam, alios laudare priùs & extollere eisque blandiri, nonnullis præter dignitatem colere debent ac ſolent, ut vicisſim extollantur & æſtimentur; ſeipſos deprimere infra alios ſolent, ut aliis præferantur: ad infimum ſe locum ponunt, ut inde ad ſummum evehantur. Quare ſervile hoc vitium ad infideles tantùm ſpectat, qui præter humanam iſtam & inanem gloriam, aliam, quæ a Deo eſt, & veram & ſolidam neſciebat adeoque nec quærebant: unde honeſtiſſimi quique Ethnicorum à vanæ gloriæ aucupio continere ſe non poterant. Teſtis eſt Chryſoſtomus homil. 27. in Joan. *Da mihi*, inquit, *apud Gentiles aliquem omnibus affectibus & malitia liberum, non invenies. Nam qui apud eos magni habentur, & pecuniæ & ventri, ut ajunt, dominantur, maximè autem hominum gloriæ ſervierunt.* Unde *eum, qui honoris hîc collati appetens eſt*, ait Gregor. Nyſſen. de ſcop. Chriſt. *Dominus inter infideles recenſet* Joan. 5. dicens: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Talis inter Ethnicos fuit Plinius ille, cæteroquin homo moderatis valdè moribus, qui lib. 9. Epiſt. ſcribit. *Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego verò gaudeo & gaudere me dico. Et cur? quia neſcio quis alteri dixerit: Vides hunc Plinius eſt.* o viliſſima mancipia.

III. Inanitatem hominis oſtendit & miſeram nuditatem dum vile honoris palliolum quærit ad ſe contegendum; quod ita oſtendit Dorotheus de humilitate doct. 2. *Ut indutus quis purpurâ & ſerico, ſi ei injiciatur lacerna immunda, declinat illam & fugit, ne indumentum pretioſum commaculet. Sic viri ſancti virtutes præclariſſimas induti humanam gloriam devitant, ne ab ea dehoneſtentur. Qui autem*

glor

gloriæ cupidi sunt, *hi mihi similes nudo videntur, qui usquequaque circuit ut lacernam ullam inveniat, vel aliud quidpiam, quo possit nuditatem suam tegere Ita virtute spoliatus, humanam gloriam, qua se obumbret, sectatur.* Hoc tamen inani tegumento non plus condecoratur, quàm si asellus aureis phaleris adornetur, & propterea gneroso equo se æquare aut etiam præferre vellet, uti dixit Isidorus orat. de humilit. tom. 1 Nemo enim ideò melior, nobilior aut sapientior fit, quia talis reputatur, & si ipse talem se existimat, hoc ipso se inanem prodit. Agricolis placent spicæ ad terram inclinatæ: quæ enim in altum sese erigunt, vacuas se demonstrant. Qui studiorum causa Athenas navigabant, primum sapientes; deinde Philosophos seu sapientiæ studiosos; demum ubi profecerunt, idiotas & ignaros se appellabant, referente Meandro apud Plut. l. de profectu morum. Par ratio de virtute & aliis dotibus; qui enim iis reverà est præditus nihil aut parum se habere agnoscit: qui verò adhuc tyrunculus parum aut nihil earum possidet, divitem se reputat. Tales erant Corinthii illi ad quos scribit Apostolus 1. Cor. 4. *Iam saturati estis, jam divites facti estis.* Per ironiam loquitur, ut Chrysostomus, Anselmus & alii intelligunt & vult dicere: Jam doctores facti estis, cùm vix tyrones & discipuli sitis veræ sapientiæ Christianæ: jam divites virtutibus vobis videmini, cùm nondum exueritis vestram paupertatem.

IV. Stultitiam ambitiosi prodit. Quod inprimis S. Bernardus serm. de nativit. Joan. Baptistæ ita ostendit: *Stultus*, inquit, *ut Luna mutatur. Quia enim splendet Luna sine fervore modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, adnihilatur & penitus non comparet. Sic sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modò magni, modò parvi sunt, modò nulli secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit vel laudare.* Et serm. 13. in Cant. *Stultus sum si cistellæ labiorum tuorum conscientiam meam tradidero, & cœpero eam mendicare abs te, cùm habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio est probare me vel improbare, prout volueris? Sed si retineo penes me, ipse fidelius servo mihi, &c.* Idem ex alio capite ostendit D. Chrysost. hom. 19. in Matth. *Cujus stoliditatis est*, inquit, *ut (homo) ad spectandas virtutes ejus rege properante, illum quidem relinquat ac negligat, ab egenis verò atque mendicis spectari velit, ab ei que potius laudem requirat?* Habes hic fortasse centum aut etiam plures tui spectatores; sed quid hi respectu Angelorum & Beatorum in cœlo? quid respectu Dei ipsius, nisi egeni & mendici: *Non vides*, ait idem Chrysostomus homil. 5. in Gen. *in equorum ludis, quomodo hi, qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in unum Regem in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutum ejus attendentes totam multitudinem despiciunt?* Eandem stultitiam ex alio fonte depromit Paschasius l. 4. in cap. 6 Matth. *Dic quæso*, inquit, *quis unquam agricola, quamvis rusticus ideò colit agrum, & seminavit tantùm ut videatur ab his, qui transeunt? Vel quis unquam, nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum: ut nihil ex eo aliud requirat?* At hoc agit is, qui vanam gloriam sectatur in operibus suis.

V. Exploditur ab hominibus; qui tametsi coram quidem ad placitum loquantur ambitioso, à tergo tamen illudunt; non secus atque aves illæ garrulæ, quæ Annoni, dum ejus domicilio & pabulo gaudebant, nomen ejus decantabant; at ubi foras evolarunt, non jam Annonis nomen, sed quam à natura didicerant, cantilenam repetebant. Solet enim id hominum genus, quod altiora cogitat, exosum esse aliis, qui minimè æquis oculis aspiciunt sui similes aut inferiores supra sese evolantes. *Cùm enim genus humanum contentiosum sit*, inquit D. Chrysostomus hom. 18. in Matth. *nullum magis oppugnat, quàm elatos, arrogantes ac inanis gloriæ servos.* Ambitio enim invidiam parit, invidia iram & indignationem in eum, qui eundem honorem ambit, ne eum sibi præripiat. Hinc inter ipsos Christi discipulos orta est contentio, cùm illorum duo peterent à Christo eminentiorem locum; *audientes* enim *decem*, inquit Matthæus cap. 20. *indignati sunt de duobus fratribus.* Quærit Cajetanus ingeniosè, cur indignati sint de duobus fratribus, non de earum matre, quæ pro filiis perorabat, & acutè respondet: *Quia*, inquit, *non ægrè ferunt peccatum aut ignorantiam, sed postponi.* q. d. non attendebant ad eorum ignorantiam & ambitionem, sed ad suam ignominiam & depressionem, quàm ex filiis potiùs, quàm ex matre, proventuram sibi timebant. Eadem de causa ambitiosi aliorum incurrunt odium, indignationem & contemptum, quia per illos se viliores fieri existimant & illis postponi. *Sicut luxuriosus*, inquit D. Chrysostomus hom. 63. in Matth. *à perfruenda voluptate per affectionem & perturbationem impeditur, cum qui valde lascivi muliebresque sunt, eos veluti mancipia mulieres contemnant, nec ipsis tanquam viris unquam uti dignantur, sed colaphis cædentes, atque dispuentes huc atque illuc circunducentes ac omnia imperantes, solummodò irrident atque illudunt: sic eo qui plurimum sibi arrogat, & inanis cupiditate gloriæ furit, ac magnum quendam atque sublimem seipsum arbitratur, nihil profectò dejectius. Cùm enim genus humanum contentiosum sit, nullum magis oppugnat, quam elatos, arrogantes ac inanis gloriæ servos.*

V. *Exploditur ab hominibus.*

VI. A Deo despicitur ac deprimitur. Ita enim Proverb. 8. ait æterna Dei Sapientia: *Arrogantiam & superbiam & viam pravam & os bilingue detestor.* Et Isa. 13. *Arrogantiam fortium humiliabo.* Hujusmodi fortis & inanis gloriæ venator fuit Baltasar, qui cùm mille optimatibus suis instruxisset regium convivium, *præcepit jam temulentus, ut afferrentur ad mensam vasa aurea & argentea, quæ asportave-*

VI. *A Deo despicitur ac deprimitur.*

taverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis Rex & optimates ejus, uxoresque ejus & concubinæ ejus, Dan 5. Sed potentiam suam in spoliis templi Judæorum, quos sibi jam subjectos haberet, vanissimam inde laudem captans. Sed enim mox deprimitur hæc insolentia, trium digitorum triumque verborum scriptura, interitum regni & Regis simul ei denunciante. Causam explicat ei Daniel eodem capite: *Tu quoque Balsasar non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia* (quomodo scilicet pater ejus depressus esset, ad superbiam, & ad bestias sylvæ damnatus) *sed adversum dominatorem cœli elevatus es, & vasa domus ejus allata sunt coram te, &c. Porrò Deum, qui habet statum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Quid actum? Eadem nocte, durante adhuc convivio, Cyrus occupavit Babylonem; & interfecit Balsasarem, occupavitque regnum ejus. Unde illudit ipsi Isaias c. 14. dicens: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et infrà: *Projectus es de sepulchro tuo* (hoc est, exclusus Regum sepulchro) *quasi stirps inutilis pollutus & obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta loci, quasi cadaver putridum.* In foveam scilicet unà cum aliis gladio Cyri cæsis projectus. En quàm potenter potens iste depressus est propter unicam illam insolentiam & jactantiam in proferendis sacris spoliis! Quis non metuat sibi ab inani gloria. Sed recentius ejusdem vitii supplicium intueamur. Carocus Wandalorum Rex cum magna multitudine Germaniam pervagatus, assensu Germanorum trajecto Rheno Gallias invasit, & vastata per gyrum patria, indigenas graviter afflixit. Ei mater, detestabilis mulier, à cujus nutu pendebat, tale dedit consilium: Fili, si nomen quæris æternum, omnia ædificia, quæ cæteri Reges & Ptincipes construxerunt, destrue, & homines, quibus illi pepercerunt, occide: Tu enim neque pulchriora ædificia poteris construere, quàm dudum illi construxerunt, neque pietate, modestia sive clementia, illis parcendo, quos viceris, nomen tibi facere gloriosum. Impiæ genitricis malo usus consilio Carocus, Rheno transmisso Moguntiam urbem Cisrhenam cum habitatoribus cunctis delevit, incendit ac funditus detruxit. Deinde Wormatiam posteà Spiram simili furore aggressus, interfectis civibus cunctis quos reperit, subvertit. Inde movens Trevirorum antiquissimam urbem Cismosellanam obsedit, cepit, & vix paulùm à clade Francorum respirantem destruxit. A Treviris movit ad Metensem, quam cepit, subvertit, cunctis habitatoribus ejus necatis. Inde progressus interiorem Galliam intravit, & post multarum urbium desolationes, Arelatensem postremò civitatem obsedit, ubi à milite quodam nomine Marcio captus, & vinculis constrictus per omnes civitates, quas devastaverat, est circumductus cum ludibrio, & vitam nimis impiam digna morte finivit. Ex libro 1. Compendii Ann. Joan. Trithemii. En igitur quàm verè dixit Sophar in lib. Job cap. 20. Hoc *scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usq; in cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderint, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Rectè & apposité; quid enim vanæ gloriæ plausus in corde ambitiosi, si somnium & visio nocturna? Refert Aristotelem l. de mirab. auscult. num. 10. in Abydo, insanum quendam hominem ingressum in theatrum vacuum, multosque dies illic diligenter, tanquam in eo essent histriones, applausisse & acclamasse admirabundum. Cæterum mente recepta dixisse, *nunquam se vixisse suaviùs.* Habetis in hoc insano vivam ambitiosorum imaginem, qui ingressi in hoc mundi theatrum, ex inani hominum laude, admiratione, plausu sibi applaudunt & congratulantur, sicque miseri licet & omni virtute atque excellentia destituti imaginantur se, nescio quos sapientes & heroes esse, vitamque beatam agere, quasi in cœlo constituti, cum interim sint *miseri & miserabiles, & pauperes & cæci & nudi*, Apoc. 3.

Quisquis ergo veram, solidam & stabilem assequi vult gloriam, non ineat hanc viam; quam frustrà & cum ludibrio tentavit stultus Annon: sed eam potiùs teneat, quam DEI sapientia, Christus, nobis hodie monstravit: virtutes ut occultet earumque venenum inanem gloriam fugiat.

THEMA III.

Peccator similis mortuo.

I. Quia sensu caret,
II. Quia caret omni vitali operatione.
III. Quia perdit ruborem, & pallorem contrahit deformitatem.
IV. Quia saniem & fœtorem infamiæ emittit.
V. Quia sensim putrescit & sepelitur.

Filia mea modò defuncta est. Matth. 9.

NOn immeritò quis dubitet de filia Jairi, vivane adhuc, an defuncta fuerit, cùm ad eam Christus vocaretur. In Matthæo enim Pater ait: *Filia mea modò defuncta est.* In Marco verò: *Filia mea in extremis est*, ergò adhuc viva erat. Rursum in via occurrit quidam & ait: *Quia mortua est filia.* Quo audito Christus *Salva erit*, inquit. Deniq; in ipsa Jairi domo plangunt puellam tibicines, ut mortuam: Christus verò: *non est mortua*, inquit, *sed dormit.* Quid hoc sibi vult? Non est difficilis responsio,

ſponſio. Vivebat adhuc puella, cùm Chriſtus vocaretur; ſed paulò poſt defuncta eſt: vel quam extremè laborantem domi pater reliquerat, ſuſpicabatur jam extinctam Porrò quæ aliis mortua erat, Chriſto dormiebat, qui eam mox ſuſcitaturus erat. Senſu morali deſignat hæc puella quemcunque peccatorem: de quo etiam meritò quis dubitet, vivuſne an mortuus ſit. Etenim mundus eum vivere putat: econtrà Chriſtus Dominus mortuum teſtatur Apoc. 3. nuncians Epiſcopo Sardicenſi: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Vivebat enim mūdo, ſed mortuus erat Deo: habens vitam naturæ, carens vita gratiæ. Quod etiam diſcimus ex Apoſtolo, qui 1. ad Timoth 5. ait: *Vidua, quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*; ſecundum animam videlicet. Deinde ex S. Auguſtino, qui in l. de 10. præcept. & plagis ait de peccatoribus: *Mortui ambulant, & viventes portant funera ſua. Vivere quidem videntur in corpore, ſed mortui probantur in corde.* Porrò nunc videamus, an & qua ratione peccatores mortuis ſint ſimiles.

I. Mortuus omni ſenſu caret, adeoque inſtar ſtipitis & trunci, quomodocunque tundatur, trahatur, cædatur, nihil movetur. Ita ferè peccator, maximè dum delinquit & cùm in peccato inveteraſcit. Delectatio enim peccati obtundit illi ſenſum & quaſi abſorbet, ut ad nihil aliud advertere animum poſſit. Unde apud Sapientem Prov. 23. ita loquitur: *Verberarunt me, ſed non dolui: traxerunt me, ſed ego non ſenſi.* In quem locum S. Gregorius 3. p. paſtor admonit. 33. ait: *Mens quippe à cura ſuæ ſolicitudinis dormiens verberatur & non dolet; quia ſicut imminentia mala non proſpicit: ſic nec quæ perpetraverit, agnoſcit: Trahitur & nequaquam ſentit; quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad ſui cuſtodiam ſuſcitatur* Sicut enim ebrius nihil verberum ſentit, nihil curat, nihil cavet, velut homo emotæ mentis: niſi poſtmodum excuſſa demum ebrietate: ita & peccator, dum voluptatis vinum bibit, non curat reprehenſiones, non timet Deum, non cavet infernum, nec minas aut promiſſa Dei æſtimat; niſi poſtquam vel reſipiſcit, vel in gehennam ruit. Reperiuntur piſces glacie concreti, qui nec ſentiunt, nec moventur, priuſquam in patinas conjecti elixentur; ait Theophraſtus apud Athen. l. 8. Simillimi his piſcibus ſunt ſtupidi peccatores, qui non advertunt ubi ſint, quid agant, quid periculi ſibi immineat, donec vel igne pœnitentiæ tacti evigilent, vel urantur igne ſtygio. Similis ſtupor occupaverat Davidem, quando in peccatum lapſus eſt & per novem menſes in eo obdormivit. Oblitus enim fuit Dei ſui, beneficiorum tam multiplicium ab eo acceptorum, nec nō promiſſionum ſibi factarum, denique præceptorum Dei; *Non occides, non mœchaberis*: neque advertit Deum ubique præſentem, ſceleri ſuo aſſiſtentem, omniaque cernentem ac poſtremò judicantem. E quo ſuo lethargo non evigilavit, niſi poſtquam voce Prophetæ objurgatoria, quaſi malleo percuſſus eſt, dicente: *Quare ergo contempſiſti verbum Domini ut faceres malum in conſpectu meo?* 2. Reg. 15. Quantus ſtupor eſſe debuit in Ozia Rege, dum officium ſacerdotum uſurpans, non advertit terræ motum intereà exortum, (ut habet traditio Hebræorum apud Hug. Card. ad 4. Reg. 15. v. 5.) nec Solis inſolitum fulgorem, ſacerdotum reprehenſionem, dicentium id munus non eſſe Regis, ſed ſacerdotis? 2. Par. 26. Quantus ſtupor Judæorum, qui tot ſignis & prodigiis patiente Chriſto viſis, nihil planè commoti ſunt, ut errorem ſuum agnoſcerent, lapidibus & petris duriores! Bene de his dicitur Pſal. 118. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum.* Chald. *obduratus eſt ſicut lac.* Sed quomodo ſicut lac? quia lac facilè quidem tractatur & varias formas ſuſcipit, ſolum tamen inter omnes humores cœli imaginem non refert, quoniam terrenum eſt. Talis eſt ergo peccator alias omnes cogitationes in cor admittit, ſolis cæleſtibus exceptis: quo modo ſeniores illi duo improbi *everterunt ſenſum ſuum & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Dan. 13. *Quomodo*, inquit D. Chryſoſtomus homil. 11. in 1. ad Cor. *latrones & murorum effoſſores, quando volunt aliquid pretioſum rapere, lucerna extincta hoc agunt: ita etiam in peccantibus facit corrupta ratio.*

II. Mortuus homo nullas habet vitales operationes, non loquitur, non audit, non videt, non ambulat, non canit, neque ludit, &c. Idem videre eſt in homine peccatore. Cæcus eſt, quia non videt quem & quantum offenderit, nec periculum in quo verſatur. Unde queritur de illo per Iſaiam cap. 42. *Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt?* ſcilicet ſub peccato. *Nec enim facerent mala*, inquit D. Chryſoſtomus hom. 53. Op. imperf. *ſi cogitarent Deum aut intelligere aut videre quæ faciunt.* Cæcus eſt, quia non videt imminentem ſibi divinæ juſtitiæ gladium. *Quanti ſunt peccatores*, ait idem Chryſoſt. hom. 2. in Pſalm. 50. *& ſecuri degunt! quanti rapiunt & non volunt intelligere, quoniam iniquè agunt? quanti devaſtant viduas & diripiunt pupillorum facultates! quanti circumveniunt aliena matrimonia! quāti tribulant orphanos & agnoſcere nolunt superventuram ſibi calamitatem!* Fatetur hoc de ſe ipſo David in peccato adhuc exiſtente, Pſalm 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Surdus eſt quia non audit bonas inſpirationes, correctiones & inſtructiones, ut cit. Iſaiæ cap. teſtatur Deus *Qui ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi?* Fatetur ipſemet epulo in flammis inferorum, qui petiit ad 5. fratres ſuos mitti aliquem ex mortuis, eò quòd Moyſen & Prophetas non eſſent audituri Luc. 16. Nam *ſicut ipſe fuerat affectus*, inquit ibi Chryſoſtomus, *ſic opinionem habet & de fratribus ſuis.* Exemplo ſunt Hebræi illi, qui tam pertinaciter petierunt ſibi Regem, cumque eis Samuel prædixiſſet mala inde proventura, duriſſimas conditiones & iniquiſſimas leges a Rege, quē petebant, ſibi imponendas, illi planè ſurdi: *Nequa-*

II. *Quia carent omni vitali operatione.*

quam, inquiunt, *Rex enim erit super nos*. 1. Regum 8.

Mutus quoque eſt, quia non audet aperire ſuos defectus, ſed abſcondit quantum poteſt, adeò ut tormentis etiam adigi ſæpe nequeat, ad indicanda ſua ſcelera. Experitur hanc difficultatem in confeſſione, in qua ſe multi ſtrangulant per annos etiam complures, donec ſemet vincant ad oris apertionem. Denique nihil planè agere ad merendum aliquid in cœlo poteſt.

III. *Quia perdit ruborem, & pallorē contrahit ac deformitatem.*

III. Mortuus rubicundum & roſeum in vultu colorem exuit, & pallorem induit, fitque deformis & abominabilis. Non ſecùs etiam peccator hilaritatem mentis, quæ eſt facies quaſi ſerena, perdit, & triſtitiam incurrit, ob remorſum conſcientiæ. Vnde ſub typo Ieroſolymæ lamentatur eum Ieremias cap. 1. dicens: *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor vultus ejus*. ad litteram, omnis ornatus templi, ſacerdotii, domorum, &c. quando vaſtata eſt & in captivitatem abducta à Chaldæis. Senſu myſtico idem contingit animæ, quando à peccato invaditur; ſpoliatur enim Dei gratia, pace conſcientiæ, ſpe gloriæ, virtutum ornatu, & abducitur captiva in ſervitutem Dæmonis. Quamdiu hedera illa, ſeu (ut vertunt 70.) cucurbita, viruit ac floruit ſuper Iona, tam diu exultabat Ionas, & quidem *lætitia magna*, ut dicitur Ion 4. verùm ubi vermis radicem plantæ corroſit, illicò defloruit atque exaruit; & Jonas incidit in triſtitiam tantò majorem, quantò major fuerat lætitia antegreſſa. Virens illa hedera & florens cucurbita ſtatum gratiæ denotat, qui cor lætitia replet, & quaſi convivio exhilarat: at ubi vermis peccati ſtatum illum evertit; tum omne illud gaudium vertitur in mœrorem. Quod niſi in ſe expertus fuiſſet David, quando in peccatum lapſus eſt, utique non oraſſet: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*. Non peteret ſibi reſtitui lætitiam, niſi per peccatum incidiſſet in mœſtitiam. Adhæc ruborem exuit, quando jam peccare ſæpiùs etiam publicè non erubeſcit: juxta id Ier. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*. Quemadmodum enim veſtis ubi crebro induitur & quotidiana fit, nullo amplius in honore habetur; & quovis etiam ſordido loco, qui eam geſtat, conſidet: ita *impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*, ait Sapiens Prov. 18. Quod explicans D. Chriſoſtomus hom. 2.1. in Gen. ait: *Grave eſt capi laqueis Diaboli. Anima enim poſteà quaſi in retibus comprehenſa trahitur, & ſicut ſus in luti volutabro oblectatur, ſic & iſta a mala conſuetudine obruta ne ſentit quidem peccatorum fœtorem*. Nimirum ſicut is qui allium comedit, ejus fœtorem nõ ſentit: ſentiunt tamen alii circumſtantes; ita & peccator inveteratus malorum non offenditur ſuis ſordibus, licet offendantur alii.

IV. *Quia saniē & fœtorem infamiæ emittit.*

IV. Mortuus homo ſaniem emittit & fœtorem exhalat non poſt multos dies. Vnde Martha de ſuo fratre dicebat: *Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim*. Ioan. 11. Similiter & peccator fœtorem infamiæ ſpargit, præſertim ſi diutius in peccatis ſ[...] hæreat & obſordeſcat, jamque peccare non e[...]beſcat. Vnde dixit Sapiens Sap. 1. *qui loquitur i[...]qua non poteſt latere*. Multum laboravit David, [...] velaret peccatum ſuum, fruſtrà tamen fuit. Revelatum eſt enim Nathan Prophetæ, ab eoque rep[re]henſum. 2. Reg. 12. Cain etiam occultavit fratr[em] à ſe occiſum, ut ſcribit Ioſephus: ſed occiſi ſang[ui]s clamavit ad Deum. Geneſ. 4. Abſconderat Ach[an] furtum ſuum in medio tabernaculi: ſed eventus [ſi]gnæ ſiniſter reum demonſtravit. Ioſ. 7. Amnon [in] occulto compreſſerat ſororem omnibus ejectis: i[ſ]e tamen vix patrato ſcelere cauſam ſuæ manife[ſta]tioni dedit, dum vitiatam ſororem ejecit, ipſa d[e]... de lugubri habitu flagitium fratris prodidit. 2 R[eg.] 13. Inceſtus quoque Ruben patrem minimè lat[uit] Gen. 35. & tandem ab eo caſtigatus eſt. Geneſ. [49.] Duos illos ſenes, Suſannæ inſidiatores, ipſæ mu[tæ] arbores prodiderunt, dum unus dixit eã ſibi viſ[am] ſub pino, alter ſub ſchino. Dan. 13. Idolorum ſac[er]ficulos, qui Regem dementarant, devoratis à ſe [ci]bis, Belo ſuo appoſitis, cinis pavimenti prodidit, [&] ad ſupplicium impulit. Dan. 14. Verè itaque di[cit] Habac. cap. 2. *Peccavit anima tua: quia lapis de p[a]riete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædi[fi]ciorum eſt, reſpondebit*. Quid quod etiam Sata[n] qui inſtigat homines ad peccatum, ſæpe eos pro[di]dit? Vnde nõn vanè quidam expoſuit rationem, c[ur] S. Antonio appingeretur porcellus ad oram ve[ſti]menti ejus, & campanula in manu ſancti. Diceb[ant] enim Dæmonem, ſuaſurum homini peccatum pr[o]mittere, quod admiſſum ſub talari ejus veſte gnav[i]ter tecturus ſit: poſteaquam verò perpetratum e[ſt] campanulam pulſare, & ſcelus publicare. Quid a[u]tem ſequi peccatum ſeu publicum ſeu publicatum, quid è fœda illa ſanie gigni niſi fœtor & infami[æ] & confuſionis poteſt? Hinc virtutis ſtudioſi & h[o]neſti omnes nares occludunt: hinc talem peccato[]rem fugiunt, ne ex ejus commercio & ipſi fœtore[m] contrahant. Certè S. Martinus ipſius Cæſaris, Ma[]ximi converſationem & menſam fugit, quòd Imp[e]ratores duos, unum vita, alterum regno ſpoliaſſe[t]. Quin etiam leones duo, quos habebat cicures Macarius Roman. Anachoreta, ab eo receſſerunt, poſtquam in peccatum admittendum conſenſum aliquando dederat. In vitis Pp. l. 1.

V. *Quia [...]*

V. Mortuus homo obrigeſcit & ſenſim putreſcit, denique in eſcam vermibus datur. Idem contingit peccator, niſi mox reſipiſcat: nam in peccato obfirmatur indeque devolvitur ab uno peccato ad aliud, & quaſi vile mancipium, vænundatur peccatis. Patet in Abſalone, qui de ſuperbia in homicidium, inde in ambitionem, ex hoc in rebellionem abreptus eſt; ut oſtendit D. Chryſoſtimus homil. de Abſalon: *Semper*, inquit, *ſcelera, dum non reſerantur, increſcunt & in augmentum facinorũ proſilitur, quoties impunitâ ſecuritate peccatur. Deum enim in Abſalon fratris occiſi facinus nõ vindicatur, in parricidium Patris recidivum facinus iteratur*. Qui proinde

inde non immeritò capillis ſuis arbori implexis hæſit & tribus lanceis transfixus fuit ; quia peccatis ſuis quaſi capillis funem ſibi texuerat, peccatis adjiciendo peccata. Unde talibus *væ* dixit Iſaias cap. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* In quæ verba S. Chryſoſtomus ſcribit: *Cùm quiſpiam peccavit, niſi ſtatim ſe revocet, & peccatum agnoſcat, in aliud rurſus labitur. Ad hunc ergo modum cùm Cain trucidato fratre nefarium ſcelus perpetraſſet, comes mendacium habuit tamquam funiculum annexum : ſic etiam Hebræorum populus ſedit manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, atque peccata peccatis adnectentes vitulum fecerunt, atque ſimulachris cultum adhibuerunt, ſic denique Iudas etiam cùm avaritia laboraret, proditor quoque etiam Magiſtri ſui extitit, ac poſtremò laqueo ſibi vitam eripuit.* Hinc peccator eò tandem devenit ; ut mancipium fiat peccatorum ſuorum, ita ut tot dominos habeat, quot peccata ; ſiquidem nulli ampliùs opponere ſe audet; adeoque eſt inſtar aſini illius, cui inſedit Salvator noſter, qui nõ unius ſed plurium fuiſſe dominorum dicitur. Luc. 19. verſ. 29. Quemadmodum etiam Roma olim Gentilis, *cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem,* ait S. Leo ſerm. 1. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli : ita peccator inveteratus etſi in mundo dominetur omnibus interim ſervit peccatis. Hujuſmodi aſinus fuit Rex Achab, tractus à ſua Jezabele & Pſeudoprophetis ad quæcunque ſcelera, ad colenda Idola, & rapienda bona aliena, ad occidendum innocentem Naboth, ad concitandum iniquum bellum : ad perſequendos & in carcerem tradendos Dei Prophetas, &c. Quam ob cauſam dicitur *venundatus ſub peccato.* 3. Reg. 22 quaſi in mancipium venditus peccatis, ut jam non ſibi, ſed ipſis per omnia obedire & ſervire cogeretur. Nec prætereundum, quòd ad ſolvendum aſinum duos ablegavit Dominus diſcipulos: Cur enim unus rei tam difficili non ſufficiebat: Nimirum indicatum exiſtimo, admodum difficile eſſe ſolvere à peccatis & ad Chriſtum adducere peccatorem, tot vitiis quaſi dominis ſervientem. Quod inprimis confirmat factum Chriſti Domini, qui non niſi lachrymis profuſis & adhibito clamore quatriduanum & fœtentem è ſepulchro ſuſcitavit Lazarum. Confirmat actum Eliæ, qui incubuit ſuper cadaver pueri & tribus vicibus expandit ſe ſuper illud 3. Reg. 17. Patuit in Achab, de quo diximus, quem neque Elias ſuis increpationibus, neque Michæas ſuo vaticinio, neque Deus plaga famis retrahere à peccato valuit, & videre eſt in aliis quoque cœno peccatorum immerſis.

Quæ cùm ita ſint, quid eſt hoc, quòd miſeri mortales nõ abhorreant à peccatis? Quis enim non horret mortem ? quis vellet inter mortuos vitam agere? Et tamen vita peccatorum, ut videmus, non tam vita eſt, quàm mors. Ergo qui in tali ſtatu eſt, eat ad fontem vitæ Chriſtum, oret ut dignetur manum ſuam imponere ſuper animam in peccato mortuam & revocare eam ad vitam, &c.

THEMA QUARTUM.

Qui mortui mortuos ſepeliant.

I. *Qui collaudant aliorum facta mala.*
II. *Qui propinatis poculis ſe invicem inebriant.*
III. *Qui filiorum depravatos mores fovent & diſſimulant.*
IV. *Qui morientes propinquos negligunt monere, ut ſaluti ſuæ conſulant.*
V. *Qui converſionem meditantes à propoſito retrahunt.*

Cùm vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, Matth. 9.

TRajecturus aliquando Chriſtus mare Tiberiadis, ait ad quendam : *ſequere me.* Ille autem dixit: *Domine permitte mihi primùm ire & ſepelire patrem meum. Dixitque ei Ieſus: ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos : tu autem vade & annuntia regnum Dei.* Luc. 9. Quid eſt quod audimus ? Ubi locorum quæſo mortui ſepeliunt mortuos ſuos? Ubi eſt illa regio? ubi natio ? ubi locus ? Ni fallor in hodierno Evangelio deprehendo locum iſtum. Ibi enim invenio mortuum, puellam ſcilicet : invenio etiam mortuos, qui eam ſepeliunt, tibicines videlicet & turbam tumultuantem, quæ eam plangit velut conclamatam & jam depoſitam. Hic ergo mortui ſecundùm animam, ſepeliunt mortuam ſecundùm corpus. Neque hoc ſolùm in Capharnao (ubi hoc accidit) ſed contingit in aliis etiam ſæpe locis; atque utinam non & in noſtra civitate. Quod tamen evenire non difficile reperiemus.

I. Numquamne audiſtis vel vidiſtis Magnatum dicta vel acta iniqua, ſtulta, turpia collaudari vel approbari à miniſtris, aulicis, paraſitis, aſſentatoribus, amicis ? Imò nil frequentiùs ; quotuſquiſque enim eſt, qui non ad placitum loquatur iis, è quibus multum ſperat & dependet, tametſi illi graviter errent. Quadringenti erant viri pſeudoprophetici, qui Achabo Regi, prurienti ad concitandum bellum locuti ſunt placentia, approbando ejus propoſitum, quorum unus fecit ſibi cornua ferrea dicens Regi : *His ventilabis Syriam* ; qui tamen omnes ſuo peſtilenti afflatu Regem intoxicarunt: atque in ruinam corporis & animæ impulerunt: unicus tantùm Michæas repertus eſt, qui regis voluntatem malam improbare, ipſumque dehortari auſus eſt. 3. Reg. 22. Timent enim plerique magnatibus diſplicere, placere potiùs volunt ; quidquid

I. *Qui collaudant aliorum facta mala.*

tandem ipsis contingat. At verò in hujusmodi casu nonne mortui sepeliunt mortuos suos? Delinquunt enim magnates tale quid agendo, sicque secundùm animam reverà mortui sunt: factum approbant fautores, itaque in errore eos confirmant, adeoque mortuos illos omnino sepeliunt. Contra hos invehitur Dominus Ezech. 13. dicens: *Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleu.* In quem locum S. Gregorius l. 17. moral. cap. 4. ait: *Ædificare contra se parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere, sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quæ illi perversè agentes ædificant, illi adulantes quasi nitidum reddant.* Si quis architectus domum tuam rimas agentem adeoque ruinam minantem, pilis non solidaret ac fulciret vel instaurandam suaderet, sed solùm modò incrustaret, & rimas obstrueret, ipsasque dealbaret: nonne is te brevi sepelire in domo tua vellet, cùm nimirum ea super te collapsura sit? Nihil aliud agunt illi, qui iniqua aliorum dicta vel acta comprobant: rimas enim domûs tuæ, hoc est, graves errores, nitore approbationis obducunt, ut te in peccato confirment; sicque illi Deo jam mortui, te quoque mortuum prorsus obruunt ac sepeliunt. Unde idem S. Gregorius l. 4. moral. cap. 25. ait: *Mortui mortuos sepeliunt, cùm peccatores peccatorem favoribus premunt.* (dum ei in peccatis favent & adulando ea fovent.) *Quid est enim aliud peccare, quàm occumbere; & sepelire quàm abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.* Vnde addit tales velut sepultos vix unquam à peccatis resurgere. Exemplo est imprimis Herodes Agrippa Auctor. 11. qui cùm pompâ & fastu regio sederet perorans, populus ei acclamat: *Dei voces & non hominis. Hanc impiam adulationem*, inquit Iosephus l. 19. Antiq. cap. ult. *ille nec castigavit, nec repulit: pauloque pòst suspiciens vidit supra caput bubonem funi extento insidentem: moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim in principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis. En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium: & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior.* S. Lucas Act. 12. ait eum ab Angelo Domini percussum & consumptum à vermibus expirasse. Quis hîc non videt Agrippam animo mortuum à mortuo quoque populo in sepulchrum esse dejectum? Rectè sanè bubo mortem ei nunciavit; is enim, cùm fœda & fœtida avis aviumque persecutor sit, ab omnibus avibus impetitur & exagitatur. At Agrippa fœdus Apostolorum persecutor (ut qui Iacobum gladio occidit, Petrum in carcere positum similiter necare constituit) à stultâ plebe dilaudatus & in fastu suo obfirmatus fuit. Simile exemplum habemus in aulicis & consiliariis Regis Assveri, qui cùm Reginam, ut se in convivio demonstraret hospitibus, vocasset, illaque, venire (o[b] legem persicam, quæ ab alienis videri uxores prohibebat, ut Iosepus l. 11. Antiq. cap. 6.) recusaret iratus & nimio furore succensus est. Interrogav[it] ergo consiliarios suos, quidnam de Reginæ contumacia statuere deberet. Eorum primus Mamuchan jam perspecta Regis, licet injusta, indignatione, statim Regis cantilenam cecinit: *Regis jus[ta] est indignatio*; quem & reliqui secuti judicarun[t] Vasthi Reginam à Regio thoro repudiandam [&] exauthorandam esse. Esth. 1. Simili modo Henric[us] VIII. Angliæ Rex perversissimus, cùm jam susp[e]ctus de incestu, interrogasset quendam consiliariu[m] suum, quale & quantum scelus esset, si quis matre[m] & filiam cognosceret; respondit ille: *non majus, quàm si quis gallinam ejusque pullum devoraret.* Florimund. l. 6. de ortu hæres. Sander. l. 1. [de] schismat. Angl. Bene Pipinus Galliæ Rex, Caroli Magni Pater hujusmodi consiliarios appellabat inferni seu Diaboli canonicos, qui canun[t] *Placebo Domino*: à quo Clerici vesperas [in]choant, cùm quis mortuus deponendus est in [se]pulchrum.

II. Non vidistis sæpiùs potatores in popis vel etiam in conviviis eousque poculis certante[s], donec alter alterum inebriet ac planè consopi[at]? Imò verò nihil crebrius. Atqui in hoc certam[ine] & ingurgitatione, nonne mortui sepeliunt mortuos suos? Quis enim non videt ebrios mortuis similiores esse, quam viventibus? S. Augustinus non semel ebrietatem appellat *puteum & foveam inferni*, uti serm. 231. de temp. & 33. ad fratres in Eremo. In hanc foveam profundam demittunt paulatim potatores, dum alter alterum ad potandum & demum ad ingurgitandum provocat; in[non] secus ac Iosephum puerum frater ejus Ruben, *fune religatum demisit sensim in puteum*, ut ait Iosephus Antiq. l. 2. c. 3. At Ioseph quidem innocens & [la]chrymans in puteum illum demissus est; potatores verò (& ipsi inter se compotationis fratres, Zechbruder) cum jubilo seipsos, alter alterum demittunt sensim, ut dixi, pocula poculis addendo, ut [vix] ipsi advertant. Quodque pessimum est *ebrietas quæ inferni puteus*, ait Augustinus serm. 231. de temp. *quoscunque susceperit, nisi digna subvenerit pœnitentia & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter [sibi] vendicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso pu[teo] ad charitatis vel sobrietatis lucem, sine pœnitentia redire non permittat.* Sunt ergo quasi jam sepulti, quorum resurrectio desperata est, quia qui assuet[us] ebrietati, vix unquã abstinere potest. Talibus p[er]inde contingit, quod olim Spartanorum Duci Leonidæ, duobus millibus militum, quibus c[um] Persis conflicturis, priùs instructo prandio di[xit] Leonidas: *Prandete hic commilitones tanquam apud inferos cœnaturi.* Quod & accidit eo prælio oc[ci]sis. Diod. l. 11. Sic inquam, ebriosi, dum se in[vi]cem poculis mactant, ita prandent, quasi apud inferos cœnaturi: sic se invicem sepeliunt. Pulchrè h[...] ill[...]

llorum prælium potatorium expressit Nahum c. 1. iis verbis. *Sicut spinæ se invicem complectuntur: sic convivium eorum pariter potantium.* 70. legunt: *sicut smilax planum implicata comedentur*: vel (ut Romana editio habet) *quasi voluola circumdata.* Smilax seu voluola est frutex similis hederæ, arborem suis armis quasi brachiis strictissimè amplectens, interim tamen sensim exsugens atque exhauriens, ita ut tandem concidens etiam voluolam interimat. Ita nimirum potatores partim velut spinæ se invicem complectuntur, ut dissolvi, nisi quis pungi ab iis velit, vix possint; partim velut hederæ aut voluolæ, dum se tam arctè comprehendunt, donec planè viribus exhaustis & alter alterum ad terram trahat, simulque tandem corruant. Exemplum de duobus heluonibus & quidem genere nobilibus, qui inter se pacti sunt, ut qui prior è poculis surgeret, à Diabolo raperetur tandem cùm neuter alteri cedere vellet, ambo à dæmone, fracta gula, extincti sunt, Apeldorni in pago Veluæ in Germania, puto me alibi recensuisse ex Michaele ab Isselt. Anno 1584. & Petro Thyræo de locis infestis p.1 c.19.

III. Nunquamne accidit, ut parentes liberorum suorum depravatos mores videant, minimè tamen corrigant, sed ne eos contristent, potiùs dissimulēt? Sanè tales reperiri non paucos ostendunt perversi multorum filiorum mores. At dum hoc agunt parentes, ipsi suos filios, mortui mortuos sepeliunt, dū in malitia confirmant, ratos id honestū aut tolerabile saltem esse, quod non corrigunt parētes. Deliquerunt hac in re etiam optimi cæteroqui parentes, qui dum vitæ liberorum temporali ex inordinato amore parcere voluerunt in mortem eos non modò temporalem, sed æternam etiam impegerunt, adeoque planè in inferno sepelierunt. David sanè gravissimū scelus incestus dissimulavit in filio suo Amnon, quē ob compressam sororem, cùm ex lege teneretur eum punire, & quidem pœna mortis, ut docet Abulensis 2 Reg. 13. qu. 10. non tamen punivit, ne contristaret spiritum ejus quoniam amabat eum, velut primogenitum. 2. Reg. 13. Sed quod pater non corripuit, Deus punivit, tradendo Amnonem gladio Absalonis, à quo temulentus interfici jussus est, sicque bonus David sepelivit primogenitum suum. Sed nec Absalonem parricidam, qui fuga sibi consuluerat, eo, quo debebat, conatu persecutus est, quare Deus tradidit illum Joab post auctum rebellione parricidium, ut ab eo tribus lanceis confoderetur, adeoq; corpore & animo periret. Observat S. Ambrosius ser. 17. in Ps. 118. rebellionem illam Absalonis, qua patrem persecutus fuit, sanè sceleratissimam, ab ipso Davide fuisse extenuatam, dum præcipiens Joabo dixit: *Servate mihi puerum Absalon*: puerum appellando (qui tamen vir jam maturus erat) quasi ex ignorantia patri rebellasset. Ita nimirū parentes sæpe tegunt aut saltem elevant vitia filiorum dicendo, esse pueros, delinquere ex ignorantia, &c. ex quo eorum vitia sensim corroborantur, & fiunt flagitia. Sic Apelles ut Antigonum Regem luscum sine offensa ejus pingeret, pinxit obliquum, ut alterius oculi vitium absconderet. Plin. lib 35. cap. 10. Deliquit etiam in hoc vir alioquin bonus & summus sacerdos Heli, qui, dum filiorum suorum gravia delicta pro æquitate non punivit, impegit eos in gladium hostilem, quo simul uno die ceciderunt, & mortis suæ nuncio parentem secum prostraverunt, morte subita extinctum præ mœrore. 1. Reg. 4. Itaque hic sepelivit mortuus mortuos suos.

IV.
Qui morientis propinquos negligunt monere, ut saluti suæ consulant.

IV. Numquamne contingit, ut propinqui morientium, non modò de periculo eos non admoneant, sed benè potiùs de recuperanda valetudine sperare jubeant, ideoque nec laborent, ut Confessarius ad eos vocetur, aut sacrum viaticum afferatur; unde fit ut miseri decumbētes à morte obruantur & sine sacramentis hinc discedant? Quoties hoc experimur? At quid isti agunt? nonne & ipsi, Deo mortui, mortuos suos sepeliunt, & ut metuendum, in inferno? Mortui, inquam, Deo tales sunt, quia morientium salutem extremo periculo committunt, sive ex carnali amore, sive contemptu periculi, sive (quod valde frequens) ex amore proprio; ne videlicet si moribundo advocetur Confessarius, ipsis aliquid decedat de ea, quam sperant, hæreditate: si v.g. moriens pro remediis animæ suæ pia legata faciat, &c. Quis hujusmodi propinquos non pares Judæ dicat, qui vili argento Dominum suum vendidit ad mortem? Cadit in hos probrum, quod objicit quibusdam aliis Deus Ose. 4. dicens: *Peccata populi mei comedent*, hoc est, comedere solent. At *cur peccata populi comedunt, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant?* ait S. Gregor. homil. 17. in Evang. Permittunt ergo ægros suos mori in peccatis, ne quod comedant, ipsis desit, sicque è peccatis & perditione morientium, victum sibi parant. Quanta hæc crudelitas? Fecere hoc Henrico VIII. Angliæ Regi, qui cum sentiret ultimum sibi instare diem, memorque peccatorum suorum cogitaret qua ratione Ecclesiæ se reconciliaret, adfuere primates Regni, hæresi perversi, qui Regi scrupulum exemerunt, metuentes utique ne cum Regis pœnitentia ipsi prædas suas perderent, & solum vertere alienaque restituere cogerentur. Florimund. l. 6. de ortu hæres. Addit Oseas, seu per ipsum Dominus: *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*, hoc est, sublevant peccata eorū ad ipsorum interitum, dicentes fore ipsos beatos in cælo, Deum fore propitium peccatis eorum, &c. Haymo & alii explicant. Sic nimirum sacrificuli in Tophet faciebant strepitum, pulsantes tympanum, dum filii parentum cremarentur ab Idolo, ne illorum gemitus & lamenta audirentur a parentibus, mentientes eorum animas rapi ad Deos; ut sæpius alibi diximus.

V.
Qui conversionē medi-

V. Quandoque etiam accidit, ut aliquis flagitiosæ vitæ pertæsus, conversionem meditetur & vitiis

tantes à proposito retrahunt.

ac mundo etiam valedicere cogitet; ibi mox invenies partim ejus ſocios, partim propinquos, qui ipſum retinere & à propoſito abſterrere totis viribus conabuntur. Alii proponent ſæcularis vitæ delicias; ſimiles illis tibicinibus, qui in hodierno Evangelio mortuæ puellæ leſſum accinebant. Matth. 9. Dicent enim præſtare frui bonis præſentibus, quàm ali ſpe futurorum: Der habich ſey beſſer als der hettich: Alii objicient dulciſſimos parentes, quibus contraire vel valedicere nimis durum & crudele ſit, crudeliores ipſi, qui ut à Deo vivo ſeparent filios hominum, alligare eos conantur parentibus morituris, ad inſtar barbarorum; qui teſte Clemente Alex. in exhort. ad Græcos, vivos homines alligabant cadaveribus, donec una cum ipſis putreſcerent. Alii eis aditum ad pœnitentiam præcludent, quaſi actum ſit de iis, ſimiles illi, qui Archiſynagogo in via nuntiavit: *Quia filia tua mortua eſt; quid ultra vexas Magiſtrum?* Marci 5. Alii omnem ei operam & ſubſidium ad conceptum opus ſubtrahent eumque ad deſperationem redigent; ſimiles illis ſacerdotibus, qui Judæ pœnitentia ducto & turpe lucrum reſtituenti dixerunt: *Quid ad nos? tu videris;* viam ei ad laqueum parantes. Omnes iſti ſecundum animam mortui, quid aliud agunt, niſi quod mortuos ſepeliant.

Ad extremum quis recenſeat quoties in hoc miſero ſæculo idem contingat? Quoties enim unus alterum in errorem inducit? quoties aſtu ſupplantat? quoties vi opprimit? quoties pravo conſilio pervertit? quoties blanditiis decipit? omnes iſti velut mortui mortuos ſepeliunt; & quemadmodum tempore diluvii innatantes in eo homines ſe invicem merſerunt, dum alter alterum arripiens depreſſit: ita fit in mundo. Unuſquiſque ſua commoda quærit, quorumcumque tandem detrimento & interitu id fiat, nihil penſi habet: & quemadmodum feræ in ſylvis ſe invicem venantur, leporem vulpes, vulpem lupus, lupum tigris, tigridem leo: ita etiam homines mundi addicti. Unde Mich. 7. dicitur: *Omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur.*

Quare videat unuſquiſque & diligenter circumſpiciat, qua via in hac ſylva ambulet. Qui in tecto religionis eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua; ſed dimittat mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quia verò infra tectum in hac mundi ſylva eſt, caveat ſibi à feris: fugiat veſpillones, qui ſibi ſimiles ſepeliunt: dicat illis: *Recedite: non eſt mortua anima mea*, ſed dormit Chriſto, qui facili negotio eam ſuſcitabit duobus verbis: *Talitha cumi*: hoc eſt *puella ſurge.*

THEMA V.

Cura parentum erga filios qualis eſſe debeat.

I. *Delicta filiorum corrigant.*
II. *Non nimis blandè habeant.*
III. *Neque nimis aſperè tractent, maximè ingenioſos.*
IV. *Arceant à pravis ſociis.*
V. *Pari amore omnes complectantur.*
VI. *Cautè & prudenter deſpondeant.*

Veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matt. 9.

COmmunis parentum querela eſt de perverſi[s] filiorum moribus, ita ut quandoque eos dom[o] ſua expellant, hæreditate privent, ſuos eſſe negen[t] imò diris etiam devoveant ac peroptent demerſiſſ[e] eos in primo, ut ajunt, balneo. Quæ hujus rei cauſa[?] Ad hoc reſpondet D. Chryſoſt. l. 3. adverſ. vitup. vitæ monaſt. *Nulla alia ratione*, inquit, *perverſi ut ſin[t] filii contingit, niſi quod eorum parentes circa vit[æ] præſentis commoda æquo amplius incumbunt, &, fe[re] dixerim, inſaniunt. Cum enim iſta ſolummodò inqui[runt], nihilque illis præferendum cenſent, & ſuam pari[ter] & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres parricidis, immaniores dixerim: illi enim corpus ab anima ſeparant, iſti & corpus & animam æternis ignibus tradunt.* Hanc tanti Doctoris ſenten[tiam] confirmare ex eo poſſumus, quòd paſſim qui[dem] in Evangelio parentes reperimus, qui pro vit[a] & valetudine ſuorum liberorum valde erant ſolici[ti], uti Archiſynagogus in hodierno Evangelio pr[o] moritura aut jam mortua filia; alibi Regulus pr[o] obſeſſa filia: alibi mater alia pro filiis exaltandis a[d] dextram & ſiniſtram Chriſti in regno temporali[;] alibi pater quidam adfert obſeſſum à dæmone fi[-] lium & cum lachrymis opem ei implorat. Marc. 9. Omnes iſti ſoliciti pro vita temporali ſuorum eran[t] liberorum, ſed ubi reperitur aliquis, qui ad Chriſtum venerit precaturus eum pro ſalute filiorum æterna? Ne unum quidem reperio. Quid mirum igitur eſt, ſi pervertantur filii, quibus nihil veri & ſolid[i] boni quærunt parentes, ſed mera temporalia, flux[a] & inania, quibus ipſi filii læduntur & evertuntur[?] Quare videamus qualem de ſuis filiis habere curam parentes debeant. Vos attendite.

I. Filiorum peccata corrigant: alioquin ipſi[s] adſcribenda. Quod inprimis teſtatur Origines in c. 1. Job. *Omnia, quæ deliquerint filii*, inquit, *de parentibus requirentur, qui non erudierint neque corripuerint filios ſuos.* Hinc puella, quæ virginitatem ſuam perdidiſſet, jubebatur in lege veteri ejici extra fores patriæ domus & lapidibus obrui, (Deut. 22. v. 21.) atque ut vult Oleaſter, *ad domum ſeu oſtium parentum, ut parentes de cætero majori cura & ſtudio puellas ſuas cuſtodirent, ne talem confuſionem ſubire paterentur.* Certè etiam apud Lacones, cùm duo fratres inter ſe rixas haberent, parentes mulctabantur, quod filiorum diſſidium toleraſſent. Plut. in Lacon. Nec aliter Deus egit cum Heli ſacerdote, cujus filii

I. Del[icta] filio[rum] corr[igant].

cum

cum deliquissent, non ad ipsos, sed ad patrem misit Prophetam, qui eum corriperet, atque inter alia diceret: *Quare calce abjecistis, (velut Abulens. & alii legunt, abjecisti) victimam meam & munera mea?* 1.Reg.2. Non legitur hoc fecisse Heli, sed præcisè filii ejus; & tamen etiam ipsi sacrilegium impingitur, quia in suis filiis id dissimulavit. Vnde Abulensis in eum locum qu.25. ait: *Conquiritur hic Deus de Heli, tamquam ipse fecisset iniquitatem istam: ipse tamen non peccabat, sed filii sui: quia tamen ipse permisit, dicitur ipse fecisse.* Porrò sicut redarguit & tandem etiam morte subita punit hunc parentem Deus, ob filiorum scelera non castigata: ita econtra benedixit Abrahamum, & singulari favore prosecutus est, ut diceret; *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Gen. 18. Vnde verò tanta erga Abrahamum Dei familiaritas & benevolentia? Id sequentia indicant verba: *Scio enim,* inquit, *quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam,* &c. En unde benedictio venit parentibus? ex disciplina filiorum & sancta institutione.

II. Non nimis blandè habeant, ne ad nimiam vivendi licentiam prorumpant & insolescant. Oves quidem desiderant manè egredi ad pascua, ut herbis matutino rore stillantibus, dulcibus & melleis, se saturent: at si illis vescantur, nimia pinguedine mortem incurrunt. Prudens igitur pastor non seducit eas ad mellea illa pascua, sed abducit ad montosa & arida. Idem agant parentes, ne in ipsos cadat, quod in l. Iob cap. 21. dicitur: *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum* (Hebr. *emiserunt quasi pecudes parvulos suos*) *& infantes eorum exultant lusibus, &c. ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* En quò deducant parentes suos filios nimiis blanditiis ad inferni barathrum. In hujusmodi præcipitium impulit filium Papinium, equitem Rom. nimia matris indulgentia & mollior educatio; de qua scribit Cornel. Tacitus l.6. Annal. *Iisdem diebus,* inquit, *Sextus Papinius consulari familia, repentinum & informem exitum delegit jacto in præceps corpore: causa ad mortem referebatur, quæ pridem repudiata* (cum scilicet provocasset filium ad incestum) *adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.* Hoc nimium est filios amare, ad præcipitium impellere. Sed quid actum matri? *igitur accusata in senatu* (pergit Tacitus) *quamquam ad genua patrum advolveretur luctumque communem & magis imbecillum tali super casu fœminarum animum, aliaque in eumdem dolorem mœsta & miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, &c.* Legimus 3 Reg. c. 3. infantem in lecto matre dormiente oppressum fuisse, utique ex nimio & stulto matris amore, quæ filiolum ubique secum, etiam in lecto habere voluit. At nihil ominus desipiunt etiam alii parentes, qui nimis blanditiis fovent suos liberos & quasi in lectulo deliciarum secum detinent, neque ablegare à se volunt, ut alibi durioribus assuescant & sub disciplina sint. Discant illi vel à Struthione rationem amandi filios. Is enim ponit ova in arena & permittit excludenda Solis radiis. Crudele hoc esse dixeris, quemadmodum & Deus dixit de illo ad Iob c. 39. *Struthio derelinquit ova sua in terra, &c. duratur ad filios, quasi non sint sui.* Verùm haud credendum tantam ei duritiam à natura insitam esse, ut perdat suam sobolem. Quin potiùs id agit in bonum ipsius. Nam si ovis suis incubaret, uti reliquæ solent aves, gravi nimis corporis sui mole ea aut confringeret, aut nimio calore dissolveret. Quod ergo crudelitas putatur, pietas est potius. Ita nimirum parentes tunc revera amant filios suos, quando à tactu & blanditiis domesticis avellunt & à se ablegant, ut ab aliis educentur in rigore disciplinæ & timore Dei. Id olim fecere & Persæ, qui liberos suos non prius aspiciebant, quàm septimum implessent annum, quo parvulorum amissionem æquiore animo sustinerent, ait Valerius Max. l.2. cap. 1. Fecere olim & Galli, qui liberos suos nisi cùm adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palam ad se venire non patiuntur, &c. ait Iulius Cæsar l.6. de bello Gallico. Non ita nunc parentes; qui potiùs imitantur Berigones, animalia Indica, buxei coloris, & vulpis magnitudine, è quorum salvo duo dependent ubera, quasi manticæ, quibus perpetuo luctu adhærent quasi affixi catuli, donec ad pastum per se egredi valeant, ut scribit noster Maffeius in hist. Ind. l.2.

III. Neq; nimis aspere tractentur, maximè ingenuos.

III. Neq; durè nimis tractent, ingenuos præsertim. Præcepit hoc Apostolus ad Eph.6. *Et vos patres,* inquit, *nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina.* Non ergo nimia asperitate, nimiis verberibus aut oneribus premendi sunt, ut vel irritentur ad pervicaciam vel ad desperationem impellantur. Draco marinus si manu dextra attrahatur, violenter resistit & enititur; sinistram si injicias, cedit & capi se permittit. Ælian l.5. cap 36. Fortiorem scimus esse dextram, sinistram debiliorem. Ingenui & bonæ indolis pueri leniore disciplina facilè quà volueris, ducentur: severiori obsistent & jugum excutient: itaque sinistra potius quam dextra apprehendendi sunt. Cameli, si fessi longo itinere subsistant, verberibus ad progressum stimulari nolunt, neque à camelariis solent, sed musica & modulatione ad pergendum excitantur. Maiol. coll.7. canic. Leonem etiam curantes nec nimium cædere debent: nec nimium blandiri. Philostr. in vita Appollonii l.7.c.13.

Denique murænæ plaga una per ferulam accepta, torpescunt & perstant: pluribus efferantur & ira accendūtur. Caussin. l. 8. Sic generosi animi severitate nimia obdurdescūt: blanditiis efferūtur & insolescunt. Medium ergo tenendum. Optimè hanc artem tractandi teneram ætatem docuit Abbatem

quem-

quendam S. Anselmus, quod hic referemus ex ejus vita 21. April. apud Surium: Accidit ut Abbas quidam religione clarus ad Anselmum veniret, ac inter alia de pueris in claustro nutritis verba conferret, questus de eorundem contumacia ac duritie, addens, eos post multa inflicta verbera non modò non meliores, sed semper deteriores fieri, cui Anselmus post varias doctrinas hæc addit: *Vidistis unquam aurificem ex lamina auri vel argenti, solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto, quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter premit & percutit, nunc discreto levamine lenius levat & format. Sic & vos si cupitis pueros vestros ornatos moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verberum impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis levamen atq; subsidium. Ad hæc Abbas: quod levamen? quod subsidium? Ad graves & maturos mores illos constringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis & quisque solidus cibus utilis & bonus est eo uti valenti. Verum subtracto lacte ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc strangulari quàm recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete: quia sicut fragile & forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum, ita fragilis & fortis anima habet pro sui mensura victum suum. Fortis anima delectatur & pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, non cōcupiscere aliena, percutienti unam maxillam, præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum. Fragilis autem adhuc in Dei servitio, tenero lacte indiget, mansuetudine videl. aliorum, benignitate, misericordia, hilari advocatione, charitativa supportatione & pluribus huiusmodi. Si taliter vestris & fortibus & infirmis vos coaptatis, per Dei gratiam omnes, quātum vestra refert; Deo acquiretis. His Abbas auditis, ingemuit.*

IV. Arceant à pravis sociis.

IV. Arceant eos à pravis sociis, quibus alioquin similes fient. Bene Diodorus l. 12. *De sceleratorum familiaritate*, inquit, *atque consortio scriptum accepimus, quem sociis flagitiosis delectari conspexerim, eum qualis sit, haud per cunctari perrexerim, cùm eum sodalibus esse similem minimè dubitaverim.* Patuit in filio Salomonis, Roboamo, qui quoniam cum perversis adolescentibus à teneris educatus fuit, eorum consilio æquè ac exemplo pravo eversus est, ita ut mirum sit sapientissimum Salomonem permisisse filium in spem regni natum talibus convivere. Nihilo magis sapuit Sesostris Rex Ægypti, qui quotquot infantes in tota Ægypto eodem, quo filius, die nascerentur, adsciri jubebat, & cum filio pariter educari; nullo habito delectu, & in eo statu, ubi nullius ingenium & indoles posset cognosci. E contrà de hoc solicitus fuit Isai, quando filium Davidem misit in castra exploratum, quibus cum commilitonibus versarentur ipsius filii in iisdem militantes: *Curre in castra*, inquit, *& fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt disce.* 1 Reg. 17 Scivit n. inter milites periculosam esse conversationem, plurimosq; perversos, quorū convictus alios evertat. Sedulum etiam parentē se in hoc exhibuit Thare, quando Abraham filium suum, Loth nepotem & Saram nurum suam eduxit de Vr, Chaldæorum & migravit cum illis in Chanaan. Gen. 11. quia nimirū Chaldæi erant Idololatræ & pessima gens, a qua ut scribit Iosephus & S. August. 16. de civ. c. 13. multas afflictiones passus erat Abrahā, eò quod nollet adorare Vr, h. e. ignem, quem colebant. Quid? nonne videmus bruta animalia, canes, feles, nec non & aves cùm insidias strui catulis, vel pullis suis advertunt, mordicus cōprehesos alio deferre in tutiora loca? Et non efferat pater filios ex igne pravæ societatis & insidiis Diaboli? Canes marini cùm insidias timent catulis suis, recipiunt eos in uterum suum: ubi timor abiit, iterum depromunt. Glaucus item piscis, ore eos excipit, & postea iterum evomit. Ælian. l. 1. c. 17. Et permittant parentes prædam cacodæmonū fieri filios suos; Audiant illi S. Chrysost. ho. 9. in 1. ad Tim. *Magnum*, inquit, *habemus pretiosumque depositum, filios: ingenti illos servemus cura, ne fur id nobis astutus auferat. Vt fundus sit optimus, cuncta molimur; & agasonem & mulionem inquirimus: cæterùm quod nobis omnium charissimum est, omninò negligimus: major nobis possessionum cura est quàm filiorum, quorum illæ gratia comparantur.*

V. Pari amore omnes complectantur, pari victu & vestitu sibi mutuò devinciant, nisi ratio peculiaris moneat unum alteri præferendum. Caute est, quia alioquin sementem odii & discordiæ inter eos spargunt, uti sensit Iacob. quando Iosephum plus quàm cæteros amavit filios, & pulchrius vestivit; inde enim *fratres oderant eum, nec quidquam poterant ei pacificè loqui.* Gen. 37. Quod expendens D. Ambros. in l. de Ioseph. c. 2. scribit: *Instruimur (eo exemplo) qualis esse debeat affectus parentum filiorumq; gratia. Amare liberos dulce, & impensius amare prædulce est: sed frequenter amor ipse patris, nisi moderationem teneat, nocet liberis, si autem nimia indulgentia dilectum resolvat, aut prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis avertat.* Solent enim tales filii prærogativa amoris abuti, & præteri incidunt in fratrum odium & invidiam. Unde tergit Ambrosius: *Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificientia patrum, hæc ditior hæreditas liberorum. Iungat eos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura.* Huiusmodi patrem se exhibuit liberis suis Iob, qui offerebat holocausta pro singulis, unde & omnes velut una anima se mutuò diligebant & per ordinem ad convivia invitabant, ut habetur Iob. 1. Quare Iob rem appositè dixit cap. 29. *in circuitu meo pueri mei.* Ipse enim velut centrum in medio eorum constitutus, pari ab omnibus distantia, pari omnes amore prosequebatur. Quanquam notandum etiam est parentibus, quod loco cit. etiam subdit Ambrosius: *Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri; nec filiis resecare debemus studium plus placendi.*

Idque exemplo Jacob, præferentis Josephum cæteris fratribus, ob virtutum ejus præcellentiam, confirmat quod & alii parentes facere possunt, ut meliores præmio afficiant, & deteriores partim castigent, partim ad virtutis amorem & melioris æmulationem fratris extimulent.

VI. Cautè & prudenter conjugio eos alligent. Inprimis de filiabus ita loquitur Ecclesiasticus cap. 7.v.27. *Trade filiam & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Multi vel amore filiarum ducti, vel pecuniarum, quas in dotem ægrè exponunt, filias à nuptiis arcent; contra quos Ecclesiasticus: *Trade filiam*, inquit. Nisi illa Christo consecrare virginitatem suam velit, intellige. Nam fœminæ, *aut murus* (monasterium) *aut maritus*; dici solet. Tradant verò in tempore, ne nimis diu dilatas conjiciant in periculum. Unde leges statuerunt posse filiam nubere inconsulto patre, si nuptias ejus distulerit ad 25. annum. Palmas suadet Plinius l. 12 cap. 2. esse colligendas paulo antequam incipiant maturescere; nimis enim maturæ nigrescunt & vescentes inebriant. Et Solinus cap 45. *Sitim sedat, si priùs quàm maturuerit decerpatur: nã si matura sumatur, sensum intercipit gressum præpedit, linguam retardat obsessique officiis mentis & corporis imitatur ebrietatem.* idem observare decet parentes cum filiabus, quarum statura assimilatur palmæ. Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Symmachus legit, *ætas tua.* De ætatis igitur annis loqui videtur, dum sponsam matrimonio aptam describit Salomon.

Deinde: *sensato da illam*, inquit. Neque enim divitiæ aut fugacia alia bona, sed mens & virtus conjugis futuri consideranda est; juxta id Themistoclis: *Malo virum, qui pecunia indigeat, quàm pecuniam, quæ viro*, apud Val Max l.7. Sedulus & vigilans pater in hoc negotio fuit Abraham, quando juramento adegit servum suum, ne acciperet filio suo uxorem de filiabus Chananæorum, Gen. 24. Chananæi enim à maledicto Chanaan prognati erant; qui *maledictionis hæreditatem transmisit in suos, ut cognoscamus fidem & quãdam hæreditatem de authoris prosapia in his requirendam, quos nobis volumus adjungere*, inquit S. Ambrosius l. 1. de Abraham cap. ult. Qualem igitur quæsivit & accepit sponsam Isaaco servus ille? Quam post factam orationem Deus illi ostendit, quamque in colloquio deprehendit virtutibus præstantem, liberalem, industriam, benignam, eamdem: quæ aquæ haustum postulata celeriter obtulit hydriam; quin & camelis ejus aquam se hausturam spopondit exhibuitque. Graviter igitur errant, qui ad judicium oculorum tantùm conjuges sibi deligunt, quemadmodum & Samson malè sibi consuluit, dum relictis gentis suæ puellis, Philisthæam sibi elegit, *quia placuit oculis meis*, inquit Jud c.14. Sed ô Samson tempus erit, cùm ea, quæ placuit oculis tuis, eruet tibi oculos tuos per manus inimicorum tuorum. Videant ergo juvenes, quas sibi accipiant; videant parentes, quas filiis suis quærant. Denique ut querelæ parentum de liberis suis

cessent, sint ipsi soliciti de illorum animabus potius quàm corporibus.

THEMA VI.

Purgatorii animæ juvandæ.

1. *Quia sunt filii Dei.*
2. *Quia seipsas juvare nequeunt.*
3. *Quia necessitudine nobis junctæ.*
4. *Quia duplex beneficium omni comparatione majus conferemus eis.*
5. *Quia Deo hoc opus valde placet.*

Filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Matth. 9.

REm miram valde Demetrius Physicus narrat: Pantheram, cujus proles in foveam ceciderant, publica in via hominem expectasse, & verò etiam reperisse ac pede leniter prehensum ad foveam adduxisse educendis catulis, apud Plinium l.8, cap. 17. Feram hanc imitatus est Princeps Jairus, qui in hod. Evangelio accessit ad Christum, ut eum secum duceret in domum suam, ad extrahendam è mortis fovea filiam, in quam inciderat. Secutus est Dominus & extraxit puellam è lecto mortis & doloris. Possumus & nos, si volumus, suffragiis nostris manum extendere ad piorum animas in foveam purgatorii lapsas, easque à doloris acerbissimi lecto eripere ac cælo inserere. Quis tam durus erit, ut hoc eis præstare nolit? Quod tamen ut à nobis efficacius fiat, audiamus incitamenta.

I. Quia animæ illæ purgantes sunt filii Regis Regum, valde ipsi dilectæ, quia sunt in statu gratiæ confirmatæ, certissimæ hæredes cæli. Devenerunt quidem illæ nunc ad statum paupertatis, sed interim domi suæ ingentes opes possident & magnæ sunt in cælo. Cùm Dux Venetus in F. Ascensionis mare sibi despondet, projecto in mare pretioso annulo, adsunt urinatores, qui in profundum maris desiliunt, & annulum illum quærunt. Cur projectam in purgatorium animam nõ quæramus & nos, pretiosiorem omni gemma. Rembertus Episcopus Bremensis cùm aliquando in partes Sclavorum propè Slesvvicum, ubi Ecclesiam recens conversorum habebat; venisset, ingẽtem Christianorum multitudinem catenarum vinculis constrictam vidit: inter quos virgo Deo sacra motibus corporis ad reverẽtiam compositis tam genuflectendo, quàm caput crebrò inclinando, honorem illi exhibuit, quasi misericordiam eminus implorans, simulque testimonium fidei & religionis suæ dare volens, voce altiùs sublata Psalm sicut in choro consueverat, cantare cœpit. Episcopus eam ob rem motus commiseratione, preces ad Deum fudit pro salute ejus, moxq;

I. *Quia sũt filii Dei.*

catenarum vincula non sine barbarorum ingēti admiratione dirupta de collo ejus ceciderunt. Nō potuit tamen hoc miraculū puellam è manibus barbarorum liberare. Quare cōplura diversi generis pretia Episcopus pro ea obtulit: quibus ōnibus repudiatis, equum ejus pro redemptione postularunt; quē ille lubens & gaudens cum omnibus ornamentis repente desiliens tradidit, virginemq́; eo pacto è captivitate redemit, ac liberam qua vellet ire, dimisit, Sur. ex MS. ejus vita 4. Feb. Tales sunt animæ purgantes, sponsæ Deo dicatæ ac dilectæ. Detinentur illæ nunc captivæ & supplices ad vos tendunt manus; vobis flectūt genua, vobis inclinant capita, vobis cantant: *Miseremini mei saltem vos amici mei.* Et quomodo non tangimini commiseratione? Vestris precibus & eleemosynis earum catenas rumpere, easq́; redimere potestis & cælo inserere: nec valde magno pretio: equū pro hominibus date, carni vestræ aliquid detrahite, per jejunium, peregrinationem, orationem, eleemosynam, & redemistis illos. Miror Audit: quod ad corpora quidem fidelium pie & honorificè sepelienda satis superq́; attēti simus. Ibi nobiles equum in funere ducunt & pro defuncto equite offerunt, neq; id reprehendo, sed cur non multo magis pro animabus eorum in æternam quietem collocandis solliciti sunt? Submersorum corpora quærimus sub aquis, ut honestè tumulemus, cadavera occisorum Tobias quæsivit in plateis & mensa relicta sepelevit cum periculo capitis. Longè majus studium adhibendum foret pro eripiendis è purgatorio animabus quia anima plus est quam corpus.

II. *Quia se ipsas juvare nequeunt*

II. Quia se ipsas juvare nequeūt, utpote in termino viæ jam constitutæ, adeoq; in nocte, cùm nō licet jam operari, nec mereri aliquid; neq; excurrere datur ad implorandam opem nostram, neq; invocare aliquem. Debitores sunt pluribus nominibus obærati, nihil interim æris habent, nec lucrari quidquā possunt, nec mutuum accipere: creditorem insuper habent, qui nihil eis remittit, nisi in pelle, ut dici solet, luant quidquid debent, nulla concessa dilatione. Similes sunt languido illi, qui ad piscinam jacens annis 38. paralyticus, hominem non habuit qui eum mitteret in piscinā, nec ipse se juvare poterat, ut prior intraret. Ioa. 5. Similes sunt Lazaro mēdico jacēti ad fores divitis, qui ingredi non valebat, ut vel micas peteret. Luc. 16. Similes sunt 7. illis Regibus, qui āputatis pedum manuumq; summitatibus colligebāt ciborum reliquias sub mensa Adonibezec. Jud. 1. Velut n. catelli sub mensa exspectant à nobis, quod pro ipsorum solatio in purgatorium dejiciamus. Ergo sicuti pater pro filia, quia ipsa vel defuncta vel in agone posita venire & pro se orare non poterat, venit ad Christum & orat: sic quia animæ illæ pro se orare nequeunt, nos autem possumus, decet us pro ipsis Christum adeamus. Languidi illius Christus misertus est ipsumq; sanavit, licet non rogatus. Lazari canes miserti sūt & venientes linxerunt ulcera ejus. Adonibezec verò quia Regum illorum misertus non fuit, talionem subiit; unde à propria co[n]scientia convictus dixit: *Sic feci, ita reddidit mi[hi] Deus.* Timendum ne qui animas illas negligu[nt], & ipsi negligantur, cùm in purgatorio fuer[int]. Multi enim quod dare solent canibus, non d[ant] pauperibus pro suis parentibus aut amicis. Q[uid] magnum largiri reliquias mensæ pro defunctis? [Ti]bi quidem parum, defunctis verò multum est.

III. Quia sunt nobis magna necessitudine j[un]ctæ. Sunt n. fratres & sorores nostræ cohæredes c[æ]li; aliqui etiam parentes & benefactores nostri, [qui]bus partim ex justitia, partim ex gratitudine obli[ga]mur. Videmus ipsa bruta animalia sibi invicem [o]ferre, cum eorum unum patitur. In quadrupedi[bu]s Elephantes, cùm illorum aliquis in foveam ceci[dit], cæteri conglomerantur & devolvunt aggeres a[ni]mos, ut delapsus emergere possit. Plin. l. 8. c. 8. In [vo]latibus visus est accipiter accipitrem præ senio [e]-cum allato cibo pascere, teste Alb. M. de anim. [In] piscibus scari consortem hamo comprehensum [li]berare nituntur, funem dentibus conficiendo: [si] in nassam inciderit, extrahendo Ælian. de anim. [l.] c. 4. In reptilibus formicæ mortuos suos sepeli[unt].

Denique in ipso homine mēbra omnia læso m[em]-[bro] suppetias ferunt, & si v. g. pedi spina infixa hæret [to]tūm corpus inflectitur, oculi spinam quærunt, [ma]nus inventā extrahunt. Jam verò nonne omnes [fra]tres sumus, & unius corporis membra; Tamet[si] defuncti in gratia fideles secundùm corpus à no[bis] præcisi sunt, secundum animam tamen adhuc E[ccle]siæ adhærent, per fidem, spem & charitatem. C[ùm] ergo illi patiantur, quomodo nō & nos compatim[ur] ac succurrimus eisdem? Certè Judas frater Jose[phi] non difficile persuasit fratribus; licet odio Jose[phi] plenis, ut eū è cisterna extraherent, unico illo a[r]gumento: *Frater enim & caro nostra est.* Acquieve[ru]nt n. mox sermoni ejus. Gen. 37. Animæ purgātes [ca]ro nostra & fratres nostri sunt; non igitur deseram[us] eos in cisterna purgatorii: nisi gravem illum rem[or]sum cum Josephi fratribus velimus experiri: *Mer[ito] hæc patimur* &c. 7 Gen. 42. Maximè verò obliga[mur] parentibus, benefactoribus, & quorum bona rel[icta] possidemus. Si enim æquum fuit ut pater sal[utem] quæreret filii, multò magis filii tenentur procu[rare] salutem parentum. Docet hoc naturæ lumen et [in] Gentiles, è quibus filia una matrem inclusam & [ad] inediam damnatam multò tempore lacte suo pe[r ca]nestram aluit, apud Plin. 7. c. 38. Christiana alia [Ca]tholica, cum Calvinistæ in Gallia magnam Cath[oli]corum edidissent cædē, in qua & ipsius pater jac[uit,] per medios hostium cuneos irruit, & patrem su[um] quæsivit, eumque adhuc spirātem repertum hum[e]ris suis extulit & curavit, ut dixi alibi. Vestri par[en]tés in purgatorii carcere miserrimè conclusi sunt [in] strage cælorum jacent; & opem vestram expecta[nt:] quommodo nō ostia & repagula omnia illius car[ce]ris, quommodo nō acies obstantium perrumpitis [et] ad eos penetretis & parentibus succurratis?

IV. Q[uia]

IV. Quia duplex idemque ingens beneficium conferre illis possumus, si manum porrigamus: nam eripiemus ex gravissimis purgatorii cruciatibus, & evehemus ad immensa cœli gaudia. Quemadmodum enim pater hujus puellæ, duplici nomine ei pater fuit, quia bis eam genuit, prius per naturam posterius per orationem & pietatem, quærendo ei vitæ reparatorem: sic possumus & nos, si velimus, animas purgantes iterum gignere & quidem cœlo, ut vivant in æternum, simulque à tristi & luctuosa morte eripere, adeoque ipsarum parentes fieri. Sanè Joseph à Pharaone pro patre habitus & dilectus fuit, uti testatur ipse Gen. 45. *Fecit me quasi patrem Pharaonis.* Propterea quod ipsi totique ejus regno providerit de annona pro futura fame, quæ totum alioqui regnum evertisset; multò igitur veriùs pater fiet animabus illis, qui eas à tormentis maximis eripuerit vitæque beatæ transcripserit. Ita patrem appellabant animæ quam plurimæ S. Nicolaum Tolentinatum cùm ejus opem implorarunt. Cùm enim à quodam defuncto, olim sibi noto, rogaretur ut missam pro eo diceret, ille verò causaretur quod postera die Dominica summum sacrum de eadem cātare deberet, ait Spiritus: *Veni venerande Pater & vide num te deceat precibus tantæ tamque miseræ multitudinis, à qua missus sum, assensum negare, meque miserum tam inhumaniter repellere.* Duxit ergo illum ad alteram Eremi partem parvamque juxta Pisas planitiem, ubi permiscui sexus, ætatis & ordinis innumera multitudo lachrymabili voce preces & missas præsertim ejus flagitabat: *Miserere Pater, miserere turbæ auxilium tuum expectantis.* Itaque altero substituto, tota illa hebdomada pro defunctis celebravit. Qua transacta prædicta anima Auximiensis gratias ei pro liberatione egit, magnamque illius multitudinis partem è pœnis ereptam dixit. Sur. 10. Sept. Secretarius ille Legati Lusitaniæ Regis è fovea nivibus referta à Franc. Xaverio non sine præsenti vitæ discrimine ereptus, eum postea non aliter ac vitæ suæ parentem coluit. In vita S. Xaver. l. 5. c. 9. Pari amore quin imò longè majori complectentur animæ illæ suos auxiliatores, quorum opera evadunt foveam purgatorii.

V. Quia Deo hæc animarum redemptio maximè placet. Colligitur ex eo quod Christus tam prōptè & expeditè secutus sit Archisynagogum ad vitam filiæ restituendam. Colligitur ex eo quòd interdum ablegat unum è purgatorio animam ad flagitandam vivorum opem, ut inde accendamur ad juvandas alias; quo modò Turcæ mittunt subinde captivos aliquos Christianos in patriam, ut lytrum redemptionis colligant, indeque alii incitentur ad redimendos alios. Petro Ziano Venetor. Duce Tarvisini A. D. 1214. suave ludicrum commenti sunt, ut castellum media urbe peregrinis pellibus valde preciosis, purpureisque stragulis murorum loco muniretur, ubi ingenuæ virgines, quibus locum tuendum destinarant, pro galeis coronas aureas haberent, pro brachiorum tegumentis armillas & ditissima monilia: Adolescentes virginibus æquales arcem oppugnarent, missilia poma essent muscatæ nuces, rosæ, lilia, aliique flores in pilarum speciem conglobati, subitæ adhæc rosaceæ aquæ sparsiones, variaque alia adornamentorum exquisita genera. Sabel. l. 8. Ennead. 1. Bernhard Scardeon. alii. Hujusmodi spectaculum sed serium instituit nobis Deus; Animas purgantes, ingenuas & decoras, purgatorii castello à nobis oppugnando, inclusas proponit, non ut hastis & sclopetis, sed rosariorum globulis, eleëmosynis, jejuniis, sacrificiis castellum oppugnemus, & nobiles illas animas inde eripiamus. Vicissim verò humani generis & salutis nostræ hostibus pugna hæc vehementer displicet. Ipsi enim sunt quasi fidicines & tibicines illi, qui in domo Jairi puellam velut jam mortuam & desperatam concinunt & conclamant; quia animabus illis cælum, unde ipsi exciderunt, invident, adeoque eas vel omnino extingui vel saltem à cælo arceri desiderant: ac licet nihil habeant quod in purgatorio quærant, illud tamen servare & animabus illic detentis insultare non immeritò putantur. Sic enim scribit Beatus Petrus Damiani in vita S. Odilonis Abb. Cluniacens. visum Eremitæ cuidam in Sicilia, locum ubi animæ purgarentur, auditaque dæmonum lamenta & ploratus, conquerentium adversus eos, qui animas illas frequenter eriperent, maximè qui de Cluniacensi monasterio essent. Monuit itaque dici Cluniacensibus ut huic operi vehementer insisterent, quo & dæmonibus dolorem gignerent & gloriam beatificam animabus. Quod ubi factum, S. Odilo Abbas ib. diem anniversarium animabus fidelium, proximum post omnium SS. Festum instituat, in Psalmis, eleëmosynis & missarum solemniis peragendum.

Quando igitur hoc certamen Deo tam acceptum, Diabolo tam luctuosum, nobis tam gloriosum, animabus tam salutare est, expediamus arma, inchoëmus pugnam, expugnemus purgatorium, eripiamus sanctas illas animas, &c.

(*,*)

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

THEMATA.

I. *Dies Iudicii instar fulguris.*
II. *Iudicium terribile reprobis unde?*
III. *Electi similes aquilis.*
IV. *Amari fructus ficus vetitæ, seu peccati.*
V. *Documenta ex ficu ad Iudicii diem pertinentia.*

THEMA I.

Dies Judicii instar fulguris.

1. *Quia inexpectatus.*
2. *Quia subitus ac repentinus.*
3. *Quia manifestissimus.*
4. *Quia terribilis.*

Sicut fulgur exit ab oriente & paret usque ad occidentem: ita erit & adventus filii hominis. Matthæi, 24.

DE S. Ceadda Mericorum Episcopo Anglicano scribit Ven. Beda l. 4. hist. Angl. cap. 3. eum fulgurante ac tonante cælo solitum recordari diei judicii, confugere ad Ecclesiam, nec priùs ab oratione cessare, quam ipsa tempestas desineret. Dicebat enim: *Leo rugit, quis non timebit? per hoc enim nos monemur, ut arcum Dei tensum precibus retundamus, & conscientia inspecta paratos nos sistamus ad reddendam Iudicii rationem.* Item: *Repræsentat nobis extremi judicii severitatem, ut animos nostros à scelere deterreat.* Audimus in hodierno Evangelio Christum in Judicii die adventurum sicut fulgur, & quidem ingens, quod paret per universum orbem, ab oriente usque in occidentem. Quis hoc tremendum fulgur non maximoperè timebit? Sicut enim edito fulgure mox sequitur tonitru, sæpe armatum fulmine: quoque majus fuit fulgur, eò terribilius præsagimus tonitru: ita post illud fulgur ingens, quid nisi ingens expectandum erit tonitru & fulmen? Certè impii se modis omnibus abscondere conabuntur, adeo ut dicturi sint montibus & petris: *Cadite super nos. Et collibus: Operite nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira agni,* Apoc. 6. Quare cùm hoc fulgur nobis prædicat Christus, quid super est nisi ut ad Deum per pœnitentiam & orationem fugiamus? Leo namque rugit: quis non pavebit? Quod ut fiat, fulgur illud accuratius expendamus.

I. Adventus Christi sicut fulgur erit: quia inexpectatus, nullo prævio præcone aut nuncio veniet, quemadmodum & fulgur. Tonitrua quidem communiter prænuntiantur à progressu fulgur: sed fulgura non item, inexpectata veniunt, quandoque etiam sereno cælo. Sic & adventus Christi. [E]runt enim tunc homines plerique carnales & infideles, ut testatur S. Petrus ep. 2. c. 3. *Venient in novissimis diebus* (sub finem mũdi, tempore Anti-Christi inquit S. August. 20. de Civitat. c. 18.) *in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes dicentes: Vbi est promissio aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.* Tales erant jam olim Gnostici primis Ecclesiæ temporibus, qui irridebant & negabant diem judicii, sicque hominibus persuadebant ut impune vacarent Veneri & ventri. Quos hoc tempore imitantur Libertini & Politici, sequenturque plurimi circa finem mundi. Sed errant in suo argumento. Non omnia sic perseverant in mundo constanter, ut ipsi asserunt. Videmus enim mundum ex contrariis constare, inter se continuò pugnantibus, adeoque violenter quasi & per miraculum conservari. Videmus etiam Rom. imperium, quod est ultima Monarchia è quatuor descriptis à Daniele, sensim deficere, finem ad fines terræ propagari alibi deficere: Ecclesiæ fabricam velut Arcam Noë paulatim absolvi, simile proinde (sed ignis) diluvium brevi expectandum. Adhæc sicut creaturæ à Deo initium acceperunt: ita & præstitutum finem accipient. Denique sicut per diluvium Deus perdidit semel mundum, ita demum perdet illum per ignẽ ut argumentatur ibi S. Petrus. Erit ergo adventus ille ipsis inexpectatus, sicut tempore Noë fuit dies diluvii, uti & clarissimè prædixit Dominus Matth. 24. *Sicut in diebus Noë, ita erat erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam: & non cognoverunt donec venit diluvium & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis.* Deridebant etiam homines Noën, dum arcam fabricaret, quasi vanè sibi metuentem: ac licet fama diluvii invehendi invalesceret, adeo ut passim idæa & species illius

in æs

næs incideretur; *illi tamen corridebant & sub sannabāt omnia*, ut Berosus antiquus author scribit. Ad extremum tamen se deceptos viderunt, mense Maio, quo virescentes segetes, ridētes campos, florentes arbores, magnam ubique messem & proventum frugum promittentes aspiciebant, & nil nisi læta cogitabant, edentes & bibentes, diluvium advenit. Sic ad finem mundi continget incredulis & perversis. Subdit ibidem Dominus similitudinem furis noctu domum expilantis: & servi pergræcantis ac conservos percutientis; quem insperatè veniens Dominus corripit, sicut scholæ Magister, postquam per occultum foramē inspexit diu discipulos tumultuantes, ludentes, potantes, pugnantes, saltantes: repente aperit januam & ingreditur ac castigat illos.

II. Quia subitus ac repentinus. Fulgur enim in momēto paret ac simul omnia collustrat: tonitru paulatim reboat ac protruditur. Non erit hic in partes similis Christi adventus diluvio. Pluit enim 40. diebus, & sic paulatim crevit aqua, primum usque ad talos, tum usque ad genua, tandem usque ad collum, ut homines haberent spatium pœnitentiæ, vel si vellent aliqui, fugere ad arcam Noe possent. Non sic veniet Christus, sed repente sicut fulgur, ut sciamus, eo tempore non esse amplius locum fugæ aut pœnitentiæ sed tempus esse justitiæ. Quando hostis cum exercitu terram aliquam invadit, non ita simul venit, ut nō sit locus aliquis fugæ, quia copiæ aliæ præcedunt, aliæ subsequuntur, & rumor adventantis hostis plerumque homines præmonet. Sic Romani non statim circumdederunt Ierosolymam sub Vespasiano, sed erat spatium ac locus fugæ, donec muro undique cingerentur. At Christus cùm advenerit, simul omnes ita obruet, cinget atque includet, ut nec unus fugere aut evadere possit. Quantus igitur terror impios occupabit?

III. Quia manifestissimus, omnia abscondita revelans & protrahens in lucem; quo modo fulgur in nocte circumquaque illustrat & spectanda exhibet, quæ in tenebris latuerunt, præsertim in Brasilia, ubi coruscationes adeò excellunt, ut Solem ipsum superare videantur & quandoque hominibus videndi vim eripiant, ut scribit Iosephus A costa anno 1560. de Brasil. Sic apparuit Christus B. Lurgardi instar fulguris, adeò coruscantis, ut nisi mox iterum subtractus fuisset ejus aspectui, ferri nullo modo ab ea potuisset. (ut in ejus vita Thomas Cantiprat. 16. Junii apud Sur.) usque ut ex fulgore Christi nosse ac discernere Sanctos, qui cum eo aderant, posset. Multo magis in die judicii Christus fulgebit, quando illuminabit omnium oculos & corda, ut omnium acta patescant. Ergo sicut viatores à via noctu aberrantes, ad coruscationem deprehendunt, quàm longè aberrarint; ita videbunt reprobi in illa luminis claritate errores suos, ac dicent lugubri voce: *Ergo erravimus à via veritatis*. Sap. 5. Exprobavit Hebræis Deus, quod ab ipso deflectentes iverint in vallem Gehennon ad immolandos filios suos Idolo Moloch: *Vide vias tuas in convalle. Scito quid feceris, cursor levis explicans vias suas*. Ier. 2. Qui de nocte discurret, passim in has vel illas domos, sive ut furetur, sive ut adulteretur; manè facto sæpe deprehenditur ex vestigiis, nivi aut luto impressis. In præsenti tempore peccatores quasi noctu grassantur & nesciunt se relinquere vestigia sua, saltem in Dei mente: itaque dies Domini eos deprehēdet; quo modo sacrificuli fuere deprehensi è vestigiis cineri, quem Daniel sparserat in templo, impressis, velut impostores & fures epularum, Belo appositarum. Daniel. 14.

IV. Quia terribilis. Solet enim fulgur homines terrere, adeo ut pavidi nomen Jesu salutare invocent & frontem cruce signent, aut vultum obtegant ac se abscondant, præsertim improbi, qualis C. Caligula & Anastasius Impp. quorum ille tonante & fulgurante cœlo caput obvolvebat & sub strato se abscondebat: hic verò de conclavi in conclave & de loco in locum migrabat, teste Sueton & Zonara lib. 3. quia nimirum sæpe defert secum fulmen, quo & homines & obvia quæque sternit atque extinguit. Ita adventus Christi terribilis erit impiis, quia secum vehit fulmen illud tremendum: *Ite maledicti*, in eos ejaculandum. Terror ille venturi Iudicis augebitur ex hoc 1. quòd is, qui improbos damnabit, fuerit eorum pater, amantissimus ac summus benefactor, qui tamen in capitalem hostem mutatus abjiciet eos à conspectu suo in supplicium æternum. Quid enim sentiat filius, qui à proprio parente sibi ob flagitia irato, supplicium inferri videt? *Manus tuæ fecerunt me*, inquit Deo Iob cap. 10 *& plasma verunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me?* q. d. quidquid in me est, opus & artificium tuum est. & sic repente me totū abjicis ac conteris in bonis corporis ac fortunæ, ac solam miseram mihi relinquis vitam?

IV. *Quia terribilis.*

1.

2. Quod sit actor seu pars læsa simul & Judex. Alii enim Judices, qui à reo læsi non sunt, sedatè & remisse nec sine commiseratione cōtra reum procedunt ac supplicia inferunt, quia ipsi ab eo læsi non sunt At si quis Judex à reo in bonis aut persona sua graviter sit læsus, sine cōmiseratione, velut ursa raptis catulis contra eum procedet. Unde Saul ne in manus Philisthæorum, quos armis sæpe infastarat, incideret & ab iis illuderetur, ipse gladio suo incubuit & violentam mortem elegit. 1. Reg. 31.

3. Quod inflexibilis, nec prece deliniri, nec pretio corrumpi possit. De ipso enim scribitur ps. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Virga lignea facilè flectitur, si in apice quid appendas: & tales sæpe sunt virgæ Judicum humanorum: facilè se flectunt si in apice marsupiū auro grave affigas: sed non ita virga Christi Judicis, quia ferrea est. Similiter vas à vietore vel cruprario aurifabro factum si frangatur, reparari potest at non vas figulinum. Ita irreparabilis est, quem abjicit ac confringit Christi Judicis sententia.

4. 4. Quod strictissimus, minima etiam ponderet; cogitationes, intentiones, verba otiosa, nedum facta juxta id Prov. 16 *Spirituum ponderator est Dominus*, id est, cogitationum, intentionum, levissimorum peccatorum: imò & eorum hominum; qui spirituales apparent.

5. 5. Æquissimus, sine omni acceptione personarum. Ideo tempus illud appellatur *nox*, Matth. 25. *Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit*, quia in nocte nullus agnoscitur, nullius habetur ratio, nulli fiditur: de die non item, ubi amicus salutatur & notus, ignoti & inimici non salutantur: nobilibus aperitur caput, non plebeis.

6. 6. Potentissimus & supremus, à quo nemo fugere, nemo appellare, cui nemo resistere potest. Sicut enim oves congregat pastor in caulam; sic ille in vallem Josaphat congregabit homines.

Jure igitur merito ac sapienter adventum suum Christus fulguri comparavit. Sed jam quid nos faciemus, quomodo nos amare contra fulgur hoc poterimus? Certè Plinius lib. 2. cap. 54. scribit non percuti à fulmine quia fulmen prius viderunt. Quidquid de hoc sit, non dubito asserere, nos à fulminante Christo tunc securos fore, si quasi jam fulminantem sedula meditatione nunc prævideamus ac tonantem audiamus, uti fecit S. Ceadda, qui idcircò meruit ab Angelis de die obitus sui præmoneri, à quibus die septimo prædicto ad se redeuntibus deductus est ad cœlum.

THEMA SECUNDUM.

Judicium terribile reprobis unde?

1. *Quia timebunt prodire in conspectum judicis quem spreverunt.*
2. *Quia trement coram justis quos hic oderunt.*
3. *Quia metuent confusionem publicam.*
4. *Quia horrebunt resumere corpora sua.*

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet, Matthæi, 24.

NEscio an hodiernū Evangelium magis metuenda quàm optanda nuntiet. Nam inprimis asserit fore in die judicii tribulationem, qualis nunquam fuit; eundem verò diem paulò post comparat verno tempori & ficui. Modo comparat eum fulguri; & quis à fulgure non terretur; modo corpori emortuo, ad quod depascendum congregantur aquilæ; quid autem illis gratius? Quid ergo annuntiat Dominus in hod. Evangel? Nimirum diem omnium tristissimum & simul omnium lætissimum. Erit enim dies illa mira & stupenda, in qua nemo dāmnatorum volet exire de inferno, & nemo beatorum remanere in cœlo. Quid loquimur? Quid hoc r[...] Percipite tam tristis & terribilis erit inferis, ut [...] lint in inferno manere, quàm ad hunc diem conv[...] nire: tam lætus & plausibilis beatis ut è cœlo veli[...] egredi & adesse huic diei. Hujus igitur tam adm[...] randæ rei causas investigemus; & nunc quidem [...] cti prioris, cur ad diem judicii metuant conven[...] reprobi. Posterioris causas indagabimus post oc[...] duum.

I. Quia reprobi timebunt prodire in consp[...] ctum Judicis, quem spreverunt. Quam dirum [...] tradi hosti suo capitali, colligere possumus ex fa[...] Saulis Regis, qui ne traderetur incircumcisis Ph[...] sthæis, hostibus suis infensissimis, turpiter illud[...] dus, petiit ab armigero suo interfici, quod cùm n[...] obtineret, ipse gladio suo incubuit; gravius mo[...] reputans, tradi hostibus & ab eis illudi, tametsi v[...] donaretur. 1. Reg. 31. Puer etiam ille Ægypti[...] derelictus à domino compellatusque à Davide [...] duceret eum ad locum, ubi dominus ejus cum c[...] teris prædonibus lateret, assensum quidem de[...] sed priùs juramento Davidem astrinxit, ne trad[...] eum domino suo: *Iura mihi per Deum, ne tradas* [...] *in manu domini mei*. 1. Reg. 30. Sed cur vitam [...] non paciscitur? Nimir. à Davide occidi mal[...] quam post proditionem tradi domino suo. An[...] 1574. Tartarorum Dux Sujercevius cùm Pal[...] num Moldaviæ, à quo potestatem transitus acce[...] rat, ejus ditionem depopulatus graviter offen[...] set, captus à Kosakis sexies duplicato ære vit[...] suam redimere voluit, modo Palatino non tra[...] retur, sed cùm non audiretur, redditus Palati[...] ab ejus peditatu in frusta membratim discerp[...] est. Beyrl. in Chron. Jam si adeò tremendum [...] incidere in manus hostium, multò magis *horr[...] dum est incidere in manus Dei viventis*, Hebr. [...] toties præsertim in persona & tam graviter offe[...] Colligitur id ex eo 1. quod Prophetæ asserunt, i[...] possibile quasi fore, ut coram eo stent rei. Nahu[...] cap. 1. *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?* [...] Malach. 3. *Quis poterit cogitare diem adventus ej[...] & quis stabit ad videndum eum?* Sanè si cohors [...] lium armatorum corruit ante Christum, cùm [...] forma servi placidè eos allocutus dixit? *Ego su[...]* quid ibi fiet, cum iratus objurgabit eos: *Ego su[...]* quem confixistis, sprevistis &c. Discamus id exe[...] plo fratrum Josephi, quem vendiderunt; qui c[...] ab eo audissent: *Ego sum Ioseph frater vester, qu[...]* fulmine percussi non poterant ei respondere *nim[...] terrore perterriti*. Genes. 45. Deinde ex Apocalyps[...] Ubi legimus eos dicturos montibus & petris: *C[...] dite super nos & abscondite nos à facie sedentis s[...] per thronum & ab ira agni.* Quid terribilius qu[...] opprimi ruina montis? Hæc tamen ruina magn[...] eis solatium foret: neque dicunt, opprimite, [...] *abscondite nos*, quasi parati sint gestare illud po[...] dus montium potius, quam videre Judicem. S[...] cur timent sibi ab ira agni? quid enim mitius agn[...] quid minus irascitur? Nimirum exprobatione

ag

agni illius timent, dicturi illis. Ego pro vobis victima factus & oblatus ſum: ego vos lana meritorum meorum contexi & veſtivi, ego vos lacte doctrinæ cæleſtis potavi: ego vobis carnem etiam meam in eſcam dedi. Quid vos? rependiſtis malum pro bono: mea inſuper manſuetudine & patientia abuſi eſtis: agnus eram, nec tamen ad me reverti voluiſtis, &c. Hæc exprobratio omni ira intolerabilior erit. Sed nihil obtinent à montibus & petris: produci in lucem debent. Id quod indicat Dominus Luc. 19 in parabola civium, qui oderant Regem ſuum & nolebant eum regnare ſuper ſe. *Illos, inquit, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me.* Gr. *mactate*, vel *jugulate*, velut hoſtias in oculis meis; ut videlicet eorum interitu meos quaſi oculos paſcam. O ſi hoc cogitaremus, nos ſcilicet in ejus manum tradendos & coram eo plectendos, in quem adeo deliquimus; quam cauti eſſemus!

II. Quia trement & tabeſcent, cùm videbunt juſtos, quos hic oderant perſecuti fuerant, in gloria juxta Chriſtum ſtare. *Hoc plane*, (inquit S. Bernardus ſerm. 8. in pſalm. *Qui habitat*) *eis grave tormentum & magnus quidem malorum cumulus erit, forte enim in quodcumq; ſolatium videretur eorum, quos tam malitioſè impugnaverint, & tormentis ſuis vel conſcientiam latere, vel ipſos ſaltem declinare poſſe conſpectus.* De Eudocia, quæ ob eximias animi dotes ex humili ſtirpe, Imperatoris Theodoſii conjux facta erat, ſcribit Raderus in aula Theod. fratres ejus duos, qui ipſam ab hæreditate depulerant, ſororis exaltatione conſternatos fugam arripuiſſe in remotam regionem: quod ne vultum quidem ſororis, quam offenderant, ferre potuiſſent. Quid erit videre electos, quos odiſti, quos occidiſti aut perſecutus es? videre, inquam, in tanta gloria? Audi ſtridentes impios? *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, &c. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei!* Sapient. 5 Idcirco Sanctus Bernardus loco citato ſentit prius electos accepturos ſententiam ſuam quam reprobos, priuſq; in cœlum aſſumendos, ut illi inde magis crucientur. *Prius*, inquit, *benedicti vocabuntur in regnũ, quam maledicti in caminum dejiciantur ignis æterni, quò videlicet acrius doleant, videntes quid amiſerint.* Et mox: *Unde enim impii tanto animi furore tabeſcerent niſi in regnum ſuum ſummæ beatitudinis coram ſeſe vidiſſent alios introduci, & tunc demum in illos ſeſe ultores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miſerias gemerent eſſe damnatos?* Tremendum hujus rei ſpecimen exhibuit Deus in Luxurio apud Tarracinas præſide, qui SS. Julian. & Cæſar. mortis ſententia damnavit, ut ambo ſacco incluſi, in mare præcipitarentur. Ea ſententia lata, cùm poſt triduum ad ſupplicium ducerentur, Beatus Cæſarius ad Luxurium converſus: *Nos quidem*, inquit, *aqua tamquam filios ex ſe renatos ſuſcipiet: Te verò, Luxuri, hodie coluber invadet devorabitq;, ut omnibus hujus regionis incolis innoteſcat, Dominum ſanguinis ſervorum ſuorum vindicem eſſe.* Deinde miſſi in ſaccum Julianus & Cæſarius felici agone certamen peregerunt. Luxurius verò juxta Diaconi vaticinium eodem die juſtas ſcelerum ſuorum pœnas luit. Cum enim eques ad villam ſuam ſolus properaret & arborem quandam præteriret, ſerpens quidam ex ea inter collum & tunicam ejus prolapſus, protinus morſu venenato ventrem diſrupit, & ad præcordia uſque penetravit. Totus igitur intumeſcens humi volvebatur miſer; & priuſquam animam efflaret; vidit Angelos pſallentes & corpora Sanctorum, quos necarat, ex undis exportantes: quæ Euſebius Chriſti ſervus deinde collegit, noctuq; ſepelivit apud Tarracinas.

III. Quia timebunt confuſionem publicam in manifeſtatione ſcelerum ſuorum coram toto mundo; clarum eſt, quantum conentur homines tegere ſuas turpitudines coram hominibus, & patet 1. exemplo Davidis, qui ſuum adulterium quo non ſtudio & conatu occultare molitus eſt? Juſſit Uriam intrare ad ſuam conjugem. Cum non pareret, inebriavit eum, ut vel ſic iret. Irrito & hoc conatu juſſit eum occidi. Ecce Rex quam timet militem unum ſubditum ſuum! Jus gladii habebat, & timet confundi coram ſubditis. Quid ſi coram toto mundo? Idcircò audit: *Tu feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael & in conſpectu ſolis.* 2 Reg. 12. Idque factum, quando exulanti exprobravit ſcelus Simei *maledictione peſſima*, uti David eam appellat 3. Reg. c. 2. Hebr. habetur maledictione *mimreſeth*. Quam vocem ut expendit S. Hieron. in qu. Hebr. ſic expendunt Hebræi, ut ſingulæ litteræ ſingula probra contineant. *Nun* quaſi *Noeph*, id eſt, adulter. *Mem*, quaſi *Moabita*, ex Ruth, ſcilicet Gentili natus, *Reſch*, quaſi *Roſeach*, id eſt homicida. *Sade*, quaſi *farvat*, id eſt leproſus & ejectus cum leproſis, *Tau*, quaſi *mebah*, id eſt, abominabilis. Hoc probro, inquiunt, afficit eum Semei in præſentia populi ejus & in conſpectu ſolis. Sic pudefient impii in judicio, & uno quaſi vocabulo, uno intuitu perſtringentur omnia eorum ſcelera. Notum eſt ex Plutarch. in Antonio, quid molita ſit Cleopatra Ægypti Regina, ne ab Auguſto Cæſare Romã in triumphum duceretur. Etenim ſibi primo ſica vulnera in pectore inflixit, ut ſe perimeret, tum Medico uſa eſt ad tabem ſibi inferendam. Deniq; aſpidem in ficorum corbe abſconditam intulit, eiq; ſe necandam obtulit. Itaq; Auguſtus ſaltem imaginem ejus in triumphum duxit. Et quid erat Reginam in triumphũ duci? nõ enim velut hoſtis, ſed veluti præda nobiliſſima producta fuiſſet. Timuit n. aliis de cauſis, quia erat mulier peſſima, inceſtuoſa; parricida, &c. Quid quod vel imago ſui confuſionem intolerabilem parit; uti Prælato cuidam, qui à Michaele Angelo, ob inſpectam curioſe ipſius picturam inter inferos depictus, pati id nõ potuit, quin adito Pontif. deleri imaginem ſuam poſtularet? Jam ergo quid erit quæſo, in perſona coram toto mundo pudefieri.

III. *Quia metunt confuſionem publicam*

Sic

Sic enim 2. Cor. 3. dicitur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*. Græc. habetur, *pellucidos nos fieri oportet*. Quare sicut crystallus aut vitrum objectum Soli; quidquid intus continet, plenissimè ostendit: sic conscientiæ hominum, objectæ Judici Christo, omnia sua arcana prodent. Quanta igitur confusio erit improbis, si in ipsis appareant tot scelera, uno quasi intuitu, una voce contenta? Nonne Scribæ & Pharisæi, quando eorum peccata scripsit Christus in terram. (Joan. 8.) sensim omnes se subduxerunt, ut ne unus quidem remaneret? Et tamen solus Christus eorum crimina tunc norat. At hic nemo se subducere poterit cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt. Quare Gregorius lib. 7. moral cap. 14. illam confusionem ipsa gehenna graviorem existimavit: *Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, & mens super gehenna suo gravius igne cruciatur*, ait.

IV. *Quia horrebūt resumere corpora sua.* IV. Quia horrebunt assumere corpora sua rediviva, utpote ignita, horrida, misera & deformia in quibus incipient una cum anima duplicatam pœnam ignis sentire ac novum quasi infernum. Martyribus aliquot præpararunt Tyranni æneum taurum ignitum; in quem ingredi debuerunt, uti Sanct. Eustachio cum uxore & liberis. Tale erit corpus assumendum à damnato. Cogitate jam quo vultu aspiciet id anima? Quomodo sibi invicem maledicent & culpam mutuo impingent? Corpus animæ, quòd ab ea malè gubernatum: anima corpori, quod ab eo seducta & ad peccatum illecta sit.

Nec immeritò; quia in hoc sæculo simul etiam deliquerunt. Cùm anima per superbiam se extulit aliisque prætulit, statim corpus se exornare, inflare, durè alios alloqui, despicere cœpit? Cùm anima odium in aliquem concepit, statim corpus se armare, inflammare, convitiari, cædere. Econtra cùm caro se oblectavit gula, anima ex eadem patella comedebat. Cùm caro furabatur, anima furtum palliabat, negabat. Sic infælices illi conjuges, qui hic peccatorum dulcedinem simul exhauserunt & in malo strenuè consenserunt, sibi invicem maledicent. Refert Judicum historia cap. 16 Samsonem captum à Philisthæis & exoculatum, abductum esse in urbem Gazam, remotissimam & celeberrimam omnium. Sed cur in hanc potiùs quàm in aliam? Respondet in eum locum scribens Nicolaus Serarius admodum congruenter; quia in ea urbe primò aspexisse meretricem & ad eam intrasse scribitur ibid. postea quoque portam urbis abstulisse, sicque maximo dedecore urbem & cives affecisse. Quare ut vindictam sumerent Philistæi de hoste suo capitali, vero simillimum est, eos ipsum per eandem portam induxisse multis cum exprobrationibus, ut si vir esset, jam portam destrueret: insultasse etiam ob vim urbi illatam. Rursum ante meretricis illius ædes duxisse, ut sannabundi dicerent: En amicæ tuę domus Samson. En stat præ foribus te expectans comptissima, ornatissima. Vide eam si potes. O quàm renidens facies ejus! quàm belli! Quid oculos avertis? Cur illam corrupisti? Nunc ergo re aspicere nequis, quia malè aspexisti, &c. Probabile etiam impulisse eos meretricem, ut Samsoni caeco illuderet, eumque cavillaretur. Sic ni fallor illudent cacodæmones animæ damnatæ, cùm adducent eam ab inferis ad corpus resumendum, omni horrore plenum & abominandum. En, dicent, sponsa tua: quam adeò deperisti, fovisti, coluisti. Jungere nunc ipsi & cum ea deliciare. Quid olim in ejus gratiam non fecisti? quid non tolerasti? Igitur & nunc habita cum ea, patere cum ea, cuba cum ea in ardoribus sempiternis. *Subter vos sternetur tinea & operimentum vestrum erunt vermes.* Isai. 14. Ibi cum misero & cæco Samsone serò aperient oculos mentis, quos hic clauserunt: ibi intelligent Christi monitum, quod hic capere noluerunt; *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam in vitam æternam custodit eam.*

Quid ergo superest Audit. Id utique, ut nobis attendamus, & quod Jeremias cap. 15 iterum iterumque monet Hebræos in Babylone positos: *Fugite de medio Babylonis & salvet unusquisque animam suam*; quia scilicet repente & de nocte improviso expugnanda & occupanda esset à Persis & omnes quique in ea mactandi. Certè si revelaret Deus hic urbem improvisò aliquando ab hoste obruendam, nemo non singulis ferè noctibus timeret sibi ac provideret. Si diceret quis Propheta alicui domum ipsius ex inopinato & derepente collapsuram aut incendio corripiendam, næ is singulis noctibus imò singulis horis in expectatione imminentis mali trepidaret, quin & vigilaret. Hoc igitur est, quod agendum nobis, ne repente superveniat in nos dies illa; *tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ*, ait Dominus, Luc. 21.

THEMA III.

Electi similes Aquilis.

1. *Animo in cælo degunt.*
2. *S. Eucharistia corroborati vivunt.*
3. *Valde afficiuntur erga V. Eucharistiam.*
4. *In tribulatione sunt patientes.*
5. *Renovant subinde spiritum suum.*
6. *Ferunt libenter & dissimulant injurias.*

Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.
Matth. 24.

Qua

QVando magna tribulatione circumsepti sumus optamus nobis pennas, ut avolare possimus. Ita enim video optasse Davidem in sua tribulatione Ps.54. *Timor & tremor venerunt super me & contexerunt me tenebræ. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Verum quia columba volans satis tuta non est, hinc Apoc.12. quādo prædicitur descensurus ultimis temporibus diabolus *habens iram magnam*, ut persequatur mulierem h.e. Ecclesiam electorum, adjungitur, dandas esse mulieri alas duas aquilæ magnæ, quibus evolet in desertum & servet se à dracone. Hoc idē tempus longè mæstissimum audivimus prædici nobis in hod. Evangelio, tempus, inquam, judicii, in quo omnes comparebimus. Quid igitur optandum nobis? Alæ aquilarum, ut eo temporis articulo ad Christum evolare, ibiq; asylum reperire possimus. Hoc enim indicat Christus in hod. Evangelio, cum ait ad ipsum Judicem congregandos esse electos sicut aquilæ congregantur ad corpus seu pabulum. Ibi circa Christum securi circumvolabunt, & quē-admodū aquila fulmine non tangitur, ita ipsi quoque sententia damnationis minimè ferientur. Quod etiam prædicit Isa. c. 40. *Assument pennas ut aquilæ volabunt & non deficient &c.* Verum si in die illo ad Christum congregari sicut aquilæ optamus, necesse est, ut nunc sicut aquilæ vivamus. Id enim insinuat Christus, quando electos suos comparavit Aquilis. Quod nunc videbimus.

I. Aquila in alto nidum habet, in alto ferè degit, inde terram & quæ in terra sunt omnia despicit aut contemnit, in alto prædam suā quærit, ad terram rarò descendit, neque ei diu adhæret. Ita justi tametsi corpore in terra, animo tamen in cœlo fixi sunt; unde omnia terrena pro nihilo habent & aspiciunt velut res minimas: equos velut mures, homines velut vermiculos: h. e. aurum velut lutum &c. sicut qui de altissimo monte aut turri in subjectam planitiem vel urbem despiciunt. Ita enim Apostolus ad Phil 3 postquam descripsisset reprobos, *quorum Deus venter est, & gloria in cōfusione, qui terrena sapiunt*, subdit: *nostra autem conversatio in cœlis est.* q.d. reprobi conversantur & loquuntur de rebus puerilibus de puppis, nucibus, imaguncul is, casulis ex luto factis, quæ derident viri. Rustici confabulantur de suis bobus & porcis, de gallinis & columbis, de tuguriis & pratis suis, quæ derident ac spernunt Doctores, aulici & principes: sic mundana omnia spernunt ac rident electi, qui mente in cœlo fixi sunt. Hinc Maximil. II appinxit suo symbolo aquilam in nubibus volātem, humi verò coronam, gladium, hastam, mundum cum lemmate: *Nil humana moror, dum super astra feror.* Caussin. in parab. hist. lib. 6. c. 20. Sunt electi in hoc mundo sicut Angelus Raphael in domo Tobiæ & itinere ipsius. *Videbar quidem*, inquit, *vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu qui ab hominibus videri non potest, utor* Tob.12. Comedebat ergo & bibebat cum hominibus, sed, absque gustu & delectatione; cibum porrò & potum ori injectum mox in aërem resolvebat. Cibus ejus Dei contemplatio erat, cœlestem ipsi delectationem afferens, & terrenam omnem excludens nihilique faciens: Sic electi nullam veram in terrenis bonis delectationem sentiunt; sed resolvunt ea mox in auram dum ea fluxa & inania levique aura futiliora esse cogitant ac contemnunt. Talis Angelus ipse Tobias senior erat, qui cæteris ōnibus currentibus ad vitulos aureos, quos erexerat Jeroboam, *ipse solus pergebat in Ierusalem ad templum Domini*, ut adoraret Deum Israel. Tob. 1. Nihil curavit vitulos vita carentes, (imò capita tantum vitulina) quia conversatio ejus cum Deo & templo erat, ubi speciem aliquam cœli vidit & cœlestia audivit. Talis aquila & Angelus fuit etiam sanctus Paulus, ut diximus, de quo sanctus Gregor. 31. mor. 19. *Videamus* ait, *aquilam nidum sibi in arduis constituentem, qui ait: Nostra Conversatio in cœlis est: Et rursum: Qui conresuscitavit & consedere fecit nos in cœlestibus. In arduis habet nidum; quia profectò in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare.* Et addit hoc esse speciale indicium electorum, *quòd sic sciant præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub sese videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent.*

II. Aquila nido suo infert lapidem, ab ipsa Ætiten appellatum, sive ut eo muniat nidum ac firmet contra tempestates, ut volunt aliqui, vel contra venenata animalia, ut scribit Sanctus Hieronymus in Isa. c. 65. sive ut ejus refrigerio temperet æstum suum nativum, quo alioquin ova combureret, ut vult Aldrov. l. 1. Ornith. & alii: Ætites ille alium lapillum intra se gerit, qui sonum edit & auditur, at non videtur: repræsentat ergo Christum, (qui seipsum lapidem à Judæis reprobatum appellavit) in Eucharistia contentum, ubi quidem non videtur, sed auditu fidei percipitur, dum audimus: *Caro mea verè est cibus.* Vidit Christus Dominus lapidem hunc cordi nostro in quo nidum quasi suum habet, valde necessarium esse; nō secus ac corpori necessarius est panis naturalis; tum quia valde infirmi & instabiles sumus, ut per ejus usum in gratia stabiliamur; unde figuratus fuit pane, quo Elias bis confortatus ambulavit. 40. diebus usque ad montem Horeb, 3. Reg. 19. Ille subcinericius, id est, sine fermento celeriter in testa sub cineribus coctus fuit. Panis Eucharistiæ etiam celerrimè paucis verbis cū commemoratione mortis Domini conficitur sine fermento. Tum quia multa nobis insidiantur venenata animalia, mundus, dæmon, caro. Tum quia æstu concupiscentiæ ob vitiatam peccato originali naturam laboramus, quem restinguit hic sacer ætites. Unde sanctus Bernardus serm. in Cœna Domini ait: *Si quis vestrum, fratres, non ita sæpe sentit iracundiæ motus aut invidiæ aut aliorum hujusmodi gratias agat corpori Domini; nam virtus sacramenti* ope-

II. *S. Eucharistia corroborati vivunt.*

operatur in eo. Maximè verò resistit concupiscentiæ carnis. *Sedat enim*, inquit S. Cyrillus Alexan. lib. 4. in Joan. c. 17 *cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem: pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, &c.* Et quid mirum si aquaignem, si virginea & temperatissima Christi caro extinguat æstum carnis: Observarunt nostri patres, qui Laureti degunt, miram in urbe & vicinia domus Lauretanæ deprehēdi pudicitiam & castitatem, teste Bened. Fernandio nostro in c. 29. Gen. sect. 11. Si ergo ædes Christi diffundit à se castitatem in viciniam, quid non faciet ejus sanctissima caro?

III. Valdè afficiuntur erga V. Eucharistiam.

III. Aquila ad prædam magno fertur impetu. Unde maxima festinatio describitur per volatum aquilæ ad escam, uti Job 9. *Sicut aquila volans ad escam.* Et Habac. c. 1. dicitur de Chaldæorum adventu ad deprædandos Judæos: *Volabunt quasi aquila festinans ad comed. ndum.* Inde etiam Chaldæi illi in vexillis suis aquilas depictas gerebāt. Præda & esca nostra nobilissima & sanissima maximeque necessaria est, quam diximus; Corpus Domini. Ad hoc electi veniunt magna cum aviditate & celeritate, etiam quando exponitur tantùm ad venerationem & adorationem: norunt enim ipsum esse unicum thesaurum & solatium suum. Quòd si milites, ut Chaldæi illi, tanta cupiditate advolarunt ad Judęos despoliandos, cùm id periculo non careret, nos non decebit ad Christum, qui thesauris omnibus plenissimus est, nec non ad largiendum pacatissimus, totis viribus contendere? Præda temporalis diu retineri nequit; Deum quis nobis eripiet?

Est hæc etiam non vulgaris nota, quæ distinguit electos à reprobis; si nimirum velut boni & legitimi filii libenter sint cum parente. Quando Saul in Regem à Deo electus fuit & in domum suam rediit, ibi apparuit discrimen inter bonos & malos ejus subditos 1. Reg. 10. *Pars enim exercitus, quorum tetigerat Deus corda, abiit cum eo. Filii verò Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum & non attulerunt ei munera.* Quia scilicet à Saule velut homine obscuro & rusticano nihil magni aut regii expectabant. Quænam illa pars exercitus? *Viri fortes*; exponit ex Hebr. *hachal*, id est, *robur*, Cajetanus. Viri ergo strenui, à Deo moti, electi sunt; quales illi qui Paulo & Barnabæ *crediderūt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Act. 13. Quinam viri *Belial*? *exleges & absque jugo* (hoc enim sonat *Belial*) qui significant reprobos. Pari modo magnum præjudicium est electos esse, qui valdè afficiuntur erga Vener. Sacramentum, idque comitantur & requirunt; reprobos verò, qui id non curant nec venerantur. Quales plerumq; sunt viri exleges, divites & potentes, qui omne jugum respuunt, nullius imperium admittunt aut metuunt. Quibus dicere Christus posset, quod Dalila Samsoni dixit: *Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Judic. 16.

IV. In tribu-

IV. Aquilæ pulli adhuc teneri ungue parentis in aëre suspensi in Solem intendere coguntur ac si cujus oculi lachrymarint aut à Solis aspectu deflexerint, is abjicitur & occiditur velut spurius: qui ver immotus rectà intueri Solem advertitur pro genu no agnoscitur atq; educatur. Causam dat Plinius 10. c. 3. quòd aquilæ facilè se aliis avibus uti vultur bus, misceant, unde prodeunt sæpe adulterini spurii fœtus, qui Solis radios non ferunt. Itaq; *cœl stis ignis*, inquit Ælianus, *est incorruptus judex gen ris aquilini.* Ignis & radius solaris, qui electos pr bat & discernit à reprobis, est tribulatio. In tribul tione electi sunt immoti, nec avertunt se à Deo latenus: reprobi lachrymantur, avertunt vultum Deo, lamentantur, indignantur, murmurant ac tandem desperant. Ignis fornacis Chaldaicæ combu Chaldæos, tres pueros non læsit, sed lętiores & c riores fecit, quo modo ignis aurum purificat, s riam & paleam consumit. *Socrates cum in Comœ taxaretur, ridebat: Polyagrus verò se ipsum strang labat*, inquit Ælianus l. 5. var. hist. c. 8. Sedent pro se vulpes & aquila: jaculare in eos sclopeto, m vulpes in foveam se recipiet, aquila in altum avol bit. Immittat Deus telum alicujus in probum improbum: ille Deum laudabit, hic blasphemab aut certè murmurabit. Sederunt in una domo J & uxor ejus, ejaculatur in eos Satan tormentu tribulationis: Job velut aquilæ genuina proles Dei laudem & benedictionem evolat: uxor in fov am murmurationis & indignationis se prorip mortem viro imprecans, Deo maledictum.

V. Aquila renovat se ac reparat vires, sive exc tiendo pennas veteres & acquirendo novas, ut s bit S. Hieronymus in Isa. sive rostri aduncitatem petram elidendo, ut vult S. Augustin. in Psalm. 1 Habent hoc & electi, ut languescentem & inve ratum spiritum subinde rursum innovent atque staurēt. Quemadmodum enim avis nisi assidua al rum agitatione & novis semper conatibus se in a tum libret, paulatim decidet: ita mens nostra po dere carnis gravata sensim cadit & deficit, nisi n vis propositis subinde attollatur. Priorem aqui renovationem quotidie faciendam electis per ex men conscientiæ opinor, in quo cum aquila ad t bunal Dei evolent, ibique ad conspectum Solis d fectus & fœditates suas considerent, tum in fonte lachrymarum & compunctionis sese demittar sicq; excussis peccatorum plumis in nidum lectu sui devolvēt. Posteriorem sæpius in anno, ac, si fi ri queat, singulis saltem mensibus aut festis præc puis; in quibus os percutiendum ad tribunal Con fessarii per confessionem, sicq; præparandum atqu aperiendum ad sanctam dignamq; communionem Videtur nobis Deus menstruam Lunæ renovatio nem non in temporum tātùm distinctionem, sed i documentum etiam dedisse, ut sicut ipsa se & un se cum plurima sublunaria singulis mensibus reno vat, ita nos quoq; animum nostrum renovaremus Scimus enim una cum Luna crescere & decrescer affluxū maris, humores in humoribus, imò & hominibus, Cynocephalus cum decrescente Luna sensim hebe-

hebetatur ac deficit viribus & oculis, cum renovata & crescente iterum instauratur, eamque erigendo pedes anteriores adorare fertur, ut refert Pierius lib. 6. hierogl. c. 46. Formicæ singulis mensibus semel, interlunio scilicet, cessant à consueto opere, nec è cavernis egrediuntur, quasi astrologiæ peritæ sint; putanturque tunc opera sua inspicere & recensere, ut scribunt Ælianus lib. 1. c. 22. Aristoteles in hist. animal. c. 38. Elephantes in Mauritania singulis Lunis novis descendunt in fluvium seque aquis purificant, nec non Lunam salutant & quodammodo adorant, teste Plinio, Dione, Solino. Est & piscis, qui inter natandum Lunæ figuram efficit, & cum Luna crescente impletur, decrescente marcescit, exsiccatur & interit; ideò *Luna* appellatur, apud Ælian. l. 15. b. 4. Hebræi quoque olim Calendas seu Festum Neomeniæ celebrabant cum sacrificiis, Num. 28. & cum tubæ sonitu (Psal. 8. *Buccinate in Neomenia tuba,*) ut faustum mẽsis decursum à Deo qui per Lunam velut per viciniſſimum sidus plurima in sublunaribus operatur, impetrarent. Quin & hodieque ascendunt in turriculas Synagogarum, & inde annunciant per tubæ sonitum Festum illud. Adhæc principes familiarum & præfecti per singulos menses intrare ad Regem Davidem & ministrare debuerunt, 1. Par. 27. Denique apud Romanos etiam in Calendis confluebat populus in urbem & plebs in Capitolium convocabatur à Pontifice Idolorum, ut discerent, quid per mensem agendum esset. Macrob. l. 1. Saturn. apud Corn. in Nuc. c. 28. Omnia hæc quid nisi stimuli sunt, ut & ipsi renovemus singulis saltem mensibus languescentes animos nostros?

VI. Aquila psittacorum & cornicum insultus atq; obtrectationes generosè fert & cõtemnit, sursum evolando & earum lapsus infra se intuendo. Ælian. l. 5. c. 2. Quin & patitur ab iis, cùm est imbecillior, sese deplumari; at meminit injuriæ dataque postea occasione obvias perimit. Alb. M. l. 8. anim. c. 2. Pari modo electi sustinent quidem hic, nec illibenter, reproborum injurias & calumnias; quia Deo eas commendant, quin & ignoscunt facilè. Verùm in die judicii, cùm glorificato corpore & animo, cœlestes induent vires ad sese ulciscendum & *faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis,* (Psal. 149.) juxta Christum in alto velut aquilæ circumvolabunt, & rostro accusationis inimicos suos percutient. Sic Esther injurias & machinationes Amanis contra se & gentem suam tacens ad tempus sustinuit, donec Rex ad convivium ejus venit. Postea in mensa sua coram Rege hostem gentis suæ capitalem aggressa est & percussit illa exprobratione: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Qua voce ita eum perculit, ut miser vultum Regis & Reginæ ferre non posset, Rex verò continuò suspendi eũ juberet. Esth. 7. Hunc in modũ electi ferunt quidem in præsenti tempore probra & injurias impiorum; at ubi Rex & sponsus eorum Christus venerit in die judicii, quando electi ad ipsum congregabuntur velut aquilæ ad corpus, tunc invadent inimicos suos, & *facient in eis judicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

THEMA QUARTUM.

Amari fructus ficus vetitæ seu peccati.

I. Animi perturbatio ac despoliatio.
II. Vita præcisio & immatura mors.
III. Mors mala & terribilis.
IV. Iudicium Dei tremendum.
V. Damnatio.

Ab arbore fici discite parabolam. Matth. 24.

OSeas propheta, ut miserum reipublicæ Hebraicæ statum depingeret, jussus est à Deo in uxorem accipere fornicariam unam. Parens ille edicto perquam duro, accepit Gomer, filiam Debelaim, ut habetur Ose. 1. malo scilicet omine, sed ad propositum finem valdè idoneo. Etenim *Gomer consumptionem vel corruptionem* significat: mater, ejus *Debelaim, duas ficuum massas.* Ergo corruptionem accepit, filiam ficuum. Infaustum sanè conjugium. Audiamus Vatablum eo loco: *Gomer,* ait, *significat consumptionem, & Debelaim palatas duas, quibus animi & corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem & interitũ, juxta illud Apostoli: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem,* ad Gal. 6. Hoc infælix conjugium iniere cum ficu primi nostri parentes, cum voluptate, inquam, carnis & messuerunt corruptionem. Hoc ipsum usque hodie contrahunt innumeri alii filii Adæ, & nil aliud metunt nisi corruptionem. Ergo ut pessimam hanc arborem illis prohibeamus, examinabimus ejus fructus, sanè amaros & pestilentes.

Quinque ficus invenio admodum suspectas in SS. litteris, qui totidem pestilentes & amarissimos fructus peccatori successivè ferant. Qui sunt:

I. Animi perturbatio ac despoliatio. Hanc tulit protoplastis eorumque posteris arbor illa vetita, quæ probabiliter putatur fuisse ficus à Theodoreto, Procopio, Isidoro Pelusiota, Gennadio, Barcephn; quia mox ab esu foliis se ficus texerunt primi parentes, ut habetur Gen. 3. v. 7. quasi ab eadem arbore, unde comederant, velut proxima ea decerpserint, quæ alioquin etiam fructus dulcissimos & prę omnibus aliis desideratissimos gignebat. Statim enim viderunt se esse nudos & de sua nuditate vehementer erubuerunt; deinde etiam trepidarunt, metuentes sibi non solùm à Deo vindice, verum etiam à feris bestiis, quarum imperium jam perdiderant? qua

I. Animi perturbatio & despoliatio. I.

qua de causa se absconderunt & fugerunt: denique à verme conscientiæ eos lancinante, vehementer cruciati sunt; quem videtur auxisse serpens, qui, ut colligitur ex S. textu (aderat enim protoplastis, etiam fugitivis cùm à Deo maledicerêtur (fugientes insecutus est, ut velut reos proderet atque accusaret. Addunt Hebræi DD. eum in arborem irrepsisse & inde sibilis ac satanico plausu eos dirisisse ac prodidisse. Deus bone, quid hoc rei? Itane Imperator mundi Adam, totius terræ dominus, unicus terræ incola, tanta pollens sapientia & imperio, erubescit, timet, fugit, seque abscondit? Hi nimirum fructus sunt, qui peccatum perpetratum immediatè consequuntur. Pudor imprimis, de quo Apostolus ad Rom. 6, ait: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* adinstar scil. temulenti, qui in temulentia bestiales mores præ se tulit, postea ubi edormivit crapulam, ridetur & erubescit. Habet enim hoc peccatum, ut pudorem homini mox injiciat, quo minùs apparere coram viris honestis, præsertim dominis suis, audeat: quod vel in bestiis cernimus, quæ post damnum aliquod datum, fugiunt & demittunt vultum vel abscondunt se. Hinc precatus est Abner Azaëlem, ut desisteret à sui persecutione, ne cogeretur ipsum confodere; & postea non posset amplius levare faciem suam ad Joab fratrem ejus, 2. Reg. 2. Philais, S. Sabæ discipulus, cùm in fornicationem lapsus esset, & ob id vidisset asinum suum à leone, priùs cicure, devoratum, fugam arripuit; non audens apparere amplius coram Abbate suo. In vita S. Sabæ Sur. 5. Dec.

Deinde timor judicii divini, qui post primos parentes occupavit etiam filium eorum, (Cain, postquam is fratrem occidit:) ita ut nullibi tutus consistere posset, ideoque, ut Hebræi volunt, in sylvis habitaret, postea verò civitatem extrueret, & muro se includeret. Occupavit etiam Moysen post factam Ægypti cædem, in qua juxta D. Augustinum l. 22. contra Faustum c. 76. culpam aliquam contraxit, aut ut aulam Pharaonis, in qua velut Princeps & nepos Regis habitus fuerat, deseruerit & fugerit in Madian, & oves ibi paverit per 40. annos in servitutis miseriis & ærumnis. Exod. 1. Waltherus de Escenbach, nobilissimæ familiæ in aula Alberti I. Imp. cædis ejus complex, fugit in Wittenbergiam, ibiq; loco obscurissimo per 35. annos bubulcum agens latuit, ac moriens primum Confessario aperuit, quis esset. Gerard. de Roo l. 2. Austr. Chron. Quòd si adeò timeretur judicium humanum, quid erit reum esse judicii divini?

Adhæc remorsus conscientiæ, qui eam, velut serpens protoplastos, vel uti canis furem sequitur & perpetuò allatrat, turbatque tristi clamore mentem prius pacatam. Unde de ipsa dici potest, quod de eversa pulchra Babylone dicitur, Isa 13. *Respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes* (Chald. *dracones*: Septuag. *ericii*) *in delubris voluptatis.* Sic enim in corde peccatoris diruto non audiuntur nisi ululæ, dracones; ubi prius, dum peccaret, suaviter cantabat voluptatum Sirenes: sentiũtur spinæ ericii undique pungentes: in corde, inquam, quod prius erat qu[asi] paradisus voluptatis ob mentis tranquillitate[m]: adeoque templum Dei fit delubrum Dæmonu[m]. Quibus accedunt folia ficus aspera & carnem [la]cantia, quæ significant difficultatem & asperitat[em] pœnitentiæ, quam subire coguntur peccatores, n[on] sine horrore & renitentia. Quemadmodum, en[im] hamus à pisce facilè deglutitur, sed non facilè i[te]rum evomitur; cum intestinis adhæreat: ita & p[ec]catum facilè admittitur, sed non tam facile per co[n]fessionem expuitur & per satisfactionem expiat[ur]. Labore hic opus est.

II. Vitæ præcisio & immaturæ mortis cómi[natio]. Colligere hunc fructum ex illa ficu pos[su]mus, quam ob sterilitatem trium annorum exci[di] jussit herus, eo quòd terrã frustrà occuparet; qua[m] quam vineæ cultor pro ea rogans promisit, qu[od] circa eam fodere & stercora mittere vellet; quo[d] frugem reduceretur Luc. 13. Fodit ille circa pec[ca]torem, quando percutit eum morbo aliquo leth[ali] vel admodum periculoso, quasi jam foveam sep[ul]chri parans excidendæ inutili arbori, ut quæ fru[stra] terram occupet, & melioribus aliis scandalo sit a[c] oneri. Vidit aliquando Diogenes puerum diu va[ne] in crucem jaculantem; de quo eum corripiens di[xit]: *Cave ne tandem scopum tangas*, h. e. ne in cruce[m], quam jaculis petis agaris. Lycost. in Apopht. Id[em] nequaquam temerè dici potest iis, qui peccatori[is] jaculis Christum crucifixum impetunt, ne brevi sc[o]pum tangant, & ipsi in crucem ægritudinis acti, [ex]scindantur ex hoc mundo, velut steriles arbores. S[o]let enim Deus inutilia ejusmodi ligna fere ante m[a]turam ætatem tollere è medio, quemadmodum [Psal.] 54. dicitur: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiab[unt] dies suos.* Quod inter alios expertus est Anastasi[us] Imp. cui in somnio apparuit vir terribili specie, [li]brum ostendens, in quo scriptum erat: *En ob pe[r]versitatem tuam quatuordecim tibi annos vitæ dele[o]* ut refert Cedrenus & Zonaras q. 3. qui ita rem ev[e]nisse & fulmine ictum Imperatorem periisse scri[]bunt. Cain quoq; stirpem suam non nisi ad septim[am] generationem extendit, quæ in diluvio tota peri[it]. Denique mittit circum eum stercora, h. e. *maiorum quæ fecit abominationem ad animam reducit*, inqu[it] ibi gloss. Non advertunt peccatores fœtorem pec[]cati, nisi in morte primum, cum ad rationes vocan[]tur. Perdiderat aliquando Saul asinas suas, & quære[]bat hinc inde 1. Reg. 10. cui Samuel respondit ob[]viaturos ei in via prope sepulchrum Rachel duos viros, qui dicturi sint invẽtas esse asinas, atq; ita accidit. Cur ad sepulchrum nunciãtur inventæ asinæ, quæ diu valde quæsitæ, non poterant inveniri? Nimirum quando ad sepulchrum appropinquant peccatores, tum primum intelligunt, ubi sint ipsorum asinæ stolidæ, videlicet transgressiones & iniquitates; quas dum bene valent, non possunt invenire, nec volunt intelligere, utpote deliciis immersi indeq; excæcati; quod etiam David aliquando in-

in se expertus fuit, cum diceret: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderent.* Psal. 39. eorum scilicet fœditatem & enormitatem. Sanè quod Sauli mystico sensu prædixit Samuel, id posteà cum sepulchro & morti propinquus esset, reipsa expertus est. Nam cùm ad extremum vitæ ejus Philistæi maximum exercitum contra eum duxissent, *timuit & expavit cor ejus nimis.* Quare per Pythonissam evocavit Samuelem è limbo; qui prædixit ei cladem, & inter alia: *cras tu & filii tui mecum eritis.* h.e. Moriemini: Quo audito Saul statim cecidit porrectus in terram; quasi toto corpore obriguisset ad tam triste nuncium. 1. Reg. 28. Invenit etiam asinas suas prope sepulchrum impius ille Antiochus, qui moribundus dixit: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem; unde & abstuli omnia spolia, aurea & argentea, quæ erant in ea, &c.* 1 Mach. 6.

III. Mors terribilis de qua dicitur Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Exhibet, vel ostendit potiùs, hunc amarum fructum ficus illa, de qua Apoc. 6. ait Joannes: *Stellæ ceciderunt de cœlo super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* Ad litteram prædicit ultimis temporibus diem Judicii præcessuros varios ignes, quasi cometas & stellas ex aëre in terram lapsuros, quemadmodum ad vehementem ventum excutiuntur & decidunt ficus immaturæ ab arbore. Simile quid contingit peccatoribus in morte, quando concussi à vehemēti lethalis morbi violentia excutiuntur velut arbores & spoliantur omnibus laborum suorum fructibus, quos velut immaturos vix adhuc delibarunt. Tunc ergo destituuntur omnibus hujus vitæ commodis, non curantur ampliùs ab amicis, quibuscum vixere in bonis dies suos, non sapiunt ampliùs convivia & desideratæ olim cupediæ, deseruntur sæpe etiam à domesticis, paulatim membra emoriuntur, vox faucibus hæret, oculi franguntur, artus obrigescunt, anima sensim fugit. Mœstum ac lugendum specimen hujus expoliationis proposuit Deus hominibus in Aarone, quem ob unum non grave peccatum jussit sanum & vegetum mori anno 40. ab egressu Ægypti, adeoque jam in faucibus terræ promissæ constitutum. Numer. 20 ubi ait Dominus Moysi: *Pergat Aaron ad populos suos* (h.e ad plures seu mortuos) *non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eò quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis: Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus. Aaron colligetur & morietur ibi.* Habemus hic funestum & lugubre spectaculum, quale editur ab Episcopo, cùm quem capitis reum sacerdotem degradare solet. Ibi enim indutum priùs omnibus paramentis sacris, & ornatu sacerdotali producit in medium: deinde aufert ipsi è manu calicem sacrum, abripit galerum, expoliat eum casulâ: stolâ; manipulo, cingulo, veste alba & superhumerali, radit coronam capitis ac digitos, S. chrismate perunctos, posteà repulsum à se tradit plectendum potestati sæculari. Non dissimilem tragœdiam lusit ex divini judicii sententia Moyses cum fratre suo. Induit eum primò ornatu Pontificali (uti colligitur ex S. textu) & adduxit in montem Hor cum filio; ubi cœpit eum expoliare suis ornamentis, baculo inprimis pastorali, deinde tiara, tum aurea lamina, post Rationali & 12. gemmis, tunica hyacinthina, Ephod, cingulo, podere, eaque induere filiũ ejus; tum ducere Aaronem ad feretrum ipsi præparatum, ut ibi in conspectu fratris, filii & præsentium recumberet atque obiret. Tristissimum hoc spectaculum excitavit unum, nec, ut dixi, grave peccatum, alicujus diffidentiæ in divinam bonitatem erga populum ingratum. Quanquam Aaron hanc pœnitentiam lubenti & parato animo suscepit; id quod rarum est in perversis: qui & ipsi in extremis vident se consimili modo expoliari omnibus quæ in mundo habebant ac diligebant, conjuge & liberis, fratribus & sororibus, consanguineis & amicis, divitiis & deliciis, fundis & possessionibus, potestate & honoribus, pretioso ornatu & famulatu, usura hujus lucis, totius corporis viribus: vident alios quos nesciunt, gavisuros suis bonis, quæ ipsi sibi pararant, &c. Quid tunc sentient miseri, cum his omnibus ultimum vale dicendum & aliò migrandum erit? in terram incognitam & horrore plenam: nec redeundi spes supererit? Luxit valde populus Hebræorum, quando post admissam in vitulo aureo Idololatriam jussus est à Deo in qualemcunque pœnam, deponere ornatum suum & pretiosas vestes, stareque sic nudatus. Exod. 33. potuit tamen paulò post resumere cultum à se depositum, uti & resumpsit. At hoc non licebit morienti, præsertim peccatori, nam justi his, quæ non amarunt, libenter se expoliant, utpote pro illis accepturi in resurrectione vestem gloriæ & immortalitatis unà cum summo bono; qua tamen spe carebunt miserrimi peccatores.

IV. Judicium Dei tremendum. Deprehendimus hunc fructum perquam sanè acerbum in ficu illa, sub qua Nathanaelem solum constitutum, & loquentem cum Philippo, vidit & audivit Christus, tametsi absens Joan. 1. Adductum enim à Philippo appellat verum Israelitam, in quo dolus non sit. Ad hoc Nathanael: *Vnde me nosti?* quem scilicet vidisti nunquam! Cui Dominus: *Priusquam te Philippus vocaret, & cùm esses sub ficu, vidi te.* q. d. Cùm solus ageres sub ficu, ratus à nemine te videri, vidi quid ibi ageres, hoc nimirum, & istud, & illud: rursus cùm te Philippus vocaret, audivi te loquentem ac dicentem: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Hic attonitus Nathanael præ stupore exclamat: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* En tibi fructum ficus. Vocabit suo tempore peccatorem Christus testis oculatus, & recensebit ei omnia quæcunque in vita egit, cum omnibus circumstantiis, ita ut reus inficiari nequeat, nec excusare possit, sed exclamare potiùs cogatur: *Tu es filius Dei, tu omnia*

IV. *Iudicium Dei tremendũ.*

nosti, quia ut intelligo, omnia coram vidisti. *Nullus jam*, ait S. Basilius in l. de vera virginit. *vel negationi vel defensioni erit locus, quando ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua.* *Non enim confusè aut summatim & indigestè res ipsæ cernentur: sed singula per partes, ut sese habeant, veluti in pictura noscentur. Exempli causa, quomodo ad patrandum quisque adulterium properans è lecto surrexit: quibus passibus incedens usus est, quo motu corporis lentiore ac concitatiore: quem habitum, dum progrederetur assumpsit: & qua ex parte irrumpens, uxorem alienam violavit: quo item ordine huic mulier ad nefarium opus se substravit. Hæc, inquam, omnia velut in tabula per partes diligenter expressa cernentur. Neque ea solum, quæ in apertum opus prorupere, verùm etiam quæ sine effectu operis in animi tabula inscriptæ fuerunt cogitationes.* Sic Basilius. Frustrà fuerunt perizomata Adamo & Evæ, quæ fecerunt sibi ad velandum pudorem suum: frustra etiam peccatori erunt in illa die excusationum velamina. Unde S. Bernardus serm. de verbis Habacuc ait; *Heu me quam vile operimentum quæris misera anima quam inutile quæris operimentum! Folia enim sunt, quæ intexis, folia, inquam, quæ nihil tibi caloris præbeant, nil habeant soliditatis: orto denique Sole arescent & ventus urens disperget illa, tu verò nuda & misera remanebis, &c.*

V. *Damnatio.* V. Damnatio. Hujus typum nobis præbet ficus alia fructibus destituta, ideoque Domini execratione mox arefacta. Matth. 21. Cùm enim ex Bethania rediret Dominus in civitatem Jerosolymam manè, esuriit, & ad ficum secus viam constitutam venit, quærens fructum in ea, & nihil invenit, nisi folia tantum. Itaque maledixit ei dicens: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.* Bethania ordinarium Christi hospitium, cœlum non incommodè significat. Inde redibit aliquando tum in universali tum in particulari cujusque judicio, ut fructum ab hominibus exigat bonorum operum. Væ illis, qui ut ficus illa, non nisi folia verborum & fidei habuerint, solidis autem virtutum fructibus caruerint. Quemadmodum enim ficulnea illa, quamprimum maledicta fuit, omnem humorem perdidit, indeque omni virore & foliorum ornatu destituta, nec alium in finem nisi ad ignem destinata fuit: ita & peccator per tremendam illam & decretoriam Christi Judicis sententiam, omnem illicò humorem bonorum, gratiæ & naturæ, adeoque omnem ornatum & spem omnem perdet, nec ad alium finem, nisi ad fovendum ignem æternum deputabitur. Et hoc fiet arbori, quæ non fecerit fructum bonum, quæ (ut Matth. 25. Dominus explicat) famelicos non pavit, nudos non operuit, infirmos non visitavit, &c. quid igitur, putatis,

Trip. Dñ. 22. post Pent. C. P. fiet arbori, quæ non dico nullos, sed malos & pestilentes fructus tulit? quæ pauperes oppressit, seminudos spoliavit, infirmos cecidit, &c.? Unde S. Gregorius 3. parte Pastor. cap. 21. ait: *Quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscretè tenu*runt? Sed quid sibi vult illud *in sempiternum*? Na licet non malediceretur ficus, ea tamen non stai in sempiternum; eccur ergo addicitur sterilit sempiternæ? Videmus hic non tam arborem quà peccatorem peti ea maledictione, quæ illam alt ram, *discedite à me maledicti in ignem æternu* significabat. Stabit igitur ficus illa in æterna steri tate, sine omni spe recuperandi viroris: stabit sempiterno opprobrio: stabit in sempiterno ince di o. ô sempiternum! ô maledictio!

THEMA V.

Documenta ex ficu ad judicii diem pertinentia.

I. *Vita justorum hic abscondita est.*
II. *Ibi ostendet quisque opera sua, quæ hic occ tat.*
III. *Sancti paulatim magis in Ecclesia deficiunt.*
IV. *Appropinquat dies judicii.*
V. *Politici & libertini qui non credunt diem judi vix corriguntur.*

Ab arbore autem fici discite parabola. Matth. 24.

ABsolvimus hodierna Dominica, velut ulti post Pentecosten, annum Ecclesiasticum; pi ximè sequenti verò, prima Adventus, rursum choabimus. Quid verò sibi vult, quod Ecclesi utraque die Evangelium nobis prælegat de t mendo Dei judicio, & hoc sub parabola ficuln utrobique inculcatæ? Mea sententia prima illa, ultima ista Ecclesiastici anni Dominica primum ultimum sæculi diem videtur indicare, utrumq supplicio ac judicio destinatum. In primo mu die judicati & puniti sunt Angeli mali: in ulti judicabuntur & punientur homines mali. Ita do Rupertus Abbas lib. 9. de operibus Spiritus sanc cap. 2. exponens verba illa Genesis: *Divisit lucem tenebris*, hoc est, bonos Angelos à malis separav ubi subdit; *Consideremus admirabilem operum I dispositionem, qui quasi æditum terribilem posuit I morem, ad custodiendum introitum & exitum o rum suorum: ut quisquis ad cognoscendum Deum i greditur: & in introitu inveniat, cur valdè time & in exitu audiat, cur multò maximè contremisc* Porrò hoc judicium ac supplicium per ficulneæ p rabolam explanare voluit Dominus, ut salutari timore correpti efficiamur bonæ arbores & fic bonorum operum fructus nunquam non ferent ut in die judicii eos explicare & coram toto mu ostendere possimus. Nunc eam videamus.

I. Ficus licet arbor nobilissima, tempore hy mali virtutem ac dulcedinem suam absconditam intra se conclusam gerit: apparet enim vilissimu

ligaur

lignum, quod stramine contegitur: aut sub terra sepelitur in frigidis regionibus, in calidis verò negligitur; at verò ineunte vere folia sua expandit & dulcissimos fructus suos confert hominibus, Regumque mensas ornat. Sic etiam justi eorumque virtus latet in hoc sæculo, adeò ut ab injustis parum aut nihil differre videantur, comedunt, bibunt, dormiunt, vestiuntur ambulant ut illi; nisi quòd injustis non parum infœliciores reputantur, dum modico & viliori victu degunt malè vestiuntur, durius cubant, minùs dormiunt, sæpe in squalore, paupertate & contemptu, quasi in stramine aut sepulchro vivunt; unde eorum vivendi ratio ab injustis reputatur insania & finis inhonorus, uti Sap. 5. dicunt: *Vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore.* At verò in die judicii demonstrabunt vigorem & sanctitatem suam dulcesque virtutum fructus suos, tunc virore suo gratiæ & gloriæ conspicui audient ab injustis: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est* ubi ibidem subdunt. Hoc est quod Apostolus ad Coloss. 3. dixit: *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Bene autem Apostolus ait vitam justorum hic absconditam esse cum Christo. Christus enim duplicem vitam seu duplex regnum habuit, unum ligneum & felleum, alterum aureum & melleum. De priore dicitur Psalm. 95. v. 10. *Dominus regnavit in ligno*, quando scilicet factus pro nobis *maledictum*, è ligno crucis throno jus orbi dixit. De posteriore dicitur Psal. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est*; quando nimirum resurrexit, in cœlum ascendit, indeq; ad judicium descendet. Pari modo justi nunc in ligno & felle vivunt, interim tamen per gratiam regnant: at in die judicii regnabunt in decore. *In venatum iit* (ita scribit noster Jeremias Drexelius lib. 2. de cœlo cap. 17.) *Maximilianus I. Imperator, sequi debuit ex more suum dominum argentea supplex. Cùm autem viæ impeditiores occurrerent, ita ut insuper erraretur, argentum mensarium stato tempore haberi non potuit. Idcirco Cæsari catellis partim testeis, partim ligneis cibi fuerunt inferendi, cum præfatione, argenteas patinas brevi adfore; vellet tantisper ligneis non indignari. Idem nos monendi sumus. Regnum Christi nunc ligneum toleremus, succedet aureum. Si sustinebimus, & conregnabimus.*

II. Arboribus *reliquis*, inquit Plinius lib. 16. cap. 26. *sub folio pomum, ut protegatur, excepta fico, cui folium maximum umbratissimumque, & ideò supra id pomum.* In hac vita justi & injusti tegunt velut arbores reliquæ, (præter ficum) opera & acta sua: justi folio humilitatis, ut à vana gloria protegant: injusti ut à pudore & infamia, vel etiam ultricis justitiæ gladio sua tueantur, folio nequitiæ, hypocrisis, simulationis, fraudum, aut tenebrarum, quibus latenter delinquunt, furantur, vulnerant, occidunt, mœchantur, fornicantur. At verò inchoante vita altera in judicii die, tam hi quàm illi gerent fructus operum suorum quo modo fici, non jam infra foliorum umbras, sed supra folium in aperto, ut toti mundo clara & conspicua fiant. Hoc est, quod Lucæ 12. Dominus ait: *Nihil opertum, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.* q. d. Calumniantur quidem vos & acta vestra Judæi quemadmodum & mea, quasi opera Luciferi & Beelzebub patrata, adeoque diabolica aut stulta; verùm Deus tandem in die illa prodet vestram innocentiam, pietatem, religionem aliaque opera bona, velut in Deo facta. Unde Vener. Beda eum locum explicans: *Ne æmulamini simulatores,* inquit, *quia veniet profectò tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reveletur hypocrisis.* Hoc est, quod Psalm. 49. minatur injustis Deus: *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* De quo S. Bernardus in Declam. super *Ecce nos reliq.* ait: *Quid illud confusionis erit, quid miseriæ, quid doloris quando dissipatis foliis & dispersis universa nudabitur turpitudo, nudabitur ignominia, sanies apparebit?* Idem prædixit improbæ civitati Ninive, per Nahum c. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam.* q. d. revelabo scelera & admonitiones tuas, quas veste nequitiæ aurea tegebas, & exponā eas derisui toti mundo, ut te abominentur, & mille diris devoveant. Adhæc peccata, quæ quis in confessione tegit folio pudoris vel excusationis (uti primi nostri parentes in peccato deprehensi) aut malitiæ vel culpabilis etiam oblivionis; in die judicii geret supra folium & ostendet toti mundo; cujus exemplum, in particulari judicio exhibitum, refertur in vita S. Guidonis Abb. Pomposiensis apud Sur. ult. Martii his verbis: *Eodem tempore alius frater, qui Bertholdus dicebatur, cùm propinquus morti tardè admodum animam efflaret, conscientiæque stimulis pungeretur, benignitate Dei & precibus S. Guidonis sibi redditus est. Rogantibus autem fratribus quid sub iis tam diuturnis mortis angoribus vidisset: Vidi, ait, dæmones adversum me sævientes & peccatum quoddam mihi objicientes: Cùm enim in sæculo degerem non nisi unam didici incantationem, qua usus fui, sed ea jam planè etiam ex animo exciderat. Hanc solam illam mihi procaces spiritus horrendum in modum objecerunt: sed virtute Christi, atque orationibus sanctissimi patris Guidonis vestrisque profligati, tristes abscesserūt. Deinde accepta pœnitētia in pace perpetua illicò quievit.* Latuit hujus peccatum, sub folio oblivionis: & tamē proditum fuit obstititque ejus saluti: quia scil. vincibilis, ut videtur, erat: sive ea crassa fuerit, quà peccatum suum non æstimavit: siva affectata qua investigare noluit. Vicissim justi opera sua, quæ nunc mali calumniantur, quæque ipsi ex humilitate tegunt, tunc ostendit mundo velut sancta & in Deo facta adeoque laude dignissima. In cujus rei confirmationem edidit Deus specimina

crimina aliquot cum quibusdam justis in hac vita. Qua de re S. Chrysostomus in prædictam Domini sententiam homil. 25. Op. imperf. *Moyses*, ait, *fuit celatus in Ægypto, dictus est filius Ægyptiæ. Quasi homicida fugatus est, quasi mercenarius contemptibilis, ovium factus est pastor. Nũquam est manifestata sanctitas ejus, nunquam est coronata innocentia ejus. Ecce qui pastor ovium fuerat irrationabilium, factus est Dux populi gloriosi. Qui quasi homicida ex Ægypto egressus, posteà ingressus est judex sanctorum, jam non filius Ægyptiæ, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit bene nutriendo facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus. Qui Pharaonem Regem quasi captivus anteà timuerat, postea illum ducem plagis, quasi servum obnoxium castigavit, quia nihil est opertum, quod non reveletur. Ioseph celatus est in Ægypto, quasi adulter accusatus est, castitatis custos fidelis. Nunquid non est manifestata innocentia ejus? Qui quasi maleficus in carcere fuerat, quasi Propheta eductus est. In unius pueri vindicta totus mundus flagellatus est. Et quem sacerdos Putiphar primum quasi adulterum uxoris suæ condemnaverat, posteà gloriosum generum in cubiculum suum locat. Absconditi fuerunt & tres pueri in Babylonia, & quasi contemptores Regis sunt accusati pro crimine, ad quorum interitum jussum est, ut caminus accenderetur septies amplius quam solebat: non quia ad comburendam carnis naturam tantum incendium necessarium erat; sed quia tantum insanientis Regis iracundia suggerebat. Et quid ignis in suo camino, furoris spiritu percussus corrigit? Et perdito suæ virtutis calore, specie sola ardebat, ut incorruptibilem integritatem eorum corruptus ignis ostenderet, & ardentiorem fidem eorum ardens flamma ostentaret, ipsa natura sua clamans, non in voce: quia nihil occultum, quod non sciatur. Sed vos sustinete introitum injuriosum, ut habeatis exitum gloriosum.* At horum justorum innocentia & virtus in hac vita paucis tantùm in futuræ illius manifestationis, toti mundo exhibendæ præludium ostensa fuit, in die verò judicii patebit toti mundo virtus piorum.

Trip. Dom. 3. Advent. D. 3. B. 5.

III. Sancti paulatim magis in Ecclesia deficiunt.

III. *Ficui serius folium nascitur quàm pomum*, inquit Plinius loco cit. Arbores cæteræ priùs protrudunt folia, postea fructus suos: ficus contrà priùs fructum, quam folia. Quid hoc significat? Fructus in SS. litteris opera bona, folia verò verba significant; ficus arbor totam Christi Ecclesiam. Hoc ergo præmittit fructus, gignens viros sanctitate conspicuos, mundo contra vitia luctanti (luctatorũ enim cibus olim erant ficus teste Plin. l. 23. c. 7.) salubres, Christo agonothetæ nostro dulces & acceptos. At verò paulatim effœta evadit ficus illa, & ad finem mundi non gignet ferè nisi folia seu homines, qui inanes sanctitate, solo nomine Christiani erunt. Id videtur indicasse Christus quando ad finem vitæ suæ mortalis, triduo ante mortem suam maledixit ficui, quæ non habuit nisi folia, cùm in ea fructum quæreret, eaque maledictione eam arefecit. Matth. 21. Denotavit ea ficus Ecclesiam extre-

mis temporibus sterilem futuram, & sola professio
ne Christianos (plerosque saltem) habituram, u
scribit Origines in eum Matthæi locum tract. 1
Esurit, inquit, *Iesus semper in justis, volens mand*
care fructum Spiritus sancti in eis: & sunt ejus esc
ut ita dicam, ficus, quas esuriens edit, id est, charit
ejus, qui eam fructificavit, qui primus fructus est Sp
ritus sancti, & gaudium, & pax, & patientia,
reliqua. Quæ quidem quamdiu fructificamus, non a
scimus. Si autem venienti domino & quærenti h
jusmodi fructum ut manducet in nobis, non exhibu
rimus, dicet ad nos: Nunquam ex vobis fructus nas
tur in sempiternum. Et vide, quoniam secus vi
erat hæc ficus, quæ folia tantùm habuit sine fruc
Sic enim & terra, quæ secus viam est, licet fu
seminata, nullum fructum producit, diripientib
volucribus semina seminata. Quamdiu ergo non ve
Iesus ad aliquam ficum, nec quærit fructum ejus,
patienter agit, & sustinet si fortè proferat fruct
non exsiccatur. Si autem venerit esuriens, & fruct
requirens & inventus fuerit aliquis nihil just
habens, nisi professionem tantummodò fide, quod
folia sine fructu, mox exsiccatur, etiam hoc ipsum q
videtur fidelis amittens. Et est multos in Ecclesia
dere tales, qui multo tempore portaverunt fidei
men, ostendentes tantummodo quia vivunt, omn
autem sunt sicci. Quos quia non fructificabant, vi
mus recedentes à verbo Dei ad plenum, & sic
Accedit manifestum Christi testimonium Ma
24. ubi de ultimis temporibus loquens, ait: *Quo*
abundavit iniquitas, refrigescet charitas multoru
Certè refrigescet, quoniam tunc hyems erit, qu
sequetur ver resurrectionis & alterius vitæ, pe
cum germinantem descriptum. Idem attesta
Apostolus 2. Tim. 3. *in novissimis diebus*, inquit,
stabunt tempora periculosa, & erunt homines sei
amantes, &c. habentes speciem quidem piet
(ecce tibi folia ficus) *virtutem autem ejus ab*
gantes, (en defectum fructuum.) Et certè ap
ret etiam Ecclesiã ad hanc sterilitatem prope acc
sisse, quæ tot jam alit filios, sola professione Ch
stianos & veriùs politicos, speciem quidem piet
habentes, virtute autem carentes. Sed quid hæc
bor expectet nisi id, quod evenit ficui, foliis ve
tæ, fructibus nudatæ? ut videlicet à Christo ma
dicta, folia etiam abjiciat, & virorem omnem p
dat atque exarescat? Videmur jam sentire ex pa
maledictionem illam, dum Ecclesiam tot bellis
testinis exagitari & exhauriri ab ipsis membris s
cernimus.

IV. *Admirabilis est pomi hujus* (ficus) *festin*
tio, unius in cunctis ad maturitatem properantis
natura, inquit Plinius lib. 15. cap. 18. Appropinqu
etiam magna festinatione dies judicii, ut passim
scripturis legimus, uti Deut. 32. v. 35. *Iuxta est*
perditionis & adesse festinant tempora. Jacobi 5. v
Ecce judex ante januam assistit Apoc. 22. *Ecce ve*
citò, & merces mea mecum est, dare unicuique secu
dum opera sua. Quod inprimis verum est de judi
ulti

ultimo die, qui magnis passibus appropinquare nō dubitatur, variis ex argumentis; deinde verissimum de particulari cujusque judicio, quod non aliter cuique ac universale illud timendum est. Nam *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur*; inquit S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium; concluditque: *Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus: imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies.* Notent hoc illi, qui judicii diem longè à se abesse autumant atque idcircò liberiùs peccant: tam propè enim adest eis; quam propè adesse mors potest. Degebant aliquando Romani in magna securitate cùm non nisi Carthaginenses sentirent hostes, longiùs remotos, tota scil. latitudine maris mediterranei. Veriùs Cato sapientissimus *perniciali odio Carthaginis flagrans*, inquit Plinius l. 15. c. 18. *nepotumque securitatis anxius, cùm clamaret omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum; ostendensque patribus: interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Cùm inter omnes recens esse constaret: Atqui tertium, inquit, ante diem scitote deceptum Carthagine: tam propè à muris habemus hostem; statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est.* sic ille. Idem cum Romanis illis sentiunt multi juvenes, longè se videlicet distare à mortis spiculis; vasto annorum spatio; non vident, quòd uti mare mediterraneum navibus percurri intra triduum potuit, sic etiam mors ad ipsos brevissimo temporis spatio adnavigare queat. Non latuit hæc res strenuum illum ducem, Simonem Machabæum, qui *ædificavit super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, & circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omibus navigantibus mare.* 1. Machab. 13. v. 28. & 29. Cum regiæ majestatis insignibus naves conjunxit, ut vitæ humanæ fugacitatem atque imprimis fratrum suorum præmaturam mortē, quasi navigio abreptorum, omnibus hujus mundi mare sulcantibus, considerandam proponeret. Non latuit etiam hoc Jobum qui dixit: *Dies mei pertransierunt quasi naves poma ferentes.* Et qàm celeriter hæ naves volant? Qui prudenter loquuntur, triduum solent appellare cursum vitæ suæ communi illa proemia: Die drey Tag / die ich noch leb. Eodem modo Christus Luc. 13. *Dicite* inquit, *vulpi illi*: denuncianti sibi vitæ periculum & insidias) *Ecce ejicio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor.* h. e. modico tempore, post tres menses Porrò hanc præmaturam mortis obreptionem timere inprimis debent, qui dies suos malè & otiosè transigunt. Quemadmodum enim ficus, quæ non maturescunt, nec dulcescunt, ex arbore excutiendæ sunt, ne arbor depravetur aut exarescat (uti observat Columella l. 3.) ita ex hac vita exturbari solent morte immatura, qui depravatè vivunt, ne aliis oneri simul & nocumento sint; quod multa experientia vel ipse ego didici; & satis indicat Dominus in parabola illa ficus, quæ triennio sterilis exscindi jussa est, quòd terram frustrà occuparet. Luc. 13. Idque etiam Gentiles experti sunt, ut ex Martiale colligimus, qui cecinit: *Immodicis brevis est ætas & rara senectus.* Quin etiam diem judicii citiùs opinione hominum & rerum natura ob scelera mortalium adventurum, & finem mundo imponendum, indicat S. Joannes Apoc. 6. cùm ultima illa tempora comparat ficui, quæ *emittit grossos suos* (græc. ὀλύνθους, h. e ficus immaturas) *cùm à vento magno movetur*, non secus ac in diluvio factum, ut observat Cornelius in Apocal. 6. v. 3. ex Hieronymo, Chrysostomo, & Hugone, qui sentiunt præfixo diluvii termino, scil. 120. annorum, ob peccata hominum demptos 20. fuisse.

V. *In ficu mirabiles sunt etiam abortus, qui nunquam maturescunt*, inquit Plinius l. 19. cap. 25. Abortus sunt foetus imperfecti, qui ad maturitatem non perveniunt, & designant improbos ac perversos judicio & voluntate, qui omnes Dei minas spernūt, eludunt ac derident quasi inanes: adeoque nec judicii diem metuunt; de quibus S. Petrus epist. 2. cap. 3. vaticinatur: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.* Quinam verò isti, nisi libertini & politici planè Athei, qui suis immersi voluptatibus Christi ad judicium adventum nec credunt nec timent, quemadmodum nec animæ immortalitatem? Abortivi isti, quia perversum habent judicium & mentem voluptatibus absorptam vix unquam maturescunt, nunquam corriguntur, ut de ipsis dictum videatur Prov. 27. *Si contuderis stultum,* (excæcatum induratum, incredulum) *in pilia quasi ptisanas* (h. e. hordeum decorticatum Septuag. vertunt massas ficuum) *feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Solebant veteres ficus viles & fatuas in massas contundere in usum mancipiorum, quæ tamen ex contusione nihilo meliores aut dulciores evadebant, tales sunt libertini illi: etiamsi tundantur in concionibus & confessionalibus, nihilo tamen meliores fiunt Quis enim hos tales argumentis convincat, qui fidem & Evangelium derident; quo fræno carnis petulantia coercebitur, si judicium & supplicium aliquando subeundum non credatur? Clamat quidem impiorum conscientia perpetuò sibi metuens eosque accusans: clamat ipsa ratio, quæ si Deum admittat, mundi rectorem, uti sanè debet; negare non potest fore eum æquum, adeoque vindicem bonorum & malorum, quod cùm in hac vita sæpissimè non fiat, utique in altera expectandum est. Clamant idem undi-

V. Polliciti & libertini qui nō credunt diem Iudicii, vix corriguntur.

undique SS. literæ. Verùm his clamoribus libertini aures obstruunt, quò suis desideriis carnalibus & voluptatibus indulgeant: qua ratione *Episcopatus amissi dolore succensus Novatianus schisma composuit*, ait S. Ambrosius l. 1. de pœn. cap.15. & Paulus Samosatenus amore cujusdam mulierculæ defecit à fide; *ut mulieri cuidam*, inquit S. Chrysostomus hom. 7. in Joan. *rem gratam faceret, salutem suam inquiunt contempsisse*. Alii quidam æternitatem pœnarum inferni negarunt, ut suis perditis moribus hanc pollicerentur impunitatem; uti scribit S. Augustinus l. 21. de civit. cap. 18. Isti igitur abortus sunt in ficu Ecclesiæ, abortivi Christiani, qui cùm spem maturitatis non præbeant, quorsum nisi in tenebras abjiciendi erunt? Ibi demùm sapere, serò tamen nimis incipient, & cùm epulone illo oculos elevabunt, judicium & gehennam credent: quemadmodum sensit & confessus est præcipuus quidam vir anonymus, perversæ admodum vitæ uxorem habens devotam, ut refertur à nostro Joan. Busæo tr. de rustic. regim. cap. 1. & Guil. Pepi tr. de Confess. cap. 22. in speculo Exempl. dist. 9. 88. quæ *cum hortaretur eum ad confessionem, dicebat: Non possum confiteri, quia timeo quod gravis pœnitentia dabitur mihi. Cui uxor, Et quomodo sustinere poteris pœnas inferni quæ graviores sunt, quam aliqua pœna hujus mundi? Cui ipse: putas quod infernus sit, aut pœna aliqua, aut diabolus aut vita post vitam hanc? Sacerdotes enim ista invenerunt ut timeantur. Quæ videns, quod nihil proficeret cum eum dimisit in pace. Quadam nocte cùm jaceret in strato suo, dæmones venientes & accipientes ipsum de loco suo, ad infernum portaverunt. Vxor autem videns hoc, quia sancta mulier erat, oravit Deum, ut sibi revelaret statum viri sui. Et ecce manè surgens corpus viri invenit quasi titionem denigratum, et in manu litteram in qua scriptum erat, Iam certificatus sum, quia infernus est, & timor, quem habui ad agendam pœnitentiam, me illuc deportavit.*

IN FESTO DEDICATIONIS.

THEMATA.

I. *Zachæus in pusillo corpore magnus.*
II. *Quare Christus semetipsum invitaverit in domum Zachei.*
III. *Zachæus quia purus, jure merito Dedicationis Festo interest, imò præest.*
IV. *Quâ via Zachæus salutem & eximiam sanctitatem consecutus sit.*
V. *Cur celebretur templi Dedicatio annua.*
IV. *Antiqua Majorum nostrorum Ecclesia longè pulchrior hodierna.*

THEMA I.

Zachæus in pusillo corpore magnus.

I. *Quia stulta plebis sannas & judicia contempsit.*
II. *Quia probris & calumniis nihil motus fuit.*
III. *Quia confiteri se peccatorem non refugit.*
IV. *Quia è laqueis diaboli viriliter eluctatus est, restituendo ablata.*
V. *Quia magnam dare eleemosynam ausus est.*

Ecce vir nomine Zachæus. Luc. 19.

ERit forsan aliquis, qui cogitabit secum verba sancti Lucæ non satis cohærere, dum Zachæum primò appellat virum, *Ecce vir nomine Zacheus*; paulò post verò subdit eum *statura pusillum* fuisse, ita ut in terra stans Christum præ turba videre non posset, ideoque in arborem ascendere coactus sit. Qualis iste vir est, dicet quis, qui staturâ tam pusillus est? masculi appellari solent, non viri qui staturâ pusilli sunt. Sed huic respondendum est virum non à corporis staturâ, sed à vi & virtute denominari. Licet ergo Zachæus staturâ parvus fuerit, vigore tamen animi ac virtute magnus adeoque vir fuit; idque sæpissimè contingit in aliis. Parvus admodum corpore fuit Sabinus ille miles Romanus & ex illis habitudine, ut ne militem quidem crederes, qui se ex omni exercitu obtulit Tito Imper. ad scandendos Jerosolymæ muros, præ omnibus; sed anima quædam heroica in angustiore corpore habitabat ut scribit Josephus, l. 7. de bello c. 4 1. Talis ergo & Zachæus erat, corpore parvus quidem animo verò tam magnus, ut similis ei non esset inter omnes Jerichuntinos. Quod hic pluribus expendemus.

I. Virum esse assero, qui stultæ plebis sannas & judicia spernit, Sic testatur Seneca l. 2. de ira c. 32. Ille,

Ille, inquit. *magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit.* En vobis virum hac in re Zachæum, qui ut videre & nosse de facie Christus, de quo tanta dici inaudierat, posset, non dubitavit, dives licet & puplicanorum Princeps, alios præcurrere & in arborem irrepere puerorum instar, ut desiderio suo frueretur. Factum hoc est VIRI, qui spretis concivium derisionibus, non sine difficultate in Christi notitiam se insinuat. Sicomorus ficum fatuam significat, & crucem, quæ gentibus stultitia est, repræsentat. Hanc à parte rei ascendit Joseph & Nicodemus, viri duo primarii, quando Christum deponere de Cruce non erubuerunt. Conscendit suo modo Constantinus Magnus quando ad honorem duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terræ in dorso suo efferens è fundamento effosso pro structura templi sancti Petri: Heraclius, quando Crucem sanctam à Persis receptam, suis extulit humeris in montem Calvariæ. S. Eduardus Angliæ Rex, quando claudum amore Christi in humeros sublatum gestavit de palatio in templum sancti Petri. S. Stephanus Ungariæ Rex, quando pauperibus eleemosynam distribuit cum evulsione barbæ suæ. Rodolphus Habspurgicus Comes, cùm Vener. Sacramentum equo desiliens & pedibus subsecutus est, sacerdote in equum sublato. Carolus V. cùm in æstu magno idem Venerab. Sacramentum per Augustanam urbem circum gestatum detecto capite comitatus. Qui omnes propter hos heroicos religionis actus maximè celebrantur. Quibus accedat Thomas Morus, Crucem in professione præferens, & ad Missam publicè ministrans. Atque hæc est proba viri Deum amantis. Diogenes cuidam, qui se ejus disciplinæ tradere cupiebat, dicenti: *Impera mihi Diogenes*; dedit frustrum casei portandum. Quod cùm ille detrectans fugeret, postea ei obvians: *En* inquit, *nostram amicitiam parum casei diremit.* Bruson. & Laert. l. 6. Christi etiam discipuli & viri sancti ex humilitate comprobantur & contemptu sui, fuga honoris & laudis: sicut econtrà si videris aliquem, dum negligitur, postponitur vel irridetur dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum, nasum contrahere, frontem rugare, scito hunc non esse sanctum nec magnum, etiamsi miracula faceret, ajebat S. Thomas Aquinas.

II. Vir est, qui non movetur probris & calumniis, quo modo aquila, rex avium non movetur cornicum & psittacorum insultatoriis vocibus. Et hic Zachæus virum sese præstitit, quando obmurmurantibus sibi æmulis & peccata objicientibus, ne verbo quidem respondet: sed spreto illorum convitio ad Christum conversus ait: *Ecce dimidium bonorum do pauperibus, &c.* Vide masculum animum. Primò enim ad calumniā civium, nihil ipsis, à quibus pungitur, respondet; sed contemnit injuriam, ad instar magnarum bestiarum, quæ tangi se non ægrè patiuntur, ut equi, boves, elephantes, cameli, muli, molossi. Unde Seneca lib. 2. de ira cap. 34. ait: *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, ut mures & formicæ; ad quos si manum admoveris ora convertunt. Imbecilla se lædi putant cùm tanguntur.* Tange formicam, murem, vermem, aviculam: mox impetent te morsu: non sic magna pecora, oves, capræ, boves cameli, equi, asini; qui & injurias & verbera patiuntur. Quando Paulus in Melita Insula invasus & admorsus à vipera, non intumuit, sed absque noxa & tumore bestiam excussit, mirati Gentiles, pro Deo ipsum habuerunt. Actor. 28. Morderi injuria & non intumescere ira, sed injuriantem spernere, magna & plusquam humana res est, ac penè dixerim, divina. Magnus ergo est, qui cum Zachæo stomachum struthiocameli habet, & omnes injurias dissimulare & concoquere novit. Quin & hoc pacto gloriosam sui de inimico vindictam capit. Cur enim lædit te inimicus, nisi ut tu doleas? si ergo tu non doleas ob offensam acceptam, dolebit inimicus, quòd operam perdiderit.

2. Retundit & enervat prorsus injuriam acceptam, veluti iniquissimam & in se confictam contrario virtutis suæ specimine. Peccatorem cives arguunt, h. e. fraudatorem seu raptorem, quales ferè erant tunc Publicani. Sed en ille nec verbo nec verbere, sed contrario justitiæ & liberalitatis actu excutit ictum & se defendit. *Ecce* (q. d. modò) *dimidium bonorum meorum do pauperibus.* q. d. Quomodo me accusatis, quòd aliena rapiam, qui etiam mea do pauperibus? Hoc tempore plerique calumnia aliqua tacti, ferro & gladio se ostendere volunt viros probos atque integros. Sed quid gladio cum probitate? Etsi is hostem occidat, num ideò vitio carebit? minimè. Sed si avarus & raptor appellatus, liberalem se demonstret & justum, quemadmodum fecit Zachæus tunc vicit & hostē falsitatis arguit atque convincit. Si heluo vocatus, temperantem & sobrium se exhibeat, tunc calumniatorem mendacii reum ostendit.

III. Vir est, qui hostem, cùm pugnandum est, quantumvis magnum & vastum aggredi nō timet. Jether filius Gedeonis jussus à patre interficere duos Reges Median captos, Zebee & Salmana, non eduxit gladium; quia cùm adhuc puer, h. e. adolescens esset, timuit viros corpore vastos, itaque Gedeon ipse eos interfecit, Judic. 9. Adesdum Zachæe, debes & tu invadere hostem longè te majorem, Dæmonem. Accusaris enim à concivibus de publicis peccatis & injustitia. Audes negare? Testes in promptu sunt. Fateberis coram omnibus? quæ te manebit confusio? En virum Zachæum. Fatetur culpam, tametsi tunc confessio nondum obligabat, etiam privata, & promittit satisfactionem. Sic primo ictu stravit Dæmonem, dum fecit confessionem. Quàm multi sunt, qui cum venitur ad tribunal Confessarii, pueros se ostendunt, dum gladium educere, seque accusare non audent! Verè pueri, quia fictum hostem timent; qualis Abbati Theodosio apparuit, in Prato spirituali cap. 66. Dæmon

III. *Quia cōfiteri se peccatorē, nō refugit.*

ſcilicet ſpecie Gigantis. Juſſus enim ab Angelo pugnam cum illo inchoare ſolùm, ſpe angelici ſuccurſus, mox ad primum ictum monſtrum in fugam egit. Idem eveniret pœnitentibus omnibus, modò gladium educerent. Fecit hoc Zachæus, & ſponte quidem; unde & mox triumphavit.

IV. *Quia è laqueis Diaboli viriliter eluctatus eſt, reſtituendo ablata.*

IV. Vir eſt, qui ex hoſtium laqueis generosè eluctatur, uti fecit Samſon, quando ruptis funibus è Philiſthinorum manibus ſe liberavit, Judic. 15. Fortis Dæmonis laqueus eſt, onus reſtituendi aliena, manus conſtringens. Multi in hoc maſculi & puſilli ſunt, nec abrumpere laqueos Dæmonis volũt, ſimiles columbæ aut palumbi, quæ in tecto vel ramo ſedens, dum præ timore avolare non audet, ſed deliberat, jaculo configitur. De quibus Oſe. 7. dicitur: *Factus eſt Ephraim ſicut columba ſeducta, non habens cor.* Seducta planè à Dæmone, quaſi ignominia ſit reſtituere, cùm ſit potius laude dignum & actus juſtitiæ. Videamus hic Zachæum, an virum ſe præſtiterit. *Siquid aliquem defraudavi, inquit, reddo quadruplum.* Virilis planè & generoſa reſolutio, Sed cur quadruplum? Conſideravit, opinor, Zachæus quadruplex damnum, quod inferre ſolet injuſtitia proximo. 1. injuriam, uſurpando rem alienam. 2. Lucrum ceſſans proximo ex re ablata. 3. Indignationem, cui cauſam dedit. 4. Lachrymas & querelas, quas provocavit in ſpoliatis; uti objecit S. Hedvviges conjugi Uladislao, Poloniæ Regi, promittenti reſtitutionem ſpoliatis dicens: *Pignora quidem agricolis reddetis: cæterùm lachrymas quis reddet?* Cromerus lib. 15. Adhæc Zachæus, *reddo* ait, non reddam: Moyſe reſtituturum indicans. Difficile eſt hoc multis: promittunt enim in confeſſione ſe quidem reſtitutionem facturos; ſed vix aliquando faciunt, dum varios prætextus quærunt & impedimenta ſuperare nolunt. Difficilis res eſt reſtitutio. Quemadmodum enim cibi grati licet noxii facilè & avidè devorantur, ſed non ſine dolore & difficultate evomuntur; ſimiliter uti piſces facilè quidem in ſagenam intrant, ſed egrediuntur difficillimè; quia ad ingreſſum oſtium eſt amplum, ad egreſſum verò anguſtum: ita & aliena facilè ingrediuntur in burſam avari, ſed difficilè revertuntur. Timeant, qui moras in reſtitutione trahunt uſque ad mortem, quando jam reſtituere nequibunt, ne in ſagenam Dæmonis nimis facilè ingrediantur, ſed exire non poſſint amplius. Multi nobiles, ut ſplendidè vivant, maxima debita contrahunt, quæ nec in vita ſolvere curant, nec in morte poſſunt: unde magno ſalutis ſuæ periculo diſcedunt ex hoc mundi hoſpitio, non ſalutato hoſpite. Zachæo meritò adjungo Carolum V. Imper. qui capto Franciſco I. Galliæ Rege, ſæpius dicebat: *Etſi totum Franciæ regnum debellaſſem, redderem illud Regi, modò id, quod meum eſt, mihi relinqueret.* Auct. vitæ ejuſdem.

V. *Quia magna*

V. Vir eſt, qui magna elevare pondera poteſt. Qualis etiam Samſon fuit, qui portas urbis Gazæ ſuſtulit & in montem aſportavit. Judic. 16. Potuit hoc Zachæus, qui non parva & maſcula ſed vili manu liberaliſſimam dedit eleemoſynam in compenſationem injuſtitiæ ſuæ. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Accuſavit Judas Magdalenam, quod 300. denariorum unguentum effuderit ſuper caput ejus, quaſi nimis prodigam, ſed Chriſtus, tantum abeſt, ut prodigalitatem ejus arg-ueret, ut etiam parcitatem excuſaret, eo quod plus non habuerit: *Quod habuit hæc, fecit,* inquit Mar. 14. quaſi dicat, prodigalitatem ejus accuſas, parcitatem potius carpere debebas, ſed excuſo eam, quia plus quod daret, non habuit, ut notat Cajet. opuſc. qu. 1. Quod pauperibus damus, Deo damus, largè igitur dandum. Sinitæ in Deos ſuos parci admodum ſunt, de porcino capite dant imas auriculas, reliquorum altilium ungues, vini guttas aliquas in aram ſimulachro effundunt: cæteras dapes ipſi cum tripudio abſumunt. Maffejus l. 6. Ind. hiſt. Ita ferè avari peſſima quæque & viliſſima dant pauperibus. Pumiliones ſunt & infantiles manus habent; quia non audent plenam manum marſupio inferre, ut largam dent eleemoſynam: duos duntaxat digitos & hos timidè immergũt. Virilem manum habuit Sanctus Oſvvaldus Angliæ Rex; qui cum Epiſcopo Lindisfarn. Sancto Aidano in menſa ſedens, ubi audivit multos pauperes foris expectare eleemoſynam, juſſit è menſa dapes efferri pauperibus, ſimulque diſcum argenteum, in quo appoſitæ erant, frangi & diſtribui illis. Ergo Aidanus apprehendens manum ejus ait: *Numquam inveteraſcat hæc manus.* Quod & factum, nam occiſo ipſo in prælio, reliquum ejus corpus putredinem ſenſit, manus verò illa ſemper integra & incorrupta manſit. Refert Ven. Beda l. 3. hiſt. Angl. Non aliter egit & hic Aidanus eod. l. Nam cum S. Oſvvaldo Oſvvinus frater in regno ſucceſſiſſet, & S. Aidano equum ſpecioſum pretioſumque, ne pedes cogeretur incedere, donaſſet; paulò pòſt Aidanus, cùm pauperi eleemoſynam petenti obviaſſet, deſiliens equum, ita ut erat ſtratus magnificè, donavit. Audiit hoc Oſvvinus & ingreſſuro ad prandium ait: *Quid voluiſti Domine Antiſtes, ut hunc equum, quem tibi pro ſingulari dono dedi, pauperi dares? numquid non habui viliores equos aliaque munera, quæ pauperibus ſufficerent?* Cui Epiſcopus, *Quid loqueris Rex? Numquid iſte filius equi charior tibi eſt quam ille filius Dei?* Movit hoc verbum Regem, ut daret ſancto poteſtatem de ſuo etiam theſauro exponendi in pauperes, quantum vellet. Bene ergo S. Chryſoſt. hom. 37. ad popul. ait: *Non dare, ſed cum copia dare, eleemoſyna eſt.*

Vidimus quanto jure Zachæus licet corpore puſillus, vir tamen appellatus ſit. Talis igitur & nos ſimus. Philiſthæi certè quando audierunt Hebræos ex advecta Arca ſua ad pugnam contra ſe animatos, ipſi quoque ſeſe invicem ad reſiſtendum excitarunt, dicentes: *Eſtote viri, Philiſthæi,* 1. Regum 4. Audivimus nos Zachæum in præſentia Chriſti præbentem ſeſe virum; ſumamus & nos animos, ipſius

ipsius exemplo: *Estote viri*, ô Christiani, in patientia derisionum, in contemptu calumniarum; in expugnando Dæmone; in ejiciendo Mammona, in præstandis eleëmosynis, ut & de vobis dici queat: *Ecce vir, nomine Zacchæus*, nomine Petrus, nomine Paulus, nomine Joannes, &c.

THEMA II.

Quare Christus seipsum invitaverit in Zachæi domum.

I. *Quia sciebat uberem hospitii sui mercedem.*
II. *Quia viderat affectum & promptam Zachæi voluntatem.*
III. *Quia ingressus Christi ad nos, ad salutem consequendam nobis necessarius est.*
IV. *Quia vidit morbum Zachæi valde periculosum.*

Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, Luc. 19.

Mirari aliquis posset, quam ob causam Christus Dominus ad Zachæi domum potenti voce seipsum invitarit, non expectatâ Zachæi invitatione, neque precibus. Id enim alias numquam legitur, fecisse, sed vel ab invitantibus rogatus esse; vel certè ipsemet priùs humaniter rogasse, uti in cœna ultima. Adhæc parum civile vulgò reputatur, si quis ad mensam alterius seipsum invitet; nisi fortè sint amici intimi aut valde familiares; quod sanè hic non erat, siquidem Zachæus fraudator & sycophanta (ut Græcè habetur) erat, & Christum non noverat, quem videre saltem cupiebat. Magnæ igitur hujus rei causæ esse debent; quas hic inquiremus.

I. Primam adfert sanctus Ambrosius lib. 8. in Lucam: *Se non invitatus invitat*, inquit, *sciebat enim uberem hospitii sui esse mercedem.* Bene possunt Principes divertere quocumque & ad quoscumque volunt; quia hospitii mercedem liberaliter solvere consuescunt. Bene poterat Conradus II. Imper. in venatione divertere ad Guilielmum Plebanum in Cazenhausen, seque invitare ad cœnandum & pernoctandum in ejus domo, neque id gratè erat paracho, quia spes erat tantum hospitem offeram hospitalem munificè persoluturum) quòd fecit, creando eum Episcopum Monasteriensem, teste Cranzio Metrop lib. 2. capite 29. Noverat utique jam ex fama Zachæus, quanta beneficia Christus passim aliis elargitus esset, etiam immeritis; quid ergo non sperare à tanto hospite poterat? Neque spe sua delusus est; nam & salus domui ejus facta est, & ipse postea à sancto Petro Episcopus Cæsareæ Palæstinæ ordinatus est; uti refert sanctus Clemens libro primo & tertio de cognitione. Sic & Elias minimè invitatus tempore famis ad Sarepthanam venit, ut ejus mensa frueretur: ac licet ipsa protestaretur se non habere nisi pugillum farinæ, quo suam & filii sui sustentaret vitam, petiit nihilominus, ut prius sibi ex ea panem coqueret, *Mihi primum*, inquit, *fac de ipsa farinula panem.* Quod non solùm inurbanum, sed etiam inhumanum & crudele apparebat: exigere nimirum panem à vidua, ipsius & filii vitæ extremè necessarium. Id tamen non movit Prophetam; præviderat enim farinam viduæ in mercedem eleemosynæ adeò cumulandam ut numquam deficeret, quoad pluvia cœlitus data fames cessaret. 3. Regum 17. Possunt itaque pauperes audacter mendicare à divitibus, quia largè eis retribuet Deus, ut dicebat sanctus Franciscus, cum suos mendicatum mitteret.

II. Secundam addit sanctus Ambrosius loco citat. *Sed tamen*, inquit, *etsi nondum vocem invitantis audierat, jam viderat affectum.* Viderat se Zachæi humili desiderio jam invitatum, dicentis intra se: O fælicem nostram terram & nationem, quæ talem ac tantum nacta est Prophetam! O si hunc sanctissimum virum videre saltem possem! O si vel digito uno fimbriam ejus tangere! Quàm beatus ille, ad quem hodie divertet! fælix illa domus tanto digna hospite. Ad me enim diversurum tantum abest, ut credere possim, ut ad infimum quemque demissurus se potius sit; & satisfactum mihi existimem, si vel transeuntem aspicere queam. Hæc enim demissio potentissimum erat vinculum, quo Christum ad se non tam invitavit, quàm intrare compulit. Solent enim pluviæ in valles potissimùm descendere, non in præaltos montes. *Ad quem respiciam*, ait Dominus, Isa. 66. *nisi ad pauperculum, seu humilem*, uti vertit Vatablus. Eadem demissione traxit ad se Dominum Centurio, dum se indignum protestatus est, cujus tectum is subiret. Matthæi capite octavo. Descendit enim ad eum, cùm ab illo prohibetetur, (licet ejus legati rem aliter proponentes, descensum ejus peterent.) non descendit ad domum Reguli, cùm ab eo rogaretur; quia hic se dignum, ille verò indignum tanto hospite judicabat. Ludovicus XI. Galliarum Rex dono acceperat decem millia coronatorum, (quoties autem Principibus obtigit nova pecunia, venantur omnes officiarii & captant aliquam prædæ partem, quod non fugiebat Ludovicum.) Quum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa; Rex quo magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circumstantibus: Quid? an non videor vobis Rex opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia est, donari vicissim convenit. Ubi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, priusquam effluat.

II. *Quia viderat affectum & promptã Zachæi voluntatem.*

fluat hic thesaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti; nemo non sibi sperabat aliquid. Rex quum vidisset aliquem maximè inhiantem & jam oculis devorantem pecuniam, ad eum conversus: Amice, inquit, quid tu narras? Ille commemorabat se diu aluisse falcones regios summa fide, nec sine gravibus impendiis: alius aliud adferebat: suum quisque officium verbis, quantum poterat exaggerabat, idque non sine mendaciis. Rex omnes benignè audiebat, & singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus, quo diutius spe metuque torqueret omnes. Adstabat inter hos primos Cancellarius; nam & hunc jusserat acciri. In cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conversus Rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat sua officia? Ego, inquit Cancellarius, plus accepi à benignitate regia quàm promeruerim, nec ulla de re magis solicitus sum, quàm ut regiæ in me munificentiæ respondeam: tantum abest, ut velim flagitare plura. Tum Rex. Unus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, jam tua præstitit benignitas. Ibi Rex versus ad alios: Næ ego sum, inquit, Regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hic magis accensa spes est omnibus, futurum, ut pecunia cæteris distribueretur: quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum, ubi satis diu lusisset Rex, coëgit Cancellarium, ut totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad cæteros jam mœstos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occasio. Refert Majolus tom.1. Dierum Canicul. Probabile est Primores urbis Jericho prius laborasse & sua merita prædicasse, quo Christum in domos sua præ cæteris pertraherent: verum Zachæi humilitas præponderavit omnibus. O magna humilitatis potentia! Simili demissione & modestia latro ille bonus devinxit sibi Christum & obtinuit ab eo paradisi communionem, quando suam vilitatem considerans, nihil aliud ab eo præter sui memoriam petiit: ut vel post aliqua sæcula qualemcumque gratiam ab eo reciperet. Hac ergo ratione quisquis se indignum Dei donis æstimat, hoc ipso dignus fit.

III. *Quia ingressus Christi ad nos, ad salutem consequendam nobis necessarius est.*

III. Tertiam affert sanctus Petrus Chrysologus sermone de Zachæo 54. Quia *cujus domum*, inquit, *non intraverit Christus, ille ad divinam non perveniet mansionem: & cujus hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet ad mensam.* Intrat domum nostram & inhabitat Christus per gratiam: quod omninò necessarium est, si intrare velimus ipsius regnum beatissimum. Jam verò ut per gratiam ad nos intret, prævenire non sua clementia & gratiæ auxilio adeoque excitare, itaque seipsum quodammodò invitare debet. Unde Apoc.3, scribit Episcopo Laodiciæ: *Ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illam & cœnabo cum illo.* Pul
per gratiã excitantem, quæ est supernaturale au
lium torpentem & quasi dormientem voluntate
excitans, ut prosequatur bonum, quod ei offertu
Qui cum admissus fuerit per consensum, ostiu
quasi referantem, tunc intrat & inhabitat cor h
minis per gratiam sanctificantem. Non exisset
incendio Sodomæ Loth, sed amore patriæ amœn
simæ inibi hæsisset, nisi Angeli manu injecta eu
eduxissent. Gen.19. Non evigilasset è somno P
trus, vinctus in carcere, nisi eum Angelus percu
latere excitasset. Actor.12. Nunquam prodigus
lius ad patrem rediisset, nisi fame & frigore pu
satus fuisset. Sic etiam peccator creaturarum am
re & peccatorum vinculis perpetuò adhæreret, n
eum Dei gratia præveniens inde extraheret. Neq
Zachæus Christum in domum suam suscepisset n
benignissimus Dominus seipsum invitasset. Ho
rendum igitur est in peccatum cadere; quandoqu
dem per seipsum nequis resurgere. Pulsus verò i
interdum remissus, interdum valde potens est, q
indicat verbum illud, *Oportet.* Quia enim divit
qualis erat Zachæus, plerumque in suis opibus pr
fundè indormiunt, seria excitatione indigent. Id
Dominus Zachæo: *Hodie in domo tua oportet m*
manere, quasi dicat, hodie me hospitem domi tu
habebis: nisi valde incivilis esse, & famam tua
prostituere meque confundere velis. Hac tam
adeò potenti & speciali gratia non omnes voca
sed *quibus vult miseretur* in hunc modum. Adha
non omni tempore peccatorem excitat, sed cu
ipsi placet, ideo quamprimum, ubi pulsum ejus a
dierimus, aperiendum ei cordis ostium: metue
dum alioquin, ne fortè pulsus ille sit postremus. S
nè nisi Zachæus primæ vocationi mox aures ap
ruisset, utique periisset, quia Dominus per Jerich
non erat amplius transiturus. Hoc ergo quivis c
gitet. Quid si hæc mea vocatio & exercitatio sit ul
tima? Actum de me tunc erit, nisi mox paruero.

IV. Quartam esse reor; quia vidit Dominu
morbum Zachæi admodum periculosum, qui Me
dici præsentia & cura egeret. Ideo instar Medic
ægrotum sponte accedit; quasi ei dicens: Potio ti
bi sumenda, vomitorium procurandum est; qu
iniqua bona expuas, ut vitam serves: scindi & ur
debes; quare mea præsentia tibi necessaria est: ni
perire velis. Laborabat; ut colligitur ex Evange
lio, Zachæus avaritia & injustitia: quarum illa nor
nisi eleemosynarum largitione, hæc verò alieno-
rum bonorum restitutione curari potest. Itaque
Christus suam præsentiam velut medicam potio-
nem Zachæo vidit esse necessariam, qua maligni il-
li humores ejicerentur & curarentur. Quod & a-
ctum fæliciter, dum Zachæus à potione sumpta sta-
tim humores illos expuens: *Ecce*, inquit, *dimidium*
bonorum meorum do pauperibus, (En sanatam ava-
ritiam) *& si quid aliquem defraudavi, reddo qua-*
druplum. (En sanatam injustitiam.) Hinc igitur a
Do-

Dominus: *In domo tua oportet me manere*, quasi alia via curari non posset. Multi existimant se avaritiam curare non posse precibus: injustitiam eleëmosynis, piis legatis, templorum dotationibus, &c. conscientiam gravis alicujus peccati sopire conantur peregrinationibus & similibus. Similes illi Achæo stulto, qui ollam fictilem capiti dormiturus subjiciens, cùm duram nimis deprehendisset, plumis replevit: apud Eustachium Odyss. o. Verùm nihil efficiunt: potionem medicam, illi morbo congruam, suscipere oportet: ita eis salus fiet. Fugiunt quidem ægri sæpe Medicum & medicinas velut sibi noxias & contrarias: nolunt uri & scindi; sed ubi his medicamentis adhibitis tandem convaluerunt, tum gratias agunt Medico: quo modo Arcadius Imperator cùm in pueritia cæsus semel fuisset ab Arsenio Præceptore, graviter quidem tulit, ita ut necem machinaretur Magistro: at verò in adulta ætate beneficium agnovit eique gratias egit. In vita sancti Arsenii apud Surium 19. Julii. Quisquis igitur sapit, quisquis domui suæ salutem exoptat, Medicum salutis libenter admittat, etiam importunum & minimè invitatum; quin & gratias agat, & quotidie oret, ut nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates.

THEMA III.

Zachæus quia purus, jure merito Dedicationis Festo interest, imò præest.

Quia purgavit domum suam à jurgiis.
I. Purgavit eam ab injustitia.
II. Expiavit & ab aliis peccatis.

Hodie salus domui huic facta est. Luc. 19.

Audiuntur interdum aliqui parum modestè jocari in Beatum Zachæum, quasi amet interesse festivis Dedicationum diebus, adeò ut sine ipso illa celebrari Dedicatio queat: Zachæus muß bey den Kirchweyhen seyn; quia nimirum Evangelium hujus festi ipsum proponit, veluti Christi hospitem & domus suæ reformatorem. At vero hoc quàm sapienter fiat, discere non ab Hebræis solum, sed à Gentilibus etiam possumus. Solebant Hebræi festivis suis conviviis aliquem præponere Architriclinium, qui, ut scribit sanctus Gaudentius, & ex eo Baronius, esset unus è sacerdotibus, moribus & vita gravis, qui non modò mensæ sed & disciplinæ curam durante convivio haberet, ne quis exorbitaret. Idem apud Gentiles receptum fuisse scribit Varro libro vigesimo, & Macrobius I. Saturn. capite primo. qui præfectum illum, *convivii dominum & Moderatorem* vocant; alii, ut Cornelius Tacitus, *Regem convivii*, alii *Symposiarcham*. Hujusmodi Architriclinum vidit Ecclesia esse necessarium Dedicationis festo, quod inprimis lautiore epulo & publicis aliis gaudiis celebrari solet. Dedit igitur nobis Zachæum, cujus vel ipsum vocabulum, quod *purum* sonat dignum ostendit, qui huic Festivitati præsit, adeoque eam, uti & domos nostras ab omni impuritate expurget, quemadmodum ipse suscepto Christo Domino hospite expurgavit suam.

I. Zachæus expurgavit inprimis domum suam à jurgiis & contentionibus. Cum enim ejus concives objecissent ipsi peccata sua, murmurantes quòd ad hominem peccatorem Christus divertisset: nihil eis respondit, sed præcisè ad Christum dixit: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* hoc responso civium murmur & glicentem contentionem sopivit adeoque os eis obstruxit. Frequentia sunt in Dedicationum diebus jurgia & rixæ, præsertim inter rusticos. Qua de causa olim Germani dicebant: Den Bawren soll man ihre Kirchweyh allein lassen; eò quod sine jurgiis vix hoc festum transigant. Purissima Dedicationis solemnitas magnoperè turbatur ejusmodi discordiis. Quare expurganda est, & quo meliore modo, nisi quo Zachæus usus est? Arguunt te aliqui quòd sis ebriosus. ipsum te redargue, sobrium te monstrando. Alius calumniatur te avarum & Euclionem esse; retunde tu ictum, & ostende te liberalem, in egenos misericordem. Sic omnem dilues calumniam & delebis maculam, longè efficacius, quam si pugnis aut contumeliis te ipsum ulciscaris. Sanctum Athanasium accusarunt quidam ejus æmuli, Ariani quod Arsenio lectori amputasset manum. Qua ratione Athanasius sese defendit? non retundendo calumniam, nec in accusatores retorquendo aut vicissim alias ejaculando: sed produxit Arsenium in Concilium, jussitque eum depromere ambas manus suas, sanas & illæsas? sic confudit inimicos potentissimo argumento; ut in ejus vita. Pari modo tu convinces calumniatores tuos, si teipsum stiteris, non qualem te calumniantur, sed planè contrarium.

I. Quia purgavit domum suam à jurgiis.

II. Expurgavit domum suam à bonis injustè partis, quæ adeò quidem sunt immunda, ut etiam justa maculent, si eis misceantur. Ita enim Sanctus Chrysostomus homilia 57. in Matth. *Quod justis, inquit, laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos fœtus plerumque contamines, quasi quis fœcundum cogat uterum scorpionem parere.* Qui noxium aliquid in stomacho gerit, expurgare illum debet: qui crudum & indigestibile quid comedit, evomat necesse est: talia sunt bona aliena, digeri non possunt, sed perpetuo conscien-

II. Purgavit eam ab injustitia.

tiam

tiam gravant, rodunt & lancinant, donec restitu-
antur, sicque domus emundetur. In vita Abbatis
Copris scribit Palladius Episcopus H. llenop. cum
inter alia hoc recensuisse: *Cum esset m. hi aliquando*
hortus in agro propinquo propter eam, quæ ad nos ve-
niebat, fraternitatem, & quidam pauper eum opera-
retur, ingressus est quidam Gentilis, ut furaretur ole-
ra: ubi verò ea suffuratus recessisset, eaque tribus ho-
ris non potuisset coquere, sed mansissent in lebete, qua-
lia acceperat, utpote quòd aqua minimè calefieret,
vir se colligens, accpeta olera ad nos detulit, rogans
ut à nobis condonaretur erratum, & ut fieret Chri-
stianus: quod etiam factum est. Quod huic Gentili
cum furtivis oleribus evenit, hoc evenit & aliis,
quicumque res alienas in domos suas inferunt, quia
non possunt eas concoquere in sua conscientia, vel-
ut enim caro cruda stomachum semper onerat,
donec revomatur. Hac de causa expurgatam et-
iam voluit & servavit Tobias domum suã, tametsi
planè cæcus. Cùm enim audisset in domo sua vo-
cem balantis hœdi, dixit ad suos; *Videte n. fortè*
furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet
nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere. Tob.
2. Qua de re sanctus Augustinus serm. 18. de verb.
Dom. *Clamabat*, inquit, *Tobias propter hœdum, ne*
de furto esset, nolebat sonum furti audire in domo sua.
Similiter Sanctulus ille apud sanctum Gregor. lib. 3.
dial. capite 37. cum in summa inopia operariis Ec-
clesiæ panem quem daret, non haberet, casu reperit
panem justæ magnitudinis in furno, in quo vicinæ
mulieres pridie panem coxerant, eo tamen uti prius
noluit, quam ad vicinas illas delato, unde certior
fieret, nullius fuisse, sed divino beneficio sibi obje-
ctum esse, adeò in extrema etiam necessitate alie-
num tollere noluit. Nec mirum, nam *qui malo*
suo desiderio extrinsecus furātur, Dei judicio intrin-
secus furantur, Dei judicio intrinsecus grādinantur,
ait D. Augustinus post serm. de diver. trag. 2 cap. 7.
Et mox: *Quid ergo tibi prodest, si ubi homo non vi-*
det, furaris; & ubi Deus videt, grandinaris? Solent
communiter in Dedicationibus institui nundinatio-
nes, imò ipsæ jam passim in nundinas transierunt.
At ubi plures injustitias invenies, quàm in merci-
moniis? Jure igitur merito Zachæi fit memoria in
festis Dedicationum, ut intelligamus justitiæ ha-
bendam rationem, cavendam injustitiam.

III. *Expiavit & ab aliis peccatis.*

III. Expiavit etiam ab aliis peccatis, quando
eam totam suo exemplo reformavit, & fide imbu-
tam Christo conciliavit; siquidem Dominus ait,
domui ejus salutem à Deo factam, unde colligitur
postea seu monito seu exemplo Zachæi omnes ejus
domesticos fuisse conversos. Itaque Zachæus mox
Episcopus quodammodo in domo sua factus est; id

Paterfamilias fit domus suæ Episcopus.

quod patribusfamilias injungit etiam sanctus Au-
gustinus serm. 51. de Sanctis, cum ita eos alloqui-
tur: *Agite vicem nostram in domibus vestris. Epi-*
scopus inde appellatus est, quia superintendit, quia
intendendo curat. Vnusquisque ergo in domo sua, si
caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episc
patus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ips
rum in hæresin incurrant, ne uxor, ne filius, ne fili
ne ipse servus, quia tanti est emptus. Minimos v
stros nolite contemnere, domesticorum vestrorum s
lutem omni vigilantia procurate. Et paulò superiu
Cùm reprehenditur Christus, defendite: murmurat
ribus respondete; blasphematores corripite, &c. Po
rò triplex Episcopi officium indicat pedum, quo
est baculus pastoralis, infrà in cuspidem desinen
suprà verò in uncum: cuspide enim pungere & e
pellere incorrigibiles debet, baculo impellere p
gros ad labores, unco trahere languidos ad piet
tem. Sic ergo & paterfamilias velut domui su
Episcopus. 1. Expellat è domo sua præfractos
scandalosos, aliisque gravibus vitiis addictos: e
emplo Davidis, qui dicebat: *Non habitabit in me*
domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur in
qua, &c. Psalm. 100. & sancti Elzearii Comitis q
nolebat quemquam peccato mortali implicitu
pane suo vesci; & mox expellebat, qui grave a
quod admisissent; unde domus ejus instar tem
sancta fuit. 2. Impellat suos ad labores & curet
in otio degant: uti curabat sanctus Carolus Borr
mæus, qui in ampla licet familia ita suis partieb
tur labores eosque utiles, ut nemo vel quadrante
horæ haberet liberum & otiosum; præibatque il
exemplo, ita se continuis atterens laboribus, ut p
nè enecaret; ut testatur Archiepiscopus Valen
nus in litteris ad eum datis, in lib. 8. cap. 21. 3. Tr
hat suo exemplo ad pietatem & cultum divinu
ad templi ingressum, frequentem confessionem
communionem, nec non orationem domi facie
dam, cum pulsu campanæ admonentur, &c. Que
admodum & Jacob suos præcessit in Bethel: *Surg*
te & ascendamus, inquit, in Bethel, ut faciamus
Altare Deo. Gen. 35. Non ait: Surgite & ascendi
quo modo etiam Julius Cæsar non solebat dice
militibus suis. Ite milites, sed venite commilitone
Surgite & ascendamus, inquit.

Consonat his, quæ diximus, ipsum Zachæi voc
bulum, quod *purum* significat. Si quid enim est f
miliæ necessarium, si quid honorificum & conv
niens, puritas est, tam quæ externum, quàm qu
internum concernit hominem. Sit ergo Zachæ
seu puritas. 1. In corde & intentione, ut sint om
nes domestici candidi & synceri in fide erga Deu
& homines. Sacerdotes Ægyptiorum, si vel unu
pilum in bove nigrum vidissent, immundum, ce
sebant, nec immolabant Diis suis. Herod. libro 1
Ita requirit Deus à nobis cor ex omni parte cand
dum; requirit & paterfamilias à suis domest
cis; quod imprimis exemplo, deinde etia
mandato suo commendavit suis David, q
Psalmo 100. dixit: *Perambulabam in innocen*
tia cordis mei in medio domus meæ. Non propo
nebam ante oculos meos rem injustam: facient
prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pra
vum

vum, declinantem à me malignum, non cognoscebam, &c.

2. In verbis & sermone: quod etiam observavit David in cit. Psalmo addens: *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum,* hoc est, non placuit, sed displicuit mihi. Rursum, *detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar,* Hac de re audiamus Sanctum Augustinum serm. 215. de temp. ita ad suos perorantem: *Ante omnia,* inquit, *ubicumque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, sed magis vicinos & proximos vestros jugiter admonete, ut semper quod bonum est & honestum loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in sanctis festivitatibus choros ducendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo de lingua sua, unde debuerant Deum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere.*

3. In oculis & auribus, quod etiam tangit David Psalm. cit. cùm addit: *Non proponebam ante oculos meos rem injustam.* Hieronymus & Anacletus legunt: *verbum Belial.* Igitur & aures ab impuris verbis custodiant & oculos, ne aspiciant res turpes & obscœnas, adeoque paterfamilias ne patiatur in suis ædibus imagines impuras. Commemorat Prosper Aquitanicus prædict. l. 6. suo tempore puellam quandam Christianam, cùm Carthagine in balneis quoddam Veneris simulachrum minus pudicè intuita esset, seque eidem assimulasset, à Diabolo mox obsessam fuisse, qui gutturis meatus occuparit, ut circiter 80. diebus nec cibum trajicere nec potum valeret.

4. In victu & vestitu. In victu, ne promiscuè sedeant viri cum mulieribus, sed distinctè & separatim. Si enim eam honestatem Gentiles observarunt (uti Persæ l. Esth. cap. 1. ubi Rex alibi convivium viris, Regina alibi instruxit mulieribus. Macedones apud Herodot. l. 3. Justin. l. 7. Græci, teste Cicerone act. 3. in Verrem) nonne turpe erit, si non servent Christiani? Non audiunt Ecclesiasticum cap. 9. monentem: *Cum aliena muliere ne sedeas omninò, ne accumbas cum ea super cubitum?* Quid enim? *Numquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus,* ait Sanctus Cyprianus de singular. Cleric. In vestitu, ut sit purus a luxu & omni fastu, verecundiam præseferens, juxta regulam Sancti Chrysostomi homil. 12. in Epist. ad Coloss. *Orna sponsam non aureis ornamentis, sed mansuetudine & pudore, & consuetis vestibus. Pro quovis mundo aureo & implicaturis, & intexturis induet pudorem & verecundiam, &c.* Aspicite sorores duas, Nunilonem & Alodiam; pro Christe fide in Hispania anno Domini 851. gladio obtruncatas. Illarum prior cum gladium lictoris in mandibulam delatum excepisset, & ex ictu corruens crura paululum nudasset, soror Alodia, mox accurrit, & cum omnium admiratione quod nudatum erat, obtexit? tanta illis erat verecundia & cura honestatis, sub ipso lictoris gladio; auctore Maldonato apud Sur. & Lidel. 23. Octobr. Quis hoc pudoris speculo non confundat fœminas nostri sæculi nobiliores, quæ intolerabili stultitia denudant, quod tegendum est? Certè David in domo tales Veneres non toleravit, quod ex præcitat. Psalmo intelligimus, ubi ait: *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Et rursum: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Quis autem facit superbiam, nisi qui indies novos vestiendi modus & stultitias excogitat?

Non ergo frustra, Audit. non frustra nobis datur ab Ecclesia Zachæus ad Basilicas dedicandas earumque encænia quotannis celebranda. Magnopere necessaria est hujus Architriclini & Moderatoris præsentia: quo absente verum erit, quod scribit Sanctus Augustinus serm. 36. de verb. Domini: *Sæculi lætitia est impunita nequitia,* & Ecclesiæ Dedicatio erit non tam Dei quàm Diaboli recreatio. Vicissim ubi Zachæus festivitati huic præfuerit, dicere licebit de vestris etiam domibus, quod de domo Zachæi dixit Christus Dominus: *Hodie huic domui salus à Deo facta est.*

THEMA IV.

Qua via Zachæus salutem & eximiam sanctitatem consecutus sit.

I. *Ardenti desiderio.*
II. *Industria & labore.*
III. *Prompta obedientia.*
IV. *Patientia & injuriæ dissimulatione.*
V. *Humilitate & sui contemptu.*
VI. *Contemptu bonorum temporalium.*

Hodie huic domui salus à Deo facta est. Luc. 19.

Mirum aliquando prodigium accedisse scribit Hieronymus Cardanus l. 15. rerum var. cap. 78. dum aridæ scopæ in palatio effloruerunt sub Impp. Valentiniano & Valente: significasse verò ait humilium exaltationem, qua ex infima sorte aliqui benevolentia Imperatorum ad summos evehetentur honores. Simile quoddam prodigium videtur accidisse in domo Zachæi, in qua publicanus, ab omnibus contemptus, nec melior ab Hebræis quàm detritæ scopæ æstimatus, subi-

subitò effloruit, & post virtutum dotes fructum insuper nobilissimum protulit, salutem sibi & domui suæ, & quod inde consecutum est, decus magnæ sanctitatis, demumque Episcopalis dignitatis, ad quam postea à sancto Petro Cæsareæ Palæstinæ evectus est. Quis aliquando vidit tale portentum? E publicano pauperem Evangelicum, ex hoc Episcopum & Ecclesiæ lumen? Videamus igitur nunc, qui sint illi flores ex his egressi scopis, ut pro modulo nostro imitari eos possimus. Qua via ergo paravit sibi salutem?

I. *Ardenti desiderio.*

I. Ardenti desiderio Christum videndi, quo ductus præcurrit & ascendit in sycomorum, & commeruit non videre dumtaxat Christum, sed & hospitem habere. Qui magno virtutis tenetur desiderio, dimidium quasi facti habet. Ita enim Sapientiæ sexto dicitur: *Concupiscite sermones meos & diligite illos, & habebitis disciplinam.* Græc. *erudiemini.* Unde Lactantius divin. Institut. libro primo, capite vigesimo, dixit: *Quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere ac animo tenere? quod unusquisque simul ac cœpit velle, consequitur.* Impossibile existimabat Saul Davidem cædere posse centum Philisthæos, & pro filiæ dote eorum præputia afferre, verùm Davidi, qui magnæ regiæ filiæ desiderio tenebatur, facile id erit; itaque post paucos dies attulit non centum sed ducenta præputia. 1. Regum 19. Nihilo difficilius consequemur virtutem & ipsam perfectionem, si magno ardeamus earum desiderio. *Is enim Domini nostri mos est*, ait Divus Chrysostomus homilia quarta in Genes. *ut quoties videt animam aliquam multo desiderio promptitudineque intenta spiritualibus jejunantem, liberaliter illam gratiâ & opulentis suis donis locupletet.* Videre id erat in sancto Antonio de Padua, qui adhuc juvenis cùm audisset advectos quinque Martyres à Marocchio, pro fide Christi à Saracenis interfectos, maximo & ipse martyrii desiderio inflammatus dixit: *Utinam & mihi liceat pro Christi nomine flexo poplite carnificis ictum accipere* indeque à PP. Franciscanis instanter petiit recipi in eorum ordinem, modo ipsum ad Saracenos poste mittere vellent, ubi pro Christo sanguinem fundere posset. Cumque habitum susciperet, quidam Canonicorum regularium, in quorum cœtu prius vixerat, ei insultans ait: *Eas, eas, forsitan sanctus eris.* Ad quem ille conversus humili voce dixit: *Cùm me in sanctos relatum audieris, profectò Deum laudabis.* Posthæc instituit potenter voti sui ut particeps fieret; & impetravit quidem discessum à fratribus; sed Deus illum ad bonum plurimorum fidelium reduxit, & quò ille aspirarat, ad miram sanctitatem perduxit. Ita in ejus vita 13. Junii apud Surium.

II. *Industria & labore.*

II. Industria & labore, quo in arborem conscendit non sine difficultate, ut quod staturæ deerat ad videndum Christum, beneficio arboris consequeretur; uti factum. Labor hic quidem exiguus reputari potest, ei tamen postea plures alios graviores accersivit, quibus consecutus est, affecla sancti Petri & Episcopus Cæsareæ Pal stinæ fieret, ab ipso ordinatus, ut narrat sa ctus Clemens libro primo & tertio Recogn. tibi ex publicano, homine rudi quid effecit bor? Nihil igitur est, quod labor improbus n vincat, non acquirat Sanctus Isidorus cùm pu esset, adeò hebeti fuit ingenio, ut nihil pla caperet, ac proinde de litterarum studio de rendo cogitaret. Qua in cogitatione cum m stus juxta puteum staret, intuitus sulcos, quos duro lapide crebræ sitularum tractationes effe rant, secum ita discurrit: Si hoc in lapide fac potuit frequentia, quid ni etiam continuo labo poterit expoliri ingenium meum? Sic resump animo constanter incubuit in litteras, & adeò c ctus evasit, ut Archiepiscopus Hispalensis fier nec parem in doctrina & eloquentia haberet ævu illud. Ita habebetur in ejus vita. Severus Sul tius scribit Dial. primo, capite septimo se in E mo deprehendisse senem quendam Monachu qui *bovem unum habebat, cujus hic erat totus bor: impulsa rotali machina aquam producen nam mille aut amplius pedum profundum putei rebatur. Hortus & illic erat multis oleribus piosus. Id quidem contra naturam eremi, ubi o nia arentia, exusta Solis ardoribus, nullius u quam seminis vel exiguam radicem ferunt. rum in hoc sancto illi labor cum pecude commun & propria præstabat industria: frequens enim rigatio aquæ tantam pinguedinem, arenis dab ut mirum in modum virere atque fructificare ho tuli illius olera videremus. Ex his ergo una cu domino suo bos ille vivebat; nobis quoque ex copia cœnam sanctus ille dedit.* Sic nimirum du etiam ingenia & steriles animæ excoli industr & labore sedulo possunt, ut attingant sanctit tem & sapientiam. Unde dicebat alius quidam s nex: *Propterea non promovemur, quia nescimus me suras nostras, neque patientiam habemus in ope quod cœpimus, sed sine labore volumus virtute possidere*, apud Rosvveid libro 5. Vit. PP. libello s ptimo.

III. *Pr... obed...*

III. Prompta obedientia, qua descendere e arbore jussus, festinans descendit, & invitantem se Jesum gaudens suscepit. Miratur hoc sanctus Chry sostomus homilia de Zachæo: *Audi mirabile*, in quit, *nondum didicit & obedit, nempè Salvator ju stitiæ radiis nequitiæ caliginem fugavit.* Magnu etiam est hujus virtutis meritum; & facilis inde a sanctitatem gradus: quin imò sanctus Bernardu in sermon. de divers. Quomodo voluntas no stra subjici divinæ debeat, ait: *Totius perfectio nis summa videtur in eo consistere, si voluntas no stra divinæ subjecta sit voluntati.* Et senex qui dam moribundus, apud Cassianum libro 5. de Instit Cœnob. capite 28. à fratribus rogatus, qua po-

tissi-

tissimum die ad perfectionis culmen pervenire possent, ingemiscens hoc unum respondit: *Ego nunquam meam feci voluntatem.* Et quid mirum? Per obedientiam enim Deo per omnia exhibitam redimus ad eum statum, in quo conditus fuit Adam, cui & creaturæ aliæ tam diu paruerunt, quàm diu ipse paruit Deo: cujus subjectioni ubi se subtraxit, subtraxere etiam se creaturæ aliæ imperio ipsius. Unde Cassianus, quem diximus libro 4. Instit. cap. 8. ait de Thebanis fratribus: *Multis experimentis edocti tradunt Monachum & maximè juniores, ne voluptatem quidem conscientiæ suæ refrænare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates.* Certè idipsum sanctus Augustinus in Psalm. 143. docet, cùm ait: *Servi tui, qui fecit te, ut tibi serviat, quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies, ut tibi serviat caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.* Potest hoc exemplo compluribus demonstrari. Elstanus quidam religiosus ad imperium sui Abbatis manum immisit in bullientem aquam, indeque carnis portionem illæsus planè extraxit. In vita sancti Ethevvoldi apud Lipel. 1. Augusti. Sanctus Euchierius Lugdunensis Episcopus jussus à sancto Cæsario Episcopo Arelatensi erigere mulierem contractam & quadrupedis instar ambulantem, paruit tandem, post obsequium diu ex humilitate detrectatum, & statim eam erexit, sanitatique restituit. In vita sancti Cæsarii apud eundem 27. Augusti. Quòd si antiquioribus addere recentiora licet, addamus ex societate nostra Consalvum Esquivelium, qui ad mandatū Superioris crocitantes tacere gallinas jussit, & mox impetravit, refert Sacchinus in Lainio l. 8. num. 136. Jacobus Guerrierius simplex & rectus coadjutor missos à Rectore in templum ad exorandam pluviam in summa siccitate, ivit, oravit & obtinuit. Reversus ad superiorem: *Ecce,* inquit, *Pater, feci obedientiam; habetis aliud, quod mandetis?* Refert P. Hieronymus Majorica in Annuis Goens. ann. 1620. fol. 295. Atque hæc non quidem infallibilia, maxima tamen sunt argumenta magnæ perfectionis & sanctitatis, concessa obedientiæ; quam non soli religiosi præstare Deo possunt, sed & alii quicumque, si suis morem gerere Confessariis & patribus spiritualibus, eorumque directione vitam instituere velint; uti fecit sancta Elisabetha tum conjugata, tum vidua, Conrado moderatori suæ conscientiæ, ex voto in omnibus parens ad instar religiosæ; quod, ut maximæ perfectionis opus, ab aliis non requiro.

IV. Patientia & dissimulatione injuriæ sibi illatæ à convicibus, qui publica infamia peccatoris ei notam inurunt, murmurantes *quòd ad hominem peccatorem* (Christus) *divertisset.* Quid enim ad hanc calumniam Zachæus? ne verbum quidem, sed ad Christum conversus, corrigit errorem suum, paratus ad refundendum, siquem defraudasset. Pupugit nimirum invidorum oculos tantus Zachæi hospes, tametsi non ab ipso invitatus, sed invitans semetipsum. Chrysoprasius lapis est, qui lucente Sole pallet, pallente vicissim & tenebris obvoluto splendidissimè lucet. Isidorus libro decimo sexto, Origenes capite decimo tertio. Ita solent invidi in luce alienæ fælicitatis contabescere, in tenebris adversitatis, lucere & exultare. Sed hoc ipsum fuit utile Zachæo, dum spreto æmulorum obloquio, non se defendit, sed Christo cognoscendam detulit causam; qui uti Zachæum defendit, appellando eum *filium Abrahæ,* verum se & genuinum: ita solet etiam tueri eos, qui injurias sibi illatas ipsi commendant. Inter plurimos alios sic defendit sanctum Stephanum Regem Ungariæ, bello asperrimo ab Imperatore Conrado lacessitum: mittendo nuncium (utique Angelum) ad Imperatoris Duces, qui referre pedem eos juberet, cui, velut ab Imperatore suo missus fuisset; morem gerentes illico recesserunt. In vita 20. Augusti. Sanctum Wenceslaum Bohemiæ Ducem duello ab Radislao Principe impetitum, adjungendo ei Angelum, qui terreret adversarium clamando: *Ne feri.* In vita 28. Septemb. Sanctum Goarem presbyterum calumniis invidorum circumventum, aperiendo os infantis & parentes suos denunciantis, Goarem liberantis, apud Surium 6. Julii. Profuit autem hæc calumnia Zachæo, quia patientiam ejus extimulavit atque exercuit. Viderunt antiqui Anachoretæ hanc esse facilem & percommodam acquirendæ sanctitatis viam, injuriarum patientiam. Unde Abbas Joannes dixit: *Porta cœli est injuriarum perpessio, & patres nostri per multas injurias in eam gratulantes ingressi sunt.* Rosvveid. libro 6. Vit. PP. libello 4. Alius roganti, qua via cœlo potiri posset, respondit: *Potes convitia pati?* perinde quasi caput salutis in mansuetudine & patientia contemptus & despicientiæ consisteret, juxta id Salvatoris: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21. Idem libro 3. Ratio est, quia patiens dominatur animo suo, cumque regit & flectit quocunque vult. Unde sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap. 13. ait: *Quid est animas possidere, nisi perfectè in omnibus vivere cunctisque mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur pœnitentiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa fortis efficitur: unde sibi & seipsum vincendo dominatur.* Similia scribit hom. 35. in Evangelia, ubi adfert exemplum Stephani Abbatis, *qui reddebat contumeliis gratias, damnum putabat lucrum, adversarios æstimabat adjutores,* Hujus ergo virtutis exercitio ad tantam pervenit sanctitatem, ut in ejus morte visi sint Angeli, qui animam ejus in cœlum ducerent.

V. *Humilitate & sui contemptu*

V. Humilitate & sui despicientia dum nequaquam cogitavit Christum ad se, velut ad Publicanum, unquam diversurum; unde nec cum primoribus civitatis Christum ingredientem excipere, aut

aut invitare in domum ſuam auſus eſt. Sat multum ipſi erat, ſi videre eum dignus foret, unde nec erubuit, inſtar unius pueri aut vilis homuncionis in arborem conſcendere. Denique non inficiatur ſe peccatorem & fraudulentum aliquando fuiſſe, ſed ingenuè potius fatetur. Hæc igitur modeſtia diſpoſuit eum facilè ad capeſſendas alias virtutes: qua ratione pueri quia humiles ſunt, non difficilè ſequuntur manum dirigentis: & tabula raſa omnes recipit characteres & figuras. Unde D. Auguſtinus lib.16. de civit.cap.4. *Tutam*, inquit, *veramque ad cœlum viam molitur humilitas, ſurſum levans cor ad Dominum, non contra Dominum.* Humilitas enim ſcala eſt, per quam ad ſublimitatem aſcendere oportet. *Hæc eſt via*, inquit S. Bernardus ſerm.2. de aſcenſ. *& non eſt alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potius, quàm aſcendit: quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat: ſola quæ ducit ad vitam.* Hac via S. Franciſcus pervenit ad eximiam, qua claruit, ſanctitatem, & evectus eſt in cœlis ad ſummum Angelorum ordinem, collocatus inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teſte D. Bonaventura in ejus vita. Non eſt prętereundum quod in hujus rei confirmationem legimus in vita B. Alcuini Abb. qui fuit præceptor Caroli M. apud Surium 17. Maji. *Rex ſiquidem magnus Imperatorq; jam Carolus potens orationis gratia unaq; deſideratæ conlocutionis mutuæ cum Albino, ſepulchrum ſancti Martini ſuis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico viſitare ſtuduit; quo in loco tenens manum Albini ait ſecretò: Domine Magiſter, quem de his filiis meis videtur tibi in iſto honore, quem indigno quanquam dedit mihi Deus, habere me ſucceſſorem? At ille vultum in Ludov cum dirigens noviſſimum illorum ſed humilitate clariſſimum, ob quam à multis deſpicabilis notabatur, ait*: Habebis Ludovicum humilem ſucceſſorem omnium: *Hoc tunc ſolus audivit Carolus. Sed cum eoſdem Reges erecta cervice, & Ludovicum humili, poſt orationis gratia in Eccleſia S. Stephani incedere cerneret, ſedens in loco; quo ſepeliri volebat; infit ſibi adſiſtētibus: Cernitis Ludovicum fratribus ſuis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celſiſſimum ſucceſſorem. Nec non cùm poſt communionem corporis Chriſti, & ſanguinis manu propria eis miſceret, iiſdem Ludovicus humilitate clariſſimus præ omnibus, Patri ſancto ſe inclinans ejus oſculatus eſt manum. Tunc vir domini adſiſtenti ſibi ait Sigulfo: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, certè iſtum poſt patrem Franciæ gaudebit habere Imperatorem. Hoc nos jam factum & videmus & gaudemus. Depoſiti ſunt qui videbantur cedri & exaltata eſt oliva fructificans in domo Domini.*

Fuit ſanè Zachæus inter Publicanos dives, adeoque magni nominis; ſed quoniam ex eo culmine ſeſe dejecit ad imum humilitatis, meruit proinde rurſum aſſurgere ad ſummam dignitatem: quomodo aqua, quæ ex alto cadit, iterum aſcendit ad priorem altitudinem.

VI. Contemptu bonorum temporalium, quibus videtur prorſus ſe abdicaſſe, dum dimidium pauperibus, dimidium reſtitutioni addixit. Miratur hoc Venerabilis Beda in hunc locum: *Ecce*, inquit, *camelus depoſita ſarcina per foramen acus tranſit, i[d] eſt, relicto diviciarum amore benedictionem Dominicæ ſuſceptionis accipit.* Vidit nimirum Zachæus eos qui divitias congregant, nō tam ſibi laborare quàn[m] aliis; adeoque ſimiles eſſe *balneatoris aſino, qui li[-]gna & malleolos intidem apportans, in nullam lava[-]cri, caloris munditiæq; partem venit*, ſed fumo ſem[-]per obſitus incedit, ut Plutarchus lib. de cupidit. di[-]vin. ait. Vidit ſimiles eſſe cani, qui *quidquid accipi[t] protinus integrum devorat & ſemper ad ſpem futu[ri] hiat, quod avaro evenit, cui quidquid expectanti for[-]tuna projicit, ſine ulla voluptate dimittens, ſtatim a[d] rapinam alterius erigitur*, inquit Seneca ep.53. Vid[it] divitias eſſe compedes, qui curſum ad lucrandu[m] impediunt bravium. *Quemadmodum*, inquit Divu[s] Chryſoſtomus hom.6. in Epiſt. ad Titum, *eos q[ui] nudi effugiunt, nemo facile tenere poteſt; qui verò ve[-]ſtimenta poſt ſe trahit, eum quilibet citò apprehendi[t] eadem ratione & dives & pauper exiſtimandus e[ſt]. Nam ille quidem, etſi capiatur diffugere facillimè po[-]terit; hic autem etſi non teneatur, ſuis compedibus i[n]retitur.* Vidit denique divites cum gibbo divitiaru[m] ſuarum per anguſtam cœli portam non facilius i[n]traturos, quàm camelum per foramen acus. Cer[te] etiam Samuelis filii; quia poſt avaritiam declina[-]runt, ad imperium, poſt parentem aſſumpti no[n] ſunt, econtrà Saul, quia pecunias non amavit, (u[t] colligi poteſt ex eo, quod 1. Regum 9 legimus pu[e]rum quidem ipſius pecunias ad iter ſecum accepiſſ[e] ipſum verò minimè) in Regem electus eſt. Dignu[s] igitur imperio, dignus Epiſcopali dignitate, dign[us] regno cœlorum factus eſt Zachæus, quando terre[-]na illa impedimenta procul à ſe removit.

Atque hi ſunt flores ſuaviſſimi & pulcherrimi e[x] detritis illis & abjectis ſcopis, ad miraculum exo[r]ti, prænuncii illius veris amœniſſimi, quod in alte[-]ro expectant ſæculo omnes electi; quibus & no[s] conjungi poterimus cum Zachæo, ſi heroicos ejus actus imitari ſtuduerimus.

THEMA V.

Cur celebretur Templi Dedicatio annua.

I. *Vt Deo gratias agamus nos pro ipsius domo.*
II. *Vt refricemus nobis in memoriam Ecclesiæ fundationem.*
III. *Vt meminerimus nos esse templa viva.*
IV. *Vt recogitemus quanta in veneratione templa sunt habenda.*

Hodie huic domui salus à Deo facta est. Luc. 19.

NOn parum impudentes fuerunt Pharisæi eorumque asseclæ, quòd murmurare ausi sint côtra Christum Dominum, quod in Zachæi domum divertisset, eamque sua præsentia decorasset atque benedixisset. Sed multò impudentior Lutherus, qui non solùm murmuravit quòd introducto in templum Domino nostro, per ejus consecrationem, festum diem agamus, sed insuper conatus est extrahere Christum è domo nostra ejusque festum abrogare, Ita enim scribit in l. ad nobilit. Germ. ubi ait: *Ante omnia dedicationes funditus extirpari deberent, cùm nihil aliud sint quàm taberna, nundinæ, & aleatorum lusorumque scenæ.* Et in die Dedicationis Postillæ domesticæ ridet Dedicationis templi ritus ab Episcopo adhiberi solitos, appellat stultitiam & Idololatriam, monetq; Magistratum, ut omnes Dedicationes aboleat. Verùm quemadmodum Pharisæi nihil obtinuerunt apud Christum & Zachæum: ita nec Lutherus non tantùm apud nos, sed etiam apud suos, imò apud seipsum, quia & ipse sermones habuit in Dedicationibus. Neque sana ratio suadet, ut propter aliquos festi abusus, quos non probamus, rem divinam aboleamus. Et quemadmodum Zachæus fortiter restitit suis æmulis, Christumque hospitem sibi eripi non est passus: ita & nos constanter resistemus adversariis nostris, neq; patiemur nobis tolli festum hoc, tam piè institutum, ob tantas rationes, nunc explicandas.

I. Ut singulis annis semel saltem Deo gratias agamus, quòd domum illam sibi elegerit, in qua internos habitare dignatus est peculiari modo; per præsentiam realem Christi filii sui. Si enim publica lætitiæ signa edimus, cùm præclarum & sumptuosum aliquod ædificium ad finem productum est, cur non magis ob extructam domum Dei? Hebræi post reditum è Babylone restaurato muro Jerosolymæ fecerunt ejus dedicationem solemnem. 2. Esdr. 12. Romani festum diem, *Septimontium* appellatum, celebrarunt singulis annis, quòd eo die septimus mons urbi adjectus, sicque urbs conclusa & perfecta fuerit. Atqui templa urbium complementa & munimina sunt. Est enim templum inprimis aula Regis nostri, unde *Basilica*, appellatur, ubi quotidianum & magis favorabilem aditum atque audientiam apud eum habere, ubi ejus iram sacrificiis placare eique servitium nostrum exhibere possumus. Est nostra Curia, ubi Dei voluntatem & directionem pro concione audimus. Est nostrum asylum, ad quod in necessitatibus nostris confugiamus, quale Moysi & Aaroni erat tabernaculum, cùm populus eos lapidare vellet. Certè in urbium occupatione ad templum omnes confugere solent, ut ibi salutem quærant; quam & plurimi in eo impetrant, etiam ab hostibus. Est commune nostrum balneum, ubi partim per baptismum, partim per pœnitentiam abluimur à peccatis.

II. Ut refricemus nobis in memoriam beneficium dedicatæ Ecclesiæ universalis, ex Judaica mutatæ in Christianam: cuius typus sunt nostra templa. Synagoga sterilis simul & spinosus ager erat, ubi plurimæ leges & difficillimæ, egena sacramenta, umbra tantùm, & pœnæ graves transgressoribus positæ. Gratias igitur immortales Deo debemus, qui Ecclesiam nobis plantavit: sed quia ejus plantatio etiam difficilis fuit, & per 300. persecutionum annos plurimo Christianorum sanguine rigari debuit, sicque tandem adolevit, ut omnia alia regna magnitudine & fælicitate longè superaret, hinc jure merito singulis annis triumphum Dedicationis ejus agimus, & in signum victoriæ labarum de turri suspendimus, more eorum, qui civitate expugnata vexillum in mœnibus erigunt. Quemadmodum enim Hebræi ideò templi sui encænia annuatim celebrabant, quia partim maximis impensis, partim summis difficultatibus extructum erat: sic nos Ecclesiæ nostræ, quia impensa sanguinis Christi empta, & inter persecutiones Tyrannorum, plurimo sanguine martyrum ædificata est. Atque hoc est, quod Episcopus in Dedicatione templi suis cæremoniis indicat: Figit ibi vexillum Crucis, in signum debellatæ Idololatriæ. Accendit 12. lumina coram totidem crucibus, quia 12. Apostoli mundum illustrarunt Christique vexillum per orbem erexerunt. Ter circuit Ecclesiam, templum aspergendo aqua benedicta & ter pulsat fores Ecclesiæ; quia per 300. annos Christus mundum circuivit & aspergit partim baptismo, partim verbo Dei partim sanguine Martyrum: pulsans eum miraculis, prædicatione, sanctitate, donec post 300. annos sub Constantino se aperuit Christo. Describit Alphabetum Græcum & Latinum per totam Ecclesiam ab Oriente ad Occidentem, quia Evangelium potissimùm duabus illis linguis prædicatum ab Oriente in occidentem. Cruces inunguntur in parietibus; quia & tunc Crux honorari & suavis fieri gerentibus cæpit. Reliquiæ in Altari conduntur, quia Sancti non ampliùs occidi, sed coli & honorari cœpti. Tunc ergo sub Constantino vexillum suum erexit Ecclesia, tunc claudebantur delubra Idolorum, aperiebantur & struebantur templa Chri-

I. *Vt Deo gratias agamus pro ipsius domo.*

II. *Vt refricemus nobis in memoriam Ecclesiæ fundationem.*

Christianorum; contra Idola & Idololatras in theatris conclamatum, &c.

III. *Vt meminerimus nos esse templa viva.*

III. Vt recordemur nos esse templa viva, Deo in baptissmo initiata & consecrata; ubi perfusi aquâ benedicta, signati Cruce, juncti oleo, lumine(quasi illo gloriæ) armati, sacramentum Deo præstitimus, Dæmoni abrenuntiavimus, veste candida induti. Hoc enim quia meminisse non possumus, per extremam Templi Dedicationẽ annuam in memoriam nobis refricat Ecclesia, quasi dicens id Apostoli 1.Corinth.3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et cap. 6. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Et rursum 2. Cor.6. *Vos estis Templum Dei vivi.* Quare inprimis monemur crebrò Deo gratias agere pro beneficio baptismi, quo ex delubro dæmonum horrido & obscuro templum Dei speciosum & lucidum effecti sumus, è spelunca latronum domus Dei; ex *Iebus*, id est, *conculcatione, Ierusalem*, id est, *visio pacis*. Quid enim est gloriosius quàm Templum Dei fieri? Nonne multò plus quàm totius mundi Imperatorem? S. Ambrosius refert Theodosium seniorem dixisse, magis se gaudere, quod Christianus, quàm quod Imperator esset. S. Ludovicus IX. Galliarum Rex nullo se alio titulo condecorari optabat, quàm si appellaretur Ludovicus Possiacus, quòd in eo loco, qui Possiacum appellatur, baptizatus primam & maximam victoriam de Diabolo per baptissimum obtinuisset, Ægidius. Corozettus de dict. & fact. mem. Est ergo templi Dedicatio anniversaria, quasi dies noster natalis annuus, in quo singulariter lætari ob secundam nostrã nativitatem, debemus, multò magis quàm ob primam, qua nati fuimus in peccato ad miserias, uti docet S. Bernardus serm.1. de Dedicatione. Deinde quàm diligentissime curemus, ne polluamus peccatis maximè carnalibus, impudicitia & ingluvie, corpora nostra; *si quis enim templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, ait Apostolus: Quot exemplis ostendere possem gravissime punitos, qui templum materiale polluerunt! Nonne filii Heli, quod cum mulieribus in vestibulo templo peccarent, ambo in prælio uno die occisi sunt? 1. Reg. 2. Nonne Antiochus, qui templis abutebatur ad stabula equorum, vermibus corrosus miserè periit? 2. Machab. 9. Quid ergo meretur is, qui spirituale templum violat; & quidem alienum? (*Non enim estis vestri, sed empti estis pretio magno*, ait Apostolus 1. Corinth. 6. (Et paulò antè: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit.* Peius id est, quàm si è templo faceres sphæristerium aut tabernam vel etiam cloacam. Denique quia templa Dei sumus, non tam exteriùs quàm interiùs nos ornare debemus. Templa Idolorum foris nitida & speciosa erant intus horrida & obscura, non nisi unum tripodem vel turpem simiam, cattem aut catum in Altari sedentem monstrabant, quales multi nunc Christiani, foris ornati, intus fœdi, Non sint hujusmodi templa Dei & pii Christiani: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, dicitur Psalm. 44.

IV. Vt in memoriam revocemus, quanta in veneratione habere templa oporteat. Videtur enim Ecclesia singulis Dedicationibus annuis dicere [...] Jacob Patriarchæ, Genes. 28. *Quam terribilis est [...] cus iste? Non est hic aliud nisi domus Dei & porta c[...]* Aspice Crucem & vexillum; ipsa tibi dicunt: Sa[...] est hic locus; non profanus. Inprimis ergo sciant [...] domum hanc non esse meam aut tuam, sed alien[...] & ipsius Dei. In sua domo quisque agit, quod p[la]cet: in aliena verò componit se ad modestiam, [si]lentium, quietem: nihil turpat, nihil imperat. C[...] B. Petrus Damiani in epist. ad Episcopum Biso[...]num ait: *Districtè prohibendum est, non modò Cl[eri]cis, sed & laicis utriusque sexus, ut nisi sicut mos [...] inter nocturni lectiones officij, aliasq; dum divinus h[y]mnus insistitur, nemo sedeat, nisi corporis eum valet[...] compellat.* l.3. Ep. ep.8. Unde in Italia nullæ se[des] in templis, nisi ad Concionem mobiles. 2. Esse [do]mum sacram, non profanam, adeoque non lic[et] hic dormire, comedere, ambulare, fabulari. H[in]c Apostolus 1. Cor.11. vetat in Ecclesia comessa[ri] & convivium etiam pauperibus instituere: *Numq[ui]d domos non habetis ad manducandum & bibendu[m]? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Christus ipse ov[es], boves & columbas, quæ in atrio templi, licet in [or]dine ad sacrificium, vendebantur, ibi non est [p]assus, sed unà cum mercatoribus expulit duabus v[ici]bus, initio prædicationis suæ & in fine; ut honor[em] templo habendum probè eis inculcaret. Quid si [ib]i reperisset ebriosos, impudicos, & quidem in i[...] sacerdotum loco? Ideo nec sinebat ut quis vas [...] quod per templum ferret; hoc est, per exim[...] templi atrium, quod erat Gentilium; quamvis on[...] portantibus transitus ille compendium quodd[a]m esset in superiorem urbem seu regiam Salamon[is], ut docet P. Cornelius Marci 11. ex Villalpan[do]. Quantò minùs hoc tulisset in ipso templo? 3. E[...] domum terribilem iis, qui indigna & inhonesta i[...]dem perpetrant. Principes & Reges in vestib[ul]o palatii sui pingi curant brachium, cui securis imm[i]net, indicans illis, qui tumultum aut rixam ibi ex[ci]tarent manum abscindendam. Ad portam civitatis in qua resident, malum erigunt, è qua ma[nu]s protensa gladium stringit; eodem fine: gladio s[ci]cet feriendum, qui gladium ibi strinxisset. Princi[pes] ergo sæculi immunes volunt domos suas à tumu[lti]bus & sangvine: & non magis Deus domum sua[m]? Certè Davidi, quia concepit illicitam Bethsab[æ] concupiscantiam domi suæ, in qua Arca Dei t[...] erat, iratus Deus per Nathan: *Quare contemps[isti] verbum Domini, ut faceres malum in conspectu m[eo]* in domo scilicet Arcæ) *Quamobrem non rece[det] gladius de domo tua usque in sempiternum.* 2. R[eg.] 12. Proinde de hoc posteà pœnitens ait: *Et mal[um] coram te feci* Psal. 50. Quid erit in templo nostr[o], ubi non Arca, sed Christus ipse præsens est, del[in]quere

quere? Miratur S. Chrysostomus hom. 74. in Matth. in impudicos oculos per templum evagantes non fulmina undique vibrari, non funditus omnia everti. *Verum Deus cum longanimis & misericors sit, ut in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet,* inquit.

Sed nec minore veneratione transigendus Dedicationis festus dies, neque insumendus est in gulam, ludos & saltus, quemadmodum fit alicubi, maximè inter rusticos, non exiguo hæreticorum scandalo. Sicut enim locus sacer profanatur rebus profanis; ita dies quoque. Non prohibetur quidem hilarius epulum, quando etiam Salomon tot millibus hostiarum mactatis excepit lautiore epulo populum, exemplo patris sui Davidis, ut scribit Josephus l. 8. antiq. cap. 2. sistendum tamen est intra terminos sobrietatis & honestatis. Quare ne scandalum hæreticis demus, & ne Christum à festo & domo nostra iterum expellamus, dignè & piè locum hunc diemque colamus, quò Christus nobiscum maneat, & quod Zachæi domui dixit, etiam nostræ dicat: *Huic domui, huic civitati salus facta est.*

THEMA VI.

Antiqua Ecclesia longè pulchrior hodierna.

I. *Domus illorum sanctæ erant.*
II. *Prælati sanctiores.*
III. *Charitas inter fideles.*
IV. *Hospitalitas major.*
V. *Pœnitentia severiores.*
VI. *Eucharistiæ usus frequentior.*
VII. *Majus virtutum studium.*

Huic domui salus à Deo facta est. Luc. 19.

Libro 1. Esdræ cap. 3. narratur, qua ratione Hebræi reversi post 70. annos è captivitate Babylonica Jerosolymam, instaurarint templum, prius à Gentilibus destructum. Fundato igitur & erecto templo *omnis populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eò quod fundatum esse templum Domini.* Porrò multi, hoc est, juniores quidem vociferabantur præ lætitia, ob majestatem templi; seniores verò, qui viderant templum priùs, à Salomone extructum, cùm hoc posterius aspicerent, flebant voce magna. Causam dat Liranus, quòd juniores, qui prioris templi splendorem non viderant, istud mirarentur & suspicerent: seniores verò, qui priùs illud longè augustius conspexerant, secundum hoc quasi pro nihilo haberent, ideoque flerent, quòd primi illius magnificentiam in hoc minimè viderent. Lætamur etiam nos magnopere & Deo laudes canimus, quando Ecclesiam civitatis & provinciæ nostræ, quæ ante annos 50. ab hæresi vastata & deformata ac ferè collapsa fuerat, nunc intra paucos annos videmus restauratam & nitentem Catholica fide & pietate. Nec immeritò quidem. Verùm si antiqui Christiani, qui Ecclesiæ primitivæ & antiquæ majestatem aspexerunt, jam hic adessent, & Ecclesiæ nostræ præsentis statum cum illo suo compararent, flerent absque dubio potiùs quam gauderent, considerantes quod recentis hujus nitor ad nitorem veteris illius minimè assurrexerit, sed nihil penè respectu illius sit. Multùm fortè videtur esse, quod dico; sed ostendam vobis verum me dixisse.

I. Ecclesia antiqua longè augustior hac recentiore erat, & spatiosior. Qua ratione? Quia tunc singulæ Christianorum domus singulæ quasi Ecclesiæ erant. Unde Paulus domos illorum sæpè appellat *Ecclesias.* Et S. Chrysostomus hom. 36. in 1. Cor. ait: *Tum domus Ecclesia erant, nunc verò Ecclesia domus, imò domo qualibet profana magis.* Vivebant enim domi tam sanctè pieque atque si in templo forent, Deum semper præ oculis habentes. Quia enim persecutionis tempore templa non habebant, in domibus privatis ad rem divinam conveniebant, ubi certa conclavia separata in sacellorum morem pulchrè adornabant, ibique rem divinam faciebant. Describit talem domum & sacellum Lucianus in Philopat. cùm ait: *Critiam quendam in talem domum per multas scalas inductum, devenisse tandem in domum aurato fastigio insignem, ubi Christiani conventum agebant in faciem inclinati & pallescentes, &c.* Romæ sub terra plurimos passim cuniculos effoderunt, & speluncas subterraneas, ubi convenientes sacramenta accipiebant & Dei verbum audiebant, non fine continuo vitæ periculo; tum ob insidiantes Gentiles; tum ob ruinarum metum, & auræ inclusæ insalubritatem. Quid de fervore adeundi templa dicam? Sub Henrico Rege Ariano in Africa prohibitum erat Catholicis, ne templa Catholica adirent ad rem divinam, & statuti ab Arianis in omnibus Ecclesiæ porticibus tortores, qui viros fæminasque in Ecclesiam ingredi volentes malè mulctarunt palisque dentatis in capita jactis & in capillos implicatis raptarunt tanta plerumque crudelitate, ut avulsa à capite pelle, sæpè lacerati domum abirent. Neque tamen ea sævitia Catholicorum constantiam & pietatem in adeundis templis infringere potuit, teste Victore Uticensi in persecut. Wandal. lib. 2.

I. *Domus illorum sanctæ erant.*

Quid de pietate in templis? Vulgò didicimus: Die alten Christen hatten finstere Kirchen vnnd liechte Hertzen: Jetzt haben wir liechte Kirchen vnd finstere Hertzen. Et quidem obscura templa habebant, ut magis collecti in orando essent ac devoti, nec oculis tam facilè evagari possent. Ingressuri templum gladios deponebant, uti se quoque fecisse fatetur Imperator Theodosius in Concilio Ephesino. Adhæc manus etiam lavabant, ut testatur Sanctus Chrysostomus homil. 72. in Joan. *Ingressuri tem-*

templum manus lavamus. Rurſum limen januæ tem-
pli oſculantur, teſte S.Chryſoſtomo in 2. Cor. ho-
mil. 29. *Veſtibulum & ingreſſum templi oſculamur,*
inquit. Et hom. 30. *Non vides quomodo hujus templi*
limen intrantes oſculantur? quomodo quidam genu-
flexi baſient? In eodem fabulari aut dormire non
licebat. Unde *quidam ex Diaconis*, ait S. Clemens
lib.8. Conſtit. Apoſt.cap. 11. *in templo inambulant*
contemplantes viros & mulieres, ne quis fieret ſtre-
pitus, ne quis nutus faceret aut muſſitaret aut dormi-
taret. Sub Sancto Baſilio Epiſcopo Cæſarienſi Va-
lens Imp. Arianus Baſilio & Catholicis iratus die
Epiphaniæ cum univerſa ſatellitum manu ingreſ-
ſus, ut Eccleſiam turbaret, ubi pſalmodium audiit
& populi multitudinem ſumma cum veneratione
compoſitam, Eccleſiæ ornatum, Epiſcopum ad
aram velut ſtatuam, in oratione erectum ſtantem;
ſtupore & vertigine correptus eſt, ac niſi ſuorum
manibus ſuſtentatus fuiſſet, in terram corruiſſet, ut
ſcribit S.Greg. Nazianzen. orat. funeb. in laude
Baſilii. Jam ſi antiqui illi Chriſtiani adeſſent & vi-
derent noſtrum languorem & aliorum etiam levi-
tatem in templis, nunquid non lachrymarentur?
Ubi enim nunc illa reverentia erga ſacras ædes? ubi
timor & horror ſacri loci?

II. *Prælati ſanctiores.*

II. Erant olim columnæ templi longè firmio-
res ac ſpecioſiores, quàm ſint modò, Prælati, in-
quam, & Paſtores (quos Apoſtolus ad Galat. 2. *co-*
lumnas vocat) quia legimus in Sanctorum actis paſ-
ſim Diœceſium primos quoſque Epiſcopos, Abba-
tiarum Abbates fuiſſe ſanctos; quod tamen de poſte-
rioribus non adeò multis legimus. Diſcurrerunt illi
per invia & devia luſtrantes greges ſuos, & verbi
Dei pabulo impigrè confortantes, nulli parcentes
labori; in cujus rei ſymbolum pedo Abbatum velũ
ſive ſudariolum, quo ſudorem itineris & concio-
num labore provocatum detergebant, appendi ſo-
let, ut officii ſui & antiqui animarum zeli memo-
res ſint Prælati ſequaces. Lamentatus eſt ſuo jam
tempore S.Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, quòd
olim fuiſſent in Eccleſia calices ſacri lignei, & ſacer-
dotes aurei, ſuo tempore verò ſacerdotes eſſent li-
gnei & calices aurei. Quod ſanè magis in hæc tem-
pora quadrat. Videmus ſæpè nitere ſacerdotes in
veſtibus, ſplendere in menſa & ſupellectili: ſordere
verò eorum templa & vaſa ſacra. Quod ſe in domo
divitis Epiſcopi deprehendiſſe lamentatur Cardi-
nalis Bellarm. lib. 2. Gemit. col. 5. in menſa nimir.
omnia nitida, in templo verò tam ſordida, ut dubi-
tarit an in paramentis illis miſſam celebrare debe-
ret. Correctus eſt jam magna ex parte Clerus &
hæc negligentia: ſed ad primum illum nitorem non-
dum redacta.

III. *Charitas inter fideles.*

III. Fornix erat firmior; charitas videlicet;
nam ſicut in fornice lateres ſe invicem ſuſtentant
calce connexi, ſicque firmiter conſiſtunt: ita chari-
tas conglutinat conſolidatque Chriſtianos. Fuit ea
tanta, ut ſe invicem *fratres* & *ſorores* appellarent;
& Gentiles mirarentur, quòd magis ſe mutuò dili-
gerent, quàm fratres naturales. Unde dicebant: V-
dete ut ſe invicem diligant & ut pro alterutro mo
parati ſint. Et: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos pr*
ter uxores, ait Tertullianus in apol. cap. 39. Po
erga detentos fidei cauſa in carceribus tanta e
charitas, ut pecunia corruptis cuſtodibus ad e
penetrarent, neceſſaria eis præberent, & inſer-
rent, vincula oſcularentur, & ſi poſſent pecu
eos redimerent: adeò ut S. Cyprianus epiſt. 5. m-
neat ſuos, ut hac in re ſibi temperent, ne invidia-
lis concitetur & introitus omninò negetur: & S. A-
guſtinus in Brev coll. diei 3. cap. 12. ſcribat, qu-
dam pſeudomartyres lucri gratiâ inter veros m-
tyres ſe conjeciſſe, ut pecuniis ditarentur, vel l-
tiùs ibi viverent. Quanta cura rapiebant & re-
mebant martyrum corpora, ut honorificè ſep-
rent! S. Cyprianus pro Chriſtianis è Numidà
Barbaris abductis centum millia nummorum
Eccleſia collegit & pro eorum redemptione m,
ut teſtatur epiſt. 60. Sub Gratiano, Valentin
Theodoſio Imp. tam effuſa erat largitas Chriſtia-
rum erga pauperes, ut plurimos alliceret ad m-
dicandum, validos etiam. Qua de cauſa Edictun
Impp. prodiit contra validos mendicantes Bar.
ann 382.

Neque ſolùm erga ſuos, ſed etiam erga Genti
hanc exercebant charitatem, ut patet primum
Euſebio lib. 7. cap. 17. & Dionyſii Epiſcopi Alex-
drini literis, quando Alexandriæ peſte correp,
non tantùm Chriſtianis, ſed etiam Gentilibus om
ſubſidio adfuerunt & miniſtrarunt; unde peſt
ipſis contracta vitam libenter amiſerunt, cùm c-
trà Ethnici ſuos jam ægrotare incipientes extru-
rent ex ædibus, in plateas ſemivivos ejicerent, ca-
vera inſepulta canibus lanianda relinquerent. Jul-
nus Imp. Apoſtata in Epiſt. ad Arſacen Epiſcopu,
jubet erigi hoſpitalia & Xenodochia in ſubſidi
pauperum, eò quod Chriſtiani ſuis opibus ſuſten-
rent, non ſolùm ſuos, ſed etiam Gentilium pau-
res, apud Baron. ann. 362.

IV. Portæ auguſtiores & ampliores, h. e. h
ſpilitas longè major. Ea enim in primitiva Ecc
ſia omnibus præcepta erat; quia videntes id Gen
les & ipſi ſe inſinuabant & hoſpitia apud Chriſt
nos quærebant, ſimulantes ſe Chriſtianos, ideò
cogitata eſt à Chriſtianis *conteſſeratio*, de qua T
tullianus lib. de præſcript. Erat autem certum
gnum, è quo advenæ noſcebantur eſſe Chriſtia,
Cumque id ab hæreticis & Gentilibus doloſè ad-
teratum eſſet, à Catholicis ſæpe mutatum eſt, t-
demque in Concilio Nicæno ejus loco literæ qu-
tuor π. υ. α. π. id eſt, πατὴρ, υἱὸς ἅγιον πνεῦ-
conſtitutæ, quæ dicebantur *Formatæ.* Hoſpitib
pedes lavabant, & pro facultate neceſſaria appo-
bant. Dimiſſos à ſe ad certum ſpatium deduceba
& ad alios dirigebant. Lucianus in Philopatro c
ſcribit quendam impoſterem Gentilem, Pereg
num nomine, ex Inſula Paro, qui cùm videret n
lam gentem peregrinos ita libenter excipere
hum

humaniter tractare, ſicut Chriſtianos, ad eos venit & Chriſtianæ religionis ſe cupidiſſimum aſſeruit. Dedit nomen; baptizatus, & Magiſtrum ac Doctorem fidei profeſſus, quin etiam operatus eſt, ut pietatis cauſa in carcerem truderetur. Ubi à Chriſtianis multæ ipſi & opes & cibi mittebantur. Dimiſſus tandem à Præſide & auro ſuffarcinatus in patriam rediit. Quid quòd anno adhuc 1020. Burkardus Epiſcopus Wormat. juſſit inquiri à parochis, an eſſent aliqui parochiani, qui venientibus peregrinis Chriſtianis hoſpitium negarent. Unde colligitur eam hoſpitalitem ad ea tempora duraſſe.

V. Confeſſionalia majora, hoc eſt, pœnitentiæ injunctæ longè ſeveriores. Publica inprimis ſatisfactio pro publicis peccatis agenda fuit, ut Philippo Imp. ob dolo circumventum Gordianum: Fabiolæ ob virum alterum ductum, poſt divortium primi. Theodoſio ob cædem Theſſalonicenſem: Henrico II. Angliæ Regi ob cædem S. Thomæ Cantuarienſ. Epiſcopi; ita ut inter pœnitentes ſtare extra Eccleſiam, vel intus proſterni & plagas accipere deberent. Diu etiam in Eccleſia ad annos 300. viguit conſuetudo, ut poſt privatam confeſſionem, publica peccata, publicè in Eccleſia ab ipſis pœnitentibus recitari ad ſui confuſionem deberent. Qui mos ob juſtas cauſas à S. Chryſoſtomo ſublatus eſt. Accipiebant tum Chriſtiani libenter à Confeſſariis pro uno gravi peccato 5. 7. 15. 20. annorum pœnitentias, quibus certos per hebdomadem dies in pane & aqua, humicubatione, vigiliis & cilicio tolerarent; quandoque etiam perpetuas. In Concilio Toletano legimus Epiſcopum quendam Bracarenſem, Pramium, tactu fœmineo pollutum ſeipſum ſponte in ergaſtulo 9. menſibus concluſiſſe ibiq; pœnituiſſe, inſuper Concilio peccatum ſuum prodidiſſe, pœnitentiamque ab illo perpetuam exercendo ſe in vilibus miniſteriis libenter accepiſſe; dicente nihilominùs Concilio, mitiùs cum eo actum eſſe. In Canonibus pœnit. Injungitur perjuro 40. dierum, falſa menſura utenti 30. dierum jejunium in pane & aqua. Blaſphemo in Deum aut B. Virginem ſeptem Dominicis ſtatio extra Eccleſiam, & totidem feriis ſextis jejunium in pane & aqua. Ultima Dominica ad fores Eccleſiæ ſine pallio funem in collo gerat. Fornicarius & adulter 7. annis pœnitentiam agat, &c. Hinc naſcebatur incredibilis morum innocentia & peccatorum ingens horror, præſertim caſtitas, ad ſtuporem Gentilium. Teſtis S. Blandina in tormentis: *Chriſtiana ſum & nihil apud nos mali committitur*, apud Euſeb.

VI. Altaria ſacratiora, hoc eſt, Euchariſtiæ ſumptio longè frequentior. Tempore Apoſtolorum quotidie communicabant, Act. 2. *Erant perſeverantes in communicatione fractionis panis.* Duravit ea conſuetudo, imò præceptum in primitiva Eccleſia diu. Anacletus Pp. in epiſt. ſua 1. ait: *Peracta conſecratione omnes communicent; qui noluerint, Eccleſiaſticis careant liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt & S. Romana tenet Eccleſia.* Poſteà invaluit conſuetudo ter aut quater in ſeptimana communicandi: tum ſemel tantùm die Dominico. Poſthæc decreſcente fervore Fabrianus Pp. indulſit, ut ſaltem ter in anno omnes communicarent, ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte & Natali Domini. Denique magis refrigeſcente charitate Innocentius III. juſſit, ut nimirùm ſemel in anno, ſcilicet in Paſchate; uti refert D. Thomas 3. p. qu. 80. art. 10. Fervor & deſiderium erga ſacrum illud epulum tantum erat, ut ſine ea martyrium ſe ſuſtinere non poſſe crederent. Unde ſacerdotes rabiem Tyrannorum pro nihilo habentes, intimos carceres penetrarunt, ut confeſſores ibi detentos, verbo & miſſæ celebratione ſacroque illo viatico munirent, teſte S. Cypriano in Ep. ad Preb. & Diaco. Ante communionem dabant ſibi oſculum pacis viri viris, fœminæ fœminis, &c.

VII. Imagines pulchriores, virtutum ſcilicet exempla. Orationi non de die ſolùm, ſed noctu etiam addicti erant, ita ut in vigiliis Sanctorum & ſtationibus pernoctarent orando. Plinius ſecundus præfectus Bythiniæ in Epiſt. ad Trajanum ſcribit Chriſtianos ſtato die ante lucem convenire carmenque quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne adulteria, ne latrocinia committerent: ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Devotio & corporis compoſitio tanta in illis erat, ut Gentiles vel ea ſolùm viſa converterentur aliquando, uti Afra adhuc peccatrix videns orantem ſanctum Narciſſum, Albanus Anglus Clericum domi ſuæ hoſpitem. Menſæ orationem præmittebant. Unde Tertull. apol. 39. *Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur.* Et mox: *Æquè oratio convivium dirimit.* Adhæc hymnos ſacros poſt menſam cantabant. Hymnus *Gloria Patri, &c.* etiam à ruſticis cantabatur, teſte S. Baſilio libro de Spiritu ſancto cap. 7. & 29. Ruſtici arantes, metentes, vindemiantes paſſim cantabant *Alleluja:* & *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, &c.* teſte Hieron. ad Marcellum. Denique majores noſtri ſuas precatorias coronas ſecum ferebant ad templum, uti antiquæ monſtrant picturæ. Ad eleëmoſynas faciendas liberaliſſimi erant, ita ut juxta præceptum Apoſtoli 1. Cor. 16. ſinguli aliquid ſeponerent die Dominico pro collecta in pauperes, pupillos, viduas, carcere detentos, exules, Eccleſiæ miniſtros (qui inde copioſiſſimè alebantur teſte Tertull. apol. 39.) facienda. Qui mos per annos 300. durans, cùm tempore S. Chryſoſtomi in deſuetudinem veniſſet, orationem habuit ad populum, ut inſtauraretur. Si quando aliqui Chriſtiani abducti eſſent, faciebant collectas, ut eos redimerent (ut ſupradict.) Jejunia eorum ſtrictiſſima erant. Teſtatur Lucianus in Philopatro, ſolitos Chriſtianos in Quadrageſima ſic jejunare, ut aliqui 10. Soles ſine cibo tranſigerent. Alexandriæ ſub S Marco in aqua, pane, ſale & hyſſopo jejunabant Euſeb. lib. 2. c. 17. Abſtinebant non à carne ſolùm, ſed ovis etiam & lacticiniis, vino

VII. Majus virtutum ſtudium.

quoque, & multi etiam à piscibus, ut patet ex Sanctis Epiphanio in compendio, Basilio. serm. de jejun. Hieronymo in Epist. ad Eustochium. Comedebant primùm vesperi in jejuniis, teste S. Bernardo serm. 3. de Quadrag. *Adveniente jejunio*, ait S. Chrysost. ho. 6. ad pop. *etsi millies quis exhortetur & infinita crucient & cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum degustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.* Tempore Quadragesimæ cùm Julianus non nisi cibos vetitos vænum proponi permitteret, quidvis aliud vilissimum edere maluerunt, quàm iis se contaminare. Refert Nectarius orat. de S. Theodoro. Tempore Justiniani Imp. cùm necessitatis causa carnes in Quadragesima proponerentur vænales, nemo eas emebat aut edebat, mortem præeligebant. Niceph. lib. 17. cap. 32.

Sed heu quàm nunc frigida sunt Christianorum jejunia! quàm omnis alia pietas tepida & languida! Videtur mihi jam posse dici, quod hospes ille Nolanus dixit Censori Romano, ad reformandas urbes à Senatu Rom. misso, de quo Tympius in spec. Magist. fig. 50. ita scribit: *Venit aliquando Censor Romanus Nolam, Campaniæ urbem, regionem illam pro more visitaturus. Sed quia æstas erat regioque æstuosissima, nemo tunc in publicum prodibat. Hospiti ergo, apud quem diverterat: Amice, inquit, ego sum Censor à senatu Rom. ad regionem hanc visitandam missus, itaque festinus abito, omnesque populi bonos huc ad me vocato: sunt enim nonnulla sacri senatus nomine illis dicenda. Hospes ad sepulchra abit mortuorum, qui illic erant humati, & clara voce: Heus, inquit, boni viri venite mecum: vocat enim vos Censor Romanus. Censor neminem venire videns, iterum jubet hospitem illos accersere. Is ad sepulchra denuò reversus mortuis ait: Adeste boni viri! vocat enim vos Cẽsor Romanorum. In hunc modum & iisdem verbis tertium quoque fuere vocati. Cùm autem iterum ac tertium accersiti non venirent pertæsus ac indignatus Censor inquit hospiti: Quandoquidem jussu mei boni viri nolunt venire, illuc ibo; itaque mecum progressus mihi illos monstra. Gravem enim meretur animadversionem quicunque Senatus dicto non est audiens. Hospes pauperculus Censorem manu prehensum ad sepulchra ducit, ad quæ dudum abierat & mortuos denuò clarâ voce compellans: Ecce, inquit, boni viri, adest Censor Romanus vos allocuturus. Censor indignatus & excandescens: Quid agis, inquit, hospes? eg[o] te vivos vocatum misi, tu verò mortuos vocas. Cu[m] hospes: Si prudens es Censor Romane, haud mirum tibi videbitur quæ feci, omnes quippe boni viri huju[s] regionis jam olim sunt mortui & in his monument[is] sepulti: justo quippe Dei judicio factum est, ut intr[a] terræ sinum quiescant illi, quorum commercio non d[i]gna erat, quo frueretur Resp.* Non multum aberrab[it] qui hoc idem nostris temporibus dixerit, multò m[i]nùs, qui secuturis & præsertim extremis.

Ubi enim nunc sunt boni illi Christiani, qui tant[o] fervore rem divinam quærebant? Jam olim su[nt] mortui & in monumentis sepulti. Ubi illi boni Chr[i]stiani, qui tantâ cum reverentiâ in templis vers[a]bantur? Jam olim sunt mortui & jacent in cœmet[e]rio. Ubi illi sancti Prælati & Episcopi orbis mir[a]cula & portenta? Jam dudum abiêre & in sepulch[ris] jacent. Ubi illi boni fideles, qui sua omnibus paup[e]ribus & peregrinis communia faciebant, sola fut[u]rorum spe contenti? Ah, jam dudum vixêre, nisi [in] sepulchris inveniri possunt. Ubi pœnitentes illi t[o]tis mensibus & annis sese affligentes pro unico d[e]licto? Fuerunt olim & non sunt. Ubi illi sacræ me[n]sæ tam frequentes convivæ & devoti veneratore[s]? Jam olim sepulti sunt. Ubi illa virtutum specula, [&] vitæ sanctimonia lucentia candelabra? Jam oli[m] defuncti sunt & dormiunt in sepulchris. Ergo qu[i] vidimus longè nos abesse ab avita antiquorũ Chr[i]stianorum pietate, excitemus nosmetipsos, ut quà[m] proximè saltem ad majores nostros accedamus, [&] quod jure mirandum est, æquare eos non valeamu[s], simus saltem parentum nostrorum non degener[es] filii: ita ut qui extra Christi Ecclesiam in teneb[ris] suis degunt, non aspicientes cogantur profite[ri], quod de Christianis vaticinatus est Isaias cap. 61. *Ipsi sunt semen, cui benedixit Dominus.*

F I N I S.

Omnia ad majorem Dei Deiparæque gloriam.

R. P.

E

CON

SYLVA

N FES

pluribus, &

E

ONCION

Editio post plurimas u



Sumptibus Viduæ

R. P. MATTHIÆ FABRI
E SOCIETATE IESV

CONCIONVM
SYLVA NOVA seu AUCTARIUM
IN FESTA TOTIVS ANNI,

pluribus, & ab Opere Tripartito diversis, in singula Evangelia, argumentis instructissimum:

Cui accedunt

CONCIONES FVNEBRES ET NVPTIALES posthumæ ejusdem Authoris.

Editio post plurimas ultima, & correctior, cum INDICE MATERIARUM longè quàm hactenus perfectiore & copiosiore.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Viduæ IOANNIS WIDENFELT sub Monocerote veteri,
ANNO M. DC. LXIII.

Cum Privilegio S. Cæs. Majest. speciali.

SANCTISSIMIS POST DEUM

ET POTENTISSIMIS

JESU,

MARIÆ, JOSEPH,

INTERCESSORIBUS APUD SUPREMAM ÆTERNI NUMINIS MAJESTATEM CONSTANTISSIMIS, PATRONIS FIDElissimis, & Adjutoribus clementissimis.

DAte veniam, TUTORES OPTIMI, si à mortalium patrocinio, ad immortale nominis vestri decus præsidiumque transeamus & in hoc tanquam asylo certiori subsistamus. Causæ non leves ad hoc nos consilium impellunt. Hic terminus operum laudatissimi Oratoris nostri, quem in Sanctorum Dei encomiis statuit, alio in loco tutius gloriosiusque figi à nobis vix potuit. Boni ominis olim fuit, Deum Terminum à Capitolio & Jove, cæteris Diis elatis, tolli non potuisse. Et nos sacri hujus laboris terminum proximum esse divini Numinis Majestati upimus, neque ab illius latere ac tutela divelli, quod alio facilius, quàm vestro patrocinio impetratum iri, jure diffidimus. Veterum olim & gentilium etiam poetarum xioma fuit:

A Jove Principium.

Nos veriori ipsius Dei oraculo accepimus: *Ego α & ω principium & finis.* Ab hoc principio, ut scriptoris & Typographi labor cœpit, ita in hoc fine claudendus est. Frustra enè cœptum est, quod in hoc termino non finitur.

Tuo igitur patrocinio, JESU piissime, qui nihil Tibi commissum aversa unquam pe visus es aspernari, hosce fastos Sanctorum committimus, qui omnium Sanctorum rinceps & antesignanus, jure præcipuum inter universos honoris ac dignitatis locum omereris, Tibi Apostolorum Doctori, hanc à Te manantem disciplinam, tanquam apiti suo fontique rursum consignamus, ut favore auxilioque Tuo in adjutorium lectoumque cunctorum animos influat, fructumque Te irrigante centuplicatum proferat. u solem de cælo æternæ veritatis affulgere, rorem gratiarum affluere, Zephiros benevolentiæ cælestis affundi patiaris, ne sparsum per nos semen, sterili humanæ mentis in gro exarescat, aut præfocetur. Nosti quot Dei Verbum casibus malè interceptum, uctum speratum non adferat. Si in obduratam mentis petram incidat, sine radice leiter subnatum, repentè evanescit: nisi Tu, qui petras ceræ instar emollire potes, divinâ pe subvenias. Si in hominis, vanis mundi occupationibus nimium addicti, mentem, anquam viam publicam, semen hoc illabatur, facilè rapaces inferni volucres ipsum tolant: nisi Tua illi vigilantia & arte intercepti teneantur. Si in divitiarum curam proctum nimis animum spargatur, inter subnatas demum spinas & zizania suffocatur; nisi u adfueris, qui de spinis etiam potes uvas colligere. Tibi salutis nostræ Autori

totum ſubditur, quidquid humanæ pietati vel malignè adverſatur, vel benevolè ibve-nit. Tu fons lucis æternæ, quidquid tenebroſum eſt, diſcutis; tu cæleſtis caloris frigus animorum conſumis; ex falſo mortalium affectuum æquore, dulcem eliquas, ttra-hiſq; in cælum pietatis rorem. Tu ſapientiæ divinæ theſaurus, nullum tibi fidentem in cæca ignorantia pateris interire, uno Tu verbo complecteris univerſa; imago ſu rem Patris, quæ repræſentat omnia; principium amoris, quo inflammantur hominum pe ora; finis bonorum, in quo, ſine faſtidio acquieſcimus.

Te verò, o Magna Dei parens & Virgo MARIA, ad hanc quoque noſtri ope-ris tutelam benevola ſuffragatione cupimus inclinari. Cui enim potius Verbum DEI dedicemus, quam illi, cui Deus illlud de cælo infudit, quæ ſuis illud viſceribus ab tum humana carne veſtivit, quæ mundo cum eodem peperit ſalutem. Sedes es ſapientiæ, ad quam multorum rudes ignoranteſque confugimus, noſtræ cauſa lætitiæ, apud quam tan-quam matrem filii lachrymas mœroris abſtergimus: Stella matutina es, ad quam in noctis afflictionum reſpicimus; Salus infirmorum, ad quam læſi imbecilleſq; convertimur, Mille titulis nos ad Te evocas, & invitati lubentes volenteſque Tuum ad patrocinium pope-ramus. Tibi igitur hæc Apoſtolorum elogia inſcribimus, quæ Apoſtolicæ vitæ pices tranſcendiſti. Tibi glorioſo ſanguine purpuratas Martyrum victorias dedicamus quæ excepto doloris in anima gladio omnem patientiæ in Martyribus hiſtoriam ſup aſti. Tibi illuſtria Confeſſorum conſecramus encomia, quæ vitæ ſanctioris norma, & exem-plar perfectiſſimum omnibus potes aſſignari. Tibi puriſſimarum Virginum inte rita-tem jure conſignamus, quæ pluſquam humanæ merito puritatis Regina Virginum nuncuparis.

Nec fas eſt, ut te, ſanctiſſime Joſephe, prætereamus Tutorem quondam & Nutri-tium illius Numinis, quod tuetur & nutrit univerſa. Tu in Patribus cunctis mir emi-nes, ſine conjugali ſemine fecundus, ſine prole Pater. Inter Virgines ſolus pater, inter Patres ſolus Virgo: dignus cui Virgo nuberet, & pareret eadem conjugata, qui in cœli-batu conjux eſſet prolemque ſuſciperet, in conjugio continens perſiſteret. Eu dem haberet filium, quem Deus: altorem ſuum alumnus educaret, inter Martyres pate tur, ſed diu ad longiora tormenta ſuperſtes, ut fabrum inſtrueret Deum, qui malleos, c vos, terebras, jam puer tractare diſceret, quas vir in cruce ſuſtineret. Hoc videlicet a arti-fice Joſepho illi tradendum ſupererat, poſtquam à Patre DEO orbem tornare didi-ciſſet, æquare, velut dolabrâ, campos, extollere montes ad ſidera. Tam igitur p eni dilectoque Superis Patrono, ſanctiſſimæque ejuſdem familiæ JESU & MA IÆ devotis hanc opellam noſtram obſequiis conſecramus, illis Sanctorum Princip bus, pietatiſque Ideis, ſub quibus pugnantes in terris animantur, morientes in fine cor nan-tur, triumphantes in cælo exultant, defendite benigna protectione Veſtræ clientel de-votiſſimos, qui ſe, unà cum libro hoc, veſtris totos obſequiis dedicant ac tranſcri unt. Coloniæ 1663. 20. die Martii.

Optimis Maximiſq; poſt Deum Tutoribus

Devotiſſimi Clientes

Vidua & Hæredes Widenfeld

INDEX THEMATUM CONCIONUM NOVÆ SYLVÆ PARTIS ALTERIUS.

DE SANCTIS.

In Festo S. Andreæ.

Themata.

1. *Mundus similis mari Tiberiadis.*
2. *Crucem quæ faciant amabilem.*
3. *Andreas virilis seu fortis.*
4. *Crux Andreana, in qua boni malè, mali benè habent, mitigatur.*
5. *Mira Andreæ & aliorum Apostolorum vocatio.*

In Festo S. Nicolai.

1. *Vitra perniciosa qui parentes imponant filiis suis.*
2. *Nicolaus quomodo victor populi fuerit.*
3. *Virga tribulationis honesta, utilis, jucunda.*
4. *Quis fidelis Dei servus.*
5. *Quid non imponere debeant liberis parentes.*

In Festo Conceptionis B. M. V.

1. *Genealogia Christi effigies.*
2. *Genealogia Christi ludo Latrunculorum similis.*
3. *B. Virgo castitatis, humilitatis & paupertatis Magistra.*
4. *Qualis sit hic liber generationis Christi.*
5. *Beata Virgo Lunæ comparatur.*

In Festo S. Thomæ Apostoli

1. *Plures in mundo Didymi.*
2. *Quinam pertinaces Thomæ asseclæ.*
3. *Christus quomodo Dominus noster & Deus noster peculiari titulo.*
4. *Fides melior ac beatior quàm scientia & sensuum notitia.*
5. *Quomodo excipiendus in S. Communione Christus verbis S. Thomæ.*

In Festo Nativitatis Christi

1. *Christi Nativitas cordi nostro imprimenda.*
2. *Gaudium hodierni diei ex nato Salvatore.*
3. *Quare Christus in terram pauper & humilis venerit.*
4. *Portenta Incarnationis Christi.*
5. *Gloria Christi nati quâ in re cernatur.*
6. *Quæ obsequia Christo nato deferenda.*

In Festo S. Stephani Protomartyris.

1. *Corona gemmea S. Stephano debita.*
2. *Inimicorum injurias panes esse ostenditur.*
3. *Stephanus jure Angelus habitus.*
4. *Quas coronas meruerit S. Stephanus.*
5. *Quid commiserit S. Stephanus ut lapidaretur.*

In Festo S. Joannis Apostoli.

1. *Quinq; Ioannis prærogativæ.*
2. *Stimuli ad sufferendas inimicorum injurias.*
3. *Qui cum Ioanne præcipuè dilecti à Deo.*
4. *Sitis ebriosorum poculo benedicto extinguitur.*
5. *Quomodo & nos in sinu Domini recumbere possimus.*

R. P. MATTHIÆ FABRI
SOCIETATIS IESV
CONCIONVM IN DOMINICAS ET FESTA totius Anni SYLVA NOVA seu AVCTARIVM.

IN FESTO S. ANDREÆ.

THEMATA CONCIONUM.

I. *Mundus similis mari Tiberiadis.*
II. *Crucem quæ faciant amabilem.*
III. *Andreas virilis seu fortis.*
IV. *Crux Andreana, in qua boni malè, mali bene habent, mitigatur.*
V. *Mira Andreæ & aliorum Apostolorum vocatio.*

THEMA I.

Mundus similis mari Tiberiadis.

I. *Quia æstimat magna, quæ parva sunt.*
II. *Quia eandem rem aliis & aliis tribuit.*
III. *Quia varius & inconstans.*
IV. *Quia in vita se dilatat, in morte angustatur.*

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres. Matth. 4.



Nacharsin Scytham, virum sapientem, quidam percontabatur, quænam naves essent tutissimæ. Respondit ille: *Quæ in siccum protractæ sunt.* Non exspectarat alter hoc responsum, sed sed an naves onerariæ, an actuariæ, an myoparones, & aliæ tutiores essent. Verùm Anacharsis dicere voluit, omnes naves periculo expositas, omnem navigationem intutam esse. Laert. l. 1 c. 3 Si me percontetur aliquis, quinam homines totius mundi omnium securissimo loco sint, respondebo & ego: Qui è mundo extracti sunt. Dicet alius quispiam illos omnium tutissimos esse, qui in munitionibus, turribus, Insulis, cavernis petrarum, vel in montibus habitant. Verùm ego assero, neminem tutiorem esse illo, qui de mundo extractus est: cæteros verò omnes periculoso loco esse. Quæ enim causa est, cur Dominus noster primos suos & præcipuos discipulos extrahat è mari, nec quærat eos in eorum ædibus aut in plateis; nisi quia mare illud typus mundi erat, ubi perpetuò fluctuant homines, & innumeris periculis subjacent? Unde alibi eis dicit: *Ego elegi vos de mundo.* Quare qui tutiorem in mundo locum quærunt, exeant è mundo si non effectu, saltem affectu. Quod ut fiat, videamus utrum mare Tiberiadis typum hujus mundi nobis exhibeat.

I. Mare hoc Tiberiadis, nomine quidem maris efferebatur à Judæis, reveratamen non mare, sed stagnum tantùm erat, uti & appellatur à Luca c. 5. seu lacus, ut à Josepho: quemadmodum & mare mortuum, quod item non nisi lacus erat. Sed cur mare appellatus lacus Tiberiadis, qui non nisi leucam unam in latitudine, tres verò in longitudine superaret? Nim. Hebræi, quia vastiorem aquarum colluviem in terra sua non habebant, & plerique forsan mare non viderant, lacus illos suos, maria esse putabant. Sic omninò mundus decipit & decipitur. Maria esse putat, quæ tantùm stagna sunt; miratur res viles, & æstimat esse magnas, quia majores & maria verorum bonorum non vidit. Alcibiaden Atheniensium ducem cùm videret Socrates insolescere ob fundorum vastitatem & prædiorum multitudinem; adduxit ad tabulam Geographicam, & jussit quærere Atticam, deinde in ea fundos suos, qui cum ibi nusquam extarent, dixit ei: *Eccur ergò te effers fundorum possessione, qui nulla pars sunt terræ?* Ælian. l. 3. Var. c. 28. *I. Quia æstimat magna, quæ parva sũt.*

Adhæc quemadmodum mare Tiberiadis videbatur in terra stantibus esse mare spatiosum, sed navigantibus apparebat parvum, quòd celerrimè id trajicerent. Sic vitæ hujus spatium v. g. 60. & 70. annorum juvenibus videtur esse longissimum; at senibus apparet esse brevissimum: quia vident se celerrimo cursu id pertransiisse. Unde dicit Job cap. 9. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum: pertransierunt sicut naves poma portantes.* q. d. celerrimè. Aquæ maris salsæ sunt & crassæ, unde fortiùs sustinent naves, & minùs *Longa, quæ sunt brevia.*

mergi

mergi patiuntur: sed aquæ maris Tiberiadis dulces erant, unde & periculosiores navigantibus. Consimili modo mundus fingitur esse mare & habere aquas marinas, hoc est, delicias omni periculo carentes, quasi nemo facilè in iis perire possit; cùm tamen sint aquæ dulces & periculo plenæ, quæ plerosque mergunt ad interitum. Invitat mundus homines ad sui amorem, quomodo Jabel Sisaram Ducem in fuga sitibundum & desiderantem aquæ potum, illis verbis invitavit: *Intra ad me domine, intra ne timeas:* deditque ei lac ad bibendum, posteà somno sopitum clavo per tempora transfixit & terræ affixit. Judic. 4. Jahelem agit mundus invitans ad se homines, terram sitientes, & promittit securitatem, quasi nihil haberet periculi, mox tamen inebriatos lactis sui dulcedine, terræ affigit & necat.

II. *Quia eandem rem aliis & aliis tribuit.*

II. Mare Galilææ varia sortitum est nomina, juxta varietatem adjacentium regionum. Olim enim appellatum fuit mare Cenereth, à vicino oppido Cenereth. Num. 34. & Jos. 13. Hoc eversum & à Tiberio Imp. reædificatum, Tiberias appellatum fuit: sicque mare etiam illud; cum nova civitate & Principe novum nomen acquisivit *Tiberiadis*. (Sic debet hominibus mare servire, & ad eorum nutum nomen mutare.) Adhæc eundem lacum tam multi sibi attribuunt & quasi rapiunt: Terra Genesar appellat eum à se *lacum Genesareth*: Galilæa *mare Galilææ*: civitas Tiberias *Tiberiadis*; quasi dicunt singuli: meus est hic lacus. Ita ergò mundus eandem rem diversis temporibus diversis tribuit hominibus; quod prædecessori abstrahit, dat successori, post & huic sua detrahet, & dabit alteri. Una cathedra, domus, ager, quot dominos habuit? sic una eademque ranina pelle plurimæ capiuntur ranæ. Hæc una cogitatio potuit nobilem virum Romaricum de partibus Austrasianorum è sæculi fluctibus eripere, & ad militiam Christi aptare. Cum enim ad eum divertisset ex itinere S. Amatus Monachus Agaunensis, & ab eo reverenter exceptus esset, petiit Romaricus in mensa ab eo avidè verbum aliquod salutis. Cui Amatus: *Cernis hunc discum argenteum? quam multos ante hac habuit, & deinceps habiturus est servos? Et tu ipse velis nolis, ejus nunc servus es; siquidem servandi causa eum possides. Et ille quidem nunc ex se edentibus aqualem navat operam: sed à te, qui eum nunc servas, de illo quandoque ratio exigetur. Scriptum namque est: Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit. Et ipse Dominus ait: Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram.* His auditis Romaricus afflatu divini Spiritus commotus aliquot diebus Amatum apud se detinuit; moxque consilium de mutanda vita capessivit, spretisque opibus ac sæculo monasticæ disciplinæ sub Amato se subjecit. Lipel. 13. Sept. Putant sæculares se suorum bonorum dominos, cum revera servi sint, Deoque rationem de iis reddere debeant. Sciant ergo se in mundo non esse nisi hospites & peregrinos. Hospes unius diei non amat vel curat argentea vasa Cauponis, è quibus edit aut bibit, quia novit se ea cras alteri cessurum, succedenti sibi hospiti: sic agant & ipsi.

III. Mare hoc Tiberiadis inquietum erat, nec semel Christi discipulis interitum minabatur, ut habemus ex Evangelio. Talis etiam mundus est. In urbe Regio, sita in Italia è regione Siciliæ Consul fuit Fabatus nomine, qui intra 70. annos nunquam ex urbe sua trajecit Messinam, primam, quæ ingredientibus occurrit, Siciliæ civitatem, vix duobus milliaribus nostris distantem. Dicebat n. navim esse stultam, quòd perpetuò se moveat; nautam esse stultum, quòd perpetuo sua consilia mutet; ventos esse stultos, quòd semper se vertant; aquam esse stultam, quòd semper inquieta sit. *Iam si in terra me uni stulto non concredo,* inquit, *quomodo in mari credam me quatuor stultis?* refert Antonius de Guevara Ep. lib. 2. Eadem quadruplex instabilitas in mundo est. Prima est naviculæ, tui ipsius, qui jam lætus, jam tristis; jam audax, jam timidus; jam perspicax, jam cæcutiens es; jam vis, jam non vis. Secunda nautarum h.e. superiorum tuorum, qui tibi jam benè jam malè volunt; jam hoc imperant, jam vetant; jam benè, jam malè gubernāt. Tertia aquæ, i.e. vulgi mobilis, quod jam huc, jam illuc te impellit; jam laudet, jam vituperat; jam amat, jam odit. Quarta venti, fortunæ jam faventis, jam adversantis. Neque n. tibi semper erit sanitas, juventutis vigor, domus prosperitas, liberi desiderati, opes, amici. Repente veniet tibi paupertas, subrepet tristis senectus, domus turbabitur, uxor aut liberi morientur, penuria aderit, amici deserent. Posuit se aliquando Christus, in mari Tiberiadis vectus, paulum ad dormiendum. Sed en repente mare turbatur, & fit clamor: perimus, perimus; sicque Christus è dulci somno excutitur. Itaque ipsi Christo se opponere ausum est hoc mare. Et si Christi discipuli vix in eo salvati sunt, quomodo salvabūtur homines dissoluti & carnales? nónne totus porcorum grex in eo submersus est? Navigavit aliquando per medium pelagus S. Amandus Trajectensis Episcopus, cùm subitò apparuit miræ magnitudinis piscis. Nautæ ergò misso in mare reti piscem illum ceperunt, & in convivium pararunt; cumque epularentur & mutuis plausibus exultarent, inopinata mox orta est tempestas, quæ omne eorum gaudium vertit in luctum; ita ut non modò piscem cæterosq; cibos, omniaq; victualia, sed etiam navis armamenta cæteraque subsidia in mare projicere cogerentur; nec jam aliud, remigando fracti, nisi præsentissimam mortem exspectarēt; quam tamen S. Amandus precibus avertit. In vita 6. Feb. Sur. Idem quotidie navigantibus contingit. Videre est ex litore maris, naves sæpe fluctibus, quasi in cacumen montis evehi, ibiq; aliquantisper quasi in aëre volare, sed en in ictu oculi iterum deprimuntur, nec ullum earum vestigium apparet, quasi in profundū demersæ essent. Ita etiam mundus sectatores suos repente quidem ad summa elevat, sed plerumq; iterum dejicit, uti fecit civitatibus opulentis, mari Tiberiadis adjacentibus,

Betsai-

Betſaidæ, Corazain & Capharnao, de quibus Dominus Luc. 10. ait. *Væ tibi Corazain. Væ tibi Betſaida &c. & tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſq; ad infernum demergeris.* Quæ n. erant totius Judææ urbes florentiſſimæ, nunc adeò vaſtatæ ac deſertæ ſunt, ut Bethſaida non niſi ſex domos Capharnaum 7. piſcatorum caſas habeat, teſte Adricomio & aliis.

IV. Expandit & dilatat ſe id mare ex tenuiſſimo exordio duorum Fontium, Jor & Dan, coëuntium originem trahens, cinctum olim amœnis civitatib. ſed poſt tres, ut dixi, leucas, iterum contrahitur in fluvium Jordanem, à quo interſecatur; at licet ex monte Libani originem ducat, tandem tamen prope Jericho in mare mortuum defluit, ubi dulces & claras aquas perdit, & in amariſſimas ac ſordidiſſimas convertit, ſeu ut Plinius l. 5. c. 15. ait: *aquas laudatas perdit, peſtilentibus mixtas.* Ita nimirum homines mundani ſe quidem in hac vita expandunt, ambiunturque à ſervis & amicorum catervis, velut mare Tiberiadis à civitatibus & vicis, interim tamen originem & interitum habent anguſtiſſimum; quia eadem illis naſcendi & moriendi conditio cum pauperibus. At licet è Libano ſupremæ nobilitatis mōte oriantur, deſinunt tamen omnes in mare mortuū, ubi dulces aquas ſuas cum mortiferis commiſcent. Nonne talis fluvius fuit Epulo, Luc. 16. qui in vita ſe dilatans induebatur purpura & byſſo & epulabatur quotidie ſplendidè, at poſt mortem *ſepultus eſt in infernum*? Quomodo in infernum? ob fœtorem fortè carnis delicatiùs nutritæ, ne inficeret aërem. Aſpice & fœminam Epuloni non abſimilem. Dux Venetiarum Sylvius duxerat in uxorem fœminā Conſtantinopolitanam quæ tam delicata, ſuperſtitioſa & artificioſa jucunditate ſe mulcebat, ut non communibus aquis, ſed rore cœli undiq; conquiſito, manus ablueret & balneum ſibi pararet. Cibos non manu tangebat, ſed ab eunuchis ſciſſos fuſcinula aurea ori ingerebat. Ejus cubile plenum odoramentorum & thymiamatum erat, ut ejus fragrantia non aſſuetos tantum non ſtupidos faceret. Sed vide ultionem Dei. Corpus ejus omne computruit, ut totum cubile intolerabili fœtore impleret, nec quiſpiam famulorum eum ferre poſſet, & vix una ancilla non ſine ſpeciei redolentis auxilio in ejus obſequio permaneret; quæ & raptim accedebat & protinùs fugiens abſcedebat. Diutiùs ergo hoc fætore decocta & miſerabiliter cruciata amicis etiam lætantibus diem clauſit extremum. Ita B. Pet. Damiani l. 7. epiſt. ad Blancam Comitiſſam ep. 19. Qui addit: *Quid ergo ſit caro, doceat ipſa caro, quodque perhibet mortua, teſtetur & viva.* En tibi dilatatum mare dulce, demerſum tandem in mare mortuum fœtidiſſimum, in quo nullum animal vivere, in cujus vicinia nec homines degere ob fœtorem poſſunt.

Sed quid hoc diſcurſu quæro? num extrahere è mundo omnes & facere Chriſti diſcipulos ſeu religioſos? non quidem iſtud molior, tametſi optare poſſim; ſed ad minus illud, ut inprimis non credamus mundo, qui plerumque hominibus imponit faciendo è lacu mare, è bonis parvis magna, è ſordidis ſpecioſa è vilibus pretioſa. Simus ſicut capillus Veneris, (herba, dicta Frawen Harr) qui inter aquas enaſcitur, aquis tamen non infunditur aut aſpergitur. 2. Ut ne amemus mundum, nec nobis attribuamus bona mundi, quæ tam multis aliis communia & veriùs mutuò data, quàm donata ſunt, adeoque nec amemus multum; quia aliis relinquenda, uti ab aliis accepta ſunt, velut ſuppellex hoſpitii, qua utimur uno die 3. Ut ne fidamus mundo, ſuccedentibus & à puppi flantibus proſperis ventis, ſed exſpectemus etiam adverſos, à prora nos adorientes, morbos, orbitatem, paupertatem, mortem &c. 4. Ut ne efferantur, ſed meminerint potentes, qui ſe in vita expandunt, eandem ſe habere naſcendi & moriendi conditionem cum pauperrimis quibuſque. Medium vitæ noſtræ variare poſſumus, principium & finem non poſſumus, uti fatetur Salomon Sap. 7. *Sum & ego mortalis homo,* &c. denique ſubdit: *unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Ergo *neceſſe ut varietas illa, quæ verſatur in medio, tanquam volax fugacis ſomnii vanitas contemnatur*, ut inde concludit Petrus Damiani l. 7. ep. 5. Quando itaque videmus maris hujus pericula, qui ſapit, extrahat navim ſuam, ſaltem affectu, ut ne mundo credat, ne amet, ne fidat, ne ſe efferat.

THEMA II.

Crucem quæ faciant amabilem.

I. *Crux pons ad Cœlum.*
II. *Crux ſceptrum regium.*
III. *Crux currus triumphalis.*
IV. *Crux eſt ſycomorus.*
V. *Crux vexillum Chriſti.*

Venite poſt me. Matth. 4.

JUre merito Petrus & Andreas appellantur fratres in hoc Evangelio, non tantùm, quia ſecundùm carnem tales, ſed etiam quia ſecundum ſpiritum & virtutem. Quid enim Petrus niſi Petra & ſaxum? quid Andreas niſi virilem ſeu fortem græca lingua ſignificat? Et certè tales non ſolum appellati, ſed etiam effecti ſunt, dum uterque poſt Magiſtrum & Dominum ſuum crucem aſcendit. Petrus cum pia quadam ambitione voluit capite in terram verſo crucifigi: Andreas verò cùm ingenti deſiderio & gaudio à longè crucem velut ſponſam dilectiſſimam ſalutavit iis verbis: *ô bona crux, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & nunc concupiſcenti animo præparata! ſuſcipe me, &c.* nec ab ea deponi voluit. Id quod jure miratur S. Bernardus ſer. 3. de S Andrea dicens: *Obſecro fratres, quis loquitur hæc? an non eſt homo, ſed Angelus aut nova creatura aliqua? homo planè ſimilis nobis, paſſibilis,*

Petrus & Andreas ſinceri fratres.

bilis; quia scilicet ad tormenta sicut ad ornamenta; ad pœnas sicut ad delicias properabat; uti idem ait ser. de triplici genere bonorum. Videamus ergo nunc, quid Andreas in cruce viderit, ut adeò gestiret eam amplecti.

Reperiuntur interdum imagines, ut memini me vidisse, quæ duplices vel triplices referunt figuras, si diversis stationibus, ex læva vel dextra vel directa aspiciantur. v. g. à sinistris aspecta repræsentabit mortem; à dexteris visa juvenem decorum; illic rusticum, hic Regem. Talis icon crux est, quæ aliter quidem à nobis aspicitur, aliter à S. Andrea aspecta fuit. Nobis apparet esse patibulum, Andreæ visa est esse pons ad cœlum, sceptrum regium, currus triumphalis, ficus Zachæi, vexillum militare.

I.
Crux pons ad cœlum, visa Andreæ.

I. Aspexit Andreas crucem veluti pontem publicum, omninò transeundem omnibus, qui ad cœlum tendunt. Audiit enim à Christo dictum. Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* q. d. non est dignus, ut dividat mecum spolia, qui non vult pugnare mecum. Scivit id, quod Paulus & Barnabas Christianos docuerunt: *Quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14. Unde infert S. Hieron. ep. ad Oceanum: Ergo *illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Cruces in viis erectæ vias regias demonstrãt: viam cœli omnibus communem Crux Christi ostẽdit. Errat ergo, qui per aliam viam venturum se ad cœlum sperat. Nemo in terram promissionis nisi per asperos montes & solitudines introductus fuit. Vide montem Calvariæ; tres ibi cruces sunt: una Christi innocentissimi, altera latronis pœnitentis, tertia impœnitentis; ergo undique crux à dextris & à sinistris, apud bonos & malos, sed mali crucem inutilẽ, boni utilem habent. Quis inter illas tres non mallet eligere crucem Christi? nónne præstat innocentem pati, quam nocentem, quod vel ipse Socrates vidit? Hic enim ab Atheniensibus injustè ad necem damnatus uxori dicenti: *Mi vir num innocens morieris?* respondit. *Quid? num malles me nocentem mori?* Stob. ser. 1. Bruson l. 2. c. 1. Quod si innocentes non simus, præstat crux latronis pœnitentis, quam impœnitentis, qui de cruce lignea ivit ad crucem igneam. Benè Hugo de S. Victore ait: *Si culpa pateris, erubesce: si sine culpa gloriare. Latro magis esse vis, quàm Christus?* Clamabat etiam populus pro Andrea contra Judicem: *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur.* Sed hoc ipsum erat, quod Andream ad mortem animabat eamque maximè ornabat.

II.
Crux sceptrum regium.

II. Aspexit crucem velut sceptrum Assueri regium, quod ad osculum accedentibus porrectum regiæ benevolentiæ signum erat; uti contigit Estheri Reginæ. Esth. 5. Est autem revera crux, cùm à Deo alicui porrigitur, divinæ benevolentiæ luculentum testimonium, adeò ut eam S. Paulus ad Phil. 2 *donum Dei* appellet: *Vobis donatum est pro Christo,* inquit, *non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Causam dat Chrysostomus in eum locum. *Quia illic quidem Deo debitor sum: hic autem debitorem habeo Christum.* Cujus rei figura erat lu-dus ille Josephi, quem cum fratribus suis lusit Ger 44. cùm omnium quidem fratrum saccos imple frumento jussit; verùm calicem suum argenteum, quo ipse bibebat, in solius Benjamini, conterini dilectissimi fratris, sacco imponi. *Triticum mult datur,* ait S. Ambr. l. de Joseph. c. 11. *scyphus uni, q prophetico & sacerdotali donatur munere. Non n. om nes, sed propheta ait: Calicem salutaris accipiam, &* Possumus hoc idem explicare cũ eo, quod intellex etiã Senec. l. de const. Sapientis. *Hanc rationẽ,* inqu *sequitur Deus in bonis viris, quã in discipulis suis pr ceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus ce tior est spes: & quam in militibus duces, qui optimos m lites ad durissima mittunt &c. Dicant hi ergo* (perg auctor) *Digni visi sumus Deo, in quibus experiretu quantum humana natura* (imo gratia & amor De *possit pati. Ecce spectaculum Deo dignum.* Appositè id Pauli 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Certè Christus etiam non ni heroibus & magnis amicis suis, veluti suis discip lis & cordatis Confessorib. passionis calicẽ donav quemadmodũ & Abraham lignorum fasciculũ n imposuit servis aut asino, sed dilecto suo filio, & h solum eduxit ad montem immolandum; illos in montem stare seq; jussit expectare, Gen. 22. Qui filii Deum colunt ac timent, illos onerat Deus tal culo crucis suæ, & ad montem perfectionis duci non, qui ut servi vel ut asini verberibus cogendi.

III. Velut currum triumphalem, in quo suavit vectus cœlum ingrederetur. S. Ambr. l. 10. in Luc. d Christo crucifixo ait: *Currum suum triumphator a cendit.* Est igitur, ipso teste, crux triumphalis curr in quo ad cœli Capitolium, non modò gloriosè, s suaviter etiam ac securè ascenditur. Gravis quide est currus, sed inunctus levior fit, nec difficilè trah tur; sine unguento stridet. Jam verò qui dat curru dat etiã unguentũ. Unde S. Probus martyr, cum ne vis crudis cæderetur, diceretq; Demetrius Cẽturi *ô homo vide sanguinem tuum in terrã effundi, & ti propitiare;* resp. *Corpus meum ante vos est, mihi aute tormenta unguentum sunt,* ut in ejus Actis apud Su 11. Oct. Quare S. Bernar. ser. 1. de dedicat. crucem rel giosorum comparat cum crucibus in templi pariet bus depictis; quæ ab Episcopo inunctæ sunt, tamet in illis unctio non apparet, sed præcisè crux: *Hom nes vident crucem nostram,* inquit, *sed non unctione nostram.* Quid de S. Quintino martyre dicam? huju ori cum acetum, calx & sinapi infunderetur, ajebat *Domine Deus, quamvis hæc amarissima & exitial sint, ori tamen meo pro mellis dulcedine & favi repu to suavitate.* 31. Oct. apud Lipel. Nimirum sicut Si mon Cyrenensis alleviavit crucem Jesu, retrò ean sublevando; vel, ut aliis placet, totam post Jesum i se suscipiendo, & portando: ita Deus servis suis mi tigat solatiis, quas imponit, cruces. Sic ad læsũ mem brum accurrit sanguis: sic mater ægroto filio totã s impendit. Sed audiamus S. Mart. Philemon, dictum Choraulẽ, qui priùs arte tibicẽ & gentilis, cùm loco

unius

unius Christiani per ludum sacrificare pararet, in ipso actu divinitùs immutatus & seriò Christianum se professus fuerat, crucis currum describentem in Actis S. Thyrsi & Soc. 14. Dec. apud Sur. Is cùm tormenta Ariani præsidis contemneret, causam rogatus, jussit expediri currum muliebrem æneo velamine tectum, *adducique puellum & in eum immitti, diligenterq; includi: congregati verò omnes, qui erant in civitate periti sagittandi, & ad currum jaculari, tanquam ad scopum & non cessare jaculari donec totus currus esset tectus sagittis. Atque illi quidem congregati sic faciebant: AEs autem intùs illæsum conservabat puerum, cùm verò & ipsi sagittandi essent defessi, & tela eos defecissent, puer educitur illæsus, & stabat quidem Præses dubius, cur hæc fierent. Dicit autem Martyr Ariano: Hæc tibi o Præses, evidens est imago mea salutis. Quomodo enim hic puer etiamsi sibi ad nihil possit esse utilis, nihil tamen grave passus est à tam multis viris & jaculis, ære optimè munitus: eodem modò ego quoque, etiamsi mihi innumerabilia inflicta fuerint supplicia, nullius horum curam geram. Ea enim obtundit & hebetat mei Christi virtus, quæ me circum circa muro munit adamantino: propter hæc ira impletur Arianus, & cùm vellet verba martyris convincere, facit ut ea potiùs deducantur ad effectum; nam cùm è quadam arbore suspenderet justum, quæ stabat quidem juxta tribunal, vocabatur autem Perses, circa eum ex omni parte statuit sagittarios & illi quidem fortiter torquebant, ille verò sua ad dominum oratione, omnia tela similiter depellebat; nam alia quidem cadebant in terram, alia verò figebantur in arbore, alia autem admirabiliter pendebant in aëre* Ita in actis citatis.

IV. Velut Sycomorum, è quâ videatur Christus veniēs in gloriam suam. Sycomorus ficus fatua exponitur & crucem Christi repræsentat, ut docet S. Augustinus ser. 8. de verbis Apostoli: *Apprehendat Zachæus Sycomorum*, ait, *ascendat humilis crucem*. Crux mundo fatua & acerba est, sed Zachæo sapientissima & dulcissima fuit; in qua Christum & vidit & apprehendit. Nullum enim certius testimonium propinquæ gloriæ cœlestis est, quàm pro Christo pati. In hac arbore latro pœnitens & vidit & apprehendit Christum; ita ut reliquo, quod superat, tempore, in cruce pendens summâ cum pace, silentio & gaudio perseveraret, non velut reus, sed ut martyr, proximam exspectans mercedem, eo die sibi dandam: In eadem existens Stephanus vidit Christum à dextra Patris surgentem, ad coronam sibi porrigendam. Et cur S. Andreas ab ea deponi noluit, nisi quia virtutem S. Crucis agnovit, & jam lumine cœlesti circumdatus, introspicere in gloriam Dei cœpit? Generosus ille molossus, Alexandro M. à Sophite Indo rege donatus, comprehensum mordicùs leonem nequaquam dimisit, tāetsi interim à venatore crus ei abscinderetur. Tantum sc. potuit prædæ jam delibatæ suavitas, Diod. l. 17. Sprevit etiam Andreas crucis dolores, nec ab ea deponi voluit, quia in ipsa Christum jam comprehenderat. Quando ursus alveare rapuit, & mordicùs comprehensum aufert, nequaquam id dimittit, licet apum aculeis undique pungatur; pluris enim facit mellis dulcedinem, quàm dolorem ex aculeis. Comprehenderat jam Andreas alveare cœlestis dulcedinis, quando crucem apprehendit; unde eam sibi eripi non est passus, nihili faciens probrum & dolores ejus. Vidit etiam exemplum Magistri sui, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. ad Hebr. 12.

V. Tanquam vexillum Christi in cœli arce fixum & in spolium propositum, ad quod rapiendum Andreas contendebat, omnes acies perrumpens & impedimenta amoliens, summo sibi honori ducens, quòd discipulus Magistrum, miles ducem suum in pari certamine sequeretur. Celebratur 1. Mach. 6. Eleazar ille, qui per confertam hostium multitudinem penetravit ad elephantem, in quo vectari putabat Regem; sicque occisa & in se concidente bestia obtritus, gloriosè occubuit. Celebratur & Albertus Marchio Brandeburgicus, *Achilles Germanicus* pictus, qui in hostium (Norimbergenses erant) turmam cum 12. equitibus involavit, & ad vexillum eorum inter centum gladios in se strictos solus penetravit, idque amplexus ambobus brachiis dixit. *Nunquam honestiùs moriar quàm hic*. refert AEn. Sylvius lib. 2. Comment. in Panorm. Et hoc iste ob humanam & fluxam gloriam. Longè gloriosiùs Andreas ad crucem penetravit per confertam & reluctantem populi multitudinem, necem ejus impedire molientem, quam ipse fregit, amplexusque crucem ambobus brachiis noluit demittere, precatus Christum, ne pateretur se à cruce revelli; verè *Achilles Apostolicus*; quasi diceret: *nunquam honestiùs moriar quàm hic*, in cruce Domini & Magistri mei. Andream secutus Lambertus Consul Harlemensis. qui à tumultuantibus Calvinistis, quod Ecclesiæ Romanæ auctoritatem tueretur, patibulo adjudicatus, cùm à longè id aspiceret, monitus ne timeret: *Quid extimescimus lignum?* inquit, *Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis exspectandum? Anne major servus domino suo?* Refert Opmerus in Martyrol. Holland. Accedit P. Iosephus Anchieta, qui in orbe novo agens cum comite, nudis pedibus, aspero itinere, stagnantibus aquis & luto corrupto affatus comitem? *Hieronyme Soari frater; optant aliqui ut officiosa fratrum charitate circumsepti maiorē animo extremum illum agonem in hoc vel illo collegio obeant: ego verò id assero nullum mortis genus esse melius, quam per obedientiam, lucrādarū animarum causa in aliqua harum lacunarum, cœno lutoque obrutum vitam relinquere*. l. 3. vitæ Sebast. Berettarius q. d. *Nunquam honestiùs mori est*, quàm in tali lacuna propter Christum.

V. *Crux vexillum Christi.*

Quia verò non omnium est hæc sequela, demus operam, ut saltem animus noster mundo crucifixus sit & mortuus, ita videlicet, ut ejus leges non audiamus. Cùm verbo aut exemplo invitat ad superbiam, hypo-

hypocrisin, simulationem, conventicula, vindictam, duella, compotationes, luxum, iniqua lucra & munera, aures occludamus ac dicamus, nos Christo ejusque legi affixos & crucifixos esse: *Nusquam honestius moriemur*, quàm in istâ cruce. Quod nobis impetrare Andreas, & donare dignetur Deus, qui est benedictus in sæcula.

THEMA III.

Andreas virilis seu fortis.

I. *Quia fuit vir, quando primus omnium Christum secutus.*
II. *Quando vocatus ad munus Apostolicum, secutus est.*
III. *Quando dixit, est puer unus hic.*
IV. *Quango Ægeam redarguit.*
V. *Quando blanditias & minas Ægeæ contempsit.*

Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus. Matth. 4.

SOlent Romani Pontifices, cùm inaugurantur, mutare nomen suum, exemplo sancti Petri, cui electo Apostolo & designato summo Pontifici Christus nomen mutavit. Anno tamen 1555. Marcellus Cervinus vir doctissimus & inter Cardinales sanctissimus cùm Julio tertio in pontificatu successor electus esset, & de more novum nomen assumere juberetur? *Nec nomen, nec mores*, respondit, *Marcellus fui, Marcellus ero.* Et hoc vel ob honorem Marcelli sanctissimi martyris, ut Ciaconius scribit, vel quia à Mare nomen Marcellus deductum virilem sonat. Mirum, Audit. quòd Christus Dominus Petro quidem, ab Andrea fratre ad se adducto, nomen mox mutârit, dicens: *Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: Andreæ verò priùs se sequenti nomen non mutarit. Joan. 1. An quia nomen Andreæ strenuum virum, seu virilem significat, à græco ἀνὴρ, quod est vir: & ἀνδρεία, quod est virilitas, deductum? Fuit enim Andreas certè vir virilis, & in vita & in morte. Jure ergo dicere poterat: *nec nomen, nec mores mutabo, Andreas fui, Andreas ero.* Videamus ergo quomodo talis fuerit.

Cur Andreæ nomē à Christo non mutatum.

I. Virilem se ostendit, quando demonstratum sibi à Joanne Baptista Magistro suo Christum, velut agnum pro nobis immolandum, primus omnium secutus est, & mox præ aliis adduxit etiam fratrem suum, Petrum. Joan. 1. Audierant & alii discipuli Joannis, Magistrum de Christo dicentem, *Ecce agnus Dei, seu auribus corporis tantùm, non animæ*, ait Euthymius, nec secuti sunt Christum, seu æmulabantur honorem Magistri sui, præferendo eum Christo. At verò Andreas auribus etiam animæ Joannem Magistrum suum audiit unà cum alio anonymo, primusque Christi sectator & fratris sui ductor fuit. Rari sunt, qui præire ad arduam viam velint: viri illi sunt, non pueri; unde singulari gloriâ digni. *Antiocho Regi vadum experienti fluminis, renuit transvadare Ajax elephantus, alioquin dux agminis semper: tum pronunciatum, ejus fore principatum, quia transiisset, ausumque Patroclum, ornavit phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & cætero apparatu donavit. Ille qui notabatur, inediâ mortem ignominiæ prætulit*; ut scribit Plinius libro octavo, capite quinto. Detrectarunt alii Joannis discipuli ad invitationem Magistri sui transire ad Christi discipulatum, Primus Andreas transiit. Quis dubitet eum propter hoc singularem in cœlo gloriam & principatum esse consecutum? Pueri nos plerumque sumus ac velut Ajax elephas, timidi præcedere ad arduam virtutem nolumus; alios præmittimus dicentes: Cur alii hoc non faciunt? At si vir es, non attende quid alii faciant, sed quid te facere deceat. Idcircò cùm tantæ hominum multitudini promulgaretur Decalogus, non fuit dictum in plurali: Non habebitis Deos alienos, non assumetis nomen Domini in vanum, honorate patrem & matrem, non occidetis, &c. sed in singulari: *Non habebis, non assumes, honora patrem, non occides, &c.* Exodi 20. ut moneremur non curandum, quid alii & vulgus faciant, sed quid tibi faciendum sit. Quando quid pretiosum reperis in viâ, nonne illud tollis, etiamsi alii pertransierint, qui id non sustulerunt? num dicis: ergone tollam, quod alii non sustulerunt? minimè gentium. Pretiosa res est virtus; quisquis illam videt, tollat, licet alii negligant; magnam enim sibi in cœlo gloriam comparabit & Principatum super alios.

I. Fuit vir, quando primus omnium Christum secutus.

II. Quando vocatus à Christo ad perfectam sequelam & munus apostolicum, mox relictis omnibus secutus est eum, ut in hod. Evangelio audimus. Arduum fuit hoc & virile, præsertim illo tempore quo talia exempla non extabant: Christum pauperem sequi omnibus relictis, & se totum ipsi committere. Quod patet inprimis ex Legis perito illo Matthæi 8. qui magno quidem animo conceptum statuerat Christum sequi, dicens: *Magister sequar te quocunque ieris.* Viderat enim populum confluere ad Christum, ob sanitates ei collatas, indeque sperabat sibi lucra comparare. Verùm Christus ostendit ei paupertatem suam: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Qua voce mox absterritus se subduxit ac discessit, ut docet S. August. Hieronymus, Chrysostomus eo loco, & insinuat Matthæus. Deinde exemplo illius juvenis Matth. 19. qui cùm legem à puero semper servasset, vocatus tamen à Christo ad bonorum suorum abdicationem, adeò consternatus fuit, ut ne verbo quidem respondere posset, sed tristis abiret.

Accedit quòd Christus Andream vocans nullam promissionem addat, sed pericula & difficultates tantùm

tantùm oſtendit Quid enim illud: *Faciam vos fieri piſcatores hominum,* niſi debebitis maximis laboribus & periculis homines a voluptatibus & vitiis abſtrahere, libertate ſua privare & captivos meos facere; interim à Barbaris verbera; carceres & ſupplicia dira pro mercede veſtra accipere? Admiratus fuit Alexander magnus celſitudinem animi in Diogene, qui data optione, regium munus petendi, non niſi Solis lumen ſibi permittendum petiit, ita ut Rex diceret: *Si Alexander non eſſem, Diogenes eſſe vellem.* At major longè animi celſitudo in Andrea fuit, qui ſolo paupere Chriſto contentus, nihil præterea quæſivit. Abrahami virtutes celebrãtur, quòd vocatus à Deo ſpe magnæ promiſſionis, ut exiret de terra & cognatione ſua in terram ignotam neſciens quò duceretur, ſtatim ſine mora obedierit. Gen. 12, Cur non magis Andreas, qui & ipſe à Chriſto ad paupertatem Evangelicam vocatus, neſciens quò ducendus eſſet, nulla propoſita mercede, mox ſecutus eſt?

III. Quando interroganti Chriſto: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* reſpondit. *Eſt puer unus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos piſces; ſed hæc quid ſunt inter tantos!* Joan. 6. Dices, videri hîc Andream non ſe oſtendiſſe virilem, ſed potiùs puerilem, utpote diffidentem. Sed reſpondeo cum ſancto Chryſoſtomo (eo loco) non habuiſſe quidem eum prudentiam ſenilem, neq; etiam puerilem; ſed mediam, ſcilicet virilem. Puerilem in Philippo potiùs invenimus, qui ante Andream dixerat: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Requiſivit ergò Philippus pluſquàm ducentorum denariorum panes, ſed Andreas non tam multum: quinque panes adeſſe ait, quanquam inſufficientes tantæ multitudini, inſinuans poſſe Chriſtum eos augere per miraculum, ſi paulò plures eſſent: quemadmodum Eliſæus 20. panibus hordeaceis pavit centum viros, 4. Reg 4. Unde Chryſoſtomus ait eo loco. *Prudentior quàm Philippus, Andreas non tamen penitùs rem intellexit. Puto autem eum adductum Prophetarum miraculis, ut Heliſæi ex panibus. Præceſſit ergò Andreas Philippum, non tamen in ipſum cacumen evaſit, putabat enim ex paucioribus pauciora, ex pluribus plura facturum miraculorum auctorem, in quo decipiebatur.* Defuit igitur illi prudentia & fides ſenilis, non defuit virilis, quia credidit Chriſtum multiplicare poſſe miraculo panes; alioquin tam paucorum panum mentionem non feciſſet. Utinam vel tanta fides in multis reperiretur, ut in Deo confidentes crederent, poſſe eum pauperes etiam cenſus ita benedicere, ut commodè vitam ſuſtinere poſſint, crederent, inquam, id, quod proverbio dicimus: Mit viel hält man hauß / mit wenig kompt man auch auß.

Sed quamplurimi ſimiles Philippo, niſi pluſquam denarios ducentos, niſi horrea, & cellaria omnia plena habeant, ſe vitam ac familiam ſuſtentare non poſſe exiſtimant. Unde interdum ad deſperationem divites aguntur, cùm vini aut frumenti pretium decreſcit; aut pauperes, cùm creſcit. Hujus rei exemplum ſtolidiſſimum fuit Apicius ille Romanus, qui cùm quindecies centena millia aureorum poſſediſſet & omnia heluando conſumpſiſſet, præter centum millia, quæ remanſerant; in deſperationem actus, quaſi hoc modico vivere non poſſet, veneno mortem ſibi attulit. Dion Nicæus in Tiberio, & Martialis in Satyr. Æneantes cives urbis Æneæ ex oraculo ſibi perſuadebant fore, ut patriam terram amitterent, ſi vel particulam aliquam egentibus largirentur, teſte Plutarcho in quæſtionibus Græcanicis, q. 14. tales ſunt avari, qui ſecum actum putant, ſi vel modicum eis decedat, aut largiri debeant; pueri, non viri.

IV. *Quando Ægeam redarguit.*

IV. Quando Ægeam proconſulem Achajæ de impietate ſua & Chriſtianorum perſecutione redarguit, primò quidem modeſtè ſed graviter, dicens: *Oportebat te quidem, qui hominum judex eſſe comprobaris, ſummum illum & incorruptum vivorum ac mortuorum judicem agnoſcere & colere, animumque ab impio Deorum cultu revocare.* Deinde ubi eum ſurdum ad ſuam prædicationem atque induratum vidit, acriter: *Audi fili mortis & ſtipula æternis parata incendiis, audi me ſervum Domini & Apoſtolum Ieſu Chriſti. Hactenùs cenſurâ fidei mitiùs tecum egi, ut idola vana contemneres, ſed quia in imprudentia tua perſeverans, me exiſtimas tuas minas formidare poſſe: age quidquid tibi in ſuppliciis majus videtur, excogita.* Aſpicite hîc virilem Andreæ animum. Cogita Andrea, quid Chriſto Scribas & Phariſæos, Joanni Herodem, Stephano Judæos arguenti evenerit. Quotuſquiſque eſt, qui viros principes de peccato audeat corrigere. Quando Saul furibundus innocentes ſacerdotes ferro impii Doëg concidendos tradidit, nemo unus ex ejus aulicis pro ſacerdotibus loqui, & Regis iniquum furorem mitigare auſus eſt; 1. Regum 22. cùm tamen priùs cap. 14. quando Jonatham filium, ob prævaricationem mandati, morti addixerat, omnes pro Jonatha ſe interpoſuerint: quia nimirum hic non timuerunt offenſam Regis incurrere, ibi timuerunt. At pueri ſunt iſti, qui anſerum ſibilos timent, ab igne & aquâ ſibi non cavent: hominem timent, Deum non timent, ne gratiam ejus perdant. Quòd ſi æqualis aut inferior eſt, qui corrigendus eſt, multò adhuc puerilior es, ſi non corrigas. Quid enim gratiæ ab ipſo ſperes, vel ingratiæ metuas? Nec minùs ſe virilem præſtitit Andreas, quando ſenem, Nicolaum nomine, fornicationi aſſuetum, ut planè jam emergere deſperaret, pro ejus converſione ſex horis lachrymando & uſq; ad quintum diem inediâ ſe conficiendo, è cœno libidinis extraxit, iramque Dei ab eo cohibuit; à quo & audivit: *Tua opera, Andrea, Nicolaum, quem perdideram inveni.* Refert Abdias in ejus vitâ. Vir certè eſt, qui non ſine difficultate ab incendio aut naufragio quempiam eripit. Hoc Andreas fecit; & facit, quicunque peccatorem ad ſanam mentem reducit.

V. Quan-

V. *Quando blanditias & minas Ægeæ contempsit.*

V. Quando blanditias & minas Ægeæ proconsulis contempsit. Proposuit ille Andreæ gaudia hujus vitæ, quibus frui securè posset, si Christum abnegaret. Sed Andreas: *Gaudiis tecum fruar sempiternis, si execrabili Deorum cultu relicto, mecum Christo credas & animæ tuæ curam geras.* Quare Ægeas cùm blanditiis & promissis nihil efficeret, ad minas se convertit, & crucem ei intentat. At Andreas: *Ego crucis Christi servus, crucis trophæum optare potiùs quàm timere debeo.* Voluit aliquando Pyrrhus Epirotarum Rex C. Fabricium Romanum virum bello strenuum, etsi pauperem, ad se missum à Romanis ad suas partes trahere. Et primo die obtulit aurum, sed non accepit Fabricius. Altero die dum cum eo loquitur, jussit extra aulæa retro ipsum adduci ingentem elephantem, ut eum terreret. Amotis igitur aulæis, apparuit ei à tergo bellua quæ cum horribili barritu proboscidem super caput ejus extendit. At nihil commotus Fabricius: *Neque heri*, inquit Pyrrho, *aurum tuum, neque bellua hodie me commovit.* Plutarchus in Pyrrho. Idem dicere Ægeæ poterat Andreas: Neque heri promissa tua gaudia, neque hodie minæ tuæ crucis me à Christo divulserunt & ad Deos tuos traxerunt. Hoc imitemur Christiani, ut nec blanditiis, nec plagis ab æquo & recto unquam divellamur. Imitata est certè etiam mulier una. Sancta Anastasia, Publii viri clarissimi sed gentilis conjux, quæ sub Diocletiano tentata ab Ulpiano, Capitolii pontifice, de fide abnegandâ, propositis hinc opibus, honoribus, vestium ornatu, gemmarum splendore, lectis argento incrustatis & stragulis ornatis: inde ensibus micantibus, vinculis, flagellis, lampadibus, lebetibus æneis, sartaginibus, ungulis in medium allatis; neque tamen illorum illecebris, nec horum minis emolliri potuit (ut in ejus Actis apud Surium 25. Dec.) pulcherrimo exemplo mulieribus, uti castitatem suam similiter nec minis nec blanditiis expugnari sinant.

VI. *Quando ad crucem festinavit.*

VI. Quando ad crucem festinavit, nec à populo impediri se est passus; & quando ad crucem ductus, à longè exultans eam salutavit illis suavissimis verbis: *O bona crux, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, &c.* nec ab ea post biduum se deponi ulla ratione permisit. Tanta enim alacritate imprimis perrexit ad crucem, quanta homines alii pergunt ad messem aut vindemiam, nuptias aut choreas; adeò ut sanctus Bernardus de eo dicat: *Obsecro fratres, homo est, an Angelus, aut nova aliqua creatura, quæ hæc loquitur,* sermone 2. de sancto Andreâ. Cumque fortitudo constantiam requirat, ecce tibi Andream, biduo in cruce pendentem & Christum prædicantem; cùm videret advenantes, qui se à cruce solverent, fortiter resistentem & precantem Christum, ne id fieri pateretur. Scivit enim Dominum & Magistrum suum Christum, de cruce evocatum à Judæis, minimè descendisse. Scivit sibi à Joanne Apostolo dictum: *Andrea, poculum Petri bibes;* ut refertur in libro de passionibus Apostolorum capite 20. apud Baronium anno 69. Petrum autem fratrem in cruce ligatam clausisse. Scivit id vulgatum Pythagoræ dictum: *In poculi fundo residuum ne relinquito.* Scivit denique sibi dictum à Christo: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis regnum &c.* Lucæ 22. Celebratur mira fortitudo Milonis illius Crotoniatæ, qui cùm disco peruncto institisset, omnes ludibrio habebat, qui e quovis impetu facto detrudere conabantur, apud Pausan. libro 6. Andreas in cruce stans, ita se firmarat, rogans Christum ne deponi se permitteret, ut nec Ægeas nec carnifices solvere aut attingere eum possent.

Superest Audit. ut nos quoque Andreæ & viri simus. Non enim decet in Ecclesia Christi pueros moribus esse; uti prædixit Isaias cap 65. *Non erit ibi ampliùs infans dierum: & senex qui non impleat dies suos*, h.e. qui ætate quidem grandis & grandævus, moribus autem sit parvus & puerilis. Additque: *Quia puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* hoc est, tales pueri morte æternâ punientur & maledicti erunt, quòd in tam virili tot heroum Ecclesia pueri fuerint; quod à nobis avertat Deus.

THEMA IV.

Crux Andreana, in quâ boni malè habent, mitigatur.

I. In læva adversitatis securiùs degitur.
II. Prosperitas malorum exilis.
III. Malorum prosperitas permixta miseriis.
IV. Brevi durat utraque fortuna.
V. Infœlix prosperitatis finis.

O bona crux! vox S. Andreæ.

HAbet S. Andreæ crux figuram peculiarem, similem litteræ X. qualem expressit Jacob benedicens filios Joseph, cùm transpositis decussatim manibus posuit dextram super caput Ephraim, stantis ad sinistram ejus: lævam super caput Manasse, stantis ad dextram Genes. 48. Quæ sanè commutatio manuum indicabat divino instinctu & mysterio, sępe in hoc mundo constitui ad sinistram adversitatis eos, qui sunt filii dexteræ seu electi; & contrà ad dexteram prosperitatis eos, qui sunt filii sinistræ seu præsciti. Multi enim boni in fame, carcere, servitute, tormentis vitam exigunt, dum intereà improbi omnibus hujus mundi bonis ac suavitatibus circumfluunt. Visa est hæc crux non paulò asperior & mirabilis, viris etiam perfectis, uti S. Job, cap. 21. *Quare impii vivunt*, inquit *sublevati sunt, confortatique divitiis &c.* Ipsi etiam Davidi Psal. 72. dicenti: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*

videns &c. Rursum Jeremiæ cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt &c.?* Nec non Habacuc c. 1. *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorãte impio justiorem se?* Deniq; in hunc scopulum impegerunt Gentiles, qui inde conjectabant aut Deum non esse, aut saltem non curare res terrenas, uti sensit Plinius lib. 2. cap. 7. aut certè summa tantùm curare, minora negligere, uti Balbus Stoicus apud Ciceronem l. 2. de nat. Deorum, sed errarunt isti; nec habent boni, cur conquerantur, si hic ad lævam ponantur, adeoque in cruce cancellata cum S. Andrea patiantur. Quin imò si ejus utilitatem, Dei suavem providentiam intelligerent, exclamarent utiq; cum Apostolo illo: *O bona crux, diu desiderata, solicitè amata, &c.* nec ab eâ deponi unquam desiderarent. Quare ut ipsis ea crux mitigetur, pauca videamus, ipsis cogitanda.

I. Cogitent se in lævâ adversitatis longè securiùs degere, quàm qui in dextra sunt prosperitatis. Nam ut Ps. 90. dicitur: *cadent à latere tuo* (sinistro) *mille & decem millia à dextris tuis.* Per sinistram Propheta intelligit adversitatem, prosperitatem per dexteram. Ex hac cadunt decem, antequam unus ex sinistra. Patet in pluribus regibus V. T. qui in prosperitate Deum obliti sunt & miserè perierunt. Patet in Ecclesia, quæ tempore persecutionis magna sanctitate floruit, cessante persecutione defloruit, teste S. Greg. Naz. orat. 14. *Nos, inquit, qui ex persecutionibus robur comparavimus atque in unum collecti sumus, defluximus atq; dilapsi sumus.* Unde colligit hanc sequelam: *Facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quàm prosperam conservare.* Illa siquidem nos reddit humiles, ista superbos, in illa confugimus ad Deum, in ista Dei obliviscimur. Homo enim habet se instar limacis, qui exiguo rore aut humore delapso è cœlo ita extenditur, ut quodammodò extra se ipsum exire, ac domum suam, cui affixus est, deserere videatur: prodit in vias publicas, ubi cùm fugere nesciat terræ adhærens à transeuntibus conculcatur, qui in domuncula sua si se contineret, inter vepreta securus viveret. Sic, inquam, homo, quando aliquo fortunæ radio tangitur statim extra se suique cognitionem & rectæ rationis limites egreditur, committit se periculis & in peccata labitur ac proteritur. Equus bene pastus est prospera fortuna; talis equus mordet, calcitrat, in altum se erigit, sessorem excutit, ad præcipitia abripit: malè pastus contrà, pacatissimè incedit, & tametsi equidẽ molestior est, securior tamen. Hinc Moyses Deut. 32. ait: *Incrassatus est dilectus & recalcitravit.* Quid, quod & stultus apud Ecclesiast. c. 4. rem hanc intellexit dicens; *Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore & afflictione animi.* Mensa paupercula cum constanti sanitate & longævitate melior ipsi visa est, quàm mensa divitum opulenta cum continuis morbis, podagrâ, cholicâ, hypocontriâ, quæ tot egent medicinis; & immaturâ morte.

II. Cogitent prosperitatem hujus sæculi, quâ carent ipsi, gaudent reprobi, exiguam & puerilem esse adeoq; nec invidia dignam. Christus in primis bona hujus sæculi, sive in magno sive in parvo numero esse pauca, in parabola talentorum Matth. 25. nam & ei cui duo, & ei cui quinque talenta dederat, ait: *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Et tamen quinq; talenta magnam certè pecuniæ summam conficiunt. Unum enim auri talentum cõtinebat apud Hebræos duodecim millia coronatorum Francicorum, ut docet Corn. à Lap. in Pentat. append. de pond. quinque igitur talenta facient 60000. coronatorum: quæ una cum lucro totidem talentorum facient duplum: & tamen hoc Christo parum est; quia ut observat ibi S. Hieron. *omnia quæ in præsenti habemus, licet magna & plurima videantur, comparatione futurorum parva & pauca dicuntur.* Psalmista Ps. 16. appellat ea *abscondita: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Rationem ibi dat Dydimus, quòd vilia sint & indigna oculis Dei; quo modo nobis sterquilinia, quæ ab oculis abscondi solent. Et propterea forsan Deus aurum, argentum ac gemmas in profundo terræ abscondit, ut non nisi terram esse sciremus, amore nostro indignam & vilissimam. Idcircò etiam Psalm. 8. dicitur Deus omnia subjecisse *sub pedibus nostris, oves & boves, &c.* ut sciamus omnia terræ bona non corde amplectenda, sed pedibus substernenda & calcanda esse. Id quod fecere Act. 4. primi Christiani, veri contemptores mundi, ac rerum cœlestium æstimatores, quando pretia possessionum suarum attulerunt & abjecerunt ad pedes Apostolorum: *ut ostendant pecunias esse calcandas & nihili faciendas*, ait S. Hieronymus in Epist. ad Paulinum. Salomon appellat ea *infantiam* & crepundia puerilia: *Usquequò parvuli diligitis infantiam?* Prov. 1. Ludunt illi par impar, equitant in arundine, fabricant domos luteas aquâ & smigmate bullas flando excitant, quæ mox in tenues auras vanescunt. Pari ineptiâ mundani ludicras & pueriles nugas tractãt. *Illis* (pueris) *talorum nucumq;* ait Seneca tr. quod in sap. non cad. inju. c. 12. *& æris minuti avaritia est, his auri argentiq; & urbium: illi inter ipsos magistratus gerunt & tribunal imitantur, hi eadem in campo foroq; & in curiâ ludunt: illi in littoribus, arenâ congesta simulachra domuũ excitant, hi ut magnũ aliquid agentes in lapidibus ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inventa, in periculum verterunt.* Salomonis sententiam confirmat pater ejus David, qui Ps. 4. mundi bona vocat *vanitatẽ & mendacium. Filii hominum usquequò gravi corde ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Mendacium est mulier ornata, quia saccus stercorum. Mendacium est aurum, quia gleba terræ, curas & insidias parans. Mendacium est splendor vini generosi, quia *in fine mordebit ut coluber.* Mendacium est honor, quia fumus & opinio. Denique Sanctum è morte resuscitatum audiamus, qui & terrena & cœlestia bona vidit. Is est sanctus Salvius Episco-

Prosperitas malorum exilis.

piscopus Albigensis, qui de morte, quasi de gravi somno excitatus, convocatis tertio die monachis & matre ait: *Verè cuncta, quæ in mundo cernitu, vanitas sunt, fumus denique & umbra. Felix ille, qui ea hic meditatur & agit, unde Dei gloriam in cœlo cernere mereatur*, refert S. Greg. Turon. l. 7. Hist. Franc. c. 1.

III. *Malorum prosperitas permixta miseriis.*

III. Cogient malorum prosperitatem multis malis & miseriis esse permixam. Asilus piscis est araneæ magnitudine, qui cæteros pisces vexat, maximè verò thynnos & Xiphias mari tranquillo, similiter Excœtus piscis tranquillo mari ex alto emergit aurea ridentis cœli serenitate illectus. Sed nec ipse tunc quietē invenit; nam ecce ad Solem apricanti, & nihil tale cogitanti Parendistæ aves insidiantur & sæpiùs eum invadunt. Ath. lib. 6. Caussin. symb. lib. 8. c. 19 & 45. Quæ major in hoc mundo fælicitas reperiri potest, quàm ea, qua gaudent Reges? At hi tamen conqueruntur vel qui maximè, de molestiis & miseriis. Quātus Rex fuit Salomon? At is tamen fatetur in omnibus se reperisse vanitatē & afflictionem spiritus. Eccles. 2. Quàm potens ac sapiens erat Alphonsus Rex Aragoniæ, Siciliæ & Neapolis? at hic tamen (Idem Sigismundo Imp. tribuunt alii, ut Beyrl. in Apopht. Christ.) asinos prædicabat fæliciores esse Regibus; nam eos clitellis quidem, dum edunt, exonerari ajebat: Reges verò nec dum mensæ assident, posse quiescere. Idem videns rusticum humi recubantem & uvas comedentem: *utinam* inquit, *mihi isto otio comedere datum à Deo esset*! Peroptabat etiam ut popularium suorum unusquisque aliquando Rex extitisset; quo demum illi, utpote experti cognoscerent Principum occupationes & curas. Panormit. de dictis & factis ejus. Carolus V. cùm Bruxellæ suas ditiones signaret philippo filio, coram senatu cùm lachrymis protestatus est, se toto regni tempore nec ad unum horæ quadrantem habuisse puram meramque lætitiam, sed illam multis curis & felle amaritudinis inspersam. Ratio est, quia sicut omnia mixta constant. 4. elementis inter se contrariis, ita omnia bona sublunaria contrariis qualitatibus. Hoc si Reges & confitentur & experiuntur, multo magis sentient alii, quibus fortuna non tam multum dedit. Quis igitur eorum sortem vel desideret, vel ipsis invideat.

IV. *Brevi durat utraq; fortuna.*

IV. Cogitent malorum prosperitatem & suam adversitatem brevi duraturam. Ex hoc capite vult David Psal. 72. non invidendum fortunæ improborum, cùm ait: *Veruntamen propter dolos posuisti eos: dejecisti eos, dum allevarentur.* Hieronymus ex Heb. vertit: *Veruntamen in lubrico posuisti eos, dejecisti eos in interitū.* Vult ergo dicere, quia per dolos ascenderunt ad fælicitatem suam, per dolos etiam cadent, velut in ludibrio positi & quidem repente, dū allevantur. Quā dejectionē mox miratur: *Quomodo facti sunt in desolationē! subitò defecerunt*! Quemadmodum enim qui in glacie labuntur, celerrimè instar sagittæ prætervehuntur, & si cadant periculosè admodum cadunt, maximā sui læ-
one & ad terram allisione: ita qui prospero utun-
fælicitatis vento, celerrimo cursu ad gravissim-
lapsum feruntur. Addit Psalmus: *perierunt pro-
pter iniquitatem suam, velut somnium surgentium
Domine.* Quemadmodū enim aliqui homines no-
in somno è strato surgunt, & ascendunt tecta, a-
que loca edita, ibique dormientes obambulant, m-
ximo suo periculo & spectantium terrore: ita ili
fælicitati suæ immersi & in ea sopiti sunt, in
dormientium in summis honorum fastigiis quaq-
versum ambulant. Magis igitur commiseratio-
quàm invidia digni; quia ruinæ proximi, & i-
dem eò majori, quò fæliciores aliquando fuerit.
Et quid somnium, nisi res apparens tantùm? som-
at homo se edere, ludere, imperare, &c. transa-
somnio, nihil se habuisse videt. Et quàm citò tra-
sit somnium, tam citò evanescit imaginaria fæli-
tas. Tandem concludit David, melius sibi esse e-
à manu & voluntate Dei sub disciplina, quàm si
relictum liberè vagari in prosperis: *Vt jumentum
factus sum, apud te*, inquit, *& ego semper tecum te-
nuisti manum dextram meam, & in voluntate tua
deduxisti me.* Boves qui jugum trahere debent,
mi continentur sub manu possessoris, securi à m-
cello: etsi duram servitutem serviunt. At illi, qui
per pascua liberè vagari undique permittuntur, ad
macellum destinantur, & postquam saginati
illicò ducuntur. Unde S. Augustin. in eum Psal.
*Attende illos superbos indisciplinatos, attende ta-
devotum victima, permissum errare liberè & vas-
qua potest, usque ad diem occisionis.* Qualem fu-
Israeliticum populum testatur Oseas cap. 4.
cens: *Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. N-
pascet eos dominus, quasi agnum in latitudine.*
in pascuis spatiosis & uberrimis, quacunque evag-
volent, ut impinguati statim mactentur, & sint p-
da Assyriis. Macello enim destinatæ oves permit-
tur ad breve tempus ire ad pinguia pascua: aliæ
cturæ coguntur ad arida & montosa. Unde S. H-
ronymus ibi: *Pascentur in lata & spatiosa via, q-
ducit ad mortem; & patientia Domini, boniq; pa-
ris eos enutriet ad interitum*, putatis jam si oves, q-
in monte, paucis aridis herbulis contentæ esse d-
bent, intelligentes essent, inviderèntne iis, quæ
vallibus lascivientes uno alteròve mense sagina-
tur ad macellum? non opinor.

V. Cogitent infælicem, quem communit-
sortiuntur fælices, exitum. Et hunc potissimu-
considerandum esse volunt sancti illi, quos ini-
diximus, uti Job, cùm descripta impiorum prosper-
tate subjicit: *Ducunt in bonis dies suos, & in punc-
ad inferna descendunt.* David verò, *Intelligam in n-
vissimis eorum.* Jeremias similiter, cùm eorunde-
prosperitatem demiratus esset, subdit: *Congrega e-
quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die o-
cisionis.* Hæc una consideratio sufficere debet, u-
omnem impiorum prosperitatē aversemur, eorum-
que vitam & mores detestantes, ad eorundē interi-

tum

rum potiùs oculos figamus. Videmus ſæpe nubes è terra elevari, in ſublimi ferri, radiare, tumere, tonare, fulgurare; non illis invidemus: ſcimus enim brevi vel à vento pellendas ac diſpergendas, aut in aquas ac denique in lutum reſolvendas, noſtriſque pedibus calcandas. Impii quaſi nubes in altum efferuntur per proſperitatem. Unde Job capite 20. ait Sophar: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti, ſi aſcenderit uſque ad cœlum ſuperbia ejus & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: Ubi eſt!* Quis invideat navi, quantiſcunque licet divitiis onuſtæ & delitiis circumfluenti, dum videt eam vehementi ventorum impetu deferri in medios ſcopulos ad certum naufragium? Erat hujuſmodi navis, quam deſcribit Plutarchus in Antonio, per Cydnum Cleopatram vehemē, auratā, puppi, velis paſſis purpureis, remigio argenteis ductā remis, ad tibiarum fiſtularum & cythararum modos, &c. Similem navim opulentæ illius & faſtuoſæ Tyri deſcribit ad longum Ezech. c. 27. Tyrus enim in mari ſita, inſtar navis quaſi natare in gloriâ & opibus ſuis videbatur, cui prædicit exterminium Ezechiel à Chaldæis inferendum: *In aquis multis*, inquit, *adduxerunt te remiges tui*. h. e. Gubernatores tui ad magnam gloriam te pervexerunt, *Ventus Auſter contrivit te in corde maris*. Auſter eſt ventus calidus & ſuavis à meridie & dexterâ mundi regione veniens: unde proſperitatem denotat, quæ ſanè perdidit Tyrum, dum in altum vitiorū deduxit. Unde & Nabuchodonoſor ab auſtrali parte, videlicet ab expugnatâ Jeruſalem venit Tyrum ad ejus vaſtationem. Fuit ſanè hujuſmodi roſtrata navis Emanuelis Soſæ cognomine Sepulvedæ, qui nomine Regis Luſitani in Indiâ arci Dienſi præfuerat, ſumma fælicitate ac dignitate diu perfruitus, quam preſſam impletamque divitiis cum conjuge, liberis, & familiâ Cocini rediturus in Luſitaniam inſcendit, ſed circa bonæ ſpei promontorium naufragio cum omnibus rebus perdidit, in littus cum ſuis magnâ difficultate ejectus, ubi Æthiopum reguli juſſu (ut refert Maffejus lib. 16. hiſt. Ind.) non ſolùm exarmati, ſed etiam veſtibus ſpoliati in ſabulo nudi, & omni auxilio rebuſque neceſſariis orbati, & fame, atque ſiti in aridâ regione ferè enecti eſſent, metu ac pudore confuſis, qui ex infælici naufragio reſtabant, atque à tantâ rerum viciſſitudine, & indignitate, ſtupentibus ſimiles avertentibus oculos, Eleonora conjux Sepulvedæ, Garziæ Salæ prætoris Indiæ filia, quum barbaros in detrahendis & exuendis veſtibus occupatos, generis, dignitatis ac pudoris memor: ultrò pugnis colaphiſque ad necem ſuam nequicquam irritâſſet; huicque caſtæ Matronæ nudæ, triſtior omni morte lux videretur, è veſtigio ſeſe defodit arenæ, & partes corporis, quæ extabant ſoluto raptim fuſoque obtexit crine. Mox abire, ſibique ipſis conſulere juſſis ſuperſtitibus ex infælici comitatu viris, mœſtum ſilentium immobilis tenuit. *Cara tantùm intuenti pignora, juges rivi lachrymarum, denſo cum gemitu & ſingultu profluebant. Sepulvedæ item altus mœror ac dolor vocem incluſerat, quum defixo intuitu in terram, aliquamdiu attonito, ac ſtupenti ſimilis, aſtitiſſet, paternâ demum exſtimulante curâ, proximam in ſylvam, quærendo qualicumque nutrimento ſecedit. Inde regreſſus Eleonoram conjugem cum triduano jejunio, fletuque penè conſumptam, è filiolis alterum prorſus extinctum offendit, eumque ſuis ipſe manibus terræ mandavit. Poſtridie eodem pabulandi functus officio, conjugem unà cum filio exanimem reperit & lamentabili circumvociferatione complorantes ancillas. Hiſce confeſtim ſummotis, in dexteram jacentis manum aliquamdiu reclinato capite incubuit. Dein iiſdem adjuvantibus ancillis, cadaver utrumque ſepelit, nihil unquam effatus. Poſtremò ſeſe iterum abdit in ſylvas, ibi laniatum à feris putant, nunquam deinde comparuit.* Videmus ergò non ad ingreſſum blandientis fortunæ, ſed ad egreſſum potiùs & finem convertendos eſſe oculos. Id quod faciant Dei ſervi, qui idcircò Zach. 3 *viri portendentes*, ſeu ut egunt 70 *portentorum ſpectatores* dicuntur. Inſtar enim Aſtrologorum prædicunt in futurum eclipſes fortunarum. Dat ſe videndam peccatoris fælicitas? mox inde conjiciunt infælicem ejus interitum. Vident fortè pauperem à potentiori oppreſſum, aut Lazarum pauperculum ad divitum fores neglectum? ſtatim hinc divinant ab Angelis ſuſcipiendum & deferendum in paradiſum. Talis Aſtrologus & ſomniorum interpres fuit Joſephus, qui quòd fratres accuſaſſet de crimine peſſimo, odium illorum incurrit, unde per ſomnia prædixit eis triſtia, ſibi verò læta. Geneſ. 37. Triumphabant illi quidem ad breve tempus ſedentes & edentes, dum Joſeph in ciſternâ lugeret. Verùm pòſt mutata fortuna jacuerunt illi ad pedes fratris dolentes & lachrymantes. Similem Cataſtrophen ſentient in fine boni cum Joſepho, mali cum ejus fratribus.

THEMA V.

Mira Andreæ & aliorum Apoſtolorum vocatio.

I. Reſpectu Chriſti vocantis.
II. Reſpectu eorum qui vocantur, diſcipulorum.
III. Reſpectu finis, ad quem vocantur.
IV. Reſpectu effectus ſecuti.
V. Reſpectu ſtipendii.
VI. Reſpectu dignitatis, ad quam evocati.

Venite poſt me: & faciam vos fieri pilcatores hominum. Matth. 4.

Mira quidem fuit vocatio, quâ Deus Abrahamum evocavit è patrio ſolo, ut in alieno peregrinaretur. Gen. 12. Mira quoq; Abrahæ obedientia, qua vocantem mox ſecutus eſt. Sed magis ad- *Magis mira vocatio & obedientia Andreæ.*

quàm Abrahami. huc mira fuit vocatio S. Andreæ ejuſque ſociorum in hoc Evangelio, magis etiam mira ejus obedientia. Abraham evocatus fuit ex Ur, civitate Chaldæorum gentili: Ur autem ignem ſignificat; (unde 2. Eſdræ cap. 9. dicitur Abraham eductus de igne) qui, ut videtur, in ea urbe pro Deo colebatur. Andreas cum ſociis evocatus eſt ex aqua, dum in ea piſcaretur. Abraham ire juſſus eſt in terram Chanaan, tametſi ignoraret, in qua ejus parte habitandum ſibi eſſet. Andreas omninò neſciit, quorſum à Chriſto ducendus eſſet. Abrahamo magna illecebra & merces eſt propoſita: *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus*: Verùm Andreæ & fratri eius nihil aliud dictum eſt, niſi id: *Faciam vos fieri piſcatores hominum:* Quales piſcatores? quorumnam hominum? quanto periculo? quâ mercede? Nihil de his dictum: & tamen Andreas cum ſociis mox relictis omnibus Chriſtum ſecutus eſt. Mira eſt ergò hæc vocatio, mira & obedientia Andreæ & ſociorum, pluſquam Abrahami. Sed plura alia miranda ſunt in hac vocatione, uti nunc videbimus.

I. *Reſpectu Chriſti vocantis.* I. Mira profectò eſt hæc vocatio primò ſi ſpectemus eum, qui vocat. Eſt enim homo pauper, ſolus circa mare obambulans, qui nihil ſtipendii aut lucri pollicetur, nec ut videbatur, præſtare poterat; cùm in alieno territorio degens, nec domum quidem propriam haberet. Itaque non niſi ad inopiam, contemptum, verbera & martyria invitabat. Qui ſervos vult conducere aut conſcribere milites, aurum dare vel ſtipulari debet, vel ſpe divitis prædæ allicere. Nihil horum habuit, dedit aut promiſit Chriſtus, & tamen unico verbo; *Venite poſt me*: mox acquirit ſervos, qui relictis omnibus ipſum ſequantur. Nimirum Chriſtus ſuâ luce illuſtravit mentes illorum, ut intelligerent quantum & quàm bonum dominum ſequerentur; quo modo Sol radiis ſuis gignit margaritas in conchis. Hæ in maris receſſu jacent ad littus, tamen Solis radiis in ipſas influentibus aperiuntur, & mox concreſcit humor cryſtallinus, unde generantur margaritæ, ut ſcribit Didacus Stella in cap. 5. Lucæ. Sic diſcipuli iſti ſimplices, adeoque clauſi & ignorantes, reperti à Chriſto ad littus maris, colluſtratique ejus radiis, ſeſe aperuerunt, cumque agnoſcere cœperunt; hinc in eorum cordibus prognata eſt margarita fidei; ſpei & amoris divini, margarita, inquam, illa, *quam qui invenit, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*; relictis enim omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Adhæc abſque dubio per divinam illuſtrationem cognoverunt mundi vanitatem, & ſuarum, quas poſſidebant, facultatum tenuitatem; quas comparatione margaritæ cœleſtis nihili reputarunt. Quemadmodũ enim columba dimiſſa à Noë, cum non invenisset, *ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad arcam.* & facilè paſſa eſt apprehendi ſe à Noe & inferri in arcam. Gen. 8. (quod tamẽ aliàs non ferunt columbæ:) ita & Andreas cum ſociis à Chriſto illuſtratus, vidit & in mari non tam Tiberiadis, quàm inſani hujus mundi conſtitutum, nullibi invenire, ubi p[…] dem figeret & ſalutem reperiret, niſi in hoc u[…] Noë & conſolatore Chriſto, quem priùs jam nô[…] cœperat. Quare libens ſtatim manum dedit, ſequ[…] mari extrahi & collegio ejus inſeri permiſit. N[…] ita juvenis ille, qui à Chriſto vocatus, *abiit triſt[…]* Matth. 19. inhærens poſſeſſionibus ac divitiis ſu[…] ad inſtar illius corvi, qui emiſſus à Noë, non rec[…] ad arcam; quia inſedit cadaveribus, in diluvio […]tantibus. Viderint hîc, qui Dei vocationem audiu[…] quidem, ſed non ſequuntur; præſertim qui ad arc[…] Eccleſiæ Catholicæ, in qua una ſalus reperitur, ev[…]cati ab hæreſi, non accedunt, poſt tot argument[…] teſtimonia fidei.

II. Si ſpectemus eos qui vocantur. Erant en[…] piſcatores homines rudes, plebeji, pauperes, voc[…] ad hoc à Chriſto, ut mundum ab erroribus ad vi[…] veritatis reducerent Chriſtoque ſubjicerent. Qu[…] autem mirabilius, quàm rudibus piſcatoribus ve[…] convincere eruditos in omni ſcientia, nobiles t[…]dere per ignobiles? divites per pauperes? arma[…] per inermes? lupos capere agnis? totum mund[…] invertere & ad Chriſtum ab Idolis convertere [..] homunculos duodecim? Mirandum jure erat qu[…] elegiſſet Deus Moyſen hominem paſtorem inc[…]quentem, ad ſubigendum & conterendum Phara[…]nem Regem. Sed Moyſi cum uno tantùm Rege [..]gotium erat, Apoſtolis cum toto mundo. Nimiru[…] voluit Deus tales eligere, ut non ipſis ſed divi[…] virtuti adſcribendam ſcirent homines mundi c[…]verſionem. Si doctos elegiſſet, doctrinæ & eloque[…]tiæ eorum, ſi potentes, armis: ſi nobiles, favor[…] ſcripta illa fuiſſet. At dum rudes & viles eleg[…] cui adſcribetur niſi Deo, qui Eccleſiam ſuam n[…] aheneis fulcris, non marmoreis columnis ſuſtent[…] voluit, ſed arundinibus piſcatoriis? Sic confund[…] & ſuperare Magos Pharaonis voluit, non in gran[…]bus ſignis, ſed in productione ſciniphum Exod. […] *Sic arena imbecillitate*, inquit D. Chryſoſtom[…] hom. 4. in 1. Cor. *munivit mare*: *ſic Platonem n[…] per alium ſapientiorem philoſophum ſuperavit, ſ[…] per indoctum piſcatorem.* Porrò rudes & indoctos [..]los diſcipulos Chriſtus erudiit cœleſti ſapientiâ, [..] humanitùs acquiſitâ; & armavit miraculorum p[…]tentiâ: quo modo balbutienti Moyſi potuit ver[…] in ore ejus, & armavit eum virgâ, quâ ſupra huma[…]nas vires mira plurima patraret. Et hæc eſt virga il[…]la, de qua Iſa. 11. dicitur: *Percutiet terram virgâ or[…] ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiu[…]* Noluit Deus ut David in armis Saulis debellar[…] Goliathum, ne non Dei aſſiſtentiæ, ſed Saulis armi[…] victoria adſcriberetur. 1. Regum 17. ſicut obſerva[…] Chryſoſt. hom. 1. in Pſ. 50. pari modo noluit ad con[…]verſionem mundi adhibere ſapientes aut potentes ne hominibus tribueretur, quod Dei opus eſt.

III. Si ſpectemus finem, ad quem vocantur videlicet ut fiant piſcatores hominum. Difficili[…] ſanè & inuſitata res eſt, homines piſcari: & quis hoc facilè audeat? & quâ arte faciat? Aliud eſt […] venari,

Venari aliud piscari. In venatione coguntur feræ in retia, canibus, clamoribus, scloporum explosione; non item in piscatione, quæ suaviter cingit pisces retibus, aut allicit oblatis escis. Piscatores voluit Christus, non venatores; neque terroribus aut cælibus, sed sanctis moribus & suavibus doctrinis homines ad fidem trahi. Hoc autem qui efficere poterant piscatores? Phrynomen Ducem Atheniensium clarissimum Pittacus Mytilenæus singulari contendens certamine, reti sub clypeo latenti involvit, atque hoc modo implexum tenuit ac superavit, ut Strabo l. 13. Polynæus lib. 1. referunt. Christus armavit discipulos suos reticulo sermonis in oreipsorum abscondito; quo in auditores injecto, eos irretierunt atque ceperunt; quemadmodum promiserat eis Lucæ 21. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri,* Traxit hæc res in admirationem Magistratus Judæorum, cùm viderent Apostolos loqui de rebus divinis, & quidem variis linguis, cùm essent homines *sine litteris & Idiotæ*, ut dicitur Act. 4. quia nimirum non videbant eum, qui ex ipsis loquebatur Spiritum sanctum. Adhæc piscatores cauti esse debent dum piscantur, ne ipsi in aquas incidentes, pisces fiant & mergantur. Hoc idem agendum erat Apostolis, in mundo peccati luto ac sordibus pleno conservandum, & circum eundum; ea tamen cautela, ut ipsi nihil sordis contraherent, nec in aquis deliciarum sæcularium mersi mundanis similes fierent; quòd sanè præstiterunt. Unde S. Ambrosius l. de Isaac c. 4. ait: *Apostoli fœcunditate prædicationis suæ, totius orbis terrarum spatia refuserunt: & quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis sensere stipendia.*

IV. Si spectemus effectum, qui vocationem hanc secutus est. Totum enim pene orbem tunc habitabilem peragrarunt, & in præcipuis ejus regionibus retia prædicationis expanderunt, atque ita fidem per totum orbem disseminarunt. Magnum sanè miraculum fuit, quo sacerdotes tubis clangentes dejecerunt muros Jericho. Jos. 6. sed quanto majus istud, quo 12. Apostoli tubæ Evangelicæ præconio prostraverunt Idola & Idolorum phana per totum ferè orbem? Mira & plusquam humana fortitudo Samsonis fuit, qua mille Philisthæos cecidit maxilla asini Judic. 15. At verò Christus ore discipulorum suorum inerudito & penè asinino, quot hominum & quidem efferatorum ac barbarorum veluti Scytharum, Anthropophagorum & similium myriades salubriter postravit ad pietatem, gratiam & salutem? Mirandum prorsus fuit quod 300. milites Gedeonis innumeros fugarent ac funderent Madianitas non aliis armis, quam confractis inter se lagenulis fictilibus, unde lampades effulserunt; & tubarum sonitu. Judic. 7. Majus longè, quod Apostoli lucernis miraculorum & tubis prædicationum fugarint idololatras, totum orbem obsidentes: non cædendo hostium corpora, sed frangendo propria, per atrocissimorum suppliciorum tolerantiam. Neque solùm morientes, verùm etiam mortui ceperunt homines vivos partim miraculis, partim scriptis suis, partim vitæ exemplis, quæ reliquêre posteris. Unde S. Augustinus in Evang. Joan. ser. 39. ait: *Leguntur modò verba piscatorum & colla subduntur Oratorum.* Et Sanct. Chrysostomus sermon. de Sanct. Andrea exclamat: *Quis unquam vidit à mortuis piscatoribus viventes homines tanquam pisces capi? O magnam crucifixi potentiam! ò divinæ dignitatis præstantiam! ò Apostolorum summa beneficia.*

V. Si spectemus stipendium & viaticum illis promissum. Viaticum erat hoc: *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, &c.* Matth. 10. De quo Tertullianus lib. 4. contra Marcio. cap. 21. *Quis,* inquit, *hoc mandasset, nisi qui & corvos alit, & flores vestit?* Quid reliquerunt Apostoli? quid Christo dederunt? *Quid magni Petrus dedit?* inquit Chrysostomus hom. 7. in ep. ad Rom. *nònne rete confractum & calamum & hamum solum? sed tamen terræ illi universæ domos Deus aperuit: & terram & mare expandit, ac nemo non illum in suas ædes vocavit, atque adeo omnia bona sua à se divendita ad illius pedes deferebant.* Act. 4. & in ep. ad Gal. 4. *Quem enim ut Angelum civitates suscipiebant, pro quo oculos erutos dedissent* (ad Gal. 4.) *pro quo suam cervicem subjecissent; quomodo hic non omnia quæ illorum erant, possidebant?* Sic ille: Quin etiam in illa sua paupertate Episcopatus fundarunt, Ecclesias ædificarunt, pauperes aluerunt; ut verè possent dicere, *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. Stipendium & merces in fine laborum danda, erat crux; serra, cultri, gladius, lapides, perticæ, lanceæ, fervens olium, & similia. Poterant hoc Apostoli facilè divinare: non enim pari periculo capiuntur pisces, ac homines; sed hi multo periculosius. Resistunt cum capiuntur, capturos cædunt, vulnerant, mactant, quod non faciunt pisces. At hoc nihil Apostolus terruit, quin potiùs illorum ludus & delectatio fuit, quò nimirum Christo Magistro & Domino suo conformes fierent, uti videre est in S. Andrea imprimis, crucem ita salutante ac si thronus gloriæ ejus, non instrumentum mortis esset.

VI. Si dignitatem, ad quam è tam humili loco evecti sunt. De ipsis enim dicitur Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram,* Et Psal. 46. *Principes populorum congrgati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Et Psal. 38. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Nimis ait, quia in cœlo superiorem inter Sanctos, non habent nisi Christum Regem ejusque sanctissimam matrem. Hi sunt, qui cum ipso in judicio sessuri sunt super sedes 12. orbem judicaturi. Hi sunt, quibus potentissimi Reges supplices facti sunt, in quorum honorem Constantinus M. di-

VI. *Respectu dignitatis, ad quam evocati.*

ademate deposito sumptoque ligone terram eruit & 12.terræ cophinos humeris suis extulit, Basilicam eis structurus. *Eundem magno se honore affectu-rum existimavit ejus filius, Constantinus*, inquit S. Chrysostom. hom.26.in poster. ad Corint. *si in vestibulis collocaret piscatores. Et quod in regiis janitores sunt Regibus, id in sepulchro Reges sunt piscatoribus. Et illi quidem, velut ipsius loci Domini intus habitant: hi verò tanquam accolæ ac vicini, preclarè secum agi putant, si janua ipsis assignetur vestibularis.* Reges hujus sæculi magni sunt, dum vivunt, post mortem nesciuntur. At Apostoli in vita nulli erant: post mortem & sciuntur, & in summo honore sunt. In eorundem honorem viguit olim consuetudo, sortitò unum ex Apostolis diligendi sibi in patronum, quod testatur præter Bonfinium de rebus Hung. dec.1.l.7. Cæsarius Histerbacensis lib.8.miracul.cap.56.his verbis: *Consuetudo est maximè provinciæ nostræ matronis, ut tali sorte specialem sibi Apostolum eligant: in duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ à sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur: accedens verò fœmina, cujus nomen per candelam extrahit, illi plus cæteris & honoris & obsequii impendit. In hunc modum cùm quædam matrona sanctum Andream extraxisset, & non ei placuisset, reposita candela alium habere voluit, sed iterum idem occurrit: quid plura? tandem traxit sibi placentem; cui cùm multum exhibuisset obsequii, per omnes dies vitæ, & ad extrema perveniens esset moritura, non illum, sed beatum Andream sibi assistere vidit. En, inquit, ego sum ille despectus Andreas. Ex quo colligitur, quòd nonn... quam sancti etiam ultrò se ingerunt humanæ devo... ni.* Pergit idem auctor cap. sequent. *Quantum be... iste Apostolus se invocantibus succurrere valeat... quens narratio declarat. Erant duo Juvenes juxta e... clesiam sancti Andreæ habitantes, qui pro suis mer... ribus remotas provincias petere solebant. Tempore q... dam cùm profecturi essent, in Norvvegiam, Fr... Reinerus monachus noster, tunc Canonicus sancti A... dreæ in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque so... illis dedit ut ex eis compararent, pellem ursi al... quales regio illa gignit, ad substratorium coram a... Sancti Andreæ; Quod cùm fecissent, & reverteren..., tanta orta est in mari tempestas, ut omnes mitte... in desperationem. Hoc ideo factum reor, ut Dominus A... stoli sui virtutem ostenderet. Recordati verò p... cti juvenes pellis S. Andreæ, contra procellas intu... centes, ventosque frementes illam cum fide lev... runt: & ecce Dominus Apostoli sui meritis, qu... mari vocavit, suffragantibus, imperavit ma... & ventis & facta est in ipsa hora tranquillitas m..., ut omnes qui in navi erant mirarentur. Reverti... verò Coloniam denarios reddiderunt, pellem ... Andreæ gratis offerentes, collati non immemores ... ficii.* Ita ille. Quid hac re mirabilius? Pellis ursi ad cultum S. Andreæ destinata & coempta mare c... pescit; quid non faciet ipse Apostolus? Hu... ergo & nos. Audit. veneremur & invocemus in nostris necessitatibus.

IN FESTO S. NICOLAI.

THEMATA.

I. *Vitra perniciosa qui parentes imponant filiis suis.*
II. *Nicolaus quomodo victor populi fuerit.*
III. *Virga tribulationis honesta, utilis, jucunda.*
IV. *Quis fidelis Dei servus.*
V. *Quid non imponere debeant liberis parentes.*

THEMA I.

Vitra perniciosa qui parentes imponant filiis.

Qui parentes perniciosi filiis suis.
1. *Qui magnas divitias eis conquirunt.*
II. *Qui delicatè eos educant.*
III. *Qui vinum teneræ ætati indulgent.*
IV. *Qui liberis suis laqueos ponunt.*

Vocavit servos suos & tradidit illis bo... sua. Matt. 25.

NOn dubium consuetudinem ill..., qua parentes hodie munuscula ... nant filiis suis tractam à laudabili ... emplo S. Nicolai, passim jam n... Verùm optarem ego, ut munus... illa, alia non essent, quam quod Germanis s... nomen Nicolai, quem appellant Nitglaß q... dicat: non vitrum. Ipsum ergo Nicolaum c... rem donari liberis à parentibus: nolo vitra dari. ... quæ sunt illa vitra? Audiamus.

I. Reperiuntur parentes, qui opes magnas c... rogant, & ad hoc solùm attendunt, ut filios div... post se relinquant. Sed hæ divitiæ, quid sunt... vitra? Friderico III. Imperatori, cùm aliqua...

Ve-

Venetiis ageret, obtulit Senatus pro munere abacum, plurimis affabrè factis vitris adornatum. Imperatur ut doni levitatem legatis ostenderet; innuit morioni, ut in abacum impingat. Fecit, evertit & omnia vitra confregit. Tunc Imperator subridens: *Nunquam aurea vel argentea*, inquit, *tam citò fracta fuissent*. Dubrav. libro 28. Jam parentes qui hoc solùm agunt, ut filiis magnas opes relinquant, nihil aliud agunt. Sed nos aurum & argentum, inquiunt, non vitrum eis paramus. Respondeo, etiam aurum & argentum illis quasi vitrum esse; quia aurum & argentum facilè perdi & prodigi potest, præsertim si in id impingant stulti filii: facilè enim filii profundunt opes, quas suo labore non pararunt, ideoque æstimare nesciunt. Apicius Romanus quindecies centena coronatorum millia à parentibus in hæreditatem accepit & cùm 1400000. abligurisset, rationeque inita restarent ei solùm centena millia, sibi ipsi manus intulit. Dion in Tiberio. Salomon multas utique divitias filio Roboam reliquit, sed quia stultus fuit, stultorum adolescentum consilia secutus, decem tribus à se abalienavit; & quia timidus, impius, & ignavus fuit, posteà Sesac Rex Ægypti ascendit Jerusalem & abstulit omnes thesauros regios, nec non Domus Domini, quos reliquerat Salomon, scuta quoque aurea; pro quibus Roboam fecit deinde ærea scutariis suis 2. Reg. 14. præ egestate scilicet: (sic aurum mutavit in cuprum) quia hosti advenienti sine pugna mox se dedidit; ut docet Salianus. Quare ejus pater id quasi prævidens ait in Ecclesiaste cap. 2. *Detestatus sum omnē industriam meam, qua sub cœlo studiosissimè laboravi, habiturus post me hæredem quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit*. Quin & ipse Salomon ingentes opes a patre sibi relictas, in plurimas vanitates prodegit, sicq; in eis animam suam gravissime vulneravit; tametsi aliter longè à parentibus institutus fuisset, ut videlicet sapientiam sibi compararet: *Posside sapientiam, posside prudentiam*; dicebant ei, ut fatetur ipse Prov. 4. Atque hæc est optima possessio & hæreditas, si ad sapientiam instituantur filii, sine hac evertent opes; quæ & ipsis plus oneris afferent, quàm honoris aut commoditatis. Memphidi compertus est aurifex, qui aurea catenula pulicem alligavit, teste Leonio de reb. Africæ, nec defuere nostro sæculo hujusmodi artifices. Sed quam hic stultus labor! ad quid enim pulici aurea catenula? nonne magis impedimento est, quam commodo? Nihil ab hoc diversum agunt parentes, quando insipientes filios onerant divitiis, quæ plus eis nocebunt, quam proderunt, eruntque quasi gladius in manu furiosi; vel spinæ in manibus stulti; sicut fuerunt Salomoni, ita ut plus potuerint ad eum evertendum, quam parentum monita ad servandum. Ad quid filio comparas equos generosos, si non doceas eum artem equitandi? cur naves, si non doceas nauticam? cur bibliothecam, si non litteras? Desiderant parentes à filiis in senio foveri & benignè haberi. Hoc ut obtineant, non onerent eos opibus, sed ad sapientiam informent: sic enim filii erunt memores quarti præcepti, uti apparuit in Tobia juniore, qui senium parentum dives factus sublevavit, quia ad pietatem ab eis instructus fuit. Desiderant parentes, habere filios sibi similes, sed dum eis magnas conquirunt opes, faciunt eos sibi in moribus dissimillimos; utpote ignavos & vitiosos. Hinc Phocion Atheniensis oblata sibi ab Alexandro Macedone munera contempsit, & cùm moneretur, ut ea vel pro filiis suis reciperet, respondit: *Si mihi similes habebo filios, ager hic parvus, qui me ad hanc dignitatem evexit, illis erit satis, quòd si mihi similes non habebo, absit ut meis sumptibus lasciviāt & vitia illorum sustentare velim*. Responsio sanè Christiano homine, non Ethnico, digna.

II. Reperiuntur parentes, qui putant se benè consulere filiis, si eos delicatè educent, splendidè vestiant, nobilitari curent, aulicis moribus informent; equitare, saltare, digladiari, ut coram mundo eos exaltent, doceant; si divites præbendas eis acquirant. Sed & ista, quid nisi vitrum sunt? Venit quidam impostor ad conjugem Imperatoris Gallieni junioris, vendiditque ei vitreas gemmas pro veris. Patefacta fraude, questa est apud maritum; & impostorem reum capitis depoposcit. Imperator ridens ait, se illū leoni objecturum, sed en dum miser exspectat leonem, prosilit caper. Risu orto, ait Imperator: *Imposturam fecit imposturam passus est*. apud Trebell. Pollion. Quid illa, quæ diximus, inania liberorum ornamenta, nisi gemmæ vitreæ? Non vitreæ (Nit Glaß) sed veræ gemmæ, vera virtutum ornamenta illis comparanda sunt. Decipientur enim aliàs parentes in filiis, sicut Imperatrix, nec non uti impostor ille; dum enim sperant reducem ex Gallia, v. g. filium proditurum aliquando velut leonem & reipublicæ ornamentum, prosiliet quidam caper, in altis crepidis & cornuto pileo, fœtidus amator, aleator, luctator aut saltator. Porrò vana sunt illa ornamenta, quia corporis tantùm, & brevis possessionis, certè in altero sæculo vitro viliora erunt. Solæ virtutes amitti nequeunt, solæ ad sepulchrum & alteram vitam filios comitantur, ubi & maximi fiunt. Aliter longè Tobias instruxit filium suum; ad solam enim virtutem stimulavit, in toto libro suo pietatem ei inculcans. Mater filiorum Zebedæi hoc unum petiit filiis suis, ut possent Christo ad latus semper adhærere; & tamen quia ad terrenum Christi regnum respexit, ut in eo fierent magni & prænobiles; à Christo in filiis reprehensa est. Quid dixisset Christus, si eis mundi vanitates, favorem Principum, beneficia pinguia petiisset?

II. *Qui delicatè eos educant.*

III. Reperiuntur, qui filiis tenellis vinum pro libitu permittunt. Quid hoc nisi vitrum? Sic enim Prov. 32 dicitur: *Ne intuearis vinum, cùm splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber & sicut regulus venena diffundet*. Non ait: ne exhaurias, sed, *ne intuearis*; si-

VI. *Qui vinū teneræ ætati indulgent.*

qui-

quidem color æquè ac sapor vini allicit ad bibendum. Hujusmodi venenum instillavit d obus filiis suis Henricus Comes Goritiæ, qui media nocte eos sæpe vocabat, & an sitirent rogabat, cumque illi dormirent nec responderent, vinum eis infundebat; illisque respuentibus ac vinum removentibus, ait uxori: *Ex alio concepisti meretrix; neque enim filii mei sunt, qui noctem integram nihil sitientes, dormiunt*. Refert Æn Sylvius in Commentar. in Panorm, lib. 1. Quid hic dicemus? Nónne iste vitris mactare volebat filios? Quid enim aliud egit, quam quod Ægyptius ille, qui aspidem domi suæ unà cum liberis suis aluit, cujus tandem catulus unus filium hospitis occidit? Refert Philarchus apud Plin. Sic nimirum vinum blandè in liberos ingreditur, sed in fine *mordebit ut coluber & sicut regulus, &c.* Et nónne magnum dedecus, quod hæc talia de tanto viro in libris scribantur, in mensis narrentur, in cathedris explodantur & rideantur? Hoc ergo consequuntur tales parentes ut passim cum ignominia traducantur una cum suis liberis, & demum ab ipsis maledicantur, sive in hac vita, sive in gehenna.

IV. *Qui liberis suis laqueos ponunt.*

IV. Reperiuntur etiam, qui libris suis offendicula ponunt, dum varias peccandi illecebras, uti choreas & similia eorum oculis proponunt. Quid hæc nisi vitra? Augustus Imperator cùm apud Vedium Pollionem cœnans vidisset servum ab eo, ob confractum vitrum, ad murænas condemnatum, ad se confugisse, bacillo omnia ejus vitra comminuit, ne deinceps occasionem haberet tam grave tamque stultum aliquid statuendi. Suet. & Dio. in Aug. Similiter Cotys Rex Thracum, cùm sciret se pronum ad iram erga servos, sibique oblata essent ab hospite pretiosa vitra, munera dedit, sed vitra mox confregit, ne ansam iracundiæ præberent. Plut. in Reg. Apopht. Vitra igitur offendicula sunt filiorum; quæ confringi & auferri eis debent, non proponi. Sanè Balac Rex Moabitarum non difficilè pellexit Hebræos primò ad stuprum, deinde ad idololatriam, quando eis proposuit ex consilio Balaami puellas speciosas, quæ ante eorum castra obambularent, cibos idolis priùs immolatos offerrent, posteà ad stuprum, & denique ad idola illorum colenda eos provocarent; uti Num. 25. habetur, & fusè Josephus l. 3. antiq. cap. 6. refert. Itaque sufficit juvenibus proponere tales imagines, jam enim quasi capti sunt. Queritur Deus apud Jeremiam cap. 7. de talibus parentibus; *Filii colligunt ligna*, inquit, *patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli* (hoc est Lunæ) *& libent Diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* Faciunt hoc parentes, quando ignem pravæ concupiscentiæ excitant in liberis suis, proponendo eis scandala, incitando consilio, ut adorent lunam, stultum & inconstantem mundum, luna mutabiliorem. Neque dicant parentes non esse in tali conversatione periculum, eò quòd sint statu valde dispari, juvenes probi, vel etiam clerici. Quis enim credidisset, quòd Hebræi, tot præsidiis divinis vallati, t bene in Dei cognitione instructi, tam facilè ad t tum scelus impelli possent à puellis gentilibus? Q res inter se magis distant quàm cælum & terra? è c lo tamen, si pluvia decidat & jungatur terræ, fit tum & cloaca *Pluvia bona est; & terra bona, ex ut que tamen juncta fit lutum*: Pari modo boni etia, imò & religiosi cum altero sexu cohabitantes t familiaritatem contrahentes tandem in lutum v tuntur, ut dicebat B. Jordanus Generalis Ord. P dic. ut in ejus vita 13 Feb. apud Surium.

Rogo igitur Parentes omnes, ut vel ipsum men & vocabulum Nicolai bene expendant, at inde discant nihil perniciosum quærere suis fi, nihil fragile, nihil inutile. *Quid astuas pietas terna*, inquit Salvianus Massil. l. 1. ad Eccles. *ad quirenda terrena & peritura? nihil majus filiis u præstare possis, quam si hoc bonum per te habe, quod nunquam penitus amittant: Non ergo ne est ut filio tuo terrenos thesauros abscondas: nul eum facies ditiorem, quàm si filium tuum thesau Dei feceris.* Sic ille. Sunt ferè jam parentes, qu describit suo tempore S. Augustinus l. de discip Christ. cap. 11. *Parentes nostri*, inquit, *quando n scholam mittebant, non hoc nobis dicebant: Di litteras, ut habeatis, unde legere possitis codices minicos: Discite litteras ut sitis utiles Ecclesia, u reipublica, nec ipsi Christiani filiis suis hoc dic. Sed quid dicunt? Disce litteras mi Fili, ut sis h (hoc est) eminens inter homines, illustris & con cuus, unde & illud proverbium: Quantum hab, tantum eris.* Hæc Augustinus. Prava hæc est ctrina: terram quærit filiis, cælum verò negli. Non ergo sic doceant filios parentes, nec dic: *Vide ut sis homo*; sed ut Dei servus & amicus, ha cæli & Angelorum civis.

THEMA SECUNDUM.

Nicolaus quomodo Victor populi fuerit.

Variæ virtutes S. Nicolai.

I. *Infans coluit jejunium.*

II. *Adolescens fugit mundi illecebras.*

III. *Vir templum frequentabat.*

IV. *Factus Episcopus abstinentiæ miraculum it.*

V. *Operibus misericordiæ mirè addictus.*

VI. *Iudices iniquos arguit intrepidus.*

Domine quinque talenta tradidisti mi, ecce alia quinque superlucratus sum. Matth. 25.

ITa ferè nos Germani comparati sumus, ut exteras pluris faciamus, quam patrias. Equ tui

Turcicos, Neapolitanos, Frisianos longè nostris præferimus: fructus Italicos, telas Belgicas & pannos Britannicos, corium Prutenicum, vina extera præ nostris æstimamus. Meministis me ante annum vobis imposuisse Germanicum Nicolaum quem Germani appellamus Nit Gelaß; hoc igitur anno peregrinum alium quæram, & quidem Græcum *Nicolaum*. Est enim hoc nomen Græcum, significans victorem vel victoriam plebis, à νῖκος vel νίκη quod est victoria & λαός, quod est populus. Fuit enim reverà S. Nicolaus juxta nomen suum, victor plebis, quia popularem vivendi & agendi morem multis parasangis superavit. Peregrinus itaque Sanctus est, magnoperè admirandus; quem si imitari non poterimus, ejus saltem ex aspectu nostram parvitatem & humilitatem metiemur.

I. Nicolaus vix natus infans coluit jejunium. Quarta enim & sexta feria, cùm aliis diebus crebriùs lac nutricis sugeret, non nisi semel, & quidem serò sub vesperum sugebat, nec ullis lenociniis adduci poterat, ut hanc consuetudinem mutaret. Magna certè est hæc populi victoria. Ubi enim terrarum similes huic infantes? Sed non est cur adstringamus ad jejunium infantes. Illud saltem à Nicolao discere adolescentuli deberent, ut à pueritia assuefaciant se paulatim ad jejunium Ecclesiasticum, vel saltem ad abstinentiam à carnibus, ut cùm annos requisitos habuerint, sine difficultate præceptum jejunii implere possint. De Mose adhuc infante scribit Josephus lib. 2. cap. 5. quòd lac Ægyptiarum mulierum aversatus fuerit, Hebrææ nutricis verò libenter admiserit. Decet etiam parvulos ab ineunte ætate repudiare carnem, in jejunii diebus, adversari luxum hæreticorum, & catholico ritu vesci. Scimus Davidem pastoritium puerum æneo Saulis thorace indutum incedere non potuisse, nedum in eo pugnare, *quia non usum* habebat, hoc est, non tantùm non assuetus fuit, sed contra ad vestitum levem & rusticanum assuefactus. 1. Reg. 17. Pari ratione quomodo jejunabunt adolescentes ab anno 21. si priùs non tantùm non jejunarunt, sed contrà potiùs ingurgitare se, & quidvis promiscuè adeoque carnes devorare didicerunt? Meminit Alexander ab Alexandro lib. 2 cap. 25. Hybernas olim mulieres infantibus suis primos cibos gladio admovisse; quò nimirum, à teneris discerent arma non timere sed intrepidè tractare. Doceant etiam matres nostræ liberos suos cibum ex præcepto Ecclesiæ sumere, adeoque carnibus abstinere jejunii & abstinentiæ diebus, quò jejunare discant. Viderint verò illi, qui pro cibo gladium eis porrigunt, & pro abstinentia luxum & ebrietatem instillant.

II. Adolescens jam factus, malorum consortia, ludos, convivia, choreas, mulierum præsertim consuetudinem velut pestem fugiebat: carnem prætetea jejuniis & vigiliis domabat, sicque magnam perfectionem consecutus est. Altera est hæc nec parva plebis victoria, eaque rara, ut patet exemplo Sanct Tobiæ senioris, de quo adhuc juvene dicitur: *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel*. Tob 1. unde ad magnam sanctitatem pervenit. E contrà adolescentes si malis se associent, brevi omnem virtutem perdent; non secus ac equi si in vestigiis lupi ambulent, ilicò torpescunt, sudant, & timidi redduntur, teste Plinio lib. 28. cap. 10. Si equi in vestigiis lupi torpent, non torpebunt juvenes in semitis reproborum? Lupi non absimiles sunt canibus pastoritiis, interim tamen lupi & raptores, non custodes gregum sunt: ita seductores simulant se amicos, interim tamen semper sævi sunt & noxii, ut lupi. Quare bene monet adolescentes Sapiens Proverb. 1. *Fili mi; si te lactaverint peccatores, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum* (Hebr. *à vestigiis eorum*) *Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem*: Tres illi pueri Hebræorum in Babylone non curarunt, quòd omnes alii procederent & adorarent statuam auream Nabuchodonosoris, sed dixerunt Regi: *Statuam tuam non adoramus*, Dan. 3. Invitabat quidem eos lupus ille Nabuchodonosor cum symphonia & variis instrumentis musicis ad profanam adorationem: *Nunc ergo quacunque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, cytharæ, &c. prosternite vos, & adorate statuam*. Sed surdis canebat: *Notum sit tibi Rex*, ajebant, *quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus*. Horum exemplo, ô Juvenes, spernite mundi & sociorum illecebras, fides, choros, ludos licet alii sectentur.

III. Vir, sed nondum Episcopus factus, summo mane ad templum itare consuevit. Hinc enim cuidam Episcopo provinciali revelatum, illum eligendum Myriæ Episcopum, qui primus omnium summo mane templum oraturus intraret. Quo signo edito deprehensus est Nicolaus. Quis non videt hic novam plebis victoriam? Qui enim, & ubi illi, qui etiam sacerdotes mane præveniant in templo? Fuit quidem olim commune Christianis etiam ad nocturnas horas vel saltem summo mane Ecclesiam intrare; sed jam tales albo corvo rariores sunt. Fecit hoc David, qui Psalm. 5. ait: *Manè exaudies vocem meam: manè astabo tibi & videbo*, quasi diceret, quia video, quòd eos potissimum audias, qui impigrè te orant, & manè te præveniunt, ideò manè astabo ad tuum conclave, audientiam petiturus. Atqui Christiani Judæos vincere sua justitia debent. Illis in deserto summo manè excundem erat, ad colligendam manna, alioquin Sole superveniente liquefiebat; & hoc, *ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem* Dei acquirendam, ut dicitur Sap. 16. Quare voluit Deus præveniri Solem in collectione mannæ, nisi quia voluit, ut præveniremus ipsum preci-

III. *Vir templum frequentabat.*

precibus, & ne indulgeremus carni ac voluptati aut diutino somno? Vespere liquescit manna, perit devotio ad res spirituales. Deus ergo noluit dare manna ignavis, qui lecto adhærent ad multam usque lucem. Vbi verò manna nostrum colligimus nisi in templo, sive id sit Sacramentum Eucharistiæ, sive Dei verbum? Ad hæc igitur Christiani, si nolint esse primi; saltem non sint ultimi, ut alios perturbent. Quantum enim Deus hortatur, ut benedictionem ejus præveniamus, tantum vicissim laborat Dæmon, ut eam negligamus, vel tardiùs quæramus. Fassus enim jam olim est Sancto Dominico, in chorum inductus, se ibi maximè tentare fratres, ut tardiùs veniant & citiùs exeant; uti refert Sanctus Antoninus 4. p. histor. titul. 23. cap. 4. peragr. 6. Utrum ergo potiùs sequendum censebitis Deum Israel, an Baal & Dæmonem?

IV. *Factus Episcopus abstinentia miraculum fuit.*

IV. Factus Episcopus, unica per diem refectione eaque vespertina contentus, consuetudinem hanc constanter tenuit, totum reliquum diem publicis negotiis impendens. Hoccine vulgare est? Utinam saltem in jejunii diebus, prout Ecclesia præscribit, una refectione contenti essent omnes Christiani! Quod certè adhuc tempore Sanct. Bernhardi ante annos 500 observarunt, ipso teste Serm. 3. de quadrag. scribente: *Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperem jejunabunt nobiscum pariter universi: Reges & principes, populus & Clerus: nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.* Miror quòd Christiani nostri non possint vel rarò, quod olim Gentiles potuerunt semper. Nam in usu non fuisse apud Gentiles aliquos prandia, testatur S. Isidorus l. 20 Etymol. cap. 2. Similiter Cassiodorus in Psal. 14. scribit antiquis morem fuisse, semel tantùm in die comedere. Platoni nullo modo placuit bis die saturum fieri, in epist. ad Dionis propinquos. Quid istis respondebunt Christiani nostri sæculi? Quanquam videntur & nunc tales reperiri; sed quales? qui ab initio prandii epulantur usque ad tempus cœnæ; & ita una sessione prandent simul & cœnant. Sed quid aliud agerent Epicurei? Nónne hoc è diametro pugnat cum S. Nicolao, qui totum diem negotiis salutaribus impendit, vespere primùm refectionem admisit: cùm illi totum fere diem comedant & bibant & vix ante prandium aliquid expediant? Malum certè signum. saginari nimirum tales ad macellum.

V. *Operibus misericordiæ mirè addictus.* 1.

V. Operibus misericordiæ supra communem hominum consuetudinem magnoperè addictus fuit. 1. enim calamitosis mox in puncto opem tulit. Tribus nobilibus sororibus, cùm à patre paupercuIo jam prostituendæ forent, in tempore adfuit ut honesto matrimonio locarentur. Bis tribus innocentibus jamjam supplicio afficiendis vitam servavit. Nautis periclitantibus invocatus mox succurrit: navim penè jam demersam erexit, ac gubernaculum tuens rexit. Rarum hoc etiam est, differuntur plerumque auxilia postulata & ferè [e]torqueri importunitate debent, contra id Prover. 3. *Ne dicas amico tuo: vade & revertere, cras dabo tibi cùm statim possis dare*: quia crastinum incertum. 2. Dedit liberaliter non unum vel alterum nummum, ut fit comuniter sed dedit tribus vicibus, quantum sufficeret dotandæ honestæ & nobili puellæ; unde aurei globi tres ei appinguntur. Nostro tempore homines ferè dant eleemosynam, sicut olim Sinæ; qui quisquilias hostiarium, puta, porcini capitis [...]as auriculas, reliquarum altilium ungues, vini g[utt]as aliquas in ara simulachris Deorum suorum a[pp]o[su]erunt, cæteras ipsi dapes magno cum tripudio & effusa lætitia devorabant, Maffeio teste in Historia Indica lib. 6. Vilissima enim quæque, ac ferè jam corrupta cibaria, attrita vestimenta vel obuli s[ola] dantur pauperibus; quibus nihil aut parùm juvantur; quæ satius esset emere; quàm precibus exorare. 3. Dedit occultè, & noctu clam injecit pauperi pecuniam in ædes, & mox fugit. Quod certè non faciebant Pharisæi, qui tuba ante se canebant, cùm eleemosynam dabant; multi etiam nunc negligunt, [d]um nomina ac titulos suos affigunt suis muneribus ædificiis &c. contra in Eccl. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc prote exorabit.* Conclude, hoc est, abscondé, ut legit Optatus Milev. sicut absconditur semen jactum in agro; per orationem, ne ab avibus devoretur. Insidiantur [h]is operibus aves diabolicæ ut per inanem gloriam ea extinguant.

VI. Judices iniquos arguit & corripuit. Inprimis Eustachium Urbis Andriacæ Præfectum, qui calumniatorum quorundam auro victus, [tr]es viros innocentissimos ad supplicium trahi jussit. Mox enim ad supplicii locum cum tribus legatis Constantini Imperator. contendit, & tres illos viros, jam ad necem excipiendam paratos, graviter increpato carnifice, extortaque è manu ejus securi: Præfecto verò severissimè objurgato, ita ut cum lachrymis veniam peteret, liberavit. Nec mi[nus] po[st] tres antedictos Constantini legatos calumniis circumventos & jam ad mortem damnatos eripuit, dùm in somnis Imperatori apparuit terribilis, minans, ut tres illos innocentes viros absolveret & pristinæ dignitati restitueret; quod & fecit statim Imperator atque insuper Nicolao dona misit. [Ra]ri admodum sunt tales nunc æmulatores justitiæ, qui potentia, opibus, ac dignitate præditos, à [ju]stitia & virtutibus aliis deflectentes, audeant corrigere. Quemadmodum enim nihil magis necessarium, quàm tectum domus resarcire, interim nil magis periculosum! ita nihil magis necessarium, quàm potentum errores arguere, nil tamen interim periculosius: ideo nemo ferè hoc munus vult subire. Audistis, ni fallor, aliquando fabulam de muribus, qui videntes se à domestico cato passim capi & devorari, consilium inierunt, quomono cati insidias declinarent, ne sensim ab eo o-

nes[t]

ne devorarentur. Incidit eis consilium, ut nolam cato appenderent, ex cujus tinnitu, adventantem tacito gressu, deprehenderent, sicque fuga sibi tempestivè consulerent. Laudarunt omnes consilium, veluti opportunissimum. Ingrediente cato rem effectui daturi iterum consultant, quis eorum appendere cato nolam deberet. At hoc qui facere vellet, nullus reperiebatur. Seniores ajunt juvenculis: ite vos, appendite, quia celeres estis pedibus & facilè vos subducere per minimum foramen potestis. Sed hi se excusant, quòd veluti rudes nesciant facere nodum, alligando scilicet funiculo. Juniores ad seniores: ite vos, appendite, quia magis experti estis quàm nos. Sed hi se excusant, quòd præ senio jam tardigradi, quodque corpulentiores non tam facilè per foramina effugere queant. Ajunt ergo ad mediæ ætatis mures: vos ire debetis, quia fortiores. Sed hi excusant se ob conjuges & proles, quibus nutriendi vivere debeant, nec se periculo exponere possint. Sicque dum omnes se excusant, irruente in eos cato consilium omne dissipatur & in nihilum ibit. Sunt aliqui prædivites & in officiis constituti, qui non confitentur toto anno, vivunt inter scorta, cum pellice vel adultera, quotidie se inebriant, injustitias cōmittunt publicas. Veniunt querelæ & concluditur arguendos & puniendos esse: Sed quis illos arguet? Juniores dicunt se carere authoritate; seniores, non diu victuros, proinde parum hæc curare; alii dicunt: magnum iste in aula amicum habet; quis vult eum corrigere? alius timet uxori & liberis suis. Summa; nemo est, qui appendere cato nolam velit. Sed quid de his scriptura? *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum: universæ bestiæ saltus;* ait Isaias cap. 56. sed ad quos tam dira? *Speculatores ejus cæci omnes: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Contingit interdum canes dormientes in somnio parum mutire & caput attollere; sed mox iterum obdormiunt. Sic ignavi Magistratus vanis timoribus absterrentur à vitiorum reprehensione. Vidimus Nicolaum verè Plebis victorem: videamus jam nos ipsos, an illum imitemur. Parvuli solent hodie inspicere & ostendere munuscula sua. Inspicite & vos vestra. Peregrina sunt & mira, pulchræ & magnæ victoriæ. pueri discant abstinere: juvenes mundi illecebras fugere: viri templum frequentare: senes misericordiæ operibus vacare: Magistratus vitia corrigere. Sic eritis Nicolai, & aliquando ut victores triumphaturi cum victore Nicolao.

(* * *)

THEMA III.

Virga tribulationis, honesta, utilis, jucunda.

I. *Tribulatio honestatem habet.*
II. *Habet utilitatem.*
III. *Habet & jucunditatem.*

Vocavit servos suos & tradidit illis bona sua Matth. 25.

Virga tribulationis præcedere debet beatitudinem.

NOstis, Audit. nocte hac imponi liberis à parentibus varia munuscula. Sed quid est, quòd ea munuscula comitetur semper virga? Sive enim morigeri, sive immorigeri sint filii, semper in munusculis suis virgam reperiunt. Itáne verò etiam virga munus quoddam est? Est sanè Audit. & ita quidem necessarium omnibus non solùm filiis, sed etiam quibuscunque hominibus, ut planè velut munus Dei pretiosum, & insigne quoddam talentum acceptari debeat. Bonus certè Deoque morigerus fuit David, & tamen ille suam virgam & quidem multiplicem accepit; unde dixit Psalm. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga hæc tribulatio est, omnibus necessaria. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* ajunt Paulus & Barnabas Act 14. *Non est in loco nostro,* ait Laban, Gen. 29. *consuetudinis, ut minores* (filias) *ante tradamus ad nuptias:* scilicet pulchram Rachelem ante deformem Liam. Sic etiam in hoc mundo non consuevit Deus dare suum regnum ante tribulationem, mercedem ante laborem, dulce ante amarum. Lia priùs ducenda est, & tribulationis virga exosculanda, quam tradatur Rachel, gloria cælestis. Sed amara est herba ista dices. Quidni? etiam amaræ sunt potiones medicæ, & tamen salutares. Quid si igitur tribulatio non solùm utilis, sed & honesta & jucunda sit, num bonam esse negabimus, quæ omnem boni rationem habet? Id vero nunc ostendamus.

I. *Tribulatio honestatem habet.*

I. Honestatem & decorem habet, quod ex Zacharia cap. 11. probari potest, ubi Deus unam virgarum, quas assumpsit, appellat *decorem.* Sed qua ratione? Quia tribulatio ostendit hominem esse Deo charum & modo aliquo similem, adeoque ejus filium genuinum, & non spurium. Ita enim Apostolus ad Hebr. 12 ait: *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quod desumpsit ex Prov. c. 3. secutus 70. Interpretes, ubi noster legit: *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater complacet sibi in filio.* Quem sci licet unicè diligit, velut similem sibi ac legitimum filium. Castigat autem tribus de causis potissimùm. 1. Ut puerilem levitatem & vitia ab eo resecet, ac virtutibus exornet, quò is verus ejus filius,

Castigat suos Deus.

1. *Ut puerilia vitia ab eis resecet.*

nulla re deformis, sed integer ex omni parte evadat. Unde subdit Apostolus: *Quòd si extra disciplinam estis, ergo adulteri* (græcè νόθοι, hoc est, *spurii & adulterini*) *& non filii.* Pater enim spurios, velut modo aliquo alienos negligit, nec tanta cura educat, sed aliis relinquit educandos. Jam ergo sicut ignominia est esse spurium, ita econtrà decus est esse genuinum & legitimum Regis filium. Tribulatio & paterna castigatio talem ostendit. Unde Sanct. Gregorius Nazianzenus orat. in plagam grandinis, habita ad populum Arianzi, grandinis plaga percussum, inter alia: *Recepisti monile ingenuorum*; ac proinde dilectorum filiorum. Jonathas indicaturus Davidi, an ipse in patris (Saulis) gratia esset, nec ne, tale signum dedit: *Tres sagittas mittam juxta lapidem & jaciam quasi exercens me ad signum: mittam quoque & puerum dicens ei: Vade & affer mihi sagittas; si dixero: sagittæ intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est: & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem ita locutus fuero: ecce sagittæ ultra te sunt; vade in pace: quia dimisit te Dominus.* 1. Reg. 20. Sagittæ *intra te* sunt, quando Dominus castigat te, & tunc signum est te diligi à Deo & castigari ad correctionem ex amore. Si autem *ultra te* sint, & te peccantem minimè feriant; signum profectò malum est, te nimirum deseri velut adulterinum.

2. *Vt evadant duri & invicti.*

2. Ut evadat durus & robustus tam corpore, quàm animo, quasi athleta ad ferendos labores & parandas victorias. Neque verò exercet tali modo eos, qui ignavi & molles sunt, sed qui masculos habent animos, à quibus magna sperari possunt. Hoc verò nónne decorum & honorificum esse dicemus? Intellexit hoc etiam Seneca, qui lib. de providentia cap. 4. quærit: *Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine aut aliis incommodis afficit?* Et respondens: *Quare*, ait: *in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Malè de me Imperator meruit, sed bene judicavit. Idem dicant, quicunque jubentur pati timidis ignavisque flebilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experietur, quantum humana natura possit pati.* Sic ille. Consonat ei, quod Paulus 2. Timoth. 2. scribit suo discipulo: *Labora* (Græcè κακοπάθησον, hoc est, *afflictiones & mala perfer*) *ut bonus miles Christi Jesu.* Et quod Cant. 8. dicitur de sponsa: *Soror nostra parva, & ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, qua alloquenda est?* (de sponsalibus utique Christo contrahendis) *Si murus est*, inquit, *ædificemus super eum propugnacula argentea.* Propugnacula non struuntur nisi super murum solidum, qui possit sustinere hostium impetum & jacula. Quando ergo Deus struit super aliquem hujusmodi propugnaculum, quando onerat eum tormentis & plagis; signum est, quod eum velut strenuum & inexpugnabilem athletam velit demonstrare, qui nullis concutiatur ictibus. Argentea sunt hæc propugnacula & onera, quibu[s] premuntur hi athletæ, adeoque maximum illoru[m] ornamentum. Intellexit sanè hoc Secunda virg[o] & martyr, quæ cùm Ruffinam sororem jussu judicis videret flagellis cædi, sacra indignatione commota: *Quid est*, inquit, *quod sororem meam honores, m[e] autem officiis ignominiæ? Iube ambas simul cædi, qu[æ] simul Christum confitemur* ut in Breviario, quasi di[-]ceret: Itane soror mea murus erit propugnacul[o] dignus, & ego non ero? itáne illa fortis & magn[a,] ego infirma & parvula? Gratuletur ergo sibi, qui [se] premi calamitatibus videt: vult enim Deus supe[r] ipsum velut supra murum fortem struere propugnaculum patientiæ, & inde excutere omnia inimici tela, adeoque eum victoriosum reddere.

3. Ut dignus fiat magna in cælo gloria, a[d] quam ipsum destinavit. Ita Sanct. Augustinus i[n] Psalm. 93. *Duos filios*, inquit, *habet homo: alteru[m] castigat, alterum dimittit; facit unus malè & no[n] corripitur à patre: alter mox ut se moverit, flagella[-]tur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur, nisi qui huic caso hæreditas servatur: ille autem dimissus exhæredatus est? videt eum non habere spem, & dimitti[t] eum, ut faciat quod vult?* Annulus, quo desponsatu[r] sponsa viro magnifico verb. grat. Principi aut Comiti, non sanè ei probrum, sed honorem affert. Hujusmodi est tribulatio, quæ despondet homine[m] Christo & arrham hæreditatis ejus præbet. Ho[c] annulo tangens Christus oculum Sanct. Gertrudis perpetuum ei dolorem inflixit: unde illa didicit quòd sicut annulus signum est desponsationis, si[c] adversitas signum est & arrha divinæ electionis. I[-]dem sensit S. Agnes quæ dicebat: *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Iesus, & tanquam sponsa[m] decoravit me corona*; corona primò martyrii, postea gloriæ. Quis neget vulnera Christi S. Francisco impressa summum illi honorem attulisse? at illa tamen eum continuò cruciabant & sanguinem stillabant: Decorem igitur & honestatem plurimam adfert homini tribulatio.

II. Habet utilitatem & quidem multiplicem. 1. enim (ut pauca dicamus) aperit homini oculos, quos peccatum ei clausit. Scimus oculos Tobiæ cœcos, felle curatos esse; ita enim docuerat Raphael Tobiam juniorem: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Tob. 6. Albugo quæ colore albumen ovi refert, oculum cæcat, & peccatum notat, mentis oculos claudens & à Deo avertens; fel amarũ quid nisi tribulationem significat? Hæc ergo reddit visum homini; ut peccata sua agnoscat, velut causam tribulationis sibi immissæ, quia *vexatio dabit intellectum auditui*, ait Isaias c. 28. & Ierm. c. 31. *Castigasti me Domine & eruditus sum quasi juvenculus indomitus.* Illuminavit planè fratres Josephi, & peccatum eorum in memoriam eis reduxit, quando à Josepho conjecti sunt in carcerem; dicunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum minimum &c. idcirco venit super nos ista tribulatio.* Gen. 42. Verè enim S. Gregorius

ait:

t: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Illumi-
avit & edomuit Manaſſen, prophetarum contem-
torem, imò & interfectorem crudeliſſimum, poſt-
uam vinctum abduxit in Babylonem & multo fer-
o gravavit. *Tunc enim cognovit Manaſſes, quòd Do-*
minus ipſe eſſet Deus. 2. Par. 33. Taceo Nabuchodo-
noſorem Dan. 4. v. 34. Antiochum. 1. Mach. 6. verſ.
t. filium prodigum Luc. 15. v. 17.

2. Convertit hominem & reducit ad Deum per
œnitentiam. Leo non niſi igne & facibus compel-
ur in retia & caveam à qua fugit, uti ſcribit Plin.
b. 8. cap. 16. & vidimus alibi ex hiſtoria Ludovici
anthgravii in vita S. Eliſabethæ efferatum etiam
ccatorem non niſi ignis tribulationis reducit ad
eum & legem divinam. Ita enim Thr. 1. dicitur.
e excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit
, expandit rete pedibus meis, convertit me retror-
m. Quando ſcilicet abduxit me in captivitatem
bylon, unde ſequitur: *Poſuit me deſolatam, tota*
moerore confectam. Sic ad Deum ſe convertit An-
onicus Imp. Græcorum, cùm à nepote imperio
jectus & detonſus atque in monaſterium detru-
s, præ mœrore viſu amiſſo, intrans monaſterium
xit: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia*
ominus benefecit tibi. Gregoras lib. 9. Nimirum
ut pia mater videns filium oberrare in alienis do-
ibus, ludere & potitare, rogat eos, ad quos diver-
filius, ut eum expellant, nihilque ipſi ad luden-
m aut potandum porrigant: ita Deus videns, pec-
tores oberrare & amorem ſuum convertere ad
eaturas, mandat illis, ne ejus deſideriis ſerviant,
d potiùs affligant eum, grandine, pruina, fame,
orbis, peſte, bello; ut ab eis repulſus revertatur ad
eum ſuum; juxta id Oſee 2. *Sepiam viam tuam*
nis &c. & ſequetur amatores ſuos & non apprehẽ-
t eos, & quæret eos & non inveniet, & dicet: Va-
m & revertar ad virum meum priorem.

3. Docet & cogit hominem ferventer orare. In
roglodytis fons eſt, qui *Solis fons* appellatur: is
vente Sole circa meridiem maximè friget: in
ediæ noctis rigore maximè fervet. Refert Pomp.
ela & Plinius lib. 2. Nos huic fonti ſimiles ſu-
us: in meridiano calore, cùm res proſperè eunt,
gidi prorſus in oratione & ignavi ad orandum
mus: in nocte demum adverſitatis incipimus fer-
re & magna contentione ad Deum clamare. Hinc
ias c. 26 dixit: *Anima mea deſideravit te in nocte;*
oc eſt, in tribulatione, ut exponit ibi Sanchez. Pa-
t in Hebræis ſervitute Ægyptiaca preſſis; tum
im *vociferati ſunt, aſcenditq; clamor eorum ad De-*
m ab operibus. Exod. 2.

4. Delet pœnas, quas peccando contraximus.
a enim docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 9 non modò
os ſatisfacere pœnis, ſponte à nobis pro vindican-
o peccato ſuſceptis: ſed etiam temporalibus fla-
ellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis.
nimæ noſtræ veſtium inſtar facilè contrahunt ſor-
s & pulverem pœnarum; quare uti pulvis è veſti-
is virga excutitur: ita pœnæ nobis debitæ, plagis
à Deo inflictis. Unde Petrus Bleſenſis epiſt. 31. ait:
Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformi-
tatem animæ iniquitas aſſiduata congeſſit. Bene igi-
tur ille, qui dixit Pſalm. 22. *Virga tua & baculus*
tuus ipſa me conſolata ſunt. Nam *magna electis Dei eſt*
conſolatio ipſa Divina percuſſio: quia per momenta-
nea flagella, quæ perferunt ad nanciſcendam supernæ
beatitudinis gloriam, firmæ ſpei greſſibus convale-
ſcunt. ait B. Pet. Damian. lib. 8. ep. 6. Hanc ob cau-
ſam aſſerit S. Auguſtinus ſerm. 82. de temp. Jacobũ
Patriarcham nec à Deo edoctum, nec à filio Joſe-
pho certiorem factum, de chariſſimi filii vita, inco-
lumitate & evectione ad principatum, ſed per 23.
annos relictum eſſe in mœrore & planctu; *quia ſine*
minutis peccatis Iacob eſſe non potuit, volens Deus i-
pſa parva peccata in hoc ſæculo tribulationis igne cõ-
ſumere, implet in eo, quod ipſe per Spiritum ſanctum
dixit: Vaſa figuli probat fornax & homines juſtos tẽ-
tatio tribulationis Et mox: *Priùs ab illo omnes ma-*
culas peccatorum abſterſit, ut in eo ignis ille arbiter,
quod exureret, invenire non poſſet. Conſentit S. Ber-
nardus de modo bene vivendi ad ſor. cap. 13. *Sponſa*
Christi, inquit, *vis a peccatis tuis purgari? in pœna te*
accuſa & juſtitiam Dei lauda. Ad purgatorium tuum
ſufficit, ſi ea, quæ pateris, ad juſtitiam Dei retule-
ris.

III. Verùm qua ratione virgam hanc jucun- III. *Habet & jucunditatem.*
dam eſſe probabimus? Sanè Raphael ingreſſus ad
Tobiam cæcitate laborantem, ita eum alloquitur:
Gaudium tibi ſit ſemper. Tob. 5. Fatigatus ille qua-
dam die à ſepultura mortuorum, venit demum &
jactavit ſe juxta parietem atque obdormivit, inte-
rim ex nido hirundinum calida ſtercora inciderũt
in ejus oculos, ipſumque excæcarunt. In hac tribu-
latione jubet eum gaudere Angelus, ſed qua ratione
gaudeat miſer in tali, &, ut videbatur, iniqua affli-
ctione? Imò multò maximè. Nonne videmus
gaudere & cantare agricolas, quando boves eorum
agros ſulcant & arant? ſperant enim inde meſſem a-
liquando uberem. Tribulationes aratra; boves ſunt
illi, qui tribulant nos. Hinc Pſal. 128. dicit quidam
afflictus: *ſupra dorſum meum fabricaverunt pecca-*
tores. Cald. *araverunt arantes.* Arantes boves ſunt
peccatores, qui tametſi ſcindunt & ſulcant nos, læ-
tam tamen ſegetem nobis virtutum producunt ac
meſſem gloriæ promittunt. Unde D. Chryſoſtomus
homil. 4. ad pop. malos appellat *bonorum agricolas*
quia ut agricolæ terram aratro proſcindentes fœ-
cundant; ita mali lacerantes bonos, efficiunt meli-
ores. Nec obſtat huic eorum gaudio, quod pſal. 125
dicitur: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina*
ſua. Tametſi enim inter afflictiones etiam dolent &
flent, hic tamen ipſe dolor & fletus gaudii materi-
am eis præbet, quia & ipſe lucrum ſuum habet: nõ
ſecus ac tibicines illi, qui Matth. 9. vocati ad plan-
gendum lugubri carmine funus puellæ: & lamen-
tatrices illæ Jer. 9. v. 17. dum nænias ſuas canebant,
interim gaudebant, quia lucrum ex eo luctu para-
bant. Hac ratione S. Paulus ad Coloſſ. 1. ait: *Gaudeo*

in passionibus. Et 2.Cor.1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat & consolatio nostra.* In quem locum S.Chrysostomus homilia 1. ait: *Itaque ne doleas, cùm affligeris cogitans primùm, quo cum habeas societatem, deinde quomodo per tentationes repurgeris, denique quantum lucrifactas. Nihil enim aliud molestum est, quàm Deum habere infensum.* Et paulò pòst: *Beatus Paulus cùm videret quasi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter, quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque.* Sanè adolescentes dum se invicem per hyemem niveis pilis impetunt, gaudio perfruuntur, tametsi interim frigent, & subinde jaculis niveis feriuntur. Talis Paulo ludus erant quotidianæ afflictiones, quibus impetebatur. Talis mirabili illi Danieli Stylitæ, pœnitentiæ causâ anno Domini 460. stanti in columna, asperrima hyemis tempestas, in qua sævientibus ventis & nivibus condensis penè in glaciem concretus, habitu à ventis excusso stetit immotus; cumque in tertium diem cessante tempestate, ejus discipuli scalis admotis ad ipsum ascendissent, quasi dormientem repererunt; quibus ipse: *Cur mihi negotium facessitis & suaviter dormientem vexatis? Dum enim jam precarer accidit ut parum dormitarem.* Sur. 11. Decemb. in ejus vita. Talis etiam ludus erat densa nix B.P.Francisco Borgiæ, qui ex Duce Gandiæ societatem nostram ingressus. *Pinciâ aliquando serius egressus, moraq; in itinere injectâ, Septimancâ intempesta nocte, altero indè lapide dissitam, accessit. Fores Collegii pulsat, multa tum cœlo nix decidebat: frustra tamen ad alteram noctis vigiliam, captis arctissimo somno Sociis, exspectat dum fores paterent: domus enim longius à porta aberat. Tandem aliquando intromissus, tantum abest ut molestè moram cœlique intemperiem tulerit, ut magnum exindè fructum pietatis reportarit. Credo equidem, ajebat, ut Princeps ferâ stimulis & arundine in arena & venatione agitatâ, summam capit voluptatem: sic Deum, me feris ipsis nihilo meliorem, mollibus dum petiit nivium globis, hodie delectatum: qui tamen non me læderent, sed urgerent atque impellerent. Sic enim Vates ait: Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Ita auctor vitæ ejus.

Habemus igitur virgam tribulationis inter bona Dei non minima numerandam esse. Quare sicut boni filii virgam exosculantur, postquam à parentibus castigati sunt: ita decet facere bonos & morigeros Dei filios, cùm tribulatione aliqua tanguntur. Ea enim non tam virga quàm regium Assueri sceptrum est, gratiam & benevolentiam Dei denuncians, idcoque pronis labiis deosculandum & instar pretiosi talenti grato animo acceptandum.

THEMA IV.

Quis fidelis Dei servus.

I. *Qui bona Domini sui administrat tanquam h[...]*
rilia.
II. *Qui res Domini sui fideliter custodit.*
III. *Qui bona Domini fideliter dispensat.*
IV. *Qui herum suum non magis quàm Deum [...]*
met.

Euge serve bone & fidelis, quia super pa[...]
ca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Matth. 25.

NOn caret admiratione, quod Deuter. 15. leg[...]
mus, præceptum fuisse à Deo, ut servo H[...]
bræo, qui cùm septimo anno liber esse posset, am[...]
re tamen domini sui manere apud ipsum mall[...]
auris perforaretur subulâ ad ostium herilis domi[...]
sicque servus esset perpetuus. Ego sanè arbitror, s[...]
vum istiusmodi debuisse esse domino admodu[...]
fidelem, sed interim opinor raros fuisse tales, q[...]
paterentur aurem perforari. Præclarissima dos s[...]
vi est, si qua ulla, fidelitas erga herum, expet[...]
ab omnibus dominis, quam etiam in servis De[...]
requirit in hodierno Evangelio, ubi non nisi s[...]
vo bono & fideli promittit mercedem. At verò u[...]
servi tales? certè ipse Dominus paulò antè, Ma[...]
thæi videlicet 24. dixit: *Quis, putas, est fidelis s[...]*
vus? In quæ verba Titus Bostrenus in Luc. cap. 1[...]
ait: *Non ignorans dixit: quis putas, est? sed ut, qu[...]*
rarum est, & multo honore dignum, demonstrar[...]
Similiter loquitur Apostolus 1. Corinth. 4. *Iam nu[...]*
quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveni[...]
tur. Nec non Sapiens Prov. 20. *Virum fidelem qu[...]*
inveniet? Et Eccles. cap. 33 *Si est tibi servus fidelis, [...]*
tibi quasi anima tua. Docuit nos non ita pridem
Martinus, quomodo boni Dei servi esse debeamu[...]
Docebit nunc S. Nicolaus, quomodo fideles serv[...]
esse nos oporteat.

I. *Quis, putas, est fidelis servus?* Respondet Theo[...]
phylactus in 1. Corinth. 4. *qui bona domini sui adm[...]*
nistrat tanquam herilia, non tanquam sua. S. Berna[...]
dus verò serm. 13. in Cant. *Fidelis reverà famul[...]*
es, si de multa gloria domini tui transeunte per te, n[...]
hil tuis manibus adhærere contingat. Fidelis huju[...]
modi servus fuit Joab domino suo Davidi, heroic[...]
planè exemplo. Cùm enim civitatem Rabbath ci[...]
cumdedisset, jamjam occupandam, misit ad Dav[...]
dem, ut ipse cum reliquo milite veniens obsider[...]
& caperet civitatem: *Ne, inquit, cùm à me vastat[...]*
fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria. 2. Re[...]
12. Parem fidelitatem nos debemus Deo, ut in co[...]
versione animarum & omni bono opere dicam[...]

semp[...]

semper illud Psalm. 113. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Typus hujus fidelitatis est Joseph, quando serviens Pharaoni omnem pecuniam, comparatam ex frumento Regis, reposuit in ærarium, non suum, sed Regis. Gen. 47. Deinde cùm serviens Putiphari, & sollicitatus ab ejus conjuge, restitit fortiter, eo motus argumento, quòd omnia ei dominus in fidem commisisset, præter conjugem suam Gen. 39. At verò Deus quoque nobis commisit bona sua, ad usum nostrum applicanda; solam gloriam sibi reservari voluit. Ita enim ait Isaiæ 48. *Gloriam meam alteri non dabo.* Et jure, quia ut Apostolus ad Rom 11. ait: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso* (Græcè *in ipsum*) *sunt omnia*, subditque: *ipsi gloria in sæcula.* Ex ipso, quia Deus est causa movens, ad benè agendum, & dans velut fons omne bonum. Per ipsum, quia adjuvat operantes, & cooperatur cum illis, sine quo nihil posset. In ipso seu in ipsum, quia omnia fecit propter se & gloriam suam, ut in ipsum ultimatè omnia redeant; sicut flumina in mare, unde & exeunt. Ferrum ignitum vim urendi & splendendi non sibi, sed igni attribuere debet; ita & homo, quidquid agit, vel habet; Deo, à quo habet omnia, non sibi tribuat necesse est. Separetur ignis à ferro; quid uret? quomodo splendebit? frigidum & nigrum remanebit: sic absque Deo homo nihil potest, nihil habet. Agnovit hoc B. Job, quando cap. 31. dixit: *Si osculatus sum manum meam ore meo! quæ est iniquitas maxima*, hoc est, si manui & industriæ meæ attribui prosperos successus; Alexander Tyrannus hastam suam, qua Poliphranem occidit coronis ornavit, & quasi Deum sacrificiis coluit, apud Plut. in Pelopida Non sic David gladium quo Goliatho caput amputavit. Nam Deo illum consecravit, cujus ope se victorem agnovit 1. Reg. 21. S. Nicolaus ne gloriam Deo debitam sibi raperet, eleëmosynam suam in domum pauperis noctu injecit, & fugit; sed ultima vice deprehensus, seriò cavit, ne dum viveret, res publicaretur. Idem cum à nautis in tempestate invocatus, eis absens licet succurrisset, & ad clavum sedisset, illique posteà Myram pergentes, ei gratias agerent, respondit: *Date Deo gloriam filii. Ego peccator sum & servus inutilis.* Ut habet Ribadeneira in ejus vita. Sed ex orbe novo exemplum audiamus. Ex provincia Goæ & missione Magor scripsit P. Hieronymus. Majorica anno 1610. fuisse ibi principem quendam nomine Mirzam, qui fame grassante distribuit eleëmosynas largas in pauperes, per manum opulenti alicujus Ethnici. Causam interpellatus dedit, quòd in ea civitate Christiani omnes essent pauperes; quare mox palam fieret se auctorem eleëmosynæ esse, si eam per illorum unum distribueret. At si per opulentum barbarum id fiat, adscripturum populum liberalitati barbari. Qualis & quam sancta adinventio! Ex annuis Romę impressis anno 1627.

II. *Quis, putas, est fidelis servus?* Qui res domini sui, honorem & vitam fideliter custodit & servat; siquidem servus à servando dictus est, quòd rem Domini servet; non secus ac canis herum ejusque domum. Unde Isaiæ cap. 56. reprehendit Deus pastores Hebræorum, quòd non latrent in peccatores: *Canes muti*, inquit, *non valentes latrare.* Olim etiam miles, qui non vigilasset, & servus, qui non custodisset dominum suum, canem in humeris circumferre cogebatur; ut à canibus videl. redargutus confunderetur. Majol. tom. 4. Fidelis erat Abisai, servus seu miles Davidis, qui audiens impium Semei maledicentem Davidi, ferre id non valens: *Quare*, inquit, *maledicit hic canis mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput ejus.* Quasi licentiam ad hoc à Rege petens. 2. Reg. 16. Vicissim ipse David exprobravit Abneri principi militiæ Saulis, quòd suum dominum non custodierit; cui ipse dormienti abstulisset scyphum & hastam: *Nunquid non vir tu es? & quis alius tui similis in Israel? quare ergo non custodisti dominum tuum Regem? Ingressus est enim unus de turbâ, ut interficeret Regem, dominum tuum.* 1. Reg. 26. Quasi diceret, mulierem te potius, quam virum præbuisti, qui domini tui honorem & vitam non custodisti. Quid diceremus de servo, qui videns domum heri sui à malevolis inflammatam ardere, incēdium restinguere non curaret, aquam non afferret, opem vicinorum non imploraret? Quando Valens Imp. Arianus Catholicos vexare & ejicere, Arianos autem introducere & promovere in Ecclesiam cœpit, Aphraates monachus senex & incurvus eo intellecto ex eremo egressus, Antiochiam ivit: ut huic malo occurreret. Visus à Valente & interrogatus, cur non intra cellam suam maneret? respondit: *Dic mihi quæso Imp si filia alicujus essem, & sederem in conclavi abscondita, ut ædes patris curarem, atque adeò cernerem flammam in eas incidisse, ædesq; paternas jam conflagrare, quid me facere oporteat? intus nè manere, & ædes incensas negligere? an relicto conclavi sursum deorsumque cursitare & aquam afferre, quâ flammam extinguerem? Atque hoc ipsum nos agimus Imp. Etenim cum tu jam in patris nostri ædes flammam injeceris, nos circumcursitamus, quò eam maturè possimus extinguere.* Quæ cùm locutus esset Aphraates, Imperator ei interminatus conticuit. Theodoretus libro 4. c. 26. Quoties videmus honorem Dei ejusq; Ecclesiæ violari publicis peccatis cogitemus flammam injici in domum Patris & Domini nostri. Ergo si filii, si servi Dei sumus, conemur ignem extinguere, incendiarios repellere ac compescere. Non simus sicut ignavi, qui domorum incendia stantes aspiciunt, eò quòd illæ domus nihil ad se spectent, sed *prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere. Tamen si amicus est admoneatur leniter; uxor est, severissimè refrenetur; ancilla est, & verberibus compescatur*, inquit S. August. in tract. 10. in Joann. Arsit hoc zelo sanctus Nicolaus, qui Licinio per decretū Myrensibus Christianis pietatem inhibente, omniaque tormenta minitante, & Ecclesiæ ignem injiciente, nihilo seciùs ac priùs res Christianorum defendere & Dei cultum liberâ voce prædicare perrexit;

Sui fideliter custodit.

rexit; etiam postquam ea propter comprehensus & in carcerem missus fuit. Unde tamen non ita multò pòst, sublata per Constantinum M. Licinii victorem & imperii successorem, persecutione, restitutus est Myrensibus. Habuit etiam viros prudentes, qui de puplicis peccatis populi sui eum admonerent, ut ea corrigere posset. Ribad. in ejus vita.

III. *Qui bona Domini sui fideliter dispensat.*

III. *Quis, putas, est fidelis servus?* qui bona domini sui, quando & quibus debet, fideliter dispensat. Hoc enim ipse Dominus indicat, cùm addit: *Quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram.* Matth. 24. subditque: *Si autem servus malus manducet & bibat cum ebriosis, &c. veniet dominus servi illius & dividet eum, &c.* Ubi indicat malum dispensatorem esse servum illum, qui in luxum & ebrietatem bona sua expendit; ut observat S. Chrysostomus homilia 34. ad pop. *Plura in impensas inutiles expendis, in convivia, & ebrietatem & extremam prodigalitatem: nunc quidem vocans, nunc verò vocantem sequens: nunc quidem expendens nunc autem alios cogens expendere, ut & duplex tibi fiat ultio ex his, quæ ipse facis, & ex his, ad quæ cæteros inducis. Et hoc enim servo vid. vitio datum. Ait enim: comedit & bibit cum ebriis, &c.* Quid dicerent parentes, si filio in exteram regionem studiorum gratiâ misso, magnam pecuniarum summam mitterent, ille verò eas expenderet in convivia, aleas, chartifolia, gladios, sclopos, crepundia? Sed neque illi fideles dispensatores sunt, qui in divites sunt profusi, in egẽtes verò parci. Si enim Sigismundo Imp. hoc vitio datum, multo magis id reprehendet in servis suis Deus. Ille iter faciens, torrentem equo trajiciebat. Equus consistens mejere cœpit. Tum quidam aulicorum; Cæsaris equum, naturam Cæsaris habere palam asseruit, causam rogatus, *quoniam*, inquit, *equus aquam torrenti addit, Cæsar habentibus dat.* Carion lib. 3. Chronici. Non ita S. Nicolaus, qui opes sibi à parentibus relictas distribuit in egentes solùm & quidem tales, quorum & animas & corpora servaret, uti patet in trium sororum dote; in se parcus, in pauperes profusus; ac quod mirum est, auctus dignitate Episcopali, non auxit pompam sed minuit. Erat ei vestis vilior quam anteà, semel in die, nullis tamen carnibus vescebatur. Dicebat enim; ô *Nicolae, dignitas hæc aliam vitam postulat, hucusque tibi vixisti, nunc aliis etiam vivendum est.* Ribad. in vita.

IV. *Qui herũ suum non magis quã*

IV. *Quis putas, est fidelis servus?* Qui herum suum non magis quam Deum timet, sed delinquentem vel errantem admonere & corrigere audet. Ita respondit Fridericus III. Imp. interrogatus, quos aulicos charissimos haberet? *Qui me non magis quàm Deum timent,* inquit. Æn. Sylvius libro 4 Panorm. Alioquin enim nec Deum amant, nec h... rum. Quòd si vitam & honorem heri sui servare s... vus tenetur, quantum in ipso est; utique tenetur ... iam ab errore eum revocare. Certè si herus malè ... ctus sederet in theatro in sui derisionem, nonne ... re merito objurgaret servum velut infidelem, qui ... videns, ipsum non moneret? Sed et aliquando in a... ctione Philippus Macedo Rex, parùm decorè ve... tus; vidit hoc unus è servis, qui vendebantur; & ... aurem ei indicavit, dicens: *Dimitte chlamyd... aliquantulùm, nam ad istum modum indecente... des.* Tantùm hoc Philippo placuit, ut servum n... modò liberum esse voluerit, sed etiam pro vero ... mico habuerit. Plut. in Apopht. Si indecoræ sess... nis admonitio verum prodidit amicum, quid ... correctio gravissimorum errorum? Augustus C... sar, cùm aliquando jus diceret, adessetque Mæ... nas, nobilis Eques Romanus, Augusto charus: ... dens hic eum multos condemnaturum, cùm ... multitudine accedere nequaquam posset, ad e... scripsit in hæc verba: *Tandem surge Carnifex:* Q... verba posteaquam Cæsar perlegit, à tant... mico admonitus, statim surrexit. Dion Cassiu... Augusto. Viderint hic officiales & consiliarii pr... cipum, qui graves eorum errores corrigere non ... dent. Quòd si Gentiles isti displicent, videant Ni... luum, qui primò tres cives innocentes ad nec... ductos advolans eripuit, carnifici gladium ext... quendo, judicem acerrimè increpando. Dei... Constantinum M. tres tribunos morte, contra fa... æquum per errorem condemnantem noctu e... què ac Ablavio Præfecto, cujus consilio seduc... Imperator eos damnaverat, apparens, magna li... tate corripuit, & à sententiâ deterruit, minas ei ... intentans atque interitum. Nec solùm paruit ... perator, sed etiam munera per eos templo Myrn... ad Nicolaum misit, ut in ejus vita. Non dico tam ... dacter corrigendos à subditis principes, sicut M... cenas fecit, sed modestè, quo modo servi Naa... principis illius 4. Reg. 5. monuerunt dominum ... um, ut ne sperneret consilium Elisæi. *Pater,* inq... unt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè ... cere debueras.* Quo fidelissimo monito, hero ... auctores fuerunt, ut à leprâ sanaretur. Nos ig... qui servi Dei sumus, & esse volumus, demus o... ram, ut *fideles* servi simus. Non deseramus Do... num nostrum, sed affigamus potiùs nos ad osti... domus ejus, & dicamus: *in umbra tua viven...* Thren. 4. quia meliorem dominum reperire n... quam possumus, Audiamus promissam nobis m... cedem: *Esto fidelis usque ad mortem, & dab... tibi coronam vitæ.*

THEMA V.

Quid non imponere debeant liberis parentes.

I. Non prava exempla.
II. Non blandimenta noxia.
III. Non vinolentiam.
IV. Non saltus & choreas.
V. Non austeritatem nimiam.

Vocavit servos suos & tradidit illis bona sua. Matth, 25.

MOris est ut parentes hoc die comparent liberis suis varia munuscula, & de nocte imponant sub titulo S. Nicolai. Benè est, si bona non mala eis comparent. Si enim Dominus in hod. Evangelio servis suis tradidit bona sua; quantò magis pater debet bona & non mala dare filiis suis? Sic etiam Dominus Lucæ 11. *Qui ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Id quod tamen sæpe faciunt parentes, de quo S. Chrysost. hom. 20. Op. Imperf. queritur dicens: *Desiderant illos* (parentes filios) *valere in sæculo isto, & non curant, quid passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident, alii honores, & nemo filiis suis providet Deum; perditionem illorum cum magno pretio comparant, & salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes tristantur & suspirant, si autẽ viderint illos peccantes, nemo tristatur: ut ostendant quia corporis sunt parentes & non animarum.* Ita Chrysostomus. At verò nonne indignum & gravi supplicio dignum est, si parentes & quidem Christiani salutem liberorum negligant, & insuper perniciem eis struant, faciantque ut ait Dominus Matth. 23 *filios gehennæ?* Nonne unà se cum ipsis præcipitant in gehennam? Quare operæ pretium est, videre saltem, quid non dare liberis debeant; quid emere non debeant.

I. Non emant neque imponant eis turpes imagines, h. e. mala exempla, quibus pervertantur. Solent enim liberi observare mores parentum, idque rectum existimare ac pulchrum, quod vident à parentibus fieri, unde id imitantur. Exemplum ejus rei refert Ælianus lib. 13. var. hist. cap. 2. de Macareo, sacrificulo Gentili impiissimo, qui ob depositam pecuniam hominem in templo interfecit, & in loco depositi clam ibi sepelivit. Post eo absente duo ejus filii domi relicti patris immolationem imitari conati sunt, accedentes ad aram paternam. Ardentibus adhuc sacris junior collum præbebat, adultior verò, cùm invenisset temerè positum alicubi ensem, fratrem ceu victimam mactavit. Familia conspecto facinore vociferata est: mater audito clamore exsiliit, vidensque trucidatum filium alterum, alterum ensem recenti sanguine conspersum manu tenentem, arrepto ex altari torre, superstitem filium interfecit. Allatus est hujus rei nuntius ad Macareum, qui furibundus in ædes insiliit, & hastà seu thyrso, quem tenebat, uxorem interemit. Ipse demum evulgato scelere, tormentis subjectus, confessus est quæ in templo quondam perpetrârat; in ipsis verò quæstionibus vitam amisit. En quanta mala ex malo parentis exemplo. Qui pecuniam adulterat, imprimendo cupreæ v.g. monetæ effigiem Imperatoris aut alterius principis, capitali pœnæ subjicitur. At hoc faciunt parentes, dum peccatis suis speciem honestatis imprimunt, ut ea imitentur filii. Qui Idolum in altare ponit, ab aliis adorandum; quid non merebitur? (uti Jeroboam, cùm in scandalum Hebræorum proposuit vitulos aureos, ipsis adorandos.) Parentes istud faciunt, cùm liberis suis prava dant exempla: cùm blasphemant, inebriantur, lasciviunt. Imitentur saltem avem illam, quam veteres *Iustam* nuncupârunt, ea fortè de causâ quòd sua abscondat excrementa; ne iis, quia novit perniciosa, quisquam inficiatur. apud Photium in Biblio. Cautè saltem vivant, si castè non volunt: memores ejus, quam Christus protulit, terribilis sententiæ: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.*

II. Non glycyrrhizam (Süßholtz) hoc est, blandimenta noxia. Ita monet Eccl. cap. 30. *Lacta filium & paventem te faciet: lude cum eo & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.* Glycyrrhiza juxta novellas oleas sata, obest illis. At filii Psal. 127. comparantur novellis oleis: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Ratio: quia sicut olivæ, ut oleum dent, immaturæ decerpi & premi debent, teste Plinio libro 15. capite 3. uti maturuerint, non dant amplius oleum, ita liberi à tenerâ ætate premendi & curvandi sunt, ut oleum disciplinæ ab illis exprimatur: frustra est, cùm jam adoleverint. Ergo juxta has olivas glycyrrhiza non serenda, nimiæ indulgentiæ: Bitterholtz/ virga moderata salubrior ipsis est. Expertus est Heli, qui graviter delinquentes filios, nimis leniter reprehendit: *Nolite filii mei, non est bona fama, quam audio.* 1. Regum 2. *Oportebat eos post primam & secundam admonitionem, si perseverassent in nequitia, à templi ambitu expellere*, inquit Theodoretus quæst. 10. in eum locum. Propterea uterque filius eodem die in prælio est occisus, & pater accepto nuntio consternatus, cecidit è sellà retrorsum, & cervicem fregit. 1. Regum 4. David etiam quia non corripuit filios Amnon & Absolon, multa ab eis passus est; & ambo miserè perierunt. Amnonem ob incestum, quia contristare noluit, impegit in gladium Absolonis; Absolonem in lanceas Jacobi; Adoniam, quia *non corripuit aliquando*, in gladium Salomonis 3. Regum 1. In lectulo aut gremio matris mori-

II. Non blandimenta noxia.

moritur filius viduæ illius 3.Reg.17. In lectulo Eliæ vitæ austeræ viri resuscitatur.

III. *Non vinolentiam.*

III. Non vini poculum, hoc est, vini usum indiscretum. Ita monet Apostolus Titum Episcopum velut patrem juvenum spiritualem, ad Titum 2. *Iuvenes hortare, ut sobrii sint.* Perdunt enim aliàs eorum corpora & animas, ut ex eo patet, quòd filii Noë, qui vinum invenit adeoque posteris suis tradendo, quasi imposuit, plerique omnes ipso adhuc vivente per 350. annos, ad Idololatriam deflexerint, Deumque obliti gravissimas discordias & bella cõcitarint; non sine dolore & gemitu Noë, qui tamen à filiis suis jusjurandum exegerat, teste Epiphanio, de servando veri Dei cultu & mutuâ concordiâ, ut refert P. Cornelius à Lapide, Genes. 9. Cui malo vinum non minimam dedit causam, quia *vinum apostatare facit sapientes.* Eccl. 19. Et Exod. 33. *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, hoc est, vitulum adorare. Fuit inter Bohemos proceres Huldricus à Casa nova, qui liberos vix ablactatos ad usum vini generosissimi assuefecit. Causam rogatus à Friderico Imperatore: *Vt adulti facti*, ait, *securè & sine damno possint bibere, quantum volunt.* Cui Imp. *Sapis: hoc ipsum Mithridates fecit* (Hic enim à teneris veneni potioni sensim assuevit, ut deinceps à veneno nihil sentiret damni.) *At mihi*, inquit, *si filius aliquando fuerit, nec vinum oderit; ego ipsum oderim.* Refert Æn. Sylvius lib. 1. Comment. in Panorm.

Tr. Dom. 2. post Epiph. c. 7. B.

IV. *Non saltus & choreas.*

IV. Non tibiam, hoc est, saltationis studium. Ab hoc enim dehortatur tum filios tum parentes (illos ne exerceant, hos ne permittant) Job cap. 21. dicens: *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Proh, quam nefarius est saltus, qui ad infernum deducit! Sanè hoc evenit saltatrici illi Herodiadi, quæ postquam saltando Joannis Baptistæ caput obtinuisset, ad extremum suum quoque perdidit. Cùm enim brumali tempore fluvium glacie concretum transiret, rupta glacie in aquas collo tenus incidit, & ibidem in aquis saltus edidit; quemadmodum & caput ejus glacie resectum supra glaciem saltavit, ut scribit Nicephorus lib. 1. hist. cap. 20. Et Lucius Dexter in Chron. Anno Domini 34. qui addit, transisse eam Sicorim fluvium Ilerdæ. Nonne hæc saltatrix in puncto ad inferna descendit? Neque tamen illa juvenem aliquem manu in chorea ducebat: sola ipsa coram Herode saltabat. Parum igitur dicunt, qui saltus tanquam honestos sæpe excusant, quasi periculo careant, sed neque spectare securum est; siquidem is saltus etiam Herodis animum emollivit, ut contra rationem, imò & voluntatem suam quodammodò plecteret capite Joannem. Pastinacæ pisces tibiarum sonum audire & saltationes videre amant. Quare piscatores ad littus saltationem instruunt; ad tibias ergo illectos & littori appropinquantes; saltibusq; attendentes pisces retibus interim circumdant, teste Æliano l.1.c.56. Imò piscat in cymbâ, si pastinacam unam conspiciat, moxq tibiam inflans, in cymbâ saltare incipiat, illa m adnatat, aut ex profundo ad summum aquæ enat interim ab altero nassâ intercipitur, eodem aucto l.17.c.18. Non minus periculi habet choreas spect re, nisi quòd pastinacæ capiuntur ad culinam ta tùm, juvenes ad gehennam.

V. Non fustem, hoc est, non sævitiam & austetatem nimiam. Docet hoc Salvator in parabola la Lucæ 11. *Quis ex vobis patrem petit panem? nu quid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pi serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, nunqu porriget illi scorpionem?* Lapidem ei pro pane dat si victum necessarium neget; si aptos & cupido studiis litterarum & pietatis arceat. Serpentem p pisce, si eum linguâ maledicâ seu maledictis impi cationibus configat. Scorpionem pro ovo, si verb ribus non paterne sed hostiliter atq; immaniter t ctet aut laboribus opprimat. Civis quidam Medi lanensis filio unico mortis auctor fuit eâ ob causa Quem enim in tenera ætate non correxerat, pos adultum vidit rebus ludicris & inanibus addictu unde præter consuetudinem eum increpare cœp Filius correctionis inassuetus, adversus insolita p tris monita contumax, obtemperare noluit. I ter indignatus maledictis eum invadit dicens: *gredere è domo mea nequam, nunquam te videant culi mei, nisi in terram evectum; opto tibi, ut hoc gladio occumbas.* Filius velut furiis actus instar Ca patris consortium fugiens, in quendam debitor impegit, à quo importunè pecuniam exigens, e dem die percussus & occisus, atque in domum p tris illatus est. Ob quam causam pater velut amen capillos sibi evellere & seipsum flebiliter ... guere, velut parricidam; quòd filium prius neg ctum, post graviùs objurgatum & diris devotu in desperationem & mortem impegisset. Ivo M gistri in Theatro Exempl. tit. 86. para. 5. Quare b nè monuit S. Paulus ad Eph. 6. *Et vos Patres no te ad iracundiam provocare filios vestros.* Nesciu enim sana consilia sibi dare juvenes, maximè cù perturbatæ mentis sunt & in præceps ruunt. D nique Scorpionem pro ovo dant, qui adigunt a inclinant liberos ad certum vitæ statum contra e rum voluntatem. In Manaria quadam Insula sanct Maclovius dictus Machutes, invenit hominem g gantea statura, in tumulo quodam sepultum, qui vitam ab eo resuscitatus dixit se à parentibus, pa tim imperiis impulsum, ut de scopulo quodam more patrio à Sacrificulis ad honorem Thyrmæ, doli sui, excogitato, in imum se præcipitaret. Ho norius Philopon. in nova navig. Ind. Occid. ann 1492. Nihil aliud agunt parentes, quando liberos suos impellunt invitos in periculosum ipsis statum In scopulum enim honoris primùm, deinde ex ho impellunt in mortis præcipitium. Quid igitur ad ex tremum eis imponendum? piscis fidei, ovum spei panis charitatis. Ita S. Sophia matrona Romana tre filia

filias suas, Fidem, Spem, Charitatem vocatas ad martyrium armavit iisdem virtutibus, à quibus nomina acceperant, & promovit ad victoriam. Metaphrastes apud Sur. 1. Aug. Has etiam imposuit filio suo Tobias; Fidem, cùm ait; *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Spem, cùm dixit: *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Charitatem, cùm ait: *Cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dom. n. tui.* Tobiæ 4. Hi sunt tres aurei illi globi, quos præferre manu solet sanctus Nicolaus; tria aurea talenta, quibus vos parentes ditare potestis liberos vestros, ut simul cum ipsis vos quoque omnibus ac veris divitiis circumfluatis in cœlis.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

THEMATA.

Genealogia Christi effigies.
I. *Genealogia Christi ludo Latrunculorum similis.*
II. *B. Virgo castitatis, humilitatis & paupertatis Magistra*
V. *Qualis sit hic liber generationis Christi.*
. *B. Virgo Lunæ comparatur*

THEMA I.

Genealogiæ Christi effigies.

Est Scala Jacob.
I. *Est templum Salomonis.*
II. *Est cœmiterium plenum ossibus.*
V. *Est horologium artificiosum.*

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 5.

Reperiuntur imagines incisæ ex arte opticâ, quæ in chartâ conspectæ nullam ullius rei speciem exhibent, & crederes esse meras trabes ex ruinâ collapsæ domus sine ordine jacentes. Verùm si eis speculum concavum opponas, repentè assurgent in effigies varias, hæc palatii, illa horti, alia templi, alia campi, alia aciei. Talis mihi videtur hodierna Genealogia, quæ primo aspectu mera proavorum Christi nomina, adeoque domum & familiam ejus jam dudum collapsam ostendit: sed si speculum considerationis ei opponamus, varias variarum rerum videbimus picturas; & inprimis aliquid, quod ad splendorem familiæ Christi spectat; sed multò plura, quæ ad depressionem nostram; miserias & vanitatem generis humani. Quia ergo conceptio Deiparæ, per singulare privilegium immaculata, nos admonet acceptionis nostræ maculatæ & calamitosæ, eaque nobis belle satis repræsentatur in hac Genealogia, inspiciamus eam.

I. Ecce tibi scalam Jacob Genesis 28. cujus duo latera sunt Abraham & David, velut principes, quibus promissus in specie Christus: gradus infimus est Adam: medii, cæteri Patres: supremus seu cacumen tangens cœlum, est sanctus Joseph cum beata Virgine. Huic ergo scalæ debemus (post Deum) descensum tribuere Dei ad nos, & nostri ad Deum. Ipsa enim deficiente, ubi reperisses Virginem cœlo tam conjunctam? voto virginitatis obstrictam? tot virtutum stellis coruscam? ab omni terrena labe tam puram ac remotam? ubi domus alia Deo tam digna? Ergo huic scalæ innititur Deus, quia inde ortus Christus. Per eam ascendunt & descendunt Angeli; quia familia ejus modo ad pastoritiam depressa est in Jesse, modò ad regiam dignitatem evecta in Davide, modò rursum inclinata in Josepho ejusq; parentibus. Apparet ergo verum esse, quod Plato dixit, neminem non Regem è servis, & neminem non servum è Regibus ortum esse. Videre est Oenipontí rythmum Curiæ inscriptum: (Da Adam hackt vnd Eva spann / wo war alsdann ein Edelmann?) Cui versiculo Maximilianus Oeniponti Princeps, se quoque eo carmine tangi advertens subscripsit: (Ich bin ein Mann / wie ein anderer Mann: Allein mir Gott der Ehren gann.) Unde patet à Deo hominum generationes dirigi, jam deprimi, jam exaltari, ut ne summi infimos despiciant atque insolescant: & ut infimi summos venerentur tanquam à Deo exaltatos ad digniorem statum. Hinc Satyricus: *Dii sicut pilas habent homines.* q. d. jam in altū sustollunt, jam ad terram allidunt. Et Isa c. 22. de Sobna Præposito templi superbia inflato: *Sicut pilam mittet te in terram latam.* Et paulò antè: *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus,* scilicet in Assyriam, quasi in forum, ut vēdaris; quia domi tuæ, veluti gallus in fimeto suo, triumphabas, & omnes spernebas. Apparet id factū in Græcia & Ungaria, quæ hodie Turcis subjecta: ubi omnes nobiles defecerunt, &, ut scribit Auger. Busbequius in legatione sua, vendūtur nobiles viri ac fœminæ decora specie à Turcis in servitutē, nullaq; habetur ratio nobilitatis, sed militiæ tantùm. Rursum ex hac scala alii ascenderunt ad cœlum, alii deci-

I. *Est scala Jacob.*

deciderunt, & deſcenderunt ad infernum; tametſi de progenie Chriſti forent. Adeò nullus locus ſecurus extra cœlum; & fidenter dico: ſi etiam ipſa B. Virgo peccaſſet, cecidiſſet ex hac ſcala. Unde patet nihil ſub Sole terribilius eſſe quam peccatum, ut ſcribit S. Chryſoſtomus pluribus in locis.

II. *Eſt templum Salomonis.*

II. Ecce tibi templum Jeroſolymitanum. Nam primò ante fores templi erant duæ columnæ Jachin & Booz (hoc eſt firmitas & fortitudo) deſignantes duos primarios patres Chriſti, David & Abraham, firmiſſima fide Meſſiæ ſibi promiſſi præditos. His impoſitum erat lilium, quo deſignabatur Chriſtus, eorum filius, qui eſt *lilium convallium* (Cant. 2.) ob depreſſam in ejus parentibus ſtirpem, in quâ velut in convalle natus & educatus fuit. In templo erant vaſa varia, menſæ & candelabra aurea, quales hîc Patriarchæ & Reges: alia minora & ignobiliora; uti emunctoria; quales alii obſcuriores Chriſti progenitores; ut ſciamus in Eccleſia Chriſti varios eſſe ſtatus, ipſi ſervientes & gratos, ſublimes & humiles, nullumq; ab ipſius amicitia excludi, qui ſe in vocatione & ſtatu ſuo benè geſſerit. Sicut à in Comœdia non laudantur illi, qui Regum vel Pontificum; nec vituperantur qui ruſticorum aut mendicorum perſonas egerint; ſed qui ſuas optimè qualeſcunq; tandem. Ad extremum templi locum erat Sanctum ſanctorum, in quo erat Arca ex lignis Setim, auro undique obducta; juxta quam ſtabant duo Cherubim, expandentes alas, ſuper eam: ſuper Arcam erat Propitiatorium, h. e. tabula ſeu operculum arcæ totum aureum, de quo reddebat Deus oracula per Angelum. Arca eſt Deipara, juxta Divum Bernardum ſermone de Deip. Propitiatorium Chriſtus; qui eſt *propitiatio noſtra*, Rom. 3. Duo Cherubim juxta arcam, ſunt duo cuſtodes Deiparæ, Joſeph, eoque mortuo Joannes. Lapides huius templi ſunt varii progenitores Chriſti, ſublimes olim plerique, nunc autem omnes collapſi, quemadmodum & lapides templi Salomonis. Ubi enim nunc Patriarchę illi, Reges, Duces? ruerunt omnes. Marci 13. cap. unus diſcipulorum monſtrat Chriſto templum: *Magiſter aſpice quales lapides; & quales ſtructuræ?* Cui Chriſtus: *Vides, has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Qualis lapis Abraham, David, Salomon, Joſias, Joſaphat, Ezechias? Omnes hi jam collapſi ſunt. Non juvit Abrahamum Dei familiaritas, non Davidem bellicoſitas, non Salomonem Sapientia, non Joſiam innocentia, non Joſaphatum ſanctitas, non Ezechiam opes. Mirabantur olim homines Salomonis aulam, divitias, delitias, ſapientiam; ita ut Regina Saba longiſſimo itinere venerit ad videndum & audiendum eum. Et ubi nunc illa pompa aulica? nuſquam. Ubi horti? cantores? currus? equi? nuſquam. Ubi illi pavones, ſimiæ, ebur, aurum, ultra maria advecta? nuſquam. Non eſt lapis ſuper lapidem. Et quis jam æſtimat vel caſſa nuce pompam Salomonis? quanti jam æſtimaret ipſe Salomon?

III. III. Ecce tibi cœmiterium, plenum ſepulchris & oſſibus mortuorum. Vides enim hîc in uno qui campo jacere promiſcuè Reges, Duces, opilion[...], fabros, per mortem omnes côplanatos. Cùm viverent illi omnes, magnum inter eos diſcrimen er[...]: Unus ſedebat in regio throno, uti v. g. Salomon; q[...] alius pauper, v. g. S. Joſephus, ne propè quidem [...]cedere auſus fuiſſet: unus in curru & palatio, al[...] in terra & tugurio: unus in auro & gemmis, al[...] in centone ingrediebatur. Nunc omnes pares fa[...], jacent in oſſium congerie, nec alter ab altero [...]gnoſcitur. In exercitu Sennacherib erant 1850[...] milites, in acie ſtantes, diverſorum ordinum & o[...]ciorum: at ubi Angelus una nocte omnes interei[...]t & quidem ſecundum Hieron. & Hebræorum tra[...]tionem, igne quodam interno combuſſit atq; in[...]neres redegit (quod Iſaias c. 10. inſinuat illis verb[...]: *Succenſa ardebit quaſi combuſtio ignis*) poſtero ma[...]e omnes reperti ſunt ęquales, utpote in cinerem re[...]cti, 4. Reg. 19. Benè ergo Alphonſus Rex Arago[...] interrogatus: quæ res principes ac privatos, divi[...]s ac pauperes exæquaret: *cinis*, reſpondit. apud [...] norm. l. 4. de geſt. ejus. Eccur ergo inflatur unus [...] verſus alium? *Quid ſervo? quid Duci? quid Regi? q[...] clienti iraſceris?* ait Seneca lib. 3. de irâ. *Suſtine pa[...]lùm: veniet ecce mors, quæ nos pares faciet.*

IV. Ecce tibi horologium quoddam artifici[...]ſum, quale cernitur in quibuſdam Imperialibus [...]vitatibus & alibi, ubi ſonante horâ prodit cho[...]s Regum, Imperatorum, Principum ex una porta, [...] in gyrum circumeunt, ac ſe obiter ſpectandos pr[...]bent, mox per aliam portam rurſum ingrediunt[...]; ſeq; abſcondunt. Pulchre hoc inſinuat Matthæus [...] Lucas. Ille enim deſcribit Genealogiam Chriſti v[...]bo *genuit*: hic verò verbo *fuit*. Ille ergo introdu[...] eam in mundum, iſte rurſum educit. Talis eſt vi[...] noſtra: gyrus eſt è tenebris in lucem, & rurſum [...] luce in tenebras: hominem ad ſpectandum prod[...]cens, & mox iterum ſubducens. Quod inſinua[...] quidam Philoſophus rogatus; quid eſſet homo: v[...]tit enim ſe in gyrum, quaſi diceret: una rotatio[...] alius, qui ſe paulùm conſpiciendum dedit, mo[...] conſpectu hominum ſubduxit. Rudolph. Agric[...] lib. 1. Invent. Quibus accedit Seneca dicens ep. [...] *Hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte divi[...]mus: mox ut in vitam ingredimur, ſtatim alia por[...] exire incipimus.* Quod ſi hoc modo non agnoſc[...]mus, agnoſcemus certè in morte & æternitate. A[...]diamus teſtes ex altero ſæculo Sap. 5. *Quid nobis pr[...]fuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contu[...] nobis? tranſierũt omnia illa tanquam umbra, & ta[...]quam nuntius velociter percurrens, tanquam nav[...]* avis, ſagitta; *ſic & nos nati continuò deſivimus eſ[...]* Sed quomodo, inquies, hæc vera ſunt? nimiru[...] ſicut nos nihili æſtimamus vitam ſcarabæi, qui un[...] tantùm menſe vivit, vel ephemerorum, ad fluviu[...] Hypanim, vel piſcium qui *dies* vocantur, qu[...] unicum diem vivunt: ſic qui in altero ſæculo [...] æternitate ſunt, nihil æſtimant vitam noſtram 60 aut 70. vel etiam mille annorum. Et quanti nos jan[...] æſti

estimamus vitam patrum illorum? nihili. Vixit Abraham 175. annis, Isaac 180. Jacob 147. sed illi nni nobis jam quasi somnium sunt. Vita ergo hominum, maximè Regum est quasi comœdia, uti dit Ferdinandus II. piissimæ memoriæ Imperator, nqua Regum variæ personæ prodeunt in theaum, mox ubi spectatæ, & aliquid prolocutæ fuent, per aliam portam ingrediuntur & personas as exuunt: cùm hoc solo discrimine, quòd illæ ad aucas horas, veri Reges ad paucos annos spectanr. Bene etiam quidam Optimatum Eduini Res Anglorum, dum de Regis baptismo, & gentis onversione agebatur, consultus ajebat, videri sibi ræsentem hominum vitam similem passeri, qui empore brumali in cænaculum Regis calefactum, ege ad mensam sedente, involaret & celerrimo olatu per adversam cænaculi januam iterum evoret ad priorem brumam; qui eo quidem tempore, uo per cænaculum volaret, caloris aliquid ac nioris è cibis sentiret, pòst tamen immediatè iterum igore & fame cruciaretur. In vita S. Paulini Eiscopi Eboracensis 10. Oct. apud Surium & V. Beam l. 1. hist. Angl. Ita nimirum homines in hunc undum per januam nativitatis ingrediuntur, & i modicum aliquid fomenti ac refectionis perciiunt, præsertim in aulis Principum & mensis nolium: verùm celerrimè iterum per januam mortis grediuntur ad priorem egestatem & miseriam. Cùmque hæc ita sint, ut apertè monstrat hodierna Genealogia, nihilominùs tamen miseri mortales, elut stulti passerculi brevissimum hunc volatum; alorem ac nidorem tanta contentione ambiunt, oque inescantur, ut præ amore hujus momentaneæ blectatiunculæ obliviscantur & negligant æterna audia. Hypanis fons seu rivus, ad quem reperiunur ephemera illa, ut diximus per dies quinque fluns fundit aquam dulcem, sed exilem, posteà amaissimam & copiosam, Herodoto teste lib. 4. Sic viæ hujus tam brevis amatores exilem & brevissinam delectationem sectantur, nec curant amarissinas aquas æternum secuturas. Quando ergo vita ostra tam varia & inconstans, tam nihil supra comnunem cinerem habet, tamque citò evanescit, uid superest, nisi ut eò contendamus, ubi vita sine norte sineque miseria æternùm stabilis est?

THEMA II.

Genealogia Christi ludo latrunculorum similis.

Videtur in hoc mundo Deus ludere cum latrunculis.

II. Per obliquam tribulationum viam omnes pergere debent.

III. Tolluntur è medio, qui alteri temerè appropinquant.

III. Includuntur sæpe ignavi.

IV. Sæpe manent minores, subtractis majoribus.

V. Promoventur sensim inferiores, donec fiant reges.

VI. In fine omnes inter se æquantur.

Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Prov. 8.

Videtur in hoc mundo Deus ludere cum latrunculis.

CONsideranti mihi Genealogiam istam, videor mihi videre ludum quendam, seu potius tabulam lusoriam ludi, qui appellatur latrunculorum seu Quintanæ. Illic enim cernere est latrunculos aliquos altiori statura coronatos, velut Reges; alios mediocri velut equites; alios infima, velut rusticos aut milites gregarios: qui omnes inter se variè dimicant, & colludunt, atque insidias invicem ponunt. Ita enim in hac Genealogia alii sunt summi, uti Reges: alii medii, ut Judices & Patriarchæ: alii infimi, ut rustici, pastores & opifices: quorum omnium fortunam variè Deus vertit revertitque, ut meritò dicatur Prov. 8. ludere in hoc mundo & in eo ludo etiam delectari, ludereque *omni tempore*. Alios enim deponit, alios includit, alios promovet & exaltat, uti hic videbimus.

I. Per obliquam tribulationum viam omnes pergere debent.

I. In ludo illo omnes latrunculi per obliquas vias progredi & ascendere debent, si prædam capere, aut Reges fieri volunt: per rectam nemo ascendere potest. Ita etiam quotquot sunt in hac Genealogia, præsertim justi & sancti, per obliquas multarum tribulationum vias ad sanctitatem & gratiam ac denique ad gloriam pervenerunt. Videamus tantùm paucos & quidem maximos Dei amicos. Abraham nónne exire de terra & cognitione sua debuit, & abire in terram peregrinam? nónne ob urgentem famem peregrinari in Ægyptum? nónne ibi Saram conjugem charissimam vidit sibi ablatam à Rege Pharaone? nónne Agar uxorem, impulsu Saræ, domo ejicere & divortium ab ea facere coactus est? nónne Saram sterilem habuit usq; ad 100. ætatis suæ annum? nónne ei secundò ablata fuit Sara à Rege Abimelech? nónne rursum debuit ejicere domo Agar suam? nónne jussus fuit immolare filium suum Isaac dilectissimum? Isaac ejus filius innocentissimus nónne à parente ductus & ligatus ac super struem compositus fuit in victimam? nónne illusorem habuit Ismaëlem in pueritia? nónne totis 20. annis sterilem uxorem? nónne pro ejus sterilitate tollenda Deum constanter orare debuit? nónne & ipse propter famem ortam peregrinari in Palæstinam? nónne ibi à Palæstinis, invidentibus ei prosperitatem, plurima pati, & cum eis perpetuò de puteis contendere? nónne per 44. annos oculorum cæcitatem pertulit? Jacob verò quot ærumnas perpessus est? nónne fratrem Esau semper infestum habuit, eumque fugere, & quasi in exilium abire debuit? nónne pro uxoribus suis, 14. annis durissimè

ſervire, & oves paſcere? nónne perſecutionem à ſo-
cero Laban, objurgationem, aliaſque injurias per-
ferre? quantas filiorum delicta curas & anxietates
ipſi crearunt? quantùm eum afflixit immatura mors
Rachelis? quantum amiſſio Joſephi? Simeon in
carcere detentus? nónne ob famem jam decrepitus
proficiſci in Ægyptum patriamque deſerere coa-
ctus fuit? Demùm ipſe fatetur: *Dies peregrinationis
meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali.*
Gen. 47. Mali hoc eſt, miſeri, laborioſi, ærumnoſi.
Atqui dicet aliquis, nónne de ipſo dicitur. Sap. 10.
Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas? Ita eſt, ſed
ſciendum eſt, vias illas rectas fuiſſe ſecundum men-
tem Dei, non juxta ſenſum hominum. Rectæ enim
fuerunt, quia ad fœlicem finem recta & ſecurè eum
perduxerunt, tametſi aliàs obliquæ, h.e. multis ca-
lamitatibus plenæ erant: quæ ſi ærumnoſæ non fu-
iſſent, utique à Deo illum abduxiſſent. Idem de a-
liis juſtis Davide inprimis, & ſanctiſſimis conjugi-
bus, Joſeph & Maria oſtendi poteſt. Denique filii
Iſraël ad hoc indicandum nequaquam per viam re-
ctam & brevem, ſed per obliquam & anfractuoſam,
ſterilem & montoſam circumducti & inducti ſunt
in terram promiſſam: ut ſciamus, *quoniam per mul-
tas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,*
ut Paulus & Barnabas dixerunt Act. 14. Iter ex
Ægypto in Chanaan non eſt niſi decem dierum &
tamen 40. annis circumduxit Deus Iſraëlem per
deſertum, priuſquam introduceret in Chanaan:
quia ſi brevi illa via ducti fuiſſent, incidiſſent in
gladios Philiſtæorum. Exod. 13. Nimirum via re-
cta, quæ eſt proſperitatis, admodum periculoſa eſt,
& obnoxia plurimis ac graviſſimis tentationibus
quæ à paucis ſuperantur. Obliqua tribulationum ſe-
curior eſt.

II. *Tolluntur è medio qui alteri temerè appropinquant.*

II. In ludo illo tolluntur è medio latrunculi,
qui colluſoris latrunculis temerè appropinquant.
Ita in Genealogia iſta ſublati & expuncti ſunt, O-
chozias, Joas & Amaſias, tres Reges, poſteri Regis
Joram, qui pernicioſo & illicito matrimonio du-
xit Athaliam impiam & crudelem filiam impii A-
chab & Jezabelis, fœminæ Gentilis. Ochozias, à
Jehu, homine Gentili 4. Reg 6. Joas nepos à pro-
priis ſervis 4. Reg. 12. Amaſias pronepos itidem à
conjuratoribus interfectus eſt. 4. Reg. 14. Ecce quia
Joram per connubium, nimis utique propè junxit
ſe impiæ domui Achab & Jezabelis, ab impio &
idolorum cultore Jehu, & pòſt ab aliis ejus poſteri-
tas deleta eſt, uſque ad quartam generationem, ſci-
licet Oziam. Ita nimirum: Wer ſich miſcht vnter
de Klew / den freſſen die Säw. Ozias abnepos
Jorami, cùm elevatum eſſet cor ejus, ita ut non eru-
beſceret ſacerdotum officium arripere & adolere
incenſum in domo Domini, contradicente Azaria
ſacerdote, adeoque nimis appropiare Deo, illicò le-
pra in fronte tactus, moxque è templo & regno eje-
ctus, habitavit in ſeparata domo omnibus diebus
vitæ ſuæ; & filius ejus adminiſtravit pro eo regnum
2. par. 26. Præcepit Deus ut nemo appropinqua-
ret monti Sion, cùm promulgaret legem, ſub pœ[...]
mortis, Exod. 19. & Joſue, ne quis Arcæ. Joſ. 4. A[...]
propinquant Deo, qui ſibi adſcribunt, quæ à D[...]
habent & dicunt: *Manus noſtra excelſa, & non Dom[i-]
nus fecit hæc omnia.* Item qui ſe Eccleſiaſticis neg[o-]
tiis ingerunt, uti Juſtinianus Imper. ideo lapſus [...]
hæreſin; rurſum qui ſacerdotibus ſe æquipara[...]
uti nobilis ille Mulſer in Seveld Tyrolis qui ſacra[m]
hoſtiam, ſacerdotali parem, ſibi porrigi voluit, ide[...]
que cum terra ſubſidit, quia ſuprà terram ſeſe ex[al-]
tavit, ut alibi retulimus.

III. In illo ludo includuntur ſæpe latruncul[i a-]
liqui cùm quaſi ignavi nolunt egredi è ſtatione [...]
& profectum quærere. Ita in hac Genealog[ia]
Hebræi aliquot Reges cum ſubditis quam plurim[is]
ob contumaciam abducti ſunt tribus vicibus in [ca-]
ptivitatem Babylonicam, & ibi incluſi. 1. Jechon[ias]
ſenior, qui & Joakimus, propterea quod libru[m]
Jeremiæ divinas comminationes continentem, [ſi-]
bi prælectum indignatus ſciderit, & in ignem con[je-]
cerit, nedum pœnituerit; vinctus enim caten[is]
Babylonem à Nabuchodonoſore abductus, ibi [...]
privus detentus, tandemq; occiſus eſt. 2. Par. 36. I[...]
inde Jechonias junior, illius filius, in locum par[en-]
tis à Nabuchodonoſore ſuffectus: qui quod pa[...]
nihilo melior eſſet, ab eodem poſt tres menſes [...]
tim regno deturbatus, & ipſe in Babylonem cu[m]
matre & uxore tractus eſt: & cum eo omnes [...]
(decies milleni) robore & nobilitate præcellent[es],
ubi in carcere annis 37. detentus fuit. Jerm. 24. &[...]
Reg 24. Denique ejus loco conſtitutus eſt in reg[...]
ſucceſſor, ejus patruus Sedecias ab eodem Nab[u-]
chodonoſore; qui tamen tot domeſticis calami[ta-]
tum exemplis nihil eruditus, fecit malum in ocu[lis]
Dei, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ loqu[en-]
tis ad ſe ex ore Dei, & rebellavit Nabuchodono[ſo-]
ri, cui juramentum præſtiterat. Populus exempl[um]
ejus ſecutus & univerſi principes polluerunt d[o-]
mum Domini, & ſubſannabant Dei nuntios, pr[o-]
phetas ad ſe miſſos. 2. Par. 36. Quare reverſus t[er-]
tiò Nabuchodonoſor urbem cepit, & Sedeciam [...]
fuga comprehendit, abduxitque in Reblatam, [...]
filios ejus in conſpectu patris occidit; ipſum dein[...]
exoculatum in Babylonem duxit: urbis mœnia d[e-]
jecit, domum Domini & Regis ſuccendit. pop[u-]
lum omnem honoratiorem captivum abduxit. [...]
Reg. 25. En tibi ludum mirabilem æquè ac miſe[ra-]
bilem, quem luxit in his tribus Regibus Ezech[iel]
capite 19 maximè in Joakimo: *Mater tua* (ſynag[o-]
ga) *tulit unum de leunculis ſuis, leonem conſtituit [e-]
um*, ſcilicet Joakimum. *Qui incidebat inter leon[es]*
(hoc eſt Reges) *& factus eſt leo, & didicit præda[m]
capere, & homines devorare, didicit viduas face[re]
& civitates eorum in deſertum adducere; & deſola[ta]
eſt terra & plenitudo ejus à voce rugitus ejus. Et co[n-]
venerunt adverſus eum Gentes undique de provi[n-]
ciis, & expanderunt ſuper eum rete ſuum; in vuln[e-]
ribus earum captus eſt, & miſerunt eum in cavea[m],
in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis, m[i-]
ſerun[t]*

eruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultrà supra montes Israel. Quis non miretur hunc udum in tantis Regibus tam funestum? quis non exclamet cum Clothario Francorum Rege, acuta ebri cruciato: *Vah, quantus est ille Rex, qui sic affligit tam magnos Reges! Et nunc* ergo *Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino n timore.* Psal. 2. Talis etiam fuit Manasses Rex, ui instauravit eccelsa, quæ pater ejus Ezechias demolitus fuerat; construxit aras Baalim, adoravit sydera, transire fecit filios per ignem, sectatus est auguria & somnia, habuit secum magos & ariolos, seduxit populum, & *sanguine innoxio replevit Ierusalem usque ad os*, singulis diebus unum prophetam occidendo; teste Josepho: & durarunt ejus scelera per 40 annos. Monitus à Deo per prophetas, audire os noluit, uti & populus ejus 4. Reg. 21. 2. Par. 33. taque ferocem hunc & sævientem latrunculum, eu potiùs latronem includere Deus statuit, & misit exercitum Regis Assyriorum, qui captum & inctum catenis & compedibus, abduxit in Babylonem; ubi is coangustatus cœpit agnoscere peccata ua, ac seriam pœnitentiam agere & promittere emendationem. Habetur ejus oratio, etsi non canonica, à multis tamen patribus citata; in qua inter lia ait: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non ossim attollere caput:* quasi dicat: Ich bin eingeschlossen / kan nit mehr fahren. Calamitas ergo eduxit aquam lachrymarum ex hac petra, quam nullus propheta; nulla vis humana poterat educere; eque solùm animam è captivitate dæmonis, sed & orpus è captivitate Assyriorum eripuit, & hominem restituit regno suo, mutavitque in alterum lanè virum, ita ut simulachra omnia frangeret, & Deum deinceps sincere coleret.

In quo videre est admirabilem Dei bonitatem & longanimitatem; nec non pœnitentiæ vim: quē nim nullæ opes, nulli milites è captivitate poterant eripere, eum pœnitentia eripuit.

IV. In eo ludo sæpe minores latrunculi, & infirmiores, qui appellantur rustici, manent in theatro, & finiunt ludum, sublatis majoribus & potentioribus, qui appellantur Reges. Idem in hac serie generationis, & quidem bis contingit. Inprimis quando in prima captivitate cum Joachimo nobilissimi quique, & qui de stirpe regia erant, abducti in captivitatem sunt, uti Daniel & tres socii, Dan. 1. Deinde in secunda, Junioris Jechoniæ scilicet, in qua Nabuchodonosor abstulit cum Rege omnes principes, fortes & nobiles, omnes artifices; reliquit verò solos pauperes terræ, qui vineas & agros colerent. Denique in tertia, quæ fuit Sedeciæ, in qua eversa urbe omnes translati sunt, exceptis pauperibus, qui nihil penitùs habebant; quibus dati sunt agri & vineæ divitum, ut eos colerent, & censum inde Chaldæis solverent Jerm. 39. & 4. Reg. 25. Unde pauperes tunc soli possidebant terram Palæstinæ, dominis ejectis; & benè habuerunt, colligentes vinum & messem multam nimis, Jer. 40.

Ita nimirum Deus solet deprimere superbos, & exaltare humiles. Id quod & Gentiles agnoverunt, uti Æsopus ille, qui interrogatus à Chilone, quid faceret Jupiter: *Excelsa, deprimit* inquit, *exaltat humilia.* Quæ Dei providentia typus erat judicii extremi; ubi pauperes spiritu possidebunt regnum cælorum, divites avari in gehennæ captivitatem abducentur. Vide etiam hic, Regum lapsum multis nocere, præsertim propinquis & aulicis; siquidem cum Regibus semper ferè propinqui & nobilissimi quique captivi facti fuerunt; quo modo etiam in ludo latrunculorum Rex solus non capitur; uti dixit Ludovicus Crassus Rex Franciæ in prælio contra Anglorum Regem, ab equite quodam comprehensus & fræno tentus, ut se captivùm daret. Exempto enim gladio equitem obtruncat dicens: *At ne latrunculorum quidem ludo solus Rex capitur.* Corozettus de dictis & factis memor.

V. In eo ludo promoventur sensim minores latrunculi, qui dicuntur rustici, per varios gradus usque ad summum tabulæ gradum, & tunc fiunt Reges vel Reginæ, & acquirunt potestatem ampliorem prædandi circa se, antè & retrò quidquid occurrit. Ita in hac Genealogia mirè aliqui promoti sunt, ex infimis ad summos gradus & dignitates. Qualis inprimis David, qui ex puero pastoritio paulatim ob virtutes suas ad regiam ascendit dignitatem. Magis adhuc S. Joseph, qui ex fabro, Christi nutritius & suo modo Pater, ob eximias suas virtutes factus. Multò autem Maria, quæ ex humili conditione & magna pauperie mater Dei effecta, per varios gradus in Dei matrem & Reginam cæli promota, acquisivit plenissimam potestatem rapiendi ad se eos, qui à facie iusti: & qui à tergo, peccatores, ei occurrunt ejusque opem implorant. De justis non est, quod dubitemus? de peccatoribus afferamus exempla. Notum est illud inprimis B. Mariæ Ægyptiacæ peccatricis, per imaginem Deiparæ ter ab ingressu templi repulsæ, ut alibi dixi. Cui simillimum est, quod recenter anno 1620. in Goensi provincia, Indiæ orientalis contigit in Mozambique homini malæ vitæ, qui audito aliquando die Sabathi pulsu campanæ ad *Salve Regina*, in Ecclesia decantari solitum, perrexit eò & ipse: sed ad vestibulum portæ templi repentè perdit usum pedum, adeò ut intrare minimè posset, cùm id sæpius tentasset. Constituit ergo domum redire, sed non potuit, quòd pedes plumbo graviores attollere non valeret. Ad vicinum igitur murum se inclinans dum vicem suam dolet & miratur, videt ibi vicinam B. V. imaginem ad murum. Huic queritur suam miseriam, & fatetur se ob peccata sua utique impediri ab ingressu Ecclesiæ, ad ejus pium canticum audiendum. *Quid igitur domina, quid me vis facere? en paratum me.* Dum hæc ille, quidam Pater noster casu ei occurrens è vicino collegio, monet ut suæ salutis causam agat cum Deo. Cui ille: *Verum est Pater, debeo confiteri.* Et hoc emisso proposito sensit sibi restitutas ad ambulandum vi-

V. Promoventur sensim inferiores, donec fiant reges.

Vide Trip. in F. Concept. B.V. C. 6. E.

dum vi-

dum vires. Fecit ergo confessionem Patri à 13. annis, quibus confessus non fuerat, jussitque ut Pater hoc collatum ei beneficium undique divulgaret. Ita scribit in Annuis Goensibus P. Hieron. Majorica Romæ impressis Anno 1627. En propter exiguum devotionis opus sibi præstitum Beata Virgo hominem penè in faucibus Satanæ constitutum eripit, & in statum salutis reponit. Et jure quidem obtinet hoc privilegium Deipara; si enim apud Romanos olim, Vestales Virgines hoc juris habuerunt, ut quoscunque reos, qui ipsis obviassent, absolvere à vinculis & vita donare possent, (teste Cælio lib. 15. capit. 14.) non habebit hoc Dei mater, uti sibi supplices eripere à morte æterna possit?

VI. *In fine omnes inter se æquantur.*

VI. Denique cùm ludus ille finitus est, omnes latrunculi de tabula auferuntur, & in sacculum injiciuntur ubi inter se promiscue jacent, nec ampliùs ratio habetur, quis Rex aut rusticus fuerit. Ita contingit huic Genealogiæ, si temporalia spectemus. Dum viverent hi progenitores Christi, magna inter eos discrimina erant: alii Judices, alii Reges, alii principes, alii plebei; alii divites, alii pauperes. At nunc per mortem omnes de tabula sublati sunt, & in communem matrem, terram, reconditi, ubi promiscuè jacent, nec unus ab alio discerni potest. Vbi nunc sceptra Regum illorum? ubi Regna? ubi aulæ? ubi opes & delitiæ? ubi robur Davidis? Sapientia & pompa, Salomonis horti, musici, palatia, equi, currus, piscinæ, gynecæum, opes & dilitiæ? Quemadmodum Judæi post ultimum exterminium omnes æquati sunt, ut jam inter eos nemo sit Pontifex, nemo sacerdos aut levita, nemo Rex, nemo propheta, nemo judex, nemo dominus, nemo princeps aut nobilis, sed omnes æquè abiecti sint: (id quod indicabat fœmur Jacob, Genes. 32. cùm emarcuit) ita patres illi per mortem omnes pares facti sunt. Intra in cœmiterium & vide ossa mortuorum ac discerne, quis nobilis, quis ignobilis, quis dominus, quis servus fuerit; & invenies cinerem esse, qui omnes adæquat. At superna bona & solida spectemus, soli ii splendent, qui virtutibus excelluerunt, uti Patriarchæ, David, Josias, Ezechias, præ omnibus verò Deipara. Fœtet econtra malorum fama, Salomonis, Roboam, Joram, Oziæ, Jechoniæ. Quare omnes illi Reges multò plus gloriæ mutuantur à Beata Virgine, tametsi pauperis fabri conjuge, quàm hæc ab illis. Imò sicut stellæ à Sole, ita illi à Deipara splendorem acceperunt. Dele Solem, & stellæ nihil erunt. Videamus ergo ut cognati simus Mariæ; quod fiet, si in ejus Sodalitate quasi in spirituali eius Genealogia, peculiari eam cultu veneremur; tunc enim & nos ejus beneficio fulgebimus, *sicut stella in perpetuas æternitates.*

THEMA III.

B. Virgo castitatis, humilitatis & paupertatis Magistra.

I. *Magistra castitatis contra mundi immunditi[…]*
II. *Magistra humilitatis contra mundi superbian[…]*
III. *Magistra paupertatis contra mundi avaritiam*

Nondum erant abyssi, & ego jam con[…]cepta. Prov. 8.

MAgnum quid legitur in hodierna missa d[…] Virgine, nimirum eam conceptam fuisse, [a]ntequam mundus conderetur. Ita enim ex lib. Pr[…] legit & applicat ipsi Ecclesia verba illa Sapien[…]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, a[n]quam quidquam faceret.* Et mox: *Nondum era[nt a]byssi, & ego jam concepta eram.* Quid hoc, & [qua] ratione prædicari de matre Dei potest; Præcla[…] explicat Andreas Episcopus Jerosolymæ cùm […] Deum ante mundum conditum prævidisse, […] tandem per peccata inveterandum. Itaque an[te e]jus creationem providisse illi de conservatric[e &] quasi reparatrice, quæ est Maria. Qui enim suæ [...]mui benè provisum vult, in ea sibi parat pharma[co]rum apothecam, dum sanus est & juvenis; quia [co]gitat futurum aliquando, ut ea opus habeat, in m[or]bis & senectute. Prævidit ab initio Deus, fore [ali]quando ut mundus consenescat, nec aliter nisi [pec]catis, voluit ergo ante omnia providere ei de p[har]maco, quo ejus morbo, debilitati & senectuti […] adhiberetur. Hoc verò quodnam sit, edisserit n[…] prædictus Andreas Episcopus in sermone de […] nunc cùm ait: *Senio quasi confectus mundus per [Ma]riam peccatorum senectam exuit.* Porrò Sanctus [Au]gustinus in libro de doctrina Christiana scribit, […] omninò delicta senescente mundo potissimum […]gnare, & quidem illa ipsa, quæ ferè in senesce[nte] homine regnant: Primum est turpitudo, alte[rum] fastus, tertium avaritia. Turpitudo enim licet […]venturi propria sit, tamen illos, qui juventam in [vo]luptatibus & libidinibus triverunt, non dese[rit in] senio, sed aliquando ardentiùs invadit. Fastus, […] cùm honorem canis suis deberi putent, plus æ[…] illum affectant & ambiunt. De avaritia ait Sa[n]ctus Augustinus in sermone 246. de tempor. N[…] *ne in frigidis senibus* (avaritia) *tantò ad acquiren[…] ferventius inardescit, quantò citius relictura […] quod acquirit, mirabilis sanè dementia?* Eadem […] in senescente mundo vehementer invaluerunt & vigere nostro misero sæculo sat superque viden[tur]. Tribus hisce morbis providit ac prævidit D[eus] præclarissimam Medicatricem Deiparam, quæ […]

bus antipharmacis ab ea præparatis & à nobis usurpandis, illos expugnaret.

I. Primum est castitas & virginitas, quæ in Deipara admiranda fuit. Primò enim virginitatem amplexa est eo tempore, quo hæc virtus non ignota tantùm, sed & exosa fuit: sola fœcunditas Dei benedictio putabatur, uti contrà sterilitas probrum, quasi ob aliquod delictum parentibus inflicta. Erat infœcunditas, quasi arbor in horto sterilis aut ager infœcundus, nullo in pretio. Secundò tanto hujus virtutis amore exarsit, ut non solùm virgo semper vivere, sed virginitatem etiam Deo vovere voluerit. Per votum autem præter ipsum actum datur etiam potentia, scilicet voluntas seu libertas: præter fructum arboris, ipsa etiam arbor. Qui actum virtutis exhibet, obsequium unum præstat: qui votum, perpetuo se ejus obsequio addicit. Tertiò, Prima omnium fuit, quæ virginitatem perpetuam voverit. (Unde Ecclesia canit: *Sola sine exemplo placuisti*) sicque adamavit eam, ut potiùs Dei maternitati, præcisè consideratæ, juxta Divum Bernardinum Senensem sermone de conceptione, renunciare parata esset, quàm virginitati. Nondum legerat id Matth. 19. *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt*; nec id Pauli 1. Cor. 7. *Qui non jungit* (virginem suam matrimonio) *melius facit*; nec id Apoc. 14. *Sequuntur Agnum quocunque ierit: Virgines enim sunt.* Et licet in V. T. vitam cœlibem egerint aliqui, ut Elias, Elisæus, Jeremias, tres pueri; nulli tamen ex voto leguntur ad hoc sese obligasse. Maria hujus militiæ primum vexillum erexit, cujus asseclæ sunt tot millenæ SS. Virgines. Unde Ecclesiæ primævæ mos erat, ut virgines Deo se dicaturæ promitterent castitatem in nomine Mariæ, teste Basilio, Athanasio & Epiphanio. Ad eandem attraxit sponsum suum Josephum, quem non alia lege accepit, nisi ut virgo cum virgine viveret; siquidem jam desponsata dixit: *Virum non cognosco.* Voluit ergo Maria Virgo sponsum habere virginem, nunquam acceptura illum, nisi virgo permansurus esset; cumque per mortẽ illum perdidisset, non alterum custodem, nisi Sanctum Joannem, Virgo scilicet virginem à Christo accepit. Denique hac sua virginitate traxit Dei filium in uterum suum, qui noluit habere matrem, nisi virginem, & quidem talem: non secus ac virgo dicitur attrahere Rhinocerotem, nulla alia arte domabilem, ut deponat caput in sinum ejus, ut scribit Sanctus Gregorius lib. 31. moral. c. 13. Sanct. Isidorus 12. Etym. c. 2. Refrixit in hac ultima mundi ætate vehementer castitatis & virginitatis amor: extra monasteria rarus est flos virginum: è contrà verò invaluerunt supra modum vitia carnis, juxta id Os. 4. *Maledictum & adulterium inundaverunt & sanguis sanguinem tetigit*; scilicet per incestum, ut Rupert. exponit. Jam ergo quomodo non erubescunt neque resipiscunt qui impudicè vivunt? Inprimis n. vident se sanctissimæ Dei Matri è diametro contrarios & dissimillimos esse. Qua igitur fronte apparere, vel coram ejus imagine: vel audire ejus nomen possunt?

Fabri nova silva de SS.

Hispalam, scortum Romanum, Bacchi sacris devotam, accersitam à Sulpitia, matrona castissima, aspectum ejus subterfugisse, & productam penè exanimatam fuisse, scribit Livius lib 39. Considerent jam impudici homines, quales & quàm fœdi sint, si Deiparam aspiciant. Deinde quo jure possunt expectare patrocinium ab ea, cui tam dissimiles tamque contrarii sunt? Maria Ægyptiaca adhuc impudica cùm Jerosolymis, in die exaltationis S. crucis, ingredi templum ad videndam Christi crucem vellet, ab imagine Deiparæ, ad ingressum templi stante, ter quaterque divinitus expulsa est, aliis omnibus sine difficultate intrantibus. Territa igitur videt tandem imaginem B. Virginis, eamque alloquens: *Domina Virgo*, inquit, *agnosco me peccatricem esse indignam, qua te Virginemm sanctam adorem, & vel oculu te aspiciam, qua mente & corpore sanctissima & castissima es, adeoque dignè à te projici. Tamen quia audio filium tuum venisse, ut peccatores salvos faceret, patefac & mihi januam: quia promitto emẽdationem, &c.* Quo dicto, nemine porrò obstante, in templum admissa est. Refert Sophronius Episcopus Jerosolymit. in vita. De S. Lamberto Episcopo Trajectensi scribit Stephanus Episcopus Leod. apud Lipel. 17. Sept. ipsum in convivio Pipini Regis Galliæ nullo modo adduci potuisse, ut ejus pellici, Alpaidi poculum benediceret aut propinaret, vel discedens eam salutaret. Quin & ejus machinatione interfectus, omnes alios ad membrorum osculum admisit corpore jam mortuo; si qua verò pellex accedere, mox quasi turbine quodam exagitata retrocedere compellebatur: unde apparebat quàm invisa esset castisimo viro impuritas.

II. *Humilitatis Magistra contra mundi superbiam.*

II. Secundum est humilitas, quæ in Maria etiam
admiranda fuit. Cùm enim cælesti nuntio salutata est ab Angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; turbata est in sermone.
Putabat enim talia præconia minimè ad se pertinere, ideo nec responsum dedit. Adhæc post intelle-
ctam confirmationem tantæ gratiæ, nequaquam 1.
insolescere cœpit aut in altum tolli, sed in terram
potius se prosternens, fundumque humilitatis petens: *Ecce ancilla Domini*, ait: Ecce dum ab Angelo
adeò extollitur & à Deo sic honoratur; ipsa adeò
sese deprimit. Parum est se humiliare, cùm quis de-
primitur; plurimum, dum honoratur. 2. Post tantam 2.
exaltationem, ne suæ humilitatis oblivisceretur,
præclarissimum humilitatis actum designavit, pergendo in montana ad cognatam, major ad minorem: cui & serviit per tres menses. Ibi ab Elisabetha
cùm beata prædicaretur, stupente illa tantæ matris
dignitatem, omnem laudem à se in Deum transtulit,
dicendo: *Magnificat anima mea Dominum.* 3. Vocata 3.
edicto Cæsaris in Bethlehem, sine mora paruit, &
cùm portaret Regem regum in utero neminem hospitio expulit; sed potiùs exclusa omnibus cessit, &
extra urbem in stabulum concessit, ibique ad 40 di- 4.
es in summa abjectione permansit. 4. In purificatione non se aliis fæminis prætulit, sed quasi immunda

foret,

foret, cæteris puerperis immiſcuit. Deniq; licet à Judæis ſæpiùs cavillis impetita eſſet propter filium, quòd eſſet conjux fabri eorum concivis, quæ nihil peculiare in ſe haberet; (cùm tamen 14. Reges in ſua proſapia numerare poſſet) nihil tamen illis cavillationibus commota fuit. Toto reliquo vitæ tēpore, licet tam multa & magna de ejus filio dicerentur, jamq; orbis univerſus in eum credere velut Deum ſuum inciperet, ipſa tamen nihilo elatior, in priore humilitatis ſtatione permanſit. Subtiliter id videtur indicare voluiſſe Lucas Act.1. cùm eam Apoſtolis cæteriſq; ſanctis poſtponit dicens: *Erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu*; ſiquidem ſciebat Lucas, quòd ipſa ſemper poſtremum locum ſibi deligeret. Quis jam non erubeſcat coram Deipara ſe extollere? Quis unquam ſic honoratus eſt ut ipſa? quis talia dona, tales virtutes habet? At ipſa in tanta dignitate humi graditur, & tu, qui nihil ſimile habes in curru aureo vehi velis? Auguſt. Imper. cùm Julia ejus conjux modeſto habitu & comitatu: è regione Livia ejus filia, ſuperbo luxu & juvenum impudicorū agmine vallata, (non ſine populi commotione, ob diſcrimen Auguſtæ & filiæ orta) in ludorum ſpectaculo ſtarent, commonefecit filiam ſcripto, circumſpiceret, quanta morum imparitas inter duas dignitate pares fœminas foret: inſolentiam ejus taxans. Macrob. lib. 2. Saturn. c. 5. Videant nunc ſuperbi ſe & Dei matrem, quanta inter hanc & ipſos ſit diſparitas, erubeſcant & ſe corrigant.

III. *Magiſtra paupertatis contra mundi avaritiam.* Illi Tertium fuit paupertas, quæ itidem in Deipara fuit planè admiranda.
1. 1. Quia in tam nobili virgine maxima; uti colligitur partim ex ſponſo ejus, fabro; partim ex anguſta ejus domuncula, paterna ſibi hæreditate relicta, partim ex ſtabulo Bethlehemitico; partim ex pauperum dono, quod obtulit pro filio in purificatione. Durum autem valde eſſe nobilibus paupertatem, quis eſt qui neſciat?
2. 2. Modicum id quod habuit, amore filii ſui libenter & mox deſeruit: domunculam ſcilicet unà cum ſupellectile, quando ei de nocte ſurgendum & repentè migrandum fuit in Ægyptum. Multi quidem parum habent, ſed id parum perditè amant.
3. 3. Nullas etiam opes concupivit, quas cùm à filii potentia mille modis habere & impetrare poſſet, reſpuit. Scivit eum ex aqua vinum poſſe facere, & quidem excellentiſſimum: copiam piſcium ingentem capere; theſauros incomparabiles comparare; nihil tamen unquam tale popoſcit.
4. 4. Dona trium Regum magnifica vel non admiſit integrè, ſed delibavit tātùm ob myſterium; vel admiſſa mox pauperibus diſtribuit, ut vult S. Bonaventur. in vita Chriſti; ſiquidem in purificatione munus pauperum obtulit, non divitum.
5. 5. In Ægypto inter ignotos, hoſtiles ac gentiles, quantam, putatis, paſſa eſt paupertatē, per 7. ann. cùm nihil in eam intulerit? At ubi hoc ſæculo tantus paupertatis amor? Quis auream Nabuchodonoſoris ſtatuam non adorat? A minimo uſque ad maximum omnes illam venerati ſunt, præter Hebræos adoleſcentes. Sic *à minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent*, ait Jeremias capit. 6. nimirum ſicut anſeres in prato, omnes carpunt. Solem olim & Lunam adorarunt Ægyptii, Perſæ & Græci: Chriſtiani nunc aurum & argentum adorant. Illud eorum Sol, hoc Luna eſt; duo magna mundi luminaria. Nihil tam munitum quod aſello auro onuſto non expugnetur; pauper pulſat januam judicis, & expectare jubetur, at quamdiu? pulſat dives, & mox admittitur. Jam verò cùm videant avari Deiparam, paupertatis tam amantem, quomodo non confunduntur? Beatus Petrus Damiani adhuc ſæcularis, cùm ad eum veniſſent duo fratres ab Eremo Fontis Avellanæ, diſcedentibus obtulit argenteum ſcyphum pro munere, rogans ut eum Abbati ſuo ferrent. Illi autem vaſis amplitudinem contemnentes, pondus incuſant, viæ longioris impedimentum prætendunt (addit Auguſtinus Fortunius Camaldul. ord. recuſaſſe, quod nec eorum Abbas in argento biberet, nec monachis fas eſſet aurum vel argentum ſecum habere) cumque ille precibus instaret, ajunt illi: *Si ergo nos tantopere cogis, nec tuos vacuos prorſus munere abire permittis, præbe hujuſmodi quidpiam aliud, quod nos abſque viæ diſpendio levius pro tua devotione ferre poſſimus.* Quod ille audiens, vehementer admirari ſecumque dicere cœpit, *Qui ſunt iſti, qui cùm videantur egeni, ea quæ ſunt mundi deſpiciunt, ut in optimo vaſe ferendo vel minimum aſſumere laborem contemnant?* Qui ſuper hac re plurimùm ædificatus, ad contemptum mundi aſpiravit, tandemque fratribus illis per ingreſſum ordinis ſe junxit. Ita Joannes Monachus ejus diſcipulus in vita. Si ergo hoc exemplum paupertatis duorum Eremitarum tantum potuit ad alliciendum Petrum, nō poterit plus exemplum Deiparæ? Sanè Rex etiam Monomotapæ videns reſpui à Conſalvo Sylveria S. N. ingentem auri còpiam & plurimos boves ſibi oblatos, vehemēter admiratus, & ad religionem Chriſtianam amplectendam, incitatus fuit. Tom 2. Annal. Soc. Deinde, qua fronte poſſunt divites deſpicere egenos, quos Deiparæ fratres & ſorores debent agnoſcere? Dic enim quæſo, ſi Dei matrem ſedere in cætu pauperum mulierum videres, habitu, veſtitu & vultu ipſis quàm ſimillimam; num tu ea inſalutata tranſire velles? non arbitror. Salutare igitur & honorare velles? at quomodo non ob illam & cum illa ſimul etiam alias, ei adſtantes quàm ſimillimas? Si enim pauperem averſaris, ideo quia pauper eſt, neceſſariò etiam Dei matrem averſari debes, quia & ipſa talis fuit. Denique ipſi pauperes quantam conſolationem habent, vel certè habere debent, quando cogitant ipſam Dei matrem ſibi ſimilem fuiſſe, & forte ipſis pauperiorem! Diogenes Cynicus aliquando ab omnibus deſertus & in ſumma egeſtate conſtitutus cogitare cœpit de vita illa, quam cœperat, pauperrima deſerenda, dumque panem mucidum rodit, ecce muſculus accedit, & decidentes micas colligit comeditque. Tum ſubridens animo recepto lætior & tranquillior

lior secum: *Mus hic,inquit, nihil indiget Atheniensium lautitia: & quid tu Diogenes ægrè fers te cum Atheniensibus non cœnare?* sicque in vita illa miseria se ipsum confirmavit. Ælian. lib. 13. cap. 26. Laert.lib.6. Cogitate vos ô pauperes, habere vos Deiparam, vobis nihilo ditiorem; quæ nequaquam opus habuit mundi lautitiis, licet ipsi deberentur; & vos carere non poteritis. Vidimus ergò morbos & debilitatem senescentis mundi: vidimus & pharmaca, quibus illi occurramus subministrata nobis Deipara; superest jam ut his utamur. Ad quid enim Medicus & Pharmacopola in urbe, si eorum consilia & opem negligamus? Deus est, qui ante conditum mundum providit nobis Medicatricem tam magnam ejusque medicinam, & non fruamur illis? Nónne dici nobis posset id Jeremiæ octavo. *Nunquid resina non est in Galaad? aut Medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Excelluerunt in arte medica & chirurgica Galaaditæ & Arabes, ob sua aromata & simplicia, herbas videlicet, ligna & fructus, quos habebant præstantissimos. Quæ præstantior Medicatrix Virgine Maria? ubi aromata & simplicia meliora virtutum reperiemus? His ergo qui non curatur, non adscribat Medico aut medicinis, sed sibi ipsi, qui hæc respuit; quia perire vult. Quod à nobis omnibus avertat Deus.

THEMA IV.

Qualis sit hic liber generationis Christi.

I. *Est liber Nomenclaturæ.*
II. *Est liber Stemmatum.*
III. *Est liber Heroum.*
IV. *Est liber Censuum.*
V. *Est liber mortuorum.*

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.

DUos, sibi è diametro contrarios, Reges reperio, Audit. in hod. Evangelio, & quidem patrem & filium, Josiam & Jechoniam. Josias pater cum librum legit casu repertum & Dei comminationes in eo contentas audisset coram se legi, *perterritum est cor ejus*, & scidit vestimenta sua ac flevit. Unde dictum ei à Deo est, non visurum ipsum mala gentis suæ, sed quieturum in pace, uti factum est. 4. Reg. 22. & 2. Par. 34. Econtrà filius Jechonias cum audisset coram se legi librum Jeremiæ, divinas in se continentem minas, iratus sacrum volumen cultello conscidit, & in ignem misit ac combussit. Jer. 36. Sed non impunè: nam à Nabuchodonosore captus & occisus, ante muros Jerusalem in ferarum pabulum abjectus, & *sepultura asini* sepultus est, juxta prædictionem Jeremiæ cap. 22. Proponitur & nobis hodie sacer Dei liber, liber, inquam, generationis Jesu Christi, & legitur coram nobis. Contingere potest, ut quis inveniatur, qui cultello linguæ suæ eum laceret & dicat: Ad quid mihi iste liber? quid enim doctrinæ continet? Ad fornacem potius calefaciendam, quam ad cor meum accendendum facit. Absit hoc à nobis, absit ut imitemur pessimum Jechoniam: Josiam potius sequamur, & demisso atque attento animo audiamus, quis & qualis sit hic liber. Forsitan non deerit causa, corda nostra scindendi & miserias deplorandi.

I. Est liber nomenclaturæ seu vocabulorum (ein Namenbuch.) Quid enim reperimus aut legimus in hac genealogia; de tot Ducibus & Regibus, nisi sola eorum nomina? Ubi regna & possessiones, ubi pompæ? ubi tituli? ubi sepulchra, epitaphia, ossa eorum? non commemorantur, quia nesciuntur; sola nomina remanserunt. Ferunt Regum cadavera in sepulchra magno cum apparatu, sed ubi ad sepulchrum pervenitur, spoliantur omnibus, deseruntur ab omnibus, ac sola eorum nomina remanent marmori incisa. Memorat Athenæus lib. 14. & Strabo lib. 14. Sardanapalum, Regem Assyriorum & Ninive, à Jona (ut probabiliter colligit Cornelius à Lapid. in c. 3 Jonæ v. 6.) correctum, in morte docuisse quod in vita nescierat; monumentum n. sibi posuisse in qua statua quædam consertis digitis, quasi sonum editura videretur. Quo symbolo ajunt significatum id, quod S. Greg. Nazianz. in Odis ait: *Omnia esse strepitum manus plaudentis*, seu quod Psa. 9. dicitur: *periit memoria eorum cum sonitu*. Deinde fœda nomina non ponuntur in Vocabulorum libro; similiter in hac genealogia nomina trium posterorum Jorami, scilicet Ochoziæ, Joæ & Amasiæ tacentur: quia parens Joram miscuit se impiæ & gentili Jezabeli, cujus filiam Athaliam accepit in uxorem. Ita nimirum vitia parentum obscurant ac delent nomina filiorum, sicque verificatur id Sapientis Prov. 10. *Memoria justi cum laudibus: & nomen impiorum putrescet.* Deniq; in illo puerorum libro quædam nomina ad faciliorem captum illustrantur imaguncu-lis: in isto solus David depingitur appellatione Regis, & quidem bis, cùm tamen plures eum sequantur Reges, quia scilicet David per virtutem suam ascendit ad dignitatem regiam: alii per natales suos, quod laudem non habet, sed fælicitatem. Hinc cùm princeps quidam Urbano IV. Papæ obscuritatem natalium objicere, respondit Pontifex: *Non est artis nasci nobilem, sed fieri per virtutem.* In dict. memor. Joan. Boteri.

I. Est liber Nomenclaturæ.

1.

2.

3.

II. Est liber stemmatum (ein Stammenbuch.) Ostendit enim stirpem Christi ab humili loco ex altatam, & sensim iterum depressam. Cœpit ab agricolis ac pastoribus, & ascendit ad regium sceptrum; tum paulatim iterum descendit, rediitque ad pastoritium baculum, & fabrilem securim. Joachim n. avus Christi maternus fuit Opilio; Joseph

II. Est liber stemmatum.

dictus pater ejus faber lignarius. Imò stemma Christi per incestum ex parte Thamar, & per fornicationem ex parte Judæ propagatum est. Unde duo colligenda sunt; primum, ut nemo insolescat ob prosapiam avorum, cùm ex iis multi tractarint æquè forsitan ligones & secures. Hinc Plato apud Senecam epist. 44. ajebat, *nullum non Regem ortum ex servis, & nullum non servum è Regibus.* Alterum ut nemo erubescat ob suos natales & majores quantumvis obscuros, viles aut etiam sceleratos; præsertim si dicere possit quis cum Cicerone: *Ego mea virtute meis majoribus praluxi.* Etenim in hac Christi Genealogia non illi celebrantur, qui Duces fuere vel Reges, sed qui sancti & justi; uti S. Joseph, Abraham, Isaac, Jacob, David; tametsi vili loco nati essent. Nimirum *summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus,* inquit S. Hier. ep. 14. ad Celantiam; & Deus per virum sanctum 1. Reg. 2. dixit: *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Patuit hoc in puero Samuele, quem virtus & Dei cultus nobilitavit, extulitque ad principatū super Israel; cùm tamen ejus filii, quòd virtutum ejus hæredes non essent, manserint ignobiles; quia scilicet libertate abusi, judicia perverterunt.

Trip. in F. Magd. C. 6. E.

2.

III. Est liber Heroum.

III. Est liber Heroum. (ein Ritterbuch.) Inprimis enim Genealogia Christi non contexitur per stirpem matris; quia hoc apud Judæos aliasque gentes usitatum non erat, ut ait Sanctus Hieronymus sed per stirpem patris, scilicet per Josephum; quia notum erat Josephum & Mariam secundum legem ex eadem familia fuisse. Deinde Patres tantùm progenitores Christi recensentur, non matres, nisi per accidens aliquando, cùm scilicet matres modo extraordinario viris junctæ fuerant, quales erant, Betsabea, Ruth, Rahab. Solus Christus ex matre prognatus describitur; quia sine viri opera natus. Monentur ergo nobiles, & qui suis genealogiis gloriantur, ut sint filii virorum, non verò mulierum; patrum non matrum, ne commaculent genus suum. Sanè quando Saul maximè iratus fuit filio suo Jonathæ, propter amicitiam ejus cum Davide contractam, appellavit eum *filium mulieris: Fili mulieris virum ultrò rapientis.* 1. Reg. 20 quasi diceret: ignave & effæminate fili: mulieris amatores sectantis. Sardanapalo Assyriorum Regi subditi parere noluerunt, quòd inter mulieres semper hæreret, colo nentes; ubi adeò effœminatus factus est, ut cùm bellum ei ex conjuratione inferretur, latebras primò instar mulierum circumspiceret, deinde cum paucis & incompositis in aciem progressus, victus in regiam se receperit; deniq; una cum omnibus rebus suis in pyram ardentem conjecerit; unde datum illi nomen Sardanapali, hoc est, morionis, cùm alias Assyrio nomine vocaretur Tonosconcoleros. Justin. l. 1. & Herodotus in Clio. Narseti, Duci Justin. Imp. adeò doluit ab Imperatrice se ad colum & fusum ablegatū fuisse, ut propterea totam Italiam turbarit. apud Æmil. lib. 1. Quòd si tanta ignominia est virum nobilem ad colum ablegare, longè major est, ad eam cum fœminis sedere, non virilia ac nobilia tracta.

IV. Est liber rationum. (ein Rechenbuch.) Numerat n. primò tres tesseradecades, primā ab Abraham usq; ad Reges, quasi Democraticam. Secūd sub Regibus, quasi Monarchicam. Tertiam post Reges usquam ad Christum, quasi Aristocraticam, o Ducibus & Pontificibus. Et hoc primò, ut insin tempus Messiæ, expleta tertia tesseradecade advenisse, completis ter 14. generationibus. Hæ facit 42. generationes & totidem erant mansiones Hebræorum in deserto ad terram sanctam. Secu populum etiam Israeliticum, Deo aliquando d ctum, eundem semper statum tenere non potu, sed mutationi obnoxium fuisse; ac sicuti med rum judicio dies decima quarta critica est, in fe bus & morbis periculosissimam variationem solita: ita Respublicæ sub diuturna pace sensim cipiunt languere ac corrumpi, veluti aquæ stagn tes. Tunc eas mutare incipit Deus, & in aliam mam transfundere. Quare non mirandum, si tan regna & dominia transferantur ac mutentur; languere inceperunt. Sic Assyrium regnum in sicum, Persicum in Græcum, Græcum in Roman transiit. Romanum à Latinis ad Græcos, ab hi Francos, ab illis ad Germanos translatum; ut mus nihil sub Sole stabile esse. Secundò numerat ter Reges, plerosq; malos, paucos admodū bon. Inter omnes Reges Hebræorum, numero 39 dic tur tantùm tres peccatum non fecisse, Ecc. 49. in lige peccatum idololatriæ: ita ut nec tolerarint lud; scilicet David, Josias, Ezechias. Boni vix fu quinq; fuerunt, sicque solùm decima pars inter probata fuit; ut non omninò de nihilo dixerit therus, Principes esse *carnem ferinam in calo.* Ad pulatur ei Morio F. Claudii Imp. qui dixit, *se om Imperatores bonos in annulo suo exsculpturum.* Hæc mirum lubrica sedes Regum est, repræsentata thronum, quem fecit sibi Salomon *de ebore grand.* 3. Reg. 10. Quis autem nescit sedem eburneam lubricam, unde facilè excidas?

V. Est liber censuum seu redituum. (ein D buch.) Recensentur enim in eo aliquot pauperes; censentur & multi Reges, Principes, aliique di tes, non tamen isti ex hoc mundo plus secum abst lerunt, quàm illi. Huc pertinet illud Ecclesiastis *Quid habet amplius sapiens à stulto & quid pau* (plus scilicet à divite) *nisi ut pergat illuc ubi vita* Saladinus potentissimus Ægypti Sultanus test mento jussit interulam, cui involvendus esset p mortem, perticæ appensam, per castra circumf ri cum hoc præconio: *Ex tantis opibus tanta vi tute partis Saladino, terrori Gentium, nihil quod comitetur, reliqui esse.* Platina in Cælestino te tio. Barbarus fuit; Christianum videamus. L dovicus Undecimus Franciæ Rex aliquando a lam suam lustraturus, culinam fortè ingressus, nicum puerum veru gyrantem vidit. Rogat e go Rex, cujas sit, & qui vocetur. Respondet; Regione Aquitaniæ esse se, & vocari Stephanum

Quæri

Quærit iterum Rex, quid lucretur ſuo ſervitio? Reſpondit puer: æquè multum ac ipſe Rex quem ſibi loquentem non agnorat. Quomodo? ait Rex. Quia, inquit, habeo ſuſtentationem meam æquè ac ille: & ſi Rex moriatur, nihilo plus ſecum efferet, quam ego. Placuit ea Reſponſio Regi, fecitque puerum brevi ſuum cubicularium, refert Petrus Matthæus in vita. Interrogate quæſo Reges hujus Genealogiæ, quos ampliores reditus habuerint, quam pauper aliquis quicunque. Reſpondebunt, nihilo plures, quia victum & veſtitum, quem habuit & pauper; cætera aliis ceſſiſſe, nec plus ſe hinc, quam pauperrimùm quemque extuliſſe. Quorſum ergo tam multa conquirunt avari? Et cur inflatur unus ſupra alterum? Quis intulit in mundum plus quam alter? quis efferet ampliùs?

VI. Eſt liber mortuorum, baptizatorum (ut ſolet) libro annexus. Matthæus expreſſit librum baptizatorum verbo *genuit*: Lucas librum mortuorum verbo *fuit*. *Qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac &c.* Matthæus introducit in mundum; Lucas educit. Speciatim verò inducuntur hic aliqui Reges, qui miro fortunæ luſu ad gloriam evecti, & pòſt vel in captivitatem abducti ſunt, vel aliàs miſerè perierunt: uti Salomon à mulieribus everſus, Ozias leproſus factus, Jechonias in captivitatem ductus & pòſt occiſus, frater ejus Sedecias exoculatus à Nabuchodonoſore, Ochozias Rex Iſrael per cancellos cænaculi lapſus & mortuus. Ita nimirum mundus ludit cum Regibus, ſicut lupus ludit aliquantiſper cum puerulo, quem raptum in ſylvam aſportavit; ſaltat enim aliquamdiu circa eum & quemadmodū catus murem, projicit in altum, cadentemque dentibus excipit, ad extremum verò devorat. Sic luſit mundus cum quibuſdam hujus Genealogiæ Regibus. In libro illo, non dignitatis, ſed temporis, quo quiſque mortuus eſt, ordo ſervatur, nec idcircò Reges diutiùs vixerunt, quia in dignitate regiâ fuerunt, quo modo inter calices vitreos in abaco conſtitutos, non ille, qui ſtat loco inferiori, ſed prior ille frangitur, qui prior in terram cadit, cùm omnes ſint æquè fragile. Quando igitur liber iſte docet nos tam manifeſtè mundanæ gloriæ vanitatem, ſit nobis liber ſalutis in cautelam & inſtructionem. Oſculemur eum ea ratione & reverentiâ, quâ ſacerdos in fine Evangelii librum oſculatur: ſcindamus non veſtimenta, ſed impedimenta omnia, quæ nos à Deo avocant, ut ita beneficio hujus libri inſcribamur in librum vitæ.

* * *

THEMA V.

Beata Virgo Lunæ comparatur.

I. *Quia ſplendorem à Chriſto accipit, & in eum refundit.*

II. *Præcellit meritis & virtutibus omnes ſanctos.*

III. *Maximum in cœlo & terrâ dominatum habet.*

IV. *Puriſſima eſt ab omni maculâ.*

V. *Quandoque quaſi per eclipſim non rectis oculis nos aſpicit.*

Quæ eſt iſta quæ progreditur, pulchra ut Luna? Cant. 6.

TAm gratum & ſalutare ſydus mundo eſt Luna, ut eâ deficiente non modo viventia, ſed etiam inanimata multa unà cum ea deficere ac contabeſcere: ad ejus verò reditum atque exortum omnia inſtaurari & reviviſcere videantur, adeò ut Plinius libro ſecundo capite 99. dicere non dubitârit ipſam eſſe quaſi *rerum omnium ſpiritum*. Quare ad ejus exortum exultant quodammodò variæ creaturæ: Lychnis lapis edit ſonum modularum: Clopias piſcis, qui ea decreſcente nigreſcit, recreſcente albeſcit: Cynocephalo oculorum orbes dilatantur: Ibis infeſta ſerpentibus, in interlunio abſtinet, in novilunio rurſum comedit; ut ſcribit Anaſtaſius Sinaita lib. 5. Hexam. tomo 1. Bibl. Sanctorum Patrum. Denique Elephadres exorientem Lunam, ramis proboſcide arreptis & ſublimè latis, gregatim in ſupplicationis modum uniti quaſi venerantur & ſalutant; teſte Æliano lib. 4. hiſt. anim. cap. 9. Quod Luna eſt orbi terræ, hoc eſt Mater Dei orbi Chriſtiano, quæ & ipſa à Spiritu S. Lunæ comparatur, Cant. 6. ut in Themate audivimus. Hæc porrò cœleſtis, imò ut ſic dicam, ſupercœleſtis Luna hodie in mundum progreſſa, hodie exorta eſt. Jure igitur meritò, quotquot ſumus Chriſtiani, hodie exultamus, quia & cum hac Lunâ quaſi renaſcimur & inſtauramur. Ne igitur vel beſtiis vel inanimatis creaturis ſtupidiores dici poſſimus, eamus congregati & obviemus huic noſtræ Lunæ, eamq; ſalutantes paulìſper contemplemur.

I. Luna ſuum lumen ac ſplendorem accipit à Sole, & refundit, teſte Plinio lib. 2. cap. 9. *Omnem ſuæ lucis hauſtum*, inquit, *eò regerit, unde accipit*. MARIA etiam Virgo omnem ſuam gratiam, dignitatem & ſplendorem à filio ſuo, qui eſt *Sol juſtitiæ*, accipit, à quo mater Dei eſſe cœpit, uti fatetur ipſa verbis illis: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Lucæ 1. Tanta verò eſt hæc dignitas, ut major creaturę conferri non poſſit, quam ſcilicet eſſe Dei parentem. Ptolemæus primus Ægypti Rex dicere ſolebat. *Videri ſibi omni regno pulchrius, Regis eſſe patrem*. Et de matre Alexandri magni, Olympiade, refert Juſtinus lib. 12. eam quidem à majorum ſuorum ſtirpe antiquiſſima

I. *Splendorē à Chriſto accipit, & in eum refundit.*

quiſſima & regia clariſſima; nullius tamen dotis cauſa (uti lib. 16. refert idem) fuiſſe clariorem quam filii, cujus nomine facta ſit omnium clariſſima. Quemadmodum enim capſa, quæ aromata ac unguenta continet, odorem ab eis concipit eundemque retinet, etiam dum vacua eſt: ſic etiam parentes ex filiorum, quos genuerunt, claritate, & ipſi inclareſcunt, atque eò magis, quò origo & progenitores ſunt clariſſimarum ſobolum. Quòd ſi tanti eſſe parentem Regis, quanti eſt eſſe matrem Dei? Hinc ergo omnis ſplendor & ornatus Lunæ noſtræ, Mariæ, à Sole ſcilicet Filio. Jam uti Luna ſuæ lucis hauſtum tegerit in Solem: ita & Maria omnem ſuam dignitatem refundit in Filium, in cujus æquè ac Patris ejus laudem, cùm *beata* appellata fuiſſet ab Eliſabetha, cecinit hymnum ac dixit: *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit Spiritus meus in Deo Salutari* (hoc eſt, Jeſu) *meo*. Quamobrem? *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Quaſi diceret, quia me cœleſtis Sol reſpexit & luce ſua perfudit, ideo magnificat anima mea Dominum & exultat in eo. Sic egit etiam Anna illa Samuelis mater, quæ ubi filium, qui Sacerdos & Propheta futurus erat, ſingulari Dei beneficio nacta fuit, ut acceptum beneficium in Deum refert, carmen illi cecinit Euchariſticum: *Exultavit cor meum in Domino, &* (hoc eſt, quia) *exaltatum eſt cornu meum*, (hoc eſt, gloria mea) *in Deo meo*. Quia ſcilicet confuſio ſterilitatis ab ea ſublata erat & ſubſtituta fœcunditatis gloria, ut tanti filii mater eſſet. Hunc ergo in modum, quoties beneficium aliquod, ſpeciale præſertim, quoties honorem, quoties gratam aliquam accipimus à Deo, toties in ipſum refundere eam decet, eique laudes canere. uti docet ſponſa, quæ à ſponſo dilaudata *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, ſtatim laudem hanc in ſponſum refudit, ſubjiciens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*. Canticorum 1.

II. *Præcellit meritis & virtutibus omnes Sanctos.*

II. Luna poſt Solem cætera aſtra omnia pulchritudine & ſplendore ſuperat: Maria quoque uti in terris, meritis & virtutibus eminentiſſime præcelluit omnes alios ſanctos: ita & in cœlo præcellit gloria & honore. Utriuſque eminentiæ teſtem habemus inter alios Beatum Petrum Damianum Cardin. prioris quidem in ſermone de Aſſumptione Virginis cùm ait: *Pulchra ut Luna. Quid Luna pulchrius cùm ſtellis coruſcantibus in ſignifero limite reliquorum ſyderũ ſplendorem excedit? Conſidera quàm ſtellaris & ſerena vibratio, quàm luminoſus fulgor circularem orbem tanti ſyderis ſuperfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuſcet. Sic & Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros ſupereminens & evecta, merita ſingulorum & titulos omnium antecedit. Quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet & ſplendore: Sic utramq; naturam Virgo ſingularis exuperat & immenſitate gratiæ & fulgore virtutum.* Poſterioris in ſermone 1. de Nativitate ejuſdem: *Summa gloria eſt, poſt Deum videre Virginem, adhærere illi & in illius perfectionis munimine comm[…]rari.* Hinc Sanctorum capitibus media Luna p[…] diademate imponi ſolet à pictoribus, Beatæ ve[…] Virgini infra pedes ſubjici; quo oſtenditur coron[…] & merita Sanctorum ſumma, in Maria eſſe infim[…] & ibi ordiri Mariæ merita & virtutes, ubi illoru[…] deſinunt & faſtigantur. *Quia nimirum*, ut Hieron[…]mus, vel quis alius auctor ſerm. de Aſſumpt. Virg[…]nis ait: *cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò [ſe]mul ſe tota infundit plenitudo gratiæ.* Certè omn[…] ſtellæ noctu lucentes, abſente Luna, tantum lumin[…] non præbent nobis in terra, quantum vel ſunica L[u]na. Pari menſura ſuperat Deipara Sanctorum all[…]rum gloriam in cœlo.

III. Luna maximum dominatum habet i[n] hæc ſublunaria: idcircò *Regina cœli* appellata, […] ut Dea culta fuit à Gentilibus, ut habetur Jer. ca[p.] 7. verſ. 18. & cap. 44. v. 17. Trahit enim ſua poten[…]tia mare ad affluxum, & refluxum ſuo incremen[…]to creſcere facit animalia & herbas, implet co[n]chylia, dominatur in corpora humana, & indir[e]ctè etiam in animos, unde exiſtunt aliqui Lunatic[i] &c. Beata etiam Virgo ſummum in cœlo, po[ſt] Solem cœli, Chriſtum, obtinet dominatum & im[…]perium in hunc mundum, Unde etiam ipſa à SS[.] PP. appellatur *mundi & cœli Regina*, uti à S. Ber[…] ſer. in ſignum magnum: *Maria, eò quòd mater D[ei] eſt, Regina cœlorum & Domina mundi jure eſſe pr[o]batur.* Et à Sancto Athanaſio ſer. 1. de nativ. Virg[…] Unde non ſine myſterio ſola Arca in Sanctuario co[…]ronata exiſtebat Exod. 25. v. 11. quia, ut Liranus i[n] ſenſu myſtico notat: *Cæteri ſancti etiam ſupremi An[…]geli, ſunt in cœlis ſicut Dei miniſtri; ipſa verò ſicu[t] cœlorum Regina.* Porrò ſicut Luna trahit mare, implet humore & pinguedine plantas & animalia per[…]ficit margaritas (unde margaritarum idea à quibuſ[…]dã dicta eſt;) infeſta & terrifica eſt nocturnis graſ[…]ſatoribus & furibus: ita Maria trahit ad ſe peccatores, implet humore gratiæ juſtos, lætificat & exornat Angelos, terret & arcet Dæmones. Quæ eadẽ aliis ſymbolis expoſuit ſponſus Cant. 6. cùm dixit: *Progreditur quaſi aurora* (peccatoribus:) *pulchra ut Luna* (juſtis:) *electa ut Sol* (Angelis:) *terribilis ut caſtrorum acies* (Dæmonibus.) Quod ad peccatores attinet, Chriſtus illis dominari videtur velut Sol, qui nimio ſuo ſplendore oculos, debiles præſertim & affectos perſtringit ac lædit; quia velut Judex hominum merita conſiderat; ad hunc igitur oculos ſuos ægrè ac timidè attollunt peccatores. At Luna blandum ſydus eſt, quod non modò ſine læſione, aut difficultate, ſed etiam cum delectatione aſpicitur ab omnibus. Ad hanc ergo peccatores refugium ſuum habent, Unde S. Bernardus ſerm. in ſignum magnum, ait: *Peccatorem vereri accedere ad Deum, qui ignis conſumens eſt: ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei.* Et mox: *Quin ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil aſperum in ea, nihil terribile: tota ſuavis eſt, omnibus offerens lac & lanam.* Et infrà: *Omnibus miſericordiæ*

fericordiæ ſinum aperit , ut de plenitudine ejus accipiant univerſi. Quare ut Luna noctu lucet, ideoque Sol nocturnus appellari poteſt, ut advertit Plinius lib.2.c.32. Ita & Deipara peccatorum, qui in tenebris ambulant, ſolatium ac refugium eſt, eorumque Sol idcircò vocari poteſt. Porrò quantam habeat curam eorum, qui ipſius miſericordiæ ſe commendant, patet ex vita S. Joannis Eleemoſynarii, Epiſcopi Alexandriæ. Hic enim *cum audiviſſet de filio viri miſericordis, quòd ex quo pater ejus deceſſiſſet, magna laboraret inopia, propterea quod pater, quidquid habebat lubenter in pauperes conſumpſiſſet: cum autem ſoli Dei parenti commendaſſet Mariæ cujus templo aſſidebat noctu & interdiu;) accerſit quendam Iuriſperitum & clanculum jubet, ut in veteri charta conſcribat teſtamentum cujuſdam viri, nomine Theopempti, dicens id oſtendere, me & patrem hujus pueri eſſe veros & germanos hujus conſobrinos: & oſtendat puero exemplum teſtamenti, ut certior factus de ea, quæ illi mecum intercedit, cognatione, nihil formidet, ſed audacter ad meam veniat humilitatem. Facta ſunt autem omnia, ſicut viſum fuerat, & cum adoleſcente venit ad Patriarcham Iuriſperitus. Scriptum oſtenditur teſtamentum. Confitetur magnus ille Pater cognationem, amplectitur adoleſcentem, tanquam germani conſobrini filium germaniſſimum. Dat ei pecunias, poſſeſſiones, alias multas facultates, conjungit eum matrimonio cuidam illuſtri fœminæ Alexandrinæ, & brevi eum reddit ex obſcuro nobilem: ex abjecto inſignem: ex paupere divitem: ſtudens oſtendere eſſe veriſſimum divinum illud verbum, quod dicit ſe non vidiſſe juſtum derelictum, neque ſemen ejus quærens panem.* ene igitur Joanni Apoſtolo viſa eſt Luna ſub pedibus mulieris, Eccleſiam deſignantis. Apoc. 12. aſi mulierem illam ſuſtentans. Reverà enim eipara ſuo potentiſſimo patrocinio & imperio ſtentat Eccleſiam militantem; eos præſertim, ui ipſi ſe commendant, aut etiam commendanr ab aliis. Jam verò audite quid Gentiles fecent: Faciebant placentas forma rotunda, & imprimebant eis figuras ſtellarum, immolabantque Lunæ lut Reginæ cœli & ſtellarum, ut habetur Jerem. v.18 (præſertim ex Hebr.) quod imitati quoque nt Hebræi, dicentes: *Sacrificemus Reginæ cœli & emus ei libamina, ſicut fecimus nos & patres no-i, &c. & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, alumque non vidimus* Jer.44. Quia enim advertent Lunam potenter influere & dominari in res blunares, fruges & tempeſtates, ideò velut Regim cœli ac Deam ipſam colebant. Nos veriſſimè noſcimus Dei matrem dominari univerſo velut ginâ cœli, jure ergo meritiſſimo ejus opem imoramus omniaque obſequia ei deferimus. Faciaus ergo nos Reginæ huic placentas, devotiones, quam, placitas.

IV. *Luna ſuper omnia pura eſt luceque plena*, ait inius lib. 2. cap. 10. Nihil etiam purius in creatrebus Beatiſſima Virgine. De ipſa enim dictum volunt Patres & Doctores plurimi, quod Cant. 4. Sponſæ dicitur: *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.* Cernuntur quidem in corpore Lunæ partes aliquæ opaciores reliquis, quas alii qui, ſed immeritò, maculas appellant, ideoque ex hac parte Luna ſuperatur multum à Deiparâ, quæ nihil etiam opacum, nedum maculoſum habet, ac propterea Apoc. 14. Lunam premere pedibus, quaſi ſua puritate longè inferiorum, viſa eſt. Quare Idiota in Contempl. Virg. cap. 2. ſcripſit ante aliquot ſæcula: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto; & macula peccati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te.* Et jure quidem hoc aſſerit, ac credit jam major Chriſtianorum pars; ſi enim Philiſthæi ſolo lumine naturæ perſpexerunt ſacram fœderis Arcam non eſſe remittendam in terram ſuam niſi in plauſtro novo, quod nulli alteri miniſterio ſerviiſſet, ac vel minima labe infectum fuiſſet: eique non quaslibet vaccas, ſed tales, quibus nunquam impoſitum eſſe jugum, jungendas eſſe. 1. Reg. 6. nónne etiam decuit ut viva & veriſſima fœderis, inter Deum hominesque ſanciti, Arca humanitatis Chriſti, (hujus enim typus erat Arca ſecundum Gregor. M. hom. ultim. in Ezech. Cyrillum l. 4. in Joan. 28. Rupertum Exod. 25.) non in alio conciperetur ac geſtaretur utero, niſi qui ab omni labe immunis atque intactus eſſet? nec ab alio matre inferretur in hunc mundum niſi ab eâ cui jugum Dæmonis nunquam fuiſſet impoſitum? Obſervarunt idem ſacerdotes, quando Arcam è domo Abinadab ducturi in civitatem David, impoſuerunt plauſtro novo, quo tempore, percuſſit etiam Deus Ozam morte ſubita, ob temeritatem, quâ tetigerat Arcam, 2. Reg. 6. Jam ſi profana hominis manus (ſic enim opinatur Sanctius eo loco, Ozam neque ſacerdotem neque Levitam fuiſſe) aut ſaltem levi peccato contaminata, non debuit Arcam tangere; uterus Virginis non inquinatus debuit non modò Arcam illam vivam tangere, ſed & geſtare & concipere? An Adamum, & Evam majori honore dignabimur, quàm eorum Creatorem, Dei filium? Adam enim è *terra virgine*, ut ait Tertullianus l. de Carne Chriſti cap. 17. hoc eſt, non maledicta: Eva verò ex latere Adami, nondum, ulla peccati labe inquinati, formata eſt; quid ni etiam Dei filium, decuit aſſumere carnem à tali matre, quæ nulli prorſus peccato obnoxia fuiſſet? Verùm dicent aliqui Mariam Adami & Evæ, parentum jam peccato pollutorum, filiam, proinde & peccati hæredem fuiſſe. Reſpondeo, quod Anniceris Cyrenaicus reſpondit aliquando civibus Æginæ. Cùm enim illi Platonem morti adjudicare vellent, quòd Athenis Æginam (quod inter utramque civitatem capitale erat) veniſſet: reſpondit Anniceris legem illam de hominibus tantùm latam eſſe, non de Philoſophis, qui mediæ cujuſdam naturæ, velut heroes quidam, inter Deos & homines eſſent. Eo verbo perſuaſi Æginetæ Platonem liberum dimiſerunt. Laert. l.3. Non.

1 3. Non diffiteor Mariam Adæ filiam esse, & per ejus propaginem in hunc mundum venisse, nego tamen, eam mortis imperio subjacere debuisse. Lex enim Dei in illos tantùm Adæ filios lata est, qui supra hominem nihil haberent, non verò in Dei matrem, quæ ob hanc præcellentiam supra homines evecta est ad mediam quandam conditionem, velut heroina, inter Deum & homines.

V.

Quãdoque quasi per eclipsin nõ rectis oculis nos aspicit.

V. Luna suam eclipsin patitur, quam causat umbra terræ ad ipsam, usque protensa, ipsique Lunæ transeunda subinde vel secanda saltem ac radenda: Terra igitur causa est, non Luna, si non semper eodẽ obtutu luminis aspiciatur & perfundatur à Lunari sydere. Contingere etiam facilè potest ac contingit, ut Deipara subinde non rectis oculis nos aspiciat, neque semper preces nostras audiat; quia nimirum nos umbra vitiorum aut certè languorum ac tepiditatum nostrarum hilarem ipsi vultum detrahimus, & mœstum ac lugubrem inducimus. Sensit hoc fidelissimus alioquin ejus servus & amicus, imò & *sponsus Deiparæ* ab Angelo appellatus, Sanctus Hermannus, qui & Joseph dictus, Canonicus præmonstrat. de quo familiaris ejus amicus, in vita apud Sur. 7. Apr. ita scribit: *Accidit juvenem tanti profectus, cujus conversatio jam in cœlis erat, & supra hominẽ, ex humana fragilitate aliquot diebus remissiori devotione debitum officium Beatæ Virgini persolvere. Erat autem tepor ille tam exiguus, uti illum minimè sentiret, nec eum in se reprehenderet. Fuit eo tempore magna quorundam importunitas, qui monasteria & templa effringerent, & res pretiosas auferrent. Solicitus ergo beatus Ioseph ne in monasterio ipsius curæ commisso sinistri aliquid eveniret, à precibus & laudibus Dominæ suæ se nonnihil subduxit & monasterii aditus observavit. Non ferens autem beatissima Virgo devotionem erga se fidelis servi sui quacunque causa imminui, occurrit iuveni, non jam sibi sed custodiæ monasterii vigilanti, formam præ se ferens vetulæ cujusdam, fronte rugis deformatæ. Videns illam Ioseph, & non agnoscens, vehemẽter expavit propter nocturnos timores, & exclamans ait: Quid est hoc? At illa: Ego sum custos huius monasterii, sicut multo jam tempore fui. Cognoscens ille vocem ejus, faciem non noverat: Tune es, inquit, o rosa! Sic enim ex multa familiaritate, suppresso ejus nomine, eam appellare solebat. Illa respondente, Ego sum; stupefactus Ioseph:* Quid inquit, *sibi vult, quòd rugosæ anus vultum sumpsisti? Respondit illa: Talis ego oculis appareo tuis, qualem me finxisti in animo tuo. Iam enim tibi vetula sum. Vbi est illa repræsentatio gaudiorum meorum? ubi salutationis Angelicæ jucunda commemoratio? ubi ille devotionis fervor? ubi cætera spiritualia exercitia, quæ mihi hactenus obtulisti, quibus & ego tibi, & tu mihi juvenis reddebaris? Nolo equidem, ut prætextu custodiendi monasterii intermittas servitium meum, quandoquidem ego multo meliùs illud custodiam. Correctus juvenis castigatione severa, tantæ custodi curã monasterii deinceps decrevit committere, & tam se quàm Dominam suam ad pristinam revocare juventutem, ejus commemorandis gaudiis & Angelicis sa[lu]tationibus recitandis.* Quòd si, ut vidimus, Deip[ar]a vultum suum contrahit & obnubit servis suis, [q]ui umbram terræ seu peccati alicuius vel modicam [si] opponunt; quantò magis, si grandem in cœlum [s]que projiciamus? Quid enim aliud fiet nisi ut L[un]a illa tota nobis obscuretur & faciem suam à n[ob]is prorsus avertat? Arcam illam fœderis non so[lu]m Christi Domini, sed etiam sanctissimæ matris [ej]us typum fuisse volunt Sanctus Damascenus carm[in]e Annunciat. Sanctus Bernardus ser. de Beata Vir[gi]n. tom. 2. Sanctus Bonavent in speculo c. 9. At [ver]ò quis ignorat Arcam illam in Hebræorum castra d[e]ductam contra Philisthæos, non modò eos non [ju]visse aut defendisse in prælio, sed potiùs hosti[u]m gladiis permisisse, ita ut cæderentur ex ipsis 30[00]0. peditum, quin & Arca Dei caperetur: & (quod [im]mediate adjungitur, quasi causa cladis) duo qu[o]que filii Heli, Ophni & Phinees, in prælio occiderent[ur]? Quia enim sacrilegi isti duo Arcæ custodes er[an]t, eamq; in castra advexerant, majorem Israel cla[de]m ex Arcæ præsentia passus est, quàm priùs in eju[s a]bsentia Ita sentit Theodoretus orat. 1. in Dan. [Ja]m *postquam Ophni & Phinees,* inquit, *Heli sacerdo[tis] fi[li]i & impii & detestabiles, ea* (Arca) *secum assu[m]pta ad suppetias cognatis ferendas exiere, redarguit [eo]rum impietatem Deus, nullaq; eos providentia d[ign]a[t]us, digna cæde interficiendos curat &c.* Jam si [Ar]ca lignea, non nisi umbra Deiparæ, vultum tam [m]œstum & horridum ostendit Hebræis, propter eo[ru]m peccata, qui eam in maxima veneratione haber[e] debuerant; quid mirum si hoc idem faciat vera [ill]a & viva Arca Christianis, qui cum ejus cultores ess[e] debèrent, impiatores sunt & hostes?

Vidimus Deiparam jure optimo à Spiritu S. [Lu]næ comparatam, adeoq; eam verè orbi Christ[ia]no esse quod est terræ Luna. Superest ut eam velut [c]æli Reginam omnes peculiari cultu veneremur, a[c] in nostris necessitatibus invocemus, velut nos[tra]m inter nos & Christum mediatricem. Luna inter [te]rram & Solem media intercedit: Maria inter n[os] & Christum, & si ob demerita nostra ad *Solem* [ill]um *justitiæ* accedere non audemus, non vereamur [ac]cedere ad Lunam misericordiæ, ut per ejus inter[ve]ntum æstus Solis illius nonnihil temperetur. [S]ed Judæis præceptum fuit, ut festum Neomeniæ [s]eu novæ Lunæ celebrarent singulis mensibus Nu[m]. 28 Eccur nos non celebremus & quidem maiori [s]u[a] solennitate festum exorientis Deiparæ, quæ pul[ch]ra est ut Luna & longè potentiores in nos influxus [ha]bet per gratiam, quàm Luna illa per naturam. [Fa]ciamus ergo Reginæ nostræ singulis noviluniis [s]eu mensibus sacram Placentam ex adipe frumenti, [pa]nem Eucharisticum post exactam confessionem, devotè sumendo, &c.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

THEMATA.

Plures in mundo Didymi.
I. Quinam pertinaces Thomæ asseclæ.
II. Christus quomodo Dominus noster & Deus noster peculiari titulo.
V. Fides melior ac beatior quam scientia & sensuum notitia.
Quomodo excipiendus in S. communione Christus verbis S. Thomæ.

THEMA I.

Plures in mundo Didymi.

Tales appellantur bicordes.
. Tales bilingues.
I. Tales bicipites.

homas autem qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Joan. 20.

QUid est Auditores, quòd Joannes solius Thomæ nomen interpretatur, & hoc quidem sæpiùs uti Joan. capite 11. rursum cap. 20. denique capite 21. Respondet ad hoc Theophylactus, id Jonem fecisse, ut significentur ejus mores, quòd licet esset Didymus, hoc est, gemellus, varius, inistans, dubius, duplex. Fuit sanè gemellus seu duex aliquando Thomas; habuit enim duo corda: ium audax & animosum, quando Joan. 1 . dixit: *mus & nos & moriamur cum illo*: alterum fugax pavidum, quando Christum in Oliveti monte seruit, & longiùs quam alii protug t. Habuit & o capita, unum, quo credidit condiscipulis, asserntibus Christum in cruce clavis & lanceâ perfosm: alterum, quo credere noluit asserentibus eum surrexisse, & sibi apparuisse. Habuit & linguas as unam antequam videret Christum, quâ dixit: *n credam*; alteram postquam vidit, qua ait: *Dominus meus & Deus meus.* En vobis Didymum jure erito à Joanne ter hoc nomine nuncupatum, quia r duplex fuit. Sed non est, quòd hoc Thomæ sucnieamus, quasi solus ipse talis aliquando fuerit; nt adhuc complures hujusmodi inter Christianos, i nunc videbimus.

I. Didymi appellari possunt bicordes, qui se contrariis partibus accommodant, cum Catholicis catholicè, cum hæreticis hæreticè vivunt: cum castis castè, cum incestis incestè, cum Deo & Diabolo se conformare volunt. Similes Paphlagoniæ perdicibus, quæ duplex habent cor, teste Plinio l. 11. cap. 37. Tales sunt inprimis secundum D. Augustinum tract. 7. in 1. cap. S. Joan. qui Christiani cùm sint, Dæmonem per sortilegia & incãtationes interrogant, ut futura sibi indicet; vel rogant, ut suis malis medeatur, quod sanè hodierno die, cum ingenti S. Thomæ injuria faciunt aliqui juvenes & juvenculæ. Audiant ergo isti S. Augustinum. *Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere, quod emit. Tanti emit, ut solus possideat: tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, & totum diabolus possidebit.* Sic ille. — Tales Bicordes.

2. Qui diversis sectis se accommodant. Qualis fuit ille Consiliarius Elisabethæ Reginæ Angliæ, qui rogans quendam, quid de se sentirent transmarini; (volebat enim videri orthodoxus, cùm Reginæ obsequeretur.) respondentẽ audivit: *Domine dicunt te imitari planetas; qui præter motũ proprium sinunt se rapi motu primi mobilis.* apud Corn. à Lap. in Eccl. c. 2. Ubi ait Ecclesiasticus de talibus: *Væ duplici corde.* Qua voce videtur minari Samaritis, qui modò ibant in Jerusalem ad adorandum Deum verum, modò in Dan & Bethel, ad colendos vitulos aureos; sentiebant partim cum Gentilibus, partim cum Hebræis. Quod admodum turpe esse indicat vel Samaritana illa, quæ audiens Christum petere à se aquam, mox ei objecit: *Quomodo tu, Judæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Joan. 4. quasi diceret, quâ fronte, quâ audaciâ cum Samaritanis communicare audes? Hinc ipsi Samaritani propter eam duplicitatem infames, & omnibus exosi erant, tam Gentilibus quam Judæis, quod ex parte cum utrisque, cum neutris planè sentirent: similes inquilino, qui in media domus contignatione habitans, ab inferioribus fumo vexatur, à superioribus lotio perfunditur, ut dicebat Alphonsus Rex Aragoniæ de Neutralibus, apud Panor. in ejus gestis. Acrius Elias invehitur in tales Judæos, qui Deum verum colere se profitebantur, & tamen in gratiam Achab & Jezabelis, ad Idolum Baal supplices accedebant: *Usquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si autem Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. Quod quidem mirandum est; quasi melius sit sequi solum Baal, quam Baal simul & Deum; & tamen à ratione non alienum: quia

tales nec Baal nec Deum quærunt, sed se ipsos. Utrique ergo imponunt. Nolebant illi offendere Baal, ob timorem Regis & Reginæ: timebant etiam offendere Deum, ne ab illo punirentur: neutrum ergo amabant, sed timebant serviliter, quia se ipsos tantum amabant. Hoc est; quod Latini dicunt: *duabus sellis sedere*; quod sanè fieri nequit. Sed neque coram mundo successum habent isti gemini homines, teste eodem Ecclesiastico c. 3. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus: & pravus corde in illis scandalizabitur.* Quia scilicet contrariis Dominis se volens accommodare, dum uni vult placere, alterum offendat ejusque iram incurrat necesse est. Hinc Proverbium: *Qui duos insequitur lepores neutrum capit.* Aristoteles l. 19. de animal. ait. inveniri animalia monstrosa, quæ duo habent corda, pectora, capita; sed illa diu vivere negat. Idem, jure timeant, qui duplex habent cor; ne mors eis immineat. *Væ enim duplici corde.*

II. *Tales Bilingues.*

II. Tales & Bilingues, quorum typus est gens in Australi quadam insula, de qua Diodorus Siculus lib. 3. scribit, quod ab ima fauce linguam naturaliter divisam tamque volubilem habeat, ut non tantùm humanas omnes voces, sed quarumvis avium cantus imitari, & unus quidem ex illa gente duobus commodè respondere possit. Pulchrum certè figmentum, huic tamen loco accommodatum, bilinguem hominem describens, qui ex eodem ore contraria, huic nigrum, illi album: modò bona, modò mala loquitur: palam laudat, clam vituperat: aliter in præsentia, aliter in absentia: aliter apud hunc, aliter apud alium loquitur de eodē.

1. *Qui absentes vituperant, præsentes laudant.*

Primò ergo quidam absentibus detrahunt, præsentibus laudes canunt, vel saltem mutiunt sicut ranæ, quæ appropinquante homine silent, recedente verò clamores extollunt. De quibus dicitur Prov. 27. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurget; maledicenti similis erit.* Tales erant Pharisæi qui in faciē quidem Christum laudabant: *Magister scimus, quia verax es, &c.* Matth. 22. à tergo verò culpabant.

2. *Qui modò laudāt modò vituperant eundē*

Secundo alii eodem ore modò laudant modò vituperant eandem rem, ad instar illius Satyri Æsopici. *Viator quidam, à Satyro invitatus cum eo comedebat. Hyems verò & frigus cùm foret, homo manus suas admotas ori afflabat. Rogante autem Satyro, quam ob causam hoc faceret, ait: Manus meas calefacio propter frigus. Sed paulò post edulio calido allato & ad os admoto, rursum insufflat: Quod cur faceret interrogatus, ut frigescat, inquit. Tum continuò Satyrus viatorem ejiciens: Nolo, inquit, in meo sit antro, cui tam diversum est os, ex quo calidum prodit & frigidum.* Voluit auctor hoc apologo docere, non esse tolerandum in convictu & societate, qui contraria ex eodem ore loquitur. Confirmat idem Sapiens Prov. 8. *Viam pravam & os bilingue detestor.* Talis fuit improbus ille Propheta 3. Reg. 13. qui ex eodem ore alteri simplici prophetæ primò denunciat Dei jussionem, ut manducet: postea Dei indignationem, quod manducaverit contra ejus præceptum. Tertio qui aliter huic, aliter alteri de eadem re loquuntur, ut inter eos inimicitiæ ferant. Quod etiam per Apologum depingit Phædrus, libertus Augusti Imp. in suis Mythis apud Plæ-um. *Aquila,* inquit, *in arbore nidificans pullos excluserat: ad radices arboris aper suos in antro ubat catulos: inter utrumque felis suos alebat fœtus. Illa sibi suisq; tam ab aquila, quam ab apro metuens, aquilam adit, indicat hostem subesse aprum, qui arborem eversurus sit; ab eo sibi suisq; caveat. Ac deinde aprum, idem illi de aquila intentans: Cave, inquit, ne aquila antro tuo supernè incubans, catulos tuos rapiat. Ita aquila timens aprum, & aper timens aquilam, uterque nido se continuit: quo factum ut uterque in pabulum cesserit.* Ita bilinguis duos inter se committit, ut se mutuò conficiant, eorum interim exitio ipse se locupletat. Jure ergo de ipso ait Ecclesiasticus c. 5. *Denotatio pessima super bilinguem.* Quasi dicat, turpissimum est, quando quis ignominiosè notatur de hoc vitio: additque prius id ac turpius esse furto. Fur enim pecunias tantùm & ferè ex egestate, bilinguis autem veritatem & fidem, ac concordiam ex hominum societate aufert, mera invidia & odio.

III. Tertiò tales & Bicipites, cujusmodi serpentes, Amphisbenæ dicti, reperiuntur, qui duo habent capita, unum in suo loco, alterum in cauda loco: sicque prorsum & retrorsum eunt, ut refert Solinus l. 30. De his dicitur Eccle. 3. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus.* Tales autem sunt primò, qui quæ volunt credunt ex rebus fidei, quæ nolunt, non credunt: uti Thomas initio, qui credidit asserentibus Christum in cruce vulneratum lancea & clavis, non credidit affirmantibus Christum resurrexisse. Volunt enim abstrahere à quibusdam fidei articulis per Concilia declaratis, solo symbolo fidei Apostolico contenti: quoad alios articulos volunt esse quasi neutrales, ut ne displiceant hæreticis, & ne offendant catholicos, quasi non catholici. Sed isti scire debent, quod ait Dominus Matth. 12. *Qui non est mecum contra me est; qui non congregat mecum spargit.* Eadem est Ecclesia quæ symbolum Apostolorum; & quæ alios articulos credendos proponit: aut ergo in utroq; aut in neutro ei acquiescendū. Secundo qui per simulationē cum religiosis & piis sentiunt, revera tamē cum mundo & lupis ululant; qui idcircò Jer. 17. comparantur virgulto myricæ Tamarisch / quæ & in locis aquaticis reperitur, & in deserto seu sterilibus, ideò anceps & ambivia, dicta à Basilio ho. 5. hexam. S. Ambrosio in eodem hexa. l. 3. c. 16. *Sunt enim duplici corde viri,* ait Ambrosius, *ubiq; præsto sunt & gratiam simplicitatemq; apud bonos prætendunt & vitiosissimis glutinantur: ita etiam in aquosis & desertis, contrario quodā usu hæc virgulta nascuntur. Unde & Ieremias dubiā morum atq; insinceram mentem myricis comparavit.* Pari modo cygnus amphibium est animal, in aquis & in terris degens: in pennis albus, in cute niger, duplici ratione simulatorum

:ipitem repræſentans. Hujuſmodi amphibium t Balaam ille , qui videbatur ſentire cum He- ꝛis; quia illis benedicebat , & commori cupie- t ; interim animo perverſus & auro ſuperatus à rtibus Regis Balaac ſtabat, dans ei conſilium ma- m ad pervertendos Hebræos ; quam ob cauſam ſteà gladio Hebræorum cecidit. Num. 25. Ter- qui per dolum ad decipiendos homines duas in- ſe contrarias intentiones habent, aliam finis, a- m mediorum , à fine diſcrepantem & diſtor- n. Quorum typus eſt vulpes, quæ dolosè ince- ns crebrò infert pedem, quo non direxit curſum, canes inſequentes ſe aut venatores decipiat. Ta- fuit Herodes, de quo Chriſtus : *Dicite vulpi illi.* ıc. 13. quia quaſi jurisjurandi religione obſtri- ıs Joannem occidit , cùm reverà amore pellicis id erit. *Triſtitiam præferebat in facie*, inquit Beda in arci c.6. *cùm lætitiam haberet in mente , ſceluſque cuſat juramento, ut ſub occaſione pietatis impius fie-* . Sic & Abſalon ſub prætextu religionis rebellio- m in patrem molitus eſt. 2. Reg. 15. Qui proindè iſerrimè periit, quemadmodum & Herodes in exi- . Quartò qui volunt & non volunt: volunt finem, d nolunt media ad eum requiſita ; habent ergo aſi duo capita, de quibus Prov. 4. dicitur : *Vult & n vult piger, anima autem operantium impingua- tur.* Quaſi diceret, vult impinguari & ſaturari pi- r , ſed non vult panem ſibi operando quærere. ujuſmodi fuit Balaam ſupradictus , qui optabat idem mori ſanctè cum juſtis: *Moriatur anima mea rte juſtorum.* Num. cap. 23. ſed non voluit vivere m juſtis. Huic fortaſſe ſimiles erunt hoc tempore n pauci , qui deſiderabunt ut naſcatur & divertat ipſorum corde Chriſtus , interim tamen non la- rant, ut parent ei hoſpitium , evacuando conſci- tiam à peccatis: deſiderant mori cum ſanctis, ſed lunt vivere cum reprobis: Didymi ſunt, monſtra nt. Quare reſipiſcant cum S. Thoma, & caput al- rum deponant, ſi cum eodem recipi in gratiam & gnare in cælo cupiunt.

THEMA II.

Quinam pertinaces Thomæ aſſeclæ.

I. Qui intellectum ſuum aliorum judicio & Eccleſiæ ſubjicere nolunt.
II. Qui à ſtultis ſuis propoſitis nolunt avelli.
III. Qui paſſiones ſuas frenare nolunt.

Affer manum tuam & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Joan. 20.

PAtitur uſque hodie bonus, ut ſic loquar, & ſanctus ille Thomas , & quidem à nobis qui ipſius incredulitatem toties promulgamus nec ſolùm in Eccleſia, ac pulpitis, & quidem bis in anno , exagitamus , ſed etiam in foro ſæpè & privatis ædibus traducimus ; adeò ut incredulos & pertinaces in ſua opinione appellemus *incredulos Thomas* , ein vnglaubigen Thoman/ vel *caput Thomæ*, ein Thomas kopff/ Equidem gauderet abſque dubio ſanctiſſimus hic Apoſtolus , ſi ſolus aliquando pertinax fuiſſet; ſed videt heu quàm plurimos , qui non ſolùm ipſum æquent , ſed & longè ſuperent. Etenim ipſe tandem convictus , depoſuit caput & errorem ſuum; multi autem ſunt, qui etiam convicti fateri errorem nolunt, neque deponere. Quinam verò tales? Audiamus.

I. Tales ſunt qui intellectum ſuum captivare, aliorumque judicio ſubjicere nulla ratione volunt, ut inprimis hæretici, de quibus dixi alibi. Hujuſmodi fuit inter alios Macarius Patriarcha Antiochenus , qui in Concilio Conſtantinopolitano ſub Conſtantino juniore ſolus ex 150. patribus , duas in Chriſto voluntates pertinaciter negavit , addens ſe citiùs millies moriturum , quàm de ſententia deceſſurum Quare abrepta de collo ſtola expulſus eſt è Concilio , & anathemate percuſſus ; moxque eadem hora omnes aranearum atræ telæ laquearibus conclavis delapſæ ſunt ; omnium judicio , viles hæreticorum doctrinas & importunas tunc evanuiſſe Car. Sigon. lib. 2. de Rege Italiæ, num 681. Hæreſes ergo telæ aranearum ſunt , quibus hæretici velut muſcæ pertinaciter implexi , & à diabolo intricati hærent. Secundò Catholici etiam aliqui divinis quibuſdam teſtificationibus , ſatis manifeſtis , fidem adhibere nolunt. Quidam expectare videntur prophetam è ſepulchro , vel Angelum de cœlo , qui divinam illis explicet voluntatem ; alias non creditur Deum id velle , quod è SS. libris aut à confeſſariis audiunt. Sed hic mos Dei non eſt ſemper, alioquin in contemptum venirent miracula, ſi crebra nimis eſſent; & qui tales ſunt , nec miraculis aut mortuis crederent , uti dixit Abraham epuloni : *Si Moyſen & Prophetas non audiũt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Luc. 16. Suſcitavit Chriſtus Judæis Lazarũ , & Sauli Samuelem ; neuter tamen in admonendis illis quidquã profecit. Fuit hujuſmodi conjux Oſvvaldi Milſeri nobilis viri, qui prope Seveld oppidum Tyrolis habitans ; cùm ob temeritatem grandioris hoſtiæ ſacræ petitæ; dehiſcere cum terra cœpiſſet, ſed ob ſuam pœnitentiam ſervatus fuiſſet , veniunt quidam de populo, & annunciant hoc cõjugi, quæ tunc in horto ſuo juxta aridum putridumque arboris ſtipitem ſtabat; nec adduci poterat à tot teſtibus oculatis, ut crederet quod aſſerebant. Denique ex iracundia tam impoſſibile eſſe ait, quod dicunt, quàm impoſſibile eſt ex hoc ſtipite lilia excreſcere, quid fit? ſtatim tria integerrima lilia prodeunt è ſtipite. Ipſa tamen nihil mota dum adhuc perſiſtit in ſua pertinacia abripitur à Dæmonibus, nec comparet ampliùs ; ut habetur in libro ejus loci aſſervato, & in tabella ad parietem affixa, an. 1384. refert Tilm. Bredenb. & Va-

I. Qui intellectũ ſuum aliorũ judicio & Eccleſiæ ſubjicere nolunt. Trip. hoc Feſto. C.7.B.

1. Hæretici.

2. Catholici fluctuãtes.

lent. Leuchtius in Virid. Regis. Rapta està Dæmonibus, quia vel ipsi *Dæmones credunt & contremiscunt.* Iac.2. Illa autem nec credere, nec contremiscere ad tam tremendum mariti periculum voluit. Tertiò Qui sana consilia non audiunt, nec cōcionatoribus aliisq; piis monitoribus credunt, existimantes se rem æquè bene aut melius intelligere.

3. Pertinaces.

Quales erant Judæi pleriq; maximè Scribæ & Pharisæi qui nec Joanni, nec Christo prædicanti fidem habebant. Unde tam Christus quàm Joannes appellat eos, *serpentes & genimina viperarum*; quia serpentes aures occludere dicuntur, ne incantatores audiant. Joannes quidē de se ait, se esse vocē clamātis in deserto, sed quomodo in deserto? Si enim ibi nullus auditor fuit, quare prædicavit? aut si habuit auditores, quomodo in deserto? Quia licet audiretur à multis, perinde tamen erat, ac si in deserto loqueretur, saxis tantùm & arboribus. De Christo verò ait Joannes: *Quod vidit & audivit* (in sinu patris) *hoc testatur, & testimoniū ejus nemo accipit.* Joan.3. Hispinā, Perusinū adolescentem nobilem, sed admodū dissolutū, cùm probrum familiæ esset, Simon Cæculus cognatus ejus, senex magnæ authoritatis & admodū prudens ad se vocavit, & cùm rationibus multis eum ad meliorē vitam hortatus esset, virtutum decorē, & vitiorum turpitudinem ei proponens; ille: *Ornatè admodū dixisti; verùm centies jam pulchriores orationes in hanc sententiā audivi, & tamen nulla earum correctus unquam fui.* Refert Poggius in Facet. En quale caput Thomæ! Nimirum sicut mare non dulcescit, licet trecenta in id flumina dulcis aquæ influant; ita perversus difficilè corrigitur. Sed audiant isti Deum, si homines audire nolunt, Prov.1. loquentem: *Despexistis omne consilium meum ego quoq; in interitu vestro ridebo.*

II. Qui à stultu suu proposito nolunt avelli.

II. Qui voluntatem suam frangere nolunt & è proposito suo divelli nequeunt. Quales primò capitosi, uti Frater quidam Sancti Francisci, qui prætextu sanctitatis perpetuum silentium sibi indixerat, ita ut nec ore confiteri, sed nutibus tantùm vellet, Franciscus, ut semel saltem in hebdomade confiteretur, jussit; sed persuadere nō potuit, unde malitiam eius intelligens prædixit fratribus, Diaboli impostura hominem decipi; idque brevi patuit, cùm ad vomitum deserto ordine regressus est. Marulus l.4. c.6. Vtinam hic non plures sibi similes haberet, qui in confessione pertinaciter, dum peccatum aliquod abscondunt, hostem suum occultant! Talis Diaboli Secretarius in suam perniciem fuit Judas, qui toties notatus à Christo de suo scelere, id nec fateri nec abjurare voluit. Audiit dicentem Dominum: *Vos mundi estis, sed non omnes: Manus tradentis me mecum est in mensa. Tu dixisti. Quod facis, fac citius;* sed ipse quasi nihil sibi cōscius esset, mutus remansit. Nimirū benè *Diabolus* à Christo appellatus, quia incorrigibilis uti Dæmon, de quo Job.41. dicitur: *Stringetur quasi malleatoris incus* h.e. verberibus magis indurabitur. 2. Cōtentiosi, qui tantùm ne victi putentur, cedere alteri nolūt.

1. Capitosi.

2. Contētiosi. Trip. Dom.

Qualis illa mulier, quæ merulas esse contēdit, qu maritus turdos asserebat, ut alibi dixi. Tu si vinc cupias in contentione, cede alteri, juxta doctrina B. Ægidii Fratris S. Francisci: *Quando*, ait, *quis tendit tecum, si vis vincere, perde.* Ita & S. Gr Nazianz. orat.3. de pace: *Cedamus ut superem Videte Palæstræ leges, athletarum certamina, qu eo plerumque quòd humi se deprimunt, adversa supernè incumbentibus victoriam extorquent*, c scilicet adversarium pedibus apprehensum in r nam impellunt. 3. Indurati diuturna consuet ne, qui tandem nec blanditiis, nec promissis, verberibus, nec minis flecti ad bonum possunt. jusmodi fuisse narratur filius ille, cujus ebrieta cùm pater sæpiùs nequicquam redarguisset, c specto semel in via ebrio: turpiter instar porc volutabro jacente, pueris quoque permultis e irridentibus atque illudentibus. filium ad tam dum spectaculum vocavit, sperās eum hoc mon ab ebrietate absterreri posse. Ille autem viso eb *Rogo pater*, inquit, *ubi venit vinum illud tam a & generosum, quo iste inebriatus est, ut ego qu id gustem?* Poggius in Facet. Sive hoc confictu ve factum sit, certum est non deesse filios hujus di, de quibus dici possit id prov. 27. *Si contu stultum in pila sicut ptisana* (hordeum scilicet *riente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia* Unde non mirum, si contumacem filium, qui p tionibus, luxuriæ & conviviis vacat, nec paren monita curat, jussit Deus lapidibus obrui ab uni so populo civitatis Deut.21. quia lapideum c habuit.

III. Qui passionibus suis addicti frænum jicere nolunt. Quales 1. qui adduci nequeunt, u jurias condonent, & inimico pacem dent; uti N phorus Imp. Græcorum, qui Crunno Bulgaro Regi victo expoliatoq; proinde pacem supplic petenti, & quas vellet pacis conditiones offere dare noluit, illud subinde repetens: *Quis ibit & cipiet Achab? quis sive Deus sive adversarius tr me nolentem!* quare Crunnus in furorem versus, noctem eum obruit & occidit cum Ducibus & gna parte nobilitatis. Caput ejus resectum pe es aliquot in ligno suspendit, postea in form poculi argento vestiit & principes Sclavinorum eo bibere suo exemplo docuit. Zonarus apud ron. ann. 811. Ira nimirum obstinatum illud ca jure punitum est; ut quod priùs pacem dare nol posteà vinum ministrare debuerit. De talibus E chiel, 32. dicit: *Descenderunt in infernum cum mis suis: & posuerunt gladios suos sub capitibus* q.d. ideò descenderunt in infernū viri vindictā rantes; quia quiescere non poterant, nisi super g dio & vindicta, donec eam sumerent. 2. Qui af ad creaturam aliquam in sano quodam amore, ac dimittendam & pœnitentiam agendam nequeu adduci; uti Philistæi, qui postquam ceperunt A fœderis, & viderunt sibi plurima ab ea inferri da na, prosterni Dagonē, vastari agros & villas, per m

um copiam innumerabilem, fœde etiam cruciari orpora sua, ita, ut præ dolore ulularent in cœlum, ihilominus tamen eam non reduxerunt in terram iam ad Israelitarum Deum, sed retinuerunt per ptem menses, & circumduxerunt in perniciem iam, ut ubique eos cæderet, 1. Reg. 5. Sed quid miimur illos, cùm adhuc & quidem inter Christiaos multi tales reperiantur, qui animam suam in eccatis captivam tenent sub Dæmonis ergastulo, licet inde plurima damna in dies patiantur in boorum operum frugibus; quæ omnes, dum merito rivantur, à muribus devorantur, quamdiu in tali atu vivunt; in anima per conscientiæ vermem, peretuò rodentem & lancinantem cor; non tamen aduci possunt, ut eam Deo suo restituant quam priium, sed quandoque septem aut pluribus mensibus corpore suo circumferunt, miserabilem ac moruam. Quis talibus non dicat id Eccl. 30. *Miserere nimæ tuæ*? Vidimus ergo Thomam multos habere ocios in pertinacia, quos utinam haberet & socios poenitentia. Tametsi enim Thomas diu restitit, d extremum tamen cessit, & dedit mel de petra, leumque de saxo durissimo, limpidissimam scilic. liquidissimam divinitatis & humanitatis Christi rofessionem: *Dominus meus & Deus meus*. Sed ua ratione & quibus mediis sic emollita est hæc etra? Per quinque Christi vulnera: optimum remeium ad frangendos induratos. Bellè hoc præfiguatum fuit in pugna Davidis cum Philisthæo, qui er 40. dies exprobrabat Hebræis. Tulit enim Daid quinque limpidissimos lapides de torrente, mitque in peram suam, quorum unum funda rotatum rojecit & infixit in fronte Philisthæi, ita ut in faciem corrueret. 1. Reg. 17. Torrens passionem Christi, brevi transituram notabat, quinque lapides inde lecti, quinque ejus vulnera, è passione sublata. David Christum signat, qui vel uno lapide, h. e. tactu unius vulneris sui durissimam Thomæ cervicem fregit, ut is non resupinus, sed cum Philisthæo pronus, in terram caderet, ad pænitentiam & fidei professionem. Quæ tam dura cervix erit, quæ perfringi nequeat tam limpidis lapidibus, hoc est, liquidissimis amoris Dei erga nostram salutem argumentis, si consideret propter se vulneratum esse, & tam dire quidem Dei filium? propter se aperuisse sanctos illos fontes tam pretiosi sanguinis? propter se mortem subiisse, ut ipse viveret, non moreretur æternùm? Quantum enim supplicium exspectare debet reprobos & obstinatos peccatores, si suo tam gravi supplicio Dei filius id redimere voluit? Quantum malum debet esse peccatum, quod Dei filium ita confecit? Quantum debet esse pretium unius animæ, & quanta gloria cœlestis, ut eam tanto pretio comparare voluerit? Ergo frangite capita vestra; *Scindite corda vestra*, ô saxei peccatores: Erubescite in frontibus vestris, cadite in terram, & palmam Christo cedite, ac dicite: *Dominus meus & Deus meus*. Sic enim & post palmam obtinebitis in cœlo.

THEMA III.

Christus quomodo Dominus noster & Deus noster peculiari titulo.

Christus, Dominus noster & Deus noster est.
I. *Quia noster frater & concivis.*
II. *Quia noster cibus.*
III. *Quia nostrum pretium.*
IV. *Quia nostrum præmium.*

Dominus meus & Deus meus. Joan. 20.

QUid sentit D. Thomas, cùm Salvatorem nostrum, omnibus communem, appellat *Dominum suum & Deum suum*? Nunquid nos excludere vult à Domino nostro, & solus eo gaudere? Minimè gentium; sed vult indicare, (quod etiam in V. T. sæpiùs insinuatum est) Christum Dominum esse propria & peculiari ratione *Deum ac Dominum nostrum*. Ita enim Psalm. 109. ait David; *Dixit Dominus Domino meo*, Christo, uti ipse explicat. Rursus Psalm. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*. Denique Deuteronom. 6. *Audi Israel Deus, Deus noster, Deus unus est*, ut habetur in Hebræo. Quibus in locis secunda in Deitate persona constanter *Deus noster* dicitùr. Quærendum igitur venit, quomodo Christus Dominus, speciatim *noster Deus & Dominus* sit. Hanc quæstionem videtur elucidare Ecclesia, dum in hymno Festi Corporis Christi canit: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*. Quibus quatuor considerationibus peculiari ratione Christus est *Deus noster*, quo modo interdum dicimus: Hic est meus filius, hic meus equus, quem scilicet præ cæteris amo: hic est meus cibus, mihi nimirum maximè gratus: hic meus thesaurus.

I. Noster est quia noster frater & concivis, ob naturam humanam assumptam, imò & sponsus noster per fidem, & gratiam. De quo Ecclesia canit: *Se nascens dedit socium*. Assumpsit Christus naturam humanam, & quidem vinculo indissolubili, ut nec per mortem ejus solvi posset hoc matrimoniū. Desponsavit etiam sibi animas per fidem & charitatē; quis neget illum esse Dominum, imò sponsum & fratrem nostrum? Unde Sanctus Cyprianus sermon. de ascensione Christi ait: *Participes Dei sumus, per creationem, noster Deus est per incarnationem. Dicit Deus: meus est homo. Dicit homo, meus est Deus. Homo, cujus Deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus*. Hoc est, quod miratur David Psalm. 8. *Quid est homo, quòd memor es ejus aut filius hominis, quoniam visitas eum?* per incarnatio- *I. Quia noster frater & concivis.*

nem ſcilicet, de qua Zacharias: *Viſitavit nos oriens ex alto.* Luc.1. Quantum verò hoc eſt, habere Deum conſortem naturæ humanæ? Sanè David, cum à Saule primùm, tùm à paranymphis offerretur ei filia Regis Saul in conjugium, obſtupuit dicens: *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, ut fiam gener Regis?* poſteà ſervis ejus: *Num parum vobis videtur eſſe generum Regis? ego autem ſum vir pauper & tenuis.* 1. Reg.18 quaſi diceret, ego homo paſtoritius & pauper ſine omni dote, ſponſam regiam accipiam? Paſtorculi ſumus nos; & en Dei filius, noſtram ſibi naturam, noſtras etiam deſponſavit animas tam pauperes & miſeras! Quantum ergò nobis gratulari debemus, de hac Dei erga nos dignatione, nec Angelis quidem conceſſa; & quam cautè & ſanctè vivere, ne hunc talem & tantum fratrem & ſponſum noſtrum labe aliqua aſpergamus? quàm ſedulò ei ſervire: David ubi gener Saulis effectus fuit, mirum in modum gratiam ſoceri venari & conſervare ſtuduit, ſe humiliando eique ſerviendo, & in omnibus prudenter agendo? Ad ejus petitionem non centum, ut petitum erat, ſed 200. Philiſthæos cæcidit, numeratis Sauli eorum præputiis; vexato à malo ſpiritu pſallebat; contra hoſtes ejus in prælium exiit; pulicem & canem mortuum ſe, licet de ipſo optimè meritus, appellavit, dum ejus inſidias ſuſtineret. Quid ergo non decet facere nos Deo noſtro? præſertim cùm ipſe nobis ſe longè alium exhibuerit, clementiſſimum, beniginiſſimum? Quid non feciſſet Sauli David, ſi ab ipſo quæſitus fuiſſet, ut in regio ejus ſolio collocaretur; qui hæc fecit quærenti ſe ad necem? At Chriſtus ſine noſtris meritis, imò poſt magna noſtra demerita propter nos de cœlo in terram venit, ut nos exaltaret; relictis in cælo Angelis, oves perditas quæſivit, paſtoritio indutus ſago, per ſentes & ſpinas currendo: nec commiſit hoc opus Angelo vel alteri ſervo ſuo. Quis non amet talem Dominum? quis non ad nutum ei ſerviat? Hoc enim eſt, quod admirabundus dicere voluit Thomas? *Dominus meus & Deus meus!* Quaſi diceret: Tu me quaſi ovem perditam paſtor quæſiviſti; quare viciſſim ex intimis animi præcordiis te diligo & veneror, velut Dominum meum, Deum meum, patrem meum, qui vitam mihi perdito reddidiſti.

II. *Quia noſter cibus.*

II. Quia noſter cibus, iſque nobiliſſimus, nobis proprius, & proportionatus corpori & animæ, dum ſub viſibili ſpecie ſe ipſum dat in alimentum animæ noſtræ. Unde Eccleſia canit: *Conveſcens in edulium;* ſe nimirum dedit. Cibus Hæbræorum in deſerto proprius fuit manna per quadraginta annos; quem proinde de cælo lapſum velut ingens beneficium meritò admirati ſunt, clamantes. *Manhu, quid hoc!* quaſi neſcirent illum proprio nomine appellare præ reverentia; appellaruntque *panem Angelorum,* non quod in illo Angelus aliquis contineretur, ſed quod panis eſſet delicatiſſimus & Angelis dignus, ita ut ſi Angeli comederent, non alio pane veſci deberent: & quod ab Angelis confectus fuiſſet.

At verò cibus & panis noſter ſuperſubſtantialis nō ſolùm à Chriſto conficitur, ſed ipſum etiam conti net. Unde David cibum hunc, velut ineffabilem, no potuit effari, ſed præcisè ait: *Paraſti in dulcedine tu pauperi Deus.* Pſalm. 67. Quid paravit? tacet, qu tam ſublimis eſt, tamque nobilis & delicatus, que paravit panis, ut effari eum non potuerit. Inde fo ſan etiam antiqui Patres & Chriſtiani nomina eum non ſolebant præ reverentia; uti Sanctus A guſtinus illo ſubinde verbo eum inſinuans: *Noru fideles.* Et Sanctus Chryſoſtomus: *Noviſtis vos, q fideles eſtis.* Miratur David Pſalm. 8, quòd nobis De omnis generis creaturas ſubjecerit, & in eſcam potum dederit: *Domine Dominus noſter, quàm adm rabile eſt nomen tuum? Quid eſt homo quod memer ejus? Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & bov univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli piſces maris.* Sed nihil ſunt iſta reſpectu ipſius Cre toris, qui ſe ipſum nobis in cibum dedit. Hunc p nem quotidie petimus, velut *noſtrum* in oratio Dominica. Unde Sanctus Cyprianus in expoſit. lius ait: *Panis vitæ Chriſtus eſt; & panis hic omniu non eſt, ſed noſter eſt: & quomodo dicimus: Pater n ſter, quia intelligentium & credentium Pater eſt: & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter (q corpus ejus contigimus) panis ejus.* Quare qui hu panem abominantur, oſtendunt ſe vicinos eſſe mo ti & perditioni, quemadmodum ægri, qui eſca omnem, alioquin dulcem, averſantur. Graviter ce puniti ſunt Hebræi, quòd nauſeam ceperint illi manna, quod figura tantùm noſtri panis erat: qua tò magis punientur, qui noſtrum averſantur? Dei de dum illi manna comederunt, *non erat in tribub eorum infirmus.* Nos infirmi ſumus, quia oblivi cimur comedere panem noſtrum. Adhæc quò d licatior & nobilior eſt cibus, eò delicatiora & n biliora fieri ea, quæ illo nutriuntur, animantia ſ lent. Patet in Ephebis Nabuchodonoſoris, (ext miraculum) è regia menſa nutritis; patet in pecor bus, quæ tantò ſapidiorem & teneriorem carne acquirunt, quò nobiliora terunt paſcua. Itaque q ſanctitatem obtinere vult, crebrò & dignè ad ho epulum veniat. Deniq; ſicut manna non eſt datun priuſquam farina Ægypti conſumpta fuit; defec verò ubi cœperunt comedere de frugibus terra Joſ. 5. ſic cibus iſte non ſapit, niſi quibus ſæculi del tiæ viluerunt.

III. Quia noſtrum pretium ſeu lytrum ad re dimendas animas noſtras è peccatorum debitis. Un de Eccleſia: *Se moriens in pretium.* Immenſur hoc & inexplicabile etiam eſt beneficium Chriſt quo ſe in mortem tradere voluit, ut à morte nos re dimeret. Quid enim, ſi quis capitis reus in vin culis detineatur, quid non dabit pro redemption & vita ſua? Darius Perſarum Rex Alexandro Mag no pro captivis matre & duabus filiabus redimen dis obtulit triginta millia talenta, non ſuffecit A leandro. Addidit quidquid terrarum circa Eu phraten eſſet; necdum ſuffecit. Adjecit ſe ei filian

unam

ſtrum præmium.

nam daturum in matrimonium; nihil effecit. Filium Ochum obſidem ſpopondit. Fruſtra erat; quia ſcilicet Darius necem ei per Medicum machinatus fuerat. Regnum Perſarum habere voluit. Curtius & Plut. in Alexandro. Peccator in tali captivitate ſedet, reus æterni ignis, unde nullo pretio redimi queat, niſi oblato filio Dei. Demus Deo aurum noſtrum: nihil erit. Demus fundos & omnem ſubſtantiam: non ſufficit. Demus chariſſima pignora; demus vitam propriam: nec dum ſatis eſt. Filius Dei quæritur. Et en Chriſtus ſe pro nobis obtulit Patri, moriens in cruce, noſque libertati reſtituit. Cogita ſupplicia, rotas, furcas, rogos, eculeos, tormenta, quæ inferuntur maleficis, cùm à Magiſtratu deprehenſi ſunt, quam ea gravia & horrenda ſint. Et quàm multi talium rei non deprehenduntur? quàm multa ſcelera à Magiſtratu etiam conſcio minimè plectuntur; ſiquidem ferè ea tantùm, quæ juſtitiam violant, mulctantur? Quid jam tot aliis aliorum ſcelerum patratoribus fiet? Nónne & ipſi ſæpe capitis & gehennæ rei ſunt? Sunt certè, ſed en tibi lytrum redemptionis, Chriſtum. *Accipe me & redime te*, inquit. Celebratur paſſim inaudita charitas Sancti Paulini Epiſcopi Nolani, qui cùm omnia gentibus diſtribuiſſet, & à vidua rogaretur pro ſubſidio pecuniario ad redimendum filium è Wandalorum captivitate, ſeipſum ei obtulit in ſervitutem pro filio dicens: *Auri & argenti apud me relictum eſt nihil, ſed me ipſum tolle: ſervum me juris tui profitere, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in ſervitutem trade.* Id quod factum, redempto filio; uti ſcribit Sanctus Gregorius Magnus & Uranius Presbyter ei familiaris, 22. Jun. in Surio. Tanta hæc res fuit; ut fæmina ſe ridere putans, primò credere non potuerit Epiſcopum ſerio loqui. Sed ecce rem magis miram: Non Epiſcopus, ſed Dei filius te tibi in lytrum offert, uti obtulit in cruce, ad redimendam animam tuam à ſervitute Dæmonis & morte æterna. Per illum namque te abſolvit Confeſſarius à tuis delictis. Ac licet relapſis pœna aliqua temporalis exſolvenda reſtet, eam etiam per Chriſtum, applicando tibi ejus merita per ſatisfactionis opera, delere facilè poteris. Tantùm eſt hoc beneficium, ut propter id omnes Angeli, (quia nos non ſufficimus) unà cum Beatis omnibus Deo laudem canere dicantur Apoc. 5. *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni & animalium & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus eſt occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem & ſapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem.*

IV. Quia noſtrum in cœlo præmium, hoc eſt, objectum beatitudinis corporum glorioſorum, ſecundum ſuam humanitatem; ſicut ſecundum divinitatem, erit objectum beatitudinis animarum & Angelorum. Unde Eccleſia: *Se regnans dat in præmium*; Peculiare videlicet & proprium Beatorum poſt reſurrectionem. De quo intelligendus Chriſtus Matth. 24. dicens: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* ſignificans ita convolaturos ad ſe electos in die judicii ſicut aquilæ convolant ad cadaver, ut inde paſcantur. Eò totis viribus contendebat & aſpirabat Sanctus Job, hac una conſolatione ſuos dolores leniens: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum* capit. 19. Hinc tanta cum patientia inter vermes & ulcera in ſterquilinio ſedit, ſpe videndi Chriſtum in gloria ſua. Similiter Sanct. Paulus: *Deſidero diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Phil. 1. Sanctus Thomas Aquinas juſſus petere à Chriſto mercedem ſcriptionis ſuæ: *Non aliam*, ait, *niſi te ipſum.* Etenim *in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, ad Coloſſ. 2. Vani & ridiculi Judæi figunt Leviatham maximum eſſe piſcem, & pro ipſis reſervari in alterùm ſæculum, ut juſti inde ſaturentur, idque tam firmiter credunt plerique, ut ſuam partem non venderent, pro magna auri & argenti quantitate; ut teſtatur Hieronymus à S. fide, ex Judæo Chriſtianus, Medicus Benedicti 12. PP. anno 1412. in lib. 1 contra Judæos cap. 9. Sic nimirum ſimiæ illæ illuduntur a Diabolo. Nos Chriſtiani certiſſima veritate aſſerimus Chriſtum fore electis, etiam ſecundum humanitatem ſuam præmium in cœlo & quaſi convivium perpetuum, omnibus delitiis inſtructiſſimum. Pro eo ſibi parando Sanctus Ignatius Martyr, nihil non pati optavit: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant: tantum Chriſto fruar* Beatos dixit Regina Saba ſervos Salomonis, qui ſtant coram eo ſemper & audiunt ſapientiam ejus. 3. Regum 10. Sed quando beatiores electi, qui non ſtabunt coram Chriſto velut ſervi, ſed cum ipſo menſæ accumbent velut amici, omnium bonorum ejus participes? Igitur & nos Chriſtiani, ſi aquilæ, ſi ingenui ſumus, & in cœlo ſedem quærimus, toto pectore Chriſtum amemus velut *fratrem, cibum, pretium & præmium noſtrum.* Non demus partem noſtram, quam in Chriſto habemus, alteri pro totius mundi opibus.

Nec abſterreant nos minæ & tormenta diaboli; *tantùm Chriſto fruamur.*

(* * *)

THEMA IV.

Fides melior ac beatior quàm scientia & sensuum notitia.

I. *Quia fides magis honorat Deum.*
II. *Quia fides certior.*
III. *Quia utilior est.*
IV. *Quia fides securior est.*
V. *Quia fides nobilior.*

Beati qui non viderunt & crediderunt. Joan. 20.

Melior fides, quàm scientia vel sensuum experientia.

SPonsa illa sancta suum cum sponso colloquium inchoans, ita canit: *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino.* Cant. 1. v. 1. quibus verbis desiderat sponsa, Ecclesia, vel etiam Beata Virgo, videre Dei filium in carne, ut cum eo oretenùs loqui adeoque cœlestem ejus doctrinam possit excipere. Eam verò doctrinam comparat lacti; siquidem affingit ipsi ubera, è quibus sugat lac sapientiæ cœlestis, asseritque lac illud melius esse vino. Gregorius Nyssenus per vinum humanam sapientiam, per lac verò sapientiam divinam, ex uberibus sacrarum scripturarum expressam intelligit: & rectè, quia uti vinum, quod bibitur, oculis cernitur; lac verò, quod ex uberibus sugitur, minimè videtur: ita quæ per humanam notitiam sciuntur, videntur: non ita quæ creduntur. Vinum ergo scientiam humanam, lac autem fidem denotat. Non desiderat sponsa vinum scientiæ & rationum humanarum, sed lac fidei potiùs. Id quod cum dicto Christi Domini in hodierno Evangelio amussim convenit: *Beati qui non viderunt & crediderunt*; hoc est, beatiores, qui per fidem, quam qui per scientiam & oculos mysteria sacra intelligunt. Qua de re non parum gratulari nobis possumus, qui de Christo Domino quam plurima fide tenemus, quæ oculis non usurpavimus, quemadmodum usurparunt Apostoli, quibus hac ex parte aliquantò fæliciores sumus. Sed percontabitur aliquis, quare in hac vita melius & beatius sit fide divina mysteria credere, quàm oculis & ratione cognoscere. Cui hic respondebimus.

I. Quia fides magis honorat Deū.

1. I. Lac vino dulcius est: & fides scientia præstantior; quia magis Deo honorifica, majorem ei honorem & quasi dulcedinem affert. Primò quia subjicit Deo ejusque verbo intellectum, præstantissimam hominis partem. Honorificum Regi est, si præcellentes Duces sub jugum suum mittat: vel munitissimas arces expugnet, & in iis vexillum suum figat. Talis est intellectus humanus, qui per fidem *in captivitatem* redigitur, *in obsequium Christi*. 2. Corinthiorum 10. & in quo vexillum fidei

2. defigitur. Secundò quia Dei veracitatem velut infallibilem extollit, dum ei fidem adhibet etiam in rebus difficillimis, quas nec oculis nec ratione capit. Præclarum & honorificum est homini, si quis ejus dictis certissimam habeat fidem sine ulla hæsitatione, & pro ea mori ac dira quæque perpeti non dubitet. Ergò Deo maximum dat honorem, q[ui] solis ejus verbis tam firmiter adhæret, ut pro eo[rum] veritate mori & cruciari paratus sit; sigillum en[im] quasi suum verbo Dei affigit, ut ejus veritatem o[m]nibus contestatam faciat. Hinc Joannes Bapt[ista] dixit: *Qui accepit ejus* (Christi) *testimonium*, (i[d] scilicet credendo) *signavit, quia Deus verax est.* [Jo]ann. 3. Græcè habetur, *sigillavit*; quasi diceret; [fide] sua quasi sigillo obsignavit & confirmavit verac[em] esse Deum Patrem, qui per Filium, quasi per os p[ro]prium, loquitur verissima; ut ibi exponit Corneli[us]. Est autem sigillum hoc non cereum, quod mod[ico] ignis calore solvitur; sed aureum, quod nec à ve[he]menti igne consumi potest, imò purius effici[tur]. Hinc Sanctus Augustinus lib. 2. contra Episto[lam] Parmen. ait: *Quomodo Catholici non clarificant [De]um, qui promissa ejus nullis hominum sceleribus [im]pediri posse confidunt? Qui sacramenta ejus tam [de]bita veneratione prosequuntur, ut ea, si etiam ab [in]dignis tractata fuerint, illis sua perversitate dam[na]tis, illa intemerata sanctitate permanere demonstr[ent].* Econtra Deo honorem detrahunt, qui ejus di[ctis], quibuscunque tandem, fidem adhibere nolunt, [ut] ibidem expendit Augustinus dicens: *Quomodo [ho]rificant Deum, qui dicunt per orbem terrarum impl[eri] non posse ejus promissa?* Faciunt enim isti Deum [fal]lacem & impotentem; quæ summa Dei injuria [est]. Quam enim indignum est, ut humanis testimo[niis] de alio credamus, Dei autem testimonio de se [ipso] non credamus? Pythagoræ discipulis? sufficie[bat] assertio Magistri sui; ut assensum darent, apud [Gel]lium lib. 19. & audebunt homines diffidere ora[cu]lis divinis? Hujusmodi erant (& sunt hodie Sa[cra]mentarii) qui Joann 6. dicebant: *Quomodo potest [hic] nobis dare carnem suam ad manducandum?* C[er]tè David gravi bello & strage multorum millium [ul]tus injuriam, quam acceperat ab Hanon Rege [Am]monitarum; qui fidem Davidis suspectam, & L[ega]tos ejus, ad consolandum eum missos, pro expl[ora]toribus habuit 1. Reg. 10. Quantò gravius est fi[dem] ipsius Dei in dubium, aut dicta ejus ad trutinar[e] vocare? Duplici ignominia affecerat Hanon L[ega]tos Davidis, adeoque interpretativè ipsum D[avi]dem, cujus illi personam gerebant: nam barba[m] media ex parte resecarat, & vestes talares ad d[i]dium præsciderat. Nihilominus faciunt Deo, [q]ui ejus fidei derogant: nam barbæ, hoc est, verac[itati] & talari vesti, hoc est, omnipotentiæ ejus detrah[unt]. Nemo honestorum virorum barbam sibi ab al[io] tangi, nedum velli patitur: & patietur illud D[eus]? Certè Moyses jussus à Deo petram percutere a[d eli]ciendam aquam, cùm in hoc negotio dubitante[r lo]querentur: *Num de petra hac vobis aquam poteri[mus] ejicere?* Dei manum in se provocavit, adeò u[t pro]pter hoc mori in deserto debuerit, & aspectu t[erræ] sanctæ privari unà cum Aaron. *Quia non credi[distis] mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israël: no[n in]troducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* [Nu]mer. 20. Ecce qui credunt Deo, sanctificant e[um]:

...qui non credunt, derogant illi. Non dubitavit Moyses de Dei omnipotentia ad eliciendam aquam; sed de bonitate ejus, an populo tam præfracto tantum exhibiturus esset beneficium, ut observavit ibi Cornelius. Multo gravius est in dubium revocare DEI veracitatem & omnipotentiam: quod aliud non est, quam immensum pelagus in parvum scrobem velle includere.

II. Lac vinum candore multis gradibus superat; quid enim lacte candidius? Candor veritatis, uti nigror falsitatis typus est: veritas diei, falsitas & mendacium nocti comparatur. Fides etiam veritatis certitudine superat rationem & sensus humanos. ...enim æquè ac ratio persæpe falluntur, uti constat; at fides nequaquàm, quia innititur verbo Dei, qui nec falli nec fallere potest. De ratione humana loquitur Sapiens Sapient 9. *Cogitationes* (græcè, *ratiocinationes*) *hominum timidæ, & incertæ, providentiæ nostræ*; indictans scientiam hominum, præsertim de rebus humanis admixtam habere formidinem, adeoque non tam scientiæ quam opinionis mereri nomen. Hinc paucas habemus demonstrationes, non solùm practicas, sed etiam theoricas. Generalis enim ea est conditio ingenii nostri, ut ad ea quæ manifestissima sunt, se habeat sicut vespertilionum oculi ad lumen diei, teste Philosopho 2. Metaphysi. tom. 1. Provenit ea sciendi difficultas partim ex rerum ipsarum subtilitate & obscuritate, partim ex intellectus nostri tenuitate; quæ in obtusis quibusdam ingeniis maxima planè est. Unde malè cum genere humano actum fuisset; si mysteria divina, sibi revelata, intellectu comprehendere ex Dei præcepto debuisset. Sensus etiam humani sæpissimè decipiuntur, uti patet in visu qui Solem ...stare, nec majorem rotula aratri esse: baculum ...tum in aqua fractum intuetur, &c. Fides quidem ex auditu est; sed hic præ reliquis sensibus omnium certissimus, ut patet in Isaac, qui explorans ...um suum Jacob, in omnibus sensibus deceptus est, præterquam in auditu. Erravit in visu, quia caligaverant oculi ejus. in odoratu, quia percipiens odorem Jacobi, dicebat: *Ecce odor filii mei*, nempe Esau, *sicut odor agri pleni*: in gustu, quia domesticos hœdos pro venaticis edebat: in tactu, quia pelles hœdinas reputabat esse pilosas manus Esau: solo auditu non erravit, dum ait: *Vox quidem vox Iacob est.* Gen, 27. Unde Sanctus Bernardus ser. 28. in Cant. *Sapiens fuit Isaac, sed tamen erravit in sensibus: solus habet auditus verum, qui percipit verbum.* Cùm ergo fides in se certissima & infallibilis, ex asserente & revelante Deo, per auditum habeatur, sensum maximè certum; inde certitudo fidei firmissima existit, adeò ut fides ob suam infallibilitatem sæpe scientia appelletur; ut à Samaritanis illis Jo. 4. *Ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* Unde illis hæc scientia, nisi ex verbis & prædicatione Christi, quam audierunt? Idem videre est Isa. 53. v. 11. Luc 1. v. 17. Sicut n. scientia est certa, ita & fides; imò longè magis: quia scientia innititur rationi humanæ, quæ falli potest: fides divinæ, quæ falli nequit. Illa ex lumine naturali, hæc ex infuso habet certitudinem,

III. Lac utilitate & nutriendi facultate vino longè præstat: cibat enim & potat, ut patet in infantibus; cùm vinum non nisi sitim sedet. Similiter & fides utilior nobis est, quàm scientia; quia habet meritum propter obscuritatem & inevidentiam suam. Unde S. Gregorius hom. 26. in evangel. ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et Sanctus Augustinus Ps. 109, *Quæ esset merces fidei, nisi lateret, quod credimus?* Designata proinde fuit in columna nubis, quæ duxit Hebræos per desertum in terram promissam, de qua Psal. 98. dicitur: *In columna nubis loquebatur ad eos.* Columna enim illa & firmitatem indicat, quia columnæ speciem habebat; & obscuritatem, quia ex nube erat. Ad nos etiam loquitur Deus in columna nubis, hoc est in fide, quæ simul certitudinem seu firmitatem, & obscuritatem seu inevidentiam continet: firmitatem, ne fluctuemus: inevidentiam, ut mereamur. Quam ob causam requirit fides piam quandam voluntatis affectionem, quæ inclinet eam, ut velit credere & captivare intellectum ad credendum id, quod ipsi obscurum est; adeoque quandam complectitur obedientiam ad submittendum rationem humanam; quæ certè suum habebit meritum, & quidem maximum; quia nobilissimas duas hominis potentias in obsequium Dei inflectit, intellectum scilicet & voluntatem. Porro meritum fidei præcipuum est illud, quod asserit Sanctus Augustinus tract. 27. & 40. in Joann. *Fides est credere, quod non vides*, ait; *cujus veritas & merces est videre, quod credidisti.* Quidquid igitur fide tenemus, id pro mercede in cœlo coram intuebimur ac consequemur: Significatum, id est, per velum sanctuarii, dividens *Sanctum à Sancto Sanctorum.* Exod. 26. quod in morte Christi scissum est. Sic enim fides dividit, Ecclesiam militantem à triumphante, eaque in morte cujusque scindetur, & tunc apparebit id, quod nunc credimus, *Sanctum* scilicet *Sanctorum.*

III. Quia utilior est.

1. Habet meritum.

Præterià etiam fides nihil non impetrat à Deo, ut patet in Chananæa Gentili, quæ à Christo tandem audita impetravit, quod voluit: licet Christus non ad Gentiles, sed ad Judæos tantum missum se esse diceret, Math. 15. Nimirum ejus fides magna postulatum à Christo extorsit, uti indicat Christus dicens: *mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Erat autem, mulier illa è finibus Gentium egressa, ut Christo obviaret: ita qui è finibus intellectus humani & rationis naturalis egrediuntur, altiusque tendunt, divina authoritate nixi, impetrant quod volunt. Eadem via Rahab salutem sibi & domui suæ obtinuit, fide videlicet, ut ait Apostolus Hebræorum 11. vers. 31. dum credidit terram suam Judæis a Deo traditam & ab ipsis expugnandam atque occupandam fore. Jos. 2. Denique ipse Dominus Marci 9. dixit: *Omnia possibili*

2. Nihil non impetrat.

bilia sunt credenti, hoc est, si credas, omnia à me impetrare poteris. Et Matth. 17. addidit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, (hoc est, humilem simul & ardentem) *dicetis huic monti: Transi hinc illuc & transibit; & nihil impossibile erit vobis.*

IV. *Quia fides securior.* IV. Lactis potus securior est quam vini: hoc enim inebriat, illud minimè. Pari modo fides securior est quàm scientia: nam *scientia inflat*, ait Apost. 1. Corinthiorum 8. fides autem mentem & rationem humiliat, dum divinæ authoritati subjicit & in captivitatem redigit, ei persuadens, quòd in rebus cœlestibus & supernaturalibus infans & cæca fit. Quò magis crescit scientia, eò magis crescit periculum superbiæ & protерviæ: econtrà quo magis quis in fide proficit, eò magis in humilitate fundatur. Periculum scientiæ exprimitur Ps. 130. iis verbis: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam: sicut ablactatus est à matre sua: ita retributio in anima mea*; hoc est, si altè nimis sensi & sensui meo tribui, abjiciar à Deo velut infans à lacte matris. Tales enim, alta nimis sapientes, perdunt tandem & abjiciunt fidem, vel abjiciuntur ab ea potiùs. Vinum, non lac, bibere voluit Pilatus, quando altam nimis captuq; suo sublimiorem proposuit quæstionem: *Quid est veritas?* quasi è Christo velut è Philosopho sapientiam ejus audire vellet. Unde S. Bernardus serm. 23. ex parvis in eum locum scribit: *Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum* (Proverb. 25.) *ita qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. Quid tu Pilate seorsum interrogas Dominum, ut tibi susurret in aurem, quid sit veritas? Multum est ad te, non dabitur sanctum cani, neque margarita porco. Quære potius fidei gustum, satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Meritò autem frontes reverberata acie protinus resiluit, & responsum non sustinens egressus est ad Iudæos, qua ambulare cœperat in magnis & mirabilibus super se, quid esset veritas, percontatus.* Quæ postrema verba sumpsit ex prædicto Psalmo, exponens eum de iis, qui scientiam potiùs quàm fidem sectantur. Non pauci docti viri perdiderunt fidem & in hæresin lapsi sunt, quia veritatem non per fidem, sed per suum ingenium & humanas ratiunculas investigare conati sunt.

V. *Quia fides nobilior.* V. Lac vino nobilior est liquor; hoc enim à planta solùm, illud verò ab animante & homine gignitur atque exprimitur. Fides etiam scientiam nobilitate præcedit, quia versatur circa res cœlestes & divinas: cùm scientia tractet tantùm terrenas & humanas. Nimirùm voluit nos Deus per fidem inducere non solùm ad cognitionem, sed etiam ad amorem rerum supernaturalium, ut spretis his terrenis ad superna illa cœlestis patriæ nostræ bona evolaremus; quę cùm omnem intellectum superent, necessariò per fidem ad eorum cognitionẽ elevari debemus. Unde S. Bernardus in Cantic. ait: *Quid non inveniat fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit.* Econtra scientia & sensus humanus humi repens non nisi terrena & sublunaria, eaque imperfectè nobis ostendit atque exhibet. *Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ non videntur, æterna*; ait Apostolus 2. Corinth. 4. Videntur autem hæc per fidem, quasi *per speculum in ænigmate.* ut ait idem 1. Corinth. 13. hoc est, obscurè, quasi per cancellos: sicut merces in officinis mercatorum videntur modo aliquo per crates vimineas aut ferreas. Fides ergo velut aquila cœlestia & æterna contemplatur & conspecta la proponit, scientia verò & sensus hominis velut scarabæus in luto volutatur, & terrena solùm ac fi pertractat. Fides oculus dexter est, quo uti nos decet in militia hujus vitæ ad tuenda & quærenda cœlestia: Scientia verò sinister, clypeo tegendus, dum pugnamus; juxta id 2. Corinth 4. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur* (terrenis scilicet) *sed quæ non videntur* (cœlestibus.) At verò hostis humani generis imitatur Regem illum Ammonitarum, Naas, qui non alia lege fœdus cum viris Jabes Galaad voluit ferire, nisi erutis eorum oculis dextris; 1. Reg. 11. quò scilicet ad bellandum & ad resistendum inutiles redderentur. Cùm enim in pugna clypeos manu sinistra gererent, necesse erat ut sinistris oculis, clypeo tectis, impedirentur, quo minùs viderent hostem, & sine errore inferrent aut declinarent plagam. Quare dextris effossis oculis perinde erat, atque si cæci forent. Idem ergo molitur Satan cum hominibus, ut exponit sanctus Bonaventura in dieta salutis, tit. de virtut. cap. 2. *Fides*, inquit, *comparatur oculo dextro; Sinister oculus est ratio, quæ solùm de naturalibus judicat: dexter verò est fides, quæ omnia tam naturalia quàm miracula determinat, & intellectum in obsequium Christi captivat*, ut dicit Apostolus 2. Corinth. 10. *Et sicut qui amisit oculum dextrum inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, & sic nullum habet oculum, quo videat ferire, aut cavere adversarium: sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Vnde Naas dicit hominibus, vel viris Iabes Galaad: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. Naas interpretatur serpens vel coluber, & signat serpentem antiquum, id est, Diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem ut ad bellum spirituale hominem reddat inutilem.* Et quidem qui cum hoc Naas seu serpente venenato fœdus inierit, eique subesse potiùs elegerit, quam cum eo ad mortem usq; pugnare, oculum dextrum jam effossum habet, qui cœlestia neque videt neque curat; adeoque vitam pecorum potiùs quàm hominum vivit, oculo suo sinistro non nisi terrena spectans & desiderans. Incidit hic in opprobrium, quod inferre conabatur Naas viris Jabes Galaad dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.* Turpissimum enim est non modo coram Deo & Angelis, sed etiam coram hominibus, hominem cœlo natum abjicere se ad pastum velut mutæ animantes, & belluinam vitam degere. Talis fuit

Nabu

abuchodonosor Danielis 4. cui *datum est cor feræ*; fænum velut bos comederet, neque præter fæ- um aliud cogitaret, donec datus est illi oculus xter, quo Deum agnovit & cœlum aspexit. Ta- fuit etiam sinister ille latro, qui sinistro solùm ulo præditus, non nisi ea, quæ ad hanc vitam ectabant, exposcebat: *Si tu es Christus, salvum temetipsum & nos*: hoc est, libera te & nos à uce, ut vitæ hujus bonis frui possimus. Con- à verò dexter dextro oculo instructus, non nisi elestia spectabat: *Domine memento mei, dum neris in regnum tuum*; de terra & vita ista nihil m solicitus. Ille igitur infideles, hic fideles re- æsentat. Cum hoc vos Auditores custodite o- dum dextrum, custodite fidem vestram. Nolite ebriari vino scientiæ terrenæ: sed potiùs *velut odò geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac fidei) concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Pet. 2.

THEMA V.

Quomodo excipiendus in Sacra Com- munione Christus, verbis S. Thomæ.

Cum affectu intensæ fidei.
Cum affectu pudoris & timoris.
I. Cum affectu humilitatis & reverentiæ.
V. Cum affectu gaudii spiritualis.
Cum affectu amoris.

Dominus meus & Deus meus. Joan. 20.

QUando aliquis magnum adire dominum vult, primùm omnium cogitat vel interrogat: quid loquar, & quid dicam ei? Sic Moyses mis- us ad filios Israel à Deo, interrogat primum: *Quid icam eis?* Et Dominus ad eum: *Sic dices: Qui est isit me ad vos.* Exod. 3. Post paucos dies plerique ostrum adituri sunt Dominorum Dominum in S. ommunione, & cum eo cœnaturi. Prima ergo no- tra cogitatio sit: quid loquar & quid dicam ei? A- iqui existimant longas sibi preces esse recitandas, quæ tamen quò longiores, eò ferè leviores sunt & ob evagationes Deo molestiores. Magni sanè Do- mini non libenter audiunt multa, sed pauca & sa- pientissima verba. Unde etiam Christus Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici.* Et Paulus 1. Cor 14. *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua.* Juxta expositionem S. Anselmi vult dicere malo in Eccle- sia quinque verba loqui, quæ intelligam, quam 10000, quæ non intelligam. Quinque igitur verba loquemur in Ecclesia, cùm accedimus ad Christum, quæ tamen intelligamus, Ea nobis in ore nostro po- nit S. Thomas in hodierno Evangelio, nimirum: *Dominus meus & Deus meus.* Quinque omnino verba, sed prægnantia & sapientia; quæ quidem cla- ra in se sunt, quia tamen magno spiritus impetu prolata, ideoque incompleta sunt, varios affectus significant, vehementes & impetuosos quos nunc declarabimus.

I. Affectum indicant intensæ fidei, quam clarè & intrepidè profitetur, verè nimirum resurrexisse Dominum, & quod inde sequitur, esse verum De- um. Tametsi enim sensibus apprehendit Chri- stum redivivum, nihilominus tamen credidit & fir- missimè quidem, hunc eundem, qui crucifixus & mortuus fuit, esse resuscitatum, nec non Deum ac Dominum suum. Unde sanctus Gregorius homil. 26. ait: *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, sed Deum confessus est.* Deum non vidit, neque quòd propria virtute se suscitarit. Abjecit ergo mox hoc judicium sensuum, & amplexus est fidem. Nos quoque ante omnia cùm communicamus, eli- ciamus actum fidei, nec jam cum incredulo Thoma sensus nostros interrogemus; quia Christus dixit: *Beati*, h. e. beatiores, *qui non viderunt & credide- runt*; sed potiùs cum fideli Thoma altiùs ascenda- mus, credendo in Eucharistia esse verissimè Deum ac Dominum nostrum, Christum scilicet cum di- vinitate & humanitate sua; nec non divina virtute se posuisse ibi, ubi prius erat panis. Aliud ergo dum videmus (species nimirum panis) aliud creda- mus, verum scilicet Christum Deum ac hominem sub illis latentem; sicque sensuum carnalium invo- lucra deponamus. Docuit hoc Deus typicè in Moy- se, cùm ostendit illi rubum ardentem, incombustum. Magna enim certè res est Rubus ardens, incombu- stus tamen; sicut etiam Christus in Eucharistia, ma- nentibus panis speciebus illæsis. Ibi ignis circum- dedit quidem rubum, non tamen inflammavit, nec consumpsit; quia Deus per miraculum suspendit ignis actionem, negando ei concursum suum: hic in Eucharistia sub specie panis continetur corpus Christi, nec tamen eam consumit, quia illam sua potentia per miraculum sustentat, sed hoc quia sen- sibus percipi nequit, fide credendum est. Unde ad Moysen volentem rubi mysterium indagare, dicen- tique: *Vadam & videbo visionem hanc magnam*, re- spondit Deus: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exod. cap. 3. Sed cur hoc? Sanctus Bernardus in serm. super c. 12. Apocal. exponit: *Solve calceamen- ta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium co- gitationum, si accedere concupiscis.* Sensus ergo no- stri corium seu pellis mortua sunt: judicia à sensibus formata, quasi calcei sunt è corio confecti. Hæc ex- uenda sunt in rebus fidei & mysterio isto. Quid enim calcei possunt, nisi humi ambulare? *Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur*, ait Joannes Baptist. Joan. 3. sicut calcei de terra sunt, & in terra ac lu- to ambulant. Deponendi igitur, quia in fide sancta stamus. Decet hoc majestatem arcanorum divi-

I. *Cum affe- ctu intensæ fidei.*

norum, ut noctuæ satis oculis ea non timentur. Idcirco etiam Christus antequam Eucharistiam conficeret ac distribueret, lavit pedes discipulis, ac proinde calceos etiam detraxit, deinde sordes ac lutum abstersit; ut indicaret sensuum nostrorum judicia, velut calceos & sordes fœtentes, coram hoc mysterio abjicienda esse.

II. *Cum affectu pudoris & timoris.*

II. Affectum pudoris ac timoris ob antegressam pertinaciam incredulitatis, quasi diceret: O quid feci! peccavi in Dominum & Deum meum: quia agnoscere te nolui, neque divinitatis tuæ potentiam credere; agnosco me reum. Sed nimirum præ doloris vehementia non potuit absolvere sermonem. Nos etiam in accessu ad Communionem agnoscamus nostram fœditatem ex peccatis, licet jam pœnitentia deletis, contractam. Tametsi enim vestis animæ nostræ resarta est, ostendit tamen assuturas & cicatrices scissurarum præteritarum. Resarcit pœnitentia vestem laceram, sed non delet habitus pravos, nec totum pœnæ reatum. Quis autem vir honestus coram Rege non erubescit de veste lacera & resarta? Exemplo sunt fratres Josephi, qui ubi audierunt, ipsum esse fratrem suum, quem vendiderant in Ægyptum, tamque inhumaniter tractarant, nimio pavore perterriti, (licet advertissent sibi jam reconciliatum fratrem, ac dimissam culpam) non sunt ausi ad eum propius accedere; unde præcipere eis debuit: *Accedite ad me.* Et hoc etiam facto, necdum ei loqui poterant, nisi postquam omnes amplexatus esset, & plorasset super singulos. Gen. 45. *Dolentes maximè quod tam bonum fratrem offendissent*, ait Josephus, lib. 2. Antiquitatum c. 3. Cogitet ergo, qui accedit ad Sanct. Communionem, quòd & ipse neque semel deliquerit in Dominum & fratrem suum amantissimum, ac Salvatorem Christum. Et licet sibi reconciliatum speret, erubescat nihilominus ob admissa in ipsum scelera, tametsi jam remissa; nec audeat sine lachrymis ad ipsum accedere. In hujus rei typum jussit Deus Exod. 12. agnum paschalem comedi cum lactucis sylvestribus. Hebr. almeroim h. e. cum *amaris*, in signum scilicet amaræ servitutis, qua in Ægypto servierant; ut sic ejus memores essent. Unde Sanct. Ambrosius legit, *cum amaritudine.* Pari ergò modò nos ad Eucharistiam accedamus cum dolore & erubescentia, propterea quòd paulò ante servierimus peccatis: sicque cum amaritudine aliqua agnum comedamus.

III. *Cum affectu humilitatis & reverentiæ.*

III. Affectum humilitatis & reverentiæ, quem haud dubiè etiam indicant verba illa. Quare Sanctus Augustinus tractat 121. putat probabile esse, quòd non ausus fuerit tangere Christum Thomas; idemque sentit Euthymius, & videtur colligi ex verbis illis Christi: *Quia vidisti me*; non ait, quia tetigisti; licet hoc incertum sit. Certum tamen est, si tetigit, cum magno pavore, reverentia & humilitate, & haud dubiè provolutum in genua tetigisse. Et quid sonant verba illa: *Dominus meus & Deus meus*, nisi hoc: ô Domine, ego servus tuus & creatura tua? Nos igitur simili modo accedimus magna cum reverentia & humilitate, ut servi ad dominum, creaturæ ad Deum suum; siquidem & ipse Dominus noster tam humili specie ...loque apparatu ad nos venit. Sanè Rebecca quando ad sponsum Isaac ducebatur, videbatque eum à longè per agrum sibi obviantem & terra ambul... tem; ubi audivit esse sponsum suum, mox è camelo in terram desiliit, & tollens citò pallium, operuit se, sicque & ipsa pedibus illi obviam ivit. Gen. ... Ergò & tu conspecto sponso tuo cælesti, prodeunte in occursum tuum per agrum, h. e. in specie panis, desili quam primùm de supercilioso camelo tuo ... stu scilicet & existimatione tui honoris, nobilitatis, scientiæ, opulentiæ; nihil enim hæc coram D..., *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum*; ait Deus Zach. 4. Zorobabel typus Christi erat, qui templi reparator fuit, & reduxit Hebræos ex captivitate Babylon in terram promissam: Christus ... tem instauravit Ecclesiam & reduxit nos è captivitate Dæmonis in patriam. Mons respectu co..., altus videtur: sed respectu cæli nihilo altior ... deprehenditur: sic nos mutuò comparati, superamus alter alterum honore, opibus, dignitate: sed respectu Christi omnes pares sumus; quia punctum seu nihil. *In planum* ergò: ad terram usque nos humiliemus, & si fieri potest, infra terram. Præclarum hujus reverentiæ exemplum dedit Joannes Hunniades, regni Ungariæ gubernator; qui cum ægrotaret, noluit Dominicum ad se corpus deferri: indignum esse dicens, servi domum intrare Regem, jussitq; sese quamvis deficiẽtibus viribus in templum vehi, ibique de more Christiano confessus, divinam Eucharistiam suscepit, atq; inter sacerdotum manus Deo animam reddidit. Ita Æn. Sylvius in descript. Europæ c. 1. Qui sanè Princeps respectu plebis mo... erat, coram Christo tamen nequamquam se altior ... plebe esse censuit. Faciant ergo colliculi, quod ... monte factum audiunt. Arbor quædam Idololatrica, si credimus Sozomeno l. 5 hist. c. 20. apud Hermopolim culta, ad Christi in Ægyptum fugientis adventum, se inclinavit usque ad solum, eum venerata. Ergo arbores & dæmones Christum sic venerantur: tu non magis veneraberis?

IV. Affectum gaudii spiritualis, ob conspectum Domini & Magistri sui redivivi, quo recepto & re... perto omnia se habere credidit, adeoque exultan... exclamavit: *Dominus meus & Deus meus!* Sic quoc... & nos præ gaudio exsiliamus ob adventum tan... hospitis in communione. De Themistocle Atheniensium peritissimo belli Duce, multisque inclyto victoriis scribit Plutarchus & Probus in Themistoc... quòd cùm è patria pulsus ad barbaros se reciper... cogeretur, Xerxes Persarum Rex singulari eum honore lætitiaque exceperit, seque fælicem asseruerit ob tanti viri præsentiam & amicitiam. Unde præ lætitia noctu in somnis sæpe dicebat *Themistoclem habeo*; & subinde experrectus ministros interrogabat, an secum Themistocles esset?

Urbes

Urbes ipſi præterea aliquot & opes ingentes dono dedit. Jam ſi peritus belli Dux ita exhilarare potuit Regem potentiſſimum, quomodo non magis exhilaret non præſens triumphator mortis & inferni, qui cælum nobis expugnavit & acquiſivit? Jure ergo 1. Cor. 5. ait Apoſtolus: *Epulemur*, græcè ἑορτάζωμεν h. e. *feſtum agamus*, vel *tripudiemus*) *in azymis*; ſcilicet Euchariſtiæ. Scimus Davidem totis viribus exiliiſſe, ſaltaſſe & ceciniſſe coram Arca, cùm eam induceret in domum ſuam, 2. Reg. 6. Quid autem Arca illa niſi figura tantùm Euchariſtiæ fuit? Scimus Zachæum cum gaudio recepiſſe hoſpitio Chriſtum Lucæ 19. ſeique miniſtraſſe. Quid autem minus nos habemus? Et ſicut ipſius domui ſalutem Chriſtus attulit ac reliquit, ſic eam & nos poſſumus ſperare.

V. Affectum amoris, quo complexus eſt Dominum ſuum, (quem priùs adeò amarat, ut cum eo mori non dubitaret, dicens: *Eamus & nos & moriamur cum illo*. Joann. 11. præſertim quando cogitavit ipſum in ſui gratiam iterum apparuiſſe; ſeque ipſi tangendum obtuliſſe; quo ejus amore quaſi in camino uſtulatus exclamavit: *Dominus meus & Deus meus*? Igitur & nos expreſſo amore Chriſti, quo ſe transformat in ſpeciem panis, & deſcendit ad nos, ut nos paſcat carne ſua, rependamus amorem reciprocum. Ferunt aproxin herbam igne eminus conſpecto colluceſcere, proprius admoto igneſcere; ignem viciſſim herbeſcere ad ejus conſpectum: ubi vero ſemel invaſerit, ne affuſo quidem oceano extingui poſſe: donec totam in ſe converterit. Refert Pythagoras apud Plin. lib. 24. cap. 17. Nos ad præſentiam tanti amatoris noſtri non viciſſim accendemur reciproco amore? Quid enim? Itane me, Domine, carne tua alere, & in te vis transmutare? Magnum certè calorem concipere debemus, quando audimus Chriſtum de cælo in terras ad nos deſcendiſſe, & carnem noſtram induiſſe. Majorem longè, cùm nobiſcum converſari, edere, bibere, nobis pedes lavare, denique pro nobis mori voluiſſe; tunc enim planè ignoſcere deberemus. At quando audimus, eum ſe nobis in cibum reliquiſſe, ut intimè cum eo uniremur, ſicque ignem iſtum nos etiam invaſiſſe; tunc certè omninò ardere amore nos oporteret, & ita ardere, ut nulla unquam ratione refrigeſcere poſſemus. Sic enim Cant. 8. docemur, ubi cum ſponſi dilectio vehementi igni comparata eſſet: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum* q. d. vehementiſſimè ardentes, ſubdit mox: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Hoc eſt. Quia ego te ſic dilexi, ut non poſſem magis; utique tu quoque accenderis reciproco amore, ita ut hic amor noſter mutuus nullis unquam tentationibus, perſecutionibus, adverſitatibus extingui poſſit. Atque hoc eſt, quod ait Joannes Chriſtum cùm cænam ultimam inſtitueret, *in finem dilexiſſe ſuos*; ita videlicet, ut non poſſet magis uniri nobis, quò & nos in finem uſque diligamus eum. Ergo quia ſic nos diligit, redamemus eum, ne jure nobis objicere poſſit, quod Phariſæo illi: *Intravi in domum tuam, & aquam pedibus meis non dediſti: nec oſculum mihi dediſti, nec oleo caput meum unxiſti*, h. e. non honoraſti, non amaſti me, nec gaviſus es propter me.)

IN FESTO S. NATIVITATIS CHRISTI.

THEMATA.

I. *Chriſti nativitas cordi noſtro imprimenda.*
II. *Gaudium hodiernæ diei ex nato Salvatore.*
III. *Quare Chriſtus in terram pauper & humilis venerit.*
IV. *Portenta Incarnationis Chriſti.*
V. *Gloria Chriſti nati qua in re cernatur.*
VI. *Quæ obſequia Chriſto nato deferenda.*

Conſidera.
I. *Quis eſt, qui ad nos venit.*
II. *Ad quos venit.*
III. *Quomodo venit.*
IV. *In quem finem venit.*

Tranſeamus uſque Bethlehem & videamus hoc verbum, quod factum eſt. Luc. 2.

THEMA I.

Chriſti nativitas cordi noſtro imprimenda.

Pietate ac doctrina vir inſignis, Ludovicus Granatenſis Conc. 3. in Natali Domini affirmat pretioſam & inuſitatæ magnitudinis margaritam fuiſſe repertam in corde Margaritæ virginis, cui à Caſtello, Italiæ urbe, nomen erat; poſtquam ea defuncta eſt: in eo porro unione apparuiſſe impreſſam præſepis Chriſti nati. *Præſepe Chriſti in corde S. Margaritæ à Caſtello.*

nati imaginem, corã illo vero ipsam virginẽ in genua provolutam. Causa tanti miraculi creditur fuisse, quòd prædicta Virgo nativitatem Christi frequenter meditari, cordique adeo suo quasi insculpere consuesset. Servari unionem illum usque hodie in sacrario S. Dominici & conspici affirmat. Præclarum hoc est miraculum, Audit, quo quid aliud demonstrare voluit Deus, nisi quod magnoperè ipsi placeat, si ejus nativitatem & præsepe frequenti & solerti meditatione cordi nostro imprimamus? Sic enim fore ut ipse in corde nostro quasi denuo nascatur, & in eo sibi domicilium adornet. Quid autem gloriosius quàm talem hospitem habere, domus & præsepe filii Dei fieri? Quare ut hæc gratia nobis etiam contingat, convocemus omnes animarum nostrarum vires, & his quasi famulis stipati transeamus usque Bethlehem una cum pastoribus & videamus hoc Verbum.

I. *Quis est, qui ad nos venit.* I. Quis est, qui hodie in terram venit? Dei filius de cælo descendens. Quis non obstupescat? Deum in visibili & humana specie de cælo descendere? Quanta cæli distantia à terra? quæ illius cum hac communicatio? Et tamen hodie Deus *inclinavit cælos & descendit*, ait Psalmista Ps. 17. quasi diceret, totam suam aulam detulit ac trãstulit secum in terram, ut jam terra cælo similis & quasi unum quid cum ipso fieret. Vbi enim est Imperator, ibi & aula ejus: ubi Deus, ibi & cælum. Atque ita sanè loquitur Clemens Alexandr. adhort. ad Gentes: *Terram mutat in cælum Dei agricolis &c.* Magni æstimant homines, si in suam civitatem imperator transferat aulam suam; inde enim illi civitati quam plurima emergunt commoda, plurimæ divitiæ, maximus honor, nominis splendor, Legatorum & nobilium confluxus, gratiosa spectacula, gratiæ & privilegia, &c. Quid non putamus Dei filium detulisse secum in terram, quando ad eam inclinavit cælos? Hinc jam non mirum, toties Ecclesiam militãtem appellari *Regnum cælorum* ab ipso Christo: non mirum in ipsa reperiri privilegia & gratias planè cælestes, panem Angelorum, viros sanctos, Angelorum cum hominibus commercia, virtutes plusquàm humanas & Angelicas, sacerdotes cælesti & plusquam Angelica potestate consecrandi Eucharistiam & dimittendi peccata præditos, sacramenta divina, doctrinam & dogmata cælestia, conversationem religiosorum Angelicam, tot in mundo templa & monasteria, plurima passim miracula &c. Hæc enim omnia sequuntur Dei in terras descensum. Quantum vero est hoc ut summus cæli Imperator in hunc mundi pagũ se demittere, ibiq; inter homines voluerit habitare! Quantũ hoc nobis decus & ornamentum! quantus honor & divitiæ! quãtam parare lætitiam debet! Sanè Hebræi quando viderũt in deserto panem planè mirabilem, omni dulcedine præditum, de cælo ad se delapsum, præ admiratione exclamarunt: *Manhu! quid est hoc!* Exo. 16. quasi dicerent: quale hoc donũ? qualis panis in

cælo ab Angelis confectus? qui sumus nos, ut cæl
stem & Angelorum panem manducemus? At ve
istud parum est, respectu doni illius, quod hod
percepimus, estque panis vivus de cælo descender
ipse Dei filius. Qui sumus nos, ut hunc panem ac
piamus? Si vel Angelus unus specie visibili de cœ
lo ad nos venisset, missus à Deo, jure meritissim
gratulari nobis deberemus, nec non Dei cleme
tiam maximoperè admirari & extollere; non sec
ac Tobias cum familia sua, quando audiens R
phaelem de cœlo ad se missum, coram se assiste
tremens cecidit in terram & tribus horis prostrat
jacens Deum benedixit Tob. 12. Quid enim plus
Angelum unum, an Dominum Angelorum è cæ
ad nos descendere? Gentiles erant Lystrenses, i
tamen ubi viderunt claudum à Paulo erectum, i
stuporem acti levaverunt vocem suam Lycaon
dicentes: *Dii similes facti hominibus descẽderunt*
nos, tauros quoque & coronas afferebant, ut Pau
& Barnabæ sacrificarent. Act. 14 Errarunt quidem
isti in personis Apostolorum, satis tamen ostendu
nobis, quid sentire debeamus, quando cogitam
Deum in persona propria verissimè hominibus
milem factũ ad nos descendisse. Mirari enim & st
pere ob tãtum beneficiũ, Deum benedicere, sacri
ciis & laudibus celebrare, toto pectore exultare, &
calẽtibus lachriymis donum hoc cœleste, quod A
gelis stupendum est, excipere nos decet; uti fecit
Augustinus ad fidem conversus, qui l. 9. Conf. c.
sic scribit, hoc beneficium expendens: *Nec satiab*
illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitud
cõsilii tui super salutẽ generis humani. Quantum fl
in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ
vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant
ribus meis & eliquabatur veritas tua in cor meum
currebant lachrimæ, & bene mihi erat cũ eis.

II. Ad quos venit & quorum gratia? Ad nos
propter nos homines, amicitiã singularem nobis
contracturus. Quis hic non iterum & multo ma
obstupescat? *Quid enim est homo, quòd memor es ej*
ait David. *aut filius hominis, quoniam visitas eu*
Ps. 8. & Job c. 7. *Quid est homo, quia magnificas eu*
aut apponis erga eũ cor tuum? Visitas eum diluc
Rursum David Ps. 143 *Quis est homo, quia innotu*
ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo va
tati similis factus est, &c. Neq; solùm vanitas est h
mo, sed præterea, quando à Deo visitatus est, De
psius inimicus & omni scelere contaminatus er
Etenim mundus eo tempore, quo Christus in te
venit maximè corruptus erat & sceleribus imm
sus, uti indicat Apostolus ad Rom. 5. iis verbis:
autem abundavit delictum, superabundavit grat
Erant enim tunc per universum orbem omnia
ferta cymeriis tenebris, Idololatria, erroribus,
perstitionibus & quæ inde oriuntur vitiis om
generis immanibus: Judæi quoq; plerique, qui tu
soli Dei veri notitiam habebant, plurimis fidei
nebris & ignorantiis scatebant æquè ac peccatis
ita ut pauci valde inter illos rectè ambularẽt. Qu

ob cauſam videtur Chriſtus naſci voluiſſe media hyeme mediaque nocte, ut indicaret, quanta tunc in mundo ſterilitas bonorum operum, quantum frigus in Dei cultu, quantæ tenebræ & ignorantiæ tūc in terra forent. Quis enim media nocte tunc orabat, aliave pia opera faciebat? omnes ſuæ quieti vacabant, & quamplurimi in voluptatibus & libidinibus per noctem ſe volutabant. Tunc ergo venit Chriſtus, quod bene advertit Iſaias c.9. dicens: *Habitantibus in regione umbræ mortis: lux orta eſt eis.* In umbra mortis habitabant, quia ut umbra corpori, ita tunc mortales proximi mortis æternæ erant, tenebricoſi & nigri, deſtituti luce fidei & gratia. Jam ergo ad hujuſmodi homines deſcendit, ad impios, rebelles, refractarios; quod indicat idem Iſaias. c. 7. quando impio & contumaci Regi Achaz obtulit Deus miraculum, in ſignum liberationis ab hoſtibus, ipſi concedendæ; & reſpuenti ac dicenti: *nō petam*; nihilominus dedit dicens: *propter hoc* (quia ſc. Deum aſſidua veſtra impietate irritatis, & auxilio ejus diffiditis) *dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium* videlicet Meſſiam. Non ita ſanè mundus agit, qui perduellibus & præfractis omnem gratiam ſubtrahit, nedum ut in ſe illorum miſerias ſuſcipiat, aut pro ejus liberatione aliquid expendat. Patet exemplo Mauritii Imperatoris, qui cùm expertus eſſet milites ſuos, contra Chaganum miſſos, crebras, ſeditiones moviſſe, & in parendo contumaces fuiſſe, ideoque non ſemel hoſti ſuccubuiſſe, poſteà ab eodem Chagano in prælio captos ſupra 12000. noluit redimere, licet hoſtis pro ſingulis non niſi ſingulos nummos, ac demum dimidios tantum poſtularet; ſed permiſit eos hoſtili gladio omnes enecari; ut refert Cuſpinianus. Quando hic Imperator ad ſuum militem liberandum in Pannoniam deſcendiſſet, qui nec obolo quidem redimere eum voluit? Verum quidem eſt, ſuccenſum ipſi fuiſſe, quia avaritiam & crudelitatem ſapiebat; at nequaquam ſuccenſeri poterat Deo, ſi humano generi, quod ei toties rebelle contumaciter repugnarat & imperia detractarat, ſeque ipſum temerè hoſtili gladio expoſuerat, nullum prorſus auxilium aut redemptionis lytrum, ne dicam propriū filium liberatorem miſiſſet. Certè Elias evocatus è monte Carmeli ad Ochoziam Regem qui patrem Achab ſecutus, Deos alienos ſectatus erat, ut vitam & ſanitatem (juxta opinionem Abulenſis) ipſi impetraret, noluit deſcendere, ſed ſemel & iterum duas militum cohortes) utique Rege Idololatra nihilo meliores) ad ſe miſſas igne cæleſti perdidit, ac tertio quidem deſcendit, ſed non niſi mortem Regi annunciavit. 4 Reg. 1. At non ita cum genere humano egit Deus, ſed è cæleſti ſuo habitaculo, etiam nō vocatus, deſcendit ad rebelles, impios & refractarios mortales, ut ſalutē & liberationem ab æterna morte eis impertiret: Quis hanc tantam dignationem & clementiam ſatis admiretur & dignis extollat laudibus? Non petierunt illi ſignum, quo redimerentur; neque ſuis precibus evocarunt liberatorem; quin potiùs contra nitendo quaſi dixerunt: *Non petam.* Nihil tamen hoc obſtante, ecce dedit eis ſignum, maximè ſtupendum: ex Virgine Salvatorem.

III. Quo modo venit? prorſus admirando. 1. in carne humana & paſſibili, morti & doloribus, aliiſque miſeriis, frigori, æſtui, fami, ſiti, laſſitudini obnoxia. Poterat ſanè Dei filius venire ad nos in corpore aſſumpto, quale efformant ſibi Angeli, nullius paſſionis capaci: poterat in glorioſo & quidem jure optimo, cùm originali culpa vacaret, & animā beatam ac glorificatam haberet. At non ita venit, ſed in corpore paſſibili, ut miſerias noſtras deguſtare, ſicque infirmitatibus noſtris compati, ac demum liberius ac confidentiùs nobiſcum agere poſſet. Typum in hac re ſuum præmiſit Moyſen, qui cùm in monte Sinai ex conſortio Dei ſplendidam nactus eſſet faciem, ita ut Hebræi non poſſent in eam intendere, (2. Cor. 3.) poſuit velamen ſuper faciem ſuā, ut liberioris colloquii daretur ei copia. Exod. 34. Sic enim & ipſe Chriſtus Dominus velum carnis humanæ paſſibilis obduxit gloriæ ſuæ; quia ſi in glorioſo corpore ad nos veniſſet, non potuiſſemus cum ipſo tam liberè converſari aut ſplendorem ejus ferre, nec ipſe pro nobis ad juſtitiæ rigorem ſatisfacere. Quemadmodum ergo David non in thorace æneo Saulis, ſed in ruſticano ſuo ſago cum Goliatho congredi voluit; ita & Dei filius in paſſibili corpore ad prælium deſcendit contra Diabolum. *Habemus ergo Pontificem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia.* Ad Hebr. 4.

III. Quo modo venit? 1. In carne humana.

Secundò. In corpore infantili primùm, more aliorum hominum. Quis & hoc non admiretur? Poterat enim mox perfecti viri corpus aſſumere, quale Adam à Deo accipit, à Deo efformatum; ſed magis ei placuit corpuſculum infantile; tum ut per omnia fratribus ſuis aſſimilaretur (Hebr. 2. 17.) ſicque dulcius & tenerius nos ad amorem ſuum traheret, nec quiſquam ab eo jam refugeret; quem non gladio armatum, nec viribus pollentem, ſed planè debilem, ſuavem & infantem cernimus: tum ut ſalutis noſtræ negotium tractare à teneris inciperet, lachrymando, patiendo, obediendo & permittendo ſe aliorum manibus, alligandum, infaſciandum, cibandum, tametſi quoad mentem & intelligentiam aliaſque dotes vir jam perfectus erat; tum denique ut nobis ab ipſis incunabulis, humanitatis, patientiæ, mortificationis & obedientiæ præclariſſima exempla daret, adeoque id doceret, quod poſteà edixit: *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth 18.

2. In corpore infantili.

3. In ſumma paupertate; quæ apparet ex alieno eoque viliſſimo tugurio, ex præſepi & ſubſtrato fœno, ex vilibus panniculis, & defectu famulæ & obſtetricis, cujus vicem obire ipſa ejus mater debuit. Nimirum ſicut pauperes defectu ſupellectilis rem eandem ad plures uſus adhibent: lodice pro pallio, tunica pro culcitra, ſcamno pro lecto, trunco pro

3. In ſumma paupertate.

pro mensa utuntur: sic etiam Salvator noster stabulum pro domo, præsepe pro lecto, fœnum pro plumis, pannos pro indusiolo, halitum bovis, & asini pro foco accipit; licet totius mundi Dominus esset: quod profectò summè admirandum. Sed nimirum voluit nos docere sanctum & salutarem aulicimum, eligens in mundo postremum locum (sicut etiam posteà verbo docuit Luc.14) nobis relinquens honoratiorem: ipse intrare stabulum, cedere aliis diversorium. Cujus etiam rei typum præmisit in Arca fœderis, quam usque ad structuram templi permisit habitare sub pellibus. 2. Reg. 7. (quod non sine dolore sensit David, dicens ad Nathan: *Videsne quòd ego habitem in domo cedrina & Arca Dei posita sit in medio pellium?* (& postea quoque in templi obscurissimo & angustissimo loco, adeoque in caligne. 3. Reg. 8. Ita enim sibi angustum & obscurum in hoc mundo delegit locum, nobis laxum & lucidum permisit, ut observat Theodoretus. Denique paupertatis mundo prius exosæ, præclara bona & commoda nobis commendare, divitiarum verò pericula demonstrare voluit.

IV. *In quē finē venit?* 1. *Vt nos salvaret.*

IV. Quem in finem venit? non sanè propter se aut ullum suum commodum, cùm nullius indigeret, ditissimus in se ipso; sed ut nos ditaret. Alii Reges veniunt ut tributa à subditis accipiant, aut pœnas à reis exigant, aut suæ voluptati operam dent. Non ita Dei filius, sed *factus est principatus super humerum ejus* ait Isaias ca 9. de Christo nato loquens. Non posuit principatum suum super humeros subditorum, uti faciunt alii ferè principes, sed potiùs onera nostra super humerum suum; pœnas nobis debitas in suo corpore luiturus. Vidit nimirum genus humanum (in parabola illius hominis) Luc.10,) descendisse ab Jerusalem in Jericho, & culpa quidem ac temeritate sua incidisse in latrones, ab iisque miserum in modum esse non despoliatum modò, sed etiam plurimis vulneribus undique concisum, adeoque morti proximum. Misericordia igitur motus descendit de equo gloriæ suæ & imposuit id in jumentum, corpus scilicet suum, ut sanitati restitueret. Sed non explicat parabola illa, quantum illa sarcina, gravarit ac sauciarit dorsum corporis Christi. Hoc igitur exemplo istud explicemus. Accidit superiore sæculo, anno 1542. ut Saxoniæ Dux Mauritius profectus in Turcas juvenis animosus è castris quodam die progressus, uno solo comitante ephebo velut armigero, cùm in Turcas aliquot irruisset, manus consereret, equoque confosso in terram effunderetur. Ita inter strictos Turcarum acinaces dum jacet, Ephebus ejus fidelissimus toto corpore super eum incubuit, jacentemque protegens, tantisper hostem sustinuit, donec equites supervenere, qui principem eriperent. Ipse famulus multis vulneribus acceptis in castra relatus non multò post interiit. Refert Sleid. lib. 15. auctor alioquin de Catholica fide malè meritus. Fuit sanè genus humanum simile huic Prin-

cipi; sua enim culpa & temeritate incidit in hoste
suos capitales, Dæmones, à quibus equo gratiæ ex
cussum & pessimè mulctatum, non nisi præsentiss
mam mortem inter eorum manus expectabat. A
ecce tibi, Dei filius de cœlo delapsus, super id incu
buit, dum carnem nostram suscepit, & in suo corpo
re tot vulnera excepit, quot postea in passione infl
cta ei fuere. Sic ipse quidem nos servavit, suam ve
rò vitam interim amisit. Quis hoc tantum benef
cium satis prædicabit? Quod Ephebus ille fecit
jure aliquo fecit, utpote servus domino. At quis un
quam audiit, quod hoc dominus servo fecerit? tan
tus præsertim tantillo? Deus homini? Facilè in
telligimus neque miramur, quod egit Abraham
quando pro filio suo immolavit arietem; at quis ca
pere posset, si pro servando ariete immolasset filiū
Hominem pro Deo immolari decet; at Deum pr
homine mori, quis non mirabitur? Hujus porrò sa
crificii schema jam exhibuit Dei filius in ipso pra
sepio, ut bene dixerit Isaias: *Parvulus natus est n*
bis & filius datus est nobis; & factus est principat
super humerum ejus. Principatus crux est; hanc ja
à teneris gestare cœpit, uti expendit noster A
phonsus Salmeron in tom. de Infantia Christi. *N*
scitur infans ac velut Idiota, qui fari nescit scit: pa
sionis tempore, ut stultus ac nesciens Herodi ac Pila
respondere deridetur. Nascitur nudus coram matr
exaltabitur nudus in cruce coram omnibus. Cùm or
tur, locum non habet in diversorio: dum vivit, n
Hierusalem, nec alibi locum habebat, ubi caput suu
reclinaret: in morte neque sepulturam propriam h
buit. Rursus nascitur sub mediam noctem; morit
post meridiem in densissimis eclipsis tenebris. Natus
matre vincitur fasciis & ligatur: verùm instan
nece crudeliter manibus pedibusque funibus constri
getur. Dum infans est, sinit se gestari à matre ut imp
tens & imbecillis; at post hæc Iudæorum furore tr
hetur, & in alto crucis loco sustinebitur. Cœpit, u
primum natus est, vagitu & ejulatu & lachrimis g
nas perfundere: sed hunc planctum perfecit ac gem
tum, quando, ut Apostolus ait, cum clamore valido e
lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverenti
Quærit, dum puer est, pectus matris ut calore simul, e
lacte foveatur alaturque: at nudus erit in passion
atque ejus siti vehementissimæ acetum & fel porr
getur. Natus in stabulo, loco fœtenti, reclinatur i
præsepio: moriturus producitur in locum graveolen
tem, nempe in montem Calvariæ, & in aspero cruc
lecto reclinatur. Nascitur in obedientia Augusti Cæ
saris: morietur ex obedientia Pilati vicem Impera
toris Tiberii gerentis. Natus inter duo animalia sta
tuitur: acturus animam inter duos latrones colloca
bitur. Vides igitur quanta sit convenientia int
Christum puerum, & inter Christum virum? in
ter præsepe, & crucem? inter exordium vitæ, & fi
nem?

At hæc venit ut novam vivendi normam nobi
præscriberet, & in seipso primùm velut in exem
plari delinearet. Idcircò enim Isa.9. nomen Christ
nati

nati dicitur futurum: *Pater futuri sæculi*; quia Christianos, novos scilicet homines, ad novam vivendi rationem & sanctitatem futuri sæculi erat instituturus. Factus quidem erat ad imaginem Dei homo; sed quia astu dæmonis fœdarat imaginem illam, nec decebat ut prorsus periret, ideo reformatore eguit. *Vt enim forma aliqua*, ait Sanctus Athanasius lib. de Incarn. Verbi, *in tabulis depicta; sordibusque aliunde objectis, obliterata instaurari nequit, nisi ejus præsentia adhibeatur, ad cujus speciem primitus tabula depicta fuit: Eodem modo undecunque ille bonus patris filius, imago & character patris ad regiones nostras profectus est, ut hominem ad sui similitudinem factum denuò reficeret.* Hoc autem mox ab infantia Christus agere cœpit, quando se in præsepio spectandum exhibuit, tam pastoribus quàm Regibus, tam pauperibus quam divitibus. Ibi enim videre est exemplar humilitatis in ejus præsepio, paupertatis in ejus stabulo, obedientiæ in ejus fasciis, patientiæ in fæno & rigore hyemis, contemptus mundi in alieno territorio. Ibi in vili tugurio damnat insana mundanorum ædificia: in fæno & præsepi aureos eorum lectos, mollitie refertos: in vilibus pannis vestium splendorem: in suis lachrymis immoderatos risus: in parvo lacte lauta convivia: in fœtore stabuli, suaves suffitus & vestium odores: in bove & asino pravas societates. Hic porrò est Rex noster, cujus exemplum sequi jure meritissimo subditi debebent. Surgent alioquin Ninivitæ in judicio & accusabunt eos; siquidem ipsi videntes Regem suum ad prædicationem Jonæ surgere de solio suo, & abjicere vestimentum suum à se, indui sacco, & sedere in cinere: mox etiam ipsi Regis exemplum secuti, *prædicaverunt jejunium & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem; & pervenit* (h.e. quia pervenit, ut ibi explicat Cornelius) *verbum ad Regem.* Jon. 3. A Rege igitur ad subditos derivata est pœnitentia. Quid jam faciunt Christiani, viso exemplari suo, Rege suo, qui de cœlesti solio suo surgens, neglecta veste gloriæ suæ, induit se pannis, reclinavit se in fœnum & præsepe? Denique ad hoc de cœlo venit, ut nos in cœlum eveheret & assumptis miseriis nostris, cumularet ac ditaret bonis suis. Regis filius Jonathas, ut amorem suum erga Davidem demonstraret, expoliavit se tunica & vestimentis suis, usque ad gladium, arcum & baltheum suum. 1. Reg. 18. Pastorculus erat David & pastoritiis indutus vestibus, quare non satis firma fidaque videbatur futura amicitia inter filium Regis & pastorem, Itaque ut eam firmaret ac sanciret Jonathas, spoliavit se ornamentis suis, iisque Davidem induit, ut quasi alter Jonathas fieret. Idem egit Dei filius cum humano genere, spoliavit enim se ornamentis gloriæ suæ, & nudavit se in præsepi, usque ad indusiolum; deditque illi tunicam gratiæ, vestimenta virtutum suarum gladium verbi Dei, arcum orationis ad jaculandum in cælum & impetrandum omnia in nomine ejus, ipsum deni-

Fabri nova silva, de S S.

que baltheum (qui erat insigne & gloria militis) gloriæ suæ cœlestis & paternæ hæreditatis. Sed quis impulit Jonatham, ut adeò se nudaret & Davidem ornaret? Non nisi amor, quia *diligebat eum ut animam suam, & conglutinata erat anima ejus anima Davidis.* Idem ut Dei filius homini impertiret, impulit eum amor. Amor similes facit, & sua amato communicat, ut patet in conjugibus: idem erga hominem effecit in Dei filio. Amor captivam facit voluntatem, intellectum quasi cæcat & insanire facit: idem dixerit aliquis effecisse in Dei filio. Quis enim non captivum videt in præsepi? quis non putet insipientem: utpote amore nostri factum infantem, pauperem, nudum, miserum? Verè igitur dicere poterat illud Apostoli 2. Corinth. 12. *Factus sum insipiens: vos me coëgistis.* Cur insipiens Domine? quia vilem & sordidum pastorculum adeò amasti, quasi animam tuam, ut ejus miserias assumeres, tuas opes ei donares Vulgò dicitur: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.* Ranam amasti Domine, & hanc ranam putasti esse Dianam.

Nunc igitur Auditores considerate, quid vicissim vos Dei filio debeatis, tanto amatori vestro. Et quid nisi amorem reciprocum? Sanè agnovit David, quid Jonathæ suo deberet, ideò vicissim tenerrimè eum amavit, adeò ut dum sibi in mutuo amplexu ambo valedicerent, ambo quidem flerent, David autem ampliùs. 1. Reg. 20. Ejus quoque amorem adeò cordi suo impressit, ut mortuo etiam impenderet, parentando multis lachrymis, posteris quoque ejus benefaciendo. Ergò & nos pariter imprimamus pectori nostro Jonatham nostrum, Dei filium, amore nostri nudatum & in præsepi positum. Sit hic amor & memoria, velut margarita in corde nostro jugiter reposita, infixa & impressa.

THEMA II.

Gaudium hodierni diei ex nato Salvatore.

I. *Quia natus est nobis Redemptor.*
II. *Natus fidejussor.*
III. *Natus cælestis Medicus.*
IV. *Natus mundi Sol.*
V. *Natus vitæ Dux.*
VI. *Natus mundo Altor.*
VII. *Natus Princeps pacis.*
VIII. *Natus Salvator.*

Evangelizo vobis gaudium magnum: quia natus est vobis hodie Salvator mundi, Luc. 2.

SAnctus ille & Seraphicus Franciscus singulari devotione non tam ferebatur, quàm rapieba-

tur erga hodiernam festivitatem, adeò ut cùm Solem oriri & prodire ex aurora cerneret, mirificè lætaretur, quod in illo imaginem quamdam & effigiē Christi, ex Virgine Maria nati, expressam intueri sibi videretur. Quin etiam fertur in ipsa Nativitatis Christi nocte non exiguam frumenti mensuram per agrum disseminasse, ut aviculæ manè surgentes eo vescerentur, Christique nati laudes suo modo libentius atque liberius decantarent, uti refert noster Alphonsus Salmeron tom. 3. tract. 34. Movit ad hoc, ni fallor, virum sanctum cantus ille Angelorum, quasi cœlestium avicularum, Christi laudes hodie suaviter canentium, & communem orbi lætitiam suo cantu nunciantium. Non tam enim sibi quam hominibus applaudebant quorũ gratia Christus natus est; ut suo illo plausu omne hominum genus ad communem invitarēt applausum. Quid jam igitur nos Auditores? Non etiã exultabimus & unà cum SS. Angelis, imo plusquam Angeli, laudes Deo canemus? Nemo nostrum sit lætitiæ hujus exsors. Nostrum n. magis, quam Angelorum est hoc Festum: nostrum est cantare & jubilare, non avicularum. Quod ut libentius ac liberius faciatis, spargam vobis semen & pabulum, ex quo intelligatis, quis & quantus sit, qui vobis natus est.

I. *Quia natus est nobis Redemptor.*

I. Natus est vobis hodie Redemptor, qui eripuit nos de servitute Dæmonis ac peccati, omnium durissima. Quanto gaudio perfunderetur vir præsertim nobilis, captivus apud Turcas, præsentissimam mortem semper expectãs, si quis ad ipsum penetrans per mediam Turciam, lytro eum redimeret & in patriam reduceret? Afflictissima fuit Hebræorum servitus in Ægypto, qua à Rege novo & tyrannico premebantur & opprimebantur operibus luti & laterum faciendorum, palearum insuper conquirendarum, omnique famulatu alio, quo velut mancipia & jumenta occupabantur, interim crebro objurgabantur & in fine laborum sæpe flagellis cædebantur. *Ægyptus*, inquit D. Hieronymus Ezech. 29. *Hebraicè Mesraim, & in lingua nostra vertitur* ἐκθλίβουσα *coangustans & tribulans*; rectè proinde mundum hunc significat, in quo novus ille Rex, super omnes filios superbiæ, qui *nescit Ioseph*, hoc est Salvatorem nostrum odit, pressit humanum genus sub peccati servitute dementando & fallendo suis responsis & oraculis, proponendo & persuadendo fictitios Deos, rapiendo in communi hominum cursu in impetu ad varias superstitiones, impellendo in quævis vitia, unde emergendi modus vix patebat, denique peccato semel obstrictos, firmiter retinendo, quoad in fine laborum & vitæ pœnas darent & scorpionibus inferni cæderentur. Quemadmodum etiam Pharao masculos Hebræorum omnes necari præcepit: ita etiam laborabat Dæmon, ut sub illa servitute opprimeret & exterminaret, si qui essent masculo animo, ad redarguendos aliorum errores, quales inter Judæos erant Prophetæ: inter Gentiles verò Anaxandrides, qui cùm Athenienses argueret, quòd optimas quidem leges haberent, sed uterentur pessimis, fame enectus est, teste Suida. Deinde Socrates, Seneca & similes, quos è medio per tyrannos sustulit, quod perversos aliorum mores corrigerent; nec erant, qui alios ab erroribus avocare, & ad veritatem ac virtutem reducere, etiamsi possent, auderent, postquam tam altas radices egerat impietas: suffocabat denique spiritum, & fovebat carnem ejusque concupiscentias. Ac licet essent, qui virtutem amarent ac sectarentur aliquando: ea tamen vera & solida non erat, sed inanis palea, gratiæ humore & merito destituta, ventoque vanæ gloriæ (cùm veram & æternam ignorarent) exposita & abrepta. Ergo quemadmodum Hebræi in illa servitute vocitabantur ad Deum, ut ab illa tandem eriperentur, neque frustra; nam liberatorem, seu ut sanctus Stephanus Act. 7. appellat, *Redemptorem* Moysen nacti sunt; qui ex illo ergastulo mira & divina potentia, superato Pharaone, eduxit eos in terram lacte & melle manantem: ita contigit, modo tamen fælicius, generi humano. Postquam enim vidit Deus afflictionem ejus, & veterum patrum gemitus ac clamores audiit, misit ei Redemptorem, Filium suum, qui propria sua potentia Dæmonem compescuit, populumque suum non è fornace & officina laterum, sed è fornace gehennæ; non è corporum, sed animarum servitute; non in terram lacte & melle, sed omni cœlestium bonorum copia manantem introduxit. Hoc est, quod per Isaiam cap. 52. prædixit Deus: *Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi & Assur* (Pharao) *absque ulla causa calumniatus est eum: Et nunquid mihi est hic?* &c. quasi diceret, eripiam & redimam eum. *Quia ipse, qui loquebar, ecce adsum* Jam nunc cogitate, quantam exultandi causam hodie habeamus ex tali Liberatore. Hebræi certè ubi audierunt & viderunt liberatorem suum Moysen à Deo ad se missum, & miraculis comprobatum, proni adoraverunt, Deo gratias agentes, quòd in afflictione sua eos visitasset. Exo. 4. Quanto justius nos proni & prostrati hodie adoramus eum, qui non misit servum, sed in persona propria ad nos redimendos venit, Dei filium? Cecinit Moyses & filii Israel carmen Deo lætissimum, postquam se viderunt è manu Pharaonis, per maris rubri transitum, erutos, ipsumque demersum. Exod. 15. Cogitate vos, quas laudes hodie Christo debeatis, qui per baptismum, sanguine suo purpuratum, vos eduxit è potestate Dæmonis, ipsumque in abyssum demersit.

II. Natus est nobis Fidejussor, qui omnia nostra debita & quoscunque pœnarum reatus in se suscepit, luiturus in corpore suo. Novum hoc maximumque beneficium est. Non enim quo quis è carcere aut captivitate dimittitur, eo ipso ab omni debito liber est, sed lytrum solvere cogitur & damna illata resarcire, impensas solvere, &c. Quantum exultaret vir honestus ob debita pecuniaria vinculis detentus, nec habens, unde solveret;

q

quis se ipsi sisteret, velut fidejussor, omne ejus æs alienum ex suo soluturus? Venit ergo Christus, ut non solùm vos eriperet è potestate tenebrarum, sed ut pœnæ etiam reatum in se susciperet. Quis tam gratum nuncium non summis plausibus accipiat? *Vnusquisque nostrum*, ait Origines homilia 13. in Gen. *in his, quæ delinquit, debitor efficitur, & peccati sui litteras scribit.* Quasi enim per chirographum se ad pœnas Deo obligat. At verò Christus Dominus venit, *donans nobis omnia delicta*, ait Apostolus ad Coloss. 2. *delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quale chirographum? respondet Origenes, ubi supra: *Hoc chirographum peccatorum nostrorum cautio fuit.* Magnam populo Romano lætitiam creavit sibique apud eum gratiam & benevolentiam conciliavit Hadrianus Imperator, quando ingentem auri summam (erant viginti septem milliones) privatis debitoribus, quam fisco debebant, in urbe provinciisque remisit, combussitque eorum syngraphas in publico Trajani foro, ne unquam ea summa repeti posset. Pontan. capite 19. de liberalitate. Debitum hoc pecuniarium erat, quod eorum fortunas tantùm concernebat, non sanguinem petebat; & dissolvi aliquando à debitoribus poterat. Non ita debitum peccatorum contractum apud Deum, quod nemo solvere poterat, & vitam concernebat. Venit hodie, qui hoc debitum omnibus remitteret, & igne charitatis suæ combureret atque in publico Calvariæ monte cruci affigeret, hoc est, cruce sua dissolveret, transfigeret, laceraret. Quanta hinc existit lætitiæ materia?

III. Natus est vobis Medicus cœlestis, qui omnes vestras infirmitates sanare paratus est & sanabit, quoties etiam relapsi in eas fueritis: sanabit absque mercede, absque cruciatu, ustione, scissione vel amara potione: absque ulla dubitatione. Quis æger ad talis Medici adventum non exhilaretur? non resumat animum? Est hic Christus Dominus, qui seipsum appellare Medicum nostrum voluit Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus.* Et Lucæ 4. *Medice cura te ipsum.* Ipse enim omnes animæ nostræ morbos sanare consuevit, & sanat quotiescunque in eos recidimus; & quidem suis non nostris sumptibus, sanguine scilicet proprio, & quantum in ipso est, infallibiliter, modò ei vulnera & morbos ostendere velimus. Ita Joannes Apocalypsis primo: *Dilexit nos*, inquit, *& lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Lavit semel in baptismo, lavat adhuc quotidie in pœnitentiæ sacramento; ita ut ejus sanguis sit quasi alexipharmacum contra omnes ægritudines, & quasi sapo efficacissimus ad eluendas omnes animi maculas & sordes. Quis jam non exultet totis viribus ad adventum talis Medici? quis non summo gaudio cum simul & honore excipiat? Certè postquam Antonius Musa, peritissimus Medicus, Romam (ubi priùs per annos 400. nullus fuerat Medicus) venit & ipsum Augustum Imperatorem aliosque fæliciter curavit, mirum in modum honoratus fuit, donatione aurei annuli, qui nobilitatis insigne erat, dedicatione statuæ alabastrinæ in foro, immunitate ab omnibus civilibus oneribus, multaque pecunia, apud Suet. in Augusto & alios. Quantò plus exultare decet nos in adventu cœlestis nostri Medici eumque omni honore & veneratione prosequi, qui ab exordio mundi usque ad id temporis nullum habuimus Medicum, qui mederi posset morbo nostro? Maximum divinæ pietatis argumentum fuit, quòd Isaias Dei jussu venerit ad Ezechiam Regem à morbo lethali sanandum; majus adhuc, quod Raphael Archangelus ad Tobiam missus sit, à cæcitate curandum; sed si omnes Angelorum Chori ad ipsum descendissent, nequaquam tantum fuisset, quantum est venire ad sanandum nos in ipsum Angelorum Dominum.

IV. Natus est vobis Sol, imò Sole illustrior Illuminator mundi, priùs tenebris involuti. Ita eum appellat sanctus Joannes capite primo. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Et ipse Christus Joan. 9. cæcum natum illuminaturus, *lucem mundi* se appellat: & meritissimo quidem. Quæ enim & quantæ tenebræ erant ante Christum! Quàm pauci noverant cur & cui viverent! quantum hallucinabantur in investigando summo bono! Unus clamabat: *ô cives quærenda pecunia primum est: virtus post nummos.* Alius. *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Quam stulta & perversa principia penè omnes habebant! Deum non curare res humanas: non esse post hanc vitam alteram expectandam: animam una cum corpore interire: inimicos odio habendos & persequendos ac similia! Denique sicut de Batavis suis affirmabat quidam, urbanitatem omnem politiamque Romano Imperio tribuens: *Quid*, inquiens, *essemus nos Batavi, nisi lumen illud Imperii nobis affulsisset?* utique rudes nautæ & piscatores tantùm (refert Octavian. Tuso in cap. 19. Ecclesiastici) ita & nos multo æquiore jure dicimus: Quid essemus nos mortales, nisi lumen illud mundi Christus, nobis ortum fuisset? utique velut cæci aut homines subterranei in specubus degentes. Venit ergo lux mundi, & ostendit nobis Deum Creatorem & summum bonum nostrum, vias quoque innumerabiles ad ipsum perveniendi. Illuminavit autem nos luto illo, facto ex sputo & pulvere, Joan. 9. (significante Christum in divina & humana natura) quo illuminavit cæcum natum, designantem genus humanum, in cæcitate natum. Quod futurum vel Samaritana illa prævidit, quando dixit: *Cum Messias venerit, ille nobis annunciabit omnia.* Joan. 4.

V. Natus est vobis Dux viæ ad veram & beatam vitam consequẽdam, viam aperiens & complanans, excitans & animans omnes ad sequendũ. Magnum quidem bonum est, lumen fidei, quo summum bonum cernimus, & viam ad consequendum id perspicimus. Quia tamen via ad cœlum, ubi bonum

IV. *Natus mundi Sol.*

V. *Natus via Dux.*

num illud apprehenditur , ardua & difficilis eſt, hinc ductore indigemus. Sine hoc Hebræi in deſerto pergere nolebant, ad terram promiſſionis. Exod. 33. En ergo vobis ducem Chriſtum, uti eum appellant ex Michæa, Principes ſacerdotum & Scribæ Matth. 2. *Ex te enim exiet Dux , qui regat populum meum Iſrael.* Dux, inquam, qui per ardua quæque nos anteceſſit & aſpera complanavit, viamque cœli tritam & facilem nobis reddidit. Meminiſtris opinor, quod alibi dixi , quanta in anguſtia fuerit Maximilianus Auſtriacus , poſt Imperator, cum ſectando ibices in præcipiti loco interceptus de vita deſperabat , modum emergendi non inveniens. At ubi ad ipſum juvenis quidam deſcendit , qui lapides dimovendo, viam aperuit, ipſumque confidere & ſe præcedentem ſequi juſſit; ingenti lætitia perfuſus princeps animum reſumpſit, & ducis ſui veſtigia intrepidè ſecutus, periculum evaſit. Quod Maximiliano , hoc humano generi contigit , quando ſectando ſuas concupiſcentias incidit in terribile inferni præcipitium , unde non niſi divina adjuvante manu poterat emergere. Eten vobis Dei filium hodie adventantem, ut velut Dux veſter educat vos è periculo iſto , & in tutum beatitudinis locum inducat ; de quo idem Michæas capite 2. prædixit. *Aſcendet pandens iter ante eos.* Quomodo ergo non ingenti perfundi lætitia poſſumus omnes hodie ? Si populos de inſigni Principe , exercitus de magnanimo Duce ſibi gratulantur ; non gratulemur nobis de tali Duce, qui omnia perrumpere , aſpera complanare & diſtorta poteſt dirigere?

Trip. in F. Circumciſ. C. 9. A.

VI. *Natus mūdo altor.*

VI. Natus eſt vobis Altor & Paterfamilias, qui in via illa virtutis vos confortabit & ſaturabit pane, non tam terreno quàm cœleſti , qui eſt partim verbum Dei , partim præclara virtutum exempla , quæ in ipſo & Sanctis ejus elucent ac mirificè nos confortant : partim Sacramenta , præſertim Euchariſtia. Fuit ante adventum Chriſti maxima hujus panis penuria , exigentibus ejus peccatis, de qua Amos 8. dicitur: *Mittam famem in terram , non famem panis , ſed audiendi verbum Domini.* Fuit hæc dira fames in mundo ante Chriſti adventum , non ſolùm apud Gentiles , ſed etiam magna ex parte apud Judæos ; ſignificata per ſeptennalem Ægypti famem , cui providit panem & alimenta Joſeph , ita ut propterea *Salvator mundi* appellaretur , quia totam Ægyptum & vicinas regiones à famis exitio liberaſſet, Geneſ. 41. Quam ob cauſam expreſſus erat typus Chriſti , qui veriſſimus totius mundi Salvator fuit , providendo cibum vitæ , quem diximus. Cui etiam rectè convenit nomen, quod ait ſacer textus de Joſepho pronunciatum fuiſſe è præcone clamante *Abrech*; quod Ægyptiacè ſignificat , *flecte genu* ; Hebr. verò ſecundum divum Hieronymum , *Pater tener.* Quis enim iſte *Pater tener*, niſi Chriſtus infans, idcirco natus in Bethlehem, hoc eſt in domo panis ; quia mundum ſaturavit, & undique implevit panibus, fecitque Eccleſiam domum panis ? Qui & in præſepi reclinatus eſt, ut non juſtorum tantùm , ſed etia peccatorum, quaſi brutorum , panem ſe eſſe vel indicaret. Jam ergo ſi poſt diuturnam famem larg panum ſuppeditatione , ſeu per meſſem ſeu per al ſubſidia, ſublatam, populus in lætitiam effunditu qnanto æquiùs hodie jubilamus ob adventum tan Salvatoris, qui non moritura corpora, ſed immort les animas cœleſti pane reficit?

VII. Natus eſt vobis *Princeps pacis* , qui pace mundo attulit; *Rex pacificus*, uti in veſperis heri c cinit Eccleſia, *cujus vultum deſiderat univerſa te ra* Nihil ferè optatius eſt mundo quam pax. *Nul ſalus bello* , ait, *pacem te poſcimus omnes.* Hanc Chriſtus attulit, quemadmodum & Angeli canun *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* S ubi hæc pax, dicit aliquis, cum perpetuò in munc bella ſint? Reſpondeo inprimis pacem univerſale inter Gentes , quæ Chriſto nato viguit in mund ab ipſo & propter ipſum factum eſſe : deinde n veniſſe Chriſtum , ut pacem illam civilem int nationes perpetuam faceret , ſed aliam longè m liorem, eamque triplicem: Primò cum Deo, cui p gratiam reconciliamur & amici efficimur , quæ nobiliſſima pax. Secundo cum propria conſcie tia , quæ eſt mentis tranquillitatis ac ſerenitas ci & externa illa pace longè etiam præſtantior. T tiò cum fratribus noſtris Chriſtianis, qui benefic fidei Chriſtianæ magna inter ſe pace & quiete v vunt : in quam coierunt Gentes omnium lingu sum, priùs inter ſe hoſtiliter & perpetuò belliger tes. Erat enim mundus ante Chriſti adventum vel ſylva ferarum vaſtiſſima , aut oceanus, in quib major minorem , fortior devorabat debilioren perpetuæ quoque inſidiæ atque inimicitiæ int homines erant. Per adventum Chriſti verò habit re cœpit *lupus cum agno, & pardus cum hœdo*, ut pra dixit Iſaias c. 11. Unde habemus ut jam in Eccleſ pacificè inter nos habitemus ſub uno Eccleſiæ p ſtore, iiſdemque legibus vivamus in timore Dei. licet alicubi bella & inimicitiæ gerantur id nemi obeſt, niſi qui pacem odit. Unde ſanctus Bernard ſer. 29. in Cant. ait: *Quid à foris fratres mei, vos co turbare aut contriſtare poterit, ſi intus benè eſt, & fr terna pace gaudetis?* Quid enim curas tu, ſi foris tempeſtas, venti, nimbi , fulgura, nives ; modò quietus in domo tua ſedeas , bene ab injuriis cœ munitus ? Sic qui pacem cordis habet , nihil cura externa diſſidia & tumultus bellicos. Atque hoc e regnum Salomonis noſtri pacificum, per illud quo ſub Salomone fuit, præfiguratum, in quo unuſqui que ſedet *ſub vite ſua & ſub ficu ſua* 3. Reg. 4. Ta pace nos jam fruimur & conſtanter quidem : & cu eam debemus, niſi Chriſto?

VIII. Natus eſt vobis Salvator, qui poſt hujus vitæ miſerias ſervabit nos ab interitu & perducet ſalvos atque incolumes ad vitam beatam & æternam. Ultra hoc non video, quid deſiderare poſſimus. Quid n. omnes quærimus , niſi ut aliquando

ſaltem

saltem ab omni miseria & molestia liberi, æternum vivere beati possimus? En adest, qui ad eam vitam perducere nos & potest & vult. Quando Lamech genuit Noën prævidens in spiritu filium fore generis humani conservatorem in diluvio, appellavit eum *Noën*, dicens: *Iste consolabitur nos*. Vel ut Septuaginta vocabulum à *Noach*, hoc est, *quiete* deducentes, vertunt: *Hic requiescere faciet nos ab operibus & tristitiis manuum nostrarum*. Et quidem fuit Noë consolator & salvator quidam generis humani, dum in arca sua id servavit, in octo saltem personis, verùm ad vitam solùm temporalem & miseram. At verò Christus hodie natus, ita nos salvabit, conservando in Ecclesiæ suæ Arca, ut mortem non visuri simus in æternum; sed ad vitam in ea transvehet, omnibus bonis refertam, omnibus malis carentem. Tametsi enim nunc habitamus in corpore mortali: *Scimus* tamen *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*, ait Apostolus 2. Corinth. 5.

Jam nunc considerare, Auditores, quantam & quàm multiplicem habeatis cantandi & jubilandi causam. Vel enim una ex prædictis sufficere deberet, ad diem festum instituendum & immortales gratias Deo agendas; quantò magis cùm videmus tot simul gaudiorum causas concurrere? Quando igitur nos tot tantisque gratiis celebrandis minimè pares sumus, invitemus ad Dei laudes nobiscum decantandas inprimis sanctos Angelos; quorum fratres hodie esse cœpimus: deinde volucres cœli & creaturas omnes, ac dicamus: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*.

THEMA III.

Quare Christus in terram pauper & humilis venerit.

I. *In solatium pauperum.*
II. *Vt mundum à via perditionis revocaret.*
III. *Vt viam cœli nobis monstraret.*
IV. *Vt spreto mundo virtutem sectandam doceret.*
V. *Vt suum ergo nos amorem testaretur.*

Omnes qui audierunt mirati sunt. Luc. 2.

DAniel Propheta c. 7. raptus aliquando *in visione noctis* aspexit venientem *cum nubibus cœli quasi filium hominis*, & quidem, ut Chaldaicè habetur, *Kebar enos*, hoc est, quasi filium hominis miseri, ærumnosi, morti obnoxii & oblivioni traditi (ut ibi notat Corn. à Lapide) qui ubi pervenit ad patrem, accepit imperium totius universi. Qua visione ita in stuporem actus fuit, ut diceret: *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbaverunt me*. Itaque accessit *ad unum de assistentibus, & veritatem* quærebat ab eo *de omnibus his*. Quem tam longè prævidit tanto cum stupore & horrore Daniel, eum nunc Audit. præ oculis habemus, Dei filium scilicet, quasi *filium hominis* de cœlo venientem, sed nubibus carnis humanæ obvelatum & obscuratum, imò & miserum, ærumnosum, moriturum & oblivioni traditum in stabulo Bethlehem. Quis hic non cohorrescat, videns Deum factum hominem abjectum, pauperem, contemptum, oblivioni traditum, jacentem in præsepio, in spelunca, pannis involutum inter bestias? Sic enim & Moyses horruit, cùm thaumaturgam suam virgam in serpentem mutatam vidit, ita ut eam fugeret, quæ & ipsa significabat Dei filium in peccatoris formam, quasi transformatum, secundum Cyrillum l. de Incarnatione. In hod. Evangelio omnes, qui hoc miraculum audierunt, mirati sunt, & miramur nos omnes usq; in hodiernum. Quare sicut Daniel accessit ad unum de assistentibus, & virtutem illius apparitionis inquisivit: ita nos faciemus, accedemus ad assistentes Christi præsepi, & inquiremus causas, cur tam pauper & abjecta specie venire ad nos voluerit.

I. Interrogemus Mariam & Josephum, hi respondebunt, sic eum venisse in solatium pauperum. Etenim pauperes in mundo, olim præsertim, despectui & probro erant inter homines, uti & ipsa paupertas; ita ut mundus putaret pauperes à Deo non curari, nec ipsi cordi esse; quòd negligerentur velut reprobi, præsertim apud Gentiles, uti deprehendit S. Xaverius in Japonia. Qui tamen error gravissimus est, siquidem pauperes ad mundi conservationem profus necessarii sunt & quidem maximo numero: nec minor est cura Deo de paupere, quàm de divite; juxta id Psalm. 11. *Oculi ejus in pauperem respiciunt*; suntque ordinariè pauperes minùs implicati vitiis, quam divites. Quia ergo passim erant despecti, ideo Dei filius elegit pauperes parentes & pauper fieri voluit, ut sciremus pauperes non spernendos, sed honorandos potiùs ac fovendos, nec paupertatem esse probrum aut pœnam à Deo inflictam, sed exercitium virtutis: denique Deum non esse personarum acceptorem. Hinc jam pauperes è priore luto & sordibus suis emergere & in honore esse cœperunt, adeò ut multi nobilissimi ad imitationem Christi spretis opibus paupertatem sequerentur. Idcircò pauperculis pastoribus adventus sui gaudium annunciari jubet Christus, eosque primò & ante Reges vocari ad præsepe suum. Sic nimirum impletum, quod sanctissima ejus mater cecinit: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Quo verò modo id effecit? dum ipse pauperem habitum & statum assumpsit. Hinc per ipsum adeò assurrexerunt pauperes, ut jam honorentur velut aulici Christi, in quibus ipse lateat: laventur eorum pedes subinde etiam à Regibus & Prin- I. *In solatiũ pauperum.*

Principibus:legentur eis bona divitum : ipſi in miſeriis ſuis conſolationem ſentiant : plurimi denique abjectis opibus pauperem Chriſtum ſequantur. Exoſa valde Gentilibus erat & exploſa circumciſio, attamen ubi eam amplexus eſt Hemor Princeps Sichimorum, mox Sichimitæ, ejus ſubditi, eandem acceptarunt, Gen. 34. pari modo cùm ante Chriſtum omnes ferè à paupertate abhorrerent, poſtquam eam in ſe ſuſcepit Dei filius mox ad ejus amorem & ſequelam innumeros allexit.

II.
Vt mundum à via perditionis revocaret.

II. Stabulum ſeu ſpeluncam interrogemus, Chriſti habitaculum Id reſpondebit, ſic eum veniſſe, ut mundum revocaret à via perditionis. Omnes alii advenæ cucurrerunt ad civium Bethlehemiticorum diverſoria, eaque impleverũt ita, ut locus Chriſto non eſſet. Quid igitur Chriſtus cum parentibus ſuis? hoſpitia cedit aliis; ad ſtabulum ſeu ſpeluncam potiùs divertit, ubi etſi incommodè, ſecurè tamen & quietè habitabat, nec erat periculum ut inde expelleretur. Vidit ergò Dei filius è cœlo, homines ferè omnes non quærere niſi commoditates ſuas, carni arridentes, ut ſplendidè habitent, ſupellex niteat, menſa omnibus delitiis ſit referta, diu ſuaviterq; dormiant, theſauros ſibi comparent, favores & honores quærant? contraria omnia fugere, & cane pejus execrari. Interim advertit plurima ibi ſalutis eſſe pericula, uti ferè etiam ſunt in diverſoriis & tabernis, ubi nummorum aucupia, iræ, rixæ, clamores, ludi, ebrietates, ſpurcitiæ, quibus rectà ad perditionem itur. Quid igitur ipſe? contrariam viam tenuit: ad ſtabulum divertit, & ea quæ mũdus horret amplexus eſt: humilitatem, paupertatẽ, patientiam, vitæ aſperitatem; ut hoc exemplo ſuo nos ad ſui ſequelam & ſecuriorem ſalutis viam alliceret. Quemadmodum enim S. Athanaſius ab Alexandria exulare juſſus, & ſecundo flumine per Nilum navigans cùm videret inſidiatorem poſt ſe miſſum, ſeq; cum navi ſua in periculo verſari: navim inverti juſſit, & contrario curſu adverſoq; flumine inſidiatori obviavit, ſicque periculum evaſit: Sic etiam Dei filius videns in mundo homines ſecundo proſperitatis flumine maximoperè periclitari & in ſalutis prædones incidere: viam mundo contrariam elegit, adverſo paupertatis & aſperitatis fluxu navigans, ut nos idem facere doceret. Idem Athanaſius cùm Alexandriæ degens inter Arrianorum inſidias ſecurus degere non poſſet, quinque annis in ſicca ciſterna: & pòſt iterum quatuor menſibus in paterno ſepulchro delituit. Non aliter Dei filius cernens in hoc mundo quam plurimos undequaque animarum inſidiatores & inſidias: non in regium aliquod palatium aut domos divitum, ubi inſidiatores illi graſſantur, divertit: ſed in ſtabulum & ſpeluncam velut in tutiorem locum; non quòd ſibi metueret, ſed ut nobis conſuleret, & ſecurum quoddam aſylum inter inſidias demonſtraret.

Vide Tribac F.C, 9. G,

III.
Vt viam cœli nobis monſtraret

III. Interrogemus præſepe. Id reſpondebit, ſic veniſſe Chriſtum ut viam cœli nobis monſtraret, humilitatem ſcilicet. Quis enim locus humilior & vilior præſepi, beſtiarum diſco? jam verò omn[es] quidem homines natura duce aſcendere conantur, quia nimirum homo animum cœleſtem, ad alta [et] æternam fælicitatem natam habet. Verùm eam ho[mi]mines non quæſierunt via rectà, ſed planè devi[a]. Honores appetebant, ſollicitantes titulos quærebant, ſervorum pompas, veſtium apparatus; curruum [&] equorum ſplendorem; alios cubito trudebant, & [ſe] intrudebant ad honores & dignitates. At enim ve[...] tos ſequebantur & confuſionem potiùs curaſq; c[a]piebant quàm fælicitatem. Dei igitur filius via[m] nobis ad fælicitatem illam monſtraturus, en u[bi] pedem poſuit? In præſepi & infimo loco, quod [&] poſtea verbo docuit Lucæ decimo quarto: *Cùm vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in noviſſimo loco, ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus*, Quis non in præſepi noviſſimum locum videt? Hæc nimirum eſt illa ſedes David, de qua Angelus ad matrem ejus: *Dabit ei Dominus Deus ſedem David Patris ejus.* Ubi quæſo ſec[it] Chriſtus in ſede David quando in Bethlehem jacu[it] in præſepio inter bovem & aſinum. Sic enim & David in eadem? Bethlehem pavit primò oves patri[s] ſui, omnium fratrum ſuorum minimus & contemp[tiſ]tiſſimus; ita ut Pater ipſum negligeret, nec in cun[cta]um vocaret, quando ex illo Samuel Regem electu[]rus & uncturus erat, velut omnium inhabiliſſimu[m] ad regnum, & Samuelis oculis indignum. Et tamen ipſe præ aliis aſſumptus eſt, & in Regem un[]ctus, 1. Reg. 56. Hanc igitur viam ad veri honor[is] culmen velut omnium certiſſimam oſtendere nob[is] Chriſtus voluit, quam etiam tenuit David, dum in[]ſidias Saulis declinaret. Poſtquam enim ſe coram e[o] ſic humiliavit, ut ſe *canem mortuum & pulicem* ap[]pellaret, Saul inde argumentum exaltationis eju[s] capiens ait: *Nunc quia ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* pr[i]mo Regum vigeſimo quarto. Chriſtus ergo ſe a[d] præſepe abjecit, quia novit humilitatem certiſſim[am] eſſe viam ad honores cœli comparandos. Quis enim meliùs noſſet viam cæli, quàm qui eam percurrit & de cœlo venit? Et quis duce hoc relicto, contrariam potiùs eligere præſumet? De Alexandro Magno re[]ferunt, quod cum ipſe cervice leniter incurva ince[]deret, proceres & aulici certatim eum imitati ſint ipſum in ſe quaſi effingentes, apud Tymp. in Spec boni Magiſtratus Sig 63. Nos videmus Regem noſtrum reclinatum & quaſi incurvatum in præſepe quomodo igitur poterit ſe aliquis ſub tam humil[i] Rege erigere in altum? Hinc exclamat ſanctus Bernardus ſerm. 1. ſuper miſſus eſt: *Erubeſce cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas?*

IV. Quæramus ex fœno. Id reſpondet pauperem veniſſe Chriſtum, ut ſpreto mundo virtutem ſectemur Quid enim fœnum deſignet, clamat Iſaias capite 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos.* Idem clamat Chriſtus in præſepi, dum in ſubſtrato ſibi

fœno

fœno jacens; premit & calcat omnia mundi bona, honorem, opes, voluptates, potentiam: velut inania & fluxa bona, quæ hodie florent, cras secantur, aut per se arescunt: vicissim verò virtutes solas & merita, velut sola vera & solida bona comparanda docet, humilitatem, patientiam, obedientiam, abstinentiam, mortificationem. Si enim non hæc, sed illa, solida & vera bona essent, cælestis ille mercator utique his relictis, illa sibi comparasset. Stravit ergo hic & proscripsit mundum cum cōcupiscentiis suis, ferè ad eum modum, quo Rudolphus Imperator sub vili & grisea sua tunica virtutem gerens, stravit & confudit fastum Ottocari, Regis Bohemorum. Hic enim cùm Rudolphi griseam tuniculam, una cum suis aulicis splendidissimè incedens, sæpiùs derisisset, factum est ut bellum cum Rudolpho gerens vinceretur & regno exueretur. Hoc ergo ut recuperaret, supplex ad Rudolphum venire coactus est. Accessit ægrè quidem, ornatu tamen pro more splendido. Rudolphus cùm à suis moneretur, ut non minore sed potiùs majore corporis cultu Bohemum, utpote regio ornatu venturum, exciperet, renuit; & obsoleta sua grisea veste procedens in publicum: *Hæc mea*, inquit, *vestis sæpius ab ipso derisa, nunc ipsum deridere debet*; (refert J. Lipsius l. 2. Monit. Polit. cap. 17.) indicans non in vestibus, sed in virtutibus splendorem quærendum esse. Simili & sapientissima quidem inventione Christus mundi fastum sui fœni vilitate stravit. In cujus rei confirmationem venerunt ad præsepe Reges, & prostraverunt se ad pedes ejus. Atque hinc testatur initio citatus Daniel c. 7. datam esse Dei filio potestatem, honorem & regnum super omnes Gentes.

V. Interrogemus pannos: Hi respondent, sic eum venisse, ut amorem suum erga nos contestaretur. Ad quid enim, putatis, adeò se expoliavit Dominus cœli & terræ, ut non nisi pauculos panniculos ad tegendam nuditatem corporis sibi reservaret, nisi ut amorem suum erga nos ostenderet? Coaluerat amicitia inter Jonatham & Davidem, fortuna perquam impares. Jonathas enim filius Regis Saul, videns Dominum esse cum Davide, *dilexit eum sicut animam suam*: sed quia parùm firma ac fida amicitia videri ea poterat, utpote inter Regis filium & pastorculum; Jonathas, ut de suo stabili & syncerissimo amore non dubitaret David, quid egit? non pecunias aut prædium ei donavit, sed expoliavit se splendidis vestibus suis & armis, usq; ad baltheum (id erat insigne militum, quo ablato exautorati cēsebantur) deditque ea Davidi. 1. Reg. 19. Itaque bonus Jonathas penè nudus, sola interula vestitus remansit, amore sui Davidis. Videte jam amorem Dei erga hominem, (quanta inter hunc & illum disparitas?) Adeo nihilo minùs dilexit hominem Dei filius, ut se ipsius gratia prorsus expoliaret, nec nisi viles panniculos sibi retineret: suas porrò vestes, sapientiam, merita, gratiam, gloriam hominibus transcriberet, usque ad baltheum, hoc est, usque ad sui derisionem & contemptum; ita ut cum iniquis reputati non dedignaretur; quo suum erga illos amorem firmiùs contestatum faceret. Derisum fuisse Jonatham ita nudatum à sodalibus, equidem nescimus: quod si tamen factum est, amori Davidis id posthabuit. Spretum fuisse filium Dei à Judæis, nec receptum pro Messia propter ejus paupertatem, scimus. At hoc nihil movit Christum. Valde enim amantis est spernere confusionem. Non igitur videmus quanto vicissim amore in Christum rapi debeamus, qui amore nostri tantam paupertatem usque ad nuditatem & sui confusionem voluit amplecti? Magni quidem amoris erga sponsam suam Elisabetham indicium demonstravit Ludovicus Langravius Thuringiæ, cùm à quodā milite suo Walthero de Wargila rogatus, an afficeretur ad Elisabetham sponsam sibi designatam, respondit: *Verè si hic mons à radice usque ad verticem totus aureus esset, eum tamen contemnerem præ amore Elisabethæ.* At verò Elisabetha, meo sanè judicio, plus ultra progressa est in reciproco ipsius amore. Cùm enim defuncti viri corpus aspiceret, coram proceribus Thuringiæ dixit inter alia, orans ad Deum: *tu scis Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam omnibus hujus mundi delitiis & gaudiis anteferrem: optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate & mendicitate vivere, si per tuam voluntatem frui ejus contubernio licuisset.* Ut in ejus vita apud Surium 19. Novemb. Sed parva sunt ista. Contraxit Christus cum natura humana quoddam matrimonium, & quidem indissolubile prorsus per omnem retrò æternitatem. Ergo ut de ejus erga nos amore dubitare nullatenus possemus, non solum aureos montes ingentium divitiarum, quas sibi comparare poterat, præ amore nostri contempsit, verùm & toto vitæ tempore in paupertate & mendicitate vitam ducere voluit. Quis hic, amore Dei, in reciprocum sponsi nostri amorem non exardescat? amore liquefiat? *quo pro me vilior, eo mihi charior est*, ait de ipso S. Bernardus, serm. 1. de Epiphan. Idem & nos dicamus: quò nostri amore vilior, eò nobis charior erit, & manebit semper.

THEMA IV.

Portenta incarnationis Christi.

I. *Rubus ardens incombustus.*
II. *Sol stans in medio cœli ad vocem Iosue.*
III. *Vellus Gedeonis rore perfusum.*
IV. *Sol retrocedens decem lineis, ostendit Dei bonitatem & misericordiam.*

Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Luc. 2.

Quan-

QUando Deus magnum aliquod portentum ostendit, statim id mortales sedulo investigare conati sunt. Sic Exod 3. cum ostensus Moysi fuisset Rubus ardens, nec tamen combustus; miro hoc spectaculo permotus: *vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam.* Rursum lib. 2. Paralip. 32. Babylonii sub rege Merodach territi portento, quod designarat Deus Ezechiæ Regi, ad confirmandam ægro valetudinem, quando Sol decem lineis seu horis retrocessit, adeoque diem 32. horarum effecit, (ut velut S. Augustinus lib. 2. de mirabilibus c. 48. S. Dionysius Areopag. ep ad Polycarpum, aliique) per Legatos interrogarunt de hoc portento, cur & quomodo accidisset. Stupenda hæc portenta hodie acciderunt, nec nō alia plura his similia. Eamus igitur & videamus visionem hanc magnam. Mittamus nostros Legatos, voluntatem, memoriam & intellectum, interrogatum, super his portentis, qualianam fuerint: Dicamus cum pastoribus: *Transeamus usque Bethlehem & videamus hoc verbum, quod factum est.*

I. *Rubus ardens incombustus.* I. Portentum primum fuit Moysi datum Ex. 3. pascenti greges in deserto: Rubus ardens incombustus. Significavit is miram & stupendam Dei in Incarnatione potentiam, qua naturam divinam & humanam in Christo ita uniit & unitas conservavit: ut divina humanam non consumeret, humana divinam non obscuraret. Atque hinc S. Cyrillus contra Eurycheten probat in Christo naturas integras & inconfusas. Ignis enim cùm sit elementum subtilissimum, purissimum, sublimissimum, levissimum, efficacissimum, Deum clarè repræsentat, qui est simplicissimus, purissimus, lucidissimus, altissimus: Unde Persæ & Chaldæi in errorem tracti, ignem pro Deo coluerunt. Ad hæc Deut. 4. dicitur: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Rubus vero cum sit vilis, fragilis, spinosus, naturam humanam, quæ & ipsa vilis, mortalis, fragilis & undique miseriis circumdata est, belle repræsentat. Jam videte, qualis sit hoc miraculum.

Ostendit Dei potentiame

1. Primò ignis & lignum gracile, inflammationi aptissimum, simul sunt, & faciunt unum quendam globum, nec tamen unum ab altero consumitur, aut alteri commiscetur: ita ut rubus non, igniatur seu in ignis naturam transeat, sicut alioquin fit naturaliter, cùm lignum aliquod ardet, aut ignis in rubi naturam mutetur. Ita in Christo divina natura humanæ sic unita fuit, ut utraque natura integra maneret, & mortalitatem humanæ naturæ Deus non tolleret, sed verè diceretur & esset mortalis, pauper, passibilis, frigere, famere &c.

2. Rubus ille in aëre visus est à Moyse; lignum igitur rubi ab igne miraculose sustentatum fuit in aëre, non ignis à ligno, quod velut grave natura sua deorsum tetendit: ita divina natura in Christo per hypostasin divinam sustentavit naturam humanam, grandi miraculo, suppositatam non in sua sed divina Verbi hypostasi. Quod fieri posse nec Aristoteles, nec alii Philosophi antiqui sciverunt.

3. Deinde tota SS. Trinitas ita est operata hoc opus, ut non tota incarnaretur, sed solus Filiu actionem hanc terminaret. Simile dat S. Bonaventura in tribus hominibus, Patre, matre & filio, qui uni ex se induunt vestem. Item in tribus sororibus, quæ faciunt in eadem domo unam vestem nuptialem, induendam ab una earum, quæ sponsa sit 3. d. 1. q. 2. Alius in Samsone & parentibus ejus, qui cum ipso descenderunt in Thamnata, ut acciperent ipsi sponsam, ubi tres eam desponsabant, sed unus Samson ducebat; uti Alex. Ales. p. 3 n. 2. 4. Eadem potentia extendit se ad matrem Christi in qua Christus conceptus & natus est, illæsa ejus virginitate. Christus igitur ignis, virgineus matris uterus rubus incombustus & illæsus erat. Rursum fæcunditas in Christi matre cum ejus virginitate, ignis in rubo ardens, sed non consumens erat, quia virginitatem fæcunditas non læsit. Quare meritò hanc Dei potentiam prædicavit B. Virgo dicens: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est,* & mox: *fecit potentiam in brachio suo.* Opera alia, uti creationis, conservationis &c. vocantur opera *digitorum Dei*, Ps. 8. At opus incarnationis est *opus brachii*, quia omnium maximum, quo majus facere Deus non poterat.

II. Secundum fuit Josue datum, Jos. 10. Sol ejus voci obediens & stans in medio cæli integro die, donec hostes suos internecione deleret. Significabat autem miram Dei in incarnatione justitiam, juxta prædicationem Malachiæ c. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Ostendit hic rem Dei justitiam. Primò dum Sol ab hominis imperio alioquin liber, homini imperanti obediit, et cursum suum stitit; cùm alioquin homo ad cursum Solis se accommodare debeat. Ita enim voluit Deus compensare hominis inobedientiam obedientia Filii sui. Unde in Sole illo Deus obedivisse homini dicitur ibidem, quia scilicet Sol Deum repræsentabat. Debebat homo obedire Deo suo: at obedire noluit; Deus ergò homo factus obediit homini; & quidem à præsepio usque ad crucem: passus est se ligari, infasciari, in præsepe deponi, posteà vestibus spoliari & cruci affigi; ut Dei justitiæ offensa per inobedientiam Adami satis fieret per obedientiam Christi, juxta doctrinam San. Pauli ad Rom. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Prior homo Adam, posterior Christus est. Secundò dum sol in medio cæli stetisse dicitur tanquam in æquilibrio. Ita enim Deus opus hoc redemptionis temperavit, ut bilancem justitiæ cum bilance misericordiæ in æquilibrio teneret. Punienda erant hominum peccata tum ex justitiæ exigentia; tum ne dæmones contra eam exciperent, se quidem ob peccatum unicum tam severè punitos & in abyssum abjectos esse, homines autem toties tamque graviter lapsos, impunes abire, adeòque parvos fures suspendi, magnos tolerari. Nec tamen ita punienda erant, ut nulla e misericordia impenderetur, quia originale pecca-

tu

tum contraxerunt aliena culpa; inde in actualia prolapsi sunt. Ergò Deus in unam bilancem justitiam imposuit, dum satisfactionem rigidam à Filio suo incarnato exegit: in alteram verò misericordiam, dum eam satisfactionem à non debente, filio scilicet innocente, sed ex charitate pro nobis pretium offerente, acceptavit. Rursum quia aliena ex culpa homines ceciderant, voluit eorum debitum alieno ex periculo Filii sui, dissolvere, ut misericordiæ etiam memor esset, dum justitiam exercet, juxta id Tob. 3. *Cum iratus fueris misericordiam facies.* Memorabile est, quod de Zaleuco Locrensinum, qui Græciæ regionem quandam incolebant, legislatore scribit Valer. Max. l. 6. 5. qui cùm legem tulisset, ut adulterii reus utroque oculo privaretur, & filius ipsius adulterii reus damnatus esset; populo filio incolumitatem postulanti, simul & legis pœnam ab illo exigenti ita satisfecit, ut sibi unum & in filio unum oculum erueret; ita *se inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus* inquit Valerius. Nihil sceleris admissit nec admittere potuit Dei Filius, sed nostra in se suscepit expianda, itaque cælestis Pater partim justum se ostendit, exigendo pœnas à Filio; partim misericordem, mittendo Filium suum, qui pro nobis satisfaceret.

III. Tertium fuit Gedeoni ostensum, Judic. 6. Ros in vellus intonsum delapsum, non in aream circumjacentem; pòst in aream, & non in vellus: in signum quòd ipsi, licet homini villoso & rusticano cæleste auxilium dandum esset, ad gubernandum populum & salvandum ab inimicis. Demonstrat hoc portentum miram Dei sapientiam in carnatione elucentem. Descendit pluvia in vellus, (juxta id Psalm. 7. *Descendit sicut pluvia in vellus*) quando Dei Filius de cœlo, quasi pluvia salutifera & rorida, descendit in carnem humanam intonsam, miseriis obnoxiam: naturam hominis induendo. Sic ergò primo decentissimam rationem invenit, qua posset pro nobis satisfacere. Ros in aere existens, vel etiam in terram cadens, non est habilis ad lotionem corporis aut manuum, nec ad potum; sed in vellere collectus indeque expressus (quod fecit Gedeon, dum expresso vellere concham rore implevit) & abluere corpus potest, & bibi (quemadmodum de Silii Ducis Veneti conjuge scribit Petrus Damiani; eam non nisi rore corpus abluisse) ita Deus non delapsus in humanam carnem; satisfacere pro humano genere, adeoque abluere nos non poterat, quia nec pati aliquid. Delapsus verò potuit. Vellus etiam sine rore nihil abluit: sic etiam homo purus satisfacere Deo non poterat, ob debiti infinitatem quandam: & quia ipse intonsus, hoc est, peccator erat. 2. Sic invenit rationem sapientissimam exuendi suo imperio dæmonem, dum in vellus humanæ naturæ descendens, eo se induit, ut appareret ovis per omnia similis aliis ovibus errantibus, hominibus peccatoribus, cùm tamen homo quidem esset, sed peccator non esset, *Omnes nos quasi oves erravimus*, ait Isaac. capit. quinquagesimo tertio, *unusquisque in viam suam declinavit* (ad varias scilicet concupiscentias) *& posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, moxque subjicit; mediatorem quoque ovem factum, cùm ait: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*: Oves arietem præeuntem & errantem omnes sequuntur, desilientem verb. gratia de ponte aut navi in aquas: ita Adamum secuti sunt errantem posteri ejus. Unde David Psalm. 118. *Erravi*, inquit, *sicut ovis, quæ periit.* Quo factum, ut tartareus lupus passim eas diriperet. Quis modus reducendi oves? Induit Christus vellus ovinum, & dum incurrit in eum, lupus ille, existimans esse ovem errantem, invenit innocentem & Deum, atque ita suum perdidit, quod habuit in oves alias: quemadmodum perdidit Adam arbores omnes, quæ erant in Paradiso, suæ potestati traditas; quia extendit manum ad unam sibi non concessam, sed prohibitam; ita ut in Lucifero impleretur, quod dictum est Regi Assyriorum, Sennacherib, Isaias capite trigesimo septimo, *Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam per quam venisti*, quasi diceret, qua sepe intrasti in tyrannidem, eadem te ejiciam, Pulchram hujus rei similitudinem describit Sanctus Odilo Cluniacen. in patre Sancti Maioli, Abbatis Cluniacen. Folcherio nuncupato. Is enim cùm ejus ætate circa annum 950. luporum rabies in vicinia vehementer invalesceret & plurima damna inferret, unus præsertim inter eos grandior & sævior; vestivit se aliquando thorace æneo, eique superinduit pelles ovinas, galea quoque sic contecta caput tutatus est, & de nocte sedit eo loco atque ostiolo, quo lupi intrare ad caulam solebant, sociis aliquot seorsim observantibus. Accedit nutu Dei, ut lupus ille grandior primus adventaret, caulam intraturus; is in auditu reperit Folcherium illum, quem ovem esse ratus, invasit, positis in ejus humeros anterioribus pedibus, & in collum ejus morsus infigens. Sed vir mox pedes lupi apprehendit ambabus manibus, & tenet fortiter, ut erat robustus, & dorso suo adstrictum defert ad socios: qui in crastinum vivum servatum mactant, & mactatum in trunco suspendunt: itaque luporum duce capto & suspenso reliqui fugati sunt. Prorsus in hunc modum DEI FILIUS intùs divinitate armatus, foris carne humana eam tegens, objecit se Lucifero; qui dum illum invadit, & DEUM deprehendit, capitur expansis ejus in cruce manibus, & captus ipse triumphatur ac traducitur, ut ait Sanctus Apostolus Paulus ad Colossens. secundo sicque ipsi & sociis dæmonibus tyrannis in homines adempta est. Videte Dei sapientiam.

IV. Quartum Ezechiæ Regi ægroto datum, in signum restituendæ valetudinis quarto Regum capite vigesimo. Sol retrocedens decem lineis seu horis in horologio. Ostendit immensam Dei omni-

IV. *Sol retrocedens decem lineis. Ostendit Dei bonitatem & misericordiam.*

omnipotentis bonitatem & misericordiam in Incarnatione nobis exhibitam. Decumbebat genus humanum lethali ægritudine, quemadmodum & Ezechias; & nemo erat, qui ei mederetur.

℟ Igitur cœlestis Sol Dei Filius ut medelam ipsi adferret, & valetudinem confirmaret, decem lineis seu gradibus retrocessit, quando infra decem gradus naturæ rationalis, novem scilicet Angelorum choros, & infra hominem denique se humiliavit; ita ut jam non solùm infra Angelos, sed etiam infra omnes homines jaceret in stabulo, quasi non homo, sed brutum aut vermis esset; prout ipse asserit Psal. 21. *Ego autem vermis sum & non homo.* Aliis enim hominibus diversoria concessit, ipse in stabulum divertit. Jam verò quantum hoc miraculum? Sol retrocedit tam longè propter hominis sanitatem. Quis non pro magno haberet, si Imperator aut Rex è curu vel palatio suo descenderet ad ægrum mendicum? *Iacentes paralytici*, ait mellifluus Doctor, Sanctus Bernardus serm. prim. de Adventu, *divinam non poteramus attingere celsitudinem: propterea Salvator & medicus animarum descendit ab altitudine sua.* Quale spectaculum fuit videre sanctum Eduardum Angliæ Regem ferre mendicum, claudum in humeris suis de palatio suo in templum sancti Petri Londini? Quanto majus est, quod Rex Regum fecit homini tam misero! Multum fuit quòd Alexander Magnus Lysimacho vulnerato, suo diademate vulnus obligavit. At quanto plus est Deum ad hominem se demittere, & ejus gratia hominem fieri! *Si humanus dicitur*, ait S. Augustinus sermone de verbis Apostoli, *qui in domo suscepit hominem, quàm humanus est, qui in seipso suscepit hominem?* Satis fuisset umbram in horologio retrocedere; ipse Sol retrocessit. Sat multum etiam fuisset, si Deus omnipotens Angelum misisset; verum ipsemet de cœlo descendit.

Postquam ergò cum pastoribus vidimus hoc grande signum ac portentum, superest ut cum iis revertamur domum glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audivimus & vidimus.

* * *

Thema V.

Gloria Christi nati qua in re cernitur.

I. Cernitur in bove & asino, populo Hebræo & Gentili, seu in bonitate Christi.
II. In pannis & vili vestitu, seu in paupertate.
III. In stabulo & vilissimo electo loco seu humilitat[e]
IV. In tenero & infantili ejus corpusculo, seu patientiæ exemplo.
V. In fœno seu contemptu mundi.
VI. In præsepio seu humili majestate.

Vidimus Gloriam ejus, Gloriam quasi unigeniti à Patre, Joan. c. 1.

Legimus, 1. Regum 4. cap. nurum Summi Sacerdotis Heli, cùm audisset Arcam Dei à Philisthæ[is] captam, socerum, ac virum suum mortuum esse, tri[]sti nuntio perculsam, præ dolore peperisse, & voca[s]se filium, quem peperat, *Ichabod*, hoc est, *Vbi glori[a]* seu, *non gloria.* Quod inprimis de Arca intellexis[se] creditur, quasi diceret: Ecce Arca fœderis priùs tam honorifico loco & asservabatur & honorabatur nunc est in manibus Gentilium, ubi sine omni honore & veneratione, imò summa cum ignomini[a] tractatur. Deinde de ipsius nurus filio Ichabod, quasi diceret; Ecce filius hic meus, dum in utero me[o] gestaretur, erat gloriosus, velut nepos summi Sacerdotis & futurus ejus hæres? nunc est ingloriosus nihil aliud habens nisi pauperculam unam matrem destitutus patre, destitutus avo. Video passim in Sacris libris, Christi nativitatem appellari *gloriam.* It[a] enim Isaias c. 40. de ipso loquens ait; *Revelabitu[r] gloria Domini*, & cap. 6. de eodem agens: *Gloria Domini super te orta est*, inquit. Ecclesia heri cantabat *Mane videbitis gloriam ejus.* Verùm dic nobis Isaias dic Ecclesia, dic Joannes, ubi gloria in Christo nato Erat quidem priùs Arca hæc in gloria cœlesti & loco honorificentissimo; at nunc est in stabulo, sordido & fœtenti. Fuit quidem parvulus iste in sinu æterni & summi Patris, at nunc cernitur desertus nec habet nisi pauperculam matrem. Jacet in stabulo, in præsepio, inter pecora, pannis involutus, *Vb[i] gloria?* certè hic non apparet gloria. Verùm Audit[ores] attendendum est, quòd S. Joannes velut aquila perspicaces habuerit oculos, Isaias etiam Prophetarum oculatissimus fuerit. Viderunt ergo illi gloriam in infante Christo, quam nos non videmus, sed investigare conabimur.

I. Cernitur ejus gloria in bove & asino, inter quos commoratur. Bos populum Hebræum, jugo legis pressum & ad ambulandum tardum: asinus Gentilem, stupidum & insipientem, nullaque ratione domitum significat. Ad homines ergo & quidem tales descendit de cœlo Deus: Dominus ad servos: Creator ad creaturas suas, tam viles & abjectas: Deus ad boves & asinos, hoc est, ad peccatores. Quanta hæc Dei gloria? Nemo non laudat & gloria dignum reputat factum Alphonsi sapientissimi & poten-

potentissimi Arragonum, Neapolis & Siciliæ Regis, qui dum iter ageret, fortè suos antecedens & agasonem gementem ac prætereuntium opem implorantem videns, equo desiliit & asinum ejus in cœno hærentem una cum ipso extraxit. Non decuisset istud Regem, si alii adfuissent qui juvarêt miserum: sed quia nemo aderat, ea res ipsi non gloriam solùm, sed etiam favorem Campanorum, priùs ipsi parum addictorum, conciliavit. Panorm. l. 1. rerum ejus gestarum; qui addit se cum aliis aulicis huic facto advenisse, & Regem luto aspersum extersisse. Quid erat genus humanum nisi ejusmodi asinus onere miseriarum pressus, & in cœnum peccatorum prolapsus? At cùm nemo eum extrahere præterquam ipse Deus posset, en tibi filium Dei ex equo gloriæ suæ descendentem in humanæ miseriæ lutum, asinumque eripientem. Quanta hæc ejus gloria.

II. Cernitur in pannis, quibus involutus est. Quid enim est hoc, quòd rerum omnium Dominus in tam pauperi & humili vestitu veniat in hunc mundum, & appareat inter servos suos, velut illorum omnium servus abjectissimus? Scio Dei gloriam in majestate ejus consistere, sed quando ea majestas in gratiam subditorum se quodammodo velat, & ad infima demittit, multò magis elucescit; sicut cùm Moyses velavit rutilantem faciem suam, ut accedere ad ipsum, & colloqui posset Hebræi. Exodi cap. 34. Debebatur Christo nato ea gloria, quàm in translatione sua monstravit: verùm quia ad tantam ejus majestatem nemo accedere potuisset, ideo ea seposita, vilibus pannis se vestiit. Sic quandoque Rex, ut familiariùs cum eo agant subditi, regio splendore deposito, vulgarem habitum assumit. Hac de causâ Ludovicus XI. Galliæ Rex potentissimus, multis victoriis inclytus, miraculo erat hominibus quòd non auro sericoque, sed quò splendidiori vestitu alii Reges uterentur, eò viliore ipse gauderet, ut non nisi in lana & bombyce prodiret, nonnunquam asino insidens, apud Fulgos. lib. 3. c. 6. Quantò verò plus est Dei filium cernere in laceris pannis juxta bovem & asinum? Et certè hic fuit scopulus Judæorum, in quo plerique impegerunt, quòd credere non possent aut potiùs nollent, Dei filium in tanta humilitate & paupertate apparere velle.

III. Cernitur in stabulo, quod sibi elegit, cedens aliis diversoria, cùm esset Dominus totius orbis. Celebratur in Alexandro Magno generosum illud factum, quo gregarium quendam militem frigore torpentem atque obstupefactum in sua sede, foco propinqua, surgens ipse constituit. Quod ubi restitutus sibi vidit miles, territus surrexit. At Alexander: *Persis* ait *in sella Regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit*; apud Quintum Curtium l. 8. cap. 12. Simile in Julio Cæsare, qui ægro cuidam militi suo, C. Oppio cessit hospitium unicum, sibi alioquin destinatum, ipseque sub dio mansit, teste Suetonio. At quid isti terræ vermiculi sunt respectu Dei, qui urbem ejusq; hospitia aliis advenis permisit, ipse extra urbem stabulum seu speluncam sibi delegit? Eo enim direxit parentes suos, qui alioquin, si voluisset, optimum, quodque diversorium servare sibi potuisset. Posuit ergò se, in hunc mundum ingressus, postremo loco, ut mereretur post audire: *Ascende superius*. Tunc fuit ei gloria. Magna fuit laus præclarissimo illi Duci Hebræorum, Josue, quando in distributionis terræ promissæ, sibi omnium vilissimam portionem, Urbem Thamatsaraam in loco sterili & graveolenti (unde nomen habet) sitam postulavit à Deo, & elegit. Josue cap. 19. Quod jure miratum fuisse in peragratione terræ illius sanctæ Paulam scribit S. Hieronymus in ejus Epitaphio. Tantò igitur major gloria est Deo Filio, quantò inferiorem locum in fœtente & horrido stabulo sibi delegit, relicto aliis diversorio. Non adeo magnum est, si Rex subdito, utpote homo homini cedat; at nimis magnum est, quod Deus homini, Creator creaturæ.

IV. Cernitur in tenerrimo & infantili ejus corpusculo, in quo vix natus jam velut Dux militiæ exemplo suo præit militibus ad virtutem & quævis ardua. Maxima est Ducum gloria, cùm exemplo suo militant præceduntque in acie. Qualis Alexander Magnus, qui in Persidis Regione, nivibus ac glacie impedita, via deserta & invia, iter agens, territis & cunctantibus militibus, primus equo desiliit, pedesque per nivem & concretam glaciem ingredi cœpit, sicque milites ad sequendum animavit. Curtius libro quinto capite trigesimo. Nec non æmulus ejus Julius Cæsar, qui idcirco tam strenuos habuit milites; quia nunquam dixit eis: *Ite*, sed *Venite*: nec milites appellabat eos, sed Commilitones. Suetonius & alii. Fecere illi hoc quidem, sed non in pueritia, multo minus in infantia. Christus Dei Filius ab infantia incœpit milites suos præcedere ad virtutem & labores. Cunctabantur homines aliis se subjicere, subjecit se Cæsaris edicto, cujus ipse Dominus erat. Ambiebant omnes primos recubitus & honorem præcellentiam: ipse elegit infimum locum in præsepio, cum posset deligere summum. Inhiabant omnes divitiis, paupertatem per mare per terras fugiebant; ipse pauperes voluit habere parentes & laceris pannis involvi, in alieno tugurio nasci. Insidiabantur omnes voluptatibus & deliciis, nemo pati quidquam volebat; ipse infans hyemali frigore reclinari non in molli lecto, sed aspero fœno & præsepi voluit. Obedire omnibus durum erat, imperare omnes potiùs & præesse cupiebant: ipse infans virili licet animo & intellectu, se infasciari, ligari & quaquaversum portari passus est. Nimirum quemadmodum Julius Cæsar, cùm feroci impetu Nerviorum, inclinari aciem suam videret, timidiùs pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrimè præliari cœpit: (quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit, apud Valerium Maxi-

IV. *In tenero & infantili ejus corpusculo seu patientia exemplo.*

mum libro tertio capite secundo.) Ita Dei Filius cùm videret non scuto imaginis divinæ & rationis lumine segniter & perversè uti, ipse naturam humanam arripere & in ea pugnare, nosque pugnandi modum docere animareque voluit. Hæc est gloria ipsius, nunquam satis laudata.

V. *In fœno seu contemptu mundi.*

V. Cernitur in fœno. Fœnum est mundi vanitas & pompa, teste Isaia capite quadragesimo. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos, quia Dominus sufflavit in eo.* Speciosa res apparet campus viridis aut hortus ornatus floribus, attamen Sol ardentior totum illum decorem brevissimo tempore radiis suis resecat. Rapuit ante Christi adventum plerosque homines hujus mundi decor & amœnitas, sed rapuit denique ad peccatum & ad orcum. Venit Dei Filius, Sol & lux mundi, & radiis virtutem suarum arefecit hos flores, ita ut ab eo tempore mundi splendor obtenebresceret & caderet, fieretque in contemptum piis, impiis in confusionem. Unde benè Propheta Isaias ait, Dominum sufflasse in eo: quæ enim contemnimus, exsufflare dicimur. Mira infantis gloria, quam prælusit Regius Propheta David in sua illa cum Goliatho pugna (primo Regum 17.) qua vicit & stravit Goliathum in funda, lapide & baculo, armatum thorace, hasta & gladio. Quemadmodum Goliathus, ita & mundus tribus armis instructus, hominibus insultavit, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, primo Joannis secundo. Sed videte pusillum Davidem, Christum infantem miris aliis armis de mundo triumphantem: funda humilitatis, qua in stabulo inter pecora nasci: lapide paupertatis, qua involvi pannis & reconciliari in præsepio: baculo patientiæ, qua sustinere frigora & fœni asperitatem voluit, mundi pompam stravit, perturbat & confudit, ut infinita hominum multitudo deserto mundo Christum sequi, eremos monasteria quærere, ad martyria currere, sectatores mundi reprehendere & ridere cœperit: ipsi verò mundi asseclæ despectui haberi, confundi, & Christo palmam cedere. Quanta hæc Christi nati gloria; Dum enim mundi Dominus ea, quæ mundus prius magni æstimabat, sprevit ac neglexit, totam mundi gloriam manifestè condemnavit & vanitatis arguit.

VI. *In præsepio seu humili majestate.*

VI. Cernitur in præsepio, in quo reclinatus fuit. In hac enim sua tam humili residentia ac sede existens commovit cœlum & terram, traxitque ad se infimos & summos, juxta prædictionem Aggæi cap. 2. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis Gentibus & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quis unquam audivit infantulum jacentem in præsepio terrorem injecisse Regibus? commovisse orbem? At hoc infans iste fecit. Commovit terram excitando Romæ fontem olei: omnes Gentes, quia terruit & movit Augustum, Imperatorem gentium, ut Domini nomen deponeret, teste Suetonio in Augusto cap. 53. Terruit Herodem cum tota Jerosolyma, imò conturbavit. Unde sanctus Augustinus sermone 30. de temp. ait: *quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cuna terrebat infantis?* Terruit idolos, quia suo in Ægyptum ingressu dejecit passim simulachra, dæmonum habitacula, ut testantur veteres. Vicissim traxit ad se pastores & ex oriente Reges: denique quam plurimos infantes, ab Herode propter se occisos: sicque est impletum quod prædixit Isaias capite octavo, de hoc infante. *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Damascus *similitudo incendii* exponitur, unde infernum denotat: Samaria partim Deum verum partim Idola colens, pastores Hebræos & Magos Gentiles notat. Utrosque non solùm Christianos, sed etiam sui præcones fecit, & velut prædicatores emisit. Quanta est hæc nati Christi gloria.

Vidimus gloriam Christi in ejus nativitate quantumvis abjecta pulcherrimè resplendentem. Vidimus in paupertate, humilitate, patientia, obedientia, latere maximam gloriam. Habent ergo pauperes, humiles, subjecti, afflicti, quo se consolentur, modò sibi gratulentur: habent mundi sectatores unde erubescant, & mundum aversentur. Superest ut nos qui gloriam Christi vidimus in abjecto stabulo, ei conformemur, donec eandem videamus in cœlo.

THEMA VI.

Quæ obsequia Christo nato deferenda.

I. Obsequium S. Iosephi.
II. Obsequium Deiparæ.
III. Obsequium Pastorum.
IV. Obsequium Angelorum.
V. Obsequium bovis & asini.

Transeamus usque Bethlehem & videamus hoc Verbum.
Luc. 2.

REfert S. Bonaventura in vita sancti Francisci capite decimo cum apud castrum Grecii in nocte Nativitatis Christi, triennio ante obitum suum in memoriam nati Christi adornasse præsepe, apportasse fænum, adduxisse bovem & asinum, accendisse lumina, advocasse fratres & populum, curasse fieri mis-

missam, super præsepe, in quo ipse Evangelium cantavit & populo prædicavit de nativitate Regis pauperis, quem puerum de Bethlehem appellabat. Miles autem quidam virtuosus, D. Joannes de Grecio, Franciscus familiaris, ibi præsens vidit puerulum formosissimum jacentem in præsepio, quem Franciscus amplexans excitare à somno videbatur. Placuisse verò Deo hoc obsequium, eventus demonstravit, quando etiam fœnum præsepis reservatum à populo sanavit varios morbos hominum & brutorum. Celebramus & nos nativitatem Christi, adornavimus etiam ei præsepe. Celebramus etiam missam & habemus concionem. Unicum video, quod nobis deest, Franciscus, qui infantem dormientem suo obsequio & devotione amplexetur & excitet, ut suam nobis benedictionem dignetur impertiri. Quare demus operam, ut nos ejus personam agamus, & quidquid ad obsequium Christi necessarium videtur, peragamus. Quid verò id nos docebit; utique qui præsepi Christi præsentes fuerunt. Audiamus.

I. Exhibeamus ei obsequium Sancti Josephi, qui præsepi adfuit, nequaquā otiosus. Ac licet Scriptura quid egerit, non loquatur, Sanct. Brigitta tamen in suis revelat. lib. 7. cap. 21. scribit eum ligasse bovem & asinum ad præsepe, & exiisse ac tulisse candelam accensam ad Virginem, & ad murum affixisse, rursumque exiisse. Neque dubium eum, velut lignarium fabrum, præsepe accommodasse, & stabulum expurgasse. Ergo etiam quisque Christianus det operam, ut hoc die bruta & indomita carnis desideria alliget ad præsepe Christi per pœnitentiam, accendatque in corde suo lumen gratiæ divinæ, ut nato Christo hospitium patet. Meminerit Virginum sapientum, quæ accensis lampadibus sponso obviantes cum eo intraverunt ad nuptias: Insipientium, quæ exclusæ; quia lumine caruerunt. Hodie media nocte venit sponsus de cœlo; obviemus igitur ei cum lampadibus. Accendatur lumen percussione silicis, contritione inquam cordis: accendatur ex alio lumine, amore divino considerato, qui ipsum in terras traxit. Nunc tempus emendi oleum, his feriis, ubi tempus, otium, tot exempla provocant ad pietatis opera. Meminerit unusquisque quantoperè nuptiarum ille Rex iratus sit, quando unum sine veste nuptiali reperit in nuptiis, mandans eum ejici in tenebras exteriores Matth. 22. Magnæ hodiè nuptiæ sunt, Filii Dei cum humana natura celebratæ, factæ propter nos. Quis ergo sordidus & fuliginosus ibi compareat? Meminerit quomodo Christus turbarit seipsum & protestatus sit, sedente unico Juda proditore ad mensam suam. Invitamur nunc ad mensam Christi: *nullus hic Iudas assistat*, ait Chrysostomus. Expurget quisque cor suum per contritionem saltem, ne Christum è corde excludat. Posuerat Adrianus Imp. Adonidem, Veneris amasium in loco præsepis, teste S. Hieronymo. Post recepta Jerosolyma S. Helena locum expurgavit. Et quam multi in corde suo Adonem statuerunt! Ergo vel nunc ejiciant eum. Non stant simul Venus Kind und Kristkind/ Arca cum Dagone in eodem fano. Et quo jure stat Adonis in præsepi Christi, quod est cor Christiani, Christo consecratum? *Poris canes*, clamat Joannes Apoc. ult. sicut & caput Dagon. (qui Veneris idolum erat) & abscissæ manus projecta sunt ab Arca super lumen templi, ut insinuaretur è templo cordis Christiani ejiciendam esse Venerem & omne peccatum. 1. Reg 5.

II. Obsequium Deiparæ. Hæc Luca teste, infantem Christum *pannis involuit & reclinavit in præsepio*. Faciet hoc Christianus, Christum per S. communionem reclinando in suo corde. Hoc enim ipse cupit. Non dubito, si Christus nunc obambularet civitatem, neminem futurum, qui eum non invitaret in domum suam. Sanè quando in domum Zachæi divertit, alii cives ei hanc gratiam invidentes, murmurabant, quod ad ipsum divertisset. Pia hæc æmulatio nunc exercenda est, ne simus velut cives Bethlehemitæ, qui Christum excluserunt. Sacerdotes omnes ter hodiè communicant ex antiquissima consuetudine, cujus testem habemus S. Greg. Mag. hom. 8 quæ est sup. Evang. hujus fest, à plusquam mille annis. Et hoc vel ad indicandam triplicem Christi (ut vult Soto) nativitatem æternam à Deo Patre, temporalem à virgine matre, mysticam in corde fidelium per gratiam. Vel ad insinuandum triplicem mundi & Ecclesiæ statum; sub lege naturæ, mediis quasi in tenebris constituta: sub lege Moysis, quasi in aurora, majori quadam luce prædita: sub lege gratiæ quasi claro Sole perfusa, totum illustrante mundum. Et tu igitur Laice reclina Christum in corde tuo. Reclina autem sicut Deipara, magna sc. cum reverentia & devotione suscipe, non projice in cortuum, quo modo lupi carnes vorant, projiciendo ex ore in stomachum, nulla masticatione. Deinde fasciis eum involve, candidissima conscientia Christum excipiendo, sicut olim solebant lotis viri manibus, fœminæ etiam superiniecta purissima syndone; ad indicandam conscientiæ puritatem. Involve etiam, firmissimum propositum concipiendo, conservandi Dei gratiam: non sis velut impia mater, quæ filiam exponit; de qua Thren. 4. queritur Deus: *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*. Hic enim ponit ova sua in sabulo, soli excoquenda relinquens; unde fit, ut pedibus conculcentur; nec curat gemitus pullorum. Fasciæ sunt præscripta & monita Confessarii, quibus continetur infans in cunis, ne excedat: anima sc. tua.

III. Obsequium pastorum. Hi deseruerunt greges suos, & cum prius tibia canerent, ut indicat tex. Græcus, mox cessarunt, & tibiis utique in saccum reconditis, cucurrerunt ad præsepe & *cognoverunt de verbo hoc*; idque post annuntiarunt aliis. Faciet hoc Christianus, si his feriis profanas lætitias & sæcularia negotia seponat, & properans suis cogi-

II. *Obsequiū Deiparæ.*

III. *Obsequiū Pastorum.*

cogitationibus ad præsepe, agnoscat quantum hodie mundo beneficium a Deo collatum sit: quanta res sit Deum propter nos hominem fieri, infantem, pauperculum, in stabulo nasci, in præsepio reclinari; quantus etiam & quàm periculosus morbus debeat esse peccatum, quod tantum Medicum è cœlo evocavit. Quid enim si tuus morbus tam gravis esset, ut è novo orbe advocandus esset medicus? Non sis velut cives Bethlehemitæ, qui Christum non agnoverunt, ideoque nec curarunt. Deinde annuncia cum aliis, filiis Pater, paterfamilias domesticis, legantur domi libri pii, audiantur cantica natalicia. Parentes ducant liberos ad præsepia; eisque explicent singula: propter ipsos enim eriguntur.

IV. *Obsequium Angelorū.* IV. Obsequium SS. Angelorum, nam & hos adfuisse præsepi non est dubium, scribuntque SS. PP. Greg. Nyss. Epiphanius & alii. Non enim aliis solùm Christum monstrarunt, sed & ipsi adierunt, eique servierunt. Quid verò illi egerunt? primo accinebant Christo nato canticum lætitiæ: *Gloria in excelsis Deo*; quia per eum nos fratres & cohæredes suos habituri erant. Jam si lætantur ob hoc Angeli, cur non potius nos, cum dicant: *Natus est nobis Salvator*: illi jam erant in patria, nos adhuc in exilio: illi in triumphante nos in militante Ecclesia sumus. Quando Themistocles Atheniensis peritissimus belli Dux à patria profusus in Persiden ad Xerxen venit, adeò tanti Ducis adventu lætatus est Rex, ut subinde exclamavit in somno, *Themistoclem habeo*, sæpeque evigilans custodes rogaret, an adhuc secum esset Themistocles, teste Pluthar. Quia scilicet sperabat se tanto belli duce regnum suum amplificaturum, & præclarissimas victorias obtenturum. Nos qualem & quantum Ducem accepimus? Debellavit is & adhuc debellat omnes hostes nostros, dæmonem, peccatum, mortem, infernum, idemque cælum nobis reseravit; non igitur gaudeamus? sed quemadmodum gaudent Angeli, si & nos gaudeamus; *secundum faciem Sanctorum*: ut dicitur Judith. ult. non more mundano. Deinde accommodarunt se suo Regi: descenderunt & ipsi in stabulum de cælo, prætulerunt facem pastoribus & Regibus, nolunt deinceps adorari ab hominibus, sed conservi eorum appellari volunt, Apo. 19. Sic ergo & Christianus imitetur humilitatem Domini sui. Unde Jeremias cap. 31. ait: *Usquequò delitiis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum*, quasi dicat: Christus vir perfectus patitur se infasciari, ligari & reclinari in præsepi: & tu vis esse liber & dissolutus ac delitiis te dedere? Sanè Davidem quando è regia sua profugus incessit nudis pedibus, secuta est om-nis ejus domus & populus. 2. Reg. 16. Videmus jace-re in præsepi Regem nostrum penè nudum: & nos molli lecto per hos dies stertemus?

V. *Obs. bovis & asini.* V. Obsequium bovis & asini; nam & hos a[d]fuisse scribunt multi PP. & sentit Ecclesia juxta Isa. 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præ[se]pe Domini sui.* Quid verò illi? mensam, lectu[m,] pabulum, hospitium suum adeoque quidquid hab[e]bant, Christo communicarunt, vel potius cesseru[nt,] & haud dubie halitu suo calido stabulum adeoq[ue] Christum etiam foverunt in hyemali tempore, lo[co] frigori exposito. Facies hoc tu, si Christo in paup[e]ribus ejus communices domum, mensam, lectu[m] tuum: si foveas eos foco & fornace tua. Habuit Chrysostomus insignem & ferventem oration[em] de pauperibus hyemali maximè tempore juvan[dis] Tom. 4. ser. de eleemosyn. & collatione, adduc[it]que plures rationes justissimas; quia scilicet in hy[e]me magis urget fames, sicque plus cibi requiru[nt,] densiores etiam vestes propter frigus: adhæc in[di]gent calido hospitiolo, æstate non item. Rursum hyeme non inveniunt, ubi manuum labore victu[m] sibi quærant, cùm in æstate passim reperiant cibu[m,] quando & radii Solis pro amictu eis sunt, possu[nt] sub dio dormire &c. Hæc ille solicitus pro paup[e]ribus Pater. Nos ergo si volumus pauperi & nu[do] Christo in hieme, frigore & stabulo jacenti gratu[m] valde obsequium præstare, ecce possumus in paup[e]ribus ipsius, in quibus ipse famet ac friget. Erit a[li]quando tempus, cùm ipse nos vicissim hospitio [suo] excipiet, in æternum regnum suum. Id certè pr[æ]stitit Marthæ, cui in extrema vitæ periodo una cu[m] Magdalena apparens dixit: *Veni hospita, mea d[ile]ctissima, quemadmodum in quondam tua me domo, [ex]cepisti, sic ego te recipiam in cœlestem domum mea[m].* Ita habet ejus vita apud Ribadeniram 29. Jul. [&] ex Sancto Antonino addit Christum apud Tar[as]cum morienti adfuisse & funebres ejus exequias [ce]lebrasse.

Vidimus obsequia, quibus excitare dormiente[m] in præsepi Christum infantem possumus, eiq[ue] inservire; quæ si ipsi præstiterimus, sperandum [fo]re, ut & ipse non solùm nobis, sed & agris ac vineis, domibus & finibus nostris benedictionem suam impertiat.

(***)

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMART.

THEMATA.

I. *Corona gemmea S. Stephano debita.*
II. *Inimicorum injurias panes esse ostenditur.*
III. *Stephanus jure Angelus habitus.*
IV. *Quas coronas meruerit S. Stephanus.*
V. *Quid commiserit S. Stephanus ut lapidaretur.*

THEMA I.

Corona gemmea S. Stephano debita.

I. *Debetur ei Adamas.*
II. *Debetur ei Carbunculus.*
III. *Debetur ei Hyacinthus.*
IV. *Debetur ei Iaspis.*
V. *Debetur ei Saphirus,*
VI. *Debetur ei Smaragdus.*

Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

PLinius lib. 37. c. 9. refert in locis fulmine tactis reperiri gemmas, quæ ceraunine, id est, fulmineæ vocantur, quas Parthorum Magi summa diligentia requirant. Quis nõ videt Aud. fulmina quamplurima in S. Stephanũ emissa? Quid igitur? Non arbitrabimur in ipso quoque complures gemmas, easq; fulmineas reperiri: lapides in eum projectos, mutatos esse in gemmas, easque pretiosas? Ita sanè mihi persuadeo. Quæramus ad S. Stephanum & quæramus in eo gemmas illas & quidem maximo studio; quia maximè nobis proderunt. Stephanus græcè, coronam significat latinè: coronemus ergo Stephanum, non jam lapidibus, ut prius impii Judæi, sed gẽmis pretiosis.

I. Debetur illi Adamas. Primò ob soliditatem & duritiem, quæ nullis malleorum ictibus cedit, sic enim & Stephanus in fide solidissimus nullis vel legis peritorum argumentis, vel lapidatorum ictibus cessit; unde bene *plenus fide & fortitudine* Act. 6. dicitur. Scribit S. Epiphanius l. de duodecim gemmis c. 4. summum sacerdotem in V. T. ter in anno adamantem gestasse, in festo Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. Qui tunc vario colore apparuit; candido, quasi niveæ lucis fælicitatem portendens: nigricante, mortes & funera: sanguineo bella. Idem cernere est in Stephano, qui rationem fidei coram Magistratibus reddens vultumque Angeli repræsentans, candidum se exhibuit, honorificè eos compellans: *Viri fratres & Patres audite,* Act. 7. tametsi illi minas spirabant & cædem. *Responsio* enim *mollis frangit iram.* Prov. 15. At ubi vidit eos animum non advertere, sed persistere in sua pertinacia, sanguineum assumpsit colorem, bellum quasi eis denuncians, cœpitque increpare eos: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis &c.* Quia enim fulgura contempserunt, fulmina addidit. Denique ubi nec ista profecerunt, nigrum assumpsit colorem, quando flexis genibus jam moriturus oravit pro illis. Tunc enim prostravit Saulum, (& fortè plures cum eo) qui postquam conversus fuit, Synagogæ jugulum fregit. Simillimum quid in more habuit Tamerlanes Scytharum Rex, qui civitates obsidens primo die candidum vexillum, pacem denuntians: secundo die rubrum, bellum portendens & sanguinem: tertio nigrum, significans exterminium & internecionem, exposuit, proposuitque obsessis. Hic more barbaro, S. Stephanus Christiano; qui aptus est vindicandi modus: orando enim pro inimico, mactas inimicum, & facis amicum.

2. Quia sicut adamas impedit magnetem, ne ferrum ad se trahat, imò cogit attractum jam respuere, si ei jungatur, teste Plin. lib. 37. cap. 4. Sic Stephanus sua oratione pro inimicis fusa Saulum, qui magnetis instar Christianos trahebat, è domibus, etiam ad tribunalia, cohibuit ne id postea faceret, sed ut ipse prædam divideret, coegit. Hanc gemmam qui sibi comparare volunt, dent operam ut eos, qui magnetis instar trahunt ad se & pervertunt animas, impediant seu oratione, seu quovis alio modo. 2.

II. Debetur ei carbunculus. Primò quia carbunculus carbonis instar igniti splendet, etiam de nocte, *calefactus* quoque *attritu digitorum vel à Sole, paleas & chartarum fila attollit,* ait Plin. lib. 37. c. 7. Addit P. Cornelius a Lap. Apoc. 21. se a Lusitanis fide dignis audivisse, Lusitaniæ Regem in Festo Corporis Christi præferre in fronte equi carbunculum tantum & tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Talis est S. Stephanus, qui cum esset

II. *Debetur ei Carbunculus.* I.

eſſet plenus ſapientia & Spiritu ſancto, mirum in modum illuſtravit ſua ſapientia non totum modo Concilium, ſed etiam totam Jeroſolymam, imò orbem univerſum, & imprimis Ungariam, cujus Rex ſanctus Stephanus Protomartyris patrocinio ad fidem eſt converſus (ut in ejus vita 20. Auguſt.) & alius Stephanus Junior per ejus interceſſionem in utero matris benedictus, apud ſanctum Damaſc. in vita.

2\. 2. Carbunculus in acetum aëre injectus ſplendeſcit magis, & aquis perfuſus inardeſcit, ut Plinius loco citato refert. Ita Stephanus cum acerrime à falſis teſtibus accuſaretur, tunc apparebat vultus ejus tanquam Angeli ſtantis inter illos, quaſi Deus per hunc Angelicum ſplendorem, innocentiam ejus manifeſtare ac defendere voluerit. Mox ubi etiam lapidum imbre perfuſus fuit, omninò ardere charitate cœpit, & Dei & proximi: *Suſcipe*, inquit, *Spiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Sic nimirum Deus ſervorum ſuorum innocentiam & gloriam, cùm maximè premuntur, maxime prodit ac defendit. Hanc gemmam qui deſiderant, non in proſperis solùm, ſed in adverſis etiam ferveant ac ſplendeant amore Dei & proximi. Aliqui in dulci vino devoti & pii ſunt; at cùm aqua eis apponitur cùm aceto immerguntur adverſitatis, omnem ſplendorem perdunt omnemq; pietatem.

III. Debetur ei Hyacinthus. III. Debetur ei Hyacinthus, hic enim cœlo ſe conformat, (hujus namque ſimilitudinem antiqui hyacinthi referebant) cum ſereno induit ſerenum colorem, cum nubilo nubilum. Similiter & Stephanus ſeſe conformavit Chriſto;

1\. primò inter falſos teſtes, & in Concilio, ubi ſtans intrepidus placidoque vultu, velut Angelus veritati teſtimonium perhibuit;

2\. deinde ſub martyrio, quando jam moriens de lapidatoribus ſuis ſolicitus pro ipſis oravit. Nimirum id audivit à Chriſto crucifixo, ut vult ſanctus Auguſtinus ſer. 1. de S. Stephano; *Vt hoc dicam*, inquit, *tibi* (ſcilicet, *ne ſtatuas &c.*) *à te primo audivi.* Probabiliter enim putat eum cruci Chriſti præſentem fuiſſe, ſerm. 93. de diverſis. *Oravit Chriſtus pro crucifixoribus ſuis, oravit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus: Dominus Ieſus Chriſtus oravit affixus ligno, & Stephanus genu flexo.* Idem ſermone primo de ſancto Stephano, addit Stephanum idem appoſuiſſe comedendum Judæis, quod ipſe comedit in menſa Chriſti, juxta id Proverb. 23. *Si ſederis, ut comedes ad menſam potentu* (juxta 70.) *ſapienter injice manum ſciens, quoniam talia te oportet præparare.* Sic ergo diligenter obſervandæ ſunt, tibi conciones, ut etiam aliis apponi à te queant: quemadmodum Samuel armum ſibi appoſitum, reſervavit & appoſuit Sauli. 1. Regum 9. Denique ſicut Chriſtus Patri ſpiritum ſuum moriturus commendavit: ita etiam Stephanus: *Domine ſuſcipe ſpiritum meum.* Rurſum uti Chriſtus acriter reprehendit Judæos, quando ipſi Deum offenderunt, adeoque ſeverum & nubilum vultum a[...] ſumpſit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi &c.* pari mo[...] Stephanus induratos Hebræos acriter reprehendi[...] *Dura cervice, &c.*

IV. Debetur ei Jaſpis 1. quia Iaſpis eſt gemma antiquiſſima. Unde Plinius: *Etiamſi victus mul is, antiquitatis tamen gloriam retinet.* Jaſp[...] enim in ipſa terræ ſuperficie invenitur, cùm re[...] quas gemmas in terræ viſceribus natura abdider[...] ut ſcribit Cornelius à Lap. in Apoc. cap. 21. Atq[...] ſanctus Stephanus antiquitatis prærogativam habet ac retinet; quia eſt martyr antiquiſſimus [...] primus omnium: licet atrocitate tormentoru[...] ab aliquibus ſuperetur. Hinc ſanctus Ambroſius [...] hexam. cap. 6. & lib. 4. in cap. 5. Luc. ait eum deſignatum in illo piſce, qui primus aſcendit de mari [...] hamum Petri, ut pretium martyrii pro Chriſto p[...] ſolveret. Ille quaſi in ſuperficie terræ ſe marty[...] obtulit, diſputatis contra Judæos in ipſo fidei exordio, Jeroſolymis, ante omnes. Idcirco benè di[...] tur à Luca *plenus gratia & fortitudine*; quaſi iis r[...] dundans & ex plenitudine ſe ſponte effundens, v[...] ut dolium muſto plenum. Unde B. Petrus Damianus ait ſer. de ſancto Stephano: *Iungitur gratia fortitudo, quia infuſo ſpiritu libertatis ignitus anim[...] in lucem veritatis erumpit. Sic loricatus gratia [...] haſta fortitudinis ſapienter infrendens faciebat [...] gna &c.*

2\. Quia gemma firmiſſima, ut Com. lo[...] citato. Talis etiam Stephanus qui lapidum i[...] bri & minis totius Magiſtratus minimè ceſſit. Vi[...] centius Beluacenſis in ſpeculo naturali refert, J[...] ſpidem inveniri amœnæ pulchritudinis, in q[...] ſpecies viri emineat clypeum è collo ſuſpenſu[...] geſtantis, & ſubjectum pedibus ſerpentem c[...] cantis. Simillimus huic Stephanus, quomo[...] enim tot lapides in ſe jactos ferret, niſi clypeum [...] collo gereret? quis verò hic? *Video cœlos ap[...] tos & filium hominis ſtantem, &c.* quaſi dicere[...] non curo, nec ſentio veſtros lapides; quia jam i[...] troſpicio in cœlum, jam prehendo coronam, h[...] clypeus omnia veſtra tela excipit. Serpens porrò p[...] dibus preſſus, quis niſi Judæi, aures ſuas obturant[...] ad concionem Stephani? Hinc enim in eos fulmin[...] *Dura cervice & incircumciſi cordibus & auribu[...] Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, &c.*

V. Debetur ei Sapphirus. Hic enim apu[...] Veteres magna ſemper in veneratione fuit, ſum[...] mum imperium ac ſacerdotium ſignificans, [...] ſcribit Plinius lib. 41. hierogel. Rucus & alii. U[...] de olim *gemma gemmarum* appellata, teſte Abu[...] lenſi in capite 28. Exodi. Hodie etiam Pontif[...] nuper creato Cardinali mittit Sapphirum, u[...] cum purpura; ut ſciat ſibi cœlum etiam ſangu[...] ne comparandum, ſi occaſio ferat. Nec im[...] meritò, quia cœlum ſerenum ac ſtellatum r[...] præſentat, quò aſpirare decet ſummos Præſ[...] les. Stephanus ſanè talis, qui vidit cœlos [...] pertos, & toto pectore eò evolare anhelabat: p[...]

m[...]

mus etiam vi armata perrupit , ſanguinem pro eo fundens. Unde ſemper in Eccleſia, etiam primitiva , maximo in honore habitus fuit ; jureque primus Eccleſiæ Cardinalis cenſeri debet. Admirationem omnem ſuperat ille Sapphirus, in quo viſio Moyſis & lex Decalogi naturaliter fuiſſe impreſſa dicitur. Cujus meminit S. Epiphanius Epiſcopus Cypri l. de duodecim gemmis. Jam verò Sanctus Stephanus reddens rationem fidei ſuæ extemporanea oratione narrat totam hiſtoriam Judaiſmi ab Abraham uſque ad Salomonem, legemque à Moyſe deſcriptam ; ut videri poſſit tota lex Hebræa in ejus memoria exſculpta fuiſſe cap. 7. Act. Quod ſignum eſt , fuiſſe eum thecam arcanorum divinorum veteris legis. Magna etiam hæc laus Chriſtiani foret , ſi quis ità cordi ſuo inſculperet legem & vitam Chriſti , Sanctorum geſta & dicta , quæ in piis libris legit vel audit. Tales non procul abſuntjà regno Dei, utidixit Chriſtus Scribæ illi , qui magnum Legis mandatum memoriæ benè impreſſerat : Marci 12. *Non es longè à regno Dei.* Cui accenſeri poſſunt , Alphonſus Aragoniæ Rex , qui totam S. Scripturam cum Commentario decies ,quater perlegit , teſte Panor. in ejus geſt. & Ferdinandus II. Imper. qui vitas Sanctorum à Surio deſciprtas , ſexies decurſas memoriæ inſcripſit , ut eſt in ejus virtutibus, cap quinto.

VI. Debetur ei Smaragdus ; hic enim primò viriditate omnes gemmas herbaſque ſuperat, ideoque aſpectu ejus nihil jucundius , ut ſcribit Plinius lib. 37. cap. 3. Talis autem Stephanus , qui juvenis florentiſſimus , (unde Angeli ſpeciem referebat) virgo inſuper fuit , ut affirmat Auguſtinus ſermon. 2. de Sanctis, d cens , in ipſo flore juventutis paſſum. Et Sanctus Fulgentius ſer. de S. Stephano. Pulchra eſt virtus in viro, pulchrior in juvene. Deinde Smaragdus ſpeculi inſtar repræſentat res objectas. Unde Nero Imper. gladiatorum pugnas in Smaragdo inſpiciebat , teſte Plinio loco citato. Stephanus ſpeculum eſt Martyrum ; unde ipſe Chriſtus è throno ſuo non ſolum pugnam Stephani , ſed etiam pugnas martyrum ſuorum futuras in Stephano , primo Martyre ſtrenuiſſimo , inſpexit , ut teſtatur ipſe : *Video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei,* Chriſtus enim de ſolio ſuo quaſi ſurrexit , ut ſpectaret pugnam iſtam. Vidit autem in ea martyres ſuos verbera excepturos , non reddituros : vidit eos pro inimicis ſuis oraturos vidit eos pro nomine ſuo ad mortem uſque certaturos : vidit eos omnium adverſariorum ora obſtructuros : vidit eos ſanguine ſuo quaſi ſemente agrum Eccleſiæ fœcundaturos : vidit in ea Chriſtus ſuos martyres habituros os & ſapientiam , quibus minimè poſſent reſiſtere omnes adverſarii eorum, ſicut habuit Stephanus : vidit eorum innocentiam in pœnis magis emicaturam , velut aurum in fornace : ſicuti in Stephano emicuit vultu Angelico, dum accuſaretur in concilio. Itaque ſpectaculum factus eſt non ſolum mundo , ſed etiam ipſi Deo. Videmus ergò non eſſe ſemper lapides , qui putantur eſſe , & in nos projiciuntur , calumniæ, probra , injuriæ, contumeliæ. Gemmæ ſunt , non lapides. Beati igitur , qui cum Stephano meruerunt lapidari ; quia ſic lapidari , nil eſt aliud niſi coronari. Talis Magdalena illa Japonia, apud Nic. Trigaut. in Triumphis Japonicis quæ in rogo ſemicombuſta prunas ſuſtulit, & capiti ſuo impoſuit, ſibique inde quaſi de Carbunculis coronam capitis fecit : Arimæ cum ſeptem aliis ob fidem igni tradita, anno 1613. Quando vero nos tam fortes Athletæ non ſumus, ſimus ſaltem patientes, quando in nos de cœlo Deus tribulationum lapides emittit, & gaudeamus inter eos. Sic enim fiet, ut & ipſi nobis ſuo tempore in gemmas commutentur, cùm mercedem patientiæ accepturi ſumus.

Fabri nova ſilva de S S.

THEMA II.

Inimicorum injurias panes eſſe oſtenditur.

I. Quia abſtergunt peccati nigredinem.
II. Quia præſervant a lapſibus.
III. Quia hominem confortant.
IV. Quia formant hominem.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt.
Eccleſia in Laudibus.

ÆNeas Sylvius, Friderici tertii Imperatoris Orator, poſtea Pius ſecundus Papa, in deſcriptione Europæ, capite 45. ſcribit in Schotia pauperes penè nudos ad templa mendicantes, acceptis lapidibus eleemoſynæ gratia, lætos abire. Id enim genus lapidis, ſive ſulphurea ſive alia pingui materia præditum, pro carbonibus ſervit & ignitur: quandoquidem regio illa lignis caret : quare pauperes iis venditis panem ſibi ex illis comparare poſſunt. Videtur mihi Sanctus Stephanus ſimilem eleëmoſynam & petiiſſe & accepiſſe à ſynagoga Judæorum , dum enim repente increpare Judæos incipit : *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis &c.* Quid niſi lapides petit ? Audiamus Sanctum Auguſtinum ſermon. 1. de hoc Sancto loquentem. *Eja Sancte Stephane, dic aliquid Iudæis , ut incipias lapidari & poſſis coronari. Iaculare verba & excipe ſaxa. Dic aliquid de incircumciſis cordibus , & morieris lapidibus.* Quaſi diceret : quid petis ? lapideſne pro eleemoſyna ? certè ad primam petitionem accipies, cùm illos corripueris.

Lapides vorantur panes S. Stephani.

Sed nimirum Stephanus scivit, quid ex lapidibus illis fieri posset, si æquanimiter ferantur, panes nimirum optimi ac suavissimi. Hinc enim de ipso ait Ecclesia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Hinc Germani lapides subinde *Sancti Stephani panes* appellant: Ich wil dir S. Stephans Brodt geben. Dabo tibi panes Sanct. Stephani, hoc est, lapidabo te, inquiunt. Videamus ergo quomodo hoc verum sit.

I. *Quia abstergunt peccati nigredinem.*

I. Panis seu cibus abstergit famelicis livorem, maciem, nigredinem è fame contractam, qualem contraxerunt tempore obsidionis & captivitatis Judæi. Unde Thren. capit. de eis dicitur: *Denigrata est super carbones facies eorum; non sunt agniti in plateis.* Et capit. 5. ubi dicunt: *Pellis nostra quasi Olibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Vidimus etiam ante paucos annos tempore famis homines facie combusta, ac denigrata passim incedere præ fame, & viribus destitutos vix ossibus hærere. Famis hanc deformitatem abstergit. Idem faciunt injuriæ; abstergunt enim à peccatore animæ nigredinem & maciem.

1. *Quia revocant ei in memoriam peccata.*

Primò quia objiciunt & revocant ei sæpe in memoriam peccata admissa aut vitia adhuc adhærentia. Quemadmodum enim Lacydes Argivorum Rex (teste Plutarch. lib de utilitat. capienda ab inimicis) cum Promotheum Thessalum cogitaret occidere, casu tuber ejus ita percussit ac dissecuit, ut rupto ulcere præter voluntatem servaret inimicum: ita fit non raro, ut convitium alicui impactum medeatur animæ morbo. Experta id est Sancta Monica mater Sancti Augustini, quæ in juventute pronior ad vini potum, cùm ab ancilla iracunda meribibula vocaretur, hoc probro & pudore velut vulnere icta, omnem vini cupidinem ab animo abstersit. *Hoc stimulo percussa,* ait Sanctus Augustinus lib. 9. Confess. cap. 8. *respexit fœditatem suam confestimque damnavit atque exuit. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt.* Rari sunt amici veri ac fideles, qui pravos amicorum morbos carpere audeant; inimici audent. Sunt ergò quasi chirurgi nostri. Chirurgo qui tibi putridam carnem secat, gratias habes & mercedem das; imò, qui tibi maculam in facie aut veste ostendit, gratias illi agis. Idem sæpe facit, qui contumeliis te onerat. Veridicus tuus est: veritas autem cibus animæ est, sicut panis corporis.

2. *Quia reatum pœnæ à nobis auferunt.*

2. Quia reatum pœnæ, quasi maciem contractam, à nobis auferunt, si æquo animo tolerentur. Bacillus dum vestem percutit, pulveres ab ea pellit: sic injuriæ pœnas nobis debitas & quasi inhærentes. Habuit vestem talem pulveribus adhuc scatentem ob admissa, tametsi dimissa peccata, nondum tamen expiata prorsus, Rex David; qui proinde, cum fugeret à facie Absalonis, obvium habuit Semejum, qui exprobrabat scelera sua, & lapides contra eum jaciebat, dicens: *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quia invasisti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* 2. Reg. 16. Tulit autem hæc probra & hos lapides David patientissimo animo pro expiatione peccatorum suorum; & quasi lapides illi panes essent, suaviter iis quodammodo vescebatur. Cùm enim Abisai servus ejus, vellet injuriam hanc ulcisci dicens: *quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Reprehendit eum David inquiens: *quid mihi & vobis est fili Sarviæ? Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.*

Quibus profectò verbis (ait Sanctus Gregorius libr. 31. moral. capit. 17.) *indicat, quia pro perpetrato Bethsabeæ, scelere, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animam malum, quod perpetravit, & æquanimiter pertulit, quod audivit, & contumeliosa verba non tam convitia, quam adjutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse credidit.* Quare non incongruè Abisai canem appellabat Semejum. Quemadmodum enim canes, dum ulnera lingunt, lingendo & lambendo sanguinem, sanant: ita ipse dum Davidi exprobrat, & in mentem reducit ejus peccata ab iisdem illum sanat, qui prius orabat tam flebiliter: *Libera me de sanguinibus,* hoc est à pœna seu vindicta, quam expetebat sanguis Uriæ, qui velut miles armatus contra eum stare videbatur, vitam & uxorem repetens. Mirum quid refert Ulysses Adrovandus lib. 9. Orinth. capit. 1. de vespertilione, qui cuidam monacho moribundo (cui phlebotomus tribus ictibus vena aperire non poterat) adeoque desperato, noctu pedem fortè è lecto protensum mordens, venam rupit, sanguinem exsugens: qui cum postea diutiùs manaret, monacho sanitatem reddidit. Quis non videt Semejum Davidi talem vespertilionem fuisse, qui dum ei morsum infixit, sanitatem contulit?

II. Panis etiam præservat hominem à languore, ne contabescat & moriatur; sic injuriæ & insidiæ inimicorum præservant te à lapsibus & vitæ turpitudine. Coram amicis nugaris, mentiris, detrahis, inebriaris, turpia & stulta loqueris; quod nequaquam faceres coram inimicis tuis. Sunt ergo inimici quasi pædagogi tui, qui semper observant te, ut mox reprehendant, & accusent delinquentem. Carolus IV. Imperator moriens Wenceslao VI. filio, Regi & Imperatori moderatorem consiliorum omnium dederat Joannem Archiepiscopum Pragensem: eique uni Wenceslaus auscultare, indeque suis cupiditatibus modum imponere solebat. At eo defuncto, cum Rector destitutus, in omne genus scelerum præceps abiit,

teste Dubravio lib. 23. histor. Bohem. Non aliter contingit multis, cùm destituuntur adversariis, moderatoribus suis. Ecce enim tibi Davidem rursum, qui quamdiu habuit Saulem, sibi infensum & persecutorem, tamdiu *in omnibus viis suis prudenter agebat*, ut dicitur 1. Reg. 18. nec aliquando lapsus est; at ubi suum pædagogum, suum hostem Saulem amisit, tunc in adulterium & homicidium incidit: quod neminem haberet, qui eum observaret & reprehenderet; id quod sanè fecisset Saul, si adhuc vixisset. Oculatiores plerumque sunt inimici in res nostras, quam nos ipsi: norunt quomodo domi cum domesticis vivamus, quantum æris alieni, quales servos & ancillas habeamus, adeoque si quid morbidum, si quid vitiosum in nobis est, velut vultures ad id carpendum rapiuntur. Ita Saul observavit Davidis penè omnia vestigia, utrum assideret mensæ an non, quam ob causam abesset, ubi lateret: investigavit eum etiam in deserto Maon. 1. Reg. 23 cum esset David una cum suis, vagaretur hinc inde incertus, ut habetur ibidem vers. 13. Quare *rectè dictum est,* inquit Plutar. l. citato, *ab Antisthene Philosopho ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis aut acribus inimicis, propterea quod illi, dum admonent peccantes, hi dum maledicunt, revocant à vitiis; sed quia ad liberè admonendum penè vocem amisit amicitia, superest ut ab inimicis veritatem audiamus.*

III. Panis hominem confortat, & pedibus jam fractis vires ad ambulandum, brachiis fatiscentibus robur ad laborandum præstat; sicuti Eliam confortavit panis, ut per 40. dies ambulare deinceps posset usque ad montem Oreb. Non dissimili ratione hominem confortant inimicorum persecutiones. Quemadmodum enim Catholici, cùm permixti sunt acatholicis (uti in civitatibus Imperialibus) ferventiores communiter sunt in fide; quia extimulantur & observantur ab hæreticis: *& sicut civitates quas finitimas hostis & continens bellum sobrietatem & vigilantiam docuit, & leges observant diligentius, & rectius administrant rempublicam & vigilantius agunt: ita quos inimicitia tangit, compellit ut sobrii sint & vigilantes, ut vitent socordiam, omniaque comiter & citra neglectum agant, sicque paulatim nec sentientes ducuntur in consuetudinem non peccandi & mores componendi, si modo vel paululum adjuverit ratio,* ait Plutar. l. de util. cap. ab inimico. Id videre erat in Davide etiam qui postquam percussisset ducentos Philisthæos, & abstulisset eorum præputia; extimulavit eorum in se odium, ut egrederentur ad pugnandum: *à principio ergo egressionis eorum prudentius gerebat se David, quam omnes servi Saul,* ait S. Textus 1. Reg. 18. v. 30. quia nimirum ipsius caput petebatur à Philisthæis. Laudatur etiam à Cassian. l. 18. c. 14. nobilis matrona Alexandrina, quæ viduam sibi importunissimam dari ad exercitium patientiæ petiit ab Athanasio, ut dixi in Festo SS. Simonis & Judæ Apost. C. 2. D 2.

IV. *Quia formant hominem.*

IV. Panis seu cibus abundè subministratus non fortes tantùm, sed formosos efficit homines. Hac enim de causa Nabuchodonosor jussit ephebos suos enutriri à mensâ sua, quo formosiores evaderent. Compara divitum filios cum filiis pauperum, videbis discrimen maximum, illos quidem elegantes & speciosos, hos vero luridos ac deformes; unde hoc, nisi quia illi benè, hi malè comedunt. Sic omnino injuriæ & persecutiones inimicorum formare solent hominem. Lapicidæ, dum suis malleis & scalpellis tundunt lapidem, efficiunt inde statuam elegantem alicujus Sancti, quæ postmodum in altari collocata honoratur, velut imago Sancti: ita inimicorum probris & injuriis expolitur homo & provehitur ad gloriam. Nonne S. Stephanus, qui ingenti lapidum imbre, quo eum obruere & extinguere voluerunt inimici, in pulcherrimam imaginem efformatus fuit? qua ratione alia magis illum evehere potuissent? Constantini Magni effigies à malevolis lapidata fuit: suadent ergo amici, ut ultionem de iis sumat. At ille abstersa fronte: *Ego vero nullum quidem in fronte vulnus deprehendo, sed sanum me per omnia video,* teste S. Chrysostomo hom. 20. ad pop. Antiochen. Verùm lapides nostro Stephano non modò nil nocuerunt, sed etiam januam cœli aperuerunt, & nobilissimum ejus civem fecerunt. Deformare quidem & extinguere eum volebant, sed contra intentionem pulcherrimè exornaverunt, ferè ad eum modum, quo Neacles insignis pictor, cùm equum spumantem pingeret, nec tamen spumam oris exprimere posset, indignatione motus, picturam omnem delere impacta in tabulam spongia voluit. Sed dum spongiam coloribus imbutam tabulæ illisit, casu spumam oris affarrimè expressit. Plin. lib. 35. cap. 20. Ita & Judæi, dum Stephanum ad suæ sectæ confessionem trahere non possunt, ira & indignatione moti lapides in eum jaciunt; ac simul quem extinguere conabantur, illustrissimum cœl. principem fecerunt.

Vidimus ergo lapides, non semper esse lapides, sed posse fieri, panes. Et quid multis opus? Vidit hoc & Satanas: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant,* inquit Christo. Igitur & tu Christiane, si filius Dei es, fac ut lapides injuriarum tibi panes fiant; sic non modò grande miraculum facies, sed & filium Dei te esse demonstrabis. Ita enim Christus ait: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est.* Vidit Centurio Christum in cruce immania Judæorum probra, quasi lapides, summo cum silentio & patientia devorantem, & pro iis preces rependentem, indeque mox colligit, ipsum esse Dei filium. Vidit Saul Davidem bona sibi pro malis rependentem, & mox appellavit eum filium suum; *Vox hæc*

tua est, fili mi David? 1. Reg. 14 Imitamini ergò Christum, imitamini Stephanum; imitamini Davidem, *& eritis filii Patris vestri, qui in cœlis est.*

THEMA III.

Stephanus jure Angelus habitus.

I. *Ob ejus innocentiam.*
II. *Ob ejus æquanimitatem & animi fortitudinem.*
III. *Ob dilectionem inimicorum ejus.*
IV. *Ob eminentem ejus sapientiam.*
V. *Ob intuitum Christi à se conspecti.*

Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli. Act. 6.

AUdivimus heri jubilantes & cantantes Angelos in nativitate Christi. Eccur Auditores? Num fortè quia propter Angelos etiam Christus natus est, ut & ipsos redimeret? Negat id S Gregor. in Job. c. 38. cùm ait: *Angeli electi incarnationis mysterio redempti non sunt.* Eccur ergo jubilant? Causam adfert idem S. Gregor. hom. 21. in Evang. Quòd nimirum nostra festivitas etiam ipsorum festivitas sit; *quia nos revocando ad cœlestia, eorum numerum implevit.* Gavisi ergo sunt, quia nos sibi per Christum cohæredes in cœlo & similes sibi habituri sunt, juxta id Salvatoris: *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22. Talis imprimis fuit S. Stephanus, qui primus pro Christo pugnans in Concilio visus est habere faciem quasi Angeli, utpote jamjam migraturi ad societatem Angelorum ex hoc mundo. Fuisse autem verè Angelis similem, hic ostendemus.

I. *Ob ejus innocentiam.* I. Arbitror hunc ei decorem à Deo collatum ad demonstrandam Angelicam ejus innocentiam, ut exterior vultus pulchritudo interiorem animæ ostenderet, & Judæos perfidos confunderet; siquidem tunc alium defensorem suæ innocentiæ non habuit, nisi Deum. Solet enim Deus innocentiæ testimonium dare eamque defendere contra oppressores, ut vel pareant illi, vel castigentur. Cujusmodi exemplum habemus imprimis in tribus pueris in fornacem missis. Dan. 2. quos flamma quidem non modo læsit, sed placido etiam vento refrigeravit: illos verò, qui eos miserunt in fornacem, flamma corripuit. Quod etiam in Daniele innocente ostensum, quem leones in lacu nequaquam attigerunt, illos autem qui eum falsò accusarunt, & immiserunt, in momento dilacerarunt, priusquam omnino descendissent. Ita cum superioribus annis quidam capti è confiniis Ungari à Turcis abducerentur in Turciam, jussit Bassa unum ex illis Ungarum, juvenem penè imberbem, ad palum alligari, & leonem à circulatore, quem is circumducebat, in illum incitari, ut dilaniatus Turcis jucundum spectaculum faceret. Verùm Leo juveni blandiri potius quàm nocere. Acriùs à Magistro incitatus, ungula ocream una pede abstraxit, Denique fustigatus convertit in magistrum suum, eumque in frusta dilaniat. Confusi Turcæ juvenem & reliquos dimiserunt, qui postea redempti vel commutati, ad suos redi... ces hoc narrarunt. Camerar. cent. 2. cap. 85. Solent Magistratus reorum vultus observare, an pa... leant, balbutiant, tremant &c. Nihil tale in vultu Stephani, sed vigor, decor & alacritas Angelica, ... ejus innocentiam vultus ipse demonstraret. S... etiam Achis Rex Davidem in aula sua innocent... simè conversantem appellavit Angelum. *Bonus tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* 1. Reg. 2... Quando igitur coram Ethnicis etiam hominibus, imò & coram bestiis amabilis est innocent... quis non conetur omni studio eam sibi comp... rare?

II. Propter ejus æquanimitatem & animi fortitudinem, quam ostendit in adversis rebus; qu... sensu etiam David à Thecuite. 2. Reg. 14. A... gelus vocatur: *Sicut est Angelus Dei, sic ... Dominus meus Rex, ut nec benedictione nec m... ledictione moveatur.* Angeli enim custodes l... cet suorum clientum peccata inspiciant, non t... men ideo illos deserunt, & licet summo studi... saluti nostræ invigilent, quicunque tamen eve... tus sit, nihil de æquanimitate & beatitudi... sua deperdunt: quemadmodum & David nec lau... de Thecuitis, nec vituperio Semei ejusque lap... dibus de animi sui tranquillitate dimotus fuit. ... quod etiam in S. Stephano patet, qui in medi... accusatorum & falsorum testium semper vire... & fœnus, sibi semper similis & æquanimis fui... nec ab animi sui pace ullo modo depelli potui... quin in medio etiam canum circumlatrantium im... perterritus, oculos in cœlum intentos habere... dicens: *Video cælos apertos*; quasi diceret, n... curo vestras minas, quia cœlum mihi apertum video, velut patriam. Adhæc maximo quiden... æstu salutem incredulorum sitit, ubi tamen ... surdis canere, eosque dentibus stridere atque exa... sperari vidit, oculos ab eis deflexit & intendi... in cælum; ibi anchoram suam figens, viditqu... gloriam Dei, & Jesum stantem. Unde jure merit... dicitur Act. 6. *plenus fortitudine.* Refert Herodotus & Suidas in voce Callim. Callimachum Athe... niensium Polemarchum in pugna Marathonia ... Persis inter acervos corporum mortuorum ita o... mni ex parte coopertum sagittis in situ pugnan... tis inventum, ac si ipsis sagittis velut oppositi... ponderibus in situ hominis stantis fuisset sustenta... tus, ne laberetur (undè fortè Callimachus, hoc est, *pulcher pugil* appellatus:) adeoque Persæ bellicositatem hominis obstupuerunt ut non aliter, atq; im-

immortalem aliquem habuerint. Videte Stephanum noſtrum in acervo lapidum erectum ſtantem & lapidum quidem imbrem excipientem, ſed precibus pugnantem, quis hunc non immortalem? non Angelum potiùs, quàm hominem dixerit? quis non pulchrum pugilem?

III. Propter inimicorum dilectionem. Hanc ob cauſam quoque David Angelus appellatus fuit à Miphiboſeth. 2. Reg. 19. *Tu autem Domine mi Rex, ſicut Angelus Dei es, fac quod placitum eſt tibi,* quaſi diceret, non dubito te mihi benevolum fore, qui etiam avo meo Sauli, inimico tuo, ſæpe ignoviſti; quare mihi utique falſo accuſato etiam ignoſces, quoniam erga inimicos etiam facilis ad ignoſcendum & benignus es. Ita enim & ſancti Angeli, licet noſtris peccatis, ſordibus & ineptiis quotidie offendantur, fovent tamen ac cuſtodiunt nos, promoventque ad ſalutem & tandem ad cœlum deducunt. Nos de ipſis vix aliquando cogitamus, rarò eorum beneficia agnoſcimus aut gratias agimus, cùm interim illi de nobis ſemper cogitent & ſoliciti ſint. Angelus ergo ſanctus Stephanus viſus eſt, quia & ipſe bona pro malis, orationem pro lapidatione ſuis interfectoribus retribuit. Ipſi falſis teſtibus eum accuſant & damnant, ejiciunt è civitate & lapidant: Stephanus autem pro eis interim orat, & quidem flexis genibus, nec non clamans voce magna, atque ut vult ſanctus Auguſtinus ſermone 99. de diverſis, cum lachrymis, ut oſtendat quam benè eis cupiat, quibus peccatum id dimitti tam ferventer orat. Quis non exiſtimet ipſum vel eſſe Angelum, qui lapidum ictus non ſentiat? aut infantem prorſus, qui lapides putet eſſe panes? Quis non homo fuit, qui pro lapidibus gemmas vel aureos redonavit? Multum quidem David præſtitit, quando lapides à Semei verſus ſe ſuoſque projectos patienter tulit, nec ultionem capere voluit, ſed nec lapidibus illis tactus aut læſus fuit (cum Semei procul ſtaret) nec lapides precibus aliove beneficio compenſavit. At Stephanus, quaſi mendicus aliquis panem à divite accepiſſet, precibus pro lapidibus rependit, quibus etiam Saulum perſecutorem ſuum convertit, atque (ut revelatum ſanct. Mariæ de Oignes refert Cardinal. à Vitriaco) ejus decollati animam in manus ſuas ſuſcepit & Deo præſentavit, quod alioquin Angeli faciunt ſuis elicientibus. Nos ergo ſi Angelorum commilitones eſſe volumus, Stephanum imitemur & adverſam etiam fortunam pati fortiter diſcamus. Fuit talis Joannes minor Thebæus, diſcipulus Abbatis Ammonis, qui per 12. annos cuidam ſeni infirmo inſervivit: ſenex tamen licet ſedulò valdè ſibi miniſtranti, nullum unquam verbum blandum aut placidum dedit. Cùm verò obitus eiinſtaret, tenuit ſenex manum ejus, & dixit ei: *Salveris, ſalveris, ſalveris,* & tradidit illum ſenibus dicens, *Iſte non homo, ſed Angelus eſt, qui tot annis mihi infirmato, nec tamen bonum verbum à me audiens; fecit obſequium.* Ruffin. in vit. PP. l. 3.

IV. Propter eminentem ſapientiam. Hanc etiam ob cauſam David Angelo comparatus fuit à Thecuite ſecundo Regum decimo quarto. *Tu autem Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram.* Jam vero ſapientia in Stephano tanta fuit, ut licet doctiſſimi quique ex variis ſynagogis & ſcholis contra eum uniti diſputarent, nihil tamen efficerent, nec ſapientiæ ejus reſiſtere poſſent. *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ* (Stephani) *& ſpiritui, qui loquebatur,* inquit ſanctus Lucas Actorum ſexto. Porrò Angeli ſapientiam ſuam hominibus impendunt, & quidem maxima cum charitate, ut eos ad ſalutem dirigant. Patet paſſim in ſacris litteris. Angelus docuit Jacob, quo artificio plurimas oves variicoloris ſibi pararet. Angelus docuit Tobiam, ad quid prodeſſet fel, jecur & cor piſcis. Angelus docuit paſtores, ubi Chriſtum natum invenirent; Joſephum quare & qua prole gravida eſſet ſponſa ejus: item quando fugere in Ægyptum, quando & quò regredi deberet. Quandoque etiam lapſos verberibus caſtigant, ut ad vitam eos reducant, uti fecerunt Natalio in hæreſin lapſo, ap. Euſebium libro quinto hiſtor. capite ultimo. Pari modo ſanctus Stephanus omnem ſapientiam ſuam hominibus impendit, ut ad ſalutem eos promoveret. In hunc finem diſputavit cum tot Judæis litteratis, ut fidem eis perſuaderet, & cùm præfractos cerneret, acriùs increpare & confundere cœpit. Hanc ob cauſam cum videret cœlos apertos & Jeſum ſtantem à dextris Dei, voluit hoc arcanum omnibus aperire, ut hoc potenti argumento duros corde emolliret ac convinceret atque ad Chriſti fidem adduceret. Jam qui Angelos & Stephanum imitari vult & cum illis coronari, ſapientiam ſibi à Deo conceſſam fideliter aliis communicet. *Sapientia enim abſcondita & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* ait Eccleſia. capite quinquageſimo primo. Sanè qui talentum ſibi traditum abſcondit nec ad uſuram dedit, à Domino ſuo audit: *Serve male & piger &c. Oportuit te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepiſſem, utique quod meum eſt, cum uſura. Tollite itaque ab eo talentum &c. & inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores.* Matth. vigeſimo quinto. Si reprehenſione dignus eſt, qui pecuniam ſuam abſcondit, quanto magis qui alienam? Sapientia tibi tradita, non tam tua, quam Dei eſt. Hinc Papa Gregorius tertius dixit ſancto Wilibaldo Epiſcopo Eyſtetenſi: *Tot damnatorum pœnas ſuſtinebit, quot animas quis neglexerit lucrari prætextu propriæ quietis.* Apud Lipell. ſeptimo Julii in vita ſancti Wilibaldi. Neque curandum eſt, ſi docendi vel corrigendi aures obturent, vel dentibus ſtrideant, uti Auditores ſancti Stephani: quin potiùs acriùs objurgandi ſunt, quemadmodum ipſe fecit. Sperandum enim fore, ut aliquando tandem errorem ſuum agnoſcant & vitam corrigant, uti correxit Saulus, qui priùs

IV. *Ob eminentem ejus ſapientiam.*

etiam obturavit aures & ejecit sanctum Stephanum: posteà resipuit & culpam suam agnovit ac deploravit Actorum cap. 22. Non secus ac chordæ in cythara, dum attemperantur, ingratum & stridulum edunt sonum; at ubi attemperatæ sunt gratum & concinnum.

V. *Ob intuitum Christi à se conspecti.*

V. Propter intuitum Christi in gloria regnantis: quemadmodum enim Angeli, dum in terris versantur & nobis serviunt, semper vident faciem Dei: ita Stephanus in terris constitutus vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei, idque ipsum crebrò fecisse colligitur ex causali præmissa: *cum esset plenus Spiritu sancto.* Quorsum enim Spiritus sanctus eum trahebat aut impellebat nisi ad conspectum Dei? Ergò qui Angelos custodes & B. Stephanum imitari cupit; primum in omni sua actione Deum velut præsentem & à se conspectum præ oculis habeat, quod docuit filium Tobias: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum,* Tobiæ 4. Hac ratione citò perfecti evaderemus, uti indicat Deus Abrahæ dicens, *ambula coram me & esto perfectus.* Genesis 17. Cogitare enim debemus mundum esse templum Dei, uti reverà est. Jam si ubique ita versaremur, sicut in templo solemus, quam cauti & modesti essemus! quam multa peccata vitaremus! Et hoc est, quod docuit S. Petrus, ut refert S. Clemens ep. 1. ad Jacob. frater Domini. *Instituebat actus suæ vitæ omni hora custodire & in omni l co Deum respicere.* 2. In omni actione divinum auxilium imploremus, & directionem à Deo petamus, sine quo nihil efficiemus. Quam ob causam Ecclesia docuit nos ad omnium horarum initium orare, *Deus in adjutorium meum intende.* Sic Susanna cum duceretur ad mortem, in cœlum suspexit: sic etiam Stephanus in cœlum intendit, inde auxilium sibi postulans ad patiendum. 3. Omnes actiones nostras Christo conformemus, sicut Heliotropium Solem aspiciens se cum ipso convertit. Sic egit Stephanus, qui quasi crucifixo Christo adstitisset, ita bellè eum imitatus est. Commendat animam suam moriens Deo, uti Christus fecit: orat pro inimicis, uti Christus fecit. 4. Actiones omnes in Deum velut ultimum scopum terminemus. Sic Angeli faciunt, unde ii, quos novimus, omnes sua nomina terminant in Deum: Michael, Gabriel, Raphael, fortitudo Dei, vir Dei, medicina Dei.

Jam verò quis nostrum non esse inter Angelos desiderat? Stephanum igitur sequamur & discamus ab eo Angelorum moribus hic accommodare. Non patiuntur Ephebi Regem inter se aliquem ignobilem, nec Angeli hominem terrenum, terræ addictum.

THEMA IV.

Quas coronas meruerit sanctus Stephanus.

I. *Meruit castrensem coronam.*
II. *Meruit coronam civicam.*
III. *Meruit coronam ovalem.*
IV. *Meruit coronam muralem.*

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Actorum cap. 6.

Speciosa res est pulchrum nomen, si vita nomi[ni] correspondeat. Tale est nomen Stephani, qu[od] Græcè *coronam* significat, ac jure optimo decet [san]ctum Stephanum; tum quia à Deo prævisus [est] lauream martyrii primam obtenturus; (qua rati[o]ne Christus Jesus dictus, quia salvum factu[rus] esset populum: Abel, hoc est, *vanitas*, sic a[p]pellatus est, quia jam præsagiit mater ipsius [vi]tam fore *vanitatem*, id est, brevem) tum q[uia] non unam, sed plures coronas erat meriturus (q[ua] ratione S. Pelagia asserit se vulgò vocatam *Marg[a]ritam*, eò quòd se ornare multis margaritis consu[e]visset.) Noster ergo Stephanus jure *corona* appel[la]tur, quia plures meruit coronas in cœlo. Has nu[nc] contemplemur.

Dabantur olim à Romanis variæ coronæ her[oi]bus, qui præclarum facinus designassent.

I. Primò iis, qui primi in hostium castra irru[is]sent, vel in eorum naves insiluissent, *coronam castr[en]sem* dictam. Illa valli, hæc castrorum figuram hab[e]bat. Meruit hanc Stephanus qui concilium Judæ[o]rum, Christo contrarium, publicè & acriter inv[a]sit & increpavit omnium primus, dum enim c[o]ram eis rationem fidei suæ reddit, repentè arg[u]mentum abrumpens, insilit in Judæos hac voc[e]: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auri[bus] vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & pat[res] vestri, ita & vos, &c.* videns eos nec intendere, n[ec] fidem habere iis rebus, quas prædicabat, adeoq[ue] alas Christi confugere nolle, tametsi benè nove[rat] eam increpationem sibi necem parituram. Non i[n]juria comparandus Duci tribûs Juda, Aminad[ab], de quo Hebræorum traditio est apud Hieronymu[m] in Oseæ capite undecimo eum cum sua tribu p[ri]mum descendisse in viam maris rubri: pòst Moy[sen] ideoque obtinuisse, ut sceptrum semper in tribu J[u]da maneret. Periculosum fuit Stephano intr[are] ad inimicos undique illum circumfrementes: q[uod] id erat in mortem & martyrium intrare; intra[vit] tamen intrepidus: Id quod aliquando non fuit

sus Isaias, ut nimirum corriperet Oziam Regem, non verentem adolere incensum, licet sanguine sibi junctum. Unde lamentatur: *Væ mihi, quia tacui*, Isa.6. ut ibi Hieronymus Cyrillus, Haymo. Habent hic Auditores quod observent quando concionatores subinde invehuntur in eorum peccata, maximè publica, ne indignè id accipiant. Faciunt enim illi, quòd sibi à Deo mandatum est, ne velut canes muti a Deo increpentur & gemant cum Isaia: *Væ mihi quia tacui.*

II. Secundò iis, qui civem servassent in prælio dabatur *corona civica, militaris virtutis insigne clarissimum*, ait Plinius lib.22 cap 5. Meruit hanc Stephanus dum sua oratione servavit in suo certamine Saulum, civem & condiscipulum suum, licet hostem, ut insinuat Lucas, dum ejus orationi pro inimicis subdit mox: *Saulus autem erat consentiens neci ejus*, sentitque Ecclesia & asserit sæpius Augustinus: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*, Adhæc sancta Maria de Oignies ait sibi revelatum, animam sancti Pauli decollati a Stephano exceptam & Deo præsentatam esse dicente: *Domine hoc ingenti & singulari munere tu me donasti, ego verò multiplici fructu auctum tibi resti tuo*; Cardinale à Vitriaco teste in vita Mariæ Oignies l. 2. capite 11. Nec dubitandum unà cum Saulo plures alios Judæos, Stephani precibus conversos. Sanè etiam pòst, anno 418. ejus precibus adscripta fuit conversio 540. Judæorum in urbe Majona, Insulæ Majoricæ: cùm illic ejus reliquiæ inferrentur. Dum enim Judæi more suo etiam tunc lapides jacerent in Christianos neminem tangere poterant, & interim eorum synagoga cœlitus immisso igne conflagravit. Quare advertentes Dei manum, conversi sunt, teste Severo Episcopo Majoricen. Præclara est hæc victoria, *vincere in bono malum:* lucrari animas hostium & salvare. Quam enim nunc in cœlo sibi mutuo gratulabuntur Stephanus & Paulus! Iste Stephano conversionem suam, ille Paulo coronam, ejus occasione sibi partam, adscribet. Habent hic Christiani, quomodo alter alterum lucrari, atque inter se pugnare debeant, non gladiis sed precibus. Scipionis vocem sæpe usurpabat Antonius Pius Imperator teste Capitolino: *malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere.* Usurpet eandem vocem quivis Christianus. Mundus gloriosum reputat hostem occidere; at longè gloriosius est, & quidem coram Deo, eum servare. Laudatur factum Helveti cujusdam, inter 1600. (Anno 144:.) apud Basileam à Delphino Galliæ interfectos, seminecis jacentis, qui videns Burcardum nobilem, Patriæ proditorem, cædis ipsorum causam, obequitare inter cadavera interfectorum, eisque insultare dicentem: *quam jucundum hoc pratum!* se in genua erigens, lapidem apprehendit, eumque in faciem equitantis projecit, tam fortiter, ut is planè de equo ceciderit atque extinctus sit, auct. Stumpfio in Chron. Helv. Deo sic castigante sanguinarii hominis vocem.

Sed longè pulchrior campus S. Stephani, pulchriusque certamen, quando positis genibus non lapidem, sed orationem projecit in faciem insultantis sibi Sauli eumq; non ad mortem, sed ad vitam prostravit ac convertit.

III. Tertiò, iis, qui absque sanguine peperissent victoriam, dabatur *ovalis corona*, sicque ovantes intrabant Urbem. Debetur & hæc Stephano, qui orando non cædendo, proprium non alienum sanguinem fundendo, peperit victoriam. Vicit autem non inimicos tantùm sua constantia, sed etiam seipsum, condonando eis tantam injuriam & orationis beneficio compensando. De Davide legimus 1. Regum 24. quòd, cum deprehendisset Saulem se persequentem, in spelunca, confregerit milites suos ac continuerit, qui eum occidere cogitabant, & non nisi oram chlamydis ejus præsciderit; quam à longè Saul cùm ostenderet, ait Saul: *Nunc quia scio, quòd certissimè regnaturus sit.* Mira conjectura. Ex eo quòd inimico pepercerit David, colligit Saul eum Regem futurum. Et ecce tibi Stephanus, ubi pro inimicis suis oravit, statim evocatur ad coronam regni cœlestis: *Cùm hoc dixisset*, ait Lucas (scilicet. *Domine ne statuas illis hoc peccatum*) *obdormivit in Domino.* Unde sanctus Augustinus sermone secundo de sanctis: *Ecce quid est requiescere! pro inimicis orare.* Jure igitur ei cæli aperti sunt. Nec caret mysterio, quòd cùm anno 1099. die 15. Julii feria sexta. Jerosolyma recuperaretur à Christianis, per illam portam, antequam Stephanus lapidatus fuit (inde à Christianis jam olim porta sancti Stephani appellata) Christiani primùm ea effracta irruperunt, adhortante eos ex opposito monte Oliveti milite quodam (qui fortè Stephanus fuit) teste Tyrio libro octavo belli sacri capite 16. satis per hoc indicante Deo, quòd regnum cœlorum per dilectionem inimicorum quasi per viam ac portam S. Stephani velut armata manu & certissimò expugnetur

III. *Meruit coronam ovalem.*

IV. Quartò iis, qui primi murum hostilem inscendissent, & in arcem vel urbem penetrassent, dabatur *corona muralis*, muri pinnis decorata. Debetur & hæc Stephano, qui primus omnium per martyrium ascendit in arcem cœli; unde jam apertum sibi ostium cœli videns clamat: *Video cœlos apertos.* Quasi diceret: jam supra murum cœli sto, jam introspicio in cœlestem civitatem. Reperio semper eum, qui Jerosolymam primus ascendisset, singulari præmio donatum, uti Joabum, primo Paralip. undecimo. Idem Titus promisit, & Sabinus tentavit, apud Josephum libro septimo de Bello capite primo. Denique Godefridus Bullionius, qui Anno 1099. turri lignea admota primus murum conscendit, adeoque etiam primus Jerosolymæ Rex posteà electus est. Scimus autem Jerosolymam typum esse cœli. Jure igitur prima martyrum pulcherrimaque laurea Stephano debetur, qui primus vi adhibita & sanguinem fundendo cœlum expugnavit.

IV. *Meruit coronam muralem.*

Tri[illegible] loc F.C.1 F.

Quis-

Quiſquis ergò ad primam & præcellentem lauream in cœlo accipiendam aſpirat, non dubitet in terra præcedere fortitudinis exemplo. Quantam putatis meruiſſe coronam duos adoleſcentes nobiles, qui in Pomerania fidem primò amplexi, initium dedere converſioni totius Pomeraniæ, prædicante eis Evangelium S. Ottone Epiſcopo Bambergenſi! Rem narrat in ejus vita Andreas Abbas Sa. Michaelis apud Sur. 2. Julii l. 2. c. 16. & 28. his verbis: *quotidie dum hæc geruntur, fidei retia laxantibus, & nihil nobis capientibus, & multum ſuper hoc tædentibus; tandem benignus Dominus ſedulitatem boni ſervi ſui Ottonis, laborem quoque & mœſtitiam miſerando reſpexit. Nam duo pulcherrimi adoleſcentes, filii cujuſdam nobilis de civitate (Stetino) domum noſtram frequentare, familiares ſe præbere, paulatimque de Deo noſtro, & de fide quærere cœperunt. Epiſcopus autem ſentiens, quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando præſagium blandis mulcet alloquiis, utque de munditia & honeſtate Chriſtianiſmi, de immortalitate animarum, de reſurrectione corporum, de ſpe & gloria æternæ vitæ adoleſcentibus per ſingulos dies evangelizavit, quæ omnia flante Spiritu ſancto, pueri altiùs ſuis imbibere pectoribus: neque diu cunctati, credere ſe velle, atque baptiſmum percipere dixerunt. Epiſcopus ergò lætiſſimus pueros ſtatim cathechizat, ac de omnibus, quæ Chriſtianæ religioni competebant, diligenter inſtructus juſſit, ut loti & lotis induti cum cereis ſuis albis ſeſe præberent baptizandos. Illi ut moniti erant, ſilenter exequentes omnia, die ſtatuto parentibus inſciis & purificati, noviſque ac mundis veſtibus induti eum albis, & cereis percepturi ſanctum baptiſma ſe manibus Epiſcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus Angelicos, videns expulſa dæmoniaci ſqualoris inertia, in vultibus juvenem Chriſtum novum hominem, gratioſo jam coruſcare aſpectus Pontifex ipſe omneſque alii Sacerdotes & Clerici gaviſi ſunt, & admirati ſuper gratia, quam videre in pueris. Sed quid morer? baptiſati ſunt & propter octavam Purificationis octo dies apud nos commorantes, in domos parentum non ſunt reverſi.* Et paulò inferiùs: *Præfati pueri, cùm ad ſuos adoleſcentes perveniſſent, & quomodo ab Epiſcopo habiti & inſtructi eſſent, & quanta apud illum eſſet diſciplina & honeſtas, quanta pietas & manſuetudo, ruminare cœperunt: mox etiam quantæ munificentiæ & liberalitatis circa omnes extiterit, prædicare obliti non ſunt. Atque in argumentum rei: Cernite, inquiunt, his indumentis poſt omnia beneficia ſua nos induit, his aureis cingulis honoravit, pecunia ſua captivos redemit, ſuis impenſis eoſdem veſtit, cibo reficit, & liberos abire dimittit. quid unquam ſimile viſum auditumque in terra Pomeranorum? quid ſimile Pontifices & ſacerdotes noſtri faciunt? Hunc certò aliquem viſibilem Deum inter homines adveniſſe, ipſa gratuita redemptio captivorum in cippis & compedibus putrefactorum, multos cives noſtros fecerat autumare. Sed ille hoc negans non Deum ſe, ſed Dei altiſſimi ſervum pro noſtra ſalute ad nos dir[...]ctum dici & credi optat: & animæ immortalitate[...] & corporum reſurrectionem & æternæ vitæ gloria[...] doctrinam dicit eſſe Chriſtianorum. Hæc & his ſ[...]milia pugnæ juventus à juvenibus audiens aſpiran[...] gratia Dei tracta eſt & attracta per eoſdem in eu[...]dem fidei fervorem: reverſique ad Epiſcopum pue[...] fide recenter imbuti more columbarum alias trahe[...]tium, gregem non modicum adduxere coævorum, [...]vangelii rudimenta ſuſcipere cupientium. quid mu[...]ta? catechizantur, baptizantur. Et à pueris & à j[...]venibus cana Patrum prudentia ſe paſſa eſt erudi[...] flammaque fidei paulatim progrediente concaluit [...]vitas univerſa, neque jam occultè, vel pauci, ſed p[...]blicè & multi ſimul quotidie veniebant ad fidem.* E[...]gò duo adoleſcentes prodromi ad baptiſmum, po[...] ſe traxere totam Pomeraniam: ſicut Stephanus j[...]venis tot millia ad martyrium. Quando igitur t[...] coronas tanto jure promeruit ſanctus Stephanus, ſ[...]pereſt ut ei omnes congratulemur, velut omniu[...] Martyrum Duci & vexillifero, primam inter Ma[...]tyres coronam. Cæterùm rogemus eundem, [...] quemadmodum Godefridus Bullionius, muro J[...]roſolymæ conſcenſo & deſultu in urbem facto, t[...] diu dimicando hoſtem detinuit, donec fratri ſu[...] foris adhuc pugnanti poteſtatem faceret reſeran[...] portam, & ut ipſe, cum ſuis copiis urbem ingre[...] poſſet: Sic etiam in cœlo Stephanus ſua ad Deu[...] interceſſione pugnet pro nobis, qui adhuc foris m[...]litamus donec ipſi quoque reſeratis cœli foribu[...] ad ipſum alioſque cœlites cum triumpho ingredi[...]mur.

THEMA V.

Quid commiſerit ſanctus Stephanus ut lapidaretur.

Sanctus Stephanus lapidatus eſt.

I. *Quia veritatem dixit Iudæis.*
II. *Redarguit obſtinatos.*
III. *Diſſimilis in moribus fuit ſuis adverſariis.*
IV. *Fuit ſectator & ſpectator Chriſti.*
V. *Sanctus Stephanus vidit cœlos apertos.*

Perſequemini de civitate in civitatem, ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus. Matth. 23.

CElebres à ſapientia Athenienſes olim hanc cõſuetudinem habuerunt, ut ſubcellia Judicum, qui de ſanguine alicujus judicaturi erant, porcelli alicujus, prius mactati, rore ſanguineo ante conſeſſum leniter reſpergerent (teſte Sigon. apud Cauſſin. l. 5. ſymb. 2. 20.) ut memores eſſent Judices, ſe de vita & ſanguine hominis decernere, quem ſi injuſtè profunderent, ſcirent ſe ita reſperſum iri hoc cruore,

cruore, uti ſubſellia, in quibus ſedebant, ſanguine porcelli. Adeò etiam Ethnicis grave viſum eſt judicium de ſanguine, ne temerè, inconſideratè & tumultuariè peragereturr. Quid reſpondebunt hic Hebræi, qui B. Stephanum abſque ullo juris ordine, non probatis teſtibus, facto in eum impetu, è Concilio exturbarunt & lapidibus obruerunt? Nonnè Stephani ſanguine ſeipſos conſperſerunt? Dicite enim vos Judices: Quid mali egit Stephanus, ut eum nec convictum, nec ulla ſententia condemnatum tam diro ſupplicio afficiatis? Nihil afferre poteſtis niſi furorem veſtrum & odium in ſanctum. Sed enim, dicet aliquis: debet fuiſſe cauſa aliqua, quæ Stephanum damnavit, quæcunque tandem illa. Fuit non diffiteor, nec una, ſed plures, quas hic exponam.

I. Veritatem Judæis dixit; ideò lapidatus eſt. Accuſatus enim eſt à teſtibus ſubornatis, quòd dixiſſet ſubvertendum à Chriſto locum ſanctum, ſeu templum ſeu civitatem Jeroſolymam & immutandas traditiones Moyſis ſeu legem. Actor. 6. At hoc erat veritatem dicere, quod ad rei ſubſtantiam attinet; quia revera templum & civitas eorum everſa eſt, lex in Evangelium mutata. Falsò tamen accuſant Stephanum, quod dixerit à Chriſto ſubvertendum templum, (nam à Gentilibus id faciendum prædixerat Chriſtus & ex eo Stephanus) & mutandam legem Moyſis; quam Chriſtus non ſoluturum, ſed adimpleturum dixit; & ſecundum hæc rectè appellantur illi *falſi teſtes*. Cauſa igitur damnationis Stephani erat, quia veritatem edixit; ſiquidem reverâ contigit, quod dixit. Unde Gregorius Nyſſenus orat. de S. Stephano ait: *quod maleficium in his verbis continetur, ſive vera ſive falſa loquatur? Nam ſi quidem mentitur, id quod angit & male habet, non veniet: Sin autem vera dicit, quænam eſt injuria ſermoni; quo prædicitur id, quod eventurum ſit? Nam quæ fient, prorſus evenient, ſive ſileamus ſive loquamur: at cædes prædicentis quam affert incommodo ... propter prædictionem?* Sed hoc ipſum erat quod Judæi dire horrebant, ut malum id eventurum eis prædiceretur. Nimirum triſtium denunciatio & veritas odium parit, juxta id Sapientis cujuſdam inter veteres Philoſophos celebratum: *Ex tribus pulcherrimis matribus tres deformiſſimos filios generari: ex ... otium, ex amicitia contemptum, ex veritate odium.* Celebre hujus rei exemplum eſt Achab rex, qui belli eventum exploraturus, quadringentos circiter Pſeudoprophetas conſuluit, ſolum Michæam, verum Prophetam præterivit; ſed quare? *Odi eum,* inquit, *quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.* 3. Reg. 22. Quid verò id obfuit Regi, ſi revera eventurum erat? Conſultus ergò ad inſtantiam Regis Joſaphat, reſpondet primò, quod placiturum ſciebat Achabo: *Aſcende & vade propere, & tradet eam* (Ramoth Galaad, urbem) *Dominus in manus Regis.* Sed hoc per ironiam, quaſi dicens: Quia vis ut loquar tibi non vera, ſed bona & placentia; ecce loquor ad placitum. Adjuratus tandem ut verum loqueretur, annunciat ei cladem ex reſponſo divino. At hoc diſplicuit Regi, & propterea Michæas percuſſus eſt in maxillam, juſſus quoque à Rege includi in carcerem & ſuſtentari *pane tribulationis & aqua induſtria*, donec è prælio reverteretur Rex in pace. Verùm is juxta verbum Prophetæ in prælio occiſus eſt, ſicque ut timendum, ſalutem etiam perdidit, quam ſi Michææ credidiſſet, parare ſibi potuiſſet, diſponendo ſe ad beatam mortem. Quare cui mercedem debebat, (multi enim dant aurum Aſtrologis judiciariis, eventura ſibi, quacunq; tandem fide, ſeu proſpera ſeu adverſa prædicentibus) ei carcerem & tribulationem rependit. Quandam hic non occidi, ſed incarcerari tantùm Prophetam juſſit. Crudelius multò populus Hebræorum ſub Manaſſe Rege excepit Iſaiam Prophetam inter alia vaticinantem, quòd Deus Judæos excæcaturus & reprobaturus eſſet, ac pro eis vocaturus Gentes, juxta id Apoſtoli ad Rom. 10. *Iſaias autem audit & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me &c.* nam ſerra lignea per medium diviſit, ex communi Hebræorum & patrum traditione, apud Corn. in Argumento ſuper Iſaiam. Veriſſimum id vaticinium erat, ut eventus docuit; ſed quia Judæos acriter pupugit, & cor eorum diſſecuit, ideò & Iſaias ab iliis diſſecari debuit. Pari modo quia vaticinia Stephani Judæis quaſi lapides erant, in ſe projecti; ideò & ipſe ab eis lapides accepit, è quibus gratiam accipere debebat. Eidem periculo ſubjacent Concionatores, qui impœnitentibus & illuſoribus prædicunt infauſtam mortem ac denique infernum. Lapidantur enim pro mercede linguis obtrectantium ac deridentium; quæ ſanè non exigua ingratitudo eſt.

Trip. Dom. 6. poſt Paſcha C. I, F.

II. Redarguit obſtinatos.

II. Redarguit Judæos, quòd proditores & homicidæ Chriſti fuerint, nec ſervarint legem, quam de manu Angeli acceperunt; ideo lapidatus eſt. Vidit eos incredulos & odio Chriſti plenos, nec advertere animum ad defenſionem & concionem ſuam, unde cœpit dicere: *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus; vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri.* Item; Chriſtus *vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, quia accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Audientes ergo hæc *diſſecabantur cordibus & ſtridebant dentibus in eum &c.* Act. 7. En tibi necis cauſam. Unde S. Auguſt. ſer. 1. de hoc Feſto ait: *Eja Stephane dic aliquid de incircumciſis cordibus, & morieris lapidibus.* Alban. animal eſt, quod fel habet in aure, ut refert Holcot in l. Sap. lect. 75. ex Alb. M. Tales erant Judæi, quibus prædicavit Stephanus; mox enim ut eorum aures lingua Stephani tactæ ſunt, quaſi felle plenæ eſſent, iræ incendium excitarunt in Stephanum. Mirum profectò hoc. Etenim mulieres pulchrè adornatę placent alioqui viris etiam natura ſævis & crudelibus, uti Judith Holoferni; Eſther Aſſuero, Herodias Herodi; correctio verò ex ſe pulcherrima eſt; oſtendens hominem ſibi ipſi, qualis reverè eſt; & emendans, pulchrumque reddens, ſi fœdus eſt: interim tamen diſplicet. Si enim nuda

apparet, invisa & odiosa est; si velo obumbrata, non agnoscitur: si mitis, non commovet: si aspera, conturbat: quoquo tandem modo appareat, aut non aspicitur, aut ingrata est. Unde dicunt illi Prophetis videntibus: *Nolite videre; & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt.* Isa. 30. Vident enim in ea, veluti in speculo suam fœditatem. Unde ferunt vetulam quandam pauperem speculum pernitidum in sterquilinio reperisse, quæ mirata tam vili loco tam pulchrum jacere vitrum, accepit, faciei admovit: cumq; deformitatem vultus sui in eo inspexisset, projecit dicens: *Meritò ab omnibus abjectum in sterquilinio jaces, quod tam apertè deformitatem hominum manifestas.* Idem contigit pulchræ & perspicuæ morum correctioni, uti expertus fuit Joseph, qui ubi accusavit fratres suos de crimine pessimo, oderunt eum, & projecerunt in cisternam. Gen 38. Expertus Jeremias, qui à Phassur, cui minas prædicarat, conjectus est in carcerem. Jer. 20. Jonathas, qui à Patre, cujus tyrannidem reprehenderat, lancea impetitus fuit. 1. Reg. 20. Joannes Bapt. qui ab Herode à se reprehenso decollatus. Marc. 6. Idem experiuntur hodie quicunque improborum mores carpunt, juxta id Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta,* (hoc est in judicio) *& perfectè loquentem abominati sunt.* Quemadmodum enim infirmi, qui medicinas horrent, etiam ipsa vascula, quibus illæ continentur, aspicere non possunt: ita etiam qui animo ægrotant, non modò correctiones, sed etiam correctores aversantur. Scio hominem, qui extremè laborans summis precibus ab amico petiit, ut Medicum venturum per scalas dejiceret: nihilo minùs insaniere Judæi, qui Stephanum Medicum suum fidelissimum ejecerunt extra civitatem & lapidarunt. Nemo non censet ridendos & stultos fuisse Ægyptios, qui pastores abominabantur (Genes. 46.) propterea, quòd ipsi subinde oves aliquas sacrificaturi mactarent & comederent, quas Ægyptii colebant quasi numina, ut patet Exod. 8. vers. 26. Nihilo plus sapiunt, qui oderunt pastores animarum, propterea quod eas sacrificare Deo conantur, ut mortuæ mundo & vitiis, vivant Deo in virtutibus.

III. *Dissimilis in moribus fuit suis adversariis.*

III. Moribus & vita adversariis suis dissimillimus fuit, hinc odium & lapides. Uti similitudo causa amoris, ita odii causa dissimilitudo est. Unde Ecclesiasticus c. 33. ait: *Contra malum bonum est, contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator.* Sic Jacob & Esau inimici, quia hic pilosus & horridus, ille autem lævis & speciosus fuit. Verùm Esau quidem odio habuit Jacobum, & persecutus est; non tamen à Jacobo vicissim odio habitus est: quia præter odium, ex morum dissimilitudine ortum, occupatus etiam invidia fuit, propterea quod in fratrem jus primogenituræ & paterna benedictio trãslata esset. Persequuntur ergo mali bonos (non vicissim boni malos; quia in malis nihil invidia dignum) eam ob causam, quod videant in ipsis præclaras aliquas dotes, quibus ipsi carent. Occidit Cãbyles Rex Persarum fratrem Smerdem, non regi æmulatione, cùm frater ad obsequium paratus e[...] set; sed mera invidia. Attraxerat frater Æthiopicu[...] arcum, ipso Rege & Regis comitatu aliquanto val[...] diùs. Peperit juveni fortissimo lacertorum rob[...] invidiam apud fratrem, invidia exitium, ut à frat[...] necaretur, Sabell. l. 9, c. 2. Herodot. lib. 2. Cajus Ca[...] gula Imp. quod ipse deformis admodum esset, o[...] nibus speciosis infensius fuit, & juvenem speciosu[...] Esium Proculum, ex invidia jugulari jussit. Sueto[...] in Cajo. Ephesii Hermodorum in exilium ejec[...] runt; causam rogati, dixerunt, quòd virtute & mo[...] bus reliquos cives anteiret. Franc. Senens. lib. de I[...] stit. reip. Jam ergo si intelligere volumus, c[...] Judæi Stephanum è civitate; ejecerint, & lapidib[...] obruerint, in promptu causa est, quia *plenus fortit[...] dine* omnibus Legis peritis sese opposuit & lon[...] præcelluit; forma etiam venustissimus faciem h[...] buit Angelicam, cœlesti quodam splendore cond[...] coratam: moribus quoque ac virtutibus planè A[...] gelicis fuit; quorum omnium ipsi nihil planè hab[...] bant Ergo ejiciatur Stephanus & moriatur. *Gra[...] est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis [...] aliis vita illius.* Sap. 2. Quemadmodum enim ves[...] polymita hoc est, pluribus coloribus variegata J[...] sephi, quam cæteris pulchriorem fecerat illi pat[...] fratrum oculos pupugit, ut non possent eum re[...] intueri oculis, nec quidquam pacificè loqui, Gen[...] 37. ita etiam virtutum plurimarum ornatus in St[...] phano, Judæorum oculos ferit & manus lapidib[...] contra se armavit. Nihilo secius Gregorii 7. Pp. p[...] claræ virtutes schismaticorum, & inprimis Henr[...] Tertii Imperatoris odium & insidias contra ipsu[...] incitarunt, qui proinde Roma ab illis occupa[...] pulsus, Salernum profugit, ubi moriens dixit: *D[...] lexi justitiam & odi iniquitatem; propterea mor[...] in exilio.* Otho Frising. lib. 6. capit. 36. Quo mo[...] etiam David dixit Psalm. 37. *qui retribuunt ma[...] pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bo[...] tatem.*

IV. Fuit sectator, imò & spectator Christi, [...] cœlo à se conspecti, ideo ejectus & lapidibus est o[...] rutus. Inprimis enim falsi testes hinc eum acc[...] sant, quod dixerit Jesum Nazarenum destructu[...] rum esse templum. Sed quid hoc maleficii: dice[...] quid Christus aliquando facturus esset? Unde e[...] clamat Gregorius Nyssenus orat. de S. Stephano c[...] *O injustam audientium sententiam, quoniam Jes[...] mutavit leges, lapidatur Stephanus*: Sed nimirum [...] dio Christi, cujus sectatorem & prædicatorem es[...] videbant Stephanum, ipsum neci dederunt. Und[...] cùm ipse diceret: *Video Jesum stantem à dextris De[...]* exclamantes continuerunt aures suas, & impetu u[...] nanimiter facto ejecerunt eum extra civitatem & [...] quasi videlicet audissent terribilem blasphemiam omni juris ordine prætermisso, impetum fecerun[...] in eum. Notandum vero ubi nos legimus, exclamantes, Græcè haberi Krazantes, hoc est, crocitantes, more corvorum & cornicum. Quemadmodum enim

enim corvi suis clamoribus insectantur accipitres prædam asportantes, eosq; rostro & alis verberant, ut dimittere prædam cogant: sic Judæi illi, quia viderunt Stephanum prædam in corde gerere, Christum, jamque ejus conspectu frui, & cum præda hac ad cœlum evolare; hinc corvorum instar eum adoriuntur suis clamoribus & lapidibus, quasi prædam erepturi; haud dubiè instigatore diabolo, qui virtute multa præditis, sicut pyrata opulentis navibus, & latro pecuniosis viatoribus, maximè insidiatur: idemque per Gentilium persecutiones totis 300. annis actitavit, persequendo Christianos: illis vero deletis, per hæreticos exagitando Catholicos. Scimus quid tentarit Valerianus Imp. ut martyrem Laurentium thesauro Ecclesiæ inprimis, deinde cum illo non posset, nobiliore altero, Christo spoliaret; frustra tamen. In Actis S. Stephani Papæ & martyris Tharsicium Acolythum Romæ à militibus inventum, Christi corporis sacramenta portasse, *Discutientibus quid gereret, ille indignum judicans porcis proder margaritas, nequaquam volui detegere sacrosancta mysteria: qui eum tamdiu fustibus & lapidibus mactarunt, quousque spiritum exhalaret, revolutoque ejus corpore nihil valuerunt de sacris mysteriis reperire.* Nimirum uti fratres Josephi, ubi audierunt, fore eum aliquando principem, ab ipsis adorandum; moti indignatione, spem ejus dignitatis eripere ei conati dicebant; *Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid prosint illi somnia sua.* Genesis 37. Ita Judæi Stephano, & dæmones viris sanctis moliuntur insidias, quibus eos despolient thesauro virtutum & cœlesti gloria.

V. Vidit cœlos sibi apertos, quod ab ipso mox ut audierunt, *exclamantes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt in eum ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* En postremam causam; viderunt eum non esse civem terrestris Jerosolymæ, sed cœlestis, utpote cui cœlum jam ad ingressum reclusum audirent, itaq; velut advenam & peregrinum hujus mundi ejecerunt extra civitatem. Sic nimirum, qui in hoc mundo peregrini sunt; non habentes permanentem civitatem, expelli à mundi civibus debent, ne & ipsi mundi bonis inescati, quærant sibi hic domicilium. Scimus Christum Dominum à Samaritanis in civitatem suam admissum non fuisse: *quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Luc. c. 9. hoc est, habitu præseferebat Judæum, qui non in montem Garizim (ubi Samaritani adorabant) sed in Jerusalem pergeret ad solemnitatem. Talis & S. Stephanus erat, facies ejus erat euntis in cœlestem Jerusalem, in quam velut proximam jam introspiciebat; foras igitur expelli è civitate mundi debuit. Idem expectent, quotquot cœli cives sunt. Tribulationes eorum lapides sunt, quibus è mundo pelluntur, velut è peregrino solio, ut ad patriam festinent. Sic compulit Deus Hebræos pergere ad desertum & terram promissam, lacte & melle manantem: à tergo immisit eis primò Pharaonem cum exercitu, qui cogeret eos pergere per mare rubrum; deinde Amalecum, qui & ipse cum manu valida à tergo eos invasit, (siquidem extremos agminis, qui lassi residebant, cecidit. Deut 25.) ut euntes propelleret. Post hos suscitavit alios & alios hostes, Regem Idumæum, Chananæum, Amorrhæum, Basan, Balac, qui perpetuò insequerentur eos, nec morari in peregrino solo permitterent. In hujus etiam rei commonitionem, cùm desiderarent in via carnes, non alias eis dedit, quam coturnicum, quæ & ipsæ aves peregrinæ sunt, per spatiosa maria ad regionem nostram æstatemq; migrantes, & per terram ambulantes citato gressu currunt; unde *currelia vulgo appellamus à currendo*, inquit Comestor apud Aldrov. lib. 13. Orintho. Quod etiam imitati Hebræi in sua profectione, dixerunt ad Regem Edom: *Tantum velociter transeamus*, hoc est, non detinebimus nos in via, permitte nobis solum transitum. Num. 20. Hos ergò Audit. & nos imitemur. Advenæ & peregrini in hoc mundo sumus, quare viatorum instar velociter transeamus, nulla habita ratione voluptatum hujus sæculi &c.

Quapropter *nolite mirari fratres, si odit vos mundus*, ait S. Joannes 1 Joan. 3. quia nimirum de mundo non estis, nolite mirari aut tristari, si cum Stephano ejiciamini è terrestri Jerosolyma, quia vos de cœlesti estis, & potiùs in hoc lętamini, quia quos odit mundus, hos amat Christus. *Magis mirabile esset*, ait Didymus *si pravi homines diligerent eos, qui secundum Christum piè vivunt.* Neque propter hoc odium vel hilum remittite de pietate vestra, sed potius quasi per antiperistasin magis vos intendite, & corroborate; sicut calor objecto frigore. Accusent, rideant, doleant, ringantur, damnent, lapident. Sanguis vester ipsos accusabit & damnabit, vos autem glorificabit & Stephanos efficiet. Vicissim aliquando in eorum sanguine lavabitis manus vestras; demonstrando videlicet coram toto mundo, ex illorum malitia vestram innocentiam.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

THEMATA.

I. *Quinque Ioannis prærogativa.*
II. *Stimuli ad sufferendas inimicorum injurias.*
III. *Qui cum Ioanne præcipuè dilecti à Deo.*
IV. *Sitis ebriosorum poculo benedicto extinguitur.*
V. *Quomodo & nos in sinu Domini recumbere possimus.*

THEMA I.

Quinque Joannis prærogativæ.

I. *Recubuit in sinu Christi.*
II. *Commendatam sibi accepit matrem Christi.*
III. *Morte non violenta, sed naturali in pace obiit.*
IV. *Vita longævitate cæteros superavit.*
V. *Majorem præ cæteris accepit sapientiam.*

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus. Joan. 21.

Benjamin typus Ioannis.

NOn immeritò censent aliqui Benjaminum, inter illius magni Patriarchæ Jacobi duodecim filios natu minimum, fuisse typum Joannis, qui & ipse inter duodecim Christi discipulos fuit ætate minimus. Neque desunt aliæ plures rationes. Quemadmodum enim Benjamin solus inter fratres fuit Josepho couterinus, ex eadem matre; cum alii ex solo patre ipsius fratres essent: ita etiam S. Joannes fuit Christo, vero Josepho ac Salvatori, frater, non solùm ex patre creatore (uti alii discipuli) sed etiam ex matre (per gratiam, non per naturam) quam Christus Joanni, velut matrem, filio commendavit in cruce. Quemadmodum etiam Benjamin præ aliis fratribus suis quinque ferculis, & in abitu quinque stolis fuit cohonestatus à Josepho, præterea etiam aliis amoris argumentis reliquis præpositus: ita etiam Joannes quinque prærogativas accepit à Christo, & quidem insignes, ad demonstrandum peculiarem quendam amoris affectum erga ipsum; quas hic exponemus.

Quinque, ut dixi, peculiaria amoris argumenta exhibuit Josephus Benjamino, couterino fratri.

I. Joseph ubi se aperuit fratribus suis, valedicens eis *amplexatus recidit in collum Benjamin fratris* sui ac *flevit*, quod aliis fratribus non fecit. Genes. 45. Præstitit hoc Joanni Christus, quando eum in cœna recumbens recepit in sinum suum. Sic enim & ipse amplexatus est Joannem præ dulcedine amoris, suo pectore eum fovens. Magna certè gratia & prærogativa? siquidem alter Joannes Baptista scilicet, indignum se reputavit, qui corrigiam calceamenti ejus solveret: & olim Moyses calceos exuere jussus est, priusquam ad Rubum ardentem & ex eo loquentem Deum accederet: Unde miratur sanctus Augustinus tract. 124. in Joannem dicens *quod autem majus dare potuit Iesus erga Ioannem suæ dilectionis indicium, quam ut homo cum cæteris condiscipulis suis socius tantæ salutis, solus tamen discubuerit super pectus ipsius Salvatoris?* Concessit autem Dominus ipsi hunc locum præ cæteris. Primò propter ejus innocentiam & morum puritatem, qua cæteros præcellebat. Scimus autem Christum puritate delectatum, ideoque matrem, imo & nutricem non nisi virginem: asellum, in quo nemo prius sedisset: syndonem mundam, sepulchrum novum elegisse, quia ipse fons erat omnis puritatis. Quod & Sapiens confirmat Prov. 22. iis verbis: *qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Non sunt ausi cæteri fratres Josephi tam propè ad eum accedere, quia reos se noverant: Benjamin proximè adhæsit, quia nihil in eum diliquerat. Joannes quia & ipse innocentia velut ætate minimus & quasi adhuc puer, cæteros vincebat condiscipulos; hinc illa ejus in Dominum confidentia; ut bene etiam de ipso dici possit, quod de Benjamin dixit Moyses, benedicens decem tribubus Deuteron. 33. *Amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Quod etsi de tota Benjamini tribu dicitur, in qua Deus templum suum Jerosolymitanum posuit; sicque & ipse habitavit in tribu Benjamin, & Benjamin in templo adeoque in Deo: rectè tamen idem tribuitur ipsi Benjamino, ut explicat Cajetanus ibi. Ita enim de Christo ait sanctus Ambrosius sermone decimo octavo de Epiphania, cum vicissim in Joannis sinu accubuisse. Per illam confidentiam solus Joannes Magistrum interrogare ausus est, quis eum traditurus

esset,

esset; quod Petrus licet omnium primus non at-
entavit, sed Joanni commisit. Qui ergo mundi corde sunt, securè Christo appropinquant in sacra communione & in ipso requiescunt quasi in thalamo.

2. Ut pectus Christi foveret & quasi solaretur, ex pcæsentia Judæ proditoris mæstum & graviter sauciatum. Solent Medici cordi infirmi afflicto pittacium seu emplastrum applicare. Afflictissimum erat Christi Domini pectus in ultima cœna, ex præsentia Judæ jam planè desperati; unde *turbatus est spiritu & protestatus est & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Joan. 3 Ubi solatium & remedium huic afflictioni; *Erat ergo*, subdit Joannes, *recumbens unus ex discipulis ejus, in sinu ejus, quem diligebat Iesus.* Non quod egeret consolatore, qui consolatur omnes mœstos; sed quod humano more agens dolorem ex infidelitate Judæ conceptum, mitigare vellet ex præsentia & amplexu fidelissimi discipuli.

3. Ut hac familiaritate faceret eum testem actionum & secretorum suorum, omni exceptione majorem, utpote qui proximus illi adhæsisset & familiarissimus fuisset. Quis enim non credat illi de Christo loquenti vel scribenti, qui in ejus sinu quasi enutritus est? Unde ipse suum Evangelium hoc veluti sigillo munit & obsignat, dum subjungit: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.* Qui ut penitius omnia penetraret, voluit eum Christus sibi proximè adhærere; unde S. Gregorius Nyssenus orat. 1. super Cant. ait: *Verbi amavit ubera, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & veluti quandam spongiam cor suum apposuit fonti & ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis, nobis quoque exhibet mammillam à Verbo impletam, nosq; implet bonis quæ ei à fonte sunt indita, magna voce prædicans: In principio, &c.*

II. Joseph Benjamino valedicens, donavit vestes plures & meliores, quàm cæteris fratribus. Illis enim dedit binas singulis, Benjamino vero quinque, easque optimas. Genes, 45. Christus Joanni in cruce valedicens dedit in solatium & præsidium matrem suam. Erat sane Deipara Joanni maximum non solum præsidium, sed in ornamentum atque auxilium, velut pallium Eliæ Elisæo relictum. Quid enim inter creaturas dignius Dei matre? quid ea sapientius? quid ejus conversatione suavius atque utilius? Ergo dum Joanni matrem suam dedit, eum utique fratrem suum quodammodo constituit, aut veriùs alterum Jesum. Quemadmodum enim pallium Eliæ relictum Elisæo discipulo, eum quasi alterum Eliam constituit, dum ei duplicem habitu spiritum Eliæ contulit. 4. Reg. 2. & Deipara relicta Joanni, eum quasi alterum Jesum fecit. Pallium Eliæ translati relictum Elisæo *vere maxima fuit hæreditas*, inquit S. Chrysostomus hom. 2. ad pop. Ant. *omni auro pretiosior. Erat posthac duplex Helias ille, & erat sursum Helias, & deorsum Helias.* Pari ratione Deipara commendata Joanni constituit eum alterum Jesum; itaque erat sursum Jesus in cruce: & erat deorsum Jesus in Joanne. Donum igitur hoc fuit omni auro pretiosius. At cur Joanni præ ceteris oblatum? Primò, quia solus ipse ex discipulis cũ matre Christo crucifixo usque ad mortem intrepidus & constans, inter tot Judæorum odia & opprobria abstitit. Non diffiteor, quod in Joanne etiam aliis discipulis imo & quibuscunque fidelibus matrem suam assignarit velut protectricem; peculiari tamen ratione Ioanni eam dedit; quia id amore & fortitudine sua meruit. Nemo negabit maximam laudem & remunerationem promeruisse armigerum Ionathæ, vocatum ab eo ad difficillimam expeditionem, qua invadere castra Philisthinorum Ionathas parabat. Ascendere enim debebant per acutas petras, reptare manibus ac pedibus. Adolescens porrò armiger herum suum Ionatham animose secutus est, & una cum eo pugnans maximam hostium stragem edidit. 1. Reg. 14. Fidelissimus hic armiger Ioannes fuit Christo ascendenti per asperrimum Calvaræ montem & danti se in medios & acerrimos hostes. Qui ergo Dominum suum in tam difficili ascensu secutus est, quid non præmii commeruit? Ergo ut frater Christi fieret, qui socius passionis fuit, jure matrem ejus in suam accepit.

1. Quia solus ex discipulis cũ Christo crucifixo adstitit.

2. Quia ipse discipulus ille fuit, quem diligebat Iesus. Voluit nec non debuit Christus matri suæ afflictissimæ, filio suo unico & dilectissimo per summam injuriam spoliatæ, solatium relinquere post suam mortem. Quod vero aliud, nisi tale, in quo ipsa filium suum morte sublatum, quasi adhuc vivum ante oculos suos cerneret? Talis autem fuit Ioannes dilectissimus Christi discipulus, & quasi alter Iesus; quem in ipso intuebatur. Ita Guarricus Abbas serm 4. de assumpt. *Decebat*, inquit, *ut matri Domini non alius obsequeretur, quàm dilectus filii: quatenus & mater semper suspirans filium, in dilectum filii suavius respiraret.*

2. Quia discipulus fuit, quẽ diligebat Iesus.

3. Quia virgo erat, ab omni impuritatis suspicione remotissimus, tener adhuc juvenculus. *Pura ergo puro commissa est*, inquit Theophylactus. Et meritò; nam *cum quo virgo habitare debebat, quàm cum eo, quem filii hæredem, integritatis sciret esse custodem?* ait S. Ambrosius cap. 7. de instit. Virg. Solicitus nimirum Iesus de matris pudore, maternæ virginitatis perseverantiam voluit comprobatam; quod idem Ambrosius cap. 6. ibid. scribit: *Ne quis eam convitio temeratæ integritatis aspergeret*, inquit. Neque poterat Deiparæ gratior dari custos, quàm qui integritatis, quam ipsa adeo dilexit, tenacissimus & amantissimus esset.

3. Quia virgo.

III. Ioseph cæteros fratres durè imprimis accepit, & velut exploratores non solùm objurgavit, sed etiam per triduum carceri mancipavit, mortis timore eis injecto, Gen. 42. Benjamino verò nihil quidem tale fecit, sed in ejus discedentis sacco scyphum argenteum clam imponi jussit, ut postea & ipse

III. Morte non violenta, sed naturali in pace obiit.

ipse velut furti reus deprehensus mortis periculum subiret, ejusque formidinem modo aliquo degustaret Gen. 44. Simili modo Christus egit cum discipulis suis. Cæteros enim per varia martyria permisit interimi sicque coronari: non item Joannem, sed voluit eum in pace mori: *Sic eum volo manere donec veniam*, inquit Ioan. 21. Verum dicet aliquis, hanc non esse prærogativam; sed potiùs amplioris gratiæ subtractionem: At non ita est; fuit enim verè martyr, & forte plus quam cæteri discipuli; quia & ipse Romæ sub Domitiano primo flagellatus & ignominiosè attonsus (ut scribit Prochorus ejus discipulus:) deinde in ferventis olei dolium (quod ad mortem ipsi inferendam sufficiēs erat, & intulisset, nisi per miraculum Joannes servatus fuisset) immissus, voluntariè se morti tam acerbæ pro Christo obtulit; & deinde (quia illæsus inde exiit) in exilium ad metalla damnatus, magnis ibi in ærumnis, prolixo in martyrio vixit; denique quia sub cruce Christi dilectissimi sui Domini & magistri omnes ejus dolores in animo suo sensit. Itaque calicem passionis, quem prædixit ei Christus, non unum sed triplicatum propinavit, atque hauriendum dedit; verùm quasi absconditum & in sacco inclusum, ut non tam corpore quam animo eum persentisceret. Poterat ergo dicere illud Ps. 22. *impinguasti in oleo* (ferventis dolii, unde vegetior exii, quàm intravi) *caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!* Voluit autem Christus condecorare dilectum suum discipulum tali prærogativa, ut quidem martyrium sustineret, eo tamen non extingueretur. Primo quia, ut dixi, calicem passionis non moriens, sed vivens bibit, & quidem multiplicem, uti inprimis venenatum illum amore Christi & lucrandarum animarum; deinde magnum illum oleo plenum fervente sub Domitiano; post hunc exilium in Patmo, plenum ærumnis; quibus accedit desiderium ardentissimum moriendi, ut cum Christo esse posset, quod jure continuum appelles & diuturnum martyrium in tam longæva ætate, quæ ob amorem Domini tota ipsi exilium fuit.

1. *Quia calicē passionis nō moriens sed vivens bibit.*

2. Quia hac ratione Christi in ipsa gloriosius triumphavit; tum quia veracitas comprobata est dicentis: *sic eum volo manere*, hoc est, non obire morte violenta: quidquid contra hoc conatus fuerit mundus; tum quia ejusdem potentia enituit in Joanne conservando inter tormenta, & præservando à morte ex venenato potu, exilio, verberibus, ærumnis. Ergo sicut ex amiantho lapide (teste Dioscoride l. 5. c. 113. Plinio l. 36. c. 19) utpote ductili, & flexili, textores fila deducunt ex eisque telas contextunt, quæ in ignem conjectæ, non tantùm non exuruntur, sed nitidiores exeunt: ita Christus carnem Joannis dote quadam impassibilitatis adeo armavit, ut planè lapideus & immortalis videretur, ex ignito oleo vegetior & nitidior exiret ejus Angelica virginitas.

2. *Quia sic in illo Christus gloriosius triūphavit.*

3. Quia voluit eum Christus alio non minus glorioso mortis genere ad se evocare: placito v[idelicet] sed spontaneo nec ignis sed amoris incen[dio], ut colligitur ex ejus suspiriis Apoc. 22. *Ve[ni] Domine Iesu &c.* quo etiam evocatam ejus matre[m] adoptivam, Deiparam, tradunt Patres. Cùm [e]nim tempus migrationis suæ adventasse prævid[is]set, jussit sibi a discipulis fodi sepulchrum, in quo injecto prius pallio suo descēdit, & pacem suis pr[eca]tus, ad Christum vero effatus: *Et tu mecum e[s] Domine Iesu*, spiritum immaculatum in ejus m[a]nus tradidit. *Galanus Sophista Indus*, (inquit Elian. l. 5. hist. var. c. 6.) *quum longum vale dixisset A[le]xandro, Macedonibus & vitæ, quando seipsum è c[or]poris vinculis liberare volebat, extructa pyra in Ca[]listo, suburbio Babylonis, ex lignis aridis, & ad p[ro]vocandam bonam fragrantiam delectissimis cedr[o,] thyo (velut thuio) cupresso, myrto & lauro, ille solit[um] exercitum, obivit (erat autem id cursus) & a[s]cendens in media struis constitit coronatus foliis arun[di]num, affulgente sibi Sole, quem ipse adorabat: atq[ue] hoc dederat signum Macedonibus, ut pyram incen[de]rent, quod quum fecissent, ille circumdatus flamm[is] immotus constitit, neq; ante collapsus aut subver[sus] est, quam expirasset. Tunc ajunt Alexandrum cu[m] stupore quodam admiratum dixisse, Calanum poten[ti]ores hostes debellasse, quam se. Nam Alexander cu[m] Poro, Taxila & Dario bellum gesserat: Calanus v[ero] cum labore & morte.* Calanus homo vanissimu[s] non nisi vanam gloriam per hanc stultam morte[m] quæsivit, nec aliam obtinuit. At vero Joannes n[o]ster per amoris incendium seipsum Christo imm[o]lans, post tot sacrificia non minorem sibi perpe[tuam] gloriam coram Deo, Angelis & hominibus, qua[m] alii plurimi martyres, qui per ignem transierun[t]. Quis enim alius tanta gloria ut Joannes occubu[it?] Manna salutiferum, quod olim de cœlo delapsu[m] erat, ex ejus sepulchro stillare cœpit: corpus p[ost] obitum nullibi repererunt, unde multorum sente[n]tia ad gloriam resuscitatum & ad cœlos transl[a]tum est.

IV. Joseph dedit Benjamino insuper pro vi[a]tico 300. argenteos, seu siclos, qui faciunt 300. fl[o]renos Brabanticos, (ut sentit ibi Corn. à Lap.) 20[0] vero nostrates. Gen. 45. v. 22. Credibile est d[e]disse eum aliis quoque fratribus suum viaticum, sed nequaquam tam copiosum. Dedit etia[m] Christus dilecto suo Ioanni liberius viaticum, dies, inquam, vitæ longè plures, quam cæteris di[s]cipulis. Vixisse enim traditur à S. Hieronymo usq[ue] ad tempora Trajani, ad annum 68. post passio[]nem centesimum vero primum post nativitate[m] Christi. Attigisse putatur à Baronio annum æta[]tis nonagesimum tertium, ab aliis etiam supera[s]se. Magno huic itineri magnum consequent[er] debebatur viaticum, magnæ corporis vires. Se[d] in quem finem? primo in bonum Ecclesiæ, Asiati[]cæ inprimis, quam erexit & gubernavit; deinde u[]niversalis, quam ab hæreticis suo Evangelio poten[]tissime defendit, velut, testis oculatus & auritu[s] omni

omnium Christi gestorum, adeoque irrefragibilis: deinde illustravit non solum scripto, sed etiam vitæ exemplo sanctissimo. Hinc Origines a D. Thoma in Epist. ad Philem lect. I. citatus ait: *Raro utilis Doctor invenitur in Ecclesia, quin sit longævus.* Confirmat id exemplo SS. Petri & Pauli, quorum illi dictum est à Domino: *Cum autem senueris* &c Joan. 21. hic vero senem se fatetur in Ep. ad Philem. v. 9.

2. In bonum & commonitionem partim Judæorum, partim primorum Christianorum, ut viso Judæorum excidio convinceret Judæos de veritate Messiæ, qui in pœnam incredulitatis id eis eventurum prædixerit: confirmaret fideles in ejusdem fide. Potens fuit hoc argumentum Joanni ad deprimendam synagogam & erigendam Christi Ecclesiam: comprobare ipso facto Christi vaticinium.

3. In bonum ipsius Joannis, ut in diuturno exilio suo & peregrinatione hujus vitæ quamplurima sibi compararet merita, quibus onustus velut apis argumentosa evolaret ad cœlum, collecto ex omni genere florum favo: utpote Patriarcha & fundator omnium Ecclesiarum Asiæ minoris, Propheta in Apocalypsi, Apostolus, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo. Hinc in secunda sua Epistola non aliud sibi nomen præfigit, præterquam Senioris: *Senior Electæ Dominæ.* Et in tertia; *Senior Gajo charissimo,* quia *cum refugeret Apostolum se scribere, seniorem scripsit, nec minor est æstimatus, cui cygenea quadam suppeteret gratia senectutis:* ait S. Ambrosius in Ps. 36. Et hinc suos discipulos dulci nomine compellabat filiolos.

V. Joseph suo Benjamino plura apponi fercula jussit, quam cæteris fratribus; ita ut *quinque partibus excederet.* Gen. 43. hoc est, ut quinque ferculis superaret fercula fratrum. Dedit Joanni Christus sapientiam, qua alios condiscipulos longè superabat. Quid autem sapientia & eruditio nisi cibus & suavis refectio animæ tam propriæ quam alienæ? Ita enim de ea Sapiens Prov. 3. ait: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* Et Prov. 24. comparatur melli & favo dulcissimo, Quid enim anima fortius desiderat quam veritatem? Eam vero quid nisi sapientia exhibet? Hausit eam Joannes è sinu Domini quasi ex ipso fonte, & tam largiter, ut S. Augustinus in Psal. 144. eum appellet *avidissimum epulatorem: cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini, & de arcano ejus bibere divina secreta;* ut sicut aquila tam visu quam volatu cæteras aves: ita Joannes cæteros Apostolos & Evangelistas sapientia longe superarit; qua de causa aquilæ comparatus est ab Ezechiele cap. 1 Hinc de ipso S Hieronymus Ep. 85. ad Evagrium ait: *Clangit tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum: qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit.* Porro sicut canalis impletus à fonte rursum effundit aquas hominibus: & sicut tonitru comitatur coruscatio: ita & Joannes suam sapientiam in nos fidelissime refundit tonansque in Evangelio suo, simul etiam coruscans totum mundum illustravit. Id quod etiam Deus divino testimonio, tanquam cœlitus traditum, comprobare voluit, dum (ut scribit metaphrastes in vita Joannis) eo scribente Evangelium, tonitrua & coruscationes factæ sunt, adeo ut Prochorus ejus discipulus, qui præsens aderat, contremisceret scribendo. Cur vero ipsi præ cæteris tam aquilinos oculos ad contemplandum ipsum Dei Verbum & mysterium Trinitatis, velut ipsum Solem, aliaque secreta Dominus concesserit, non videtur alia ratio, quam puritas & castimonia ejusdem Joannis, uti insinuat S. Hieronymus l. 1 contra Jovin. ubi de ipso ait: *Exposuit virginitas* (Joannis) *quod nuptiæ scire non poterant;* additque Christum in littore stantem, propterea à solo Joanne agnitum fuisse, Joan. cap. 21. *Solus Virgo Virginem agnoscit,* ait Et quid mirum? *Beati mundi corde,* ait Dominus Matth 5. *quoniam ipsi Deum videbunt* Purus enim oculus clarius intuetur Solem, quam turbatus: & speculum ab omni nebula maculaque expurgatum capacius est specierum, quam impurum. Quocirca qui sapientiam desiderat, puritati studeat. Unguenta pretiosa non nisi in purissimis vasculus, gemmæ & monilia, non nisi in holosericis thecis reponuntur. *Sic & in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatu.* Sap, 1. Quando igitur vidimus tanta esse Joannis privilegia, adeoque eum Christo tam fuisse charum, conmitamur Audit. ut hunc Apostolum nobis conciliemus & in patronum eligamus. Quis enim nescit eorum patrocinia, qui apud Regem plurimum valent gratia & amore, potissimum ambiri, & magnis sæpe muneribus multisque obsequiis comparari? Plurimum certè poterit apud Magistrum suum dilectus ejus discipulus. Neque is tutelam & præsidium suum facile alicui negabit, qui, ut diximus, è sinu Christi tanta aviditate bibit, ut veluti carnalis rursum in nos effunderet, quas ipse hausit gratias.

THEMA II.

Stimuli ad sufferendas inimicorum injurias.

I. *Ferendæ amore Christi.*
II. *Amore proximi.*
III. *Amore inimici tui.*
IV. *Amore tui.*

Hic

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. Joan. 21.

DUrum satis bolum heri deglutivimus, Audit. lapides pro panibus: vel certè si nondum deglutivimus deglutiẽdum aliquando suasimus. Quis enim æquo animo ferat probra, convitia, contumelias, detractiones, delationes, spoliationes, vulnera, mutilationes, ictus lethales, insidias? quis hos lapides masticet, deglutiat, digerat? Fateor duri sunt hi boli. Quare ad eos devorandos videtur requiri, ut accedat bonus haustus, ne fauces præcludantur. Hodie ergo haustum lapidibus adjungemus, & quidem poculum benedictum S. Joannis, seu vinum amoris. Quemadmodum enim hodierna S. Joannis festivitas immediatè sequitur festivitatem S. Stephani: ita S. Joannes suo proximum amore secutus est amorem S. Stephani. Stephanus lapidatus erat pro inimicis & convertit, si non plures, (quod credibile) saltem S. Paulum: Joannes venenatum vini poculum ab impiis cogitur ebibere, & bibit absque noxa, quo infideles Christo lucrifaceret. Duram ergo bolum deglutivit Stephanus, amarum etiam poculum ebibit Joannes: sed nimirum amor utrumque illis suave fecit & dulcius ipso melle. Ergo Audit. Si cui heri visum est durum, injurias inimicorum cum patientia & gaudio devorare, addat hodie vinum amoris S. Joannis, & ferat persecutiones seu injurias illas ex amore. Solemus enim & ægris persuadere potiones ingratas propter hujus vel illius amorem. Sed in cujus amorem injuriæ ebibendæ? Audiamus.

I. *Ferenda amore Christi.*

I. Amore Christi. Hujus sanè amore præcipuè ebibit Joannes venenatum poculum, ut dilectissimo suo Magistro, animas petenti, gratum præstaret obsequium. Ipse enim inprimis sitit salutem non modò tuam, sed etiam inimici tui. Quæ & quanta pocula non bibuntur & exhauriuntur amore Imperatoris vel alterius Principis? Et nolit aliquis injuriam aut contumeliam placida aure bibere amore illius, qui amarissimum mortis poculum amore nostri exhausit usque ad fundum? Ille paulo ante mortem suam toties inculcavit nobis verba illa: *Hæc mando vobis: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Idque S. Joannes memori mente tenuit, & moriens suis ingeminavit. Aldrobrandinus Patavinus nobilis Germanum quendam Italicæ virtuti contumeliosè detrahentem ad singulare certamen in foro provocavit, & coram Friderico Barbarossa Imperatore levi vulnere, quod in brachio acceperat, efferatus prostravit, ac deditionem facere nolentem, cùm duellum Cæsar dirimi jussisset, Cæsari dono dedit. Quare Cæsar eum & equitem & comitem in ipso creavit vestigio, anno 1165. Bernard. Scardeonis lib. 3. classe 13. hist. Pat. Clamat de cælo Christus: *Mihi vindictam, Dimittite, & dimittemini.* Mihi inimicum tuum dona; & tu

Trip. in F. Sim. & Iud. c. 2. B. n. 2.

Deo hoc non præstabis? Fratres Josephi ut venia delicti sui in eum admissi impetrarent, allegaru preces patris sui, ut saltem ejus amore veniam e daret (Gen. ult.) nec difficulter impetrarunt. Quan tò plus valere debet deprecatio injuriæ, quæ fit more Christi, patris omnium communis & supren Imperatoris nostri?

II. Amore proximi tui, quâ ratione Joannes b bit venenum amore ingentis populi convertend Bibe tu, & dimitte injuriam inimico propter eo quorum ille frater est; qui proinde dolent, si vind ctam de illo sumas: quo modo servi illi qui vid runt conservum malè tractari & suffocari atque vincula conjici à conservo ob exiguum debitu 100. denariorum, *contristati sunt valde & narrav runt Domino suo omnia.* Matth. 18. Tu ergo si nc remittis injuriam inimico, quia inimicus tuus e dimitte ei, quia proximorum tuorum amicus ei que charus est, qui pro illo supplicant, & vehemen ter gaudent atque ædificantur, si injurias condon aut patienti animo feras. Unde enim putamus ta repente conversum in cruce latronem alterun Tenebræ primum hora sexta cœperunt, Christu autem paulo ante sextam crucifixus fuit, & tu pro inimicis oravit, tuncque probris Judæorum in petitus fuit: prodigia alia mortem Christi primù secuta sunt. Ergo non nisi ex patientia Christi, qu *cum pateretur, non comminabatur: cum maledicere tur, non maledicebat;* & ex Christi verbo, quo lib ralissime condonavit & condonari petiit injuri inimicis suis, conversum esse dicendum est, uti se tiunt Theophylactus & Euthymius. Plura huju rei exempla habemus. Agilius Monachus S. Co lumbani Abbatis discipulus, cum manum arefactar percussori suo precibus restituisset, Theodoricur Regem, ad quem ibat, Abbati suo Columbano ira tum; antequam adiisset, fama miraculi & facti he roici prævolante placavit; ita ut quem ille dudur à monasterio expulerat, protinùs revocaret. Igitu in Agilio patientiæ virtus manum alterius malè af fectam sanavit, Regis iram extinxit, Abbatem i gratiam reduxit. Marulus lib. 5. c. 2. Nec minus me morabile, quod in vita S. P. Francisci Xaverii lib. 4 c. 6. scribit Tursellinus de Patre Ferdinando, soci Xaverii in Japonica expeditione: eo concionante i publico, Japonem accessisse, & collectam in ore sa livam in os concionantis conjecisse. Eam contume liam, cum ille adeo patienter tulisset, ut nihil omni no commotus, absterſa linteo facie, institutum per texeret sermonem, tantæ miraculo patientiæ mo tus quidam in concione, in animum induxit, à viris tanta virtute præditis non posse religionem nisi san ctam afferri, sicque ad Franciscum veniens, primus omnium in Japonia conversus est, cujus exemplum alii deinceps secuti sunt.

III. Amore inimici tui; quemadmodum & Joannes amore Aristodemi Idolorum Pontificis, qui ei poculum propinarat, id ebibit. Sed fortè dices: Quid; amore inimici? verbera commeruit & odium

odium non amorem, inquies, Noli ita loqui, nec *secundum faciem judicare, sed justum judicium judica.* Considera primò ipsum esse, licet non amicum tuum, Christianum tamen & unctum Domini in Baptismo & Confirmatione, adeoq; membrum Christi. Audi quid responderit David militibus suis, quando deprehendit Saulem inimicum suum, vitæ suæ insidiantem. Cum enim illi suaderent, ut vindicaret tandem injurias suas, hostemq; interficeret; nequaquam acquievit, sed oram tantum chlamydis ejus abscidit, quam post à longè ei monstravit, clamans: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus* (unctus) *Domini est,* 1. Reg 24. Hic ego te interrogo: Quomodo pepercit Sauli oculus David, & non potius manus seu gladius David? Manus & gladius nihil vident, oculus autem videt. Vidit ergo oculus Davidis in Saule duas quasi personas, inimicum, & *Christum* seu unctum *Domini*: & quia hæc primaria erat, propter hanc pepercit alteri. Magis enim attendit *ad Christum Domini*, quam ad inimicum. Idem tu quoq; cogita. Habes inimicum, qui tibi injurius est; cogita eundem etiam esse *Christum* seu unctum *Domini*, Christianum scilicet inunctum adeoq; membrum Christi. Si ergo non ignoscis ut inimico, ignosce ut inuncto. Unctio Christiani longe nobilior est unctione Regis, quia imprimit characterem & gratiam. Considera inimicum tuum in perturbatione esse; & à malo genio misere exagitatum contra te incitari. Vidit hoc sanctus Martinus Episcopus in discipulo suo Brictio, ipsum videlicet à duobus dæmonibus clamantibus ad ipsum: *Eja te Bricti, eja te Bricti*, concitari & agitari furiis ad obtrectandum sibi; cui & mox Brictius quasi furibundus occurrit, probris eum onerans. Itaq; vir sanctus commiseratione, non iracundia motus, blande & comiter eum excepit, ac suavibus verbis sedavit; ut in ejus vita 11. Nov. Idem faciunt dæmones adversario tuo, quod fecerunt Brictio: igitur amore & commiseratione ejus, amorem potius quam odium repende: In dæmonem exere iram tuam, qui inimicum tuum vexat. Unde S. Hieronymus in Psal 71. *Si te impius, ait, persequitur, scito, quia equus est, eques autem Diabolus: iste enim currit, hic lancea sua percutit: iste ducitur calcearibus, & invitus insanit, hic agit & stimulat.* Equiti igitur irascendum, equo indulgendum. Alconem, auctor est Victor lib. 16 cap. 8. quod etiam refert Val. Flaccus lib. 1. Argonaut, insignem sagittarium fuisse, qui cum aliquando filium vidisset, serpente ex arbore delapso circumdatum, sumpto arcu sagittaq; tam bene ictum collimavit, ut nil læso puero serpentem interemerit. Dæmon incitans contra te inimicum tuum, serpens iste est, qui stringit & inflammat illum odio. Ipse ergo jaculo petendus & odio haben-

dus est; non misellus homo, qui serpentis veneno ad iram inflammatur.

Considera eum, qui nunc inimicus est posse fieri amicum tuum. Hoc argumentum suadet S. Paulus Philemoni; ut recipiat servum suum Onesimum in gratiam, & ignoscat illi; quod in ipsum deliquit, cum ab ejus servitio discedens aliquid convasavit, quod ipsius Domini erat; illum enim, qui fuit ei aliquando inutilis, futurum aliquando utilem, in Epist. ad Philem. *Obsecro te*, inquit, *pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remisi tibi.* Et infrà: *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me; si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.* 3. *Quia potest fieri amicus tuus.*

IV. Amore tui. Sic enim & Joannes, quia olim à Christo intellexit, se ad ejus dexteram aut sinistram non sessurum, nisi calicem ejus bibisset, utiq; etiam amore sui, ut Christi dextera potiretur, ebibit calicem illum venenatum. Ergò vel idcirco etiam dimitte injurias tibi illatas, ne tibi gravius noceas; quod videtur voluisse te docere Sapiens Ecclesiast. c. 30. cum ait: *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine.* Quasi diceret: Contine manum à vindicta injuriæ, ut ne lædas animam tuam peccato mortifero; sed ignosce; ut placeas Deo. Certè S. Bernardinus Senens. Ord. S. Francisci serm. 15. Quadr. testatur anno 1419. se in monte Calvariæ (erat enim missus Jerosolymam à ministro Ordinis, ut esset ibi minister terræ sanctæ, ut in ejus vita habetur,) vidisse mulierem; quæ in infinita hominum turba ab adolescente quodam leviter impulsa & humi prostrata, juveni veniam flexis genibus junctisq; manibus roganti pertinaciter negavit. Sed in præmium coram omnibus à malo dæmone abrepta & in puteum est projecta. Quomodo enim non summè displicuisse Deo potuit, quæ tam levem offensam in eo loco, ubi Christus gravissimas injurias inimicis suis condonavit, noluit condonare? Ergo quia amore Christi, proximi, inimici sui noluit bibere caliculum amarum, dejecta est in puteum inferni, sulphure & pice ardentem. Quare nisi tu dimiseris, gravius longè tibi, quàm inimico nocebis: expectat enim te puteus inferni. IV. *Amore tui.*

Ad extremum bibamus tales injurias amore S. Joannis, qui delatus ad Ecclesiam identidem inculcabat suis discipulis Christi mandatum: *Filioli diligite alterutrum, quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit*: Dic ergo cum Christo: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Arripe eum cum Joanne & intrepidus exhauri. Proderit non oberit, Christo gloriam, proximo exemplum, inimico gratiam, tibi pariet coronam.

THEMA III.

Qui cum Joanne præcipue dilecti à Christo.

I. *Qui ab ineunte ætate Deo serviunt.*
II. *Qui student castitati.*
III. *Qui animosè contra vitia certant.*

Vidit discipulum illum , quem diligebat Jesus. Joan. ult.

Multi vocantur Ioannis nomine.

NIhil vulgarius est nomine Joannis , adeò ut si quis alterius nomen nesciat, appellet eum Joannem ; quia nullum nomen communius. Unde hoc? Num quia dilectus Christi fuit ? num quia familiaris & in sinu ejus recubuit; num quia Joannes significat gratiosum Deo? Quidquid horum sit, jure merito amatur & ambitur istud nomen. Sed quid juvat nomen, nisi adsit res ? Non enim omnes sunt Joannes qui vocantur Joannes, ut scribit S. Joannes Chrysostomus hom. 52. in Acta. *Nomen habere principis*, inquit, *non est esse principem; Vocantur & alii Ioannes , sed non propter nomen sunt id quod vocantur. Quemadmodum & ego, licet eodem, quo ille vocer nomine ; non tamen una & eadem cum illo res vocabulo vocor , non sum Ioannes , sed vocor Ioannes*, Quam puto esse causam , quod Joannes nullibi in Evangelio suum nomen addat , sed discipulum, *quem diligebat Iesus*, vel qui in sinu ejus recubuit, se appelllet, ut rem potius quam nomen Joannis nobis commendet. Quare multò magis laborandum ut simus, quam ut vocemur, Joannes ; ut simus, inquam, gratiosi Deo, dilecti Christi, & qui in sinu ejus recumbere mereamur. Sed qui tales erimus? Videamus.

I. Qui ab ineunte ætate Deo serviunt.

I. Qui volunt esse veri Joannes Christo maximè dilecti, ab ineunte mox ætate Deo serviant; quemadmodum & Joannes, qui penè adhuc puer à Christo est vocatus, ut scribit S. Hieron. lib. 5. contra Jovinian. Esse autem Deo gratiores , qui à teneris ei serviunt, non difficile ostendi potest. Quis enim nescit plenum vino dolium , gratius esse donum, quàm si fæx vini donetur ? & ut vinum in fundo (auff der Hatg) acescit : ita & hominis ætas, in fine morosa, segnis, pertæsa & molesta est. *Quemadmodum ex amphora*, ait Seneca epist. 110. *primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit : sic in ætate nostra quod est optimum, primum est.* Rursum nonne servus juvenis, vegetus, robustus, gratior tibi est sene & exhausto; qui in juventute alteri labores suos locavit? Hinc in V. Test. toties pro sacrificio petuntur & præscribuntur juvencula animalia, vituli, agni anniculi, pulli columbarum, Levit. 1 & 12. quia significabant juvenes Dei jugum amplectentes , quando adhuc multos sibi annos promittere possunt , quando laborum feraces, quando peccare possunt , & peccata dimittunt potiùs, quam dimittuntur ab illis ; quando jugum Domini diu & facile portare possunt sine molestia ac murmuratione. Hinc Thren. 3. dicitur: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua sedebit solitarius & tacebit ; quia levavit super se* (sic legendum) quomodo sedebit solitarius & tacebit? Quia qui à teneris assuescit jugo Christi, per ætatem reliquam immunis est ab innumeris tentationibus, & pugnis cum carne, mundo, & Dæmone á quibus alioquin impeterentur, & vexarentur, si ab ineunte ætate traxissent jugum Diaboli. Difficillimum est expugnare contractos habitus, pravos & valedicere assuetis voluptatibus ac vitiis. Fatetur B. Zosimo Maria Ægyptiaca pœnitens in solitudine , se septendecim annis totis gravissimè tentatam prioris vitæ peccaminosæ illecebris , quibus todidem annis servierat; nec nisi magna lachrymarum vi , & corporis afflictationibus superare eas tentationes potuisse. Ab his ergo luctis liber est, qui à pueritia jugum Domini ferre didicit. Unde etiam rectè Jeremias addit: *Quia levavit super se.* Nam cum quis gravem sarcinam ferre vult , maximè laborat initio , donec eam super humeros aut caput attollat. v. g. fasciculum fœni aut lignorum, ubi sustulerit, facilè gestat. Vult ergo dicere Jeremias, qui à teneris Deo serviunt, jam sustulisse onus in humeros; proinde absque difficultate gestare . alios autem qui tardè servire Deo incipiunt , valdè laborare, quasi semper attollendo. Unde Arabicus Antiochenus ita eum textum explicat : *Quia jam imposuit sibi jugum suum*; hic non eget alieno auxilio ; sed alter qui attollit.

II. Qui volunt esse veri Joannes, Christo dilectissimi, castissimos se præbeant, quemadmodum & Joannes ; qui virgo semper fuit ac mansit, teste S. Hieron. aliisque : nec corpore tantum sed & mente; ita ut nullam unquam impuram cogitationem in cor ascendere permiserit ; ut scribit Euthymius in c. 21. Joan. Et propterea ei tanquam virgini matrem virginem commendavit in cruce Dominus. Esse autem virgines, corde & corpore castos, Christo dilectissimos , discere ex Sapiente Prov. 22. possumus; ait enim : *Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit Regem* ; Utique Christum, omnis puritatis fontem ; qui, quà Deus, est purissimus ab omni mixtione alienissimus : quà homo, est matris virginis purissimæ filius purissimus , virginitatis speculum & summus amator , adeo ut in collegio suo non tolerarit ullam impuritatem ; licet toleraret aliquamdiu vitia illa, murmurationis , contentionis, ambitionis, furti. Videmus elementa, quò cœlo viciniora , eò esse puriora atque clariora. Terra omnium remotissima & obscurissima est, quia maximè mixta & impura ; designans matrimonium. Aqua ex natura sua cælo vicinior & clarior , quia purior, etsi á terra fæces etiam contrahit, designans

vidualem statum à prægresso matrimonio nonnihil inquinatum. Aër adhuc vicinior, unde clarior quia purior aquâ; designans virginalem statum secundum corpus. Obscuratur tamen & ipse à pulveribus ac muscis cogitationum fœdarum, quæ inquinant aliquantum virgines aliquas. Ignis omnium vicinissimus, adeoq; clarissimus, quia etiam purissimus nihil patitur impuri, sed omnia absumit, omniaque purificat. Et hic est status virginum corpore & animo, cælo, id est, Christo maximè vicinus, similis ac dilectus. Hinc Apoc. 14. dicuntur virgines *primitiæ Dei & agni*; id est, selectissimi fructus: adhæc *stare super montem*, ubi aura est purissima: rursum *sequi agnum quocunq; ierit*, id est, tam esse gratæ, ut nunquam ab ejus latere discedant: deniq; *canere canticum cytharœdorum in cytharis suis*, id est, Deum laudare corporis & animi puritate. Grata est vox boni cantoris, sed gratior si is cum vocali cantu pulset testudinem aut cytharam. Cythara virginum corpus est, castitate concinnatum, spiritui correspondens. Qui voce simul & cythara canit, gratũ Christo carmen accinit. Confirmat idem exemplo S. Emericus filius S. Stephani Ungariæ Regis, qui Vesprinii semel ædem D. Georgii noctu ingressus cum uno tãtum amanuensi, ibi precatus est Deum, ut intelligeret, quid præstare posset, quod ei maximè placeret. Ad hoc ædes repente divino splendore replentur & vox audi ur: *Nil Emerice virginitate gratius Deo futurum pu et.* Ergò auxilium à Deo precatus, eã Deo promisit; Patris quidem voluntati cedere volens uxorem duxit, sed pari virginitatis amore accensam, ac cum eadem in virginitate vixit; cui brevi extincto ipsa testimonium virginitatis edens, per amanuensem id comprobavit. Bonfin. l. 1 dec. 2. Idem cum à patre ad monasterium S. Martini profectus & præmissus monachos salutaret, aliis duo, aliis quatuor, aliis quibusdam septem oscula dedit: de hoc interrogatus à patre respondit, pro conditione castitatis eos se salutasse, & quos septies osculatus esset; perpetuam virginitatem servasse; qualis inter alios erat Maurus, post ad Quinque-ecclesiensem Episcopatũ ab eo promotus. Bonfin. ib. Joannes Apoc. 14. ait virgines habere nomen Agni scriptum in frontibus suis. Quid mirum ergo si S. Emericus dignovit virgines à non virginibus? qua de causa fortè etiam solus Joannes in navi, Christum stantem in littore, utpote virgo virginem agnovit. Joan. 21.

III. Qui volunt esse veri Joannes, animosè Deo serviant, & tentationibus se opponant, non timidè non tepide. Fecit hoc Joannes, qui solus ex Apostolis Christo crucifixo inter frementes & furibundos inimicos adstitit. Unde etiam probabile fit, quod S. Hieronym. scribit in Epitaph. Marcellæ: *Ioannes propter generis nobilitatem erat notus Pontifici & Iudæorum insidias non timebat in tantum, ut Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem.* Licet August. & quidam alii de hoc dubitent. Quod si non fuit causa, notitia Pontificis, (quod facile mihi persuadeo) cur ad crucem staret, certè animi magnitudo causa esse debuit. Petrus vero quia timidè & à longè sequebatur Christum, trepideque intravit atrium, mox dejectus tentatione, Christum negavit, Joannem, quasi cum authoritate ingressũ, interrogare nemo ausus est. Scribit P. Sanchez in tr. de Regno Dei, & ipsemet observavi, vespertiliones noctu in templis insidiari lampadi, indeq; oleum sugere, si non ardeat lampas: si vero ardeat, attingere id non audere, quia nimis calet. Pari modo vespertiliones tartarei tepidos & frigidos aggrediuntur, & paulatim exsugunt suis tentationibus: ferventes & cordatos non item. Frigebat Petrus non solum corpore, sed etiam animo, dum in atrio Caiphæ moraretur. Hinc eum adortus est stygius vespertilio per os ancillæ, & gratiæ humorem ipsi exsuxit, atq; ad negandum magis ac magis impulit. Contra Joannẽ ardentem amore Christi & cordatum, aggredi non est ausus. De Ludovico conjuge S. Elisabethæ, Thuringiæ Landgravio scribitur in vita Elisabethæ eum cum manè aliquando prodiens, lineis tantum indutus, obvium haberet leonem, è cavea elapsum, pugno elevato viriliter increpuisse, adeoq; terruisse ut mox prostratus cauda ei blandiretur instar canis: qui tamen postea accensis facibus vix in caveam retractus fuit. Sanè si Ludovicus timidũ se monstrasset, non dubium, quin à leone invasus & laceratus fuisset. Tanti est, cordatum se præbere; neq; solum erga bestias, sed etiam erga dæmonem, ejusq; consiliarios; quod idem Ludovicus sequenti facto præstitit. Cùm enim aliquando de fenestra choreas spectaret, & videns in ea puellam pulchram, formam ejus laudaret; quidam aulicus spondet se eam adductūrum ipsi, quin & substratūrum. Quod audiens Ludovicus, vehementer iratus: *Obmutesce*, ait, *& nunquam deinceps talia meis auribus inferas; si velis mea gratia & amicitia frui.* Confusus ille obmutuit tremens. Combussit profectò os suum iste vespertilio. (Diese Fledermauß hat das Maul verbrent.) Sic sic igitur Aud. ferventer & animosè tentationibus obviate, *resistite diabolo, & fugiet à vobis* Jac. 4. Fecerunt hoc septem illi fratres Machabæi ab Antiocho jussi contra legem patriam porcinas carnes comedere. Primus dixit: *quid quæritis, & quid vultis? discedite à nobis parati sumus potius mori &c.* secundus ait: *non faciam &c.* Septimus isq; natu minimus *Quem sustinetis? non obedio mandato Regis &c.* 2. Mach 7. Fecerunt hoc illi sub umbra veteris legis, quid nos facere decet in luce Evangelii? Quare Aud, conemur esse veri Joannes; & qui adhuc tam sublimem gradum & propinquitatem Christi ascendere nequeunt, curent saltem propè accedere, non differendo ulterius pœnitentiam: conjugati servãdo exactè castitatem, saltem conjugalem, viduæ vidualem: omnes deniq; fortiter & animosè resistendo tentationibus ipsisq; tentatoribus.

THEMA IV.

Sitis ebriosorum poculo benedicto extinguitur.

Septem benedictiones vel maledictiones ebrietatis.
I. Benedictionem dant ebriis compotatores.
II. Hospes seu caupo.
III. Spectatores.
IV. Uxores.
V. Vinum ipsum.
VI. Magistratus.
VII. Deus vindex.

Domine quis est, qui tradet te? Joan. 21.

Ebrietas est traditor.

MAximo semper in odio apud homines fuere proditores; ii tamen multo maximè, qui proprios prodidere dominos. Hujusmodi proditor est vinum immediatè sumptum; quod non alium, sed sui ipsius potatorem prodit, & in manus hostium tradit. Multa hujus rei documenta sunt. Quid nisi ebrietas tradidit Holofernem in manus Judithæ. Judith. 13. Quid nisi vinum tradidit Balsasarem in manus Regis Persarum? Dan. 5. Simonem Machabæum. 1. Mach. ultimo? Sacæ bellicosi populi Cyrum Persarum Regem fortissimum, cum exercitu fugarunt; sed dum in ejus castris vino se ingurgitant, Cyrus reversus vinolentos opprimit & ad internecionem cædit; cujus rei memoriam annuo festo celebravit. Strabo lib. 11. Idem aliis integris exercitibus non semel contigit. Pessimus igitur proditor est ebrietas, & ipsi Judæ similis, qui proprium Dominum tradidit. Quid igitur faciemus huic traditori? Qua ratione, quibus modis sitim vini extinguemus? De S. Willebrordo Episcopo Trajectensi, scribit Albinus Flaccus in ejus vita apud Surium 6. Nov. virum quendam, Sancti contemprorem, divinitùs mulctatum siti continua, quam nulla vis Medicorum restringuere in eo poterat, ab ipso demum S. Episcopo sanatum esse, propinato calice benedicto. Bene est, solet hodie benedici vinum in honorem S. Joannis. Demus ergo sitibundis illis potatoribus benedictionis calicem, si fortè sit spes reducendi eos ad temperantiam. Erit autem benedictio, qualis subinde in sacris literis usurpatur sumpta pro maledictione.

I. Benedictionem ebriis dant compotatores.

I. Primam benedictionem dant ebriosis compotatores. Hi enim suis propinationibus, & ut vocant, benedictionibus stimulando potatorem, dant ei maledictionem pro benedictione, dum vino eum sopiunt ac sepeliunt, sicq; rationis usu & Dei gratia spoliant. Prædones dicendi potiùs, quàm amici vel socii, qui præstantissima duo bona, quæ habet homo à Deo & natura, ipsi specie amicitiæ subtrahunt. Quadrat in illos, quod Matth. 8. Dominus dixit: *dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Ubi terrarum hoc fit? in compotationibus, ubi ebriosi ebriosos poculis sepeliunt & obruunt vino: sicut mortui dum sepeliuntur obruuntur terra. Confitentur hoc ipsimet suo loquendi modo, quo se alios vino operire dicunt: (Wir wollen jhn zudecken) Cùm enim vident aliquem strenuè sine mora expedire pocula, omnes ei propinant, ut cito eum sepeliant: quo modo deposito in sepulchrum cadavere, omnes circumstantes terram injiciunt: ad extremum verò jam inebriato propinant benedictionem S. Joannis, quasi rem valde piam: sicuti cadaveri terra jam obruto affigi solet crux. Qua de re S. Aug. serm. 232. de temp. queritur dicens; *Illud verò quale est, quòd jam transacto convivio expleta siti, cùm amplius bibere nec possint nec debeant, tunc quasi novelli & qui ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum & reliquorum antiquorum Sanctorum: existimantes quòd maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes quod nullus tam gravem injuriam vel SS. Angelis vel SS. hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere.*

II. Secundam dat eis hospes seu caupo. Primo quia caro pretio vinum eis vendit. Secundò, quia sæpius cum ipsis haurit, non ex suis, sed potatorum loculis. Tertio, cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est pro optimo, & dilutum pro meraci, eodem pretio apponit. Quandoque etiam plus æquo in tabella scribit aut computat. Hoccine non est *beneditere* vinum ebrio? Ipsi potatores serò sapientes dicunt subinde: En quomodo hic caupo nobis *benedixixit vinum*. (Wie hat er vns den Wein gesegnet!) Sic *uno die bibunt multorum dierum labores*, ait S. Ambros. lib. de Eleëmosina & jejunio cap. 12. Sic contingit, quod Isaias cap. 28. de ipsis ait: *Absorpti sunt à vino.* Quomodo absorpti, qui vinum absorbuerunt? quia dum ipsi vinum sorbent, vinum interim eorum substantiam absorbet. Arotanus piscis quem gignit Arotan fluvius Zeilani ultro capi se permittit, sed damno capientis; nam mox febri eum corripit; nec desinit morbus, donec piscis dimittatur. Nic. Cor. in fin apud Claussin. in symb. l. 8. cap. 17. Ita quoque vinum facile se insinuat, & hauriri patitur: sed haurientem febri corripit, ut qui paulo ante calebat in bonis & bene suffultis vestibus, postea frigeat in tenuibus & laceris. Contigit id Galliæ Atheniensi Comico, ex thesauro invento, ditissimo; qui cùm opes suas vino absorbuisset; victus penuria laborans, coactus est mediis hiemis frigoribus penè nudus incedere. Unde dicterium in eum jactum: *Hic à vino deplumatus est*, Athenæus l. 12. c. 17. & alii.

Quid, quod etiam ebriosi subinde dum extra se sunt, deplumantur à furunculis & crumenicidis?

Certè

ertè Dionysius senior impunes voluit esse fures, ui compotatoribus vestes sublegerunt. Alex. ab Alex.lib.6.

III. Tertiam dant spectatores, dum vident eos tubantes ambulare per plateas vel succollari & bduci domum. Rident eos pueri, & in Italia luto ac ipidibus impetunt: Hispani à testimoniis ferendis eprobant, veluti perditæ fidei homines. Quid, uod Imperatores etiam, si hoc vitio laborent, con-itia plebis non evadunt? Phocas Imperator, cùm o die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo bibendo modum excessisset, à plebe per ignomi-am verbis illis notatus fuit: *Rursus è caneo bibisti, ursus mentem amisisti!* Glycas, 4.p. Annal. Byzant. enoni Orientis Imperatori, quod per ebrietatem ente sæpius abalienaretur, plebs exprobrabat illo ommate: *Zeno exurge iterum potasti?* Zonaras An-il.3. Imo nec ipse Noë, tantus Dei amicus, cùm per norantiam, vini potentia inebriatus fuisset, à de-sione immunis esse potuit, à proprio enim filio usus est, & quidem domi in tabernaculo suo. Ge-f.9. quid si in publico jacuisset ebrius? Permisit tem hanc ignominiam viro sancto Deus, ut fœ-m ebrietatis vitium detestemur, utpote multo-m dedecorum causam. Diximus etiam alibi, anto Christianorum probro Sinan Bassa superio-ibus annis captos è milite nostro non paucos Sul-no suo per ludibrium & ebrietatis opprobratio-m Constantinopoli cum vitris, aleis & chartis ob-lerit, ex Serario in capite 15 Judith. Et mirandum è est, quod cùm ebrietas tormentum quoddam miserabile aspectu, nullius tamen compassionem derisionem potiùs sortiatur. Causam esse reor, ia ut sanctus Basilius homilia in ebrietatem ait, *rietas est dæmon voluntarius.* Obsessis dum à dæ-one vexantur, jure condolemus, quia inviti & co-ti, ac quandoque sine culpa id patiuntur: at ebrii rietatis dæmonem ad suam torturam sponte ho-tio excipiunt. Quis talibus condoleat? quis non dat potiùs?

IV. Quartam dant communiter uxores ebrioso-m, quando mariti vino madidi deducuntur do-um. Contingit sæpe ut conjux virum à taberna convivio reducem exspectet usque ad multam ctem. Quas interim iras non coquet? quæ tela in um non parabit? Is ubi tandem redierit, quæ ful-na, quæ tonitrua non audit? Hæc uxoris benedi-o est. Talem ab uxore sua Abigail, & jure quidem cepit ille Nabal, non dum adhuc ebrietate torpe-sed ubi crapulam edormiit, & sensum recepit, dicavit enim ipsi quanto pridie in periculo fuis-quomodo David jam accinxisset se ad delendam is domum usque ad internecionem, ut ne cani idem parcere vellet. Vulneravit enim hæc narra-adeo cor ejus, ut *emortuum* sit *intrinsecus*, & ip-*factus* sit *quasi lapis*. 1. Regum 25 Qualis hæc be-dictio, quæ maritum vertit in lapidem? Cumque cem diebus hoc stupore laboraret, percussit il-a Dominus, nova maledictione, morte videlicet,

Funestior adhuc fuit maledictio, quàm dedit Zeno-ni Imp. uxor Ariadne. Is enim, quod ebrietati adeo deditus esset, ut plerumq; mente penitus alienare-tur, & nihil à mortuo differret, adeoq; ab uxore pro-pterea ferri non posset, aliquando mero plenus ve-lut moribundus jussu Ariadnes illatus est in sepul-chrum, ingenti lapide superimposito. Qui ubi dis-cussa ebrietate evigilavit, magnos edidit mugitus & clamores, audientibus custodibus, nemine tamen opem ferente, ex mandato Ariadnes; sicque miser interiit. Cedren. & Cuspin. in Zenone.

Trip. Dom. 29. post Pent. C.3. fin.

V. *Vinum ipsum.*

V. Quintam dat ipsum vinum, quod simul ac im-modicè potatum est, mulctat potatorem capitis do-lore, nausea, vomitu, tremore. quo modo in septen-trionalibus regionibus ponderosus malleus alvea-ribus impendens, industria venatorum, ursos ve-nientes & alveare diripientes tundit supra caput, quod valde debile habent. Quid enim aliud repen-dit vinum, dulce præsertim aut potens, suo potato-ri? Hinc sanctus Basilius homilia 1. de jejunio ait: *Famulus profugit ab hero verberante: tu vero non re-cedis à vino, quod quotidie contundit caput tuum.* Quid, quod ipsi amentes amentiam hanc deprehen-dant! Notum arbitror illud Petri Berenhauti, stulti faceti, qui Philippo Hassiæ Landgravio de capitis dolore ex hesterno mero conquerenti, præsentane-um se remedium communicare posse dixit. Data fandi copia: Hesternam hodiernâ pellito crapula, inquit. Tum princeps: At crastino die graviùs labo-rabo. Ingurgites ergo te denuo, ait. Quid perendie? Iterum. Quid postridie? Idem. Et quis tandem erit finis? Ad hoc stultus: *Vt tandem mei similis, stultus evadas.* Sic nimirum ebriosi vel à stultis erudiri & confundi queunt. Justo Dei judicio bona, quæ in commodum nostrum creavit, si eis abutamur, ver-tuntur nobis in pœnam & flagella, ut fiant nostri tortores. Hinc tempestates, quæ in frugum pro-ventum alioquin ordinatæ sunt, fiunt nobis carni-fices & vastatores, mactant agros & vineas: quia vi-no abutimur: sicque pro benedictione dant maledi-ctionem, pruinam, grandinem, frigora, inundatio-nes, ariditates.

VI. *Magistratus.*

VI. Sextam dant quandoque Magistratus punien-do nimios ebriosorum excessus, & jure quidem. Nam inprimis certum est, etiam jure Gentium dam-natam fuisse ebrietatem. Solon ejus delictum mor-te punivit. Pittacus delinquentem in ebrietate du-plici pœna affecit. Car. M. Imperat. ebriosum jussit submergi, ut quam vino in se accenderat sitim, aqua restingueret. *Quia*, inquit, *hic vini perditor meretur non vino, sed aqua sepeliri; ut qui vino se mersit, a-qua demersus sitim suam expleat.* Cornelius à Lap. in cap. 11. Num, Anno 1512. Colon. in Comitiis man-davit Imp. Maximilianus, ut ebriosi ab aulis dimit-tantur, officiis ac muneribus moveantur, dimissi ad famulatum non admittantur: inferioris vero sortis homines corporalibus pœnis subjiciantur. Cardin. Otto Episc. August. anno 1548. in synodo manda-vit, ut ejusmodi potatores *qui festos dies & noctes*

in tabernis exigunt,post factam confessionem S. communione priventur per triginta dies. Quod si emendare se nolint, juxta canonum decreta etiam morte mulctentur. Refert P. Adamus Conzen Polit. libro 6. capite 10. & libro 3. capite 14. plura mandata inhibitoria En quales & quam tremendæ ebriosis datæ benedictiones!

His accedunt Concionatores & Confessarii, qui & ipsi solent ac tenentur tonare & fulminare contra ebriosos. Quæ omnia si nihil proficiant;

VII. *Deus vindex.* VII. Postremam tandem dabit aliquando vindex Deus, nisi resipuerint, cùm in eos detonabit tremendo illo fulmine: *Ite maledicti in ignem æternum.* Verùm ebriosos etiam in hac vita sæpe vario & infælici exitu punitos fuisse, passim exempla docent. Illud hic memorabimus, quod Philisthæi homines ventri & vino dediti, ut indicat eorum etymon, (Philisthæi enim *potu cadentes* exponuntur) murium (qui non solum agros eorum & vineas demoliebantur, sed etiam in homines irruebant, ut vult S. Gregorius M. eo loco, Severus, Sulpitius, S. Antoninus & alii) infestatione puniti sint, dum arcam Domini detinerent. 1. Reg. 5. Eccur vero muribus? An quia mures parcissime bibunt & lambendo tantum? Certe Aristoteles libro S. animal c. 28. Mures in Africa, si bibant, emori scribit. Juste ergo immoderati bibones ab animalculis, modici potus amantibus, plexi & vexati sunt. Scribit & Naucierus vol. 2. Chronol. generat. 36. anno 1071. Vincentius Belluac. in spec. hist. l. 25 c. 117. Martinus in Chron. divitem quendam potatorem, dum in convivio indulgens genio, resupinata cervice sederet, repente à muribus circumvallatum, ut effugere non posset, eumque solum cæteris illæsis impetitum; qui cum a famulis in vicinum mare proveheretur, mures eum insecuti navem perrodere cœperunt; unde metu submersionis rursum in terram depositus, à muribus insequentibus invasus & devoratus est. Nimirum sicut bibaces Græci à Turcis, qui vinum non bibunt & vites exscindunt, victi, subacti & ejecti sunt: ita contigit illi misero; quo sciretur ebrietatem Deo exosam. Sed quis explicare queat, qualem benedictionem mures illi stygii daturi sint ebriosis? *Fel draconum vinum eorum*, inquit Moyses Deut. 32 *& venenum aspidum insanabile.* Multi à potione medica adeo abhorrent, ut mori potius, quam haurire velint: alii pleriq; magna cum nausea sumant; cum tamen ad sanitatem tendat. Quid erit haurire *venenū aspidum insanabile?*

Trip. Dom. 16. post Pent. C. 5. §. n. 3.

Hæc cogitent & recogitent potatores, has, inquā maledictiones; quæ si ipsorum sitim necdū restringuere valent, nil aliud expectent, quam sitim illius Epulonis in flammis gehennæ, tot jam sæculis toleratam, & deinceps tolerandam in æternum.

THEMA V.

Quomodo & nos in sinu Domini recumbere possimus.

I. *Si prævio conscientiæ examine cubitum eamus.*

II. *Si in adversis ad Deum confugiamus.*

III. *Si in S. Communione cum Domino suaviter con versemur.*

IV. *Si bene muniti sacramentis in Christo obdormimus.*

Recubuit in cœna super pectus ejus. Joan. 21.

BEne Christus Dominus in hesterno Evangel compáravit se gallinæ, congreganti pullos su sub alas. Videmus enim pullos sub alas gallina recipere, & subinde unum illorum in ipsum mat dorsum, dum alii sub ejus alis foventur, insilire, matrem id ægrè ferre. Hunc in modum Christu dum in ultima cœna discipulos suos fovet, pascit animat, ecce unus ex illis, Joannes, in ipsum Chri pectus recumbit, neq; Christus id inique tulit. F hoc Joanni non exiguum beneficium. Certè ipsi bi de hoc quasi gratulatur, dum sæpius id repet suo Evangelio, quasi certum indicium magnæ di ctionis Christi erga se. Ipsa etiam Ecclesia tota p pter hoc Joannem singulariter veneratur; unde nit in ejus officio: *Valde honorandus est B. Joann qui supra pectus Domini in cœna recubuit.* At jam cet aliquis: Cuperem & ego cum Joanne in si Christi jacere. Non adimitur tibi hæc facultas, offertur & quidem pluribus modis. Audi.

I. Recumbunt in sinu Christi primo. Qui post actam conscientiæ discussionem se commendat D per contritionem & orationem, antequam ea cubitum. Somnus frater mortis est; & multi e cubitum, qui mane non resurgunt: adhæc dæm suis illusionibus plus vexare homines de nocte misopitos & otiosos quam interdiu potest ac sol quare opus est, ut in Domino velut securo præsid recumbamus. Certe in munitionibus ducuntur nocturnas vigilias ingruentibus tenebris præsid rii milites, & disponuntur undique suis locis, co tra hostium insidias, tametsi nullus è vicino hos immineat: quia scilicet imperato aliquando ob præsidiarii ab hoste possunt, si non semper vigile Nobis omnibus insidiatur mors instar furis & m to magis dæmon. Ideo monet Dominus semper gilandum; & Apostolus ad Eph. 4. *Sol non occi super iracundiam vestram.* Par ratio de aliis gra bus peccatis. Ergo ut in tuto arcem cordis nostri, tellectum, voluntatem, memoriam: judicemus n metipsos, doleamus de peccatis, proponamus mendare nos, & confiteri peccata admissa, petam à Deo veniam, puniamus ea fletibus aut mortific tione aliqua, imploremus Dei opem, commend mus nos per eam noctem in Dei manus. Hoc bon rum Christianorum & Christi ovium est: oves en decubituræ, prius in genùa cadunt; equi & bov non item, sed in terram corruunt quemadmodu & illi, qui suæ salutis incurii corruunt in lectulu sine cruce, sine prece & omni cura animæ; quin

sæp

ſæpe ebrioſi vel iracundi. Sic Holofernes vino obrutus *cecidit in lectum*, ut ait textus Græcus; eaque nocte perdidit caput unaque ſalutem ſuam; quod haud ei non cōtigiſſet, ſi ſobrius cubitum iviſſet. Judith c. 13. Econtra ſicut princeps & cum ipſo cives ſuaviter ac ſecure dormiunt, bene conſtitutis excubitorum vigiliis: ita mens noſtra ſecurè dormit poſt prævium illud examen. Vidit hoc vel Ethnicus Seneca, qui lib. 3. de ira cap. 36. laudata illa quotidiana ..n diſcuſſione, addit: *Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur! quam tranquillus, altus ac liber! aut cum laudatus eſt animus aut admonitus &c.*

II. Qui in adverſis ad Deum confugiunt velut aſylum, eique omnia ſua committunt. Audierat Joannes Chriſtum prædicentem gravem tempeſtatem, ſe nimirum ab uno ſuorum commenſalium ..dendum in manus inimicorum. Aſpiciebant ergo ſe invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. ..ud Joannes in hac trepidatione? Fugit ad ſinum ..riſti, quod indicat ipſe, cum mox ſubdit: *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus.* Joannis 13. obſerva cauſalem. *Erat* nimirum ſicut pulli ad vocem gallinæ de præſentia milvi eos admonentis, mox ſub alas matris ..ecipiunt: ſic Joannes audito Domini clangore ..præſentia proditoris, ad Chriſti ſinum fugit. Un..n domo Caiphæ dicas eum cordate verſatum eſ.. nihil trepidantem: Petrum vero, quia ad hoc aſy..n non confugerat, ſed ſuis viribus præfiſus: *Do..e*, ait: *paratus ſum tecum in carcerem & in mortem*; timuiſſe ac negaviſſe. Verum quod tunc non .., poſtea fecit, Spiritu ſancto confirmatus, cum ..arcere vinctus inter milites, poſtero die ducen.., altum & quaſi in ſinu Jeſu recubans, ſecure ..mit, adeo ut Angelus percuſſo latere ejus, exci.. eum debuerit. Actorum 12. *Altè namque dormiebat*, ait in eum locum ſanctus Chryſoſtomus: ..do ſane Angelum non ſtatim pulſaſſe latus Pe.. ..ed initio urbanè & ſedata voce eum ſuſcitaſſe ..ndo: ſurge Petre; ſed cum nihil proficeret, in la.. ..demum percuſſiſſe. Signum vero eſt Petri, ta.. ..ſi mortis ſupplicio jam adjudicati, animum ab ..ni cura ſolutum in Chriſti providentia & tutela ..iter & ſecure recubuiſſe. Unde & mirabiliter ..Angelum ereptus eſt. Idem videre erat in S. E..rdo Angliæ Rege, magno S. Joannis amatore: ..um, cum Daniæ Rex bello eum petiturus nav..m ..enderet, in Dei ſinum ſe projecit, templum a..s, ut S. Miſſam audiret, die Pentec. Sub elevatio.. ..riſum ſolvitur. Cauſam rogatus ait ſe vidiſſe Danum Reg. dum è ſcapha in navim, cum claſ.. Angliam moturus inſcenderet, inter ſcapham ..vim delapſum in mare ac demerſum eſſe; ſibi ..nde & Angliæ à Dano deinceps non metuendū: ..5. Jan. Quid ni huc etiam referam B. Ægid. S. ..c. fratrem, qui cum aliquando valde eſuriret, ..uidquam ad edendum haberet, procubuit ſub arbore, ad ſomnum loco prandii capeſſendum, quaſi in ſinum Dei ſe projiciens. Dum evigilat, videt panē ſibi ad os appoſitum: haud dubie ab Angelo ſibi præparatum, ut in ejus vita 23. April. apud Sur.

III. Qui in S. communione cum Domino ſuaviter epulantur & converſantur. Sumpſerat Joannes paulo antè ſacrum Chriſti corpus. Eo ſuſcepto in ſinum Chriſti cadit, quaſi amore languens, & muſto Dom. ebrius, juxta id ſponſæ: *Introduxit me in cellā vinariam. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cantic. 2. Poſt menſam corporalem prodeſt aliqua quies, ut melior fiat concoctio: multo magis poſt menſam Euchariſticam prodeſt & requiritur animi recollectio cum gratiarum actione. Hinc etiam Elias poſt ſumptum panem ſubcinericiū (qui typus Euchariſt. erat) jubetur ire in ſolitudinē, ut ſecurus ibi degat à Jezabele & aliis ſuis inſidiatoribus 3. Reg. 19. Ergo niſi poſt Euchariſtiam ſumptam recipiamus nos in ſolitudinem cordis; nondū ſatis erimus ad evadendos hoſtes noſtros firmi ac muniti. Turpe foret magnum & dilectum hoſpitem amanter invitatum, poſt mēſam mox deſerere. Hoc egit ingratus Judas, qui poſt buccellam acceptam ſtatim abit, inſalutato hoſpite Chriſto, è tam pretioſa menſa; qui ſi manſiſſet & ſermonem Chriſti poſt menſam audiiſſet, forte non periiſſet. At vero hoc ipſum facere videntur, qui poſt communionem mox e templo diſcedunt, nulla prorſus facta gratiarum actione aut collectione.

III. Si in S. communione cum Domino ſuaviter converſemur.

IV. Qui omnibus ſacramentis bene & pie muniti ex hac vita diſcedūt. Audiit Joan. in illa cœna Chriſto mortem inſtare, diſcipulis pericula & fugam; audiit Chriſtum dicentem: *Qui non habet* (gladium,) *vendat tunicam ſuā, & emat gladium.* Luc. 22. propter inſtantē videl. perſecutionem in monte Oliveti, quæ tanta erat, ut ſecundum humanā prudentiam gladio potius opus foret, quam veſte. Jam vero quæ major tribulatio, quam inſtantis mortis? quæ ibi pericula? qui timores? quæ tormenta? Quid agendum tunc? *Ecce duo gladii hic*: projice te in ſinum Chriſti, per tempeſtivā confeſſionem & cōmunionē; Et cur Deus præcepit Judæis, ut migraturi in terram promiſſā, antequam ex Ægypto diſcederent, agnum paſchalē una cum lactucis agreſtibus, ſeu *amaris* (ut habetur in Hebræo) ederent, & quidem habitu peregrinorum, lumbis accinctis, ſtātes & tenentes baculos in manibus (ut nimirū eſſent expediti ad iter tam longinquū) niſi ut migraturi ex hac vita ad alteram, via multa mortis, ſibi providerent de pænitentia & ſacro viatico? Agnus Euch. lactucæ amare pænitentiam, feſtinatio indicat ſolicitudinem, qua tēpeſtive his ſubſidiis ſe armarent homines morituri. Scribit S. Chry. in l. de ſacerd. ſibi a fide digno viro narratū quod *qui de hac vita migraturi ſunt, ſi myſteriorum hujuſmodi cum pura conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus; propter aſſumptum illud ſacramentum, hinc recte in cœlum abducuntur.*

IV. Si bene muniti ſacramentis in Chriſto obdormiamus.

Verum verſutus dæmon Pharaonis inſtar multos im-

impedire ab hac salutari præparatione solet, dum nescio quas remoras injicit per amicos, ne advocētur sacerdotes, saltem in tempore. Cujus rei mirum exemplum scribit noster P. Georg. Stengelius in ovis paschalibus emblem. 74. his verbis: Novi ego familiariter: inquit, in Alsatia nobilissimi nominis & familiæ Dominum, cui mos erat meridiari, atque idcirco remotis secundis mensis, in tumultuario lecto accumbebat. Lectus erat humilis; stragulis russei coloris instratus. Pendebant circumsecus cortinæ holosericæ ejusdem coloris. Sed & mensa oblonga propter lectum stabat punico tapete tecta. Nec excedebat hic apparatus opes. Ex eadem illa arce, in qua habitaverat, novem in ambitu suo vicos seu pagos conspiciebat, tam vicinos, ut penè omnes tangere posset glande plumbea. Illi omnes pagi ad illius dominium pertinebant. Nihil præterea deerat quod posset à tal. viro optari, nisi quod ovum imo fragile vitrum fuerit. Nam ecce sive quia in pauperes ac religiosos beneficus, sive quia in Divos pius erat, bonus Genius hunc in vitro docuit, quam fragilis vita esset humana.

Cum se à meridie in torum reciperet, jubebat in mensa statui crystallinum calicem vino rubro punicantem, ut à somno siccior illico se posset haustu præsenti refrigerare. Hic mos illi erat quotidianus. Aliquando ig.tur integris sensibus & valetudine prorsus vegetæ accubuit. Ibi nescio quæ hominem subiit cogitatio de æternitate, quæ eum non sivit obdormiscere. Cum hac cogitatione dum luctatur, atque ante oculos positum vitreum scyphum animo nolente identidem contemplatur, scyphus repente nullo attingente, velut ictus, sonat, & spon:e sua medius dissiliit, vinumque in mensam effundit. Territus inexspectato spectaculo Dominus, tintinnabulo, quod ponè stabat, dat signum: adsunt famuli: quærunt quid velit: quibus trepida voce rem uti evenerat, recenset, additque ita vitam suam, quemadmodum vitrum, rumpendam animamq; vini instar, effundendam. Solantur illi; tristem cogitationem abjicere jubent, vitium in vitro fuisse, casu crepuisse, atque ut mentem illi alio evertant, scyphum removent ex oculis, aliumque illius loco substituunt, perinde Bacchi sanguine repletum, ut priorem, herumque se quieti reddere jubent, quo se in torum recipiente, abeunt.

Non abiit tamen cum illis tristis solicituao. Ecquis scit, ait, an non & mihi omni for:una pleno sic repente interitus immineat, uti huic v.tro de Burgundiaca uva pleno? Quid si Genius meus bonus, hoc mihi signum dedisset instantis mortis? Mul:is talia contigere, ut ante obitum m onerentur. Primus ego non sum. Quin ergo alienis sapio exemplis? Hæc fortè secum tacitus dum agitat, per mediam horæ partem, ecce tibi rursus etiam alterum hoc vi:rum cum sonitu claro sponte medium rumpitur, nemine lædente, atque purpureum vinum in mensam evomit. Major ergo quam prius hominem invadit co:sternatio Vocat famulos, vocat uxorem, mandatque ut actutum Bruntruto advocent animæ suæ medicum, nam de corpore actum esse, non secus, atque de vitro jam altero prodigiosè utique fracto; neque aliud indicante, quam vitæ su[…] fragilitatem ac interitum repentinum; ita en:m an[…] mam suam effundendam, uti vinum: neque tam v[…] trum, quam Parcæ stamen ictum, sonitu illo morte[…] ad fores suas pulsavisse. Ne igitur in extremis versa[…] tem destituant auxiliis spiritualibus, quando corpo[…] deinceps subsidia desint, etiam atque etiam rogat: H[…] tali sermone uxor magis, quam ipso vitri prodigio p[…] culsa, cum diu laborasset, in persuadendo marito[…] somniis crederet, aut tristitiæ delirantis vanitati, t[…] dem appromisit, se Patrem Societatis consuetum a[…] vocari curaturam.

Interim ut sedaretur mentis tumultus in mar[…], tertium jubet scyphum reponi, priusque bene insp[…] ne fractus, ut vestigium habens læsionis reponere[…]. Ita maritus se denuo ad soporem componit; uxor q[…] inanem viri arbitrata est esse imaginationem, mi[…] re pro Confessario omittit. At non ita dominus, [..] singula peccata in digitos digerit, & totus in co[…], quemadmodum non somnum capere, sed mortem [..] ire velit. Hæc dum agit (quis digitum Dei non agnoscat?) rumpitur tertium quoque vitrum, & vin[…] per mensam dispergit. Tum demum nihil amplius [..] bitare dominus, tum per superos attestari voca[…] conjugem & servos, ut Confessarium quantocyus [..] cersant; modicum sibi temporis superesse, quo salu[…] prospiciat, illud se negligere nolle: sed obsequi cu[…] Angelo monitori, itaque festinent, volent; nam f[…] nare etiam in vitæ, quod reliquum superesset. Om[…] mundus facilius credit; quam sua pericula. Q[…] tum quoque insan:re dominum, familia magis q[…] non sano corpore esse credidit. Ita dies à prandio u[…] in serum vesperum iit; nec quisquam missus est, [..] Confessarium Bruntruto advocaret. Crepusculum [..] ei, fuit & crepusculum vitæ. Nam ad primam fa[…] mirificè cæpit pallere, segnius & vena micabat, a[…] res in momenta singula deficiebant. Ergo tum den[…] uxor mittit equos expeditos, & quanta possit con[…] tione jubet famulum celerare. O quam occulta [..] judicia Dei! Itinere alioquin non admodum long[…] intra montes plerumque continuato, neque error[…] exposito pergit incitatissimis equis famulus, & in [..] d.ca silvula, quæ interjacet, tota nocte vagatur. [..] interea media jam nocte herus funus fuit. Itaque [..] adductus Confessarius mortuum invenit, satis ta[…] occupationis reperit, circa vivos consolandos, qu[…] dicebant negligentia, aut incredulitate potiùs he[…] sine divinis sacramentis è vita discessisse. Quo au[…] discessit? Ah! Deus novit. De salute illius nolim [..] sperare. Spes tamen utique robustior esset, si sicut [..] ita & familia illius, eandem & vitri & homin[…] gnovissent fragilitatem.

Omnes nos talia vitra sumus, sive juvenes, [..] senes, nec scitur, quinam priùs per mortem con[…] gendi sint. Intra in officinam vitriarii & interr[…] illum, quænam vitra priùs existimet frangenda, [..] tiquiora ne an recentiora? Respondebit illico, ca[…] prius in terram ceciderint: sive ea antiqua, [..] recentia sint; quia omnia æquè fragilia. Sic se[…] ha[…]

habet nobiscum. Eccur ergo non unusquisque sibi tempestive providet? De corpore curando admodum soliciti sumus, in medico omnis spes: de anima sero & vix curamus: Confessarius postremus est, qui vocatur. Non sic B. Stephanus, qui moriens de anima sua solicitus. *Domine*, inquit, *suscipe spiritum meum*. Non sic Joannes, qui vivens adhuc in sepulchrum, prius solidissimè munitus & amore ac desiderio Christi videndi inflammatus, cum verba illa effatus esset: *Et tu mecum esto Iesu Christe*, se demisit, moxq; ingenti splendore circumfusus, spiritum suo reddidit Creatori. Hos sequamur Auditores, ita enim fiet, ut in sinu Domini una Joanne fæliciter recumbemus, sicq; cum Psalmista dicere possimus: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*, Ps. 4.

IN FESTO SS. INNOCENTUM.

THEMATA.

. *Iusti & innocentes cur sæpe tribulentur.*
I. *Cur etiam mali sæpe tribulentur in hoc sæculo.*
II, *Quatuor Dracones insatiabiles: Ira, luxuria, gula, avaritia.*

THEMA I.

Justi & innocentes cur hic sæpe tribulentur.

Vt probetur eorum virtus.
. *Vt à peccatis emundentur.*
I. *Vt exerceantur & solidentur in virtutibus.*
. *Vt in officio contineantur & arceantur à peccatis.*
. *Vt digni fiant cœlesti gloria.*
I. *Vt sint aliis in exemplum patientia.*

ittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. Matth 2.

QUid est Audit. quod Ecclesia hoc Innocentum Festum modò violaceo & lugubri vestitu, modò rubro & hilari celebrare solet? Modò omittit in ejus missa cantica lætitiæ, modò ea resumit? i enim incidat in Dominicam, celebrat cum gaudio; in alium diem, celebrat cum luctu. Nimirum dulex est judicium de cæde horum infantium, unum ujus mundi & matrum istorum infantium: alterũ ero Dei. Mundus illorum cædem censet lachrymis eplorandam, velut Innocentum; & sic deplorant os matres. Deus autem gaudio potiùs afferit proequendos, velut martyres cælo natos. Utrumq; inlicavit Jer. c. 31. de hoc prophetans. Inducit n. Rachelem velut matrem communem omnium horum inantum, eorum cædes deplorantem: *Vox in Rama udita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos*, ut refert Matth. Verum audite vocem Dei: *Hæc dicit Dominus* (addit Jer.) *Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. & revertentur de terra inimici Et est spes novissimis tuis, ait Dominus; & revertentur filii ad terminos suos*. quasi diceret; ne fleas, ô Rachel, ego dabo mercedem filiis tuis & vitam æternam, sumamq; eos in cælum. Hoc ergo gaudium infantum repræsentatur die Dominica: sicut fletus matrum repræsentatur feriali. Ex quo habemus non tam dolendum esse, quando patiuntur innocentes; quam gaudendum. Rectè igitur Deus sinit sæpe pati etiam innocentes. Causas hic videamus.

I. Ut probetur eorum virtus, solidane sit nec ne. Sæpe justos nos reputamus, cùm non simus: sicut sæpe existimatur esse verum aurum, quod est fictum & alchymicum Ignis id probat & discernit. Quod est ignis auro, hoc est justo tribulatio. Unde Mal. 3. dic. *Deus quasi ignis conflans, & quasi herba fullonũ, & sedebit conflans & emundans argentum: & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Aurum in igne nihil deperdit, nec evaporat, sed persistit & purificatur: metalla alia in fumum abeunt: sic justi in tribulationibus non evanescunt nec dejiciuntur: reprobi evaporant, indignantur, lamentantur, murmurant, blasphemant, desperant. Ignis fornacis Chaldaicæ corripuit ac devoravit viros qui tres SS. juvenes in eum immiserunt: juvenes ipsi nihil ab igne læsi sunt, sed ambularunt in eo cantãtes & Deum benedicentes. Dan. 3. Legitur in Actis SS. Cypr. & Just. mar. 27. Sept. Sanctos illos in sartaginem pice & bitumine accensam projectos, nihil prorsus damni sensisse. Id videns quidam Gentilis, Athanasius nomine, idem tentare volens, invocato Jove & Æsculapio in sartaginem insiliit, ed momẽto à voraci igne consumptus, stultitiæ suæ pœnas dedit. Videtur in eclypsi pati aliquid Sol, verum nihil prorsus patitur; sed objectu Lunæ solum aspectui nostro subducitur; sic justi in tribulationibus putantur malè habere cum potius bene habeant.

I. *Vt probetur eorum virtus.*

Debent ergo tribulari etiam justi, ut eorum virtus probetur, qualis & quanta sit; tum ut innotescãt aliis, tum etiam ut sibi ipsi. Jonas justus erat; defectui tamen obnoxius, quem ipse in se non noverat. Zelum habebat, sed non rationabilẽ, dum optabat puniri Niniven juxta prædictionem suam, ne vanus Propheta haberetur. Quod cum minime fieri sed parci videret civitati: indignatus est quasi zelo justi-

tiæ. Sed quid actum? Egressus civitate cùm in Sole æstuaret, præparavit ei Deus hederam, ut sub umbra ejus quiesceret. Manè paravit vermem, qui hederam eroderet; unde iterum Sol percutere cœpit Jonam. Qua ex re ille adeo afflictus & iratus est, ut mortem sibi imprecaretur. Tunc ostendit ei Deus ipsius infirmitatem; qui bene quidem se haberet, dū esset sub umbraculo: at eo sublato mox æstuare, cōqueri, desperare, mortem sibi precari inciperet. Tales fere pleriq; sumus. Justos & innocentes nos reputamus, & facimus officium nostrum, quamdiu bene habemus, & à Deo protegimur: at cùm aliquādo subtrahit beneficia sua, tum incipimus cum Jona lamentari, irasci & mortem nobis optare.

II. *Vt à peccatis emundentur.*

II Ut a peccatis emundentur. Rarissimi sunt justi, qui non interdum cadunt, & prorsus innocentes sunt: pene omnibus aliquid levioris labis adhæret. Ergo ab his purgantur per limam tribulationis. Sic Malachias, ut jam audivimus, dixit; *Purgabit filios Levi*. Levi Hebr. *assumptum* significat; talis autem est justus, juxta id Matth. 24. *Vnus assumetur, & unus relinquetur*. Sic purgatur à minutis peccatis Patriarcha Jacob, d m tanto tempore permittitur lugere filium suum Joseph, nec audit quidquam de eo. Sic ipse Joseph, dum biennio in carcere detinetur, uti notat S. August. serm. 82. de temp. Hinc Joan. 15. ait Dominus: *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum* (Pater meus) *ut fructum plus afferat*. Purgavit a luxuria frondium & vermibus, qui copiosiorem fructum impediunt. Nemo facile est, qui non in vanitates aliquas luxuriet & vermiculos suos habeat. Ergo falx tribulationis amputabit eos. Audiamus S Gregorium libro 7. ep. 32. *Palmes fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attrita, aristis & paleis nudantur, sic olivæ prælo pressæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus, in vinum liquescunt*. Plutarchus Sympos. 4. q. 3. aquas, quæ fulminibus commixtæ terram petunt, omnium optimas esse ad arbores irrigandas asserit. Tempestas & fulmina quid nisi tribulationes sunt? His optime irrigatur arbor cordis justorum, ut fructum plus afferat. Hinc S. Joannes Anachoreta uni de fratribus tertiana febri laboranti, rogantiq; ut ab eo curaretur, respondit: *Rem tibi necessariam cupis abjicere. Vt enim corpora nitro vel aliis hujusmodi lenimentis abluuntur à sordibus: ita animæ languoribus aliisq. hujusmodi castigationibus purificantur*. Ita Ruffinus in Vitis PP. S. Lydvvina Schiedamensis virgo à teneris pia, & virginitatis suæ tenacissima, cùm a puellis aliis invitata esset ad spectandas compares, in glacie labentes, ab una in se cum impetu delata in terram prostrata, costam fregit, ut ita levis ejus curiositas à Deo castigaretur. Sed fælici prorsus casu; nam curari cum non posset, sed indies pluribus aliis morbis corriperetur, teneretur q; ad 33. annos, beneficio hujus tribulationis ad magnam sanctitatem provecta est; ut in ejus vita 14. Apr.

Denique quia electi etiam sæpe graviter labu tur, corripi flagellis debent in hoc sæculo, quod magnum Dei beneficium, ut testatur liber. Mach c. 6. *Non sicut in aliis nationibus Dominus patien exspectat, ut eas cum judicii dies advenerit, in plen tudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit*, quis nostrum audet innocētem se pronunciare? T mendum ne contingeret nobis, quod cuidam con gisse fert Apologus, qui ab omni defectu se immu nem contendebat, & ubi in eum inquisitum est: r pertus est obnoxius non uni sed pluribus. Cond xerat quidam portorium ad amnem, qua pons tra situm præbebat, hac conditione, ut singuli pro si gulis corporis vitiis persolverent nummum. Adv nit quidam scabiosus & ab illo petitur portoriu nummi unius, ut erat constitutum; qui cum recus ret pendere, occurrit portitor, & pignoris loco d trahit illi pileum, atq; ibi apparet in calvitie alteru vitium, Alopeciæ. Ergo duos, inquit, jam numm solves. Minimè, inquit viator, & luctari incipit: dun que à valentiore in terram datur, conspicitur herni Tres, inquit portitor, jam nummos peto, quos ill qui unum initio noluerat, tum numerare coactu est. Gilb. Cognatus lib. 1. Narrat. Sic multoties, qu nulli se vitio obnoxios putant, pluribus deprehen duntur infecti. Et quid mirum, si ab illis Deus peta nummum suum, & castiget eos?

III. Ut exerceantur, & in virtutibus solidentur atque ad excellentiores disponantur. Infantes lact pascuntur, at ubi infantiam excesserint, durioribu cibis assuefiunt, ut labores sustinere queant. Senec libro de providentia capite secundo ait: *Non vide quanto a iter patres, aliter matres indulgeant: illi excitari jubent liberos ad studia obeunda maturè feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis & interdum lachrymas excutiunt: at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt: nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum & illos fortiter amat & operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur &c.* Et post: *Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis: ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant &c. Quid mirum si dure generosos spiritus Deus tentat?* Et ibid. *Languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed mole & ipso sui onere deficiunt*. Scimus pisces optimos & saluberrimos præfrigidis & scopulosis aquis gaudere: insalubres vero alia stagnantibus, turbidis ac putridis. Paludes quid nisi vermes & ranas gignunt? Existimabat Pharao Hebræos otio diffluere, & inde inutiles cogitationes mente agitare, ut nimirum exeant in desertum & sacrificent Deo. Idcirco oppressit eos laboribus plusquam prius dicens *Vacatis otio* (Hebr. *otiosi vos otiosi*, hoc est, otiosissimi & pigerrimi) *& idcirco dicitis: Eamus & sacrificemus Domino*. Exodi 5. Videt Deus otium etiam in justis gignere plura vitia, idcirco premit eos laboribus &

per-

persecutionibus; atque hoc agit paternè, quod Pharao egit tyrannicè.

IV Ut in officio contineantur, & à peccandi licentia coerceantur. Quærit Origenes hom. 27. in Num. cur Hebræi peregrinantes in deserto per varias mansiones venerint de Lebna in Ressa. Lebna *dealbationem* significat, Ressa autem *visibilem seu laudabilem tentationem*. Cur ergo dealbati, hoc est, justi & perfecti viri veniunt in visibiles sæpe & laudabiles tẽtationes? *Quid est hoc*, inquit, *quod quamvis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Quia* (respondet) *velut custodia quædam & munimen ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro si sale non aspergatur, quãvis magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima, nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuo resolvitur ac relaxatur. Unde constat propter hoc dictum esse, quod omne sacrificium sale salietur; inde denique est, quod & Paulus dicebat: Et ex sublimitate revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Exemplum habemus, in S. Job, qui utique dealbatus, innocens & rectus fuit, Domino teste. Et tamen ipse miratur constrictionem & quasi incarcerationem suam cap. 7 dicens. *Nunquid mare ego sum aut cete, quia circumdedisti me carcere* ærumnarum scilicet. Sed ne mirare Job. Cùm enim esses magnus inter Orientales, divitiis, honoribus, liberis, amicis omnique suppellectile florens timendum erat, ne velut mare terminos egredereris, aut velut cete corrumperis, ideo carcere & littore, ideo sale indigebas tribulationum & plagarum, quibus condireris. Sal hic servabit te, uti bene expressit Deus, cùm Satanæ potestatem in te dedit: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva*. Job 2. Vide jam Jobum in sterquilinio inter vermes & ulcera; & vide Adamũ in paradiso inter opes & delitias. Tentatur ab uxore Adam, tentatur ab uxore & Job? *Benedic Deo & morere*. Verùm Adam succumbit & vincitur: Job vincit & triumphat: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*. Quæ causa discriminis? nimirum quia Adam in paradiso delitiarum, Job in sterquilinio calamitatum sedit. Unde S. Augustinus in Ps. 93. ait: *Iob melior fuit in stercore victor, quam Adam victus in paradiso*.

V. Ut digni fiant cœlesti gloria. Tam ardua est majestas, tam pura atque honesta suavitas, tam secura atque invariata æternitas gloriæ illius, ut non per delitias, sed per labores & liberrimam agendi patiendique voluntatem eo tendere oporteat. Viles reputantur merces, quæ magno non emuntur, gemmæ & aurum parùm valerent, si passim sine multo labore reperirentur. Hinc dicitur: *difficilia quæ pulchra* Terra promissionis lacte & melle manans, adiri non debebat, nisi per mare rubrum, per multas asperrimarum viarum ambages & varia prælia. Unde Origenes homilia 37. in Numerum ait: *Non est possibile venire ad terram promissionis, nisi per amaritudines transeamus*. Ad Persarum Regem nemini accessus patebat, nisi priùs quis oscularetur virgam ejus. Esther quinto. Cassianus libro 4. de Institutis renunciant. cap. 3. scribit eos, qui olim ad Cœnobii disciplinam recipi cupiebant, non priùs admissos fuisse, quam decem aut pluribus diebus ad fores monasterii excubantes, patientiæ, humilitatis & perseverantiæ specimen dedissent, ubi ad omnium genua se provolverent, probris & injuriis onerarentur. Qui hæc non tolerabat, audiebat: *Abi unde venisti*. Quæ comparatio vitæ cænobiticæ cũ vita beatifica? Quid mirum ergo, si qui ad hanc aspirant, priùs variè probari, vexari & tribulari debeant, ut cœlo digni fiant? Quin etiam ad hujus sæculi honores non patebat aditus Candidatis, nisi prius diu multumque purpuratorum prehensarent togas oscularentur eorum manus, stiparent latera, sequerentur vestigia, &c. Strenuus miles pro gratia & honore interpretatur, cùm à Duce suo mittitur ad periculosam expeditionem, v.g. ut hostem primus aggrediatur, primam in urbem irruptionem faciat quia videt se ad gloriam & spem optimæ prædæ vocari (uti etiam ostendit Seneca de provid. citatus) ita pariter *omne gaudium existimate fratres*, inquit S. Jacobus c. 1. *cum in varias tentationes incideritis*. Parum fuit Davidi & ludus parvulorum tantùm, quod ab eo peteret Saul centum præputia Philisthinorum pro filia sua Michol; abiit enim & percussit non centum, sed ducentos Philisthæos, eorumque præputia annumeravit Regi. 1 Regum 18. Nec dubium videtur, quin & ipse in pugna plagas aliquot acceperit; eas tamen non curabat. Dicebat enim: *Nam parum vobis videtur generum me esse Regis?* At quid filia Regis respectu gloriæ cœlestis? An non cum Davide cuicunq; mortis & pœnarum discrimini exponere nos debemus, ut regni non terrestris sed cælestis hæredes esse possimus?

VI. Denique *ut etiam alios pati doceant, nati sunt in exemplar*, inquit in simili Seneca libro de providentia c. 6. Hinc de causa afflictus fuit cæcitate Tobias, *ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & S. Iob*, ut dicitur Tob. 2. Præclarissimum vero exemplum sunt hi innocentes, qui nec potuerunt quidem delinquere; ideoque ad hoc solum, videntur ad macellum dati, ut alios pati doceant. Inprimis vero ipse Christus Dominus, qui in sua infantia jam sentit persecutorem, & fugere in Ægyptum, via tam longa & aspera compellitur. Bene ergo potuit dicere per Isaiam cap. 8. de se & de Innocentibus: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel*. In exemplum videl. & spectaculũ, ut ab innocentib. discant pati non modo nocentes sed etiã innocentes. Quis n. jam conqueri audeat, se indigna aut intoleranda pati, cùm cernit Ducem suum una cum Ephebis ejus præcedere & ferre cruces suas, tã graves & ponderosas? illũ quidem post dirissima supplicia in crucẽ agi, hoc vero à Tyranni militibus raptari, medios secari, ad terram & parietes allidi, pedibus conculcari? S. Petrus è Dominicana familia Martyr, quam aliquando ex

VI. *Ut sint aliis in exemplũ patientiæ.*

 falsa

falsa suspicione accusatus pœnas superioribus quasi reus dare cogeretur, ad Christi crucifixi effigiem cæpit amicè, quasi filius coram patre, conqueri ac dicere: *Ecce Domine quid feci: an nescis me innocentem? & cur tamdiu hac infamia notor?* Cui Dominus: *Et ego Petre, quid feci, ut in hanc crucem agerer? Ergo vel exemplo meo tuas ærumnas pati disce.* Ad hæc vir sanctus partim solatio, partim rubore suffusus, hanc ærumnam suam cælestem credidit esse favorem, adeoq; pluribus & majoribus onerari flagitavit, quo Christo crucifixo, omnis innocentiæ speculo, similior evaderet. Ribadeneira in vita ejus 29. April. Ergo & vos Audit. discite ex hoc speculo etiam innocenter pati, & hoc ipso magis gaudere, quod hac ratione non latronibus cum Christo crucifixis & scelerum pœnas dantibus, sed ipsi Christo innocentissimo similiores sitis.

THEMA II.

Cur etiam mali tribulentur sæpe in hoc sæculo.

I. *Vt è somno peccatorum evigilent.*
II. *Vt liberentur à pœnis, peccatis suis debitis.*
III. *Vt humilientur & compescantur.*
IV. *Vt per eorum flagella alii emendentur.*
V. *Vt subinde puniantur etiam in hoc sæculo.*

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. Matth. 2.

Etiam reprobi sæpe hic flagellantur.

MIrum! Audit. Gladius Herodis non tantũ devoravit filios alienos, quos stulte metuebat insidiatores regni, sed etiam proprium filiũ, Antipatrum videlicet, quod ipse revera ejus regno fuerit insidiatus; quem proinde quinto ante mortem suam die jussit interfici, auctore Josepho libro 17. Antiq. capite 20. & 21. Quod sane miratum Augustum Imp. scribit Macrobius libro 2. Saturn. capite 10. dixisseque, *malle se Herodis porcum esse quam filium*, siquidem Judæi porcos non mactant. Mirari etiam nos possumus, quare Deus in hoc sæculo puniat sæpenumero non modo pios & bonos, verum etiam impios: non solos innocentes filios, sed nocentem etiam Antipatrum. Quod enim boni hic patiantur, quid mirum? de mundo hoc non sunt, & cælum laboribus emere debent. At quod etiam reprobos sæpe cernimus affligi variis adversitatibus, id videtur mirum. Sunt enim cives mundi hujus, & cum in cælo nihil quærant, saltem hic videntur non solum à flagellis eximendi, sed præterea etiam hujus vitæ bonis omnibus cumulandi. Ad quid igitur eis flagra? Audiamus.

I.
Vt è somno peccatorũ evigilent.

I. Ut è somno peccatorum evigilent & aperiant oculos. Culpa mentis oculos excæcat, teste Sapiente Sap. 2. *Excæcavit eos malitia eorum.* Impiorum oculos culpa claudit, sed ad extremum pœna ap-
rit. Nescit enim impius mala, quæ fecerit, nisi cu
pro eisdem malis cæpit puniri; unde etiam per Pr
phetam Isaiam c. 28, dicitur: *Tantummodo sola vex*
tio intellectum dabit. De Constantino Paleologo
Imperatore Constantinopolitano refert Egnati
in ejus vita, quod cum ægrotus nullis Medicor
auxiliis convalescere posset, & integrum ferme a
num in lecto decumberet, magno Reipublicæ
commodo, à persona quapiam prudente ac per
didicerit Imperatrix, uxor ejus non posse conva
scere virum, nisi acribus & importunis moles
continuo Imperator vexaretur; eo vero modo di
psuros humores, unde manabat ægritudo; nam
cundum artem medicinæ, divexationibus nonn
humores noxii consumuntur. Admisso igitur con
lio Imperatrix cæpit Paleologum virum nimis
vexare, vix ulla re obsequens illi, sed molestia sa
illum afficiens; qua ille affectus vehementer, ita h
mores pravos consumpsit, & expulit, calore na
rali inde aucto, ut ita convaluerit Imperator, &
ginti, quibus postea vixit, annis incolumis extite
semper. Mirum sane hoc curationis genus! quod c
te aliud non est in ægritudine animi, quam vexati
quæ aperuit oculos etiam Arcadio Imper. conju
& malevolorum fraude cæcatos; adeo, ut sanctu
Chrysostomum relegarit in exilium. Eo namque
jecto, horribili terræ motu civitas Constantinop
lis concussa, Imperatoris ipsius ædibus subversio
minari videbatur. Inde commotus Imperator, &
facinus imprudenter admissum ingemiscens, seq
ac suos summæ injustitiæ condemnans, misso co
festim Brisone, Eudoxiæ ministro, Joannem rev
cavit, & amplificatis honoribus invitum in sede
restituit. Ut in ejus vita Lipel. 14. Septembris. H
igitur est, quod ait Esaias de infirmitate anim
quæ non nisi vexatione in impiis sanatur, uti pa
in filio prodigo, & in Rege Manasse, qui ad sun
mam perversitatem prolapsus non nisi captivita
& ponderosis vinculis tandem curatus est. 2. Para
35. Victoribus in quadrigarum certamine olim d
batur absynthium *velut sanitas præmio*, ut ait Pl
nius libro 27. cap. 7. Sed quæ sanitas ab absynthi
Arethas in cap. 8. Apocalyp. ait absynthio illum
nari oculos & visum acui. Amara est tribulatio, fa
teor, absynthium est; sed tamen illuminat ocul
peccato cæcatos. Præmium igitur reputent imp
se accepisse licet immeritos, cùm tribulationem ac
cipiunt; quia absynthium est salutiferum; quale et
iam acceperunt Judæi pervicaces, abducti in capti
vitatem, qui Threnorum tertio dicunt: *Replevit m*
amaritudinibus: inebriavit me absynthio. Quand
quis lethargo decumbit, mandat Medicus mi
nistris, ut infirmum excitent subinde, cum altun
indormire pergit; ne profundo somno obrutus
prorsus intereat. Videt DEUS peccatores profundo vitiorum somno plane demersos, nec facile evigilaturos, nisi concutiantur & tundantur.

Ita-

Itaque immittit eis tribulationes,quibus vexentur, ut vel ſic evigilent. Durum eſt hoc ipſis,quemadmodum & lethargicis,ſi à ſomno excitentur: ſaluberrimum tamen,ac plane neceſſarium; cùm vix aliter ſanentur. Ciceronem à ſicariis quæſitum ad necem, dum in villa Cajetana dormiret,excitarunt corvi,ſtragulum à capite abſtrahendo, ac laciniam togæ eouſque morſu tenendo, donec ſervus id obſervans, militem ad occidendum eum veniſſe nunciaret,ſicq; ipſe ſibi fuga conſuleret. Val. Max.lib.1. c.4. Plut. & Appian. apud Aldrov lib.12 Ornithol. Dormit peccator,dum in voluptatibus ſuis periculosè conquieſcit:à tergo ſunt ſicarii Dæmones, qui animam ejus quærunt.Quid igitur Deus? Immittit ei corvos variarum adverſitatum, qui morſibus eũ impetant-paupertatem,morbum,adverſarium, qui bonis eum ſpoliet;ut vel ſic à ſomno excitet, & fugere compellat, vitamq; ei ſervet. Quis non aget gratias his corvis?imo, Deo qui eos miſit?

I. Ut liberentur etiam à pœnis, peccatis ſuis debitis,quas exſolvant in hac vita,ne cogantur ſolvere in altera. Cum quis humoribus malis & diſtillatione capitis abundat, ſolet Medicus in brachio ejus facere cauterium; quod quidem vulnus quoddam eſt,& parit,non ſolum cum aperitur,ſed etiam reliquo tempore,dolorem ſimul & faſtidium;interim tamen evacuat noxios humores & conſervat vitam,adeoq; minore damno majus avertit. Hujuſmodi eſt tribulatio, quæ vulnus quoddam temporale infligit,ut exhauriat pœnas peccatis debitas & quidem graviſſimas, ſeu inferni ſeu purgatorii: ſaluberrimum proinde cauterium, factum peccatoribus à pientiſſimo Medico, ſumma gratitudine ab ejus manu acceptandum. Audiamus Auguſtinũ in Pſ. 63. *Sine curari*, inquit, *novit Deus quid agat, qui vulnus novit. Non ſecatur alius; quod ſi deſperatur? Quid ſi propterea tu ſecaris quia non deſperaris? Patere ergo, quod pateris, recto corde: novit Deus quid tibi donet, quid tibi ſubtrahat.* In mediis æſtatis caloribus ſolet findi terra, & quaſi vulnerari; at ſi torida nubes pluviam ei infundat, mox conſolidatur,ut ne cicatrices quidem vulnerum ſeu rimarum appareant.Pari modo vulnera, quæ infliguntur animæ a peccatis,& hiabant in æſtu concupiſcentiæ, ſanantur imbre tribulationis & conſolidantur,quaſi non fuiſſent.Quare in tali caſu tribulatio pro magna Dei miſericordia acceptari debet,quæ propterea ab Eccleſiaſtico cap 35.appellatur *ſpecioſa*; quia curat & obducit cicatrices vulnerum: *ſpecioſa miſericordia Dei*, inquit, *in tempore tribulationis; quaſi nubes pluvia in tempore ſiccitatis.* Sic etiam definivit Concilium Tridentinum ſeſſ.14.c.9.non modo non ſatisfacere pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, ſed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis,& à nobis patienter toleratis.Quiſq; igitur læto animo hujus mundi tribulationes velut pluviam accipiat & cum Davide dicat: *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* Pſ. 115.

III. III. Ut humilientur & compeſcantur à ferocia & nimia peccandi libidine,adeoq; ex lupis oves fiant. Leo ſævum & indocile animal, difficile cicuratur: at igne edomatur & in caveam ac retia compingitur,quin & jugum ferre docetur. Plinius lib.8.c.16. Idem indomito peccatori præſtat tribulatio, proſternit eum ad pedes Domini, & jugum ejus ſubire docet;teſte Jeremia Thren.1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me; expandit rete pedibus meis, convertit me retrorſum.* Fuit hujuſmodi leo & heluo ſubſtantiæ ſuæ prodigus ille filius, qui *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Luc. 15.ſed en tibi ignem: *Facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.* Ecce *fames devorat, quem ſaturitas exulabat*, ait S.Chryſologus ſer.2.Unde bene dicere poterat, quod Iſraelitæ in captivitate dixerunt: *Caſtigaſti me Domine & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus.* Jerem.31 quaſi diceret:vitulus fui indomitus,vagus & errabundus:fuſtibus ergo & verberibus tuis reductus ſum ad ſtabulum & ſubeundum jugum. Fuit ſanè talis aliquando Jonas,qui jugo mandati divini excuſſo, fugit à facie Domini. Ergo in mare dejicitur,&devorandus piſci traditur, à quo in littus evomitus, iterum in Niniven ad priorem expeditionem mittitur. Miraberis fortaſſe, cur negotium tanti momenti,quod adeo Deo cordi erat,committatur ſervo fugitivo. Verum Jonas ſic caſtigatus,jam alius à ſe factus erat, & ſervus fideliſſimus atq; obedientiſſimus. Tantum valuit tribulatio. Fuit etiam,ſi quis alius,indomitus hujuſmodi vitulus Rex Abenner, qui, ut Joſaphatum filium à Chriſtiana religione averteret,nihil non tentavit; nam & omnem ei aditum piorum virorum interclusit, & triſtium rerum aſpectum removit,& Chriſtianos perſecutus eſt ac Monachos exuſſit; tandem ubi nil profecit, regnum cum filio diviſit. Quo facto ubi res filii proſperari,ſuas verò peſſundari & planè velut fumum evaneſcere vidit; tum demum manus dedit,&poſita ferocia ſuave Chriſti jugum ejuſq; fidem amplexus eſt, ſumma filii & ſubditorum omnium conſolatione,uti refert S.Damaſcenus in vita Joſaphat. Quid,quòd ipſi Dæmones videntur per flagella fuiſſe edomiti?Cum enim, juxta multorum Theologorum ſententiam, ideò ſe rebelles Deo exhibuerint, quod nollent ſe ſubmittere Dei filio,futuro aliquando homini: poſtea ubi præſente jam Chriſto,præſentia ejus torti ſunt, ſe ipſi ſponte ſubmiſerunt, & in obſeſſis hominibus genua curvarunt, ipſum adorantes & clamantes: *Obſecro te ne me torqueas.* Luc.8. Et: *Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Matt.8.Non poſſit igitur tribulatio coërcere homines, quæ potuit ipſos Dæmones.

Vt humilientur & cõpeſcantur.

IV. Ut per illorum flagella alii emendentur, exemplo eorum territi, & ad Deum convertantur. Solent Medici venas brachiorum ſecare, ut medeantur aliis membris v.g.capiti aut ſtomacho. Unde S.Bernardus ſer.3.de circumciſ. *Dolet caput*, inquit, *& in brachio fit ſectura: dolent pedes, & fit in tibia.* Similiter *lippitudinis ſervandæ gratia* (ait Plutarchus libro

IV. *Vt per eorũ flagella alii emẽdentur*

libro de ſera Numinis vindicta) *vena ſecatur. Magiſtratus uno puerorum caſo, reliquos officii monet: & decimatione facta Imperator totum exercitum plectit.* Sic Deus ſe nobiſcum gerit; unum caſtigat, ut alios emendet & ad officium reducat. *Ziſcha Bohemus, qui cæcus Thaboritarum ductavit exercitum, villam quandam cum in Auſtria diripuiſſet, neq; inveniſſet armenta. (Nam illa in inſulam Danubio cinctam tranſvecta fuerant:) conquiſitis à proximis villis duobus vitulis totidemq; ſuibus, eos è regione inſulæ tamdiu verberari juſſit, donec mugitum & grunnitum, vaccæ ſueſq; exaudientes ad ripam ſuam tranarunt; quibus interceptis prædam non modicam abduxit, atq; ita docuit ingenio non minùs quam viribus res militares geri.* Ita Æn. Sylvius lib. 2. Comment. in Panorm. c. 39. Aſtus hic hominis quidem hæretici, ex ratione tamen depromptus fuit; nec multum abluſit à Sapientia Dei, qui ut alios peccatores, porcorum vitam agentes, è ſuis voluptatum & concupiſcentiarum paſcuis avocet, atq; ad ſuum obſequium pertrahat, ſubinde unum aliquem ex illis cruciat & affligit; laqueo, gladio, igni, rotæ, furcæ per Magiſtratum adjudicat, vel aliter caſtigat: cujus calamitate & lamentatione percepta reliqui ad pœnitentiam feſtinent, Audiamus S. Chryſoſtomum in Pſalm 9. *Dei providentiæ eſt, quod non facit hoc* (puniendo ſcilicet improbos) *latenter ut aliorum calamitatibus alii reddantur meliores. Significat ergo manifeſtum exitium;* quando ſcilicet illo Pſalmo ait David: *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Perierunt hoc modo ex divina providentia illi Galilæi, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum, Luc. 13. quos videlicet in monte Garizim, ſito in Samaria, dum ibidem ſacrificarent, Pilatus occidit; ita ut ſanguis eorum cum ſanguine victimarum quas offerebant, miſceretur. Qua calamitate conſternati Judæi, multos de ea ſermones habuerunt, dictitantibus pleriſq;, illos ſceleratos præ cæteris, & Deo inviſos fuiſſe. Quod cum etiam Chriſto retuliſſent, ipſe hoc exemplo omnes quoq; alios ad ad pœnitentiam exſtimulabat dicens: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut & illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloe & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non, dico vobis: Sed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Hæc, ſi cauſas ſecundas ſpectemus, fortuitò contigiſſe videntur; at ſi primam cauſam, Deum, attendamus, facta ſũt in paucis peccatoribus ad correctionem aliorum. *Sicut Iſchiacis* (weiche das Hufftwehe haben) *Marci*, inquit Plutarchus in Moral. *pollicem inurunt, ut cum alibi doleant, alibi adhibeant remedium: Sic Deus nonnunquam ut patres ſanet, ſævit in filios*

V. *Vt ſubinde*

V. Ut ſubinde ſaltem pro merito in hac vita etiam puniantur; ne putent nullam eſſe Deo de ipſis curam aut ſcientiam; tametſi inde forſan non emendentur. Duplex enim eſt flagellum Dei: alterum correctivum, quo peccator emendatur, ſed pro meritis tantum plectitur; licet Deus, quantum ex parte ipſius eſt, ſemper intendat emendationem peccatoris; quam quia in quibuſdam prævidet non ſecuturam, flagellat eum in pœnam, quæ jam in hac vita incipiat & in altera continuetur. Hæ ſunt duæ illæ virgæ, de quibus Zachar. 11. ait Dominus: *Aſſumpſi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum, & pavi gregem.* Virga Decor, eſt regimen amoris, & virga correctionis, qua emendetur homo. Virga Funiculus eſt regimen terroris & virga vindictæ, qua plectatur homo, qui priori virga noluit emendari. Virga Decor in Virga Aaraonis, quæ in flores germinavit Num. 17. Virga Funiculus in Virga Moyſis, quæ in ſerpentem animata eſt, exprimitur; de qua S. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 17. ſcribit: *Per Prophetam* (Jerem. 30.) *Dominus dicit: Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli. Qui ergo percutitur, ut vires illius à percuſſione ſuperentur, non hunc Dominus quaſi filium per diſciplinam, ſed quaſi hoſtem per iram ferit.* Ferit hoc modo Antiochum Regem 2. Machab 9. *ita ut de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur &c.* Regem impium Joramum 2. Par. 12 *alvi dolore inſanabili &c. ita ut egereret etiam viſcera ſua.* Deniq; ipſum etiam Herodem, qui infantes occidit; nam poſt quinque dies ab infanticidio (uti computat Cornel. à Lap. Matth. 2.) febri, tuſſi, dyſenteria, hydrope, podagra, phthiriaſi (morbo pediculari,) putredine verendorum, aſthmate & fœtore intolerabili percuſſus, adeo ut ſeipſum cultello occidere conatus ſit, animam truculentam expuit. Euſeb. lib. 1. hiſt. c. 8 Joſeph. lib 17. Antiq. c. 8 & ſeq.

Ad extremum referri poſſunt huc flagella illa communia, quibus integræ ſæpe regiones aut civitates propter gravia peccata à Deo flagellantur; quod ipſe Dæmon (qui ſe Wiggonem vocabat) expoſuit in puella obſeſſa, oriunda ex pago Heogſtadt, latina lingua perorans, uti refert Eginhardus Cancellarius Caroli M. poſtea Monachus Benedictinus & Abbas Selingſtadienſis in cap. 13. lib. 3. de translatione Sanctorum Martyrum Petri & Marcellini. 2. Junii apud Sur. coram reliquiis & in templorum Martyrum, his verbis: *Cum Presbyter miraretur atque interrogaret, unde illi Latinæ linguæ notitia, cum parentes ejus, qui ibi præſentes aſtabant, hujuſcemodi ſermonem penitus ignorarent; Parentes, inquit, meos nunquam vidiſti. Tum presbyter: Tu ergo, inquit, unde es, ſi iſti non ſunt parentes tui? Et dæmon per puellam; Ego, ait, ſum ſatelles atque diſcipulus ſatanæ, & multo jam tempore apud inferos janitor fui: ſed modo per annos aliquot cum ſociis meis undecim regnum Francorum vaſta-*

vastavi, frumentum & vinum & omnes alias fruges, quæ ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus: omnes quoq; adversitates & cuncta mala, quæ jam diu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atq; ingerentibus eis acciderunt. Hic cum ab eo presbyter quæreret, quanam de causa ei fuisset hujusmodi concessa potestas: *propter malitiam, inquit, populi hujus, & multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt; qui munera & non justitiam diligunt: qui plus hominem, quam Deum metuunt: qui pauperes opprimunt, viduas & pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Præter hæc sunt alia multa & innumerabilia pene, quæ tam ab ipso populo, quam à rectoribus ejus quotidie committuntur: ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ: quæ nemo fieri prohibet, & cum facta fuerint: non est qui vindicet. Potentiores quippe turpibus lucris inserviunt, & loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam & inanem gloriam abutuntur: odium & invidiam non tam inter extraneos quam inter propinquos & affinitate conjunctos exercent: amicus amico non credit: frater fratrem odit: pater filium non diligit. Rari sunt, qui fideliter ac devotè decimas dent: rariores, qui eleemosynas faciunt. Et hoc ideo, quia quidquid Deo vel superibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras & injusta pondera contra Dei præceptum habere non verentur: fraude se alterutrum circumveniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt. Dies Dominicos ac feriatos non custodiunt: in his, ac si in cæteris prout voluntas eorum tulerit, operantur. Propter hæc & alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus, ut facerent, aut prohibuit, ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens factus est, permissi, imo jussi sumus facere in rebus humanis, quæ superius enumeravi. ut perfidiæ suæ pœnas luant. Sunt enim perfidi atq; mendaces, cum hoc servare non curant, quod in baptismo promiserunt.* Hucusq; cùm perorasset Dæmon, tandem vi SS. Martyrum coactus projecit puellam in pavimentum, quæ post paulùm cùm surrexit, nihil verò amplius latinè loqui potuit, ut palam esset, non eam per se, sed Dæmonem per os ejus fuisse locutum. Subdit Deinde Eginhardus: *Heu proh dolor, ad quantas miserias tempora nostra sunt devoluta, in quibus non boni homines, sed mali Dæmones doctores sunt! & incentores vitiorum ac persuasores criminum. de nostra nos correctione commonent.*

* *
*

THEMA III.

Quatuor dracones insatiabiles: Ira, Luxuria, Gula, Avaritia.

I. *Infernus, seu avaritia.*
II. *Vas mulieris, seu luxuria.*
III. *Terra, seu gula & ebriositas.*
IV. *Ignis, iracundia seu vindicta.*

Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde & occidit omnes pueros. Matt. 2.

MAli & infausti ominis est nomen Herodis, *Draconem* enim *ignitum* significat lingua Syriaca; ex *jerud*, quod est draco: & *es*, quod est ignis, ut exponit Arias Montanus in Apparatu. Profectò pessimi hominis pessimum vocabulum. Quis enim non abhorret vel ab ipso draconis aspectu? Dicuntur esse aut certè fuisse dracones, qui armenta boum cum pastoribus vi spiritus ad se attraherent atque sorberent, uti ille quem S. Hilarion exuisse fertur à S. Hieron. in vita ejus: alii ignes evomere, apud Lessæum in sua Scotia anno 1558. Et talis sanè Herodes erat, qui furorem velut ignem spirans, maximum parvulorum absorbuit gregem. Quocirca ad ipsum alludens Joannes Apocalyp. 14. ait: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Insidiatus est certè filio Deiparæ, sed spe sua fraudatus, ejus loco absorbuit gregem parvulorum. Cæterum draco iste malè jam dudum periit, reliquit tamen semen aliquod, sui non absimiles dracunculos; quos hic in lucem producere, & si fieri potest, extinguere conabimur. *Herodes draco ignitus.*

Salomon Prov. 30. quatuor esse dicit quæ nunquam satiantur, ac proinde jure merito dracones appellari possunt, quia & ipsi voracissimi & insatiabiles sunt. *Tria sunt insaturabilia,* inquit, *& quartum, quod nunquam dicit sufficit: Infernus, & os vulvæ* (libido, inquam) *& terra quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit, sufficit.* Quatuor hæc quasi totidem dracones sunt insaturabiles: Infernus avaritiam insinuat, vas mulieris luxuriam, terra gulam & ebrietatem, ignis iracundiam. *Quatuor insatiabiles dracones.*

I. Infernus avaritiam non malè depingit. *Infernus enim quantoscunq; devoraverit, nunquam dicit satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur;* Inquit Divus August. in lib. de salut doc. c. 30. Et Sanctus Basilius Orat. 15. de avaritia: *Ut Pluto infernus nunquam dicit satis sibi esse: sic nec avarus illam vocem ullo tempore* *I. Infernus seu avaritia.* 1.

pore protulit sufficit. S. verò Chrysost. hom. 29. in Matth. *Avarus in omnes, ut mors, insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis, quippe qui nullum hominem esse vellet, ut omnia possideret.* Et Sanctus August. sermone 15. de diversis cap. 15. *Quomodo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia? quæ amatoribus suis quanto fuerunt ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Nam vidimus quosdam, cùm haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos: sed postquam cœpit eis abundare verum quidem corpus auri & argenti, sed tamen falsæ divitiæ, cum parva obtuleris, jam recusant: credis jam esse eos satiatos; sed falsum est. Nam major pecunia avaritiæ fauces non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit: poculum respuunt, quia fluvium sitiunt.* Sic ille. Exemplum habemus in Achab Rege, qui non contentus suis opibus & vineis, etiam vineam pauperis Naboth, sibi vicinam appetiit; & adeò quidem, ut ea negata projecerit se in lectulum & averterit faciem suam ad parietem, nec comederit panem 3. Reg. 21. sic nimirum. *Lugent divites*, ait S. Ambrosius lib. de Naboth. c. 4 *si non potuerint aliena diripere. Dormire desiderant, velant faciem, ne quidquam in obe terrarum alienum videant &c.* Boæ appellantur dracones magni, qui boves & armenta devorant, ut dixi, nihilo meliores videntur esse avari, qui non quiescunt, donec vicinos suos absorbeant, si possunt.

2. Deinde sicut in inferno nonnisi cruciatus & tormenta sunt; ita & in avaritia. Cruciantur enim avari dum aspiciunt alienas opes, suis præsertim majores: cruciantur, dum suas vel ipsi coguntur impendere & absumere, vel ab aliis etiam domesticis suis absumi vident. Notum puto, quod refert Æneas Sylvius in hist Bohem. c. 35. de Albico, avarissimo homine, qui ex Medico Episcopus Pragensis factus dixit: *nullum sibi strepitum esse molestiorem, quàm maxillarum ossa frangentium.* Ergo sicut apud inferos est stridor dentium, ita & apud avaros, qui stridorem dentium, in mensis suis comedentium, iniquissimo animo & cum dolore ferunt. Ad stridorem dentium accedit fletus & lamentatio, quibus urgentur avari, cum sua per infortunium perdunt, vel per mortem deserere coguntur: vel sperata non acquirunt lucra, vel metuunt perdenda, juxta id Poëtæ;

Ploratur lachrymis amissa pecunia miris.

Fuit ætate nostra (inquit Poggius Florent. in disceptatione de avaritia) *avarus qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim nummis aureis plenam, opem subsidiumq; ab eis orans, quos tamdiu velut animam servasset, subinde murmurans: Eheu! quibus vos relinquam?*

3. In inferno est clamor & ejulatus: itidem in avaritia cum damna aliqua patitur. Ægrotabat quidam Ex ...lio, nomine Anton. Urceus, & arcæ nummariæ clavem nocte clam subreptam è pulvinari animadvertit; inde in tantam animi angustiam incid... d[u]obus diebus continuis ante mortem, nihil ferè aliud vociferaretur, quam ut scrinii clavem sibi darent, uti Barth. Bernoniensis in vita ejus habet. In inferno est vermis semper rodens: non secus in avaritia, quæ cum ab iniquis bonis vix unquam sit immunis, semper eis incubantem & rodentem vermem alit; qui sanè Judam adeò torsit, ut ei opprimendo laqueum eligeret Deniq; rodit animum curis & anxietatibus, quibus sæpè somnum adimit Unde Ecclesiast. 14. dicitur: *Insatiabilis oculus cupid[i] in parte iniquitatis: non satiabitur donec consuma[t] arefaciens animam suam.* Uti nimirum lychnus ar[]dens attrahit oleum, & tandem suo se igne consu[]mens extinguitur.

II. Vas generationis, seu ut habent 70. *amor mulieris*, de quo S. Hieronymus contra Jovinian. ai[t] *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, & post copiam rursum inops est, animumq; virilem effœminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud nõ sinit cogitare, nec ip[s]o usu extinguitur, sed immoderatius ac vehementi[us] inflamatur.* Est igitur libido instar Draconis, q[ui] cauda sua involvit & ligat ligatumque prostern[it] etiam elephantem, ut scribit Plinius lib. 8. c. 13. I[si]dorus & alii. Sic enim & luxuria prostrav[it] fortissimum Samsonem, sanctissimum Dav[i]dem, sapientissimum Salamonem, adeoq; involv[it] ac ligavit, ut Samson quidem meretrici (talis eni[m] appellatur á Josepho & sancto Ambrosio epist. 7[] & plerisq; aliis) fortitudinem suam, licet ter jam a[b] ea in manus Philisthinorum impulsus proderet adeoq; pueris ad extremum ludibrio fieret; Dav[id] verò pro nihil duceret jacturam sui exercitus cæ[si] in prælio; modo adultera potiretur; Salomon deni[q;] meretricum suarum idolis innumeris adhæreret.

Draco nimio calore æstuans adeoq; sitibund[us] elephantis sanguinem ebibit: ita & impurus arde[nti] æstu libidinis exhaurit vires corporis & accelerat [si]bi senium, quod in Salomone patet, qui 3. Reg. 1[1.] dicitur adamasse mulieres, *cum jam esset senex.* Qu[o]modo senex, cum 40. annis tantum regnarit & duo[]decimo ætatis anno Rex inunctus sit (ut cum Hi[e]ronymo sentiunt communiter) adeoq; 52. tantu[m] annis vixerit? nimirum quia sua libidine vires adhu[c] juveniles enervavit, sicq; senium ante tempus si[bi] acceleravit.

Deinde exhaurit substantiam juxta id Prov. 2[9.] *Qui nutrit scorta perdit substantiam.* Quod in e[o]dem Salomone patet, qui tantas suas divitias in su[as] meretrices & uxores adeo prodegit, ut subditis in[]portabile jugum censuum & tributorum impone[re] coactus sit, de quo lamentati postea sunt fili[i] ejus 3. Reg. 12. Idem ostendit parabola de fili[o] prodigo, qui vivendo luxuriosè devoravit sub[]stantiam suam, ut subulcum demum agere cog[e]retur.

Denique ebibit mentem & rationem, quod [] omnium deterrimum, vitam animæ ac saluten[] dur

dum ægrè admodum hominem permittit resipiscere Hinc Ose.4.dicitur : *Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.* Bene & Diogenes dixit scorta esse *Regum reginas* : quod eos nutu suo regerent & quaqua versum vellent, facile impellerent. Hujusmodi erat illa quæ describitur 3.Esdr.4. his verbis: *Videbam Apemen filiam Bezacu*, ait Zorobabel, *mirifici concubinam Regis , sedentem juxta Regem ad dexteram , & auferentem diadema de capite ejus & imponentem sibi , & palmis cædebat Regem sinistra manu : & super hæc aperto ore intuebatur eam , & si arriserit ei, ridet ; nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.* An non mentem eripuit Regi huic libido ? An non Galeacio Mantuano , qui cum Papiæ hybernaret & in fluminis Padi ponte equitans obviam amasiam haberet , ab ea his verbis provocatus : *Quin tu amator egregie mei amore in Padum desilu?* concitato repente equo ex ponte desiliit in fluvium; ubi equo demerso ipse vix natando emersit ? Pontan.lib. 2.c.25.de fortit. Quid insanius, quid stultius , quam ad jussum leviculæ puellæ in præsentissimum atrocissimæ mortis periculum se conjicere, non solum temporalis , sed etiam æternæ? Ubi mens? Ubi ratio?

III. Terra , quæ non satiatur aqua. Hæc aliud non videtur esse nisi gula & ebrietas, quia sicut arena seu terra arida nullis satiari pluviis , ita nec illa cupediis potest , quin semper novas & delicatiores expetat, fastidio consuetarum. Ita enim testatur Sapiens Prov.13. *Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.* Qua verò ratione ? Nunquid fundum non habet, aut immensus est? Non sanè sed primo. Quia plus edere & bibere appetunt, quam stomachus ferat aut capiat. Satiata enim impiorum gula dolet, quod plus sorbere seque magis ingurgitare nequeat. Hinc modos excogitat se evacuandi , ut iterum se ingurgitet : vomit, ludit, laborat ambulat , ut famem obsonet, & appetitum excitet, cum nullum sentit , similes Charybdi , quæ est fretum angustum inter Italiam & Siciliam , & ter in die erigit fluctus terque absorbet ; nam *accipit aquas ut vomat, vomit ut rursum accipiat* , ait Plinius l.13.c.18. quo modo nimirum illi *edunt ut vomant, vomunt ut edant.* Dipsade serpente ictos tales diceres; illorum enim ictum sequitur inexplicabilis bibendi aviditas , ut quanto quis plus bibit, eo plus desideret. Ælian. lib.6.de anim. cap.51.

2. Quia variis condimentis saporem cibo & potui , licet per se bono & sapido, majorem quærunt & conferunt gulæque pruritum acuunt. Ficus non sat sapiunt, nisi glacie aut nive frigefiant ; quo cibi condimento dum avidius fruitur Pompejus Columna Neopolitanus prorex , in complexu Augustini Niphi philosophi integris sensibus extinctus est, anno ætatis 53.apud Jovium in vita. Vinum æstate non sapit, nisi similiter ex glacie aut nive. In quam bibendi consuetudinem invehitur & exclamat vel Ethnicus ille Plinius libro 19.c.4. *Heu prodigia ventris ! inquit. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasq; montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturq; ut alienis mensibus nix algeat*, quasi diceret : faciunt hyemem ex æstate, ut gulæ satisfaciant. Notent hoc Christiani delicati; uti & illud, quod Seneca scribit lib.de Consol.ad Helviam c 9. *Non est necesse*, inquit, *omne perscrutari profundum , nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii istos Deæq; perdant , quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Vltra phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat, nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetimus , aves petere; undiq; convehunt omnia vota fastidienti gulæ.*

3. Quia ferè potandi & convivandi finem nesciunt, sed diei sæpe noctem jungunt , ut eorum vita nil aliud esse videatur, quám *ingerere, digerere & egerere*, ut dixit S.Bernardus. Hujusmodi est charadrius ales non modo profundæ sed & fœdæ voracitatis , qui dum avide pabulatur, statim digerit (tanta est in eo vis caloris) & inter comedendum crebro ventrem exonerans egerit , ut novo pabulo quasi recens & jejunus sufficiat. Plago in Gorgia apud Caussin. lib.9.symb.c.39. 3.

4. Quia illorum animus totus & continuo est in patinis & calicibus. *Quando evigilabo*, inquiunt, *& rursus vina reperiam?* Prov.23. Talis Quatarupus, qui apud Maravos ultimus regnavit. Hic cum se absente Regiam conflagrasse didicisset , interrogavit nuncium, an cella vinaria salva esset ; eoq; respondente absumptis cæteris illam intactam igni superfuisse : *& nos igitur*, inquit, *salvi ac læti sumus.* Æn. Sylvius in Commen. Panor. lib.4..c.34. Bene igitur hoc vitium draconem appellamus , & terram arenosam, quæ propterea sterilis est , quia semper sitiens quemadmodum & draco , pestis hominum & pecorum. 4.

IV. *Ignis nunquam dicit sufficit.* Iram & vindictæ appetitum ignis repræsentat. Quis enim nescit iratum igne inflammari & ignem quasi spirare ex oculis, vultu, ore, naribus totoq; corpore? Unde S.Basilius hom.de ira ait: *His qui ad vindictam anhelant, ita circum præcordia sanguis fervet , quasi vi ignis ebulliat atq; exæstuet.* Jam sicut ignis primo quærit undiq; pabulum suum, quod devoret , etiam ultra plateam se extendendo ad vicinas domos, ut eas inflammet : ita qui vindicta exæstuat; quærit ubiq; inimicum suum, ut ei noceat , vel omnino vitam eripiat, nec interim quiescit. Fuit sanè qui elapso sæculo ex Lusitania in Indiam navigaret , ea sola intentione, ut inimicum suum in India existentem interficeret]; qui à P. Arboreda S.N. habita concione de dilectione proximi compunctus & ad saniorem mentem reductus est, ut habetur in 2.tom.hist. Societ. nostræ apud Sachin. anno 1560. num.273. Bene igitur Ecclesiast. dixit: *Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat* ; sanguinem sc. c. 23. IV.

Ignis, iracundia seu vindicta.

2. Ignis non quiescit, donec omne pabulum, tam proprias quam alienas ædes, semel inflammatas in cinerem & favillam redigat: sic & iracundi sæpe eo progrediuntur, ut nemini prorsus parcant, sed amicos etiam & parentes invadant, imo proximum quemq; etiam ignotum, à quo nunquam vel minimum læsi fuerunt; ac, si totam communitatem aut civitatem possent evertere, nihil id pensi haberent; ad instar luporum, qui non contenti unam capere oviculam, omnes, quotquot in caula sunt jugulant, licet unicam tantū auferant. Hujusmodi lupus & vastator Imperii fuit Cajus Caligula Imper. perversissimus, qui optabat, ut totus Rom. populus unicum collum haberet, quo simul universum unico ictu obtruncare posset. Suet. in Calig.

3. Ignis etiam sub cineribus quasi sepultus, adhuc vivit & sæpe incendium excitat. Irati sæpe etiam morientes non modo retinent iracundiam & vindictæ appetitum, sed vehementius etiam exe-runt, sicut & bestiarum, præsertim noxiarum, morientium morsus solent quàm maximè esse mortiferi. Visum hoc est in Herode, qui imminere sibi mortem cernens, nobiliores è toto suo regno ad se evocavit, minaci edicto pœnam capitis intentante non parentibus, congregatosq; universos conclusit in circo, accitaque sorore Salome, & marito ejus Alexa, per mutuam fidem perque omnia sacra eos obtestatus est, ut quamprimum ipse obiisset, juberent eos circumventos una omnes militum jaculis configi & obtruncari; adeoque ex singulis familiis uno aliquo sublato, totam gentem in luctum conjicere volebat, ut Judæi funesto suo interitū ipsi parentare cogerentur, uti refert Josephus libro 17. Antiq. cap. 8. Ita nimirum Draco iste sanguinem subditorum suorum, etiam post mortem suam sitiebat & haurire volebat; quod tamen no[n] obtinuit, sed ipse potius in desperationem actu[s] manum sibi violentam inferre volens, in summ[is] doloribus & luctu periit. De dracone scribit Solin[us] c. 38. polyhist. & Plinius l. 8. c. 11. quod Elephante[m] invadat & spiris involutum, ubi sanguinem ejus bibit in terram prosternat; verùm à cadente bell[ua] ipse opprimatur, & dum diras ac lamentabiles voc[es] emittat, adeoq; planctum ipse sibi faciat, qui pla[n]gere elephantem fecit. De hoc Michæas c. 1, ait: *F[a]ciam planctum velut Draconum*, hoc est, miserab[i]lem. Supra audivimus Herodem & re & nomi[ne] Draconem ignitum fuisse, præsertim quando Bet[h]lehem invasit & omnem ejus infantilem sanguine[m] truculentus exhausit, Verùm id nequaquam inult[um] fecit, nam variis morbis oppressus & lento calo[re] intùs viscera depopulante, tostus, à vermibus quo[que] exesus, in sua demum viscera sævire conatus e[st] cultello, quo pomum repurgabat, jamjam se feri[re] volens, ni Achabus nepos, ictum præveniens, cl[a]more sublato cohibuisset ejus dexteram, Filium A[n]tipatrum etiam velut regni insidiatorem, summè i[n]dignatus & sibimet caput verberans, occidi mand[a]vit, quinto ante obitum suum die, ut refert Jos[e]phus l. 17. c. 9. Sicq; miser iste Draco cum mortis su[æ] planctu ad æternum inferorum planctum migrav[it]. In hoc exemplar aspicere deberent Herodiani, q[ui] & ipsi cum Dracones quidam insatiabiles sint mu[l]tos plangere faciunt; quid tandem ipsis expectan[dum] dum sit, planctus utique Draconum, qualis diu n[o]ctuq; auditur apud inferos, ut eo per considerati[o]nem nunc audito, effugere eum possint, ne sentiant ibi per aures.

IN FESTO S. SYLVESTRI PAPÆ

THEMATA.

I. *Quo fine lumbi nostri præcincti esse debeant.*
II. *Cingulum castitatis qui comparandum.*
III. *Quatuor cingula viatorum.*
IV. *Varii Dracones debellati à S. Sylvestro.*

THEMA I.

Quo fine lumbi nostri præcincti esse debeant.

Ad peregrinandum in cælum.
I. *Ad bajulandum.*
II. *Ad laborandum.*
IV. *Ad militandum.*
V. *Ad ministrandum.*
VI. *Ad natandum & transvadandum.*

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

FUit apud veteres multos nota alicujus probri, nec non mali ominis, cingulo carere. Probrum certè fuit militibus, quorum uti militare insigne præcipuum erat baltheus seu cingulum: (quod ex baltheo Jonathæ colligitur 1 Regum 18) ita maxima ignominia & pœna erat, baltheo spoliari. Unde Augustus Cæsar, teste Suetonio, milites delinquentes jussit pedibus stare discinctos,

ctos, ad ſui confuſionem. Erat etiam indicium hominis ignavi, diſſoluti & male compoſiti atque ad res gerendas inidonei; unde emanavit illud: *Diſcincta veſtis, diſcinctus animus*; ſicut econtra homo præcinctus pro induſtrio habebatur. Certè Julius Cæſar adhuc puer quod laxius etiam adeoq; negligentiûs eſſet præcinctus, notabatur de malo omine Sylla Optimates ſæpius admonente, ut *malè præcinctum puerum caverent*. Sueton. in Jul. Cæſare. Apud Carthaginenſes quoq; diſcincti ducebantur poſtremi homines. Alex. ab Alex. lib 1. c. 20. Idem mihi videtur à Judæis obſervatum fuiſſe, qui cum talaribus uterentur veſtibus, eas præcingere ſolebant. Verum quidquid de hoc cingulo ſit, majus longe probrum eſt homini Chriſtiano, carere cingulo animi, quam olim fuerit carere zona veſtium: id enim multo certius hominis ignavi & diſſoluti ſignum eſt. Quare hoc probrum, ut à nobis tolleret Chriſtus, in hodierno Evangelio monet: *Sint lumbi veſtri præcincti*. Verum in quem finem vult nos accinctos eſſe? utiq; in eum, quo accingi ſolemus ad opus aliquod aggrediendum; veluti:

I. Ad ambulandum & peregrinandum in cælum abſq; remora & impedimento rerum ſæcularium. Ita exponit S. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Evang. c. 25 Tertul. lib. 4. contra Marcion. Et huc potiſſimum collineat Chriſtus: quia præmiſerat quærendum ante omnia Regnum cælorum, & theſaurum in cælo parandum. Eo igitur nos mittere volens, jubet ut lumbos noſtros præcingamus, quod ſolent facere, qui ad iter ſe accingunt pedibus conficiendum. Quo fine etiam præcepit Hebræis profecturis ex Ægypto in terram promiſſionis: *Renes veſtros accingetis*. Exod. 12. quo videlicet expeditius pergere via longa & aſpera poſſent; ſiquidem veſtes talares greſſum impediunt, dum perpetuò verberant pedes & gravant. Tali modo Elias cucurrit ante Achab, *accinctis lumbis*. 3. Reg. 18. Veſtes talares ſunt bona terrena, quibus onerati difficulter ſane progredi ad vitam æternam poſſunt. Scimus Heraclium Imperatorem quando S. Chriſti crucem è civitate Jeroſolyma in montem Calvariæ ſuis humeris efferre cœpit progredi non potuiſſe, ſed in porta ſiſtere coactum, utpote auro & gemmis onuſtum, imperialiq; paludamento impeditum; quæ ubi ex conſilio Patriarchæ depoſuit & vulgarem habitum induit, ſine difficultate reliquum iter confecit. Ex Brev. Rom. Idem accidit Chriſtianis, qui crucem Chriſti in ſe geſtandam ſuſceperunt, ſolent enim, ſi bonis terrenis onuſti ſint, impediri vehementer à progreſſu, & pleriq; omnino ſiſtere, atq; in luto hujus mundi hærere. Quare qui ad hoc iter expediti eſſe volũt, pondus hoc cum Heraclio omnino abjiciũt, & pauperculum induunt habitum, in ſtatu religionis. Hoc verò quia non omnium eſt, ſupereſt ut reliqui ſectentur Chriſti conſilium, & præcingant ſaltem veſtes ſuas, more peregrinorum, quo facilius progrediantur. Tali modo Tob. 5. apparuit Raphaël Angelus Tobiæ, *præcinctus* videlicet ad ambulandum, ut ſe comitem itineris ipſi offerret; interim etiam & ipſum & omnes doceret, qua ratione ſe parare ad iter cœleſte debeant, abſtrahendo ſcilicet animum ab hujus ſæculi bonis, eiſq; ſic utendo, quaſi non utantur, ad eum modum, quo ipſe poſtea dixit c. 12. *Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem vobiſcum mãducare & bibere; ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*. Hoc eſt præcinctũ eſſe, uti bonis quidem hujus mundi, in iis tamen nihil delectationis (ſic enim & Raphaël comedebat & bibebat, ſed abſq; omni guſtu & delectatione) quærere aut ſentire, ſed ſpirituali potius & cæleſti alimonia cupere ſatiari atq; delectari: cibum Angelorum non animalium appetere. Docuit hoc facere Clericos S. Sylveſter, dum eis negationes ſæculares & nundinationes interdixit; dies etiam hebdomadis ferias appellari præcepit, ut ſcirent animum ab hujus ſæculi negotiis eſſe avocandum & ad Dei obſequium per omnia transferendum. Ex quo manifeſtum eſt, ipſum Sylveſtrum velut legis hujus latorem ab amore rerum ſæcularium fuiſſe quam alieniſſimum. Et quid ſummus Legislator Chriſtus? quid ipſe de bonis hujus mundi uſurpavit, qui ſe ſuis exuit & plane *exinanivit*, *formam ſervi accipiens*.

II. Ad bajulandum & onera ferendum; id enim facere ſolent, qui ſarcinas geſtant, tum ut levius eas ferant, tum etiam ne rumpantur & herniam contrahant. Ita ſacerdotes, qui geſtabant & ſuſtinebant Arcam fœderis, *ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti*. Joſ. 3. Ad quid accincti niſi ut facilius Arcam geſtarent? Debent Chriſtiani omnes, præſertim verò ſacerdotes, ſua quædam onera portare ad cælum; qualia verò, niſi proximos ſuos, (hos enim, ſeu electos, ut ſentit P. Cornelius in cap. 25. Exodi, deſignabat Arca illa) quos data occaſione poſſunt! Ita enim legimus Eccle. 17. *Mandavit illis unicuiq; de proximo ſuo*. Cauſam dat S. Leo ſermone de S. Laurentio: *Nam nullus verè bonus*, inquit, *ſibi ſoli bonus eſt, nec cujuſquam ſapientis ſibi tantum amica ſapientia: & hæc verarum natura virtutum, ut multos à tenebroſo abducant errore*. Poſſet Deus ſe ſolo homines perducere ad ſalutem, ſed propter meritum noſtrum vult nos habere coadjutores ſuos. Sic in vita S. Eduardi, Regis Angliæ, ſcribit Ælredus Abbas Ciſter. Hibernum quendam utroque pede claudum, poſtquam ſexies repens Romam viſitavit limina Apoſtolorum, à Petro ſpem quidem ſanitatis accepiſſe, remiſſum tamen ad Eduardum Regem, quod eum habere ſocium & cooperatorem miraculi & ſanitatis impertiendæ vellet; ita videlicet, ut Rex ſuis humeris claudum ſuſciperet & ad Divi Petri templum deferret. Quod ubi Rex hilari & promptiſſimo animo fecit, claudus uſum pedum recepit. Magnum hoc beneficium, maximus honor fuit Regi; qui & nobis offertur, quoties datur occaſio eripiendi aliquem è peccati barathro; vel periculo incidendi, & ad Dei gratiã reducendi. Nec minor honos fuit, quem idem S. Petrus una

II. *Ad bajulandum.*

cum S. Paulo impertiit S. Sylvestro, quando Constantino M. Imp. apparens in somno & promittens lepræ abstersionem, remisit eum ad Sylvestrum, cujus opera per baptismum non solum carnis sed etiam animæ lepram esset ablutur us, uti factum. Qui etiam magno animo & gaudio accinxit se ad opus, instructumq; in fide ac baptizatum Constantinum suis quasi manibus gestavit in Ecclesiam & electorum numerum. Hujusmodi etiam bajulus fuit S. Franciscus Xaverius, cùm per quietem sibi visus est humeris Indum aliquandiu vectare, tam gravem ut ipso pondere fatigatus excitaretur à somno: præsagio laborum, quos pro Indorum salute subiturus erat. Tursel. in vita l. 1. c. 8. Jam quid Legislator noster Christus? nonne *peccata nostra ipse tulit in corpore suo*, ut nos cælo inferret? Non feret igitur servus conservum suum, si ita tulit Dominus servos suos.

III. *Ad laborandum.* III. Ad laborandum. Ita exponunt Theophylactus, Euthymius, & Titus; quasi Christus dicat: sitis præcincti & parati ad agenda bona opera, qui enim gnaviter operari volunt, ad hoc se accingunt, ne à defluentibus impediantur vestimentis. In hunc finem mulier illa fortis Prov. 31. *accinxit fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum* ut videlicet domi suæ sedulo laboraret. Ad hoc cingulum vocatus est à Christo Petrus, postquam ei ab eodem collatus est primatus. Joan. 21. *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, quo tu non vis.* Ad crucem ergo Petrus accingere se debuit, priusquam ad Christi mensam in cælo consideret. Si hoc Petro dictum, quid aliud nobis expectandum? Accingendi prius ad ferendam crucem lumbi sunt, si cum Christo intrare in gloriam volumus. Clamat hoc Deus, clamant Beati, clamat universa rerum natura. Deus post sex dierum operationes primum instituit diem quietis: Arca post varias jactationes in diluvio demum conquievit in montibus Armeniæ: Hebræi post aquas amaras acceperunt manna: Post 40. annorum profectionem intrarunt terram lacte & melle manantem: Elias non nisi post timores, fugam & ærumnas evehitur in cælum, seu quietis locum. 4. Reg. 2. Saxa prius tundi & secari debent, quam in templi structuram adhibeantur: lyræ corda prius extendi & quasi lamentari, quam sonum dulcē reddat: in agro prius arandum, quam metendū: in bello prius pugnandum, quam triumphandum. Idē & Gentiles naturæ lumine viderunt. Balearici filiis suis panem negabant, nisi funda jaculando scopum tetigissent. Strabo lib. 3. Gymnosophistæ suos nequaquam ad mensam admittebant, nisi prius demonstrassent, quid eo die laborassent. Alex ab Alex. l. 5. c. 21. Adeo naturæ insitum & conveniens est, ut omnis fælicitas labore comparetur: & qualis est dependentia oculi à luce, ut sine ea nihil videre possit: talis est fælicitatis à labore, ut absque eo non acquiratur, ut docet Philo lib. de sacrif. Abel. Ipse Legislator noster Christus *in laboribus à juventute sua* (Ps. 87 diu noctuq; laborans, hunc mundum *pertransi benefaciendo & sanando omnes oppressos* Actor 1 Quem utrum imitatus sit S. Sylvester, quis dubita nescit sane ille quam operosum ac laboriosum on sit summi Ecclesiæ pastoris, quod ille insigniter a ministravit, per annos propè 22. adeo ut dignus f erit habitus, qui summum orbis Monarcham, Co stantinum M. ejusque Matrem Helenam, prol aulam, innumerabilemque populum Romanu nec paucos Judæos instruxerit in fide & ad eam p duxerit.

IV. Ad militandum. Solent enim milites glad se accingere, & baltheum suum pro insigni m litari gerere; quod sæpe in SS. litteris notatur: u Ps. 17 *Præcinxisti me virtute ad bellum.* Et ad phes. 6. *State succincti lumbos vestros in verita* Dixerat Eliphaz (Job. c. 5.) *Homo nascitur ad lab rem.* Cui respondet Job cap. 7. *Militia est vita h minis.* Quasi dicat: non solum labor, sed etiam p gna & *tentatio* est, uti alii legunt. Habemus eni multos & varios hostes, tres præsertim capitale dæmonem, mundum, & quem fugere non poss mus, carnem propriam. Quia namque gloria cæl stis incomprehensibilis est, quibuscunque tande laboribus & præliis promerenda est. Atque huc r spexit S. Petrus epist. cap. 1. quando explicata propos ita *hæreditate incorruptibili & incontamina & immarcescibili, conservata in cælo*, subjecit: *pr pter quod succincti lumbos mentis vestræ &c.* qua diceret; cum tanta vobis corona sit proposita, m rito vos accingere ad præliandum debetis pro ill Nationes aliquæ filios ad mensam parentum no admittebant, nisi bello assuetos uti Gothi, apu Cassiod. in Epist. Aliæ nemini uxorem ducere pe mittebant, nisi qui prius hostis saltem unius capu amputasset & ad Regem attulisset, uti Ariani Pe sarum finitimi, apud Strab. lib. 15. Et si Josue no dimisit Hebræos in possessiones suas nisi postquan gladio suo debellarunt Gentes, Jos. 24. quis nisi pe varias pugnas ad coronam aspirare audebit? Ips summus noster & verissimus Josue, hoc est, Salvator Christus, nonne præliari debuit & quidem acerrima prælia contra Dæmones, undique ejiciendo illos? contra mundum, corrigendo perversum, tolerando sibi refractarium, beneficiis deliniendo sibi ingratum? contra carnem propriam, minimè quidem rebellem, sed objiciendo eam velut agnum innocentissimum rabidorum dentibus luporum? Hæc fortasse causa est, cur non in fronte, quæ solet alioquin gestare coronam & insignia Regis, sed in femore visus sit Joanni gerens inscriptum: *Rex Regum & dominus dominantium.* Apoc. 19. quia nimium gladio (quo ad femur accinguntur milites, Ps. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*) & passionis suæ prælio titulum illum *Regis Regum* sibi comparavit. Quem etiam imitatus est S. Sylvester, Judæis & gentilibus fortiter se opponendo eosque convincendo. Et tu igitur mi

homo,

homo, quiſquis es, prӕliandum tibi ſcias, tametſi id aſperum videtur, contra carnem, mundum, Dæmonem; ſi coronam expectas. Ageſilaus Rex Spartarum de finibus & latitudine regni ſui interrogatus: *Regni noſtri fines ſunt* inquit, *quos gladius noſter attingere nequit*, apud Plutarchum. Quod ſi & tu percupias ſcire, quam ſpatioſum in cælo regnum habiturus ſis, tibi reſpondeo: Quantum gladio tuo circumſcripſeris, ibi terminus regni tui erit, ubi pugnare contra vitia & hoſtes animæ tuæ ceſſaveris. Econtra *hoc pro certo habeat*, (inquit Sara illa Tobiæ junioris) *omnis, qui te* (Deum) *colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur.* Tobiæ tertio.

V. Ad miniſtrandum. Præcingi enim miniſtrantium quoq; eſt. Unde Lucæ decimo ſeptimo in parabola dicit herus ſervo: *Præcinge te & miniſtra mihi.* Debet ad hoc paratus eſſe etiam Chriſtianus, ut pro data occaſione miniſtret proximo ſuo. Quantuſcunque vero ſis, nihil honori tuo demitur, ſed permultum potiùs accedit, cum alteri miniſtras. Sapientiſſimus fuit Diogenes, tametſi ſtultitiam affectabat. Is ergo cùm Xeniadæ ſerviret pro mancipio amici agebant pro eo redimendo. At ille: *Nequaquam*, inquit, *an neſcitis leones non iis ſervire, à quibus aluntur, ſed altores potius ſervire leonibus Nam leo, ubicunque eſt, ſemper leo eſt.* Laërtius libro ſeptimo. Pari modo vir ſapiens & honoratus, tametſi alteri miniſterium aliquod præſtet, nihil honoris perit, ſed permultum acquirit: *ubicumq; enim eſt, ſemper leo eſt.* Ficti illi leones, qui fulciebant thronum Salomonis, ſerviebant quidem Regi, thronum aſcendenti & in eo ſedenti; verum inde ipſi decorem acquirebant, dum thronum Regalem componebant & ornabant. tertio Regum decimo. Laudatur ſanctus Martinus, non vituperatur, quod ſubinde ſervō ſuo miniſtrum ſe præbuerit. Et quis non in cœlum extollit, quod egit Salvator noſter, dum ipſe *linteo præcinxit* & ſerviit diſcipulis ſuis, pedes eorum lavando? Et quid tota ejus vita aliud fuit, niſi mancipatus & miniſterium ſubditis exhibitum? Hunc imitatus ſanctus Sylveſter, *quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hoſpitio lubenter excipiebat: eis menſam hilariter apponens & aqua illorum pedes abluens & ad quieſcendum eos in ſtragulis collocans*, ut habet auctor vitæ ejus.

VI. Ad natandum & tranſvadandum fluvium Ita Petrus cùm audiſſet Dominum ad littus ſtare, *tunica ſuccinxit ſe & miſit ſe in mare*, ut natando, (uti putat Chryſoſtomus & alii) vel pedibus mare pervadando, (uti Beda) ad Jeſum pergeret. Joannis vigeſimo primo. Tunicam igitur induit, eamque ſuccinxit, ne impedimento eſſet. Debet etiam Chriſtianus ad hoc accinctus eſſe, ut pro Chriſti fide & gratia conſervanda in periculum vitæ, quaſi in mare injiciat & flumina tranſvadet; quia Dominus ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem, & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Lucæ decimo quarto. Ratio eſt, quia Chriſtus, vita noſtra beata & ſempiterna, longiſſime imo infinities præferendus eſt vitæ noſtræ miſeræ & momentaneæ. *Quæ eſt enim vita noſtra?* ait ſanctus Jacobus capite quarto. *Vapor eſt ad modicū parens, & deinceps exterminabitur.* Chriſtus autem vita noſtra *manet in æternum.* Quando igitur Deo diſponente accidit, ut in aquas tribulationum, inopiam, contemptum, perſecutiones, morbos incidamus; ibi opus eſt, ut natare ſciamus, hoc eſt ut ea omnia, ne Chriſtum perdamus, patienti & lubenti animo perferamus. Quod ſi tempus inſtat, ut ad alteram vitam tranſvadandum ſit, per mortem qualemcumque tandem, ad hoc parati ſimus. Sic paratus erat ſanctus Paulus, qui ajebat: *Scio & humiliari, ſcio & abundare, (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* ad Philippenſes quarto. Quin etiam ad ſupplicium & mortem pro Chriſto perferendam, ſi res ferat & exigat, nemo ſe ſubducat; ſiquidem ipſe eam pertulit pro nobis. Non eſt paris pretii vita ſervi cum vita Regis, & quid vita puri hominis cum vita filii Dei? Fœda & inexpiabilis fuit ingratitudo Pharaonis, qui poſteris Joſephi, cui vitam & conſervationem totius Ægypti debebat, denegavit paleas ad coquēdos lateres. Repleverat Joſephus omnia horrea regia tritico, & jam ejus poſteris paleæ negantur. Chriſtus verus Joſeph & Salvator mundi, vitam nobis attulit, & pro ea ſervanda ſuam depoſuit, pretioſamque animam dedit: qui ergo dubitamus viles noſtras animas ponere pro ipſo? nonne paleas exiguas & viliſſimas pro immenſo tritico damus? Expendit hoc Sylveſter, qui etiam non urgente præcepto, ſed ſtimulante ſolùm charitate martyres enectos & abjectos, præſenti vitæ ſuæ periculo, rapuit & ſepelivit; adhæc pro Romanorum plebe Chriſto concilianda non dubitavit ſe exponere faucibus Draconis, ut eas occluderet; peſtiferas Romanis. Cum igitur habeamus & ſupremi noſtri ac Generalis militiæ Ducis Chriſti luculentiſſimum exemplar, qui his omnibus modis baltheo ſuo præcinctus agmen præceſſit; habeamus etiam præ oculis ſanctum Sylveſtrum, velut ejus armigerum minimè ignavum, Ducem ſuum Chriſtum etiam per abruptos ſcopulos, ſtrenuè ſequentem, ſupereſt ut nos quoque intendamus vires, & quantum fieri poterit, poſt illos aſcendamus ad montem Victoriæ cœleſtem. Non admittamus in nos hoc probrum ut diſcincti inveniamur coram Deo.

THEMA II.

Cingulum caſtitatis quì comparandum.

Lumborum cingulum eſt caſtitas.

I. *Fitq; ex byſſo retorta mortificationis.*

II. *Fit ex hyacintho orationis.*
III. *Ex purpura caſtæ ſocietatis.*
IV. *Ex vermiculo bis tincto, ſeu mortis memoria.*

Sint lumbi veſtri præcincti. Luc. 12.

Lumborũ cingulũ eſt caſtitas.

COmmunis Sanctorum Patrum ſententia eſt, uti ſancti Auguſtini hom. 23. de verbis Domini, S. Gregorii hom. 13. in Evang. S. Baſilii in cap. 15. Iſaiæ S. Hieronymi lib. 1. contra Jovin. S. Petri Chryſologi ſerm. 24. & aliorum, per lumbos intelligere Chriſtum carnis concupiſcentiam, quæ caſtitatis cingulo conſtringenda & coercenda ſit. Præclarum id quidem conſilium eſt, ſed unde nobis tale cingulum? vel quibus ex rebus conficiendum eſt? Quæramus in lege veteri, quæ ſaltem per figuram id nobis explicabit: Etenim inter veſtes Pontificias, reperimus etiam ſacrum cingulum, quod Exodi 39. juſſit Deus fieri *de byſſo retorta, hyacintho*, (hoc eſt, lana hyacinthini coloris) *purpura ac vermiculo bis tincto*. Pretioſum ſane eſt hoc cingulum: byſſus enim oſtendit eſſe forte & ſimul blandum non aſperum: hyacinthus cæleſte & Angelicum: purpura Regium: vermiculus ſeu coccus fulgidum ac ſpecioſum. Neque ſolum pretioſum, ſed etiam apprime utile: ſiquidem ad hoc præſcribitur à Domino, *ut carne ſuccincta ad Domini occurſum liber, velox, expeditus noſtræ mentis reddatur inceſſus*, inquit ſanctus Chryſologus loco citato. Solum id nunc ſupereſt, ut videamus quænam illa ſint, ex quibus contexendum adeoque nobis comparandum eſt hoc cingulum. Quid hic agemus,

I. Fit ex byſſo retorta mortificationis.

I. Ex byſſo retorta. Byſſus tenerrima textura & domuncula bombycis eſt; quare carnem noſtram denotat, quæ quaſi domus animæ eſt, eademque tenera valde & ſenſitiva. Porro ut ex ea cingulum caſtitatis fiat contorqueri per afflictiones, imo & retorqueri ſæpius debet. Quemadmodũ enim equus ore frænandus, & conſtringendus loris, inſuper & flagellis coercendus eſt, ne ſeſſorem præcipitet aut dejiciat: ita quoque caro, ex perverſa ſua natura petulans & laſciva. Unde ſanctus Auguſtinus libro de ſalutaribus docum. tom. 4. ait: *Caro data eſt nobis, quaſi animæ bellum: quæ ſi mortificetur, adducit ad vitam; ſi nutriatur, præparat ſe contra animam ad mortem*. Quod in ſe expertus etiam ſanctiſſimus ille Apoſtol. Paulus 1. Cor. 9. ait: *Sic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo* Gr. *ſubigo, contundo*, velut equum ſcilicet petulantem, jejuniis, flagello, cilicio, frigore, labore. *Caſtitas enim ſine comitibus ſuis, jejunio videlicet & temperantia cito laſſeſcit, quod ſi his quaſi adminiculis roborata fuerit, perfacilè coronabitur*, ait S. Chryſ. hom. 1. in Pſ. 50. Vidit hoc Elias (ex conſtanti veterum PP. ſententia, virgo ſemper exiſtens) qui ut donum caſtitatis illibatæ conſervaret, pellibus hirſutis carnem & zona pellicea lumbos ſuos veſtiit ac vexavit, quam ob cauſam *vir piloſus* appellatus fuit 4. Reg. 3. ſciens maxime in lumbis dominari carnis pruritum. De jejunio ejus nihil dubitandum, cum i[n] monte Carmelo habitaret, ubi vix aliud quid præter herbas ad victum habere poterat. Vidit Joanne[s] Baptiſta, ob vitæ imitationem alter Elias dictus, q[ui] carnem ſuam ſtrinxit pilis camelorum, & pavit loc[u]ſtis, tametſi in deſerto extra omnium hominum c[on]ſpectum viveret; ita ut vix ſcire poſſet, quid eſſet V[e]nus. Vidit S. juvenis Hilarion & ipſe in deſerto [a]gens, de quo S. Hieronymus in vita ſcribit: *Titillab[at] Diabolus ſenſus ejus & pubeſcenti corpori ſolida vo[]luptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyruncul[us] Chriſti cogitare, quod neſciebat, & ejus rei anim[o] pompam volvere, cujus experimenta non noverat. [] ratus itaque ſibi & pectus pugnis verberans, qu[] cogitationes, cæde manus poſſet excludere: Ego, inqu[it] aſelle faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſ[ed] paleis: fame te conficiam & ſiti: gravi onerabo pond[e]re, per æſtus indagabo & frigora, ut cibum poti[us] quam laſciviam cogites. Herbarum ergo ſucco & pa[u]cis carycis poſt triduum vel quatriduum deficiente[m] animam ſuſtentabat, eram frequenter & pſallens, [] raſtro humum fodiens, ut jejuniorum laborem lab[ore] operis duplicaret.* Idem ſe feciſſe fatetur, qui id ſcr[i]pſit S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. de cuſt. vi[r]gin. cap. 3. tametſi jam ſenex: *Mens, inquit, deſideri[is] æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua ja[m] carne præmortuum ſoli libidinum incendia bulliebar[t] itaque omni auxilio deſtitutus ad Jeſu jacebam ped[es] rigabam lachrymis, crine tergebam & repugnante[m] carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam, &c.* [I]dem fecere, præſertim urgente carnis tentatione, a[l]lii: Evagrius presbyter hybernis frigoribus in pu[]teum; Sanctus Bernardus Abbas in lacum deſcen[]dit S. Audomarus Tarvanenſis Epiſcopus in vepri[]bus, uti & S. Benedictus: S. Franciſcus in nivibus ſ[e] volutabant: alius ex ordine S. Dominici à ſcorto ſo[l]licitatus in prunas ſe conjecit, apud Thom. Cantip[r.] l. 2. Apum c. 20. Deniq; S. Borromæus Card. ad quẽ dam Cardinalem ſcribere non dubitavit, *ſine pœnitentia & aſperitate vitæ impoſſibile eſſe ſervare caſtitatem*, utpote quam tantopere caro, dæmon & mũdus impugnant. Quam proinde ut conſervaret, ipſ[e] ſibi voluptatibus interdixit, & rigidam vitam indi[]xit. Unde S. Thomas 2. 2. quæſt. 151. art. 1. ſentit caſtitatem à caſtigando dictam eſſe, quod ad modum pueri frænanda & caſtiganda ſit. Certe Abdias Babylonicus in vita S. Andreæ Apoſtoli ſcribit Nicolaum quendam nomine, Corinthi ad S. Andream veniſſe ac dixiſſe ſe per annos 74. Veneris mancipium fuiſſe, rogaſſeque Apoſtolum, ut ſuis ſibi precibus impetraret continentiam, & jejunaſſe quidem Apoſtolum atque oraſſe pro illo totis quinque diebus, nil tamen impetraſſe, ſed à Domino audiiſſe: *Volo ut quemadmodum tu pro illo jejunaſti, ſic etiam ipſe jejunet ſuumque corpus affligat, ſi fieri ſalvus deſiderat*. Quod cum is feciſſet, toto ſemeſtri pane ſicco & aqua victitans, tranſiit ex hac vita ad immortalem. Ecce quam verum, ſine aſperitate vitæ non ſervari caſtitatem!

II. Ex hyacintho. Omnium sententia hyacinthus olim cœli colorem referebat; qui nunc quidem melleum refert. Igitur hyacinthus cingulum castitatis conficiens & conservans est oratio, quæ in cælum evehit orantem, cœlesteque illud donum impetrare potest. Testatur hoc Salomon Sapient. 8. *Vt scivi* inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det &c. adii Dominum & deprecatus sum illum, & dixi totis præcordiis meis: Deus patrum meorum & Domine misericordiæ, &c.* Rationem exponit Cassianus in institut. monast. *Quodammodo, enim,* inquit, *exire de carne est, in corpore commorantem, & ultra naturam est fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœleste præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere evexerit castitatis.* Quae S. Augustinus pro hoc dono comparando summum extremum perfugium habuit ad orationem: *Tota spes mea,* ait, *non nisi in magna valde misericordia tua. Continentiam jubes da quod jubes, & jube quod vis.* lib. 10. Confess. c. 29. Licet enim aliæ quoque virtutes sint dona Dei, ab eo petenda; maxime tamen castitas, quia plures habet hostes, qui mentem non perturbant tantùm, sed plane excæcant. Legimus Jud. c. capite 1, Calebum dedisse filiæ suæ Axæ *terram arentem*, seu, ut 70. vertunt *Australem* (ea enim majore Solis æstu solet fervere adeoque aridior esse.) Verum filia, videns sibi per illam non satis prospectum, suspirans in asino, quo vehebatur, petiit a patre & irriguam: accepitque irriguum superius & inferius, hoc est, terram Australem, calidam: & septentrionalem, frigidam. Dedit nobis Deus dona naturæ, corpus & animam, rationem, memoriam, voluntatem liberam, quinque sensus, bona externa, quasi in dotem. Verùm hæc omnia sunt arida & Solis æstui exposita variis scilicet peccandi periculis, præsertim caro concupiscentiæ æstu calens. Quare si præterea terram humore gratiæ irrigatam, si terram septentrionalem, carnem ab æstu concupiscentiæ immunem desideramus, suspirare oportet ad patrem nostrum cœlestem, id est donū petere, quod est castitas & virginitas, uti fecit sancta Cæcilia, quæ *cantantibus organis in corde suo soli Domino decantabat dicens. Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Quæ non modo; quod petiit, obtinuit, sed quemadmodum Axa, plus quam petiit: impetravit enim eandem virginalem castitatem sponso suo Valeriano, ejusque fratri Tiburtio; ita ut cum virginitatis corona etiam martyrii lauream consequerentur; ut habemus in officio Rom. Pari modo sanctus ille juvenis Thomas Aquinas cùm propinqui castitati ejus insidias posuissent, puellam ad labefactandam ejus pudicitiam immittendo; ad Christum & Beatam Virginem conversus: *Ne sinas quæso,* inquit, *Domine Jesu, & tu sanctissima mater & Virgo Maria, ut tam immani me scelere obstringam.* Quo dicto titionem è foco arripuit, eo puellam fugavit, ostioque crucis signum velut seram appingens, dum orat, lumbos sibi ab Angelo constringi advertit; à quo tempore omni carnis stimulo caruit, ut in ejus vita. Cæterùm ut hoc idem donum à Deo impetremus, serio & ex *totis præcordiis* cum Salomone orare, & cum Axa *suspirare* ad patrem cælestem debemus; non quo modo Augustinus adhuc in cœno impuritatis hærens orabat: *Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modo. Timebam enim,* inquit, *ne me cito exaudires & cito sanares à morbo concupiscentiæ &c.* 8. Cōfess. cap. 7.

III. Ex purpura. Purpura quasi *pura pura,* hoc est, purissima dicta est; & indicat societatem castam, qua puri cum puris conversantur, ut bis puri & purissimi fiant. Olivam veteres Minervæ, quæ virgo perhibetur, sacram esse voluerunt. Causam adfert Pierius lib. 53. hierogl. cap. 16 *Græci enim,* inquit, *ut Rutilius Taurus ait, jubent olivam, cum plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandam credo,* inquit, *recordati, arbori huic esse præsidem castitatem.* Florentinus quoque libro de re rustica adeo puram esse oleam tradit, ut collectores etiam nō nisi puros amet, qui cùm ad olivationem accedunt, jurant, se non aliunde quàm ab uxore sua venire, ita fieri ut oleæ anno insequenti uberiorem proventum exhibeant. *Præcipuè vero ajunt Anaxarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fœcundissimas, quoniam à castis tantummodo pueris colantur.* Ita ille, Quibus accedit, quod M. Varro Romanorum doctissimus scribit, oleam sterilescere, si capra primum germinantem tetigerit. Ergo uti oliva seu olea, quia semper virens purissimum fundit liquorem, castitatis typum, castos etiam amat & puros, sibique similes requirit cultores; aversatur contra impuras & fœtentes capras: ita quoque puri cum puris conversari debent; certi alioquin, si ab impura capra, præsertim juvenes tangantur, se non exiguum castitatis damnum accepturos. Audiant S. Hieronymum ep. ad Nepotianum: *Ne in præterita castitate confidas,* inquit, *neque enim tu Davide es sanctior, neque Salomone poteris sapientior esse. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua ejecit mulier. Solus cum sola absque arbitro & teste non sedeas, tametsi secretum aliquod intersit, & quidquid probabiliter fingi potest. Crebra munuscula & sudariola & fasciolas & degustatos cibos & blandas dulcesque litterulas sanctus amor non habet.* Apes purissima sine macula, absque coitu prognata, non fœtores modò & infectos, sed & unguenta redolentes oderunt atque infestant, teste Plinio libro 15. capite 18. Ita castimoniæ studiosi non modò tetrum libidinis odorem, sed ipsa etiam pigmenta, unguenta, munuscula, & fucum, quibus parentatur Veneri, fugiant & abominentur. Atque ut illæ alveare suum ab his, quæ oderunt, tutantur: ita isti sensus suos ab omni impura contagione servare conentur. Quare Josephus ne contingere dominam cogeretur, potiùs vestem suam in manu ejus relinquere, quàm cum ea contendere voluit, Genesis 38.

III. Ex purpura castæ societatis.

Auguſtinus nec ſororem ſuam in domo toleravit, eo quod adventantes ad illam ſorores non eſſent. S. Gregor. Nazianz. in carm. de animæ ſuæ calam. ait: *Cum caſtitatis amor in intimis animi receſſibus occultari non poſſet, primum cum his hominibus vitæ conſuetudinem contraxi, qui matrimonii vincula fugerunt, ſeq́, à mundi contagione abruperunt, ut Chriſtũ Regem animi pennis ſequantur, hinc non ſine magna gloria pedem efferentes. H s ego ſingulari amore ac toto pectore complectens, ſpei cæleſtis duces habebam.*

IV. *Ex vermiculo bis tincto, ſeu mortis memoria.*

IV. Ex vermiculo bis tincto. Coccus granum tinctorium eſt, quod arbuſto cuidam annaſcitur de quo Plin. l. 9. c. 41. & l. 16. c. 8. Dioſcorides . 4. c. 43. Huic innaſcitur vermiculus quidam parvus, rubicundus & odoratus, qui è grano prodiens, vino albo forti inſpergitur, areſit & contunditur in pulverem, quo rubricantur panni, qui inde coccinum vel coccinei dicuntur, ut refert Corn. in c. 1. Iſa. Quid hic vermiculus niſi mortis typus? Ita enim Baldad: *Homo putredo & filius hominis vermis*, inquit Job. 25. Ut vermiculus ille arbori, ita mors annaſcitur homini. Vermiculus ille in pulverem contuſus pulchro colore pannos rubricat, mortui homines in pulverem redacti, & per conſiderationem menti noſtræ aſperſi pulcherrimo eam caſtitatis imbuunt colore. Quis enim amet carnem, quæ poſt modicum tempus adeo fœtebit, tamque horrida aſpectu erit, ut ferri non poſſit? quis vermes è cadavere prodeuntes, quis cinerem deperiat? Unde S. Zeno in ſerm. de pudicitia ait: *Non habet concupiſcentia locum, ubi mors timetur.* Et S. Gregor. 26. mor. c. 29. *Nihil*, inquit, *ſic ad edomandum deſiderium carnalium appetituum valet, quam ut unuſquiſque hoc, quod vivum diligit quale ſit mortuum penſet.* Quid autem in morte futurum ſit, exponit Iſaias c. 14. dicens: *Concidit cadaver tuum*, velut aſini, videlicet, quod abjectum devoratur à canibus) *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Dixit hanc ſententiam quidam religioſus juveni diſſoluto, ut cogitaret qualis ejus lectus in inferno futurus eſſet; dixit & evicit, ut is deſerto ſæculo religionem ingrederetur, refert Platus de ſtat. rel. lib. 3. cap. ult. Alius quidam in vitis PP. ut fœdum amorem alicujus fœminæ ex animo ſuo pelleret, ubi mortuam audivit ejus ſanie pannum intinxit & poſtea cùm tentaretur, naribus applicuit. part. 2. tit. de fornicat. Hic igitur vermiculus eſt bis tinctus, hoc eſt, mortis memoria, menti ſæpiùs impreſſa & quaſi intincta; quæ non ſecus ac bis tinctus color, pertinaciter hærebit, nec facilè delebitur.

Trip. Dom. 13. poſt Pēt. c. 8 B.

* * *

THEMA III.

Quatuor cingula viatorum.

Viatores Chriſtiani accincti eſſe debent.

I. *Cingulo caſtitatis.*
II. *Contemptu rerum ſæcularium.*
III. *Promptitudine obediendi.*
IV. *Præparatione ad mortem.*

Sint lumbi veſtri præcincti. Luc. 12.

QUi magnum aliquod iter aggreſſurus eſt, v- ſtes, ſi talares habeat, præcingere ſolet adeo; ſe ad iter expeditum reddere. Ita mandat Deus Hebræis jamjam ex Ægypto in Palæſtinam - greſſuris, ut, quia longioribus utebantur veſtib , renes ſuos accingerent, atque ita ſuccincti priùs a- num comederent, eoque comeſto mox itinere committerent. Exodi duodecimo. Magnum iter - greſſi ſumus, quotquot in hunc mundum venim ; ad cœlum enim tendimus, velut ad patriam - ſtram & terram lacte & melle manantem: ſed iti- re non parum aſpero & periculoſo, præterea eti longinquo. Oportet ergo nos ad hoc accinc s, præparatos & ab omni impedimento eſſe expe- tos. Atque iſtud eſt, quod in hodierno Evang o præſcribit nobis Dominus, cùm ait: *Sint lumbi - ſtri præcincti.* Id vero qua ratione fieri poſſit ac - beat, nunc videamus.

Non uno ſenſu intelligunt Patres cingulum quo Chriſtus nos accinctos eſſe vult.

I. Sanctus Gregorius homilia vigeſima terti n Evangelium, multique alii Patres aſſerunt eſſe - ſtitatem, quia hæc coercet libidinem, uti cingul n conſtringit lumbos, in quibus illa ſedem habet. - ma hæc & magnopere neceſſaria virtus eſt tend ti ad cœlum & occurſum Chriſti; ſiquidem libido - viſſimos compedes injicit homini, retinetque - xum carni quam fortiſſimè. Hinc Luc. decimo q - to in parabola cœnæ duo illi, qui boves & villar - merunt, ſe quidem modeſte excuſant: ille aut , qui uxorem duxit, nequaquam, ſed impudenter - *xorem duxi*, inquit, *& ideo non poſſum venire.* S - liter & de raptore Dinæ, Sichem, dicitur, quod - *glutinata* fuerit *anima ejus cum illa.* Geneſis tr - ſimo quarto. Eandem ob cauſam laſcivus con - ratur a Jeremia capite ſecundo. Onagro, qui - auram olfaciens onagram, inſano eam amor - quitur, gratia libidinis. *Attraxit ventum an - ſui: nullus avertet eum.* Et bene libidinoſus a - bido comparatur onagro; quia eripit homini n - tem, redditque incapacem omnis ſapientiæ; uti - cet exemplum recens Henrici Angliæ Regis 8.

o

ob unam pellicem eo insaniæ abiit, ut non solùm legitimam conjugem abjiceret, & à sede Apostolica deficeret; sed etiam ut se Pontificem in suo regno assereret. Nemo eum ab hoc insano amore potuit abstrahere, non consiliarii boni, non Pontifex, non excommunicatio, non preces conjugis, non principum hortamenta & minæ, non plagæ Dei. Quare qui hunc onagrum coërcere vult lumbos suos præcingere, hoc est, carnem suam rebellem constringere jejunio, abstinentia, cilicio, flagello & similibus armis debet; quo modo sanctus Hilarion à carne tentatus: *Ego te aselle*, dicebat, *faciam ut nō calcitres, nec te hordeo alam sed paleis: fame te conficiam & siti, gravi onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites*. S. Hieronymus ep. ad Principiam, virgines à Gentilibus pingi solitas fuisse meminit armatas; propterea quod castitas semper esse armata ad sui defensionē debeat. Arma hæc non tam offensiva, quam defensiva sunt ad tuendum in castitate corpus, scilicet flagellum, cilicium, funiculi, labor, studium, vigiliæ, jejunium: quibus velut æneo thorace, totum corpus ambiente, non difficile se tutantur, qui castitati student.

II. S. Augustinus l. 2. quæstion. Evang. c. 25. vult esse contemptum rerum sæcularium ac divitiarum adeoque paupertatem. Bene etiam iste. Solebant Judæi altiores vestes gerere, unde iter facturi aut alteri ministraturi accingebant se, ut breviori vestitu commodius id peragerent, ut videre est Lucæ 12. & capite 17. Quis nescit longiores vestes retardare gressum quod pedes semper feriant? Idem faciunt divitiæ, præsertim immodicæ. Hinc bene Democrates apud Stobæum ser. 91. ait: *Uti vestes talares corpora, ita divitiæ impediunt animas*. Si vestem prælongam habes, sæpe eam pede calcas, indeque à gressu retardaris: si multas divitias habeas, crebro de eis cogitas, sæpe eas volvis & revolvis, itaq; mentem à bonis aliis cogitationibus avocas, nec divina curas. Quam ob causam, rogo, corvus à Noe dimissus non rediit ad arcam, columba vero rediit? S. Aug. qu. 13. in Gen. & S. Chryf. hom. 26. in Gen. hanc dant; quia corvus reperit in aquis cadavera, quibus insidens pascebatur, columba nusquam reperit, *ubi requiesceret pes ejus*. Hanc ob causā Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes Christum vocantem ad primam vocem mox secuti sunt; quia pauperes erant. Adolescēs ville dives, vocatus à Christo, quia multas possessiones habebat, quibus innatabat, non est secutus sed abiit tristis. Marc. 10. Eandem ob causam divites illi in parabola Luc. 14. vocati ad cœnam, eam neglexerunt, præpediti amore divitiarum: (quia abierunt unus ad villam, alter ad boves suos:) pauperes vero absque mora excusationeque ulla statim advenerunt. Versio Chaldaica & Josephus dicunt corvum reversum esse ad Noën, quod 70. & vulgata negant; sed bene conciliant DD. dum ajunt corvum subinde quidem revolasse & sedisse super tectum & cacumen arcæ, ad Noen tamen & in arcam non intrasse. Qua ratione videmus etiam divites subinde accedere ad rem divinam, confessionem & communionem; verum exigua aut nulla sua emendatione; quia mox revolant ad sua cadavera; nec intrant in Christi arcam, ut eum præ omnibus ament; sed intrant in arcam suam, ubi est thesaurus & cor eorum.

III. Theophylactus in Lucam capite 22. vult esse promptitudinem ad faciendam voluntatem Domini, adeoque obedientiam paratam ad omnia. Bene etiam iste; quid enim magis impedit à via perfectionis & sanctitatis quam propria voluntas & dissoluta vita? *III. Promptitudine obediendi.* Sane equus dum fræno tenetur ab equite, commode progreditur: at si frænum ei permittatur, ad devia & præcipitia perget. Ecclesiasticus capite decimo tertio ait; *Venatio leonis onager in eremo*. Quid vero onager nisi homo libertati & dissolutioni deditus? Unde Job 11. de talibus ait Sophar: *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri liberum se natum putat*. Qui ergo se omnibus legibus & directione superiorum exemptos volunt, vel esse putant, onagri sunt, qui omne frænum & jugum respuunt. Sed norint se esse in periculoso statu & expositos venationi leonis tartarei: sicut onagri sunt præda & potissimum pabulum ac venatio leonum. Contra asini domestici securo loco sunt, dum sub fræno & custodia dominorum sunt. Dicite, quare cervi reperiuntur sæpiùs infixi palis sepium, boves & equi non item; nisi quia illi liberi sunt, ideoque quaquaversum vagantur & omnia septa transiliunt: boves autem & equi vel sub jugo & fræno, vel in stabulo conclusi, vel sub regimine pastoris sunt? Primo Regum octavo legimus filios Samuelis declinasse post avaritiam & pervertisse judicium. Ubi quærit Theodoretus quæstione decima sexta, cur Deus non etiam à Samuele pœnas exegerit, sicut exegerat ab Heli, ob perversos ejus filios; respondetque cum sancto Gregorio in eum locum, filios Heli dum sub fræno & potestate parentis erant, bonos & disciplinatos fuisse: at postquam potestate & domo ejus excesserunt & libertati suæ relicti, foris præfecturas administrarunt, tum primum perversos esse. Ait enim: *Neque hoc sciebat propheta. Nam ipsi quidem habitabat Harmathemes: illi vero Bersabee*. Videte igitur quantum prosit esse sub fræno, quantum obsit libertas. Vidimus ante paucos annos & hic & in aliis locis circumduci elephantem, nondum ætate maturum. Hic cum Augustæ in curia ad spectaculum proponeretur confertissimo populo, impetratum est à Magistro ejus, ut eum à vinculo & crasso fune, quo per pedem alligatus erat, solutum, sibi permitteret. Factum ut postulatum, ægrè licet. Verùm ecce vobis elephas, ubi se liberum vidit, iram mox exerere & adoriri aliquos domini sui servos, à quibus se malè acceptum aliquando meminerat: fit fuga & clamor in populo, tantaque confusio, ut alii per scalam præcipites ruerent, alii tantùm non comprimerentur & pedibus conculcarentur, alii desultare è fenestris molirentur; nec bestia, nisi obla-

oblato dulci vino ſedata & ad vinculum tetracta fuit. En tibi fructum libertatis, qualem cernimus ſæpe in juvenibus, cùm patria poteſtate excedentes nullos ampliùs magiſtros habent; unde in omnia vitia proni ruunt. Refert Suidas Eurybatum furem, dum in carcere cuſtodiretur, juſſum à cuſtodibus compotantibus ſpecimen edere ſuæ ſolertiæ in ædibus conſcendendis; initio recuſaſſe ac vix tandem aſſenſum, ſpongiis ac retinaculis ferreis expeditis, per muros curſim aſcendiſſe, dumque illi mirabundi ſuſpiciunt, ſuperato tecto, priùs quam illi circumdare ædes poſſent, deſiliiſſe de ædibus, ſicque evaſiſſe. Audite hoc parentes, date libertatem filiis veſtris, & fugient diſciplinam veſtram vobiſque ad extremum oſtendent medium digitum; nec poteritis eos ampliùs ſub jugum retrahere. Unde Eccleſiaſticus capite trigeſimo ait: *Lacta filium, & paventem te faciet* (Gr. *ſtupefaciet te*) *lude cum eo & contriſtab. t te*, (Syr. *& vexabit te.*)

IV. *Præparatione ad mortem.*

IV. S. Cyprianus lib. de unit. Eccleſiæ & exhort. mart. præparationem ad mortem ſignificari vult eo cingulo. Rectè, & quidem juxta mentem Chriſti ad literam. Eo enim tendunt ſequentia verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Vult enim Dominus nos ſemper & per omnia paratos expectare adventum ipſius; ſiquidem inſperato veniet. Dormientes & negligentes famuli repentè adveniente domino conſternantur, non reperiunt candelam, nec candelabrum, nec lumen, ſicque neglecto officio ſuo incurrunt iram domini ſui: id ne contingat nobis, vult Dominus ut omnia ad manum parata habeamus, lucernam eamque accenſam, adhæc manu retentam: fore enim ut ipſe veniens neminem exſpectet ad pœnitentiam. Lucernam habent, qui fidem habent, non accenſam charitate: uti fatuæ virgines, quæ dum pergunt eas accendere, neglexerunt ſponſum & nuptias. Accenſas habent, qui præter fidem etiam charitatem habent: ſed in manibus non habent qui charitatem & gratiam non fovent ac conſervant bonis operibus & continua vigilantia in oratione aliisque pietatis ſtudiis. Niſi enim lucerna oleo ſubinde affuſo alatur, niſi emungatur, niſi lychnus promoveatur, neglecta extinguetur. Denique juxta mentem Chriſti Domini, in manibus lucernas habent, qui adventum Domini, in morte ſua comparituri, continuo exſpectant, & quaſi ſingulis horis morituri ad eam ſeſe præparant. Eſt hæc non minima prædeſtinationis nota, ſemper ad mortem & tribunal Dei adeundum eſſe paratum. uti indicat Dominus verbis illis hodierni Evangelii: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Eodem (ſenſu myſtico) tendebat præcinctio Hebræorum in comeſtione agni, jam jam tendentium in terram promiſſam. Sic enim voluit Deus nos paratos eſſe ad emigrandum ex hoc ſæculo ad patriam. Paratus erat ſanctus Job, qui dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* quaſi diceret: paratus ſum quandocunque vocaveris ad reddendam rationem. Job. 14. Quod ut n[illegible] quoque ſinguli faceremus, voluit Deus ex ſingul[illegible] miſericordia ſua incertam nobis eſſe mortis hora[illegible] Julius Cæſar nunquam prælii aut expeditionis tempus militibus prædixit, ut omnibus horis in præ[illegible] deſcendendum eſſe putarent. Suet. & Polyænus l[illegible] Eandem ob cauſam Deus ſummus Imperator n[illegible]ſter occultam nobis voluit mortis horam, ne ſi e[illegible] ſciremus, occaſio fieret illa ſecuritas maximæ neg[illegible]gentiæ & damni irreparabilis.

Vidimus qua ratione præparati & accincti e[illegible] debeamus ad iter verſus terram promiſſionis n[illegible]ſtræ. Vidimus impedimenta itineris; carnis volup[illegible]tem, mundi & opum amorem, libertatem noxia[illegible], denique ſomnolentiam & ſalutis noſtræ incuria[illegible]. Vidimus & cingula, quibus hæc amoliremur: ca[illegible]tatem, paupertatem, obedientiam (quæ ob tria [illegible] obſtacula, amplectuntur religioſi per tria vota) [illegible]niq; præparationem ad beatam mortem. Abjiciamus igitur impedimenta illa, abjiciamus opera te[illegible]brarum & induamur arma lucis &c.

THEMA IV.

Varii Dracones debellati à ſancto Sylveſtro.

I. *Tarquinius urbis Præfectus.*
II. *Conſtantinus Magnus Imperator.*
III. *Synagoga Iudæorum.*
IV. *Gentilium ſuperſtitio.*
V. *Hæreticorum turba.*

Apprehendit draconem, & ligavit eu[illegible] per mille annos. Apoc. 20.

SAnctus Joannes Apoſtolus, qui in ſua Pathm[illegible] futurum Eccleſiæ ſtatum ac progreſſum vidit, [illegible] in Apocalypſi deſcripſit, ait capite 20. ſe vidiſ[illegible] Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clav[illegible] abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, appreben[illegible]diſſe quoque draconem, ſerpentem antiquum, qu[illegible] eſt Satanas, & ligaſſe eum per mille annos & miſi[illegible]ſe in abyſſum. Viſio hæc obſcura eſt & à variis va[illegible]riè exponitur. Sunt qui tempore Conſtantini ho[illegible] contigiſſe volunt, quibus non difficile aſſentior cùm ad ipſius converſionem Eccleſia triumphare, Idololatria vero ſterni & exterminari cœperit. Angelum porro illum ſi B. Sylveſtrum dixero, non multum aberravero: ipſe enim vir vere Angelicus, & quaſi de cœlo ad Eccleſiam gubernandam miſſus, accepit quidem à Chriſto claves cœli, ſed & clavem abyſſi ad includendum draconem, qui Romam infeſtabat; & catenam magnam ad ligandum Satanam, qui per Idololatriam totum pene mundum ſibi ſubjecerat. Quæ quidem hic Sanctus fecit, cùm baptizato Conſtantino Magno Gentiliſmum [illegible]greſſit,

pressit, Christianismum exaltavit. Hinc jam ab antiquo imago S. Sylvestri cum dracone ad ejus pedes ligato pingitur. Neque vero unus tantùm est draco, sed complures, quos ipse sub jugum misit, & nos hic referemus.

I. Primus fuit Urbis Romæ præfectus (Tarquinium appellat S. Antoninus in hist. tit. 9. cap. 1.) qui cùm à Sylvestro Timothei Martyris, quem hospitio ille exceperat, facultates requireret; ipsi nisi eas depromeret simulque Diis sacrificaret, supplicia & mortem in crastinum minatus est. Cui Sylvester, prævidens ejus interitum, Evangelico verbo respõdit: *Hac nocte animam tuam à te repetunt: quæ autem minatus es, non licebit ad effectum deducere.* Quo dicto conturbatus simul & exacerbatus Præfectus Sylvestrum in vincula compingi jubet; postea dum prandet, spina piscis gutturi ejus adhæret, quæ cùm nec Medicorum nec Magorum vi eximi posset, miserum sequente nocte suffocavit. Ita Sylvester liber è custodia dimissus est, sicq; mira rerum commutatione, Sylvester è carcere liberatur: Præfectus è prandio cum luctu effertur. Impletum est in Præfecto illo, quod ait Ecclesiasticus c. 14. *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Draco nimirum fuit, qui dum templi prædæ, pecuniæ & animæ Sylvestri inhiat, arefecit & suffocavit animam suam. Contigit ei ferè, quod draconi illi, quem Daniel interfecit in Babylone, habitum pro Deo, injecta in fauces ejus massa ex pice, adipe & pilis confecta; qua draco suffocatus & diruptus est Dan. 14. Sententia illa, quam ex Christi ore Sylvester desumpsit, similis quædam massa fuit, quæ hunc draconem suffocavit, juxta id Hebr. 4 *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio acuto.*

II. Secundus fuit Constantinus Imperator, qui initio Imperii sui, cùm adhuc Gentilis esset, sane crudelis fuit. Nam *ubi Romam venit*, ait Zosimus l. 2. apud Baron. an. 324. *omnis arrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium existimavit. Nam Chrispum filium Cæsaris ornatum titulo, quod in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca* (Constantini uxore) *consuesceret, nulla ratione juris naturalis habita, sustulit. Cumque Constantini mater Helena tantam calamitatem ægro ferret animo & intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet, quasi consolans eam Constantinus, malum malo majori sanavit. Nam cum balneum accendi supra morem jussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit.* Addit Eutropius, plurimos etiam amicos ab eo interfectos. Denique Ablavius Consul Palatinus foribus affixo disticho, testatus est publico scripto in aureo (Constantini) sæculo *Neroniana tempora rediisse.* Baron. ibid. Colligitur idem ex fuga S. Sylvestri in montem Soractem, servantis se meliori Christianorum bono à persecutione adhuc sæviente sub initia imperantis Constantini: item ex sanguinolento parvulorum balneo, quod instituere parabat, quanquam matrum lamentis permotus, propositum mutavit. Ergo non injuriâ draco ante susceptam fidem appellari poterit. Verùm ecce quomodo Sylv. ipsum edomuerit. Postquam n. Constant. Apostolor. Petri & Pauli apparitione monitus est, ut Sylvestrum accerseret & ab eo baptismum susciperet, Sylvester nequaquam eum statim, ut rogabatur, admisit ad salutarem illam piscinam, sed *oportet*, inquit, *te prius jejunare, Imperator, & Deum placare lachrymis, quæcunque peccasti, confitentem. Depone ergo purpuram & diadema septem diebus, & tuæ Regiæ penetrale ingressus, clausis januis, in sacco & cinere humi jacens; in luctu age pœnitentiam: & jube claudi templa idolorum & cessare eorum sacrificia: qui sunt in exilio & ad metalla damnati, & in carceres conjecti, libera Christianos. Largire laxationem iis, qui sunt in vinculis & omnibus aliis afflictionibus sis benignus in eos, qui te rogant, & justas imple petitiones: iis, quas habes, facultatibus impertire pauperes.* Quæ omnia affirmavit se facturum Imperator. Post expletam ergo pœnitentiam septem dierum, cùm ad baptisterium accedens se nudasset, carnemque lepra infectam palam ostendisset, suscepto baptismo sanus egressus est, moxq; totus à se alius factus: ex superbo humilis, adeo ut suis manibus templi fundamenta fodere & terram humeris efferre non dubitaret: ex sævo & feroce mitissimus & humanissimus, etiam erga hostes, & eos, qui statuam ejus lapidasse dicebantur, quibus omnem pœnam remisit, & scelus joco elusit: ex parco liberalissimus in pauperes & templa, quæ ingentibus affecit ac ditavit muneribus: ex impio denique piissimus. Videant hic & discant à summo Romani Imperii capite minores alii Magistratus & magnates, Christianam humilitatem & erga Ecclesiæ Prælatos obedientiã nequaquam eos dedecere, sed maximum potiùs decus & laudem parere.

III. Tertius, erat duodenarius Judæorum numerus, quos in disputatione publica convicit erroris, simulque fidem Christianam comprobavit Sylvester præsente Constant. & matre ejus Helena; quod præter alios plures testatur Hadrian. Pp. in Epist. 3. ad Car. M. scribens in ea, Sylvestrum *tam per sacram scripturam, quam per miracula Domino protegente victorem effectum.* Disputationem illam refert inter alios S. Antonin. in p. hist. tit. 9. cap. 1. In ea Judæus quidam magus Hebraico nomine Dei, in tauri ferocis aurem insusurrato; eum quidem occidit, sed ad vitam revocare non potuit; quod tamen Sylvester in nomine Jesu Christi statim effecit. Ex hoc porro certamine elucescit inprimis vanitas Magorum & magicorum carminum; quod notatum à Christianis velim, qui subinde adhuc fidem illis tribuunt & eorum opem implorant. Patet igitur dæmonem ejusque asseclas mortificare quidem posse, quod & bestiæ possunt, non item vivificare. Cujus rei simile exemplum legimus in vita sancti Juliani Martyris Antiocheni sub Maximino Imperatore apud Metaphrasten & Lipellin. 9. Januarii. Cùm enim ex carnificibus Sanctum percutientibus quidam ocu-

III. *Synagoga Iudeorum.*

oculum sibimet excussisset, Julianus ad Martianum præsidem ait: *Vides hunc miserum scelere suo alterum lumen amisisse; nunc igitur, si ea est Deorum tuorum quam prædicas virtus, jube Pontifices & Sacerdotes nefandorum Deorum precibus suis lumen amissum restituere. Cum vero manifesto cognoveris, deorum tuorum virtutem nullam esse, ego virtute Domini mei Iesu Christi efficiam, quod illi præstare minimè possunt.*

Hac conditionis æquitate convictus Præses, vota fieri, & preces surdis lapidibus multiplicari jussit. Sed simulacra Juliani, vero Deo supplicantis, virtutem sustinere non valentia, in pulverem redacta sunt, & dæmones suam ipsorum miseriam horrendis clamoribus testari. *Quomodo*, ajebant, *nos sempiternis tenebris inclusi, lumen quod non habemus, cæco præstare possumus?* Pontifices hac Deorum ruina graviter perculsi, Præsidi eam nuntiare ausi non fuere. Sed is ubi ex Juliano rem totam intellexit, furore contabuit, & conversus ad Julianum; *Tu quidem, ô sceleste*, inquit, *magicis tuis artibus Deorum nostrorum patientiam irritasti; qui pro sua in te clementia, pœnas tanto scelere condignas irrogare differunt; ut ad saniorem aliquando te mentem reducant. Nunc vero Christi tui virtutem ostende, & oculum, quemadmodum promisisti, amico nostro restitue; sed ut omnem vim fraudis dissolvam, & magicarum artium virtutem extinguam, lotio te perfundi jubeo. Fac*, inquit Julianus, *quod libet, numquam enim Dei omnipotentis virtutem superare poteris.* Hæc ubi dixit, lotio totum ejus corpus perfusum est; quod statim teterrimo fœtore amisso, suavissimum balsami odorem spiravit: tunc è vestigio Julianus sanctissimo crucis signo, oculo impresso, extinctum lumen plene restituit. Martianus vero tanta virtute nihil motus, sed eam magicis artibus impiè adscribens, novo furore excandescere, supplicia renovari jubet, carnificum tarditatem increpat, denique eum, qui à B. Juliano, cum corporis lumine lucem animæ, donum quippe Christianæ fidei, acceperat, gladio feriri, Julianum vero gravi catenarum pondere oneratum, sub præconis voce per omnes plateas deduci mandat. Ex vita etiam S. Fortunati Episc. Tudertini habemus maleficos, dum obsessa muliere in aquam mersa, incantationibus pellere dæmonem ex ea moliuntur, unum quidem expulisse, sed pro ea integrâ legionem, quæ loco unius miseram invasit, accersivisse. Quam ad extremum liberatam à S. Fortunato scribit S. Greg. M. l. 1. Dial. c. 10.

IV. *Gentilium superstitio.*

IV. Quartus erat Gentilium superstitio, qua draconem Romæ in specu latitantem halitu suo civibus noxium, ab illis tamen persuasione sacrificulorum pro numine quodam cultum inclusit in nomine Domini adeoque enecuit, seu fame, seu nece subita. Cujus rei memoria adhuc extat Romæ ad radices Capitolii in templo, quod vocatur *Sa. Maria libera nos de pœnis inferni*, ut refert P. Corn. in c. 14. Dan. Plures alii sancti sustulere suis precibus dracones & hujusmodi serpentes, ut habet Baronius anno 324. Verùm S. Sylv. una cum hoc dracone sustulit etiam Gentilium superstitionem, ipsumque Gentilismum, magna saltem ex parte. Una n. cum Constantino adduxit ad fidem quamplurimos Romanos, effecitque ut spelunca draconis fieret templum B. Virginis, & Roma spelunca superstitionum & Idolorum fieret caput Ecclesiæ & domus SS.

V. Quintus erat caterva Hæreticorum, qui Judæis & Gentilibus jam depressis Ecclesiam vexare cœperunt. Fuit autem inprimis Arrius, quem habito Concilio Nicæno, missoque ad id Hosio Episcopo Cordubensi legato suo, in conventu 318. Episcoporum, & rursum altero 284. Episcoporum Romæ habito, condemnavit. Neque solum hoc, sed præterea Ecclesiam Cath. mirificè exaltavit: postquam Constantinus passim ædificari templa & jussisset & permisisset, eaque magnificè dotasset, Pontificiam præsertim sedem Romæ stabilivisset & potentia firmasset, cedendo ei Romam & secedendo Byzantium, ubi alteram sibi Romam strueret (ut multi antiqui scribunt) quo nimirum Ecclesiam conservare & contra Gentiles atque Hæreticos defendere ac tueri posset. Ferit hoc adversariorum oculos, qui Papam ejusque clerum Petro & aliis Apostolis inopia parem optant ut ipsi libitu suo vivere, spretis & subactis Ecclesiæ prælatis, possent. Verum id neq; rationi, neque sacrarum literarum vaticinius consentaneum erat. Primum agnovere ipsi Reges & Imperatores, qui idcirco Ecclesias & Episcopatus tot reditibus vallarunt, uti post Constantinum Car. M. in Gallia, *ne sancta Dei Ecclesia hujus sæculi potentibus subjaceret aut tyrannidem eorum pavesceret: imo superborum colla, Dei virtute superior calcaret*, ait Stephanus Abbas Leodiensis in vita S. Modoaldi apud Sur. 12. Maij. Deinde prædixit id Isaias inprimis c. 60. cùm ait de Ecclesia novæ legis: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem. Suges lac gentium*, (Chaldaicè, *satiaberis divitiis populorum*) *& mamilla Regum lactaberis* (septuaginta habent: *divitias Regum comedes.*) *& scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* In superbiam sæculorum posita est Ecclesia, cùm ei Roma caput mundi & sedes Imperatorum sponte se subjecit & cum ea totus Orbis Romanus, ita ut Reges ipsi honorem deferrent, & genua sua flecterent. In gaudium verò, cùm iidem Reges & Principes magis sibi gavisi & gratulati sunt, quod essent filii Ecclesiæ, quam quod essent Reges & Imperatores, uti fassus est Theodosius senior Imperator & Sanctus Ludovicus Galliæ Rex. Sugit lac gentium, dum Regum opibus & piis fundationibus enutritur & augetur; quod etiam capite quadragesimo nono dixit Isaias: *Erunt Reges nutricii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Denique hoc etiam spectat ad Christi Domini gloriam, ut citato loco postremis verbis indicat Isaias: *Et scies, quia ego Dominus salvans te & redemptor tuus fortis Iacob.*

Quis

Quis enim non miretur Christi potentiam, qui sua, quam in hoc mundo elegit ac tenuit, paupertate Ecclesiam suam adeo ditavit, non armis aut potentia, sed spontanea Regum Principumq; liberalitate, ita ut non modo suas facultates, sed etiam seipsos ad Ecclesiæ, Apostolorum & Pontificum pedes abjicerent. Unde enim Ecclesiæ illa divitiarum affluentia, summi Pontificis majestas, S. Petri opulentissimum patrimonium, Cardinalium amplitudo, Episcoporum dignitas, potentia & principatus, Prælatorum splendor, monasteriorum opulentia, Canonicorum opimi reditus, militarium ordinum prima nobilitate divitiæ, templorum, altarium, sacrorum utensilium nitor & pretiositas, nisi ex Christi Domini paupertate? *Quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*, ait Apostolus 2. Cor. 8.

Laudemus ergo virum hunc gloriosum, tot draconum debellatorem, laudemus parentem nostrũ, per quem habemus Imperium Romanum, Christianum & Catholicum: habemus etiam nos, quod devicto illo stygio dracone, Ecclesiæ filii simus & hæredes regni cœlestis, &c.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

THEMATA.

I. *Variæ strenæ variis optantur.*
II. *Non fidendum anno.*
III. *Quid agendum ut bene succedant anni futuri.*
IV. *Præsagia pro futuris annis.*
V. *Nomen Jesu dabit annum salutiferum.*
VI. *Poderis [illegible], quæ est fidelium Ecclesia sancta, Christo in xenium petitur.*

THEMA I.

Variæ strenæ variis optantur.

I. *Magistratui, ut fiant hortulani.*
II. *Religiosis, ut moriantur.*
III. *Consiliariis chiragra.*
IV. *Literatis, ut stulti fiant.*
V. *Conjugibus, ut vir surdus sit, uxor autem cæca.*
VI. *Virginibus & viduis podagra.*
VII. *Pauperibus, ut tales maneant.*
VIII. *Divitibus, ut descendant in infernum viventes.*

Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales. Act. 26.

Antiquissima consuetudo est, ut hoc die alter alteri bonum & felicem annum optet. Quin & antiqua opinione seu superstitione potius creditum est, nihil hoc die mali optandum esse; eo quod crederent optata revera eventura. Motus inde quispiam, præsentibus multis, optavit sibi hodie: *Utinam deberem decem millia aureorum!* Absit, inquiunt adstantes: nihil hoc die mali optandum, quia evenire solet. Verùm alter: Nescitis, inquit, quid optarim. Bene, non male mihi sum precatus. Debeo enim centum millia aureorum: opto igitur ut solum decem millia debeam. Refert Pontanus in Att Bellariis. Multoties videtur aliis malum esse, quod optatur, cum revera bonum sit. Ita cum Agrippa Rex Tetrarcha Judææ audisset Paulum vinctum, Christum prædicantem, & dixisset: *In modico suades Christianum fieri*; Paulus respondit: *Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales*; scilicet Christianos. Hic certe optimam rem optaverat Agrippæ, quanquam ille hoc non intellexit, sed abrupto colloquio surgens discessit. Igitur si & ego Paulum imiter, & vobis optem ea, quæ carni quidem displicent, animæ verò ad salutem prosunt: spero utique vos non discessuros cum Agrippa, cæco & Gentili, sed libenter accepturos, & sicut oportet sano intellectu, non, ut sonant ad literam interpretaturos.

I. Primæ videntur deberi Magistratui sive Ecclesiastico, sive sæculari. Et quid huic optabo? Opto ei ut induat naturam hortulani. Hoc optavit ac persuasit pius quidam Eremita Theodosio Imperatori, referente Beato Petro Damiani Cardinali Episc. lib. 7. ep. 11. ad Gotifredum Ducem Tusciæ. Hic enim cum in familiari conversatione suasisset Imperatori clementiam erga reos, abstinentiam ab effusione sanguinis eorum: indeque obtemperante Imperatore Respublica sceleratis impleretur: conquerentibus de injustitia Imperatoris statibus, iterum misit veredarium ad Eremitam, consilium alterum petens. Ergo Eremita præsente & inspectante legato, arripit sarculum & hortum ingressus, sarrit & noxia demolitur, steriles herbas extirpat, virentes excolit, & communit olusculo: tum abire lega- I. *Magistratui, ut fiant hortulani.*

legatū & referre Imperatori, quæ videt, jubet. Indignatus hic quasi absq; responso dimissus, retulit quæ vidit. Rem mox intellexit Imperator, ut nimirum reprobos eradicaret, bonos foveret: sic fecit & Rempublicam composuit. Addit Damianus exemplum Ottonis III. Imperatoris, qui suo ævo, cum esset primum viginti annorum, tribus regni proceribus, Rudolpho, Raimundo & Arimundo bonorum alienorum direptoribus, oculos eruit, eoq; exemplo totum regnum tremefecit & in pacē reposuit. Unde per ora populi vulgatum erat: *In evulsione sex oculorum pacatum est regnum.*

II.
Religiosis, ut moriantur.

II. Religiosis opto ut moriantur, si vivunt, vel si mortui sunt, ne ad vitam redeant. Hoc enim & David aliquibus optavit, scil. *veniat mors super illos*, Ps. 54. Optavit & suo discipulo S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilii ut in ejus vita habetur. Is enim cum quæreret è Magistro suo Gregorio, quid esset abnegatio sui adeoq; religiosus; misit illum ad cæmiterium, jubens, ut ossa mortuorum calumniis, probris ac convitiis oneraret, quantum posset. Fecit ille jussa, dicens: *Vah ossa putrida, putrida, vermibus exesa, viperis scatentia? Vah deformia cadavera, ossa latronum, sacrilegorum, furum, &c.* Reversus ad Præsulem rogatur quid responderint ossa, an se defenderint, an expostulaverint; an columnias rependerint aut verbera? Respondit minimè: sed muta conticuisse. Jubet ergo rursum ire, eaq; laudibus evehere; Tum is: *Hem ossa candida, nitida, nobilia, capita principum, heroum, Doctorum, heroinarum* &c. Rediit & rursum interrogatur, an sibi applauserint, gratias egerint, exultarint, intumuerint? Nihil horum, inquit ille, sed ne minimum quidem se commoverunt. Tum Præsul: *Vade & tu fac similiter, non movearis laude vel vituperio, & sic abnegabis te ipsum, fiesq; religiosus bonus.*

III.
Consiliariis chiragra.

III. Consiliariis & officialibus quid optandum? Opto illis chiragram: sed moralem, non naturalem; ut sint impotentes ad capiēda munera. Projice bursam auro gravem in manum chiragrici; statim is cum clamore tibi indignabitur, aurumq; excutiet. Hoc istis opto, ut munera oblata velut semina dolorum respuant & abjiciant. Non est spernendum hoc, quod Christus ipse precatur Matth. 18. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te. Bonum est tibi debilem* (græcè κυλλὸν, id est, *mancum*) *intrare in regnum cælorum, quam duas manus habentem mitti in gehennam ignis.* Quid abscissa manus velit, docebit Plutarchus, & ipse senatorii Ordinis in Illyrico ab Imperatore Trajano constitutus, qui ait in lib. de Iside: *Thebis judicum imagines visuntur absq; manibus & summi judicis oculi connivent; eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Adfert idem in Apoph. exemplum M. Curij Senatoris Romani, cui ad focum sedenti & rapas coquenti cum Samnites magnum auri pondus attulissent pro munere, respuit id, asserens, *se auro opus non habiturum, quamdiu tali cibo contentus vixerit.* Voluit ergo dicere, se chiragram haber[e] nec posse acceptare aut numerare pecunias. O chi[...]ragram salutarem! nā alioquin *munegra cum mu[...]va* (argentum & aurum) *faciunt rectissima curva* & trahunt in gehennam. Silber vnd rothes Go[...] macht mir den Richter hold. Das gerad macht [...] krumb/was her gehört/gibts hinumb.

IV. Litteratis & studiosi quidnam? Opto eis [...] stulti fiant. Quid? Sapientiam illi quærunt. Sed an[te]quam ad eam pertingant, prius stulti fieri debent. [...] enim eis optat S. Paulus 1. Cor 3. *Si quis videtur [in]ter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sa[pi]ens.* Stultus, inquam, coram mundo, per humili[ta]tem, disciplinam, crucem & obedientiam Chri[sti], quæ tamen stultitia sapientia est coram Deo. Itaq[ue] literati inprimis agnoscant se esse rudes, & paru[m] adhuc scire, multoque plura se nescire, quam sciu[nt]; adeoque semper sibi discendum esse. Hoc est, qu[od] Menedemus apud Plut. de profectu virtutum dix[it], quod *studiosi, qui discendi gratia Athenas navig[a]rent initio sibi viderentur sapientes, dum Philosop[hi], tum Oratores, tandem progressu temporis rudes & p[le]beji; quo enim magis doctrinæ se præberent, eo ma[gis] fastum & ignorantiam deponerent.* Planè sicut qu[i in] valle est, putat vicinum esse cælum & montib[us] inniti: ubi ascendit montem, ibi primum videt m[ul]to longius id distare, quam in valle apparebat. N[ec] hoc solum, sed plus intendit Apostolus, ut nir[u]rum amplectantur disciplinam, obedientiam, c[ru]cem, quæ coram mundo est stultitia, coram D[eo] sapientia vera; submittant se disciplinæ & obedi[en]tiæ, captivent intellectum in rebus fidei: subjicia[nt] se Christi & Ecclesiæ præceptis. *Ita tres magi*, [ut] S. Bernardus ser. 1. de Epiphania, *puerum adorant in præsepio, insipientes facti sunt, ut fierent sapien[tes], & edocuit eos Spiritus, quod postea prædicavit A[po]stolus: Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapi[ens]. Ingrediuntur stabulum, inveniunt pannis involut[um] infantem; non illus sordet stabulum, non pan[nis] offenduntur, non scandalizantur lactentis infant[ia], procidunt, venerantur ut Regem, adorant [ut] Deum.*

V. Conjugatis opto, quod optavit illis magn[us] & sapientissimus Rex Aragoniæ Alphonsus, nim[i]rum, *ut vir surdus sit, uxor autem cæca*; referet [...] Panorm. in rebus ejus gestis lib. 3 c 7. Surditate[m] optabat viro, ne attenderet ad garrulitatem & c[on]loquia uxoris, neq; facilè audiret, quæ de ipsa [di]cuntur & finguntur. Cæcitatem uxori, ne curio[se] inspiceret aut investigaret acta & gesta mariti: ne[c] in alios viros oculos injiceret; sic enim fore co[n]stantem inter eos pacem & tranquillitatem. H[oc] etiam optat illis Eccles. c. 9. *Non zeles mulierem [si]nus tui* (uxorem scilicet,) *ne ostendat super te mali[ti]am doctrinæ nequam*, hoc est, ne hoc ipso quod [su]specta tibi sit & nimis constringitur, incipiat exc[o]bitare. Fuēre sanè tales Joseph & Maria parent[es] Christi. Ille cum videret prægnantem conjuge[m]

fuge

fugere potius & deserere eam voluit, quam curiosè inquirere unde conceperit. Hæc nihil ad conjugis molimina attendit, quasi cæca foret, rem Deo commendans.

VI. Virginibus & Viduis opto podagram, quò compellantur sedulo domi manere. Hoc optat illis S. Paulus ad Tit. 2. ubi vult adolescentulas esse *domus curam habentes.* Sollen das Hauß hüten. nulli autem melius custodiunt domum, quàm podagrici. Optarunt & antiqui Ethnici, qui Phidia sculptore Venerem, seu castam & speciosam mulierem ex auro & ebore conflarunt, quæ altero pede testudinem premebat. Pausan. in Eliacis lib. post p. 203. Testudo domiporta, domi ut affixa hæreret, monebat: siquidem testudo à sua domo non egreditur. Podagra ad evagandum, saltandum, convivia & spectacula adeunda ineptum hominem facit. Id viduis & virginibus prodest. Quemadmodum enim instrumentum musicum, nullibi integrius & sanius servatur, quam domi suæ; si enim in alienas domos efferatur ad convivia, choreas, &c. nunquam integrum redit; vel enim fides aliquæ rumpuntur vel consonantia deperditur: ita accidit puellis. Expertaid est Dina, filia Jacob, quæ à patria domo semel tantum egressa ad vicinam urbem, ut mulieres spectaret, statim rapta & corrupta est à Sichem. Gen. 34.

VII. Pauperibus opto apud Deum, ut nunquam divites fiant. Id sibi optavit Sapiens Prov. 30. *Mendicitatem & divitias non dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum & dicam: Quis est Deus? aut necessitate compulsus furer.* Idem S. Franciscus hospiti suo in villa Tysi prope montem Alverniæ, bene ab eo habitus, pro gratiarum actione precatus est, & obtinuit à Deo, ut domus illa, nunc S. Francisci dicta, nunquam vel ditesceret, vel ad egestatē deveniret, teste Luca Waddingo in Annal. Minor. ann. 1215 n. 11. Notum est, quod in vita S. Antonini Archiepisc. Florentini refertur de quadam domo, cui iter faciens Antoninus vidit insidere Angelos; reperitq; ibi viduam & tres filias malè vestitas, operibus manuum se operosè nutrientes, & quidem necessitatis gratia die etiam festo laborasse. Quare tantum eis pecuniæ dono dedit, ut honestè se sustentare possent. Verùm ubi labente tempore iterum illic transiit, vidit cacodæmonem tecto domus insidere, reperitq; eas otio deditas & cultius vestitas. Reprehendit eas proin, & ut ad pristinum statum se componerent, admonuit. In vita ejus. 2. Maji. Quare aliquando præciduntur alæ aviculis? ut ne à nobis avolent. Idem facit Deus pauperibus. Crescant illis pennæ, mox à Deo avolabunt.

VIII. Divitibus, qui ducunt in bonis dies suos, opto id, quod David, mansuetissimus alioquin erga inimicos, talibus optavit Ps. 54. *Descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum.* Id verò explicans S. Bernard. orat. ad fratres de Monte, ait optandum reprobis, ut per meditationem pœnarum infernalium *descendant in infernum viventes, ne descendant morientes.* Opto igitur illis ut descendant cogitatione & sedula meditatione ad divitem Epulonem in infernum, videant pœnas ejus, flammam, sitim, clamorem; & interrogent eum quid fecerit, quo pœnas illas commeruerit. Respondebit enim non ob furta vel homicidia, non ob usuras & adulterii, non ob blasphemias aut sacrilegia se tanta illa tormenta pati; sed quia vestiebatur bysso & purpura supra statum suum, & quia epulabatur quotidie splendidè, quærens in conviviis splendorem vanæ gloriæ: & quia quotidie, nunquam jejunans; & quia pauperi Lazaro nihil de mensa dabat. Itanè verò propter has solas & tam leves culpas tanta tormenta patitur? Ita sanè. Attendant igitur divites, utrum non & ipsi talia hæc faciant. Et quem alium finem sortientur, si hæc egerint, nisi epulonis? Qui enim vita & moribus pares sunt, nunquid mercede impares erunt? Quid igitur jam vultis? ut optem vobis annos Lazari, an Epulonis in hac vita? Lazarus hic recepit mala, dives autem bona, ut testatur Abraham: Lazarus annos malos, dives bonos habuit. At nunc versa vice Lazarus consolationibus perfunditur, dives autem cruciatibus perurgetur. Videmus igitur non semper esse bonos dies, qui boni æstimantur: nec malos, qui mali. Aliter mundus judicat, aliter Deus.

Quare si vultis universum, & secundum sanum judicium optem vobis aliquid, opto vobis annum malum, id est, laboribus, tribulationibus, asperis patientiæ, pœnitentiæ, abstinentiæ aliarumq; virtutum operibus plenum. Uno verbo opto vobis annum Lazari, (non annum Epulonis) qui licet habeat malum & triste initium, sortietur tamen bonum & beatum finem.

THEMA II.

Non fidendum Anno.

I. *Quia se longum fingit, cum brevissimus sit.*
II. *Quia se novum appellat, cum semper sit antiquior.*
III. *Quia multa sæpe promittit, sed pauca præstat.*
IV. *Quia de modico errore in magnum deducit.*
V. *Quia blande excipit, sed occulto hoste necat.*

Consummati sunt dies octo. Luc. 2.

INterrogo vos. Audit. Quid optaretis amico vestro, qui transire debet sylvam aut pagum, ubi

ubi latet aliquis ejus insidiator, prædo vel inimicus? Meo judicio optaretis ei loricam, (Ein Panzer) qua incolumem se servaret. Id enim Jeremias suadet Ægyptiis, invadendis à Nabuchodonosore: *induite vos loricis*. Jer. 46. Habeo igitur Auditores, quod pro novo anno precer vobis. Transire debetis annum bis sextilem, (Ein Schale Jahr) quem Germani, per Sarcasmum appellare solent, ein Schalck Jahr/ hoc est, annum nequam seu dolosum, annum malum & suspectum. Quanquam non hic solus talis est, sed alii etiam omnes. Id enim fatetur Apostolus Eph. 5. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Tertullianus antiquissimus auctor l. de fuga in persecut. c. 9. legit: *quoniam dies nequam sunt.* Fatetur idem Jacob Patriarcha Pharaoni Regi Ægypti: *Dies peregrinationis meæ* 130. *annorum sunt: parvi & mali*, Gen. 47. Eccur verò mali? Quia insidias passus est à fratre Esau, à socero Laban, á Sichimitis, à filiis propriis, aliisque. Quando ergo tam charus Deo servus tam malos habuit annos, non video cur nos expectemus meliores. Et si talem transituri sumus annum, quid aliud vobis precari possum, quàm quod Apostolus in eadem Epistola c. 6. subdit. *State ergo induti lorica justitiæ*? Lorica vero justitiæ secundum Chysostomum in eum locum lib. 24. *est Catholica & virtute prædita vita*; seu, quod eodem recidit, bona conscientia. Hanc precor, hanc induite, & nil vobis nocebit annus iste nequam. Sed jam videamus technas, dolos & nequitias non hujus tantum anni, sed aliorum etiam quorumcunq; tandem.

I. *Quia se lõgum fingit, cum brevissimus sit*

I. Malus & dolosus, quia se longum fingit, cum brevissimus sit. Id testatur Job c. 16. *Ecce enim breves anni transeunt & semitam, per quam non revertar, ambulo.* Quomodo verò? nonne dies anni 365. sunt? sed en dolum. Sol ab oriente in occidentem, ingenti quidem spatio & longissimo itinere currit, sed eum cursum motu raptus, quo à primo mobili rapitur, uno die absolvit: motu interim proprio seu naturali per eandem revertens annum consumit. Metimur vitam nostram juxta mensuram ætatis à natura præfixæ, v. g. septuaginta annorum, nec attendimus ad motum raptus, quo sæpe violenter multoq; citius abripimur. Juvenis cogitat se posse diu vivere, sed non cogitat se posse cito mori: attendit ad proprium & naturalem solis cursum, qui facit annum; non ad violentum, qui facit diem tantum. Quare si cogitatio tibi subit: Ecce adhuc juvenis sum, nuper exortus sum, adhuc in oriente sum; quam longè distat occidens? quam longe absum à morte? scito quod hoc iter possis uno die percurrere & cursum tuæ vitæ uno die absolvere. Adde: Quàm multi enim juvenes tolluntur ex hac vita, quasi motu raptus, qui multos adhuc annos sibi pollicebantur? Unde est Sapientis, Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Reperiuntur quidem aliqui, qui tardiore gressu, uti Sol retrogradus, cursum vitæ suæ peragunt, vivunt 70. 80. annis sed quam pauci illi respectu eorum, qui citius expediuntur! Nemo igitur sibi crastinum promittat. Unde Ezechias Rex ait: *De mane usq; ad vesperam finies me.* Isa. 38. quasi diceret: de mane usq; ad vesperam semper momentis singulis expecto finem meum.

II. Quia se novum jactat, cum semper antiquior fiat: quemadmodum & ipse Sol, qui nunquam ad eundem numero cursum redit. Unde addit Job citato cap. se non reverti per viam, quam ambulat. Decipiuntur & hic homines: putant annum elapsum reverti atq; innovari, Solemq; ad eundem cursum redire; sed revera errant. Non redit idem annus, sed alius succedit, nec Sol ad eundem numero cursum, quem peregit, redit, sed ad alium, tandemq; absolvet omnes cursus sibi à Deo præfixos. Et tu post annum elapsũ, non redis idem, sed alius: prius infans, postea puer: elapso anno puer, hoc juvenis: elapso vir, hoc senex: illo senex, isto decrepitus. Subrepit tibi lanugo, post barba, tum canicies, post calvities, deniq; mors. Unde S. Hieronymus epist. ad Heliodorum, miratur illam deceptionem: *Quotidie morimur*, ait; *quotidie immutamur; & æternos nos esse credimus.* Unde fit, ut licet magis & magis sẽper accedamus ad sepulchrum, non tamen magis non paremus ad beatam mortem, vitia deleramus, & pietati vacemus.

Accedit quod anni & ætates nostræ furtim se subducant, ita ut vix advertamus: quemadmodum parvuli fures, per exigua foramina intrant & compilant domum, ut non facile deprehendantur. Ideò forsan Jacob appellat suos dies *parvos & malos*, Gen. 47. quasi parvos fures, qui inadvertenter repunt & elabuntur; qua de causa etiam à Christo dies Domini dicitur venire instar furis.

III. Quia sæpe multa promittit, sed pauca præstat. Promittit enim tibi 365. dies; hoc vero anno 366. numeratque omnes ac ponit in Calendario, ac si omnes tibi exhibendi sint. Promittit laria, ac dicit: Ibi personas induemus, ludemus, labimus, stultescemus; promittit nives hiemales; ibi in trheda vehemur; promittit jucundum ver: ibi deambulabimus, ludemus & rosis nos coronabimus; promittit diem S. Georgii, ibi tot reditus, census, usuras accipiemus; promittit æstatem: ibi tot fruges metemus, venationes instituemus, domus ædificabimus. Promittit vacationes & autumnum: ibi aves capiemus, in patriam proficiscemur, vindemiam faciemus, convivia instruemus, cellaria & horrea nostra ditabimus, ad nundinas ibimus & nescio quæ alia. Nonne enim omnia ista tempore consignata sunt in hujus anni fastis? Sed vide ne decipiat te, quia est impostor, ein Schalck. Consignat enim ista in charta, sed unum diem omittit, à quo reliqui omnes pendent. Quis ille? Sancti, qui appellatur: Quod vult Deus. Hunc omittit, cum tamen sine hoc reliqui omnes cadant. Ille ab Hun-

ri

rico Rege in Wandal. persecutione, fragili cymbæ impositus, & in mari derelictus est, ut periret. Attamen factum non est, quod impius Rex, sed quod Deus voluit. Salvus enim Neapolim deductus est. Audiamus S. Jacobum ep. 4. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus quidem ibi annum & mercabimur & lucrum faciemus: Qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ enim est vita nostra? Vapor est ad modicum parens: pro eo ut dicatis: si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Nonne sic delusus est dives ille Luc. 12. dicens: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed quid actum eodem die audit: *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam, quæ autem parasti cujus erunt?* Non absimile est, quod in vita S. Sylvestri legitur de Tarquinio Perpenna, urbis præfecto, qui S. Sylvestro, nondum Papæ, comprehenso & vincto varios cruciatus minabatur, nisi Thimothei Martyris facultates proderet. Cui Sylvester: *Hac nocte animam à te repetent, & tu tormenta tuas minas quomodo ad effectum deduces!* Hinc commotus præfectus arctius eum vinxit. Interea in prandio pisciculi delicatioris osse deglutito & gutturi inhærente strangulatur usque ad mediam noctem, ubi spiritum tandem elisit, sicut ei prædictum fuit à Sylvestro. Baron. & Lipel. 31. Dec.

IV. Quia de modico errore dissimulato in magnum ducit, qui vix corrigi potest. Secuta est Ecclesia post tempus Concilii Nicæni, anno 325. habiti, computum Julii Cæsaris, qui dat annuo Solis cursui 365. dies cum sex horis integris: cum tamen postea Alphonsi Regis castellæ calculus ostenderit, non esse integras sex horas, sed desiderari in iis 134. partem diei, adeoq; ferè quadrantem horæ, ita ut intra 134 annos excedat cursum Solis annuum integro die; sed quia modicum illum defectum per annos fere 1300. non correximus, tandem prodiit magnus error, & totis decem diebus à vero cursu Solis cum festis nostris discessimus, & discedunt adhuc qui antiquum Calendarium observant, augebuntq; errorem uno die singulis 134. annis. Hinc diu laboratum est, donec error iste corrigeretur subtractione decem dierum sub Gregorio 13. Pont. anno 1580.

Quemadmodum ergo in annuo Solis cursu decepti, ex innotabili & modico in magnum errorem inducti sumus: ita contingit plurimis, ut dum hodie, cras & perendie, contrahunt nec emendant jurandi, ludendi, potandi, mentiendi, furandi, turpia amandi assiduitatem, tandē post annum deprehendant ingens in anima sua foramen vitiumque pene inextirpabile. Sic navis dum rimas agens sensim aquam admittit impletur tandem & mergitur. Sic Amyclæ civitatis Italiæ incolæ, dum è vicinis paludibus irrepentes serpentes non enecarunt, vanè persuasi, quod non liceret eos occidere, tandem multitudine illorum obruti, enecti sunt. Unde proverbium: *Amyclam silentium perdidit.* Eras. in Adag. Plin. Eodem modo necat annus homines parvis quidem, crebris tamen, excessibus; unde generantur morbi graves.

V. Quia blande quidem nos intuetur, excipit & aliquantisper ducit, stipatque velut satellitium aliquod: sed in eo tamen, latet hostis unus ignotus, qui machinatur & infert nobis necem. Continet annus duodecim menses, quibus Sol percurrit duodecim signa Zodiaci. Illa ergo signa illique menses ducunt nos per anni cursum: sed unus tandem illorum jugulabit nos: steckt ein Schalck unter ihnen. Scribit Cranzius l. 8. Wandal. c. 13 tragicam historiam sane memorabilem: *Buchardus de Scrapelavit Comes vigesimus septimus Archiepiscop. Magdeburg. 19. annis in Pontificatu peractis, vir sobrius, pius, castus, prudens & qui jura Ecclesiæ suæ magno semper labore tueretur; cui multa foris bella, à ministeriis quoq; Ecclesiæ pericula: sed ubique victor superabat. Cum cives illi Magdeburgenses infesti essent, quod improbam eorum voluntatem refrænaret, cessit urbe cum clero. Erant inter cives, quibus fideret Archiepiscopus, qui multa pro illo ad populum tentabant, ut reconciliaretur suo domino. Pollicebantur se eo præsente melius omnia, quam per interpositos acturos. Venit ergo, & rebus, ut videbatur, omnibus compositis, juravit utraque pars super V. Christi sacramento. Non multo post à civibus capitur, recrudescunt iræ in populo, & in carcerem tenebrosum detrusus, catenis oneratur, maceratur inedia, mille excruciatur modis. Delecti tandem viri duodecim, de Magdeburgo 8. de Hallis 4. personati, sed habitu simili. Claves manibus tenentes irruunt in carcerem, vinctum Pontificem ludibundi chorizantium in morem circumeunt, & ut in tenebris poterant, clavis sæpe innoxius jacentem tangunt: tandem chorea sæpius in orbem ducta ne internosci, quis caderet, posset, unus ex his clava Pontificis caput graviter percussit; choream tamen continuaverunt, donec ferè mortuum cognoverunt. Cadaver anno penè toto in carcere relictum, ignorantibus eadem ejus Canonicis. Tandem cives velut ignari rerum spectatum eunt, quid agat Archiepiscopus. Reperiunt jam fætore gravi, vermibus scatere; sic ut non posset internosci Pontificis, nisi in capite, signum. Extractus in medio templo tumulatur. Interdictum urbi divinis officiis: excommunicati omnes conscii. Episcopus Merseburg. gladium districtum carnalem.* Quid videtur vobis? Nonne hæc feralis chorea ad amussim nobis depingit anni cursum? Saltant circum nos 12. menses & cum iis duodecim signa percursa à Sole, quasi cives duodecim, blandi ac ludibundi; & singuli quidem clavam capiti nostro impingunt, non magna quidem læsione, quia particulam solum modicam vitæ nostræ detrahunt: sed unus tamen aliquis latet personatus atque incognitus inter illos menses, qui fortissimo tan-

V. *Quia blande excipit sed occulto hoste necat.*

tandem ictu vitam nobis abrumpet. *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali sunt.* Diogenes cum aliquando ab obvio alapam accepisset, nil aliud reddidit, quam malum esse, quod homines nesciant, quando galeis tecti prodire in publicum debeant. Semper ergò instructi galea prodire debemus, quæ est *spes salutis*, ad Thessal. 5. sed unde nobis spes salutis, nisi à bona conscientia seu justitia.

Visa ergo nequitia animi, *state induti lorica justitiæ*, non sola casside, sed lorica totum corpus operiente; ne alioquin cum Achab Rege 3. Reg. ultim. vel una parte nudati vulneremini & pereatis. De Hannibale Carthaginensium Duce scribitur, quod in bello arma nunquam deposuit, adeoque etiam armis indutus somnum ceperit, ut semper ad pugnam paratus esset. Nos à potiori, ne ab hostibus animæ nostræ incauti obruamur, nunquam deponamus *loricam justitiæ* bonæq; conscientiæ. Quo fiet ut nullo unquam tempore, nihilque metuamus, nullum annum, mensem, diem, horam.

THEMA III.

Quid agendum, ut bene nobis succedant anni futuri.

Quatuor litteræ nominis Iesu expendendæ.

I. *Prima, nominis Iesu littera monet opera à Deo inchoanda.*

II. *Secunda, eadem examinanda esse.*

III. *Tertia, mortis nobis imminentis memoriam refricat.*

IV. *Quarta, Deum præsentem semper in conspectu habendum monet.*

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2.

NEscio Audit. quidnam sibi velit, quod majores nostri, Principes aliqui, etiam monetas aureas nomine JESU consignàrunt. Ita enim legimus factum à Carolo M. Imp. nummos, inquam, cusos, in quibus liber vitæ una cum nomine Jesu expressus erat hac inscriptione: *Iesus Christus Rex regnantium.* Alii nomen idem tribus literis, IHS monetis suis impresserunt. An forsan indicare voluerunt, posse etiam in nomine Jesu reperiri aurum & argentum adeoque veras & solidas divitias? Sapienter profectò & verè, si ita censuerunt. Est enim hoc nomen Jesu thesaurus quidam cælestium divitiarum & quasi liber vitæ, continens ac præscribens viam comparandi veras divitias, quæ sunt bonorum operum merita cælestia, omnia mundi lucra & thesauros longè excedenda. Igitur hunc aureum nummum, hoc aureum monile, nomine Jesu insignitum vobis, Audit. offero pro xenio, ut per id hoc anno omnes opulenti, non hujus terræ glebis, sed cæli opibus evadatis. Quod ne fiat, nummum istum pondarare & expendere conmur. Nomen Jesu Hebraicum est, & quatuor continet literas, Jod, Scin, Vau, & Ajin.

Prima littera est Jod, quæ cum sit apex litterarum, principium significat. Bene nobis succedet annus inchoatus, si principia actionum nostrarum diligenter observemus. Mirum est, quomodo humani generis hostis insidietur operum nostrorum initiis, quod patet ex parabola seminatoris, qui ubi semen bonum sparsit, quamprimum adfuit Diabolus, superseminavit zizania, ut sementem bonam herba suffocaret. Matth. 13. Deinde ex Joannis visione Apoc. 12. in qua Draco hiante ore expectabat partum mulieris, ut devoraret prolem vix editam. Novit enim ab intentione, quæ est principium actionum, dependere totam actionem. Ergo ut opera nostra omnia cum fructu fiant, adeoque bene nobis cedant, primo à Deo inchoanda sunt, ita ut ad ipsius gloriam ea offeramus, priusquam inchoamus. Sic transferemus ea in cælum, ut ibi nobis lucrum & mercedem incomparabilem conquirant, quomodo & proles illa mulieris, Apoc. 12. de qua dixi, illico rapta est ad Deum & ad Thronum ejus. Idque non solum de bonis, sed etiam de operibus ex se indifferentibus intelligendum est, quia *si oculus tuus* (hoc est intentio tua, ut explicat Aug. Greg. M. & Beda) *simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*; ait Dominus Matt 6. *Et si delibatio sancta, & massa: si radix sancta, & rami*, ait Apostol. ad Rom 11, Qui illuminato oculo scribunt, pingunt, fabricant, pulchra opera faciunt: qui cæco oculo, deformia. A libamine hostiæ sanctificatur tota hostia. A radice bona fructus boni, à mala prodeunt mali. Intentio fundamentum ædificii est, bona super petram, mala super arenam struit. Illius opus stabit, hujus verò corruet. Atq; ita fiet, ut omnes nostræ actiones meritum in cælo acquirant nobisq; ingens lucrum pariant.

2. Invocato Dei auxilio ad initium cujuscunque operis, ut det vires perducendi illud usq; ad finem Viderunt & fecerunt etiam hoc Gentiles. Unde Poëta: *A Iove principium.* Alii primum vini poculum Diis suis libabant, alii primos fructus offerebant, alii à precatione opera inchoabant. Unde Plinius initio panegyrici ait: *Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initiū à precationibus caperetur, quod nihil rite nihilque prudenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Senatum habiturus prius hostiam immolabat, auct. Gellio lib. 14. cap. 7. Accedit Horat. l. 3. ode 7 *Hinc* (à Deo) *omne principium, huc refert exitum.* Denique viam ingressuri sacrificabant Herculi, apud Festum Pompejum l. 14. Alex. ab Alex. l. 3. c. 22. Nobis præter Deum, alius Hercules non est. Deum igitur invocemus ingressuri viam, vel, quodvis aliud opus aggressuri, si bene id nobis succedere volumus. Ita suadet Ecclesiast c. 10. dicens: *In his omnibus* (consiliis & actionibus

nibus tuis) *deprecare altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Nos enim initia viarum & actionum noſtrarum quidem videmus, medium vero & finem non videmus. Unde Jeremias cap. 10. ait: *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Et Prov. 29 *Quis hominum intelligere poteſt viam ſuam?* Bene ergo Gregorius Nazianzenus Apol. 1. monet: *Quisquis negotium auſpicatur, non alium meliorem commodioremque ordinem tenere poteſt, quam ut à Deo incipiat & in Deo conquieſcat.*

Hinc non immerito credimus divina diſpenſatione factum, ut primum anni diem Chriſtus ſacratiſſimo illo ſuo Jeſu nomine cohoneſtaret, adeoque anni principio velut januæ affigeret, quo ſciremus ipſi ejuſque ſacro nomini totum annum cum omnibus noſtris actionibus eſſe conſecrandum ab eoque inchoandum.

II, Eſt: *Scin,* quæ ſignificat *dentem.* Duplici de cauſa potiſſimum hominibus dati ſunt dentes, primo ut cibum maſticent & comminuant; deinde ad vocem & literas exprimendas, teſte Ariſtotele 5. de Generatione animal. cap. 8. Qui ergo fælicem ſibi hujus anni progreſſum deſiderat, is primo omnes actiones ſuas initio bene ponderet, & quaſi cibum dentibus rationis maſticet, antequam transmittat; quod aliud non eſt nisi prævio conſilio omnia inchoare, nihilque inconſulto aut imprudenter agere. Conſilium hoc præbet inprimis Eccleſiaſticus cap. 37. citat. dicens: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile,* Tigurina verſio habet: *Initium operis ſit ratio, & conſilium præcedat omne negotium.* Per tenebroſam domum pedetentim eundum eſt, & parietes priùs palpandi, quam greſſus faciendi, Hujuſmodi domus mundus eſt, plenus inſcitiæ tenebris, erroribus, tendiculis & dolis, omnia ergo negotia, ardua præſertim cogitatione palpanda, & ut dixi, quaſi maſticanda ſunt priùs, quam peragenda. Documentum hoc reliquit ſanctus Thomas moribundus fratribus Ciſtercienſibus in monaſterio Foſſæ novæ rogantibus, quomodo hæc vita ſine errore & lapſu tranſigi poſſet. Reſpondit enim: *Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere poſſit, cur eam faciat: Sic enim non ſinet ſe tranſverſum agi à cupiditate, paſſione, caſu, alia vere, quæ eum in errorem inducat.* Refert P. Cornelius in cit. c. 37. Eccleſiaſtici. Fecit hoc Moyſes, qui in dubiis rebus ad Deum priùs per orationem recurrebat; ac priusquam terram promiſſionis ingrederetur, præmiſit exploratores. Sapiens illa mulier Proverb. 31. priùs *conſideravit agrum & emit eum.* Denique ipſi nautæ hanc prudētiam docent, ubi n. navigandum eſt, priùs demiſſa bolide profunditatem maris explorant, uti legimus Act. 27, & viatores vadum fluminis, antequam pertranſeant, imo etiam vulpes, quæ priùs glaciei firmitatem admota aure explorat, quam tranſeat. Stulti ſunt, qui villam priùs emunt, quam videant, ut illi, Luc. 14. quemadmodum & hi, qui gravia opera incipiunt, neſcientes quomodo finituri ſint. Notum puto, quod Stumpſius in Chron. ſuo ſcribit an. D. 1315. de Joanne Stokio, morione Leopoldi I Auſtrii qui Ducis conſiliariis de invadendis confæderatis Helvetis deliberantibus reſpondit: *De invadendo cogitatis omnes, de evadendo nemo.* Quod ſane eventus docuit; cæſo Leopoldi equitatu, fugato peditatu. Ergo initio operis cogitandum de ejus fine & exitu.

2. Verba caute proferenda.

2. Linguam refrænent & caute loquantur. Si quid enim eſt, quod pacem noſtram turbat, & progreſſus noſtros impedit, eſt lingua incauta & verba non maſticata dente rationis. *Novacula* & quidem *acuta* appellatur lingua Pſ. 51. caute igitur tractanda eſt, Hebr. à *Lais*, quod eſt *Leo,* dicitur *Laſcon,* quod eſt *Leunculus.* Quis autem neſcit quanto periculo leones cicurentur & coerceantur? Hinc lingua à natura ori quaſi carceri incluſa & alligata, dentibus velut muro, labiis velut vallo cincta & munita eſt. Jā ergo ſicut vir ſobrius & temperans non deglutit cibum, niſi præmanſum ac prope liquefactum: ita nec vir ſapiens depromit verbum, niſi conſideratione expēſum; & ſicut jaculator, priuſquā bene collimet, non emittit ſagittam: ſic neq; loqui decet antequā ponderetur, quorſum & quo fructu lingua itura ſit. Hoc ſi quis obſervet promittit ei Pſalmiſta fælicem anni progreſſum Pſ. 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam? diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, &c.* Teſte enim D. Jacobo ep. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Didicit enim id, quod difficillimum eſt, & ſignum certum moderationis paſſionum ac cogitationum. Qui vero moderari iſtas novit, facilè ſuperabit omnes difficultates, & mente ſemper ſerena erit. Unde Sapiens Prov. 13. ait: *Qui cuſtodit os ſuum cuſtodit animam ſuam.* h. e. *vitam ſuam,* ut vertit Vatablus: Et Prov. 21. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam ab anguſtiis.* A quibus anguſtiis? A remorſu conſcientiæ, a litibus & rixis, à pœnis eas conſequentibus, ab obligatione reſtituendæ famæ, ab ira Dei & reatu gehennæ. Hinc S. Jacobus c. 3. Epiſtolæ ſuę linguam *clavo* navigii comparat, à cujus gubernatione pendet tota navigii ſalus & interitus.

III. Tertia, mortis nobis imminentis memoriam refricat.

III, Eſt *Vau,* quæ *uncinum* ſignificat. Qualis vero hic uncinus? Qualem oſtendit Deus Prophetæ Amos cap, 8. dicens: *Quid tu vides Amos?* & ille: *Uncinum pomorū.* Et Dominus: *Venit finis ſuper populum meum Iſrael.* Quibus verbis minatur Hebræis, quod ſicut uncino excutiuntur poma ab arboribus, ſic Hebræi capiendi & abripiendi ſint ab Aſſyriis in captivitatem. Jam intelligimus, quid ſibi velit hic uncinus: mortis memoriam nobis ob oculos ponit; quā ſi nobis à tergo inſidiantem quotidie cogitaremus, nullum dubium, quin actiones noſtras ita moderaremus, ut nihil unquam admitteremus quod animæ quietem & fælicitatem poſſet evertere. Uncino poma non tantum matura, ſed etiam immatura violenter excutiuntur; neque illum evitare poſſunt ea,

quæ in alto hærent, aut ſub foliis latent. Pari ratione mors non tantum ſenes, ſed etiam juvenes carpit: neque ſolum eos, qui in plateis jacent, pauperes, ſed & divites ſub tapetibus abſconditos & jacentes in lectis mollibus atque eburneis. Bene ac vere Thomas Morus, dum pro Eccleſiæ & juſtitiæ defenſione incarceratus eſſet dixit: *nihil ſe alieni pati ab aliis hominibus, ſiquidem mundus totus ſit carcer è quo unus poſt alterum educatur ad judicium & reddendam Deo rationem.* ut in ejus vita refert Staplet. Accommodate ad id, quod reſpondit Abbas Ammon cuidam fratri poſtulanti verbum ſalutis: *Vade,* inquit, *& talem fac cogitationem tuam, ſicut faciunt iniqui qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant homines: Vbi eſt Iudex? & quando veniet? & in ipſa expectatione pœnarum ſuarum plorant. Si igitur ſemper ſic meditatus fueris: Væ mihi, quomodo habeo adſtare ante tribunal Chriſti? & quomodo habeo ei actuum meorũ reddere rationem? poteris ſalvus eſſe.* Rolvveidus libro 5. Vit. Patr. libello 3. Verum qui in carcere detinentur, ſperant aut ſperare poſſunt ſe inde liberandos; non ita nos detenti in hoc mundi carcere. Quare idem Thomas Morus adhuc ſapientius dixit omnes homines jam ad mortem damnatos educi ad ſupplicium ſuum, ſed alios recta & breviori via: alios longiore & per ambages, ita tamen ut nemo ſciat, utra via ducatur, recta an obliqua; ſive is juvenis ſit ſive ſenex; ut Staplet. ubi ſupra. Quod ſane veriſſimum eſt, jam enim mortis ſententia in nos omnes lata eſt, quando *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* ab Hebræos nono. Ergo ad ſupplicium noſtrum continuo educimur, nec ſcimus utrum hodie an cras ad terminum perventuri ſimus. Quid igitur ſupereſt, niſi ut tales ſuſcipiamus cogitationes, quales habent ii, qui ad mortem educuntur? Id certè nobis commendaſſe Dominum, quando dixit Lucæ nono. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.* Et rurſum Matthæi decimo. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus;* vult S. Chryſoſtomus homilia 5. ad populum. Neque enim hoc ad diſcipulos tantum ſuos dixit, ſed *ad omnes*, ait S. Lucas; & *convocata turba*, ait Marcus cap. 8. *Hoc autem dicebat,* ait citatus Chryſoſtomus, *non ut lignum ſuper humeros feramus, ſed ut mortem ſemper ante oculos habeamus. Sicut igitur & Paulus, quotidie morere, & mortem deride, præſentemque contemne vitam.* Jam vero quis neſcit quanta compunctione & animæ ſuæ cura pergant miſeri rei ad ſupplicii ſui locum? num ibi riſus aut ſaltatio? num verba ſordida aut levicula? num oculorum evagatio? num de craſtino ſolicitudo? Nihil horum; de morte & divino judicio, de altero ſæculo cogitant; de divitiis aut delitiis nihil in mentem venit. Huc videtur reſpexiſſe juvenis ille Eliu, qui in libro Jobi capite trigeſimo ſecundo dixit: *Non accipiam perſonam viri & Deum homini non æquabo: neſcio enim quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.* Quaſi diceret: nec Deum offendam nec hominem; neſcio enim quando ſiſtendus ſum ad judicium Dei. Hoc ſi facere, Auditores, & quotidie parare vos ad mortem velitis, quaſi jam ad illam exeuntes; ſpondeo vos deinceps nullum ſcelus admiſſuros. Certe S. Chryſoſtomus prædicto loco ſubdit: *Non ſum Propheta, neque filius Prophetæ, futurum tamen manifeſtè ſcio, & magna & clara voce proclamo, quod ſi mutemur & aliquam animæ noſtræ curam agamus & ab improbitate abſiſtamus, nihil moleſtum ingruet & triſte. Et hoc manifeſtè novi &c.*

IV. Eſt *Aijn*, quæ ſignificat *oculum*. Hic eſt oculus Dei omnia cernens, qui ab Ægyptiis, *oculus mũdi* & de quo Zach. 9. dicitur: *Domini* (ſeu ut Arias vertit, *Dominus*) *eſt oculus hominis.* hoc eſt, Domini oculus eſt, qui omnia, quæ ſunt hominis, videt. Unde 70. vertunt: *Dominus reſpicit homines.* Hic eſt *virga* illa *vigilans*, ſeu (ut vertit Blaſius Viegas) *oculata*; ſeu ſceptrum, cui oculus omnia videns inſiſtat, oſtenſum Jeremiæ cap. 1. Deum enim totum eſſe oculum, non ſolum Tertullian. lib. de Trin. & S. Auguſtin. epiſt. 111. ad Fortun. dixit, ſed & Plinius Ethnicus agnovit, qui lib. 2 cap. 7. Deum totum appellat *viſum & auditum*. Iſte igitur eſt oculus, qui omnes noſtros greſſus & progreſſus promovebit ac fortunabit, ſi etiam oculus noſter velit eſſe Domini; h. e. aſpicere ad Deum velut inſpectorem actuum noſtrorum perpetuum. Si enim verè dicim' *Oculus Domini ſaginat equum: impinguat agrum, &c.* Verè etiam prædicere licet, ſaginandum hoc anno ſpiritum noſtrum & fæcundandum pluimis virtutum frugibus, ſi ab oculo divino oculum noſtrũ non avertamus. Quatuor illa animalia, quæ trahebant currum divinæ majeſtatis apud Ezech. c. 1. ſingula coram facie ſua, hoc eſt recta & antrorſum, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, conſtanter pergebant nec revertebantur: ſumma etiam pace, licet valde inter ſe diſparia, ſimul pergebant. Quæ cauſa? quia currus, quem trahebant: rotas habebat undique oculatas, quæ ſignificabant Dei providentiam, quaquaverſum aſpicientem & omnia cernentem. Deſideramus ergo & nos hoc anno recta procedere, ut nec ad dextram nec ad ſiniſtram deflectamus à via mandatorum Dei? Ad oculatum Dei currum, perpetuo in nos intentum, oculos dirigamus. Erit ipſe auriga ſecurus noſtrarum actionum. Si enim Seneca ille amico ſcribens in ep 25. hoc dedit conſilii. *Sic fac omnia, tanquam ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias; quem intereſſe tuis cogitationibus judices:* multo magis proderit, teſtem actionum noſtrarum conſtituere nobis Deum, illarum judicem & vindicem, præſertim cum non imaginarie, ſed re ipſa præſens ſit ubiq;. Addit Senec. *Hoc quidẽ longè magnificentius eſt ſic vivere tanquam ſub alicujus boni viri ac ſemper præſentis oculis.* Talis nobis eſt, non Cato, Scipio aut Lælius, quos ibi nominat Sen. ſed Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui nõ modo ſuæ divinitatis, ſed etiam humanitatis adeoq; duplici oculo conti-

nuo;

suo nos intuetur, ut vel præmia bene, vel pœnas referat male agentibus. Cui rei exemplum adfert B. Petrus Damiani Card suo ævo sapientiæ Sol l. 5. Ep. ad Landulphum ep. 16. *Quidam alienam suem furtive surripuit, & cavea clandestinus inclusit, Vir tamē ille pietatis operibus intentus consueverat esse, & præcipuè humanitatem peregrinis & hospitibus sedulis exhibebat, Interea adest dives Iesus in effigie pauperis & tanquam prolixo jam crine deformi egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens inter cætera officiosa humanitatis impendia cœpit illum forficibus attondere, sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensq; contremuit, & quid veliet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille; Ego, inquit Iesus vocor, qui undiq; cuncta contemplor, & isti sunt oculi, quibus etiam suem vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxq; disparuit. Ille protinus ad cor rediens & divinam circa se clementiam recognovit, & quod iniquè præsumpserat, satisfactione purgavit.* Sic Dam. Terribilis ergo est hic oculus; quis eum non timebit? Oculos Augusti Imperatoris claros & fulgentes reverebantur homines, ideoque ipsi loquentes vultum demittebant, gaudebatq; si quos acriùs intueretur, ii vultum submitterent, quasi ad Solis fulgorem, ut refert Plut. in Augusto. Longè acriores & fulgentiores sunt oculi Christi, supremi Imperatoris nostri quia de ipso verissimè scriptum est Eccles. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hos oculos revereamur, & ad illorum acerrimum obtutum demittamus semper vultum nostrum. Placebit hoc magnopere cœlesti Imperatori nostro, gaudebit enim quod ipsius oculi contineant nos in sanctitate & justitia.

Hæc igitur est moneta, hoc monile aureum, quod vobis hodie opto Audit. unicum vocabulum est, sed interim liber est, veram & salutarem continens sapientiam. S. Bernardin. Senens. maximus nominis Jesu amator & prædicator in conc. fer. 2. Domin. 6. Quadr. to. 4, laudat sui temporis consuetudinem, qua patrini dant infantibus, quos è baptismo levant, nummum aureum vel inauratum, nomine Jesu insignitum, ut infans eum in pectore gestet, & cùm ad annos discretionis venerit, apprehendat devotionem erga nomen illud, ejusq; crebro recordetur. Idem suadeo vobis: ut hoc nomen scilicet cordi vestro inscribatis. Ita monet S. Bernardus serm. 15. in Cant. *Semper* (hoc nomen) *tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus.*

THEMA IV.

Præsagia pro futuris annis.

I. *Magistratus non errabunt, si ad sententiam non festinarint.*

II. *Aulici acquirent honores, si eos contempserint.*

III. *Conjugatæ bonos habebunt viros, si noverint tacere.*

IV. *Studiosi acquirent opes & honores, si susceperint disciplinam.*

V. *Parentes tales habebunt liberos adultos, quales habent nunc teneros.*

VI. *Sic habebuntur à filiis suis, sicut ipsi habent parentes.*

VII. *Mercatores, caupones, opifices non ditabuntur, si festinaverint ditari.*

VIII. *Agricolis non deerit victus, si rebus suis ipsi adfuerint.*

IX. *Pauperes & operarii, si ebriosi fuerint, nunquam emergent.*

X. *Reliqui omnes, si timuerint Deum, nihil timebunt.*

Vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Lucæ 2.

VEteres hodiernum diem, seu Calendas Januarii superstitiose observarunt. Ex eo enim, quod cuique hodie contigisset, divinabant de totius anni sequentis decursu, fausto, vel infausto. Fuit nuper etiam Astrologus quidam judiciarius, qui ex tempestatibus hodierni diei, futura contingentia & mira ominatus fuit, apud Majol. Canic. dier. p. 1. Coll. 1. de meteoris. Sed nos Christiani jure hæc explodimus, nec homine Christiano digna judicamus: Quia tamen adverti non paucos laborare ea curiositate, qua libenter nossent aliqua sibi imposterum eventura, volo eis dicere aliqua, ac ni fallor longè certiora, quam divinent impostores illi. Desumam enim hæc vaticinia mea à viris sapientibus, Salomone & Ecclesiastico, adeoque ex scripturis sacris, quæ sic loquuntur, quasi communiter, non semper & infallibiliter, ea verificentur, more loquendi vulgari. Estque hoc conforme hodierno Evangelio, in quo audimus etiam Angelum prædixisse Christum futurum & appellandum Jesum, seu Salvatorem: idque in eo verificatum esse, salus & redemptio nostra ostendit. *Calendæ Ianuarii antiquitus ominosæ.*

I. Principibus & Magistratibus prædico non facile erraturos in judicio ferendo, si non præcipites, nec cum ira, sed cautè & considerate processerint ad sententiam ferendam. Ita Ecclesiasticus capite 32. asserit: *In via ruinæ non cas, & non offendes in lapi-* *I. Magistratus non errabunt, si ad sententiam*

tiam non festinarint

lapides, Per viam ruinæ præcipitium intellige; hoc si fugiant judices, non offendent. Quare aurigæ in præcipiti descensu rotam unam figunt; utique ne equi & auriga præcipitentur. Par, imo longè major, cautela adhibenda in judiciis & consiliis. Docuit hoc August. Imp. Athenodorus ei valedicens hoc monito, ut antequam aliquid statueret contrarium, priùs 24. literas alphabeti recitaret. Unde idem August. annulum in manu gestavit, in quo sculptus erat cancer marinus, qui utroq; forfice tenebat papilionem, præcipitantiæ typum, quo seipsum moneret, ne in judiciis præceps esset. refert Claud. Paradinus. Fer. D. Mart. aurigæ quærenti, an ea vespera Lutetiā pervenire posset, prudenter & prophetice respondisse: *Si festines, excluderis; si lento passu incedas, urbem hoc vesperi ingredieris.* Auriga indignabundus tanquam derisus, currum incitatis equis agere cœpit; rota itaq; fracta Lutetia excluditur. Sic Martin. verum præsagiisse cognovit. Beyrl. in Theatro V. *Consilia.* Simili modo dico, si caute & tardo gressu processerint ad judicia Magistratus, pervenient ad veritatem & deniq; ad beatum finem; si præcipitaverint negotia, non pervenient. Deum sibi in judicio propitium, cælum apertum invenient, si causas & preces pauperum admiserint, non excluserint; alioquin non invenient. Ita enim Sapiens Prov. 21. asserit. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* Hoc expert' est Macedonius Magister officiorum Gratiani Imper. qui S. Ambrosio ad prætorium (ut pro quodam interponeret preces) venienti fores occluserat, ad quē Ambrosius. *Et tu quidem venies ad Ecclesiam quam neq; clausas januas invenies, non ingredieris.* Quod & factum. Nam mortuo Gratiano ad necem quæsitus, ad Ecclesiam confugit, nec tamen ad eam aditum, patentibus licet foribus, invenire potuit. Paulin. in vita Ambr. Idem expertus est Epulo. Contrà qui audit causam pauperum, audietur à Deo; *qua mensura enim mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Matth. 7.

II. *Aulici acquirent honores, si eos contempserint Diu vivent si temperanter vivant*

II. Aulicis & honorum Candidatis prædico acquisituros esse honores, si contēpserint honores; si ambierint, non acquisituros. Ita Prov. 29. dicitur *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Et Christus sæpe: *Qui se humiliat exaltabitur &c.* Est enim honor velut pluma levis in aëre volitans; si arripere vis, fugit: si fugis eam, sequetur te, & in vestem tuam cadet. Justinus Thrax in aula Anast. Imp. versatus, dum à tergo sequitur Imp. casu ejus paludamentum pede calcat, eo animadverso prædixit ei Anastasius, fore eum successorem suum in Imperio; idq; factum est. Polit. Christianus Caussini f. 197. Ita qui per contemptū calcat honores, eos acquiret, juxta id Deut. 11. *Omnis terra, quam calcaverit pes vester, vestra erit;*

Deinde diu vivent, si moderate & temperanter vixerint. Ita n. Ecclesi. c. 37. ait: *Propter crapulā multi perierunt: Qui abstinens est, adjiciet ad vitam,*

III. *Conjugatæ bonos habebunt viros si noverint tacere*

III. Gynecæo & fœminis prædico habituras probos & pacatos viros, si illis irascentibus ipsæ tacuerint, Asserit n. Sapiens Prov. 25. *Cum defecerint ligna extinguetur ignis.* Verba data irato, irā ejus magis extimulant, subtracta extinguunt: Suasit & prædixit hoc quidam Sapiens fœminæ loquaci cōquerenti de mariti iracundia & furore: dedit n. ipsi aquā distillatam, & jussit eam, cùm tonaret vir, cochle[...] aqua illa plenum ori suo ingerere, & tantisper in o[...] tenere, donec eum in lectum posuerit. Fecit & qu[...] petiit, obtinuit; non virtute aquæ, sed silentii. Refe[...] P. Dav. in Verid. Christ. c. 56. Hæc via S. Mon. cōp[...] suit virum suum. *Erat vero ille*, ait S. Aug. l. 9. Co[...] c. 9. *sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervid[...] Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tant[...] facto, sed ne verbo quidem.* Sic obtinuit; ut à viro su[...] Patricio nunquam cæderetur, sed nec unum die[...] domestica lite dissentiret.

IV. Studiosis prædico acquisituros sibi opes & h[o]nores, si susceperint disciplinam: egestatem & ign[o]miniam, si repudiarint. Ita n. Sap. Prov. 13: ait: *Eges[tas] & ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autē a[c]quiescit arguenti, glorificabitur.* Idem prædixit sim[...] & præstitit studiosis disciplinæ amantibus, Car. [...] qui Seminarium, in quo tenuioris fortunæ ado[le]scentes non alebantur modo, sed & omni discipli[na]rum genere exercebantur; & alterum, in quo nob[i]liores instruebantur, ingressus, audiit illos morig[e]ros Magistris, valde in studiis progressos; hos ve[ro] insolentes & disciplinam aversantes parum profic[e]re: illos ergo ad dextram congregatos sic compel[la]bat: *Macti virtute este filioli: Vos manent sacerdotia[,] dignitates non aspernandæ.* Conversus vero ad ali[os] *Vos*, inquit, *comperi dicto imperioq; nostro inobedie[n]tes? Deum testor nihil penitus commodi honorisqu[e] me ad vos profecturum.* Advent. lib 4. Annal. Boj[...] Quare qui cum prioribus volunt emergere, ore[nt] quotidie: *Bonitatem & disciplinam & scientiam [do]ce me* Domine. Ps. 118. Ecce bonitatem, & discipli[nam] sequitur scientia. Sic evadent magni.

V. Parentibus prædico, tales fore eorum liber[os] in matura ætate, quales jam sunt in juvenili. Ita [...] Sapiens Prov. 20. *Ex studiis suis intelligitur puer, [si] munda & recta sint opera ejus*, & Prov. 22. *Adolesc[ens] juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet [ab] ea.* Solebant olim parentes liberos suos triennio c[om]pleto metiri, ut eorum staturam in perfecta æta[te] cognoscerent; duplo enim altiorem futuram in[...] conjectabant *Trimusne hic* (ait S. Basilius) *pusio e[st]* *Ex eo pater futuræ proceritatis admetitur mensura[m] Novit planè duplam justæ staturæ proceritatem [...] deesse. Quantus enim triennis deprehenditur puerul[us,] bis tanto est evasurus procerior, compos factus plen[i]tudinis augmenti, aut certè denuo tantus.* hom. 10. Hexam. Vultis scire ad quem gradum virtutum a[ut] vitiorum perventuri sint filii vestri? Metimini e[os] in pueritia & juventute; duplo enim meliores v[el] pejores erunt, Si pueri ludant pro triariis, certe[nt] pugnis, mentiantur, bibant cyathum; facti adulti [...] viri, ludent pro aureis, certabunt gladiis, pejerabu[nt] & decipient, bibent sextantem aut sextarium. [...]

puc

pueri furentur nummos & cruciferos, adulti furabuntur imperiales & ducatos. Idem est de bona indole judicium. Sanctus Ambrosius puer manum sorori osculandam præbuit & sacris rebus se oblectabat, post factus est Episcopus. S. Thomas Aquinas puer chartis & literis se recreabat, schedam in qua *Ave Maria* scriptum comedit; post tantus Doctor evasit. Hinc puerum, qui cornicum oculos confixerat, Areopagitæ morte damnarunt, quod inde colligerent, eum sævum & crudelem fore. Quintilian. l. 5. cap. 9.

Rursum si bene educaverint filios & liberos ad virtutem & pietatem, bene ab eis habebuntur & colentur in senectute. Malè vicissim, si male educaverint. Sic enim & corvi in nido deserti à parentibus, postea adulti senes parentes devorant. Unde dicitur *mali corvi malum ovum*. Hæret pietas erga parentes in liberis bene institutis.

VI. Filiis prædico sic eos olim tractandos à suis filiis, sicut ipsi tractarunt parentes suos, seu bene seu male. Ita enim Ecclesiasticus c. 3. *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis suis.* B. Petrus Damiani in ep. ad Albertum l. 8. hunc locum explicans ait: *Justo planè Dei solet evenire judicio, ut qui parentibus humiliter subditur, ipse quoque parens effectus, in propriæ sobolis obedientia delectetur.* Econtra ergo male à filiis habebitur, qui male habuit parentes. Confirmat id Aristoteles 5. Ethicorum duplici exemplo? *Quidam patrem capillis apprehendit & extraxit foras, ut per scalam eum dejiceret. Pater cum ad januam usque tractus esset: Desine, inquit, fili, nam & ego non ulterius quam huc usque traxi.* Alius accusatus quod patrem pulsasset, ita defendit impium factum: *Et ille patrem suum reverberavit. Et hic (ostenso filio suo) me verberabit postquam adoleverit.* Subdit etiam Ecclesiasticus 16. *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore.* Longiore scilicet, quam qui (cæteris paribus) inhonorat. Vasallus enim peccans in Dominum suum, meretur amittere feudum, quod ab eo accepit. Filii nonne vitam acceperunt à parentibus?

Filius patrem honorans fovetur inprimis, & omni diligentia custoditur à patre, deinde etiam à Deo, alius autem irreverens deseritur ab utroque, imo irrationales creaturæ rebelles filios persequuntur; ut patet in arbore, quæ Absal. carnifex facta est.

VII. Mercatoribus, cauponibus, opificibus prædico non ditandos, si festinaverint ditari. Id enim prædixit Sapiens Prov. 13. *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Utrum enim præstat: arborem frugibus onustam securi prosternere; an manu fructus decerpere, ipsa incolumi? nonne hoc posterius? Illud enim milites faciunt & prædones, qui in diem, nec nisi ex vastitate & cæde vivunt. At hos imitantur, qui ut cito evadant divites; nimium exigunt ab emptoribus aut hospitibus, non amplius redituris. Hoc indicarunt veteres fabula de aucupe laqueos tendente cassitæ; quæ videns ipsum, quid moliretur, rogat. Respondit is se urbem ædificare, & postea se abscondit. Illa ad urbem spectandam advolat, & capitur, fitque præda aucupis, cui occurrenti tristis ait: *si tales urbes fabricaris, non facilè multos incolas reperies.* Idem ego prædico illis, qui emptores & hospites suos nimia exactione premunt: si ita eos exceperint, non multos emptores aut hospites habebunt.

VIII. Agricolis prædico non defuturum eis alimentum, si ipsi invigilent rebus suis: secus, si servis suis omnia committant. Ita n. Sapiens Prov. 27. asserit: *Qui servat ficum, comedet fructus ejus.* Insidiantur ficubus sycophantæ; unde ficus indigent fideli custodia. Qui servis eam cõmittit, nihil inde comedet. Ita res habet in aliis curis domesticis. Scribit quidam Religiosus Rebdorfensis, Kilianus Leib, in causis hæreseon: quendam agricolam conquerentẽ se quotidie depauperari, hoc consilium accepisse à Sapiente, ut pixidem ab eo datam quotidie deferret in culinam, horreum, penum, cellam vinariam, stabulum, agrum & vineam: forè enim ut deinceps ditior fieret, ita tamen, ut ne ante annum pixidem aperiret. Paruit ille, & per hoc expertus est servorum suorum neglectus & infidelitates; quas emendãdo paulatim crevit opibus, nescius qua causa. Post annum aperit pixidem, visurus tam efficax remedium, & reperit in ea scriptos hos versus; Wilst du das dir reichlich geltug/so lueg täglich zu deinem ding. Consonat huic quod Germani dicunt, nullum fimum agro magis conducere, quam eum, quem agricola ipse in suis calceis agro suo intulerit.

VIII. Agricolis non deerit victus, si rebus suis ipsi adfuerint.

IX. Pauperibus & operariis prædico, nunquam eos è paupertate emersuros, si ebrietati addicti sint; nunquã ad incitas redigendos, si moderatè vixerint. Ita n. Sap. Eccles. 19. dic. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Vult dicere: depauperabitur, quia ad divitias minime assurget. Quomodo n. hoc fieri potest? Dum bibit, tempus operandi perdit, pecuniam partam prodigit, ex potu in somnum & ignaviam incidit. Tria expendit & unum tantùm accipit; quomodo locupletari possit? *Qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum.* Agg. 1. Econtra si moderate vixerint, nunquam deerit, unde vivant. Hinc sapiens ille Romanus, Seneca dixit *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad voluptatem, nunquã eris dives.* Et quidem alius conquerenti, quod si bona & pecuniæ non suppeterent, respondit: Indicabo tibi præsentem amicum, à quo mutuo accipias. Accipe è te superflua tibi detrahendo, & cito videbis quam verùm sit, quod dici solet: *magnum vectigal parsimonia.* Chavass. de prudentia l. 3. c. 2. Ein guter Zoll/Ist/spar dir woll Vectigal nummatim colligitur, v. g. nummus pro equo uno, & tamen intra annum magna inde summa pecuniæ conquiritur: sic etiam qui sibi sensim aliquid semper detraxerit superflui, sentiet sibi cum tempore multum accrescere rei necessariæ.

IX. Pauperes & operarii si ebriosi fuerint, nunquam emergent.

X. Denique si reliqui omnes, quibus tempore exclusus, dicere nil potui, prædici aliquid sibi velint, dico ad extremum omnibus, quod Eccl. cap. 34. ait: Qui

X. Reliqui omnes, si timuerint Deum, nihil timebunt.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Quemadmodum enim virga Moysis devoravit omnes virgas Magorum; ita timor Dei devorat omnes inanes timores, quos prognostici nobis prædivinant. Sic monuit faciendum simplex & rectus frater sancti Francisci Ægidius, qui dicebat: *Licet lapides & saxa de cœlo plueret Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit.* Atque hoc est quod invenio, optimum sane Xenium, quodque omnibus opto; *Timor* scilicet *Domini.* Hunc sanctus Bernardus pro salute precatur in epistola Abbati de sancto Audemaro. Eum enim qui habet, salutem habet. Quid non promittunt timentibus Deum sacri libri? David Psalmo trigesimo tertio. *Non est inopia timentibus eum:* Tobias capite quarto. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Ecclesiasticus capite trigesimo tertio. *Timenti Deum non occurrent mala.* Et capite primo. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Et rursum ibidem. *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis,* quam vobis imponat Deus.

THEMA V.

Nomen Jesu balsamum salutiferum.

Mira de balsamo.

I. *Recreat & consolatur animum.*
II. *Antidotum contra tentationes.*
III. *Confortat afflictos & periclitantes.*
IV. *Comes est peregrinationis nostræ.*
V. *Alexipharmacum contra serpentes tartareos.*
VI. *Præservare à mala morte potest.*

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2.

Mira de balsamo.

MIra quædam de balsamo scribit Plinius l. 12. c. 25. Primo, *uni terrarum Iudææ concessum, quōdam in duobus tantum hortis, utroque regio.* postea tamen Romanis in Judæa imperantibus in multis collibus satum, & vinearum instar multiplicatum, *seritque eam* (fruticem) *nunc fiscus,* ait, *nec unquam fuit numerosior aut procerior.* Secundo, *sævire in eandem Iudæi, sicut in vitam quoque suam: contra defendere Romani & dimicatum pro frutice est.* Tertio, *incidi vitro, lapide, oleisve cultellis. Ferro lædi, vitalia odit.* Quarto, *succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta, ploratu lanis parva colligitur in cornua.* Quinto, *ex iis novo fictili conditur &c.* Breviculum quod hodie legimus Evangelium, hortulus quidam balsami esse mihi videtur. In eo enim reperio fruticem unam, seu arbusculam balsami, puerum scilicet circumcisum, sane mirabilem. Hic uni Judææ datus, in duobus hortis regiis, regno scilicet Juda & Israel, conversatus est; postea tamen à Romanis occupatus & acceptatus, per universum orbem sparsus plantatus fuit. Sævierunt in illum Judæi æquè ac vitam suam; sed defendere eum Romani, & pro dimicarunt Christiani usque ad sanguinem. In eundem adhuc parvulum sæviit Herodes, Judæorum Rex, sed defendit eum Ægyptus, in quam confug. Adhæc hodierno die incisus est cultro, non ferro, sed lapideo, ut volunt S. Augustinus, Bernhardus quidam alii; quali & Sephora Exod. 4. & Josue J 5. usus fuisse scribitur. Ex hac incisione emanat fragrantissimum illud opobalsamum, nomen, quam, Jesu, non sine lachrymis & ploratu divini lius pueri: de quo Ecclesiast. 24. ait Sapientia div quæ est ille idem Dei filius: *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi.* Hoc opobalsamum vos Audit. offero pro Xenio Solent ditiores ferre sec communiter balsaminam pixidem ad occurrendas necessitates & insalubres auras. Hæc vobis sit nomen Jesu, de quo sanctus Bernhardus ser. 15. in Cantic. ait: *Hoc tibi electuarium habes ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Iesu; salutiferum certè, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu quo tui omnes in IESVM & sensus dirigantur & actus.* Hujus igitur balsami virtutes nunc audiamus.

I. Balsamum odore suo recreat vita & nomen e su, ingerit enim non solum memoriam, sed etiam præsentiam potentissimi & suavissimi auxiliatoris, qui uti in terris vivens omnibus afflictis, se invocantibus, adfuit; & manum auxiliarem porrexit: ita animum id facturus speratur. Hinc solemus morientibus, cùm jam aliter opem ferre nequimus, nomen Jesu sæpiùs in aures ingeminare, ut ejus memoria excitati animum assumant & in ipsum sperent. Ferunt Aristoteli moribundo pomi odore vitam diu quamdiu prorogatam, in libro de pomo Aristotelis apud Cæl. libro vigesimo quarto capite 21. Si unius odor pomi potuit ægro vires recreare & prorogare vitam; quid non possit nomen Jesu, quod Salvatorem ingerit ad opitulandum promptum & simul potentissimum, Quis enim audiens Salvatorem bi adesse, non exhilaretur, si ægri ad adventum celebris Medici sentiunt se aliquanto meliùs habere? Quid suavius, quid gloriosius vel ipso nomine Jesu? *cujus vitalem ubique sparsam fragrantiam* ait S. Bernardus serm. 22. in Cant.) *qui non sentit, aut mortuus est aut putidus.*

II. A pestiferæ auræ afflatu tuetur ac præservat. Hujusmodi aura quid nisi virulenta tentatio est? Facile ea se insinuat, suaviter demulcet, sed venenum instillat. Contra illam veniat tibi in mentem nomen Jesu, qui non modo tentationem & pugnam tuam spectat, sed etiam ad resistendum animat atque opem adferre paratus est. Patet hoc ex certamine sancti Stephani, quem ut pugnantem spectaret simulque adjuvaret, de cœlesti throno surrexit, unde Stephanus non aliis armis, quam p-
is

ſus nomine invocato munitus (*Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum,*) glorioſe vicit & *obdormivit in Domino.* Act.7. Recens exemplum ſibi notum affert Pater Benedictus Fernandus S.N. in caput 32. Geneſis his verbis: *Per idem ferè tempus in hoc orbe* (Oliſippone) *aliud non minus contigit memorabile. Pia quædam & caſta mulier ex hoc eodem templo* (ſancti Rochi) *in quo poſt ſacramentalem confeſſionem ritè divinam Euchariſtiam ſumpſerat, domum Deo æquè roborata & ſaginata, ſe receperat. Ecce tibi adoleſcens effrænatæ libidinis æſtro percitus ſubingreditur, invaditque fœminam. Quid illa? Ieſu, clamat, fer opem. Ad hanc mulieris vocem nebulo ille ruit vociferans: Heu me miſerum à ferro mihi trajecta ſunt viſcera. Morior, infælix. Igitur obvoluto capite ſuum ægrè divertit in hoſpitium: accerſito è noſtris confeſſario rem totam aperit: ſumptisque Chriſtiano ritu ſacramentis bonaque veræ contritionis ſigna exhibens mortem obivit.*

III. In deliquio virium roborat & confortat. Idem non ſemel præſtitit afflictis & periclitantibus ſacratiſſimum nomen Jeſu, pie invocatum; ut teſtatur S. Bernardus ſerm.15. in Cant. *Cui,* inquit, *in periculis palpitanti & trepidanti invocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit? depulit metum? Cui, quæſo, in dubiis æſtuanti & fluctuanti non ſubito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adverſis diffidenti jam jamque deficienti, ſi nomen adjutorii ſonuit, defuit fortitudo?* Nugatus utique tantùm fuit Alexander Magnus, quando dixit ſe ægrotanti Pyrrho ſolo ſuo nomine ſalutem allaturum, teſte Plut. Unde enim nomini ejus tanta poteſtas? At vero Chriſti ſacratiſſimum nomen ſolum, pie invocatum, ſalutem tuliſſe, in plurimis compertum eſt. S. Friardus recluſus, ut ſcribit S. Gregorius Turon. lib. de vita Patrum c.10. ex præcelſa arbore, quam victus ſui gratia conſcenderat, fracto ramo decidens, ſacro Chriſti nomine invocato, illæſus fuit, ſemper id in ore habens: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Quin & ipſi Judæi virtutem hujus nominis experti ſunt, quando, ut ſcribit Galatinus libro 8. cap.5. unus ex ipſis, qui mortiferum quid deglutiverat, ab aliis ſuæ gentis per Jeſu nomen liberatus fuit. Sed recentius factum in homine Mauro audiamus ex Patre Bened. Fernandio loco ſupra citat. *Fugiebat nuper,* inquit, *è media barbarie Maurus ad Luſitanam arcem, Deo movente ut Chriſtianus fieret. Ardebat cælum ſolumq; in vaſtis illis & arenoſis ſolitudinibus aquæ ſumma penuria. Ergo cathecumenus æſtuare cæpit ſitiq; penè enectus procumbit in arenam, nihil propius quam mortem ipſam operiens. At* (*quæ Dei clementia præſto eſt iis, qui divinæ gratiæ non deſunt*) *venit in mentem homini, audiviſſe non ſemel à captivis Chriſtianis in Ieſu nomine implorato, magnum ad omnia quantumvis ardua cõſtitutum eſſe præſidium. Quare vocibus penè interruptis moribundus pronunciat Ieſus, Ieſus ô benedictum, ô ſalutare, ô vitæ virtutisq; plenum Ieſu nomen! Subito fauces aqueo liquore humectari ſentit ac recreari, deinde redintegratis viribus alacriter progreditur. Verum paulo poſt eadem ſitis, eadem laſſitudo, idẽ vitæ periculum; ſed jam in promptu remedium: profert iterum dulciſſimum nomen Ieſu, iterum & gutturi aqua, & corpori redeunt vires; deniq; in longo illo & periculoſo itinere ad ſitim levandam & corpus roborandum inclamans Ieſum, incolumis promptusque ad arcem pervenit: inde miſſus Oliſipponem in hac domo S. Rochi, ſacro eſt initiatus baptiſmate.* Hujuſmodi etiam eſt, quod ex Indicis Societ. noſtræ litteris refert P. Georgius Stengelius in libello de nomine Jeſu, de puero Ethnico, qui in vaſtam quandam piſcinam prolapſus, nandi imperitus, & merſioni jam proximus, cùm à Luſitano, littori inambulante, moneretur, ut nomen Jeſu invocaret; paruit & ex aqua emerſit ac baptiſmum ſuſcepit, à quo tempore, niſi audito nomine Jeſu, nemini reſpondere voluit.

IV Balſamum adhibetur in Sacramento Confirmationis ad roborandos Chriſtianos in hujus vitæ IV.
laborioſa peregrinatione, & pugna contra hoſtes *Comes eſt*
ſuos. Pari modo nomen Jeſu cordi impreſſum & de- *peregrina-*
votè invocatum comes eſt peregrinationum no- *tionis no-*
ſtrarum quarumcunque, totius etiam vitæ, longe u- *ſtræ.*
tiliſſimus; quod teſtatur inprimis Propheta Pſal.67. dicens: *Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum,* ſeu, ut eſt in Hebr. & vertit S. Hieronym. *Portabit nos Deus ſalutis noſtræ;* ſeu quod idem eſt: *Salus noſtra & Ieſus noſter* Hebr *Ieſchuhat enu.* Quis neget Mariam & Joſephum in laborioſis ſuis itineribus portatos fuiſſe à Jeſu? Quæri poſſet, cur Angelus, qui monuit ut in Ægyptum fugerent, ſocium ſe itineris tam difficilis non præbuerit. Sed reſpondet ad hoc S. Chryſoſtomus ho.8. in Matt. *Nequaquã ſe ſocium itineris pollicitus eſt, deſignans maximo ipſius, propter quem fugiebant, parvuli eſſe munitos comitatu.* Jeſus ergo qui portabatur à parentibus, ipſe parentes potiùs & regebat & portabat. Veteres ingreſſuri viam Herculi ſacrificabant, apud Feſtũ Põpejum l.14. Alex ab Alex.l.3.c.22. ut ab eo nimirum dirigerentur in via, qui multa itinera confecerat: & ut ipſius robore confortarentur, ne deficerent aut corruerent. Noſter Alcides Jeſus eſt, qui de cælo in terram, de terra ad inferos, hinc ſurſum ad cælum iter peregit, omnia impedimenta perrumpens; hic nos in viis noſtris regere, portare & propugnare poteſt. Hunc comitem invocabat iter facturus Thom. de Kempis, vir pietate inſignis, dicendo: *Ieſus & Maria ſint ſemper mecum in via.*

* Neque minùs roborat adjuvatque contra inſidias hoſtium, nobis occurrentium. Non vacat myſterio quod Moyſes Joſuen, quando eum exercitus ſui ducem conſtituit contra Amalecitas (quod patet ex c. 17. Exodi. ubi primùm legitur nomen *Ioſue*) appellarit mutato nomine *Ioſuen*, cùm priùs vocaretur *Hoſee.* Nimirum indicare voluit, meliorem magiſq; neceſſarium in pugna Ducem non eſſe niſi Jeſum, ſiquidem Joſue idem eſt quod Jeſus. Unde Origen. hom.11. in Exo. ait; *Moyſes confitetur ſe non poſſe exercitum ducere, confitetur ſe non poſſe terram cum*

populo obtinere, quamvis eum de terra Ægypti eduxerit, & ideo vocavit Iesum &c, Et Lactantius lib. 4. c. 17. ait: *Christi figuram gerebat ille Iesus, qui cum Auses vocaretur, Moses futura præsentiens, jussit eum Iesum vocari, ut quoniam Dux militiæ electus esset adversus Amalech, qui oppugnabat filios Israel; adversarium debellaret per nominis figuram & populum in terram promissionis induceret.* Jam si figura nominis Jesu in Josue prælata tam gloriosam de Amalecitis obtinuit victoriam, quid non obtinebit, qui verissimum Jesum, pie invocatum, secum in prælio habuerit? Præclarum hujus rei exemplum habemus in Achatio adhuc Gentili, Romani exercitus primicerio, qui prius ab hostibus bis in fugam actus, tandem ab Angelo edoctus, ut relicta Idolorum imploratione, Christum Jesum in prælio invocaret: paruit & una cum exercitu suo sublato in cœlum clamore, salutare nomen Jesu invocavit; sicque impetu in hostem facto, cum 16000 suis, hostem qui centum millia ducebat, in effusam fugam compulit. Unde mox ad fidem conversus, cum suis decem millibus martyrii coronam accepit. Ut in ejus Actis 22. Junii apud Sur. Quid non poterit hoc nomen in parvis & quotidianis conflictibus, si hoc in tam magno & periculoso potuit?

V. *Alexipharmacū contra serpentes tartareos.*

V. Oleum balsaminum *longè pretiosissimum est contra omnes serpentes efficax*, ait Plinius l. 23. cap. 4. Confirmatur ex Pausania in Bœoticis l. 9. ubi scribit in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus latitare, sed balsami pastu venenum amittere, & ob id ipsarum morsus esse innoxios. Habet etiam hoc sanctissimum nomen Jesu, ut tartareos serpentes edomet ac fuget, aut saltem omnem nocendi vim adimat. Præter experientiam fere quotidianam testatur id S. Chrysostomus hom. 8. in Epist. ad Roman. *Si in illum* (serpentem diabolicum) *divinas incantationes canere noveris*, inquit, *statim vulnerabitur. Sunt enim nobis incantationes spirituales ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, tum ipsius crucis potentia. Hujusmodi incantatio non solum draconem abigit, atque in ignem conjicit, sed etiam vulneribus quoque medetur.* Estque adeo efficax hoc balsamum ut etiam ex ore prolatum dæmones expellere queat ut patet ex illis verbis Christi Matthæi 7. *Domine nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus.* Idem asserit sanctus Justinus, martyr antiquissimus in disputat. cum Triphone: *Per nomen ipsius filii Dei, & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adjuratum vincitur & in ditionem redigitur.* Et S. Greg. Nazianz. ad Nemesium: *Ipse*, inquit, *qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerunque pronunciavi, cum statim Dæmon non sine stridore longissime se proripuit; Dei immortalis vim atque potentiam clamans.* S. etiam Abramius in eum sic aliquādo invectus scribitur à S. Ephrem in ejus vita: *In nullo te tuasque insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei & Salvat. Christi quem dilexi & diligo, in quo te nomine increpo immundissime canis ac miserabilissime.* Causa tantæ hujus nominis efficaciæ est, quia Christi divinitas, doctrina, Evangelium ac victoria de Dæmone comprobanda erat. Ad hunc finem nomen id divinitus ei impositum & in cruce sanctificatum, atque ab ipso usurpari præceptum est.

VI. Balsamum emortua corpora à putredine conservat diutissime, ut apertum est. Non dubito etiam, quin Jesu nomen, si cor eo perungatur, idque per amorem & devotionem imbibat; præservaturū illud sit à morte mala & æterna. Non desunt, qui cū Adone in Martyrologio sentiunt S. Ignat. martyrem à leonibus quidem, uti petebat, dilaniatum & absumptum esse, cor tamen ejus ab iisdem intactum mansisse volunt: quod in ipso nomen Jesu, uti Sanctus prædixerat, inscriptum esset repertum. Scimus etiam ex vita S. Edmundi Cantuarien. Episcopi, dixisse ei Christum profuturum ei hoc nomen Jesu contra improvisam mortem, qui id singulis noctibus fronti suæ impresserit.

Verùm ut has virtutes exerat in nobis istud nomen, advertendum est, quod dixit Plinius, opobalsamum novo fictili excipiendum & condendum esse. Sic enim & nomen Jesu corde novo excipiendū & servandum est, si virtutes ejus in nobis experiri volumus. De quo corde dicitur Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et Ezech. 18. *Facite vobis cor novum & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel* quasi diceret, si hoc feceritis, nihil est causæ cur moriamini. Cor autem novum erit, si nullum malignū odorem terreni alicujus affectus ex prioribus peccatis retineat. Pretiosum ergo hoc balsamum in corde novo, mundo & impolluto recipiendum est, sicut corpus Christi in sepulchro novo conditum, sindone nova recenter coëmpta involutum fuit. Et hinc utiq; voluit Christus in exordio novi anni pretiosum sanguinis sui liquorem in circumcisione fundere, & balsamum nominis sui mundo propinare. Viderint verò, qui hoc tam pretioso liquore temere abutuntur, & quandoque ad ipsius Christi summam injuriam. Ferunt guttam balsami in manu exceptā & Solis radiis oppositam adeo effervere, ut manum adurat. Bercor. in Reduct. mor. l. 12. cap. 27. Certe etiam nomen Jesu contra ipsum Christum elevatum ac usurpatum, uret illos, qui hoc salutari pharmaco abutuntur ad sui perditionem. Quod à nobis avertat Jesus.

THEMA VI.

Poderis Aaronis, quæ est sancta fidelium Ecclesia, Christo in Xenium petitur.

Vestem petit Christus natus:

I. *Contextam ex plurimis filis, charitate unitis.*

II. Ex

II. *Ex filis rectis & transversis.*
III. *Ex filis hyacinthini coloris seu cælestis.*
IV. *Sit vestis talaris.*
V. *Ornata sit in limbo malogranatis 366. hoc est bonis operibus.*
VI. *Instructa totidem tintinnabulis.*

Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Exod. 28.

OLim Imper. in Cal. Januarii ad ostia suarum ædium expectabant à pop. Rom. munera seu strenas, ut de C. Caligula scribit Suet. *Edixit strenas ineunte anno*, inquit, *se recepturum, stetitq; in vestibulo ædium Kal. Ianuar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fūdebat*. Expectat hodie etiam Dominus & Imperator noster cælestis Christus Jesus, ad januam ineuntis anni, quæ est Januarius, munus aliquod à nobis, Quid ergo offeremus ei?

In vita S. Cathar. Senen. scribit P. Raymund. ejus Confessarius apud Sur. 29. Apr ipsi è templo aliquādo egredienti brumali tempore apparuisse juvenem pauperem maleq; vestitum, ac petiisse ab ea vestem. Mox illa ad sacellum rediens, exteriori se tunica exuit eamq; pauperi dedit. Qui ubi alias & alias vestes petiisset, obtinuissetq; tandem gratiis actis disparuit. Erat enim Christus, qui sequenti nocte eam tunicam gemmis adornatam Catharinæ ostendit, & vicissim ei promisit aliam tunicam, in qua omne frigus utriusq; hominis deinceps facile ferret. Ab eo tempore eadem semper veste usa, nullam cœli injuriam sēsit. Forsan, Audit. expectatis à me hodie strenam seu Xenium; at ego nunc à vobis potiùs expecto. Quanquam non pro me, sed pro paupere juvene imo pro infante pessime vestito, hoc brumali tempore. Is est ille idem, qui S. Catharinæ apparuit, nimirum puer Jesus, frigens in stabulo, pannis modicis vestitus. Huic ego peto Xenium, ut eum vestiatis; & promitto vobis, quod ipse non solùm vestem illam toti mundo demonstrabit, sed vestiet vicissim vos ita, ut hoc anno nihil frigoris nihilq; incommodi in interiori saltem, si non exteriori etiam homine sensuri sitis. Quid jam vos ad hoc? Num conditionē respuetis? Non arbitror. Sed scire vultis, qualis esse debeat ea vestis; quod nunc exponam.

Quando Deus Aaronem summi sacerdotii honore inaugurari voluit, præcepit Moysi, ut ei vestem sacerdotalem fieri curaret, & inter alias præcipuam illam tunicam hyacinthinam talarem, græcè *poderē*, in qua, ut dicitur Sap. 18. *totus erat orbis terrarum.* Varie hoc exponunt Hebræi & Christiani Do. Nos Aaronem scimus typum Christi fuisse. Porro teste August. in ps. 44. *Vestimenta Christi sunt sancti ejus, electi ejus, tota Ecclesia ejus, quam sibi sicut vestem exhibet sine macula & ruga.* Jam vero.

I. Tunica illa seu poderis contexta fuit primo ex filis arctissime inter se connexis. Fila hæc sunt membra Reipubl. Christianæ, quasi charitate inter se cōnexa sint, pulcherrimam facient telam. Fila telæ dissoluta fragilia sunt, texta autem fortia valde sic mēbra Reip. *Frater, qui adjuvatur à fratre quasi civitas fortis*, inquit Sapiens Prov. 18. Notum illud Leonis Bizantii, qui missus Athenas, ut pacem & concordiam civibus persuaderet, cùm in suggestū conscendisset, derisus est à populo ob staturæ parvitatē. Tum ille sic orditur: *Quid, ô viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam, quæ tam pusilla est, ut vix pertingat ad genua mea? At nos tam pusillos, qui concordes quidem in angusta domo jucundè cohabitamus si quando dissidemus, vix civitas Byzantium capere potest. Idem vobis continget, Athenienses, si fueritis discordes.* Sic persuasit pacem. Plut. in præcept. Polit. Idem ego vobis denuntio Audit. Si pacem habueritis, parva civitas vos capiet: sin min', ne magna quidem. Nos Christianos dixi esse Christi tunicam. Eā ipsi mater texuit consutilem. Unde vox illa militū: *Non scindamus eam.* Non scindamus etiam nos unitatem Ecclesiæ nostræ charitate contextam. Scimus in veste lacera & discissa Christum S. Pet. Alexand. Episc. apparuisse, & questum de Ario, quod ejus vestem (Ecclesiam) laceraret schismate. Non cōmittamus, ut de nobis etiam queri possit Christus, quod eandem laceremus per civiles discordias.

filis, charitate unitis.

II. Ex filis partim rectis, partim transversis. auß dem Zettel vnd auß dem Eintrag Hæc inprimis sunt pia quædam dissidia inter membra Reipublicæ, salva tamen pace & charitate. Quia enim communiter ducimur affectibus, & sæpe seducimur, expedit ut per aliorum contrarios affectus, nostri corrigantur & regulentur. Qui in navicula vehuntur, si omnes in idem latus naviculæ incumbant, facilè eam evertent; at si pars in hoc, pars in latus alterum propendeat, æquabili pondere navim in æquilibrio continebunt, & secure navigabunt. Sic in communitate si omnes eodem affectu ducantur, non secundum rationem, evertent Rempublicam; secùs si diversis. Hinc Ezechiel. cap. 1. vidit currum trahi à diversis animalibus, homine, leone, bove, aquila, ita combinatis, ut prorsus contraria simul jungerentur: a dextris homo & leo: à sinistris bós & aquila. Quid leoni cum homine? quid aquilæ cum bove? Nihil homine humanius, nihil leone ferocius, nihil bove tardius, nihil aquila celerius. Nimirum alter alterius appetitum, passionem & affectum refringere debebat, ut currum non everterent. Si aquila volare vellet, bos eum retineret: Si leo ferocire, homo eum compesceret. Et vicissim si bos tardiùs incederet, aquila propelleret sua celeritate: si homo rideret, leo rugiret. Hunc in modum si Senatus aut Consiliariorum una pars ad nimiam severitatem propendeat; eam altera per clementiam corrigat. Si mater liberis nimium indulgeat, pater severitate ejus indulgentiam moderetur. Si herus erga domesticos sit nimis parcus, hera liberalitate parcitatem compenset. Si qui nimis sunt pusillanimes, alii alacritate sua eos animent, & econtra. Deinde secundum Sanctum Chrysostomum homilia 18.

II. Ex filis rectis & transversis

1. Ex piis dissidiis.

in Matth. diversæ filiorum tendentiæ sunt diversæ fortunæ seu eventus. Recta prosperos, transversa notat adversos. Ex his vitam justorum mirabili varietate contexit Deus. Unde bene Ezechias Rex vitam suam telæ comparavit. Isa. 38. *Præcisa est velut à texente vita mea.* Si omnia fila recta aut omnia transversa sint, nulla fiet textura. Pari modo si omnia prospera nobis eveniant, insolescere incipiemus: si omnia adversa, desperare. Ergo rogemus Deum, ut hoc anno & deinceps nunc prosperis nos erigat, nunc reprimat adversis; uti fecit sanctis Christi parentibus; ut ibi ostendit Chrysostomus.

2. Ex prosperis & adversis.

Trip. in F. Innoc. C. 9.

III. Erant fila hyacinthini seu violacei coloris cœlum serenum referentis. Tales & nos simus, cælestem in terra colorem geramus. Eccur enim toties præsentis temporis Ecclesia appellatur à Christo *regnum cœlorum*, nisi quia fideles militantes cælitũ formam in se gerere debent? Qua vero ratione? Primo Christus id exponit in oratione sua: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Beati in cœlo faciunt omnes Dei voluntatem, licet nulla coacti lege, sed ultro & promptissime; quia omnes Deum amant, omnes Dei amici sunt, & inde omnes Reges faciunt quidquid volunt. Hunc in mundum vos, Auditores, si omnia, quæ mandat Deus, faciatis, non quia præcepta sunt, sed ultro & ex amore, licet nulla foret lex tunc vere homines cœlestes eritis, & consequenter Reges, facietque Deus voluntatem vestram. Hoc est quod Apostolus ait 1. Timoth. 6 *Iusto lex non est posita.* Dionysio tyranno roganti, quid præ cæteris hominibus haberent Philosophi, respondit Aristippus Philosophus: *Hoc, ut etiamsi omnes leges abolentur, tamen æquabiliter victuri simus.* Illi politice, nos Christiane. Secundo exponit natura hyacinthi, qui cœlo se conformat, cum sereno serenus, cum obscuro obscurus est. Tales erimus nos, si Dei voluntati nos conformaverimus, & cum Juda Machabæo dixerimus: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* 1. Machab. 3. Sic habebimus annum, qualem optamus. Talem in terra beatum dicebat Alphonsus Arragoniæ Rex, qui omnia tanquam à manu Dei accipit. Panorm.

IV. Ex filis hyacinthini coloris seu cœlestis.

1. Si instar cœlitum, ultro Dei voluntatẽ faciamus.

2. Si cum Dei voluntate nostram conformemus.

IV. Erat ea vestis talaris, ideo poderis dicta, quod pedes etiam tegeret & ad talos usque pertingeret. Scimus ex S. Paulo fideles appellari *membra Christi*: inter hæc pedes quid sunt, teste Augustino in Ps. 51: nisi pauperes? Hi enim instar pedum perpetuo in sordibus degunt, precibus etiam suis cætera membra sustentant. Ergo pedes istos tegere debet tunica illa, quæ estis vos, Auditores: Sic sperare potestis annum uberem, omnia quæ erogatis, cum fænore refundentem. Dicitur enim Proverb. 3. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Experta est inter alios Vidua, quæ Eliam pavit ex farina & oleo suo. Non enim defecit eam hydria farinæ nec lecythus olei imminutus est, donec dedit Dominus pluviam super terram. 3. Regum 17. Ratio est, quia ut matri debetur lac, quo infantem alat: sic liberali erga pauperes substant[ia] qua eos alere solet.

IV. Sit vestis talaris.

V. Tunica illa habuit in limbo circumcirca m[a]logranata arte facta. Clemens Alexandrinus libr. [...] strom. ait fuisse tot, quot sunt in anno dies, 366. n[...] nus scilicet 18. horis. Alii pauciora ponunt) sig[ni]ficant autem fructus bonorum operum, qui veste[m] hanc, fideles scilicet, ornant: & nullo non temp[o]re reddi debent; ita ut nulla dies sine linea, sine bo[no] opere transeat. Scimus enim Christum exegisse fr[u]ctum à ficu, etiam quando tempus ficorum non [e]rat, teste Marco capite 11. ut sciamus, quotidie n[o]bis operandum, & ut quocunque die venerit Dom[i]nus, fructum in nobis inveniat. Errant proinde q[ui] putant Quadragesimam tantum virtuti & piet[ati] dicandam, reliquum tempus libertati & volupt[ati] posse impendi.

Porro malogranata habent primo grana hyaci[n]thini coloris, cœlum serenum referentis: sic ope[ra] nostra cœlum petere debent, ut cœlestia dici que[ant], juxta monitum Apostoli 1. Corinth. 10. *Sive man[]ducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia [in] gloriam Dei facite.* Hac ratione opera nostra hon[e]sta, imo & indifferentia omnia ex terrenis fient cœlestia, & mercedem in cœlo habebunt, alioquin m[a]nebunt terrena, & cœlum non petent. Magna & i[n]toleranda incuria foret illius matris, quæ filios si[ne] baptismo mori permitteret, cùm tam facili rem[e]dio cœlum eis parare posset. Æque male sibi co[n]sulunt, qui opera sua in gloriam Dei non referun[t] quia cœlo ea privant, hoc est, mercede cœlesti. Mu[l]torum testimonio Margarita Comitissa Holsteini[] cùm mendicæ geminam prolem exprobrasset, qu[a]si duobus viris consuesset, in pœnam edidit un[o] partu tot proles quot in anno dies sunt. Quæ om[]nes per baptismum cœlo transcriptæ sunt, & mar[es] quidem Joannis, femellæ Elisabeth nomen sortitæ mox post baptismum mortuæ una cum matre; & Losduni in monasterio sepultæ sunt die Veneri[s] sancta anno 1313. secundum alios 1276. Alb. Cranz[] Annales Brunsvvic. aliique. Quantum ista mate[r] intulisset damnum prolibus, si baptismo non ab[]lasset? Cogitate vos quot opera vestra cœlo inferre possitis, si omnia in gloriam Dei faciatis & quodammodo baptizetis, dicendo vel cogitando: Comedam, bibam, laborabo, dormiam &c. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, vel in nomine Domini, vel ad gloriam Dei. Quot vicissim perdatis, si id non faciatis.

2. Grana mali punici pulchrè ordinata sunt, & in classes distributa. Sic deberet quisq; singula singulorum dierum opera in ordinẽ redigere & in suas horas distribuere. Docuit hoc S. Anton. tædio laborantem Angelus in deserto, nunc genua flectendo & orando; nunc calathos plectendo, nunc rursum orando; Athanasius in ejus vita. Statuat sibi quisque horam mane surgendi, missam audiendi, cibum sumendi, laborandi, vesperi examen conscientiæ

facien-

facìendi. Sic jucundè transiget annum maximo cum fructu.

3. Grana illa duro & rudi cortice inclusa sunt inde diu valde sana & integra suoque sapore imleta, quasi virentia, manent. Pari modo opera nostra bona ab aura vanæ gloriæ diligenter custodienda adeoque occultanda sunt, ut illæsa & sana conserventur. Detrahe pomo corticem, videbis id paulò pòst destitui colore, flavescere, putrescere. Mater Dei filium suum fasciis involvit, & reclinavit in præsepto, pòst subduxit in Ægyptum, ne Herodi roderetur. Quod si eum ostentasset, & se Dei matrem proclamasset, Herodis gladio exposuisset. autè etiam Magi non dixerunt Herodi se venisse im muneribus ad Christum adorandum ne Herodi præda fierent. Sic & mater Moysis filium eleitulum occultavit tribus mensibus. Si eum proixisset, Pharaoni prodidisset, in flumen abjiciendum. Exod. 2. Herodes & Pharao Diabolum nont, qui per vanam gloriam masculis bonorum orum insidiantur prolibus, ut eas perdant.

4. Mala punica supernè, quia si in capite, coronam runt. Ad hunc modum nostra opera habeant conam & perfectionem suam: *Non coronatur, nisi legitimè certaverit.* 2. Tim. 2 cursu vel lucta vit. Scimus etiam in mechanicis rebus illos tancelebrari, & communiter etiam ditari opifices artifices, qui opera sua excellenter faciunt, v.g. tores, qui elegantissimè & studiosissimè pinit: Pistores, qui optimos & sapidissimos panes sunt, magna industria: reliquos negligi, nec faad opes assurgere. Hinc olim lex Thebana piribus & figulis data, ut imaginum formas quoossent, optimè exprimerent: qui deterius quid issent, pecuniæ mulctam darent, teste Æliano c. 4. de Var. Multo magis Deus à nobis requirit, uam benè possumus, opera bona faciamus. tenim bona opera cibus ipsius, propter quod udicio dicet: *Esurivi & dedistis mihi manare;* non utique solum panem, sed omnia opera a Si ergo nos optimum panem in mensa desideus: quidni etiam Christus? Non coronabit Deus idicio verba, sed adverbia; si nimirum bona becerimus. Non communionem; sed piam & tam communionem: nec orationem, sed atten- & devotam.

. Tunica illa in eodem limbo inter malograhabuit totidem tintinnabula aurea, alternainserta. Causa affertur loco Exodi citato: *Vt atur sonus, quando ingreditur & egreditur sanrium in conspectu Domini, & non moriatur.* Et io quidem ad excitandam in populo reverentirga summum Pontificem; unde totus quasi veingredi Sanctum Sanctorum debebat, omniue oculos ad se trahere. Monent ergo suo pulæ campanulæ aureæ, ut fidelis quisq; sibi quæohum nomen & auream famam apud alios, ambitione tamen. Ita n. vult Apost. ad Rom. *Providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Alibi hunc aureum sonum appellat *bonum odorem*; Christus *lucem: sic luceat lux vestra coram hominibus &c.* Matth. 5. Ratio est, quam audivimus: *ne moriatur.* Qui enim bonam famam negligit, peccare non erubescit. Detrahe arbori corticem, & videbis brevi interituram, tametsi ejus vita in cortice non consistat. Benè poterat Angelus, percutiens primogenita Ægypti, discernere domos Hebræorum, à domibus Ægyptiorum, ex esu agni & aliis indiciis; & tamen jussit Deus, ut Hebræi postes domorum suarum tingerent sanguine agni, ne ab Angelo percuterentur, Exod. 12. Eccur, nisi ut sciremus Deum non solum quærere internam sanctitatem, sed etiam externam seu bonum exemplum? Timendum alioquin ne moriamur, & ab Angelo percutiamur. Ergo crux non cordi tantum, sed fronti etiam inscribenda: cōfessio & communio publicè facienda: pedibus comitanda publica processio; sic deniq; vivendum, ut proximi ædificentur nostro exemplo.

2. *In memoriam filiis gentis suæ*, ait Ecclesiast. c. 45. Nobis in memoriam reducunt brevitatem & fragilitatem vitæ nostræ, monentq; ut quidquid potest manus nostra, instanter operemur, quia ad mortem properamus. Quando aliquos vocare volumus seu ad templum seu ad mensam, seu ad servitium, campanas pulsamus. Labuntur sensim anni nostri, cùm stare nos putemus. Monent ergo campanulæ illæ junctæ malogranatis, ne in longum differamus bona opera; sed instanter operemur. Videntur enim clamare, quod fratres illi Romæ per urbem circumeuntes & vociferantes: *Fate ben fratelli, mentre che habbiamo tempo:* Et illud Salvatoris Joan. 9. *Me oportet operari donec dies est: Venit nox, quando nemo potest operari.* Ad hoc posuit Deus in pectore nostro hujusmodi tintinnabulum, quod perpetuo sonat & mortalitatem nostram in memoriam nobis revocat? Cordis, inquam, pulsus, nunquam interquiescens. Admonet vero nos incendii in corpore nostro gliscentis & sensim nos depascentis; velut „ campana incendiaria, Feuerglocken / monet itineris nostri, quo velut rei captivi ducimur ad tribunal Dei, rationem reddituri, indeque ad locum supplicii & mortem nostram, velut campana judicialis. Salutaris est hic monitor, ne ab improviso hoste aliquando obruamur, & opprimamur; sed vigiles semper in custodia nostra stemus, ex quo etiam securi vivimus.

2. Memoria mortis.

Ad extremum quemadmodum Aaron podere illa vestitus semel in annis singulis ingredi solebat in Sanctum Sanctorum: ita & Christus Dominus ad finem anni gratiæ, hujus, anni, inquam, *acceptabilis*, ingredietur una cum veste sua Ecclesia seu electis suis in sanctuarium suum cœleste, ut rependat eis mercedem pro ornamento vestis suæ, quæ eum condecorarunt. Eò vocata cum esset à Christo paulo ante obitum suum S. Maria Orgniacensis, *non potuit*, inquit Cardinalis de Vitriaco in ejus vita lib. 2. cap. 16. *tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed cla-*

mans dicebat? Audivi à Domino me ituram in Sancta Sanctorum. O dulcissimum vocabulum! Dic mihi mea Clementia : sic enim ejus ancilla vocabatur *quid est Sancta Sanctorum* ? Ex famula volebat scire, quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret. Audiebat etiam vocem Domini vocantis & dicentis : *Veni amica mea, sponsa mea, columba mea, jam coronaberis.* Instante morte cœpit clara & a[...] voce cantare, nec cessavit spatio trium dierum [...] noctium laudare Deum : Adventante autem ho[...] ultima canebat : *Quam pulcher es Rex noster Domine? Alleluja.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

THEMATA.

I. *Quanta veneratione & gaudio excipienda hodierna dies.*
II. *Pompa legationis trium Regum.*
III. *Quæ convenientia trium munerum Regalium.*
IV. *Mira & paradoxa in Magorum adventu.*
V. *Christus erga Magos & humanum genus humanus & quasi aulicus.*

THEMA I.

Magna veneratione & gaudio excipienda est hodierna dies.

I. *Quia hodie è tenebris in lucem educti sumus.*
II. *Quia hodie excisa vitiorum sylva.*
III. *Quia etiam Dei nostri potentiam, & benignitatem hodie agnovimus.*
IV. *Quia hodie filii dexteræ facti sumus, qui eramus filii sinistræ.*

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Matth. 2.

Magna hodierna diei solennitas.

TAm sancta & festiva est hodierna dies nobis Christianis, qui ex Gentilitatis tenebris ad lucem Christi educti sumus, ut eam etiam Reges & Imperatores, licet alioquin improbi in veneratione habuerint; uti Julianus Apostata & Valens Impp. E quibus Valens visa majestate officii divini & S. Basilii celebrantis in hodierno festo, rei novitate attonitus, & in vertiginem actus, vacillare cœpit jamjam in terram prolapsurus, nisi sustentatus fuisset, ut S. Greg. Naz. in orat. de laud. Basilii refert. Certe Ecclesia Catholica hodie officium suum mutat contra ordinarium totius anni cursum, & decursis prius duobus nocturnis, tum demum se ad pedes Christi & septies quidem prosternit dicens : *Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.* Forsitan ut indicet longum illud iter trium Regum susceptum & peractum, [...] usquam ad Christum adorandum pervenerunt. [...]pties adorat, ut indicet Regem nostrum Christ[...] satis adorari non posse, & per omnem æternitat[...] nobis adorandum. Sed quæ causa dicet aliquis, t[...]tæ solemnitatis? Audiamus.

I. Quia hodie è densissimis Idololatriæ te[ne]bris eruti in lucem Evangelii & cognitionis v[...] Dei deducti sumus, simulque è tenebris gehen[næ] exterioribus, quæ tenebras illas interiores co[n]sequuntur, erepti. Legimus Exod. 10. Ægyptios [in]ter alias plagas tenebris tam densis, ut palpari p[os]sent, fuisse punitos; unde nemo se movere aude[ba]t. Significabant illæ tenebræ cæcitatem tum alior[um] Gentilium, tum maximè Ægyptiorum, qui præ [cæ]teris Gentilibus innumera & stultissima idola c[ole]bant. Erat illa tam densa, ut planè palpari po[sset]. Quid enim stultius, quam adorare ligna & lapi[des], vitulos, canes, simias, crocodilos, serpentes, a[...], cæpe & similia? Item homines spurcos, hom[ici]das, fures, mœchos referre & colere inter Numi[na]? Et tamen miseri illi, quia veri Dei cognitio[nem] perdiderant, in has tenebras devoluti erant. Q[ui]quid enim ipsis magnum aliquod beneficium p[ræ]stiterat, id pro Deo habere cœperunt; veluti in[...]mis aliquos potentes, qui armis gentes aliquas [do]muerant: robustos viribus præ cæteris aut vers[...] insignes: Rursum eos, qui artes aliquas utiles et[...] mechanicas & rurales, uti vineæ agrique cultu[ram] excogitarunt: Adhæc Ægyptii bestias, à qui[bus] magna commoda accipere solebant, uti bovem [ter]ra colentem : aquam Nili agros Ægyptios irrig[an]tem &c. Etsi fuêre aliqui sapientiores, qui solo [na]turæ lumine tenebras has palparunt, & stultiti[am] tot ac talium Deorum improbarunt ac riserunt [...] Socrates, Plato, Cicero, Seneca, Aristoteles; al[i]s tamen se expedire non valuerunt. Sicut enim in [Æ]gyptiis tenebris nemo se loco movit, ob form[idi]nem. Exod. 10 (Unde Sap. 17. & 18. dicuntur q[uasi] catenis alligati fuisse, & miserabiles edidisse voc[es] ad Hebræos) Sic Gentiles quasi vincti in cæcit[ate] sua fuerunt: uti satis fatentur Macedones, (quor[um] nomine unus apparuit Paulo in somnis depreca[ns]: *Transiens in Macedoniam adjuva nos.* Act. 16.) [mi]serabili voce Pauli opem invocantes, quasi dic[...]:

ô Paule nos vincti in his tenebris venire ad te non
possumus, precamur igitur ut venias ad nos & juves
nos.

Jam modus quo colebant Deos suos erat mise-
abilis simul & stultissimus, non modo per victimas
ecorum, quod Romanis & aliis cultioribus usita-
um, sed plerumq; per cruorem humanum, & cha-
issimorum pignorum, lectissimorum adolescen-
um & adolescentularum, advenarum, civium, ho-
tium. Parentes ipsi immolabant filios, uti Saturno
hœnices, Carthaginenses, Rhodii, Cretenses (un-
le figmentum de Saturno liberos vorante.) alii I-
olo Meloch per combustionem uti Ammonitæ: a-
i ubi hostia deficiebat, seipsos mactabant. Adde-
ant libidines intolerabiles, promiscuas, ac præpo-
eras. Germani Ethnici cruore humano Mercurio
nmolare, religiosissimum putabant, teste Alex. ab
lex. Taceo ignorantiam rerum omnium divinarũ
humanarum de altera vita, de immortalitate, de
æceptis divinis, de virtutibus.

Hac de causa utique Christus media nocte natus
t, ut ostenderet se venisse ad ignorantiæ tenebras
a luce discutiendas, quod & typicè mox exhibuit
storibus, cùm Dei claritas mediis in tenebris eos
cumfulsit, & cum stella Magos duxit ad præse-
natam orbi lucem nuncians. Id quod recens à se
nversis sæpe inculcat S. Paulus, uti Ephesiis. c. 5.
atis aliquando tenebræ, (hoc est, tam tenebricosi,
ipsæ tenebræ sunt) *nunc autẽ lux in Domino.* A-
ovit hoc inter alios Witekindus Dux Saxoniæ,
llo victus à Carolo M. qui ubi ad fidem conver-
fuit, equum nigrum quem habuit in insignibus,
tavit in albũ, ut testaretur se à tenebris traductũ
ad lucem: (ut habet Chronicon Saxon.) imo &
lio tenebrarum infernalium factum filium lucis
rnæ. Nos ergo quia invenimus verum Deum per
nuncios tres Reges, ideo Ecclesia hodie vene-
unda cum iis procidens canit: *Venite adoremus*
, quia ipse est Dominus Deus noster.

I. Quia hodie cœpit excindi vastissima fer. rum
tronum sylva, omnis generis vitiis & sceleribus,
si immanibus bestiis repleta sub Gentili mo, u-
omines ferarum instar vivebant sine lege & sine
: ubi fortior debiliorem, major devorabat mi-
em. Unde nulla penè juris habita ratione prædas
bant & latrocinia: nefanda cum matribus, filia-
sororibus jungebant matrimonia: Senes cani-
devorandos dabant, aut jugulatos ipsi devora-
: furta impunè ferebant, uti inter alios Germani
etiam conjuges suas & filias & (uti Madiani-
xod 25.) hospitibus prostituebant: in defuncto-
maritorum rogos se uxores quoque conjicie-
, vel mancipia cum illis comburebant: fæminas
m & pueros turpi quæstui exponebant: capti-
venales proponebant, ac canum instar habe-
humanis aliqui carnibus vescebantur: specta-
gladiatorum, nudorum quoq; puerorum ac
arum edebant: Germani inter alios diem no-
ctemq; potando, vitam bella inferendo ducebant.
Taceo augurum & Pythonum (cujusmodi puella
refertur Act. 16.) delusiones, dæmonum infinita lu-
dibria, ut verè mundus nil aliud quam vastissimum
ferarum stabulum, aut solitudo sterilissima videre-
tur, de qua proinde dixit Isa. c. 41. *Ponam desertum*
in stagna aquarum, & terram in viam in rivos aqua-
rum. Dabo in solitudinem cedrum & spinam. (Hebr.
setim, arborem odoriferam, quæ nitore & robore
omnes alias arbores superat.) *& myrtum & lignum*
olivæ. Id quod impletum in nova lege ait S. Gego-
rius hom. 20. in Evang. quando loco improborum
illorum hominum qui sub Gentilismo fuerunt, plã-
tavit Deus in Ecclesia viros sanctos, omni virtutum
genere conspicuos; Martyres, Episcopos, Abbates,
Monachos, Eremitas, Reges &c. quibus refertissima
est Ecclesia; ita ut jam hortus excultissimus & para-
dysus appareat Orbis Christianus respectu prioris
solitudinis. Homines enim prius indomiti cædem
tantum ac minas spirantes, facti sunt quasi oves qui
omne respuunt jugum velut feræ immanes, jugum
subierunt, qualis inter infinitos penè S. Christopho-
rus Martyr, qui in Lycia adductus ad Decium Imp.
vinctus & rogatus, qui vocaretur: *Prius quidem A-*
docimus, hoc est, *improbus*, ait: *post verò Christiana*
religione initiatus, Christophorus, hoc est, *Christum fe-*
rens; itaq; æquum esse, ut quod nomine ferret, re ipsa
declararet; ut in ejus Actis 25. Julii Lipel. Nimirum
ante susceptam Christi fidem omnes fere Gentiles
erant *Adocimi*, postea facti sunt Christophori. Atq;
hoc ipsum est, quod ostensum S. Petro fuit Act. 10.
cum linteum de cælo in visione ei propositum fuit,
plenum quadrupedibus, serpentibus, & volatilibus,
penè omnibus immundis: quæ jussus est occidere
Petrus & comedere, dictumq; illi: *quod Dominus pu-*
rificat, tu commune ne dixeris; sicque receptum est
linteum in cælum: significabat enim Gentiles, qui
tum adhuc immundi & abominabiles erant, à vitæ
spurcitia per Evangelium purificandos, & denique
in cælestem gloriam suscipiendos.

Fuit ante Christum mundus velut sterilis & fri-
gida quædam hyems, quæ nullos Deo fructus tulit,
per Christum mutata est in amœnum ver & fructi-
feram æstatem. Unde canit sponsus Cant, 2. *Iam hy-*
ems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt
in terra nostra. Primi flores verni ex majusculis sunt,
qui corona Regis, die Königs Cron / appellantur, &
primi Christiani ex Gentibus sunt hi nostri Reges,
prænuntii lætissimi veris & æstatis, quæ est tempus
gratiæ & legis novæ.

III. Quia hodie, non solum Deum nostrum III.
nosse cœpimus, sed præterea ejus majestatem, po- *Quia etiã*
tentiam & benignitatem; qui verè nos salvare, hoc *Dei nostri*
est ex omnibus malis eripere, & omnibus bonis *potentiam*
cumulare queat. Petierunt aliquando Israëlitæ *& benigni-*
magna instantia dari sibi Regem, qui judicaret *tatẽ hodie*
ipsos & bellaret pro eis contra hostes, 1. Reg. Et *agnovimus*

datus

datus est illis Saul, *altior*, cæteris *ab humero & sursum*. Verum mox aderant qui dicerent: *Num salvare nos poterit iste* ? 1 Reg 10. Malevolè quidem, sed non omninò malè. Quis enim alius Rex salvare homines poterit, nisi Rex cœli & terræ? Talem autem se esse demonstravit noster Rex, quia stellæ & Angeli ei famulantur; cui alteri hoc factum ? Dicitur Rex natus, seu naturalis & necessarius, irrefragabilis & invictus: quis alius talis fuit? Ante ipsum procidunt alii Reges, & adorant eum, velut Regem omnium Regum; cui alteri hoc factum ? Terret Herodem & compescit ejus furorem jacens adhuc in cunis, quanta ejus potentia? Dirigit iter Magorum, & defendit ab ira & astutia Herodis: quàm bonus & benignus? Perduxit eos ad sanctitatem & cœlestem gloriam; (Unde nunc etiam velut sancti in maxima veneratione sunt) quam liberalis? Denique Rex æternus est, *cujus regni non erit finis*. Ubi alius talis? Qui ex Imperatoribus diutissimè regnarunt, fuerunt in primis Carolus V. qui rexit 40. annis, *& regni ejus erat finis*. Constantinus IV. in Oriente qui 41. *& regni ejus erat finis*. Theodosius junior, qui 42. annis: *& regni ejus erat finis*. Basil. II. qui in Oriente 30. annis. Fridericus III. pater Maximiliani I. 53. annis: & qui omnium diutissime, Augustus, sub quo Christus natus, annis, 56. *& regni eorum erat finis*. Hinc pulchrè Matthæus tempus regni Herodiani, quod erat tunc 30. annorum, universum 73. appellat dies tantum: *In diebus Regis Herodis*, &c. & sic *regni ejus erat finis*. At Regis nostri Christi regnum solum est, *cujus regni non erit finis*. Unde *& salvare in perpetuum potest accedentem per semetipsum ad Deum*, ait Apostolus ad Hebr 7. Reges hujus mundi salvare corpora tantum, neq; semper possunt, animas nullo modo: terræ portioni imperant, non toti; multo minus cælo & Angelis: Reges sunt electi, aut à subditis saltem acceptati; non nati & irrefragabiles: non imperant aliis Regibus, nisi bello fortè subactis, & hi tamen quam difficulter se victoribus subjiciant, apparuit in Ottocaro Bohemiæ Rege, victo à Rudolpho Imperatore; neq; terrent alios Reges nisi probè armati; nec possunt nos defendere ab omni prorsus injuria. Atqui Rex noster omnibus his pollet, quibus carent Reges alii. Videat jam Christianus quisq;, quantum sibi gratulari de hoc Rege debeat. Videat an expediat mundanis & mox transituris Regibus servire potius, quam æterno illi.

IV. *Quia hodie filii dexteræ facti sumus qui eramus filii sinistræ*

IV. Quia hodie mirabilis quædam mutatio fieri cœpit in Judæorum reprobatione & Gentium vocatione; dum Principes & populi Hebræi Messiam suum negligunt, & quidem vicinum: Gentes verò requirunt & quidem remotum. Hodie ergò impleri cœpta Isaaci benedictio in Jacob, & reprobatio in Esau: Hodie dextra manus Jacob decussatim posita est super *Ephraim*, id est, *frugiferum* Gentium populum, sinistra super *Manassen*, id est, *obliviosum* populum Judæorum. Hodie ab oriente venerunt, qui cum Abraham, Isaac & Jacob recumberent in regno cœlorum: filii autem regni ejecti sunt in tenebras exteriores, sicq; Publicani & meretrices; id est Gentiles, peccatores publici, cum idolis fornicat[i] præcedere cœperunt Judæos in regno Dei. Hod[ie] pauperes & cæci & claudi & debiles à sepibus & v[i]is publicis collecti, introducti sunt ad cœnam m[a]gnam: qui autem prius invitati venire recusarun[t] exclusi sunt & audierunt: *Nemo virorum illorum g[u]stabit cœnam meam*. Jacent Judæi dispersi, sic[ut] vas figuli confractum & irreparabile, uti [est] prædictum Jer. 19. v. 11. Florent contra & triumpha[nt] Christiani. Quam Dei miram sapientiam admira[tur] Paulus exclamans: *O altitudo divitiarum sapien[tiæ] & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judi[cia] ejus &c.* Propter hoc etiam *obstupuerunt & ex c[ir]cumcisione fideles, quòd & in nationes gratia Spiri[tu]s S. effusa esset*. Act. 10. Gentes enim nulla prorsus m[e]rita, nullos viros sanctos, nullum cum Deo pactu[m] habuerunt, sicut Judæi; imò impii & Diaboli ma[n]cipia erant; & tamen hodie Judæis prælati sunt, [&] quem illi repulerunt, ipsi quæsierunt.

V. Quia hodie exaltati simul ad supremis Re[gis] aulam & sub ejus alis securi conquiescere cœpim[us]. Hodie contra naturam ex oleastro in bonam oliv[am] inserti sumus, factiq; palmites illius vitis, quæ [hu]morem nobis gratiæ & meritorum suorum co[nti]nuò suppeditat, ut fructus bonorum operum co[ele]stes proferre valeamus. Hodie velut oves erra[nte]s ad caulam pastoris nostri reducti, è luporum fa[uci]bus erepti, & ex filiis doloris filii dexteræ Dei c[on]stituti sumus ponendi aliquando ad dexteram e[ju]s, quæ est æterna fælicitas.

Hodie electi sumus in lapides sanctuarii & te[m]pli cœlestis; hic quidem poliendi, ibi verò per o[m]nem sternendi in regno Dei. Quare si Plutarc[hu]s philosophus apud Aristot. l. 2 phys. fortunatos (?) [pu]tuit illos lapides, ex quibus altaria fiunt, quæ ab [ho]minibus honorantur: multo magis fortunati eri[mu]s Christiani, qui superædificati sumus super lap[i]de fundamentali Christo in Dei templum & sanct[ua]rium.

Hodie in vineam Domini conducti & consequ[en]ter missi sumus, ut post diurnum laborem dena[riu]m æternæ fælicitatis accipiamus.

Hodie *cives Sanctorum & domestici Dei* fact[i su]mus, habentes jus municipatus nostri in cœ[lis] adeoq; omnes plus quam nobiles, imò plusq[ua]m Reges creati. Jam si tanti erat olim civem Ro[ma]num esse, ut tribunus ille Act. 22. multa pecun[ia] [e]meret jus illud: infinities plus est, esse civem [Sa]nctorum.

Hodie *qui eramus longè, facti sumus propè*. Ep[he]s. qui longe à regno cælorum positi: jam propè & [vi]cini.

Hodie in arcam Noë ingredi cœpimus, ubi securissimo in præsidio servaremur à dilu[vio]. Quidquid extra arcam Ecclesiæ est, certissimo p[eri]clo

peribit , Gentiles , Judæi , Turcæ , Hæretici.

Hodie spes salutis omnibus peccatoribus & portus naufragantibus apertus est, dum homines peccatores & Gentium erroribus imbuti ad salutem directi & recepti sunt.

Verum quidem est, non esse nos extra omne periculum prorsus ; (si nimirum culpa nostra perire velimus) quia possunt palmites fieri steriles, ut excindi mereantur: possunt oves septa transilire, & in luporum fauces incurrere ; possunt lapides sua duritia resistere malleo lapicidæ , ut reprobari mereantur possunt operarii in vinea otio se dedere, alios vexare & damna dare , ut mercede careant: possunt cives sanctorum ita malè vivere, ut excludi mereantur; possunt qui in arca Noë sunt , in aquas desilire & mergi ; possunt cum corvo sectari corpora mortua . & in iis inhærere, ne redeant ad arcam. Sed hoc illorum culpa est, non vitis, non pastoris non structuoris, non domini vineæ , non Regis, non Noë. Quare Auditores; attendendum nobis ne de tenebris erepti, ad tenebras redeamus ; quod avertat Deus.

THEMA II,

Pompa legationinis trium Regum.

I. *Veniunt cum stella magna fidei,*
II. *Cum manu forti, & spiritu fortitudinis,*
III. *Cum magna industria & celeritate , seu cum dromedariis.*
IV. *Cum camelis seu humilitate.*
V. *Cum muneribus.*

Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam. Matth. 2.

DIem hodiernum appellamus nos Germani *diem Ducum*, den Oberstag / nec malè ; quia tres illi Magi seu Reges , fuerunt primi Duces omnium Gentilium, suo exemplo præeuntes ad præsepe Domini & cognitionem veri Dei. Quemadmodum vero Duces non sine pompa & apparatu veniunt ; ita neque isti absque splendore ad Christum venerunt. Sane is talis fuit ut eum Isaias octingentis annis antea præviderit , & pompaticè descripserit cap. 60. his verbis: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo & Reges in splendore ortus tui*, & mox: *Tũc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, Inundatio camelorũ operiet te dromedarii Madian & Epha. Omnes de Saba venient , aurum & thus deferentes , & laudem domino annunciantes.* Superest ut hanc pompam nunc explicemus.

I. Ingrediuntur cincti lumine, sicut Isaias prædixit c. 60. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo*, prævia scilicet stella, quæ est magna in Christum fides, quam hauserunt à stella , & qua eandem secuti sunt ducem. Mira, inquam, & magna fides ! Non audierunt Angelum , sicut audierant pastores. Stellam solam viderunt, indicem nati Regis, moxque fidem adhibent & Regem inquirunt duce stella , ubicunque tandem locorum is esset. Ac postquam eum repererunt, non absterriti ejus paupertate vilique tugurio ; crediderunt non modo Regem sed etiam Deum, atque ut talem adorarunt. Quàm ergo confundunt nostram in credendo tarditatem? Nondum illi audierunt Christum prædicantem, vel miracula facientem; non viderunt resuscitatum , ad cœlos ascendentem , totum mundum convertentem & Idololatriam evertentem, Ecclesiam tot sæculis inter tot hostes conservantem , per Vicarium suum gubernantem ; & tamen in eum , velut Deum, firmissime crediderunt. Nos scimus à Christo jam eversam Idololatriam , quæ tantopere se opposuit per annos plusquam 300. scimus à paucis Apostolis orbem conversum , doctrinam & intellectui & voluntati difficilem orbi persuasam , scimus eandem tam constanter à fidelibus creditam , ut vitam per omnia tormenta perdere mallent, quam fidem; scimus incredibilem morum mutationem factam , mundum monasteriis ac templis repletum , fidem tot miraculis confirmatam. Unde S. Aug. l. 22 de Civitate c. 8. ait ; *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit , magnum est ipse prodigium qui mundo credente non credit.* Viderunt ergo qui post tot argumenta, non dico, non credunt, sed tepidè etiam credunt. Quid enim ait Ecclesiast. c. 2. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo , & ideo non proteguntur ab eo.* In Græco habetur: *Væ cordi remisso.* Tales enim non proteguntur à Deo, quia in eum fidem non habent, sed sinit eos suis natare brachiis. Hinc advertit S. Augustinus ser. 82 de temp. Josephum, etsi justum , idcirco absque omni dubitatione biennio in carcere detentum , ipsumque pincernam dispositione ejus oblitum fuisse, quia cæperat non in solo Deo, sed in homine pincernâ confidere. Sic deseruntur à Deo, qui vel suæ rationi, vel humanis viribus plus fidunt, quam Deo. Idem in nova lege pluribus ostendi potest. Petrus, quando cœpit diffidere & dubitare, subsidit in undis. Unde audit : *Modicæ fidei, quare dubitasti* ? Filia Jairi, manus Christi impositione suscitatur : Hemorrhoissa tactu sanatur: quia hoc petierunt. At major fides Centurionis, cujus servus verbo sanatus; quia dixerat ; *tantum dic verbo.* Unde ei bene Christus respondit : *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Nota particulam *sicut*: quia fides est mensura gratiarum ; quantum credis, tantum accipis. Nec solum non proteguntur tepidi in fide: sed tandem evomuntur etiam , ut habetur Apoc. 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere.* Tales enim non agnoscunt suam frigiditatem, uti mox subjicitur: *Quia dicis, quòd dives sum, & locupletatus*

cum stella magna fidei.

& nullius egeo: & nescis quia tu es miser, &c. Sic evomuit tepidos Afros & Græcos in manum Turcarum: sic multos Germaniæ populos in manum hæreticorum.

Adhæc ad unius stellæ apparitionem isti permoventur, & accingunt se ad tam longum & difficile iter. Nec à proposito suo itinere absterrentur, quòd Herodes turbetur, quod stella se ad tempus abscondat: nec à fide Christi, quod videant eum pauperem in stabulo, desertum,, &c. nec desinunt prosequi iter suum, licet nesciant terminum, quando & ubi statura sit stella; sed magna cum confidentia simul & patientia pergunt cœpto itinere, donec inveniant natum Regem. Nonne ergo confundunt nos, qui tot argumentis, stimulis, promissis adigi vix possumus, ut vel levia Deo obsequia præstemus.

II. *Cum manu forti, & spiritu fortitudinis.*

II. Cum manu forti. Sic enim prædixit Isaias c. citato: *Fortitudo Gentium veniet tibi*, id est, Regum majestas & apparatus cum multo comitatu, seu potius magna animi fortitudine. Apparuit hæc fortitudo, dum ad Herodem Jerosolymam ingressi, nequaquam timuerunt interrogare, ubi esset Rex Judæorum nuper natus; tametsi dubitare non poterant ægerrimè hoc auditurum Herodem; qui jam Rex inauguratus, etsi non legitimus, nec de semine Judæorum foret; adduntq; se venisse, ut eum adorarent. Igitur non magnam solum fidem habebant, sed eandem etiam coram Tyranno intrepidè confessi sunt. Scimus ex 3. Reg. 1. quàm ægrè acceperit Salomon vel mentionem fieri Abisag, quam petebat mater ejus dari conjugem Adoniæ. Illicò enim insidias regno suo strui putabat; unde matri durè respondit, & Adoniam morti destinavit. Quanto magis debuit displicere Herodi, mentionem fieri novi Regis? Periculum ergo capitis Magi adibant. Sed nimirum fortes & imperterriti erant, præfigurati, ut scribit Sophronius Episcopus Hierosolymitanus in ser. de Nativitate, in tribus illis fortibus viris, 2. Reg. 23. qui sitienti Davidi, perruptis Philistiorum castris, aquam attulerunt è cisterna Bethlehem. Sic enim hi tres Magi sitienti mundo cognitionem veri Dei, perrupto ac contempto Herodis furore, attulerunt, adeoq; ipsum Christum, cœlestem ac vivam aquam è cisterna uteri virginalis prognatam ad portam Bethlehemiticam. Nondum noverant illi Christum ejusq; gloriam, & tamen Regem Judæorum coram Rege Judæorum appellant, & adorare volunt: nondum adultum, sed primum natum. Nos ejus gloriam novimus, regnantem in cœlo scimus, & adhuc publicis pietatis actibus venerari sæpe non audemus, & erubescimus? Christe bone, quid fieret tibi, si nunc in cruce penderes? quis nobilium vel divitum te inde deponeret, sicut fecit Joseph ab Arimathæa, nobilis & dives Decurio seu Senator: & Princeps Judæorum Nicodemus? qui scalam afferret? quis applicaret cruci? quis ascenderet? quis te refigeret in tanto illo crucis opprobrio, tanto Judæorum odio ac furore: Paucos nunc Magos, paucos Josephos & Nicodemos reperimu[s] è divitum & potentum numero.

III. Veniunt cum dromedariis quod idem Isaia[s] ibid. prædixit: *Dromedarii Madian & Epha veni[ent] tibi.* Nimirum maxima cum industria & celeritat[e]. Non enim sat habent agnovisse Christum natum, [...] eum credere, eum domi colere: sed volunt eu[m] quærere, adorare, videre, muneribus afficere. No[n] absterrentur viæ longitudine, hyemis inclementi[a], sumptuum magnitudine, natione peregrina. Ven[i]unt celerrimè & intra dies tredecim conficiunt 18[0] milliaria, si ex Arabia venerunt: vel 40. diætas, qu[as] possunt dromedarii, teste S. Hieronymo, conficer[e]. Ergo qui vere in Christum credunt, etiam operibu[s] id ostendere debent: Christum quærere in sacra[]mentis & re divina, adorare: contemnere etiam [&] postponere difficultates, quæ ab eo obsequio no[s] impedire solent. Romani censores videntes aliquen[i] in urbe otiosum, primo interrogabant, quam arte[m] calleret: deinde an uteretur inspiciebant manus, a[n] callosæ & artificio illi assuetæ essent: sin minus, ve[]lut vagum & otiosum relegabant. Simili indici[o] Christiani dignosci possunt, an verè tales sint; si ni[]mirum veniant ad rem divinam, crebro confitean[]tur & communicent: an veniant in dromedariis, a[n] potius gressibus boum & testudinum. Magna cert[e] ignominia affecerunt Christum milites illi, qui dum eum salutarunt Regem, palmis ceciderunt, cava arundine in manum imposita, impiè deriserunt. At quid aliud faciunt, qui ore eum confitentur, factis offendunt? nonne inanes ac ludicros Christianos ei præsentant, & pro gloria confusionem afferunt.

IV. Veniunt cum camelis, teste Isaia ubi suprà: *Inundatio* (hoc est multitudo) *camelorum operiet te.* Jam verò scimus camelos cùm onerantur, genua flectere; designant ergo Magos illos procidentes ante Christum. Mira & magna humilitas! nondum loquitur hic parvulus, nondum mira patrat, nondum surrexit de mortuis, nondum cœlos ascendit, & à regibus adoratur! Unde Sanctus Bernardus serm. 2. de Epiph. eorum fidem præfert fidei Centurionis & latronis, ad crucem conversorum; quia illi videre poterant Christi miracula: his nihil nisi paupertas & infirmitas apparuit. Sanè Judæi sub Vespasiano, tam pueri quam adulti, necari maluerunt, quam eum dominum appellare (quod id nomen soli Deo deberetur) id quod Alexandriæ Lupus Præses ab eis exigebat, teste Sabellico lib. 3. c. 7. Ipsi Alexandri M. milites appellationem Dei in ipso riserunt, & domestici ejus verbera potius pati, quam Deum ipsum appellare maluerunt. eod. auct.

Cur ergo Regulum isti parvulum tam demissè venerantur? Nimirum flumina respectu maris nihil sunt, etsi respectu Rivulorum magna sunt; itaq; Reges isti comparant se non cum hominibus se minoribus; sed cum Deo, quem adorarunt. Atque id-

circo

ircò fortè tacentur eorum nomina & regia dignitas in scriptura : quia sicut flumina extra mare habent sua nomina , uti Rhenus, Rhodanus, Tiberis Danubius; at ubi in mare se exonerant, perdunt sua nomina: ita Reges isti extra domum Bethlehemitiam magni audiebant; at ubi in domum Dei intrãt, perdunt nomen & dignitatem suam. Unde bene Isa. dicuntur Gentes velut flumina ad Christum confluxura: *Fluent ad eum omnes Gentes.* Capite vero o. sæpe citato dicitur. *Inundatio camelorum veniet ibi*; quasi diceret: sicut flumen inundans venient cameli, hoc est, Magnates genua coràm te flexuri. ita quidem primi illi ex Gentibus Christiani cur ad Christum veniunt, uti prædixit Isa. c. 60. Nunc veniunt aliqui non cum camelis, sed cum elephantibus, qui nesciunt nisi magna difficultate & multis ortatibus in genua se curvare.

V. Veniunt cum muneribus; quod asserit Matthæus & prævidit Isaias loco citato: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.* Dederunt ergo Christo munera regalia, apertis thesauris suis, adoq; optima quæq; non deteriora. Porro optima Deo offeremus, si pro thure intellectum, pro myrrha memoriam, pro auro voluntatem nostram. Intellectum, ut eum captivemus & inclinemus ad credendum omnia divinitùs revelata; memoriam ad ruminanda ejus beneficia, vitam, passionem, cõones, voluntatem ad ipsum toto corde amandum imitandum; sine quo amore cætera parum aut hil sunt. Non imitemur somniatorem illum, apud Ciceronem l. 2 de divinat. qui somnii sui interpreti, icenti ovum ab eo visum esse aurum & argentum omi reconditum; ubi thesaurũ reperit, de argenro liquid misit, sed de auro nihil Cui proinde conjector nunciavit: *Nihilne de vitello?* Non Cainum, qui e vilioribus obtulit Deo munera; Non Salomonem, qui Regi Hiram pro to lignis pretiosis tanq; auro dedit 20. oppida vilissima; de quibus Hiram ad ipsum : *Haccine sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* ideoq; vocavit eas *terram Chabul.* hoc st, lutosam. 3. Reg. 9. Quos imitatus est hospes ille n vita B. Jordani Ordin. Prædicator. secundi post Dominicum Generalis, de quo Leander Albertus apud Sur. 15. Februar. ita scribit; *Matrona Gallia visis fratrum Prædicatorum honestissimis moribus, ægre ferente viro suo, ipsis hospitium præbebat; quippe ui fratres nondum ædes extruxerant. Forte aliquando viro Dei Iordani hospiti ad se divertenti prandium pposuerat, ejusq; socio. Et ecce prandentibus illis vir jus supervenit. Quo viso iram dissimulans (porrò in am excanduerat) cum sancto viro consedit, pariterq; umere cibum cœpit. Dum verò vinum appositum libavit, mancipio voce ingenti jussit, ut alterius dolii vinum hauriret, ceu dignius decentiusq; licet deterius & pene corruptum. Nempe veneranda matrona optimum attulerat, ex quo doluerat iste plurimum. Itaq; jussit corruptum coram afferri, ut uxorem molestia afficeret. Delatum per mancipium vinum, prout jusserat, primus omnium gustat, & quod bene marcidum noverat, optimum prælibat. Igitur se à servo deceptum ratus, truci facie minaciq; voce iterum jubet ex certo dolio vinum afferri. Iterum ex vino allato prælibat, & optimum invenit, & in increpationes prorumpens servumq; abire in malam rem malumq; cruciatum jubens, ipse furiis invectus surgens accessit ad dolium, vinum hausit gustavitq;. Quo hausto id optimum & gustui gratissimum sic invenit, ut melius fortè jam multo tempore non gustasset. Qua re perterritus penè factus elinguis, quid ultra diceret, non habebat, simul ac in tantam Prædicatorum Patrum admirationem devenit, ut eos apprime diligeret observaretq;. Et deinceps uxorem alacri animo liberè omnibus iis & hospitium & cibum subministrare permisit.*

Et verò cui debentur optima quæque, nisi Deo & servis ejus? & quis melius munera nostra remunerari potest, quàm Deus? Videte quam liberaliter rependerit his Magis, quæ obtulerunt ei munera; Perfudit eos lumine fidei & cognitionis suæ: admonuit per Angelum de insidiis Herodis; reduxit eos domum plenos consolatione: postea misit eis Thomam Apostolum, à quo plenius in fide imbuti & baptizati sunt: denique prædicatores Christi, & ut scribit Luc. Dexter in Chron. Martyres facti sunt. Eorundẽ corpora Coloniæ in summa veneratione sunt: animæ verò in cœlo cumulatæ ingenti gloria, Beatorum omnium maximo applausu, Angelorum admiratione, &c.

THEMA III.

Quæ convenientia trium munerum Regalium.

In mysterio regalium munerum requiritur illorum combinatio.

I. Aurum requirit thus & myrrham.
II. Thus requirit aurum & myrrham.
III. Myrrha requirit thus & aurum.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Matth. 2.

NUmerus ternarius etsi universim sacratus & celeberrimus, in sacris tamen oblationibus frequentius observatus est. Inprimis enim Abraham sacrificaturus Deo Gen. 15. jubetur sumere vaccam triennem & capram trimam & arietem trium annorum. Leprosus mundandus tres decimas similæ in sacrificium, Levit. 14. Totidem alii Hebræi singuli in Phase & Calendis, Numer. 28. Anna Samuëlis mater in tribus vitulis & tribus modiis farinæ obtulit Deo filio suum. 1. Reg. 1. Rursum tres viri ascenderunt in Bethel ad sacri-

Numerus ternarius usitatus in sacrificiis & oblationibus.

ſacrificandum, unus portans tres hœdos, alius tres tortas panis, alius lagenam vini. 1. Reg. 10 v. 3. Ex quibus colligitur numerum ternarium valde uſitatum fuiſſe Hebræis in ſacrificiis & oblationibus; haud dubiè ut ipſis, licet obſcurè, inſinuaretur myſterium SS. Trinitatis. Sed quid dicemus de tribus Regibus, qui hodierno die ad Chriſtum venerunt cum oblatione, ac, licet Gentiles, tria tamen & ipſi, & quidem, ut videtur multis, ſinguli obtulerunt ei munera thus, myrrham, aurum? Bene quidem ad hoc reſpondent Patres ferè omnes; voluiſſe eos proteſtari auro regiam Chriſti majeſtatem, myrrha mortem & ſepulturam, thure divinitatem; ſed videntur tamen in hoc mirabili munerum ternario plura alia latere myſteria, quæ illorum combinationem neceſſariò requirant. Quæ hic exponere conabimur.

I. *Aurum requirit thus & myrrhã*

I. Aurum requirit comites, thus & myrrham. Quale aurum? Primo divitiarum, ut hominem beare in hoc & illo ſæculo poſſit. Id exponit ſapiens ille Solon, Græcorum ſapientum unus, qui dicebat tum beatos dici poſſe divites, ſi pecunias habeant triplici lege. 1. *Vt ſint bono modo*, hoc eſt juſto titulo *comparatæ*. 2. *Vt earum cuſtos non ſit invidus*. 3. *Vt erogatas pœnitentia non ſubſequatur*. Plut. in convivio 7. ſap. Tres hæ conditiones non obſcurè indicantur tribus Magorum muneribus. Aurum è metallis omnium puriſſimum eſt, & in ignem projectum, omne aliud à ſe repellit metallum; jubet igitur pecunias eſſe puras & immundas ab omni injuſtitia, ſine vi ac dolo quæſitas. Myrrha ex arbuſcula ſpinoſa deſudat ſponte inprimis, priuſquam incidatur, eaq; eſt præſtantiſſima, ſtacte ſeu lachryma appellata; poſtea etiam defluit ex inciſione, minus tamen præſtans; vult ergo ut divitiæ promptè ſe effundant in uſus neceſſarios & honeſtos, communicentq; egentibus, & in eorum ſinum defluant (quæ eſt optima eleëmoſyna:) in alios vero uſus ſuperfluos, ægrè & nonniſi coactè, ſic habebunt fidum cuſtodem. Thus quando incenſum exhalat in fumum, tunc odorem ſuum exerit, eumq; gratiſſimum; jubet ergo ut divites non doleant, ſed gaudant potius, ſi bene erogarunt ſuas divitias. Tolle unum ex his muneribus, jam mutilæ erunt opes, nec fælicem reddent divitem.

1. *In divitiis poſſidendis.*

2. *In ſapiẽtia cõparanda.*

2. Aurum ſapientiæ comparatur Sap. 8. *Melior eſt fructus meus auro.* Et Sap. 16. *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt.* Nam ut aurum præſtat omnibus metallis: ita ſapientia præſtat omnibus artibus & ſcientiis rerum humanarum. Hoc ergo aurum deſideras? ſine thure & myrrha non facilè acquires. Thus, qui aërem ſuavi odore perfundit virtutem denotat: Myrrha verò, quia amara eſt, interim tamen utilis valde, (conſervat enim corpora à vermibus & putredine) diſciplinam; de qua Apoſtolus ad Heb 12. ait: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* Hæc jungenda eſſe docet Pſalm. Pſ. 118. illa precatione: *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doc me.* Scientiam hic petit, ſed quibus adminiculis bonitate & diſciplina. Indicatum hoc videtur i Arca fœderis quæ intra ſe incluſas continebat tabu las Legis, ut habetur 3 Reg. 8. v. 9. & 2 Par. 5. v. 1c juxta ſe verò appoſitum habebat manna & virgan Aaron, ut ſcribit Apoſt. ad Heb. 9. v. 4. Manna qui ſuaviſſimum erat, vitæ bonitatem ac virtutem no tat: virga Aaron vero diſciplinam, ſine qua virtu non addiſcitur. Per hæc duo demum pervenitur a legis cognitionem & ſcientiam. Non multum hin abit S. Greg. hom 10. cum ait: *Aurum afferimus, ſapientiæ lumine ſplendemus: thus, ſi orationis ſtud redolemus: myrrham, ſi carnis vitia mortifi amus.*

3. Aurum divinam gratiam etiam ſignificat A poc. 3. ubi Joan. Epiſcopo Laodiciæ ſcribit: *Suad tibi à me emere aurum ignitum.* Hoc eſt, charitate ſeu gratiam, ut optimè exponit Richar. Beda & al apud Corn. ibid. Et jure; quid enim auro pretioſiu & quid Dei gratia ac charitate præſtantius? *Ma nent*, ait Apoſt. 1. Cor. 13. *fides, ſpes, charitas, tria hæ major autem horum eſt charitas.* Vis ergo Dei gr tiam tibi comparare? adhibe thus orationis perſ verantis, & myrrham mortificationis, ſeu afflictic nis corporis; quia thus, quod ſuavi odore Deo pl cando accenſum, cælum petit, orationem; myrrh verò quia amara eſt, mortificationem repræſenta Docet hoc inprimis Virgo Deipara, quæ ut ſcribi S. Bonaventura in Medit. Vitæ Chriſti c. 3. apparui cuidam perſonæ ſibi devotæ (quam ipſe putat fu iſſe S. Eliſabetham) & hæc dixit: *Filia dico tibi, quo nullum donum, gratiam vel virtutem habui à De ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lachrymis & multa afflictione; dicendo cogitandoq; ſemper placita ſibi, ſicut ſciebam & poteram excepta ſanctificationis gratia, qua ſanctificata fui in utero matris.* Additq;: *pro certo ſcias, quòd nulla gratia deſcendit in animam niſi per orationem & corporis afflictionem.*

II. Thus etiam requirit aſſeclas, aurum & myrrham. 1. Thus, ut vidimus, orationem denotat. Vis ergo ut oratio tua cœlos penetret; & quod à Deo poſtulas, potenter impetret? Adde ei alas duas, aurum eleëmoſynæ, & myrrham jejunii, ſeu alterius caſtigationis corporis. *Oratio quaſi odor ſuavitatis eſt operis boni*, ait S. Chryſoſt. ho 18. in Matth. Verum ſi auro illo & myrrha careat, valde debilis eſt, teſte eodem Sancto hom. 15 in Matth. ubi ait: *Ille præparat animam ante orationem, qui faciens eleëmoſynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ: ita & bona opera excitant, fidem cordis & dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleëmoſyna præparatio eſt orationis. Item jejunium eſt adjutorium orationis, quia oratio ſine jejunio gracilis & infirma.* Et infra: *Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine jejunio, nec jejunium ſine oratione.*

Habe-

Habemus hujus veritatis testem luculentissimum, Raphaelem, qui Tob. 12. dixit: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*, unde S. August. enar. in Ps. 42. ad fi. *Vis*, inquit; *orationem tuam volare ad cœlum? fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam*. Jejunium consumit vapores è multitudine ciborum prodeuntes, qui caput opplere & offuscare mentem adeoque etiam orationis fervorem impedire solent; quibus consumptis menti serenitas redit. Eleemosyna, quæ in pauperibus ipsi Christo datur, eum quasi compellit; ut pro accepto dono donum refundat. Hæc tria dona crebro Deo offerre solebant Tobias & Sara, ut in l. Tob. habetur; hinc tam multa bona à Deo impetrarunt. Elcana quoque & Anna media abstinentia & peregrinationis labore ac muneribus ad Tabernaculum allatis, additaque oratione, impetrarunt filium Samuel. 1. Reg. 1.

2. Thus confessionem etiam sacramentalem repræsentat; quia uti thus, quasi excrementum arboris, igne comburitur ad Dei gloriam: ita peccata pessimum hominum excrementum, comburuntur in confessione, ut per eam glorificetur Deus. Unde S. Hier. ad Ps. 3. appellat eam *holocaustum* *Tunc acceptabis sacrificium, id est*, inquit, *confessionem ex ore peccatoris*. Ex mox *Iugulando delicta, mactando vitia* (in confessione) *dignum Deo acceptabileque præparas holocaustum*. Holocaustum, inquam, in quo tota hostia, comburatur, ut ne reliquiæ ullæ supersint. Sacrificium, id est, justitiæ; quia per confessionem redditur Deo honor ablatus, dum se peccator reum agit, accusat & punit. Porro ut hoc thus suavem Deo odorem præbeat, eget myrrha & auro. Myrrha, ut dixi, amara est & contritionis amaritudinem, denotat; unde Thren. 2. *mari amaro* comparatur contritio: *magna est velut mare contritio tua*. Non recensenda in confessione peccata velut historia, sed veluti humilis & pudica sui accusatio coram Judice deprompta. Hanc requirit David Psalm. 50. citat. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Sed necdum satis; aurum satisfactionis (auro enim debita exsolvimus) addendum: bona aliena restituenda, fama & honor ablatus reparandus, peccata fletibus & aliis satisfactionis operibus punienda, (quod ad priora duo etiam additur Psalm. 50. illis verbis: *Tunc imponent super altare tuum vitulos* Unum, ex his tribus si desit, jam ex parte mutila reddetur pœnitentia, nec erit *sacrificium odoris suavissimi*, quod requirit Deus.

3. Thus quamcunque oblation[em] Deo factam indicat. Hæc ut Deo grata fiat, comites requirit aurum & myrrham. Aurum, ut res bona sit & pura ab injustitia atque infamiæ labe. Nam *qui offert sacrificium, ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris*, ait Ecclesiasticus capite 34. Mactat enim pauperem, qui eum deplumat; & quasi ejus sanguinem Deo offert, qui ejus sudorem offert. Iram ergo Dei talis oblatio, non misericordiam meretur. Quid quod etiam in paupere mactat ipsum Dei filium? Ipse enim in pauperibus est; qui & *elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes regni*, ait S. Jacobus capite 2. Neque hoc satis, sed & myrrha addenda, ita scilicet, ut cum dono offerat homo seipsum corde contrito. Non enim vult Deus dona tua, sed te. Erravit in hoc Cain, qui cùm Deo offerre sua, ait Rupert, libro 4. Comment. in Genesin 2. *se ipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena Hujusmodi portionem Deus non accipit; sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi: at Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primo cor suum, deinde rem suam &c.* Unde dicitur: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, Primo ad Abel, deinde ad munera. Simili modo tres Magi una cum muneribus obtulerunt Christo seipsos corde prostrato & contrito.

III. Myrrha etiam comites suos, aurum & thus non vult deserere. Qua ratione? inquis, 1. Myrrha, quæ à putredine servat hominum cadavera, beatæ resurrectionis, quæ corpora nostra immortalitate donabit & ab omni deinceps putredine conservabit, spem significat. Omnes quidem cupiunt resurgere in gloria, solanturque se fiducia gloriosæ illius resurrectionis. Verùm scire debent hanc gratiosam myrrham nequaquam haberi posse, sine thure fidei & auro charitatis. Fides instar thuris est, quia licet fumum aliquem obscuritatis, sine flamma claritatis seu evidentiæ, in intellectum immittat, is tamen admodum suavis & salutaris est, cœlestium bonorum odore animum mirifice exhilarans & amore accendens. Hæc debet esse divina & integra, nihil prorsus excludens, quod ab Ecclesia Catholica credendum proponitur. Charitas aurum est, ut jam supra vidimus. Hæc alter comes esse beatæ spei vult. Si enim *charitatem non habuero, nihil sum, & nihil mihi prodest*, ait Apostolus primo Corinthiorum decimo tertio, Hac de causa reor, Christo in die resurrectionis obtulisse discipulos favum mellis, una cum pisce asso, Lucæ vigesimo quarto. Favus mellis spem dulcissimæ resurrectionis designat; piscis fidem juxta sanctum Augustinum sermone vigesimo nono de verbis Domini qui ait: *Piscis bonus pia est fides, vivit in fluctibus nec frangitur*, &c. Piscis vero assatus notat fidem, *quæ per charitatem operatur*. Fuit Romæ sub Adriano Imperatore matrona sancta, nomine & re Sophia seu Sapientia, tres habens filias, cum quibus vidua degebat, vocabatur autem una Fides, altera Spes, tertia Charitas. Hæ propter religionem Christianam ad pœnas tractæ hac se voce animabant: *Una mater nos genuit, eadem tres aluit, ab una sumus educatæ tam corporali alimento, quam spirituali, sit unus finis etiam tribus sororibus: sint etiam sororiæ & germanæ voluntates. Mater eas similiter ad certamen armabat; quod ubi fortiter subierunt simul eas sepelivit dicens O quibus ego tribus filiabus honoravi Trinitatem! Qualia dona, quales ei obtuli suffitus!* Meta; h 1. Aug. apud Surium. Junge & tu tres virtutes illas, gratissimum Deo munus offeres, nec non inter Sanctos ad gloriam resurges. 2. Myrrha

III. *Myrrha requirit thus & aurum.*

1. *Ad obtinendam gloriosam resurrectionem.*

2. *Ad obtinendam beatam mortem.*

condiens cadavera, ut bene, non male oleant & nunquam putreſcant) ſignificare poteſt beatam & pretioſam mortem, quæ vitam bene & juſte peractam redoleat, omniumque viventium nares ſeu memoriam grato odore perfundat. Talem myrrham deſiderant quidem omnes Chriſtiani, ſed non omnes obtinent, quia non adhibent thus & aurum neceſſarios ejus comites. Aurum quid niſi puram & ab omni labe peccati immunem notat conſcientiam? Thus vero odorem bonæ famæ ſignificat, teſte D. Thoma libro ſecundo quæſtione 102. articulo tertio ad ult. quia ut thus nares, ita bona fama memoriam ſuavi replet odore. Duas illas conditiones ad pretioſam mortem requirit Apoſtolus ad Romanos duodecimo dicens: *Providentes bona non tantum coram Deo* (in conſcientia videlicet) *ſed etiam coram omnibus hominibus.* Quia ut inquit, ſanctus Auguſtinus ſermone primo de vita Com. Cler. *Duæ res ſunt, conſcientia & fama. Conſcientia tibi, fama proximo neceſſaria eſt. Qui fidens conſcientiæ ſuæ famam negligit, crudelis eſt.* Si in proximum crudelis eſt; quomodo odorem myrrhæ ſpirabit in ſepulchro?

2. *Ad honorificam ſepulturam parandam* 3. Myrrha, balſamo & aromatibus condiuntur fere ſolùm Principum & Magnatum cadavera, ut ſic quoquo modo etiam defuncti honorentur cum reliqua pompa funebri. Videmus paſſim Magnates & nobiles multùm laborare & impendere in ſuorum pompam funebrem, ut cùm ſplendore ſepeliantur, adeoque myrrha & balſamo condiantur. Verùm ſæpe numero omittunt thus & aurum, quæ apparatum illum funerum vel maxime cohoneſtarent. Quod vero hoc thus? quod aurum? Thus orationis & ſacrarum miſſarum, quæ ſi loco ſumptuoſi illius apparatus, vel ſaltem una cum ipſo offerrentur Deo pro defunctis, multo ſane magis & ipſis prodeſſent & Deo placerent. Etenim *pompa funebris*, ait S. Auguſtinus de verb. Apoſtoli, Theſſal. 4. *agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta inſtructio, vivorum ſunt qualiacunque ſolatia, non adjutoria mortuorum.* Thuri accedat aurum eleemoſynæ & ſedula executio voluntatis defuncti, teſtatoris & piorum legatorum, defenſio pupillorum &c. Hæc duo ornant funera, magis quam ulla pompa. Audiatur ſanctus Chryſoſtomus hom. 61. in Joann. *Honor mortuo non fletus eſt, non ejulatus, ſed hymni & pſalmi.* Et mox: *Vis honorare mortuum alia via aggrediendum eſt: fac eleemoſynas.* Quod vero omnino neceſſarium eſt, maxime providendum, ut voluntas teſtatorum, præſertim in quantum juſtitiam & pia legata concernit, executioni mandetur, ſicque ejus aurum pro ſalute animæ fideliter diſpenſetur. Exemplum audiamus quod P. Martinus Delrio libro 2. diſquiſ. q. 26. ſect. 5. recenter contigiſſe ſcribit his verbis: *Horrendum planè quod heſterna die legi perſcriptum Ticino, menſe Aprili hujus anni* 1601. *in diœceſis Ticinenſis oppidulo, quod Corretto vocatur: cum juſta in templo cuidam Notario perſolverentur, repente è ſcandapila cadaver ſurrexiſſe, & converſum ad quendam cognatum ſuum, qui funeri intererat, ei dixiſſe properaret domum ſuam, & ibi ſcripta quadam inſtrumenta caperet, eaque loco cuidam pio confeſti[m] reſtitueret; propter quæ ſuppreſſa ipſe defunctus juſt[a] Dei ſententia foret inferni ſuppliciis adjudicatu[s]. Quo dicto iterum caput uti prius reclinavit. Hoc Deo permiſſum, ut diſcerent mortales, quam grav[es] pœnæ ſcribas hujusmodi per fidos piorum legatoru[m] interceptores manerent.* Sic ille.

Multam ergo ſapientiam cum tribus ſuis mun[e]ribus docuerunt nos Audit. ſapientes illi Magi, q[ui] cùm primi noſtri è Gentibus Doctores ſint, à nem[i]ne Chriſtiano non audiendi ſunt. Sit ergo hic tern[a]rius inſculptus cordibus noſtris, ut demùm una c[um] tribus illis Doctoribus, uſque ad contemplanda[m] ſpeciem divinæ celſitudinis & beatiſſimæ illi[us] Trinitatis perducamur.

THEMA IV.

Mira & paradoxa in Magorum adventu.

I. *Gentiles agnoſcunt Deum natum ex ſtella, que[m] Iudæi ex libris ſuis non cognoverunt.*

II. *Gentiles venerantur vagientem, quem Iudæi cru[ci]figunt mira facientem.*

III. *Magi à longè veniunt ad Chriſtum, quem Iudæ[i] prope ſe non quærunt.*

IV. *Divites veniunt emere cœlum, intraturi per fo[]ramen acus.*

V. *Tres Reges Meſſiam prædicant, & nemo eos au[]dit. cum uno Herode turbato omnes turban[]tur.*

VI. *Gentiles inveniunt theſaurum in tenebris, que[m] Iudæi in luce præterierunt.*

VII *Tres Reges ad unum Regem infantem & paupe[]rem veniunt, ut eum adorent.*

Ecce Magi. Matt. 2.

MIrum & paradoxum aliquod denunciat nobis Matthæus, cùm ait: *Ecce Magi.* Et quis non miretur venire Reges Gentiles Idolorum cultu infames ad Hebræorum Regem & Meſſiam non venire Hebræorum principes & populos? Nonne ipſe Chriſtus Dominus ad Syrophæniſſam dixit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus?* Matthæi 15. hoc eſt, panem Hebræis deſtinatum dare Gentibus? Et en mittitur è cœlo panis vivus in Bethlehem (domum panis) Juda, & ad illum manducandum veniunt Gentiles, non veniunt Judæi. Verùm nemo hoc miretur: ſat enim ſuperque vocati ſunt ad Regem ſuum Hebræi, partim per paſtores, partim per illorum Prophetas & Sapientum reſponſa, partim per hos ipſos Magos; quia vero ad

panem

panem hunc ſumendum ipſi venire noluerunt, ecce Magi Gentiles ab oriente advocantur. Quæ cauſa etiam fuit, cur Evangelium à Judæis translatum ſit ad Gentiles, teſtibus Paulo & Barnaba: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Actorum decimo tertio. Pauper ille Lazarus jacebat ante fores Epulonis, plenus ulceribus, ut accipiendo eleëmoſynam, procuraret ipſi vitam æternam; ſed quia ab eo repulſus eſt, venerunt ecce canes, & lingendo ejus ulcera, pabulũ invenerunt. Luc. 16. Jacuit & Chriſtus natus, plenus miſeriis, pauper, infans in ſtabulo, præ foribus Judæorum, ut panem eis cœli daret; ſed quoniam repulerunt illum; *ecce Magi*, ecce canes & Gentiles veniunt ad ipſum, & ſaturantur pane illo. Porro quia in hoc paradoxo continentur plura alia, ea nunc inveſtigabimus.

I. *Ecce Magi*, qui priùs veri Dei nullam prorſus habuere cognitionem, agnoſcunt Deum natum ex ſtella, quem non invenerunt Judæorum Sapientes in Prophetarum libris; itaque cæci vident: & qui oculos habent, non vident. Quid magis paradoxum? hoc quod inprimis pro miraculo prædicat & miratur Iſa. c. 3. dicitur, *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognovit.* Boves quaſi & aſini erant Gentiles reſpectu Judæorum; quia iſti habebant libros ſacros, è quibus Dei veri cognitionem poterant haurire, illi vero creaturas tantùm, è quibus non niſi obſcure poterant Deum diſcere, unde quaſi boves & aſini erant, cæci & ignorantes in rebus divinis, & tamen e contra iſti plus didicerunt è ſtella, quam Judæorum ſapientiſſimi e libris ſuis; itaq; boves & aſini Deum agnoſcunt, ſapientes Judæi neſciunt. Alexander Epheſi ſuam ipſius imaginem equo inſidentem, quam Apelles pinxerat, aliquando contemplatus, non laudavit pro dignitate picturæ. Cùm vero introductus equus adhinniret equo picto, proinde atque vero: *O Rex*, inquit Apelles, *hic ſanè equus artis pingendi peritior eſſe videtur quã tu.* Ælian. l. 2. var. hiſt. Dici hoc Legisperitis & ſacerdotibus Judæorum poterat, qui Prophetarum oracula habebant ac legebant, nec tamen adventantis Meſſiæ tempus deprehendebant; cùm id tamen Magi Gentiles deprehenderint. Ejuſdem cæcitatis arguit Alexandriam S. Antonius cùm in ſolitudine obvium habẽs monſtroſum ac ferum hominem, quales Fauni & Satyri à Gentilibus culti, Chriſti fide imbutum, dixit: *Væ tibi Alexandria! Beſtiæ Chriſtum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris.* S. Hieron. in vita Pauli Eremitæ. Pari modo ſævæ beſtiæ redarguerunt Proculum, Numentanæ civitatis præſidem, qui cùm in Primum & Fælicianum duos immiſiſſet leones ferociſſimos, illique ad pedes Sanctorum procubuiſſent veluti catelli: rurſumque idipſum urſi pari blanditiis feciſſent, tum Martyres: *En præſes iniquus, ajunt: feræ agnoſcunt creatorem ſuum, & vos cæcitate mentis percuſſi, non agnoſcitis eum, qui vos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creare dignatus eſt.* Ut in eorum Actis Lipell. nono Junii. Utinam ſoli Gentiles & Judæi à brutis arguerentur? At vero multi etiam Chriſtiani feris immaniores atque immitiores reperiuntur, qui inimicis etiam proſtratis parcere nolunt, in pauperes inhumani atque crudeles ſunt, quod ab ipſis leonibus alienum eſt.

II. *Ecce Magi* venerantur & agnoſcunt Chriſtum Dei filium, in ſtabulo jacentem, & parvulum vagientem, ab omnibus neglectum, ſumma paupertate obſitum, nihil prorſus miraculi edentem, imo nec loquentem; quem Judæorum Pontifices, Scribæ & Phariſæi cœleſtia prædicantem, ſtupenda miracula patrantem, ſanctiſſimam vitam agentem: à Deo patre, Joanne Baptiſta, Simeone & Anna aliorumque teſtimoniis clarificatum, non tantùm non agnoverunt, ſed velut malefactorem in crucem egerunt. Bene etiam hoc Iſaias capite ſexageſimo quinto exprobravit Hebræis, dicens: *Quæſierunt me, qui ante non interrogabant: invenerunt, qui non quæſierunt me, Dixi: Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum.* Ad Judæos vero ſubdit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, &c.* Contigit nimirum ipſi, quod inſipientibus illis ſervis Tyri, apud Juſtinum libro decimo octavo hiſtoriarum qui cùm civitatem in ſuam redigiſſent poteſtatem, & decreviſſent illum è ſuo numero Regem eligere, qui poſtero die primus orientem Solem vidiſſet, omnes ad orientem oculos converterunt, præter unum, qui ab hero ſuo edoctus aciem in occidentem direxit, uſque dum incidentes in montiũ cacumina radii Solem ipſi primo omnium oſtenderunt; quare Rex coronatus eſt. Inſipientes Hebræi Meſſiam expectarunt gloria & honore circumdatum, regioque cum ſplendore, Salomone ditiorem, venturum in hunc mundum, velut ab Oriente, quo modo & illi 25. viri ſtantes viſi in templo, & convertentes ad orientem facies ſuas, dorſa vero altari obvertentes Ezech. 8. At vero Magi iſti edocti à Deo, conjecerunt oculos ſuos in Occidentem, quærentes Chriſtum non in opibus & delitiis, ſed in paupertate & contemptu; ut quæ magis decerent eum qui omnium Salvator & Doctor, viæ Dux & conſolator eſſe debeat: ibique invenerunt eum atque cognoverunt *Magnalia honoris ejus*, inquit Eccleſiaſticus capite 17. *vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo.* quaſi alludens ad Magos illos, quibus in ſomnis dixit Deus, ne redirent ad Herodem. Viderunt ſane iſti magnalia honoris Chriſti; quia gloriam & honorem in ipſa ejus infantia, nuditate & paupertate. Viget hoc Magorum lumen in iis, qui Chriſti humilitatem, paupertatem & contemptum æſtimant, amant & amplexantur, velut ſummi honoris ſymbola. Durat viciſſim etiam Judæorum cæcitas in multis Chriſtianis, qui Chriſtum ſe viſurum & inventurum putant in delitiis, divitiis & honoribus hujus ſæculi contra id Job. 28. *Sapientia*

II. Gentiles venerantur vagientem quem Iudæi crucifigunt mira facientem.

ubi

ui inveniturꝰ Neſcit homo pretium ejus nec invenitur in terra ju viter viventium.

III. *Magi à lõge veniunt ad Chriſtũ, quem Iudæi prope ſe non quærunt.*

III. *Ecce Magi* & ſapientes longiſſimo itinere veniunt ad infantem, coram eo ſe proſternunt & ab ipſo lumen fidei accipiunt. Quis unquam tale quid vidit, ut mundi ſapientes veniant ad infantem, & doctrinam ab eo capiant? Scimus ex Apoſtolo 1. Cor. 8. quod *ſcientia inflat.* & videmus ſæpe viros doctos in ſæculo parum æſtimare ſacra, nauſeare Dei verbum, raro frequentare Sacramenta, virtutes frivolè colere. Erant tales inprimis Scribæ & Legiſperiti Judæorum, Phariſæi & Sadducæi, qui præterquam quod ex prophetarum oraculis tempus Chriſti advenientis diſcere poterant, à Magis etiam id audierunt, nec tamen vel pedem ejus quærendi gratia, in tam vicino loco, moverunt, poſtea etiam omnium maximè Chriſto ſe oppoſuerunt, cùm alioquin plebs valde ipſi addicta eſſet, & magno numero crederet. Unde docuit Chriſtus Joannis 9. *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* hoc eſt, ut Gentiles & Chriſtiani rudes ac ſimplices lumen Chriſti videant & avide atque humiliter ſuſcipiant Scribæ verò & mundi ſapientes ſua ſcientia inflati excæcentur & Chriſtum repellant. Duæ ſunt partes humanæ mentis, intellectus & voluntas, quarum ille oculatus, hæc vero cæca eſt, quæ niſi intellectum bene illuſtratum ſequatur, hominem peſſundabit. Cognoſcenda via ſalutis eſt; ſed & percurrenda. Cervailla Æſopi fabula 63. altero oculo acutum videns, altero cæcata, caute ſibi providit, ne in canes, aut venatores incideret, dum ad littus ſemper maris paſtum quærebat; ita tamen, ut in paſtu oculum ſanum ad terram, cæcum ad mare converteret, unde nihil ſibi timebat. Verùm tandem ſe deceptam vidit, dum hoc modo pabulanti venator adnavigavit, qui inadvertentem jaculo ſtravit. Habent eruditi & ſapientes viri oculum quidem intellectus ſanum & apertum; voluntatis tamen ſæpenumero cæcum; vident quo eundum ſit, non moventur tamen, ut eant, ſicque illis tandem, quod cervæ illi, contingit, ut ſecundum animam pereant cum Scribis & Phariſæis, qui viam quidem ad ſervatorem ſuum cognoverunt, ſed non ambularunt. Quare etiam ſapientes & literati verbo Dei egent; licet enim habeant intellectum illuminatum, cæcam tamen & affectam ſæpe habent voluntatem.

IV. *Divites veniunt emere cœlũ, intraturi per foramẽ acus.*

IV. *Ecce Magi* divites & Reges veniunt ad Chriſtum ſupplices, pro regno cœlorum ſibi comparando. Quis audivit facilè talia? Hic enim revera accidit, quod Chriſtus difficillimum eſſe dixit Matthæi 19. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* ſiquidem Iſaias capite 60. prædixit: *Inundatio camelorum operiet te: Dromedarii Madian & Epha.* Hoc autem impletum eſſe in Magis iſtis ſcribit Sanctus Hieronymus in capite 19 Matthæi his verbis: *Si legamus Iſaiam, quomodo cameli Madian & Epha veniant Hieruſalem cum donis atque muneribus; & qui pri curvi erant, & vitiorum pravitate diſtorti, ingre antur portas Hieruſalem videbimus quomodo & cameli, quibus divites comparantur, cum depoſueri gravem ſarcinam peccatorum; intrare poſſint per a guſtam portam.* Magnum igitur miraculum edide Magi iſti, de quo Eccleſiaſtici trigeſimo primo citur: *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia theſauris, quis eſt hic? & laudabimus eum.* Cum nim divitiæ maculent, iſti maculam ſi habueru, cum auro depoſuerunt; deinde non ipſi poſt aur ſed aurum poſt ipſos abiit ad Chriſti præſepe: de que ſpem ſui ab tuæ & reditus non in auro, ſe Chriſto poſuerunt. Ubi paſſim tales divites? N Herodes non Pontifices, non opulenti cives Je ſolymæ: quorum nullus ad Chriſtum venit; li pauperes paſtores ad eum acceſſerunt, Sed nil rum, ſi pauperes veniant; idcirco enim Lucas, c de paſtorum acceſſu ad præſepe ſcribit, non a particulam *Ecce*, quaſi ea res mira eſſet; addidit v Matthæus, cum adventum Magorum ſcripſit: *E Magi*, Magnum in dorſo gibbum gerunt opul thoracem gerunt plumbeum, qualem Athanato pud Plin. libro 7. cap. 20. quingentorum por Quomodo tales tam difficilem viam, celeriter p ſertim percurrunt? Hinc tam pauci divites & p cipes ex Judæis crediderunt in Chriſtum. ut fa tur ipſi Joan. 7. Nicodemum & Joſephum ab matnæa novimus cum paucis Publicanis: plures noramus. Laborarunt etiam Apoſtoli eorum poſteri per annos 300. donec aliquem ſuo piſc Imperatorem caperent, ſaltem qui Chriſtianæ f vexillum erigeret.

V. *Ecce Magi* Jeroſolymam ingrediuntur re comitatu, & in ea Salvatorem ſeu Meſſiam Jud rum prædicant Judæis; ſed nemo eos audit au quitur euntes ad Chriſti incunabula. Econtra au to eo præconio Herodes Rex turbatur, *& om Ieroſolyma cum illo;* Jeroſolyma, inquam, civ pacis. Quid magis admirandum atque paradox Tres Reges prædicant Chriſtum ex divino te monio, accedente etiam Judaici Concilii ſuffrag & tamen fidem non obtinent, nec vel unum ſu ctatorem habent. Econtra Rex Hebræorum ille timus, Idumæus & intruſus, iras in Chriſtum c cipit ac turbatur, cumque ipſo omnes. Tres ad queiam Chriſti vocantes Reges nemo unus ſe tur: unum ad interitum Chriſti vocantem ſequ tur omnes. Apparuit igitur quanto potentius ſi xemplum Principum ad facienda mala, quam d bona. Quod ſane fatentur ſacerdotes illi Agg 12. interrogati, an ſanctificaretur, qui tetigiſſet c nem ſanctificatam; reſponderunt enim: *Non,* rum interrogati, an contaminaretur, qui tetigi aliquid immundum, & reſponderunt: *Contaminabitur.* Nimirum uti Sanctus Auguſtinus lib. contra Fulg. Don. cap. 16. explicat, *proclivius d imitationem malorum curritur, quam ad virtu bonorum*

bonorum animus excitatur. Sicut melli plurimo parum absynthii injectum velocem amaritudinem trahit: mellis vero etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtinere dulcedo. Plurimum vero in hac re valent Principum exempla mala. Quemadmodum enim si eryngium (Brachendistel) in os capræ, quæ agmen ducit, immittatur grex totus sistit, teste Plut. de sera num. vind. ita si superiores re aliqua offensi sistant in proposito malo, etiam subditi consistent, & quidquid illi egerint, imitabuntur. Eryngium, spinosam herbam, immisere in os Herodis Magi, nuntiantes natum Regem Judæorum: conturbatus inde Herodes conturbat secum totam Jerosolymam; ita ut omnes attoniti hæreant, nullus præ stupore pedē moveat ad requirendum Christum, licet admodum propinquum. Simile quid legimus 2. Reg. 2. de Asaële, insigni Davidis milite & velocissimo cursore, (*quasi uno de capreis*, ut ait S. textus) qui cùm hostem persequens fugientem, ab eo confossus esset, fregit animos retardavitq; gressus totius exercitus Davidici: *omnesq; qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, subsistebant.*

VI. *Ecce Magi*, homines Gentiles in mediis ignorantiæ tenebris inveniunt & auferunt thesaurum incomparabilem, quem Judæi in luce fidei & scripturarum nec agnoverunt nec curarunt, sed offenderunt potius in gemmam pretiosam, velut in *lapidem offensionis* ad Rom. 9. Sic Gentiles, designati per Jacob, fratrem minorem, præripuêre benedictionem Judæis, designatis per Esau. Videor mihi videre etiam Magdalenam in his Magis, Pharisæo, h. e. Judæis, Christi gratiam præripientem. Luc. 7. Invitatus à Pharisæo Christus, venit in ejus domum: accedit etiam aliquanto post Magdalena, & quidem non invitata; sed abstulit è domo Pharisæi thesaurum, quem ille nec agnovit nec quæsivit. Venit enim cū tribus pretiosis muneribus: cum lachrymis, quibus lavit Christi pedes: cum osculo, quo eos prona in terra osculata est: cum unguento, quo perunxit. Hinc audire meruit: *Remittuntur tibi peccata.* Et: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.* Nihil tale Pharisæo dictum, unde designavit hic Judæos, qui per tot sæcula invitarunt Christum in domum & synagogam suam, ut ad eos veniret. Venit Christus & accubuit in Bethlehem, civitate David, sicut facturum se prædixerat per Prophetam. Verùm ipsi non agnoverunt nec æstimarunt illum. Veniunt eo Magi velut in alienam Pharisæi, h. e. Judæorum domum. Sed videte eorum obsequia & urbanitatem. Veniunt & ipsi haud dubie cum lachrymis, partim præ gaudio magno, partim præ dolore peccatorum suorum, quibus sordes pedum propriorum abstergant: veniunt cum osculo, quia procidentes adorant eum, & ut Isaias c. 49. prædixit, *pulverem pedum ejus lingunt*: veniunt cum unguento; quia attulerunt ei munera pretiosa, quibus paupertatem Christi sublevarent. Venit Magdalena cum lachrymis, osculo & unguento: veniunt Magi cum auro, thure & myrrha. Itaque & ipsis non solùm remissa sunt peccata, sed salus etiam impensa, dimissique sunt in pace, moniti ab Angelo, ne redirent ad Herodem. En uti Magdalena ex aliena Pharisæi domo abstulit salutem & cœlestem thesaurum. ita etiam Magi è Synagoga Judęorum Christum, quem ipsi spreverunt. Poterat igitur Christus dicere Jerosolymæ. quod dixit Pharisæo: *Intravi in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti*: hi autem lachrymis rigarunt & basiarunt & unxerunt pedes meos &c. O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* exclamat S. Paulus ad Rom. 11. super hac stupenda sortis commutatione.

VII. *Tres Reges ad unum regem infantem & pauperem veniunt, ut eum adorent.*

VII. *Ecce Magi* & Reges, & quidem tres, veniunt ad unum Regem infantulum, ut eum adorent. Qualis ergo & quantus debet esse hic parvus Rex, quem Reges prostrati adorant? Rex utique cœlorum, quia à cœlo per stellam ministram terræ denunciatur. Rex ab ipsis natalibus adeoque in cunis, & Rex natus, quod nulli alii Reges de se dicere possunt. Rex universalis cœli & terræ, adeoque Rex Regum, ad quem adorandum jubentur ire alii Reges. Sesostres Ægypti Rex multorum Regum debellator certis temporibus devictos Reges Ducesque in Ægyptum vocabat & munera ab eis accipiebat; quod si vero per urbem incederet aut ad templum iret, quatuor ex eis loco equorum currui junctis, ostendebat, cùm cæteros omnes Reges Ducesque præclaros bello superasset, nullos sibi neque virtute neque rebus gestis esse comparandos. Diod. l. 1. c. 4. Simili ostento, sed non simili fastu voluit Rex potentissimus Christus, ad suum in terras adventum tres sibi occurrere Reges, ex omnium numero: non qui currum aut cunas ejus, equorum instar, traherent; sed per ipsum veri & immortales in cœlo Reges fierent simulque demonstrarent nullum alium Regem Christo neque virtutibus, neque rebus gestis, opibus aut patientia ipsi ullatenus comparandum esse. Et vero si ad ortum & famam solam nati illius Regis tremuit sævus ille & terrificus Rex Herodes: quomodo stabunt & Herodes & alii Reges ante tribunal judicantis? Sensit & expendit hoc Lotharius potentissimus Francorum Rex, qui cùm in acuta febri decumberet, morti proximus sæpe hæc in verba prorumpebat: *Vah! quid putatis? Quam magnus est ille Rex cœlestis, qui lenta morte sic affligit terrenos Reges?* Corozet. de dict. & fact. mem. *Pie igitur*, ait S. August. ser. 30. de temp. *timeant Reges* (imo & omnes Christiani) *ad Patris dexteram jam sedentem, quem Rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem.*

* *
*

THEMA V.

Chriſtus erga Magos & humanum genus, humanus & quaſi aulicus.

I. Quia prior ipſe, licet offenſus, mittit ad eos, qui offenderunt.
II. Quia ſtellam eis prætulit toto itinere quaſi facem.
III. Quia munera ſibi oblata magna diſcretione accepit.
IV. Quia pro parvis muneribus maxima rependit.
V Quia ceſſit furori Herodis.

Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael. Matt. 2.

Chriſtus in hac apparitione benignus & humanus.

HOdierna Feſtivitas Græce *Epiphania*, latine *Apparitio* nominatur. Quæ hujus rei cauſa? quid hodie apparuit? Id exponit S. Paul. ad Tit. c. 3. ſcribens: *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri.* Apparuit certe nuper in ejus nativitate & circumciſione (ut nil dicam de hominis creatione & conſervatione) hodie vero multo magis, quando ſe Gentilibus benigniſſime manifeſtavit, eosq; in gratiam recepit, qui ab ipſo priùs alieniſſimi fuerunt. Hodie ſe oſtendit vere Ducem eſſe, juxta Michææ vaticinium c. 7. quando ſtella prævia perduxit ad ſe: Magos Ducem, inquam, benignum & humanum, adeoq; ut ſic loquar, vere aulicum & civilē, Nemo jam dicere audeat cum ſervo illo pigro & malo, Dominum noſtrum auſterum & ſeverum eſſe. Contrarium hodie apparuit. Id quod nunc accuratiùs expendemus.

I. Quia prior ipſe licet offenſus mittit ad eos, qui offenderunt.

I. Quia prior ipſe, licet offenſus, mittit legatos ſuos ad eos, qui offenderunt homines; cupiens eis reconciliari. Mittit enim ſtellam duce Angelo ad Magos, homines Gentiles, inanium Deorum cultores, vocans eos *de tenebris in admirabile lumen ſuum:* offerens eis reconciliationem & gratiam ſuam, quemadmodum & ad Judæos paſtores paulo ante miſerat Angelum ſuum; idq; uſq; hodie facit, vocando peccatores ad reconciliationem & menſam ſuam, denique ad regnum ſuum. Nos Deo proſterni, nos libellos ſupplices offerre deberemus, ut in gratiam reciperemur, ad menſam ejus admitteremur, & regni ejus participes fieremus: ſed quia nos inciviles & inhumani ſumus, vult nos prævenire, ſicuti teſtatur Apoſt, 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Ad quid vero exhortamini? *Obſecramus pro Chriſto: reconciliamini Deo.* Deus bone! Chriſtus per legatos prior ad nos venit, & obſecrat; ut cum ipſo in gratiam redeamus! quem non moveat & quidem ad calentes lachrymas tanta Chriſti benevolentia & humanitas? Unde S. Greg. ho. 32. in Evang. ait: *Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus legatos ſuos prior miſit, ut nos ipſi, qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus.* &c. Ipſe adhuc *exſpectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Iſa. 30.

Adhæc ſuaviter ac comiter vocavit, ut facile ſe querentur allecti illecebra ſibi congrua & amabili; ſtellâ vid. indice, qui ſyderum curſum & virtutem e docti, Aſtrologiæ vacabant. Rurſum Herodem eti per exemplum Magorum, & reſponſum ſapientum Sic & priùs paſtores veluti Judæos (quia legem al Angelo acceperant, & Angelorum interventu mul ta alia beneficia) per Angelum vocavit, adhibita ſua viſſima Angelorum melodia. Sic poſtea Petrum piſ catorem copioſa piſcium captura, velut ipſi grata comiter ad ſe traxit. Cùm bovem vis allicere, non oſtendis ei carnem, ſed fœnum; cùm canē, non fœ num, ſed carnem ei oſtendis. Ita egit Chriſtus Domi nus: vere igitur benignus & humanus fuit. Neq; ſolùm cum illis, ſed nobiſcum etiam quotidie ſic agit Temperat nobis & jucunde variat tempeſtates anni, per quatuor ejus partes; æſtum Solis mitigat per nubes, imbres, ventos: ſingulis fere æſtatis menſib⁹ ſingulas dat fruges, alias & alias. *Ligat aquas in nubibus ſuis; ut non erumpant pariter deorſum,* ait Job c. 26. guttatim enim eas quaſi per cribrum diſtillat, ut ſuaviùs excipiantur à nobis, & à terra imbibantur, neq; eam ſubvertant. Similiter *dat nivem ſicut lanā.* Pſ. 147. quaſi carminando eam, ne ſimul ingenti copia conglomeratim decidens nos opprimat. Providit nobis non neceſſaria ſolùm, ſed etiam quę ad delectationem faciunt; oculis tot flores, naribus tot odores, auribus tot avium & Muſicorum cant⁹, guſtui tot aviū, piſcium, quadrupedum, condimentorum quoq; & aromatum varietates; tactui tot animalium pelles, ſyndones, telas ſericas, lineas; bombycinas: omnia deniq; creata ut ſervirēt nobis: Quis non videt Dei benignitatem & humanitatem? Eccur vero, niſi ut nos quoq; erga ipſum humani & benigni eſſemus: eaq; quæ delectant ipſum, viciſſim ei rependeremus? Delitiæ ipſius ſunt eſſe cū filiis hominum: & cur non eum ſæpiùs introducimus ad nos per S. communionem? cur non quotidie ipſum ſalutamus & obſequia noſtra deferimus in ſacra miſſa? Qualis hic auliciſmus, ſuas commoditates & delectationes quærere; Ducem, interim ſuū relinquere?

II. Quia ſtellam quaſi facem, Angelo duce, Magis prætulit toto itinere: tum ne à via aberrarent, tum ut iter illis jucundius, & quaſi ſuave vehiculum foret. Magna ſane & pluſquam regia civilitas fuit illi Car. V. Imp. cùm Seldio Ferd. frat. Legato & ſuo olim miniſtro Vliſſingæ candelam noctu uſq; in conclave manu ſua prætulit, in monumentum gratitudinis ob ejus miniſteria ſibi olim pręſtita; teſte Cythr. orat. de Car. V At infinities plus erat, cùm Dominus gloriæ ſervis ſuis Magis ſtellam illam prætulit. Quid enim grati ſervitii ab illis unquam accepit aut accipere potuit? At hoc ipſum nunc quoq; præſtat, & primo iis qui ab Eccleſia deviarunt, ut ad eā redeant. Qualis enim lux eſt SS. PP. conſonantia, ſanctitas, antiquitas? tot Concilia ex ſapientiſſimis præſulibus cōflata?

lata?tot viri ſancti&ordines erecti,hæreſum depreſ-
io,confuſio & diſtractio,novitas,inanitas? vita &
nors ignobilis hæreſiarcharum? Deinde iis qui in
Ecclesia ſunt;quot conciones, quot libri, quot ex-
mpla virtutum,quot viri ſunt religioſi,tot lucernas
ræfert.

Nos ergo ſequi tantùm lumen nobis jam accen-
ùm quomodo non debemus? Quis n.niſi ſtupidus
ut cœcus,è tenebris prodire ad lucē detrectet? quis
n tenebris denſiſſimis ambulare potiùs, quam ad
acem ſibi prælatam velit?Sed n.*hoc eſt judiciũ mũ-
di,quia lux venit in mundum,& dilexerunt homines
magis tenebras,quam lucem*.Joan.2. Quin & aliqui
ucis hujus oſores eam extirpare conantur.

III.Quia munera ſibi oblata magna cum cautela
& diſcretione accepit, matriq; accipienda dictavit.
Nam ea, quæ à Magis velut opulentis oblata ſunt,
vel delibavit tantùm & de ſingulis modicum quid
accepit,neceſſitatis & myſterii cauſa, ut vult Abul.
vel ſi ex toto accepit,pauperibus diſtribuit, ut vult
S.Bonav.(unde in purificatione non niſi pauperum
munus obtulit.)Deinde ſi à divitibus munera acce-
pit;certe non accepit,multo minùs petiit à pauper-
culis paſtoribus;nihil n.tale de ipſis ſcribitur, quale
de tribus Magis.Ecce tibi humanitatis & civilitatis
Magiſtrum Munera igitur à divitibus oblata,ſi civi-
lis eſſe velis,vel delibanda tantùm, vel pauperibus
diſtribuenda vel omnino reſpuenda ſunt. Delibavit
quaſi Thomas Morus Cancel.Angl.cùm in eum po-
culum ſibi à vidua,cui cauſam æquam adjudicarat,
dono oblatum,vino impletum præbibit & reſtituit.
Staplet.in Vita In pauperes diſtribuit P. Gonſalvus
Sylveria Soc.noſtræ centum boves & multam auri
ſummam,oblatam ſibi à Rege Monomotapæ, ut in
1.tom.Annal.Soc.

Judicet nunc qui vult, an aulici dicendi ſint illi,
qui cùm opulenti & prænobiles ſint, à pauperculis
ſubditis,honoraria emungunt ſibi aut ſuis uxoribus
ultra annuum & debitum cenſum.Certe David aquā
effudit,allatam ſibi à tribus viris ſtrenuis de medio
caſtrorum hoſtilium,non ſine periculo vitæ ipſorū,
& ſudore;addens:*Num ſanguinem hominum iſtorum
bibam?*2.Reg.23. Quid vero pecuniola pauperum
ſubditorum,niſi ſudor & ſanguis illorum? Et qui i-
ſtum bibunt aulici reputentur? benigni & humani?
clementes domini appellentur?

IV.Quia pro parvis muneribus maxima repēdit.
Contulit n.ipſis fidem & cognitionem veri Dei: at-
tulit ingens gaudium: contulit & gratiam & in ea
perſeverantiam: addidit præſidium & ſecuritatem
vitæ contra inſidias Herodis,monens eos ut per aliā
viam redirent in propria:deniq; beatam mortem &
immortalem gloriam,partim hic in terris, ut ſimul
omnes tres indiviſi jacerent in ſarcophago,coleren-
tur ab univerſo orbe:partim in cælis.Hoc eſt benig-
num & humanum,hoc vere aulicum,pro parvis mu-
neribus magna reponere. Ita ſolent facere Reges.
Artaxerxes Perſarum Rex Sinætæ cuidam pauperi
aquam vola ſibi offerenti;donavit viciſſim mille da-
ricos cum phiala aurea & ſtola perſica,teſte Æliano
l.1.var.c.32.Lud.II.Galliarum Rex Canoni ruſtico
pro rapa unius munere oblato,juſſit numerari mil-
le aureos,apud Majol.to.2.Canic de Aula & caula.
Chriſtus ipſe dixit teſte S Paulo Act.20.*Beatius ma-
gis dare,quam accipere*:ergo & magis aulicum & ho-
neſtum.Dare & regale ac divinum,accipere eſt vile
& plebejum Dare eſt virtutis ſcil.liberalitatis,acci-
pere eſt neceſſitatis.Dare eſt opulentorum, accipe-
re eſt pauperum.

Hanc vel ſimilem liberalitatem erga nos etiam
Deus quotidie oſtendit, dum pro exigua oratione
(qualis erat Publicani) vel eleemoſyna (qualis vi-
duæ illius)retribuit magna,cibos,veſtes,aurum,ſa-
nitatem,bona ſpiritualia.Et quis erit tam incivilis,
ut dare nummum pro cœlo nolit?orare detrectet ut
cœleſtia bona capiat?parum abſtinere,ut cœleſtium
nuptiarum delitiis perpetuo fruatur!

V.Quia ceſſit furori Herodis,diſcedens in Ægy- V.
ptum.Nobile hoc & glorioſum eſt,cùm ſanæ men- *Quia ceſſit*
tis homo cedit inſano, major minori. Inſanus fuit *furori He-*
Herodes,minor & infirmior hoc ipſo, quo iratus. *rodis.*
Grandes moloſſi cedunt catellis:elephantes,ovicu-
lis & porcis.Sic Jacob ceſſit iræ fratris ſui Eſau, di-
ſcedens in Meſopotamiam:ſic Abraham ceſſit Lo-
tho,quam vellet regionem,dando ei optionem:*ſi ad
ſiniſtram ieris,ego dexteram tenebo:ſi tu dexteram e-
legeris,ego ad ſiniſtram pergam*:inquit Gen.13. Planè
comiter & aulicè,ut diſcordiam ſedaret.Facillimum
erat Chriſto extinguere Herodem:ſed magis glorio-
ſum erat, fuga eludere ejus furorem & aſtutiam:
magis humanum & benignum.Eandem benignita-
tem quotidie adhuc exhibet peccatoribus, qui ad i-
racundiam eum provocant;diſſimulat n. quaſi ne-
ſcius & tacet, ut eos ſua benignitate vincat. Unde
Apoſt.ad Rom.2.*Ignoras quoniam benignitas Dei ad
pœnitentiam te adducet?* At tu valde incivilis es, ſi
Dei benignitate abuteris.Unde mox ſubdit Apoſt.
*ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor
theſaurizas tibi iram in die iræ.*

Quare ſi viderit Deus & Dux noſter ſe cum ſuis
aulicismis nihil proficere, ſeveritatem exerit. Sic *Trip.in F.*
Medici cùm vident ordinaria media non proficere, *Circumciſ.*
contraria adhibent.Mutabit enim Chriſtus naturam *C.8.Z.*
ſuam,& ex dulci vino fiet eis acetum,abſynthium &
fel:*Cibabo eos abſynthio & potabo eos felle*;ait Jerem.
23.Ex aulico fiet urſus:*Occurram eis quaſi urſa rap-
tis catulis*.Oſ.13.Ex flore ſpina:*Quis dabit me ſpinam
& veprem in prælio?*Iſa.27.

Nos vero amplectamur toto pectore benignita-
tem & humanitatem Salvatoris noſtri Dei;& viciſ-
ſim demus operam ut ſimili benevolentia,humani-
tate & promptitudine eidem obviemus,ejusq; vo-
luntatem non ut mancipia & ſervi,ſed ut dilecti filii
magna alacritate & charitate per omnia faciamus.

IN FESTO PURIFICATIONIS. B. V. MARIÆ.

THEMATA.

I. *Processio hodierna ordinatur.*
II. *Varii virtutum cerei variis distributi.*
III. *Mutua conjugum officia à columbis præscripta.*
IV. *Turtures Christianum hominem instruunt.*
V. *Quarum rerum nos admoneant cerei sacris manibus gestati hodierna die.*

THEMA I.

Processio hodierna ordinatur.

I. *Parvuli cum infante Iesu offerant se obsequio divino.*
II. *Virgines cum Deipara colant silentium.*
III. *Viduæ cum Anna tueantur suum propositum viduitatis.*
IV. *Conjugati in Iosepho offerant Deo liberos suos.*
V. *Senes cum Simeone mori cupiant.*

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2.

Processio fit hodie.

ANtiquus Sanctæ Ecclesiæ ritus est, hodierna die processionem in templo ante Missam adornare, utique ad memoriam & imitationem illius processionis, quæ hoc die instituta fuit in templo Jerosolymitano ad præsentandum Salvatorem nostrum Patri suo cœlesti. Ascenderunt enim illuc quinque personæ, omnes sanctitate conspicuæ. Salvator noster infans, sanctissima ejus mater, S. Joseph conjux ejus, S. Simeon senex, S. Anna vidua, ut scribit S. Lucas. Justum igitur est, ut etiam nos processionem instituamus in concione mysticam, Quod nunc faciemus.

Solet in processionibus unicuique ordini aut tribui suum præferri vexillum seu imago Patroni alicujus sancti. Nos in hac processione quinq; sanctas personas habemus: has veluti Patronos seu vexilla sacra præferamus quinque ordinibus.

I. Parvuli cum infãte Iesu offerãt se obsequio divino.

I. Cum infante Jesu præcedite vos parvuli & parvulæ: pueri & puellæ, sequimini eum velut ducem & vexilliferum, vexillum & Patronum vestrum. Sed qua in re dicetis? Sicut ipse se ab infantia Deo patri suo ejusque obsequio hodierna die obtulit in servum: sic & vos à teneris annis offerte vos cultui ac servitio divino. Propterea n. Deus primogeni omnia sibi offerri voluit, ut intelligeremus desid rare eum etiam primogenitum seu primordia ætatis vestræ ad servitium suum. Eandẽq; ob causã pr cepit, ut in oblatione filii primogeniti offerretur gnus anniculus, & pullus columbæ in sacrificiun Lev. 1, quod cupiat sibi servire homines à teneris a nis discretionis. Hi sunt grati Deo, quia censent totam vitam Deo offerre, & tales evadunt ordinar in viros sanctos & perfectos. Hinc n. Mich. 7. Dei dix. *Præcoquas ficus* (Heb. *primos fructus*) *desiderav anima mea.* Præcoquę ficus sunt, quæ in æstate, m se Junio, maturescunt in Italia, suntq; majores, sap diores atq; ob novitatẽ gratiores cæteris, quæ in a tumno primùm proveniunt; ideoq; Romæ Papale quasi mensa papali dignæ appellantur; cæterũ pa cæ ideoq; pretiosæ sunt. Tales assero, qui à juvẽt te Dei cultui se mancipant, & hi desiderantur à Pontif. Christo, ejusq; mensam ornant. Verùm qu rari sunt tales idcirco ait Deus, se laborare eorũ de siderio; ideoq; pauci in terra sancti & perfecti vi sunt, quia pauci à pueritia serviunt Deo; unde im mediatè subdit Propheta: *Periit sanctus de terra: & rectus in hominibus non est*, rectus, i. e. perfectus qua lis Job, *homo simplex & rectus*; q. d. Ideo tales pau sunt, quia pauci ab ineunte ætate mihi serviunt ple riq; ver & æstatem vitæ suæ in libertate & volup tatibus terunt: in autumno, ad finem virilis ætati primùm incipere volunt conversionem suam, cùn jam hyems, cana & calva imminet, & vigor ætati deferbuit. Unde queritur ibidem Dominus: *Væ mihi, quia factus sum sicut vir, qui colligit in autumn racemos vindemiæ* (scilicet jam finientis) *non est botrus ad comedendum.*

II. Cùm M. Virg. sequimini vos virgines, eam velut vexilliferã ac viæ ducem intuentes & pro virib' imitantes, in silentio. Nam licet filius ejus à Simeone in ulnas tolleretur, & multa audiret de se, & filio suo prædicari à Simeone & Anna; nihil tamen ipsa respondisse aut interrogasse scribitur. Ex aperto ædis ostio cognoscitur, quid intus sit: an imagines sacræ & altaria; & tunc ædes sacra dignoscitur ac debito in honore habetur: an homines profani, tibicines, lyricines, &c, & tunc ædes profana & taberna judicatur, in quam libere quisq; sine pudore ac reverentia ingreditur. Unde Dominus Matt. 12. ait: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Si os loquatur de rebus piis; cor tuum templum dicam: si de poculis, tabernam: si de choreis domum saltatoriam: si de rebus spurcis, haram: sicuti ex ructu & halitu conjiciam quid biberis aut ederis, vinum aut allium. Os di-

ctum

ctum est quasi ostium, quia ostium hominis est: id si liberè nimis pateat profanis præsertim sermonibus, qualia in corde sint simulachra, ostendit: profanam ergo & leviculam puellam demonstrat quasi publicum diversorium, ubi facilis datur aditus advenientibus; maxime quando ea cum viris liberè & familiariter sermocinatur. Contra uti domus semper clausæ non facilè à quovis pulsantur vel adeuntur: ita etiam virgines taciturnæ & seriæ non facilè tentantur. Quando civitas obsessa incipit tractare cum hoste, jam ad deditionem inclinare se ostendit: ita cum puellæ colloqui cum altero sexu familiariter incipiunt, jam periculo se exponunt. Unde Ecclesiastici quinto dicitur: *Sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris.* Si nimirum (uti præmisit) non est tibi intellectus; quod ordinarie est in puellis. Purpura piscis dum prælongam linguam suam exerit ad perforandas alias cochleas, eâ sæpe apprehenditur & extrahitur capiturque. Pier. l. 28. sic loquaces puellæ capiuntur lingua sua.

III. Cum Anna vidua pergant viduæ ac vidui, eamque velut Patronam sectentur in proposito viduitatis, syncere & constanter tuendo. Illa enim ad an. 84. vidua cum esset utique juvenis esse debuit, quando viro suo orbata fuit. Poterat ergo facile reperire alterum maritum, si voluisset. Igitur ex proposito vidualem statum tenuit, sicque vere vidua fuit, quales commendat Apostolus 1. Timothei 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Nam ut ibi notat S. Chrysost. & Ambrosius fieri potest, ut aliqua viro orbata sit, vere tamen vidua non sit, si nimirum non amore castitatis, & ut melius Deo serviat; sed amore libertatis, ut à viri imperio immunis sit; aut quia despicitur, vidua manet, vere vidua non est: quemadmodum & virginem non facit abstinentia à conjugio, sed amor integritatis. Sic de struthio-camelo dicitur Job capite 39. *Penna struthionis est similis pennis herodii & accipitris,* quia licet pennas habeat, iis tamen evolare nequit, sed adjuvatur solum in cursu; cæterum vera volucris non est, quia volare nequit, sed camelus potiùs ob altitudinem colli & ungulas bifidas: revera tamen neutrum est, sed amphibium quoddam. Ita quæ orbatæ viro, in terra solùm ambulant, nec amore castimoniæ ad Deum evolant, vere viduæ non sunt, nec eo nomine dignæ, sed nec vere conjugatæ sunt; neutrum igitur sunt, & neutrius status mercedem habebunt.

IV. Cum Josepho conjugato eant conjugati & sequantur præeuntem in liberorum oblatione, qua præsentent eos Deo, ducant vel mittant ad templum, missam, catechesim, scholam, congregationem, &c. S. Athenogenes Chorepiscop. educabat in suo monasterio cervam, quæ imperio ejus parebat: ipso vero per martyrium consummato, accessit una cum hinnulo suo ad memoriam & sepulchrum ejus, ibique offerens ei quasi hinnulum reliquit & abscessit, apud Lipoman. tom. 6. Sur. 17. Julii. Quo utique miraculo instruere Deus parentes voluit, ut ipsi offerant Deo filios suos, cujus beneficio vivunt & acceperunt liberos. Sic Anna Phenennæ duxit in Silo & obtulit Deo filium suum in servitium perpetuum. primo Regum primo. Ac siquidem vocet Deus aliquos ad religionem, ne impediant parentes, sed ipsi potiùs cum gaudio offerant eos Deo, qui plus in eos juris habet, quam ipsi. Verùm offerant *primogenitos*, id est, electos, idoneos. Sola asinorum primogenita reprobavit Deus; & ovem pro asino petiit. Exodi 13. Cur ita, nisi quia in servitio suo non vult habere stupidos & ineptos.

Trip. in hoc Festo C. 2. F.

V. Cum Simeone sene claudant agmen Senes, sequendo eum in desiderio moriendi & videndi Christum. Ita enim Simeon ubi Christum aspicere meruit, jam nihil ampliùs in mundo videre aut habere desideravit, sed dissolvi petiit: *Nunc dimittis &c.* Nihil eum in mundo tenuit, nisi spes videndi Christum, quod ei promissum erat: ea obtenta mortem optat. Et quid vos senes in mundo tenet? nonne mundo jam saturi, nonne mundo exosi & molesti, imo ludibrio estis? quid ergo diutiùs vivere cupitis? Si Christum videre quæritis, in altero mundo quærite. Simeon tanto desiderio videre eum cupiit mortalem in servili & infantili forma: quanto magis desiderandum vobis, ut videatis eum in regno suo, immortalem & gloriosum, ubi vobiscum conversari & deliciari, regnumque partiri cupit? Et tamen plerique senes, ac jam ferè capulares nil de morte & itinere ad vitam alteram, jam jam aggrediendo, audire volunt, neque ad illud se disponere. Vivunt adhuc tam anxii & soliciti pro vitæ suæ & bonorum terrenorum possessione & incremento, ac si juvenes essent. Quid deliri cogitatis? jam pedem in sepulchro habetis, brevi vobis migrandum est: quia jam mundo inutiles estis: quid ergo de multo viatico pro tam brevi via anxii estis? quid jam in mundo quæritis, cui cras valedicendum erit? Sanctus Fælicianus martyr jam octogenarius, cùm ei post gravia verbera Promotus, Numentanæ civitatis præses, sub Diocletiano & Maximiniano diceret, velletne potiùs Diis immolare & jucundos cum gloria dies eligere, quam novis iterum suppliciis macerari; respondit: *Quos tu mihi dies jucundos commemoras? Octoginta jam ætatis annos habeo & triginta, plus minus Christi cognitione illustratus, illi cum summa animi mei voluptate deservio: & jam tu mihi vana & caduca hujus mundi oblectamenta arripienda persuadebis? Ego vero Christo meo ad extremum usque vitæ spiritum adhærere decrevi, qui me tuis è manibus liberabit.* Lipel. & Surius nono Junii. Dic hoc idem mundo & tu mi senex. Adde cum sancta Monica: *Quid hic facio? Quid hic ago aut expecto?* Dic cum Davide: *A te Deus, quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Psalmo 72. Videte regiones, ait Christus Joannis quarto *quia albæ jam sunt ad messem.* Jam spicæ se incurvant versus

V. Senes cum Simeone, mori desiderent.

ſus terram; jam cani ſunt capilli & barbæ veſtræ, jam dorſa incurvantur: jam falx ad agrum poſita eſt. Sanctus Joannes Apoſtolus jam ſenex, cùm in fine Apocalypſis ſuæ audiviſſet Jeſum dicentem ſibi: *Etiam venio cito*, reſpondit Joannes: *Veni Domine Ieſu*, anhelans nimirum ad conſpectum Chriſti. Cùmque is venire tardaret, & Joannes diu valde viveret, vivens ſibi, quaſi moræ impatiens, ſepulchrum fieri juſſit, in quod cùm dixiſſet: *Et tu Ieſu mecum eſto*, deſcendit, ibique ſpiritum reddidit. Sanctus Ignatius martyr, cujus heri feſtum celebravimus, per leones & omnia tormenta Diaboli ad Chriſtum contendit: *Tota tormenta Diaboli in me veniant*, inquit, *tantum Chriſto fruar*. Sicque ad rugientes leones non modo intrepidus, ſed & gratulabundus quaſi ad triumphum intravit; rogans Deum, ne permitteret ſibi parci à leonibus, uti aliis factum.

Hæc ſunt vexilla veſtra, hi duces & Patroni, Auditores, quos ſi ſequamini, rectà, ne dubitate, ad Chriſtum deducemini.

THEMA II.

Varii virtutum cerei variis diſtributi.

I. *Teneræ ætati cereus Obedientiæ.*
II. *Virginibus cereus humilitatis.*
III. *Viduis cereus exercitii in piis operibus.*
IV. *Conjugatis cereus obſervationis mandatorum.*
V. *Senibus cereus vigilantiæ.*

Lumen ad revelationem Gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael. Luc. 2.

Feſtum hodiernum Hypante & Hypopante,

FEſtum hodiernum à Græcis *Hypante* appellatur, id eſt, *obviatio*, ſeu *occurſus*, & *Hypopante*, id eſt, *Suboccurſus*, propterea quod Chriſtus hodie Patri ſuo æterno; & interim quaſi fortuito Simeon & Anna, ſancti duo ſenes, inſtigante Spiritu ſancto occurrerint Chriſto in templo geſtato. Quare decet nos quoque cum illis hodie Chriſto obviare, quemadmodum Eccleſia nos docet, cùm hodie in templo proceſſionem peragit. Scimus autem virgines, quæ Sponſo obviarunt, cum lampadibus & quidem accenſis occurrere debuiſſe. Nos ante annum proceſſionem inſtituimus, ſed cereos ardentes nondum vobis diſtribuimus. Supereſt ergo, ut nunc ſuum cuique cereum demus.

In hac proceſſione quinque ordines inſtituimus, Juniorum, Virginum, Viduarum, Conjugatorum, Senum.

I. *Teneræ ætati Obedientia.*

I. Ergo teneræ ætati, quæ cum Chriſto ambulat, do obedientiam pro cereo. Aſpiciat ea Chriſtum Dominum, qui ab infantia ſtatim incepit legibus patris ſui ſe ſubjicere, ut præſentaretur ei velut primogenitus in ſervum ipſi natum, tametſi ejus filius eſſet, nec legi illi ſubjectus. Neque refert quod infantulus magis offerri, quam offerre ſe videretur, fuit enim interim velut vir, utens pleniſſima ratione, ſeque ultro offerens, & parentes ad ſe offerendum inſtigans. Paſſus eſt ergo ſe geſtari à parentibus in ulnis Jeroſolymam uſque ad templum i[n] oblationem, & in hac obedientia vixit ſemper *fact[us] obediens*, quouſque? *uſque ad mortem*, adeoque to[ta] vita uſque *ad mortem crucis* ignominioſiſſimam [&] crudeliſſimam.

Quærunt ergo filii & filiæ, quibus debeant ob[e]dire? Reſpondeo. 1. Parentibus naturalibus; quia f[i]lii ſunt quædam pars & membra parentum, (Un[de] Philo libro de præmiis ſacerdot. liberos appellat p[a]rentum partes ſeparabiles.) Sicut ergo membra [o]bediunt imperio hominis ad nutum & quaquave[r]ſum: ſic decet filios obedire parentibus. Et ſicut m[a]nus vel pes verbi gratia, ſi difficilius juſſa potent[iæ] motivæ exequantur, indicant hoc ipſo, ſe contra[ria] aliquâ infirmitate laborare: ita filii ſi ad juſſa pare[n]tum ægre moveantur, gravi procul dubio morbi [æ]gritudine tenentur. Neque ſolùm parentibus nat[u]ralibus, ſed etiam moralibus, uti Magiſtris & ſup[e]rioribus ſuis. Non enim minùs hi ſunt patres, q[ui] formant animos; quam illi, qui fingunt corpora. S[ic] Jubal dicitur *pater canentium cythara & orga[no]* Gen. 4. hoc eſt, Magiſter, ut docet S. Hieron. in t[ra]dit. Heb. Adhæc etiam legalibus, ſeu vitricis & n[o]vercis ſiquidem Chriſtus etiam Joſepho, qui tam[en] ejus parens naturalis non erat, ſed nutricius tantù[m], paruit in omnibus.

2. Quamdiu obedire debeant? Reſpondeo uſq[ue] ad mortem, hoc eſt, ad emancipationem, ab hac [e]nim cenſentur mortui parentibus, ſive religione[m] ingrediantur, ſive matrimonium ineant; utrobiq[ue] enim moriuntur & crucem ſuam inveniunt. Ad [il]lud uſque tempus jugum parentum ferre debe[nt], quia cùm ipſi tabulæ raſæ ſint & inſtructione eg[e]ant, fruſtra eis diſciplina inſcribitur, niſi ma[nui] ſcribentis ſubjecti ſint. Certe cùm dextera manu [in] charta ſcribimus, interim ſiniſtra chartam retin[e]mus & premimus, ne cedat & ſcriptionem turb[et]; & ſi aſpera ſit, dente ſuillo eam lævigamus. Filii [er]go, ſi volunt ut ipſis inſcribantur ſcientiæ & virt[u]tes, teneri legibus, & ſubjacere debent parentib[us] neque indignari ſi premantur & virgæ dolabra ſu[bi]nde lævigentur, ut ex aſpero & piloſo Eſau fia[nt] læves Jacob.

3. Quouſque? uſque ad crucem, hoc eſt, etia[m] cùm dura imperant. Sic enim Chriſtus ait: Pſalm. 1[6]. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi v[ias] duras.* (migrando in Ægyptum, in deſertum, [in] montem oliveti & Calvariæ) ſeu ut exponit Hi[er]. *obſervavi viam latronis*; quod accidit, dum pub[li]cam & infamem inter latrones mortem oppeti[it]. Diſcant hic filii parentibus etiam in rebus duris, cum tribulantur obedire.

II. Virginibus, quæ cum Deipara Virgine ambulant, doceream humilitatis. Sic enim & B. Virgo hodie cùm esset *mulier amicta sole*, Dei filium in ulnis gestans, humillimo tamen habitu Jerosolymam ingreditur, & quasi una de aliis puerperis se sistit purificationi, qua virgo existēs minimè egebat. Magnum & plusquam regium thesaurum gestant virgines, sed *in vasis fictilibus*. 2. Cor. 4. Hunc ut securius servent, per humilitatem abscondant, tum externam tum internam. Si n. externo se splendore mare velint, jam se periculo exponunt non minùs quàm Ezechias Rex, cui, quia legatis Babyloniorū ostendit thesaurum suum & aromata & pigmenta quidquid pretiosi habuit, prædicit Propheta tom illum thesaurum ob eam ostentationem à Babylonis diripiendum. 4. Reg. 20. (Gautiores fuerūt Reges, qui ad Christi præsepe peregrinantes, non monstrarunt Herodi thesauros suos, nec dixerunt: Venimus cum muneribus; sed absconderunt in domo Christi nati primum aperuerunt.) *Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat via*, ait S. Greg. hom. 11. in Evang. & quidem de s, *qui de virginitate sua gloriam foris expetunt*, ut idem hom. 12. qui idcircò fatuas virgines accu-, quòd non inclusum vasculis oleum, ut pruden-; sed in lampadibus expositum gestarint. Accedit Aug. qui l. 1. de civ. c. 28. asserit causam fuisse, cur mæ virgines aliquot etiam Deo sacræ à Barbaris uentibus violatæ fuerint; quia ob donum virgiatis elatæ fuerant.

III. Viduis, quæ cum S. Anna ambulant, doceum exercitii, in piis operibus, jejuniis præsertim orationibus, quibus Anna serviebat Deo die ac cte, plurimis annis. Est enim genus dæmoniorū, e Domino, Matth. 17. quod non ejicitur nisi in tione & jejunio, quale habuit filius quidam, qui hujusmodi dæmone modo projiciebatur in am, modo in ignem. Videtur hoc dæmonū genus is insidiari. In ignem eas projicit, cùm præteri- carnis delectationes in memoriam illis revocat; flammas libidinis excitat: in aquam, cum eas desolationem & orbitatem ingerit, sicque lamas exprimit. Quare nihil melius contra ho- istum nisi jejunium & oratio Hæc enim duo, duæ alæ hominem à terra ad Deum elevant, uasi Angelum seu cælestem hominem efficiunt: ium carnis tentationes reprimit: oratio in de-ione & tribulatione præsentissimum est reme- & refugium ad Deum, consolatorem ac de-rem viduarum. Ab oratione jam non, ut antea maritum impediuntur: nec jejunio, quia multis non egent; cùm nec proles alant, nec multis bus graventur, uti prius in matrimonio.

. Conjugatis, qui cum S. Josepho ambulant, reum observationis mandatorum Dei & Ec-. Sic enim & Joseph velut paterfamilias dili- r observavit præcepta à Moyse tradita, & se-am illa vixit ac familiam direxit. Audivit post dies purificandas esse puerperas secundum legem Moysis; unde duxit conjugem in Jerusalem, ut huic legi satisfaceret. Audivit primogenitum Deo sistendum, *sicutì scriptum est in lege Domini*: stitit. Audivit dandam hostiam, *secundum quod dictum est in lege Domini*: dedit. Dum ita secundùm legem Dei direxit suam familiam, directus à Deo fuit in omnibus viis suis, & monitus ab Angelo, quid agendum quando fugiendum, quando, quò revertendum, ubi manendum esset: præservatus etiā ab ira Herodis, jam tum insidias Christo machinantis, cùm in templo & urbe Jerosolyma eū præsentaret; quo tempore velut alcyoniis diebus, mira Dei dispositione, quievit ac compressa fuit ira Herodis: sicut furor maris reprimitur & silet per dies 14. quibus alcyon excludit & fovet pullos suos ad littus maris, alioquin sævi & furibundi. Nimirum *mandatum lucerna est, & lex lux*. ait Sapiens Prov. 6. non secus ac columna nubis, quæ Hebræos duxit per desertum, monens quando eundum & quiescendum esset. Exod. 13. Hinc bene dixit Ecclesiasticus c. 15. *Adjecit* (Deus tibi) *mandata & præcepta sua*: *si volueris mandata servare, conservabunt te*. Sicut duæ vesicæ turgidæ, quibus innatant pueri, eum natare discunt, non permittunt eos mergi, quamdiu inter brachia ab illis retinentur: sic mandata Dei & Ecclesiæ strenuè servata conservabunt hominem. Unde si qui in miserias incidunt, & à Deo deseruntur, cogitent; quòd ipsi priùs Deum, & mandata ejus deseruerint.

Benedixit Simeon Josepho ejusq; conjugi, quia legem Dei & Moysis tam solerter observarunt: sic benedicet Deus conjugatis, si legem Dei servarint & Ecclesiæ.

V. Senibus, qui cum Simeone ambulant, doceream vigilantiæ, qua se ad mortem præparent, quo modo & Simeon se paravit, veniendo in spiritu ad templum, sumendo Christum in ulnas suas, ac desiderando mori. Cur enim dicitur responsum mortis accepisse, nisi quia prius sæpè quæsivit cum Jacob: *Quando faciam & apparebo ante faciem Domini?* & cum Davide: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, ut sciam?* Itaque si corpore non possunt, spiritu saltem veniant crebrò ad templum, & cum Daniele quasi captivi, aperta versus templum fenestra, domi orent, legant pios libros, dent eleemosynas, &c. Gentilis ille Philosophus Diogenes etiam in senio non deseruit austeram & philosophicam suam vitam; quare monitus ut jam senex philosophari desineret, respondit: *Victoria temporis à bello non desistendum, ne quis victori coronam auferat*, Laert. l. 3. conformiter cum illo, quod scribit S. Joannes Episcopo cuidam Apocal. cap. 3. *Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam*. Certè Salomon, quia in senio demum se neglexit, depravatum est cor ejus per mulieres, *cum jam esset senex*. Quando dux exercitus videt eminus hostem se ad prælium accingere & contra se venire: tunc & ipse instruit aciem, & armatus illi obviat. *Trip. Dom. infra Oct. Nativ. C. 5. C.* *V. Senibus cereus vigilantiæ.*

Cùm surrexisset Philistaus & veniret & appropinquaret contra David; festinavit & cucurrit ad pugnam ex adverso Philistai. 1. Reg. 17. Sicque prævenit & prostravit eum. Vident senes mortem falce armatam contra se jam appropinquare; festinanter ergo occurrant illi ac præveniant pugnantem. Deinde per eleëmosynas & alia bona opera parent se ad mortem. Docuit hoc pius quidam Episcopus matrem suam seniculam, avaram & mundo adhuc deditam, cum prius sæpè frustra eam admonuisset. Invitavit eam ad cœnam, & ipsemet eam adduxit, sed nullo accenso lumine, cùm jam ingruerent tenebræ. Illa igitur à filio petit, ut curet præferri lumina. At filius paulo post se curaturum ait, ubi ventum fuerit ad fossam, arcto ponticulo transeundum. At illa: quin imò jam statim cura lumina; quid enim si inciderim in fossam, antequam feratur lumen? & quî transibo eam sine lumine? Tum Episcopus: Ita mater mea, benè dicis; sed velim ut tu etiam tibi sic consuleres, & morti tuæ per eleëmosynas aliaque pia opera prospiceres, antequam ad fossam mortis non sine maximo periculo tanseundam pervenias. Quì enim nosti, quàm longè ab ea distes? & quid si nunc incidas? Refert Libellus Dict. & Fact. memor.

Hanc ob causam morienti cereus in manus datur, non tantum pro moriente, sed etiã pro viventibus, ut meminerint Christo occurrere cum lucerna gratiæ. Porrò sicut lucerna quæ præfertur, plus illuminat, quàm quæ à tergo sequitur: ita eleëmosyna data ante mortem melior est ea, quæ post mortem legatur. Deniq; accipiant sæpè Christum in ulnas per S. Communionem, velut baculum senectutis suæ, & lucernam profectionis ad alteram vitam; cupiantq; *dissolvi & esse cum Christo*. Qui enim longum iter brevi sibi aggrediendum novit, de viatico eoq; largo & securo, quod portare & quidem absque periculo amissionis possit, sibi providet. Quod autem melius & securius viaticum Christo ipso, viæ duce & gloriæ Domino? Avarus quidam senex Constantiæ ad lacum Acronianum, ut scribit Magister Joan. Nider in Formicario suo, peculium suum antiquæ & valde bonæ monetæ nolens aliis relinquere, in pultem avenaceam, panis loco injecit, & cum pulte devoravit; sed his bolis suffocatus est. Utinam non multi plus de nummis suis, quàm de viatico animæ soliciti essent! Volumus ergo peculium nobiscum ferre ad alteram vitam? Christum in Eucharistia comedamus. Certè Ludovicus pius Imp. ultimis 40. diebus vitæ suæ, nihil omnino sumpsit præter Eucharistiam, (teste Aimoine 5. histor. Francorum c. 9.) sic pissimè obiit.

Hi sunt cerei Audit. hodie incendendi, quorum recordationem ingerunt vobis illi materiales, quo modo lignea Christi imago deducit nos ad Christum, alioquin vana & inutilis: Attendat quisque ad cereum suum, non ad cereos aliorum. Solet enim contingere, ut dum quis aliorum lumina curiosius intuetur, suo interim lumine seipsum adurat. I dem accidit iis, qui se neglectis, aliorum nævos a spiciunt. Prudentes illæ virgines non ad fatua rum, sed ad suas attenderunt lampades. Sic in trarunt cum Sponso ad nuptias. Quod & vob precor.

THEMA III.

Mutua conjugum officia à columbis pra scripta.

I. *Conjuges studeant puritati conscientiæ.*
II. *Non inviti permittant Deo filios suos.*
III. *Mutuo se amore prosequantur.*
IV. *Mutua ferant onera.*
V. *Careant zelotypia.*
VI. *Fidem sibi mutuo servent.*
VII. *Mutuos defectus ferant.*

Dictum est in lege Domini: Duos pul s columbarum. Luc. 2.

QUid est Auditores, quod in V. T. Deus una cn oblatione primogeniti petierit etiam turt s aut columbas, & quidem par turturum vel d s pullos columbarum? Cur non unum saltem tu rem aut columbæ pullum pro uno primogeni, sed duos! Ego sane existimo, non tam propter mogenitum, quàm propter ejus parentes pet hoc munus Deum. Jam verò scimus ea munera esse grata Deo, quæ non veniunt à personis gr s. Hinc enim jubet Christus illum, qui habet ali id adversus fratrem suum, relinquere munus suu d altare, & prius reconciliari fratri suo Matth. 5. I d igitur munus tum demum Deo gratum erit, à gratis offeratur. Quare ut insinuaret parent s, quales ipsi esse debeant, quando offerunt suum mogenitum, par turturum addi voluit, aut cos pullos columbarum; ut nimirum ipsi similes nt pari turturum aut certè columbarum. Non est tur, quod in longinquum abeant conjuges pro gistro seu Doctore, habent domi passim colum s, quas ideo fortè Deus affixit ædibus, ut ab eis jugati discant, qui se gerere debeant. Turtures bi explicuimus, nunc columbas speculabimur, chrum valdè piorum conjugum speculum.

I. Hostes immunditiæ sunt; nam & nidun um purgant, & crebrò pennas suas rostro con nunt: gaudent pluviis, quibus se abluunt, ac de pulvere conspergunt, teste Arist. l. 9. hist. 49. modo etiam conjuges Christiani conentur suas scientias statis temporibus expurgare per pœni tiam; & componere per orationes quotidiana tam suam. Gaudeant quando pluvia, hoc est, so ne aliquod festum venit, in quo Deus gratias

l. gi-

largiùs effundere & plurimos rigare ſolet, ut in iis ſaltem ſe per pœnitentiam abluant, & non jam in lecti mollitie, ſed in pulvere pœnitentiæ ſe volutent. Certè B Virgo purificationis legi ſe ſubjecit, cùm nihil expurgandum haberet; quantò magis conjuges certis ſe temporibus purificare debe- rent, qui facillimè labes contrahunt? At quoties conjugati ſe expiare debent? Dico, quoties pluvia gratiarum magna contingit, in feſtivitatibus ſcilicet majoribus. Deinde interrogent elephantes. De his enim ſcribit Pier, l.2, aliique, quod ſingulis novis Lunis deſcendant ad amnem, in eoque ſe purificent. Beſtiæ ergo obſervant tempora ad ſe abluendum: cur non potiùs homines? Ad elephantes nos mittit Job cap.40, dicens; *Interroga jumenta,* (Hebr. interroga *Behemot*, hoc eſt, *elephantes*, ut vertunt Vatablus, S. Baſilius & Tigurina) *& docebunt te, &c.*

Quòd ſi comptu etiam corporis imitari columbas velint, id faciant more columbarum; primo non ad ſuperbiam & luxum, ſed ad honeſtatem. Neque enim columbæ alienis plumis ſe ornant, ſed ſuas tantùm componunt; nec ſe aliis, ſed ſuis conjugibus adornant. Audiant S Chryſoſt. hom.10, in Ep. ad Coloſ, ſic mulieri loquentem: *Quid ornaris? dic quæſo. Vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic verò contrarium fit: ſcilicet domi ſumma incuria; ſi foras itur, annus eſt, dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, aliis ne cura ut placeas; ſi verò aliis placere vis, non potes placere tuo.* In ſomnio Joſephi de Sole, Luna & ſtellis ipſum adorantibus, pater ejus per Solem, mater per Lunam ei repræſentati ſunt. Jam verò Luna ex ea tantum parte ſplendet, qua Solem aſpicit: ex altera parte, qua ad alia ſe convertit, obſcura eſt. Sic uxor ſplendeat in conſpectu mariti ſui, cui ſoli placere debet: obſcura contra ſit ad conſpectum aliorum virorum.

II. Tametſi ambo conjuges valde amant pullos ſuos, & pari labore educant, non ægrè tamen ferunt eos à Domino ſuo abripi, quod aliæ aves, imò beſtiæ omnes non ſine renitentia & moleſtia ſuſtinent, ideoque domicilium alibi quærunt; non item columbæ, quia nimirum domino ſuo debent habitationem, pabulum, denique ſeipſas. Ergo & conjuges Chriſtiani, ſi fortè Deus omnium Dominus eorum filios ſive per mortem, ſive per religionis ingreſſum ad ſe trahat, non indignè id ferant. Cogitent id Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Magnum certè jus habuit Beata Virgo in filium ſuum, quia ſola ejus parens fuit, adhæc millies magis eum dilexit, quàm cæteri parentes diligere ſoleant ſuos; & tamen petenti eum ex lege Deo, libenter obtulit, non ad templum modo, uti nunc, ſed poſtremò etiam ad crucem. Cogitent Deũ longè plus juris habere in liberos ſuos, quàm ſe. Deinde poſſe Deum pro una prole reddere illis aliam ac plures, quemadmodum Anna pro Samuële ad Dei obſequium devoto reddidit quinq; proles, tres filios & duas filias. 1.Reg.2. Et S. Jobo pro ſeptem filiis & tribus filiabus morte abreptis, dedit alios totidem filios & filias, ſpecioſiores prioribus. Job ult.c. Cogitent denique ſe debere Deo ſeipſos victum, veſtitum, habitationem, opes, vitam & omnia ſua: Quid mirum ſi interdum Deus exigat primitias aut decimas?

III. Columba mas & fæmina mutuo ſe amore proſequuntur, & mutua ſibi infigunt oſcula; teſte Plin. l.10. an.58. adhæc pacatiſſimè inter ſe vivunt, ſimul ferè gradiuntur ſibique mutuò aſſident. Ut ſtabile & ſuave ſit conjugium, neceſſarius hic eſt amor mutuus, quem inſerere illis voluit Deus, dum Evam ex Adami coſta efformare, iiſdemque idem nomen *Adam* ſeu *hominis* dare voluit. *Vocavit nomen eorum Adam.* Gen,25. Vir Hebr. *Iſch*: mulier vocatur *iſcha*; ut ſciant ſe eſſe quaſi unum hominem adeoq; unam voluntatem habere debere. Hunc quamdiu habuerint, tamdiu vitam jucundam ducent & proficient etiam opibus. Regnum enim pacatum ditari ſolet; quamdiu ergo caput cum corpore, vir cum uxore bene convenerint, quid eos turbare poterit, quo minus pacatum habeant conjugium? Ita diſcurrit S. Chryſoſt. hom.5. in Ep. Pauli ad Tit.2. Quia autem duo Reges in eodem regno quietè vivere non poſſunt, debet mulier viro ſubordinata & ſubjecta eſſe velut prorex; ideo non ex capite, ſed ex latere Adæ formata eſt Eva.

III. Mutuo ſe amore proſequantur.

Deinde ad hanc pacem acquirendam juvat, ſi quis nubat pari, quemadmodum & columbæ conjugatæ gaudent pari colore. Ita S. Ambroſ. l.1. de Abraham c 2 ait: *Qui ſuavitatem quærit conjugii, non ſuperiorem cenſu ambiat, non monilibus ornatam, ſed moribus.* Accedit Ariſt.8 Ethic.c.10. *Dominantur*, inquit, *uxores propter amplitudinem patrimonii.* Dominari debet maritus, quia caput eſt uxoris, teſte Apoſtolo: quòd ſi ergo velit dominari etiam uxor, jam duo Reges in eodem regno, duo Soles in mundo erunt; pax igitur exulabit. Quod ſi tamen contingat impares conjungi: tunc is, qui inferior eſt nobilitate vel opibus, ſtudeat labore, virtute & prudentia ſua compenſare defectum ſuum.

IV. Mutua onera ferant; nam alternis vicibus ovis incubant, & fovent pullos, interdiu mas, noctu fæmina. Ac ſi vagetur errabunda fæmella, compellitur à maſculo ad nidum, teſte Plin. loco citato, Ariſtotele & Æliano. Ergo & Chriſtiani conjuges mutua ferant onera. Vir ſit quaſi Sol, & operetur interdiu ſeu foris: mulier quaſi Luna & operetur in domo, quaſi noctu. Vir pueros inſtruat litteris, equeſtri diſciplina, cura familiæ, negotiis agri ſeu fori, tractandis artibus aut opificiis; mulier doceat filias nere, fila ducere, culinam curare, domum expurgare &c. Ac ſiquidem uxor ad hoc ſegnis ſit, vir compellat eam ad officium. Non enim fruſtra uxor Prover.5. appellatur *cerva cariſſima*; quia uti cervi tranatantes maria per vices alter alterius dorſo imponunt gravia cornibus capita, ut per vices re-

IV. Mutua ferant onera.

ſpirent;ſic agendum in matrimonio Hinc *conjuges* appellantur,quod jugum ſimul trahant.

V. *Careant zelotypia.*

V. Columbæ felle carere dicuntur paſſim à Scriptoribus, vel ſi id habent , abſconditum habeant, cùm incertum ſit, quo loco id contineant. Quid fel niſi zelotypia? Ut enim fel omnia quantumvis dulcia reddit amara : ita zelotypia quodvis conjugium,licet alioquin fælicisſimum. Nam *qui zelotypia laborant*,inquit D. Chryſoſt.ho.38.in c.17.Gen. *Bonum pacis amittunt, etiamſi magnis affluant divitiis,etiamſi ſumptuoſas habeant menſas, etiamſi clari fuerint & nobiles,miſerrimi omnium ſunt.* Hinc olim Ethnici in ſacrificiis Junonis, quam nuptiarum præſidem credebant, victimam ſine felle immolabant,teſte Euſeb.l.3. de præparat.Evang.c.1. Nec fruſtra Deus Num.5. præcepit ut vir zelotypus pro uxore oblationem facturus,non triticeam , ſed hordeaceam offerret farinam ; nec funderet ſuper eam oleum , neque thus : indicabat enim zelotypiam homines quaſi dementes & bruta, quorum pabulū eſt hordeum,facere (bruta enim ferè,ut cameli maximè laborant zelotypia)omnique ſuavitate & bonæ famæ odore privare. Quare ad hanc è medio tollendam permiſit Deus in V.T. probationem per aquas maledictas , ne miſeri conjuges in hac cruce perpetuo penderent. Id quod etiam per miraculum quandoque oſtendere voluit, uti ſcribit B. Pet.Dam. Cardin. in Ep. ad Godefrid. Ducem & Marchionem Tuſciæ l.7 Epiſt. de Uberto Marchione , *qui Guillam,majoris Boniſacii Marchionis filiam, conjugali ſibi fœdere copulavit. Hic non multò poſt indignationem primi Ottonis Imp.incurrit, ac ſubinde relicta conjuge in Pannoniam profugus exulavit. Qui cū longo poſt tempore reſumptus in gratiam redit : matrem cum grandiuſcula jam prole reperiens admiratus expavit. Negat homo ſe genuiſſe,quem conſpicit: & zelotypia permotus invidia , fatæ mulieri obſcœnum crimen intendit : nequaquam ſe tam inſperatæ rei perhibet conſcium, diffitetur ſe conceptionis hujus noſſe myſterium , nec poſſe fieri , ut ſe aſſerat patrem, qui prægnantem non reliquit uxorem. Ad hoc tandem res diutius ventilata,protrahitur,ut non aliter,quàm peracta purificationis indicium , tam gravis objectio, ſopiatur. Hoc igitur ex utraq; parte convenit,ut in vaſta quadam ampliſſimæ domus area conventus religioſarum fieret perſonarum : Quibus nimirum in ſubſelliis ſuis undiq; conſidentibus puer ſolus in medio poneretur : & ſi patrem, quem nunquam antea viderat, adiens peteret, ab omni procul dubio matrem ſuſpicione purgaret. Quid plura? Conveniunt Pontifices, adſunt cum Monachis & Abbatibus,inferioris etiam ordinis Sacerdotes:fletur,gemitur,ſuſpiratur , ad cœlum oculos erigunt , pugnis pectora mœſta contundunt, profluentibus lachrymis triſtia ora perfundunt. Dimiſſus itaq; in medio ſine papate,vel gerula , cœpit ire:& cùm pater ſederet inter vulgus,nec ab aliis videretur ulla ſubſellii varietate diſtinctus : contemptis omnibus puer ad eum ſignanter acceſſit,eiq; tanquam notiſſima familiaritate blanditus adhæſit. Sic itaq liberavit matrem , dum divino provocatus inſtinc petiit genitorem. Hoc igitur modo matri confuſio t litur,patri filius redditur & utriusq; parentis affect erga ſe invicem in communi ſobole reformatur,Om ergo, qui aderant,tanto ſtupefacti miraculo , votiv mentis conjubilatione & dignas auctori Deo grat referentes exultant.* Joanna Philippi Hiſpan. Reg conjux,audiens, quod maritus ſemel oculum co jeciſſet in capillos cujuſdam puellæ de gynecæo flavedine gratioſos , correpta zelotypiâ,clamo bus & querelis totam regiam implevit , faciem p ellæ vibicibus fœdavit , correptaq; forfice capill abſcidit,viro deniq; ſuo à tergo ſemper adeſſe vol it,refert Gomez.de rebus geſtis Fr.Ximenii l.3.Hi fortaſſe Chriſtus in Cana Galileæ nuptiis intere & vinum providere voluit quia *Cana zelum* ſig ficat ; ut ita vino amoris mutui zelotypiam ext gueret ac ſanaret.

VI. Columbæ,mas & fæmina conjugali inter fœdere ſociantur. *Pudicitia illis prima & neutri no adulteria: conjugii fidem non violant* , inquit Plin 10.c.34.De palumbibus, etiam ſcribit Ælian.l.3 anim.c.44. *Ex avibus caſtiſſimi ab omni ſtupro p lumbes;ut enim mas & fæmina tanquam nuptiis al gati ſunt, adeò ad ſtabile & certum connubium adh reſcunt per ſummam caſtimoniam,ut neuter alienu cubile attingat. Si qui ad alienam oculos adjecerin eos reliqui circumſedentes marem quidem mares di cerpunt,fæminam verò fæminæ.* Quid hic natura ſi voluit, niſi ut inſtruerentur conjuges fidem ſerv re invicem , quo nimirum ipſorum proles educe tur & inſtruantur ab iiſdem? Subtracta enim illa fid ſubtrahetur prolibus debitum nutrimentum & d ſciplina. Hinc aliæ etiam aves, quæ communit pullos nutriunt , ante completam nutritionem no ſeparantur à mutua ſocietate , ut habetur in Com plem.S.Thomæ q.65,art.3 Quanquam avium ali orumq; brutorum fœtus non requirunt niſi educa tionem , quæ in illis citò perficitur;(unde nec mi rum, ſi quæ poſt educatam prolem ſeparentur.)ho minum autem proles non ſolùm requirunt e ducationem,quæ tardè perficitur ; ſed inſuper di ſciplinam & inſtructionem;quæ adhuc plus tempo ris requirit ; adeo ut parentes,donec omnes proles ſuas ad perfectionem adducant , jam conſeneſcere incipiant , ſicque ſtabilem conjunctionem requirant. Quibus accedit fides mutuò data,quæ ſanctè præcipit ne frangatur. Accedit denique ſacramentum inter parentes Chriſtianos quod requirit unius cum una indiſſolubilem conjunctionem , qualis eſt Chriſti cum Eccleſia. Unde ſponſus ait : *Una eſt columba mea.* Quare qui hanc fidem mutuo datam violant,peccant in Chriſti mandatum , ſicque nexum triplici modo firmatum rumpunt,quod graviſſimum eſt. Sanè vel ipſi Ethnici fidem hanc violatam duris ſuppliciis ulti ſunt. In Pervana provincia non ſolùm adulteros , ſed etiam illorum paren-

s liberos & fratres comburebant, nec non & pe-
ra: terram quoq;, ubi flagitium commissum, dis-
ergebant & sale aspergebant, ut sterilis permaneret:
bores quoq; & domos vicinas sternebant & solo
quabant, ut scribit Augustin. de Zarate in hist. Per-
ana. Sufficiat fidelibus exprobratio Davidi facta à
eo, & injunctæ pœnæ. Quot enim & quantis la-
rymis deflere id peccatum debuit? quot pænas su-
inere? Filius ejus ex adulterio natus, morte plexus
: Amnon alter filius sororem violavit, ideoq; ab
bsalone fratre occisus est: Absalon rebellavit patri
occisus est à Joab. Adonias, alius filius, occisus
à Salomone. En quam grassatus est Dei gladius
domum Davidis, propter unum ejus adulterium
liud terribile exemplum de punita adultera refert
ortunat. in vita S. Marcelli Episc. Paris. In ejus enim
pulchrum serpens unus immanis solitus est è syl-
a adrepere, & ibi corpus ejus depascere, miserabili
horrifico spectaculo, quod refert Sur. 1 Nov.

VII. Adhæc *columbæ etiam imperiosos mares, & subinde iniquos ferunt*, ait Plin. l. 10. c. 34. *quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit. Tum plenum querela guttur, sæviq; rostro ictus, mox in satisfactionem exosculatio.* Ergo & Christiani conjugati rant imperiosos adeoq; iniquos etiam conjuges otius, quam discessum a se invicem meditentur. perandum enim quod patientia sua alter alterum mponet, & ad frugem reducet, quemadmodum git fælici successu B. Monica cum marito suo Patri- l. 9. Confess. S. Aug c. 9. Adhæc in justa suspicio- e se invicem officii sui adhortentur, instruant, re- rehendant, & pleno gutture murmurent. Ita Sara um videret filium ancillæ perniciosum esse filio o, petiit ab Abraham, ut ejiceret ancillam, cujus etitionem audiendam præcepit Abrahæ Deus. Ge- es. 21. *Nihil potentius muliere bona ad instruendum rum, quodcunq; voluerit: neq; tam leviter amicos, eq; Magistros, neq; principes patietur, ut conjugem dmonentem ac consulentem. Habet enim voluptatē liquam admonitio uxoria cum plurimum amet, cui onsulit. Multos possum afferre viros asperos & immites per uxorem mites redditos & mansuetos*, ait Chry- ost. ho. 6. in Joan. Sic Theodolinda Longobardo- rum Regina, cui S. Greg. Dialogum de moribus di- cavit, Autharim priorem maritum, & Agilulphum posteriorem suo suatu ad meliorem frugem redu- xit. Clothildis Clodovæum Francorum Regem. Ju- gundis Harmingildum aliæq; plurimæ. Quod si ve- ro hoc efficere nequeant, unum hoc superest, ut ha- beant patientiam, & cogitent sibi exedendum esse, quod sibi intriverunt.

Tales conjuges fuisse Joseph & Mariam plusquam certum est. hos ergo velut duces sanctissimos imitentur omnes conjuges Christiani; & erunt quasi turtures, gratissima Deo oblatio.

THEMA IV.

Turtures hominem instruunt Christianum.

Turtures præ columbis, quasi gratiores, boni Christiani typi.

I. Docent pia meditari.
II. Docent gemere.
III. Docent modestiam in vestitu.
IV. Docent moderamen in victu
V. Docent qualis nostra conversatio esse debeat.

Dictum est in lege Domini, par turturum, Luc. 2.

VIdetur Deus singulari modo præ aliis aviculis acceptas habuisse turtures & columbas; siquidem eas crebro sibi immolari præcepit; velut Gen. 15. ab Abraham. Levit. 12, à puerpera. Lev. 15. à leproso. Nimirùm quia aviculæ simplices & innoxiæ sunt & ut S. Bern. ait; quod sunt oves inter quadrupedia, hoc sunt turtures & columbæ inter volatilia. Adverte vero & hoc, quod cum hæ duæ columbarum species junguntur, semper turtures præponuntur columbis proprie dictis, quasi præ his magis Deo acceptæ forent. Quare mihi persuadeo Deiparam obtulisse turtures potiùs quam columbas: haud dubie quia typus sunt boni Christiani, & quicunque vult servire Deo. Ergo turtur esse debet in cogitationibus, verbis, vestitu, victu, conversatione, qui se offerre Deo in obsequium ejus cupit; quod sane omnes debemus pro viribus præstare. Modum nunc audiamus. *Turtures & columbæ petitæ sæpius ad sacrificium* *Turtures præ columbis quasi gratiores, boni Christiani typi.*

1. Turtur docet nos pia meditari. Qua ratione? Turtur enim ab Hebræo *tur* dicitur, quod est cogitare vel meditari. Unde à *tur* Hebr. appellatur *tor*: & latine duplicata voce *turtur*: quia nimirùm intùs loqui videtur, instar eorum, qui meditabundi secum loquuntur, ait Corn. a Lap. Gen. 15. v. 9. quod etiam columbis commune. Unde Ezech. ait: *Meditabor ut columba*, Isa. 38. *Turtur* ergo est *bis meditari*; quam vocē videtur etiam exprimere turtur suo cātu. Hoc autem facere Christianus quisq; deberet, bis, inquā, in die meditari, mane scil. & vesperi. Sic enim faciendum Christiano vult S. Ephrem. tom. 3. in serm. dicet. *Singulis diebus*, inquit, *vesperi & mane diligenter considera; quo pacto se habeat negotiatio tua ac mercimonii ratio. Et vesperi quidem ingressus cubiculum cordis tui examina teipsum, ac dicito: Putasne hodie Deum in aliquo exacerbavi? nunquid verba otiosa protuli: per contemptū negligentiamq; peccavi? num fratrem irritavi? nū cui detraxi?* Deinde jubet deflere peccata deprehensa. Post addit. *Et facto jam diluculo rursus eadem tecum meditare, & dicito? Quomodo putas ista nox præteriit? nūquid improba & sordida cogitationes invaserunt me, atq; illis libenter immoratus sum?* Hoc absque dubio insinuatum *I. Docent pia meditari.*

est in V.T. Exod. 29. & Num. 28. quando Deus mandavit jugi sacrificio singulis diebus offerri sibi agnos duos in holocaustum, unum manè, alterum vespere. Et quidem S. Bernard. serm. 2. & 3. de Purificatione rectè asserit per eos significatum esse Christum, qui fuit agnus matutinus, quando infans hodie in templo est oblatus; & vespertinus, quando ad vesperam vitæ se obtulit circa horam diei nonam in cruce. Morali tamen sensu voluit Deus coli latria bis in die, manè & vespere. Ac siquidem Christus se manè & vespere obtulit patri suo, cur non faciat hoc suo etiam modo Christianus? Quid quod Plato lib. 10. de legibus scribit, Græcos æque ac barbaros omnes, Sole tam oriente quam occidente, adorare Deum? Pythagoras etiam duorum maximè temporum rationem habendam dicebat, matutini & vespertini? teste Hieron. lib. 3. contra Ruffin. c. 10. Sane confunduntur ab his Christiani aliqui, qui pecorum instar cubitum eunt, & pecorum instar surgunt. Surgent Gentiles ac barbari & condemnabunt eos in judicio.

II. *Docent gemere.* II. Docet nos gemere potiùs quam jubilare & cum mundo lætari: quia gemitum pro cantu habet, qualis etiam decet bonum Christianum. Etenim Christus Dominus flevisse quidem legitur, risisse vero nunquam. Et Deipara quomodo ridere potuisset unquam, quæ semper gladium pectori infixum gerebat, mortem scilicet filii durissimam, oculis observantem? Cum dolore in stabulum divertit, cum dolore in Ægyptum fugit, cum timore rediit, cum dolore amissum quæsivit, cum dolore spretum audivit, cum dolore morituro valedixit, cum dolore Joannem pro filio accepit, cum dolore morientem vidit, cum dolore sepelivit, cum dolore redivivum expectavit. Verùm dicet aliquis: Quid tandem nos

1. *Ob exiliū nostrum.* fleamus? Duas maxime miserias, unam exilii nostri, alteram Dei passim offensi. Quis unquam audivit jubila, tibicines & fidicines, saltus & choreas in carceribus? nonne bis deplorandi essent rei capitis, si in carcere riderent, saltarent, jubilarent? O miseri! diceremus: nescitis ubi sitis: post paucos dies ad torturam rapiemini, inde ad tribunal, tum ad supplicium, & ridetis: Nos in carcere sumus; unde nunc unus, nunc alter extrahitur, rapitur in lectum doloris & agonem mortis ac judicium, unus longiori, alius breviori itinere. Qua ergo ratione vanis mundi gaudiis possumus indulgere? Judæi in captivitate sua à Babyloniis rogati: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion;* responderunt; *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena:* Psalmo centesimo trigesimo sexto. Quomodo & nos in captivitate nostra & exilio ridemus, saltamus, jubilamus? Jure ergo feriæ imminentes stultorum appellantur; quia non nisi stulti & phrenetici rident in periculis suis. Deinde jure gemimus, quia videmus passim Deum graviter offendi. Quid enim? nonne velum

2. *Ob offensas Dei.* templi, petræ, terra, Sol luxerunt, quando viderunt subsannari & crucifigi creatorem suum? At quid aliud faciunt hoc tempore homines? Suis enim jocis & scurrilitatibus Christum subsannant, suis ebrietatibus potant felle & aceto, suis blasphemiis flagellant, suis larvis & personis induunt veste alba & derident, suis impudicitiis denudant & cruci affigunt. Quod si David aspiciens peccantes dixit Psalmo
Vidi prævaricantes & tabescebam. Seu ut Hieronymus vertit, *mœrebam;* quomodo non mœrebimus
nos, qui tales intuemur Christianos? Paulus ce
super hujusmodi homines, *inimicos,* scilicet *cru*
Christi, flebat, ad Philipp. 3. *nunc autem & flens*
eo, &c.

III. Docet modestiam in vestitu. Habet en
pennas fere cinerei coloris, adeoque lugubres.
licet habeat etiam aliquas in alis pulchras & ve
colores pennas, eas tamen abscondit, & non nisi v
laturiens depromit. Quid igitur nisi vestitum m
deratum & modestum nobis assumendum doc
Cinerea debet esse vestis nostra, quia cinis sum
Qui contra agit, sepulchrum dealbatum est, fo
ornatum, intus cinere plenum. Nonne Adamo
ctum: *Pulvis es & in pulverem ibis?* Quis autem u
quam vidit cinerem ornari? tela crassissima & so
dissima excipitur & in sterquilinium effertur. Q
figulinum vas auro & argento includit? Vas figu
sumus. Diviti cuidam Asiano, ut scribit Cælius lib
trigesimo capite 15. *cum pedes forent abscissi, qui f*
goris nimietate computruissent per hyvestr er facien
ut aliquo modo calamitatem leniret, ligneos sibi p
des conficiendos curavit, quibus subligatis, inter
etiam servis innixus incederet. Sed ridiculus eo pr
cipuè fuit, quod summa cura scienter politeque con
ctas soleas comparabat subinde, quibus ligneos illos p
des præfulciret. Veluti visenda plane res esset, lign
crepidis inductum Nihilo minus ridiculum est cin
rem adornare. Decor hominis naturalis in paradi
ob peccatum ei ademptus est, ubi sine vestitu &
rubescentia tanquam Angelus incedebat. Ob præ
varicationem pudefactus, pellibus vestitus est: qu
modo damnati à S. Inquisitione indusiolo infam
quem *habitello* appellant Itali, Hispani *Sancto Ben*
to, educuntur, ad mortem. Qui talem vestem gem
mis ornaret, nonne magis se ridendum exponere
Ligneos igitur pedes & cinereos ornas comptul
Intellexit hoc melius quam nostri sæculi homine
Esther Regina, quæ extra necessitatem vili se habi
tu & obvio vestivit; at cùm Regem aditura, nece
sario se ornare debuit, dixit: *Domine tu scis, quod ab*
ominer signum, superbiæ & gloriæ meæ, quod est supe
caput meum. Esther decimo tertio. Nostro ævo S
Carolus Borromæus infra Cardinalitias vestes, pro
dignitate honestas, gerebat laceras & detritas, dicens: *laceras sibi esse proprias; purpureas autem & cæruleas integras spectare ad* Cardinalitiam dignitatem. Lipel. in Vita. 3. Novemb. Idem cùm famis tempore omnia sua in pauperes erogasset, à Rectore Collegii Helvetici interpellatus pro vestitu alumnorum suorum, cùm nil suppeditare se jam posse diceret, nec tamen Rectori hoc persuaderet, tandem monstravit ei caligas suas laceras & detritas, di-

cens:

tens: *ſe velle eas cum caligis ipſius commutare ſi placeret.* Id à viro fide digniſſimo, qui eum bene noverat, accepi. Igitur Eſther & Borromæus non niſi ex neceſſitate, exigenteque honeſtate ornatum admiſerunt; quod & aliis conceditur, modo inſtar turturis ſpecioſas illas pennas non oſtentare, ſed legere potiùs conentur.

V. Docet moderamen in victu. Nam morticino non veſcitur, ſed pauculis granis, quæ in locis tantùm mundis quærit. Nec bibit, ut Bapt. Mantuanus ſcribit, ex rivulo niſi priùs aliis turbato. Denique velut pro ſigno temperantiæ circulum nigrum in collo gerit. Ergo etiam Chriſtianus abſtineat à morticinis, quæ ſcilicet mortem animæ afferant, cibis vetitis, immodicis: abſtineat ab immundis locis comeſſationum & pergræcationum: quia perit ibi munditia. Deinde ſeu bibens ſeu comedens alis bonæ cogitationis turbet cibum & potum; quod videlicet non velit bibere vel edere ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem & naturam conſervandam. Illud enim brutum, hoc humanum eſt. Quid mirum te hoc facere, quod fecit Rex potentiſſimus David? *Cinerem tanquam panem manducabam*, ait Pſalmo centeſimo primo *& potum meum cum fletu miſcebam.* quaſi diceret, panem meum cinere aſperſi, recordatione mortis: & vinum lachrymis pœnitentiæ. Valde molitur dæmon, ut cibum & potum ad voluptatem ſumamus, quod ſequenti ex narratione diſcimus. De ſancto Lupo Senonenſi Epiſcopo ſcribit Surius primo Septembri quod aliquando noctu machinatione dæmonis magnam ſitim ſenſerit. Juſſit igitur afferri ſibi à famulo frigidam. Verùm mox advertens dolum Diaboli in hydria latentis non bibit, ſed poſuit hydriam ad caput lecti, & ſignans pulvinar poſuit ſuper os hydriæ, ſicque incluſit virtute divina dæmonem, qui mirum in modum tota nocte ululans prodidit ſe quis eſſet, & quid molitus eſſet. Sciamus igitur dæmonem à cibo & potu non procul abeſſe, nec non machinari, ut iis ad gulam & voluptatem cum peccato abutamur: proinde cum turture & ſancto Lupo potum cibumque prævia cogitatione, quam dix, obſignemus & dicamus: Impoſtor, qui me captum veniſti, ego te capiã & includam, ut ne mihi nocere poſſit cibus & potus. Bibam ut natura confortata Deo ſerviam, non tibi. Sic fugiet, ſic plagam accipiet.

V. Docet qualis noſtra converſatio eſſe debeat. Turtur enim in ſolitudine fere manet, & per æſtatem ad nos veniens non niſi in altiſſimis arboribus nidificat, procul ſcilicet ab inſidiis jaculisque aucupum: eademque de cauſa non inſidet, ramis viridibus ſed aridis tantùm, ut poſſit undique circumſpicere & inſidias cavere. Sic ergo Chriſtianus amet ſolitudinem cordis ſaltem: fugiat peccandi occaſiones, conventicula, ſocios malos. Exemplo eſt Rex David, qui Pſalmo quinquageſimo octavo ait: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine.* S. Gregorius in Pſalmum ſextum pœnitentialem negat eum habitaſſe in ſolitudine loci; ſed vult habitaſſe in ſolitudine cordis tantum, inter tot homines; memorem ſcilicet lapſus ſui, in quem inciderat, cùm oculos ad mulierem deflexiſſet. Fugit ergo imposterum peccandi occaſiones & illecebras. Unde Pſalmo vigeſimo quinto proponit firmiter ſe ſubducere à conventu & idololatricis nugis Philiſthinorum, dum inter eos moraretur exul: *Non ſedi cum concilio vanitatis & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Eccleſiam malignantium & cum impiis non ſedebo.* In Hebr. pro *iniqua gerentibus* habetur, *cum pueriliter occultantibus* quaſi dicat ludentibus puerorum more, qui ſe in angulis, aut faciem manibus occultant: plane alludens ad noſtra Bachanalia, quæ ſimillima ſunt ſtultitiis Philiſthinorum, quas Idolis ſuis exhibebant. Ab his ergo ludis, nugis & ſtultitiis abhorreat Chriſtianus. Accipiat nunc pennas & fugiat in ſolitudinem cordis & cubiculi ſui, vel exemplo Deiparæ, quæ cum Chriſto ab inſidiis Herodis recepit ſe in ſolitudinem & Ægyptum, poſt purificationem; quia draco ille ignitus, Herodes, inſidiabatur illis.

Videmus ergo non abſque cauſa turtures à Deo expeti, qui ſcilicet typus ſunt boni Chriſtiani. Quare ut unuſquiſque gratum Deo obſequium præſtet, & ſacrificium offerat, turtur eſſe ſtudeat, ut ſic ipſe quoque in templo gloriæ tandem præſentari Deo mereatur.

THEMA V.

Quarum rerum nos admoneant cerei ſacri manibus geſtati hodierna die.

I. *Chriſtum nobis præ oculis ponunt.*
II. *Cereum in baptiſmo traditum revocant in memoriam.*
III. *Cereum morituris porrigendum ponunt ob oculos.*
IV. *Cereos qui nos ad ſepulchrum comitabuntur proponunt.*

Lumen ad revelationem Gentium. Luc. 2.

TUrpe & deriſu dignum eſt tractare in templo libellos pios, & non poſſe in eis legere. Sacræ Eccleſiæ cæremoniæ libelli quidam ſacri Laicorum ſunt, è quibus ipſi percipere modo aliquo poſſunt, quæ in libris legere nequeunt. Hujuſmodi ſunt cerei benedicti, qui hodierna die fidelium manibus geſtantur in Eccleſia; libelli, inquam, ſacri, non characteribus, ſed figuris deſcripti. Ergo qui hos manu tenent, velut rude enchiridion, intelligere eos debent; ne alioquin inimici & æmuli noſtri, dæmones, eos derideant; quod librum in manu habeant, quem legere non ſciunt, nec quid ſibi ce-

Cerei ſacri velut liber laicorum, intelligendi ſunt.

reiisti velint, intelligunt. Quare id nunc exponemus.

I. *Christum nobis præ oculis ponũt.*

1. Proponunt nobis ante oculos Lumen illud Gentium, quod hodierna die accepit in ulnas suas Simeon, Christum Salvatorem nostrum, quem juxta prædictionem Isa. c. 42. v. 26. & c. 49. v. 6. & c. 60. v. 3. prævidit Gentibus lumen fidei & Evangelii allaturum easque è tenebris ignorantiæ ad lumen veritatis educturum. Qua causa cerei hodie benedicuntur & gestantur à nobis, in memoriam tanti benefactoris ac beneficii, gratiarumque actionem. Rectè autem cereo accenso repræsentatur Christus; quia ignis sublimissimum, potentissimum ac purissimum elementum, ejus divinitatem indicat: candela humanitatem: cujus anima per lineum filum seu ellychnium: caro per ceram denotatur. Linum ignitur, cùm ignem concipit, non cera: sic anima Christi viatoris dote beatitudinis ornata fuit, non corpus. Cera opera apum è florum succis conficitur: corpus Christi opera Spiritus sancti purissimo Virginis sanguine coagulatum fuit. Cereus dum lucem homini præbet seipsum interim consumit: Christus dum Judæis sua prædicatione lucem accendit & viam veritatis ostendit, accendit simul eorum in se odium & præbuit eis non sane causam, sed occasionem ipsum occidendi. Porro cereus iste manu apprehendi, teneri ac gestari debet, per applicationem meritorum Christi; ita ut non solùm luceat, sed ut nobis luceat & ad bonum nostrum. Alioquin enim sicut lucerna aut Sol splendens nihil conducit otianti aut in lecto stertenti: ita etiam Christus nihil nobis proderit, nisi à nobis per fidem, spem, charitatem aliaque bona opera apprehensus & retentus, nobis luceat; fiatque nobis causa salutis particularis ex universali. Quemadmodum enim pharmacopolium nihil prodest ægris, nisi eo utantur: Bibliotheca litteratis, nisi libros legant: ita nec Christi merita, nisi applicentur.

Trip. in hoc F. C. 7. B.

II. *Cereum in baptismo traditum revocant in memoriam.*

II. In memoriam revocant nobis cereum illum accensum, qui in baptismo nostro datus est in manus nostras, cum illis verbis: *Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem, custodi baptismum tuum.* Datus porro est primo ut sciamus nos esse filios lucis, adeoque opera lucis facere debere, juxta id 1. Thess. 5. *Omnes vos filii lucis estis & filii Dei: non sumus noctis neque tenebrarum.* In cereo est lux; quæ significat fidem: calor igneus, qui significat charitatem: cera in columnæ figuram sursum ab imo assurgens designans spem, quæ nos ad cælum erigit. Hoc ergo cereo, his cælestibus virtutibus, in baptismo infusis, jubemur operari opera lucis & mittimur in vineam Domini, quasi ligone & instrumentis necessariis instructi. Qui metalla fodiunt; suo quisque lumine seu lucerna bene custodita, descendunt in cavernas terræ tenebricosas, ut aurum & argentum investigent atq; effodiant: absq; lumine frustra sunt. Simili modo nos per baptismum Christo devincti velut operarii conducti, demittimur in hunc mundum, tenebris oppletum, ut ibi virtutum & meritorum aurum conquiramus. Audiamus S. Bern. ser. 2. de Purificat. *Cum arguantur otiositatis,* inquit; *ipsi quoq; quos nemo conduxit: qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe sine operibus mortua est. Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum, ne fortè tepidos nos evomere incipiat.* Non ergo ad ocium, sed ad laborem in hunc mundum missi sumus; ideo lampadem accensam & ardentem accepimus, ut non contenti sola fidei lampade, ardorem etiam charitatis ei jungamus & tanquam filii lucis, opera lucis patremus. Qui hoc lumine carent; uti infideles & hæretici, frustra laborant, nec quidquam auri invenient; terram meram effodiunt, bona, inquam, terrena. Non ita nos Christiani, qui cœlestia instrumenta ad operandum accepimus, & si charitate operemur, filii lucis sumus. Veteres in die natali Regum accendebant lucernas, ad eum ornandum, uti de Herodis natali testatur Persius Sat. 5. Christiani in suo per baptismum regenerati natali, Reges facti sunt. Ergo cereus, quem hodie manibus gerimus, reducit nobis in memoriam quales in baptismo facti, quid accepeimus, quid Deo promiserimus; quasi ingerens nobis illud Ps. 4 *Filii hominum usquequo gloriosi mei* (uti habetur in Hebr.) *ut quid diligitis vanitatem.*

Vt sciremus nos esse filios lucis.

2. Datus est, non ut nobis solis, sed ut proximis etiam luceat. Ad hoc enim gestatur in manibus, ut per vitam verè Christianam præferatur & monstretur aliis in exemplum, juxta Christi mandatum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Matt. 5. Causam immediatè præmisit dicens: *Neque enim accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucerna non uni homini, sed pluribus qui præsentes sunt, debet lucere: uti nec Sol uni regioni, sed toti mundo accensus est, ideoq; totum orbem circumit: sic etiam Christus in nobis accesus, vult etiam aliis impertiri lucem suam. Mos olim fuit, teste Curopalate de Offic. Ecclesiæ & aulæ Constant. c. 6 n. 37. lampadem inter alia præferre Imperatori. *Lampadem,* inquit, *præferunt Imperatori propter illud Christi dictum: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Ergo etiam Imperatores hujus præscripti admonebantur; cur non & alii Christiani communis hujus obligationis suæ seipsos admoneant? Sane admonet eos hodie Ecclesia, dum cereos eis porrigit, sicut admonuit in baptismo, cùm porrecto cereo dixit *Accipe lampadem irreprehensibilem*: quam nemo culpet, omnes laudent & suspiciant.

III. Præfigurant & proponunt nobis cereum illum, quem in hora mortis migraturi ex hac vita accepturi sumus in manus nostras. Et primo quidem insinuant nobis illius temporis angustias, quas sentiemus in ultimo illo conflictu mortis & vitæ. Videmus n. ignem, quasi viventem & vitæ suæ valde amantem ægrè extingui: resistit reluctabundus, inclamat, strider, excandescit & ulcisci cupit, colligit vires,

vires, resumit pabulum & subsidium quærit, quo se tueatur ac conservet, uti facere solent animantia, quæ violenta morte perimuntur, ut ait Pierius Hierogl 46 c 14. (unde non defuerunt, qui ipsum animal esse credebant.) Si vero defectu pabuli elangueat, diu se quantum potest conservare studet, modico se sustentans, quasi mortem suam refugiens. Idem contingit morientibus: maxime tamen iis, qui vitæ hujus amantes fuerunt & in bonis duxerunt dies suos. *Mors n. divitis & fortunati est duplex*; ait S. Chrysost. apud Anton. in Melissa, quia anima ejus æque adhæret opibus & fælicitati ac corpori: quare dum ab utrisque avellitur, quasi duplicem mortem oppetit. A corpore quidem separari anima horret naturaliter. Hinc moribundi cupiunt è lecto surgere, quasi fugam molientes: manibus ad se stragulum & linteamina trahunt & fulcra apprehendere conãtur, quibus se sustentent. At hæc angustia metuenda adeo non est, sicut altera, quæ procedit ex spoliatione rerum mundanarum, quibus addictus fuit moriens, vitæ, opum, honorum, voluptatum, uxoris, filiorum amicorum; deinde ex metu judicii divini. Qui ergo ab hac angustia & tortura liber esse vult, liberet se prius ab amore hujus mundi & rerum omnium fluxarum, si non effectu, ut religiosi, saltem affectu. Sic viatores trãsituri loca militibus vel prædonibus infesta, pretiosas vestes exuunt, pecunias abjiciunt, arma deponunt, laceri ac penè nudi incedunt, eoq; pacto non vitam modo, sed verbera etiam & vexationes redimunt. Sic imminente jam naufragio, qui vitæ suæ consulunt, à vestium onere se expediunt & ad enatandum parant. Deinde videat cùm Simeone mortem, antequam adveniat, ut imminentem æquius ferat. Id agebat Godefr. Com. Cappenbergensis, post abdicatum ditissimum Comitatum, Ordinem Præmonstratens. ingressus. *Frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam aptare ac præparare me digneris Domine Deus meus!* Sic armatus cum morti appropinquaret, fratri suo germano, Ottoni mœrenti ait: *Idcirco mi frater universa propter Deũ abdicavimus, quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros certissimè noveramus, præoptantes atq; satagentes, ne hujus nos procella discriminis obruat imparatos.* Et paulo post: *Frater mi audio vocem dicentẽ: Exite obviam ei.* Ad extremum vero cum ingenti subito exultatione dicebat: *Bene veniunt nuncii Domini Creatoris mei.* Quo dicto spiritum Deo reddidit. Ut in ejus vita 13 Jan. apud Sur.

2. Ut lumen gratiæ, fidei & charitatis in baptismo nostro accensum conservare meminerimus usq; ad ultimum vitæ spiritum, adeoque constanter vero Domini Christo adhærere. Mos olim apud Gentiles erat, teste Plat. l. 6 de leg. & 1. de rep. ut ex ara Promethei usq; ad vicinam urbem accensas lampades seu faces gerentes cursum instituerent: is autem, in cujus manu fax extinguebatur, non modo nihil lucrabatur, sed etiam infaustus habebatur, turpis & inglorius; quin etiam pueri palmas ei dabant, veluti ignavo & turpiter victo, ut refert Euphronius Scholiastes Aristotelis. Hujusmodi cursum omnes nos peragimus, incipientes à baptismo, ubi cereus ardẽs in manus nostras traditus fuit, ut eum inextinctum servaremus usque ad terminum vitæ & introitum civitatis cælestis; idque revocatur morienti in memoriam, dum ei cereus offertur. Beatus porro, qui lumen hoc ad terminum illum detulit. Infaustus econtra, qui extinxit, aut negligentia sua extingui passus est: turpis & inglorius. Pueri & infantes, qui suum illud lumen salvum ad vitæ finem detulerunt deridebunt illos & palmas eis dabunt: *Hic homo* dicent, *cœpit ædificare, & non potuit* (vel potiùs non voluit) *consummare*. Imo ædificarunt; sed quod struxerant, iterum dejecerunt: cereum accenderunt; sed male custodiendo, rursum extinxerunt. Hoc est quod vobis insinuavit Christus in parabola decem Virginum, per quinque illas fatuas, quæ cùm accensas accepissent lampades, quibus obviam irent spõso; sua incuria viderunt extingui, cùm jam sponsus adventaret, unde à prudentibus aliis quasi alapas acceperunt, quando audierunt. *Ite potius ad vendentes & emite vobis* (quasi cùm sarcasmo dicerent: man hats fail, prostat in foro) nec non ab ipso sponso quando sero venientibus & fores pulsantibus dixit: *Nescio vos*. Matt. 25 In lacu Asphaltite, seu mari Palæstinæ mortuo lucernæ ardentes supernatant, extinctæ mox ad ima demerguntur, teste Josepho libro 4. & 5. de bello, Egesippo, Plinio & aliis. Pari modo in morte, qui cereum gratiæ accensum habuerit, salvus erit qui extinctum, mergetur in abyssum.

IV. Ob oculos ponunt cereos illos, quibuscum efferentur aliquando funera nostra. Hi enim postremi nostri amici sunt, qui usque ad sepulchrum nos comitabuntur, tametsi non ulteriùs. Demonstrant ergo nobis primo fælicitatis humanæ inconstantiã & finem luctuosum. Bene S. Bernh. in ser. de fallacia præsentis vitæ: *Accenditur cereus* inquit, *non purum lumen est, siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fovetur. Porro deficiente materia deficiet ipse: & ubi videris illam prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergo flammæ illius novissima fumus occupat & caligo: sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur.* Comitantur cerei mortuum usque ad sepulchrum, eo sepulto extinguuntur, & in fumum abeunt, unàque cum illis omnis defuncti gloria, opulentia, honor, sapientia, delitiæ, memoria. Mire celebratur Q. Metelli Rom. fælicitas à Val. Max. lib. 7. c. 1. & Plin. l. 7. c. 44. à divitiis, liberis, dignitatibus, corporis dotibus, vita vegeta & diuturna: *Cœlum contemplare*, ait Valerius, *vix tamen ibi talem statum reperies*, Hæc tamen omnis ejus fælicitas parvo in loculo, cereis comitantibus in rogum illata, ibique extincta est. Et quid aliud expectare

possunt

IV. *Cereos, quæ nos ad sepulchrum comitabũtur proponunt.*

1. *Humanæ felicitatis inconstantiam ostendunt.*

possunt Reges terræ etiam fæliciſſimi? Quantacunque enim illorum fælicitas ſit, lumen accenſa in cera eſt; quod dum emicat, paulatim etiam deficiente, quæ conſumitur, cera in ſuum feſtinat interitum. Unde Prov. 13. dicitur: *Lux juſtorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.*

2. *Vitæ bene aut male actæ periodum.*

2. Vitæ bene aut male peractæ periodum admodum diverſam. Candelæ & faces aliæ ex ſebo & pice, aliæ ex cera confectæ ſunt: quæ dum ardent, non facile advertitur diſcrimen inter eas; at ubi extinguuntur, tum illæ quidem fœtorem ac tetrum funeſtumq; oculis odorem poſt ſe relinquunt: hæ vero minimè, ſed gratum potiùs & innoxium. (Sebum adeps carnis eſt; unde opera carnis ſignificat, quæ damnat Apoſtolus ad Gal. 5. Cera opera apum è floribus colligitur ac conficitur; unde opera bona & fructus ſpiritus denotat, quos ibidem laudat Apoſt. Pari igitur modo juſti & pii ſuavem poſt ſe relinquunt famæ odorem, ſuiq; memoriam: tetrum viciſſim impii, juxta id Prov. 10. *Memoria juſti cum laudibus; & nomen impiorum putreſcet.* Non opus demonſtratione: tota hoc Scriptura clamat & exemplis demonſtrat, profanæ quoq; hiſtoriæ; hinc Sanctorum feſta celebrantur cum honore, nomina, geſta deſcribuntur & in pulpitis prædicantur, impiorum neſciuntur, abjiciuntur, comburuntur, infami aut obſcuro loco abſconduntur, deniq; velut ſebaceum ellychnium fumigans pedibus proteruntur.

De morte piorum ait Eccleſiaſt. cap. 1. *Timenti Deum bene erit in extremis & in die defunctionis ſuæ benedicetur;* non ſolùm à Deo, ſed etiam ab hominibus Omnes enim illis bene precantur; ſicut de Moyſe i dem Eccleſiaſticus c. 45. ait: *Dilectus Deo & homi nibus, cujus memoria in benedictione eſt.* Ut enim thus & pigmenta odorata, cùm incenduntur, ſua vem omnibus odorem afflant: ita pii cùm moriun tur ab omnibus commendantur. Unde de Joſia Re ge optimo ac piiſſimo dicitur Eccleſiaſt 49 *Memo ria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta, opus p gmenta rii: in omni ore quaſi mel dulcorabitur ejus memori ut Muſica in convivio vini.* Mel à putredine ſerv corpora mortuorum; Muſica convivas exhilarat: ſ piorum memoria eos immortales quaſi conſerva ut in ore hominum vivant: & velut Muſica eos r creat. Econtra de impio illo Antiocho, ejuſq; ſim libus. 1. Machab. 2. ait Mathathias: *A verbis viri pe catoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & ve mis eſt.*

Hæc ſunt Auditores, quæ in cereis iſtis quaſi Enchiridio legere quodammodo & intelligere d bemus. Quæ ſi bene ac frequenter expenderimu non poterit nos inimicus noſter deriſui habere, ſ nos illum potiùs ridebimus, & nobis gratulabim in hora mortis noſtræ.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

THEMATA.

I. *Iugum mundi Ægyptiacum.*
II. *Iugum libidini ſervientium duriſſimum.*
III. *Liberalia ſeu peculiaria Dei dona grato animo excipienda.*
IV. *Indurati qua ratione frangendi.*
V. *Chriſtus mitis, ſed quandoque etiam ſeverus.*

THEMA I.

Jugum mundi Ægyptiacum

Inſtar Servitutis Ægyptiacæ.

I. *Eſt jugum duriſſimum.*
II. *Iugum fœdiſſimum.*
III. *Iugum miſerrimum.*

Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.

MIſerum prorſus erat ſervitutis j gum, quod impoſuit Hebræis Ph rao Rex Ægypti: adeo ut gemit oppreſſorum aſcenderit uſque ad c lum, Domino teſtante: *Clamor filio Iſrael venit ad me, vidiq; afflictionem eorum, qua Ægyptiis opprimuntur.* Qua vociferatione Deus a paruit Moyſi in rubo ardente; qui nil aliud niſi ea dem Hebræorum afflictionem, inſtar ignis Hebræ urentem, ſignificabat. Exodi 3. Eandem Levitici 2 *catenas* appellat *cervicum* ipſorum. Ipſe vero Mo ſes Deut, 4. *fornacem ferream. Vos eduxit de forn ce ferrea Ægypti &c,* Verùm ſervitus illa corp ra tantùm petebat, non animas: exigua igitur f reſpectu ſervitutis, quam mundi amatores co ſuo imponunt, quaque non tam corpora, quam a mas ſuas premunt, adeoque opprimunt; & qu maxime miſerandum, ſuas interim miſerias non de

dent nec deplorant, imo etiam miseri certatim in eas insiliunt, nec inde eripi volunt. Igitur his, ut paulisper oculos aperiant, & quale jugum trahant, intelligant, describemus obiter ipsorum servitutem Ægyptiacæ illi non absimilem.

I Servitus Ægyptiaca fuit Hebræis inprimis durissima. Cogebantur enim facere lateres & obire *omnem famulatum*, Exo. 1 deinde conquirere sibi paleas ad faciendos lateres. Exo. 5. Addit Josephus coactos flumen in multas fossas diducere, mœnia exædificare, & aggeres construere ad arcendas aquas: pyramides extruere &c. quo modo fere nunc à Turcis mancipia vexantur. Quare non abs re suas delitias, ad quas redire cupiebant è deserto, appellant *cepe & allia*; quia nimirùm lachrymas eis, tantùm non sanguineas, expresserunt.

Nihilo mitior est mundi servitus. Gravissima enim imponit onera in parandis opibus, honoribus, delitiis, commodis, contentanda uxore, promovendis liberis, parandis amicis, saginando corpore &c. Et 1. ut hæc conquirant, laborant desideriis, quæ tantum non occidunt eos, dum concupiscunt & non habēt. Quorum typus fuit Rachel, quæ liberorum cupida viro dicebat Gen. 30. *Da mihi liberos, alioquin moriar*, h. e. *mortem mihi ipsa consciscam*, ait Isid. Pelus. l. 2. epist. 74. Quæ tamen ubi liberos accepit, in secundo partu extincta est. Gen 35. Exemplo est Rex Achab, qui cùm negaretur ei vinea à Naboth, indignabundus & frendens abiit domum, & posuit se in lectulum quasi ægritudine tactus, neq; cibum admisit. 1. Reg. 21. Pauperem ergo se reputabat, nec vivere posse, nisi ab egeno vineam acciperet. Idem in honorum desiderio demonstrat Aman, qui cùm supra omnes exaltatus esset ab Assuero. & omnia haberet, nihil tamen se habere putabat, quamdiu Mardochæus coram eo genua non flexit. Esth. 5. Si quis sæcularium domos percurreret, ubiq; querelas audiret a dominis, quod fideles servos acquirere non possint: a servis, quod exigua nimis stipendia largiãtur domini, a mercatoribus, quod non emantur eorum merces: ab emptoribus, quod caro nimis omnia væneant, &c. quemadmodum & in Ægypto, non fuit domus, ubi non audiretur clamor & lamentatio propter mortem primogenitorum. Deniq; sicut aranea se evsicerat & centies circumit, dum telam conficiat; in cujus medio aucupis instar expectat prædam, quantumvis vilem; ita fere servi mundi se exhauriunt & consumunt, inhiando & insidiando lucris, honoribus, voluptatibus ut vere dicere possint illud Ps. 89 *Anni nostri sicut aranea meditabuntur* q. d. sicut aranea cum magno labore & industria quasi meditate telam texit, sic nos totis annis cogitamus lucra & prædas: interim nil nisi muscas capimus.

2. In dispensandis, conservandis, augendis. Quia enim bona temporalia multos patiuntur æmulos & insidiatores, laborandum valde, quomodo quis sua defendat & abscondat. Et qui nunquam satiant, sed magis sitim accendunt, laborandum ut augeantur; hinc nulla quies. *Ite ad onera vestra*, dicebat Pharao Hebræis Exod. 5. Sic mundus servis suis: adulamini, mentimini, simulate, fraudate, vigilate, currite, navigate, sudate, esurite, &c.

Nero Imperator in solis subscribendis litteris tantùm sensit molestiæ, ut diceret: *Vellem nescire litteras*. Sigismundus Imperator in mensa etiam appellatus, asinos dicebat Regibus beatiores, quod illi dum comedunt, clitellis exonerantur; Reges vero etiam in mensa laboribus vexētur. Beyrl. in Apopht. Christ. Philippus II. Hisp. Rex aiebat, Reges esse similes textoribus, qui manibus & pedibus debeant laborare, & simul oculum semper ad fila convertere ut rupta hic illic alligentur. Si hoc sentiunt Reges, qui omnibus mundi deliciis putantur circumfluere: quis magni æstimabit inferiorum commoditates?

3. In perdendis. 3. In perdendis, expendendis, deserendis Herod. l. 4. scribit Hypanim è fontibus quinque dierum via exilem profluere ac dulcem: deinde post aliorum quatuor dierum iter perquam amarum. Tales sunt honores, opes, voluptates mundi initio ad paucos vitæ dies melleæ: at in fine cùm in morte deserendæ sunt, fiunt homini amarissimæ. Unde Ecclesiasticus c. 41. ait: O *mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis*.

II. Iugum fœdissimum. II. Fuit fœdissima in operibus luti, in fossione terræ & comportatione aggerum, omniq; famulatu, adeoq; sordidis quibusq. ministeriis. Eupolemus vetus scriptor apud Eus. l. 9. de præpar. Evang. addit, Hebræos jussu Regis diversi coloris ab aliis veste indutos fuisse, quo risui & vexationi Ægyptiorum exponerentur.

Nihilo honestior est mundi servitus, sive labores eorum spectes, sive dominum cui serviunt, sive cõfusionem, quam inde metunt. *1. Hominem cœlo natũ in sordibus occupat.* 1. enim quid fœdius quam hominem ad imaginem Dei factum & cœlo natum, fœdis & brutis voluptatibus vacare? terræ glebas, aurum, inquam, & argentum effodere, desiderare, amare? e cis poculis, vomitu, balneis & carnis blandimentis veluti bestiam se oblectare? vestium ornatu à brutis emendicato sibi inanem gloriã quærere? Quales bestias ex hominibus reddit ebrietas? libido nonne hominum conspectum fugit? avaritia nonne omnibus exosa est? In hoc luto (de quo Apostolus ad Philip. 3. *Omnia arbitror ut stersora*,) mundani immersi hærent, sicut vermes in caseo; quia *ubi est thesaurus tuus, ibi cor tuum*. Bene ergo de his Joëlis 1. dicitur *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Ad litteram quidem loquitur de jumentis Hebræorum, Jerosolymis à Chaldæis obsessis: ũ, tam arcte, ut non possent educere ad pascua pecora sua, sed retinere in stabulis debuerint: usq; dum in stercore suo perirent & putrescerent. Morali sensu intelliguntur mundani homines, qui *jumenta* appellantur, quia jugum mundi grave portant, eisq; Dæmones dicunt: *Incurvare ut transeamus*. Isa 51. quo modo Sapores Rex Persar. Valeriano Rom. Tamerlanes Bajazete Turcarum Imp. usi sunt pro scabello.

lo. Qua de causa etiam Deus homines, qui in bruta degenerarant, deleturus diluvio dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*. Genes. 6. hoc est, carnalis & brutus. Tale mundi & voluptatum mancipium descripit Æneas Sylvius oculatus testis, in descriptione Europæ cap. 20. Henr. comitem Goritiæ, qui *muliere corruptior cũ pastoribus ac rusticis sæpius quam cum nobilibus diversatus est. Senex super glacie cum pueris lusit: inter vulgata scorta frequentissime latuit, raro in aula pransus est, solus coquum adiens, offulas in ipsa popina voravit. Vestes induit viles ac perunctas, pectus nudum & apertum ostendit: Oculi semper lachrymantes fuere. Quem cum aliquando ad se venientem Fredericus Imp. ex fenestra intuitus esset, me* (inquit Æneas) *vocitans: age, inquit, Principem, qui ad nos properat, contemplare, si quem pulchriorem mundioremque videris aliquando, effare. Mihi cum satis Principem comitesq; considerassem, fœda rusticitas visa est, quæ dominatum assecuta, egregiam nobilitatem servitio premeret*. Sic ille. Non tam aperte & per omnia alii mancipia facti sunt: non multo tamen inferiores, si paterent quæ abscondunt forent.

2. *Dæmonis mancipiũ facit.*

2. Quid est fœdius quam Dæmonis mancipium fieri? Ipse enim est immundus spiritus, & omnium creaturarum fœdissima unde *draco* appellatur, *serpens antiquus, leo, aspis & basiliscus*. Quoties fere apparuit, forma semper tam tetra fuit ut ferri non posset, uti S. Bened forma pueri nigerrimi, sicut & S. Anton. ac Macario; relinquere etiam post se odorem teterrimum solet. B. Ægidio Minoritæ apparuit specie tam horrenda, ut præ terrore loquendi facultatem pene amiserit: expertus verissime dixisse S. Francisc, Satanæ formam esse immanem & horridam, ut nemo ad spatium Dominicæ orationis possit eum salva vita intueri, nisi divinitus confirmetur. Ut in vita B. Ægidii 23. April.

3. *Infamem facit.*

Accedit infamia, quæ consequitur mundi amatores, si non semper in hac vita, saltem post illam. *Gloria* enim *eorum stercus & vermis est*, ait: Mathathias 1. Mach, 1. 2. Quis enim non abominatur Sardanapalum Caligulam, Heliogabalum, Henr. VIII. Anglum Wenceslaum VI. Imp. Bohem. & similes? Moysi, & Aaroni, cum urgerent Hebræos ad exeundum de Ægypto, ipsi responderunt velut ingrati cuculi: *Fœtere fecistis, odorem nostrum coram Pharaone*, Exod. cap. 5. Stulte quidem hoc illi; sed tamen vere; siquidem servi Dei bono odore vitæ suæ suarumque hortationum stimulis, quibus pungunt mundi servos & amatores, fætere eorum vitam & mores faciunt, etiam coram mundo. Quantum fætent avari, collati cum Sancto Francisco & religiosis qui sua omnia reliquerunt? Quam sordent impuri, collati cum Catharina aliisque Deo dicatis virginibus? Quam putrent voluptuarii comparati cum Antonio aliisque Eremicolis? Incestuosus ille Herodes fœtorem ipse suum ferre non potuit præsente castissimo Joanne; idcirco in carcerem inclusum ab oculis suis removit. Rainerus Tusciæ Marchio & ipse incestuosus coram S. Romualdo apparere no audebat, nisi magno cum tremore, ut in vita Ro mualdi 19. Jan. Sur.

III. Fuit miserrima: quia sine mercede sine nece sariis ad opus paleis, imo compensata ad finem l borum verberibus ac flagellis.

1. Ergo mundus mercedem non dat; quia nud dimittit sepelitque servos suos. Ægyptii Hebræ in opere extinctos abjecerunt insepultos, nec sin bant eos humo tegi, neque plangi à cognatis, ut sc bit Philo. 1. de vita Moysis. Sic mundus servos su bonis omnibus expoliatos foras mittit, & sæpe ab que honore sepelit, sæpissime absque lacrymis su rum, quia vel bonis eorum relictis gaudent, siqu reliquerunt; vel interitu, si nihil.

2. Paleas etiam ad opus laterum necessarias pr us dari consuetas eis detraxerunt. Quid vero pale nisi siliquæ illæ prodigi, quibus saturari cupieb nec poterat? Voluptates nimirum indicant mun sectatorum, quos hic adeo concupierunt, ad extr mum tamen perdunt. Nam vel ad inopiam reda ob luxum & luxuriam nimiam egere incipiunt, famem patiuntur ut canes, circumeuntes civitate ad prandia se amicorum invitant & ossa rodunt: v morbis obnoxii, delitiis uti vetantur si vivere veli vel etsi velint, frui tamen non possunt: vel avariti cæcati non audent ad satietatem, nedum ad volu tatem sibi emere quæ placent.

3. Flagella addiderunt operum præsidibus quo minus urgerent operas. Exod. 5. Eandem mercede mundus servis suis, sub finem saltem, rependit, c temptum, indignationem, desolationem, derisu ulcera & morbos, remorsum conscientiæ. Quen admodum enim Laban servum suum Jacob tot a nis fidelissimum atque utilissimum recedentem se persecutus est, & contumeliis invasit, ac tantù non mercede sua spoliavit. Gen. 31. Sic agit mundu cum servis suis.

Sed quid agendum nunc? Itane mundus relique dus omnibus? Hoc non dico: sed si in mundo co versandum tibi sit, caute converseris. Canes in Æ gypto raptim è Nilo bibunt, propter metum croco dilorum, qui bibentes repente corripiunt: sic bibe tu è mundo, properanter & attente ne à crocodil rapiaris, quibus mundus plenus est. Imitare trecen tos illos Gedeonis milites, qui non flexis genibu è flumine biberunt, sed erecti instar canum aquan lambendo hauserunt. Judic. 7. Ne adora mundum, ne immerge te in ejus illecebras.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt
1. Joan. 2.

* * *

THEMA II.

Jugum libidini servientium durissimum.

deoque Samsoni assimilantur.

. Samson reponit caput in sinu mulieris.
I. In sinu Dalilæ tondetur Samson.
II. Traditur Philisthæis & cæcatur Samson.
V. Vincitur catenis Samson.
. Ducitur in Gazam Samson.
I. In carcere inclusus molam trahit Samson.
II. Variè illuditur Samson.

Tollite jugum meum super vos. Matthæi 11.

'Nfamis ille Jeroboam, uti 3. Regum 12. legimus, ubi vidit decem tribus Hebræorum excussisse jugum Roboami Regis, velut nimis durum, Rex illarum electus, quo eas sibi arctius subjiceret ac subjectas retineret, atque à templo Salomonis cultuq; Dei abduceret, duos aureos vitulos, seu ut 70. habent, vitulas erexit, unam in Dan, alteram in Bethel, ut viciniora sibi delubra habentes, à templo Jerosolymitano, velut longe dissito facilius abstraheret. Nec difficile seduxit majorem populi partem, & suo jugo subjecit, nec non ad vitulorum cultum attraxit. Roboam *dilatans populum* exponitur, & Christum in hoc repræsentat, qui per universum orbem dilatavit populum fidelium: Jeroboam *impugnans populum* exponitur, & significat Diabolum, qui fidelium populum impugnat. Christus dixit: *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est.* Satan contra ait: Tollite potius jugum meum super vos; quia jugum meum multo suavius est; via mea brevis est, illa longa: mea lata, illa angusta. Ad hoc proponit vitulos & vitulas, id est, juvenes & puellas, viros & mulieres, ut subjiciant se & serviant illis: decipitque heu quamplurimos. Attendite hic Christiani, ne decipiamini à Jeroboamo: major enim pars ipsum sequitur: capiuntur tam viri mulierum amore, uti Samson amore Dalilæ; quam mulieres virorum, ut uxor Putipharis amore Josephi. Inter alios fœdissime decepit olim Samsonem amore Dalilæ, eumq; jugo suo tremendo subjecit, idemque facit adhuc innumeris. Hoc ergo jugum, ut vitemus, nunc describemus.

I. Samson Dalilæ blanditiis tentatus, ut, in ejus sinum caput reponeret ac dormiret, turpiter persuasus est. Idem contingit juvenibus ac viris, si cum puellis & alienis mulieribus sæpius conversentur, & vicissim istis. Graviter hoc testatur Salomon, laqueum hunc non expertus solùm, sed eo misere captus. Prov. 6. cùm ait: *nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non arderent? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.* Miser Salomon non advertit, quod dixerat Dominus filiis Israel: *non ingrediemini ad eas* (mulieres alienigenas) *certissime enim avertent corda vestra.* 3. Regum 11. sed post expertus est. Idem fatentur Sancti Patres. S. Basil. tract. de virg. *Stupa*, inquit, *si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur: ita & fœmineum corpus masculum tangens.* Et S. Bernh. serm. 65. in Cant. *Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? quod minus est, non potes, & quod majus est, vis ut credam tibi?*

Porro noster Samson quatuor potissimùm laqueis irretitus fuit à Dalila. 1. Verbis blande objurgantibus, dum per multos dies molesta illi erat dicens: *quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* quod scilicet non aperias mihi secretum tuum. 2. Potus intemperantia, ut scribit Josephus, & consentiunt sanctus Basilius oratione 2. de jejunio, Ambrosius epistola 70 Theodoretus quæstione 50. libro 3. Regum 3. contactu, reponendo caput in sinum ejus. Is autem in hac re potentissimus ad pervertendum hominem laqueus est. Ut enim Sal, quia ex aquis generatur, ubi aquam contigerit, in aquam mutatur: ita vir contactu fœminæ, unde gignitur, fit fœmineus. 4. Otio, dum in ejus sinu dormit, ut Josephus & Ambrosius epistola citata scribunt. Hi omnes laquei potentissimi sunt, quibus si accedant luxus vestium, chorea, symphonia, munuscula; quis evadere poterit? Certe fortissimi quique, qui armis vinci non potuerunt, his illecebris victi sunt. Hercules Amasiæ minas & verbera timuit. Miloni Crotoniatæ, cui *nemo adversariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuit, Amasia ejus nullo negotio eximebat, sæpe cum eo contendens*, inquit Ælian. libro 2. Var. capite 24. Sic etiam Samson, quem omnes Philisthæi capere non poterant, ab una muliere captus est. Hac de causa ad doctrinam nostram, nec ipse Christus Dominus solus cum mulieribus loqui consuevit, ut patet Matthæi 9. ubi non nisi cum tribus discipulis & parentibus puellæ mortuæ ad ejus conclave ingressus est. Et Joan. 4. ubi cum ipse ad puteum sedens, Samaritanæ responsa daret, mirati sunt discipuli, quod cum muliere loqueretur: quia scilicet id ei consuetum non erat.

II. In sinu Dalilæ ab ea attonsus fuit. Capilli quia de capite prodeunt, cogitationes significant. Et quia Samson Nazaræus erat, prolixum capillum habuit, Deo sacratum; in quo ei Deus singulares vires contulerat, quoque detonso vires illas perdidit. Qui libidini servit & mulierum commercio, omnes bonas & pias cogitationes abjicit; nihil de Deo loqui nec Dei verbum audire, nec pios libros legere, neque confiteri & vix obiter orare permittitur. Mens enim tota ad libidinem abripitur, unde ei displicet quidquid spirituale est: sola caro sapit.

II. In sinu Dalilæ tondetur.

Hanc cogitat, loquitur, ſomniat, quærit, tractat; tanta ejus tyrannis eſt. At ſicut detonſus ſentit frigus, quod capillatus non ſenſerat: ſic Dei gratia deſtitutus ſentit animum à divinis prorſus refrixiſſe; quemadmodum ſenſit Samſon calorem Spiritus Sancti à ſe receſſiſſe. Cur avolant à nobis pleræque aves in autumno & alio migrant? quia frigore hyemis noſtræ auſtero pelluntur. Ita Spiritus ſanctus fugit à nobis propter frigus noſtrum. Forfex, qua detondentur bonarum cogitationum capilli, eſt oblivio Dei, de qua Pſalmo nono dicitur: *non eſt Deus in conſpectu ejus; iniquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Hinc quemadmodum Samſon viribus ſuis, ita homo deſtituitur gratia Dei; quia fœdis cogitationibus, colloquiis, geſtibus, tactibus imaginem ejus velut luto in ſe conſpurcat. Caſta enim Deo puritatis omnis fonti, placent, impura diſplicent. Melis ſuum antrum, poſtquam vulpes ſuo fætore illud inquinavit, deſerit & vulpi cedit. Plinius libro octavo capite vigeſimo octavo. Ita deſerit gratia Dei hominem; quem reperit fætore libidinis inquinatum, ac relinquit dæmoni. Unde Gen. 6. dicitur: *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt,* id eſt, carnalis totus evaſit.

III. *Traditur Philiſthæis & cæcatur*

III. Traditus Philiſthæis ſtatim excæcatus fuit. Idem contingit libidinem ſectantibus: amoris enim vehementia extra ſe rapiuntur, & quaſi amentes fiunt, juxta id Oſe. 4. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Certe amor Bethſabeæ eruit oculos Davidi adeo ut ipſe diceret Pſalm. 37. *Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum non eſt mecum.* Et forte non reſipuiſſet, niſi Nathan ejus peccato alium induiſſet, artificioſa captione. Ejuſdem filio Salomoni amor fæminarum, ita eruit oculos, ut Deo vero relicto illorum Idola adoraverit. In quam amentiam incidit Henricus VIII. Angliæ Rex ob amorem mulierum! Nonne eouſque cæcatus fuit, ut legitimam eamque regiam conjugem, jam prole maſcula donatam, poſt viginti primùm annos abjecerit, & unam è gynecæo deformem mulierculam, alterius quondam mulam, adamarit & duxerit? Erat enim oblonga facie, capillo nigro, colore ſubflavo, nullus erat in vultu decor, os deturpabat dens unus in ſuperiore gingiva prominens: in dextra manu ſextus adnaſcebatur digitus, ſub mento etiam ſuccreſcebat turgidum quid, cujus deformitatis cauſa collum & pectus operiebat. Florim. lib. 6. hær. c. 2. Quale monſtrum hic amavit? Nonne poſt ſtupratam ejus matrem, ipſam filiam duxit, idque ex ſententia adulatoris, non graviùs eſſe cenſuit, quam gallinæ pullum & matrem ejus comedere? nonne eo amentiæ venit, ut ſe caput Eccleſiæ in Anglia ſcriberet? Notum illud de Theotimo, qui ob immodicum Veneris uſum ex oculis laborans, cùm audiſſet ſibi à Venere abſtinendum, ſi ſervare oculos vellet, reſpondit: *vale amicum lumen*; apud S. Ambr. l. 4. in Luc.

IV. Vinctus eſt catenis ferreis & chalybeis, ut habent Hebræa. Ita libidinoſi ſemel capti adſtringuntur jugo illi ferreis quaſi catenis, ut ſe inde diffic lime liberare queant; uti fatentur ipſi ſuis Confeſſ riis ſæpe cum lachrymis, quod abſtinere nequea ob inveteratam conſuetudinem & carnem dep vatam. Fatetur & Salomon hoc jugum expert Proverbiorum 2. *Omnes qui ingrediuntur ad e* (mulierem alienam) *non revertentur*, (hoc eſt n ſe expedient ab ejus laqueis) *nec apprehendent ſe tas vitæ.* Quam ob cauſam Rhemen. Epiſcopu Remigius putat majorem hominum partem, exc tis parvulis, damnari ob hoc vitium. Fatetur qu S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 4. ſe hoc vitio c tivum, ferrea quaſi conſuetudinis catena alligat exire non potuiſſe. Eſt enim tenaciſſimus viſcu fortiſſimus laqueus libido vel ſemel delibata, u Proverb. 7. appellatur *vinculum* ſeu *compes.* Fa autem eſt pedem compedi immittere, ſed non fa extrahere. Cauſam dat Sanctus Hieronymus in Mon. quia cætera peccata facilius ſuperantur: de nitur avaritia cum marſupio, ſuperbia cum v bus: at libido carni inſita, carnem vero qui a cies?

Quod ſi accedant actus ſæpe repetiti, tunc fit catena multis è nexibus confecta, adeoque ſuetudo pene inſuperabilis, uti queſtus fuit A ſtinus. Diabolus etiam refricat eis in mentem bro antiquas ſpecies; ex quo fit ut libidinoſi quidem compungantur & pœniteant in conci bus & confeſſione, ſed mox ubi iterum ama vel amaſiam vident, relabantur. Unde S. Chryſo mus ho. 23. ad pop. ait: *Tam difficile eſt libidin caſtitati, quam mortuum vitæ reſtituere.* Cuju exemplum eſt inter alios Fredericus Comes apud Æneam Sylvium in deſcript. Europæ cap qui concubinæ amore legitimam conjugem ſua nu interemit, uxores paſſim maritis abſtulit, p larum greges in palatium rapuit; ac licet anno bilæi jam nonagenarius indulgentias lucraturus mam iviſſet; reverſus tamen nihilo melior cùm interrogaretur, quid ſibi Roma profuiſſe priſtinos mores relapſo? *Et calceator meus,* in *ad conſuendas ocreas poſt viſam Romam redit,* q ſutorem & ſcortatorem agere eſſet æquè licitu que honeſtum. Herodias illa pellex, quam tena adhæſit Herodi mariti ſui fratri! Joanni, qui Herodi avellere conabatur, caput abſtulit: ſicu ſus dum carnem edit, irruit in eum, qui eam ipſi auferre. Quin & Herodem à C. Cæſare expul Lugdunum Galliæ in exilium contra volunta Cæſaris comitata eſt, & bonis ſuis, fratri Agripp à Cæſare adjudicatis, ſpoliari maluit, quam Her ſuo. Joſep. libro decimo octavo capite nono. Sin onagræ quæ ubi ſemel naribus hauſit odorem n culi, ita perdite eum ſequitur, ut nulla ratione r neri; quin ipſum pleno curſu inſequatur, poſſit, Jeremiæ cap. 2. *Attraxit ventum amoris ſui nem verit eam.*

V. I

V. Ductus eſt in urbem Gazam munitam, ubi priùs adamarat mulierem meretricem. Judic. 16 ſic nimirum libidinoſi captivi ducuntur ab amaſiis ad illarum domos, ut eis ſerviant. Gaza, *fort.*, aut *capra* exponitur. Ducitur ergò libidinoſus a Dæmone ad capram, id eſt, fœtentem meretricem: illam ſequitur & quærit. De muliere impudica refert Salomon Prov. 7. *Irretivit eum* (juvenem) *multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens & ignorans, quod ad vincula trahatur.* Mactat certè libido tales juvenes corpore & animo, & tamen ipſi eam ſequuntur ad macellū ſuum: quæ tæcitas? Congruit huic loco, quod Diogenes de luffatore quodam Olympionice, oculos in ſcortum defigente, adeò ut prætergreſſum capite reflexo intueretur, dixit: *ecce ut aries Martius à puella publica obtorto collo vinctus abducitur!* Laër. l. 6. Quot (proh dolor!) juvenes hoc modo vincti abducuntur! alius capillo, alius oculis, alius dentibus, alius ſermone, alius calceis, alterius inſpectis ita capitur, ut oculos ab iis avertere nequeat, eaq; penè adoret, unicam uam voluntatem in iis ſitam reputans. Quale & quàm fœdum ſpectaculum foret, ſi videremus nobilē juvenem à puella, vel puellam nobilem à juvene per compita urbis circūduci! At verò ita reverà trahuntur amatores & amaſiæ licet fune inviſibili.

VI. In Gaza incluſus in carcerem, coactus eſt molam trahere & gyrare inſtar jumenti: ubi abſq; dubio ſcuticis aut ſtimulis impulſus ad laborem fuit, juxta morem receptum, ut ſcribit Apuleius apud ſerarium in c. 16. Jud. adeoq; dorſo livido & verberibus lacerato. *O nimis plangende vir & flos virorū!* exclamat de ipſo Abulenſis Epiſc. Ita libidinoſi primò gravi labore corporis onerantur, dum variis morbis inde ortis premuntur: ut ſcabie gallica, defluvio pilorum & palpebrorum, paralyſi, aliiſq;.

2. Animo prorſus dementantur & in bruta degenerant; ut jam nihil ſapiat, niſi caro & ſpurcitia. Nulla in iis ratio, nullus diſcurſus aut colloquium, quod non hircum oleat, & fœtore aliquo conditum ſit. Unde aliqui Sancti, uti S. Brigitta & S. Catharina Sen. fœtorem libidinoſorum etiam naribus mox ſenſerunt & ferre non potuerunt. Hinc in ſacris litteris comparantur equis & mulis. Tob. 6. Quidam Sanctus in Vitis PP. lib. 6. comparavit eos porcis: quia ut illi numquam in cœlum, ſed in lutum & terram, ad ſordes tantum rimandas aſpiciunt: ita voluptuoſi nihil unquam de Deo aut Deo dignum cogitant. Et quid magis dæmones optant, quam taliter inhabitare eoſq; ſicut porcos illos in mare inferni præcipitare?

3. Dæmones retrò ſtimulant, primò ad repetenda rurſum iterumq; carnis peccata. Unde evenit, ut hoc ſaxum Siſyphi perpetuo rotent, ſintq; inſatiabiles. Sicut ergo prodigus cupiebat ſaturari ſiliquis porcorum, inanibus videlicet leguminum folliculis, & nemo illi dabat: ita illi quærunt ſatiare libidinem ſuam viliſſimis etiam ſcortis, & habere nequeunt. Unde *famem patiuntur ſicut canes & circumeunt civitatem*; ut oſſa projecta rodant, & vix tandem inveniunt; plerumq; repulſam patiuntur. Stimulantur deinde ad turpitudinem ſuam tegendam. Timent enim ſibi ab ipſis ſcortis & complicibus ne prodantur. Unde nihil non moliuntur, ut lateant. Quid non fecit David, ut tegeret lapſum ſuum! Inebriavit Uriam; miſit domum ad uxorem ac remiſit, litteras ſcripſit, prælium ſine cauſa cum hoſte inſtituit, in eoq; non Uriam tantum ſed complures alios in hoſtilem gladium impulit. Stimulantur poſtremò ad committenda alia & alia peccata, quibus tegant ſuas ſordes, uti David, vel iis potiantur.

VII. Denique Samſon à Philiſtæis variè illuſus fuit, dum in eorum convivium ductus, ante eos ludere debuit; ductus per plateas prius, fractus & cæcatus, farinæ polline aſperſus, à pueris velut capitalis hoſtis deluſus, forte ſaltare juſſus &c. Ita libidinoſi tandem fiunt fabula & ludibrium hominibus. Fama illorum fætet: vitantur ab honeſtis: expelluntur ſæpè à Magiſtratu. Quod ſi hic eis non contingat, certè in altero ſæculo niſi pœnituerint, continget. Quibus omnibus conſideratis, quis quæſo jugum tale in ſe ſuſcipere velit? præſertim ſi expendat, quod æternum illud damnatorum jugum certiſſimè poſt ſe trahat? Quare ſicut Samſon, dum in carcere illo capilli ejus, & cum eis utique reſipiſcentia & pœnitentia repullularunt, ſuam agnoſcere & deplorare miſeriam cœpit, & tandem orare: *Domine Deus memento mei, & redde mihi meam fortitudinem priſtinam Deus meus*: ita reſipiſcant illi miſerè cæcati & orent ſibi reſtitui priſtinam Dei gratiam, qua fuêre ſpoliati. Vel quod longè melius eſt, fugite ô Chriſtiani, fugite illam Dalilam, id eſt, *debilitantem* vel *mendicam* (hæc enim ſignificat) Venerem ac libidinem: fugite omnium graviſſimum jugum, fœtiſſimum, viliſſimum. Adoleſcens ille Spartanus, captus ab Antigono & venditus paruit quidem emptori in omnibus, quæ non eſſent indecora ingenuis, ſed vas immundum (matulam) afferre juſſus noluit; addens: *non ſerviam*. Inſurgente in eum Domino: *ſenties quid emeris*, inquit, ſimulq; conſcenſo tecto ſe præcipitavit. Plutarchus in Apopht. Lacon. Quid vilius libidine? quid ſcortum niſi ejuſmodi vas ſordidum? Et huic ſerviet Chriſtianus? Maluit Pelagia illa Antioch. Virgo, quam celebrat S. Ambr. l. 3 de Virg. cum matre & duabus ſororibus mergere ſe in undas, quàm proſtituere pudicitiam ſuam. Vos ergò Chriſtiani excutite à vobis ſpurciſſimum hoc jugum. Tollite potius ſuave Chriſti jugum ſuper vos & *invenietis requiem animabus veſtris*.

VII. *Variè illuditur.*

THEMA III.

Liberalia seu peculiaria Dei dona grato animo excipienda

Talia sunt :

I. *Bona educatio.*
II. *Opes & honores.*
III. *Bona valetudo.*
IV. *Sanguinis nobilitas.*

Cecidit sors super Matthiam & annumeratus est cum undecim Apostolis. Act. cap. 1.

Dona Dei agnoscenda

PHilo Judæus, longè disertissimus in lib. quem appellavit *Plantam Noe*, refert fuisse qui dicerent in mundo hoc tam ex omni parte completo ac perfecto unicam rem desiderari; *vocem* scilicet *fortem, potentem, harmoniam, quæ lata alis ventorum, vecta curru aeris & nubium, omnes mundi partes suo repleret sono, & quæ neque die, neque nocte unquam cessaret tonare laudes gratiarum pro incomparabilibus Dei beneficiis.* Desideratus etiam fuit in numero Apostolorum Christi, post ejus ascensionem, unus adhuc Apostolus. Sic enim fatetur S. Petrus Act. 1. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Oportet, inquit, quasi unus adhuc necessario requiratur. Et quis tandem requisitus fuit? *Matthias* Hebr. *Mattan a* seu *Mattia* hoc est, *Donum Dei*, quo nimirum omnes Apostoli intelligant, se ad tantam Apostolatus & Episcopatus dignitatem nonnisi ex dono Dei assumptos & e multis hominum myriadibus electos esse; ut pro tanto beneficio sint Deo gratiores. Multi enim alii eximia & specialia dona à Deo acceperunt. Habent opes & honores, corporis firmam valetudinem, generis splendorem; habent quidquid volunt; unica tamen res in ipsis desideratur. Quænam verò illa? Nomen Matthiæ ut norint, quidquid habent, ex dono Dei se habere, proinde gratos se exhibeant. Quare ut ea dona melius agnoscant, præclariora quædam explicabimus.

Dies S. Matthiæ faustus Carolo. V.

Dies S. Matthiæ hodiernus Carolo V. Imp. in amoribus & honore fuit, quia faustus ipsi & fælix fuit. Illo enim die natus est, illo Bononiæ Imperator coronatus, illo deniq; ad Ticinum magnificam de Francisco I Galliarum Rege victoriam obtinuit. Auct. Jovio in Pompejo Columna. Si bene rem expendimus non absimilia dona & beneficia à Deo multi acceperunt.

I. *Bona educatio.*

I. Qui bonam educationem sortiti sunt, & isti gratulari sibi quasi de præclara victoria possunt. Victoriam appello bonam educationem Hæc enim vincit ac subigit carnem rebellem: & naturam corrigit depravatam, sicut lima, ferrum, aut marm[...] scapellum, vel cos gemmam pretiosam, undiq[...] rubigine obductam: homines mutat in Angelo[...] bestias in homines. Referunt Germanorum hist[o]riæ (ap. Majol. tom. 1. Canic. Col 7.) triennem p[...]erum a lupo in antrum tractum & educatum in l[u]pinam penè naturam transiisse, cum lupis cucur[r...] & prædas egisse ac comedisse, tandem captu[m] Henrico Landgravio Hassiæ oblatum fuisse, qui[...] erectus ambulare disceret, ligandæ ei manus ad [...]culum erant: quamquam nec sic ambulare poter[...] quia vincula rumperet & ad assuetos saltus cursi[...]que luporum rediret. Tanta est educationis v[is]. Alius enutritus lacte cervæ, Habis, Curetum R[ex] apud Just. l. 44. currebat instar cervi. Alii enutr[iti] lacte scrofæ volupe erat volutari in cæno. Im[...] agnelli lac sugentes capræ villorum acquirent as[pe]ritatem: & contra hæduli sugentes lac agnor[um] induunt villum, lanæ instar mollem. Videte j[am] quantum Dei beneficium sit à bonis parentibu[s] nutritum & institutum esse. Cogitate quot ani[mæ] bonæ, quot ingenia præclara enutriuntur in tug[uri]is rusticanis, velut in carcere aut cavea, ubi nil [...] aranearũ telæ & paupertas, nulli libri, nulli arti[...] Magistri, sed una de pane solicitudo & laborum [in]strumenta. Vident parentes laceros, & inopia s[q]lidos, totos in laboribus, fratres & sorores idem [...]xum volvere non audiunt nisi lachrymas & qu[ere]las, cernunt rudia omnia, quid Deo vos præstit[...] ut tales non nasceremini? in tuguriis à parenti[bus] neglecti, sicut porcelli educaremini? Nonne e[...] Deo multò maximè obligamini pro bona edu[ca]tione & piis parentibus?

Multi etiam malis nati parentibus & pravæ c[om]plexionis, ad frugem tamen reduci per bonos [in]structores (tanta est bonæ educationis vis) pos[sunt] & solent. Quemadmodum enim spina, licet [...] horrida & aspera, nullumque gratum fructum [...]rat, in pyrum tamen inserta dulcissimos fructu[s] dit: sic homo agrestis licet sit, disciplina tamen [...]mari potest, ut virtutum optimos fructus ferat. [Di]sciplina enim, inquit Bern. ser. 113. *cervicem sub[...]tit, ponit supercilium, componit vultum, regi[t ocu]los, cachinos cohibet, moderatur linguam, fr[enat] gulam, sedat iram, format incessum.* Magnum [...] Dei beneficium, quod scribit Josephus l. 2. c 5. [po]pulo Hebræorum collatum quando ingens Ibi[...] (Egyptische Storcken) copia proficiscentem [in] desertum præcessit, ut serpentes, qui iter impe[di]sent & euntes momordissent, interimerent. *H[...]nim animal*, inquit, *infestissimum est serpentum g[ene]ri, quapropter fugiunt earum infectionem & [...] fugiendum sicut à cervis retracti devorantur.* S[er]pentes hujusmodi sunt peccandi occasiones, l[...] obscæni, aleæ, pocula, socii mali, & quicunque [ve]nenum pravitatis inspirant juventuti: hos erg[o] verruncant pii parentes, magistri, pædagogi [...] bonam institutionem; qua qui carent, misere [...] experimur, intoxicati pereunt. Hujusmodi [...]

t Zacharias Proph. Regi Oziæ , qui eo quidem
vente fecit. quod erat rectum coram Deo: illo ve-
rectore destitutus cæpit insolescere & sacerdota-
munus invadere. 2. Par. 26. Talis Jojadas sacerdos
gi Joæ , qui dum illius consiliis se formandum
ebuit & vixit piè, & res administravit feliciter: eo
rò per mortem subtracto, sic à seipso degeneravit,
ex optimo Rege injustus & crudelis evaserit ,
eò omnibus odiosus tyrannus , ut à servis fuerit
erfectus 4. Reg. 12. Talis etiam Ibis Wenceslao
. Imp. & Bohem. Reg. Caroli IV. filio fuit Joannes
chiep Pragen. cujus consilio & directione , post
ortem Patris, Wenceslaus stabat adhuc juvencu-
. At ubi bonus ille Magister ejus, fatis cessit, auli-
rum serpentum sibilis admorsus & adeo ever-
est, ut omnium fermè Impetatorum turpissimus
serit, teste Dubrav. l. 23. Boh. hist. aliisq; Diximus
is vicissim alium Wenceslaum, & ipsum Bohem.
gem, quia à S. avia Ludmilia sanctè institutus fu-
anctissimum evasisse: contra fratrem ejus Bolef-
, vel ut alii appellant, Datronuncia, fæmina Gen-
, qui è matre Drahomira , pessimè instructus
, pessimum evasisse. Vident ergò filii, vident pa-
tes quanti momenti sit bene educari. *Si solicita*
vides, inquit D. Hieron ad Lætam, *ne filia percu-*
ur à vipera: cur non eadem cura provideas, ne fe-
ur à malo universa terra? ne bibat de aureo cali-
Babylonis?
I. Qui pollent opibus & honoribus. Quæ duo
fi aureæ coronæ sunt, quibus in hoc mundo ali-
condecorantur & supra alios homines vehun-
juxta id Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum,*
onstituisti eum super opera manuum tuarum. Di-
e & honores instar florum sunt, à quibus aranea
num, apes mel exsugunt: instar Nili ægyptiaci
inis sunt, è quibus Ægyptii sanguinem , He-
i limpidam & dulcem hauriebant aquam: instar
sunt , quod alios confortat & sanat, alios ine-
t & perdit instar gladii , qui alium defendit, ali-
occidit. Unde S. Ambrosius l. 8. in Lucam ait:
itiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adju-
ta virtutis. Malis sunt plumæ, quibus evolent
perbiam: bonis, quibus in cælum. Considerate
num illud discrimen vitæ , quam vixit Adam
radyso, & quam ejectus in exilio. In paradiso
rit quasi palatium augustissimum omni genere
llectilis repletum , omni quoque commeatu
luptate ; ita ut absque omni solicitudine Deo
ire & summam perfectionem adipisci posset.
lio nihil penè reperit; sed ligonem ipse appre-
lere , agrum colere, vestes sarcire , uxorem &
os in sudore suo alere coactus , inter eos labo-
ix respirare mentemq; in Deum attollere pote-
Pauperes sunt quasi Adam positus in exilio, nil
aupertatem videntes de suis domiciliis, vident
emi exactionibus, liberis & rerū omnium ino-
uæ impedit quo minus cogitent de Deo, & tra-
d sæculares curas. Divites verò velut Adam cō-
s in paradiso , comedunt quod non ipsi sed alii

seminarunt ac messuerunt: elementa, animalia, homines ipsi laborant eis & suppeditant quidquid non ad necessitatem tantum, sed etiam ad decentiam & & delectationem servit. Quis hoc pro summo Dei dono ac beneficio non agnoscat? Magnum Dei beneficium ac donum fuit manna in deserto datum Hebræis absq; ullo eorum labore ; sed nonne pane huic simillimo fruuntur opulenti? nonne igitur absque solicitudine possunt servire Deo ; ut quibus de victu & amictu jam provisum est.

Accedit quod divitiæ multarum virtutum instrumenta sint ad comparandum cælum. Possunt enim divites imitari Deum ad benefaciendum ac dādum pronissimum & liberalissimum. Pauperes & mediocres eum quoad hoc imitari desiderio , sed non re ipsa possunt: at divites & facto. Habent in manu quasi lapidem Philosophicum , quo omnia in aurum vertant: egentium & augustiatorum animos exhilarent ac foveant: sibi gloriam immortalem apud homines & Deum parent. Olim gemmæ & uniones vocabantur *Janitores & Apparitores* , quod matronis eas gerentibus non difficilè quasvis aperire possent januas. Hujusmodi sunt fortunæ vestræ ô divites : quas enim januas vobis non aperiunt? quos homines vobis non reconciliant, imò subjiciunt? ipsum vobis cælum reserant , teste Domino Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Sesostres Rex Ægypti ex fastu & insolentia captivos Reges suæ rhedæ junxit , ut ab illis equorum vice traheretur teste Lucano l. 10. Diod. l. 5. c. 4. Verum his equis ad infernum itur. Divites si volunt possunt à pauperibus, qui & ipsi coram Deo Reges quidam sunt, non dubia via trahi ad cælum. Quantum hoc beneficium! Certè hoc non possunt pauperes.

Addo quod virtutis actus sæpè gloriosior apparet in divite & honorato viro , quàm in paupere & plebejo ; quia difficilius est in honoribus & rerum abundantia non inescari cupiditatibus , quàm in cōtemptu & paupertate : non transgredi cùm possis, quam cum non possis. Imago licet per se pulchra sit, vilior tamen apparet , si vili materia circumdetur: pulchior si pretiosa, auro vel argento. Non est magnum paupertate contentum vivere , cum natura parum aut nihil tribuit; humilem in sordido vestitu, temperantem in tenui mensa, moderatum in adversitate esse : at pauperem spiritu esse in maxima rerum abundantia , humilem in splendido ornatu ac comitatu, abstinentem in mille luxus occasionibus, moderatum in prosperis, id instar miraculi est. *Magnus est, cui præsens felicitas si arriserit non irrisit*, ait S. Bernardus l. 2. ad Eugenium.

Denique possunt opibus suis redimere peccata sua eorumq; pœnas dando eleemosynas. Sic enim Daniel Nabuchodonosori: *Consilium meum placeat tibi & peccata tua eleemosynis redime ; & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Dan. 4. Carolus V. cum post victoriam Ticinensem ad Franciscum Galliæ regem divertens , manus lavaret, &

Stan-

& Stamparum Ducissam audiret, Regi suggerentem: esse jam occasionem Carolum detinendi captivum donec occupata restituat, annulum cum pretiosissimo adamante excidere sibi permisit, eumq; à Ducissa sublatum ipsi donavit, ut pestiferam ejus suggestionem hac gemma sopiret, seq; è periculo eximeret. Refert Florimundus de ortu hær. l. 3 c. 13. Possunt hoc ferè modo eleemosynis se liberare à pœnis divites, non possunt egeni.

III. *Bona corporis valetudo.*

III. His accenseri potest ac jure debet bona corporis valetudo, & ipsa eximium Dei donum, quasi corona ferrea, adeò ut Ecclesiast. c. 39. dicat: *Non est census super censum salutis corporis.* Inter dona videlicet naturalia, quasi dicat: non sunt meliores annui reditus, quantumvis magni, bona valetudine. Unde Gr. sic habetur: *Non sunt divitiæ meliores, quàm sanitas corporis.* Quemadmodum enim Sol superat astra omnia pulchritudine, luce, activitate: ita sanitas alia naturæ dona. Unde Arabes teste Cranito voluptates omnes è valetudine pendere dicebant, non secus ac sublunaria omnia pendent ab ipso Sole. Quis enim nescit Sole absente omnia languere, tabescere, frigere? Clauduntur domus, cessant cōmercia & itinera, non maturescunt fruges, claudunt se flores, suspendunt cantum aves: quæ omnia tamen cum sole oriente quasi oriuntur & revivisciit. Unde Malach. 4. dicitur esse *sanitas in pennis* Solis, hoc est in radiis ejus; quia omnibus rebus dat vigorem & sanitatem. Pari modo sine sanitate impediuntur bona opera, non sapit etiam oratio, imò nec mensæ opiparæ, nec fragrantia vina; nec delectant mollia strata, nec conopæa magnifica: nec placent splendidæ vestes nec oblectant divitiæ; quin potius omnia desipiunt & molestiam creant: cum bona autem valetudine omnia dulcescunt. Hac de causa nihil ferè aliud alter alteri precamur, quam bene valere, tam per epistolas, quàm oretenus. Pyrrhus Rex in suis sacrificiis nihil aliud petiisse refertur à Luciano, quàm ut bene valeret, utpote cui cætera facillimè suppeterent. Albertus quoque Austriius Imperator interrogatus: quænam esset jucundissima possessio? *Sanitas*, inquit, *cujus thesaurus tam pretiosus est, ut quodvis potius perpeti homo debeat, quàm eum sibi eripi sinat.* Beyrl. in Apopht. Christ. Magnum enim bonorum operum thesaurum comparare potest sanus, quem æger non potest. Sanus ad cælum pergit in equo sano & forti, æger in claudicante. Et quid melius sibi iter longum facturus optare posset, quàm equum robustum, qui nec obesus nec macilentus sit? Utrovis enim excedat, malè serviet iter agenti. Sanitas hujusmodi equus est in humorum temperie consistens. Unde quod de Moyse S. Chrysostomus serm. de se ac de Episcopo ait, omnibus accommodandum: *Corpori frænum intendit*, inquit, *ut nec immoaicè stringendo equum sibi ad ministerium redderet inutilem, neque passus sit supra modum obesum fieri, ne corpulentior factus, rursus erigeret sese adversus rationum habenas; sed simul & sanitatis illius & moderationis curam habuit.* Nihil fermè præstare possunt ægri, nisi pati, & hoc etian ægrè: velle enim adjacet, perficere tamen difficil inveniunt, & rari sunt Jobi ac Tobiæ. Unde S. Pater noster Ignatius dicebat: *Ægrotus vix quidquai boni in aliorum utilitatem facere potest: multa ve præstat, qui corpore valens est.* Ribad. lib. 5. vit c. 8.

IV. Qui sanguinis nobilitate præditi, splendis orti sunt natalibus. Magnum hoc Dei donu est, quod etiam sacra celebrat scriptura in Chri progenie ac majoribus & in summo Pontifice V. qui non poterat ducere nisi virginem nobilem L vit 21, ut majori auctoritate docere legem & pr cipes posset. Excellentia verò hujus doni poti mum in eo sita est, quod nobilium animis pecul rem quendam stimulum honoris adeoq; boni h nesti comparandi & conservandi ingeneret. Que admodum enim Phydias inclytus ille sculptor, ste Aristotele l. de mundo ad Alexandrum, Mir væ clypeo suam effigiem tam artificiosè insculp ut ea nisi confracto clypeo eximi non posset: ita jam Deus nobilium sanguini & indoli honoris petitum adeo impressit, ut nisi prava educati corrumpantur & evertantur, aut morte frang tur, eripi non possit. Homines plebeji trahu magis utili ac delectabili bono, quam honesto: hiant opibus, immergunt se voluptatibus, cum decore etiam & infamia. At nobiles non adeo bonis lactantur, non sectantur turpes usuras, be les ingurgitationes; abhorrent à furtis, menda perfidia, quia rationem honoris habent, fugiunt ignominiam ac contemptum velis remisque a ut honoris sui tuendi mille se periculis expor Nic. Caussinus lib. 5. Symbol cap. 70. refert Thebanos familiam quandam Spartanorum fu qui hæreditario quodam jure lanceæ speciem pori à natura inustam gererent: qua qui carer pro spuriis & illegitimis habebantur. Hunc in dum nobiles habent à natura insitum sibi quasi litarem (unde olim *milites* dicti) honoris stimu & propensionem ad quærendam tuendamque nestatem, propulsandam ignominiam. Cum virtus in honestate sit, consequens est, eos ad v tem consectandam, vitium aversandum (quo maximum dedecus) naturaliter propensos quod profectò eximium pulcherrimumq; De num est. Quod enim alii multis adhortationi minis & verberibus vix apprehendunt bonum, illi facilè & quasi sine magistro, solo quasi na instinctu capiunt & sectantur. Præclarum qui Dei donum est ingenium excellens; verum solum ad scientias comparandas; earumque quidem est, sed non inclinat hominem ad eas parandas. At sanguinis nobilitas ad virtutem superat scientias; uti aurum præstat argento pessendam non solum reddit capacem, sed e inclinat. Hoc, ni fallor, insinuavit & exprob Deus Salomoni, postquam is nobilem suum mum turpiter prostituisset mulierculis. 3. Re

di

dicens: quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Quid est illud, quod habuit Salomon apud se? Indolem utique nobilem & propensionem ad honestatem ac virtutem ex sanguine regio in se transfusam: sicut ipse fatetur, Sap. 8. *Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam, & cùm essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum,* hoc est, corpus accepi bene organizatum & aptatum ad capessendam sapientiam & virtutem; uti ferè etiam nobiles habent. Ergo quia tanto Dei Dono male usus fuit, & regium ac nobilissimum animum servili vitio contaminavit, & servire peccatis, quàm imperare maluit, jure merito regnum ei oblatum, & servo ejus datum fuit. Atque hoc est, quod ipsi exprobrat Spiritus S. per Ecclesiasticum cap. 47. *Dedisti maculam in gloria tua & profanasti semen tuum, &c.*

Videant jam quid debeant Deo, qui his donis ditati sunt. Scimus quid voverit Deo Jacob. Gen. 28. *Si fuerit Deus mecum & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusq; fuero prosperè in domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum* (hoc est, peculiari religione & devotione singulari eum colam) *& lapis iste vocabitur Domus Dei,* (hoc est, erigam illum in locum sacrum) *cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quid ad hoc divites & nobiles? Cùm enim longè plura dona acceperint à Deo, quàm victum & amictum, quid ipsi Deo debebunt? Uter servus plus debet Domino suo, qui equò aut curru domini sui iter facit, an qui pedibus suis? Ipsi in curribus & equis sedent, pauperes & ignobiles humi in luto incedunt. Quisquis ergò hæc aut ejusmodi dona ex divina liberalitate, paucis aliis concessa, accepisse se meminit, nomen Matthiæ pectori suo imprimat, & cogitet se Deo ob peculiare bonum peculiari titulo esse obligatum, ut sit ei *Dominus in Deum,* quem cultu singulari & majoribus obsequiis, quàm alii, colere, amare & benedicere debeat. Sic fiet, ut hoc nomen ipsi æquè ac Carolo V. multam fælicitatem afferat in hoc & illo sæculo.

THEMA IV.

Indurati qua ratione frangendi.

I. *Cogitent cum quanto & quàm potenti domino pugnent.*

II. *Cum quanto benefactore & quàm amante Patre.*

III. *Quanto pretio à Christo redempti sint.*

Cecidit sors super Matthiam. Actor. I.

EO nunc tempore sumus, quo non solùm à radio Solis tepidisq; pluviis, sed etiam dolabris & ligonibus frangi solet glacies. Hinc antiquum Germanorum Proverbium S. Mattheis / bricht alle Eiß. Sed quidquid sit de hac glacie, certè eò temporis etiam nunc devenimus, quo debet frangi glacies mystica, cor scilicet induratum. Ingredimur enim tempus pœnitentiæ & remissionis, quo Ecclesia quotidie nobis occinit illud Joelis 2. *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra:* tempus quoq; passionis Dominicæ, quo non solùm homines omnes, qui aderant ad spectaculum Christi crucifixi, *percutientes pectora sua revertebantur:* sed etiam irrationales creaturæ confractæ, petræ scissæ, velum discissum, monumenta dirupta sunt. Tempus igitur est, ut qui duram cordis glaciem alicujus vel complurium inveteratorum peccatorum in se sentiunt frangere incipiant. Sed quis franget istam glaciem? *Percussisti eos & non doluerunt* ait Jeremias c. 5. *Induraverunt facies suas supra petram.* Verùm est, difficilè frangitur induratus. Attamen desperandum non est. *Matthias* franget, hoc est, *Donum Dei* magnum! Hic enim est, qui missus in Judæam, ad obstinatos scilicet Judæos convertendos, multos duræ licet cervicis doctrina, exemplo, miraculis convertit. Hoc verò donum quî obtinendum? *Hoc opus, hic labor:* tamen videamus.

Tempus nunc frangendi glaciem cordis

I Cogita mi homo, tria hæc. Primum, cum quanto & quàm potenti Domino pugnes. Glacies frangitur ferro, utpote adhuc fortiore: quid autem fortius Deo? Itane tu audes te opponere Deo? nescis Dei potentiam & tuam impotentiam? Tune fortior Pharaone? & quid effecit ipse? *descendit in profundum quasi lapis.* Tu potentior Nabuchodonosore? Et quid ipse, Deo se opponens? Ejectus in sylvas *fœnum quasi bos comedit.* An nescis dura omnia, quæ resistunt fulmini, frangi & comminui? mollia, quæ ei cedunt, salva & intacta relinqui? Audi quid ad Job dicat Deus cap. 40. *Accinge sicut vir lumbos tuos* (quasi dicat: arma te ad resistendum mihi, si potes) *Nunquid irritum facies judicium meum & condemnabis me ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?* quasi dicat tune fulminabis contra Deum, sicut ille contra te? tu eo fortius brachium habes? De Rege Æthiopum Macrobiorum Herodotus lib. 3. sequens factum enarrat. Hic cùm inaudisset Cambysem Persarum Regem exploratores ad se misisse & animo destinasse, ut castra contra ipsum moveret, arcum arripuit & coram illius exploratoribus ad aurem usque trahens curvavit, eumque Cambysi dono misit, & nunciari jussit: Si Persæ eum intendere possent, tum demum contra Æthiopes, bellum moverent. Cambyses accepto arcu, cùm robur Regis audisset, nec vel ad duos digitos arcum adducere

Cogitent cum quanto & quàm potenti domino pugnent.

possit, intellecta Regis illius fortitudine, ab ejus oppugnatione animum avocavit. Vide igitur tu quisquis es obstinate, an simile brachium habeas, quale habet Deus, qui *arcum suum tetendit* Ps. 7. *& paravit illum: & in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Quis tam remotæ mentis erit, ut tantæ se potentiæ audeat opponere? De talibus ergò meritò queritur Deus Zach. 7. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem & verba.* Sed norint isti adamantem adamante frangi, duriore scilicet alio: atqui tali Deum armatum audimus ex Amos c. 7. *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu ejus trulla cœmentarii.* Septuaginta vertunt: *Ecce Dominus, super murum adamantinum & in manu ejus adamas*, quasi dicat: ero adamantinis hominibus adamas durior & longè fortior, eosque confringam & conteram, ut explicat ibi Cornelius. Quod faciet, quando eis exclusis cum fatuis virginibus & fores pulsantibus dicet: *Nescio vos.* Id quod Ethnici etiam modo aliquo noverunt: Ovidius l. 4. metamorphoseos ait, inferni portas clausas *adamante*. Virgil. 6. Æn. *portis adamantinis.* Statius l. 7. regias Martis obserat *adamante.* Justè nimirum: quia ipsi pulsanti Deo non aperuerunt.

II. *Cum quanto benefactore & quàm amante Patre.*

II. Cogita cum quanto benefactore & quàm amante patre pugnes. Glacies frangitur & Solis radiis: hi sunt Dei beneficia, quibus etiam rebelles suos & obstinatos servos indies prosequitur. Nonne enim solem suum quotidie oriri facit tam super malos & refractarios, quàm super bonos & morigeros? nonne eos alit, vestit, fovet, recreat, sanat, conservat? Fierine igitur potest, ut cor durum non expugnetur tot continuis beneficiis? Sane 4. Reg. 6 legimus latrones seu prædones Syriæ maximo numero, cùm quærerent Elisæum vi armata abducendum, cæcitate percussos perductos fuisse ab Elisæo in medium civitatis Samariæ, ita ut omnes, quasi aviculæ caveæ inclusæ, mactari statim usq; ad unum possent. Idq; jam parabat Rex Samariæ, verùm hortatu Elisæi jussus est eos potiùs prandio excipere & incolumes dimittere. Quo facto non redierunt ultra latrones Syriæ in terram Israël, ut aliquid hostile ibi molirentur: priùs semper immortales ejus hostes & prædatores. Potuit hæc benevolentia, potuit unum prandium tam obstinatos hostes frangere & reddere amicos: & non possunt quotidiana Dei beneficia obstinatum hominem ipsi conciliare? Quis enim est, qui quotidie tibi prandium apponit, qui te reum gehennæ in vita servat, & defendit insuper ab insidiatoribus vitæ tuæ, dæmonibus, nisi Deus? Nonne scimus pertinacissimum illum Davidis hostem, Saulem, quando audiit à Davide se ab eo in spelunca deprehensum, non modo incolumem dimissum: verùm etiam à sexcentis ejus militibus, qui conficere eum parabant, fortiter defensum: levavisse vocem & in lachrymas resolutum doluisse ac resipuisse dicendo: *Justior tu es, quàm ego; tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala: & tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cùm invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* 1. Reg. 24. Jam verò te, obstinate, circumsistunt undiq; dæmones, quasi canes leporem ut te lanient & ad orcum trahant: imò & ipsi SS. Angeli: *Vis imus & colligimus* (ad comburendum eum) ajunt Matth. 13. Verùm Deus retinet illos, & tu adhuc resistis?

III. Cogita pluviam sanguinis Christi: quo plagas ipsi tu causaris, ut te lucraretur. Mirum san[...] est, quod passim Concionatores inculcant, & [...] Plinius l. 37. cap. 4. S. Hieronymus in c. 7. Amo[...] aliique scribunt, adamantem, qui nullis malleorun[...] ictibus rumpi potest, imò ipsos malleos rumpit[...] ideo græcè Adamas, id est, *indomabilis* dictus san[...]guine hirci calido & recenti perfusum, postea fran[...]gi posse. Quid verò aliud Adamas nisi induratum cor peccatorum, de quibus Zachar. 7. dicitur: *Co[r] suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem* Per hircum verò immolatitium animal & pro no[...]centibus immolatum, designatum esse Christum scimus ex Levit. c. 16. Quid igitur? considera, [...] adamantine peccator, Christum pro te sanguin[e] perfusum, ut te redimeret à gehenna, eodem su[o] sanguine te quoque aspersisse, imò perfudisse, ut ad pœnitentiam frangaris. Quomodo ergo non rumperis, & cor tuum scindis? Itane videre potes innocentissimum Dei filium pro tua salute frustra concisum? Potuit hic sanguis in monte Calvariæ recens scindere petras, velum templi, sepulchra, denique indurata Judæorum corda, ut percutientes pectora sua reverterentur; & non possit Christiana; Sanè Edualdus Angliæ Rex, Christiani & pii parentis impius filius, cùm Idololatriæ & illicito conjugio pertinaciter adhæreret, S. Laurentius Dorovernen. Episcopus de ejus & regni reductione desperans, discessum è regno paravit. At nocte præcedente propter hoc à S. Petro dire flagellatus est. Qui mane facto rediens ad Regem, denudat illi dorsum suum, idque monstrat verberibus ac plagis undique laceratum, dicens se propter ipsum ipsiusque reductionem ad fidem & justitiam adeò crudeliter à S. Petro mactatum. Viso eo spectaculo Rex, alioquin mirè pertinax, intremuit & salutari timore perculsus, idololatria & illegitimo connubio renuncians, summa veneratione Christi fidem suscepit. Refert Ven. Bed. l. 2. Angli. hist. Ergo potuit adamantinum cor Regis moveri ad fidem & pœnitentiam plagis alienis solùm inspectis propter se tamen alteri innocenti inflictis: quid agis tu obstinate? necdum moveris Christi plagis dirissimis tui recuperandi gratia ei impositis? Aspice solùm dorsum Christi flagris concisum, Christum tui causa in cruce pendentem, lividum, cruentum, siti confectum, præ doloribus morientem. Vide serpentem pro tui sanatione suspensum; qui in solo æris typo aspectus sanavit tot millenos; non te sanabit patiens pro te in suo corpore?

S. Brigitta adhuc decennis dum passionem Domini cordi suo fortiter imprimeret, vidit Christum in cruce sanguine recenti perfusum. Cumque illa diceret: *Domine quis fecit tibi hoc?* respondit Christus: *qui me contemnunt, negligentes charitatem meam, mihi hoc faciunt.* In vita ejus abbreviata. Ergo qui contemnunt salutaria monita, ultra illas plagas, quas in passione sua accepit Christus, suo quodam modo infligunt ei insuper novas? Quod vel saxeum pectus non frangatur hoc spectaculo? Quòd si tamen alienæ plagæ frangere id necdum queunt, frangent aliquando propriæ; atque utinam ad pœnitentiam, non ad interitum! Sensit hoc quidam pervicax, sed ad suam ut videtur, & aliorum emendationem, de quo noster Bencius anno 1587. è Fuldensibus annuis. *Mos, ait, est in his pagis ut sub ferias Pentecostes festo cultu solemnique cerimonia præter prata & agros deferatur Eucharistia, confusa multitudine in cælestium laudes carmina dicente. Sacrum olim ferculum juventus composito agmine prosequebatur equis invecta. Iam; quoniam plerumque fit, sive vitio humani ingenii, sive temporis, ut præclara orsa degenerent, quod natum erat à studio pietatis, in ludicrum vertit, ita dum cursus alii, aliique recursus ineuntur ab equitibus & cientur simulacra pugnæ, non deductio videbatur sacra pompa, sed species decursionis. Enim verò indignum hoc erat nostris præsentibus, & jure coercendum. Igitur unus ex iis opportunè docet ac benignè, abstinendum tali tempore ab effuso illo cursu lascivoque certamine; utendum potius prisca gravitate & modestia, nihilominus esse lusibus, cum seria aguntur. Pulchre admonere visus, paruerunt omnes extra unum: cujus pervicaciæ exemplo aliis fuit. Dum enim nihilo secius ab aliis evulsus, subditis calcaribus equum concitat, & in planiciem dirigit, non adeò multùm provectus, spectantibus corruit, equo in tibiam graviter incumbente: quæ confracta cùm esset, qui hoc viderunt, non eum magis misereri, quam increpare, & debitam esse pœnam dicere pertinaciæ suæ. Nimirum præsenti unius dolore imposterum cæteri sapientiores esse didicerunt.* Sic ille apud Nic. Serarium in l. 1. de Processiõn. c. 7. Ergò quia pertinaces frangere caput & voluntatem suam nolunt, tandem pœna illos frangit, uti contigit huic cursori; cui benè ab equo crus cõnfractum fuit, quia equi etiam præferoces fræno edomantur; & in medio cursu sistuntur. Nulla etiam commiseratione, sed increpatione digni sunt, qui tot monitis cedere nolunt; juxta id Sapientis Prov. 1. *Despexisti omne consilium meum, increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, &c.*

* * *

THEMA V.

Christus mitis, sed quandoque etiam severus.

I. *Mitis est erga fideles, austerus erga incredulos.*
II. *Mitis legis observatoribus, austerus prævaricatoribus.*
III. *Mitis bonitate sua utentibus, severus abutentibus.*
IV. *Mitior in puniendis propriis injuriis, severior in alienis.*
V. *Mitis erga sinceros, severus erga fictos.*
VI. *Mitis in præsenti vita malis, terribilis in alterâ.*

Mitis sum & humilis corde. Matth. cap. 11.

QUid hoc? Auditores. Audimus Christum dicentem in hodierno Evangelio: *Mitis sum & humilis corde;* interim tamen addit: *Nemo novit filium nisi pater.* Quomodo ergò filium non novimus, quem audimus esse mitem & humilem? Mihi sane videtur Christus Dominus non se totum agnoscendum præbuisse, cùm ea verba protulit: solam enim faciem suam conspiciendam dedisse, dorsum celavisse; qua videlicet etiam justus & severus est; qualem certè se declaravit, cùm paulò antè exprobravit civitatibus. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida &c. Et tu Capharnaum* (quæ alioquin civitas Christi appellata est Matth. 9. v. 1.) *nunquid usq; in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes.* Accedit in testem servus ille, qui abscondit talentum suum; quique, cùm ab eo lucrum dominus repeteret, respondit: *Scio quia homo durus es.* Secundum Lucam: *quia homo austerus es.* Neque id refellit Dominus. Accedunt etiam alia non pauca testimonia. David eum appellat *dulcem & rectum,* h. e. justum *dominum* Ps. 24. Joannis in Apoc. cap. 5. *agnum & leonem.* Sponsa in Canticis cap. 1. *fasciculum myrrhæ & botrum Cypri,* adeoq; amarissimum & dulcissimum. Quando igitur utrumq; de ipso prædicatur, videndum restat, quo modo hæc duo simul stent.

I. Mitis est erga fideles, austerus erga incredulos, qui fidem sibi annunciatam respuunt. Ad illos enim ait in hodierno Evangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* De his verò ait Matth. 10. *quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Cur hoc? ut indicent nihil se commune cum illis velut maledictis, ne pulverem quidem, habere velle, ut exponit S. Hieronymus & Augustinus. Item *in testimonium illis,* ut ait S. Lucas, quòd hic pulvis & labor, eorum gratia susceptus, eos accusaturus sit

I. *Mitis est erga fideles austerus erga incredulos.*

sit in judicio, ut explicant S. Hilarius & Origines. Addit Christus: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Mitis ergo erit suo modo Christus etiam peccatoribus, quibus Evangelium prædicatum non est: austerus vero & terribilis iis, qui prædicatum respuerunt. Patet in Judæis, qui per tot jam sæcula luunt pœnas pervicaciæ suæ, quam restiterunt Evangelio; juxta prædictionem Jeremiæ cap. 18. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum & non faciem vertam eis in die perditionis eorum.* Fecit hoc primò ad literam, quando in crucem positus, faciem Occidenti, dorsum Jerosolymæ obvertit, ut observat Franciscus Lucas, Matth. 17. & alii deinde quando eos exterminavit & per orbem dispersit atque in pertinacia sua reliquit, usque ad finem mundi. Qua pœna & indignatione quid austerius esse potest? Eandem austeritatem experiuntur apostatæ prolapsi à fide semel suscepta & religione. De his Apostolus ad Hebræos 6. ait: *impossibile*, hoc est, difficillimum *esse renovari eos ad pœnitentiam.* Et patet imprimis, experientia tales vix unquam resipiscere, destitui proinde Dei gratia efficaci: Deinde etiam nationes illas, quæ semel acceptam abjecerunt fidem, rarissimè & difficillimè ad eam revocari. Quod videtur indicatum in curru, quem Ezechiel vidit trahi à quatuor animalibus, quæ designant quatuor Evangelistas trahentes currum Evangelii per universum mundum; ea verò non revertebantur per viam, quam semel perambularant Ezech. 1. Denique communiter perire & mala morte plecti apostatas: quod in Juliano Imperatore, invisibili plaga & jaculo percusso, Gentiles ipsi agnoverunt; & *admirati sunt ulciscentis Dei Christianorum vim & iracundiam; quorum unus nunciato ejus interitu dicebat: quomodo Christiani ajunt Deum suum esse patientem? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit;* ut scribit Sanctus Hieronymus in cap. 3. Habac. Severum etiam expertus est Caroloman. à religione & ordine sacro apostata factus, qui à patre propterea exoculatus; in ærumnis miserè periit, apud Regionem lib. 2. Chron. ann. 870. Magis recenter Gustavus Suecicæ coronæ invasor & usurpator circa annum 1557. qui Catholica religione in sectam Lutheranam mutata atque è Sueciæ regno profligata, Deo vindice in amentiam delapsus est, in qua Carolum filium tum puerum de ponte in amnem præterfluentem dejecit; ubi is utique periisset, ni satellitis unius ope ereptus fuisset: ex quo tempore conscientiæ stimulis agitatus miserabilem vitam duxit, atra bile demum extinctus. Ajunt eo moriente nigrum molossum cubile ejus ingressum, dentibus stragula morienti detraxisse, tamque horribilem tempestatem toto regno exrtam, ut extremum mundi diem allatura videretur. Florim. lib. 4. hæres. cap. 15.

II. Mitis est legis suæ observatoribus: austerus prævaricatoribus, juxta id Psalm 24. *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Ad hoc indicandum, juxta le-
gis tabulas, quæ solæ (ut patet 3. Reg. 8. &
2. Paralip. 5.) erant in Arca fœderis, ad later
Arcæ asservabatur manna & virga Aaron, ut ha
betur ad Heb. 9. v. 4. Manna dulcissimum, re
muneratorem observantibus legem: virga seve
rissimum ultorem prævaricantibus nunciaba
Hinc Christus in extremo judicio sessurus sup
Iridem pingitur, è dextra sua ramum olivæ vir
dem, pacis & misericordiæ symbolum: è sinist
gladium demonstrans. Qui ad dextram ejus st
bunt, audient: *Venite benedicti*, qui verò ad s
nistram: *Ite maledicti.* Quàm dulce illud ma
na! quàm aspera & terrifica hæc virga! Hinc Jo
anni Apocal. 4. visus est Christus sedens sup
sedem, & *aspectus ejus similis jaspidi & sardi*
Jaspis virens, bonæ spei symbolum, gratiam
misericordiam erga morigeras oves: Sardius r
bens & ardens Dei iram erga rebelles hædos effu
dendam indicat, ut ibi Blasius Viëgas & Pereri
notant. Quare de ipso dici potest id Proverb. 1
Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis, & sic
ros super herbam, ita & hilaritas ejus. Rugitu
leonis cætera animalia, quæ sua celeritate ipsu
evadere possent, quasi regio edicto sistit, & n
cem denunciat: mox nimirum à rugitu invadend
& laniandis (*rugientis enim sonitu velut quada*
vi attonita atque icta deficiunt) ut ait Sanctus Am
brosius lib. 6. Hexam. cap. 3. Ita Christi judicant
sententia percellet & sistet coram tribunali suo im
probos, mox à sententia rapiendos ad supplicia
ab igne Gehennæ devorandos. Econtrà sicut ro
herbas ab æstu refrigerat suavi aura, pinguedin
succoque vitali aspergit, recreat, impinguat ac fœ
cundat: ita sententia ejusdem Judicis incredibi
gaudio & refrigerio adimplebit electos, ut in eu
locum Ven. Beda explicat: *De Deo Rege dicit*, inqui
qui & in judicio hilaris ac blandus justis, econtrà ter
ribilis apparebit injustis. Quam etiam ob causa
Joannes Apocal. 5. appellat eum *agnum & leonem*
Ecce vicit leo de tribu Iuda. Et paulò post: *Ecce i*
medio throni agnum stantem. Quid mansuetius a
gno? quid terribilius leone? Qui ergo mitem &
suavem desiderat Christum Judicem, suave ejus ju
gum, arripiat cum Davide, qui ait: *quàm dulci*
faucibus meis eloquia tua, velut mel ori meo! Ps. 118
Quòd si id velut amarum nimis respuas, amarum
etiam & austerum habebis Judicem.

III. Mitis & benignus clementia & bonitate sua utentibus: durus & austerus eadem abutentibus. Qua de re Ecclesiasticus c. 5. *Ne dicas*, inquit: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira ejus.* q.d. verum est Deum in misericordia magnum esse; sed magnus etiam est in justitia, præsertim si

abuta-

abutaris ejus miſericordia, in ejus præſumptionem peccando: tunc enim quanto mitior eſt in reſipiſcentes, tanto auſterior erit in præſumentes. Unde S. Greg. l. 33 mor. c. 15. ait: *Neque ita juſtitiam timeat peccator, ut nulla ſpei conſolatione convaleſcat; neque ita confidat de miſericordia, ut adhibere vulneribus ſuis pœnitentiæ negligat medicinam: ſed quem præſumit ſibi pie placere, ſemper etiam cogitet diſtricte judicare.* Vina quo dulciora ſunt & generoſiora, ſi corrumpantur & in acetum degenerent, eo fiunt acidiora & mordaciora. Pari modo Chriſtus Dominus, quo ſuavior eſt peccatoribus ad eum revertentibus: eo ſeverior erit remoras nectentibus, ſpe gratiæ ejus temere præfiſis. Eo ſenſu intelligi poteſt quod de ipſo Sponſa Cantic. 1. ait: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Myrrha eſt arbuſcula ſcabra, ſpinoſa, foliis aculeatis, caudice duro & intorto; è cujus vulnere defluit lachryma, guſtu acris cum amarore, ait ibi P. Cornelius. Econtra botri Cypri, ex Cypro, in Judæam delati, continent vinum Cyprium ſeu Creticum (vulgo Malvaſiam dictum) dulciſſimum & præſtantiſſimum, eod. auct. Utrumque tribuit ſponſo dilecto ſuo Chriſto, ſed qua ratione? Botrus Cypri erit peccatoribus ad pœnitentiam feſtinantibus; dulciſſimus & mitiſſimus: viciſſim myrrha aſpera, aculeata, dura & amariſſima illis, qui ejus longanimitate abuſi *ſecundum duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ.* ut ait Apoſtolus ad Rom. 2. quia nimirum faſciculus myrrhæ nimis diu inter ubera eorum commoratur, dum præſiſi in Chriſti meritis, pergunt ſemper in peccatis & commorantur in eorum dulcedine. In eodem cap. Cant. Chriſti nomen dicitur *oleum effuſum.* Oleum autem liquor eſt gratus placiduſque ad liniendа vulnera adhibitus, ut ex illo Samaritano patet, qui oleum vulneribus ſauciati infudit, attamen ſi calorem concipiat, omnium maxime ignem retinet & urit, ut ait Tuſo in capite 2 Eccleſiaſtici. Hinc pro maximo ſupplicio habetur, ſi quis reus in oleo frigetur. Oleum effuſum eſt nomen Chriſti, ſuaviſſime deliniens & ſanans vulnera peccatorum, cito reſipiſcentium: idem tamen in iram vertitur & vehementiſſime ſævit in illos, qui ejus miſericordia abuſi ſunt. Hinc Ezechiel capite 4. jubetur obſidere Jeruſalem ſartagine ferrea. Qua ratione? quia ut oleum in ſartagine frigit carnem: ſic voluit Jeroſolymitanos Deus diriſſima torquere obſidione, & torſit, maxime ſub Tito Imperatore, quia *neceſſe erat ut contumaces Iſraelitæ, qui Dei clementia abuſi fuerant, Dei iram experirentur,* inquit ibi ſanctus Hieronymus. Botrum Cypri expertus eſt filius prodigus, quando in tempore reſipuit, & ad patrem ſuum blandiſſime exceptus, & velut oleo in vulnera infuſo ſanatus, & in priſtinam fidem atque amorem receptus eſt. Item Sanctus Petrus, quando aſpectu Chriſti monitus, velut cera à facie ignis liquefactus flevit ideoque ab ipſo reſuſcitato clementiſſime acceptus eſt. Myrrham ſenſit Judas, clementia Chriſti abuſus & tarda nimis pœnitentia ductus ideoque deſertus, quia nimirum ipſe, quando oſculo Chriſtum tradidit, idipſum ex præſumptione in ejus bonitatem & clementiam fecit. *Confidebat enim in lenitate Magiſtri,* inquit Sanctus Chryſoſtomus homilia 84. in Matthæum, *quæ res maxime confundere illum hominem & omni privare venia ſufficit, qui ita mitem atque manſuetum prodebat Magiſtrum.*

IV. *Mitior in puniendis propriis injuriis, ſeverior in alienis.*

IV. Mitis eſt in puniendis propriis injuriis, auſterus & ſeverus in alienis, ſuorum præſertim ſervorum. Multa ſunt, quæ hoc oſtendunt: inprimis parabola illa ſervi debitoris Matthæi decimo octavo in qua Dominus remiſit ei non difficile decem millia talenta; at ubi egreſſus ſervus ſuffocare cœpit conſervum ſuum, ſine commiſeratione tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum. In quem locum Sanctus Chryſoſtomus homilia vigeſima ſeptima in Geneſin ait: *Magna & infallibilis Dei miſericordia: cum in ſe quidem peccatum eſt, ad nudas tamen preces totum remittit: cum autem in conſervum videt crudelem & inhumanum, ſuam revocat liberalitatem, monſtrans illi reipſa, quod non tam illum, quam ſeipſum offendiſſet.* Idem Sanctus Pater homilia 19. in Geneſis inſinuat gravius objurgatum Cainum, quod occidiſſet fratrem, quam objurgatus ſit Adam, quod Deum tantùm offendiſſet. Adamo enim dixit Deus: *Maledicta terra in opere tuo.* Caino vero: *maledictus eris ſuper terram.* Ibi non Adam, ſed terra ab eo colenda; hic vero ipſe Cain maledicitur: quemadmodum & ſerpens, qui Evam ſeduxit. Eundem etiam Cainum in ſe ſolum peccantem ſuo ſacrificio, leniter corripit verbis illis (apud Septuaginta Interpretes) *Peccaſti, quieſce.* Geneſis 4. verſ. 7. Abelis vero ſanguine pollutum ſevere increpat & caſtigat. Unde Sanctus Chryſoſtomus homilia 26. in Geneſis. *Vides,* inquit, *quomodo Deus, quando in ipſum peccavit, peccatumque non vulgare dimiſit; quando autem in fratrem armavit dextram maledictum intulit & increpavit.*

Primus qui avertit populum Hebræum à Dei cultu, fuit Jeroboam 3. Regum duodecimo, verùm Deus non tunc, ſed poſtea primùm exſeruit in ipſum iram ſuam, & areſecit manum ejus, quando is eam extendit in prophetam jubens eum apprehendi. 3. Regum decimo tertio. Regis Achab & uxoris Jezabelis ſanguinem linxerunt canes ex decreto Dei, non quando in ipſum Deum impii fuerunt, ſed quando abſtulerunt vineam Naboth. 3. Regum 21. Denique Chriſtus in paſſione ad injurias proprias, tot licet ac tantas, ſurdus quaſi & mutus fuit, nec ullo modo ſe vindicavit: ubi vero vidit Saulum inſidiari ſervis ſuis Damaſci degentibus, vinctos abduceret, contra eum cœlo clamavit: *quid me perſequeris?* non ſane in propria perſona, (quod non poterat) ſed in ſervis meis? Quem Judæorum aut militum in paſſione ſua proſtravit vel cæcavit, aut etiam perterruit, uti Saulum, tunc Chriſtianorum

persecutorem? Quæ sane res potenter monet, ut nos similiter proprias quidem injurias æquo animo feramus: Dei vero & proximorum injurias minime: sed vel acriter puniamus, si officii nostri est; vel summo cum dolore sentiamus; quomodo Saul, adhuc integer & bonus esset, proprias injurias & contemptus dissimulavit. primo Regum decimo versu vigesimo septimo ad Dei vero contemptum ita exarsit contra Regem Idololatram, ut duos boves conciderit ad excitandum populum in ultionem ejus injuriæ 1. Reg. 11, v. 7.

V. *Mitis erga sinceros, severus erga fictos.*

V. Mitis erga illos, qui bona fide cum ipso agunt in confessione & sancta Communione, faciuntque quod in se est; syncere expiando suam conscientiam à gravibus peccatis: austerus econtra & acerbus in eos, qui ficte & simulate. Mitem expertus est Barnabas, qui pretium agri sui ad pedes Apostolorum fideliter deposuit. Act. 4. unde post Apostolus est creatus. Terribilem sensere Ananias & Saphira; Petro, imo ipsi Deo imponentes ac mentientes, ideoque morte subita plexi. Act. 5. De iis vero, qui scienter cum mortifero peccato sumpsere S. Eucharistiam, quam sæpe & graviter puniti sint, multa scimus exempla; & satis est, quod Apostolus ait eos sibi *manducare judicium*. 1. Cor. 11. Est enim *vita bonis & mors malis*, ut canit sanctus Thomas Aquinas. Quemadmodum arca fœderis gaudium attulit animosque addidit Hebræis, cùm in eorum castra deferretur: terruit vero & paulò post dire cruciavit ac mactavit Philisthæos 1. Regum 5. & seq. Rursum benedictionem intulit domui Obededon, qui ex obedientia, nec sine timore & reverentia (visa Ozæ plaga) eam excepit: mortem vero Ozæ, irreverenter eam tangenti, 2. Reg. 6. ita Christus in Eucharistia sumptus amicis suis confert gratiam & robur, inimicis vero mortem. Manna à malis & inobedientibus servatum, multis vermibus scatebat: à bonis & morigeris susceptum, nectare & ambrosia suavius sapiebat. Exod. 16. à v 20. Mare rubrum Hebræos defendit, Pharaonem demersit. Columna nubis Hebræos illuminabat, Ægyptios excæcabat. Exod. 14. v. 20. Virga Aaronis illis aquas dedit, his vero abstulit, convertendo eas in sanguinem. Exodi 7. & 17. Fornax Babylonica tres pueros refrigeravit, Chaldæos devoravit. Denique *sicut odor vineæ florentis juxta naturam suam dulcis est hominibus, sed intolerabilis est serpentibus: sic Christus Dominus vita est in vitam, & malus odor mortis in mortem*, ait Stella in Luc. cap 2.

VI. *Mitis in præsenti vita malis terribilis in altera.*

VI. Mitis est in præsenti sæculo malis, dum relinquit eis libertatem agendi, quod voluntati acet cũ offenditur, & facile reconciliatur veniam petentibus, at vero in Judicio, cùm exiget rationem à singulis, austerum se & frigidum exhibebit, nihilque prorsus inultum dimittet. In Troglodytis dicitur esse fons, *Solis fons* dictus, qui interdiu dulcis & fr gidus est; bibiturq; ab omnibus suavissime; noct autem amarus & severus, ut nec tangi queat. Plin l. 2. c. 103. In lib. Josue c. 15. fit mentio *fontis Soli* per quem Origenes hom. 19. in Jos. Christum inte ligit & bene; dulcis enim est de die hujus vitæ, & a omnibus bibitur; at in nocte Judicis, de qua Dom nus ait: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Joa 9. Zelo justitiæ fervebit: Tolerat hic Christus om nis generis injurias & contemptus, juxta id Sap. 1 *Misereris omnium, quia potes & dissimulas pecca hominum propter pœnitentiam*; sed ibi fulminab velut Judex. Anno 1461. Georgius Podiebradiu Bohemiæ Rex, pro more balneum adiit, & du tondetur, tonsor nomine Janda Regem interrog cujus nunc Regnum Bohemiæ esset? Respondit R cujus nisi tuum, in cujus manu Rex. Approbato h dicto à tonsore, Rex jam attonsus quærit viciss ex Janda: Quis nunc Rex Bohemiæ? Respondet let Vestra majestas regia. Tum ei rex colaphum in pegit & prostratum pedibus calcavit, adeo ut mi octavo die mortem obierit: Rex iratus è balneo e ivit: refert Wenceslaus Hagecus in Chron. Bohe Non aliter cum Christo, imo longe audacius dunt peccatores in hac vita, ludunt inquam & ill dunt quasi ipsi Reges essent & Deum ejusque c mentiam in sua manu & potestate haberent; Ch stus vero dissimulat atque ad pœnitentiam eos e pectat, si forte errata sua revocent. Quod si non f cerint, surget tandem in Judicio, & se solum Reg omnium sæculorum ostendet, ac tum de illuso bus suis ultionem sumet, eosque prosternet in G hennam. Nunc interim Christus sedet, audit, tac patitur insolentias hominum, quo spatium hab pœnitendi, concedit diem, quem Iurisconsulti a pellant *utilem & legitimum*, cùm datur dilatio c dinaria & per se agere licet: veniet aliquando, *d fatalis, dies sessionis, dies faciendi judicati*. Propter Ecclesia hoc tempore cum Apostolo nobis inton illud: *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies lutis*, quo profecto indicat non semper fore tal dies. Ergo qui vult Christum sibi experiri mite in illa die, nunc eum sibi demulceat, non irrjtet, neque ad iram provocet: ne alioquin damno suo sentiat severum.

* *
*

IN FESTO S: JOSEPHI.

THEMATA.

I. *Ioseph genuinus Filius David.*

II. *Qua ratione S. Ioseph crevit in eximiam sanctitatem.*

III. *Nobilium symbola & monita, applicata veris etiam Christianis.*

IV. *Virtutem magis nobilitare, quam sanguinem ostenditur.*

THEMA I.

S. Joseph genuinus filius David.

S. Ioseph sanguine & virtute filius David.

Adeps separatus à carne uti David fuit.
Fuit lucerna Israel, uti David.
Fuit vir secundum cor Dei, uti David.
Fuit quasi Angelus Dei uti David.
Fuit ligni vermiculus, uti David.

Joseph fili David. Matth. c. 1.

DIvus Chrysostomus oratione 4. refert familiam quandam Spartanorum apud Thebanos fuisse nobilem, quæ hæreditario quodam jure lanceæ speciem corpori à natura inustam seu impressã [g]eret: qua qui carerent, pro illigitimis habeantur. [E]a res documento cæteris Spartanorum nobi[li]s, ut si vere nobiles esse vellent, majorum suorũ [gener]ositatem ac virtutem sibi etiam impressam o[sten]derent: sin minus, illegitimi & spurii haberen[tur]. Hujusmodi nobilis genere & virtute fuit S. Jo[seph], ab Angelo filius David appellatus; non eo tã[tum] nomine, quod à stirpe & sanguine regio David [ori]ndus, sed quod ejusdem virtutum insignibus [orn]atus, adeoque & sanguinis & sanctitatis hæres. Ita enim de ipso scribit S. Bernard, hom. 2 super [Missu]s est: *Vere de domo David, vere ex Regia stirpe [desce]ndit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior [...] filius David, non degenerans à patre suo Davi[d... f]ortis inquam filius David, non tantum carne, [sed fi]de, sed sanctitate, sed devotione*, atque hoc vo[luit] Lucam Evangelistam dicere, cùm ait fuisse de domo David: verum scilicet hæredem Da[vid] & sanguine & virtute. Magnum certe hoc est [encom]ium Josephi; quis enim & quantus fuerit David, quis est qui nesciat? Igitur nunc videamus, qua ratione similis fuerit patri filius.

Varia Davidis encomia refert, celebratque Sacra Scriptura, quæ Josepho nostro perquam apte conveniunt, velut genuino ejus Filio.

Inprimis Ecclesiasticus c. 47, ait: *quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israel.* Notum est ex Levit. cap. 3 adipem ex hostia pacifica à carne separari Deoque immolari ac cremari debuisse. Dum ergo Davidem hujusmodi adipem appellat Ecclesiasticus, *ostendit*, ait Rabanus, *eum gratia Spiritus S. repletum, à carnalium & peccatorum hominum consortio in moribus & vita sequestratum esse & alienum.* Totum enim se Dei obsequio addixit, non quærens unquam, quæ sua sunt, sed quæ Dei. Unde Psal. 115. ter se Dei servum appellat: *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Multo verius convenit hoc encomium S. Josepho. Ipse enim totus, quantus fuit, Dei & Christi filii ejus, hujus denique matris obsequio addictus fuit. Dei, quia velut creatori suo ad omnes ejus voluntates faciendas paratum semper se exhibuit, ut ex Evangelio liquet: Filii ejus, quia totus in id incubuit, ut ipsum educaret, suo opificio sustentaret, sua solicitudine defenderet ab ira Herodis & malevolorum: Matris ejus, quia eam accepit in conjugem, non ut thori consors esset, vel ex patrimonio ejus viveret, sed ut virginalem ipsius maternitatem tueretur ac custodiret, mariti quidem personam quasi thori consortem gerens (sed nequaquam exhibens) ne ipsa velut adultera à Judæis haberetur & puniretur. Itaque verissime dicere poterat: *O Domine ego servus tuus*, (Dei inquam, Patris:) *ego servus tuus* (Filii tui:) *& filius ancillæ tuæ*, quæ dixit: *Ecce ancilla Domini.* Huic novæ Triadi quasi novus religiosus Joseph in adipem separatum & holocaustum se devovit, ita ut omnes suos labores, sermones, cogitationes, curas & intentiones ei dedicaret. Neque enim in hoc statu opes, honores aut delitias quærere poterat, cùm sciret Christum ab his alienum fore. Magnum hoc holocaustum est; (quemadmodum & adeps in hostia est pars selectissima & suavissima) Deo nimirum transcribere intellectum per fidẽ, voluntatem per obedientiam, memoriam omnes sensus, curas, labores, intentiones; quemadmodum fecit Joseph. Porro adeps cremari in altari sicque Deo offerri debuit, quod certè etiam contigit Davidi, cujus penè tota vita continuum martyrium fuit. Puer pastoritius dum patris oves pascebat, uri gelu & æstu debuit. Assumptus in aulam Saulis urebatur ejus invidia: ita ut ab ejus ira & lancea nusquam tutus esset. Exul deinde vagabatur hinc inde per solitudines, declinans persecutorem,

I. Adeps separatus à carne uti David fuit.

I. Deo dicatus.

I. Et crematus.

nun-

nunquam non insidiantem & imminentem sibi. Constitutus inter hostes pati obtrectationes velut Judæus à Gentilibus & simulare insaniam debuit. Rex cùm esset, quid non calamitatum ferre & videre in filiis suis cogitur, dum unus alterum occidit, ipse à filio ad necem quæritur; filia à fratre comprimitur?

Non absimilis patri fuit Joseph, filius David. Hic enim inprimis cùm suspensus animo hæreret, quid accidisset sponsæ suæ, factæ gravidæ; ac si forte culpam ea incurrisset, ne eam traducere cogeretur, fugam potius eligere, & in exilio solus atque in ærumnis vitam degere cogitabat; quod sane martyrii instar est. Deinde postquam Filium Dei in paternam curam suscepit, quid non solicitudinis pro eo sustinuit? Fuga ejus in Ægyptum & septennale in ea commoratio inter Idololatras & barbaros, in summa rerum inopia, quomodo non adeps Deo crematus fuit? Taceo metum Herodis in reditu; amissionem filii in templo, cum dolore quæsiti: obtrectationes Judæorum.

II. Fuit lucerna Israel, uti David. II. David appellatur *Lucerna Israel.* secundo Regum vigesimo primo. Sic enim ejus Consiliarii ad ipsum: *Non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.* Erat enim David populo suo viva quædam lex, & lucerna præcedens sapientia & justitia vitæque exemplo; quo extincto in tenebris ambularent & pessum irent, nihilque aliud forent quam mundus sine Sole, corpus destitutum oculis. Quis non videt lucernam pauperculæ Christi familiæ fuisse Josephum? erat enim ipse Rector in ea domo, quæ quidem complectebatur Christum velut Solem, Deiparam velut Lunam: sed quia Christus velut parvulus lucem abscondit: mater ex humilitate & decentia, nec non ex reverentia erga maritum regi voluit, non regere; unum hoc supererat & vere conveniebat, ut Josephus imperaret, ac velut Hesperus Soli & Lunæ lucernam præferret. Erat autem lucerna, non sola intelligentiæ luce, qua divinitus illustratus & à conjuge quoque edoctus fuit, sed etiam vitæ sanctissimæ exemplo, adeoque viva lux & speculum omnium virtutum. Absque eo fuisset; quid paupercula illa familia agere debuisset? unde victum quærere? ubi securitatem invenire? quomodo longinqua & difficillima itinera conficere? quomodo malevolis obsistere? Erat ergo *lucerna lucens & ardens:* lucens sapientia, ardens charitate. Consiliarii aliique nobiles ex consortio Principum sublimem acquirunt rerum plurimarum cognitionem. Moyses ex consortio sermonis Dei splendidam accepit faciem, Exodi capite trigesimo quarto. Quid non sapientiæ existimamus mutuasse sanctum Josephum ex consortio & colloquio filii sapientissimi, nec non & matris ejus? Si enim ruborem contrahunt, qui prope ignem hærent; si odorem, qui in pharmacopolio: si candorem, qui in molendino: quomodo non cum Sole & Luna tamdiu hærens Josephus, cœlesti luce imbu-

tus imo perfusus est? Cæterum uti lucerna solet ex-
tingui, quando Sol ascendens suos radios diffundi
ita etiam S. Josephus mortem oppetiit, ut verosi
milius creditur, quando Christus circa baptismu
suum mundo se manifestare cœpit. tunc enim op
ra Josephi non amplius indigebat.

III. David appellatur *vir secundum cor Dei*,
Samuele primo Regum decimo tertio, & a S. n
Paulo Actorum decimo tertio, qui causam add
videtur, dum addit: *qui faciet omnes volunta*
meas. quantum videlicet ad specialia mandata
à Deo injuncta, quæ omnia exactè perfecit, ut pa
secundo Regum quinto & septimo, non imperfe
uti fecerat Saul. tametsi à generalibus Dei man
tis declinavit. Jam si eo non obstante dici pot
Vir secundum cor Dei, multo magis Joseph qui
omnia & in omnibus Dei voluntatem fecisse ja
merito censetur, cùm in Evangelio legamus e
omnia & singula Dei mandata exactè implevi
sine exceptione, sine querela, sine omni mora.
betur in hodierno Evangelio persistere cum co
ge prægnante, persistit: jubetur filium nuncup
nomine Jesu, nuncupat: jubetur edicto Impera
ris pergere in Bethlehem & profiteri subjection
Cæsari, pergit & profitetur; jubetur lege Mo
circumcidere & offerre filium, circumcidit &
fert; jubetur surgere è somno & fugere in Æg
tum, surgit & fugit; jubetur redire in terram
el, redit: jubetur secedere in Galilæam, sec
jubetur ter in anno ascendere Jerosolymam, as
dit. Nulla tergiversatio, nulla subductio, n
mora. Quanto igitur rectiùs de ipso dicere
terat Deus: *Inveni virum secundum cor meum*
faciet omnes voluntates meas? Non placent R
bus subditi aut ministri qui ab eorum voluntat
in minimo discedunt. Athenienses olim plecte
reos non modo si totam legem, sed etiam si v
nam syllabam transgressi fuissent, teste Alexa
ab Alex. libro 3. capite 5. Et Romani olim c
damnabant eum, qui Magistratum absolventes
statim successori cederent, sed per unum alte
ve diem retinerent, eodem auct. lib 4. c. 6. Si
data sua ita observari homines volunt, quid m
si velit Deus? Atque hinc ejus indignatione
currit & reprobatus fuit Saul, quod non ad int
cionem, ut ei præceptum erat à Deo, delever
malec, sed pinguiora reservarit; tametsi, ut aj
ad Dei sacrificium; quasi gratius obsequium ei
stiturus; quam si imperata faceret. Primo R
15. Quæ res magnum nobis addere calcar deb
si placere Deo volumus, voluntatem Dei pe
nia perfectè adimpleamus. Id quod inculcat &
ribili exemplo confirmat Beatus Petrus Da
epistola septuagesima secunda, quæ est ad A
presbyterum. *Unum est*, inquit, *quod mens c*
que fidelis debet assidue solerter attendere,
tra semetipsum solicita semper inquisitione ve
scilicet utrum placeat Deo quod egit, & an ej
ta

a Deus, vel operibus delectetur. Quid enim prodest, quidquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Sic de David dicitur: quæsivit sibi Deus virum juxta cor suum. Nam si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum non poterit delectari in Conditore. Unde legitur in vita Patrum, quia cum falsus quidam famosus, & magni nominis solitarius propinquaret ad exitum, tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneum in manibus attulit; & ecce vox ad eum facta est: sicut, inquit, anima ista vel una hora me in se requiescere non permisit, sic neque tu miserearis evellens eam. Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, & animam ejus, sicut erat jussus evulsit.

IV. David à Thecuite illa appellatus Angelus Dei. 2. Regum 14. *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex*, inquit, Et rursum: *Sapiens, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Dixit autem hoc, quando pro Absalonis reductione in patris gratiam preces interposuit, commendans Regem à fidelitate & constantia in præstanda promissione, deinde à sapientia. Pari modo Miphiboseth eidem dixit: *Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi.* secundo Regum capite 19. commendans eum ab æquitatis amore. Merito ob has virtutes Angelus vocatus est: debent enim Reges esse quidam Angeli custodes regnorum suorum; ideoque non solùm sapientes sed & fideles, & recti æquique amantes, qualis etiam David erat. Neque solùm David, sed & Joseph filius David, verus ac syncerus, Positus enim à Deo fuit velut Angelus custos Deiparæ & filii ejus. Custos inprimis virginitatis Mariæ, ne pro adultera vel saltem fornicaria (cujusmodi lapidari jubentur Deut. cap. 22. *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruant eam &c.* lapidaretur: deinde familiæ in provisione victus: denique vitæ in defensione ab hostiũ insidiis; quin etiam famæ & honoris Christi Domini, ne si mater ejus innupta fuisset, ipse tamquam spurius & illegitimus haberetur; quam rationem adducit S. Thom, 3. p. q. 29. a. 1. ex quo futurum erat ut ab incredulis Judæis multo minùs reciperetur pro Messia: consentiunt DD. cum S. Thoma 1. p. q. 113. art. 4. ad 1. Christum Dominum non habuisse Angelum custodem, sed potiùs custodem Angelorum; negari tamen non potest sanctum Josephum fuisse ejus custodem donec adolesceret, adeoque quoad hoc, ipsos Angelos longe præcelluisse. Scimus Regum filiis non dari Magistros & præfectos nisi in omni doctrinæ & virtutis genere excellentissimos ac fidelissimos, magna parentum solicitudine quia rari tales inveniuntur. Testis Alphonsus Rex Aragonum, qui Catalaunis optimum fore censentibus, si Regi eorum adhuc juvenculo septem viri ad gubernandas res publicas adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub fræno, neque donis neque muneribus tangerentur; laudavit consilium ac dixit: si hujuscemodi non dico septem, sed únum aliquem mihi virum dederitis ô amici, cõtinuo illi & regimen & regnum ipse concessero. Panormit. libro 4. de rebus Alphon. capite 14. Atqui talem per omnia fuisse Josephum non est in dubium revocandum; cùm utique Deus filio suo optimum custodem deligere voluerit. Stabat Herodes velut Draco ignitus (id enim significat) qualis describitur Apocalyp. 12. ante mulierem Sole amictam, parturientem, expectans editam prolem ad devorandum. Verùm Angelus iste custos in tempore subtraxit illi Christum & deportavit in Ægyptum, delusitque draconem. Jam si Tobias non satis æstimare nec remunerari se posse dicebat beneficium acceptum à ductore Raphaele, Tobiæ capite 12. quid non putamus Josepho retribuisse Christum pro tam fida custodia? *Quis servat ficum*, ait Sapiens Prov. 27. *comedet ex ea, & qui custos est domini sui, glorificabitur.* Lignum vitæ servavit Joseph, & custos fuit Domini sui: quomodo igitur non ab eo maximopere glorificabitur in cœlis? Certe cùm adhuc in terra degens hoc officium gereret, ita eum Deus honorabat, ut per Angelum suum alloqueretur & dirigeret; quod plus esse agnoscit S. Hieronymus Matthæi 2. quam si per inspirationem tantùm, uti Magi, moneretur: quia Rex majore honore afficit subditum, si legatum ad eum mittat, quam si epistolam ableget. *Qui munera obtulerunt Domino*, ait, *consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Ioseph privilegium demonstraretur.*

V. David, juxta aliquorum sententiam (cui favet latina versio) appellatur primo Reg. decimo tertio *ligni vermiculus. David sedens in cathedra* (quod alii pro nomine proprio Jesbaam accipiunt) *sapientissimus princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Causam similitudinis hanc dat Rabanus, quia sicut vermiculus ligni tener quidem & fragilis ac parvus, fortissimum tamen lignum terebrat & consumit, Sic David domi affabilis, quietus & humilis, in certamine robustum se & intolerabilem hostibus exhibebat, Quid ni etiam Josephum hujusmodi vermiculum dixerim? Vermiculus in ligno dentibus laborans, victum sibi quærit: Josephus etiam in ligno velut faber lignarius operans, victum sibi suisque parabat. Quid abjectius vermiculo? quid humilius fabro lignario? Hinc ejus vilitatem, Christo objiciunt Judæi; *nunquid hic est fabri filius?* Matthæi decimo tertio. Interim tamen robustissimus & hostium triumphator fuit. Quorum? inquies. David adhuc juvenis pastorculus tria maxime specimina fortitudinis suæ edidit. Ursum, & leonem, ac denique fastuosum illum Goliathum occidit. Primo Regum 17. Sanctus Josephus tres & ipse hostes, humano generi nocentissimos occidit; *concupiscentiam carnis*, seu libidinem, *concupiscentiam oculorum*, seu avaritiam, & *superbiam vitæ*. Primum, quando carnem suam voto continentiæ alligavit adeoque edomuit, ut cum Virgine virgo, sine omni concupiscentiæ sensu aut motu, velut si An-

V. Fuit ligni vermiculus, uti David.

gelus esset, conversaretur. Quis virorum ante ipsum hoc fecisse legitur? Sic ergo leonem, igne libidinis ardentem stravit. Secundum, quando in paupertate sua, habens secum & sub regimine suo ditissimum Dei filium, qui omnis generis divitias comparare poterat, vitam toleravit; ita ut ab eo nullas sibi opes vel minimas postularet; si contemptor divitiarum avaritiam quasi turpem ursum (qui mel insano amore sicut avarus nummos quærit) jugulavit. Tertium, quando ex humilitate tanta sponsa, quam factam Dei matrem suspicabatur, se indignum reputans, timuit eam accipere. Sic ergo Goliathum & superbiam vitæ stravit. Quis jam negabit Sanctum Josephum æque ac Davidem *tenerrimi ligni vermiculum* fuisse, domi quidem in suos tenerum & mitem, foris vero erga Dæmonem & pompam ejus robustum & terribilem?

Stet ergo comprobatum, quod initio diximus Sanctum Josephum vere filium David & nomine & re fuisse, qui non modo sanguinis, sed virtutum etiam Davidicarum legitimus hæres fuerit. Hunc ergo & nos imitari contendamus, ut & ipsi veri ac synceri filii David & simus & nominemur.

THEMA II.

Qua ratione Sanctus Joseph creverit in eximiam sanctitatem.

I. Crevit per tribulationes.
II. Per patientiam & silentium.
III. Per promptam obedientiam.
IV. Per fidelitatem.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu. Gen. cap. 49.

NOmen Jesu Salvatori nostro divina dispensatione impositum esse docet Angelus in hodierno Evangelio. Idem mihi persuadeo de nomine patris ejus Joseph. Neque enim credendum absque Dei consilio hoc nomen esse sortitum; qui Christi custos, & nutricius, quasi pater erat futurus, Ergo Josephi illius Patriarchæ nomen accepit, quia eidem, ut Sanctus Bernardus homilia secunda super missus est, ostendit; non in paucis similis fuit. De illo pater ait: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens:* iterata voce, phrasi Hebræa; quia vehementer crevit, & eminenter superavit fratres suos, quando è cisterna & carcere sublatus est ad principatum regiæ Pharaonis, unde ait: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Genesis capite quadragesimo primo. Hic etiam nonne crevit, quando è paupere fabro factus Christi nutricius, jam in cœlo, post sponsam super omnes Sanctos (u Suarez tertia parte probat) Christo vicinus, appellatur ejus pater? Jam vero qua potissimum ratione uterque in tantum virum creverit; viden dum.

I. Per tribulationes. Notum de Josepho i lo veteri, quomodo eum pater amarit, fratres ve oderint, & mortem ei machinati sint. Intervenit t men Ruben, & vitam ei impetravit, missus in cist nam iterum eripitur interventu Judæ & vendit in Ægyptum. Ibi charissimus fit domino: sed m rursum mutatur fortuna, & falso accusatus detr ditur in carcerem. Inde etiam eripitur & fit Pri ceps in Ægypto. En, quot tribulationibus exerc debuit donec magnus fieret! Non aliter conti Josepho nostro. Post desponsationem lætissima in tristitiam: uterum sponsæ tumescentem; un fugiendum sibi putat. Sed recreat illum Angelus filium Dei de cœlo dandum ac nutriendum ei nuntiat. In Bethlehem locum non reperit in diversorio, ad stabulum divertere cogitur; sed brevi recreatur Magorum adventu & muneribus. Vide puerum natum & adoratum a Magis gaudio rep tur: sed mox Herodes insidiatur, & ipse fugam nocte inire cogitur. Nuntiatur ei in Ægypto m Herodis & inimicorum, novo gaudio. Sed revert in terram Israel audit Archelaum regnare in J dæa, mali corvi malum ovum, novo timore. S recreatur iterum ab Angelo, & jubetur ire in Ga læam & patriam civitatem, securam ab hoste. D nique perdit filium duodennem: novo rursum d lore. Sed post triduum eum reperit, recenti gaud Quæ omnia expendens Sanctus Chrysostom homilia octava in Matthæum ait: *tum de prosper tum ex adversis justorum vitam admirabili var tate contexit Deus.* Bene itaque Ezechias Deu vitæ nostræ textorem facit Isaiæ trigesimo octa *Præcisa est ve ut à texente vita mea.* Telæ enim f non eodem omnia tendunt, sed alia recta, (Der Z tel) alia transversa sunt, (Der Eintrag.) ita De per adversa & prospera vitam justorum pertex Jacob filio suo Josepho, velut omnium charissim vestem polymitam, seu multicolorem fecit. Gen sis trigesimo septimo quæ variam ejus fortuna significabat, per quam excoqui & exaltari debu Multum ea vestis a multis pati debuit, donec byssinam mutaretur, abstracta est puero à fratribu intincta in sanguine hædi, monstrata parenti. In Ægypto etiam vestis ei ablata a domina; monstra est hero ad reum agendum miserum Josephum, S ipse demum meruit purpuram & byssum. Ita & Josephus noster, quia justus Deoque charissimus tat, vestitus est a Deo varia tribulatione: deser domum & supellectilem suam debuit ac migrare Ægyptum. Inde iterum remeare, & quæ ib parav rat, relinquere, perpetuus peregrinus. Quis du bitat ipsum jam in cœlo bysso vestitum & purpura?

II. Pe

II. Per patientiam & silentium. Josephus ille tentus à domina, noluit eam accusare apud dominum, tanquam insidiatricem, & calumniatricem; ique ne dissidium inter conjuges crearet & ipsam vitæ discrimini exponeret: sed maluit ipse velut reus in carcerem compingi, licet probatæ fidei servus apud dominum. Sic enim scribit Josephus libro secundo antiquitatum capite tertio. *Josephus autem innocentiam suam Deo committens neque se defendere curavit, neque rem, ita ut gesta erat, indicare, sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, una se consolabatur, nimirum potentiorem esse Deum his qui se vinxerant, cujus providentiam mox est expertus &c.* Ideo ei Deus gratiam interpretandi somnia dedit, sicque eum non modo è carcere eripuit, sed etiam in aula Regis exaltavit. Ita sanctus noster Joseph cum videret gravidam sponsam, nec sciret unde id esset, noluit eam traducere apud homines, multo minus accusare apud Judices: sed maluit fugam eligere, eaque se tanquam sponsum fugitivum infamiæ objicere, ut sponsæ famæ consuleret. Quamobrem ab Angelo in somno edoceri meruit & recreari læto nuncio. Fuit hæc heroica patientia simul & dilectio, notanda præsertim conjugibus, ut unus alterius magis quam proprio bono consulat & honori, uti fecit Jacob, pater Josephi, qui obviam fratri Esau, infenso sibi, non tam suæ quam uxorum saluti timuit? *Valde eum timeo,* inquit, *ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.* Genesis 32.

III. Per promptam obedientiam. Hanc exhibuit inprimis Joseph ille; qui missus à patre suo ad fratres, sibi licet infestos, (Genesis trigesimo septimo) mox obediens, *præsto sum*, ait; viaque satis longa atque incognita, de saltu in saltum errabundus perrexit; nec subito regressus domum est, ex fastidio itineris vel desperatione, quando eos non mox invenit. Pari modo Joseph noster totus dependebat, ab ore & imperio Dei. Jussus manere cum conjuge, statim mansit: surgere nocte & fugere in Ægyptum ad barbaros, Gentiles, Judæorum inimicos, *non ait: incerta ista res est, ac prorsus ambigua: Tu paulo ante dicebas, quia salvabit populum suum & nunc seipsum quidem non potest de periculo liberare.* (ait Chrysostomus homilia tertia in Matthæum) sed longissimo & fastidioso itinere fugit. Ibi jussus hærere, donec moneretur, hæsit: inde redire, rediit: in Galilæam deflectere, deflexit. Nihil excipit, non contradicit, non queritur de amissione domus & supellectilis. Quare sicut ille Joseph ob meritum obedientiæ omnia superavit pericula: ita etiam noster iste.

Dices: Si Joseph ille Patriarcha opposuisset se parentis mandato, non incidisset in insidias fratrum, non fuisset venditus in Ægyptum, non conjectus triennio in carcerem. Respondeo: verum est hoc; sed nec fuisset unquam evectus in principatum, nec salvasset domum suam, uti nec Ægyptum. Itaque per obedientiam & depressionem exaltatus est: sicut qui in altum saltare vult, prius in imum se deprimat necesse est. Quando ergo magni esse volumus, prius per obedientiam erga Ecclesiam & superiores nos humiliemus.

IV. Per fidelitatem, qua & res & uxorem Putipharis, deinde aulam atque opes Pharaonis servavit inprimis Joseph ille, dispensavit, administravit. Ideo uti Putiphari dilectus fuit, sic & Pharaoni: & uterque ei omnia sua commisit. Talis & Josephus noster, cui Deus filium suum cum matre ejus servandum atque alendum tradidit; quod plane signum apertissimum est, fidelissimum custodem fuisse. Unde de eo Sanctus Bernardus sermone secundo super missus est, ait: *Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus matris suæ solatium, suæ carnis nutritium.* Servus plane; quia uti servus potius servivit Christo & matri ejus, quam ut pater & conjux. Videtur ergo ipsum connotare id Cantico septimo. *Venter tuus* (Maria) *sicut acervus tritici vallatus liliis.* Ventrem enim sponsæ illibatum servavit Joseph noster sua castitate, cui per votum se alligavit (ideo lilia appinguntur ejus manibus.) De Christo vero Canticorum sexto rectissime etiam dictum: *qui pascitur inter lilia,* hoc est, inter Mariam & Josephum. Triticum Joseph servavit Pharaoni pro Ægypto & vicinis terris, regiis in horreis: Joseph sua industria panem cœlestem in utero Virginis pro toto mundo. Quare sicut Pharao Josepho omnia commisit, & quicunque aliquid peterent, ad Josephum omnes remisit velut ad plenissimæ potestatis dispensatorem: *Ite ad Ioseph & quidquid ipse vobis dixerit, facite* Genesis quadragesimo primo. Sic non dubitandum sanctum Josephum in cœlo exaltatum, accepisse plenissimam potestatem dispertiendi nobis dona cœlestia: ut bene dicere possit cum Josepho jam exaltato: *crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Quid enim putatis videre fabrum lignarium inter summi cœli principes? quantum hoc incrementum? Quomodo ergo non audiet Mater Dei sponsum suum? quomodo non matrem filius? Liceat enim simili modo argumentari, quo Themistocles Atheniensium Dux filium suum, quem mater in delitiis habebat, plurimum omnium Græcorum posse colligebat hac ratione: *Athenienses dominantur Græcis: ego Atheniensibus dominor, mihi mater, matri filius: ergo filius Græcis.* Plutarchus in Græcorum Apophteg. Christus dominatur orbi; mater (suo quodam jure) filio: Joseph matri: ergo & ipse (suo modo) orbi. Quin imo Joseph etiam quadam ratione imperare poterat Christo, quia etsi non ab ipso natus est, tamen ipsi ex conjuge, supra naturæ vires, de Spiritu S. *quod* autem *nascitur in agro meo, meum est*, ait Jurisconsul. Quare non dissimili modo, sicut audiet filius in cælo matrem, sic audiet & patrem. Unde Joan. Gerson in sua Josephina: *quanta,* inquit, *fiducia Ioseph! quanta in eo vis impetrandi! quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur.*

IV. *Per fidelitatem.*

Valgo dicitur: *Amicus, qui rogat, jubet. qui jubet, cogit.* Josephus non amicus tantum, sed pater plus quam adoptivus Christi fuit; cùm ergo rogabit filium, quasi jubebit: si jubebit, quasi coget. Quare si qua in necessitate constituti estis, ô fideles: si in fame, belli periculo, peste, persecutione: *Ite ad Ioseph, & quidquid* ille *dixerit*, quidquid à Christo petierit, utique id fiet. Sancta Virgo Teresia, non ita pridem inter Sanctos relata asserebat, se mira & magna, imo omnia, quæ habebat, per ejus intercessionem obtinuisse; quodque amplius est, ab ipsa Dei Matre ad Josephum remissa fuit, quasi per ipsius interventum nihil non impetratura. Quam ob causam illius cultum in sacro suo Ordine, passim extructis ad ejus honorem templis, mirifice instauravit, auxit, promovit, ut in ejus vita lib. 1. cap. 15. & alibi videre est.

THEMA III.

Nobilium symbola & monita, applicata etiam veris Christianis.

I. *Cor monet: ut sint cordati.*
II. *Annulus aureus: monet: ut ingenuis & honestis operibus vacent.*
III. *Aurea bulla: admonet fragilitatis humanæ.*
IV. *Lunulæ in calceis: monent ut curam proximorum habeant.*
V. *Torques aureus: monile submissionis & obedientiæ.*

Joseph Fili David noli timere Matth. 1.

NOn sine magna ratione compellat Angelus Josephum nomine filii David. Rem etenim magnam persuadere ei voluit, ut nimirum conjugem, uterum ferentem, nec tamen à se cognitam, constanter retineret, & nequaquam, uti jam moliebatur, derelinqueret. Quo igitur argumento rem tam difficilem Angelus persuasit? non alio, nisi insinuando ei ingenitam nobilitatem, tractam è familia David: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: quasi dicat: memento nobilitatis & regii sanguinis tui, ut ne inuras tuo nomini, & conjugi tuæ tam præcelsæ Deoque adeo charæ, hanc ignominiæ notam, ut eam deseras. Habent ergo hic nobiles inprimis stimulum virtutis, ut ne ab æquo & recto discedant, memores sanguinis sui à nobilibus tracti majoribus. Habent etiam suo modo cæteri Christiani, qui & ipsi in baptismo Dei filii, adeoque veri nobiles effecti sunt, in Christo non inferiores illis, qui sanguine sunt nobiles. Ita enim sanctus Chrysostomus homilia vigesima in Matthæum, *cunctis*, inquit, *unam, atque eandem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari.* Et sanctus Augustinus libro alt. de sermone Domini in monte: *Admonentu hic divites, inquit, vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simu dicunt Deo: Pater noster; quod non possunt vere a pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.* Domus e nim David Ecclesia universa est; quotquot erg veri ac pii Christiani sunt, ii de domo David sun Quæ cùm ita sint, nunc videndum restat, qui nobilitati Christianorum incumbat, quod hic dice mus.

Cognosci potest hoc ex nobilitatis symbol compluribus.

I. Primum Cor apud veteres nobilium insign fuit: quare ingenui adolescentes apud Romano cordis figuram in pectore appensam gerebant, test Macrobio libro 1. Saturn. cap. 6. Plin libro 33. ca 1. Alex. ab Alex. libro 2, cap. 19. Quid autem cor ni hominem cordatum & magnanimum designa De timido enim & pusillanimi dicere solemus, nc habere eum cor. Nobiles ergo præ cæteris cord tos se demonstrant ac magnanimos, timiditate sibi dedecori ducunt. Hinc antiquitus milites a pellati, quod inter primarios pro patria militaren Germanicè vom Adel, de aquila dicuntur, quod v ctrices aquilas Romanaque signa sequi solerent, scribit Adamus Conzen libro octavo Polit. cap. 2 adeoque aciem anteibant. Nominati & scutifer Knaben vom Schild/eodem Auct. ibid In scutis tiam symbola fortitudinem militarem præ se f rentia gerebant. Imo ob hanc eorum fortitudine censebantur esse clypei patriæ & Ecclesiæ; quen admodum etiam Debora in suo Cantico Judic. ait: *Cor meum diligit principes Israel*; seu ut Pro copius legit: *clypeos Israel.* Ut enim clypeus de fendit corpus: ita nobiles patriam. Unde mos dej ciendi clypeum, cum nobilis familia extinguitu Ergo Christiani, qui ad veram aspirant nobilitaten cor se habere monstrent, pro defendendo Dei ho nore, Christi Ecclesia & salute sua ac proximorun Pro exemplo habent inprimis Josephum ab Arima thæa, quem sanctus Marcus appellat *nobilem Centurionem.* Hic cùm esset occultus Jesu discipulus, plo in cruce mortuo, *introivit audacter ad Pilatur & petiit corpus Iesu.* Marci decimo quinto. De qu sanctus Chrysostomus homilia 89. in Matthæum a it: *Hic erat Ioseph, qui quamvis prius occultabatu rem tamen post mortem Christi subiit arduam Nor enim ignobilis quidam erat neque ignotus, sed e Consilio unus atque insignis unde fortitudo ejus maxime admiranda est, cum propter amorem Iesu periculum mortis susceperit & universorum se odio tradiderit: exanime quippe corpus petere ausus non ante destitit, quam impetravit.* Quo etiam facto suc Judæorum scelus facile redarguit atque condemnavit. Nihilo hoc inferior fuit noster Josephus, cujus hodie festum agimus. Hic enim pro defensione & amore Christi, (suo modo filii sui) non uni se periculo commisit, quando cum Jerosolymam, He-

rode

de jam insidias & iras coquente, præsentandum
templum duxit, & in Ægyptum subduxit; ad-
ec in conjugio virginalem castitatem una cum
njuge servavit, quod usque ad id temporis inau-
tum planè erat. Ignobiles sunt illi, qui thesaurum
dicitiæ contra insidiatores non tuentur; uti &
rentes, qui liberos suos Herodi non subducunt,
d perverti patiuntur ac seduci; similes Hebræis
s, de quibus Ose.7. dicitur: *Factus est Ephraim*
asi columba seducta, non habens cor. Columba est
vecors, ut sine omni resistentia ac doloris sen-
sibi patiatur eripi & jugulari pullos; cum aliæ a-
s omnes pro suis pugnent toto conatu. Sic vecor-
s erant Hebræi multi, qui permittebant suos libe-
s cremari Idolo Moloch absque sensu doloris re-
unte nihilominus ad Idola sua. Quid autē aliud a-
nt parentes, qui salutem liberorum suorum & pu-
itiam prostituunt, aut negligunt?

II. Aureus annulus nobilitatis etiam insigne
it. Patet primò ex Epistola sancti Jacobi cap.2.
introierit in conventum vestrum vir aureum an-
um habens. Ita nobilem describit. Olim enim
i Senatores & Equites annulis utebantur, teste
one libro 48. Antonium quoque Musam Medi-
m, quod Augustum Imperatorem jam conclama-
m, sanitati restituisset, aureo annulo donatum
ert Cælius libro 6. capite 21. Antiq. lect. Mani-
s, quia pleraque opera peragimus, operationes
minum ubique in sacrâ Scriptura designantur.
ergo manus annulis aureis ornantur & quasi no-
itantur: ita hominum opera condecorantur ho-
tate & virtute; inde aureus annulus nobilibus
nitum hoc dabat, ut non nisi virtuosis, liberali-
s & ingenuis actionibus se impenderent, adeo-
e quasi opera aurea, se digna, perpetrarent. Deri-
ndos sese orbi exposuerunt Principes illi, qui
ricis se dabant rebus, cum seriis & magnis de-
rent, uti Domitianus, qui certum horarum pen-
m muscis acuto stylo configendis dabat, teste
et. Hartabus Hyrcanorum Rex, qui talpas ca-
ebat: Bias Lydorum, qui ranas filo trajiciebat:
ropus Macedonum item Rex laternas faciens:
rthorum Reges telorum cuspides exacuentes.
ud Plut. in Demetrio: Persarum Reges arbo-
m cortices seu philyria cultello scindentes, teste
liano libro decimo quarto capite duodecimo In-
gna prorsus sunt ista nobilissimo sanguine: pueris
agis & mulieribus, quam viris ingenuis conve-
entia. Unde Marcus Antonius Triumvir & po-
ntissimi dux exercitus, cum Alexandriæ una cum
eopatra Regina exisset ad piscandum hamo, &
uidam urinatores constituti essent, ut pisces hamo
igerent, eorumque unus fumarum affixisset, eo
m risu extracto audiit à Cleopatra: *Alexandrino-*
m est, Antoni Imperator fortissime, piscari: tuum
rò bellando vincere. Plut. in Antonio. Non mi-
s quam hos, dedecet inprimis nobiles, deinde
etiam omnes Christianos cœlo & cœlestibus rebus
in baptismo natos, nugis & crepundiis puerilibus
tempus impendere, ut est, verbi gratia, blandiri u-
ni puellæ, stare ante speculum, crines & barbam
pectere ac demulcere, tibialia & ocreas diligenter
attrahere & mundare, fascias crurales pedibus,
& rosas varicolores calceis aptare, reticulo & pila
ludere, jocos & facetias fundere, ad numerum scitè
saltare, aleas jacere, comessari & helluari, di-
ctis alios proscindere. Vel (quod ad sexum fæmi-
neum attinet) novas quotidie vestes & vestiendi
modos inquirere, in speculo se toties contueri, pi-
los capitis concinnare, fucum vultui inducere, de-
litias perquirere, in rhedis se ostentare, stulta &
nugatoria nuncia mittere, vanissimos sermones de
somniis & somno miscere, & his similia. De qui-
bus arguuntur Psal.4. *Filii hominum usquequo gra-*
vi corde secundum Hieronymum *usquequo inclyti*
mei ad ignominiam diligitis vanitatem & quæritis
mendacium! Cogitate quot millia in gehennæ flam-
mis, nullis maribus extinguendis jam lamententur
ob tempus tam nobile tam ignobiliter impensum.
Et quid illi acturi essent, si vel ad unum diem dare-
tur reditus ad superos! quam longe alia agerent!
Et qui scitis, quam prope ab illis absitis? Vel no-
strum Josephum aspicite, qui cum esset faber opifi-
cio, utique fabrilia velut sibi convenientia tracta-
bat, quo victum sibi suisque pararet. Qualia vero
fuerint; colligimus ex sancto Justino antiquissimo
auctore & martyre, qui in Dial. cum Tryphone ait
solitum Christum *aratra fabricare jugaque, ut per*
has figuras justitiam doceret, & re ipsa fugam otii.
In his ergo patrem secutus, eadem agentem adju-
vabat. Quid autem humano generi utilius & hone-
stius, quam agriculturam promovere? Neque tamen
hoc præcipuum Josephi exercitium fuisse arbitran-
dum est, quin multo plus impenderit virtutum &
pietatis studio, quod non modo a sanctissima con-
juge, sed à Sancto sanctorum filio edoceri poterat,
tametsi jam priùs justus & sanctus.

III. Aurea quoque bulla è collo dependens, — *III. Aureæ bulla: admonet fragilitatis humanæ.*
nobilium erat signum, teste Plinio libro trigesimo
tertio capite primo. Macrob. 1. Saturn. cap.6. ha-
bens uti nomen, ita similitudinem bullæ, quæ in a-
quis natat, vel a pueris in nucis cortice ex aqua &
sapone per flatum excitatur: quæ ad momentum
quidem è calamo dependet & pueros delectat,
subito tamen dissolvitur & vanescit. Monebantur
hujus bullæ monili nobiles, ut memores fragilita-
tis humanæ naturæ, quam cum plebejis commu-
nem habent, supra ipsos se non insolenter extolle-
rent, sed parem eis nascendi & moriendi conditio-
nem intelligerent: Qua in re mirè insaniunt, nobi-
les Malabares, qui si ab ignobili tangantur, pollui
se existimant; quare obviantes sibi ignobiles à
via jubent deflectere; alioquin malè tractant, te-
ste Osorio libro secundo Rerum Emman. Sed
quid mirum si Gentiles ita delirent: cùm &

inter Chriſtianos hujuſmodi non deſinit ? Vulgari antiquorum parœmia *homo bulla* appellabatur, quæ æquè principes & nobiles, atquè plebejos comprehendit. Ita enim Oſeæ decimo dicitur: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam maris ſuper faciem aquæ.* Ergò ſicut Triumphator triumphali curru Romam ingrediens præconis voce à tergo monebatur : *Reſpice poſt te, hominem memento te*: Auct. antiq. Rom. libro decimo capite vigeſimo nono) ita etiam nobiles humilitatis admonebantur aſpectu illius bullæ; ne, quod proclive eſt nobilitati, alios contemnerent. Qua de re etiam ſanctus Hieronymus nobilem fæminam epiſtola decima quarta ſic hortatur : *Nulli te unquam generis nobilitate præponas, neque obſcuriores quaſque & humiliore loco natas, te inferiores putes. Neſcit religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum : ſervum & nobilem de moribus pronuntiat.* Et mox : *Nihil eſt, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus, propter quod Scriptura dicit: quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Eccleſiaſtici tertio. Imagines ex umbra circumpoſita pulchriores elucent : ita nobilitas ex umbra humilitatis ſplendidior evadit. Id confirmat de ſancta Melania nobili ſimul & humili matrona Rom. ſanctus Paulinus epiſtola decima. *Nobilitatem quoque*, inquit, *ad operis ſui gloriam Dominus illi contulit, quo magis confunderetur iſte mundus, qui talibus titulis gloriatur : ut quò vanitas hominum ad contemptum Dei utitur, iſta potius ad contemptum mundi uteretur : ſimul ut major ſalutaris exempli proderetur autoritas humiliandis ſuperborum oculis.* Præit hac in re exemplo ſuo ſanctus Joſeph noſter, qui ex ſententia Origenis, Matth. primo. & S. Baſilii hom. vigeſima quinta tom. 1. nec non ſancti Bernardi hom. ſecunda ſuper miſſus eſt, ex humilitate voluit deſerere conjugem ſuam gravidam, ubi reſcivit vel (quod verius videtur) ſuſpicatus eſt eam divinitus gravidam factam, quòd indignum ſe reputaret, qui tali virgini cohabitaret, non dico in thoro, (quod nunquam intendit) ſed etiam in domo. Audiamus Origenem : *Timens ejuſmodi mulieris vir nominari, clanculum ipſam dimittere voluit &c.* Sanctus Bernardus verò. *Indignum & peccatorem ſe reputans dicebat intra ſe : à tali & à tanta non debere ſibi ultra familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem &c.* Præit etiam nobilis ille Decurio, Joſeph alter, qui non habita ratione nobilitatis ſuæ crucem, Judæis probroſam, aſcendit, & Chriſtum inde depoſuit, immortali & ſtupendo ſanè humilitatis exemplo, non ſolùm omnibus nobilibus, ſed magis adhuc cæteris fidelibus, ut ne pro Chriſti amore erubeſcant quaſcunque ſuſtinere confuſiones. Pictores in ſuis imaginibus montes umbra attollunt, & aliarum rerum ſummitates prominentes faciunt : pari modo nobilitas tam fidei quàm ſanguinis, beneficio humilitatis ad cælum attolletur & glorioſa coram Deo & hominibus apparebit.

IV. Lunulæ in calceis corniculatæ nobiles deſignabant & à cæteris diſtinguebant, uti ſcribit Plutarchus in quæſtion. Rom. ubi de cauſis ejus ſymboli divinant, & rectè quidem ſentit admoner eos fortunæ inconſtantis, & inſtabilitatis ſuæ, qualis cernitur in Luna, nunc plena, nunc obſcura, nun creſcente, nunc deficiente : & viſa eſt in familia Davidis, à baculo paſtoritio ad ſceptrum evecta, ind rurſum in Joſepho noſtro ad ſecurim depreſſa. Se meo judicio potior illa cauſa eſt, quod ſicut Lun rectrix & protectrix eſt rerum ſublunarium, in aſq; maximam habet influentiam, (unde *Dea ſemnum & ſylvarum appellatur*) dominatur etiam maria & ipſa humana corpora : ita nobiles ferè dominantur orbi, regunt plebem & protegunt, eamque influunt ſua prudentia, fortitudine, auctoritate, liberalitate : certè influere deberent; cùm rè ipſi in dignitatibus conſtituti, mundum gubenent. Hoc ni fallor indicare voluit Henricus Galliæ Rex, qui creſcentem Lunam in ſymbo ſuo prætulit, ea inſcriptione : *Donec totum impl orbem.* Beyerl. in theatro V. ſtemma. Sancti Wibrordi Epiſcopi Traicte. mater, eo gravida, v eſt ſibi Lunam novam creſcentem, uſque dum p na fieret, utero geſtare : quòd filius genti in te bris poſitæ lumen allaturus eſſet, ut in ejus vita Nov. apud Sur. Tales ergò Lunæ ſunt vel eſſe berent nobiles Chriſtiani, defendere pupillos, al pauperes, dirigere errantes, fugare tenebriones, lari mœſtos, recipere in tutelam omnes oppreſſ eoſq; ſuo modo æmulari omnes Chriſtiani. bent exemplum in ſancto Joſepho, qui hoc uno matri Dei conjux à Deo datus & obſtinatus eſt ejus virginitatis cuſtos & ſervator, ipſius den & Chriſti filii nutritius eſſet. Si enim ſub ejus u bra Deipara non latuiſſet, ex lege forſan velut ultera à Judæis lapidata fuiſſet, unde ipſe per nam veri & naturalis Chriſti patris ſuſtinere de it, ne & mater infamis, & filius illegitimus ha retur. Ipſe denique pauperem illam familiam labore ſuſtentavit, non ſibi tantum ſed toti mun Accenſeri poteſt ipſi alter ille Joſeph, nobilis curio, qui Chriſtum in cruce mortuum ſuam ſu pit in protectionem ac ſepulchrum lapideum. A que eo fuiſſet, quò, putatis, Hebræi Chriſti cor abjeciſſent? num illud ſepeliſſent ? nonne pot monte Calvariæ feris avibuſque in prædam de ſent? At hoc paſſus non eſt Sanctus ille Joſeph, ſuum ipſi ſepulchrum, novum & impollutum ſit. Quanta hæc ejus gloria ! quantam in cæl munerationem meruiſſe putamus ! Idem pauperibus, ſubditis, pupillis, oppreſſis a nobiles, & cæteri Chriſtiani : ſic verè nob erunt.

V.

V. Deniq; torques aureus nobiles distinxit semper ab ignobilibus,& distinguit hodieq;. Porrò sicut ferrea vincula injiciuntur immorigeris,ita torques aureus præmium est morigerorum , ut colligimus ex c.1. Prov. *Audi fili mi disciplinam patris tui & ne dimittas legem matris tuæ , ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo.* Suo ergò torque nobiles demonstrant se ad Dei legem observandam primos & studiosissimos esse velle & debere. Atq; ita legimus 1. Par.18. *Porrò filii David primi ad manum Regis.* Hoc est, promptissimi omnium ad Regis imperium implendum. Si isti primi ad manum Regis: quanto æquiùs nos primi ad manum Dei ? Scimus etiam Num.10. à Deo Moysi dictum (*Si semel clangueris tuba*) *venient ad te principes & capita multitudinis Israel.* Ubi Procopius: *Unius tubæ sonitu convocabantur Principes , acutiùs cernentes & citius obedientes. At verò plebs convocabatur ad tabernaculum Domini à Moyse repetito clamore.* Ornamentum hoc est nobilium , si ad primum statim campanæ pulsum , adeoq; primi sint ad templum eundum Deique legem audiendam & servandam; eò enim demonstrant se liberè , (quod nobilium est) & non coactè (quòd servorum & vulgi) Deo se subjicere. Hinc eos laudat regius Vates Ps.67. dicens. *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus.* Vides eorum diligentiam in divino cultu? Hæc laus etiam debetur sancto nostro Josepho, qui in lege Dei observanda accuratissimus & promptissimus semper fuit. Patet ex circumciso & præsentato in templo Christo, datoq; pro eo munere, secundum legem Moysis : patet ex fuga in Ægyptum, quam mox, ut mandatam sibi accepit, de nocte consurgens arripuit: patet ex perseverantia cum Maria conjuge, uterum ferente ; quam juxta Angeli monitum, nullatenus deseruit, tametsi se non esse patrem , sed nutricium tantùm prolis futurum sciret. Effecit hæc ejus parendi alacritas, ut in posterum ab Angelo per omnes suas vias dirigeretur & honoretur.

Quando igitur vidimus nobilium tam secundum sanguinem , quàm secundum spiritum, notas & insignia, superest ut non ii tantùm , qui generis splendorem à parentibus traxerunt ; sed & omnes Christiani , qui nobilitatem spiritus è baptismo hauserunt vitam & mores suos insignibus his accommodent. Frustrà & ridiculè gerit nomen Nobilis, qui mores habet ignobiles. *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es*, ait sanctus Joannes Episcopo Sardicensi. *In mente ergò habe, qualiter acceperis & audieris, & serva.* Apoc. 3.

* * *

THEMA IV.

Virtutem magis nobilitare , quàm sanguinem ostenditur.

I. *Sanguinis nobilitas confert libertatem. Magis tamen virtus.*

II. *Sanguinis nobilitas confert honorem. Multò magis virtus.*

III. *Nobilitas generis promovet ad honores. Multò magis virtus.*

IV. *Sanguinis nobilitas dat opes. Magis tamen virtus.*

Joseph autem vir ejus , cum esset justus & nollet eam traducere , voluit occultè dimittere eam. Matth. cap. 1.

DUplici nobilitatis titulo ornatur sanctus Joseph in hodierno Evangelio : Virtutis & prosapiæ. Virtutis , cùm asseritur à Matthæo justus: prosapiæ, cùm ab Angelo vocatur filius David. Pulchrum utrumque ornamentum ; sed utrum altero præstantius ? Certè de justitia prius commendatur Joseph , de prosapia posterius ; & ne fœdam rem committeret , infamando conjugem innocentissimam ac sanctissimam , non prosapia intercessit regia, sed virtus & justitia: *Joseph enim cum esset justus*, inquit Matthæus, & (proinde) *nollet eam traducere &c.* Justitia ergo ejus prohibuit ne innocentem cōjugem læderet : id quod sola ejus nobilitas certè non prohibuisset, sed dictasset potiùs. Præclarior igitur est virtutis quam sanguinis nobilitas: id quod non Christiani solum , sed & Ethnici agnoverunt. Ex illis sanctus Hieronymus ad Celantiam epist 14. *Summa apud Deum nobilitas est , clarum esse virtutibus.* Sanctus Ambrosius lib. de Arca & Noë capite quarto. *Probati viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus, homines : ita animarum genus, virtutes sunt.* Sanctus Gregor. Nazian. orat. 11. *Nobilitas vera est divinæ imaginis conservatio atq; archetypi imitatio , quam ratio & virtus efficiunt.* Et orat. 19. de Gregorio patre. *Veram nobilitatem*, inquit, *in pietate sitam esse censebat.* Cassianus collat. 2. c. 10. *Nobilitas sola est atque unica virtus. Nobilissimus Deo est clarissimus virtutibus. Aliena laudat, qui genus laudat suum.* Ex his verò Seneca lib. 5. ep. 44. *quis ergo generosus?* inquit, *Ad virtutem bene à natura compositus. Hoc unum intuendum. Non facit nobilem atrium plenum famosis imaginibus &c.* Diogenes rogatus, quinam hominum essent nobilissimi; respondit : *qui divitias, gloriam, voluptatem, denique vitã contemnunt; & vincunt contraria, paupertatẽ, infamiam, dolorem & mortem.* Quæ Taprobanam insulã incolunt Gentes , Regem eligunt,

non

non qui nobilitate, sed qui virtute cæteris præstet, teste Solino c. 66. Testes audivimus hujus veritatis; quia tamen ea difficile persuadetur iis, qui sanguinis nobilitatem jactant & omnibus aliis præferunt, ideo ad oculum magis comprobanda est.

I. Sanguinis nobilitas confert libertatem.

I. Nobilitas prosapiæ confert aut certè conferre existimatur homini quandam agendi libertatem & ingenuitatem: ita ut subjacere & cogi legibus nolit, sed sponte ac liberè, quod rectum est, agere velit. Hac verò libertate sæpissime abutitur sanguinis nobilitas, adeò etiam, ut Dei & Ecclesiæ leges spernat, quasi illis superior sit. Virtus autem confert homini verissimam libertatem & ingenuitatem, qua omne id, quod secundum Deum, æquum & honestum est, sua sponte & alacriter agit, tametsi leges id non præscriberent. Quare nihil metuit, nullum adversarium curat, nec tristitiam admittit.

Magis tamen virtus.

Virtus enim ait Cicero l. Tuscul. *à viro appellata est: viri autem propria maxime est fortitudo; cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisq; contemptio.* Hebraicè virtus vocatur *tumma*, h.e. *perfectio* seu *integritas*, quia vel sola homini satis superq; est. Unde Antistenes dicebat, virtutem sibi sufficere ad fælicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico: virtutem enim esse armaturam, quæ detrahi non possit. Ensis namque & clypeus excutiuntur: sapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus est, ideoque vinci non potest. Quare negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta normam virtutis. Epicteto apud Strob. ser. 1. anima dedita virtuti similis est perenni fonti, cujus aqua est pura, imperturbata, dulcis, accepta, copiosa, ab omni noxa & pernicie aliena. Socrati virtus est statua quædam in sua basi. S. Chrysostomus verò hom. 28. in Gen. *Sicut is*, inquit, *qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi & protinus in spumam solvi: ita & virtuti vacans in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis; sed tranquillus animo & quietus sedet, intelligitque res hujus vitæ nihil differre ab amnium fluentis, tam rabido cursu transeuntibus.* Exemplo S. Hilarion, qui circumventus à latronibus & rogatus: *quid faceres, si ad te latrones venirent? nudus*, respondit, *latrones non timet.* Et illi: *Certè occidi potes. Possum*, inquit, *& ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum.* Hier. in ejus vita. Abbas ille Macarius in sepulchro paganorum pernoctans, cùm mortui cadaver pro cervicali supposuisset capiti, & dæmones ex eo voces ad terrendum ipsum ederent, diabolo fidenter dixit: *Surge, vade q-è potes.* Similia legimus de S. Martino, Francisco & aliis. Adhæc, ut dixi, virtute præditus liberè & sponte agit, quæ virtutis sunt. Ut enim *alacer equus suapte sponte facilè currit: ita qui ardet, amore virtutis, non eget admonitore*; ait Plutarchus in mor. apud Anton. in Melissa serm. 31.

Non est hæc libertas & securitas in sanguin[is] nobilitate. Tametsi enim illa homines parum a[ut] nihil timet, Deum tamen judicem ac peccatoru[m] vindicem cogitur metuere; vel hoc ipso, quod h[u]manas & divinas leges parvi pendet, facilè nin[iis] transgredi soleat. Hinc judex ille in quada[m] civitate à Christo in parabolam adductus Luc. 18. dicebat intra se: *Etsi Deum non timeo, nec [ho]minem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc [vi]dua, vindicabo illam* (illius jus ab oppressione [ad]versarii, illudq; viduæ restituam) *ne in novissimo [ve]niens sugillet me*, h.e. ne me tandem infamet & ap[ud] principem me accuset, aut saltem in novissimo [ju]dicii die publicè confundat. At nihil horum [me]tuere facit nobilitas virtutis, quæ Deum Judic[em] pro se stantem habet. Hinc Saul duobus primis [an]nis, quibus in regimine innocens vixit, nullo p[ræsi]dio munitus fuit; at ubi se virtutibus exuit, [a]d externa munimina, quibus se armaret, recurrit; [ut] advertit Genebrardus libro primo Chronol. a[nno] mundi 3106.

II. Nobilitas sanguinis confert honorem, æstimationem, authoritatem apud homines alios. I[nde] enim dicti sunt *nobiles* à *noscendo*, quasi *noscib[iles]*, quòd velut lumina quædam, aut culmina omn[ium] oculis pateant præ cæteris. Hinc primas in con[ven]tu sedes obtinent, honorificis titulis compel[lan]tur; de via obviis ceditur, caput aperitur, ho[no]res deferuntur. At hoc ipsum multò magis præ[stat] nobilitas virtutis. Quod imprimis testantu[r sa]cræ litteræ, uti Prov. 4. *Accipe sapientiam* (seu q[uod] idem est, virtutem) *& exaltabit te: glorifica[beris] ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit c[apiti] tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta pr[otege]te.* Rursum Prov. 31. *Mulier timens Deum [ipsa] laudabitur.* Ubi etiam Salomon, postquam mu[lieris] fortis virtutes expressisset, statim subjicit: *sur[rexe]runt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt [vir] ejus & laudavit eam.* Quod imprimis testatu[r ea]dem scriptura de Juditha, quæ etsi genere no[bilis], virtute tamen longè nobilior, indeque lon[gè fa]mosior erat. *Erat*, inquit, *hæc in omnibus fam[osissi]ma* (non ob generis prosapiam) sed *quia tim[ebat] Dominum valde, nec erat, qui loqueretur [de illa] verbum malum.* Accedit S. Chrysostomus ho[m.] in Matth. *Nihil est*, inquit, *quod sic homine[m fa]ciat insignem atque conspicuum, etiamsi n[ulla] ambitu optes latere: ut splendor iste virtutis. [Sicut] enim ipso Sole circumdatus, ita utique clarus [ful]get, nec in terram solummodò lucis radios emi[ttit], sed supra ipsum etiam cælum proprio fulgore r[adia]bit.* Joannes Cassianus coll. 24. capite ul[t.] *Nonne obsecro*, inquit, *etiam in centuplum g[ratia]rum evidentissime, qui fideliter Christo deser[viunt] consequuntur, dum pro nomine ejus à summis p[rinci]pibus honorantur? ac licet ipsi humanam gl[oriam] non requirant, venerabiles tamen etiam in pe[rsecu]tionum angustiis, judicibus cunctis ac potest[atibus] fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus for[...]*

spicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione servili, si in saeculari conversatione mansissent. Et paulò pòst: *quid evidentius in Abbate Ioanne, qui in illa eremo, quae Lyco oppido adjacebat, commoratur, possumus approbare? qui per obscuris natus majoribus, ita pro Christi nomine, universo penè humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque rerum praesentium domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis, regibusque terrori sunt, velut dominum venerentur & oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes, imperii sui apicem & statum salutis bellorumque proventus illius orationibus meritisq; committant?* hucusque Cassian. Quis etiam nescit quanto in honore habitus sit Antonius à Constantino Magno adeò ut sibi honori duceret, vel perbreves litteras ab eo accipere? Sanctus Martinus ab Imperatore Maximo, ut pro magno haberet, sibi ab eo poculum propinari? Ab ejusdem conjuge, ut ad mensam ei administrare posset? Sanctus Franciscus à Cardinalibus ut se faelices reputarent, si cum ipsis pranderet vel loqueretur? Neque solùm boni & virtutum amantes id honoris impenderunt virtuosis hominibus; sed etiam reprobi, qui virtutem non coluerunt. Unde Sanctus Chrysostomus hom. 5 in Genesin. *Tanta virtutis potentia est*, inquit, *ut revereantur & multum laudent eam, etiam qui illa carent.* Exemplo id ostendit Nabuchodonosoris. (homil. 6. ad popul.) qui *antea quando dixerunt:* (tres pueri) *Diis tuis non servimus, fornace saevius accensus est: postquam verò per ipsa opera hoc ostenderunt, non tantùm non indignatus est, sed laudavit & admiratus est, quod sibi non obedissent. Tantum virtus bonum, quod ipsos hostes habeat admiratores & laudatores. Benedictus, inquit, Deus, qui misit Angelum suum & eruit servos suos, quia crediderunt in eum, & verbum Regis immutaverunt & tradiderunt corpora sua, ne servirent Diis alienis*, Danielis tertio. Sanctus Bernardus idipsum ostendit testimonio Balaami, serm. 7. in Psalmo. *Qui habitat. Pseudoprophetam*, inquit, *Balaam recolite. Et ipse iniquus mortem justorum optabat, & novissima sua horum similia apprecabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiae merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis & injustis.* Idem comprobatur facto illius Laban, qui, licet impius, justum tamen Jacobum amabat & detinere apud se conatus est, etiam per fas & nefas, dum ei pro Rachele Liam substravit: ut in posterum etiam pro Rachele ipsi serviret, cujus amore flagrabat: pro Lia non serviturus; uti observat Sanctus Chrysostomus in capite 29. Genesis homil. 56. Jam verò ubi aliquando in tanto pretio & honore fuit sanguinis nobilitas carens virtutibus? *Ostende mihi de scripturis*, inquit Doctor Cyrillus Alexandrinus libro duodecimo in Levit. *ubi aliquis peccator aut parvi meriti* (licet nobilissimae prosapiae) *magnus appellatus sit? nusquam, opinor, invenies.* Audi verò *qui sunt, qui magni appellantur Moyses, Ioannes Baptista &c.* Moyses quidem Exod. 11. *Fuitq; Moyses vir magnus valde in terra Aegypti.* Joannes Baptista Luc. 1 *Erit magnus coram Domino.* Judith in ejus libro c. 16. *Magna facta est in Bethulia.* Isaac Gen. 26. *Magnus vehementer effectus est.*

III. Nobilitas generis promovet ad honores, Magistratus, Aulas Principum, eisq; proximè adhaerere facit. At longè magis virtus, quae hominem Deo conjungit, proximumque facit; adeò ut major homine, aut quasi Angelus aut etiam Deus esse videatur. Ita Sapiens testatur Sap. 6. *Custodia legum consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Qua in re excessere Lystrenses, qui videntes Pauli & Barnabae virtutes clamabant: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Et vocabant Barnabam *Iovem*, Paulum verò *Mercurium*: volebantque etiam ipsis sacrificare. Non hucusque se extendit virtutis nobilitas: idcoque sapienter respuerunt hunc honorem Apostoli, ad alios tamen honores & quidem summos virtus evehit sui cultores Deoque proximos facit; ut patet in Moyse, quem ob ejus virtutem ex pastore ducem innumerabilis Hebraeorum populi & thaumaturgum fecit, nec non *Deum Pharaonis*, uti ipse Deus dixit Exod. 7. In Davide, quem itidem ex pastorculo ad dignitatem regiam provexit & *virum secundum cor Dei*, quasi intimum Dei amicum constituit. In Josepho, quem ex servo principem in Aegypto fecit, & *Salvatorem mundi* appellavit. In Mardochaeo quem ex palatii excubitore ad primam in aula Assueri dignitatem extulit. In Daniele, quem ad summos honores apud Reges Babylonis; deniq; in viris novae legis penè innumeris siquidem ea jubet illos prae caeteris eligi ad dignitates & praelaturas, qui virtute caeteris praestant. Auruncani in ponderoso ligno ferendo regem futurum experibantur, illumq; eligebant qui diutiùs id gestasset, in tractu Pervano. Apud Medos quoq; fortior: in Meroe, qui validiore erat corpore: in Lybia, qui cursu celerior: à Catheis formosior: à Gordiis obesior: ab Aethiopibus ditior in Regem eligebatur, teste Alexandro ab Alexand. lib. 4. c. 24. In Ecclesia verò Christi illum ad praelaturas assumi jubet Spiritus Sanctus qui virtuosior, idq; *postulat gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8. ac nisi fiat, arguit mundum & expostulat cum eo.

III. Nobilitas generis promovet ad honores. Multo magis virtus.

IV. Sanguinis nobilitas adfert secum aut certè ad se trahit opes & divitias; sed fluxas ac perituras, ac multoties perniciosas. Nobilitas virtutis & ipsa ditat hominem, sed veris ac solidis opibus. Testatur id inprimis senex ille Tobias cap. 4. *Noli timere fili mi. Pauperem quidem vitam gerimus*, inquit, *sed multa bona habebimus si timuerimus Deum. Hebr. Dabit tibi Deus divitias magnas, si requisieris eum in toto corde tuo* idque ipsi evenit, quando nobilem & ditissimam sponsam Angeli ductu sortitus est. Idem universim de omnibus dicetur

IV. Sanguinis nobilitas dat opes. Magis tamē virtus.

Psalm. 33. *Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Salomon utique ditissimus erat; & tamen in suis opibus nihil se reperisse nisi vanitatem & afflictionem lamentatur, Ecclesiast. 1. Idem Regi Hiram viginti oppida dedit; eâ tamen ipsi adeò non placuerunt, ut appellaret ea *terram Chabul*, hoc est, *lutosam*, vel *displicentiæ*. Audiamus Chrysostomum libro secundo adversus vituperatores vitæ monasticæ. *Tanta sunt virtutis opes*, inquit, *ac copia, adeoque quàm vestra dulciores & amæniores, ut qui has habuerint, nunquam eas velle possint cum universa terra commutare, ne si illa quidem aurum fiat, cum mari & fluminibus & montibus.* Et mox: *Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, siquidem ille voluisset accipere? sed noluit. At ille nixibus totis contendebat cunctaque moliebatur, ut hujus virtutibus propiùs accederet*, sic ille. Hinc Idem dixisse fertur: *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem*; præferens ejus virtutes (tametsi insolidas & futiles) omnibus divitiis. Ratio est, quia opes cæteræ rapiuntur à morte: virtutes diripi non possunt, sed comitantur hominem ad sepulchrum & vitam alteram. Ut enim fulmen præter laurum omnes ferit arbores, teste Plinio libro secundo, ita mors & calamitas omnia auferre potest præter virtutem. Unde Sanctus Ambrosius libro septimo in capite duodecimo Lucæ. *Sola virtus*, inquit, *comes est defunctorum.* Et Sanctus Chrysostomus homil. 25. in Genesin. *Divites his omnibus relictis nudi hinc migrant; tantùm malitia vestiti & peccatorum oneribus inde collectis. At longè secus habet virtus, quæ hic quoque potentior est insidiatoribus, & planè invictos facit suos, continuamque præbet voluptatem & ne sentire quidem sinit rerum istarum inæqualitatem: sed & hinc emigrantibus comitem se addit, & tunc potissimum, cùm ejus subsidio egemus. Adhæc in die illo terribili magnum nobis præstat auxilium placans Iudicem. Et sicut hic ab ingruentibus infortuniis, ita & in futuro se colentes à tormentis illis eripit.* Idem homil. 63. ad pop. confirmat his verbis: *Si vultis hoc discere*, inquit, *hinc migraturum interrogemus vel senio confectum; & commonefacientes eum lautæ mensæ; quâ quondam oblectabatur, & honoris & gloriæ; & bonorum operum, quæ unquam fecit: rogemus in quibus magis exultat. Et in illis quidem videbimus erubescentem & se celantem: in his verò gestientem & exultantem. Sic etiam Ezechias cùm ægrotavit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit mensæ sed justitiæ; ait enim: Memento Domine, quomodo ambulaverim in conspectu tuo, in via recta. Vide &* Paulum ex his exultantem & dicentem: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*

Cùm apud Forum Julium hybernaret Carolus Magnus Imperat. ac videret Francos exoticas pelles peregrina vestimenta à Venetis mercatoribus magno emptitare: omnes uti vestiti erant secum ve[…] natum pluvia imminente proficisci imperavit; ve[…] stibusque hisce imbre corruptis, dilaniatis, sangui[…] ne oblitis domum reverti jussit, universosq; mo[…] secum eodem habitu cænare, ob frigus tum omn[…] bus ad focum certatim considentibus, conviviu[…] ad multam noctem protraxit. Postridie iisdem in[…] dutos amictibus cunctos apparere jubet. Tum u[…] bi hujusmodi indumenta partim imbre, pluvia, se[…] tibus dilacerata, cruore oblita; partim ab igne ru[…] gis constricta, & proinde rupta discessaque consp[…] xit, lupinas suas pelles integras ostendit, & *Stol[…] dissimi mortalium*, inquit, *quod vestimentum nu[…] utilius preciosiusve est? Meumnè drachma compara[…] tum, an vestra tot libris, atque integro patrimon[…] coempta?* Aventinus libro quarto Annalium Bo[…] jorum. Simillimum quid continget in articul[…] mortis, frigidoque illo judicii die. Hirsuta C[…] roli Magni vestis virtutis habitum indicat, vile[…] quidem aspectu & asperum; verum utilem & dur[…] bilem Sericæ vestes & odoriferæ pelles nobilitate[…] sanguinis referunt; quæ in venatione mortis ne[…] durant nec protegunt, sed heu frigori divini judic[…] miseros exponunt.

Quare Audit. si veram stabilem & solidam nobilitatem concupiscitis, virtutem adamate & com[…] parate. Josephum vobis proponite, qui in arte su[…] fabuli centies millies majorem consecutus est e[…] virtute nobilitatem, gloriam & honorem quàm c[…] mæs hujus mundi nobiles; quia horum prosapi[…] nisi virtuti conjuncta sit, nihil in cælo valet: virtus sola in pretio est.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. MARIÆ.

THEMATA.

I. *An & quomodo meruerit B. Virgo, ut esset mater Dei.*
II. *Verbo Fiat, quanta effecerit B. Virgo.*
III. *Quanta beneficia B. Virgo suo assensu nobis contulerit.*
IV. *B. Virgo vere ancilla Domini.*
V. *Quomodo captus a B. Virgine, & à nobis in Sancta communione capiendus DEI Filius.*

THEMA I.

An & quomodo meruerit B. Virgo, ut esset mater Christi.

Maria virgo emit quodam modo Dei maternitatem.
I. *Obtulit carnem & sanguinem suum.*
II. *Dedit voluntatem & animam suam ad excipiendum doloris gladium.*
III. *Debuit captivare intellectum suum.*

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.
Luc. 1.

DE forti & sapienti illa muliere scribit inter alia Salomon Prov. cap. 31. *Consideravit agrum & emit eum.* Quis est iste ager? Respondebunt nobis agricolæ, agrum designare frugum fæcunditatem, propter quam sunt & coluntur agri. Ergo ager iste, hodie oblatus est Virgini MARIÆ quasi vænalis, ut si vellet eum emere, fieret fæcunda, adeoque mater Dei. Ager inquam ille, in quo absconditus est thesaurus infinitus (Matth. 13.) Dei inquam filius; *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* ad Coloss. 3. Nobilis profectò & pretiosus ager. Sed emendus est, & caro quidem pretio. Omnia vendenda sunt & danda pro hoc agro, prout insinuavit Christus, Matth. 13. Quid ad hoc Maria? *Consideravit agrum*; quia *cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Neque hoc tantùm, sed & pretium ponderavit, an pro eo expendere deberet thesaurum virginitatis suæ: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Benè de ea sponsus dixit Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Tur* enim Hebr. est *considerare*: unde *turtur* est *bis considerare*; quod fecit hic Maria. Responde ergo ô Virgo: Vis emere hunc agrum? Respondet se dispendio virginitatis suæ, utpote Deo obligatæ, nec posse nec velle emere, alia omnia daturam: corpus, animam, voluntatem, intellectum, quibus nil pretiosius haberet. Quo consensu dato, conclusus est contractus. Atq; hoc est meritum, ut appellant Theologi, de congruo, quo promeruit Maria, ut in executione esset mater Dei, quod nunc expendemus.

I. Offerre debuit, obtulitque Virgo carnem & sanguinem suum. 1. ad efformandam in ejus utero Christi carnem, opera Spiritus Sancti, & quidem absque ulla voluptate carnis. Rem magnam præstitit Hieram Regi Salomoni, quando dedit ei ad structuram templi ligna cedrina, aliaque necessaria. 3. Reg. 5. at nihil hæc ad sanguinem Virginis purissimum & sanctissimum, quem ipsa dedit Christo, ad extruendum sacratissimum corporis ejus tabernaculum. Sed majora audiamus. Obtulit se Filio Dei in matrem, non quales sunt Reginæ & illustres dominæ, sed quales sunt plebejæ & paupercculæ, ut simul esset ancilla ejus, tametsi certa foret, se esse matrem summi Regis: *Ecce ancilla Domini*, inquit. Peritissima erat Deipara in Scripturis sacris, habebat insuper sibi infusum à Deo habitum sapientiæ Theologicæ, ut communiter docent Doctores cum Suarez pag. 3. tom. 2. itaque noverat pleraque saltem Christi mysteria, antequam fierent: prævidit officium & obsequia sua materna filio impendenda: unde intelligebat, quod filium eniti in stabulo Bethlehemitico, sine obstetricis opera; ipsamet infasciare, lactare, lavare, in summa paupertate alere, vestire, educare, in Ægyptum gestare deberet. Vidit insuper periculum famæ suæ; quòd inprimis sponsus suspectam de perfidia habiturus esset, vel certè habere posset; adeoq; periculum incurrere præscriptæ in lege lapidationis. Magna ista sunt. Dicat Samuel vir sanctus & cordatus. Hic jussus à Deo ungere filium Isai in Regem, regnante adhuc Saule, timuit certè, & mortis metum Deo objecit, dicens: *Audiet hoc Saul, & interficiet me.* 1. Reg. 16. Nihil tale objecit Maria, sed amore filii sui & causa humanæ salutis, omnium communis, superavit omnia: Sancta Elisabetha Regis filia & Thuringiæ Principis conjunx, viso cadavere mariti oravit ad Deum: *Tu scis Deus, quòd ejus desi-*

I. *Obtulit carnem & sanguinem suum.* 1.

derabilem præsentiam mihi gratissimam omnibus hujus mundi deliciis & gaudiis anteferrem, si ipsum mihi tua benignitas concessisset : optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate & mendicitate vivere ; dummodo ejus frui contubernio de tuo beneplacito licuisset. Nunc verò ipsum & me tuæ voluntatis dispositioni committo, In ejus vit. 19. Nov. Multum est hoc, fateor; sed longè plus quod Maria filio obtulit, ut reipsa semper unà cum ipso in paupertate viveret. Laudantur etiam Aquileienses fœminæ, quod obsidente urbem Attila & deficientibus cordis arcuum, quibus viri jaculabantur, capillos suos absciderint, indeque cordas confecerint, ut viri porrò jaculari urbemque possent defendere, apud Fulgos. lib. 7. c. 6. At quanto majus est quod Maria dedit filio, caro, sanguis, fama, facultates, curæ, cogitationes, labores omniaque quæcunque habuit : quo nimirum ipse virginea vestitus carne debellare posset humani generis hostem potentissimum.

II. Dedit voluntatem & animã suam ad excipiendũ doloris gladium.

II. Offerre debuit voluntatem & animam suam ad excipiendum gladium doloris, qui ejus pectus transiturus erat; non solum quando filii gratia probra sustinere, cum eo in Ægyptum fugere; ejus passionem videre & cruci adstare, ipsumque sepelire debuit, sed etiam toto prævio tempore, quo prævidit omnes hos cruciatus filii & suos. Itaque ipsa multò verius quàm Simon Cyrenensis crucem portavit post Jesum, totis 34. annis à conceptione videlicet Christi usq; ad ejus mortem. Templum Salomonis cum ædificaretur de lapidibus dedolatis, *malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in eo*, 3. Reg. 6. At non sic, cum destrueretur templum corporis Christi, omnes ictus, omnes alapæ, omnes contumeliæ sunt auditæ in corde Deiparæ. Exod. 23. præceptum erat : *non coques hædum in lacte matris suæ*, ne scilicet in perniciem vertatur alicui, quod in utilitatem, & delectationem ejus servire debet. At hoc in Deipara minimè servatum est, coctus est hædus ille in lacte & conspectu matris suæ. Agar illa, quando vidit moriturum filium suum præ siti in deserto, abjecit eum subter unam arborem, & sedit è regione procul sedens : *Non videbo morientem puerum.* Genes. 21. At hoc Mariæ non licuit. Adstare cruci debuit, & videre morientem filium : audire etiam sibi valedicentem, sicque ei contigit, quod in pœnam Deus minatur maximis prævaricatoribus, Deut. 28. *Erit vita tua quasi pendens ante te ?* Qua ratione ? *Sicut pendens in ligno*, ait Tertul. l. cont. Jud. c. 11. Quis enim dubitet perpetuò ei ob oculos versatum esse crucifigendum filium ? Certè Nabuchodonosor ut Sedeciam Regem captum maximè torqueret, antequam ei oculos effodi juberet, filios in conspectu ejus trucidari mandavit 4. Reg. 25. Visum enim ipsi est dirissimum supplicium fore hoc parenti, filios amanti. At quanto major amor erat Deiparæ in filium? quid jam erat spectare talem filium coram se tam diro supplicio [illegible]? Verè igitur dicimus, quòd pro filio suo dederit animam suam.

III. Captivare intellectum suum debuit ad credendas res difficillimas, novas & eo usque inauditas. Credere inprimis mysterium Trinitatis distinctè quod ab Angelo ei annnunciabatur. Deinde Dei filium fore simul hominem, ejusque filium, adeoque mysterium incarnationis & redemptionis. Tertiò se fore ejus matrem, & quidem sine ulla virginitatis jactura. Quartò fore matrem sine patre, mira Spiritus Sancti operatione. Denique Deum immensum claudendum in utero ejus. Sanè olim Salomon capere non poterat, quod ei dicebatur, Deum habitaturum in templo suo: *Ergone putandum est*, inquit, *quod verè Deus habitet super terram? si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* 3. Reg. 8. At Maria credidit se capturam Deum & clausuram utero suo. Verè itaque dicere possumus habuisse fidem plusquam granum sinapis. Quis enim talem haberet, ut posset dicere mõti: *Eradicâre & transplantâre in mare*, & fieret. Luc. 17. At Maria sua fide effecit ut ad unum ejus verbum : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, mons ille montium de cælo descenderet, & transplantaretur in uterum ejus. Mira res! fides Virginis effecit, ut mons immensæ magnitudinis in angustis Virginei uteri limitibus se constringeret ac contineret. Simile quid effecit olim fides Abrahami. Cùm enim peregrinans sub quercu parvum & tumultuarium tabernaculum sibi struxisset, veniunt ad eum tres Angeli, quos excipit hospitio. Miratur hoc S. Augustinus serm. 68. de tem. & respondet : *Licet illa* (spatia) *minora fuerint, quæ offerebantur, locorum angustiis magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo.* Pari modo magna Mariæ fides ejus uterum in Dei habitaculum præparavit, & fidei latitudine hospitii angustiis occurrit. Neque verò ad hæc tanta credenda, signum aliquod petiit, quemadmodum olim Patres; uti Abraham Gen. 15. *Domine Deus unde scire possum, quòd possessurus sum eam ?* (Chananæam.) Gedeon missus ad liberandum populum : *Domine da mihi signum*, inquit, Judic. 6. Ezechias signum recipiendæ salutis petiit, ut Sol decem lineis retrocederet. 4. Reg. 20. Zacharias : *unde hoc sciam* inquit Angelo, me scilicet habiturum in senectute filium. Luc. 1. Non sic Maria; sed absq; hæsitatione credidit secundum verbum Angeli, id quod nisi fecisset, Dei mater facta non esset. Nec qualemcumque fidem Deo offerre debuit, sed constantem & perrennem, quæ nunquam fluctuaret, etiam in triduo mortis Domini, dum alii penè omnes in fide nutabant. Candelam ergo obtulit, qua nunquam extingueretur, licet aliis extinctis. Id quod Ecclesia repræsentat in candelis illis, quæ in tenebrosis matutinis solent extingui, una sola inextincta. Quis talem Deo fidem polliceri ausit.

Hæc

r Hæc ergo cùm non exigua sint, non exiguas gratias agere Virgini debemus. Quid enim si assensum non dedisset? iane si os clausisset. Hinc responsum ab eâ expectavit totus orbis. *Deus in portâ est*, ait August. serm. 17. de Nativ. Christi. *Angelum, quem moraris expectat. O Beata Maria, seculum omne captivum tuum deprecatur assensum &c.* Expectat Dei filius, sitiens salutē hæreditatis sibi donatæ & prædæ capiendæ. Expectant Angeli, desiderantes fratres pro amissis. Expectant viventes in carcere dæmonis detenti. Expectant in limbo patres. Quare jure merito hoc beneficium inculcat nobis Ecclesia quotidie per pulsum Angelicæ salutationis. Eo igitur audito recordemur illico vocis illius turturis cum gratiarum actione: quæ sicut nobis ver gratiæ attulit, ita suâ intercessione afferre etiam velit æstatem gloriæ.

THEMA II.

Verbo *Fiat* quanta effecerit Beata Virgo.

I. *Mundum perditum restauravit.*
II. *Deum hominibus iratum placavit.*
III. *Dei filium è sinu patris in terram detraxit.*
IV. *Traxit ut pro hominibus mortem crucis pateretur.*
V. *Humanum genus ad summam dignitatem evexit.*
VI. *Contrivit caput serpentis.*

Fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. I.

MIrum quid pronunciant filiæ Sion, sive animæ sanctæ de B.V. Maria Cant. 6. dum in miras e-ıs laudes prorumpentes dicunt: *Quæ est ista, quæ rogreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Qua in laude facile intelligo, quæ dicuntur prioitria, de aurora, Luna & Sole; sed ultimum quis caiat? quomodo nimirum terribilis sit ut castrorum cies ordinata? Ubi enim Virginis illius milites? bi arma? ubi tormenta bellica? ubi potentia? Hoc t intelligam, manum mihi porrigit vel Ethnicus oëta Euripides, qui sic canit:

Cuncta sermo efficit,
quæcunque ferrum efficere possit hostium.

Quandoque enim verbis quis effecit quod integro xercitu efficere non potuit. Hoc autem cernitur odie in sermone licet per brevi V.M. quæ uno vero *Fiat: fiat mihi secundum verbum tuum*) effecit, uod nulli seu hominum, seu Angelorum etiam exercitus efficere potuissent, ut nimirum mox eo ronunciato, carnem Dei filius in ejus utero assumeret. Bene proinde terribilis dæmonibus, quos oc verbo stravit velut castrorum acies ordinata.

Multum quidem potest in ore Principum verbum istud *Fiat*; sed nihil hoc ad potentiam, quam habuit in ore Virginis, uti nunc videbimus.

I. Unico Verbo *Fiat*, quo Deus creavit mundum & omne humanum genus, B. Virgo mundum peccato eversum iterum creavit & suo nitori restituit, mortuumque hominem vivificavit? quia per hoc Verbum dedit mundo Reparatorem. Audiamus S. Bern. hom. 4. super Missus est; *In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* In mortem incidimus per peccatum protoplastrorum ac tametsi præcise ex eo damnandi ad sensibiles pœnas non eramus; sed ad pœnam damni solùm, sed privationis gloriæ; nihilominus tamen plerique omnes in eo misero statu, Dei gratia destituti in lethalia propria lapsi fuissemus, quod vel nunc aliquatenus tempore gratiæ experimur; quod videlicet pauci, ad paulo longius tempus sine gravibus peccatis vivant; sicque pariter mortem alteram, gehennæ incurrissemus; & incurrerunt sane in Gentilismo fere omnes. Unicum *Fiat* B. Virginis, mortem hanc sustulit, & vitam mundo adduxit. Quare quod de Christo ait Apostolus 1. Cor 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chrristo omnes vivificabuntur*: Sic id etiam suo modo dici potest, ac dixit B. Amedeus hom. 7. de Maria Virgine: *Sicut in Eva omnes moriuntur, ita etiam in Maria omnes vivificabuntur.* Cum in mundi creati prima die merum chaos esset, dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux.* Ante assensum Mariæ, quid nisi chaos in mundo erat? quantæ tenebræ inter Gentiles per universum orbem? quot errores, ignorantiæ, cæcitates inter ipsos Judæos & Legisperitos? Dixit Maria; *Fiat*, & facta est lux, quia *Verbum caro factum est* quod *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Hanc ergo lucem Maria intulit in mundum. Ante hoc verbum *Fiat*, mundus incompletus fuit, quia capite & Rege suo visibili & homogeneo caruit, eique gradus aliquis entis, unio scilicet hypostatica hominis cum Deo defuit: quam ob causam multi præclari Theologi sentiunt, Deum in carne venturum fuisse, tametsi Adam & posteri ejus non peccassent. Maria igitur verbo *Fiat* mundum hunc perfecit, eique ultimam manum & coronidem imposuit, quia caput & Regem visibilem dedit, hominem cum Deo hypostatice unitum Prius reperiebantur singulæ naturæ in singulis personis, ut in hominibus & Angelis: reperiebantur plures personæ in una natura, uti in Deo: Maria dedit tertium gradum, unam personam in pluribus naturis scilicet Christum. Prius in universo extabant, qui simul patrem haberent & matrem, uti nos homines, Rursum qui nec patrem haberent nec matrem, uti Angeli. Item qui patrem haberet sine matre, uti Dei filius. Maria addidit ultimum gradum in Christo, qui secundum carnem haberet matrem sine patre.

I. Mundum perditum restauravit.

II. Hoc verbo *Fiat*, iratum generi humano Deum

II. *Deum hominibus iratum placavit.*

statim placavit adeoque reconciliavit. Constat Deum ob rebellionem & peccata hominum justissimam in eos iram concepisse, & extrema minatum esse; nec reperiebatur qui iratum placare & retinere posset. Unde queritur Isaias c,64. *Ecce tu iratus es: non est, qui consurgat & teneat te.* Verùm desine ô Propheta; inventa est puella tantæ fortitudinis & sanctitatis, ut tenere Deum iratum ac sedare queat. *Tenui eum, nec dimittam,* inquit Cant. 3. *donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Synagogæ scilicet aut Judææ, pariẽdo eum in Bethlehem, quæ erat caput & domus familiæ Davidicæ, & in ejus stabulo, velut ejus cubiculo. Refert Plin, 8. c.18, leonem in sylvis Getuliæ mulieri è captivitate reduci ferociter occursantem mitigatum ejus alloquio, ausæ dicere se fœminam profugam, infirmam, supplicem animalis generosissimi, indignam ejus præda. At B. V. suavissimo suo alloquio: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* Deum ipsum mundo iratum mitigavit. Quanto mirabilius hoc? Celebratur & à Livio l.2. dec.1. Veturia Ro. quæ filii Coriolani, Romam obsidione prementis multumq; affligentis, iram oratione sedavit. Laudatur in SS. libris prudentissima & facundissima Abigailis oratio, qua iratum marito & domui suæ, jamq; ad vindictam paratum Davidem & placavit & sibi devinxit, ut postea conjunx ejus fieri mereretur, 1. Reg. 25. Prædicatur deniq; & jure quidem mira S. Leonis Pp I. eloquentia qua immanem illum orbis terrorem, Attilam, quẽ nec alpes, nec munita loca, nec arma absterrere ab ingressu Italiæ potuere, à concepta in Romam ira & funesto itinere absterruit, adeoque ex leone in ovem quodammodo mutavit, Sed parva adhuc sunt ista, si cum illo, licet brevissimo, potentissimo tamen eloquio Mariæ comparentur; quo non leonem sed Deum: non filium, sed omnium creatorem & Dominum: non hominem; sed Deum iratum placavit, & quasi ex leone in ovem, certe in infantem convertit. Quantum laborarunt olim Sancti, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Prophetæ, ut pacem inter Deum & humanum genus sancirent! nihil effecerunt. Maria unum ad Deum verbum effata est, pacem impetravit, dicendo: *Fiat mihi;* q. d. *Fiat pax in virtute tua* Ps. 121.

III. *Dei filium è sinu patris in terram detraxit.*

III Hoc verbo, *Fiat,* Dei filium è sinu patris in terram detraxit. Hinc S. Bern. serm. 42. in Cant. & Rupertus de ipsa intelligunt, quod Cant. 1. dicitur: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* Quid accubitus Regis, nisi quies & delitiæ filii Dei in sinu patris? quid nardus, herba modica & odorifera, nisi modicum illud obedientię & moris verbum, *Fiat*? Hujus verbi odor ascendit usque in cælum, & è sinu patris dulcissimo, deliciosissimo, filium extraxit, atque in terram Virginisque uterum detraxit. Magnũ quiddam est, quod mulier Pythonissa Samuelem Prophetam è limbo patrum carmine magico evocavit & coram Saule stitit, ut responsum ei daret, 1. Reg. 28, At quanto majus est, quod Maria Dei filium è cœlo in terram verbo uno *Fiat* evocavit & quasi incantatione aliqua detraxit? Non credendum, quod Pythonissa illa potuerit aliquid sive sua sive dæmonis arte in animam Samuelis, è sinu Abrahæ evocandam; sed Deus utique ad molimen fæminæ, licet nicromanticæ stitit Prophetæ animam. At vero B. Virgo verbo illo suo velut virtuosissimo & ad impetrandum potentissimo vere è sinu patris evocavit Dei filium Quo spectare videntur verba illa sponsi ad sponsam Cant. 4. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuor[um] & in uno crine colli tui,* Septuaginta habent: *Abstulisti cor meum.* Et quomodo abstulit? uno crine col[li] sui. Quid crine gracilius & flexibilius? Verbum illu[d] *Fiat,* quo inflexit. Maria in Dei voluntatem, ipsu[m] vicissim ita inflexit, ut in uterum ejus descendere[t]. Obstupuit aliquando populus Rom, quando vid[it] maximam navim, qua Cybele, Deorum mater ve[hebatur], trahi à Vestali Virgine, Claudia, advers[o] Tiberis flumine ad contestandam ejus innocentia[m] contra calumniatores, solo Virginis cingulo, qua[m] magna populi pars nullo conatu trahere potera[t]. Sabellic. l.2. c.5. At hoc quomodocunque factum [sit] parum est respectu ejus, quod Maria fecit, Dei fil[ium] è patris delitiis detrahendo in hunc mundum cr[i]minibus oppletum, unico verbo *fiat,* quasi uno cri[]ne colli sui, & quidem adverso quasi flumine, [ut] descenderet Deus ad creaturas, Dominus ad serv[os] suos reprobos & rebelles. Quantum Mariæ robu[r]

IV. Neque ad hoc in terra evocavit Deum virg[o] ut is imperaret, bonis omnibus gauderet & delit[iis] frueretur: neque solùm ut mundum ornaret, per[fi]ceret & visitaret, sed ut in eo pro amore nostri ace[r]bissima quæque ac mortem denique turpissima[m] sustineret: quod omnem admirationem superat. M[i]ramur non immerito quomodo Samson ille rob[u]stissimus à Dalila persuaderi potuerit, ut caput in [e]jus sinum dormiturus deponeret; quam tamen s[ibi] & vitæ suæ insidiari, ut hostibus traderetur, jam e[x]pertus fuerat. Judic. 16. Sed nimirum illa blandit[iis] meretriciis eum aggressa est, facinora ejus dila[u]dans, (ut scribit Josephus) vires deprædicans, i[m]portunis denique precibus eum affligens ac mo[le]stans. Et quid mirum hominem capi fæminaru[m] blandiloquio? At vero Deum persuaderi à muli[ere] & quidem uno ejus verbo, ut seposita quasi ma[je]state sua, demittat se in sinum ejus, ut ibi amo[re] consopitus permittat se spoliari robore & dec[ore] suo, fama & existimatione sua; tradi hostibus, illu[di], dirissime torqueri & occidi, pro salute mancipio[rum] suorum: quis hoc satis intellectu capere potest? q[uis] Mariæ vires & sermonis facundiam satis deprædi[]care?

V. Hoc eodem verbo totum genus humanum [in] summam dignitatem extulit, ut divinæ naturæ c[on]sors & cognatum fieret, hominesq; Dei fratres [&] consanguinei appellari possent. Hoc est, quod op[ta]vit sponsa seu natura humana Cant: 8. dicens: *Q[uis] mihi det te fratrem sugentem ubera matris meæ,*

im

veniam te foris & deosculer te & jam me nemo despi-
at? q.d: O si Deus ad nos homines descenderet, &
rne nostra indutus, frater noster fieret, sugens u-
era matris meæ Mariæ, quæ, communis omnium
vocantium se mater fieret; ut sic exaltata, ipsique
eo cognata non amplius despiceret & subsanna-
t? Sane ante Christi adventum genus humanum
peccati labem despicabile ac contemptum erat,
ut dicatur Ps. 48. *Homo cum in honore esset non*
tellexit: comparatus est jumentis insipientibus, &
nilis factus est illis. Subsannavit eum Deus: *Ecce*
uasi unus ex nobis factus est Gen. 3. q.d. En qualis
eus factus est! nudus & miserabilis, pellicea tectus
iste! Despexerunt Angeli qui ei non faciem sed
rsum ostenderunt, uti illi Agar ancillæ, Gen. 16. &
er Moysi, Exod. 33. Despexerunt & irriserunt dæ-
ones, qui in Idolis homines deluserunt ac dece-
runt, iis denique ad fœdissima quæque scelera in
sam naturam humanam perpetranda, facile pro-
ectis, turpiter abusi sunt. Spreverunt bruta anima-
, quæ majore ex parte rebellia hominibus facta
nt. At vide nunc potentiam Verbi Mariani, Post-
iam illa dixit: *Fiat mihi*, Deus unus ex nobis, fra-
& propinquus noster factus est. Angeli nos ho-
rare cœperunt, nec amplius se ut olim in veteri
ge adorari ab hominibus (ut docet S. Gregorius
m. 8. in Evang.) passi sunt; uti ille, qui Joanni se a-
raturo dixit: *Vide ne feceris: conservus tuus sum,*
fratrum tuorum. Apoc. 19. Dæmones vero ab
minibus subacti sunt & expulsi ex Idolis. Bruta
a sæpenumero viris sanctis pristinam obedien-
m exhibuerunt. Denique quis despicere, imo non
nerari poterit homines; Dei consanguineos fa-
s? Quis nescit, si quis Rex in abjectam obscurā-
e familiam per connubium se inserat, quod hoc
o sua nobilitate eam maxime illustret, nobilitet
exaltet? Jam vero V. M. effecit, ut Dei filius cum
mana natura, tam vili se desponderet, adeoque
ter secundum carnem & propinquus noster fie-
. Verbo enim *Fiat* copulavit nuptias inter Dei fi-
m naturam humanam. Nonne ergo ad summos
ores naturam humanam extulit? Neq; vero hoc
nubium Dei filio ut persuaderet, multas machi-
adhibuit. Unico verbo effecit: *Fiat mihi.* Privi-
ium est Regum, ut unico verbo, Nobiles & do-
res creare possint. Maria unico verbo, nos Dei
res fecit summaq; nobilitate ornavit.

VI Hoc eodem verbo contrivit caput serpentis;
od prædictum de ea fuit Gen. 3. *Ipsa conteret ca-*
tuum. sua nimirum virtute & consensu, de con-
o merendo, ut ex ipsa Deus carnem assumat, qui
entem illum mactet. Facit ad hoc explicandum,
od scribit Scaliger exercit. 196. his verbis: *Vene-*
orum serpentium est hostis acerrimus Chamaleo
ifft Erdes.) *Is ex illis unum quempiam speculatus*
mbra captantem auras, aut in radiis apricantem;
am scandit arborem, quæ illi imminet. Unde ex ore
ittit filum araneorum more in cujus fili extremo
tula sit, margarita splendore. Ea tactum in verticé
serpentem mori. Chamæleo græce est *humilis leo.*
Nec male comparari potest B. Virgini, quæ per suam
humilitatem leo & acerrimus hostis facta est dæ-
monibus; ea dum filum optatissimi sermonis ex o-
re suo demittit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mi-*
hi secundum verbum tuum; ecce tibi ad finem ejus
fili margarita splendidissima, Dei filius in carne pe-
pendit, ut sic dicam; quo mediante Maria serpentis
caput contrivit. Porro ad verbum virginis *Fiat*, mox
incarnatum esse in utero ejus verbum Dei, testatur
imprimis S. Greg. Thaumaturgus ser. 1. de Annunc.
Sic ipse verbum suscepit, inquit, *& pretiosam marga-*
ritam produxit, puta Christum. Sicut enim margari-
ta ex duabus naturis, scilicet ex fulgure & aqua con-
flatur: sic Christus ex Deitate & humanitate. Acce-
dit S. Joan Damascen. orat. 1. de Nativit. *Lætetur*, in-
quit, *mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ*
cælitus ex divinitatis fulgetro concipiet, & Christum
ingentis pretii unionem pariet. Itaque hæc margarita
quidem, hoc est, Christus serpentem illum antiquū
occidit immediate & propria virtute: B. Virgo au-
tem mediante Christo. Nihilominus tamen recte e-
tiam id tribuitur Mariæ, sicut nex serpentis Cha-
mæleonti, quia ex ore gignit margaritam illam seu
guttam, quæ serpentem necat: & sicut sanitas profe-
cta à fructu ligni vitæ; tribuitur etiam ipsi ligno seu
arbori. Judith Holoferni caput pugione ejus absci-
dit, Maria vero Lucifero unico verbo *Fiat.* Quare si
prædicatur, & jure quidem, potentia & magnanimi-
tas Judithæ, quanto magis prædicanda erit poten-
tia Mariæ;

Ecce Auditores, quanta & quam miranda effece-
rit Maria, unico hoc verbo. Possemus etiam nos res
sæpe magnas perpetrare, si verbum hoc enunciare,
& resolvere nos vellemus. Omnes volumus salu-
tem consequi; verumtamen, ut ait S. Aug. l. 8. Conf.
c. 8. *deest nobis velle fortiter & integre. Et mox ut*
vellem, possem, quia mox ut vellem utiq; vellem. O-
mnia possemus in Christo, modo diceremus *Fiat:*
Rem sane difficillimam aggressa fuit Judith, quan-
do in castrum Holofernis exiit, ut eum decollaret;
Id tamen fæliciter effecit, quia fortiter se resolvit ad
id faciendum, nixa oratione sua & suorum. Pari mo-
do & nos non difficile expugnabimus hostem tar-
tareum; modo velimus & dicamus: *Fiat pax*, fiat
confessio, fiat emendatio, fiat eleemosyna, fiat
quod mihi dictum est à Confessario
& Concionatore.

* * *

THEMA III.

Quanta beneficia B. Virgo suo assensu nobis contulerit.

I. *Facta est nobis mulier illa, conterens caput serpentis.*
II. *Facta est nobis Aurora.*
III. *Facta est quasi nubecula Eliæ.*
IV. *Facta est quasi navis institoris.*
V. *Facta est quasi Esther Regina.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum. Luc. 1.

Dies hæc jucundissimi veris nuncia.

Dies hodierna nuncius est veris, jam incipientis. Unde hortulani jam incipiunt hortos, agricolæ agros, vinitores vineas colere: siquidem dies longiores jam fiunt noctibus. Sol incipit terram calefacere atque aperire, pulso hyemali frigore. Neque solum naturale, sed & mysticum ver annunciat nobis dies ista. Nuntius enim de cœlo missus, & respondens illi Deipara annuntiat nobis ver gratiæ, & Evangelium regni cœlestis, adeoque superatæ asperæ hyemis, quæ viguit sub lege veteri & Gentilitate. Id quod Canticorum secundo indicat sponsus sponsæ, Christus animæ, dicens: *Iam hyems trãsiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Solet certe turtur esse veris nuncia, sed quæ illa turturis vox, quæ annuntiat ver Evangelicum? Non alia sane, nisi vox illa Mariæ: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hac enim voce non solum nuntiat, sed etiam suo modo affert & facit nobis ver lætissimũ gratiæ. Itaque sicut ineunte vere lætantur omnes, magni æque ac parvi: illi cùm agros colere, isti cùm ludis animum recreare incipiunt: ita nos jure merito hodie lætamur; sed & habemus, quod agamus ingentes Virgini Mariæ propter istam vocem gratias. Si consideremus statum mundi ante Christum natum, tunc non nisi austera hyems erat, in qua si cœlum aspiceres totum erat nubilum, & ignorantiæ tenebris oppletum, Idololatriâ & superstitionibus plenum: si terram, undique luto conspersa, libidine, turpitudine, injustitia, tyrannide: si arbores omnes spoliatæ floribus, & frugibus virtutum: si aquas, undique concretæ torpore & algore malitiæ ac pertinaciæ. Nimirum Sol justitiæ Deus longissime ab hominibus recesserat exigentibus illorum peccatis, postquam à veri Dei cultu recesserunt: & licet eum cognovissent, non tamen coluerunt, ideo *tradidit eos in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt*; ut Paulus ad Romanos primo docet. Unde factum ut omnes nationes mundi præter Judæos in via perditionis ambularent imo & plerique Judæi, qui jam tunc perversissimi erant, & falsa non solum dogmata habebant sed mores reprobos.

I. Ergo Virgo Maria facta est nobis hodie mulier illa, de qua in exordio mundi dixit Deus ad serpentem: *Inimicitias inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Genesi tertio. Quæ est hæc mulier? non sane Eva, quæ nec per se; nec per semen suum contrivit ullum serpentem. Maria igitur Virgo est, quæ suo solius (non adjecto viri) semine, Christo videlicet, quem hodi[e] concepit, contrivit caput tartarei serpentis. Ita in e[u]um locum S. Leo Papa. *Inter ipsa primordia mund[i]* inquit, *præsignavit Deus denuncians serpenti futu[]rum semen mulieris, quod noxii capitis elationem su[a] virtute contereret, Christum scilicet in carne ventu[]rum Deum hominemque designans* Serpens ille an[]tiquus non solum insidiatus est Evæ calcaneo & p[o]steritati, sed etiam in eo maximam stragem edidi[t] innumeros ejus filios necando, & ad interitum tr[a]hendo. At beata Virgo filium talem, formatum [ex] semine & sanguine sui solius, hodie concepit, q[ui] furorem & superbiam serpentis illius compesc[e]ret. Servit huic rei declarandæ mira ciconiæ alic[u]jus industria, quam refert Oppianus apud Aldr[ov.] in Ornith, De Ciconiis. Hæc cum supra tectum a[li]quod nidum suum haberet & per æstates aliq[uot] adverteret, se absente pullos suos à serpente, qui [in] tecto habitabat, enecari & depasci: attulit seque[nti] vere avem secum ignotam his terris & peregrin[am] longo & acuto rostro fortem alis & pectore. H[anc] posuit in nido, velut custodem pullorum, dum i[psa] ad pastum evolat, cibumque illis defert. Accidi[t] serpens, dum abest ciconia, more suo irreper[et] ciconiæ nidum, ad pullos devorandos At inv[enit] ibi custodem illum, peregrinam avem, cujus ac[uto] rostro, dum in eum pugnat, adeo confixus & dil[ace]ratus est, ut pœnas temeritatis suo interitu ded[erit]. Diximus quis serpens Evæ filios persecutus [sit] misere confecerit. Quid agis Eva? cur non suc[cur]ris filiis tuis? cur non conficis serpentem? At tu [non] es mulier illa, de qua dictum est: *Ipsa conteret ca[put] tuum.* Maria est Eva altera. Hæc suo assensu ad[du]xit hodie de cœlo avem peregrinam, forti pe[ctore] & acuto rostro, Dei scilicet filium in uterum su[um]. Iste est, qui serpentem illum stravit, & ad pedes [...] prostravit, qui eos gementes & vociferantes c[om]pescuit, & undique è corporibus ejecit, den[ique] morte sua omnino contrivit. Vidit hoc in spirit[u I]saias, cùm in persona Dei loquens dixit cap. 46 *[an]nuncians ab exordio* (mundo scilicet) *novissi[m]* (Christum, vel quod novissimo tempore fiet) *ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens: Consi[lium] meum* (mittendo Christo) *stabit & omnis mea [vo]luntas fiet. Vocans ab oriente avem,* (hoc est C[hri]stum, qui *visitavit nos oriens ex alto*, ut exponit [san]ctus Cyrillus & Hieron.) *& de terra longinqua [vi]rum voluntatis meæ.* Ad literam quidem intel[ligit]

ravem, Cyrum Persarum Regem, per quem Ba-
lonios constitutis punire atque exterminare;
ysticè tamen per Cyrum Christum demonstrat,
r quem satanæ regnum destruere decrevit.

II. Facta est nobis quasi aurora, juxta id Cantic. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consur-ns?* 1. quia aurora advehit Solem ideo à Poëtis *rrus Solis* appellata pellitque tenebras: ita Virgo aria advexit nobis Christum suo illo assensu, di-ellere cœpit tenebras ignorantiæ ac peccatorum. uid enim Christus erat nisi lux hujus mundi? sine mundus quid nisi cimmeriæ & Ægyptiæ tene-æ forent.

2. Quia ut aurora vapores resolvens, dulcem ex rorem plantis inspergit, easque fœcundat; unde rora quasi aura rorans dicitur: ita beata Virgo st suum assensum suavissimo incarnati verbi nū-, aspersit Elisabetham & Joannem, ejusque do-um totam, deinde sponsum suum Josephum, nique pastores, Magos, Simeonem, Annam aliosque fideles. Collegerunt illi hunc rorem veluti a-culæ, & dulcem sibi inde mellis favum confece-nt gaudii spiritualis; ut partim in Deo exultarent rtim præ gaudio mori optarent, partim præcones risti fierent.

3. Quia sicut aurora fugere cogit feras noctu assantes in sua latibula, ne damna inferant homi-bus: provocat vicissim aves ad concinendum; a-sque animantes lucis amantes ad pastum & labo-m: ita beata Virgo suo assensu Christum mundo vehens stygiis illis beluis, nocte ignorantiæ gras-ntibus, terrorem injecit: sanctas vero animas ad ei laudem decantandas excitavit, uti Zachariam Elisabetham, Simeonem & Annam, denique SS. ngelos aliosque Dei servos Hinc Canticum: *Be-dictus Dominus Deus Israel: Nunc dimittis: Glo-a in excelsis.* & quod ipsamet cantavit: *Magnificat.* Quod si tres illi pueri è Babylonicæ fornacis in-endio liberi invitarunt omnes creaturas ad bene-icendum Deo: multo fortius id præstitit Maria, per uam Deus longe majora contulit beneficia in hu-anum genus.

III. Facta est nobis quasi nubecula illa, quæ ad reces Eliæ ascendit è mari & effundit pluviam co-iosam post trium annorum & sex mensium sicci-atem. 3. Regum 18. secundum Joannem Episcopum Hierosolymitanum de Instit. Mon. cap. 33. Nubem esse Mariam discimus ex Isaia capite 19. *Ecce Do-minus ascendet super nubem levem & ingredietur Ægyptum.* Nubes è mari ascendit amaro, nihil ta-men amaritudinis inde trahit aut secum vehit: ita Maria nullam contraxit labem originalem, licet ge-nita à parentibus, qui labem illam incurrerant. Ante illam nubeculam nulla apparebat spes pluviæ; Sic *quia nubecula illa mater Iesu*, ait citatus Episco-pus Joannes, *non fuit à puero visa nasci in prima il-la ætate mundi, ideo puer dicit: Non est quidquam.* Nubes illa fuit quasi *vestigium hominis* seu ut Pa-gninus legit, *viri. Maria*, ait idem Episcopus, *id hoc suo spirituali assensu, non fœminam, quam imitare-tur, sed hominem divinum habuit exemplum.* Vere enim virum potiùs quam fœminam se præstitit in suo consensu. Puer nuntiavit Eliæ nubis ascensum: Angelus è Virgine reversus in cœlum nuntiavit Deo Virginis assensum. Cucurrit puer septies, do-nec videret nubem: Angelus nuntiavit Mariæ ob-umbrationem Spiritus sancti gratia septiformem. E nube exaltata secuta est pluvia diu terræ deside-rata, Maria salutata postquam assensum dedit, plu-viam Verbi divini in terram detraxit, tamdiu expe-titam à Patribus, Isaiæ quadragesimo quinto. *Ro-rate cœli desuper & nubes pluant justum.* Pluviam inquam, quâ universa terra irrigata, fœcundata & vivificata est.

IV. *Facta est quasi navis institoris, de longe por-tans panem suum*; sicut ait Sapiens Prov. 31. & expo-nit de B. V. D. Bonavent. in ser. 1. de ipsa V. S. Bern. in Salve. Sed qua ratione.

IV. *Facta est quasi na-vis insti-toris.*

Primo navis tam in puppi quam in prora acu-minata & angusta est. Navis ergo facta est quia tam in principio, quam in fine hujus salutionis hu-militatem suam ostendit: initio, cùm turbata est in tam honorifica salutatione, quasi sibi minime de-bita: in fine, quando demum respondit: *Ecce ancilla Domini.* 1.

2. Navis erat vacua, quia virginitati obstricta, quam etiam prætendit, & hoc ipso digna effecta est ut cœlesti pane impleretur & absque detrimento virginitatis mater Dei fieret. 2.

3. Navis institoris seu mercatoris, quia divinum illum panem modo aliquo mercari debuit, sese di-sponendo per heroicos virtutum actus, ut mater Dei in executione fieret. Quibus vero monetis pa-nem illum emit? offerendo sanguinem & corpus suum ad serviendum Dei filio ancillæ instar; dein-de intellectum captivando ad credenda ea, quæ di-cta erant ipsi stupenda; denique voluntatem suam ad sufferendas omnis generis miserias, passiones & dolores una cum filio suo. 3.

4. Impleta est pane illo divino, quando assen-sum Angelo dedit ut Dei mater fieret, pane inquam vivifico, quem mundo peperit ac deposuit in *Beth-lehem*, hoc est, *domo panis*. Unde sanctus Grego-rius homilia octava in Evangelia ait: *Bene in Beth-lehem nascitur, id est, in domo panis: ipse enim est, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo de-scendi.* 4

5. Portavit *panem suum*, quia sola absque viri o-pera illum concepit. Rursum *panem suum*, quia suum sanguinem ipsi communicavit. Unde quoties in Eucharistia comedimus carnem Christi, toties comedimus & carnem B. Virginis; quia caro Chri-sti desumpta & decisa est de carne matris & nutri-cis suæ, velut surculus ex arbore. Ipsa ergo est, quæ nos pascit sua carne filio communicata, in S. Com-munione. Hinc sapiens, ubi eam dixit factam esse quasi navim institoris portantem panem suum, immediate subjungit; *Et de nocte surrexit de-* 5.

ditque prædam domeſticis ſuis & cibaria ancillis ſuis. prædam,hoc eſt,cibum, ſeu ut in Hebr. eſt. *eſcam ferinam.* Fecit hoc Maria, quando *noctu excipiens incarnationis Verbi ab Archangelo nuntium, illi aſſenſum præbens, verbum in ſe corporavit, ut illud in eſcam nobis proponeret in Euchariſtia*, ait ibi P. Cornelius à Lap. Bene autem appellatur filius ejus *præda & ferina caro* quia cibus eſt delicatiſſimus, & cibus Regum ac nobilium, de cœlo allatus, & mul à Virginis induſtria quaſi venatione comparatus. Ferventiſſima oratio, ardentia ſuſpiria, amor virginitatis, ſumma humilitas, maxima fides, promptiſſima obedientia, ſimileſque virtutes, catelli ejus fuerunt, quibus prædam illam ferinam cepit. De hoc B. Petrus Damian. ſerm 2. de Nativit. B. V. ita concludit: *Hic dilectiſſimi fratres mei, hic, rogo, perpendite, quàm debitores ſimus huic Beatiſſimæ Dei Genitrici, quantaſque poſt Deum de noſtra redemptione gratias agere debeamus. Illud ſiquidem corpus Chriſti, quod Beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod faſciis cinxit, quod materna cura nutrivit: illud inquam abſque ulla dubietate, non aliud, nunc de ſacro altari percipimus & ejus ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemptionis haurimus. Hoc Catholica fides habet, hoc ſancta Eccleſia fideliter docet. Nullus ergo humanus ſermo in laude ejus invenitur idoneus, de qua Mediator Dei & hominum cognoſcitur incarnatus. Impar eſt illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratis carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de ſemetipſo dixit:* Ego ſum panis *vivus, qui de cœlo deſcendit; ſi quis ex hoc pane manducaverit, vivet in æternum. Per cibum namque è paradiſi ſumus amœnitate dejecti, per cibum quoque ad paradiſi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quem nos æterni jejunii fame mulctavit: cibum Maria edidit, qui nobis cœleſtis convivii aditum patefecit.*

V. *Facta eſt quaſi Eſther Regina.*

V. Facta eſt hodie nobis Deipara quaſi Eſther regina, placans nobis Deum iratum, (uti docet S. Bonaventura in Speculo Mariæ lect. 3.) Aſſuerus Rex ad ſuggeſtionem Aman decretum fecerat, ut Judæi omnes in ſuo regno, quod novis uterentur viribus, & Regis ſancita contemnerent, perirent & *ad inferos deſcenderent*; Eſth. 3. & 13. Deus quoque Gentiles, quod ad dæmonis ſuggeſtiones veri Dei cultum ſuſtuliſſent, & Idola coluiſſent, Deo vero contempto; juſſit omnes perire & ad inferos deſcendere, Ezech. 3. *Impius in iniquitate ſua morietur*, Imò & in Adamo: *Quacunque die comederis, morte morieris.* Geneſ 2. Hebræis, niſi Eſther reperta fuiſſet, quæ Aſſuero placuiſſet, ejuſque iram ſedaſſet certè omnibus pereundum erat. Ipſa verò Regis animum delinivit, & quia oculis ejus placuerat, obtinuit ut decretum reſcinderetur. Nos quoque, niſi Maria Deo placuiſſet ejuſque iram mitigaſſet, periiſſemus omnes. Invitavit Eſther Regem ad convivium in conclave ſuum, & ibi eum ſibi devinxit: Invitavit Maria Dei filium in uterum ſuum, & ibi eum nobis placavit. Verùm quemadmodum Eſther, ut decreti revocationem à Rege impetraret priùs aſſumere debuit veſtes pulchritudinis ſuæ, & ornamenta gloriæ ſuæ: deinde inniti ſuper ancillam unam & ſic ingredi ad Regem magno cum pavore nec non præ timore corruere, & reclinare caput ſu per ancillam: denique virgam Regis auream priù deoſculari. Maria debuit ſplendorem virtutum ſua rum priùs demonſtrare, quàm mater Chriſti fiere idque fecit in hac ſalutatione: in qua ſe oſtendit ſu pra humanum modum prudentem, humilem, virginitatis cultricem, magnanimam, fidelem, obedien tem. Deinde debuit inniti ſuper verbo Angeli divina promiſſione; inclinando caput, hoc eſt; ca ptivando intellectum ſuum. Denique offerre ſe a deoſculandam virgam crucis Chriſti, ut velut mat ejus dolores filii ſentiret.

Supereſt ergo, ut hodie quàm poſſumus max mas Deo inprimis, deinde Deiparæ agamus gratia pro tot tantiſque beneficiis. Certè quando Juda Eſtheris beneficio liberati fuerunt ab imminent periculo, *nova eis lux viſa eſt, gaudium, honor & tri pudium*, ut dicitur cap. 8. Eſth. inſtitutus eſt dies fe ſtivus annuatim celebrandus cap. 9. quo epulaban tur in lætitia, mittebant ſibi invicem fercula ciba ria, & pauperibus munuſcula. Olim & Amanis ef figiem comburebant cum plauſu & ſtrepitu, imò hodie adhuc in quibuſdam locis carnes fumo dura tas coquunt, & pueris ſuis diverberandas & bacilli contundendas tradunt dicentes: Das iſt der Durr Haman, Apud Serarium in Eſth. cap. 11. q. 2. Nos verberemus & comburamus Satanam more Chriſtiano per pœnitentiam. Percutiamus exſuccum Haman, hoc eſt, enervum dæmonem, piis & ſanctis operibus. Celebremus quoque diem hanc, in qua nobis nova lux non dico oriri viſa, ſed reverà orta eſt, gaudium, honor & tripudium. Celebremus non in epulis carnalibus, ſed ſpiritualibus, in ſacro Euchariſtiæ epulo, in pia conſideratione hodierni beneficii, in pauperum refectione, in ſanctitate denique & vita immaculata.

THEMA IV.

Beatiſſima Virgo verè ancilla Domini.

I. *Quia fuit laborioſa.*
II. *Fuit fidelis.*
III. *Fuit humilis & ſubjecta, atque obediens.*
IV. *Fuit caſtiſſima.*

Ecce ancilla Domini. Luc. 1.

NIhil ferè communius, quàm ut alter alteri ſua delaturus obſequia, ſe ejus ſervum afferat. Ita olim etiam Hebræi loquebantur; uti ad Joſephum fratres

atres: *Servi tui sumus*, Genes. ult. Ita nos Germa-
: ita aliæ nationes. Verùm voculam unam pleri-
ne omittunt, valde necessa iam. Quænam illa?
cce; qua reipsa scilicet servos se demonstrent. Ita-
ne ore quidem plurimi servos se fatentur, opere
ro pauci ostendunt, præsertim cùm in necessitate
iqua obsequium imploratur. Unde de hujusmo-
servis nominalibus dici posset id Isaaci ad filium;
*x quidem vox Iacob, manus autem manus sunt
sau*: Vox hominis lævis & blandi, manus, id est,
era sunt hominis asperi & pilosi. Multi appel-
ntur servi Imperatoris (Deß Käysers Diener /)
metsi nunquam ei serviunt: interim eo nomine
bi mirè gratulantur & nobiles audire volunt. Non
a Maria Virgo, quæ ancillam Domini se non so-
m profitetur, sed etiam demonstrare cum parti
ila *Ecce*: quia nimirum se suaque omnia ad obse-
nium Dei actu devovit simul & contradidit. Sub-
cit ei intellectum per fidem, subjecit voluntatem,
cum eo se & omnia sua obsequia. Profitemur
os Dei servos & ancillas esse, sed quomodo id de-
onstremus videndum est & discendum à Beata
irgine.

I. Ancilla debet esse laboriosa. Fuisse talem
Mariam discimus primò ex itinere ejus in montana,
uod erat ferè quatridui, ut ibi serviret Elisabethæ
prægnanti, maximè in puerperio. Suscepit hoc iter
sponte sua, peregit cum festinatione, servivit cum
gaudio, ut colligitur ex Cantico quod in domo E-
lisabethæ cecinit: *Magnificat anima mea Dominum,
&c.* Audivit aliquandò in Ungaria Sanctus Ge-
rardus Episcopus, pergens ad Sanctum Stephanum
Regem, ancillam media nocte molam versantem, &
interim hilariter cantantem in hospitio, in quo di-
versatus erat: eaque res adeò ipsi placuit, quod fœ-
mina nimirum alteri serviens laborem suum tam
hilariter perageret intempesta nocte, ut manè mul-
tam ei pecuniam donarit. Surius 24. Septembris.
Jam Deiparam cogitare, quæ post iter tam lon-
gum & arduum erumpit in cantum & laudem
Dei; quoniam Deo placuerit, quantum & merue-
rit.

2. Ex obsequiis Christo filio præstitis. Ipsa fili-
um enixa pannis involvit, & reclinavit in præsepio:
ergo famulam non habuit. Ipsa ergo filium ex
Bethlehem Jerosolymam præsentandum gestavit.
Ipsa lactavit, enutrivit, vestiit, ut sentiunt cum Eu-
thymio reliqui Doctores, circa vestem inconsutilem
præsertim.

3. Ex itinere ejus laboriosissimo & longo ad
modum in Ægyptum peracto. Ubi enim pauper-
culæ currus? ubi equi aliave jumenta? *Surge & ac-
cipe puerum & matrem ejus*, ait Josepho Angelus.
Non ait junge currum, para jumenta: quia non ad-
erant; sed, accipe puerum in brachia, matrem comi-
tem; vel potiùs, accipe puerum à matre gestandum
in Ægyptum.

4. Ex solicitudine ejus in quærendo amisso fi-
lio. Sciebat filium perire non posse, Angelos ei mi-
nistrare, eumque reducere, ipsum per se redire ad
parentes posse. At maluit reverti itinere diei &
quærere filium suum, usque dum tertio die re-
periret; quia & matrem se & ancillam filii cogita-
bat.

Nobili adeoque regia de Davidis familia fuit Dei-
para; quia tamen pauper erat, laborare non erubuit.
Quod notare deberent nobiles, qui sæpè egere ma-
lunt, quam honesto labore se occupare cum non ex-
iguo suo probro. Licèt enim ipsi coram mundo
domini sint & dominæ, coram Deo tamen servi &
ancillæ sunt, cui suo tempore rationem reddent de
impenso tempore; imò & de collatis ad operandum
membris; quod expendit Alphonsus Aragonum
Rex sapientissimus, qui reprehensus à Marco Siculo,
quòd propriis manibus laboraret, subridens respon-
dit: *Nunquid Deus & natura Regibus frustra ma-
nus dederunt?* Panorm. lib. de rebus ejus gestis. Si
hoc Rex de se: cur non potiùs idem de se dicant,
qui inferioris conditionis sunt? *Homo nascitur ad
laborem & avis ad volatum*, ait Eliphaz Job cap. 5.
Homo, ait, non agricola, non opifex, non nauta, sed
quivis homo. Accedit ad hoc damnum, quod dum
otio diffluunt, interim dæmon ad eorum animas de-
spoliandas liberum accessum habeat. Otium enim
pulvinar diaboli dicitur. Libro 3. Reg. cap. 4. duo
sicarii Rechab & Beana domum Isboseth, filii Saul,
dum ancilla ostiaria in purgatione tritici obdormi-
vit, latenter ingressi; dominum ejus Isbosethum in-
terfecerunt. Ita nimirum, dum caro, quæ ancilla
est, otio se tradit & labores fugit, dæmones latenter
se in hominem insinuant, & animam ejus, quæ do-
minus est, occidunt, variaque in vitia præcipitant.

II. Fidelis sit hero suo ut bona illius sibi non ar- *II.*
ripiat, sed ipsi transcribat & conservet, fideliter quo- *Fuit fide-*
que assistat in quavis calamitate: Talis Maria fuit. *lis.*
Nam primò laudes sibi ab Elisabetha decantatas:
Benedicta tu inter mulieres; &: *unde hoc mihi ut
mater Domini mei veniat ad me? Ecce enim ut facta
est vox salutationis tuæ in auribus meis: exultavit
in gaudio infans in utero meo*: &: *Beata quæ credi-
disti, &c.* Has omnes laudes, inquam, sibi in manus
quasi depositas: mox à se removit tanquam alie-
nas, & in fontem, unde promanarant, Deum deriva-
vit, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum.*
Quasi dicat ut sanctus Bernardus serm. in *Signum
magnum*, explicat: *Tu magnificas matrem Domini,
sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea
perhibes filium exultasse in gaudio; sed exultavit spi-
ritus meus in Deo salutari meo. Beatam esse dicis,
quæ credidisset sed credulitatis & beatitudinis causa
respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam
me dicant omnes generationes, quia ancillam humi-
lem & exiguam respexit Deus.* Fidelis servi & an-
cillæ est, lucrum & reditus domini acceptos in suis
manibus non retinere, sed in manus Domini consi-
gnare; ita decet nos gloriam ac laudem, quæ in
nos confertur, Deo velut fonti bonorũ omnium ac-
ceptam ferre.

At verò jam iſtud faciunt quidem aliqui, ſed non ex integro, delibant alieni aliquid & ſibi attribuunt; quod non fecit Deipara, ſed Deo totum adſcripſit, ut vidimus. Non placeret hero ancilla, quæ fructus appoſitura, priùs deguſtaret. *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*, ait ſponſa illa Cant. 7. Id fecit Dei mater; matrem ergo imitentur filii. Deinde aliqui non ſtatim manus ſuas excutiunt à bonis dominorum acceptis, ſed ea aliquantiſper apud ſe retinent. (laſſens bey ſich erwarmen) At Beata Virgo quamprimùm laudes ſuas in Deum refudit.

Secundò Chriſto filio eidemque Domino ſuo fideliſſimè adfuit in periculis, ut colligitur vel ex hoc, quòd cruci ejus adſtiterit. Ibi ergo *ſtabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem: pendebat in cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat*, inquit Sanctus Ambroſius ſerm. de Inſtitut. Virg. cap. 7. Multi Chriſtum ſequuntur, ſed non uſque ad Calvariæ montem, non uſque ad mortem. *Eſto fidelis uſque ad mortem*; ait Sanctus Joannes Epiſcopo Smyrnæ Apocal. 2. (qui fuiſſe putatur Sanctus Polycarpus Epiſcopus; qui & rogo impoſitus, affigi noluit, ſed perſtitit in igne *velut aries è grege*, ut in ejus vita dicitur, mediis in flammis) *& dabo tibi coronam vitæ*. Sic ergo honor Dei defendendus, juſtitia non deſerenda, peccatum non admittendum, (vnd ſoll es das leben gelten) tametſi ſanguis petatur.

III. Fuit humilis & ſubjecta, atque obediens.

III. Humilis ſit & ſubjecta, & quod inde ſequitur obediens dominæ ſuæ. Quid humilius Deipara, quæ cùm ſciret ſe Dei matrem, adeoque non hominibus ſed Angelis ſublimiorem, nemini tamen ſe prætulit, ſed omnibus poſthabuit? Subjecit ſe ſuperioribus, uti imprimis Dei legi de ſubeunda purificatione, licèt ea non obligaretur. Verbo filii in Cana ſtatim acquievit; deinde Romani Imperatoris, licèt ipſa Imperatorem cœli & terræ in utero geſtaret. Subjecit ſe paribus, uti ſponſo ſuo, cùm dicit filio? *Pater tuus & ego*: Civibus & advenis omnibus Bethlehemiticis, quibus diverſoria omnia ceſſit, ſtabulo contenta. Inferioribus uti Eliſabethæ, ad quam ſalutandam acceſſit, dignitate & ſanctitate longè ſe inferiorem. In hodierna ſalutatione laudibus turbatur, & ancillam ſe nominat. Deinceps ſumma in humilitate vixit, parvula in domuncula. Ubi pro tanta domina currus & equi? ubi gynecæum & famuli? ubi palatium & mundus muliebris? Denique arcanum ſuum, quo nôrat ex Angelico nuncio & mirifico conceptu ſe eſſe Dei matrem, nemini, dum Chriſtus in terris degeret, aperuit; ut colligitur ex eo, quòd nec fratres, id eſt, cognati Chriſti integrè & ſincerè in eum crediderunt. Joan. 7. Mull in aurem dixit, ſe hujus filii matrem eſſe, & matrem quidem ſine patre. In Cana vinum à filio expetens, non matris auctoritatē interpoſuit, ſed ut famula preces adhibuit. Magnum miraculum tanta humilitas in tanta dignitate. Miratur Salomon in Eccleſiaſte cap. 2. quòd omnia flumina intrent in mare, & mare non redundet. Quod certè mirandum eſt. In Deiparam omnes Sanctorum gratiæ & dona confluxerunt, & tamen ea propterea non ſe extulit vel minimum: Viſitatur à tribus Regibus, prædicatur ab Eliſabetha, benedicitur à Simeone, ſalutatur à Deo, laudatur ab Angelo, & tacet ad hæc omnia, quaſi nil audiſſet, vel quaſi ea ad ſe nihil pertinerent. Cur mare non redundet dat cauſam Sanctus Hieronymus eo loco, quia pe occultos meatus iterum effundit, quod accipit: Si Beata Virgo per internas ſui depreſſiones omnen tumorem repreſſit & in Deum refudit. Cogitaba enim ſe ancillam eſſe, in aliena domo & poteſtat eſſe, domo expelli poſſe: à Deo ſe accepiſſe præte merita ſua, quidquid haberet: ſic ſuperbiam exclu ſit. Hujus igitur exemplo ſi veri Dei ſervi & ancillæ eſſe volumus, ſubjiciamus nos ſuperioribus, ſubjiciamus paribus, ſubjiciamus & inferioribus. It Sanctus Bernardus lib. 32. in Cant. ait: *Noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli æqualibus, noli uni: quid ſcis enim ô homo, ſi unu ille, quem omnium fortè viliſſimum atque miſerrimum reputas, ſit melior te: & in mutatione dexteræ excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo auten jam ſit?* Adhæc quiſquis ſe Deo ſervum aut ancillam agnovit, non gravatè aliis omnibus ſe ſubmittit, quando cogitat id feciſſe ſuum dominum qui ſe infimis etiam ſubdidit. Bernenſes olim ſæp bello ſuperiores de Auſtriacis, libenter nihilominu ac demiſſè, quaſi victi fuiſſent, pacis condition acceptarunt. Unde nobiles in eos luſerunt dicendo: Biſt du dann von Bern / ſo demütigeſt di gern. Stumpſius in Chronic anno 1339. Eoden animo Chriſtianos omnes eſſe deceret; quia humilitas virtus propria Chriſtianorum eſt, à Magiſtro cœleſti eis tradita: *Diſcite à me, quia mit ſum & humilis corde*; ut verè etiam dici de ipſ poſſit: Biſt du dann vnſers HErrn / ſo demütige dich gern. Qui domini ſunt, humiles ſunt, u econtra ſpectant ad Luciferi partes quicunque humilitatis hoſtes ſunt.

IV. Caſta ſit, ne inficiat familiam lepra libidinis. Beata Virgo caſtitatem eamque virginalem Deo non ſolùm exhibuit, ſed etiam vovit, & quidem ſine exemplo, prima omnium: atque ut volunt aliqu Patres in utero matris; ad eandem, ut meritò creditur, ſponſum ſuum Joſephum facile perduxit: eandemque ita adamavit, ut eam potiùs retinere, quàm cum ejus diſpendio mater Dei fieri vellet. Hinc cogitabat ea tantùm, quæ Domini ſunt; hinc virorum aſpectus & colloquia fugit, unde etiam ſenſu grammatico intelligi poteſt, quod ait: *Quoniam virum non cognoſco.* Hinc ab Iſaia c. 7. *Alma*, id eſt, *abſcondita* appellatur.

Tales igitur inprimis decet eſſe ancillas omnes tales & ſervos. De ſervis habemus Joſephum, qui inſidiatricem dominum non modò non audiit,

d ne tangeret, etiam vestem retinenti reliquit; ma-
ns ab ea falsò accusari, & innocens in carcerem
idi, quàm turpi ejus petitioni assensum dare.

De ancilla refert ex relatione Abbatis Isidori
incentius in speculo, & Sanctus Antoninus pag. 2.
im. hist. tit 15. cap. 8. §. 4 exemplum unius ancillæ
rginis, Potamiœnæ dictæ, quæ a domino suo iæ-
us ad stuprum solicitata, nullo modo assentiri ne-
riæ petitioni voluit, ideoque ab eo tradita est Ale-
ndriæ Præfecto, Christianorum persecutori. Qui
versa supplicia coram ipsa parans, vas etiam æneū
ce repletum incendens ait: *Aut vade & obtem-
ra domino tuo: aut scias te in hoc vas esse mitten-
m. Quæ respondit: Nunquam sit alter cognitor
lis, qui adjici jubeat libidini castitatem Per caput
peratoris tui, quod vereris, obtestor, ut si me his tor-
ntis necare statuisti, non simul totam, sed paulatim
beas mitti, ut videas, mihi quantam dederit pati-
tiam ignotus tibi Christus. Itaque per unius horæ
tium in æneum vas candens demissa defecit, ubi
mò pix ebulliens ad ejus collum devenit.*

Quando igitur B. Virginem ancillam Domini
rè fuisse vidimus, superest ut nos quoque servi &
cillæ Domini, non vocemur solùm, sed reipsa et-
n simus. Certè *Maria Domina*, inquit Arnoldus
m. de laudibus ejus, *licèt ipsa se Christi profiteatur
cillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius
intelligit.* Et Sanctus Antoninus Episcopus,
m in morte aliud loqui non posset, hoc solùm
ntidem repetebat: *Servire Deo regnare est*; vo-
is dicere: O quàm suave est in morte meminisse,
Dei servum fuisse! ut in ejus vita.

THEMA V.

Quomodo captus à B. V. & à nobis in Sancta Communione capiendus Dei filius,

*i filium quasi unicornem cepit Maria resolutione
sua.
Humi sedendo & dicendo: Ecce ancilla Domini.
Expandendo sinum & dicendo: Fiat mihi,
Virginitatem suam tuendo ac dicendo: Secun-
dùm Verbum tuum.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum. Luc. 2.

MIrum quid scribit S. Isidorus Episcopus Hispa-
lensis lib. 12. Etym. & S. Greg. M. lib. 30 mo-
. cap 10. Albert. Magnus lib de anim 22. de uni-
rni; quod nimirum animal hoc præ robore & ve-
citate, longo armatum cornu, nequeat capi à ve-
toribus; nisi interventu virginis humi sedentis &
num ei suum expandentis; tum nimirum mox ci-
rari, & in ejus sinum caput suum deponere, deni-
e non difficilè ligari ac vulnerari. Mirum, inquam,
c est, egregiè depingens admirandum illud my-
rium, qud hodie celebramus. Qui illi Unicornis,
nisi Dei filius, de quo Ps. 28. dicitur: *Dilectus quem-
admodum filius unicornium*? Sed quis illum capere
possit? nemo alius nisi Virgo MARIA, quæ sua eum
virtute planè cepit & in sinum suum de cœlo de-
traxit, ut se ligari, infasciari, demum etiam pro nobis
vulnerari & occidi amore nostri pateretur. At quo-
modo eum detraxit? quomodo cepit? Humi sedit
per humilitatem diens; *Ecce ancilla Domini.* Dein-
de sinum suum expandit per obedientiam, addens:
Fiat mihi. Denique virginitatis suæ florem ei mon-
stravit, adjungens: *Secundùm verbum tuum.* Tri-
plici hoc funiculo Dei filium captivum suum fe-
cit & vinculo unionis hypostaticæ quodammodo
ligavit, cùm naturæ humanæ Dei filium, denique
infantem factum, fasciis alligavit. Porrò triplicem
illum funiculum nunc intueamur.

I. Humi sedit, dicendo: *Ecce ancilla Domini.* *I. Humi sedendo & dicendo: Ecce ancilla Domini.*
Maxima est hæc humilitas, post tantas præsertim
laudes Angeli, quæ se à summo honoris fastigio ad
pedes Domini abjicit, adeoque *humilitas est hono
rata* ut ait S. Bernardus. Hæc imprimis cepit Dei
filium, ut hujus Virginis filius fieret: quomodo
sandalia Judithæ rapuerunt oculos Holofernis. Ju-
dic. 16. Quid verò illa nisi humilitatem significant,
quæ scilicet infimo loco & quasi in luto insedit?
Hinc enim sponsus cùm laudatus fuisset à sponsa,
inchoante à capite, hoc est, à divinitate, velut nobi-
lissima ejus dignitate: *Caput ejus aurum opti-
mum &c.* Cant. 6. ipse vicissim laudans sponsam,
incipit à pedibus ejus, humilitate scilicet pulcher-
rima sponsæ virtute: *Quàm pulchri sunt gressus tui
in calceamentis, filia Principis!* Cant. 7. Quod est pes
& calceus corpori, hoc, ancillla domini: pes & cal-
ceus in lutum intrare, similiter ancilla sordidissima
quæque ministeria in domo obire debet. Erat B.
Virgo ornata donis cœlestibus, gratia plena, bene-
dicta in mulieribus; & tamen se in lutum projicit:
Ecce ancilla Domini. hoc est quod rapuit sponsum
in amorem ejus. Sed videamus gressus humilitatis,
quibus adeo placuit Filio Dei. Primus est quod
puella tantis dotibus ornata, non detrectat despon-
sari viro pauperi & fabro lignario. Alter quòd audi-
ens tantas laudes suas ab Angelo sibi datas, & lega-
tionem tam honorificam, ipsis Angelis stupendam,
à Deo se factam, turbatur in sermone, timens audire
laudes suas, ac ne fortè vento superbiæ extolleretur
& in lapsum raperetur, projicit se in terram: veluti
apicula contra vehementè ventum prægravans se
lapillo. Tertius quòd edoceri cupit ab Angelo,
quomodo fieri possit, ut stante voto virginitatis
sit mater Christi. Non enim respondit: Hoc fieri
non potest; quia virgo sum & ero semper, quare
mater esse nequeo; &c. Sed humiliter interrogat:
Quomodo fiet istud? subjiciens intellectum suū An-
gelo, virgo alioquin illuminatissima, & in quibusdā
rebus supra Angelos erudita. Quartus quòd se an-
cillam vocat, ad officia quæque abjectissima prom-
ptam ac paratam. Hi sunt gressus humilitatis qui-

bus rapuit ad se filium Dei, miro plane modo.

Igitur & nos, si reputemus nos indignos Sacra Communione, aliisque Dei gratiis, tum demum digni fiemus: quemadmodum Centurio, cùm dixit *Domine non sum dignus &c.* eo ipso factus est dignus, ut impetraret mox, quod petiit. Hunc in modum S. Otho Episcopus Bambergensis sua humilitate exaltari meruit. Cùm enim esset adhuc Cancellarius Henrici IV. Imperatoris delatus est ei ab Imperatore Episcopatus Bambergensis. Verùm Otho ad pedes Imperatoris advolutus cum lachrymis, inidoneum & indignum tanto se honore clamat. Qua humilitate delectatus Imperator ad legatos Bambergenses conversus: *Cernitis*, inquit, *qua sit hujus hominis ambitio! Duos antea sibi oblatos Episcopatus ad socios rejecit, Augustanum & Halberstad. tertium verò, qua animi humilitate & pertinacia recuset, vos ipse mihi testes estis.* Tum annulo Episcopali digito ejus inserto & pedo tradito investitum cum Legatis resignavit. Lipel. 2. Julii, & Sur.

II. *Expandẽdo sinum & dicendo: Fiat mihi.*

II. Expandit sinum suum, dicendo: *Fiat mihi.* Quo verbo explicat obedientiam paratissimam ad Dei voluntatem amplectendam & quidem in re difficili. Nam imprimis cogita virgo quid agas, Quid enim dicent parentes, si te gravidam viderint, nondũ conjugatam? Quid sponsus tuus? quomodo credent tibi, si dicas Spiritum S. tibi obumbrasse & prolem hanc dedisse? Deinde quomodo paupercula ales prolem tantæ nobilitatis? Adhæc proles ista, si paupercula erit; certè tibi cum ea in paupertate semper vivendum erit. Rursum patietur infinitas persecutiones, & cum ea fugiendum erit in Ægyptum: cum ea ad extremum standum sub cruce & animo commoriendum. Illa nihilominus ad hæc omnia respondet. *Fiat mihi.* Hac ergo obedientia cepit adeoque vulneravit Dei filium, ut eam in matrem eligeret, quod indicasse videtur Sponsus, cùm Cant. 4. ait ad Sponsam: *vulnerasti cor meum* (septuaginta legunt: *excordasti me*) *in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui.* Collum obedientiæ typus est, quia jugo se submittit in jumentis: & in homine se curvat, cum mandatis superiorum annuit. Similiter & crinis; quid enim flexibilius? præsertim crine colli, qui subtilissimus est? non ergo crinem capitis, sed colli nominet, ut obedientiam matris suæ promptissimam indicet.

Habemus igitur quantum Deo placeat obedientia, præsertim magnorum capitum, quando se submittunt Dei & Ecclesiæ præceptis. Id quod docuit nos Christus per hos dies, passionem ejus præcedentes, quibus ferè morabatur in Bethania, quæ *domus obedientiæ* exponitur (*Beth domus: Ana est obedire,*) Inde ventitabat in Jerusalem, & illuc redibat cœnaturus, ut nos doceret in Ecclesia juxta ejus mandatum, sacram cœnam nobis sumendam ex motivo obedientiæ etiam, non solius amoris. Placuit valde S. Antonio simplicissima obedientia Pauli, Simplicis dicti, discipuli ejus, qui cùm aliquando præsentibus magnis viris & prælectis interrogasset Antonium, Christusnè an Prophetæ prius fuissent, Antonius ob tantam ejus simplicitatem erubescens, quasi blando nutu silere eum atque abire jussit. Ille igitur quia omnia Antonii præcepta quasi divina accipiebat, abscedens ad cellulam suam tanquam mandato accepto, silentium gerere instituit, nec quidquam amplius loqui. Quod ubi comperit Antonius, mirari cœpit, cùm non mandasset; cumque eum loqui jussisset, respondit Paulus: *Tu Pater dixisti ut irem & tacerem.* Stupens ad hoc Antonius; *Omnes nos*, inquit, *iste condemnat; cùm enim nos de cœlo non audiamus nobis loquentem; ab isto, qualiscunque sermo qui ex ore meo excidit, observatur.* Ruffin. Aquileiensis presb. lib. 2. in vit. PP. apud Rosvveid. Jam si hic uni nutui Abbatis tam sincerè obedivit, quanò magis nos Ecclesiæ Prælatis mandata seri imponentibus obtemperare decet?

III. Virgo denique fuit, & quidem ex voto sanctissima; quod indicat illo verbo: *secundùm verbum tuum*; innuens se consentire quidem, ut mater Dei fiat, reservata tamen sibi sua virginitate: sicut ei prædixerat Angelus, quasi alias non consensura, ut sentit S. Bernardinus Senens. serm. de Concep. nec non S. Anselmus & S. Gregorius Nyssenus, loquendo de maternitate Dei præcisè; probarique ex eo potest, quòd prius assensum non dederit, quà ab Angelo audiret: *Spiritus sanctus superveniet in te, &c.* Atque per hoc ipsum ita placuit Deo ut ipsum virginitatis florem in virgineum uterum suum traheret. Unde Cant. 7. sponsus ea sic commendat. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Acervus tritici fæcunditatem ejus indicat, qua panem cœli toti mundo conservavit, in genuit. Vallatum lilium est propositum ac voce virginitatis ejus firmissimum atque inexpugnabile quod etiam ipsi Angelo objecit: *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*; Pulchrè autem per lilium virginitas designatur tum quia candorem purissimum nulla macula aspersum habet, tum quia attrectari renuit, alioquin mox nitorem ac vigorem suum perdit & flaccescit. Quam ob causam B. Fr. Ægidius per triplicem lilii exortum miraculosum cuipiam Fratri Ordinis Prædicatorum demonstravit Virginem ante, in, & post partum extitisse virginem ut alibi dixi.

Hinc apparet quàm grata sit Christo Domino castitas præsertim virginea. Unde & discimus, quanta corporis & animæ puritate præditi esse debeamus cum ad Virginis filium in Eucharistia suscipiendum pergimus. Si enim noluit nasci, nisi à matre virginitati adstricta: imò nec educari, & attrectari nisi à nutricio virgine, Josepho: quomodo obscœnus aliquis excipere ipsum audeat? Quare olim præcepit Concilium Elibertinum ut communicaturi conjuges tribus vel quatuor diebus priùs à conjugali copula abstineant, ut habetur in c. Omnes de Consecrat. distinct. 2. Quod etsi quidem jam non amplius obligat, omnino tamen omnibus adnitendum est conjug

ugatis ut saltem præcedente nocte se contineant. Alioquin ob irreverentiam venialiter saltem peccabunt,& audient à S Auguſt.ſerm 244.de temp.& S. Hieron. in Apol.contra Jovin. *Illorum conſcientiam convenio,qui eodem die poſt coitum* (intemperantiæ & voluptatis gratia factum) *communicant*. Sanè Dagon corruit, muliebre & ſpurcum Idolum Veneris uti ſentit & colligit ex Herodoto & Rhodiginio Serarius in cap. 16 Judic.q 23.Sanctius in lib.Reg.) ubi Arca Dei in templum ejus adducta fuit, ipſique Azotii fœdo morbo correpti ſunt. 1. Reg.5. Videntur etiam ii, qui Arcam illam vivam, virgineam, incorruptibilem, Christum, in cor ſuum pollutum inferunt, ne & ipſi corruant in mortem aut morbos saltem ſicut in primitiva Eccleſia contigiſſe fatetur S. Paulus 1. Cor. 11 *Ideo inter vos multi infirmi & dormiunt multi* Sic *hodie*, ait S. Anſelmus in eum locum, *poſt paſcha multi variis morbis corripiuntur, qui indignè corpus Domini perceperunt*. Philiſthæi quam ex Dagonis ruina perſpexerunt ſanctitatem [...]æ, averſantis Venerem omnemque immunditiam, remiſſuri eam ad Hebræos, fecerunt plauſtrum novum & duas vaccas, quibus non fuit impoſitum jugũ, plauſtro junxerunt, cui Arcam imponentes domum remiſerunt. 1. Reg. 6. Sit ergo ac multò magis, prima hæc communicaturo cura, ut cor ſuum & ab omni inquinamento expurget, juxta id Ezech. 18. *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum*; neque jungat ſe cum iis, qui jugum impuritatis trahunt.

Vidimus qua ratione B. Virgo ceperit quodammodo & in ſinum ſuum de cœlo detraxerit Dei filium, ut in ejus uterum ſe ſe demitteret adeoque homo fieret. Videamus & nos, quomodo eundem attrahamus ad nos, ut cum gaudio & amore in ſinum noſtrum deſcendat. Notum eſt ex hiſtoria Caroli Magni quomodo Wedekindus Saxonum Dux in Cæſaris caſtris viderit Christum pueruli ſpecie ad quoſdam communicantes cum gaudio & riſu; ad alios cum tædio & reluctatione intrare, eaque viſione ad fidem converſus ſit. Ergo ut ad nos etiam hilaris & arridens unicornis hic deſcendat, ſedeamus in terra per humilitatem, expandamus ſinum per obedientiam, ſimus caſti & impolluti. *Trip. in F. S Thomæ c.6.C.*

IN FESTO S. GEORGII.

THEMATA.

I. *Quos dracones necarit S. Georgius.*
II. *Contra relapſum ſtrenuè pugnandum.*
III. *Agricolas per patientiam fieri poſſe Equites S. Georgii.*
IV. *Quædam agricolarum præſcripta ſeu regulæ.*

THEMA I.

Quos dracones necarit S. Georgius.

Diocletianum & præfectum ejus;
Diabolum.
Mundum.
Mortem.

Nunquid non percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Iſa. 15.

Sancti Georgii feſtum aptè conſequitur præ aliorum feſtivitatibus ſolennitatem reſurgentis Domini. Eodem enim die, quo Chriſtus patiendo humani generis hoſtem debellavit, in paraſceve ſcilicet, & ipſe martyrii ſui tamen obiit, ut ſcribit Metaphraſtes in ejus encomio, eundemque in paſſione ſtrenuè ſecutus: jure que merito poſt reſurgentem Chriſtum primus [c]elebratur in Eccleſia militante. Hinc forſan accidit, ut etiam ipſi Georgio ſubjectum ad pedes draconem appingerent antiqui, quemadmodum & Chriſto reſurgenti ſerpentem ab eo calcatum. Unde poſſet aliquis quærere ex Georgio cum Iſaia 51. *Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?* quia nimirum eodem die quo Chriſtus, paſſus es, & draconem proſtraviſti? Sed abſit ut gregario militi demus quod debetur ejus Duci. Percuſſit quidem ipſe & vulneravit draconem non tamen ita, quemadmodum ipſe Dux noſter Chriſtus. Hic enim propria virtute, Georgius gratia & virtute Chriſti dæmonem debellavit. Vulgi opinio eſt, verum draconem à Georgio interfectum eſſe pro ſalute alicujus Virginis, cum tamen in ejus vita, quam ſervus ejus Paſicrates ſcripſit, nihil de hoc habeatur. Quare figuratè virgo illa intelligenda eſt vel Provincia aut civitas, quæ adverſus diaboli vires tanti martyris imploret auxilium, ut vult Baronius in Martyrol. 23. April. vel Eccleſia, ut alii; vel fortaſſe Alexandra Imperatrix quam ipſe contra imperium Diocletiani mariti converriſſe & Chriſto lucrifeciſſe ſcribitur in ejus vita. Cæterum his videamus accuratius, quos tandem dracones Georgius intereremerit.

I. Primus fuit Tyrannus Diocletianus ejuſque Præfectus Magnentius, quibuſcum pugnavit. Notum eſt ex hiſtoria naturali Plinii lib. 8. cap. 11. & cap. 12. Iſidori & aliorumq; draconem ob innatum calorem ſiti æſtuare ideoque ſanguinem elephantis gelidum avidè expetere; unde cùm ad arborem fortè elephas adhæret, ex ea in ipſum deſilit, eique *I. Diocletianum & Præfectum ejus.*

circumplexo ſanguinem exſugit, donec debilitatum ſternat; qui tamen corruendo draconem opprimit enecatque. Diocletianus ſanguinis Chriſtiani ſitientiſſimus helluo, (idcirco in vita S. Georgii, à Paſicrate ejus ſervo conſcripta *ſævus draco* appellatus) Georgii, etiam ſanguinem vehementer ſitiebat; & primò quidem vecte eum verberari juſſit, ut totum ejus corpus ſanguine perfunderetur: deinde in rotam acutis cultris armatam injici & fœdè lacerari ibique deſeri, ut interiret. Unde tamen per Angelum mirè ereptus & ſanatus, rurſum ſe non modò vivum ſed etiam incolumen Imperatori ſtitit, ita ut ille ſtupens agnoſcere eum nollet: quem omni dubio procul mortuum putabat. Quare cùm ex eo miraculo milites aliqui ipſaque Imperatrix Alexandra crediſſent, iterum eum corripi & in lacum ardentem ex asbeſto lapide conjici ubique toto triduo mandavit: poſt triduum miſſis militibus ejus, quem extinctum non dubitabat, oſſa inhumari, ne venerationi eſſent. Verùm milites eum rurſum vivum & ſanum repererunt; unde & in Chriſtum crediderunt. Denuò obſtupefactus & victus Imperator, calceos ei ferreos indui & ignitis clavis affigi juſſit; ſicque cum trudi & agitari. Verùm nihil & hîc profecit; cælitus confortato & ſanato martyre. Poſtea nervis eum verberari imperans iterum ſanguinem ejus ſugit. Denique cùm nec pœnis nec blanditiis ullis ſuperare eum poſſet, ſed magis ac magis ab ipſo ſuperaretur, ita ut multitudo Gentilium ad fidem perduceretur, ipſaque Auguſta Alexandra Chriſtum profiteretur, capite eum plecti unà cum Alexandra juſſit; quanquam Alexandra, antequam gladio feriretur, in oratione obiit. Sic Georgius cadens quidem, Diocletianum nihilominus confuſum proſtraſtravit, unaque conjugem ejus ipſi ablatam Deo deſponſavit. Atque hæc videtur eſſe illa Regina, quæ appingitur pugnanti cum dracone Georgio, velut pro ipſius ſalute decertanti ac triumphanti.

Dices: Quomodo victor Tyranni Georgius, cum ipſe vitam perdiderit, Tyrannus ei ademerit? Ad hoc reſpondeo imprimis victum à Georgio Tyrannum; quia ab eo nequaquam impetravit id, quod optavit; ſed ſpe prædæ ſuæ deluſus eſt, dum Georgium à fide Chriſti ad Idolorum cultum tot machinis & laboribus pertrahere fruſtra conatus fuit. Baptiſta Mirandulanus cùm in ſingulari certamine Ferrariæ hoſtem ingenti animo invaſiſſet, uſque territus fugeret, præ gaudio ut putatur, in equo nutans, omnium admiratione occubuit, teſte Fulgoſo lib. 9. cap. 12. qui ſe oculatum teſtem adducit. Itaque in hoc certamine victor fuit, qui glorioſè occubuit Sic vicit Georgius, plenus gaudio moriens, Tyranno confuſo; ſic victor occubuit, ſic occumbens vicit. Deinde quia cùm Tyrannus nequaquam gladio præcisè, ſed diriſſimis ſuppliciis animam ei extorquere moliretur: minimè id effecit, ſed contra voluntatem ſuam gladio eum non tam ferire quàm coronare coactus fuit; ut hoc pacto ipſe furore ſuo ſuccumbere, & martyrem corona cogeretur cumulare.

II. Secundus fuit diabolus, ſerpens ille antiquus & draco, cum quo & Michaël pugnavit in Apocal. cap. 12 Hujuſmodi draco fuit, qui Theodorum juvenem diſſolutum, moribundum devoraturus Romæ in monaſterio S. Gregorii Magni precibus monachorum fugatus eſt juvene ad pœnitentiam revocato, apud S. Greg. dial lib. 4. c. 37. Hunc Georgius vicit, blanditias ejus per os Magnentii & Imperatoris ſibi propoſitas heroicè contemnendo Cùm enim Imperator flectere eum tormentis nequiret; conſilio Magnentii, blandimentis eum agrreſſus eſt divitias promittens & ſecundum ab eo locum in ipſius aula: veniam inſuper ob injurias ei illatas petens Sed vulpis hujus aſtutiam ſaniori aſtutia eluſit Georgius duci ad Imperatorem Deos poſtulans, qua[ſi] jam perſuaſus ad eos colendos. Adductus non exi[-]guo Imperatoris gaudio, ad ſtatuam Apollinis, quæ[-]ſivit ex eo utrumnam ipſe Deus eſſet, ab hominibu[s] colendus. Qua voce territus dæmon è ſtatua cla[-]mavit: *Non ſum ego Deus, neque qui mecum ſunt ſed unus eſt Deus verus qui fecit omnia, & filius eju[s] Chriſtus, per quem fecit omnia* Mox ſecutus lamen[-]tantium dæmonum tumultus. Georgius ergo cru[-]cis ſigno ſtatuas & templa dejecit; itaque ſecund[ò] dæmonem debellavit.

Stravit autem draconem hunc primò, confunden[-]do eum, & velut debellatum à Chriſto, ſubſannand[o] atque objurgando; quod ſuperbus Cacodæmon ne[u-]tiquam pati poteſt. Dicebat ejus cohorti: *Quomo[do] vos nunc hic audetis manere, cùm ego Dei ſervus h[a-]ſtem, ſuper quem invocatus fuit & nunc invocat[ur] Chriſtus Deus verus?* indignū eū aſſerens, qui cora[m] ſervo Dei ſtaret; velut ſi dicat vir nobiliſſim⁹ licto[ri] aut carnifici; quomodo tu corā me apparere aude[s?]

Deinde ſigno crucis, quo Idola & fana ſtravit. [Is] enim fuſtis eſt, quo canis ille tartareus percuſſus [eſt] à Chriſto uſque ad internecionem; quem vel à lon[-]gè oſtenſum fugit more canis nuper fuſtigati.

III. Tertius fuit Mundus, deſignatus per drac[o-]nem illum Dan. 14. quem colebant Babylonii ſ[ub] Balthaſare Rege. Draco per terram repit, indeque v[e-]nenum colligit; ita mundus & mundi cives in te[rra] repentes non niſi terram, indeque innumera vi[tia] contrahunt. Daniel picem, adipem, & pilos co[m-]miſcuit & coxit, indeque facta atque in os draco[nis] injecta maſſa, eum diſrupit: Simili modo Georg[ius] mundum ſuperavit. Erat genere nobilis & tribu[ni-]tiis dignitatibus perfunctus in exercitu Imperato[ris.] Verùm ille ſecum tria potiſſimùm cogitare pia[que] meditatione quaſi coquere cœpit Chriſti glori[am] ad cæleſtes ſuas nuptias invitantis nos vocem ſ[ua-]viſſimam: ſicque velut ad adipem frumenti, de [quo] Pſalm. 147. dicitur: *Qui poſuit fines tuos* (ô cœle[ſtis] Jeruſalem) *pacem, & adipe frumenti ſatiat te*, ſer[vos] ſuos vocantem Deinde ejuſdem præcedentis crucem præferentis pluſquam heroicum exe[m-]plum, quo velut pice trahit ad ſui ſequelam ho[mi-]nes dicens: *Qui me confeſſus fuerit coram ho[mi-]nibus; confitebor & ego eum coram patre meo.*

Tertio denique vitæ hujus fragilis commoditates citissimè prætereuntes: æternæ illi vitæ nequaquam conferendas, multo minus præferendas. (ut habet Pasicrates in ejus vita) Et hæ sunt quasi pili, mundi, inquam, fragilia bona. Hæc tria in corde suo coxit cum Daniele, beneque expendit sanctus Georgius, & in draconis os injecit; sic eum dirupit, ejusque inanitatem hominibus ostendit, quasi dicens cum Daniele: *Ecce quem colebatis?* Per hoc etiam amatores mundi quamplurimos ei abstraxit & ad amorem Christi, mundique contemptum traxit, Quemadmodum Daniel suo illo facto Ballasaris cor mutavit, ut non solùm ipse Deum Danielis laudaret, sed etiam populo ediceret: *Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis; quia ipse est Salvator faciens mirabilia &c.* Ita sanctus Georgius facto suo heroico convertit ad Christum Reginam, milites complures, magnamque plebis multitudinem.

IV. Quartus fuit mors, quæ, & ipsa draco quidam, & immanis quidem est, qui omne hominum genus ad se rapit devoratque, qualis ille Boas fuit prope Epidaurum Dalmatiæ, qui armenta & pastores tractos ad se vi spiritus absorbebat; quem & pyram ipsi exstructam conscendere jussit & in ea exussit sanctus Hilarion, ut scribit in ejus vita S. Hieronymus. Mors etiam ut spiritus, non sui, sed divini illius, qui homines ei subjecit, omnes omnino homines, subditos & rectores, ad se trahit & absorbet. Sanctus tamen Georgius, licet & ipse per martyriũ fauces ejus intrarit, sine damno tamen intravit. Imo sicut Ichneumon Crocodili ventrem dum is hiante ore ad littus jacet, insilit & perrumpit, teste Plinio, libro octavo capite vigesimo quinto ita & Georgius mortis alvum penetrans ad cœlestem & perpetuam vitam erupit. Primus Ichneumon & mortis domitor Christus fuit, quem secutus Georgius & forti & hilari animo, ubi pro se & inimicis suis precatus est, cervicem carnifici præbuit. Vivit nunc & triumphat in cœlis superata morte Georgius, sicque in ipsa impletum est, quod scribit Apostolus 1. Corinthiorum 15. *Absorpta est mors in victoria.* Quem locum desumpsit Paulus ex Isaia cap. 25. ubi de Christo dicitur: *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Hebr. habetur. *præcipitavit vel absorpsit mortem in victoria.* Septuaginta vero in contrarium vertunt. *Devoravit seu absorpsit mors prævalens.* Quomodo igitur, inquies, devorata & absorpta est mors, secundum Paulum, si secundum 70. Interpretes devoravit atque absorpsit prævalens? Bellè hunc nodum solvit Apostolus, dum addidit: *In victoria*, Hebr. *Lanetsach*, quod significat etiam, *In sempiternum*, uti est in Isaia. Absorpta est ergo mors in victoria, quia dum ipsa contra Christum primum, deinde contra Georgium aliosque martyres prævaleret, eos absorbendo & devorando. in hac ipsa quasi victoria sua victa, absorpta & devorata est; quia è perrupta & lacerata sua alvo, reddere debuit Christum, reddere debet Martyres & electos omnes, qui per ejus alvum transeunt ut victores ad vitam sempiternam.

Superest jam ut nos imitemur inprimis Christum mortis, dæmonis & mundi triumphatorem, deinde & Georgium ejus sectatorem & militem strenuissimum quantum fieri potest cum divina gratia; ut tametsi jam Tyranni nulli sunt, nullique Diocletiani: non desunt tamen alii pessimi dracones: mundus, caro, dæmon, quibuscum decertare & possumus & debemus. Triplicem illam hydram quisquis debellarit, næ ille monstrorum domitor & draconum triumphator audiet in cœlo.

THEMA II.

Contra relapsum strenue pugnandum.

Firmum non relabendi propositum concipiendum.

I. *Quia id Deo promisimus.*
II. *Quia id exigit gratitudo erga Christum.*
III. *Quia per relapsum gravius cademus.*
IV. *Quia non coronabitur nisi qui perseveraverit.*

Manete in me & ego in vobis. Ioann. 15.

PErsarum Regem Xerxen, scribit Herodotus l. 7. cùm iter faciens invenisset speciosam valde platanum, varia huic arbori ornamenta appendisse, torques, annulos, chlamydes: ac ne iis ornamentis spoliaretur, in discessu de suis immortalibus (sic eos appellabat, quorum numerum semper integrum & completum conservabat) unum addidisse pro custodia militem. Ornavit non ita pridem Rex non Persarum sed cœli & terræ, animas, ut speramus, omnium nostrum, qui arbores inversæ sumus; dum vestivit gratia sua adeoq; in amicos & filios adoptavit. Sed quid si iterum spoliemur hoc tanto ornamento? Quis tandem fructus erit? Hinc enim Dominus in hodierno Evangelio tam serio hortatur & quodammodo rogat nos, ut in eo maneamus, quo & ipse in nobis permanere possit; *Manete in me, & ego in vobis*; scilicet, maneam, q. d. ego nihil magis desidero, quam ut in vobis maneam cum gratia & donis meis; & quantum in me est, firmiter vobis adhærebo, quasi vobis affixus: tantùm vos custodite animas vestras, hoc ornamento donatas, ut ne aliquis vos eis despoliet, adeoq; me expellat. Quid igitur faciendum? Quemadmodum Xerxes strenuũ quemdam & immortalem militem dedit conservandæ platano: sic demus & nos animæ nostræ Equitem Georgium, qui nullis illecebris aut minis à fide Christiana avocari potuit per Diocletianum, statuamus uno verbo firmum propositum non admittendi ullum furem gratiæ divinæ, & hoc ob sequentes potissimum causas. *Firmum non relabendi propositum concipiendum.*

I. Quia id Deo promisimus.

I. Quia promisimus Deo in pœnitentia fortiter nos staturos & pugnaturos contra omnia peccata eorumque incentores. Quis autem Principi aliquid audeat promittere, quod præstare nolit? quis Duci sacramentum dare & è bello fugere? *Democrates pugil, cum ex pedibus laboraret, ad certamina venit: & consistens in stadio descripsit sibi circulum, & jubebat adversarios ut se expellerent extra lineam. At illi cum nequirent, victi sunt, & ipse cum bene & fortiter in statione sua perstitisset, coronam secum deportavit.* Ita Ælian. libro 4. var. hist. cap. 15. Hoc ob terrenam gloriam & coronam paravit homo æger, & podagricus; quid nos Christiani pro corona gloriæ? Sumus & nos luctatores teste Apostolo ad Ephesios sexto: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem sed adversus principes & potestates tenebrarum harum &c.* Spectatores hujus luctæ sunt omnes cœli cives & inprimis Deus. Non dubito quin in nupera paschali exhomologesi unusquisque suo circulo sese circumscripserit, firmissimo proposito non egrediendi amplius limites mandatorum divinorum: ejiciendi etiam quosvis hostes sese impellentes, carnem, dæmonem, mundum. Exeramus nunc vires nostras, præstemus nos luctatores, & ne vel latum pedem extra circulum illum rapi nos patiamur: quemadmodum & Apostolus facit ad Rom. 8. ubi totum mundum provocat ad certamen, certus se à nemine ultra propositi sui cancellos unquam extrahendum: *Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an pericula? an persecutio? an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Licet vero ægri & nos simus ob naturam nostram peccato originali depravatam & debilitatam; possumus tamen cum Dei gratia facile superare dæmones, multo alioquin nobis fortiores; id quod ad magnam gloriam nostram, dæmonum vero confusionem cedit.

II. Quia id exigit gratitudo erga Christum.

II. Quia Christo pro liberatione nostra grati esse jubemur ab ipsa ratione, adeoque novas injurias nequaquam irrogare. Exploratores illi Jos. 2. missi in Jericho, & servati atque dimissi è domo Rahab. ea lege, ut promitterent ejus domui incolumitatem non solum promiserunt, sed & sancte præstiterunt in expugnatione urbis, proposito sibi ante oculos funiculo coccineo, in quo dimissi fuerant. At vero nonne & tu Christiane ea lege, ut non peccares amplius, nuper dimissus es ab Ecclesia per sanguinem Christi coccineum? nonne promisisti ei fidem? Recordare funiculi illius purpurei, sententiæ absolutionis, inquam, sacramentalis, qua dimissus, & à morte æterna liberatus es. Vide purpureum ejus colorem, sanguine Christi tinctum, ut abluere peccata posset. Itane tanti beneficii & tuæ sponsionis immemor esse potes? Narrat Valer. Max. lib. 1 c. 6. in exercitu Xerxis aliquando prodigioso equæ partu leporem esse editum, quo belli eventus indicatus sit; nam qui mare classibus, terram pedestribus copiis operuerat, uti fugax lepus pavidus domum fugit. Sic multi multa & magna promittunt, sed promissa non implent, neque urgent. itaque equũ promittunt, & leporem pariunt. Ita Hebræi prius bellicosi & intrepidi, qui Jos. c. 1. tanta polliciti erant, nec non buccinis suis muros Jericho dejecerant; postea aggressuri parvulam urbem Hai, statim terga vertunt, & a paucissimis hostibus cæduntur ac fugantur vix conspecto hoste. Quæ ignominia cùm in Deum & totum Israelem redundaret, Josue confusus dixit: *Mi Domine Deus, quid dicam: videns Israelem hostibus suis terga vertentem?* Jos. 7. Quid aliud dicet Christus, Josue noster, si videat nos post tanta promissa statim terga vertere?

III. Quia per relapsum gravius cademus. Ostensum id figurate in Azotiorum Idolo Dagon, qui cum juxta eum Arca Dei statuta fuisset ab Azotiis, prima nocte corruit coram Arca, licet absque sui læsione. At cum rursum ab iis repositus fuisset juxta Arcam ad priorem locum sequenti nocte iterum corruit, sed longe graviore casu; nam confractus est ita ut caput & manus ejus præcisæ repertæ sint ad limen templi. 1. Reg. 5. Hunc in modum, qui creaturam aliquam velut Idolum colit & statuit coram Arca; id est, gratia Dei, quam pœnitens accepit & in anima sua possidet, ne is graviter quidem cadet. Verum si secundo statuerit, gravius multo corruet, nec absque magna sui confractione. Multis id ostendere possum. Davidis primus lapsus etsi gravis, unius tamen morte infantis expiatus est. 2. Reg 12. at posterior, quo populum sibi subjectum ex aliquo fastu numerari jussit, etsi multo levior, non nisi interitu 70000 hominum; licet utrobique eadem voce, *Peccavi*, suam culpam deplorasset. In Prato spirituali c. 47. refertur de mimo quodam Heliopoleos Gaiano nomine, qui cum in theatro Deiparam blasphemiis traduceret, ab eadem sibi noctu apparente admonitus est hac voce: *Quid tibi mali feci, qui coram tanta multitudine mihi detrahis & blasphemas me?* Ille surgens visum velut somnium contempsit, & non solum se non correxit, verum etiam postea plus blasphemavit. Rursus ergo apparuit illi Dei mater dicens: *Noli quæso, noli ita lædere animam tuã.* Ille vero rursus deterius illam proscindebat. Unde ipsa tertio eum admonens eadem repetebat. Cum autem ille se non corrigeret, sed plus blasphemiis adjiceret: meridie dormienti apparuit nihilque dicens, digito solum signavit ejus manus & pedes. Evigilans autem ille invenit se truncatum manibus & pedibus. Atque ita infælix, uti truncus inutilis jacens confitebatur omnibus, cujus rei gratia, & quomodo hoc passus ac clementer punitus esset. Vultisn' aliud recentius? In vita Constabilis Abbatis Cavensis, qui obiit anno 1138. refert Surius, quendam Diaconum Dauferium nomine, sub oratione crebro ejus sepulchro innixum obdormisse. Monitus ergo per somnum ab Abbate; *Quare tu ex sepulchro*

meo grabatum facis? Post menses aliquot rursum ibi obdormiit, & Abbas ei apparens; *Nonne dixi tibi,* ait, *ne de sepulchro meo grabatum faceres?* Territus ille & evigilans videt brachium suum contractum & immobile. Agnoscens igitur errorem, ab eodem beato, ut creditur, Abbate precibus sanitatem impetravit. Surius 17. Februarii. Vides hic in secundam irreverentiam beato viro exhibitam gravius animadversum, quam in primam. Et quid mirum, si etiam nos homines acrius plectimus iteratos & cōtinuatos lapsus, quam inchoatos? Inter quotidiana exempla sufficiat hoc Childerici Regis Francorum qui Meroveum filium regni affectatorem primo attonsum in monasterium intrusit: ex quo ille profugus & res novas molitus, ab eodem exoculatus est, teste Paulo Æmilio in Childerici vita. Primus ejus lapsus ita punitus est, ut curiosi ejus oculi ad monasterii limites constringerentur; secundus promeruit ut omnino cæcarentur. Quare sicut sacerdotes Dagon, & omnes, qui ejus templum ingrediebantur, ab eo tempore, quo Dagonis caput & manus repertæ sunt super limen templi, non calcarunt amplius limen illud, ut habetur loco citato: ita & quicunque post lapsum resurrexit, videat ne amplius calcet limina illa, in quibus lapsus est, ne periculosius cadat, *Plerique naufragio liberati, exinde repudium & mari & navi dicunt,* ait Tertullianus l. de pœnit. c. 7. Sic Petrus naufragium in aula Caiphæ passus, mox eam deseruit, nec amplius repetiit. Et tu igitur dicito; Valete fluctus, valete maria in æternum, valete peccata. Et cur quæso Diabolus ita timet crucem, nisi quia per eam semel dire cæsus & debellatus est? Bone Deus! Dæmon fugit instrumentum, quo accepit plagam & non fugit Christianus abominabile peccatum, à quo & propter quod tam sæpe acriterque mulctatus est?

IV. Quia non coronabitur, nisi qui perseveraverit usque in finem. In podere summi sacerdotis V. T. malogranata erant, (quæ sunt poma coronata) non in suprema, nec in media, sed in infima vestis parte. Exodi 28. quia corona non datur nisi perseveranti usque ad finem. Scimus etiam gladium, quo David Goliatho caput amputavit, inter sacra templi asservatum in tabernaculo, velut rem Deo sacram. 1. Regum 21. non tamen fundam aut lapidem, quo eum prostravit: quia nimirum funda solùm prostravit, gladius vero occidit. Prostravistis nuper Goliathum illum, fortem armatum, vestra pœnitentia, sed nondum occidistis. Vivit adhuc etsi enervatus & prostratus; unde adhuc arripere vos potest accedentes ad se ac dejicere; itaque superest, ut gladio perseverantiæ caput ei amputetis quomodo etiam David *stetit super Philisthæum & interfecit eum.* 1. Regum 17. Hoc nos Christus docuit qui ad descensum crucis provocatus descēdere noluit, sed perferendo crucem, usque ad *consummatum est,* & usque ad mortem, ea velut gladio, diabolum omnino jugulavit. Nimirum Crux est limes & terminus victoriæ Christianorum, quemadmodū *Tau* signum electorum, apud Ezech. c. 9. quo qui caruerunt, in Jerusalem omnes, trucidati sunt. Sanctus Eduardus Angliæ Rex, ejus nominis tertius Hybernum pedis utriusq; officio privatum, rogatus suscipere in humeros, & portare usq; ad templum S. Petri ex palatio suo, suscepit, & mox in itinere nervi debilis extenduntur, sananturque pedes. Tunc clamare omnes, sanatum languidum, onus ob squalorem & fœtorem deponendum. Sed ille nequaquam acquievit, donec ad præscriptum terminum, templum S. Petri pervenit, ubi ante S. altare ægrum deposuit sanum. In ejus vita 5. Februarii. Alredus Abbas Anglus apud Sur. Suscepimus in nos elapso paschatis tempore suave pœnitentiæ jugum, eique nos alligavimus firmo proposito non abjiciendi, nec confringendi illud. Feramus igitur fortiter, quod nobis imposuimus; licet caro, mundus & tota Diaboli caterva obsistat & contrarium suadeat, usque dum perveniamus ad templum illud, cujus claviger est Petrus.

THEMA III.

Agricolas per patientiam fieri posse Equites S. Georgii.

Ad Agricolas.

S. Georgius agricola & eques.

I. *S. Georgius gravi saxo premitur, uti & agricolæ.*

II. *In rotam cultris armatam injicitur. Suo modo & agricolæ in metum tempestatum.*

III. *Projicitur in lacum ardentem; & agricolæ in malos vicinos.*

IV. *Calceatur soleis ferreis: agricolæ infirmitatibus.*

V. *Nervis cæditur: & agricolæ injuriis.*

Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Joan. 15.

DUo sunt in Georgio, quæ difficulter simul stant, nomen ejus & status. Nomen est Agricolæ: status est Equitis, à quo & illustris ille ordo Equitum S. Georgii: unde appellatur (Der Ritter S. Georg.) Sed qua ratione agricolæ fieri possunt Equites? Fuit Georgius tribunus militum, sed non tam inde nomen Equitis consecutus est, quam ex glorioso certamine & victoria martirij sui patiendo, non occidendo. Possunt ergo & agricolæ fieri coram Deo equestres, si in martyrio suo, quod fere habent continuum, gloriose patiendo certent & vincant. Videamus martyrium Georgii: videamus & agricolarum. *Georgius agricola & eques.*

I.

1. S. Georgius à Diocletiano in carcerem positus, ibique in ligno extensus fuit, tum pectus ejus gravi saxo pressum, quod vix portari poterat. Tum ipse: *Gratias tibi ago, quod dignus factus sim; qui onus acciperem, quod pectori meo imponeretur quodq; mea* *S. Georgius gravi saxo premitur, uti agricola.*

in te confessionis stabilitatem firmare debeat. Quid hoc saxum nisi gravia onera, quæ premunt agricolas: immoderatæ pensiones, operæ, exactiones à dominis impositæ? Interim tamen hoc saxum firmat agricolas in obedientia & humilitate.

Remediũ. Cogitent crucem Christi gravem, ejus humeris impositam: postea Simoni Cyrenensi, agricolæ angariato; qui ex necessitate fecit virtutem. Unde pro mercede & ipse ad Christum postea conversus, & filii ejus Alexander & Rufus, celebres in Ecclesia facti sunt. Marco insinuante capite 15. Crocus *calcari gaudet pereundoque melius provenit*, teste Plinio lib. 21. cap. 6. Idem prodesse cæpis novistis. Sic & pressuræ corporis utiles sunt animæ. Jugum etiam grave est labor vester continuus & durus. Verum cogitandum vos esse filios Adæ, quibus hoc jugum impositum est, ut in sudore vultus vestri comedatis panem vestrum. De quo Ecclesiasticus 40. *occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam.*

II. *S. Georgius in rotam cultris armatam injicitur. Suo modo & agricolæ in metum tempestatum.*

II. In rotam gladiis armatam injectus, gyratus ac laceratus fuit. Interim: *Gratias tibi Domine*, ait, *quod in hanc sortem me vocasti. Tu qui fuisti fixus in cruce inter duos latrones & mortem immortalis gustasti, ut à morte hominem eriperes, da mihi stabilem tuæ fidei confessionem in hac hora, & serva animam meam ab hac diaboli machina.* Facta hac oratione Angelus Georgium à rota solvit ac sanavit. Rota hæc vocari potest cœlum, perpetuo rotatum & gladiis malignorum siderum, adeoque grandine, siccitate, imbribus, pruina, fulminibus armatum, sæpe extrema minitans, sæpe etiam vulnerans. Cum hac rotantur nostri agricolæ semper metuentes agris & pecoribus suis. Agricolæ Ægypti cœlum nunquam aspiciunt, quod non a pluviis sed à Nili inundatione tantum agrorum fœcunditatem expectent. Non sic agricolæ nostri, cælum identidem contuentur, unde illorum proventus pendent.

Remedium 2. Quid igitur ipsis hic faciendum? Cogitent inprimis sensisse etiam Christum hanc inconstantis fortunæ rotam, quando in die palmarum exaltatus instar Regis, post quinque dies depressus ad crucem & latrones fuit; unde tamen rursum post triduum emersit in resurrectione ad gloriam. Quare si quando accidit, ut cladem aliquam à tempestate hoc anno accipiant, sperandum illis est, Deum, qui non in perpetuum irascitur, sequente anno fore in eos liberaliorem. Aspiciant sidus Veneris, quod Luciferum appellant. Hic vesperi occidentem Solem sequitur, ut putes eum mane post Solis ortum primum rediturum. Sed non ita est, nam mane in aurora orientem Solem præcedit, adeoque tarditatem sui occasus, celeritate ortus compensat. Idem ipsis facile Dei benignitate potest contingere, ut clades hoc anno accepta sequentis anni fælicitate abunde compensetur: ita ut jam divites se videant, qui prius se ad incitas redactos existimarunt. Hoc est, quod Sophar Job prædixit: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer, & habebis fiduciam propositæ tibi spe.* Job undecimo. Expertus id est & Tobias, qui post pios sepulturæ labores exantlatos repente excæcatus hirundinum stercore, desperatus de sui visus receptione videbatur. At vide, cum minime speravit, visum Angeli beneficio recepit. Deinde utantur Christi consilio: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matthæi sexto. Scribit Origenes tractatu decimo tertio in Matthæum, & Plinius libro octavo capite trigesimo quinto, inter conchylia, quæ uniones gerunt, esse unum quoddam maximum, & pulchritudine margaritæ intra se reconditæ venustissimum quod quasi ducem cætera conchylia turmatim sequantur. Igitur venatores hoc maximum præ cæteris venantur peculiari studio: eo enim capto, facile postea capiunt reliquum agmen totum, omnesque in eo inclusas margaritas, velut cum matre pullos. Conchyle maximum & venustissimum est Dei regnum, de quo Christus Matthæi decimo tertio. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Hoc est, simile est margaritæ pretiosæ, quam mercator aliquis omnibus suis facultatibus emit. Hoc igitur cœleste conchyle, qui ante omnia piscatur & quærit, tametsi nondum ceperit, reliqua viliora bona, qualia sunt terrena, non difficile consequetur, quantum ipsi necesse est. Docuit hoc Tobias filium suum inter alia monens: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.* Tob. 4. Idq; expertus est, redeunte ad ipsum filio ex itinere cum magnis divitiis.

III. Conjicitur in lacum ex calce vel lapide albesto, triduo ardentem. Mansit illic illæsus Georgius sub præsidio Angeli. Quinam hi ardentes lapides nisi mali vicini, ardentes & urentes odio inextinguibili? Et quod hic remedium? Cogitent inprimis, quam malum vicinum habuerit juxta se cœlestis agricolæ filius, Christus in cruce, latronem, inquam sinistrum; eum tamen sibi improperantem tacitus & æquo animo tulit. Et quam diu tulit Judam proditorem suum, & quidem in domo & mensa sua? Considerans id sanctus Martinus, qui similem persecutorem inter suos habuit discipulos, Bricium, non difficile eum sustinuit. Dicebat enim; *Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Bricium?* ut in ejus vita. Cogitent deinde Abrahamum, qui & ipse vir agricola a vicinis suis Chaldæis Gentilibus ob veri Dei cultum divexatus & ut habet traditio Hebræorum, (quam approbat Hieronymus, & recipere videtur Ecclesia in commendatione animæ moribundæ) in ignem conjectus, indeque à Deo eductus est, ut legimus secundo Esdræ capite nono. *Deus qui elegisti Abraham & eduxisti eum de igne*, Hebr. *de Ur*, ut Gen. 11. ponitur, *Chaldæorum.* Cogitent Noen justum in toto mundo perverso, ab improbis cum suæ arcæ structura per annos centum derisum & subsannatum, velut insanum & fabulosum præconem. Cogitent Lothum inter pessimos

Sodo-

Sodomitas,qui ut ait S.Jacobus ep.2.cap.2. *aspectu & auditu* (hoc est, licet quotidie aspiceret & audi-et pessima vicinorum scelera) *justus erat, habitans pud eos, qui de die in diem animam justam iniquis peribus cruciabant.* Cogitent Jobum in terra Hus nter impios Idumæos derelictum & cruciatum.)mnes isti inter malos magis enituere (uti rosæ uxta alia sata, fragrantiores fiunt) & à Deo custo-iti fuere.

IV. Calceos ferreos induere cogitur, clavis i-neis affixos. Tum Georgius: *Propera Georgi ad for-m illam, quæ te apprehendit.* Cui Christus: *Esto bono nimo, tecum sum.* Calcei ignei febres sunt & mor-i, in quibus destituti omni cura rustici, omni me-ico & medicina, pergere ad labores sibiq; compa-re cibum nequeunt. Calceus item ferreus clavis i-neis affixus est paupertas & inopia, cui pleriq; ru-colæ affixi sunt. Quod verò his remedium.

Cogitent Christum etiam in cruce manibus pe-busq; confixum, ita ut seipsum nec digito suble-re uno posset, nec cruorem abstergere, nec mu-am à vulneribus depellere, nec de uno se in alte-m latus vertere: ita parum eis videbitur, quod si patiuntur. Ille etiam cùm esset dives & totius undi dominus, propter nos factus est pauper, & eò quidem, ut non haberet, quod volucres & vul-s habent, quo caput reclinaret. Sic non habuit lcitram, in qua cubaret, ubi victum & vestitum? uis unquam agricolarum adeò pauper fuit, ut non beret, ubi jaceret?

Cogitent deinde Christum esse secum, licet ab a-s deserti sint: ipsum esse medicum omnium præ-ntissimum, in quo magis confidendum sit, quàm prædiis humanis & quibuscunq; opibus. Pul-rè hoc ostendit Angelus cuidam hortulano in vi-PP. lib.5. libello 6. *Narraverunt senes,* ait auctor æcus Pelagio interprete, *de quodam hortulano, ia laboraret & omnem laborem suum expenderet leemosynam, & tantum sibi retinebat, quantum victum ipsius sufficeret. Postea verò Satanas im-sit in corde ejus dicens: Collige tibi aliquantam pe-iam, ne cùm senueris aut ægrotaveris opus habeas expensas. Et collegit & implevit lagenam de num-i. Contigit autem eum infirmari & putrefieri pe-n ejus, & expendit, quod collegerat, in medicos, & il ei prodesse potuit. Postea verò venit quidam de ertus medicus, & dicit ei: Nisi incideris pedem tuum, refiet. Et constituerunt diem, ut inciderent ejus pe-n. Illa autem nocte rediens in semetipsum, & itentiam agens de his, quæ gessit; ingemuit & flevit ens: Memor esto Domine operum meorum priorum, faciebam, cùm laborarem in horto meo, ex quo peribus ministrabam. Et cùm hoc dixisset, stetit gelus Domini & dixit ei: Vbi sunt nummi, quos egisti? & ubi spes de qua tractasti? Tunc intelligens it: Peccavi Domine: Ignosce mihi & amodò ulteri-oc non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem ejus & atus est statim. Et exsurgens manè abiit in agrum operari. Venit ergo medicus secundùm institutum fer-ramentis, ut secaret pedem ejus, & dicunt ei. Exiit à manè operari in agro. Tunc admiratus medicus per-rexit in agrum, ubi operabatur ille, & videns eum fo-dientem terram glorificavit Deum, qui reddiderat ei sanitatem.*

Deniq; cogitent suam ægritudinem & inopiam, lene quoddam imò suave purgatorium sibi esse, de quo Isa.48, ait Dominus: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum* (in ardentissimo scilicet camino sicut me-rueras) *elegi te in camino paupertatis.* Heb. *ussi te, non in argenti sed inopiæ & afflictionis fornace.* Argentum igni impositum rubet, quasi in ignem transeat, ex-tractum inde recuperat suum candorem: sic qui in purgatorio excoquuntur, toti in ignem transeunt, toti igniuntur. An non igitur præstat intrare forna-cem inopiæ & afflictionis, quàm fornacem illam argenti? 3.

V. Nervis deniq; atrocissimè cæditur. Nervi sunt contumeliæ & injuriæ, quas patiuntur vel à domi-nis vel ab inimicis ruricolæ. Quod in his remediū? Cogitent primò Christum flagellis immaniter cæ-sum obmutuisse velut agnum. Contumeliis quoq; innumeris appetitum, non contumelias rependisse, sed orationem. Id quod etiam fecit S. Georgius pri-usquam capite plecteretur; quod extremum ejus supplicium fuit. *Non est servus major domino suo. Si patremfamilias Beelzebub vocarunt, quantò magis domesticos ejus?* Matth.10. Mulier quædam in Anglia fuit, teste Joanne Busæo nostro lib. de statib. homi-num, libello de regim. rusticor. c.9. bene fidelis ac virtutibus plena, & præcipuè hospitalitati supra vi-res intenta. Hæc propter constantem usum bonorū operum sancta, ut verè fuit reputabatur. Verùm in uno deficiebat, quòd malos & injuriosos homines sibi vicinos, qui eam crebrò & indignè molestabant, non omninò æquanimiter tolerabat, quin imò & aliquando minùs patienter eis respondebat. Igitur post aliquod tempus; cùm jam diu defuncta fuerat, quidam vir Sanctus etiam in pœnis purgatorii vi-dens mirabatur, quod tantæ famæ fæmina adhuc il-lic detineretur, quæ nihilominus graviter pro sua impatientia, quam admiserat, flere & pœnitere sole-bat. Cui dominus visionem exponens respondit. *Ego stetì coram Pilato & pro hominum peccatis satis-faciendo silui ad contumelias illatas, non pro peccatis meis. Hæc autem quia me in hoc imitari neglexit, ideo nunc justum est, ut magna acerbitate purgetur, ne aliquod malum maneat impunitum.*

V. S.Georgius nervis cæditur: & agricolæ injuriis.

Remediū. 1.

Cogitent deinde injurias & probra suas esse me-dicinas. Hinc sponsa concludens suum cum sponso Dialogum, hoc ultimum petit. *Fuge dilecte mi assi-milare capreæ hinnuloq; cervorum.* Canticorum 8. Cervus serpentes, caprea helleborum venenatam herbam non modò sine noxa, sed etiam ad salutem loco medicinæ vorat, teste Plinio lib. 25. cap. 5. Pari modo injuriæ, si cum patientia & mansue-tudine devorentur, medicinæ sunt, non venena. 2.

Fuge ergò dilecte mi, assimilare capræ hinnuloq; cervorum.

3. 3. Impatientiam duplicare malum; perdere meritum & sæpe rem temporalem, divina punitione. Sic contigit rustico illi in prato spir.c.183. qui Davidem Ægyptium Eremitam conduxerat ad metendum agrum. *Qui, cum semel æstus magnus esset, ex agro abiit in tugurium, & sedit. Quem intuens agricola objurgat, cur non meteret. Et ille: quia propter æstum excidit triticum, ideo expecto vesperum. Cui ille: Surge, labora, ardeant omnia, Ille: Et vis ut ardeant? Et agricola: Ita planè. Abit David, & en continuò seges ardet.* Currens ergo agricola ad alios senes, propè metentes, rogat, ut illum messorem suum inclinent ad orandum pro segete: Quibus ille: *Sic quidem voluit ipse.* Oravit tamen & extinxit ignem.

4. 4. Deniq; maximum aliquando se collecturos fructum suæ patientiæ teste David Ps. 9. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis patientia pauperum non peribit in finem.* Videtur ad tempus eorum oblivisci Deus, sed non obliviscetur in perpetuum. Agricola & mercator expectant quidem ex agris fructum suorum laborum ac industriæ: sed quandoq; fraudantur, pereunt fruges grandine, merces naufragio; non ita fructus patientiæ pauperum; non enim peribit in æternum, quod magnum ei solamen afferre debet.

Ergo si Equites fieri vultis vos agricolæ, cum Georgio militate non feriendo, sed patiendo, & quæ ipse egit, pro viribus imitando.

THEMA IV.

Quædam agricolarum præscripta seu regulæ.

Ad Agricolas.

I. *Fertilissimus est in agro oculus Domini.*

II. *Lutosam terram ne tangant sc. peccatum & res alienas.*

III. *Omni conatu arent, orando.*

IV. *Malus agricola est, qui interdiu facit, quod noctu potest.*

V. *Pejor est, qui profestis diebus agit, quod feriatis deberet.*

VI. *Pessimus qui sereno die sub tecto potiùs operatur quàm in agro.*

VII. *Nequam agricola est, qui emit, quod ex suo fundo habere potest.*

Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Joan. 15.

Agricola Christo valde similes.

HAbent sanè agricolæ, quod sibi gratulentur, dum hodierno in Evangelio audiunt Christũ Dominum nostrum seipsum appellare filium agricolæ, eo ipso, quod patrem suũ nominat *agricolam*: Similes ergo Christo ejusq; patri aliqua in re sunt, plusquam alii homines. Coluit Christus Dominus agrum seu vineam Ecclesiæ suæ quemadmodum & agricolæ colunt agros & vineas suas. Christus in hoc mundo servi forma indutus à magnatibus contemptus fuit: tales habentur in mundo etiam agricolæ. Christus vitam duram & pauperem duxit; si vivunt & agricolæ. Christus sua merita nullius damno paravit: sic etiam rustici è terra eruunt panem & vitæ necessaria, nullius præjudicio. Deniq; Christus patri suo cælesti, dilectissimus fuit, quia ipsi pe omnia simillimus: sunt etiam agricolæ Deo tant magis dilecti, quantò magis ipsi similes. Habent e iam Patronum magnum, S. Georgium, cujus & no men sonat agricolam. Gratulentur ergo sibi hc nomine agricolæ. Verùm ut hoc ipsorum solatiur verum sit ae solidum, unum observare debent, nimirum sint boni agricolæ non solius terræ, sed e iam animæ suæ. Qua vero ratione, nunc audiemu

Celeberrimus ille naturæ indagator Plinius, cum eo alii quidam; aliquod præscribunt agrico partim præcepta, partim documenta, quæ ad bon mores videntur non difficilè accommodari pos Sunt autem hæc.

I. Primum est, *fertilissimum esse in agro ocul Domini.* Ita refert Plin. lib. 18. c. 6. Idem alio prov bio dicitur: nullum fimum agro utiliorem es quàm quem agricola infert agro in suis calceis. E ce oculus heri agrum facit fertilem, quia reddit tentos servos, qui colunt illum; quid ergo non ciet oculus Dei, si semper eum sibi invigilare co tent agricolæ? Quando Laban à servitute sua di sit Jacob una cum duabus suis filiabus, feriit dus cum eo, ne aliquando affligeret filias, & in e rei testimonium erexit tumulum terræ, appella q; eum *speculam*, quia dixerat: *Intueatur & jud Dominus.* Genes. 31. quasi pro fræno injiciens morem Domini Dei, omnia speculantis & judic tis. Vivunt in agris rustici, longe ab inspectorum superiorum suorum oculis remoti, magis quàm ves; quare ut ne abutantur creaturis Dei sibi conc sis, & libertate ac solitudine sua, cogitent se ha re inspectorem Deum in omni loco, *qui & vide & judicet.* Sic vitabunt scelera & reddent atten servos suos, intellectum, voluntatem, memoria sensus: sic impinguabunt bonis actionibus anim suas. Si enim agricolæ adeò metuunt Domin suos terrenos, ut in eorum oculis se ad modesti componant, & nihil facere audeant, quod eos fendat; cum videant statim pœnas sibi à tergo e cur non potiùs timeant Deum omnia cernente qui & animam & corpus potest mittere in geh nam? S. Juliana Virgo cum a sponso Idololatra liceretur ad Idolorum cultum, renuit, & ipsum tiùs vocavit ad suscipiendum baptismum. Q cùm is se facere nõn posse diceret, quod timeret ab ira & indignatione Imperatoris; tum Julia *Si tu mortalem times Regem, ego immortalem non meam Deum?* ut in ejus vita 16. Febr. Lipel. Id cogitent agricolæ; timeant immortalem Deu

qa

quia semper eis à tergo est, tametsi prævaricantes non statim corripit differt enim, non aufert.

II. Secundum. *Lutosam terram ne tangito*, refert idem Plinius libro decimo octavo capite decimo nono, quasi dicat, non arandum esse agrum, dum est lutosus, quia sementem suffocaret, & zizania solùm gigneret. Quod lutum esse perniciosius potest peccato? Enecat hoc omne semen bonum vitæ æternæ & gignit zizania mortis perpetuæ. Fuit hujusmodi semen fructus arboris vetitæ in paradiso, de quo præcepit Deus primis parentibus, ne comederent, &(ut Eva testatur) ne tangerent illud; ut ne morerentur. Adeo ergo perniciosius erat ille fructus, ut etiam contactus ejus damnum afferret. Ex occasione enim peccati, præsertim ex contactu facilis in peccatum lapsus est. Qui pretiosas gerit vestes, ab omni luto refugit, ne eas contaminet: Pretiosas habent animas ruricolæ boni, Dei gratia vestitas, eiq; tanto chariores, quanto coram mundo sunt contemptibiliores: omni ergo custodia servent cor suum, exemplo 40. illorum rusticorum, qui capti à Longobardis Gentilibus & compulsi ad edenda idolothyta, maluerunt tormentis excruciari & occidi, quam se contaminare peccato, apud D. Greg, 3. dial. c. 27.

Luto etiam manus suas commaculant agricolæ, si de rebus alienis aliquid attingant, decimas defraudent, jura sua non reddant. Sic enim Habac. c. 2. dicitur: *Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Ut enim densum lutum non solum inquinat homines, sed tenaciter etiam retinet atque inviscat, ne facile eluctari queant: ita res alienæ & peccato commaculant, & simul peccato affigunt, quo minùs eas restituant. Sedulo hoc lutum vitabat ille rusticus, apud Cassian. libro decimo quarto collat. capite septimo. qui Joanni Abbati confessus est: *se nunquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi prius Deo primitias eorum & decimas obtulisset, & nunquam se boves suos per media messis traduxisse confinium, nisi eorum prius ora clausisset, ne vel parum damni per injuriam ejus proximus sustineret.* Qui per hæc & alia pietatis opera eo sanctitatis pervenit. ut ad ejus præsentiam dæmon ex obsesso fugere debuerit. Cõsiderate vos hunc agricolam: Quando iste manipulum unum alienis subtraxisset, qui vel unam spicam alienam à bobus non permisit?

III. Tertium. *Vi omnia ato*. Plinius ibidem. Præcipuum est hoc agricolarum munus teste Catone, agrum bene colere & bene arare. Bene arat, qui bene orat. Quemadmodum enim arator terram arando invertit, ita ut pars inferior cespitis; prius latens superior & cœlum contueatur? ita & cor nostrum in oratione invertitur, ut in Deum aspiciat, quod in terram & terrena negotia priùs respiciebat. Porro ut bene aretur, suadent periti apud Plinium loco citato, terram prius proscindi, ut inverso cespite radices necentur: sic ad initium orationis, ut majore attentione fiat, eliminandæ sunt pravæ cogitationes. Addit Plinius eodem libro capite sexto, *Minus serere præstat & melius arare*. Præstat etiam pauca loqui in oratione ex consilio Domini nostri Matthæi sexto. *Cum oratis nolite multum loqui.* & meliùs orate: mente videlicet cum Deo colloquendo Non enim tam ad verba, quam ad mentem attendit Deus. Rursum idem Plinius eodem libro capite decimo nono docet: *Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent. sic enim minus colla contundunt.* Pari modo in oratione oportet cohibere & arcte constringere sensus, ne evagentur, quo oratio fiat attentior & suavior oranti. Denique ibidem Plinius: *Arator nisi incurvus prævaricatur.* Sic & qui orat, nisi supplex & humilis incurvet se coram Deo, nihil impetrabit, imo prævaricatur, orans quasi pauper, & interim collum superbiæ erigens. *Pauperem autem superbum* odio habet Deus. Eccles. 25. Quamquam vero omnibus Christianis necessaria est oratio, inprimis tamen est ruricolis, qui omne suum pabulum, omnem sustentationem expectare è cœlo debent. Mercatores, literati, & opifices non curant valde tempestates, quia inde se non alunt, sed ex studio, mercimoniis aut opificiis. Agricolæ vero licet agros suos quam diligentissime coluerint nisi Deus incrementum det, pluvias & Solis radios; frustra laborãt. Deus enim *dat pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra;* ait Paulus & Barnabas Act. 14. pro his ergo orandus est, uti oravit Salomon 3. Reg. 8. Frustra est alioquin omnis humana industria. In vita sancti Severini Noricorum Apostoli apud Sur, 8 Jan. legimus ejus tempore locustas innumerabiles passim segetes devastasse: Suasit ergo agricolis Severinus, ut contra bestiolas non ad agros excurrerent, quasi humana solicitudine eas vetituri, sed in templum potiùs cum ipso ad orationem convenirent. Fecerunt ut jussi erant, uno excepto pauperculo, qui ad agellum suum modicũ, quem inter aliorum sata habebat, excurrit, & nubẽ locustarum impendentem, qua potuit, exturbavit industria, sicq; ad templum rediit. Verum altera die vidit omnes aliorum agros illæsos, suum vero a locustis penitus depastum esse; sero se redarguens, quod plus in sua opera, quam in oratione & Dei præsidio confisus esset.

IV. Quartum *Malum patremfamilias seu agricolam esse, quisquis interdiu facit, quod noctu posset.* v. g. si interdiu quiescat vel dormiat, cùm noctu dormire possit. Plin. ibid. capite 6. Dies est, dum adhuc vegeti, juvenes & sani sumus: non erit, cùm senectus ingruet aut morbus. *Me oportet operari dum dies est, venit nox, quando nemo potest operari*, ait Dominus Joan. 9. Mali ergo cultores animæ suæ sunt, qui otiantur & dormiunt, dum firma valetudine bene operari possunt, & differunt id ad noctem ægritudinis aut senectæ. Alexander M. militem, qui instructa jam acie amentum telo aptabat, velut ignavum domum remisit; quod tunc primùm telum aptaret, cùm pugnandum esset. Plutar. in Apophteg.

IV. *Malus agricola est, qui interdiu facit quod noctu potest.*

Huic

Huic simillimi sunt, qui in morte & senectute parare sibi arma, ad pugnandum cum morte & dæmone, volunt, quod dudum antea facere debuerant.

V. *Pejor est, qui profestis diebus agit quod feriatis deberet.*

V. Quintum. *Pejorem*, adhuc *patremfamilias esse* refert idem Plin. 16. c. 9. *qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet.* Debent ergo agricolæ observare tempora sacra, ut labores suos, qui diebus aliis destinati sunt, non transferant in festivos nec facili etiam de causa quæ festivis temporibus agi convenit (ut est confessio & communio) transferant in dies quibus laborandum est. Sex dies pro corpore alendo, septimus pro anima institutus est, neq; ullum negotium singulare tam tibi cordi esse debet, ut per id negligas animæ negotium. Aristippus Philosophus à quodam reprehensus audivit: *Tua culpa perit ager.* Cui ille: *melius est ut pereat ager propter me, quam ut ego propter agrum.* Stob. serm. 55. Idem multò magis dicat Christianus, si in diebus festis suadeat quis agrum colendum, metendum, fruges domum vehendas, ne pereant. Præstat perire agrum aut fruges propter te, quàm te propter agrum. *Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua?* inquit Matth. 16. Dominus. Pari ratione, tempore paschali cùm juxta Ecclesiæ præceptum sacra confessio & communio peragenda est, non præferantur huic negotio animæ labores corporales, sed postponantur. Nec laudo, si hæc sancta opera differantur in dies, quibus laborandum est, quia labor corporis laborem animæ turbat, & dies festivi negotio salutis à Deo destinati sunt, velut magis idonei & quieti: sicut dies non festivi destinati sunt laboribus potissimum corporalibus. Neq; verò existiment rusticolæ dies festivos somno, otio, compotationibus, choreis transigendos esse, eoq; hæc talia differenda. Gravis est hic error, qui magnam festis infert injuriam: non secus, ac qui sordes omnes oppidi vel pagi in templum exonerare & conferre vellet. Neque enim minùs sancti sunt dies dominici & festivi, ab ipso Deo sanctificati: quàm templa & cæmiteria sacrata ab Episcopo.

VI. *Pessimus qui sereno die sub tecto potius operatur quàm in agro.*

VI. *Pessimum esse, qui sereno die sub tecto potius operatur quàm in agro.* Plin. ibid. Talis autem fieret, qui præclaras bene operandi occasiones negligeret. Nôrunt agricolæ quantum referat, tempora arandi, seminandi, plantandi, ligna cædendi, fruges colligendi observare. Si enim ea neglexerint, serò nimis sapient, & victum se perdidisse dolebunt. Vident apes suas nullum diem serenum negligere, quin evolent ad laborem; nubiloso tempore domi laborare. Vident formicas præparare in messe cibū sibi, quia post messem occasio fugit: Pari ergo modo observent occasiones conquirendi merita, & bene operandi pro sua salute, v. g. dies solemnes, tempora indulgentiarum, orationum, supplicationum, concionum, tempora quibus Episcopi Confirmationem administrant, vel Ecclesiam dedicant, quibus viri religiosi pro ipsorum bono adsunt &c. Deniq; nullum tempus otio consumant, quod monuit S. Bernardus his verbis: *Si dimiseris rusticum ne laborem continuet, statim mollescit; quòd si laborare cessaverit, quo merito æternam obtinebit vitam? orare nescit, contemplari, meditari, studere, legere, cæteraq; studia spiritualis vitæ ignorat: & quid ei restat nisi otium? Otium autem diu rationalis creatura sustinere non potest. Restat ergo, ut si laborare in vocatione sua cessaverit, ad vitia ruat & diabolus fiat.* Refert Guil. Abbas in vita ejus.

Septimum. *Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset.* Plin. ibid. c. 6 Nequam verò potissimum est sibi ac liberis suis, quos hac stultitia sua perdet. Qui verò sibi nequam, cu[i] bonus? Laborant hac stultitia & nequitia qui salutem suam, quam ipsi sibi parare bonis operibus adeoq; plantare in suo fundo possent, quærunt in aliorum precibus & præsidio. Volunt pro se fieri preces & bona opera à religiosis, quæ ipsi fructuosiu[s] facerent. Nisi enim & ipsi orent, aut saltem peccar[e] desinant, seq; capaces gratiæ reddant, frustra aliorum preces invocant: quemadmodum & æger, ni[si] Medico cooperetur, servando præscriptam diætam frustra opem ejus expectat. Saul Deo inobedien[s] apprehendit Samuelem in summitate pallii, rogan[s] eum, ut pro se oret; verùm ea scissa est & remansit i[n] manu Saulis; Propheta autem abiit 1. Reg. 15. qui[a] nimirum ipse de peccato suo non pœnituit, nec pi[e]tatis opus aliquod de suo adjunxit. Hac ration[e] Sancti frustra invocantur. Nihilo plus prodest sol[a] eleemosyna, quantumvis larga, si quis in peccati[s] pergens, putet se Dei gratiam ea mercari posse. V[i]detur enim iste Deum pro tali judice habere, que[m] corrumpere possit muneribus ut iniquæ parti fave[at]; quod est maxima Deo injuria. Non vendit De[us] gratiam suam pecuniâ, sed pœnitentia & retracti[o]ne scelerum. Scimus deniq; fatuas illas virgines fr[u]stra ad forum perrexisse, ut oleum sibi emeren[t] quod ipsæ sibi prius parare noluerunt.

Hæ sunt, quas promisi, agricolarum regulæ: h[is] ita explicatis serio se accommodent, & erunt fil[ii] Dei dilecti, adeoque boni clientes S. Georgii, q[ui] nomine & re agricola agrum animæ suæ diligenti[s]simè excoluit: quin imò erant fratres Christi, qui [et] ipse filius est cælestis illius agricolæ, qui mundu[m] hunc plantavit & excolit continuò. Quod si fratres, ergo & cohæredes in cælo futuri.

* * *

IN FESTO S. MARCI.

THEMATA.

I. *Sectatores alii terræ, alii cœli,*
II. *In processionibus quomodo eundum.*
III. *Qui potißimum operarii à Deo postulandi,*
IV. *In processionibus quæ observanda.*

THEMA I.

Sectatores alii terræ, alii cœli.

Pugiles mundi seu Sectatores terræ sunt.
I. *Qui in vestitu suo gloriam quærunt.*
II. *Qui in corradendis opibus suam fælicitatem quærunt.*
III. *Qui è vindicta gloriam quærunt.*
IV *Qui pro libertate carnis pugnant*
Pugiles Christi seu Sectatores cœli sunt:
I. *Qui sua libenter communicant,*
II. *Qui cultum animæ potiùs quàm corporis quærunt.*
III. *Qui Iuramentis abstinent.*
IV. *Qui inter se unanimes sunt,*

Salutat vos Marcus filius meus. 1. Pet. 5.

NOn exigua laus S. Marci, quòd à Principe Apostolorum Petro *filius* appelletur illis verbis: *Salutat vos Marcus filius meus.* Argumentum enim est eximii amoris in Petro erga sanctum Marcum, q[uem] in Christo genuerit: & magnæ sanctitatis in sancto Marco. Laus hæc talis est, quæ ab omnibus Christianis jure merito expectatur. Quare si & nos filii sancti Petri dilecti esse desideramus, sancti Marci sectatores esse studeamus. Notum est inter pugiles duas esse factiones, quarum una appellatur (Die Federfechter/) quasi dicas, plumarii; altera (Die Marxbrüder/) hoc est, fratres seu pugiles Marci: qui velut antagonistæ de gloria inter se certant. Non dissimiliter inter Christianos duæ sunt factiones hominum, alii enim plumarum, alii S. Marci sectatores sunt. Illi mundum ejusque vanitates sequuntur ac propugnant: isti verò Deum. Non opus deliberare utri parti adhærendum sit. Nemo enim nostrûm est, qui non S. Marci frater esse velit. Solum id superesse videtur, ut utramque contemplemur, quod nunc faciemus.

Quinam plumarii pugiles sunt, (Die Federfechter?) Qui pro plumis luctantur & pugnant, pro rebus fluxis & inanibus. Quid levius pluma? & quid fugacius mundi donis? Tales autem sunt pugiles mundi.

Fabri nova Sylva de SS.

I. Qui in splendido vestitu suam gloriam quærunt. Populi in calidis regionibus utriusque Indiæ plumis ferè avium varicoloribus se ornare solent; coronam inde capiti facere & præcinctorium. Rideremus illos nos, si videremus; at interim nihil aliud agunt superbi, dum per vestitum splendidum gloriam sibi quærunt: omnia enim ornamenta mendicant à bestiarum plumis & pellibus, vermibus, lapidibus, plantis & arboribus: non secus ac personæ comicæ, quæ si Regis personam aut Reginæ agere debeant, ornamenta regia emendicant à magnatibus, ab uno vestem, ab alio torquem, ab alio coronam, gladium, &c. Quis autem illos propterea veneratur, aut magni æstimat? Post comœdiam enim omnia deponere & restituere coguntur. Adhæc per hunc luxum avolant divitiæ. Fuit anno 1518. Princeps, qui pellicium seu talarem tunicam habuit suffultam pellibus, quas pellio è carduelium capitellis miro opere concinnavit. Drexelius in Trism. lib 3. cap. 9. Qualis hic plumarum pugil? quot aviculas suas plumulis deplumavit, ut alienis se ornaret? Et quo emolumento, nisi ut tanta vanitas legatur in libris, & videatur ab intelligentibus. *I. Qui in splendido vestitu suam gloriam quærunt.*

II. Qui in opibus accumulandis suam fælicitatem quærunt. Divitiæ sunt plumæ; quia sicut aves beneficio plumarum se calefaciunt & in altum tollunt: sic divites beneficio opum carnem suam fovent & in superbiam evehuntur, Talis Nabuchodonosor de quo Ezech. 17. dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena pumis &c.* Plumæ significant divitias ejus, secundum D. Gregorium 31 moral. cap. 19. *Sicut enim aquila sine plumis volare nequit, ita & Principum dignitas omnis nisi pecunia fulta, enervis est, & facilè corruit,* ut dixit Carolus IV. Imperator ad Principes Germaniæ apud Dubravium lib 22. Verùm sicut avium pennæ subinde defluunt, (wann sie mausen:) ita defluxerunt Nabuchodonosori, quando velut amens ejectus est è regno in sylvas. Unde monet Sapiens Prov. 23. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilæ & volabunt in cœlum.* Ut enim aquilæ altissimè volant, ita ut conspici demùm nequeant: sic opes sæpenumerò avolant quàm longissimè, ut nihil jam ex eis videas. Id expertus ille vini mercator, cujus crumenam è navis puppi rapuit milvus pelle leporina tectam, & in aquam dejecit, teste S. Gregorio Turon. de glor. Confess. cap 109. Superioribus annis Liscanus Hispanus, cùm gravi obsidione Solymannus Strigonium urgeret, auro suo ex prædis consarcinato metuens, deditionis maturandæ autor *II. Qui in corradendis opibus suam filicitatem quærunt.*

fuit. Excessurus igitur munitione aureo torque Halin Turcarum donat: aurum verò suum in ephippiis insignium, quos alebat, equorum subter pulvinos condit, quo securius id secum auferat. Verùm abitu ipsi permisso, equi ejus cum ephippiis & auro unà cum derisione à Turca intercepti & retenti sunt, dicente: *navigaturo nihil opus esse equis.* Sic deplumatus Posonium venit & reus proditionis carceri mancipatus est. Jovius & Sabell. suppl. lib. 26. Quales sibi pennas fecit, hoc aurum, & quàm procul avolavit in Turcarum hostium manus unà cum equis & ephippiis.

III. Qui è vindicta gloriam quærunt?

III. Qui vindictam, adeoque ab inimicis sternendis gloriam quærunt & solatium suum. Quid enim aliud agunt, qui ob rem levissimam lites & contentiones movent, quàm qui pro pluma certant? Advertit Pierius lib. 24 aves incitari ad pugnam & contentionem, si allium eis in cibum detur. Quid allio, vilissimorum hominum cibo vilius, quod Plinio teste lib. 19 cap. 6. sæpe sponte in arvis crescit? Et nonne multi ob rem vilissimam duella, certamina, contentiones & clamores ingentes cient, v. g. quia alteri de via non cessit; quia caput prætereunti non aperuit; quia equum virga percussit? Sic fratres Josepho infensi facti sunt, eumque perdere voluerunt ac vendiderunt, quia narravit eis somnium suum de futura sua præcellentia. Unde illi indignati dixerunt: *Numquid Rex noster eris, ut subjiciemur ditioni tuæ?* Genes. 37. Saul, quia audivit mulieres canentes: *Percussit Saul mille, & David decem millia,* in odium Davidis exarsit: quasi tanti esset cantus mulierum. 1. Reg. 17. Aman, quòd Mardochæus non flecteret ei genu velut Deo, necem non ei soli, sed toti Judæorum genti molitus est. Esth. 3. Nonne hi de allio & pluma contenderunt? An non & ille Gallus eques talis fuit, qui in bello Anglico, cùm deprehendisset navarchum quendam Gebennensem similia insignia cum suis gerere, caput scilicet bovis; provocavit eum ad certamen, ut demonstraret, sibi potiùs deberi caput bovis, quòd antiquioris stemmatis esset? At navarchus bellè delusit ejus vesaniam: prodiens enim ad certamen, quæsivit prius, qua de re certandum esset: *Caput bovis,* ait ille, *mea sunt insignia.* Tum alter: *Nihil hæc ad me: mea enim sunt caput vaccæ tantùm.* Sic elusit arrogantem: sic composuit controversiam. Et hoc non est de pluma litigare?

IV. Qui pro libertate carnis pugnant.

IV. Qui pro libertate carnis pugnant; quales inprimis hæretici, in libertatem istam toti immersi. Pro pennis isti pugnant, ut liberè quacunque placet, evolare queant; sed in malum suum: sicut filio prodigo nocuit accepisse libertatem & substantiæ suæ portionem, siquidem abiens in longinqua, incidit in summas calamitates. Vulgò de Caligula Imperatore proditum fuit, *nec servum ipso meliorem, nec dominum deteriorem fuisse.* Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. Iones etiam dicebat Callicrates, servos esse bonos, liberos verò malos. Multorum hoc est encomium, qui dum sub jugo essent, optimi erant: postquam facti liberi sunt, pessimi evaserunt. Cogitent hoc libertini.

His è diametro adversantur fratres S. Marci. Quales verò illi? Scribit Eusebius lib. 8. præparat. Evang. cap. 4. & S. Hieronymus ex Philone Judæo, testante eo tempore quo S. Marcus Alexandrinam sedem erexit ac tenuit, Christianos per eum instructos vitam duxisse sanctissimam, qualis primorum Christianorum erat Act. 4. à Luca descripta.

I. Omnia bona fortunæ ipsis erant communia, nec suum esse quidquam dicebant: nullum egere patiebantur: agricultura, pastoritia & apum mellificatione vivebant. Idem etiam studium bonorum Christianorum est, non ferre clamores graviter egentium, aut miserias illorum aspicere oculis suis, quin succurrant eis pro viribus. Scimus Christũ Dominum majorem perfectionem requirere à Christianis, quàm à Judæis. At his tamen præcepit Deus Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus, non erit inter vos ut benedicat tibi Dominus.* non quòd mendicare egenis prohiberet: (scimus enim Lazarum mendicum fuisse) sed quòd eis subveniri vellet, ne graviter egerent. Multò igitur magis faciendum hoc Christianis. Guilla Marchionissa Hugonis Marchionis mater, videns in itinere vicinum sacellum, audiensque appellari *pauperem Mariam,* quòd nullos penè reditus haberet, ferre id non potuit; Mariam scilicet Dei matrem in terra appellari *pauperem* itaque eam diviti prædio dotavit, ut scribit B. Petr. Damiani epist. 14. lib. 7. Epistol. At nonne par aut major ratio habenda vivi templi Dei, quàm alterius lapidi? Egentes Christiani Dei templum vivum sunt, Dei aulici sunt. Quis jam ferat ipsos esse & dici pauperes, cùm possit juvare? S. Gregorius M. *dum quendam pauperem in angustis andronarum recessibus à vespillonibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopia perisse, ita per aliquot dies, ut dicitur à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset.* Ita in ejus vita Joan. Diaconus lib. 2. cap. 29. Viderint jam illi ante quorum ædes pauperes expirant, auxilio destituti: gemunt nec audiuntur; uti Lazarus ante domum epulonis.

II. Victu & vestitu æquali & vili utebantur, velut religiosi unius familiæ; cui addebant crebra & severa jejunia. Similes his boni Christiani sunt, qui carnem macerare potiùs, quàm saginare student; & cultum animæ præ cultu corporis quærunt. Scimus ex Levitico cap. 11. pisces scabros, qui pinnulas & squamas habent, mundos à Deo declaratos, & esui salubres esse; propter eorum siccitatem scilicet, quam indicant squamæ: cæteros, qui iis carent, adeoque læves sunt, immundos, imò abominabiles & execrandos esse habitos, utpote nimis humidos & viscosos, proinde insalubres. Sed cur de usu piscium tam sollicitus est Deus? quis non videt eum in hoc præcepto ad mores potiùs respicere? Et quinam pisces læves, nisi qui mollibus vestiuntur, adeoque in domibus Regum potius, quàm in domo Dei sunt?

Qui-

Quinam scabri & squamosi, nisi qui carnis curam non habent, sed eam negligunt & macerant? Isti pinnulas habent, quibus crebros in altum saltus dant, elevando mentem ad Deum; illi verò non habent; unde nec salta e possunt, sed in profundo & luto hærent, unde anguillæ & mustelæ aquaticæ. Cui videre placet talem Marci fratrem, S. Ottonem Episcopum Bambergensem videat apud Surium in ejus vita, 2. julii, l. 36. ffi 27. *Nunquam se ad satietatem panem in Episcopatu comedisse dixit: semper enim sobrius ac penè jejunus de cœna vel prandio surrexit: apposita omnia infirmis pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam jejunii tempore multa piscium penuria fuit. Sed quidam procurator ejus lucium parvæ quantitatis, emptum duobus solidis prandentia tulit bene paratum, modestè obsecrans, ut se uberius reficeret vel cibo, qui tam magno constabat. Cui Episcopus, quanto inquit? Procurator; duobus, ait, solidis. Et Episcopus: absit ut miser Otto tot denarios absumat; levansque discum: defer, ait, hunc pretiosum cibum Christo meo, qui mihi me ipso pretiosior esse debet. Defer, inquit, ei sicubi ægrotus in lecto jacet, vel paralyticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia sua deliciis affluebat.*

III. Juramenta inter eos nulla erant, jam enim mendacii suspectus habebatur, qui juramento quid firmaret. Decet certè hoc etiam Christianos, tum quia magna Deo irreverentia fit, si ob levem quamque causam in testem adducatur, veluti propter unum aureum; tum quia ea debet esse fides & veritas Christianorum, ut injuratis credi possit, & quævis eorum assertio vim juramenti habeat; quod certè etiam fieret, si juramentis abstinerent. Sanè etiam apud Romanos flamini Diali jurare non licebat, quòd indignum videretur, ei non credi, cui divina essent credita, apud Plutarch. in probl. Roman. in 43. probl. ubi & addit: *Iuramentum homini libero pro tormento est.* Rectè & Christianè; nam juramentum non nisi in casu necessitatis, quando in re magni momenti aliæ probationns haberi nequeunt, licitum, adeoque medicamenti instar est, quod non nisi causa necessitatis nec sine tormento & horrore admittitur. Sanè Otto Magnus Christianissimus Princeps, si quando seriò loquebatur, non nisi per prolixam suam barbam jurabat, ut refert Cuspinianus in lib. de Cæsar. ne Deum facilè in testem vocaret.

IV. Omnes inter se unanimes & quasi una anima erant. Deprehensos in peccatis excommunicabant: orationibus, contemplationi & piis operibus non secus ac nostri religiosi vacabant; ita ut in eorum, quasi in gentis suæ laudem, librum scriberet Philo. Discipuli ergo & fratres S. Marci fuerunt, quasi primi religiosi, qui sensim Ægyptum impleverunt Monachis, & fecerunt quasi unum monasterium. Nimis multum peterem, si hoc à Christianis omnibus exigerem. Solum igitur hoc peto, quod jubet Dominus, ut quærant primùm regnum cœlorum, & negotia cœlestia præferant terrenis. Meminerint quod dixi ex Levitico, pisces carentes squamis & pinnis, à Deo reprobatos esse; cujus præcepti etiam hanc moralem rationem tradit Origines homil. 7. in Levit. *Vt si quis est in aquis istis, & in mari vitæ hujus, atque in fluctibus sæculi positus tamen debeat satis agere: ut non in profundis jaceat aquarum, sicut sunt isti pisces qui dicuntur non habere pinnas neque squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, ut in imis semper & circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguillæ, & his simila, quæ nō possent ascendere ad aquæ summitatem, neque ad e jus superiora pervenire. Illi verò pisces, qui pinnulis juvantur ac squamis ascendunt magis ad superiora, & aeri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quærant,* Et mox: *Si quis ergo habet pinnas; quibus ad superiora nitatur, mundus est. Qui verò non habet pinnas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est* Sic ille.

Sed quis exitus horum pugilum? utra factio palmam feret? interrogemus primos, qui pro plumis pugnant; quid tandem lucrantur in suis plumis? Id quod Levit. 1. scriptum, ut scilicet plumæ avium sacrificio deputatarum jamque deplumatarum, mitterentur in locū, in quo cineres effundi solent. Quorsum ibunt tandem vestes pretiosæ, delitiæ & divitiæ? in locum cinerum. Quid lucri habebunt contentiosi? quid libertini: locum, in quo cineres effundi solent; *Mors depascet eos.* Interrogemus alteros S. Marci pugiles: quid illi lucrabuntur? Id nimirum, quod ipse S. Marcus suo certamine lucrifecit, ut angelico nuncio paulò ante martyrium audiret, nomen ejus scriptum esse in libro vitæ inter Apostolos, ut habet ejus vita apud Metaphrast.

THEMA II.

In Processionibus quomodo eundum.

I. Tardè & graviter.
II. Cordatè & intrepidè.
III. Sine armis.
IV. Cum pœnitentia.
V. Cum bona intentione.
VI. Cum devotione.
VII. Cum meditatione.

Misit illos binos ante faciem suam, Luc. 10

Ab antiquissimo tempore S. Gregorii Magni ante mille annos & 40. Processio hodierna in Festo S. Marci peragitur. Sed cur die Marci? Quis causam indagabit, Mihi nunc ista occurrrit Symbolum S. Marci, Leo est, quia à rugitu quasi leonis, id est, prædicatione Joannis Baptistæ terrifica: *Vox clamantis in deserto*; incipit Evangelium suum. Jam verò de Leone Scriptura sacra loquitur, quod informare possit nostram Processionem. Sic enim loquitur Prov. 10. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur.*

Leo S. Marci typus docet gradi in processionibus.

Quænam illa? primum; *Leo fortissimus bestiarum.* Leo igitur bene gradiens nos instruit, quomodo nos gradi in processionibus debeamus: uti nunc videbimus.

I. *Tardè & graviter.* I. Leo tardè, graviter & magnificè incedit, velut regio animo præditus, teste Aristotele in Physiolog. Sic decet nos incedere in processione tardè & graviter. Ac primò non turbare ordinem, juxta id

1. Apostoli 1. Cor. 4. *Omnia secundum ordinem fiant in vobis.* Eum videns in Colossensibus gavisus est, ad Colos. 2 *gaudens & videns ordinem universum.* Ordo hic ornat & conservat civitatem, imò cursum cœlorum, qui si turbaretur omnia perderet: ornat & cœlum in Angelorum hierarchiis suis. Adhæc non currendum, sed cum modestia eundum, sicut subditi & supplices solent ire ad Regem suum.

2. Quanta modestia & demissione putamus ivisse animalia in arcam Noë, ut ibi salutem invenirent? Cicero homo Ethnicus lib. 1. de legibus ait: *Ad Divos adeunto castè, pietatem tenento, opes amovento. Si quis secus faxit, Deus ipse vindex esto.* Cogitemus Deum nos inspicientem & numerantem gressus nostros; juxta id Job: *Tu quidem gressus meos dinumerasti. Aulam regiam intraturus,* ait Sanctus Chrysostomus hom. 15. in Epist. ad Hebr. *& habitu & oculis & incessu cunctisque aliis te componis & ornas: in Ecclesiam verò ingressurus ubi verè est aula regia, & talis, qualis cœlestis est, rides?*

Ad thronū Salomonis inter effictos leones, quorum sex hinc, sex inde positi erant, ascendendum erat. 3. Reg. 10. sive ut cum timore & veneratione, sive ut more leonum graviter ad Regem ascendendum esse, insinuaretur. Cur non magis ad thronum Dei?

II. *Cordatè & intrepidè.* II. Ambulat intrepidè, unde subdit Sapiens loco suprà citato: *Ad nullius pavebit occursum.* Spernit enim canum oblatrantium vim, pergens suo itinere, subinde restitans & quasi illis minans. Plinius lib. 8. cap. 16. Sic decet nos in processionibus pergere intrepidè, nec curare quod alii obloquantur aut rideant nos. Ita fecit Thomas Morus Bar. & Angl. Cancell. qui antequam Cancellarius fieret, crucem in processionibus publicis Sacerdoti præferebat. Factus Cancellarius non potuit adduci, ut in prolixioribus processionibus, quæ fiunt his diebus, equum ascenderet. Dicebat enim: *Nolo Dominum meum* (Crucifixum) *peditem eques sequi.* In templo etiam tunc non erubuit Sacerdoti ad Missam ministrare. Cumq; malevoli canes aliqui ipsum propter hoc allatrarent quod esset contra respectum Regis &c. respondit: *Non potest displicere domino meo Regi, quod Regi Regum omnium domino serviam.* Staplet. in vita.

Quid? Heraclius Imperator nonne crucem Domini suis humeris extulit in montem Calvariæ? Quod Imperator sibi honori duxit, erubescat facere nobilis, miles, civis?

III. *Sine armis.* III. Ambulans ungues suos non exerit, sed recondit intra pedem quasi in vaginam. Sic decet nos in processionibus incedere sine armis. Non enim venimus pugnare cum Deo, sed ad ejus pedes supplices acccedere. Ita egit junior Theodosius Imperator ingrediens in templum. Denique incedatur sine pompis, incedatur sine odio aut amarulentia erga quenquam.

Includantur curæ & sollicitudines domesticæ de parando cibo & nummis, & reserventur alteri tempori. Sic Abraham pergens ad montem Moria Deo filium sacrificaturus, ait servis suis infra montem: *Exspectate hic cum asino; postquam adoraverimus revertemur ad vos.* Genes. 22. Asini sunt temporales curæ, familiam gestantes: quorum oblationem respuit Deus Exod. 13.

IV. Vestigia sua caudâ velut scopis evertit, & abolet, ne ex iis deprehendatur à venatoribus. Nos in processione bene ambulabimus, si per actum contritionis & aliquas mortificationes peccata nostra & pœnas ea consequentes deleamus. Legimus 4. Reg. 17. leones fuisse à Deo immissos in Babylonios illos, qui ad incolendam Samariam missi à Rege Assyriorum tulerunt secum Idola sua in terram sanctam. Quid autem aliud sunt peccata, quàm Idola? Ea igitur in loca sacra nequaquam inferenda, sed contritione saltem delenda sunt. Ad Pontificem nemo ingredi cum armis permittitur, similiter ad Turcarum Imperatorem, idque capitale est. Ad Dei ædes cum peccati telo audeat quis ingredi?

V. Dum ambulat, sinistro pede non transit dextrum, sed sinistrum infigit intra dextrum, more camelorum. Aristot. lib. 2 anim. cap. 1. Ita nos decet in processionibus ante omnia quærere regnum Dei; secundarias intentiones retrò ponere. Pes dexter est, processionem peragere ad propitiandum Deum, ad flagella communia & gravia avertenda, pestem, bellum, tempestates noxias: ad impetranda beneficia, pacem, unionem Principum, Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, Turcæ depressionem: ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis.

Pedem sinistrum dextero præponunt, qui exeunt animi gratia quasi exspatiatum ob verni temporis amœnitatem, ob corporis exercitium, propter bonam societatem & conversationem, ut mercentur & potent, vel ob curiositatem; ne dicam ob flagitium aliquod patrandum, quod fecit Absalon, cùm peregrinationem in Hebron instituit, sub specie reddendi vota sua Deo, reverà autem ut rebellionem in patrem molitetur, uti habetur 2. Reg. 15. Nautæ, qui ad septentrionem versus & polum arcticū navigant, buccinam intuentur, quæ est constellatio habens formam buccinæ: qui verò versus meridiem & polum antarcticum, crucem aspiciunt, seu constellationem, crucis formam habentem. Qui ad meridiem cœli peregrinantur, crucem in processione præcedentem aspicient & fines pios; qui verò ad noctem perditionis, buccinam vanitatis intuentur.

VI. *Cum devotione.* VI. Cùm ambulat, movet se ad scapulas, Similiter in processione cum motu devotionis ambulandum. Cogita primò te ambulare cum cruce & cum

1. Christo bajulante sibi crucem ad Calvariæ montem.

Qualis illa proceſſio fuit! Ejectus fuit Chriſtus à Judæis, & paſſus extra Jeruſalem; ad ejus imi-
nem hortatur nos Apoſtolus ad Hebr. 13. *Ex-
us igitur ad eum extra caſtra*, inquit, *improberi-
jus portantes*. Exeamus extra caſtra pompæ,
ptatum, luxus: & Chriſti improperium geſte-
crucem meditemur.

Cogita vitam noſtram eſſe proceſſionem ad
em, non ſecus ac via Chriſti fuit ad Calvariæ
em; niſi quòd terminus nobis occultus eſt, &
ur eſſe longior. Mons ille à calvariis, hinc in-
entibus, dictus eſt, ſecundùm S. Hierony-
At nos nonne eodem pergimus? ad cœmi-
n, inquam, calvariis mortuorum plenum? Un-
jicit loco cit. Apoſtolus; *Non habemus hic
tem civitatem, ſed futuram inquirimus* Pere-
umus & ad patriam tendimus. Nihil jam er-
quæramus, ad inſtar illius boni latronis, qui
jam in mundo appetiit, aut à Chriſto petiit,
cum ipſo eſſet. In illa proceſſione prima,
hoc die Romæ inſtituit S. Gregorius, inter
andum octoginta homines corruerunt, peſte
intra unam horam teſte S. Gregorio Turon.
iſtor. Quot veſtrûm, putatis, deſiderabun-
hunc annum?

Inter eundum crebrò ſubſiſtit & reſpectat,
i ſequantur. Vide tu primò hominum piorũ
dinem: parvulos, ſenes, nobiles, ignobiles,
do Deum laudent. Eò reſpexit Ezechiel cap.
s: *Audivi poſt me vocem commotionis ma
vocem alarum animalium percutientium
ad alteram*. hoc eſt, bonis pietatis exemplis
em excitantem ad virtutem, ut exponit S.
us homil. 10. ibid. & 24. moral. cap. 6.
orteni à tergo omnes inſequentem Xerxes
Rex flevit videns innumeram exercitus
itudinem, intra annos 100, interituram, te-
ronymo in Epitaph. Nepotiani. Cogita
turbæ multitudinem intra 50. annos, ubi?
ibus terræ futuram. Mortem igitur ex-

ceſſionem cœlitum ſequentium agnum,
nnumerandos ſperamus, quandoquidem
cleſia militans & triumphans: ſicut una
ſio, cujus pars anterior jam intravit tem-
terior verò ſequitur. Prior illa triumphans
it cœlum, poſterior militans ſequitur;
s perducat Deus.

THEMA III.

Quotiſſimùm operarii à Deo poſtulandi.

li boni Angeli.
aſtores animarum.
nagiſtratus & ſuperiores;
IV. Boni Chriani quicunque. Hi orent pro invicem.
V. Operarii meſſis & vindemiæ.

Rogate ergo Dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam. Lucæ 10.

DOcemur in hodierno Evangelio à Chriſto, quid potiſſimùm petendum ſit in noſtris proceſſionibus: *Rogate dominum meſſis*, inquit, *ut mittat operarios in meſſem ſuam*. Cæterùm mira & paradoxa eſt hæc Domini exhortatio: *Rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam* Etenim ô Domine, ſi meſſis illa tua eſt, roga tu operarios, ut mittant falcem in ſegetem tuam: tibi enim metent, cùm tua res agatur: qui ſi non operentur, tibi damnum afferent. Eccur ergo vis à nobis rogari, ut mittas operarios in meſſem tuam? Duo mihi occurrunt ad hoc reſpondenda. Primum, tam grata & accpta eſt ipſi noſtra oratio, ſi ſuis conſtet numeris; ut ſine ea meſſem ſuam non magni æſtimet & quaſi negligere velit, velut panem ſale non conditum. Alterum: rogari vult a nobis, ut in meſſem ſuam mittat operarios, quo illam meſſem ſuam faciamus etiam noſtram. Quod enim oratione petimus, tametſi alteri petimus nobis acquirimus, adeóque noſtrum etiam facimus; ſi v. g. acquiramus alteri noſtra interceſſione præfecturam. Monet ergo nos ad orandum operariis ſuis, ut ipſi operentur nobis, quidquid operantur; quando eorum labores oratione impetramus. Jam verò quinam illi operarii ſunt, qui precibus noſtris poſtulandi ſunt? Audiamus. *Cur rogandus Deus ut mittat operarios in meſſem ſuam.*

I. Hi primò ſunt SS Angeli, qui à Chriſto *meſſores* appellantur Matth. 13, *In tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, &c.* Moxque id explicans: *Meſſores*, inquit, *Angeli ſunt*, qui nimirum in judicio mundum iſtum, peccatis noſtris inquinatum, demetent, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, zizania è tritico. Pro his ergo meſſoribus rogandus imprimis Deus, ut mittat eos ad defenſionem & tutelam noſtram; quod docet Chriſtus Dominus Matth. 26, cùm ad Petrum ait: *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam 12. legiones Angelorum?* Ita oravit Deum Judas Machabæus 2. Machab. 15. *Tu Domine, qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de caſtris Sennacherio centum octoginta quinque millia; & nunc dominator cœlorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii tui: ut metuant qui cùm blaſphemia veniunt adverſus ſanctum populum tuum.* Nicanorem intelligit, qui cum valido exercitu invaſit Hebræos. Nec irrita fuit oratio: proſtravit enim Judas 35. millia, in quibus etiam fuit Nicanor. Verum qudem eſt ſingulis adeſſe Angelum cuſtodem pro defenſione; ea tamen pote- *I. Petendi boni Angeli.*

ſtas Angelo limitata eſt à Deo, & poteſt augeri vel minui, pro cujuſque merito & oratione. Sæpe etiam cogimus Angelos cuſtodes longius recedere, dum in gravia peccata ruimus, quod variæ hiſtoriæ docent; & ſcribit Joſephus lib 7. de bello cap. 12 Feſto Pentecoſtes paulò ante excidium Jeroſolymæ auditam in templo à Sacerdotibus, noctu ingredientibus, auditam vocem: *Migremus hinc*; utique Angelorum; qui templum devaſtandum ob peccata Judæorum tunc deſeruerunt. Ut enim fœtentia & impura omnia fugiunt apiculæ; ita SS. Angeli impuram hominum vitam. Væ nobis ergo ſi conſimili modo deſerant nos Angeli. Dum vero nobis adſunt, à peccando dehortantur, peccandi occaſiones removent, ad bonum, & progreſſum in virtutibus impellunt; dæmonum inſidias arcent. Scimus ex 3 Reg. cap. 17, Eliam in ſolitudine diu paſtum fuiſſe corvorum beneficio, qui quotidie attulerunt ei panem & carnes. Qua re quid mirabilius? quis enim eſt, qui neſciat corvorum voracitatem, adeo ut carnes etiam putridas avidiſſime & rapiant & vorent? Unde igitur factum, ut carnes tam bonas & ſapidas, quas è menſa Regis Achab per Angelum ſublatas cenſet Abulenſis, non ipſi devorarent? Utique Angelus Domini, qui corvis deferendas attulit (uti idem auctor indicat) eis ſemper à tergo aderat & prohibebat, ne cibum ſibi vetitum, & Prophetæ deſtinatum, comedere auderent. Ita nobiſcum quoque cuſtodes agunt Angeli; arcent à cibis vetitis, aliiſque rebus illicitis, injiciendo nobis ſcrupulum, & timorem Domini; promoventque ad progreſſum in virtutibus. Videre hoc datum fuit cuidam Stylitæ Edeſſano apud Matth. Rader 3. p. Viridarii: juſtos videlicet circumvallari à bonis Angelis, peccatores verò à malis, qui niſi ab Angelo cuſtode ponè, mœſto licet, ſequente prohiberentur, omni momento eos perderent; quod facilè ſibi quiſque perſuadere poteſt.

II. *Boni paſtores animarum.*

III. Paſtores animarum, verbique Dei ſeminatores, & de his potiſſimum loquitur hic Dominus. Ipſi enim falce partim linguæ, partim poteſtatis abſolvendi à Deo ſibi traditæ, partim vitæ bonæ populum Chriſtianum, huic terræ affixum, demetunt & in horreum cœli transferunt. Unde ſanctus Hieronymus libr. 2. in Epiſt. ad Galat. ait: *Precemur Dominum meſſis, ut mittat operarios ad metendum, qui ſpicas populi Chriſtiani, quæ ſtant in Eccleſia futuro tritico præparata, metant, colligant, & in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur.* Meritò ſanè, quia magnum & difficile eſt hoc munus; homines terræ affixos & ad terram inclinatos erigere ad cœlum, imo cœlo etiam invehere. Non quivis eſt idoneus ad hoc peragendum, quod non minus eſt, quàm mortuos ſuſcitare, ex hominibus Angelos facere. Rogatus aliquando Eliſæus, ut ſuſcitaret filium Sunamitidis defunctum, miſit ſervum, dato ejus baculo ſuo, quem imponeret defuncto. Fecit ille, ſed re infecta rediens: *non ſurrexit puer*, inquit. Itaque Eliſæus ipſemet deſc[...]
dere & incumbere ſuper puerum, ſuaque mem[...]
conſtringere & aptare membris ejus debuit, d[...]
puer reviviſceret, 4. Reg 4. Quid rudis & v[...]
tus paſtor aut prædicator, niſi hujuſmodi b[...]
lus? lignum, inquam, rude & aridum? Talem[...]
ſcitabunt mortuos Deo peccatores? Minimè [...]
tium. Similes vel certè non multum abſimile[...]
ſæo eſſe debent, ſancti & eruditi; multum [...]
peradhibere ſtudium, multam precationem, [...]
tam exhortationem verbo & opere debent, u[...]
tum opus efficiant. *Ab immundo quid mundab[...]*
Eccleſiaſtici 34. Ab infecto vaſe fœtere ſol[...]
num; & à ſordido paſtore ſordidatur grex. [...]
ſunt *Sal terræ*; qui ſi infatuati fuerint, quo[...]
ſalient populum? Ipſi ſtomachus ſunt in co[...]
diſpertiens nutrimentum per omnia membra [...]
corrupto omnia languent, ut docet Auctor I[...]
homil. 38. in Matth. Jure igitur precari jub[...]
ut bonos hujuſmodi operarios Deus mittere [...]
quia pauci tales ſunt, ut lamentatur S. Gre[...]
homil, 17. in Evang. *Ad meſſem, inquit, m[...]*
operarii pauci facti ſunt, quod ſine gravi mœr[...]
qui non poſſumus. Ecce mundus ſacerdotibus [...]
eſt, ſed tamen rarus invenitur operator: q[...]
cium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opu[...]
non implemus. Operarios quærit Dominus [...]
mercenarios, qui mercedi ſolùm inhiant, [...]
negligentes faciunt: operarios, non inſp[...]
tantum, quales ſunt Magiſtri vel præfecti cæ[...]
riorum, qui alios quidem ad labores impellu[...]
vero parum aut nihil laborant; plus interim [...]
dis præ cæteris accipiunt.

III. Magiſtratus & ſuperiores; qui g[...]
pro falce gerunt, quaſi à Deo armati, ut v[...]
ſcindant, ipſoſque vitioſos velut zizania è [...]
tollant, qui ſi boni ſint & officium faciant, [...]
communitatem conſervabunt: ſint mali & [...]
totam vaſtabunt. Hinc 1. Reg cap. 14 app[...]
angul populi. Applicate huc univerſos ang[...]
puli, inquit Saul, idque ex proprio Hebr[...]
idiomate; quia ſicut anguli continent & ſu[...]
domum: ſic etiam Principes & Magiſtrat[...]
tates, ut ibi notat Gaſpar Sanctius Iſaias [...]
appellat eos *turres. Cum ceciderint turres,* [...]
h.e. Principes, qui ſicut turres ſuper populu[...]
nebant, ut ibi exponit S. Thomas aliique [...]
Nemo autem neſcit quantum ornamentum [...]
& præſidium afferent turres civitati contra [...]
ſi firmiter conſiſtant; quantum nocument[...]
cadant. Turris illa, quæ in Siloe cecidit, 18 [...]
nes contrivit, teſte Domino Luc. 13. Hinc o[...]
vid Pſal. 121. *Fiat pax in virtute tua & ab[...]*
tia (vel, ut alii legunt, *ſalus*) *in turribus tu[...]*
& abundantia; quia ſe mutuo conſequuntu[...]
eodem ſumuntur. Orat ergo ut fiat pax i[...]
cipibus; quia ab illorum pace & ſalute per[...]
& ſalus populi. Hinc fit ſæpenumero, ut cu[...]
punire intendit populum, mittat eis Reg[...]

istratum improbum;quemadmodum ipse per am cap.13. dixit : *Dabo tibi Regem in furore.* Loquitur de Saule : Dabo, hoc est, dedi tibi em iratus ; quod Regem alium à me peteres: xponit ibi Cornelius. Quod sanè cum amara am ironia exprobrat Hebræis Samuel, cum s loquens 1. Reg.12. ait : *Dixistis mihi : Ne- uam, sed Rex impetrabit nobis, cum Dominus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto x, quem ele istis & petistis.* De quo Sanctus stinus super Psalm.51. *Saul, inquit, Rex non rmanendum electus est à Domino, sed secundum pul: durum & malum datus est ad eorum cor- nem ; non ad utilitatem, secundum illam sen- m : Qui regnare facit hominem hypocritam r perversitatem populi.* Job.34. Sic ille. In- t hoc vel ipse gentilis Plutarchus ; qui libr. a Num. vind. cap.4. docet impios Principes tannos dari à Deo velut carnifices ad puni- eorum peccata. *Quemadmodum fel hyænæ, in- & phocæ aliorumque fœdorum animalium con- aliquid habent ad sanandos morbos utile : sic llis morsu & pœna indigentibus Deus injiciens i alicujus sævitiam implacabilem aut magi- molestam asperitatem ; non ante id, quod ex- bat ac turbabat, sustulit, quam vitioso morbo set ac purgasset. Tale medicamentum fuit ntinis Phalaris, Romanis Marius, Orthago- ro ; & Clistenes Sycioniis.* Bene meminit , qui est bos marinus, sævus, iracundus, non alienos à sua specie pisces invadens & im- s; sed & propriam conjugem perpetuò in- . Hujusmodi enim Tyrannus & re & no- uit Phocas Imperator ; sub Gregorio M. i cum velut Tyrannus sæviret in innocen- Monachus quidam sæpe cum Deo precibus ulabat : *Cur Domine eum fecisti Imperato-* Cui responsum cœlitus : *Quoniam non in- ejorem.* Refert Anastasius Nicænus quæst. script. Expurgavit certe hic Tyrannus avit morbum Mauritii Imperat. eum hic ndo propter delicta sua ; ne plecteretur

Christiani quicunque in Ecclesiam Chri- ti, ut sint operarii & messores boni. Quem- dum enim alibi (Matth.20.) omnes ; quos it operarios paterfamilias Deus, misit in m suam : ita nunc omnes Christianos mittit rum suum. Vult ergo ut unus pro altero interpellet ; & gratiam bene agendi & san- vendi impetret. Servi orent : mitte nobis dominos, domini, mitte nobis bonos ser- Filii, mitte nobis bonos parentes: Parentes, nobis bonos filios: Cives, mitte nobis bo- Magistratum : Magistratus, da nobis bonos pauperes pro divitibus, sani pro infirmis, pro periclitantibus, &c. Denique ut omnes t suum officium velut boni Christiani. Hoc od S. Jacobus cap.5. scribit; *Orate pro invi- cem ut salvemini.* Idem insinuavit Christus, quando tradens formulam orandi, præscripsit orantibus pluralem numerum; ut communem patrem appellemus dicendo: *Pater noster*; communem panem petamus, communem debitorum remissionem, communem præservationem in tentationibus & liberationem à malo.

Ratio est primò, quia sic juvat alter alterum, ut qui propria oratione nihil impetrare potest ; quia fortè malè & tepidè, aut existens in peccato orat, adjuvetur oratione aliena : sicut equi juncti currui, se mutuò sublevant ac promovent. Sic messores & operarii, quorum alii aliis meliùs nôrunt artem metendi & struendi, vel alius alio fortior est, dum mutuam sibi impendunt operam, facilè perficiunt opus. Quam ob causam Salomon cædendis pro structura templi lignis de Libano junxit servos suos cum servis Hiram, Sidoniis, ut horum arte & industria adjuvaretur illorum imperitia: *Servi mei sint cum servis tuis, inquit, scis enim quomodo non est in populo meo vir, qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.* 3. Reg 5. Simili igitur modo dum unus pro seipso nescit benè orare, adjuvabitur oratione alterius, qui multum potest orando; quam rationem addit ibidem S. Jacobus, cum ait: *Multum enim valet deprecatio justi assidua.*

Secundò ; quia sic non solum oratur ; sed etiam exercetur charitas erga proximum. Unde S. Gregorius libro 5. Epist. cap.19. *Preces enim nostræ,* ait ; *tanto celeriùs in Dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro nobis fusas charitatis ardor exacuit.* Et alibi : *Libentius sacrificium orationis suscipitur ; cum in conspectu misericordis Iudicis proximi dilectione conditur.* Auctor verò Imperf. homil.14. in Matth. *Pater noster, inquit, dixit, non meus ; pro se enim orare naturæ est: pro altero autem charitas fraterna hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas Deo transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Denique quia, *ita magna remuneratio est*, inquit S. Ambrosius lib. de Cain c.9. *ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia.* Et S. Gregorius lib.1. Epist.24. *Deum nos vobis, ait, per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus : fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterutrum alter inniti- tur.*

V. Operarii messis & vindemiæ, quam præstolamur hac æstate. Pro his mittendis rogare aliud non est, quam orare illud Dominicum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Ubi enim panis hic in agris non est, ibi nec messores erunt: & si messores desint, sive ob tumultus bellicos, sive ex aliis causis ; ibi nec pane agri frui possumus. Certè panis iste multa sustinet pericula, pruinæ, siccitatis, grandinis, æruginis, hostilitatis, jure igitur meritò petere eum jubemur, & quotidie quidem ; quia dicimus *quotidianum* cum quotidiana

V. *Operarii messis & vindemiæ.*

etiam

etiam sint pericula. Tametsi verò Deus novit panem nobis ita esse necessarium, ut sine eo vivere non possimus, adeoque nec servire ipsi; vult tamen à nobis eum precibus impetrari, ut cum merito obtineamus & possimus vere appellare panem *nostrum*: quasi nostro labore partum. Balearici funditores sunt supra cæteros insignes, ut qui tres fundas circa caput gestant ad omnimodam jaculorum emissionem; qui neque puerulis panem alia conditione dare solent, quam funda ab ipsis dejectum, Strab. libr.3. Hunc in modum Deus, ut bene & sedulò precandi artem perdiscamus, panem non vult dare, nisi quem jaculo orationis de cœlo quasi dejecerimus. Bonus ille Isaac dilexisse dicitur filium Esau, quasi præ altero Jacobo. Genes.25. Mirum certè hoc; cum Esau, ut pilosus & horridus, ita quoque asper & ferus esset moribus: econtra Jacob, uti lævis corpore, ita moribus placidus & amabilis. Causa refertur ibi, quia Esau venator erat, de cujus venatione comedebat Isaac. Habebat is domi suæ pecora innumera, ea tamen ipsi non ita sapiebant, uti caro ferina. Nimirum hæc industria & labore paratur: domestica vero absque labore, mera pecorum fæcunditate habetur. Certè etiam Jacob arcu demum uti cœpit, & pluris æstimavit prædium, quod acquisivit gladio & arcu suo, quam quod pecunia prius emerat, ideoque illud velut rem præ cæteris charam legavit suo Josepho. Genes.48. Panis ergo quem orationis sagittis comparamus, quasi caro ferina, Deo gratior & sapidior: panis verò, quem omnino gratis sine nostris precibus dat, quasi caro domestica est. Itaque oratio nostra Dei oblectatio, Dei quasi cibus dulcis & optatus est; quo ipsum etiam pascimus, dum humili & ferventi oratione pasci ab eo petimus. Tales venatores amat Deus, qui industria orationis cibum sibi parant. Illos amat Paterfamilias, qui panem otiosè non comedunt: otiosos vero odit & expellit, uti apes fucos, qui mel quidem vorant, sed pro eo conficiendo nihil laborant.

THEM. IV.

In Processionibus quæ cavenda.

I. *Non portandus sacculus negotiationum.*
II. *Non pera comessationum.*
III. *Non calceamenta superbi vestitus.*
IV. *Nemo in via salutandus per confabulationem.*
V. *Eundem sicut oves eunt.*

Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaveritis. Lucæ 10.

NOn multum aberrabo, Audit. si nostræ processionis, quam hodie instituimus, exemplar dicam fuisse illam, quam in hodierno Evang[elio] præscribit Salvator noster suis 72. Discipulis. I[...] transiturus benefaciendo oppida & castella Jud[…]e, præmisit illos septuaginta duos, binos & binos [u]t prædicarent Evangelium & infirmos curarent, [&] denique mox securuto viam præpararent, quo [fi]lius Judæi ipsum reciperent velut suum Mess[ia]n, ab eoque plenam fidem, peccatorum remissio[ne]m & gratiam acciperent. Nos etiam de Ecclesia [no]stra in vicinum oppidum vel pagum bini & [bi]ni, vel terni & terni, in forma processionis egredi[mur], quasi à Christo summo pastore nostro missi, ut [non] quidem lingua sed modestia, silentio, gravi[tat]e, oratione totiusque corporis religiosa composi[tio]ne alios ædificando, Evangelium prædicemus: [qua] ratione S. Franciscus vadens cum fratribus [suis] etiam illiteratis, per urbis compita, fertur [di]xisse: *Eamus prædicatum*; non lingua sed mod[est]ia: deinde ut liberali nostra manu sanemus eos [qui] passim in viam occurrunt nobis, pauperes, fr[...] ulcerosos, miseros, non exiguo numero: sicque [...] viam quodammodò paremus, velut mox sec[...] & hunc in locum venturo, sub missæ sacrificio. [...] cum ita sint, nos etiam videntur tangere lege[s] quas in hodierno Evangelio Dominus præ[...] suis discipulis, ut nos ipsis conformemus; quas [...] audiamus.

I. *Nolite portare sacculum*, Græc. Βαλ[άντιον] *marsupium* seu *crumenam*. Portant secum [...] lum, qui ob negotiationem vadunt, peregrin[...] deinde qui terrena solùm, non cælestia bon[a] [...] tum veniunt; quo nimirum sacculum & crum[enam] impleant. Male à Christo exceptus fuit, qui [...] lem causam ipsum rogavit: *Magister dic frat[ri meo] ut dividat mecum hæreditatem.* Audit [...] *Homo quis me constituit judicem aut diviso[rem su]per vos?* Luc. 12. Loquitur quasi ad ign[...] dum *hominem* appellat, q. d. non novi te, [...] postulato; non enim propter temporalia [...] hunc mundum, qui nec pedem unum pr[...] moverem. Pessime etiam exceptus fuit Ado[nias à] Salomone, quando ab eo petiit sibi dari S[una]tidem in matrimonium, cogitans per hoc, ut [...] mon subolesceret, regnum Salomonis trahere [...] supplicium enim mortis incurrit. 3. Reg. 2. [...] renæ namque divitiæ, honores & commo[da] plus plerunque obsunt, quam prosint; u[...] iram potius merentur quam benevolentiam [...] mario & per se petantur; fitque *oratio* tal[is in] *peccatum*. Gravissimam plagam accepere [...] quando ad arcæ præsidium confugerunt ob [...] ralia tantum commoda sua. 1. Reg. 4. Pari [...] Christiani sæpe nihil impetrant, sed gravius [...] dum puniuntur, quando in tribulatione insti[tuunt] processiones cum S. Eucharistia & SS. reli[quiis;] quia Deus *scit illos pro evasione & cessatione* [...] *lorum corporalium deprecari, non ex recta ra[tione] est, non ex charitate neque syncera intentione;*

amore carnali, quo diligunt vitam præsentem ac prosperam ejus : sicq; oratio eorum fit in peccatum & indignationem provocat Deitatis &c. ait Dionysius Carthus. in eum locum art. 10. myst. interpret.

II. *Neq; peram*; ad panem videlicet & alios cibos in ea gestandos. Non intendo prohibere in longiore præsertim peregrinatione necessarium commeatum ; sed superfluum & comessationes compotationesque, quæ quandoq; instituuntur majori luxu & intemperantia, quàm decet. Quando cum Deo loqui & agere volumus , spiritumq; nostrum in oratione pascere, caro interim jejunare , non saginari debet. Quemadmodum enim vellus Gedeonis siccum & aridum mansit , quando area circumjacens rore perfusa fuit ; & vicissim rore conspersum, quando area remansit sicca. Judic. 6. simili modo si animam consolationis gratiæq; cælestis rore perfundi in oratione desideramus, carnis terra, ne voluptatibus diffluat, jejunio & abstinentia coercenda est: quæ si cibo & potu adimpleatur, perarida remanebit anima, omniq; devotione destituta. Et sanè absurdissimum est planeq; Epicureum, eo tempore velle ventrem saginare , quo affligendus est pœnitentia, ac mens reficienda ; id quod exprobrat Hebræis Isaias c. 22. dicens: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum , ad calvitium & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & jugulare arietes , comedere carnes, & bibere vinum.* Quid verò ad hoc Deus? *Et revelata est* , inquit, *auribus meis vox Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum?* q. d. juro, quod non dimittetur vobis. Quid hac comminatione terribilius? Senserunt etiam Hebræi, quando ad montem Sinai legem Dei sibi promulgandam expectantes, sederunt manducare & bibere, nec non circa vitulum ludere. Jussit enim occidi reos & cæsa sunt viginti tria millia ex eis, necdum tamen placatus Deus addidit : *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Neque iram hanc avertit Moysis precatio ; sed percussit insuper Deus populum nova plaga, quam pestem fuisse existimat Abulensis Episcopus , Alphonsus Tostatus in eum locum.

III. *Neq; calceamenta*; superflua videlicet & quæ totum pedem tegunt, ac nitidiora. Qui in supplicationibus incedunt , splendorem vestium & ornamenta sibi deponenda sciant , si Deum sibi placare & postulata impetrare volunt. Legimus enim Deum à Moyse rogatum , ut dimitteret populo peccatum , in vituli cultu admissum , præcepisse prius populo, festivis induto vestibus : *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.* Exod. 33. quasi hæc ornatus depositio necessaria sit ad placandum Deum & prima dispositio. Quis enim homini superbo misericordiam velit impendere ? Hinc Thecuitis illa, ut gratiam à Davide impetraret, lugubrem induit habitum , quo Regem ad commiserationem flecteret. 2. Reg. 14. Quare Concilium Moguntinum can. 34. præcepit ut Christiani supplicationes comitentur , *non equitando, nec pretiosis indutis vestibus.* Decet enim subditum arma illa deponere, quibus contra dominum suum militavit, si veniam obtinere velit. Vestium luxus arma non postrema sunt, quibus Deus impugnetur. Quare sæpe viri etiam primarii in processionibus pro publica necessitate institutis, planè discalceati & nudis pedibus incedere non erubuerunt, uti Theodosius junior Imper. Constantinopoli in processione instituta ob frequentes terræ motus, apud Niceph. lib. 14. c. 46. Leo Papa X. Romæ in publica supplicatione , cùm Ecclesia à Turcis infestaretur, teste Jovio in Leone X. lib. 4. indicta anno 1517. ad sanctam Mariam super Minervam, discalceatus incessit ; uti & S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolani in processione, pestis causa peracta, ut in ejus vita. De S. Elisabetha Thuringiæ Principe scribit auctor vitæ lib. 3. c. 11. *In diebus Rogationum, cùm quidam contra sanctorum decreta facientes , pretiosis & delicatis vestibus decorantur : ipsa Princeps Regis filia laneis induta , nudis pedibus processionem Crucis & sanctorum reliquias devotissimè sequebatur.* Qua ratione effecerunt , ut ipsorum preces cælum penetrarent , quia *oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ecclesiastici 35. Quid causæ est , quod David dixerit de Jonatha : *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum?* hoc est, nunquam abiit in vanum, quin transfigeret scopum ; nisi quia Jonathas adeò fortiter arcum tendere solebat ; ut semper penetraret ? 2. Reg. 1. Quo magis ergo chordam traxit deorsum , eo altius evolarunt & fortiùs penetrarunt ejus sagittæ. Pari modo nos, quo magis nos deprimimus, dum oramus, eo potentior evadet nostra oratio , & penetrabit nubes , imò ipsum Dei cor.

IV. *Neminem per viam salutaveritis.* Phrasi Hebræa vult dicere : Ne divertatis ad privatas salutationes & familiares prolixasque collocutiones; sed omnem vanam confabulationem , distractionem ac moram præscindite , ut ibi explicat Cornelius a Lapide. Cavendæ etiam sunt in SS. Processionibus salutationes tales , profanæ, inquam, confabulationes, risus, cachinni. Et sanè si Apostolis ad prædicandum Evangelium missis salutationes illas Dominus prohibuit , quo jure dum precationi incumbimus , licebit nobis Deo relicto convertere sermonem ad nugas , jocos , risus, res prophanas? Achæos laudat Homerus Iliad. 3. quòd ad prælium procederent magno cum silentio , *conspiratuque tacito nitibundi pugnam indipiscerentur* , ut loquitur Gellius lib. 1. cap. 11. vituperat econtra Trojanos , qui loquitarentur & gruum instar con fabulationibus mutuis perstreperent. Atqui nos in processionibus ad spirituale bellum egredimur, expugnaturi Dei cor : id verò in multiloquio non efficiemus; quia Dominus monet : *Orantes nolite multum*

IV. *Nemo in via salutandus per confabulationem.*

multùm loqui, sicut Ethnici. Matth. 6. nugacia scilicet & futilia, licet ad orationem tendant; quantò minùs ergo miscenda ludicra & profana? Josue etiam in Jerichuntinis circa urbem processionibus dejecturis urbis muros, strictissimum indixit populo silentium: *Non clamabitis,* inquit, *nec audietur vox vestra, neq; ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate & vociferamini.* Jos. 6. Et observatum est hoc ab omni populo. Quid aliud quærimus per nostras processiones, quam dejicere muros & impedimenta cæli, ut id occupemus? Frænemus ergo interea linguam nostrã, donec veniat dies illa optata, in qua occupato cælo simul vociferantes triumphum canamus. Judæi si in loco sacro forte sternutabant, proximi eis salutem precari vetabantur, propter loci sanctitatem; ut scribit Hebræorum Doctor Rambam lib. 1. Jad. hal. 3. in c. 4. Magis multò nos movere & modestiæ ac silentii admonere debent hi dies sacri, communi omnium supplicationi & compunctioni destinati, de quibus S. Augustinus in Vig. Ascensionis ser. 173. de temp. ita concionari incipit: *Scire debemus & intelligere, fratres charissimi; quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus: & ideo non nos oportet nimio risu vel in aliquo minùs cauto & congruo cachinno dissolvi, timentes illud quod Dominus in Evangelio dixit: Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis.* Denique non solùm istæ levitates, semper ex se malæ, deponendæ sunt eo tempore; sed etiam profana alia, cæteroqui non illicita studia, quo sensu intelligit verba illa Christi: *neminem salutaveritis.* S. Ambrosius in eum locum Luc. 10. *Ergò & hic,* inquit, *non salutationis officium aufertur; sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur paulisper sequestrentur humana.*

V. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Ergo sicut oves ire debemus in processione. Et quomodo pergunt oves? 1. gressu recto & simplici, quò ducuntur à pastore. Sic eundum in processione, ea intentione, quæ proponitur à pastore, ad exorandum Deum pro hac vel illa necessitate, non ut recreemur, vel exspatiemur, non ex mera consuetudine, & ut dici solet, dicis gratia; non ob lucrum aliquod aut negotia sæcularia. Propterea non frustra notetur Ps. centesimo quadragesimo quarto *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum; omnibus invocantibus eum in veritate.* Vulpes gressu ficto incedunt, fingunt se hac ire, & aliò intendunt, ac repentè illuc saltant. Non sit talis noster incessus, non sit fictus neq; duplex: sed invocemus *in veritate*: quærentes spiritualia, non carnalia bona, non labiis dolosis, sed ore simul ac corde orantes.

V. *Eundum, sicut oves eunt.*

2. Oves dum ambulant, non circumspiciunt sed ad viam duntaxat suam vultum & oculos convertunt, ne à Sapiente stultitiæ arguantur, qui Proverb. 17. ait: *In facie prudentis lucet sapientia oculi stultorum in finibus terræ.* q. d. ex incessu sapientis modesto & composito elucet imago hominis sapientis: uti vice versa ex facie vagi, curiosi, levis imago stulti, qui seipsum nesciat, nec ad se attendat.

3. Oves dum ad pascua pergunt, crebros interim balatus edunt. Ita docet Christianos in processione pias fundere preces, saltem breves & jaculatorias quibus animum subinde elevent ad Deum: vel si colloqui, submissa tamen voce, velint, de rebus tantùm piis, non de profanis loqui; quod etiam orationis vim habet. Monet etiam Dominus Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes.* Et Apostolus 1. ad Thess. 5. *sine intermissione orate,* h. e. sedulò, perseveranter assiduè, quantum per alia negotia licet, uti sanè licet in processione. Nunquam cesset oratio, qu a nusquam deest tentatio.

4. Denique si audiri à Deo volumus, sicut agni accedere ad eum debemus, non sicut lupi: non ut nocentes, sed ut innocentes. *Cùm multiplicaveritis orationem,* ait Dominus Isa. 1. *non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* q. d. lupi estis, non agni. Agnorum sacrificio Deus placatus est ab Abel, quia velut agnus sacrificium istud obtulerat; non est placatus sacrificio frugum à Cain: quia lupus erat, sanguini insidiatus. Elephantes etiam irati objecta sibi ovicula iram deponunt & mansuescunt; referente Pierio l. 2. hierogl. Quare si & nos Deum nobis iratum reconciliare volumus, velut agni, culpa carentes, compareamus in conspectu ejus.

* * *

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

THEMATA.

Quomodo Philippi, hoc est, equorum amatores & quorum esse debeamus,
, *Vernum tempus Deum qui nobis ostendat.*
I, *A floribus arborum documenta,*
'. *In templo observanda.*
. *Beatitudo cælestis quomodo regnum, civitas, domus, cubile, paradisus.*

THEMA I.

Quomodo Philippi, hoc est, equorum amatores & quorum esse debeamus.

Amatores corporis nostri.
, *Amatores servorum.*
II, *Amatores pauperum,*
V. *Amatores tribulationum,*
'. *Amatores sepulchri sui,*

Philippe qui videt me, videt & Patrem, Joan, 14.

IUre aliquis interroget, quamobrem Christus Dominus, cum aliis quibusdam Apostolis nomina vel mutaverit vel indiderit, non mutaverit Philippo; cujus nomen Apostolo minùs convenire videtur, Sonat enim græ:è, quod *amator equorum* latinè. Quid autem equis :um Apostolo, vel Apostolo cum equis, qui audiit à Christo: *Euntes* (non equitantes) *prædicate Evangelium*? Et ut liceat Apostolis etiam equitare, quomodo licebit equos adamare? Hoc enim potiùs equitum, militum & rusticorum esse videtur quàm Apostolorum. Verum Christus Dei Sapientia non modo nomen hoc Philippo non ademit, sed potiùs confirmavit, dum in hodierno Evangelio, illo ipse nomine *Philippum* compellavit. Vidit enim hoc vocabulum non honestum modò, sed prænobile esse, si quis amet equos, quos amare debet: non qui in stabulis aut campis pascuntur, & bruta animalia ad jugum nata sunt; sed alios qui hominem cælo inferre possunt, Quinam verò illi sint hîc videamus,

I. Equus est corpus & caro nostra, animam gestans velut equitem. Julius Cæsar equum habuit pedibus anterioribus humanis, qui alium præter ipsum non excipiebat, teste Plinio lib. 8. cap. 42. Hujusmodi equus hominis ipsum ejus corpus est, de quo exponit Origenes homil. 15. in Jos. id Psalm. 32. *Fallax equus ad salutem*, in hæc verba: *Si motus corporis nostri permittamus infrænes, nec abstinentiæ jugo lasciviam carnis & superba colla subdamus.* Similiter Ambrosius in tract. de Naboth, *equum* appellat carnem nostram. Quid autem de hac Apostolus? *Nemo unquam carnem suam odio habuit*, (inquit ad Eph. 5.) *sed nutrit & fovet eam.* Ergone caro nostra amanda? ergo non frænanda, non affligenda est? Non hoc asserit Apostolus: sed uxorem diligendam prædicat, eo quod sit caro mariti: carnem autem suam nemo odit. *Cæterùm sic amet anima carnem*, ait S. Bernardus in Psal. Qui habitat, serm. 10. *ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturq; ei à Domino: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est; diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat, quàm divinæ.* Similiter Sanctus Augustinus lib. de continentia tom. 4. *Non est, inquit, inimica nostra* (caro) *& quando ejus vitiis resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur; nemo enim unquam carnem suam odio habuit; ut ipse Apostolus dixit.* Sic ille. Plurima bona præstat homini equus, ut apertum est, similiter & caro animæ. Dum enim jejunat, dum flagella patitur, dum genua flectit, orat, dum lahrymas fundit, dum sensus à rebus vetitis retrahit & claudit, dum peccata confitetur & pectus tundit, dum se peregrinando & laborando pro Deo fatigat, dum ad eleëmosynas manus extendit, & similibus piis operibus se exercet, certè animam in cælum, equi instar, portat. Imò ipsa Deo gratissima fit hostia, si in talibus se occupet, teste Apostolo ad Romanos, cap. 13. *Obsecro vos fratres*, inquit, *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo placentem.* Ergo corpora nostra placare Deum possunt, velut hostiæ immolatæ. *Nihil mali respiciat oculus*, ait sanctus Chrysostomus homil. 20. in epistol. ad Romanos, *& facta est hostia Deo: nihil turpe loquatur lingua, & facta est corporis oblatio: nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustoma, &c.* Cæterùm qui amat equum suum, non dimittit liberum, qua vult vagari; sed suæ fræno tenet: necdum in eo equitat, frænum ei permittit, sed eo potiùs attracto, cautè eum ambulare cogit; *Amatores corporis nostri.*

ne equo cespitante ; una cum ipso cadat, aut in præcipitium ruat. Neque etiam pabulo nimio sagi-nat, ne planè ignavus fiat: neq; otio torpere, affi-xum stabulo finit, ne ad gressum impeditus atque inutilis evadat. Idem agat, qui amat carnem suam: sub fræno eam contineat ; nec nisi moderato pa-bulo nutriat, ne se cum illa perdat. Bajacetes Tur-carum Imperator, quia in fuga transiens flumen equam suam, cui insedebat, velocissimam nimium bibere permisit, chiragra laborans : ex quo equa dissoluta & nimium gravata, segniùs cucurrit, à Tamberlane insequente captus est, teste Chalcon-dyla lib. 3. Sic omninò *si præstes animæ tuæ* (carni tuæ) *concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimi-cis tuis.* Ecclesiast. 18. Econtra Basilius Macedo cum indomitum equum conscendens edomuisset ; tan-tum apud Michaëlem Imperat. ob id gratiæ acqui-sivit, ut tametsi obscuris parentibus ortus esset, ex equorum custode factus sit ipsi cubicularius ; & tandem ducta Eudoxia uxore, Regis pellice succes-sor in imperio Constantinopolitano. Refert Zona-ras in Michaële Theophili filio. Nihilominus, imò millies plus consequemur, si equum carnis nostræ domuerimus; Reges enim cæli fiemus. Quis igi-tur equum hunc non amet ? Hinc virgo illa mira-bilis Christina subinde membra corporis sui, pedes ac manus, postquam ea ditissimè afflixisset, blandè exosculabatur ; quod ipsi in Dei servitio fideliter adstitissent, ideoque suo tempore resuscitanda es-sent ad immortalem gloriam & perfundenda sem-piternis gaudiis; ut refert Cantipratanus apud Sur. 23. Jun.

II. *Amatores servorum.* II. Equi appellari possunt servi, quia domino-rum onera quasi jumenta portant, ipsos quoque vehunt & revehunt, quò jubentur. Meritò ergò diliguntur, uti non semel jubet Ecclesiasticus ; in-primis capit 7. *Servus sensatus, sit tibi dilectus quasi anima tua.* Deinde cap. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tuum sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum,* h. e. tanquam consanguineum tuum : vel potiùs: comparasti eum, ut sanguinem & vitam tuam fo-veret ac servaret, laborando, defendendo, servien-do. Servi aliud non sunt, nisi viva quædam domini instrumenta, veluti est manus aut pes hominis, pro-boscis elephantis &c. Quod ergo domini servis præstant, hoc sibi præstant : sicut & sibi dant quod equis suis. Unde Seneca epistol 97. *Servi sunt? in-*quit, *imò contubernales. Servi sunt ? imò humiles amici. Servi sunt ? imò conservi &c.* Servi à ser-vando dicti sunt, quia domum heri conservant ; & sæpe propter unum servum bonum benedicit Deus toti domui : ut domui Laban, propter Jacobum; domui Putipharis propter Joseph. Unde antiquo-rum consuetudo fuit ; ut cum primum servus admittebatur, super ejus caput spargeret he-rus nuces, ficus, dactylos, pomaque & fructus alios, varia quoque leguminum olerumq; genera deniq; auri argentique nummos ; quo indicarent servum illum recens exceptum fore domino do-muique, quam intrabat, ita fructuosum, ut in eo familiæ totius sustentatio & deliciæ positæ vide-rentur. Pier. lib. 56. simul etiam indicabant ; quam benevolè & amanter tales servi habendi à domino & colendi essent. Insinuavit id potenti-bus verbis Jonathas patri suo Sauli, commendans ei Davidem 1. Reg, 19. *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi & opera ejus bo-na sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum &c. Vidisti & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absq; culpa ?* Alexander M. equo suo Bucephalo, quod sibi fidelissimus, neminem alium sessorem recipere, & ascensurum genuflexus exci-pere solitus fuisset, amisso exequias duxit, & in a-moris monumentum condidit oppidum, appella-vitq; nomine equi sui Bucephalon, teste Curtio in vita ejus lib. 9. c. 8. Plinius lib. 8. c. 42. Adeò visum illi est tam utili jumento gratitudinem rependere. Quid ergo dicendum de illis heris, qui servis suis u-tuntur, uti pila pueri, quam ubi ludendo miserint a-remiserint, jactarint & percusserint, disruptam in sterquilinium abjiciunt ? vel uti pomis aureis, quæ cum succo expresso despoliarint, è fenestra ejici-unt ?

III. Equi divitum sunt pauperes, qui acce-ptas ab eis eleëmosynas deferunt in cælum, velu in cæleste quoddam divitum gazophylacium. Te-stem habemus sanctum Laurentium, qui requisi-tus à Valeriano Imperator. de Ecclesiæ thesauri respondit : *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, i cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Idem indicavit Dominus adolescenti, cui dixit *Vende quæ habes, & da pauperibus ; & habebis the-saurum in cœlo.* Matth. 19. quasi diceret: in cælum ab egenis deportata cum fœnore reperies. Pluri-mis exemplis veritas hæc demonstrata est. Qui-bus hoc nnn vulgare addam: Jordanes oppido Bo-tergæ Provinciæ Savoniæ natus, cùm Parisiis SS litteris studeret, consueverat intempestæ nocti silentio venire in Ecclesiam, & ibidem sacra au-dire. *Dum autem pro more aliquando, falsò ratu jam signum ad sacra peragenda datum, iter arripe-ret, egenum offendit munera petentem. Venera. Iordanes, fortè usus celeritate, absq; pecunia, unica veste indutus & balteo cinctus argenteo, balteo illum donavit. Tandem reserato templo (aliquantulum enim pro foribus expectaverat) ingreditur, vidi Christi optimi maximi simulachrum cruci affixum baltheo, donato paulò ante egeno, præcinctum. Cuju spectaculo plurimùm motus, togam religionis ex tunc assumere deliberavit.* Postea assumpto ordine Præ-dicatorum, secundus à sancto Dominico Ordinis Generalis factus est Jam ergò quis non amaret equum, qui thesauros sibi impositos in talem de-ferret locum, ubi domino non solùm auferri ne-queant, sed insuper augeantur in immensum ?

Tales

Tales equi pauperes sunt. Quamobrem uterque S. Greg. Nazianz. & Nyssenus, ille unam, hic duas de pauperibus amandis orationem scripsit: ideoque etiam Reges multi pauperes in amoribus habuerunt. Carolus M. Imp. quotidie duodecim pauperes in honorem duodecim Apostolorum in aula & triclinio suo pavit. Sabellic. Ennead. 8. lib. 8. Robertus Franciæ Rex quocunq; iret, plaustra pauperum secum circumvehebat, *tanquam exercitum*, ut ajebat, *quo cælum iret expugnatum*; dicebatque *hoc esse genus hominum, quibus Deus cælestis regni portas tradidisset, iis aperiendas, qui in ipsos misericordiæ viscera prius aperuissent* teste Baron. anno 1033. & Bodin. l. 6. de Rep. c. 2. His accedit S. Elzearius comes Ariani, qui adhuc infans, *cum bajulorum brachiis portaretur in castri Ausoisii porta, sæpe pauperes humanissime intuens, nullo pacto progredi volebat, imo vero etiam sine intermissione plorabat, nisi illis præstita esset eleemosyna. Atque ea causa nutrices ejus vel ob afferendum panem redibant in castrum, vel secum ferebant, ut illi infanti satisfacerent. Cumque pauperes accepissent eleemosynam, lætus & alacer transibat. Postquam autem ætatis quintum excessit annum, quidquid ex ludis puerilibus, vel aliunde acquirere potuit, in pauperes erogabat, infantesque & pueros, cum quibus interdum captabat sua solatia, præcipue vero inopes ad prandium suum curabat invitari.* Ita in ejus vita Sur. 27. Sep.

IV. Equi sunt Cruces & tribulationes, quæ hominem alioquin debilem voluntate, & à Deo refugum, ad ipsum devehunt adeoque venire compellunt; similes jumento illi, seu equo seu asino, cui Samaritanus imposuit sauciatum à latronibus, duxitque in hospitium, ut ibi sanaretur. Lucæ decimo. Jumentum cui insedit Christus, crux erat. Quem ergo reperit adeo vulneratum & debilitatum, ut suis ingredi pedibus, & venire ad se nequeat, jumento suo imponit, cruci, inquam, & tribulationi alicui, sicque eum adducit, juxta id Psalmo decimo quinto. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Equo ignavo aut etiam debili calcaria adhibentur, & tunc gressum accelerat: homini tardigrado & pœnitentiam differenti immittit Deus crucem & vexationem; sic impellit ad pœnitentiam. Rursum si in viridi prato pabulari velit equus, fræno attracto constringitur os ejus, ut sine mora pergat, quo eques festinat. Pari modo Deus cùm videt hominem voluptatum pabulo intentum, remoras nectere, quo minùs ad pœnitentiam properet, frænum ei injicit, famem, egestatem, morbum: quo præpeditus à pastu, ad capessendum iter, imo in volandum alacriter concitetur. Hinc Psalmo trigesimo primo orat David: *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* In quem locum Sanctus Gregorius ait: *Orat igitur fidelis anima, ut lubricos peccantium cursus mundana adversitate virtus divina coerceat: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant: & hoc modo ad se reverti, saltem ex difficultate & impotentia peccandi resipiscant.* Hoc certè fræno reduxit prodigum filium ad paternam domum; ad quam is nunquam rediisset, nisi fames & egestas eum comprehendisset & ad patrem reduxisset. Lucæ decimo quinto. Nunquam Regulus ille Christum requisisset atque in eum credidisset, nisi filii infirmitas quasi equus gradarius ipsum advexisset. Joannis quarto. Et quando Rex Manasses peccatorum suorum vincula abrupisset; quando ad pœnitentiam gradum accelerasset, nisi gravi catenarum pondere in captivitate pressus fuisset? secundo Paralipomenon vigesimo tertio. *Accidit in quadam obsessione* (inquit sanctus Bernhardus in sermone: Cur malis adversa dentur, tomo tertio, *cujusdam castri Saracenorum, quod cum illud Christiani obsiderent: quendam nobilem, quem Saraceni ceperant per funem pendentem ex illa parte, qua machinæ percutiebant, opposuerunt, qui Christianis magna voce clamavit, quod propter eum machinas jactare, & castrum expugnare non desisterent: accidit, quod primus ictus machinæ funem rupit, & ille cadens in fossatum à Christianis liberatus est. Unde potuit dicere cum Psalmo 115. Dirupisti Domine vincula mea. Sic accidit de hominibus existentibus in manibus Saracenorum, id est, dæmonum, qui per tribulationem liberantur.* Hucusque Bernhardus. Neque vero malis solum crux pro equo servit ut ad Christum veniant: sed etiam bonis & sanctis, ut celeriùs & gloriosiùs pergant. Quemadmodum enim equus hominem exaltat, ut jam fit conspicuus qui prius humi in plebe non apparebat: addit etiam equiti quandam æstimationem, ut non unus de plebe, sed præcellens videatur: ita etiam crux hominem in altum tollit. Idem facit tribulatio hominem enim Christo assimilat & Deo dignum reddit, ut qui non vulgari, sed militari virtute gloriam in cœlo singularem sibi parare velit. Sic inter alios exaltavit sanctum Philippum, pro Christo crucifixum & lapidibus insuper obrutum. Quis talem equum non amet? non exosculetur? Darii Persarum Regis equus, cùm inter septem Persarum Principes convenisset, ut cujus equus primum ante Solis ortum daret hinnitum, Rex crearetur, primus omnium hinnuit, sicque dominum suum ad sceptrum regium extulit; auctore Ctesia de rebus Persicis. Quas gratias putatis egisse Darium equo suo? osculum infixisse facile crediderim. Quid vero crux? nonne amantes sui vehit ad cœlum, & cœli Reges facit? Quis ergo eam non adoret & exosculetur?

V. Equi appellari possunt feretra & sarcophagi nostri, quibus efferimur ad sepulchrum. At quis hunc equum amet? dicet aliquis. Imo vero maxime amari potest & debet. Inprimis enim educit hominem è miseriis hujus vitæ, quæ mors dicenda potiùs, adeo ut dicat Ecclesiasticus capite septimo. *Melior est dies mortis die nativitatis.* Unde olim Gaditani templum Morti & aram consecrarunt divinosque honores exhibuerunt, tanquam communi quieti & miseriarum omnium portui; ut retulit Wigerus præpositus & pædagogus S. Bennonis, in ejus vita

V. Amatores sepulchri sui.

vita apud Surium decimo sexto Junii. Adhæc *nonnullis Gentilibus mos est*, ait Egesippus libro quinto, capite quinquagesimo tertio. *ut ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur, quod illos ad ærumnas generatos doleant, hos ad beatitudinem rediisse gratulentur.* Quod forsan imitata est Jezabel mulier Sidonia, quæ in funere filii ambitiose se ornavit & stibio depinxit, quarto Regum nono. Id vero potissimum convenit Christianis, qui pie & inculpate vivunt. Hos enim fert sarcophagus velut equus regius ad triumphos æternos. In horum numero jure computamus Beatum Albertum Magnum qui abdicato Episcopatu Ratisbonensi, Coloniam ad suum monasterium rediit; ubi cùm divina dispensatione omnium rerum, quas didicerat, repente oblitus fuisset, solius tumuli sui, sibi præparati, memoriam non deposuit; singulis enim diebus ipsum revisit, & pro se velut jam defuncto orare consuevit; ut refert Ferdinandus Castilius in hist. Ord. Prædic. Sancta etiam Ida, Egberti Comitis & Præfecti Caroli Magni vidua relicta *marmoreum sibi sarcophagum longe ante obitum jussit præparari, ob incerti temporis momentum, quem duabus quotidie vicibus, quamdiu supervixit, diversis alimentorum aliarumque rerum impensis summotenus implevit, & victu carentibus hilariter distribuit.* Ita in ejus vita Uffingus Monachus Wertinensis, apud Surium 4. Septembris. Adamavit ergo sarcophagum suum, quem pauperum eleemosynis adeo munivit. Quibus addo Maximilianum I. Imperatorem, qui postremo Imperii sui quinquennio, cùm palatium apud Oenipontem magno suo ære construi mandasset, & operis præfecti leviores quosdam in eo errores commisissent, secretius in aurem cuidam sibi adstanti susurrabat. *Parum hi faciunt, quod me delectet: aliam domum construam mihi placituram,* eoque die feretrum omni, quæ ad sepulturam necessaria foret, supellectili instructum parari jussit, ac secum, quocunque pergeret, clanculum deferri. Cumque curiosiùs conjectarent Proceres de usu illius scrinii, Cæsar subridens, ac sibi conscius. *In rei, dicebat, mihi supra omnes alias charissimæ, usum mecum hoc defero.* Ita assidue sepulchrum adesse sibi voluit ut ejusdem perpetua recordatio, suæ menti fastum mundi eximeret, æternitatis bravium infunderet. Reinhardus Hadamar. in Institutione Principum. Idem fecit ejus nepos Carolus V. Imperator, ut alibi retulimus ex Justo Lipsio libro secundo Monit. Polit. c. 14.

Trip. Do. 15. post Pent. C. 5. B.

Invenimus igitur equos, quos amare possint etiam Apostoli, & quidem magno suo bono, gloria & merito: equos, inquam, minime fallaces ad salutem, sed potiùs viam cœli optime callentes. Horum uno & quidem nobilissimo conscensu Philippus cœlorum regnum ingressus est in Cruce videlicet: quomodo igitur equi hujus amator esse non potuit? Nos si tam heroicum & bellicosum equum regere non possumus vel ascendere non audemus, seligamus, è dictis alium, imo omnes reliquos: ut ita post Philippum & ipsi quidam Philippi cœlum non pedestres sed equestres, non humiles sed sublimes ingredi mereamur.

THEMA II.

Vernum tempus Deum qui nobis ostendat.

I. *Potentiam Dei.*
II. *Sapientiam & providentiam Dei.*
III. *Pulchritudinem Dei.*
IV. *Divitias Dei.*
V. *Bonitatem Dei.*

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me. Ioan. 14.

FRanciscus Petrarcha scribit sua ætate & in terra sibi patria fuisse virum nobilem & opulentum, cujus optimum studium erat excipere transeuntes apparatu magnifico. Is die quodam è sylvis & venatu in vili tunica & inculta domum rediens, plenam hospitibus reperit. Quibus honorandis intentus dum omnia lustrat, in quendam illorum famulum superbum, stabulum purgantem, incidit, cæpitque eum blande corrigere. impatiens iræ servus, in faciem eum cecidit. Abiit ille tacitus. Postea cernens famulus ipsum in capite mensæ sedentem, & omnibus hospitibus liberalem mensam & magnificam gratis impertientem, trepidare cœpit, advertens quem percussisset. Comperto igitur, quem ceciderit, veniam poposcit, & facile obtinuit. Homines quamplurimi servo isti similes sunt. Divertimus nos in hunc mundum, sane in alienam domum ditissimi Creatoris nostri. Sed quia is per hyemem, quando nihil crescit, & omnia sopita jacent, suam gloriam & opes, velut vili tunica contegit, eum non videntur aliqui agnoscere, imo dum bonis ejus fruuntur, etiam graviter offendunt. Sed videamus eum in æstate, quam liberal ter tunc pascat omnes, quotquot sunt in mundo. Aspiciamus eum hoc verno tempore, quam explicet decorem & divitias suas in terræ virore omnique generis floribus. Quis jam non cognoscet dominum & nutritorem suum? & quis non ex corde dolebit; quod aliquando offenderit talem & tam munificum patremfamilias? Hunc ergo jam consideremus.

I. Ostendit nobis potentiam suam in productione tot creaturarum, quæ per hyemem omnes velut extinctæ & emortuæ sub nive sepultæ, vel omnino nullæ fuerunt. Unde enim tot herbæ & flores agrestes, sylvestres, aquatici, nullo prorsus seminante? Unde tot novi fructus terræ & arborum? unde tot animalia nova omnis generis? Nonne novus quidam mundus quovis vere prodit? Et hæc nova mundi facies, nonne intra paucos dies? è minimis seminum granis quanta & quam mira gignuntur? Quis quæreret

ferét in arboribus gossipium & oleum? quis sericas vestes requiret à vermibus? quis mel & ceram ab apibus? quis vina tam pretiosa è tam rudi vitis stipite.

2 Ea omnia producit quovis anno, ex vi primæ creationis continua quadam serie per causas secundas: quod longe majus est, quam si quotidie vel singulis annis de novo ea crearet. Majoris enim artis est componere horologium, quod statas constanter horas pulset, & se ipsum dirigat per admodum longam tempus, quam si artifex ad horas singulas pulsandas, vel pondera attollenda manum admoveat. Quanta ergo est vis divini illius verbi, quo solo terram jussit producere per tot sæcula, tot frugum totque animalium genera; ut nullo unquam tempore deficiant.

3. Eadem tamen quam facile dat, tam facile rurum auferre & enecare potest per pruinam, erucas, ubiginem, locustas, scarabæos, grandinem. Sapienissima arbor appellatur morus à Plinio, quod non isi exacto frigore germinet; ea tamen sæpe occidiur à pruina, juxta id Ps. 77. *Occidit moros eorum in ruina*: Adducit Solem & omnia producit, removet undem & omnia vastat, juxta id Ps. 103. *Aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avernte autem te faciem tuam; turbabuntur & in pulerem suum revertentur.*

4. Eorundem species & semper hactenus conserit, ita ut nulla unquam species animalium aut plārum aliarumve rerum deficiat, licet tot passim caantur animalia, aut morbis extinguantur: imbela vero & parva à robustis & magnis devorentur frigoribus per hyemem subjaceant & non inteint, &c.

II. Suam sapientiam & prudentiam. Primo in ta rerum, herbarum, florum, arborum, frugum, malium varietate. Qualis enim est illa Dei santia, quæ tot florum variegatos colores, arborn species & fructus, avium pennas & cantilenas: orum animalium diversissimas species excogitaut nulla fere in proprietate unum alteri simile Unus flos aut arbor ab alia dignoscitur, colore ore, floribus, fructibus, foliis, stipite, cortice, vir- una avis ab alia, pennis, cantu, rostro, volatu; drupes unum ab alio per incessum, vocem, pilos es, colorem, cornua, vestigia, excrementa, aliasplurimas proprietates: sicut homines per vul- scriptionem seu manum, vocem, staturam, com, barbam, capillos, incessum &c.

In eo quod feras quidem unius speciei omnes concolores fecerit, animalia vero cicuria, diverstinxerit coloribus. Referebat enim ut quisque equos, boves, porcos, capras, canes, feles, galliolumbas, anseres, anates dignosceret ab alienis cem conservandam, & furta impedienda.

Noxia animalia pauciora & minus fæcunda: Multitudo enim speciebus aliquibus interifferret. Minuta in magna fecit quantitate, ut bus majorum. Utilia etiam fœcundiora; noxia & inutilia minori fœcunditate. Similiter & herbas. Interim venenata etiam animalia & herbæ suas habent utilitates, & quidem contra venena, comeduntur etiam ab aliquibus bestiis sine noxa.

4 4. Quia non simul omnes producit fruges, flores, arborum fructus: sed alios Majo, alios Junio, alios Julio, alios Augusto mense; flores in vere, fruges in æstate, uvas & poma in autumno, oleum in hyeme. Primo, quia si simul omnia maturescerent, non possemus omnia simul colligere. Secundo quia non haberemus per vices honestam & jucundam occupationem, atque oblectationem. Tertio, quia simul consumpta de copia inopiam generarent. Quarto, ut fastidium varietas depellat. Quinto, ne incidente gelu, pruina, grandine simul omnia lædātur & pereant. Jam vero jucundissima & utilissima serie alimenta nobis dispertit, primo fænum pro jumentis, quæ cæteras fruges invehere in horrea nostra debent; deinde pro hominibus siliginem, post triticum, deinde hordeum, mox avenam: post hæc fænum serotinum: deinde fructus arborum, tum vitum, denique olearum.

III. Pulchritudinem Dei.

III. Suam pulchritudinem. Eam enim quia his corporis oculis in ipso intueri non possumus, per creaturas suas, rudi saltem penicillo nobis depingit, ut ex unius lineæ ductu in cognitionem ipsius pictoris ascendamus. Vide pratorum amœnitatem, floribus quasi stellis collucentium instar firmamenti. Vide flores hortorum colore & odore inter se certantes. Vide arborum elegantiam, eorum flores & fructus gratia & decore plenissimos. Vide aves earumq; pennas quemcunq; hominum ornatum præcellentes. Vide pisces maxime marinos mira varietate & decore præditos. Vide lynces, tigrides, pantheras rhinocerotes, unicornes &c. Quorum omniū decor eminenter in Deo est, juxta in Ps. 49 *Pulchritudo agri mecum est*. Atq; ut expressius dicam, hæc omnia non nisi Dei calcei sunt, fœdi & lutulenti respectu pulchritudinis ipsius, quod sequēti historiola aliquatenus declarari potest. Cùm Rhodope (Æliano libro 13. capite 33. teste) speciosissima in Ægypto fæmina, se lavans vestes posuisset, aquila calceum unum rapuit & in sinum Psammetichi, Regis Ægypti injecit: Rex miratus pulchritudinem calcei & fabricationis artem atque concinnitatem simul & avis factum, ex unius nimirum calcei decore totius ornatus fæminæ elegantiam conjectans mandavit, ut per universam Ægyptum quæreretur fæmina, inventamque sibi desponsavit. Terra scabellum Dei est, calcei sunt ornatus creaturarū. Inde colligamus Creatoris pulchritudinem; ejusque in amorem rapiamur. Nam qui fecit tam pulchra, quomodo non pulchrior erit? Ita enim Psalmo nonagesimo tertio argumentatur David: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* seu ut Hieronymus legit, *non videbit*: Qui ergo tam speciosa creavit, non erit speciosior?

IV. *Divitias Dei.* 1.

IV. Suas divitias. Aperit enim nunc promptuaria sua ad sustentationem omnium viventium Ubi vides primò, quantam Deus familiam omnium creaturarum quanto tempore alat. Quis in terra Rex diu magnum exercitum propriis sumptibus alere potest? Deus totum mundum tot jam sæculis alit. Denique quam laute & opipare, hominem præsertim? quam omnes abundanter? Et quot genera herbarum, florum, arborum, animalium quæ in alio orbe sunt, nobis ignota, cibus illius sunt?

2. 2. Quantas intra annum præparet hominibus divitias, ex vino, frumento aromatibus, serico, lana, lino, carnibus, pellibus, venatione, piscatione, aucupio, herbis, metallis, lignis &c. Omnia enim hæc ex Dei penu depromuntur, & implent hominum penus, cellaria, horrea, marsupia. Itaq; qui omnes divites mundi ditat, quam dives ipse erit.

3. 3. Has tantas divitias non ex thesauris suis, sed ex una tantùm manu sua depromit, teste Ps, 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Et Ps. 103. *Aperiente te manum tuum, omnia implebuntur bonitate.* quasi dicat, omnes illæ divitiæ & benedictiones, quibus replet tot creaturas, sunt una tantùm manus plena, respectu ejus divitiarum omnium.

V. *Bonitatem Dei.* 1.

V. Suam bonitatem & liberalitatem. 1. Dum nobis infinita pene genera ciborum, potuum & vestimentorum providet. Bestiis simplicem fere & uniformem tantùm cibum ac vestitum dedit, quia beneficia & favores Dei non agnoscunt, nec gratias agere possunt: homini vero omnis generis herbas, fruges, carnes, pisces, aves, vestes, ut plus desiderare nequeat. Addidit etiam quæ ad sanitatem conservandam & reparandam necessaria sunt. Unde bene Jac. 1. dic. *Dat omnibus affluenter & non improperat* Nostra culpa, & iniqua divisio causa est, si aliqui sunt, qui indigent.

2. 2. Providit & ea quæ ad delectationem & commoditatem; (sicut pater charis filiolis emit crepundia, balistas, equellos, ensiculos, &c. ut ad sui amorem & obsequium eos alliciat) uti flores, fructus suavissimos eosque aspectu perjucundos acridentes, flavos, cæruleos, candidos, rubros, virides: uti inprimis arborum fruges. Rursus inclusit eos pelliculis, corticibus, ut mundi & illæsi, ac diu conservari possint. Fecit ut ipsi eos nobis plantare & parare possemus: ut pisces, aves, feras nostra delectatione capere. Fecit ut aviculæ labores & fastidium nostrum suo cantu demulcerent. Terram gramine, ut molliter in ea ambulare, & munde recubare possemus, instravit, nec non ut fructus in eam decidentes mundi & integri servarentur. Viridi eam colore uti & arbores foliis vestiit, quia is color gratior & sanior est oculis.

3. 3. Ipsis etiam creaturis, quas servire nobis compulit, suum jucundum esse dedit, ut sua jucunditate lusibus & industriis nos recreent. Nam & pisces in aquis saltus edunt ac ludunt, & capreoli in pratis subsiliunt, & aviculæ cantant, & flores suum decorem expandunt, & arbores suos flores, & prata rident, omniaque exhilarantur. Sympathias quoque inter animalia & antiphathias posuit, ad nostram delectationem, venationem, &c

4. Hæc omnia in tanta copia homini largitur, etiam non rogatus; dat malis æque ac bonis: quibus omnia subjecit & servire fecit: dat iis, quos scit fore sibi ingratos, & damnandos: dat Turcis, Gentilibus, Judæis, à quibus blasphematur & offenditur. Quis hæc non miretur? quis non omnibus laudibus extollat tantum benefactorem? quis non amet sic amantem? Venerunt aliquando Agareni quidam barbarum plane & improbum hominum genus, ad S. Sabam Abbatem in solitudinem, & fame sitiqu[e] confecti cibos scrutabantur; cumque nil invenire[nt] Sabas, dum illi convitia jactant, & minas intentan[t] extensa mox ovilla pelle meleagriorum radicibu[s] & arundinum corticibus eos pavit. Mirati barba[ri] liberalem ejus animum, famem tunc sedarunt: po[stea] redeuntes caseos & dactylos in grati animi sig[nificationem] ei attulerunt. Quo viso Sabas susp[i]rans: *Heu mihi!* inquit, *Barbari & efferati homin[es] tam exigui beneficii memores gratiam rependunt, [&] nos quotidie Creatoris bonis fruimur, & sensu pla[ne] stupidi nullam ei grati animi significationem exhib[e]mus.* In ejus vita Cyrillus monachus quinto D[e]cembris apud Lipellus. Certe hinc apparet non so[lum] eas gentes esse barbaras, quæ sub æquinoctia[li] nudæ incedunt, sed quam plurimos etiam, qui in [se]rico & auro fulgent, qui quotidie bibunt & epula[n]tur splendide, nec tamen unde vivant, agnoscunt. [Si] quis enim ingenuus vir in itinere constitutus in do[mum] alicujus coloni divertisset, essetque ab eo vu[l]tu hilari & apparatu sufficienti pro facultate hosp[i]tis acceptus, postea discedens gratias rustico non [a]geret, sed insalutato eo abiret, quid de illo senti[re]mus? nonne barbarum & inhumanum diceremu[s]? Vide ergo quid sentiendum sit de illis, qui ad loc[u]pletem mensam assident quotidie, nec tamen ag[unt] gratias illi, à quo eam acceperunt.

Et mirum valde est, quod pauperes, qui duro p[a]ne & parcissima mensa vivunt, passim ubiq; vide[n]tur Deo gratias agere, qui verò ex auro & arge[nto] bibunt, & lautissime vivunt, sæpe nec orant, nec g[ra]tias agunt. At dices: Unde sciam hæc à Deo m[ihi] subministrari? Itane tam stupidus es, ut de hoc du[bi]tare possis? Quæso enim te, dicas mihi si quis pe[re]grinus veniret in has terras, & in via forte obes[us] fame urgeretur, jamq; tempore prandii reperire[t] campo aut sylva mensam stratam, instructamq; [va]riis, piscibus, avibus, ferinis carnibus, omnis ge[ne]ris frugibus, variis quoque ac selectis vinis: ide[m] rursū vespere, & sic sequentibus diebus: quid dic[tu]rum arbitraris? Num dicturum putas, hæc om[nia] à formicis vel volucribus congesta & sibi præ[pa]rata esse? an potiùs ab amico aliquo suo fo[r]tissimo, intelligentissimo, ditissimo, amantissi[mo]

Ac licet illum nunquam cerneret, nonne tamen vel ignotum coleret ac diligeret? Hic autem quis nisi Deus, qui hæc omnia nobis parat, & quotidie quidem? Quis enim alius hoc posset & vellet? Verùm opponent isti hanc ipsam Dei liberalitatem & bonitatem esse causam, cur homines terrenis bonis earumque copia & dulcedine capiantur & illaqueentur, adeoque iis abutantur. Sed respondeo primo nos ex hac Dei erga nos benevolentia non ad abusum beneficiorum, sed ad amorem benefactoris, ut qui nos tam liberaliter velut dilectos filios, velut nobiles, non ut servos in aula sua tractet, excitari debere. Ingratus cuculus est, qui nutricem devorat, a qua tam laute enutritus est. Degener est filius, qui patris mensam magis quam ipsum patrem amat. Muscarum hoc est, & murium, qui de pane & cibis nostris vivunt, non tamen amant nos, nec fidunt nobis. Deinde cogitandus est etiam gladius, qui mensæ nostræ imminet: varia scilicet flagella, quibus victum nobis adimere & fruges omnes perdere Deus potest, si abusi illis fuerimus ad injuriam Creatoris. Habet enim & armarium suum, unde subinde depromit gelu, pruinam, grandinem, locustas, erucas, bruchos, rubiginem, siccitatem, imbres continuos, vastationes &c. Et in fine mundi *armabit Deus creaturam ad ultionem inimicorum.* Sap. 5.

Postquam ergo vidimus cœlestis nostri patris-familias majestatem, divitias, liberalitatem, pulchritudinem; videamus nunc & hoc, quantum obligati simus tanto benefactori, quamque impudenter agant, qui in illum peccant. *Erubesce Sidon, ait mare;* quod dat nobis pisces: *erubesce,* ait aer, qui dat nobis aves: *erubesce,* ait terra, quæ dat fruges & animalia. *Erubesce* coram Deo, qui ex illis promptuariis subministrat nobis omnia. Isaiæ vigesimo tertio.

THEMA III.

A floribus arborum documenta.

I. *Ostendunt miseriam conditionis humanæ.*
II. *Monstrant rationem vivendi Christiane.*
III. *Monstrant exemplar perfecti Christiani.*
IV. *Monstrant prægustum cælestis beatitudinis.*

Quomodo possumus viam scire? Joan. 14.

NOn solùm Antonio, sancto illi Monachorum Patriarchæ, mundus iste totus liber quidam fuit, è quo sapientiam discebat; verùm etiam Mercurio Trismegisto, Gentilium quasi Moysi, qui dixit: *Vniversum est liber divinitatis.* Nec male certe; ex eo enim discimus non solùm Creatorem nostrum ejusque potentiam, sapientiam, bonitatem, & magnitudinem: verùm etiam ea, quæ ad bene beateque vivendum spectant. Estque liber hic communis omnibus rudibus & illiteratis, quia intellectu facilis. Hujus tabulæ seu involucrum sunt cœli, paginæ elementa, lineæ regiones, litteræ creaturæ. Lector libri est homo, ideo capite erecto formatus, ut librum hunc evolvere & perlustrare possit. Porro liber hic per hyemem quasi clausus aspicitur, quia clausæ in antris feræ, pecora in stabulis, pisces in aquis glacie obductis, aves in densis nemoribus; homines in ædibus, flores & herbæ in nivibus. Mensis Aprilis aperit librum istum, idcirco ab aperiendo dictus, & nunc mense Majo monstrat nobis inprimis arborum flores & in his egregia documenta, quæ nunc audiemus.

I. Flores illi ostendunt nobis miseriam conditionis humanæ, nunc quidem florentis, mox tamen decidentis, & in terram, unde prodiit, redeuntis. *I. Ostendunt miseriam conditionis humanæ,*

Nam primò flores arborum quidem, de quibus loquimur, brevi temporis spatio durant, 7. scilicet diebus, teste Plinio libro 16. cap. 25. post elanguent ac decidunt. Hinc *flores* à *fluendo* dicti, quia cito defluunt, secundum Isidorum. Sic etiam hominum vita, septem ætatibus circumscripta, brevis admodum est, respectu illius ævi, quod erat ante diluvium, quando ad 900. annos homines vivebant, quanquam & illa brevis, imo nihil erat, respectu ævi Angelorum. Hanc vitæ brevitatem describens Job capite 14. ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Egreditur flos ex arbore, initio speciosus, sed mox contabescit, & foliolum unum post alterum amittit: sæpe vix natus à pruina exuritur, vel à vento abripitur: Sic homo brevi vivit tempore, quia inadvertenter & velocissime labitur ejus vita; cùm putat se ordiri, tendit ad finem: cùm aliquid lucri fecerit, unde vivere in quiete & dulcedine posset, tunc migrare cogitur; cùm se ad somnum componit, evigilare debet; cùm vix mundum circumspicere & scientias aliquas aut opes comparare sibi cœpit, canitie subrepente jubetur ad emigrandum sarcinas colligere; & tunc demum miratur dierum suorum brevitatem. Ergo *quasi flos egreditur,* ut se ad breve tempus spectandum oculis præbeat, & mundum hunc aspiciat. Speciosus quidem est initio, sed paulatim consenescit, & dentem post dentem amittit: sæpiùs ante senectam & in prima ætate abripitur, sicque iterum discedit, sicut comicus è theatro. Deinde quasi flos ex arbore in terram delapsus *conteritur* pedibus transeuntium, nec à quopiam respicitur. Nos ipsi hic in templo, nonne corpora mortuorum majorum nostrorum calcamus? Et quis eorum jam meminit? Steterunt illi olim hic, sicut & nos stamus, fortes ac florentes: nunc in terra jacent, sicut & nos jacebimus. Denique *fugit velut umbra,* quæ semper in motu est, quemadmodum & Sol. *Fugit* etiam quia ubivis creaturæ mortem ei intentant, aer infectio-

fectionem, aquâ submersionem, ignis combustionem, terra sepulchrum, bestiæ quamplurimæ devorationem, canes allatrant transeuntes, ipsi anseres exsibilant, muscæ vexant, apes pellunt, vespæ pungunt.

2. 2. Cadunt ex arboribus suapte fragilitate, tametsi nec à vento abripiantur, nec pruina comburantur, nec manu decerpantur; quia nimirum ex fragili ligno fragiliorem traxerunt naturam. Sic etiam homo suapte natura & infirmitate ex matris utero tracta, tandem cadit, licet nulla creatura eum impellat.

3. 3. Plerique flores arborum inanes & cassi sunt, nihil fructus adferentes: pauci fœcundi sunt. Sic hominum magna pars moritur in infantia & pueritia, major in ætate media, paucissimi ad senium perveniunt. Tot nimirum undique mortis laquei & pericula sunt. Magnum Dei beneficium est pervenire ad maturam ætatem, qua plenius Deo servire & merita comparare possumus. Majus adhuc attingere canam & decrepitam. Ob peccata namque sæpius ætas præciditur. Quanquam non magnopere refert, utrum brevi aut multo tempore quis vivat; modo bene vivat. Illa tamen humani generis maxima omnium miseria est, quod plerique homines steriles sunt operibus bonis, ideoque pereunt, juxta id: *Multi vocati pauci vero electi*: quemadmodum & florum maxima pars cadit.

4. 4. Flores in ortu Solis se aperiunt, in occasu clauduntur & constringunt. Pari modo homines in fortuna prospera se dilatant, jactant, effundunt, insolescunt: at si Sol prosperitatis occidat, noxque adversitatis inchoet, clauduntur, perturbantur, lamentantur & desperare incipiunt.

II. *Monstrant rationem vivendi Christiane.*

II. Monstrant nobis rationem vivendi Christiane. 1. Nimis velox ortus florum, signum est defectus & carentiæ fructus; ac sic arbor nimis cito & copiose florens videtur contenta esse floribus suis; Plinio teste. Sic etiam communiter, qui nimis cito in pueritia vel juventa sapiunt, postea desipiunt. Docent ergo mortales, non desiderare multas & præsertim properatas divitias; quia timendum est, ne carere debeant in altero sæculo, quo fructus colligentur. Homo præpotens opibus quid nisi arbor est plena floribus? Miramur & illam & istum: En quam floret hæc arbor! dicimus: en quantæ illius viri divitiæ? At quid si is hic recipiat mercedem suam, tempore pomilegii nihil fructus habiturus? Hinc audit dives Epulo: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua; Lazarus autem mala.* De præproperis vero opibus audi Sapientem Proverbior. 13. *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Quæ enim sensim ac minutatim colligitur, multo labore constat, unde & studiosius servatur.

2. 2. Qui flores captat, fructus amittit. Nam simul haberi flores & fructus nequeunt: si florem decerpis, fructum perdis. Flos est gloria humana, juxta id; Isaiæ quadragesimo. *Omnis gloria, quasi flos agri.* Qui florem hunc non carpunt, fructum in cœlo accipient; quin & florem gloriæ Deus illis hic adjiciet uti 1. Regum 2. dicitur: *Quicunque glorificaverit me glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Pari modo qui hic dies sibi bonos eligit, flores tantum & inania gaudia captat; quare ibi fructu bonorum dierum & cælestium gaudiorum carebit. Nonne satius est fructibus arborum perfrui, quam earumdem flores manibus versare, naribus applicare, aut super pileo gestare? Terrena bona quasi flores sunt, quia præsagiunt nobis cœlestia; si enim Deus in hoc exilio tot naturæ dona confert servis suis, quin etiam reprobis: quid non dabit in cœlo amicis suis?

3. Arbores quæ non florent, spem fructus non dant, nisi paucissimæ: uti ficus, quæ non floret: Sic rarissimum est, ne quis frugifer & bonus sit in senectute, qui non fuit bonus in juventute. Florere prius juvenes debent, qui fructum in adulta ætate ferre volunt. Ubi flores *bonæ institutionis* præcesserint ibi spes est vitæ bonæ & frugiferæ. Hinc Ecclesiasticus cap. 6. flores appellat *fructus*, quod hi consequi flores soleant: *Ego vitis*, inquit ibi Sapientia divina *fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Vitis sicut & arbores aliæ prius flores gignit, quam fructus; cur ergo flores computat Sapientia pro fructibus, nisi quia ex floribus dignoscuntur secuturi fructus? Cùm ergo flores disciplinæ videris in juvenibus, tunc ab iis expectare potes fructus uberes virtutum; si non videris, quid expectes? Neque tamen semper fructus ferunt arbores, quæ flores præmiserunt: pari modo non semper bonus est in senectâ, qui bonus fuit in ætate tenera. Exemplo est Salomon; qui bonus fuit in ætate tenera, depravatus in senectute; ut ita nobis semper tempore incolatus nostri in timore versandum, semper attendendum sit.

III. Monstrant nobis exemplar perfectorum Christianorum, virtutibus florentium, juxta id Ecclesiastici 39. *Florete flores quasi lilium, & date odorem & frondete in gratiam, &c. Flos gaudium est arborum*, ait Plinius libro 16. cap. 25. citat: Sic etiam boni & perfecti Christiani gaudium sunt Ecclesiæ. Unde Apostolus ad Philippenses capite quarto scribit: *Fratres mei charissimi & desideratissimi: gaudium meum & corona mea.* Jam igitur primo flores arborum recreant aspectum suo colore, qui fere candidus est, aut ruber: gratiosus quidem, simplex tamen, non variegatus, fastuosus aut luxurians qualis cernitur in stirpium floribus. Idem imitantur boni Christiani: vestitum gerunt honestum quidem ac purum, nequaquam vero superbum & varicolorem: norunt enim ornatum suum consistere in anima, non in corpore, & ornatum animæ esse contemptum ornatus corporis: ornatum corporis esse deformitatem animæ. Audiamus Sanctum Gregorium Nazianzenum oratione in deplorat. calamitatis suæ; *Mihi*, inquit; *in somnis aliquando hujusmodi quiddam videre visus sum, ex quo facile*

in virginitatis amorem exarsi. Virgines duæ in propinquo stabant, candidis vestibus indutæ, ambæ formosæ atque ejusdem ætatis, ambæ incomptæ atque inornatæ, ac proinde ornatæ. Ornatus enim contemptio mulieribus elegantiam decusque conciliat: non hyacintho collum earum decorabatur, non sericæ illis vestes, non tenui ac molli lino textæ erant, &c.

2. Secundo odore suo recreant odoratum. Sic perfecti Christiani, quales primi illi, de quibus Apostolus secundo Corinthiorum secundo ait: *Christi bonus odor sumus, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt* Quantum afficiantur & ædificentur bona eorum vita etiam infideles; patet vel in Cardinale Bellarmino, de quo Judæus quidam cui Romæ Bellarminus notus erat; hoc edixit: *Quoad mores & vitam ejus, ego ita quidem existimo Christiani omnes sint Bellarmino similes, & è Iudæis Romæ superfuerit nemo: adeo cuncti transgrederemur in morem eorum.* Idem dixit de eo quidam hæreticus. Refert Fuligattus in vita Bellarmini libro 2. capite septimo. Subjicit auctor ibidem sententiam sancti Chrys. dicentis: *Nemo profecto Gentilis esset, si ipsi ut oportet Christiani esse curaremus. Nemo, inquam, esset ita fera belua, ut non statim ad cultum veræ religionis occurreret, si videret hæc ab omnibus fieri.* Tanti est odor bonus vitæ.

3. Blandiuntur tactui sua lenitate. Sic Christiani boni sua mansuetudine omnes sibi devinciunt. Si enim canes sævi & leones cedunt humilitati & mãsuetudini humanæ & sedantur: cur non cederent homines? Audi sanctum Chrysostomum in capite quarto ad Ephesios homilia decima sexta, *Canes hoc inter se facere videntur, ut quando in aliquem latrando irruperint, is vero supinum se ipsum in terram projecerit, nihilque contra jecerit, iram hoc pacto mox extinguant Itaque si illi placantur, & quasi pudore suffunduntur coram eo, qui quodvis ab ipsis pati paratus est, multo magis istud humanum genus majore ratione præditum decet.*

4 Pascunt rore suo cælitus sibi infuso apes, imo & fucos atque muscas, quæ mel non conficiunt. Ita & Christiani boni pascunt suis frugibus à Deo sibi datis pauperes, non tantum bonos, sed etiam inutiles ac malos: præferendo tamen illos. Qua de re Chrys. hom. 21. in c. 12. ad Rom. ait: *Ne scruteris pauperum vitam atque negotia, nam extremæ illud insolentiæ est, pro uno pane totam hominis miseri vitam curiose inquirere.* Et mox: *Etiamsi te ipsum interrupturus esset, nec sic tamen fame laborantem contemnere debes discipulus enim illius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat:* Sic ille.

IV. Monstrant nobis prægustum cælestis beatitudinis. Arborum flos *est pleni veris indicium & anni renascentis*, ait Plinius loco citato Annus Christianorum renascens est resurrectio mortuorum, quám etiam veri comparat Dominus Matth. 24, quia ut in vere protrudunt arbores germina; ita in die resurrectionis terra protrudet ex se corpora humana ad immortalitatem.

Porro sicut in vere arbores *tunc se novas, aliasque quam sunt, ostendunt*, ut ait ibi Plinius: ita in re- 1.
surrectione justi novos se ostendent & alios quam nunc sunt, ad instar nimirum Christi transfigurati, cùm *facta est species vultus ejus altera*, ut ait Lucas capite nono. Quemadmodum enim Christus ante transfigurationem in forma servi apparuit, quoad speciem externam nihil singulare præ se ferens, sed per omnia similis pauperibus: at in transfiguratione aliam induit speciem, augustam, gloriosam, divinam, vestimenta nive candidiora, vultum Sole splendidiorem: sic etiam justi, qui nunc à cæteris hominibus videntur nihil discrepare, in die resurrectionis aliam induent formam. Nunc quasi arbores in hyeme sumus, ubi una ab altera vix discerni potest, quia humor gratiæ intus latet; & *nondum apparuit, quod erimus.* Ver illud prodet singulos, quales in hoc sæculo sint.

Tunc *variis colorum picturis in certamen usque* 2.
luxurians, addit ibidem Plinius. Alii enim sunt majores, alii minores: alii odorem dant, alii non dant: sic in vere illo venturi sæculi singuli justi singulis ac diversis pro cujusque merito prodibunt coloribus, ut quasi inter se certare videantur; dum singuli se cernent præmiatos ultra condignum, & in suo gradu quisque ita sibi gratulabitur, quasi ipse summus esset, & maxime spectabilis; dum seipso altior esse non cupiet.

4. *Sed hoc negatum plerisque* addit Plinius. *Non* 3.
enim omnes (arbores) *florent, & sunt tristes quædam; quæque non sentiant gaudia annorum. Nam neque ilex picea larix, pinus, ullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittunt. Nec fici atque caprifici nec juniperi florent.* Pari modo in vere illo beatorum, non omnes homines florebunt, sed justi tantùm, juxta id Apostoli primo Corinthiorum decimo quinto. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Tunc gement, arbores sylvestres, infructuosæ, reprobi videlicet, qui non fecerunt fructum bonum; quia *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*

4. Denique addendum, ver illud floridum fore 4.
non transitorium quale experimur hic, sed æternum. Florent hic arbores septem diebus: ibi florebunt justi in perpetuas æternitates. Confirmavit hoc sancta Virgo & Martyr Dorothea, quæ in tormentis rogata per jocum à Theophilo scriba judiciali, ut mitteret sibi ex altero sæculo poma, rosas, lilia & flores, de quibus ipsa dixerat se in paradiso suo iis gavisuram: promisit ei & revera per Angelum misit media in hyeme; die sexta Februarii, Qua ex re Theophilus illico conversus & Christum confessus indeque martyrii palmam consecutus est. Ut in vita sanctæ Dorotheæ apud Surium sexto Februarii.

Ergo Auditor, quando in his floribus tam multa documenta cernimus, inspiciamus in hunc librũ, non tam oculo quam animo, & quę nobis exhi-

buit documenta, ex eo decerpamus velut apes sedulæ, indeque favum mellis conficere studeamus quo fruamur hîc per Dei gratiam, & ibi per gloriam.

THEMA IV.

In templo observanda.

I. *Mansio Charitatis.*
II. *Mansio humilitatis.*
III. *Mansio patientiæ.*
IV. *Mansio reverentiæ.*
V. *Mansio sanctitatis.*
VI. *Mansio silentii.*

In domo patris meæ mansiones multæ sunt. Joan. 14.

DUas nobis Christus indicavit patris sui domos: unam in cœlo, Beatorum habitaculum: alteram in terris, tabernaculum viatorum. De prima loquitur ad litteram in hodierno Evangelio: *In domo patris mei multæ mansiones sunt*; de secunda Joannis secundo: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Videntur mihi illæ designari in duabus Ecclesiis, Philippo & Jacobo assignatis: Hierapoli, quæ Philipdo: Jerosolyma, quæ Jacobo. Illa templum, hæc cœlum designat: (Hierapolis enim *sancta civitas*: Jerosolyma *visio pacis* exponitur.) De utra nos loquemur? Sane de cœlesti illa ait Apostolus: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit.* Quid igitur nos dicemus? Manebimus ergo in terra & de altera domo loquemur, Sunt enim ibi etiam multæ mansiones; & qui in ista domo manserit, sicut debet, speret se venturum ad cœlestem mansionem. Porro, quia multæ, ut dixi, sunt, non omnes indicabimus, sed aliquas. Neque faciam ego ullam distributionem, in qua sede hic vel alter debeat sedere: sed unusquisque sibi eligat, quam putat sibi commodam. Dicam tantum quid mansiones illæ a vobis requirant.

I. *Mansio Charitatis* I. Est ibi mansio charitatis; quia templum *Ecclesia*; id est, *congregatio* appellatur; quasi unum ovile, ubi omnes oves simul congregatæ sunt; nec quisquam sibi aliquid proprium reputat, sed omnia communia habent, uti primi Christiani. Repræsen-
1. tat enim cœlum; ubi cuncti ex æquo Deum videbimus, & sedebunt omnis generis homines commixtim pro cujusque merito: pauperes inter divites rustici inter doctos, ignobiles inter nobiles: ac nescimus modo uter alterum præcessurus sit. Quare inprimis patiatur nobilis in templo stare ac sedere juxta se ignobilem, nec a sede sua expellat; vel etiam ex hoc capite, ut inde nobilis velut juxta contrarium positus magis eluceat, Quæro enim cur aliquæ dominæ, cum nitidam ament faciem, nigram ei affigant maculam? Sane ut e nigro (si veritatem dicere velint) vicino magis candor eniteat. Ergo patiatur nobilis juxta se ignobilem; inde ipse nobilior, hoc est, virtuosior apparebit.

2. Secundo non detrectet ullus admittere adventantem socium, ne qui advenit, exclusus cum pudore recedere cogatur. Sponsam cum laudaret Sponsus Canticorum quarto ait: *Quam pulchra es amica mea! quam pulchra es!* sed unde? *Dentes tui sicut greges tonsarum.* Ubi absque dubio Christianorum charitas in Ecclesia commendatur. Dentes enim quo conjunctiores, eo fortiores ad molendum & firmiores sunt; ac licet varia officia ac formas habeant, alii magni, alii parvi, alii acuti, alii obtusi sint, mutuo tamen se adjuvant, nequaquam impediunt. Oves similiter quo in caula magis unitæ sunt eo magis se fovent & calefaciunt invicem; quæ si, tonsæ præsertim, sejunctæ in hyeme forent, frigore perirent. Juncti ergo in templo cum patientia & charitate Christiani fortius orabunt & se mutuo ad orationem incitabunt in eaque confortabunt.

II. Mansio humilitatis; quia est domus Dei, nimis magni & excelsi; respectu cujus nihil sumus, omnes quotquot sumus. Sane statuam Nabuchodonosoris, quæ ipsum repræsentabat, omnes Satrapæ, Præfecti, Duces, Tyranni per omnia ejus regna, prostrati adorare compulsi sunt, nullo discrimine: nec uni licitum erat stare, alteri sedere quantuscunque esset; ut habetur Danielis tertio, quo indicaretur omnes Regis subditos nihil esse ad ipsum Regem comparatos. Ideo altissimam fecit eam statuam, sexaginta cubitorum, & proinde facies erat sex cubitorum, nasus duorum, pedes decem &c. At vero si magnitudinem Dei consideremus, quid nos respectu illius? *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*, ait Isaias capite ultimo. Quid mirum igitur, si omnes pariter coram Deo nos humiliemus, qui respectu ipsius omnes nulli sumus? omnes ejus mendici sumus? Hinc Imperatores antiquitus templum ingressuri arma humiliter deponebant: Theodosius senior extra chorum stabat. Junior in Concilio Ephesino de se fatetur: *Templum ingressuri foris arma relinquimus; & ipsum etiam diadema regiæ majestatis insigne humiliter deponimus, & sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus; quibus quoque oblatis ad extimum communeque atrium nos recipimus &c.* Sancta item Elisabetha Regis filia, si templum intrasset, coronam capiti detrahebat; quod non deceret ibi caput auro radiare, ubi Deus spinis coronatus repræsentatur. Quin etiam Jerosolymæ, velut in civitate, qua Christus spinis coronatus fuit, noluit Godefridus Bullionius Rex Jerosol. electus coronam capiti regiam imponere.

III. Mansio patientiæ: quia est Atrium domus Dei, Psalmo vigesimo octavo; & quasi vestibulum cœli. Ante conclave Principis solet esse mansio, quæ vulgo dicitur Antecamera; ubi expectare audientiam, & patientiam habere oportet. Templum

Ante-

Antecamera cœli eſt, ubi oportet velut ante conclave Dei expectare cum patientia uſque ad finem miſſæ. Verùm aliqui ſunt, qui accuſant frigus & æſtum, imitantes Dionyſium Siciliæ Tyrannum, qui Jovis Olympii ſtatuæ detraxit amiculum aureum, dicens in æſtate nimis gravare, in hyeme nil prodeſſe contra frigus. Ælianus libro 1. variarum hiſtoiarum capite 20, Valerius Maximus libro 1. capite :. ſic enim multi furantur Deo cultum ſuum, dum n hyeme prætendunt frigus, in æſtate calorem; iaque vix unquam veniunt ad templum. Illi vellem ogitarent, quam *bonum ſit præſtolari cum ſilentio alutare Dei*(Threnor.3.) in templo, reſpectu inferi, ubi fruſtra expectatur liberatio. Hoc argumeno retinuit ſuos in templo S. Hilarius Epiſcopus Aelatenſis, exeuntes poſt Evangelium ſic objurgans *xite, exite, quia hoc vobis de gehenna facere non libit*, apud Sur. 5. Maij. Terribile hoc fulmen quem on retineat?

IV. Manſio reverentiæ, quia templum Baſilica u aula Regis eſt. Quare primo requirit, ne ibi ridamus, quod inprimis S. Chryſoſtomus homilia .in Ep. ad Hebr. in templo vetat dicens: *In aulam uidem regiam intraturus & habitu & oculis & ceſſu & in cunctis aliis componis & ornas temetipm: huc autem ingreſſurus, ubi vere eſt aula regia, talis qualis cœleſtis eſt, rides? Et quid? malum eſt us? inquis, non eſt malum riſus: ſed malum quando importuno tempore & immoderate.* Eccleſia *locus flentium*, qualis erat apud Hebræos Judicum ſendo, à fletu eorum ſic appellatus, quod ibi Anus Domini Hebræorum peccata acriter perſtrinit; hoc ipſum enim fit in Eccleſia. In vita ſancti reberti Epiſcopi Colonienſis ſcribit Rupertus bas Tuitienſis Epiſcopum Argentoratenſem, n in miſſa ad *Pax vobis* effuſe riſiſſet, in prandio x ſequente, pleuritide, id eſt, laterum dolore, uniſus ſcilicet prodiit, correptum & abſportatum, die mortuum eſſe. Deinde requirit, ne ibi dormus; quod doceri poſſumus vel à juvene illo Ja-, qui cùm Meſopotamiam petens vidiſſet in ſōno am uſq; ad cælum protenſam, eiq; Deum incūtem, evigilans; *Vere*, inquit, *Dominus eſt in loco & ego neſciebam; pavensq;: quam terribilis eſt*, uit, *locus iſte!* Gen. 28. quaſi diceret: ſi ſciviſſem ninum eſſe in loco iſto, ſane hic dormire nequam præſumpſiſſem. Atqui locus ille typus & umſolùm templorum noſtrorum erat, in quibus s peculiari modo, humana nimirum carne induabitat: majori ergo longe reverentia in noſtris plis converſandum eſt.

. Manſio ſanctitatis, quia *Sanctuarium* paſſim llatur. Quare primo requirit ut profanum niagatur: ſed præciſe ea, quæ ad ſanctitatem tant. Nuſquam legimus Chriſtum Dominum u ſua aliquem caſtigaſſe, præter eos, quos in plo reperit, ementes & vendentes. Alias omnis ris paſſus eſt injurias, neque verbo ultus eſt; inm vero templo illatam propria manu vindicavit, quod ſane mirabile eſt, & miratur David Pſalm. 67. dicens: *Mirabilis Deus in ſanctuario ſuo* (uti legit S. Hieronymus, ubi nos: *in Sanctis ſuis.*) Mirabile enim eſt, quomodo manſuetiſſimus Dominus adeo excanduerit, ut ſua manu reos plecteret, quod nulli Reges facere ſolent, niſi forte quando ſumme offenſi ſunt. Sed nimirum cauſam indicavit Joannes cap. 2. quia ſcriptum eſſet: *Zelus domus tuæ comedit me.* Quaſi dicat, Chriſtum à zelo abſorptum, immutaſſe naturam ſuam & quaſi in zelum tranſiiſſet, faciemque non jam Salvatoris, ſed Judicis oſtendiſſe. *Igneum enim quiddam (quod zelus comedens indicat) atque ſidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie*, ait S. Hieronymus in c. 21. Matth. Zelotypiæ enim vis tanta eſt, ut propria vir manu adulteros interimat, qui alienâ punit ſervos.

Secundo, ut omnis immunditia longiſſime abſit. Audiatur ſanctus Chryſoſtomus ſupra citata hom. 2.
Nullus opera mortua habens ingrediatur huc. (in templum) *Si enim eum, qui corpus mortuum tangebat, non oportebat* (Levitici 11.) *intrare in templum, quanto magis eum, qui opera mortua habet? Pollutio quippe eſt peſſima.* Et ſi Moyſi vetuit Deus accedere ad viſendum rubum, eo quod locus ille ex præſentia Dei ſanctus eſſet, donec calceos exuiſſet, (Exodi tertio) quanto magis exuendæ omnes immunditiæ in loco multo ſanctiori, quod eſt templum Dei? Refert ſanctus Vincentius in ſermone Feria ſecunda poſt Lætare, ex Magiſtro hiſto. Schol. Pompejum cum Julio Cæſare de imperio contendentem, ſemper victorem fuiſſe, donec veniens Jeroſolymam, Romanis ſubjectam, equos aliquot ſuos, cùm ſtabula non ſufficerent, collocavit in templi atrio; ab eo enim tempore ſemper ſuccubuiſſe, nec Imperatorē factum. Quid ſi ſcorta ibi collocaſſet? Ejecit Chriſtus è templo etiam munda animalia, oves & boves ac columbas, ad immolandum deſtinata; quid ſi ibi reperiſſet, immunda? Ejecit tamen & munda, quia & ipſa fimo & fœtore ſuo templum conſpurcabant. Quanto minùs toleraſſet magiſque ejeciſſet homines impudicos? At licet iſtæ nundinæ ſolùm in atrio populi adeoque ex ima parte templi fierent; nihilominus tamen ejectæ ſunt. Quod ſi in atrio ſacerdotum? quid ſi in Sancto? quid ſi in Sancto Sanctorum fuiſſent? Nos in Sancto Sanctorum verſamur; quis ibi immundus, quis equus aut mulus ibi apparere audeat?

VI. Manſio ſilentii; quia *templum à tuendo* dicitur, quod ex omni parte conſpiciatur. Habac. 2. *Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra.* De quo audiamus ſanctum Chryſoſtomum hom. 36. in Corinth. 1. epiſt. *Ibi* (in templo) *ne amicum quidem, in quem poſt longum tempus incidiſti, compellare licet: ſed foris iſta fiunt, & recte quidem; neque enim tonſtrina aut unguentaria taberna Eccleſia eſt aut officina forenſis, ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia cœli, cœlum ipſum.* Et infra: *Silere non poteſ? ait: Exi igitur, ne aliis obſtes. Unam*

VI. *Manſio ſilentii.*

in Ecclesia velut unius corporis esse vocem oportet semper itaque qui prælegit, sequitur solus, & ipse qui Episcopatum tenet, sedet interim silens: & qui psallit, psallit solus, & qui verba populo facit, facit solus. Quòd si multi multa & diversa inculcent, quid nos tumultuamur frustra? certè enim nisi me de tantis rebus temerè frustraq; loquentem crediderit, nunquam de inutilibus frivolis vos hic tantum effutire-tis. Et paulò suprà: *Hera* (domi tuæ) *thronum occupat omni cum venustate, famulæ tacitæ, sedentes texunt, familiarum quisque quod imperatum est, in manibus habet: hic verò magnus tumultus, magna confusio &c.* Quæ causa est, cur Christus repertas in templo oves & boves flagello ejecit, columbas autem solum auferri jussit, non flagellavit? *Auferte ista hinc*, dixit ad eos, qui columbas vendebant; nimirum, quia columbæ strepitum non faciunt, adeoque devotionem populi & sacerdotum non ita impediebant: at verò oves & boves continuo suo balatu & boatu multò maximè. In vita sancti Brunonis Archiepiscopi Colon. scribit Rotgerus Monachus Benedict. quòd cùm sanctus ille inter fratrem suum Henricum & Cunonem affinem nimiam videret colloquendi familiaritatem tempore missarum præsago spiritu eis prædixerit: *O in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo malèparta contubernia resolventur!* Eventus rei non multò post dictis fidem fecit: siquidem Cuno Ungaris se jungens acerrimus Henrici & Imperii hostis ac prædo factus est, apud Sur 11, Oct. Deniq; quid hac de re S. Basilius in Ps. 27 *Psalmus dicit*, ait: *In templo ejus omnes dicent gloriam, tu autem non solùm non dicis, sed alteri cuipiam impedimento es, eumq; tibi uni reddis attentum, dum obstrepero tuo clamore obtundis & exuperas personantem Spiritus S. doctrinam. Vide ne cùm hinc emigraris, loco mercedis recipiendæ pro divinis laudibus, una cum iis, qui nomen Dei execrantur & blasphemis vocibus incessunt, condemneris.*

Audistis quales sedes habeat in templo suo Christus & Pater ejus. Quare si ad mansiones aspiratis cælestes, prius his insistite, quæ in templo terreno monstratæ vobis sunt. Sic à templo viatorum itur ad templum Beatorum.

THEMA V.

Beatitudo cœlestis quomodo regnum, civitas, domus, cubile, paradisus.

I.	*Appellatur regnum variis de causis.*
II.	*Appellatur civitas.*
III.	*Appellatur Domus.*
IV.	*Appellatur cubile.*
V.	*Appellatur paradisus.*

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14.

CLeobulus è sapientum numero unus apud Plutarchum in convivio 7. sapientum: *Ineptiis*, inquit, *fabulam narrabo, quam mater mea fratri objecit. Ajebat enim Lunam à matre petiisse, ut sibi tuniculam congruentem texeret, ac matrem respondisse: Qua ratione id possim, cùm te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rursum dimidio orbe videam?* Forsan à me etiam aliquis postulabit ut cælestis beatitudinis, qua electi perfruuntur speciem depingam, adeoque ipsi vestem congruentem induam. Verùm id mihi quoque perdifficile factu apparet. Ut enim Luna modò magna & plena, modò mediocris & semiplena, modò minima & corniculata est: ita cælestis beatitudo in sacris litteris modò asseritur & appellatur regnum cælorum, & quidem frequentissimè: modò civitas ut Apocal. 21. modò domus, ut in hodierno Evangelio: modò cubile, uti Psal. 149. & Lucæ 11. modò paradisus, uti Luc 23. & Apoc. 2. Nunc ergo vasto, nunc mediocri, nunc angusto loco comparatur; qua igitur ratione formam ejus depingam Verùm si hæc symbola exactè inspiciantur, omn inter se optimè convenient, & patebit beatitudnem omnibus his locis rectè comparari, uti nun videbimus.

I. Regnum appellatur variis de causis. 1. Quia e regio vastissima, plusquam cogitari possit hom continens non solummodò 127. provincias, uti regnum Assueri, sed universum totum & quidquid eo est, omnes cælos & elementa; ipsumq; insup immensis spatiis excedens atq; in se includens, qu modo universum ipsum includit intra se terram v lut minimam sui portiunculam, quæ respectu cæl rum non nisi punctum unum est Quanta igitur h jus regni erit potentia! quantæ divitiæ! Quis h terræ punctum non contemnat præ tam vasto il regno? quis pro una domo, agro, oppido, velut e gua terræ gleba litiget, præsertim cum jactura reg cælestis, si regni illius, omni sufficienti limi, vasti tem consideret?

2. Quia tantam inhabitantium multitudin & varietatem complectitur; quantam nulla c mus, civitas aut ducatus continere sola regna que vastissima continere solent. Ibi enim mul rum millium Angelorum frequentia, variis cho & ordinibus distincta: quibus altera ex parte spondet turba innumerabilis Sanctorum, ex om bus gentibus, tribubus, populis, linguis, uti vi sanctus Joannes Apocal. 7. qui licet adeò dive nequaquam tamen uti solēt diversæ aliæ nation animis aversi, sed conjunctissimi sunt, velut un patris filii: bona sua invicem liberalissimè comm nicantes, uti filii Job, alternis conviviis se mut recreantes. Quanta hæc fælicitas erit cum talib ac tantis amicis perpetuò conversari? Si vel un

An-

Angelus, vel alius quidam Sanctus de cælo ad nos descenderet, quis ad eum non accurreret, ut aspectu & colloquio ejus frui vel ad horam posset? Unus Sol lætificat universam terram: quid facient in cælo Soles innumerabiles.

3. Quia formam regnandi perfectissimam habet, ab uno summo & potentissimo Rege dependentē. cui nemo resistere vult aut potest, sed omnes ad nutū parent; & volunt, quod ipse vult. Ipse sua potentia omnia sibi subjicit: sua solius sapientia omnia gubernat; suis divitiis omnes locupletat. *Quis enim consiliarius ejus fuit aut quis prior dedit ei?* ad Rom. 11. Sub hoc igitur Rege omnes electi quietissimi, securissimi, ditissimi, contentissimi sunt.

4. Quia omnes beati in cælo Reges sunt, Christo Regum Regi subordinati; nec quales sunt terreni Reges, qui habent quidem potestatem in subditos, sed ab illorum viribus & voluntate dependentem; uti & à satellitio, armis, muris & munitionibus: habent honorem, sed ferè in præsentia tantùm; cùm absentes sæpissimè lacerentur convitiis & maledictis: habent divitias, sed egestati mixtas, æriq; alieno obnoxias, quàm qui maximè; adhæc à subditis expressas & quasi emendicatas, citoq; deficientes, si vel unum exercitum sustinere velint: habent delicias, sed innumeris curis, laboribus, suspicionibus, molestiis, morbis permixtas. Non inquam tales sunt Reges cælestes; quia habent potestatem sine infirmitate, honorem sine ignominia, divitias sine indigentia; delicias sine molestia ac dolore. Potuit unus Angelus uno impetu interficere 185. millia Assyriorum. 4. Reg. 19. Potuit unus Jacobus major innumerabilem Maurorum exercitum sternere & fugare. Quid de honore ipsorum dicam? nonne mundi Imperatores genua ipsis curvant; & vel ad piscatoris Petri pedes sepulchra sibi fieri ambitiosè curant? Quid de opibus & deliciis, qui hæredes Dei & cohæredes Christi; torrente voluptatis potantur.

II. Appellatur Civitas, non una etiam ratione. 1. ob ejus pulchritudinem & speciositatem toto cælo diffusam. Etenim regnum quidem amplitudinem habet, sed ubique pulchritudinem non habet; multa enim in eo loca squalida & deserta, solis bestiis pervia; montes inculti, rupes inaccessæ & sylvæ horridæ. In civitatibus autem præsertim celebrioribus visuntur templa ornatissima, turres speciosæ, palatia superba, portæ angustæ; horti amœnissimi, fora spatiosa, columnæ, pyramides, theatra, officinæ omnium rerum, & plateæ frequentissimæ. Quæ Germaniæ pulchritudo foret; si tota adinstar illius Romæ antiquæ foret? Talis autem est civitas illa cælestis, nihil uspiam asperi, nihil horridi, nihil inculti aut inaccessi habet, sed tota adeò ornata est & fulgida; ac si una civitas superbissima ac florentissima foret; quam proinde prædicat Propheta Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Et Tobias cap. 13. *Portæ Jerusalem ex saphyro & smaragdo ædificabuntur; & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur.* Et Joannes Apoc. 12. *Erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo: & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum* q. d. sicut aurum & gemmæ superant lutum: ita civitas cælestis superat omnes terrestres.

2. Ob mutuam concordiam, notitiam & bonorum communicationem, quæ cernitur in civitate; non item in regno, ubi varii mores sunt & linguæ: multi multos nunquam viderunt, multò minus amicitiam inter se contraxerunt. Beati ergo omnes quasi cives unius civitatis sunt, seu ut Apostolus ait ad Ephes. 2. *cives Sanctorum*; quia iisdem legibus vivunt, ejusdem linguæ & morum sunt, mutua notitia & amicitia sibi devincti, bona sua aliis non in foro venalia proponentes, sed gratis communicantes. Nullus etiam ibi metus ab externis hostibus, quia civitas suos muros, sua propugnacula, suos vigiles habet. Nulla ibi bella, nullæ deprædationes, nullæ invidentiæ, persecutiones nullæ. Quis ad eam civitatem non toto pectore anhelet? In hoc mundo nihil horum; aut enim pius esse voles, & persecutionem impiorum sustinebis: aut impius, & iram Dei inevitabilem timebis. 2.

3. Ob incolarum civilitatem. In regno plurimi sunt rustici, moribus agrestibus, rudes, inurbani, barbari, inculti, indomiti: non ita in civitate, ubi omnes cultiorem habent linguam, vestitum, mores, rerum peritiam, affabilitatem. Idem videre erit in civibus cæli. 3.

4. Ob eorundem libertatem, qua etiam gaudere solent cives, non gaudent ruricolæ. Sunt autem cæli cives liberi inprimis à servitute peccati, ita ut peccare omninò nequeant. Deinde à servitute mortis, cui subjacere non possunt ampliùs. Rursum à servitute corporis, cui hîc subjecti sumus; ut comedere, bibere, dormire, valetudinem curare, laborare, ambulare, frigere, æstuare, sudare, dolere, tristari & contristari sæpius cogamur; quo vitam conservemus seu nostram seu nostrorum. *Fodere non valeo*; ait villicus iniquitatis, *mendicare erubesco*; ad fraudes ergo se convertit. Luc. 16. nihil horum ibi urget. Deniq; à legibus & præceptis: quia nullis indigent, cum per se ultrò faciant, quæ recta sunt: nec deviare possunt, adeoq; nullas legum pœnas incurrere. Hinc liberi sunt ab omni solicitudine; cum econtra servi peccati & in præsenti gravi ejus jugo premantur, & in futuro pœnas daturi sint. 4.

III. Appellatur Domus in hodierno Evangelio & in Psal. 121. *In Domum Domini ibimus*, idque plures etiam ob causas. 1. Quia omnes beati sunt domestici & familiares Dei. In regno & civitate plurimi sunt, qui Regem suum nunquam vident; adeoq; nec noverunt; multò minùs ipsi familiares sunt. Ne igitur hoc debeatis cogitari posset, regio illorū non præcisè regnum aut civitas; sed domus etiam appell- III. Domus. 1.

appellata est, in qua omnes domestici quotidie vident herum suum, cumq; eo conversantur magna familiaritate: Quod in specie de Angelis Dominus testatur Matth. 18 *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Et de Sanctis aliis testatur Apostolus ad Ephes. 2. cùm non solùm *cives Sanctorum*, sed etiam *Dei domesticos* eos appellat. Nec qualescunq; domestici sunt, sed filii & hæredes, eadem cum patre suo mensa fruentes, iisdem bonis gaudentes; nec timore, sed amore ei adhærentes.

2. 2. Quia cum summa pace & concordia simul conversantur; quod non fit in civitate multò minùs in regno integro; ubi multæ rixæ & jurgia sunt, quæ in domo non tolerantur. Tametsi ergo in cælo maxima sit diversitas nationum, statuum conditionum; summa tamen interim una animorum pax & tranquillitas est. In quorundam Principum primis ædibus aut ædium vestibulis tabula affigi solet, in qua cernitur brachium securi superposita; quasi pictam manum illico resectura. Indicatur eo signo, nihil ibi tumultus aut rixarum esse tentandum, ubi Princeps degit, sub pœna abscissionis manus. Hoc in aulis necessarium, in cælo opus non est, ubi nullus turbulentus, nullus inquietus est. Unde Joannes Apoc ult. de domo illa loquens exclamat: *Foris canes & venefici & impudici & homicidæ.* Vicissim Propheta Psalm. 132. de beatorum pace: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum*, inquit *habitare fratres in unum.*

3. 3. Quia uti in domo diversa quidem sunt habitacula, pulchriora & minùs pulchra: quemadmodum & officia ac ministeria; alia filiorum, alia cubiculariorum; alia eorum, qui stabulis deserviunt: proinde etiam diversa stipendia & diversæ mensæ; alii præ reliquis sæpiùs & familiariùs cum domino versantur: nec tamen inter eos oritur invidentia; sed quisquis in suo ordine, sua mensa, suo salario, suo habitaculo contentus est; ac siquidem stabularius juberetur permanere in Cancellaria, minimè acquiesceret, sed optaret potiùs hærere in suo stabulo: rursum si mediastinis servis apponerentur cibi filiorum, verbi gratia, ostrea, cancri & similes delicatæ epulæ; viliores potiùs cibos, quorum sunt assueti ipsi præeligerēt: pari modo beati, tametsi præmia accidentalia multum habent dispaira; unus in Deo plura videt, quàm alius: plures & peculiares aureolas possidet; non tamen inter eos propterea simultas vel aliqua invidentia est. Sic in domo Salomonis maxima fuit ministrorum diversitas, cum maximo ordine & cohærentia.

IV. Cubile. 1. IV. Appellatur *Cubile* Luc. 11. *Iam pueri mei mecum sunt in cubili.* Et Psalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et hoc 1. propter omnimodam beatorum requiem, qua sine omni dolore, tædio, tristitia, cura perfruuntur quasi post labores suavissimo in lecto conquiescerent ac dormirent, juxta id Apoc. 14. *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Hoc ostensum S. Evergislo Archiepiscopo Coloniensi, cui cùm dolore capitis correptus Ecclesiam Thebæorum martyrum oraturus intraret, inchoaretque hunc versiculum, *Exultabunt Sancti in gloria*, Martyres responderunt, *Lætabuntur in cubilibus suis.* Itaque sacros eorum cineres tangens liberatus est à dolore. Helinand. in vita S. Gereonis Ostensum aliis devotis, quorum alius vidit lectum in cælo fulgidum ac delicatum S. Francisco, alius alios similes S. Anselmo & S. Hugoni Cluniac. præparatos, ut in eorum vita.

2. Ob eorum immensa bona, delitias & opes; thesauri enim & cymelia in camera seu cubili asservari solent. Qualia autem in cælo & quanta ea sint, ita colligit S. August. soliloq. c. 21. *Si, mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corporali tam magna & innumera beneficia præstas à cœlo & aere, à terra & mari &c. qualia quæso & quàm magna & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te in illa cælesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? si tanta solatia in hac die lachrimarum, quanta conferes in die nuptiarum?* Nimirum ut thesauri & ornamenta vestiumque apparatus in cubilibus sunt inclusa & abscondita: ita & beatorum gaudia no[...] hic latent: quia *oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus di[...]ligentibus se.* Idipsum quidam apud S. Hugonem Victorinum serm. 83. de instit. mon. his versibus expressit:

Quantum tui gratulentur, quàm festivè convi[...]
ventur,
Quis affectus eos stringat, aut quæ gemma muri[...]
cingat,
Chalcedon an hyacinthus, norunt illi, qui sunt in[...]
tus.

3. Ob eorum securitatem. Solent enim cubi[...]lia diligentissimè claudi, & quandoque satelliti[...] stipari, uti lectulus Salomonis. Beati ergo in sua qui[...]ete securi & imperturbati sunt, quia de æterna eju[...] possessione certi. Id indicant verba illa parabolæ [...]tatæ: *Iam ostium clausum est & pueri mei mecum sunt in cubili.* Clausum, inquam, & fortissimis ser[...] communitum, ut nemo malorum intrare, nemo el[...]ctorum exire possit. Quò etiam spectat id Psalm 148. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tu[...]um Sion; quoniam confortavit seras portarum tu[...]rum, benedixit filiis tuis in te.* Nulla in mund[...] munitio tam fortis & occlusa, quæ non auro vel fe[...]ro aperiri ac perrumpi possit: nulla tanta fælicita[...] quæ non brevi finiatur. Sola arx cælestis finem n[...]scit, nec hostem & tormenta metuit. Quanta hæ[...] beatorum fælicitas, nunquam posse infælice[...] esse!

V. Appellatur etiam subinde *Paradisus*, u[...] Luc. 23. à Domino: *Hodie mecum eris in paradi[...]* Et Ezech. 28. *In delitiis paradisi Dei fuisti*, & al[...]bi, propter lignum vitæ, quod incolis paradi[...] vitam & vires corporis seper conservasset. Id ve[...]

in cælo est Christus, qui beatorum mentes sua divinitate; corpora sua humanitate pascit, roborat, conservat. De quo Apoc.2. dic. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei* & c.22. *In medio plateæ ejus* (*Ierosolymæ cælestis*) *ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Beda, Rupertus, Ansbertus & Ribera Christum gloriosum hoc ligno vitæ describi asserunt, qui in medio beatorum constitutus, sui visione & fruitione dat illis vitam immortalem ex utraq; parte fluminis, h. e. corporis & animæ. Adhæc duodecim fert fructus per menses singulos, quia novas semper ac recentes voluptates & gaudia illis affert, ita ut sine ullo fastidio nova semper aviditate satientur & satietate famescant.

2. Propter omnis generis delitias, quæcunq; desiderari possunt. Vox enim *paradisi* in proverbium abiit, significans hortū, in quo omnia sensuum oblectamenta reperiantur, qualem describit S. Basilius in ho. de paradis. fuisse paradisum illum à Deo conditum, ubi nullæ tempestatum erant injuriæ, sed perpetua amœnitas: flores, arbores, fructus omnivarii nunquam decidui: aquæ irriguæ, limpidissimæ & murmurantes rivi: florulenta prata, jucundissima spectacula; avicularum omnigena genera, quæ nativa musica miram dabant recreationem, ita ut per omnes sensus mirè afficerent hominem, alia visu, alia auditu, alia tactu, quædam olfactu, aliqua gustu. Deniq; ex ea paradisi specie consurgere nos jubet in considerationem cælestis paradisi, tantò pulchrioris, quantò spiritualia præstant corporalibus. *Conare ergo*, subdit, *per hujusmodi dogmata paradisi acquirere intellectum, ut assequaris divinæ lucis auroram, in qua lux sciētiæ oritur, ut intelligas, quomodo plantatus sit paradisus deliciarum &c.* Assecutus est inter alios hanc lucem B. Ægidius S. Franc alumnus, qui quoties audiebat aliquid, de gloria cælesti vel paradisi amœnitate, toties rapiebatur in ecstasin, hærebatq; eodem tempore immotus. *Itaq; pueri & opiliones ab aliis docti, cùm eum viderent, clamabant; Paradisus. Ille verò illa audiens, mox sursum rapiebatur. Quam ob causam fratres cum illo collocuturi cavebant ne paradisi mentionem facerent, veriti ne ejus colloquio privarentur.* Ita auctor Sur. 23. Ap. c.19. Quem utinam nos imitemur Audit. ita saltem ut cū audimus mentionem *Regni cælorum* vel *Civitatis Dei*, vel *Domus Domini*, vel *Cubilium cælestium*, vel deniq; *Paradisi*, toties in Deum & desiderium patriæ nostræ mente saltem raperemur, & ad eam inquirendam omni conatu excitaremur! Sane Phil. Maced. Rex, cum ei Demades Legat. Atheniens. in mensa depinxisset rudi penicillo Athenarum pulchritudinem, mox urbis potiundæ inflammatus desiderio, dixit; *Vt urbs hæc mea sit, ferro vel auro efficiam.* Diodor. l.16. Potuit hunc Regem rudis Athenarum delineatio incitare ad eam expugnandam seu auro seu ferro: faxit Deus etiam, ut hæc rudis cæli descriptio inflammet animos nostros ad comparandam nobis civitatem illam, regnum & domum Dei, seu auro eleēmosynæ, seu ferro martyrii, aut mortificationis, seu quocunq; tandem alio modo.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

THEMATA.

I. *Magna bona in Cruce abscondita.*
II. *Crucem cur præferamus in Processionibus, aliisq; actionibus præmittamus.*

THEMA I.

Magna bona in Cruce abscondita.

I. *In Cruce summa gloria.*
II. *In Cruce solatium & remedium tribulationis.*
III. *In Cruce asylum & refugium peccatorum.*
IV. *In Cruce præsidium contra hostes.*
V. *In Cruce sapientia.*
VI. *In Cruce signum electorum.*

Ita exaltari oportet filium hominis. Joā.3.

DE Theodosio II. Imperatore scribit Paulus Diac. l.18. de Gestis Rom. cum postquam bona sua magna ex parte in pias causas erogasset, domi in palatio obambulantem invenisse in pavimento tabulam marmoream, cui signum crucis insculptum erat. Quam cum ob honorem Crucis elevari præcepisset, sub ea alteram similem, & sub hac tertiam eadem cruce insignitā reperit. Quibus omnibus sublātis thesaurum invenit maximum ad coronatorum ferè millionem. Celebramus hodie festum Inventionis S Crucis, quā ingenti cum gaudio reperit Jerosolymis, postquam ea ad 300. ferè annos jacuit sepulta, mater Const. M. S. Helena; & celebram? simili gaudio. Sed quæ hæc, dicet aliquis, gaudii materia? ob inventā crucem? Quid enim crux nisi horror & amaritudo? At sciendum est latere sub hac cruce maximum thesaurum, non pecuniarū, sed gratiarum. Quē sanè inter alios agnovit S. Pater noster Ignatius, qui cùm aliquādo Salmanticæ præter omnem

In S. Cruce thesaurus absconditus.

omnem culpâ carcere inclusus detineretur acceptis litteris commiserationis & consolationis plenis, à sacratis Deo virginibus, respondit eis: *Miror vos quibus Crucis Christi mysterium pertractatum esse oportuit immensos gloriæ thesauros in cruce inclusos ignorare. Ego quidem gaudeo, quòd majora & graviora pro Christi nomine sustinere dignus inveniar.* Ribad. l. 1. c. 15 Vitæ. Vidit ergò hic S. Pater latentem in cruce non unum sed plures thesauros. Sed quinam illi thesauri? Conemur & nos quoq; eos investigare: quod hic faciemus.

I.
In Cruce summa gloria.

I. In cruce latet summa gloria, adeò ut S. Paulus ad Galat. c. 6. nulla alia in re, nisi in cruce gloriari velit. *Mihi autem absit gloriari,* inquit, *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* In quæ verba S. August. ser. 20. de verbis Apostoli ait: *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret: poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret; sed dixit in cruce: ibi mundi Philosophus erubuit, ubi Apostolus thesaurum reperit.* Quis verò hic gloriæ thesaurus?

1.
Dei in nos amor.

Primò ingens ille Dei amor & benevolentia, qua nos adeò dilexit & tanti æstimavit ut crucis opprobrio redimere non dubitarit. Quis enim non duceret sibi honori, si captivus factus in prælio, redimeretur à suo Duce vel Imperatore quantacunq; auri summa? Anniceris Cyrenaicus captum ab Æginetis Platonem & morti adjudicatum, viginti minarum (hoc est 500. flor. Brabanticis.) pretio redemit & Athenas in patriam remisit. Quam pecuniam cùm ei postea Plato remisisset, doluit Anniceris, quod non majore summa Platonem redemisset, quam reddere is non posset. Tanti nimirum Platonem æstimavit. Laërt. l. 3 Pontan. de liberal. c. 24. Erat certè hoc non parva Platoni gloria. At quid hoc respectu illius pretii, quod pro nostra redemptione exsolvit Dei filius, quodq; tantum est, ut nullo alio pretio etiam totius mundi compensari aut restitui queat? Quanti ergo putatis nos æstimavit Deus! Solemus res etiam viles à Rege & Imperatore nobis donatas in pretio habere easq; ostentare, in signũ Regiæ aut Cæsareæ erga nos benevolentiæ. Cùm Bernh. Saxo. Duc. ab Imper. investitus esset, projecit ex obliquo Imperator ruteam coronam (ut erat coronatus per æstum) in clypeum Bernh. supplicantis. Eam Bernardus velut maximum donum in insignia sua reposuit, gestatq; adhuc Saxon. domus. Cranz. l. 5. Sax. c. 25. Christus Dei filius probrosam illã crucem, quam amore nostri gestavit, & ambobus brachiis amplexus est, in signum amoris sui nobis reliquit; quomodo ergo non gloriari in hac possumus? quomodo non eam summè amare, in fronte nostra pingere, & coram toto mundo ostentare?

2.
Nostra cum Christo conformatio.

2. Est nostra cum Christo conformatio & quædam assimilatio, si & ipsi crucem feramus pro ipsius amore. Quis non ducit sibi honori similem esse Regi aut Imperatori suo? habere eadem cum illo insignia? eandem experiri fortunam? similem vestitum, honoris titulum gerere? Duxit sanè Theophilus ille, à Sancta Dorothea Virgine & Martyre, per rosas sibi è cælo ab ea transmissas, conversus. Hic enim cùm ob fidei confessionem in eculeo suspensus esset dixit: *Ecce modò factus sum Christianus;* (quasi dicat Christo assimilatus) *quia in cruce suspensus sum. Eculeus enim crucis quandã similitudinem gerit. Gratias tibi ago Christe, quia in signo tuo levari me permisisti.* In vita sanctæ Dorotheæ 6 Febr. apud Sur. Qui versus septentrionem navigant, buccinæ: qui versus meridiem, crucis constellationem præ oculis habent. Quærant illi gloriam in buccina sæcularis præconii, qui ad noctem stygis tendunt: nos qui ad diem æternitatis pergimus, gloriam in cruce quæramus, & crucem adamemus. Notum esse arbitror servorum Tyriorum factum, qui cùm per rebellionem subjugatis sibi dominis suis, cum Regem statuere decrevissent; qui primus orientem solem conspexisset: (Auct. Justino l. 18. hist.) cæteri quidem omnes orientem spectarent: unus sapientior ad occidentem oculos direxit, ubi ex radiorum, in montium cacumina incidentium, reflexione ortum Solis denuncians, Rex est creatus. Spectent orientem mundi sectatores, spectent honorum titulos Principum favores, dignitates, cathedras; nos occidentem respiciamus, crucis ignominiam, in hac lucis divinæ gloriam contemplantes, regni cælestis gloriam consequemur.

II. In cruce latet solatium ac remedium pro iis, qui in tribulatione sunt. Quis enim non libenter ferat crucem leviusculam, imò etiam gravem, quando cogitat Dei filium propter ipsum tulisse gravissimam, summa cum patientia, amore & charitate? Ignavus est miles, qui Ducem præeuntem gemens sequitur. Typus crucis fuit lignum illud, quod ostendit Deus Moysi in deserto, ad dulcorandas aquas amaras. Exod. 15. teste Cyrillo Alex. Sentit verò Abulensis lignum illud, *Adelpha* vulgò nominatum, atq; ex se amarum ac mortiferum fuisse; & tamen amaro illo ligno correctæ & indulcoratæ sunt aquæ amaræ. Sic ex viperæ veneno fit theriaca, antidotum veneni. Sic serpentum ictus sanantur serpentum extis impositis, teste Plinio lib. vigesim. non. c. 4. Quid amarius & lethalius ipsa cruce, quæ Dei filium tam dirè cruciavit adeoq; enecuit? At hæc tamen facta est solatium atq; impatientiæ antidotum omnibus tribulatis, quin & ipsas tribulationes dulces atque amabiles facit, dum revocat in memoriam, in ipsa pependisse DEI filium. Hac de causa latro bonus magna cum æquanimitate crucem suam pertulit, quod videret in eodem tormento juxta se pendere CHRISTUM innocentem.

Adhæc quemadmodum crux Christo quidem mortem, nobis autem vitam peperit: sic & tribulatio corpori quidem afflictionem, animæ verò salutem affert. Videtur cauterium esse vulnus, quia carnem erodit ac vexat: interim tamen remedium est vulneris, & vitam conservat: ita etiam tribulatio mala esse apparet, & tamen mali remedium est.

Deni-

Denique uti crux primùm Christo quidem ignominiam, postea tamen immortalem attulit gloriam, ita etiam tribulatio hic quidem deprimit, postea tamen *æternum gloriæ pondus operatur.* Moyses, dum infans domi servabatur, sine honore fuit; quando in flumen projectus, tunc *factus est in honore*, ut ait S. Chrysostomus hom. 54. in act. quia in aulam Pharaonis assumptus. Idem docet de Aarone, qui, postquam contra eum insurgerent æmuli, clarior evasit in florente virga sua. Idem de tribus pueris injectis in fornacem: in Daniele misso in lacum leonum: è quibus illustriores prodierunt. Unde subdit: *In malitia idem evenit, ut si quis calamum habens prælietur contra ignem, & videtur quidem verberare ignem: ignis autem clarior fit, & calamus consumitur: Alimentum enim & fomes claritudinis est malitia virtuti.*

III. In cruce est asylum & refugium peccatorum. Contingit sæpe aliquos ita in profundum peccatorum immergi, ut rationem emergendi nullibi inveniant. Supra se vident iratum sibi Deum; infra se tartarum apertum; ante se difficultatem emendationis ac pœnitentiæ; retrò peccata præterita, gravia & quàm plurima: intùs vermem conscientiæ cor lancinantem: foris dæmones impugnantes; deniq; se nudatos omnibus bonorum operum meritis. Quid agat in hoc statu peccator? quomodo assurgat? En ipsi baculum crucis, quo se liberare poterit, si nimirum cogitet in cruce expiata esse nostra scelera, qualiacunq; & quantacunq;, nec aliud requiri ut assurgat, quàm ut baculum hunc duabus manibus fidei & spei fortiter apprehendat, & conatum aliquem, contritionem scilicet adhibeat; sic in pedes sese eriget. Hic est baculus ille Jacobi, in quo Jordanem transivit, equidem pauperrimus; sed cum duabus turmis, familiæ & pecorum dives regressus est. Gen. 23. Unde meritò S. Damascenus l. 4. de fide orthod. c. 12. ait: *Crux jacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum &c.* Ecce tibi Davidem lapsũ in adulterium, post in homicidium non unius Uriæ, sed & aliorum plurium, qui Ammonitarum gladio simul cum ipso cæsi sunt. Taceo inebriationem Uriæ. Et hic tamen duo tantùm protulit verba pœnitentiæ: *peccavi Domino*; & (ex anticipatis Christi meritis) mox veniam obtinuit. Ipse quidem David nescius in seipsum sententiam mortis tulerat; *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit.* Deus autem ad illa duo verba dicit ei: *Non morieris.* Audierat David accusari hominem divitem, non de adulterio, non de homicidio? sed quòd ovem solum pauperi per vim abstulisset & continuò eum pronũciat mortis reum. David verò convictus fuit adulterii & homicidii: & ad unum gemitũ condonatur ei peccatum, & pœna æterna commutatur in temporalem, eamq; valde levem. Unde S. August. ho. 41. *David*, inquit, *clamavit dicens: Peccavi, & mox audivit: Dominus abstulit peccatum tuum, tantum valent tres syllabæ, tres syllabæ sunt peccavi, sed in his tribus syllabis flamma sacrificii coram Domino ascendit.* Ubi tanta clemẽtia reperitur in mundi tribunalibus? Ibi licet reus veniam petat, licet lachrymas fundat, licet satisfactionem spondeat & emendationem, ad pœnas trahitur. Non ita in tribunali Christi; & unde hoc, nisi per crucem Christi?

IV. In cruce est præsidium contra hostium incursus, invisibilium præsertim, qui nobis undiq; insidiantur. Testantur id passim SS. Patres, uti S. Antonius instruens discipulos: *Signum Crucis*, inquit, *& ardẽs in Christum fides inexpugnabiles sunt vires Deo dicatis & aheneus murus adversus dæmonum machinationes.* Et S. Chrys. ho. 55. in Matth. *Hæc crux*, inquit, *non terribiles sed despicabiles hominibus dæmones effecit.* Et paulò superius: *Si hoc modo* (magna sc. fide in mente prius eam formando) *eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.* Quin etiam nomen Crucis & crucifixi magis horrere videtur, quàm ipsum nomen Christi. Refert enim Baudemundus in vita S. Amandi Epis. Traject. apud Sur. 6 Febr. Spiritum immundum aliquando unum ex ejus famulis apprehensa manu traxisse ad mare, ut eum ibi demergeret. *Sed idem puer, qui trahebatur, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Christe adjuva me, Christe adjuva me. Mox malignus spiritus eidẽ puero insultando respondit: Qualis Christus? sed dum puer, qui trahebatur, minimè responderet, ait S. Amandus: Dic illi fili: Christus filius Dei vivi crucifixus, statimq; ad vocem illius inimicus ut fumus disparuit.* Hinc consultò Apostolus cùm dixisset: *Non judicavi me scire aliquid, nisi Iesum Christum*; addit: *& hunc crucifixũ.* 1. Cor. 2. Consonat huic rei, quod in vita S. Mariæ Magdalenæ legitur. Ea enim stipata & tentata à malis spiritibus Jesum inclamavit, & en mox adfuit S. Michaël, qui eos fugavit & contra eorum incursum crucem in ore speluncæ erexit; quasi Jesu crucifixi nomẽ plus posset contra dæmones, quàm solum Jesu nomen. Nec mirum; quia in SS. litteris plures appellãtur Christi & Jesu nomine, Crux id determinat ad Salvatorem. Imo non modò ipsa Crux, sed etiam umbra & typus ejus terror erat dæmoni. Quærunt enim Doctores, qua ratione cythara Davidis fugare potuerit à Saule Spiritum malum, cùm natura sua agere in spiritum non posset. Respondent ergo Beda, Eucherius & Angelomus: *Malignũ Spiritum, qui operatur in Saule, compescuit: non quòd in cythara illius tanta virtus erat; sed figura crucis Christi, quæ de ligno & extensione nervorum mysticè gerebatur.* Peculiari quadam sapientia præditum est ranarum Ægyptiarum genus. Si n. in hydrum Nili alumnum, incidat rana, subitò demordet frustum arundinis, & in obliquum gerens, mordicusque tenens non remittit pro virili parte. Ille verò ranam, cum ipsa arundine deglutire non potest; non enim tantam oris amplitudinem habet, quantum arundo extenditur: sic rana evadit hydrũ

IV. In cruce præsidium contra hostes.

Nili instar mundus est: hydrus dæmonis instar, rana Ægyptia prudentem Christianum: arundo designat crucem Christi; quam si quis fortiter apprehenderit, nunquam in inferni Alastoris potestatem deveniet. Ita Caussin, l.8. symb. c.15. Cæterùm si ab hydro illo stygio securi esse volumus, non quomodocunque, sed obliquè & secundum latitudinem apprehendamus crucem, hoc est magna & ardente fide, ut diximus ex S. Anton & Chrysostomo.

V. In cruce sapientia.

V. In cruce latet sapientia. Est enim Crux quasi liber summam omnis sapientiæ continens, docens nos primo Dei erga nos amorem & benevolentiam qui adeò quærat non perditionem, sed salutem nostram, ut pro ea mortem crucis sustinere voluerit. 1.
Secundo dignitatem animæ nostræ, quæ tanti apud Deum valuit, ut eam sanguine suo emere non dubitarit. Si enim vilis, aut mortalis esset anima hominis quomodo eam Christus tanti redemisset? 2.
Tertiò præstantiam virtutum tanquam verorum ac solidorum bonorum, humilitatis, paupertatis patientiæ, obedientiæ, charitatis &c. quas in crucis cathedra docuit nos Magister cælestis velut disciplinas cælo dignas. 3.
Quartò contemptum mundi, & quæ in eo sunt, fluxarum rerum, opum, honorum, voluptatū, quas fugit & per crucem fugavit ac contrivit Christus. 4.
Quinto gravitatem peccati, quæ tanta est, ut nonnisi per crucem & mortem filii Dei potuerit expiari. 5.
Sextò gehennæ acerbitatem, pro cujus extinctione Dei filius innocentissimus tanta pati debuit: lignum viride, ob alienam culpam: non aridū, ob propriam. 6. (Vide Trips. in parasceve c.5 parte 2.)
Septimò magnitudinem gloriæ & pretiositatem Margaritæ cælestis, quam tot tormentis emere Christus non dubitavit. 7.
Deniq; si viam cæli cognoscere quis velit, eam monstrat crux, regia ad Cælum via; Quam ob causam antiqui Christiani in biviis plerumq; & viis publicis erexerunt cruces. 8.
Quid super hæc amplius requirimus ad veram sapientiam? Hinc ergo S. Bonav. magnus ille Doctor, rogatus, unde tantam hausisset sapientiam, Crucifixū ostendit, osculis penè attritum, velut unicum librum & fontem suæ scientiæ.

VI. In cruce signum electorum.

VI. In cruce latet caracter & signum electorum. Quisquis enim ex horum numero esse vult, crucē gestare & quidem patienter atq; hilariter debet, non in fronte solùm, sed in corde quoq; & animo. Hoc est illud Thau, figura crucis scribi solitum ab Hebræis, Dei jussu inscriptum in frontibus virorum gementium, quo servarentur à gladio percutientium. Ezech. 9. *Hoc & postes domorum in Ægypto signabantur*, inquit S. Hier. in Isa. 66 *quando pereunte Ægypto solus Israel remansit illæsus*; quasi sanguis agni tunc ab Hebræis occisi, postibus illius fuerit in formam crucis. Exo. 12. Hoc signabuntur Christiani tempore Antichristi, ut ab illius bestiæ asseclis distinguantur, Apoc. 7. Hoc ergo est signaculum amicorum Dei atq; electorum. Quam ob causam Dei servi non modò non aversantur crucem, persecutionem & tribulationem, sed in ea gaudent; ac si fortè nullam habeant, precibus à Deo efflagitant, nec tolli eam à se rogant, sed augeri; quia norunt eam esse tesseram salutis; norunt Deum addere gratiam, ut ferre eam possint; norunt per crucem crescere patientiam & robur animi, accendiq; charitatem sicut aqua calcē. Sic orabat S. Teresia: *Domine da aut pati aut mori*. S. Xaverius in naufragiis: *Domine ne auferas à me hanc crucem, nisi des majorem*. Mirum quid de aurea quadam cruce, cui prodigiosa margarita inserta est, refert S. Greg. Turon. lib. 1. de Glor. Mart. quæ justis quidem & innocentibus apparet splendida & clara; injustis verò & peccato obnoxiis atra & obscura. Cui igitur crux videtur clara, hoc est chara & amabilis, hunc electum ostendit: cui verò atra & horrida, præscitum. Mirum à solo Protomartyre Stephano visum esse Christum in cælo, & non ab ejus lapidatoribus. *Soli apparebat*, inquit S. August. ser. 92. de diversis, *& alii non videbant*. Quia scilicet Dominus characterem suum in fronte ejus posuerat, ut ibi ait Augustinus. Quisquis ergo Christum in cælo regnantem videre vult, videat ut charactere hoc signatus sit.

THEMA II.

Crucem cur præferamus in Processionibus aliisque actionibus præmittamus.

Crux processionum ductrix.

I. *Quia est clavis cæli.*
II. *Quia est vexillum nostrum.*
III. *Quia est scutum nostrum.*
IV. *Quia est exemplar vitæ nostræ.*
V. *Quia est dux processionis nostræ ad sepulchrum.*

In columna nubis ductor eorum fuisti. Neh. 9.

Antiquissima Christianorum consuetudo est, crucem præferre in processionibus. Refert enim Nicephorus libro decimo tertio, capite octavo ex Socrate & Sozomeno id factum esse in processione; tempore Sancti Chrysostomi celebratā. Marcus Diaconus in vita Sancti Porphyrii idem testatur de processione Gazensium: *Facto mane*, inquit, *accepto signo venerandæ crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum hymnis ad antiquam Ecclesiam, &c.* Similiter Sanctus Gregorius Turonens. lib. 5. c. 4. idem confirmat, & Patres Ulysnodi: *Vadimus crucem portantes*, inquiunt, σαυρόφορει, h. e. *crucigerum da nobis*, ut plura taceam. Adeò enim id certum & antiquum est, ut Germani veteres hāc hebdomadā à crucibus, gestari in processione solitis deno-

denominarint (Die Creutz Wochen/) & processionem ipsam dixerint (Mit dem Creutz gehn/) (Creutzgang/) Cujus cæremoniæ typum luculentum præmisit olim Deus, quando Hebræis per desertum peregrinantibus ducem itineris, agmen præcedentem dedit columnam nubis, Exodi 13. Neque vero credendum Ecclesiam id fecisse nullis rationibus ad hoc permotam; quin potius vere magnis & salutaribus: quas hic investigabimus.

I. Prima est, quia Crux (repræsentans Crucifixum) est clavis cœli, aditum precibus & operibus nostris referans ad Deum, juxta id Isaiæ 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus.* Et ita appellatur à sancto Chrysostomo homilia de divitiis; ab Augustino vero in Psalmo 45. *fons & origo totius salutis nostræ;* à qua etiam preces nostræ omnes suam vim & efficaciam obtinent: sine ipsa inanes futuræ; licet palmas ad sidera tollamus, psalmos & melodias canamus, in cœlum clamemus; aras transiliamus & cultellis nos incidamus cum sacrificulis illis Baal. 3. Regum 18. Quam etiam ob causam olim (uti & nunc plerique) Christiani omnes actiones suas à signo crucis inchoabant, teste Tertulliano libro de corona militis capite 3 & 4. *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum atq; exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Adhuc etiam pii quiq; suis scriptionibus, profectionibus, aliisque actionibus crucem præfigunt, quasi eo duce muniti rem fæliciter effecturi. Justum plane est ei dare primum locum, à quo quis suam expectat fortunam: quod & subditi præstant suis Principibus, & ipsa bruta animalia uti apes & grues suis ducibus principem locum. Idem Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, cruces appellat *intestina trophæorum.* Solebant enim Gentiles spolia hostibus detracta affigere ad stipites lignis transversis, in modum crucis formatos: *sed & victorias adoratis*, inquit, *cum in trophæis cruces intestina sint trophæorum.* Sed illi non tam cruces quam trophæa venerabantur: nos autem crucem potius, quam trophæa, hoc est, opera & victorias nostras de carne, mundo, dæmone obtentas, nec non & merita nostra veneramur: hæc enim cruci adscribimus, cruci affigimus, veluti radici omnium nostrorum meritorum & gratiarum, & dum eam in processionibus præferimus, toti mundo contestamur. Scribit Cedrenus in Basilio Imperatore Christianos cum Manichæis depugnantes olim inclamare solitos: *Crux vicit.* Idem nos clamamus tacite, dum crucem in altum erectam nobis anteferimus. Non enim cum Julio Cæsare dicimus: *Vidi, veni, vici*; Sed Christus vidit, crux vicit. Nam ut bene sanctus Leo sermone de passione ait: *Crux tua omnium fons benedictionem, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* In cujus rei figuram Jacob Patriarcha benedictionem filiis Joseph decussatis manibus seu in formam crucis positis impertivit, Gen. 48. ut observavit Tertullianus l. de baptismo, cap. 8.

II. Quia est vexillum nostrum, sub quo militamus; & signaculum, è quo dignoscimur & discernimur ab infidelibus & hæreticis: quo & fidem nostram publice protestamur. Docuit hoc exemplo suo Constantinus Magnus, qui postquam Christo nomen dedit, Labarum seu vexillum in crucis figuram efformatum præferri suis exercitibus mandavit; coram toto mundo Christianum se protestans & Crucis sectatorem; ut est apud Eusebium libro 9. histor. cap. 9. & libro 1. vitæ Constantini. Nemo nescit militibus præferri suum vexillum, ut præ oculis id habentes, strenue sequantur, velut sacramento ipsi adscripti. Nos etiam Cruci Christi in baptismo nos addiximus; jure igitur eam vexilli instar præferimus. De hoc vaticinatus Isaias cap. 11. ait: *Levabit signum* (hoc est, vexillum Crucis, ut exponit sanctus Basilius in comment. ejus loci in Isaiam.) *in nationes & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Quale hoc signum, nisi crux, quæ sicut quatuor habet cornua, quasi in quatuor mundi plagas extensa: ita à quatuor mundi plagis convocavit ad se Gentes, ut sub ipsa militarent? Sic enim locum illum explicat Basilius & Albinus libro de divinis officiis in officio parasceve. *Crux*, inquit iste, *jacens quatuor appetit mundi partes, quia Christus per passionem suam omnes mundi partes ad se traxit.* Et sanctus Hieronymus in capite quinto Marci: *Species crucis*, ait, *quid est nisi forma quadrata mundi?* Ejus typum præmisit Deus in signo illo *Tau*, quo virorum gementium frontes (adeoque loco sublimi & conspicuo) consignari jussit, ut iis parceretur à percussoribus Angelis. Ezechielis nono. Habet enim littera illa T. figuram crucis. Monet ergo crucis vexillum omnes fideles sacramenti præstiti, ut sub vexillo isto fideliter Christo militent contra Satanam & pompas ejus, neque ullam societatem cum eo unquam ineant: ne ad hæreses, magos vel ariolos ulla ratione deflectant; sed mori potius velint. Adhæc levare in altum hoc vexillum debent, non per terram trahere: ita videlicet ut ne erubescant crucifixum, sed in eo glorientur, publica quoque pietate se ejus milites protestentur; uti monet sanctus Gregorius Nazianzenus, tractatu de diversis vitæ beatitudinibus. *Beatus*, inquit, *qui facultatibus omnibus copiisque suis Christum emit, ac pro omnibus opibus crucem habet, eamque sublimiter gestat.* Victi & capti milites vexilla sua per humum trahunt, victores in alto ventilant.

II. *Quia est vexillum nostrum.*

III. Quia est etiam scutum & munimentum nostrum contra hostiles copias. Scutum autem præferri corpori debet. Ita inprimis sanctus Joannes Damascenus libro 4. orthodoxæ fidei cap. 12. *Crux*, inquit, *clypeus atque armatura & trophæum est adversus Diabolum.* Et sanctus Ambrosius lib. 0. 2. de Abraham cap. 7. *Exercitata mens ad prælium consum-*

III. *Quia est scutum nostrum.*

sumandum non aquilarum præfert imagines, nec dracones (sicut nimirum Romanorum & Ægyptiorum Gentilium exercitus) *sed in cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Diximus alibi ex Eusebio libro 2. de vita Constantini capite 9. Labarum Constantini exercitui prælatum excepisse in angusto licet hastili omnia tela, quæ in gestatorem ejus ab hostibus emittebantur ipso prorsus illæso. Assimile quiddam evenisse tradit Joan. Mariana libro 11. de rebus Hispan. capite 24. in bello contra Mauros, cum is, qui præferebat Roderico, Præsuli Toletano, crucem, perque hostium cuneos semel & secundo circumferebat, evasit incolumis; tametsi telis omnibus peteretur, multæque sagittæ crucis hastili infixæ essent. Munit ergo nos inprimis contra dæmonum insidias, ut testatur inter alios Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 13. *Non pudeat*, inquit, *vos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter crucis signaculum digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat in panibus comedendis & in poculis bibendis, & in ingressu & egressu ante somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna est hæc custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cum à Deo sit hæc gratia & timor dæmonum; triumphavit enim de illo hoc signo. Ostenta illi audacter: quando enim viderit crucem, recordatur crucifixi, metuit enim eum, qui contrivit caput draconis* Sic ille. Figuram ejus hac in re præmisit Deus in V. T. clypeum illum, quem jussit in hastili elevari elevatumque teneri à Josue, donec urbis Hai reprobi incolæ omnes interficerentur. Jos. 8. Audaces illi fuerant bis egressi contra Hebræos, & quibusdam occisis in fugam eos compulerunt. Jos. 6. Dæmones ergo significant, qui nimium audacter homines invadunt, fugant & mactant. At vero clypeus crucis elevatus eos debellat, & quemadmodum Rex urbis Hai in crucem actus est: ita & per crucem crucifixus est Princeps dæmonum.

IV. *Quia est exemplar vitæ nostræ.*

IV. Quia est idæa & exemplar vitæ nostræ. Debet vero exemplar ante oculos proponi ad imitationem aliorum. Porro Christianum Christo crucifixo conformandum, aperte docet sanctus Petrus Epistola prima capite quarto his verbis: *Christo igitur in carne passo & vos eadem cogitatione armamini.* hoc est, eadem animi resolutione crucifigite vos ipsos; quo modo etiam sanctus Paulus ad Roman. 6. ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Et ad Galat. 2. de seipso testatur: *Christo confixus sum cruci.* Non ergo soli religiosi, sed omnes Christiani cum Christo crucifixi esse mundo ejusque pompis debent; ita ut Christianismus sit imago Crucifixi, & tota Christiani vita quasi crux continua.

Christiani sint crucifixi mundo.

I. Primo *Sicut crucifixus quis*, inquit Pinusius Abbas apud Cassianum libro quarto de Instit. renunciant, capite trigesimo quinto; *jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini quo nos ille constrinxerit, applicare debemus.*

Secundo *Et sicut is* (pergit) *qui patibulo crucis affigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastina solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permovetur nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur non de præsentibus dolet injuriis non præteritarum jam recordatur, sicque jam adhuc spirans in corpore cunctis elementis credit es[t] defunctum; illuc præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos.*

Tertio. Sicut crucifixus assidue cruciatur à clavis, & pondere corporis sui, nervos omnes dive[l]lente: ita etiam Christianus continuo affligitu[r] dum resistit concupiscentiis suis easque resecat mortificat: *corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam*, & dum ei resistitur, inde labor & cruciat[us] oritur.

Quarto, Crucifixus horret aspectum hominu[m] astantium, suam crucem atque infamiam spectantium; & vicissim horror & abominatio est adstantibus: ita Christianus syncerus & odio est mund[a]nis, & vicissim odit mundum, & quæcunque in e[o] sunt; quo modo dixit Apostolus: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo;* ad Galat. 6. quasi dica[t] mundus mihi horrorem parit; & ego horror mundo sum. Ulyssem fert aut fingit antiquitas, Siren[as] præternavigantem, voluisse ad malum alligari; [ne] illarum cantu illectus se in mare præcipitaret, aut [in] potestatem earum veniret, ut in prologo libri 4. [su]per Lucam notat S. Ambrosius. Christianus ut vo[]luptatum & vitiorum illecebras ad interitum tra[n]seuntes evitet, ad crucem sese alliget: *Non corporalibus*, inquit ibi Ambrosius, *ut Ulysses ad arborem vinculis alligandus est animus sed ad crucis signum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lasciviarum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat periculum voluptatis.* Nec est quo se aliquis excusare queat à sequela ista; qui enim præcedit nos cruce, Dominus noster & Deus est, qui seducere n[os] non potest. Moyses certe olim non immerito dicebat Deo: *Nisi tu ipse præcedas nos, ne educas nos [de] loco isto.* Exodi 33. Et nos hoc dicere possemus, [si] Deum ipsum non cerneremus in cruce anteire. A[t] jam nullo modo se quisquam excusare potest; no[n] enim servus est major domino suo. Hujus exemplaris typus fuit æreus ille serpens in hastili suspensus ad intuendum propositus. Num. 2, cujus aspectus uti omne venenum dispulit: ita aspectus crucis peccatum arcet & amorem sæculi extinguit; si ta[]men ipsa velut exemplar ad imitandum aspiciatur. Inspice Christiane & fac secundum hoc exemplar si enim

enim ſerpens ille, qui omni peccati veneno ca-it, in cruce ſuſpenſus eſt; quo jure tu conquereris tua cruce, qui venenum aut habes aut certe ha-uiſti?

V. Quia eſt dux itineris & proceſſionis noſtræ ad pulchrum, in qua nobis præferetur. Tota vita no-a proceſſio quædam eſt, tendens ad cœmiterium ot reſpirationes, tot facimus paſſus Sed plerique nime hoc cogitant, quia ad propinquos tantum minos non ad ultimum attendunt; velut ſi quis mam mitteretur ad beſtias damnatus, & nun-am cogitaret de beſtiis & Roma: ſed ſolum de in-jacentibus regionibus & urbibus, quas in tranſi-viſurus & miraturus eſſet, earumq; delicias non-il guſtaturus; cum interea totum ejus iter tendat beſtias. Non ita S, Ignatius Martyr, qui è Syria igans Romam captivus, objiciendus beſtiis, ta-tſi in itinere ad varias regiones divertit, nihil ta-n earum amœnitate motus aut illectus fuit, in toto itinere nil niſi beſtias cogitavit, uti ipſe bit in Epiſtola ad Romanos: *De Syria uſque ad nam pugno ad beſtias, in mari & in terra.* non dem ex timore, ſed martyrii deſiderio. Pari mo-oportet nos non ad medios, qui objiciuntur no-fines, ſed ad ultimum attendere, qui eſt ſepul-um. Hunc oſtendit Crux, prælata in proceſſione, ſi dicat: Tali pompa tu effereris ad ſepulchrum: cedam ego, ſequentur uxor & parvuli tui, poſtea nati: aderit & Clerus non cum Alleluja, ſed cum u *De profundis*, lugubri: quibus revertentibus s relinquens in vermium diverſorio. Eo igitur ambula; uti monet & optat Pſalmiſta Pſal. 54. *a: mors ſuper illos, & deſcendant in infernum* r. (*ſcheol*, quod etiam ſepulchrum ſignificat) *ntes.* Hoc enim ſi feceris vivens, non horrebis emoriens. *Alexander Papa, neſcio quis* (inquit nus Juſtinianus è Congregat. Orat. in cap. 14. Tobiæ) *flagitioſum quempiam militem, qui omnem peccati mulctam, quæ illi Catholico ritu in confeſſione proponebatur, reſpuebat, ad veram pœnitentiam adduxit mulctæ loco annulum ſuum digito geſtandum tradens, ea lege ut quoties illum iſte intueretur, toties de morte cogitaret. Quod cum ille datum accepiſſet & legem: tali cogitatione compunctus non poſt multos dies ad Papam reverſus, quidvis ſe perferre & pati velle pro ſuis criminibus dixit.* Simile quid Eccleſia facit, dum in proceſſione Crucem nobis præfert, vult enim ut ejus intuitu crucem illam cogitemus, quæ ad ſepulchrum nos præcedet. Et quis tali cogitatione munitus non paret ſe ad beatam mortem amplexando pœnitentiam & ſuave Chriſti jugum? Certe Baltaſar in regio & opiparo convivio inter mille optimates ſuos; exigua trium verborum, mortem præſagientium, ſcriptura ita ab omnibus deliciis avocatus & in animo ſuo conturbatus fuit, expalluit & contremuit, ut jam non voluptates, ſed mortem animo volveret. Dan. 5. Videant ergo qui in deliciis vivunt, & aſpiciant crucem ſibi hodie prælatam: interrogent ſapientem quid ea ſibi portendat. Typus crucis hac in re fuit columna nubis. Exod. 13. quæ velut dux viæ in terram promiſſam præcedebat Iſraelitas, ita ut eam toto itinere per 40. annos ſemper præ oculis haberent, quocunque irent; quaſi omni die ingreſſum terræ ab ea expectantes; protecti ab ea per diem ab æſtu Solis, per noctem vero illuminati. Nos ſi conſimili modo crucem, quæ nos ad ſepulchrum ducet, præ oculis ſemper habeamus; protegemur utique ab ea tam in die proſperitatis, quam in nocte adverſitatis. ✕.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

THEMATA.

I. *Quanta contentione Dei gratia quærenda & conſervanda ſit.*
II. *Periculoſus mundanorum ſtatus arguitur à Ioanne.*
III. *Quatuor potiſſimum ignes non excitandi.*
IV. *Ignis purgatorii qui tranſiliendus.*
V. *Joannes quomodo alter Elias.*
VI. *Rogi Solſtitiales, typus vanitatis mundi.*

THEMA I.

Quanta contentione Dei gratia quærenda & conſervanda ſit.

I. *Nihil Dei gratia ſpecioſius, adeoque etiam honeſtius.*
II. *Nihil utilius gratia.*
III. *Nihil gratia delitioſius.*
IV. *Nihil gratia magis neceſſarium.*

Nequa-

Nequaquam; sed vocabitur Joannes. Luc. 1.

Contentio de nomine Ioannis.

Quid est, Auditores, quod de nomine Joannis inter cognatos ejus tanta sit contentio? Appellare illi infantem volunt nomine patris sui Zachariam. Sed reclamat mater: *Nequaquam sed vocabitur Ioannes.* Mirantur cognati nomen peregrinum, nec contenti imperio matris ad mutum patrem abeunt, eumque nutibus & clamoribus, ut arbitror, adjunctis adoriuntur, ut mentem & voluntatem ejus exquirant. Zacharias cum conjuge conspirat, & manu simul ac ore pronunciat, filium non aliter nisi Joannem appellandum. Tantine est vocabulum hoc & nomen Joannis, ut pro eo fiat tanta concertatio? ita profecto; siquidem vox Joannes *Gratiam Dei* significat, quæ aliud non est, nisi amicitia & dilectio Dei, de qua dicitur Canticorum octavo. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hinc jam non miror, quod tam multi passim inveniantur insigniti nomine Joannis; quis enim Dei gratiam & amicitiam non ambiat? Quanquam nomen solùm homini nihil prodest, nisi adsit ipsa res, & inhærens Dei gratia: quæ quantopere quærenda & conservanda sit, nunc videamus.

Omne bonum hominum triplex est, honestum, utile, jucundum. Gratia Dei omnia illa in summo gradu includit.

I. Nihil Dei gratia speciosius, adeoque etiam honestius.

I. Extra Deum nihil est gratia speciosius. Est enim splendor & lux quædam cœlestis, superans omnem pulchritudinem creatam, etiam Angelorum; faciens Deo, quantum ferre creatura potest, quam simillimum & maxime conjunctum. Hinc à Christo appellatur *claritas: Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum sicut & nos unum sumus.* Joannis decimo septimo. Est enim gratia qualitas supernaturalis, evehens hominem supra omnia naturæ dona, reddens eum Deo & Angelis amabilem: quemadmodum Solis radius incidens in columbæ pennas, reddit eas fulgidas instar auri, juxta Psalmum sexagesimum septimum. *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quanquam color ille in columba est apparens tantum, gratiæ vero splendor in justo verus & inhærens est. Unde quod Ecclesiasticus capite sexto ait: *Decor vitæ est in illa.* Græca transferunt: *Ornatus auri est in illa.* Hic ornatus adeo exornat hominem, ut licet corporis luto fædatus sit, cœlo tamen dignus fiat, quam ob causam sanctus Bernardus homilia prima super missus est, de illa ait? *Hæc honor luti nostri.* Quid fædius latrone in cruce pendente? Eum tamen gratia Dei adeo nitidum & speciosum reddidit, ut cœlo dignus fieret, quo ne Angeli quidem digni forent, spectati in sola natura sua. Adhæc facit nos suo modo consortes divinæ naturæ, *ut filii Dei nominemur & simus.* Hinc Ecclesiast. 1. comparatur pupillæ oculi: *Eleemosyna gratiam hominis quasi pupillam conservabit*, quia sicut in pupilla apparet imago virunculi (sic enim Hebraicè *iscon*, hoc est, *virunculus* appellatur:) ita in grati apparet imago Dei, cujus naturam modo aliqu participat (teste S. Petro 2. Pet. 1. *Vt efficiamini divi næ consortes naturæ:*) tum per donum gratiæ sanct ficantis, tum per ipsum Spiritum sanctum inhab tantem, ut ibi explicat Cornelius à Lap. Et quem admodum pupilla est decor faciei (tolle enim pu pillam & excæcabis oculum, adeoque totam hom nis faciem deformabis:) ita coram Deo & Angel gratia est decor hominis: quo sublato non est ni tenebræ, sicut mundus sublato Sole. Jam ergo cut omni cura custodimus pupillam oculi ad co servandum visum: ita nihil magis curæ & cordi e debet, quam conservatio gratiæ. Quid? veste novam pretiosam non nisi mundo loco recondi & sedulo custodimus; ne qua macula aut sordib eam fædemus: quanto igitur majori cura servan erit vestis animæ tam pretiosa? Adhæc Centurio le Actorum 22. testatur S. Paulus, se multa pecu emisse jus & appellationem civis Romani; quo vium Rom. privilegiis gauderet: quid erit igi gratia, quæ dat jus cœlestium civium, & cons tium divinæ naturæ?

II. Nihil ea utilius. Ipsa enim velut Regina, q intrat, adducit secum gynecæum omnium virtu supernaturalium & donorum Spiritus S. Assuer ubi intellexit, Mardochæum Reginæ suæ patru & cognatum esse, certatim omni bonorum gen cumulare eum cœpit. Nam admisit eum in famil ritatem & intimam amicitiam suam: dedit ei an lum Amanis, una cum dignitate & officio, nec r ejus domum divitem & magnificam: accessit M dochæo splendidus ornatus, quo egrediebatur conspectu Regis, ut habetur Esth. 8. Deniq; pote scribendi literas ad placitum, & suo annulo sign di ad opprimendos hostes suos. Non absimili m Deus, quos gratia sua ornavit.

Primo recipit in amicos, uti dixit Christus Jo nis 15. ad discipulos suos: *Iam non dicam vos ser &c. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ au à patre meo nota feci vobis.* Quantum istud est, a cum esse Dei? David capere non poterat, quo pse, puer pastoritius, Regis gener esset futurus; cebat enim: *Num parum videtur vobis generum Regis?* primo Regum decimo octavo. Et quom capiat aliquis, hominem luteum, miserum, frag rudem & rusticum, fieri Dei amicum? Quid e amicitia nisi bonorum communionem, arcano communicationem, animorum deniq; conjunc nem importat? Quis vero est homo, ut appon Deus cor suum?

Secundo. Ornat eorum manus annulo suo, c eorum opera dignificat, & quasi cœlestia reddi cœlestem mercedem, augmentum gratiæ & riæ promereri, nec non satisfacere pro præte culpis possint. Quemadmodum enim nobile

nen decerptum ab arbore & insertum ignobili & ilvestri stipiti facit eum producere supra vires na- uræ suæ nobiles fructus, v. g. poma aurea trunco pomus silvestris: ita gratia inserta & infusa animæ evehit opera ejus ad ordinem supernaturalem, ut progignat fructus vita æterna dignos.

Tertiò. Addit ornatum etiam coram hominibus, uti inprimis patet in primis Christianis, qui cum gratia Spiritus sancti impleti essent, *habebant gratiam ad omnem plebem*, ut ait Lucas Act. 2. quasi diceret, amabiles erant apud omnes. Parit enim gratia divina suis possessoribus gratiam etiam humanam & amabilitatem apud omnes, qui non sunt excæcati malitia & invidia. *Sicut is, qui fert aromata, etsi nolit, ex odore proditur: ita qui gratiam Dei habet ex verbis suis atque humilitate propria agnoscitur,* ait Climachus de discretione gr. 26. Patet idem non modò ex vitis SS. sed etiam quotidiana experientia.

Quartò denique dat eis quasi salvum conductum & auctoritatem ad sui defensionem contra hostes inprimis invisibiles, ac sæpe etiam visibiles. Quando Turcarum Imperator donat alicui aureum amiculum, suis insignibus notatum, quasi pro salva guardia, ut vocant, qui dono id accepit, si eo indutus in publico appareat, nemo unus è toto exercitu lædere ipsum vel in minimo audet; quin imò Turcæ milites ex equis etiam desiliunt, & vestem illam deosculantur, hominem verò honorant. Aurea vestis gratiæ divinæ homini collata, terribilis est dæmonibus, adeò ut ne in minimo quidem nocere ei possint. Quin etiam homines, si eos persequantur, Dei vindictam incurrunt, etiam in hac vita sæpe. Patuit in Pharaone & Abimelech Regibus, qui læsêre Abrahamum; in Pharaone & aliis, qui Moysen; in Saule, qui Davidem; in aliis permultis.

III. Nihil ea delitiosius. Siquidem Apostolus ad Rom. 14. appellat eam *regnum Dei* in hac vita, quod aliud non sit nisi *justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto*. Ubi Deus est, ibi & regnum ejus. Ubi regnum Dei, ibi utique & deliciæ & gaudia erunt. Quisquis autem gratiam habet, is & Deum habet, quis ergo eo fælicior? *Felix ille*, ait Augustinus tract. 25. in Joan. *habet aurum in arca, iste Deum in conscientia: compara nunc aurum & Deum, arcam & conscientiam. Ille illud habet, quod perit, & ibi habet, unde perit: iste Deum habet, qui perire non potest, & ibi habet, ubi auferri non potest.* Comparatione hujus boni ac gaudii, quod habet justus ex gratia & bona conscientia, evanescunt omnia mundi gaudia. *Sicut exortus Sol*, ait S. Ambrosius lib. 2 Offic. *& Lunæ globum & cætera stellarum abscondit lumina: ita fulgor honestatis, id est, tranquillæ conscientiæ cætera, quæ putatis bona secundum sæculum clara aut illustria obumbrat.* Bona hujus mundi extorqueri nobis possunt, & extorquentur tandem à morte: at gratiam, & quod eam consequitur, gaudium nemo nobis extorquere potest, nisi ipsi nos eam expellamus. Unde S. Augustinus serm. 205. de temp. ait: *Fur tibi tollit aurum, quis tollit Deum? Quid habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet?* Sed habent, inquis, justi tribulationes, sunt contempti, derisi, pauperes, malè pasti, afflicti: sed hoc sunt, quod esse volunt. Unde omnia ista convertuntur eis in gaudium. *Quemadmodum apis*, inquit S. Macarius senior homil. 16. *secretò favum conficit in alveo: sic & gratia dilectionem suam secretò in cordibus exercet, & quod amarum est, mutat in dulce: quod autem asperum in planum.* Quo gaudio sibi applaudunt mundi sectatores, quando se gratia Principum plurimùm valere sciunt? Quanto pausu exposuit Aman amicis suis, quòd à Rege Assuero super omnes Principes exaltatus esset, quòdque à Regina nemo alius præter ipsum cum Rege ad convivium vocatus esset? Esth. 5. Qui cùm tantus esset, vilissimum obsequium & quidem hosti suo Mardochæo, in equo circumducendo, præstare ob gratiam Regis non recusavit. Non ergo millies plus sibi gratulabuntur justi, quòd sint in gratia Dei? num gravatè ferent aliquas molestias propter ipsum sustinendas? nonne potiùs eas mutabunt in delicias?

Adhæc gratia justis affert pacem conscientiæ, quæ est juge convivium, & superat omnes delicias. Quantum hoc sit bonum, non intelligit, nisi qui calamitates, quas animi perturbationes causare solent, expertus est: sicut bonum pacis parum apprehendimus, nisi miserias belli priùs experiamur. Quot turbines in bello, tot miseriæ in homine gratia destituto. Scriptura sacra quando pacis delicias describere vult, solet dicere: *Sedebat* vel *habitabat unusquisque sub vite sua & sub ficu sua*: uti 3. Reg. 4. Mich. 4. Amos 9. ut indicet eos pacem simul & umbram habuisse in præsenti, & spem dulcissimi fructus in futuro. Jam verò qui in gratia Dei est, ille verissimè habitat & quiescit, sub vite & ficu sua: quia in præsenti vita fruitur magna pace conscientiæ, & sub DEI præsidio habitat? in futura autem expectat dulcissimum fructum nectaris & dulcedinis cœlestis.

IV. Nihil gratia magis necessarium.

IV. Accedit ad hoc triplex bonum, quod nihil homini magis sit necessarium, quàm DEI gratia. Satis id exponit Apostolus 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. Et si habuero prophetiam & noverim mysteria omnia & omnem scientiam, &c. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem* (quæ est eadem cum gratia) *non habuero, nihil mihi prodest.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de seipso ait: *Sine gratia sumus viva cadavera.* Macarius homil. 44. eandem gratiæ necessitatem sic explicat: *Quemadmodum per se nemo potest trajicere, nec transire mare, nisi levem & tenuem naviculam è ligno constructam habeat, quæ sola potest super aquas incedere: quia demergitur & interit quis, si ambulet in ma-*

vi: itidem nequit anima per se transgredi superare aut transmittere acerbum mare peccati, & difficilem abyssum improborum spirituum caligine affectionum, nisi susceperit subtilem, cœlestem & volatilem Christi Spiritum ambulantem & incedentem super omnem nequitiam. Scimus Samsonem, quamdiu auream Nazaræi cæsariem habuit, fortem contra hostes suos & invictum fuisse; at ubi ea detonsa fuit, vires perdidisse & in hostium manus traditum fuisse. Judic. 16. D. Paulinus in epist. 4. ad Severum agnoscit in capillis gratiam Dei, qua conservata invicti: perdita verò imbelles sumus. *Ita nobis,* inquit, *violata Christi gratia, ut illi incisa coma, hostis illudet, auferet oculos, mittet in carcerem, & vertendis molis velut asinos deputabit.* Miramur jure merito & quasi indignamur, quando audimus heroem illũ fortissimum, Samsonem blanditiis mulieris adeo dementatum esse, ut arcanum suum ei detegeret, & in sinu ejus dormiens, sacram suam cæsariem, è qua omne robur habuit, ei detondendam daret. Interim tamen non indignantur sibi nostrûm quamplurimi, qui hoc idem agunt; imò quod dementius, cœlestem gratiæ decorem, è quo omnes suas vires, splendorem & fortunam habent, tam facilè deperdunt. Una muliercula, una ebrietas, una vindictæ furia gratiæ capillum tondet, & tradit eos tartareis hostibus. Quis non fremat in hos homines? Infrænem illum Esau immanis stultitiæ accusamus, quòd pro vilissimo lentis edulio primogenituræ suæ jus vendiderit; at quantò major stultitia est, vendere Dei gratiam, bonum pretiosius toto mundo, pro vilissima voluptate? Quid non moliuntur homines: ut Principum gratiam acquirant? quid non, ut eam conservent? Et quàm ea infirma, quàmque fragilis est? Gratia Dei tantum valet, ut nec pro regnis totius mundi communicari debeat. Videtur id nobis Scriptura per apologum illum insinuare, quem proposuit Joatham Judic. 9. ivisse ligna seu arbores, ut eligerent sibi Regem, & venisse ad tres arbores inprimis, ad olivam, ficum & vitem. Quæ omnes recusarunt regiam dignitatem. Oliva dixit: *Nunquid possum deserere pinguedinem meam?* Ficus: *nunquid ego dulcedinem meam fructusque suavissimos?* Vitis: *nunquid ego vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Denique rhamnus solus, lignum omnium vilissimum, suscepit in se imperium. Quid arbores illæ tres, humano generi salutares significant, nisi animas justas? & quid vepris, nisi animam vilem, Dei gratia destitutam? Justi ex divina gratia, quam possident, habent pinguedinem Spiritus sancti, & pacem cordis, quam designat oliva: habent dulcedinem justitiæ, & qua velut esca dulcissima se ipsos consolantur & pascunt spe æternæ illius & supernæ dulcedinis, quam indicat ficus: habent gaudium Spiritus sancti quo omnes tristitias pellunt & adversa mitigant, designatum per vitem, quæ vino suo lætificat Deum & homines. Hæc igitur bona sua quæ beneficio gratiæ habent, considerantes, respuunt regna & imperia, nullo modo gratiam Dei cum illis commutaturi. Soli rhamni, solæ viles animæ quæ Dei gratiam nec habent, nec agnoscunt, ea posthabita regna & terrena bona quærunt. Absit hoc à nobis, quin potius dicamus cum arboribus illis bonis: non possum, non possum deserere pinguedinem, dulcedinem & lætitiam meam, quam possideo in anima mea. Vocentur alii Zachariæ, vocentur Alexandri Magni, vocentur Reges, vocentur nobiles, divites, sapientes, potentes: Joannes est nomen nostrum.

THEMA II.

Periculosus mundanorum status arguitur à Joanne.

I. *Quia non credit satis esse, quòd in senectâ servire velimus Deo.*

II. *Non credit inter pravos socios posse quem incu[l]tè vivere.*

III. *Non credit in superbo vestitu latere humilitatem.*

IV. *Non credit inter immodicas opes posse DEO se[r]viri.*

V. *Non credit in fœminarum commercio servari castitatem.*

VI. *Non credit inter delitias sobrietatem servari.*

Mirati sunt universi. Luc. 1.

Mirati sunt vicini S. Zachariæ, quòd cùm priùs mutus fuisset, posteà loqueretur, cùm filio nato nomen daret. Ego è contrario miror Joannem, quòd cùm ipse in vita vox clamantis in deserto fuisset, Christum prædicans & demonstrans, nunc post mortem in Ecclesia taceat; siquidem in Missa sua non profitetur fidem, cùm non habeat *Credo.* Habent *Credo* Apostoli, habent SS. Angeli, habent & Doctores. Joannes fuit missus à Deo, adeoque Apostolus: fuit etiam Angelus, Christi testimonio: fuit & Doctor Synagogæ: Cur ergo non habet *Credo*? Audite, auditores, Joannes Evangelium sua vita & verbo docuit: quod mundi Evangelio è diametro est contrarium: cui proinde Joannes semper contradicit, nec adduci potest, ut credat, uti nunc videbimus.

I. Mundi sectatores putant juventutem & virilem ætatem mundo consecrandam, nec opus esse à teneris assuescere virtuti, sufficere senectutem ad bene & piè vivendum & pœnitentiam agendam: vel etiam mortis articulum. Quid tu ad hoc Joannes? Non credo, inquit; Clamat autem hoc non tam

verbo, quàm facto; siquidem ab infantia Deo servire cœpit in deserto, sciens quàm difficilè quis servitium hoc inchoaret in adulta ætate, qui non cœpisset in tenera. Consentit Joanni alter Propheta, Jeremias scilicet cap. 13. admodum diffidenter de tali mutatione loquens: *Si potest Æthiops mutare pellem suam aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malum.* Æthiops & pardus ab ineunte ætate contraxit, ille nigrorem, hic maculas, retinentque semper. Unde Diogenes senem malum castigans: rogatus quid ageret: *Æthiopem lavo*, inquit. Ratio est, quia quibus assuescimus, illis adhæremus, & difficilè inde abstrahimur; difficilius nova addiscimus, cùm contrariis assueti fuimus. Davidem interrogamus, quare thorace Saulis ferreo indutus pugnare recusarit cum Goliatho. Num quia ipsi velut puero non quadrabat? minimè? nam tunc jam perfectæ staturæ juvenis erat, alioquin stultè induisset eum Saul armis suis; sed puer tantùm appellatur ob bellandi imperitiam. Cur ergo sic pugnare noluit? Causam ipse dixit; *Non possum sic incedere*, inquit, *quia non usum habeo.* 1. Reg, 17. En quia à pueritia non fuit assuetus armis, fortis jam & adultus ne incedere quidem potuit in illis. Si hoc David juvenis præstare potuit, quod non didicit puer, quomodo in senio potuisset? Econtrà cur iam dextrè primo fundæ lapide frontem hostis tetigit? Quia nimirum à pueritia pastorculus jaculatoriam fundam tractavit, qua errantes oves ad gregem revocaret. Dicat mihi jam juvenculus: quomodo in senio & fine vitæ tractabit rosaria, jejunia, cilicia, confessionem &c. communionem frequentem, &c. quæ non didicit puer? pocula potiùs & cantharos, nummos & plumas, exercitationes & turpia verba, quibus assuevit, cogitabit & tractabit. Anno 1344. oblatus est Henrico Hassiæ Landgravio puer captus in silva, qui expositus, enutritusque à lupa, quadrupes incedere, & cum lupis currere didicit, idque adeo assuevit, ut vix magno labore rectus incedere valeret, Majol. tom. 1. Canicul. coll. 7. ex Appendice Schafn. Quomodo ergo in senio vel morte erigent cor ad Deum, qui proni semper incedere visi sunt ut pecora? quomodo orabunt cum religiosis, qui nil aliud didicerunt, quàm ululare cum lupis?

II. Putant inter pravos socios & loca periculosa posse se incontaminatos persistere, sicut Jobum in terra Huss, Tobiam in captivitate, Danielem in lacu leonum, &c. Sed quid ad hoc Joannes? Non credo, ait, non credo; siquidem ipse mundo improbo valedicens toto ferè vitæ tempore vixit in deserto, Luc. 1. Causam Ecclesia canit: *Civium turmas fugiens petisti: ne levi saltem maculare vitam, famine posses.* Vidit enim Joannes, à Spiritu sancto adhuc puerulus, edoctus, difficillimum ac fermè impossibile esse in pravorum hominum, quorum tunc mundus plenus erat, conversatione bonum esse. Noverat scriptum Ecclesiasticici 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam,* Mirantur forsan aliqui non immeritò, Joannem puerulum in deserto à bestiis devoratum non esse, sed Cedrinus & Nicephorus scribunt eum ab Angelo non difficilè custoditum fuisse. Multò magis mirum fuisset, si inter homines in mundo degens, depravatus non fuisset. Hinc enim quasi prodigia mundi celebrantur Job, Loth, Tobias, Noë, quòd inter malos boni fuerint. Intellexit etiam hoc Aristippus Philosophus; qui interrogatus quid in vita admirandum esset, respondit: *Vir bonus inter improbos.* Stob. serm. 35. Qua ratione etiam Moyses prodigium fuisse dixit, quod filii Core in domo rebellis & improbi patris aliorumque domesticorum soli boni fuerint, & cæterorum seditioni se non miscuerint, unde etiam grandi miraculo, cæteris terra dehiscente absorptis, cùm inter illos essent, ipsi penduli in aëre hæserint adeoque non perierint. *Factum est grande miraculum*, inquit, *ut Core pereunte, filii ejus non perirent.* Numeror. 26. Habuit etiam sanctus quidam Eremita in Schytia pro miraculo, quod audiit à quodam juniore & temerario Eremicola in Prato spirit. cap. 194. Hunc enim cùm vidisset, Alexandriæ ingredi cauponam, expectavit egredientem & seorsum monuit: *An nescis Domine frater, quia habitum Angelicum fers? ignoras quia juvenis es? Nescis quia & per oculos, & per aures & per figuras varias Monachi in civitatibus læduntur? &c.* Cui ille: *Perge senior: Deus non quærit nisi cor mundum.* Tunc expandens in cœlum ambas manus senex ait: *Gloria tibi Deus. Ecce enim ego habito in Schythia annos jam 55. & mundum cor non habeo: hic autem in tabernis conversans, cordis munditiam possidet.* Voluit dicere non credo, non credo.

III. Putant se in splendido & superbo ornatu humilitatem & castitatem non difficilè servaturos. At quid Joannes? non credo, non credo. Idcirco enim mollem vestitum fugiens non qualicunque tenui veste; sed pilis camelorum se operuit, asperis & hirsutis ut sic à vestitu molli & nitido quàm longissimè discederet, velut à Diaboli laqueo. Est enim molllis ille & splendidus ornatus laqueus tam ipsi, qui gerit; quàm aliis, qui vident. Ipsi, quia vix contingere potest, ut quis in tali ornatu velut pavo in suo flabello, sibi ipsi vanè non placeat, adeoque non insolescat. Quemadmodum Alexandri Magni equus nudatus quemlibet sessorem recipiebat, regiis verò ornatus phaleris neminem, nisi Alexandrum Regem admittebat, in reliquos omnes ferociebat, teste Plinio lib 8., cap 48. Ita qui splendore vestium nitent, videri volunt & suspici: pannosos verò spernunt. Vidit hoc

III. Non credit in superbo vestitu latere humilitatem.

Sanctus quidam juvenis, Athanasius nomine, qui cùm religiosum habitum induisset, retractus verò à patre, sericis vestibus oneratus potiùs, quàm ornatus fuisset, eas in frusta dilaceravit. Novis rursum indutus, rursum eas scidit; donec à patre victoriam desperante dimissus, habitum religiosum repeteret. In vita S. Nicetæ 3. Aprilis, Surius. Aliis verò laqueus est, quia pronos ad lasciviam facilè ad se trahit & illaqueat, imò etiam castis animis cogitationes malas ingenerat. Celebre dictum Augusti Cæsaris est apud Suetonium: *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ.* Ad vexillum convolant milites, ad vestitum mollem lascivi adolescentes & puellæ. In nidum suum ciconiæ inferunt ranas, bufones, serpentes: homo superbo cultu infert & trahit ad sui amorem fœdum oculos & corda obscænorum.

IV. Non credit inter immodicas opes posse Deo serviri.

IV. Confidunt se nullo suo periculo posse inter acervos divitiarum servire Deo & cœlum ingredi. Quid tu ad hoc Joannes? Non credo, ait, non credo. Propterea enim è nobili parentum domicilio profugit ad Eremum, ubi in summa rerum omnium penuria ad 30. ferè annos vixit sub dio & in spelunca, quia nimirùm vidit perdifficile esse divitias habere & non amare, indeque non extolli. Consentit Ecclesiasticus cap. 31. dicens: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris: quis est hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* Quasi dicat: Miraculum est iste. Nam indicat primò divites plerosque abire post aurum, hoc est, cupidè & avarè quærere velut mancipia sequi, nec non per fas & nefas ad se rapere, sicut pisces escam hami, sicque eo capi. Aliud est, si divitiæ te sequantur: aliud, si tu illas sequaris. In hoc te bonum esse non credo: in illo libens concedo. Secundò indicat eos plerumque sperare in thesauris, unde incipiunt insolescere, & neminem curare, velut suo thesauro ita vallati ac comuniti, ut omnes alios ridere possint: sicut arx inexpugnabilis spernit & ridet hostes. Hinc S. Augustinus serm. 5. de verbis Domini ait: *Vermis divitiarum est superbia.* Et sicut rara poma inveniuntur, quæ non aliqua saltem parte à vermibus arrosa sunt, ita rari divites immunes à superbiæ verme. Propterea Apostolus 1. Timoth. 7. scribit: *Divitibus præcipe, non superbè sapere, nec sperare in incerto divitiarum.* Innituntur enim lubrico fundamento, ubi facilis lapsus est.

V. Non credit in fœminarum commercio servari castitatem.

V. Putant in fœminarum crebro commercio, collusione & convictu, se castos esse posse, non secus ac inter viros. Quid tu ad hoc Joannes? Non credo, inquit. Idcirco enim ad sylvas & feras, ac denique in carcerem potiùs abii, quàm ad aulam Herodis ne saltantem ibi puellam & Herodis pellicem aliamve fœminam viderem. Consentit illi sapiens Prov. 6. dicens: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant: aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam*, quasi dicat, miraculum erit, si castus manserit, uti confirmat S. Bernardus serm. 65. in Cant. cùm ait: *Cum fœmina semper esse & non cognoscere fœminam, nonne plus est quàm mortuum suscitare? quod minus est, non potes; & quod majus est, vis ut credam tibi:* quasi & ipse dicat: Non credo, non credo. Exemplo est Jacobus Eremita sanctissimus, qui ubi puellas sensim admisit ægras in cellam, ac curavit, tandem in fornicationem lapsus est, uti notum.

VI. Arbitrantur se inter pocula & dapes lautissimas, in continuis ac splendidis conviviis sine periculo versari, temperantes esse ac salvari posse. Sed Joannes ait; Non credo; propterea enim ipse non aliis cibis usus legitur, quàm locustis & melle sylvestri. Vinum & siceram non bibit, sicut Angelus de eo prædixit, sed aquam duntaxat. Mel sylvestre à sylvestribus apibus in arboribus vel petrarum scissuris confectum, ingrati & amari saporis est, teste Euthymio & Isidoro Pelusiota. Nihil ergo comedit vel bibit Joannes, quod gustum delectare gulamve irritare posset; sed quæ nauseam potiùs & horrorem pareret. Vidit enim quàm difficile sit in delitiis mensarum sobrium & castum esse, audire Dei monita & pia cogitare. Scivit Epulonem illum ideo damnatum, quia *epulabatur quotidie splendidè*, & hinc in alia peccata devolvebatur quasi necessariò. Qua de causa Moyses de monte Sinai descendens, cùm videret populum convivio indulgentem & vitulum erectum, iratus abjecit tabulas legis, & confregit ad radicem montis? S. Hieronymus exponit causam, quòd cùm populo proponere & inculcare legem Dei, in tabulis scriptam deberet; actum se acturum videret; quia gulæ servientes nequaquam capaces legis essent. *Frangit au lacter tabulas Moses*, inquit, *sciebat enim sermonem Dei audire non posse temulentos.* Quasi diceret Moyses Deo: putasne legem tuam ab istis audiendam & servandam? Non credo, non credo. Libido, choreæ, ludi, rixæ ab istis expectandæ sunt: sicut contigit. *Sedit* enim *manducare & bibere & surrexerunt ludere.* Exod. 32. Qualis iste ludus fuit? Rabini illud ludere exponunt fornicari, pro quo verecundiæ causa ponit sacra Scriptura, ludere, ut sentit Tertullianus lib. de jejunio. Quid enim delicatus cibus ac potus nisi ingluviem, quid ingluvies illa nisi Venerem parit, dum fomenta ei subministrat? Qualis iste ludus chorus & saltatio vitulina circa vitulum. Saturatus enim venter incipit saltare & luxuriari, ut vel in pecoribus patet. Qualis fuit ludus? rixæ & contentiones; quod videtur indicare textus, dum ait: *Sedit populus manducare: & surrexerunt ludere:* quasi concordes sederint, discordes surrexerint: sederint quasi unus, surrexerint quasi plures. Qualis denique ludus, nisi Idololatria? Eò ergo talia ventris mancipia deveniunt, ut Deus illorum venter sit, teste Apostolo ad Philip. 3. Huic erigunt altaria,

men-

menſas omni delitiarum genere inſtructas, ſacrificia ſunt epulæ. Velut Tertullianus contra Pſychicos ait: *Templum eſt pulmo, aqualiculus altare, ſacerdos cocus, Spiritus ſanctus nidor, condimenta chariſmata, ructus prophetia.* Deo igitur vero ſervire aliquis poſſit, qui huic Deo ſervit? non credo, non credo.

Quid ergo tandem credis Joannes de hominibus? Si à teneris incipiant ſtud[illegible]e pietati, eruntne boni deinceps? reſpondet: Credo. Si pravos ſocios fugiant, veſtium luxum averſentur, philargyriam, fœminarum commercia, Dalilas vitent: eruntne inter electos? Credo, credo, alioquin minimè credo.

THEMA III.

Quatuor potiſſimum ignes non excitandi.

I. *Relapſus poſt Baptiſmum.*
II. *Cupiditas divitiarum.*
III. *Diſſenſio & diſcordia.*
IV. *Impietas.*

Factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum. Luc. 1.

VEnerabilis Beda refert libro 3. cap. 9. Anglum quendam Furſeum nomine, nobilem genere, ed nobiliorem fide, in ægritudine jam depoſitum pro mortuo habitum, deductum fuiſſe ab Angelo ad ſpectanda inferorum loca. Interea, dum pro pſo pugnat Angelus contra malignos ſpiritus, juet eum reſpicere mundum. *Tunc vir ſanctus reexit & vidit vallem tenebroſam ſub ſe in imo poſitam, & vidit quatuor ignes ibidem in aëre aliquius ſpatiis à ſe diſtantes. Dixitque rurſum S. Angeus: Qui ſunt hi ignes? Vir Domini ſe neſcire reſpont. Cui Angelus S. dixit: Hi ſunt quatuor ignes qui undum ſuccendunt, poſtquam in Baptiſmo homini mnia peccata dimittuntur per confeſſionem & abrenciationem Diabolo & operibus ejus & pompis. us eſt mendacii, cùm hoc quod in Baptiſmo abrenciare Sathanæ & omnibus operibus ejus promiſent, minimè implent. Alter cupiditatis, cùm mundi vitias amori cœleſtium præponunt. Tertius diſſennis, cùm animos proximorum & in ſupervacuis reis offendere non formidant. Quartus impietatis, m infirmiores ſpoliare & eis fraudem facere pro nilo ducunt. Ignis verò in majus, effectus eſt unus, & i appropinquabat: timenſque ignem minacem, San Angelo ſecum loquenti ait. Ignis mihi appropinat. Cui reſpondit Angelus: Quod non accendiſti, n ardebit in te.* Tunc vidit Angelum præcedere ignem dividere; quem ipſe ſecutus, ſine damno nſiit. Solent hodie paſſim ignes accendi ad pu ſam lætitiam & honorem, ut opinor, S. Joannis, qui fuit *lucerna lucens & ardens*, nec non prænuncius veræ lucis, Chriſti. Non vitupero hos ignes, ſi hac intentione fiant, Sed video cum S. Furſeo, quatuor illos ignes in mundo adhuc ardentes, & in homines quamplurimos dirè graſſantes; imò homines in eos ultrò & certatim inſilientes, indeque in gehennam miſerè deſilientes. Hos igitur extinguere hodie conabimur, vel ſaltem cavere, ut ne ex nobis aliquis in eos deſiliat.

I. Primus eſt, relapſus poſt Baptiſmum in peccatum mortiferum, qui eſt gravis quædam perfidia in Deum commiſſa, contra fidem ipſi in baptiſmo datam, deſignatus per illum ignem, ad quem ſe calefaciens Petrus Chriſtum negavit. Luc. 22. Cùm enim Chriſtianus poſt baptiſmum, qui eſt mors peccatorum, iterum ad peccata redit, Chriſtum quaſi cum Petro contra factam ſponſionem negat, & ad hoſtem ejus transfugit. In baptiſmo enim renunciavit Sathanæ & pompis ejus, Chriſtoque ſe addixit in perpetuum. In cujus rei indicium veſte candida indutus eſt, quam olim ſeptem diebus, qui totum vitæ decurſum deſignant, geſtare oportebat: deinde nomen ejus catalogo baptizatorum, quaſi militum Chriſti inſcriptum eſt, denique ex antiqua conſuetudine, poſt depoſitas veſtes candidas, agnum Dei cereum recepit, ut moneretur Chriſti innocentiam conſervare, & præ oculis ſemper habere, ut refert Baronius anno 692. Piſces reperiuntur qui in aquis licèt nati, in terra tamen egrediuntur, apud Majol. tom. 1. Canicul. coll. 9. ſimiles Chriſtianis, qui ex aquis baptiſmi renati, in eodem lavacro purè ac ſine labe vivere deberent: voti tamen ſui obliti, in terram & terrena ſtudia ſe effundunt. Statuæ ſolùm Chriſtianorum, non veri Chriſtiani ſunt, qui poſt acceptum baptiſmum, non vivunt Chriſtianè, nec implent quod promiſerunt. Propterea uxor Lothi in ſtatuam ſalis verſa eſt, quia poſtquam è Sodimis educta fuit, iterùm retroſpexit, quaſi derelictam impiam civitatem cupiens repetere. Geneſ 19. Sal ex aqua gignitur, uti Chriſtianus ex baptiſmo. Salis ergo ſtatua, non verus ſal eſt Chriſtianus, qui poſtquam per baptiſmum eductus eſt ex perditione gentiliſmi, vivit adhuc more Gentilium. Hebræi etiam quando ad Ægyptum ejuſque ollas carneas cœperunt reſpectare, Deum ad iram concitarunt, ejuſque gladium in ſe acuerunt, & ignem excitarunt, quo innumeri conſumpti ſunt. Numeror. 11. v. 33. Sic & Chriſtiani, ſi poſt baptiſmum vitiis ſe rurſum dedant, accendunt ſibi ignem inferni, niſi pœniteant: vel ſi pœnitentiam agant, ſalem purgatorii aut ſimilium plagarum in hac vita, quas vitare poſſent, ſi baptiſmi gratiam retinerent. Perfidus eſt ſervus, qui fidem Domino dedit, nec tamen eum cuſtodit, id quod David exprobrat ſervo Saulis Abner, principi militiæ Saulis: *Nunquid non vir es tu?* 1. Reg. 26. Similimodo deridebuntur in inferno, à dæmonibus perfidi Chriſtiani, qui nomen Chriſto dederunt, nec

I. Relapſus poſt baptiſmum.

men ei servierunt, nec gratiam ab eo acceptam in se custodierunt. *Nunquid non viri*, nunquid non Christiani estis vos? Et ubi dominus vester, quem deseruistis?

II. *Cupiditas divitiarum.*

II. Secundus est cupiditatis; quo divitiæ hujus mundi amori cælestium præponuntur. Grassatur ignis iste per totum ferè mundum, estque insatiabilis, quemadmodum & *ignis nunquam dicit sufficit.* Prov.30. Accedit S. Basilius hom. in varia script. loca: *Avarus,* inquit, *igne vehementior est, omnia continuando finibus suis occupat: ea quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit. Non ea, quæ retro sunt, attendit, sed quæ his desunt, quæve ante se prospicit, à vicinis possessa, desiderat. Non ob ea, quæ possidet, lætatur, sed ob ea, quibus caret, angitur.* Exemplo est Achab Rex, qui capere quietem non potuit, donec vineam Naboth, sibi vicinam ad se raperet. 3.Reg. 21. Et quemadmodum pueri hodierna die ligna ad focum excitandum cantu commendicant: ita & avari quasi mendicando de paupertate sua quæruntur, ut plures nummos conquirant, quod exemplo illius Achab ostendit S. Ambrosius lib de Naboth c.2. in illa ejus verba: D*a mihi vineam tuam. Quæ alia vox stipem publicè postulantis, nisi: Da mihi Hoc est, da mihi, quia egeo: da mihi quia aliud vivendi, subsidium habere non possum, &c.* Et quemadmodū pueris illis non dantur ligna, nisi ferè inutilia, distorta, putria: ita & avari vilissima tantum bona ambiunt & sectantur, qualis est pecunia, à Deo in visceribus terræ abscondita, ideoque nec inter creaturas Dei à Moyse commemorata. Proinde videntur avari facere, quod canes, qui domum aliquam ingressi, pretiosa omnia negligentes: ossa duntaxat, quæ in angulis domus & sub mensis abscondita jacent, & sordes inquirunt, ut de illis dictum videatur id Psalm.16. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Adhæc sicut lychnus ardens nutritur oleo, idque ad se trahit undique, qua contingere potest, sed tandem igne suo & ipse consumitur: ita avarus ardens cupiditate, ad se quæcunque potest, trahit: interim tamen seipsum exedit curis & anxietatibus, uti pulchrè describit S.Basilius loco supra citato. *Iudex expectatur,* inquit, *& avarus cogitat, ne in jus trahatur, ne orphanus suas lachrymas in foro palam faciat. Noctè consultat, quomodo mane acerbos advocatos quosdam sibi præparet: quomodo persuasa testimonia conducat: quomodo & potentiam prævalendo & in judicio mentiendo pauperem destitutum ac solitarium opprimat, & utrosque expugnet, & judicem decipiens, & pupillum circumveniens, Ejus animam continuò hæ curæ mordaces absumunt. Canis latrat, avarus putat furem esse. Mus forte perstrepit, & avari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens. Filios jam grandes ut insidiatores aspicit, quod eorum jam ætas successionem expetere videtur. Quin avaris aliud oritur incommodum. Vitam victumque suum in digitis expendit: Ex opibus alias palam, alias vero clam habet, ad spes incertas seponens: spes, inquam; non spes.* Sic ille. Unde bene Ecclesiasticus cap.14. dixit: *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur, donec consumat arefacien. animam suam,* curis scilicet & solicitudinibus. Hugo tamen exponit, quod arefaciat animam suam curis exsiccando velut ligna, ut aptus fiat ad incendium gehennæ, juxta id Isa. 33. *Spinæ* (divitiarum *congregatæ igni comburentur.*

Denique sicut pueri à foco hodierno nihil pror sus emolumenti capiunt (neque enim se calefaciunt, neque aliquid coquunt aut cudunt,) nisi quo ipsum transilire pro delectatione habeant, etsi sæp suo damno, dum se aut vestes adurunt: ita & divites nihil ferè utilitatis capiunt è nummis suis, ni quod eos aspicere & numerare gaudent. Quis erg ignem hunc avaritiæ non futilem & inanem d cat?

III. Tertius est dissensionis, quo proximorū anim in rebus etiam supervacaneis offenduntur; qui rect exprimitur per ignem, quem inter colligatarur vulpium caudas ligavit Samson, quo & agros ac vi neas Philisthinorum dispersis undique vulpibus in cendit ac vastavit. Judic.15. Sic nimirum discordi inflammat mutuo odio nos, quorum capita in con trarium nituntur, & maximam, non solum inter i psos, sed etiam in Republica & communitate stra gem edit, dum amicos partium eodem igne invol vit & in factiones distrahit. Unde sicut ex uniu domus incendio ignis sæpe integram plateam au urbem totam invadit: ita duorum discordia sæp totam communitatem corripit & disperdit quem admodum factum à Guelphis & Gibellinis olim i Italia, ut proinde *ignis involvens*; qualem vidit E zech. c.1.v.4. appellari possit discordia, quia plur mos involvit. Duo illi infantes Jacob & Esau in u tero matris inter se collisi & quasi rixantes, tant matri dolores fecerunt, ut diceret: *Si sic mihi futu rum erat, quid necesse erat concipere?* Gen.25. No minus angustatur mater nostra Ecclesia ex disco diis filiorum, ita ut optare possit potius sterilitaten quam tales filios.

Deinde ignis, quidquid corripit, vastat & devo rat, quod non fit in aliis elementis. Aquarum enin inundatio, quod uni adimit, alteri dat: terra solu sepelit: ventus alio transfert, aut ad summum fran git. Sic & discordia prorsus omnia devastat, etia ipsos dissidentes, ut vere eis prædici possit id Ose 10. *Divisum est cor eorum: nunc interibunt.* Sic lapis Thyrreus, qui integer natat divisus mergitu teste Plin.lib.2.cap.106. Intellexit hoc & docuit s um Ducem Nicolaus, Friderici Saxonis morio. C n. fratres inter se agerent de dividenda inter se re gione, veste principis indutus in consessum procer venit, & Fridericum an placeret, interrogavit. Lau dante eum Duce, in cubiculū exivit & forfice vester dissecuit: mox alteram partem indutus Principi obtulit, & num jam etiam placeret, rogavit. Princi pe

pes & factum ejus virgis coërcendum minantur. *Vt libet*, ait ille Friderico, *modò & te virgis cædam, qui regionem tuam pulchriorem hac veste dilacerare conaris* Caussin. lib. 3. symb. Sensit hoc patria nostra, cum hæresin admisit, è qua fœda Germaniæ dilaceratio & utriusque partis enervatio secuta est.

Adhæc dum ignis in domos grassatur, adsunt interim fures sæpe, qui domos expilant. Sic dum duæ partes inter se litigant, sæpe hosti in prædam cedunt: non secus ac navis in tempestate, si vectores inter se diffideant, fluctibus hauritur. In Monomotapa superiori sæculo leo bubalum insecutus est. Bubalus ad mare cucurrit, ibi a crocodilo in littore mordicus comprehensus est, dumque inter se colluctantur, leo insecutus advenit, & bubalum pede correptum sternit, simulque crocodilum rostro bubali inhærentem è mari ejicit, qui collapsus ventre rupto crepuit. Sic leoni ambo in prædam cesserunt. Refert P. Nicolaus Godignus (olim meus in Theol. Professor) in vita P. Gonsali Sylveriæ l. 2 c. 8. Idem multis contingit; & habemus certè quod oremus, ne idem sentiat patria nostra, dum dissensione Principum inter se depugnat: ne, inquam, leo ille Turcicus adveniat & dissidium dirimat. Denique sicut ignis, ubi semel invaluit, difficillime extinguitur: ita & discordiæ, præsertim inveteratæ; adeò ut deprehensæ sint, quandoque inter mortuos etiam durasse, non secus ac inter pellem pantheræ & hyænæ, lupi item & agni, è quorum pellibus si tympana vel intestinis fides fiant, nunquam cohærent. Mirum hujus rei exemplum refert Cæsarius lib. 11. c. 56. *In Episcopatu Coloniensi duæ generationes rusticorum inimicitias mortales exercebant. Habebant autem duo capita, duos videlicet rusticos magnanimos ac superbos, qui semper nova bella suscitabant, suscitata fovebant, nullam fieri pacem permittentes. Divino igitur nutu factum est, ut ambo uno die morerentur: & quia de una erant parœcia, nomine Neuenkirchen, quia sic Domino placuit, qui per illos dissensionis malum ostendere voluit, in una fossa corpora eorum sunt posita. Mira res & inaudita cunctis, qui adessent videntibus, corpora eadem dorsa verterunt ad invicem, capitibus, calcibus ipsisque dorsis tam impetuosè collidentibus ut caballos indomitos putares. Mox unum extrahentes, remotius in alio sepulchro tumulaverunt, & facta est rixa eorundem mortuorum causa pacis & concordiæ vivorum.*

IV. Quartus est impietatis, quo infirmiores per vim & fraudem opprimuntur & spoliantur. Ignis sic appellari potest *devorans*, qualis erat Chaldæorum, devorans Judæos & substantiam eorum Joël 2. *Sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam*, quasi diceret; sicut ignis stipulam comburens strepit & crepat: sic strepent Chaldæi, cum arva Judææ instar stipularum arrodent & adurent, ut exponit Cornel. a Lap. Ignes ergo sunt Tyranni, qui *devorant plebem Dei sicut escam panis*. Psalm. 13 sicut qui Chaldæorum devorantes pascua & agros Judæorum, denique sicut ignis stipulam. Audiamus Ecclesiasticum cap. 13. *Venatio leonis onager in Eremo: sic & pascua divitum sunt pauperes*, quasi dicat, quod est onager leoni, hoc est pauperi diviti & crudeli domino: pabulum videlicet obvium & nullo negotio parabile. Quam facile enim leo sternit onagrum, tam facile dives pauperem, subditum præsertim. Quid facilius igni, quam devorare stipulam aut ligna arida? potenti infirmum? Ignis dum stipulam aut ligna vorat, strepit & crepat: ita & oppressores pauperum, nequaquam precibus aut verbis placidis, sed violentia & contentione agunt, minis & terrore, juxta id Proverb 28. *Leo rugiens & ursus esuriens. Princeps impius super populum pauperem* Adhæc sicut pueri ignem ligna devorantem cum gaudio transiliunt: ita & Tyranni, dum pauperes exossant, sibi applaudunt, nullo penitus habito Dei timore, nulla legis divinæ aut humanæ habita ratione, sicut dicitur Prov. 14. *Sapiens timet & declinat à malo: stultus autem transilit & confidit.* Transilit, inquam, leges & jura, confidens nihil inde sibi eventurum mali, imo se dominaturum legibus ac legislatoribus. Verum quemadmodum ignis, ubi pabulum suum devoravit, & ipse tandem devoratur, atque in fumum primum, deinde in auram evanescit: ita & prædones illi ad extremum, ipsi quoque ab aliis devorantur, & qui oppresserant alios opprimuntur. Cujus exemplum domesticum refert B. Petr. Dam. in Ep. ad Guiliam Marchionissam l. 7. Ep. his verbis: *Vt autem hanc Domini sententiam non ex longinquo sed ex domestico potius astruamus exemplo, soceri tui Vguzonis scilicet Marchionis uterinus frater fuit olim Comes Voertus: ejus uxor, dum in castro, quod Sciffena dicitur, habitaret, cuidam viduæ porcum tulit, eoque per coquorum industriam ad edulium præparato, prandium discubuit. Vidua verò quia victimam sibi reddi jam sæpe rogaverat sed ne hoc quidem, ut patienter audiretur, obtinere poterat, mulieri solemniter convivanti, dolore transfixa, se mulier obtulit & ut tenue saltem frustulum de suo sibi nutrimento porrigeret postulavit: quia non merueram, inquit, de nutritio spei meæ consueto more gaudere, liceat saltem extremi gustum saporis attingere. Quam petitionem fluens atque superbiens matrona despexit: eique quia nunquam ex illo manducaret, non sine contumeliæ jurgio denunciavit. Sed ô divina justitia ad plectandam impietatem atque superbiam gladio semper ultionis accincta! eodem planè die post prandium, dum præfata Comes in castrensis valli sederet secura crepidine, & saginatis ex aliena calamitate visceribus, nullius ruinæ periculum formidaret, repentino mox subficivio munitionis agger obruitur, & super infelicem mulierem immensa ruentis promontorii congeries cumulatur, perstrepentes undique phalanges hominum confluunt, fossores accedunt, terræ viscera perscrutantur, & dum diversis ferramentorum generibus collapsæ terræ moles hinc inde perfoditur, vix tenue contriti cadaveris vestigium reperitur. Ossium ergo artuumque particulas, quas non sine magni laboris instantia, ut ita loquar,*

excul-

exculpere potuerunt, sepulturæ tradiderunt. Sic sic dividi perfracta sui corporis meruit, qui frustum suinæ carnis petenti viduæ denegavit.

Denique qui pauperes devorant velut ignis, & ipsi aliquando ab igne devorabuntur. Ita testatur Isaias c.9. dicens: *Omnis violenta prædatio cum tumultu: & vestimentum mixtum sanguine* (pauperum scilicet expilatorum sanguine aspersum) *erit in combustionem, & cibus ignis.* Quomodo videlicet pauperes pascua & cibus eorum fuerunt, sic ipsi erunt pascua & cibus ignis tartarei. Non malè huc allusit Ludovicus XII. Franciæ Rex, qui dixit: *Credite: plebs & rustici sunt pascua Tyrannorum: Tyranni autem sunt pascua diabolorum* Beyrl. in Apopht ex Annal. Franc.

Vidimus quinam ignes & quanta hominum strage grassentur in hoc mundo: nec non quanto ipsorum grassantium periculo. Vos Audit. fugite hos ignes, & non modo eos nolite excitare, sed potius, si potestis, conemini extinguere, aut si non potestis, ne propè quidem, accedere. *Quod non accendisti, non ardebit in te*, ait Angelus Furseo. At si peccata peccatis addere, si avaritiæ servire, si dissensiones excitare, si infirmos premere, & eorum bonis vos ditare velitis, quid nisi ligna congeritis ad rogum excitandum, in quo ardeatis? Audite Isaiam cap.50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis*, quasi diceret; quomodo ambulatis in æterno igne? Et ut idem capite trigesimo tertio, dixit: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.*

THEM. IV.

Ignis Purgatorii quomodo transiliendus.

I. *Deponendæ sarcinæ.*
II. *Impetus præripiendus.*
III. *Nitendum baculo.*
IV. *Equus conscendendus indulgentiarum.*

Exultavit in gaudio infans in utero meo. Luc 1.

Ubivis ferè locorum hodierna die excitari solent ignes, & à juvenculis transiliri. Unde hoc ortum sit jam non disputo. Videtur mihi tamen originem Christianis dedisse saltus S. Joannis in utero matris ad Christi adventum editus; vel certè gaudium patris ejus in nativitate filii, cui dixerat Angelus; *Erit gaudium tibi & exultatio.* Verum quidquid de hoc sit, saltus hic puerorum est & ludicrus. Video ego alium rogum ardentem, minimè ludicrum, quem homines adulti sibi temerè accendunt, necessario aliquando ab ipsis transiliendum, nisi magno labore adhibito malint præterire, estque ignis purgatorii obsidens fores cœli, de quo S. Paulus 1. Cor. 3. *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quem quidem fæliciter transiliit Joannes, ejusque parentes, transiliunt omnes parvuli baptizati & adulti innocentes: sed alii plerique eheu incidunt in illum, tenenturque in eo, pro cujusque merito. Ait enim Dominus: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quid igitur? Estne modus aliquis transiliendi focum istum; ut ab eo non uramur? Est sanè & non unus: quos nunc proponemus; sed quia focus altus & latus est, vires intendendæ sunt, industriæ excogitandæ.

I. Qui transilire volunt, deponunt sarcinas, exunt calceos, & quæ impediunt, vestes. Faciemus nos hoc primò si per crebram confessionem v.g. hebdomadariam aut saltem menstruam deponamus peccata, alioqui *quanta erit peccati materia, tanta erit pertranseundi* (purgatorium) *mora*, ait S. Aug. hom. 16. lib. 50. hom. Neque solum gravia sed etiam levia ac venialia, uti monet Apostolus ad Hebr. 12. *Deponentes omne* (ergo etiam leve ac veniale) *pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:* quasi diceret: sicut cursores expoliant se vestibus & impedimentis omnibus: sic nobis exuenda peccata omnia, si expedite & sine retinaculo currere ad agonem mortis & cœlum velimus. Peccata instar vestium nos cingunt & gravant, ac tenaciter nobis adhærent, ideoque nisi crebra confessione deponantur, ignem in eo cursu & transultu, quem in morte faciemus ex hac in alteram vitam, concipient & urent nos. Vidi in fusoriis ferri officinis fabros ignitas ferri massas, nudos usque ad femoralia elaborare, quia si vel indusium vel alias vestes gererent, ignita ferri ramenta, quæ inter tundendum undique prosiliunt eorum vestibus adhærescerent, sicque eos urerent; at dum nudi sunt, minimè adhærent, ita ipsi nil patiuntur. Ergo volumus ignem istum transilire, ut nobis non adhæreat, nihilq; damni afferat? Exuamus crebro vestes peccatorum quorumcunque, quia hæ sunt, quæ flammam concipiunt, lustque. Certum est autem per injunctam & persolutam sacramentalem satisfactionem nostrique voluntariam confusionem, non solum culpas sed et pœnas, graviorum etiam peccatorum, bona saltem ex parte deleri. Hoc ni fallor est, quod Anachoreta quidam interrogatus: Quinam potissimum viam ad cœlum invenisset, respondit: *Si se homo semper accusasset*, apud Dorotheum doctr. 7. Quod fiet eo certius, si se coram Confessario accuset, quam si coram Deo solum: maximè, si sæpius & generali confessione.

2. Si deponamus etiam gladium, id est, appetitum vindictæ, quem habemus, cum ab aliquo graviter læsi sumus. Hoc enim facientes deponimus etiam debita, quæ contraximus apud Deum adeoque nil solvendum restabit. Dominus enim jussit nos orare: *Dimitte nobis debita nostra sicut &*

ni

nos dimittimus debitoribus noſtris. Et Lucæ ſeptimo *Dimittite & dimittemini*. Atqui nos pœnam dimittere proximis jubet, (quia culpam ipſe dimittit) ergo etiam promiſit ſe pœnam nobis dimiſſurum. Hinc Stephano oranti pro inimicis, aperitur cælum iſque effuſa illa oratione mox obdormit in Domino *Fœlix ſomnus & requies vera. Ecce quid eſt requieſcere; pro inimicis orare*: ait Auguſtinus ſermone ſecundo de ſancto Stephano. Requiem ergo quam precamur defunctis, ille obtinuit per orationem pro inimicis. Exempla volumus, Engelbertum Epiſcopum Colonienſ. in via à ſicariis dum occideretur, oraſſe pro occiſoribus ſuis: *Pater ignoſce illis*; ideoque ejus animam ab Angelis ſuſceptam & in cœlum delatam, ſcribit Cæſarius Heiſterbac. apud Sur 7. Nov. Ipſe enim cùm pro eo exequiæ fierent, apparuit celebranti dicens, ſe in choro Martyrum aſſumptum non egere illis precibus. Contra B. Hanno itidem Colonien. Epiſc. per injuriam ejectus à Colonienſibus cùm reos adhuc detineret & bona eorum, non recipitur ſtatim poſt mortem à Sanctis in conſeſſum, apud Sur. 4. Dec. Quare ſi inoffenſo Deo fieri poſſet, deberet ſibi unuſquiſque optare multos inimicos, à quibus læſus eſſet, quia hoc eſſet habere multos debitores, quibus ſi parva debita dimittas, dimittentur tibi à Deo magna.

II. Præcurſione impetum ſibi imprimunt, ut magis procul ſaltent. Hoc faciamus 1. ſi timeamus Deũ offendere deliberate ſeu dedita opera, etiam venialiter. Nam ſi ex ignorantia & inadvertentia labamur in venalia, vel ex fragilitate (quales lapſus etiam viri timorati ſubindè committunt) ſpes eſt habituros purgatorium leve & forte ſolùm privativum ſeu deſiderii: quale admittit probabili ſententia Bellarminus tractans de Purgatorio. P. Crombecius de ſtud. perfect. & oſtendere videntur hiſtoriæ quædam probatæ: una Drithelmi apud Venerabilem Bedam, alia apud Divum Gregorium libro 4. Dial. alia apud Dionyſium Carthuſianum tract. de Purgat. Quale etiam fuiſſe videtur S. Hugonis Abb. Cluniac. qui per triduum in vinea detentus ſediſſe velut ex itinere fatigatus, dum reſumeret vires, & pedum pulverem abſtergeret, ſcribitur apud Sur. 29. Apr.

2. Si priùs pœnas purgatorii præ oculis habeamus ac deprecemur. Ratio eſſe videtur, quia ſic videmur Purgatorii timore jam luere, ex parte ſaltem pœnas, quas meruimus, partim exaudiendi eſſe in noſtris precibus. Ad hæc facit, quod Hadrianus Junius de Crinib. c. 10. ſcribit Oſorium Diego Hiſpanum incarceratum & morti addictum, cùm ejus rei certior fieret una illa nocte juvenem totum incanuiſſe, ac proinde vita donatum, eo quod mortem jam guſtaſſe cenſeretur.

Qui ergo pœnas illas ſedulo præ oculis habent, jam eas delibare judicantur: quemadmodum fecerunt viri ſancti, Hilarion & Barlaam, ut de illo Hieron. de hoc refert Damaſcenus in vita Joſaphat & Barlaam. Hic enim morti proximus petiit preces Joſaphati: *Vereor enim*, inquit, *ne tenebroſum dæmonum agmen animo meo propter ignorantiarum mearum multitudinem impedimentum afferat*. Qui poſtridie mortis glorioſus ei apparuit. Sic Patriarcha Jacob valde timendo occurſum fratris ſui Eſau, meretur eum reperire placatum, Gen. 32. Sed quæ noſtra eſt miſeria! Perfecti viri plerumq; timent purgatorium, peccatores vero graves non timent: qui cauſam timendi vix habent, timent: qui quam maxime habent, non timent.

III. Baculo nixi ſaltum faciunt, de quo id Pſal. 22. poſſumus intelligere: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Faciemus hoc 1. præveniendo Dei juſtitiam & voluntarias caſtigationes aſſumendo. *Si enim nos ipſos dejudicaremus*, (id eſt, puniremus) *non utique dijudicaremur*, ait Apoſtolus 1. Corinth. 11. Et ſanctus Auguſtinus in ſententiis, Sent. 210. *Ceſſat vindicta divina, ſi converſio præcurrat humana*. Et B. Petrus Damiani libro 7. Epiſt. ult. voluntarias caſtigationes per flagella appellat quoddam purgatorii genus, quod ſuo tempore non monachis ſolum, ſed & nobilibus fœminis conſuetum fuiſſe aſſerit. Et lib. 6. epiſt. 1. *O quam jucundum, ô quam inſigne ſpectaculum, cum ſupernus Iudex de cœlo proſpectat, & homo ſemetipſum in inferioribus pro ſuis delictis mulctat! Ubi reus ipſe in pectoris ſui tribunalibus præſidens trifarium tenet officium: in corde ſe conſtituit Iudicem, in corpore reum, manibus gaudet ſe exhibere tortorẽ, ac ſi Deo ſanctus pœnitens dicat: Non opus eſt Domine ut officio tuo punire me præcipias, non expedit ut ipſe me juſti examinis ultione percellas: ipſe mihi manus injicio, ipſe de me vindictam capio vicemque meis peccatis reddo, &c. Hæc eſt hoſtia quæ viva mactatur ad Deum per Angelos oblata defertur* Sic ille. Sane libro 50. hom. 16. Sanctus Auguſtinus aſſeruit de purgatorii tormentis: *Omnia hic ab anima ſeparari per eleemoſynas & lachrymas compendioſa tranſactione potuiſſent*. S. Bernh. videns ultra vires metentem in agro converſum fratrem: *Eia frater; age quod agis*, inquit, *nullum aliud poſt hanc vitam purgatoriũ ſuſtinebis*. Refert Tho. Cantipr. l. 2. Apum c. 5. Male igitur ſibi conſulũt, qui hic eximii ab operibus mortificationis volunt, & diſpenſationes in jejunio quærunt: quia ligna, quibus urentur in purgatorio, ne ſibi ſubtrahantur, petunt.

III. Nitendum baculo.

1. Voluntaria caſtigatione.

2. Si hoc alicui aſperum videtur, amplectatur ſaltem obviis ulnis & patienter ferat morbos, inopiam, afflictiones ſibi hic immiſſas. Sic Deus de Hebræis in Babylone à peccatis ſuis per paupertatem & captivitatem expurgandis ait Iſaiæ 48. *Excoxi te ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis*. quaſi diceret: non cremavi te, ſicut merebaris, in camino ardentiſſimo, ſed in tolerabiliori paupertatis. Sic purgatum à levioribus maculis Lazarum mendicum, continuo abſque alio purgatorio in ſinum Abrahæ deportatum ait S. Gregorius ho. 40. in Evang. *Mala Lazari purgavit ignis inopiæ*, inquit

2. Patientia in ferendis calamitatibus.

Idem à potiori dico de doloribus mortis, qui ad hoc à Deo immittuntur sæpe justis, ut iis purgatorium redimant; quod testatur imprimis Monachus quidam Cisterciensis apud Cæsarium libro duodecimo capite 151. qui Prælato suo post mortem mox gloriosus apparuit, asserens peracerbos mortis dolores sibi purgatorii loco fuisse. *Ægrotabat unus è nostra Societate juvenis* (scribit Benedictus Fernandius Societatis nostræ Theologus Comm. in Genesin capite trigesimo quinto sectione decima, *necdum initiatus, sed sensu ille quidem ac virtute senilem supergressus ætatem. Igitur ingravescente indies morbo dicit ad aurem familiari socio: Heus tu mi frater, ora obsecro ad Dominum; grandis enim mihi imminet tempestas. Ecce subito ingruit multiplex dolorum cruciatuumque procella, æstuare pectus, ardere, premi frangique scapulæ, humeri, terga: caput totum quantum est tremere, perpungi, lanciaari. Quid plura? omnibus membris, ossibus, nervis, visceribus atq; medullis intimis corporis desævire malorum nec audita nec visa colluvies. Stupere interim omnes, condolere laboranti precibus ad Deum juvare, blandisque vocibus consolari æstuantem, ipse patienter agere: Dei clementiam, Virginis matris opem implorare. Perduravit hoc malum integras viginti quatuor horas: illo exacto spatio disserenavit undique tempestas: æger tandem in portu consistens atque in se rediens tantæ rei causam explicuit: petiisse nimirum se obnixe à Deo ut purgatorii pœnas sibi ante mortem præstitueret. quibus tandem perfunctus libere in cœlum subvolaret, postulatisque annuisse Dominum. His tandem expletis placide sancteque obdormivit in Domino in Collegio nostro Eborensi*, Sic ille. Quare ne æstimemus eos, qui in morte magnis afflictantur doloribus, ideo statim à Deo desertos & inferno destinatos: sed potius si bonam vitam duxerint, hic à Deo clementer expurgari, ut gravissimas purgatorii pœnas evadant. Eandem ob causam Mauritius Imperator optione sibi data, num in hoc aut altero sæculo expiare peccata vellet, hoc elegit, ideoque Phocæ traditus cum quinque filiis, videre debuit eos coram se plecti, seque ultimum subsequi. Baron. anno 602. ex Cedreno.

IV. *Equus conscendendus indulgentiarum.* IV. Quod si ista tibi duriora videntur, facilius adhuc subsidium superest: conscende equum & alienis pedibus transili. Equus hic indulgentia est, quæ Christi & Sanctorum meritis velut robustis pedibus nixa te facile trajiciet: si tamen fortiter equo adhæreas & præscripta accurate exequaris.

Trip. Do. 2. quadr. C. & D. Graviter offenderat Mauritius Imp. qui captivorum aliquot millia à Chagano Avarum Rege redimere noluit. Licet enim Rex primo pro singulis animabus singula tantum numismata, postea singulos nummos petiisset, dare tamen Imperator abnuit imo & quatuor siliquas daturum se negavit. Unde ira incensus Chaganus omnes occidit, qui post in visione Mauritium accusaverunt, & pœnas exegerunt coram Christi imagine, in foribus palatii existente, ut Baron. ex Cedreno & Nicephoro refert anno 600. Cogitate jam quam parum exigatur à nobis pro redimendis peccatis nostris per indulgentiam. Confessio & communio & oratio brevis, denique forsan unum jejunium: 4. sil. quæ nimirum. Si ergo numisma debitæ satisfactionis dare noluimus, aut non possumus, demus vel siliquas illas: ne alioquin iratus nobis Deus, vel hic pœnas infligendo, vel ibi purgatorium accendendo jure nobiscum agat.

Quando ergo nobis tam varii modi offeruntur redimendi animas nostras, sicq; ignem illum transiliendi, iiq; perfaciles, demus operam, ut facillima hæc media obviis ulnis amplectamur, ne sera nimis pœnitentia in ipsum ignem insiliamus, ibique sero nimis ignaviam nostram deploremus.

THEMA V.

Joannes quomodo alter Elias.

I. Quia similis ei in infantia.
II. In habitu & vestitu.
III. In victu & habitatione.
IV. In virginali castitate.
V. In officio & zelo prædicationis.
VI. In fœminarum insidiis.
VII. In martyrio.

Si vultis recipere, (Joannes) ipse est Elias. Matth. 11.

MEmini me vidisse ac novisse duos adolescentes nobiles patricios; eosdemque geminos fratres, adeo sibi per omnia fere similes, vultu, capillo, statura, voce, incessu, ut ipsa eorum mater in iis dignoscendis subinde erraret, & unum pro altero evocaret. Nisi scirem Christum ipsam Dei sapientiam adeoque infallibilem esse; subire in mentem posset, ipsum plane errasse in dignoscendis à se mutuo duobus illis Prophetis, Joanne & Elia. Ita enim loquitur Matth. 11. *Omnes Prophetæ & lex usque ad Ioannem prophetaverunt: & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Quomodo Elias, qui Joannes? quomodo venturus, qui jam venerat? Rursum Matth. 17 *Elias quidem venturus est, & restituet omnia: dico autem vobis, quia Elias jam venit.* Quomodo jam venit si primum venturus est? Utiq; rursum Eliam nominat pro Joanne, qui fuit præcursor primi, uti Elias erit secundi ejus adventus. Nimirum duo hi præcursores adeo sibi similes erant, ut unus ab altero difficile discerni posset. Et certe errarunt in illis Judæorum sacerdotes & Legisperiti, qui ipsum interrogarunt, an Elias esset. Eliam ergo Joannem Dominus appellat, primo propter Judæos, qui secundum Christi adventum cum primo confundentes, non credebant jam venisse Messiam, quod Elias juxta Malach. 4. Prophetiã nondum apparuisset; quibus respondet Joannem esse Eliam alterum; qui,

qui, ut Elias secundum, ita ipse primum Christi adventum præcedere habeat. Deinde, *non quod eadem anima*, inquit sanctus Hieronymus ibi & epist. 151. ad Algasiam, *ut hæretici suspicantur, & in Elia & in Ioanne fuerit, sed quod eandem habuerint Spiritus sancti gratiam; Zona cinctus ut Elias: vivens in eremo ut Elias: persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit à Iezabele: ut quo modo Elias secundi præcursor adventus est, ita & Ioannes venturum in carne Dominum Salvatorem non solum in eremo, sed etiam in matris utero salutarit & exultatione corporis nuntiarit*, Quæ hic expendemus.

I Elias alter fuit in infantia, quæ miraculoso omine demonstravit, qualis & quantus aliquando Joannes esset evasurus; siquidem miranda in ejus ortu contigerunt. Natus est à sterilibus parentibus, prænunciatus ab Angelo, os muti patris aperuit nomine suo, mentem prophetico lumine replevit, nomen novum miro parentum consensu accepit: à Deipara in utero matris salutatus exiliit, ac denique in eodem adhuc existens Spiritu sancto repletus & usu rationis donatus fuit. Quæ omnia indicabant fore ipsum insignem & admirandum Dei prophetam: dignum cujus testimonium de Christo ferendum ab omnibus admitteretur. Jā vero & Elias sua in infantia divino non caruit ostento, quo denunciaretur qualis & quantus aliquando propheta futurus esset. Tradit enim S. Epiphanius in vitis prophetarum (in Elia) eum flamma enutritum, in signum ardentis eloquii. Sic & Dorotheus in synopsi: *Cum nasciturus*, inquit, *esset Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari & igne tanquam fasciis involvi, & flamma ignis velut cibo ali. Et Ierosolymam profectus rem istam indicavit, dictumque est illi ex oraculo, ne timeret: fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam sententiam haberet, judicaretque Israëlem in gladio & igne.* Hoc ergo ostento Deus Eliæ quoque, non secus ac prædictis illis Joanni, conciliare auctoritatem voluit, ut ejus dictis & mandatis, veluti divinitus acceptis, fides haberetur. Frequens illud accidit viris eximiis, quos ad reformandos populos mittere Deo placuit: divino testimonio ab infantia eos condecorare atque inauthorare. Sanctus Dominicus sæculi sui Elias, matri per ardentem faculam infans in utero demonstratus fuit; ut in ejus vita. Manus rubri nitoris, cœlitus extensa & ad ostium domus, in qua nascebatur Sanctus Guthlacus Anachoreta, miro fulgore coruscabat, in ejus vita 11, April. Matri S. Ursmari Episcopi gravidæ panis de cœlo, quo filium aleret, porrigi visus 18. April. Sur. Taceo alia. Quia igitur Joannes æque ac Elias imo multo magis præco divinæ veritatis & morum corruptorum reformator futurus erat, voluit Deus utrumque ab ipsa statim infantia suo om. munire testimonio: quo modo Principes tabellarios suis ornant insignibus, in balteo gestandis ut fides eis adhibeatur.

II. In habitu seu vestitu. Elias enim *vir pilosus*, hoc est, barba & capillo prolixo atque intonso, & zona pellicea accinctus erat renibus; 4. Regum 1. velut homo Eremicola pœnitentium habitum gerens. Similiter & Joannes vestitus erat pelle & pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos gerebat Mat. 3. Nimirum uterq; virtutum præco, & vitiorum redargutor esse debebat; quocirca etiam habitum virtuti congruum, qui non est nisi asper & incultus, assumere ac gerere.

Primo, ut ipsi hac ratione carnem suam castigarent, atque in officio continerent. Interrogatus de hoc aliquando B. Ægydius, unus è primis S. Francisci sociis, cur Joannes, qui nulli peccato obnoxius erat, tam austeram egisset vitam, præcingendo carnem veste tam aspera, respondit: *Sicut carnes condiuntur sale ne putrescant: ita corpus Baptistæ conditum fuit pœnitentia.* ut in Annalib. Franciscan. Joannes ergo, qui tam edomitam ac pene emortuam habuit carnem, cilicio eam frænat, qui vero ad omne malum prurientem habent, mollibus eam vestiunt; ille in pilis camelorum, carni suæ metuit: isti in serico & bysso præfidunt.

Secundo, ut hac ratione peccatores excitaret ad pœnitentiam & à vitiis abstraheret. Solet enim vel aspectus ipse habitus austeri animum concutere, & pudore suffundere eos, qui in delitiis vivunt. Hoc artificio conjux S. Faronis, de viri consensu Deo sacrata, cùm ab ipso, dæmonis suggestione tentato, ad priores conjugii voluptates pertinaciter evocata esset; tonsis capillis, horrido se cilicio induit, eaque deformitate viro se visendam obtulit, sicq; ejus cupidinem fregit, abhorrētis à tam deformi habitu; ut in ejus vita 28. Oct. Baptistam imitata est. B. M. Oigniacensis. *Sciens enim beatissimum Ioannem ab asperitate vestium à Deo commendatum, & dictum esse à Christo. Qui in domibus Regum sunt, mollibus vestiuntur. subucula ad carnē uti noluit, sed aspero sacculo cilicino; tunicam habuit laneam coloris albi, & ejusdem coloris pallium simplex, absq; ulla vel pellium vel alterius panni subductione: non ignorans primos parentes nostros post ruinam à Domino, cum nudi essent, non vestibus pretiosis, vel multa arte tinctis, sed tunicis pelliceis indutos fuisse. Harum ergo vestium simplicitate contenta, cum intrinsecus ferveret, nullum æternum metuebat frigus, nec opus habebat igne, quo frigus hyemis depelleret: imo mirandum in modum cum hyems, asperior glaciali frigore aquas constringeret, uti fervebat intus spiritu, sic foris corpore, præsertim inter orandum calebat, idque adeo, ut ex sudore ejus aromatico nonnunquam etiam vestes redolerent. Et erat plerumque sanè odor vestimentorum ejus, sicut odor thuris, cum ex cordis thuribulo preces Domino offerret. Quid hic dicturæ estis vanæ & fastuosæ mulieres, quæ multa indumentorū varietate oneratis cadavera vestra, & vestibus lōgas caudas trahentibus, degeneres vos & belluinas declaratis, circumornatæ templorum instar? Vestra vestimenta comeduntur à tineis, & putent: sanctæ hujus mulieris vestes in reliquiis habētur & suaviter redolent.*

Sunt hæ nimirum pretiosæ vestes, quas licet admodum tenues nullum potuit penetrare frigus, atque ideo propter frigus sanctificatæ sunt: propter sanctificationem autem post ejus obitum ab hominibus piis & diligenter asservantur & pietatis affectu honore afficiuntur. Ita Jacobus à Vitr. Cardin. in vita 23. Junii.

III. *In victu & habitatione.*

III. In victu & habitatione. Elias fere in locis tantùm solitariis, ut in spelunca Oreb, ad torrentem & in monte Carmelo, habitabat; ubi non nisi vilissimo victu herbarum & radicum vitam tolerabat: ad torrentem vero Carith à corvis pascebatur. tertio Regum decimo septimo. Joannes Baptista & ipse à tenera ætate eremum incoluit, ubi locustis & melle sylvestri, apum opera confecto, se sustentabat. Eliam ergo corvi, Joannem alunt apes. Ita nimirum militantibus Deo stipendia non desunt & ministrant etiam bruta animalia ministrantibus Deo. *Corvis præcepi*, inquit ad Eliam Deus, *ut pascant te ibi*; pane scilicet & carnibus cùm tamen corvi suosmet pullos pabulo destituant, & carnibus maxime inhient. Quare qui divinæ se fidei & curæ committunt, Deum pro se solicitum experientur. Interim mirandum valde, quod viri isti sancti non contenti foris aspero vestitu impugnasse carnem eam etiam intus inedia & vili cibo aggredi & conficere voluerunt. Quam male igitur sibi consulunt, qui carnem, hostem suum intestinum, deliciis impinguant, & contra se ipsos nutriunt ac corroborant? Multi hodierna die ad rogos excitatos festiva gaudia celebrant, potibus & saltibus vacant, iisque vehementiorem libidinis ignem in seipsis excitant. Hoccine est colere festum Joannis, quem sciunt Deo placuisse jejunio & inedia.

IV. *In virginali castitate.*

IV. In virginea castitate. De Joanne nullum in hærere dubium. De Elia idem sentit communis veterum Patrum constansque sententia, & satis indicat solitaria ejus vita, quam fere in monte Oreb, aut in alienis ædibus precario degebat. *Elias erat in virginitate*, inquit sanctus Epiphanius in Ancorato; *ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo.* Sanctus Ambrosius libro primo de Virgin. per illam meruisse vult, ut curru igneo raperetur. Sanctus Ephrem sermone de Transfiguratione ait: *Aspexit virgo Veteris testamenti virginem novi, Elias nimirum Joannem.* Neque admodum mirandum in tanta solitudine & vitæ austeritate thesaurum virginitatis facile servatum esse; id tamen observatione dignum videtur, quod Joannes etiam in aula Herodis, quam utique frequentasse aliquoties debuit, quando eum redarguit, castitatem suam illibatam conservarit, quemadmodum & Elias apud viduam aliquamdiu commoratus eandem firmiter tenuit. Quis enim nescit aulæ pericula, & conversationis cum mulieribus? Sed nimirum in tuto versatur castitas, ubi servatur abstinentia & nihil ad victum suppetit. *Qualis illic fuit communitatis affectus, ubi non erat victus? Et qualem ad viduam Elias habuit introitum cui fames dedit hospitium?* inquit sanctus Cyprianus libro de singul. cleric. Tres illi adolescentes quia abstinentiæ addicti erant, nihil in fornace Babylonica passi sunt, ambulantes cum Angelo in flammis velut inter flores. Adhæc Elias non sua sponte adiit periculum, sed Dei imperio ut ibidem observat S. Cyprianus: quo casu Deus gratia sua tuetur servos suos; secus si periculo sponte quis se ingerat.

V. In officio & zelo prædicationis. Joannes ante Christi primum adventum missus ad prædicandum est. Elias mittetur ante secundum, uterque in eo officio strenuus & igneus; unde Joannes *lucerna ardens & lucens* à Christo appellatur, Joannis quinto ardens, inquam, zelo honoris Christi & fervore amoris. Unde graviter increpabat incredulos: *Progenies viperarum* &c. Matthæi tertio. Elias vero propter igneum fervorem *ignis & facula dicitur* Ecclesiastici quadragesimo octavo. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Non timuit Joannes corripere Regem Herodem: nec Elias Regem Achabum. Joannes erat vox clamantis, Judæos ad pœnitentiam & baptismum suscipiendum fortiter impellens: Elias fuit ignis, ignea verba promens, ignem de cœlo evocans partim in delusores suos, partim in sacrificium suum. In eo munere uterque non suum, sed Dei honorem quærebat: Joannes ut Judæos ad Christi fidem & baptismum suscipiendum præpararet: idcirco etiam discipulos suos à se ad Christum potiùs sectandum ablegabat, dicens: *Ecce Agnus Dei*, reliquum etiam populum ad Christum dirigebat, ut cum dixit: *Medius autem vestrum stetit &c.* eandemque ob causam amicum potius sponsi Christi, quam servum se appellavit, Joannis tertio, quia servi sæpe invident fælicitati dominorum; amici vero gratulantur & applaudunt, eamque promovere laborant. Unde Sanctus Chrysostomus homilia 17 in Joannem de ipso ait: *Unum tantum curabat, ut Christo omnium animos conjungeret.* Eadem mens & intentio fuit Eliæ, Judæos ab Idolorum ad veri Dei cultum retrahere; unde dixit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.* 3. Regum 19. eodemque zelo quæret lucrari Christo Judæos ante secundum ejus adventum. Joannes excisionem Synagogæ comminatus & vaticinatus est: *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur &c.* Matthæi 3. Elias Regi Achab excisionem domus suæ. Denique par fructus utriusque præconis est. De Joanne asserit Angelus Lucæ 1. *Convertet corda patrum ad filios* (ut scilicet imitentur suos Patriarchas, fideles & sanctos) *& incredulos ad prudentiam justorum.* De Elia vero asserit Malachias capite 4. id ipsum plane: *Convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum*, quod faciet potissimum ad finem mundi, cùm plerosque Judæorum convertet.

VII. In fæminarum insidiis. Eliæ insidiabatur Jezabel impia Regina; quod cœlum verbo, ne daret plu-

pluviam, clausisset & pseudoprophetas occidisset: Joanni insidiabatur Herodias, quod Herodis cor ab ipsa averteret, velut ab illegitima conjuge. Eliæ intolerabile visum, à Jezabele necari; timuit ejus minas & fugit, qui non timuit se Regi sistere, nec copiosum prophetarum impiorum agmen occidere quodque magis mirum, in ea fuga sub junipero cubans, petivit animæ suæ, ut moreretur, interim tamen à Jezabele timuit necari: Nimirum optabat potius à Deo occidi, quam à Jezabele, duas, ni fallor, ob causas. Primo quia ipsa ei infensa erat. Quæ autem ab inimico veniunt, inimica sunt: quæ ab amico, amica; & licet amara sint, dulciter tamen accidunt. Hinc Saul vulneratus, ne ab hostibus necaretur, suo potius gladio incubuit: & David ne ab eodem Saule, capitali inimico suo, interficeretur, dixit onathæ, amico suo: *Si est iniquitas aliqua in me; tu ne interfice & ad patrem tuum ne introducas me*, I. eg. 20. Secundo quia fœmina, non vir ei insidiabatur; fugiunt autem ignobilem mortem animi generosi. Hinc Abimelech à fœmina jactu lapidis prostratus, voluit ab armigero suo interimi, ne diceretur manu fæminæ interemptus Judicum 9. Zebee Salmana Reges detrectarunt necari ab adolescēlo, voluerunt à viro. Judicum 7. Aristides mustemorsu ad necem vulneratus, dolebat se à tali beola, & non potius à leone vel pardali necari. Æn libro 14. cap. 4. Afri pro honore ducunt ab elehantibus interfici, idque laudibus celebrant & honorifica sepultura, eod. auct. lib. 12. c. 55. Ergo & Es hujusmodi ignobilem mortem videtur timuis & evasit certe; sed non evasit Joannes, qui Herodis suggestione ac dolo caput suum amisit: cus proinde mors, quo ignobilior erat coram mun, eo nobilior & gloriosior erat coram Deo. Ma- r ergo in hoc fuit Elia; quia & inter natos mulie- m nemo eo major. Deliri nimium mortales, qui tremo vitæ tempore animam agunt; & sæpe de neris honore; de sepulchralibus saxis & epitaphide filiorum commodis, de quibusdam post se rudiculis, de nullius momenti rebus soliciti sunt & cum de re omnium maxime necessaria, de rane Deo jam reddenda; de peccatorum expiatioaut nullam aut levissimam suscipiant cogitation. Fatui & illi qui ex ipsis etiam gladiis, venenis; isque, quibus moriendum, instrumentis aucutur gloriolam. Et quam sæpe falluntur? De Ale ndro Imp. Lampridius: *Tantum, ait, animi habuit, putaret se Diis comparandum si in bello periret.* res eum fefellit. Nam gladio quidem barbarico cidit, & suo in tentorio, ab impura imbellique bari scurræ manu. De Heliogabalo Imperatore m Lampridius: *Paraverat funes blatta & serico cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret. Paraverat & gladios aureos, quibus se occideret si aliqua vis urgeret. Paraverat & in ceraunis & hyacinthis & in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid gravius immineret. Fecerat & altissimam turrim, substratis aureis; gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, & ad speciem luxuriæ, ut diceretur, nemo sic periisse.* Sed nihil ista valuerunt. Nam contra votum suum & occisus est per scurras, & per plateas tractus, sordidissime per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est. Erratis ergo impii, erratis. Quomodocunque fiat, ferro, saxo, ligno, manu, semper gloriosa, nobilis, pretiosa est sanctorum mors in conspectu Dei: vestra vero semper ignobilis, obscœna & infamis.

VII. In martyrio. Joannes quidem gladio Herodis occubuit, & vere martyr fuit, quia velut præco justitiæ & defensor castitatis, reprehensor vero incestus Herodiani, conjugis incestuosæ instinctu necatus est. Elias vero martyrium & ipse cum socio suo Enoch subibit, machinatione Anti-Christi in civitate Jerosolymitana, ut habetur Apoc. 11. Joannes, quia Herodis scelus libere redarguit, vitā martyr amisit: Elias, quia Anti-Christum ejusq; asseclas liberrime & ipse per urbes & pagos, ipsamque Anti-Christi regiam reprehendet, & Christum prædicabit, vitam suam martyr amittet. Sic uterq; victima Christi, ille castitatis fuit, hic religionis erit: uterq; in cœlo similem aureolam ob similem vitam cœlum & certamen obtinebit. Ipsorum vero hostes Herodes & Anti-Christus suas quoq; forte non dissimiles in inferno sortientur pœnas.

VII. *In martyrio.*

THEMA VI.

Rogi solstitiales typus vanitatis mundi.

I. *Mundus mendicat bona sua.*
II. *Pueri sunt, qui mundum amant.*
III. *Non fruuntur bonis suis.*
IV. *Non diu gaudent.*
V. *Exacto gaudio solus manet cinis.*

Super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Lucæ I.

Video per hos dies Auditores passim in montibus circumjacentibus, nec non in plateis urbium ignes festivos, ad vesperam accensos. Quid illi sibi volunt? Si Germanos audimus, indicat, (ex vocabulo Sonnwends Fewer/hoc est, ignis solstitialis) Solem jam attigisse summum altitudinis gradum; adeoque jam cœpisse declinare & à nobis recedere; sensim subducendo suum calorem, suam amœnitatem, suam activitatem. Quæ in re cum rogis, quos nunc excitamus magnam affinitatem habet. Illi enim cùm accenduntur, ignis paulatim in altum exurgit: deinde sensim deficit, subsidit & extinguitur: ad instar nimirum Solis, paulatim ascendentis, iterumque descendentis.

At vero, ô filii hominum, quomodo in Sole, quomodo & in rogo, quem vos accenditis, non videtis nec palpatis vanitatem & inconstantiam gloriæ hujus mundi? Quod speculum nitidius proponi vobis potest, quam hic ipse rogus? Et tamen in hoc speculo, quod ipsi sibi proponunt miseri mortales, seipsos non agnoscunt. Ergo ad instar Socratis, qui ingenuos adolescentes ad speculum ducebat, ut in eo se contuerentur, ego quoque ducam filios hujus sæculi ad rogos illos suos, ut in illis se inspiciant, & una mundi vanitatem.

I. *Mundus mendicat bona sua.*

I. Ad huncrogum excitandum solent per vicinas domos emendicari ligna. Qui in mundo effulgere & splendorem suo nomini & familiæ excitare volunt, coguntur in hunc finem omnia emendicare; quæ commoda & necessaria sunt. Inprimis magnam dotem à parentibus non tam accipiunt, quam mendicant ac sæpenumero extorquent, aut etiam lachrymis emungunt, quandoque etiam furto. Scimus illos duos fratres Jacob & Esau paternam hæreditatem, partim astu, partim lachrymis exorasse & pro ea contendisse atque odia concepisse. Gen. 27. Axa illa filia Calebi, cum in dotem accepisset agrum edocta a marito petere augmentum dotis, cum suspiriis id emendicavit: *Terram australem & arentē dedisti, junge & irriguam.* Jos. 15. Et quid aliud agunt sponsi, quando in suis nuptiis ad finem convivii apponunt scutellam in mensa, quam ut munera nuptialia, velut honoraria sibi emendicent? Audimus Regem Achab ab uno cive mendicantē quasi vineam 3. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est & prope domum meam.* In quæ verba S. Ambr. l. de Naboch cap. 2. *Quæ alia*, inquit, *vox egentis est? Quæ alia vox stipē publicè postulantis, nisi, Da mihi, hoc est, Da mihi, quia egeo: da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum: Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia?* Deniq; jus Regis, quod describitur. 1. Regum 8. nonne aut ex tyrannide, aut ex mendicabulo constat? *Filios vestros tollet & ponet in curribus suis* &c. Omnia nimirum Reges à subditis vi quadam extorquent, quasi jure regio. Unde enim nisi ex vectigalibus & contributionibus subditorum vivunt? Nonne illi ad Reginarum cultum olim contribuere debebant, & alicubi adhuc debent? Testatur illud Cicero Actor. 5. in Verrem, quem accusat, quod in quæstura sua sit ausus consuetudine uti regia, qua reginis ad ornatum attribuebantur civitates. *Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines*, &c. Hoc vero Tursellinus in vita S. Xaverii de Regina Lusitaniæ in cujus soccos emendos contribuebant Indi. Quid ad extremum dicam de dignitatibus, titulis nobilitatis, officiis, beneficiis, præbendis? nonne hęc omnia multis obsequiis, muneribus, precibus & quandoque lachrymis, togatorum prensationibus, amicorum intercessionibus emendicantur verius quam comparantur?

II. Pueri fere & juvenculi tantum sunt, qui rogos illos excitant, transiliunt & circumeunt: non viri & adulti multo minus senes. Qui sunt illi, qui ad parandum sibi in mundo splendorem, delitias & divitias, adeo mendicant, cantant, currunt, laborant? Parvuli sunt & pueri, teste Sapiente Prov. 1. exclamante: *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* Non hoc ad infantes ætate (qui non nisi infantilia sciunt tractare) loquitur, sed ad viros & maturos. Infantes tamen appellat, quia quod agunt infantes, ludendo par impar, ædificando è luto casas, equitando in arundine, sufflando bullas: hoc agunt mundi amatores, dum negotiantur, ædificant, equitant, monumenta sibi pomposa excitant. Pueri in campis ludunt, viri in curiis & officinis suis: illi crepundia, hi fluxa & caduca tractant. Demonstrata fuit Illi Alexandro M. lyra Paradie, tanquam res magni momenti; sed ille desiderabat potius lyram Achillis, qua fortium virorum laudes canerentur. Quid lyra vilius? quid puerilius? apud Ælian. 9. var. hist. c. 38. qui immediate subdit cap. seq. *Quis neget hos amores & ridiculos esse, & absurdos? Primum Xerxis, quod platani amore capiebatur Deinde cujusdā adolescentis Atheniensis, honesto loco nati, qui statuam bonæ fortunæ ad Prytaneum stantem, deperibat, & sæpe in complexus ejus se insinuans, oscula dabat: atq; inde raptus in furorem, æstroq; percitus, propter cupiditatem, in senatum venit, & enixe rogavit, ut sibi eam liceret utcunque magno emere. At quum nihil proficeret: multis redimita tæniis & coronis imaginē coronata oblato sacrificio ipsaque precioso vestitu exornata, profusis innumerabilibus lachrymis ipse sibi mortem conscivit.* Merito hic auctor ridet hunc adolescentem: sed nonne magis ridendi sunt illi, qui pro fortunatissimo virtutis ac veræ fælicitatis statu exanimem & frigidam instabilis fortunæ statuam tam furiose amplectuntur & exosculantur? cumque mundo desiderato nequeant potiri, sibi mortem animæ stultissime consciscunt? nonne hi pueri dicendi, stultiores isto puero? Et pueri quidem ibi maturiores fiunt, rogos illos & crepundia spernunt: non ita tamen sectatores mundi; quin imo ad sepulchrum usque suis nugis immorantur. Audiamus de hoc Beatum Nilum in libro ascetico: *A pueris discamus ad præstantiora contendere. Nucibus exempli gratia & talis & pila ludunt; his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quo ad prudentia sunt imperfecta. At cum aliquis eorum in virum evaserit, ea abjicit, & ad gerendam Rempublicam omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes ludicra & risu digna suscipimus, neglectisque melioribus, prudentiam viris convenientem sumere recusamus, & terrenis in rebus studium ac delectationem nostram collocantes risum movemus his qui natura duce recte judicant. Quemadmodū enim turpe est, virum ætate provectum in cinere aut pulvere considentem, puerilia describere: Ita turpe, imo longe turpius est eos, qui de rebus alterius sæculi perfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere*

pulvere volutari & studiorum turpitudine professionis suæ fædare perfectionem.

III. Ex linguis illis undique conquisitis luculentum rogum accendunt, sed nulli prorsus usui. Neq; enim ad illum se calefaciunt, neque laborant, neq; coquunt aliquid; sed præcise eum aspicere, transilire & cum choro atq; cantu circumire gaudent. Per ignem veteres nominis splendorem & gloriam designabant, teste Pierio l. 46. hierogl. Unde Persarum Regibus ignem præferre solebant. Et hoc est, quod potissimum quærunt mundi asseclæ, nominis splendorem, familiæ suæ exaltationem, ac denique potentiam. Verum inprimis non semper nec continuo exoritur hic ignis; multis sufflationibus, multis fomentis opus est, donec flammas in altum mittat, donec splendor hic acquiratur. Deinde licet invalescat; quid inde utilitatis habent, qui eum accendunt? circumstant & aspiciunt illum. Et hoc unum ferè mundani habent, quod honores, prædia, thesauros vestes suas splendidas aspiciant. Ita enim clare Ecclesiast. c. 5. asserit: *Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Quod & benè ndicavit ille primus, qui ad cœnā magnam invitaus excusavit se; *quia*, inquit, *villam emi, & necesse habeo exire & videre illam*. Luc, 14. Tota ferè delectatio, totus usus est in videndo. Ignem aspicere otes, & parumper inde lætari; sed tangere non audes. Quàm multi intuentur solum aureos suos nummos, aurea sua vina, aureas vestes & similia; tangere tamen non audent? non expendere? non haurire? on induere? Deinde ignem hunc in choro & cantu rcumeunt: interim tamen eundo nihil proficiunt, et toto die ambulent. Rotæ molendini diu noctuque gyrantur, nullo tamen progressu: Samson excæcatus molam & ipse vertens, totis ambulavit diebus; nunquam tamen è molendino egressus; nec ad rram suam, unde miser abductus erat, regressus: sed eodem semper loco hæsit. Jud. 16. Qui mo-n hujus mundi vertunt: honores, opes, delicias ærunt; nonne & ipsi continuò laborant, currunt, currunt, cogitant, excogitant usque ad vitæ periculum? Sed quid ibi demum inveniunt? quos ad ve- fælitatem progressus faciunt? Nullos omnised inveniunt seipsos eodem planè loco; æquè eros, nudos, inopes, famelicos, desolatos, ut anerant. Sic redeunt in terram, unde exierunt. Atistud est quod Ps. 11. dicitur: *Impii in circuitu ulant. Qui rerum magis specie; quàm auctore deiti prius universa percurrere, & de singulis cupi experiri, quàm ad ipsum curent universitatis unum pervenire*, ait S. Bernh. in illum locum in diligendo Deo; velut si quis hinc Viennam ad eratorem iturus, civitatem nostram semper cirret & omnia lustraret; nec tamen hinc egrederr.

enique pueri ignem illum transilire gaudent. agunt mundi asseclæ, dum splendorem suum, sortiti sunt in honore, opibus, voluptatibus; minùs iis contenti transcendere laborant, & altius altiusque supra alios saltare. Quis enim suis bonis ita contentus esse cernitur, ut non plura & plura desideret, quasi nihil adhuc habeat? Certè etiam in ipso Christi collegio Jacobus & Joannes, postquam in consortium & familiaritatem Christi specialem asciti sunt, necdum sua fortuna contenti, altius exsilire supra alios condiscipulos ad Christi dextram & sinistram cupiebànt. Quantò facilius credas, non à Christi sed mundi sectatoribus hujusmodi saltus edi, ut statum suum evehere supra alios laborent? At verò uti illis saltibus multi incauti pueri sese comburunt: ita etiam ac sæpissimè, qui sorte sua non contenti, ad altiora contendunt; deprehendunt se invidiæ expositos, curis & solicitudinibus oppressos, laboribus oneratos, casui propinquos. Hinc Sap. 5. fatentur ex inferno: *Lassati sumus in viis iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.*

IV. Ignis ille parum durat, forsan ad horam unam aut mediam, tum sensim extinguitur, & omnibus ad sua abeuntibus destituitur, nec ab ullo fovetur ampliùs aut curatur. Sic se habent mundi gaudia & alia bona omnia. Nam ut ait S. Bernh. serm. 4. in Oct. Epiph. *cùm de transitoriis quis lætitiam quærit, non poterit non lætitia ipsa transire transeuntibus his de quibus erit. Sicut enim deficientibus lignis, deficit quoq; ignis: sic quia mundus transit & concupiscentia ejus, haud dubium, quin & lætitia quoque.* Sic ille. Gaudent filii hujus sæculi in conviviis; musicis instrumentis, ludis, venationibus, prædiis & hortis suis: venit luctuosa mors, quæ omnia hæc aufert & sic omne gaudium perit. Audiant hi Jobum cap. 21. *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant* (velut pueri transilientes rogum) *lusibus. Tenent tympanum & citharam & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Videmus hic ad vivum depictos puerorum rogos? Sed non videtur Job loqui de parvulis ætate (hi enim nesciunt musicam) sed potius de hujus sæculi filiis, qui insipientia sunt pueri. In vita hi fælices putantur, qui saltant & lasciviunt in bonis suis, uti greges hœdulorū in campis: repentina interim obruuntur morte; quasi icti ab aspide, qui non sentiunt se ictos adeoq; nec cruciantur, donec repentè concidant. Sic icti erant Judæi, qui, teste Domino Joa. 5. lucernam illam Joannem Bapt. videntes voluerunt *ad horam exaltare in luce ejus*; sperantes ab ipso, si Messias foret, regnum temporale fælicissimum & opulentissimum: mox tamen se delusos viderunt, & postea ut Joannes eis prædixit, è regno suo excisos.

IV. *Non diu gaudent.*

Quin etiam quandoq; dum in vivis sunt, à statu fælicitatis dejiciuntur, & in summas angustias incidunt: quemadmodum & pueris sæpe, dum adhuc præsentes sunt, necdum finita sua lætitia rogus extinguitur; quo casu undique discurrunt & ligna conquirunt, quibus deficientem ignem foveant ac conservent, nec tamen inveniunt. Scimus in nuptiis Canæ, dum adhuc considerent convivæ & sibi mu-

tuè

tuò propinarent, necdum peracto convivio vinum defecisse, Joan.2. ita sanè permultis dum adhuc in mundi hujus delitiis & gaudiis sedent, decsse vinum seu materia gaudii incipit. Dejiciuntur fortè ab officiis, vel nimio luxu aut ignavia sua bona prodegerunt, vel à Deo puniti magna aliqua clade, rerum jacturam ferunt. Primum accidit Car.3. Imper. dicto Crasso, qui Francofordiæ dejectus ab Imperio, desertus ab omnibus etiam famulis triduo integro, fame periisset, nisi Luitbert. Mogunt. Archiep. commiseratus hominis fortunam, aliquot eum diebus pavisset. Is postea ab Arnulpho, imperii successore patruele suo victum saltem expostulans, obtinuit pagum unum in Svevia, dictum Neyding, ubi pergeret & vici reditibus victitaret; priùs Occidentis locupletissimus Imperator. Rhegino l.2, Aventinus l.4. Annal. Bojorum. Alterum Dionisio juniori Siciliæ Regi, qui cum imperium haberet optimè constitutum, ignavia tamen & ebriositate ac crudelitate perdidit, exul Corinthi in extrema paupertate miseram degens vitam, teste Æliano l var. hist. c.12. Tertium Boleslao 3. Regi Pol. qui ob interemptum S. Stanisl. conscientiæ stimulis agitatus & omnibus exosus è regno profugit, atq; (ut aliqui volunt) errabundus in Carinthiæ montes venit, ubi in Monasterio Osiach occultus ministeria culinæ obiisse, vitamq; finiisse inter coquos ex traditione ejus loci fertur, & scribitur à Matth. Michovia l.2. rerum Polon. c 20. Crom. l.4 Quod si etiam Regibus accidit interdum, quantò facilius & frequentiùs contingere privatis & potest & solet? Sic nimirum fatuæ virgines, ubi oleum suum insumpserunt, mendicare coguntur ab aliis: *Date nobis de oleo vestro.*

V. *Exacto gaudio solus manet cinis.*

V. Ad extremum rogo illo extincto desinit omne gaudium omnisq; festivitas, nec remanet in medio nisi cinis è tam festivo & luculento igne, fatentur hoc idem de se filii hujus sæculi Sap.2. *Qua extincta* (scintilla sermonis & vitæ nostræ) *cinis erit cor nostrum & spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis & sicut nebula dissolvetur &c.* Festivè sanè Darium Persarum Regem Semiramis regina Assyrior. elusit: constructo enim suo loculo hæc verba insculpsit: *Si quis Rex pecunia indiguerit, is recluso hoc monumento sumet quantum volet.* Advolavit illicò Darius post Reginæ mortem, nec aliud in eo invenit, quàm cineres & ossa extinctæ Semiramidis Plut. in apopht. 165 Mundi hæc delusio est promittentis tibi nescio quos aureos montes; at verò post mortẽ non exhibet nisi cineres: quia aliud nil remanet. Eo itaq; desinit mundi pompa & lætitia, in cinerem, in nebulam, in nihilum. Quod expendens S. Bernh. in Meditat. *Dic mihi*, ait, *ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende diligenter qui sunt & fuerunt: sicut tu, comederunt & biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt.* Reges Nabatheorum in sterquilinio defodiebantur, & cum illis ingentes etiam thesauri, ut auctor est Strabo. Quis hæc considerans illos æstimabit: Benè de his Ezech. 7. dicitur: *Argentum tuũ foras projicietur, & aurum tuum in sterquilinium erit.*

Quanquam ne erremus, extincto solstitiali rogo, remanere aliquid solet. Sed quid illud? area terræ in qua arsit, undiq; exusta & quasi stigmate notata, sterilis & atra. Tale etiam vestigium relinquitur ab iis, qui mundi vanitatem & gaudia sectati sunt: terra peccatis eorum contaminata, domus sceleribus infamis, fama nominis denigrata, patrimonium parentum absumptum, hæreditas liberis relinquenda absorpta, subditi pauperes exossati, animæ seducta exempla putida De his loquitur cit. c.2. Sap. *Nemo nostrum exors sit luxuria: ubiq; relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra.* Chersydros serpens est, qui quacunq; serpit, fumum emittit, Lucan. l.9. teste, sic illi fumum infamiæ & dedecoris viventes ubiq; spargunt, & mortui relinquũt. Quid de Sodomitis superest, nisi lacus sterilis, teterrimum fumum exhalans; *quibus in testimonium nequitiæ* ait Sapiens Sap. 10 *constat fumigabunda terra deserta & incerto tempore fructus* (inanes prorsus) *habentes arbores; & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis? Sapientiam enim prætereuntes non tantùm in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed etiam insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in quæ peccaverunt, nec latere potuissent.* Teter ille fumus è lacu illo exiens, quo deferente pertingit vento, cuncta sterilefacit, teste Borcardo de loc. sanct. p. c.7. n 38. Josepho, Egesippo, & Tertulliano. quid tandem manet istis, qui tales excitant rogos Ad hoc resp. Isa. c.50 *Ecce vos omnes*, inquit, *accendentes ignem, accincti flammis.* (Heb. *cincti scintillis* quas scilicet undiq; sparsistis vestra luxuria) *ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. De manu mea* (Christi judicis) *factum est vobis in doloribus dormietis.* Pueri post extinctos rogos suos cubitum eunt ad lectos suos. At vos impii quò ibitis? ubi dormietis? *In doloribus dormietis* in flammis gehennæ, quale stratum obtinuit Balt. Rex occisus noctu in convivio, de quo dicitur Isa. 14. *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Hæc pars, hęc sors illorum. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ps.10.

IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI.

THEMATA.

I. *Christiani & ipsi sint petra, sicut Petrus & Paulus,*
II. *Quomodo Petrus sua morte clarificavit Deū.*
III. *Variæ quæstiones circa Petrum ejusque sedem Romanam.*
IV. *Quid debeamus Summo Pontifici.*
V. *Petrus & Paulus duo Ecclesiæ Architecti*

THEMA I.

Christiani & ipsi sint petra, sicut Petrus & Paulus.

I. *Sint refugium miserorum.*
II. *Sint patientes injuriarum.*
III. *Defleant jugiter peccata sua.*
IV. *Sint solidi in fide & charitate.*
V. *Sint munimentum & defensores Ecclesiæ uti Petrus & Paulus.*

Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth.16.

PRopheta Isaias, ut Hebræorum populum officii sui admoneret & ad meliorem frugem efficaciter perduceret, proposuit illis in exemplum simul & stimulum, Patriarcham suum Abrahamum, & matrem Saram; ut eos velut filii non degeneres imitari conarentur. *Attendite ad petram,* inquit, *unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.* Isa. 51. moxque indicans petram illam, subdit; *Attendite ad Abraham patrem vestrum & Saram, quæ peperit vos.* Quasi diceret: Videte quales parentes habueritis. Abraham scilicet & Saram, instar petræ solidissimos in fide, pietate & justitia: vos igitur ne degeneres eorum filii sitis: petræ fuerunt. Non possum ego vos, Auditores, melius exhortari ad officium vestrum, quod est hominis Christiani, nisi proponendo vobis Patriarchas vestros Petrum, cui velut petræ & fundamentali lapidi suam Christus inædificavit Ecclesiam: è quo velut patre (post Christum) vos omnes excisi estis, quia à Romana ejus sede fidem accepistis: Deinde Paulum velut matrem, qui 1. Cor. 3. ait: *Lac vobis potum dedi, non escam,* à quo velut matre solidissimum fidei lac suximus omnes nos. Attendite ad hos parentes vestros & videte, ut filii eorum sitis, adeoque etiam petræ, quo ad fieri potest. Qua verò ratione, id nunc videndum

I. Petræ asylum quoddam & refugium sunt tum hominum, tum bestiarum, De his testatur Psal. *I. Sint refugium miserorum.*
183. *Petra refugium erinaceis* Et Prov. 30. Sapiens: *Lepusculus plebs invalida collocat in petra cubile suum.* Et Cant, 2. columba invitatur ad foramina petræ. De illis testem habemus Davidem, qui fugiens Saulem ascendit super abruptissimas petras, ut lateret in spelunca. 1. Reg. 24.

Petra talis fuit S. Petrus miseris & errantibus. *Sicut Petrus.*
Nam primò in Pentecoste cum territi ac compuncti
essent Judæi Jerosolymis sub adventum Spiritus 1.
sancti, cum spiritu vehementi, in forma ignis de cœlo emissi, &c. dixerunt ad Petrum & alios discipulos: *Quid faciemus viri fratres.* Act. 2. *Sicuti enim cæci ducibus se contradunt,* ait gl. vel sicut ægri medico, naufragi gubernatori se comitttunt ab iisque opem expetunt. Quid ageret hic Petrus? Petram se exhibuit, refugium erinaceis, dum ad pœnitentiam eos & baptismum adhortatus est, sicque Christo reconciliavit. Ad hanc eandem petram 2.
confugit seque affixit ille claudus, qui à Petro erectus tenuit Petrum & Joannem, *tanquam salutis suæ auctores & conservatores* (ut ait Oecumenius) ambulans cum eis. Act, 3. Postea homines illi, qui in plateas ejiciebant ægros, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret eos ac sanaret. *Concurrebat & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Act. 5.

Quid verè de sancto Paulo dicemus? Nonne & *Sicut & Paulus.*
ipse miseris tale refugium fuit? Fuit certè, nam de eo scribitur. Act. 19. homines ejus corpori abstraxisse sudaria & semicinctia, & posuisse super ægros qui mox curabantur: multosque credentes ad eum venisse, *confitentes & annunciantes actus suos.*

Ergo & vos Christiani date operam ut hujusmodi petræ miseris & afflictis sitis. Sint domus ditiorum refugia & asyla pauperum: scientiæ doctorum asyla ignorantium. Exemplo præivit sub lege naturæ S. Job habitans inter Idololatras, qui de se ait cap. 29. *Oculus fui cæco & pes claudo. Pater eram pauperum.* Juvit enim & defendit causas eorum, qui calumniis opprimebantur, ut paulò antè dixit. Consulamus & nos cæcis, sublevemus pauperes. Judæi hanc legem habebant: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum, si intraveris in segetem amici tui, franges spicas & manu conteres, falce autem no metes.* Deut, 23 Eadem ratio erat de fructibus hortorum,

ut vult Abulensis. Et hoc in gratiam pauperum, qui vineas, agros, & hortos non possidebant, ut haberent pro solatio in necessitate famis refugium ad divites. Quòd si hoc Judæis mandatum fuit: an non decebit potiùs Christianos, quibus tam seriò præcipit Christus: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem?* Et cur, rogo, Deus in petris tot speluncas & cavernas, tot meatus & foramina fecit, nisi ut in iis refugium quærere tam homines quam bestiæ possent? Et cur divitibus tot domos, agros, vineas, hortos, horrea, cellaria dedit, nisi ut in illis refugium suum pauperes quærant & inveniant.

II. Sint patientes injuriarum.

II. Petræ omni sensu ac motu carent; unde hominem stupidum & sensibus destitutum, lapidem aut petram appellamus. Itane verò tales Petrus & Paulus? Sanè tales erant, quando audierunt probra & contumelias, nec non & laudes suas. Sanctus Antonius eduxit aliquando Ammonem discipulum suum foras ad unum saxum dicens: *Vade & injuriare lapidem hunc, & indesinenter cæde illum.* Quòd cùm is fecisset, interrogavit eum Antonius, quid lapis ei respondisset: At ille: *nihil*, inquit. Rursum ut eum laudibus extolleret. Et pòst: *nunquid tibi respondit?* Non inquit ille. Cui Abbas: *Ita & tu fac.* Authore græco incerto in vitis Patrum lib. 7 apud Rosvveidum. Simile refertur de Abb. Anub. ibid libro 5. libello 15.

Sicut Petrus.

Talis petra Petrus, qui unà cum collegis cæsus à Judæorum magistratu ibat cum illis gaudens à conspectu Concilii, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. Non solùm ergo patienter, sed & lætanter verbera tulit. Ad quod etiam nos hortatur in epist. 1. cap. 4. *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, &c.* Quin etiam à collega Paulo reprehensionem ob errorem vel levem vel materialem tantùm, patientissimè accepit, licèt eo superior; Ad Galat. 2. A Christo etiam non semel reprehensus, & Satanas appellatus; humiliter acquievit, nec verbo se defendit. Matth. 16. v. 23.

Sicut & Paulus.

Similiter & Paulus in suis tribulationibus & vinculis ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. Vicissim etiam laudibus nihil movebatur; uti indicat 1. Cor. 4. verbis illis: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die &c.* Petrum cùm populus admiraretur & intueretur tanquam virum quendam stupendum, post claudi erectionem: mox gloriam hanc à se amolitus est, dicens: *Quid miramini in hoc aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus glorificavit filium suum Iesum &c.* Act 3. Paulus verò, cùm Lycaones vellent ipsi ac Barnabæ tanquam Diis immolare tauros, conscissis tunicis exsilierunt in turbas clamantes: *Viri quid facitis; & nos mortales sumus, similes vobis homines &c.* Act 14. Deniq; quando dæmon in puella Pythonissa sequebatur Paulum & socios Philippis, clamans adulatoriè: *Isti homines servi Dei excelsi sunt.* Dolens Paulus ejecit dæmonem, nec ab eo voluit quidquam laudis accipere, veluti suspectum. Act 16. Et sanè mox expertus est in quem finem commendarit eos dæmon, nimirum ut expulsus à Paulo heros Pythonissæ jam privatus suo divinationis quæstu, quem puellæ responsis perceperant, concitaret adversus Paulum, ut eum vel mulctarent, vel civitate ejicerent. Pauli enim caput petebat hac laudatione dæmon, ut ejus prædicationi & proinde Gentium conversioni poneret obstaculum, ut observat ibi P. Cornelius à Lapide. Notate hoc Auditores. Quando vos diabolus in suis instrumentis laudibus prosequitur, tunc vos persequitur, & in ruinam impellere nititur.

III. Petræ nubiloso tempore aquas stillant, iisq; jugiter destillantibus rimas & sulcos contrahunt: sua enim frigiditate contiguum aërem in aquas mutant; ut observat Berchorius in suo Repertorio. Talis S. Petrus, qui post negationem tota quasi vita, licèt sciret condonatum sibi peccatum, flere consuevit, præsertim audito gallicinio, adeò ut oculi apparerent quasi sanguine respersi & genæ ejus sulcatæ, ut testatur S. Clemens ejus discipulus. Similiter S. Paulus, qui post conversionem suam passim inter pœnitentes se collocat, uti 1. Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus; quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Quò etiam spectare potest, quod ad Rom, 9. ait? *Tristitia mihi magna est & continuus dolor.* Nimirum sicut Gentilium figmento (adeo etiam ipsis naturæ lumen hoc dictavit) Prometheus à Jove liberatus è vinculis Caucasi montis, quibus erat ligatus, annulum semper ferreum gestare debuit in memoriã sui delicti & vinculorũ, quibus pedes ejus erant cõstricti, ut refert Pierius lib. 36. Sic illi memoriam suorum peccatorum semper circumferebant, & cum lachrymis lavabant; quasi semper animo revolventes id Psal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Igitur id ipsum nobis quoque faciendum, & post dimissa peccata semper eorum pœnitentia retinenda. (Unde dicitur *pœnetentia* quasi *pœnæ tenentia.*) Ita monet Ecclesiasticus cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Hinc Deus Judæis vincula & servitutem, qua in Ægypto tenebantur, sæpius inculcat, uti Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.* Et rursum Levit. 26. *Ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis: & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.* Vincula & servitus illa, peccata designant, teste Origine hom. 16. in Gen. Hujusmodi autem vinculis quis non aliquando constrictus? Quis gloriari potest se non fuisse unquam unum ex illis, qui ore fatentur se nosse Deum, factis autem negant, adeoque Petro neganti, aut Paulo persequenti similem? Qui ergo secutus es delinquentes, sequere & flentes.

IV. Petræ solidissimæ sunt, rident omnia tormenta; omnes fluctus, omnem impetum, adeoque sunt immobiles. Talis erat post acceptum Spiritum S Pe-

trus tam in fide, quàm charitate, Sic enim Act. 4. denuncianti Magiſtratui Judæorum, ne in nomine Jeſu loquerentur amplius, aut docerent, reſpondit: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos audire potiùs quàm Deum, judicate.* Quaſi dicat: *non poſſumus non volumus,* ait gloſſa. Et cùm poſtea iterum docentes retraherentur ad concilium & denuo reprehenderentur, reſpondit eis: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Act. 5. Qua ſententia perſtringit etiam judices, quòd cum Deo pugnent; ut advertit S. Chryſoſtomus eo loco.

De Paulo quid dicam? Unum id nunc ſat erit, quod Act. 21. legimus. Cùm enim propoſuiſſet ire Jeroſolymam ex Aſia, licèt eum diſcipuli Tyri ab eo itinere, velut ſibi periculoſo, dehortarentur; uti & Propheta Agabus Cæſareæ, prædicens illi vincula & tribulationes Jeroſolymæ ſuſtinendas? ſimulque alii flentes circa ipſum; Paulus in propoſito perſiſtens: *Quid facitis,* inquit, *flentes & affligentes cor meum? Ego enim non ſolùm alligari, ſed mori in Jeruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu.*

Ergo & nos Chriſtiani ſimus immobiles in fide, in amore Dei & in virtutum propoſito; ſit cor noſtrum petra ſolida ad tuenda Dei mandata, juxta id Eccleſiaſtici 26. *Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.* Ergo & mulieres petræ eſſe poſſunt ſi velint. Et fuit certè talis B. Anaſtaſia, Publii viri clariſſimi, ſed Gentilis, conjux, quæ ut abnegaret Chriſtum, ab Ulpiano ad tertium diem dilata pro reſponſo dando, moræ impatiens: *Jam,* inquit, *exiſtima hos tres dies elapſos eſſe. Nam eadem quæ nunc eſt animi tunc ſententia erit.* Lipell. 15. Dec. At non omnes ſunt hujuſmodi. Deprehenſa fertur aliquando puella quædam, quæ accuſabat adoleſcentem ſtupri per vim illati. Condemnato ad mulctam, quam ea petebat, juvene; ſubordinavit Judex aliquos, qui abeunti puellæ pecuniam vi extorquerent velut prædones. Quo facto illa vociferari & opem tranſeuntium magnis clamoribus implorare. Quare ad Judicem retracta & pecunia ei adempta juvenique reſtituta eſt dicente Judice: *Si, cùm timuiſti perdere nummos, vociferari & opem implorare, ac reſiſtere potuiſti, cur non idipſum, cùm juvenis te ſollicitaret feciſti?* Joan. Paulus in Jocoſeriis. Multi huic puellæ ſimiles, ſunt petræ, quando eſſe volunt? non ſunt, quando nolunt. Dicamus nos, cùm iniquum aliquid à nobis petitur, cum Iſai. cap. 50. *Poſui faciem meam ut petram duriſſimam.*

V. Petræ munimentum ſunt præſidiis, urbibus & arcibus. Ita SS. Petrus & Paulus munimentum erant Eccleſiæ, dum contra varios Tyrannos Maxentium, Maximinum, Licinium defenderunt eam duce Conſtantino, cui in ſomno apparentes] ſalutis viam oſtenderunt. Munimentum urbis Romanæ, dum eam muri partem, quæ ad portam Pincianam, ruinam minabatur, defendit Petrus contra Gothos, ut Procopius lib 1. belli Gothici refert Munimentum Cathedræ Apoſtolicæ; de quo ſanctus Gregorius Papa ad Ruſticanam patriciam ſcribens ait: *Sollicitè debetis aſpicere, quanta B. Petri Apoſtolorum Principis in hac urbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi & ſine adjutoriis militum, tot annos inter gladios illæſi, Deo auctore ſervamur.* Munimentum Italiæ, dum Attilam terruerunt, in Italiam tendentem adſtantes S. Leoni & ſtrictis gladiis Attilæ minitantes. Baronius tom. 6. Annal. Denique Petrus converſus confirmavit omnes fideles, prout juſſus fuit à Chriſto: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos,* uti fecit in epiſtolis ſuis; in quarum 1. cap. ait; *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Ac licèt omnem carnalem affectum erga uxorem exuiſſet, ſpiritualem tamen non exuit, ſed cum illa duceretur ad martyrium, eam confirmans ait: *Heus tu, memento Domini,* ut refert Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. Poſſumus & nos multoties, modò velimus petra & munimentum eſſe miſeris & afflictis, viduis & pupillis; de quo S. Jacobus cap. 1. ait: *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* In qua religione eminuit S. Ivo, quam Clemens VI. Pontifex retulit in Sanctorum album Anno Domini 1347. de quo auctor vitæ gravis inter alia hæc: *Pupillos & orphanos egregiè tuebatur, & eorum cauſa in diverſis locis adibat judicia, patronum ſe illis exhibens; neque tamen id ſpe alicujus muneris aut præmii, ſed pietate & juſtitia permotus, imò verò ſuis impendiis illorũ cauſas defendebat apud Judices, ut poſſet à Domino audire: Quod uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti. Inde factum eſt, ut in illa regione meritò appellatus ſit Advocatus pauperum.* Et interius: *Orphani, afflicti, calamitoſi homines ejus fovebantur humanitate & patrociniis: inter diſcordes conciliabat pacem & amicitiam: eos, qui carceribus detinebantur, hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda ab ipſo eſſet in judicio ſententia, ſine lachrymis id non faciebat.* Et inferius: *Alienigenas, pauperes, item egenos mala affectos valetudine, deformes, haud ſecus ac fratres ſuos humaniter excepit, ad menſam ſibi aſſidere voluit, de cibis ſuis appoſuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluit.* Hinc meruit, ut panes erogando in pauperes divinitus ipſi multiplicarentur: Chriſtus aut certè Angelus, pauperis ſpecie ſocium ſe præbuerit. Huic jure accenſemus Antiſidorenſem illum Archidiaconum, in vita S. Genovefæ apud Lipel. 2. Januar. qui Pariſios adveniens, cùm videret populum magno concurſu de certò mortis genere, quo S. [Virginem] Genovefam pia ſuadentem perdere moliebantur, conſultantem; vultu imperterrito eos dehortari ab immani ſcelere, & delinire ſatagens: *Nolite,* inquit, *ô cives, nolite tantum facinus mente concipere. Hanc ſiquidem Genovefam S. Pontifex Germanus venerabili voce laudare & vitæ ejus merita prædicare crebrò conſuevit. En quas à memorato Antiſtite ad eam eulogias* (panes benedictos) *defero.* Hac voce malignantium illorum conſilium penitus diſſipavit.

Quare ô Christiani, attendite ad petram, è qua excisi estis: attendite ad Petrum ejusque socium Paulum. *Isti sunt patres tui* (ait S. Leo Papa serm I. in nativ. horum Apost.) *verique pastores, qui te* (ô Roma, imò & Germania) *regnis cœlestibus inserendam condiderunt*. Videte, ut pro modulo vestro & vos quoque petræ sitis, &c.

THEMA II.

Quomodo Petrus sua morte glorificavit Deum.

I. *Clarificavit, vitam & sanguinem pro Christo dando.*
II. *Morte ignominiosissima & acerbissima crucis.*
III. *Corpore inverso volens crucifigi.*
IV. *Ecclesiam suo martyrio illustrando.*
V. *Magistrum in difficillimo itinere perfectè sequendo.*

Tu es Christus filius Dei vivi. Math. 16.

Confessio quæ fit voce simul & martyrio, gratissima.

GRata quidem est vox bene & suaviter canens: si tamen ei accinat cithara aliove instrumento musico, multò gratior fiet. Hinc David ut speciosam valde Deo laudem caneret, cantilenæ suæ cytharam addidit Psalm. 42. *Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus.* Pulchra etiam fuit confessio S. Petri, quam in hodierno Evangelio Christo dedit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Verùm vocalis tantùm, non etiam instrumentalis fuit, non vox cytharœdi. Cytharæ cantus carnis mortificatio est, teste Beda, Remigio & aliis eo loco: extensio membrorum est in catasta, eculeo & cruce. Non admodum difficile est, confiteri Deum voce; sed cum cythara confiteri, in expansis nervis, in catasta & cruce, inter flagella & scorpiones: hoc uti majoris est suavitatis, ita & majoris longè difficultatis. Lucia virgo coram Paschasio præfecto accusata, Christianæ fidei laudes canebat. Cui præfectus: *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera.* Sed deceptus fuit, quia & inter verbera Christum confessa est. Forsan & Petro dicere quis potuisset: Tu quidem nunc Magistrum tuum Dei filium confiteris; sed voce canis non cythara: *Cessabunt verba, cùm ventum erit ad verbera.* At verò Petrus hodie contrarium demonstravit. Quem enim olim voce sola confessus est Dei filium, eum hodierna die in morte quoque & cruce adeoque in cythara etiam glorioso martyrio glorificavit. Quod quidem illi Christus prædixit Joan. 21. *Cùm esses junior, cingebas te & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Addit Joannes: *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus* (græcè *glorificaturus*) *esset Deum.* Ergo Petrus in morte demum & cruce Deum plenè clarificavit, quia voce simul & cythara, expansus & pulsatus in cruce, quando clavis & malleo affixus, Ib. demum dicere poterat: *Confitebor tibi in cythara Deus meus.* Cæterùm qua ratione Deum in martyrio suo glorificarit, plenius nunc videbimus.

Clarificavit I. Quia pro Christo ejusque fide vitam & sanguinem suum dedit. Qui pro gemma aliqua magnum pretium dare renuit, non magni eam æstimat: at qui ingentem auri summam offert, hic illam magni æstimat, eoque magis, quò plus dare paratus est. Hinc Matth. 13. proposuit Christus parabolam de margarita pretiosa, inventa à mercatore, quam ut emeret, vendidit omnia, quæ habuit. Margarita illa Christus est ejusque fides. Hanc invenit Petrus, quando Christum agnovit & secutus est: emit deinde, quando pro eo in corde per amorem retinendo, dedit quidquid habuit, vitam ipsam & sanguinem. Quis jam non pluris æstimet Christum, quàm totum mundum omnesque ejus opes, quem vita sua emit tam prudens mercator? Quis enim omnia mundi regna vellet emere dispendio vitæ suæ? Ad quid illi prodesset emptio illa? Et quid pretiosius vita possidemus? Vidit autem Petrus in Christo thesaurum toto mundo majorem, adeoque vita etiam sua. Glorificavit ergo Deum & clarificavit Christum, extollendo ejus dignitatem super omnia creata. Atque hic est triumphus ille, de quo Apostolus 2. Corinth. 2. ait: *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo*, hoc est, triumphum suum agit per nos, ut exponit S. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam *Cùm enim quis viderit*, inquit, *tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, atque in suis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei disseminatur in Gentes: & subit tacita cogitatio, quòd nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur.* Neque hoc solum, sed ut dixi, gloria ipsius Dei mirè amplificatur, pro quo lucrifaciendo tantum pretium offertur. O honem Imperatorem Gentilem quanti æstimarint ejus milites, demonstrarunt aliqui per hoc; dum eo mortuo prope rogum ejus se ipsos occiderunt: alii absentes nuncio de ejus morte accepto, pari modo vim vitæ suæ intulerunt, quasi sine eo vivere nec vellent nec possent. Cuspin. Barbarum quidem hoc, indicium tamen est, quantum amarint: quantique æstimarint suum Imperatorem. Christianè & sapienter Petrus sanguinem pro Christo dedit iis, qui Christum ipsi auferre de corde moliebantur. Sic glorificavit eum, quem velut summum bonum vitæ suæ adeoque rebus omnibus & toti mundo anteposuit.

II. Quia non qualicunque morte sed acerbissima & contumeliosissima glorificavit Deum morte scilicet crucis, quæ tunc suppliciorum omnium erat dirissimum: ut quemadmodum ipse à Christo non quacunque morte, sed morte crucis emptus fuit, sic & ipse Christum ejusque visionem in cœlo emeret eodem crucis pretio. Patroclus in bellum proditurus reliqua Achillis arma sibi assumpsit, solam hastam ejus, ut gravem valde & prævalidam non attigit authore Plutarcho in moral. Multi quidem reperti sunt, qui pro Christo, probra aliqua vel jactu-

tam

ram bonorum ſuorum ſuſtinuerunt ? mortem tamen appetere timuerunt, gravium præſertim ſuppliciorum, quorum infamia aut acerbitate abſterriti vel ad Eremos fugerunt, vel quandoque tormentis victi Chriſtum negarunt. At verò ſanctus Petrus non ſolùm alia, quæ inferebantur ei, Chriſti tormenta, uti falſas criminationes, confuſionem & flagella ſuſtinuit, ſed etiam haſtam crucis ejus admodum ponderoſam, in civitate totius mundi celeberrima. Quia enim petræ nomen commune ſibi cum Chriſto nactus fuit, communem etiam crucem ſuſtinere eum decuit. Chriſtus in monte Calvariæ, Perus in monte aureo crucifixus fuit. Ludovicus Thuringiæ Princeps amorem ſuum erga Eliſabetham ſibi deſponſatam oſtenſurus præferebat eam monti aureo. Viciſſim ipſa dicebat, ſe amore Ludoici non ægrè per totam vitam victuram in paupertate. Ut in vita S. Eliſabethæ Surius in Novembr. Ulterius adhuc progreſſus eſt S. Petrus, qui amorem ſuum in Chriſtum conteſtaturus, opprobrium crucis ſubiit maximo ſuo gaudio. Hic eſt aureus ille perfectæ charitatis mons, quem aſcendere paucorum eſt. Plerique in *Segor*, hoc eſt, *parva* & humili dilectione cum Loth manere volunt Geneſ. 19.

III. Quia inverſo corpore crucifigi petiit, & uod petiit, obtinuit, indignum ſeſe ratus eo, quo ivinus ſuus Magiſter in cruce pependit, modo crufigi; ut teſtatur inter alios S. Auguſtinus ſerm. 28. e Sanctis & S. Chryſoſtomus homil. in Princ. Apoſt. Miranda prorſus Apoſtoli obſervantia erga hriſtum. Itane verò gloriæ & honori in infami iam cruce locus eſt, ut eum cedere Chriſto velit? eprehendit locum Petrus & vidit ſibi in cruce non iberi locum, niſi inverſo capite. 1. Quia intellet ſe eſſe arborem rectam, quæ radices in terra & ex tra habeat: Chriſtum eſſe arborem inverſam, quæ dicem in cœlo habeat: ſe eſſe de terra terrenum, hriſtum verò de cœlo cœleſtem. *Qui eſt de terra terra eſt, & de terra loquitur: qui de cœlo venit per omnes eſt*, ait præcurſor Domini Joan. 3. 2. riſtum de cœlo ad nos ſalvandos veniſſe tanam peregrinum: ſe verò de terra peregrinari ad elum, ut indicat S. Chryſoſtomus loco cit. 3. riſtum quæſiviſſe in terra prædam ſuam, ſalun animarum, ſe verò in cœlo quærere prædam am: Chriſtum inſtar gallinæ expandiſſe alas ſuas cruce, ut ſub eas revocaret pullos ſuos: ſe verò lut pullum confugere debere ſubter alas Chriſti. nique (ſecundum Theoderetum orat. de charite) *rogavit carnifices ne ſimiliter atque Domis trabi figeretur, ſed contrario modo: veritus (quod veriſimile) ne eadem paſſio eundem ſibi ab inſipienus honorē conciliaret.* Quāta ſapientia hujus piſcatis! Vidit humani generis hoſtem hominis calneo in horâ ſcilicet mortis maximè inſidiari, idcirin ſua cruce pedes & calcaneos ſurſum porrexit in ultimo illo conflictu morſui ſerpentis eſſet obxius, quaſi orans id Pſalm. 35. *Non veniat mihi ſuperbia, & manus peccatoris non moveat me;* Bone Deus! Quia in ſplendore & honoribus à vana gloria ſecurus erit, ſi Petrus in probroſa cruce incidere in illam timuit? At licèt tota vita fortiter pugnandum ſit contra beſtiam illam; maximè tamen exerēdæ vires in articulo mortis, ubi ſerpens ille antiquus viris perfectis maximas ponit inſidias. Hinc S. Catharina Senenſis in morte confligens cum dæmonibus, atque ut videtur, de inani gloria tentata vel accuſata, iis reſpondit: *Vanam gloriam nunquam ſed veram utique gloriam & laudem præpotentis Dei*, ut in ejus vita 29. Aprilis. Hoc ſciens S. Martinus, S. Franciſcus & alii quidam Sancti morientes in terram deponi voluerunt, ad inſtar ſcilicet bubonis, qui in terram ſe reſupinans unguibus contra hoſtes dimicat. S. Laurentius Juſtin. moriens petebat micas tantùm de cœlo de Sanctorum menſa colligere, addens: *Nimirum mihi fuerit: & heu quàm nimium, ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo ſervulo tuo non negaveris*: ut in vita 8. Januarii. S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſ. in morte petiit veniam à fratribus ſuis, ſi cui fortè moleſtus & difficilis, aut modum ſeveritate ſua t angreſſus fuiſſet, In vita 1. Januarii. Similiter S. Godefridus Comes Cappenb. Ord. Præmonſtrat. & alii.

IV. Quia ſummus Eccleſiæ paſtor & caput Eccleſiæ ſui martyrii exemplo totam Eccleſiam illuminavit, & ſimul in fide corroboravit. Non eſt par conditio capitis & membrorum, Principis & ſubditorum. Quid enim Princeps facit, longè plus momenti habet, & potentiore vinculo ſubditos poſt ſe trahit, *In te oculi reſpiciunt totius Iſraël*, ait Bethſabee ad Regem David, 3. Reg. 1. Dum ergo S. Petrus in capite orbis Roma, & ſede ſua Apoſtolica, martyrio & ſanguine ſuo Chriſti fidem conſignavit, in eadem fide univerſam Eccleſiam roboravit, nec non ad ſimilem confeſſionem animavit. Multò igitur maximē per hoc exemplum ſuum planè heroicum DEI gloriam amplificavit. Præludium quoddam hujus rei præmiſit Joan. 20. quando unà cum Joanne cucurrit ad ſepulchrum. Prior enim Joannes venit ad monumentum, ſed non intravit: ſive reverentia erga Petrum, ſive timore & horrore ſacro præpeditus. Venit Petrus poſterior, ſed prior ingreſſus eſt. *Tunc ergo*, ait Joannes de ſe, *introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum*. Exemplo igitur ſuo traxit poſt ſe Joannem, ut indicat vox *ergo*. Pari ratione, quando idem Petrus præceſſit ad martyrium, præſertim tale, & paſſioni Chriſti tam conforme, quis dubitare poteſt corroboraſſe eum ſuo exemplo totam Eccleſiam & animaſſe quamplurimos ad ſimile certamen? Quò enim præcedit paſtor, eò ſequuntur & oves: quò caput, eò & membra. Unde S. Hieronymus ad Heliodor. *Domus*, inquit, *Epiſcopi & converſatio, quaſi in ſpeculo poſita, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ; quidquid feceris, id ſibi oves faciendum putant.* Duo hîc videamus luculentiſſima exempla. Primum eſt Veter. Teſtam. in Eleazaro, qui cùm eſſet è primoribus Scribarum, ſeu ut Joſephus lib. de Mach. cap. 5. ait,

IV. Eccl. ſiam ſuo martyrio illuſtrando.

ait, *caput & princeps Sacerdotum*, prævivit aliis exemplo suo, malens excruciari exquisitis tormentis, quam contra legem patriam porcinis vesci carnibus. Quo suo exemplo animavit ita Judæos alios, juvenes præsertim, ut mox 7. Machab. fratres eadem constantia resisterent impio Antiocho, & acerbissima quæque supplicia sustinere mallent, quam prohibitis escis pollui. 2. Machab. 5. & 6. Quam ob causam appellatur eorum *pater* à Greg. Nazianz. orat. 22. non natura sed institutione; qui sic inducit loquentes: *Eleazari discipuli sumus: pater prius decertavit, filii posteà certabunt.* Et Div. Ambros. l. de Jacob c. 11. *sequimur patrem filii, discipuli Doctorem.* Quod si hoc potuit exemplum Eleazari, quid non putamus effecisse in Ecclesia exemplum S. Petri? Quot filios hunc patrem secutos existimabimus? Alterum est ex N. T. de S. Cypr. celeberrimo Carthag. Episcopo, in quem totius civitatis imò & Africæ oculi respiciebant. Qui cum ad tribunal vocatus, intrepidus comparet, tota penè civitas eum secuta est, usque ad martyrii locum, ad sextum ab urbe lapidem, ejusque fortitudine ac constantia adeò confortata, ut plerique omnes cum ipso mori optarent, dicerentque: *Doleo, quod non comes fuerim. Sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? sed doleo quod comes non sim. Multum ac nimis multum de gloria ejus exulto: plus tamen doleo quod remansi.* Baron. anno 261. Erat autem primus Episcoporum Carthaginensium, qui sanguine suo subscripsit fidei Christianæ. At multò adhuc plus erat summum Ecclesiæ pastorem & primum Christi Vicarium præire gregi suo ad sequelam Crucis Christi; longè igitur magis per ipsam glorificatus fuit.

V. *Magistrum in difficillimo itinere perfectè sequendo.*

V. Quia Magistrum suum in difficillimo passionis itinere seipsum abnegando perfectè secutus est, quod utique in gloriam non discipuli tantùm, sed inprimis Magistri cedit. Quemadmodum enim armiger Jonathæ herum ad difficillimam expeditionem se vocantem sequens, & post eum ad stationem Philisthinorum per dentatas petras in montem adrepens, & Philisthæos invadens atque cædens; ita ut alii ante Jonatham caderent, alios ipse sterneret, non modicam domino suo gloriam & victoriam pro parte sua paravit. 1. Reg. 14. Ita & S. Petrus vocatus & ipse à Domino suo ad sequelam Crucis, & post ipsum in eam ascendens, sicque Gentiles sua confessione sternens, magnificè Christi Domini gloriam adauxit. Christus cum in monte Oliveti secundum appetitum sensitivum à passione abhorreret, eum tamen coërcuit, & rationi ac voluntati subjecit. Petrus etiam è carcere ad instantiam Christianorum fugiens, dum latebras quærens Christum obvium habet dicentem: *Vado Romam iterum crucifigi*; mox divinam ejus voluntatem intelligens, suam ei tradidit, & in carcerem ad martyrium rediit, quasi jam ab alio cinctus, juxta prædictionem Domini, & ductus quo non volebat. Adhæc sicut Christus innocentissimus per falsas criminationes ad mortem condemnatus fuit, subiitque libens iniquissimum judicium: ita & S. Petrus cum esset prorsus vitæ inculpabilis, partim fictis calumniis oppressus quod scilicet auctor incendii Romani fuisset; partim odio pietatis, quod Simonem Magum volantem dejecisset, ad supplicium raptus est. Denique sicut Christus cruci affixus, multos è circumstantibus ad se traxit & convertit: ita & sanctus Petrus una cum sancto Paulo in custodia Mamertini multos suos custodes, ut Processum & Martinianum velut primarios cum asseclis, ad Christum convertit & in carcere baptizavit. Neque dubium ad crucem ejus non paucos à Gentilismo ad Christianismum transiisse, vi ejus patientia & fortitudine, lumine cælitus de misso, &c. licet ea vel non satis authenticè script vel non omninò prætermissa sint. Sic igitur a extremum glorificatus in Petro Christus fuit, du in eo impletum est, quod prædixerat: *Cum senuer alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Et rursu *Sequere me.*

Vidimus ergo Petrum non voce sola, sed & c thara adhibita Deo laudem cecinisse, eumque gl rificasse, sua scilicet cruce. Nos Audit. si in h difficili instrumento ludere non possumus, dem saltem operam, ut quem voce confitemur, salte manu seu opere simul glorificemus.

THEMA III.

Variæ quæstiones circa Petrum ejusq sedem Romanam.

I. *Cur uno eodemq; die celebratur Festum Petri Pauli.*
II. *Uter eorum major.*
III. *Cur diversis affecti suppliciis.*
IV. *Cur Petrus inverso capite crucifixus.*
V. *Cur Paulus decollatus lac pro sanguine stilla & aliæ diversæ quæstiones circa B. Petr & sedem Romanorum.*

Interrogavit eos: Quem dicunt hom nes esse filium hominis? Matth. 16.

Quandoquidem Christus Dominus in hod no Evangelio interrogationes instituit, mò quid de se dicerent homines; deinde quid scipuli; volumus & nos instituere quæstiones quot in gratiam rudiorum. Et primò quid de P & Paulo, quid de Petri successore, S. Pontifice batur & dicatur: siquidem alii bene, alii malè de loquuntur.

I. Cur

I. Cur uno eodemque die celebrat Ecclesia Fe-
tum Petri & Pauli. R. primò quia duo Apostolo-
um Principes, quorum unus Petrus primatu &
oteſtate ſummus, alter Paulus, laboribus & prædi-
atione fuit: hic Gentium, ille Judæorum maximè
rædicator & Apostolus. *Petro claves potentiæ, Pau-
o claves ſcientiæ datæ*, ait Auguſtinus ſerm. 27. de
anctis.

Secundò quia charitate intimi ſimul Romæ la-
orarunt in Evangelio, merito non impares. Unde
etrus in epiſtola ſua Paulum *chariſſimum ſuum fra-
rem* appellat.

Tertiò, quia ſimul eodem anno & die Romæ
aſſi, teſte Baron. Unde S. Leo ſerm 1. de nat.
poſt ait: *De eorum meritis atque virtutibus nihil
iverſum, nihil debemus ſentire diſcretum; quia
los & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit
quales.*

II. Uter eorum major? Res clara eſt ex Evan-
elio Petrus juriſdictione major, quia à Christo
aves accepit, eique ſoli oves commendatæ: ſed
uoad labores, prædicationem & gratias Apoſto-
as, non impar ei Paulus; qui alioquin ipſi ſem-
rcedit, eumque Jeroſolymis bis adiit, ut cum eo
nferret Evangelium ſuum, eumque videret ac
neraretur, ut teſtatur ipſe Galat. 1. & 2.

Cur ergo in antiquis aliquot picturis Paulus à
xtris Petri pictus? Reſpondet ad hoc beatus Pe-
us Damiani Card. l. 1. Epiſtolarum epiſtola de-
ma ſexta, quia Paulus ex tribu Benjamin, verus
njamin, id eſt, filius dextræ ex Saulo Paulus, è
po agnus factus. Secundò, quia Petrus ſenior
niorem Paulum præmittit, ita ut Paulus claudat
tri dextram ac tegat, uti in ſigillis pontificiis
paret. Sic Imperator ſequitur electorem, à la-
e eum permittens. Denique incuria pictorum,
odò ad dextram, modò ad ſiniſtram poſitus vide-
. Sic Bellarm. Controv. de Pontif.

III. Cur diverſis affecti ſuppliciis? Reſpon-
o: Paulus quia civis Romanus erat, decollatus
; Petrus quia externus, crucifixus, velut impie-
s adeoque immanis ſupplicii reus. Secundò,
ia Petrus ob Simonem magum è volatu deje-
m, quem maximi fecerat Nero; ſtudioſus ma-
rum: Paulus autem ob pellicem Neroni abſtra-
m & ad fidem ac pudicam vitam deductam, po-
imum incarcerati & occiſi ſunt; ut habet Baron.
no 68. Itaque ob diverſas, cauſas diverſa ſubie-
t ſupplicia.

IV. Sed cur Petrus inverſo capite crucifixus?
ſpondeo, quia id petiit, primò ex humilitate,
ſi indignus eſſet crucifigi eodem modo, quo
pendit Magiſter ejus. Honoris ergo prærogа-
um etiam in cruce agnoſcit, & certat ibi cum
giſtro de inferiore loco; Miratur hanc humili-
em in atroci ſupplicio S. Auguſtinus ſerm. 29
Sanctis, & meritò. Secundò, quia Petrus velut
rra ad cælum iter parabat. Ut, ait S. Chryſoſto-
s homil. in princ. Apoſt, Chriſtus autem è ſepul-
chro in terram rediturus per reſurrectionem. Tertiò 3.
quia veritus eſt Petrus, *ne eadem paſſio eundem ſibi
ab inſipientibus honorem conciliaret*, ait Theodore-
tus orat. de charit. Quartò, quia Chriſtus prædam 4.
ſuam moriens in terra quæſivit, animas ſc. redem-
ptas: Petrus autem in cœlo gloriam ſuam & Do-
minum ſuum.

V. *Cur Paulus decollatus lac pro ſanguine ſtillavit &c.*

V. Cur Paulus decollatus lac pro ſanguine ſtilla-
vit, & tres ſaltus edidit, ad ſingulos Nomen JESU
enuncians, & tres fontes eliciens? Ad primum re-
ſpondit S. Ambroſius ſerm. 68. *Quid mirum ſi abun-
dat lacte nutritor Eccleſiæ, ſicut ipſe ad Cor. ait: Lac
vobis potum dedi non eſcam?* Ad ſecundum reſpon-
deo, quia illi commiſſum erat Nomen Christi por-
tandum coram Gentibus & Regibus, & filiis Iſrael.
Hoc quia fecit vivens, voluit facere & moriens, o-
ſtendendo quod in tres orbis partes Nomen JESU
& ſuam doctrinam eſſet delaturus. Dum verò duce-
retur ad mortem, tres milites apparitores conver-
tit, & martyres fecit, Longinum, Aceſtum, Magi-
ſtrum: nec non percuſſorem ſuum, cum is vidit ve-
ſtem ſuam non ſanguine ſed lacte aſperſam. Baron.
anno 60.

I. *Cur primatus Petro, non Ioanni commiſſus.*

I. Cur Petro potius primatus commiſſus, quam
Joanni? Reſpondet S Hieron. lib. 1. contra Jovin.
quia *Petrus ſenior erat, ne Ioannes adhuc adoleſcens
& penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.*
Similiter Sanctus Hidelbertus ep. 12. *Nam coram
diſcipulis offendiculum ponere noluit, nec majoribus* 1.
*anteponere juvenem. Detulit igitur ætati, non meri-
tis.* Secundò, ut Petrus qui ſemel lapſus fuit, ſciret 2.
compati lapſibus & infirmitatibus aliorum, adeo-
que ſe non extolleret ſupra alios, in ſuprema illa
dignitate. Quam etiam ob cauſam ambulans ſupra
mare, permiſſus eſt mergi paulùm. Tertio ob majo- 3.
rem ejus fidem & animoſitatem, qua primus ipſum
DEI Filium confeſſus fuit.

II. *Quid ſunt Claves Petri.*

II. Quid ſunt claves Petri? Reſpondeo juriſ-
dictio claudendi & aperiendi cælum ſeu ſolvendi
& ligandi. Unde duæ ipſi appinguntur, aurea & ar-
gentea. Ex quo patet neceſſitas confitendi in ſpecie
peccata; quæ requirit, ut animarum Judex ſciat,
clauderene debeat, an aperire confitenti cœlum.

III. *Cur Petra appellatur.*

III. Cur eum *Petram* appellavit Chriſtus? Re-
ſpondeo primò, quia & ipſe Chriſtus *Petra* fuit ac
dictus eſt, uti Iſa. 8. *Petra ſcandali;* ut quem ſui gre- 1.
gis relicturus erat vicarium paſtorem, eundem ſuo
nomine inſigniret. Ita Tertullianus, Baſilius, Hie-
ronymus apud Baron. anno 31. n. 26. Secundò, quia 2.
fundamentum Eccleſiæ ſtabile, adinſtar petræ futu-
rus erat. Hinc Romanus Pontifex geſtat in pectore
crucem ex adamante. Sæpius everſa eſt Roma, capti
aliquot vel ejecti Pontifices: nunquam omninò ex-
tincti.

IV. *Cur pingitur calvus.*

IV. Cur pingitur calvus? Reſpondeo; quia
Antiochiæ prædicanti caput attonſum & raſum
fuit ab impiis, *quaſi homini ſervili.* ut ait Beda lib. 5.
Ang. hiſt. cap. 22. quod poſteà vertit Eccleſia ad
ejus honorem, dum juſſit Clericos attonderi, par-

tim ad ejus opprobrium imitandum, partim ad Christi coronæ spineæ memoriam.

V. *Cur Romã transtulit cathedrã.*

V. Cur Romam Cathedram suam transtulit? Respondet primò S.Leo serm.1. de SS.Petro & Paulo: *ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revolabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* 1. Erat enim tum Roma omnium gentium domina simul & hospitium quasi. 2. Secundò ut in capite orbis Cathedram suam velut omnium Ecclesiarum caput constitueret, & successori relinqueret. 3. Tertiò ut ibi Simonem magum & hæresiarcham opprimeret, velut venenum Christianorum.

I. *Cur vocatur Papa.*

I. Cur vocatur *Papa?* 1. Respondet primò Remigius Antisiod. de celebratione missæ, quod sit pater Patrum, id est, Episcoporum. 2. Secundò Baron. quia Græcum Πάππας significat patrem, sicut Hebraicum *Abba.* Id olim Episcopis etiam aliis fuit commune usque ad annum 850. sed post ex decreto Gregor. VII. solis Romanis Pontificibus attributum. Baron. in Martyr. 10. Jan.

II. *Cur mutare nomen solet electus.*

II. Cur mutare nomen solent electi Pontifices? 1. Respondeo primò ad imitationem Petri, qui electus etiam à Christo nomen aliud sortitus est. 2. Secundò, ut nôrint se jam aliam personam, Christi videlicet, non suam repræsentare; aliter perinde etiam vitam sibi instituendam. Falsum ergo est, quod Plantina tradit & quidam alii, id fieri ad imitationem Sergii secundi, qui *os porci* seu Boccaporco, appellatus sit. Sergius enim quartus, quia vocabatur Petrus, ad honorem S. Petri, nomen id in Sergium mutavit, ut docet Baron. Inde hucusque ad honorem S. Petri, nemo id nomen assumpsit. In prædictionibus S. Malachiæ Episcopi ultimus, qui est trigesimus ab hodierno Innocentio, dicitur vocandus Petrus Romanus. Id quod DEUS novit.

III. *Cur appellatur sanctissimus.*

III. Cur appellantur sanctissimi? 1. Respondeo primò, quia repræsantant Christum. 2. Secundò, quia plurimi in ea sede sancti fuerunt, Martyres & Confessores, paucissimi mali, iique ferè intrusi potentia Principum sæcularium. 3. Tertiò ut admoneantur officii sui, qui sunt pastores tot millionum animarum, ut eas perducant ad sanctitatem. Et si olim Christiani omnes vocabantur sancti, quia tales ferè erant & esse debebant; quid mirum si Pontifices dicerentur sanctissimi.

Interim memores humilitatis suæ nominant se *servos servorum Dei*; quod primus cœpit S Greg. Magnus, signantque literas suas hac formula; *Sub annulo piscatoris.*

IV. *Cur patiatur pedum oscula.*

IV. Cur patiuntur pedum oscula? Respondeo, quia hoc non ipsi quidem expetierunt, sed primi Christiani, non privati solum, sed & Reges excogitarunt, in eo non personam hominis privati, sed Christi venerantes. Ita in Actis Apostolorum cap 4. dicuntur Christiani venisse & posuisse possessionum suarum pretia *ad Pedes Apostolorum.* Post Justinus Imp. accidit ad pedes Joannis Pp. Constantinopoli, obviam ei procedens: Justinian Imp. ad pedes Constantini Pp. Pipinus Galliæ Rex ad pedes Steph. 2. &c. uti refert Tho. Boz. tom. 2. de sign. Eccles. sig. 86. Atque ut ostendat Pontifex suæ privatæ personæ hoc ne fieri, nec deberi, in holoserico eoque rubro dextri pedis calceo crucem auro effigiatam gerit, quam osculandam porrigit, ut his honor cruci & Christo, non sibi impendatur. Quid quod olim Reges & Principes etiam ad aliorum inferiorum Episcoporum pedes se advolvere solebant ut ex Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & Historicis ostendit Corn in Isa. c. 49.

V. Cur nullus hactenus 25. annis (propè quidem ex 245. accessit S. Sylvester & S. Leo. 1. ne non Urbanus VIII. hoc anno 1644. primum defunctus, qui annos 21. & Adrianus I. qui 24. ferè attigit, nullus tamen ex omnibus æquavit) rexit Ecclesiam Romæ, sicuti S. Petrus? Requisitus de hac fuit B. Petrus Damiani Card. ab Alexandro II. P cui respondet, id à Deo ordinatum, *ut humano generi metum mortis incutiat, & quam despicienda temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu e denter ostendat, quatenus dum præcipuus hominu tam angusti temporis compendio moritur, tremefact quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provo tur, & arbor humani generis, cum cacumen ac ver cem suum tam facile corruisse considerat, flatu conc sa formidinis, in suis undique ramusculis contremis* Addit non esse parem rationem cum Regibus, q nullus toti orbi imperat; sicque mors unius alterius Regis non scitur nec curatur ab a regnis.

Secundò ut ipsi admoneantur humilitatis & m destiæ, dum brevi se morituros nôrunt, sicque r gis strenuè laborent & breve illud tempus hero actibus impendant. Hinc S. Bernardus epist. 2 ad Eugenium Pp. scribit: *Quantorum in brevi R Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi præ cessores tui tuæ certissimæ & c tissimæ decessionis moneant, & modicum tempus dominationis eor paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi.*

Tertiò ut ne facile aliquis Papatum ambiat, qu tam brevem novit. Denique ad honorem & præ gativam D. Petri.

Jam verò quis non agnoscit Christi Domini stri potentiam & gloriam, qui Apostolos suo tantam etiam in terris provexit gloriam & ho rem? Petrus piscator fuit, Paulus coriarius, & à tot sæculis in summo honore sunt. Ad co memoriam augustissima templa extructa sunt. rum corpora & monumenta supersunt. Locus m tyrii S. Petri Janiculus ab eo mons aureus di est. Locus martyrii S. Pauli ad tres fontes, ad celebres, appellatus, hodieque apparet & coli Ad illorum pedes & templorum vestibula sep sibi honori ducunt Reges,

Vos ergo ô cœli Principes; aspicite nos ex alt clientes vestros per hujus mundi pelagus diri

ad salutis portum, & tu quidem Paule hostes nostros debella, tu verò Petre cæli portam nobis resera.

THEMA IV.

Quid debeamus summo Pontifici.

I. *Debemus honorem & reverentiam in terris summam.*
II. *Timorem reverentialem.*
III. *Obedientiam.*
IV. *Preces assiduas.*
V. *Adhærentiam.*

Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth, 16.

SOlet hodierna die Romæ pulchrum exhiberi spectaculum, in quo Rex Hispaniarum per legatum suum offert ac præsentat summo Pontifici parvulum & gratiosum equum, candidissimi coloris, pulcherrimè instratum atq; adornatum, in recognitionem feudi, quod habet Rex Hisp. à sede Apostolica, in regno Neapolitano. Nos quoq; Audit. quia Christiani sumus, Sedis Apostolicæ vasalli & subditi sumus, ex quo baptismum suscepimus. Justum igitur est, ut nos hodierna die, qui primo Pontifici Romano, Petro, faces est, homagium Sedi ejus præstemus, ac quod debemus, munus exhibeamus. Id verò quale sit, breviter videamus.

I. Debemus ei honorem & reverentiam in terris summam: quia summum Regem gloriæ, Christum, nobis ob oculos ponit. Angli dicuntur sedem Regis vacuam, positam ad mensam, ita honorare ac si Rex in ea præsens adesset? quia scilicet Regem quasi præsentem refert. Jure igitur & nos sedem Pontificiam, & qui in ea sedet, Papã summo honore veneramur, quia repræsentat nobis Regem nostrum Christum. Nemo etiam nescit vet. Testam. Pontificem summo in honore fuisse; ideò junxisse sæpe cum Regibus connubia, & tandem sceptrum regni obtinuisse. Machabæi siquidem eorumq; posteri fuêre simul Reges & Sacerdotes, teste Josepho 13. Antiq. c. 19. Atqui novi Testamenti Pontificatum longè digniorem esse quis in dubium revocet? Sublimior enim longè est potestas & latior, diffusa per totum orbẽ; imò nullius Regis aut Imperatoris tam excelsum & spatiosum est imperium, atq; est Pontificis, qui est Monarcha perpetu' totius Ecclesiæ. Hinc igitur *Petro*, (ait S. Cyril. in thesauro) *omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi ipsi Domino Jesu obediunt.* Fecêre hoc olim & faciunt hodieq; Christiani Principes ipsique Imperatores, qui etiam ad pedes ejus deosculandos se submittunt, quasi cum Joanne Bapt. Christum in ipsis intuentes dicerent: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Christus est universalis Rex totius orbis, & Pontifex universalis ejus vicarius: quam ob causam gestat triplicem coronam, quia tribus orbis terræ partibus (quarta olim nota non fuit) continetur ejus imperium.

II. Timorem reverentialem, ut sic dicam, quia habet claves cæli, quibus claudere id & aperire potest; cujus typum in hoc gessit summus Pontifex V. T. quia solus in Sanctum Sanctorum poterat introire. Jam verò Pontifex ille sic honorandus erat, ut maledicere ei grave piaculum foret. Unde Actorum capite vigesimo tertio, cùm Paulus summum Sacerdotem, à quo per nefas cædi in faciem jussus fuerat, *parietem dealbatum* appellasset, ubi cognovit eum esse summum Pontificem, veniam dicto petiit: *Nesciebam*, inquit, *fratres, quia Princeps est Sacerdotum.* Itaque malè etiam agenti Pontifici maledicendum non putabat Paulus. Alex. Magn. quantumvis in alios ferox, quando in Judæam, armis eam expugnaturus venit, & Jaddum summum Pontificem sibi obvium cum agmine sacerdotum venientem vidit, Dei nomine in fronte insignitum, ipse licet Gentilis nomen illud adoravit & salutavit Pontificem, mirantibus qui circumstabant, Syriæ Regibus, quod ab omnibus adoratus unum Hebræorum Pontificem adoraret. Joseph. l. 11. Antiq. cap. 8. Similem reverentiam exhibuit S. Leoni Pp. Attila, flagellum orbis, territus aspectu Apostolorum Petri & Pauli, qui Leonem ex utroque latere stipabant terribili facie minantes, nisi Leonis postulata admitteret. Eutrop. lib. 15. de Rebus Romanis. Scimus Davidem passum à corde suo remorsum, quod Regiæ Saulis chlamydi vel oram unam detraheret, quia scilicet meminisset ipsum esse *Christum Domini* 1. Reg. 24. Quanto gravius erit detrahere famæ & honori summi Pontificis, qui longè potiori ratione *Christus Domini* est, quàm quicunq; Rex sæcularis? Inter alia præcipuè timenda ejus clavis, excommunicatio, quæ excludit & privat hominem communibus Ecclesiæ bonis & Sanctorum communione, & si in pertinacia reus persistat, etiam vita æterna. Sæpius demonstratum est, quantum ista clavis possit. Diximus alibi Gregorium IX. Pp. misisse Apostolicæ Sedis Legatum quendam in Lombardiam ad conciliandos dissidentes duos magnates, & alterum quidem, qui subtermittere se noluit sanctæ Sedi, excommunicatum fuisse: quod cum ille, qui dissensionis auctor erat, sperneret, sensisse ciconias, quæ in domo ejus nidificare solebant, ad alterius domum migrasse, donec errorem agnoscens, obtemperavit; tum verò reversas esse. Habemus etiam in historia sancti Thomæ Cantuariensis mart. ejus interfectores à Pon-

II. Timorem reverentialem.

à Pontifice excommunicatos, adeò exosos etiam canibus factos esse, ut panem ab eis accipere detrectarent; ut scribit Baronius ad annum. 1172. Sufficere hæc pro tempore possunt ad metuendam eam censuram.

III. Obedientiam.

III. Obedientiam. Scimus enim illud Domini Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ubi verò, Ecclesia magis quærenda, quam in capite ejus Pontifice? Et si summi Pontificis decretis in V. T. standum erat ut habetur Deut. 17. v. 10. quantò magis illius, quē Christus posuit suo loco? pro quo etiam oravit, ut non deficiat fides ejus? Qui proinde habet ac habere debet infallibilem Spiritus S. assistentiam, ut nihil contra fidem & bonos mores docere Ecclesiam queat? Consideravit hoc Osvvin Angliæ Rex, qui, cum de paschate disceptatio fieret: an cum Hebræis, an potiùs more Romanæ Ecclesiæ celebrandum esset, ubi audiit Petro, ejusq; successoribus Pontificibus Romanis claves regni cælorum creditas esse, mox Romanæ Sedi se accommodavit, ne, ut ajebat, fortè veniens ad cæli fores à Petro janitore excluderetur; uti refert Ven. Beda l. 3. Hist. Angl. c. 25. Baron. ann. 664.

Trip. in hoc Fest. C. 2. G

Ad hanc obedientiam spectat, ut mandatis ac decretis suummi Pontificis, nec non Ecclesiæ præceptis strictè obediamus. Diximus aliàs Carolum V. Imperatorem cum Neapolim transiens videre passim in januis ædium equum album absq; fræno, auditq; ideò fieri, quod hæc essent insignia Neapolitanorum: subjecisse, se huic equo frænum injecturum: struxisseq; castrum supra civitatem, quo compesci posset. Vidit etiam Christus Dominus hominem fræno indigere & jugo obedientiæ, quare loco suo pastorem nobis visibilem reliquit, qui subditos imperii & potestatis suæ fræno contineret in officio. Bonum & salutare est hoc frænum nemini detrectandum. Quod si quis detrectet, sciat is habere Petrum duplex frænum, unum ad laxandum, alterum ad constringendum: clavem ad aperiendum & absolvendum, & clavem ad claudendum & retinendum.

Trip. Dom. 15. post Pent. C. 2. D.

IV. Preces assiduas.

IV. Preces assiduas, ut tam arduum munus, quod pro nobis gerit, sustinere possit. Meritò existimamus obligari nos ad precandum pro Principibus nostris sæcularibus: quia pervigilant pro nobis; at cur non potiùs pro Pontifice? *Tantò enim facilius est munus Imperatoru aut Ducu, quàm Episcopi, quantò difficilius esset, quæ non videas regere, quàm quæ videas;* ajebat S. Laurentius Justinianus in vita 8. Jan. Agnovit hoc inter alios Hadrianus IV. Pp. cujus hæc sunt verba, *Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius ejus est vita lætitia & fælicitas, amaritudo est. Cathedra Romana Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis: pondus tantæ molis, ut robustissimos premat & confringat humeros.* Quæ verba relegens Marcellus Secundus Pontifex manu mensam pulsans exclamavit: *Non video, quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salvari possunt.* Similiter Pius V. Pont. dicebat ex humilitate, se penè in Pontificatu de salute desperare, ut alibi diximus; refert Cornel. in cap. 32. Ecclesiastici. Sed hæc illi ex modestia & per exaggerationem, optimi alioquin & piissimi viri. Vidit hoc Ecclesia prima, quæ proinde Petro in carcere detento, *sine intermissione orabat pro eo;* Actor. 12. impetravitque per miraculum ejus liberationem. Pari modo pro S. Clemente Pp. cum ad mare duceretur demergendus, Christiani, qui ad littus stabant; orantes dicebant: *Domine Jesu Christe salva eum.* Et obtinuerunt, ut mare ad tria milliaria recederet, ipsiusque corpus martyris in ædicula marmorea reperirent.

V. Adhæsionem; ita ut ab ejus sede nulla ratione divelli nos patiamur. *Debemus enim nos,* ait S. Cyrillus in thesauro prædicto, *ut qui membra sumus capitis Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi adhærere.* Polypus piscis, notus civitatibus maritimis, in tempestate adhæret petræ, quam apprehendit adeò fortiter, ut potiùs membra sua dilacerari patiatur, quàm inde se divelli; quin & cum colore petræ colorem mutat. Pier. lib. 27. hierogl. Equulus ille Pontifici donatus solet plerumque adhiberi ad portandam Venerabilem Eucharistiam, quando aliquò proficiscitur Pontifex; & ex eo tempore nemo ampliùs tergum ejus conscendit: quasi non deceat alium sedere in jumento, in quo Christus sedit. Quin imò de sancto Joanne Pp. scribit sanctus Gregorius Magnus, libro tertio dialog. cap. 2. eunti Constantinopolim equum ad Corinthum à nobili viro pro itinere accommodatum fuisse: qui post à Joanne domino remissus repulit, quam priùs vehere solebat, dominam suam; tanquam indignaretur, mulierem reciperet, ex quo sedisset in eo Jesu Christi vicarius, à cujus etiam obedientia & servitio nollet recedere. Quod advertens dominus donavit equum Pontifici. Suscepimus nos omnes suave Christi & Vicarii ejus jugum, velut veri & unici pastoris nostri: non ergo id excutiamus, nec alterum sessorem recipiamus; quia non expedit nobis. Qui non est cum hoc Noë in arca, necesse est ut pereat: qui non est cum ipso, contra ipsum est: qui non colligit cum eo, dispergit. Accepimus nos Germani fidem à Romano Pontifice per sanctum Bonifacium missum ad nos à Gregorio II. Pp. Accepimus & Imperatorem à Joanne XII. qui Othonem I. vocavit è Germania in Italiam, & Imperatorem coronavit, teste Luitbrando, ejus temporis scriptore. Rhegin. Sigeb. & aliis. Non deseramus petram nostram, non discedamus à nostro Noë. Scimus Græciam, postquam à Sede Romana descivit, barbaris depopulandam esse datam, nec non alias quoque regiones ob eandem causam, uti quatuor Patriarcharum sedes. Idem nobis metuendum foret, si, quod absit, ab hac

petra discederemus. Simus igitur ac maneames fideles S. Petri subditi ac vasalli perpetui. Quod nobis donet Deus.

THEMA V.

Petrus & Paulus duo Ecclesiæ Architecti.

I. *Ædificarunt eam sapientia cælesti,*
II. *Indefesso prædicationis labore.*
III. *Vitæ & morum sanctitate.*
IV. *Precibus & lachrymis,*
V. *Virtute miraculorum.*
VI. *Pastorali cura & solicitudine.*
VII. *Martyrio & sanguine.*

Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth, 16.

TAbernaculum veteris Testamenti, quod Dei mandato struxit Moyses in deserto, Ecclesiæ Christi fuisse typum dubium non est, & testatur S. Augustinus in Psalm. 41. *Tabernaculum ejus in terra*, inquit, *Ecclesia est adhuc peregrina.* Et l. 6. contra Faustum. Venerab. Beda & alii. Tabernaculi hujus structor Christus est, ut in hodierno Evangelio audimus: *Ædificabo Ecclesiam meam*; quo modo veteris & typici illius structor erat Moyses. Verùm uti Moyses non propriis suis manibus, sed per Architectos duos Beseleel, & adjunctum ei socium Ooliab, tabernaculum extruxit; (ut habetur cap. 31. Exod) ita etiam Christus Dominus in cælum assumptus, non jam propriis manibus sed duorum, quos constituit, Architectorum, Ecclesiam suam ædificavit & per universum orbem extendit. Quinam verò sint illi, exponit nobis glossa (quam composuit Strabo Monachus Fuldensis, ex scriptis Rabini Archiep. Mogunt. magistri sui anno 840.) in locum cit. *Beseleel*, inquit, *& Ooliab sunt Petrus & Paulus, qui duo post Christum ædificarunt Ecclesiam Iudæorum & Gentium. Beseleel enim, qui interpretatur umbra Dei, significat Petrum: nam ad tactum umbræ ejus virtute divina sanabantur infirmi.* Actor. 5. *Ooliab, qui interpretatur protectio vel habitatio mea pater, est Paulus, qui mente habitabat in Deo patre omnium. Vnde ait ad Philip. 3. Nostra conversatio in cælis est.* Addo, quia ejus protectio fuit Christus, qui Actor. 18 ei dixit: *Noli timere quia tecum sum.* Superest, ut nunc videamus, qua ratione duo hi primarii Architecti Ecclesiam extruxerint, quod hic faciemus.

I. Ædificarunt eam cælesti sapientia divinitus sibi tradita. Petro ante omnes Apostolos revelatus est Christus Dei filius, ut in hodierno Evangelio audimus. Ipsi præ cæteris revelata est vocatio Gentium per cælestem visionem in demissione lintei, Actor. 10. Ipsi revelatum Ananiæ & Saphiræ mendacium & dolus, Actor. 5, aliaque plurima. Præter hæc accepit à Deo mirificam sapientiam, qua scripturas sacras citavit, intellexit, explanavit, decreta constituit: eloquentiam ad prædicandum tantam, ut prima concione tria millia, secunda quinque millia hominum converterit. Et sanè admiranda sunt ea, quæ in Actis Apostolorum dixit, & in epistolis suis scripsit, ut doctissimi cujusque sapientiam longè superent. Quis hæc à piscatore expectare potuisset, nisi Deus cælesti lumine eum perfudisset? Atque hoc inprimis erat, quod mirati sunt Hebræorum Magistratus in Petro cum tanta libertate loquente ac Joanne, *comperto quod homines essent sine litteris & idiotæ*, ut dicitur Actor. 4.

Paulus & ipse cælesti sapientia illustratus in sua conversione; rursum quando in tertium cælum raptus fuit, 2. Cor 12, asseverat se Evangelium non ab homine accepisse & didicisse, sed per revelationem JESU Christi, ad Galat. 1. Mysterium vocationis Gentium & ipse mox coversione sua divinitus agnovit, Gentium Doctor electus. Act. 9. Moyses in monte Sina Dei legem & accepit & edoctus est: Paulus in ipso cælo à Deo instructus; ita ut ejus sapientiam in Epistolis elucentem nemo satis admirari queat. Quare Sanctus Dionysius Areopagita capite septimo de divin. nom. eum appellat *communem nostrum Solem*; & alibi sæpè *abyssum*, S. Chrysostomus homil. 4. de laudibus Pauli, *mare sapientiæ purissimum & profundissimum.* Sanctus Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, *tubam Evangelii, flumen eloquentiæ Christianæ, rugitum leonis nostri.* Origenes affirmat fuisse aliquos, qui crederent Paulum esse spiritum veritatis à Patre missum & à Christo promissum apud Cornelium in procemio Epistol. sancti Pauli. Admiranda igitur hæc & cælestis sapientia Petri & Pauli; in stuporem rapuit orbem, convicit mundi sapientes, convertit mundum, evertit Idololatriam: quomodo in V. T. tubæ inflatæ à sacerdotibus, qui tamen arte tubicines non erant, tam potentes fuerunt, ut muros Jericho dejicerent. Jos. 6.

II. Constanti & indefesso prædicationis labore ac zelo. Petrus inprimis Jerosolymis maximo fervore Christum prædicavit coram Magistratibus, eorum minas contemnens, & contra inhibitionem magno animo pergens, Act. 4. & 5. posteà variis peragratis urbibus sedem suam Antiochiæ posuit, inde post septennium Romam transtulit; unde etiam subinde in regiones alias, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bythiniam excurrit & Ecclesias visitavit. Aliqui uti S. Gregorius, in Hispaniam & quidam etiam in Angliam profectum esse volunt. Labores ejus velut summi

II. *Indefesso prædicationis labore.*

Ecclesiæ pastoris maximos fuisse nemo in dubium vocare potest. Unde S. Chrysostomus hom.3. in Acta de ipso ait : *Quam est fervidus! quàm cognoscit creditum sibi à Christo gregem ! quàm in hoc choro princeps est , & ubique primus omnium incipit loqui!* Et alibi: *Vide ubique Petrum circumcursare & primum inveniri : quando eligendus Apostolus, hic primus; quando loquendum Iudæis , non esse Apostolos ebrios, quando curandus claudus , quando concionandum, hic præ aliis est ; quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam, quando ab umbra sanationes fiebant, hic erat ; & ubi quidem periculum, hic; & ubi gubernatio; ubi à tranquillitate res, erant plena, communiter omnes ;* apud Boz. de sign. Eccl. l. 18. c. 1.

De Paulo quid dicam ? Testantur ejus labores & prædicandi zelum tot carceres, tot catenæ, tot tribunalia , tot lapides, tot naufragia, tot verbera & flagella, tot urbes & regiones ab ipso peragratæ, ab Jerusalem per Syriam, Asiam minorem , Græciam usq; ad Illyricum, inde usq; in Italiam & Hispaniã. Adhæc in ipsis vinculis , in qua ob prædicationis munus conjectus fuit, non cessavit prædicare. Unde S. Chrys. de patientia Job ho. 5. *Videte Paulum* inquit, *licet in vinculis ipsis, in catenis habitantem, docentem atq; in judicio idipsum facientem.* Patet ex Act. 24. ubi vinctus sua concione tremefecit Fælicem præsidem; & c.26. ubi commovit Regem Agrippã. Ex ipsis deniq; vinculis consolatus est, & instruxit Ecclesias à se fundatas, crebris & prolongis suis epistolis. Non ergo Petrus & Paulus dirigendo & imperando solùm, quemadmodum alii Architecti solent, Ecclesiam ædificarunt, sed etiam collaborando & quidem ante omnes & supra omnes alios. Quales hi Architecti ? *Qui sunt isti, qui ut nubes volant,* inquit Isa. c. 60. qui per universam se, terram, eamq; sua prædicatione rigant ?

III. *Vitæ & morum sanctitate.*

III. Vitæ sanctitate & innocentia morum. Tunc maximè fit potens verbi prædicatio, quando confirmatur vitæ exemplo. Hoc autẽ in Petro eximiè & prorsus admirandum fuit ; siquidem non verbo solùm, sed opere etiam ovibus suis præivit, vitamq; inter fideles Apostolicam instituit , qua omnibus suis venditis in commune viverent. Deniq; ob sanctitatem ejus exposuerunt homines passim ægros in plateas, ut ejus saltem umbra tangerentur, (qui & tacti convalescebant) quasi ipsum etiam tangere nefas esset. Ipsi verò Magistratus quæsierunt varios modos, quibus eum velut reum alicujus delicti punirent: nec tamen invenerunt. Act. 4. & 5.

Paulus similiter omnium virtutum & totius sanctitatis illustre fuit speculum , ita ut seipsum non dubitarit proponere aliis in exemplum , ad Philip. 3. scribens : *Imitatores mei estote fratres, & observate eos , qui ita ambulant, sicuti habetis formam nostram.* Quod certè dicere non posset aut deberet, nisi perfectum virtutum exemplar foret. Quare de ipso S. Chrys. ho.12. in Gen. ait : *Quasi archetypum aliquod exemplar; ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum calcationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum fervorem; & arbitror , quod unus homo omnes virtutes congregarit & perfecerit : verum nos unum quidem bonum opus vel mediocre volumus.* Et alibi apud Cornel. in proœm. Epist. ejus c.4. *Paulus omnium virtutum fuit arca, adeò ut etiamsi quis totum contrà eum justorum chorum sigillatim appendat , inveniat trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Ea verò passim elucent ex ejus epistolis , velut flores è paradiso delitiarum: ut videre est fusè apud Corn. loc. cit. Denique de se & aliis Apostolis ait 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.* De quo S Bernardus ser. 12. in Cant. *Paulus vas electionis, revera vas aromaticum , vas odoriferum & refertum omni pulvere pigmentario: Christi enim erat bonus odor in omni loco.* Hoc suo odore Petrus & Paulus imbuerunt & ad se traxerunt Judæos & Gentiles : non secus ac columbæ suavi odore imbutæ pelliciunt in decipulam & columbare alias columbas, ut scribit S Basilius in ep.175. De quibus Isa. c.60. dixit : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.*

IV. Precibus & lachrymis. Petrus quàm addictus fuerit orationi , testatur ejus sudarium, semper impletum lachrymis , & facies sulcata lachrymarum imbre penè continuo ; testantur Acta Apostolorum , in quibus refertur statas orationum horas observasse, & orandi causa modò hora nona ad templum ascendisse , Act.3. modo hora sexta in superiora domus cùm à templo abesset , Act.10. modo cum cæteris fidelibus in oratione perseverasse Act. 1. & 2. modo positis genibus orando Tabitham resuscitasse Act.9. modo per orationem impetrasse & impertiisse aliis Spiritum S uti Act. 8. adeò ut hinc colligas nihil eum attentasse , nihil perfecisse sine oratione.

De S. Paulo idem testantur eadem Acta , nunc eum cum Sila media nocte, Act. 16. nunc ingressurum navim positis genibus , Act. 20. nunc rursum navigaturum cum fidelibus orasse, Act.21. nunc in templo orationibus vacasse, Act.22. modò oratione infirmum Patrem Publii, sanasse Act. 28. Denique ipse fatetur, quomodo precatus sit pro Ecclesiæ incremento ad Eph. 3. *Flecto genua mea,* inquit, *ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus &c.* Sed audiamus de ipso eximium amatorem ejus Chrysostomum , qui hom.30. in Gen scribit: *Specta & Doctorem orbis in carcere compeditum , unà cum Sila orantem tota nocte , neque dolore neque vinculis prohiberi : sed eo magis ingentem fervidumque amorem declarare erga Dominum.* Et l.2. de orando Deum : *Paulus ille insatiabilis Dei cultor & communis pater ac progenitor servorum Christi. Ille igitur custos orbis terrarum per deprecationem , ac assiduam obsecrationem , omnes gentes salvas fecit.* Et

hom.

o.1.de laudibus ejus. *Hinc & juges lachrymarum* *ontes ex eo non diebus solum, sed etiam noctibus ef-* *uebant, omniq; muliere parturiente vehementius* *ffligebatur in singulis, propter quod dicebat: Filioli* *ei, quos iterum parturio.* Quomodo his lachrymis igata recens Ecclesiæ plantula crescere non potuit? lotat S. Bern. ser. 2. de resurrect. Christum dũ suas ves Petro commendaret, ter ingeminare, *Pasce o-* *es meas*, Joa. 21. ut significaret triplici ratione pa- endas ab eo oves, sc. *Pasce animi oratione, verbi* *hortatione, exempli exhibitione.* Et ep. 201. *Pasce* *erbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu oratio-* *um.* Omnia hæc tria præstitit uterq; Ecclesiæ Ar- itectus, Petrus, inquam, & Paulus: hinc tantum & m præclarum Ecclesiæ ædificium.

V. Virtute miraculorum. Petrus quidem ut do- t sanctus Ambrosius sermo. 2. de SS. Petri & Pau- encomiis, primum edidit miraculum in claudo e- gendo, *ut sicut*, inquit, *in Ecclesia fidei fundamen-* *m continet: ita & in homine membrorum funda-* *enta (quæ sunt pedes) confirmet: ut jam non trepidus* *imbecillis possit supra Petram Ecclesiæ, sed robustus* *fortis incedere.* Æneam paralyticum verbo sana- : Tabitham ad vitam revocavit, Actorum 9. Um- am ejus sanasse ægros jam indicavimus. In carce- Mamertino fontem (qui adhuc Romæ ostendi-) è saxo impetravit ad baptizandos carceris cu- des, Processum & Martinianum. Simonem deni- e magum oratione sua ex aëre volantem dejecit. ceo alia de catenis ejus & similia, quibus omnem ristianam religionem miro modo propagavit, & ntilismum ac Judaismum sepelivit. Unum hoc rarum nec vulgo notum, non tacebo. Describit Fabianus Justinianus è Congregat. Oratorum E- copus Adiacensis in capite 4. Tobiæ versu 1. in c verba: *Vetustissimo multorum jam annorum se-* *continuato miraculo, fidei quantitati respondere* *um, in mea hac Regni Corsicæ Adjacensi Diœcesi* *tidie conspicitur. Nam prout vetustissimo fidissi-* *que testimonio non tantum oppidanorum, sed et-* *finitimorum, jure etiam jurando confirmato, vi-* *ndo cognovi, distat ab oppido Mela passuum milli-* *duodecim templum Divi Petri Apostolorum* *ncipis, vetustate jam semirutum, cui Deus hoc pe-* *are contulit; ut ipsius forium clavis mirabilem* *n ad sananda pecora contineat. Est morbus satis* *culosus, quo guttura ovium turgent (quod etiam* *obus ac suibus evenit) ejusmodi naturæ, ut si ali-* *ndo afficiat aliquam, per totum gregem illico per-* *e ur, neq; desistat, donec omnes ad interitum per-* *erit. Quodq; in humanis incolæ non invenere re-* *ium, præsens attulit Deus. Nam voto concepto* *am, ubi penes Curionem præfati templi clavis as-* *atur, contendunt, clavemque arreptam ad gre-* *devotè deferunt, uniusque ex infectis pecudibus* *uri applicant, & morbi vis in omnes subito desi-* *mitibusque peni us salvis evanescit: nisi quod* *uæ clavi tangitu, aliquando moritur. Imo sæpe* *ide, voventium respondet Deus, ut vix itinere* *ab eis arrepto ad capessendam clavem, pecudes libe-* *rentur. Atque adeo accepto de ovium salute nuntio,* *actis Deo ac sancto Petro gratiis, irrequisita clave ad* *greges læti revertuntur. Neque si forte clavis amitta-* *tur, propterea deficit donum Dei, sed ubi aliam in de-* *perditæ loco, iisdem foribus accommodatam sufficiunt* *vim eandem recepisse experiuntur, ut semel jam acci-* *dit. Et quæ nunc extat, octoginta ab hinc annis ali-* *quando amissa, semper inventa perseverat.* Sic Epi- scopus ille de re suæ Diœcesis sibi perspecta.

Paulus quoque miraculorum virtute non infe- rior, inprimis Elymam magum Evangelio resisten- tem excæcavit, Actorum 13. Deinde claudum ex u- tero matris in pedes erexit, Actorum 14. Dæmo- nem è puella pythonissa ejecit, Actorum 16. Patrem Publii, ut diximus, ægrum sanavit, Actorum 29 Eu- tychum adolescentem à morte suscitavit, Actorum 20 viperam à manu illæsus excussit. Actorum 28. à quo tempore Insula Melite (ubi id fecit) innoxia gignit animalia, quæ alibi venenata sunt, ut refert & confirmat Pater Cornelius in prooemio Episto- larum sancti Pauli capite septimo. Denique *super languidos deferebantur à corpore ejus sudaria & se-* *micinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus* *nequam egrediebantur*, ait Lucas Actorum decimo nono. Quibus aliisque utique plurimis, accedit tri- plex ille saltus capitis ejus in martyrio: plures quo- que apparitiones & auxilia Ecclesiæ ab utroque A- postolo exhibita, à variis conscripta; quibus veluti sigillis suam subsignarunt ac confirmarunt prædi- cationem, Ecclesiamque ædificarunt, propagarunt, illustrarunt.

VI. Pastorali cura & solicitudine, optimoque re- gimine. Pugnarunt enim inprimis strenue contra lupos, hæreticos, uti Petrus contra Simonem Ma- gum, eum excommunicando, Actorum 8. Paulus contra Elymam magum, eum cæcando, Actorum 13. Uterque simul Romæ contra prædictum Simo- nem. Providerunt deinde Ecclesiis de optimis Epi- scopis ac pastoribus. Petrus Alexandriæ dedit S. Marcum, Thebis Rufum, Siciliæ Pancratium, aliis Italiæ civitatibus fere singulis singulos (quos refert Cornelius in prooem. Ep. S. Petri) Galliis S. Martia- lem, Germaniæ sanctum Eucharium & Maternum, Hispaniæ Torquatum &c. Similiter sanctus Paulus Ecclesiis à se fundatis suos dedit & insignes qui- dem Episcopos. Providerunt etiam pauperibus de victu necessario & collectas à fidelibus eleemosy- nas ad eos ablegarunt; de quo maxime solicitus e- rat Paulus 2. Corinth. 8. & Petrus dispensando com- mune Ecclesiæ ærarium in egentes. Actor. 4. Pur- garunt quoque Ecclesiam à scandalosis & scabiosis ovibus.

VI. Pastorali cura & solicitudine.

VII. Martyrio & sanguine suo. Petrum præter fla- gella à Judæis accepta Actor. 5. ab Herode in carce- rem conjectum & vinctum custoditum ut post Pa- scha occideretur, scimus ex Act. 12. Postea ab impiis in capite ad ludibrium attonsum antiqua fert tra- ditio Romæ quanta à Judæis & Gentilibus pertu-

VII. Martyrio & sanguine suo.

lerit, quis non facile divinet? Paulus labores & persecutiones suas ipse magna ex parte recenset 2 Cor. 11. & alibi; partim describit in Apostolorum Actis Lucas usq; ad ejus ingressum in Urbem. Quibus omnibus accedit demum sanguinis profusio, qua duo hi Architecti tabernaculum Ecclesiæ à se constructum purpurarunt ac solidarunt. Firmissimum fertur ædificium, quod vivo calci affuso est extructum longè firmius est Ecclesiæ tabernaculum, ipsorum Architectorum sanguine solidatum. Quis enim adhærere dubitet illi Ecclesiæ, pro cujus incremento & structura tanti isti viri tanta fecerunt & perpessi sunt, neq; dubitarunt sanguinem profundere? Quid enim vita charius habemus? quid magis quam supplicia & tormenta exhorremus? Neque vero in fide solùm confirmarunt isti cæteros fideles, sed etiam ad martyrium suum imitandum innumerabiles pertraxerunt ut testatur S. Leo ser. 2. de Nat. Apost. *Duo* inquit, *ista præclara divini germina seminis in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrũ protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphatorum urbem nostram purpurarunt.* Anastasius Persa cum relicta sæculari militia templa Christianorum Hierapoli obiens, martyrum certamina aspiceret in tabulis depicta, consideratione tantæ virtutis adeo in Dei amorem exarsit, ut ad similem gloriam statim aspiraret, quæ & ipsi tandem obtigit, ut in ejus vita 22. Jan. Aspiciamus nos Architectos Ecclesiæ nostræ: Petrum crucifixum, Paulum decollatum, utrumque suo sanguine Ecclesiam irrigantem, & si ad similem gloriam aspirare non valemus, saltem ardentioribus animis Ecclesiæ adhæreamus; & si res ita ferat, pro ejus etiam defensione occumbere non dubitemus.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

THEMATA.

I. *Magdalena similis viti.*
II. *Quatuor etyma Magdalenæ.*
III. *Magdalena cur peccatrix dicta.*
IV. *Cur se Magdalena à solo Christo absconderit.*

THEMA I.

Magdalena similis viti.

I. *Quia foris apparuit vilis, intus erat nobilis.*
II. *Quia pergratum virtutum odorem dedit.*
III. *Quia celerrimè profecit.*
IV. *Quia voluptatum instrumenta vertit in virtutum organa.*
V. *Quia Christo fortiter adhæsit.*
VI. *Quia per contemplationem in cœlum conscendit.*

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Eccl. 24.

Vitis ex ore Magdalenæ crevit.

REm miram recenset Doctor celebris, Sylvester Prieras Ordinis S. Dominici de S. Maria Magdalena, in aurea Rosa, apud Sur. 22. Julij. Carolus Rex Siciliæ secundus & Comes Provinciæ circa annum Domini 1279. navali prælio cum Aragonum Rege congressus, victus Barcinone diro carceri mãcipatus fuit. Ibi à M. Gulielmo de Tonnanis Ord. Præd. Confessario suo monitus est, ut quia humana præsidia nulla expectaret, commendaret se B. Mari[æ] Magdalenæ, ut quæ in terris sibi subjectis vixerit obierit. Placuit Regi consilium, & executus est. E[c]ce igitur in Vigilia Festivitatis Magdalenæ, app[a]ruit ei matrona insignis, quæ Regem compella[ns] sequi se jubet, eductumque è custodia cum famil[ia] sua statuit prope Narbonam Galliæ, distantem Ba[r]cinone leucis fere 30 adeoque intra terminos pri[n]cipatus ejus, asserens se, quam invocarat, Magdal[e]nam esse. Ille gaudio plenus & perfusus lachrym[is] quid ei gratiarum rependere possit, interrogat. C[um] Magdalena, corpus suum ob instans bellum, al[io] translatum jam ignorari: eat igitur & requirat rel[i]quias suas; inventurum vitem, quæ ex ore capitis [e]jus excrevit, additis aliis indiciis, è quibus Rex re[m] ut erat, deprehendit & jussa omnia peregit. Qu[id] putamus Auditores? Num absque Dei consilio [ex] capite Magdalenæ vitem prodiisse? Ego sane neu[t]quam, sed voluisse eum nobis ostendere, fuisse M[a]gdalenam quandam vitem, qualem describit Ec[cl.] c. 24. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odor[is].* Ea vero an conveniat Magdalenæ, nunc videam[us].

I. Lignum vitis, si quod ullum, admodum vile deforme est aspectu, curvum, nodosum, lacero c[or]tice opertum, ut plane sit contemptui; intus tam pretiosum humorem habet, qui se suo tẽpore p[ro]dit. Ecce tibi Magdalenam, viti in hoc simillima[m]. Secundum aspectum enim tam vilis & abjecta er[at] ut Pharisæus eam non nisi *peccatricem* appellet, miretur, quod eam Christus ad se venire permitt[at]. Adhæc habitus ejus erat squalidus, sparsi capilli, [o]culi lachrymantes & dejecti, ipsa retro se absco[n]de[ns]

deris. Verùm jam tunc Christus in ejus animo pretiosum pœnitentiæ & amoris divini humorem vidit, quem alii non viderunt. Hoc ipso igitur suo squalore Christi gratiam invenit, ejusque oculis placuit. Scimus Deum Exodi 33. per Hebræorum idololatriam irritatum, tandem eorum lachrymis rursum placari cæptum; imperasse eis ut pretiosum vestitum exuerent, *ut sciam, quid faciam tibi*, inquit; quasi per hoc exploraturus, an componere se ad pænitentiam vellent. Fecerunt illi ut imperatum, & Deum sibi placarunt. Egregie in eum locum scribit Oleaster: *Non libenter videt Dominus peccatorem festivis vestimentis indutum, sed quemadmodum decent justum vestimenta lugubria: ita peccatorem indumenta jucunditatis. Considerate quæso peccatricem illam; cujus sacra meminit historia, qualiter ad Salvatorem non ornata, sed solutis crinibus venerit verecunda, ut non ausa fuerit faciem Christo ostendere, sed eam capillis suis operuerit, ut retro steterit. Tu ergo qui à Domino Deo tuo veniam requiris, ornamenta depone.* Sic ille. Quin etiam seipsam derisui exposuit Magdalena, dum in consessu virorum ingressa, se in terram abjecit & lachrymari cœpit: volens hac sua confusione peccata sua punire, ut gratiam inveniret. Omnis ergo ejus gloria fuit ab intus, quò magis squalor foris.

II. Vitis dum floret, pergratum fundit odorem. Ad quis odor in Magdalena, dices, quæ audit & scitur peccatrix? Imo vero dum sub convivio habitu pœnitentis tam luculento ingreditur, hoc ipso dat odorem variarum virtutum gratissimum. En tibi odorem humilitatis, qua ad pedes Domini, catelli instar, se collocat: odorem verecundiæ, qua retro ipsũ abscondit, quasi indigna ejus aspectu: odorem devotionis, qua pretiosum unguentum in ejus pedes fundit. odorem taciturnitatis, qua linguam adpressit ac si muta foret, nec digna quemquam alloqui: odorem pœnitentiæ, qua peccata sua jam aperto ipso confiteri & expiare lachrymis cœpit. Quod si compta & phalerata venisset, si mensæ assedisset, si oculos circumtulisset, si loquaculam se præbuisset, impudentem ac lascivientem: tetrum utique odorem sparsisset & ejici meruisset. Verùm dum contrario incedit modo, Christum suo odore suavitatis & recreavit & occupavit. Unde bene ipsi convenit, quod prædicto loco Sapiens dixit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Vitis dum floret odorem dat, non dum fructificat: at Magdalena, dum suos pœnitentiæ flores ostendit, odorem suum spargit, adeoque jam fructificat. Qui sane odor in cælum usque ascendit, quia & Angelos recreavit, qui super uno peccatore gaudent pœnitentiam agente. Unde S. Bernardus in eum locum: *Ea domus repleta est ex odore unguenti: Hos ergo pedes*, ait, *primo unxit anima peccatrix illo primo unguento, quod dicitur compunctionis: denique Maria, quæ peccatrix erat, unxit pedes Iesu, nec mediocre sanè hoc unguentum videbatur, de quo scriptum est: & domus repleta est ex odore unguenti. Nec mirum; cum etiam in cælestibus sentiatur hujusmodi unguenti fragrantia; veritate attestante, quæ ait: Gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente.* Non igitur fœtent coram Deo & Angelis gravium peccatorum confessiones, si contritionem comitem habeant, sed suavissimè potiùs olent, & odore ipsum cælum replent. Sic caput Holofernis, quod Hebræis prius terrori atque horrori erat, præcisum postea voluptati fuit.

III. Vitis avidissima est ad crescendum & fructificandum, ita ut malit parere, quã vivere; unde quod à ramis superfluis demitur, fructui accedit, teste Bercorio in Reduct. l. 12. c. 175. Adhæc etsi tardius floret, quam arbores aliæ, solstitio nimirum; post flores tamen fructum accelerat, & multas sæpe arbores, quæ dudum floruerunt, celeritate præcurrit. Idem in Magdalena cernere est. Tardius quidem illa pænitentiæ flores edidit, postea tamen magnis passibus ad virtutum culmen perrexit & celerrime pervenit. Quantũ nos laboramus, donec unum vitium exuamus, & contrariæ virtuti assuescamus! Magdalena simul & semel omnia deposuit, & sanato morbo suo perfectam repente sanitatem consecuta est, quod indicavit Dominus, cum ei dixit: *Fides tua te salvã* (non sane in corpore, quia ægra non fuit, sed in anima) *fecit, vade in pace.* Quemadmodũ n. eos, quos corpore sanavit perfecte sanavit: sic & quas animo. *Dei* enim *perfecta sunt opera.* Deut. 32. Ergo Magdalena post pœnitentiæ flores, quos sub hoc convivio edidit, mox fructus virtutum maturare cœpit, abolitis vitiorum habitibus, & concepit rerũ mundanarum contemptum, virtutum amorem, desiderium rerum cælestium, perfectam castitatem, ardentem Christi dilectionem & constantem sequelã ad omnes ejus peregrinationes & labores, quasi facta discipula & Apostola ejus. Unde bene Ecclesiast. flores ejus appellat *fructus: Flores mei fructus honoris & honestatis.* Quasi simul cum floribus aut immediate post edidisset fructus. Thebani cum primum Lacedæmonios, qui antea existimabantur invincibiles, vicerunt, ab iis postea nunquam victi sunt; teste Plut. l. de cohib. ira. Qui inde colligit vitia sic posse superari, ut numquam ab illis postea superemur. Confirmat id opinio S. Thomæ Aquinat. qui ait unico actu posse acquiri habitum. Id quod sane ipsi contigit, quando pulsa impudica muliere apprehenso titione, deinceps nullum ampliùs turpis concupiscentiæ motum seu igniculum sensit. Tanta est vis gratiæ divinæ.

III. *Quia celerrimè profecit.*

IV. Vitis aquas pluviarum turbidas & lutosas hauriendo, Solis accedente beneficio mutat in præstans vinum, quod fundit ex uvis. Quid Magdalena? nihilominus fecit, voluptatum enim carnalium illecebras & mundi vanitates convertit in Dei obsequia & animæ ornamenta: instrumenta lasciviæ, nempe oculos, capillos, odores, in instrumenta pænitentiæ. Corporis ornatus & delitiæ vaniq; amoris illecebræ, quid nisi aqua insipida & turbida sunt, luto peccati & turpitudinis aspersa, de qua Jerem. c. 2.

IV. *Quia voluptatum instrumẽta vertit in virtutũ organa.*

Quid

Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Has vanitates & ſordidas voluptates bibunt mundani, quaſi aquas, atteſtante Eliphaz, Job decimo quinto *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem*; tum quia nihil inde ſatietatis, nihil virium, nihil ſolidæ conſolationis accipiunt: tum quia conſcientiæ ſibi non ducunt, vanitatibus illis ſtudere & delitias ſectari, verbi gratia, faciem fucare, corpus & veſtes unguentis atque odoribus imbuere, capillos criſpare, oculos impudice circumferre, & ſimilia, quaſi pro his nugis veluti pro aquis nullum ſit ſolvendum pretium, nulla Deo reddenda ratio. Et has aquas hauriunt, non ſicut Magdalena, ſed ſicut aliquis canalis: quales hauriunt, tales & fundunt & in alios transfundunt. At non ita Magdalena, quæ ejuſmodi viles aquas quidem olim, dum ſæculo ſtuderet, hauſerat; poſtea vero per pœnitentiam ad inſtar vitis convertit in vinum; quod & vites animæ, & ſolidam dat conſolationem. Ex oculis prius laſcivis pretioſas effudit lachrymas, de quibus ſanctus Bernardus ſermone trigeſimo in Cant. ait: *Lachrymæ pœnitentum, vinum ſunt Angelorum; quod in illis vitæ odor, ſapor gratiæ ſit, indulgentiæ guſtus, reconciliationis jucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſerenatæ ſuavitas conſcientiæ.* Capillos prius amaſio adornatos in terſorium pedum Chriſti mutavit: unguentum quod uſurpabat ad vanitatem, effudit in pedes Chriſti. Sed audiamus ſanctum Gregorium homilia decima tertia in Evangelium *Quod ſibi turpiter exhibuerat*, inquit, *hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat: ſed jam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat: ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totũ ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.*

V. *Quia Chriſto fortiter adhæſit.* V. Vitis ſuis capreolis quaſi funiculis alligat ſe fortiter ad arborem vicinam, ut non niſi vi & falce inde avelli queat. Hinc aliqui dictam volunt *vitem quaſi vi tenentem.* Non aliter Magdalena Chriſto veluti arbori vitæ ſeſe alligavit; hinc enim non ſolum crebro ad ejus pedes ſedebat, ſed etiam cùm reſuſcitatum vidit, ſtatim eis ſe advolvit, imo etiam circumvolvere, Chriſtumque retinere voluit, ita ut ab eo arceri deberet; ad hæc peregrinationis ejus comes, cura familiæ ſorori relicta, ei quaſi miniſtra ſervivit, & ſemper a tergo adfuit, etiam ad crucem & ſepulchrum; adeoque firmiter, ut nec Marthæ interpellatione avelli a Chriſti pedibus, nec Judæorum furore à Crucifixo, nec militum cuſtodia à ſepulchro ejus depelli ſe pateretur. Vitis natura debilis per ſe aſſurgere nequit, uti arbores: humi ſi repat fructus ſuos perdet ac putrefiet, idcirco palo aut arbore indiget, cujus beneficio a terra aſſurgat. Idem experitur natura noſtra lapſu primo depravata & ad terram incurvata: niſi ad Chriſtum ſe affigat, humi repet, & fructus inanes gignet. Quo etiam pertinet, quod ait Dominus: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic & vos, niſi in me manſeritis* Joannis decimo quinto. Itaque à Chriſto vires & ſuccum gratiæ accipere nos oportet, ut poſſimus producere opera bona præſertim ſupernaturalia & meritoria vitæ æternæ. Reliqua, quæ à nobis & noſtris tantum viribus producimus, humi repunt & putreſcunt. Vidit hoc Magdalena & propterea tam fortiter ac conſtanter alligavit ſe ad Chriſtum, quaſi dicens id ſponſæ Canticor. 5. *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam.* Et id Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam.* Qui Chriſtum fortiter tenet, fortiter etiam tenebitur, nec dimittetur unquam. Senſit hoc adoleſcens neophytus à ſene homicida falſo de eodem crimine accuſatus, dum in ſupplicio ad orientem, ut ſcilicet Chriſtum (more Chriſtianorum orantium) crucifixum & verum orientem præ oculis haberet, petiit ſuſpendi; quod refertur in Prato ſpirituali cap. 72. his verbis: *Senex quidem, qui homicidium fecerat, detentus eſt à Magiſtratu in Alexandria Qui cum cruciaretur, dicebat, & alium fuiſſe ſecum cædis illius ſocium. Is autem, de quo ſenex dicebat, adoleſcens erat viginti ferme annorum. Multis ergo ſuppliciis ambo affecti ſunt. Et ſenex quidem dicebat: Mecum fuiſti, quando perpetravi homicidium. Adoleſcens vero denegabat, nihil ſe conſcium eſſe homicidii, neque cum illo ſe fuiſſe aſſerens. Cum ergo cruciati fuiſſent, ſententiam ambo acceperunt, ut furcis ſuſpenderentur. Abierunt ergo quinto extra urbem milliario, illic enim hujuſmodi reos punire conſueverant. Diſtabat autem ab eo loco fere uno ſtadio Saturni templum everſum. Cum igitur ad locum veniſſent & populus & milites, adoleſcentem primo in ligno ſuſpendere voluerunt. Adoleſcens autem proſtratus in ſolo milites orabat, dicens: Per Dominum facite charitatem, & ad orientem me ſuſpendite, ut illum videam, quando ſuſpenſus ero. Dicunt ei milites. Quam ob cauſam? Quibus adoleſcens: Vere domini mei, non habeo infælix plusquam ſeptem menſes ex quo ſanctum baptiſma ſuſcepi, Chriſtianus factus ſum. Cum hoc audiſſent milites, lachrymati ſunt ſuper adoleſcente. Senex autem cum hoc audiſſet, fremens graviter dixit militibus: Serapi facite, ut ego aſpiciam contra Saturnum. Cum vero audiſſent blaſphemiam ſenis, omiſſo adoleſcente ſenem primo ſuſpenderunt. Cum vero illum in ligno ſuſpenderent, ecce eques ab Auguſtali celeriter miſſus, ait militibus: Adoleſcentem nolite interficere, ſed reducite illum. Factum eſt autem ingens gaudium militibus, & cunctis aſſiſtentibus. Et reducentes eum introduxerunt in prætorium. Abſolvitque illum Auguſtalis. Adoleſcens vero præter ſpem ſalvus factus, abiens monachus effectus eſt. Hoc autem ad noſtram & legentium utilitatem ſcripſimus, ut ſciamus, quia novit Dominus pios à tentatione liberare.*

VI.

VI. Vitis odio habet brassicas, caules, raphanos, & similes herbas acidas terræque affixas, adeò ut palmites suos abstrahat ab illis; & si fugere eas nequeat quandoque emoriatur, teste Pierio l. 58. & Plinio variis in locis. Amat etiam in altum ascendere, modò adminiculum habeat, adeò ut etiam altissimis arboribus se implectens, una cum illis succrescat. Magdalena etiam, ubi semel Christum velut sustentaculum suum amplexa est, humi repere noluit, nec rebus culinariis cum sorore sua vacare, sed verbi Dei auditui, devotioni & contemplationi se tradidit. Post ascensionem Christi in Gallias delata, urbes & commercia hominum fugit, eremum quæsivit: ubi sola cum Christo ageret, in cælo veriùs quàm in terra. Vidit enim quanta in terrena hominum conversatione essent salutis pericula, quanta amarities transeuntium bonorum. Vidit Davidem quamdiu in montibus & solitudine latitabat, inculpabilem fuisse: in urbe demum inter homines lapsum esse. Et quia primum ætatis florem sæculo libarat, voluit saltem reliquam vitam Deo transcribere; quod sanè fecit tot annis, quot ferè Christus in terra vixit. Verum dicit aliquis, sibi in mundo & cum mundo conversandum esse, nec licere, ut cum Magdalena se includat in solitudinem. Quid igitur consilii? Id profectò, ut, quod Thomas Morus solebat respondere, *è duobus malis minimum eligendum*. Quando igitur necessitas cogit, cum mundo conversari, videat unusquisque, ut quàm potest minimum eo utatur, *tanquam non utatur*, ut ait Apostolus: ne in medio illius habitet, quasi in ipso foro: sed quasi in recessu & angulo quodam; ne in aquas ejus se immergat usque ad os. Cogitet viduam Judith, quæ quidem in Bethulia habitabat, sed quasi non habitabat, quia *in superioribus domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur*. Cogitet Danielem & Josephum in aula Regum habitasse, & tamen inculpatam ibi vitam duxisse. Denique si omninò fugere mundum ejusque sectatores nequit, abstrahat saltem ab eorum familiaritate se suosq; sibi commissos: quærat cum bonis & in cælo suam conversationem; & si non septies in die cum Magdalena elevari potest in cælum, saltem aliquoties suas eò cogitationes dirigat.

THEMA II.

Quatuor etyma Magdalenæ.

I. *Idem est, quod educata seu nutrita.*
II. *Magnifica seu magnificata.*
III. *Vexillo insignita.*
IV. *Turrita vel turrigera.*

Fabri Sylva Nova, de SS.

Vides hanc mulierem? Luc. 7.

Videtur hic Pharisæus cæcutiisse in Magdalena, quemadmodum cæcus ille Marci 8. nondum plenè illuminatus à Christo, cæcutiit in hominibus, quos aspiciens quasi per nebulam, dixit: *Video homines velut arbores ambulantes*. Homo juxta tritum illud Philosophi, est *arbor inversa*. Et talem primo aspectu censuit Pharisæus esse Magdalenam hominem inversum & mulierem perversam seu peccatricem. Verùm erravit bonus vir, necdum satis illuminatus. Itaque sicut Christus cœco illi rursum manus imposuit; ut is planè ac plenè videret, ita Pharisæo lumen accendit, ut Magdalenam melius cognosceret. Ergo Pharisæe, quàm priùs aspexisti ut peccatricem: rursum eam aspice jam conversam, & vide ut Magdalenam. Hoc nomen tibi aliam de ipsa pariet opinionem. Sonat enim *educatam*, sonat *magnificam*, sonat *vexillo insignatam*, sonat *turritam*, ut ex Pagnino docet Cornel. in c. 8. Luc. Quæ nunc contemplabimur. *Quatuor etyma Magdalenæ.*

I. Magdalena idem est, quod *educata* seu *nutrita*, à radice Hebr. *Gadal*, quod est *nutrire* vel *educare*. Talis fuit Magdalena, educata & nutrita verbo Dei ad pedes Christi, quibus undique ferè adhæsit, quoties ejus meminit Evangelium. Inprimis in hodierno Evangelio stat & jacet secus pedes Domini, dum eos ungit & lavat. Rursum Lucæ decimo, sedens secus pedes Christi, audit verbum ejus. Deniq; Joan. 20. v. 17. accidit ad pedes ejusdem resuscitati. Nimirum *Optimam partem elegit sibi Maria*, teste Domino, dum elegit pedes Domini, simulque ejus verbum. Nemo sanctiùs educabitur & suavius enutrietur, magisq; saginabitur, quàm qui humili mente audit frequens & meditatur verbum Dei. Unde Psalm. 1. dicitur: *Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte; & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Quemadmodum ergo arbores juxta aquas plantatæ citò & in altum crescunt, fructusq; plures afferunt ob continuum aquarum affluxum & irrigationem: ita qui verbo Dei audiendo, legendo, meditando quasi innutriuntur & affixi hærent, citò in perfectum crescent virum, & pinguescent spiritu, plurimumq; bonorum operum fructum afferent. Est enim Dei verbum instar mannæ, ut docet Origenes homilia octava in Exod. habentis omnem saporem suavitatis, quem quisq; optabat; serviens ad omnia, quæ quis ad vitam sibi utilia & necessaria desiderat. Aspicite Magdalenam, quæ priùs arbor sterilis, imò pestilens, transplantata ad pedes Domini & irrigata ejus verbo, quàm citò immutata est, & ad quantam sanctitatem ascendit? Idem de aliis Sanctis videre est, qui in lege Domini & verbo Dei innutriti sunt. Hebræi legem Dei in phylacteriis suis & in fronte circumferebant. Christiani aliqui, ut testatur S. Chrysost. in Matth. 23. par- *I. Est educata seu nutrita.*

tem Evangelii ex collo dependentem apud se gerebant. Verùm rectiùs agunt ij, qui in corde illud gerunt, meditando & ruminando; quemadmodum S. Cæcilia Virgo & Martyr, de qua Ecclesia in ejus officio ait: *Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, & non diebus neque noctibus à colloquiis divinis & oratione cessabat.* Atque ut humor sapientiæ divinæ magis in Magdalenam influeret, ideo ad pedes Domini sedens verbum ejus audiebat. Solent discipuli ad pedes Magistri, editiore loco sedentis, audire doctrinam Unde Paulus ad pedes Gamalielis educatum & edoctum se ait, Actorum 22. Debent enim qui discere volunt, humiliter audire; quod etiam Moyses insinuavit, filiis Israel moriturus benedicens: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus.* Dei scilicet, Deut. 33. Ratio est, primo, quam dat S. Augustinus serm. 27. de verbis Domini dicens: *Quanto humilius* (Magdalena) *sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.*

Humilitas sapientiã capit. 1.

Secundo, quia cùm Deus non permittat dari vacuum, uti in naturalibus, ita & in moralibus, quò magis quis se coram eo demittit, eo magis ad eum ipse descendit.

Tertiò, quia humilis est vas vacuum, per humilitatem se exinaniens, adeoque capax liquoris cælestis: superbus est vas plenum tumore & vanitate. Scimus autem vasa illius viduæ pauperculæ oleo impleta fuisse; quousq; vacua ad manum erant. 4. Reg. 4. Unde Elisæus ei dixerat: *pete mutuo vasa vacua.* Plena aliis sed vilioribus rebus oleum non capiebant.

II. *Est magnifica seu magnificata.*

II. Idem est quod *magnifica* seu *magnificata*, ab ab eodem *Gadal*, quod etiam *magnificum* sonat. Hujusmodi autem Magdalena est. Si enim ille *probatus est, quem Deus commendat*, teste Apostolo 2. Cor. 10. utique etiam magnifica erit, quam Deus magnificavit. Magdalena verò ab ipso Christo commendata & magnificata est, non semel, sed tribus vicibus. Primo in hodierno Evangelio, & quidem magnificè. Secundò, Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit.* 3. Matt. 26. *Opus bonum operata est in me.* Non à quovis, sed à magnis commendari, magnum est: à Deo commendari, id omnino maximum & incomparabile. Laus enim & commendatio, quæ ab homine venit, multis de causis parva & exilis est.

Laus, quæ ab homine venit, exilis est.

Primò, quia sæpe mendax est: homines enim judicant secundum faciem; unde sæpe falluntur. Deus
autem intuetur cor, unde laus ejus verissima est. Se-
1. cundò, quia inanis, nihil homini conferens, in ore tã-
2. tùm laudantium non in laudato posita: gloria verò
quæ à Deo datur, & in Deo & in glorificato est. Ter-
3 tiò, quia sæpe fucata est; & qui in faciem laudat, sæ-
pe à tergo irridet, gloria Dei fidelis & syncera est.
Quartò, quia instabilis; qui te hodie laudant, cras
4. vituperabunt; gloria Dei stabilis est & constans.
5. Quintò, quia brevis, laudant enim te homines brevi morituri, & sic una cũ illis moritur laus tua: lau- quæ à Deo venit perpetua est & mori nescit. Sex- quia manca & mutila. qui laudatur ab his, vituper- tur ab illis; quot enim capita tot sententiæ: laus D integra & perfecta est, quem ipse laudat, omnes la- dare cælites debent. Denique, parva est, quia q laudant & laudantur parvi sunt. Quid curant R- ges terræ, quòd pueri in scholis inter se creent R- ges, Dictatores, Consules, Senatores? extollant d- ctiores in cathedras, honorent sceptris, coronis, v- xillis, deprædicent laudibus? nonne eos ident- despiciunt? Laus quæ à Deo datur immensa & i- comparabilis est, quia ab immenso datur. Talis i- tur laus fuit, qua commendata est Magdalena, ve efficax, sincera, stabilis, perpetua, perfecta, divi Verè igitur *magnifica*; quia à Christo *magnificata* Magdalena. Auget verò non parum ejus magni- centiam, quod à Christo Domino coram & in fa em laudata sit, tribus, ut dixi, vicibus, quod non cit Centurioni, quem conversus ad suos, adeoque versus ab ipso, laudavit de præstantia fidei, Matt imo nec Joanni Baptistæ, quem non modo nõ in sed neque præsentibus ejus discipulis (nempe *abeuntibus*) laudavit Matt. 11. Quæ hujus causa?

Prima est, ni fallor, ut ostenderet Dominus, qua benevolo animo afficiatur erga pœnitentes; ut e innocentum numero inserat & pari honore à no habendos & amore complectendos esse insinu Hoc ut Magdalenæ, quæ per lapsum famam su perdiderat, contingeret, singulari ratione ejus p nitentiam ac virtutum opera consequentia audien commendare voluit. Sic militiæ dux jubet agit vexillum supra militem, qui ex delicto infamis ctus, vitam amittere debuit, in gratiam tamen re ptus, militiæ suæ restituitur (laßt fahnen vber i schwingen) quod tamen aliis, qui nunquam de querunt fieri non solet.

Secunda, ut in majorem spem ac confidentiam rigeretur Magdalena, nec ob lapsus suos præterit animo dejiceretur. Certè in lege veteri holoca sta, quæ à justis fiebant, & victimæ pro peccato, q à peccatoribus offerebantur, eodem in loco offe solitæ erant, Levit. 6. *ad demulcendos oblatores*, i quit Theodoretus q. 4. *ut cognoscant se non esse al nos à Sanctis, cùm per pœnitentiam sanantur.* Un intelligunt peccatores se, si verè resipiscant, non i feriori apud Deum loco futuros, quàm sunt alii, q non deliquerunt.

Tertia, quia justus aliquis & innocens, v. g. Joa Baptista facilius poterat ad superbiam tentari, si co ram laudaretur, quàm Magdalena, quæ suorum pe catorum, etiam dimissorum, pondere adhuc pres & humiliata, nullis laudationis flatibus in altiu tolli facilè poterat. Unde innocentes sancti mag vanæ gloriæ vento sunt obnoxii, quàm pœnitente qui præteriti sui lapsus memores, quasi pondere affi xo se defendunt contra ventos illos.

Quar

Quarta, & potissima, ut reor, quia viderat Domi- ɔus Magdalenam suæ pœnitentiæ aliisque piis ope- ibus adeo intentam, ut suis laudibus audiendis mi- imè vacaret; & proinde nullum erat periculum, ne e illis inaniter exultaret. Quæ certè eximia est ius Magdalenæ ac novus laudum accessus. Ac pro- terea quia ipsa ad suas laudes non attendit, cele- rari eam voluit Christus toto mundo: *Vbicunque ·adicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, icetur, & quod hac fecit in memoriam ejus.* Mat- ıæi 26.

III. Idem sonat quod *vexillo insignita.* Non ma- :hoc etymon cōgruit Magdalenæ, imò verò opti- ıe. Ipsa enim est vexillifera & antesignana omnium œnitentium, quos exemplo suo, non solum ad sui quelam, & pœnitentiam, obviis ulnis amplecten- ım, excitat & animat, verùm etiam instruit & ra- ɔnem docet recuperandi amissam gratiam Deique :nevolentiam. Quemadmodum enim Rahab me- trix in civitate Jericho, quia binos Josue nuncios ploratores benevole & humaniter habuit, devin- sibi per hoc Josuen, ut ipsi, cùm expugnaret & ftaret civitatem, unà cum omni ejus familia salu- n & incolumitatem donaret, adeoque inter He- ɛos eam vivere permitteret, (quod ut fieret, pu- ce proclamavit: *Sola Rahab meretrix vivat cum iversis, qui cum ea in domo sunt.* Jos. 6.) Ita & ıgdalena, quia Domini pedes tanto amore & ho- re complexa est, unguēto pretioso unguendo, la- ymis rigando, capillis suis tergendo, ore suo os- ando, devinxit sibi verum Josuen & Salvatorem um, ut audire ab eo meruerit: *Fides tua salvam ecit: vade in pace.* Neque hoc ipsi soli dictum luit Christus, sed omnibus qui exemplo ipsius nitentiam amplectuntur, adeoque ejus vexillum uuntur quasi commilitones. Quantum hoc Ma- ılenæ, quantum aliis peccatoribus & peccatrici- solatium: *Vivat Rahab meretrix!* Vivat Mag- ena meretrix! *Fides tua te salvam fecit: Vade pace!* Erigant hic animos & reviviscant om- peccatores, quia & ipsi vivent, si ad Magda- æ vexillum transeant. Verum expendere debent, ale id vexillum sit. Vexillum est pœnitentiæ; quemadmodum capitale seu primarium Du- vexillum alia sibi adjuncta & subordinata ha- ;, ita & vexillum Magdalenæ. Habet enim pri- ɔ vexillum heroicæ fidei, qua credit Christum nittere peccata posse, adeoque Deum esse, ut lt S. Augustinus hom. 23. inter 50. quem tamen ibæ & Pharisæi agnoscere nolebant: quemad- ɔdum & Rahab agnovit Hebræorum Deum: *vi quanta Deus vester fecerit,* inquit; quem ple- ue Hebræi negarant in deserto dicentes de Vitu- illo: *Hi sunt Dii tui, qui eduxerunt te de Ægypto.* imum hoc vexillum est, quia fides fundamentum utis est.

Secundo, vexillum verecundiæ, quâ impuram se ɔnoscens, retro Christum accessit, velut indigna ejus conspectu. Pulchra valde avis est porphyrio à purpuræ colore sic appellata. Ea verò tam pu- dica est, ut inspicientibus & præsentibus homini- bus non comedat, & si scortum videat, famæ inte- reat; quod ex Tretze & Polemone refert Aldro- vandus libro 20. Ornith. cap. 28. Talem esse hostem impudicitiæ Dominum Jesum persua- sit sibi Magdalena, ideoque in ejus conspectum prodire non est ausa, ne pudicitiæ omnis fon- tem ad indignationem provocaret. Sectentur Mag- dalenæ pudicitiam, qui secuti sunt priorem ejus im- puritatem.

Tertiò, vexillum religionis & devotionis, dum tot pietatis obsequiis Christum honorat, unguendo, lavando, tergendo, osculando, & quæ postea ei ex- hibuit: verbum ejus audiendo, cruci astando, ad se- pultum aromata ferendo, redivivum quærendo &c. sequantur eam pœnitentes, tantundem servitii im- pendendo Deo, quantum priùs impenderunt mun- do. *Vexillo religionis.*

Quartò, vexillum perfectæ pœnitentiæ, dum in- strumenta peccatorum suorum convertit in instru- menta virtutum: satisfaciens pro delictis suis tot holocaustis, quot peccarat oblectamentis: lavat Christi pedes, quos fœdarat quasi sua impudicitia: lavat, inquam, lachrymis defluentibus ex oculis, quos in amatores conjecerat: tergit capillis, quos mundo ornarat: osculatur ore, quo amasium basia- rat: ungit unguento, quo perunxerat vanè corpus suum. Sequantur hanc vexilliferam pœnitentem, qui secuti sunt errantem. *Vexillo pœnitentiæ perfectæ.*

Quintò, vexillum amoris Dei, quo inflammata Magdalena sprevit derisores, penetravit ad suum medicum, resoluta est in lachrymas & oscula adhæ- sit deinceps Christo usque ad crucem, spreto Ju- dæorum furore: postea annis 30. vivendo in amore & contemplatione crucifixi, imo vi amoris tandem moriendo; ut in ejus vita habetur. Huc huc pœ- nitentes, sequamini vexilliferam vestram, & tan- tum nunc amoris impendite Salvatori vestro, quan- tum priùs impendistis mundo seductori & carnifici vestro. *Vexillo amoris Dei.*

IV. Idem sonat, quod *turrita* vel *turrigera* ab Hebr. *Migdal*, quod est *turris*. Talis Magdalena et- iam rectè appellatur, ob vitam contemplativam, quam post conversionem suam, præsertim post Christi ascensionem, duxit in monte Massiliæ & Bauma sua, quasi in altissima turri, sola cum Deo versans in divinis meditationibus per 30. annos. Vi- ta contemplativa instar turris est, teste Divo Fran- cisco de Paula, qui dicebat: *Homo Dei contemplator præ cæteris hominibus est profecto tanquam qui ex alta turri homines humi jacentes, stratos, ambulantes despiceret. Hos ut pusillos & se ipsis breviores (sic e- nim videntur, licet non sint) aspiciendo contemne- ret.* IV. *Est turrita vel turrigera.*

Id quod in se ipso S. iste demōstravit addictissimus contēplationi, *qua cū frueretur, stratorib. qui ad fores*

cubiculi clausas adsistebant & Carolum VIII. Gallorum Regem adventare atque propè esse, clamabant, præ cælestibus omnia terrena irridens & contemnens, nihil respondit. A sacerdote deinde, cùm de omnibus confiteretur, quid fuerit causæ, cur Regem in cubiculum non admiserit, interrogatus, de hac ipsa re narravit, & se indicandorem demonstravit. Ita Lipelous in ejus vita 2. Apr. Verùm video Auditores præaltam esse hanc turrim, nec facilè ab aliis posse conscendi. Quid igitur nos agamus, si imitari in hoc Magdalenam non possumus? Imitemur Axamillam, filiam Caleb desponsam Othonieli, cui in dotem dederat, pater terram arentem. Itaque suspirans filia petiit ab eo etiam irriguam. Dedit itaque pater ei irriguum (seu scaturiginem) superius & inferius. Jos. 15. Similes plerique nos Axæ sumus: terram arentem cordis nostri accepimus, aridos nos sentimus in oratione & meditatione. Multis igitur suspiriis petamus à Deo etiam irriguam; & si fieri potest, duplicem, scilicet (ut exponit S. Gregorius l. 3. Dial. c. 34) compunctionem superiorem, quæ ex amore Dei; & inferiorem, quæ ex timore procedit. Exerceamus nos subinde saltem nunc in amore Dei, contemplando ejus majestatem & beneficia: nunc in timore ejusdem, & gehennæ, quæ expectat impœnitentes. Sic quadantenus licebit una cum Magdal. ascendere turrim illam, indeq; ad alteram æternæ visionis gradum facere.

THEMA III.

Magdalena cur peccatrix dicta.

I. *Ob peccati luxuriæ fœditatem, non nominandam.*
II. *Ob peccati hujus furorem & tyrannidem.*
III. *Ob vitii hujus monstrositatem.*

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7.

Qualis peccatrix fuerit.

CONveniunt SS. Patres peccatum Magdalenæ, cujus gratia in hodierno Evangelio *peccatrix* appellatur, fuisse impudicitiam seu luxuriam. Unde sanctus Augustinus ser. 58. de Temp. eam appellat meretricem. Alii similiter propter ipsam dixisse Christum volunt: *Meretrices & Publicani præcedent vos in regno Dei.* Quod si ita est, cur non etiam à Luca expressè vocatur meretrix? Imò ne publicanus quidem, tam severus alioquin censor, eam hoc nomine compellare voluit, sed *peccatricem* solùm, generico vocabulo dixit. Denique pudici omnes abhorrent ab ea voce, nec nisi ex zelo & indignatione eam pronuntiare solent; alioquin verbis obscurioribus, velut tenebris involvendam, circumscribere. Hujus igitur rei causas investigemus.

I. Sic appellata est, ob peccati, cui addicta fuerat, fœditatem: quæ tanta est, ut verecundiæ causa nomininare etiam pudeat, idque præcipit imprimis Apostolus ad Eph. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ratio primò est; quia sicut res aspectu fœdæ ab oculis removentur, ne horrorem & nauseam concipiamus: ita etiam meritò ab auribus removendæ sunt: non enim minùs intrant in cor per aures, quam per oculos. De Israele, varia gentium superstitione corrupto, ait Oseas c. 8. *Devoratus est Israel* (ab Assyriis scilicet) *fractusque est quasi vas immundum.* Hebraicè *matula* ait S. Hieron. *qua ad projicienda stercora uti solemus.* Tales matulæ sunt libidinosi, æquè ac Hebræi Idololatræ. Quin imò *stercus* appellantur, Ecclesiastici nono. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Ut ergò stercus & matulas suo nomine non pronunciamus, sed alio circumscribimus: ita nec libidinosi nominari debent. Notum est illud Spartani adolescentis factum, qui ab Antigono Rege jussus afferre matulam priùs de tecto se præcipitem dedit, quàm id faceret, apud Plut. in Apopht. Si hic ingenuus adolescens matulam manu tangere noluit: multò minùs decet Christianum cælo natum, ore suo proferre verba, quæ sonant fornicationem aut immunditiam. Hanc ob causam casti refugiebant, quantum poterant, proferre ejusmodi vocabula & libidini affinia nomina, uti Moyses lasciviam Hebræorum circa vitulum saltantium, quam appellavit *ludum.* Gen. 33. S. Matthæus præterit nomen Bethsabeæ & circumscriptione usus: *David genuit Salomonem*, inquit, *ex ea quæ fuit Uriæ.* ca. 1. Filius etiam ex ea natus nullo nomine exprimitur. Princeps ille de tribu Simeon, qui ad scortum Madianiticum intravit, sine nomine describitur, quasi indignus notitia. Nū. 25 & putat Abulensis Deut. 33. p. 2. propter ipsum fuisse etiam in benedictione tribuum solam tribum Simeon à Moyse præteritam, ne vir sanctus moriens os suum contaminaret memoria impurissimi hominis, ex tribu illa nati.

Accedit vitii fœditati sanctum quoddam odium, & antipathia castorum erga impuros, ut indicat Apostolus loco supra citato: *Sicut decet Sanctos.* quasi diceret sanctimonia & immunditia sibi mutuò adversantur, unde nec nomen quidem adversæ partis audire volunt. Hinc Jacob benedicturus filios, primogenitum Ruben econtrà maledixit, dicens: *Effusus es sicut aqua: non crescas.* Gen. 45. quasi dicat: Unà cum pudicitia effudisti per incestum, commissum in Balam conjugem meam, primogenituram & omnem fortunam tuam, velut aquam è vase, in quo nihil ampliùs remanet, ne odor quidem ullus: quia perdidisti honorem, famam, incrementum familiæ, nomen. Unde ex odio incestus illius imprecatur ei maledictionem potius, quàm benedictionem: *Non crescas*, inquit, quasi diceret; neque nomine neque dignitate aut prærogativa, neque sobole augearis inter fratres, quia tam fœdo peccato inhonorasti patrem

;em tuum & commaculaſti ſtratum ejus. Idq; evenit tribui Ruben,quod legitur contigiſſe junipero, uam plantavit frater S.Franciſci Juniperus. Cùm nimis vocatus à S. Franc.intentus plantandæ junipero,non ſtatim comparuiſſet, donec opus perficeret: maledixit Franciſcus plantulæ illi,ne creſceret,idque protinus factum eſt, ut ne latum quidem nguem creverit,quæ etiamnum viſitur Carinulæ ampaniæ fælicis in Monaſterio Minorum, teſte Vaddingo in Annal. Minor,a,1222.n.111. Contin- thoc idem fere aliis etiam deditis libidini. Perunt enim honorem, famam, familiam, ſobolem, ubſtantiam,nomen & fortunam omnem, ut quaſi maledicti decreſcant potiùs quam creſcant. Simili x odio hujus fœdiſſimi vitii arbitrari poſſumus aulem Regem iratum jactaſſe convitium illud in onatham filium: *Fili mulieris virum ultrò rapientis* 1. Reg.23. quaſi eum non habeat pro filio ſuo, d pro ſpurio,ex adultero aliquo genitum. Non ppellat filium meretricis aut adulteræ, quaſi aborrens ab ipſo turpi vocabulo. Denique Deus ipſe dium ſuum erga hoc vitium demonſtravit, quanoid primò delevit diluvio: deinde incendio Penpolis & mari mortui,ibidem exorto, perpetuum etorem exhalante, ut & locus, quo illud vitium valuit,infamis & inacceſſus fieret.

II. Ob peccati hujus furorem & tyrannidem, uia hominem impellit in peccata alia, ita ut fons mater omnium peccatorum dici queat. Eam ob auſam S.Ambroſ.l.2.de Abrah.c.7.comparat eam quo feroci & impetuoſo,qui omnia perrumpit, & ſſorem per devia & avia in præceps rapit, uſque um ad equam,quam inſequitur perveniat. Rapit in perbiam ad ornandum corpus, quod in amorem ui alios pelliciat:quod feciſſe Magdalenam, admoum probabile eſt, ſiquidem capillis & unguento io punire voluit præteritam ſuperbiam ſuam. Rapit in avaritiam,uti Salomonem,qui ut ſatisfaceret, oſtulatis ſuarum mulicrcularum, iniquis exactioibus gravavit ſubditos ſuos. Rapit in rapinas alienarum conjugum,uti Pharaonem in raptum Saræ, Gen.12.Sichem in raptum Dinæ,Gen.34. Rapit in rodigalitatem,uti Judam,filium Jacob,qui præter ædum,promiſſum meretrici,dedit etiam annulum armillam,Gen.38.Rapit in ebrietatem,uti Holofern.Judith.13.Rapit in homicidium, uti Davidem n necem Uriæ,2.Reg.11.Herodem in necem Joannis Baptiſtæ. Rapit in invidiam,ubi Liam erga Rahel Gen.30.Rapit in mendacia & calumnias,uti uxorem Putipharis ad calumniandum, Joſephum, Gen. 9. Senes illos duos ad calumniandum Suſannam, Dan.13.

Quemadmodum igitur panthera (Græcè, *omne nimal* ſignificans) nomen id accepit, quia venatur ene omne animal; ita & libido antonomaſticè vocatur *peccatum*, quia in omnia peccata præcipitat: & bidinoſæ *peccatrices*, quia in omnia facile præcipiantur, Hinc voluptas carnis ab Euſebio l.7.præpar. Evang.cap.2. *Hydra multorum capitum*, à Clemente Alex.libro 2.ſtrom. *Metropolis vitiorum*, appellatur.

Deinde nullum pene vitium tantam in homine ſtragem edit,atque illud. Mentem enim & rationem obcæcat,captivamque carni ſubjicit. Voluntatem carceri mancipat, ut niſi magna adhibita vi & Dei accedente gratia eluctari nequeat; non ſecus ac qui in profundam foveam cecidit. Infamia quoque aſpergit: in rixas & contentiones implicat: corpus fœda lue inficit; bona fortunæ exhaurit; animam gratia & bonis omnibus ſpoliat Simile beſtiæ crocutæ,è cane lupoque genitæ, quæ omnia dentibus frangit devoratque, apud Pierium in Geneſ.cap.2. Rectè etiam ſanctus Job de eodem dixit capite 31. *Nefas eſt & iniquitas maxima. Ignis eſt,uſque ad perditionem devorans & omnia eradicans genimina.* Frangit enim & enervat omnes animi vires ipſumque adeo ſibi ſubjicit,& devorat judicium, ſapientiam,boni nominis curam, Dei timorem, verecundiam.

Quia igitur libido peſſimum eſt vitium adeoque peſſimos facit homines,jure eorum nomen tacetur: ait enim Iſaias cap.14. *Non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum.*

III. Ob vitii hujus monſtroſitatem, quæ tanta eſt,ut vix proprio nomine deſignari queat. Convenit inter Doctores,Dagonem illum Azotiorum, Idolum laſciviæ & Veneris fuiſſe; & quidem monſtroſum ex diverſorum animalium figuris compoſitum. Certe ex parte piſcem repræſentaſſe indicat nomen *Dagon*, quod piſcem ſignificat: ex parte verò hominem docet ſacer textus, dum ait eum manus habuiſſe, adeoque videtur à capite uſque ad umbilicum hominis, inde verò piſcis forma conſtitiſſe. Eidem ab aliis virilis, ab aliis fœmineus ſexus tribuitur. Nimirum cæca libido tale monſtrum eſt, quod inprimis eum, quem occupavit, hominem quidem foris, ſecundum faciem oſtendit: interim tamen dùm in aquas voluptatis immergit, quaſi piſcē facit, qui nec aura libera fruitur, ſed in aquis captivus tenetur,nec cœlum intuetur. Talis eſt enim homo libidini addictus & voluptatibus immerſus, Veneris ſcilicet captivus, à cœleſtium rerum intuitu longe remotiſſimus. Et quæ conventio hominis cum piſce: animalis ſapientiſſimi cum ſtolidiſſimo & nullius diſciplinæ capace? Nimirum Spiritus ſanctus per inſipientes illos Philiſthæos, velut per os aſinæ, indicare voluit, hominem per libidinem à ſapientia in ſummam degenerare ſtultitiam. Et quemadmodum piſces ex omnibus animalibus mutum eſt animal: ità non decere ut Veneris meretricis nomen ore proferatur; quam etiam ob cauſam peccatum Sodomorum *mutum* appellatur.

III. *Ob vitii hujus mõſtroſitatem.*

2. Deinde tam pudendum eſt, ut ſexum quaſi variet: modò virum in fœminam modò fœminam in virum mutet. Id quod in Gentilibus taxat Apoſtolus ad Romanos 1. Videmus etiam quandoque viriles perſonas adeò ſe comere, veſtire, incedere, quaſi fœminæ eſſent, & econtra fœminas viriles

imitari mores, vestitum, incessum. Quis non dicat istos esse Dagas & Dagones? neque viros neque fœminas? Et quæ hujus mutationis causa, nisi fœda & cæca libido? Eandem vitii hujus monstrositatem indicavit Raphael Angelus Tobiæ, cùm libidinosos Saræ maritos equo & mulo comparavit. Tobiæ 6. Quale illud monstrum, ex equo & mulo compositum? Equus enim salacissimus est, teste Aristotele libro sexto histor. animal. capite vigesimo secundo, & ferè toto anno, cùm aliæ bestiæ certum anni tempus habeant, quo ad libidinem stimulantur. Mulus verò, etsi ad libidinem etiam intemperans est, sterilis tamen est. Incitatur ergo mulus non amore prolis, sed mera voluptate ad libidinem. At hoc monstrosum est; cæteræ enim animantes, non nisi prolem è congressu quærunt. Ergò libidinosi tale monstrum sunt: una ex parte equi quia maximo impetu nunquam non feruntur ad lasciviam: altera ex parte muli, quia non quærunt bonum prolis, sed meram & fœdissimam voluptatem, & quia ex illo vitio prorsus stupidi fiunt, magis quam asini, ad omnem sanam disciplinam capessendam plumbei: qualis factus est ille filius Hemor, hoc est, *asini*, (id enim significat Hemor) qui amore Dinę se circumcidi passus est. Genes. 34. Utrumque illis exprobrat Deus per Jeremiam 5. dicens: *Mœchati sunt & in domo meretricis luxuriabantur.* En secundum; nam mœchi & scortatores solam voluptatem quærunt, prolem non quærunt. *Equi amatores & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* En primum; emissarii enim equi maximo furore feruntur ad equas. S. Basilius lib. de vera virg. scribit, hominem juxta antiquam physiologiam creatum quasi centaurum, ut supera parte sit homo, infera equus. At libidinosus præter equũ etiam asinum assumit, sicq; fit onocentaurus, quod confirmat sanctus Gregorius 7. Moral. capite 12. qui ait: *Onocentauri* (de quibus Isaiæ 34. dicitur: *Occurrent dæmonia onocentauris*) *lubrici & elati, qui subjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerant.* Hujusmodi ergo monstris & onocentauris, quid nisi monstra & dæmonia occurrunt in mortis articulo? Ita enim Raphael dixit in tales, qui sicut equus & mulus vacant libidini, habere potestatem dæmonum. Tale monstrum refert Beatus Petrus Damiani in Epistola ad fratres Eremi, & ex eo Baronius anno 1054. fuitque anima Benedicti Noni Papæ invasoris sedis Apostolicæ, in specie ursi cum auribus & cauda asininis, qui Vasso cuidam iter agenti apparuit, asserens tali specie se rapiendum per dumeta & loca horrida ac sulphurea usque ad diem judicii, & post illum à gehenna deglutiendum, quod bestialiter vixisset, ut alibi recensui. Quærit deinde Damianus cur miser ille ad asini & ursi formam damnatus sit, ac respondet: *Quia miserabilis ille ab ipso Pontificatus primordio usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno conversatus est, non incongruè visus est, & ab auribus incipere & in cauda asini desinere. Asinus quippe luxuriosum est animal, sicut Propheta ait: Et carnes asini carnes eorum* (Ezech 23.) *Quod autem per cætera membra ursi tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Ursa enim cum parit, non catulum, sed frustum carnis effundit, quod lingendo & lambendo componit*; & quia uti mel ursi insano prosequuntur amore, sic voluptatem libidinosi. Eant igitur nunc impudici & inspiciant se ipsos in imagine illa, quæ olim tanta in dignitate sedens, ab hominibus adorata fuit, post in tam tetram bestiam commutata est. Nimirum fornicatio talem metamorphosin peperit, & à summo honoris culmine ad infimum turpitudinis locum hominem detraxit. Fugite ergo, fugite Auditores horrendum istud monstrum: *fugite fornicationem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.*

Trip. Dom. 2. quadr. C. 6. D. 5.

THEMA IV.

Cur se Magdalena à solo Christo absconderit.

I. *Quia eum solum agnovit suum dominum.*
II. *Quia eum solum agnovit summum benefactorem suum.*
III. *Quia vidit seipsum solum peccatorum suorum conscium.*
IV. *Quia expendit ingens discrimen inter se & Christum.*
V. *Quia eum solum agnovit suum Iudicem.*

Stans retro secus pedes ejus. Luc. 7.

Miram quæstionem proposuit Salomon Proverbiorum 31. quando dixit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et quasi talis reperiri non posset, addit: *procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Magis mira evadit quæstio juxta translationem 70. Interpretum, qui legunt: *Mulierem virilem quis inveniet?* Ubi talis mulier? Si enim virilis, quomodo mulier? si mulier, quomodo virilis? Quidquid tamen sit, reperta est talis mulier: Maria Magdalena. De hac enim legit illud dictum Salomonis Ecclesia in hodierno officio, quasi Magdalena talis inventa sit, qualem Salomon desideravit. Mulieres sunt timidæ, viri non item. Mulieres sunt verecundæ, viri non tantoperè. Magdalena utrumq; habet: timet & non timet, erubescit & non erubescit; mulier ergo & vir est, seu mulier virilis. Quomodo verò? Ecce hæc peccatrix intrat in publicum, & interim se abscondit, retrò Christum se abscondit, in aliorum oculos prodit: fugit oculos Christi, non curat oculos & aspectum reliquorum convivarum: unicum Christum timet, cæteros omnes pro nihilo

habet.

habet. O virum & mulierem! ô mulierem virilem! At quis jam nobis dicet, cur solius Christi, alioquin tam amabilis fugiat aspectum? Dic nobis Magdalena, cur abscondis te propter Christum solum? Audiamus respondentem.

I. Quia solum ipsum absolutum meum Dominum, à quo omnis mea salus dependeret, esse cognovi. Ejus ergo respectu omnes alias injurias in homines admissas verbi gratia in parentes, fratrem & sororem aliosque nullas esse reputavit: ipso verò offenso, totum mundum se habere offensum. Vidit hoc etiam desperabundus ille Cain, qui ejectus à Dei facie, totum mundum se habere sibi contrarium putabat; unde ubique profugus fuit: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar: omnis igitur, qui viderit me, occidet me*, inquit Genesis 4. Si enim Deum offensum habeamus, nihil nos defendet, licet totus mundus stet pro nobis. Et contra si Deus stet pro nobis, nihil nos evertet, licet totus mundus nobis adversetur. Non ante multos annos cum magnæ authoritatis vir in aula Cæsaris juberetur esse captivus domus Austriacæ interrogavit: *Etiamne Cæsaris?* quasi diceret, si etiam iste me captivum esse jubet, actum est de me. Ita Aman quando à Regina coram Rege se accusari audiit, quòd nimirum etiam Regis hostis esset, utpote cujus crudelitas in extinguendis tot millibus ei subditis Hebræis redundaret in Regem: *obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens*. Esth 7. Itaque in faciem Regis tam graviter à se offensi aspicere non potuit. Et quid mirum? Si enim Esther ipsamet aliquando Regem non vocata adiens, ejus aspectu ita consternata fuit, ut in terram corruere inciperet, faciem Regis iratam non ferens, Esther 15. quanto minùs eam susti neret reus, & hostis Regis? Et si Angeli coram Deo tremunt & tegunt facies suas, quomodo apparebit impius?

II. Quia cognovi ipsum esse summum benefactorem meum, cui animam & omnia mea deberem, à me tamen ingrata tam graviter offensum. Agnovi enim esse Dei filium, qui me & creasset, & pro mea salute de cœlo descendisset: scivi me per ipsum paulo ante à dæmonibus liberatam. Lucæ octavo. Agnovi igitur ipsum esse patrem meum amantissimum, me vero filiam ejus ingratissimam: unde cum prodigo filio in lacero centone, dissipata omni substantia à parente accepta, coram patre apparere timens dicere volui: *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum, digna vocari filia tua.* Quo modo in cœlum? Quia est thronus Dei, à quo nobis omnia bona proveniunt. *Peccant homines sub cœlo* (ait Sanctus Augustinus in id Psalmi 102. *secundum altitudinem cœli à terra*) *faciunt omnia mala sub cœlo, cœlo tamen proteguntur, inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia à cœlo.* Mirum ergo quomodo peccatores aspicere in cœlum audeant, à quo omnia bona acquirunt, interim sub ipso tanta mala faciunt. Hinc publicanus in templo orans à longè stabat, & *nolebat nec oculos in cœlum levare.* Lucæ decimo octavo. Et hæc causa esse videtur, ob quam Deus præcepit Moysi, ut Hebræos, qui cum Medianiticis puellis in castris suis fornicati erant, suspenderet contra Solem, Numerorum 25. ut qui in conspectu Solis, à quo tanta nobis bona, peccare non erubuissent, pœnas etiam darent in conspectu Solis. Habet hoc ingratitudo, ut vultum benefactoris sui, cum malum pro bono reddidit, fugiat; quasi seipsum damnans tam apertæ iniquitatis, adeò ut etiam bestiæ videantur hoc apprehendere. Aspis in Ægypto mensa hospitis sui nutrita, cùm enixa esset catulos, eorumque unus filium hospitis necasset, & catulum occidit, & domum hospitis fugit, quasi ipsa ingrata coram nutritore suo apparere ampliùs non auderet, apud Plinium libro decimo, capite 74. Quid mirum igitur si & Magdalena Christi faciem verita est, & quodammodo fugit, cui se tam ingratam agnovit.

III. Quia cognovi ipsum solum omnium meorum peccatorum & quidem fœdissimorum esse conscium. Tametsi enim jam infamia peccatricis apud Pharisæum & alios laborabam, illos tamen parum curavi; quia ipsi peccata mea perpetrari non viderant, nec quot & quanta essent, noverant; at Christum ea & vidisse & novisse omnia distinctissimè intellexi, hinc ipsius unius vultum erubui. Nullum scelus adeo lucem fugit ac luxuria; & licet meretrices tandem impudentes fiant, publicè tamen scortari non audent, sed latibula quærunt. At quæ hæc injuria Deo, timuisse hominum oculos, & non timuisse oculum Dei? Unde sanctus Chrysostomus in 1. Corinth. 4. ait: *In sceleribus Deo contempto homines formidamus; & homine præsente nemo scortaretur, sed licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat, non modò adulterantur, non modò scortantur, verùm & alia longè graviora & ausi sunt & audent. Nonne hoc vel solum satis esset, quo cœlitùs innumeris peteremur fulminibus?* Quantus enim est hic contemptus Dei: homines vereri; & Deum nō vereri? Erubescit ergò Magdalena vel nunc serò ante vultum Dei omnia videntis, quæ priùs non erubuit, quia præsentem non advertit: & erubescit vel hoc ipso, quòd in hominum, non in Dei oculis erubuerit. Sanè Samaritana illa, quando audiit Christum sibi dicentem: *Bene dixisti quia non habeo virum; quinque enim viros habu isti, & hic, quem habes, non est tuus vir.* Joannis quarto mox, ut vultum præ rubore à Christo averteret, ad montem Garizim oculos & sermonem divertit, ne Christum aspiceret, & plura sua peccata ab eo audiret, atque ubi intellexit ipsum esse Messiam relicta hydria præ pudore & ti-

Quia vidit ipsum solum peccatorum suorū conscium.

& timore se proripuit, forsan ne plura sua peccata audire cogeretur. Sic & accusatores adulteræ, ubi legerunt peccata sua in terram à Christo scripta, ut vult sanctus Hieronymus libro secundo contra Pædag. omnes profugerunt, qui prius valide instabant, ut eam condemnaret. Atque ut sine rubore fugere possent, iterum inclinavit se in terram Christus.

IV. *Quia expendit ingens discrimen inter se & Christum.*

IV. Quia vidi & expendi ingentem difformitatem inter Christi puritatem & meam impuritatem; unde in conspectu ejus me, ut potui, abscondi. Si enim stellæ alioquin lucidissimæ in conspectu & adventu Solis se occultant, quid mirum si in conspectu sancti Sanctorum impuritas se celet? Hispala scortum Romanum, Bacchi impurissimis sacris devotum, accersita à Sulpitia Romana matrona, omnium judicio castissima & gravissima, adeò conspectum ejus timuit ac subterfugit, ut ejus præsentia pene exanimata sit. Livio libro trigesimo nono teste. Vidit Magdalena suam fœditatem, eaque cum purissima Christi virginitate collata horruit seipsam. & aspicere eum ausa non est; dicens quasi in corde suo: *Quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* 2. Corinth. 8. Alios præsentes, quia & ipsos peccatis aliquibus obnoxios esse cogitare poterat, non curavit: in Christo nullam maculam, sed merissimam lucem; in se verò verissimas tenebras vidit; Christum esse filium Dei, se verò filiam Satanæ & Belial intellexit. Eandem ob causam mulier illa, sanguinis fluxum patiens, ob morbi fœditatem clam retro accessit, & tetigit fimbriam vestis Christi; quòd expendens sanctitatem Christi cum sua impuritate, non auderet apparere coram eo, nec vestem, imò & fimbriam vix tangere Matth 9. At verò ea infirmitas quia corporis erat, nullum Christo Domino horrorem afferebat: luxuria affert multò maximum, quia animam fœdat.

V. *Quia eum solum agnovit suũ Iudicem.*

V. Quia solum ipsum agnovi judicem meum, summa potentia & majestate prædítum, qui possit & animam & corpus mittere in gehennam. Hoc est, quod & Job timuit dicens: *Manum tuam longè fac à me (juxta 70.) tu solus manum tuam à me abstine, in cujus conspectu non potero me abscondere.* Job. 13. De sancto Romualdo scribit Beatus Petrus Damiani in ejus vita apud Surium 19. Januar. quo quicunque peccatores, præsertim potentes sæculi in ejus præsentiam devenissent, mox velut ante majestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Fassusque est Rainerius Tusciæ, in qua degebat Romualdus, Marchio, qui consanguinei sui se enecti uxorem habebat: *Quia non Imperator non aliquis mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante ejus quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, ullas excusationes invenio.* At hic tamen Romualdus non nisi homo erat, Judex Rainerii non erat. Quod si coram paupere Eremita tremunt Principes terræ: quid erit apparere coram Christo Deo, Judice universorum? Audite Isaiam c. 2. hac de re loquentem: *Introibunt in speluncas petrarum & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis ejus, cùm surrexit percutere terram.* Et Apocalyps. 6. *tunc dicent montibus: Cadite super nos; & collibus: operite nos.*

Non ergo metuamus hominum judicia, metuamus Christi judicium, à quo pendet salus nostra dubia adhuc lance.

Hæc omnia, quæ diximus indicare voluit David, cùm deplorans peccata sua Psalm. 50. ait: *Tibi soli peccavi.* Tibi soli, quia tuam unius injuriam à me tibi factam plus doleo, quam si totum mundum offendissem: *Tibi soli*, quia tu solus benefactor meus summus & unicus, à quo omnia mea habeo, cui ingratissimus fui. *Tibi soli*, quia tu solus ex omni parte sanctus, omnium peccatorum hostis capitalis. *Tibi soli*, quia tu solus Judex meus; alium neminem timeo, nemini alteri subjectus. Idem & nos dicamus una cum David *Tibi soli peccavi* Domine, & cum Magdalena fugiamus retro Christum & confundamur de peccatis nostris, ut in gratiam recepti, cum ipsa in lucem produci à Christo mereamur & audire:

Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.

IN FESTO S. JACOBI.

Exemplum de hoc Sancto, vide supra Fer. 2. Pasch. th. 3. §. 5.

THEMATA.

I. *Varii Supplantatores.*
II. *Qui malè petant cum filiis Zebedæi.*
III. *Boanerges seu filii tonitrui qui & quando esse debeant.*
IV. *Qui malè vel bene suos ad honores promoveant.*
V. *Qua ratione ad mortem quisque paratus esse debeat.*

THEMA I.

Varii Supplantatores.

Supplantatores seu fratres Iacobi multi.
I. *In emendo & vendendo.*
II. *In solvendo.*
III. *Fictè & subdolè loquendo.*
IV. *In Deposito.*
V. *In exequendis testamentis.*

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Matth. 22.

NIhil est tam bonum & inculpatum, quod non in sinistrum sensum trahi possit à malevolis. Ecce enim nomen Jacob à primæva sua origine illibatum est, datum ei à patre Genes. 25. eò quod teneret plantam fratris in suo ortu, inde dictus Jacob quasi *plantam tenens*, ein Fersenhalter. Sed ecce quando Esau frater ejus deceptum se ab eo credidit, in pravum sensum id detorsit, dicens: *Iustè vocatum est nomen ejus Iacob; supplantavit enim me en altera vice.* Genes. 27. sensum proprium in metaphoricum trahens, (ut advertit ibi Benedictus Pererius) quasi deceptor esset, sicut qui ambulantis plantam tenet, ut eum in lapsum impellat. Quam ob causam forsan voluit Angelus, quo cum luctatus fuit, ut nequaquam amplius vocaretur Jacob sed Israel, Genes. 32. Videtur etiam sanctus Matthæus in hodierno Evangelio nomen id declinasse, cum matrem *filiorum Zebedæi* non Jacobi & Joannis commemorat. Sunt igitur aliqui Jacobi seu Jacobi fratres (Jacobs Bruder) qui non sunt laudandi, sed vituperandi potius: qui nimirum juxta sensum ab Esau excogitatum supplantatores sunt. Et quemadmodum peregrini sancti Jacobi omnes mundi angulos pervagantur; ita & isti. Quos proinde investigabimus.

I. Quidam Jacobi seu supplantatores sunt in emptione & venditione, quod inprimis innumeris modis contingit, è quibus pauculos videamus. Primus est in mensura & pondere. De quibus Sapiens Prov. 20 ait: *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Hoc est, mercator qui utitur pondere majore, dum emit: minore dum vendit; majore, quod magistratui ostendat: minore, quo utatur: vel mensura majore, qua metiatur amicis, concivibus, officialibus: minore qua plebi vel externis. De qua fraude Michæas c. 6. *Mensura minor iræ plena.* Quia cum Deus, ut in natura, ita & in moribus, vacuum non patiatur, quod deest mensuræ justæ, supplet Deus ira & vindicta sua. v. g. grandine, pruina, siccitate, sterilitate, frigore & aliis plagis; juxta id Isa. 27. *In mensura contra mensuram judicabis eam.*

I. In emendo & vendendo. 1. In mensura & pondere.

Alter est in monopoliis, cum unus vel pauci aliqui trahunt ad se certam negotiationem sub tanta æstimatione, ut nemo minori pretio vendat. Similiter in emptione, cùm aliqui inter se dolosè conveniunt, ut nemo pro re vænali plus offerat, quam alter & iniquum omnes; imò qui posteriores licitatum accedunt, semper minus & minus offerant, ita ut venditor quasi in desperationem actus cogatur rem vendere ei, qui prior venit & plus obtulit, licet revera iniquum. Quod factum novi à fraudulentis quibusdam civibus. Dolus hic scorpionum Lybicorum est, qui ut pungant dormientem, è laqueari sese demittunt, implexi mutuis caudis in catenæ modum, ut scribit Clemens Alexandrinus lib. Strom. 1. Ælianus de animal. lib. 6. cap. 22. Dolosæ prorsus bestiæ, quibus fraudatores illi planè sunt simillimi, dum mutua inter se conventione alios defraudant. Quibus acriter minatur Deus Amos 8. *Attendite hoc, qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ &c. Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum;*

2. In monopoliis.

Tertius est in mixtione mercium adulterinarum cum genuinis. Quod exprobrat Hebræis Isaias c. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.* Quem posteriorem dolum in caupone, qui vinum aqua mixtum vendiderat, castigatum legimus (apud S. Greg. Turon. de Gloria Confess. c. 109.) à milvo, qui aurum ejus leporinæ pelli inclusum rapuit: & in Ararim flumen dejecit. Hujusmodi enim fraudes intuetur Deus & castigat suo tempore; egestate plerumque, quam per fraudes suas effugere conabantur, juxta id Proverb. 10.

3. In mixtura mercium.

Egestatem operata est manus remissa. Heb. *remia*, quæ vox tam *fraudulentam*, quam *remissam* significat.

II. *In solvẽdo.*

II.° Alii in solvendo. 1. Quando non omne debitum solvunt, sed per fraudem aliquid detinent, sibique retinent, quod fecisse legimus Ananiam & Saphiram. Act. 5. ideoque morte subitanea plexos esse; quod facta conventione fraudassent Apostolos de pretio agri venditi, Deo promissi, nec totum numerassent, sed partem sibi reservassent. Putant aliqui Patres morte solùm temporali plexos. At S. Basilius serm. 1. de instit. Monach. & S. Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli, censent eos æternum anima & corpore periisse. Terribile prorsus exemplum; si enim ita puniti sunt, qui de suo, quod voverant Ecclesiæ, aliquid detraxerunt in privatum usum suum: quantò magis pœna digni, qui de alieno detrahunt? *Si qui ex prædiis propriis*, inquit Antiochus Monachus hom. 41. *suppilarunt: talem reportarunt ex furto exitum: quanto atrocius illos manet supplicium, qui ex alieno compilant & arrodunt, peculio.* Deinde si S. Petrus fraudem illam modicam divina revelatione tam citò cognovit, aliorum fraudes latebunt?

1. *Quod non totũ solvitur per astum.*

2. *Quãdo nõ fideliter numeratur.*

2. Quando in ipsa debeti persolutione dolum committunt, non fideliter numerando, quemadmodum Trapezites, qui (ut refert S. Bernardinus tom. 2. serm. 33. art. 2. factum suo tempore) cum alicui rustico numeraret pro floreno solido monetam, cœpit numerando dicere Italicè: *Al nome deldio &c. delli Santi: in nomine Domini & omnium Sanctorum sex, septem, octo, novem & decem &c.* Rusticus fraudem suspicans, numerat ipse quoque seorsum pecuniam & deprehendit quinque grossos sibi deesse. Itaque refert eam ad Trapezitem, & denuò numerari jubet. Numerat is ut antea, sed agricola rursum quinque grossos desiderat. Reversus igitur ad fraudatorem: *Numera denuo*, inquit, *& omitte Deum cum omnibus Sanctis.* Sic tandem recepit summam suam; & fraus alterius detecta fuit. Quid non audet avaritia? Ipsum Dei & Sanctorũ nomen servire illi debet ad nequitiam.

III. *Fictè & subdolè loquendo.*

III. Alii fictè & subdolè loquendo vel promittendo. De quibus legimus Ecclesiastici 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur*, quasi diceret, qui fraudare alios captiosò sermone conatur, ipsemet fraudabitur & capietur. Sophisticus supplantator fuit, qui venditurus equum, jussus edicere defectus equi, hos prodidit: quod in arbores nollet ascendere; quod nimis multum comederet & aquæ nimis appetens esset. Emptor hæc pro nihilo habens, emit equum. Sed ecce dum in eo sedens pontem vult transire, nulla vi adigere bestiam potuit, ut lignei pontis trabes calcaret: itaque intellexit in quas arbores nollet ascendere. Rursum dum in stabulo ei frænum detrahit, videt se ab eodem morsibus peti, & per brachia apprehendi; sic intellexit ejus nimiam voracitatem. Denique ubi in eo vectus rivum transit, equus in medio aquæ procubuit, & bibendi avidus cum sessore se immersit; sic qualem equus haberet aquæ appetentiam, dominus deprehendit. Quis jam dubitabit equi venditorem ipsi odibilem esse factum, a quo tot imposturis delusus est; Alius emit equum eo pacto, ut dimidium mox venditori solveret, dimidium deberet. Postea de dimidio solvendo requisitus, negavit solutionem, siquidem ita emisset, ut dimidium deberet, non ut persolveret. Vultis alium? Fur quidam abstulerat piscatori piscem, & socio suo, qui propè stabat, dederat. A Piscatore comprehensus juravit se neque piscem habere neque alium, qui piscem sustulisset, nosse. Socius econtra, se neque piscem sustulisse, nec alium, qui haberet, nosse. Sic uterque evasit. Eustathius Odysseæ T. Evaserunt inquam simplicem piscatorem, sed non evadent Deum hujusmodi Sophistæ. *Scriptum est enim*, ait S. Paulus 1. Corinth. 3. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Sic deprehendit duos illos perfidos senes, qui calumniam malitiosè composuerant contra Susannam; comprehendit, inquam, per Danielem, qui eos separavit, & in examine dolum eorum deprehendit, itaque eidem lapidationis supplicio adjudicavit, quod ipsi Susannæ struxerant. Dan. 13. Sic deprehendit Alexander Mediceus primus Florentiæ Dux dolum alicujus avari qui proclamari jusserat perditam sibi bursam cum 60. aureis, è quibus inventori numerare vellet decem. Inventor pauper retulit bursam, petiitque promissos 10. aureos. Avarus tergiversatus fingit in bursa sua fuisse 70. aureos, decem igitur ab inventore sublatos esse, nihil proinde ei amplius deberi. Quid ad hoc Dux? Bursa hæc 60. aureorum proclamata non est illius, qui dicit in sua bursa fuisse 70. sed alicujus alterius. Itaque inventor eam sibi retineat, donec veniat alius, verus ejus dominus, refert Cornelius à Lapide in illum Dan. locum. Ita nimirum impletur in fraudulentis, quod Ecclesiasticus cap. 27. ait: *Qui in altum mittit lapidem, supra caput ejus cadet & plaga dolosa dolosi dividit vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendit in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Ratio est, quam audivimus, quia *dolosi odibiles sunt Deo* qui est veritatis & justitiæ amator, cum dolosi sint justitiæ & veritatis hostes. Itaque in eo, in quo peccant, ordinariè plectuntur, & dolis suis ipsi capiuntur: quemadmodum Verronius Thurinus, quia in aula Severi Imper. multos vana gratiarum Imperialium impetrandarum spe ac promissione delusit, munera interim pro labore suo accipiens, cum revera nihil ageret, fumo perire jussus est, dicente Imp. *Fumum vendidit,* *fumo*

fumo pereat. auct. Lamprid. Multò adhuc juſtius plectuntur Chriſtiani, qui candidis induti veſtibus in baptiſmo, candidi & ſynceri eſſe deberent. Et ſcire volumus, quomodo etiam inter illos lapis in alium projectus recidat in projectorem? Exemplum appoſitum refert S. Gregorius 3. Dial. cap. 15. de S. Sabino Canuſino Epiſcopo, ad quem ejus Archidiaconus, ambiens Epiſcopatum ejus, potum veneno infectum miſit per puerum, velut munus benevolentiæ & obſervantiæ. Cui Sabinus, fraudem divina revelatione præſentiens: *Da mihi inquit, ego bibo: ſed vade, dic ei, qui tibi illum dedit: Ego quidem venenum bibo, ſed tu Epiſcopus non eris. Facto igitur ſigno crucis venenum Epiſcopus bibit ſecurus, eademque hora in loco alio, in quo erat, Archidiaconus ejus defunctus eſt, ac ſi per os Epiſcopi ad Archidiaconi viſcera illa venena tranſiſſent. Cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit, ſed hunc in conſpectu æterni Iudicis venenum ſuæ malitiæ occidit.*

IV. Fraudant aliqui in Depoſito. Exemplum refert Conon apud Photium tale. Depoſuit quidam aurum apud Touvomenienſem civem, ac poſt repetiit. Civis reddidiſſe ſe affirmat. Ergo cum ad juramentum adigeretur, excavatæ arundini depoſitum ſuæ fidei aurum indidit, qua pro baculo utebatur, atque ad judicem vocatus ab adverſario ad juramentum præſtandum, quòd reddiderit, juraturus ſcipionem, in quo erat aurum collocatum, tantiſper adverſario committit, donec ſublatis manibus juraſſet ſe depoſitum reddidiſſe; quo facto mox baculum ſimul cum indita pecunia recipit. Apud Cauſſin. l. 12. Symb. Multi tales perjuri, qui ſi non iſto modo, aliis certè verborum ambagibus aut æquivocationibus caliginem oculis ſeu actorum ſeu Judicum offundunt, tumq; demum evaſiſſe ſe putant; ſed nunquid oculos Dei fallunt, cujus vindicta à tergo eos ſequitur? *Scriptum eſt enim,* ait Apoſtolus citato 1. Corinth. 3. *Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Scilicet in libro Job c. 5. Sic comprehenſus eſt Giezi, doloſè emungens munera è Naaman, idque domino ſuo pernegans. Cui Eliſæus: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando occurrit tibi homo? ſed & lepra Naaman* (una cum argento) *adhærebit tibi.* 4. Reg. 5. Qui bonis alienis ſua commaculant, quid mirum ſi corrupto & putrido ſanguine ſanguinem ſuum perdant, dum alienum hauriunt?

V. Alii in exequendis teſtamentis & perſolvendis legatis. Cujus exemplum refert Joannes Paulus in Spudopœdia de vidua, cujus vir agricola ante obitum mandarat, ut pretium bovis venditi pro ipſius anima expenderet in pauperes. Illa bovem ad forum producit, eique gallum gallinaceum impoſuit, & bovem quidem uno ſolum, gallum autem viginti florenis venalem propoſuit, ea lege ut unus ſine altero non emeretur. Itaque pretium bovis, unum ſcilicet florenum, pro viro defuncto expendit, reliquum ſibi retinuit. Variæ nimirum ab hæredibus quæruntur artes & prætextus ad fraudandam teſtatorum voluntatem; quod bene prævidit Jacob Patriarcha, qui propterea moriens ſeriò adjuravit filium ſuum Joſephum, ſub juramento obteſtans, ne ſe in Ægypto ſepeliret, ſed in ſepulchro patrum ſuorum, cum ad id peragendum iter longum ſuſcipiendum & ſumptus multi faciendi eſſent. Gen. 47. Noverat enim prudens ſenex, quòd propinqui ferè una cum ſepultis majoribus ſuis etiam memoriam eorum & obſervantiam atque fidem erga eos ſepeliant, nec mandata adimplere magnoperè curent, ſed fraudibus eludant. Non eſt res tanti ſepeliri in aliena terra, ut ſenſit S. Monica dicens: *Ponite matrem veſtram ubicunque.* Cur ergo Jacob adeò vetat ſepeliri ſe in Ægypto? Intellexit utique Ægyptum ſignificare *anguſtias & tribulationes*, adeoque deſignare purgatorium, in quo anguſtiantur parentes, ſi pias eorum voluntates non exequantur filii. Propheta bene dicitur Pſalm. 48. *Relinquent alienis divitias ſuas.* Quibus alienis? Nonne hæredibus legitimis? Et hi quomodo alieni dicuntur? Quia ſcilicet ita ſe gerunt parente defuncto, ac ſi alieni forent, & ipſum non noviſſent, adeo non curant mandata ejus implere, debita ſolvere, exequias procurare, quibus, in altera vita juvetur. Intelligant hæredes, quod Gregorius Magnus l. 9. Epiſt. c. 20. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum ſcribit: *Vltima voluntas defuncti modis omnibus curari debet.* Imò hæres non implens defuncti patris voluntatem privari ſucceſſione hæreditatis meretur, ut oſtendit Gratianus 11. quæſtione prima, capite decimo tertio: & ex jure civili (de fidei Com. l. ult. Obligantur enim adhuc quarto precepto de honorandis parentibus. Boni igitur filii mox & fideliter implent mandata parentum.

dis teſtamentis.

Vos ergo Auditores nolite eſſe tales Jacobi ſodales, quales Eſau finxit, ſed qualis fuit Apoſtolus Jacobus, plantam quidem Chriſti, Magiſtri ſui tenens ac ſequens in vita & martyrio, ſed minimè ſupplantans.

THEMA II.

Qui male petant cum filiis Zebedæi.

I. Qui orationi opera non jungunt.
II. Qui pro se ipsis non orant.
III Qui non instanter orant.
IV. Qui non orant in tempore.
V. Qui non petunt quod debent.
VI. Qui in peccatis hærentes orant.

Nescitis quid petatis: Matth. 20.

DE Cosmo Medico Florentino refertur (à Joanne Bocero de dictis memor) venisse aliquando duos patres Franciscanos ad ipsius ædes mendicatum eleemosynam, fortè candelas & hujusmodi qui cum usque ad vesperum expectarent, prodiens tandem dominus advertit in quodam conclavi candelam, frustrà ardere; quam ob causam diù satis diuque famulos objurgavit. Quod ubi fratres illi mendicantes non procul inde expectantes, audierunt, mox velut desperata eleemosyna à palatio discesserunt. Cogitabant enim boni viri: si hic dominus ob candelam unam tam graviter expostulat cum famulis, quid nobis sperandum? Verum revocatos ille liberaliter accepit & cum eleemosyna dimisit, rationem reddens, cur famulos objurgasset: quòd nimirum boni patrisfamilias sit, etiam ad minima attendere. Forsan etiam nostrum aliqui terrebuntur hodie, & timebunt petere à Christo aliquid, postquam audierunt eum tam difficilem fuisse in danda sessione dextræ & sinistræ suæ, & quidem dilectis suis ac sanguine junctis, discipulis, Joanni & Jacobo. Si enim hoc negat suis propinquis, non sine reprehensione aliqua: *Nescitis quid petatis*; actum erit de nobis, nihil nobis dabit, frustrà gratiam expectamus. Verùm ne terreamini Auditores, novit Dominus, cur severior erga duos hos discipulos fuerit. Videntur enim leges bonæ orationis non servasse, quas si nos servaverimus, utique repulsam minimè patiemur. Videamus ergo in quo errarint.

I. *Qui orationi opera non jungunt.*

I. Inter orandum non levarunt manus: quia ut sanctus Marcus ait cap. 10. *timebant* Christum sequi Jerosolymam ad passionem. Coronari ergo cupiebant, sed pati nolebant. Scimus Moysen pro victoria orantem elevasse etiam manus: quibus elevatis auditus fuit, cadentibus non auditus, Exod. 17. Manus ergo levandæ sunt una cum oratione ad Deum, hoc est, opera bona jungenda orationi. Sic enim ait Jeremias Thren. 3. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* In quem locum sanctus Gregorius 18. Moral. capite tertio ait; *Corda cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, & manus non levat: quisquis vero operatur & non orat, manus levat & cor non levat.* In Musica non auditur solùm vox, quæ cantat: sed videtur etiam manus præcentoris, quæ canentes dirigit, ut bene inter se concordent. Oratio quidam Psalmus seu Musica est, teste Apostolo 1. Corinth. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam & mente.* Ergo ut bene sonet nostra oratio, manu bonæ vitæ & actionis tangenda est. Manus malè dirigens Musicos, pervertit totam Musicam, redditque auribus gravem: ita opera discrepantia ab oratione destruunt orationem, & gravant aures Dei.

II. Non per se, sed per matrem petierunt primas sedes: unde non matri, sed ipsis respondet Christus: *Nescitis quid petatis.* Promisit Christus auditurum patrem preces nostras, sed qua ratione? Audiamus Augustinum tractatu 102. in Joannem: *Exaudiuntur quippe omnes sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcunque dictum est, dabit: sed dabit vobis.* Quod saltem videtur intelligendum, si ipsi pro quibus alii orant, de suo nihil addant. Orat pro communibus calamitatibus Ecclesia mater in viris sanctis & religiosis, sed si filii non orant, quid mirum si nil impetrent? Saul in Samuelis pro se facienda oratione totam suam fiduciam posuit dicens: *Porta quæso peccatum meum*: sed pro se ipso non oravit, proinde nil obtinuit. Cum enim apprehenso Samuelis pallio retinere eum secum vellet, quò per ipsum impetraret veniam delicti, Samuel discessit, & scissa veste remansit Sauli in manu sola vestis lacinia, 1. Regum 15. Multi ponunt spem & salutem suam præcisè in piorum & Ecclesiasticorum precibus, apprehendunt vestem illorum, quasi sub illa perfugium reperturi, cùm ipsi nihil adlaborent. Sed parum hoc eos juvat, & sancti eos deserunt. Sancta Elisabetha, Thuringiæ Princeps, interpellata à nobili ephebo, ut ipsi gratiam & contemptum mundi à Deo impetrare vellet, duxit eum ad templum Franciscanorum & jussit una secum orare, moxque tanto ardore juvenem accendit, ut is deserto mundo ordinem sancti Francisci intraret. Ut in vita. Putant multi Ecclesiæ tantum matris nostræ, & Ecclesiasticorum esse orare & impetrare nobis pacem, fruges, sanitatem &c. Sed frustra sunt: filii etiam cum matre orare debent, si quid impetrare volunt.

III. Non instanter orarunt. Semel duntaxat Christum interpellarunt; non perseverarunt pulsando, quemadmodum Chananæa illa orans pro filia; quæ sæpius repulsam passa, non cessavit à precibus, donec audiretur. Multi instar leopardi sunt,

qui

qui nisi tertio aut quarto saltu apprehendat leporem jam desinit insequi. Non ita orandum, sed, *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur*, ait Ecclesiasticus cap. 3. non in unius aut alterius diei, sed *in oratione* plurium *dierum*. Isaaco promiserat Deus sobolem, sed Isaac non nisi post viginti annorum orationem eam impetravit ut censet Chrysostomus Gen. 25. hom. 49. unde in Hebr. est: *multum & instanter oravit*. Anno ætatis 40. duxit Rebeccam, & 60. primùm illa peperit, viginti igitur annis Isaac oravit, donec prolem impetravit. Similiter Gen. 17. Abrahæ adhuc juveni semen a Deo promissum fuit, sed non est datum nisi seni, post diuturnam orationem, ut advertit sanctus Basilius in l. Constitut. monast. cap. 21. *Nos verò annum oramus*, Subdit S. Basilius, *& desistimus postea: biennium jejunamus, & jejunandi postea facimus finem*. Nemo ergo dicat, diu jam multumque oravimus, nec tamen audit sumus. Etenim languidus ille ad piscinam per annos triginta octo, quoties aqua mota fuit, toties se è lecto prorepsit, & in aquam descendere conatus fuit, frustrà tamen, quia semper ab aliis præventus est, nec tamen ideò desperavit, aut à piscina discessit, ut observat S. Chrysostomus homil. 35. in Joan. Unde factum, ut tandem corpore & animo sanaretur à Christo.

IV. Non orarunt tempestivè, uti putat sanctus Chrysostomus, quia nimirum petierunt Christi dextram & sinistram imminente jam passione ejus, cum lugendum & ad crucem potius, quam ad honores ascendendum erat. *Vos*, inquit, in persona Christi, *de honoribus & coronis mecum agitis: ego verò de luctamine atque sudore differo. Non præmiorum hoc tempus est, sed cædis ac periculorum*. Ergò qui vult audiri, tempestivè oret juxta id Proverb. 8. *Qui manè vigilant ad me, invenient me*. Ortum fuit aliquando bellum durum inter duorum exercituum duces, Joab & Abner, & fugatus Abner à Joab, feriente terga fugientis Abner tota die. Post occasum solis clamavit Abner ad Joab: *Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? usquequo non dicis populo, ut omittat persequi fratres suos?* Cui Joab: *Vivit Dominus si locutus fuisses mane, manè recessisset populus persequens fratrem suum* 2. Reg. 2. manè recessisset, si manè petiisses: quia serò petis, stragem passus es. Florentiæ quidam Concionator recensuit fuisse agasoni asinum, qui devorata largius cibaria membris omnibus consopitus fuit. Pulsatus deinde ab agasone, ut surgeret è somno, cum se non moveret, pro extincto habitus est. Quare arrepto cultro herus pellem ei scindere & detrahere cœpit: tum dolorem sentiens asinus evigilat & rudit. Cui herus: serò nimis jam conquereris, priùs rudere oportuit: actum est, morieris. Multis hoc contingit. Dum hostis longè abest, profundo in somno jacent, nec excitari ad orandum possunt, pace consopiti. Contingit insperatò hostem advenire, ibi tum clamare & orare volunt, ne in manus hostium veniant. Sed quid si frustrà? Quid si non audiantur, qui orare priùs cum stimularentur, noluerunt? *Si locutus fuisses manè, mane recessisset hostis.*

V. Non petierunt quod debebant, quia existimantes Christi regnum fore pompofum & terrenum, quale fuit Davidis & Salomonis, progenitorum ejus, terrenam etiam dignitatem petierunt. *Nihil spirituale petebant*, ait S. Chrysostomus. Vidimus Moysen orantem pro victoria sui exercitus nihil impetrasse, cum permisit manus suas collabi versus terram: impetrasse successum bonum, cum sustulit versus cælum. Exod. 17. Quid hoc significat? Cum ad cælum dirigimus orationem & ad Dei gloriam, tunc vincemus hostes nostros: cum ad terram demittimus, vincent inimici nostri. Quam multos esse putamus, qui manibus ad cælum erectis orant? *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi*, non quæ Ecclesiæ Christi, non quæ salutis nostræ. Pacem quærimus nostram, non Ecclesiæ: exaltationem nostram, non Ecclesiæ: terrena, non cælestia: sicque nos ipsos, non Christum ejusque gloriam quærimus. — V. *Qui non petunt quod debent.*

Plerique igitur petunt sessionem ad sinistram, hoc est, ut in hoc sæculo bene habeant in pace & rerum abundantia vivant. Quibus ait Chrysostomus in persona Dei: *Ego vos vocavi ad partem dextram: & vos vestro consilio curritis ad sinistram.*

Alii petunt sessionem ad dextram & sinistram, ut scilicet ibi & hic bene habeant. Quibus ait S. Hieronymus in reg. Monach. c. 29. & alibi: *Delicatus es miles, si hic vis gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo.*

Alii ponere volunt hostes & inimicos nostros ad sinistram Christi judicantis, adeoque inter hœdos; se verò ad dextram inter oves. Nec isti bene: orandum potiùs ut inimici nostri a sinistra transeant ad dextram & ex hæredis fiant oves: amici ex inimicis.

Alii petunt primò dextram, posteà sinistram, hoc est, primùm quærunt terrena & primariò; deinde secundariò cælestia. Nec isti bene. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus*, ait Dominus, *& hæc omnia adjicientur vobis* Matth. 6.

VI. Denique videtur, quod non laverint manus, priusquam eas ad orandum tollerent. Scimus Apostolum 1. Tim. 2. dicere: *volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione*. Agnoscit autem S. Chrysostomus homil. 66. in Matth. in hac petitione labem aliquam. *Volebant, ut ego conjicio*, ait, *quoniam super 12. sedes sessuros discipulos audierunt, primatum hujus concessus impetrare, & præponi quidem se cæteris, præterquam Petro, sciebant: Petrum verò sibi præferri formidantes dicere ausi sunt: Dic ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat.* Cupiebant ergò & Petrum præcedere, & ita utrumque latus Christi in regno ejus stipare, ut nemo nisi per ipsos accessum ad eum haberet, nemo nisi per ipsos aliquid impetraret. Quod si ita — VI. *Qui in peccatis hærentes orant.*

Nn 3 est,

eſt, fuit macula ambitionis aliqua. Quanquam eos excuſat Chryſoſtomus : *nondum enim myſterium crucis*, inquit, *erat conſummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipſorum infuſa.* Quidquid ſit, videtur ſaltem importuna quædam cupiditas eos momordiſſe, vel non optima æmulatio. Quod ſi tamen hæc orationem diſcipulorum labefactavit, quid faciet ira, odium, diſceptatio, diſcordia? Sanè Chryſoſtomus hom. 8. in citatum Pauli locum ait : *Putas inquit manus* (lavantes) id eſt *mundas, non aqua lotas, verùm cupiditate, rapina, cædibus mundas.* Et mox: *nullus adeò audax ſit, ut inimicitias exercens ad Deum pergat orandum.* Lavabant olim Chriſtiani manus oraturi, quemadmodum & Judæi; ut cor priùs eluere à peccato meminiſſent. Senſit in hac re divinam ultionem Warinbertus Epiſcopus Sueſſionenſis, qui monaſterium ſancti Medardi, læſum ſe ab eo immeritò cauſans, cum ira & armis intrare auſus fuit, vindictam expetiturus. *Cum enim ſanctuarii regias irreverenter concuteret, eos, qui pro ſubitanea tormentorum expectatione auditum obſtruxerant, exprobrationibus contumelioſis inſequeretur, furibundus ipſe Pontifex per medium eorum irrumpens, præſumptuosè nimis & cum multa ſuperbia excruciari cuſtodes minabatur, niſi citò ſibi janua aperirentur. In tam imminente mortis diſcrimine ſervi Dei trementes, Deo & ſancto Medardo, non ſine multa lachrymarum profuſione animas ſuas commendant, & ſic divinitus animati aperiri furentibus illis jubent Eccleſiam. Mox infelix Epiſcopus ingreſſus monaſterium, ut eum qui ſibi aperuerat, præ nimio timore ſecus januas percepit diliteſcere tam validè illi baculum, quem manu geſtabat, illiſit in capite, ut penè totum ejus veſtimentum exundanti cruentaretur ſanguine. Stupefactus frater & penè decidens ad Deum ſuſpiravit, & querimoniæ hujus cauſam, cùm aliter non præſumeret, intimo cordis murmure lachrymabiliter commendavit. Audiant Tyranni ſervorum Dei reclamationes, & revereantur : audiant fideles quique celerrimam Dei conſolationem & confortentur. Statim enim infeliciſſimus ille VVarinbertus excors & impœnitens, mox ut ante ſanctiſſimi Confeſſoris memoriam tanquam oraturus genua flexit, divino terribiliter percuſſus judicio, diffuſis per alui ſecreta viſceribus miſerabiliter expiravit.* Ita in vita S. Medardi 8. Jun. apud Sur. Terribile hoc ſupplicium jure merito omnes terreat & abſterreat, ne cum ira aut odio ad precandum accedant.

Poſtquam igitur vidimus, quinam defectus petitionem illam duorum Apoſtolorum evanidam reddiderint, ex eorum errore ſapere nos diſcamus & orare ſicut oportet: illorum defectus ſit noſter profectus.

(*.*)

THEMA III.

Boanerges ſeu filii tonitrui qui & quando eſſe debeant.

I. *Concionatores contra pervicaces.*
II. *Magiſtratus contra improbos.*
III. *Patresfamilias in poſtiferos domeſticos.*
IV. *Parentes in filios contumaces.*
V. *Proximi contra proximos.*
VI. *Quiſque in ſeipſum.*

Impoſuit eis nomina Boanerges, quod e[ſt] filii tonitrui. Marci 3.

PErpulchrè ſanè expreſſi fuêre duodecim Chri-
ſti diſcipuli in duodecim filiis Jacob, à quibu[s]
deſcendit omne genus Hebræorum, ſicut ab Apo-
ſtolis omnis natio Chriſtianorum. Inter illos duo-
decim Jacobi filios fuêre duo admodum fervente[s]
& zeloſi Simeon & Levi, qui raptam à Sichem [&]
ſtupratam ſororem ſuam, eidem eripuerunt, ipſ[o]
occiſo, tametſi malè & contra fidem datam. Gene[ſ.]
24. Quam ob rem Jacob moriens appellavit eo[s]
vaſa bellantia, ſeu bellatores: *Simeon & Levi va[ſa]
iniquitatis bellantia*, Geneſ. 49. Fuêre etiam int[er]
diſcipulos Chriſti duo quidam zelotes, cæteris fe[r]-
ventiores, Jacobus & Joannes : qui videntes Chr[i]-
ſtum Magiſtrum ſuum excludi à Samaritanis, zel[o]
armati: *Vis dicimus*, inquiunt: *ut ignis deſcendat d[e]
cælo & conſumat illos?* Luc. 9. errarunt & iſti i[n]
zelo ſuo, quia humano tantùm impatientiæ ſpirit[u]
ducti erant; unde audierunt : *Neſcitis cujus ſpiritu[s]
eſtis.* Bene igitur Chriſtus omnia prævidens eoſqu[e]
cognoſcens, impoſuit eis nomen *Boanerges*, hoc e[ſt]
filiorum tonitrui. Verum uti tribus Simeon & Le[vi]
zelum illum parentum ſuorum malum mutaru[nt]
poſteà in bonum; dum Simeonitæ diſperſi p[er]
omnes paſſim tribus docuerunt reliquos Hebræ[os]
veluti Magiſtri, ut oſtendit Cornelius à Lapide i[n]
cap. 49. Gen. Levitæ verò zelo honoris divini jun-
xerunt ſe Moyſi & occiderunt Idololatras, Exod.
ita illi duo Apoſtoli deinceps fuere optimi Zelot[æ]
pro Evangelio Chriſti diſſeminandi, boni *filii ton[i]-
trui* : Jacobus prædicando maximo cum zelo o[b]
quem primus omnium Apoſtolorum ab Herod[e]
necatus creditur, uti revelavit Chriſtus S. Gertru-
di lib. 4. Inſinuationum cap. 48.) Joannes autem
ſcribendo & prædicando diutiſſimè atque effic[a]-
ciſſimè ad multam uſque ſenectam, in qua poſtre-
mus Apoſtolorum obiit. Hinc igitur habemus, bo-
num imò neceſſarium eſſe aliquando tonare cont[ra]
vitia & rebelles : ſiquidem Chriſtus inter ſuos di-
ſcipulos, duos habere voluit, qui *tonitrui filii*, ho[c]
eſ[t]

ſt, tonantes eſſent. Atque utinam inter Chriſtianos
on duo, ſed plures forent, qui cum opus eſt, tona
ent! Quàm hi boni & Deo chari filii eſſent! Igitur
ideamus, qui & quando tales eſſe debeant.

I. Concionatores tametſi primò quidem & ut
lurimum ſuavitate uti debent, & oleum plagis in-
undere; ubi tamen vident, nihil ſe proficere, imò
Dei verbum negligi, tenentur etiam vini acrimo-
iam adhibere, & tonare contra pervicaces. Sic
nim mandat Deus Iſaiæ cap. 58. *Clama, ne ceſſes,
uaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo
neo ſcelera eorum.* *Quaſi tuba*, inquit, bellica, quæ
oſtem terreat & pugnantes excitet: non quaſi tibi
d voluptatem & plauſum modulans. Qualis, non
ibia, ſed tuba fuit Joannes Baptiſta, qui non ceſſa-
at intonare Herodi: *Non licet tibi habere uxorem
atris tui.* *Clamare ergò jubemur*, ait S. Auguſti-
us ſerm. 106. de tempore; *Et vehementer clamare.
Ie pareas, inquit, peccatoris iniquitati, ne tacendo
reas, & dum verecundia ejus conſulis, non conſu-
s ſanitati, ne vulnera illius, quæ clamando reſecare
oteras, reticendo in pejus enutrias. Scitis, quia tuba
on tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris: non
am delectationem præferre, quam inferre formidi-
em.* Idem Propheta cap. 56. latrare vult Concio-
atores ad inſtar canum, & reprehendit eos, qui
on latrant. Hujuſmodi canes miſit Deus in mun-
um, quo tempore admodum perverſus erat, SS.
ernardum & Dominicum, quorum matres dum
utero geſtarent proles illas, viſæ ſunt geſtare
tulos: mater quidem Bernardi latrantem, Do-
inici verò facem ore præferentem, & orbem
ammis incendentem, ut in eorum actis. Similiter
mater ſancti Vincentii Ferrari, magnæ illius
bæ, gravida filio, audivit vocem ejus, in utero la-
antis; quod indicium erat, fore, eum inſignem
tiorum reprehenſorem, apud Sur. 5. April. Et
æſtitere illi quidem ſtrenuè officium ſuum,
uemadmodum & S. Poppo Abbas Stabulenſis, qui
m intelligeret aliquando Henricum Imp. cru-
libus ludis ſe delectare, contra eum tonare cœ-
t. Etenim pugil quidam membra melle perun-
us, in certamen cum urſis nudus deſcendebat in-
nſque vitæ periculum cum Regis voluptate ſu-
bat. Quod videns Poppo, zelo Dei accenſus: *Tu*,
t ad Imp. *aliorum ſanguine oculorum tuorum vo-
ptati deſervies?* Quid multis? effecit ut Imp.
iminatis his ſpectaculis, ſaniores delectationes
æreret. Ut in vita 25. Jan. Sed Apoſtolum Pau-
m audiamus, prædicatorem veritatis. Hic cùm
rba faceret ad proconſulem Sergium Paulum,
deretque ſibi reſiſtere in converſione illius Ely-
am magnum, quærentem avertere Sergium à fide,
plerus Spiritu ſancto cœpit contra eum tonare
cens: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Dia-
li, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere
as Domini rectas?* Huic tonitruo mox addit ful-
en: *Et nunc ecce manus Domini, & eris cæcus non
videns Solem uſque ad tempus. Et cecidit in eum cali-
go & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum
daret.* Act. 13. Benè igitur Paulus à S. Hieronymo ap-
pellatur *tonitru Gentium*, apud Corn. in c. 19. Exodi.
Debent igitur Concionatores ſuo tempore tonare,
niſi velint aliquando audire tonantem Deum in ſe
& auditores ſuos.

II. Magiſtratus contra improbos legum præ- *II. Magiſtratus contra improbos.*
varicatores, præſertim contumaces & rebelles. Hac
enim de cauſa Deus, quando legem in monte Si-
nai promulgavit, & Moyſi tradidit, fecit reſonare
tonitrua & micare fulgura, Exod. 19. ut Moyſes
populi Dux intelligeret, legem populo cum ſeveri-
tate inculcandam, & prævaricatores terrore com-
peſcendos puniendoſque eſſe. Quod etiam Caro-
lus Magnus indicare voluit, quando capulo enſis
ſui ſignabat decreta ſua, quod enſe & ſeveritate ea
cuſtodiri vellet. Paſtoris eſt gregem ſuum defen-
dere & inſidiantes ei lupos aut canes clamoribus
objurgare aut fuſtibus depellere. Sic egit David pa-
ſtoritius adoleſcens: percutiebat enim urſum &
leonem rapientes ovem, tenens mentum eorum;
eruenſque illis prædam. 1. Reg. 17. Idem agere
Magiſtratus debet, tonare & fulminare in eos, qui
ſubditos conturbant. Cujus rei egregium ſpeci-
men dedit Saul contra Naas Ammoniten, qui ocu-
los dextros civibus Jabes eruere moliebatur. *In-
ſiluit enim Spiritus Domini in Saul, cum audiſſet
verba, & iratus eſt furor ejus nimis & aſſumens
utrumque bovem, concidit in fruſta*; quo nimirum
efficaciùs populum ad arma convocaret & ſubdi-
tos ſuos à tyrannide Naas vindicaret, quod & fecit
magna illius ſtrage. 1. Reg. 11. Inſtigatus aliquan-
do à Deo fuit Alaricus Rex Gothus, in Italia domi-
nans, ad puniendos Romanos ob gravia eorum ſce-
lera; quod ille fecit quidem, ſed mitius, permitten-
do ut quicunque in templa confugerent tam Eth-
nici quam Chriſtiani, cum omnibus quæ ſecum in-
ferrent, ſalvi & incolumes eſſent. Quam ob leni-
tatem paulò poſt punitus eſt naufragio & apud Co-
ſentiam morte ſubita. Oroſ. lib. 7. c. 28. Jo. Magnus
l. 15. c. 11. Et quia præcipua urbis loca Gothi incen-
dere non potuerunt, Deus poſteà fulminibus eam
incendit & vaſtavit. Ità nimirum Magiſtratus; qui
non punit ſceleratorum peccata, facit ea ſua. Id in-
telligens Godefridus Comes Cappenbergius, ad-
huc ſæcularem militiam ſectatus duriſſimis verbis
increpat milites ſuos circumcurſantes & prædas
agentes, dicebat enim orans: *Scio arbiter juſtiſſime
quod in meum redundat caput, quidquid à meis de-
linquitur, omniſque diſſimulationis meæ negligentia
tua meritò diſtrictione punietur*: Ut in ejus vita 13.
Jan. apud Lipel. ex Sur.

Neque ſibi tantum nocent, ſi non tonent in re-
probos, ſed etiam ſuis ſubditis. *Nocet* enim *bonis*,
ait Seneca, *qui parcit malis*: imò etiam nocet ma-
lis, dum eos non emendat. Teſtatur id B. Petrus
Damiani Card. in Ep. ad Gothifredum Ducem &

Mar-

Marchionem Tusciæ, nimiam ejus arguens clementiam: *Illud mihi*, inquit, *non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitiis & temerariis iniquorum hominum ausibus coercendis remissior cerneris esse, quam debeas: & dum peccatoribus parcis, augere peccata convinceris. Enervato igitur rigore justitiæ, status evertitur disciplinæ: & dum ultoria severitatis censura reprimitur, temeraria delinquendo licentia relaxatur. Inordinata sanè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici, vulnus auget ægroti. Facit enim exuberare putredinem, dum non secando, sed palpando quotidie superducit vulnusculo cicatricem. Pharmacopola denique qui mollibus unguentis non permiscet acredinem, tumoribus exsiccandis nullam potest adhibere virtutem.* Confirmat id ad finem præclaro documento & exemplo, quæ alibi retulimus. Hæc causa est, cur sanctus Petrus Ecclesiæ præses contra Simonem illum, quærentem Spiritum sanctum emere pecunia, adeo, tonarit? *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, Actor. 8. In quæ verba sanctus Bernardus epist 252. exclamat: *O vox tonitrui! ô vox magnificentiæ & virtutis! ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* iisdem sanctus Petri verbis fulminantibus Leo IX. Pp. presbyterum quendam, qui nomine Episcopi cujusdam in Gallia, ob Simoniam suspensi, absolutionem pecunia impetrarat, percussit, adeoque perculit, ut is amissa mente undique vagari cogeretur, nullibi consistere posset, apud Baron. an. 1047.

Vide suprà in F. circumcis. Conc. I. n. l.

III. *Patres familias in pestiferos domesticos.*

III. Paterfamilias in domesticos pestiferos & graviter Deum offendentes. Tametsi enim ordinariè suavitate magis quàm austeritate erga suos uti debet, juxta monitum Ecclesiastici cap. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos & opprimens subjectos tibi*; tamen ubi res postulat, in delinquentes rugire & tonare opus est, præsertim quando Dei honor aut proximorum salus ab eis impugnatur aut impeditur. Fecit hoc inprimis ipse Christus Dominus, quando Petro passionem sibi dissuadenti respondit: *Vade post me Satane, non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Matth. 16. Fuit certè hoc tremendum tonitru, justum tamen; quia vitæ Christi temporali tantùm, non ejus gloriæ & saluti generis humani Petrus consulebat. Rursum quando eidem Petro lotionem detrectanti dixit: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Joan. 13. quale tonitru id fuit. Sic nimirum imprudentes & immorigeri domestici, cùm se patrifamilias opponunt, terrore & minis ad officium compellendi sunt. Quod & sanctus Job fecit uxori, (Job. 2.) quando eam sibi insultantem (quasi frustra Deum coluisset, à quo tam severè castigaretur, ideoque dicentem: *Benedic Deo & morere*) corripuit hoc tonitru: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*, quasi diceret, videris hanc stultitiam didicisse, ab Idumæis mulieribus, quæ si parum propitios habeant Deos suos convitiis & quandoque verberibus eos objurgant atque invadunt, quæ stultissima insania est. Iisdem verbis objurgavit Thomas Morus conjugem, suggerentem sibi, ut impio Regis Henrici decreto subscriberet ad redimendam vitam: appellando eam *stultam mercatricem*, quæ suaderet vitam 10. aut 20 annorum præferendam æternæ. Stapl. in vita. Non minori laude objurgavit David filios Sarviæ, servos suos, quando ei vindictam de Semei, derisore suo, sumendam suadebant, seque ad id offerebant: *Quid mihi & vobis est filii Sarviæ!* 2. Reg. 16. in quæ verba S. Bernardus ser. 34. exclamat: *ô verè hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius quàm exprobranti succensendum putavit!* Tonabat idem in familiam suam, quando dicebat: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Psalm. 100. quasi diceret, proripiant se è domo mea capitosi, insolentes, inflati, & qui vestium luxu addicti sunt. Hac tonandi ratione resecantur putrida membra, & servatur corpus.

IV. Parentes in filios contumaces. Quod adeò justum est, ut Deus Deut. 21. præceperit, filios ejusmodi ab ipsimet parentibus ad portam judicii sistendos & coram senioribus accusandos esse, quo lapidarentur ab omni populo. Horrendum est hoc tonitru, quod proprios filios accusari jubet & tradi lapidandos populo; æquum tamen & justum. *In causa enim Dei nec filium pater sapiens agnoscit*, ait ibi Rupertus. Et præstat filium hic puniri, quàm in altero sæculo, aut deduci ad graviores insolentias. Pia hæc est & paterna filiorum objurgatio, impia verò & crudelis conniventia. Scimus Noen maledixisse Chanaan, filium Cham, quod in ebrietate malè coopertus à Cham derisus esset. Sed cur Chanaan & non Cham? Causam ex Hebræo Doctore affert Theodoretus quæst. 57. quod Chanaan avi sui nuditatem prius aspexerit & deluserit, moxque patri indicarit, qui filium sicut debebat, non objurgavit, sed ipsum potiùs secutus, accessit & patrem discoopertum aspexit. Ergò qui Cham filium non corripuit, causa ipsi extitit avitæ maledictionis; qua eum, si tonare voluisse, liberasset. Idem expertus est Hemor vir potens, qui filium suum Sichem ob Dinæ raptum mox reprehendere & absterrere debuisset; quod quia non fecit, se & filium in gladios filiorum Jacob impegit. Gen. 34. Quod etiam sensit Heli 1. Reg. 2 & 4. Filius viduæ Sareptanæ ubi mortuus est? in blando matris sinu; ubi resuscitatus? in lectulo Eliæ duro & aspero. 3. Reg. 17. Ita nimirum blanditiæ parentum necant liberos, quos salvaret dura objurgatio & disciplina.

V. Proximus in proximum; sed quando? Respondit ad hoc Abbas Pastor in vitis PP, lib. 5. S*i aliquis voluerit te separare à Deo, pro hoc irascere.* Hac de causa tonabant plurimæ virgines contra tyrannos & procos, qui earum pudori insidiati sunt: uti sancta Agnes dicens proco: *Discede à me pabulum mortis.* Sancta Agatha Quintiano: *Impie, dire & crudelis tyranne, non te pudet amputare in fæmina, quod ipse in matre suxisti?* Quæ proinde

Apoc.

Apoc. 14. dicuntur habere vocem *ſicut tonitrui magni.* Quemadmodum enim apes non permittunt tangi alveare ſuum, ſed ſpiculis id defendunt: ita debent virgines, ſi tangantur, defendere pudorem ſuum, tonando, fulminando. Similiter ſi quis te conſilio pravo, aut per adulationem ab æquo & bono abducere conatur, tu contra eum tonare incipe. Sic objurgavit Chriſtus Dæmones, quando eum vana adulatione laudare cæperunt. Ladislaus Rex Poloniæ aſſentatores ſuos etiam colaphis excipiebat, ſolitus dicere: *Percutientes me repercutio* Ad. Conzen. lib. 6. Polit. cap. 1. Denique quemadmodum Moyſes multoties detonuit contra Pharaonem detinentem à Dei ſervitio populum; ſancta quadam ira contra illum accenſus: ita qui ſe retineri in ſtatu periculoſo vel in ſervitute Dæmonis deprehendit, tonare in detentorem & fulminare debet, ſi aliter ſe liberare ab illo nequeat. Sancta hæc eſt iracundia, qualem etiam exercuit S. Franciſcus Xaverius in præfectum Malacenſem, qui ejus ad Sinas profectionem & tot animarum lucrum malitiosè impedivit: tonando in eum verbis & minis, fulminando denique excommunicatione, quæ certè hominem confecit, ut paulò poſt catenis vinctus velut perduellis in Luſitaniam abduceretur, ibique in lepra ſimul & infamia pauper obiret, ut in ejus vita.

VI. Denique in ſeipſum quiſque ſecuriſſimè ſimul & ſaluberrimè tonabit, ſi in effrænes ſuas paſſiones & vitia invehatur. Id nos docere Chriſtus voluit, quando increpavit ventum & tempeſtatem maris, & ſecundum Marcum cap. 4. comminatus eſt vento & dixit mari: *tace, obmuteſce.* Exurgit ventus, cum te tentatio pulſat: commovetur mare, cum inflammaris ira vel alia turbaris paſſione. Hic te Boanergem oſtende, impera mari & fluctui tuo, compeſce te ab iracundia & redi ad quietem mentis tuæ. Sic egere viri illi S. Benedictus & Franciſcus, quorum ille in ſpinis, hic in aquis nive & glacie gelidis ſeſe caſtigavit, verberibus inſuper ſe objurgans: *Eia frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum.* Sanctus Romualdus, *quando eum,* inquit Petrus Damiani in ejus vita, *ex aliquo eſculentiori cibo gula, vitium titillaret, mox, accuratè illum præparari præcipiens, ori & manibus apponebat, & ſolum captans odorem dicebat: O gula, ô gula, quàm dulcis, quàm ſuavis tibi modò ſaperet iſte cibus! ſed væ tibi, ex eo nunquam guſtabis: & ſic intactum ad cellarium remittebat.* Iſti ſunt Boanerges, quos viribus ſaltem veſtris imitamini vos Chriſtiani.

THEMA IV.

Qui malè vel bene ſuos ad honores promoveant.

I. Promovent aliqui per viam potentiæ, ſed malè.
II. Alii per viam conſanguinitatis.
III. Alii per viam munerum.
IV. Alii per viam humilitatis & virtutis.

Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & unus ad ſiniſtram tuam, Matth. 20.

IN itinere, quo duxit Deus Hebræos per deſertum verſus terram promiſſionis, invenio eum tres vias, per quas penetrare conabantur, ipſis interclusiſſe. Primò viam montis, per quem aſcendere volebant ad Chananæos & Amalecitas, & per illos vi ac potentia ſua perrumpere in terram promiſſam. Quam viam cum inirent contra Dei mandatum; cæſi ac repulſi ſunt, Num. 14. Secundò per viam Edom ſeu Idumæorum, quos tanquam fratres ſuos pro tranſitu rogabant compellabantque dicens: *Hæc mandat frater tuus Iſrael: obſecramus ut nobis tranſire liceat per terram tuam.* Sed renuit Edom, nec voluntas Dei fuit, ut per fratres ſuos tranſirent, Num. 20. Tertiò tentarunt per exploratorum viam penetrare ad Regem Arad, per illum in Chanaan. Nec iſtud voluit Deus, nam occurrit eis Arad, & victor exiſtens duxit ex eis prædam. Num. 21. Videtur in his viis myſticum quid latere. Volunt ſæpenumero magnæ authoritatis viri clientes ſuos inducere ad honores & dignitates, quaſi in terram promiſſam, lacte & melle manantem; ſed multoties inducunt per vias Deo non placentes. Alii per viam potentiæ & violentiæ: alii per viam propinquitatis, quam in hodierno Evangelio tentavit, fruſtrà tamen, mater filiorum Zebedæi: alii per viam munerum. Prima eſt via montis, ſecunda via fratrum, tertia via exploratorum. Non vult Deus per has vias induci homines ad honores. Quod nunc videbimus. *Via in terram promiſſam Hebræis interclusæ tres.*

I. Promovent ſuos aliqui per potentiam, quibus contradicere nemo facilè audet. Hi ſæpe indignos evehunt juxta id Prov. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ſic qui tribuit inſipienti honorem.* Olim in Mercurii ſtatuas ponebant viatores lapides ad honorem ejus, ſicut nunc quidam ſimplices mittunt lapides in ſacras viarum columnas. Mercurius Deorum ad homines nuntius erat habitus; unde nuncio? ſic errant qui ſtultum evehunt ad dignitates. Septuaginta interpretes legunt: *Sicut qui alligat lapidem in funda.* Qui funda jaculantur, facilè errant & innocentes lædunt ſic qui inſipientes in altum evehunt ad prælaturas & officia excelſa, graviter aberrant & plerumque nocent, neque leviter, Reipublicæ. *I. Promovẽt aliqui per viam potentiæ, ſed male.* 1.

Fertur Rex Galliæ Ludovicus, ut refert Holcot. in librum Sapientiæ lect. 120. quemdam interrogaſſe, cur modò non fierent miracula per Epiſcopos & Prælatos, ſicut olim fiebant in Eccleſia primitiva.

tiva. Cui respondit alter causam esse, quod olim electiones Episcoporum & Prælatorum per Spiritum sanctum, cujus est facere miracula, fieri solerent; modò autem fiant per Reges & Principes, qui facere miracula nequeunt.

2. 2. Nocent etiam præter intentionem suam iis, quos promovent, quibusque bene volunt. Dum enim indignos evehunt, periculo damnationis & gravissimo Dei judicio exponunt; adeoque dum eis litteras commendatitias præbent, agunt seipsum, quod David egit cum Uria, quando litteras inscio dedit, quibus mandabatur ut in apice exercitus, ubi prælium est fortissimum, poneretur: quo interiret. 2. Reg. 11. Promovent enim tales suos clientes ad apicem dignitatis, ubi maxima pericula lapsus sunt; quod aliud non est, quàm promovere ad perditionem. Sanè Jordanes secundus Generalis Ordinis Prædicatorum, cùm quidam sui ordinis pater ab aliis commendaretur tanquam vir Episcopatu dignus, intulit: *Mallem eum feretro mortuum ad sepulturam sociare, quàm in cathedra antistitem videre sedentem.* Leander Albertus in ejus vita 13. Febr. Discant hinc promotores, quales erogent gratias, cùm indignis conferunt dignitates per viam potentiæ.

II. *Alii per viam consanguinitatis.* II. Alii per carnem & sanguinem promovent propinquos suos. Hac via tentavit Salome Zebedæi conjux promovere filios suos in hodierno Evangelio velut Christi propinqua. Verùm audita non fuit: nec ad Pontificatum elegit Christus discipulum aliquem, sanguine propinquum, sed Petrum, quem sanguine non attinebat. Propinqui amore suorum cæcati ferè indignos promovent: interim dum pro suis solicitant, magis pro se laborant, ut ipsi per suos magni fiant, ut S. Bernardus lib. 4. de Consid. ad Eugen. scribit cap. 4. *Alius pro alio*, inquit, *alius fortè & pro se rogat.*

Malè etiã 1. Isti offendunt inprimis Deum, cujus honorem negligunt, dum honori consulunt propinquorum. Hinc arguitur Heli sacerdos, quòd magis honorasset filios suos, permittens ut sacrificii primitias ad se raperent, quàm Deus, ut ejus templum impollutum servarent. Unde S. Gregorius in eum locum: *Filios & propinquos magis quàm dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis, &c. Non enim prædicat sacerdos*, ait idem, *ut comedat: sed ideo, ut prædicet, manducare debet.*

2. 2. Offendunt rempublicam, cui etiam ad restitutionem tenentur damnorum, quæ inde oriuntur. Ita Sapiens Prov. cap. 18. vers. 28. juxta 70. dicitur: *Qui spondet puerum imprudentem, injuria afficit justificationem.* Complutenses. *Qui spondet pro filio imprudente, injuria afficit justitiam.* Sanctus Bernardus de moribus & off. Episc. cap. 7. ait: *Scholares pueri & impuberes ob sanguinis nobilitatem ad Ecclesiasticas dignitates promoventur, qui de ferula transferuntur ad principatum presbyterii lætiores quòd virgas evaserint, quàm quod meruerint principatum.*

3. Ipsos etiam quos promovent quia ad præ
cipitium ducunt: non secus ac parentes illi filiu
gigantem, in vita sancti Maclovii Scoti Ordin
sancti Benedicti, de quo refert Sigebertus Gembl
censis, repertum ab eo in Insula quadam cadaver g
gantea statura, idque in nomine Christi resuscit
tum retulisse, se, à parentibus suis partim bland
tiis, partim imperiis adactum, ut ex præalta ru
in profundam vallem se præcipitaret, ad honore
Tyrmæ Dei sui; à quo immensam æternamq
fælicitatem perducendus esset, sicque se peri
corpore & animo. Quid aliud agunt parentes
potentes, quando promovent liberos, nepotes
consanguineos suos ad præaltas dignitates inid
neos, quàm quod eos de rupe dant præcipites in i
fernum, quos extollere satagunt?

4. Offendunt & seipsos, quod exemplo san
Udalrici Episcopi Augustani patet; qui ut qui
tiùs sibi & Deo viveret eò adlaboravit, ut Adalb
ronem nepotem ex sorore, in successorem prom
veret. Qui tamen ingratus avunculo insolen
se gerebat, propter quod sanctus Udalricus pœn
tens, quadam vice quasi de somno evigilans c
ram aliis dicebat. *Heu! heu! quod illum Adalb
ronem nepotem meum nunquam vidi, quia p
eo, quod ei consentiebam secundum desideriu
suum, nolunt me Beati recipere impunitum
suum consortium*, Berno Abb. Augiens. in ej
vita.

Laudandus in hoc inprimis Benedictus, ex mo
toris filio primò monachus Cisterciensis, dein
summus Pontifex, qui adigi non potuit, ut consa
guineos, præsertim indoneos, promoveret ad d
gnitates, dicens: *Nolle se lutum exornare.* Iten
Pontificem Romanum consanguineos non habe
Cumque urgeretur, ut agnatos promoveret, r
spondit illud Psalm. 18. *Si mei non fuerint dom
nati tunc immaculatus ero*, refert Bzovius ann
1335. Quin imò ipsemet, eum præter suam
Cardinalium spem in Papam esset electus, eis dixi
Asinum elegistis: sentiens se imparem tanto fere
do oneri auct. eod. anno 1334. Laudandus & i
veteri testamento Moyses, qui nequaquam fili
suos sibi successores delegit, sed potiùs roga
Deum, ut qui ipsi placeret, illum constitueret su
per populum, Num. 27. *Provideat Dominus D
spirituum omnis carnis hominem, &c.* quia scilic
ipse spiritus & corda novit solus: Deinde *ut scir
mus principatum in populis non sanguini deferen
dum esse, sed vitæ*; ait sanctus Hieronymus in cap.
Ep. ad Titum Qui mox subdit: *At nunc cernim
plurimos hanc rem beneficium facere, ut non qua
rant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ec
lesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant
vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro qui
bus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora
taceam.*

nceant, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarint.

III. Per opes alii & munera. Sic promovit filium Wenceslaum 15. annos natum Carolus IV. Imperator ad Imperii columen, qui singulis Electoribus centum millia aureorum spopondit, ut illum eligerent. Gumque tantam summam ad diem solvere non valeret, publica vectigalia, Imperatori subsidia relicta, eis non tam oppignoravit, quàm perpetuò abalienavit ob filium turpissimum, posteà Imperio ob ignaviam dejectum Dubrav. lib. 22. Produntur isti hoc ipso, quod sic promoveantur, indigni esse promotione, ut qui suis virtutibus ad culmina dignitatum evolare nequeant, ideoque auri adminiculo debeant sustolli.

Laudandus hic Theodoricus Franciæ Rex, qui mortuo Quintiano Arvernorum Episcopo, cum clerus de successoris dignitate contenderet & munera plurima ad Regem afferret, Theodoricus illum virum religiosum & zelo Dei plenum, divino spiritu impulsus Arvernis Episcopum tradidit, muneribusque repudiatis, datis de publico expensis, festivo convivio cives ob Galli futuri Episcopi honorem exhilaravit. Ita Gallus summo sacerdotio initiatus, posteà gloriabatur & sanctè, non plus se pro Episcopatu donasse, quam unum trientem coco, qui prandium parârat: Gregorio Turon. ejus patruo, auctore l. 7. hist. Franc. apud Sur. & Lipp. 1. Julii.

IV. Superest ergò ultima via, ut qui fugiunt dignitates, ad eas capessendas eligantur; quam suggerit sanctus Bernardus loco citato. Quemadmodum umbra accedentem ad se fugit, fugientem sequitur: ita honor & dignitas desiderantem debet fugere, fugientem desiderare & insequi. Ita Chrysostomus homil. 35. op. imperf. *Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se fugit*, ait Cæmentarius ut murum rectum & stabilem construat, lapides qui nimis prominent, intrudit: & qui nimium intus latent, protrudit, ut fiat murus æqualis. Sic agendum videtur cum honorum collatione: qui honores fugiunt, ad eos protrahendi sunt: qui eos ambiunt & seipsos offerunt, arcendi & deprimendi. Sic Abrahamum in tabernaculo suo latentem Deus eduxit foras, promittens ei semen juxta multitudinem stellarum. Gen. 15. Inquem locum Origines hom. 21. in Num. ait: *Intuere quomodo justus intus est, & in interioribus semper consistit; quia intus in abscondito orat patrem, & omnis gloria filiæ Regis intrinsecus est: sed tamen Deus educit eum foras, &c.* Sic eduxit foras ad Episcopatum Lugdunensium è specu S. Eucherium, Deo servientem. Defuncto enim Ludgun. Episcopo cum successor quæreretur, ecce cuidam puero Angelus apparens dixit: Eucherium quærendum tali loco, & Episcopum constituendum. Quæsitus & inventus est. Verùm eo nuncio cohorrescens dixit Archidiacono ad se misso, se nisi vi & vinculis è specu sua extrahatur, nunquam exiturum ad capessendum illud munus. Ergò Archidiaconus effracto speluncæ muro vi eum extraxit, & vinculis coercitum Lugdunum perduxit, omniumque consensu in cathedra Pontificali collocavit. Refert Ado Archiepiscopus Trever. Surius 16. Novemb. Bene ergò sanctus Bernardus Epist. 248. scribit: *Si rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono utilique pastore, proinde sicubi talis reperiatur: confestim injiciendæ sunt manus, & totis viribus satagendum, nequa vi, nequa arte aut malitia fructuosa promotio valeat impediri.* Sic elegit Deus Moysen invitum & recusantem, in Ducem populi sui. Sanctus Barnabas sanctum Narnum in Episcopum Bergomatum, quem etiam refugientem ab onere, illo Moysis, tandem Deo vocanti cedentis, exemplo vicit, ut in se susciperet munus, ut in ejus vita 27. Augusti. Sic Eugenius Pp. sanctum Laurentium Justinianum vocans ad Episcopatum Venetorum bina vice dictis factisque resistentem, litteris tandem impulit. Qui Laurentius dicebat, *tantisper gloriæ cupiditati ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina præcederet*, Ut in ejus vita 8. Jan. Bernard. Justinianus apud Surium. Atque isti demum præclare ut plurimùm rem gerunt, qui inviti & coacti ad honorum culmina evecti sunt.

Quando igitur vidimus non placere Deo, ut per vias illas veritas inducantur homines ad honorum culmina, superest ut per viam Deo placitam promoveantur, qui honores fugiant, indignos sese reputantes, cum revera digni sint.

THEMA V.

Qua ratione quisque ad mortem paratus esse debeat.

I. *Si liber à mundi amore.*
II. *Si purus ab omni peccato gravi.*
III. *Si liber à pœnarum debito.*
IV. *Si instructus bonis operibus.*
V. *Si dispositam habeas domum.*
VI. *Si paratam in cælo habeas domum.*

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matthæi 20.

MAgnus ille & sanctus Cœnobiarcha Theodosius cum aliquot sibi adjunxisset discipulos, & probè intelligeret quantum ad eorum institutionem memoria mortis valeret, jussit eos fodere & struere sepulchrum; quo facto eos gratiosè, ut

ut ſolebat, allocutus, dixit: *Sepulchrum quidem paratum eſt, quis autem eſt ex vobis encænia ejus celebraturus?* Ibi è diſcipulorum numero prodiit unus, Baſilius nomine ſacerdos, qui ad pedes Abbatis accidens: *Ego*, inquit, *hujus ſepulchri primus celebrabo encænia.* Hic petiit, ille dedit. Juſſit enim Theodoſius omnia ipſi fieri, quæ pro defunctis ſolent, tertias, nonas & quatragenas vigilias, quibus peractis Baſilius ſine omni morbo ac dolore ſopitus obdormivit in Domino, & ſepulchro ſuo encænia dedit; nec ſine approbatione divini numinis: quadraginta enim diebus poſteà viſus eſt in Choro fratrum horas ſacras una cum eis decantare. Baron. & Mephraſt. apud Surium 11. Jan. Simile aliquid videre mihi videor in hodierno Evangelio. Dixerat Chriſtus ſuis diſcipulis aſcendere ſe Jeroſolymam ad ſuam paſſionem, quo audito accedunt eum duo diſcipuli, Jacobus & Joannes fratres, petuntque ab ipſo primas dignitates, ad dexteram & ſiniſtram ejus. Quid ad hæc Magiſter Chriſtus? Calicem paſſionis & mortis eis proponit adeoque propinat, an ipſum encæniare & præ cæteris haurire parati & expediti ſint. Ad hoc illi ſine mora: *Poſſumus*, inquiunt. Et ſane quod promiſerunt, conſecuti ſunt. Primi enim illi duo è numero Apoſtolorum biberunt calicem Domini ſui: Joannes ſecundùm animam, quando crucifixo adſtans dolores ejus ſimul cum illo ſenſit: Jacobus ſecundùm corpus, quando primus ex Apoſtolis martyrium ſubivit. Quid nos ad hæc Auditores? Quod diſcipulis ſuis Chriſtus dixit, hoc omnibus nobis dictum arbitremur: *Poteſtiſne bibere calicem meum?* Eſtiſne parati omni die & hora ad hauriendum mortis calicem, quandocunque vos evocavero? Certè eſſe debetis, *qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quare videamus quid ad iſtam reſolutionem à nobis requiratur, ut ſemper ad hoc parati ſimus.

I. *Si liber à mundi amore.* I. Liberne & expeditus es ab omni mundi amore? Hic enim ſi te ex parte aliqua affixum tenet, non es aptus regno Dei. Audimus enim Joannem dicentem 1. Joan. 2. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo.* Non poteſt Deus amari ſimul & mundus, qui autem Deum non amat, cælo, Dei habitaculo, indignus eſt. Qui in lucta vincere vult, veſtimenta exuere debet ne retineri queat. Cum morte luctandum eſt, nudo luctatore nudus igitur & ille ſit, qui vincere eam vult. Cur Elias è mundo diſcedens pallium abjecit? Ad hoc S. Hieronymus Epiſt. 34. ad Julianum ait: *Elias ad cœlorum regna feſtinans non poteſt ire cum pallio, ſed mundi in mundo veſtimenta dimittit.* Conſentit S. Ambroſ. lib. 3. de virginibus, ubi explicans id ſponſæ Chriſtum quærentis: *Tulerunt pallium meum*, inquit: *Bene tollitur ei pallium: quæ ad Chriſtum propinquat, ut Deum viſura mundo corde gradiatur.* Ergò qua facilitate exuis veſtes, cùm vadis cubitum: eadem exuere mundum oportet, cum moriendũ eſt, quomodo Reginaldus Polus laudatiſſimæ vitæ Cardinalis di-
xit: *Iam dudum hujus vitæ tædio affectus, mortem*
optavi: & cum Henricus (Angliæ Rex ipſius vitæ
inſidians) *tanto eam ſtudio efficere contendat, nihil*
aliud facit, quàm ſi eunti dormitum veſtimentum de-
trahere conetur, Sander. l. 1. ſchiſm. Angl. Eran
etiam tales & vel maximè SS. Nereus & Achil-
leus cum Domitilla martyres, de quibus S. Grego-
rius hom. 28. in Evangel. ſcribit: *Sancti iſti ad quo-*
rum tumbam conſiſtimus, florentem mundum menti
deſpectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, ſalu
continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propa
gine, tranquilitas in diuturna pace, & tamen cur
in ſeipſo floreret, jam in eorum cordibus mundu
aruerat. Quamdiu racemorum ſtyli nondum arue
runt, non ſperandum dulce vinum, ſtyli enim viri
des, acri ſucco pleni, dulcedinem vini, cum pre
muntur, corrumpunt. Ita prorſus cor tuum,
mundo necdum aruit, ſed ejus ſucco acerbo adhu
imbutum eſt, acerbam ſimul & funeſtam tibi facie
mortem. Vi etiam abrumpi debent ab arbore po
ma, velùt immatura, quæ nexibus adhuc viridibu
arbori adhærent: matura verò, quorum ſtyli jar
aruerunt, ſponte ſua decidunt. Ægrè quoque
difficulter moriuntur, qui mundo adhuc addic
ſunt: facilè econtrà & cum gaudio, quibus mundu
aruit; qualis ſancta Monica, quæ mori cupiens fili
Auguſtino dixit: *Fili, quantum ad me attinet, n*
re jam delector in hac vita, quid hic facio? Augu
ſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 10. Vide jam an hoc ipſur
dicere & tu poſſis; an econtrà te retineat uxor, l
beri educandi aut matrimonio collocandi, ope
honor, nominis celebritas, familiæ propagatio
exaltatio, chari amici, voluptates & delitiæ huju
ſæculi. Vide an adhuc reſpicias ad Sodomam,
enim cælo immaturus & ineptus es, ſtatua huju
mundi es.

II. Mundumne eſt cor tuum ab omni gravi pec
cato, & rectum erga Deum? Habuit aliquando Jeh
Rex Iſrael obvium ſibi Jonadab, & ait illi: *Num*
quid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum cor
tuo? Et ait Ionadab: Si eſt, inquit, da manu
tuam. Qui dedit ei manum ſuam. At ille levav
eum in currum, dixitque ad eum: Veni mecum
4. Reg. 10. Nemini Deus porriget dextram, nemi
nem levabit in currum gloriæ ſuæ, niſi qui habue
rit *cor rectum*, cum corde ejus per omnia conſen
tiens, quod ipſum tamen non ore tantùm, ſed man
quoque & opere demonſtrandum eſt. Nullum erg
peccatum grave, quod Dei amicitiam tollat, in t
eſſe debet, nullus pugio, quo ejus vitam ſeu hono
rem petas: Sanè Matth. 18. regulam hanc pro
ponit Chriſtus ad capiendam beatitudinem: *Ni*
converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non in
trabitis regnum cœlorum. Marci verò 10. *Quiſqui*
non receperit regnum Dei velut parvulus, non in
trabit in illud. Scimus enim parvulos neſcire pec
cata, nec ad ea affici quidem. Vide nunc an tu hu
juſmodi parvulus ſis. Certè Sapiens Proverb. 20
apertè

pertè dixit *Quis potest dicere: Mundum est cor meū? urus sum à peccato?* Nemo enim hoc scit infallibili ertitudine. Quis etiam seipsum justificare facilè audeat, quòd nihil habeat simultatis contra aliquem? ihil prorsus boni injusti? nullum peccatum alienum? nullum occultum? Hinc enim David sibi metuens Psal. 18. ait: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* ursum Ps. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* Licet enim hæc in obis non cernamus, cernit tamen, si adsint, perspicacissimus Christi Judicis oculus, ut apparet ex Apoc. c. 3. & 2. ubi penè in omnibus Asiæ minoris piscopis (primis illis tam sanctis) reperit nævum liquem, & exprobrat verbis illis: *Sed habeo adversum te pauca*, & similibus.

III. Nihilne pœnarum debes pro dimissis tibi nto numero peccatis? Tantane sunt opera satisfactionis tuæ, quanta sunt peccata tua? Grandi ære eo obstrictus es; aut hic, aut ibi solves, & ibi quidem rigidissimè. Vide si jam solveris. Joannes ille nctus & celeberrimus Monachus, cognomento ntiochus, in quodam Ponti monasterio, uti refert .Climachus gr. a. *prima nocte, qua cœnobium ingressus est, vidit quosdam per somnium à se rationem xigere. Tandem post terribile id horrendumque examen, debere se reperit, centum auri libras. Experrectus que, visumque dijudicans, ait: Humilis Antioche oc enim erat ipsi nomen) verè gravi ære oppressi suus alieno, plurimaque persolvenda restant. Sic igir in cœnobio, inquit, permansi annos tres, obediens nnibus nihilque discernens cum me omnes sperneent, atque ut peregrinum injuriis afficerent. Neque im erat ibi præter me peregrinus alius monachus. ost triennium verò rursus in somnis aspicio quonm, qui decem debiti mei libras abolitas ostendit. xpergefactus itaque intellexi visionem & dixi: Dem solummodò libras persolvi, & quando impletus sum reliquum debitum? Tunc ad meipsum dixi: umilis Antioche; ampliore labore & ignominia ous habes. Ex tunc itaque me amentem & fatuum nulare cœpi, nihil tamen ministerii mei penitus oittens. Quocirca in tali me ordine atque alacritate rnentes, immites patres cuncta mihi monasterii avia opera injungebant. Cum verò in hoc instituto itæ 13. annis perdurassem, vidi eos, qui antea mihi pparuerunt, rursus ad me venire, totiusque debiti lutionem impletam ex integro ostendere. Cum igir in aliquo me vexabant monasterii monachi, deti mei statim reminiscebar; atque ita fortiter fereim. Ista mihi sapientissimus Ioannes, veluti ex alteus persona enarravit, ideoque se esse Antiochum gnominavit.* Sic ille. Non minori debito plurii videbunt se obstrictos esse, & parum exolvisse sque ad hanc horam, plurimum adhuc debere: si trare suas conscientias velint. An igitur cum tan- ære audebunt bibere calicem mortis & coram gido illo Judice, qui etiam novissimum quadrantem exigit, sistere se in judicium? Intellexit, hoc sancta illa virgo Constantinopolitana, Euphrasia, quæ in monasterio sanctissimè Deo serviens ad alteram, tametsi beatam vitam evocata, instanter petiit, ut vel uno adhuc anno posset agere pœnitentiam & delere culparum suarum reatus; dolens vehementer quòd necdum, ut putabat, satis eos expiasset: *Domine Iesu, dicebat, dimitte vel unum annum, quatenus defleam peccata mea; quia sine pœnitentia sum: non est in me opus salutis, &c*, ut habet noster Rosvveidus apud Surium decimo tertio Martii numero trigesimo primo, & in vitis PP. libro 1.

IV. Tantumne tibi æris, hoc est, bonorum operum est, ut emere cœlum possis? Nimis frequenter audimus in sacris literis cœlorum regnum labore expugnandum, & meritis comparandum esse; ut non opus sit testimoniis. Virgines illæ fatuæ cur expulsæ sunt è nuptiis cœli, nisi quia oleo bonorum operum sufficienti caruerunt? Quæ autem oleo instructæ adeoque paratæ erant, intraverunt cum sponso ad nuptias. Justiniano Imperatori mortuo instrata vestis stragula fuit, in qua phrygio opere textæ victarum urbium & barbarorum Regum, quos ipse suis auspiciis debellarat, effigies erant. Baronius ad annum Justin. trigesimum nonum. Toti mundo hoc documentum erat, nemini fidelium, tametsi Imperatori, ad alteram & beatam vitam aditum patere, nisi per virtutum strenua opera, quæ quis designarit vivens. Quid igitur? fidis tibi & meritis tuis, ut possis bibere calicem mortis eique cœlum emere? Petro illi telonario, qui ex indignatione panem unum projecerat in mendicum, sequenti nocte in visione, cùm appenderentur in bilancem una cum pane illo peccata ejus, & lancem adæquarent, dictum esse divinitus scimus, ut iret, & adjiceret plures alios panes; si salvari cuperet Maurosque illos evadere, qui eum rapere ad gehennam moliebantur; apud Leontium, in vita Joannis Eleëmosynarii. Gravissimè impegerunt Ephratæi illi, qui vada Jordanis à Galaaditis, adversariis suis, occupata transituri non rectè pronuntiarunt vocem Scibboleth, quæ significat picam. Omnes enim jugulati sunt in ipso Jordanis transitu, si vel unicam litteram C. omiserunt, dicendo Sibboleth pro Scibboleth, Judic. 12. Jordanis *fluviis judicii* exponitur, & quid nisi Dei judicium repræsentat? Ibi omnes Ephratæi, (Latinè *frugiferi*) omnes Christiani, qui fructifer esse debent, de spica bonorum operum interrogabuntur. Quam nisi proferre & quidem sine errore queant, væ illis; in ipso enim mortis transitu peribunt. Habent quidem & designant penè omnes Christiani sua quædam opera bona: orant, jejunant, dant eleëmosynas, templa frequentant, confitentur &c. sed an ex omni parte sana & illibata? an bona intentione, an liberè & hilàriter, an ex motivo cœlesti facta? Quid enim si vitientur vana gloria, quæ ple-

IV. *Si instructus bonis operibus.*

rumque insidiatur bonis operibus? spicæ erectæ,
vacuæ & inanes sunt: curvatæ desiderantur: talia
etiam opera Deus requirit, humilitate ornata; alio-
quin non erunt Scibboleth, sed tantummodo Sib-
boleth. Quis verò promittere sibi ausit, se opera sua
bona fecisse omnia bene & sine aliquo nævo? Pos-
sumus ergo bibere calicem?

V. *Dispositã habeas domum.*

V. Disposuistine jam domui tui, ita ut nihil
rei domesticæ tibi impedimento ad salutem sit?
Audimus certè hoc à Deo mandatum Ezechiæ Re-
gi Isa. 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu &*
non vives. Quæ hæc dispositio? testamentum,
ubi necesse est aut expedit, condendum, debita
indicanda & solvenda, inimicitiæ deponendæ, &
concordia stabilienda, bona aliena restituenda, læ-
sis satisfaciendum, servis quoque & operariis mer-
ces assignanda, denique præ omnibus animæ pro-
videndum de salutaribus remediis summa cura &
industria. Fecistine hæc omnia? O quam rari ta-
les! quanta in confusione & rerum turbatione ple-
rique moriuntur; de illis quæ diximus, nihil planè
soliciti! Convenit his prædictio aut imprecatio il-
lius Eliu apud Job capite 36. *Morietur in tempestate*
anima eorum & vita eorum inter effœminatos. Ubi
Divus Hieronymus ait: *Vitiosos & vitia esse noveri-*
mus, quæ sicut de virtutibus animi nihil in se habent
quietum, virile & frugi, sed totum turbulentum,
remissum & fragile: ita necesse est, ut velut tempe-
state animam semper suis illecebris inquietent, por-
tumque virtutum hominem non sinant apprehende-
re; & fit istis talibus fluctibus, quod Salomon ait,
ut jaceat anima tamquam in corde maris velut gu-
bernator in magna tempestate. Ut ergo talis guber-
nator despondet animum & omnis consilii inops
tandem cum navi sua perit: sic isti, heu, contingat
necesse est. Quas enim maledictiones sibi parit a-
pud homines, quibus damno fuit & non satisfe-
cit? non minores sanè, quam is qui non soluta ho-
spitali tessera ex hospitio discessit. Et quos gemitus
in cœlum non emittunt liberi, quorum hæredita-
tem parentes prodegerunt? Quomodo hi Deum
ad iram non provocabunt? Quomodo non ipsi
seipsos condemnabunt, qui in extrema vitæ perio-
do de animæ remediis sibi non providerunt, vel
languidè nimis & obiter? Quis tam stultus est ut
inermis hosti se objiciat? Maxima sanè fuit He-
bræorum incuria & stultitia, qui habentes à tergo
Philisthæos hostes, & prælium sibi instare sentien-
tes, suorum tamen defectum armorum aut non
videbant, aut non curabant; siquidem fabros nul-
los sibi constituerunt, qui arma ipsi cuderent. 1.
Regum 13. Multò gravius desipiunt, qui diem
mortis (quem merito diem prælii omnium pericu-
losissimi dixeris) sibi brevi affuturum, non dubi-
tantes: nulla sibi comparant spiritualia præsidia,
quorum inopia laborant: nec procurant sibi fa-
bros talium armorum, confessarios videlicet. Et
qua ratione audent, sine his se armis tanto præ-
lio committere: quomodo calicem illum bibere?

At fortasse dices: Remitto hanc præparationem
ad ipsum mortis tempus. O miser & insane! quo-
modo hoc ages, cùm tibi inter angustias nullus pe-
nè erit sensus? Dic enim sodes, si cui bellum ad-
eunti suaderet amicus condere testamentum & pro-
videre domui suæ: ille verò diceret, se sub ipso præ-
lio hæc bene peracturum, inter armorum strepitus
& cadentium catervas; quis hunc non rideret? Ni-
hilo magis sapis, si in ipso demum mortis conflictu
disponere velis domui tuæ.

VI. Providistine domui tuæ, quam in altero
sæculo sortiturus es? Ut enim hinc in Dei gratia
discedas: valde tamen probabiliter in purgatorio
tibi ad tempus divertendum erit ob reatus aliquos
nondum persolutos. Quod igitur provisionis
huic domui præmisisti? Jacobum illum Patriar-
cham scimus, cum quatuordecim annis socero ser-
viisset, abiturientem dixisse: *Justum est, ut aliquan-*
do provideam etiam domui meæ. Genesis 30. Multò
justius est, ut nostrum unusquisque brevi hinc mi-
graturus provideat domui suæ, in quam ibi se di-
versurum metuit. At verò plerique divites liberis
& amicis omnia sua relinquunt, parum aut nihil pro
salute sua egenis legant, qui profectò malè sibi con-
sulunt: Quid enim sperent remedii à filiis, cùm
ipsi sibi non provideant? Quomodo ab amicis ob-
tineant, quod à seipsis, dum viverent, obtinere non
potuerunt? Nemo teipso tibi est propinquior, ne-
mo ergò tibi fidelior. Perspicuum hujus rei exem-
plum in Lusitania tritum recenset Pater Benedi-
ctus Ferdinandus in capite 50. Genes. in his verbis.
Mortuus quispiam est, qui summis in vita laboribus
ac sudoribus copiosam admodum filio substantiam re-
liquit: lætus quidem sibique blandiens, quòd filium
relinquebat divitem, qui & patris conscientiæ onera
levaret, & animæ in purgatorio agenti per eleemosy-
nas divinaque sacrificia opem ferret, atque adeò pa-
tris testamentum exequeretur integrè. At miserum
sua fefellit opinio. Filius quippe prorsus immemor pa-
tris, nec illius testamentum curavit, nec animæ vel
unum sacrum, aut obolum stipis erogavit. O planè sa-
xum! ô stipitem! ô feram! Vicinus ergò, qui patri
mortuo amicus fuerat, adolescentem objurgat, quòd
nullam defuncti patris, à quo amplum acceperat pa-
trimonium, haberet curam, nullam omninò recorda-
tionem. Quid verò iste? non patris (inquit) memi-
ni, patris curam non habeo; nec ubi & quomodo
agat, mea interest. Nam si jam cœlo pater donatus
fruitur Deo, nullius à me indiget subsidii: si verò
damnatus apud inferos cruciatur, nulla jam est re-
demptio, frustrà fient, quæcumque pro illius anima fi-
lius efficiam. Deniquè si lustralibus flammis in pur-
gatorio torquetur; cùm sit jam sempiternæ salutis o-
mninò securus patienter ergò sustineat, quoadusque
solutus in cœlum evolet. O dedecus! ô barbariem! ô
insaniam! sed tamen ô dignam tam stulto homine pœ-
nam, qui seipsum vivum negligens sui demortui cu-
ram aliis commendat!

Quando igitur vidimus non esse parvi rem mo-
menti,

menti, morti se exponere, adeoque cum Jacobo & Joanne dicere, possumus bibere calicem mortis, superest ut nobis eas vires comparemus, quæ ad haustum hunc faciendum necessariæ & proficuæ sunt. Magna & stulta temeritas est illorum, qui parum aut nihil de morte sua cogitant, quasi ludus parvulorum sit & paucis expediri possis, cum contrarium viderimus. *Vigilate, vigilate*, ait Dominus, & sæpius idem repetit, cum de mortis hora loquitur. Publii illius mimi sapientissima vox est: *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.* De morte autem Apostolus ait: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*; ad Hebr. 9. Diu ergo deliberandum, quomodo moriendum sit. Bene morimur si præmeditatè cum debita provisione; malè, si improvisò. Erravit ergò Augustus Imperator, qui improvisam mortem velut fælicissimam sibi optavit. Improvidos enim mors aggreditur ut latro & prævigilantes autem & providos non aggreditur ut prædo, sed evocat ut regius nuncius ad bona æterna. Ita ait sanctus Chrysostomus serm. *Ne desperemus* tom. 5. *Dies Domini non secus ac fur quispiam dormientibus nobis inopinato incumbit: vigilantibus verò nihil obsistit, neque abducet imparatos; neque excitatos & abstinentes aggredietur ut prædo: quin uti regius nuncius evocabit ad bona illa longè anteà parata, &c.* quæ nobis largiatur Deus.

IN FESTO S. ANNÆ.

THEMATA.

Virtutes sanctæ Annæ gemmis expressæ.
I. *Parentum exemplar S. Anna.*
II. *Signa inhabitantis gratiæ in homine.*
V *Quis modus servandus in utraque fortuna.*

THEMA I.

Virtutes sanctæ Annæ gemmis expressæ.

Iaspis magnanimitatis.
I. *Hyacinthus conformitatis cum Deo.*
II. *Chrysolitus, orationis studium.*
V. *Chrysoprasus liberalitatis.*
Saphyrus sanctitatis & amoris rerum cœlestium.
I. *Smaragdus, bona liberorum educatio.*

imile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matth. 13.

NIhil ferè communius quam mittere ac donare corollas in die alicujus natalitio Hodie celebramus natalem sanctæ Annæ; jure igitur merito coronam ei damus capitique ejus imponimus. Verùm quia variæ sunt corollæ, ex floribus auro, gemmis; qualem sanctæ Annæ dabimus? Olim qui coronas aliquas in vita meruissent, iis & mortui condecorabantur; permissu legis duodecim taburum, uti factum in funere Scipionis memorat Plinius libro vigesimo primo capite tertio. Nos igitur qua Beatam Annam corona condecorabimus, nisi quam ipsa meruit sibique comparavit, dum viveret, è gemmis & margaritis? Ipsa enim velut sapiens negotiatrix quæsivit & coemit non unam sed complures, easque pretiosas virtutum margaritas, è quibus nunc ei sertum contexemus & debiti honoris gratia imponemus.

I. Gemmam primam voco Jaspidem, quæ ostendit nobis magnanimitatem sanctæ Annæ, in humili & paupere statu, in quo degebat, tametsi è regia Davidis domo orianda. Jaspis enim gemma virens & firmissima est, in argento virtuosior quam in auro, ut refert Bartholomæus Angl. libro decimo sexto propriet. capite quinquagesimo tertio. Vincent. in spec. nat. l. 8. cap. 77. qui ait: *Virtus est in argento.* Nobilissima de familia fuit sancta Anna, sed una cum familia in humilem & plebejam conditionem dejecta est, ubi tamen virtutibus clarius luxit, quam omnes Reginæ, quæ in stirpe Davidis olim fuerunt. Illæ in auro dignitatis & abundantiæ obscuræ fuerunt: Anna in argento paupertatis, vel certè mediocritatis splendidissima, toti orbi conspicua. Non potuit hoc Satan sibi persuadere, ut dejectus è fælici in adversum statum Deo benediceret: idcircò petiit Jobum è supremo loco devolvi in imum, sperans illum haud dubiè à Deo avertendum. Verùm deceptus fuit, & Jobus in sterquilinio Deum glorificans, magis resplenduit, quam prius in senatu & rerum copia, adeo ut Deus in Jobo tamquam victore gloriaretur adversus Dæmonem: *Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus!* Planè rectus, qui etiam in adversa fortuna rectam & ad Deum erectam tenuit mentem, nec ab æquo vel latum unguem deflexit. Non passim occurrunt gemmæ tales; nam *tange cuncta, quæ possidet*, inquit Dæmon ad Deum, *nisi in faciem benedixerit tibi*, hoc est, mox maledicet tibi, quasi diceret: *tange montes & fumigabunt*, Ps. 141. Plerique enim magna adversitate tacti deju-

I. *Iaspis magnanimitatis.*

dejiciuntur animo, murmurant, indignantur bla-
sphemant, desperant. Non ita Job, non ita S. Anna,
quæ etiam in humilem & pauperem dejecta sta-
tum Deum strenuè colebat ac laudabat sicut acan-
this in spinis cantans, & regulus in hyemali frigore.
Annam secuta est S. Elisabetha, quæ ex filia Regis
& Principatu Thuringiæ in privatum ac plebejum
devoluta statum, ejecta ex aula (procerum injuria)
& vili in domo habitans, labore manuum victita-
bat, eoque in statu longè clarius emicabat virtu-
tum splendore, quam prius in aula, magis gaudens
de paupertate, quam de opibus. Has Jaspides imi-
temur nos, tam recti & erecti ad Deum in calamita-
te, quam in prosperitate, juxta id Abac. 1. *Ficus non
florebit* (hoc est, etiamsi ficus non floruerit) *& non
erit germen in vineis: mentietur opus olivæ & arva
non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, &
non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Do-
mino gaudebo.*

II. *Hyacinthus conformitatis cum Deo.*

II. Secundam dico Hyacinthum, quæ est con-
formitas voluntatis cum Deo. Etenim hyacinthus
(qualis olim fuisse describitur ab antiquis authori-
bus: nunc enim melleus ostenditur) cœli sereni co-
lorem refert, ejusque variationem sequitur; sereno
serenus & hilaris: fusco obscurus, & quasi mœrens
ac marcescens. Hac ratione S. Anna conformem se
exhibuit voluntati divinæ ac cœlesti. Nam inprimis
sterilis erat, teste Divo Damasceno in orat. de Ma-
riæ nativ. & orat. de ejusdem dorm. per multos an-
nos, quod apud Hebræos probrum erat, interim ta-
men *omni virtutum genere florebat*, ait Damasce-
nus ibi. Post 20. annorum sterilitatem (ut habet au-
ctor l. de ortu Virg.) exaudita, prolem suscepit, sed
præter consuetudinem fœmineam; aliæ enim pro-
les sterilibus parentibus, singulari Dei beneficio in
senectute concessæ, omnes leguntur masculæ, uti
Isaac, Jacob & Esau, Samson, Samuel, Joannes
Baptista. Hoc ergò contristare poterat sanctam
Annam; quia tales parentes masculam prolem de-
siderant, quæ familiam conservet. At nihil hoc
dimovit Annam à comprobanda & exosculanda
Dei voluntate quandoquidem accepit talem filiam,
qualem Deus voluit, & qualis inter natos mulie-
rum nec antè fuit, nec post futura est. Habent hic
Christiani parentes, quam imitentur, & sibi compa-
rent gemmam; si fortè prolem non acquirant, vel
non qualem volunt, vel si illa extinguatur; ut cœlo
per omnia se conforment, dicantque cum Juda
Machabæo: *sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.*
1. Machab. 3. Ita docuit sanctus Petrus apud Cle-
mentem libro 1. recognit. *Nos Christiani*, inquit, *de
nulla re vel eventu soliciti sumus, sed in Dei provi-
dentia plenè conquiescimus, scientes nos illi curæ esse,
ac ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bo-
num.* Tiberius secundus designatus Cæsar à pio
Imperatore Justino, ipse quoque piissimus: *Si vo-
lueris sum*, dicebat: *si nolueris, non sum.* Evagrius
libro 5. capite 13. Nicephorus libro 17. capite 40.
Idem nos dicamus Deo, & hyacinthi erimus. Sic ora-
rat piissimæ memoriæ Ferdinandus secundus Imp.
cùm de ejus successione in regna & hæreditarias
provincias ageretur: *Domine si est ad laudem & glo-
riam tuam, ut major sim; exalta me, & glorificabo te.
Si ut persistam in gradu meo; conserva me, glorificabo
te. Si ut in humiliori gradu sim; humilia me & glori-
ficabo te.* P. Guil. Lamorm. in ejus virtut. c. 6.

III. Tertiam Chrysolithum appello, quasi di-
cas, *aureum lapidem*, quia aureum colorem, cum
marino mixtum habet, ardentes scintillas diffun-
dens; ideò Græcis *aureus lapis*, Hebræis *Tharsis*,
hoc est, *Mare* dictus ob marinum colorem, mixtum
aureo. Debetur hæc gemma Beatæ Annæ propter
orandi studium, quod ardentes desideriorum scin-
tillas effundit in cœlum, præsertim in mari, hoc est,
tempestate & tribulatione, juxta hilum illud: *Qui
nescit orare, eat ad mare.* Jam verò Beata Anna per
orationis studium continuum filiam à Deo lectissi-
mam, Mariam impetravit, teste sancto Epiphanio,
Gregor. Nyssen. Damasceno. Illa domi in horto suo,
Joachim foris in monte orare consueverunt pro
impetranda prole, voventes se illam Dei obsequio
dedicaturos. Germanus Patriarcha Constantinop
ait, addidisse eos jejunia 40. dierum. *Tandem post
longa sterilitatis opprobria* (ait Judocus Clichtov
Theolog. Paris. Commentator in Damasc. libro 4
Orthod. fidei) *& rejecta ipsius Ioachim in propatulo
munera, quæ templo obtulerat, cum exprobration
infœcunditatis; uterque ipsorum, Ioachim, inquam
& Anna, nuncium de cœlo accepit, nascituram eis fi-
liam, quam Mariam vocare debeant, & Deo ab in
eunte consecrant ætate, ut constituerant.* Videmu
hic piorum preces sæpe diu differri, nec tamen in
cassum fieri, sed tandē cum fœnore audiri. Sic Isaa
cum pro tollenda Rebeccæ sterilitate 20. etiam an
nis, non minus quam parentes Deiparæ, orasse scri
bit S. Chrysostomus, siquidem anno ætatis 40. du
xit Rebeccam 60. demum accepit non unam, se
duas simul proles. Ita nimirum Deus dilationen
petitionis, si perseveremus orando, compensare so
let, dando plus quam petitur.

IV. Quarto Chrysoprasum do, ex auro &
porro, quorum colorem refert, sic appellatan
Germanicè, Goldtlauch Fertur hæc gemma di
latare spiritus, ideoque ex arcto & avaro facere li
beralem & jovialem, apud Cornel. à Lap. in capit
21. Apocal. Quod bene cum ejus nomine concor
dat, composito ex auro & porro; quasi faciat au
rum non plus æstimare quam porrum, adeoque li
beraliter dispergere. Debetur hæc gemma sancta
Annæ, quæ in sua etiam paupertate liberalis & di
ves in Deum fuit. Refert enim auctor de ortu Virg
tomo quarto. Sanctus Hieronymus quod una cum
marito omnem suam substantiam trifariam divise
rit: unam partem templo ejusq; ministris, alteram
peregrinis impenderit: tertiam propriis usibus re
servavit. Sed quonā fructu? pro tā liberari eleëmo
syna

ſyna, quam cum Vidua illa paupere miſit in Gazophylacium, accepit filiam nobiliſſimam, Dei Genitricem. En fructum eleëmoſynæ. *Da & accipe*, inquit Eccleſ. c. 14. quod explicans Janſenius ait: *Da pauperi eleëmoſynam, & accipe à Deo beneficentiæ tuæ meritum, & hic, & in futura vita.* Da parum, & accipe multum: da bonum corporale, & accipe ſpirituale. Duæ iſtæ ſorores ſimul ſe comitari ſolent: *Da & accipe?* ſi priorem pellas, non veniet ad te altera. Lingua & aures in homine naturalem connexionem habent, ut qui mutus naſcitur, ſit & ſurdus: unde Græcum κωφὸς utrumque ſignificat. Lingua damus verba & voces, aure accipimus: qui ergo lingua non dat aliis, aure nihil accipit. Sic ſe habent duo illa; *Da & accipe.* Das eleëmoſynam, accipies remunerationem & gratiam: non das, non accipies.

V. Quintam voco Sapphirum, hoc eſt, ſanctitatem & amorem rerum cœleſtium, nec non odium peccatorum. Etenim Sapphirus colore ceruleo punctis quaſi ſtellulis interſtincto cœlum repræſentat noctu ſerenum. Deinde veneno eſt contrarius, teſte Dioſcoride, & araneo junctus eam occidit. Ita ſancta Anna ſanctitatis ſpeculum, hoſtis omnis peccati fuit. Adhæc ejus tam vita, quam familia quaſi cœlum ſerenum, illa quidem quo virtutibus, hæc quot perſonis, totidem quaſi ſtellis plenum erat, Quid enim non ſanctum in domo ſanctæ Annæ? Sanctus ejus maritus Joachimus, ſancta ejus ex ſorore neptis Eliſabetha cum conjuge Zacharia & horum filio Joanne Baptiſta, ſanctus ejus gener Joſephus, S. Joſephi frater Cleophas ejuſque conjux Maria, & horum filii Jacobus minor Joſeph cognomine juſtus, Judas Thaddæus, Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus & Martyr, ac filia Maria & Salome, quia mater fuit SS. Jacobi Majoris & Joannis ſanctiſſimæ Annæ filia Maria, Dei genitrix: Sanctus Sanct. ejus nepos Chriſtus. Videte quid momenti ſit habere parentes bonos. Sanctum enim hoc par conjugum Joachim & Anna, ſanctiſſimam genuere filiam Mariam. S. Zacharias & Eliſabetha, S. Joannem Baptiſtam; ſanctus Cleophas & Mariã conjuges quot ſanctos liberos. Nimirum filii ſaltant plerumque, ſicut à parentibus cani vident. Hinc cùm ſaltaret Saul in cuneo Prophetarum, ſtupentes alii dicebant: *Quænam res accidit filio Cis?* 1. Reg. 10. Sciebant enim patrem ejus Cis hominem fuiſſe ruſticum & rudem ab omni urbana diſciplina alienum; unde mirabantur, quomodo filius prophetaret & ſaltaret una cum Prophetis: quod nec viderat unquam, nec didicerat à parentibus. Miraculum ergo id erat. Communiter enim partus ſequitur uterum, & filii imitantur parentes. Quod vicino exemplo demonſtrat Joannes Baptiſta, qui excipiens Chriſtum ad ſe venientem illis verbis: *Tu venis ad me?* Matth. 3. canit planè eodem modo, quo prius mater ejus Eliſabeth, quando excepit venientem ad ſe Chriſti matrem: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1. A matre ergo præcentrice canere ſimili modo didicit Joannes. Quare filii & filiæ ſtimulent ſe ad virtutem & fugam vitiorum intuitu parentum ſuorum, ſi pios & ſanctos habuerunt quemadmodum fecit Tobias, increpans ſuos cognatos temerè loquentes: *Nolite ita loqui: quoniam filii Sanctorum ſumus.* Tob. 2. Sic egit Boleslaus Rex Poloniæ, qui cùm patris ſui imaginem collo appenſam & in lamina aurea expreſſam ferret, quando aliquid magni momenti dicendum ei vel faciendum erat, illam oſculabatur dicens: *Pater mi ne ſinas, ut quid vecors indignumque tuo nomine admittam.* Cauſſin. in Aula S. l. 1. c. 2.

VI. Sextam affero Smaragdum, qui eſt bona liberorum inſtitutio, Smaragdus enim viridi ſuo colore res, quibus admovetur, aëremq; ipſum circumfuſum imbuit, ac viridem reddit; politus verò inſtar ſpeculi omnia repræſentat, adeo ut Imperator Nero gladiatorum pugnas in ſmaragdo inſpiceret, teſte Plin. lib. 37. c. 5. Eodem modo S. Anna filiam ſuam ſanctis ſuis moribus imbuit, adeoq; perpolivit, ut in ipſa omnium virtutum ſpecimina relucerẽt, ipſiuſque matris ejus effigies ſanctiſſima. Ex tam ſancta enim filia patet ſanctitas matris, quæ filiam ſic inſtituit, juxta id Eccleſ. 11. *In filiis ſuis agnoſcitur vir.* Et mulier illa ex Chriſti ſanctitate mox conjectavit ſanctitatem matris ejus, quando exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit* Luc. 11. Nam *ſolent plerumq; filiolæ ad rationem educationis componi & mores imitari maternos*, ait S. Chryſoſt. hom. 10. in Ep. ad Coloſſ. Qualis ergo eſt inſtitutio accepta à parentibus, tales erunt & liberi. Hinc S. Ignat. Mart. in ſuis Epiſt. crebro monet parentes, ut ep. 7. ad Tarſenſes: *Educate liberos veſtros in diſciplina & exhortatione Domini* Et Ep. 12. ad Antiochenſes: *Erudite liberos veſtros ſacris diſciplinis.* Plin. l. 8. c. 47. & ante eum Ariſtot. de hiſt. anim l. 6. c. 19. *colorem futuri fœtus* (ſic enim loquitur, de pecoribus agens) *non ex ipſius villi colore, ſed ex eo, qui ſub lingua in vena patris reperiatur color animadverti.* Qualis igitur erit lingua, ſermo, admonitio & inſtructio patris, talis erit & filius. Sed & mater plurimum poteſt, ac fere plus quam pater ſua inſtitutione. Scimus enim Hebræorum, qui in captivitate duxerunt uxores Gentiles, liberos, non linguam patrum ſed matrum potiùs didiciſſe, ideoque Azotice non Judaice locutos, 2. Eſdr. 13. Scimus etiam Deum filios ab Oſea procreandos appellaſſe *filios fornicationum.* Oſe. 1. eò quod juſſus erat in matrimonium accipere fornicariam, ad cujus imitationem magis, quam ad patris continentiam, proclives fore filios præſcivit. Ut ibi Cornelius quod pluribus exemplis oſtendi poteſt. Salomon tot mulierum amator unde? matrem habuit adulteram. Nero Imperator cur in omnem libidinem projectus? matrem habuit ſibi ſimilem, Agrippinam. Sic & Afra ante converſionem ſuam matris Hilariæ vitam impudicam ſecuta fuit.

VI *Smaragdus bona liberorum educatio.*

Sugunt enim proles unà cum lacte matrum propensiones & indoles, præterquam quòd ab iis tenerius educantur & majori cum labore. Videant ergò parentes, quantum in filiorum institutione situm sit; quantam proinde Deo reddere rationem habeant, si per ipsos pervertantur pereantque liberi; quantam econtrà consolationem & apud Deum remunerationem habituri sint, si bene illos instituāt. Expectat enim illos corona, non absimilis illi, quam meruit sancta Anna, de qua Christus ait Apocalypsis 2. *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.*

THEMA II.

Parentum exemplar sancta Anna.

I. Sancta Anna à teneris filiam instituit ad pietatem.
II. Removit filiam à mundi laqueis.
III. Magno consilio sponsum filiæ quæsivit sanctum.
IV. Filiam Dei servitio vovit & educavit.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, Matthæi. 13.

Boni filiorum institutores parentes magnus thesaurus.

DIximus heri de fratribus Jacobi spuriis & malis, nec paucos deprehendimus. Dicemus hodie de Annæ fratribus & sororibus bonis ac legitimis. Utinam ergò tam multos hodie invenirem bonos, quam heri inveni malos. Bonos, inquam, parentes & imitatores S. Annæ. Existimarem sanè me tot thesauros reperisse. A parentum enim bona institutione pendet salus liberorum, quin imò disciplina & decor Cleri, Rectorum, subditorum, salus & fortuna reipublicæ totius. Sed en thesaurus hic videtur esse absconditus & paucis notus, paucæ reperiuntur Annæ pauci Joachimi. *Mulierem fortem quis inveniet?* ait Ecclesia de sancta Anna. Non tamen despondebimus animum, sed sperabimus complures, si forte necdum sunt fore saltem imposterum tales parentes, quales in S. Anna nunc describemus.

I. S. Anna à teneris filiam instituit ad pietatem.

I. Sancta Anna cum conjuge à teneris instituit suam filiam ad virtutem & pietatem. Colligo hoc infallibili argumento, quòd filia vix trimula Deo à parentibus oblata sit in templum, ut inter virgines sacras Deo serviret: deinde ex ejusdem virginis sanctitate. Quomodo enim tantos in virtute progressus tamque citò fecisset, nisi à parentibus optimè instituta fuisset? pulcherrima imago esse debet, quæ Deo sic placuit, ut Deipara fieret: nec non pictor optimus qui eam pinxit: quemadmodum mirabilis structura templi Salomonici, sapientissimum indicat Architectum, Salomonem. Infirmæ plantulæ sunt liberi, quales hedera & vitis, quæ per se assurgere nequeunt, sed arbori alicui inniti, & se implectere debent. Jam si arbor recta sit, rectę & ipsæ ascendent: si curva, & ipsæ in obliquum crescent. Sic omnino liberi sequuntur conditionem & institutionem parentum. Unde Psalmus 111. *Generatio rectorum* (parentum) *benedicetur*) ait David.

Quare si parentes desiderant rectos & virtute præditos liberos, à teneris eos instituere & curvare debent. Sæpe hoc inculcant SS. litteræ, uti Ecclesiasticus capite septimo. *Filii tibi sunt? erudi illos & curva illos à pueritia illorum.* Et capite 30. *Curva cervicem ejus in juventute; & tunde latera ejus, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi* (non obediendo) *& erit tibi dolor animæ.* Alludit ad ramusculos arborum teneros, qui quaquaversùm flecti, & in varias figuras efformari queunt; non item inveterati. Vel ad juvencos, qui ut jugo collum submittant, à juventute assuefieri debent. Vel ad olivas, quæ ut oleum dent, premi immaturæ debent, teste Plinio lib. 15. cap. 3. de quibus Psalm. 127. dicitur; *Filii tui sicut novellæ olivarum.* Bene verò addit Ecclesiasticus: *ne fortè non credat tibi* (quod Syrus vertit, *ne forte proterviat in te:*) *& erit tibi dolor animæ.* Protervire est petulanter agere & insurgere in aliquem, quod certè rependunt tandem parentibus filii indisciplinati. Addit: *Et erit tibi dolor animæ;* si nimirum videris eos jam induruisse & indomitos evasisse. Belgæ dicunt: *Filii dum pueri sunt, afferunt parentibus capitis dolorem, dum adoleverint cordis dolorem.* Capitis dolor facilè curari potest, curato scilicet stomacho: sed non item cordis dolor. Sic puerorum pravitas facilè emendari potest, sed non adultorum. Inde cordis dolor, quem sero sensit David in filiis suis pravis, Amnon & Absalom; quos bellicis negotiis distentus non corripuit suo tempore.

II. Sancta Anna removit filiam à mundo & malis societatibus, eamque addixit sacro gynecæo, ubi sanctissimè erudiretur inter virgines sacras; in templo scilicet, procul ab omni mundi strepitu: non secus ac Samuel ab ubere matris ablactatus, circiter triennis etiam juxta votum matris adductus ad domum Domini in Silo 1. Regum 1. Quod inprimis omnibus suadet sanctus Chrysostomus homilia de Anna & Sam. *Oportet filios* inquit, *ab uberibus carnis protinus transferri ad ubera spiritualia, ubi rebus divinis assuescant.* Docuit hoc etiam Ecclesiasticus cap. 7. citat. *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum,* quod utiq; de filiis etiam intelligendum. *Serva,* inquam, à consortio juvenum & lascivarum puellarum, à tripudiis, conviviis, spectaculis parum honestis. Qui nummum aureum recenter cusum vult in suo splendore & nitore conservare, includit eum in pixide munda. Si enim distrahatur & per hominum manus vagetur, citò perdet suum splendorem & nitorem, imò & valorem. Unus cum sordi-

dis

dis manibus fœdabit, alius ponderabit, alius curabit, alius etiam fortè Judæus circumcidet, adeoque informem reddet, ut ab omnibus repudietur, velut adulterinus. Sic contingit filiabus passim liberè vagantibus. Bene igitur Psalm. 127. citat. mater viti comparatur, filiæ palmitibus. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quis enim nescit palmites vitium domesticarum alligari ad latera & parietes domus, sed ita altè ut nemo transiens uvas queat decerpere? Sic nimirum filiæ ad domum alligandæ, & ibidem etiam sedulò custodiendæ, in superiori sive secretiori loco, à pravis comitibus: quemadmodum Judith fecit sibi secretum cubiculum in superioribus domus suæ, ubi cùm puellis suis clausa morabatur. Judith 8. morabatur, inquam, semper exceptis Sabbathis & festis diebus in quibus ad inferiorem partem domus descendebat, ut Synagogam frequentaret, quod asserit Græcus textus capite 10. vers. 2. Sanctus Hieronymus epist. ad Lætam scribit, etiam cùm ad templum eunt filiæ, à matribus non deserendas: *Nusquam sine matre in publicum procedant,* ait, *Basilicas martyrum sine matre non adeant.* Ideo Dina à matre sua Lia digressa ad videndos homines regionis, à Sichem rapta & violata est. Genes. 34. Habet etiam hoc vitis à natura sua, ut palmites suos abstrahat à brassicis, raphanis & aliis plantis amaritiem continentibus, ne eandem contrahat, teste Plinio, Pierio & aliis nat. hist. Scriptoribus sæpius à me citatis. Fecit hoc Sara, quæ videns filium Agar Ismaëlem ludentem cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham virum. *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Genes. 21. Quis verò hic ludus fuerit, plures sunt sententiæ. Sanctus Hieronymus in Tradit. Hebr. lib. Genes. ait exponi ab Hebræis ludum pro Idolis, quæ ludo fecerit, quo modo Hebræi vitulo conflato, *surrexerunt ludere,* id est, idololatrari. Vel certè ludus ille erat, & saltare, vociferari cantare, ut vult Abulensis. Vel significat illusionem, pugnam & contemptum. Quidquid sit, nihil boni fuit, quod egit Ismaël, ideò prudens Sara vult removeri eum à consortio filii, ne per eum pervertatur; non attētā cognatione sanguinis. Habemus etiam in lege gratiæ præclarum hujusmodi exemplum in matre sancti Melitonis Mart. qui inter 40 milites Cappadoces natu minimus sub Licinio in lacum frigidissimum propter fidem injectus cum frigore non prorsus, ut alii, enectus, & idcirco vivus ab impiis relictus esset; cæteris ad rogum abductis, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad Idolorum cultum revocari posse, mater ne filius superstes ab impiis everteretur, ipso semivivo in humeros sublato vehicula martyrum corporibus onusta strenuè prosecuta est, & cùm in ejus amplexu filius spiritum reddidisset, eum in eundem rogum cæterorum injecit, ut cum illis coronaretur, cum quibus pugnarat. Metaphrastes apud Sur. 9. Martii, & sanctus Basilius hom. 20. quæ est de 40. istis martyribus. Hanc ob causam olim Christiani parentes, Principes ac potentes liberos suos in monasteriis educari curarunt ad pietatem simul & doctrinam perdiscendam, uti hodieque in Italia crebrò fit.

III. Anna filiæ suæ sponsum quæsivit magno consilio, non qui opibus, forma & decore vel dignitate præstaret, sed qui virtute & sanctitate; sanctum scilicet Josephum, virum ejus ætatis omnium integerrimum. (nam sanctam Annam usque ad Christi nativitatem vixisse volunt communiter apud Ribadeneiram in Florib. SS.) Hoc idem præscribit Ecclesiasticus capite citato mox subjiciens: *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* *Sensato*, id est, prudenti. Vetus est Themistoclis Ducis Atheniensis dictum, filiam viro tenuis fortunæ sed prudenti elocantis: *Malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.* Valerius Maximus libro septimo. Cùm ramus unius arboris alterius trunco inseritur, non quæruntur in eo flores aut poma (imo hæc abscinduntur) sed vis vegetandi & proveniendi: sic in conjugio ineundo, non opes, forma, nobilitas spectanda; sed virtus & prudentia, quibus omnia parari non difficile possunt. Attendit ad hoc sedulò inter alias matres Rebecca Genes. 27. quæ cùm vidisset, quòd Esau filius ejus duxisset uxores alienigenas, improbas, Chananæas & Hebræas, quæ erant posteræ impii illius & maledicti Chanaan, cavit diligenter, ne Jacob alter filius, ei dilectus, tales acciperet; dicebat enim: *Si acceperit Iacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.* Hebr. *ad quid mihi vita?* ad quid enim vivunt parentes, nisi ut filiis quasi baculo innitantur & conservent vitam.

III. Magno consilio sponsum filiæ quæsivit sanctum.

Ex novo etiam testamento audiamus exemplum, quod habetur ad longum apud Metaphrastem & Sur. 15. Novemb. in vita SS. Samonæ, Guriæ & Abibi. Venerat tempore Constantini Magni Imper. cum exercitu Romano miles Gothus Edessam, qui hospitatus apud viduam Christianam, Sophiam, vidit ei esse filiam unicam speciosissimam nomine Euphemiam. Instititergò modis omnibus, ut à matre filia in matrimonium ipsi traderetur; fingens nescio quas divitias domi se habere, promittens ingentia, mentiens insuper se cœlibem. Vix tandem promissis victa mater filiam ei tradit, ita tamen ut adductus ad corpora SS. Martyrum prædictorum juramentum præstaret, se filiam non deserturum, sed comiter & honestè habiturum. Juravit improbus, & adduxit eam imprægnatam in patriam. Ibi indicat ei se uxorem & liberos habere, gerat se proinde ut famula, ni mori velit, quod & facere compulsa est. Mortua uxore, ancillam Euphemiam in suspicionem necatæ uxoris trahit, & vivam in defunctæ sepulchrum includit. Ubi deserta invocat prædictos Sanctos fidejussores suos, à quibus liberata mox reducitur in patriam. Impius eodem fortè postliminio nihil de Euphemiæ, quam in sepulchro periisse credebat, liberatione somnians, reversus & mendacii reus ac perfidiæ deprehensus, pœnas dedit capite abscisso.

VI. *Filiam Dei servitio vovit & educavit.*

IV. Anna filiam suam Deo ac divino cultui devovit atque educavit, ut scribunt S. Gregor. Nyssen. orat. de Nativ. Christi S. Germanus Archiepiscopus Constantinop. in orat. de oblatione V, Nicephorus & alii, indeque non solùm filia ad summam evecta dignitatem, sed etiam per ipsam mater maximam consecuta est gloriam. Omnes ferè parentes contendunt, ut magnos efficiant liberos, & simul in illis magni fiant. Qua autem meliori ratione id consequentur nisi ea, quam dixi? Miratus sum heri cum in Evangelio legi: *mater filiorum Zebedæi.* Cur filii tantùm Zebedæi, & non etiam filii matris dicuntur? Quia mater petiit illis terrenam duntaxat dignitatem, pater autem Zebedæus, si (ut videtur) defunctus aliquid eis peteret, utique cœlestem peteret. Quid videtur vobis? an avis illa præferenda quæ gignit ova & derelinquit ea; an ea, quæ posita fovet & excludit? nonne hæc illi præferenda? Atqui matres & patres, qui terram solùm liberis quærunt, ova ponunt, sed non vivificant. Planè instar struthionis Job. 39. *Derelinquit ova sua in terra; obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* Aspicit quidem struthio subinde ova, & arena contecta, Soli committit fovenda. Sed quid juvat hoc si conculcentur, utpote in terra posita? Sic parentes aliqui ponunt liberos suos in terra, tegunt arena temporalium bonorum, fovent calore Principum: sed interim permittunt eos à mundo perverti & conculcari. Omnes nos in hoc mundo quasi pulli in ovo sumus, nondum exclusi & formati sumus, ut evolare in cœlum possimus vitam mortuam vivimus. Quid ergo prodest liberis: si velut ova ponantur in terra, & contegantur sabulo, exponantur calori Solis: si, inquam, abundent rebus temporalibus, interim non excludantur, non acquirant plumas & pennas, quibus aliquando exclusi ex hac vita evolare in cœlum, ibique vivere queant? si conculcentur à mundo & diabolo, bestia illa? si fœtore compleantur? Scimus enim ova, quæ supposita non excluduntur, fœtere & abjici.

Quid effecit Herodias in filia sua, cùm bellè eam saltare docuit? quid sibi & filiæ comparavit? Ipsa mater cum Herode ab Imperatore missa est Lugdunum in exilium: inde profugientes in Hispaniam multis afflicti calamitatibus perierunt. Filia autem cùm aliquando flumen glacie concretum transiret pedes, glaciem rupit, & cadendo caput glacie resectum perdidit: quod & in pœnam saltationis suæ funestæ, & postulati capitis Baptistæ, supra glaciem saltus edidisse fertur. Nicephorus l. 1 cap. 20. Econtrà verò sancta Anna quantam suæ filiæ & sibi per eam comparavit gloriam? Deipara non esset Regina cœli, si non fuisset à tam sancta matre tam sanctè instituta; Anna nesciretur, in tenebris lateret, si non habuisset talem filiam. Ergo, ô parentes, ut unà cum filiis & filiabus vestris exaltari & ad cœlum evolare possitis, estote similes Annæ.

THEMA III.

Signa inhabitantis gratiæ in homine.

I. *Odium & horror peccati.*
II. *Virtutes cum humilitate.*
III. *Morum commutatio luculenta.*
IV. *Promptitudo ad obsequendum Deo in omnibus ex amore.*
V. *Lumen internum.*
VI. *Contemptus mundi.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Matth. 13.

Audimus interdum non neminem sic loquentem: Si thesaurum invenirem, jam absolutus dominus forem, & gaudiis circumfluerem in omni vita mea. Et quid si vobis Auditores thesaurum aliquem ostenderem, ut possitis esse domini, pleni omni gaudio? Ecce vobis sanctam Annam matrem ditissimam, thesauro onustam, cujus si vos filii sitis, thesaurum invenistis, & domini opulentissimi eritis. Qua verò ratione? Audite sanctum Joannem Damascenum lib. 4. Orthod. fidei c. 15 *Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) inquit, Dominam parit;* etenim Mariæ nomen dominam significat. Anna Mariam, Gratiæ Dominam parit. Igitur qui Annam habet: thesaurum habet, quia gratiæ Dei thesaurus est, de quo Sap. 7. dicitur: *Infinitus enim est thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, amicitiæ Dei.* Quisquis igitur filius, aut filia S. Annæ, hoc est, divinæ gratiæ est, is certè infinitum invenit thesaurum; quomodo igitur dominus aut domina non erit, qui gratiam invenit; siquidem *Gratia Dominam parit?* Bene est, dicet aliquis; sed unde nobis constabit, quòd Annæ filii simus, in Dei gratia constituti? Hoc enim si sciremus, nequaquam dubitaremus, thesaurum nos invenisse, adeoq; verè dominos futuros. Quis verò ostendet nobis thesaurum hunc in nobis esse? Ad hoc respondet Evangelium hodiernum, thesaurum hunc absconditum esse; itaque fidei certitudinem adeoque infallibilem de hoc haberi non posse. *Nescit homo,* inquit Eccles. cap. 7. *utrum amore non odio dignus sit.* Et Apostolus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Moralem tamen certitudinem, quæ anxietatem & perplexitatem tollat, possumus habere, quam indicat idem Apostolus ad Rom. 8. dicens: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Quis ergo saltem hoc testimonium nobis ostendet? Patres & Doctores, quos hic referam.

I. S. Basilius in regulis brevioribus interrog. 196. quærens, qua ratione persuaderi possit animæ cupiæ, quòd à peccatis libera sit & expiata, hoc dat responsum: *Si quis in seipso animi affectionem illam si-*

im David inesse animadverterit, apud quem est. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: aut affe-ctum se praeceptum illud Apostoli, qui dixit, Mortifi-cate igitur membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupis-centiam malam & avaritiam &c. Et mox: *porrò in-tigit aliquis se in hujusmodi affectione positum, si-em adversus peccantes admirabilem & horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imi-tatus sit, velut David quidem, apud quem est: Vidi prævaricantes & tabescebam; Apostoli verò, qui ait: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandaliza-tur & ego non uror? &c.* Et infra: *Quandoque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quem-admodum diximus, animo affectum se esse animadver-terit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato.* Probat id ex similitudine corporis, quod utiq; mun-dum nos habere colligi potest, si ab omni fœditate & sordibus magnoperè abhorreamus. v. g. qui mun-ditiei valde studet abhorret vehementer à pedicu-lis & si vel unum aspiciat, vultum avertit; hic indi-cium dat se vestes suas ab his bestiolis immunes con-servare atque mundas habere: qui vero eas non hor-ret, neque curat, suspectum se reddit de earum com-mercio. Rursum quando ægrè & cum horrore aspi-cimus alios torqueri, vulnerari, excarnificari, à be-stiis laniari; signum est, quod nos ab effusione san-guinis & crudelitate procul absimus: pari modo quando non sine commotione & tristitia videmus alios peccare, Deum & proximos offendi, utique demonstramus nos ab omni peccandi voluntate & pronitate longè distare. Quis credet Sanctum An-selmum Cantuar. Episcopum non fuisse in statu gra-tiæ, de quo Edinerus ejus convictor scribit in ejus vita (21. Apr. apud Sur.) se multoties audisse eum in veritatis testimonio profitentem: *Quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corpora-liter cerneret, & necessariò uni eorum immergi debe-ret, priùs infernum quàm peccatum appeteret.* Et rursum: *malle se purum à peccato & innocentem ge-hennam habere, quàm peccati sorde pollutum cœlo-rum regna tenere?* Addit auctor. *Propter hæc magno studio semper nitebatur peccatorum contagia devita-re, & quidquid eis aliquam nascendi occasionem pote-rat ministrare ab intentione sua omni solicitudine pro-fligare.* Quomodo enim peccatum in se admittat, qui ab eo tantopere abhorret,

II. S. Greg. l. 1. Dial. c. 1. hoc indicium proponit: *Mens quæ divino spiritu impletur*, inquit, *habet evi-dentissima signa sua, virtutes scilicet & humilita-tem, quæ si utraque in una mente perfectè conveniunt, liquet, quod de præsentia Spiritus S. testimonium fe-runt.* Secura illa civitas vel arx est, quæ vigilantissi-mam in suis mænibus, turribus, vallis & propugna-culis custodiam habet. similiter qui virtutes humili-tate munitas habet, de inhabitante Spi. S. sibi gra-tulari potest. Humilitas enim est fundamentum si-mul & custos virtutum optima, teste S. Bernh. ser. 1. in natali Domini. Templum Jerosolymitanum *in summo aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insi-dentibus avibus pollueretur*, inquit Josep. l. 6. de bel-lo c. 6. Aureæ igitur illæ cuspides mundum conser-vabant templum ab avium sordibus: similiter humi-litas custodit cor virtutibus ornatum, quod est Dei templum, ab insidiis Dæmonum & sordibus. Ubi ergo virtutes sunt hujusmodi verubus humilitatis armatæ, ibi vix esse dubium potest, quin thesaurus gratiæ in corde mundo sit reconditus. Qui habet thesaurum sub fida & firma custodia, nonne divi-tem se appellare potest? Quare qui virtutes sub cu-stodia humilitatis habet, confidere etiam poterit, se in gratia Dei esse.

III. S. Bernhardus in serm. de 4. orandi modis: *Quæras*, inquit, *unde aut quando nosse poteris, utrum hanc consecutus sis indulgentiam.* Et respondet: *Ait Dominus paralytico: surge, tolle lectum tuum & am-bula. Et tu ergo primo, si jam surgis desiderio superno-rum. Secundò si grabatum tollis, corpus scilicet à ter-renis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa, ut dignum est, re-gat illud & ferat, quò non vult. Tertio si demum am-bulas, quæ retrò sunt obliviscens, & ad ea, quæ ante sunt, te extendens, desiderio & proposito proficiendi: curatum te esse non dubites: Neque enim surgere pote-ras, si non aliquatenus onus esset alleviatum: nec gra-batum tollere, nisi exoneratus magis: quia nec ambu-lare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est.* Mira hæc mutatio morum, de per-versis in sanctos, satis etiam manifestè indicat ho-minem de castris Dæmonis transiisse ad castra Chri-sti, cujus jam insignia & arma gerit. Idem Bern. epist 170. confirmat his verbis: *Spiritum novum advenis-se, certissimè nova conversatio testatur.* Hoc etiam inter alia signa dedit Samuel Sauli, 1. Reg. 10 *Insi-liet in te spiritus Domini & mutaberis in virum al-terum.* Moxque subdit: *Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque invenerit manus tua, Quia Dominus tecum est.* Sciat igitur qui ex iracundo mitis, ex ebrioso sobrius, ex avaro liberalis, è super-bo humilis, ex impudico castus evasit, sciat, inquam, Dominum secum esse, seque jam non iræ, sed Annæ & gratiæ Dei filium esse.

III. *Morum commutatio inculenta.*

IV. Cardinalis Cajetanus in c. 8. epist. ad Rom. duo alia indicia depromit: *Media*, inquit, *quibus u-titur Sp. S. quæ assumit Spiritus S. simul cum nostro in testimonium, quòd sumus filii Dei, sunt regulariter duo. Alterum est amor Dei promptus ad obsequendum Spiritui sancto quem efficit Spiritus sanctus in iis, qui Spiritu Dei aguntur: alioquin non agerentur spiritu Dei nisi ad momentum. Alterū est experta continuatio divinæ gubernationis: custodiendo à damnabilibus, il-lustrando, inspirando, excitando, movendo, fovendo & hujusmodi. Nam cùm experimur tam promptè nos di-ligere Deum, & tali tantaque cura gubernari à Deo, testimonium à Spir. S. & nostro habemus sufficientis-simum, ad hoc ut credamus, quòd simus filii Dei.*

IV. *Promptitudo ad obsequendum Deo in omnibus ex amore*

Sic ille. Primum illud ferè coincidit cum eo, quod dat Origenes in eundem Sancti Pauli locum ad Ro. 8. *Ipse spiritus adoptionis*, ait, *per quem in filium quis adoptatur, reddit testimonium & confirmat Spiritum nostrum, quod sumus filii Dei, posteaquam à Spiritu servitutis in adoptionis spiritum venerimus, cùm jam nihil inest timoris, id est, nihil propter pœnam gerimus; sed propter amorem patris cuncta perficimus.* Sic ille. Quare sicut promptitudo obsequendi cum amore demonstrat filium non servum, qui timore magis ducitur: sic quando quis deprehendit se alacriter ferri ad faciendum ea, quæ Deus præcipit, indicium habebit se esse filium Dei, in gratia constitutum.

Quando currum stridere audimus, unguem ei deesse non vanè conjectamus; inesse vicissim, cùm expeditè pergit: pari modo cùm quis ægrè & stridula voce seu murmurando peragit, quod jubet Deus: indicat sat superque se Dei gratia, quæ est unctio Spiritus sancti, facitque hominem promptum ad obediendum, esse destitutum; eadem verò inunctum, cùm promptè & absque omni renitentia viam mandatorum Dei currit cum Davide Psalm. 118. Angeli boni à malis inter alia hoc discrimine discernuntur, quod illi Dei volũtatem promptissimo semper animo exequantur, mali verò invito, cum murmure & indignatione. Raphael, quem Deus misit ut esset comes Tobiæ, in foro stetit præcinctus & paratus ad ambulandum, se ipsum quasi Tobiæ offerens in comitem itineris. Tob. 5. Unde bene se appellavit *Azariam*, hoc est, *auxilium Dei, filium Ananiæ* hoc est, *nubes Dei*; quia in auxilium Tobiæ nubis instar promptissimus advolavit. At econtra Dæmon ille Marci. 1. & Lucæ 4. quem exire ab obsesso Christus jussit, exclamans voce magna & discerpens hominem projecit in medium, ut ostenderet quàm invitus & indignabundus Christo pareret. Quod ergo discernit bonos Angelos à malis, hoc idem non obscurè discernit filios Dei & gratiæ a filiis tenebrarum: promptitudo scilicet ad parendum Deo.

Experientia singularium Dei beneficiorum constans.

Non minoris momenti alterum indicium est, si quis divinæ gubernationis singularia beneficia constanter in se experiatur. Tamesi enim Deus etiam peccatores & tepidos suo tempore excitat stimulatque beneficiis, castigat flagellis, hortaturque ad frugem: multò tamen magis pluribusque modis id præstat justis, adeo ut Sanctus Ambrosius lib. 4. in Lucam dicat, *Dominum dormire tepidis, vigilare perfectis*. Patet inprimis in eo quem diximus Tobia, cui dedit socium itineris unum è septem Angelis, qui stant coram ipso, ut eum custodiret in omnibus periculis, præveniretque benedictionibus. Patet in Abrahamo, Elia, Daniele, Joanne Baptista in deserto, Paulo Eremita, aliisque innumeris, quorum Deus majorem habuit curam, ut eos aleret, protegeret, solaretur, quam multorum millium impiorum. Unde beatus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone cap. 25. ait: *In tribulatione Deus justos comitatur ut illos impræsentiarum eripiat & glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant; in periculis ne cadant: in dubiis ne errent: ne hujus vitæ consolationem amittant.* Qui ergò hæc in se constanter experitur, næ ille gratulari sibi potest de invento apud se thesauro.

V. Alexander Halensis celeberrimus Doctor tria alia signa adducit, 3. p. q. 71. Primum est, lumen, quo replentur justi, ut mysteria divina & agenda omnia, se ipsos denique plenius possint cognoscere. Scimus enim ubicunque habitabant filii Israel in Ægypto, ibi lucem fuisse: tenebras verò apud Ægyptios, Exod. 10. eosdem etiam à columna ignis ductos per desertum, Exod. 13. Hinc quandoque sancti viri, alioquin parum docti, plus vident & annunciant de rebus altissimis, quam doctissimi alii.

Alterum est lætitia & gaudium, quo replentur corda justorum. Non enim habet amaritudinem conversatio eorum, sed lætitiam & consolationem. Sane S. Anton. ex animi lætitia dignoscebatur ab aliis fratribus; quanto magis noscetur justus ab injusto per eandem viam.

Tertium est pax & tranquillitas cordis, carentis omni remorsu aut conscientia alicujus peccati mortiferi. Hæc enim tranquillitas sequi solet adventum Sp. S. quia *in pace factus est locus ejus*, Ps. 75. Sic bona disciplina & tranquillitas in domo indicat præsentiam boni patrisfamilias: dissolutio & tumultus, ejusdem absentiam.

VI. Andreas Vegas præstans Theologus in lib. de Justificatione tria alia suppeditat. Primum est Despicientia mundi & bonorum ejus, honorum, voluptatum, opum: ac desiderium cælestis patriæ. Qui enim spernit vilia bona, sibi fortè oblata, hoc ipso indicat se possidere longè præstantiora; & qui talia habet, spernit viliora. Ita Abraham, quia Deum secum habebat, sprevit oblata sibi munera à Rege Sodomorum. Gen. 14. *Ne dicas*, inquit, *ego ditavi Abraham*, quasi dicat, nolo divitias, quæ ab homine veniunt. *Habeo DEUM, qui innumera mihi suppeditet bona, superna gratia innitor*, ait ibi Chrysostomus.

Alterum est, *dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis.* Hæc est Bulla illa & attestatio divina de remissis peccatis, quam petiit à B. Catharina Senensi sibi impetrari Confessarius ejus Raymundus. Quando enim oblata ejus menti fuit insolita peccatorum suorum consideratio, adeo ut præ nimio dolore lachrymarum vim profunderet, ac rugitus ederet, timeretque ne pectore rumperetur, tum ait illi Virgo, hanc esse Bullam & testimonium divinum quod petierat. Ut in vita Sanctæ Catharinæ Senen. 29. Apr.

Postremum, *propositum vitandi omnem Dei offensam & servandi per omnia, cuncta divina, mandata. Hi probabilissimam sanè suæ justificationis conjecturam habent, & merito toto pectore totisque præcordiis de tanto & tam præcellenti beneficio possunt intrinsecus*

seex

exultare; inquit Vegas. Certe firmum conceptæ
etatis ac virtutis propositum plurimum valet ad
rseverandum in pietate & virtute: sicut Judicum
ntentiæ definitivæ semel pronunciatæ & in tabu-
; conscriptæ, stabiles & fixæ manent, quod vel Pi-
tus ostendit, qui semel scriptam judicii senten-
im ut mutaret, nullis Judæorum clamoribus adigi
otuit; qui tamen prius eorum postulatis cesserat:
uod scripsi, scripsi, inquit: quod jam relatum est in
oulas, mutare nefas est. Quod si igitur, nos
ri animi robore mentem obfirmavimus ad per-
tendum in æquitate, signum est, ab ea nos
llis machinis & molitionibus facilè esse dimo-
ndos.

Denique si adhuc aliquod signum desideratis,
aristi mores & vitam in vobis repræsentate. Po-
um odoriferum in sacco reclusum prodit se odo-
suo: ita Dei gratia in corde recondita per bonam
am tuam. Hinc Apostolus 2. Cor. 2. *Christi bo-
us odor sumus*; unde, nisi à Christo ejusque gratia
i corde reclusa? Ergò Christophori simus (cujus
ncti festum heri celebravimus) semper Chri-
m ejusque vitam in nobis circumferentes, &
imus quod filii Annæ & in gratia Dei simus: sic
saurum inveniemus; sic domini evademus
mni gaudio perfruemur, hic in gratia; ibi in
ria.

THEMA IV.

Quis modus servandus in utraque fortuna.

Qui in dextera sedent, beneficium agnoscant & Deo gratias agant.

Qui in dextera sedent, non se extollant.

Qui in dextera sedent; moderatè utantur fortuna sua.

Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31.

MEritò Ecclesia de Sancta Anna legit & intelli-
git, quod Prov. 31. dicitur: *Mulierem fortem
quis inveniet?* Quis enim non dicat Sanctam An-
nam mulierem esse fortem; quæ in suis brachiis (ita
enim pingi solet) gestat fortissimas duas proles, fi-
liam Mariam & nepotem Christum? Hic enim Ido-
lolatriam evertit, mortem vicit, infernum destruxit,
Satanam regno exuit, cœlum occupavit. Illa caput
serpentis contrivit. Deinde Anna sonat *Gratiam*.
Gratia duplices gestat proles, & ambas ad cœlum
effert; in dextra eos, qui hic prospera utuntur fortu-
na, quidem plurimos: in sinistra, qui adversam
patiuntur, longè adhuc plures: adeò ut nemo de hac
materia queri possit. Quanquam attendere debent
proles istæ, ut ne è matris hujus brachiis culpa sua
excidant. *Cadent enim à latere tuo mille, & decem
millia à dextris tuis*, ait Psalmista. Ne hoc fiat, audia-
mus.

I. Qui in dextra sedent, beneficium agnoscant & Deo gratias agant. Licet enim prosperitas, honor, opes, generis nobilitas, velut res periculosæ passim homines perdant; id tamen non ex natura illarum, sed ex errore utentium accidit. Male enim utentibus plumbum sunt, demergens ad interitum: bene utentibus pennæ sunt, elevantes eos ad cælum. In- 1. primis enim qui his bonis à Deo muniti sunt, ab innumeris curis & anxietatibus se suosque sustentandi (quæ hominem à Dei cultu multum avocant) liberi sunt, remotique à periculo, necessitatis gratia rapiendi, fallendi, furandi; cui subjacent miseri, ut agnovit Salomon Prov. 30. dicens, *mendicitatem ne dederis mihi, ne necessitate compulsus furer & perjurem.* Quemadmodum ergo Adam in paradisum omnibus ad victum necessariis rebus instructum positus fuit, ut facilius Deum coleret: ita qui in hoc mundo degunt fælices, facillimè Deo servire possunt.

I. Qui in dextra sedent, Beneficii agnoscant & Deo gratias agant.

2. Deinde lapidem habent philosophicum ad vertendum lutum in aurum, si nimirum dent eleemosynas; quod facere nequeunt pauperes. Possunt ergò divites & magnates quasi in curru & lectica, sine molestia ascendere ad cœlum, si currui suo applicent pauperes, quo modo Sesostres Rex Ægyptii junxit currui suo Reges. Jungent autem si in eos fuerint liberales.

3. Denique si & bona, quæ possident, calcaverint per contemptum, tunc ex iis facient sibi quasi scalam ad cœlum. Quod licet etiam suo modo facere possint egeni, non tamen pari merito. Quis enim nescit plus esse spernere opes, quæ habentur, quàm quæ non habentur? Unde talibus Sanctus Hieronymus ep. ad Demetriad. dixit; *Vestri generis est & habere & calcare divitias.*

Vicissim qui in sinistra sedent, habent & ipsi, quod Deo gratias agant, & sibi gratulentur. Nam primò omnibus spectatis planior & securior est ad cœlum via per adversitatem, quàm per prosperitatem. 1. Pauci enim sunt, qui prosperis bene uti sciunt. Unde Psalm. 90. dicitur: *Cadent à latere tuo* (sinistro) *mille, & decem millia à dextris tuis.* Decem ergo in prosperitate pereunt, antequam unus in adversitate. Demonstrari id multis posset, uti exemplo Davidis, qui dum exularet à Saulis aula, oberrans pauper in montibus & alienis terris bene sibi attendit ne delinqueret. Factus Rex, & quietem ac divitias nactus, in peccatum lapsus est. Hinc Tyranni, cùm Christianos tormentis superare non possent, blanditiis & voluptatibus aggressi sunt, uti Decius & Julianus, multamque stragem ediderunt. Nabuchodonosor quamdiu fælix erat, Dei contemptor fuit: ubi è regno ejectus miser in bestiam quasi deformatus fuit, tum agnoscere Deum & laudare cœpit. Unde Daniel appellat eum leænam, quæ prius alas

Qui in sinistra sibi etiam gratulentur.

alas aquilæ habebat; at ubi evulsæ sunt ei alæ, tum super pedes stetit ut homo, & cor hominis accepit. Dan. 7. v. 4.

Deinde ad virtutes & scientias capessendas magis idonei & dispositi sunt. Sunt humiles, mansueti, obedientes, laboriosi, unde plerumque plus quàm divites proficiunt in studiis & aliis disciplinis. Sic acanthis in spinis vivens summa cantus amœnitate floret.

III. *Qui in dextra sedent non se extollant.*

II. Qui in dextra sedent, non se extollant, multo minus alios spernant, sed potiùs se humilient ac timeant, ne excidant & ad sinistram transferantur, 1. Quia *ut in rerum natura; quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt: veluti rosa, lilia, violæ, cum alia durent, ita in hominum vita, quæ florentissima sunt citissimè vertuntur in diversum*, inquit Plin. l. 21. c. 1. Notum est à veteribus fortunam rotæ insistentem depingi solitam, cui consonat id Psal. 82. *Pone illos* (Principes fortunatos) *ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Et in Prov. 21. *Verte impios & non erunt.* Exemplo sunt Adonibezec, Judic. 1. Abimelech, Nabuchodonosor, Holofernes, Herodes, Act. 12. Antiochus & alii.

Vide Tri. Do 3. post Pasch. C. 3. B.

Dionysius junior, ut scribit Ælian. l. 6. var. hist. c. 12. humili loco natus astu tyrannidem Syracusanorum ac Siciliæ paravit, imperiumq; optime constructum habuit, scilicet naves non pauciores quadringentis, pedestres copias ad 100000 hominum, equitū 9000. Civitas Syracusana portubus & mœnibus optimis erat instructa, omnique bellico apparatu, frumento ad 190000. medimnorum. His rebus confidente adamante firmatum imperium habere se putabat, sed deceptus miser ipse primū fratres suos morte affecit: vidit etiam filios suos crudelissime mactari, pudorem filiarum eripi, atque deinde nudas trucidari. Breviter nemo ex ejus propagine sepulturam justam adeptus est. Nam & alii vivi combusti sunt, alii dissecti, & in mari projecti. Id ei evenit, cùm Dion Syracusanus imperium ejus invasit. Ipse demum cæcutiens, privatus sedit in sonstrinis, risum scurriliter hominibus commovens, & in media Græcia turpiter versatus miserrimam vitam duxit: atque ut alii scribunt, iterum quod antea fuerat, Ludimagister factus est. Plutarchus in Dione refert, qua fortuna regno à Dione exutus sit. Cùm enim Dionysius cùm 80. navibus abesset in Italia: Dion Syracusas cum classe movit. Cujus rei nuncius mittitur ad Dionysium. Nuncius in via assatæ carnis frustrum à quodam acceperat & peræ suæ alligarat: qui cum noctu in sylva paululùm requiescere vellet, peram juxta se disposuit. Eo dormiente lupus carnem odoratus, abstulit una cum pera & inclusa epistola. Ergo ubi evigilavit, & peram abesse vidit, non ausus ad Dionysium pergere, epistola perdita, fugam iniit: sicque nesciente Dionysio regnum ejus à Dione occupatum est, En fortunæ rotam. Benè igitur Sapiens Prov. 1. dixit: *Prosperitas stultorum perdet eos*; qui scilicet uti fortuna sua nesciunt.

2. Quia in prosperis facilius Deum oblivisc-
mur, quo modo Pharaonis Pincerna succedentibu
rebus secundis oblitus est Josephi Oedipi sui. Gene
40. Faciliùs etiam insolescimus & limites moder
tionis egredimur, indeque in pericula incidimu
quemadmodum limaces, quando humore aliqu
cælesti in se delapso exeunt è domunculis suis
vias publicas, ibique pedibus transeuntium prot
runtur. Ita Nabuchodonosor post victoriam de M-
dorum Rege Arphaxad obtentam nimium elatu
voluit omnes Reges sibi subjugare Judith. c. 1. Su
ve quidem & jucundum est iter per mare, sed pe-
culosum: vicissim molestum & laboriosum iter p
terram, sed multò interim securius. Unde Sanct
Bernhardus sermon. de obitu Malach. *Nemo,*
quit, *nostrum charissimi, plura mollioris vitæ sup-
ficie oblectatus, iter illud marinum sibi commodius*
bitretur.

3. Quia forsan hic tam bene habentur, quòd
altero sæculo nihil habituri sint nisi miserias & p-
nas. Timeāt ergo ne sint oves ad pinguia pascua
ctæ, destinatæ ad macellum; quod indicant impii
pient. 2. *Coronemus nos rosis, antequam marcesca
nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria
stra: ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam
est pars nostra.* Quasi dicant, aliam non expectam
Et confirmat Abraham Epuloni dicens: *Mement
li, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Therame
cùm in quadam domo versatus, inde prodiisset,
subito lapsu corruit. Atque cùm Athenienses ali
liunde ad eum confluerent, & inopinatæ saluti c
gratularentur, ille præter omnium opinionem
spondit? *ô Iupiter, cuinam me tempori reservas?*
multo post à 30. tyrannis de medio sublatus est,
actus cicutam bibere. Ælian. l. 9. var. hist. c. 21. C
tet etiam, qui hic bene semper habetur, ne æte
infælicitati reservetur: expavescat, cùm res prosp
eunt. Ita monet S. Greg. Magn. hom. 40. in Ev
Si quis est, inquit, *qui in hoc mundo exterioru
ni aliquid accepistis, ipsum, ut ita dicam,
num exterius pertimescere debetis, ne vobis pro
rundam vestrorum actuum recompensatione sit
tum &c.*

Vicissim qui in sinistra sedent, non dejician
sed bene sperent. 1. Facilè mutari posse fortunam
cras ad dextram transeant. Soldanus quidam à R
Franciæ Ludov. II. Capuam captivus abductus, c
toto biennio non risisset, tandem aliquando ric
visus, causam Regi interrogatus, hanc dedit; C
*rum contemplabar ejusque rotas, ut earum aliæ p
tes in imum, aliæ in summum obverterentur, n
hanc inconstantiæ hominum felicitatis imaginem
tiens risi, quod in mentem mihi veniret, posse fie
quo modo ex summo infimus factus sum, ita ex hu
rursum loco ad prius attollar fastigium.* Quo a
to Rex de suo quoque statu cogitans, Soldan
virum judicans sapientem, libere secum ve
permisit.

Zo

Zonoras tom. 3. Annal. Cedrenus & Glycas. Ludovicus XII. Franciæ Rex delectabatur ſymbolo crateris illius cæleſtis, qui aureis radiis refulgens inter eclipſes oritur, hac inſcriptione: *Inter eclipſes orior.* Cauſſin. in Aula Sancta. Contigit id inter alios Jacob patriarchæ, cui poſtquam ſubtractum eſſet quidquid dilexerat, Rachel, Joſeph, Benjamin; tum eſſe adfertur ei nuncium lætiſſimum: *Ioſeph filius tuus vivit & ipſe dominatur in omni terra Ægypti:* Sic revixit ſpiritus ejus. Gen. 45, ſic inter eclipſes ortus eſt.

2. Licet in ſiniſtra per hanc vitam hæreant, conſolentur ſe ſpe futuræ fælicitatis, quam in altera vita accipient, quia in hac nullam habuerunt. Ita Sanctus Baſilius ho. 13. in Pſa. 48. *Ne ſis puſillanimis erga præſentia,* inquit, *ſed expecta beatam illam & perpetuam vitam, videbis enim tunc, quod in commodum juſto datur paupertas, ignominia, & privatio deliciarum, &c.* Hac ratione Job in ſiniſtra geſtatus ſe conſolabatur: *Cunctis diebus quibus nunc milito,* inquit, *expecto donec veniat immutatio mea.* Abraham dedit filiis concubinarum, id eſt, ſervilium conjugum, munera; mobilia ſcilicet bona, aurum, argentum, veſtes &c. Sed viciſſim Iſaaco filio Saræ dedit cuncta, quæ poſſederat, hoc eſt, immobilia & vinculata bona, ſeu jus majoratus, tanquam hæredi totius ſubſtantiæ ſuæ, Gen. 25. Cogitent hi ſe filios Saræ, illos verò filios concubinarum eſſe.

III. Qui in dextra ſedent, moderatè utantur fortuna ſua, non ſe dedant delitiis, non proluant voluptatibus, ne iis inviſcati hæreant captivi, ſicut muſcæ, cùm vaſi melle pleno inſident. Delibent potius moderatè fortunam ſuam, ut ſemper avolare ad Deum & animæ curam poſſit, juxta id Prov. 25. *Mel inveniſti: comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus evomas illud.* Satietas enim mellis nauſeam parit. Novimus ſub Gedeone Duce, juſſu Dei reprobatos à militia eos, qui proni ad bibendum è flumine procubuerunt, ſeſeque proluerunt: electos è contrà illos, qui ſtantes manu aquam ad os projecerunt, & velut canes è Nilo obiter ac moderatè biberunt, Judic. 7. Priores imitantur, qui ſuis cupiditatibus fræna laxant, ſemper in conviviis hærent, ſemper in byſſo & purpura incedunt, & dormiunt in lectis eburneis ad inſtar illius epulonis, qui epulabatur quotidie ſplendidè, quotidie veſtiebatur purpura & byſſo, nihil unquam remiſit aut dedit pauperibus, ideò periit miſer. Jactant illi ſe provinciarum columen & defenſores eſſe. Verùm delitiis aſſueti, nec arma tractare, nec quidquam pro patria defendenda ſuſtinere poſſunt. In hac dextra perverſus eſt Salomon, dum omnia ſibi comparavit, quæ deſideravit cor ejus; ſicque ſcidit & perdidit regnum ſuum in delitiis & pace, quod pater ejus pararat & ſervarat in perſecutione & bello. Sic periere Romani in delitiis, qui crevere in paupertate, laboribus ac militia, teſte Livio lib. 1. dec. 1.

Viciſſim qui in ſiniſtra ſedent, patienter ferant ſortem ſuam, & cogitent 1. ſe forſan eam promeruiſſe; id quod indicat Deus Jer. 4. populo Hebræorum, prævaricatori: *Via tua & cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc;* ut ſcilicet à Chaldæis tam arctè obſidereris. Bene in Apologo, conquerentibus de ſecuri, à qua tot exſcinderentur, arboribus, dixit una: *quid querimur, cùm nos ei porrigamus manubrium?* Pari modo infælices quid queruntur contra Dei iram & ſeveritatem, cùm ei manubrium dent, peccatum? Deſcendant cum nautis, illis tempeſtate jactatis Jon. 1. ad interiora navis, hoc eſt, in cōſcientiam ſuam & invenient ibi Jonam, tempeſtatis ſuæ cauſam. Aperiant cum fratribus Joſephi ſaccos ſuos, & invenient ſcyphum alienum, perſecutionis cauſam; tunc dicent? *meritò hæc patimur.* Geneſ. 42. Deinde Deum velut optimum patrem præviðiſſe, quid unicuique conducat: ſicut mater uni filio fortioris ſtomachi permittit poma, pira, ceraſa &c. Quæ alteri debilioris ſtomachi filio negat. Sic medicus uni infirmo permittit vinum & carnes, alteri prohibet & illorum loco dat amaras potiones &c. Quòd ſi hic queratur contra medicum, ille reſpondebit: Poteris quidem, ſi velis, etiam vino & carnibus uti, ſed ad tuam perniciem. Novit Deus pauperes, ægros & plebejos homines ad meliorem fortunam ferendam inidoneos eſſe, in eaque facilè perituros: unde ſiniſtram illis dedit. Exemplo ſunt Hebræi, qui in captivitate poſiti unum Deum verum invocabant: in patria vero ſua variorum ſæpe Deorum opem implorabant. Exemplo eſt domus illa paupercula, in vita Sancti Antonini, quæ poſtquam ab Antonino ditata fuit, mox perverſa fuit. 3. Neſciunt etiam plerumque pauperes uti rebus proſperis, ut in vita Sancti Columbæ presbyteri Conf. Scoti ſcribit miro prorſus, non tamen incredibili exemplo Adamus Abbas Huenſis apud Surium 9. Junii cap. 24. his verbis: *Alio in tempore quidam ad Sanctum plebejus venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ ſtagni littoribus aporiei eſt contermina. Huic ergò miſerabili viro, qui unde maritam & parvulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miſeratus, ut potuit quādam largitus eleemoſynam, ait, miſelle homuncio, tolle de ſylva contulum vicina, & ad me citius defer. Obſecundans miſer juxta Sancti juſſionem, detulit materiam, quam Sanctus excipiens, in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens, & illi adſignans inopi dixit: Hoc veru diligenter cuſtodi, quod, ut credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris beſtiis quoque & piſcibus. Et quamdiu talem habueris ſudem, nunquā in domo tua cervinæ carnis cibatio deerit abundans. Quod audiens miſer mendiculus valde gaviſus, domum revertitur. Veruque in remotis terræ infixo locis, quæ ſylveſtres frequentabant feræ, & vicina tranſacta nocte mane primo pergit, reviſitare volens veru, in quo miræ magnitudinis cervum cecidiſſe reperit tranſmiſſum. Quid plura? Nulla, ut nobis tra-*

Qui in ſiniſtra, patienter ferant ſortē ſuam.

1.

2.

3.

traditum eſt, tranſire poterat dies, qua non aut cervum, aut aliquam reperiret in veru infixo cecidiſſe beſtiam, repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis ſuperflua vendebat, quæ hoſpitium ſuæ domus capere non poterat. Sed tamen diaboli invidia per ſociam, ut Adam, & hunc etiam miſerum invenit; quæ non quaſi prudens, ſed fatua taliter ad maritum locuta eſt: Tolle de terra veru. Nam ſi in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu & ipſe, & ego cum liberis noſtris aut occidemur aut captivi ducemur. Ad hæc maritus inquit: Non ita fiet. Nam Sanctus vir mihi benedicens ſudem dixit: quòd numquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Poſthac verba mendicus uxori conſentiens, pergit, & tollit de terra veru, inter domum quaſi amans illud ſecus parietem poſuit, in quo mox domeſticus ejus incidens canis diſperiit. Quo pereunte, rurſum marita. Unus, ait filiorũ tuorum incidet in ſudem, & peribit. Quo audito ejus verbo maritus veru de pariete removens ad ſylvam portat, & in denſioribus infixit dumis, ut putabat, ubi à nullo poſſit animante offendi: ſed poſtera reverſus die capream in eo cecidiſſe & periiſſe reperit. Inde quoque illud removens in fluvio, qui Latinè poteſt dici Nigra Dea, juxta ripam ſub aquis abſcondens infixit. Quod alia reviſitans die eſocem (Salmling) *mira magnitudinis in eo transfixum & retentum invenit, quem de flumine elevans vix ſolus ad domum reportare poterat: veruque ſecum de aqua ſimul reportans extrinſecus in ſuperiore tecti affixit loco, in quo & corvus de volatus impetu lapſus diſperiit jugulatus. Quo facto miſer fatuæ conſilio conjugis depravatus veru tollens de tecto, aſſumpta ſecuri, in plures concidens particulas, in ignem projecit, & poſtea quaſi ſuæ paupertatis amiſſo non mediocri ſolatio, remendicare, ut meritus, cœpit. Quod videlicet penuria rerum ſolamen ſæpe ſuperius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis & retibus, & omni venationis & piſcationis genere ſervatum poſſet ſufficere, beati viri donatum benedictione, quodque amiſſum miſer plebejus eo ditatus pro tempore ipſe cum tota familiola ſerò licet omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ.* Patet hinc egenos plerumque impotentes eſſe ad ferendam fortunam ditiorem, ideoque eam illis conſultò negari à Deo: quomodo militiæ dux dat unicuique arma, quæ quis ferre poteſt, Et hoc eſt, quod Dominus dicit Matth. 25. data unicuique ſervo talenta *ſecundum propriam virtutem.* Quare bene Apoſtolus 2. Corinth. 6. ait: *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris.* Potens eſt enim Anna, id eſt, gratia Dei in utroque brachio ſuſtinere nos & ad cælum deportare: ſi nobis ipſi non defuerimus.

IN FESTO S. LAVRENTII.

THEMATA.

I. *Laurentius verè urbanus & aulicus Hiſpanus.*
II. *Servire Deo optimum.*
III. *Eleemoſyna commendatur.*
IV. *Dilectiſſima quæque odio habenda, cùm à cælo nos impediunt.*
V. *Laurentii craticula, lectus nobiliſſimus.*

THEMA I.

Laurentius verè urbanus & aulicus Hiſpanus.

I. *Quia amicum non deſeruit in neceſſitate.*
II. *Quia ultro dedit munera.*
III. *Quia potentes ſapienter admonuit.*
IV. *Quia ceſſit paribus & inferioribus.*
V. *Quia etiam malè acceptus gratias egit.*

Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Ioan. 12.

NOtum eſt in aulis Regum neminem æſtimari nec admitti facilè ad Principem, multò minus promoveri, niſi qui urbanitatem & mores aulicos didicerit: ruſticos & inurbanos exſibilari & extrudi. Habet etiam Chriſtus Rex Regum ſuam aulam, in qua & ipſe quoque deſiderat viros aulicos & urbanos: hos promovet & exaltat, adeo ut in hodierno Evangelio dicat: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Inurbanos verò & inciviles negligit ac contemnit. Quid videtur vobis de Laurentio? fuitne ipſe aulicus? Sanè Ilphonſus Giron Hiſpaniarum Regis Concionator in Feſto Sancti Stephani refert Sanctum Laurentium Martyrem ab Italis appellatum, *Il corteſe ſpagnuolo*, urbanum ſeu aulicum Hiſpanum, hac de cauſa. Cum enim corpus Sancti Stephani Romam deferretur in Baſilicam & ſepulchrum Sancti Laurentii, adeo id honorificè excepit ſanctus Laurentius in templo & ſepulchro ſuo, ut ei digniorem locum ceſſerit, loculum ſuum in ſiniſtram transferens, dextram Stephano concedens. Magna hæc eſt laus non tantum Sancto Stephano, ſed etiam Sancto Laurentio, qui in ſuo domicilio protomartyri Stephano primas detulerit; jure propter hoc appellatus aulicus. Sed non

eſt

est hæc una hujus rei causa: plures alias reperiemus.

I. Verè aulicum, & exulti moris est, amicum non deserere in necessitate, sed tum vel maximè ei assistere. Hoc enim ingenui hominis est, non fortunam sed amicum diligere: illiberalis verò non amicum sed fortunam ejus. Laurentius noster adhæsit Sancto Xysto, domino & Pontifici suo, etiam cùm is ad mortem duceretur, quantum in ipso fuit, volens cum ipso mori. Ita enim ei loquitur planè aulicè. *Quo progrederis sine filio pater? quò Sacerdos sancte sine ministro properas? Num paternitati tuæ aliquid in me displicuit? Experire utrum idoneum ministrum elegeris &c.* En tibi verè aulicū: quales certè non ubique reperias: nam *rara fides, ubi jam melior fortuna ruit*, ait Seneca in Herc. Oetæo. Plures enim in aula adorant ad Orientem Solem, quàm ad Occidentem: Principem fortunatum, quàm dejectum ad infortunium. Sic Alphonsus Rex Aragon. navigans è Sicilia & videns aves garrias, navim circumvolantes, dum cibi eis projicerentur, similes dixit aulicis suis, qui mensam tantùm sectarentur & fortunam suam. Panormitan. de dict. & fact. ejus. Mercurius auri amantissimus, fortiter ei adhæret: attamen cùm aurum in fornacem mittitur, statim illud deserit. Tales amicos describit Nahum cap. 3. *Custodes tui quasi locustæ, & parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: Sol ortus est & avolarunt.* Vult dicere, Duces tui, milites tui, ô Ninive, dum bene tibi est, te defendunt: at ubi venerit Chaldæus, ejus more perculsi fugient: sicut locustæ noctu sub sepium calore se defendunt, Sole orto avolant. Tales experta fuit cives suos Sancta Agatha Virgo, quæ cum è Panormitana civitate Catanam duceretur, judici sistenda, paulùm progressa, dum ei calceamentum pedis solveretur id restingere volens, sese inclinavit & ligavit: postea retrò conversa, cum neminem civium, qui eam secuti fuerant, vidisset, sed solis militibus se stipatam, omnes alios ad sua regressos esse, magno dolore affecta oravit? *Domine Deus ostende quæso civibus meis, qui non crediderunt ancillæ tuæ, nec perfectè me secuti sunt, signum aliquod.* Et statim orta est sterilis olea, quæ mentes Panormitanorum steriles publica ignominia notarat. Ut in ejus vita 5. Febr. Quid enim olea illa sterilis designavit, nisi sterile & inane Christianorum nomen, carens fructu operis boni? fructu fortitudinis & constantiæ, qua martyrii prælium utcunque va non refugiat.

II. Verè aulicum est dare etiam non petentibus, & ultrò offerre munera, quærere insuper occasionem dandi. Præstitit hoc Sanctus Laurentius, qui accepta à Sixto Papa potestate dispensandi thesauros Ecclesiæ, mox pauperes perquisivit in eorum domunculis & distribuit eis eleemosynas, ac de nocte quidem, ne adverteretur à Gentilibus. Talis elargitor erat etiam David, qui evectus ad regnum, inquisivit utrumne superesset aliquis de domo Saul, cui benefaceret propter amicum suum integerrimum, Jonatham. Et cum inventus esset Miphboseth, filius Jonathæ, restituit ei omnes agros Saulis, promisit insuper mensam suam in perpetuum. 2. Regum 9. Quærendi ergo sunt pauperes nec expectanda eorum postulatio, sed preveniendà, quia *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Proverb. 19. recipiens fœnus millecuplum & quidem securissimum. Quis autem non offerret Principi mutuum, à quo censum expectaret centuplum certissima fide refundendum? Ac licet sint filii Saul, id est, inimici tui, qui hoc mutuum à te petunt: benefac eis propter Jonatham, Christi amore. Maximè verò hic aulicismus exercendus est erga illos pauperes, qui ægritudine detenti foras prodire nequeunt, ut mendicent: necnon erga eos, qui absque culpa sua inciderunt in pauperiem ex honesto loco, adeoque mendicare erubescunt. Cujus exemplum pulcherrimum præbuit Apollinaris, Patriarcha Alexandrinus in Prato cap. 193. qui prædivitem adolescentem variis infortuniis ad pauperiem redactum miro prætextu juvit, fingens repertum chirographum, quo parenti ejus oblagaretur ad quinquaginta libras auri persolvendas, quas proinde adolescenti velut filio ejus numerari jussit.

III. Aulicum & urbanum est, potentes sapienter admonere de salute sua. Fecit hoc Laurentius Valeriano Imper. qui cùm ab eo requisisset thesauros Ecclesiæ, promisit Laurentius post bidui aut tridui inducias. Arrisit Valeriano pactum; & post exactas inducias submisit ad Laurentium camelos & currus ad thesaurum asportandum. Sed interea Laurentius congregavit pauperes, cæcos, claudos, quoscumque habere potuit, (quibus jam antea distribuerat thesaurum) eosque in camelos & currus Imperatoris impositos, ad conspectum illius duxit, iisque ostensis dixit: *Ecce isti sunt thesauri Ecclesiæ*; (ut refert Mataphr. in ejus vita, & indicat Sanctus Ambrosius, necnon Augustinus in hom. de Sancto Laurentio) quasi diceret: In his & tu si velles, thesaurum invenire posses. Nam ut sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap. 28. ait: *Verè thesauri; in quibus Christi fides est: quorum manibus eleemosyna nostra cœlum penetrant, & nos thesauris potimur æternis.* Sed nihil profecit Laurentius apud inurbanum & rusticum Imperatorem; quemadmodum & ipse Deus, quando Epuloni ad ostium triclinii sui submisit mendicum Lazarum, ut per illum sibi dives opum, sed inops meritorum compararet veniam peccatorum & thesaurum in cælo. Et ô quoties hoc Deus exhibet opulentis! Satis etiam urbanè, simul tamen & salsè correxit eundem Valerianum ubi jam obstinatum in malo vidit, positus in craticula jam semitostus, heroica illa voce: *Versa in aliud latus & manduca.* Voluit enim dicere: Quid inde lucri habes, quòd mera sævitia incitatus

III. Quia potētes sapienter admonuit.

tus inermem & innocentem ita tractas? Num caro hæc assata gulæ tuæ sapiet? num ingluviem tuam saturabit? tune unus è barbaris illis Anthropophagis es Imperator? hocne Imperatori gloriosum? Sic arguit olim David hostem suum Saul Regem quærentem ejus vitam: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris & pulicem unum* 1.Reg.24. Et rursum c. 26. *Egressus est Rex Israel, ut quærat pulicem unum.* Quasi diceret: Quæ gloria est Regis, persequi tam ignobilem hostem, qui ei tam parum nocere potest, atque canis mortuus aut pulex unus? Permovit hoc dicto Saulem David; sed non movit Valerianum Laurentius.

IV. *Quia cessit paribus & inferioribus.*

IV. Urbanum est & aulicum, aliis cedere etiam paribus, necnon inferioribus. Solent enim & digniores, bene morati, deferre honorem & digniorem locum minus dignis. Fecit hoc Laurentius, inprimis mortuus in sepulchro, cedendo S. Stephano, ut diximus. Deinde, quando contendit ut Justino presbytero pedes ablueret, & oscularetur velut Diaconus sacerdoti: Justinus contrà, Laurentio velut sanctiori & Ecclesiæ thesaurario id officii præstare voluit. Ambo enim in terram se projicientes inter se certabant. Sed vicit ad extremum Laurentius & pedes Justino abluit. Altè nimirum impressit sibi id, quod Paulus ad Rom. 12. docuit: *Honore invicem prævenientes.* Idque non forinsecùs tantùm ac palliatè, sicut ferè contingit inter aulicos, sed ex corde & syncerè, *superiores sibi invicem arbitrantes*, ut idem ad Philip. 2. ait? Habuit nimirum præ oculis exemplum Christi, qui de cælo ad nos terræ vermiculos venit in Bethlehem aliis hospitia concessit, ipse stabulo contentus: ad Joannem venit, ut ab eo baptizaretur, qui ipsum potius baptizare debebat: in cruce denique maximè infamem locum inter latrones elegit. Consideravit exemplum Deiparæ, quæ ad Elisabetham, in montana abiit, ut ei serviret, mater Dei matri hominis. Hoc denique præclarissimum exemplum, secuti sunt viri alii sancti, uti Paulus Eremita & Antonius contendentes inter se, uter panem à corvo allatum frangere deberet, reputans alter alterum se longè digniorem.

Si quæras, quomodo hoc facere dignior sine fuco & falsitate queat, respondet D. Thom. 2. 2. q. 161. art. 3. Primò humiles aspicere in se, quæ à se ipsis habent, mala: in aliis verò bona, quæ à Deo habent. Secundò unumquemque ferè excellere in aliqua dote, in qua non excellit alter: sicut apparet in hominum ingeniis, artibus & opificiis: item in regionibus, quarum singulæ aliqua re abundant, quibus aliæ carent. Tertiò cogitant posse in altero latere occultam virtutem, qua ab ipso superentur.

V. *Quia etiã malè acceptus gratias egit.*

V. Urbanum est à domino suo supremo v.g. Rege cum patientia & gratiarum actione acceptare etiam correptiones & vexationes, præter meritum inflictas, velut cum Rex domum tuam destruit, ut inde sibi hortum plantet: vel equos aufert, ut currui suo jungat, &c. Cogitandum enim tibi, te mancipium esse Regis, pleno jure ei subjectum. Sperare etiam potes magno aliquo munere jacturam rerum tuarum à Rege tibi compensandam.

Hinc quidam aulicus rogatus, quomodo in aula consenuisset, quod rarissimum, respondit: *Injurias accipiendo & gratias agendo*; teste Seneca l. 2. de ira cap. 33. Ita egit Laurentius, qui in ipsa craticula ustus Christo gratias egit, quòd se dignum tali martyrio; & per id cæli civem efficere dignatus sit. *Assatus gratias ago*, ait. Apud Parthos Regis amicus humi subsidet, Rege in sublimi thoro accumbente, atque more canum iis vescitur cibis, qui ab ipso Rege projiciuntur. Sæpius etiam vel minima de causa ab extensa illa in terram cœna distractus, loris tessellatis virgisque cæditur: atque cùm factus est sanguinolentus, humi pronus procumbens, tanquam benefactorem, verberonem veneratur. Athenæus lib. 4. cap. 14. Et cur hoc iste tolerat, nisi conservandæ Regis amicitiæ causa, & spe alicujus gratiæ, quæ miserias illas largiter compenset? Et tamen miseri, persæpe spe ista deluduntur. At non ita, qui à Deo flagella sibi immissa cum gaudio excipiunt; nôrunt enim sibi flagra omnia in æternas & immensas coronas aliquando commutanda; unde ea cum gaudio & gratiarum actione suscipiunt, quasi non flagra sed rosæ forent, uti S. Tiburtius, qui in candentibus carbonibus ambulare jussus Fabiano judici dicebat: *Carbones tui mihi flores videntur.* Et Sanctus Laurentius, cùm à Valeriano cæderetur: *Infelix has epulas semper optavi.* *Crocus calcari & atteri gaudet pereundoque melius provenit; ideò juxta semitas lætissimus*, ut ait Plinius l. 21. cap. 6. Nunquam Laurentius tantum gloriæ odorem spargeret, nisi prius ita conculcatus fuisset. Filii, qui à parentibus severius educantur, maturè excitari ad studia obeunda jubentur, ob admissos lapsus severiùs castigantur, duris militiæ laboribus, humicubationi, fami, frigori assuescere coguntur; postea adulta ætate gratias illis agunt, quia per talem educationem & disciplinam ad Magistratus gerendos & fortia patranda idonei facti sunt. Contrà execrantur parentes suos illi, qui postquam indulgentius habiti, nihil didicerunt, nisi vitiis indulgere; vident enim se negligi & odio haberi. Hinc profectò filioli, cùm à parentibus castigati sunt, deosculari virgam jubentur; quia nimirum virga illa, non secus ac virga Aaron germinabit aliquando ei flores honoris & virtutis. Hinc Arcadius Theodosii Imper. filius à præceptore Arsenio semel ob delictum grave flagris exceptus, insidias primo quidem ei struxit: postea tamen Imperator factus per litteras ei gratias egit, veniam petiit, & totius Ægypti vectigalia pro munere obtulit, ut in vita Sancti Arsenii 19. Julii Metaph. apud Sur.

Vidimus Laurentium non inani vocabulo aulicum appellatum, sed verè talem fuisse, ideoque vel hoc nomine gloriosum coram Deo merito æstimamus. Quid verò nos? An rusticani in aula & Eccle-

sia Dei, an inurbani esse volumus? Timendum nobis erit, ne ex aulâ extrudamus. Ergò si pulchrum esse putamus vivere moribus aulicis, nosse debemus, millies pulchrius esse, vivere more Christi. Sic igitur vivamus, & tunc audiemus: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.*

THEMA II.

Servire Deo optimum.

I. *Nihil honestius & gloriosius, quam servire Deo.*
II. *Nihil jucundius.*
III. *Nihil utilius.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Joan. 12.

Antisthenes Philosophus teste Æliano libro 10. variæ hist. capite 16. Philosophiæ ludum aperuit, sed cùm nemo accederet, tandem indignatus nemini potestatem audiendi se permisit. Quare Diogenem etiam à sua conversatione repulit, verùm cùm is recedere nollet, baculum ei in caput impegit. Qua re nihil motus Diogenes: *Tu*, inquit, *percute tantùm, ego tibi caput præbebo; neque verò tam durum fustem invenieris, quo me à tuis disputationibus abigas.* Quod cum audisset Antisthenes, intimus ei amicus factus est. Simile quid agere videtur Christus Dominus in hodierno Evangelio. Invitat enim ad sui sequelam homines: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Interim tamen accedentes absterrere & repellere videtur, dum addit: *Qui amat animam suam, perdet eam*: nec non mortem sustinendam esse suis sectatoribus ait. At his nihil obstantibus nos Diogenem imitemur, nec à sequela Christi ullis fustibus nos repelli patiamur; neque inveniet Christus tam durum baculum, qui nos ab ipso abigat. Audimus enim ab eodem & ista: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Et: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.* Quis auditis his promissis, servire Deo metuat? imò quis non ad serviendum animetur, tametsi mille baculi ipsi intententur? Igitur videamus, quam bonum sit servire Deo.

Tria omninò bona hominem alliciunt ad prosequendum aliquid: honestū, utile, jucundum. Quæ si conjuncta simul sint, potenter etiā trahunt, & fiunt funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. Eccles. 4.

I. Nihil servitute Dei est honestius, nihil gloriosius. Quid enim honorificentius, quid gloriosius, quam honorari à Deo? At in hodierno Evangelio Dominus: *si quis mihi ministraverit honorificabit eū pater meus.* Accedit Eccl. 23. dicens; *Gloria magna est sequi Dominum.* Ratio est primò, quia quo altior est dominus, eo juxta proportionē nobiliores sunt servi ejus. Qui titulum gerunt servorum Imperatoris, Deß Keysers Diener. Hoc ipso nobiles habentur; quid igitur nobilitatis accedet iis, qui Dei altissimi servi sunt? Illi titulum quidem nobilitatis acquirunt, non verò sanguinem aut animam nobilem: at Dei servi una cum titulo, etiam animam nobilem, Dei gratia elevatam, accipiunt.

Secundò, quia Dei servi sunt simul etiam amici 2.
ejus sunt; (quod in humanis non fit) faciunt enim per omnia Dei voluntatem, amore amicitiæ, quo Deo bene volunt, ejusque bonum quærunt: non amore concupiscentiæ, quo se ipsos quærant; quod faciunt servi hominum. Hinc Deus de Davide ad Nathan ait: *Vade & loquere ad servum meum David.* 2. Reg. 7. quia *vir* erat *secundū cor Dei: faciēs omnes voluntates ejus.* Act. 13. Eodē titulo velut omnium speciosissimo cohonestavit Abrahamum Genes. 26. *Multiplicabo semen tuū propter servum meum Abraham.* Et Job c. 1. *Nunquid considerasti servum meum Iob.* Moysen Jos. 3. *Moyses servus meus mortuus est*, quasi diceret, ut ibi Cajetanus advertit, *mortuus est in statu servitutis meæ: quidquid erat, quidquid operabatur, meū erat: servus enim totū quod est, Domini est.* Hinc David eo titulo quasi gloriatur Psal. 115. *Domine! quia ego servus tuus sum, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Quasi diceret, non mercenarius, sed hæreditarius. Similiter & Paulus in Epistolis suis & S. Jacobus eum titulū sibi præfigunt: *Paulus servus Iesu Christi. Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi servus.* S. Agatha objecta sibi tanquam nobili genere natæ, Christiani nominis vilitate: *Multò nobilior est*, inquit, *Christianorum humilitas, Regum opibus ac superbia.* Denique tantæ dignitatis est hic titulus, ut S. Greg. M. Papa eum sibi usurpare non sit ausus, sed solummodò *servum servorum Dei* scribere se voluerit, quasi hæc magna dignitas sit, servire Dei servis.

Tertiò, quia Dei servitus facit nos Deo similes; 3.
similes dico, non æquales. Ita enim testatur Clemēs Alex. l. 7. strom. quod *sicut qui Homero dat operam, fiet poëta, qui Demostheni, orator: qui Chrysippo, Dialecticus: qui Aristoteli, Physicus: qui Platoni, Philosophus; ita qui paret Domino, efficitur ad Magistri imaginem, Deus, qui in carne versatur.* Quare sicut discipuli una cum doctrina Magistri induunt etiam mores & opiniones ejus, ut planè Magistrum suum repræsentent, sicut Elisæus Eliam Magistrum & dominum suum, cujus spiritum acceperat, ita servi Dei Deum in seipsis referunt. Quæ causa est cur Paulus & Barnabas à Lystrensibus pro Diis haberentur, Act. 14. quia divinum quid spirabant in vultu, voce, moribus, miraculis.

Has ob causas Deus servos suos ita honorificat, ut eundem ferè honorem ipsis impertiat, qui ipsi debetur. Etenim sicut templa ipsi ædificamus: ita voluit, ut non quidem Sanctis propriè (ut docet D. Thom. 2.2. q. 85. art. 2. ad 3.) sed ad memoriam Sanctorum servorum suorum templa & altaria erigeremus. Deinde festa Deo instituimus: similiter & Sanctis, sacrarum horarum officia Deo persolvimus, suo modo etiam sanctis, ut dixi. Quot verò quantisque miraculis Deus illos glorificat? nonne iisdem,

iisdem, quibus Christus à Patre glorificatus est, imò & majoribus, sicut ipse prædixit? Testatur id umbra Petri & semicinctia ac sudaria Pauli: chorda S.Francisci varios morbos sanans: aqua, qua idem manus & pedes abluit, pestem animalium depellens: imò fœnum, de quo jumentum ejus comedit, mulieri in partu periclitanti opem ferens. Asellus S.Petri Cælestini Papæ, cui impositus puer, utroque pede claudus mox sanatus est. Quid de reliquiis eorum? Quanto in honore etiam apud Reges non solùm eorum ossa, sed etiam attrita vestimenta, & quibus usi fuere, instrumenta sunt; sed de his alibi diximus. Jam quis unquam mundi hujus servus tanto honore affectus est quanto afficiuntur servi Dei?

Trip. in Dom. Trin. c.9.

II. *Nihil jucundius.*

II. Nihil ea jucundius. Quid enim jucundius quam esse cum Deo? At in hodierno Evangelio audimus dicentem Christum: *Ubi ego sum, illic & minister ejus erit.* In quem locum S. Augustinus tract. 3. in Joan. ait: *Gratis ametur ut operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo.* Hinc habemus primò securitatem sub tanto protectore, deinde spem mercedis æternæ, nihilo minus quam magnus ille Dei servus, Abraham, cui dixit Deus: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, Genes.15. Quod ad priùs illud spectat, quam lætus & securus degeres, si quemadmodum S.Cæcilia, vel S.Francisca Romana in tutelâ & custodiâ Angeli esses, qui assiduè te custodiret? Vel si leonem custodientem, in hostes verò tuos sævientem haberes, uti S.Daria in Lupanari inclusa & custodita à leone, qui salacem juvenem ad eam ingressum prostravit & pede calcans ipsam aspexit, quid fieri cum eo vellet expectans? apud Sur.25.Octob. similiter Joannes Silentarius Episcopus, defensus in cella à leone contra Alamundarum; qui adeò non timuit ingruentem hostem, ut cùm posset, fugere, nollet, sed diceret: *Si Deus mei curam non habet, quid vivo?* Sur. 13.Maji. Atqui tali protectione gaudent omnes servi Dei; Deus illorum protector est. Sensit hunc hyperaspisten suum Abraham inter barbaras nationes in omnibus necessitatibus suis; ut cùm ei Pharao abstulit uxorem: flagellavit enim Dominus Pharaonem ejusque domum propter ipsum, donec restitueretur ei Sara, interim ipse à Pharaone bene habitus fuit. Genes.12. Rursum quando Rex Abimelech eandem illi rapuit; Deo enim comminante restituere intactam compulsus est. Genes. 20. Tanti fuit apud Deum Abraham, ut flagellaret & corriperet pro eo Reges. Sensit eundem protectorem Isaac ejus filius, qui simile periculum cum uxore adiit. Gen.26 Et nepos Jacob, custoditus peculiari Dei præsidio ab insidiis Laban soceri Genes. 31. fratris quoque Esau, Gen.32. Illi enim præcepit Deus: *Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius*: hunc verò ex inimico in amicum, ex lupo quasi in agnum mutavit. Unde de illis dicitur Psal. 104. *Pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: non reliquit hominem nocere eis & corripuit pro eis reges.* Quid dicam de plagis Ægypti & submersione Pharaonis? quid de inclytis victoriis, impertitis contra Amalec, Chananæum, Sehon, Og, Reges; denique de 31. Regibus occisis propter Dei servos, Hebræos? Jos.12. Sed parva hęc sunt, si cùm ea protectione comparentur, quam habuere à Deo in tormentis Martyres novæ legis, summa animæ tranquillitate & incredibili gaudio supplicia omnia tolerantes; imò spernentes & deridentes nec non ad diriora Tyrannos provocantes. Marcus & Marcellianus fratres dicebant in tormentis: *Numquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Iesu Christi causa perferimus.* Tiburtius in candentibus prunis ambulans, *prunæ*, inquit, *mihi flores videntur.* Similiter & Eremicolæ extrema in paupertate variisque Dæmonum tentationibus summa pace perfruebantur, adeò ut eorum minas & verbera deriderent, veluti Antonius, aliique. Quis servorum hujus mundi tam jucundam ac securam vitam in deliciis vixit ut illi in certamine? Habent Reges hujus sæculi satellitum custodias, sed ab illis ipsis sibi timere, nolint velint, coguntur. Habuit Maximilianus II. Imp. & Joannes Austriacus leonem sibi morigerum & adhærentem pro custodia: sed non absque timore, ne ab ipso custode aliquando invaderentur. Lectum Salomonis 60. armati circumstabant propter timores nocturnos, Canticorum 3. Mithridates Ponti Rex somnum capiens, non modò satellitibus excubitoribus, sed etiam tauro, equo & cervo utebatur, ut in periculo suis vicibus insidiatores proderent. Ælian. lib.7.cap.76. Adeò misera est vel summorum Regum vita, ut nuspiam tuti sint. Denique mundi servis nunquam esse bene potest: quia sunt extra centrum suum, Deum: sicut brachium luxatum extra juncturam suam, aut piscis extra aquam: quemadmodum & columba extra arcam non invenit requiem. Quod ad alterum pertinet, quid jucundius esse potest, quam habere Deum pro mercede simul & fidejussore? *Ego*, inquit, *merces tua magna nimis.* Quæ major esse merces ipso Deo, summo bono, potest, & quam ipse Deus *magnam nimis* appellat? Solent enim magni viri parvi æstimare, etiam quæ vulgus maximo loco habet. Est ergò merces infinita, omnium bonorum aggregatione perfecta, mensura coagitata, superfluens & æterna. Quam lætantur milites, cùm magnæ prædæ spe ad expugnandas opulentas urbes incitantur? At illi tamen spe sua sæpe sæpiùs frustrantur. Jam *sit aliquis*, inquit S Chrysostomus homil.18. ad pop. *bona fretus conscientia ad futura anhelans, & expectans beatam illam spem; quis hunc, quæso, poterit in tristitiam adducere?* Ad hæc igitur Abbas Apollo suos crebrò adhortans dicebat: *Tristentur mundani, tristentur Iudæi, tristentur peccatores, qui aliam spem non habent: nos verò, qui tanta spe cœlestis gloriæ digni habiti sumus, quomodo non perpetuò lætabimur?* refert Palladius in histor. Lausiaca cap. 12. qui addit

dit

dit: *Vnde licebat eos videre exultantes in ſolitudine, adeò ut nullum hujuſmodi exultationem in terra videre liceat, nec lætitiam corpoream, neque enim erat inter eos aliquis mœſtus.* Quod idem de S. Antonio prædicat S. Athanaſius in ejus vita. Jam verò quid mundus pro mercede ſuis ſervis dat? Qui ſervi non queruntur nimis anguſtam, ſæpe & incertam, quandoque etiam ſubtractam ſibi eſſe mercedem ſuam? Quemadmodum enim venatores cani venatico, poſtquam is perdicem, coturnicem vel leporem cepit, non dant niſi fortè caput aviculæ, vel cruorem leporis: ſic domini hujus mundi non niſi viliſſimam & modicam dant ſervis ſuis mercedem, quorum opera ipſi interim ditantur. Blandiuntur initio canibus venatores, donec prædam apprehenderint; quo facto feſſis & anhelantibus captam è dentibus eripiunt. Sic Veſpaſianus Imperator rapaciſſimos quoſque ſuos promovebat ad quæſturas; ut rapinis repletos raptor ipſe expoliaret; unde dicebatur Quæſtoribus ſuis uti pro ſpongiis, quas primò impleret, deinde impletas exprimeret. Suet. Sabell. l. 3. Enn. 7. Neque dicat aliquis mercedem ſervorum Dei diu expectandam eſſe. Quam multi enim ſervi expectant mercedem ſuam uſque ad mortem heri ſui! tu igitur expecta mortem tuam, quæ non longè abeſt, & forſan hodie aut cras aderit.

III. Sed forſan Dei ſervitus utilis non eſt? Imò nihil ea utilius, quod etiam indicant citata Chriſti verba: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Quid enim ille non habebit, qui Chriſtum ſecum habet? Luc. 22. c. interrogavit Chriſtus poſt ultimam cœnam ſuos diſcipulos: *Quãdo miſi vos ſine ſacculo & perâ & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* At illi reſponderunt: *nihil.* Magna & mira res, nullâ re eguiſſe cum paupere patrefamilias in ſumma egeſtate! Quis hoc etiam ditiſſimus in mundo dicere poteſt, nihil ſibi defuiſſe aliquando? Quò enim major & potentior quiſque eſt, eò pluribus non tantùm ſervis, ſed & aliis rebus indiget. Soli igitur Dei ſervi dicere poſſunt nihil ſibi deeſſe, unà cum Davide Pſalm. 22. dicente, *Dominus regit me* (Hebr. & Græc. *paſcit me*) *& nihil mihi deerit.* Quid enim ei deeſſe poteſt, qui Deum paſtorem ſecum habet? Unde S. Fulgentius navigationem longam iniens & nullos ferè ſumptus ſecum ferens, in Deo ſpem ſuam ponens, illum Pſalmi verſiculum ſuaviter cantabat: *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.* In vita c. 12. Similiter & S. P. noſter Ignatius Jeroſolymam navigaturus, non niſi panes aliquot, quia nauta ſic juſſerat, navi impoſuit, interim ob hoc ipſum ſuam in Deum diffidentiam redarguit, & nummos in portu reliquit. In vita libro I. Quod enim inconſtanti & rebelli populo propter aliquos bonos præſtitit Deus in deſerto, ut quadraginta annis eos paſceret & nihil eis deeſſet (2. Eſdr. 9. v. 21.) quomodo non præſtabit ſervis ſuis fidelibus & morigeris? Quæramus ex Petro: Cur in monte Thabor Chriſto, Moyſi & Eliæ duntaxat tabernacula ædificare voluit; ſibi autem & ſociis nullum? Reſpondet Abulenſis quæſt. 64. quia non dubitavit ſe & ſocios ſuos manſuros cum Chriſto in ipſius tabernaculo: quia ipſe dixit: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Non contingit hoc ſervis aliorum dominorum, non aſſident heris ſuis in cõviviis & lecticis, non cubant iiſdem lectis: ſed pedibus ſequi currum heri coguntur, foris oſſa rodere, in ſcamno cubare, in ſtabulo manere. Deinde quod labore ſuo lucrantur, non ſibi ſed hero lucrantur: quod metunt & vindemiant, non ſibi ſed hero quærunt. At non ita ſervi Dei, qui ſimiles ſunt fratribus Joſephi, ementibus frumentum, & pecuniam pro eo expenſam ſimul in ſacris frumentis plenis ſecum reportantibus, Gen. 42. Quidquid pro cœlo expendimus, in nos redundat unà cum beatitudine: honor, gloria, fama, augmentum gratiæ, &c. inferunt ſecum merita.

Denique ſervi hominum exiguo valde tempore fruuntur bonis herorum; nam ſi ægrotare incipiant, deſeruntur aut ejiciuntur: poſt mortem verò ab eis nihil ampliùs ſperare poſſunt. Unde bene Aulicus quidam Eduini Angliæ Regis, licet adhuc Ethnicus, comparavit Regum ſervos paſſeri volanti in hyeme ex aurâ frigidâ per calefactum triclinium, qui dum per illud tranſvolat, nonnihil calefit & paſcitur nidore ciborum, verùm ob inſidias mox per alterum oſtium cogitur evolare. In vita ſancti Paulini Eborac. Epiſcopi apud Surium 10. Octob. Si nimirum ſervi è frigore miſeriarum intrant in domos magnatum, ubi paululùm refocillantur, nidore potiùs quam guſtu menſarum, (warmen ſich ein wenig) & mox iterum vel evolant in priſtinam miſeriam, vel ob unicum delictum extruduntur poſt præſtita obſequia. Non ita ſervi Dei; quia *ubi ego ſum, illic & meus miniſter erit*, ait Dominus; ergo & in cœlo. Horum enim merces vera in morte primùm incipit, juxta id Pſalm. 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filii merces.* Servi enim Dei ſunt etiam ejus filii, qui manent in domo in æternum. Joan. 8. Nil igitur melius quam ſervire Deo. Unde ſanctus Antoninus moriens crebrò ingeminabat illud: *Servire Deo regnare eſt.* (ut habetur in ejus vita 2. Maji apud Sur.) quaſi jam tunc apprehendens deſideratam prædam & mercedem ſervitutis ſuæ; quam & nobis largiatur is cui ſervimus, Dominus noſter.

Vide exẽpla in Tri. hoc F. c. ult.

THEMA III.

Eleemoſyna commendatur.

I. *Quia eſt monile & torques nobilium.*
II. *Eſt ludus pilæ.*
III. *Eſt puteus inexhauſtus.*
IV. *Eſt ſemen ſeu granum frumenti.*

Niſi

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Joan. 12.

Eſt utique res utilis generi humano ſpargere in terram ſemen. Et tamen ubi ſparſum eſt, mox advolare ſolent aves & ſemen ſparſum carpere atque devorare. Pari modo utiliſſima res eſt eleëmoſyna, ea tamen ubi ſparſa eſt, patitur inimicos, qui eandem carpant, vel diſperſæ indignentur. Senſit hoc Laurentius, qui velut theſaurarius Eccleſię, juſſus à Valeriano Imperatore depromere theſauros, diſperſit eos in pauperes. Unde in tantum exarſit Imperator, qui jam camelos & currus ad avehendos theſauros adduxerat, ut exquiſitiſſimis pœnis torquere eum ſtatuerit. Nimirum Laurentius *diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Peccator* verò Valerianus, *videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet*; ſed *deſiderium peccatorum peribit*. Pſ. 111. Ipſe demùm Sapori Regi Perſarum ſcabellum pedum factus eſt vivus excoriatus eſt, ut alibi dictum. Itaq; ad ſolatium eorum, qui Laurentii exemplo ſua liberaliter communicant pauperibus, videamus quam id ſalutare ſit.

Trip. Dom. 4. poſt Epiphan. c. 3. R

I. *Eſt monile & torques nobilium.*

I. S. Chryſoſtomus homil. 36. ad pop. Antioch. appellat hanc liberalitatem ſeu eleëmoſynam *monile & torquem nobilium. Sicut divitum liberi*, inquit, *monilia circa collum aurea geſtant, nec unquam deponunt, ſed tanquam nobilitatis inſigne circumferunt; ſic & eleëmoſynam, chariſſimi, oportet nos ipſos ſemper induamus, oſtendentes quòd miſericordis patris ſimus filii.* Sic enim Deus dixit Lucæ 6. *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.*

Facit ergo primò eleëmoſyna hominem Deo ſimilem; dum enim ille miſeros in vitâ conſervat, fit eis quaſi Deus, ut dixit S. Greg. Nazianz. orat. de curâ paup. *Fias infortunato Deus*, inquit, *miſericordiam Dei imitando.*

2. Notat hominem charactere electorum, quaſi unum ex illis, cœlo adſcriptis; quod etiam tangit Eccleſ. c. 17. *Eleëmoſyna viri quaſi ſignaculum cum ipſo.* Antichriſtus ſignabit ſervos ſuos charactere beſtiæ in dextera manu. Apoc. 13. ſed in manu contracta, ſterili & avara, qualem deſcribit Chriſtus Matt. 25. *Eſurivi & non dediſtis manducare, &c.* Chriſtus viciſſim ſignat ſuos charactere ſuo in manu extenſa erga pauperes, fœcunda & liberali juxta id: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare, &c.*

3. Gloriam homini etiam in hoc ſæculo parit; quod indicat Sapiens Prov. 3. *Miſericordia & veritas te non deſerant: circumda eas gutturi tuo & invenies gratiam coram Deo & hominibus.* Nil magis quærunt potentes, quam evehere nomen ſuum. Hoc autem multò melius & ſolidius facient, conferendo eleëmoſynas in pauperes & opera pia, quam qui turrim Babel extruere conati ſunt ad celebrandum nomen ſuum, ut oſtendit ſanctus Chryſoſtomus in Geneſ. capite 11. *Sunt multi*, inquit, *etiam hodie, qui illos imitantur & talibus operibus celebrari volunt, qui ſplendidas domos ædificant, & lavacra, & porticus, & deambulacra: quorum ſi aliquem rogaveris, quare ita laboret, tam miſer ſit, tantoſque pecuniarum faciat ſumptus, eoſque inutiles: nihil aliud audies, quam hæc verba, ut immortalem ſervet memoriam, & audiat quod illius eſt hæc domus, illius hic ager. Sed hoc non eſt tam laudem, quam crimen ſibi parare. Nam ſtatim ad hæc ſubjungentur pluri̇marum contumeliarum verba: Domus hæc hujus eſt, hujus avari, hujus rapacis, viduarum & orphanorum ſpoliatoris, &c. Quòd ſi omninò æternam memoriam amas, ego tibi viam monſtrabo, qua poteris ſemper celebrari, & quæ dedit tibi fiduciam in futuro ſæculo, &c. ſi has pecunias in manus inopum diſpenſes, &c. Hæc memoria immortalis, &c.* Pompæ aliæ in veſtitu, famulorum caterva, opiparis menſis, equis, canibus, divitias prædicant, non divites, & habentur etiam ab aliis ac ſplendidiùs quidem: poſt mortem evaneſcunt. Longè melius eleëmoſynarii nomen ſibi pariunt, uti ſanctus Laurentius, qui de theſauris interrogatus, numeroſum gregem pauperum produxit dicens: *Ecce iſti ſunt theſauri*; quem maxima ſua gloria imitatus eſt dux Sabaudiæ, ſanctus Amedeus, qui à Legatis quibuſdam interrogatus, an canes etiam venaticos haberet, aſſeruit, & altero die magnum pauperum, quos alebat, gregem produxit: *Hi ſunt*, inquiens, *canes mei, quibus cœlum me venaturum ſpero: qui ſi alios canes alerem, unum leporem aut cervum centum aureis deberem comparare.* Ægid. Corozetus de dict. & fact. memor. Quanto major eſt hæc gloria Amedei, quam illius Ducis Sileſiæ, qui teſtamentum condens egregiam domum ædificari curavit, in qua canes, qui utiles venationi fuiſſent ob ſenectam & corporis debilitatem à ſuis relicti dominis, uſque ad mortem alerentur, deſignatis ad eam rem etiam agris, teſte Ænea Sylvio libro 4. in Com. Panorm. c. 6. Quid enim hic ſuis canibus venatus eſt, niſi ludibrium & immortale dedecus? Et quid aliud venantur, qui in pompam ſæculi, in convivia, veſtes, perſonarum metamorphoſes quamplurima impendunt? At de miſericorde dicitur Pſal. 111. *In memoria æterna erit juſtus: ab auditione mala non timebit.*

II. Clemens Alexandrinus libro 1. pædagog. comparat eleëmoſynam ludo pilæ, in quo pila projecta per verberationem redit ad eum, qui projecit. In hoc ludo inprimis eſt datum & acceptum, nam unus projicit pilam, alter eam repercutit: ita homo dat bona ſua pauperi, & pauper bona data repercutit ac compenſat bonis aliis. Unde Eccleſiaſticus cap. 14. divites ad eleëmoſynas hortans ait: *Da & accipe, & juſtifica animam tuam.* Habent aliquid divites, quod non habent pauperes, pecuniam videlicet, veſtes, cibos. Viciſſim habent aliquid pauperes, præſertim religioſi & pii, quod non

haben

habent divites, ſcilicet oculos illuminatos, doctrinam, merita, preces efficaces & nervoſas, tabernacula in cœlis ædificata. Ergo faciant commutationem bonorum ſuorum. Ita in Græcorum fabula cæcus claudum geſtavit, & ſic ambo pergere potuerunt. Pauperes ſunt claudi, divites ſunt cæci. Iſti ſuis opibus inopiam illorum ſublevent; illi ſuis meritis, doctrinis, conſiliis, precibus cæcutientes divites in cœlum dirigant. Sic monet Apoſtolus 2.Cor.8. *Veſtra abundantia illorum* (pauperum) *inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Quod ſi pauperes in hac vita ditare poſſunt opulentos, multò tamen magis ditati jam in cœlo & poſſidentes æterna tabernacula; quod ſanè S.Laurentius præſtitit Imperatori cuidam Conſtantinopolitano, qui, ut refert B. Petrus Damiani l.8.Epiſt. ep. 5. ad Petrum Senatorem urbis, cùm cæcus eſſet, monitus eſt per ſomnium, ut adiret Eccl. S.Laurentii, quæ eſt Romæ. Quo dum abit, jubet eum conjux per ambages circumduci & detineri per vicinum mare, interim Conſtantinopoli ædificat ſancto Laurentio Baſilicam; qua perfecta jubet maritum reduci, quaſi ad Romani S. Laurentii templum; ſicque ille mox ut pedem in id intulit, putans eſſe Romanum S.Laurentii, recepit viſum.

Deinde in ludo pilæ eſt jucunda quædam recreatio. Ita & in miſericordia, teſte Pſalmiſta Pſ.111. *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat.* Unde S.Cyprianus ſerm. de eleëmoſyna, vocat eam *grande ſolatium credentium.* Quis enim non percipiat ſolatium & lætitiam, cùm videt pauperes è manu ſua refocillatos, recreatos, lætitia perfuſos, è mœrore & eſurie ereptos? Turcis maxima conſolatio eſt & gaudium, emere captas aviculas & libertati reſtituere; quæ ubi dimiſſæ præ gaudio cantillant: *ecce*, inquiunt, *quomodo gaudent & gratias agunt?* teſte Busbequio in ſua Legat. Quanto magis lætari Chriſtianus debet, quando homines captivos redimit, famelicos paſcit, pauperes Eccleſias veſtit & ornat?

III. Sanctus Baſilius homilia in divites Lucæ 12. Puteo comparat eleëmoſynam. Audiatur ipſe: *Putei continuò exhauſti, & copioſiore & pulchriore admodum fluunt aqua, neglecti verò & quieti facilè putrent: ſic & opes conditæ quieſcenteſve, inutiles, motæ autem & tranſlatæ, publicum commodum & fructum pariunt, quarum gratia ô quanta tibi laus ex iis, qui beneficium acceperunt, proveniet?* Idem atteſtatur Iſaias cap.58. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam, &c. eris ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Negant Mathematici fontem effici poſſe, qui aquas emittendo eaſdem recipiat, quas iterum evomat, ita ut continenti aquarum eductione reductioneque perennis ſit. At hoc eleëmoſynarum proprium. Licet enim fontes divitiarum in pauperes erogentur, rurſum ita in dantes immittuntur, ac ſi nunquam effuſi fuiſſent; itaque ſemper erit materies dandi nova. Teſtem adduco Salomonem, qui Proverb.19. ait: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Poſſet id oſtendi plurimis exemplis veteris & novi Teſtamenti, ſi opus foret. In veteri nonne hydria farinæ & lecythus olei mulieri Sarephtanæ, quæ paverat Eliam in ſumma egeſtate, ſtillavit ſemper, donec pluvia immiſſa eſſet terræ poſt diuturnam ſiccitatem. 3.Regum 17. Addit præclarum aliud, (quod neſcio cur in margine appelletur fabula) Georgius Cedrenus in hiſt. Compendio de quodam Iſraelita, qui inter abductos à Salmanaſar Rege unus, dives & avarus fuit. Hic cum ſacerdotem conveniſſet, ea, quæ dixi verba (*fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis*) legentem, pœnitentia ductus omnia ſua pauperibus diſtribuit: duobus tantùm nummis aureis ſervatis. Ad ſummam ergo redactus pauperiem, iter Hieroſolymam inſtituit, ut cum Deo coram ageret, & quaſi deluſus fœnus id repeteret. In itinere obvios habuit, duos mendicos inter ſe contendentes de gemma, quam invenerant, ſed pretium ignorabant, colorem tantum admirabantur. Reprehendens ergo illos offert eis duos, quos, retinuerat, nūmos aureos pro gemma & litem dirimit. Eam aurifici, mox Pontifici oſtendit, qui edoctus ab Angelo, gemmam eſſe ex Pontificali Ephod amiſſam, magnoque auro redimendam; numerat aurum Iſraelitæ, ſimulque alapam impingit dicens: *Hæc Angelus Domini me tibi nunciare juſſit, ut pro bonis in pauperes diſtributis triplum tibi divinitùs redditum agnoſcas, neve Deo amplius diffidas.* Ille gaudio plenus diſceſſit relictis ad divinum cultum omnibus. In novo habemus innumeros, è quibus multos alibi produximus; inprimis verò celeberrimum illum S. Joannem eleëmoſynarium, qui cum Deo quaſi certabat liberalitate, an ipſe plus in pauperes expendere, an Deus refundere poſſet, uti notum eſt.

IV. Sanctus Paulus 2.Corinth.9. comparat eam ſemini, ſeu grano frumenti, de quo in hodierno Evangelio: *Qui parcè ſeminat*, ait, *parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus*, *de benedictionibus & metet*, id eſt, qui liberaliter dat, liberaliter etiam accipiet. Seminant agricolæ frumentum hoc anno, altero metunt & cum fœnore multiplici. Eleëmoſynarii ſeminant in hoc ſæculo, metent in altero copioſiſſimè. Audiamus S Baſilium orat.13. de eleëmoſyna & benignitate: *Quemadmodum frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit: ſic & panis in eſurientem projectus multam in poſterum tibi reddet utilitatem.* Et Chryſoſtomus homilia 55. in Gen. *Si agricolæ penu ſuum evacuant & ſemina terræ concredunt, & collecta diſpergunt, idque cum voluptate faciunt ſpe majora recipiendi ſe ſolantes, & quamvis ſciant, quod aëris intemperies nonnunquam & terræ ſterilitas & alia multa accidentia, ut locuſtarum exercitus & rubiginis inſidiæ, ſpe excidere faciant, attamen bona ſpe ſeſe alentes, ea quæ ſunt in promptuariis collecta, terræ concredunt; multò magis nos, quæ abſque uſu recondita ſunt*

IV. *Eſt ſemen ſeu granū frumenti.*

dispergere in pauperum usus & educationem convenit. Poterat Adam, primus agricola, dubitare prima seminatione de proventu sementis: sed post tot experimenta nullo modo. Quot verò argumenta habemus retributæ eleëmosynæ? Quare sicut sementis non fit propter terram, sed propter satorem, ut inde alatur: ita eleemosyna non tam pauperi, quam diviti danti prodest. Ita S. Chrysost. homil. 37. Ad Antioch. pop. occurrens objectioni divitum, quod pauperes aliunde à communibus Ecclesię bonis juvari possint, respondet: *Nescio, quod non tam propter pauperes eleëmosynam Deus, quam propter ipsos impendentes instituit?* Unde idem homilia 33: scripsit super hoc argumento, quod eleëmosyna sit ars omnium quæstuosissima. Nam aliæ artes omnes aliorum indigent adminiculo, v. g. agricultura eget fabrili, carpentaria, lignaria, coriaria, &c. at eleemosyna simul omnia præstat & cum fœnore refundit, si vel duo minuta, quæ habes, des. Multi dicunt se non posse vendere vinum suum. Quid? Ecur non convocant pauperes & distribuunt in illos? Illis enim vendere possunt, & quidem maximo pretio; si non hoc in sæculo, (quod non desiderandum,) certè in altero illo certissimè numerando. Vidimus quantum omni ex parte bonum sit eleëmosyna. Desideratis enim bonum honestum? Ecce est vobis torques & monile aureum. Desideratis jucundum? Est vobis fons bonorum perennis, fœcundus in hac vita & in futura messis millecupla. Ergo seminate, non curate aves semini huic infestas, ut ibi cum gaudio metatis.

THEMA IV.

Dilectissima quæque odio habenda, cùm à cœlo nos impediunt.

I. Conjuges.
II. Parentes.
III. Filii.
IV. Mundi favor & honor.
V. Opes & divitiæ.
VI. Formæ pulchritudo.
VII. Amor vitæ propriæ.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.
Joan. 12.

MIra quidem videtur hæc Christi doctrina: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; ea tamen adeò vera & perspicua est, ut vel rustici eam intelligant. Etenim si interroges eos, quamobrem grana tritici, è quibus optimas placentas, optimum sibi panem possent cōficere, projiciant in agrum adeoque in lutum, ubi macerabitur ac morietur, respondebunt illi, hos sibi plurimùm prodesse, quod è paucis granis, in agrum abjectis, brevi plurimam messem sperent. Hunc ferè in modum etiam respondit S. Agatha Quintiano præsidi, cùm inter tormenta incredibili exultaret gaudio. Dicebat enim: *Ut frumentum nisi palea nudatum tutò in horreo conservari non potest: ita nec anima mea tuto cœli penetralia prius subire potest, quam corpus hoc variis affectum suppliciis fuerit.* Ut in ejus vita 5. Febr. Quemadmodum ergo granum projiciendum est in agrum, ut cum fœnore resurgat: rursum flagellis tundendum, ut à palea separetur, sicque in horreo repositum conservetur: sic & homo in hac vita variè mortificari & cruciari, ac quicquid ipsi amore terreno adhæret, exuere debet, ut vitæ æternæ particeps fiat. Neque enim terrena simul & cœlestia amari & possideri queunt. Itaque qui his gaudere vult, illis se denudet, omniaque salutis impedimenta eliminet odioque habeat. Horum vero potissima nunc videamus.

I. Inprimis negari non potest, conjuges sibi invicem sæpe impedimentum esse salutis, & causam perditionis. Scimus enim Adamum natura & gratia integerrimum, à sua Eva in divinæ legis prævaricationem suaviter illectum, indeque in exilium expulsum esse: Samsonem fortissimum à sua Dalila deceptum & Philisthæis traditum, indeque in miseram servitutem impulsum: Salomonem sapientissimum à suis uxoribus dementatum, uti & Achabum à sua Jezabele, adeò, ut illarum Idola colerent: Herodem ab Herodiade eversum. Valens Imp. uxoris lenociniis à Catholica fide ad Arianam pertractus est, ut in vita S. Basilii 1. Jan. Ottocarus Bohemiæ Rex ad rebellionem contra Rudolphum Imp. indeque ad ruinam, apud Gerardum de Roo. Sæpe etiam uxores seu fraude seu imperio in peccatum trahuntur à viris. Quid igitur hic consilii? nil aliud, nisi ut conjux odio habeatur, increpetur compescatur, & si alia via evadendi non sit, deseratur potiùs quam Deus. In hoc enim casu *qui non odit* uxorem, *non potest meus esse discipulus*, ait Dominus Lucæ 14. Et, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te; & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te.* Matthæi 18. Præstat enim amittere membrum unum, quam totum corpus & vitam. Ita sapuit Job, qui uxori rem detestabilem suadenti respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Job. 2. Idem fecit sanctus Saturus ab Arianis in persecutione Wandalica captus, ut aliàs dixi. Vicissim beata Natalia cum Hadrianum conjugem sub Maximiano captivum, vidisset è carcere domum redeuntem, putans eum fidem negasse, ideoque è vinculis dimissum, domo exclusit summa indignatione, perfidumque appellavit. Ubi verò intellexit eum, corruptis pecunia custodibus, ideò solum venisse, ut ipsam ad certamen suum spectandum invitaret, Deo gratias agens, virum ad carcerem prosecuta est, ibique

tonsis

tonsis capillis, virili habitu ei servivit, quin etiam pedes manusque viri, super incudem amputandas extendit, ipsum strenuè confortans usque ad beatam mortem. Ut in vita S. Hadriani, 4. Martii.

II. Sæpe obstant parentes saluti filiorum, cæco quodam amore ducti, uti pater S. Francisci, & mater S. Thomæ Aquinatis, retrahentes filios à perfectionis statu: pater Josaphati, apud Damascenum, & sanctæ Barbaræ apud Sur. 4. Decemb. impedientes eos à fide Christi. Contra hos est, quod dicitur Deut. 33. *Qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos, & fratribus suis ignoro vos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum.* Loquitur de Levitis, qui ad Dei præceptum occiderunt in turba etiam proprios parentes Idololatras, adoratores vituli aurei. Exodi 32. Igitur in hoc casu odio potiùs haberi, quàm amari debent; quia plùs amandus Deus & propria salus. Arist. 9. Eth. c. 2. cùm multa de filiorum erga parentes obligatione dixisset, asserit tamen, si filius ægrotet, magis eum medico obtemperare debere in iis, quæ ad sanitatem conferunt, quàm parentibus. Multò igitur magis Deo, cum de salute filii æterna agitur, cui longè plus obligatus est filius, quàm parenti. In cujus rei documentum Christus insciis parentibus remansit in templo; magis obtemperans Patri suo æterno: cumque de hujus obedientia agebatur, matrem appellavit mulierem: non matrem. Discipulo etiam illi, qui ad paternas exequias abire volebat, dixit: *sine mortuos sepelire mortuos suos.* Luc. 9. Sic oderat parentes S. Franciscus, ut dixi, patri sibi obstanti, non solùm omnia cedens, sed etiam vestem adjiciens. ut veriùs posset dicere: *Pater noster, qui es in cœlis.* S. Thomas Aquinas cum ordinem S. Dominici esset ingressus, à matre intercipi jussus & inclusus, quò religioni nuntium mitteret, ejus jussa contempsit, ut Deum vocantem sequeretur. S. Barbara ab impio patre dira quæque tormenta & mortem denique ipsam sustinere maluit, quàm impio ejus postulatio parere. Sic alii quàm plurimi.

III. Non raró filiorum amor avocat parentes à virtutis tramite. Sensit hoc Heli, qui nimium indulgens filiis, Deum offendit, ideoque cum illis morte subita plexus est: ipse domi ex sede corruens, filii in prælio occisi; quia *magis honorasti filios tuos, quam me*, ait ei Dominus 1. Reg. 2. Quam ob causam Ecclesiasticus c. 32. monet parentes, *Et à filiis tuis cave*; ne scilicet amore eorum abducaris ab amore Dei. Summus sacerdos olim debebat quidem in pectore gerere nomina filiorum Israel; at nomen Dei in fronte & capite. Exodi 28. docens amandos quidem & in corde gerendos esse filios: sed magis amandum Deum, & supremo loco habendum. Vaccæ illæ, quæ trahebant Arcam fœderis in plaustro, pergebant recto itinere in Bethsames, tametsi audirent mugientes in stabulo vitulos; ac licet ipsæ moverentur affectu vitulorum adeoque etiam mugirent, non tamen idcircò à progressu se retineri permiserunt. 1. Reg. 6. Hunc in modum parentes, cùm ad Dei voluntatem perficiendam vocantur, spernant odioque habeant liberos, sibi quomodocunque obstantes, nec audiant eorum vagitus, ac licet affectum naturæ sentiant, superent tamen per gratiam. Præclarum hujus rei & heroicum planè exemplum in civitate Tyburbitanorum, sita in Mauritania, edidit S. Perpetua, quæ cum ob fidem Christi in carcerem missa esset, venerunt parentes & vir ejus cum lachrymis ei suadentes, ut Præsidi consentiret, parvulum quoque ipsius lactentem ad collum ejus jactarunt: illa verò fortissimo animo parvulum abjiciens, & parentes ac virum contemnens, in Christi confessione invictissimè perstitit: sicque vaccæ primùm (appositè, quia nimirum ipsa vaccis illis vitulos spernentibus similis erat) objicitur, à qua graviter quidem percussa, ictum non sentit, extra se posita; deinde à leone occiditur. Ut in ejus vita 7. Martij. Baron. anno 205. Quis hanc matrem satis laudet?

IV. Retrahit multoties mundi favor & honor delatus; quis enim non movetur honore? Motus certè Antiochi Regis impii favore & promissis Judæus quidam resiliit à patriis legibus & sacrificavit Idolis in civitate Modin. Sed non movebatur Mathathias, ad idem faciendum provocatus, quinimò Judæum illum trucidavit super aram. 1. Machab. 2. Intellexit Moyses adhuc infans non commutandam gloriam, quæ à Deo est, cum ea, quæ ab hominibus venit: ideoque coronam sibi à Pharaone impositam, sensim delabi de capite passus, pedibus calcavit, ut scribit de eo Joseph. lib. 2. Antiq. c. 2. Simili modo S. Pionius & socii martyres, coronas, quas persecutores illis imposuerunt, descriptas abjecere 1. Feb. Sur. Athanasius quoque adolescens à monasterio à patre extractus, ut mundo serviret, & sericis vestibus ad sæculi pompam ornatus, eas semel iterumque dilaceravit, sicque tandem parentem vicit & propositum suum tenuit. In vita S. Nicetæ 3. April.

IV. *Mundi favor & honor.*

V. Abstrahunt opes & divitiæ cùm ad suadendum peccatum vel auferuntur vel offeruntur; uti Balaamum illum a Dei mandato sibi injuncto. Numer. 24. vers. 14. sed profectò ipsius malo; nam aurum accepit, & vitam animamque perdidit, occisus in prælio inter Madianitas. Numer. 31. Quis tam stultus est, ut non malit perdere aurum quam vitam? *Narravit quidam Patrum*, (ita scribit Moschus in Prato spirit. cap. 203.) *quòd aliquando lapidarius quidam habens lapides pretiosissimos & gemmas & margaritas, navem conscendit cum filio suo peregrè ire cupiens & negotiari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quendam, qui erat in navi, diligere, qui illi quoque in navi ministrabat, & ipse etiam ab eo reficiebatur comedens ex his, quæ ille comedebat. Die verò quadā* audi-

V. *Opes & divitiæ.*

audivit nautas puer submurmurantes inter se, & statuentes illum in mare projicere, pretiosorum lapidum causa Venit autem puer ille mærens ad virum prædictum, ut ex consuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mæstus es, fili? Ille verò dissimulabat dolorem & tacebat. Rursum interrogavit eum dicens: Dic mihi veraciter, quid habes? Tunc ille erumpens in fletum ait illi: Sic & sic consilium fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Vtique sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc advocans filios suos dixit eis: Quodcunque dixero vobis impigrè, & absque ulla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cœpit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cùm tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cùm omnia explicuisset & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est? propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilq; mecum ex isto sæculo fero? Dixit autem filiis suis: projicite in mare ista omnia. Mox itaque ut locutus est, tulerunt ea & in mare projecerunt. Porrò nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes. Vidit hic lapidarius præstare gemmas amittere quam vitam: & non videat Christianus, præstare opes perdere quam vitam æternam? *Abite pessimæ divitiæ,* (dicebat Crates ille Thebanus, cùm aurum suum in mare abjiceret) *ego vos mergam, ne à vobis mergar*. Philostr. in vita Apollonii, Diocles & alii.

VI. *Formæ pulchritudo.* VI. Impedit nonnunquam formæ elegantia, quæ ad insaniam deperitur, trahitq; possessorem sæpe in salutis pericula, de qua Petrarcha l. 8. de Remed dial. 2. *Tu, qui in corporis pulchritudine gloriam tuam constituis, habes hostem tuum domi delectabilem & blandum: habes raptorem quietis, tortoremq; perpetuum, habes materiam laboris uberrimam, discriminum causam, fomentum libidinum, nec minorē quærendi odii, quam amoris aditum. Habes laqueum pedibus, velum oculis, alis viscum &c.* Senserunt partim insidias, uti Sara, Genes. 12. partim damna, uti Dina, Genes. 34. propter formę pulcritudinem quam plurimi. Castus etiam Joseph insidias graves passus est à domina sua, ob eandem causam, ac licet victor existeret, in diuturnum tamen carcerem compactus est, Genes. 39. Quid igitur? nonne præstat vultum deformare, quam animam? *Interroga jumenta*, ait Job capite 12. *& docebunt te.* Hebr. habetur: *Interroga Behemoth*, hoc est, *elephantes*. Et quid docent illi? Cùm venatores eos insequuntur propter eburneos dentes (quod ipsi advertunt) ecce tibi dentes illos allidunt & excutiunt ad arbores, ut venatores capto ebore persequi eos desinant, teste Plinio libro 8. capite 3. Præstat sanè dentes quantumvis speciosos perdere quam vitam. Præclaro & inaudito facinore hoc idem imitatus est S. Bernardus Calvonius dictus, Abbas SS. Crucium, qui forma admodum decorus, cùm castrum quoddam ad rem divinam faciendam intraret, feminæ aliquot curiosiùs eum aspexêre, inter quas una dicere non erubuit se amore ejus ardere ob liberalem ejus formam, & inprimis ob miram dentium albedinem; quod idem aliæ confirmabant, mirantes quomodo absque impensa opera tam nitidos dentes haberet, cùm ipsæ tales multa industria facere sibi non possent. Eo intellecto Abbas de passionum mortificatione concionem habuit, explicans id: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Divina ergo inspiratione permotus, lapide, qui propè jacebat, accepto omnes sibi dentes excussit, eosque in feminas illas projecit; simul turpia earum desideria reprehendens dixit: *Respicite miseræ pulchritudinem dentium, qui jam nihil aliud sunt, nisi ossa putrida sepulturæ, sicut hæc pulchritudo mea, quam laudatis ita; in cibum vermium tandem convertenda est. Potiùs igitur spirituales orationis dentes quærite, qui cibum animæ digerunt, vitamq; castam, honestam & virtuosam ducite, ut sic tabernaculum & templum, in quo Deus inhabitet, efficiamini.* Miratæ plurimùm mulieres, confusæ ac contritæ, secretò remissionem ac contritæ, secretò remissionem ac pœnitentiam ab eo cùm lachrymis petierunt, duæ verò ex ipsis præcipuæ religiosum statum amplexæ sunt. Doluerunt ea de re fratres ejus, quod jam difficulter cibum sumere & loqui posset; sed ipse respondit, majus fuisse damnum, quod ex ejus dentibus homines capiebant, Deum sibi posse remedium afferre: quod & factum, nullum enim defectum inde sive in loquela, sive in comestione passus est. Refert Chrysostomus Henriquez in Fasculo SS. Ord. Cisterc. libro 2. dist. 9. cap. 3. Huc referri possunt S. Alexander Episc. qui in juventute ob formæ elegantiam, ne in mundo perriclitaretur, carbonarium egit, in vita S. Gregorii Thaumat. 17. Nov. S. Brigida Scotiæ Virgo, quæ ut nuptias effugeret, precibus à Deo impetravit ut alter oculus ejus creparet ac difflueret. Sur. 1. Febr. S Andragisina, ut lepram contraheret decora ejus facies, similem ob causam. Sur. 9. Febr.

Trip hoc F.C. 7. E.

VII. Amor vitæ propriæ trahit potentissimè & abstrahit à Deo, cum in salutis periculo versamur. Verùm Christus constanter ingerit: *Qui amat animam suam* (hoc est, vitam suam) *perdet eam*, propter fidem scil. & amorem meum, ut vitam consequatur æternam pro temporali. Quid non faciunt ac patiũtur captivi, ut è carceribus eluctentur, adeoque vitam servent? Egesistratus Eleus, ut refert Plutarch. in Laconicis, à Lacedæmoniis captus & in vincula conjectus, cum se compedibus aliter liberare non posset, dimidium pedem abscidit, atq; ita pede altero claudicans evasit. Nimirum *si pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te.* Ipsi quoq; lupi, si, cum noctu prædis insidiantur, pes fortè strepitum edat, morsu eum castigare dicuntur; quid mirum si irascatur homo carni suæ, quæ eum Dæmoni prodere conatur? *Qui amat animam suam* plusquã Deum, ipsi blandiendo) *perdet eam*, in gehennam scilicet. *Quid verò prodest homini, si universũ mundum lucretur*, vitam temporalem, quantumvis longam: formam, famam, honores, opes, amicos: *animæ verò suæ detrimentum patiatur*? Nonne tandem, si pro-

si propter hæc à salute excidat & in gehennam eat, ea omnia execrabitur? nonne velut lupi aut rabidi canes, morsibus invadent membra sua, à quibus illecti & pertracti sunt in interitum? Ita enim de illis Joannes Apoc. 16. ait: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore.* Miseri nos! dicent, qui ob tam breves voluptates, ob tam exigua bona, ob mortalium hominum amorem & favorem in tam horrenda & perpetua mala nos conjecimus. Ibi demùm sentient, quàm verum illud sit: *inimici hominis domestici ejus.* Hi enim velut canes in se invicem ringent, sibique maledicent atque improperabunt dicendo: Maledicta sis conjux, quæ me seduxisti: Maledictus pater, qui me impedivisti: Maledicti filii, qui me retraxistis à salute mea: Maledictæ opes, honores, forma vita mea, &c. Vicissim qui seipsos hic oderunt & mortificaverunt membra sua quæ sunt super terram, ibi mirum in modum sibi applaudent: quo modo Virga illa mirabilis Christiana, quæ cùm miris ac tremendis modis afflixisset corpus suum, postea apprehensas manibus suis cum ingenti affectu osculabatur plantas suas, ita dicens: Age nunc comiter sustine optimum mihique gratissimum corpus meum; aderit propediem finis laboris tui &c. uti refert Thomas Cantiprat. in Sur. 23. Jun.

THEMA V.

Laurentii craticula, lectus nobilissimus.

I. *Lectus Laurentii pretiosus.*
II. *Lectus mollis & delicatus.*
III. *Lectus fortis & infractus.*
IV. *Lectus securus.*
V. *Durus & asper sed salutaris.*

In lectulo meo per noctes, quæsivi, quem diligit anima mea, Cant. 3.

Vita humana si rectè consideretur, aliud nihil est quàm continua quædam inquisitio. Omnes enim homines eò adlaborant, id tota vita quærunt, ut suam fælicitatem consequantur & quàm optimè habeant. Sed heu plerique errant, nec inveniunt quod quærunt, quia non quærunt ubi debent: in lecto eam quærunt, in carnis desideriis & commodis terrenis, juxta id Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum & non inveni.* Alius eam quærit in lecto superbiæ & honoris specioso: alius in lecto avaritiæ auro: alius in lecto deliciarum molli: alius in lecto ignaviæ otioso. Non reperitur in his lectis Christus sed in lecto crucis. Unde sponsa subdit: *Paululum cùm pertransissem eos* (vigiles civitatis) *inveni quem diligit anima mea; tenui eum nec dimittam.* In quem locum sanctus Ambrosius libro tertio de Virginib. *Si vis,* inquit, *& tu tenere Christum, quære jugiter nec pœnam metuens: inter supplicia enim frequenter corporis, inter ipsas persecutorum manus Christus melius invenitur. Quam modicum, inquit fuit cum transivi ab ipsis, donec inveni eum: Exiguo enim spatio brevique momento cum persecutorum manus evaseris, nec succubueris tempestatibus mundi, tibi Christus occurrit; nec te diu tentari patitur.* In hoc lecto Laurentius Christum invenit, quando in craticulam assandus incubuit, durum quidem lectum, sed non diuturnum; interim omnibus totius mundi lectis longè nobiliorem; quod hic ostendemus.

I. Præpararunt sibi aliqui lectos pretiosos ex ebore vel auro, uti optimates Israelis, quibus dicitur Amos 6. *Væ, qui dormitis in lectis eburneis.* Et Assuerus, qui paravit in convivio suo lectulos aureos & argenteos. Esth. 1. Sed nihil hi ad lectum Laurentii, qui dum pro gloria & amore Christi in craticulam decubuit, lectum omnium nobilissimum sortitus est. Quid enim gloriosius, quàm imitari mortem Christi, qui & ipse in durum & infamem crucis truncum, quasi in lectum, cùm affigeretur, detrusus, in eoque mortuus est; Quid etiam honorificentius, quam pro eo vitam in atrocissimis tormentis ponere, qui suam pro nobis posuit, atque adeo vicem tanto liberatori modo aliquo rependere? Quid enim habemus dignius & nobilius, quod Christo retribuamus, quàm nostrum sanguinem pro sanguine ejus dandum? Vidit hoc regius vates, quando Ps. 115. dixit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris* (h. e. Salvatoris) *accipiam.* Calicem passionis scilicet, subditque: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus;* qui videlicet calicem salutaris (ut præmiserat) accipiunt & bibunt per martyrium. Unde S. Ambrosius l. de bono mortis c. 3. in in eum locum ait, *Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori quàm regnare in hoc sæculo. Quid enim præstantius quàm fieri Christi hostiam?* Consonat huic Ambrosiano dicto, quòd in Prato spirit. cap. 112. venerabilis quidam senex ex Cappadocia, nomine Leo, prævidens ex Dei revelatione, martyrio se coronandum, dixit ad suos: *Credite mihi filii, quia regnare habeo.* Illis verò dicentibus: *Crede nobis Abba Leo: quia nullus ex Cappadocia unquam regnavit;* adjecit: *Veraciter filii regnare habeo.* Paulò post cum Barbari captivos abduxissent tres Abbates, eorum loco se, velut sanum pro infirmis, Barbaris in servitutem dedit; quos cùm præ debilitate sequi diutiùs non posset, ab eis decollatus est. Tunc agnovere ejus fratres, quid sibi voluisset, cùm asseret: *Quia regnare habeo. Veraciter enim regnavit,* subdit auctor, *qui posuit animam suam pro amicis suis.* Eo denique provecta est gloria Laurentii ex martyrio, ut ipsa ejus craticula, & saxum ei suppositum, undique perforatum, imò & locus, ubi passus & sepultus est, templis ibi exstructis maximo habeantur in honore.

I. *Lectus Laurentii pretiosus.*

Unde S. Leo in ser. de ipso habito, ita alloquitur Valerianum Imp. ejus tortorem: *Quid non ad victoriæ gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi instrumenta supplicii.*

II. *Lectus mollis & delicatus.*

II. Alii pararunt sibi lectos delicatos & molles; uti Smindyrides Sibarita, qui in rosarum foliis recumbens, somnumque in iis carpens, expergefactus questus est se tubera ex nimia lecti duritie inflicta habere, apud Ælian. l. 9. var. hist. c. 24. Heliogab. Imp. qui non cubuit nisi in culcitris leporino pilo, vel perdicum plumis subalaribus repletis, apud Cælium l. 26 c. 29. Alii plumis anserum delicatissimis suos farciunt lectos, ut quàm suavissimè dormiant. Sed ego audacter dico craticulam Laurentio molliorem fuisse lectum, quàm sint illi plumacei vel quicunque alii, in quibus voluptuarii dum se volutant, suas interim querelas & afflictiones habent. Colligo verò hoc ex animi alacritate, quam in craticula monstravit, cùm Tyranno illusit, quasi ipse non ignotos carbones, sed plumas aut rosarum folia vel pilos leporinos ei substravisset. Colligo ex desiderio, quo craticulæ ascensum anhelavit. *Hanc mensam*; inquit, *appeto, hanc sitio. Non est famelicus, quiescam: nec sitiens, qui potum desideret tam avide, quam ego hæc omnia tormenta ambio & sitio, ut amorem amori, dolorem dolori, mortem morti rependam Christo meo.* Qua de causa sanctus Augustinus tract. 27. in Joan. ait de ipso: *In illa ergo lenta morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat & bene biberat, tanquam illa esca saginatus & illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Sed qua ratione, dicet quis non sensit, continua ustulatione cruciatus? Respondet ad hoc regius Vates Ps. 40. cùm ait: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* q. d. Hinc dolores non curat in tam duro lecto; quia Dominus instar seduli famuli eum sternit, versat, excutit, ventilat, emollit, ut martyr mollius cubet. Sed qua hoc ratione facit?

I. Primò mentem ejus è corpore ad se avocando; quod testatur S. Flavianus martyr expertus: *Nulla caro patitur*, inquit, *dum animus in cælo est; & nequaquam corpus hoc sentit, cùm se Deo tota mente devovit*, apud Sur. 24. Febr. Et S. Bernardus ser. 61. in Cant. *Non mirum, si exul à corpore, dolores non sentiat corporis, neque hoc facit stupor, sed amor.*

Secundò mentem illius solatio perfundendo, de quo S. Thomas de veritate q. 13. art. 3. *Dicendum*, inquit, *quod martyres in tormentis existentes percipiebant aliquid de divina gloria, non quasi eam in suo fonte bibentes sicut illi, qui Deum per essentiam vident; sed aliqua illius gloriæ aspersione refrigerabantur.* Confirmatur hoc exemplo inprimis trium adolescentum Dan. 3. quorum fornacem ardentissimam Angelus Domini refrigeravit quasi vento roris flāte; deinde Theodori adolescentis Antiocheni qui à præfecto Juliani Apostatæ cruciatus dixit, adstitisse sibi adolescentem, qui sudorem absterserit & animum confirmarit, adeoq; plus voluptatis quàm angoris se sensisse, apud Socratem lib. 3. hist. cap. 16. Et S. Victoris Mauri martyris sub Maximiano; qui cum Mediolani plumbo bullienti perfunderetur, sensit Angelum ita plumbum refrigerantem, ut ipse nulla corporis parte læderetur; uti narrat oculatus testis Maximianus notarius ejus vita 8. Maii ap. Sur.

Tertiò Gehennæ incendium æternum ejus menti objiciendo, cujus respectu suavis & delicatus lectus videbatur ei craticula. Hanc causam indicare voluit S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 21. ubi dicitur in persona martyris: *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.* Quærit enim quomodo martyr timeat, cùm id infirmitatis sit. Deinde respondet: *Pone martyrem circumspectantem omnia plena suppliciis: deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam; trepidare corde, ne dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis &c. Dicit ergo martyr: Principes quidem me persecuti sunt, sed non timeo eorum minas & verba: à tuis, ô Christe Judex, verbis formidone mihi aliquando dicas: Discede à me maledicte.* Cui consentit Augustin. serm. 30. de Sanctis, cùm ait: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Taceo spem coronæ cælestis immarcescibilis aliaque plura, quæ lectum Laurentii versarunt, ventilarunt & suavem reddiderunt.

III. Alii procurarunt sibi lectos fortes & infractos; uti Rex Basan, Og. qui lectum habuit ferreum, uti legimus Deut. 3. v. 11. Hujusmodi lectus fuit etiam Laurentio, craticula scilicet ferrea, & quidem ignita demonstrans animum ejus ferreum & in fide Christi invincibilem; qualis & in aliis infinitis pene martyribus fuit, de quibus S. Chrysost. in Isai. cap. ait: *Tunc emicuerunt numerosæ turbæ martyrum, animarum ipsa ferri duritie rigidiores se esse declarabant, eoque expressius astris ipsis secum diffundebant splendorem.* Non potuit Valerianus expugnare Laurentii animum ferreo in lecto, quasi in propugnaculo, pugnantem; quinimò sicut ferrum, quo magis tunditur, eò magis induratur & stringitur (ut habetur Job. 41. *Cor ejus stringitur quasi incus*) omnesque malleatorum ictus deridet: ita S. Laurentius in craticula ex Tyranni supplicio, fortior evasit & infractior, omnesque insani vires delusit. Bene de hoc Theodor. lib. 9 de Græc. affect. curatione: *Martyrum interfectores*, inquit, *similes sunt his qui flammam quidem extinguere concupiscunt, oleum verò fatui instillantes; ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararunt.* Sic ille. Quæ etiam causa videtur esse, quòd Joannes Apoc. 7. in Martyrum manibus palmas conspexerit, dicens: *Et palmæ in manibus eorum*; siquidem palmæ apud omnes gentes signum victoriæ erat. Causam dat Plutar. in sympos. cap. 4. in fin. *In certaminibus*, inquit, *placuit palmam esse signum victoriæ; quoniam ejus indolis est, ut urgentibus opprimentibusque*

busque

busque non cedat. Adhuc etiam Romæ in cryptis Martyrum ſepulchra, palmæ figura lapidibus inciſa, cernuntur inſignita. Hujuſmodi palma ſiquis alius S. Laurentius fuit, qui projectus in craticulam adeò non ceſſit furori & inſaniæ Valeriani, ut contra eum inſurgeret, non armis ſe defendendo, ſed animi alacritate invictum ſe oſtendendo, & ad plura ſua tormenta Tyrannum provocando. Hujuſmodi & alii martyres qui ut in eorum actis paſſim legimus, dum in tormentis Chriſti opem implorarunt, mox præſentem habuerunt; & magis ac magis corroborati ſunt: non ſecus ac tres illi juvenes in fornace Babylonica, ubi Deum invocarunt dicentes: *Erue nos in mirabilibus tuis;* illicò Angelum Dei ad ſe miſſum viderunt, qui excuſſit flammam ignis & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem. Dan 3. v. 49 & 50.

IV. Alii providerunt ſibi de lectis ſecuris ab omni hoſtilitate & inimicorum inſidiis. Salomon lectum ſuum cuſtodiri voluit à ſexaginta armatis propter timores nocturnos. Cant. 3. Mithridates Ponti Rex præter excubitores etiam beſtias adhibuit, taurum, equum, cervum, lecti ſui cuſtodes, teſte Æliano li. 7. cap. 66. apud Cauſſin l. 4. ſymb. c. 47. Braſilii in retibus ad duas vicinas arbores ſuſpenſis, ob incurſum beſtiarum, noctu ſomnum capere ſolent. Sed in vanum hi laborant, ſi malæ vitæ conſcientiam in lectum ſecum inferant. Securiſſimus lectus eſt bona conſcientia. *Sicut enim in laboribus preſſi,* inquit Divus Greg. in Pſ. 6. *in lecto quieſcentes reficimur: ita dum hujus mundi adverſitatibus premimur, in bona conſcientia interius delectamur.* Hujuſmodi lectus erat craticula ſancti Laurentii, foris quidem à latronibus & carnificibus undique obſeſſa, intus verò à Deo vallata & cuſtodita. Unde ſanctus Leo in citat. ſerm. de ſancto Laurentio ait: *Segnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit.* Ignis, ſcilicet amoris Dei, qui bonam conſcientiam fovet & refrigerat. Hinc Eccleſia applicat ei verſum illum Pſal. 16. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Noctu enim Laurentius aſſatus fuit, & fidelis Deo inventus. Quis autem ſibi metuat, qui per ignem examinatus, purum ſine ſcoria aurum inventus eſt? Neque dubium videtur Chriſtum in hoc examine ei adſtitiſſe, ſeu ut pſalmus dixit, eum viſitaſſe: quemadmodum & tribus pueris in fornace Babylonica adfuit quartus, ſimilis filio Dei, qui refrigerio ignem temperavit, Dan. 3. ut inde colligit Rupertus in eum locum: *Num quia Laurentius,* inquit, *igne aſſatus ſuper craticulam emiſit ſpiritum, ideò illi filius Dei abſens fuit? Imò præſentior illi fuit; & glorioſius in eo triumphavit, quàm ſi excuſſiſſet carbones & ignitam craticulam, quaſi ventum roris flantem feciſſet.* Quàm ſecurus igitur in ſuo lecto Laurentius, qui talem cuſtodem habuit! Etenim ſi Agis, ultimus Lacedæmonum Rex, ab Ephoris ſeu judicibus damnatus, dum ad ſupplicium raperetur, videns quendam ſortem ſuam deflentem, dicere potuit: *Noli flere propter me, quia præter jus & æquum ad dirum hoc ſupplicium ducor, meliorque ſum iis, qui ad mortem me damnarunt,* teſte Plu. in Laco. quantò verius Laurentius hoc dicere potuit, ideoque omnem metum ac triſtitiam longiſſimè à ſe repellere? Timeant illi, qui malè ſibi conſcii expectant gehennæ incendium; uti revera timent, nec uſquam ſecuri degunt.

V. *Durus & asper ſed ſalutaris.*

V. Alii quæſierunt ſibi lectos duros & aſperos, pro expiandis peccatis & aſſerenda ſalute animæ ſuæ; uti inprimis Phariſæi, qui in aſſeribus cubabant, tametſi forſan cum hypocriſi. S. Martinus, qui non niſi humi, & ad ſummum in ſtramine ſomnum capiebat. S. Franciſcus, Hilarion, Paula & alii. Bene iſti quidem, ſed parum adhuc id erat, ſi cum Laurentio conferatur, cubante in craticula. Quò verò aſperior hic lectus fuit, eò & ſalubrior; extinxit enim igne ſuo ignem inferni & purgatorii; meruitque in cælo lectum tanto delicatiorem, quanto aſperior ille fuit. *Hoc eſt Baptiſma,* inquit ſanctus Cypr. ad Fortun. Præf. de exhort. mart. *in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius. Baptiſmo in quo Angeli baptizant. Baptiſma in quo Deus & Chriſtus ejus exultant: quod fidei noſtræ incrementa conſummat, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat.* Hinc Laurentius in craticula oſtium cæli ſibi, uti Chriſtus in baptiſmo ſuo & Stephanus in agone ſuo (ut conjicere licet) vidit apertum, ideoque dixit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Valerianus Imperator eum è mundo expulit; ſed hoc ipſo in cælum intruſit: & dum eum aſſavit, gratiſſimum Deo ferculum in ipſo præparavit: & dum ignem ei ſubjecit, coronam fabricavit. Ita nimirum Tyranni ſerviunt martyribus, dum eos perditum eunt, Granum frumenti ex odio in terram projiciunt, ſed maximo ejus bono; nam dum in terra moritur, in cælo renaſcitur & exurgit ingenti cum fœnore. Nos itaque & gratulemur ſancto Laurentio lectum nobiliſſimum, & diſcamus ejus exemplo patientiam conſervare in mitiori longè, quàm fuit ejus craticula. Non deſideremus mundi lectos, aureos, plumaceos, ferreos, ſtipatos, in quibus nulla quies; quæramus potius cum Laurentio decumbere in brevi duraturum ignem, ut evitemus illum æternum.

(* * *)

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

THEMATA.

I. *Virgo assumpta sacro Falconi comparatur.*
II. *B. Virgo in cælo quasi platanus exaltata.*
III. *B. Virgo exaltata ut palma: Causa tantæ exaltationis.*
IV. *Protectio Deiparæ quàm salutaris.*
V. *Maria V. per omnia meliorem partem elegit.*

THEMA I.

Virgo assumpta sacro Falconi comparatur.

I. *Quia renovavit juventutem suam.*
II. *Recta in cælum evolavit.*
III. *Evolavit supra omnes Sanctos.*
IV. *Nobilissima prædatrix est.*

Soror mea reliquit me solam ministrare: dic ergo illi ut me adjuvet. Luc. I.

Falco hodie oblatus ad altare.

IN historia Parthenia Carnotensi refertur nobilem quendam in hodierno Deiparæ assumptæ Festo Falconem ad prædas edoctum, pro recognitione fundorum, quos ab Ecclesia Carnotensi possidet, singulis annis offerre in altari ad S. Offertorium. Miratus sum initio miræ & inusitatæ oblationis conditionem, cur nimirum falco & non potius columba aliavè prædæ nescia avis Deiparæ offerretur. Ubi tamen rem expendi, reperi non abs re falconem oblationi electum esse, velut Deiparæ ad cælum evolantis, elegantem typum, quem hic clarius intuebimur.

Inter falcones quædam species est, cæteris nobilior, eorum, qui sacri dicuntur latinis, Græcis ἱέρακες (quòd idem sonat) Germanis Sacker Falck / eò quòd cæteris nobiliores & sublimiores, denique omnibus fortiores, ac proinde terrori sint. Hunc ego non in paucis similem reperio Deiparæ in cælum assumptæ.

I. *Renovavit juventutem suam.* I. Falco renovat juventutem suam excussis veteribus pennis, & tunc velocior ac nobilior fit. Scribit de hac re S. Job cap. 39. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter; expandens alas suas ad Austrum?* Quasi diceret: hanc rem tam miram tu quomodo efficies? Non enim de pullis plumescentibus loquitur, cùm alas nondum habeant, quas extendere queant; sed de adultis, qui flante austro alas expandunt & ventilant, ut tepentem sibi auram faciant, sicque laxatis poris veteres pennas ejiciant, & novas succrescentes acquirant, ut explicat ibi S. Gregorius. Simili quoque ratione suam renovavit juventam Deipara. Cùm enim jam 72. annorum (juxta communiorem sententiam) esset & mortem sibi instare divinitus intellexisset, præ gaudio & desiderio videndi filii sui exclamasse dicitur: *Fiat mihi iterum secundum verbum tuum*; sicque manus reverenter & graviter elevans, ut scribit Nicephorus lib. 2. histor. cap. 21. quasi ad cælum volaturiens, emigravit: post triduum resuscitata, & immortalitate, aliisque gloriosi corporis dotibus instaurata ad cælum evolavit. Præter testimonia aliorum Patrum & Scriptorum in revelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 26. ait ipsa: *Paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat. Cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione divinæ charitatis, tunc anima in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* Duabus igitur alis potissimum ventilatis se in sublime libravit, meditatione passionis filii sui, deinde desiderio ejusdem videndi, sicque celerrimo volatu ad cæli culmen pervenit: primò quidem secundùm animam, post triduum etiam secundum corpus, eo ferè modo, quo Regum Legati Romam primò sine pompa, quasi clam & soli cum paucis ingrediuntur, post cum ingenti & publico apparatu. Considerate jam discrimen inter matrem cruci adstantem, & in gloria cælesti residentem. Ibi lachrymis oppleta, & gladio transfixa stetit: in cælo gaudiis cælestibus undique perfusa. Ibi filium aspexit summis in doloribus & probris: in cælo aspicit gloria & honore circumdatum. Ibi audiit filii contumelias, vidit circa se canes feroces, in filium latrantes: in cælo audit laudes & filii & suas, videtque circa se choros Angelorum & Sanctos sibi applaudentes. Ibi à filio mulier tantum compellata fuit, ne gravius sauciaretur nomine *matris* audito: in cælo audit *mater*, & quantum ibi vulnerata fuit, tantum in cælo nunc recreatur. Ibi horridum cadaveribus montem, cælum obscu-

obscuratum, turbam circumfrementem, juxta filiolum vidit: at modo cælum splendidissimum, filium Solis instar rutilantem cælumq; illuminantem, Angelos cantantes, Cherubim & Seraphim filium stipantes videt: se ipsam vero corporis dotibus quasi aureis monilibus circumornatam.

II. Falco seu accipiter hoc peculiare habet quod *aves aliæ si cursum arripuerint in sublime, obliquo* *erri tractu curvatisque spatiis agi coguntur, neque* *ectà possunt cursum intendere: solus autem accipiter* *ublimipeta recto meatu volat*, inquit Pierius Hierogl. 21. Hunc in modum Deipara corpore & anima ecta in cælum evolavit, non oblique ut nos, qui pleique saltem prius ad purgatorium divertere coginur propter labes aliquas, nobis adhærentes; à quius Deipara immunis fuit. Cùm enim in omnibus uis cogitationibus, verbis & operibus recta semper ntentione Deum aspexerit, nec unquam ad creatuam aliquam inordinato amore deflexerit; quid mium, si recta in cælum ivit? Nos ad res terrenas aliuas perperam dilectas subinde convertimur: nos in ratione distracti cogitationem mox à Deo deflectiius: in bonis operibus facile nimis ad vanam glorilam nostraque commoda aspicimus; unde non miim, si obliqua etiam via ad cælum eamus, Nihil le in Deipara fuit, rectà igitur cælum petivit. Miintur hoc in ipsa SS. Angeli verbis illis Cant. 3. *ue est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula* *mi, ex aromatibus myrrhæ & thuris?* *Ascendit* enim ontinuò, nunquam sedit aut quievit, quia semper ofecit in gratia: *per desertum*, id est per mundum, cultum & horridum: *Sicut virgula*, id est, recta nō oliquè. *Fumi*, id est, levissima, gracilissima, ab omni rrenæ labis pondere libera: insuper *divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum cendio pii amoris*, inquit Alanus ibi. Fumus enim c odorifer erat ex aromatibus myrrhæ & thuris, mnis scilicet generis virtutum. Fumus noster, ania nostra aliquid semper fœtoris & terreni amoris bet. Ergo ut ex ardente cereo recta ascendit fuus, cælum versus: sic Deipara post mortem ascent ad thronum gloriæ suæ. Unde S. Jo. Damascenus at. 2. de dormit. B. V. ait: *Huic recta plana & facilis l cælum parata est via.*

III. Falco præsertim sacer evolat altissimæ adeque super nubes, ut videri nequeat, & supra omnes as aves, unde *aeriphilus* dicitur, seu *amicus aeris*, ste Alb. M. Et quousq; dicemus evolasse Dei maem? Ad chorum SS. conjugum? At licet conjugata et, virgo tamen fuit, altius ergo ascendere debuit. d chorum SS. Virg. At præter virginitatem, quam e exemplo vovit Deo, eminentissimam, longe plua alia merita habuit, juxta id Prov 31 *Multæ filiæ ngregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* d thronum SS. Monachorum & Eremitarum? At ngè illis pauperior, longe accuratior Christi imitrix fuit, quæ continuo illum præ oculis habens actissime secuta fuit. Ad chorum Sacerdotum? Atqui longe illos superat, quæ proprium [?]um Patri incruentum obtulit. Ad chorum Episcoporum? At illa per multos annos præses totius Ecclesiæ fuit. Ad chorum SS Martyrum? At plus quam martyr est, teste S. Bernh. ser. in id: *signum magnum*; quia in anima passa; quia omnes filii cruciatus sensit; cocta in lacte filii, ejusq; sanguine aspersa. Ad chorum Apostolorum? At ipsa Apostolorum Doctrix erat. Ad Patriarcharum & Prophetarum? At ipsis multo humilior fuit; posuit enim se ultimo loco: *Ecce ancilla Domini*. Ad choros Angelorum? At ipsis longe purior fuit: Angeli enim extra corporis lutum constituti puritatem servarunt, Maria in corpore & luto. Ad choros Cherubim & Seraphim? At charitate Dei longe eos præcessit, quæ Deum amavit, non ut patrem & creatorem dumtaxat, sed etiam ut filium. Omnes ergo istos choros transcendere debuit: omnes ei dicunt: *Ascende superius.*

IV. Falco prædandi robore & industria omnium nobilissimus est. Sed quid hoc ad Deiparam? num & ipsa prædatrix? Ita sane, sed falconis instar ad venationem, ut dixi, edocti, qui ad oblectandos Principes terræ, prædas suas agit. Sic enim & Maria Deum totumque cælum suis aucupiis delectari. Falco sacer inprimis prædatrices etiam aves persequitur & dejicit ex alto, ita, ut nemo sciat unde deciderint; quamob causam ab omnibus illis timetur, etiã ab aquilis: adeò, ut eo conspecto vel audito inter frondes se abscondant, ut potius capi ab hominibus, quàm prodire in lucem velint, ut scribit Alb. M. Sic B. Virgo terror est Dæmonibus, quos pedibus premit & exarmat atque in fugam compellit. Unde S. Bernh. serm. 51. art. 3. c. 2. ait: *Sicut magnus ignis effugat muscas: sic ardentissima Virginis mente & inflammatissima charitate effugabantur dæmones, & pellebantur in tantum, quod solum in modico non poterant respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi propinquare.* Et si hoc vivente & adhuc militante Virgine quanto magis jam triumphante? Inter plura exempla audiamus unum de filio S Brigittæ, Carolo, militari homine, qui Deiparæ interventu, à Dæmonum insidiis in agone & judicio mire defensus est, quod illam impensè amasset & de bonis ac gloria ejus ita lætari consuevisset, ut potiùs inferni cruciatus sustinere, quàm ejus offensionem vellet. Ita Dæmoni in articulo mortis non est permissum à Deipara ut eam tentaret; dolores etiam ita mitigati sunt, ut ne deficeret aut desperaret. In judicio cùm Dæmon duos producere libros accusatorios vellet. in primo omnia Caroli peccata deleta, secundum omnino perditum deprehendit. In B. Brigittæ revel. l. 7. c. 13. Aliud exemplum recenset Petrus Damiani l. 2. Epist. ep 14. de Basso quodam Brugundione qui B. Virgini devotus cùm obiisset, antequam grave quoddam peccatum confiteretur, Dæmonũ manibus ereptus Virgini vitæque restitutus est, quoad peccatum in confessione elueret.

IV. *Nobilissima prædatrix est*

Alias aves innoxias capit falco ad suum vel domi-

ni sui cibum. Ita & Deipara eripuit inprimis animas multas è purgatorio. Paulo ante nominatus B. Petrus Damiani narrat Ep. l. 3. epist. ult. mulierem quãdam Romæ defunctam, Maroziam nomine, commatri suæ, post annum ferè à morte sua hac ipsa assumptionis Deiparæ nocte apparuisse, cumque ab ea rogaretur qui haberet? *Vsque hodie,* inquit, *non levis me pœna cruciavit ob peccata quadam levitatis in juventute patrata, qua confessa quidem fui, sed culpam injunctam oblitam non peregi. at hodie Regina cæli pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis pœnitentialibus liberavit, totque inde eripuit, ut numerum Romanæ plebis excedant.* Cumque de rei veritate dubitaret mulier altera: *Scito,* inquit, *in signum veritatis, quam tibi modo aperio, te hac ipsa die post annum morituram.* Quod & factum est. Et quis dicere nobis possit, quot animas peccatorum viventium quotidie è dæmonum unguibus eripiat & ad cælum evehat, filio suo in cibum quasi & delectationem jucundissimam?

Quando igitur vidimus Virginem Deiparam non absque ratione falconi comparatam, superest ut nos, qui alis destituti sumus, eam, quo possumus, modo, amplectamur, & fortiter apprehendamus; quo nos secum cælo inferat. Amplectemur autem si cultu peculiari eam veneremur & constanter invocemus, quodque efficacissimum est, pro viribus imitemur.

THEMA II.

Beata Virgo in cælo quasi platanus exaltata.

I. *Chlamyde aurea corporis glorificati.*
II. *Torque aurea summa in cælo inter beatos gloria.*
III. *Armilla summa potestatis.*

Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. Ecclesiastici 24.

DE Persarum Rege Xerxe scribit Herodotus l. 7. & Ælianus lib. 2. var hist. c. 14. venisse cum exercitu in Lydiam & vidisse ibi proceram admodum & pulcherrimam platanum, Ahorn/ cujus pulchritudine delectatus in amorem ejus raptus est adeò, ut in ejus gratiam castra posuerit in solitudine circa illam, nec non multiplicem & pretiosum ornatum ex ea suspenderit, videlicet chlamydes, torques aureas & armillas. Invenimus etiam nos in lectione hodiernæ missæ speciosam valde platanum, descriptam ab Ecclesiastico his verbis: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis.* Platanus umbra sua, quam projicit, omnes arbores præcellit, proinde contra æstum longe optatissima. Jure igitur designat Virginem Deiparam; quæ umbra & refrigerium generi humano attulit, Christum Dominum (Ita enim ejus carnem sanctissimam appellat S. Bernhardus ser. 20. in Cant.) Hanc invenit & ob virtutum omnium eximiam pulchritudinem adamavit cælestis *Xerxes*) hoc est, *bellator,* (id enim sonat Xerxes Rex cæli & terræ, Dei filius, adeoq; exaltavit in cælo juxta aquas delitiarum, in plateis civitatis cælestis coram omnibus cælitibus; & tribus potissimum ornamentis condecoravit planè aureis & pretiosissimis, chlamyde corporis gloriosi, torque summæ inter omnes cælites post Christum gloriæ, armilla summæ potestatis in mortales & creaturas omnes. Quæ nunc explicabimus.

I. Primum est chlamys aurea corporis glorificati, qua tertio ab obitu die condecorata fuit, u[t] communis Eccl. sensus habet; & SS. PP. Damascenus & Juvenalis aliique docent: experientia con[firmat/] probat, cùm ejus solius reliquiæ nuspiam inven[tæ] sint: Scriptura sacra confirmat Ps. 44. *Adstitit Regin[a] à dextris tuis in vestitu deaurato;* immortalitate sc[i]licet corporis gloriosi, ut exponit Eusebius & Hi[...]go. Rursum Apoc. 12. appellatur *amicta Sole,* h[oc] est, stabili & perfecta gloria, quæ tam corpus quà[m] animam glorificat. Merito autem hoc ornamentu[m] ei collatum est: Primò, quia fuit mater Dei, quæ v[e]stiit inprimis filium carne humana, priùs quide[m] corruptibili: post triduum verò mortis, incorrupt[i]bili; Deinde veste inconsutili (secundum Euth[y]mium & alios) *desuper contexta per totum;* quam i[...] impii quidem milites scindere voluerunt; (cùm t[a]men alioquin ipsum templi velum in morte Chri[sti] scissum sit) quæ etiam usque hodie religiose ass[er]vatur incorrupta & visitur Treviris. Igitur Deo o[r]dinante vestis illa Christi scindi non debuit, qua[e] tali textrice elaborata fuit, quantò magis ipsam sa[n]ctissimam textricem, non discindi aut dissolvi, s[ed] integram decuit servari; ita saltem, ut post solutu[m] mortis debitum non ut aliorum corpora in cinere[s] resolveretur, sed gloria vestiretur? Et si vestem [il]lam tineæ non tetigerunt usque hodie, textrice[m] ipsam consumere debuerunt? Manus S. Osvval[di] Angliæ Regis, postquam ille discum argenteu[m] cibis refertum sustulit è mensa & pauperibus, q[ui] foris aderant, distribuit ac donavit, arrepta à S. A[i]dano Episcopo, dicente: *Nunquam inveterascat h[æc] manus;* post mortem ejus incorrupta, reliquo corp[o]re absumpto, conservata est; & in urbe regia & tem[plo] S. Petri deinceps asservata, ut in ejus vita Sur. Aug. Eccur non etiam manus & mater illa, quæ D[ei] filium vestiit carne simul & tunica, integra & inco[r]rupta conservari debeat.

2. Secundo, quia viva filii Dei arca & domu[s] fuit. Scimus arcam fœderis Domini ex lignis Seti[m] imputribilis (ut vertunt 70.) jussu Dei compacta[m] fuisse. Est enim Setim arbor, quæ uti nitore & pul[]chritudine, ita fortitudine & soliditate omnes arbores superat. Eadem arca usque ad diem judicii occul-

tata

tata, conservabitur illæsa, ut habetur 2.Mach.2. Quod si arcam illam, quia legis, non nisi ad Christum usque duraturæ, receptaculum fuit, integram permanere voluit Deus usque ad finem mundi: nonne magis decuit vivam illam Arcam, Deiparam, in qua ipsemet Legislator Deus requievit, incorruptam conservari? Confirmatur id ex Lauretana Virginis æde, quæ per 16. fæcula adhuc integra perseverat, neque fulcimenta requirit aut admittit, licet è lateribus constructa alicubi rimas agere videatur, Quanto plus honoris debetur Dei matri, quàm ædiculæ ejus? Augustus Cæsar Pisone domum à fundamentis usque ad tectum accuratè exædificante: *Animum*, inquit, *meum exhilaras, ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna*; apud Corn. Exod. 25. Sic extruxit Deus ædiculam matris suæ, ac si futura esset sempiterna. Longè igitur magis exhilarabit Deum, corpus ejusdem virginis, ita constructum, ut in æternum duret.

3. Tertiò Quia immunis ab omni peccato fuit, propter quod Adamo dictum; *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Cæteri mortales ad Dei conspectum accessuri, exuere cum Moyse calceos mortalis sui corporis debent, & in sepulchro relinquere, adeoq; nudis pedibus seu nudata à corpore animâ ad Deum pergere, quia inquinaverunt calceos suos. At Virgo Maria nunquam. Ei enim dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* Unde mox subditur: *Veni de Libano sponsa mea: veni de Libano: veni coronaberis*. Ter inquit Christus, *veni*: & tertio ab obitu die ad coronam evocata est in cælum Maria corpore glorioso.

II. Secundum est Torques aurea, hoc est, summa in cælo, post Christum gloria & beatitudo. Torques aurea nobilitatis insigne est. Jam uti major nobilitas esse non potest, quàm esse Dei matrem: ita majorem in cælo gloriam post Christum nemo obtinet, quàm ejusdem mater. Consentiunt in hoc SS. Patres. Chrisost. in Liturgia vocat eam *honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim*. V. Beda orat de laudibus Virg. *sanctiorem Cherubim & Seraphim, sanctis omnibus sine comparatione gloriosiorem*. D. Epiphanius ser. de laudibus Virginis, *solo Deo excepto cunctis superiorem*. S. Bernh. serm. de Assumptione Virginis: *Nec in terris*, inquit, *locus dignior uteri virginalis templo, nec in cælis regali solio Virginis*. Confirmatur ex Apoc. 12. ubi dicitur *amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus*; quasi ita superet gloriam aliorum beatorum, sicut Sol Lunam: & gloria illorum quam Lunæ dimidiatæ formâ in capitibus eorum pingimus, sit subjecta ejus pedibus, adeoq; longè infra gloriam ipsius Virginis. Accedit testimonium Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis*; filii videlicet. Quis autem nescit dextram Regis honoratissimum ab ipso locum esse? Causam rogatis.

Prima est, quia Dei mater est, Scimus autem Salomonem sapientissimum Regem posuisse matri suæ Bethsabeæ sedem à dextra sua, 3. Reg. 2. Nemini enim in terra plus debent filii, quàm parentibus. Unde Guarricus Abbas serm. de Assumpt. Virginis, ait in persona Christi ad eam: *Veni electa mea, & ponam te in thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli etiam abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, quòd homo sum, communicabo tibi quòd Deus sum*.

Secunda. Quia ejusdem ministra & socia in laboribus & Cruce fuit. Scimus illud Christi: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus* Joan. 12. At quis majori amore, studio, humilitate, sollicitudine Christo unquam ministravit, quàm ejusdem mater? Adstitere Christo in cruce patienti Joannes, Magdalena & quædam aliæ piæ fæminæ; at nemo tanto cum dolore, atque ejus mater. Unde illud S. Bonaventuræ dictum: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior*. Quæ ergo calicem passionis filii ad fundum usque exhausit, nonne ejusdem gloriam in cælo præ cæteris maximè omnium participabit? Quæ passionum socia maximè propinqua fuit, non erit gloriæ? 2.

Tertia. Quia humillimo in loco sese collocavit? merebatur igitur ut ad dignissimum præ cæteris Beatis locum eveheretur. Magdalena ad pedes Domini sedit adeoque humilis fuit, sed jure merito: quia post admissa peccata: at Virgo Maria cùm peccatum nullum admisisset, *ancillam* se Domino obtulit & præstitit in stabulo Bethlehemitico totaque reliqua vita. Bona est humilitas cum peccatis, at longe melior cum virtutibus & tanta sanctitate, quantam habuit Dei mater. Arbores quo profundiores agunt radices, eò altius excrescunt, ut resistere ventis possint, teste Plinio lib. 6. c. 31. Sic & justus *mittet radicem deorsum & faciet fructum sursum*. Isa. 37. At quis post tantam exaltationem, quanta contigit Mariæ in salutatione Angelica, tam profundum humilitatis fundamentum jecit, atque ipsa, quando dixit: *Ecce Ancilla Domini*? Quis igitur dubitare queat, in summam gloriæ altitudinem hanc arborem ascendisse. 3.

III. Tertium est Armilla manum adornans, & summam quidvis impetrandi & agendi potestatem in cœlo & in terra significans. Hanc etiam SS. Patres Mariæ attribuerunt, uti B. Damascenus orat. 2. de Assumpt. ubi ait, ipsam *rerum omnium conditarum Dominam effectam*. S. Bernhardus in serm. super signum magnum: *propterea facta est omnium Domina, quæ se exhibebat ancillam*, S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 11. appellat eam *Dominam rerum omnium*. S. Epiphanius in serm. de laudibus Virg. ait eam *dotis gratia accepisse cœlum & terram*. D. Athanasius in serm. Evang. de Deipara vult eam & *Reginam & Dominam & Deiparam propriè & verè* censeri. S. Gregorius Nicomediensis Archiepiscopus orat: de præsent. B. V, ipsam sic affatur: *Nihil resistit tua potentia, nihil repugnat tuis viribus; omnia cedunt tuo jussui, omnia obediunt tuo imperio, omnia tua potestati serviunt*. Arnoldus Carnot. tract. de laud.

III. *Armilla summa potestatis*

de laud. Virg. *constitutam* ait *super omnem creaturam*. Et hoc jure merito.

Merito. I.

Primò, quia mater Dei. Cùm autem filii ex natura sua parentibus subjaceant, & sint præterea pars aliqua parentum; quantum crescit dignitas & imperium filiorum, tantum crescit & parentum; ne subjecti fiant filiis, quod esse contra naturam asserit Aristoteles 8. Eth. c. 11. Retinent enim parentes prærogativam semper & jus aliquod in filios. Confirmat hoc Salomon, qui jam emancipatus & Rex constitutus matri suæ dixit: *Neque enim fas est, ut avertam faciem tuam*, hoc est, ut exposuit Adonias, nihil tibi negare possum. 3. Reg. 2. Unde S. Antoninus: *Filius*, ait, *non tenetur tantum audire matrem sed & obedire*. Non ergo multum erravit devotus ille & simplex Fr. Conversus in Monasterio Hemmerode apud Cæsarium l. 6. Mirac. & hist. c. 30 qui in tentatione sic orabat: *Verè Domine si non liberaveris me de hac tentatione, ego matri tuæ conquerar. Pius enim Dominus*, subdit Cæsarius, *Magister simplicitatis & amator humilitatis, ac si timeret apud matrem accusari, Conversi querimoniam prævenit, tentationem ejus mox mitigans.* Quam ejus orationem alius Conversus retro ipsum stans audivit & aliis narravit. Putavit nimirum bonus Frater fieri non posse, ut matris suæ preces, ad quem appellare voluit, filius non audiret.

Solent Principes suis conjugibus, cùm syncere eas amant, suam communicare potestatem, uti Assuerus Estheri, cui dedit potestatem scribendi litteras, quas vellet, & signandi annulo suo, Esth. 8. Dux quidam Sabaudus cùm in conjugem accepisset Infantem Hispaniæ Catharinam, tanti eam fecit, ut cùm subditis ac famulis beneficium conferret, omnibus & singulis dicere soleret: *Infantia facit vobis hanc gratiam*, refert Biverus tr. de priv. B. V. differt. 3. Ergo dubitabimus similem potestatem matri Dei collatam esse à filio?

Secundò, Quia videtur ei hoc deberi ex justitia; siquidem ipsa contra jus & fas iniquissimè à Judæis spoliata est filio suo innocentissimo; deinde etiam à Deo patre per quandam violentiam, qui eum pro humano genere in victimam depoposcit. Non ausa est Deipara Deo patri se opponere, justitiam exposcenti; Judæis non potuit, furore & rabie percitis. Interim mater patitur & immerita perdit filium suum, præstantiorem mille mundis, chariorem omnibus thesauris. Quàm hoc acerbum sit, testatur illa Thecuitis, quæ etiam filio reo (in parabola) impetravit vitam à Davide, ne extingueretur scintilla familiæ ejus. 2. Reg. 14. Quid igitur Deipara? nihilne compensationis accipiet pro filio suo? Indignum simul & iniquum istud foret. Igitur de jure debetur ei saltem, quantum pro tali filio dari potest, jus in omnes filios hominum, ut quoscumque ad se confugientes veluti ad matrem, recipere in filios & promovere ad salutem possit. Fatendum quidem hanc retributionem necdum adæquatam & pro tali filio sufficientem esse; tanto igitur magis ei debetur. Nam si Deus Annæ, matri Samuelis, pro uno filio sibi oblato dedit quinque alias proles, tres filios & duas filias; 1. Reg. 2. & si terra pro uno semine sibi tradito reddit quandoque centuplum; quomodo non Deiparæ Deus munificentissimus reddat pro tali tantoque filio sibi oblato, alios innumerabiles; præsertim cùm innumerabiles etiam non æquivaleant illi uni? Hoc absque dubio est, quod ipse Christus crucifixus in Joanne dedit: omnes scilicet homines, quotquot ipsam recipere in matrem & confugere ad eam velint, ut docet Toletus in Joan. Quamobrem securè dicere possumus neminem periturum, qui in matrem & patronam suam recipiat ac retineat Mariam. *Ipsa enim est, quæ velut alterum Solem induit sibi*, ait S. Bernhardus de verb. Apocal. *Signum magnum &c. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo miseratur affectu.* Nec pertimesco dicere, neminem damnatorum in inferno fore, si ad Mariam confugissent, seque ei veluti matri in filios consignassent.

Jam vero Audit. postquam intelleximus, qua ratione Platanus ista, Deipara, exornata sit à filio, superest ut nos quoque, si ejus patrocinio frui, & sub umbra ejus protegi contra æstum Solis illius justitiæ volumus, ipsam debito prosequamur honore. Sanè antiqui platanum umbræ causa præ foribus suis plantabant, uti Dionysius Siciliæ Rex; deinde etiam vectigal pro ejus umbra pendebant, adhæc ut firmiores ageret radices & vivacior esset, vino eam rigabant ut scribit Plinius lib. 12 c. 1. Pari modo nos Deiparam primò in patronam nostram eligamus, quemadmodum S. Stephanus Ungariæ Rex in suam & totius Regni tutricem eam delegit. Deinde vectigal aliquod seu diuturnum seu hebdomadarium aut menstruum ei impendamus, rosarium, jejunium, confessionem, communionem. Vino ejus radices, pauperes, perfundamus; pro his enim orat: *Vinum non habent.* Denique nihil in nostris ædibus contra ejus honorem fieri permittamus. Sic fiet, ut cùm in articulo mortis nostræ Sol justitiæ nos aspexerit, habeamus qua ratione nos protegamus, sub umbra videlicet platani & pallio Mariæ, quando impii dicent montibus & petris: *Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* Apoc. 6.

(*,*)

THEMA III.

Beata Virgo exaltata ut palma; Cauſæ tantæ exaltationis.

I. *Ob profundiſſimam ejus humilitatem.*
II. *Ob ſummam paupertatem.*
III. *Ob maximam in tribulationibus patientiam.*
IV. *Ob amorem Dei intenſiſſimum.*

Quaſi palma exaltata ſum in Cades. Eccleſ. 24.

SUetonius in Auguſto refert Imperatori illi enatam aliquando palmam inter juncturas lapidum ante domum ſuam. Quare id pro omine habens tranſtulit eam in compluvium Deorum Penatium ſeu patriorum, locum honorificentiſſimum, medium ſcilicet atrium domus ſuæ, ubi è tectis pluvia confluebat, ut arbor irriguis gaudens, ibi in altum creſceret. Fuit hic Imperator, ſub quo & nata eſt Deipara, & Chriſtum enixa. Quid ſi igitur ominoſa hæc palma Deiparam deſignaſſet ? Ea ſane inter obſcuros parietes, humili domuncula nata eſt; verum quia palmæ inſtar nobiliſſima virtutibus fuit, in cœlum hodie à Deo tranſlata eſt, & quidem loco poſt Chriſtum omnium honorificentiſſimo, & tali, quo omnis omnium Sanctorum gloria, quaſi in centrum confluit, implantata. Bene huic rei convenit, quod Nicephorus libro 2 hiſt. Eccleſ. capite 21. refert. B. Virgo palmam ab Angelo porrectam fuiſſe, cùm ei diſſolvi cupienti reſponſum eſt è cœlo allatum, quod jamjam ad filium migratura eſſet. Huc igitur ni fallor, reſpexit Eccleſiaſticus, quando de ipſa prophetans dixit: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*; ſicut intelligit Eccleſia, dum ea verba in hodierna legit miſſa. Cades exponitur *ſancta*, & quid niſi Sanctum Sanctorum, ſeu thronum cœli ſublimiſſimum indicat, ſuper alios Sanctos elevatum? Verum ut videamus nihil hinc invidiæ in cæteris Sanctis oriri poſſe, adeoque meritiſſimo deberi ei locum illum, oſtendamus id compluribus rationibus.

I. Palma profundas habet radices, ideoque aliſſime excreſcit, cedri tamen altitudinem non attingit, ut ſcribit Bercorius in Reduct. Mor. libro duodecimo capite 12. & Geminianus de ſimilitudine rerum libro tertio capite trigeſimo ſeptimo. Sic etiam Deipara profundiſſimas humilitatis egit radices, pluſquam alii Sancti, ideoque jure merito exaltata eſt ſupra omnes poſt altiſſimam illam cedrum, Chriſtum Dominum. Quo altius creſcit arbor, eo profundius in terram infigere radices ſolet, ut contra ventos firma conſiſtat: quo altior erit turris, eo profundiori eget fundamento: quo altius quà aſcendere debet, eo profundius prius deſcendat oportet: pari ratione quo humilior quis in terra fuerit, eo ſublimior in cœlo erit, quod oſtendit Dominus Matth. 18. ſtatuens parvulum in medio diſcipulorum, addenſque: *Quicumque ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cœlorum.* Accedit S. Bernard. de modo bene vivendi, ſerm. 39. *Quanto humilior fueris, tanto te major ſequitur gloriæ altitudo.* Et ratio eſt, quia quo magis quis ſe coram Deo deprimit, eò magis ejus majeſtatem agnoſcere & æſtimare cenſetur, ac proinde magis reveretur & colit, ideoque etiam magis meretur exaltari: quemadmodum & Luna quò longiùs à Sole recedit, eò Solari lumine plenior fit & ſplendet magis. Jam vero nemo poſt Chriſtum magis ſe humiliavit, quam Beata Virgo, quia nemo ex altiori culmine ſe demiſit ad ancillare officium; quæ cùm eſſet ab Angelo, imò à Deo tam honorifice ſalutata: *Ave gratia plena. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: turbata eſt in hoc ſermone, quaſi laudes iſtæ nulla ratione ad ſe pertinerent; deinde electa in Dei matrem, (quæ tanta eſt dignitas, ut major homini contingere non poſſit) dixit: *Ecce ancilla Domini*; talemq; ſe exhibuit ſemper. Jure igitur ſuper omnes creaturas exaltata fuit. Unde non abs cauſa de ipſa prædictum videri poteſt, quod Deus Ezechiæ Regi dixit 4. Reg. 19. *Quodcumq; reliquum fuerit de domo Iuda mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.* De domo Juda fuit Maria quaſi reliqua; & quia miſit radices deorſum, pluſquam alii omnes; ideò fecit fructum ſurſum, ſuper omnes alios. Miſit etiam Abigail, uxor Nabalis relicta, nobilis & dives ac famoſa, profundas in terrā radices, cùm poſtulata à Davide, ſtrenuo duce, in uxorem, adoravit prona in terram & reſpondit: *Ecce famula tua ſit in ancillam, & lavet pedes ſervorum Domini mei*; ideoque mox deducta ad Davidem, ut ei deſponſaretur. Sed parum eſt hoc, imò nihil reſpectu B. Virginis, quæ non in ſponſam Ducis, ſed in matrem Dei petita, ſe ancillam appellavit & exhibuit. Miſit etiam ipſe David capite præcedenti profundas in terram radices, quando è Saulis manibus ereptus, ſic ad eum locutus eſt. *Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? Canem mortuum perſequeris & pulicem unum.* Quare merito etiam fecit fructum ſurſum, ut Rex inaugurandus à Saule noſceretur mox quaſi prophetante: *Et nunc quia ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Quia ſe canem mortuum & pulicem appellat, inde mox agnoſcitur Rex inaugurandus. Verùm quanto ſanctior Maria Davide fuit, tanto major ejus demiſſio fuit, ideoque etiam tantò altiorem ad thronum in cœlo elevata. Miſit etiam Joannes profundas valde radices deorſum, cùm præcurſor Domini electus, indignum ſe proteſtatus eſt, qui procumbens ſolveret corrigiam calceamentorum ejus, velut Mattheus 3. cap. habet; calceamenta ejus portaret; ideoque fecit Fructum ſurſum, ut à Domino vocaretur *Angelus & major inter natos mulierum*; ſed non attingit Joannes Mariæ humilitatem, quæ ſanctior Joanne cùm eſſet, ad Chriſti ancil-

cillare officium se dejecit. Unde addit Christus ad il-
lam Joannis commendationem Joan. 11. *Qui au-*
tem minor est in regno cœlorum, major est illo, quasi
reservans altiorem in cœlo locum matri suæ, ut quæ
demissione Joannem longè excessit. Quid ergò
mirum si præ omnibus Sanctis in cœlo exaltata, fe-
cit fructum sursum, quæ præ omnibus aliis radicem
misit deorsum.

Quare qui in cœlo magnus esse vult, hanc viam
ineat necesse est. *Qui se humiliat, exaltabitur*: & quo
magis se humiliat, eò magis exaltabitur. Uti vicissim
quo magis quis se exaltat, eo magis humiliabitur,
quod vel in Lucifero patet, qui in cœlum volens
conscendere ad ipsum Dei thronum, in abyssum in-
ferni dejectus est.

II. Palma contra naturam aliarum arborum, sti-
II. *Ob summam ejus paupertatem.* pitem habet in caudice tenuem, & corticis scabritie
perplexit atique visu minime jucundum: superiorl
verò in parte crassum, ramorum amplitudine amœ-
naque pulchritudine viriditatis expansum. Sic B.
Virgo secundum hæc temporalia & infima pauper
& tenuis fuit, angusta ei domuncula, pauper & vilis
sponsus, angusta & curta supellex, quam etiam in
fuga Ægypti facilè deseruit; nulla apud homines
hujus sæculi existimatione. Unde Judæi per con-
temptum de Christo ajebant: *Nonne hic est faber, fi-*
lius Mariæ? Marci 6. Et rursum: *Nonne mater ejus*
dicitur Maria? Matt. 13. q.d. obscura illa & pauper-
cula fæmina? Ad hæc ipsa nunquam petiit à filio, ut
opes pauperculæ domui pararet, quod facile potu-
isset. Quæ paupertas & abjectio tanto major fu-
it, quanto ipsa genere nobilior, utpote regia de stir-
pe: quam ob causã verè omnium hominum pauper-
rima & abjectissima dici potest. Quis enim nescit
sobolem regiam ad imam paupertatem depressam,
acrius longe sentire suam calamitatem, quam de
plebe aliquam? Sed neque de terrenis rebus aliquid
concupivit, sua paupertate semper contentissima, a-
deo ut aurum à Magis oblatum vel dederit pauperi-
bus, vel modice tantum delibarit; siquidem munus
pauperum in purificatione obtulit. Ædiculam su-
am nec ornavit, quia simplex nec incrustata visitur;
nec difficile deseruit; fugiens in Ægyptum. Jam
vero quo magis quis à se relegarit bona mundi, eo
magis se dignum reddit bonis æternis. Unde Do-
minus Matt. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipso-*
rum est regnum cœlorum. In quem locum S. Amb. l. 5
in Luc. ait: *Quia qui contempserit sæcularia, ipse me-*
rebitur æterna.

Ratio est prima quia sicut natura nullum patitur
Ideo summam accepit gloriã vacuum, sed omnia vult implere: ita Deus appeti-
tum hominis, quem ipse dedit quasi infinitum ad
consequendum bonum immensum. Quo magis igi-
1. tur homo evacuaverit animum suum à terrenis bo-
nis, eò magis implebitur cœlestibus & divinis: quẽ-
admodum vas vacuum plus recipit, quam quod ex
parte repletum est. Hinc B. Virgo canit: *Esurien-*
tes implevit bonis, & divites dimisit inanes: quia sci-
licet illi vacui, hi repleti sunt, sed rebus vilibus &
terrenis.

Deinde qui amore cœlestium nihil ducit terrena
cælestium bonorum præcellentiam agnoscit & æ-
stimat, adeoque se illis dignum reddit: quia omnia
in Deo ponit. Uti contra, qui aliquid extrà Deum
quærit, minùs eum agnoscit, minus appretiat & a-
mat. Unde celebre illud S. Augustini: *Domine*
minùs te amat, qui tecum aliquid amat. Non me-
retur gemmas, qui earum pretium nescit, dono ac-
cipere.

III. Palma procera & erecta est, nec imposito
ramis pondere fatiscit; quare victoriæ symbolum
semper fuit, quia *opprimentibus non cedit, sed forti-*
us assurgit, ut ait Plut. in Sympos. 4. Clarum est ex
scripturis, pro mensura tribulationum forti animo
superatarum fore mensuram gloriæ in cœlo. Hinc
enim duobus discipulis considere cum Christo cu-
pientibus proponitur calix passionis ejus, Matt. 20.
Et Apostulus 2. Cor. 1. ait: *Sicut socii passionum e-*
stis, sic eritis & consolationis. Et 2. Tim. 2. *Si sustine-*
bimus & conregnabimus. At quis alius ita fortis &
ad ferenda pondera invictus fuit, uti Maria Virgo?
Quis ita calicem Christi bibit, uti ipsa, quæ sola pas-
sionis ejus socia in mẽte excepit omnia probra, ver-
bera, vulnera, cruciatus & aculeum mortis: quæ fi-
lius accepit in corpore? Imo S. Ambrosius hom. 5. de
Virg. gravius ait eam afflictam, quàm si dolores
Christi in suo corpore excepisset, quia filium plus
quàm se ipsam amabat, ut *gravius est parentibus vi-*
dere filios suos supplicio affici, quàm si ipsi forent iis
obnoxii ait S. Chrysostomus hom. 29. in Gen. Quale
ergo pondus huic palmæ impositum putamus, cùm
à Simeone audivit: *Tuam ipsius animam pertransibit*
gladius? Luc. 2 Quale pondus, cùm imminentem ei
passionem semper & continuò præ oculis habuit,
quoties eum aspexit? Abrahæ acerbissimum fuisse
jure credimus, cùm filium dilectum duxit in mon-
tem immolaturus: at quis sensus esse debuit Deipa-
ræ, quæ 33. annis prævidit filii longè charioris tam
diram immolationem? Hic erat fasciculus ille myr-
rhæ, de quo Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus*
mihi, inter ubera mea commorabitur; hoc est, sine
cassatione cor meum affligit: & ipse dilectus meus
mihi mirrha fuit, quia sic dilectus. Qui vehemen-
ter amat hortum, quem omnibus plenum deliciis si-
bi præparavit, cùm audit eum necessariò destruen-
dum, quantum putatis, is dolebit? Pauci anni sunt
cùm audivi divitem aliquem ob hujusmodi causam
in ægritudinem incidisse, cùm ejus hortus amœnis-
simus, variis & peregrinis plantis, aquarum ducti-
bus, imaginibus illustris subruendus ei nunciaretur,
ut vallum inde pro tuenda civitate fieret. Et quis
animus Virgini fuit, cùm jam de facto filium suum,
paradisum speciosissimum, ab hostibus diripi, cædi,
conspui, crucifigi, in cruce mori vidit! Quantum
pondus ei impositum, cùm pro ejus vestibus, quas
ipsa ei fecerat, ludi à militibus! Cùm in cruce siti-
enti,

enti,quem olim lacte suo potarat,vidit acetum porrigi? Cùm sibi pro filio discipulum dari audiit? Palmæ folia gladii figuram referunt; Et video ibi Deiparam non,ut pingi solet septem, sed 700. gladiis onustam & convulneratam. Neque hic ejus dolor consolationi mixtus facile esse potuit, sicut factum in martyribus; quia præter filium nil amavit: cum ipso omnia ei erepta sunt. Quare merito sanctus Anselmus libro de excellentia B.V.c.5.ait,leve fuisse respectu passionis ejus,quidquid martyres pertulerunt.

Porro hoc tantum pondus forti & constanti animo tulit, neque palma hæc confracta aut collapsa est,quia *stabat juxta crucem*,ait sanctus Joannes; ut verissime de ea dici queat id Cant.7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Quando igitur in monte Calvariæ tot ponderibus onusta stetit ac perstitit invicta juxta filium,nonne meritissimo in summo cœlestis gloriæ culmine supra omnes Sanctos stabit juxta filium.

§. IV. Palma est Solis amantissima, nec fructum fert nisi in loco fervido;teste Plin.l.17.cap.44. & l.13.c.4.Unde in Italia fructus non gignit,saltem maturos. At nemo alius ita Dei amans fuit, nemo ita in perpetuo amoris fervore vixit ac B.Virgo; jure igitur & corona ejus omnium SS. coronas quam longissimè superat.Qui plus in cœlo gloriæ sibi cōparare vult,plus monetæ adferre debet.Plus autem monetæ adfert,qui plus auri adfert. Aurum charitas est,argentum cæteræ virtutes sunt. Hinc.Apoc. 3.Episcopo Laodiciæ tepido scribitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum,ut locuples fias, & vestimentis albis* (gloriæ scilicet) *induaris.* Aurum ignitum charitatem ferventem notat,ut optimè exponunt Beda, Richardus, Ansbertus, alii Qui ergo plus charitatis & quidem ferventioris habuerit, locupletior in cœlo fiet, & stola candidiore ac splendidiore induetur. Quæramus jam, an B. Virgo plusquam alii Sancti de hoc auro habuerit.

Id certè probatur primo. Quia amavit Deum non solum ut creatorem,conservatorem, redemptorem & patrem suum;quemadmodum alii Sancti: sed etiam ut filium.Hunc autem longe excellentius amavit,quam solent aliæ matres amare filios suos. Primo, quia totus erat solius matris, non item patris terreni filius. Secundò, quia in illum omnis ejus amor ferebatur,non in plures alios dividebatur. Aliæ enim matres præter filios suos, amant etiam conjugem,parentes suos,alios liberos suos, fratres & sorores. At Maria totum amorem suum impendit uni filio,quia simul erat filius & Deus. Tertio quia filius erat nobilissimus utpote Deus: item speciosissimus à tot Sanctis desideratus; adhæc Matri simillimus tam in vultu, quam in moribus ac virtutibus.

Probatur secundo, quia plurimis ab eo, velut Deo,gratiis ac donis præventa & in matrem ejus electa fuit. Quo enim plura quis beneficia accipit,si æquus eorum æstimator est,uti fuit Maria, eo plus benefactorem diligit.

Tertio,quia amor illius restrictione non eguit,ut 3.
aliorum parentum amor erga filios eget, ne scilicet eos magis vel æque ac Deum ament;quia filius erat Deus.

Quarto,quia ex diuturna cum filio conversatio- 4.
ne magis semper & magis in ejus amorem incanduit. Quod si duo illi discipuli ad horam ambulantes cum Magistro suo in Emmaus exarserunt in amorem ejus,quid dicamus de B.Virg.quæ tot annis ei convixit?

Quinto,ex effectibus & indiciis amoris ejus.Duo 5.
hic expendamus:amorem ejus.quo stimulante Calvariæ montem fugientibus discipulis ascendit, ac inter furentes canes filio adstitit, vitamque pro eo mortis periculo exposuit. Deinde quod præ amoris filii sui incendio sine ullo morbo ac dolore extincta sit,ut scribit S.Hieronymus serm. de assumpt. Suarez, Canisius & alii. Jam verò quis alius Sanctorum tali amore,tali auro præditus fuit? Ac sicut aurum suæ dignitate naturæ superat omne argentum, quamvis infinities congestum; ita amor B.Virginis amorem aliorum Sanctorum; quia altioris ordinis est, ut vidimus. Erant in conventu Leuchoviæ simul Uladislaus Ungariæ & Albertus Poloniæ Reges fratres cum magna multitudine Ungarorum & Polonorum anno 1493. Ibi Polonus quidam Princeps veste unionibus undique repleta prodiit, quasi provocans Ungaros ad vestitûs certamen. Id videns Stephanus Ungariæ Palatinus unicum lapidē sed eum tam pretiosum in veste sua spectandū proposuit,ut totum Poloni gemmeum ornatum longe superaret. Viso eo Polonus victum se fassus mox gemmatam suam vestem,qua Ungaros provocarat, deposuit. Bonfin. l.4. dec.5. Pari modo B.Virgo si vel unicum amorem,quo Deum prosequebatur, depromeret, omnium Sanctorum virtutes longe transcenderet.

Vidimus igitur Deiparam jure meritissimo in summo cœli fastigio & gaudiorum compluvio cōstitutam esse, quia revera palma fuit. Sed si ita exaltata est: quomodo nos pusilli infra constituti apprehendemus fructus ejus? Sane palma dactylos suos in sublimi quidem gerit;versus humum tamen inclinat,ut vitis botros. Sic B.Virgo in cœlo meritorum verticem ad summum gloriæ thronum erexit,eadem tamen fructus meritorum suorum in terram inclinat,dum velut mater filiis panem, quasi manibus porrigit,etiam indignis. Unde cùm Cant. 7.statura ejus assimilata esset palmæ,subditur: *Et ubera tua botris.* Quid ubera,nisi materna ejus benevolentia ad lactandos filios? Ut ergo botri à vite & dactyli à palma dependent,quasi obviantes prætereuntibus carpere volentibus: Sic ubera Deiparæ nemini non ad ipsam recurrenti promptissimè se exhibent.

Experta est Maria Ægyptiaca, cùm adhuc infamis fœmina ingredi templum Jerosolymis conaretur,

tur,ab imagine Deiparæ ter quaterve repulsa, donec ad se rediens vitæ emendationem Dei matri promitteret apud Sophronium Hierosolymitanum Episcopum in ejus vita. Simillimum est, quod refert Hier. Majorica in annuis Goënsibus de Indo (fol.203.) qui 13.annis non confessus in Sabbato tamen audito pulsu ad *Salve Regina*, in nostro templo cantari solito, accedere voluit. Verùm ad portam templi pedibus se impeditum sensit. Quare reverti domum volens non potuit, pedibus velut plumbo aggravatis. Repens ergo ad proximum parietem inclinans videt imaginem Deiparæ: quam alloquitur & causam suscitatur cur templo excluderetur. Interim advenit unus de nostris Patribus. qui rem intelligens admonet eum rationis cum Deo faciendæ per confessionem. Qua voce mox permotus Indus, fatetur necessariam sibi confessionem, seque ad eam paratum. Vix emisit hanc vocem solvuntur pedes expediteque sequitur Patrem ac confitetur, sanatus animo & corpore petiitque à Patre ut hoc factum promulgaret ubicunque vellet ad Dei & sanctissimæ matris ejus gloriam.

THEMA IV.

Protectio Deiparæ quam salutaris.

I. *Latissima, extendit se ad omnes.*
II. *Potentissima & efficacissima.*
III. *Paratissima ad juvandum.*
IV. *Fidelis & constans.*

Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. Ecclesiast.14.

SOlemus Auditores in æstivis coloribus, quales ferè hoc tempore, umbras adamare, & sub illas nos recipere contra ardorem Solis. Sed ô nos delicatos homines! Si enim brevem ac levem Solis hujus calorem corpus affligentem, ferre nequimus: qua ratione sustinebimus fervorem Solis justitiæ, Christi, quando ad judicandum venerit, qui & corpus & animam uret? De hoc enim Isa.c.25. ad literam, secundum Christi adventum describens, ita ipsi loquitur: *Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies*, quasi dicat; impios tumultuosos, qui pios vexarunt, & se à te alienarunt, torrebis in die judicii veniens in nube & æstu justitiæ tuæ, velut in terra arida, ubi nulla est umbra Quid igitur, Auditores? quid faciemus nos, ut æstum illius diei evitemus? Umbra nobis quærenda est & ubi melior, nisi sub Deipara Virgine, cui obumbravit Spiritus sanctus? De hac enim audimus Sapientem hodie in S.Missa loquentem: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis.* Teste enim Plinio libro duodecimo capite primo *commendatio platani non alia major est, quam Solem æstate arcere, adeò ut aliqui trans maria & à remotis regionibus eam umbræ solius gratia ad ædes suas divexerint.* Non reperitur arbor, quæ magis arceat Solis ardorem & jucundiorem præstet umbram, quam platanus: nec protectio securior à ventura ira Judicis, quam protectio Deiparæ. Ea hodie in cœlum exaltata est, ut inde umbram protectionis suæ in nos jaciat. Quam ut avidius quæramus, meliùs explicabimus.

I. Umbra platani est latissima, adeò platanus à Græco *Platos*, id est, latitudine dicitur, quod ramos suos spaciose, expandat, quibus viatoribus gratiosissimam umbram exhibeat. Inde olim quidam umbræ causa intra & supra platanum cœnabant: Licinius cum 18. Cajus cum 15. convivis. Plin.l.12.c.1. Pari modo pallium protectionis Deiparæ spatiosissimum est, diffundens se ad omnes, quotquot ad eã confugiunt & opem ejus implorant. Cæteri Sancti ad certos limites expandunt umbram suam, ubi scilicet vixerunt, vel ubi requiescunt, vel ubi eorum templa & altaria sunt, vel peculiaris devotio est, & ferè ad justos tantùm. Sed B.Virgo extendit, umbram suam ad omnes homines, ubicumque terrarum sint, ut docet Idiota in contempl. Virginis c.2. Hinc Toletus Cardin. vult ipsi à Christo sub cruce commendatam esse in Joanne universam Ecclesiam, ut esset omnium mater. Et jure, primò, quia sicut ejus filius omnium mediator & redemptor est: ita ipsa omnium mater & advocata, per quam habemus redemptorem. Propterea, ut vult S.Bernardus serm. super signum magnum, Apoc.12. dicitur: *Mulier amicta Sole*: filio videlicet. Quis autem nescit Solem universo orbi communicare lumen & calorem suum? oriri super bonos & malos? Et si juxta Jurisconsultos uxores coruscant radiis maritorum, cur non & matres radiis filiorum? Quare sicut Deus appellatur *pater misericordiarum*, ita ipsa *mater misericordiæ*. Denique si à Christo commendata est ei cura Joannis, filii sani & robusti: cur non & cura filiorum ægrorum & debilium, quales sunt peccatores.

2. Quia hanc gloriam & potestatem protegendi, & in filios recipiendi omnes, qui eam receperint in sua, commeruit heroico illo charitatis, obedientiæ & patientiæ actu, quo filium suum innocentissimum unicum & dilectissimum sibi præter jus, auferri & pro humano genere immolari passa est. Fuit is actus charitatis respectu cœlestis patris, filium immolare volẽtis actus patientiæ respectu Judæorum, qui filium ipsi iniquissimè ablatum, iniquissime tractarunt, ipsa spectante, nec tamẽ contra violentiam illam protestante. Justitia igitur exigebat, ut fieret ei compensatio, saltem qualis fieri potest. Porro pro tanto ac tam dilecto, filio si totius mundi filii, ipseque mundus detur; nequaquam sufficiens adhuc erit compensatio. Ergo dandum saltem,

quan-

quantum dari potest, omnes scilicet homines, quotquot ad ejus umbram fugiunt. Si enim Deus Abrahæ pro dilecto suo filio Isaac sibi immolando, (licet non reipsa, sed voluntate sola parentis immolatus sit) dixit: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito filio tuo:* (hoc est, dare eum voluisti) *multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam maris,* Gen 22. quasi dicat: dabo tibi pro uno filio tuo, filios & nepotes innumerabiles: cur non potiori jure det Deus matri filii sui, pro ipso verè immolato, innumeros alios filios, cùm etiam innumeri nequaquam æquiparari unico illi possint? Et quemadmodum Abrahæ promissi sunt filii sicut stellæ cœli, in quibus intelliguntur justi: & sicut arena maris, in qua peccatores: ita B. Virgo meruit jus protegendi & in filios recipiendi justos & injustos, quicunque ejus opem invocarint.

II. Umbra platani est densissima. Unde Plinius lib. 17. c. 12. *Umbra platani jucunda est, quanquam crassa,* inquit. Quò crassior eò jucundior, Sole æstuante: nam & æstum arcet & pluvias; & hoc ob lata ejus folia, quæ peltæ figuram referunt. Aliæ arbores, quia minora habent folia, non ita ex omni parte prohibent Solem & pluvias. Hinc in magnis Solis caloribus Romani sub platano jucundissimè epulabantur. Et quid densius, quid potentius umbra protectionis Marianæ? Aliorum enim Sanctorum preces coram Deo impetrant, Deiparæ verò imperant. Ita enim B. Petrus Damiani serm. 1. de nativitate B.V. ait, *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans. Domina non ancilla.* Et hoc primò, quia filii, quem rogat, mater est, matrem autem filius ex lege naturæ jubetur honorare. Non videretur autem honore afficere, sed pudore potius, si petenti gratiam negaret. Testem audiamus primo Adoniam filium Davidis, qui interventu Bethsabeæ, petiturus aliquid ab ejus filio Salomone, dixit ad Bethsabeam: *Neque enim negare tibi quidquam potest,* filius scil. matri. Deinde ipsum Salomonem, qui venienti ad se matri ait: *Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* 3. Reg 2. Parentes in filiis se ipsos intuentur velut in imagine sua indeque delectantur, juxta id Prov. 3. *Pater in filio complacet sibi.* Unde si contingat eos à filiis offendi aut sperni, certè tunc coguntur avertere ab eis vultum suum, non absq; magno dolore & confusione sua. Hocne facere me decet, vult dicere Salomon, ut confundam & à mei amore avertam faciem matris meæ? Absit. Et si hoc filii hominum, num aliter faciet filius Dei matris suæ?

Secundò, quia suis obsequiis filio exhibitis utique commeruit, ut filius vicissim obsequatur matri suæ in ejus postulatis. Sanè matres ori suo detrahūt, quod filiis impertiant (quemadmodum & gallinæ ut dent pullis suis) nec facilè negant filiis, quod non obest illis. Et quid non præbuit Deipara filio? quid unquam ei negavit? Igitur sicut ciconiæ reddunt vicem parentibus, implumes succollando: sic servire decet filios parentibus, juxta præceptum: *Honora patrem & matrem.* Quomodo igitur fieri posset ut talis filius neget aliquid tali matri. Certè quando in nuptiis Canæ sponso vinum petit, licet minùs opportuno tempore, (uti Christus observavit) audita tamen fuit, & vinum impetravit. Quid enim, si filio dixisset: Nonne ego tibi sitienti lac præbui? nonne nudum vestii? nonne tota vita servivi? quid respondere filius poterat? Putat S. Chrysostomus & Theophylactus, quòd primum miraculum Jerosolymis facere statuisset, velut in metropoli; ad preces tamen matris mentem mutarit. Unde Chrysostomus ait: *Licet hoc dixerit: Nondum venit hora mea: maternis tamen precibus obtemperavit, &c. Vt matri honorem exhiberet & non contumax videretur matri, neve genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret,* hom. 21. in Joan. Nemo alius Sanctorum tam potentes & armatas preces coram Deo afferre potest. Quare sufficit causæ nostræ advocatam habere Dei matrem. Jam obtinuit, quod petiit, qui hanc advocatam habet.

Quid ergo dæmones nobis nocere sub hac advocata poterunt? Sanè umbra platani dicitur vespertiliones fugare, teste Pierio lib. 25. Hierogl. Deiparæ patrocinium primo conspectu fugiunt dæmones; nec quidquam moliri hostile audent, ubi ejus umbram clientibus imminere vident. Ubi Regina patrocinatur, non opus est argumentis: frustra ei resistitur. Verum tamen est, tunc potentem, imò potentissimam esse intercessionem ejus, quando clientes ejus monitis obediunt: non verò refractarii sunt. Hinc enim cum pro vino supplicasset, mox addidit ministris: *Quodcunque dixerit vobis facite.* Hi ergo nisi imperio ejus obedientes hausissent aquam jussu Christi, vinum non accepissent. Morigeris ergo succurrit.

III. Umbra platani publica, & ubi hæc arbor crescit, passim obvia est, non intra septa, sed in viis publicis, sicut arbores aliæ sylvestres, fructu carentes. Unde dicitur ab Ecclesiastico stare *juxta aquas in plateis.* Adhæc in cæteras quasque regiones devehi & plantari sese patitur, quod non faciunt omnes arbores, ut palmæ, cupressi, cedri, &c. quæ non ferunt frigidum solum. Hujusmodi est protectio Deiparæ, quæ ad opitulandū omnibus pronissima & paratissima est, imò omnes ad se vocat in Ecclesiast. c. 24. citato; ubi postquam velut mediatrix & mercatrix omnes suas merces & herbarum vires vænales proposuit ac dilaudavit dicendo: *Quasi cedrus, cupressus & palma exaltata sum: quasi oliva speciosa in campis: sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, & storax & galbanus, &c. Ego quasi terebinthus: ego quasi vitis: ego mater pulchræ dilectionis, &c.* Tandem omnes ad suas merces capiendas, ad suam umbram & protectionem vocat dicens: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis est, &c.* Ecce quam amanter vocat

III. *Paratissima ad juvandum.*

ad ſe omnes! quam vehementer cupit ſe impertiri omnibus! Proni quidem ſunt & alii Sancti ad opitulandum miſeris, ſed non tanta tamque univerſali propenſione, uti mater Chriſti. Lego enim S. Lambertum Epiſcopum Leodienſem impudicitiæ hoſtem, etiam poſt mortem negaſſe impuris fœminis oſculum manuum ſuarum, aliis omnibus conceſſiſſe. 17. Sept. apud Surium. Homicidam non admiſſum è ſancta Walpurga peregrinantem ad ſepulchrum ſuum in ejus vita 1. Maji. Elfridam ad ſepulchrum S. Eduardi Regis Britanniæ, velut ſanguinariam, in vita 18. Martii. Et facilè quis ſibi perſuadeat ſuperbos peccatores non audiri à ſanctis; qui humilitatem ſummè amarunt, avaros à liberalibus, iracundos à manſuetis, guloſos à ſobriis. *Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, ut pro nobis dignentur Domino ſupplicare*, ait S. Auguſtinus ſerm. 30. de Sanctis. At B. Virgo merita vel demerita noſtra non examinat, ſed miſerias tantum aſpicit noſtras; unde ſuam opem liberaliſſime & promptiſſime impendit.

1. Primò, quia eſt ſumma & potentiſſima cœli Regina. Decet autem Reges ac multò magis Reginas clementia, liberalitas & miſericordia. Unde qui in Regis iram inciderunt, Reginæ pedibus ſe advolvunt; uti Aman, qui Regem ſibi iratum videns, ad Reginæ pedes accidit, gratiam poſtulans. Eſth. 7. Certè filia Pharaonis, quando Moyſen infantem in fiſcella aquis innatantem & vagientem vidit, miſerta ejus extraxit illum, ac licet eum de pueris Hebræorum, utpote circumciſum, adeoq; ex mandato patris ſubmergendum deprehenderit, nihilominus tamen educari juſſit, & loco filii ſui habuit, Exod. 1. Si hoc fecit filia Regis impii, quia ſcilicet regium eſt miſeris ſuccurrere, quid non ſperemus à Deipara? Licet enim quis de Hebræis, id eſt, peccatoribus & infidelibus, æternæ mortis obnoxiis, ſit; ſi tamen ejus opem vagiens imploret, opitulantem reperiet; quia ipſa conſiderat miſerum peccatorum ſtatum, quo velut infantes aquis innatant & ſenſim abripiuntur in abyſſum: non attendit quales ſint, ſed quò miſeri eant.

2. Secundò. Quia mater & advocata communis omnium miſerorum à Deo conſtituta eſt; quod vel nomen ejus indicat. Quid enim Maria niſi *ſtellam maris* ſonat? Et quid ſtella maris, niſi directrix & conſolatrix periclitantium in mari! Et *nunquid oblivìſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* Iſa. 49.

IV *Fidelis & conſtans.* IV. Umbra platani Gortynæ in Creta nunquam folia dimittit; teſte Plinio lib. 12. cap. 1. Fidelis etiam & conſtans eſt protectio Deiparæ illis, qui eam nunquam deſerunt. Templo Jeroſolymitano conceſſit Demetrius hoc privilegium, *ut quicunque ad id confugerint obnoxii Regi in omni negotio, dimittantur, & univerſa quæ ſunt eis in regno ejus, libera habeant.* 1. Mach. 10. v. 43. Cur non idem privilegium conceſſerit Deus matri filii ſui, quæ ipſius templum fuit? Quemadmodum ergo templum defendit & tuetur omnes, (unde templum *à tuendo* dictum volunt aliqui) qui ad id confugerint, quamdiu ipſi templum non deſeruerint: ita & Deipara umbra ſua proteget clientes ſuos, quamdiu ipſi adhæſerint.

Exemplum refert Abbas Palladius in Prato ſpirituali Jo. Moſchi cap. 75. *Erat*, inquit, *in Alexandria vir quidam fidelis, religioſus valde & miſericors & hoſpitio ſuſcipiens monachos. Habebat autem uxorem & ipſam humilem valde & jejunantem quotidie. Erat autem illis filiola quaſi annorum ſex. Quadam verò die vir ille pius profectus eſt Conſtantinopolim. Erat enim negotiator. Relictis ergo domi uxore & puella & uno ſervo, abiit ut navigaret. Cùm verò iret ad navim, ait ad illum uxor: Cui nos commẽdatos relinquis Domine? Reſpondit vir ejus: Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cum ſederet uxor & operaretur, habens & puellam ſecum, ſervus ille ex ſuggeſtione diabolica voluit necare dominam & ejus filiam, & diripere quidquid haberent & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro perrexit in triclinium, ubi erant ambæ. Cum verò veniſſet ante januam, comprehenſus eſt cæcitate, ita ut neq; triclinium ingredi, neq; ad coquinam reverti poſſet. Cum autem una fermè hora perſtitiſſet, fruſtraque conaretur ingredi, cœpit vocare dominam ſuam dicens: veni huc uſque; illa admirans quòd in medio januæ perſiſtens ad illam non graderetur, ſed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni: ignorans, quia cæcitate teneretur, puer autem incepit illam adjurare, ut iret prope illum. Illa verò juravit non ſe ituram; tunc ait illi, mitte vel puellam. Quæ noluit, ſed ait: Si quid vis, ipſe potius veni. Videns autem ſervus quod nihil potuiſſet agere, ſeipſum gladio percuſſit, & corruit. Domina verò illius, cùm vidiſſet, quid egerat, clamavit, continuoque vicini accurrerunt. Ingreſſi ſunt autem & ex officio prætorii nonnulli, puerumque reperientes adhuc vivum didicerunt ab ipſo omnia, & glorificarunt Dominum qui oſtenderat miracula & matrem ſalvaverat cum filia.*

Fida igitur protectrix ſuorum clientum eſt Deipara, conſtans umbra illius, uti vidimus. Idcircò Aud. ſi ab æſtu iræ divinæ ſecuri eſſe volumus, ad umbram hanc fugiamus. *Diximus: In umbra tua vivemus*; ajunt illi Thren. 4. Dicamus & nos hoc Deiparæ: *In umbra tua vivemus.* Non fidamus umbræ hujus ſæculi, Principum & amicorum favori ac tutelæ. Sunt enim velut umbra illius hederæ vel cucurbitæ (ut 70. legunt) quæ in æſtu protexit unico die Jonam: repentè verò corroſa à verme hedera deſiit: hinc æſtuare Jonas Solis radiis percuſſus, ac præ dolore mortem ſibi optare dicens: *Melius eſt mihi mori quam vivere.* Jon. ult. Veniet aliquando vermis ſepulchri, mors, & corrodet Principes atque amicos, in quibus confidebas, vires quoque tuas, & quid ſi tunc juſtitiæ Sol, Chriſtus Judex, feriat te radiis ſuis, & incipias æſtuare ac mortem optare, ne

ardo-

ardorem gehennæ æternum ſuſtinere cogaris? Igitur ſi ſapimus, ad umbram Deiparæ nunc fugiamus, dum fugæ locus eſt: non expectemus cum Pharaone, donec marini illi parietes, mortis, inquam dolores, ſerò ſapientes obruant, ut cum ipſo fruſtrà clamemus: *Fugiamus Iſraelem*. Exod. 14. Actum eſt, mi Pharao, in profundum ibis; quia ſerò fugiſti Quod ne & nobis accidat, potentiſſimo & liberaliſſimo ſuo patrocinio avertat à nobis cœli Regina clementiſſima, MARIA.

THEMA V.

Maria Virgo per omnia meliorem partem elegit.

I. *Elegit virginitatem potius, quam Dei maternitatem præcisè.*

II. *Elegit ſponſum habere potius, quam non habere.*

III. *Elegit ſponſum humilem, & fabrum potius, quam nobilem ac divitem.*

IV. *Elegit adeſſe filio crucifixo potius, quam abeſſe.*

V. *Elegit poſt filii aſcenſionem remanere aliquandiu in terra, potius, quam eum comitari in cœlum.*

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ cap. 10.

QUæ cauſa eſt Auditores, quod hoc Evangelium legatur in hodierno Feſto? Utique hæc vel ſola vel potiſſima; quia dicitur in eo: *Maria optimam partem elegit.* At hoc de Maria Magdalena Chriſtus effatus eſt, non de matre ſua. Ita eſt, ſed Eccleſia imitatur Rebeccam, quæ filio ſuo Jacob veſtem odoriferam, quam fecerat Iſaac pater fratri ejus Eſau, induit & aptavit, ad benedictionem patris obtinendam: quia potiori jure debebatur ipſi, qui obtenturus erat jus primogenituræ, quam fratri, qui perditurus. Geneſis 27. Hunc ergo in modum pulchra fragrantiſſimaque veſte ornavit Magdalenam Chriſtus in hodierno Evangelio, quando dixit: *Maria optimam partem elegit.* Sed Eccleſia mater noſtra, Spiritu ſancto edocta, intellexit veſtem hanc odoriferam longè potiori jure deberi Deiparæ; idcirco hunc Magdalenæ ornatum applicuit Dei matri. Magdalena in uno tantùm meliorem partem elegit, dum verbo Dei audiendo potiùs, quam cura rei domeſticæ ſeſe occupavit; adeoque vitam contemplativam prætulit activæ, non in aliis omnibus; caſtitate enim à ſorore Martha longè ſuperata fuit. At verò Maria Deipara non in uno ſolum, ſed in omnibus omninò meliorem ſemper partem elegit. Jure igitur potiori ipſi hoc encomium datur: *Maria optimam partem elegit.* Quibus verò in rebus? Audiamus.

I. Elegit potius virginitatem quam fœcunditatem, imò & quam Dei maternitatem præcisè. Addo præcisè, quia matrem eſſe Dei, cùm ſit dignitas incomprehenſibilis, trahit ad ſe jure ſuo omnis generis gratias, adeoque etiam virginitatis florem. Poſito tamen, quòd eum non attraheret, & præciſa à virginitate eſſet; elegit potius Maria conſervare ſuam virginitatem, quam cùm ejus jactura fieri Dei mater; quia virginitas virtus eſt, Deo acceptiſſima & heroica planeque Angelica; maternitas autem Dei præciſe virtus non eſt; ſed gratia gratis data dumtaxat, non gratum faciens; quæ proinde matrem Dei præcisè non facit beatam, ut fruatur Dei viſione & gloria cœleſti: ſicut nec Pontificatus facit Papam ſanctum. Quòd verò hæc Mariæ mens & ſenſus fuerit, ſatis ipſa indicat, cùm Angelo reſpondet: *Quomodo fiet iſtud?* Quia ſcilicet *caſtitatem prætulit Angelico nuncio*, ait Gregorius Nyſſenus; ac virgo eſſe maluit, quam præcisè Dei mater. Prætulit etiam virginitatem fœcunditati, quæ in veteri Teſtamento tanti æſtimabatur, ut expendit S. Anſelmus: *Illa quidem duo*, inquit lib. de excell. virg capite quarto, *jucundius amabat, ſcilicet virginitatem & fœcunditatem. Virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat: fœcunditatem, quia ſine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter cuſtodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea ſervandæ virginitatis, & excluſit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque & tenera & delicata, & ſpecioſiſſima regali ſtirpe progenita, totum amorem ſuum, totum ſtudium ſuum, ad hoc intendit, ut corpus & animam ſuam Deo virginitate propria conſecraret. Sciebat enim, quod quantò ſanctius eam ſervaret, tantò ſublimius ei, qui omnium caſtiſſimus, imò qui ipſa caſtitas eſt, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Domino eſſe cognovit, legem ſuperavit, ſprevitque maledictum datæ legis. Denique ubi Dominus tam ſanctam ejus intentionem vidit, miſericordiæ ſuæ intuitu egit circa illam, ut nec ſanctitas intentionis ejus fruſtraretur, nec caſtitas propoſiti ejus violaretur. Dedit ergo illi, ut & virgo, quod magis optabat, permaneret: &, ut nemo illam à maledicto legis liberam dubitaret, fœcunda fieret.* Cui accedit ſanctus Ildephonſus ſermone 5. de Aſſumptione. *De iſta*, inquit, *dicitur: Optimam partem elegit; quia prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit & idcircò promeruit, ut Dei filius ex ea corpus noſtræ redemptionis ſuſciperet.* Audiamus & Gregorium Nyſſenum oratione de nativitate Chriſti: *Audi*, inquit, *pudicam Virginis vocem. Angelus*

I. *Elegit virginitatem potius, quàm Dei maternitatem præcisè.*

lus partum nunciat: at illa virginitati inhæret & integritatem Angelicæ demonstrationi (Ecce concipies & paries filium) anteponendam judicat. Et post: *Quia carnem Deo consecratam tanquam sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præstare; idcirco licet Angelus sis, licet è cœlo venias, licet id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est.* Comprobatur hæc Virginis resolutio ex illa Christi sententia, qua beatiores esse asseruit auditores verbi Dei, matre sua præcisè nimirum accepta, Luc.11. *Beatior ergo Maria*, ait S. Augustinus l.de Virginit. cap. 3. *percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi Nam & dicenti cuidam: Beatus venter qui te portavit: ipse respondit: Imò beati; qui audiunt verbum Dei & custodiunt. Denique fratribus ejus, hoc est secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fælicius Christum corde quam carne gestasset.* Sic August.

II. *Elegit spõsum habere potius, quam non habere.*

II. Elegit habere sponsum, virginitatis suæ nihil obfuturum, potius quam eo carere. Et hoc sapientissimè. Primò ut cum virginitate etiam matrimonium velut à Deo institutum, & aliquando sacramenti dignitatem habiturum condecoraret, quod observat D. Ambrosius in Lucam, plus etiam
1. est, adeoque melius virginitatem servare in conju-
2. gio, quia difficilius, quam extra. Secundò ut haberet virginem, virginitatis suæ custodem & nutricium; quæ si alioquin sola degere, & sibimet victum quærere deberet, insidias, inter homines facilè pateretur, quas ut declinaret, sponsum virginem sibi delegit.

3. Tertiò ex Dei consilio & occulta dispensatione, *ne* (mater filii effecta) *temeratæ virginitatis adureretur infamia, cujus gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre. Nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur*, inquit idem D. Ambros l.2. in Lucam.

4. Quartò *ne tanquam adultera à Iudæis lapidaretur*, inquit S. Hieron. in c.1. Matth. *Quis enim ei crederet*, ait Eusebius Emiss. hom. in Vig. Nativ. Dom. *sine viro concepisse? quis enim ei crederet, de spiritu S. ejus uterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum & sine exemplo Melius ergò fuit quòd virgo ad tempus non virgo putaretur, quam quòd accusata lapidaretur; non enim violatur virginitas falsa opinione, occiditur autem innocens plerumque falsa accusatione.* Quod si fortè non ut adultera, saltem velut corrupta in domo paterna poterat lapidari, ex lege Deut.12. sic statuente. *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius & morietur; quia fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui*, ut observat D. Thomas 3. p. q.29. art.1. ad 4.

5. Quintò. Ex eodem Dei consilio, ut Joseph ipsi ejusque filio esset adjumento & custodiæ, sacræque illius familiæ in temporalibus administrator. Virga florem aut rosam emittens habet sua folia aut spinas, quibus defendatur: atqui Maria Virga illa erat, de qua Isaias cap.11. prædixit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet*; ut exponit S. Hieronymus. Debuit igitur habere sponsum protectorem.

III. Elegit sponsum humilem & fabrum potius, quam divitem & nobilem. Primò quia & ipsa humillima fuit; quæ autem bene nubere vult, nubat pari: sic major inter conjuges erit concordia. Secundo id actum Dei dispensatione, ut Christus futurus ejus filius patrem haberet sibi consimilem; siquidem & ipse humiliavit semetipsum, formam servi indutus. *Ego*, inquit, Can. 2. *flos campi & lilium convallium*, hoc est, (ut Rupertus Matth.1. exponit) decus parentum humilium. *Non est flos regii alicujus horti Christus; non enim Regem aliquem, hominum existimatione patrem habere voluit, sed Ioseph fabrum &c.* Fabrum vero primò ex eodem Dei consilio, quia ad quærendum victum sibi & uxori in stabulo Bethlehemitico & fuga Ægyptiaca, ars fabrilis lignaria magis erat idonea, & paucioribus instrumentis egebat. Secundò ut esset analogia quædam inter ipsum, & Deum patrem, mundi fabricatorem, cujus filius naturalis erat Christus, Josephi solùm matrimonialis, ut observat D. Augustinus serm. de nativ. & S. Petr. Chrysologus serm.48.

Magnum bonum est bonus conjux, uti conjugi suæ Annæ Elcana insinuat 1. Reg.1. *Anna, quam ob rem affligitur cor tuum nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?* Quod etiam dicere poterat Josephus conjugi suæ, si afflicta ipsa fuisset. Sed non potuit affligi sub tam sancto conjuge, qualis erat Josephus. Quod si alii quoque desiderant, quærant sibi conjuges virtutibus insignes, magis quam opibus, forma, stirpe, & similibus; quæ plus sæpè nocent, quam prosint.

IV. Elegit adesse filio crucifixo potiùs quam abesse. Primò ut materno affectui & amori erga tam dilectum filium satisfaceret. Agar illa filium moribundum *abjecit subter unam arborem & abiit seditque è regione procul, quantum potest arcus jacere. Dixit enim: non videbo morientem puerum.* Genes.21. Secuta affectum naturalem, & ne ipsa unà cum puero nimium affligeretur ac quodammodò moreretur. Non improbo hoc quidem, sed meliorem partem elegisse dico Mariam, quæ naturalem affectum transcendit vicitque seipsam, volens unà cum filio suo, quando eum servare non poterat, pati, ac si liceret, etiam mori; non timens sese ingerere in furentem turbam, & tam mœsto filii spectaculo in corde lancinari. Laudatur meritò ab Episcopo Abulensi

lensi 2. Reg. 21. q. 30. Respha, quæ duobus filiis suis crucifixis tamdiu assedit strato subter se cilicio, eosque à ferarum morsibus defendit, donec delapsa è cœlo pluvia de crucibus tollerentur. Quanta asperiori in cilicio stetisse putamus Mariam ad crucem filii, ut eum si quo modo posset, defendere à rabidis illis feris & latrantibus Judæis! nec dubium à cruce non fuisse discessuram, donec filius depositus, sepulturæ mandaretur, licet multis mensibus & annis ibi penderet. Discant hic parentes adesse filiis suis inter tentamenta & defendere eos à feris, depravatis sociis & Magistris.

Secundò ut ipsa præsens filium suum Deo patri secundùm ejus beneplacitum ad mortem offerret. Quemadmodum enim filius ejus *in mortem disciulo suis tradendus æmulis, priùs in vitæ ferculo se radidit discipulis*: ita mater filium morti in prælam offerendum prius obtulit patri cælesti in redemptionis generis humani: longè ardentiore zelo & amore, quam mater Machabæorum, aut S. ymphorosa, vel S. Fælicitas septem filios suos coam torqueri & immolari Deo in holocaustum viderit. Licet enim hæc immolatio cor matris aerbissimè sauciarit ac dilacerarit, prævaluit tamen amor Dei & conformitas matris cum divina voluntate; quemadmodum & in Abrahamo filium immolaturo. B. Natalia conjugis sui Adriani pees & manus supra incudem amputandas ipsamet xtendit ut eum Deo in martyrem & hostiam offerret; in vita S. Adriani 7. Septemb. apud Sur. Maa etiam, *ita divinæ voluntati conformis erat*, inquit .Antoninus 4. p. Theol. f. 25. c 41. par. 1. *ut si oporuisset, ad implendam voluntatem Dei, ipsa filium in ucem posuisset: neque enim minoris obedientiæ fuit, uàm Abraham.*

V. Elegit denique post filii in cœlum ascensioem remanere adhuc ad tempus in terra; quod saè mirum est. Passa enim jam erat una cum patiente filio, magis spiritu quam carne: resurrexit spiritu cum resurgente; cur ergo non ascendit cum scendente? Verum & hic quoque meliorem parem elegit, dum in terris aliquantisper remansit. rimò in solatium Apostolorum & Ecclesiæ priitivæ; ut ab ejus præsentia recrearentur, & sapiitia plusquam Angelica in multis edocerentur. *uid enim tam jucundum*, inquit Simon Tiletanus piscopus Yprensis in tract. de Assumpt. V. *quid m decorum, quam matrem plasmatoris & Redemoris omnium intueri? Nam si sepulchrum ejusdem stri Salvatoris ita visu delectabile est; si lapis, in o stirps sancta Iesse requievit, tanta expetibilis ceritate, ut animos & affectus cunctorum provocet se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia: quæ l qualis erat lætitia, Dei genitricem cernere, quamu eam divina pietas communi sorte degentem nocum concessit in terris?* Ex mox: *Denique vir- mater omnium in se charismatum commercia ferebat. Primo namque aspectu scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suaviter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, inflectebat ad pietatem, spirabat florem virginitatis, seminabat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, præferens judicium veritatis &c.* Durum certè fuisset Apostolis, si utroque parente, Domino suo & matre ejus, simul orbarentur, quod etiam ne fieret, præcavit Rebecca in filiis suis, Jacob & Esau, cum illi ob insidias fratris fugam suasit dicens: *Cur utroque orbabor filio in uno die?* Gen. 27. Durum esset mundo in recessu Solis, Luna carere, quæ quidam Sol nocturnus est. Ergo recedente Sole Christo ex hoc mundo, saltem Luna, mater, ei relinquenda erat: donec ipsa Ecclesia tunc quidem adhuc tenella, sensim adolesceret & fieret pulchra ut Luna plena, magistra & illuminatrix suorum filiorum. Cujus rei typum exhibet nobis Elcana, qui obtento filio Samuele, solus ascendit in Silo cum domo sua, ut immolaret Deo hostiam solennem: Anna autem conjux ejus non ascendit; dixit enim viro suo: *Non ascendam donec ablactetur infans: & ducam eum.* 1. Regum 1. Ascendit in cœlum solus Salvator cùm familia sua è limbo erepta: mater adhuc in terra remanère voluit, donec teneram Ecclesiam lacte suo educaret & confortaret: volens ad tempus sua se beatitudine defraudare, ut Ecclesiæ deserviret.

2. In bonum ipsius sanctissimæ Dei matris; ut merita sua amplissima alioquin amplius cumularet, & ita tandem cumulatiore gloria ad filium ascenderet, itaque ab ipsomet filio sibi occurrente in cœlum induceretur. Debebatur ei velut matri Dei summa in cœlo gloria post filium; ne verò illa dono merè gratuito adscribi posset, voluit eam condignè & cumulatè promereri, laborando usque ad senectam. Gothi Reges filios ad mensam suam non adhibebant, sed ad quadram servorum ponebant, donec opima spolia ab hostibus reportarent, & testimonia fortitudinis suæ ab externis Regibus acciperent, uti factum cum Alboino Oduvini Gothorum Regis filio scribit Paulus Diaconus lib. 1. cap. 23. Hujusmodi opima spolia ut Deipara sibi pararet, & ab universa Ecclesia testimonium acciperet suæ fortitudinis, diutius adhuc in terris militare voluit, utpote collocanda ad filii dextram in cœlo. Quòd si decuit matrem Dei post tot alioquin tantosque meritorum cumulos, ampliores alios adjicere, quis jam dicere poterit, se pro cœlo nimium pati? nimis diu laborare? S. Euphrasia virgo, sanctimonialis meritis cumulatissima & miraculis corusca, cùm responsum mortis haberet ad Christum assumenda, instanter orabat, ut vel uno adhuc anno militare in terris, & quasi parum aut nihil laborasset, cœlo se digniorem reddere posset, apud Surium 13. Martii. Ita nos comparati esse debemus, ut semper existimemus nondum satis cœlo nos maturos

 esse,

esse plus ultra adhuc laborandum, ut tanto fruamur bono. Intellexit hoc præclarè S. P. N. Ignatius, qui asserere non dubitavit: si optio sibi daretur, hinc jam emigrandi cum certa spe salutis, vel diutiùs commorandi ad serviendum Deo cum non æquè certa spe, se in hanc iturum partem; quo & Dei gloriam magis promovere, & sua augere merita posset. Atque hæc est inprimis optima illa pars, quam & nos, si sapimus, eligemus in hac vita: non honores, non opes, non delicias, quæ ad modicum durant, & post auferuntur nobis: sed virtutes & bonorum operum merita veræque pietatis officia. Hæc enim nobis invitis auferri nunquam possunt, sed comitantur nos usque ad vitam æternam: illa crepundia sunt & nugæ pueriles. Deciderat aliquando Athenis aurea lamina de corona Dianæ, sustulit eam puer. Quod ubi Magistratus intellexit, puero proposuit ex una quidem parte crepundia puerilia; ex altera verò laminam illam auream; ut alterutrum eligeret. Quid ad hæc puer? Ad aurum extendit manum, spretis puerorum nugis, adeoque velut intelligens, sacrilegii reus judicatus & capite plexus est. Ælian. l. 5. c. 16. Ecce vobis, puer sprevit crepundia, & partem coronæ aureæ, à Dea gestatæ, præripere sibi satagit; & nos tam stulti erimus, ut posthabitâ Divorum in cœlo coronâ aureâ & immarcescibili, eligamus infima hæc & puerilia nugamenta, terræ glebas fulgentes, honorum fumos & inanes hominum opiniones, vacuos emolumento titulos, momentaneas voluptatulas & delectatiunculas, luteas domos & fugaces amicos? Absit, absit; ad coronam vitæ & Virginis Mariæ manum extendamus. Hoc enim qui fecerit, non ut puer ille reus fiet; sed ut prudens negociator gloriam & vitam æternam sibi comparabit.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

THEMATA.

I. *Documenta ex pelle Bartholomæi.*
II. *Usus linguæ malè varius.*
III. *Apostoli cur præ cæteris tanta passi.*
IV. *Bona injusta spiritus sunt immundi.*
V. *Cultro seu gladio Iustitiæ qui utendum.*

THEMA I.

Documenta ex pelle sancti Bartholomæi.

I. *Angusta porta & arcta cœli via est.*
II. *Pellis & omnia danda pro anima.*
III. *Expoliandus vetus homo cum actibus suis.*

Elegit Bartholomæum. Luc. 6.

Mirum S. Bartholomæi Evangelium.

CIrcumferebatur olim Evangelium sub nomine Bartholomæi, quod tamen Papa Gelasius velut apocryphum rejecit jure meritoque, ut habetur p. I. Decret. distinct. 15. cap. *Sancta Romana.* Ego tamen pace Gelasii arbitror Bartholomæum Evangelium scripsisse, & nobis reliquisse, magno nostro bono. Quale verò illud? Utique id ipsum, de quo S. Bartholomæus teste S. Dionysio Areopagita in libro de mystica Theologia scripsit, *Evangelium esse latum & magnum, & iterum angustum.* Hujusmodi Evangelium, inquam, maximum & minimum, latum & angustum Bartholomæus scripsit: parum & angustum mole, magnum & latum rerum pondere. Sed qua in charta scripsit? in propria sua pelle. Quo calamo? cultro carnificis. Quo atramento? sanguine suo: Justum igitur est, ut hoc Evangelium perbreve legamus, scriptum in Bartholomæi pelle. Sunt autem tres sententiæ S. Scripturæ.

I. In eo legimus id Matth. 7. *Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* patet hoc Christi verbum ex pelle Bartholomæi. Si enim nudus ipse, & pauper atque innocens ad vitam non intravit, quin pellem ipsam perderet, quomodo intrabunt, qui sarcinis onusti sunt opem & peccatorum? Idem videre est in aliis Apostolis, qui non nisi per varia supplicia & tribulationes plurimas eò penetrarunt. Hac via, & non alia, etiam omnes alii Sancti ad cœlum pervenerunt. Unde Apoc. 7. visuntur *palmæ in manibus eorum,* quia scilicet pugnando victores evadere debuerunt. Quare unus de senioribus cælitibus ibi, monstrato Sanctorum exercitu, interrogat Joannem: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt?* Cui Joannes: *Domine tu scis.* Et ille. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideò sunt ante thronum Dei.* Quare sunt ante thronum Dei? Quia scilicet venerunt ex tribulatione magna. Idipsum ostendit Deus S. Perpetuæ Martyri propter fidem in vinculis detentæ per visionem, cujus meminit Tertullianus ei contemporaneus in lib. de anima cap. 55. & S. Augustinus

ꝶinus l. de anima, sub Severo Imperatore. Vidit enim scalam auream ad cœlum usque porrectam, cultris & gladiis acutis à dextris & sinistris armatam, adeò angustam, ut non nisi unus & gracilis quispiam per eam inter gladios ascendere posset. Sub ea draco teterrimus & ingens jacebat, quem cuncti ascendere volentes formidabant. Vidit porrò Satyrum puerum (unum è sociis) per scalam ascendentem, sociosque ut & ipsi sequerentur, nec draconem formidarent, hortantem. Quam visionem cum cæteris concaptivis recitasset, omnes Deo gratias agentes, ad martyrium se vocari cognoverunt. Paulò post experta est Perpetua, quòd vidit dum Satyrus primò, deinde ipsa leoni objecta & ab eo occisa est. Baron. anno 205. Sur. 7. Martii. Leo hic draco ille fuit: cultri utrimque fixi, parentes & vir ejus à martyrio eam revocantes, & filium ejus lactentem in sinum ejus jactantes, quem ipsa tamen fortissimo animo à se rejecit. Non timemus quidem nos draconem illum, quia ad sanguinem pro Christo fundendum pro tempore non vocamur; nihilominùs tamen per angustam aliam scalam, & ipsam quoque cultris (qui sunt mundi, carnis, & dæmonis tentationes) circumseptam ascendendum nobis est. Ubi sunt ergo, qui sine omni difficultate & contentione se ingressuros cœlum putant, cùm Dominus omnibus dicat: *Contendite intrare per angustam portam?* Admonuit hac de re Cardinales aliquos B. Ægidius socius S. Francisci, qui audito ejus sermone, rogabant ut pro ipsis oraret. Quibus ipse: *Quid opus, Reverendissimi Domini, ut pro vobis orem, quando vos longè majores fide & spe præditi estis, quàm ego?* Et quomodo? dicunt illi. Quibus Ægidius: *Vos in tantis opibus, honoribus & prosperis successibus putatis vos salvos fore, cùm ego in miseria & rebus duris atque adversis me damnatum iri formidem.* Quo verbo ipsi non parum ædificati fuere. Sur. 23. April. Noluit vir sanctus damnare eorum honores, sericas vestes, opiparas mensas & opes, sed onere tantum, ut sibi attenderent & cogitarent; nec non videri arctam illam viam, quam ostendit Christus videri potiùs spatiosam ac saltem periculosam.

II. Id Job: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Job. 2. Satanæ quidem hæc vox est, sed à Deo tamen approbata, dum ad hanc petitionem data est ei potestas in S. Job, per-tiendi eum, non in bonis tantùm externis & liberis, ut anteà, sed etiam in propria carne. Ostendit autem tanta esse electorum præmia, ut nihil non piis homo sustinere debeat, etiam atrocissima quæque & vitam ipsam dare; quasi diceret; pro ille immortali & gloriosa, cur non dabit homo pellem suam mortalem & miseram? Spoliarat jam omnium Job omnibus armentis & pecoribus suis, occiderat ei omnes liberos, necdum tamen satis in pertulisse putat pro cœlesti gloria, nisi eum in fine etiam miserrimè conficeret. Atque hoc obtento, insuper uxorem ejus instigat, ut tam miserè affectò illudat, mortem imprecetur. Nimirum parum esse putavit, quidquid homo daret pro cælesti beatitudine. Hoc ipsum etiam est, quod in Bartholomæi pelle lusum est. Reliquit is, quæ habuit propter Christum: secutus est Christum: peragravit citeriorem Indiam & majorem Armeniam, plurimaque perpessus est: nec tamen adhuc putavit se sufficiens pretium numerasse pro beatitudine, nisi etiam pellem daret. Romæ cum quis Cardinalis in Pontificem electus proclamatur, illicò plebecula in palatium ejus involat, & quidquid intus est, rapit & asportat, teste præter Cranzium lib. 10. Metrop. c. 11. ipsa experientia. Censet enim Papatum ei facilè rursum suppediturum, quidquid ablatum est. Audierat Satan Jobum ob eximiam sanctitatem magno apud Deum loco esse, adeoque procul dubio cœli hæredem fore, quare omnia ei diripit; idque parum esse putat, perpensa gloria ipsi parata. Dixit quidam vir religiosus & eximiè doctus Electos, si noscerentur, omni plagarum genere in hac vita exagitandos: vicissim reprobos omni delitiarum copia demulcendos esse; eò quod illis plagæ, præmiorum; his deliciæ, pœnarum cumulo abundè compensandæ forent in altero illo sæculo. Sanctis ergò Martyribus palma condecorandis paravit Deus priùs acerbissima quæque supplicia, quæ ipsi nihili æstimabant respectu coronæ sibi propositæ. Unde SS. Jonas & Barachisius à Soborio Rege propter fidem torti & flagellati: *Pauca*, inquiunt, *pro multis patimur.* Iterum glebis ardentibus ustus Barachisius: *Adjuro vos per Deum ut cruciatibus his majores addatis.* Apud Sur. 29. Martii. Id ipsum docuit Martyrum omnium Rex Christus, qui non solùm bonis exutus, sed & in crucem actus, insuper acerrimè illusus fuit. Quare si bona tua pauperibus communicas, parum adhuc dedisti: si virtutum studio perpetuò incumbis, parum adhuc est: si etiam dira patiaris, necdum multum est: irrideri insuper & sperni post hæc omnia desidera, si quid dignum cœlo dare vis.

III. Id sancti Pauli: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Ad Coloss. 3. Quis vetus homo? Ille, in quo ancilla dominatur heræ, & Agar Saræ. Ancilla concupiscentia est, ratio domina. Ubi illa huic imperat, ibi vetus homo est: novus, ubi paret. Ille Adami peccato vitiatus, hic gratia Christi reformatus est. Malum regimen domus est, ubi ancilla dominæ imperat, ut in domo Henrici octavi Regis Angliæ, in qua odio habita Regina, amata verò ancilla fuit. Quid igitur? exuendus est vetus homo & excoriandus hoc ipso, quòd vitiatus prava concupiscentia in bestiam degeneravit. Et quam aliam ob causam jussit Deus Levit. 1. detrahi pellem hostiæ immolandæ, nisi quia pellis comedi nequit; sacrificium autem quasi cibus Dei esse debebat? Mahometes, qui anno 1453. per proditionem civis cujusdam Constantinopolitani cepit Constantinopolim, pactus

III. *Expoliandus vetus homo cum actibus suis.*

pactus est ei vas auri unà cum filia: ubi civitatem oc-
cupavit, aurum unaque filiam in forum produci juf-
sit; verum priùs imperavit, ut si filia circumcisi vel-
let potiri, priùs & ipse pellem deponeret, sicque mi-
serum per carnificem excoriari jussit, post sale & ci-
neribus conditum poni in lectum, donec nova ei
pellis, ut dicebat ludens, succresceret, sicque hoc
ludibrio proditorem extinxit. Cuspinian. in Con-
stantino VIII. Imper. Funestum & impium facinus
satis nos informat, jure à Deo peti, ut si sponsa cæ-
lestis gloriæ gaudere velimus, terrenam & brutam
pellem exuamus; quia Deus spiritus est, non caro:
gloria cælestis spiritualis, non carnalis. Igitur exu-
enda pellis veteris consuetudinis. Qui juramentis &
execrationibus assuetus est, exuat pellem linguæ:
qui ebrietati pellem gutturi: qui rapinis & usuris,
pellem manibus detrahat. Ita enim sanctus Hiero-
nymus in Epist. ad Paulam & Eustochium ait: *Aula*
cælestis non suscipit nisi sanctos, simplices & justos. Et
Ambrosius in Luc. l. 5 ait: *Tenera corporis cura luxu-*
que & lasciviarum cupiditate mollitos nequaquam
cælestis aula suscipit, ad quam duris laboriosæ virtutis
gradibus ascenditur.

At durum, inquies, est pellem suam exuere. Esto
hoc; sed pulchrum est, pro veteri pelle mortali no-
vam immortalem induere. Serpens teste Tertul-
liano l. de pallio, *ut senium persensit, in angusta se*
stipat, pariterque specum ingrediens & cute egre-
diens, ab ipso statim limine erasus, exuviis ibidem
relictis, novum se explicat cum squamis, & anni recu-
rantur. Addit Aristoteles l. 8. animal. c. 17. renasci
quasi & de novo vegetari ei oculos & visum, qui
priùs obtusi erant. Quis ergò non similiter exuat ve-
terem pellem, ut novam & immortalem accipiat?
vestiatur lumine gloriæ ad videndum Deum?

Deinde si, ut comœdiam unam spectemus, per
confertam multitudinem nos intrudimus, ut quan-
doque pallium laceremus aut perdamus, quid non
facere nos decet, ut cœlesti illi spectaculo possi-
mus interesse? Audiamus Augustinum loquentem
in Manuali c. 4. O *anima mea, si quoties oporteret nos*
tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore to-
lerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, &
sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod
triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes habe-
remur? Insidientur ergò dæmones, parent suas tentatio-
nes, frangant corpus jejunia, premant carnem vesti-
menta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me
iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvat, conscien-
tia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat
infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum
corpus, deficiat in dolore vita mea & anni mei in ge-
mitibus. Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter
me scateat, ut requiescam in die tribulationis &
ascendam ad populum accinctum
nostrum.

THEMA II.

Usus lingæ malus, varius.

I. *Usus otiosus.*
II. *Usus temerarius & incautus.*
III. *Usus furiosus.*
IV. *Usus maledicus & contumeliosus.*
V. *Usus iniquus & crudelis.*

Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Luc. 6.

TRisti & horrido schemate pingitur S. Bartholomæus, excoriatus scilicet cum pelle in brachio sinistro & cultro in dextra; quasi monstrans instrumentum quod eum sic deformasset Ejusmodi culter lingua est quæ homines sæpè, & innocentes quidem, miserè conficit & excoriat. Culter fabricatur in hominum utilitatem; non in perniciem, uti fiunt gladii: sed homines ex cultro faciunt sibi gladium; dum lingua, qua sibi & aliis servire, Deumque laudare deberent, abutuntur ad injuriam hominum, Deique offensionem. Vulgò jam mos obtinuit ut lingua hominis appelletur culter & gladius. Dicuntur enim qui multa frivolè garriunt, cultro uti & præscindere: Auffschneiden/ fürschneiden / das Messer brauchen / ꝛc. Consonatque id cum modo loquendi sacræ Scripturæ, quæ & ipsa linguam appellat *gladium*, Psalm. 56, *Lingua eorum gladius acutus.* Et Psalm. 63. *Exacuerunt ut gladium linguas suas.* Et Psalm. 51. *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Quare ut culter Bartholomæi sanet linguas nostras, videbimus quantum mali causent linguæ malæ.

I. Quidam utuntur hoc cultro otiosè, ad fallendum tempus; quo modo Persarum Rex iter faciens cultello philyriam, id est, membranam tiliæ tenuem, inter truncum & corticem latentem, scindebat ad fallendum tempus; neque enim libellum habebat ad legendum, neque aliam dignam occupationem, teste Æliano de Var. hist. lib. 14 cap. 12. & quo Domitianus parvo cultello muscas configere certo horarum penso solebat. Sic utuntur multi lingua sua ad verba otiosa, quibus pretiosum tempus perdunt, & simul linguam suam graviter sæpe inquinant. Ut enim qui multa diversa edulia, fructus præsertim, comedunt, necesse est ut interdum aliquid inter ea noxium sumant, quod diu in stomacho hærens concoqui nequeat: sic qui multa vanà loquuntur, sæpè noxia loquuntur, quæ diu mentem cruciant, ut ait P. Damiani serm. 74. de Sanctis Terribile est Domini verbum, Matth. 12. *Dico enim vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* De talibus verò Job. cap. 6. ait: *Ad*

incre-

increpandum tantùm eloquia concinnatis & in ventum verba profertis. In quem locum S. Gregorius ait: *In ventum verba proferre, est otiosa dicere. Nam ſæpe dum ab otioſis verbis nequaquam lingua compeſcitur, ad meritum quoque ſtultæ increpationis efrænatur, &c.* Certè qui in ventum ſeminat & jure ridetur quaſi ſtultus, & increpatur quaſi prodigus: ſic qui inania loquitur.

II. Quidam utuntur hoc cultro temerè & ſine ratione, dum priùs non expendunt, quod loqui volunt; ſed quidquid in buccam venit, effundunt. Iſti lingua ſua utunrur, ſicut infantes cultro, qui plerumque ſibi ipſis plùs nocent quàm aliis. Oſtendamus hoc exemplis. Anno 1551. in Megalopolicis finibus non procul à Wildſtadio in feriis Pentecoſtes plebem, cerevisiæ poculis indulſiſſe ſcribitur, cui mulier intererat, quæ ſæpenumero diabolum ſuis immiſcebat juramentis: ergò is ſpectantibus omnibus eam per oſtium in aërem altiùs ſuſtulit. Reliqui perterriti inſequuntur, viſum quò deduceretur fœmina, cernuntque eam extra pagum in aëre aliquamdiu pendulam, inde in agro præcipitatam compererunt mortuam. Vierus l. 3. de præſtig. dæm. Non ergò temerè compellandus dæmon. Sed & magnis cum dominis nihil temerè loquendum, quod expertus tonſor Pragenſis, Janda nomine, anno 1461. qui, cum Georgius Podiebraz Rex Bohemiæ pro more balneum adiiſſet, dum tondet eum, interrogat, cujus nunc regnum Bohemiæ eſſet. Reſpondit Rex: *Cujus, niſi tuum, in cujus manu Rex?* Approbato hoc dicto; Rex jam attonſus interrogat Jandam: *Quis nunc Rex Bohemiæ?* Reſpondet ille: *Veſtra majeſtas regia.* Tum colaphum impegit Rex & proſtratum calcavit, ut miſer octavo die extinctus ſit. Wenceſl. Hagecius in Chron. Bohem. Bene igitur Pythagoras monuit: *Coronam ne carpito:* Et, *in aſtrum digitum ne intendito.* Sapienter etiam David Pſalm. 36. ait: *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Os meditetur antequam loquatur. Loqui autem judicium debet, quia prius ratio velut Judex, audire partes & expendere rem judicandam, antequam ferat judicium; quod enim loquitur judex, inſcribitur in protocollum ut volunt, nec mutari poteſt; proinde priùs diligenter ex omni parte expendendum. Victis ad Methonem Genuenſibus & Gallis, quidam è numero Gallorum, qui capti in cuſtodia habebantur, tædio æci ira accenſus dixit, ſperare ſe quandoque fore, ut Veneto ſibi ſanguine manus ablueret. Quo verbo ad Venetos delato, ita omnes offendit, ut eum ſuſpendio adjudicarint, ad geminas columnas. Sabellicus l. 8. Dec. 2. De his Eccleſiaſtici 9. dicitur: *Temerarius in verbo ſuo odibilis erit.* Mare omnium maximè oderunt Ægypti, teſte Pierio l. 31. & Plut. in Symp. qq. tum quia omnia dulcia amaricat: tum quia navigantibus mortem ſemper minatur. Idem facit lingua temeraria, omnia in malam partem trahit, dentes in omnes acuit: jure igitur odibilis eſt.

III. Alii furioſè. Sic uſus cultro Bartholomæus Elias honeſto alias loco inter cives Patavinos, qui poſtquam litigando diu multumque cum quibuſdam Monachis, ſemper cauſa cecidiſſet, indeque æs alienum contraxiſſet, & paupertatem incurriſſet, ut tres filias, Laurentiam, Helenam, Lauram, dotare jam non poſſet pro familiæ dignitate arrepta novacula anno 1542. quarto Idus Junii, lecto cubantes occidit, ſpecie miſericordiæ in crudelitatem lapſus. Sed poſt, quod pium putarat, ſceleratum agnoſcens, ad alpes profugit in vicum Grignæum, & ubi à ſacerdote etiam invito abſolutionem extorſiſſet, falce meſſoria rubiginoſa guttur repetitis ictibus ſibi ſecuit, ſicque infœlix obiit uti Jacobus Ruffinus in carmine de hoc edito canit. Simili modo aliqui furioſe prorſus utuntur lingua ſua, quemadmodum Eudoxia imperatrix Conſtantinopolitana, alioquin Chriſtiana & Catholica, quæ cum odio S Chryſoſtomi inflammata, Epiphanium Cypri Epiſcopum trahere ad ſuas partes in odium Chryſoſtomi niteretur, illeque obniteretur, furiis agitata exclamavit. *Niſi tu Epiphani manum adjutricem porrexeris, ut Ioannnes exilio mulctetur, ego clauſa Idolorum templa aperiam, omnibusq; ea adoranda proponam.* In vita S. Chryſoſtomi apud Lipel. 15. Sept. Volebat ergò ſuæ linguæ novacula mactare ſecundum animam omnes ſubditos ſuos Chriſtianos. O inſania mulieris & odium ſerpentis! Recentius exemplum recenſet Cæſarius Ord. Ciſterc. in Mirac. & Hiſtor. l. 5. c. 11. de muliere obſeſſe in provincia Aquenſi, quæ oblata Abbati ejuſdem Cæſarii in monte Salvatoris juxta Aquiſgranum miſſam celebranti: poſt miſſam dum exorcizatur, Dæmon tremendum exclamavit, omneſque præſentes terruit. Adjuratus ut exiret: *Nondum vult altiſſimus*, ait. Interrogatus qui intraſſet: non reſpondit, nec mulierem reſpondere permiſit. Tandem illa confeſſa eſt, quod ad vocem mariti ſui in commotione animi ſibi dicentis: *Vade diabole*, ſeu ad diabolum, ſenſerit illum intrare per auriculam. Erat autem fœmina paſſim nota. Sequenti capite addit patrem quendam dixiſſe filio: *Vade diabolo*; moxque filium abreptum non comparuiſſe. De his intelligo dictum Pſal. 39. *Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

III. *Vſus furioſus.*

IV. Alii maledicè & contumelioſè. Sic uſus fuit cultro barbarus & inhumanus ille Hanon Rex Ammonitarum, qui cum David per Legatos eum conſolaretur ſuper morte patris, Legatis dimidiam barbam abraſit, & veſtes uſque ad nates decurtavit, ut confuſi turpiter apparerent. Quam contumeliam adeò ſenſit David, ut inſtructo contra Ammonitas exercitu, occiderit 40000 equites & 700. currus eorum perdiderit, 2. Req. 10. Habuit talem linguam Diogenes, qui obvios quoſque mordere

IV. *Vſus maledicus & contumelioſus.*

& maledictis incessere nôrat, ideoque *Cynicus*, id est, *Caninus* dictus. Sed quo peccavit, eo & punitus est. Cum enim Corinthi crudum polypum canibus divideret, ab uno eorum in crure sauciatus, eodem die, quo Alexander M. Babylone, obiit. Laert. in vita. Volater. l. 15. Anthrop.

Memorabile est, quod ex ore Leonis 9. Papæ exceptum refert B. Petrus Damiani Epist. lib. 6. epist. 21. in hæc verba, *Amita mea*, ait Leo, *sanctimonialis effecta, in quodam virorum monasterio constituta, ibique in propria degens cellula cum quadam pigmæa quotidianæ laudis officia patienter & humiliter persolvebat. Quadam verò nocte cum ante nocturnam synaxin maturius surrexisset, comitemque suam more solito inclamasset sæpius, illaque gravi sopore depressa nullatenus responderet, tandem in ira commota, quid diceret, non attendit: Diabole*, inquit, *surge. Ad quam vocem præsto diabolus ejus, quæ dormiebat, effigiem repræsentans accessit, & mutuos reddendo versiculos psallere simul cœpit. Cumque ad illum psalterii locum modulatione continua pervenisset, ubi dicitur: Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus, qui oderunt eum: sicut deficit fumus, deficiant, &c. hic illicò malus spiritus substitit, & hos exprimere versiculos non præsumpsit. Hoc sancta mulier cùm apud se miraretur, expavit, & quod erat, non inaniter suspicans, signum sibi sanctæ Crucis imposuit; statimque malignus hostis evanuit, & quis esset, qui sanctæ mulieri comes extiterat, se fraudulenter occultando monstravit.*

Contra hos Apostolus ad Rom. 12. ait: *Benedicite persequentibus vos: benedicite & nolite maledicere.*

V. *Usus iniquus & crudelis.*

V. Alii iniquè & crudeliter. Sic usus novacula tonsor quidam Erfordiensis, qui cùm tonderet Canonicum quendam, patrinum suum, vidit in mensa marsupium bene nummatum ab eo depositum, unde motus avaritia ut bursa potiretur, gulam ei præscidit, cumque domi suæ sepelivit, refert Buchnerus in Epit. hist. Sic utuntur lingua ii, qui calumniis & detractionibus insontes lædunt ac vita civili spoliant, uti pessimus ille Doeg; qui innocentissimum sacerdotem Achimelech detulit ad Saulem, quasi is conspiraret cum Davide; qui ab ipso exceptus, panem dumtaxat & gladium acceperat. Unde Psalm. 51. David ei hoc exprobrans ait; *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Sicut enim novacula dolosa unà cum capillis etiam cutem & vitam aufert: ita calumnia & detractio etiam innocentes lædit, uti sæpè læsit Doëg, qui unà cum Achimelech, etiam alios 85. Sacerdotes, facti omninò inscios, circumvenit ac peremit. 1. Reg. 22. Verùm nunquid linguæ hæ tam virulentæ abibunt impunes? Minimè. Punitus certè fuit Betellinus aulicus? Regis Guntrunni qui depeculatus fiscum regium; Austregisilum, & ipsum in aula Regis illius existentem, calumniatus est esse reum. Quare cùm singulari certamine res definienda esset, & Betellinus expectaretur, nuntiatur eum ab equo alioquin mansuetissimo, quo ad certamen venire parabat, repentè dejectum, & pedibus ejus esse conculcatum. Ut in ejus vita. Sur. 20. Maji.

Ex his satis opinor videmus, quantum malum sit abuti lingua. Nemo non indignè ferret, si quem cultro videret armatum per civitatem discurrere, ita ut ab eo nemo tutus esset. Talis autem est homo lingua venenata præditus. Unde Ecclesiastici 9. dicitur: *Terribilis est in civitate sua homo linguosus.* Jure igitur tales & odio habentur, & ab omnibus vitantur, & à Deo puniuntur.

THEMA III.

Apostoli cur præ cæteris tanta passi.

I. *Vt eorum virtus innotesceret.*
II. *Vt doctrinam Christi mira sua patientia comprobarent.*
III. *Vt posteris fidelibus essent exemplum fortitudinis & patientiæ.*
IV. *Vt Christi gloriam & potentiam demonstrarent.*
V. *Vt cælestis gloriæ principatu dignos se redderent.*

Descendens cum illis stetit in loco campestri. Luc. 6.

QUid est audit. quod Salvator noster, postquam elegit & sancta instructione armavit discipulos suos in monte, deducit eos in campum? Ita enim refert S. Lucas in hodierno Evangelio: *Descendens cum illis stetit in loco campestri.* An fortasse elegit eos, ut velut milites descenderent in campum & pugnarent contra adversarios Christi, mundum Idololatria plenum? Ita sanè videtur, nam quo alio fine jussit eos aliquando vendere tunicam & emere gladium? Lucæ 22. Gladium, inquam, non quo ipsi cæderent & mactarent (hoc enim Petro paulò post inhibuit) sed quo cæderentur. An fortè in campum duxit eos, ut mundum hunc sterilem & incultum colerent & ararent, mutarentque in fœcundum agrum? Neque istud displicet. Hac enim ratione appellat Apostolus Corinthios Dei *agriculturam*, hoc est, agrum Dei; 1. Corinth. 3. quod ab ipso velut steriles agri exarati excultique sint, ut Deo fructum referrent. Verùm illud maximè placet, quod in campum educti sint, ut ipsi intelligant sese velut campos vomere persecutionis aliquando proscindendos & variis tormentis concidendos, sicque in fœcundissimos Ecclesiæ agros converten-

dos.

os esse. Quadrat huic rationi nomen *Bartholo-*
æi, quod *filium sulci*, qui aratro fit, significat;
uasi aratro proscissus & sulcatus sit, dum Tyranni
ultro scissus in membris suis & excoriatus est.
odem vomere & alii Apostoli variè versati sunt:
etrus, Andreas & Philippus cruce, Paulus &
cobus major gladio: Thomas telis, Jacobus mi-
or fuste fullonis, Bartholomæus, ut dixi, cultro,
mon serra, Judas clava, Joannes olei vase, Mat-
ias securi. Sed quis non miretur tam fideles
hristi sectatores & amicos tam dirè excarnifica-
s, proscissos, aratos, occatos, sulcatos esse? Quæ
jus rei causa esse potest? videamus.

I. Ut eorum virtus magis innotesceret, non
eo, qui omnes novit; sed hominibus, Angelis, Dæ-
monibus, ac denique illis ipsis: hominibus, ut imi-
entur: Angelis, ut gauderent: Dæmonibus, ut
n causarentur de Deo, quasi gratìs & immeritis
tam gloriam contulisset: ipsis Apostolis, ut Deo
oriam tribuerent. Virtus herbarum medicina-
m & seminum, dum franguntur, enitescit, silex
n nisi percussus ignem dat; æs ferrumque non
attritum splendet: *optimum thus cùm igni in-*
erit, tum odoris sui suavitatem emittit, ait Cy-
us Alexandrinus l. 10. in Genes. *Sic anima san-*
cum laboribus periculisque velut igne examinata
tum clariorem perfectioremque suam virtutem
issimè reddit. Moscus (die Bisemkats) Zibet-
n non fundit, nisi vexatus & stimulatus. Deni-
sicut lampades seu tædæ militum Gedeonis
cuerunt confractis demùm lagenulis fictili-
, & tunc Madianitas terruerunt, Judic. 7. sic
m virtus & ardor Apostolorum in eorum sup-
iis potissimùm coruscavit. Effulsere quidem
aculis; sed hic splendor alienus, & Dei potiùs
m Apostolorum erat; siquidem & improbi ha-
gratiam miraculorum possunt: enituere etiam
utibus & vitæ sanctitate, sed hæc an vera &
da sint, probari ad cotem tribulationis debent;
o magis, quò majora apparent. *Adamas*, inquit
genes homil. 3. in Jerem. *quanto plus cæsus fue-*
antò plus ejus virtutem splendescere scias. Sci-
s ollas fictiles digiti tantùm pulsu probari &
minari, æreas verò mallei ictu. His similes erant
ostoli, proinde malleo probandi, velut solidissi-
n fide & amore Dei; nos velut infirmi digito
amur levium tribulationum. Itaque fidem &
orem suum sat superque demonstrarunt Apo-
i, dum omnibus tentati machinis & tormentis
modò fracti non sunt, sed fortiores & ferven-
es in illis se præbuerunt. Cum in Melite In-
vipera adhæreret manui Pauli, barbari dice-
t: *Vtique homicida est homo hic, qui cum eva-*
de mari, ultio non sinit eum vivere At ubi ex-
a bestia nihil mali passum viderunt, *converten-*
e dicebant eum esse Deum, Actor. 28. En ex
eræ invasione innotescit virtus Pauli, quæ alio-
n latuisset. Sic & *Iob*, ait S. Chrysostomus
homil. 1. ad pop. *quando omnibus divitiis circum-*
fusus erat, quis esset, non multis manifestus erat, post-
quam verò ipsas velut vestimentum exutus athleta
abjecit, & ad pietatis certamina nudus intravit: sic
spoliatus spectores omnes perculit, ut & ipse Angelo-
rum Dominus super animi ejus tolerantiam vehe-
menter acclamaret. Tribulatio ostendit, quod ne-
quaquam ob mercedem, uti Satan cavillatus erat,
Deum timeret.

II. Ut doctrinam Christi, quam prædicabant, novam & stupendam, patientia sua comprobarent. Reipsa enim ostenderunt, quàm vera & salutaris esset, cum pro ea non solùm mori, sed extrema quæque pati minimè dubitarunt. Fuit sanè hoc necessarium credituris res tam difficiles, quales Apostoli prædicarunt. Illorum enim confessioni velut secundario fundamento innititur fides nostra juxta id D. Pauli ad Ephes. 2. *Superædificati estis supra fundamentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Ergo sicut Salomon Rex latomis *præcepit ut tollerent lapides grandes pretiosos, in fundamentum templi, & quadrarent eos: quos dolaverunt cæmentarii:* (ponderosis utique malleis) 3. Reg. 5. ita voluit Christus, ut Apostoli, qui sunt lapides fundamentales Ecclesiæ, manibus cæmentariorum, (hoc est, Tyrannorum) elaborarentur variis suppliciorum instrumentis; quo firmius super eos statuerentur ac solidarentur cæteri fideles, qui audiunt Apostolos omnes tot tantaque passos robore invictissimo, pro tuenda & firmanda Christi fide. Magnis lapidibus quadrandis & dedolandis magni & ponderosi mallei necessarii sunt, ideò etiam Christus Apostolos suos velut fortes atque invictos fidei Confessores gravibus tentari cruciatibus & suppliciis voluit, ut inde confirmarentur magis, qui posteà credituri erant. De his prædixit Zacharias cap. 9. *Lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* Hebr. *vexillabuntur*, quasi diceret, erigentur in vexillum, ut ad ea confluant populi: vel in viarum indices, ut demonstrent viam cœli: vel in signum victoriæ, quam obtinuerunt devicta Idololatria & fidei persecutoribus. Unde S. Augustinus serm. 5. de Dedicat. Ecclesiæ ait: *Per illos* (Apostolos) *ergò est salus confirmata credentium; quia videmus eos veritatem, quam annunciaverunt prædicando, confirmasse moriendo: rebus non sermonibus declarantes, quantum sit bonum illud spe certum, in retributione gloriosum, in possessione jucundum, pro quo lux negligitur, gladius non timetur, anima incunctanter afficitur.* Hinc factum ut sanguinis Martyrum fieret semen Christianorum.

II. *Vt doctrinam Christi miram sua patientia comprobarent.*

III. Ut posteris fidelibus essent exemplum fortitudinis & patientiæ, ad ferendum leviores tribulationes, dum aspiciunt Apostolos, qui tam grandia pertulerunt tanta fortitudine & constantia. Hoc est, quod ait Apostolus 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* Angelis bonis

III. *Vt posteris fidelibus essent exemplū fortitudinis & patientiæ.*

bonis ſpectaculum admirationis & venerationis: malis terroris & confuſionis: hominibus verò patientiæ & fortitudinis. Quare de illis prædictum Iſa. 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſrael.* In portentum, hoc eſt, in ſtuporem & admirationem: quando ſcilicet audimus eos tanta & tam dira patientiſſimè ſuſtinuiſſe: nos autem videmus vix leves tribulationes poſſe ſufferre. In ſignum, velut miraculum; quod homines rudes & plebei tales evaſerint heroes, mundi triumphatores, periculorum omnium contemptores. In ſignum, veluti in vexillum; ut eſſent vexilliferi & Duces agminum, adeoque præcedentes aciem, primi ſe ad accipienda hoſtium tela exponerent. In ſignum, ut eſſent in ſcopum & exemplum poſteris ſecuturis; ut primi aciem frangerent; primi mundum vitiis omnibus & Idolorum inſano cultu ac Cimmeriis tenebris involutum aggrederentur, diſſolverent, diſſiparent. Qui in onerariis navibus adverſo flumine trahendis præcedit vectores alios, appellatur à Germanis der Wagenhalß / vitæ ſuæ prodigus, quia præſenti vitæ periculo vada omnia prior explorare & tranſire debet. Tales erant Apoſtoli; primi efferas omnes nationes & barbaras præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo, continuis in laboribus, injuriis, ludibriis pervadare ac trajicere debebant, ut poſteri eorum exemplo tracti faciliùs ſequerentur, & ſimilia aut ſaltem leviora pro Chriſto ferre non dubitarent. Itaque præfigurati ſunt in ſacerdotibus illis, qui Arcam portantes, primi ingreſſi ſunt Jordanem, tempore meſſis valde inundantem: primi tinxerunt pedes aquis & Jordanem cohibuerunt ſtantes in medio, donec filii Iſrael ſequentes ſicco pede pertranſirent. Joſ. 3. Sic enim & Apoſtoli mundum flagitiis & erroribus inundantem primi ingreſſi, laverunt ſtolas ſuas in ſanguine ſuo: grave onus & immanes perſecutiones furibundæ faſtuque intumeſcentis Idololatriæ ſuſtinentes humeris ſuis: exponentes ſe eorum gladiis, cultris, ferris, crucibus, fuſtibus, ſecuribus, lapidibus, ignibus. Quod dum nos audimus & cogitamus, qua ratione timeamus aut dubitemus ſicco pede Jordanis alveum ingredi? tranſire ſine onere, ſine ſanguine, cum levibus noſtris ſarcinulis, exiguiſque cruculis? levia, inquam, incommoda tolerare? in pace mortem oppetere? Sanè omnis Hebræorum populus per arentem Jordanis alveum poſito metu tranſiit, dum viderunt in ejus medio conſiſtere ſacerdotes, Arcam ſuſtinentes: quid ergò metuamus nos Chriſtiani, viſo tanto portento tamque heroicâ virtute in Apoſtolis, Chriſti Evangelium per univerſum orbem ſuis humeris portantibus?

IV. *Vt Chriſti gloriam & potentiam*

IV. Ut Chriſti gloriam & divinam potentiam mundo demonſtrarent, velut invicti ejus armigeri & ſatellites, pro defenſione Domini ſui ad omnia agenda & patienda parati; quales lectulum Salomonis circumſtabant, ſtipatores corporis ejus, *omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi.* Cant. 3. Gladius Apoſtolorum erat verbum Dei; ipſi non ad bella inferenda ſed ſuſtinenda, & quævis pro Chriſto exantlanda doctiſſimi, gloriam ejus oſtendunt, non ſecus ac milites illi Gedeonis, primò ex omni populo, deinde ex decem millibus trecenti ſolùm electi. Judic. 7. Hi enim novis & in ſpeciem omninò ludicris armis inſtructi, lagunculis ſcilicet fictilibus, dum eas colliſerunt & confregerunt clamantes interim: *Gladius Dei & Gedeonis*; innumerabilem Madianitarum exercitum in fugam compulerunt, ut mutua ſe cæde obtruncarent. Quæ ſanè victoria longè magis Dei gloriam & potentiam illuſtravit, quàm ſi multo & robuſto exercitu, armis & cædibus hoſtes oppreſſiſſet. Milites illi ex omni numero ſelecti typus Apoſtolorum fuerunt, qui primò ex omni Hebræorum populo, deinde ex 72. diſcipulorum numero electi in Apoſtolos; ſolo Dei verbo armati velut gladio, non cædendo hoſtem, nec lagenas confringendo, ſed cædibus & ſuppliciis ſeſe exponendo, adeoque corpora ſua variis tormentis quaſi confringendo, ſubjugarunt totum mundum, & fugarunt Idololatriam. Ita S. Gregorius l. 30. in Job. cap. 17. *Tales*, inquit, *ſecum Dux noſter in prædicationis prælium duxit, qui deſpecta ſalute corporum, hoſtes ſuos moriendo, proſternerent: eorumque gladios non armis, non gladiis, ſed patientia ſuperarent. Armati enim venerunt ſub Duce ſuo ad prælium Martyres* (Apoſtoli imprimis) *noſtri: ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus. Qui ſonuerunt tubis dum prædicant; confregerunt lagenas, dum ſolvenda in paſſione ſua corpora hoſtilibus gladiis ſupponunt: reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcaverunt. Moxque hoſtes in fugam converſi ſunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruſcare conſpiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt.* Sic ille. Gloriabatur Scipio Africanus 300. ſuorum militum fortitudine, quando interrogatus, qua re fretus auderet in Africam trajicere, demonſtravit 300. viros, dicens: *Nullus horum eſt, qui non ſit me jubente, conſcenſa hac turri, præcipitem ſe in mare dejecturus.* Plut. in Apoph. Rom. Gloriabatur & Chaſiorum Princeps, quòd tales haberet ſubditos, qui ad ipſius imperium de rupibus ſe præcipitent, in enſes irruant, in undas deſiliant, in ignem ſe conjiciant, apud Nicetam lib. 2. de Imp. Iſacii. Priore etiam ſæculo Dux Albanus Capitaneus Generalis exercitus Philippi II. habebat 400. juvenes animoſos & reſolutos; quos vocabat *prodigos vitæ & perditos*, vulgò *Enfans perdus*. Hos in conflictu immittebat ſeorſim in latus hoſtium fortius; illi ut audaciſſimi & pugnaciſſimi certique mori, turbabant ordines hoſtium, eoſq; rumpendo, ordinariè pariebant victoriam, ut ſcribit P. Corn. in Matth. cap. 10. Hujuſmodi milites Chriſti erant Apoſtoli,

eò magis mirandi ac laudandi, quod non eligendo sibi mortis genus, sed permittendo se Tyrannorum furori & libidini; neque etiam spe vanæ gloriæ aut remunerationis hujus sæculi, sed præcisè amore Ducis sui Christi omnibus vitæ periculis & mortis generibus sese exposuerint, prodigi vitæ suæ, ut amorem suum erga ipsum demonstrarent: quo adeo æstuabant, ut tormenta omnia despicerent. *Quemadmodum enim ignem homo*, inquit S. Chrysost. in c. 2. Act. hom. 4. *si in medias incidat stipulas, nihil læditur, sed magis vim exeret suam: nec enim ille quidquam patitur mali, sed qui his reluctantur, hi seipsos perdunt: ita nunc evenit. Imò potius ac si quis ignem gestans luctetur cum eo, qui importat fœnum. Itidem videlicet & Apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia: Quid enim, obsecro, læsit eos tanta multitudo? Num illis cum egestate & fame fuit conflictatio? num cum ignominia & infamia?* Et mox: *Nonne perinde fuerunt affecti, quasi in somnis vidissent hæc mala aut in pictura?* Et infrà: *Atque illud interim mirabilius, quòd Apostoli nudo corpore consistebant adversus armatos, adversus Principes, qui publicum in ipsos jus habebant, imperiti & elingues ac simplices idiotæ adversus impostores & circumventores &c.*

V. Ut excelsa illa gloria & principatu, quem in cœlis obtinent, dignos se præstarent. Prædictum de illis erat Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* (Prov. 12. Patriarchis 12. Apostoli, ait ibi Arnobius) *constitues eos principes super omnem terram.* Igitur hunc Principatum promereri debebant; & ut filiorum instar Christo fierent proximi, prius strenuè pugnare. Scimus Ephebos illos nobiles apud Dan. 1. non prius in conspectum & servitium Regis Nabuchodonosoris admissos esse, quàm bene pasti, omnibus disciplinis excolerentur; hinc enim Hebr. maskilim h. e. *erudibiles* appellantur; ut H. Pintus, & Pineda l. 3. de rebus Salom. cap. 13. observant. Igitur & Apostoli, ut in tanta dignitate coram Deo stare cum honore possent, erudiendi ad hoc erant; nec alia ratione, quàm variis tribulationibus. Ita enim testatur Sapiens Sap. 3. *In paucis vexati* (Græcè *eruditi*) *in multis bene disponentur, Deus tentavit eos*, (probatione, tribulatione, ut explicat Augustinus epist. 146.) *invenit eos dignos se.* Hanc dignitatem unde acceperunt, nisi à cruce & martyrio? *Qui enim non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, ait Matth. 10. Dominus. Audierat Satan Jobum in magna apud Deum existimatione esse, appellarique ab eo *servum* ipsius, *cui non sit alter similis.* Igitur mox petiit, ut eum vexare & ventilare posset; quasi alioquin mercenarius tantùm servus esset, fuco Deum colens ob collata sibi beneficia. Itaque spoliavit eum omnibus bonis, nec non liberis suis, adeo ut diceret Deus Jobum hæc immeritò passum esse. Verùm non contentus Satan: *Pellem pro pelle*, inquit, *& cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Itaque eum percutit etiam in carne & pessimo quidem ulcere: à planta pedis usque ad verticem; indicans Dei servum pro magna, quam expectat, gloria cœlesti, omnibus plagis vexandum ac versandum esse, ut tanto bono dignus fiat. Neque hic contentus, insuper & uxorem ejus instigavit, ut conjugem derideret. Quid igitur jam quærimus, quam ob rem Apostoli tanta sustinuerint? Christi familiares & domestici erant, imò & quasi *filii* erant, Principes in cœlo constituendi erant. Debebant igitur Patri & Magistro suo præ aliis assimilari etiam in passione & tribulatione, qui eidem præ cæteris similiores futuri erant in gloria, sessuri una cum ipso in thronis 12. ad judicandum mundum. Quemadmodum igitur Magister eorum Christus, postquam extrema omnia & mortem acerbissimam perpessus est, insuper convitia adhuc & derisiones sustinuit: lancea vulneratus & seductor appellatus est: ita conveniebat ut Apostoli præ aliis acerbissima quæque pro Christo exantlarent. Sanè Bartholomæus non solùm cum S. Jobo pellem suam exuit, sed insuper crucifixus esse scribitur, & diu post à Tyrannis erutus è sepulchro & in mare projectus; ut in ejus vita habet Metaphrastes. Lapides, qui in ædificio eminere & conspicui esse ad ornatum domus debent, meliùs quàm cæteri elaborandi, tundendi, dedolandi sunt. Hujusmodi erant Apostoli cœlum ornaturi suo splendore, multa igitur tunsione & pressura opus habebant. Hinc cum de Paulo dixisset Christus ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste*; mox subjungit: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. q. d. quia vas electum futurus est, ideo multis persecutionum malleis tundendus, multò igne excoquendus est. Simili rationi dictum à Raphaele Tobiæ: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tob. 13. Agrum ut bonos fructus proferat, bene arare & excolere, nec semel duntaxat sed sæpius oportet, Bartholomæus, ut diximus, *sulcum agri* significat, bene ergo fulcandus atque exarandus fuit, ut messem Apostolo dignam ferre mereretur & coronam.

Jam verò nos si per omnia heroes istos non possumus imitari, conemur saltem eorum exemplo aliquid præstare, quantum vires nostræ ferent Deiq; gratia dabit. Scimus Julium Cæsarem visa Alexandri M. statua illachrymatum esse, quòd ipse adulta jam ætate nihil simile præstiterit, quale Alexander gessit juvenis. Doleamus etiam nos, quod nec minima ferre possimus, qui videmus Apostolos Christi tanta pertulisse. Ergo ut vel leviora æquo animo feramus, proponamus nobis heroicam ipsorum in patiendo fortitudinem. Non habuit Mathathias Machabææ gentis auctor jam moriturus, ad confirmandos filios suos in tribulatione positos, aptius argumentum, quam ut hortaretur eos ad inspicienda majorum præclara facinora. *Nunc ergo ò filii*, inquit, *mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam & nomen æternum*, 1. Mach. 2. Hunc in finem antiqui Christiani solebant circumire sepulchra Apo-

 stolo-

ftolorum & martyrum (uti de fe & aliis fcribit S. Hieronymus in c.40.Ezech.) ut illorum trophæis excitati atque extimulati difcerent & ipfi pro Chrifto aliquid pati. Idem nos faciamus, & una cum ipfis euntes eamus & fleamus, ut cum ipfis venientes veniamus cum exultatione, portantes manipulos noftros.

Thema IV.

Bona injufta expellenda velut fpiritus immundi.

I. Perdunt fubftantiam.
II. Perdunt Dei gratiam & bona fupernaturalia.
III. Turbant animæ quietem & pacem confcientiæ.
IV. Difficile reftituuntur.
V. Sævient maximè in articulo mortis.

Qui vexabantur à fpiritibus immundis, curabantur, Luc. 6.

Mirabitur forfan aliquis, quòd in Evangelio paffim reperiamus vexatos à Diabolo, uti in hodierno non paucos liberatos à Chrifto, qui vexabantur à fpiritibus immundis: noftro vero tempore raro valde audiamus, vexari aut obfideri aliquem à Dæmone. Verum melius aperiendi nobis funt oculi, & tunc inveniemus etiam hoc tempore non unum fed plures ab immundis fpiritibus planè poffeffos & miferè vexatos. Tales autem funt inter cæteros, qui à mammona iniquitatis occupati tenentur. Quid enim eft, quod Apoftolus ad Ephef.4. ait: *Nolite locum dare Diabolo: qui furebatur, jam non furetur?* Nonne apertè indicat, furtum & omne iniquum lucrum, malum effe Dæmonem, qui in avaro hofpitatur? Et cur Chriftus Dóminus Judam aliquando Diabolum, hoc eft, Diabolicum, feu à Dæmone agitatum, nominavit Joan.6. Nonne quia fur erat (nondum enim proditor erat) & mercedem iniquitatis poffedit? Quod enim eft Dæmon in homine, hoc eft iniquum lucrum & mammon in domo. Immundus fpiritus, immundum bonum; imò præftaret à Dæmone obfideri, quam ab immundo bono. Tales autem Dæmoniaci timeo ne complures adhuc reperiantur, qui non modo hofpitem illum ad fe divertentem libenter admittant, fed ultrò etiam advocent, imo vi ac dolo attrahant. Quod ne fiat, eorum execranda pernicies explicanda eft.

Injufta bona. Videntur mihi injufti rerum poffeffores idem ferè pati ab injuftis bonis, quod juftus & S. Job paffus eft à Dæmone, fe vexante. Nam

I. Perdunt fubftantiã I. Perdunt propriam fubftantiam, uti Dæmon filios, opes & fubftantiam Jobi perdidit. Putant alii, qui, quod his bonis poffint ædificare domum fuam. Sed ipfum Job hi audiant cap.27. ubi loquens de hujufmodi iniquo poffeffore ait: *Ædificavit ficut tinea domum fuam; Et ficut cuftos fecit umbraculum.* Tinea dum in ligno domum fibi ftruit, lignum erodit & debilitat ac denique corrumpit: fic qui ædificat domum fuam de alienis bonis, magis eam deftruit: ad fummum ftruit umbraculum, brevi devaftandum. Olitor feu hortulanus cùm in oleribus vel arboribus videt bruchos & erucas, tantum abeft, ut eas horti fui incrementum effe putet, ut potius inde gravè plantis fuis malum imminere timeat. Quam primum ergo laborat, ut hortum fuum ab illis expurget. Nihilo meliora domus incrementa funt bona injufta. Expertus eft mercator quidam Alexandrinus, qui perditis rebus fuis, auxilium à S. Joanne Patriarcha Alexandrino petiit, ut rurfum negotiari poffet. Accepit ergò quinque libras auri, & navim mercibus onerans navigare cœpit; fed tempeftate fractus merces omnes perdit, fola nave fervata. Rurfum accepit a Sancto libras 10. fed rurfum naufragio facto, etiam navim una cum mercibus amifit. Rediit ergo ad Patriarcham, infælicitatem fuam deplorans. Vidit caufam Sanctus ac dixit, hæc eum ideo paffum, quòd navim illam fuam ex malè partis comparaffet. Dat ergo navim aliam ex Ecclefiæ bonis juftis frumento onuftam, & navigare jubet. Vela igitur ventis dedit & breviffimo tempore in Britanniam appulit, ubi caro pretio vendidit frumentum, & ftannum ejus loco emit, quod in navi poftea reperit, mira Dei virtute, verfum in argentum utique S. Joannis precibus. In ejus vita 23. Jan. apud Sur. Leontius.

II. Perdunt atque auferunt homini gratiam Dei & bona fupernaturalia, dum ipfe fpoliat alium bonis temporalibus, adeoque plus fine comparatione adimunt, quam dent; quomodo Dæmon fpoliavit etiam Jobum fanitate corporis, & percuffit infuper ulcere peffimo. Giezi, fervus Elifæi, dum à Naaman Syro, leprofo, argentum & veftes per fraudem & mendacia emunxit, una cum donis lepram ejus in fe derivavit: idem fecundùm animam contingit iniquis his mercatoribus. *Accepifti argentum, accepifti & veftes: fed & lepra Naaman adhærebit tibi,* inquit Elifæus 4. Reg.5. Accepifti avare rem alienam: fed & lepra peccati tibi velut peftis adhærebit. B. Petrus Damiani Card. in Epiftola ad Landulfum.16.lib.5.Epift. fcribit Romanum quendam fibi nòtum nomine Pambonum, clarum genere, fed tenuem facultate, dum grex porcorum per porticum ageretur, aftu furripuiffe porcum & cum fociis devoraffe: nocte verò fequente, dum ipfe equum fuũ fræno tenẽs obdormifceret, equum ei à fure de manu, qua porcum pridiè rapuerat; clanculum fubductum effe. Hic igitur equum perdidit pro porco, quem paulo ante fubduxerat. Longè pejus contingit eis, qui lucra iniqua parant: quia perdunt Dei gratiam pro viliffima pecunia, à pecude nomen fortita. *Per... Dei & ... supe... tur...*

III. Turbant animæ quietem & pacem confcientiæ, quemadmodum & Dæmon turbavit Jobum per uxorem, inferendo ei domefticum bellũ. Arotanus pifcis eft, quem gignit Arotan fluvius *II... Turb... anim... quiet...*

Zeilam;

Zeilam; hic aſtu ſe permittit capi: verùm capiens mox ipſe febri capitur; nec deſinit morbus, donec piſcis dimittatur. Cauſſin. in ſymb. l.8.c.16. Quod hi piſces piſcatori, hoc mammona facit raptori. Ita enim Sapiens Proverb.20.ait: *Suavis eſt homini panis mendacii*, (hoc eſt, fraude & injuria partus) *& poſtea implebitur os ejus calculo.* Senſit hoc Epiſcopus quidam Commiaclenſis nomine Joannes, teſte Petro Damiani loco citato, qui cum pauperi viduæ porcum auferri præter fas juſſiſſet, & cœnam inde ſibi paraſſet, inter comedendum percuſſus eſt in gutture, ita ut poſtea quamdiu vixit, etiam depoſito Epiſcopatu & aſſumpta profeſſione monaſtica, ſemper laboraret in deglutiendo cibo, adeo ut hærere ſemper ad primam & ſecundam menſam deberet, quo ſe reficere poſſet, vixque tantum cibi capere, unde recrearet ſtomachum. Audi S. Auguſtinum in ſerm de 10. plagis: *Nemo habet injuſtum lucrum ſine juſto damno*, inquit, *v.g. qui furatur, acquirit veſtem, ſed perdit fidem. Ibi lucrum, ibi damnum. Lucrum in arca, damnum in conſcientia.* Quis tale lucrum acceptet, nedum ambiat?

IV. Difficile reſtituuntur; quemadmodum & Dæmones non facilè expelluntur. Jobum non deſeruit Dæmon niſi poſtquam omninò de victoria deſperavit; uti indicant 70. Interpretes, qui addunt eum *tempore multo tranſacto* moviſſe uxorem contra virum: deinde uxor ipſa, cum ait: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* quaſi diceret: poſt tot vexationes tanto tempore exantlatas? Sic & res alienæ difficilè deſeruntur. Unde Hab.2. dicitur: *Væ ei, qui multiplicat non ſua. Uſquequò & aggravat contra ſe denſum lutum?* E denſo luto difficulter extrahis pedes: ita ex alienis bonis ægerrimè tua ſeparas. Piſces facilè in naſſam ſeu ſagenam intrant, ſed non facilè rurſum exeunt; os enim latum habet ſagena ad ingreſſum, anguſtum ad egreſſum: ita & bona aliena placidè admittuntur: ſed peræ grè reſtituuntur; nemo enim vult prodere furtum ſuum. Unde puer ille apud Plut. in Laconicis, vulpeculam furatus, advenientibus, qui amiſerant, ad quærendum, veſtibus eam occuluit: ac licet beſtia latus ejus morderet, ac uſque ad inteſtina laceraret, dimittere tamen eam noluit. Poſtea reprehēſus à pueris, quod feram non dimiſerit, reſpondit: *multò ſatius eſt mori, quam in furto deprehendi.* Malunt ergo poſſeſſores alienorum bonorum in conſcientia lancinari, imo malunt mori aliquando, quam reſtituere, ne injuſtitiam ſuam prodant.

V. Maximè verò affligent & ſævient in hominem in articulo mortis ac judicii die. Ita enim monet Eccleſiaſticus c.5. *Noli anxius eſſe in divitiis injuſtis; non enim proderunt in die obductionis & vindictæ.* Vult dicere mea ſententia: noli committere, ut fias anxius ob divitias injuſtas in die mortis. Sic enim paulo poſt ſimili phraſi ait: *Non appelleris ſuſurro*, hoc eſt, noli committere ſuſurrum, ut ſuſurro appelleris. Ait igitur: Noli parare tibi anxietatem, quæ prodit è divitiis injuſtis, maximè in die mortis, cum ſenſus obducentur & cœlum quaſi nubibus obductum fulmina & tonitrua tibi minabitur. Tunc enim non proderunt, ſed oberunt quam maxime. Quemadmodum enim Jobo in ſuis afflictionibus venerunt funeſti nuncii, unus poſt alium, nunciantes ei clades ſingulas à Dæmone illatas; quas S. Gregorius ipſoſmet Dæmones fuiſſe putat: ita poſſeſſori injuſtorum bonorum occurrent in die vindictæ Dæmones illi, bona ſcilicet aliena, & objicient ei varias clades, quas propterea paſſus eſt in bonis fortunæ, in bonis propriæ famæ, in bonis animæ & gratiæ, in pace conſcientiæ. Hæc nuncia quaſi arcta obſidione prement animam ejus: hæc ipſa, quæ prius ita amavit, incurrent in ipſum, velut tauri furioſi; quo modo Anno 1549. armenta boum, quæ rapuerant Tartari, cum ea ante ſuum exercitum præmiſiſſent & concitaſſent in Polonos, ubi tormentorum impetum in ſe excluſum adverterunt, verterunt ſe & in ipſos Tartaros irruerunt eoſque ingenti numero ſtraverunt. Sic illi prædatores à ſuapte præda extincti ſunt; ſimulque ab inſequentibus Polonis cæſi ad 30000. Bona malè parta velut boves illi rapina abacti, incurrent ſimili modo in ſuos poſſeſſores, quando in ultimo conflictu cum Dæmonibus præliandum erit, adeoque in præda dabit prædatores ſuos hoſtibus in prædam.

maximè in articulo mortis.

Quando igitur tam mali hoſpites ſunt iniqua bona, quid cum iis agendum? Ejiciendi ſunt hi Dæmones, reſtituenda ſuis dominis bona, & quidem omnia. Quemadmodum enim Chriſtus nullum omninò Dæmonem in obſeſſis reliquit, ſed quotquot illos inhabitabant, omnes ejecit: de Magdalena ſeptem, de duobus aliis legionem: ita omnia aliena reſtituenda ſunt. Satis foret homini ab uno Satana poſſideri: & ſatis foret avaro propter unum furtivum bonum damnari. Nemo erubeſcit evomere, ſi noxium quid comedit; nemo ergò erubeſcat reſtituere, ſi quid alieni accepit. Ac ſicuti domui Zachæi ſalus facta eſt, ubi is quæ fraude pararat, reſtiturum ſe promiſit: ita ſalutem conſequetur, qui aliena evomuerit. Optimè verò agit, qui ab illis ſe cuſtodit.

THEMA

THEMA V.

Cultro ſeu gladio juſtitiæ qui utendum.

I. Perſonarum acceptio vitanda.
II. Conſideratè & tardè proceſſus fiant.
III. Moderatio adhibenda.
IV. Paſſiones ſeponendæ.
V. Munera non accipienda judici.

Omnis turba quærebat eum tangere. Luc. 6.

CAvere diligenter ſolent parentes, ne filiolis infantibus cultros permittant, manibus tractandos. Facilis enim & gravis ſæpè læſio à cultris timetur illis, qui eis uti neſciunt. Par omnino ratio cum gladio vindictæ, qui & ipſe interdum culter appellatur, uti 2. Regum 12. verſ. 31. Facilè quis errat & ſeipſum lædit, qui gladio iſto utitur ſine ratione. Cultrum hunc in corpore ſuo ſenſit Bartholomæus, per ſummum ſcelus Judicis ſibi pellem detrahentem, quem & manugeſtat, non ut eum turbæ & privatis hominibus, ſed Magiſtratui ſolum porrigat, cautè adhibendum. Certè Chriſtus Dominus Petro eum ademit & magiſtràtui tradidit. Matth. 26. *Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Infantes dici poſſunt, qui privata auctoritate ſeipſos vindicare volunt; qui mentem iracundia perturbatam habent: Magiſtratui hoc agendum eſt, qui & ipſe tamen cautiſſimè tractare cultrum iſtum debet, ne una cum inſontibus ſeipſum offendat. Rex erat David, ſumma in humanis poteſtate præditus; qui tamen, quando viros Rabbath ſerravit, circumactis ſuper eos carpentis, diviſitque cultris, (quod & aliis civitatibus Ammonitarum fecit) 2. Regum 12. non apparet, qua ratione ab immani barbaræ crudelitatis ſcelere, nimioque vindictæ exceſſu excuſari queat; ut ibi advertit noſter Caſpar Sanctius. Poſſunt ergo non privati ſolùm, ſed etiam Magiſtratus hoc cultro ſeipſos lædere una cum innocentibus, quod ne contingat aliquando, regulas aliquot dabimus, ad uſum gladii juſtitiæ utiles ac neceſſarias.

I. Perſonarũ acceptio vitanda. I. Perſonarum acceptio ſeponenda. Ita præcipit Deus Judicibus Deut. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum.* (Hebr. *non agnoſcetis facies in judicio) ita parvum audietis ut magnum: non formidetis à facie viri; quia judicium Dei eſt*, q. d. quia Dei vices geritis. Cujuſmodi executionem mandavit Levitis Exod. 32. *Occidat unuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum.* Quid idcirco commendantur Deut. 33. *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ: neſcio vos; & fratribus ſuis: ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos* (in occiſione illa Idololatrarum) *hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum ſervaverunt.*

Quam ob cauſam etiam aliqui exiſtimant Moyſen, cum de monte legem portans deſcenderet, faciem velaſſe, ne in hunc potius quam in illum oculos intendere videretur, cùm legis prævaricatores puniendos ſtatueret. Exod. 34. Fuit certè hoc receptum apud gentes quoque nonnullas, ut Judices nunquam capitalem ſententiam ferrent, niſi obducta cortina aut interjecto velo tegerentur, teſte Clemente Rom. lib. 2. Conſtit. S. Baſilio epiſt. 79. ad Euſtathium. Idem & Thebani clauſis oculis Judices pingebant, auctore Plut. in lib. de Iſide & Oſir. quod etiam de Ægyptiis ſcribit Diodorus Siculus. Nota eſt illa multorum querela, quam alii Anacharſi, alii Soloni tribuunt; quod leges, non ſuo ſed judicum vitio, ſimiles ſint aranearum telis, in quibus infirmiora animalia irretiuntur & hærent, validiora verò perrumpunt, apud Valer. lib. 7. c. 2. & Laërt. l. 1. c. 3. Nec æquum eſſe videtur, ut pauperes tantum & pannoſi fures in furcis pendeant, divites & potentes in auro & ſerico incedant. Contra hoc enim tonat Deus Pſal. 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus dijudicat. Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Iudicate egeno & pupillo &c.* Facies peccatorum ſumit, qui ad ipſorum mentem ſe conformans, peccata excuſat aut juſtificat; ſicque & ipſe fit peccator, ſimilis ei, quem abſolvit. Non ita, ſed in medio ſtet Judex.

II. Tardè & penſiculatè procedendum, præſertim in cauſa ſanguinis & bonorum confiſcationibus. Docuit hoc imprimis Deus Opt. Max. quando ob immania flagitia vaſtaturus Pentapolim, prius dixit: *Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam.* Gen. 18. *Veritatem* enim *dies aperit*, ait Seneca l. 2. de ira, *poteſtque pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt.* Rectè etiam Philo de confuſ. ling. Deus *dicitur ad viſendum deſcendere, qui omnia priuſquam fiant, prævidet manifeſtiſſimè, ut doceamur, ne quis homo de abſentibus & futuris & incertis putet ſe poſſe conjecturam facere; ſed prius maximè proſpicere debet &c.* Notus eſt Davidis error, in prædiis Miphiboſethi, ex facili nimis credulitate ipſi ademptis & ſervo ejus donatis 2. Reg. 16. & 19. Notus & Theodoſii Imp. lapſus in præpropera adeoque iniquiſſima cæde Theſſalonicenſium imperata; qui propterea à S. Ambroſio graviter reprehenſus ſtatuit ad trigeſimum ſemper diem differre executionem in judicio ſanguinis, apud Euſeb. lib. 11. hiſt. Eccl. c. 17. Denique & Gentilibus res iſta cordi erat, qui apud Athenienſes ante Judicum conſeſſum, mactari porcellum jubebant, moxque ejus ſanguine ſedilia judicantium aſpergi, ut ſcirent innocentum ſanguine ſe aſperſum iri, ſi innocentem funderent. Sidonius apud

apud Caussin.lib.5.Symb. Præclarè etiam correctus ab uxore Ptolemæus fuit, qui cùm ad tesseras sederet & alea luderet, *assistens quidam condemnatorum ipsi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat; ut ille, quinam mortis supplicium commeruissent, decerneret. Berenice verò uxor ejus accepto libello è pueri manibus, non permisit ut ad finem usque legerentur: dicens non sic obiter advertendum animum esse, quum de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum & corporum. His auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neque postea unquam inter ludendum de capitalibus causis audivisse.* Refert Ælianus l.14.var.hist.c.43.

III. Moderamen adhibendum, ne mensura delicti excedatur; juxta id Deut.25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus; ita dumtaxat, ut quadragenarum numerum* (verbera) *non excedant.* Remittendum igitur potiùs aliquid, quam addendum pœnis commeritis: *Ne fœde laceratus*, inquit ibi sacer textus, *ante oculos tuos, abeat frater tuus.* Quod adeo observarũt Judæi ut etiam de 40. plagis unam semper remiserint, uti se expertum fatetur S. Paulus, 2. Cor.11. *Quinquies quadragenas unà minus accepi.* Deliquit in excessu Saul, quando pœnam capitis statuit in milites, qui comedissent panem usque ad vesperam, quam & in filio exequi stultè & iniquè cogitabat. Et jure putatur à S. Chrysost. & aliis ob nimis severam illam legem à Deo ita punitus, ut ipsius filius solus eam transgredi permitteretur 1. Regum 14. ut ibi advertit Sanctius. Gravius adhuc excessit David, quando, uti suprà indicavi, viros urbis Rabbath, & populum Ammonitarum, ob acceptũ ab eis gravem quendam in suis legatis despectum (2. Reg.10.) multis in locis *serravit & circumegit super eos* (novo & inaudito supplicio) *ferrata carpenta, divisitq; cultris, & traduxit in typo laterum*, hoc est, velut lateres in fornace lateritia coxit & afflixit, 2. Reg.12. Fuit sanè hoc crudele nimis supplicium, eò vel maximè, quod etiam multis innocentibus propter aliquos nocentes irrogatum. Sed eo crudelitatis degenerasse videtur David, quando jam lapsus in adulterium & homicidium, adeoq; adhuc in statu peccati fuerat, ut observat ibi Sanctius. Qui ergò semel graviter lapsus est, facilè in aliud gravius peccatum impellitur: & qui semel innocentem sanguinem fudit, facilè aliorum plurium sanguinem haurit; ut taceam quòd libidò, qua tunc laborabat David, hominem excæcet & alium à se cõstituat; qualis certè tunc erat David, qui aliorum peccatum plexit, sua interim scelera longè graviora non correxit: unde & reum mortis pronunciavit divitem, qui ovem pauperi abstulerat: de seipso verò quod uxorem Uriæ abstulisset, nullas exegit pœnas, neque reum se agnovit.

Econtrà minùs severe, quam debuerat, correxit filios suos, graviter delinquentes, Heli sacerdos; quia verbis solum non verberibus & vinculis, pro-

ut merebantur, castigavit, 1. Regum 3. *Namque & minas*, ait Chrysostomus tract. advers. vituper. vitæ monast. l.3. *addere debuerat & à suo eos conspectu amovere atque abdicare etiam & verberibus afficere, multoque illis gravius & durius instare &c. cumq; improbè & intempestivè filiis parceret, & suam simul & illorum salutem perdidit.* Ipsi enim in prælio una die simul perierunt, & parens accepto nuncio cum sella corruit & cervicem fregit, 1. Reg. 4. Cecidit verò juxta ostium templi, in quo filios suos tam multa in sacrilegia ruere permisit, ut ubi culpa commissa est, ibi infligeretur pœna. Unde ibi S. Gregorius. *Ibi cecidit, ubi deliquit.* Fregit autem cervices ex ruina, quia duras filiorum cervices non fregit. *Idcircò*, ait P. Damiani l.7 epistolar. epist 3. *cervicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulsit.*

I V. Passiones à justitiæ gladio omnes resecandæ. Et 1. amore justitiæ, non propriæ vindictæ gladius exercendus; quia causam Reipublicæ, non propriam agere debet, qui justitiæ administer est. Hoc argumento suasit Abigail David, ne vindictam sumeret de viro Nabal ob injuriam privatam: *quia prælia Domini, Domine mi, tu præliaris* 1. Regum 25. q. d. pro Dei gloria & publica salute tu prælia inire soles: privatas injurias negligis. Justum hoc ac decens etiam Gentilibus visum est. Notum illud Hadriani Imperatoris qui unum ex inimicis suis, in quem infestiore fuerat animo, jam Princeps factus, cùm sibi timentem esset intuitus: *Sis*, inquit, *bono animo, evasisti*: indicans velle, ut se principe incolumis esset, quem privatus perditurus fuerat. Sabell. lib.4. En.7. Perdomuit hic Imperator ultima cæde Judæorum omnium pertinaciam, præcepitque ne cui Judæo facultas introeundi Jerosolymam daretur, Christianis tantummodo civitate permissa, quam vastatam novis inclusit mœnibus & à suo nomine *Æliam*, appellavit; jure merito quia Judæorum principes ex privato suo odio Christum necarunt; quo peccandi genere ipse Hadrianus minime deliquit. Platina ex Suetonio.

IV. *Passiones sponendæ.* 1.

2. Non in favorem propinquorum; quod vel ab Alex. M. discere possumus, cui cùm Olympias mater, ut necem insonti inferret, novem mensium in utero gestationem insusurraret: *Aliam*, inquit, *optima parens reposce mercedem, hominis salus nullo beneficio pensatur.* Cælius l.16.c.6. Deliquit econtrà Putiphar, qui conjugis amore, nimiùm credulus iniquissimæ & stultissimæ delectationi; Josephum condemnavit & tradidit in carcerem. Gen.39. Poterat enim ex veste Josephi, ab uxore sibi demonstrata, advertere non Josephum sed uxorem esse ream, ut quæ fortior Josepho vestem ei detraxerit, adeoque vim à debiliore pati non potuerit, uti advertit Philo. Sed nimirum cæcus amor conjugis præcipitavit eum in tam iniquum judicium. 2.

3. Non ex timore humano evaginandus aut recondendus in vaginam. *Noli quærere fieri Iudex* ait

Eccleſ.cap.7.*niſi valeas virtute irrumpere* (h.e. perrumpere) *iniquitates; ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* In hujus rei ſymbolum Samuel in convivio armum ex victima Sauli *de induſtria* reſervavit & appoſuit 1. Reg. 9. Sauli, inquam, quia ab armo ſeu humero altior univerſo populo deſignandus erat Rex; qui animi ſui robore, quod per armum ſignificatur, perrumpere debebat omnia ſcelera, & plectere ſine timore. Graviter in hoc deliquit Pilatus, qui timore furioſæ plebis Judæorum & offenſæ Cæſaris, ſtulto & ignavo territus Chriſtum, quem innocentem deprehenderat & toties pronunciarat, ad mortem condemnavit. Qui proinde ſicuti peccarat, ex timore irati ſibi Cæſaris ſeipſum occidit. Nam à Cæſare relegatus Viennam in Gallias, *tantis irrogante Cajo angoribus coarctatus eſt, ut ſua ſe transverberans manu, malorū compendium mortis celeritate quæſiverit*, ait Paulus Oroſius l. 7. c. 5. Non abſq; cauſa Salomon *Porticum in qua tribunal erat, texit lignis cedrinis à pavimento uſque ad ſummitatem; & domunculam, in qua ſederetur ad judicandum fecit ſimili opere* 3 Reg. 7. Indicare enim volebat Judices velut cedros ſedere in judicio debere: quæ enodes ſunt & rectiſſimæ, ſolidiſſimæ & quaſi oſſeæ; deniq; cariem, tineam & vetuſtatem non admittunt.

V. *Munera non accipienda Iudici.*

V. Non hebetandus auro gladius juſtitiæ. Ita præcipitur Exo. 23. *Inſontem & juſtum non occides, quia averſor impium: nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes & ſubvertunt verba juſtorum.* Accedit Eccleſ. c. 8 *Multos enim perdidit aurum*, inquit, *& argentum, & uſque ad cor Regum extendit & convertit.* Quòd ſi Reges etiam pervertit aurum donatum, quanto magis minores Judices? Urſum, ait Liranus ibi, ſi laminam ſplendentem aſpiciat, obcæcari: ſic cæcantur Judices propoſita ſibi aurea lamina, ne veritatem in judicando aſpiciant. Rurſum Iſidorus l. 16. 2. ait urſum, ſi in os ejus vitrum immittatur, vim omnem mordendi amittere. Idem præſtat aurum Judicibus, in burſam injectum, ne pronuncient veritatem. Quamobrem veteres pinxerunt imagines judicum abſq; manibus, & ſummi Judicis oculos conniventes, eò quòd juſtitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur, ut ſcribit Plut. l. de Iſide. Moyſes & Aaron virgas geſtarunt, indices regiminis; ſed aridas, quæ ex terra nihil humoris attrahere poterant. Tales ſint & judices, nihil emolumenti trahant, ad ſe ex partibus litigantium. Audiant alioquin comminantem ſibi Deum Iſa. 5. *Væ, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* Quo loco inter plures comminationes hanc poſtremam dirigit in judices; quemadmodum etiam Moyſes in monte Habal maledictiones plurimas ejaculans in peccatores, poſtremam jacit in munerum ſuſceptores: *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis. Et dicet omnis populus, Amen.* Deut. 27. quaſi illi ultimam iniquitatis lineam attigiſſent; idcircò ultimò maledicti. Quin & principes etiam Gentiles graviter animadverterunt in Officiales ſuos, munerum acceptores; uti Alexander Severus Imp. qui palam edici juſſit, ne ullus qui in Magiſtratu munera acciperet aut aliter aliena raperet, corā ſe appareret, convictoſque hujus delicti capite ſe mulctaturum dixit: quin & ſi furem hujuſmodi vidiſſet Judicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret; unum etiam è ſervis ſuis cruci affigi juſſit, quia centum aureos nummos, propter navatam alicui in aula ſua operam, acceperat. Fulgoſ. l. 6. c. 3 ex Lampridio. Meritò excæcavit eos, qui muneribus priùs excæcari voluerunt. Notum illud Cambyſis, Perſarum Regis, terribile judicium, quo Judici iniquo & muneribus corrupto pellem detrahi, eaq; tribunal judicum inſterni præcepit. Jure etiam iſte Judex pellem ſuam amiſit, qui munera capiendo pellem pauperibus detraxit. *Nuper in Saxonia quidam Decrenſta nominatus*, inquit Cæſ. l. 11. hiſt. c. 46. *mortuus eſt; qui cùm hiaret, lingua in ore defuncti non eſt inventa. Et meritò linguam perdidit moriens, qui illam ſæpe vendiderit vivens.* Quia *non licet Iudici vendere juſtum judicium*, ait S. Auguſt. ut refert 11. q. 3. Econtra in eadem lingua juſtus quidam Judex licet Ethnicus miram accepiſſe à Deo remunerationem ſcribitur à Petro de Palude in 4. ſenten. apud S. Antonin. in ſumma Theol. p. 2. ti. 1. c. 10. paragr in hæc verba: *In Francia dum quidam foderet in agro ſuo, invenit humanam linguam, vivam loquentem. Et interrogatus quis eſſet; reſpondet fuiſſe hominis pagani, qui Iudex fuerat à diu in paganiſmo mortuus & ſepultus: & quia nunquam dederat ſententiam iniquam, ideò Deus reſervaverat illam animam in illo membro ſua lingua, quouſque baptiſmum reciperet. Vnde rogavit, quod ſignificaret hoc Epiſcopo loci, ut veniret ad baptizandum eum, & hoc eſſet ſignum veritatis prædictorum, ſi ipſa lingua baptizata ſubitò in pulverem reverteretur. Advocatur itaque Epiſcopus cum clero & populo: & poſt locutionem ipſius linguæ de prædictis coram omnibus baptizata ſubitò reſoluta eſt in pulverem.* Non potuit lingua hujus corrumpi à vermibus; quia nunquam potuit corrumpi muneribus. De his & Iſa. c 33. ait: *Qui ambulat in juſtitiis & loquitur veritatem: qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere: qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum: iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt. Pedem in decore ſuo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè*, hoc eſt, ſublimis & honoratus erit in Eccleſia, ſuſtentationem quoque vitæ habebit ſufficientem, denique Deum in cœlo videbit, & inde terram hanc aſpiciet & velut punctum ac nihilum deſpiciet.

IN FESTO S. ÆGIDII.

THEMATA.

I. Mirus venator S. Ægidius.
II. Quomodo colendus noster Patronus S. Ægidius.
III. Lac cervæ Ægidianæ salutare.

THEMA I.

Mirus venator S. Ægidius.

I. Fugiendo prædam cepit.
II. Prædam è retibus suis exclusit atque ejecit.
III. Vulnera non inflixit sed accepit.
IV. A cerva non nisi lac accepit.
V. Pauperibus loco canum prædam comprehendit.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Gen. 10.

CErvorum venationi hodierna S. Ægidii dies, communi venatorum lege, finem imponit, ideoque venatorum quin & cervorum Patronus habetur. Et jure quidem, meo judicio. Nam ipse in sylvis una cum cerva vixit, ejus lacte se pavit, à canibus eam defendit, denique velut venator precibus à sanctitate sua cepit, cicuremque reddidit; ut verè ipsi applicare possimus id proverbium, Genesis 10. *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Fuit Nemrod robustus venator, sed magis coram hominibus quam coram Deo: cujusmodi venatores plerique sunt in mundo qui temporalia bona venantur. Atqui sanctus Ægidius verè *coram Deo robustus venator* fuit, qui prædas suas non in terra, sed in cœlo indagavit, unde factum ut non solùm cùm viveret, coram Regibus in honore esset, sed & nunc post mortem coram Deo & omnibus cœlitibus adeoque toto mundo. Verùm ut hanc prædam assequeretur, non venatorum hujus sæculi, sed aliam longe, ac contrariam venandi rationem tenuit; ut videbimus.

I. Venatores alii persequendo capiunt feras: sed non ita sanctus Ægidius, qui fugiendo prædam cepit. Venatores mundi miro modo laborant, ut gloriam sibi parent, sed non assequuntur, nisi fortè vanam & momentaneam coram paucis, S. Ægidius fugiendo vanam gloriam, comparavit sibi veram & immortalem gloriam. *Contemne gloriam & eris omnibus gloriosior*, ait S. Chrysostomus hom. 4. in Matt. Honor est instar timidi canis; insequeris illum, fugit: fugis illum, insequitur. Sic honor Episcopalis S. Sylvestrum, Gregorium, Augustinum, fugientes secutus est: fugit alios insequentes. Hanc ad honores consequendos viam, fugā scilicet, docuit nos Christus, dum, ne raperetur ad regiam dignitatem, fugam cepit: inde exaltari meruit & accipere *nomen super omne nomen.* Hunc secutus noster Ægidius, magnus coram Deo & hominibus evasit. Solent feræ cùm in latibulis suis deprehenduntur à venatoribus alio migrare: uti leæna illa, quæ in antro quodam à Malcho Monacho inventa illicò catulos suos mordicùs prehensos in aliam specum extulit; teste D. Hieron. in vita ejus. Pari modo S. Ægidius, è regia stirpe factus humilis, ubi miracula patrare, famaque coruscare cœpit, ne stygio venatori præda ipse fieret, mox aliò se contulit: Athenis in Galliam ad S. Cæsariam, inde ad Veredemium Eremicolam: ubi rursum proditus inde in densissimam Eremum, ad Rhodani ostium confugit. Moyses à filia Pharaonis Thermut, nupta sed sterili, adoptatus & regiè educatus ut esset regni hæres, quid egit adhuc puerulus? Coronam à Rege sibi comiter impositam de capite prolabi passus pedibus calcavit, teste Josepho l. 2. Antiquit. cap. 5. Grandior autem factus profugit ex aula ad Hebræos, inde in Madian, negans se filium Pharaonis) ex Philone l. de Moyse, & Apostolo ad Hebr. 11.) eligens magis affligi cum populo Dei, ibique dum honorem fugit, ad maximum evectus, & Deus Pharaonis constitutus est. Hæc igitur via, hæc industria est venandi veros honores, fuga honorum, quam tenuit & Ægidius.

II. Venatores alii feras in retia cogunt: S. Ægidius econtrà prædam è retibus suis exclusit atque ejecit. Ridetur in proverbio simplex quidam rusticus, qui in venatione vulpium lepores retiimplicitos ejecit dicens, non institutam venationem pro leporibus. At hoc egit S. Ægidius, sed omninò sapienter. Nam opes & munera sibi à Rege Clodovæo amplissima oblata aversatus respuit ac rejecit, monens Regem, ut ea egenis potiùs aliis conferret vel inde monasterium conderet, in quo servos Dei cœlestibus ornat: nos disciplinis congregaret. Periculosa præda sunt munera, quæ capientes se capiunt, ad instar illius arcæ ornatissime & elegantissimè elaboratæ, quam Typhon Osiridis, Regis Ægypti, frater ad eum capiendum regnoque exuendum fieri curavit ea longitudine, qualis erat Osiridis. Hanc enim in convivio inter pocula allatam cùm convivæ admirarētur promisit Typhon se dono daturum illi, qui longitudinem ejus exæquaret. Cumque varii subintrassent, nullique quadraret, Osiris tandem & ipse in eam procubuit. Mox Typhō cum subornatis suis operculo arcam clausit, clavis

II. Prædam è retibus suis exclusit atque ejecit.

affixo & plumbo liquido superfuso, fratremque inclusum in Nilum projecit. Plut. in Osiride. Hunc in modum munera fortiter alliciunt, ut in causam offerentis turpiter te demittas; sed dum offeruntur, auferunt: dum capiuntur, capiunt. Sensit id Balaam ille, quando legati Balac ad eum venerunt, *habentes divinationis pretium* (Hebr. habetur, *divinationes*; quia scilicet ipsa pecunia incantare solet eum, cui offertur) *in manibus*. Ea enim illecebra tandem victus malum dedit consilium regi Balac contra Hebræos, Num. 24. sed sibi pessimum; quia inter Madianitas ab Hebræis occisos & ipse occubuit. Quicunque igitur sapuerunt, munera excusserunt, quod præstitit noster Ægidius, exemplo magni illius Abrahæ, qui oblatam sibi prædam à Rege Sodomorum, licet sua manu ab hostibus recuperatam, respuit, ita ut nec filum subtegminis, aut corrigiam caligæ, seu minimum quidpiam accipere vellet, ne dicere posset Rex: *Ego ditavi Abraham*. Genes. 14. Quare in mercedem tantæ continentiæ, mox illi Deus dicit c. seq. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*.

III. *Vulnera non inflixit, sed accepit.*

III. Venatores alii vulnerando, jaculando, & venabulum infigendo prædam venantur. Contra S. Ægidius vulnus accipiendo, idque purulentum conservando, & medicinam respuendo coronam in cœlo sibi comparavit. Venatores mundi prædam ex vindicta & jugulatione quærunt; sed nil assequūtur nisi perniciem & ignominiam suam. Sic Pharao, dum insequitur Hebræos dicens: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, dividam spolia, implebitur anima mea &c.* demergitur cum exercitu suo in abyssum maris. Georgius Fraispergius hæreticus Caroli V. inter Germanos milites in Italia Dux, laqueum unum inauratum in sinu secum Romam gestavit, quo summum Pontificem: alios purpureos, quibus Cardinales manu sua suspenderet, quod erat comminatus; spe tamen sua delusus, in paralysin incidit. Jovius l. 6. Elogior. viror. bellic. Non hoc Christus docuit, sed econtrà: *mitto vos sicut oves in medio luporum*, ait. Item: *non veni pacem mittere sed gladium*. Matth. 10. non ad infigendum, sed excipiendum, uti mox explicat. Hanc doctrinam secutus est S. Ægidius, vulnus ita accipiens, ut curari nollet. Secutus Simeon Stylites qui cùm in pœnam alicujus levis peccati per annum in uno pede stetisset, vulnus accepit in femore vermibus scatens, ita ut inde excidentes subinde in terram caderent. Quid ille? jussit sibi eos iterum sursum porrigi, & reposuit in ulcus dicens: *Mānducate, quod vobis Dominus dedit*; ut refert Antonius ejus discipulus apud Rosvveid. in Vitis PP. Conformiter illi; quod habetur Habac. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat* (scilicet vermibus) *ut requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum*, id est, ad Sanctos in fasciculo viventium colligatos, quasi diceret: Vermes illi devorabunt peccata mea: & lectum mihi in cœlo suavissimum parabunt, plumarum instar futuri.

Quare si quis te vulneravit sagitta alicujus probri; contumeliæ, derisionis, detractionis &c. si te ipsum vindices, aut famam tibi restitui contendas: si læsus forte in corpore, vel fortunis tuis, par pari referas aut damnum tibi resarciri facias, lucraberis aliquid in terra, sed perdes aliquid in cœlo, quod alioquin lucratus fuisses, longè excellentius. Vicissim si injurias patienter feras, parum aliquid damni accipies in terra, & prædam ingentem comprehendes in cœlo. Hinc Apostolus 1. Corinth 4. reprehendit Corinthios, quod judicio contendant, & quidem apud infideles, addens: *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?*

IV. Venatores alii feras occidunt & devorant, at S. Ægid. lac solum à cerva accepit, ipsam innoxiam servavit, & à canibus tutatus est; lac cervæ hausit, non sanguinem. Venatores pecuniarum subditos suos exactionibus exhauriunt, nec tondent solùm oves, sed & deglubunt, quod Tiberius Cæsar Gentilis provinciarum suarum præsidibus prohibuit, apud Sueton. c. 13. Severè olim vetuit Deus sanguinem comedi Gen. 9. Deut. 12. *Hoc solùm cave, ne sanguinem comedas*, quia voluit Deus absterrere homines à pauperum oppressione. Qui enim nimis eos premunt, sanguinem eorum sugunt; (quia sicut vita conservatur sanguine; sic & rerum substantia) imò exsugunt etiam illis salutem animarum, dum cogunt eos blasphemare, furari, prostituere corpus. Unde Gen 9. sanguis ille vocatur *sanguis animarū*, cùm alioquin anima sanguinem non habeat; *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*. Et si de manu bestiarum, (uti Exod. 21. ubi bovem homicidā jussit lapidari) multo magis de manu hominum. Sane David aquam illam, quæ à tribus viris cum periculo vitæ eorum ipsi conquisita & allata fuit, effudit, nolens bibere; quod putaret se eorum sanguinem bibere: *Propitius mihi sit Dominus*, ait, *ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. At qui pauperes nimiùm premit, cogitque afferre sudorem ac victum suum, nonne sanguinem eorum & animarum periculum bibit, dum vel ad desperationem, vel ad execrationes, vel ad prostitutionem corporum vel ad furta eos impellit.

V. Venatores alii canibus comprehendunt feras; at S. Ægidius pauperibus usus pro canibus, prędam in cœlo comprehendit. Notus est ex insigni facto, & à nobis alibi etiam celebratus, non tamen omnino hic prætereundus, Amedeus tertius Sabaudiæ Dux, qui ab oratoribus apud se morantibus interrogatus, an & canes venaticos haberet; respondit, *Cras eos vobis exhibebo*. Interim de more ingentem pauperum turbam cogit eisque cibos dari mādat; tunc ait oratoribus: *Hi sunt canes mei* (paupe-

res

es monstrans) *quos alo quotidie, quibusque spero me loriam cælestem venaturum.* Bzovius anno 1472. His iisdem canibus Ægidius cœlum venatus est. Multo certiores sunt hi canes, quam venatici alii, qui & prædam sæpe non assequuntur, & quandoque apprehensam dominis non servant aut afferunt, sed ipsimet devorant. Divites amici, in quos opes tuas confers, infidi tabellarii sunt: pauperes fideles sunt, teste S. Laurentio, cùm Tyranno dixit: *Facultates tuas requiris in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Mundus ea, quæ paup... ur, perdita esse putat, sed fallitur; quod docet nos idem S. Ægidius, qui duo ostia cypressina, in quibus imagines Apostolorum erant affabre facta, a Papa Romæ impetrata, misit ibi in Tiberim, omnibus id spectantibus non solùm admirantibus, sed etiam stultitiæ virum sanctum arguentibus. Verùm ubi is terrestri itinere domum rediit; in suo adventu nunciatur ei duo illa ostia in portu fluminis ante monasterium ipsius hærere. En per tot maris interjecti spatia, per tot tempestates & scopulos deferuntur Ægidio ostia, vastissimo mari commissa, Angelorum utique ductu; idem expecta de pauperibus, qui latam sibi eleemosynam securè ad cœlum devehent. Hoc est, quod Ecclesiasticus cap. 11. suasit: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa invenies illum.* Mittuntur ligna in fluvios, & e denatantia colliguntur in rastro. Idem fit cum eleemosyna: Im rechen / in die rationum invenies eam: in rastro judicii divini, quod intercipiet & rapiet omnes mortales.

Atque hæc est venatio, jucunda simul & utilissima ars, quam vobis Audit. suadeo. De B. Macedonio scribit Theodoretus Cyri Episcopus in vitis PP. inventum eum aliquando in solitudine à quodam Duce venationi incumbente atque interrogatum, quid illic moliretur? *Venaturus*, inquit, *huc veni.* Et Macedonius: *Et ego venor hic Deum meum, & capere eum cupio per contemplationem, nec ab hac pulchra venatione unquam cessabo.* Idem nos dicamus: non cessemus à venatione nostra, donec prædam in cælo consequamur.

THEMA II.

Quomodo colendus noster Patronus, sanctus Ægidius.

I. *Confugiendum ad patronum in necessitatibus.*
II. *Patronus honorandus à clientibus est.*
III. *Prosequendus eleemosynis in pauperibus clientibus.*

Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore. Proverb. 5.

MAjores vestri Audit. haud dubie non absq; magnis rationibus S. Ægidium in protectionem hujus urbis elegerunt. Si enim percurramus ejus vitam, reperiemus eum, dum viveret, communem quasi omnium afflictorum fuisse protectorem. Protector fuit pauperum, quando illis distribuit suum patrimonium; protector nav... precibus eripuit eos à naufragio, sibi imminente: protector ægrotorum, quando eos sanavit, ad se recurrẽtes: protector peccatorum, quando Clodoveo Regi suorum notitiam peccatorum & pœnitentiam impetravit: protector denique etiam ferarum, quando cervam, cujus lacte subinde sustentabatur, à canibus agitatam & ad se confugientem tutatus est ab injuria. Bonum itaque & magnum protectorem ac Patronum habetis ô Grecenses. Verum Patronus bonum etiam clientem quærit. Nos ergo si ejus protectione frui & gaudere volumus, demus operam necesse est, ut boni ejus clientes simus. Hoc vero quis docebit nos? Cerva Ægidii: si enim hæc obsequia ei exhibeamus, quæ cerva ipsi præstitit, boni, ut spero, clientes erimus: juxta id Prov. 5. *Cerva charissima: ubera ejus inebrient te omni tempore.* Multi non satiantur nisi plane inebrient se. Hic datur vobis occasio simul & licentia, bibendi ad ebrietatem usque, sed ab uberibus cervæ. *Ægidius multorum protector.*

I. Cerva S. Ægidii ad ipsum velut ad tutorem suum in necessitate recurrit. Cùm enim à canibus agitaretur venaticis, præpeti fuga cellam ejus petiit, & trepida ac solito mœstius immugiens ante ejus pedes se provolvit, ut cujus humanitatem diu expertâ fuerat, ejus ope à præsenti periculo liberaretur. Sic omninò decet nos in nostris necessitatibus confugere ad protectorem & patronum nostrum. Cùm n. Sancti aliqui in patronos eliguntur, non dubium, quin suorum clientum singularem tutelã habeant; docet igitur clientes; ut in suis necessitatibus ad ipsos imprimis recursum suum habeant. Displiceret jure merito Med perito & celebri, si homines civitatis, cujus ipse Med. est cooptatus, ipso neglecto currerent ad alios longe dissitos, licet alioquin juxta se & alios consuli non ægre pateretur. S. noster Ægid cùm in terris viveret, quoscumque morbos miraculo sanavit: quid jam in cœlis sanare non poterit? Tametsi ergo ad alios quoque S. in nostris necessitatibus possumus recurrere; non decet tamen ut Patronum, quem ipsi elegimus, in hoc prætereamus. Vixit in Syriæ eremo S. Hil. discip. S. Anton. sanctitate & miraculis magistro suo non impar. Quando ergo Syri excurrerunt pro impetrandis gratiis & sanitatibus usque in solitudinem Ægypti ad S. Antonium, dicebat illis Antonius: *Quare vos tam longe vexare voluistis, cùm habeatis ibi filium meum, Hilarionem?* *I. Confugiendum ad Patronum in necessitatibus.*

In vita Hilar. 21. Oct. apud Sur. Idem opinari licet
nobis dicturos Sanctos alios, si præterito patrono
nostro in ipsis solis spem reponeremus. Quamquam
uti Antonius non repulit venientes Syros: ita spe-
randum etiam de aliis Sanctis. Prima tamen precum
instantia vel primaria saltem deferenda videtur loci
Patrono. At si prætereà aliqui in suis morbis vel pe-
riculis spreto Deo & Sanctis ejus recurrere ad ario-
los, magos, & veridicos vellent; quanta, quæso, hæc
injuria foret? Nonne id exprobrandum illis diceres,
choziæ Regi Israel ægroto, mittenti ad Deum Ac-
caron: *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad con-
sulendum Beelzebub, Deum Accaron? Quamobrem
hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti;
non descendes, sed morte morieris.* 4 Reg. 1.

Gentilium mos fuit ponere lares seu tutelares
Deos suos post fores domorum suarum, eosque ce-
reis venerari ac lucernis, ut notat S. Hieronymus in
Isa. cap. 57. & Alexander ab Alexandro lib. 5 Genes.
cap. 24. Errarunt illi in hoc, quod fictitios Deos pro
vero coluerunt, Non ita nos Christiani, qui Sanctos
non ut Deum, nec pro Diis colimus, sed ut Dei ami-
cos tantùm & servos. Rectè tamen faciunt pii Chri-
stiani, qui Sancti tutelaris imaginem domi suæ ha-
bent, & certis temporibus venerantur accensis ce-
reis. In usu apud eosdem veteres erat, ut in magna
præsertim calamitate, Deos suos funibus manicis-
que vincirent; ne discederent ab eis. Ob hanc cau-
sam Tyrii ab Alexandro M. obsessi Herculem vinxe-
runt; apud Curt. lib. 4. Lacedæmonii Martis statuam,
apud Pausan. lib 3 Superstitiosè isti, non tamen om-
nino stulte: quia Patroni nobis devinciendi sunt, ne
nos deserant in periculis. Nos ergò precibus longe
sanius & fortiùs eos alligabimus, quando aliqua nos
premit calamitas.

II. *Patronus honorandus à clientibus est.* II. Cerva illa ad Ægidii pedes provoluta ja-
cuit, ut diximus. Ita decet nos honorare Patro-
num nostrum, velut omnium communem patrem.
1. Ac primò ejus Festum solemniter celebrare, non se-
cus ac si Ecclesiæ præceptum foret; quandoqui-
dem patronorum festa ubique fere vim præcepti ex
consuetudine habent Sed jam SS. Patronorum festa
(quod dolendum) occasione nundinarum, quæ ob
confluxum hominum ad rem divinam, institueban-
tur, in nundinas transierunt, ut passim cernere est.
Admisit honesta matrona ancillam comptam in do-
mum: quæ ubi placuit viro, domina domus facta est
& dominam ancillari fecit: sic contigit festivitati-
bus SS Patronorum, Ad eorum SS. Missas & laudes
in concione audiendas prius confluxerunt Christia-
ni: occasione ejus confluvii nundinæ excitatæ sunt;
quæ jam ita prævalent, ut pietatem ferè extinguant,
certe multum opprimant.

2. Ejus templum humiliter frequentare piis o-
peribus. Placuit Magdalena Christo, dum ad ejus
pedes sedit, eosque osculis, lachrymis & unguento
perfudit, ut propterea ab eo magnopere commen-
detur. [illegible] Sanctis, si ad eorum do-
mos & reliquias, (quæ quasi eorum pedes sunt) cre-
brò confideamus? humili oratione, lachrymis & piis
aliis operibus eosdem honoremus? S. Ægidius cer-
vam ad pedes suos jacentem defendit à canibus &
venatoribus: Christus Magdalenam ad pedes suos
abjectam, à Pharisæo & proditore eam allatrante,
Idem per virtutem Christi sibi communicatam præ-
stare nobis possunt SS. Patroni, & præstabunt invo-
cantibus.

3. Spectat etiam ad ipsorum honorem nomina
[illegible] quod jam antiquus Chri-
stianorum mos habet. Inde in Austria tot Leopol-
di, in Bohemia tot Wenceslai, Stephani in Ungaria,
Galli in Helvetia & Suevia, Wilibaldi & Walpur-
gæ in Eystetensi, Chiliani in Herbipolensi, Udalrici
in Augustano, Wolfgangi in Ratisbon. Episcopatu,
&c. Per hoc enim videntur parentes devovere
filios velle protectioni sui patroni, unaque ad illius
cultum, venerationem & imitationem incitare. Nisi
hoc placeret Sanctis, certè S. Stephanus Protomar-
tyr non postulasset à conjuge Regis Geisæ, ut filio
nomen suum, Stephani, imponeret: nec S Nicolaus
Episcopus matronæ Amatæ, ut filio (Nicolao To-
lentino) idem suum nomen inderet. Sed nunc fe-
rè potentum Patrinorum nomina quæruntur filiis,
quia fere etiam temporalia tantùm, non æterna &
cælestia bona hominum favores potius quàm San-
ctorum; quasi vero divites plus boni conferre libe-
ris possint, quam Sancti. Male & imprudenter age-
ret, qui peregrinaturo filio daret baculum arundi-
neum, & non potius solidum. Reprehenduntur Ju-
dæi, quod in auxilio Ægypti confisi sint aliquan-
do, velut in baculo arundineo. Isaia trigesimo sex-
to. Hujusmodi autem baculi patrocinia humana
sunt

III. Cerva S. Ægidii statis horis ad eum venit
& lac ei porrexit. Quomodo nos in hoc facto cer-
vam imitabimur? Num adhuc lacte aliquo eget Æ-
gidius? Eget sanè in pauperibus hujus civitatis suæ
clientelæ commissis. Quàm multos ego in hoc e-
jus templo, singulis fere Concionibus vobis, Audi-
tores, ejus nomine commendo? Cogitate me ex ore
Patroni vestri mendicare pro pauperibus. Vos di-
vites estis, lacte redundantes. (Quid enim divitum
plena horrea & cellaria, nisi turgentia ubera?) pau-
peres sunt Ægidius vester, desolati & famelici. Et
cur putatis replentur fœtæ matres, seu hominum,
seu brutorum, nisi ut fœtus alant? Et cur divites à
Deo replentur bonis, nisi ut pauperes sustentent?
Nescio quid matres responsuræ sint Deo, quæ filios
suos non lactant, cùm ad hoc à naturæ auctore lac
accipiant. Sanctus Ambrosius libro quinto hexam.
multis feris eas inhumaniores asserit. Et quid re-
spondebunt divites, si ex tot bonis sibi datis non
aluerint fratres suos pauperes, quorum gratia ditati
sunt?

Ac licet vobis omnes universim pauperes com-
mendatos velim, præcipuè tamen eos cupio, qui ho-
nesto loco nati per inevitabiles calamitates incide-
rint-

tunt in pauperiem. Hi enim quasi in Ægidii antro & eremo latent, nec sine confusione prodire ad petendum necessaria possunt; similes misero illi paralytico, jacenti ad piscinam, qui non poterat se juvare, sicut alii poterant; unde ait: *Domine hominem non habeo, qui mittat me in piscinam.* Idcirco Christus ipsius præ omnibus misertus, sanitatem ei contulit, licet non rogatus. Deinde religiosos pauperes, qui vi professionis suæ Deo serviunt, ideoque manuum labore sibi victum parare nequeunt; qualis fuit & S. Ægidius, cui proinde Deus per cervæ lac succurrit; quod certè non fecisset, si ejus vita sibi displicuisset. Ac quemadmodum cerva frustra lac non dedit, sed ab Ægidio suo defensa est contra canes & venatores: ita ne dubitate, religiosi pauperes suis precibus vos & urbes ac fines vestros defendent contra hostium insidias. Testatur id Hermas Pauli discipulus lib 3. cap. 3. cùm ait: *Sicut vitis ulmo fulcitur: sic dives oratione pauperis juvatur.* Justinianus Imperator in novell. Constit. 133. Imperium, militiam, agros ipsos, & quidquid habent homines sæculares, per orationes conservari Sanctorum Eremitarum ait. Sancta Teresia etiam idcirco erexit monialibus monasteria, ut cum aliter non possint, precibus defendant rempublicam. Si enim dixit Deus Isaias trigesimo septimo. *Protegam civitatem hanc* (Jerusalem contra Sennacheribus) *propter me & David servum meum:* cur non defendet istam propter plures servos suos? Obtulit Sancto Ægidio Clodoveus opes & munera, quæ ille respuit, & in pauperes alios erogandas consuluit: deinde monasteriolum ei extruxit cum duplici Ecclesia. Ægidius vicissim suis precibus impetravit Regi alicujus sceleris pœnitentiam & remissionem. Idem expectandum à religiosis: vos date eis temporalia, illi dabunt vobis spiritualia.

Sic erimus S. Ægidio *cerva charissima:* sic inebriabimus eum lacte nostro: ipse vicissim defendet nos à canibus, & venatoribus, hæreticis & dæmonibus: impetrabit nobis denique vitam æternam à cœlorum Rege.

THEMA III.

Lac Cervæ Ægidianæ salutare.

I. *Quam bonum DEI præceptis per omnia obedire.*

II. *Quam obligentur divites ad faciendas eleemosynas.*

III. *Quam non deserat Deus servos suos, & qui aliquid ei dederunt.*

IV. *Quid in morte nobis eventurum sit.*

V. *Quorsum nobis in tribulatione confugiendum sit.*

Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore.
Prov. 5.

Antiquus & celebris Historicus Justinus libro 44. hist. suæ scribit Curetum (populi sunt in Creta Insula) Regem, Habidem, in infantia expositum & lacte cervæ enutritum fuisse. *Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit*, inquit, *interque cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit.* Habis ergo iste à cervæ lacte cervinam ad currendum velocitatem acquisivit; quid dicemus de sancto nostro Patrono Ægidio, qui & ipse lacte cervæ diu in sylva enutritus fuit? Numquid non & ipsum cervi velocitatem ad currendum adeptum esse asseremus? Utique profecto; sed quia cerva illa divino beneficio in nutricem illi data fuit, inde sanctus Ægidius non ad montes & saltus, sed ad regnum cœlorum & justitiam ejus currendi virtutem accepit, ut posset dicere cum psalmista: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Psalm. 17. Nos omnes in stadio currimus, 1. Corinth. 9. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: Sic currite ut comprehendatis.* Igitur vt patroni nostri velocitatem imitari pro viribus possimus, & super excelsa statui, contendamus etiam ipsi sugere lac de cerva ejus. Eo nos videtur mittere Sapiens Proverbiorum 5. ubi ait: *Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore.* Prorsus *charissima*, si quale lac Ægidio dedit; nobis quoque offerat. Quodnam vero illud? Præclara quædam doctrinæ, quas à cerva Ægidiana hauriemus.

I. Videte & à cerva ista discite, quàm sit bonum Dei voluntati ac præceptis per omnia obedire. Ecce enim cerva ista servit Ægidio pro matre seu nutrice; ad quem statis temporibus venit, & ubera ei præbuit: fugit interim Regem Franciæ, ac totam ejus aulam. Eccur vero, nisi quia Ægidius vir sanctus, Deo per omnia obediens fuit, Rex (saltem eo tempore) cum suis non item? Quamdiu Adam in paradiso innocentiam suam servavit, Deoque obediens fuit, tamdiu & animalia omnia ad nutum ei paruere; at ubi is spreta Dei voluntate, suam fecit adeoque innocentiam perdidit, tunc & bruta animalia rebellare ei cœperunt. Hinc quam plurimi Sancti, qui vitam prorsus innocentem duxerunt, imperium hoc in animantia iterum receperunt; uti Noe in omnia animalia suæ Arcæ, Daniel in leones, S. Franciscus in pisces & aves; & nostro ævo Josephus Anchieta in Brasilia, qui avibus Quaracies dictis præcepit, uti sibi navigantibus umbram facerent: avibus aqua-

I. *Quam bonum Dei præceptis per omnia obedire.*

aquatilibus, ne pisces captos invaderent: pantheris duabus, ut se monstrarent: simiis ut interfectos suos exequiis, saltibus & lamentis sepelirent: & ad nutum ei paruerunt, (ut in ejus vita Sebastianus Betetarius libro quarto) aliique, ut dixi alibi. Imò *si voluntati Dei obtemperes*, ait Origines hom. quinto in Exodum capite 14. *si legem ejus sequaris, ipsa tibi elementa etiam contra naturam suam servire compellet*, quo modo scilicet mare se divisit ad imperium Moysis. Exodi 14. petra aquas dedit, &c.

Trip. in F. Om. SS. C. 4. B. nu. 5.

Pari ratione Magistratus habebit obsequentes sibi subditos, quamdiu ipse obtemperaverit Deo. Ita enim loquuntur subditi Hebræi ad Ducem suum Josuen: *Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus & quocumque miseris, ibimus; sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi; tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse*, Jos. 1. Patet in Salomone, qui quamdiu Deo obtemperans fuit, omnes sibi subditos obtemperantes habuit; ubi verò Deo rebellem se exhibuit, sensit sibi rebellare servum suum Jeroboam, una cum decem tribubus: adversarii quoque vicinos Reges, audiitque à Deo: *Quia non custodisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo*. 3. Reg. 11. Sic & sanctus Ambrosius libro quinto Epistol. trigesimo tertio scripsit Valentiniano Imperatori. *Si vis diutius imperare, esto DEO subditus.* Iniquum est à subditis requirere, quod quis suo superiori non præstat. Contra vero subditi timent dominum suum, quem DEO cordi esse vident.

II. *Quam obligentur divites ad faciendas eleemosynas.*

II. Videte & à cerva hac discite, quanto jure divites obligentur ad faciendas eleemosynas. Ecce enim cerva ista, quæ ubera lacte impleto habebat, quia vel hinnulum non habuit, vel si habuit, nihilominus lac redundans habuit, esurienti Ægidio id communicavit. Quid sunt, quæso, divites nisi cervæ, lacte divitiarum prægnantia ubera gerentes? Et quo fine ea acceperunt, nisi ut pauperes alant? Quid sunt, nisi nubes aquis plenæ, ut sitientem terram rigent? Ita enim Ecclesiastes capite undecimo ait. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Non enim propter se, sed propter terram irrigandam coguntur & circumferuntur imbriferæ nubes. Sic etiam persuasum habere divites debent, divitias ipsis non propter se, aut propter corporis sui abdomen, fastum & luxuriem datas, sed ad sublevandam pauperum inopiam. *Accepisti*, inquit D. Chrysostomus homilia trigesima quarta ad populum, *non ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynam erogares.* Et sanctus Leo sermone de Collectis: *Idcircò Deus te abundare voluit, ut per te alius non egeret.* Jam sicut in magna siccitate terræ avide expectamus nubem roridam at si ea prætervolet, nec pluviam in nos effundat, dolemus & ingemiscimus: ita pauperes quando vident adventantem divitem, gaudent & expectant ab ipso eleemosynam. At si spe frustrati, videant eum prætereuntem, nihil ab eo accipientes, cogitate quàm acriter hoc sentiant, quamque ingemiscant! Quod si nubes illa tonaret tantùm & fulminaret, pluviam interim non daret, gravius adhuc sentiremus: similiter si dives calumniaretur pauperem, aut verbis asperis objurgaret, nec interea juvaret: qui pauperes id ferrent: Nubes super bonos & malos fundit aquas suas: sic etiam dives omnibus aperiat misericordiæ viscera.

III. Videte & à cerva hac discite, quàm non deserat DEUS eos, qui ipsi serviunt, & qui aliquid ipsi dederunt. Etenim Ægidius priusquam ætatem virilem intraret, omne patrimonium suum in pauperes erogarat, & pauper Deo servire cœperat. Quis non diceret: Iste adolescens jam peribit & fame morietur, prætertim in tam vasta solitudine? At ecce DEUS paravit ei cervam; quæ eum lacte suo aleret. Nimirum ben[e] Ecclesiastes, uti diximus, eleemosynam compara[vit] vit pluviæ, pauperes terræ aridæ, divites vei[ro] nubibus. Quemadmodum enim terra semel ir[-] rigata vapores subministrat nubibus, è quibus illa rursum imbrem terræ infundant, ita ut inter cœlum & terram quædam videatur esse concertati[o] uter vincat, cœlumne pluendo; an terra, quasi gratitudinis ergo, vapores reddendo: pari modo quo[d] opulentus homo impendit egenis, iterum ab his re[d]dit ad divitem, non sine fœnore; hoc tamen discrimine, quod sicut terra visibiliter è cœlo complui[-] tur; at vapores invisibiliter, aut saltem vix sensibiliter, è terra ad cœlum redeunt: ita divitis e[-] leemosyna videtur ac sensu percipitur; eleemo[-] synæ verò fructus non videtur. Nam vel spiritua[-] lis est, & sub sensum non cadens; vel si corpora[-] lis est, communiter etiam minùs attenditur & sen[-] titur; qualis est prolongatio vitæ, diuturna sani[-] tas, pax, pii liberi, conservatio & augmentum bonorum temporalium, proventus agrorum ac vi[-] nearum &c. Talis concertatio cum Deo enitui[t] in Zacharia quodam discipulo Sanct. Johannis E[-] leemosynarii (uti refertur à Leontio Neapoleo[s] in Cyro Episcopo, in vita Sanct. Johann. Eleemo[-] syn. capite primo apud Rosvveid. libro primo foli[o] 180.) qui cum insigni animi exultatione aliquan[-] do inventus est cum Deo colloquens: *Si sic, au[t] tu mittendo aut ego dispergendo, videbimus quis vin[-] cat.* Simili modo certavit aliquando cum divit[e] quodam Alexandrino sanctus Joannes Eleemosy[-] narius. Ille enim dives cùm misisset Joanni ve[-] stem, seu, ut alii volunt, lecti operculum, Joanne[s] ad forum vænum misit, ut pretium pauperibus da[-] ret. Emit is, qui donarat, & iterum Joanni mit[-] tit. Is rursum ad forum mittit, alter rursum e[-]

m.

mit & Joanni remittit, idque cùm sæpiùs faceret, Joannes: *Videamus*, inquit, *quis ex nobis prius defatigabitur, ego quidem ipsum vendens, tu autem emens & offerens.* In vita Joannis Eleemosynarii 23. Jan. cap. 24.

IV. Videte & à cerva discite, quid nobis aliquando eventurum sit in articulo mortis; id nimirùm quod huic cervæ contigit, quando à canibus agitata & undique cincta atque allatrata mugiit & invocatura opem Ægidii ad antrum ejus confugit. Ita enim in articulo mortis circumdabunt nos canes illi tartarei, qui, ut timendum, undique circumsistent & allatrabunt, & forsan infigent diros ac tremendos morsus, qualis est timor instantis mortis & judicii, amor charorum jamjam deserendorum, vita male acta, dolores corporis &c. præsertim si in malo animæ statu fuerimus. Vidit & deploravit hoc aliquando sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, ad villam suam Heysem equitans quando pueri ejus leporem, fortè deprehensum, canibus insecuti sunt. Lepus cùm jam fugæ locus non esset, recepit se infra equum sancti Anselmi, ubi firmante equum Episcopo, canes leporem undique lateribus impetierunt, lædere tamen ob Sancti preces non poterant. Rident ad spectaculum famuli, Sanctus verò in lachrymas solutus: *Ridetis*, inquit, *At verò infælici huic lepusculo nullus risus, nulla lætitia est. Hostes ejus circa eum sunt, & ipse de vita solicitus confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc planè est & animæ; nam cùm de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni Spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt, crudeliter adsunt parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipsa nimis anxia huc illucque circumspicit, & qua se tueatur, defensionis & auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem è contrario rident & magno gaudio gaudent, si illam nullo fultam adminiculo inveniant.* Sic discessit & canibus bestiam persequi prohibuit, quæ mox ad sylvas cucurrit. In ejus vita 21. April. cap. 21. Hujus igitur ærumnosi temporis sedulò meminerimus; juxta id Ecclesiastis 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.*

V. Videte & à cerva hac discite, quorsum nobis in tribulatione confugiendum sit. Illa nequaquam pedum suorum celeritati confisa ad montes vel aquas aut densa dumeta se recepit, sed ad tutorem suum Ægidium; ejus opem mugitibus invocans. Id quod etiam alii cervi dicuntur facere, ut in necessitate positi ad homines confugiant. Sic ergò & nos in tribulatione non ad proprias aut aliorum hominum vires, sed ad divinam opem recurramus; & si propriis meritis diffisi Deum ipsi adire non audemus, ad Sanctum aliquem convertamur, ejusque merita interponamus. Ita Jobo in tribulatione posito consuluit Eliphaz: *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat: & ad aliquem Sanctorum convertere.* Job. 5. hoc est, (ut S. Thomas explicat) *invoca Deum, si fortè tibi ad hanc dubitationem respondere voluerit: & si per merita propria hoc à Deo obtinere non putas, ad aliquem Sanctorum convertere, ut eo mediante hujus rei veritatem à Deo cognoscere possis.* Jacob (Gen. 27.) quia in propriis vestibus benedictionem à patre obtinendam non sperabat, fratris sui primogeniti, patri perchari, vestes valde bonas & odoriferas induit; ita benedictionem non suo sed fratris nomine obtinuit. Nos etiam quia propriis meritis fidere non audemus, merita alicujus Sancti Deo valde chari imploremus, & sub ejus nomine ad Deum accedamus.

Porrò majores nostri vestem S. Ægidii induere voluerunt, & sub ejus patrocinio accedere ad precandum Deum, non una, ut arbitror, de causa. Nam imprimis ipse adhuc puer ad templum vadens, cùm ægrum humi jacentem & petentem eleemosynam vidisset, lacerum sua veste induit, adeoque mox sanavit. Potuit hoc puer in terris constitutus: non poterit nos operire veste sua, & sanctitate donare regnans in cœlo? Deinde qui cervam ad se confugientem tutatus est à canibus, ut ne propè quidem accedere possent; non faciet hoc Christianis & suis clientibus? Canes nos persequentes sunt Turcæ & Hæretici, sunt grando & tempestas, sunt fames & pestilentia, sunt Dæmones & peccata. Contra istos igitur ut nos defendamus, convertamur ad sanctum Ægidium, ad ejus umbraculum fugiamus, cum ipsius cerva mugiamus, & miserias nostras ei conqueramur. Aderit ipse velut advocatus & defensor noster, præsertim, ut speramus, in articulo mortis, velut patronus noster contra canes illos tartareos, ubi perficiet pedes nostros sicut cervorum, suoque patrocinio super excelsa statuet nos.

(*,*)

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

THEMATA.

I. *Exempla mala progenitorum Christi cavenda.*
II. *Exempla bona progenitorum Christi imitanda.*
III. *Doctrina ex hodierno Evangelio.*
IV. *Ignis hoc die de cœlo lapsus quid sibi voluerit.*
V. *Maria Virgo stella matutina.*

THEMA I.

Exempla mala progenitorum Christi cavenda.

1. *Magnates caveant sibi à Roboam.*
2. *Magistratus & Consiliarii caveant sibi à Iuda.*
3. *Parentes ab Achaz.*
4. *Liberi à Ioram.*
5. *Senes à Salomone.*
6. *Iuvenes ab Amon.*
7. *Litterati à Abia.*
8. *Illiterati ab Iechonia.*
9. *Conjugati à Bethsabea.*
10. *Viduæ & virgines à Thamar.*
11. *Ægroti ab Aja.*

Liber generationis Jesu Christi Matt. 1.

Genealogia Christi arbori similis. INcipimus hoc tempore egredi in hortos & fructus arborum legere. Scriptura Sacra, ut ostendit Sanctus Bernhardus sermon. vigesimo tertio in Cant. hortus quidam est, variis arboribus consitus, variis constans personis, quarum exempla velut poma, vel decerpimus & gustamus, si sint bona: vel abjicimus, si mala. In hodierno Evangelio videmus magnam arborem, in varios generationum ramos diffusam, variis pomis onustam: Christi, inquam, Genealogiam; quæ si in charta depingatur, arborem repræsentat, cujus rami sunt quadraginta duæ generationes, poma sunt progenitores Christi. Ea verò nequaquam omnia bona sunt: quædam enim ex illis, (etsi pauciora) vel omnino putrida sunt, hoc est reprobata & damnata, vel saltem verminulosa & nævis deformata, è quibus vermes seu nævi exscindendi & abjiciendi sunt. Quia igitur defectuosa poma priùs ab arbore decidunt, quam sana & integra; priùs illa non tam colligemus, quàm spectabimus, ut ab illis nobis caveamus.

I. Viri principes & magnates caveant sibi à Roboamo, putrido valde pomo. Hic enim succedens patri Salomoni in regnum, posthabito seniorum consilio bono, suadentium ne gravaret subditos, secutus est potiùs consilium adolescentum, qui nutriti fuerant cum eo, & aggravavit jugum subditorum; unde factum, ut decem tribus ab eo recederent & alium Regem sibi constituerent. 2. Reg. 12. Benedictus *Roboam*, hoc est, *dilatans populum*; quia stultum consilium secutus dispersit gregem, quem congregare debebat. Sic deceptus fuit Clotarius Franciæ Rex à pessimis consiliariis Farulfo & Medegisilo, ut S. Lupum Senonensem Episcopum nullâ justâ causâ mitteret in exilium. Postea revocato Episcopo, videns eum malè in exilio habitum, macie & squalore confectum, suum errorem planxit, & delatoribus dira imprecatus est: Medegisilus in templo à populo indignante occisus est. In vita S. Lupi 1. Sept. Rursum cùm piæ conjugi Radegundi permisisset ut sibi monasterium Pictavis construeret in eoque Deo serviret, persuasus à malevolis consiliariis, ut eam revocaret, flexus tamen à S. Germano ut consilium mutaret, veniam à conjuge petiit & conatus suos malis consiliariis imputavit; quos ultio divina secuta, ut quemadmodum Arius intestina in cloacam effunderent, in vita S. Radegundis 13. August. Unde monet Eccles. c. 8. *Cum fatuu consilium non habeas.* Si auriga dominum à via abducat, vel per imprudentiam currum evertat, mox irascitur herus, & aurigam mille execrationibus onerat. quid si is studio aberrasset, aut currum nequiter evertisset? At hoc faciunt mali consiliarii suis Principibus.

II. Magistratus & Consiliarii caveant sibi à Juda, pomo verminuloso. Hic enim in judicio ferendo contra Thamarem adulteram, ut combureretur, dupliciter peccavit: Primò quando audivit Thamarem filio suo desponsam alteri se substraxisse, statim præcipitat sententiam, & jubet eam produci ad comburendum velut adulteram, nec expectat donec prolem pariat, cum qua tribus mensibus adeoque jam animâ ibat gravida; quod est contra jus. Deinde quia adulteram jubet comburi, cùm ipse fornicarius eam (haud licet sibi notam) priùs impregnasset.

Gen.

Gen,38. In primum errorem incidit etiam Theodoſius ſenior Imp. præcipitando ſententiam in Theſſalonicenſes ob interfectum judicem ſuum puniens innocentes unà cum nocentibus; qui poſteà multis lachrymis errorem deflevit, & pœnitentiam publicam egit, edictoque juſſit reorum condemnationem ſemper in trigeſimum diem differri. Fertur etiam deinceps; ſi forſan irâ percitus eſſet, priùs alphabetum percurriſſe, quàm aliquid ſtatueret; Platina teſte & Nicephoro lib.12.c.41. In ſecundum incidit Saul, qui cum edicto regio abſtuliſſet magos & ariolos de terra, ipſemet immutato habitu (erubeſcens nimirum id agere, quod aliis prohibuiſſet) conſuluit Pythoniſſam. 1 Reg.28. Quod quàm turpe ſit, indicavit ipſemet Saul, dum non niſi perſonato habitu, ut dixi, conſuluit ſtrigem. Nihilominus confuſus fuit Judas, poſtquam convictus reum agnovit dicens: *Iuſtior me eſt*, Thamar ſcil. ſicque ex pomo vermem exſcidit. Quoties verbera infligunt domini ſervis ebriis, cum ipſi tamen inebrientur aſſiduò? Quàm hoc fœdum!

III. Parentes caveant ſibi ab Achaz, putrido pomo ac reprobo, qui præter alia ſcelera *inſuper & filium ſuum conſecravit, transferens per ignem, ſecundum idola Gentium*. 4 Reg.16. ubi vocula, *Inſuper*, notat graviſſimum hoc fuiſſe ejus ſcelus. Idem alios filios ſuos luſtraſſe per ignem dicitur 2. Paral. 28. Quare ſecũdum Liran, unum omninò idolo immolavit, ab eo comburendum; cæteros ſaltem per ignẽ duxit. Hoc imitantur parentes illi, qui liberos ſuos inſtituunt ad ſuperbiã & vanitatem; ducunt ad choreas, ludos, compotationes, aliasq; peccandi occaſiones, vinolentiæ aſſuefaciunt: illud verò, qui etiam perverſa eos docent & in peccata inducunt. Quid enim eſt hoc aliud, niſi liberos in brachia igniti illius Idoli impellere? Tales certè Lev. 20. lapidari juſſit Deus; *Et ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidamque illum de medio populi*, inquit. Quare Achaz ille graviſſimis pœnis à Deo plexus & quaſi lapidatus eſt, datusq; in manus Regis Syriæ, qui percuſſit eum: nec non in manus Phacee Regis Iſrael: qui uno die de exercitu ejus cecidit 120. millia. 1. Paral.28. Idumæis item & Philiſthæis. Quia enim velut Rex à populo non eſt lapidatus, ideò tot hoſtes ipſi immiſſi ſunt, qui eum ſuis armis quaſi lapidarent.

IV. Liberi caveant ſibi à Joram, putri ac fœtido pomo. Hic enim optimi patris Joſaphati, & optimi avi Aſæ filius, ab utroque degener ſecutus eſt impii Achab Regis Iſrael, cujus filiam, impiam Athaliam, in uxorem duxit, veſtigia. Cumq; velut primogenitus à patre conſtitutus eſſet in regno ſucceſſor, ut eſſet pater ſex fratrũ ſuorum, eos immeritos & meliores ſe necavit; ne cogeretur ſuſtentare, vel ne ipſi aliquando adverſarentur. 4. Reg.8. Quamobrem à Deo graviſſimè punitus eſt, irruptione Philiſthæorum & Arabum, qui omnem Judæ terram diripuerunt, uxores quoq; & liberos ejus, præter minimum natu abduxerunt; inſuper & alvi dolore correptus, ubi per litteras ab Elia jam ſubtracto, & ex paradiſo miſſas ei prædictum fuit: *Quoniam non ambulaſti in viis Ioſaphat patris tui & in viis Aſa Regis Iuda* (avi ſcilicet) *ſed inceſſiſti per iter Regum Iſrael & fornicari feciſti Iudam & habitatores Ieruſalem, inſuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidiſti: ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo & filiis & uxoribus tuis univerſaque ſubſtantia tua. Tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies* 2.Paral. 21. Longa ergo tabe conſumptus egeſſit viſcera ſua, & ſine honore, imo cum inſultatione populi, ut addit Joſephus, ſepultus eſt extra ſepulchrum patrum ſuorum; quibus dignus non erat, quia diſſimillimus: filii ejus præter unum ab Arabibus interfecti. Jure quidem; nam & beſtiæ oderunt degeneres proles, aquila abjicit, corvus albicantes pullos deſerit. Scipionis Africani clariſſimi filio ignavo & degeneri Senatus Rom. annulum, cui paterna effigies inſculpta erat, adimi juſſit. Valerius Maximus lib.3.c.5.

V. Senes caveant ſibi à Salomone, ſi non prorſus — V.
putrido & reprobato, certè admodum ſuſpecto & — *Senes à*
vermiculoſo. Hic n. *cùm jam eſſet ſenex, depravatum* — *Salomone.*
eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos. 3. Reg.11. In ſenectute ſapientia aliàs creſcit, libidinis vis decreſcit, nihilominus tamen Salomon in ſenio perverſus eſt. Quàm hoc turpe fuit! poſt emenſum maris iter in portu naufragium facere, ubi nec ſyrtes nec tempeſtas! *Quomodo non eſt abſurdum*, ait S. Chryſ. hom.1. in Ep. ad Hebr. *& ſupra veniam, quod fit, ut ſenex in taberna ſedeat, ſenex ad circum feſtinet ſenex ad theatrum aſcendat, velut pueri currentes cũ plebe? Vere confuſio eſt & irriſio, ut canitie quidem ornetur extrinſecus, intrinſecus autem intellectum habeat puerilem*. Tanquam rem portentoſam & abominabilem monſtrat Deus Eze.c.8. ſeniores *ſtantes ante imagines reptilium & animalium, faciem cõvertentes ad ortum Solis, & ramum applicantes naribus*. Quid n. portentoſius, quàm ſeniores adorare reptilium imagines, ſpectare nõ occaſum mortis ſed orientem juventutis, flores applicare naribus? De Salom. ſic dementato ait Eccleſ.c.47. *Inclinaſti femora tua mulieribus: dediſti maculam in gloria tua*. Quanta macula in cana barba libidinoſa petulantia?

VI. Juvenes caveant ſibi ab Amon, putrido val-
de pomo. Hic enim 22. anni iuvenis ad regnum eve- — VI.
ctus, patrem Manaſſen, maximis ſceleribus conta- — *Iuvenes*
minatum, ſtatim imitatus eſt, imò ſuperavit 2. Par. — *ab Amon.*
33. Cauſam adfert Glycas p.2. Annalium, eò quòd vidiſſet patrem ſuum in ſenecta pœnitentiam egiſſe, unde cogitavit juventam ſuam ſimiliter libertati vitiorum tradere, ſenectutem Deo conſecrare, *ſecum ita loquens: Pater meus à puero multa ſcelerata fecit, ac in ſenecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipſe hac in ætate pro animi libidine me geram, deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de cauſa Deus pœnitentiam illius non expectavit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus eſt melior*.

 Sic

Sic Glycas. Idem refert auctor operis Imperf. in Matth. c. 2. Quare ineunte secundo anno regni sui nondum 24 annorum juvenis à servis domesticis occisus est. 4. Reg. 21. Non acceptat Deus tam iniquum pactum, tam malam solutionem, qua pro totius vitæ debito partem ei obtrudimus. In revelatione S. Birgittæ l. 8, c. 48 res hæc sic declaratur: *Debuit quis alteri 20. libras auri: noluit solvere: quid egit? instructus ab alio, accepit unam libram auri, eaque 20. libras cupri inauravit. Has creditori dedit, sicque 9 libras auri sibi retinuit. Sic fac & tu (ait adolescens) decem & novem horas temporis dispone ad delectationem & voluptatem tuam, & una tantùm hora sufficit tibi ad compungendum. Sic opera peccati quæ designantur in cupro, deaurata contritione delebuntur, & omnia opera tua fulgebunt ut aurum.* Verùm non decipies creditorem tuum, Deum, mi adolescens.

VII. *Literati ab Abia.*

VII. Literati & studiosi fugiant Abiam, filium Roboami, putridum pomum. Non fuit is primogenitus, sed sapientior reliquis fratribus, ideò Rex constitutus. 2. Paral. 11. Habuit etiam perdoctam & gravissimam orationem ad exercitum suum, qua eum excitavit ad summa omnia à Deo speranda, obtinuitque insignem victoriam. Verùm probitatem sapientiæ non conjunxit, sed ambulavit in omnibus peccatis patris sui, ideoque non integro triennio regnavit, percussus à Deo, ut indicatur 2. Par. 13. & explicat Chronologia Hebræorum c. 16. eò quod victo Jeroboamo & capto Bethel, vitulos ejus aureos reprobarit quidem, sed non sustulerit ac confregerit. Ergò non sat est habere sapientiam: addenda ei virtus est. Neque satis est vitia reprehendere: oportet etiam tollere, cùm in tua potestate est. Sanè Ezechieli præcepit Deus, ut librum, quem manu gestabat, etiam comederet, Ezech. 3. *Comede volumen istud.* Sed cur librum? pane enim non libris nutriuntur homines. Nimirum quod comeditur in hominis substantiam convertitur, quare ut scientiam ad utilitatem nostram convertendam esse intelligamus, præcepit Deus edi librum. Qui multa quidem bona novit, sed non facit: librum manu gestat, sed absque fructu; quia non comedit, nec sibi sed aliis sapit. Videant ergò parentes, qui in literis quidem cupiunt proficere suos filios, de pietate verò eorum nihil soliciti sunt.

VIII. *Illiterati à Iechonia.*

VIII. Rudes & illiterati caveant sibi à Jechonia, qui & Joachim appellatur, putrido etiam pomo. Hic enim cùm impiè vixisset, & audisset coram se legi librum Jeremiæ divinas continentem comminationes, iratus sacrum volumen cultello conscidit & in ignem misit ac combussit. Jerem. 36. Quamobrem misit Deus Nabuchodonosorem in Judæam, qui captum Regem occidit & ante muros Jerusalem insepultum canibus ferisque devorandum objici jussit, juxta prophetiam Jerem. 22. *Sepultura asini sepelietur; putrefactus & projectus extra portas Ierusalem.* Nimirum, quia vixit sicut asinus, nec audire voluit Dei verbum, ideo sepultus est ut asinus. Simile exemplum legimus in vita sancti Bernhardini Senensis apud Sur. 20. Maij, c. 50 de lascivo adolescente, qui concinante S. Bernhardino stabat ex parte fœminarum, animo libidinem suam explens, splendido vestitu. Sensit id vir sanctus & monuit ut assideret inter mares. At is contempto monitore mansit propè fœminas. Itaque palam ad eum Bernhardinus: *Ecce ego tibi dico adolescens, qui isthic stas impudenter, auratus indutus vestibus, non parum vereri me mala te morte periturum.* Idque sic accidit, quando postea ob sua flagitia & maleficia tanquam latro apud Anconam capite plexus est.

IX. Conjugati caveant sibi Bethsabea, pomo vermiculoso. Hæc enim dum non satis cautè se lavat loco patulo, nec undique circumspicit, visa est à Davide, in otio degente, è solario, evocataque in ejus domum, nimis facilè secuta est, & consensit in adulterium. 2. Reg. 11. Duplex in hoc pomo vermis latet, sedulò cavendus. Honestorum igitur virorum est: non aspicere alienas, & apes imitari quæ non patiuntur assessores aut inspectores operum suorum, quin protinus feriant ad se propiùs accedentes. Et cùm quidam alveare vitreum eis fecisset, ut per id laborantes aspiceret, illarum primus labor fuit, alveare cera intus obducere. Deinde alienas domos non nisi cum testibus frequentent. Hinc benè Prophetissa illa sapiens *Debora* nomen, hoc est, *apis* accepit, Judic. 4. ad instructionem aliarum matronarum, ut & ipsæ apes in pudicitia imitentur.

X. Viduæ ac Virgines caveant sibi à Thamar vidua, quæ & ipsa vermem aluit, cum meretricio habitu se ornavit & in bivio sedit, ad inescandum Judam, quo facto parum abfuit, quin sibi exitium & rogum comparasset, uti supra visum. Caveant ornatum meretricum & leviculum; hac enim quasi suspensa hedera produnt se vænales, & exponunt insidiatoribus castitatis, qui despoliant miseras & nudatas turpiterque confusas repellunt: sicque contingit eis, quod Ezechiæ Regi, qui cùm legatis Regis Babyloniorum ostendisset thesauros suos, aromata, aurum, argentum pigmenta varia, unguenta, & quidquid in thesauris habebat, illecti Babylonii venerunt cum potentia & omnia illa abstulerunt, in pœnam vanæ illius ostentationis, ut prædixit ei Isa. 4. Reg. 20.

XI. Denique ægroti caveant sibi ab Asa Rege, qui cùm dolore pedum, prodagra scilicet, gravissime laboraret, non quæsivit in infirmitate sua Dominũ, sed magis in Medicorum arte confisus est, unde & ægritudine illa extinctus est. 2. Paral. 16. Implorari sanè Medicorum opera potest; magis tamen à Deo velut potiore causa expectari medela debet. Hanc ob causam *libros Salomonis, qui scripti erant de proverbiis & odis, in quibus tractabatur de natura plantarum & omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias: propterea*

terea quod morborum medelas inde acciperet populus, & nihili facerent à Deo petere curationes, inquit Eusebius citatus ab Anastasio Niceno Episcopo, quæstione trigesima nona in Scripturam. Grave nimirum damnum putabat religiosus Rex, si homines spem salutis in creaturis potius, quam in creatore ponerent.

Sed quid si aliquis de his noxiis pomis jam quid comedisset? recurrat pro remedio ad aliam hujus horti arborem: Mariam scilicet, quæ tulit nobis salutiferum illud pomum JESUM. In Malabarica provincia arbor est, Cicara dicta, quæ fert unicum pomum singulis annis, sed tam magnum ut oneret quemvis robustum hominem: continens intra se 300. fructus, teste Nicolao de Comitibus. Talis est Maria, quæ unicum pomum, Christum tulit, qui quemvis robustum hominem non onerat sed ornat, satiat & sanat, sufficitque ad medelam & saturitatem omnibus naturalibus; continens intra se omne bonum.

THEMA II.

Exempla bona progenitorum Christi imitanda.

I. *Virginibus Deipara Virgo.*
II. *Conjugatis Rachab.*
III. *Opificibus S. Ioseph.*
IV. *Rusticis Booz.*
V. *Servis Iacob.*
VI *Magistratibus Naason.*
VII *Subditis Aminadab.*
VIII. *Senibus Abraham.*
IX. *Iuvenibus David.*
X. *Parentibus Iosias.*
XI. *Filiis Isaac.*
XII. *Patribus Iudas.*
XIII. *Sodalibus Iosaphat.*
XIV. *Lapsis Manasses.*
XV. *Afflictis Iesus.*

Abraham genuit Isaac, &c. Matthæi 1.

CAnt. 5. invitat sponsa dilectum suum in hortum suum his verbis: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Diximus alias ex sancto Bernardo sermone 23. in Cantic. Sac. Scripturam esse hortum quendam variis arboribus consitum. In horto illo elucet magna una inter cæteras arbor, quæ est Beatæ Virginis Genealogia, variis instructa pomis, partim malis & putridis: partim bonis & sanis. Mala in priore sermone jam abjecimus: bona nunc legenda sunt. Ad hæc invitat nos Deipara. Veniant ergò in hortum istum, quotquot eam diligunt, & de pomis istis comedant.

I. Pomum primum do virginibus, Virginem Deiparam: pomum longè speciosissimum & sapidissimum. Virgo Hebræis appellatur *Alma*, id est, *abscondita*, ab *alam*, quod est *abscondere*. Et sic appellatur Beata Virgo Isa. 7. cùm de ea dicitur: *Ecce Virgo concipiet.* Hebr. *Alma*: quæ vox Latinis *sanctam* significat; & bene, quia virgines si absconditæ sint, jure sanctæ haberi possunt. — *I. Virginibus Deipara Virgo.*

Fuisse Beatam Virginem absconditam mundo colligit primò ex Angelica salutatione sanctus Ambrosius & alii, quod Angelus ad eam ingressus dicatur: *Sola in penetralibus*, inquit, *quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret.* — 1.

Secundò, quia de ejus vita tam pauca scripsere Evangelistæ; & cur, nisi quia vitam ducebat ferè semper absconditam; nec nisi urgente necessitate in publicum prodibat? Cur nihil scribitur de ejus puellari ætate? quia in sacro gynecæo juxta templum fuit, quasi in monasterio abscondita. Cur nihil ab anno Christi 12. usque ad trigesimum? quia fuit abscondita. Cur nihil ab ejus ascensione usque ad obitum? quia fuit abscondita. Et unde scimus eam toto illo tempore sanctissimè vixisse? quia fuit abscondita. Affige in publico speciosam imaginem vel mappam Geographicam, & post annum aspice: tunc videbis deformatam, & sibi prorsus dissimilem. Alius eam digito perforavit, alius fœdavit, alius laceravit, omnium denique manus attriverunt: ut vix ampliùs nosci queat. Include eandem per totidem annos scrinio mundo, & post annum reperies tam recentem ac splendidam, atque erat initio. Par ratio cum virginibus. — 2.

II. Conjugatis damus Rachab meretricem, hoc est, cauponariam, ut vertit Pagninus & volunt alii, ductam à Salmon. Hæc admodum benefica fuit erga legatos Hebræorum hospitio receptos, eosque ab insidiatoribus abscondit ac servavit, ut habetur Jos. 2. Hanc sequantur patres & matresfamilias: sint benigni & misericordes erga advenas & peregrinos, maximè egenos; præbeant hospitium, defendant à frigore, nuditate & fame. Sic servabunt domos suas incolumes; quemadmodum & Rahab per opus illud pium impetravit, ut vastata licet tota civitate Jericho, sola ejus domus ab omni infestatione immunis esset. — *II. Conjugatis Rahab.*

III. Opifices accipiant S. Josephum. Hic arte lignarius faber, cœli ac terræ dominum habuit pro filio, nec tamen ab eo unquam petiit divitias, ut verbi gratia per miraculum pararet aurum, vestes, cibos, sed maluit quærere victum sibi, conjugi & filio, labore manuum suarum; contentissimus nimirum sua paupertate. Sic ergo & opifices non insidientur multis opibus per usuras aut mercimonia, neque per census annuos ex pecuniis mutuo datis, quo nimirum absque labore vacent quieti suæ; hoc enim — *III. Opificibus S. Iosephus.*

enim eis non expedit; sed pergant opere manuum
quærere victum suum: hoc enim est tutissimum
pro salute eorum. Certè illuminatissimus Cardina-
lis Bellarminus interrogatus, quod hominum ge-
nus crederet magis esse idoneum ad salutem conse-
quendam, respondit statim: *nisi me fallit animus, o-*
pifices ii sunt, quorum vita labor est, qui diuturno
quæstu propulsant famem; nam hi manè quod incipi-
unt opus hoc totum diem procedit, itaque eis laboran-
tibus nihil ad otium superest, ad virtutem nihil deest.
Possident verò ut se & familiam alant, tenuem illam
sive copiam sive inopiam, quam sudore vultus sui si-
bi pepererunt, qui titulus possessionis omnium est æquis-
simus & optimus. Addidit tamen hoc intelligi, dum-
modò ipsi ex opere compendium uberius quam
justius non fecerint. Totum hoc exemplo Christi
Domini confirmabat, *qui utique sapientia æterna,*
cùm in terris statum eligeret, parentem adoptavit
opificem, exercuitque operam fabri, creditus ex eo et-
iam faber & fabri filius. Ita Jac. Fuligatus in ejus vi-
ta l. 6. c. 4.

IV. *Rusticis Booz.*
IV. Rusticis damus Boozum. Fuit hic agri-
cola agricolarum speculum. Imprimis humanus
valde erga servos & messores suos, ad agrum e-
gressus eos salutabat: *Dominus vobiscum*; non ut
quidam solent, tetro vultu, rugata fronte & inflatis
buccis servos aspicientes, nec placabili verbo di-
gnantes. Deinde liberalis erga pauperes erat, in-
vitans Rutham ad colligendas spicas in agro suo,
atque ut plus colligere sine rubore posset, præcepit
operariis, ut de industria projicerent de manipulis
suis, deditque ei licentiam accedendi ad meren-
dam illorum. Quare meruit fieri unus de proge-
nitoribus Christi, & ad summam pervenire se-
nectutem (ut volunt Judæi) 400. annorum. Ta-
les si sint agricolæ, certam à Deo expectent benedi-
ctionem.

V. *Servis Iacob.*
V. Servis damus Jacobum. Hic enim 20. annis
socero suo Laban pro pastore oviū fidelissimè ser-
viens *diu noctuq; æstu urebatur & gelu, fugiebatque*
somnus ab oculis ejus; damna gregi illata de suo cō-
pensabat, domum ejus locupletavit: durum & ini-
quum dominum æquo animo tulit. Gen. 31. Servo-
rum hæ pulchræ dotes sunt, ut pro servanda & lo-
cupletanda domo herorum dura quæque sustine-
ant, eorum damna avertant, commoda procurent.
Veterum consuetudo fuit, ut cùm servus in domum
admitteretur, herus super caput ejus spargeret nu-
ces, poma, ficus, dactylos, legumina, nummos. Pie-
rius lib. 56 & Cælius lib. 26. Antiq. cap. 6. Qua re
indicabant servum hero ejusque domui utilem ac
fructuosum esse debere, ita ut familiam suo labore
sustentet ac recreet, simul verò sciat sibi foris in a-
gro sedulò manendum, gelu & æstum sustinendum,
quo modo fruges illæ sustinent omnis generis tem-
pestates, ventos, pluvias, æstum, pruinam. Unde
Germanis appellantur conjugum servatores, Ehe-
halten/quia ipsorum est patrem & matremfamilias
suo labore servare.

VI. Principibus & Magistratibus damus Naa-
son, principem tribûs Juda, ut habetur 1. parte, ca-
pite 2. Princeps hic ad omne opus semper primus
fuit, sive in castrorum metatione, Num. 2. ver-
su 3. sive in oblatione munerum ad altare, Num. 7.
su 12. sive in profectione & processione exercitus,
Num. 10. versu 14. Hoc ergò facere & Magistra-
tus debent, primi opus aggredi & templo suo præ-
ire subditis; sic potentissimè trahent eos ad offi-
cium & virtutem. Unde enim Princeps dicitur, nisi
quia *primum capit locum*? Non egent imperio apes;
solùm re præcedat, mox omnes eum sequentur.
Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, si quid esset,
quod celeriter per milites confici volebat, primus
ipse sub oculis omnium opus aggrediebatur, quò
vel pudore ad idem stimularentur subditi, auct.
Plut. in Lacon.

VII. Subditis damus Aminadab, patrem Naa-
son. Is cùm videret Ducem exercitus, Moysen, pri-
mum ingredi divisum mare rubrum, ut scribit Jo-
sephus libro 2. Antiq. capite 7. cæteris sequi trepi-
dantibus, ipse primus omnium Ducem suum Moy-
sen, secutus est, uti tradunt Hebræi cum Lirano.
Bonorum hoc subditorum est, sequi ad quævis pe-
ricula, cum ratione adita, Ducem vel Magistratum
suum. Sic enim & apes sequuntur regem suum, &
grues ducem, & oves arietem & pastorem.

VIII. Senes capiant Abrahamum. Hic enim,
ut ait scriptura Genesis vigesimo quinto, *Mortuus*
est in senectute bona, & plenus dierum; *vivendi*
nimirum *satur*, ut habent Hebræa, & cupiens
dissolvi. Item *plenus dierum*, quia dies non va-
cuos, sed plenos meritorum vixit, annos scilicet
175. Ergo videant senes, ut moriantur in sene-
ctute bona & sancta, plenique dierum. Non desi-
derent vivere diutiùs, sed potius cum Simeone di-
mitti in pace & dissolvi cum Paulo. Videant, ut cum
incipiunt curvari in terram, sint velut spicæ plenæ &
granis prægravatæ, ad sepulchrum propendentes.
Cogitent id, quod Joan. 4. Christus ait: *Videte regio-*
nes, quia jam albæ sunt ad messem. Videte canos ve-
stros, quia brevi metentur: videte ergò, ut sitis ad
messem parati.

IX. Juvenes accipiant Davidem. Hic fratrum
licet minimus, non solum greges patris sui sedulò
custodivit, leoni & urso raptas oves eripiendo:
sed etiam missus ad militiam præ omnibus se ob-
tulit ad singulare cum Goliatho certamen, pro
populi Israelitici, cui insultarat Goliath, gloria
& salute; confisus in nomine Domini; unde
& in belli Ducem, deinde in Regem evectus est.
Discant hic juvenes non domi in Gynecæo sedere,
vel lepores tantùm insequi aut aviculas capere, sed
pro Ecclesiæ & patriæ bono, potius ad militiam
pergere; & confisi, non in magicis amuletis aut ar-
morum solis præsidiis, sed potius in nomine Do-
mini strenuè dimicare.

X. Parentibus damus Josiam. Hic imprimis nequaquam patris sui Amon idola coluit, sed cùm esset juvenculus Rex, natus annos sexdecim, cœpit Deum verum colere, & confringere Idola patris sui, totumque regnum suum ab iis expurgare. Audierat enim ex libro legis fortè reperto comminationes Dei: unde perterritum est cor ejus, & scidit vestimenta sua ac flevit, ideoque à Deo audivit, non visurum se mala gentis suæ, sed moriturum in pace. 4. Regum 22. & Paralip. 34. Ne ergo parentes malis majorum suorum vestigiis insistant, dicendo verbi gratia: parentes mei fuerunt Acatholici, volo igitur & ego talis mori: sed Deum potiùs sequantur & fidem veram amplectantur. Deinde Josias vocatur ignis Dei, & ut filios suos in timore Dei contineret, singulis eorum nominibus nomen Dei affixit; uti habetur 2. Paralip. 36. ubi tres nominantur filii, Dei nomine insigniti: *Ioachaz*, qui exponitur *Dominus videns*: *Eliachim*, Deus *vindicans*: *Matthanias*, *Dei donum*. Voluit nimirum pius pater, ut filii ex nomine suo crebrò meminissent Deum omnia videre, omnia scelera vindicare, omnia bona dare. Sic ergò & parentes alii inculcent bene filiis suis Dei timorem, præsentiam, justitiam, munificentiam, uti fecit & Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Tobiæ 4.

XI. Filiis Isaacum. Hic enim cùm ad immolandum à patre duceretur, patri obedientissimus, passus est se ligari licet innocentissimus, poni super struem lignorum & ad gladium aptari. Quid obedientia nisi vinculum? Hoc ligari se patiantur filii, ne parentibus ullatenus resistere queant, etiam dura imperantibus: uti passus Isaac, quasi ovis esset ad victimam deputata. Cogitavit enim se vitam Deo & patri debere, à quibus vitam acceperat. Vincula hæc necessaria sunt filiis, sicut infantibus fasciæ, quibus ligantur in cunis, ne in duram humum excidant, vitæ suæ periculo.

XII. Fratribus damus Judam. Hic enim præ cæteris suis fratribus amorem germanum ostendit primò erga Josephum, quem, ne in cisterna necaretur à fratribus, suasit extrahendum & vendendum, ut vitam ei servaret. Genesis 37. Deinde erga Benjamin, pro quo in servitutem ire voluit, ut ipsum patri restitueret. Genesis 44. Canis alteri conterito cum leone pugnanti & succumbenti, abrumpens catenam succurrit coram Cambyse Persarum Rege, teste Herodoto libro tertio & Justino: & frater non succurret fratri in necessitate constituto?

XIII. Sodalibus damus Josaphatum. Hic vir integerrimus, divino cultui deditus, & zelo ejus ardens misit de suis principibus, ut docerent in civitatibus Juda, una cum sacerdotibus legem Dei; revocavitque ab Idololatria populum; una tantùm in re incautus fuit, quòd societatem belli inierit cum impio Achab contra Syros. Ubi in prælio interceptus, nisi exclamasset, seque prodidisset planè periisset. Tandem ictus sapuit & cum filio ejus Ochozia, ubi primo naves junxisset ac perdidisset. 2. Paralip. 20. noluit deinceps classem suam jungere. Videant Sodales cum quibus societatem ineant, ne simul cum ipsis in laqueum incidant.

XIV. Lapsis damus Manassen, qui in Idololatriam aliaque scelera gravissimè lapsus, ita ut impleret Jerusalem *sanguine innocentum usque ad os*, neque audiret monentem Deum per Prophetas; ad extremum tamen, qui verba non audiit, verbera audivit. Captus enim & catenis vinctus ductus in Babylonem cœpit ibi deflere scelera sua, & pœnitentiam egit valdè, per quam obtinuit, quod nullis viribus obtinere potuisset, ne dimissus reduceretur in regnum suum; ubi totus immutatus, constanter Deo servivit pieque obiit. 2. Paral 33. XIV. *Lapsis Manasses.*

XV. Afflictis omnibus damus pomum omnium præstantissimum, Jesum Salvatorem. Pomi præsuavi odore prorogatam aliquamdiu ægrotanti Aristoteli vitam in libro de pomo Aristotelis habetur, ut refert Cælius libro vigesimo quarto capite vigesimo primo. Odor solus nominis Jesu reficere ægros & sanare vitaque æterna donare potest. *Nomen Iesu lymphatos sanat*, inquit Origenes libro primo contra Celsum, *& dæmones exigit, morbis etiam præsentaneum adfert auxilium. Inserit enim miram quandam mansuetudinem, morumque honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem omnibus, qui non propter vitæ curas humanasve aliquas necessitates fucatè, sed ex animo amplectuntur prædicationem DEI Christique atque futuri Iudicii.* Et sanctus Bernardus sermone decimo quinto in Cantic. *Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor IESVS, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen: nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? &c.* XV. *Afflictis Iesus.*

THEMA III.

Doctrinæ ex hodierno Evangelio.

I. *Vera nobilitas in propria indole & virtute sua.*

II *Malorum parentum communiter mali filii, & econtrà.*

III. *Quandoque etiam boni parentes malos habent filios, & econtrà: sed rarò.*

IV. *Quantò securiùs degere in humili quam in alio statu.*

V. *Quanta vis pœnitentiæ.*

VI. Quam

VI. Quam difficile corrigantur inveterati peccatores.

VII. Qui male vivunt, male moriuntur.

Liber generationis Jeſu Chriſti. Matth. 1.

NOn eodem modo & fructu verſant libros infantes, & homines eruditi. Infantes pictas literas ſolùm mirantur, & delectantur imaginibus: ſcripturas non intelligunt adeoque negligunt: denique imagines, ſi quæ in libro ſunt, inde excindunt. Hic totus eorum fructus eſt. At non ita literati, qui picturis neglectis ſcripturas legunt & ſenſum penetrant, indeque varia ſibi virtutum documenta excerpunt. Librum hodierni Evangelii, ſi indocti aſpiciant, nihil niſi imagines Patriarcharum, Regum, Principum in eo mirabuntur, quia nihil aliud continere videtur. At verò eruditi ſenſum hujus libri penetrabunt, & præclara documenta in eo reperient. Quare poſthabitis nunc imaginibus illis, librum hunc profundius inſpiciamus.

I. *Vera nobilitas in propria indole & virtute ſita.*

I. Liber hic docet veram nobilitatem non tam in avorum & progenitorum ſtemmate, quam in propria indole & virtute conſiſtere. Vide enim Regem David, qualem & quantum? At is tamen ex vili parentela & proavia Ruth, paupere & Gentili, progeniem ſuam duxit; virtute tamen ſua mirè nobilitatus eſt. Unde in eum locum ſanctus Chryſoſtomus homil. 3. in Matth. ait: *Non eſt omnino, non eſt nec de virtute, nec de vitio parentum aut laude aliquis dignus aut culpa: nemo inde verè aut obſcurus aut clarus eſt: imò ut quod incredibile videtur, dicamus, neſcio quomodo magis ille reſplendet, qui ex parentibus à virtute prorſus alienus, ipſe tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in ſuperbiam de gloria parentum elevetur, ſed conſiderans progenitores Domini, omnem reprimat mentis tumorem & de ſolis virtutibus glorietur.* Laudandi igitur, qui Taprobanem Inſulam incolunt, & Regem eligunt, non qui nobilitate, ſed qui virtute cæteris præſtet, teſte Solino capite 66. Sanguinis nobilitas aliena virtus eſt, quæ majores tantùm, non poſteros adornat. Emit aliquis Epicteti Stoici lychnuchum fictilem 300. denariis, ſperans futurum ſcilicet, ut ſi noctu ad iſtam lucernam legiſſet, mox Epicteti ſapientiam ſomniaret & ſimilis efficeretur venerando ſeni; at longè deceptus fuit. Lucian. adverſus indoctum. Nil aliud agunt, qui ex majorum inſignibus magnos ſe fore exiſtimant, cùm ipſi parum valeant. Hujuſmodi fuit, qui Anacharſi patriæ barbariem exprobrarat. Cui ille: *Mihi patria dedecori eſt, tu autem patriæ.* Galen. in exhortatione, ad bonas artes, & Laërt. Simile reſponſum tulit Huldricus Ciliæ comes à Joanne Hunniade regni Ungariæ Gubernatore, quando ad ejus colloquium evocatus venire noluit, dicens ſe alta familia natum ad hominem novum minimè debere venire. Cui Joannes: *Non tuis majoribus, ſed tibi me comparo, quamquam neque illis cedam, qui pugnando pro Chriſtiana religione nobilitatus, majus lumen poſteritati meæ comparavi, quam illi, qui ad te detulerunt. Atque ut in te Cilienſis Comitatus turpiter extinguitur: ita in me Biſtricenſis glorioſè exoritur.* Æneas Sylvius libro ſecundo in Commentar. Panorm. cap. vigeſimo octavo.

II. Malorum parentum communiter malos eſſe filios, uti bonorum bonos. Patet hoc in pleriſque hujus Genealogiæ filiis. Boni plerique filii Jacob, quia optimos habuere parentes, avos & proavos: Sanctiſſima Deipara & Joſeph, quia ſanctos habuere majores. Contra malus filius Roboami, Abias, tribus tantùm annis regnavit, *& ambulavit in omnibus peccatis patris ſui, quæ fecerat ante eum.* 3. Regum 15. Notate hoc parentes: *In omnibus peccatis patris ambulavit* Abias. Advertit Auctor Operis imperfecti homilia 1. in cap. 1. Matth. Abiam bene ſic appellatum; quod Latinè ſonat *pater meus veniens*, quia ſcilicet patrem ſuum Roboam in perverſis moribus ita repræſentavit, ac ſi alter pater ſuus eſſet. *Providentia autem* Dei, inquit, *ſic ordinavit eum vocare: quia ſcilicet Roboam cœpit rectè, poſteà autem extitit peccator in Deum, ſic & Abias.* Idem patet in Ochozia filio Jorami, perverſi patris, & Athaliæ perverſioris matris, quæ erat Achabi & Jezabelis peſſimorum parentum peſſima filia. Ochozias itaque mali corvi malum ovum, *ingreſſus eſt per vias domu Achab: mater enim ejus* (Athalia) *impulit eum, ut impiè ageret.* 2. Paralip. 22. Sicut enim filii plerumque patrum inſtitutum & opificium ſequuntur eorumque artes diſcunt: ita & eorundem mores. Paſtor Jacob filios omnes paſtores habuit, qui etiam in ipſa Ægypto artem pecuariam exercere voluerunt. Sic Ethelredus Northumbrorum Rex, impiiſſimus pater, ſeptem filios genuit, qui ſe mutuis vulneribus conciderunt. Hector Boëtius libro 2. Quærit ſanctus Ambroſius libro quinto Hexameron capite vigeſimo ſecundo; cur philomela eo tantùm tempore ſuaviter canat, dum pullos excludit & e ducat, reſpondetque: *Mihi videtur hæc ſumma eju eſſe intentio; quo poſſit non minus dulcibus modulis, quam fœtu corporis animare in fœtus ova quæ foveat.* Ergò ſicut pulli philomelæ audiun præcinentem matrem, ſic eam poſtea cantu ſuo imitantur.

Patet verò ex propoſitis exemplis, matris inſtitutionem plus plerumque poſſe in filios quam patris. Uti enim Athalia ex impia Jezabele potiſſimum hauſit venenum: ſic & Ochozias ex matr Athalia. Hinc & filia Herodiadis, impudica ſaltatrix fuit, quia matris adulteræ ſedula imitatrix, a ea non ad ſaltum modò, ſed etiam ad impudicitian probè inſtituta; ideò impuro Herodi tam filia placuit, quam mater. Marc. 6.

Un

Unà enim cum lacte fugunt filii mores matrum, in quarum etiam finu & blanditiis à teneris adolescunt. Unde Ose.5.reprehenduntur Hebræi, quia filios alienos genuerunt, ex alienigenis scilicet matribus seu filiabus Gentium, quas contra legem Exod.34.& Deuter.7.duxerunt; quæ proinde filios suos perverterunt & ad Idolorum cultum pertraxerunt; sicut illæ, quæ in Babylone ab Hebræis ductæ docuerunt liberos suos loqui azoticè; quia plus poterant in filios instituendos, quam patres à quibus illi nihil Hebraicè loqui didicerunt, 2. Esdr.13.

III. Quandoque etiam contingere, tametsi rarius, ut bonorum parentum mali sint filii, & malorum boni. Ecce enim David, pater sanè optimus filios habuit malos: incestuosum Amnon, fratricidam & rebellem sibi Absalon, Adoniam ambitiosum, Salomonem in senio perversum. Rursum Josaphat pater religione præstans & zelo Dei insignis, impium habuit filium Joram, qui, ut dixi, impiam Achabi Regis filiam duxit, Athaliam; cujus Idola coluit, & ad illa populum penè traxit. Josias quoque sanctus Rex, qui in omni corde suo adhæsit Deo, ut non esset similis, tres tamen reprobos habuit filios, Joachaz, Joachim & Sedeciam. Denique Ezechias optimus pater, filium impiissimum Manassen, qui tamen ad finem resipuit. Plura alibi exempla reperimus in scripturis, uti filios Heli, & Samuelis, bonarum arborum mala germina: Abimelech importunissimum filium Gedeonis, præstantissimi herois. Quod sanè mirum est, non secus atque illud, quod scribit Ælianus lib 10.c.38. Lusiam fluvium, cùm pellucidis manet liquoribus, pisces nigerrimos procreare. Causas ejus rei plures adfert Nic. Seranus in c.6. Judic. quæst 35. Potissimæ sunt, nota vel occulta quædam parentum peccata, quæ in filiis plectuntur: neglecta filiorum institutio ob parentum occupationes: quod utrumque in Davide locum habet. Acriores talium filiorum impetus, &c. Vicissim malis patris Abiæ filius bonus fuit Asa, qui *fecit rectum ante conspectum Dei, sicut David pater*, hoc est, abavus ejus, 3. Reg 15. Oziæ, superbi & sacrilegi Regis, bonus filius erat Joatham. 2. Paral. 27. qui tamen filium Achaz habuit dissimilem, cap. 28. ex quo impio Achaz rursum filius bonus, Ezechias, velut rosa è spina. Amon improbus probum habuit filium Josiam, omnibus laudibus celebrem. 4. Reg. 22. Quod majus adhuc priore miraculum est, cùm ad imitandum malum longè proniores simus, quam ad bonum Unde Num 26. de filiis Core dicitur: *Factum est grande miraculum, ut Core pereunte filii ejus non perirent.* Quomodo id factum sit Glossa Hebræa in Psal 45. ut Liranus refert, explicat: terram videlicet aperuisse os suum, & Coren cum suis devorasse, filios autem ejus sublimes in aere perstitisse, quousque terra subsidit. Fecit autem Deus grande hoc miraculum, quia grandi etiam miraculo simile erat, quod filii Core patrem, Deo & Moysi rebellem, in rebellione non sint imitati; ob quam causam ipsi ab interitu servati sunt. Quare in gratiarum actionem Ps.45. scriptus est, eo titulo: *In finem filii Core pro arcanis.*

IV. Quanto securius sit degere in humili statu, quam in alto. Videmus enim Christi progenitores, quamdiu privatam & humilem egère vitam ab Abraham usque ad Davidem, (quo tempore pastores & agricolæ fuerunt) penè omnes benè & inculpatè vixisse; quemadmodum & illos, qui post captivitatem Babylonicam iterum in ordinem redacti & ad privatam pauperemque vitam devoluti sunt; contra verò eos, qui à tempore Davidis usque ad captivitatem in regia dignitate floruerunt, plerosque in gravissima peccata lapsos, plures omninò perversos esse; vix unum aut alterum vitam absque nævo peregisse. Inter illos David cùm adhuc privatus degeret, innocens & rectus fuit; ubi ad regnum evectus est, gravissimè impegit; quemadmodum & antecessor ejus Saul, qui *filius unius anni erat, cum regnare cœpisset*, 1. Reg.13. hoc est, tam integris & candidis moribus, quasi filius unius anni esset; secundo regni anno jam graviter lapsus, divino judicio exauthoratus est, deinceps verò semper in pejus vergens peccata peccatis addidit. Quemadmodum ergò in tempestate periculosa est navigatio, secura in tranquillitate: ita in publicis muneribus plurima sunt salutis pericula, perturbationes plurimæ; paucæ in privata & humili vita. Unde S. Gregorius 1. p.past.c.9 ait: *Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis?* Quanto securius in humili ambulare, quam in tecto & loco edito! Tectum in exemplo Salomonis, aureis sed acutissimis verubus, quibus aves involantes facillimè lædebantur, erat horridum, teste Josepho l.6. de bello c.6. Sic horrent dignitates cuspidibus & verubus, tametsi aureis & argenteis. Quam facilè vulneratur, qui in hoc tectum involare eique insidere vult! Securè se in terra volutabat ille juvenis, ex consilio senis (apud S. Hier. in Reg. Monach.c.15.) periculosè vero supra mensam; quo edoctus fuit, ne susciperet Episcopatum. Qui postea defunctus seni gratias egit, dicens: *Quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Simile responsum dedit quidam Carthusianus, ad Pontificatum postulatus; qui post mortem dixit, se damnandum fuisse, si Pontificatum acceptasset, in hist. Carthus. Petri Dorlandi l.4.

IV. *Quanto securius degere in humili quam in alto statu.*

V. Quanta vis sit pœnitentiæ. Ecce David lapsus in adulterium & homicidium, postquam ea peccata seria pœnitentia & lachrymis delevit, assumitur in progenitorem Christi, & quidem per Salomonem ex eadem Bethsabea, cum qua prius adulterum commiserat, sibi natum; quem & regni sui heredem sapientissimum & potentissimum obtinuit; tametsi alios filios haberet, ex aliis natos uxoribus, nulla simili labe contaminatis. Quid hoc rei? nonne nostro judicio præferendi videbantur isti eorumque matres, Salomoni & matri ejus? At non ita placuit Deo, ut demonstret nobis, quantum ipsi placeat & valeat vera & seria pœnitentia, quæ peccatorem adeò

V. *Quanta vis sit pœnitentiæ.*

adeò in integrum reſtituit, ac ſi is nihil mali patraſſet; quandoque etiam pluribus bonis ditat. Vide etiam Manaſſen, qui cùm egiſſet vitam omni ſcelere contaminatam, adorando omnem cæli militiam ſeu aſtra, traducendo filios ſuos per ignem, ſectando maleficos, ſeducendo populum, ſanguine innoxio replendo Jeruſalem uſque ad os. 4. Reg. 21 & 2. Par. 33. tandem captus à Rege Aſſyriorum & vinctus catenis, ductus in Babylonem, ibi demum aperuit oculos inter anguſtias, *egitq; pœnitentiam, deprecatusque eſt ad Dominum, & obſecravit intentè*; & ecce Deus *exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in regnum ſuum*. Quod igitur nullo quatnũvis numeroſo exercitu obtinere potuiſſet, hoc pœnitentiæ beneficio obtinuit, ut è vinculis ereptus reſtitueretur regno ſuo. Parem efficaciam habuit pœnitentia illorum latronum, qui ſocios S. Adalberti, religioſos quinque, in ſuo tugurio occiderunt, ideoque à Boleslao Rege capti & ad illorum ſepulchrum catenis alligati fuerunt, ut ibi fame interirent. Ubi enim per pœnitentiam ad Deum confugerunt, divino miraculo ſoluti vinculis fuerunt, Cromer. lib. 3.

VI. *Quam difficile corrigantur inveterati peccatores.*

1\. VI. Quàm difficilè corrigantur inveterati peccatores. Diſcimus hoc primò ex Joramo Rege, qui ducta ut ſuprà diximus, Achabi Regis filia, ambulavit in viis impii Achab, & occidit ſex fratres ſuos. Porrò Deus immiſit illi varia flagella, primo Philiſtæos & Arabes, qui diripuerunt omnem ejus ſubſtantiam, cum filiis & uxoribus &c. *Et ſuper hæc omnia percuſſit Ioram Dominus alvi languore inſanabili*, ita ut egereret viſcera ſua per biennium: nec tamen is reſipuit. Denique allatæ ſunt ei litteræ comminatoriæ ſcriptæ ab Elia, jam tum defuncto, quibus ejus peccata redarguta & ſupplicia prædicta erant. Verùm neque literæ illæ apud obſtinatum hominem quidquam effecerunt. 2. Par. 21.

2\. Secundo ex Rege Achaz, qui & ipſe ambulavit in viis Regum Iſrael, Idololatria ſcilicet, ideoque multis & ipſe flagellis à Deo contuſus eſt, Rege Syriæ Razin, à Rege 10. tribuum, Placee; qui occidit illi uno die 120. millia bellatorum, captis 200000. de populo. Nihil tamen hæc apud illum potuerunt; 2. Par. 28. Sed dum verberaretur, crimina augebat, *inſuper & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum*; januas quoque templi clauſit, ipſisque hoſtium ſuorum Diis cæcus planè immolavit, denique ſignum victoriæ ſibi dandæ petere juſſus ab Iſaia, petere noluit. Iſa. 7. Sic nimirum obſtinati, cùm ſemel obfirmant animum, nullis amplius commoventur flagellis, imò nec miraculis, uti etiam patuit in Radbodo Friſonum Duce, qui duobus grandibus miraculis, quibus puer unus ſtrangulatus per duas horas incolumis ſervatus precibus Wulfranni: alii duo inter fluctus maris intacti ab aqua undique circumfluente fuerunt: commotus quidem; non tamen permotus fuit, ut baptiſmum ſuſciperet. In vita S. Wulfranni 29. Martii. Hi nimirum ſunt, qui dicuntur *venundati ſub peccato, ut faciant malum*, qualis Achab, 3. Reg. 21. quaſi libertatem & ſervitutem ſuam Dæmoni transſcripſerint adeò, ut non ſit eis integrum, reverti ad Deum.

VII. Qui malè vivunt, malè etiam mori, & ſæpe etiam cum ignominia ſepeliri. Quod inter alios contigit imprimis obſtinato illi, quem diximus Joramo, qui regnavit annis 8. ambulavitque non rectè 2. Par. 21. Ubi 70. legunt: *Mortuus eſt ſine laude*, alvi dolore & diuturna tabe, egerendo viſcera ſua, ut ſuprà dixi. Pagninus vertit: *Ambulavit absque deſiderio*, ſcilicet populi, quaſi diceret: nemo ſeu in vita, ſeu poſt mortem ejus deſideravit ipſum, dicendo v. g. utinam vivat, vel utinam reſurgat, Joram Rex noſter! Potius ergo de ipſius interitu omnes gaviſi ſũt. Unde *non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat majoribus ejus. Et ſepelierunt eum in civitate David: verumtamen non in ſepulchro Regum*, 2. Par. 21. In exequiis aliorum comburebantur varia aromata, ungebantur eorum corpora, ſepeliebantur in ſepulchro Regum perhonorifico. Nihil tale actum Joramo, quia ſicut vixit abſque laude, ſic & mortuus & ſepultus eſt. Contigit & Jechoniæ, dicto Joachim, filio degeneri, (pater enim ejus Joſias lecto libro legis, ſcidit veſtimenta & fudit lachrymas, filius autem Jechonias librum Jeremiæ ſibi allatum ſcidit cultello & projecit in ignẽ.) Ductus hic ob peccata ſua anno tertio regni in Babylonem captivus, indeque dimiſſus rurſum rebellavit Nabuchodonoſori, qui proinde reverſus eum occidit & inſepultum abjici juſſit, ut prædixerat ei Jeremias c. 22. cujus prophetias ſpreverat & combuſſerat; in quibus hæc inter alia: *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus & projectus extra portas Ieruſalẽ.* En quam verum illud Sap. 3. *Nationis iniquæ diræ ſunt conſummationes*! Quale corpus, talis umbra, & qualis umbra tale corpus: umbra aſini repræſentat aſinum, hominis hominem. Quid vero umbra mortis, niſi vita peccatoris? Vivis ut aſinus, morieris & ſepelieris ut aſinus; vivis ut homo, morieris & ſepelieris ut homo. *Vita in deliciis agens*, ait Bernardus ſer. 48. in Cant. *& mors eſt & umbra mortis*,

Econtra verò mortem piorum & ſanctorum pretioſam & honorificam eſſe oſtendit inter paucos Joſias laudatiſſimæ vitæ Rex, qui cùm in prælio occubuiſſet, ab univerſo populo magna lamentatione deploratus eſt; deque eo ſcripſit Eccleſiaſticus c. 49. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria: & ut Muſica in convivio vini.* Similem laudem obtinuit Ezechias & David Rex, Abraham, Iſaac, Jacob aliique quotquot ſanctitati ſtuduerũt; quorum nomina adhuc vivunt & virent in terra virebuntque in cœlo per omnem æternitatem.

THE-

THEMA IV.

Ignis hodie supra ædem Lauretanam cœlo lapsus quid sibi voluerit.

I. *Publicum Ecclesiæ gaudium, hodie allatum.*
II. *Protectionem Deiparæ singularem erga suos cultores.*
III. *Acceptum esse Deo cultum B. Virginis.*
IV. *Cultum Deiparæ signum esse electorum.*

Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Prov. 8.

HOratius Tursellinus lib. 1. hist. domus Lauret. cap. 17 refert paulò postquam ædes Lauretana è sylva Lauretana in vicinum collem delata fuit, vidisse quendam vicinum solitarium, Paulum nomine, abstinentiæ & sanctimoniæ nota venerabilem, in nocte nativitatis Deiparæ, quarta circiter vigilia, copiosum ignem, quasi ingentem cometam de cœlo super ædem Lauretanam delapsum, eam totam illustrasse, nec ita multo post in sublime, unde venerat, se recepisse. Quod cum pluribus annis factum videret, tandem post multas preces cœlitus per quietem didicit, natalem Deiparæ diem igne illo condecorari, quod vellet ipsa à Christianis omnibus eum diem ibi solemniter celebrari. Quod & Recinetenses vicini ex eo tempore fecerunt, confluxeruntque ad eam deinde festivitatem longinqui etiam populi. Duravit ea flammæ descensio quotannis in hac nocte usque ad tempora Pauli 3 Pp. adeò conspicuè, ut Recinetenses è mœnibus & tectis nocte illa vigilantes, ignem expectare & conspicere solerent. Habemus hinc Audit. placere Dei Matri, ut dies ejus natalis solemniter celebretur; sed nondum intelligimus; quamobrem tam copiosum ignem demittere super ædem suam voluerit, quidque hoc igne nunciarit. Hoc ergo nunc investigemus.

I. Significabat absque dubio publicum Ecclesiæ gaudium, ipsi hodierna die allatum per nativitatem Virginis. Solent enim in nativitate regiæ prolis excitari passim ignes festivi in Regis ditioni subjectis civitatibus. Canit vero de B. Virgine Ecclesia: *Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo, &c.* Et B. Petrus Damiani Card. Serm. 2. in Nativitate B. V. *Exultemus,* inquit, *in hac die præcipua & totis visceribus in Domino dilectemur, in qua dum redemptoris nostri recolimus matrem, reliquarum festivitatum celebramus originem. Quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam esse debet inferior dignitate. Nam si Salomon cum Israelitico populo in Dedicatione templi ex lapidibus facti, tam copiosum & magnificum sacrificium solemniter celebravit: quale quantumque gaudium B. V. nativitas populo Christiano debet afferre, in cujus uterum, velut revera sanctissimum templum Deus ipse descendens, & humanam naturam ex ea suscipere, & cum hominibus dignatus est visibiliter habitare, &c.* In illud descendit nebula, ita ut non possent sacerdotes stare & ministrare: at in ædem Deiparæ descendit ignis, quia illi in caligine erant, nos in luce sumus. Gaudium vero hæc nativitas attulit Deo, Angelis, Patribus, mundo universo, ut alibi diximus. *Trip. in hoc F. c. 1.*

II. Protectionem singularem B. Virginis erga domum suam & domesticos, scilicet cultores suos. *II. Protectionem Deiparæ singularem erga suos cultores.* In V. T. Deus duxit & protexit Hebræos in deserto per igneam columnam. In novo S. Ambrosium igne circumdedit contra Dæmones, quos Magus Innocentius ad eum internecandum immiserat, qui & propter ignem illum ne propè quidem accedere ad eum potuerunt. Paulin. in vita sancti Ambrosii. Ignis fovet & urit; fovet amicos ac protegit, urit vero hostes. Fovet ergo Deipara suos & filii cultores, hos enim ei Christus in Joanne, qui solus matrem ad crucem filii tanquam ejus sodalis comitatus fuerat, è cruce commendavit, ut sanctus Antoninus docet 4. p. Reliquias S. Cæciliæ defendit contra Longobardos, ut eas invenire & asportare non possent; (uti revelatum Paschali Papæ apud Baron. anno 821.) quantò magis defendet cultores suos viventes? Si defendet emortui corporis reliquias, quantò magis tuebitur cultui suo addictorum animas? Verum quemadmodum B. Virgo cultores suos fovet ac tuetur, ita quandoque hostes suos punit & castigat. Qua de causa Cant. 6. progredi *velut aurora, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies* dicitur. Luna, aurora & Sol suavis est hominibus, uti & animantibus lucis amantibus ac mansuetis: terribilis prædonibus & furibus, efferis & prædacibus bestiis, lucem fugientibus noctuque rapientibus veluti lupis, leonibus, noctuis, vespertilionibus. Ita B. Virgo terribilis est dæmonibus, prædatoribus animarum ut ait loco citato Damianus, nec non eorum asseclis, hæreticis & blasphemis. Exempla duo refert post Lipsium de Virg. Hallensi & Sichevensi P. Cornelius à Lap. in Levit. c. 24. v. 14. tanquam recentia & bene sibi perspecta, de Hollandis duobus militibus, quorum unus ad urbem Hallas statuam miraculosæ Deiparæ celebrẽ blasphemans: *Ego, ait, meis manibus mulierculæ Hallensi nasum abscindam.* Audit Virgo & procurat ut ei plumbea glande ex urbe emissa nasus auferretur. Nomen illi Joannes Zvvikius, qui ob id suis etiam commilitonibus ludibrium fuit dicentibus, ut eat Hallas & nasum suum requirat. Alter Sichevensem Virginem itidem deridens: *Si Maria, inquit, hic miracula facit, illuminet meum equum;* Moxque equus illuminatus, ipse verò exeæcatus est.

Quomodo punitus sit Nestorius & Constantinus Copronymus diximus alibi. Et notandum quod videtur Christus Dominus celerius & acrius punire *Trip. in hoc Festo c. 6. E*

punire injurias matris suæ, quam proprias. Quemadmodum enim Assuerus tum demum vehementissimè exacerbatus fuit in Amanem ac sententiam mortis tulit, quando videbatur reginam velle violare, cadens super ejus lectulum: (dicebat enim: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea?* Esth. 7.) Sic etiam Christus Dominus acrius sentire videtur injurias matris suæ, quam proprias quod confirmat Cæsarius l. 7. hist. c. 44. hoc exemplo *Legitur*, inquit, *in libro miraculorum Claræ vallis de duobus lusoribus terribile quid; cum uni malè succederet, fortunæ alterius invidens ut furori suo satisfaceret, in Deum evomere cœpit verba contumeliosa, quem socius eodem maligno spiritu afflatus compescens ait; Sile, tu enim nescis maledicere; statimque Deum nimium blasphemans, cum in matris ejus injuriam erumperet; vox desuper audita est: Meam injuriam quocumque modo sustinui, matris autem meæ contumelias nequaquam potero tolerare, moxque super ipsam tabulam vulnere visibili percussus, spumans expiravit.*

III.
Acceptum esse Deo cultum B. Virginis.

III. Acceptum esse Deo cultum B. Virginis. Sic enim igne cœlitus delapso ostendit Deus gratum sibi fuisse sacrificium Abelis, ut tradit S. Hieronymus & alii Gen. 4. Item sacrificium Aaronis, Levit. 9. Gedeonis, Judic. 6. Manue, Judic. 13. Eliæ. 3. Reg. 18 Davidis, 1 Par. 21. Salomonis, 2. Par. 7. Nehemiæ, 2. Mach. 1. Sibi factum Deus reputat, quod minimis ejus facimus, quantò magis id, quod maximis & matri ejus? Confirmat hoc imprimis S. Bernardus serm. 1. in hodierno Festo inquiens: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam.* Et paulò suprà: *Altius intuemini quanto devotionis affectu à nobis voluerit Mariam honorari, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens.* Tradit Adricomius in descript. terræ S. hortum balsami in Ægypto irrigari ex quodam fonte, qui Jesu fons appellatur; in quo B. Virgo dicitur Jesum sæpe abluisse, indeque aquam hausisse; & quia solus horto non sufficit, debent aliunde aquæ adduci in hortum, quæ tamen nisi prius ducantur in fontem Jesu, & per illum transeant, nequaquam salubres sunt. Fontem hunc si Deiparam appellemus, quis mirabitur, cùm illa verè aquam vitæ nobis propinarit? Et quid mirum, si per matris suæ interventum nobis gratiarum suarum fluenta communicare velit? Faciunt enim unum quoddam alveus fontis & aqua in eo contenta: quemadmodum Deipara & filius ejus. Quare sicut Pharao suas opes omnes distribuit per Josephum: *Ite ad Ioseph*, inquit, *& quidquid ille vobis dixerit, facite*, Gen. 41. Sic omnia commisit Deus matri suæ, nobis distribuenda.

S. Hermannus, qui & Josephus dictus Ord. Præmonstrat. audito B. Virginis nomine terram osculabatur, eique diutius adhærere consueverat. Causam interrogatus à fratre fideli, dicebat sentire se prodeuntem è terra suavissimum odorem, quasi florum & aromatum, in eo osculo; ita ut ægre abstraheret labia. Idem cùm aliquando languidus omnes in templo Sanctos existentes invocaret pro remedio, nullum sensit levamen. Ad Chori igitur accedens altare, vidit ibi sedentem fœminam speciosam, quam cum interrogasset quid illic ageret; agnovit esse Deiparam, quæ eum affata: *Si me perinde*, inquit, *ut alios Sanctos invocasses, forsitan jam sanassem te.* Ergò ad pedes ejus accidens & remedium flagitans, audit: *Ecce jam sanus factus es.*

Eidem, cùm ob curam thesauri sacri cessaret à solita devotione erga matrem, apparuit velut vetula, quasi jam ab eo minus dilecta. Ut in ejus vita 7. April. Surius.

IV. Cultum B. Virginis signum esse electorum. Idcircò enim stella illa, ubi aliquamdiu luxisset, sublimem se recepit in cœlum, unde venerat, quasi nuncians eos, qui Deiparæ sunt devoti, simili modo in cœlum recipiendos, nec in fumum abituram eorum devotionem. Sic Act. 10. linteum plenum bestiis purificandis scimus receptum esse in cœlum, ad gentium electionem indicandam. Et in hunc sensum de B. Virgine exponunt aliqui, quod Ecclesiastici 1. dicitur de sapientia Dei increata: *Præbuit illam diligentibus se.* Si enim Rex aliquis amat pomarium suum, in eo serendas curat arbores, quibus maximè omnium delectatur. Delectatur autem Rex cœlestis, proculdubio, omnium maximè matre sua; quare eam in cordibus electorum suorum radices agere jubet, juxta id Ecclesiastici 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita & in Israel hæreditâre, & in electis meis mitte radices.* Jacob typus electorum est, juxta id: *Iacob dilexi: Esau autem odio habui*; ad Rom. 9. Igitur qui signum aliquod electionis suæ desiderat, Deiparæ se cultui constanter addicat. Aquila Ætiten lapidem prægnantem (quia intra se alium parvulum, quasi fœtum, qui & jactari auditur, continet) nido suo inædificat sive ei firmando, sive tutando contra venena. Plin. l. 10, c. 3. Nos inædificemus cordi nostro Deiparam, quæ lapidem angularem Christum intra se continuit & suo modo adhuc continet, quo firmari in gratia & defendi contra venena peccatorum mereamur.

THEMA V.

Maria Virgo ſtella matutina.

I. *Lucifer præit ſolem & ſequitur.*
II. *Lucifer quaſi alter Sol.*
III. *Lucifer tenebras & tenebriones fugat : lucis amantes recreat.*
IV. *Lucifer alias ſtellas præcellit.*
V. *Lucifer propitium ſidus eſt & benevolum.*

De qua natus eſt Ieſus. Matth. I.

VIdemus inter cœli ſidera unum aliquod cæteris eminentius fulgore & magnitudine, quod orientem præcurrit Solem, adventum ejus nunciins; eamque ob rationem mortalibus acceptiſſinum atque jucundiſſimum: eſtque ſtella Veneris, quam nos, cum oritur quidem, appellamus Luciferum & ſtellam matutinam: cùm occidit verò, Heſperum ſeu ſtellam veſpertinam Non video quod illud ſidus expreſſius repreſentet ſanctiſſimam Dei matrem, quam hoc ipſum Veneris. Ipſa enim præceſſit nativitate Solem juſtitiæ, Chriſtum, velut mater filium: & ſubſecuta eſt eundem ad cœlos abeuntem, poſt aliquot annos, ut in Feſto Aſſumtionis ejus diximus. Mecum ſentit inprimis Ecleſia, quæ in Litaniis eam appellat *ſtellam matutinam*; deinde B. Petrus Damiani, qui ſerm. 40. de Maria loquens: *Hæc eſt*, inquit, *ſtella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine ſummo ſplendore coruſcans orbem ſubditum ſplendidioribus radiis inlorat.* Deinde Franciſcus Mayro Doctor, cognomento, Illuminatus, in ſerm. de creat. animæ Virg. *a eſt*, ait, *iſta ſtella, quæ unicuique promittitur* A-c. 2. *Vincenti* (inquit) *dabo ſtellam matutinam; ia omnes ſancti in patria de plenitudine fœlicita- Virginis participant.* Hæc ſtella matutina hoe orta eſt, hodie ſuo ortu mundum prius errorem nebris obſitum illuſtrare atque exhilarare cœpit. re igitur merito in aſpectu hujus ſtellæ exultaus; quod ut majori noſtro fructu fiat, paulò accuratius eam contemplabimur.

I. Mirandum eſt in Lucifero, quod Orientem Solem præcedat non præcedat tamen occidentem, faciunt alia ſidera, ſed ſequatur, adeoque oriatur veſperè & manè; quidquid contradicant aliqui. enim & videmus & teſtatur Plato in Epinom. cero l. 1. de nat. Deorum. Plinius l. 2. c. 8. ubi ait: *ſrà Solem ambit ingens ſidus appellatum Veneris, erno meatu vagum, ipſiſque cognominibus æmun Solis ac Lunæ. Prævenieus quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, m maturans: contra ab occaſu refulgens, nuncuur. Veſper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens.* Itaque ſtella hæc diei principium & finis eſt, prima apparet in occaſu Solis & ultima in ortu: præcurrit Solem & ſequitur, mira & difficili combinatione.

In Deipara etiã mira contrariorũ combinatio eſt.

pari modo in Deipara cernere erat triplicem combinationem rerum diſparatarum ac planè contrariarum. Erat enim humillima, quia ſe ancillam offert: & ſimul celſiſſima, quia Dei mater & Regina Angelorum Sanctorumque omnium. Dein circumfluebat gaudiis ſpiritualibus ob filii ſui præſentiam & pacem cordis; & ſimul erat afflictiſſima, toto vitæ ſuæ tempore gladio transfixa, quaſi in amariſſimo pœnitentiæ ſtatu degens. Denique erat pauperrima, pauperis fabri conjux; & ſimul ditiſſima, omnium cæleſtium gratiarum theſauraria. Poteſt ergò cum ſumma majeſtate ſimul ſtare ſumma humilitas; cum ſummis aulicæ vitæ deliciis, ſumma afflictio & mortificatio; cum ſummis divitiis ſumma paupertas. Quis jam diffidat de ſalute, quando inter honores poteſt quis dejectus eſſe, contritus & afflictus inter delicias, pauper inter opes? primus ſimul & ultimus?

II. Lucifer quaſi alter Sol.

II. Matutina ſtella *Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans*; inquit Plinius citatus. Soli quidem de jure debetur nomen *Luciferi*, tanquam fonti lucis; quia tamen ſtella illa infra Solem ambulat, ab eo nunquam abſiſtens (ut ibidem ait Plinius) adeoque plurimum lucis participat, & pari ferè ſpatio temporis cum eo curſum ſuum abſolvit, ideo velut Solis æmula, *Luciferi* nomen accepit.

Maria alter quaſi Ieſus.

Maria Virgo & ipſa filio ſimillima & ſic alter quaſi Jeſus erat.

1. In vultu.

1. Vultu & ſpecie corporis. Chriſtus *ſpecioſus forma præ filiis hominum* vocatur Pſalm. 44. & deſcribitur à Nicephoro l. 1. cap. 40. qui etiam addit matri fuiſſe ſimillimum. Nec mirum quia à Spiritu Sancto artifice excellentiſſimo corpus Chriſti ita fuit organizatum, ut ex vultus ſimilitudine ab omnibus agnoſceretur verus hujus matris filius; quod omninò neceſſarium erat contra Judæorum obtrectationes & futuras hæreſes. Ad hæc aliorum filiorum lineamenta; à patre & matre accepta, ab utroque parente aliquid participant & ſic ad utrumque imitandum dividuntur: at in Chriſto, qui non patrem, ſed matrem tantùm in terris habuit, non item: ſolius enim matris lineamenta accepit & expreſſit.

Trip. in F. Concept. B. V. C. 5.

2. In virtutibus.

2. In virtutibus, ut alibi oſtendimus. Inprimis verò clementia & pietate refert Jeſum filium ſuum. Ab ipſo nemo unquam triſtis diſceſſiet quin conſolationem aliquam acceperit: ita ab ejus matre quicumque eam invocat: nemo triſtis abit. Audiamus ipſam loquentem in Revelat. Sanctæ Brigittæ, lib. 6. cap. 10 *Nulla*, inquit, *pœna eſt in purgatorii igne, quæ propter me non remiſſior erit & levior ad ferendum, quam aliter eſſet. Nullus eſt adeo maledictus, qui quamdiu vivit, careat miſericordia mea, quia propter me levius tentatur à Dæmonibus, quàm*

aliter tentaretur. Nullus est ita alienus à Deo, nisi
omninò fuerit maledictus, qui si me invocaverit,
non revertatur ad Deum & habet misericordiam.
3. 3. In passione & tribulatione. Quid enim Chri-
In passione. stus passus est, quod in animam matris derivatum
non sit; siquidem anima magis est ubi amat, quàm
ubi animat? Qui matrem vult affligere, non pote-
rit acerbiùs, quàm affligendo ejus filium unicum &
dilectissimum. Hinc Proconsul Bithyniæ sub Dio-
cletiano Imp. S. Theodotam cùm minis & blan-
ditiis avertere à fide non posset, acerrimum me-
dium tentavit; unum enim è filiis ejus, Evodium
nomine, ante matris oculos virgis crudeliter cædi
mandavit. Quæ tamen filium confortans, hanc ten-
tationem fortiter superavit. In vita S. Anastasiæ
Lipel. 25. Decemb. S. Laurentius Justinianuus lib.
de triumph. Christi agone cap. 21. *Clarissimum*, in-
quit, *speculum passionis Christi effectum erat Virgi-*
nis cor & perfecta mortis imago. In illo agnosceban-
tur sputa, convitia, verbera & vulnera redemptoris.
Quare in ejus corde veluti in speculo expressi erant
omnes cruciatus filii. Galenus dicitur in digito an-
nulum jaspide insignitum gestasse, in qua cerne-
batur homo, fasciculum herbæ collo implicatum
gerere, apud Rueum lib. 2. de gemmis. Quidni
jaspidem hanc Deiparam exprimere dicamus, quæ
4. semper in corde suo gerebat filium cruce onustum?
In gloria. 4. Consequenter & in gloria. Quo spectat id Guer-
rici Abb. serm. 2. de Assumpt. Virg. ubi ait in per-
sona Christi. *Nullus mihi plùs ministravit in humi-*
litate mea, nulli abundantiùs ministrare volo in glo-
ria mea. Communicasti mihi quod homo sum; commu-
nicabo tibi, quòd Deus sum. Et Arnoldus Carnoten-
sis tract. de laudib. Virg. *Est illa*, inquit, *constituta*
super omnem creaturam: & quicùmque Jesu curvat
genu, matri quoque pronus supplicat & acclivis; nec
à dominatione vel potentia filii mater potest esse se-
juncta. Una est Maria & Christi caro, unus spiritus
una charitas; & ex quo dictum est ei: Dominus tecum,
inseparabiliter perseveravit promissum & donum &
filii gloriam cum matre non tam communem judico,
quam eandem.

III. Stella matutina tenebras dispellit & tene-
III. briones fugat, uti rapaces bestias, fures & noctur-
Lucifer te- nos grassatores; quos luce sua prodit ideoque terret
nebras & ac præcellit: vicissim amicos lucis, homines & alia
tenebrio- animantia lætificat & ad labores evocat. Non dissi-
nes fugat: mili modo Virgo Maria exortu suo longæ noctis,
lucis amã- quæ sub veteri testamento erat, & figurarum, nec
tes recreat. non & errorum, qui in Gentilismo vigebant, tene-
bras cœpit dispellere: & bestias tartareas perterre-
Similiter facere: econtra verò Dei servos exhilarare & ad vir-
Deipara. tutum studium excitare, ita ut de ipsa justius dici
possit, quàm de Simone Pontifice, quod ait Eccle-
siasticus cap. 50. *Quasi stella matutina in medio nebu-*
la. Non potuit latere Dæmones venturam aliquan-
do mulierem, quæ caput eorum contereret; quia
hoc à Deo prædictum audierunt; jure etiam merito
metuere potuerunt, quando Mariam in utero ma-
tris sanctificatam, suo imperio prorsus ereptam &
à communi peccati lege exemptam viderunt; ne
hæc ipsa mulier esset, quæ ipsos contritura esset.
Unde necesse est nefarios illos spiritus, ortu hujus
stellæ mirum in modum tremefactos esse; qui &
paulò post graves ab ea plagas accepere; quando
ipsa vitam ab omni labe immunem duxit, alios
exemplo suo ædificavit, Dei filium denique in ter-
ras evocavit. Hinc vel solum Mariæ nomen into-
lerabile eis factum est, ut testatur ipsa imprimis in
Revelat. S. Brigittæ: *omnes Dæmones audito nomi-*
ne meo aufugiunt. Et S. Bonaventura in Speculo
B. V, c. 3. *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles ca-*
strorum multitudinem: pereunt sicut cera à facie
ignis. Nec mirum; maxima enim potentia regnum
Satanæ invasit, cum à teneris statim vitam instituit
sanctissimam, eamdemque suo exemplo & hortatu
vivendi rationem tradidit, uti imprimis Josepho
sponso. Ipsa Angelos è cœlo evocavit, ut cum ho-
minibus familiariter conversari inciperent: quod
aliquot retrò sæculis intermiserant; nam & ipsa in
sacro gynecæo dum educabatur, Angelorum visio-
nibus & conversationi assueta erat, testantibus non
paucis SS. Patribus: & postea iidem frequentes
aliis apparuere, uti Zachariæ, Josepho, Pastoribus,
Apostolis, aliisque; ipsa ergò luce sua mundum
hunc illustrans cœlestibus illis aviculis, lucis aman-
tissimis, aditum aperuit in hunc mundum, eosque
ad hominum commercium invitavit. Deinde ipsa
duce & vexillifera prodire cœperunt in lucem San-
cti alii quam plurimi, priùs admodum rari: sensim-
que pervaserunt universum orbem. Ante ipsam
mundus quid nisi terra sterilis & pene omni vir-
tute destituta erat; qualis erat terra Israel sub Elia,
quando tribus annis & medio non pluerat, donec
nubecula è mari ascenderet & copiosam pluviam
in terram effunderet? 3. Reg. 18. In nebecula illa
agnoscit B. Virginem Joannes Episcopus Jerosoly-
mitanus de Instit. Mon. cap. 33. & bene, quia de
eadem Isaias c. 19. vaticinatus est: *Ecce Dominus*
ascendet super nubem levem (hoc est, in ulnas matris
suæ) *& ingredietur Ægyptum.* Nubes è mari ori-
tur, nihil tamen amaritudinis contrahit ab illo: &
B. Virgo orta & concepta est è sobole Adami labe-
facta, nihil tamen labis ex ea contraxit. Ante exor-
tum illius nubeculæ nihil pene germinis videre
erat in terra, nihil penè sanctitatis & eximiæ virtu-
tis: ubi verò illa prodiit, & pluviam, Christum fi-
lium, in mundum effudit, ibi omnis terra germi-
nare viros sanctos cœpit.

IV, Stella matutina splendore, magnitudine
pulchritudine omnes alias stellas præcellit, adeò ut
prope illam in maximo spatio nullæ prorsus appa-
reant, quasi earum fulgor ab hujus claritate ni-
mium eminente absorbeatur. Ita enim Plinius loco
ait: *Magnitudine extra cuncta alia sidera est, clari-*
tatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ
reddantur. Itaque & in magno nominum ambitu est:
Alii enim Iunonis, alii Isidis; alii Matris Deum appel-
lavere.

lavere. Ita plinius. Quid ſancti de Maria Virgine? Gabriel Angelus imprimis, deinde S. Eliſabeth appellat eam *benedictam in mulieribus*, hoc eſt, præ omnibus mulieribus. Luc.1. Quidquid enim ſanctitatis cæteri Sancti habuerunt, minus eſt & obſcurum, ſi cum Mariæ ſanctitate comparetur. Ita S. Hieronymus in prologo ſuper Sophoniam. *Taceo*, inquit, *de Anna & Eliſabeth & cæteris ſanctis mulieribus, quarum velut igniculos clarum Mariæ lumen abſcondit.* Et cur SS. litteræ nihil omninò ſcribunt de SS. ejus parentibus, Joachimo & Anna aliiſque ejus progenitoribus uſque ad Zorobabelem, quos nemo facilè dubitet ſaltem pleroſque claros & eximios virtutibus fuiſſe? Quia nimirum lumen hujus ſtellæ matutinæ tam eximium & illuſtre parvos illorum igniculos penitùs obſcuravit. Hinc *jure*, inquit Iſchius orat. 2. *omnis grati animi lingua ſalutat Virginem & Deiparam, ac pro viribus Gabrielem Angelorum principem imitatur. Itaque hic quidem dicit ei. Ave; ille verò acclamat, Dominus ex te, Iſte cognominat eam matrem lucis, ille ſtellam vitæ, alius Dei thronum appellat, alius templum majus cœlo. alius cathedram non inferiorem cathedra Cherubica: alius item hortum non ſeminatum, fertilem, incultum: turturem mundam, columbam impollutam, nubem, pluvias incorruptas continentem: odinam, unde prodiit lapis totam terram tegens, à nullo inciſus: navem mercibus refertam, theſaurum locupletantem: alii arcam arca Noe latiorem, longiorem & illuſtriorem,* ſic ille. De ejus magnitudine B. Petrus Damiani in ſerm. de Nativit. *Quid*, inquit, *grandius Virgine, quæ magnitudinem ſummæ divinitatis intra ſui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphim & in illius ſuperioris naturæ ſuper-vola dignitatem, & videbis quidquid majus eſt, minus Virgine; ſolumq; opificem opus iſtud ſupergredi, &c.* Similiter S. Laurentius Iuſtinianus in ſerm. de Nativitate Virg. *Nullus*, inquit, *mortalium, quamvis... morum cœleſtium numeroſitate ſit præditus, Virgini valet coæquari: Patriarcharum utique, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, omniumq; Sanctorum merita B. Mariæ tranſcendit.* Denique Maria præ omnibus mulieribus ita benedicta eſt, ut ſplendorem virginitatis conſervans, umbram projiceret, in qua mortales omnes refrigerium invenirent, filium ſcilicet mundi Salvatorem: Umbram, inquam, illam, de qua Thren. 4. dicitur: *Diximus, in umbra tua vivemus in gentibus.* In quem locum S. Ambroſius ſer. 19. in Pſal. 118. *Umbra tua, ò Chriſte, caro ...it, quæ noſtrarum æſtus refrigeravit cupiditatum, ...a compeſcuit inſolentiam vitiorum, quæ reſtinxit ...es libidinum, quæ avaritiæ diverſarumq; paſſionum incendia temperavit.* Si caro Chriſti umbra ...t, unde niſi à matre umbra prodiit? unde niſi à Maria?

V. Stella matutina grata ſimul & propitia terræ eſt *cujus natura cuncta generantur*, ait Plinius cit: ...*nque in alterutro exortu genitali rore conſpergens terræ modò conceptus implet, verùm animantium quoque omnium ſtimulat.* Hinc *benevola* appellatur, quia maximè temperantia in qualitatibus, ait Vincentius Belluac. l. 25. cap. 29. Stellæ aliæ frigora cuſant, uti Saturnus: aliæ calores & æſtus, uti canicula: aliæ pluviarum frequentiam, ut hyades: aliæ flatus & ventos, ut Mercurius: nihil horum Lucifer adfert. Conſimili modo Patres loquuntur de B. Virgine: per eam ſcilicet dari, quidquid gratiarum à Deo effunditur in homines. Rupertus l. 4. in Cant. in id: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, ait: *Quidquid gratiarum, quid virtutum, quidquid operationum cœleſtium mundus accepit: emiſſiones tuæ ſunt*, hoc eſt, per te ò Virgo velut de paradiſo in Eccleſiam derivantur. S. Bonaventura in pſalterio, in id Eccleſiaſtici 24. *Gyrum cœli circuivi ſola*, ait: *Gyrum terræ ſola circuis, ut ſubvenias invocantibus te.* Quomodo verò ſola? nonne etiam SS. Angeli cuſtodes terram circumeunt ut hominibus ſubveniant? Circumeunt quidem, ſed ut ſinguli ſingulis ſuccurrant: Deipara verò ita ſola circuit, ut omnibus & ſingulis opem ferre parata ſit. Benignum ſidus eſt, nihil auſterum nihil formidabile continet. Unde S. Bernardus de Verb. Apoc. *Mulier amicta Sole*, ait: *Eja eſt* (Maria) *quæ velut alterum Solem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos oritur: ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita: ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, &c.* Et rurſum: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt. Revolve diligentiùs Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem univerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod deniquè ſignum vel tenuis indignationis occurrit in Maria; de cætero ſuſpectam habeas & accedere verearis.* Angeli ſæpe formidabiles apparuerunt, & vindictam ſumpſerunt de peccatoribus, aut ſaltem terruerunt eos. Non ita Maria, quæ uti in terris degens, ita & nunc in cœlo regnans nemini terrorem adfert, ſed miſericordiæ ſinum aperit omnibus. Confirmemus hoc exemplo uno, quod quidam Preſb. Cardinalis, Stephanus nomine, refert apud B. Petrum Damiani Card: ep. 14. ad Deſiderium Card. l. 2. Epiſt. in hæc verba: *Clericus quidam fatuus erat, nauci frivolus & ineptus. Huc accedit, quia nullam religionis dotem nullam canonicæ diſciplinæ, gravitatis, ſive moleſtiæ videbatur habere virtutem: inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres hic perexigui fomitis tenuis vivebat igniculus, ut ante ſacroſanctum altare, quotidie B. Dei Genetricis accederet, & reverenter cervicem curvans, Angelicum hunc atque Evangelicum verſiculum decantaret: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cùm itaque tantæ fatuitatis ineptiam novus deprehendiſſet Epiſcopus, ab inutili perſona utilitatem Eccleſiæ detineri indignum duxit: eique præbendam, quam à nuper elato ſuo deceſſore perceperat, abſtulit. Sed cùm hunc rei familiaris egeſtas opprimeret, & propter* hos-

Maria omnibus benevola & propitia.

hoc aliud quid, unde posset vivere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix Episcopo dum dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir in una manu ardentem faculam, in altera ferulam portans. Cui mox B. Virgo præcepit, ut Episcopum delinquentem aliquantis ferulæ, quam gerebat, verberibus castigaret: Cur, inquiens, Capellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ quam non ipse contuleras, abstulisti? Moxque sacerdos tremefactus evigilans, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, jam quasi charum propensius honoravit. Si igitur ille unum duntaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter æterna sperabunt, qui B. Reginæ mundi quotidiana horarum omnium vota persolvunt? Ita ille.

Superest nunc, ut nos hanc Stellam non modò contemplemur, sed etiam cultu singulari propitiam nobis reddamus. Robertus Franciæ Rex sub annum Christi 1022. in honorem B. Virginis, cui mirè addictus erat, instituit hoc ipso Nativitatis ejus die 8. Sept. ordinem, qui stellam in veste pro insigni gerebat, ut ipsa sui regni ac præsertim nobilitatis ductrix esset, velut stella prævia. Quare 30. equites è prima nobilitate in eum ordinem adlegit, singulisque torquem aureum cum stella ad pectus dependente in collum injecit; ut habent Annales Parisienses Jacobi Broulii. Hujus exemplo Regis instituamus etiam nos ordinem militarem sub præsidio hujus stellæ, ut stabili & peculiari ratione certum aliquod pietatis pensum Deiparæ persolvamus; quo mereamur & ipsi ab hac stella dirigi in hac terra deserta, invia & inaquosa, eaque duce tandem pervenire ad umbram & refrigerium nostrum Christum.

IN FESTO MATTHÆI.

THEMATA.

I. *Convivium cur instruxerit Christo Matthæus.*
II. *Quale convivium exhibuerit Christo Matthæus.*
III. *Ad sequelam Christi incitamenta.*
IV. *Non sedendum seu hærendum in peccati telonio.*
V. *Pro divinis beneficiis gratiæ agendæ.*

THEMA I.

Convivium cur instruxerit Christo Matthæus,

I. *Vt animi sui lætitiam indicaret.*
II. *Vt Christo se gratum ostenderet.*
III. *Vt socios publicanos ad Christum attraheret.*
IV. *Vt factæ renunciationis suæ indicium daret:*
V. *Vt valediceret amicis & familiaribus.*

Discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu. Matthæi 9.

CAmpanam resonantem audimus in hodierno Evangelio, sed non scimus in quo loco, juxta nostram parœmiam, wir hören leuten / wissen aber nicht in welchem Dorff. Convivam audimus Christum fuisse in quadam domo; sed in qua domo? Non exponit hoc Matthæus; utique ex molestia, ne qua ratione, si se auctorem proderet, vel minimam gloriolam captare videretur. Quod tamen ille tacuit, manifestavit Lucas, qui ait Matthæum fecisse Christo convivium & quidem *magnum in domo sua*. Magnum certè fuit hoc convivium, è cujus reliquiis saturati & recreati sunt in cœlo omnes Angeli, qui, Salvatore teste, *gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente*. Sed dicet aliquis: spirituale hoc convivium & cœleste est; quid verò convivio spiritus cum convivio carnis? quid cœlesti cum terrestri? quid convivio mentis cum convivio ventris? An fortè hoc convivium tale in terris fuit, ut ad cœlum convivas dirigeret? an ita ventrem pavit, ut mentem etiam saginaret? Ita omninò; tale fuit; uti mox videbimus.

Instruxit hoc convivium Matthæus Christo & Publicanis.

I. Ut animi sui lætitiam indicaret & alacritatem, ut qui jam à mundi laqueis expeditus securâ ad cœlum viâ ingredi cœpisset; quod insinuat S. Chrysostomus homil. 31. in Matth. Videmus aviculas cùm fortè cavea eluctatæ vel dimissæ sunt avolantes præ gaudio cantillare, quòd libertatem suam recuperarint; quæ causa est, cur Turcæ sæpiùs in foro vænales emant aves, ut libertati eas restituant, & dimissas gestire audiant, uti Busbequius in sua legat. Turc. refert. Matthæus in telonio quasi avicula erat in cavea, avaritiæ vinculo alligatus, & duram servitutem in mundo velut in Ægypto serviens; quod jam tum intelligere cœpit, uti indicavit B. Brigit. Amalphi ad sepulchrum suum oranti, in

in ejus revelatione libro quarto capite centesimo vigesimo nono. Et cupiebat quidem eluctari; sed non poterat suis viribus, donec manum ei porrexit Christus,& vinculum dirupit. Quo facto quomodo non cantaret,non jubilaret Matthæus? Ita enim Hebræi è manu Pharaonis liberati cecinerunt duce Moyse carmen illud lætitia plenum: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.* Exodi decimo quinto. Equus est mundus,carnalis,superbus,injustus:ascensor ejus & domitor quis nisi Dæmon? Uterque persecutor Matthæi fuit;uterque demersus est, quando ipse à Christo vocatus est, Ergo Matthæus videns se ab his liberatum , suam ostendit instructo convivio magnifico lætitiam , quasi invitans convivas suos ad congratulandum sibi , & intonans: *Cantemus Domino: equum enim & ascensorem dejecit in mare;* quod ego, sedens adhuc in telonio, magno cum timore transivi. Video pene ante oculos meos infinita Ægyptiorum corpora in hoc mari demersorum,qui servientes Pharaoni, Dæmoni & mundo,perierunt in divitiis, deliciis & honoribus suis: ego nunc evasi. Hujusmodi avicula capta & illaqueata etiam David erat, quando in luto peccati hærebat; qui postquam Dei ope erutus est, cantavit Psalmum 115. in quo inter alia : *Dirupisti vincula mea,* ait: *tibi sacrificabo hostiam laudis.* Illam plures aliæ secutæ Psalmo 123. canunt: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Jam audi Epinicium: *Laqueus contritus est & nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini.* His addamus Tyrones sacri Ordinis sancti Dominici, quos in ordinem suscepit ipsius in Generalatu successor Beatus Jordanus Saxo, de quo ita Leander Albertus Bononiensis in ejus vita apud Surium decimo quarto Februarii. *Accidit ut vir Dei plures tyrunculos nostræ religionis, per ipsum sanctæ conversationis togâ indutos, ad quoddam cœnobium secum duceret: fortè illos ad habitum receperat in loco, ubi fratres non habebant ædes igitur cum hic ad meritoriam tabernam divertens, & pro consuetudine, hora id petente, officium persolvens, quod Completorium dicunt; accidit ut quidam ex iis in risum prorumperet. Cæteris vero id cernentibus , vehementer & ipsi ridere cœperunt. Animadvertens autem quidam ex sodalibus viri Dei, nutibus adnitebatur eos compescere; at illi magis ac magis ridebant. Tunc Jordanus dimisso Completorio, & dicto Benedicite, ad socium conversus: Frater, inquit, quis horum tyrunculorum tibi curam demandavit? Quid ad te attinet de eorum risu? Et ad illos conversus Filii, inquit, vehementer ridete, ne inceptum omittatis , quia hoc vobis concedo. Et vero ridere beneque gaudere vos opertet, eo quod è diaboli carceribus exiftis , fractis vinculis illius, quibus multo tempore vos ligatos tenuerat Ridete igitur filii, ridete. Porro illi hoc in sermone consolati in animo, deinceps ridere more effuso nequivere.* Cõvivium Matthæi hujusmodi ritus fuit, quo sibi gratulatus mundum derisit.

Fabri Sylva Nova, de SS.

II. Ut Christo Domino & Magistro suo qualem qualem vicem rependeret, & gratum se ostenderet ob acceptum vocationis beneficium , quod indicat Victor Antiochenus in Marci capite secundo. Invitarat Christus, dum transiret, Matthæum in suum contubernium: gratus huic tam nobili invitatori, invitat etiam ipse Christum ad domum suã, tametsi valde impari sorte. Christus enim ad epulas spirituales, hic ad materiales : ille ad cœlestes; hic ad terrenas invitavit. Fecit tamen quod potuit Matthæus, ne tanto benefactori ingratus foret. Imitatus est hanc Matthæi gratitudinem egenus quidam homunculus, sancti Hereberti Coloniensis Archiepiscopi quotidianis eleemosynis sustentari solitus , auctore Ruperto Tuitiensi Abbate apud Surium decimo sexto Martii, quod paulo succinctius ita refert Lipelous: *Erat pauperi & abjecto cuidam homini natus infantulus, quem cum nemo è sacerdotibus de sacro fonte levare dignaretur , & pauper iste Pontifici suam miseriam cum multis lachrymis exponeret, vir sanctus: Cito, inquit, eum ad me deferto; Ego enim puerum sacro latice tingere , & Christo pro eo spondere* (velut patrinus) *debeo. Tinxit itaque infantem & sacerdotum superbiam præclaro humilitatis exemplo confudit. Paucis tamen post diebus, cum celebrata apud sanctum Severinum statione magno sacerdotum & populi comitatu circumseptus pauperis hujus tugurium pertransiret, ille domo prorumpens, alacri usus confidentia, frænum equi, cui Præsul insidebat, corripuit, & benignè Præsulem* (velut compatrem suum) *ad prandium invitavit. Nec abnuit vir sanctus pauperis subire tuguriolum; ubi nihil præter panem cum asso pullo, tenuique cerevisia invenit; quæ tamen quibusvis ipse deliciis, ut humilitatis , benigneque faciendi disciplinam alios doceret, longè præposuit.* Ergo hic pauperculus ut raro & eximio tanti Pontificis beneficio gratum se quomodocumque ostenderet, invitare eum voluit ad suam qualemcumque cœnulam ; plus utique exhibiturus, si plus habuisset : nec vir tantus detrectavit. Idem quoque Matthæus Christo exhibuit, & ipse talis ac tantus, summus cœli terræque Monarcha libens accepit, adeoque gratum habuit; neque enim datum, sed dantis animum aspexit; & acceptando hoc convivium, plus ei respondit, sua divina præsentia ipsum honorando, quam ille dederit Fuisse autem invitationem Christo pergratam facile apparet ; quia ex convivio occasionem captavit convertendi alios Publicanos, qui simul invitati erant; quos dubium non est ad meliorem frugem reductos esse.

II. Ut Christo se gratum ostenderet.

III. Ut socios & amicos Publicanos hac illecebra traheret ad Christi notitiam & amorem, adeoque ad conversionem & sequelam suam. Signum enim veræ conversionis est, satagere ut proximi ab iisdem vel similibus peccatis convertantur; quia bonum est sui diffusivum, & charitas instigat ad aliorum perditorum salutem procuran-

III. Ut socios Publicanos ad Christum attraheret

dam, cùm quis eam in se expertus est. Ergo sicut una avicula capta & caveæ inclusa advocat suo cantu alias, ut in subjectam aream & retia descendant: sic egit Matthæus; pabulum & illecebram convivii proposuit amicis Publicanis, ut exemplo suo in retia Christi caderent. Munus hoc vocandi ad salutem alios omnium quidem Christianorum est, maxime tamen Apostolorum erat, quibus speciatim dixit Christus Matthæi quinto *Vos estis sal terræ vos estis lux mundi.* Sal autem nisi condiat cibos, suam acrimoniam illis impertiendo, ad nihil utilis est; quis enim sine cibo salem comedit; cùm nec sitim nec famem pellat? Unde sanctus Gregorius homilia 17. ait: *Si sal sumus, condire mentes fidelium debemus.* Similiter & lux nisi aliis lumen præbeat, ad quid prodest? Quare sanctus Leo sermone de sancto Laurentio: *Nullus verè bonus,* inquit, *sibi soli bonus est, nec cujusquam sapientis sibi tantum amica sapientia; & hæc verarum natura virtutum, ut multos è tenebroso abducant errore.* Ponamus Solem in sphæra sua ita undique circumseptum opacis corporibus, ut nullum ad alios cœlos & elimenta derivare lumen queat; ad quid ipsi lux erit? Denique in forma ignis misit Christus Spiritum sanctum in primos Christianos, num. 120. ut quemadmodum ignis quidquid tangere potest, in suam convertere naturam contendit: ita ipsi Spiritus sancti igne succensi, alios sibi etiam reddere similes, fideles nimirum & sanctos, toto pectore niterentur. Qua de re sanctus Augustinus sermone 185 de tempore. *Sedit,* inquit, *super singulos quasi ignis, de quo Salvator noster testatur* (Lucæ duodecimo) *Ignem veni mittere in terram. De quo dictum est, Deus noster ignis consumens est. Ipse itaque Apostolos suos* (imo & alios cum eis, ut dixi) *vivæ lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodum universum mundum tanquam duodecim Solis radii ac totidem lampades veritatis illuminent.* Similiter etiam in rubo igneo ardente, sed non comburente, apparuit Deus Moysi, quando eum misit ad eripiendum ex Ægypto populum suum; ut hoc symbolo eum doceret, qualis esse populi rector deberet, ardens nimirum igne charitatis; non comburens populum, aut consumens nimia severitate; sed conservans & fovens calore, illuminans splendore. Qualem certe se effectum esse ostendit, quando pro eis oravit: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exodi 32. q. d, malo potius ego perire, quam ut videam pereuntem populum meum. Pulchre sanctus Bernardus sermone 12. in Cantica in illa verba Moysis: *Vere,* inquit, *hominem unctum unctione misericordiæ, loquitur planè parentis affectu, quem nulla possit delectare fœlicitas extorribus, quos parturivit: Verbi gratia, si dives quispiam mulieri paupercula dicat: Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas, infantulum, relinque foras, quoniam plorat & molestus est nobis; nunquid faciet? nonne magis eliget jejunare, quam exposito pignore charo sibi prandere cum divite? Ita hoc Moysi placet solum se introduci in gaudium Domini sui, fortis scilicet remanente populo, sed tolerabiliorem sibi judicat torsionem, quam avulsionem* Simili amore flagrans Matthæus, parum suave sibi judicaret convivium, nisi etiam ad illud vocaret alios sibi notos publicanos, ut & illi Christum nosse, audire & sequi unà cum ipso inciperent.

IV. Ut factæ mundo renunciationis indicium præberet. Hoc sine etiam Elisæus vocatus ab Elia ad mundi contemptum & Eliæ sequelam, ecce quid fecit? *Tulit par boum & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes & dedit populo, & comederunt,* tertio Regum decimo nono. Igitur & aratrum confregit ejusque lignis coxit vicinis suis carnes; & cur hoc, nisi ad indicandum, quod nuncium jam remitteret ruri rusticisque proventibus; neque aliquid habere vellet, à quo postea de medio revocaretur cursu? Ita enim ibi Gaspar Sanctius. In hunc etiam finem Matthæus convivium vicinis & amicis suis instituit, ut coram iis renunciaret omnibus possessionibus suis, restitueret aliena, cætera in pauperes elargiretur, & reliquias in hoc convivium impenderet; ut jam nihil ampliùs haberet, quo revocari ab instituto ad priorem vitæ statum posset. Quod idem observare debent quicumque à Dæmonis laqueis per pœnitentiam evaserunt, ut ne vel pede uno eis adhuc inhæreant. Laborat enim Satan ut elapsos retrahat; quo modo laboravit Pharao; ut Hebræos etiam dimissos ad se revocaret. Postulabat primo, ut relinquerent in Ægypto saltem fœminas & parvulos suos; eoque negato, saltem oves & pecora sua. Sed respondit Moyses: *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis ungula.* Exodi decimo. Si enim ista reliquissent, utique in Ægyptum redire debuissent. Eadem de causa vitulum aureum, quem ipso absente erexerat populus, combussit, ut in massam liquaretur, & quasi in carbonem redigeretur; nec hoc contentus, insuper *contrivit,* seu ut in Hebræo habetur, *moluit* eum usque ad tenuitatem, ne redintegrari posset: denique ne etiam ramenta populus colligeret & rursum in Idoli formam eliquata conflaret, sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel; ut nimirum devorata illa ramenta & rursum egesta, colligere horrerent in suis excrementis; tanti interest, aditus omnes præcludere ad degustatam olim peccati dulcedinem. Expertus est in Stettinensibus sanctus Otto Episcopus Bambergensis, Pomeranorum Apostolus, cum Idola eorum, quæcumque reperire poterat, omnia confregisset. Quidam enim cives pauca hinc inde disjecta rapuerunt & absconderunt; postea ubi Episcopus, quasi jam perducta ad fidem Christi tota civitate, discessit; Idola illa rursum produxerunt in tripudio, eorumque ostensione populum ad pristinam superstitionem magna ex parte retraxerunt, ut in ejus vita secundo Julii apud Surium. Nullum ergo Idolum peccati converso retinendum.

V. Denique ut hoc convivio valediceret amicis & familiaribus suis, adeoque sine turbis & male-

volen-

violentia se ab eis expediret. Hanc causam inter alias etiam passim adducunt interpretes, & comprobatur exemplo Elisæi, qui & ipse secuturus Eliam convivium exhibuit rusticæ ac populari turbæ, qua cum vixerat antea; sive ut familiarium amicitiam conservaret: sive ut bona eorum pace, quin etiam applausu & congratulatione discederet. Non sunt culpanda convivia, sed laudanda potiùs, cùm amicitiæ comparandæ vel stabiliendæ causa instituuntur, servato interim decore & honestate. Scimus enim per convivia coire amicitias & multa alia bona fieri. Unde celebris illa vox Alphonsi Regis Neapolitani : *amicitiam conservari urnâ vini, pileo, & papyri libro*, hoc est, liberalitate, reverentia seu honore, conversatione & humanitate. Ergo ut amici & familiares Matthæi propositum comprobarent ac laudarent, merito in eorum gratiam instructum est convivium. Solent ad nuptialia convivia amici vocari, ut sua præsentia nuptias cohonestent & confirment : vocantur & ad parentalia, cum vita functis justa persolvimus. Utrumque festum celebravit Matthæus: nuptias, quas iniit fælicissimas cum Christo, eligendo eum in sponsum, familiarem cum eo & intimum convictum deinceps habiturus. Parentalia, quia mundo mortuus, Christo vivere cœpit, ut dicere posset cum Paulo: *Vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.* Jure igitur merito convocavit vicinos & amicos, dicens quodammodo illud : *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam* salutis æternæ, ut ita etiam ipsi invitati participes hujus gaudii essent, & Matthæo congratularentur.

Hæ potissimùm videntur rationes fuisse, quæ Matthæum instigarunt ad parandum hoc convivium; sanctæ & honestæ. Felices Christiani forent si similibus ex causis convivia celebrarent. Verùm in hoc pauci imitantur Matthæum. Quæruntur propria commoda eaque ferè terrena solum: profana lætitia, mutua invitatio, favor humanus, pompa & ostentatio vana: non invitatur Christus, non pauperes, non errantes, ut ad viam reducantur. Quibus dici potest illud Amos sexto. *Væ qui comeditis agnum de grege & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterii : bibentes vinum in phialis; & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph*; hoc est, super Israelitis, qui atterebantur ab optimatibus sese ditantibus & saginantibus ex rapinis & pauperum sudore; qui quotidie epulantur splendide, & Lazarum præ foribus esurire inter canes & perire sinunt. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ:* ait Ezechiel capite decimo sexto *superbia, saturitas panis, & abundantia & otium ipsius & filiarum ejus : & manum egeno & pauperi non porrigebant*; quia putabant suo ventri decessurum id, quod in pauperes expendissent. Ex adverso pii cum egenis mensam suam communicant? cives etiam & vicinos suos invitant, ut amicitiam stabiliant, pacem inter diffidentes concilient, &c. Hæc sunt convivia; quibus una cum hominibus pascuntur etiam ac recreantur Angeli; quin & Angelorum gaudium, ipse Dei filius, Christus Dominus noster.

THEMA II.

Quale convivium exhibuerit Christo Matthæus,

I. *Quale Carolo IV. Imp. eivis Pragensis donando ei omnia sua.*

II. *Quale Romæ quidam dives, offerendo etiam affectum.*

III. *Quale S. Laurentius proposuit Valeriano, offerendo seipsum.*

IV. *Quale exhibuit Deus Petro Publicanos & peccatores offerendo.*

Quare cum Publicanis & Peccatoribus manducat Magister vester? Matth. 9.

MOs est Auditores omnium ferè gentium, ut amicos & gratos hospites convivio excipiant. Gratissimus amicus venit ad Matthæum Christus, cùm de teloniarii infami officio evocatum adlegit in suorum discipulorum sanctissimum Collegium. Itaque Matthæus *fecit ei convivium*, & quidem *magnum* in domo sua, ut scribit Lucas capite quinto. Porro sicubi magnum aliquod habitum est convivium, proni statim sunt ad interrogandum homines: quale tandem illud fuerit, quæ ciborum fercula, quæ epulæ appositæ, ut vel ex auditu satiare non potuerunt. Non potuimus nos interesse illi convivio & satiare appetitum nostrum ; satiemus ergo auditum, audiendo & expendendo, quale fuerit id convivium. Solet etiam nidor boni cibi nonnihil dare virium & refectionis? forsan etiam nidor hujus convivii reficiet animas nostras.

I. Fuit convivium, quale Carolo IV. Imperatori exhibuit quidam Pragensis civis. *Auri nummûm centum millia recepto chirographo dederat is mutuo Imperatori Carolo. Eum postridie ad prandium invitavit, convocatis aliquot Regulis: convivium more Bohemico splendidissimum apparavit. Cum vero potioni & caseo, ut illi consueverunt, locus esset (neque enim saccareis confectionibus utuntur) chirographum in catino aureo jussit adferri admirantibus convivis & quid hoc sibi vellet, quærentibus. Cætera, inquit, fercula, Cæsar, communia tibi cum hisce optimatibus fuere, hoc tui solius erit, Nam aurum, quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omneque debitum remitto.* Ita Æneas Sylvius in Comment. Panorm. libro 4. capite 42. Dico jam Matthæum non absimile ferculum apparâsse Christo. Quando enim ipsius amore valedixit uxori & domui suæ, telonio & — *I. Quale Carolo IV. Imp. civis Pragen. donando ei omnia sua.*

divitiis ac deliciis suis, ex divite & famoso officiali factus pauper & humilis Christi discipulus, nonne hæc omnia bona sua auro pretiosiora ipsi quasi donavit & obtulit, adeoque igne amoris combussit? Quis nescit, quanti æstiment homines suas conjuges, parentes, liberos, domum, patriam, amicos, cives? nonne pro eis pugnant, litigant & extrema quæque pericula adeunt? Nec mirum: ipsa natura hoc docet etiam animalia ratione destituta. Vis ergo inferri naturæ debet, cum hæc deserenda sunt. Magnis laudibus & merito extollitur Abraham à SS. Patribus, quod ad Dei vocantis vocem: *Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui*; illico paruerit, nesciens certum & definitum locum, ad quem eundum esset. Quam dulcis enim patria sit, patet ex Græcorum proverbio, qui ajunt: *Patriæ fumus igne alieno luculentior*. Patet in Ulysse qui Ithacam patriam suam, in asperis licet saxulis tanquam nidum affixam, immortalitati antepôsuit, teste Cicerone de lib. 1. de Orat. In Vespasiano Imperatore qui Cossana prædia crebro excursionibus repetebat, quia natale solum erant, teste Suetonio in Galeno, qui suum Pergamum adeo diligebat, ut nullis Imperatorum Principum promissis alio transferre domicilium vellet. Denique sanctus Augustinus serm. 68. de temp. *Cui*, inquit, *non est dulce magis patrium tugurium, quam palatia peregrina, & voluntaria casa, quam digesta prætoria? cui non est durum illos conscios natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria & ipsius infantiæ rudimenta commendant, ubi cunabula illa novi & mox orientis hominis famulabantur, ubi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate fœlices, quos sibi inter lascivos atque ipsius ætatis lusus, vernaculo genuina solo necessitas exhibebat!* &c. Sed parum est relinquere patriam respectu charæ conjugis, dulcissimorum pignorum & parentum, dilectæ familiæ, possessionum, commoditatum, deliciarum, quæ velis remisque quæruntur & mordicus retinentur; & acerbius relinquuntur. Omnia hæc Matthæus simul & semel uno disco apposuit Christo, & coram ipso concremavit! nulla allectus promissione magnificæ mercedis; quam tamen habuit Abraham & expectant homines alii. Quale & quantum est hoc ferculum? Quantum laborant sæpe pauperes, ut vel unum nummum emendicent ab avaro! Matthæus ad unam Christi vocem simul omnia dedit, adeoque holocaustum obtulit Deo gratissimum, nihil sibi & suo usui de victima reservans.

II. *Quale Romæ quidã dives offerendo etiã affectum.*

II. Fuit convivium, quale fertur exhibuisse Romæ Trapezites quidam Romanus, cujus nomen taceo, apud Hadr. Junium animad. libro 4. capite 8. Is enim quoties novæ mensæ seu ferculorum missus inferebantur, toties antiqua una cum patinis & calicibus *argenteis* projici in præter fluentem Tiberim per fenestram jussit. Tale dico fuisse etiam convivium Matthæi; non enim solum quæ habuit, reliquit; sed etiam vasa, hoc est, affectum, facultatem & cupiditatem habendi vel acquirendi abjecit, nihil amplius desiderans vel quærens in hoc mundo. Poterat Matthæus in sæculo sperare honores, divitias & delicias, quas acquirere licebat: vasa illa vacua erant, quæ impleri poterant, sed & hæc à se abjecit & projecit quodammodo in flumen, ut recipere non posset. Paucorum istud est; multi enim sua distribuunt, sed spem plura acquirendi retinent. Ita Alexander Magnus profecturus in Asiam cum exercitu regias opes suas pene omnes in milites ac Duces distribuit. Rogante vero Perdicca: *Quid tibi Rex nunc superest? Spes*, inquit, *& bona Persarum*. Plutarchus in Alexandro. Insidiabatur enim Persidi. At hoc non est sua relinquere, sed cum melioribus commutare velle. Multi invitant alios ad convivia, ut vel rursum invitentur, vel aliam majorem gratiam venentur. Dissuasit istud Dominus Lucæ decimo quarto, cum jussit potiùs invitari eos, *qui non habent retribuere*. Noster Matthæus invitavit etiam discipulos ejus, à quibus nihil lucri reciproci sperabat; & si publicanos invitavit, ideo id fecit, ut similes sibi redderet, non ut ab ipsis quid reciperet. Legimus Matthæi octavo accessisse quendam Scribam ad Christum ac dixisse: *Magister sequar te quocumque ieris*. Verum Dominus respondit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Quibus verbis, ut volunt sanctus Hieronymus & Augustinus, ulcus illius detegit, indicans eum sequi Christum velle, ut vel honores quærat, cum avibus sibi nidum in alto structurus: vel opes conquirat, ut cum vulpe in fovea avaritiæ conquiescat. Intellecta ergo Christi paupertate vanus homo se subduxit; ut tacite innuere videtur Matthæus. Utinam non plures similes huic forent, qui spe lucri aut honoris omnibus se abdicant, ut meliora capiant! *Effunde sicut aquam cor tuum*, inquit Jeremias Threnorum secundo, ita scilicet ut nec odor priorum bonorum, quæ pro Christo reliquisti, in te remaneat. Qui affectum ad ea retinent, effundunt cor suum ut vinum vel unguentum, cujus odore adhuc pascuntur. Totum cor vult Deus, non dimidiatum. Tritum est illud sancti Basilii ad senatorem sæculo renunciantem ea lege, ut aliquid è bonis sibi reservaret, unde otiosus degeret: *Et senatorem perdidisti & monachum non effecisti*, quod laudat citatque Cassianus tractatu de spiritu philargyriæ capite 19. Idem illi dici potest, qui rebus renunciat, affectum vero retinet.

III. Fuit convivium, quale sanctus Laurentius Martyr proposuit Valeriano Imp. quando semiassatum corpus suum obtulit ei in cibum. Vel potiùs quale Christus Dominus nobis proponit in S. Eucharistia; dum seipsum nobis in cibum dat. Hac ratione, inquam, S. Matthæus dedit Christo non tantùm sua, sed ipsum quasi in cibum, ut in ipsum converteretur, & totus quantus esset ipsius, eiq; assimilaretur in vitæ sanctitate. Simili quodam modo

Æschi-

Æſchines ſe Socrati Magiſtro ſuo obtulit in diſcipulum, ad omnia paratum, apud Senecam l. 1. de Benef. c. 7. quanquam ad diſciplinas tantùm humanas capeſſendas & mores civiles diſcendos; ut melior à Magiſtro redderetur. Matthæus verò noſter ad cæleſtes diſciplinas & virtutes cælo dignas perdiſcendas Chriſto Magiſtro ſuo ſe tradidit unaq; omnes ſuas actiones, intentiones, voluntates, deſideria, labores opera, ad omne ejus obſequium, ad omnem voluntatem, ad ipſam quoq; mortem; uti expendit S. Baſilius in Regulis fuſior. interrog. 8. *Matthæus,* inquit, *non lucra modò reliquit, ſed pericula etiam contempſit, quæ ipſi totiq; ejus familiæ à civitatis Magiſtratibus imminebant, quòd redemptorum à ſe vectigalium rationes diſcedens non confectas reliquiſſet.* Quòd ſi propter hoc à Magiſtratibus Judæorum nihil ſuſtinuit; certè poſtea à Gentilibus mortem pro Chriſto pertulit, & ſuſtinuit perlibenter, ad altare obtruncatus, victima Chriſti pro tuenda ejus fide & dilectione factus. Deniq; non parum eſt abnegare ſemetipſum, & propriam voluntatem alteri ſubjicere; quod etiam Matthæus fecit. Multi parati ſunt offerre Deo ſua & dare munera, non ſeipſos. Horum anteſignanus Cain obtulit Deo ſacrificium de frugibus terræ à ſe excultæ, ſed non obtulit ſeipſum; ideò Deo diſplicuit una cum ſuo munere; quia ut 70. indicant, malè diviſit: dando Deo fruges, ſibi ſeipſum. Unde illi ſic vertunt: *Nonne ſi rectè offeras, non rectè autem dividas, peccaſti?* Quomodo malè diviſit? quia ſeipſum ſibi retinuerat; ait Rupertus l. 4. in Gen. c. 2. *Cain cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primò cor ſuum; deinde rem ſuam.* Sic ille. Indicat hoc ſacer textus, dum ait Deum reſpexiſſe *ad Abel, & ad munera ejus*: priùs ergò ad Abel, quàm ad munera: priùs ad offerentem; quàm ad oblationem reſpexit. Non benè diviſit & obtulit ille, qui vovens dimidium rei inveniendæ Mercurio ſe oblaturum; poſtea invento ſacculo nucibus referto, ſibi nucleos omnes, Idolo cortices dedit. Idem agunt, qui offerunt munera templis & hoſpitalibus; ſeipſos autem ſubtrahunt Deo, perſiſtentes in peccato. Non quærit Deus noſtra, ſed nos. Fames in Ægypto non ſolùm duravit biennio, donec ſubditi omnem ſuam pecuniam expenderent pro frumento & traderetur Joſepho: nec ſolùm quadriennio, donec etiam pecora ſua darent; ſed duravit ulterius uſque ad ſextum & ſeptimum annum; donec etiam terram ſuam ac deniq; ſeipſos vendere Pharaoni in ſervitutem cogerentur. Gen. 47. Septenarius numerus perfectus eſt, perfectam renunciationem indicans, quæ conſiſtit in reſignatione ſuiipſius. Hanc quærit Deus non pecuniam, nec pecora noſtra: & fames Chriſti non quieſcit, donec ipſi nos in ſervitutem ei tradamus, propterea ipſe tam expreſſè dixit Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod ſuo modo facere omnes poſſunt ac debent, dando Deo cor, amorem & voluntatem ſuam ad faciendam voluntatem ipſius.

IV. *Quale exhibuit Deus Petro; Publicanos & peccatores.*

IV. Fuit convivium, quale exhibuit Deus Petro Apoſtolo in viſione quadam Act. 10. quando ei in exceſſu mentis poſito propoſuit *vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis de cælo ſubmiſſum in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cæli,* addita voce: *Occide & manduca.* Linteum hoc, cùm Petrus jamjam vellet cœnulam deguſtare, inſtar mappæ fuit, epulis ſpiritualibus inſtructæ, ut ante refectionem corporis ſumeret refectionem ſpiritus. Quænam igitur erant epulæ? Quadrupedia, feræ ſeu beſtiæ (ut addit Græcus) ſerpentia & volatilia; adeoq; multa immunda animalia, quæ ſignificabant ad literam Gentiles ad Chriſtum, Petri opera, convertendos; tropologicè omnes peccatores. Hujuſmodi ergo immunda animalia erant Publicani & peccatores publici, quos ad convivium Chriſti invitavit Matthæus, ſed quo fine? ut Chriſti benevolentia, humanitate & doctrina allecti, ad ipſum pari modo ſequendum traducerentur. Unde non dubitat Sanctus Chryſoſtomus & Hieronymus in hunc Matthæi locum, & ipſos ab avaritia avocatos reſipuiſſe. Hoc igitur erat convivium longe nobiliſſimum & Chriſto acceptiſſimum, cujus epulæ erant peccatores, ipſi ad hoc propoſiti & adducti, ut eos ore doctrinæ ſuæ cæleſtis contereret, & in ſtomachum, hoc eſt, cumulum electorum ſuorum trajiceret, adeoq; ſibi incorporaret & ſuos faceret. Vidit, opinor, Matthæus Chriſtum Dominum ab Iſaaco præfiguratum fuiſſe, qui non tam domeſticis quàm ſylveſtribus & ferinis delectabatur carnibus, ut habetur Geneſ. 27. ideoque diligebat Eſau filium ſuum, quòd de venationibus ejus veſci ſoleret. Geneſ. 25. Sed cur de venationibus: cum domi haberet agnos & pullos & ſimilia? Quia nimirum feræ typus ſunt peccatorum, quia extra Dei domum vagantur, in libertate ſua abſq; jugo & obedientia, prædæ dæmonum, quaſi luporum, urſorum & leonum expoſiti; ac ſiquidem capiantur, & ipſi ab interitu eripiuntur & menſæ divinæ velut gratiſſimus inferuntur cibus, mera induſtria comparatus, unde nihil ſperabatur: magis quoque ſapidus; quia rarus; & quia peccatores converſi ſæpenumerò plus proficiunt in virtute & ſanctitate, quàm qui nunquam lapſi ſunt. Quare ſicut Iſaac dilexit valde filium Eſau, quod ipſius induſtria veſceretur ferinis: ita non dubitandum eſt Matthæum promeruiſſe ſuo hoc convivio, quo ferinam Chriſto quaſi apponebat, ut ab ipſo Domino magnoperè amaretur. Quod etiam pronuntio de quibuſcunque aliis, qui lucro animarum ſtudent & convertendis peccatoribus. Quemadmodum enim Principes nulla magis delectatione afficiuntur quàm venatione, & venatores illos maximè diligunt, qui plures eis inveſtigant

indicantque feras : ita Christi Domini delectatio quasi unica & summa est convesio peccatorum ; quos ut venatu caperet, de cælo in terram descendit. De hujusmodi venatoribus loquitur per Jeremiam cap. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos : & postquam hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Piscatores fuerunt Apostoli, & sunt adhuc Prælati & Concionatores, qui verbi Dei reti, in confertam multitudinem expanso piscantur peccatores. Venatores sunt zelotæ sæculares, præsertim Magistratus, qui non uti prædicatores, verbo Dei: sed uti venatores, vi & potestate sibi demandata, capiunt publicos & graves peccatores, fures, latrones, mœchos, maleficos, in montibus, sylvis, cavernis, prostibulis latentes ac vagantes: capiunt, inquam, cum canibus seu apparitoribus, sternunt venabulis & sclopetis, torquendo, suppliciis afficiendo, ut vel hac ratione conversi moriantur in pœnitentia, ad exemplum & cautelam aliorum. Gratam hi venatores Deo prædam offerunt, escamq; sapissimam. Quod etiam privati suo modo præstare possunt, correctione, adhortatione, instructione, precibus convertendo peccatores, sibi subditos vel notos. Si enim juxta Michæam cap. 7. *Omnes in sanguine insidiantur, & vir fratrem suum ad mortem venatur*: si, inquam, hoc agunt mali, cur boni non venentur alios ad vitam? ergò qui nequeunt esse venatores sicut Esau, vi capiendo & sternendo peccatores, uti faciunt Magistratus: sint structores velut Jacob, jugulando hœdos, hoc est, peccatores domesticos; inde cibos parent patri suo, Christo; ut benedictionem ejus accipiant.

THEMA III.

Ad sequelam Christi incitamenta.

I. *Majestas Christi vocantis.*
II. *Splendor virtutum ejus.*
III. *Miser & periculosus hujus mundi status.*
IV. *Beatus finis & merces immensa.*
V. *Baptismus & promissio nostra Deo facta.*

Sequere me. Matth. 9.

MIranda res videtur Matthæi promptitudo ad sequendum Christum & telonium deserendum; non diffiteor. Existimo tamen Matthæum, non tam ad Christum accurrisse, quàm ab aliis adductum vel gestatum fuisse. Describit ipse Matthæus vocationem suam post sanationem paralytici, qui (ut notavit Marcus c. 2.) gestabatur in grabato à quatuor portitoribus; post subjungit immediatè vocationē suam. Igitur existimo idem contigisse Matthæo, quod contigit paralytico; adeoq; & ipsum à quatuor bajulis portatum esse ad Christum. Fuit namq; & Matthæus paralyticus secundùm animam : ideò in telonio *sedebat, utiq; quia stare non poterat*, inquit B. Petrus Chrysolog. ser. 29. *pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incurvus.* Quòd si pressura & debilitate sua stare non potuit, quomodo currere potuisset? Opus ergo & ipse suis habuit bajulis, à quibus gestaretur ad sequelam Christi. Quinam verò illi? Quatuor insignia motiva, quæ meo judicio, ipsum excitarunt, ut vocantem Christum surgens mox sequeretur; quæ si & nos expenderemus, vehementer excitarent omnes ad eandem Christi sequelam & imitandam ejus vitam, quæ hic expendemus.

I. Primum est Majestas Christi vocantis. Ipse est enim Rex & Dux noster, Dominus & Deus noster, qui summam & supremam in nos habet potestatem velut in mancipia sua. Quis autem civis detrectet sequi præcedentem & vocantem Regem suum? qui miles Ducem suum? quis servus dominum? Cogitavit itaque Matthæus divino lumine collustratus, majestatem Christi sive ex miraculis, sive ex ipso ejus vultu resplendentem : interim à tam paupere & humili statu, qualem Christus duxit, minimè abhorrentem ; adeoq; non decere, ut ipse in telonio suo quasi in equo aut lectica splendidus & dives sederet, tanto Rege & domino suo pedibus incedente & degente in egestate ; *surgens igitur secutus est eum.* Non eguerunt Davidis aulici multa exhortatione, ut sequerentur Regem suum exulantem à Jerosolyma operto capite & nudis incedentem pedibus : ipsi sponte sua simili habitu Regem prosecuti sunt. 2. Reg. 15. Quis enim horreat navim aut etiam lintrem intrare, quem Rex ingressus est? fluvium pedibus trajicere, quem Dux transvadavit? Non eguerunt Hebræi admonitione, ut sequerentur Dominum (hoc est, Angelum Domini) præcedentem in columna ignis, Exod. 13. Sufficiebat illis, quòd columna se moveret & præire inciperet ; tum enim omnia Hebræorum castra se movebant, ipsamq; sequebantur. Quis enim non sequeretur tam mirabilem & planè cælestē columnam? Angelum Ductorem : At quantò plus est habere ipsum Angelorum Dominum, pro Duce viæ suæ? quis eo movente non se moveat.

Quanquam etsi Ducem nostrum præeuntem non cerneremus, satis superque nobis esse deberet vox ipsius invitantis. Quis enim Rex non indignè ferret, si quem subditorum postularet ad sectanda castra sua, & ille nullâ justâ causâ impeditus sequi detrectaret? Sanè Darius Rex Persarum proficiscens conta Scythas, cùm Oeobazus nobilis Persa duos ei filios suos ad militiam concederet, tertium sibi relinqui in senectutis baculum peteret; promisit se omnes ei relicturum, sed mox eos occidi jussit. Herodot. l. 4. Similiter Xerxes Darii filius, cùm moventi in Græcos Pythius Lydiæ Rex comites daret quatuor filios, quintum velut primogenitum apud se de-

se detineret : illicò Xerxes eum per medium dissecari jussit, perq; media ejus membra exercitum transire. Herodot. l. 7. Fuit ista, fateor, nimia crudelitas; verùm si hoc Deus statueret cum hominibus, sequi se renuentibus, nullam eis injuriam inferret; millies enim magis Deo subjecti & obstricti sumus, quàm Regi cuivis mortali. Quod si huc accedat illa cogitatio, quæ in mentem nobis revocat, Dei filium de cælo propter nos descendisse, ut nos aberrantes oves ad se, pastorem nostrum, vocaret & reduceret; quis tam acri stimulo ad sequendũ non moveatur? Certè talis cogitatio occupavit adeoque expugnavit pertinaces Indorum & Japonum animos, adeoque ad fidem pertraxit, quando expenderunt Sanctum Xaverium ex Europa per tot vasta maria & terrarum spatia, nullo suo commodo aut spe lucri, ad se enatasse quodammodo, ut eos Christo lucrifaceret; adeò ut planè manus darent, suaviq; Christi jugo capita submitterent, & Xaverio se regendos committerent. Quid non possit igitur labor Christi & iter ejus de cælo in terram propter nos susceptum, ad trahendos post se homines?

II. Secundum est splendor virtutum ejus & sanctissimorum operum, quæ patravit. Solent grato odore trahi non solum homines, sed etiam feræ in societatem. Pantheræ odorifero suo anhelitu dicuntur ad se allicere, etiam à longè, feras alias. Pier. l. 11. hierogl. Columbæ unguento delibutæ trahunt secum ad columbarium alias columbas, ut scribit S. Basilius ad Julittam. At in humanis rebus gratior odor non est quàm virtutis, quæ non solùm amicos, sed etiam inimicos rapere ad amorem sui solet. Scimus in amorem & venerationem S. Antonii tractum Constantinum M. Imp. ejusque filios, ut pro magno ducerent, se ejus precibus commendare, & litteras ab eo accipere: Maximum Imp. ejusque conjugem in venerationem S. Martini, ut sibi gratularentur, si vel haustum vini ab eo prælibatum accipere, vel aquam manibus dare & mensam apparare: Pontifices & Cardinales honori sibi duxisse, si S. Franciscum, Dominicum & similes sanctos ad mensam suam adhibere possent. Et quid mirum? sunt enim virtuosi homines viva quædam Dei simulachra, adeo ut Lystrenses Pauli & Barnabæ virtutibus atq; operibus perspectis dicerent: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*; & sacrificare illis vellent. Act. 14. Quin & aliena virtus animum potest, ut ad honorem & amorem sui hominis pelliciat. Eccur enim Gabelus ille de Rages Medorum tanto cum honore & amore salutavit juvenem Tobiam, ita ut fleret præ gaudio super collum ejus? Tob. 9. Causam ipsemet explicat, *Quia*, inquit, *filius es optimi viri & justi ac timentis Deum & eleemosynas facientis.* Denique ipsum Deum trahit virtus in amorem ejus, qui ea præditus est, ut patuit in adolescente illo, qui dixit se adimplesse omnia mandata à juventute suâ. Id enim audiens Christus, *intuitus eum, dilexit eum*; signum aliquod amoris sui ipsi demonstrans. Marci decimo. Quid jam igitur non possint virtutes Christi Domini ad trahendum nos in obsequium & sequelam suam, in quo omnium virtutum fons est? in quem Spiritus sanctus omnium gratiarum charismata & virtutum unguenta copiosissime effudit? Hinc igitur sponsa Canticorum 1. ait ad Christum, sponsum suum: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum*; quasi diceret, fac me solum percipere odorem virtutum tuarum, & mox potenter trahes non me solam, sed meo exemplo etiam plures alios mihi adhærentes, ad sequendum te. Traxit immenso illo amore suo, quo *propter nos homines descendit de cælis, & incarnatus est*, ad fidem & sequelam suam pastores & Magos, aliosque, qui ab illis de Christo edocti sunt. Traxit humanitate & suavitate sua non solùm discipulos, sed etiam Samaritanam, & per eam totam civitatem Sichar. Joa. 4. Sua sapientia & mansuetudine inter calumniatores mulierem illam quæ exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit*, Luc. 11. Sua liberalitate & misericordia esurientem populum illum, qui cupiebat eum rapere & Regẽ facere, Joa. 6. Effusa sua erga omnes ægros bonitatẽ & opitulatione, regiones integras, Matth. 14. Sua sapientia & vi dicendi ministros Pontificum. Joa. 7. ita ut eum capere non auderent, sed caperentur ab eo potiùs. Sua dulci conversatione Zachæum ejusque domum & alios innumeros, Luc. 19. Sua patientia & oratione pro inimicis fusa latronem in cruce, Lucæ 23. Deniq; odore totius vitæ suæ traxit ad se post ascensionem suam mundum adeo totum ad fidem, amorem, imitationem, & cultum suum. Fuit igitur hic secundus Matthæi bajulus, qui gestavit eum ad Christum, odor sanctitatis & virtutum ejus, cui quoad posset, similis fieri cupiebat. Si enim Alexãder magnus visa Diogenis heroica virtute & magnanimitate res omnes homines flocci pendente dixit: *Nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem*, teste Plut. in Alex. cùm tamen illa virtus fucata solùm esset; quanto magis Christianus præ omnibus mundi bonis optare & simul conari debet, ut virtutum verissimarum exemplar, Christum, imitetur, adeoque velut alter Christus fiat?

III. Tertium est miser & periculosus hujus mundi status. Fuit hic, ni fallor, tertius Matthæi bajulus. Desiderabat enim jam tum (uti revelavit sancta Brigittæ Amalphi ad sepulchrum ejus oranti libro 4. revelationum cap. 129.) liberari ab officio telonarii, velut odioso & periculoso, vili & molesto. *Voluntas mea*, inquit, *talis erat eo tempore, quod neminem defraudare volui, sed desiderabam invenire viã qua separarem me ab officio isto; & toto corde adhærerem Deo soli. Prædicante igitur amatore meo Iesu Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocationis suæ in corde meo: sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quod de divitiis & honoribus non plus cogitarem quam de paleis: imo mihi magis flere placuit & gaudere, quod Deus meus tantillum*

III. *Miser & periculosus hujus mundi status.*

tillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam.

Cogitabat ergo primò, aut certè cogitare potuit ſedere ſe in cathedra peſtilentiæ, & tali officio, quod à gravibus injuſtitiæ peccatis vix immune eſſe poteſt: quemadmodum & manus, quæ argentum & nummos tractant, nigredine quin inquinentur fieri nequit. Secundò expendit vilitatem auri & argenti, quod non plus ſint quam vilis terra & limus, è quo ſibi caſulas, altariola & tempella extruunt infantes; ſi abſit hominum æſtimatio. Altaria Idolis extructa ridicula plenè & ſtulta erant; unde Amos cap. 6. verſ. 9. appellantur *altaria Idoli*, Hebr. *altaria riſus* ſeu *deriſionis*. (Erant enim ſtructuræ ex auro & argento affabrè factæ, ſed quibus inſiderent turpiſſimæ figuræ vituli, aut piſcis aut Priapi, canis, felis aut crocodili) ita etiam ciſtæ & crumenę nummis impletæ, quæ velut idola coluntur ab avaris, non ſunt niſi *altaria riſus* & meræ nugæ, curis & moleſtiis plenæ, quæ veram homini ſalutem & fælicitatem conferre minimè poſſunt. Hinc 1 Reg. 8. dicuntur filii Samuëlis *declinaſſe poſt avaritiam* Chald. *in mammonam falſitatis*, quia avaritia promittit, ſed non confert vitam beatam: dat potius infælicem. Tertiò Publicani munus omnibus Hebræis ſummè eſſe exoſum, uti & avaros omnibus hominibus. Videmus aves rapaces, bubones & accipitres in ſummo odio eſſe apud omnes aviculas, ab illis quoque impeti roſtris & clamoribus. Nihilominus exoſi ſunt avari apud homines. Unde Plautus ſolet eos appellare *accipitres pecunia*; quia non minus ſanguini pauperum inſidiantur, quàm accipitres ſanguini avium. Eandem ob cauſam S. Chryſoſtomus homil. 45. Op. Imperf. in Matth. Pharaonem vocat accipitrem, propter oppreſſionem Hebræorum. Porcos viventes averſamur, mactatos ſolùm amamus: ita & avari cùm vivunt odio habentur, mortui verò amantur cùm aliorum præda fiunt. Econtra verò qui ſequuntur Chriſtum, ſecuro loco ſunt, & ſub ejus umbra placidè conquieſcunt. Anthias piſcis quemcuumque locum in mari incolit, is & belluarum eſt expers & ab urinatoribus tutus. Itaque ejus fiducia confirmati piſces audacter fœtificant & pariunt: delphini ipſius præſentia exhilarati tripudiant; inde ſacer piſcis dicitur Ælian. l. 8. c. 28. Sacer piſcis Chriſtus eſt, cujus præſentia ſectatores ſuos ab omnibus Dæmonum vitiorumque inſidiis defendit, ſedatisque tempeſtatibus ſerenitatem affert. Quis è tot tantisq; periculis ſub talem protectorem non ocyus ſe recipiat? Illum qui ſequuntur, in ſumma pace & abique periculo ambulant: quia *pax multa diligentibus legem tuam; & non eſt illis ſcandalum*, hoc eſt, impedimentum. Fruuntur etiam vero & ſolido gaudio, quod omnem abſorbet triſtitiam & adverſitatem, quia pignus gloriæ cæleſtis habent. Denique poſſident juſtitiam, quæ etiam hominibus quibuſcumq; reddit eos amabiles. Uno verbo poſſident regnum Dei, quod non eſt eſca & potus, ſed *juſtitia, pax & gaudium in Spiritu S.* ad Rom. 14.

IV. Quartum eſt beatus finis & immenſa merces parata Chriſti ſectatoribus; regnum videlicet æternum in cælo. Qui militiam ſectantur, non ſolum promiſſione ſtipendii, ſed etiam ſpe magnæ alicujus prædæ alliciuntur; tameſi ſæpenumero & plerumque defraudantur. Atqui Chriſtum ſequuntur, ſecuram ejuſdem Domini promiſſionem habent, non ſolum de ſufficienti ſtipendio in hoc ſæculo, ſed etiam de immenſis ſpoliis in futuro. Hinc Matth. 16. cùm dixiſſet Dominus: *Si quis vult venire poſt me; abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me*; mox addit ſpem mercedis, dandæ in cælo gloriæ, dicens: *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus*, quaſi diceret: Agite, ô fideles, ſequimini me fortiter & tollite cruces veſtras: quia ob hæc opera veſtra laudabo vos in die judicii & gloriæ meæ conſortes faciam: ſicut ècontra increpabo & à facie mea abjiciam in pœnas, qui ſequi me detrectaverint. Ac ne dicerent diſcipuli regnum id longè abeſſe, & nullam ſibi interim in terris dari arrham, ſtipendium, conſolationem, ſubjungit: *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Itaque poſt ſex dies duxit illorum tres in montem Thabor, & oſtendit illis gloriam ſuam. Ubi Ven. Bed. ait: *pia proviſione factum eſt, ut contemplatione ſemper manentis gaudii ad breve tempus delibata fortius adverſa tolerarent.* Arrham igitur futuræ & promiſſæ illius gloriæ acceperunt, nō ſolùm diſcipuli, ſed & omnes nos in Chriſti transfiguratione, quæ interea ſufficere nobis debet. Balaam ille viſa pulchritudine caſtrorum Iſraeliticorū, & populi à Deo benedicti, exclamavit: *Moriatur anima mea morte juſtorum & fiant noviſſima mea horum ſimilia.* Num. 23. In quæ verba S. Bern. ſerm. 7. in Pſal. *Qui habitat*, ait: *Tantus eſt pietatis fructus, tanta juſtitiæ merces, ut ne ab ipſis quidem non deſiderari queat impiis & injuſtis.* Quæ virgines apud Romanos Deæ Veſtæ ſe conſecrabant per tricennalem virginitatem, magnis ad id inſtitutum ſectādum provocabantur præmiis. Nam ſummus eis honor in urbe deferebatur, carpento vehebantur, Magiſtratuſque illis aſſurgebant, lictores præcedebant, ac fortuito occurrentem reum ſupplicio eximebant. Verum gravis etiam pœna voti violatrice manebat, defoſſio in terram. Cælius l. 15. cap. 14. Pari modo duo illa, quæ propoſuit Chriſtus, cum nos ad ſequelam ſui vocavit, efficaciter ſanè movere neminem non debent: gloria ſcilicet & gehenna. Quæ eadem Achilles Abbas, magnæ ſanctitatis vir, Monacho cuidam ſibi conquirenti, quòd in cella ſua præ tędio perdurare non poſſet, in mentem revocavit his verbis: *Præoccuparis ab acedia mi frater, quia necdum expendiſti gloriam cæli, ad quam*

aſpe

aspiramus;nec inferni tormenta,quæ timemus. In veritate autem dico tibi , quòd si hæc probè intelligeres, cellam tibi tuam,quam vix collo tenùs scateret vermibus,nequaquam tamen futuram molestam. In vitis Pp.

Addo licet nullum aliud expectaremus, sufficere nobis pro præmio deberet, quod ipsum habeamus Ducem nos præeuntem , qualemcunque tandem fortunæ aleam cum ipso subituri. Insinuavit hoc populo Hebræorum Samuel , dato ipsis Rege, 1. Reg. 12. *Si timueritis Dominum & servieritis ei* , inquit, *eritis & vos & rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum* , quasi dicat, hoc erit vestrum præmium, quia sequimini Dominum vos præcedentem. Magnum istud præmium est, quia ut ait Ecclesiasticus c.23. *Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Græca habent: *longitudo dierum suscipi te ab eo.* q.d. hoc ipsum pro vita æterna & beata computandum est, si quis à Deo suscipiatur, ut ipsum sequi , tantum scilicet Dominum, possit. Quanti Dynastæ mittunt in aulas Regum filios suos , ut suis impensis ipsis serviant , hoc unum pro mercede & honore reputantes, quod eorum filii servire Regi possint? Magna ergo merces nobis esse deberet , quod vel gratis Deum sequi possimus ; quia hoc magna gloria est.

V. Præter hæc, quæ diximus , habemus nos Christiani aliud præterea & peculiare motivum ad sequendum Christum; quia ipsi hoc promisimus in baptismo, inviolabili sacramento ad hoc obligati. Quid enim est Christianismus? Respondeat ad hoc Gregorius Nyssenus initio operis, epist. ad Harmonium dicens : *Christianismus est imitatio divinæ naturæ* , ut cogitationes & actiones nostræ actionibus Dei similes sint. *Qui dicit se in Christo manere debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare* , ait Joannes ep. 1 cap. 2. Ita inter alios egit S. Malachias Hyberniæ Episcopus, qui specie pacis sanciendæ ad insidias & manifestum necis periculum evocatus à potente Principe, suadentibus amicis ne iret , ipse pacis cupidus & mortis non timidus dixit : *Sinite fratres , sinite me imitari Magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor*, refert S. Bern. in ejus vita. Dicat hoc & sibi quivis Christianus: *Sine causa sum Christianus si Christum non sequor.* Certè Josue moriturus vehementer inculcavit Hebræis jusiurandum, quo se Deo obstrinxerant ad serviendum ipsi & non alteri. *Testes*, inquit, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum , ut serviatis ei. Responderuntque testes.* Neque his contentus, *scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini : & tulit lapidem prægrandem, posuitq; eum subter quercum , quæ erat in sanctuario Domini; & dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium , quòd audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis : ne fortè postea negare velitis & mentiri Domino Deo vestro.* Jos. 24. Vobis etiam hoc dicitur ô Christiani. Elegistis enim in baptismo Dominum Deum vestrum, ut serviretis ei, & renunciastis Satanæ ac pompæ ejus. Negare non potestis: testes sunt patrini vestri: testes nomina vestra inscripta in album baptizatorum ; testis ipse lapis Baptisterii, qui, si opus sit, loquetur & proferet testimonium, juxta id Habac. 2. *Lapis de pariete clamabit.* Clamabit, inquam , & accusabit vos, si relicto Deo vestro adhæseritis creaturis velut Diis alienis. Hi ergo sint bajuli vestri, qui vel renuentes etiam & paralyticos portent vos cum Matthæo ad sequendum Christum, &c.

THEMA IV.

Non sedendum seu hærendum in peccati telonio.

I. *Cunctatio pœnitentiæ Deo injuriosa.*
II. *Peccatori ipsi valdè perniciosa.*
III. *Horrenda prorsus.*
IV. *Admodum periculosa.*
V. *Signum est hominis in peccato morituri.*

Surgens secutus est eum. Matth. 9.

Divus Hieron. super hodiernum Evangelium scribens refert Porphyrium Gentilem & Julianum Imp. Apostatam insultasse B. Matthæo, quòd vel imperitè de se mentitus sit, secutum esse mox ad unam vocantis Christi vocem ; vel stultè saltem egerit, dum adeò facilè paruit vocanti. Verùm ego dico arguendos potiùs esse impios illos de maxima stultitia, Matthæum verò commendandum de maxima sapientia. Quid enim vobis videtur ô insani? Debeatne Matthæus tam esse rusticus & inurbanus , ut non assurgeret transeunti Domino cœli & terræ, quamprimum ab eo vocatus erat ? Vultisne ut dominus servum suum expectet? aut servus non nisi in senecta, cum jam viribus nihil valet, domino suo servire incipiat ? Vultisne ut servus mercedem suam minuat, & verbera sibi accumulet ? Vultisne ut Matthæus in pestifera sede hæreat, & non quamprimum inde profugiat? Vultisne ut fronte capillata negligat occasionem captandæ salutis suæ, & calvam post arripiat ? Vultisne ut insidiantem sicarium sedens expectet, & non potiùs fuga quamprimum sibi consulat? Vos miseri stulti estis: sapientissimus Matthæus , quem qui sequuntur festinando ad pœnitentiam, hi revera sapiunt: desipiunt econtra, qui remoras nectunt; quod hic ostendemus.

Sapientissimus fuit Matthæus, Dominum mox sequẽs

I. Remora illa Deo maximè est injuriosa, licet aliquando conversio sequatur : fœcem enim & finem ætatis tuæ illi dare , florem juventutis Dæmoni & mundo vis consecrare. Si quis alteri, etiam paris conditionis homini, flores offerret, cùm jam languent & deflorescunt, dum vigent verò ac benè olent, secum retineret ; quam gratiam, putatis, ab illo

I. Cunctatio pœnitentiæ Deo injuriosa.

illo reportaret? Juventus flos est vernans, hæc dum floret, Deo danda; ubi ea defloruit, quid magni Deo damus, si sero convertamur? Anna illa Samuelem filium Deo offerens: *Ego*, inquit 1. Regum 1. *commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Deo*; hoc est, utilis & idoneus; non diebus, quibus erit ei inutilis. Similiter si quis alterum invitaret ad vineam suam peracta jam vindemia, quando non nisi exigui & neglecti aliqui botri remanserunt, quæ hæc esset civilitas? Nihilo civilius agit cum Deo, qui reliquias ætatis ei donat. Queritur hac de re Deus Mich. 7. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*: hoc est, post vindemiam, ut habet Chaldæus. Barbari in novo orbe inveniuntur, qui putria veteramenta, veluti detritos calceos montibus & viis dedicant, ut prosperum iter obtineant; apud Caussin. libro 5. Symb, capite 23. Quid aliud agunt, qui florentem ac robustam ætatem sibi, Deo inveteratam & detritam offerunt? Egregie sanctus Basilius oratione 4. de pœnit. *Quid facis, ô homo!* inquit, *cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis, ubi vero labore fracta fuerint instrumenta, tūc ipsa ad Deum adducis, cum jam nullus sit usus, sed necessaria labant ac torpent ob longi temporis tabem, firmitate ac labore eorum dissoluto. Temperantia in senecta non est temperantia, sed potius incontinentiæ quædam impotentia. Mortuus coronis non ornatur, &c.* Hoc est, quod Eccles, cap. 17 docuit, *Confiteberis vivens, vivus ac sanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis.*

Adhæc invisum Deo spectaculum exhibet, qui vel unum diem in peccato hæret. Si quis tibi præ foribus tuis erigeret patibulum, & suspenderet in eo maleficum, quanta tibi hæc molestia & ignominia foret? At qui in peccatis pendulus hæret, coram oculis Dei crucem sibi erigit, & in ea pendens manet. Nonne Deuteron 21. præceptum fuit: *Non permanebit cadaver ejus* (rei) *in ligno, sed eadem die sepelietur?* ubi Gl, ait: *Non est de die in diem differenda pœnitentia, sed statim agenda, ut per pœnitentiam fructuosam ab oculis Dei abscondantur delicta.* Incivilis admodum fuisset Matthæus, si transeunti atque alloquenti se Christo non assurrexisset. Multo incivilior est, qui in cathedra pestilentiæ coram Deo sedet, & in cruce pendet. Injuriam fieri sabbato suo interpretati sunt Judæi, si Christi & latronum corpora in cruce per id temporis remanerent; unde ea deponi curarunt; & non erit injuria, pendere per tot sacratos dies in cruce peccati, probrosa & maledicta?

II. *Peccatori ipsi valde perniciosa.*

II. Ipsi peccatori supra modum perniciosa. Matthæus, si Christi vocationem non statim secutus fuisset, sibi vehementer nocuisset. Primo enim plurimis bonis, veluti Christi exemplis, doctrinis aliisque gratiis gratis datis se privasset. Ita & qui in peccatis hæret, tempus perdit, opera sua perdit, prædam aliis eam diripientibus amittit. Nautæ sane, qui commodam navigandi tempestatem ad divitias parandas nacti sunt, eam mox arripiunt, & si qui vectores alibi diutius se detineant, ipsos negligunt; quid ni festinemus potius ad opes cœlestes comparandas?

Secundo conversionem suam difficiliorem reddidisset. Venisset uxor, liberi, vicini & dissuasissent ei sequelam Christi; quibus resistere difficile erat. Crevissent deinde divitiæ, & cum illis sitis novarum opum & amor. Crevisset habitus & consuetudo lucrandi. Funiculum hunc triplicem quando abrupisset? Hac de causa Christus Matthæi nono discipulo cuidam volenti ipsum sequi, prius tamen petenti, ut posset sepelire patrem suum, respondit: *Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Eccur hoc? Quia si ad suos rediisset & moram traxisset, difficulter se ab iis expediisset, ob testamenti executionem, convivia, conversationem propinquorum, dissuasiones, patriæ amorem &c.

Tertio peccata & iniqua lucra semper auxisset, sicque ex funiculo funem texuisset, & thesaurum iræ sibi comparasset, juxta id ad Rom. 2. *Secundum impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quemadmodum enim is, qui ad usuram accepit nummos, dum non reddit, auget semper debitum, ut tandem solvere nequeat, & *scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus.* Psal. 108. ita qui in peccati delectatione, quam à Dæmone quasi mutuo sub usura accepit, hæret, debitum multiplicat persistendo in peccato. Exemplum est in Davide, à quo delectatio adulterii usuram exegit, ut inebriaret Uriam: deinde, ut eundem gladio hostili objiceret, & cum eo multos alios innocentes expediret: adhæc ut illo ipso uteretur pro ministro & latore iniqui hujus decreti: post ut Joabum ejus executorem iniquum constitueret & peccato suo implicaret: denique ut cædem admissam fuco palliaret. Unde Psal 68. orans lamentatur: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam Infixus sum in limo profundi & non est substantia;* quasi diceret: bibi sicut aquam iniquitates, alias & alias, quasi nullo pretio constarent, solvendo aliquando: & defixus in meis fæcibus pene demersus sum, ut fundum & finem non inveniam.

Ho... pro...

III. Horrenda prorsus est. Ubi enim sedet peccator, dum in telonio peccati sedet? *In mensa dæmoniorum & in cathedra pestilentiæ* sedet. Ita enim Psalmo 1. dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum:* (hoc enim grave foret) *& in via peccatorum non stetit:* (hoc adhuc gravius) *& in cathedra pestilentiæ non sedit* (hoc gravissimum foret.) Sanctus Eduardus super injusta pecunia à Quæstoribus suis collecta vidit sedere & ludere Dæmonem; ut in ejus vita. Quis ergo dubitabit in telonio Zachæi tot sedisse cum eo Dæmones, quot injusta vectigalia accepit? Et quis in tali telonio sedere vel ad horam vellet? Quis non metuit habitare in domo peste correpta? Quis non fugit eos, qui cum pestiferis morantur?

Lug-

Lugduni in Gallia, cùm non ita pridem pestis grassaretur, & pueri in Arari flumine se lavarent, vestes in cymbam deposuerant; quam ubi viderunt ingredi aliquos pestiferorum vespillones, vestibus in cymba derelictis, velut jam pestiferis, nudi profugerunt domum: quod fide dignissima relatione accepi. Sic & adolescens ille, tentus à satellitibus, qui Christum in monte Oliveti ceperant, *rejecta sindone nudus profugit ab eis.* Marci 14. Atqui peccator in peccato hærens cum ipsa morte & Dæmonibus, hostibus infensissimis, sedet, comedit, bibit, dormit: tentus ab iisdem velut à satellitibus divinæ justitiæ & ad supplicium tractus. Quis hic vel nudus & quamprimum non aufugiat? Ducitur enim peccator captivus à Diabolo, & quò putas ducitur, nisi ad supplicium æternum; nisi se magna vi & auxilio divino adjutus ab eisdem explicet?

IV. Nimium quantum periculosa: quia incertum utrùm Deus postero tempore daturus ei sit gratiam, ut surgat à peccati telonio. Commodum transivit Christus Matthæi telonium; quid enim si postea non transisset amplius? Quid si Matthæum ibi præsentem non vidisset? Quid si non vocasset? Quid si Matthæus aliis cogitationibus implicitus, vocanti aures non dedisset? Quid si vivere desiisset? Dolens lamentatur sponsa Cant. 5. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat.* Idem fortè Matthæo contigisset, si non mox pulsanti aperuisset. Omni igitur ex parte pœnitentiæ dilatio plena est periculo. Qui serica fila è bombycum folliculis eruunt, nisi citò eruant, vermis qui intus latet, discisso carcere indutus alas foras evolat, eosque suo labore ac spe colligendi ampliùs sericum frustratur: ita etiam dum in hac vita sumus, tanquam è serico orbe possumus colligere ingentes cœlestium gratiarum acervos: at nisi id citò fiat, avolat imprimis occasio, quæ post sæpè calva est. Deinde fortè animus noster quasi scisso corporis folle alas induet & avolabit in alterum sæculum, nosque proventus nostri spe fraudabit. Hinc Psal. 89. cùm dixisset Psalmista: *Convertimini filii hominum;* inter alias causas subjicit hanc: *Quoniam transibimus citò & avolabimus;* ut S. Hieronymus ep. 159. & Victor ex Hebræo legit. Nemo rem pretiosam committit latori incerto. Quid salute nostra pretiosius? quid vita nostra fragilius & incertius? Unde eodem Psal. subditur alia causa accelerandæ conversionis nostræ: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur:* quasi dicat: vita nostra quasi araneæ tela & textura est: quid autem hac fragilius? hodie texitur, cras fortè scopis, aut à vento dejicitur & pedibus conculcatur. Sic contigit diviti illi cogitanti demoliri horrea sua & majora facere. In eadem enim nocte audit: *Stulte hac nocte repetunt à te animam tuam,* Luc. 12. sequenti ergo die in sepulchro omnium pedibus calcatus fuit.

V. Signum & omen malum est, hominis scil. in peccato morituri, ut qui telonio Dæmonis velut carceri affixus detinetur ad supplicium. Quid enim indicant catenæ hominis in carcere detenti nisi mortis supplicium ei pertimescendum? Avis quæ diu eodem loco sedet, jaculis exposita est, & juxta Juristarum regulam: *non censetur hæres, qui non festinat adire hæreditatem.* Quare prodit se non esse hæredem cæli, qui moras in eo quærendo trahit. B. Jordanus Ord. S. Dominici Generalis Magister secundus, dicebat de illis, qui diu valdè in peccatis hærent: *Si quispiam hodie, cras & postcras & pluribus diebus ad cœnobium veniens, præ foribus aliquem continuò sedere adolescentem animadverteret, nonne de facili ipsum ordinē ingredi velle putaret?* (olim enim petentibus ingressum religionis: præ foribus Monasterii pro experimento diu sedendum erat, decem scilicet aut pluribus diebus, teste Cassiano l. 4. de Instit. renunc. c. 3.) *Quomodo igitur non est credibile, quòd intrent in infernum qui tamdiu sedent in porta?* Ita in ejus vita 13 Febr. apud Sur. Leander Albertus Accedit insuper testis non spernendus, S. Isidorus, qui ait: *Indies pœnitentiam differre signum manifestum reprobationis est.*

V. Signum est hominis in peccato morituri.

Vicissim quando quis post lapsum statim surgere conatur, bonum est indicium, non moriturum hunc in peccato. *Sacrarum equi,* inquit Ælianus de var. hist. l 12. c. 38. *si qui sessorem excusserint, subitò consistunt, ut rursum ascendere possit.* Quisquis ita agit, si fortè Deum suum à se excussit, mox tamen subsistit, sine eo progredi ac vivere nolens, donec eum rursum in sessorem sui per gratiam acquirat, bene de salute sua speret. *Optimè malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus adhibetur: & citò vulnus sanatur, quod diu putrescere non permittitur,* inquit Cæsarius Arelat. hom. 16. *& ideò si aliquis ex nobis cujuslibet peccati vulnus acceperit, antequam longa consuetudine putrescat & fœteat, omni celeritate ad pœnitentiæ medicamenta confugiat.* Sic egit Matthæus; unde sanitatem integram mox recepit. Matthæum secutus est Prædicans ille Polonus, Romæ anno 1575. repente conversus, postquam 23. annis Satanæ minister fuisset, qui à conversione sua intra triduum mortuus cœlum sibi paravit sub Gregor, 13. Pp. uti refert Florimundus Ræmundus de origine hæresum l. 4. c. 13. in hæc verba. *Anno M. D. LXXV. qui Iubilæus fuit, senex quidam Lutheranæ religionis Minister Polonus natione non tam devotione quàm ex curiositate quadam Romanam illam Babylonem Anno isto confusionis (sic Iubilæum & Romam appellabat) visendi cùum Romam proficisci decrevisset, eodem quo cæteri religionis ergo peregrinantes habitu iter ingressus, & cum iisdem commune, S. Trinitatis nomine appellatum hospitium ingressus, triduum in eo, ut exactè omnia contemplaretur, permansit. Ejus verò societatis curam tum gerebat Ferdinandus Medices, is qui hodie magnus Hetruriæ Dux est; qui una*

cum multis aliis proceribus, hospitum pedes abluere solebat. Inter quos cum Minister hic fortè esset, tantā in tanta dignitate humilitatem, ut & Pontificis in visitandis Ecclesiis devotionem & pietatem demiratus, ac tandem loca sacra in quibus SS. Apostolorum & aliorum Sanctorum reliquiæ asservantur, ipse contemplatus, totius deniq; velut mundi undiq; ad reddenda Deo vota & fundendas ad SS. Apostolorū & Martyrū tumbas preces eò concurrentis religione obstupefactus: divino monente spiritu ad pedem altaris genibus innixus oculos aperire cœpit, ii sq; ad cælum elevatis, quamvis aliud animo volveret, ut qui spectandi causa tantum eo venerat, vehementer ingemiscens, & consilium de vita & religione mutandis amplexus; properè è media turba se proripuit; & ad S. Petri Basilicam accurrens, ad pedes Pontificis, qui in sacello tum ibi erat, procidit, eos iterum atq; iterum deosculatus, lachrymis & singultibus interim voce interclusa, ne verbum quidem proloquutus. Pontifex ratus hominem fortè esse, qui nefarii facinoris sibi conscius, id aliis audientibus propalare nollet, præsentes aliquanto secedere jussit, ut solum audiret: at ille recuperata voce exclamans: Minimè, inquit, Pater sancte, sed jube hos manere: quippe peccati mei magnitudo pœnitentiam postulat publicā. Viginti tres sunt anni, ex quo Satanæ fui minister, at jam post hac Iesu Christi ejusq; Ecclesiæ servus esse cupio: ad quam Sanctitatem Tuam humillimè rogo, ut me admittere & transscribere velit. Tum Papa hominem de singulis interrogatum, ipse quoq; illachrymans, impertita benedictione ad Cardinales quosdā remisit; à quibus ille examinatus & absolutus & S. Eucharistiæ cōmunione munitus, quū æstu ardentissimè pleraq; loca sacra visitasset, non multò post in morbū incidit, & in Xenodochium S. Spiritus delatus, post triduum animam Deo reddidit, unicè gaudere se dicens; quod post tot tantaq; pericula ad portum salutis tandem appulisset. Ejus audita morte Pontifex, apud quem tum erant P. Hieronymus de Marca, & P. Bernardinus de la Poste, Capuzini, sublatis in cælum oculis, in hæc verba cum D. Apostolo prorupit: ô altitudo sapientiæ! Quam multi miseri peccatores vel in monasteria vel in deserta se conferunt, ut peccata sua pœnitentiæ & vitæ austeritate eluant: & hic tantus peccator tribus tantum diebus vera animi contritione peccatorum remissionem & paradisum promeruit. Videte igitur Audit. ne multi ab oriente & occidente veniant, & recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum: filii autem regni (si surgere à telonio & cathedra pestilentiæ non festinarint) ejiciantur in tenebras exteriores.

* * *

THEMA V.

Pro divinis beneficiis gratiæ agendæ.

I. *Docet id ipsa rei æquitas.*
II. *Multiplex fructus gratiarum actionis.*
III. *Gravis culpa ingratitudinis.*

Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Matth. 9.

IN Bœotia juxta Orchomenon duos esse fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, inde nominibus inventis scribit Plinius l. 31. cap. 2. Orchomenos sedes est gratiarum. In gratiis autem duo spectabilia sunt; oblivisci, si quid dederis: meminisse, si quid acceperis. Ex utroq; hoc gratiarum fonte bibisse videtur S. Matthæus. Beneficium enim vocationis ad Apostolatum à Christo accepit, & meminit; nam in grati animi significationem fecit ei convivium magnum in domo sua, ut scribit S. Lucas cap. 5. Et tamen hujus convivii, Christo à se exhibiti, oblitus esse videtur, dum nihil de se scribit, quasi Christo hoc præstiterit. Præclarè ergo docet beneficia data oblivisci, accepta verò grato animo meminisse: jure & appositè *Matthæus* appellatus, hoc est, *donum* ab Hebræo *Matthan*, ut Pagninus docet: vel *donatus*, ut Origenes; quia enim divinum sanè donum à Christo accepit; mox ei convivium instruxit; ut donatori suo gratum se exhiberet. Nemo nostrum est, cui non competat hoc nomen. Quis enim non innumeris donis à Deo affectus est, & adhuc quotidie, imo omnibus horis ac momentis afficitur ac donatur? Nonne igitur & nos convivium gratiarum instruemus Deo & quotidie quidem? Ita quidem confido; quod tamen ut exactius præstemus, videamus rationes quibus ad hoc urgemur.

I. Prima est ipsa rei æquitas, naturæ lumine dictans, gratias pro beneficio agendas esse: sicut *non referre beneficiis gratiam est turpe, & apud omnes habetur*, ait Seneca l. 3. de benefic. 1. Docent enim hanc gratitudinem ipsa vitâ carentia elementa. *Copia aquarum*, ait S. Bernard. serm. 13 in Cant. *secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt; ut inde rursus ad visus ususque nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales rivi; ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum, unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Qualiter, inquis? qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ deputa, Christo.* Idem quoque terra docet: *spontaneos fructus*, inquit S. Amb.

ſanctus Ambroſius libro de offic. capite trigeſimo primo, *miniſtrat, quos non ſeveris; multiplicatum quoque reddit, quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non licet; quomodo licet acceptam non referre gratiam?* Et paulo ſuperiùs: *Imitanda nobis eſt natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quam acceperit.* Sic ille. Aer quoque vapores & exhalationes tenues, quas è terra ſurſum trahit, multiplici fœnore uberrimarum pluviarum refundit. Solus ignis devorat accepta, & nihil redonat; ideoque ut Rupertus libro primo in Geneſin capite octavo advertit, in creatione mundi ſiletur & præteritur, quaſi ingratitudinis typus. Quod tamen ignis natura non docet, compenſare voluit Deus, dum ejus jugem conſervationem in V. T. præcepit, uti docet Philo in libro de offerent. victimas. *Quia,* inquit, *perennes Dei gratiæ, neque deficiunt neque intermittuntur, ſed interdiu noctuque fruendas ſe præbent nobis hominibus; gratiarum actionem ſacra flamma figurat, ſemper inſtaurandam, ne quando extinguatur.* Sic ille. Sed nos ipſos interrogemus. Quis agros ſuos agricolæ colendos permitt.t, & non annuum cenſum ab eo requirit? Quis pontem viatoribus per aliquod flumen ſtruit, & vectigal inde non exigit? Ipſæ urbes tranſeuntibus pro ſtratis ſilicibus penſum imponunt & accipiunt. Quid mirum ſi & Deus, cujus beneficiis ubique & ſemper fruimur, tributum ſuum exigat? At hoc aliud non eſt, quam præciſe gratiarum actio. Quare ſicut illi, qui telonium non ſolvunt, aut circumeundo ſubterfugiunt, ſpoliari omnibus ſuis mercibus merentur & ſolent: ita qui Deo vectigal gratitudinis pro mercibus è cœlo advectis ſolvere negligit, toto eo, quod accepit, in pœnam ſpoliari meretur. Atque hac de cauſa putat Rupertus libro ſecundo in Geneſin capite trigeſimo nono. Adamū ad lapſum fuiſſe diſpoſitum ac denique labi permiſſum, quod acceptis tot beneficiis in laudes Dei non eruperit ſtatim ac debebat. *Peremptoria enim r. s eſt ingra. itudo,* inquit D. Bernardus ſer. de Evangel. 7. panibus, *hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Vias enim obſtruit gratiæ &c.*

II. Multiplex fructus, qui inde ad nos redundat. Nam primo quo gratiores fuerimus, eo pluribus beneficiis de novo cumulabimur. Hanc enim ob cauſam beneficia Dei crebro appellantur *retributiones*, quia per gratiarum actionem rurſū tribuuntur, uti Pſalm. 102. *Benedic an. ma mea Domino & noli oblivijci omnes retributiones ejus.* Et Pſalm. 115 *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* In quem locum S. Baſilius orat. in martyrem Julittam: *Etenim rurſus, ait, magnificus dator haudquaquam dictus eſt tribuiſſe, ſed retribuiſſe, ac ſi is non cœpiſſet prior in nos gratiam conferre, ſed reſolveret acceptam his, qui priores contuliſſent. Quam enim pro accepta gratia rependis gratiarum actionem, in numerum refert & habet beneficii loco.* Eam reciprocationem Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi comparat ludo pilæ, qui tamdiu durat, quamdiu pila ab excipiente repercutitur. Quod experta eſt imprimis Eva, mater noſtra, quæ ubi Cainum, primum filium peperit, dixit: *Poſſedi hominem per Deum.* q. d. non natura parvulum mihi dedit, ſed divina gratia; ut explicat Chryſoſtomus. Quare rurſum peperit filium alterum Abelem. Unde ibidem S. Chryſ. *Quia pro nato filio grata fuit, & prius beneficium agnov. t, aſſecuta eſt & aliud. Talis enim eſt Dominus noſter, quando inprimis gratitudinem declaramus & benefactorem agnoſcimus, largius ſua dona nobis erogat.* Experta eſt & Anna illa, quæ cum pro primo filio Samuele, precibus obtento, gratias egiſſet & laudem Deo decantaſſet, poſt illum quinque alias proles accepit; cùm viciſſim Phenenna ejus æmula, quia pro filiis ſuis Deo ingrata fuit, non ſolùm plures non acceperit, ſed etiam acceptos amiſerit, ut multi cum Hebræorum traditione ſentiunt apud Mendozam, 1. Reg. 2. v 5.

2. Grata beneficiorum Dei memoria continet nos in officio, ne Deum offendamus; quod indicat ipſe Iſa. 48. dicens: *Propter nomen meum longè faciam furorem meum; & laude mea infrænabo te, ne intereas.* Infrænabo, quando laudabis me; quod miſericorditer eripuerim te à captivitate Babylonica. Qui enim Dei beneficia tot tamque grata mente recolit, quomodo fieri poteſt, ut offendat benefactorem ſuum? Communis Patrum ſententia eſt, quam tradit Joſephus l 1. Antiq. D. Cyprianus l. de vanit. Idol. D. Iſidorus l. 8. Etymol. & alii, in prima mundi ætate, ab Adamo uſque ad diluvium, nullam extitiſſe Idololatriam, Cui ſententiæ etiam favet Sapiens Sap. 14. v. 13. *Neque enim,* inquit, *erant ab initio Idola,* & paulo poſt docet ea à parentibus in gratiam & memoriam defunctorum filiorum primum conſtructa, atque ita coli cœpta eſſe. Sed quæ cauſa ætatem illam ab Idololatria immunem conſervavit? D. Thomas 2. 2. qu. 49 art. 2. ad 2. ad hoc reſpondet: *In prima ætate non fuit Idololatria propter recentem memoriam creationis mundi: ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum.* Potuit ergo memoria recentis beneficii creationis cōtinere homines ab Idololatria; quid non poterit præterea recordatio redemptionis? Sanctæ Eucharistiæ & aliorum quamplurimorum benefactorum frequens memoria & gratiarum actio? Quid nimirum ſi ingrato Deus exprobret beneficia tam multa & tam magna, quemadmodum exprobravit Saul per Samuelem 1 Regum capite 14. *Nonnè cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es: unxitque te Dominus in Regem ſuper Iſrael? Quare ergo non audiſti vocem Domini?* Et Davidi per Nathan ſecundo Regum duodecimo. *Ego unxi te in Regem ſuper Iſrael, & erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui &c. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, &c.* Quid reſpondebit Deo ingratus homo? Magnum igitur peccati frænum eſt, jugis meditatio beneficiorum Dei; quali ſane retentus fuit Joſephus, ne conſenſum daret inſolenti ſollicitationi dominæ ſuæ; *Ecce Dominus meus*

2. *Continebimur in officio.*

meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, &c. quomodo ergo possum hoc malum facere? Genesis trigesimo nono. Dic enim si quis medicus tibi lusco alterum oculum, vel cœco lumen vel præcisam manum aut pedem restitueret, quantùm te ipsi obligatum diceres? quomodo eum vel uno lædere verbo auderes? *Nam si hæc merita ab homine aliquo in nos collata fuissent,* inquit Chrysostomus hom. 5. in Ep. ad Rom. *nonnè illi sæpissimè servitutem addixissemus nostram?* At cùm nobis jugiter tot tantaque conferat, *nonnè* (subdit idem auctor) *infinitis suppliciis digni sumus: utpote qui sic tenues & abjecti à tanto tamque mirabili supra omnem modum cum adamemur à Domino, illius erga nos amori sic illudamus?*

3. Incrementum virtutis capiemus. *3. Nihil æquè facit in virtute crescere, atque cum Deo assiduè versari & colloqui eique perpetuo gratias agere & psallere,* ait S. Chrysost. in Psalm. 49. Josephum benedicens Jacob dixit: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens,* hoc est, valdè accrescens, in virtute æquè ac potentia. Gen. 49. Sed unde putamus eum sic crevisse? utique ex jugi recordatione beneficiorum Dei & gratiarum actione; quod hinc colligimus; quia ubi servitute jam perfunctus & extractus est è vinculis, suscepit duos filios, quibus nomina imposuit, quæ ipsum acceptarum a Deo gratiarum immemorem esse non sinerent. Etenim *vocavit nomen primogeniti Manasses, dicens: oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Genes. 41. Eodem medio ad summam perfectionem & cum Deo familiaritatem pervenit Moyses, qui Dei beneficia sibi collata extare in suis filiis voluit, ut in eorum aspectu semper ea relegeret quasi, & meminisset. Primum enim vocavit *Gersam,* h. e. *peregrinum illic,* dicens: *Advena fui in terra aliena.* Alterum, *Eliezer,* h. e. *Dei adjutorium,* dicens: *Deus patris mei, adjutor meus, eripuit me de manu Pharaonis.* Exod. 2. v. 22. Et quid mirum? Quis enim non excitetur ad Dei cultum & amorem, virtutumque studium, quando Dei quotidiana beneficia præ oculis semper habet?

4. Dæmonem procul arcebimus. 4. Dæmonem procul arcet. Hinc l. 8. legimus energumenum illum jam liberatum & petentem, ut cum Christo esset, ab eo non admissum; sed hoc remedii accepisse: *Redi in domum tuam & narra quanta tibi fecit Deus.* Timebat miser ne iterum à dæmonibus invaderetur & seduceretur. Sed Christus hoc remedium ei præscribit, jugum beneficii acceptam memoriam & laudem; sic eum fore immunem ab infestatione dæmonum, qui Dei laude ferre nequeunt, sed blasphemare solent; ut ibi advertit Euthymius. *Quemadmodum enim canis,* ait D. Chrysostomus conc. 3. de Lazaro, *assistens mensæ si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorū quæ in mensa sunt, ipsi projicientem, manet assidue quod si semel atque iterum sic astitit, ut discesserit nihil adeptus protinus abstinet, velut qui jam frustra & incassum assistat. Itidem & Diabolus jugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus: hoc accepto rursus aggreditur: Quod si perseveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abegeris & aufugere coegeris.*

III. Tertia est gravis culpa, si Dei beneficiorum memoriam deposuerimus. Quid enim magis contra naturam quam ingratitudo? Scimus enim & bruta animalia gratiam referre, aut saltem non nocere suis benefactoribus, tametsi in alios sæva: & barbaros quosque homines beneficiis devinciri. Quare ut ait Guilielmus Parisiensis libro 1. de Rhet. divina c. 4. *ingratitudo magnum Diaboli est miraculum.* Moyses pro miraculo & quidem magno habuit, rubum ardere & non comburi. *Vadam,* inquit, *videbo visionem hanc magnam, qua non comburatur rubus,* Exodi 3. At nihilominus mirandum est, hominem tot prunis & flammis divini amoris divinorumque beneficiorum circumdari atque obrui, nec tamen ardere amore Dei reciproco, imo comburi præ amore; nec resolvi in laudes & gratiarum actiones. Miraculum illud rubi causavit Deus, qui in rubo erat: miraculum hoc ingratitudinis quis causabit nisi Dæmon, qui proinde in ingrato existit? *Magnum ergo Diaboli miraculum est ingratitudo.* Et certe Christus ipse qui omnium rerum causas perspiciebat, miratus est velut rem insolitam, Lucæ 17 quod decem quidem leprosos sanasset; ex eis tamen non nisi unus rediret, qui Deo gloriam daret gratiasque ageret: *Nonnè decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* q. d. fierine potest ut vel unus inter eos sit ingratus? & sint novem ingrati inter decem? Miraculum est hoc. Et tamen hoc miraculum inter homines valde usitatum est, uti inter alios questus est Fridericus Imperator de quo Æneas Sylvius libro 2. Comment. in Panorm. num. 35. scribit: *Audivi Fridericum Imperatorem sæpenumero dicentem ex iis, quos extulisset, quam paucissimos gratos fuisse; idque muneribus suis datum esse, ut ex fidelibus infideles fierent.* Multo verius & justius queri de hoc Deus potest, quod paucissimos habeat gratos ex iis, quos extulerit & gratiis cumularit. Quid vero de his S. Augustinus? *Si non laudaverint servi Dominum,* inquit in Psal. 134. *ingrati, irreligiosi erunt Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum?* Et quid mirum? Cùm enim Deus ad bona largienda sit pronissimus, ingratitudo, quæ hanc ejus propensionem ligat, non potest ei non esse ingratissima. Ingrati ergo ligant Deo manus, quo minùs in posterum benefacere eis queat; non secus ac improba illa cohors, quæ funibus constrinxit & ligavit Christo in oliveto manus quibus ipse priùs Malcho, uni ex cohorte, restituerat aurem præcisam. Stulti! itane vobis consulitis fontem occludendo, unde paulo ante bibistis? Medicum ligando, à quo sanati & sanandi estis? Quid enim siquis vestrum rursum perdat aurem aliudve membrum? Hæc igitur attendentes viri probi & sapientes nihil magis observarunt, quam ut Deo sū-

Gra[...] culp[...] grat[...] nis.

mo

tro benefactori suo pro singulis beneficiis singulas redderent gratiarum actiones. Ita Jacob excitavit altare, ubi illustrationem aliquam accepit à Deo: Josue notatum voluit esse locum, per quem sicco pede Jordanem transivit, erigendo duodecim lapides: Samuel erexit lapidem adjutorii, quo loco De⁹ hostes populi Hebræi cœlesti fragore conjecit in fugam 1. Reg. 7. alii pro acceptis divinis muneribus carmina panxerunt & decantarunt; uti filii Israel pro liberatione sua de manu Pharaonis, demersi in mare, Exod. 15. Debbora pro victoria obtenta de Sisara, Judic. 5. Ezechias Rex pro recuperata valetudine, Isa. 38. Judith pro extincto & debellato Holoferne, Judith. 16. Anna pro obtento filio Samuele, 1. Reg. 2. Tres pueri pro conservatione sua in fornace, Dan. 3. Et in novo Testamento, Zacharias, Simeon & Virgo. Denique quod Moysi Deus olim præcepit, ut pro accepto manna, in gratiarum actionem & memoriam beneficii impleret eo modium unum seu Gomor, & custodiret in futuras retro generationes, Exod. 16. hoc omnibus nobis mãdat, ut nimirum memoriam divinorum beneficiorum in cor nostrum reponamus. Non permisit Deus ut reservatum illud manna putresceret aliquando, nec sine miraculo, ut observat ibi Abulensis qu. 14. quo nos moneremur jugiter Deo gratias agere; ne memoria benefactoris nostri Dei in nobis unquam computrescat.

IN FESTO S. MICHAELIS.

THEMATA.

I. *Nomine Michaelis terrentur 4. Luciferi.*
II. *Cur Angeli juvenili ferè specie tantum appareant.*
III. *Germani sint Michaeles.*
IV. *Astrologia judicaria reprobatur.*
V. *Angelorum lapsus terribilis eruditio nostra.*

THEMA I.

Nomine Michaelis terrentur quatuor Luciferi.

I. *Qui arcana Dei investigare volunt.*
II. *Qui judicare audent proximos.*
III. *Superbi & libertini*
IV. *Qui peccato mortali Deum offendunt.*

Mi cha El: Quis ut Deus? Apoc. 12.

DE Pavone scribit Ulysses Aldrovandus libro decimo tertio Ornithologiæ capite primo eum voce sua terrere venenata animalia adeo ut in iis locis, in quibus auditur, morari diu nequeant. avo avium Regina est pulchritudine omnes superans; quam etiam ob causam vulgò dicitur vestem abere Angeli. Michaelis igitur Archangeli typus uidam est, tum quia ipse Angelorum Princeps, ulchritudine omnes superat: dum quia voce sua i cha El, hoc est, *Quis ut Deus?* terruit & è cœlo exturbavit Luciferum & socios, peccati veneno infectos Angelos. Jure igitur ab ea voce nomen accepit: sicut Pavo à pavore, quo corripit serpentes. Porro Cacodæmones, quos è cœlo expulit Michael videntur non in orcum dumtaxat, sed & in terram corruisse. Reperiuntur enim inter homines etiam venenata quædam animalia, non absimilia Lucifero & cohorti ejus; quæ & ipsa clamant: *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium; Similis ero altissimo.* Isaiæ decimo quarto. Hos igitur terrere, & si fieri potest, eliminare volumus voce Michaelis.

I. Reperiuntur, qui arcana Dei quædam, soli Deo perspecta, investigare & nosse volunt. Videntur isti dicere: *In cœlum ascendam*; adeoque velle Deo pares esse: uti sunt primo, qui altiora se, quæ Deus revelare noluit, investigare conantur; veluti suam prædestinationem, & alia Dei secreta, providentias ac consilia: item qui mysteria altissima suo intellectu metiri & penetrare sensibus: denique quæ cujusque statum & captum transcendunt, scire volunt. Contra quos ait Ecclesiasticus capite tertio, *Altiora te ne quæsieris sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Similes hi sunt secundum Philonem libro de confus. linguarum, filiis Noe, qui dicebant: *Venite faciamus nobis turrim cujus culmen pertingat ad cœlum.* Quasi enim ad cœlum usque ædificare & ascendere volunt, qui suo intellectu investigant, quæ Deus in cœlo occulta esse voluit. Verum sicut tota terra non sufficeret, etiamsi in modum turris supponeretur, ut cœlum attingere posset: ita etiam si omnes humani intellectus & ingenia in unum coirent, nequaquam tamen arcana Dei penetrare

I. *Qui arcana Dei investigare volunt.*

trare

trare possent. Quare sicut structores Babel linguarum confusione puniti sunt, ut se mutuo non intelligerent; ita & scrutatores illi, quo plus scrutantur, eo minùs inveniunt, & quandoque incidunt vel in stultitiam, vel in hæresin. Scriptum enim est Proverbiorum vigesimo quinto. *Scrutator majestatis opprimetur à gloria*: quomodo scilicet infans Soli expositus fit luscus aut cœcus: quomodo pelvi ignita excæcantur oculi: quomodo lucipetæ se adurunt, prope nimis lumini advolantes: quomodo denique auri fossores, cùm nimis profunde fodiunt ruinis opprimuntur. Petrus Sanchez tractatu de Regno Dei libro quinto capite quarto scribit Regem quendam fieri curasse alveare vitreum hoc fine, ut in eo labores apū spectaret. Sed ingressæ apes mox totum alveare cera obduxerunt, ita ut bonus Rex nihil omnino videre posset. Ergo apes non patiuntur inspici suam artem; & Deus qui Salomone teste tertio Regum octavo. *dixit ut habitaret in nebula*; patietur inspici arcana sua? In vita sancti Winoci Abbatis refert Surius sexto Novembris quendam ejus fratrem curiosiùs inspexisse molam, quæ ob sancti merita divinitus gyrabatur. Verùm ad ejus obtutum illico stetit mola, & ipse inspector cœcitate plexus est. Scimus denique, quid contigerit Bethsamitis 1. Reg. 6. quando 50000. occisi sunt, ob introspectam curiosiùs fœderis Arcam. Neque mirum tam graviter puniri hanc præsumptionem, quia tales ambiunt quodammodo conscendere in cœlum, & quasi Deo se æquare, imo & præferre; conantes mare illud immensum includere in vasculo cordis seu intellectus sui, quis autem nescit continens majus & capacius esse contento? Ergo *Micha El: quis ut Deus?*

2. 2. Qui multa nimis, adeoque ad se non pertinentia, scire volunt: quid in hac vel illa civitate vel domo fiat; quid isti inter se colloquantur; quid struant vel machinentur vicini: quid consulent Senatores; quid Imperator; quid in mundo fiat. De hujusmodi curiosis dicere solemus: Er muess alles wissen. *Iste debet omnia scire.* Si omnia ergo, Deo similis esse cupit: solus enim Deus omnia scit. Contra hos Ecclesiasticus capite citato addit hoc præceptum: *In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus ejus operibus non eris curiosus.* Et Salomon Proverbiorum vigesimo quinto citat. *Qui mel multum comedit, non est ei bonum.* Denique Apostolus ad Romanos duodecimo. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ut enim nimia cibi potusque ingurgitatio vires corporis & animi debilitat, morbosque accersit: & sicut mel nimium comestum nocet, corpus gravat, bilem ciet & vomitum provocat: ita curiosa rerum inutilium & nihil ad nos pertinentium inquisitio mentem dissolvit, & sui obliviosum facit, gravat superfluis curis, provocat ad garrulitatem, detractiones, censuras, &c. Præcepit Deus Exodi 12. *Si minor est numerus* (in aliqua domo) *ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Maluit enim Deus ut vicinus vocaretur ad cœnam agni, quam ut parva familia sacro illo epulo se infarciret nimiùm; quo disceremus non implere nimis stomachum seu appetitum nostrum in scrutandis rebus etiam sacris, quarum capaces non sumus: *nec plus sapere quam oportet, sed ad sobrietatem.* ad Rom. 12.

3. Qui futura contingentia, etiam quæ à libero arbitrio dependent, vaticinari præsumunt: veluti quæ sors vel mors cuique obventura sit. Hi enim impudenter Deo similes esse volunt, uti expresse eis objicit Isaias cap. 41. *Annunciate quæ ventura sunt*, inquit, *in futurum, & sciemus quia Dii estis vos*, quasi diceret: Dei istud est, requiritur enim ad hoc infinita vis cognoscendi, quæ tempora omnia ambiat & præcurrat. Unde Deus hanc cognitionem adeo sibi reservavit, ut nec quid in crastinum, imo quid proximo instanti futurum sit, aperire nobis voluerit. Ut vero aliqua prævideri possint, quæ necessarias habent causas, uti eclipses: non tamen ea, quæ à libertate hominum dependent; atque ut possint aliquid sidera in humana corpora, disponenda vel immutanda, eæ tamen impressiones facile immutari & elidi possunt per liberum arbitrium, disciplinam, preces, virtutum studium, &c. Unde Cardinalis Reginaldus Polus Astrologo cuidam, altiores adhuc honores ex horoscopo sibi prædicenti respondit, eum falli, nec rem bene perspexisse; *eò quod secunda ejus nativitas (qua Christianus factus est) primam delevisset.* Boterus de dictis memorab. Et tamen reperiuntur adhuc quamplurimi Christiani, qui divinam hanc scientiam æmulantur cum primis suis parentibus, quibus instillavit serpens: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Et sane qui has artes sectantur, profitentur quidem scientiam, quasi valde lucrosam; interim tamen semper egent, & abjecti sunt, proscribuntur & deridentur, non solum à Christianis, sed etiam à Gentilibus. Nam & Tiberius Imperator Christo in terris agente annum 18. exteros quidem Astrologos necavit, cives vero extorres fecit, teste Dione libro 57. Et Ecclesia præcipit Episcopis, ut tales è communione fidelium ejiciant, velut Diaboli mancipia. Causa 26. q. 5. c. *Non liceat.*

II. Qui judicare audent proximos, præsertim de internis actionibus & intentionibus. Cùm enim solus Deus sit cardiognostes seu cordium scrutator; (testante ipso, Jerem. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & renes probans*) qui alios de occultis cogitationibus judicant, plane se Deo æquare conantur, & videntur dicere cum Lucifero: *Ascendam super altitudinē nubiū: similis ero altissimo.* Nubes quasi velata sunt hominum corda, eorumq; cogitationes & intentiones, quas naturaliter nec Angeli possūt cognoscere, nisi voce aut signo prodantur. Cùm vero actiones hominum, quæ ex natura sua malæ non sunt, pendeant ex intentione agentium: consequens est, ut qui de illis pravam fer

fert judicium, nubes tranſcendere & Dei ſimilitudinem tibi attribuere velit. Unde S. Auguſtinus ſent. 21. ait: *De occultis cordis alieni temerè judicare peccatum eſt: & eum, cujus non videntur niſi bona opera, iniquum eſt ex ſuſpicione reprehendere, cùm eorum, quæ hominis ſunt incognita, ſolus Deus judex ſit.* Diogenes fertur aliquem, qui mira quædam de cœlis & ſideribus aſſeverabat, ſic interrogaſſe: *Quàm nuper tu de cœlo veniſti?* Pari modo interrogari poſſet, qui de cordis intentionibus proximum dijudicat: Quàm nuper tu prodiiſti de illius pectore? Et hinc fortaſſis eſt, quòd legamus ſæpius à dæmone correptos atque obſeſſos, qui aliorum animos temerè judicarunt, ut haberent ipſi malum genium, corporis ſui hoſpitem, qui eum ſine cauſa in aliis quæſiverunt: & qui Dei ſimilitudinem affectabant, Dæmonis acciperent. Ita ſanè is, qui ſanctum Vitalium, meretricum expugnatorem, pro fornicario habuit & alapa cecidit, à Dæmone viciſſim & alapam accepit & obſeſſus eſt tamdiu, donec in Vitalii cella, ipſo jam defuncto, ſupplex ei fieret, ubi & in pavimento cœlitus ſcriptum invenit: *Viri Alexandrini nolite ante tempus judicare, quoaduſque Dominus veniat.* In vita S. Joannis Eleemoſynarii cap. 35. Taceo Totilam Gothorum Regem, qui cùm S. Caſſium Narnienſem Epiſcopum è rubicunda facie vinolentum judicaſſet, mox ejus ſpatharium Dæmon invaſit ac vexavit loco heri ſui, apud S. Gregoriũ 3. Dial. cap. 6. Ac licèt noſſet aliquis mentem alterius pravam in ſuis actionibus, neciùm tamen liceret ei ipſum judicare; ait enim Apoſtolus ad Roman. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?* Et Jacobus cap. 4. *Unus eſt legiſlator & Judex, qui poteſt perdere & liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum?* quaſi diceret: quàm temerarius! cùm nec legiſlator, nec Judex ſis, nec perdere aut ſalvare; ſed potiùs ipſe judicandus, perdi & ſalvari queas: quare Dei jus uſurpas? Hinc in Vitis PP. legimus Eremicolam, qui ex falſis indiciis fratrem judicarat, hanc ex alto audiſſe vocem: *Homines mihi rebelles facti, in meam juriſdictionem perditè involarunt.*

III. Superbi & libertini, qui nullo modo jugo ſe ſubjicere, ſed exleges & liberi ab omni ſubjectione eſſe volunt, quales non paucos reperies hoc tempore, inter nobiles præſertim, juxta Saluſtium in Jugurth. *Superbia commune nobilitatis malum.* Invadunt hi privilegium Dei, qui ſolus ſuperiorem nec habet, nec habere poteſt, cùm ſit ipſe ſupremus omnium Legiſlator. *Ego Dominus, & non eſt alter,* inquit Iſai. 45. Dicunt hi illud Luciferi: *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* q.d. aſtra tranſcendam & imperabo ipſis. Non tulit hoc in Lucifero Deus, nec in aliis ferre poteſt; quia *Deus ſuperbis reſiſtit,* 1. Pet. 5. *Tanquam ſuæ contumeliæ propulſator,* ait S. Ambroſius in Pſalm. 118. *quoddam veluti ſuſcepit adverſus ſuperbiam ſpeciale bellum, tanquam dicas: Meus eſt iſte adverſarius: mihi debetur iſta congreſſio.* Talis erat inprimis ſuperba illa Babylon, velut mundi Domina & Regina, quæ ait Iſai. 47. *Ego ſum & præter me non eſt altera;* quia omnibus Regibus imperare & nulli ſervire voluit. Talis ejus Rex Nabuchodonoſor, qui in ſtatua aurea, à ſe erecta, adorari, Dan. 3. Tales inſani illi & faſtu pleni Imperatores: Diocletianus qui ſe fratrem Solis & Lunæ haberi; Heliogabalus, qui, nomine à Sole deſumpto, quaſi alter *Sol* videri & coli: Caligula, qui Lunæ maritus reputari, & pro Deo haberi: Coſrhoës Perſarum Rex, qui in curru aureo triumphali, tonitrua, fulmina, pluvias emittente velut alter Deus trahi voluit. Denique omnes filii *Belial* hoc eſt, *abſque jugo*, qui ſolo vivunt arbitratu ſuo & dicunt cum Pharaone: *Neſcio Dominum.* Exod. 5. & cum exlegibus illis: *Non ſerviam,* Jerem. 2. Quid hi aliud agunt, niſi quòd ſeipſos & proprium ſuum caput ac judicium fingunt & conſtituunt ſibi in Deum ſeu potiùs Idolum? Ita enim Samuel 1. Reg. 15. ait ad Saulem: *Quaſi ſcelus Idololatriæ eſt, nolle acquieſcere.* Qua ratione? *Quia,* inquit S. Gregorius in eum locum, *inobedientiæ obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde quaſi Idolum non geſtaret. Et dum conceptum mentis propoſitum ſe acturum deliberat, quaſi ad orandum ſimulachrum ſe inclinat.* At quemadmodum mundus non fert duos Soles, uti dixit Alexander Magnus Dario Regi: ita nec Deus alium ſibi ſimilem. Arca Dei noluit juxta ſe ferre Idolum Dagon, (quem aliqui Jovem putant fuiſſe:) ſed proſtravit ſemel & iterum, ita ut Dagon velut victus terram oſculari coactus fuerit, dum Arca in ſublimi velut victrix ſtaret 1. Reg. 5. ita & filii Belial, qui Idolum libertatis in corde ſuo erigunt, ſtare coram Arca, (in qua Lex Dei continebatur) ſeu coram Deo nequeunt, ſed turpiter tandem corruunt. Unde Apoſtolus 2. Corinth. 6. ait: *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Ejus ſcilicet, qui ad mortem uſque Patri fuit obediens, cum homine exlege & abſque jugo? Perdet hic, ut Dagon, caput ſuum, in quo Idolum judicii proprii conſtituit: & duas palmas manuum, quibus vincula legum rupit & jugum confregit; cum ad inferos proſtratus fuerit. Quamquam filii Belial, etiam in hoc ſæculo ſæpè proſternuntur & decapitantur ſuperbo ſuo ſupercilio. Senſit inprimis id Saul Rex ad quem verba illa Samuel locutus fuit, mox adjiciens hoc fulmen? *Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis Rex.* Abjecit, inquit, velut ſputum ex ore, aut mucum è naribus, cadaver & carcinoma è domo & manibus. Senſit ſuperba illa Babylon, quæ non ſemel ſed quinquies proſtrata & ſolo æquata, adeoque ferarum tantùm habitaculum facta fuit, apud Cornelium in cap. 50. Jerem. Senſit Nabuchonoſor, quando è regno ejectus & ad beſtias in ſylvas damnatus, ſimilis eis effectus, Dan. 4. Senſit Diocletianus; nam qui priùs, ut dixi, animo ſuperbiſſimo intumuerat, demùm corpore etiam inflatus eſt, eoque diſrupto emarcuit, & linguâ vermibus ſcatente ac fœtente, canis

instar latrans expiravit, teste Nicephoro lib. 7. cap. 20. Sigonio anno 297. Sensit Heliogabalus, qui licèt morti sponte sibi inferendæ parasset funes sericos, gladios aureos, venena in gemmis, quibus se occideret, si vis urgeret: altissimam turrim substratis aureis gemmatisque tabulis, in quas se præcipitaret, (dicebat enim mortem suam pretiosam esse debere, ut diceretur nemo sic periisse,) nihil tamen ista valuerunt. Nam præventus ab insidiatoribus, cùm non haberet, quò fugeret, in latrinam se demersit: tractus postea sordidissimè per plateas. Lamprid. Herodian. Sabell. Sensit Caligula, qui pridie quàm periret, somniavit se in cœlo juxta Jovis solium stantem (planè sicut Dagon juxta Arcam) pedis ejus dextri pollice impulsum, & in terram exturbatum fuisse. Postridie 30. vulneribus à suis occisus est. Suetonius. Sensit Rex Cosrhoës, qui ab Heraclio victus, post fugam à proprio filio trucidatus est. Baronius anno 614. Sensit impius & inflatus Julianus, qui deturbata Christi imagine è domo Hæmorrhoissæ, suam in Christi Domini locum reposuerat; quando ea fulmine dejecta est. Sozom. lib 5. cap. 20. Sensit Herodes Agrippa, quando populum sibi acclamantem: *Dei voces, & non hominis*; non compescuit, sed assentiendo, Dei honorem sibi tribuit; ideoque confestim ab Angelo percussus est; Actor. 12. & à vermibus consumptus. Sic nimirum novit Deus humiliare & prosternere filios Belial, jugi omnis ipsiusque Dei contemptores.

IV. Qui peccato mortali Deum offendunt.

IV. Alii sine numero, qui peccato mortali Deum impugnare, & quasi è sede sua exturbare conantur. Videntur hi dicere cum Lucifero: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, q. d. in Dei throno vel in æquali: vel in templo Salomonis, quod erat in monte ad Aquilonem urbis. Sed dicetis: Quomodo per peccatum mortiferum, vult homo sedere in Dei throno? Respondeo: dum quis ut suæ vel alienæ voluntati serviat, divinam legem contemnit & violat, is suæ aut alienæ voluntati potiùs obsequitur quàm divinæ: itaque interpretativè suam voluntatem Deum sibi constituit, ipsique Deo præfert & opponit. Sic enim ad Heli per virum Dei ait Dominus: *Magis honorasti filios tuos quàm me* 1 Reg. 2. Ne enim corrigendo delinquentes, contristaret filios, maluit quantùm in ipso erat, contristare Deum Legislatorem; cujus templum permisit violari filiorum sacrilegio. Hoc verò quid est aliud, quàm exturbare velle Deum è throno suo, & alium vel seipsum in eo collocare? Hic est veterum Patrum sensus, & frequens dicendi modus. Unus in præsentia sufficiat Hieronymus in id Psalm. 80. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus*, inquit, *venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, recentes tot habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem & concupivi; libido mihi Deus est, unusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc ibi Deus est.* Sic ille. Eodem modo si quispiam præcepta Dei contemnit, ut hominis obsequatur imperio, aut ut hominem opibus vel honoribus augeat, atque nobilitet; ille hominem magis respicit & honorat quàm Deum. Certè etiam apud Politicos, qui Regis edicto se opponit, hoc ipso Regni insidiator habetur. Hinc Rex Nabuchodonosor, cùm regiones quas suo subjugare volebat imperio, mandato ejus contradixissent & legatos sine honore vacuos remisissent atque abjecissent, *indignatus juravit per thronum & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his.* Quare *defenderet*? contra quem invasorem? quia hoc ipso, quòd regiones illæ mandato ejus contradicebant, potentiæ ejus insultare adeoque aggressores esse ab ipso censebantur, & regni insidiatores. Judith cap. 1. Quisquis igitur suam voluntatem divinæ anteponit, videtur Deum verum è throno suo velle deponere, & Idolum aliquod in eo collocare; sive ea sit Venus impudicitiæ; sive Mars inimicitiæ, sive Mammona iniquitatis, sive Bachus ebrietatis, sive quis alius. Quæ sanè gravissima Dei non solùm injuria, sed etiam derisio est: qualem SS. Trinitati irrogavit impiissimus Cosrhoës, quando in fano suo residens haberi pro Deo Patre voluit, Crucem Christi bello captam juxta se loco Filii, gallum loco Spiritus sancti posuit, apud Baronium anno 611. Quis autem talem irrisionem ac contemptum non omnibus suppliciis dignum pronuntiet?

Quid enim solent facere Reges, quando quis illorum coronæ aut etiam conjugi insidiatur? Nonne omni tormentorum genere eum excarnificari jubent? Sanè Henricus IV. Imperator insidiis quorundam in Sicilia appetitus, cùm eorum conatus antevertisset, omnes miserabiliter cruciatos interfecit. Alium ferventi aqua excoctum in canistro pro missu ad suos remisit, alium in ingentem rogum conjecit, alium culeo insutum in profundum maris abjecit. Factionis principem, Jordanum nobilem Siculum (quòd Constantiæ Imperatricis amasius haberetur, munera ab ea accepisse & vicissim misisse diceretur, ut deleto Imperatore ipse succederet) in sede ferrea candenti collocari, coronam deinde æneam ignitam ipsi imponi, & quatuor clavis affigi, ac tum demum hominem abire jussit his verbis: *Habes homo coronam, quam venatus es; nemo tibi invidet, fruere usque adeò desiderata re.* Is verò correptus vertigine concidit, & paulò pòst in miserabili illo diademate expiravit. Nicetas lib. 2. de rebus Alexi Angeli. Cranzius in Saxonia lib. 7 cap. 9. Ergo insidiatores regni fluxi & terreni, plurimisque miseriis referti ita cruciantur & plectuntur; quid merebuntur illi, qui Regi sæculorum immortali coronam eripere quoquo modo conantur? Quis jam miretur peccatores in gehenna æternis ignibus uri, & omni genere ludibriorum subsannari, cùm coronæ Dei insidias moliti sunt? Sapienter igitur monuit Pythagoras, Ethnicorum sapiens: *Coronam ne carpito.* Coronam Regum intelligit; sed infinities

magis

magis cave quisquis es, ô homo, ne carpas coronam Dei: ne præcepta ejus violes. Quis ut Deus? ait S. Michaël.

THEMA II.

Cur Angeli juvenili ferè specie tantùm appareant.

I. *Quia eorum dotes juvenum dotibus conformes.*
II. *Quia vident juvenes maximè egere sua assistentia.*
III. *Quia sciunt juventutem Deo maximè curæ esse.*
IV. *Vt ostendant nobis, quales in resurrectione futuri simus.*

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Matth. 18.

Videmus passim SS. Angelos non alia pingi specie, nisi juvenili, speciosos, florentes atque imberbes. Ac ne hoc quis tribuat licentiæ pictorum, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, intercedit S. Dionysius Areopagyta, qui cap. 15, de cœl. hierarchia docet bonos Angelos ut plurimum juvenili forma apparere. Sic apparuit Raphael Angelus, ductor Tobiæ, Tob. 5. *Invenit juvenem splendidum, &c.* Sic Angelus resuscitati Christi nuncius piis mulieribus, Marci 16. *Viderunt juvenem sedentem, coopertum stola candida.* Denique si in aliis quibusdam apparitionibus appellantur viri; intelligendum, quòd virili sexu, juvenes tamen, non barbati apparuerint, ut docet Lorinus in Psal. & alii. Habent ergo juvenes, quo sibi gratulentur de Angelorum quadam similitudine; sed & alii omnes, quo sibi gaudeant. Causas porrò videamus, cur tali specie appareant.

I. Tali forma apparent, quia ipsorum dotes, cum juventutis quàm aliarum ætatum magis sunt conformes. Etenim primò pura à gravioris labe peccati fe. è est juventus:) tametsi enim infantes magis sunt innocentes, eorum tamen innocentia virtus non est, sed natura; quia cum rationis usu & libero arbitrio non conjuncta.) Ita etiam Angeli unà cum summo intellectu summa sunt puritate præditi. Ut enim fœda & impura omnia fugiunt apiculæ: sic Angeli abhorrent à turpi hominum vita. Secundò juvenes præ cæteris ætatibus perspicaciori sunt ingenio, & ad disciplinas perdiscendas aptiori, propter calorem sanguinis. Hinc dicimus Germani non addisci à Johanne, quod non discitur à Johannello. Similiter & Angeli mentem habent perspicacissimam, & cœlestis sapientiæ non capacissimam tantùm, sed etiam cupidissimam. Tertiò adolescentes sunt amabiles, blandi, mansueti: nemo eos affari metuit; quin amamus potiùs. Viri, præsertim ignoti, timorem aliquem incutiunt suo aspectu & affatu infirmioribus: adolescentes minimè; sed amorem, affabilitatem, amicitiam spirant. Tales sunt Angeli boni, gratiosi, amabiles, ad exhilarandum & solandum facti, pacem denique spirantes. Quartò juvenes sunt vivaces, vegeti, celeres, excitati ad labores; unde *juvenes à juvando dicti*; quia laboribus suis adjuvant senes & parentes suos. Pari ratione & Angeli vivacissimi & ad Dei mandata exequenda celerrimi sunt (ideo alati pinguntur:) nunquam lassescunt aut deficiunt, ac quemadmodum juvenes pro una avicula aut lepusculo capiēdo plurimos labores ac fastidia suscipiunt maxima cum voluptate. sic etiam Angeli sancti pro una animula quacumque immensos labores sine defatigatione subeunt. *4. Vivacitate.*

Conentur ergo se assimilare Angelis.

Jam verò si Angeli Dei propter istas juvenum dotes eorum speciem induunt, cùm apparent, quasi amore juventutis quadantenus sibi similis: quis dubitabit eos magnoperè desiderare, ut ipsi juvenes Angelorum speciem, quoad fieri in terris potest, in se suscipiant? Amantis enim est amantem sibi similem reddere. Hinc Jonathas Davidem cùm tenerrimè amaret, suis induit vestibus; ut quasi alterum se aut fratrem suum efficeret, 1. Reg. 18. Ergo primò sicut Angeli aversantur peccati impuritatem, præsertim impudicitiæ: ita decet juvenes velut terrestres Angelos eandem velis remisque fugere. *1. In puritate animi.* Angelus, qui in persona Dei cum Agar loquebatur, non faciem sed dorsum ipsi interim vertebat. Ita enim testatur Agar: *Vidi posteriora videntis me.* Genes. 16. Bone Deus! Angelus qui carnem non habet, faciem avertit à muliere, dum cum ea loquitur mandata: & juvenis carne effrænis calensque sanguine vultus muliebres spectare audeat? Possunt quidem Angeli in assumpta carne inter homines conversari, non tamen à carne mutari, aut pati quidquam; sic erimus Angeli si in carne quidem constituti, nihil tamen à carne moveamur; quasi ea non nostra, sed assumpta & aliena esset.

2. Quemadmodum Angeli inter alia negotia, quæ inter se & circa nos in terris agunt, mentem interim in Deum semper intentam habent; ita optant ut juvenes, nec non omnes homines, semper in conspectu Dei versari se considerent, quidquid tandem agant. *2. In Dei conspectu.* Mirum hoc & forsan impossibile videbitur alicui, simul attendere ad Deum & ad res terrenas. At nonne testatur Dominus Angelos custodes, etiam dum invigilant & adsunt clientibus suis versari in conspectu Dei? Itaque velut limaces aut testudines cœlum suum & Dei conspectum semper portant secum, dum ubique eum vident. Ita ergo possumus & nos inter alia negotia, si non continuò, saltem crebrò repetitis obtutibus mentem flectere in Deum, ubique nobis præsentem. Sic filioli parentem mensæ assidentem: sic catelli herum comitantes, identidem respiciunt: sic cum Deo egit Abraham, cum eo semper ambulando; unde illa ejus vox Genes. 24. *Dominus in cujus con-*

spectu ambulo, Sic Elias 3. Reg. 17. *Vivit Dominus Deus, in cujus conspectu sto.* Et Elisæus 4 Reg, 5. *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto.*

3. *In concordia.*

3. Sicut inter Angelos contrariis etiam functionibus occupatos summa est concordia: ita inter nos, etiam opposita studia tractantes, cupiunt unionem & concordiam conservari. Quàm diversi, quàm cõtrarii sunt inter se cœlestium orbium motus? Unus in Occidentem, alter in Orientem: unus seriùs, alter citiùs tendit: & tamen inter se maximè conveniunt; gubernati ab Angelis juxta multorum sententiam. Ipsorum Angelorum multi milliones sunt, & species penè innumeræ: inter eos tamen perpetua & summa concordia est. Unde Job. 38 ait Deus: *Concentum cœli quis dormire faciet?* hoc est, quis tollet aut intervertet cœlorum ordinem & symmetriam? Quòd si igitur hos imitaremur; cœlum inter nos haberemus.

4. *In vivacitate.*

4. Quemadmodum Angeli vivaces & excitati sunt ad peragenda Dei mandata, & tuendos clientes suos: ita cupiunt, ut nos quoque eorum imitatione ferveamus amore Dei & proximi. Raphael specie juvenis, comes Tobiæ, invocatus in auxilium contra immanem piscem, non ipse arripuit piscem aut extraxit, sed Tobiam animavit ad arripiendam bestiam: *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te*; inquit, Tob. 6. Et cur hoc? Ut clienti suo hanc palmam cederet simulque animum adderet ad fortiora deinceps aggredienda. Sic optant SS. Angeli nos ab invicem animari atque excitari ad patranda virtutum opera, fugienda vitia. Cùm aliquando S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis, adhuc puer, luderet in campo cum aliis suis coætaneis, accurrit parvulus triennis cœpitque senili constantia dehortari eum à ludis & jocis. Quod cùm ille sperneret, luget parvulus corruens in terram & lachymans. accedunt alii solantes eum, uti & ipse Cuthbertus, rogans cur ploraret. Cui parvulus: *Quid sanctissime Antistes & presbyter Cuthberte, & naturæ & gradui tuo hæc contraria geris? Ludere te inter parvulos non decet, quem Deus etiam majoribus natu Magistrum virtutis consecravit.* Sic à ludo & luctamine cohibuit Cuthbertum, factum postea insignem & sanctissimum Episcopum: ut refert Venerabilis Beda tom. 3. in vita ejus cap. 1. Quid hîc dicemus? Homone an Angelus custos fuit iste parvulus? Si homo, utique ad hoc agendum ab Angelo custode instigatus fuit: & decet certè, ut majores natu præstent suis proximis, quod egit hic triennis puer: dehortentur, cohibeant, repellant, saltem à gravioribus peccatis. Si Angelus: decet etiam nos ipsum imitari, & hunc amorem impendere fratri, quem ille impendit homini, se inferiori.

II. *Quia vident juvenes maximè egere sua assistentia.*

II. Quia vident juventutis certamina maximè egere sua assistentia & opera. Qui alteri in certamine aliove opere suppetias ferre vult, ipsius assumit habitum, ne ei suspectus fiat, v. g. qui Austriaco Duci succurrere vult in prælio cum novis copiis, Austriaca insignia & vexilla sumit. Jam verò nulla ætas tam periculosa est, tamque gravia sustinet certamina ac pericula, quàm juventus. Tunc enim sanguis, velut hostis intestinus, maximè fervet: foris ei Sathanas maximè insidiatur & passim laqueos tendit; quia novit eam lubricam, cæcutientem & improvidam, ac sequi præeuntem, sicut aqua digitum in areola sequitur præcedentem. Hinc S. Ambrosius de Interpr. Job cap. 7. ait: *Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.* S. Chrysostom. hom. 4 in Epist. 1 ad Tim appellat eam *equum indomitum, & veluti feram belluam.* Hinc denique juvenibus potissimùm adhibentur pædagogi & præfecti, qui eos regant ac refrænent. Cùm ergò in tam periculoso statu sit juventus, Angeli custodes in ea defendenda plurimùm occupantur; quam si lucrentur, ætatem consequentem facilè conservabunt, juxta id Poëtæ: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem, Testa diu.* Atque huc spectant verba Christi in hodierno Evangelio dicentis: *Angeli eorum*, quasi dicat, proprii pusillorum (non utique solo corpore sed & animo; & horum multò magis) *semper vident faciem patris mei.* Sunt verò adolescentes animo pusilli, judicio parvo, voluntate labili: quibus proinde Angeli velut pædagogi maximè invigilant. Cujus rei typum exhibet (Angelus ille similis filio Dei, adeoque specie juvenili) qui tunc descendit ad servandos tres SS. juvenes in fornacem, quando ea inflammatissima fuit, naptha, stuppa, pice & malleolis seu vitium sarmentis; & quando Nabuchodonosor vehementissimè iis iratus erat. Dan. 3. Sic enim Angelus custos tunc maximè assistit & opitulatur homini, quando in calore juventutis valde exæstuat: & quando eum Dæmon summa invadit iracundia. Sensit hoc auxilium D. Thomas Aquinas adhuc juvenis in pugna illa, quam habuit cum impudica fœmina, titione à se fugata: cùm enim victor se prosterneret in lachrymas, castimoniæ donũ à Deo petens, ingressi duo eximii splendoris Angeli cingulo renes ejus strinxerunt & fomitem libidinis prorsus extinxerunt; ut in ejus vita 7. Martii.

Qu… unt… tut… ma… cur…

III. Quia nôrunt juventutem & ætatem hominis teneram, à cujus institutione tota alia vita pendet, à Deo maximè amari & quæri ad obsequium ejus. Hinc primitias in Vet. Testam. agnos anniculos, vitulos, pullos columbarum adeoque victimas ætate tenera potissimùm offerri sibi voluit. Colligitur etiam ex eo, quòd Joannem Christus velut juniorem & innocentiorem, & qui ei à pueritia servire cœperat, præ cæteris discipulis præcipuè dilexerit. Quando igitur hæc ætas tam Deo cordi est, quid mirum si & Angeli eam affectent & quasi æmulentur, assumpta ejusdem similitudine, ut eam Deo lucrentur? Sic enim ipse Christus Dominus ut duos ex suis peregrinantes in Emmaus ad fidem perduceret, peregrini forma se eis adjunxit: Raphael speciem viatoris assumpsit, ut

Tobiam iter facturum comitari & servare posset. Ruben Jacobi primogenitus, considerans fratrem suum Josephum plusquam cæteros à patre diligi, conatus est eum eripere è manibus fratrum, necem illi machinantium, & servare in cisterna sicca, donec patri incolumem restitueret. Genes. 38. Quid non facient Angeli custodes, ut juvenes custodiant, quos tanto esse in pretio apud Deum vident? De Persarum Rege Xerxe scribit Herodotus l. 7. quod cum in Lydia reperisset platanum arborem pulcherrima & amplissima specie, eam variis donis appensis adornarit, addito custode uno ex suis, qui immortales vocabantur. Quantum, putamus, amavit hominem Deus, qui ei custodem attribuit ex immortalibus suis Angelis? Hunc amorem expendentes Angeli maximo amore nos custodiunt, juvenes præsertim, à Deo sic ornatos atque amatos. Hinc S S. litteræ sæpius commemorant juvenes pios & innocentes Angeli præsidio servatos, uti Isaacum juvenem à gladio parentis, Genes. 22. filium Tobiæ à devoratione piscis & dæmonio: Danielem in lacu à leonibus: tres juvenes in fornace Babylonica. Nec dubito quin pro iis ferventiores etiam preces interponant, apud Deum, quod videtur ostendi posse ex parabola ficulneæ, quam, quia tertio anno fructum non attulerat, exscindi herus jussit, Luc. 13. Cur enim exscindi jubetur ficus tam juvencula, non maturior triennio? Quia ea est natura ficus (ut ibi Cornel. à Lap.) ut si tertiò anno non ferat fructum, nunquam proferre soleat. Quod ergo tertius annus est ficui, hoc est juventus homini. Primus annus est infantia, secundus pueritia, tertius adolescentia. Si in juventute non incipias amplecti virtutem, non amplecteris in senectute. Quid igitur cultor ficus illius ad heri præceptum? *Domine, inquit, dimitte illam & hoc anno, dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Quis ille cultor vineæ? Angelus custos, ait quidam recens Doctor (P. Bened. Ferdinandus in cap. 32. Gen. sect. 10.) *qui pro illo, quem custodit, homine intercedit, qui vitam peccatori ad pœnitentiam petit & impetrat producendam, qui opem suam & industriam in excolenda ficulnea sedulo collocandam pollicetur.* Fodit ille circa eos, quando variis inspirationibus, consiliis, impulsibus, impedimentis remotis, appositis auxiliis ad bonum promovet: mittit stercora, cum timorem aut pudorem injicit, fœdos aliorum lapsus ostendit, &c.

IV. Ut demonstrent nobis, æmulis suis, quales post resurrectionem in cœlo futuri simus: nimirum velut juvenes Angelici semper florentes, speciosi, splendidi, agiles, vegeti, hilares, liberi, immortales. Quod indicavit Christus, cum dixit beatos fore sicut Angelos Dei, Matth. 22.

Primò, Ergo quis nescit juvenes vitam degere liberam ab omni solicitudine? sic erimus in cœlo. *Abstergет Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: mors ultra non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Apoc. 21.

Secundò. Quis nescit juvenes delectari rebus jucundis? vestibus multicoloribus, aviculis variegatis, ludis, recreationibus, ambulationibus? omnibus hujusmodi deliciis, imò longè sublimioribus perfundemur in cœlo. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos,* Psal. 35. 2.

Tertiò. Quis nescit juventutem esse ætatem temperatissimam, sanissimam, robustissimam? Tales erimus in cœlo, semper sani, vegeti, virentes. Audite quantum recrearit aspectus unius Angeli piam quandam fœminam: *Erat vidua quædam venerabilis, quæ importunis precibus petebat à S. Lidvvina Virgine Schiedamensi, ut sibi Angelum ejus videndi copiam à Domino impetraret. Annuit Virgo sacra, monuitque viduam ut clauso ostio secum in precibus persisteret. Et ecce adest Angelus incredibilis pulchritudinis splendore coruscans; adeo ut ex ejus conspectu ineffabili gaudio perfusa vidua, prorsus in amorem pulchritudinis illius absorpta esset. Cumque Angelus rogatu Lydvvinæ oculorum obtutum in eam defigeret, animus viduæ tam vehementi amoris flamma exarsit, ut cibi potusque penitus oblita, à lachrymis præ nimio gaudio temperare non posset.* Ita Lipelous in vita Lidvv. 14. April. 3.

THEMA III.

Germani sint Michaëles.

I. *Honorem Dei & justitiam tuendo.*
II. *Superbiam calcando.*
III. *Scandala amoliendo & impediendo.*
IV. *Maledicentiam cavendo.*
V. *Discordias tollendo & conciliando.*

Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Matth. 18.

NOn constat Audit. quis fuerit iste parvulus, quem in medium statuit Christus ad exemplum discipulorum. Fuit absque dubio innocentissimus puerulus, veluti quidam Angelus. Ego pro exemplo & imitatione vestra statuo vobis in medium, cœlestem quendam parvulum, S. Michaelem: Parvulum dico, quia humillimus fuit, & sua humilitate Luciferi superbiam stravit, ideoque ad summum Angelorum principatum jure evectus est. Hunc vos imitamini parvulum, si in cœlo esse magni vultis & vos inprimis Germani. Vulgò enim de Germanis, maximè rudibus & illiteratis, dici solet: Er ist ein Teutscher Michel. Est Germanus Michaël. Utinam nos omnes tales Germani, Michaëles, inquã, simus! tunc n. magni in cœlo utique fieremus. Sed qua ratione tales evadere possumus? Audiamus. I.

I. Honorem Dei & justitiam tuendo, prævaricatores puniendo; quod inprimis Principum & gu- *Honorem Dei & justitiam tuendo.*

 berna-

bernatorum, qualis Michaël est inter Angelos, officium est. Michaëlem Angelorum Principem adeoque primum etiam è Seraphinis esse, satis ostendit prælium ejus cum Lucifero: & Ecclesia, quæ eum *Præpositum paradisi* appellat. Quid autem *Seraphini*, nisi *ardentes?* Arsit Michaël zelo, quando honorem Dei sui contra Luciferum defendens exclamavit: Quis ut Deus? simulque eum cœlo exturbavit. Unde B. Petrus Damiani epist. 5. ad Nicolaum Pp. Zelum honoris Dei *Angelicam falcem* appellat; & qui illum habent, Angelos Dei amore ardentes se demonstrant. Sic enim in parabola Matth. 13. dicunt servi, id est, Angeli: *Vis imus & colligimus ea?* Zizania videl. Quales imprimis esse decet rectores, exemplo Davidis, qui Ps. 100. ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, hoc est, tempestivè & summa vigilantia studui expurgare civitatem, in qua Deus colitur, ab impiis. De eodem celebratur S. Engelbertus Archiepiscopus Colon. qui nomine Friderici Imp. adhuc impubis, imperium gubernans, tanta justitia & sapientia rem egit, ut vias omnes securas redderet à prædonibus ac militibus, & mercatori salvum conductum petenti, aliud nil præter chirothecam suam dederit, pro signo ostendendam, si qui eum invaderent, dicens se damnum omne de suo resarturum, si quid in via à prædonibus pateretur. Refert Cæsarius in ejus vita apud Sur. 7. Nov. Rectè Angelico vocabulo dictus Engelbertus, quia Angelico zelo plenus. Sic purgavit & Michaël cœlum à prædonibus Angelis. Sic pacavit Imperium Otto tertius Imp. tribus proceribus, bonorum alienorum direptoribus, eruendo oculos, teste B. Petro Damian. 1. epist. l. 7. epist. 11. ut dixi alibi.

Supra in F. circumc. C 1. n. 1.

II. *Superbiam calcando.*

II. Superbiam calcando; & quidem tanto magis, quanto quis major est, juxta id Eccles. 3. *Quanto magnus es, humiliate in omnibus.* Sic enim & Michael, cum esset Princeps inter Angelos, humilitate præcelluit, eaque fastum Luciferi calcavit; quem idcirco pedibus premere pingitur. Ratio est, quia qui magnis donis præditus est, multorum invidiæ obnoxius est; debet igitur se modestè gerere, ut invidiam declinet. Primò cogitet quis olim fuerit.

I. Indorum gens quædam in regno Mogor more receptum habet, ut si quando è tonstrina aliquis in sublimem honorem erigitur, præferat semper instrumenta suæ artis. Quod etiam probare visus est Deus, cum Moysi in Ducem populi electo illam ipsam virgam, qua soceri sui oves prius rexerat, pro sceptro utendam dedit. Æthiopum Christianorum Antistites non crucem modò sed & vas aureum terra refertum sibi præferri curabant, ut ea inspecta, 8 Enn. 10. Amicus Episcopus Aquilæ & Cardinalis à Paulo 2. creatus, patris imitatione opilio fuit; qui ut in tanta gloria suæ humilitatis memor esset fastumque calcaret, agnum cum libro pro insignibus suis gerere voluit. Hieronymus Garimbertus lib. 2. de Vitis Pontificum.

Trip. Dom. 10. post Pent. C. 7. E.

Secundò, *cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere quantò se obligatiorem conspicit in reddenda ratione*, inquit, S. Greg. hom. 9. in Evang. Nemo insolescit facilè, quod multa sibi credita sint, quia multa reddere debet.

Tertiò. *Vt in navigiis, qui vacuam habent navim, non metuunt pyratarum insultum, sed qui onustam habent: sic & Diabolus non adeo persequitur peccatorem; sed justum, cui multa sunt opes. Quantò major ergo es, tanto magis submitte teipsum*, ait S. Chrysostomus hom. 4. in id Isaiæ: *Vidi Dominum.*

Diogenes videns Platonis aulæa & peristromata, pedibus ea calcavit. Causam rogatus: *Fastum Platonis calco*, inquit. Sic calcet mundi fastum pius Germanus: uti S. Michaël calcavit fastum Luciferi.

III. Scandala amovendo & impediendo. Ad hoc præivit nobis S. Michaël, quando restitit Diabolo, prodere volenti corpus Moysis, ut pro Numine coleretur ab Hebræis; uti docent communiter interpretes in Epistolam Judæ. Hanc enim ob causam videtur Deus voluisse, ut locus sepulchri ejus esset incognitus, Deut. 34. Idem Archangelus putatur fuisse; qui obstitit Balaamo pergenti ad ponendos laqueos Hebræis, filias scilicet Moabitidas; quando stricto gladio ei minatus fuit. Num. 22. Erat enim Michaël præpositus Synagogæ, sicut nunc est Ecclesiæ. Hunc in modum qui bonus Germanus esse vult, scandala non modò non det, sed nec dari ab aliis permittat. Sic egit imprimis Moyses, vitulum aureum, Hebræorum scandalum, confringendo & in cineres redigendo, Exod. 32. Ezechias *confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum*, ut dicitur, 4. Reg. 18. Sensim enim populus pro numine eum amplexus erat. Atque ut nihil omninò divinum in eo fuisse doceret, nomen ei mutavit & appellavit eum *Nohestan*, id est, *æs*: seu ut est in Hebræo, *Nechustan*, id est, *ærulum*, ut eodem capite. Addit Eusebius apud Anastas. Nicenum, sustulisse Ezechiam libros Salomonis de curatione morborum, propterea quod inde sumerent morborum medelas, & nihili facerent à Deo petere curationes. Constantinus M. Episcoporum quorumdam libellos contentiosos (uti notum) combussit, ne perlecti scandalo forent. Carolus M. cum in aula sua quotidie pasceret 12. pauperes, ad honorem 12. Apostolorum, ubi intellexit Aigolandum Saracenorum Principem ad se invitatum, in ipsis scandalizatum quo minus religionem Christianam amplecteretur, eo quod ipsos humi sedentes & sordidè vestitos cerneret; mox fategit huic quali quali scandalo occurrere, eosque melius vestivit, ac honestiore loco discumbere voluit. Sabell. l. 8. Enn. 8.

Idem faciunt nunc Angeli custodes; facientque ultimis temporibus, cùm *de regno Dei colligent om-*

nia scandala, Matth. 13. Quis non ambiat imitari Angelicum hoc munus?

IV. Maledicentiam cavendo. Cavit certè S. Michaël, etiam contra Dæmonem in prædicto casu, quando is revelare voluit corpus Moysis. Audite S. Judam de hoc loquentem: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ* (hoc est, maledicere, dicendo verbi gratia: Vade maledicte Satan: abi iniquissime in tartarum) *sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Gott gebiete dir. Non Gott schände dich. Distinxit S. Michaël inter naturam Dæmonis & malitiam ejus. Natura ex se bona est, quia Dei creatura. Ad hanc ergo respexit, unde ei maledicere noluit. Alcon sagittarius videns filium à serpente involutum, arcu arrepto serpentem interfecit, puero illæso; teste Victore lib. 16. c. 8. Idem faciant & Germani: abstineant imprecationibus & maledictis: distinguant inter homines & vitia; hæc, non illos persequantur. Noverint hominem ad imaginem Dei formatum; unde qui ipsi maledicit, Deo maledicit.

V. Discordias tollendo & discordes conciliando. Præivit ad hoc S. Michaël. Cum enim Angelus Persarum & alter Angelus Hebræorum Præses, Gabriel, amicè inter se disceptarent duodecim diebus, quamdiu voluntas Dei nondum eis perspecta fuit; pro Hebræis in captivitate Babylonica detentis: & hic quidem reduci eos vellet, alter vero remanere cuperet. Venit Michael & diremit controversiam, Dei voluntatem eis exponens, ut reducerentur Hebræi; sicut habetur Dan. 10. Dæmonum est pacem turbare & animos dispergere: Angelorum est pacem facere, & animos congregare. Unde *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth 5. Alis inter alios fuit celebri exemplo S. Theodosius cœnobiarcha; qui cum dissidium duorum fratrum verbis conciliare non posset, supplex ad eorum pedes se abjecit; & tamdiu in terra coram eis fuit, donec ad pacem redirent. In vita apud Sur. Januar. Sed Germanos videamus. Tigurini duo fortunas suas litigando attriverant. Alter eorum ardatior suam & adversarii dementiam serò tandem perspiciens, armatus cum filio ad ædes adversarii descendit. Is ad vim repellendam cum servo currens, causam adventus rogat. Tum ille: Et religione sacrosancta & privatis incommodis adductus, contentionem tanto jam tempore magno utrique nostrum cum discrimine altam & conservatam depositurus adsum. Filium habeo animo promptum, manu strenuum, ei filiam tuam bene moratam virginem in connubium deposco: ut his veluti obsidibus benevolentia mutua sanciatur. Inexpectatam adversarii mansuetudine obstupescens alter, advocatis convocatis filiam suam adversarii filio despondit, sicque in amicitiam transiit inimicitia. Joannes Gastius in jocoseriis. Hæc & similis ratio optima Germana foret conciliandi inimicos. Quid? in novo orbe deprehensæ sunt Insulæ, inter quas si bellum incidat, honestissimus est & habetur, qui pacem ab hoste rogat: alter sceleltus & in commune hostis, qui rogatam negat; indignissimè etiam ferunt, si hostes in postulanda pace eos anteverterint, refert Ludovicus Vives in Epist. ad Joa. Episcopum Lincolniensem. Si hoc gentes à fide alieni; quid agant Christiani? Ergo Audit. *si conversi fueritis & efficiamini sicut* Michael: verè germani eritis, & majores in regno cœlorum.

THEMA IV.

Astrologia judiciaria reprobatur.

I. *Est temeraria.*
II. *Est stulta.*
III. *Est impia.*
IV. *Est exitiosa.*
V. *Est odiosa & fraudulenta.*

Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone. Apoc. 12.

SAnctus Joannes Apoc. 12. recenset executionem perquam funestam Michaelis contra Draconem, serpentem antiquum. Causam delicti explicat Isaias c. 14. Lucifero dicens: *Dicebas in corde tuo: In cœlum ascendam: supra astra Dei exaltabo solium meum: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Sceleratam hanc vocem indignè ferens Michael exclamavit: *Quis ut* Deus? & hoc quasi telo ex Dei mandato dejecit Luciferum in abyssum; factaque est in cœlo pax. Videtur Draco ille, seu serpens antiquus licet jam dejectus adhuc moliri id, quod initio suæ creationis machinatus est; & quia ipse per se non potest, per suos saltem asseclas & servos, super astra velle ascendere, per astrologos, judiciarios videlicet, serpens, inquam, ille antiquus, qui in paradiso parentibus nostris instillavit appetitum scientiæ boni & mali divinæque similitudinis: *Eritis sicut Dii.* Verum frustra est, nec tolerat hoc michael. Quare Draco ille debellandus & exturbandus est. Quod antequam fiat, prius ejus delictum examinandum est, tum sententia ferenda. Homines sunt isti Astrologi, qui pœnitere & immutari possunt; non Angeli. Quare proponamus eis delictum eorum, si forte resipiscant.

I. Luciferi conatus fuit temerarius; ut patet ex ejus voce: *Similis ero altissimo.* Quanta enim temeritas, cum Deo velle se comparare ejusque throno occupare? Temerarius etiam est conatus Astrologorum; quia præsumunt scire, quæ Dei solius est nosse. Deus enim ex præscientia futurorum contingentium demonstrat suam Deitatem, Isa. 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus* *I. Est temeraria.*

quid

quia Dii eſtis vos. Præſumunt ſcire, quæ nec Dæmones norunt, qui tamen totum ſtellarum orbem perambulare & inſpicere poſſunt. Fatetur enim ipſe Porphyrius Ethnicus apud Euſeb. lib. 6. de præpa-rat. Evang. Dæmones in ſimulachris interrogatos ſæpe mentiri, & quidem coactos à curioſis hominibus, fateri ſe reſpondere vera neſcire. Et ſanè ſi ſciviſſent Dæmones Chriſtum eſſe Dei Filium, nunquam impuliſſent Judæos ad ipſius necem. Ratio verò eſt, quia non penetrant cogitationes noſtras. Præſumunt denique ſcire, quod nec ipſi homines; quibus divinant, de ſe præſciunt futurum. Neſcit enim homo quid cras facturus ſit, & mutat in momenta ferè ſua propoſita, mutaturque inſuper à Dei inſpirationibus & aliorum conſiliis. At iſti volunt ſæpe prædicere audentque, quis ſit futurus S. Pontifex; cum hæc electio à plurium conſenſu conſtet, quorum omnium horoſcopos ſcire deberent. Item quando bellum & inter quos futurum, cum hoc pendeat ab electione ſimiliter plurium. Rurſum quis eventus futurus ſit civitatis, cum ædificatur; uti Romæ fecit Tarutius apud Plutar. in Romulo. Præſagiunt diem Judicii, qui tamen, ſcriptura teſte, omnibus eſt abſconditus.

II. *Eſt ſtulta.* II. Fuit ſtultus. Quid enim ſtultius quam velle Deo eſſe ſimilem? Unde ſentiunt Theologi Luciferum hoc revera non appetiiſſe, nec adeo deſipuiſſe; ſed voluiſſe tantum eſſe à Deo independentem. Jam verò ſtultiſſimum eſt, velle ex aſtris prænoſſe ventura circa homines. Nam

1. 1. Neſciunt Aſtrologi illi, ſaltem perfectè, ſingularum ſtellarum virtutes in ſublunaria. Neſciunt ſitum ſiderum, cum perpetuo varient, & ſitum rapidiſſimo motu mutent. Sol enim uno quadrante percurrit 300000 ferè miliaria. Unde uſque hodie nondum deprehendunt punctum æquinoctii veri; conſequenter nec cæterorum aſtrorum ſitum aut ingreſſum in certa ſigna nôrunt: nec ſciunt veram natalis horam, cum horologia fallant.

2. 2. Cur aſtra in totum potius hominis vires ſuas exerant, quam in conceptum vel animationem fœtus? Plus enim videntur operari in fœtum, cum primum exiſtit, teſte Ptolemæo l. 4. c. 2.

3. 3. Cur ex ſolis ferè planetis, & non etiam ex ſtellis fixis divinant? hæ enim cum 1022. ſint, quarum ſingulæ terræ globum excedunt, cur non etiam vires ſuas habeant? cur non refrangunt influentias planetarum? cur etiam planetæ non agunt in reliquam ætatem hominis?

4. 4. Cum Sol aliaque aſtra univerſales tantum cauſæ & indeterminatæ ſint, ſicut brachium ad omnis generis artificia & opificia, labores & opera: vel lumen candelæ; cauſæ etiam particulares cognoſcendæ ſunt, uti ſubjectum ſeu corpus benè vel malè organizatum, ejus qualitas & compoſitio. Adhæc parentum vitia aut virtutes, lac, nutricum ſedulitas, victus, labores, ſedes & domicilium, conſuetudo, Magiſtri, medicamenta: providentia divina, modò puniens peſte, fame & bello: modo remunerans, conſideranda ſunt; denique aliæ potentes conſtellationes, non procul diſſitæ, aliorſum hominem inclinare poſſunt: ergo nec probabiliter aliquid colligat ex unius voce ſenatoris, non auditis aliis plurimis? Denique ſi vel anni tempeſtates & frugum proventum prædicere norunt, cur non ſibi provident, v. g. vini copiam, pro hoc anno 1641. quo non crevit? nonne ſtulti ſunt, cum tam facilè ditari poſſent?

III. Fuit impius; quia divinæ majeſtatis reus, cujus coronam pedibus ſuis ſubjicere voluit. Genethliaci nihilo meliores ſunt. 1. Quia Chriſtianam religionem everrunt. Primò dum Eccleſiam, quæ ipſos reprobat & perſequitur, contemnunt. 2. Quia vaticinia *Prophetarum* & Chriſti enervant, potentiſſimum fidei noſtræ argumentum; poſſent enim dicere infideles, ea omnia in aſtris præviſa fuiſſe à Chriſto & Prophetis. 3 Poſſent hoc modo impii peccata ſua Deo adſcribere, ſi aſtra inclinarent voluntatem in peccata.

2. Quia hominem ſubjiciunt aſtris, quæ tamen ad ſervitium hominis creata ſunt. Unde Alphonſus Aragoniæ Rex ſolos Aſtrologos aula excluſit, Rex ſapientiſſimus dicens: *Stultos aſtra regunt, ſapientes dominantur aſtris.* Æn. Sylv. l. 4. Comment. Adhæc hominum vitia cœlo adſcribi poterunt, ipſique abjicient animum ad ea ſuperanda. Præterea cœlum eſt cauſa corporea & materialis, ergo in animam noſtram, quæ eſt ſpiritualis agere non poteſt. Denique potentia illa ſiderum vel poteſt ab homine impediri, ita ut non ſequatur effectus: vel non poteſt. Si poteſt, ergo ſicut effectus eſt incertus, & poteſt non evenire, ita prædictio ejus incerta erit, ſi non poteſt, ergo nullum eſt liberum arbitrium.

3. Qui providentiam divinam evertunt. Conſtat enim è SS. literis à Deo immitti flagella pro ratione peccatorum, peſtem, bella, famem, grandinem: pluere Deum ſuper unam civitatem, ſuper aliam non pluere, Amos 4. Si autem iſta ex aſtrorum vi proveniunt, fruſtra adſcribuntur providentiæ divinæ. Neque dicant Deum pro libitu eorum influxus impedire v. g. ad preces noſtras; ſic enim eſſent ſigna inania & fallacia, quæ tamen à Deo ad eventus præſignificandos eſſe in cœlo quaſi in libro poſita contendunt; itaque tunc Deus aut ignorans futurorum aut fallax eſſet.

IV. Fuit exitioſus Lucifero; nam in exitium eum impulit. Sic & ſtudium Aſtrologorum perniciosum eſt. 1. Ipſiſmet Aſtrologis, quibus non modò grave peccatum mortale infert, verum etiam ſæpè exitium. Certè à ſapientioribus ſemper deſpicatui habiti & deriſi, à terris expulſi, & ob deluſiones plexi ſunt vel ejecti ex urbibus. Jo. Galeatius Mediolan. Dux Aſtrologum, qui ipſi brevem, ſibi longam vitam prædixit, in malam crucem ſuſpendit. Corozett. de dictis memorab. Bartholom. Cocles Bononienſis Aſtrologus à Capo[illegible] qu

quem homicidam fore prædixit, in occipitio securi percussus periit. Lucas Gauricus à Johann. Bentivolo Bononio viro principe, quod fatalem ejus horam vulgasset, magnis cruciatibus extinctus est, uti refert meus olim Theologiæ Professor eruditissimus, Alexander de Angelis in tractatu de Astrologia.

2. Consulentibus, qui & ipsi cooperantur & alliciunt eos ad hoc studium, sicut Angeli qui cum Lucifero conspirarunt, proinde etiam ipsi cum duce suo in tartarum dejecti; ut taceam quod deludantur sæpe ab illis misere, uti Ludovicus Sfortia, Dux Mediolan. ut alibi dixi. Committunt ergo peccatum mortale, ut tradit Lucas Pinellus in spec. Confessionis: & colligitur ex tam severis decretis Pontificum & Canonibus, nec non legibus Cæsareis, quibus sub gravi pœna exclusionis à communione fidelium, & ab urbibus ars illa interdicitur. Sane Nicolaus Tertius Pp. clericum, qui ob furtum consuluit Astrologum, per annum suspendit. Adhæc vel triste est & malum, quod prædicitur; vel lætum & bonum. Si primum, afferet perpetuum futuri mali merum & conduplicabit malum. Si secundum, pariet partim impatiens desiderium, partim formidinem mendacis prædictionis.

Accendunt etiam cupiditates humanas anxiè, sed frustra: causant timores: avertunt à bonis studiis.

3. Aliis innocentibus, qui in suspicionem venire possunt alicujus criminis patrati, vel patrandi per tales prædictiones, v. g. si prædicant dominum aliquem gladio insidiatoris aut inimici, vel veneno tollendum. Tunc enim ille in suspicionem trahet domesticos suos: vel alios, quicumque ei aliquando adversantur. Sic Valens Imp. cùm ab Astrologis sparsum esset, futurum ei successorem, cujus primæ litteræ essent Theo, suspectos habuit & occidit omnes Theodoros, Theodulos, Theodosios, adeoque unum Theodosiolum ex Hispania adductum necavit. Unde parentes filiis suis talia nomina dare non sunt ausi, & data mutaverunt. Sozom, l. 6. c. 35. Sic & Jacobus 3. Stuartus, Scotiæ Rex, cùm audisset ab Astrologo sibi à suis cædem imminere, omnes propinquos & officiales amovit, & alios ignotos substituit, in tyrannidem degenerans; totumque se voluptatibus dedit. Henniges in Geneal.

4. Ipsi generi humano: Quis enim plantaret vineas & hortos, quis ædificaret domos, si scirent homines, vel brevi se morituros, vel ea post paucos annos vastanda incendio, bello, grandine, fulmine? Quis coleret agros & vineas, si præsciret eas tempestate vel steriles futuras vel grandine mactandas? unde viverent pauperes operarii? Quodq; maximũ est, nemo fere ageret bene, aut pœnitentiam ante vicinam mortem. Hac enim de causa voluit Deus incertam nobis esse mortis horam, ut semper vigilaremus bene operando.

V. *Est dolosa & fraudulenta.*

V. Addo & hoc (quod in Luciferi conatu non reperio) dolosum & fraudulentum esse Astrologorum studium: primùm enim de Imperatoris vita, & reipublicæ statu nihil divinandum præcipit eis Julius Firmicus; quod solus Imperator stellarum cursibus non subjaceat, cùm tamen mortalium idem sit ortus & interitus. 1. Timent igitur ne non liceat Imperatori & reipublicæ gubernatoribus impune mentiri. Deinde de divitibus solùm, à quibus lucrũ sperant, divinant, de satrapis & heroinis: de plebeiis vero & tenuioris fortunæ hominibus nihil dicunt. Similiter & de stirpibus atque animantibus (quæ tamen longe magis astris subjiciuntur quam homines) de eorum vita & morte, proventu, fœcunditate, nihil divinare audiuntur; sed de hominibus tantùm, à quibus lucrum sperant.

Adhæc suas prædictiones fere ænigmatice proponunt, per symbola obscura, quæ ipsi varie exponere possunt: item per amphibologias & terminos genericos aut dubios. Rursum fabricant in cælo domos, cùm nullæ sint, nisi quas ipsi confingunt.

Denique scribit Levinus Lemnius Medicus Zirizæus in libro de Astrologia, tales Ulyssæa calliditate perlustrare regiones omnes & studia populi observare, in quem favor hominum inclinet, qui rumores disseminentur, vel in laudem, vel in probrum cujusque: quæ huic Regi cum finitimo controversiæ aut simultates, quæ sit inter fœderatos conspiratio, inter civiles contentio, inter competitores concertatio: sic illis fere astra minari ajunt, qui opibus minùs valent, qui armorum aut amicorum præsidio destituti &c. Cumque hujusmodi rerum experientiam compararunt, migrant de regione & scribunt quæ alibi, ubi priùs fuerunt, vel fiunt, vel facta sunt aut rationabiliter futura putantur.

Verùm quis has tales toleret? Impingunt in astra, quæ Deus tam longè à nobis removit, & ut servirẽt nobis, creavit: impingunt in scripturam sacram; impingunt in SS. Canones & jura Cæsarea: impingunt in religionem, in liberum arbitrium, in bonos mores, ne plura dicam. Judicate nunc Auditores, quid cum talibus agendum sit. Nonne cum Lucifero tartarum merentur? Sed mitius agamus, & libros tantùm eorum igni demus, ipsos autem salvare conemur, quo modo S. Augustin. in Ps. 61. talem salvavit, ea lege, ut libros Genethliacos ante Ecclesiam combureret & pœnitentiam ageret.

* * *

THEMA V.

Angelorum lapsus terribilis eruditio nostra.

I. *Qui lapsi sunt Angeli erant.*
II. *Nec uni eorum parsum.*
III. *In flagranti delicto mox correpti sunt.*
IV. *E cœlo in abyssum dejecti.*
V. *Ita ejecti sunt ut redire in gratiam nequeant.*
VI. *Propter unicum peccatum mentale.*

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. 18.

LUctuosus Auditores & lamentabilis casus accidit. Rex quidam potentissimus offensus unico insolenti verbo à tertia parte aulæ suæ, & quidem nobilissima: nimirum à præfecto aulæ, cui adhærebant multi Comites & Barones, Camerarii & Consiliarii, Dapiferi & Ephebi: in tantam exarsit iracundiam, ut eos è conspectu & aula sua continuo exturbarit, & in profundissimum ac teterrimum carcerem detruserit, variis tormentis illic cruciandos, nec unquam redimendos. Quo animo, quo terrore putatis hoc inaudisse cives, illius Regis subditos? quis neget omnes & singulos hoc severitatis exemplo consternatos, sibi timuisse à Regis sui ira, & imposterum cavisse cum omni diligentia, ne vel unico verbo eum offenderent? Ita sane opinor. Quis vero iste Rex? Deus omnipotens creator & Rex omnium nostrum. Offensus ipse fuit à tertia parte aulæ suæ cœlestis, ab Angelorum principe & innumeris aliis ex omnibus eorum choris & ordinibus, cum eo conspirantibus: offensus, inquam, unico insolenti verbo: & reus mox cum suis asseclis, nullo excepto è cœlo exturbatus & in profundissimam terræ cloacam, in tartareum carcerem dejectus est, nunquam inde rediturus, sed omni tormentorum genere illic cruciandus. Quid nos ad hoc mortales? An Deum nostrum non timebimus? non summo studio cavebimus, ne ipsum offendamus? Non dubito Audit. nos hoc facturos. Quod tamen ut efficacius fiat, tragicum hoc spectaculum melius considerabimus.

I. *Qui lapsi sunt, Angeli erant.* I. Qui lapsi & damnati sunt, Angeli fuerunt, præ omnibus creaturis nobilissimæ; & juxta communem Patrum sententiam Angelorum omnium supremus Lucifer cum adhærentibus sibi, de quo dicitur Job quadragesimo. *Ipse est principium viarum Domini*, quasi diceret prima & præstantissima Dei creatura, ut sentit sanctus Gregorius in libris Regum libro quarto, capite primo. Isaiæ vero decimo quarto appellatur *Lucifer*, à stella illa lucidissima, quæ præcedit orientem Solem, & sequitur occidentem, quasi ei à latere proxime adhærens: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Denique Ezechielis decimo octavo sub typo Regis Tyri dicitur de ipso: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &c.* Ergo talis ac tantus cum cohorte sua non multo inferioris nobilitatis, velut aulæ Dei cælestis præfectus cum illustrissimis quibusque ephebis iram Dei incurrit, & mox posthabita tam excellsæ naturæ præstantia & cum Deo propinquitate, ex aula cœli exturbatus est in carceres perpetuos, teterrimos & omnibus ærumnis plenissimos. Quis hic non totis artubus contremiscat? Hinc enim sanctus Petrus epistola secunda capite secundo ita ratiocinatur: *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari,* non absolvit sententiam; quia sequelam velut per se claram relinquit; hanc videlicet: multo minus igitur hominibus, ut qui Angelis longe inferiores & viliores sunt, parcet: sed in judicium reservabit, cruciandos in tartaro. Quis enim ex plebe non metuat Regem offendere, si intelligat proceres aulæ ob læsam ejus majestatem enectos esse? *Ulula abies*, inquit Zach. capite undecimo, *quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt*, hoc est, ululate senatores, magistratus, minores Jerosolymitæ, quia ceciderunt vestri Principes. Quid nos respectu Angelorum, abietes respectu cedrorum, cives respectu Principum? Quod si primus locus à lapsu & ira Dei securus non est, quomodo erunt medii & infimi? Lucifer primus Angelorum cecidit, Saul primus Regum Hebræorum reprobatus & damnatus est. Petrus primus Apostolorum cecidit: quis sibi non timebit? Unde propositis illorum trium exemplis subdit sanctus Gregorius libro quarto in libris Regum capite secundo, *cautela minorum sit ruina majorum.*

Nec eorum parsum. II. Omnes quotquot cum Lucifero conspirarunt vel ejus consilium approbarunt, unà cum ipso damnati sunt, nec uni quidem parsum; tametsi tertia pars Angelorum cum eo cecidisse insinuatur Apocalypsios duodecimo. *Cauda ejus* (Draconis) *trahebat tertiam partem stellarum*, quasi dicat, innumerabilem multitudinem. Quis hic non exclamet cũ Propheta Psalmo 89. *Quis novit potestatem iræ tuæ & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* *Dexteram tuam sic notam fac*, q. d. voluisti nimirum hoc exemplo severissimi judicii notam facere potentiam & justitiam tuam. Etenim Principes terræ & Duces militiæ, quando integra civitas, vel militum legio eis rebellat, non solent plectere omnes rebellionis complices, sed paucos aliquos, ac fere capita & malorum incentores tantum; quia nimirum Princeps opus habet subditis, Dux militibus. Sic egit Maximianus Imp. cum S. Mauritii legione; quando hæc ad illius imperium Diis sacrificare renuit. Præcepit enim primo, ut ex ea decimus quisque gladio feriretur: cumque reliqui adhuc abnuerent, Maximiani impe-

imperium,iterum decimati;ac demum, ubi nec sic qui remanserant,parerent,ejus jussu à toto exercitu obtruncati sunt,apud Baronium anno 297.Non sic agit Deus,sed *anima quæ peccaverit,ipsa morietur*, ait Ezechiel decimo octavo, quia nimirum Deus nemine opus habet.Unde sapienter sacerdotes illi Hebræorum manus in cœlum protendentes contra Nicanorem extrema eis minantem,orant: *Tu Domine universorum,qui nullius indiges, &c.* secundo Mach.14.

III.In flagranti delicto comprehensi,mox correpti & cœlo ejecti sunt instar fulguris, ut ait Dominus Lucæ decimo.*Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Quemadmodum enim fulgur,si lapidem ferat,simul in ictu oculi & micat & ferit seu fulminat;& sicut ictu sclopi fragor dum editur, simul homo aut fera sternitur (Knall vnnd Fall zugleich.)ita peccantes Angelos mox sententia damnationis prostravit & supplicium corripuit.Non datum eis vel minimum resipiscendi spatium;nec admissi intercessores Angeli boni; quales admissi & auditi;Moyses pro populo Hebræo prævaricatore Exodi trigesimo secũdo;populus pro Jonatha morti adjudicato primo Regum decimo quarto.Poterant Angeli illi absolute loquendo retractare errorem suum,quia liberi natura adeoque flexiles sunt, ut evincit Scotus in 2.dist.6. quæstione secunda & Gabriel ibidem quæstione 1.articulo 2. non tamen ad hoc agendum accepêre terminum aliquem;quia nimirum non ex infirmitate aut ignorantia(ut plerumque nos delinquimus)sed ex certa malitia adeoque plena voluntate peccarunt.Ex quo discimus imprimis quam periculosum sit peccare deliberate & dedita opera ex mera libidine. Qui enim sic delinquunt,merito timent seu repentinum suppliciũ; seu subtractionem gratiæ divinæ ad resurgendum necessariæ.Ut enim canem magnum nos invadentem sine mora impetimus baculo aut lapidibus;catellum non item,nisi pergat esse molestus;& ut cõtumelias à viro irrogatas mox vindicamus,à puero toleramus:ita & peccata ex malitia merentur celerem pœnam:quæ contingunt ex ignorantia aut infirmitate,aliquamdiu tolerantur,

Deinde quantum pondus sit peccati; quod tam robustos spiritus in momento è cœlo depressit, seu ut sanctus Petrus loquitur, *rudentibus inferni* detraxit in tartarum,tam potenter quam rudentes navim trahunt quocumque & retinent,Hinc profecto jure peccatum toties nominant Prophetæ *onus*; uti Isaias:*Onus Moab,onus Damasci &c*,Nahum, *onus Ninive*,Habacuc, *onus quod vidit Habacuc*,& alii. Quin & nos Germani gravia peccata appellamus Laster,quasi gravia onera. In vita sancti Simeonis Trevirensis Monachi refert Evervvinus AbbasDoleiensis,apud Surium primo Junii,juvenem ad ejus Sancti templum & solemnitatem ascendere voluisse,sed pondere invisibili aggravatum pergere non potuisse:impulsum,tractum ac denique portatum, sed interim magis ac magis gravem effectum, adeo ut à multis viris tolli non posset; donec proposuit per confessionem se conscientiam expiaturum.Voluit in hoc juvene Deus rudi plebi sensibiliter ostendere,quanta gravitas sit peccati;quo, nisi Dei miseratione peccator sustineretur, utique mox ad inferos deprimeretur,terrâ diruptâ,cum Core, Dathan & Abiron,

IV.E cœlo in abyssum & inferni incendium dejecti sunt:è summo honoris loco ad infimum ignominiæ è pulcherrimis fœdissimi effecti. Terribile severitatis exemplum statuit Assuerus Rex Persarum,quando Aman,primum in aula principem, ob unum delictum ex ipsa regia regioque convivio repente extrahi & rapi jussit in crucem,ad summam ignominiam è summo honore, Esth.7. Sed parum hoc aut nihil erat,ejus respectu quod Deus statuit in Lucifero, quando eum cum suis è cœli regia trahi jussit ad orcum. Amanis facies à ministris operta fuit,quasi indigni,qui aspiceret Regem;& digni,qui oppleretur tenebris ac confusione.Lucifero etiam vultus obvelatus est,ne videret Dei gloriam gratia quoque expoliatus , tenebris & horrore perfusus est.Aman in altissimam crucem,50.cubitorum,extra urbem Susan appensus est.Lucifer ad imum inferni detrusus & ludibrium toti mundo factus. Aman cruci affixus est,ut in ea diutius viveret,(ut ex simili colligitur 1.Esdr.6.versu 11.) Lucifer cũ suis in ignem injectus,ut in eo semper viveret;neque in crucem actus est,sed in ignem potius,quia sacrilegus erat,ipsam divinitatis coronam sibi arrogans; itaque pœnam ignis omnium gravissimam commeritus. Ignis ille tartareus quasi animatus tortor & carnifex est peccatorum,minister divinæ justitiæ qui ubicumque peccatum aliquod subolfacit, illuc statim grassari jure suo,& devorare impium vult;adeo ut in cœlum etiam violentas manus injecerit & prævaricantes Angelos inde extraxerit. Tantum igitur malum est peccatum, ut ne in cœlo quidem asylum inveniat contra illum satellitem, qui etiam sacra loca invadit extrahitque reos.

IV. E cœlo in abyssum dejecti.

V.Ita à cœlo in abyssum dejecti sunt, ut nequeant inde amplius remeare aut à peccato suo resipiscere per omnem æternitatem : subtracto nimirum eis concursu gratiæ divinæ, Ait enim Sanctus Jacobus *rudentibus inferni* in tartarum detractos & traditos ad cruciatum. Nulla autem ex inferno datur redemptio : fortissimi illi rudentes perpetuo eos alligant; quod enim est mors homini,hoc erat lapsus Angelo; homo ad mortem usque viator est, Angelus usque ad lapsum erat.Nec mirum,cùm enim sint perfectissimæ intelligentissimæ creaturæ, perfectissimæ Dei obedientiæ obstricti sunt;quemadmodum & in bello milites, ut si vel semel unum articulum transgrediantur, statim rei capitis fiant. Hinc ille Atheniensium Dux Lamachus castigavit quendam centurionem,qui deliquerat nescio quid, Et cùm ille dixisset ; *Non iterum istud committam. Ne possis quidem*,inquit,*in bello peccare bis: Error enim in bello mors est.*

V. Ita ejecti sunt ut redire in gratiam nequeant.

Plutarch.in Regum Apophteg. Pari ratione error in Angelis mors est. Sunt enim ipsi Dei milites strictissimæ alligati observantiæ, velut ejus milites, qui pro Dei gloria potentissime pugnent. Unde eorum exercitus appellatur *militia cælestis*, Luc. 2. & *Castra* Dei, Gen. 32. Ipse vero Deus, Deus *Sabaoth*. hoc est, *exercituum*. Audiamus unum è Dæmonibus hac de re interrogatum à sancto Bernardo in muliere ab ipso obsessa. Hunc enim cùm Papiæ in Ecclesiâ sancti Syri Bernardus percontatus esset inter alia. *Vnde Iesum nosti, & si unquam eum vidisti?* *Vidi*, inquit, *Vbinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodo inde existi? Cum Lucifero*, inquit; *multi cecidimus*. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem sancto Abbate: *Nunquid in illam gloriam redire velles, & restitui in gradum pristinum* ? Rursum voce mutata & miro modo cachinnans: *Hoc*, inquit, *tardum est*. Et nihil ultra loquens, orante attentius viro Dei, nequissimus ille victus abscessit. O miseri vos Dæmones, quibus redire ad gratiam & cœlum, jam nimis tardum est! Fœlices contra nos, quibus adhuc patet aditus ad gloriam: si tamen intrare in tempore contendimus. Væ illis, qui cum Dæmonibus dicent aliquando: *Nimis tardum est*, ad superos redire.

VI. *Propter unicum peccatum mentale.*

VI. Propter unicum peccatum mentale, seu cogitationem superbam, qua vel appetebat propriis viribus supernaturalem beatitudinem: vel eam sprevit & naturalem suam tantùm retinere; vel aliis Angelis independenter à Deo imperare voluit, vel, ut alii existimant, unionem hypostaticam ambiit, Christo eam invidens. Quidquid vero illud sit aliquid Deo soli debitum, sibi attribuere, sibi rapere voluit, ad instar alicujus ministri, qui fruges aliumve cibum domino suo debitum adeoque afferendum, priùs ipse vel delibat, vel omnino devorat. Quis vero hoc audito non contremiscat? Ob unicam ambitiosam cogitationem tanti cœli proceres tanto numero tantis addicuntur pœnis! Edixerat Saul sub pœna mortis, ne quis militum aliquid gustaret usque ad vesperam; hoc mandatum Jonathas fuit transgressus sed levissime: virgæ enim suæ apicem intinxit in mel fluens applicuitque ori & mel gustavit. Quod ubi rescivit Saul filium morti addixit. Ad quod Jonathas: *Gustans gustavi paulu-lum mellis, & ecce ego morior*. Verùm intercessit populus, ne pœnas daret Jonathas, 1. Regum decimo quarto. Videte nunc Luciferum cum cohorte sua. Unica honoris sibi interdicti appetitione lactavit se paulisper, quasi summitate virgæ gustans parum mellis, & en æternæ morti & stygis incendio adjudicatur: nec ex tanto reliquo Angelorum numero vel unus est qui pro reis intercedere & Deum judicem mitigare audeat. Ubi jam sunt, qui dicere non verentur cogitationes malas parum aut nihil curandas, adeoque à vectigalibus esse liberas (Die Gedancken seyn Zollfrey?) Ubi, qui ob unicum lapsum parum sibi timent, quasi primi errores condonari debeant? Quid vero de illis dicam, qui peccata eadem toties conduplicant? Bene igitur monet Ecclesiasticus capite 21. *Fili peccasti? non adjicias iterum*, quia scilicet iteratio facit, ut peccatum humanum fiat quasi Angelicum, adeoque venia indignum; & tales *nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant*, ait sanctus Fulgentius de fide ad Petrum capite 3. Præ cæteris vero fugiamus superbiam, quæ prostravit supremum Angelum & cum ipso alios innumeros. Hac de causa Dominus, Luc. 13. proponit exemplum illud justitiæ divinæ de turri in Siloe, quæ casu suo obtrivit homines octodecim, addens: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*, q. d. in cautelam vestram id permisit Deus. Turris erat Lucifer, qui casu suo obtrivit Angelos innumerabiles. Casus hic permissus est ad cautelam hominum. Nisi ergo conversi fueritis, omnes similiter peribitis.

* * *

IN

IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

THEMATA.

I. *Quando Iudæ seu Confessores esse debeamus.*
II. *Iudæ proditori qui non absimiles.*
III. *Cur, quomodo & quando Zelotæ esse debeamus.*
IV. *Obedientia quibus maximè commendata esse debeat.*
V. *Inferiores ne dominentur superioribus.*

THEMA I.

Quando Judæ seu Confessores esse debeamus.

1. *Quando fides profitenda.*
2. *Quando veritati testimonium perhibendum.*
3. *Quando confessio peccatorum facienda.*
4. *Quando quis convictus de peccato arguitur.*
5. *Quando innocentes pro nobis affliguntur.*
6. *Quando à Deo punimur ob peccata nostra.*

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Joan. 15.

SCimus Audit. multa passos esse Apostolos propter nomen Christi; neque hoc miramur. Id verò mirandum est; quòd unus Apostolus pati debeat propter nomen alterius. Quomodo? dicetis. Nonne Judas Thaddæus sanctus Christi Apostolus est? Hic tamen pati debet propter Judam proditorem? quia Christiani cùm aliorum Apostolorum nomina assumant & venerentur, solum nomen Judæ vitant. Nec enim facile reperitur aliquis; qui hoc vocetur nomine, odio proditoris Christi. Non nisi unus ejus nominis commemoratur Christianus Act. 15. & alius quidam scriptor Ecclesiasticus apud S. Hieron. l. de script. Eccl. Et tamen nomen Judæ honorificum & speciosum est, significat enim Confessorem seu Confessionem, ut patet Gen. 29. ubi Lia cùm pepe-risset ultimum filium, dixit; *Modo confitebor Domino: Et ob hoc vocavit eum Iudam.* Tales verò Christus Dominus magnoperè desiderat, Christianos, inquam, confitentes, odit verò negantes. Ita enim loquitur Matt. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Ergo si non nomine, propter odium scilicet proditoris, volumus esse Judæ, simus saltem re, propter Judam Thaddæum, qui gloriosam Christi confessionem & suo calamo scripsit, & sanguine subscripsit. Sed qua in re & quando potissimùm tales esse nos oportet? Audiamus.

I. Quando fides profitenda est. Ita enim testatur Apostolus ad Heb. 11. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Isaiæ videl. 28. ubi paulò aliter ex 70. dicitur: *Qui crediderit non festinet,* hoc est, non trepidet, sed instar leonis, etiam coram canibus, tardè & graviter incedat, fidem profitendo. Accedit Christi sententia jam dicta. Et jure: si enim turpe est militibus negare fidem Duci datam? At qui cùm Dei aut proximi salus id exigit, non confitetur; hoc ipso jam ad defectionē inclinare videtur. Hinc nec lingua sola Christum negare, nec tacendo dissimulare fidem voluêre martyres. S. Gord. miles productus in theatrum, instar leonis, ut scribit S. Bas. intrepido prodiit animo: monitus, ut ore tantùm negaret, non corde; respondit: *Ego sanè ne lingua quidem meum unquam negabo auctorem: Corde namq; credimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem: Nolite errare, Deus nequaquā irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Nonnè tremendam Christi sententiam aud stis: Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo! Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimulem? &c.* apud S. Bas. orat. Paneg. Sur. 3. Jan. S. Mamas juvenis ab Aurel. Imp. flagris cædi jussus, audiit: *Si vel solis labris te sacrificaturum dixeris, continuò ab omni supplicio liberaberis.* Cui ille: *Nec labris nec corde verum Deum & Regem Christum unquam negabo,* Metaph. apud Sur. 17. Aug. I. *Quando fides profitenda.*

Et quid mirum hoc facere Christianos propter Christum, si hoc fecit sub antiqua lege Eleazarus ille Judæus; qui contra leges Dei patrias jussus ab Antiochi præfecto carnes porcinas edere, cùm astantes aliqui amici alias ei carnes, quibus vesci liceret, obtrudere vellent, respuit; nolens etiam simulare vetitam comestionem, in contemptum legis suæ, 2. Mach 6.

Ratio est, quia qui negat fidem suam, hoc ipso improbat eam, adeoq; ipsum Christum, cui adhærere erubescit; quasi id nefarium sit. De malo enim erubescimus, non de bono. S. Just. Mart. in Apol. 1. pro Christianis ait: *Qui se esse negat, is aut rem, quam improbavit negat, aut certè re indignum se & ab ea alienum*

enum sciens, vitat confessionem: quorum neutrum in verum Christianum cadit.

II. Quando veritati testimonium perhibendum.

II. Quando veritati testimonium perhibendum exigit Dei honor vel proximi salus. Ita præcipit Ecclesiast. c. 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*, hoc est, ut animam tuã à peccato illæsam serves, vel pro anima, hoc est, vita tua; ita ut malis vitam perdere, quam veritatem supprimere. Veritas enim deprimi aut abscondi renuit: olei instar semper enatare cupit. Hinc lamentatur Isaias c. 6. *Væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum.* Sed cur? *quia non audacter Oziam impium regem corripuit*, inquit S. Hieronymus in eum locum, ut videlicet ei diceret: Non licet tibi adolere incensum aut sacrificare, cùm non sis sacerdos. Qui tamen postea calculo ignito purgatus & confortatus impium Manassem audacter reprehendit usque ad dirissimos cruciatus quibus medius sectus est. *Fertur et in carcere posito*, ait Sanctus Ambrosius lit. 12. in Psal. 118. *Diabolum dixisse: Dic quia non à Domino locutus es, quæ dixisti; & omnium in te mentes affectusq; mutabo, ut qui dignantur injuriam, absolutionem conferant. Sed ille gratius judicavit pro veritate supplicium, quam pro adulatione beneficium.* Talis & Daniel fuit, quando ducta ad necem innocente Susanna exclamavit: *Innocens ego sum à sanguine hujus*, moxque increpans populum: *Sic fatui filii Israel*, inquit, *non judicantes neque quod verum est cognoscentes, condemnantes filiam Israel?* Dan. 13. Talis Joannes Bapt. qui Herodi inculcabat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Talis in novo testamento mulier illa de turba, dum alii Christum appellant Beelzebub, ejusque mancipium, extollens vocem dixit: *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Talis etiam in cruce latro, qui Christi innocentiam contra iniquos Judices & Principes Judæorum, blasphemias in ipsum evomentes, tutatus ac professus est, non sine majoris tormenti sui periculo. Poëmen Eremita sanctus dixit se à feris devorandum, quòd peregrinum à canibus lacerari videns, non defendisset; quod etiam ipsi contigit. In prato spirituali c. 167. Viderit is, qui innocentes videt laniari à canibus malevolis, nec defendit testimonio, quid ipse mereatur.

III. Quando confessio peccatorũ facienda.

III. Quando confessio peccatorum sacramentalis facienda est. De quo Ecclesiast. cit. 4. cap. subdit: *Non confundaris confiteri peccata tua. Est enim* (ut paulò ante v. 25. dixerat,) *confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Qualis revera est confusio in confessione; gratiam & gloriam adducens. Quid enim magis tibi foret gloriosum, à Dæmone te constrictum vinculis peccatorum tuorum circumduci: an Dæmonem à te? nonne hoc posterius. Cogitavit Bajazetes Turcarũ Imp. Tartarorum regem Tamerlanem caveæ ferreæ includere, & secum undique circumducere, uti ipsi victus postea confessus fuit; sed hoc ipsummet ei supplicium irrogatum postea à Tamerlane est. Dæmon peccatorem ante confessionem, catenis peccatorum ejus ligatum, undiq; circumducit. At ubi is confiteri incipit, tum iidem vinculis suis Dæmonem vincere & circumducere incipit. Utrum ei gloriosius? Audi S. Gregorium Naz. Orat. in Baptisma. *Ne peccatum tuum confiteri graveris, sciens, quo pacto Ioannes baptizaverit, ut per hujus vitæ pudorem futuri seculi pudorem, ignominiamque fugias, (nam hæc quoque sempiterni judicii pars est) ac perspicuum facias te ferio, atque ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam contumelia dignum traducis ac velut ludibrio exponis, de eoq; triumphum agis.* Per confessionem educis Dæmoni gladium, quo contra te accinctus venit, eique caput amputas, velut alter David gigantico illi Goliath. Quàm id gloriosum Davidi fuit, tam tibi est hoc honorificũ. Hujus rei exemplum refert B. Joann. Climachus gradu 4. de latrone quodam famoso, qui receptus in cœnobium hortatu Abbatis in præsentia 230. Monachorum omnia sua peccata, eaq; gravissima publicè in templo die Dominico confessus est, ut per hanc confusionem mereretur evadere æternam: & pleniorem obtineret indulgentiam. Visus autem tunc à fratre quodam est homo nigerrimus illi adstare, & quoties latro peccatum aliquod confitebatur, idè sua tabula delere.

IV. Quando extra confessionem de peccato quis convincitur & arguitur; tunc enim meliùs infamiam non absterget, quàm reum se confitendo. Quemadmodum enim naturalium defectuum pudorem facilius opprimimus, si eos liberè confiteamur aut prodamus; quàm si negare aut fuco tegere conemur: ita & moralium quoque. Agesilaus Rex, suam claudicatem per jocum ridendo, vitium non mediocriter emendabat, tantòque magis, quo nulli parceret labori, claudus licet. Plutarchus in Agesilao. Sic etiam, qui ingenuè suam fatetur culpam, cum justè reprehenditur, magna ex parte eam delet coram Deo & hominibus. Exemplum habemus in Juda, filio Jacobi, qui de stupro convictus à nuru sua, ingenuè confessus est, eamque se justiorem pronunciavit, Genes. 38. Hinc Jacob moriens ei benedixit his verbis: *Iuda te laudabunt fratres tui.* Causam explicat Paraphrastes Chald. sic exponens: *Iuda tu confessus es & non erubuisti, in te confitebuntur fratres tui.* Quod factum est, quando reum se confessus, verè Judas seu confitens fuit; te igitur ob hoc, inquit, *laudabunt fratres tui.* Genes. 49. Denunciatus divino oraculo fuit de furto Achan, Jos. 7. cui proinde Josue. *Fili mi da gloriam Domino Deo Israel & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas mihi.* Respónditque Achan Josue & dixit ei. *Verè ego peccavi Domino Deo Israel & sic & sic feci.* Profuit hæc confessio reo, quamvis extorta: quia hinc sentiunt Doctores condonatam ei pœnam saltem æternam, velut pœnitenti: deinde mitigata est pœna temporalis; cum enim Dei mandato comburi deberet, priùs lapidatus est.

est. Unde etiam colligimus eos, qui culpam suam fatentur, dare gloriam Deo, quia sanctum & justum cum fatentur, contra quem peccarunt. David, quando à Nathan redargutus est de peccato suo, culpam mox confessus: *Peccavi*, inquit, *Domino*. Unde illico audivit: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum* (hoc est, supplicium mortis, quod tibi comminatus fuit) *non morieris*. Quid vult vocula. *Quoque?* quis alius præter Deum transtulit peccatum Davidis? Ipse nimirum David per humilem & contritam confessionem transtulit à se culpam, & Deus transtulit ab eo pœnam. Contra vero Saul redargutus à Samuele, quod non obedisset mandato Dei, cùm negaret culpam dicens: *Imò audivi vocem Domini*, (1. Reg. 15.) reprobatus est à Deo.

V. Quando alii innocentes propter nos, vel loco nostri affliguntur. Tunc enim eorum innocentiam tueri nostra confessione tenemur. Sic egit David secundo Regum ultimo, quando videns cædi peste subditos, ob peccatum numerati à se populi, dixit ad Dominum: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro, manus tua contra me.* Et en quid hac confessione effecerit. Statim enim misit ei Deus Prophetam Gad, monens quomodo dirum illud supplicium à se & populo suo posset amoliri, & Dei gratiam rursus inire, scilicet ædificando altare & offerendo sacrificium. Quo facto mox cessavit plaga. Idem fecit Jonas quando vidit propter suam culpam fuisse ortam tempestatem & periclitari alios: *Tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Joan. 1. unde obtinuit, ut vivus servaretur in ceto. His non absimilis fuit S. Sozon pastor ovium, qui cum Pompejopoli videret sub Maximiano Gentilium Idola coli, & Christianos opprimi, zelo fidei incensus; fanum intravit ac statuæ cujusdam Idoli aureæ dextram amputavit, eoque auro pauperes Christianos aliquamdiu sustentavit. Inquisitum mox in reum, & in suspicionem tracti aliqui innocentes, carceribus inclusi & miserè excruciati sunt. Quod cùm audiret Sozon, propter suum factum scilicet torqueri innoxios, intrepidè Magistratum adit, seque eum esse, qui statuæ manum surripuisset, utpotè muto & stulto Idolo, eamque in pauperes erogasset, indicavit rogans ut ipso prehenso innocentes dimitterentur. Placuit id factum Deo ita, ut Sozonti non solum robur ad ferendos pro Christo cruciatus impertiret, sed etiam carnifices, qui enectum flammis absumere volebant, terribili tempestate fugaret, & cælesti splendore noctis tenebras discuteret, quoad corpus ejus à Christianis honorificè sepeliretur. Metaphorle. apud Sur. 7. Septemb.

Denique cùm Deo aut Sanctis gloria danda est, eorumque honor defendendus. Fuit matrona quædam, ut refert Cæsarius libro octavo Miracul. capite 61. quæ è duodecim Apostolis singularem unum patronum sortitò volens eligere, juxta antiquam consuetudinem, extraxit per candelam Beatum Judam Apostolum. Indignata verò nomini huic, candelam una cum nomine retro cistam jactavit. In nocte apparuit ei Sanctus Judas querens se ab ea contemptum, & retro cistam indignè projectum, nec sic acquievit, donec verbis additæ sunt plagæ. Integro igitur anno lecto paralytica decubuit.

VI. Quando à Deo punimur ob peccata nostra. Tunc enim decet causam flagellorum nobis ipsis adscribere & Dei justitiam laudare, quæ nemini injuriam facit. Plurimùm ad cohibendam Dei manum ultricem hoc juvat, si nos fateamur, tametsi fortè ex aliena culpa. Tobias in captivitatem ductus cum aliis, & percussus cæcitate confitetur culpam suam & suorum: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, &c.* Deique justitiam prædicat: & tunc mittitur Angelus Raphael, qui eum consoletur & curet. Tob. 3. Daniel item in captivitate positus sibi suisque culpam adscribit: *Peccavimus iniquitatem fecimus: impiè egimus & recessimus & declinavimus à mandatis tuis, &c.* Et adhuc eo loquente mittitur Angelus Gabriel, qui consoletur eum de liberatione populi. Dan. 9. Ubi enim advertit Deus, quod incipiamus per agnitionem & confessionem scelerum nostrorum confundere & flagellare quasi nosmetipsos; (quod unicum optat) tunc desinit ipse nos flagellare. Sanctus Lupus Trecassinæ urbis Episcopus, Atila civitatem obsidente, ad eum progressus interrogavit, quis esset, qui sic suos armis lacesseret? Ubi illi respondit *flagellum se Dei esse*: ingemiscens intulit: *Et ego Lupus, vastator gregis Dei, dignus flagello ejus.* Et protinus portas reserari jussit. Ingressus Atila recta urbem pertransiit, nihil hostiliter agens, ne respiciens quidem ad quemquam oppidanorum; quasi neminem vidisset. Hanc tantam tutandæ civitatis gratiam Deus contulit Lupo, ut qui se dignum flagello confessus fuerat, à flagello liber esset. Marulus l. 5. cap. 2. Multò verò magis reos nos fateri debemus, cùm reos esse scimus. *Ducebatur Olisipone*, inquit Benedict. Fernandez in cap. 38. Genes. *ubi hæc scribo, ob homicidium unus ad supplicium; ingenti (ut fit) apparitorum turba constipatum, copiosa vulgi multitudo reum sequebatur: Ergo ventum est ad plateam, ubi parochia Sancti Martyris Sebastiani visitur: jacebat verò prostrata ad parietem templi marmorea columna, hic reus substitit sedetq; paulisper ut vires reliquo itineri resumat. Substitit quoque universa illa pompa: Ille igitur oculis locum designans vocem in hunc modum contendit: O viri! qui adestis, audite obsecro. Deum supremum omnium judicem, cujus tribunali mox sistendus ducor ad patibulum, obtestor ego infœlix, immunem me, prorsusque innocentem esse ab hoc homicidio, cujus reus in judicio convictus suspendio mortem paulò post subiturus sum.*

VI. *Quando innocentes pro nobis affliguntur*

At ô

At (ô Deus mundi rector, quem nihil latet eorum, quæ vel in tenebris vel in latebris agimus) hoc eodem lapide sedentẽ hominem, quem ne noverã quidẽ, noctu prætersiens adacto in pectus gladio demens ac furens occidi. Solum tunc habui testem mei facinoris Deum, nunc verò Judicem. Ille pœnas exigit de homicida. Ille me suspendio addicit, ut injustam immerentis necem, cujus ille conscius fuit, justa ego & promerita luam morte. Discite hinc mortales Dei, cujus oculis nuda sunt omnia, cujus justitiam nullus peccator effugit, revereri conspectum, reformidare judicium. Ita res habuit, eamq; ab ipso ex nostris, qui misero adhærebat ad latus, Confessario accepi. Hæc Fernand.

Itaq; simus Judę & confiteamur hic delicta nostra, ne ibi coram toto mundo confiteri sine fructu cogamur.

THEMA II.

Judæ proditori qui non absimiles.

1. *Qui de alieno sensim aliquid sublegunt.*
2. *Qui templorum ornatui invident.*
3. *Qui Christi gratiam pro exiguo lucro aut voluptate perdunt.*
4. *Qui ore se amicos dicunt, odium in corde gerunt.*
5. *Qui de venia peccatorum desperant.*

Odio habuerunt me gratis. Joann. 15.

A moribus nomina dãtur hominibus.

SApientissimus Aragoniæ Rex Alphonsus, cùm Syracusanum equitem, truculentis moribus hominem appellasset *barbarum* atque ille, quod præclara patria, Græca origine esset, nomen *barbari* abhorrens, iniquo animo ferre injuriam videretur: Ego inquit Rex, *non à patria soleo, sed à moribus barbaros definire.* Panor. l. 1. de gest. Alph. Non dubito Audit. si quem vestium appellarem *Judam*, quin id ægrè valde acciperet. Adeò enim exosum factum est illud nomen, ut nemo reperiatur, qui sic appelletur aut appellari velit. Et tamen minimè desunt, qui Judæ mores habent; vel certè non absimiles. Judæ nomen honestum est, magno illi Patriarchæ, & S. Judæ Thaddæo, cujus hodie festum agimus, commune. Gratis igitur & sine causa nomen istud Judæ odio habemus, ut meritò S. Judas queri de hoc posset cum Christo in hodierno Evangelio: *Odio habuerunt me gratis.* Quid igitur ex illud, quod horrent Christiani, dum vitant nomen Judæ? Utique nihil aliud, nisi improbos mores alterius Judæ, qui Christi fuit proditor, ne cum ipso habeant quidquã commune, non tantum in moribus, sed etiam in nomine. Bene est, & laudo hoc. Verùm quia hominem non ex patria vel baptismo, sed & ex moribus potius definire & appellare solemus, videat unusquisque; ne cum pessimo illo Juda in moribus conveniat. Quinam verò sint, qui ejus mores imitantur, hic ostendemus.

I. Qui de alienis bonis clam suffurantur, & si non adeò multum ac simul, aliquid tamen sensim ad se trahunt. Mos hic proditoris Judæ fuit, ut testatur S. Joannes c. 12. *Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat;* quasi diceret: ex loculis Christi & collegii ejus, quod administrabat, subinde aliquid suffurabatur. Non ergo grandia, sed parva solùm erant furta illa; ex parvis tamen paulatim audacior factus, ipsum Dominum suum furari quodammodò & vendere ausus est. Unde S. Chrysostomus hom. 82. in Matth. ait Satanam sensim, non simul ac semel intrasse in Judam: scilicet tentando & alliciendo eum per furta. Et hom. 87. *Sic in Juda maximum proditionis malum exortum est. Nisi enim putasset parum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervicm non devenisset.* Parva igitur furta aditum faciunt ad magna: sicut parvus furunculus irrepens in domum per foramen, fenestram aut ostium aperit magno furi. Sic ibis sensim devorans aliquid de veneno, tandem gignit Basiliscũ, apud Pier. lib. 17. Hierogl. Etenim licet minuta furta singula sint tantùm peccata venialia, ex communi tamen Theologorum sententia, quando eam quantitatem materiæ efficiunt, quæ simul ablata sufficeret ad peccatum lethale; tunc ultimum furtum, quod illam quantitatem complet, faciunt mortale. Itaque cùm existimat homo talis, se ob rei parvitatem venialiter solùm delinquere, delinquit mortaliter; sicque ingreditur in eum Satanas, non secus atque in Judam. Refert S. Greg. l. 3. Dialog. c. 14. S. Isaaco Monacho missas fuisse sportas duas alimentis plenas; quarum unam bajulus sibi reservans clam abscondit, alteram sancto attulit. Is verò divinitus edoctus de pueri furto, monet ne attingat sportam, clam sepositam; siquidem in eam serpens ingressus esset. Deprehensus miser & confusus abiit, atque invenit serpentem in sporta. Ecce quomodo in furta insinuat se Diabolus, qui ut videtur, in hoc serpente latuit. Sic intrat in cor furis; & quo fructu? Sane Judam plus cruciavit inique accepta pecunia pro vendito Magistro, quàm laqueus & patibulum. Etenim *cùm non posset ferre judicii conscientiæ dolorem, adaptato sibi laqueo, vitam finivit,* ait Chrysost. in Psalm. 7. additque ejusmodi peccata lacerare conscientiam, quemadmodum fœtus viperini uterum matris discerpunt. Denique Judas bolum iniquum concoquere non potuit, sed cum ingenti nausea evomere coactus fuit; unde non modò non remissionem consecutus est, sed potius maledictionem: *Quid ad nos? tu videris.* Cui simile est, quod San. Ethelvvoldus Episcopus Wintoniensis, quendam Monachum, furti reum, nec volentem restituere notans in Capitulo dixit: *Noluit sacrilegus pecuni-*

pecuniam reddere cum benedictione, reddat ergo eam cum Dei maledictione, & sit ligatus corpore & anima. Fuit ergo ille brachiis intra cucullum ita colligatus, ut dissolvere ea non possent, donec furtum confiteretur. In vita 1. Aug. Viderint qui alienis bonis gaudent, ne eadem aliquando evomere cum maledictione cogantur.

II. Qui templorum ornatui invident, & cùm possunt, obstant. Id enim & Judas fecit, quando Magdalena pretiosum unguentum super Christi caput effudit Matt.26. & Joan.12. Dicebat enim sub prætextu Charitatis erga Pauperes: *Quare hoc unguentum non veniit* 300. *denariis & datum est egenis?* *Dixit autem hoc*, ait Joannes, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Hunc ergo imitantur, qui ea, quæ ad templi ornatum impenduntur & donantur, ægrè aspiciunt, sub prætextu quidem charitatis aut simili; revera tamen quia cum Juda optarent ea cadere in crumenam suam. Scarabæus qui fimo innascitur & innutritur, nec non & vultur, si rosaceo unguento perungantur, illicò elanguent & emoriuntur, ut scribit Clemens Alexander l.2. Pædag.c.8. Unguenti illius, quod Magdalena effudit super Christum, odore domus repleta fuit, nec non recreata: solus Judas offensus, adeò ut tunc abiret (ut narrat S. Matthæus) ad principes sacerdotum, proditurus Christum. Ergo qui velut scarabæi avaritiæ fimo innutriuntur, & bonis alienis, adeoq; sanguini pauperum velut vultures insidiantur, hi soli sunt, qui templis Christi ornatum suum invident. Non tulit Christus in Vicario suo Pontifice, ut de altari S. Petri lampadem aufferret; quomodo id feret in aliis? Rem narrat B. Petrus Damiani lib.1. Epist. ad Cadaloum Antipapam epist.20. *Quod*, ait, *mihi à senioribus intimatum est, refero: In Babyloniæ partibus possessionem Apostolicæ sedes habebat, unde tantum balsami redditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare Beati Apostolorum principis rutilabat appensa. Quam possessionem accepta pecunia Papa distraxit, canonemq; aromatu, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cùm prædicto sacrosancto altari idem Papa assisteret & oraret, ecce quidam terribilis & grandævus senex, in cujus etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Deum: moxq; disparuit, ille verò protinus corruit, & paulo post diem extremum clausit. Sic sic nimirum meretur corripi, qui illi se præbet adversum, qui cæli terraq; primus pastor obtinet principatum.*

Verùm dicet aliquis: nonne Judas templo donavit 30. argenteos? Ita est, non abnuo; sed quid ait Ecclesiasticus? c.34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Deinde quid juvat nummos projicere in templum, si quis interim animam suam projiciat in infernum? *Vide* inquit Drogo Ostiensis l.1. de passione Domini; *quàm magni ponderabat argenteos; non projecit eos in sterquilinio, sed in templo.* Et paulo post: *Ecce infelix qualiter excæcatus est: Maluit seipsum perdere, quàm denarios perire, denarios templo, seipsum laqueo addixit.* Parum ergò aut nihil templo dat, qui seipsum Deo subtrahit, licet cætera donet.

III. Qui Christi gratiam pro exiguo lucro aut brevi voluptate aliove terreno bono perdunt, adeoq; vendunt? quo modo Judas 30. argenteis vendidit Magistrum & Salvatorem suum. Fuit sanè ingens hæc non modò insipientia, sed etiã ingratitudo ergà tam beneficum Dominum. Et quis satis exaggerabit insaniam & ingratitudinem peccatorum, qui Dei gratiam, donum omnium excellentissimum, immeritis collatum, adeò vilipendunt, ut pro vilissimis rebus commutare audeant? Verum dicent se nequaquam vendere Dei gratiam, sed oppignorare tantum, quasi post breve tempus eam redempturi per pœnitentiam, quam brevi se acturos asserunt; similes pictori illi bibulo apud Æn. Sylv. in Commen. Panorm. qui imagines Christi à se pictas cauponibus oppignorabat, pro debitis contractis, asserens non decere, ut more Judæ Christum vendat. Verùm isti miserè sibi imponunt, nec cogitant se Dei iram magis in se provocare, dum ejus misericordia abutuntur. Quemadmodum enim Judas, cùm ad extremũ videns agi de morte Christi voluit quidem eum redimere rescindendo contractum, & restituendo argentum; minime tamen auditus est, sive à Judæis, sive à Deo; quia scilicet priùs sæpe monentem Magistrum suum minimè audivit: ita metuendum illis, qui Dei gratiam tam temerè prostituunt, ne cùm aliquando redire ad pœnitentiam velint, minimè possint. De pœnitentia Judæ dicitur Psal.108. *Oratio ejus fiat in peccatum;* quia *ubi pœnitentia festinavit ad portum, ibi incidit in æternum & sine reparatione naufragium*, ait S. Chrysostmus ser.4. de pass. tom.3. Caruit enim spe & syncera pœnitentia, quibus Dei donis ipse obicem posuerat, & indignum se reddiderat.

III. Qui Christi gratiam pro exiguo lucro aut voluptate perdunt.

Tripart. Dom.4. post Pent. C.4. C. num.2.

IV. Qui ore quidem amicitiam præ se ferunt, in corde verò odium & inimicitiam gerunt, id quod egit Judas quando ficto amicitiæ osculo Christum in mortem tradidit. Capras scribit Plinius l.8. c.50. Varro, lib.1. de re rust. c.2. Athen. lib.13. c.19 lambendo sterilem facere vitem & oleam aliaq; novella germina. Quod lingua capræ viti est, hoc fuit lingua Judæ, hirci fœtidissimi, Christo, qui dixit: *Ego sum vitis.* Salutando & osculando eum velut amicum, quasi lambendo vitam ei eripuit. In Hispaniola arbor est, quam Xaquam incolæ vocant, quæ aquam distillat instar lactis candidissimam; qua tamen quidquid aspergitur vel oblinitur, nigrescit; ita ut nulla elui lotione possit. Ovet. histor. lib.8. & in Sum. c.77. Typum hic habemus fictorum amicorum, qui dant verba candida, sub quibus tamen nigrorem infamiæ & mortis infundunt, juxta id Proverb.16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit*

IV. Qui ore se amicos dicunt, odiũ in corde gerunt.

eum per viam non bonam. Hedera ſuis ramis quaſi brachiis arborem amplexatur, velut amicam ſibi; interim exſugit & tandem ſtrangulat. Hujuſmodi etiam amplexu perfidus ille Judas Magiſtrum ſuum vita ſpoliavit. Quare S. Chryſoſtom. hom 1. de paſſ. ait: *Guttur profanum*, inquit, *quod hodie Chriſto extendis ad oſculum, craſtino illud extenſurus ad laqueum.* Fictas blanditias Diogenes appellavit *laqueum melleum.* Hunc tetendit Judas Chriſto; jure igitur incidit in laqueum, non melleum; ſed felleum. Videant ergò qui ipſum imitari non verentur, ne idē experiantur; quod ſane minatur Pſ. 9. *In laqueo iſto, quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.*

V. *Qui de venia peccatorum deſperant.*

V. Qui de venia peccatorum deſperantes, ad ſalutaria remedia non recurrunt. Quo extremo errore perdidit ſe Judas, & deliquit gravius deſperando, quàm Chriſtum prodendo. Si enim ad Chriſtum, quamvis jam damnatum recurriſſet & veniam petiiſſet, utique mox inveniſſet non minus quàm Petrus. Sed quia auxilium è cœlo non petiit, in terra verò à Principibus ſacerdotum non obtinuit; hinc ſuſpenſus inter cælum & terram, velut illo indignus, hac excluſus manſit. Gravi injuria & ludibrio Chriſtum affecerunt, qui pro ſceptro regio cavam ei arundinem in manus dederunt; quaſi ejus potentia & regnum inane foret. At nihil aliud agunt, qui de ejus miſericordia deſperant; putant enim eam inanem eſſe, nec magis ei innitendum quàm baculo arundineo. Grandis hæc ignominia, Chriſto illata, punita & compenſata eſt in Juda alia ſimili, ut nimirum *ſuſpenſus* creparet *medius*, & effunderentur *omnia viſcera ejus*. Actor. 1. Unde factum eſſe dicunt Auctores Græci ex Papia apud Baron. anno 34. ut locus etiam, in quo ſepultus eſt, præ fœtore non ſolum inhabitabilis, ſed etiam inacceſſibilis redderetur; quaſi in cautelam & monumentum poſterorum, ne quis hoc exemplum deſperationis imitari præſumeret. *In manaria inſula mulieres gentium leviſſima de cauſa* (ſcribit P. Sacchinus in Lainio lib. 7. num. 117.) *in deſperationem acta vitam epoto veneno finiebant. Huic malo remediū repertum eſt tandem, fortaſſis ex antiquitatis memoria repetitum, eaq; ſolertia, per quam & Romanam plebis à Priſco Tarquinio & à Mileſiis virginum ſuarum conſilius furor ſanatus fertur. Inducto enim præfecto, ut quæ ita morerentur, earum cadavera concidi juberet in fruſta, ille ignominiæ & ſupplicii metus, quod manebat mortuas, ab immani ſcelere vivas abſterruit.* Pari ratone, ut in poſterum omnes abhorrerent à tam fœdo deſperationis ſcelere, divina diſpenſatione factum credimus, ut ſuſpenſus ille proditor medius creparet, & ad perpetuum loci fœtorem ſua ſua viſcera effunderet. Id enim *notum factum eſt omnibus.*, ait S. Lucas Act. 1. *habitantibus in Ieruſalem; ita ut appellaretur ager ille* (emptus 30. argenteis, à Juda projectis) *Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis.* Bene actum ut ex illo Judæ peculio emeretur ager, commutandus in cœmiterium ſeu ſepulturam peregrinorum. Quia enim Judas ex Apoſtolo factus eſt Diabolus, ex fœcundo agro ſterilis; ideò ex peculio ejus fertilis ager coemptus, verſus eſt in ſterilem, vivens quodammodo in emortuum. Quia etiam Judas omnem Chriſti, cæleſtis ſui agricolæ, culturam reſpuit, tandem ab eo, velut ſterilis deſertus eſt, ita ut cæleſtis ille Medicus ipſi non obviaret, nec obtutum gratiæ impenderet, ſicut obviavit & impendit Petro. Ager benè ſubactus & pluviis irrigatus, ſi loco frugum bonarum ſpinas ferat & tribulos, deſeritur à colono, & beſtiis conculcandus relinquitur; prout de vinea Synagogæ ſterili dicitur Iſa. 5. *Diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Sic Judas tam ſedulò à Chriſto excultus, tot monitionum foſſionibus, lavacro pedum irrigatus, pane cæleſti ſaginatus, ubi poſt tot labores non niſi ſpinas protulit, tandem deſertus & in conculcationem datus eſt. Unde aliqui ex cit. Papia ſcribunt eum de arbore decidiſſe, & curru obtritum fuiſſe, quod facile credo factum eſſe tandem, poſtquam laqueus ruptus eſt. Quidquid verò ſit, conculcatur ille ſaltem omnium pedibus, dum totius mundi horror, ludibrium & catarmia factus eſt.

Quando igitur vidimus deteſtanda illius Judæ ſcelera, ſupereſt, ut ejus non tam nomen, quam flagitia toto pectore vitemus. Præclarum nomen eſt Judæ; quia confeſſorem vel laudatorem ſignificat, & talis fuit Sanctus alter Judas, cujus hodie feſtum agimus, qui non ſolum prædicatione, ſcripto, vitæque ſuæ ſanctitate, ſed & morte pretioſa per martyrium Chriſtum laudavit, & confeſſus eſt. Hunc imitemur ejuſque nomen, quantum in perfido illo Juda execramur, tantum in fideli iſto veneremur. Certè hic in amoribus ſancto Bernardo fuit, adeò ut ejus reliquias, quas ultimo vitæ ſuæ anno Jeroſolymis acceperat, ſumma in veneratione habuerit, & moriturus juſſerit eas ſecum ſepeliri ſuoq; pectori imponi, ut habet auctor vitæ ejus libro quinto capit. 2. Sit ergo nobis quoque in amore Sanctus iſte Judas, ſit in corde, ſit in ore; ut hic quidem una cum ipſo ſimus Dei Confeſſores, ibi verò laudatores per omnem æternitatem.

* * *

THEMA III.

Quare, quomodo & quando zelotæ esse debeamus.

1. *Quare.*
2. *Quomodo.*
3. *Quando.*

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Joan. 15.

DUos hodie zelotes, si D. Hieronymo in cap. 4. ad Gal. & alibi, credimus, una solemnitate celebramus: Simonem, qui cognominatus est *Zelotes*, quia à *Cana* (quæ *Zelum* significat) oriundus: & Judam Jacobi minoris fratrem; qui & ipse ab Hieronymo *Cananæus* appellatur, sive quia etiam ex Cana prodiit, sive quia excellentem pro Christo zelum habuit, uti ex ejus Epistola Canonica elucet, in qua zelo quasi igneo insectatur hæreticos. Non immeritò igitur applicare illis possumus, quod Apocal. 11. legimus de Enoch & Elia scriptum: *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra, in conspectu Domini terræ astantes.* Duæ quidem olivæ, quia pinguedine Evangelii & gratiæ Dei magnam orbis partem, hic Mesopotamiam, ille Ægyptum condiebant. Duo candelabra; quia luce prædicationis & zelo animarum ardentissimo mundum illuminarunt, Deique amore accenderunt. Ac quemadmodum bina candelabra solent poni super altare ad peragẽdum divinum sacrificium: ita duo hi zelo ardentes Apostoli in Perside demum convenientes quasi ad altare Christi, glorioso martyrio simul ejus nomen illustrarunt. Nos igitur horum exemplo stimulati, videamus qua ratione & ipsi quoque zelotæ fieri possimus.

1. Quare. Primò, quia sine zelo & fervore non superabimus facilè difficultates & obstacula salutis nostræ. Beatitudo & salus nostra sursum & in cœlo est; conatu igitur opus, & violenti rapiunt regnum cælorum. Hostes etiam & impedimenta multa sunt: mundus maximè & caro nostra, deorsum rapiens nos ad voluptates & otium. Contra fluvium natamus; luctandum ergo contra aquas, continuò nos devolventes; ubi luctari cessaverimus, ibi decidemus. Unde Vener. Beda in Luc. cap. 3 ait? *Nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.* Confirmat id Ecclesiasticus cap. ult. dicens: *Zelatus sum bonum* (veram scilicet sapientiam, quæ in summi boni consecutione consistit) *& non confundar*, hoc est, non excidam spe mea. Sed qua ratione id tibi promittis? *Colluctata est anima mea in illa*; hoc est, pro illa consequenda. Luctandum igitur contra aquam ei, qui conniti ad salutem vult. Sicut enim Jacob non nisi fortiter luctando & pertinaciter retinendo Angelum, benedictionem ab eo obtinuit, Genes. 32. Sic mysticus luctator & *supplantator* (hoc sonat *Iacob*) vitiorum luctari cum sapientia & salute sua debet, si Dei benedictionem consequi desiderat. Ferveat igitur in oratione omnibusque piis operibus, & cùm luctatur contra vitia, ne ab iis superetur.

2. Quia sine illo Dæmon nos infestabit, nec difficile superabit. Zelus & æmulatio igni comparatur ab Apostolo ad Hebræos 10, versu 27. quia ardere facit. Jam vero *sicut ad succensam ollam* (inquit Abbas Pimenius in vitis PP. apud Rosvveid. lib. 7. cap. 39:) *musca non appropinquant; si vero tepida fuerit, insidunt in eam & faciunt vermes: ita & succensum igne divini spiritus Dæmones fugiunt: tepidum vero illudunt & insequuntur.* Et cur præcepit olim Deus Levitici sexto. *Ignis in altari meo semper ardebit?* nisi ut admonerentur fideles fervoris in operibus bonis nunquam remittendi? Ad hunc ignem non accedent facile Dæmones aut otiosæ cogitationes, si continuo foveatur, teste sancto Chrysostomo homil. 52. in Acta: *Qui igne Christi captus fuerit*, inquit *talis fit, qualis esset homo solus habitans super terram adeo nihil curæ est ei gloria & ignominia tentationes autem sic contemnit. & flagella & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus, Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt: ita & affectiones illas accedere non audent.* Jussit eodem capite Deus exusto holocausto veteres cineres deponi & ignem innovari; quia, ut ibid. Origenes addit, *oporteret etiam nos dicere: ecce vetera transierunt, & facta sunt omnia nova.*

3. Quia una cum tepiditate nostra subtrahit sensim Deus gratiam suam & *quia tepidus es, incipiam te evomere*, scribit Joannes Episcopo Laodiceno, Apocalyp. 3. Cùm enim duplex sit Dei gratia, alia sufficiens, alia abundans & efficax; si nos cum Deo tam remissè agamus, remissam etiam gratiam nobis dabit, quæ tepide nos movebit adeoque non pervincet. Sensit hoc quidam Eremita, de quo recensuit Sanctus Joannes Abbas in Vitis PP. libro 8. cap. 46. ad tantam sanctitatem eum ascendisse, ut Angelus ei quotidie panem candidissimum ad mẽsam apponeret. Verùm ubi is aliquando à fervore suo cœpit intepescere in oratione primum, reperit panem illum solito nigriorem: cumque invalescente in eo fœda cogitatione tepidius resisteret, altera die reperit panem prorsus rancidum ac marcidum, multoque magis tertio die, plane à muribus corrosum; denique victus ad sæculum redire constituit, unde tamen à fratre in via retractus est. Bene igitur monet Apostolus scribens ad Hebræos secundo, *Propterea abundantius oportet nos observare ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus:* sicut vinum scilicet è dolio male & negligenter compacto, resolutis circulis.

Quia

4. 4. Quia sine zelo & fervore facilè in peccata labimur. Quam ob causam quæso hoc autumni tẽpore defluunt passim folia arboribus? quia deficiente arboris humore arescunt. Eadem ratione, dũ torpemus spiritus fervore, destituimur humore gratiæ divinæ, excidimusque à Deo & labimur in peccata. Hinc Judæi cum Synagoga sua sensim in vigore & observantia legis torpescentes dicunt. Isa. 64. *Cecidimus sicut folium universi* (70. habent, *defluximus*, humoris scilicet defectu) *& iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*, quod explicans S. Gregorius in cap 13. Job ait, *quia nullo fixos pondere in vanam elationem levavit*. Atque hæc est causa, cur Eva lapsa sit, quia scilicet torpide respondit serpenti. *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comedamus, ne fortè moriamur*. Gen. 3. Diffidenter ac dubitanter de divino loquitur decreto & cum serpente fabulatur, quem fugere quamprimùm atque execrari debuisset, inde in laqueum incidit, & sicut folium defluxit, quia caruit humore & fervore spiritus.

II. *Quomodò* II. Quomodo? Primò cum moderamine, ne perdamus animas, dum salvare volumus. Erraverunt

1. *Cum moderamine.* circa hoc duo illi Boanerges, quando Luc. 9. postularunt à Christo, ut ignem de cælo evocare possent ad perdendos Samaritanos. Zelum pro honore Magistri sui, quem excluserant Samaritani illi, habuerunt, sed immoderatum; non enim debet zelus perdere animas (quod istis contigisset) sed salvare, uti illis dixit Dominus. Simili zelo laborabat S. Carpus apud S. Dionysium ep. 8. ad Demophilum, ut alibi

Trip. Dom. 5. post Eph. C. 1. F. retuli: & Acacius Episcopus in Concione Nicæna, qui cum duriorem se præberet in recipiendis ad pœnitentiam iis, qui à fide aberraverant, audiit à Constantino M. Imperatore: *O Accaci, scalam à terra in cælum constitue, solusq; per illam in cœlum ascende*; ut refert historia Eccl. p. 2 c 4. Excesserunt & quidem gravius Simeon & Levi, quando stuprum sororis suæ contra datam fidem gladio ulti sunt. Gen. 34. Erraverunt servi illi parabolici, Matth. 13. qui zizania ante tempus, quæ in triticum verti poterant, eradicare voluerunt.

2. Cum constantia & perseverantia donec evin-

2. *Cum constantia.* camus, quantum in nobis est, adhibendo omnia remedia. Docuit hoc Christus, quando videns scribas offensos, quod languidum ad piscinas sanasset in sabbatho Joan. 5. & rursum quod discipuli ejus in alio sabbatho fricarent spinas, Luc. 6. ut hunc errorem eorum confutaret, rursum in altero sabbatho (ut habet Lucas 16. v 6.) sanavit illum, qui habebat manum aridam. Tam enim veritatem amavit libereque prædicavit ad errantes corrigendos, ut non cessaret eam ipsis instillare, licet sciret sibi propterea mortem imminere. Hinc nihil non remedii adhibuit, uti conciones, miracula, orationes, reprehensiones, redargutiones ac denique lachrymas.

3. *Cum debito fine.* 3. Cum debito fine ad Dei gloriam, non ad bonum proprium. Qua in re nonnihil erravit Jonas, qui videns Deum parcere Ninivitis & pœnam interminatam ob eorum pœnitentiam remittere, afflictus est vehementer, adeo ut mortem sibi precaretur: *quia melior est mihi mors, quàm vita*, inquit Jon. 3. Optarat enim ut Ninivitæ punirentur juxta prædictionem suam, ne vanus ac mendax propheta inveniretur; cùm potiùs Deum laudare & gaudere deberet, ob pœnitentiam & salutem Ninivitarum, Deique majorem honorem, qui inde oriebatur. Melius egit Michæas propheta, cùm certum exitium prædicens impiis, indoluit eorumq; vitam suo honori præposuit dicens: *Utinam non essem vir habens spiritum* (propheticum) *& mendacium potius loquerer!* Mich. 2. v. 11. Optabat hoc ex amore erga cives suos, ne perderentur ab Assyriis; tametsi cum dispendio honoris sui vanus tunc propheta habendus esset. Debet enim zelus ad honorem Dei tendere, etiam cum jactura proprii; quo modo Moyses deleri de libro vitæ, Paulus fieri anathema cupiebat pro suorum salute & Dei honore.

4. Non tamen cum propriæ salutis neglectu, non enim jubemur diligere proximum plusquam nos ipsos, sed sicut nos ipsos; *& nos de plenitudine* (non de inanitate) *Dei omnes accipimus*, Joan. 1. *Disce igitur & tu*, ait D. Bernardus, *non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem: Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur donec suis satietur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem*, serm. 18 in Cant. Hinc prudentes illæ virgines pro oleo rogatæ: *Ne forte non sufficiat nobis & vobis*, ajunt; *ite potius ad vendentes & emite vobis*. Matth. 25. Ita prudens Jacob, priusquam fratri suo obviam iret mansit solus (utique in oratione) & luctabatur cum Angelo. Genes. 32. Sic Christus antequam descenderet ad discipulos in mari fluctuantes, pernoctavit solus orans in monte. Matt. 14. Idem suadet Sanctus Bernardus Eugenio Pp. l. 1. de Consid illis verbis: *Omnes de fonte bibunt pectore tuo, & tu seorsim sitiens stabis? Qui sibi nequam cui bonus? memento proinde, non dico semper, non dico sæpe sed interdum reddere teipsum tibi.* Econtra è fatuis virginibus ostendit se fuisse sponsa, cum ait Cant. 1. *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi*, quasi diceret: alienas animas curavi, meam neglexi. Quod miratur in eum locum Sanctus Bernardus serm. 30. *Miror audaciam plurimorum*, inquit, *quos videmus de suis vineis non nisi colligere spinas & tribulos: vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri.* Hujusmodi custos fuit Saul, de quo ad Samuëlem Dominus: *Unges eum Ducem super populum meum Israel, & salvabit populum meum.* 1. Reg. 9 Et quidem Saul id conatus est, multa periculosa prælia pro suis suscipiendo; interim tamen neglexit propriam salutem, & seipsum perdidit.

III. Quando? Primo quando agitur de Dei gloria. Cujus rei insigne specimen dedit Christus, quan-

quando non semel sed bis ementes & vendentes expulit è templo, tametsi sciret se propterea Judæorum odium & vitæ discrimen incursurum, juxta illam prophetiam Psalmo 68 *Zelus domus tuæ comedit me* hoc est cõsumpsit vel ab orbuit me. Quærit ibi Augustinus: *Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare; non quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit & apud se dicit: Tabescere me fecit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Psalmo 118. Æternam hac in re meruit laudem Asa Rex Juda, dum ipsius Dei honorem & amorem parentum amori anteposuit, & *Maacham matrem ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulachrum Priapi: quod omne contrivit & in frustra comminuens combussit in torrente Cedron.* secundo Paralippomenon decimo quinto. Ubi Theodoretus de ipso: *Adeo ardenter divinas leges est amplexus, ut etiam matrem suam, quæ maluit colere Astarten, regno privaverit.* Non minorem laudem è suo zelo reportavit Amphilochius Iconii Episcopus, quando ad Christi divinitatem & cultum defendendum Imperatorem Theodosium gravi stimulo impellere solus è numero Episcoporum nihil trepidavit. Cùm enim a Theodosio petiisset ut Arianos ex urbibus ejiceret, & Imperator id fieri absque periculo non posse diceret: quodam tempore cum aliis Episcopis in regiam venit, ut Arcadio ejus filio, recens Imperatori designato, gratularetur. Reliqui Episcopi Imperatori primo; deinde & filio Arcadio gratulantur. Solus Amphilochius Theodosium salutabat, neglecto filio, Id quod cùm Theodosius oblivione eum facere arbitraretur, monuit eum, ut filiũ quoque salutaret. Respondet Amphilochius, satis esse, quod honorem habuisset ei, tanquam patri. Theodosius indignatus eum expelli jubet. Tunc ergo Amphilochius: *Siccine Imperator graviter fers contemptum filii tui? Revoca tibi in mentem quæso, odisse & Deum eos, qui per blasphemiam honoris aliquid adimunt unigenito suo filio.* Hanc senis Episcopi prudentem libertatem miratus Imperator edictum illico conscribit, ut ex urbibus Ariani (qui Christum verum Deum esse negabant) ejicerentur. Theod. l. 5. c. 16. & Cedrenus.

Sed quid miramur fecisse hoc Pontificem Christianorum pro Christi gloria tuenda, quando etiam Ethnicus Pontifex pro fictitiæ Deæ simulachro servando incendium perrupit? Is fuit Metellus Pontifex; qui Vestali æde fortuito igni flagrante per medias flammas Palladium incendio subtraxit. Cessit illi audax conatus prospere; nam Deæ simulachrum servavit: sed fælicius cessisset, si visum non amisisset. Fuit tamen clades illa religiosæ mentis & immodicæ charitatis in deam, testis locupletissima fuit & ornamento; datum est enim ei a Romanis tantæ pietatis admiratoribus, ut curru veheretur in curiam: qui honor nulli ejus ordinis ad id tempus contigerat. Sab. libro 5 cap. 1. & Plinius libro 7. capite 43.

Ecce Deorum inanium sacerdos per medios ignes ruit, ut ligneum Deæ truncum subtrahat. Quis ex nobis Christianis hoc pro Deo vero & immortali tuendo ageret? Ubi zeli nostri ignis, qui per ignem penetrare ad Dei honorem tuendum audet? Confundit etiam nos rusticanus puer, David, qui audiens Goliathum incircumcisum exprobrare nomini Dei Israel, zelo Dei repletus ad certamen prosiliit ineundum cum Philisthæo & vindicandam Dei gloriam. Quam sæpe enim audimus blasphemari nomen Dei non ab infideli nec giganteo homine, sed à Christiano & vili sæpe homuncione, nec tamen facile reperitur, qui se moveat ad corrigendũ vel dehortandum illum, nedum ad pugnandum pro Dei gloria.

2. Quando agitur de fide & Ecclesia tutanda. 2.
Docent hoc vel apiculæ; quæ pro suis domiciliis contra violentos invasores spiculis suis usque ad mortem pugnant, adeoque animas ponunt (refert Bercorius libro decimo reduct. capite sexto) neque ea facile tangi patiuntur. Cur non pugnant Christiani pro Ecclesia sua, tanto mellis & ceræ thesauro referta? Certè Judæi, quando Cajus Imperator Jovis simulachrum in templo Jerosolymitano collocavit, adeo id senserunt, ut cedere potius urbibus & omnibus suis possessionibus mallent, quam eam abominationem cernere. Unde dicebant: *Id si non impetramus, necandos nos præbemus, ne videamus vivi, quod est morte gravius.* Refert Philo libro de legatione ad Cajum. Quanto pluris est Ecclesia Catholica, quam templum illud Judæorum! Nullum ergo Idolum, nullam hæresin inferri in eam patiamur. Talis in veteri lege zelotes Ecclesiæ Dei fuit Elias, qui *surrexit quasi ignis*, (Ecclesiastici quadragesimo octavo) suoque ardore ac zelo extinxit idololatriam per Salomonem invectam & per Jeroboamum inter Judæos propagatam. In nova sanctus Ambrosius, qui pro Ecclesia Dei murum se opposuit, tam contra Gentiles & Senatum Romanum petentem ab Imperatore, ut Aram victoriæ destructam restaurare posset; quam contra hæreticos Arianos, etiam Imperatores & Principes, Ecclesiam ipsius invadere conantes, & vasa sacra repetentes; paratus mille mortes pati potius, quam ea concedere; apud Baron. an. 536. & alibi. Talis sanctus Chrysostomus, sanctus Thomas Cantuariensis & alii, exilia & supplicia pro tutanda Ecclesia ejusque juribus perferentes.

3. Quando de animarum lucro & ereptione è 3.
Dæmonum laqueis agitur. De quo S. Bernhardus serm. in Nativ. Joa. Bapt ait: *Ferveat in nobis zelus, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo vitia palpet peccata dissimulet nemo; nemo dicat: Nunquid custos fratris mei sum ego?* &c. Et S. Aug tr. 10. in Jo: *Unumquemque Christianum, inquit, zelus Dei comedat; v. g. vides fratrem currere ad theatrum, prohibe mone, contristare, si zelus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle* &c, *prohibe, quibus potes: terre quos potes: quibus potes blandire, noli quiescere;*

Et sanctus Bonaventura in pharetra divini amoris parte 2. capite 1. *Quomodo potest quis dicere se Deum diligere, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt jacere in sterquilinio & non curat? aut si cogitat, quod filius Dei pro animabus redimendis mortuus est, quomodo & ipse pro animabus mori nō cupit? &c.* Et infra. *Quomodo credis te sponsi amicitiam habere, qui ejus sponsam ab adulterio non custodis? aut eam festinanter ad sponsum non reducis?* Fuit hac in re igneus plane zelotes sanctus Paulus, qui dixit: *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis*; ad Romanos 9. Fuit talis & sanctus Cyprianus, qui imminente sibi martyrio, optabat inter prædicandum necari. In vita 14. Septembris. Talis sanctus Gregorius Nazianzenus, qui contubernalem suum Basilium, Rhetoricam docentem, de Doctoris cathedra detraxit & in monasterium suum injecta manu perduxit, teste Ruffino libro 2. capite 9. Idem postea fecit Basilius Præceptori suo Eubulo, abducendo eum non modo à Gentilismo ad Christianismum, sed etiam ad rerum omnium abdicationem: & ambo tendentes Jerosolymam, converterunt gentium multitudinem, ut Amphilochius in vita sancti Basilii refert. Talis sanctus Bernardinus Senensis, qui cum suis concionibus acriter vitia perstringeret, Principis Mediolanensium animum offendit, ut is mala morte se eum perditurum minaretur, nisi stylum dicendi mutaret. At vir sanctus tantùm abfuit, ut illius minis cederet, ut etiam infracto animo ipsum Ducem in magna populi frequentia horrendo verborum tonitruo ita fregerit, ut ne minimam quidem molestiam ab eo pateretur. Ut in ejus vita 20. Maii Lipel.

4. Quando de salute propria tuenda vel paranda res est. Tunc enim ignem spirare & in adversarios ejaculari oportet, omniaque sternere, perrumpere, & exurere. Cujus rei specimen nobis exhibuit Christus Dominus, quando Petro Passionem sibi dissuadenti dixit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi*, Matthæi 16. Satan adversarium significat, qualem se hic Christo Petrus exhibuit, non intelligens ipsius & patris ejus voluntatem. Eodem sensu & zelo Beatus Petrus Damiani Cardinalem Hildebrandum (qui postea Pontifex factus, Gregorius VII. appellatus) suum *Satanam* vocavit; quia ipsi adversabatur, ne Cardinalatui renunciaret, ut ad suam Eremum Camaldulensem rediret, libro 1. Epist. 16. ad Alex. II. PP. Sic Beata Agnes juveni nobilissimo eam procanti; *Discede, inquit, à me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia jam ab altero amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, longe te nobilior & genere & dignitate &c.* ex Ambrosio apud Surium vigesimo Januarii.

Ad extremum nemini dubium esse potest, tales zelotas fuisse Simon & Judam, qui utique nisi pro Dei gloria Christi fide disseminanda, Ecclesia propaganda, propriaque salute comparanda strenue & ardenter dimicassent, seque contra impios Gentiles murum opposuissent, diræ mortis suppliciis enecti non fuissent. Non solet odisse & torquere mundus nisi eos, qui sibi adversantur & vitia reprehendunt. Quod cum maximo zelo fecisse hos Apostolos indicat utriusque martyrium sane peracerbum, quod vulgo existimatur, serra sancti Simonis & clava Sancti Judæ. Quorum zelum nos si pro fragilitate nostra non possumus adæquare, saltem demus operam, ut æmulemur & pro viribus imitemur.

THEMA IV.

Obedientia quibus maxime commendata esse debeat.

I. *Subditis erga superiores.*
II. *Uxoribus erga maritos suos.*
III. *Liberis erga parentes.*
IV. *Servis erga heros suos.*
V. *Omnibus Christianis erga Ecclesiam.*

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Joan. 15.

Mirum quid de Delphinis scribit Plinius libro 9. capite 8. mire delectari eos nomine *Simonis*; id enim agnoscere, & gaudere hac appellatione, eoque nomine à piscatoribus evocari ad littus, capi & mactari. Gellius apud Aldrov. libro 1. de cetis, id se expertum asserit, cumque apud Antipolim urbem provinciæ Narbonensis navigaret, & Delphinum vel longinquo intervallo contenta voce *Simonem* appellaret, confestim prope accessisse, ut manibus attingere posset.

Ecce ad nomen *Simonis* veniunt & obediunt pisces, qui nesciunt, quid hoc nomen sibi velit. Quid si intelligerent nomen *Simonis* significare *obedientem*? quid si nossent obedientiæ bona ac præmia? Nos ergo, qui id scimus, multo magis *Simones* esse & appellari decet: ita ut de nobis *sanctus Simon* dicere queat id hodierni Evangelii, licet meliore sensu: *Hæc omnia*, (quæ scilicet imperabuntur) *facient propter nomen meum*. Ac licet omnibus Christianis nomen hoc convenire debeat, speciali tamen jure convenit

I. Subditis. Sint hi Simones suo Magistratui. Ita enim mandat sanctus Paulus ad Hebræos 13. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis: Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quem in locum audiamus sanctum Chrysostomum homil. 34. sic perorantem *Malum quidem est, ubi est nullus principatus, & multarum cladium hæc res existit occasio & confusionis est turbationumque principium Sicut enim si ex choro ipsum coryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus vel ordinatus existit: & phalanx militum, si du-*

ſi ducem non habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit ; & navis ſi gubernatore privetur, peſſum eat neceſſe eſt: ſic & gregi ſi paſtorem abſtuleris cunctus diſpergetur & peribit. Malum igitur eſt, ubi nullus eſt principatus, ſubverſionis quippe hoc eſt argumentum. Malum autem eſt non minus & inobedientia eorum, qui reguntur à principe: idem malum quippe contingit. Populus enim ſi non obſequitur principi, ſimilis eſt populo principem non habenti, imo & deterior. Illi quidem ſaltem veniam habent ejus, quod indiſpoſitè atque inordinatè verſantur, ſiquidem ordinatore privati ſunt: hi autem veniam non merentur, quin etiam punientur. Et infra: *Gemitus illius* (præpoſiti) *omni erit ultione deterior. Quando enim ipſe nihil proficit, ingemiſcens invocat Dominum. Et ſicuti cum Doctor aut nutritius contemnitur, vocatur qui ſeverius aggreditur puerum : ſic etiam hic; papæ quantum periculum!* Ita S. ille Doctor. Gens, inquit Nicetas, *Chaſiorum ſuos Principes ita vereri & obſervare atque juſſis eorum exequendis adeo alacris eſſe dicitur, ut ſi tantum ſupercilio Magiſtratus innuerit, ſtatim de rupibus ſe præcipitent, in enſes irruant, in undas deſiliant, in ignem ſe conjiciant, ad hoſtes miſſi eos occidant, nulla habita ratione ſupplicii.* Non tam multum petitur à Chriſtianis ; qui faciliorem multo obedientiam non pro vana & terrena, ſed vera & cæleſti gloria præſtare jubentur: ea cautione, ut Magiſtratus pro eis rationem reddere teneantur; non ipſi pro ſe. Quis non obedire & ſubeſſe quam præeſſe malit, tali conditione.

II. Uxoribus. Hæ ſint Simones viris ſuis. Ita enim mandat ſanctus Petrus Ep. 1. cap. 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis.* & S. Paulus ad Coloſſ. 3. *Mulieres ſubditæ eſtote viris , ſicut oportet, in Domino.* Neque illi hoc ex ſe, ſed ex Dei ordinatione, qui Evam Adamo , & in Eva omnes fœminas viris ſuis ſubjecit, dicens? *Sub viri poteſtate eris.* Hebr. *ad virum recurſus tuus,* Septuag *ad virum converſio tua.* Quin & Cato apud Livium libro 34. *Majores noſtri* ait, *nullam ne privatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt, ſed in manu eſſe virorum.* Et Ariſtoteles lib 1. Oecon. cap. 1. vult mores viri legem eſſe vitæ uxoris: Sicut ergo ſervus priuſquam diſponat aliquid in rebus Domini ſui, recurrit ad dominum, & voluntatem ejus exquirit: & ſicut pictor antequam penicillum ſic vel ſic ducat, inſpicit exemplar, ſic aget & uxor cum marito ſuo; alioquin perdet ſuavem harmoniam & pacem inter ipſa & virum, juxta id Eccleſiaſtici 25. *Mulier ſiprimatum teneat, contraria eſt viro ſuo,* id eſt, rebellis: Hebr. ſi chorum ducat: (Wann ſie Capellmaiſterin ſeyn will vnd den Tact geben auff den Mann) perdet cantum. Debet ergo vir choragus eſſe, & ipſa velut ſuccentrix ad menſuram & tactum viri interim attendere.

Viciſſim ſi viro ſe obſequentem exhibeat, tunc quaſi domina imperabit, teſte Seneca dicente: *Caſta id virum matrona parendo imperat* Ratio , quia accommodando ſe voluntati viri facile devincit ſibi ejus voluntatem. Ita Sara quia virum ſuum Abraham appellavit *dominum ſuum,* ut patet Geneſis decimo octavo, viciſſim ab ea appellata eſt *Sarai* id eſt, *domina mea.* Geneſis decimo ſeptimo, idque tam apud Hebræos, quam apud Græcos & Latinos olim moris erat; quid ni igitur ſit etiam apud Germanos? Archippa viro ſuo Themiſtocli adeo ſe ad omnia ejus obſequia & imperia accommodabat; ut viciſſim ipſe prudentiſſimus Princeps in omnibus pene ejus voluntati obſequeretur; unde Græcorum jocus ortus, *Archippam dominari Themiſtocli, Themiſtoclem Athenienſibus, Athenienſes Græcis, Græcos orbi, ſicque Archippam Imperatricem orbis eſſe,* ad Plut.

III. Liberis erga parentes.

III. Filiis & filiabus. Simones etiam iſti eſſe reſpectu parentum debent. Ita edicit Paulus ad Epheſios ſexto. *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt. Honora patrem & matrem, &c. In Domino,* hoc eſt, Domini amore & reverentia, qui præcepit nobis honorare patrem & matrem & in ipſis Deum intaeri, velut in genitoribus noſtris Recte Deuteronomii 25. Ruth 4. & alibi dicuntur parentes ædificare domum ſuam; quia ſũt quaſi fabri liberorum, teſte Plauto in Moſtellaria. Ergo ſicut lapides & ligna, ex quibus fieri domus debet, architecto ſubjici debent, & pati tunſioues, ſectiones, dedolationes: alioquin domus aut non fiet, aut non ſtabit diu: ita filii in manibus parentum verſari ſe patiantur ; niſi domum paternam ſubruere velint. Unde forſan mandavit Deus filios immorigeros ac protervos obrui lapidibus, Deuteron. 21. quod lapidibus , qui ſe in omnem figuram effingi patiuntur duriores eſſent. Bonus & tractabilis lapis inter alios fuit Joſeph, qui vocatus à patre , ut iret ad fratres ſuos. *præſto ſum,* ait; tametſi ſciret ſe odio haberi à fratribus. Geneſis 27. Sit hæc eadem vox in ore liberorum, quoties vocantur à parentibus : *Præſto ſum.*

IV. Servis erga heros ſuos.

IV. Servis. Sint hi Simones dominis ſuis. Ita enim jubet Apoſtolus ad Coloſſ. 3. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus.* Rurſum ad Epheſios 6. dicens: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto. In ſimplicitate,* ait, quia plerumque ſimplices ſunt ſervi & hebetes, ac proinde egent directore. Unde recte Eccleſiaſticus cap. 33. aſſerit ſervos ſimiles eſſe debere aſino cum ait : *Cibaria & virga & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſervo.* Jam vero aſini quantumvis ſtupidi, docentur tamen uſu ad nutum obedire domino. Hoc ergo præſtent & famuli. Habuit certe tales Centurio ille gentilis: *Dico huic, vade,* inquit, *& vadit; Et alii: Veni, & venit. Et ſervo meo fac hoc, & facit.* Matthæi 8. Puto ſane Chriſtum hoc inſinuaſſe Petro; quando juſſit eum ducere navim in altum, Lucæ 5. appellavit enim tunc non Petrum, ſed *Simonem,* Ita enim Lucas ait: *Dixit ad Simonem: Duc in altum.* Rurſum quando ei oves ſuas commiſit, ter appellavit eum *Simonem: Simon Joannis diligis me: paſce oves meas.* Joann. 21.

quaſi

quasi diceret, si vis esse pastor ovium mearum, esto Simon & obediens mihi.

Idem dicendum de discipulis respectu Magistrorum suorum, sive artes litterarias, sive mechanicas discant. Ut enim bonis artibus expoliantur, obedire Magistris debent: quo modo is, qui tondetur, quietus sedere & caput in omnem versare partem, ad nutum tonsoris, solet: vel quo modo tabula pictori, aut lapis sculptori paret, ut in imaginem effingatur; tametsi plurimos ictus sustinere & increpationes necesse sit. Hujusmodi fuit Achatius ille, dictus Innocentius, discipulus senioris cujusdam Sabbaitæ in Asia apud Joannem Climachum gr. 4. Ubi Joannes Opanii Sabhaites ipsi recenset hæc: *Erat*, inquit, *in monasterio meo, quod est in Asia, (inde enim justus ille advenerat) senex quidam negligentissimus ac parum moderatus, quod non judicandi causa, sed veritati studens dico. Huic erat discipulus minor Achatius nomine, quem nescio quo pacto sibi acquisierat, simplex quidem animo ac voluntate, sed sensus ac cogitatione prudentissimus. Qui tanta ab hujusmodi sene passus est, quanta (si referre voluero) pluribus fortè videbuntur incredibilia. Non enim injuriis solum atque contumeliis, verum etiam verberibus eum quotidie afficiebat. Erat autem hæc illius tolerantia non sanè irrationabilis. Ego igitur cum illum quotidie, ut emptitium servum suprema in ærumna degere aspicerem, obvians illi sæpissime dicebam Quid est frater Achati? Quomodo tibi est hodie? Ille vero continuo, nunc quidem liventem tumidumque oculum, aliquando vero faciem fractam & cervicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, ajebam illi: Bone sustine viriliter & proderit tibi. Cum igitur egisset annos novem sub immiti & acerbo sene: migravit ad dominum, sepultusque est in patrum cœmeterio Post quinque autem dies abiit ad magnum quendam illic senem Achatii magister, dixitque illi: Pater Achatius mortuus est. Quod cum audisset senior, respondit: Verè senex non id mihi persuades. Qui ait: Veni & vide. Continuo surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium Clamavit tanquam viveret, ad eum, qui vere in beata requie vivebat, Dicens: frater Achati putasne mortuus es? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens magno illi, ita de sepulchro respondit: Et fieri quomodo potest pater; ut moriatur homo obedientiæ deditus?* Ea voce territus Magister ejus, juxta tumulum discipuli cellam sibi struxit & pœnitentiam egit, crebro se accusans atque dicens: *Homicidium feci.*

V. *Omnibus Christianis erga Ecclesiam.*

V. Omnibus Christianis cujuscumque dignitatis aut status. Simones hi seu obedientes sint Ecclesiæ ejusque præceptis omnibus. Serio edicto & quasi peremptorio, mandavit hoc Paulus ad Romanos decimo tertio. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ipse Christus Dominus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, Matthæi decimo octavo. Idem Ecclesiam suam *ovile*, appellat, Joannis decimo; quia vult ut fideles omnes sint oves, quæ vocem pastoris audiunt, imo unico pastoris sibilo reguntur & revocantur ad gregem, (quod non faciunt boves, capræ equi, porci,) sequuntur etiam præcedentem pastorem, cum aliæ pecudes à pastore pone sequente agi & scutica coerceri debeant. Quisquis ergo in Ecclesia esse vult, ovis sit necesse est. Audiant Christiani Basilium Macedonem, Græcorum Imperatorum qui in Concilio octavo Oecumenico sic inter alia perorabat: *Quantacumque religionis & sapientia laicus existat, ovis vocari non desinet.* Et cur, putatis, Christus quando in Judæa & Jerosolymis agebat, ordinarium suum diversorium in Bethania, vicino Jerosolymis loco, habuit? quia nimirum *domus obedientiæ* exponitur, & Ecclesiam repræsentat. Et cur bis ibidem legitur Christus accubuisse in domo Simonis Pharisæi, (qui & leprosus dicitur) Lucæ 7. & Matthæi 26. quia Simon *obediens* exponitur. Vult ergo Christus Ecclesiam, diversorium suum, esse *domum obedientiæ*, hospites suos & incolas ejus *Simones* seu *obedientes*; tametsi sint patresfamilias, Principes & Magistratus ac sapientes. Viderint ergo Magnates illi, qui Ecclesiæ præcepta & Prælatorum imperia parvi aut nihili æstimant, quasi ab eis exempti sint. Sane reperio etiam Gentiles Principes ac Reges sacerdotum imperiis parere religiose solitos. Apud Æthiopum Reges tanta erat sacerdotum auctoritas, ut si dicerent Regum vitam Diis invisam esse, illi sibi mortem consciscerent: malentes sacerdotibus obediendo mori, quam Diis invisis vivere. Diod. Siculus libro 3. de antiq. fabr. Turcarum etiam Imperat. in rebus gravibus utitur & stat consilio sui Muffti, qui est quasi summus ejus Pontifex, uti notum.

Quare si recte rem expendamus; omnes quotquot sumus, vocari *Simones* debemus: spopondimus enim in baptismo nos obedientes Ecclesiæ filios futuros. Delphini sumus & pisces è baptismi aquis renati: *Simones* ergo simus, ad omnia parati, prompti & morigeri propter nomen istud; postremum vero propter nomen Dei.

THEMA V.

Inferiores ne dominentur superioribus.

I. *Officiales aliqui.*
II. *Subditi aliqui.*
III. *Mulieres aliquæ.*
IV. *Filii aliqui.*
V. *Homines alii sæpe.*

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Joan. 15.

Cer-

CErtus quidem & irrefragabilis eſt ſermo Chriſti, cujus nos in hodierno Evangelio meminiſſe jubet: *Non eſt ſervus major domino ſuo.* Quis enim eſt, qui hoc neſciat? Attamen hic tam verus ſermo non ab omnibus obſervatur. Certe Salomon in Eccleſiaſte capite decimo, ait: *Vidi ſervos in equis, & Principes quaſi ſervos, ambulantes ſuper terram.* At quomodo hoc contingit? quomodo non erubeſcunt ſervi? Nimirum ea cauſa eſt, quia non meminerunt ſermonis, quem dixit Dominus: *Non eſt ſervus major domino ſuo.* Hujuſmodi vero homines adhuc reperiemus, qui regulam hanc, quamvis luce clariorem, minime obſervant, uti videbimus.

I. Nunquamne contingit, ut officiales Principum nimium ab eis ditati & exaltati inſoleſcant, ita ut dominos ſuos ſpernant, iiſdemque terrori ſint? Sane inter infideles tales erant Fœlix & Pallas, ſervi Claudii Cæſaris, qui ab eo adeò locupletati atque evecti fuerunt, ut eo cauſante inopiam fiſci, vulgò diceretur: *curaret ſe ab eis adoptari in hæredem.* Quamobrem iis addictus non Principem ſed miniſtrum agebat, illique pro libito in imperio omnia adminiſtrabant ac turbabant. Cuſpinus & Fulgentius ex Dione & Suetonio. Pari ratione Eutropius ſervus Arcadii Imperatoris, eunuchus & Gentilis, in tantum exaltatus fuit, ut in eum potius quam in Imperatorem omnium oculi converſi eſſent, ipſeque potentiæ ſævitiam miſcens omnia perturbaret. Baron. anno Chriſti 399. Quare à furente populo ad necem poſtulatus confugere ad Eccleſiã coactus, ubi à ſancto Chryſoſtomo oratione, cujus exordium eſt: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas,* defenſus eſt. At hoc certe indigniſſimum eſt; *non enim eſt ſervus major domino ſuo.* Confirmat Apoſtolus Petrus in Epiſtola prima capite 2. *ſervi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis;* hoc eſt, faſtidioſis & aſperis. Quare Salomon Proverbiorum trigeſimo de hoc ait: *Per tria movetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere: per ſervum cùm regnaverit,* hoc primum; quod ultimum ſeu quartum? *Per ancillam cum fuerit hæres dominæ ſuæ:* ſeu, ut vertunt 70, *ſerva cum dominam ſuam ejecerit.* Movent iſti terram, qui turbant totam familiam; ſicuti aer & venti, quia ex natura ſua, terra altiores ſunt, in terræ cavernis incluſi, cum violentia erumpunt, terram cõcutiunt, & alicubi dirumpunt, peſtilentique aëre vicinas regiones inficiunt ac perterrent. Id verò inprimis indignum & intolerabile eſt; denique periculoſum ac pernicioſum, cùm ſervi & ancillæ magis ducantur paſſione quam ratione, ſuique impotentes ſint. Hinc queritur contra ſervum ſuum Sibam optimus dominus Miphiboſeth, qui exulanti Davidi occurſurus, non potuit obtinere à ſervo ſuo Siba, ut ſterneret ſibi claudo aſinum. Quinimo ſervus contempto domino cũ duobus aſinis commeatu onuſtis, utique ex bonis domini ſui, occurrit ipſe Regi & accuſavit herum ſuum, quaſi inſidiaretur regno Davidis. Cui facile nimis credens David donavit bona Miphiboſethi. 2. Reg. 16. & 9. Sic & Agar cernens ſe fœcundam contempſit dominam ſuam, Saram ſcilicet ſterilem; unde lis in domo, donec ancilla ejiceretur. Geneſis 16. Sæpe etiam videre eſt ſervos uſque ad multam lucem ſtertere dominis vigilantibus: ſibi optima quæque vina vel cibaria ſuffurari, domino deteriora apponere: ancillas plus valere apud heros, quam proprias conjuges. Quæ ſane indigna ſunt & terram movere deberent.

II. Nunquamne contingit ut ſubditi rebellent ac ſeſe opponant dominis ſuis? imò & arma contra eos ſumant vel iis ſaltem obloquantur? Vidimus noſtro ævo non ſemel tales rebelliones; ſed qui placuerunt Deo? *Non eſt ſervus major domino ſuo,* ait Dominus. Et ſanctus Petrus ubi ſupra: *Deum timete, Regem honorificate.* Et Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* quaſi diceret qui ſe opponunt Magiſtratibus, invertunt ordinem rerum à Deo præſcriptum, militem gregarium faciunt imperare Duci militiæ perduntque exercitum: invertunt corpus humanum, ſupra manus ambulant & oculos humo fixos gerunt, pedes in altum erigunt; qualis hæc ambulatio? qualem utique vidit cœcus ille necdum omnino illuminatus a Chriſto, cum dixit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Marci octav. Subditi quia cœci ut plurimum ſunt, infrà eſſe debent, velut pedes: Magiſtratus quia oculati, ſupra, velut oculi, ut corpus dirigant: alioquin ſibi exitium creant, qui aliter incedunt. Sed quid ſi mali & iniqui ſint, injuſta imperent, graviſſima onera imponant, rempublicam evertant, contraria Deo jubeant? Onera potius omnia ferenda, injuriæ quoque; peccata tantùm non facienda, ſed moriendum potiùs. Præſtat mori in cauſa juſta & innocentem, quam ſuperiori rebellare. Habuit David iniquum ſibique infenſiſſimum dominum, Saulem, à quo dura omnia & mortem ſibi imminere noverat, nihilominus tamen cum ab eo ad mortem quæreretur, ipſumque in manibus haberet, juxta prædictionem Dei, quod vellet eum tradere in manus ejus, noluit ei vim inferre; inſuper repreſſit milites ſuos, necem ei machinantes: *Propitius ſit mihi Dominus,* ait, *ne faciam hanc rem domino meo, & mittam manum meam in eum.* primo Regum vigeſimo quarto. Cùmque iterum quæſitus in manu ſua illum haberet, non tantùm non læſit, ſed: *Vivit Dominus:* inquit, *quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium deſcendens perierit; propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum domini.* Sed quid ſi pergat te perſequi? *Vivit Dominus, quia non extendam manum meam in eum.* Quid ſi occidere te, & tormentis excruciare tentet? *Vivit Dominus,* quia

II. *Subditi aliqui.*

quia non extendam manum meam in eum. Quid si te proscribere, familiam tuam exterminare, regnum Israel evertere, innocentes omnes perimere? *Vivit Dominus &c.* Verè magnus, qui mori potiùs paratus fuit, quàm dominum suum offendere; nimirum quia rebelles non solùm ordinariè malè pereunt, sed etiam damnationem æternam incurrunt.

III. *Mulieres aliquæ.*

III. Nunquamne accidit, ut imperiosa mulier marito suo dominetur? At *non est servus major domino suo.* Quare prudens illa Abigail postulata à Davide in uxorem dixit: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* 1. Reg. 25. Et Sara appellat Abrahamum *dominum suum.* Genes. 18. Beata virgo præfert sibi sponsum: *Pater tuus & ego.* Luc. 2. Sancta Monica *serviebat marito suo quasi domino,* ait sanctus Augustinus libro nono Conf. capite nono. *Quævis pudica mulier est viri serva,* ait Euripides apud Clemen. Alexandr. libro quarto strom. Quamquam mihi videtur iste nimium dixisse; mediam iram tenendam; non enim ex pedibus, sed ex latere viri mulier facta est; ut mulier nec serviat nec regnet, sed viro quidem subdita sit juxta primævam Dei institutionem: *sub viri potestate eris;* tum quia sexus infirmioris est & invalidioris consilii; tum quia magis subjecta passionibus & sui impotentior quàm vir. Patet in Semiramide Nini Assyriorum Regis conjuge, quæ videns Regem amore sui captum, petiit quinque tantùm dierum imperium. Quo concesso, primo die convivium instituit principibus & proceribus; quos ubi sibi devinxit, altero die, tentatis ad imperia satellitibus, jubet virum vinciri, vinctum in custodiam compingi, ubi eum usque ad mortem tenuit. Diodorus libro secundo, capite quinto. Quare Ecclesiasticus capite vigesimo quinto ait: *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo,* id est, rebellis & hostis. Græcè habetur: *mulier si chorum ducat,* id est, si choraga sit & præcentrix. Unde Proverbium: Es stehet ein Ehevolck nicht wol an / wann die Hün trit vor dem Han. Neq; id turpe solùm, sed etiam perniciosum est. Unde Augustinus de Cateche. rud. ait: *Cùm fœmina dominatur in virum, misera & perversa domus est.*

IV. *Filii aliqui.*

IV. Nunquamne contingit, ut filio dilecto omnia ad nutum concedant & permittant parentes? Itaque talis filius imperabit suis parentibus. Sic fassus est Themistocles, Dux Atheniensis, Athenienses dominari Græcis, se dominari Atheniensibus, uxorem sibi, filium uxori: sicque filium suum dominari toti Græciæ. Atqui *non est servus major domino suo.* Filii suo modo parentum servi sunt, ut testatur Ecclesiasticus capite tertio dicens *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Est enim filius possessio parentum, quia vitam ab eis accepit. Unde Eva primum filium suum appellavit *Cain,* id est, *possessionem;* dicebat enim *Kaniti,* id est, *possedi hominem per Deum.* Quare in necessitate parentes possunt vendere libros in servos, ut colligitur Exodi vigesimo primo versu septimo. Sic Isaac serviit patri Abrahæ, cùm fascem lignorum ab eo sibi impositum portavit. Sic Alphonsus Aragonum Rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit ac pedibus eum comitatus est; ut si opus foret, humeris suis lecticam ejus sustolleret. Cumque è lectica pater identidem hortaretur, ut exemplo procerum juxta adequitantium ipse quoque equum ascenderet: *Alii, pater,* ait, *quid ad se attineat, ipsi viderint. Ego quidem adduci neutiquam potero, quin Regem quin patrem eumque ægrotum pedibus sequar.* Panorm. libro secundo Commentar, de rebus ejus gestis. Quid igitur dicamus filiis, qui parentum voluntatem suam esse volunt: nonne illis imperare attentant? Quid parentibus, qui id tolerant? nonne filiis servire volunt? At quàm hoc absurdum! Audiamus quid dicat Jacob, quando audivit filium Joseph narrantem: *Vidi per somnium Solem & Lunam & stellas undecim adorare me.* Ait enim: *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?* Genesis trigesimo septimo. Recitaverat ille prius somnium de undecim manipulis fraternis se adoraturis; nec ob id correptus à patre fuit. At ubi narrat se à parentibus etiam adorandum, ibi rei indignitate motus pater, increpavit ejus puerilem audaciam; quasi diceret: cave ne unquam hoc tibi in mentem mi puer veniat: trade potius oblivioni visiones istas, ut ait Philo libro de Josepho. Malè cedit parentibus æquè ac filiis tam inordinatum imperium. Andronicus Junior, Michaelis filius, avo Andronico seniori ita charus fuit juvenculus, ut ne noctu quidem illius absentiam ferre posset. Adolescentiam egressus libidini habenas laxavit, & avo parcè sumptum præbente, æs alienum ingens contraxit, tandemque per conjuratos avum imperio deturbavit. Gregoras libro octavo. Ingratus scilicet cuculus; hic enim ab aliena matre nutritus & præ cæteris pullis amatus utpote grandior, post ubi adolevit, ipsam matrem devorat. Aldrov. lib. 5. Ornith. c. 17.

V. Nonne sæpissimè contingit homines fieri impatientes ob paupertatem, contemptum, opprobria, adversarios, morbos, afflictiones? ita ut irascantur, insaniant, desperare velint? *At non est servus major domino suo.* Nonne hæc omnia Christus Dominus noster sustinuit? Et huc potissimum tendit sermo Christi, ut ipsius exemplo hæc omnia toleremus. Non fuit aliquando memor hujus sermonis Sanctus Petrus Martyr Dominicanæ familiæ. Visæ cum hoc erant aliquando tres cœlo lapsæ virgines in cubiculo loquentes. Delatus ergo est ad superiorem, quod nescio quas mulieres in cellam admisisset. Id cùm Petrus non negaret, & magnum se peccatorem fassus, cœlestes hospites silentio tegeret, ad Esinum cænobium relegatus est. Ibi cum nocte quadam in templo coram Crucifixi imagine suum tristis secum dedecus animo agi-

agitans, amicè Christo conquereretur: *Quare bone Iesu permittis ut tanta ignominia servus tuus innocens afficiatur?* Christum audivit de cruce respondentem; *Et ego quid feci, ut tantis onerarer opprobriis & morte turpissima condemnarer? Ex me disce opprobria & ignominiam patienter tolerare.* Refert Doultreman in Pædag. Christ. p. 1. cap. 8. parag. 3. Memor econtra fuit sanctus Martinus, qui cùm inter suos discipulos haberet unum Brictium nomine, qui ipsi Sancto sæpe insultabat, cœli suspicem & fanaticum appellabat, gestaque ejus carpebat, Martinus tamen patienter omnia ferebat, dicens: *Si Christus Iudam toleravit in suo collegio & mensa, cur ego non tolerem Brictium?* quasi diceret: *non est servus major suo domino*, Martinus Christ. Sulpit. in ejus vita. Ac ne putetis hoc sanctorum tantùm & religiosorum esse, audite quid homo sæcularis egerit, Lambertus Consul Harlemensis à tumultuantibus Calvinistis, quòd Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defenderet, in vincula conjectus, & tandem patibulo adjudicatus. Id enim cùm à longè intueretur: *Quid, inquit, extimescimus lignum? Etenim, si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major servus Domino suo?* refert P. Opmerus in martyrol. Holland. MS. Denique hujus verbi Christi memores Apostoli Dominum suum per varia martyria secuti, lapidati sunt, secti sunt, crucifixi, excoriati, contis & fustibus contusi sunt: quia *non est servus major domino suo.* Hujus ergo verbi simus & nos memores & conformemus nos Domino nostro in Ecclesia militante, ut conformes ei simus in triumphante.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

THEMATA.

I. *Octo beatitudines distribuuntur in varios.*
II. *Merces Beatorum in cœlo quanta.*
III. *Quales cœli cives.*
IV. *Octo beatitudines totidem signa prædestinationis.*
V. *Fructus hujus Festi.*

THEMA I.

Octo beatitudines distribuuntur in varios.

In pauperes regnum cœlorum.
In divites misericordia.
In cives gloria filiorum Dei.
In Magistratus saturitas.
In Dominos possessio terræ.
In servos & subditos consolatio.
In conjugatos & virgines visio Dei.
In Christianos omnes regnum cœlorum.

Aperiens os suum docebat eos. Matth. 6.

Consuetudo est hujus patriæ, qua hodierna die panes dulciarii, quos appellant *panes Sanctorum*: (Heiligen Strikl /) per familias distribuuntur & ad mensam apponuntur. Quare ad hujusmodi mensam alter alterum invitat, vel ab altero invitatur. Originem huic ritui videtur mihi dedisse Christus Dominus noster in hodierno Evangelio, in quo dicitur aperuisse os suum, & docuisse suos discipulos octo beatitudines; quæ sanè nihil aliud sunt, quàm dulcissimi Sanctorum, adhuc militantium, panes, quibus ad prosequendam suam militiam ac laborem mirè confortantur & recreantur. Si enim teste ipso Domino, Matth. 4. *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: certè etiam ex his Christi verbis, quibus octo beatitudines proposuit, omni dulcore & solatio plenis, vivent Christiani. Et propterea existimo Matthæum sic locutum: *Aperiens os suum docebat eos.* Voluit enim dicere, Christum aperuisse os suum *velut thesaurum sapientiæ, ut bona dividat suis*, ait Glossa interlin. Ex hoc igitur thesauro, ex hoc penu oris Dominici desumemus hodie panes Sanctorum dulciarios, & dividemus per octo classes, juxta id Ecclesiastis 11. *Da partem septem, necnon & octo*, scilicet egentibus; quos qui cum gustu comederint ac ruminarint, spes est perventuros ad numerum Sanctorum, qui jam in cœlis regnant & fruuntur pane Angelorum.

I. Primum dabimus pauperibus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quid dulcius, ô pauperes, quid gratius vobis dari potest regno cœlorum? Ecce vobis Christus legat regnum illud, si hic paupertatem vestram propter Deum & salutem vestram patienter toleraveritis. Leontius Atheniensis Philosophus cùm filiam Athenaidem, splendidam fortunam ex varia disciplinarum eruditione consecuturam cognovisset: testamento suas opes duobus filiis reliquit, filiæ non nisi centum aureis legatis; hac adjecta clausula, quod fortuna ejus suffectura ei esset. Ergo à fratribus patrimonium sibi vendicantibus, paterna domo ex- I. *In pauperes regnum cœlorum.*

acta, à matertera Constantinopolim perducta est; atque ibi baptizata, nomine in Eudociam mutato, ob formæ elegantiam & insignem eruditionem Theodosio Imperatori desponsata. Quo facto accersitis ad se fratribus multas egit gratias, quòd paterna ejecissent se domo; alioquin nunquam ad regni solium perventuram fuisse. Zonaras & Cuspinianus in Theodos. Quid videtur vobis pauperes? Vobis contingit, quod contingit Athenaidi. Pater vester cælestis omnes penè opes suas dedit divitibus, vobis parum aut nihil dedit; sed en prædicit ac promittit hodie vobis regium cœli solium, ob vestram patientiam, si eam cum paupertate vestra conjunxeritis. Durum asseretis hoc esse testamentum: expellimini enim à divitibus, deserimini, patimini. Verùm expectate paulùm, cœlorũ regnum vos expectat. Hancne conditionem cum divitibus, fratribus vestris, commutabitis? exiguas terræ glebas eis invidebitis? Imò verò aliquando summas gratias agetis, quòd vos expulerint, deseruerint, contempserint. Hæc enim expulsio, desolatio & contemptus fortuna vestra est & cœli regnum vobis parat. Audite D. Augustinum in serm. de patientia (apud Octav. de Tuso in Ecclesiasticum cap. 2. v. 2.) *Ne indignemini fratres*, inquit, *si vos adversa patimini; quia non est Christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potiùs deprimi. Mali enim nihil habent in cœlis, & vos nihil habere debetis in terris; sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in vita contigerit, gaudere debetis.*

II. *In divites misericordia.*

II. Secundum damus divitibus: *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quid hoc pane suavius? Dicite mihi divites: Quid desiderabitis, quando in articulo mortis constituti, citabimini ad tribunal Christi, ut reddatis rationem de omnibus vestris bonis, quomodo ea impenderitis; an in luxum & superbiam, in comessationes & convivia, in canes & equos, in scurras & pellices: an ea in thesauris absconderitis; quid tunc optabitis? nonne Christi misericordiam in tam severo examine, tot delictorum rei? Et promittit eam vobis Christus hac lege: *Beati misericordes quoniam misericordiam consequentur.* Joannes Baptista Christum prædicans ait: *De plenitudine ejus omnes accepimus: gratiam pro gratia.* Joann. 1. Sanctus Augustinus & Beda explicant gratiam gloriæ æternæ, pro gratia bonorum operum; quia & ipsa sunt dona Dei. Ergo qui desiderat obtinere gratiam in judicio à Christo, gratiam ei exhibeat nunc in pauperibus: gratiam charitatis & misericordiæ pro gratia indulgentiæ & gloriæ. Misericordia misericordiam, gratia gratiam impetrat. Agrippa Judæorum Rex à Tiberio Cæsare ad arborem ante palatium Imperatoris alligatus, cùm siti æstuaret, conspicatus quendam è Caji servis, nomine Thaumastum, gerentem hydriam, poposcit potum; & cum libenter oblatum hausisset, inquit: *Certè, tuo bono, puer, exhibuisti mihi hoc ministerium.* Post enim à Cajo Tiberii successore liberatus & regno restitutus, Thaumastum à Cajo impetratum manumisit & bonorum suorum dispensatorem constituit. Joseph. libro decimo octavo Antiq. capite octavo *Fulgos.* libro quinto capite secundo. Ecce vobis servum pro modica aqua misero & captivo Regi porrecta, regni procuratorem constitutum. Quàm magna gratia pro tam parva gratia! Retulit hanc homo profanus; quando certius refert Christus? Is nunc in pauperibus suis quasi vinctus hic tenetur, fame & siti pressus. Divites ei gratiam (cibum, potum, vestem) impertiri possunt, & pro hac gratia recipient regnum cœlorum: nam *quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam*, ait Matth. 10. Hinc mirabilis illa virgo Christina, ut in ejus vita scribit Thomas Cantipratensis, bonis propriis abdicatis, cibum à magnis potissimum peccatoribus mendicabat, ut ipsi per eleemosynam acquirerent Dei gratiam. Dicebat enim ad hoc se divinitus impelli, ut peccatores per illam viam ad peccati horrorem & pœnitentiam perducerentur, addens, nulla re Deum magis flecti ad misericordiam, quàm exhibita pauperibus eleemosyna. Unde *die quodam intolerabili siti vexata, Deo eam instigante, ad mensam cujusdam sceleratissimi hominis splendidè apparatam accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem suum insolita humanitate permotus, vinum ei obtulit; unde illa parum bibit. Ea causa contra omnium opinionem, qui virum noverant, Christina affirmavit eum in morte ad pœnitentiæ & contritionis gratiam pervenisse.* En gratiam pro gratia; imò gloriam æternam emptam haustu vini.

III. Tertium Civibus: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quid suavius, quàm vocari & esse filium Dei, hoc est, Deo quàm simillimum & charissimum? Hoc esse vos, ô cives & subditi, potestis, si pacem inter vos tenere & facere, conservare & conciliare volueritis. Quemadmodum enim filius tunc censetur patri similis & genuina esse proles, quando patrem imitatur in moribus & actibus suis: sic & vos Dei filii eritis quàm simillimi, si eum imitemini. Ipse autem est & appellatur Deus *pacis*; tum quia inter tres personas summam semper tenet pacem & concordiam; tum quia pacem mundo rebelli obtulit, mittendo ei filium Mediatorem & principem pacis, qui ut in medio ferè semper repertus est, ita etiam dixit: *Ubi sunt duo vel tres consentientes in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. Similis enim simili gaudet, uti pater præsentia filiorum. Unde sanctus Hilarius in eum locum: *Ipse enim*, inquit, *qui pax & charitas est, sedem atque habitationem in bonis atque pacificis voluntatibus collocabit.* Sensit hoc cœtus fidelium, qui in sacello aulico Clodovei Francorum Regis, dum à sancto Remigio Catechesi imbueretur, una cum ipso congregati erant,

Delap-

Delapſa enim cœlitus luce copioſa vox Chriſti audita eſt: *Pax vobis, ego ſum: nolite timere, manete in dilectione mea.* Ut in vita ſancti Remigii apud Sur. 13. Januar. Ergo vultis eſſe filii Dei, eumque velut patrem inter vos habere, pacem habetote. Hinc Clemens Alexandrinus libro tertio pædag. capite undecimo monet Chriſtianos, ut ne in annulis quidem ſuis armorum figuras, veluti enſes aut arcus inſculpant; quo ab omni diſcordia quàm remotiſſimi ſint. *Neque enim idolorum*, inquit, *ſunt imprimendæ facies: quibus vel ſolùm attendere prohibitum eſt; ſed nec enſis vel arcus iis, qui pacem perſequuntur.* Ut enim conſentientibus ſe jungit Chriſtus: ita diſſentientes fugit & odit. *Sicut in Muſica*, ait in cit. Matthæi locum Origines tract. 6. *niſi fuerit harmonia & conventientia vocum, non delectat audientem: ſic Eccleſia niſi conſenſum habuerit, non delectatur Deus in ea.*

IV. Quartum Magiſtratibus: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quid hoc pane optatius, qui ſatiat appetitum? Saturari quærunt opibus, deliciis & honoribus, qui Magiſtratus ambiunt: quærunt otium, libertatem, imperium, potentiam; pompam. Unde illis hæc ſaturitas proveniet? Eſuriem & ardentem appetitum juſtitiæ adminiſtrandæ habeant. Saturent ipſi imprimis famem & ſitim juſtitiæ divinæ, quæ, donec plectantur gravia ſcelera, præſertim contra juſtitiam admiſſa, ſatur & contenta eſſe non vult nec poteſt. Patet ex ſacrilego furto illius Achan, de quo ait Dominus Joſ. 7. *Non ero ultra vobiſcum, donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt.* Patet in Jona transfuga, in quem mare ſæviens inſurrexit nec priùs ſtetit à furore ſuo, quàm à nautis ejiceretur in mare. Jon. 1. Neque verò Dei juſtitia per hoc reorum perditionem, ſed ſalutem potius ſitit ac deſiderat: cum enim trahuntur ad ſupplicia, compelluntur ad pœnitentiam; quia alioquin, ſi inulti pergerent graſſari in ſuis ſceleribus, æternum perirent. *Mors enim*, inquit Cyrillus Hieroſolym. (ut refert Petrus Dam. epiſtol. 12. ad Godifredum libro 7. Epiſt.) *quæ pœnæ cauſa infertur pro peccato, purgatio eſt peccati ipſius, pro quo jubetur inferri.* Unde ſapiens quidam non temerè dixit, ſervata proportione plures è patibulo, quam è lecto ad cœlum aſcendere. Famet igitur & appetit Deus maleficorum pœnas & ſupplicia, cupitque eam famem ſuam exſaturari à Magiſtratibus quos hunc in finem gladio accinxit, uti ſcribit ad prædictum Godifredum Ducem Damianus Epiſtola 11. *Non*, inquit, *ad hoc præcingeris gladio, ut veolentorum mala debeas, palpare vel ungere, ſed ut ea ſtudeas vibrati mucronis ictibus obtruncare.* Et mox: *ſcaber enſis efficitur, qui dum cohibetur ſemper à vulnere, non limatur. Quo contra per Ezechielem dicitur: Gladius exacutus eſt & limatus, ut cadat victimas exacutus eſt.* Quam ob cauſam ſanctus Vincentius Ferrerius, Valentinus Ordinis Prædicatorum cùm Januæ, in urbe Italiæ, vir quidam Valentia oriundus, ob quædam ſcelera fuiſſet ultimo ſupplicio adjudicatus, & complures eum rogarent, ut ei vitam impetraret à Januenſium Duce: *Abſit*, inquit, *ut opera mea juſtitiæ locus impediatur, & ſceleratis hominibus impunitas concedatur. Illud vero lubenti animo faciam, ut genus mortis permutetur*, quod & facilè impetravit, apud Sur. 5. April. Ergo ſi Magiſtratus ſaturari bonis omnibus in cœlo voluerint, ſaturent ipſi viciſſim famem & ſitim divinæ juſtitiæ.

V. Quintum dominis & dominabus: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Non ſanè hanc craſſam, opacam, luteam, ſed illam ſubtilem, lucidam, cœleſtem in cælis, terram viventium, non morientium; novam, non antiquam; ubi ſempiterna quies & ſtabilis eſt poſſeſſio. Quid hac promiſſione ſuavius? Hac verò frui imprimis potuerunt domini dominæque, ſi imperando ſubditis ſe mites exhibuerint. Quinimo ſanctus Chryſoſtomus homilia decima quinta in Matthæum & brevi enarratione ſuper hunc locum; putat eis etiam promitti poſſeſſionem hujus terræ ita videlicet ut terrenorum hominum (maximè ſubditorum) animos arctiſſimo amoris vinculo ſibi devincturi ſint, quod eſt terram poſſidere. Juſtinianus Genuenſis hiſtoriographus libro ſexto præclarum refert lenitatis in ſubditos documentum. *Franciſcus Marcio*, inquit, *juris conſultus egregius, miſſus à Republica Genuenſi orator ad Ducem Mediolanenſem; cum is nollet eum dimittere, nec pactis conventis cum Genuenſibus ſtare, capta occaſione obtulit eidem Duci manipulum herbæ ocymi* (Baſilien) *qui admirabundus quid ſibi hoc demum vellet quæſivit quid ei eſſet.* *Cui ille reſpondit, talem eſſe hujuſmodi plantæ naturam, ut leniter ac ſuaviter contrectata, gratum odorem ſpiraret; nimis autem duriter compreſſa & attrita, non ſolùm omnem ſuavitatem deperderet, ſed etiam ineunte tempore ſcorpios generaret: habere autem ſe ingenia Genuenſium eodem planè modo. Dux hoc ingenioſo admodum reſponſo delectatus, & ſententiam priorem mutavit, & legatum honorificè dimiſit.* Refert Cauſſinus libro 10. Symbol. capite 21. Expertus hoc eſt in ſubditis ſuis, quibus ſe mitiſſimum præbuit, Hugo Tuſciæ Dux, quem eo nomine laudat Beatus Petrus Damiani in Epiſt. 12. suprac. his verbis: *Hic præter ea ſæpe dum equitaret, comitum cuneos poſt ſe dimittere conſueverat, & vel ſolus, vel uno contentus aſſecla, longius præcedebat, & tunc agricolas, vel opiliones his compellabat affatibus: Quid vobis*, inquit, *videtur de Marhione iſto, quem dicunt? Nunquid non crudelis & impius pauperes opprimit, terram diſſipat, & cuncta ditionis ſuæ bona profligat? Ad quod illi: abſit, ajunt, abſit: falſum eſt penitus, ò homo, quod loqueris. Non eſt enim poteſtas talis ſuper terram, quæ ſic violentiis & rapinis abſtineat, quæ in tanta pace & ſecuritate ſubjectum ſibi populum regat. Vivat, optamus, vivat illa poteſtas ad refugium pauperum, & proſperè floreat ad omnium cuſtodiam ſubjectorum*

Quod ille audiens exultabat in Domino. Vnde ſæpe dicebat: In tanta volo ſemper erga ſubjectos, & præcipue ruſticos manſuetudine vivere; ut annona, quæ caballi mei rodentis ore delabitur, à ruſticorum porcellis è veſtigio colligatur. Pari modo, *Si Roboam,* (ſcribit idem Cardinalis in Epiſtola 16. ad Alexandrum Papam libro primo Epiſt.) *ſenum conſiliis acquieſcens, populo mitia reſpondiſſet, totum Iſraël ſui juris imperio ſubdidiſſet; ſed quia coævorum ſuorum ſuperbiæ credidit, diviſis à ſe decem tribubus, ſublimem regni potentiam humilem fecit.* Itaq; aſperitate ſua terram amiſit, quam manſuetudine conſervaſſet & poſſediſſet: ſicque ſcorpiones, quos ſubditis minatus eſt, ex nimia eorum preſſura incautus expreſſit atque in ſe concitavit.

VI. *In ſervos & ſubditos conſolatio.*

VI. Sextum ſervis & ſubditis, viduis & pupillis: *Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur.* Lugent ſi non omnes, ſaltem plerique ſubditi ſub gravibus oneribus ſibi impoſitis, ſub multis laboribus & exiguis ſtipendiis, ſub grandi cenſu & parvo proventu, ſub preſſuris & injuriis & nullis auxiliis. Sed en ipſis panem, qui luctum temperet; *quoniam ipſi conſolabuntur.* Magnam jucunditatem luctus aliquis præcedere debet. *Niſi tentatio,* inquit ſanctus Chryſoſtomus hom. 4. ad populum, *nec corona: niſi certamen, nec præmia: niſi ſtudia, nec honores, niſi tribulatio, nec remiſſio: niſi hyems, nec æſtas. Et hoc non in omnibus hominibus tantùm, ſed in ſeminibus quoque ipſis intueri licet: & in his etiam multam quidem pluviam, multam verò nubium colliſionem, multam denique glaciem fieri oportet, ſi vernans ſpica exurgere debet: ubi verò ſementis tempus, tempus & pluviæ. Poſtquam igitur & nunc ingruit hyems animarum, non aëris, ſeramus & nos in hac hyeme, ut in æſtate metamus; ſeminemus lachrymas, ut metamus exultationem. Non meus hic ſermo, prophetica denunciatio eſt: Qui ſeminant in lachrymis,* inquit, Pſ. 125. *In exultatione metent.* Sic ille. Qui agriculturam non vidit, mirari ſanè poſſet, ſi videret agricolam aratro vertere terram, & proſcindere floridum & ſaluberrimum triticum abjicere in lutoſum agrum; inſuper & ceſpite injecto ſepelire; interim ſtivam tenere, pluvias, frigora & æſtum ſuſtinere: boves & equos eo labore fatigare: denique cum fame & ſudore domum redire; ſtultum fortè ruſticum diceret, qui nunquam rura coli vidit. At longè aliter agricola ſentit, qui omne illud damnum & labores ſuos parvi pendit, ſpe lætitiæ ſecuturæ copioſa meſſe. Sic ferè ſanctus Chryſoſtomus loco citato, ſubditque: *Cùm agricola ſemina cum multo labore collecta ſeminaverit, ignarus quidem omnia, quæ fiunt, cernens admirabitur, forteque apud ſeipſum dicet: Quid hic homo tandem facit? collecta diſſipat, nec diſſipat tantùm, ſed & terræ cum multa cura commiſcet, ne facile colligi poſſint; nec commiſcet tantùm terræ, ſed & optat vehementem fieri pluviam, ut projecta omnia marceſcant & lutum fiant: & turbabitur cernens fulmina & coruſcationes deferrri: agricola verò non ita, ſed lætatur & gaudet tempeſtatem cernens: non enim præſentia reſpicit, ſed futura ſpectat: non reſpicit fulmina, ſed manipulos computat: non morientia ſemina, ſed vernantes ſpicas: non gravem imbrem, ſed jucundiſſimam areæ ventilationem. Itidem & nos non præſentem ſpectemus tribulationem aut dolorem, ſed orientem ex ipſa utilitatem, ex ipſa naſcentem fructum.* Sic ille. Nonne Jacob ſeminavit cum luctu, quando ut fratrem fugeret, paternam domum deſerere, & ſolus cum baculo in Meſopotamiam migrare, ibidem ſervire in æſtu & gelu viginti annis debuit? At vide inde revertentem divitiis & gaudio: *In baculo meo,* inquit, *tranſivi Iordanem iſtum, & nunc cum duobus turmis* (filiorum & famulorum ac gregum) *regredior.* Geneſis 32. Nonne Joſeph ſeminavit cum luctu, quando à fratribus in ciſternam depoſitus, inde in Ægyptum venditus, & ſervire coactus, ibidem innocens in carcerem detruſus eſt? At vide revertentem cum honoribus, quando in aula Pharaonis primus à Rege factus, & toti Ægypto præpoſitus dixit: *Oblivíſci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Gen. 41. Idem ergo vos ſperate, qui nunc in ſervitute & ſub jugo ingemiſcitis.

VII. Septimum conjugatis & virginibus: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quid jucundius quam Deum videre, in quo omnia ſunt? Verum *quemadmodum lumen* (Solis) *videri non poteſt niſi oculis mundis: ita nec Deus videtur, niſi mũdum ſit illud, quo videri poteſt,* ait S. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. Jam verò Chriſtum in cœlo regnantem vident beati oculis externis & internis: humanitatem enim ejus vident externis corporis oculis; divinitatem verò ejus oculis mentis internis. Igitur conjugati & cœlibes ſi ad hunc duplicem Chriſti aſpectum pertingere volunt, mundi ſint non corpore ſolùm, ſed & mente. Pulchrè hoc docetur Cant. 3. ubi dicitur: *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi: uniuſcu juſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* Lectulus Salomonis quid niſi lectus caſtitatis, ſeu cor caſtum, in quo verus noſter Salomon Chriſtus requieſcit? Hunc ergo diligentiſſimè cuſtodiri ſibi vult à fortiſſimis caſtitatis propugnatoribus; qui duplicẽ gerant gladium, unum evaginatũ in manu, alterum in vagina reconditum, ex femore pendentem. Prior ille externam corporis puritatem, in manibus, oculis, lingua, auribus & toto corpore deſignat; poſterior internã, ut ne cogitatione, deſiderio vel concupiſcentia aliqua lectum illum contaminemus; de quo S. Greg. lib. 10. Moral. c. 3. ait: *Nocturni timores ſunt inſidiæ tentationum occultæ. Enſis verò ſuper femur eſt cuſtodia vigilans, carnis illecebram premens.* Prior gladius reſecet externam carnis immunditiam, poſterior internam. Duo fuere latrones, qui ingreſſi domum Isboſeth, occiderunt ipſum dormientem in ſtrato ſuo; quia oſtiaria domus obdormiverat, 2. Reg. 5. Duo etiam ſunt in-

ſidia-

ſidiatores caſtitatis, diurnus & nocturnus, externus & internus: contrà utrumque vigilet oſtiaria domus Caſtitas, ſi Deum vult videre.

VIII. Octavum omnibus piis Chriſtianis: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hoc regnum omnes pii quærunt. Sed quæ ad illud via? Audite Apoſtolum 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur*; ſive à Dæmone tentante, ſive à carne blandiente, ſive à mundo ſubſannante, vexante, alliciente, injurioſo, ſpoliante. Qui enim à mundi conſuetudine ſe ſubtrahere incipit, ſtatim ſibi adverſantem experietur. Regia igitur ad cœlum via non eſt niſi crucis, perſecutionis & tribulationis. Unde S. Auguſtinus ſuper Pſal. 55. ait: *Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Et ubi eſt vox Apoſtoli: Omnes qui volunt in Chriſto piè vivere, perſecutiones patiuntur? Si ergo non pateris pro Chriſto ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Chriſto piè vivere.* S. Clemens Alexandrinus l. 6. Stromatum ſcribit: *In locis, quæ in Magorum regione ſunt eminentiora referunt tres montes in ſpatioſo campo eſſe poſitos: eos autem qui locum tranſmittunt, cùm ad primum quidem montem pervenerint, audire vocem confuſam veluti clamantium, non paucorum millium hominum, perinde ac ſi eſſent in acie. Ad medium autem cùm venerint, majorem ſimul & evidentiorem ſtrepitum apprehendere: tandem autem audire in fine canentes pœana, perinde ac qui viciſſent.* Quid iſti montes niſi vitæ noſtræ curſum notant? primum percurrimus, dum in perpetuo conflictu & perſecutionibus verſamur. Secundum tempore mortis, ubi pugnę & gemitus pereuntium magis invaleſcunt. Per hos tamen ultimo perveniemus ad tertium, in quo ſine ſine Pæana concinemus inter Beatos. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*; nec in cœlo regnabit, niſi qui perſecutiones ſuſtinuerit, vulnera & vibices (hi ſunt die heiligen Strickel) è conflictu retulerit.

Hi ſunt panes dulciarii ex ore Chriſti deprompti, è divite ſanè penu ac theſauro, quos cùm Simeon à columnæ ſtatione dictus Stylites, dum adhuc opilio eſſet, promulgari in templo & decantari audiret flentes ſcilicet ac lugentes dici beatos, ridentes verò miſeros: fortunatos eos, qui mundam poſſiderent animam &c. relictis ovibus ad vitam monaticam ſe contulit, indeque columnam aſcendit, in qua perdius ac pernox, ſupra annos 40. (ut habet anno D. 460. Baronius Card.) ſtetit; quotidie bis concionem ad confluentem turbam habens, in qua aſſiduè id inculcabat: *Contemnite terreſtria, amatè & ambite cœleſtia, quæ ſola vos beabunt.* Refert Theodoretus teſtis oculatus in Philotheo. cap. 26. apud Sur. 4. Jan.

THEMA II.

Merces Beatorum in cœlis quanta.

I. Beati miſericordiam conſequentur.
II. Ipſi conſolabuntur.
III. Poſſidebunt terram.
IV. Saturabuntur.
V. Deum videbunt.
VI. Filii Dei vocabuntur.
VII. Ipſorum eſt regnum cœlorum.

Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matthæi 5.

NArſes Dux militiæ ſub Juſtino ſecundo Imperatore (ſicut refert Paulus Diaconus apud Baronium anno 566.) agens Neapoli in Campania, ut Longobardos è regionis ſuæ ſqualore & pauperrimo rure ad fertiliſſimos Italiæ campos cum armis invadendos evocaret, nuncium præmiſit, qui lectiſſima Italiæ poma aliarumque frugum ſpecies eis afferret, quarum ſpecie delectati Longobardi, & ex eadem opimam terræ fœcunditatem conjicientes, magno ſtatim & horribili exercitu Italiam inundarunt. Salvator noſter Auditores. Dux militiæ noſtræ, quam in terris militamus, in hodierno Evangelio è pauperrimo noſtro rure & exilii ſqualore ad opimam & fertiliſſimam cœli regionem invadendam nos extimulat; atque ut alliciat, lectiſſimos cœli fructus & ampliſſimam mercedem militaturis repræſentat, octo videlicet beatitudines; è quibus velut paucis pomis aureis cæteras regionis cœleſtis ac Beatorum delicias conjicere poſſemus. Quare ſi pauci Italiæ fructus excitare Longobardos potuere ad petendam bello Italiam; quomodo non promiſſa à Chriſto merces copioſiſſima in cœlis nos evocabit ad expugnandum cœlum? Quod ut animoſius aggrediamur, luſtrare priùs & delibare volumus fructus illos octo beatitudinum. *Beati in cœlis.*

I. *Miſericordiam conſequntur*; non qualem ipſi miſeris impenderunt, ſed abſque omni comparatione longe majorem, qualem promiſit Dominus Luc. 6 *Date & dabitur vobis. Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Regales remunerationes dare ſolent Reges, maxima pro minimis, uti Artaxerxes Rex Sinetæ pro pugillo aquæ, phialam auream & ſtolam perſicam, & mille Daricos argenteos; apud Ælian. l. 1. var. hiſt. c. 32. Agrippa Rex Thaumaſto ſervo Caji pro hauſtu frigidæ procuraturam regni ſui; apud Joſeph. l. 18. Antiq. cap. 8. Ludovicus XI. *I. Beati miſericordiā conſequentur.*

Franc. Rex Cononi rustico pro una rapa mille aureos; apud Corozett. de dictis & factis memorab. Conradus Imp. plebano in Cazenhausen pro hospitio & cœna præbita Episcopatum Monasteriensem, apud Cranz. in Metrop. libro secundo cap. 29. Qualis remuneratio, qualis misericordia erit, quam rependet Deus iis, qui in ipsum ejusq; pauperes fuerint liberales ac misericordes! Reges mundi rependunt munera, sed in arcam & marsupium, unde facile auferri possunt, ubi & putrescunt; Deo verò munera sua rependit *in sinum* & cor nostrum, ut intimè nobis adhæreant & auferri nequeant. Qualem ergo misericordiam consequentur in altera vita beati? Qualem consecutus ille, qui descendens ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Sanabit enim Christus verus Samaritanus omnia vulnera eorum, tollet omnes miserias, *absterget omnem lachrymam ab oculis eorum, & ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, Apoc. 21. Tollet eos insuper in equum gloriæ suæ & introducet in diversorium regni sui. Qualem misericordiam consequentur qualē consecutus est filius prodigus, quando in se reversus rediit ad patrem suum. Occurret enim illis Christus & cadet super collum eorum, vestiet eos stola gloriæ suæ, excipiet convivio cœlestium deliciarum, exhilarabit symphonia Angelorum; dum alii præsciti foris stabunt ac murmurabunt, & *famem patientur ut canes*. Qualem misericordiam consequentur? Qualem consecutus est Paulus, cùm è naufragio enatans in Meliten, benignè acceptus à Publio Principe Insulæ, datis alimentis aliisque necessariis & multis honoribus affectus est, Actor. 28. Sic enim cum electi è naufragio hujus corporis ejicientur in alteram vitam, benignissime excipientur à Christo: suppeditatis omnibus, quæ desiderant; & honoribus plusquam regiis cumulabuntur. Qualem misericordiam consequentur? Qualem consecutus est Loth, quando ex incendio Sodomæ ereptus, in tuto collocatus est. Genesis 19. Sic enim Beati in die judicii, quando *pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum* erit; Psalm. 10. ipsi è medio eorum separati, statuentur in loco securo, à dextris Christi & salvabuntur in monte sancto. Denique consequentur misericordiam, quæ est ipsa vita æterna; tum quia gratis est promissa bene operantibus; tum quia beneficio gratiæ eam promeruerunt. Consequentur misericordiam, quæ est ipse Deus, juxta id Psal. 58. *Deus meus misericordia mea.* quia Deus erit illis omnia in omnibus: cibus, potus, vestis, sanitas, libertas & quæcumque alia. Hanc promisit Deus Abrahæ Genesis 45. *Ego merces tua magna nimis.*

II II. *Ipsi consolabuntur.* Quale hoc erit solatium
Ipsi consolabuntur. Beatorum? 1. Quale est mercenarii, cùm venerit
1. optata dies ejus, quia à laboribus quiescit & mercedem accipit, ubi Job dixit c. 14. *Donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus*, dies quietis & mercedis, tanto utique suavior, quanto præcedentes laborum fuerunt amariores. Quis nescit cibum post longam inediam atque esuriem: potum post vehementem sitim; quietem post ingentes labores esse longe dulcissimam: Artaxerxes Persarum Rex, cùm in prælio siti confectus è sordido egeni cujusdam utriculo fœtentem ac putridam bibisset aquam, seriò protestatus est nunquam sibi ullius vini poculum tantopere sapuisse. Plut. in Artax. Deniq; *opportune*, ait sanctus Bernardus sermone 68. in Cant. *post tristitiam gaudium subit post laborem quies, post naufragium portus: placet cunctis securitas, sed ei magis, qui timuit: jucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat.* Quantum igitur solatium erit Beatorum, cum è tot laboribus in tantam quietem, è tot periculis ad patriæ portum, è tot timoribus ad tantam securitatem, è tantis ignorantiæ tenebris ad tam claram scientiæ lucem emigrabunt! Majus utique & dulcius, quàm Angelorum: non enim Angelis, sed illis dicere licebit: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psalm. 65. De Lazaro quidem in sinu Abrahæ quiescente dicitur, Luc. 16. *Nunc hic consolatur.* Verùm illud solatium non erat aliud, nisi finis & cessatio miseriarum. Longe excellentius est solatium Beatorum, quod non tantùm finem miseriis imponit, sed insuper initium & continuationem dat omnibus deliciis.

2. Quale fuit viduæ in Naim, cum restitutus ei filius redivivus: vel Archisynagogi, cùm filia. Quantum esse putamus naufragi solatium, cum depressa navi, non solum vitam propriam enatando servavit, sed etiam recuperat ex eodem periculo uxorem & liberos ac denique merces suas! Dicant experti: dicat Tobias, cum reducem excepit filium, Tob. 11. Dicat Eustachius, quando conjugem & liberos, quos dudum extinctos putabat, vivos & incolumes sibi restitutos vidit, apud Surium 20. Sept. Dicant, quibus post sentētiam mortis vita donatur, quantum sit solatium, recuperare chara pignora, vitamque jam depositam. Quidquid hic amarunt & charum habuerunt, ibi magno cum fœnore recipient Beati; quod erat etiam solatium 7. Machabeorum, cùm membris truncarentur vitaque spoliarentur. Denique restituentur eis vires animæ, & in resurrectione, corporis, de qua re B. Prosper lib. 1. de vita contempl. c. 4. sic scribit. *Humanæ substanti ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ omnia bo na, quæ naturaliter accepta peccato corruperat, repa rabuntur in melius, id est, intellectus sine errore, me moria sine oblivione cogitatio sine pervagatione: cha ritas sine simulatione sensus sine offensione: incolum tas sine debilitate: salus sine dolore: vita sine morte: fa cilitas sine impedimento: saturitas sine fastidio & to ta sanitas sine morbo: quoniam quidem quicquid h corporibus humanis vitiandis aut ferarū morsus ad emerit, aut improvisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diversa discerpserint, aut hu mana crudelitas amputaverit, aut si ignis, vel quali*

bet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipſa ſenectus etiam ſanis oneroſa negaverit, hæc & his ſimilia corporum damna una ibi reſurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus inſtaurata, incorruptibilis ſanitas obtinebit.

3. Quale habuit Abraham, quando ablata ipſi conjuge à Pharaone, interim bene habitus fuit & beneficiis delinitus, donec inviolatam reciperet uxorem. Gen. 12. Spoliantur quidem ad tempus Beati charis ſuis conjugibus, corporibus videlicet. Verùm interim non dolent, ſed conſolatione demulcentur ſub certiſſima ſpe, quod in reſurrectione ea recepturi ſint, non modò inviolata, verùm etiam puriora longeque nitidiora, quam proinde reſurrectionem Syri appellant *Conſolationem.*

III. *Poſſidebunt terram.* Sed qualem terram? 1. *Terram viventium*, (cùm hæc noſtra ſit morientium potiùs) de qua dicitur Pſalm. 26. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.* Et Pſalm. 141. *Portio mea in terra viventium.* Ea verò non eſt qualis noſtra, craſſa & opaca; ſed ſubtilis, lucida & ſupra paradiſum omnibus deliciis, etiam quę in ſenſus incurrunt & corpora recreant, alioquin corpora Beatorum, quæ hic tanta exantlarunt, carerent ibi promeritis ſuis oblectamentis. Itaque decor & ornatus terræ noſtræ quantus eſt, non niſi umbra quædam & rudis delineatio eſt illius terræ viventium. Quemadmodum ergo in nuptiis domini, etiam ſervi illius ſuas habeant delicias & gaudia: ſic in beatitudine non ſolæ deliciantur animæ, ſed etiam corpora ſuis fruuntur voluptatibus, non carnalibus & terreſtribus, quales in terra morientium ſunt: ſed cœleſtibus & ſibi proportionatis, uti ſentiunt S. Anſelmus l. de ſimilit. c. 57. S. Laurent. Juſtin. de diſcipl. monaſt. converſ. cap. 23. S. Auguſtinus l. Medit. c. 25. & 26.

2. Terram ſeu territorium vaſtiſſimum, quale eſt totus terrarum orbis, poſſidebunt (ut ſi Hebræis terra ſancta, in ſortes diſtribuatur eis cœlum) ſinguli velut Domini, ita videlicet ut nullus vaſtiorem poſſeſſionem deſiderare queat. Si enim minima in Firmamento ſtella aliquoties major terra eſt, quanta erunt ſpatia in cœlo empyreo? Audiamus Auguſtinum in Pſal. 73. *Poſſident Ieruſalem cœleſtem, ait, ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diverſitate & diviſione limitum; omnes habent eam, & ſinguli habent totam; non anguſtat frater fratrem.* Miſeri mortales hic pro uno agello dimicant, & Achab Rex ditiſſimus propter unam vineam ſibi denegatam inſanire & lamentari cœpit, 3. Regum 21. Cur pro terra illa non pugnant, quæ tam amplum ſingulis dabit latifundium, ut nequeant plus optare?

3. Terram ſeu habitaculum ſtabile & immotum, qualis ſola terra eſt inter elementa, Norunt enim Beati ſuam beatitudinem non poſſeſſionē perfectam adeoque inamiſſibilem. Quæ ſanè notitia ineffabile eis gaudium parit: ſicut econtrà in hoc mundo quidquid jucundum eſt, mœrore mox confunditur, dum breve & fluxum eſſe cogitatur. Nullus hac in terra locus eſt tam munitus, qui non expugnari queat. Jebuſæi arcem Sion inexpugnabilem eſſe rati, ad ejus defenſionem cœcos tātùm & claudos, aut alioquin mutilos impoſuerunt, in contemptum Regis David, dictitantes eos ad arcendum hoſtem ſufficere, freti munitionum firmitate, ut ſcribit Joſephus lib. 7. Antiq. c. 2. & tangitur, 2. Reg. 5. Tyrii quoq; ſuam urbem in mari ſitam invincibilem jactabant; unde in ejus turribus pygmæos collocarunt, ut habetur Ezech 27. quo nimirùm hoſtes irriderent, ut ibi vult Liranus. Verum & arx Sion à Davide, & Tyrus à Nabuchodonoſore primum, deinde ab Alexandro M. occupata & vaſtata eſt. Sola Beatorum tellus eſt, quam vel cœci & claudi adeoque tripalmares pygmæi propugnare poſſent. Quantam hoc Beatis pariet lætitiam? quātum inſultare poterunt omnibus inferorum portis & Dæmonibus?

IV. *Saturabuntur.* Qua ratione? 1. tali, ut quidquid eorum appetitus ſeu rationalis ſeu ſenſitivus deſiderare poteſt, habituri ſint. Ita enim Apoc. 2. dicitur: *Vincenti dabo manna abſconditum*: in cœlo videlicet æternam fœlicitatem, ut exponit Richardus de S. Victore. Quemadmodū ergo manna omnium ciborum, quoſcumq; deſideraſſes, habuit ſapores, cōtinens *omne delectamentum & omnis ſaporis ſuavitatem; & deſerviens uniuſcujuſq; voluptati*, ut dicitur Sap. 16. ita Deus in cœlo erit Beatis omnibus omnia, quidquid tandem deſiderent. Audiamus de hoc S. Anſelmum in proſologio c. 25. In cœlo *qui hoc bono fruetur, quid illi erit? & quid illi non erit? certe quidquid volet, erit: & quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt. Quid enim amas caro mea? quid deſideras anima mea? Ibi eſt ibi eſt quidquid amatis, quidquid deſideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt juſti ſicut Sol: ſi velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obſiſtere poſſit; erunt ſimiles Angelis Dei quia ſeminatur corpus animale & ſurget corpus ſpirituale, poteſtate utique, non natura. Si longa & ſalubris vita; ibi ſana eſt æternitas & æterna ſanitas: quia juſti in perpetuum vivent, & ſalus juſtorum à Domino. Si ſatietas, ſatiabuntur, cùm apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt ſine fine Deo. Si quælibet non immunda, ſed munda voluptas; torrente voluptatis tuæ potabis eos, Deus. Si ſapientia, ipſa Dei ſapientia oſtendit eis ſeipſam. Si amicitia, diligent Deum pluſquam ſeipſos, & invicem tanquam ſeipſos & Deus illos, pluſquam illi ſeipſos quia illi illum, & ſe, & invicem per illum, & ille ſe & illos per ſeipſum. Si concordia, omnibus illis erit una voluntas: quia nulla illis erit, niſi ſola Dei voluntas. Si poteſtas, omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut Deus*

IV. *Saturabuntur.* 1.

sua: nam sicut poterit Deus, quod volet per seipsum: ita poterunt illi quod volunt per illum: quia sicut illi non aliud volent, quàm, quod ille: ita ille volet, quidquid illi volent: & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & divitiæ, Deus servos suos bonos & fideles suprà multa constituet: imò filii Dei & Dii vocabuntur, & ubi erit filius ejus, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas, certè ita certi erunt, nunquam & nullatenus ista, vel potiùs istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte, illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentiùs invitos Deum & illos separaturum. Gaudium verò quale & quantum est, ubi tale aut tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imò obrutum ærumnis quantum gauderes si his omnibus abundares? Hæc Anselmus.

2. 1. Ita ut nemo illorum plus gloriæ petat aut expetere possit, sed omnes ac singuli sua fœlicitate contenti sint & saturi: in quo stat perfecta beatitudo. Non reperitur hæc in terris, tametsi totum quis orbem terrarum, & quidquid in eo est, possideret; quinimo quo plura possidemus, eo plura appetimus. Fuit quidam in aula Alphonsi Aragonum Regis, cum à Quæstore Regi deferrentur aureorum decem millia, fortè præsens, ac dicebat: ea dumtaxat summa se divitem ac beatum fore. Cui Rex: *Accipe, quantacumque ea est, & beatus esto.* Panormitanus lib. 4. rerum ejus gest. capite 2. Stultitiam illius notare voluit Rex, cùm pecunia præsertim tantilla minimè reddere beatum queat. E contra Gelon Syracusius, cùm Carthaginem subjugasset & Siciliæ regnum sibi tributarium fecisset, necdum tamen se saturum esse sentiens, sibi ipsi indignatus, nudus in plateas exiliens, regno se opibusque omnibus, quæ nunquam satiant, renuntiare dixit. Ælianus l. 6. var. hist. c. 11. Non ita erit in cœlo, sed *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, inquit David Psal. 16.

3. 3. Ita ut satietas non pariat fastidium. Manna tradunt Hebræi apud Genebr. in Ps. 77. fuisse talem cibum, qui in ipsis membris (nedum in stomacho) digerebatur; unde non onerabat stomachum gravedine, nec caput fumis; non creabat excrementa, eratq; facilis digestionis. Qua in re iterum typus fuit cibi justorum in cœlo, qui ita eos satiat, ut minimè gravet nec tædium exsuscitet. Nihil est sub Luna, quod non tandem fastidium generet, nec ipsæ quidem voluptates. Grata semper est novitas, licet nihil sub Sole novum, & quod nunc est, non fuerit prius. Sola beatitudo semper eadem, simul tamen absq; tædio semper veluti nova est, ut edentes adhuc esuriant & bibentes adhuc sitiant. Rationem dat S. Aug. in ser. de Verb. Apost. *quia quantumcumque sibi mens humana exaggeravit bonū, quod Deus est, minus agit, & valde infra est. Et necesse est, plus inveniat adeptio, quam format cogitatio.* Non ita fit in aliis rebus, quæ absentes desiderantur, acquisitæ fastidiuntur, quia v. g. mulier non talis apparet ducta, qualis apparuit ducenda.

4. Ita satiabuntur, ut singuli mercede sua contenti sint futuri; *Sicut enim corporalis saturitas*, ait D. Prosper l. 1. de vita contempl. c. 4. *omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter sed pro possibilitate perceperint: ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati saturi sunt.*

V. *Deum videbunt.* Sed quid ex hac visione acquirent? 1. omnem beatitudinem. Nam ut docet S. Aug. l. 8. de Civ. c. 8. Deum videre non est sicut amicum videre quem cùm vides divitem, sanum, honoratum, potentem, formosum, tu non propterea efficeris dives, sanus, ex paupere, infirmo &c. sicut ipse est. Sed visio Dei similis est visioni lucis, quæ cùm aspicitur, oculo communicat suas virtutes, claritatem, calorem, amœnitatem. Beati ergo Deum videntes cuncta desiderabilia, quæ in ipso sunt, etiam ad se trahunt & derivant: ejus sapientiam opes ac delicias, gloriam, incorruptionem & æternitatem. Unde bene Philippus dixit: *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Joan. 14.

2. Ex Dei visione rerum omnium cogitationem ac visionem. *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Greg. l. 4. Dial. c. 33. Cui addamus B. Prosperum, qui loco paulo ante citato ait: *Ibi* (in cœlo) *ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit & tam perfecta mundicia, ut habeant unde mūdatori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant: quia nec ulla peccata ibi nec peccatores erunt, & qui ibi fuerunt, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit.*

VI. *Filii Dei vocabuntur.* Qua verò ratione? 1. quia erunt Deo quam simillimi velut adoptivi filii, qui cùm naturales filii non sint, pro filiis tamen habentur, penè naturam filiorum imitantes. Filius naturalis trahit à patre similitudinem ejus per naturam: filius adoptivus trahit ad se patris similitudinem per gratiam. Jam sicut Luna & stellæ lucem suam mutuant à Sole, sic filii adoptivi accipiunt filiationis Dei nomen & dignitatem à Christo filio Dei naturali. Et sicut Luna, illuminata à Sole, videtur esse quidam Sol nocturnus; & stellæ parvuli quidam Soles: ita filii adoptivi sunt quasi alter Dei naturalis filius, cui participatione sunt simillimi. Sic ferrum ignitum, totum videtur transiisse in ignem, licet adhuc ferri naturam retineat. Incomparabilis est ista Beatorum gloria & merces nimis copiosa, cui plane nihil posse superaddi videtur. Quo enim altius possunt ascendere, nisi fiant & ipsi filii Dei naturales quod impossibile est? pro magno olim habitum

tum fuit adoptari ab Imperatore & ad nominis cõmunionem assumi. Maxima Josephi dignitas fuit, appellari *Salvatorem* & secundum Regis currum ascendere. Gen 41. maxima Amanis gloria, *secundum à Rege* appellari, Esth.10.& 15. & *Patrem Regis*, c.16. David etiam capere non poterat, quod ipse gener Regis fieri deberet, 1.Reg.18. At hæc omnia exigua. Imo nihil sunt, comparata cum dignitate & appellatione *filiorum Dei* immortalis, Regum omnium Domini. Placuit sibi, vanissimè licet, Alexander M. in ficta appellatione, quâ Jovis filius dici amabat & volebat: quasi ea appellatio plus valeret, quam totum ejus imperium. Quid erit Beatis, quæ gloria, quis honor, appellari in cœlo filios Dei?

2. Quia erunt Deo charissimi, sicut filii Patri Et hujus præmii magnitudinem quis comprehendere queat? Si enim filii charissimi, ergo & hæredes bonorum paternorum; ergo & commensales, Patri semper proximè adhærentes: ergo summa agendi libertate præditi: ergo summo decore & gloria adornati: ergo omnibus gaudiis, deliciis, bonis, voluptatibus affluentes & circumfluentes. Hæc omnia consequentur filios Regis charissimos, Unde meritò Joannes dixit: *Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* 1.Joan.3. Nos quidem hic promissione: Beati verò etiam possessione.

VII. *Ipsorum est regnum cœlorum.* Quid regnum hoc importat? 1. summam potestatem dominandi in cœlo & universo mundo, agendi quidquid lubet; quod aliis quidem filiis sub patria potestate constitutis non ita licet. Dominabuntur ergo non uni Hispaniæ, non uni Asiæ aut toti terræ; sed universo orbi, cœlo, terræ, elementis, inferis, Dæmonibus; quia quidquid ipsi fieri volent, hoc approbabit Deus.

2. Summos honores, quos accipient non à plebe aut quibuscunque, sed à SS. Trinitate, & imprimis à Christo Domino, sub cujus vexillo militarũt, cum quo in tentationibus permanserunt, cujus calicem biberunt; deinde à SS. Angelis, qui ipsorum egregia facta collaudabunt ac prædicabunt; nec non à Beatis aliis, præsertim iis, quos vel singulariter imitati sunt vel coluerunt, vel ad consequendam beatitudinem quomodocumque promoverunt.

3. Summam bonorum omnium & regalium deliciarum abundantiam. Quid enim Samuel ad Saulem jam Regem à Deo designatum? *Et cujus erunt optima quæque in Israel? nonne tibi?* inquit 1. Reg.9. quasi Regibus debeantur omnes regni deliciæ & selectissima quæque, sive ad victum & vestitum, sive ad pompam & voluptatem spectent. Et si hæc Regibus terrenis, quid enim regnantibus in cœlo? Hæc igitur sunt poma, hæ deliciæ Italiæ illius cœlestis, hæc merces militantium Christo. Inspiciat hæc qui vult, & videat an alibi talem mercedem, tales delicias militando, vel serviendo cuicumque tandem Regi, comparare sibi possit. Pergite igitur vos, quicumque Christo militare cœpistis: gaudete & exultate, etiam occumbentes, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

THEMA III.

Quales cœli cives.

I. *Omnes sapientissimi.*
II. *Omnes amici sunt sincerissimi.*
III. *Omnes nobilissimi.*
IV. *Omnes speciosissimi.*
V. *Omnes benemorati & aulici.*
VI. *Omnes ditissimi.*
VII. *Omnes jucundissimi & lætissimi.*

Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth.5.

NOn parum offensus fuit Deus; cùm Hebræi jam educti ex Ægypto & in medio itineris, ad terram sibi promissam melle & lacte manantem instituti, fastidio languere & regredi in Ægyptum voluerunt, spreta dulcissima illa patria. Iratus enim Dominus: *Usquequo, ait, detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam.* Num.14. Neque introduxit quenquam illorum in Palæstinam, præter Josuen & Caleb, qui restiterunt populo. Similiter etiam displicuit Deo, quod captivi in Babylone assueverint Chaldæis, ita ut reverti in patriam non curarent. Unde toties eos monuit per Prophetas, & gladium Persarum eis minatus est, uti Isa.48. *Egredimini de Babylone, fugite Chaldæos.* Et Jerem.51. *Egredimini de medio ejus* (Babylonis) *populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.* Scimus patriam nostram in cœlo nobis promissam, & concives nostros ibi jam degentes: nos à Dæmonis servitute ereptos, cœptoque in itinere constitutos, non habere hic manentem civitatem; quam ergo displicebit Deo, si ad beatam illam patriam & concives nostros non aspiremus, sed hic inter Ægyptios & Chaldæos potiùs vivere appetamus! Videmur sanè nescire qualis illa patria, quales cives sint. O si hoc sciremus! Quam sorderet nobis terra ista? quam illuc festinaremus? Quare ut hoc desiderium in nobis accendatur, consideremus cives illos.

Si esset aliqua civitas, in qua omnes cives essent sapientissimi, fratres amantissimi, nobilissimi, speciosissimi, aulici seu comes, ditissimi, jucundissimi: quis non appeteret esse illorum concivis? At tales sunt cœli cives omnes & singuli. I. *Omnes sapientissimi*

I. Cives cœli omnes sunt intelligentissimi. Nam 1. omnes se invicem norunt & intelligunt; quasi semper intimi amici fuissent. Colligitur ex eo, quòd aliqui illorum adhuc in terris positi se in- 1. *Se invicè norunt.*

vicem noverunt prius non visos, uti Sa. Antonius & Paulus Eremita, S. Dominicus & Franciscus, qui se mutuo salutantes agnoverunt, & suis nominibus appellarunt, licet prius sibi ignoti. Si ergo hoc in terra quibusdam concessum fuit, non concedetur in cœlis? Jam vero cum quis peregrinam civitatem ingreditur, quoties notum aliquem amicum offendit, toties novo gaudio perfunditur. Quid erit tot millibus Sanctorum, toties desideratorum, occurrere in cœlo? Quid notis parentibus & amicis?

2. 2. Omnes sunt sapientes & eruditi, plusquam Adam aut Salomon. Jam si Regina Saba tanto itinere venit ad Salomonem, ut ejus sapientiam perciperet: si Philosophi ad S. Antonium, licet illiteratum, audiendum in solitudinem excurrerunt: si jucundum versari cum sapientibus, quid erit cum tot tantisque? Sanè Cercidas civis Megapolitanus ex Arcadia dixit se libenter mori, quòd inventurum se speraret Pythagoram Philosophum, Hecatæum historicum, Olympum Musicum, Homerum Poetam; apud Ælian. lib. 13. var. hist. cap. 10. Similiter & Socrates mori optabat, ut cum talibus viris conversari posset. Nos non aspirabimus ut videamus Christum, Apostolos, Martyres, Confessores &c. qui illis terræ filiis tanto sapientiores sunt, quantum à terra cælum distat?

Hic in mundo plerique sunt rudes, quibuscum fastidiosum esse agere: quorũ vel unus molestus est sapientum consessui; non omnes novimus, nec omniũ linguas intelligimus. At ibi omnes doctissimi & sapientissimi: *quoniam ipsi Deum videbunt. Quid autem non vident*, ait, Sanctus Gregorius, *qui videntem omnia vident?*

II. *Omnes amici sunt syncerissimi.* II. Omnes sunt amici syncerissimi. Themistocles Atheniensium Dux prædium venditurus, ex hoc potissimum id commendari à præcone jussit, quod haberet bonos vicinos. Stob. s. 35. indicans hoc eximium esse bonum inter cives. In cœlo omnes vicini sunt optimi, omnes amicissimi;

1. *Sine ullo adversario.* 1. Sine ullo adversario; quale fuit regnum Iudææ sub Salomone Rege pacifico dicente: *Nunc non est Satan neque occursus malus.* 3. Reg. 5. *Et sedit unusquisque sub vite sua & sub ficu sua*, 3. Reg. 4. In terra hic multi Satanæ & Iudæ sunt, qui perturbant vicinos & concives, sicut una fistula in organo dissona totum cantum. Nullus ibi Satan; nullus Iudas sedebit inter Christi discipulos & amicos. *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur*; ergo omnes fratres erunt, quia tales amat Deus. Romæ in una domo habitabant sexdecim Ælii, omnes de eadem familia, summa animi concordia, quibus erat unicus fundus, è quo vivebant, paucioribus servis indigens, quàm ceteri heri quibus proinde ob hanc animorum unionem publica domus in Circo Flaminio maximo, ad spectacula visenda aptissima à Senatu Romano donata est, Valer. l. 4. c. 4. In cælo omnes erunt tales *Ælii*, id est, *Soles*, unius voluntatis & animi, & quidem constanter; nimia familiaritas non pariet odium, uti Davidi contigit, qui priùs Sauli dilectissimus, post factus est exosissimus, primo Regum decimo sexto.

2. Sine omni invidia & æmulatione. *Foris enim canes*, clamat Joannes Apoc. ult. Fistulæ in organo omnes bene consonant; licet una minor, altera major; proinde hæc plus venti, illa minus habeat, quia plus minor non requirit; ita cœli cives omnes & singuli sua sorte contenti sunt. Non ita fit in terra, ubi cum quis bono aliquo reliquos superat, mox à tergo habet æmulos, & patitur prædones.

III. Omnes sunt nobilissimi, 1. quia filii Dei & Reges: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ideò vincenti promittitur *corona vitæ* Apoc. 2. Ideo 24. illi Seniores coronati ajunt: *Regnabimus super terram*: scilicet viventium. Constantius Imp, Romam primo ingrediens, visa Romanorum majestate, dicebat, *videri sibi omnes cives esse Reges, & domus palatia.* In cœlo Beati verissimè *singuli erunt perfecti Reges*, ait Sanctus Anselmus epistola secunda ad Hugonem, *quia quod singuli volent, hoc erit, & omnes simul cum DEO unus Rex*, *&c.* Nulli tales Reges in mundo; nam qui revera ad regni gubernacula sedent, non omnia quæ volunt impetrant: plerique miseriis subjecti sunt ac gravibus pressi sarcinis.

2. Quia in majestate omnes Si enim Moyses & Elias nondum glorificati, *visi* sunt *in majestate* supra montem Thabor, cùm ad gloriæ Regem convenerunt, quis dubitare potest cives cœli omnes in majestate plusquam regia apparituros? Hic in terra plerique male vestiti, male habitant & comedunt; quia non in patria, sed in exilio sumus.

IV. Omnes speciosissimi. Primo quia gloria corporis & animæ decorati. *Erunt* enim *sicut Angeli Dei*, ait Dominus Matth. 22. Angelus quidam architectum Carthusiæ Erfordiensis præcedens in dimensione ædificii struendi, ita eum rapuit sua pulchritudine, ut is oculum capitis sui perdere vellet, si rursum eum videre posset. Serar. in rebus Mogunt. Vidua quædam venerabilis multis precibus à Sancta Lydvvina virgine Scheidamensi postulabat ut sibi Angelum ejus videndi copiam impetraret. Annuit virgo & monuit ut secum, clauso ostio in precibus persisteret. Et en adest Angelus incredibili pulchritudine, ut ejus conspectu vidua plane absorpta, & oculis splendorem mirificum, & naribus odorem & gustu saporem mellifluum perciperet. Ut in ejus vita 14. Jan. Tales erunt cœli cives. Omnis mundi splendor evanescit coram cœlesti, uti stellæ coram Sole.

2. Ab omni labe puri erunt. Homines in terris sordent pene omnes; hic fœtore halitus, vel ulceris; ille ex sordido opificio, uti ex corio, furno, ferro, limo, macello. alius ex senio, alii ex paupertie &c. Ibi omnes *sine macula sunt ante thronum Dei.* Certè S. Hanno Colon. Episcopus à consessu beatorum exclusus ad tempus fuit, propter unicam maculam, quam

quam in pectore habebat; quemadmodum & Sanct. Adalricus Episcopus Augustanus, ut in eorum gestis.

V. Omnes sunt aulici, optimis moribus imbuti. 1. Supra modum comes & humani, ita ut alter alterum honoret, sibique præferre conetur. Patet ex Sancto Paulo & Antonio, qui inter se honore certabant, uter eorum panem à corvo delatum frangeret. Ex S. Laurentio mart. qui S. Stephano in sepulchrum suum illato, removēdo se ad sinistram, dextram cessit. Ex Sanct. Petro, qui Moysi & Eliæ tabernaculum vult ædificare, de se nil solicitus. Ex duobus Episcopis, qui in eodem sepulchro positi recessere ad latera utrimque & medium locum dedere Sancti Joanni Episcopo Eleemosynario, 3. Febr. Lipel.

2. Conversatio & colloquia erunt tantùm de rebus ingenuis & magnis, quemadmodum & Regum colloquia sunt de rebus regiis. *Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur,* ait S. Joa Baptista. Cœli cives de cœlestibus loquuntur. Nos sicut de rusticanis rebus, agris, bobus, porcis, frugibus: illi de Deo & divinis rebus agunt, velut aulæ cœlestis incolæ.

VI. Omnes sunt ditissimi. Radbodus Frisiæ Dux gentilis, ad baptismum jam paratus, quæsivit à S. Wulfranno, ubinam esset major numerus Principum & nobilium gentis Frisoniæ in cœlone an in inferno? Cumque audisset in inferno, propter eorum infidelitatem; retraxit pedem dicens, malle se esse in inferno cum Principibus suis Frisonibus, quàm cum exiguo pauperum numero in cælo: apud Jonam Fontanellen. in Lipel. 20. Martii. Sed ô miserum te Radbodum & cœcū! nonne audimus hodierno in Evangelio, *quoniam ipsi possidebunt terram* utique viventium? si regnabunt in cœlo, si possidebunt cœlum, quomodo erunt pauperes? qui Deum ipsum possident, qua re indigebunt? *Hic quod est aurum, non potest esse argentum, quod est vinum non potest esse panis, ibi Deus tuus totum tibi erit: manducabis eum ne esurias, bibes eum ne sitias, illuminaberis ab eo ne sis cœcus, fulcieris ab eo ne deficias &c.* ait Augustinus in Psalm. 36. Unde Apocalyps. 2. *vincenti* promittitur *manna absconditum.* Id autem omnium saporum & ciborum dulcedinem continebat. Hic in mundo omnes sunt pauperes, quia plerisque rebus carent & egent, nec unquam satis habent; semper plus desiderant. In cælo omnes saturabuntur.

2. Ditissimi erunt operibus bonis & factis heroicis, quibuscum apparent in cœlo semper, velut in aula Regis præclari belli Duces, qui plurimas obtinuere victorias, servarunt cives, eliminarunt hostes, ditarunt patriam, defenderunt Regem, è variis denique ludis coronas reportarunt. Si Babo ille comes Abenspergensis cum 32. filiis scitè ornatis & optime educatis, Henrico secundo Imperat. ad obsequia oblatis, gratum valde Imperatori spectaculum & simul munus exhibuit, teste Avent. lib. 5. Annal, Bojor. quanto magis sancti Deo placebunt, cùm ei filios suos spirituales, quos ipsi genuerunt; cùm alia præclara opera, ad ejus honorem patrata, coram eo producent? Et hæc sunt illorum maximæ divitiæ, respectu quarum opes mundanæ omnes mera sunt inopia.

VII. Omnes denique jucundi, hilares, gaudiis affluentes *quoniam ipsi consolabuntur & saturabuntur.* Si enim Sanctus Franciscus adhuc in terra degens responso cœlitus audito, se unum ex cœli civibus fore, ita per octo dies integros exultavit, & gaudiis perfusus incessanter exclamavit; *Benedictus Deus*; interim cibi & potus ac sui ipsius oblitus: quid erit ipsa gaudiorum cœlestium fruitio? Adhæc communicabunt sibi invicem bona & gaudia sua, & gaudebunt de alienis æquè ac de suis tanquam fratres; quo modo 7. filii Job faciebant convivium per domos, unusquisque in die sua & vocabant fratres & tres sorores suas, ita ut mensa ipsis communis esset. Job. 1. Hunc enim in modum quæ quisque beatus habet bona vel gaudia propria, ea communicat & aliis. Sic augentur in immensum gaudia eorum; quemadmodum aquæ in balneo, quo plures in eam descenderint. Quid esset si singuli cives quotidie convivæ essent modo apud hunc, modo apud illum Principem? At hoc in cœlo erit, in terra non est.

VII. Omnes jucundissimi & lætissimi.

1. Obgaudia communia.

2. Gaudium hoc illis perenne ac perpetuum erit. Qualiacumque in mundo gaudia sint ea fluxa & momentanea sunt, ideoque vana & futilia. Hinc Ægypti in conviviis cadaver hominis proponebant aut cranium, ut ea in morte saltem finienda cogitarent. In tertiis nuptiis Alexandri Scotorum Regis, dum choreæ ducerentur, visa est ad finem choreæ mors saltādo agmen claudere, ea specie ossēa & horrida, qua pingi solet, designans Regem eo anno moriturum, uti factum, auct. Hect. Boetio in Scot. Annal. Hæc nimirum est clausula omnium mundi gaudiorum, nuptiarum, chorearum, ludorum, conviviorum, spectaculorum, venationum &c. At ibi Deus *præcipitabit mortem in sempiternum.* Isa. 25.

2. Obgaudia perennia.

Quando igitur videmus, quando beatiores sint cœli cives civibus terrenis, superest ut spreta hac civitate ad cœlestem aspiremus. Hebræi sedentes in captivitate inter Babylonios cantare jussi plorabant, suspensis organis suis ad salices, quod extra patriam & cives suos inter hostes exularent, uti queruntur Psalm. 137. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ita & nos in terra nunquam in lætitiam effundi deberemus, ob desiderium patriæ nostræ & civium cœlestium. Unde Paulus ad Philipp 3. deflet eos, *qui terrena sapiunt,* additque: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Græc. *πολίτευμα* quod Tertull. l. de Cor. milit. vertit *municipatus noster in cœlis est.* Idem nos Christiani cogitemus ideoq; mundi civibus spretis, ad cœlestes aspiremus. Dina rapta à Sichem & inter Sichimitas

vi detenta; licet blanditiis delineretur, semper tamen
tristis erat & ad domum patris suspirabat, Genes, 34.
Sic nos si cives cœli & Dei filii sumus, non delecte-
mur mundi blanditiis, nec cum mundo gaudeamus,
sed ad cœlestem patriam nostram continuò suspire-
mus: sic nos cœli cives ostendemus.

THEMA IV.

Octo beatitudines totidem signa prædestinationis.

1. *Contemptus mundi.*
2. *Æquanimis injuriarum tolerantia.*
3. *Desiderium cœlestis patriæ.*
4. *Esuries verbi Dei.*
5. *Misericordia.*
6. *Cordis munditiES.*
7. *Pacis amor & studium conciliandæ.*
8. *Hilaris persecutio patientia.*

Aperiens os suum docebat eos. Matt. 5.

NEscio Audit an hodierna festivitas potius gau-
dendi, an verò lugendi causam nobis afferat.
Lætitiæ causam afferre videtur, quia Beatorum
omnium gloriam nobis proponit, & ad eam conse-
quendam spem nostram erigit. Vicissim tamen tri-
stitiam nobis ingerit, dum nos adhuc suspensos te-
net & incertos, an ad eam perventuri simus. *Si enim
vocati sumus, scimus: si electi sumus, nescimus*, ait S.
Greg. ho. 38. in Evang. Fuit quidem è S. Domin. fa-
milia non ita pridem beatus vir, Aloys. Bertrandus,
qui assiduè plorabat; causamque rogatus ajebat:
*Cur non amarissimè fleam, cùm non certò sciam, an æ-
ternæ salutis compos sim futurus?* Ut in ejus vita c. 4.
refert Justinianus. Atqui nonne omnes nos de hoc
ipso incerti sumus? Cur igitur cum ipso non pariter
fleamus? Verùm consolatur nos in hodierno Evan-
gelio S. Iv. noster, qui ex bona parte librum vitæ no-
bis aperit & ex eo signa aliquot, quamquam non in-
fallibilia prorsus, satis tamen certa monstrat; unde
colligi queat, an & qui de electis sint. Id quod meo
judicio indicat Matthæus, cùm de eo ita scribit:
Aperiens os suum docebat eos. Aperuit enim nobis
octo hominum genera, quos beatos enunciat, quia
suæ electionis magna dant indicia, ut ostendit do-
ctissimus quidam Theologus, Andr. Vegas in l. de
Justific. c. 11. & seq. Ea siquidem continent præstan-
tissimas cœloque dignas virtutes: ideoque à Christo
Beati pronunciantur, qui illis sunt præditi. Quos
nunc videbimus.

I. *Contemptus mundi.* I. *Beati pauperes spiritu.* Per hos intelliguntur
primò contemptores opum & sæcularium bonorũ,
quibus promittitur regnum cœlorum, adeoque ad
illud certa spes datur; quia, ut ait S. Ambrosius in il-
lum locum l. 5. in Luc. c. 6. *qui contempserit sæcula-
ria, ipse merebitur sempiterna.* Ostendit enim se ad
majora natum, ad vera nimirum & solida æternaq;
bona, qui fluxa hæc & inania spernit: sicut Moyses
infans à filia Pharaonis nutrici datus, respuit lac
Gentilium fœminarum; Hebrææ lac admisit, Jose-
pho teste l. 2. Antiq. cap. 5. ostendens se de Hebræis,
non de Gentilibus esse. Idem diadema Pharaonis si-
bi impositum delabi passus, pedibus calcavit; unde
conjectavit mox ariolus, hostem Ægyptiorum fo-
re, ut ibidem refert Josephus. Nobiles & excelsi ani-
mi vilia aversantur, quia ad magna se natos indicant.
Cùm S. Bernhardus una cum fratribus suis ad mo-
nasterium pergeret, solo Nivardo natu minimo do-
mi relicto; Guido primogenitus ei dixit; *Eja frater
Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis
nostra.* Ad quod puer non pueriliter motus: *Vobis
ergo*, inquit, *cœlum & mihi terra? Non ex æquo divi-
sio hæc facta est.* Ita Guilielmus Abb. in vita S. Bern.
l. 1. c. 3. En puer mox cognovit, cœlum fratres pete-
re, qui terram sibi relinquerent. Hoc Agunt, qui ter-
renas opes spernunt, & mundi sectatoribus cedunt:
cœlum ergò petunt, B. Petrus Damiani Episcopus &
Cardinalis creatus, cùm vix multis lachrymis obti-
nuisset à Papa, ut dimissa ea dignitate ad monaste-
rium se conferre posset, scribit ad Nicol. II. Pp. *Pleri-
que Pontificatus jura non deserunt, & de sinistris sunt:
quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, cer-
ta spes est, eos de æterna cum Christo societate gau-
dere.*

2. Humelis, ex multorum PP. sententia. Et ju-
re, quia conjuncti sunt pauperes & humiles. Isti
etiam dum contemnunt & fugiunt honores hujus
sæculi, dignos se honoribus cœli faciunt ac demon-
strant. Ita S. Greg. 34. mor. c. 21. *Quia redemptor noster
corda regit humilium & Leviathan rex dicitur su-
perborum, apertè cognoscimus, quod evidentissimum
reproborum signum est superbia, & contrà humilitas
electorum.* Justinus Thrax in aula Anastasii Imper.
versatus, cùm sequens Imperatorem casu ejus palu-
damentum calcasset, eo animadverso collegit &
prædixit ei Anastasius fore eum successorem suum
in imperio, uti factum, (refert Caussinus in Polit.
Christiano) non minus omen est fore Regem cœli,
qui calcat fastum terrenum per humilitatem. Sic ex-
plicat Hugo Card. & alii id Deut. 11. *omnis locus,
quem calcaverit pes vester; vester erit.*

II. *Beati mites*, qui nimirum aliorum iras &
injurias non solùm æquanimiter, sed & cum dulce-
dine & amœnitate ferunt. Hi etiam ostendunt se
de electis esse, ut docet S. Bonaventura lib. de profe-
ctu religiosi, non esse scilicet evidentius prædestina-
tionis signum, quodque magis Deo assimilet homi-
nem, quàm mansuetudo. Saul Rex quando intelle-
xit (1. Reg. 24.) non solùm vitam sibi ab hoste suo
capitali donatam in spelunca, sed insuper se defen-
sum fuisse contra insidiatores, ne ab ipsis occidere-
tur, mox inde collegit eum post se regnaturum

E

Et nunc, inquit, *quia scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel; jura mihi in Domino ne deleas semen meum.* Adhæc appellavit eum filium suum, quem priùs appellare filium Isai tantùm solebat: *nunquid vox hæc tua est fili mi David?* Pari conjectura deprehenduntur etiam mites futuri in cælo Reges, quia dixit Christus: *Beati mites, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et paulo post: *Diligite inimicos vestros &c. ut sitis filii patris vestri*, si filii & hæredes regni. Oravit etiam in cruce pro suis inimicis, eaque ratione confregit quasi ac continuit creaturas ad ultionem jam armatas cõtra impios Iudæos. Ex qua Christi mansuetudine videtur collegisse Centurio ipsum esse filium Dei. Filium ergo Dei se ostendit, qui inimicos diligit. Deus etiam super inimicos Solem suum oriri facit; adhæc imperturbabilis est: mites verò in his eum imitantur filii ergo sunt; quia non absimiles. Oves quoque sunt: (quid enim ove mitius?) ergo à dextris Judicis in judicio collocandi.

III *Beati qui lugent*; præsentis scilicet vitæ exilium, & aspirant ad patriam. Per hoc enim ostendunt se cives cœli esse. Qui extra patriam peregrinantur, desiderio tenentur redeundi in patriam suam, adeoque indicant se alterius terræ incolas esse: (quo modo Adad Idumæus licet in Ægypto à Rege bellissimè haberetur, institit tamen: *Dimitte me, ut vadam in terram meam.* 3 Reg. 11.) ita qui prædestinati sunt, cœlum tanquam patriam suam intuentur, terram velut exilium: & hoc ipso demonstrant se non hujus mundi sed cœli cives esse. Certè quando Hebræi in captivitate positi flentes sederunt, & suspenderunt in salicibus organa sua, jussique cantare: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*: responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Psalm. 136. satis superque demonstrarunt se non esse Babylonios, sed Hebræos. Hunc in modum qui in hac vita suspendunt & relinquunt salicibus, hoc est, infructuosis mundi amatoribus organa sua profana, lætitiam, choreas, ludos, compotationes &c. ostendunt se hic in exilio esse, in cælesti verò Jerosolyma patriam habere. Ferunt avem esse de paradiso nomen fortibam, omnium penè colorum, voce tam dulci ac pia, ut in hominibus devotionem excitet, quæ si fortè capta detineatur, incessanter gemit, donec dimittatur; ut refert ex l. de nat. ter. Robertus Holcot in libro Sapient libro 44. Electorum animæ tales aves sunt, quæ quia de paradiso cælesti sunt, detentæ in terra canere non possunt; sed continuo gemunt cum Davide: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et cum Apostolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

IV. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Sub justitiæ nomine intelligo etiam Verbum Dei, in quo docetur ac discitur omnis justitia. Esuries verbi Dei & auditio cum fructu & gustu signum est electorum ex sententia Sancti Gregorii 18. homil. & Sa. Bern. serm. 1. in septuag. Nec difficilè ostenditur ex illo Christi verbo: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioa. 8. Idem insinuat Deus Isa. c. 55. ubi ait: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Trahet enim secum pium auditorem ad cœlum; quod indicat Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. cùm ait: *Qui in verbis veritatis germanè & sincerè sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cœlum feruntur.* Accedit S Bernhard. serm. 1. in septuag. *Inter ea*, inquit, *quæ fiduciam præstant & materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui: Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Constat enim unumquemque libenter audire ea, quæ desiderat, verb. gratia res patriæ suæ: cœli ergo se civem prodit, qui cælestia cum gaudio, gustu & fructu audit.

Trip. Do- 2. post Pascha C. 6. F

V. *Misericordia.*

V. *Beati misericordes.* Habent isti à Deo nimis magnas promissiones de æterna retributione, & jure, tum quia misericordes paciscuntur quasi cum Deo; ut pro terrenis, quæ ipsius nomine dant pauperibus, recipiant æterna, sibi ab eo promissa: tum quia suis largitionibus & profusionibus in pauperes, ostendunt se terrena bona spernere, & habere animum ab illis alienum, nec nisi cælestia quærere. Quando Rahab illa Jericunthina fecit misericordiam cum exploratoribus Hebræorum, occultando eos in domo sua ac dimittendo per funiculum, ut effugere possent manus insidiatorum, vitamque tueri, adjuravit eos (nec immeritò) dicens: *Iurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum: ita vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, ut salvetis & eruatis animas nostras à morte*; quando scilicet civitatem istam occupaturi & eversuri estis. Jurarunt illi & dederunt hospitæ signum, ut funiculum illum coccineum, quo demissi ab ea fuerant, appenderet fenestræ, per quam demiserat eos. Jos. 2. Fecit illa ut jussa erat, & statim (ut vult Liranus) funiculum illum ligavit ad fenestram indicatam, (ut viderent illum, & quia de adventu eorum incerta erat) pendulumque reliquit; itaque sola ejus domus incolumis permãsit in eversione Jericho, edicente Josue; *Sola Rahab meretrix vivat* Jos. 6. Non putamus facturum Christum misericordibus, quod fecit misericordi mulieri Josue, Christi typus re & nomine? Ergo qui misericordiam Christi pauperibus exhibuerint, habeant hoc verum & indubitatum salvationis signum: ligent ac ligatum constanter teneant funiculum coccineum charitatis & misericordiæ (de quo Ose. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*) ante domum suam; studeant servare animas egenorum; & haud dubiè servabuntur à ventura Judicis ira animæ ipsorum.

VI. *Cordis munditi-es.*

VI *Beati mundi corde* Principes ac Reges desiderant in aulis suis ministros forma præstantes ac decoros, non deformes aut fœda aliqua macula notatos. Unde Prov. 21. dicitur: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Externa enim species & compositio corporis index est interni animi

Os diſtortum ac deformatum neſcio quid infauſtæ ac diſtortæ mentis indicat: facies contra venuſta & rubore ſuffuſa animum ſyncerum & pudicum. Hinc Nabuchodonoſor ad aulam ſuam ex Hebræorum pueris nonniſi forma decoros omnique macula carentes aſſumi voluit. Dan. 1. Multo magis immaculatos homines Deus in aula ſua cæleſti exigit, qui etiam ab altari removit omnes, quicumq; corporis aliquo defectu aut labe fœdati erant. Forma illa & nitor non corporis ſed animæ, munda eſt conſcientia. Quotquot ergo illius munditiei valde ſtudent, eam ſemper conſervando, vel ubi labe aliqua aſperſi fuerint, mox emundando, magisq; ſemper & magis puriorem reddendo per frequentem Confeſſionis & Euchariſtiæ uſum, hi præclaram in ſe prædeſtinationis notam habent. Georgius Cedrenus in Salomone ſcribit, propoſitos ei à Regina Sabæ formoſos pueros ac puellas eodem veſtitu & ornatú, ut inter ſexum internoſceret. *Rex omnes lavare faciem juſſit: itaque diſcrimen ſexus deprehendit, cum mares fortiter atque valide facies tergerent, fœmellæ teneriter & timidè.* Vultis ſcire quinam maſculos animos cœlo dignos inſerendosq; habeant? & qui muliebres cœlo excludendos? Videte quinam fortiter ac valide conſcientias ſuas abluant & abſtergant, per frequentem ac ſeriam confeſſionem & communionem, per crebra pœnitentiæ opera, per examen quotidianum, per aſſiduam ſui accuſationem ac reprehenſionem; hi de electis ſunt. Contra verò qui timide & teneriter, hoc eſt, obiter, raro, neglectè & indigne utuntur ſacris illis mediis, non abſtergunt omnes maculas in confeſſione &c. reprobationis ſuæ non leve indicium præbent: quia nullam aut exiguam ſalutis ſuæ curam habere dignoſcuntur.

VII. *Pacis amor, & ſtudium conciliandæ.*

VII. *Beati pacifici.* Habent certè iſti, qui pacem colunt & conciliare ſtudent, non obſcurum ſuæ electionis argumentum, quia gerunt nomen Dei, velut patris ſui qui ab Apoſtolo toties appellatur Deus *pacis*, ad Roman. 15. & 16. 1. Corinth. 14. 2. Corinth. 13. ad Philipp. 4. & 1. Theſſal. 5. 2. Theſſ. 3. ad Hebræor. 13. Chriſtus etiam *Rex pacificus* appellatur; quia pacem inter cœlum & terram fecit, ſecumque è cœlo attulit. *Quod ſi filii, & hæredes erunt.* Abraham quando pacis cauſa ceſſit Lotho Pentapolim, ut ſopiretur jurgium inter ipſos & paſtores eorum, tum Deus monſtravit & promiſit illi totam Palæſtinam ſeu terram promiſſionis, lacte & melle manantem. Geneſis 13. Ea verò typus erat cæleſtis beatitudinis. Quare, ni fallor, indicavit Deus cœlum ſe daturum iis, qui pacis ſanciendæ aut conſervandæ cauſa terrenum aliquid alteri ceſſerint. Ad Pambonem Abbatem venerunt duo fratres, & rogarunt an ſalutem ſperare poſſent, alter biduo jejunando, alter duas ſiliquas labore diurno lucrando & pauperibus dando. Quibus ipſe: *Bonum quidem operaris, ſed ſi cuſtodias conſcientiam tuam cum proximo tuo,* (pacem ſcilicet conſervando) *ita ſalvaberis.* Roſvveid. libro 5. Vitæ SS. PP. libello 10.

VI[II]. *Hilar[is] perſecutionum [to]lerantia*

VIII. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam,* cùm patientia videlicet & hilaritate. Luculentum hoc eſt electorum ſignum, ut oſtendi poteſt variis ſimilitudinibus. S. Gregorius libro 21. Moral. c. 4. duas adducit. Primam de vitulis duobus, quorum unus ſibi & ſuæ libertati relinquitur in pratis, ut ſaginetur; alter jugo applicatur & trahere cogitur: nonne hic ad vitam, ille ad mortem deſtinatur? Alteram de duobus ægris, uno deſperato, altero non deſperato: nonne illum medicus deſerit, & quidquid appetit, edere ac bibere ſinit? hunc verò potionibus, clyſteribus, emplaſtris affligit, & à cupitis cibis retrahit? Addamus aliud ſimile. Habet ſtatuarius duos ante fores ſuas truncos jacentes; unus ſculpturæ idoneus ſecatur, tunditur, verſatur manibus & vexatur: alter ineptus foris relinquitur; nonne ſignum eſt, quod prior ille exſculpatur in ſpeciosam ſtatuam? poſterior vero putredini permittatur vel ad ignem deſtinetur? Qui veniam ſuam fodit, putat, ſepit; hoc ipſo oſtendit, quòd eam ſibi conſervare pro ſolatio ſuo velit. Qui verò eam negligit, non fodit nec putat; ſatis demonſtrat, quod deſerere eam velit. Pari modo cùm videmus exerceri aliquos variis tribulationibus, jure exiſtimamus eos eſſe de electis, quos ad gloriam DEUS præparat. Sic pater filiis legitimis, quos amat, conſtituit pædagogum; ſpurios verò negligit & ſibi permittit.

Jam inſpiciat quiſque librum conſcientiæ ſuæ, ac videat an hæc ſigna, ſaltem aliqua, ſi non omnia in ſe deprehendat. Quod ſi ea non inveniat, totis viribus diu noctuque laboret, ut acquirat, atque adeò in hodierna feſtivitate non flendi ſed gaudendi cauſam habeat, cùm audit dulciſſimam philomelæ noſtræ vocem: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

THEMA V.

Fructus hujus Feſti.

1. *Excitat nos ad deſiderium cœli.*
2. *Excitat ad ſpem conſequendi bona cæleſtia.*
3. *Labores hujus vitæ dulces facit, & omnes injurias.*
4. *Mortem reddit optabiliem.*

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matth. 5.

FEſtum hodiernum Audit. non minore lætitia, quam alia, quæ per annum celebramus, peragere nos

nos decet. Alia enim festa propriè ad Christi tantùm & aliquot Sanctorum gloriam spectant, hoc vero ad gloriam etiam nostram. Etenim dum hodie Sanctorum omnium gloriam recolimus, non eorum duntaxat, qui jam in cœlis triumphant, sed eorum etiam, qui in terris militant, gaudia celebramus; ut docet Sanctus Bernhardus sermon. 5. hujus festi. Idem enim exercitus est, qui partim mœnia jam conscendit, partim infrà adhuc pugnat. Itaque gaudium Sanctorum in cœlo, gaudium etiam nostrum est. Quod enim illi jam possident, hoc nos speramus. Et sicut vinum in cellario & dolio jam existens, exultat quasi & movet se, quando vites efflorescunt: cæpe & allia in penu jam recondita, germina quædam edunt, quando alia consita in agris germinare incipiunt: ita militans Ecclesia hodie lætitia perfunditur, cùm audit triumphantem in cœlo gaudiis circumfluere. Sed quid nobis confert festivum istud gaudium? Ad hoc respondebimus in præsentia.

I. Excitat nos ad desiderium cælestis patriæ & contemptum rerum hujus mundi. Quemadmodum enim fructus illi gratissimi terræ promissæ, botrus ingens, ficus & malogranata allata & ostensa à Legatis excitare debuerunt Hebræos ad prosequendum iter in terram illam, eamque expugnandam (Num. 13.) ita etiam deliciæ cælestes, quibus fruuntur in cœlo beati, ostensæ nobis à Christo, qui de cœlo venit easque vidit & gustavit, accendere nos jure meritoque debent ad desiderandum & occupandum cœlum. Fructus autem illi & deliciæ sunt, quas recenset in hodierno Evangelio: regnum cœlorum ab ipsis possidendum, Dei visio, saturitas, consolatio, titulus filiorum Dei. Xerxes Persarum Rex cùm gustasset aliquando ficus Græcanicas, suavitatem earum miratus, juravit se imposterum non comesturum, nisi Athenienses ficus; sicque exercitum paravit & in Græciam duxit. Monstrat nobis hodie Christus & quasi delibandas exhibet ficus & delicias cœlorum, ut & ipsi animemur ad eas nobis cōparandas unàque cùm cœlitibus percipiendas. Cervos ajunt à canibus agitatos & fatigatos, concitato cursu, viridibus pratis contemptis, ad aquas festinare. Nobis in hac vita miserè agitatis ostendit hodierna festivitas fontem aquarum viventium, ut spretis mundi paludibus & bestiarum pabulis, cælestes beatorum aquas appetamus. Has appetiit David Psalmo quadragesimo primo dicens: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et mox: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis* (vel secundum Hieronymum; *multitudinis epulantis*) id est, in domum Dei, ubi est festivitas & sonus multitudinis Sanctorum epulantis in sempiternum, ut exponit S. Augustinus in eum psalmum. Sanè phasides aves (quod vidi non semel) quando audiunt sonitum aliarum phasidum comedentium, licet eas non videant, illicò alliciuntur & accurrunt, ut & ipsæ simul esca fruantur; adeò ut si aucupes ungue pulsent afferem, ad modum gallinarum, grana colligentium, statim eas ad se congregent. Monstrat nobis hodie Christus Beatos in cœlo bonis omnibus affluentes; epulantes & exultantes, ut & ipsi spretis hujus mundi miseriis illuc festinemus. Prodigus ille filius fame pressus, dum cogitat tot mercenarios in domo patris sui abundare cibis. Ergo *surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum* Luc. 15. Intelligimus hodie nos, innumeros operarios in domo patris nostri cælestis affluere omnibus deliciis; quid igitur nos in hujus mundi inopia moramur? Eamus ad domum patris nostri, ut & ipsi saturemur, qui hic fame premimur. Quid in hoc mundo reperitur, quod cœlestibus illis bonis comparari possit? Quis hic non aspicit & audit plures undique miserias & calamitates, quàm jucunditates? At ibi Deum vident Beati & in ipso omnia desiderabilia; unde exulat omnis miseria. Quis hic satiatur unquam honoribus, opibus, voluptatibus? At ibi beati omnes saturantur omnibus bonis. Quis hic reperit solatium aliquod solidum & stabile, quod non citò desinat? At ibi sancti perpetua consolatione perfruuntur. Quis hic plus acquirere potest, quàm ut amicus Cæsaris dici queat? At ibi Sancti omnes sunt & vocantur filii Dei. Denique in mundo quid resonat passim undique nisi clades, pestes, bella, fames, naufragia, incendia, pruina? Nihil horum in cœlo est. In mundo lites, invidiæ, odia, injuriæ, contentiones, æmulationes, jurgia, insidiæ. Nihil in cœlo simile. In mundo morbi, paupertas, miseriæ corporis, infamia, senectus, mors, cruciatus. Nihil in cœlo simile.

II. Excitat ad spem consequendi bona cælestia.

II. Excitat ad spem consequendi bona cælestia, eoque perveniendi, ubi jam sunt beati. Ostendit enim nobis innumerabilem beatorum multitudinem; præsertim in Lectione hodierna ex Apocalypsi Joannis capite septimo. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, stantes ante thronum & in conspectu agni.* Idque facilè patet primò ex amplitudine cœli, & cælestis Hierusalem cujus duodecim portæ describuntur in Apoc. c. 21.

Ingens multitudo beatorum.

Quis autem architectus pro paucis inhabitatoribus amplissimum excitaret palatium, aut urbem longe vastissimam? 1. Secundo ex infinitis Christi meritis, quæ utique innumera electorum multitudine compensari aliquo modo debent. 2. Tertio inductione; quanta enim fuit multitudo martyrum? quanta est sanctorum aliorum? quàm multi moriuntur post baptismum in statu innocentiæ; 3. quorum tamen numerum minimam in cœlo partem esse, quis dubitet? quàm multi plebeii simplices vivunt in summis miseriis; & tamen Deo gratias agunt, suis contenti miseriis qui utique vitam fæliciorem merentur? denique plerique Catholici sacramentis muniuntur saltem in articulo mortis, ubi etiam maximi peccatores communiter anxia cogitatione ad vitam futuram se disponunt.

Hos in cœlo omnes triumphare patet partim ex martyrio eorum; partim ex sanctissima vita & miraculis? partim ex innocentia, in qua decesserunt; partim ex eorum pœnitentia, in qua obierunt. Horum ergo numerus ingens jam cœli muros conscendit, & vexillum ibi fixit, nosque ad se evocat & suis precibus adjuvat, non secus ac Godefridus Bullionius conscenso Hierosolymæ muro, reliquo exercitui aditum patefecit ad portam urbis reserandam ac penetrandam apud Tyrium & descript. belli sacri. Thestantur enim tot beatorum exercitus, quidquid est in mundo discriminum, superari posse, si ipsorum vestigiis insistere velimus. Ut enim qui in ulteriore ripa consistunt, ipso suo exemplo loquuntur flumen transvadari, tranari aut certè navigando trajici posse: sic qui cum palmis virentibus & stolis candentibus in cœlo conspiciuntur, clarissimè demonstrant, omnia salutis obstacula facilè à nobis posse perrumpi. *Ibi enim tot pueri & puellæ: ibi juventus multa & omnis ætas & graves viduæ & anus. Tu non poteris quod isti & istæ?* ait S. Augustinus lib. 8. Conf. c. 11. qui & hac cogitatione animavit se ad ineundam cœli viam.

III. *Labores hujus vitæ dulces facit.*

III. Dulces nobis labores hujus mundi facit, & tolerabiles injurias, quas patimur ab impiis. Ostendit enim hæc beatorum festivitas sudores & labores nostros finem aliquando habituros & in gaudium ac coronam convertendos; quemadmodum finem habuerunt & gloriose præmiati sunt in beatis illis, qui in cœlo jam festum agunt. Ut ergo David primò pastoritio sago indutus, postea splendidis Jonathæ vestibus decoratus est; & sicut Mardochæus prius sacco indutus, postea regio equo impositus: & ut arca prius habitavit sub pellibus, posteà in magnificentissimum Salomonis templum illata est: Lazarus prius mendicans jacuit inter canes præ foribus, postea manibus Angelorum in sinum Abrahæ delatus est; ita sudores & miseriæ nostræ tandem in gloriam desinent, cum in beatorum cœtum assumemur. Ergò uti septem anni, quibus servivit Jacob pro Rachele, pauci dies ipsi videbantur & leves omnes labores; dum sub ride oculos in promissam sibi sponsam conjiciebat, Gen. 29. Ita labores omnes suaves, & dies, quibus hic militamus, pauci nobis videri debent, dum ad gloriam beatorum aspicimus. Solent in hastiludiis & pugilum certaminibus præmia in conspectum proponi, aurea argenteaque pocula, torques & cymelia, quibus animentur, qui in agone certant, & labores spernant. Henricus Landgravius Thuringiæ ex metallinis fodinis ditissimus circa annum 1227. Northusiæ hastiludium instituens, arborem aureis & argenteis foliis erexit, singulisque concurrentibus & lanceas frangentibus, in sessione tamen permanentibus argenteum folium si quis autem aliquem, ut caderet, dejecisset, aureum folium dedit. Ut habetur in Chronico Missiensi. Simili modo proponit hodie Christus, coronas sanctorum omnium, cælestium divitiarum præmia, gemmea, aurea, argentea: Martyrum, religiosorum, sæcularium, Virginum, viduarum, conjugum, ut eorũ aspectu excitati, pro iis fortiter pugnemus. Proponit nobis arborem octo beatitudinum, & in ea varia præmia, quasi totidem folia aurea & argentea, variè vincentibus.

Tolerabiles item ac leves facit omnes, quas patimur injurias: siquidem illæ in die Sanctorum omnium, cùm ad illorum cœtum perveniemus, abunde compensabuntur, & quæcumque nobis per injuriam ablata sunt cum fœnore restituentur. Audistis forsan aliquando nobilem Germanum à simplici rustico equum emisse, & dimidium pretii mox quidem solvisse, dimidium alterum ad sancti *Neminis* diem dolose promisisse. Rusticus post intervalla repetit pretium; sed alter diem istius sancti ait nondum venisse. Accusatus ergo nobilis apud Judices Constantienses condemnatur, ut in die Sanctorum omnium pretium venditori numeret, siquidem illa dies sit Sanctorum omnium, proinde & illius S. *Neminis*, quicumque tandem ille sit. Multi hunc ludum ludunt cum pauperibus, qui nullo unquam tempore sua recuperare à direptoribus possunt; omnia differuntur ad diem *Neminis*. Sed enim veniet aliquando dies illa; & quando, nisi in die omnium Sanctorum; quando omnibus Sanctis in cœlo sua merces dabitur, & quidquid per nefas ablatum est, restituetur? Sic se solati sunt septem illi Machabæi, dum lingua, manibus, pedibus truncarentur ab impio Antiocho; quòd nimirum membra illa abscissa in æternæ vitæ resurrectione restituenda eis essent. 2. Mach. 7.

IV. Mortem reddit optabilem ut quæ educit nos velut obstetrix ex hoc tenebrioso mũdi carcere in admirabile lumen & cælestem patriam, ad concives nostros, Beatos. Balaam ille impius, cùm vidisset & miratus esset castra Hebræorum dicens: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui; ut tabernacula, quæ fixit Dominus; quasi Cedri prope aquas &c.* desideravit cum iis mori: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Num. 23. & 24. Quid dicat Christianus, cùm attollit oculos in tabernacula Sanctorum & fælicissimam eorum societatem? cùm intuetur ibi Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Anachoretas, Virgines, Conjugatos, parentes & fratres atque amicos suos? Elephas quem misit Emmanuel Rex Lusit. Rom. Leoni X. Pp (apud Pier. l.) prius ab ingressu navis abhorrens, ubi à Magistro audiit se in celeberrimam totius orbis urbem, pulcherrimo loco sitam, ad summum orbis dominum ducendum, ibique se honorificentissimè excipiendum & habendum, sine mora paruit, ultro navim ingressus. Quid Roma respectu cœli? quid Papa respectu Christi? Quid ornatus mundi respectu cælestis? difficulter quidem patriam deserimus; sed quando extra patriam quid habemus, quod maximè desideramus, & sine quo miseri in patria

sumus,

sumus, tunc libenter ea relicta ad desideratum bonum emigramus. Certè Jacob magnæ etiam famis tempore in Ægyptum non descendit pro emendis frugibus, sed misit filios suos. At ubi audivit ibi vivere & dominari filium suum dilectissimum & desideratissimum, Josephum: *Sufficit mihi*, inquit, *vadam & videbo eum antequam moriar.* Itaque deseruit patriam dulcissimam, & quidquid prædiorum ac fundorum habuit, migravitque ad Josephum suum. Verè quidem hic in exilio magis quàm in patria sumus: demus tamen hic patriam esse; certè caremus re desideratissima, Christi & Sanctorum consortio. Cur igitur non libentissimè eò commigramus, ubi summum nostrum bonum & tota nostra parentela est? Fuit in Persidis regno circa annum Domini 1250. Tyrannus quidam Alaodinus dictus, qui Muletam regionem occupavit multosque sicarios, dictos Assassinos, hoc astu sibi adjunxit, & ad quævis adeunda belli pericula ac prælia animavit In valle quadam amœnissima, præruptis montibus cincta, paradisum omni delitiarum genere, qualem suis promisit Mahumetes, instruxit; arce in faucibus extructa, ne cui adeundi, nisi per ipsius admissionem potestas esset: affirmans interim se Mahumetici paradisi claves habere. Quare potione soporifera sopitos in eum locum inferri curabat, & ibi genialiter haberi, iterumque soporatos educi. Sic eos ad omnia imperia mortemque ipsam obeundam paratissimos habuit, & horum opera non paucos Christianorum Principes insidiis circumventos oppressit. Paul. Venetus lib. 1. cap. 28. histor. Orient. Potuit hæc ficta paradisi terrestris species animare barbaros ad pericula adeunda spernendamque mortem; non poterit nos animare ad mortem obviis ulnis excipiendam paradisi cælestis verissima promissio, & realis jam possessio tot millium millenorum? Hoc igitur est, quod fecit plurimos justos gaudere & jubilare denunciata sibi morte. Quod ut & nobis contingat faxit Deus & impetrent omnes Sancti.

IN FESTO S. MARTINI.

THEMATA.

I. *Anser boni servi DEI typus: Martinus exemplar.*
II. *Ab ansere & Martino multi instruuntur,*
III. *Anseres aliquot affati vitandi.*
IV. *Sanctus Martinus quo jure Martyr appellari queat.*

THEMA I.

Anser boni servi Dei typus: Martinus exemplar.

1. *Servus Dei sit humilis,*
2. *Sit obediens.*
3. *Sit sobrius.*
4. *Sit fidelis dispensator.*
5. *Sit vigil.*

Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12.

Athenæus lib. 13. cap. 29. refert à quodam pictore anserem tam ad vivum fuisse depictum, ut alios anseres vivos vitæ imagine ad sui amorem, accessum & sequelam pelliceret. Nescio qui fiat, quod Sancti Martini Festum semper anser comitetur. An forsitan anser cum Martino quid commune habet? Habet sanè. Quare hodie propono vobis anserem ad vivum depictum, S. Martinum, adeoque amandum & imitandum. Inter alios honorificentissimos titulos, quibus condecoratur Sanctus Martinus, non est infimus ille, quo vocatur servus Dei, quem dedit ipsi Angelus, qui apparens Avitiano Comiti dixit: *Servus Dei Martinus ad tua limina jacet, & tu quiescis?* ut in ejus vita Sulpitius. Vulgus etiam hodie, quem à pietate vult laudare, appellat *servum Dei.* In sacris quoque litteris nomen hoc pro magno honore datur illustribus sanctis, uti Jobo, Davidi, Calebo, Danieli, Zorobabeli, & inprimis Moysi Deut. ult. *Mortuus est Moyses servus Dei.* Indicat enim non subjectionem tantùm sed familiaritatem etiam cum Deo & amicitiam. Et quis nostrum erit, qui hunc titulum non ambiat? Habebimus autem, si Martinum ducem pro viribus imitati fuerimus. Quid dico Martinum? Etiam anserem, qui hoc die solet ornare mensam, si imitari velimus, servi Dei erimus. Quod qui faciendum, videbimus.

I. Servi boni dos est humilitas & subjectio, juxta id 1. Petr. 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis.* Tales etiam requirit Deus. Qui enim humilis non est, obedire nescit. Docemur hoc ab ansere ribus, qui licet alati & pennati sint, raro tamen in altum se librant, nec nisi coacti; plerumque terræ adhærent: ac si quidem interdum evolent, nec alte, nec diu volant; cumque humi graves resident, in caput ferè corruunt: iidem si per ostium horrei quantumlibet altum ingrediantur, nescio qua persuasione, col- *I. Servus Dei sit humilis & subjectus.*

collum caputque inclinant. Videamus jam Martinum; qui cùm Epiſcopus eſſet, non niſi humi in cilicio vel ſtramine jacebat, planè anſerum more: moriens etiam in humum & cinerem deponi voluit, dicens: *Non decet Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori.* Peregrè verò profectus, humillimo aſello vehebatur: cumque adhuc miles eſſet, unico ſervo contentus erat, cui & ipſe viciſſim ſerviebat adeò, ut plerumque ei calceamenta detraheret atque extergeret. Ridet hoc mundus; quo modo Romani riſerunt Conſtantium Imp. Romam cum pompa ingredientem, quando viderunt eum ſtatura parvum per præaltos triumphales ingredientem arcus, anſeris inſtar caput inclinare, apud Platinam aliosque. At in ſervo Dei gloriosum iſtud eſt, defenditque Sanctus Bernhardus: *Quemadmodum enim ſi per oſtium tranſeas*, inquit ſerm. 37. in Cant. *cujus ſuperliminare nimiùm baſſum ſit, non nocet quantumvis te inclinaveris; nocet autem ſi vel tranſverſi digiti ſpatio, pluſquam oſtii patitur menſura, erexeris, ita ut impingas & capite quaſſato collidaris. Sic in anima non eſt timenda quantalibet humilitas, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temerè præſumpta erectio.* Scimus multos, qui altiùs evolare conati ſunt, in caput turpiter corruiſſe, uti inprimis Luciferum, deinde Amanem, Nabuchodonoſorem, Antiochum, Herodem Agrippam. Primus in orcum dejectus eſt, ſecundus ad ſylvas & feras, tertius ad patibulum, quartus vermibus conſumptus, quintus ab Angelo percuſſus. Act. 12. Econtra maxima demiſſio Conſtantini Mag. ad exportandos duodecim terræ cophinos, Sa. Eduardi Angliæ Regis ad portandum in dorſo claudum, S. Ludovici Franciæ R. ad abluendos pauperum pedes. Sanct. Eliſabethæ regiæ filiæ ad abſtergendas leproſorum ſordes & ulcera, non modò eis nō obfuit, ſed immortalem gloriam peperit.

II. *Sit obediens.* II. Servum decet obedientia eaque ad nutum prompta. Hanc ab eo requirit S. Paulus ad Epheſ. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore ſicut Chriſto* quaſi diceret: ad nutum & vocem eorum timete ac tremite, Chriſtum in illis vobis præcipientem contemplantes. Habemus & in anſere hujus rei umbram aliquam; is frequenter uno oculo terram; altero cœlum ſimul ac ſemel aſpicit; quaſi docens ſervos unum oculum in herum, cui ſerviunt: alterum in Chriſtum, propter quem ei ſerviunt, conjicere. Sanctum Martinum aſpiciamus, qui oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus erat; ſicut oculi videlicet ſervi in manibus Domini ſui, ut voluntatem ejus ſemper obſervaret, adeò ut à Briſtio diſcipulo per deriſum *ſuſpex cœli* appellaretur. Quod idem æger faciebat, nolens converti ad latus, ne à cœlo cœlique Domino oculos avertere cogeretur. Utinam, Chriſtiani, ſi non, ſemper poſſumus, crebrò ſaltem idem faceremus. Hoc nimirum eſt, quod Pſalm. 122. dicitur: *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Sed quomodo oculi noſtri poſſunt eſſe in manibus Dei noſtri? Si ad ejus nutum etiam, quaſi ad motum manus vel digitorum ejus attendamus: ſicut faciunt prompti ad obediendum famuli, qui ad nutum oculi vel digiti domini ſui mandata obſervant eaque ſtatim peragunt.

Quatuor aulici Henrici IV. Angliæ Regis ubi audierunt Regem de Sancto Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo his verbis conquerentem: *Inertes ac miſeros homines enutrivi & erexi in regno meo, qui nec fidem ſervant domino ſuo, quem à plebeio quodam Clerico tam probroſe patiuntur illudi*; illico mentem Regis intellexerunt & ad nutum illius Sanct. Thomam crudeliter occiderunt. Ut in ejus vita Eduardus. En impium & crudelem heri nutum tam obſervant famuli: & ad ſanctiſſimam Dei voluntatem faciendam cogere oportet ſervos ejus? Quantò enim major eſt merces obedientiæ, quam præſtamus Deo, quam quæ præſtatur hominibus? Quænam verò illa? Citatus indicat Pſalmus verbis illis: *Donec miſereatur noſtri.* Ipſa enim mandata Dei miſericordia ſunt & gratiæ; quia ingens meritum nobis pariunt. Officiales Regum pro ſumma gratia habent, ſi quâ Legatio aut commiſſio aliàs etiam laborioſa & pericuſa. v. g. ad Turcarum Imperatorem, eis demandetur; quia inde ſperant magnum emolumentum. Nos à Deo noſtro quo ſervitio ei præſtito quid non ſperemus?

III. Servum decet ſobrietas. Ita enim præcitatus Apoſtolus 2. Tim. 4. præcipit diſcipulo ſuo: *Miniſterium tuum imple: ſobrius eſto.* Quaſi ſobrietas maximè neceſſaria ſit ad implendum miniſterium. Et Luc. 12. ait Dominus ſervum inebriatum dividendum & hypocritis adnumerandum, hoc eſt, ſeparandum à familia domini & cum infidelibus ſervis ejiciendum. Nec immeritò, nemo enim dominorum amat ſervum ebrioſum; cùm talis nulli uſui ſit. Docet hanc virtutem & anſer, qui viliſſimis herbis, uti gramine & urticis vivit; aquam duntaxat & non niſi guttatim bibit, licet iis innatet. Martinum jam videamus. Inprimis in Gallinaria Inſula, quo propter furorem Arianorum ſeceſſerat, radicibus herbarum & gramine, in quo & helleborum, venenoſam herbam, per errorem ſumpſerat, victitavit. Pòſt in Monaſterio ſuo non niſi tenuiſſimo victu ſe & ſuos ſuſtentavit: ubi vinum nemo bibit, niſi quē ægritudo coegiſſet. Neceſſario eſt ſervo Dei ſobrietas: quomodo enim alias vigilans eſſe poterit, quod ab eo requirit Dominus, ut mox audiemus? Civitas cujus murus everſus eſt, an non hoſtibus undique expoſita eſt? Hoc verò homo eſt ſobrietate deſtitutus. Lege caput ult. lib. 4. Reg. & videbis quis deſtruxerit muros Jeruſalem: Nabuzardan videlicet princeps militum, quem 70. appellant *principem coquorum*: quia præfectus culinæ in aula Nabuchodonoſoris fuit. Quid præfecto coquorum cum muris Jeruſalem, ut eos deſtrueret? Ad noſtram hoc doctrinam factum

factum est: *Muros Jerusalem coquorum princeps destruxit; quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit,* ait S. Gregorius 30. Moral. c. 26. Sobrietas potissimus animæ murus est; eo destructo actum est de salute ejus.

IV. Sit fidel. dispensator

IV. Servus esse debet fidus dispensator bonorum domini sui. Ita enim Dominus Matth. 24. *Quis, putas, est fidelis servus, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Alludit ad veterem morem, ait Maldonatus, quo fidelissimus servus aliis præponebatur, ut eis cibum (qui mercedis loco dabatur) seu annonam admetiretur & distribueret. Ergò *tuarum es, ô homo,* inquit S. Chrysostomus hom. 34. ad pop. *pecuniarum dispensator nō minus, quam qui eleëmosynæ bona dispensat. Sicut igitur ille potestatem non habet ea quæ propter pauperes à vobis erogantur, & ut casu venit, dispergendi, quoniam in pauperum data sunt alimentum: ita neque tu tua.* Et mox: *Hæc enim propterea tibi* (Deus) *concessit, ut dares illis escam in tempore opportuno: egenis, esurientibus, sicut tu conservo dispensanda dedisti, &c.* Parentes in Hispania primogenitum filium instituunt unicum suum heredem, commendant ei tamen cæteros ejus fratres quam strictissimè, ut eorum curam habeat: sic Deus tibi *cùm auferre posset,* (subdit ibi Chrysost.) *ea bona tibi dimisit, ut exhibēdæ virtutis occasionem habeas, ut alterum alterius indigentem constituens, mutuam charitatem redderet ferventiorem.* Ecce ducem vobis anserem, qui cùm multas plumas in vestem acceperit à Deo, eas singulis annis semel, & alicubi bis, ut scribit Plin. loco supra cit. dividit cum egentibus; (Inde enim nobis lectos paramus, in quibus calefiamus & somnum capiamus) tametsi plumis illis non sine dolore spoliatur. Plumæ istæ superfluæ, quid nisi redundantes opes sunt? Tibi superfluæ, sed pauperi necessariæ. His non solùm pauperes calefacies & fovebis, sed etiam tibi ipsi simul lectum præparabis in cœlo longè suavissimum. Nocte qua S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariens. in Anglia & S. Hugo Abbas Cluniaci mortuus fuit, *vidit Abbas Noviomensis duos lectulos ab Angelis in cœlum deferri, qui molliori cultu solicitudinis oblivionem & somnum provocarent. Angeli autem qui lectulos deferebant, hujusmodi clamabant verbis: Duos illustres viros in his collocabimus lectis, Anselmum scilicet Cantuariensem Archiepiscopum, atque Hugonem Cluniacensis Abbatem Monasterii, qui post terras cœlum, post labores requiem, gaudium post lachrymas meruerunt.* Post hæc Abbas visionem retulit suis fratribus, & deprehensum ambos illos Sanctos ea nocte obiisse. En tibi lectulos duos suavissimos pro duobus Sanctis, qui in pauperes viscera misericordiæ effuderant. Anselmus *supra posse etiam* (ut ait Edinerus in ejus vita 21. April apud Sur.) in eos profusus fuit, ac sæpe fratrum Monachorum cibum necessarium subtraxit, iisq; impertiit. Hugo verò circa lectum suum immensam vestium congeriem semper habebat, quas ipse partim sarciebat & resarciebat pro egenis, panes item ac carnes in usum pauperum erogandas semper in parato habuit. Quid mirum ergo si tam delicatos in cœlo lectos sortiti sunt, qui eos tot plumis infarserunt? Sed quid Martinus noster? nonne & ipse dimidium pallii sui, & postea jam Episcopus totam suam tunicam ad fovendum pauperem media hyeme in summo frigore dedit? Hinc videre meruit nocte sequenti Christum ea veste indutum. Hinc moriens visus est à Severo Monacho cœlum petere in veste nivea, vultu rutilo, corusceantibus oculis; ut in ejus vita Sulpitius. Hinc mota etiam S. Ida Comitis Egberti vidua, sarcophagum suum marmoreum quotidie bis implevit panibus aliisq; cibis in pauperes distribuendis, ut sic quasi plumis lectulum sibi post mortem placidum pararet. Ut in ejus vita Sur. 4. Sept. Imitamini hos. Audit. & expendite pauperes nunc magis quam æstate egere; quia dies breves sunt, frigora magna, unde & fames major: in agris nil reperitur: laborandi occasio deest; penus divitum pleni jam sunt, pauperum verò inanes &c.

V. Decet servum esse vigilem; uti docet Christus Luc. 12. dicens: *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Hujus virtutis en magistrum anserem. Hic enim præ cæteris animantibus vigilantior, etiam minimos strepitus sentit & clamore prodit, uti & homines ad se accedentes; denique anseres sua vigilantia Capitolium Romæ, à Gallorum irruptione servarunt, excitando Manlium ejusque milites contra hostes noctu irrumpentes. Simili ergo studio vigilet Dei servus & expectet Dominum suum, qui veniet *tanquam fur in nocte,* uti subdit loco cit. Dominus. Additque: *Si venerit* (Dominus) *in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit: beati sunt servi illi.* At cur tacet primam & quartam vigiliam? Causam dat Toletus: *Quia prima vigilia est pueritia, secunda juventus, tertia virilis ætas, quarta senectus.* Primam tacet, quia pueritia ferè innocēs esse solet: ultimam verò, quia senectus parum apta & rara est ad pœnitentiam, rarissimi enim sunt, qui in senecta primum benè operari incipiunt. Quare ne sinamus nobile tempus sine fructu nobis elabi, nec moremur acceptare oblatam nobis gratiam; ne serò aliquādo desideremus unum diem Domini & non obtineamus. In prima vigilia vigilavit Martinus, cùm puer 10. annorum à parentibus ad Ecclesiam confugit & baptismum petiit. In secunda militiam, quam primùm potuit, deseruit & ad S. Hilar. se contulit. Dæmonem sibi insidiātem mox agnovit ac prodidit in tertia. In quarta ad mortem se sanctissimè composuit, in cœlum jugiter aspirando. *Vigilat, qui servat operando quod credit; vigilat, qui à se corporis & negligentiæ tenebras pellit,* ait S Gregorius homilia 13. in Evangelist. Fertur Carolus Gallorum Rex consuevisse à cibo pomum decorticatum comedere. Assistentibus ergo tribus filiis ingenium & obedientiam illorum exploraturus, maximo natu Gobando particulam pomi cultello porrigens: *Accede,*

V. Sit vigil.

inquit, *& è manu patris bolum sume?* Ille verò aulico more recusare, seseque indignum, cui Rex ministraret, dicere. At Carolus medium similiter allocutus, cùm is omnia se paternæ pietati & prudentiæ debere fateretur, & pomum aperto ore suscipe-ret, pro ea obedientia Regem Galliæ declaravit. Inde natu minimum, Lotharium, fratris exemplo cautiorem factum, & vocatum accedentem, Regem Lotharingiæ fecit. Gobandus aulicismi pœnitens patrem reconciliaturus accedit, &c. *Quando ita vis, ô pater, mihi quoque pomi partem largire.* Cui Carolus: *Tibi verò nec pomum nec regnum superest,* respõdit. Hinc proverbium apud Gallos ortum: *Gobande serò os aperuisti.* Joan. Paulus in Spudopædia. Tale est quod nos Christus docet, cùm vult, ut quacumque vigilia seu ætate, adeoque semper vigilemus. Offert nobis nunc in tempore gratiam suam, ut hæredes cœli faciat. Quod si per aulicismum, nescio quo prætextu, negligamus, culpa nostra erit: *serò os aperuimus.* Vigilate ergo & videte, ne alii coronam vestram auferant.

Anseres quia vigilantia sua Capitolium servarunt hanc mercedem tulerunt, ut certo numero ex publico alerentur, & singulis annis anser unus in lectica per urbem cum pompa circumduceretur. Quid non exhibebit Deus servis strenuè vigilantibus? *Amen dico vobis,* ait apud Matth. cap. 24. *super omnia bona sua constituet eum.* Hoc præstitit sancto Martino, quem cum Angelorum cantu in cœlum deduci audiit S. Severinus Episcopus. Nos ergò adnitamur ut boni servi Dei simus. B. Petrus de Morono, Papa Cælestinus dictus, adhuc puerulus sæpè matri suæ dicebat: *Volo esse bonus servus Dei.* Ut in vita 19. Maji. Dicamus hoc & nos: *Volo esse bonus Dei servus.* Volo, inquam, & conabor.

THEMA II.

Ab Ansere & S. Martino multi docentur.

I. *A pectore anseris multi clerici.*
II. *A corde magistratus.*
III. *Subditi à dorso.*
IV. *Patresfamilias à capite.*
V. *Matresfamilias à lingua.*
VI. *Servi à ventriculo.*
VII. *Magnates à collo.*
VIII. *Divites à jecinore.*
IX. *Rustici ab alis.*
X. *Studiosi à pennis.*
XI. *Senes à pedibus.*
XII. *Pueri ab osse pectoris.*

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. 11.

NOn dubito plerosque hic præsentes aliquid hodie gustaturos de ansere (ut vocant) Martiniano, valde autem dubito utrum medicè & salubriter comesturi sint. Si enim Medicos audimus, non omnes anseris partes omnibus æquè prosunt, sed aliæ aliis magis, uti cor & pulmo phtisicis, stomachus stomachicis, hepar hepaticis, teste Kiranide apud Gesn. Sed quid mihi cum re medica? Vellem Auditores, ut una cum materiali ansere spiritualem quoque ederetis. Hic verò multas etiam partes habet, quarum aliæ aliis magis vel minùs prosunt. Quare si Principes patiuntur Medicos ad mensam, qui illis quid edendum vel non edendum sit, insinuent: spero etiam vos passuros, si vobis indicavero, quid unicuique de hoc ansere expediat, imò & debeatur.

I. Sacerdotibus & clero prodest & debetur pectus. Id enim appellari à Germanis solet portio sacerdotum (der Pfaffenschnit) sive quia in veteri lege ex victimis pectusculum jussit Deus dari sacerdotibus; Exod. 29. & Levit. 7. ubi dicitur: *Pectusculum autem erit Aaron & filiorum ejus.* Cujus rei causam dat S. Gregorius 2. p. pastor. capite 3. *Recipit à populo,* inquit, *sacerdos pectus, ut meminerit se Deo debere reddere pectus suum, ut non nisi quæ recta sunt cogitet.* Et Origenes in eum locum homil. 5. *Pectus sacerdotis plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni divina intelligentia, imo plenum Deo.* Sive quòd meliorem partem merentur; quia dant vicissim laicis saluberrima & optima: doctrinam cœlestem & sacramenta. Ita enim Apostolus 1. Cor. 9. ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sunt enim patres vestri spirituales, gignunt vos per baptismum, alunt verbo Dei & S. Eucharistia, sanant absolutione, armant extrema unctione &c. Sane S. Martinus cùm ad convivium Maximi Imp. victus tandem precibus accessisset; pateram, ubi bibit, non Imperatori, uti is sperabat, sed sacerdoti suo tradidit: plus deferens sacerdotio, quam sceptro. Placuitque hic quasi contemptus Regis & honor sacerdotis Maximo magis, quam si ipsi tradidisset poculum.

II. Magistratibus cor damus, quia cor in medio animalis principium & fons est spirituum vitalium, quos dividit per omnia membra, sicque omnia vegetat & animat; unde & animositatis typus est? cordatus enim idem est, qui magnanimus; Behertz oder hertzhafft / Talis autem esse dicitur & anser. Anseres enim nihili faciunt caves & altos struthiocamelos: accipitrem tamen vel minimum timent, ait Ælianus apud Gesn. libro 3. homines verò adeò non metuunt, ut etiam sibilis prosequantur. Hujusmodi ergò Magistratus sit: in medio æquitatis consistens, vim suam æquo jure exserat in omnes, non timeat allatrantes obtrectatores, nec plumatos gigantes (die tolle Federhansen) sed exsibilet eos: solum, qui desuper nos aspicit & acutissimè quidem, Deum metuat inspectorem & vindicem. Ita monet Ecclesiasticus c. 7 *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Fuit talis Martinus, qui à Maximo Imperatore Tyranno sæpius ad mensam

menſam vocatus ſemper abſtinuit & intrepidè reſpondit, ſe menſæ ejus participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores, unum regno, alterum vita ſpoliaſſet. Regno Valentinianum, vita exuerat Gratianum. Lipel. 11. Nov.

III. Subditis quadrare dorſum videtur, quod oſſeum eſt & *carrus* appellatur (der Kern.) Illorum enim eſt dorſum jugo ſubmittere & carrum trahere. Oſſeum igitur dorſum habeant, & mandata ſuperiorum libenter in ſe ſuſcipiant, nec non & onera ſibi impoſita, licet ea gravia ſint & penè importabilia. Id enim & Martinus fecit, qui dimiſſione petita à Juliano, ignaviæ & timiditati id tribuente, juſſus ſervari, ut poſtero die ſolus & inermis hoſtium cuneis objiceretur, non detrectavit onus, ſed paratum ſe ad hoc proteſtatus eſt, quamquam id hoſtium deditione impedimentum fuit.

IV. Patrifamilias caput debetur. Anſer enim vigilantiſſimus parum dormit, & diligentes agit excubias, fures & hoſtes clangore prodit, hominem accedentem ex olfactu cognoſcit. Romæ Capitolium noctu invadentes Gallos ſoli anſeres adverterunt, & clangore ſuo prodiderunt. Officium hoc eſt boni patrisfamilias, parum dormire, ſummo mane ſurgere, juxta regulam Ariſtotelis in Oecon. *Expergiſci priùs dominum decet quam ſervum & cubitum ire poſterius*: familiæ ſuæ diligenter attendere, delinquentes notare & corrigere, Romanam fidem defendere. Fuit etiam Martinus talis paterfamilias; quoniam ſuo monaſterio diligentiſſimè invigilans, Dæmonem ſibi inſidiantem paſſim vidit & agnovit, ac diſcipulis ſuis prodidit, cavendumque monuit. Semel cum frequentiſſimo diſcipulorum comitatu iter agens mergos in flumine conſpicatur piſcium prædas ſequi, iiſque interceptis ingluviem ſatiare. Tum: *Forma*, inquit, *hæc eſt Dæmonum. Inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captos devorant, exſaturarique nequeunt devoratis.*

V. Poterit paterfamilias communicare matrifamilias aliquid de capite, linguam videlicet. Nam ut anſer clamoſus eſt, & nocturnas vigilias celebrat, cantuſq; aſſiduitate teſtatur, dumque clamat verſus cœlum caput erigit: Sic materfamilias & vigil in domo & frequens in oratione ſit: quia *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.* Pſalm. 126. Norunt etiam anſeres ſylveſtres vocem cohibere lapillo in os inſerto, cùm Taurum montem prætervolant, aquilis infeſtum. Pari ratione matresfamilias, cùm advertunt maritos eſſe ebrios aut ira æſtuantes, claudere os debent, ne magis eos exaſperent. Notum illud, quo edocta mulier, cochlear diſtillata aqua plenum in ore continere, cùm vir fulminaret, remedium experta eſt. Sanctus Martinus tam aſſiduus in oratione fuit, ut etiam inter legendum, aut ſi quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxaret, ſed *ut fabris ferrariis mos eſt, qui inter operandum pro quodam laboris levamine incudem ſuam feriunt, ita Martinus etiam dum aliud agere videretur, ſemper orabat*, ait Sulpitius in ejus vita. Adhæc tacere novit Martinus, cùm alii in ipſum tonarent, uti Brictius; & verberibus etiam ſævirent, uti viatores quidam, qui poſtea pœnitentia ducti ſupplices ab eo veniam petierunt.

VI. *Servi à ventriculo.*

VI. Servis convenit ventriculus, qui anſeribus eſt calidiſſimus, unde frigidis tantùm gaudent, teſte Æliano apud Geſnerum. Ita decet ſervos habere ſtomachum calidum, qui frigida & aſpera quæque digerat. Audiunt enim ab heris crebras objurgationes, probra, convitia; accipiunt quandoq; verbera & injurias, quibus concoquendis ſane requiritur fortis & robuſtus ſtomachus. Habuit talem ſtomachum Martinus, qui non ſolum à Duce ſuo Juliano contumeliam adhuc miles patienter tulit, uti diximus: ſed etiam poſtea jam Epiſcopus à diſcipulo ſuo Brictio, à quo delirus habitus, *cœli ſuſpex & inſanus* vocatus, omnibus ſæpe conviciis onerabatur; nec tamen contumelias rependit, ſed verba placida, addens: *Si Chriſtus Iudam paſſus eſt, cur ego non patiar Brictium?* Julianus appellavit eum *ignavum militem*, cùm dimiſſionem petiiſſet. Devoravit & hoc Martinus, ſeque ad penetrandos hoſtium cuneos, paratum ei obtulit: cur non offerant ſe ſervi ad obſequia leviora?

VII. *Magnates à collo.*

VII. Collum congruit Magnatibus. Tametſi enim anſer erecto collo caput ſuum effert, quando tamen per oſtium quantumvis altum ingreditur, cervicem ſuam deprimit. Collum erectum ſuperbiæ typus eſt, Job. 55. *Cucurrit adverſus Deum erecto collo.* Quare licet Magnates cæteris altiores ſint, & ſupra plebem ſeſe efferre poſſint, quando tamen in Eccleſiam ejuſq; ſacra audienda vel percipienda ingrediuntur, deprimere ſupercilium, Eccleſiæ præcepta ſervare, coram Deo ac ſacerdotibus ejus ſe humiliare minimè graventur. Certe Conſtantinus Magnus Imperator per baptiſmum in Eccleſiam intraturus audita S. Sylveſtro Papa prius ponendam purpuram & diadema, precibus & lachrymis Deum ſibi placandum; quod is animo ſanè demiſſo una cum jejunio ſeptem diebus præſtitit. In vita ſancti Sylveſtri. Sic Clodoveus Rex Galliæ, cui baptiſmum ſuſcepturo dixit S. Remigius: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendiſti, incende quod adoraſti*: paruit ad nutum. In vita ſancti Remigii. Denique S. Martinus, etſi meritis & Epiſcopali dignitate tam ſublimis, humillimus tamen interim fuit, ita ut nemo unquam ſedere eum in Eccleſia conſpexerit; ſed vel ſtare, vel genu flectere ſemper. Ea de re cauſam interrogatus reſpondit: *Non vultis ut hic Deum timeam?* Ribad. in ejus vita. Notent hoc Magnates, domini & dominæ, qui ſub ſacra Miſſa ſemper ſedere, vix unquam flectere genua conſpiciuntur.

VIII. *Divites à jecinore.*

VIII. Jecur dandum divitibus. Jecinoris enim officium eſt ſanguinem conficere, & confectũ in omnes venas corporis diſpertire. Hoc ipſum divitum munus: opes conquirere, conquiſitas in e-

gentes

gentes dividere. In deliciis multorum sunt jecinora
anserina. In deliciis etiam sunt coram Deo divites
liberales, in laudibus quoque hominum. Patet in S.
Martino, qui postquam vestem suam dissecuit &
cum paupere divisit, Christus sequenti nocte ea in-
dut⁹ ipsi apparuit, & quasi in illa sibi valde placeret,
dixit: *Martinus hac me veste contexit*. Idem nec-
dum baptizatus stipendia sua in egentes distribue-
re solebat? nihil sibi inde, nisi quotidianum victum
reservans; quam ob causam ejus commilitones
miro eum venerabantur affectu. Nimirum quia *di-
spersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in secu-
lum seculi.*

IX. *Rustici ab alis.*

IX. Alæ quadrant rusticis. Alati quidem sunt
anseres, fere semper tamen in terra & aquis moran-
tur: at nonnunquam etiam ad volatum se erigunt,
tametsi eum diu non continuant. In terra item &
agris ferè conversantur rustici: scire tamen debent
se quoque Christianos esse, adeoque subinde à ter-
ra evolandum; templum adeundum & sacra-
menta suscipienda esse, post ad labores solitos rede-
undum. Neque tamen urgentur ad volatum diu-
turnum. Anseres cùm à tergo incursantes sentiunt
canes, tum volare incipiunt, & interim validè cla-
mant: ita quando audiunt rustici monentes Con-
cionatores vel pastores suos, ad rem divinam se at-
tollere debent & fervorem suum ostendere. Non
est opus hoc ostendere in Martino, qui vix unquam
in terra, sed in cœlo ferè continuò suam conversa-
tionem habuit; idemque tam oculis quam mente in
cœlum semper intentus fuit.

X. *Studiosi à pennis.*


X. Studiosis nihil ex ansere conducit, proinde
nihil dandum. Est enim anser stolidum & indocile
animal. Unde parum sapientem appellamus ein
witzige Gantz. Rursum: Ein Gantz uber Meer / ein
Gantz wider her. Alii: Ein Gantz flog über Rhein/
vnd kam ein Gaga wieder heim. Non ideò ad scho-
las missi sunt à parentibus, ut iidem redeant, sed ut
doctiores & meliores, novis linguis ac litteris in-
structi. Quod si tamen aliquid inde habere volunt,
pennas anserum arripiant, & secundò manibus tra-
ctent. Imitentur anserem illum, qui Lacyden (vel
Lycaden) Philosophum peripateticum ubique co-
mitabatur individuus ejus comes, apud Ælian. &
Plin. Adhæreant sedulo Magistris suis, & cum illis
studia conferant. Ita sanctus Martinus relicta mili-
tia adiit sanctum Hilarium Pictaviensem Episco-
pum præclarissimum, cui & studiose adhæsit, ab eo
creatus exorcista: ægrè quoque & mœstus ab eo
tandem discessit, divino oraculo jussus ire in pa-
triam; postque reversus ad eundem Hilarium, ibi
monasterium sibi collocavit, ubi eo Magistro in o-
mnibus uteretur.

XI. *Senes à pedibus.*

XI. Senibus pedes congruunt. Primò enim
omnium, pedibus apprehenduntur à morte senes.
Jam vero pedes anserum potentissimi sunt frigoris,
unaque solidissimi adeo ut vel uno in pede diu stare
in glacie queant. Horum ergo exemplo senes fir-
miter persistant in senii miseriis, etiam super uno
pede, spe nimirum cœli, tametsi vel sola ea supersit
& alia mundi hujus absint solatia. Cogitent pau-
lo post frangendam esse glaciem. Sic se solabatur
B. Joannes Vischerus Episcopus Roffensis cùm ob
fidei Catholicæ defensionem ab Henrico VIII. An-
glo gladio adjudicatus esset. Theatrum enim sup-
plicii ascendens cùm podagra laboraret, senioque
confectus difficulter ascenderet, sic allocutus est
pedes suos: *Eja facite officium pedes, parum vobis
via restat*. Nicolaus Sand. de schis. Angl. lib. primo.
Cogitent & senes hoc. Ita enim & Martinus labo-
ribus & jam exhaustus; 81. annorum in mortis con-
flictu dicebat: *Domine si adhuc populo tuo sum ne-
cessarius, non recuso laborem*; paratus adhuc tot la-
boribus addere labores.

XII. Os pectoris communiter arripiunt sibi
pueruli, idque ad saltus edendos adhibent. De-
tur igitur illis, ut habeant in eo quandam etiam
mortis imaginem, sciantque mortem incertos &
inexpectatos facere saltus: neque solummodo in
senes, sed etiam in juvenes ac puerulos insili-
re. Qui in acie militari stantes cum hoste confli-
gunt, omnes in periculo ac timore sunt; quia nesci-
unt in quos cadant æneæ pilæ è bombardis hostili-
bus emissæ. Par ratio de mortis jaculis, quæ ve-
lut cœca in incertum jaculatur. Quid facilius
quam mortiferum cibum aut potum sumere? San-
ctus Martinus adhuc juvenis in Gallinaria Insula
helleborum, venenatam herbam, in cibum inscius
sumpsit, indeque enectus fuisset, nisi vicinam jam
mortem precibus avertisset. Idem contingere cum
mille aliis periculis potest tam juvenculis quam de-
crepitis.

Sic ergo Auditores sic comedendus anser hodie:
ut anser materialis sit vobis solùm patina. Sanctus
Martinus verò seu virtutes ejus sint vobis cibus.
Cibum edite, patinam relinquite. Deinde unus-
quisque suam, non alienam, partem comedat, sci-
psum non alios naso, ut loquimur, apprehen-
dat. *Comedite amici & inebriamini*
hoc cibo *charissimi*.



THEMA III.

Anſeres aliquot aſſati vitandi.

I. *Magnatibus nimia auſteritas.*
II. *Eccleſiaſticis impudicitia,*
III. *Civibus avaritia.*
IV. *Filiis contumacia.*
V. *Conjugatis perfidia.*

Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit. Luc. 11.

SAnctus Wolſtanus Epiſcopus Wigornienſis in Anglia, qui vixit circa annum Domini 1064. die quadam ad placitum exiturus, miſſa celebrata cibum ſumere ſtatuit, cumque appoſita igni auca ſeu anſere, nidor aduſtæ carnis nares celebrantis appleviſſet: odor mentem avocavit. Sed cùm diu reluctans, cogitationem avertere non poſſet, juramentum ad ſacramenta, quæ tractabat, fecit, nullo ſe ampliùs pacto id genus cibi comeſturum. Completa igitur miſſa jejunus ad negotium diſceſſit. Ita Bravonius Monachus Wigorni, apud Surium 19. Januarii. Conſuetum eſt hoc die anſerem aſſare & in cœnam dare. Hujus anſeris nidor forſitan jam nunc nares aliquorum replet; dum rei divinæ interſunt: neque tamen illi propterea, ut arbitror, anſeres abjurabunt Sed non decet, ut hoc nidore mens à cogitationibus piis in templo avocetur. Quare ne vos vexet talis nidor in hoc loco, aut etiam in menſa lædat, exhibebo vobis anſeres alios, quorum nidorem ſi olfeceritis, ſpero fore ut anſeres tales perpetuò abjuretis. Varios variis dabo, non ut eos comedant, ſed ut tetro eorum nidore percepto, ab iis abhorreant.

I. Primus ſpectat ad Magnates, nimiùm ſeveros erga ſuos ſubditos. Ex horum numero Carolus Navarræ Rex, Francorum Regis gener, cùm innumeris tributis ſubditos oneraret, conqueſti fruſtrà licet optimates; alii compedibus vincti, alii extrema metuentes nihil non auſuri per deſperationem erant, & ſola morte Navarri liberari poterant. Quare cùm is libidine exhauſtus calefieri non poſſet, linteis aqua viva perfuſis inſutus, dum qui inſuerat, filum candela abrumpit, flamma graſſante correptus, toto corpore ambuſtus adeoque toſtus eſt, ut poſt biduum expirarit, magno ſubditorum gaudio, non magno ſuorum luctu; anno Domini 1387. Æmilius libro 9. Juſta, ut apparet, fuit hæc punitio. Quia enim immanis iſte Princeps ſubditos deplumavit nimiis exactionibus ac quodammodo aſſavit devoravitque, deplumatus & ipſe atque aſſatus eſt, ut (quod timendum) eſca Dæmonum fieret. Audiant optimates Deum conquerentem per Michæam capite 3. *Comederunt carnem populi mei & pellem eorum deſuper excoriaverunt, & oſſa eorum confregerunt & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ.* Quod Chaldaica paraphraſis ſic explicat: *Rapientes facultates populi mei, & pecuniam eorum pretioſam auferentes, & reliquias eorum conſumentes &c.* Pecunia enim eſt hominis anima, ſanguis & vita. Quid mirum ergo ſi talionem recipiant tales pauperum ſanguiſugæ ſaltem in altera vita? Eandem ob cauſam clamorem Sodomorum & Gomorrhæorum aſcendiſſe in cœlum vult ſanctus Chryſoſtomus homilia 42. in Geneſin: *Clamor ille*, inquit, *opinor ſignificat, quod ſurrexerunt potentiores ditioreſque contra pauperes &c.* Unde & ipſi igne cœlitus lapſo aſſati & combuſti ſunt, ut & ipſi Dæmonum eſca fierent. Bene enim Ludovicus duodecimus Rex Franciæ dicebat, *plebem & ruſticos eſſe paſcua tyrannorum & militum: tyrannos autem & milites eſſe paſcua diabolorum.* In Annal. Franc.

II. Secundus, ad Eccleſiaſticos, qui turpem & Epicuream vitam ducunt. Habent iſti anſerem horrendum in modum aſſatum in Flandriæ comitatu, de quo alibi dixi. Quia enim *ignem alienum*, cupiditatis, libidinis, gulæ admiſerat in cor ſuum, jure igne torreri merebatur. In cujus rei ſignificationem filii Aaron, Nadab & Abiu, quia ignem profanum ad ſacrificium adhibuerunt, ab igne, correpti & aſſati ſunt. Levit. 10. Terribilius eſt, quod Petro Cluniacenſi teſte lib. 1 Mirac. cap. 25. expertus eſt ſacerdos carnis fœdis voluptatibus deditus, qui in morbum incidens, cùm aliquot horis à ſenſibus deſtitutus jacuiſſet, tandem ad ſe reverſus, alto & amaro ſuſpirio ducto ait: *Eheu ad judicium æternum raptus ſum, & heu miſer æterna morte damnatus. Ecce ignita ſartago, plena bulliente adipe, quam coram me tormentorum miniſtri tulerunt, eamque ad me frigendum undique accenderunt.* Simulque exiliens gutta una inſpectante Priore Bonævallis in manum ejus prolapſa eſt & momento cutem & carnem ad intima oſſium penetravit: ipſe poſt pauca reflexa cervice expiravit.

II Eccleſiaſticis impudicitia.

Trip. Dom. 10 poſt Pent. c. 5. ad fin.

III. Tertius, ad cives & opifices plus æquo pecuniis addictos. Ex horum numero videtur fuiſſe lanius quidam ex Gorcomenſi Hollandiæ oppido, nomine Henricus Kock, cætera vir pius, qui cùm anno Domini 1448. domus ejus, ex candela ardente in ſtramen incidente, incendio correpta eſſet, una cum filio ægrè admodum incendium evaſit. Verum corpore liberatus pro pecuniæ amiſſione ſolicitus, non timuit iterum ſe furentibus flammis objicere; (quod ſanè indicium fuiſſe videtur, immodici erga nummos amoris.) Itaque domus jam undiq; flammis penè vaſtata, priuſquam ad nummorum conclave veniret, ſuper eum corruit. Hic dum flammis uritur, jam non de nummis ſed de animæ remediis ſolicitus, divam Barbaram invocat, quam ſingulis diebus veneratione aliqua colere conſueverat. Finita prece à S. Barbara per tectum ſtramineum educitur

III. Civibus avaritia.

ditur & in tuto collocatur, promissa ei vita usq; ad auroram. Hericus toto corpore fœdissimè adustus, hiantibus in inguine vulneribus, extis nudatis, mēbris tremore rigescentibus & inflexibilibus ac ferri instar rigidis, capillis cum cute à capite defluentibus & in genis hærentibus ad domum Dierwerdæ filiæ solus pergit; atq; inter eundum ardentes pedicæ à corpore defluebant; horrendum mortis simulachrū Iumi confluentes ad se populos, confortatus à Deo, hortabatur omnes ad terrenorum contemptum & cælestium amorem, atque ut Deum in sanctis suis laudarent: deniq; facta omnium peccatorum confessione, sumptoq; sacramento piè Deum precatus, spiritum ei reddidit magna omnium ædificatione. Ita scribit Theodoricus Pauli, loci illius sacerdos, qui & cōfessionem ejus se audivisse, & sacramenta ei administrasse testatur, apud Lipell. in vita S. Barbaræ 4. Dec. Ecce quomodo modici argenti sitis assavit miserum hominem? Hoc est quod dixit S. Jacob cap. 5. *Aurum & argentum vestrum manducabit carnes vestras sicut ignis*. Et justè avaritia igne punitur, quia & ipsa ignis instar *nunquam dicit sufficit*; sed vicina omnia ad se rapit & devorat, ut exponit S. Basilius hom. 15 de Avaritia. *Igne vehementior est*, inquit, *omnia continuando finibus suis occupat: ea quæ sunt vicini sibi aufert. Mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit.* Exemplo est Achab rapiens ad se vineam vicinam, 3. Reg. 21.

IV. Fil. is con- tum. vacia.

IV. Quartus ad filios immorigeros ac contumaces. Ex horum numero an. 564. Chramnus, Clotharii Francorum Regis filius, rebellavit patri, bello Saxonico implicito (eò quod nollet pater eum ante tempus Regem creare Aquitaniæ) & varia cōtra eum bella gessit. Tandem filio in Britanniam se recipiente, eum insecutus pater cum suis copiis, imploravit supplex divinam opem contra incorrigibilem natum. Inito autem certamine non modò fudit fugavitque filii exercitum, sed etiam filium comprehendit, navi jam parata fugam molientem, totusque ira percitus inclusit cum uxore & filiabus in rusticano tuguriolo, scamnoque stola alligatum igne undique circumposito incendit & consumpsit; postquam pridem captum, & ope S. Martini, qui invocato suo nomine sæpius ejus vincula ruperat, liberatum dimisisset. Bellefor et, in Clothario S. Gregorio Turon. l. 4. hist. Franc. cap. 16. & 20. ubi etiam scribit eum, cum aliquando in Divionense Galliæ castrum venisset, de futuro suo tristi eventu præmonitum. Ipso enim petente Episcopus tres libros aræ imposuit, Prophetarum unum, alterum Apostolorum, tertium Evangelii. Aperto primo fortuito repererunt sententiam illam Isaiæ: *Auferam sepem ejus & erit in desolationem.* Aperto 2. illā Pauli 1. Thess. 5. *Dies domini sicut fur in nocte, ita veniet: cùm dixerint pax & securitas.* Aperto 3. illam Matt. 7. *Omnis qui audit verba mea & non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam &c.* His tamen divinis monitis ille non correctus perrexit in sua contumacia. Omnia ergo hæc ipsi ordine evenerunt. Ablata est ei maceria & mansit desolatus, quando fugatus est ejus exercitus. Dies domini sicut fur ei venit, quando à patre, dum navi parata fugam cogitaret, comprehensus est. Domus super ipsum cecidit, quando incendio conflagravit, ipsum etiam cum uxore & duabus filiabus consumpsit.

V. Quintus ad mulieres, quæ viris suis infideles sunt. E quarum numero fuit Maria Aragonia, Ottonis 3. Imp. conjux sterilis & impudica, circa Annum Dom. 984. Hæc inprimis juvenem muliebri habitu secum circumducebat, quo abutebatur, dum cubiculariæ domicellæ officium gereret. Hoc cùm Imperatori innotuisset, juvenis denudatur & masculus deprehenditur, inde judicio damnatus vivus exuritur. Maria ad præsens quidem amicorum intercessione veniam impetravit. Postea verò Comitem Italicum Mutinensem, præstantis formæ ad stuprum solicitavit: sed cùm vir optimus tantum nefas aversaretur, illa per calumniam & falsos testes de attentata violenta, non secus ac Josepho domina, ipsum accusavit. Commotus Imperator eum decollavit, non obstante quavis contradictione. Quid ageret conjux Comitis? Caput innocentissimi mariti, ab ipso prius edocta, sustulit eoq; ad certum Comitiorum diem, quo Imperator omnibus jus dicebat Imper. adiit quærens, quid meruisset ille, qui justè cōdemnasset & occidisset proximum? Imperator reum mortis asserit. Tunc depromit viri caput, ejus innocentiam igne comprobatura. Itaq; in accenso rogo una cùm viri capite illæsa stetit, (alii laminā ignitam tenuisse asserunt,) Convictum se Imperator videns, inducias poposcit, interim conjugem suam ream deprehendit; itaque eam, quæ Veneris igne male arserat, carnificis manu in rogum conjectam flammis absumi jussit. Refert Godefridus Viterbiensis, Cranzius l. 6. Sax. c. 26. aliiq; plurimi. Quale spectaculum Audit. videre Imperatricem, filiam Regis in rogo collocatam comburi! Discite quantum malum sit peccatum; nec miremur amplius, si Deus id igne puniat, quando & homines ita plectunt sibi etiam conjunctissimos, maritus uxorem. Eant nunc uxores illæ, quæ juxta maritos suos alunt adamantque juvenes, & quid mereantur, judicent. Viderint mariti, qui tales patiuntur. Dux quidam Oppaviæ, talem juvenem cum nupta sua ex Lituania pensili lectica & molli in lecto adductum, ubi deprehendit, canibus laniandum objicere voluit: prohibitus tamen ab amicis, confestim abire, unde venerat, jussit. Æn. Sylv. l. 4. Comment.

Hi sunt, quos promisi, anseres Audit. Produxi autem non ut inde quid gustetis (absit hoc ab omnibus) sed ut tetro eorum nidore percepto toto pectore abhorreatis, imò eos & horum similes in æternum abjuretis.

THEMA IV.

Sanctus Martinus quo jure Martyr appellari possit.

1. *Quia in voto martyr fuit.*
2. *Quia multas persecutiones sustinuit.*
3. *Quia vitæ austeritate seipsum affligebat.*
4. *Quia in dignitate Episcopali, vitam egit pauperem.*

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Luc. 11.

PUlchrum nobis lumen accendit hodie Ecclesia, dum de S. Martino in Vesperis cantat: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.* Quibus sane verbis Martinum Martyribus accenset; ideoque in Matutino ejus Psalmos de Martyribus, non de Confessoribus, legit. Consentit cum Ecclesia S. Bernardus, qui in serm. de sancto Martino appellat eum *Martyrem devotissimæ voluntatis.* Pulchrum inquam, hoc lumen est, posse etiam fieri, ut Confessor aliquis, qui pro Christo & justitia sanguinem non fundit, possit dici Martyr & martyrii palma donari. Sed videndum, ne lumen hoc, quod accenditur nobis, tenebræ sint: videndum, inquam, quo jure & ratione sanctus Martinus martyr appellari, martyrumque albo adnumerari possit, quod hic faciemus.

Sic vocari potest I. quia votum seu voluntatem ac desiderium martyrii habuit, cui se non semel, sed multoties obtulit; nec aliud ei defuit nisi persecutoris gladius. Scimus voluntatem Abrahæ, qua paratum se exhibuit ad immolandum filium, reputatam esse à Deo pro opere: *Quia fecisti hanc rem,* inquit, *& non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Genesis vigesimo secundo. Pepercit sane Abraham filio, quia non immolavit; verùm quia ad immolandum eum jam se accinxerat, rectè non pepercisse sed immolasse eum dicitur; nec minorem mercedem reportavit, quam si actu eum mactasset. Jam verò quoties Martinus morti se objecit pro amore Christi impio Juliano, pusillanimitatem sibi exprobranti dixit, se crucis signo armatum, fore paratum ad perrumpendum hostium cuneum. Pinum arborem Dæmonis cultui dedicatam pro conversione rusticorum, qui ejus hortatu excisuros se illam dicebant, si casuram excipere vellet, stans intrepidus jam in se ruentem expectavit, tametsi signo crucis in adversam partem deflexit. In pago Heduorum, cùm fanum Idololatricum verteret, *furēs rusticorum turba irruit in eum. Cumque unus, audacior cæteris, stricto eum gladio peteret, rejecto pallio nudam cervicem percussori præbuit. Nec cunctat est ferire Gentilis: sed cùm dexteram altiùs extulisset, resupinus ruit, consternatusque divino metu veniam precabatur.* Denique Sulpitius in Epistola secunda ad Aurelium Diaconum, hæc de ipso Martino, sibi familiariter noto scribit: *Licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia voto atque virtutibus potuit esse martyr & voluit. Quod si Neronianis Decianisque temporibus in illa, quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atque terræ, sponte equuleum ascendisset; ultro se ignibus intulisset, Hebræisque pueris æquandus inter flammarum globos media licet hymnum Domini in fornace cantasset,* sic ille; addens, nec serram Isaiæ futuram ipsi fuisse terribilem, gladium Pauli verò acceptabilem &c. Itaque non unam sed plures mortes sustinuit, ut posset dicere cum Apostolo: *In mortibus frequenter,* 2. Corinth. 11. Quemadmodum enim Paulus non nisi unam pro Christo mortem actu sustinuit, plures tamen, quibus se obtulit, voluntate: ita & Martinus. Unde sanctus Chrysostomus homilia 11. in Genesin super illa Pauli verba ait: *Estne possibile, ut quis sæpe moriatur? Etiam,* inquit, *quamvis non mortis experientia, attamen moriendi proposito.* Et in id Apostoli 1. Corinth. 15. *Quotidie morior,* homilia in Psalm. 95. ait: *Quomodo moreris, qui vivis? Moriebar proposito, sed servatus sum gratia Dei.* Pulchrum & salutare est hoc lumen, scire quod Deus voluntatem, quantum in ipsa est, efficacem, accipiat & coronet pro opere. Unde bene quidam dixit: *Quidquid efficaciter vis, hoc eris.* Vicissim etiam cogitandum in malis propositis solam voluntatem valere pro opere, nihilominus pœna dignam. Agnovit hoc docente & redarguente conscientia Ruben, cùm dixit fratribus suis: *Nunquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum, & non audistis me? En sanguis, ejus exquiritur.* Genes. 42. Sed quomodo sanguis, quem non fuderunt? Quia, ut sanctus Chrysostomus hom. 65. in Gen. ait, *quantum ad propositum vestrum occidistis: licet enim non per gulam gladium transmiseritis, barbaris tamen viris eum vendidistis, & difficiliorem ei servitutem excogitastis.* Notam puto historiam Guilhelmi Tellii Uraniis Helveti, qui à Præfecto Gislero jussus filio suo pomum de capite ejaculari; cùm fæliciter tetigisset pomum illæso filio, addidit se, si filium læsisset, in altero jaculo ab ipso Præfecto non fuisse aberraturum. Prava hæc ejus voluntas, à Præfecto intellecta, in vincula eum compegit, reum mortis factura, nisi is alia fortuna evasisset. Stumpfius in Chron. Helvet. Videnc igitur homines ratam & deliberatam peccandi voluntatem valere & haberi pro opere non videat id Deus? Quare nemo se decipiat, quasi Deus non voluntatem, sed opus tantum judicio suo subjecturus sit, Hoc fecisti, quod facere voluisti.

II. *Quia multas persecutiones sustinuit.*

II. Quia tot persecutiones sustinuit & fortiter vicit, quot non pauci martyres; tametsi in iis non occubuit. Certe ob solam patientiam sanctus Chrysostomus hom. 5. de patientia Job, Jobum martyrem appellat. Et hom. unica de S. Job. *Est profecto magna gloria martyrum: sed nescio utrum minor gloria fuerit sancto Iobo.* Et hom. 1. in 2. ad Corinth. *Qui est martyr, cui hic non possit æquari? Imo martyres innumeros hic unus æquat.* Denique hom. 25. ad populum *Multis martyribus graviora passus est. Et illorum succedentium sibi nunciorum voces omni plaga sævius percutiebant, & innumeris tortoribus acerbius vermium illorum ora eum undique corrodebant. Cui non itaque dignus hic sit martyri comparari? Innumeris equidem.* Sic ille. Jam vero Martini nostri patientiam audiamus ex sancto Bernhardo, serm. in ejus Festo: *Cæterum persecutiones,* inquit, *quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare; quomodo apud Iulianum Augustum in civitate VVangionum intrepidus, imo & illato terrore constantior, custodia mancipatus est, ut inermis postero die Barbaris opponeretur: quomodo circa alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arrianus graviter insectatus, multisque appetitum injuriis tandem de civitate exturbavit: quomodo & alibi prius adversus sacerdotum perfidias acerrimè pugnans, suppliciis fuit affectus, publicè virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est &c. & quomodo eum alter cum cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis.* Sic Bernhardus. His adde plagas, fustes & contumelias, quas à militibus quibusdam in itinere ob eorum equos, aspectu Martini (utpote vestitu horridi) pavefactos accepit in via publica; ut planè cruentus & corpore laniatus in terram procumberet, quæ omnia Martinus summo silentio pertulit, ita ut percussores inde magis irritarentur. Taceo Brictium, ejus discipulum, qui eum contumeliis sæpe onerabat, & velut alter Judas vexabat; quem tamen ipse patientissime ferebat. Jam verò *non solum dilaniari & excarnificari,* ait sanctus Chrysostom. in Ps. 127. *sed etiam cùm dolor impellit ad blasphemandum: toleranter potiùs ferre laborem & nihil turpe & inhonestum dicere, facit martyrem.* Servit etiam nobis non mediocriter lumen hoc, quando intelligimus posse etiam nos martyrii palmam sine sanguine acquirere, modo in persecutionibus & tribulationibus nostris patientiam conservemus. Quantum hoc est miserorum solatium! Non possumus sanguinem pro Christo dare, quando non est persecutor; sed possumus injurias patienter ferre & condonare. *Ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione,* ait S Greg. hom. 35. in Evang.

III. *Quia vitæ austeritate seipsum affligebat.*

III. Quia vitæ austeritate & continuis mortificationibus seipsum insuper conficiebat & frangebat: quam vitæ austeritatem martyrio comparant SS. Patres. Divus Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. ait: *Tentatus es spiritu fornicationis: sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis & corporis castimoniam non putasti: martyres Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, indefensæ viduæ jura temerares, & tamen contemplatione cœlestium præceptorum, opem magis ferendam, quàm inferendam injuriam judicasti: testis es Christi.* Et mox: *Tentatus es spiritu superbiæ, sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti: testis es Christi.* S. Bernhardus serm. 30. in Cant. *Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Et serm. oct. Paschæ: *Est martyrii genus & quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione.* Accedit S. August. serm. 46. de Sanctis: *Absque injuria Sanctorum,* ait, *in persecutionibus defunctorum, dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est.* Jam vero S. Martinus, qua non afflictione maceravit imprimis & subegit carnem suam? Victus ei parcissimus, creberrima jejunia in Gallinaria Insula radicibus tantùm victitabat. Vestitus ejus asper & horridus, ita ut equos terreret. In ejus, quod extruxit, monasterio *cibum una omnes post horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegit. Plerique camelorum setis vestiebant: mollior ibi habitus pro crimine erat.* Lectus ejus nuda humus, ad summum stramine instrata; quod cùm aliquando ignem concepisset, & ipse ostium ad fugam capessendam aperire non posset, mediis flammis totus ad Dominum conversus incubuit: sicque eas sensit rorantes, quas prius senserat urentes. *Apud Parisios dum portam civitatis illius, magnis secum turbis euntibus, introiret, leprosum mirabili facie, horrentibus cunctis osculatus est.* Denique *tantam adversus omnes patientiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos unquam à loco amoverit, aut à sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit. Nemo unquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridentem: unus idemque semper &c.* Ita Sulpitius. Ecce vobis novum lumen. Possumus & nos ista, si volumus ratione martyres evadere; si contra carnem propriam, contra passiones, mundi & Dæmonis tentamenta strenuè pugnaverimus. Quamob causam S. Hieron. S. Paulam, quæ ex nobilissima matrona Rom. amore Christi pauper facta asperam in Bethlehem vitam egit, martyrem vocat: *Quo magis gaudeas,* inquit ad filiã ejus Eustochium in vita Paulæ, *mater tua longo martyrio coronata est, non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis. Hoc ergo dico,* ait S. Augustinus sermon. 60. ad frat. in Eremo, *quia*

omnis

omni tempore ſunt martyria, ſunt & perſecutiones. Et ſupra: *Omnia quæ in mundo ſunt, perſequuntur Chriſtianum: ſi Chriſto ſervire voluerimus, & parentes noſtri nos perſequuntur. Quicumque diſſimilis noſtri eſt, perſequitur nos & odio nos habet. Miramur ſi alii nos perſequuntur: ipſum corpus noſtrum nos perſequitur. Si comedero paululum & corpuſculum meum fuerit robuſtum, ſanitas corporis mei perſequitur animam meam. Quocumque me vertero, perſecutio mihi eſt. Si videro mulierem, oculus meus perſequitur me: cupit enim interficere animam meam. Si videro divitias, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſionem, ſi delicias corporales, ſi pulchra veſtimenta, quodcumque videro, perſequitur animam meam. Non putemus tantùm in effuſione ſanguinis eſſe martyrium; ſemper martyrium eſt Chriſtianis* Sic ille.

IV. Quia in dignitate Epiſcopali vitam pauperem & religioſam duxit, in monaſterio à ſe ædificato & lignea ejus cellula; vili & aſpero veſtitu, nihil habens proprium, degens inter fratres Monachos quaſi unus ex illis: Xenium aut munus nullum accepit: centum argenti libras dono ſibi oblatas, priuſquam Monaſterii limites attingerent, captivis redimendis deputavit, ut in ejus vita Sulpitius. Jam verò ſanctus Bernhardus in ſermon. 1. de omnibus Sanctis ita ſcribit: *Quod ſibi vult, quod eadem promiſſio* (videlicet *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*) *facta eſt pauperibus & martyribus, niſi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria eſt? Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas affert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic certaverit mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ipſo triumphans & crucifigens concupiſcentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.* In Muſica ſeptem diſcrimina ſunt vocum; quarum prima repetitur in octava, ſed altiore vel humiliore, ut norunt Muſici, prima & profundiſſima eſt paupertas, qualis erat Macedonum, quam Apoſtolus 2. Corinth. 8. vocat *altiſſimam*, Græcè βαθος, hoc eſt *profundiſſimam*; quia uſque ad fundum exhauſerant ſe, ut ſuccurrerent pauperibus Chriſtianis. Illa ergo deducta in octavam, ſit altiſſima, ut etiam ſanguinem pro Chriſto det: interim tamen eundem cum paupertate tenorem refert, ſimilemque mercedem. Atque ut omnes tenorum varietates videamus; Primi, pauperes ſpiritu, dant Deo pedes, primam corporis partem, ad portandum corporis molem, ad ingrediendum lutum & gerendas ſordes. Secundi, mites dant dorſum ad ferendas plagas. Tertii, qui lugent, dant oculos ad fletum & compaſſionem. Quarti, eſurientes & ſitientes dant inanem ſtomachum. Quinti, miſericordes, dant manus ad elargiendum. Sexti, mundi corde dant cor mundum, ab omni peccati labe ſtrenuè defenſum ac ſervatum. Septimi, pacifici dant os ſeu linguam ad conciliandam pacem & concordiam inter diſſidentes. Qui demum octavo loco, perſecutionem & martyrium patiuntur, dant Deo caput ſeu vitam; quam quidem pedes, hoc eſt, pauperes, non ſimul & ſemel uti martyres, ſed ſenſim diuturno labore, contemptu & afflictione Deo impendunt. Habent igitur pauperes ſpiritu, ſive ſponte eligant paupertatem in religioſo ſtatu, ſive immiſſam à Deo libenter ac gaudenter amplectantur, expeditam ad coronas Martyrum viam. Ferant tantùm magno animo egeſtatem ſuam, & Martyres habebuntur, quaſi proximi eorum agnati: contemptus enim rerum omnium poſſeſſarum videtur æquivalere contemptui vitæ & ſanguinis.

Trip. aliud martyrium ex S. Bern.

Denique S. Bernh in ſententiis ait: *Martyrium ſine ſanguine triplex eſt. Parcitas in ubertate, quam habuit David & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias & vidua: caſtitas in juventute, qua uſus eſt Ioſeph in Ægypto.* Si quis ergo nec votum ac deſiderium habet martyrii, nec perſecutiones magnas ſuſtinet: nec jejuniis ac plagis conficere corpus poteſt: nec denique paupertatem colere; quærat ſibi viam ad coronam Martyrum, è tribus iſtis modis: ſobriè & temperanter vivat in menſis opiparis: tribuat amanter & hilariter in ſua inopia: ſervet caſtimoniam in ferventi ætate: & proximus erit Martyribus.

Jam verò martyrem eſſe & appellari tanta gloria eſt, ut vel Angeli in cœlo, ſi corpora haberent, eam invidere hominibus poſſent. Permagni olim æſtimabatur gaudere jure civitatis Rom. adeoque civem Rom. appellari, quique tales nati non erant, multa ſæpe pecunia dignitatem illam ſibi comparârunt; uti Centurio ille, qui Paulo dixit, Act. 22. *Ego multa ſumma civitatem hanc conſecutus ſum.* Habuit hæc civitas aliquot privilegia, ſed quàm vilia & exigua! Poſſe ad honores & Magiſtratus gerendos evehi; ſed per quot pericula ad quantum periculum! Poſt admiſſum crimen non poſſe plecti cruce & verberibus! nunquid & infamia carere? At verò concivem eſſe Martyrum, qui pro honore Chriſti uſque ad ſanguinem decertarunt, tanta gloria eſt, ut admirentur eam Angeli, participare verò nequeant. Quare qui hanc dignitatem ſuo ſibi ſanguine non poteſt comparare, ita ut propriè dictus & quaſi natus Martyr appelletur; conetur eam aliis modis, quos enumeravi, conſequi, quantumvis multa ſumma perſecutionum, pugnarum, mortificationum, eleemoſynarum, deſideriorum, &c. ut ita Martyrum concivis & Collega in cœlo eſſe mereatur.

THEMA V.

Cœlum quomodo aspiciendum.

1. *Velut mirificum Dei opus.*
2. *Velut penus noster.*
3. *Velut patria nostra.*
4. *Velut asylum.*

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Matth. 6.

S. Martinus cœli contemplator.

NOn video qua in re melius Sanctus Martinus comparari cum ansere queat, quàm in eo, quod quemadmodum anser subinde cœlum altero intuetur oculo, & quodammodo à discipulo suo Bricto quærentibus Martinum, demonstratus est non alio, quàm indicio hominis deliri cœlum intuentis. Id quod etiam moriens facere non intermisit. Qua in re utique laudandus est, nec dubitandum, quin id amore cœlestis patriæ ipsiusque Dei fecerit. Jam verò multi quidem Christianorum cœlum subinde aspiciunt, sed non uti Martinus. Alii enim ut siderum cursum observent, uti Astronomi; alii ut tempestatum conjecturam faciant, velut agricolæ; alii ut horam diei discant, uti nos passim. Sed aliud est aspectus cœli, quem nos Sanctus Martinus & Sacrosanctæ litteræ docent, nosque hic aperiemus.

I. Velut mirificum Dei opus.

I. Cœlum aspicere nos decet velut mirificum Dei opus, ex quo summam Architecti summi virtutem & majestatem indagare possumus, juxta id Apostoli ad Roman. primo. *Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Id quod Psalm. 8. David fecit: *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum! Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum &c. Cœlos tuos*, ait, quod ipsius architectus nemo alius nisi ipse DEUS esse possit, *opera digitorum*; quia ea summa facilitate, & subtilitate fecit: (Quæ enim digitis fiunt subtiliora sunt, quàm quæ manu & brachio) summa item consonantia & harmonia quasi opus organicum. Cœli verò enarrant gloriam Dei, primo ob naturam suam incorruptibilem; secundò ob immensam magnitudinem; tertio ob rotunditatem perfectissimam; quarto ob motum celerrimum, perpetuum, ordinatissimum; quintò ob eorum varietatem mirè cohærentem; sexto ob luciditatem & ornatum septimo ob miram efficacitatem & operationem in sublunaria; octavo ob eorum motores Angelos. Quæ omnia, siquid aliud, Deum ejus opificem admiranda sapientia, potentia, bonitate præditum demonstrant; ut eum inde agnoscere, admirari, colere, laudare, timere & amare super omnia debeamus. Ad hoc enim homo erectus, à Deo creatus est, ut in cœlo velut divino quodam libro legat & agnoscat suum creatorem; quod vel Ethnici observarunt; uti Ovidius canens: *Os homini sublime dedit cœlumque tueri.* Empedocles cur viveret, rogatus, *ut cœlum aspiciam*, ait, *Tolle cœlum & nullus ero.* Quare qui hoc nunquam faciunt, non tam homines quàm bestiæ videntur. Neque tamen sicut Empedocles dumtaxat id aspicere debemus, ut ibi velut in pictura hæreamus; sed ut inde creatorem agnoscamus, colamus & amemus. Unde Augustinus libro primo Conf. *Cœlum & terra clamant ut te amemus.*

II. Velut penum nostrum.

II. Velut penum nostrum (unser Speiß gwölb) unde alimenta nostra depromuntur nobis. Ob hanc causam, ni fallor, Christus Dominus Marci 6. pasturus populum quinque panibus, cùm priùs interrogasset Philippum: *Unde ememus panes?* mox, quasi penum ostendens, aspexit in cœlum; quod inde velut è penu depromendus sit panis noster, mediante Solis & pluviarum ope; quæ duo idcircò velut magna Dei beneficia etiam super injustos effusa commendat Christus Matth. 5, dicens: *Solem suum oriri facit & pluit super justos & injustos.* Solem *suum* vocat: quia absolutè nobis non debetur. Et quid si ad tempus eum nobis subtraheret? quid si pluvias, uti olim tempore Eliæ (ubi præ fame & penuria pascuorum ipse Rex Achab cum suis exire ad quærenda pascua coactus fuit) ad tres annos, cum dimidio suspenderet, adeoque cœlum (velut penum) ut loquitur ipse Christus Lucæ 4. *clauderet?* Idcirco Ecclesia quater in anno attollit ad Deum oculos ac manus in quatuor temporibus, petens ab eo in æstate frumentum, autumno vinum, hyeme oleum, vere herbas denique & arborum fructus. Id quod omnes etiam & singulos, exemplo Christi, facere decet, præsertim ante & post mensam: veluti catellos, qui in mensam dominorum defixos habent oculos, cibum præstolantes. Quod qui non faciunt, porci appellantur à sancto Chrysostomo homilia 83. in Matth. qui post cibum mensam calcibus evertunt; & glandibus vescuntur nunquam tamen oculos ad arborem, à qua gignuntur & decidunt, attollunt. De Ægyptiis scribit Seneca l. 4. nat. quæstio capite 2. *Nemo aratorum cœlum aspicit*, quia scilicet non de cœlo pluvias, quæ ibi raræ & modicæ valde, sed de Nili tantùm inundatione irrigationem agrorum suorum expectant; cùm tamen illam ipsam quoque Nili accretionem cœlo adscribere deberent. Ita ad amussim ingrati aliqui immediatas & inferiores tantùm causas suæ sustentationis observant, ad cœlum & Deum nunquam ferè oculos attollunt: agris & vineis suis, culinæ & cellæ suæ adscribunt fructus inde perceptos, vel etiam propriæ industriæ; sicque osculantur manum suam contra id Job. *Si osculatus sum manum meam!* c. 31. & *immolant sagenæ suæ.* Ha-

Trip. 11. p. Pom. K.

Habacuc.primo, quasi diceret: *Manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. trigesimo secundo.

III. Velut patriam nostram; non enim pro anseribus cœlum extructum esse dici solet. Unde Paulus ad Philip.tertio ait: Πολίτευμα, id est, *municipatus noster*, ut vertit Tertullianus, *in cœlis est* Eo spectasse videtur Christus, cùm Marci septimo, sanaturus surdum & mutum expuit in terram & *suspiciens in cœlum ingemuit.* Causam dat Euthymius, quod id fecerit misertus naturæ humanæ, quæ ob peccati transgressionem tot infirmitatibus & miseriis in hac terra subjaceret. Itaque expuendo in terram videtur eam execrari velut ergastulum miseriarum: suspiciens in cœlum, commendat nobis cœlestem patriam: & ingemiscit, quod adhuc amantes hujus exilii ad cœlum non aspiremus. Ita Sanctus Martinus, qui & vivens crebrò & moriens continuò sursum aspexit, nolens converti ad latus, ut cœlum potius, quo tendebat, quàm terram præ oculis haberet. Ita quoque sanctus noster Pater Ignatius cœlum subinde aspiciens dicebat: *Heu quàm sordet tellus, cùm cœlum aspicio!* Quin & mater septem Machabæorum ad natu minimum loquens, sic eum animat ad mortem: *Peto à te nate, ut aspicias ad cœlum & terram* (illud scilicet desiderando, hanc spernendo) *ita fiet, ut non timeas carnificem istum.* 2 Mach.7. De Daniele legimus Dan. sexto, eum in captivitate Babylonica detentum ter in die apertis fenestris, non versus Babylonem, sed versus Jerusalem flexis genibus orasse. Sic nimirum & nos non ad hujus terræ carcerem, sed ad cœlestem Jerusalem sæpius aspicere & aspirare decet: cujus pii operis ter in die faciendi admonet nos Ecclesia trino orationis pulsu, matutino, meridiano, vespertino.

Ad verò non omnes cum Daniele cœlum cogitant & Jerusalem: sed in terra potius remanere desiderant cœlumque sibi in terram stultè commutant: quemadmodum & Judæi multi in Babylone jam domicilio posito remanere, sibique principem nomine *Rohe Haggilub*, id est, *principem exulum* (ut Salianus refert) eligere, quàm ad patriam terram redire maluerunt; similes duobus illis fratribus Paduanis de familia Liminæa (apud Bernhardin. Scardeonum libro tertio descript. urb. Pad.) pro cœlo imaginario frustra dimicantes. Sic enim mundani pro cœlo prata, pro stellis boves desiderant & pro iis litigant; nec tamen quod contendunt acquirunt, atque ita cœlum simul ac terram perdunt.

IV. Velut asylum in tribulationibus nostris. *Velut asylum.* Hac intentione sanctus Stephanus inter lapides *intendit in cœlum.* Eadem casta illa Susanna à duobus iniquis senibus falsò accusata & ad supplicium jam ducta *flens suspexit in cœlum*; quia fiduciam habebat in Domino; moxque Deus misit Danielem, qui ejus innocentiam tutatus est. Habemus & nos magnopere cur hoc tempore ad cœlum suspiciamus & gemamus, videntes Christi Ecclesiam in his terræ partibus abduci ab hæreticis ad macellum, vastari, mactari, spoliari, fugari. Nos ergo saltem una cum ipsa aspiciamus in cœlum & Dei auxilium pro ejus ac nostra liberatione imploremus. Irascebatur Daniel, quod nemo Judæorum Susannæ causam ageret: *sic fatui filii Israel?* ait. Et quis non jure irascatur nobis, si in tanta afflictione pro matre nostra non flemus neque oremus? Sic stulti filii Israel? sic stupidi Christiani: Oremus ergo Deum, ut mittat Danielem, qui consilio: mittat Martinum aliquem, qui bellicositate sua eripiat Susannam è manibus iniquorum. *In nobis quidem,* (ait Josaphat, Rex in simili periculo) *non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Factumque ut fine pugna præmissis exercitui cantoribus, qui Dei laudes canerent, vincerent Hebræi hostibus semetipsos mutua cæde consumentibus, 2. Par. 20. Quando ergo nos in pari periculo versamur, quid superest, nisi ut oculos ad Deum dirigamus & oremus? Sane cùm vel una domus in civitate ardet, omnes confluunt & opem restinguendo incendio conferunt alius aquam, alius vascula, alius scalas, uncos alius adfert: quia ab una domo periculum imminet pluribus. Cur non magis succurrimus Reipublicæ nostræ Christianæ; maxime cùm immineant etiam nobis clades? Ergo unusquisque saltem privatam suam conferat opem, offerat Deo pro illa calamitate preces, missas, eleemosynas, communiones aliaque sua opera bona. *Ut, ita, sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus Domino in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Luc. 1.

(*.*)

IN FESTO S. CATHARINÆ.

THEMATA.

I. *Puritas mentis quantum bonum.*
II. *Gladius S. Catharinæ, seu castitas virginalis suadetur.*
III. *Fueritne Catharina virgo sapiens.*
IV. *Magna S. Catharinæ fortitudo.*
V. *Pœna inferorum cur æterna.*

THEMA I.

Puritas mentis quantum bonum.

1. *Deum sibi amicum facit.*
2. *Mentem serenat.*
3. *Reddit imperterritum.*
4. *Privilegio immunitatis communit.*

Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. 25.

Equites balnei in Anglia.

EQuites à balneo sunt, vel certè erant, in Anglia, instituti non contemnenda cæremonia, ut in libello de Ordinibus militaribus refertur. Pridie enim quàm initiarentur, post divinum officium sub noctem secedebant in cubiculum, ubi lectus erat stratus, & labrum balneatorium velis opertum. In hoc abluebantur; ut hoc symbolo discerent munditiem animi & corporis studiosissimè consectari. Mane votis nuncupatis, quibus se Deo & Regi obstringebant ad defensionem Religionis & Imperii, lato insignique pallio holoserico coloris hyacinthini induebantur, gladiosque Deo consecrantes aræ imponebant. Utinam Audit. ordo horum Equitum non modo in Anglia, sed in toto etiam orbe, præsertim Christiano, instituatur & propagetur! Hoc enim est, quod Deus tam serio inculcat per Isaiam cap. 1 dicens: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse.* Hoc quoque est, quod requirit à nobis Christus in hodierno Evangelio, dum vult omnes esse virgines, hoc est, puros ab omni labe peccati; nec non prudentes & paratos, hoc est, instructos charitate. Et en occurrit nobis hodie insignis planè hujus ordinis Vexillifera. S. Catharina, quæ uti nomen à puritate sortita est, (καθαρὰ enim Græce puram significat) ita mente & corpore pura fuit, in cujus rei testimonium, cùm capite truncata est, non sanguinem sed lac, puritatis symbolum, pro sanguine profudit; & à purissimis spiritibus, SS Angelis in monte Sinai humata est. Cum igitur habeamus & DEI serium mandatum, & tam præclaram ordinis Coryphæam, accingamur etiam nos ad ingressum hujus ordinis. Quod ut à vobis impetrem, proferam in medium aliquot ejus privilegia & ornamenta.

I. Deum sibi amicum facit. Ita testatur Sapiens Proverb. 12, dicens: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum amicum habebit Regem.* Quem vero Regem? terrenum quidem imprimis. Scimus enim in aulas Regum non admitti impuros, sordidos, turpes, labe aliqua corporis fœdatos: ut patet ex aula Nabuchodonosoris, qui non nisi *forma decoros* adolescentes sibi ministrare voluit. Dan. 1. ex aula Assueri, qui non nisi speciosissimas in gynæceum suum admisit puellas, Esth. 2. Longe vero plus amabilis est, non modo apud Deum, sed etiam apud Reges præditos virtute, puritas & integritas animi, tum quia talibus se suaque credere gaudent & regni gubernationem committere; tum quia inde pendet honor eorum. Si enim homines impuri in aulas irrepant, Regem infamant, quasi similis simili gaudeat: nec aliud agunt, quàm si nummos adulterinos, Regis imagine insignire & validos reddere velint. Jam si integritas animi conciliat sibi Reges terræ, quanto magis Deum, qui purissimus est, & fons omnis puritatis? Scimus quo altiora sunt elementa, eo puriora esse: quo depressiora, eo impuriora: cœlum quoque, quia supra omnia elementa est, eis longe purius: Angelus denique, quia mentes incorporeæ sunt, esse purissimos. Unde colligimus impuritatem nasci ex contactu inferiorum, ut cùm facies aut vestis nostra aspergitur à luto, vel cùm anima per affectum inordinatum inferioribus inhæret: ita puritatem oriri ex contactu superiorum, cùm effectus assurgit ad sublimiora, supremum autem adeoque simplicissimum ac purissimum ens est Deus. Unde quo purior quisque ab omni labe est, eò Deo vicinior, adeoque similior est; si similior, & charior, uti diximus. Hinc igitur Dominus Matth. 5. *Beati mundo corde,* inquit, *quoniam ipsi Deum videbunt,* quasi diceret: Beati velut Ephebi pueri & decori coram Deo stabunt, ut in illis sibi complaceat; quales describuntur Apoc. 14. Virgines 144000, quæ cùm sine macula essent, stabant ante thronum Dei, & sequebantur Agnum, quocumque ivisset. Econtrà eodem libro capite 22. clamat Joannes: *Foris canes,*

Puri ment. I Deum amic. facit.

nes, hoc eſt, immundi, quales habentur canes, excluſi ſint à cœlo. Scimus ſanè Judæos etiam legali immunditia quomodocumque contaminatos, templum ingredi non auſos; imò nec prætorium, comeſturos agnum typicum. Quantò minùs apparere coram Deo debent, qui mentem impuram habent? Neque ſolùm Deus, ſed neque Sancti ejus admittere in ſocietatem ſuam volunt aliquem, qui vel minima labe aſperſus eſt, uti aliàs oſtendimus in ſancto Udalrico Auguſtano, & Annone Epiſcopo Colonienſi; quorum uterque ad tempus ob venialem, quam contraxerant maculam, è Sanctorum cœtu repulſus fuit, donec eam abſtergerent.) Quare qui Deo placere & gratiſſimum offerre ſacrificium vult, cor mundum ipſi offerat. Ita enim S. Jacobus cap. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt, &c. Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Propterea etiam in veteri lege hoſtias requiſivit omni macula carentes, uti Levitic. vigeſimo ſecundo. *Immaculatum offeret, ut acceptabile ſit; omnis macula non erit in eo.* Quia nimirum Deus eſt puriſſimus & ab omni fæce remotiſſimus, adeoque per eſſentiam ipſa ſanctitas; qui proinde ſui ſimilibus delectatur, non diſſimilibus. *Vidimus nos*, inquit Fulgoſus libro nono, capite decimo quinto, *Franciſco Sfortiæ Mediolanenſi Duci, cujus aſpectu nihil gratius, nihil Principe magno dignius erat, juvenem in ſlevi ipſius armatura, vultu adeo ſimilem; ut aulæ totius conſenſu ob eam ſimilitudinem cognomento Princeps appellaretur: cùm Franciſcus, utpote omni in re humaniſſimus, non ſine voluptate in eo tanquam in ſpeculo imaginem ſuam ac pleriſque in rebus geſtus ſuos ac vocem agnoſceret & nonquam contemplaretur.* Ita nimirum Deus quoque in ſervis ſuis ſibi ſimillimis, qui ſunt mundi corde, ſeipſum quaſi in ſpeculo contemplans, ſibi vehementer complacet, qui & eſſentiali ſua beatitudine fruitur, dum contemplatur ſe in filio ſuo, ſibi per omnia æquali.

II. Mentem ſerenat, hilarem ac jucundam facit ac conſervat ſemper. Videmus arbores aliquas, quæ virorem ſuum perpetuò conſervant, etiam in auſtera hyeme. Videmus Solem ſemper retinere ſplendorem ac peragere curſum ſuum, nec vel minimum indignari, tametſi à nubibus, quas attraxit, ponatur ei ſubinde obſtaculum, quò minùs terram aſpiciat; illis enim longè ſuperior eſt, nec quidquam ei luminis demi à nubeculis poteſt. Tales ſunt mundi corde: ſemper in ſuo virore, ſua ſerenitate & animi tranquillitate; quidquid foris accidat, aut ab aliis ſibi irrogetur. Unde Eccleſiaſtici 27. dicitur: *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur.* Valetudinem firmiſſimam habuit Dux Caleb, tam robuſtus ad bellandum & gradiendum, cùm eſſet 85. annorum atque fuerat juvenis. Joſ. 14. Moyſes 120. *annorum erat, quando mortuus eſt: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti ſunt.* Deut. 34. ſeu ut eſt in Hebr. *non eſt obſcuratus color ejus, nec viror illius emarcuit.* Chald. verò *neq; mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus ejus.* Ubi indicatur ſplendorem illum lucis, quem ex conſortio Dei acceperat in monte Sinai, ei adhæſiſſe uſque ad mortem, uti etiam ſentit S. Ambroſius in Pſalm. 118. Abulenſis & Bellarminus lib. 2. de reliq. SS. cap. 4. Tales ſunt mundi corde: quia enim cœleſti lumine & puritatis divinæ imagine in animo roborati ſunt, ſemper juvenile robur, vires & lætitiam retinent, nunquam conſeneſcunt. Cernere id erat in S. Antonio, qui læto ſemper animo & vultu vixit ad annum ætatis 105. ſemper eundem tenorem & rigorem abſtinentiæ ac pœnitentiæ tenens, corpore æquè ac animo ſemper virens: quaſi juvenis, ut in vita S. Athanaſius. Idem de S. Abraham Eremita teſtatur S. Ephrem in ejus vita cap. 18. *Erat aſpectus ejus*, inquit, *quaſi flos quidam immarceſcibilis, atque in facie puritas animi noſcebatur. Sed & totum corpuſculum ejus, quaſi nihil egiſſet validum ac robuſtum apparuit, utpote qui divina gratia in omnibus frueretur, & jucunditate ſpiritualis lætitiæ potiretur &c.* Hic nimirum eſt ſplendor ille Moyſis, Dei gratia, quæ hunc vigorem ac lætitiam mundis corde ſemper infundit. Cur enim doleat is, qui ſe Dei gratia præditum atque innocentem novit?

Econtrà qui hac puritate carent nunquam verè ac ſincerè hilares eſſe poſſunt; ſicut nec oculus quieſcere aut bene habere, in quem pulvis incidit. Tenerrima enim eſt, velut oculus, conſcientia, & ſtatim turbatur ac lachrymatur, quando terreno aliquo affectu gravatur. Unde David Pſalm. 6. queritur: *Turbatus eſt à furore* (quo ſcilicet paulò vehementius exarſerat contra inimicos ſuos, ut exponunt Gregorius, Auguſtinus & Nyſſenus apud Lorinum) *oculus meus: inveteravi inter inimicos meos.* Ecce perdita animi puritate, non modò quietem conſcientiæ perdidit, ſed etiam juvenilem illum ſuum vigorem ac lætitiam, de qua Pſalm. 42. dixerat: *Introibo ad Deum, qui lætificat juventutem meam*; in virili jam ac propè ſenili ætate. Idem lamentatur Pſalm. 37. cùm ait: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea.* In quæ verba S. Auguſtinus: *Unde conturbatum eſt?* inquit. *& deſeruit me fortitudo mea. Plerumque irruit neſcio quid repentinum, fit conturbatio cordis: contremiſcit terra, tonitruus datur de cœlo, horribilis fit impetus vel ſtrepitus, leo fortè videtur in via, fit conturbatio: latrones inſidiantur, fit conturbatio cordis, pavetur, undique ſolicitudo incutitur. Unde hoc? quia deſeruit me fortitudo mea. Si enim maneret illa fortitudo, quid timeret? Quidquid nunciaretur, quidquid frenderet, quidquid ſonaret, quidquid caderet, quidquid horreret, non terreret.* Hinc perturbatio Adami, ut fugeret ſubter arbores quaſi à Deo poſſet ſe abſcondere: Caini in terra, quaſi à ſuis parentibus & filiis non eſſet ſecurus: Saulis irati, dum vult ſtabilire regnum filio Jonathæ, & interim lancea vitam eripere: Judæ, dum ſedaturus conſcientiam laqueo ſe ſtrangulat.

III. Reddit imperterritum.

III. Facit audacem & imperterritum quibusvis in periculis: quia non habet unde timeat, Deo teste & Judice innixa. Vidit hoc Græcorum Sapiens, Bias, qui interrogatus quidnam in vita metu careret, respondit: *Bona conscientia.* Melius adhuc Sapiens noster, Salomon, Proverb. 28. cùm ait: *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Aristoteles lib.5.anim.cap.13. scribit: *Leo in venatu dum cernitur, nunquam fugit ac metuit; sed etiamsi venantium multitudini cedere aliquando cogitur, sensim pedetentimque discedit, crebrò subsistens atque respectans.* Leo ergo cùm habeat fortissimum caput, & nôrit vires suas, nullum animal metuit: rugitu etiam suo omnia animalia terret, ipse verò à nullo terretur: ita justus confisus in capite suo, quod est Deus, novit se invictum adeoque omnia pericula & tormenta spernit. Hujusmodi leo fuit sanctus Chrysostomus cùm Episcopali throno dejectus ageretur in exilium, de quo ipse in Epist. 9. ad Cyriacum tom 5. scribit: *Etenim ego cùm à civitate fugarer, nihil horum curabam sed dicebam intra memetipsum: Siquidem vult Regina me exulem; agat in exilium: Domini est terra & plenitudo ejus. Et si vult secare, secet: idem passus est Isaias, subscribar illi. Si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor. Si vult in caminum injicere: idem passi sunt tres illi pueri. Si me feris vult objicere; objiciat; Danielis in lacum leonibus objecti recordabor. Si me lapidare vult; lapidet me: Stephanum habeo primum martyrem socium. Si & caput tollere vult; tollat: habeo socium Ioannem Baptistam. Si & substantiam auferre; auferat; nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam abibo. Me admonet Apostolus: Hominis personam Deus non accipit. Et si adhuc hominibus placerem, servus Christi utique non essem. Armat me David dicens: Loquebar coràm regibus & non confundebar.* Eadem confidentia Samuel, postquam suam innocentiam coram populo attestante comprobavit, depositus ab eo de principatu suo, sic eum allocutus est: *Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino.* 1. Reg. 12. exprobrans eis ingratitudinem, quòd optent Regem hominem, & Deum Regem suum quasi abjiciant. Non timet reos reprehendere, qui sceleris est purus: quemadmodum & Chrysostomus non metuit increpare iniquissimam Augustam Eudoxiam, innocentia sua fretus.

Econtrà David Rex non est ausus punire, imò nec reprehendere incestum filii sui Amnon, sed tantùm contristatus est eo audito, & *noluit contristare spiritum Amnon,* ut dicitur 2. Reg. 13 sed quamobrem? *Quoniam diligebat eum; quia primogenitus erat ei.;* ait textus. Sed tacet alteram & fortè veriorem causam: quòd nimirum David paulò antè in simili genere gravissimè peccasset, non quidem incestu, sed adulterio. Idcirco bene contristatus esse dicitur, & noluisse contristare spiritum Amnon. Quomodo contristatus super Amnon, si eum noluit contristare? Qui enim contristatur cum alio tristatur. Nimirum tunc duæ quasi personæ erant, pater Amnonis & reus similis delicti. Itaque in Davide pater unà cum reo patiebatur & tristabatur; unde filium plectere non est ausus. Idem ostendit eodem capite in Absolone, Ammonis parricida, quem pro merito non punivit, quia nôrat à se quoque non absimile peccatum admissum in Uria, hostium gladiis sine causa tradito. Quare ardorem justæ vindictæ peccati non dissimilis timida conscientia restinxit. Ut enim vitæ innocentia parit audaciam: sic sceleris conscientia adimit reprehendendi & castigandi libertatem.

Pri- imm- tati- mu-

IV. Munit hominem privilegio immunitatis, ita ut nemo cum impunè tangere seu affligere possit, quin Dei in se vindictam concitet. Scriptum est enim Exod. 33. *Insontem & justum non occides,* consequenter nec alia quavis injuria afficies. Imò Genes. 9. asserit Deus se requisiturum sanguinem humanum, (innocentum videlicet) etiam de bestiis, ita ut necari debeat, si quem occidissent. Inde etiam accidit, ut innocentum preces & vota contra iniquos vexatores Deus exaudire, & vindicare injurias soleat. Quare viri boni ne interesse quidem volunt, cùm innocentes puniuntur, ne & ipsi rei fiant, injuriam aspiciendo. Exemplo est Daniel, qui videns innocentem Susannam duci ad mortem, exclamavit: *Mundus ego sum à sanguine hujus,* quasi diceret: Ego non consentio nec nec interesse volo damnationi innocentis hujus. Dan.13. Similiter Gamaliel monet consenatores suos, ut abstineant ab Apostolorum persecutione: *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos, &c. Ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* Act. 5. Quin etiam sævi & barbari homines vel innocentibus parcunt; vel certè si vim afferant, non sine horrore id perficiunt. Sultanus Murates, Turcarum Imperator qui anno 1574. initio imperii, quatuor fratres suos jugulari jussit; dum natu minimo velut innocētissimo, nervus in jugulum adhiberetur, illachrymatus est. Beyrl. in Chronol. Addo etiam bestias sæpè deprehensas ab innocentum læsione abstinere; sive miraculo, uti leones à Daniele, Daria, Thecla & aliis martyribus: sive reverentia innocentiæ ex naturali instinctu, ut lupos ab infantibus subinde expositis. Ophiogenes, sic dicti quasi à serpentibus geniti, in Insula Cypro non læduntur à serpentibus; ex qua familia legatus Hexagon nomine, à Consulibus Romæ in dolium serpentibus plenum conjectus, experimenti causa, circummulcentibus anguibus miraculum præbuit. Plinius lib. 28. cap. 3. Tales Ophiogenes sunt puri & innocentes quibus nocere vel irrationales creaturæ metuunt, nedum homines. Paulus quidam Abbas juxta Thebaidem tractabat manibus aspides cornutas, serpentes & scor-

ſcorpiones, ſcindebatque eos per medium abſque ulla noxa. Interrogatus à fratribus, unde hanc gratiam haberet: *Ignoſcite mihi*, inquit, *Si quis poſſederit puritatem, omnia ſubjiciuntur ei, ſicut Adæ, quando erat in paradiſo ante prævaricationem divini mandati.* In vitis Patrum lib. 6. cap. 2. Puer etiam duodennis aſpidem miræ magnitudinis in deſerto obviam ſuſtulit, & pallio obvolutam in monaſterium gaudens ſine læſione tulit. Ibid. lib. 4. cap. 3. Denique ipſa elementa ſæpiſſimè refugere à læſione innocentium. Nam ut taceam tres pueros in fornace Babylonica, refert ſanctus Gregorius Magnus Dialog. lib. 3. cap. 18. Benedictum quendam ſanctæ converſationis juvenem à Gothis in caminum ardentem ligatis manibus & pedibus injectum altera die illæſis etiam veſtibus ſanum & integrum repertum. Econtrà qui impuritatis labem aliquam contraxit, jam pœnæ obnoxius eſt, & vindictam à tergo ſequentem undique expectat, ſive ut hic eluatur per pœnitentiam, ſive ibi per purgatorium, aut ut indeletum æternùm puniatur in inferno. Sicut umbra corpus, ſic pœna ſequitur peccatum. Magnes ad ſe ferrum, & culpa ad ſe pœnam trahit. Senſit Cain, cùm vix admiſſo parricidio pœnam præ foribus adeſſe vidit, & undique profugus factus eſt. Senſit Achab, cùm ſagittam jaculatoris, licèt in incertum emiſſam, traxit ad ſe in eam corporis partem, qua immunitus erat. 3. Reg. 22. Senſêre alii omnes, vel ſentient adhuc. Quæ cùm ita ſint, quis non toto pectore amet, quærat & conſervare ſtudeat mentis puritatem? Qui mundorum cordium ordini non adſcribi velit? Herminium eſt animal, muſtelæ magnitudine puritatis adeò amans, ut capi & occidi malit, quàm fugere per foramen luto aſperſum: à quo parœmiam ſibi deſumpſit Ferdinandus II. Aragonum Rex: *Malo mori, quàm fœdari.* Eadem vobis mens, idem propoſitum ſit, Auditores, juxta edictum Dei: *Lavamini, mundi eſtote.* Audivit hoc edictum fornicator quidam legi in templo, indeque compunctus & converſus eſt, planéque vitam inceſtam mutavit in caſtam, quem proinde Paulus ſancti Antonii diſcipulus, cùm priùs ingredi in templum vidiſſet nigrum & nebuloſum, tractum à dæmonibus, fræno in os immiſſo: ponè ſequente Angelo ejus cuſtode, mœſtitia perfuſo: jam egredientem vidit clara facie & candidum, comitante Angelo hilari vultu, ſequentibus à tergo & mœrentibus dæmonibus, uti refert Ruffinus in Vitis Patrum lib. 3. num. 167. Igitur & vos *Lavamini, mundi eſtote*: ac ſi quis fortè niger & impurus hoc templum ingreſſus eſt, compungatur illicò, ut hinc egrediatur & perſeveret candidus ac purus. Sic paratus erit cum virginibus prudentibus ad ingreſſum cœli.

THEMA II.

Gladius S. Catharinæ ſeu caſtitas ſuadetur virginalis.

1. *Confert dignitatem Angelicam.*
2. *Confert ſingularem protectionem.*
3. *Confert gloriam immortalem.*

Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. Matth. 25.

VIdemur Auditores, nunc eo tempore eſſe, quo fuit Chriſtus cum diſcipulis imminente ſibi paſſione, quando dixit: *Qui non habet* (ſcilicet gladium) *vendat tunicam & emat gladium.* Luc 22. Quid igitur? dicet aliquis. Num ad militiam nobis eundum? Ad militiam certè, ſed ſpiritualem mittere vos cogito, atque in hunc finem gladio accingere. Et quo gladio, niſi quem S. Catharina nobis porrigit, gladio caſtitatis? Gladius femori (quod carnis appetitum & illecebras deſignat ſæpius in ſcripturis) accingitur: caſtitas carnem domat ac defendit. Is verò triplex eſt; ferreus conjugatorum: argenteus viduarum: aureus virginum; de quo hic potiſſimum ſermo. Verùm qui militarem gladium ſibi accingere vult, priùs de ſtipendio quærit, uti fecit David, Reg. 17. *Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc?* Quæramus igitur & nos: Quid dabitur virginibus? Reſpondet Dominus Iſai. 56. *Dabo Eunuchis* (virginibus) *in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis.* Magna profectò merces, quàm nunc explicabimus.

I. Gladius hic dat eis locum honorificum & dignitatem, juxta id Iſai. 56. *Dabo Eunuchis* (qui ſcilicet ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum Matth. 19.) *in domo mea locum*, quaſi diceret, ut ſint de domo & familia mea, ſeu ut ſint Angelorum cives & confratres. Indicat hoc ipſe Chriſtus Matth. 22 *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Accedit Tertullianus libro primo ad uxorem cap. 4. ubi ait: *In terris non nubendo de familia Angelica deputantur.* Et ſanctus Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtoch. *Statim ut filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris, nempe Virgines.* Hinc Agelus in Apoc. cap. 19. non vult adorari à Joanne, quia *conſervus* ejus ſit. Plus addit D. Petrus Chryſologus ſerm. 143. *Semper*, inquit, *eſt Angelis cognata virginitas; in carne præter carnem vivere non terena vita eſt, ſed cœleſtis Et ſi vultis ſcire, Angelicã acquirere majus eſt, quàm habere: eſſe Angelũ, fælicitatis eſt: virginẽ eſſe, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* Planè ſicut nobilem fieri virtutibus, præſtantius eſt,

I. Confert dignitatem Angelicã.

 quàm

quàm nobilem nasci. Unde S. Bernh. in Epist. 42. ait: *Angeli castitas fælicior, pudici tamen fortior esse cognoscitur.* Hinc Angeli SS. virginibus maximè addicti & familiares sunt, eosque ad cœlum comitantur mortuos, uti imprimis Heliam de quo Ambrosius serm. 47. de Elisæo: *Helias Angelis ducentibus raptus ad cœlum est, & quadrigæ igneæ impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum.* Georgiam virginem Deo devotam, dum post mortem ad Basilicam portaretur, grex magnus columbarum adveniens comitatus est, super eā volitans; tum super tectum ædis, in quam deponebatur, consedit, eaque sepul.a ad cœlum evolavit, ut refert S. Gregorius Turon de Glor Confess. cap 34. Angelos fuisse columbas illas velut pudicitiæ amantes, dubium non videtur. Hinc jam non mirum, si ab Angelis Catharina in monte Sinai sepulta est; quia sicut cives sepeliunt concivem: ita Angeli debebant sepelire concivem & sororem suam.

I. Confert singularem protectionem. II. Dat eis singularem protectionem, dum addit: *in muris meis*, quasi diceret, inter muros meos præsidium meum. In Hebr. legitur: *Dabo eis jad*, id est, *manum.* (ubi noster *locum* legit.) Quid verò manus Dei, nisi auxilium, robur & defensionem notat? Et

1. Ad tutelam Angelorum. primò ut sint in peculiari tutela Angelorum. Quod patet imprimis exemplo trium puerorum, qui in fornace Chaldaica illæsi custoditi sunt ab Angelo, atque ut vult S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 25. propter virginalem eorum castitatem; similiter Daniel à leonibus. Refert etiam S. Hieronymus Malchum Monachum in antro à leæna non modò non læsum, sed etiam defensum esse contra barbarum herum: ob servatam pudicitiam, cum obtrusa sibi à barbaro muliere. In vita Malchi. Hyæna Pachonem castum servavit & circumcinxit; apud Pallad in hist. Lausiaca cap. 29. Catharina cum rotis alligata esset, ut discerperetur; ea machina ab Angelo confracta & dissipata est, ipsa verò virgo inde soluta. Denique licèt plures Virgines Christianæ à Tyrannis ad lupanaria detrusæ sint, nulla tamen violata fuit: omnes à Deo custoditæ sunt; quod planè miraculosum & divinæ protectionis luculentum est testimonium.

2. Ad comparandam sapientiā. 2. Ut sint ad sapientiam capiendam magis dispositæ, non secus ac speculum nitidum ad imagines recipiendas, papyrus candida ad characteres. Hinc opinor dedit Joanni non solùm majorem intelligentiam rerum divinarum & suæ divinitatis aliorumque gestorum, sed etiam ut ipse in navi cum aliis quibusdam discipulis constitutus solus ac primus Christum agnosceret; Joan. 21. S. Gregorius Nazianzenus cùm Athenis vacaret studiis, vidit per soporem sedenti sibi & legenti duas decoras dextra lævaque fœminas assidere, quas ille castitatis instinctu torviùs aspiciens, quænam essent, rogavit; at illæ familiariùs eum complectentes: *Ne molestè accipias juvenis*, inquiunt, *notæ tibi satis & familiares sumus, altera enim ex nobis Sapientia, altera Castitas dicitur; & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia jucundum & mundum in tuo corde nobis præparasti habitaculum. Age fili mentibus nostris mentem tuam junge; ita futurum est, ut singulari splendore præditum feramus ac juxta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus.* uti refert Ruffinus, & ipse Gregor. in Orat. de calamitate animæ suæ; ubi alteram vocat *temperantiam*; quam Ruffinus bene castitatem. Comes ergo castitatis est sapientia, quia castitas supponit in homine temperantiam; quæ prima ad sapientiam dispositio est, mentemque gerit serenam; sicut vicissim etiam *ama studia literarum & vitia carnis non amabis*, ait S. Hieronymus. Hinc Deus ferè castis ac virginibus revelavit arcana sua, uti Josepho in carcere, & Danieli in Babylone constituto somniorum interpretationem, aliarumque rerum scientiam. Nec dubium S. Catharinam adminiculo castitatis ad tantam pervenisse sapientiam, ut doctissimos quosque Philosophos superaret: cui etiam promisit in carcere Angelus addendam sapientiā à Deo infusam; qua 50. doctissimos vinceret.

3. Ut sint vegetiores, etiam corporis viribus, tam- *Ad corp-*
etsi natura ipsa quoque castorum vires conservare *con-*
solet sicut frangere luxuria: uti discere possumus ex *van-*
Godefrido Bullionio, qui, ut refert Thomas Sallius cap. 8 prat. spir. in recuperanda Palæstina tanto manuum robore depugnavit, ut equites cataphractos uno ictu medios secaret. Interrogatus unde illi tantæ essent vires? respondit: *Nunquam hæc dextera molliori aliquo ac turpiori contactu effœminata est.* Hinc Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag cap. 10. meminit olim pugiles, qui se continebant, præ cæteris vincere solitos. Verùm huic naturali castitatis præsidio Deus aliud supernaturale addere solet, ut sint robustiores & infracti prorsus ad superandas carnis tentationes, nec non visibiles hostes. Patet imprimis in castissimo Joseph, qui illecebris dominæ suæ tam constanter ac viriliter restitit, atque è manibus trahentis eluctatus est, tunica relicta. Patet in castissima Judith, quæ non solùm castitatem suam oratione & sobrietate contra salacem Holofernem defendit, sed ipsum etiam plusquam virili robore decollavit, & hoc vi castitatis suæ; uti testatur summus Pontifex Joachim: *Eò quòd castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini corroboravit te*: Jud. 15. Quòd si hoc meruit vidualis castitas, quid non merebit virginalis? In hujus rei figuram Jonathas filius Saul percussit stationem Philistinorum 1 Reg. 13. & rursum cap. seq. 14. solus cum armigero suo, maximamque inter Philisthæos stragem edidit. Jonathas *donum columbæ* exponitur; Philistini verò *potu cadentes.* Ergo *Ionathas stationem Philistinorum percutit: quia electa virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit*, inquit in eum locum S. Gregorius In vita S. Porphyrii Episcopi Gazæ, quidam ejus minister, juvenis Barochas nomine, cùm Idololatrarum clavis enectus putaretur, repentè viribus confirmatus & zelo ac divino robore armatus, tumultuantes Idololatras fuste in-

vadit;

vadit, cæditq; ad mille viros instar Samsonis; ita ut unus super alterum caderet, 26. Feb. apud Sur. Quod videtur tanto zelo & castitati ejus datum à Deo fuisse. Quid dicendum de S. Eutropia Virgine, S. Nicas. Rhem. Episcopi sorore? Videns hæc à Wandalis fratrem obtruncatum, se vero ob corporis pulchritudinem reservari ad turpitudinem: *Crudelis tyranne,* inquit, *me tibi abutendam reservas?* Itaq; eum ad martyrium suum provocans, saltu repentino, raptis palpebris, non fœminea virtute, sed divina ultione oculos ejus evulsit, maluitque gladios persequentium sustinere, quam delectationibus paganorum assentiendo peccare. Ut in vita S. Nicas. 14. Dec. apud Sur. S. Th. Aq. juvenis fœminam impudicam titione fugavit, à Deo procul dubio adjutus & confortatus.

4. Ut perseverent in Dei gratia. Qui enim de potentissimo hoste carne triumphant, quomodo non facile superabunt hostes debiliores? Et qui carnem suam commaculare nolunt, quomodo maculare animam poterunt? Accedit Dei singularis assistentia, qui castos à suo latere divelli non facile patitur. Idcirco enim Apoc. 14. dicuntur Virgines Agnum sequi, *quocumq; ierit:* sicut gynecæum videlicet sequitur Reginam. Unde S. Ambr. l. 1. de Virg. ait: *Custodit Dominus Virgines grandi cura.* Patet in Catharina, quæ contra omnes tyranni illecebras, promissiones, minas & supplicia stetit immobilis; unde lac pro sanguine fudit, quia scilicet una cum castitate lacteam & infantilem innocentiam semper conservavit.

III. Dat eis gloriam immortalem coram Deo & hominibus. Ita enim cit. loco Isa. subditur: *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus* (h. e. quam haberent à filiis & filiabus suis, si matrimonio se alligassent) *nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quod vero hoc nomen nisi gloria, decus, fama, & memoria gloriosa apud Deum & homines, non solum castos, sed etiam impuros atque impios? Hinc enim exclamat Sapiens Sap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est & apud homines.* Honorata à Constantino M. Imp. adeo fuit, ut vir virgineum chorum tantum non adoraret, arbitrans isthic habitare Deum, cui se puellæ devoverunt, ut refert Eusebius in ejus vita l. 4. Teste etiam S. Petro ep. 1. c. 4. Gentiles impuri admirabantur Christianorum castitatem, *non concurrētibus illis in eandē luxuriæ confusionem;* in quam scilicet ipsi cōcurrebāt. Gloria & memoria, quam parentes à filiis quærunt, imprimis fluxa & brevis est; deinde sæpe fallit, & in confusionem desinit. At memoria castorum & gloria æterna est; ut patet inprimis in S. Catharina toto orbe celeberrima; quam Deus variis illustravit miraculis, uti immanis rotæ confractione, Gentilium conversione, lacte è corpore decollato manante, sepultura Angelica; oleo salutifero de corpore ejus fluente; ipso deniq; nomine *Catharinæ,* quod significat *puram* Græce. In S. Cæcilia virgine, cujus domus Romæ in templum, prout ipsa à Deo petierat, consecrata est; quod modo 80. lampadibus argenteis exornatum cernitur: corpus vero integrum per annos 1300. conservatum. In S. Walpurga Virgine è cujus ossibus adhuc stillat oleum salutiferum Eystadii. In aliis deniq; innumeris. Verum nihil est hæc gloria virginum, quam in terris sortiuntur, respectu gloriæ & peculiaris illius aureolæ, quam in cœlis paratam habent, ubi *sequuntur Agnum quocumque ierit,* cantantes ei canticum novum, quod nemo alius præter ipsas novit.

Atque hoc est stipendium Castitatis, pro quo parando & conservando tam strenue certarunt quam plurimi, ut mortem & omnia tormenta perferre maluerint, quam ejus jacturam facere; itaq; cum animalculo illo munditiæ amantissimo, Arminio, maluerunt *mori quam fœdari.* Uti inprimis S. Casimirus Poloniæ Regis filius, qui æger mori maluit, quam matrimonii remedio (de consilio Medicorū) valetudinem recuperare. Alexander venustissimus juvenis, postea Romanæ urbis Episcopus factus, *ne vel sibi ipsi aliquid accideret imprudenti, quod factum noluisset; vel alienis oculis casus & offensionis materiam præberet; idcirco se carbonario opificio veluti persona quadam deformi consultè circumdat,* inquit, D. Greg. Nyssen. in vita S. Greg. Thaumat. S. Maxellendis, nobilis virgo Cameracensis provinciæ ignorans & contra voluntatem Hardvvino à parentibus desponsa, ab eo ad raptum quæsita, domi se in cistam inclusit, sed demum reperta, turpi ejus desiderio constanter se opposuit, mortem potius admissura, ut Christum sponsum retineret; dumq; è manibus ejus eluctata, fugam quærit, gladio ejus obtruncata, miraculis coruscavit Sur. 13. Nov. Berengarii Italiæ Regis filia ob raram formæ venustatem à multis Imperii proceribus in matrimonium expetita, hoc astu procos delusit. *Duos pulcinos suis uberibus supposuit,* inquit B. Pet. Dam. l. 6. ep. 21 ad Dam. Monachum, *& tamdiu inter vestem & carnem, donec omnino putrescerent, occultavit. Cumq; conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occulte vestem, & naribus colloquentium gaudebat exhalare fœtorem. Cumque colloquentes ei hanc quotidie narium paterentur injuriam, tandem cessavit delusa solicitudo quærentium: & virgo Christi per simulatam carnis alienæ putredinem, inviolabilem sui corporis servavit integritatem.* David ubi intellexit virum, qui percussisset Goliathum, ditandum opibus, fore generum Regis, & domum ejus à tributo eximendam; fortiter se ad certamen obtulit atq; accinxit. At quanto sunt majora, quæ promittuntur virginibus? Accingite ergo vos gladio, *Gladius* Catharinæ, *gladius Dei est.*

THEMA III.

Fueritne Catharina Virgo ſapiens.

1. *Sapiens fuit, quia edomita carne virginitatem coluit.*
2. *Quia ſpreto mundo martyrium ſubire, quàm ei ſervire maluit*
3. *Quia devicto dæmone, Chriſto adhæſit.*

Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Matth, 25.

AUdimus ex Evangelio hodierno non omnes virgines eſſe ſapientes: ſed alias quidem prudentes alias eſſe fatuas. Quod cùm ita ſit, quo loco Auditores, ponemus Virginem Catharinam? Certè ſi carnem, mundum, dæmonem audiamus, ſtatuendam inter fatuas dicent. Qui enim carnis illecebris, qui mundi hujus opibus ac honoribus, qui dæmonis obſequio ſtrenuè ſe opponit, inſanire ab illis putatur. Ita fratres illi ſeu amici Jehu dicunt de Propheta quodam religioſo? *Quid venit inſanus ille ad te?* 4. Reg, 9. Ita Feſtus præſes S. Paulo ſuam converſionem recenſenti: *inſanis Paule: multæ te literæ ad inſaniam convertunt* Act, 26. Ita denique inferi de Sanctis, mundi contemptoribus, loquuntur: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Sap. 5. En tibi judicium carnis, mundi, dæmonis de cultoribus Dei. Quid enim hoc idem ferent de S. Catharina? Verum aliter de ipſa ſentit Eccleſia univerſa; quæ de ipſa canit: *Hæc eſt virgo ſapiens & una de numero prudentum.* Idque veriſſimum eſſe hic oſtendemus.

I. *Sapiens fuit, quia edomita carne virginitatem coluit.*

I. Fatuam Caro diceret, quòd coluerit virginitatem. Quid enim? nonne melius eſt ſponſum habere nobilem, divitem, ſpecioſum? gaudere voluptatibus & matrimonii commodis? poſſidere gratioſos liberos & poſt ſe relinquere hæredes? Poterat certè Catharina genere nobiliſſima, regia de ſtirpe, hæc omnia habere: verùm omnia contempſit. Nunquid igitur fatua? Imò ſapientiſſima. Nam quod attinet ad primum, nonne præſtat habere ſponſum cœleſtem, Dei filium, ſapientiſſimum, immortalem; quàm hominem mortalem quantumvis alioquin nobilem, divitem, ſpecioſum, cum quo brevi omnes deliciæ ſunt interituræ? Hoc certè argumento perſuaſêre SS. Nereus & Achilleus, baptizati à S. Petro, cubicularii Eunuchi S. Domitillæ, ut contempto ſponſo Aureliano, nobiliſſimo Conſulis filio, Chriſtum ſponſum eligeret. Cùm enim illa ſe ſponſo ſuo impensè adornaret, monuerunt illi, ut ſe ſponſo Chriſto puriùs per virginitatem deſponſaret: cùmque illa prædicaret ſponſum ſuum & matrimonii bona, propoſuerunt illi, quòd ſponſi terreni initio quidem blandiri ſoleant puellis & mira eis promittere, ductas verò durè habent veluti mancipia, iis pro libitu abutantur, adhæc ob zelotypiam prohibeant converſationem cum hominibus, etiam cum parentibus & quandoque propriis cum liberis: ac ſi libidinoſi ſint, ſæpe ipſis ſpretis, adhæreant ancillis: Chriſtum autem eſſe ſponſum ſemper ſuaviſſimum, amantiſſimum, conſtantiſſimum; an non præſtet igitur tali ſponſo cum incredibili animi voluptate & certo gloriæ præmio adhærere, quàm mortalis hominis dominio inſtar mancipii ſe ſubjicere? Quibus illa perſuaſa, continuò Aureliano relicto, Chriſto per virginitatis votum ſe deſpondit coram S. Clemente Papa ut in vita eorum 12. Maij. Quoad ſecundum, voluptates illæ & commoda conjugii compenſantur multo pluribus mœroribus ac moleſtiis, in geſtando utero, enitendo fœtu, alenda & educanda prole, eademque ſi mala ſit toleranda, elocanda & per mortem deſerenda; quod ultimum vel unicũ dehortabatur à nuptiis Thaletem Mileſium, qui Solonem contrà ſentientem convicit ut alibi diximus. His aliiſque miſeriis miſerè depaſcitur flos & gaudium conjugii, quod per ſimilitudinem prati à bobus depaſti oſtendit S. Mart. ut in ejus vita reert Sulpitius. Manet viciſſim pulcherrima integritas in virginibus, quæ illas Deo & Angelis ſimiles facit, uti etiam notarunt Nereus & Achilleus, in prædicta ſua oratione.

II. Fatuam Mundus diceret, quòd eo ſpreto vitam perdere & martyrium ſubire voluerit. Quid enim? Maximinus ſpondet ei divitias, honores, regni deinque communionem, ſi Diis immolaret: adhæc ipſa ex patrimonio ditiſſima & adhuc juvencula erat. Nonne præſtat frui his tantis mundi bonis, quàm immatura morte, eaque infami ac ſuppliciis exquiſitis vitam prodigere? At nihil hæc valuerunt apud Catharinam. Non divitiæ, quia *in vita cruciant, in morte deſerunt, & in divino tribunali divites ipſos accuſant*; ut ait S. Chryſoſtomus, Adhæc in bonis numerari divitias non debere, intellexit vel Ethnicus Cicero 2 Tuſcul, quia eas quivis indignus habere poteſt, Ac ſi bonæ eſſent, hominem plerumque malum non redderent, quod tamen faciunt. Hinc Phocion cùm ei Alexander Magnus centum talenta auri miſiſſet, interrogavit adferentes, quamobrem ex tanto Athenienſium numero ſibi ſoli ea mitteret? ipſiſque reſpondentibus quoniam Rex exiſtimaret ipſum ſolum eſſe bonum virum. *Quin igitur*, ait, *me poſthac quoque talem eſſe permittat*; ſicque pecuniam remiſit. Stob. ſerm. 35. Sola virtus eſt, quæ facit hominem bonum. Adhæc opes quæcunque auferri nobis poſſunt, virtutes non poſſunt, unde ſolæ veræ divitiæ ſunt, teſte Cicerone Paradoxo 1. & ult. *Si callidi rerum æſtimatores*, ait, *prata & areas quaſdam magni æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poſſit, quanti æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt unquam, neq; naufragio, neque incendio amittitur, nec temporum, nec tempeſtatum permutatione mutatur; qua qui præditi ſunt, ſoli ſunt divites? Soli enim poſſident res & fru-*

& fructuosas & sempiternas. Hinc B. Godefridus Comes in Cappenberg factus Præmonstratensis dicebat: *Nonne stultus esset, qui nollet una siliqua emere unam civitatem? talis ego fuissem, si maluissem retinere meum comitatum, quàm pro eo emere cœlum* apud Sur 13. Januar. Non honores; quia & hi onera potiùs sunt & impedimenta quàm emolumenta. Quod expendens S. Pionius presbyter Smyrnensis & Socii martyres coronas, quas ipsis persecutores imposuerant, discerpserunt & abjecerunt. In eorum Actis 1. Febr. apud Sur. Quod & fecit Catharina, unde sub ejus pedibus pingitur Rex coronam gerens quasi calcatus. Qui enim nosset, *quid curarum & miseriarum sub regia corona lateret, ne humi quidem jacentem tolleret*; ait quidam Rex apud Valer. lib. 7. *cap.2.* Sigismundus Imperator asinos dictitabat beatiores esse regibus, quòd illis dum comedunt sarcinæ & clitellæ auferantur: Regibus curæ nunquam. Beyrl. in Apopht. Christ. Et ubi illa corona, quæ capiti tandem non detrahitur? mors certè illam aufert. At quam elegit Catharina, corona vitæ est semper virens. *Dabo tibi coronam vitæ*, ait Dominus Episcopo Smyrnæ, Apocal. 2. id est, semper virentem, nunquam interituram.

III. Fatuam Dæmon clamaret: quòd Christo adhærere & pietatem sectari, abjectamque Christianorum servitutem servire voluerit. Quid enim? nonne præstat dominum esse, quàm servum? liberum quàm legibus constrictum? planam & jucundam viam ire quàm montosam & asperam? At fides & religio Christiana tot legibus homines ligat, ut sui juris esse desinant. Nihil hoc Catharinam movit. Scivit enim primò servitutem regnis esse præstantiorem: quemadmodum & S. Agatha Quintiano Siciliæ Prætori objicienti. *Nonne te pudet nobili genere natam humilem & servilem Christianorum vitam agere?* respondit: *Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus Regum opibus ac superbia.* Ut in Breviario lect. 4. Ratio, quia ut S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in morte, cùm nihil aliud loqui non posset, crebrò iterabat, *servire Deo regnare est.* Servi enim Dei simul etiam amici ejus sunt & participes regni, quod non fit in servis Regum, quorumcumque tandem. Tali argumento nobilis ille (in Confess. S. August. lib. 8, cap. 6.) ex aula Theodosii Imperatoris apud Treviros usus, cùm legisset vitam S. Antonii, ad socium dixit: *Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.*

Scivit secundò vitam sæculi carnalem, fœdam & bestialem esse, nec homine dignam. Similis est Dæmon Naas, Ammonitarum Regi, qui premens Hebræos, in fœdus quidem recipere voluit & servos, sed hac lege, ut omnium eruerentur oculi dextri; quo nimirum ad pugnandum inhabiles fierent; carentes enim dextro, nec jaculari in certum, nec pugnare poterant; cùm scutum operiat sinistrum oculum 1. Reg. 11. *Naas coluber* aut *serpens* exponitur, secundùm Divum Bonaventuram in Dieta salutis tit. de virtut. cap. 2. *Dexter oculus noster*, inquit D. Gregorius in illum locum, *est intuitus æternæ claritatis; sinister verò oculus est concupiscentia carnis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cælestia non aperiatur.* Desiderat ergo Dæmon fide, religione ac pietate Christiana, quæ Dei servitus est, nos destituere, ut sinistro tantùm oculo directos seducat ac projiciat in carnales concupiscentias; itaque cum ipso pugnare nequeamus: sed velut bruta animantia, ejusque jumenta, in sordibus computrescamus. Talis evasit Nabuchodonosor, cùm ei datum est cor belluæ, Dan. 4. nihil enim aliud nisi fœnum & ferinum victum cogitabat, donec datus est illi oculus dexter, quo cœlum aspexit & Deum glorificavit. Hoc autem fœdus cum Diabolo fœdum & ignominiosum adeoque homine indignissimum esse, vel ipse Naas ostendit, dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.*

3. Scivit tertiò fidem & pietatem ac virtutem initio quidem asperam, in fine verò jucundam esse ac ducere ad vitam. Albula Romanorum aqua; argentea perspicuitate, ingredientibus quidem frigida artubus infert horrorem, postmodum tam leniter calefacit, ac si potionem calidam ebibissent, qui eadem se abluunt, auctore Strabone. Ita virtus initio quidem nonnihil horrida & aspera definit in suavissimam consolationem & lætitiam. Unde dicunt Sancti Psalm. 65. *Transivimus per ignem & aquam* (id est, per graves & leves tribulationes) *& eduxisti nos in refrigerium.* 3.

Econtra gaudium mundanorum & servitus Satanica definit in mœrorem & desolationem, quemadmodum Jordanis fluvius limpidus, amœnus & dulcis, exonerat se & definit in mare mortuum, fœtidum, graveolens atque, ut appellatur, Numer. 34. *salsissimum.* Testantur id reprobi illi damnati, de quibus initio dictum. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus, &c.* De se autem subdunt: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, &* ad extremum; *in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

S. Catharina post insignes illas victorias mirificè à Deo coronata & exaltata est, non solùm in cœlo, sed & in terris. Etenim ad glorificandam ejus innocentiam & candorem virginitatis, decollata pro sanguine lac fudit. Deinde ut carnificum manibus indignè tractaretur, à sanctis Angelis in montem

Sinai delata & ibidem tumulata est, ubi Deus legem Moysi dedit. Denique sacrum ejus corpus pretiosum liquorem fundere cœpit, variis morbis salutarem. Quare ipsi Imperatores cum universo mundo summis eam honoribus coluerunt, & in specie Justinus Imp. in loco sepulturę ejus magnificum templum cum monasterio extruxit, Ubi tale quidpiam factum mundi sectatoribus?

Vidimus te, ô Catharina, virginem revera unam è sapientibus fuisse, vidimus te victricem carnis, mundi, Dæmonis; & gratulamur tibi victoriam. Nunc ingressa cum sponso ad nuptias, coronas tibi debitas & palmam fers. Aspice nos de cœlo, & impetra nobis similes victorias contra hostes illos, ut simul tecum intremus ad cœlestes illas nuptias.

THEMA IV.

Magna Sanctæ Catharinæ fortitudo.

I. *Vicit carnem.*
II. *Vicit mundum.*
III. *Vicit Dæmonem.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Prov. 31.

MIrum certe videtur, quod sapientissimus Salomon mulierem fortem asserat non posse inveniri. Nunquid ante Christi tempora non fortis erat Jahel, quæ Sisaram Ducem gentilem clavo per tempora adacto affixit ad pavimentum? Judicum quarto. Nunquid non illa mulier, quæ fragmen molæ dejecit è turri in caput Abimelech Ducis patricidæ? Judicum nono. Nunquid non fortis Judith, quæ pugione amputavit caput Holofernis? Judith decimo tertio. Verum non quæsivit tales Salomon. Istæ enim fœminæ bellicosæ quidem & magnanimæ fuerunt, sed vicerunt tantum hostes illos, qui corporibus insidiabantur, non eos, qui animabus. Non debellarunt carnem, non mundum, non Dæmonem. Quid igitur? Quæramus tales post Christi tempora. Reperio in historiis tres miræ fortitudinis fœminas: Cimburgim Ernesti Ducis Austriæ conjugem, Friderici III. Imperatoris matrem, quæ palma potuit clavum adigere in parietem, Cuspin. teste. Elisabetham Caroli IV. Imperatoris uxorem, quæ potuit ferream soleam manibus lacerare. Domkam denique virginem Bohemicam, quæ ad jactum usque sagittæ gestare vaccam poterat, apud auctorem Theatri tragici. Sed nec istæ sunt, quas quæsivit Salomon. Hæ enim corporis robore alias præcellebant, quod nec laude nec vituperio dignum est. Aliam quærebat, quæ heroica virtute capitales animi hostes debellare posset. Hodie invenimus hujusmodi mulierem, Sanctam Catharinam, quæ tres illos hostes in uno Tyranno stravit: carnem, dum ejus illecebras & faces libidinis extinxit: mundum, dum oblatas ab eodem divitias & regni communionem sprevit: Dæmonem, dum ejus conjugem, Ducem, Philosophos è Dæmonis faucibus eripuit. In qua fortitudine non multum abludit ab illa trium dictarum fœminarum. Videamus jam quantum illas superarit.

I. Una è dictis heroinis clavum parieti manu adegit. Multo plus præstitit Catharina. Puella erat juvencula, formæ pulchritudine florentissima, genere nobilissima. Ejus amore capitur Maximinus Imperator, optatque ejus nuptias. Quomodo non capietur virgo talibus promissis? At vero Catharina clavum carni suæ infigit considerans ac respondens duo: Primum, jam se meliori ac cælesti sponso affixam ac desponsam esse. Alterum, se quantacumque forma præditam, terram esse & cinerem: pulchritudinem morbo & ætate deflorescere. His duobus clavis cordi & animo impressis facile elusit hostem. Priore illo usa est etiam Sancta Domitilla neptis Domitiani Imperatoris quam cum Aurelianus trahere ad nuptias suas vellet, ureretur que ad hoc ministerio duarum ejus collactanearum, Euphrosynæ & Theodoræ, eis respondit: *Vos habetis sponsos viros nobiles, sed si ignobiles & humili loco nati ab illis vos avocare vellent, num vos illis pareretis?* Responderunt protinus: *Avertat hoc Deus à nobis.* Tum illa: *Magnum ego sponsum habeo Dei filium, qui se vitam æternam daturum promisit iis, qui in ejus gratiam perpetuam corporis castitatem servant &c.* Idque promissum confirmavit tot miraculis. Quibus auditis non difficulter crediderunt & ipsæ in Christum Sur. 12 Maij. Vici… nem

Nec minus efficax est alter clavus, meditari scilicet quam fluxa sit corporis forma, & quam a morte deformanda. Adorarunt Babylonii statuam Beli æream sed inauratam foris, intus vero luteam. Ea igitur contracta ait Daniel: *Ecce numina vestra:* in Græc. Dan. ultim. Si aurum abrasisses statuæ, nil nisi æs & fœdum lutum apparuisset. Videtur homo formosus aurea quædam statua esse, sed si pellem ei detrahas, proh quam fœdum dabit spectaculum! quam subito exosus! quam abominabilis! quam omnibus horrori erit! Exierat aliquando Christus è têplo Jerosolymitano cũm discipulis suis. Tũ unus eorum è numero ostendit ei magnificentiam structuræ templi dicens: *Magister aspice quales lapides & quales structuræ!* Cui respondet Dominus: *Vides has omnes magnas ædificationes?* quasi diceret; putasne admirandas? *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur* Marci 13. Sic se habent res cum hominibus forma & ornatu conspicuis. Mirantur eos illi, qui mundo huic dediti; Aspice, inquiunt, qualis domina! quam decora! quam ornata! sed audi: structura est & pulchra quidem, statua est & pulchra:

chra : sed brevi subvertetur, & non manebit in ea lapis super lapidem, non os super os: tota dissolvetur, & de ea dicetur : *hæccine est illa Iezabel?*

II. II. Altera, ut dixi, soleam equi ferream suis manibus lacerabat. Majus est facinus, quod Catharina edidit. Proponit ei Maximus ingentes divitias, purpuram & communionem regni sui, si ipsi adhærere vellet. Verùm Catharina planè ferream hanc illecebram, heroico contemptu quasi stipulam confregit, asserens se martyrii purpuram regiæ longè præferre. Quamobrem mox nervis bubulis toto corpore cæsa fuit, ut sanguineo colore undique ruberet. Fortis etiam hic est laqueus. Ut enim ferrum omnia domat: ita pecuniæ omnia obediunt. Sed qui frangendum istud ferrum? Cogita divitias seu superflua bona non esse nisi soleas ferreas. Nam primò, ut illæ equum lapsui exponunt: & onerant, non ornant: sic & divitiæ; unde 1. Tim. 6. ait Paulus, divitiarum cupidos incidere *in laqueos & tentationes & desideria & noxia & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum.* Miraculum est, si ferrum natet: ita si is qui divitiis prægravatur, non delectetur, adeoque ad inferni fundum non raptetur.

2. Quia soleis ferreis calceantur equi & muli, non homines; & quidem ut commodiùs ambulent; sed tamen in malum suum, ut gravia onera ferrea & fortiùs trahere queant, non sibi sed hominibus. Sic divitiæ ferè dantur iis, qui terrena solùm cogitant, ut eas dispensent, augeant, servent & aliis relinquant. Equis & asinis, qui pretiosas merces portant, non datur nisi vile pabulum, & relinquitur dorsum saucium à sarcinis. Idem ferè contingit divitibus; cùm enim suo labore & industriâ compararint opes, non audent attingere vel absumere, ut vidit Plato lib. 1. de rep. Hæredes eorum contrà, quia sudore suo eas non pararunt, facilè dilapidant; horum igitur jumenta & asini sunt divites. Memorabile est, inquit Cornelius in Eccles. cap. 14. quod scribit Hugo, Rhemis usurarium nummos suos anxiè numerantem, ut videret num omnes forent, ne quis quid ex eis decerpsisset, audisse vocem de nummis prodeuntem: *Omnes hic sumus, sed cum Gualthero Budello* (id est, asinario: *baudet* enim Gallis asinum significat) *sumus*: ac paulò post defunctum uxorem cum opibus reliquisse Gualthero, qui eas in omnem luxuriam profudit. Itaque usurarius ille asinus fuit, qui opes suas non sibi, sed asinario suo Gualthero portavit. *Sic vos non vobis fertis opes asini.*

3. Equis & mulis, postquam expirarunt, imò quandoque adhuc spirantibus soleæ abstrahuntur, illorum verò cadavera ad corvos abjiciuntur: idem sæpenumerò contingit avaris, ut eorum opes ab hæredibus diripiantur; ipsi verò in vermium pabulum dati, oblivioni mandentur. Ita cap. 20. Jobi dicitur: *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Quam sententiam sic illustrat Nicetas: *Quemadmodum qui noxium aliquem cibum sumpsit, unà cum eo probos etiam evomit: sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solùm ipsas, sed etiam quas jure possidebat, plerumque amittit.*

III. Ultima heroina vaccam gestavit ad jactum sagittæ. Multò excellentius est quod gessit Catharina. Quidnam verò illud? In mentem nobis veniat somnium illud, sanctum utique & vatidicum, quo S. noster Xaverius antequam mitteretur ad Indos, somniavit se gestare Indum nigrum, qui valde eum prægravaret: quo indicabatur eum Indos docturum, & suâ industriâ ac labore gestaturum ad cœlum. Talem etiam sarcinam gestavit Catharina, multos infideles, rudes quasi vaccas, 50. Philosophos, conjugem Maximini, Porphyrionem ducem cum 200 militibus, quos suâ doctrinâ & sapientiâ ad Christum adduxit, imò & martyres fecit, atque ita in cœlum portavit. Maximinum denique ipsum multis rationibus simul & objurgationibus ab immani Idololatriâ revocare, atque in humeros suos suscipere contendebat; tametsi frustrà. Quis hoc expectaret à fœmina eaque juvencula? Nos etiam pro modulo nostro eam imitabimur, si & ipsi studeamus errantes ad viam veritatis reducere. Hoc enim opus maximæ charitatis est, oves errantes requirere, & impositas in humeros ad Christum afferre, qui eas sanguine suo emit. De qua re S. Jacobus cap. ult. ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte & operiet multitudinem peccatorum*, hoc est, multa peccata tum ejus, quem convertit; tum sua, tum aliorum qui scandalizantur in eis. Maximum beneficium præstares alicui, si quem naufragum natando humeris tuis è mari efferres, vel alium ex incendio eriperes: at qui corrigit errantem, de morte animæ æterna eripit. Unde Judas in sua Epist. ait: *Salvate illos de igne rapientes.* III. *Vicit Dæmonem.*

Alphonsus Albuquercius Indiæ Prætor an. 1512. Zamatræ oram prætervectus, coorta tempestate & navi ad rupem allisâ, puppi in saxo subsidente, advertens infantem aquis in navem influentibus penè mergi, illum sublatum humeris tantisper sustinuit, dum aliud ex navi auxilium adveniret, sic effatus: *Hujus innocentiâ fretus confido me Christi benignitate è fluctibus emersurum.* Idque mox contigit, scapha una ex aliâ navi ad prætoriam ejus impulsâ, ipsumque eripiente è præsenti naufragio. Osor. l. 8. rer. Emman. Aderit etiam ac multò magis Deus singulari gratia & auxilio iis, qui alios eripiunt è naufragio animæ.

Neque dicat aliquis se illiteratum esse, non posse proinde cum Catharina convertere errantes. Possunt enim & rudes alios convertere precibus & lachrymis, nec non sana correctione. Quis nescit quot animas S. Augustinus gestaverit ad cœlum? Et unde hæc illi vires? Ipse eas adscribit precibus & lachrymis S. matris suæ. Unde verò Augustino tam sancta mater? Ex institutione unius decrepitæ famulæ quæ eam in tenera & puellari ætate diligenter ad virtutem instituit, & à vitiis avocavit. *Erat enim in eis puellis coërcendis, cùm opus esset, sancta severitate* vehe-

vehemens, atque in docendis sobria prudentia, ait Augustinus 9. Confess. cap. 8. ita ut etiam aquæ potum extra tempus mensæ ei prohibuerit dicens: *Modò aquam bibitis, quia vinum in potestate non habetis: cùm autem ad maritos veneritis factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi prævalebit.* Cumque post aniculæ mortem, paulatim adolescens Monica assuesceret modico licet vini potui, rursum in contentione objurgatur ab alia ancilla & appellatur *meribibula*. Quo illa stimulo percussa respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit. Sic Augustinus ibidem. Ecce ab una decrepita & altera ancilla velut à prima origine prodiit Augustinus, tantum Ecclesiæ lumen! Quis hoc divinare unquam potuisset? Possunt ergò & de trivio infimaque sorte homines plurimum præstare ad lucrifaciendas animas, suo hortatu & exemplo.

Invenimus Mulierem fortem, trium hostium domitricem. Superest ut nos quoque victricem imitemur. Quid nobis proderit ejus victoria, nisi & nos vincamus? Et quomodo vincere non possumus, qui victricem mulierem eamque ætate teneram, Catharinam aspicimus? Sanè Abimelech quando vidit se à muliere prostratum in terram, petiit ab armigero suo: *Evagina gladium tuum & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim.* Judic. 9. At nonne æquè turpe est superari in virtute à muliere, quam corpore vulnerari? Ne ergo probrum istud cadat super nos, exeramus & ipsi vires nostras, & conemur præstare viri, quod præstare potuit fœmina: conentur sequi fœminæ jam ætate graves, quò præcessit tenera puella, S. Catharina.

THEMA V.

Pœna inferorum cur æterna.

I. *Quia divina majestas læsa est infinita.*
II. *Quia peccator suam fœlicitatem in creatura constituit.*
III. *Quia voluisset semper peccare, si semper vixisset.*
IV. *Vt beati semper videant supplicia inferorum.*
V. *Quia peccatum tollit principium vitæ spiritualis.*
VI. *Vt homines à peccatis compescerentur.*

Clausa est janua. Matth. 25.

S. Catharina claudit plerumque annum Ecclesiasticum, qui incipit ab Adventu, unaque lætitiam sæcularem; unde dicitur, Sanct Catharein/ schliest die Thür ein. Sed video aliam insuper januam, quam claudit in hod. Evangelio, januam regni cœlestis, quæ claudetur reprobis & fatuis hominibus, & quidem adeò fortiter, ut in omnem æternitatē nequeat reserari. Expertæ sunt hoc fatuæ: experientur omnes damnati. Qualis heu ista clavis? qualis hæc clausura! Hanc admiratur Ecclesia in Adventu exclamans: O *clavis David, quæ claudis & nemo aperit!* Et qua tandem ex causa non aperiet ampliùs Deus reprobis januam misericordiæ, per omnem æternitatem? Videamus si non causas, saltem congruentias, tam profundi hujus mysterii, quas afferunt SS. Patres.

I. Cōmuniter Doctores hanc dant causam. Quia Deus, qui offensus est, infinitæ authoritatis est. Clarum verò est crescere gravitatem peccati pro dignitate personæ offensæ, uti etiam agnovit Aristot. 5. Eth. c. 5. ubi ait, eum, qui à Magistratu percussus est, repercutere non debere. Qui verò Magistratum percussit, non solùm repercutiendum, sed etiam supplicio afficiendum. Quia verò pœna peccati intensivè infinita esse non potest, ergo saltem debet esse infinita extensivè, hoc est, carere omni fine. Declarare istud possumus ex visione Nabuchodonosoris Regis Dan. 2. ubi vidit lapidem abscissum de monte sine manibus incidisse in statuam grandem & intuitu terribilem, eamque contrivisse, moxque crevisse in immensum montem, qui implevit universam terram. Statua illa grandis & aspectu terribilis, ex auro, argēto, ære, ferro, quatuor summas orbis Monarchias designavit ad litteram: mysticè Deum denotat. Lapis abscissus de monte est peccatum devians à lege Dei: incidit hoc in Deum, & quantum in ipso est, destruit illum, sicque crescit in immensum quasi montem, qui totam terram implet: adeoque insuperabile est ab humanis viribus, & insolubile, velut immensum debitum, per omnem æternitatem luendum. Confirmatur, quia tanta est malignitas peccati mortalis, ut nullis bonis operibus puræ creaturæ potuerit ex æquo compensari: sed ad hoc necessarium fuit Deum incarnari, ut condigna satisfactio divinæ justitiæ exhiberetur; quid ergo mirum si dicatur mereri pœnam æternam? Quod enim adeò malum est, ut nullis bonis quantumvis longo tempore continuatis compensari & exæquari possit, nonne meretur pœnam quovis tempore longiorem? Ita Leon. Lessius de perfect. divinis l. 13. c. 26.

I. *Quia di- vina ma- jestas l- est inf-*

II. S. August. epist. 49. q. 4. dat illam: Quia peccator sic peccat, ut totum suum amorem & perpetuam fœlicitatem, quātum in ipso est, in creaturā constituat. Nam, ut explicat S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 244. si temporalem fœlicitatem & bonum fluxum æterno bono præferre non dubitavit, multò magis id fecisset, si felicitas illa ac bonum creatum æternum fuisset; cujus rei signum est quòd peccator sæpe etiam vitam & oculos, quibus nil pretiosius habet, pro exiguā voluptate vendat; sicut ille, qui apud Martialem oculis potiùs quā ebrietati valedicere voluit. Audiens enim à Medico, se, nisi poculis abstineat, cæcandum: *Valebis*, inquit, oculo, & sibi deunces crebrò misceri jussit, sicq; oculos perdidit, l. 6. Epigram. Simile refert S. Ambrosius l. 4. in Luc. de alio Veneri dedito, cui cæcitas prædicebatur à Medico, nisi se contineret: *Vale amicum lumen*, ait. Idem dicunt Deo & æternæ fœlicitati, cui præferunt Bacchum aut Venerem suam; quid mirum si æternum puniantur, qui æternum bonum spreverunt & momentaneo posthabuerunt?

II. *Qui- cato- petu- suam- citat- crea- consti-*

III. S.

III. *Quia … luisset in- … r pec- … r, si se- … r vi- … t.*

III. S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 144. dat hanc: Quia *voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt.* Unde statim infert: *Ad magnã igitur justitiam judicantis pertinet; ut nunquam careant supplicio, qui in hac vitâ nunquam voluerunt carere peccato.* Huic accedit S. Augusṫ. qui in ep. 49. ad Deo gratias: *Voluntas*, inquit, *punitur; quæ æternam voluit habere peccati fruitionem: & ideò æternam vindictæ inveniet se veritatem.* Rursum l. de pœnitent. *Qui impœnitens finitur*, ait, *si semper viveret, semper peccaret.* Et S. Bernardus epist 253. ad Guarinum: *Si nunquam moreretur, nunquam vellet peccare desineret, imò semper vivere vellet ut semper peccare posset.* Certè prava voluntas resoluta deliberatè ad peccandum, quandoque ita se obfirmat Deoque opponit, ut nullis dehortationibus, præmiis vel pœnis propositis tam extensivè quam intensivè velit omittere peccatum. Id apparet in Pharaone, qui nullis plagis & miraculis à sua contumacia: in Juda, qui nullis monitis & beneficiis à proditoria voluntate: in sacerdotibus Judæis, qui nullis modis ac mediis poterant revocari ab occisione Christi: non Judæ attestatione & desperatione, non Pilati resistentia, non uxoris ejus testimonio, non prodigiis, &c. Quid mirum si Deus vicissim ita se obfirmet, ut nullis eorum precibus, clamoribus, lachrymis moveatur amplius ad miserendum, sicq; claudat januam misericordiæ suæ in æternum?

Videmus sæpe lusores ita ludo addictos, ut finem imponere nesciant, lusuri tota nocte, nisi lumen eis extinguatur. Sic Mechliniæ an. 1546. conflagrante urbe ex fulmine, lusores in domo cauponis, nomine Croes, nihilo secius continuarunt lusum, mox q; vi tempestatis & turbine avulsa domo, lusores abjecti reperti sunt adhuc retentis in manibus chartis lusoriis (Gilb. Cognato l. 8. narrat. auctore) solo caupone salvo, qui in cellam pro zitho iverat. Optime his quadrat, quod de similibus ira & odio obfirmatis dicitur Ezech. 32. *Descenderunt in infernum cum armis suis, & posuerunt gladios sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terrâ viventium.* Mare retinet suam amaritiem, etsi ingens vis aquarum dulcium ex tot tantisq; fluminibus continuò in illud influat: ita reprobati suam servant malitiam, licet innumeris Dei beneficiis perfundantur: ac quemadmodum mare nunquam emendaret suam amaritiem, licet flumina dulcia per omnem æternitatem hauriret: ita arbitrandum nunquam emendandos fore improbos, si earum gratiarum flumina per quæ emendati non sunt, æternum eis affluerent.

IV. *Ut Beati … sempe… vi- … deant sup- … plicia … … ferorum.*

IV. S. Gregorius ibid. addit istam: *Ut justi omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in illis* (damnatis) *respiciant supplicia, quæ evaserunt; quatenus tantò magis in æternum gratiæ divinæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.* Adhæc pars præmii electorum est, videre inimicos Dei & suos puniri; quia ergò præmium illorum æternum erit, consequitur ut & pœna reproborũ æterna sit. Cùm Amalec Hebræos per desertum peregrinantes ad terram promissam bello infestâsset sine causa, & extremos agminis lassos cecidisset? Deus non solùm percussit eos Duce Josue in ore gladii, sed insuper jussit hanc illorum insolentiam in Commentarium inscribi, ut futuris sæculis rursum ulcisceretur; juravit insuper super solium suum, quòd *bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem*, quasi diceret, immortale odium & bellum. Exod. 17. Idque recoquit & de novo commendat Moysi Deut. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalec, &c. Delebis nomen ejus sub cœlo Cave ne obliviscaris.* Denique post aliquot sæcula, *recensuit* quæ fecit Amalec Israel, & præcepit Sauli, ut omnes exterminaret a maximo ad minimum. 1. Reg. 15. Pari modo, quia impii persecuti sunt Sanctos in hac vita sine causa & implacabili odio, vult Deus illos persequi immortali etiam odio, sicque eorum malitiam perpetuò *recenset* quasi Sanctis suis, ut de hostibus suis & ipsi vindictam sumant. Justinianus II. Imp. regno simul & naso truncatus à Leontio Patritio, ubi regnum recuperavit, quoties nasum suum emungeret, toties hostium suorum, quorum satis magnum numerum captivum habebat, unum produci & mactari jussit. Fulgos. l. 9. Infinities gravius est Deum offendere, quam hominem: quid mirum si infinitis pœnis offensa Dei plectatur?

V. *Quia peccatum tollit principium vitæ spiritualis.*

V. S. Thomas 1. 2. qu. 87. art. 3. dat hanc; quia peccatum ex natura sua tollit principium vitæ spiritualis, scilicet charitatem; & infert mortem animæ, nec potest restaurare ordinem, quem violavit; convertendo se ad Deum. Unde sequitur esse irreparabile & consequenter mereri pœnam æternam: sicut cùm pupilla oculi corrumpitur, irreparabilis est visus. Quia ergo in perpetua Dei inimicitiâ manent inferi, nunquam ei satisfacere possunt: sicque culpa semper stante, stare semper pœna debet, quę illam sequitur, sicut umbra corpus. Sic Tiberius Cæsar cuidam inimico pœnæ maturitatem precanti respondit: *Nondum tecum in gratiam redii.* Suet. lib. 3. capite 6. Vulgo dicitur: *Lunæ radiis non maturescit botrus.* Nox est apud inferos, quia extra statum gratiæ sunt: nunquam ergo ibi maturescet botrus, nunquam ad maturitatem pervenient gratiæ & satisfactionis. *Venit nox, quando nemo potest operari*, ait Dominus Joan. 9. Artifex qui non solum bonis suis, sed etiam instrumentis artis suæ spoliatus est, ob debita contracta: quando se exsolvet debitis? Et hoc est, nî fallor, chaos illud magnum, quod firmatum est inter inferos & superos, de quo Dominus Luc. 16, ut nemo ab illis unquam emergere ad istos queat; quia præcipitium ingens & impermeabile omni via caret, qua superari possit.

VI. *Ut homines a peccatis compescerentur.*

VI. S. Gregorius loco supra cit. *Quid si quis dicat:* inquit, *idcircò peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret?*

 Ita

Ita ſanè arbitror, non ſolùm ideò comminatum eſſe, ſed reverà ideò decreviſſe & juſtè quidem; quia aliàs libidinem hominum tam effrænem & ad peccandum pronam coërcere non potuiſſet. Si enim modò cùm ſciunt homines decretam peccato eſſe pœnam æternam, plerique nihilominùs tam enormiter & tam facilè delinquunt; quid facerent, ſi pœnam non niſi temporalem ſibi luendam ſcirent? Hanc etiam ob cauſam fures jure per ſuſpendium vitâ privantur, tametſi alioquin damnum datum compenſare poſſent re æquivalente adeoque pœnâ leviore, neque præcisè ob furtum mereantur vitam amittere, juxta S. Thom. 2. 2. qu. 66. artic. 6. ad 2. (Unde & in veteri Teſtamento Exod. 22. reſtituere ſolùm cum fœnore vel vænundari jubentur) ad coërcendam nimirum furandi libidinem & conſervandam Reip. pacem. Si enim adhuc & ſub ipſo patibulo furantur, quid fieret ſi patibulum ipſis decretum non eſſet? Videtur ergò hæc genuina & adæquata cauſa: Voluntas Legislatoris deſumpta ex ſtatu ipſius culpæ, quæ de ſe æterna & irreparabilis eſt, ſicque jure addicta pœnæ æternæ ad coërcendam peccandi libidinem. Unde qui eam eligit, cenſetur eligere pœnam æternam, ei annexam ex natura ipſius peccati & voluntate Legislatore. Quare indigni commiſeratione ſunt, & accini eis poteſt, quod Julius Cæſar de noxiis interemptis, in quæſtione dixit: *Hoc voluerunt*. Suet. in Jul. Cæſ. Sanè ſi ſcirent impii finiendas aliquando ipſorum pœnas, Deo magis inſultarent, etiam in inferno, eò quòd expectarent venturam tandem liberationem & ſubtractionem ab ejus jugo & imperio. Hanc enim ob cauſam vult Chriſtus non metuendos eſſe tyrannos; quia poſt occiſionem corporum jam non habent, quo eis noceant. Ergo ne cogitare poſſint de Deo quoque impii, non timendum eum, qui poſt elapſam pœnarum ſuarum quantamcumq; durationem, non haberet ampliùs, quod eis faceret, debent eorum pœnę nunquam finiri. Quando igitur tam obſerata & occluſa & cœli janua, quid agendum nobis? Nunc intrandum, dum aperta eſt. Movit hæc cogitatio ſub initium Ordinis S. Dominici virum quendam præclarum, & è ſæculo extraxit. Cùm enim Reginaldus unus ex præcipuis illius familiæ magno hominum concurſu & approbatione verbum Dei prædicaret, Monetus (ſic enim is appellabatur) de induſtriâ illius congreſſum & ſermonem fugere conſueverat multùm ſibi ab eo metuens. Tamen in S. Stephani Martyris natali ad ejus concionem comitum importunitate pertractus, primis ſtatim verbis captus eſt, cùm illam vocem exponi audiret: *Ecce video cœlos apertos*. Ita enim diſcurrebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita ut quivis ingredi poſſit: qui autem negligentes eſſent, & qui Deo cor ſuum clauderent, iis viciſſim cœlos claudi, ut deinde intrare non poſſint. Nec pluribus opus fuit. Statim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à religione, religionis voluntatem concepit; finitâ concione Reginaldum adiit, animum ſuum expoſuit, eumq; voti etiã vinculo confirmavit. Hieron. Platus lib. 3. de bono ſtat. relig. cap. 38. Non poſtulo tam multum à vobis Auditores. Vigilet ſaltem quiſque ut in tempore intret, dum oſtium apertum eſt. Monet enim seriò Chriſtus Luc. 13. *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt. Cùm autem intraverit paterfamilias & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare & pulſare oſtium dicentes. Domine aperi nobis: Et reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis.* Aſperum hoc verbum & omni terrore terribilius, ne contingat nos audire, præparemus lampades noſtras unà cum prudentibus virginibus, dum tempus ſupereſt, ut cum Domino Jeſu, dulciſſimo ſponſo noſtro, intrare mereamur ad cœleſtes nuptias, nunquam finiendas per omnem æternitatem.

Laus Deo Deique matri ſemper Virgini.

F. I. N. I. S.

INDEX COPIOSISSIMVS
MATERIARVM ET CONCEPTVVM
NEC NON
RERVM MEMORABILIVM
in hoc AVCTARIO seu SYLVA contentarum:

Ingratiam & usum concionatorum studiosè elaboratus.

Annu

Bea-

Non

Fere-

S. Hen-

Judi-

Monia-

Mulier

O 3 e-

Panis,

P.

Pau-

Dignæ

T.

FINIS.


R. P.

MATTHIAE FABRI

E SOCIETATE IESV

CONCIONES FVNEBRES ET NVPTIALES.

Hac secunda Editione correctiores & emendatiores.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus VIDUÆ IOANNIS VVIDENFELD.

ANNO M. DC. LXIV.

Permissu Superiorum, & Privilegio S. Cæs. Maiest. Generali & Speciali.



MA

CO

EX

spensus sit quasi



narravit eis in h
Solem & Luna
Gen. 37. intel
Jacob, dixitq;
vidisti? Num eg
bimus te super t
patremfam. lia
filios undecin
gnatos fuisse.
Psal. 18. Solem
(Sol) tanquam
Quidni Lunam
Adjutorium si
majori corresp
sunt, quæ spon
egregiè conve
nuata, vobis p
I. Sol comm
na non tam su
facere Sponsus
impertiri scilic
nam, opes, me
bet. Ita inprim
suum. Gen. 2. c
seu rectius V.
Vir, Hebr. Isch.
ut antiqui, test
de viro sumpta
Fabri Com



R. P. MATTHIAE FABRI E SOCIETATE IESU CONCIONES NUPTIALES.

EXHORTATIO I.

Sponsus sit quasi Sol, Sponsa quasi Luna, ex somnio Iosephi Patriarchæ.



EXHORTATIONEM Sacram impertiturus vobis ô novelli conjuges, quo illustriori nomine vos compellem, quam quo Castissimus ille puer Joseph compellavit parentes suos, quādo visum sibi somnium enarravit eis in hunc modum: *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam & Stellas undecim adorare me.* Gen. 37. Intellexit illicò somnium hoc pater ejus Jacob, dixitq; : *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Intelllexit, inquam, se velut patremfamilias per solem, uxorem suam per lunā, filios undecim per totidem stellas Josepho designatos fuisse. Cui accedit Regius Psalmista, qui Psal. 18. Solem sponsi nomine cohonestat: *Et ipse (Sol) tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Quidni Lunam ejus Sponsam dixeris, quæ tanquā *Adjutorium simile* soli, & velut Luminare minus majori correspondet? Cæterùm quia in ipsis plura sunt, quæ sponso & sponsæ, patri, & matrifamilias egregiè conveniunt, ea nunc, velut à Spiritu S. insinuata, vobis proponam.

I. Sol communicat Lunæ lumen suum, ita ut Luna non tam suo, quàm solis lumine splendeat. Idem facere Sponsus suæ Sponsæ, maritus uxori debet: impertiri scilicet splendorem sui nominis, doctrinam, opes, mensam, vestitum & quidquid boni habet. Ita inprimis Adam communicavit Evæ nomen suum. Gen. 2. cùm appellari eam voluit, *Viraginem*, seu rectius *Viram* Hebr. *Ischa*, cum ipse diceretur *Vir*, Hebr. *Isch*. Hæc appellabitur *Virago*, (h. e. vira, ut antiqui, teste Sexto Pompejo loquebantur) *quia de viro sumpta est.* Adhuc quoque mos est in regnis Valentiæ & Cataloniæ, ut uxores omisso suo generis nomine, maritorum nomina accipiant, ut testatur Gabr. Alvarez in c. 4. Isa. v. 1. Quin & in Germania nostra frequenter id usuvenire novimus. Juxta leges etiam civiles, *uxores coruscant radiis maritorum*; ita nim. ut si Baronissa nubat Comiti, non jam Baronissa, sed comitissa appelletur. Quare æquum omnino est, ut vir quoad potest, possessiones suas uxori communes faciat, nec patiatur eam famere, dum ipse bene comedit: aut laceram incedere, dum ipse vestibus nitet.

2. Luna, qua parte luminosa est, nunquam non aspicit solem, adeo ut potiùs à tota terra sese avertat, quàm à sole. Pari ratione uxor ab omnibus aliis viris vultum suum abstrahat, & ad solum suum virum sese convertat, nec ab ejus conspectu facile recedat. Hoc ipsi à Deo injunctum videtur, cum ei dictum est Gen. 3. *Sub viri potestate eris.* Quod Septuaginta & Chaldæus ita vertunt: *ad virum conversio tua erit.* Soli enim viro suo non alteri placere studeat. Quod præclare observavit Tigranis, Armeniæ Regis conjunx, quæ una cum marito in captivitate sub Cyro Persarum Rege constituta cum audisset maritum in Cyri mensa dicentem, se pro ejus redemptione vitam libenter daturum; postea una cum marito libertati restituta, cum rogaretur à Tigrane, qui placuisset ipsi Cyri humanitas, respondit: *Non ego in Cyrum oculos converti, sed in illum qui dicebat, se vita sua me redempturum*; h. e. in maritum. Auctore Xenophonte in Cyri. Hoc si fecisset uxor illius Loth, utique in salis statuam mutata non fuisset. Quamdiu enim illa ad maritum attendit eumque secuta fuit, tamdiu salva & incolumis fuit; ast ubi in fuga à marito oculos avertens, respexit retrò ad omissam igne patriam ejusque delicias; vitam & maritum perdidit; *Vt cujus visus non erat immunis, ex culpa consortio mortem effugere non posset, quamvis propter justi contubernium eruta sit de incendio*, ait S. Augustinus lib. 2. de mira: script. c. 2.

Porrò sicut corpus lunare à solari post conjunctionem sensim per singulos menses recedit, & postea rursum accedit: ita quoq; conjuges subinde corpora sua meminerint separare ab officio conju-

gali, cùm orationi sc. aut sacræ communioni opera danda est; quod ex Apost. 1. Cor. 7. discunt: *Nolite fraudare invicem, ait, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsũ; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestrã.* Ubi satis indicat posse id sæpius fieri cum periculum incontinentiæ non subest.

3. Sol & Luna cum è diametro sibi opponuntur, faciunt eclipsin plerumque damnosam animantibus & plantis: tristem & formidabilem generi humano. Pari modo dissidium & jurgium inter conjuges perdit rem domesticam, ipsamq; domum totam mœrore & timóre complet: Satan interim tripudiat juxta vulgarem nostram parœmiam: **wan das Ehevolck zanckt/da tantzt d' Teuffel:** nanciscitur enim occasionem eos in adulterium aut divortium præcipitandi. Audiamus D. Chrys. hom. 20. in Ep. ad Eph. c. 5. *Si hi vir & uxor sint in concordia, & recte aluntur filii, modestiq; sunt famuli & ordinem non deserunt, & bono eorum odore fruuntur vicini, amici & cognati. Sin autem contra; evertuntur, & confunduntur omnia. Et quomodo cum Duces Exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam, & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia. Ita nunc quoq;* Et rursum hom. 10. in Ep. ad Coloss. *Nihil amarulentius*, ait, *quam si viro pugna sit adversus uxorem, sunt namq; acerbæ pugnæ ac lites, quæ fiunt adversus personas dilectas.* Quod ne fiat, cedat alter alteri, vir uxori ut debiliori: uxor viro ut digniori. Discant hoc vel à capris illis duabus, quas vidisse se dixit Mutianus apud Plin. l. 50. c. in ponte perangusto sibi factas obvias. Cum enim una juxta alteram transire nequiret, ne regressum longitudo pontis admitteret, torrente rapido subterfluente, quid agunt? una earum procubuit, altera eam proculcans supergressaq; transiit. Discite ô novi conjuges, discite à brutis vobis familiaribus cedere alteri conjugi, cum in angusto matrimonii ponte, è quo regredi non licet, adversis forte cornibus vobis invicem obviatis; ne dum unus alterum detrudere conatur, ambo in profluentem inferni decidatis.

Cæterum & hoc vobis observandum, quod cum sol totus à Luna se abscondit ob terram interpositam, tunc obscuratur & eclipsin patitur Luna, quodammodo tristatur abducto sibi sponso. Ita prorsus mærore confici uxorem necesse est, cum maritus per alienas domos, ne dicam per tabernas, aut, quod deterius est, per prostibula vagabundus, ab uxore se abscondit, extraneo amore & terrena voluptate inter se & conjugem interposita.

4. Luna, qua parte solem aspicit, semper est lucida & pulchra; altera verò parte, qua à sole aversa terram vel stellas respicit obscura & deformis. Consimili modo uxor nonnisi ad oculum viri, ut viro suo placeat, se ornare studeat: aliis verò ne placeat, sese non adornat, sed inornata potiùs in conspectum eorum prodeat. Ita enim monet Apostolus 1. Corinth. 7. *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Liberam ergo potestatem habet ornandi & colendi se, dum versatur domi coram marito: verum eo absente quorsum ornatur? quorsum pingitur? nonne suspicionem præbet, quasi aliis, non suo placere viro cupiat? Meritò proinde invehitur S. Chrysostomus in uxores illas, quæ domi coram marito sordidè incedunt; cum autem foras prodire volunt, sese adornant. Ita enim ipse hom. 10. in Ep. ad Coloss. ad mulierem: *Quid ornaris? Dic quæso*, inquit, *ut viro placeas? igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium fit: scilicet domi summa injuria: si foras itur, annus est dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, aliis ne cura, ut placeas; si vero aliis placere vis, non potes placere viro.* Sic ille.

5. Sol longiorem viam cæli percurrit, Luna breviorem; quia terræ propinquior. Pari modo maritus graviores in se labores sucipiat, leniores uxori relinquat, velut debiliori sexui, qui non ex toto Adami corpore, sed ex una tantum ejus costa formatus est: neq; Evæ dictum est, *ut operetur & custodiat paradisum*, sed Adamo. Turpe esset viro, si ipse equitaret, & uxorem pedibus iter facere juberet: qua nota taxantur viri in Hollandia quod ipsi in tabernis diem potitando transigant, labores vero domesticos in uxores rejiciant. Non sic egisse sponsum B. Virginis credendum est; qui proinde fugiens in Ægyptum pedes pingitur ponè vel à latere sequi sponsam in asello sedentem.

Ad hæc Sol per diem, Luna vero absente sole per noctem suum in terras influxum habet. Ita maritus dum domi est, imperet & gubernet domum: in ejus verò absentia uxor viri partes obeat. Ille solis instar acriores radios fundat, severiori disciplina filios & familiam coerçeat: Ista mitiori influxu, velut Luna fervorem viri temperet. Vir ad ea, quæ foris agenda sunt in foro, tribunali, agro, nundinatione & itineribus, strenuum se exhibeat, & cum Sole forensia negotia perlustret: Uxor quæ in domo sunt, componat & quasi nocturno lumine dirigat. Sic fiet, ut quemadmodum Sol & Luna dum pulchrè inter se conveniunt, mundum optimè gubernant & bonis omnibus replent, sic etiam conjuges domum suam & benè regant & locupletent.

EXHORTATIO II.

Sponsus sit quasi Choraules, Sponsa quasi Lyripipium, ex Proverbio Salomonis, &c.

NIhil communius in nuptiis præsertim Rusticorum, quam ad excitandam lætitiam & cohonestândas nuptias, adhibere Choraulẽ & Lyripipiariũ (**ein Schalmeyer vnd Sackspfeiffer**) qui

qui duo tibicines vel Fidicines, quaſi connubio aliquo copulati, ſolent obire nuptias & Choreas, ut præſentes cantu ſuo accendant ad lætitiam; ita ſimul juncti, ut unus ſine altero accinente ingratus & inſuavis ſit. Unitis autem tibiis pergratam edere Muſicam putentur. Sed quid huic concentui cum nuptiis. Multum profecto; nam ſi benè expendantur præſcribunt novis conjugibus, qua ratione inter ſeſe jucundè vitam agere & tranquillè poſſint; nec ſine oraculo divino, quod judicat matrimonii ſtatum modulationi ſeu concentui ſimilem eſſe debere, Prov. 19. ubi dicitur: *A Domino propriè* (datur ſc. juxta 70. aptatur: Gr. ἁρμόζεται, h. e. *admodulatur*) *prudens uxor.* Quo verbo ἁρμόζεται deſignatur quaſi Muſicalis conſonantia, unde harmonia dicitur concentus aptus. Obſervavit hoc S. Ambroſ. in c. 16. Lucæ, cùm ait: *Benedixit; Græcus* ἁρμόζεται. *Harmonia enim conveniens & apta rerum omnium dicitur commiſſa connexio.* Et mox: *Ergo ubi nuptiæ, harmonia: ubi harmonia, Deus jungit. Vbi harmonia non eſt, pugna atq; diſſenſio eſt, quæ non eſt à Deo; quia Deus charitas eſt. Hic ille.* Duo igitur conjuges ejuſmodi harmoniam pulcherrimè efficient, ſi quos dixi duos illos nuptiales tibicines imitati fuerint; id quod mox videbunt.

1. Choraules incipit intonatq; cantum, Lyripipiarius ſubſequitur, ſic etiam uxor viro primas ubiq; deferat, prior ipſo non loquatur aut aliquid concludat, ſed honorem ipſi deferat, ex ipſius ore & conſilio dependeat. Id enim à primæva conjugii inſtitutione inſinuatum eſt à Deo, cum non Adam ad Evam, ſed Eva ad Adamum adducta fuit. Quam ob cauſam etiam Gen. 3. ipſi Deus dixit: *Sub viri poteſtate eris*: Hebraicè *ad virum teſcukatech*. h. e. *recurſus tuus*, ut vertunt Septuaginta & Chaldæus propterea etiam Adam prior creatus eſt, Eva poſt ipſum; velut ſexus debilior, tam intellectus quam corporis viribus. Quod ſi obſervaſſet Eva maritum & ſuos poſteros una ſecum non perdidiſſet. Dum enim interpellata à ſerpente, prior ipſa locuta fuit, non conſulto marito, ideo in naſſam incidit. Advertit hoc S. Ambroſ. in id Pſ. 1. Beatus vir: *quæ malè cæpit, ſequi debet*, ait, *ut vel poſt experimentum ſit verecundior. Malè Eva naturæ ordinem prætermiſit, expectare debuit præcedentem. Aſtutè ſerpens à poſteriore cæpit.* Hinc benè Eccleſiaſt. cap. 25. dixit: *Mulier ſi primatum teneat, contraria eſt viro.* quaſi dicat, turbat cantum & inconcinnum reddit, ſicut cum in Muſica vox inferior tranſcendit ſuperiorem. Audiamus Hugonem Purpuratum in eum locum: *Mulier ſi primatum habeat, id eſt, dominium vel Magiſtratum, contraria eſt viro ſuo, quia non vult quod ipſe vult. Vnde ad literam oſtendit, quia noxius eſt primatus mulieris, quæ debet ſubjici non præponi!* Idem noſtri Germani proverbio illo decantant: **Es ſtehet dem Eheſtandt vbel an/wann die Hänn kräet vor dem Han.** h. e. non decet in conjugio gallinam canere ante gallum. Præclarè hoc obſervavit illa ſimplex & recta Negotiatoris naufragio depauperati, ideoq; ob æs alienum vinculis conſtricti uxor, quæ à viro divite tentata, ut, ſi virum redemptum cuperet, turpi ejus voluntati aſſenſum daret, reſpondit ſe ex Apoſtolo audiſſe, mulierem in poteſtate viri eſſe, proinde ſe ituram priùs & maritum interrogaturam, an id fieri licitè poſſet. Ivit, interrogavit, & prohibita à flagitio, rediit ad divitem, aſſerens nequaquam ſibi licere, quod ipſe poſtularet: Deum aliter ſibi ac viro proviſurum; uti mox providit. In Prato Spirit. Joan. Moſchi c. 189.

Vide totam hiſtoriam in Conc. Tripartit. Dom. 5. poſt Epiph. Conc. 1. D.

2. Choraules regit cantum, Lyripipiarius ipſum ſequitur eiq; ſe accomodat, eandem cantilenam modulans, unde Plutarchus dixit: *Duabus vocibus ſimul ſonantibus, grauior fit concentus. Ita quidquid fit in familia, fit quidem utriuſq; conſenſu, ſed tamen arbitrio mariti.* Ita decet, ut per omnia, quæ Deo & honeſtati contraria non ſunt, uxor marito ſe conformet, in fide, victu, veſtitu, moribus. Ideirco enim è latere viri facta eſt, ut ei ſubjiciatur & quaſi latus ejus ſtipet, quando una cum ipſo incedit. Unde Apoſt. ad Eph. 5 ait: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*, capitis autem directionem ſequuntur alia membra; ita ut ad primum ejus imperium, imò imaginationem mox ad imperata ſeſe accingant, cur non & uxor quoq; ad imperium mariti ſe accomodet? *Ita priſcis fiebat temporibus*, inquit S. Chryſ. hom. 6. in I. ad Cor. *ſuum unuſquiſq; implebat officium. Accepit Abraham ſecum Loth filium fratris ſui, & non accuſavit uxor: juſſit ut longum iter faceret, & non contradixit. Item poſt multos labores & ſudores dominus factus Abraham, ceſſit Loth in electione terræ, & Sara mariti probavit volũtatem imo cum poſtea Loth graviſſimum periculum ſubiiſſet, Abrahã ſuos omnes armavit aduerſus omnẽ Perſarũ exercitũ, cum ſuis duntaxat familiaribus ſe præparavit, & Sara non diſſuaſit, neq; dixit, quæ tunc dici poterant: Mi vir, quò ruis in præceps? quò impelleris? cur te tantis periculis exponis? & pro homine, qui ſe tibi antepoſuit, ſanguinem effundis? Quod ſi teipſũ contemnis, ſaltem mei, quæ propter te domum & patriam reliqui & cognatos, & in tam longinquas regiones tecũ peregrinata ſum, miſerere, & noli me viduitate & viduitatis malis afficere. Nihil tale dixit Sara neq; cogitavit ſed omnia pertulit ſilentio.* 1. Venit etiam hoc nomine laudãda illa Saphira, uxor Ananiæ Act. 5. quæ ſui ſe mariti, omnem poſſeſſionem abdicantis & Eccleſiæ devoventis voto ac voluntati per omnia conformavit eamq; ratam habuit. In eo verò erravit, quod mentientem virum, & ipſa cum mendacio proſecuta fuit. Quod enim vir contra Deum agit nequaquam uxori imitari licet. Laudabiliùs Leonora Beati Franciſci Borgiæ, Gandiæ Ducis, in ſæculo adhuc exiſtentis conjux, cum ſimpliciore veſte uteretur, de hoc interpellata à nobiliſſima quadam matrona, reſpondit: *Mene byſſinis, ſericis aut purpureis indui vis, cum dominum*

meum cilicium gestare sciam? Ribad. in vita Borgiæ l.1. c.12.

3. Choraules continuò inflando tibiam, plus laborat, quam Lyripipiarius, qui subinde respirare à flatu potest, modò ut rem premat. Idem in conjugio fiat. Graviores in se labores maritus suscipiat, leviores in uxorem rejiciat, eiq; respirationem subinde à laboribus concedat. Nemo certè prudens graviorem sarcinam debiliori imponit equo: quis autem nescit sexum muliebrem virili infirmiorem esse? Hinc & olim apud Ethnicos sponsa inducta in domum viri, in pelle lanata statuebatur: vir non item, ut sciret uxori suæ aliquid condonandum & parcendum esse. Hunc ad modum Abraham & Sara partiti sunt inter se labores, ut ipse quidem foras ad armentum curreret & hædum (graviori utiq; labore) dorso impositum deferret: uxor verò in culinam ad coquendum (leviori opera) panes se conferret, Gen.18. Atq; hinc opinor, noluit Deus obligare fœminas ad peragendum iter in Jerusalem temporibus præfinitis, cum tamen viris id mandaret, & quidem ter in anno Exod.34. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Fuisset enim hoc iter fragiliori sexui valde laboriosum, è locis præsertim remotioribus. Neq; dicas pro custodia ædium eas domi relinquendas fuisse; promisit enim ibidem Deus omnes peregrinantium domos eo tempore à quibuscunq; insidiatoribus fore securas. Parcere igitur Deus fœmineo sexui voluit eximendo eum à lege illa, uti sentit Oleaster in eũ locum scribens: *Tanquam pius & misericors hoc fieri voluisti: ne scil. Sexus infirmior longiori itinere gravaretur.* Viderint mariti, ut hanc Dei clementiam & ipsi imitentur: non premant uxores laboribus, dum præsertim ipsi in popinis sedent; sed econtra illis colum & acum permittant, ipsi stivam apprehendant & securim. Quanquam etiam viro sua dãda est à laboribus respiratio: uxori verò otium nullo tempore permittendum: quomodo etiam Choraules à difficiliore flatu subinde respirat: non item Lyripipiarius, qui licet ut rem non semper inflet continuo tamẽ premit, & resonare cogit. Atq; hinc laudatur mulier illa fortis Prov.31. cùm dicitur de ea: *Consideravit semitas domus suæ & panem otiosa non comedit.* q. d. etiam cum cibum sumit, otiosa esse non debet, sed curam domus habere.

4. Duo illi tibicines simul cohærere simulq; canere debent: unus sine altero ingratum & inperfectum cãtum edet. Non aliter duo conjuges mutuo sibi adhæreant, mutuo se ament, quasi una caro & una anima. Hinc tam Moyses in veteri lege, quam Christus Dominus in nova, licet admittant separationem à patre & matre, à fratribus ac filiis; ab uxore tamen non admittunt Moyses Deut.33. de Levitis ita loquitur: *Qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: ignoro vos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servauerunt.* q. d. prætextu serviendi Deo possunt relinquere consanguineos suos: sed uxoribus exceptis. Illos, *quanquam reclamantes*, ait Rupert. l. 3. in Gen. c.38. *vel inuitos relinquere jure licebit* (ad custodiendum Dei eloquium) *Sola autem uxor est, quam nisi volentem, & idem propositum amplectentem, dimitti fas non est.* Matth.10. idem confirmans ait: *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum.* Inter virum tamen & uxorem nullum voluit seminare dissidium aut separationem (excepta causa fornicationis) ut summa semper in illis concordia vigeret. Idem pulchro symbolo Gentiles expresserant Castoris & Pollucis: quæ duo sidera cum simul, quasi duo gemini apparent, secundam nautis navigationem & omen portendunt bonum. Si verò eorum alter duntaxat eminet, malum præsagire, creduntur teste Claudio Paradino in Symb. Heroicis. *Eodem modo*, addit auctor, *si mutuus conjugum amor pergit in re domestica affulgere certum tranquillitatis & felicitatis domesticæ indicium promittitur. E diverso, si alterius improbitate diuortium conjugatis accedat, ruinam & pernitiem, denuntiat.* Exemplum habemus 1. in Gentili fæmina, Hypsicratea, Mithridatis Regis Ponti Conjuge quæ habitu virili induta, tonsis capillis, militiæ assuevit; quò maritum semper insequeretur, & omnibus ejus periculis interesset ac laboribus, teste Val. Max. l. 4. c.6. Deinde in Hebræa illa Sara, quæ Abraham Conjugem, jam huc jam illuc peregrinantem in varias regiones ubiq; prosecuta est, velut Comes individua.

5. Ravum & asperum Choraulis sonum temperat Lyripipiarius gracili suo & suaviori concentu. Ita quoq; uxor austerius viri imperium suavioribus verbis lenire & temperare studeat. Idcirco & naturæ auctor mulieri gracilem ac subtilem vocem, viro autem gravem & profundam dedit; ut ipsa velut Discantus Tenorem vel Bassum viri emolliat. Facit huc, quod Ælianus lib.12. de animal. c.44. scribit de elephantibus, qui capti primòférociunt, & si vinculis constringantur, aut verberibus tundantur, magis efferantur; neque deliniuntur cibariorum illecebris, at si Indi instrumento musico, quod scindapsum appellant vernaculam eis cantilenam accinant, tunc aures arrigunt & sensim mitescunt, cibumq; objectum accipiunt. Faciat & hoc irato & austero viro, canat suo Lyripipio suavem ei cantilenam, ac nisi is elephante ferocior sit, utique mitescet. Ex hac dote laudatur mulier illa fortis. Proverb.31. cum dicitur: *Lex clementiæ in lingua ejus.* q. d. pro lege sibi statuit loqui verba clementiæ, seu, ut Chaldæus habet *verba gratiæ*, ad mitigandam viri austeram & iracundam vocem. Hac lege S. Monica virum suum Patricium, immitem valde & asperum lenitate & mansuetudine non solum mitigavit, & sedatum fecit, sed & ad veram fidem perduxit, teste filio Augustino l. 9. conf. c. 9. Quo etiam spectat, quod D. Chrysostomus hom. 26. in Ep. ad Corinth. ait:

Vxor

Uxor portus est mariti; portum autem oportet esse tranquillissimum, ne ille in portu faciat naufragium. Advertant hoc uxores, & quando vident viros suos procella iracundiæ agitari ne fluctus majores ipsis impellant, sed portum eis tranquillum potius placidissimis verbis aperiant, ut quando fessi à laboribus domum revertuntur, quietem inveniant. Fælices vos ô conjuges, si hæc Musica audiatur in conjugio vestro. Quam ut obtinearis, ad Deum recurrite: *à Domino* enim *datur* & ut sic dicam *harmonizatur prudens mulier* quæ hunc concentum perficit. Instrumenta musica Musici concordant: verum Dei opus est, conjuges attemperare.

EXHORTATIO III.

Maritus sit surdus, uxor cæca, ex consilio Alphonsi Regis Arag.

MOs antiquus est, benedicere & fausta precari novis nuptis. Ita Raguel tradens filiam Tobiæ precatus est: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos impleatque benedictionem suam in vobis.* Tob. 7. Idem ego facturus hodie cælestem benedictionem vobis, ô novi conjuges, apprecabor ut felix & tranquillum matrimonium ineatis. Qua vero ratione hoc ipsum consequemini? Si consilium Sapientissimi Regis Aragonum, Alphonsi sequamini, qui dicebat ita demum matrimonium tranquille citraq; querimonias exigi posse, *si maritus surdus fiat, uxor cæca.* Panormit. in rebus Alphonsi. Sed forsan mihi dicetis infaustum quid hoc sonare: nec tam benedictionem, quam maledictionem apprecari. At non ita est, uti mox audietis.

I. Surdum esse maritum expedit I. ne uxoris garrulitati faciles aures præbeat, multo vero minus pravis ejus blanditiis & suggestionibus locum det. Scire enim debet, longos quidem capillos, brevia autem consilia esse mulieribus: Lange Harr kurtze Sinn: Experti non sunt pauci, qui uxorem blandiloquentiâ & loquacitate seducti sunt: Adam inprimis suasu Evæ, Samson importuno suæ Dalilæ postulato, Achab Rex objurgatione Jezabelis, aliiq; ad hujusmodi sermones surdum esse maritum oportet & uxori respondere cum S. Job. *Quasi una de stultis mulieribus locuta est Iob. c. 2.* Ubi tamen advertunt S. Basilius & Chrysostomus moderationem à Job adhibitam, dum non plane stultam, sed *quasi unam de stultis mulieribus* compellavit. Non ineptè etiam maritus usurpare ad uxoris garrulam vocem posset dictum S. Basilii ad Demosthenem quendam Valentis Imper: coquum Arianum sibi oblatrantem & scripturas opponentem: *Tuum est de pulmentis cogitare non de dogmate diuina decoquere,* In hist. tri. part. l. 6. c. 36. Nihil deniq; melius, quam loquaculis uxoribus aures occludere aut joco os compescere, ne si rem verbis vel verberibus agere velis, ignem igni addas, Suadet hoc. D. Chrysost. hom. 38. in Gen. *Hoc est,* inquit, *Verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecilitate sexus veniæ non nihil concedit, hoc unum satagens, ut è medio tollatur tristitia & pax atque concordia constringatur arctius.* Dexterrimus in hoc arte fuit Socrates, qui dum Zantippes suæ molestias & jurgia in risum traxit, pulcherrimè de ipsa sese vindicavit. aliquando cum rixantem ad nauseam audisset, illa viri patientiâ magis irritata de fenestra eum lotio perfudit. At ipse nihil motus in risum mox injuriam convertens; *Facile divinabam,* inquit, *post tantum tonitru pluuiam secuturam.* Idem quoque admiranti hanc ejus æquanitatem Alcibiadi respondisse fertur: *Uxoris garrulitate non magis offendor, quam si rotæ, quæ aquam educit, stridorem audiam.* Laërt. in vita Socr. Non minùs dextrè ac facere alius apud Adrian. Barlandum, hospiti in diversorium suum admisso, cum is vociferantem diutius uxorem ejus rixantemque cum ancillis iniquè ferret, respondit: *Ecqua amice, hæc tua impatientia est; Duos & triginta annos hujus ego clamores fero patientissimè: tu verò ne per unius quidem horæ sextantem ferre illos potes?* Quo dicto & hospitem leniit, & uxorem ab ira ad risum convertit. Quis hunc virum non dicat fuisse surdum, magnâ quidem cum laude, & apud Deum merito?

II. Surdum se maritus præbeat, cum præter uxorem altera fœmina ipsi dilaudatur, quasi pulchrior aut nobilior seu prudentior. Quod & uxor imitetur, cùm ipsi viralius commendatur. Audite vos sponse & sponsa, sponsum cælestem de sponsa sua loquentem Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* q. d. Sola sponsa mea instar lilii odore & candore suo me recreat ac demulcet: cæteræ fœminæ omnes mihi spinæ sunt & displicent, meque vulnerarent: si vel tangerem vel audirem eas. Audite & sponsam sponso respondentem: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* q. d. quanto speciosior est malus rubicundis onusta pomis, agrestibus & sylvestribus arboribus, quæ aut nullos aut agrestes fructus ferunt: tanta præstat mihiq; charior est sponsus meus præ omnibus viris & amatoribus. Hujusmodi sponsus, egregiè surdus, fuit Ludovicus Thuringiæ Princeps, S. Elisabethæ maritus. Cum enim aliquando Choreas de fenestra spectaret, visaque in eis puella decora, speciem ejus laudaret, quidam aulicus assistens spospondit, se eam Principi adducturum, quin & substraturum. Quod audiens Ludovicus, vehementer iratus: *Obmutesce,* ait, *& nunquam deinceps talia meis auribus inferas, si velis meâ gratiâ & amicitia frui.* Confusus ille obmutuit tremens; ut habetur in vita S. Elisabethæ. Ita vos mariti, ita surdi estote. *Estote,* inquam, *prudentes sicut serpentes & instar aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium* Ps. 57.

III. Non audiat facile, neq: credat, quæ de uxore temere sparguntur, quasi minus ipsi fidelis sit; sed

bonam ſemper de ipſa concipiat opinionem. Ita monet Eccleſiaſticus c. 9. *Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam* h.e. ne forte quod nunquam ſomniarat importunis querelis eam doceas. *Nitimur enim invetitum ſemper.* Impegit in hoc documentum ſuo malo Ludovicus Craſſus, Galliæ Rex, qui cum de Richarda uxore ſua caſtiſſima ſentiret malè, & vocaſſet adulteram, nec tamen de hoc crimine poſſet convincere, pœnas luit, nam derelictus eſt ab omnibus etiam domeſticis, tantaque preſſus inopia, ut vel tenuem victum emendicare ab Arnoldo Bavariæ Ducis filio coactus fuerit, nec multo poſt mœrore confectus obierit, anno. 887. Belleforet in Craſſo. Factum inde ut corona Imperii Romani anno ſequenti à Regibus Galliæ tolleretur, & in Arnulphum, ut ſentit Genebrardus transferetur. Surdus hic ſi fuiſſet ad aniles fabulas de conjuge confictas, forſan coronam Imperialem cum Regia non perdidiſſet. Laudatur ex hoc capite fortis illius mulieris maritus Prov. 31. his verbis: *Confidit in eâ cor viri ſui: & ſpoliis non indigebit.* q.d. quia ſine Zelotypia confidentiam in uxorem habet; ideo ipſa tam ſtrenuè ſe geret in familiæ regimine, ut viro non ſit opus ſectari ſpolia, aut cuiquam inſervire, vel, ut accidit Craſſo, victum emendicare.

Uxor ſit cæca, I. Cæcam porrò eſſe conjugem voluit Alphonſus Rex I. ne viciſſim ipſa curioſè inſpiciat acta viri, v. g. an cum aliis fœminis ſermonicetur aut rideat. Hoc enim viro permoleſtum atque injurioſum eſt, teſte Eccleſ. c. 27. *Dolor cordis & luctus mulier Zelotypa* (videlicet, *quia ſuâ lingua velut flagello continenter miſerum virum ferit ſemper cum eo expoſtulans, aliquando convitiis proſcindens;* inquit in eum locum Palacios. Unde mox ſubdit Eccleſiaſticus, *in muliere Zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans:*) quia ſuam Zelotypiam & indignationem tacere neſcit, ſed obviis quibusque exponit, conquerendo de marito, & de æmula vindictam expetendo. Exemplum audite. Joanna Philippi Hiſpaniarum Regis conjux videns quod maritus ſemel oculum conjeciſſet in capillum cujusdam puellæ de gynecæo flavedine gratioſum, correpta Zelotypia clamoribus & querelis totam Regiam implevit, faciem puellæ vibicibus fœdavit, correptaque forfice capillos eidem abſcidit, viro denique ſuo à tergo ſemper adeſſe voluit. Refert Gomezius de reb. geſtis Fr. Nimenii l. 3. Quantum iſta flagellum & ſuo & mariti tergo inflixit? quæ ſi cæca fuiſſet, nec ad mariti oculum ſuos oculos conjeciſſet utique & ipſa & Rex in pace vixiſſet.

II. Ne in alios viros, præter maritum, curioſos oculos defigat. Oculi enim amoris pronubi ſunt, & facile in aliorum concupiſcentiam intuentem trahunt. Hinc Sanctæ illæ mulieres ſepulchrum Chriſti ingreſſæ, cum vidiſſent duos viros (angelos nimirum) in veſte fulgenti, in ipſo ſepulchro ſibi timuerunt, & declinaverunt multum in terram. Luc. 24. Bone Deus! ſi vel in ſepulchro periculoſum fœminis eſt, viros aſpicere, quid erit in foro? Propterea antiqui prohibuere ſuis fœminis prodire in publicum capite aperto. Unde Tertullian. de pallio c. 4. Habes *ſpectare*, inquit, *quod Cæcinna Severus grauiter ſenatui impreſſit: Matrona ſine ſtola in publico.* Cui accedit Val. Max. l. 6. c. 3. referens, Sulpitium Gallum uxorem dimiſiſſe (*quod eam capite aperto foris verſatam cognoverit, lex enim ajebat tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes &c.* Severum profectò hoc ſupplicium fuit, uxoribus pavendum, præſertim Chriſtianis, quæ arctiori vinculo maritis ſuis addictæ ſunt. Cogitet periculum, quod adiit uxor Putipharis, quando in Joſephum ſpecioſum ſervum heri ſui, oculos conjecit, indeque in amorem ejus adeo exarſit, ut etiam reluctantem rapere ad ſe conaretur, Gen. 39.

III. Ut inſtar cæci à marito duci ſe permittat, ad nutum ejus parendo. Id enim à primæva inſtitutione ipſi injunctum eſt, quando dictum eſt Evæ: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* In quæ verba D. Chryſoſt. hom. 17. in Gen. ita ſcribit: *Quia neſcivisti imperare, diſce bene regi.* Et paulò poſt: *Melius eſt, ut illum* (Adamum) *Dominum habeas; quàm impavidè & liberè vivens per præcipitia feraris: nam & equo utilius eſt fræno regi & compoſitè ingredi, quàm ſine illo per præcipitia ferri.* Quis etiam neſcit cæco longe utilius eſſe, ſi regatur à vidente, quam ſi abſque duce hinc inde oberret? Sic enim etſi non ſuis, alienis tamen oculis videt, & greſſus ſuos dirigit; ſi, ut ait Apoſtolus, vir caput eſt mulieris, fateatur oportet mulier, ſe non niſi oculis viri regi. Sic non impinget, quin imò, ut dixit ſapienter olim Publius Mimus, *Caſta ad virum matrona parendo imperat.* Sapienter inquam; quia vir talem mulierem reveretur, adeoque nihil non ei permittit, ac concedit. Experta id fuit, uxor Abrahæ Sara, quæ quum viri imperio per omnia paruit (etiam cum in periculo violationis apud Regem Abimelech ſuaſu mariti dixit ſe eſſe ſororem ejus Gen. 20.) & velut cæca duci ſe in exteras atque ignotas Regiones permiſit, id conſecuta eſt, ut Abraham nihil ei negaret. Petiit illa ut ancillam Agar duceret in uxorem ad progignendam prolem: obſecutus eſt Abraham. Geneſis 16. Petiit deinceps, ut vir ejiceret, ancillam cum filio ſuo, velut ſibi moleſtam; obtemperavit Abraham & dimiſit eam Gen. 21.

Hæc, ô novi Conjuges, ſi, ut expoſui, obſervaveritis, tranquillè & citra querimonias haud dubiè ſimul cohabitabitis; & erit *Dominus vobiſcum*, atque *implebit benedictionem ſuam in vobis.*

EXHORTATIO IV.

Conjugium inituri ad Crucem ſe pergere cogitent. Ex Somnio Artemidori.

ARtemidorus Philoſophus Paldianus, qui de inſom-

insomniis, auspiciis & Chiromantia libros quatuor conscripsit, malum omen esse prodidit, si quis somniet se in crucem agi, aut ligno affigi. Infaustum haud dubiè prognosticum. Sed dicat nobis ille, quid rei illo somnio significeter: Respondet in Oneyrocriticis lib. 2. cap. 58. *Viro uxorem non habenti nuptias prædicere.* Delirasse videtur hic Philosophus. Quis enim non fugit crucem velut horridissimam? E contra verò nuptiæ quanto studio appetuntur? quanto gaudio celebrantur! Et tamen à veritate, si rem examinemus non multum aberravit hic Philosophus; quin imò rem acu tetigit. Quod quidem ego ad vos novi Conjuges, non ut à bene cœpto opere vos absterream; sed ut forti animo esse jubeam & obarmem ad ferendam istam matrimonialis status crucem; quæ etsi Cruci Christi multum dissimilis est, vestrâ tamen virtute eidem modo aliquo conformari potest, ut quemadmodum ipse de Cruce sua ad beatam Resurrectionis gloriam ascendit; ita & vos de vestra hac qualiquali cruce ad eandem gloriam pervenire positis. Nunc audite & armate vos.

I. Qui cruci affixus est, non est sui juris; unde nec de cruce descendere; nec manum aut pedem inde referre potest, quia ligno affixa habet adeoque quasi non habet. Simili modo conjux, quisque non jam suus est, sed conjugis, cui affixus est, quamdiu ipse vel conjux vivit. Ita expressè scribit Apostolus 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et infrà: *Mulier alligata est legi* (pari modo vir) *quanto tempore vir ejus vivit &c.* Unde primò non licet conjugem excludere à thoro vel domo, vel ab eo recedere nisi ex causa gravissima, cujusmodi esset, morbus contagiosus aut adulterium, de quo Christus Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem, excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari.* Exponeretur enim ejecta manifesto lapsus periculo, proles ab ea abalienaretur, aliaque incommoda sequerentur. Unde & Apostolus 1. Cor. 7. ait: *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.*

Deinde multò minus licet fidem conjugi frangere, quâ se, mutuò obligarunt: ne quidem si alter fidem fregisset, adeoque locum hic non habet, quod dici solet: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Ut enim hoc in aliis contractibus valeat in quibus nihil statuit Deus: non licet tamen in matrimonio, quia id expresse vetat Dei lex: *Non adulterabis, non mœchaberis.* Neque fas est uni adulteranti potestatem conjugi facere vel permittere, ut & ipse adulteretur; uti fecisse fertur Ottocarus Rex Bohemiæ infælix, idque ita excusasse: *Cornua qui fecit: cornua & ipse ferat.* Itaque si conjux alter ad flagitium tale à quocunque invitetur, dicat: non sum meus, sed mei conjugis: solus ille in me potestatem habet. *Cùm ad tentandum,* ait sanctus Chrysostomus hom. 29. in lib. ad Cor. *meretrix accesserit, dicas non esse tuum corpus, sed uxoris; itidem & uxor dicat iis, qui volunt expugnare pudicitiam, corpus meum non est meum, sed viri.* Imitetur in hoc Christum, qui ab impiis provocatus ut descenderet de cruce, renuit, tametsi id ei liceret nec difficile foret; Conjugi verò descendere nec expedit, nec licet, sed planè exitiosum est.

II. Qui in cruce pendet, corporis mole prægravante & vulnera manuum diducente continuò cruciatur, & distentis nervis patitur. Idem accidit conjugatis, ut testatur Apostolus 1. Corinth. 7. cùm ait: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.* Hoc est, commiseror. Quod explicans sanctus Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 16. ait: *Tribulatio autem est in suspicionibus Zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mæroribus orbitatis. Quotus enim quisque cùm se connubii vinculis alligaverit, non estis trahatur atque agitetur affectibus &c.* Potest esse conjugium sine reatu, sed non potest esse sine tribulatione, sine dolore & timore. Aut enim bene ac suaviter convivunt conjuges, & timent ab invicem separari: aut malè inter se conveniunt, & quid tunc habent nisi crucem? Eò pertinet, quod D. Paulinus ep. 39. ait: *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quiescit animus, ut cruciatu careat; dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in utroque miseriis sustinendis obnoxius.* Unde non absurdè dixit Hipponactes: *Bini duntaxat sunt cum uxore jucundissimi dies, alter quo ducitur, alter quo mortuo effertur.* Cæteri ut plurimum pænales, ærumnosi, tristes. Alius liberalius matrimonii statum oblongo comparuit gladio (einem Rapier) cujus solum capulum splendet, totum quod in eo reliquum est, terret, scindit, pungit: Ita enim in conjugio solas nuptias & initium lætificare nuptos, omne quod superest vitæ plenum esse miseriis & ærumnis, ajebat. Sed quod tandem his malis remedium? Audiamus D. Chrysostomum l. de Virginitate cap. 40. *Quid si vir moderatus est, ait, uxor verò nequam, maledica, loquax, & quod commune est mulierum præsumptuosa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit? quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam & impudentiam perferet? quid si acciderit contrà, probam illam & mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum & inflatum, qui uxorem liberam habeat pro ancilla, & nihilo melius in eam, quàm in famulam sit animatus? quomodo necessitatem hanc & vim tolerabit? quid denique si vir ab uxore continenter aversus perpetuò abhorreat? perferat oportet omnem istam servitutem. Tantùm enim illa sui juris futura est, cum vir è vita migraverit. Nam quamdiu vixerit, alterutrum necesse est, ut vel eam magno regat studio, ac moderetur,*

deretur, & meliorem faciat, aut bellum minimè de-nunciatum & perpetuum prælium fortiter sustineat Ita vir hic ſanctus; cujus conſilio quod aliud melius ſuggeram non invenio.

III. Qui cruci affixus eſt, nihil jam de mundo & mundanis voluptatibus aut delitiis cogitat. Sed mundo ſe mortuum credit: imò mundo deſpicit & ab eo ipſe deſpicitur: Ita qui matrimonio juncti ſunt, ſibi perſuadere debent ſe in connubio quaſi in cruce eſſe, ſeveræ & ſtrictæ legi ejus obſtrictos, adeoque mundanis voluptatibus, ut choreis, conviviis, confabulationibus, pompis, veſtium luxui mortuos: imò hæc ſibi jam horrori eſſe & crucem videri, ut & ipſi ſuo modo dicere poſſint cum Apoſtolo ad Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hoc eſt, mundum ego uti crucem horreo: & viciſſim mundus me ut Crucem averſatur & fugit. Quo pronunciato non ſolis religioſis, ſed Galatis etiam conjugatis, in exemplum ſe proponit & ſuadere conatur, ut profanis mundi gaudiis ſe abdicent. Cui conſonat S. Chryſoſtomus, qui hom. 57. ad pop. Antioch. monet, ut urbem inhabitantes Monachorum ſapientiam imitentur. *Quoniam*, inquit, *in principio ab Apoſtolis inſtructi homines civitates quidem habitabant, & ſolitudines petentium pietatem exhibebant. Alii verò officinis præpoſiti, ut Priſcilla & Aquila, & omnes Prophetæ & uxores habebant & domos, ut Iſaias, Ezechiel & magnus Moyſes, & inde nihil ad virtutem lædebantur.* Quod inprimis uxores, quia domo fere affixæ eſſe deberent, non difficile præſtare poterunt. Idcirco, ut ſcribit Plutarchus in Laconicis (in Charilla) apud Lacedæmones, virgines quidem apertâ facie, viris autem junctæ mulieres velatâ prodire ſolitæ erant; ut nimirum illæ maritos invenirent, iſtæ viros jam habentes aliis placere nollent, adeoque nequidem nôſſe eos cuperent. Hujuſmodi erat illa Hieronis Syracuſani uxor, quæ à viro objurgata, quod ſibi graveolentiam oris ſui nunquam indicaſſet, reſpondit: *Arbitrabar ſanè omnes viros ita olere.* Id Plutarchus in Lacon. Adeo iſta præter ſuum non agnovit alium virum. Magnum hoc profectò decus conjugale eſt, ita conjugi ſuo alligatum eſſe, ut quaſi cruci affixus ad alios viros aut mulieres accedere non poſſit, imò neque nôſſe quemquam velit. Atque hæc eſt illa Crux, cui vos, novi Conjuges hodie affigitis: ſancta & ſalubris, ſi eam non deſeratis, ſed conſtanter ad montem Calvariæ h. e. ad mortem uſque geſtetis; dulces enim vobis fructus feret, & beatam denique reſurrectionem; adeo ut eos quoque cùm S. Andrea ad crucem ducto, dicere modo aliquo poſſitis: *O bona crux, ſuſcipe nos & redde ei, qui pro nobis pependit, Dominus noſter &c.*

EXHORTATIO V.

Haſtis armandi Conjuges. Ex antiqua nuptiarum cæremonia.

MIrum quid Plutharchus in quæſtionibus Romanis quæſt. 87. ſcribit, *Nuptarum* ſcilicet *comam haſtis diſcriminari ſolitam.* Cauſam ſi roges, reſpondet; *quia bellicoſis jungantur maritis, debere ipſos quoque à luxu alienas & bellicoſas eſſe.* Itane vero in conjugio etiam bella geruntur? Omnino & quidem crebra variaque, ut vix alibi plura. Teſtem adhibeo inprimis S. Hieronymum Eccleſiæ Doctorem, qui in l. contra Jovinianum. Scribit. *Qui non litigat, cælebs eſt.* Quis ergo litigat? utique qui nòn cælebs, ſed matrimonio junctus eſt, Cùm Hieronymo concinit D. Baſilius M. ep. 1. dicens: *Conjugio mancipatum curarum agmen excipit, in orbitate deſiderium prolis, uxoris cuſtodia, domeſtica procuratio, ſervilium officiorum conſtitutio, digladiationes cum vicinis, forenſes concertationes, negotiationis alea: unaquæque dies ſuam adfert animo caliginem.* Ecce tibi materiam planè copioſam pugnandi & bellandi. Contra tot impugnatores nonne haſtâ opus habent tam uxor quam maritus? Quare vos novi Conjuges ad militiam vos armate, atque ut poſſitis ſtare contra hoſtes veſtros, arma vobis ſubminiſtrabo.

I. Primum maximumque certamen erit inter vosmetipſos. Quoniam tu mi ſponſe, ſi duxiſti formoſam habebis quod agas ut eam cuſtodias: ſi deformem, habebis pænam: ſi pecunioſam, habebis Dominam: ſi pauperem, ſumptus te obruet: ſi vetulam, ſi turpem, tumultuoſam, non amplius tibi jucunda erit vita, neque omnino domum ingredi libebit. Quid tum facies rogo nonne pugnandum erit, & quibus armis? Cogita inprimis, quod tibi intriviſti, tibi exedendum eſſe; & quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debere. Ita enim reſpondet & meritò S. Ambr. l. 5. Hexa. c. 7. *Ille (maritus) inquit, tua mala portat & levitatis fœmineæ facilitatem, tu virum tuum non potes ò mulier ſuſtinere? Sed dices: horridus & incultus, eſt. Semel placuit. Nunquid vir frequenter eſt eligendus?* ſic ille, quod etiam maritus ſibi dictum ſciat. Deriſui ſe exponit, qui cœpit ædificare & non vult aut poteſt conſummare. Expende II. non te ſolum hærere in hoc luto: multos in eo profundius demergi: & quidem viros optimos, Jobum, qui improperia uxoris: Abigailem, qui ſtultitiam mariti Nabal, forti animo ſuſtinuerunt. Præterea perſuadeas tibi, te quoque habere nævos tuos, quibus conjugem tuam oneras, atque ita alter alterius onera portare. *Quod ſi onera invicem ferenda ſunt*, inquit, S. Chryſoſtomus h. 26. in 1. ad Cor. *multò magis uxoris. Si pauper ſit, noli exprobrare: ſi ſtulta noli ei inſultare; ſed eſto modeſtior; tua enim uxor eſt; ſi ebria, ſi iracunda, ſi ſtulta eſt, dolendum non iraſcendum eſt, & Deo ſuppli-*

can-

candum, & ipsa admonenda & adjuuanda consilio & omni curâ nitendum, ut his affectibus liberetur. Apostolo ad Eph. 5. teste, *qui suam uxorem diligit se ipsum diligit*; quis autem sui corporis non miseretur eique medetur si ægrotet? Quis nasum abscindit si distortus est? Nemo planè, sed qui potest corpori medetur: qui non potest, tolerat.

II. Alterum certamen erit forsan cum orbitate, quæ Rachelem illam, Jacob Patriarchæ conjugem tantopere afflixit ut mortem sibi optaret: *Da mihi liberos*, ait ad maritum, *alioquin moriar*. Gen. 30. præ tristitia videlicet & mærore. Nimirum res molesta est, tam grave subiisse jugum, quale est matrimonium causa liberorum, & tamen hoc fine privari. Sed quid respondit Uxori Jacob? *Num pro Deo ego sum, qui priuaui te fructu ventris tui?* ubi pulchre insinuat, quâ ratione hæc afflictio expugnanda sit precibus videlicet constanter ad Deum fusis, qui solus habet clavem uteri materni. His armis pugnavit cum Deo Isaac, qui postquam *deprecatus est* (Hebr. *jethar*, h.e. multum & cōstanter precatus est) pro uxore, quòd esset sterilis per 20. annos Isaacum orasse pro uxoris fæcunditate (tandem exauditus prolem) masculam eamq; geminam obtinuit: quam & multi alii Sancti tandem precibus impetrarunt, ac ferè sanctam, uti in primis parentes Sanctissimæ Dei Matris, item S. Joan. Bapt. & alii. Præter arma ista sumite scutum castitatis & bellum inferre impudicitiæ, ac sperare certiorem ac vivaciorem prolem. Confirmat hoc Lipomonus in Catena, quærens cur (ut dicitur Ex. 1.) Hebrææ mulieres fuerint ad partum faciliores & fæliciores, respondetque: quia sc: major apud eas & conjuges vigebat castimonia, & exulabat impudicitia. *Hebræorū fœminæ*, ait, *sicut castiores erant, sic & in partu fortunatiores. Viuidiores hæ fœcundiores esse dicuntur, quia à maritis suis religiosius amatæ & tractatæ castiùs.* Verùm quid si nec his armis expugnari queat hoc malum? quorsum confugiendum nisi ad patientiam & cum divina voluntate conformitatem? Cogitate idem expertos esse multos sanctos conjuges, nec tamen ob id minus se mutuò dilexisse. *Neque Abraham Saram*, inquit Chrysost. ho. 26. in Ep. ad Rom. *tanquam sterilem contempsit, neque quidquam tale exprobrauit, sed utrūq; decorem seruat.* Cogitate, quod suggessit Eleana conjugi suæ Annæ & ipsi quoque sterili: *Anna cur fles? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem liberi?* Quod si igitur conjuges optimè inter se conveniant, & sincere mutuò se ament, non egent solatio liberorum; qui communiter plurimarum lachrymarum materiam illis præbent: Cogunt diu noctuque laborare & negotiari, cum dispendio rei divinæ, & neglectu propriæ salutis: provocant suspiria, cum depravantur, cùm in parentes ingrati sunt, cum invitis illis se despondent, denique cùm moriuntur. Quærant igitur Deum sibi amicum, qui melior ipsis erit, quam centum & mille liberi.

III. Certandum erit cum liberis immorigeris, perversis, contumacibus, ingratis, nisi in timore Dei bene educentur. Expertus id est David, qui cū belli negotiis distentus filiorum curam neglexisset, sensit, eos sibi refractarios & scelestos, uti Ammonē & Absalonem, adeo ut illum à fratre interemptum plangere contra istum arma corripere debuerit. Idē timuit & doluit Salomon, qui propterea omnem suam, quam in Roboamo collocârat, industriam detestatus est. Eccles. 2. Sensêre & alii Reges & Imperatores, uti Augustus cætera fælicissimus (ut scribit Suetonius) solâ prole infælix: qui propterea sæpius iterabat illud Homericum carmen: *ô utinam cælebs mansissem, orbusque perissem!* Taceo alios. Sed quid hic consilii? nihil melius, quam ut parentes bono exemplo præeant filiis. Multos sapientissimos libros scripsit Salomon, nihilominus filius ejus Roboam ad regimen ineptus & dissolutus fuit, quia nō tam ad liberos parentis, quam ad lascivam ejus vitam attendit. E contra pueri Hebræorum unde didicerunt acclamare Christo in templo: *Hosanna filio David?* utique à parentibus, qui & ipsi pridie Christo ingredienti Jerosolymam iisdem verbis acclâmarant: Hosanna filio David. Matth. 21. Joannes Baptista à quo didicit aulicismum illum, quo excepit Christum ad se venientem: *Et tu venis ad me?* Matth. 3. utique à matre, quam, in utero ejus adhuc clausus, sed jam rationis usu præditus, audivit simili voce loquentem: Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Luc. 1. Nimirum schola & gymnasium liberorum sunt mores parentum, & ut loquitur S. Chrysost. in ps. 43. Filiorum schola & liberi sunt ora eorum, qui ipsos genuerūt. Observarunt aliqui reperiri invisceribus apud speciem bubuli capitis; eò quod ex illo etiam nascantur, uti fatetur oculatus testis Aldrovandus lib. de apibus. Ita fit cum filiis: acquirunt & gerunt bubula h.e. stupida & cornuta capita, quando nascuntur & educantur à parentibus, qui similia capita gerunt. Videte igitur Conjuges, quibus vivendi exemplis præeatis filiis vestris. Plus multò observant vos, quā credatis. Burdegalæ anno 1528. fraterculi duo, unus sexennis alter septennis, interrogati à Magistratu quòmodo eorum mater in puteum incidisset, responderunt: *cum iuisset haustum aquam veniens à tergo pater, apprehensam pedibus eleuauit & præcipitauit.* Inde pater proditus, parricidii pænas dedit. Refert Chavassius l. 2. de prudentia Christ. c. 12. § 3. En quam ad parentum acta filii attendant.

IV. Pugnandum erit cum adversa fortuna cum paupertate, exilio, morbis, morte denique liberorū vel alterius conjugis. Sed quâ hastâ vos novi conjuges hæc mala oppugnabitis? Utique illa, quam Deus vobis proposuit cum dixit Gen. 2. *Relinquet homo patrem & matrem adhærebit* (seu conglutinabitur ut vertit Tertullianus) *uxori suæ* ita sc. ut tam in adversis, quam in prosperis vos invicem non deseratis, sed mutuâ ope juvetis. Hoc enim ut ait S. Chrysost. ho. 32. in Genesi, *verè est conjugium, quoniam non solum in prosperitate sed in periculis simul*

obambulat. Loquitur autem de Sara, quæ Abrahamum suum per omnes peregrinationis suæ labores & difficultates secuta est. Quo titulo etiam celebrantur inter gentiles fœminas Flaccilla, quæ nonum Priscum, & Egnatia Maximilla, quæ Glitionem Gallum, utraque maritum in exilium comitata est, ingentium opum jactura, quod urbe & Italia discessissent; ideò maxima gloria apud omnes fuêre. Apud Lud. Vivem l. de fæm. Christ. Nec minùs laudanda Theogena; Agatoclis Regis Siciliæ conjux, quæ ab ægro marito nullo modo se divelli passa est, dicens: *Nubendo se non prospera tantùm, sed omnis fortunæ iniisse Societatem*, apud Cor. à Lap. in c. 2. Gen. Turpe profectò foret conjugibus Christianis, qui multò sacratiori vinculo connectuntur quam Judæi aut Gentiles, non præstare id, quod illi præstiterunt.

V. Pugnandum forsan erit cum conjuge Zelotypo; qui hostis omnium acerrimis est & *infernus* quidam, uti vocatur Cant. 8. *Dura sicut infernus æmulatio*: Nam *qui Zelotypiâ laborant*, inquit S. Chrys. ho. 38. in Gen. *& bonū pacis amittunt, etiamsi magnis affluant divitiis, etiam si sumptuosas habeant mensas, etiam si clari fuerint & nobiles, miserrimi omnium sunt*. Audiant igitur conjuges Eccles. c. 9. qui hoc argumento Zelum illum dissuadet: *Non Zeles mulierem sinûs tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam*, græcè: ne doceas in te ipsum doctrinam malam. Nitetur enim in vetitum & quasi in ultionem sui, id faciet, quod de ipsâ sinistrè vir suspicatur. Optimum igitur remedium est, quod suggerit S. Hieron. l. 1. contra Jovin. *Quid tibi profuerit*, inquit, *Zelus & nimia diligentia inservanda uxore tua? si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris: si casta & honesta custodia opus non habet. Infida enim custos castitatis est necessitas &c.* Hoc declarare possumus gratioso illo apologo, quem Borlaam Eremicola dedit Josaphato filio Regis Avennis, apud Damascenum in Vita ejus cap. 10. dicens, comprehensam à quodam acupe philomelam, cùm mox jugulari deberet, hominem rogâsse, ut dimitteretur pro insigni documento, quod ipsi datura esset. Acceptâ lege, *tria*, inquit philomela, *servato in omni vita tua: Rem quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærito: Rem quæ non est verisimilis, nec credito: Rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito*. Dimissa igitur avicula arbori insedit & affari hominem cœpit: *Væ tibi, quid fecisti & quantum bonum perdidisti? etenim in meo ventre maximam gero gemmam, quantum est ovum struthionis, quod si exemisses omni vitâ beatus fores*. Mox ille lamentari & miris blanditiis avem denuò invitare in domum suam, spondens omnem benevolentiam. Tum ipsa ridere hominem & reprehendere, quod doctrinam sibi traditam nequaquam observâsset; siquidem incredibile si tantam gemmam in tantilla avicula contineri: incassum verò dimissam assequi: stultum autem dolere ob rem factam, quæ infecta fieri nequit. Dico ego nunc consimili modo tibi sponse nove, seu Marite: vel uxor tibi bona & pia est, & noli credere fidem ab eâ fractam esse; quia non est verisimile. Vel mala & inhonesta; & noli ejus custodia frustra fatigari; quia vix servare poteris. Vel infida & adultera: & noli nimium dolere; quia quod factum est, infectum fieri nequit, nec recuperari id, quod perditum est.

His hastis, ô novi Conjuges, pugnare vobis permittò, imò etiam suadeo, ut tranquillo conjugio gaudere semper possitis.

EXHORTATIO VI.

Ducturus uxorem utriusque juris peritus sit.

CReator hominum Deus, cum Adamo sponsam ex ejus latere formare ipsique tradere vellet prius immisit ei soporem profundum, ut Hebræum *tardema* notat, seu ut 70. Interpretes vertunt, *ecstasin*. hoc est raptum, in quo, ut docet S. August. l. 9. de Gen. ad lit. c. 19. & tr. 9. In Jovin. Deus mentem Adæ miræ illuminavit, ut cognoscere possit statum matrimonii, quem mox initurus erat; quasi non ludibunda res, sed seria & gravissima multæque considerationis sit conjunctio viri & fœminæ sub vinculo matrimonii. Nec immeritò, insolubile enim hoc vinculum multam requirit artem & dexteritatem, ut captivum quasi hominem in hoc carcere cum pace & tranquillitate contineat. Quare S. Chrysostomus in hom. *Quales ducendæ sint uxores*. tom. 6. Scribere non dubitavit: Quando igitur uxorem ducturus es, *non solum civile jus, verum etiam Ecclesiasticum legito*. Deus bone! quem non terreant verba hæc Chrysostomi, oris alioquin aurei? Vide igitur sponse, ut hæc jura perlegas; è quibus tibi nunc paucas aliquas proponam quæstiones.

I. Quid ages, si uxor tua domi tantum sedere, de fenestra prospicere; foras expatiari, denique otio se dedere velit? Vide quid jus Ecclesiasticum dicat. Deut. c. 22. ait: *Non arabis in bove simul & asino*. Quid hoc? Jugo matrimonii collum si subjeceris, fac ut uxor tua & ipsa tecum jugum tuum trahat; & non si velut asinus, qui tractioni inassuetus totum onus in conjugalem equum vel bovem rejicit, ipse nihil trahit. Væ tibi spon e, si talem sponsam nactus es: Vicissim *beatus*, inquit Sapiens Eccli. 25. *qui habitat cum muliere sensata*. Quod Syrus ita vertit: *Beatus est vir uxoris bonæ, quia non arat in bove simul & asino*. hoc est quia non habet uxorem pigram & capitosam: sed strenuam laboriosam & obsequiosam. Quare videat inprimis sponsa, ne talis asina sit, adeoque de eorum, de quibus Job. 1. dicitur: *Boves arabant & asinæ pascebantur juxta eos: & irruerunt Sabæi & tulerunt omnia*. Talis enim familia facilè diripitur & corruit: ubi uxor nihil adjicit nisi proles, qui substantiam omnem devorant.

devorant. Sit ergo maritus *vir* & uxor sit *vira* seu *virago*; quo nomine appellandam voluit Adam; q. d. virilis. Cæterùm nisi sponsus exemplo suo præeat ut bos fortis: sed potius & ipse asinus sit, nil mirum si & sponsa marito se accommodet. Propterea apud Gentiles Sponsa acclamabat Sponso: *Ubi tu Cajus, ego Caja.* hoc est si tu bonus paterfamilias fueris, ego bona materfamilias ero. Imò quia robustior est vir, jus naturale dictat, ut graviorem jugi partem ipse in se suscipiat. Itaque **sey der Mann das Sattelroß; das Weib sey das Handtroß.** Potest hoc ipsum ex jure divino demonstrare sponsa, adeoque convincere sponsum suum; quia dictum est à Deo: *Faciamus Adæ adjutorium simile sibi*, non dicitur æquale: sed, *simile*. Omnis enim similitudo claudicat & in aliquo deficit. Ergo & à muliere minor requirendus est labor quam à viro.

Quæstio II. II. Quid si uxor tua velit dominari & tibi leges ponere? quid juris hic? quid ages? Deprome legem Apostolicam 1. Tim. 2. quæ sic habet: *Mulieri non permitto dominari in virum.* Legem quoque divinam, quæ statuit mulieri: *sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Gen. 3. Allega & jus naturæ, quæ fæminam viribus corporis consilio, affectibus viro inferiorem fecit. Dictat autem natura, ut qui plus habet virium, prudentiæ, cordis &c. præsit ei, qui minus habet. Monstrum deforme esset, si discipulus Magistrum doceret, cæcutiens videntem duceret, infirmus sanum gestaret. Ita probrosum est viro, regi à muliere. Unde id exprobat viris Isaias. cap. 3. cum ait: *Mulieres dominatæ sunt eis.* Denique provoca ad jus gentium, de quo testatur Cato apud Livium l. 34. *Majores nostri, nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Unde & Aristoteles 2. Polit. c. 3. taxat spartanas viris imperantes.

Propterea ex more quoq; Gentium velatæ sunt mulieres, & caput nunquam aperiunt, etiam cum orant: quod est signum subjectionis, uti apertum caput libertatis. Velamen vero mulierum quasi capistrum est, quo frænari ac duci debent. Idcirco deniq; fæminæ à viris, non viri à fæminis sortiuntur nomina, uti apud Hebræos Maria Cleophæ, Maria Jacobi &c. apud Romanos Publia & Publio, Tullia à Tullio, Caja à Cajo &c. Porrò etiam uxor, si maritus non virilem, sed muliebrem animum præseferat in rebus gerendis, in moribus in vestitu &c. alleget contra ipsum jus illud Deuteronomii cap. 22. *Non induetur mulier veste virili, neque vir utetur veste fœmineâ: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quod exponens S. Ambr. *Quam deforme*, inquit, *virum facere opera muliebria? Ergo & pariant ergo & parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ: & tamen illæ velantur, & isti bellantur.*

Quæstio III. III. Quid si uxor forsan aliquando fugiat? quid hic juris? utique quod Apostolus 1. Cor. 7. præscribit. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à Viro non discedere.* Quòd si verò discesserit, potest eam velut servum fugitivum retrahere. Accedit lex Divina, quæ uxorem Adamo dedit in sociam, ut fatetur Adamus Gen. 3. Non ergo deserere virum debet. Quam ob causam fortè natura longos ei capillos dedit, ut fugientem per capillos posset vir ad se retrahere, uti sentit. Gul. à Monte Lau. in Clem. cum ex eo. v. continentes, asserens Canonem. *Quæcunque*, ideò vetare mulieribus, *ne comam sibi amputent, ut mariti quiddam in eis invenirent, unde possent uxores trahere & ligare.* Ita egit cum uxore sua Levites ille Jud. 19. quem cum illa reliquisset & reversa esset in domum Patris sui, secutus est eam & reduxit ad se: quæ tamen in via pænas fugæ suæ dedit, dum à viris Gabaa fœde ad mortem usque constuprata, ad ostium domus, in qua maritus mansit, corruit & occubuit. Bene ad ostium domûs alienæ, quia ostium domûs suæ egressa maritum deservit. E contra si vir ab uxore fugiat, quid hic juris habet uxor contra virum? Id enim quod statuit Deus Gen. 2. *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit* (Græcè conglutinabitur, ut vertit Tertullianus) *uxori suæ.* In quem textum S. Chrysostomus: *Non dixit simpliciter*, inquit, *unietur, sed adhærebit: ut summam conjunctionem significet, & erunt duo in carne una.* Quare in hoc casu fugientem maritum insequatur uxor. Quod sanè fecit Eva. quando fugientem in dumetum, ut se absconderet Adamum, & ipsa mox secuta est: quemadmodum & ejectum è Paradiso. Gen. 3. tametsi Scriptura de solo Adamo loquitur, cum emissum asserit; de muliere tacet. Nimirum jure meritò, quæ socia viro ad culpam fuit, sociam quoque ad pænam ei se adjunxit, & adjungere debuit.

Quæstio IV. IV. Quid si uxor contumax & refractaria fieret, quid hic agendum foret? Variant hic sententiæ & varia allegant jura Inprimis Corn. à Lap. in Eccli. c. 2. ex Chrysostomo, tria in tali casu media docet adhibenda. Primum est docendas & admonendas esse conjuges; quod quidem est suavissimum & ordinariè adhibendum. Uxor enim de latere viri, non de pedibus creata fuit; proinde ut amanter haberi, non contemni & calcari debeat: neque ea viro in ancillam, sed in sociam data est. II. medium est, si priori nil proficiatur: confundendas esse; pudor enim est frœnum vitiorum, præsertim in fæminis. Tertium subjungit, si aliud nil juvet: *Justum est, ut castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit ut libera.* Verum alii mitiores, ad verbera descendendum negant, & probant ex Apostolo ad Eph 5. dicente: *Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit; Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet & nutrit eam.* Quare sicut stultus reputatur, qui ex insano furore suas ipse fenestras confringit, vel fornacem suam dejicit: ita etiam qui uxorem propriam percutit. Stultus planè & à dæmone obsessus fuit ille, qui apud Marcum cap. 5. se ipsum lapidibus concidit. Nihilo magis sapere videtur,

tur, qui uxorem percutit; quia se ipsum cædit. Quare potius suadendum, ut malæ hujusmodi uxores exemplis virtutis & prudentiæ castigentur: *Sæpè enim mulierum peccata, virorum impertitâ contrahuntur.* Ut ait Sextus Pythagoricus. Deinde lenitate cum severitate mixta videntur emendandæ. Dixit quidem Ecclesiasticus c. 25. *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Verùm sicut leones, *ut* cicurentur, nec verberibus sunt cædendi (hi enim efferantur & recrudescunt magis) nec rursus blanditiis nimium leniendi, ne nimis superbi evadant, teste Philostrato lib. 7. Sed blanditiæ minis permixtæ illos compescunt: ita ferè cum mulieribus agendum censet Jurisperitus Tiraquellus lege 9. connub. At quid si uxor in virum insurgat & verberibus eum appetat? quid hîc statuendum? Nonne Deuteronomii legem supra jam audivimus: *Non induetur veste virili mulier.* Quid aliud hoc esset, quam si miles in Ducem, Discipulus in Magistrum insurgeret? Viperæ non fœminæ hujusmodi uxores compellandæ sunt, uti expresserunt hieroglyphico Ægyptii. Etenim vipera cum mari miscetur, caput ejus mordicus amputare, dicitur, teste Horo Apoll. Plin. l. 10. c. 62. Atqui vir nonne caput est mulieris? ad Eph. 5. caput igitur, hoc est dominium, si non & vitam abscindit viro conjux, cum verbera ei infligit. At hoc quia nimis indignum & enorme scelus foret, nunquam eventurum puto. Quod si tamen hoc contingat aliquando, tunc audiendus erit D. Chrysost. in psal. 3. *Vxor,* inquit, *tecum si bellum gerit, ingresso tanquam fera occurrit, linguam tanquam gladium. Res quidem valde molesta ac difficilis quod auxiliatrix adversaria facta est: te ipsum tamen examina, nunquid in juventute in mulierem novi quid attentaris, & quod mulieri à te vulnus inflictum est curetur per mulierem, & alienum ulcus propria uxor, chirurgi officio fungens medicetur: & quamvis quæ secat, ignoret novit tamen Deus Medicus. Ipse enim eâ tanquam ferro adversus te usus est, & quemadmodum ferrum nescit, quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit medicus: ita etiam licet ignoret uxor, quæ ferit, & maritus, qui feritur, causam ictus. Deus tamen ut medicus novit, quid conferat. Quòd autem mulier mala sit peccatorum pugnus (seu colaphus) testis est scriptura. Quid enim dicat audi: Mulier mala viro peccatori dabitur. Et dabitur tanquam amarum antidotum, quod peccatorum malos humores consumat.* Sic Chrysost. Quanquam potest etiam tam enormiter lædi à viro mulier, *ut* excusari queat, si ex sui impotentia manus vicissim illi violentas inferat. Mirum & mirabile exemplum hujus rei dabimus. Mulier ex Marito filium susceperat: marito defuncto alium duxit, ex quâ pariter filium genuit. Hic secundus maritus una cum hoc filio suo priorem filium, putà privignum, quem illa de priori marito susceperat, clanculum interemerunt, ut soli mulieris essent hæredes. Mulier, imò mater id resciens, in Zelum, imò furorem acta, tam maritum quam filium interemit. Rea viricidii & filicidii ob casûs impleti novitatem delata fuit ad Areopagitas. Illi videntes hinc reatum criminis; inde dolorem justum, qui ream ad talionem vindictæ impulerat, causâ indecisâ hanc protulêre sententiam: Rea & læsi post centum annos nostro tribunali sistantur. Ita refert P. Corn. à lapide in Eccl. cap. 26. v. 8. & 9. Nunc vos, ô novi conjuges, vidistis, nisi fallor, quanta requiratur in vobis jurisprudentia, ut tranquille inter vos vivatis. Hæc igitur præcepta diligenter observate; ac si forsan, quod absit, aliqua inter vos contentio oriatur, quæ suos utrinque patronos habere videatur, ita his aliter nisi verberibus decidi non possit, tunc post centum annos venite ad tribunal meum, ut causam vestram decidam.

EXHORTATIO VII.

Nuptiæ contrahendæ in Domino. Ex præcepto S. Pauli.

MAgnum opus molimini vos, ô novi Conjuges, dum ad statum matrimonii vos devovere vultis. Certè qui ad religionis statum perpetuum aspirat, prius per annum integrum ad minimum se probat, atque examinat, an in eo perseverare possit; pari igitur jure magno cum examine in difficilem hanc arenam descendere vos decet. Certè Christo teste Luc. 14. qui turrim ædificare vult, prius *Sedens computat sumptus, qui necessarii sunt; si habeat ad perficiendum.* Rursum *Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Atqui vos paratis struere turrim aliquam, quasi Babylonicam illam, quâ ad cœlum conscendatis in conjugali statu. Paratis vos ad bellum, ut cum potenti hoste confligatis, quem vocat Apostolus, Tribulationem carnis 1. Corinth. 7. qui innumera tela in vos ejaculabitur. Num igitur sedistis priùs & computâstis sumptus atque vires vestras? Nolim quidem ego de hoc dubitare. Cæterum ut hoc molimen prosperè vobis cedat, id omninò observandum est, quod Apostolus ibidem suadet dicens: *Cui vult, nubat: tantum in Domino* q. d. permitto quidem viduæ, ut rursum tam difficili statui sese committat: modo id fiat *in Domino.* Quid autem hoc sibi velit, vobis exponam, ut prius sumptus & arma tradam, antequam vos conjungam.

I. *In Domino* contrahite matrimonium, hoc est in fide Christiana, vera & Catholicâ. Id enim ad literam expetiit ibi Paulus, ut volunt sanctus Ambrosius, Theod. Theophyl. Anselmus, Sedulius, S. Thomas & in primis S. Augus. 1. de adult. conjug. c. 21. Hinc Ecclesia postea omnino prohibuit matrimonium Catholici cum hæreticâ, & à potiori con-

conjugium Catholicæ cum hæretico:atq; irritavit matrimonium Christiani cum pagana: adeò ut lethaliter peccent,qui contraveniunt; excepta Germania,Polonia,Ungaria, Gallia & vicinibus Regionibus, in quibus Catholici cum Acatholicis permixtè vivunt,adeoq; necessitas id requirit: modò conjux Catholica liberè & absq; perversionis periculo permittatur vivere in religione sua, & in eadẽ educare prolem suam, uti docet Thomas Sanchez disp.72.tom.2. Verùm quia hoc difficile obtinere est, maximopere dissuadet & obmurmurat Ecclesia. Scimus enim ob eandem causam prohibitum fuisse Hebræis connubium cum gentilibus; Exod. c.34. *Certissimè enim* (dicitur 3.Reg.11.) *avertent corda vestra,ut sequamini Deos eorum.* Quo verbo pungitur Salomon, qui licet sapientissimus per alienigenas tamen uxores ad Idola struenda & colenda tractus fuit. Scimus Rachelem discedentem à paterna domo surripuisse patri idola,eaq; mordicus retinuisse & abscondisse, donec à marito Jacob ei subtraherentur,Gen.31.Scimus Hebræorum illorũ, qui duxerant uxores azoticas,azoticè magis quam Hebraicè locutos fuisse,adeoq; matres potiùs gentiles,quam patres Hebræos in moribus expressisse. 2.Esdr.13. Audiamus S. Ambrosium l.1.de Abraham c.9. *Quomodo potest congruere charitas,si discrepet fides? Et ideo cave Christiane hæreticam & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi &c.* Quin & gentilis ille Plutarchus hoc documentum tradidit: *Cùm sit primus & maximus Deus,quem vir censet esse colendum, solum eum cognoscere uxorẽ decet: curiosæ religiones & peregrinæ superstitiones à vestibulo domus arcendæ sunt.* In præceptis connub. Quare si quis omnino sponsam non Catholicam sibi despondit,curet is(non ad literam,sed spirituali sensu) adimplere id, quod mandatum fuit Hebræis Deut.21. Ut,si quis duxisset gentilem captivam ac despondere sibi voluisset, illa prius raderet sibi Cæsariem ac circumcideret ungues,& deponeret vestem,in qua capta fuit, sedensq; in domo sua fleret patrem & matrem. Hoc enim præstabit uxor facta Catholica, si deposuerit vanas persuasiones capitis sui, quas habuit de Catholicis: Deinde abstinuerit à cavillis, quibus antea eos insectata fuit: præterea habitum & mores Catholicos induerit,ac deniq; defleverit pristinos suos ac forte parentum suorum errores atq; ignorantias.

II. *In Domino*,h.e.in gratia Domini Dei,quo sensu dicitur Apoc.14. *Beati mortui,qui in Domino moriuntur*,scilicet in statu gratiæ. Quæ quidem dispositio necessaria est iis,qui contrahunt matrimonia. Quomodo enim tam difficilem statum,qui ad dies vitæ ligat unum cum una, sine Dei gratia, & quidẽ peculiari sustinere posset? Propterea namq; Christus nuptiis Canæ Galilææ interesse, eaq; primo suo miraculo vini ex aqua facti, condecorare voluit,ut sciremus absq; gratiæ divinæ assistentia statum illum indissolubilem subsistere non posse. Propterea etiam Deus in Paradiso copulans Adamum cum Eva medium se sistere,quasi Parochum voluit; quasi stare non possit, quod sua gratia non solidasset. Eandem ob causam Dei Mater vinum nuptiis illis in Cana celebratis à Filio expetiit. Quemadmodum enim vinum calci mixtum solidissimum efficit cæmentum, ut structuræ inde durabiles & quasi æternæ fiant:ita vinum gratiæ divinæ stabilit matrimonium, ut perduret usq; ad mortem unius vel alterius conjugis. Quare Ecclesia (in Concilio Trid.sess.24.c.1.de reform.ubi dicitur. *Sancta synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad SS.Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.*) magno consilio statuit, ut inituri statum istum prius ab omni labe animos purificent per confessionem,& per S. Communionem confortent, quo gratiæ hujus peculiaris seu matrimonialis fiant capaces. Nisi enim per pœnitentiam vas immundum expurgetur, nequaquam repleri balsamo divinæ gratiæ potest.

III. *In Domino*, h.e.ad Dei gloriam & religiosè: non sicut filii Seth,qui spectantes solùm mulierum pulchritudinem,elegerunt sibi uxores.Gen.6 Ideoque à diluvio hausti sunt, vel uti septem illi Saræ conjuges, qui carnis solùm voluptatẽ velut equus &mulus quærebant.Tob.6.qui à dæmone obtruncati sunt:nec non Sichem ille, qui Dinam insano amoris æstu rapuit ac violavit, ideoq; à filiis Jacob interremptus est. Gen. 34. Nec opes quærantur & dotes,nam quæ utilitas maximæ dotis est, inquit D.Chrys.ho. 29. in Matth. *Cùm inepta prodiga uxor sit? cùm ut ventum omnia dissipet? Quid porro si lasciva petulansq; sit, quam mille consequantur amantes? Quod si etiam ebriosa? nonne citiùs in summam maritum depellet paupertatem?* Confirmat hoc Rupertus Abbas, qui ait non absq; causa soporem Adæ immissum ipsumq; in Deum raptum fuisse,cùm ex ejus latere fieret Eva, mox ipsi desponsanda. Vult enim hoc significasse conjugi futuro non esse attẽdendum ad opes,formam,delectationem, aliosque profanos fines, sed præcipuè ad Dei gloriam & liberorum progeniem, non ad speciem mulieris aut voluptatem carnis.Unde S. Basil. l. de Virginitate. *Quid est,ait,in Domino nubere? Non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum protrahi, sed judicio & commodioris vitæ ratione nuptias eligere.* Similiter fere respondet S.Chrysost. hom.19. in I. ad Cor.c.7. *Quid est autem,In Domino?* inquit, *Cum temperantia,cum honestate. Ea enim semper est opus & eam oportet insequi,alioqui enim non licet quidem Deum videre?* Id observavit Abraham, qui daturus sponsam filio Isaac, misit servum in Mesopotamiã, ut ex sua cognatione quæreret filio uxorem, quæ foret præclaræ indolis & virtutis: nec dotem ab ea requisivit,sed ipse potius obtulit, Gen.24. Unde Eccl.22.dicitur: *Filia prudens hæreditas viro suo.* h.e. *loco hæreditatis: quia vir sapiens plus diligit prudentem uxorem sine hæreditate, quam fatuam cum magna hæreditate.* ait Hugo purpuratus in eum locum.

Neq; attendendum ad carnis delectationem, sed ad posteritatem potius in liberis propagandam; juxta id Clementis Alexandr. Stro. 2. *Matrimonium propter liberos non propter voluptatem esse debet.* Quod inprimis egregiè observavit Tobias, qui accepit conjugem, prius coram Deo protestatus est: *Tu Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meã conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tob. 8. Qui hoc non observant, sæpe gignunt liberos, quales fuere gigantes illi, qui terram perturbarunt, ideoq; diluvium invexerunt, quia prognati erant à parentibus solam in uxoribus pulchritudinem & libidinem spectantibus. Sed quid præterea spectandum? Exponit id Apost. 1 Cor. 7. *Propter fornicationem,* inquit, *unusquisq; uxorem suam habeat.* In quem locum S. Chrys. hom. Quales ux. ducend. *Non dixit ut evitetur paupertas, ut parentur divitiæ. Sed quid? ut evitemus scortationem, ut moderemur concupiscentiã, ut vivamus sobriè, ut Deo placeamus, contenti uxore propria. Hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum.*

4. In Domino, h. e. Dei adjutorio; quo sensu loquitur Apost. ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* q. d. in Dei auxilio. Cùm enim status matrimonii admodum difficilis sit, sæpe etiam in liberis obtinendis aut sterilis aut infelix, non tam in auxilio mutuo conjuges spem ponant, quam in Dei adjutorio; Non respexerat huc Rachel, quando sterilitatis impatiens dixit marito Jacob: *Da mihi liberos alioquin moriar.* Gen. 30. Ubi S. Chrys. hom. 56. in Gen. inquit, Inconsiderata & muliebris est hæc petitio: *Da mihi liberos: Quare à viro petis ea, qua supra naturam sunt & relicto naturæ Domino virum arguis, qui ad hoc nihil conferre poterit?* Unde merito audivit à viro: *Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* Nec minus necessarium conjugibus est Dei adjutorium propter alias quam plurimas hujus status difficultates. Qua de causa Deus Abrahæ, vivente ejus uxore, multoties apparuit, eum dirigens, consolans & confortans; ast ubi uxor Sara centenaria mortua fuit, *notandum,* inquit Rupert. l. 6. in Gen. c. 35. *Quia Deus Abrahæ ulterius apparuisse non legitur.* Quæ causa? Nimirum Abraham superstite uxore eguit tot Dei visitationibus, ne succumberet, matrimonii mole oppressus. defuncta verò uxore non eguit tot præsidiis. Quamobrem & vos ô novi conjuges, hunc statum ingredientes, *in Domino* inchoate: & quemadmodum illi in Cana, Jesum invitate ad nuptias: alioquin profectò deficiet vos vinum, deficiet lætitia: & bibetis aquam tribulationis. Adhibete & preces Deiparæ, ut hæc vinum vobis impetret, adeoq; *in Domino* conjungamini, vivatis & moriamini.

* * *

EXHORTATIO VIII.

Sponsus & Sponsa dantur ab Ecclesia, ut buccellæ, ex dicto Tertulliani.

TErtullianus antiquissimus Doctor in l. de Monogamia, c. 11. ita alloquitur sponsam: *Matrimonium postulas ab Episcopis, à Presbyteris, à Diaconis, ut in Domino nubas. Illi planè sic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas. Hoc enim est apud illos: omni petenti te dabis.* His etiã verbis liceat mihi alloqui vos Neonymphos? Postulatis à me matrimonium: ut ergo *in Domino* nubatis, dabo vobis quod petitis, quia dictum nobis est: *Omni petenti te tribue;* sed dabo tibi sponse uxorem ut buccellam panis: & similiter tibi sponsa virum. Cogitate igitur vos stare hic velut mendicos, buccellam panis mẽdicantes. Dabo libens & volens; vos accipite bona mente.

I. Do vobis conjugem, sicut buccellam Eucharisticam seu panis consecrati. Ita explicat Tertullianum Commentator ejus Pamelius: *De illis,* inquit, *buccellis loquitur, ut conjicio, quas domum ferendas ab Ecclesiæ ministris accipiebant.* More enim antiquo in Ecclesia primitiva persecutionis tempore dabatur S. Eucharistia in manus communicantium, quã viri excipiebãt lotis, mulieres verò nitidissima syndone opertis manibus & domum deferebant, congruo tempore sumendam, ut testatur idem Tertul. l. de spectaculis. Cyrillus Jerosolym. Catech. 5. Myrtag. S. August. ser. 244. Itaq; mi sponse sponsam tuam excipito sicut buccellã Eucharisticam, h. e. velut rem sanctam & signum amoris Dei, qui tibi eam dedit, ut cum honore eam & accipias & tractes in omni vita tua. Ait enim Sapiens Prov. 19. *Domus & divitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè uxor prudens.* Quæ verba S. Chrysost. ex Græco textu ita interpretatur: *A Deo adglutinatur uxor viro.* Deus igitur est, qui dat & præparat imò & adglutinat uxorem viro; quemadmodum & Adamo adduxit Evam velut Paranymphus, & tradidit atq; copulavit velut Parochus, medius stans inter illos. Idem dicendum de sponso respectu sponsæ. Neq; verò solùm ex Deo dante sancti estis, sed etiam ex dono ipso & personis vestris: quas veluti res sacras & membra Christi summo cum honore & veneratione sumere & usurpare vos decet. Certè buccellã panis pede calcare, etiam si casu fiat, religioni ducitur; unde solemus vel micam panis è terra levare atq; exosculari, quasi piaculum sit eam humi jacẽtem relinquere. Quanto magis panem sacrum? At hujusmodi est uxor tua ô Conjux. Cave igitur hãc buccellam, quæ Dei imago est, à Deo tibi tradita, injuria afficias aut ignominiosè tractes. Audi S. Chrys. hom. 26. in Ep. 1. ad Cor. *Summa injuria est,* inquit,

inquit, *vitæ sociam, & in rebus necessariis antea tibi conjunctam, tanquam mancipium ignominia afficere: Ideo hujusmodi virum (siquidem vir appellandus est potius quam fera) & patricidæ & matricidæ similem esse dixeris. Nam si patrem & matrem uxoris gratia relinquere præcipimur, non ut eis injuriam faciamus, sed Diuinam legem impleamus, & ipsis parentibus tā gratum est, ut relicti gratiam habeant, & id multo studio exequantur, quonā pacto non dementiæ est, eam contumelia afficere, propter quam parētes dimittendos præcipit?* Vicissim etiam sponsa vereretur sponsum & uxor maritum, eoq; magis, quo magis ipse, velut caput mulieris, repræsentat Deum. Unde 1. Cor. 11. *dicitur imago & gloria Dei: mulier autem gloria viri*; quia vir creatus est, ut supremo suo imperio, quod habet in mundum sublunarem, referat & glorificet Deum: mulier autem è viro formata referat & glorificet virum, tanquam Deum suum secundarium; quemadmodum & ad Eph. 5. ait idem Apost. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino*, i. e. *in viris suis considerantes Christum Dominum qui est caput & sponsus Ecclesiæ*; inquit Estius. Porro attendendum vobis est, ne buccellam hanc sumatis in judicium & condemnationem, adeoq; cum buccella intret in vos Satan quemadmodum in Judam. Quod fieri solet, cùm honorem debitum in contemptum, atq; ignominiam convertunt, quod accidit septem illis pudicissimæ Saræ impudicis viris, à Dæmonio jugulatis. Tob. 6. Non vanè igitur Stobæus ser. 69. dixit: *Quando maritus uxorem domum ducit, non solum, ut videtur, uxorem accipit, sed una cum ipsa quoq; introducit aut bonum sibi Dæmonem aut contrarium.* Planè sicut in buccella Eucharistica aliud videtur & aliud continetur: videtur panis, cōtinetur Christus: ita in oblata conjuge, qui jam tibi arridet & blanditur, continetur aut bonus tibi Dæmon aut malus. Vide igitur sponse qualem accipias sponsam, & tu sponsa qualem sponsum. Videte ut inter vos bene conveniatis, ne cum Juda illo dæmonem pro Christo accipiatis.

II. Do vobis conjugem velut buccellam panis naturalis, quo naturam fragilem & debilitatam cōfortetis: qualem apposuit Abraham tribus hospitibus, cum dixit: *Ponam buccellam panis & confortate cor vestrum.* Gen. 18. Quia enim peccato primorum parentum caro humana depravata, pronaq; ad libidinem facta est: succurrit matrimonium huic infræni appetitui, quemadmodum panis fami. Cæterùm uti panem non nisi per bolos ori ingerimus: ita matrimonio utendum quasi buccellatim & moderatè. Ac primò sicut panem non comedimus ad voluptatem (cum sit cibus minimè delitiosus) sed ad saturandam famem: ita matrimonio utendum, prout monet Apostolus: *Propter fornicationem autem* (scilicet evitandam) *unusquisq; uxorem suam habeat.* 1. Cor. 7. si nimirum quis cælebs sit & tamen caste vivere nolit. 2 Sicut pane nonnunquam abstinemus, præsertim diebus jejunii, ita suo tempore abstinendum est usu conjugii, uti insinuat idem Apostolus, 1. Cor. 7. cum scilicet vacare volunt orationi, pietati, confessioni & communioni: Item in Deo sacratis temporibus, velut in Dominica die, de quibus S. Augustinus serm. 244. de temp. ita scribit: *Qui die Dominica aut alia solennitate continere se noluerint, leprosos aut epilepticos, aut etiam dæmoniacos filios gignunt.* Nicolaus I. Pontifex adhuc severior, etiam per totam Quadragesimam conjugibus continentiam indixit, in resp. ad quæst. Bulus cap. 50. Quanquam hoc moderno tempore, quo rigor pristinus sensim deficit, vim non obtinet. 3. sicut de pane pronuntiant Medici: *Omnis repletio mala, panis autem pessima:* Ita viderint conjuges, ne dulci vino conjugii nimium se injurgitent. Vinum moderatum prodest; immodicè vero haustum obest, etiamsi ex proprio cellario depromatur, ut non malè dixerit B. Ægidius S. Francisci socius cuidam de conjugali castitate se jactanti: *Ne propterea glorieris; potest enim quis non minus è proprio vase, quam alieno inebriari.* ut in ejus vita. Imò vidit hoc gentilis ille Xistus, Philosophus Pythagoricus, qui dicebat: *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior.* Quamobrem attendendum vobis est, ut oblatum panem non nisi moderatè & per buccellas degustetis. *Conjugalis potestatis*, inquit S. Fulgentius epist. 1. c. 3. *inculcabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus; si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia verò utendi conjugii hac est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Quare ad extremum hoc vobis do consilium, quod dedit Booz Ruthæ, priusquam eam sibi desponsaret. *Comede panem & intinge buccellam tuam in aceto.* Ruth. 2. Acetum fit è vino corrupto, & quo dulcius fuit vinum, eò acerbius gignit acetum. Ita planè voluptas conjugalis desinit & degenerat in dolores & luctum: *apertāq; conjugatis dolorum officinam*, ut ait S. Basilius l. de S. Virginitate, in liberorum educatione, dotatione, elocatione, ægritudine, morte, in partus doloribus & periculis, &c. quæ si prius expenderent, non sine aceto buccellam suam sumerent. Quam ob causam Tertullian. l. de pudicitia c. 16. voluptates illas conjugales appellat *pomum*, scil. Paradisiacum illud, quod gustatum primos nostros parentes in omnis generis ærumnas impulit: *Aspice Paulum*, inquit, *à justa fruge naturæ, à matrimonii dico pomo, animas jejunare cupientem.* Desiderabat quidem S. Paulus fideles abstrahere ab hujus pomi morsu. 1. Cor. 7. verū quia omnes retrahi non poterant, librum id permisit: *Ego vobis parco*, inquit, *tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Sensit hoc acetum & pomi hujus amaritudinem Rebecca, conjux Isaaci,

quæ

quæ cùm partus doloribus angustiaretur, collisis in utero ejus geminis fœtibus, dixit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere.* Gen. 25. q. d. Utinam pomum istud nunquam gustassem! sensit & Rachel uxor Jacobi, quæ cum partus difficultate laboraret, ac præ dolore animam ageret, appellavit filium suum *Benoni*, h. e. filium doloris mei. Gen 35. Quapropter ô novi conjuges, do vobis quod postulatis, do tibi uxorem sponse, do tibi virum sponsa, sed quomodo buccellas: buccellas primò sacras & quasi Eucharisticas, ut honorem debitum vobis invicem impendatis; deinde buccellas Physicas, ut conjugio vestro fruamini, velut pane, non immoderato ad explendam ingluviem, sed in buccellas fracto, & parcè degustato, ad necessitatem & salutem vestram, non ad voluptatem & perditionem.

EXHORTATIO IX.

Sponsus ita amet suam sponsam, uti Christus Ecclesiam. Ex doctrina Sancti Pauli.

S. Ephrem ex eremo descendit aliquando in vicinam urbem, ut piæ instructionis aliquid hauriret. Occurrit ei meretrix quæ fixis eum oculis intuita cum esset, rogat Ephrem causam, cur sic virum aspiceret. Cui illa: *Mulier è viro, vir è terra prodiit. Decet igitur ut ego te, tu vero terram aspicias.* In vita Ephrem. Non inutilis sed pia fuit hæc instructio; quæ & vobis, novi Conjuges, prodesse potest. Matrimonium Christianorum efformatum & institutum est ad normam matrimonii Christi Domini, quod contraxit cum Ecclesia; quæ uti Eva ex latere Adami, efformata est è latere Christi, in cruce transfixi, uti docent Patres. Ad hanc ergo ideam vobis aspiciendum est, ut quemadmodum Ecclesiã Christus dilexit, ita quoq; sponsus diligat sponsam suam. Hoc est, quod Apostolus ad Eph. 5. docet, conjuges Christianos conformandos esse Christo & Ecclesiæ, cum ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Quare si desideratis sanctas & beatas celebrare nuptias, ad hoc prototypum vestrum aspicite, Christum & Ecclesiam.

I. Christus ita dilexit Ecclesiam, ut desponderet eam sibi nodo indissolubili, & vinculo perpetuo, quamdiu cum ipsa vivet. Ita enim Apostolus loco citato ait: *Adhærebit* (vir) *uxori suæ. Sacramentum hoc magnum est, in Christo & Ecclesia.* h. e. Christi & Ecclesiæ, qui ita conjuncti sunt, nexu indissolubili. Idem sibi persuasum habeant conjuges Christiani; inprimis alium conjugem superinduci non posse, quamdiu prior vivit. Quemadmodum enim nodus Gordius, à rustico quodam, Gordio nomine, in capistro factus, adeò perplexus fuit, ut à nemine solvi posset, donec Alexander M. eò loci delapsus, cùm solvere eum non posset, gladio dissecuit: ita vinculum conjugii, quo hodie connectimini, vos conjuges, scitote esse indissolubile, nec nisi gladio mortis dissecari posse. Idq; non lex Christiana solum præcipit Christianis, sed etiam lex naturalis dictavit Gentilibus. Idcircò enim novæ nuptæ cingulum gerebant nodo Herculeo implexum, boni ominis gratia, quo matrimonium illud fieret indissolutum auctore Festo. Idcirco eandem in carpento inferebant domui sponsi, & postea carpentum foris comburebant, ne vehiculum superesset, quo sponsa educeretur, si migrare à marito vellet; adeoq; omnis ei spes egrediedi ex illa domo eriperetur; quod olim in Bæotia Regione licet prorsus barbara, cõsuetum fuisse scribit Plutarchus in problem. Rom. probl. 28. Quanto potiori jure statutum hoc esse debet inter Christianos? Quare agite novi Conjuges, imitamini Agrienses in Ungaria cives, qui ann. 1562. à Mahomete Bassa gravissima obsidione pressi & 60. millibus militum cincti, cùm multis promissionibus ad deditionem provocarentur, nihil respondérunt, sed feretrum inter duas lanceas nigro panno velatum in mænibus collocarunt; volentes indicare, si Turca expulsos vellet, mortuos efferret. Majol. tom. 3. Canic. coll. 2. Eadem fortitudine propositiq; tenacitate præditi estote, Neo-nymphi, ita ut si dæmon, caro, mundus vos evocare velit, ad scelus adulterii, mori potius eligatis & in feretro offerri.

II. Christus Ecclesiam ita dilexit, *ut sanctificaret eam, & exhiberet ipsi gloriosam, non habentem maculam aut rugam*, ut ait Apost. loc. cit. subjicitque: *Ita & viri debent diligere uxores suas.* Idem 1. Cor. 14. præcipit mulieribus, ut *si quid discere volunt, domi viros suos interrogent. Ubi notandum*, inquit Primasius, *quod & viri tam docti debeant esse, ut uxores suas docere debeant & de fidei veritate instruere.* Nimirum quæ vel in concione audiverunt (cui sæpius interesse possunt, quàm uxores, domesticis negotiis communiter impeditæ) vel aliunde sciunt, uxoribus communicare & exponere non graventur. Exẽplum vel à gallis gallinaceis capiant, qui ubi granũ aliquod repererunt, mox convocant gallinas & distribuunt illis. Hoc est, quod docet S. Chrys. hom. 5. in Ep. ad Thess. cum ad virum loquens ait: *In spiritualibus uxori manum porrige. Quæ audieris utilia ea non secus atq; hirundines ore portans; affer & pone in ore matris & pullorum. Quomodo enim non est absurdum, te in aliis quidem primas velle obtinere & locum tenere capitis; in doctrina autem ordinem deserere, &c.* Quodsi verò docendo instruere eas nequeant, bono saltem exemplo illis præire conentur. *Existimare namq; debet uxor*, inquit Arist. in œconomicis, *mores viri esse legem & formam suæ vitæ impositam sibi à Deo.* Exemplo est uxor Phocionis civis Atheniensis, quæ cum ei altera quædam mulier valde nobilis suos torques & mundum muliebrem ostentasset, uti solent fœminæ, respondit: *Mihi*

Mihi vero mundus muliebris eſt Phocion; vir ſcil. modeſtiſſimus in victu & veſtitu. Plut. in vita Phoc. Eò ſpectat illud S. Hieron. ad Celantiam. *Caput mulieris eſt vir, ne aliunde reliquum corpus magis ornatur, quam ex capitis dignitate.* Deniq; quales viri ſunt mores, tales ſunt communiter & uxoris. Unde recte ab Eccleſiaſt. c. 36. vocatur *adjutorium ſecundũ illum*, q. d. Qualis maritus, talis eſt & uxor. Poſſunt viciſſim etiam uxores ſuo modo inſtruere & ſanctificare maritos ſuos, conſilio, precibus, exemplo. Fecere id S. Monica, quæ Patritium maritum, auſterum & quaſi Leonem ſua manſuetudine mutavit in agnum. S. Cæcilia fidem docuit Valerianum ſponſum ſuum. S. Natalia Adrianum maritum animavit ad martyrium & in eo tolerando confortavit. S. Martha Marium, Theodelinda Agilulphum Lombardor. Regem, Clotildis Clodoveum Francor. Regem, Flavia Domitilla Flavium Clementem, viros ſuos reduxere ad fidem. Nam ut ait S. Chryſ. hom. 6[?]. in Joan. *Nihil potentius eſt muliere bona ad inſtruendum & informandum virum quæcunq; voluerit: neq; tam leuiter amicos neq; Magiſtros, neq; Principes patietur ut conjugem admonentem, atq; conſulentem. Habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria, cùm pluri mũ ametur, quod conſulit.* Poſſunt & mulieres ſæpe bona & ſana conſilia ſuggerere maritis; quemadmodum ſuggeſſit Henrico II. Franciæ in haſtiludio & torneamento decertanti Regina, monens ne poſt prioris diei Victoriam obtentam rurſum ſe periculo certamini ingereret, cõtentus priori laude. Verùm quia Rex eam non audiit, ſed reſpondit: *Adhuc ſemel, & non amplius*; planè contra ſeipſum Propheticè, altero congreſſu cõfractæ hoſtilis lanceæ cuſpis in oculum ejus illata eſt, ex quo poſt dies undecim interiit. Bellefort. in Henrico II. Hanc forſan ob cauſam Pſ. 127. viti adhærenti domui comparatur uxor, quæ adhæret viro: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Ut enim vitis profert vinum, quod acuit ingenium, temperanter tamen hauſtum: ita uxores moderatæ bona ſæpè dant conſilia. A quo non abludit S. Ambr. in Pſ. *Quid eſt vitis niſi ſapientia?* inquit, *ſicut apparuit nobis Dauid, cæleſtis interpres oraculi dicens: Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ:* non ergo ſemper ſpernenda ſunt uxorum conſilia: ſed audienda ſaltem & ab uxoribus ſuggerenda. *Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies?* ait Apoſt. 1. Cor. 7. Ita ſalvum fecit S. Brigitta virum ſuum Ulfonem Principem Nericiæ, cum hebdomadariam ei confeſſionem aliaq; pia opera perſuaſit, ut tandem religioni ſe traderet. Ita Placilla Auguſta Theodoſium Seniorem Imperatorem erudivit, cùm ſæpius ei ingereret: Semper te mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris & qui jam ſis, ſi hæc animo cogites, non te ingratum oſtendes erga patronum, ſed imperium, quod ſuſcepiſti, juſtè gubernabis, atq; eo ritè adminiſtrando eum, qui ipſum donaverit, ſanctè coles. Ita Theodoret. l. 5. c. 18.

III. Chriſtus ita amavit Eccleſiam, ut vitam pro eà daret. Sic cit. lòc. Apoſt. *Chriſtus dilexit Eccleſiã & tradidit ſemetipſum pro ea.* Ergo maritus etiam in hòc Chriſtum imitetur, vitam, ſi conjux periclitetur, exponat pro ea; Ita concludit S. Chryſ. hom. de laude Maximini: *Quomodo Chriſtus dilexit Eccleſiã? Ita ut ſemetipſum pro illa traderet. Itaq; ſi mori pro uxore oporteat, nequaquam tergiuerſaberis. Nam ſi Dominus ſeruam ita dilexit, ut ſemetipſum pro ea traderet, multò magis conſervam oportet ſic diligi.* Virum ſe in hoc præſtitit Jacob Patriarcha, qui cũ non ſine metu obviaret fratri ſuo Eſau, diviſit familiam ſuam, diſpoſuitq; in ordinem quaſi militarem, & ipſe ante uxores ac liberos *progreſſus* (uti vox Hebræa notat) primus ſe fratris furori, quem metuebat, objecit, ut uxoribus & liberis fugiendi moram præberet. Gen. 33. Ita exponit S. Chryſ. hom. 33. in epiſt. ad Cor. *Velut propugnaculum enim quoddam,* inquit, *ſe ipſum ante cæteros locans, paratus erat ferum illum, & minas, quemadmodum ſuſpicabatur, ſpirantem excipere primus, & ſuo ipſius corpore parare uxoribus ſalutem; & quem domi timebat, intueri primus in acie ſtudet.* Hujuſmodi etiam amor erga uxorem celebratur à Xenophonte in Tigrane, Armeniæ Rege, qui una cum conſorte captus â Cyro Perſarum Rege & menſæ Regiæ adhibitus atq; interrogatus, quo lytro vellet conjugem redimere: reſpondit illico: *Vitã meã pro ea libenter dabo.* Quod gentilis hic homo fecit, cur erubeſcat facere Chriſtianus? Si enim S. Joannes ep. 1. c. 3. *Et nos,* ait, *debemus pro fratribus animas ponere;* quanto magis maritus pro uxore? Huic enim magis adhærere jubetur quam ipſi patri & matri. Cæterũ & uxores hoc idem ſibi dictum putent; non enim tenentur amare viros ſuos minus, quam cupiunt ab ipſis diligi. Et certe in hoc genere videtur magis ſtrenuæ ſuiſmet viris fuiſſe; quod varia exempla docent. Unum affero Sanctiæ, Comitis Caſtellæ uxoris, quæ capto & incarcerato marito à Legionenſium Rege, eò perrexit, ubi conjunx ejus captivus tenebatur, impetrataq; licentia cum eo loquendi, virum veſtibus ſuis indutum dimiſit: ipſa virili mariti veſte cooperta cuſtodes deluſit & in carcere remanſit, mortem abſque dubio libenter oppetitura, ſi ſors ita tuliſſet. Verùm eo cognito à Rege laudata & incolumis dimiſſa eſt. Vaſæo avit. in Chron. Hiſpan. ad annum 932. Pari amore Tyrrhenæ mulieres maritos ſuos à Lacedæmoniis captos, cum quaſi conſolandi cauſa adiiſſent, commutatis veſtibus è carcere dimiſerunt, obvolutis eorum capitibus, ut ſolebant, & ipſorum loco in cuſtodia remanſerunt uti refert in lib. de fœm. Chriſt. Lud. Vives. Qua[re] nunc ô novi conjuges, aſpicite vos invicem & v[i]dete originem veſtram. Nonne tu ſponſe è terr[a] tu verò ſponſa è latere viri prognata es? Ita eſt; ſ[ed] inſuper dico, vos ambos è latere Chriſti prodiiſ[tis] ut connubium veſtrum eſſet Sacramentum [D]gratia firmatum. Ad hunc ergo aſpicite, huic v[os] conformate, ut in amore mutuo perenniter viva[tis]

Cur enim putatis è latere Adami dormientis non vigilantis, Evam: & rursum è latere Christi, itidem mortis somno jam sopiti Ecclesiam, ejus sponsam efformatam? Respondeat S. Ambros. epist. 82. *Non est digna conjugio*, ait, *quæ est digna jurgio*. Imo ne hoc esset inter conjuges aliquando, de latere dormientis potius, quam vigilantis ablata est: ne cum aliquo doloris sensu auferretur, ex quo postea rixarum occasiones inter conjuges nascerentur. Itaque jam omnis contentionis materia subtracta vobis est. Nihil doloris sensit Adam, cùm ablata est ei costa & in conjugem efficta: nihil sensit Christus, cum ex ejus latere producta est Ecclesia. Eccur ergo sponse litigabis cum sponsa, quæ absq; omni doloris sensu ex te formata, & tibi est donata? Et cur tu sponsa cum sponso, quæ omnia, quæ habes, à sponso tuo habes? Pax igitur vobis, & diligite vos invicem, sicut Christus diligit Ecclesiam suam & vicissim Ecclesia Christum.

EXHORTATIO X.

Conjuges Christiani sint duo jugales boves. Ex antiquo Germanorum dono nuptiali.

COrnelius Tacitus de moribus Germanorum l. 1. scribit, antiquitus apud Germanos novis nuptis offerri solitum fuisse par boum, jugo alligatum; quo nimirum intelligerent sponsus ac sponsa jugum matrimonii sibi impositum ac ferendũ esse in eo statu, quale est & boum. Non male profectò; nam & Latini conjugii vocabulum à jugo deduxerunt, quòd mas & fæmina in nuptiis ita copulentur, sicut duo boves ad jugum alligantur, ut currum aut aratrum trahant. Etsi D. Hieronymo l. 1. contra Jovian. scribenti credimus, de hoc jugo, matrimonii scil, locutus est Apost. 2. Cor. 6. cum ait: *Nolite jugũ ducere cum infidelibus*, h. e. matrimonium contrahere cum illis. Cùm igitur moris adhuc sit, honorariũ aliquod aut munus sponsis offerre, ego vobis offero hujusmodi par boum, mysticè expositum, ut felix faustumq; fiat vestrum conjugium.

I. Boves conjugati discedere ab invicem nequeunt, quamdiu colligati sunt: ita & vos Conjuges, imò multò magis; quia boves suo tempore à jugo solvuntur & liberi dimittuntur: vos autem non solvemini donec alter è vobis cadat in sepulchrum. Hinc Apost. 1. Cor. 7. omnem liberationis spem vobis præscindit, cum ait: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, innuptam manere, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*, Et post: *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem*. q. d. actum est, frustra laboras. Dictum illud Pauli expendens S. Chrys. l. de Virginit. c. 41. ita scribit: *Quemadmodum servi fugitivi separatim vincti à suis Dominis, rursumq; tenui quadam catena inter se constricti universi, quòd compedibus catenæ utrinq; affixis, alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem: sic conjugum animæ, cùm propriam sui curam sustinent, tum altera etiam premuntur necessitate, à communibus conjugii vinculis imposita &c.* Cæterum servus aliquis poterit jugum excutere, seu fuga, seu persoluto lytro, seu Domini liberalitate: maritus vero & uxor nũquã exsolvi possunt, donec alter morte succumbat: quãvis difficillimum jugum ferant. Neq; verò ita solũ conjuncti sunt, ut ab invicem discedere nequeant, sed etiam ut ne cogitare quidem cum assensu, de alio viro aut muliere sibi jungẽda liceat; quo modo Job suo alligatus jugo dixit c. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitem quidem de Virgine* q. d. multò minus de conjugata. Ergo sicut boni & justitiæ amantes rustici bobus suis, cum transeunt per segetes, etiam loris ora constringunt, (cujusmodi unus celebratur apud Cassianum collat. 14. c. 7.) ita vinculum matrimonii adeo ligat conjuges, ut nec os nec cor ad alienum marem aut fœminam possint extendere.

II. Boves colligati simul pergere coguntur sive per amænum pratum, sive per aquam aut lucanam, sive onus aliquod trahant, sive ab onere liberi sint: ita quoq; conjuges in prosperis & adversis sibi adesse debent, & simul devorare quidquid illis contingat. Unde S. Hier. ad Lætam scribens ait: *Qui sub jugo est, ita debet currere, ne in luto comitẽ derelinquat.* Denunciarunt hoc novis nuptis etiam gentiles Romani, dum præferri ignem & aquam, nec non ab eis tangi jusserunt. Causam dat Plutarch. in quæst. Rom q. 1. quia cùm capitalis Romanorum civium pœna esset interdictio ignis & aquæ seu exilii (aqua enim & igne destituti migrare compelluntur) significare conjugibus voluerunt; ne alter alterum desereret, sed in societate qualiscunq; fortunæ cum eo persisteret, etiam ita rebus ferentibus, ut aqua & igne prohiberentur, adeoq; in exilium pellerentur. *Hoc verè est conjugium*, inquit S. Chrys. hom. 32. in Gen. *quoniam non solum in prosperitate, sed in periculis simul obambulant. Hoc germanæ charitatis indicium est. Hoc signo certissimè internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum Regem præclarum ornat, ac obedientia illa, quæ consilio justi paruit, beatam & illustrem & claram demonstrauit.* Loquitur autem de Sara, quæ per varias peregrinationes & adversos casus secuta est Abrahamum suum. Quod idem Rebecca Isaaco, tametsi à Palæstinis sæpius expulso præstitit. Idem videre est in B. Josepho & Deipara, qui tam in fuga Ægyptiaca, quam in itinere Bethlehemitico & aliis fidelissimè sibi invicem adstiterunt.

III. Boves illi mutuò se juvare in trahendo solẽt, ita ut suam quisq; spartam & laborẽ conferat, quod currus provehatur: alioquin uno promovente, altero verò quiescente, currus non pergeret. Ita quoq; Conjuges mutuo auxilio rem familiarem administrent, conservent & augeant, alioquin absq; dubio

brevi

brevi perituram ſciant. Meminerint dictum eſſe à Deo: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Ubi Procopius: *Auxiliatricem,* inquit, *eorum omnium, quæ ad vitam humanam ſpectant.* Igitur mutuò ſe juvent neceſſe eſt. Cùm enim domi foriſq; ſint negotia conjugibus peragenda, unus ad hæc utraq; minimè ſufficiet: quare vir externa & graviora peragat; ad hoc enim barbam ad ferenda frigora, & majores corporis vires accepit: uxor velut imberbis, interna & domeſtica curet. Sit vir luminare majus, mulier luminare minus. Tale par conjugum ſapientum laudatur Prov.31. ubi de viro dicitur: *Nobilis in portis* (h.e. tribunalibus) *vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* De uxore verò: *Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſum non comedit.* Fabulantur quendam ruſticum, cùm par boum educeret ad agrum ſingulis faciculum fæni ad cornua alligaſſe, ut in prandio ſe ſaturarent. Cæterum unus impatiens laboris, excuſſit ſuum faſciculum cum expoſtulatione: Hoccine fæniculum ſatiabit ſtomachos noſtros? Paulò poſt adfuit tempus prandii, & alter quidem bos ſe pavit ſuo fæno, hic autem abſtinere coactus fuit, quia pabulum ſuum ſibi afferre noluit. Quapropter ô boni conjuges, ambo cibum parate, ſi frui illo cupitis, aut alter jejunet, qui laborare detrectarit.

IV. Juncti boves mutua onera ferunt: uno cadēte, alter juxta illum gradum ſiſtit: uno procumbente & jugum ad terram ſecum trahente, alter inclinat caput, aut ſimul cum ipſo accubat. Pari ratione conjugum alter alterius vitia, infirmitatem & defectus cum patientia ſupportet. Ita enim monet Apoſt. ad Eph.4. omnes Chriſtianos, quantò magis conjuges? *Cum patientia ſupportantes invicem.* Et ad Gal.6. *Alter alterius onera portate.* In quæ verba S. Chryſ. hom.26. in 1. Cor. ait: *Quod ſi invicem onera ferenda ſunt, multo magis uxoris.* Certè etiam in curru illo, quem vidit Ezechiel c.1. homo junctus cum leone, & aquila juncta cum bove trahere jugum viſa ſunt, & tamen pari paſſu incedebant ſumma cū concordia. Suſtinere ibi homo leonis trucem vultum ac rugitum debuit: aquila ſimiliter bovis tarditati ſuam attemperare pernicitatem. Cur non & uxor viri aſperitatem, atq; iracundiam, vir uxoris debilitatem, ac tarditatem tolerare queat? Aliud ſimile D. Baſil. hom.7. Hexam. conjugibus proponit: *Vipera,* inquit, *genus ſerpentum omnium exitioſiſſimū murenæ marinæ nuptias expetit, & ſibilo ſuam ſignificat præſentiam, eamq́ ex gurgite vaſto invitat ad nuptiales complexus: illa autem obtemperat & coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult? Quid portendit? Sive aſper eſt cujuſpiam conjux, ſive ferus moribus, perferat illum uxor neceſſe eſt, neq́ ullam prorſus ob cauſam ſocietatem illius diſſolvere patiatur. Feritne, verberat, eſtq́ percuſſor? at vir tamen eſt tuus. Temulentus eſt? at tibi natura eſt conjunctus. Duruſne, moroſus, & implacidus? at membrum jam tuum eſt, & membrorum jam præſtantiſſimum: audiatq́ ipſe vir accommodatam ſeq́ decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit, tu duritiam, tu feritatem ob unius reverentiam non deponis?* Sic ille.

Cæterum ut hæc quæ diximus, conjuges obtineant, multum inprimis juvat, ſi pares cum paribus quantum fieri poteſt, conjungantur. Diſparitas enim fortunæ, ætatis, opum, generis, &c. diſcordiarum & quæ inde naſcuntur, miſeriarum ſementis eſt. Certè boves ordinariè uni jugo ſociantur, qui & robore & colore pares ſunt; inde enim putantur magis ſe amare, & libentius jugum ferre. Scribit S. Ephrem in teſtamento ſuo, ſe vidiſſe aliquando bovem lachrymas fundentem, cùm ejus compar extinctus ab ipſo extractus fuit: *Non arabis in bove ſimul & aſino.* quia & corpore & viribus valde impares ſunt. Similiter ut arbor una per inſitionem, alteram adoptet excipiatque, aliqualis ſimilitudo neceſſaria eſt; ut quæ os vel nucem habent, iis tantum inſerantur, quæ ſimiliter oſſe vel nuce præditæ ſunt. Idem in conjugiis obſervari expedit: ſic enim in unum cor & animam facile coaleſcent.

Deniq; ut hi boves ſuavius jugum trahant, obſervent, quod ſcribit Plin. l.18. c.19. *Araturos boves quam arctiſſimè jugari oportet, ut capitibus ſublatis arent: ſic enim minus colla contundunt.* Hunc in modum conjuges arctiſſimo amoris vinculo ſeſe adſtringant, & capita in altum ad Deum ſcil. erigant, ſolius Dei honorem & gloriam, non temporalia commoda quærant: propter ipſum in prole glorificandum, & cælum replendum grave iſtud jugum velut à Deo ſibi impoſitum trahant, dicantq; cum Tobia juniore: Tu Domine ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. Tob. 8.

EXHORTATIO XI.

Conjugii periculis quomodo occurrendum, filo Ariadnæ.

ANtiquorum ſeu hiſtoria ſeu fabula eſt Theſeum Athenienſem juvenem ab Athenienſibus Cretam in Labyrinthum miſſum, ut ibi Minotaurum, monſtroſum bovem occideret, aut in labyrintho periret, accepiſſe ab Ariadna filia Minois, Cretæ Regis, filum, cujus ductu è labyrintho poſt occiſum Minotaurum evaſit incolumis. Dum vos, ô novi conjuges, ſtatum matrimonii ingredientes intueor, videmini mihi, ſimile aliquid aggredi ac moliri. In Labyrinthum enim, hortum ſpecioſum, variis tamen mæandris perplexum & periculis circumſeptum, ubi plures Minotauri vobis occurrent jugulandi, aut jugulaturi, primum pedem ponitis. Certè in hoc concluſū ſe agnovit ille, qui vocatus

 ad cœ-

ad cœnam magnam,respondit absolutè : *Vxorem duxi, & ideo non possum venire*; quasi impossibile sit extricare se ex labyrintho hoc , ut veniat quis ad tam magnam licet cœnam. Quare ne quid damni in hoc horto patiamini, visum mihi est,præbendū vobis esse filum aliquod,cujus beneficio emergere possitis.Cæterum opus est, ut pericula illa prius agnoscatis, quo evitare & impolluto calle pertransire valeatis.

Primum est in edomanda carne,quæ etiam in legitimo matrimonio minotaurum agit, & vulnera infligit. *Potest namq; aliquis tam ex proprio vini doleo, quam ex alieno inebriari*,ut dicebat Fr. Ægidius S.Francisci socius.Certum etiam est facilius multò esse ab alienis abstinere,quam suis moderatè uti. In his enim persuademus nobis omnia licere : v.g. dicet aliquis : cur non possim inebriari,cum bibam non ex tuo,sed ex meo vino ? Sed fallit ista persuasio ; ut vel Ethnicus ille Philosophus Xystus intellexerit,cum dixit: *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior.* Quam ob causam pudica quædam matrona apud Euseb. l. 4. trist. c.16. separationem à viri impudici & bestialis thoro,postulavit & impetravit; quia is consuetudine uxoris abutebatur. Atq; ut concedamus abusum hunc abesse,remanet adhuc difficultas serviendi Deo & fruendi bonis spiritualibus. Qui enim operam dant corporis voluptatibus,quomodo possūt afficiDeo & rebus divinis. Voluptates enim spirituales,quæ animum erigunt ad cælestia,contraria sunt carnalibus,quæ animum deprimunt,atq; effæminant.*Caro enim concupiscit adversus spiritum* , inquit Apost. ad Gal.5.cui adstipulatur Philo.in l.de Sacrif.Ab.& Cain. cum ait duas esse hominis uxores, virtutem & voluptatem. Qui virtutem duxit,is ad cælestem cœnam properat: qui vero voluptatem,is à cœna retrahitur & dicit : *Vxorem duxi,& ideo non possum venire*; quia voluptati deberem renuntiare. Deniq; sicut Tobias junior moras traxit causa nuptiarum, quò minus properaret ad paternam domum regredi Tob.10.sic conjugio juncti retineri solent causa conjugii,ne ad cælestem patriam celeri & expedito gressu pergant.

Sed quid hic consilii ? quo filo emergent conjuges ex hoc labyrintho ? Qua ratione duobus hisce Dominis,sibi adversantibus serviendum est? Filum suppeditat Apost.1.Cor.7.cùm ait : *Reliquum est,ut qui habent uxores,tanquam non habentes sint.* Id explicat D.Greg.3.p.pastoral. c. 28. *Vxorem*,inquit, *quasi non habens habet,qui sic per illam carnali consolatione utitur,ut tamen nunquam ad prava opera à melioris intētionis rectitudine ejus amore inflectatur.* Recta igitur inprimis intētio operi conjugali præfigēda est,ut non sicut à brutis animantibus fit,serviatur carnis voluptati,sed Dei volūtati,qui posterorum propagationem hac lege instituit. S. Aug.enarratione in Ps.147.ita Paulum explicat: Quisquis etsi habet uxorem,quam propter infirmitatem duxit,plangens potius, quod sine uxore esse non potuit,quam gaudens,quia duxit,hic habens uxorem tanquam non habens est. Denique Apostoli mens hæc est,ut conjuges non magnopere rei uxoriæ afficiantur:ut animum atq; amorem magis in Domino,quam in uxoribus defigant, ut explicat D. Ambrosius & Anselmus.

Secundum est in servitute, qua alter alteri astrictus est, ut non tam suam quam alterius voluntatē cogatur,v.g. unus vellet ad templum ire,alter prohibet & jubet domi manere vel aliud agere. Unus vellet peregrinari, alter repugnat:unus cupit in hac civitate vel regione habitare , alter vult in alia potius regione, eoq; conjugem trahit etiam nolentē; non secus ac mancipium alligatum alteri mancipio.Unde Apost.1.Cor.7. *Alligatus es uxori*, ait ad virum:& mox de muliere subdit: *Mulier alligata est legi* Sicut servus nimirum servo,quod etiam ut exponit S. Hieron. contra Jovinian. ibi notat Apost. cum ait:*Servus vocatus es?* Nam *qui uxorem habet*, inquit , *& debitor dicitur,& servus uxoris,& quod malorum servorum est alligatus.* Benè proinde Metellus offerenti sibi Mario filiam forma,opibus,genere præstantem respondit : *Probo equidem hæc omnia,sed malo esse meus,quam suus.* Cui Marius : *Imò ipsa erit tua.* At ille : *Mos alius est:virum uxoris esse oportet,si diu cum uxore vult esse.* Porrò,*qui cum uxore est,cogitat quæ sunt mūdi,quomodo placeat uxori:Quæ autem nupta est,cogitat quæ sunt mundi,quomodo placeat viro*:addit ibid.S.Paulus. Qua ratione cogitationes ergo suas convertere ad Deum possunt,si de conjuge ipsis cogitandum est? Quomodo se conformare Dei voluntati, qui conjugis voluntatem sequi coguntur? Quis hic modus se extricandi ex hoc labyrintho ?

Filum iterum porrigit S.Paulus cit.loc. cùm ait: *Servus vocatus es?non sit tibi curæ?* q. d. non te excrucia , quasi in matrimonio piè vivere & salutem assequi nequeas,ut exponit S. Hier. in apol. contra Jovin.ex Origine l.1. in Ep. ad Rom. Quo enim modo servus comparare sibi salutem in servitute sua potest,eodem & tu potes. Monet porro idem Apostolus ad Eph.6. Servos, ut serviant dominis suis *sicut Christo*.Ita etiam cōjux cogitet se Christo in conjuge obstrictum esse, ut voluntati ejus obtēperet,dum honesta imperat. Qui enim præcepit tibi,ut conjugis imperio pareas, idem acceptum habebit tuum obsequium,ac si ipsi impendisses. Clarè hoc ipsum Paulus ad Eph. 5. mandat, inprimis mulieribus:*Mulieres viris suis subditæ sint,sicut Domino*:nim.*in viris suis considerantes Christum Dominum,qui est caput & sponsus Ecclesiæ*,inquit Esthius. Habent igitur ad cælum expeditam viam : Christū uxores intueantur in maritis suis. Similiter & viri in uxoribus suis.Idem enim Deus dixit Abrahamo: *Omnia quæ dixerit tibi Sara,audi vocem ejus.* Gen. 21.Cum nimirum justa,quæ ipsis debentur,& salutaria petunt,v.g.ut mariti ludis abstineant , domi res suas curent, bona non dilapident , Deum timeant.Deum enim tunc monentem se audire credant.

Tertium

Tertium est in prægravibus matrimonii oneribus, in educanda, alenda, elocanda prole: in conjugis vitio tolerando: in familia gubernanda: in afflictionibus sustinendis, in curis & molestiis quotidianis, quas ipsis per experientiam melius intelligent, quam explicari eis possit. Quæ omnia non paucos etiam cordatos absterruerunt à nuptiis; vel ob contractas dolore pertulerunt. Phoroneus Argivorum à thesauris nominatissimus Rex die, quâ decessit, Leontio, fratri, suo dixit: *Nihil mihi defuisset ad plenam felicitatem, si defuisset uxor.* Leontio causam quærenti: Sciunt hoc omnes mariti, inquit. Brus. l. 7. c. 22. Democritus ille Philosophus Abderitanus, cujuscunque fortunæ derisor, interrogatus, cur ipse, homo proceræ staturæ tam parvam duxisset uxorem? *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi.* Anton. p. 2. Meliss. p. 34. Non absimile responsum dedit Thomas Morus Angliæ Cancellarius Sapientissimus, cùm rogatus cur tam humilem statura uxorem elegisset, respondit: *Quia è duobus malis minimum eligendum putavi.* Staplet. in vita cap. 13. Utrique hæc illos propter innumeras miserias, quas secum adferunt uxores, dixisse credendum est. Nam, ut ait S. Gregorius l. 26. moral. c. 21. *Bonum est conjugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex hujusmodi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque quod nocet: sicut sæpe rectè mundum mundumque iter pergimus & tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur. Ita via quidem munda non offendimur, sed à latere nascitur, quo oppugnamur.*

Sed quod huic periculo remedium? Nihil melius meo judicio, quàm fortis & constans animus ad exedundum, quod quisque sibi intrivit, & ferendam crucem, quam sibi quisque imposuit: ad trahendum currum, tametsi quandoque in versus fuerit. Hoc enim prædixit eis Apost. 1. Corint. 7. cùm dixit. *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Quodque mirum est, prædixere etiam gentiles novis nuptis. Refert enim Plutarchus in præcept. Conju. Lepti, quæ Africæ civitas est, moris fuisse patrii, ut postridie nuptiarum sponsa ad socrum mitteret petitum ollam: illam verò negasse & quidem cum convitio ut ita novercalem socrûs animum initio statim sponsa experta, non ferret iniquo animo, si quid ei post modum asperius contingeret. Quamobrem quicumque uxorem ducere cogitat, sibi dictum illud existimet? quod ad numellas Ingolstadianas inscriptum memini me legisse: *Sustine aut abstine.* Seu, quod Varro in Menippo dixit: *Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est.* Denique notandum, quod S. Chrys. ho. 15. ex variis de decollat. S. Jo. scribit: *Quisquis habet mulierem malam, cogitet quoniam iniquitatum suarum portat mercedem.* Ita affectus erat Tobias senior, cum uxoris improperium inter alias calamitates audiit. Ingemiscens enim precatus est cum lachrymis: *Iustus es Domine, & omnia judicia tua justa sunt,* Tob. 3. Igitur *quando morbi vexabunt*, inquit S. Hilarius in psal. 118. *passiones & cruciatus corporum desevient, luctus & orbitates affligent, semper utamur hâc voce dicentes: Iustus es Domine, & rectum Iudicium tuum.* Hoc filo, vos Neonymphi, Labyrinthum evadetis quin & Minotaurum Dæmonem, qui matrimonio insidiatur, Asmodæum, inquam, non minus superabitis, quam Tobias junior, qui Duce Raphaele abiit in Mediam, indeque ad patriam rediit salvus & incolumis, auctus divite conjugio; quod & vobis precor: ut è conjugii Labyrintho evadatis in patriam cælestem.

EXHORTATIO XIII.

Sponso offertur pecten, Sponsæ verò speculum. Papæ Bonifacii V.

PErantiquâ omnium ferè nationum consuetudine solent novis Nuptis offerri quædam munuscula, sive pecuniaria sive supellectilia. Quidni & ego quoque, nisi inurbanus sim, depromere & offerre ipsis debebo apophoretum aliquod? Et quod illud? Quale Bonifacius V. Papa misit Edelburgi, Eduini, Angliæ Regis, Conjugi, cum his, verbis claudens epistolam suam: *Benedictionem etiam protectoris nostri B. Petri ad vos direxerimus, speculum scil. argenteum & pectinem eburneum inauratum.* Ita refert Ven. Beda in Ang. hist. lib. 2. anno 625. Surius in vita S. Paulini Eborac. Episcopi. 10. Oct. Procul dubio non absque causa & mysterio. Meo quidem judicio voluit instruere Neophyrum Regem per pectinem, conscientiæ nimirum examen quotidie adhibendum: Reginam verò per speculum, pulcherrimum scilicet virtutis exemplum, quo ipsa moneretur, ut Neophyto marito talia virtutum exempla præberet, quibus ipse vitam suam ad ipsius normam posset componere. Non absimili de causa vobis hoc donum offero: sponso, ut utatur pectine, (hic enim viris magis quam mulieribus convenit) sponsæ, ut adhibeat speculum (hoc enim mulieribus potiùs quam viris competit) non tam ad se contuendam, quam ad vitam suam suorumque familiarium rectè instituendam. Antiqua Romanorum acclamatio novis Nuptis data fuit: Tu sponse *sis Cajus* hoc est bonus Paterfamilias. Tu sponsa *sis Caja* hoc est bona Materfamilias. Hoc idem vobis precor, & disce sponse è pectine, sponsa verò è speculo.

I. Bonus Paterfamilias suum ipse capillum pectat, ut præeat familiæ suæ bono exemplo (Solent enim mares semetipsos pectere: mulieres ab aliis comuntur) Ratio est, quia maritus totius domûs caput

caput est: quem subditi nec audent facilè admonere, nec possunt, cùm rudiores ferè sint. Sibi dictum existimet, quod Tito præscribit S. Paulus: *In omnibus te ipsum prabe exemplum.* ad Titum 2. Nisi enim suis virtutis facem præferat, nemo alius præcedet per obscuram honestatis viam; Frustra Vitoldus Lituaniæ Dux præcepit suis subditis, ut barbas adraderent, dum ipse prolixam barbam gestavit: ita frustra laborabit paterfamilias in pectenda & formanda familia si ipsemet impexus in eorum conspectum prodeat. Solem sequuntur heliotropia, multi alii flores: ita & familia patrem familias, qui solem in sua domo repræsentare debet, uti Joseph in somnio vidit, Gen. 37. Sole recedente claudunt se flores & languent; & cùm deficiente patrefamilias, deficit familia. Testem adduco Plutarchum de liber. educ. ita docentem: *Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaque pro officii rationibus agendo, evidens sese liberis exemplum præbere, ut in istorum ii vitam, tanquam in speculum intuentes à turpibus dictis, factisque euertantur. Quorum verò tota vita turpis est, ii ne seruos quidem objurgandi libertatem sibi relinquunt, ne dum filios.* Dicunt enim eis, quod junior cancer parenti docenti eum rectâ ingredi, i præ, sequar. Fuit hujusmodi exemplar familiæ suæ Job, qui dixit. *In circuitu meo pueri mei.* Job. 29. sicuti lineæ videl. circa centrum; *ut illum tanquam in centrum oculorum animique aciem intentam haberent,* inquit ibi Nicetas.

II. Suaviter & placidè capillum sibi pectat, ne radicitus evellat. Capilli sunt domestici, uxor, liberi, servi, ancillæ, qui omnes adhærent illi, sicut pili capiti, quod est paterfamilias: suaviter ergo tractandi sunt. Hinc Seneca Lucillum laudat Ep. 47. *Familiariter,* inquit, *cum seruis tuis viuis. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem docet. Serui sunt? imò homines. Serui sunt? imò contubernales: imò humiles amici, imo conserui &c.* Et hoc egit vir Ethnicus cum mancipiis suis, pretio coëmptis. Quid agat Christianus cum servis præcisè mercenariis? quid cum dilectis filiis & conjuge? Audiat Ecclesiasticum cap. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua vertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.* Leo in silvis rugiens cæteris animantibus metum & horrorem incutit, vires & cursum adimit, sicque enervatas in prædam suam cogit. Non aliter iracundus paterfamilias suo furore & clamore familiam suam percellit. Omnes enim domestici ad hujusmodi rugitus animum abjiciunt, & officium facere desinunt, quod præsertim contingit cum dissidium oritur inter maritum & uxorem. Cùm enim sint una caro, si fortè per discordiam hæc caro dividatur, & quasi inflictio vulnere incidatur, quomodo non omnia corporis membra plagam illam sentient? quomodo non tabescent. Furiosum illum censemus, qui capillos sibimet ex ira evellit. Quid dicendum de illo, qui charissima sibi pignora furore suo affligit? Utatur potiùs pectine paterfamilias & sua discretione capillos istos, etiam perturbatos comiter in ordinem redigat.

III. Pectendo capillos suos abjiciat pediculos, si quos in eis deprehenderit, vitia nimirum, quæ adhærent domesticis: Quod attinet ad uxorem, si fidem frangat, nec correcta resipiscat, locum habet illud Sapientis 18. *Qui tenet adulteram, stultus est & impius.* Si enim vir ex imprudentia id patitur, & condonat uxori, quasi non magni æstimet ejus adulterium, stultus est: si verò ex malitia id ipsum tolerat, quia inde quæstum & lucrum expectat, vel quia & ipse fidem uxori frangit, impius est. Lapsam tamen & resipiscentem uxorem recipere, pium & honestum est. Quod attinet ad filios, exemplum habemus in Abraham & Sara, qui ejecerunt è domo filium Ismaëlem ludentem cum Isaac, hoc est vexantem, illudentem, vel etiam ut Hebræi sentiunt, evertentem effictis quibusdam imagunculis quasi idolis. Gen. 21. Denique quod spectat ad servos & totam familiam, in exemplum venit Jacob, qui Gen 35. cum haberet uxores duas gentilitiæ superstitionis & familiam eâdem labe aspersam, fecit lustrationem & edixit: *Abjicite Deos alienos, qui in me io vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Idem & Davidem præstitisse indicat illud ejus decretum: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua &c.* psal. 100. Denique hoc idem sensu mystico præcepit olim Deus Levit. 14. quando jussit leprosos hoc est vitiosos & infectos lapides erui è domibus per manum sacerdotis, & substitui novos ac sanos. Notant illi familiares perversis moribus ac dogmatibus imbutos è domo ejiciendos, ne alios inficiant. Sacerdos qui hujusmodi lapides ejicere jubetur, non est alius nisi ipse paterfamilias, de quo S. August. tract. 51. in Jo. ita scribit: *Vnusquisq; paterfamilias agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum & quodammodo Episcopale implebit officium; ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.* Ex paucis lapidibus infectis censebatur tota domus leprosa esse: ita ex paucis exprobis domesticis tota familia fit infamis, & qualis est familia, talis putatur esse paterfamilias: atque ut Clemens Alexandr. l. 3. pædago c. 11. ait: *Qualis est Domina, talis est catella.*

Quid porrò Matrifamilias dabimus? speculum argenteum. Teste enim Plutarcho in Apopht. *sicut speculum non illud bonum existimamus, quod auro gemmisque nitens sit, sed quod tersum est & pellucidum, nihil depressi, prominentis in se nihil continens: sic uxor non auro gemmisque, sed quæ virtute præfulgeat, illa optima censenda est.*

I. Ergò repræsentet mores mariti ad instar speculi. Nam *ut speculum*, ait idem Plutarchus in præceptis connub. *auro gemmisque ornatum utilitatem nullam affert, nisi similem speciem referat: sic opulentæ uxoris nullus fructus est, ni vitam moresque præstet* cum

cum vita & moribus viri congruentes & consentaneos. Tristatur vir? ne rideat, sed mæreat uxor. Lætatur vir? ne ipsa doleat, sed hilarem & ridibundam imaginem reddat. Sit vox & operatio uxoris quasi fidelissima echo voluntatis seu nutus mariti. Quæ causa meo judicio est, quòd Deus quam primum formavit Evam, statim adduxit eam ad Adam, ut velut speculum in se repræsentaret maritum suum, coram se statutum. Præstitit hoc egregiè ad initium Saphira illa, cum viro Ananiæ consentiens bona sua omnia Ecclesiæ devovit. Sed ad postremum erravit, cùm idem in causa injusta fecit, quando mentienti viro se quoque conformavit, mendacium confirmans: Act. 5. Interrogata enim de pretio agri, num tanti eum vendidissent, quantum vir indicarat: *etiam tanti* respondit, quia nimirum domi cum marito convenerat, non indicaturos se nisi dimidium prætii. ô si in justis causis ita inter se convenirent conjuges!

II. Ad instar speculi ostendat marito suo nævos & defectus ipsius, quos emendet. Id enim facit speculum, & quidem placidissimè, sine probro aut convitio: præcisè ostendit hominē sibi, ut seipsum redarguat sui contemplatione. Hoc prudentis uxoris est? Quemadmodum ergo Socrates præstanti forma juvenes, cum fortè pudendum quid admisissent, statuebat ante speculum, ut se contuerent & judicarent, an hæc facta talem decerent speciem: ita sapiens uxor seu suavi abhortatione, seu virtutis suæ exemplo repræsentet viro nævos ejus; quam ipsum, v. g dedeceat iracundia, ebrietas, levitas, scurrilitas &c. Ita prudens illa Abigail maritum ebriosum, post discussam atque edormitam crapulam redarguit stultitiæ & erroris admissi: proposuit ei periculum interitus, in quod se & domum suam conjecerat, ita ut vir obstupesceret. 1. Reg. 25. Pari modo, sed nō pari causa & laude, reprehenderunt Michol illa, & Jezabel, Reges maritos ambæ: illa Davidem de indecentia, ut putabat, admissa per saltem & lusum ejus coram arca, oggerens ipsi: Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de Scurris 2. Regum 6. Ista verò Achabum de effæminata pusillanimitate ad rapiendum hortum Nabothi: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel 3. Reg. 21. Exprobrarunt istæ viris suis, quod non debuerunt; quia imprudentes fuerunt. Uxor bona & prudens id objiciat viro, quod revera eum dedecet, sed quasi in speculo placidè, absque probro & decisione.

III. Quemadmodum speculum omnem corporis habitum, gestum, speciem, incessum, situm inspicienti repræsentat, solam vocem seu loquelam ejus non refert, sed continuo silet, quantumcunque aliquis ante speculum loquatur, vociferetur, blasphemet, excecretur, ita & materfamilias tonante & fulminante marito labia compescat, ne irato obloquatur, ne ignem igni addat; quo videtur respexisse Aristophanes in Polyd. cum dixit: *En uxorem hanc tibi trado Phædram. Videor autem mihi igni additurus.* Quod profectò fit, cum irato viro uxor linguam suam opponit: sanius enim taceret, & tunc ira viri, sicut ignis occlusus, ex sese evanesceret. Hanc loquendi parcitatem & silendi artem commendat sanctus Hieronymus Celantiæ in ep. de institutione matrisfamilias: *Sermo*, inquit, *in omnibus moderatus & parvus, & qui necessitatem loquendi magis indicet, quàm voluntatem.* Hac arte edomuit ferocem alioquin & iracundum maritum Patricium, S. Monica, teste filio Augustino lib. 9. confess. cap. 9. *Noverat*, inquit, *non resistere irato viro non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm oportunum videret, rationem facti sui reddidebat, si fortè ille inconsideratius commotus fuerat.* Hac industria non pacatum duntaxat, sed & bonum Christianum effecit.

Hæc sunt, quæ promisi vobis, munuscula, non magni quidem pretii, per magni tamen adjumenti. Multum juvant hominem pecten & speculum, ut se mundum servet à sordibus, & à vermiculis. Proderunt etiam vobis hæc documenta, ad conservandam animi puritatem, *ad religionem mundam & immaculatam*, ut possitis *immaculatos vos custodire ab hoc sæculo.* Jac. 1.

EXHORTATIO XIII.

Pia inter Conjuges colluctatio, ex Sacarum more.

ÆLianus, historicus Romanus miram Sacarum, qui sunt Scythiæ Asiaticæ populi, consuetudinem nuptialem refert. lib. 12. cap. 38. *Apud Sacas*, inquit, *si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: & si illa superior sit, captivum abducit atque imperium in eum obtinet: sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria.*

Hujusmodi certamen denuncio & indico vobis, novi Conjuges, de victoria, non de vita, de meritis & virtutibus, non de fluxo imperio; denique non de gloria humana, sed de corona gloriæ cælestis. Vobis dictum arbitramini, quod omnibus dixit Christus: *Contendite intrare per angustam portam.* Quicunque in hoc duello vicerit, superior altero conjuge in cælo, & non ad dies vitæ hujus, sed in perpetuum erit. Sed quibus tandem in rebus luctandum vobis erit? Audite & intelligite.

I. Certate inter vos de amore, & magna vi contendite, ut alter alterum vincat. Eccur verò? quia estis *una caro*, & unum corpus. Solet autem in uno corpore membrum unum amore conservandi alterius periculo & ictus se exponere brachium pro servando capite, manus pro tutandis oculis, pedes fugam

fugam accelerant, ut totum corpus ſalvent. Unde Apoſtolus ad Eph. 5. ait. *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam ſuam carnem odio habuit, ſed fouet & nutrit eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam*: qui ut paulò ante dixit: *ſemetipſum tradidit pro ea*. Vicit in hoc duello Jacob Patriarcha, qui obviam pergens fratri Eſau, ſibi à teneris infenſo & implacabili, nequaquam de ſe, ſed de conjuge duntaxat ſolicitus dixit: *Valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis*. Gen. 32. Ecce non timet ſibi Jacob, ſed timet uxori & filiis. Viciſſim Michol conjux Davidis, ut maritum ad necem à Saule Rege quæſitum ſervaret, dimiſit per feneſtram, ejusque loco ſtatuam in lecto adornavit, ad cuſtodes eludendos; adeoque ſe ipſam Regis iræ ac furori pro marito objecit. 1. Reg. 19. Quin etiam apud Gentiles præclarum hujusmodi certamen inter regias conjuges eluxit. *Cùm enim Acaſtus Peliæ, Theſſalorum Regis filius ſorores ſuas ad mortem expeteret, quod illæ parentem, tametſi imprudentes (dum ſanare vellent) occidiſſent; Alceſtis una illarum apud Armetum Regem maritum ſuum erat. Hunc Acaſtus cepit & necaturum ſe illum eſt minatus, niſi uxorem traderet. Illud verò conſtanter pernegare. Cumque non procul abeſſet, quin occideretur, Aceſtis ultro eſt ad mortem profecta, ut virum ſeruaret*; Refert. Lud. Vives. lib. de fœm. Chriſt. Quis hanc amoris colluctationem inter Ethnicos conjuges non magnopere miretur? Vir pro uxore, uxor pro viro ſuo mori contendit; ut alter alterum ſervet. Quid igitur non ſubeundum conjugibus Chriſtianis pro amore mutuo? Neque hoc in Regia ſolùm indole, ſed in ruſticana quoque eluxit cùm agricola quidam Lentis Colnenſis in regno Neapolitano, abſens domo uxorem perdidiſſet, & procul navim piraticam in anchoris hærentem conſpexiſſet, ratus id quod erat, uxorem à piratis eſſe abductam & in ea navi detentam, adnatavit, & ſe concaptivum ultro triremes tradidit, uxoris amore, non ſine barbarorum ſtupore. Cæterùm abductus in Africam à Tunetenſium Rege propter eam fidem libertati reſtitutus eſt. Fulgoſ. l. 4. c. 7. In hoc ergo amore excellere ſtudeant conjuges & alter alterum vincere.

II. Mutuo honore, præferendo ſibi conjugem. Si enim Apoſtolus monuit omnes fideles, ut ſint *honore inuicem præuenientes*. ad Rom. 12. & rurſum, *in humilitati ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*. ad Philip. 2. utique & conjugibus dictum hoc eſſe voluit. Habet enim Adam, cur ſibi præferat Evam, quia ipſa ex coſta Adæ, Adam è luto creatus eſt: ipſa in Paradiſo, Adamum ſibi præferat, quia ipſe prior creatus eſt, illa proſterior: ipſe velut caput Evæ propoſitus: illa velut adjutorium adducta & ſubjecta fuit. Hinc meritò uxores honoratiorem locum offerunt maritis, & mariti viciſſim uxoribus. Ita B. Joſeph. potiorem honorem detulit ſuæ conjugi, dum repertum in templo filium non ipſe alloqui voluit, ſed eum honorem conjugi permiſit. Viciſſim ipſa ſponſum ſibi præferens dixit. *Pater tuus & ego*. (ecce ſponſum præmittit) *dolentes quærebamus te*. Idem certamen videre eſt in Abraham & Sara: hæc ipſum appellabat *Dominum ſuum*, Gen. 18. *Dominus meus vetulus eſt*: ille viciſſim appellavit eam *Sarai*, hoc eſt *Domina mea*. Abraham ad petitionem conjugis ejecit ancillam. Gen. 21. Sara ad petitionem Abrahæ finxit ſe ejus ſororem. Gen. 12. Viderint ergo conjuges ne alter alterum ſpernat, aut indecoris nominibus compellet; multò minùs violentâ manu imperat. Audiamus S. Chryſoſtomum hom. 26. in 1. ad Cor. *Vos viros illud admoneo, nullo ſi tam grave peccatum, quod ad verberandam uxorem vos compellat*. Et mox: *Etenim ſumma injuria eſt, vitæ ſociam & in rebus neceſſariis antea tibi conjunctam, unquam mancipium injuria afficere Ideò hujusmodi virum, ſi quidem vir appellandus eſt potius, quàm fera, & patricidæ & matricidæ ſimilem eſſe dixerim.*

III. In patientia & obſequio mutuo. Si enim Apoſtolus ad Eph. 4. omnibus Chriſtianis præcepit: *cum patientia ſupportantes inuicem*; & ad Gal. 6. *Alter alterius onera portare*; multo magis conjugibus, arctiſſimo amoris vinculo connexis. Unde S. Chryſoſtomus hom. ſuprac. ait: *Quod ſi inuicem onera ferenda ſint, multò magis uxoris. Et ſi pauper ſit, noli exprobrare, & ſi ſtulta, noli ei inſultare, ſed iſto modeſtior; etenim tuum membrum eſt, & caro una facti eſtis. Sed ſtulta eſt, ebria, iracunda. Igitur dolendum eſt, non iraſcendum, & Deo ſupplicandum, & ipſa admonenda eſt & adjuvanda conſilio &c.*

Quod ſi conjux alter infirmus ſit vel ſenio confectus, certent inter ſe de patientia, ut infirmus quidem patienter ferat moleſtias & conjugis negligentias: alter vero ſanus infirmi miſeriam & impatientiam. Capiant exemplum vel ab ipſis brutis animantibus. Alcyon, marina avis, ſuo conjugi ſemper adhæret, eumque jam annis gravem & ægrè ſequentem fovet nusquam deſtituens, quin & dorſo impoſitum geſtat teſte Plutarcho in Comment. de ſolertia animal. Hoc idem obſequium præſtitit Guelfo Bavariæ Duci Winſpergæ obſeſſo à Conrado 3. Imperatore, conjunx. Impetrâta enim à Cæſare licentiâ, ut matronæ ſaltem inviolatæ oppido excederent, nec aliud quam quod humeris ferre poſſent, exportarent: illa maritum Ducem in humeros ſuſceptum extulit: exemplum ejus ſecutæ cætere mulieres, ſingulæ ſingulos viros ſuos, humeris ſuſpenſos exportarunt. Quo ſpectaculo ſumme recreatus Cæſar & urbi pacē dedit, & amicitiam cum acerrimo hoſte contraxit: Abb. Spanhaim Gottfridt. Viterb. Æmilius l. 7. Placebit etiam Deo, ſi viderit par conjugum in afflictione ſibi mutuò aſſiſtentes. Ita enim ait Eccli. 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo: Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes*. græcè, *mutuo unà circumferentes*. Planè ſicut alcyon conjugem ſuum circumfert. *Qui celer eſt & iracundus,*

pedint, remq; maturius expendunt, quam ipsi. Unde S. Ambr. Ep. 43. ait: *Maturiore consilio puella filio à parente traditur.* Ad hæc irreverentiâ quadam afficiunt parentes, qui rem tanti momenti insciis vel invitis illis adoriuntur; imo & injuriam eis faciunt; quia dant parentibus nepotes & hæredes, quos ipsi nolunt: quemadmodum offendit parentes suos Esau, cùm invitis illis duxit alienigenas. Gen. 26. adeo ut Rebecca mater dixerit: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth,* (quas acceperat Esau) *si acceperit Iacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.* Gen. 27. Propterea scriptura curam elocandorum liberorum semper commendat parentibus; quorum consilio stetêre in hoc boni quiq; filii, Isaac, Rebecca, Samson.

Verum si quis jam contraxit matrimonium, licet parentibus merito invitis, ratum erit matrimonium, nec à quoquam irritari potest: parentes etiam filiis suis errorem merito condonant, eò quod unusquisq; sibi non alteri uxorem accipiat. *Quemadmodum enim tibicen sibi ad proprium tonum deligit tibias: & nauclerus pro suæ navis magnitudine remos: sic oportet ut deligat conjunx conjugem,* ajebat Callicraditas apud Stobæum ser. 68. Ideo S. Ambros. ep. 43. cit. ad Sisinnium hortatur illum ne irascatur filio, quod se invito duxerit uxorem. *Fuit quod succenseres filio,* inquit, *sed fuit etiam quod remitteres, qui sibi uxorem elegit. Adquisivisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquisivit gratiam: si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem consilio puella filio à patre traditur, sed majore obsequii proposito à ad patrem ducitur; & à viro lecta ingreditur soceri domum, dum metuit, & filius displicere judicium suum & murus ministerium.* Et lib. de Virginibus? *Cui licet maritũ eligere, non licet Deum præferre?* Deniq; libera esse debent matrimonia, nec ulli obtrudenda est uxor, aut maritus: ne, si is contractus sinistrum sortiatur exitum, alteri quam sibi ipsi quisq; culpam adscribat. Nec unquam bene succedunt coacta matrimonia; uti scitè Plautina illa in sticho panegyris dixit:

Stultitia est pater, venatum ducere invitos canes:
Hostis est uxor invita, quæ ad virũ nuptum datur.

Propterea Apost. 1 Cor. 7 dixit: *Cui vult, nubat. Id est,* inquit in eum textum D. Ambros. *Quem sibi aptum putaverit, sibi nubat: quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere.*

Quando malo fine matrimonium contractum fuit. *Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit;* ait Dominus Luc. 11. Oculus hic intentio est, quæ si bona fuerit, totum matrimonii statum condecorabit secundabitque: sin verò mala, dehonestabit & pervertet. Si enim oculos direxeris, mi sponse & sponsa, ad elegantem corporis speciem, ad opes, ad honores, aliosq; scopos similes, procul aberrabis, & in te ipsum graviter feries. Quorsum igitur collimandum? Audi cælestem sponsum loquentem sponsæ Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa mea in uno oculorum tuorum.* Ad sponsum ergo cælestem dirige aciem tuam, sed uno tantum oculo, ut ei soli placeas, ejus unius gloriam quæras: ne si ad plura collimet oculus & in varia diffundatur, à scopo suo aberret; quã ob causam sagittarii etiam non nisi uno oculo dirigunt sagittam; *& fabros sæpe vidisse videor, altero oculo melius ad amussim ligna dirigere,* inquit Lucian. in Icaromenip. Ille igitur sponsus feliciter inchoabit & stabiliet nuptias suas, qui unico solum oculo ad Dei gloriam aspiciet, ut cum ejus benedictione proles acquirat, quæ celestes sedes repleant, Deumq; æternum laudent. Hunc scopum & hunc finẽ Deus proposuit primis nostris parentibus, cùm dixit Gen. 1. *Crescite & multiplicamini, & replete terram & subjicite eam.* Ut enim advertit ibi S. Chrys. primum illud: *Crescite & multiplicamini*, etiam brutis dictum est; sed postremum hoc: *subjicite eam*, solis hominibus; quia nim. ut Rupertus Abbas ibidem ait: *Primum quidem commune est electis & reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterq; vivendo replent terram. Sed in eo discernuntur, quod sequitur: Et subjicite eam. Soli namq; electi, quorum est terra viventium, hanc terram, quam corporibus repleverant, libertate animorum sibi subjiciunt. Quippe qui solum Deum præponentes terrena omnia fortiter contemnunt.* Quando igitur perspeximus, quis ob causas sæpe lætissimæ etiam nuptiæ desinant in planctum, vinumque nuptiarum degeneret in lachrymas, viderit unusquisque ne in hos scopulos impingat. Invitet Christum ad nuptias; & ipsius gloriam si non prorsus unicam, saltem primario sibi præfigat; ut ita nunquam deficiente vino semper lætetur ac deniq; palmam in cælo victor obtineat.

EXHORTATIO XVI.

Tria Matrimonii bona temperantur annexis miseriis, uti mel Samsonis apum aculeis.

Quoniam usu receptum est adhibere in nuptiis paranympham, qui sponsam adducat sponso, ad exemplum ipsius Dei Creatoris nostri, qui Evam matrem nostram adduxit ad Adamum, dabo vobis, novi conjuges, ego hujusmodi paranymphum sanè fortem & florentem, & quod caput est, nuptiarum expertum, Samsonem, qui non modo sponsam ducere ad sponsum, sed etiam per amorem agglutinare possit. Ducturus ille sponsam è terra Philistinorum, descendit cum parentibus in Thamnatha nuptias celebraturus. Sed ecce in ipsa via occurrit ei leo sævus & rugiens; quis hic non metueret? quis à nuptiis non resiliret? Verum quia spiritus Dei irruit in Samsonem apprehendit ille leonem & dilaceravit atq; discerpsit eum. Postlimi-

niò reverſus ad eundem locum reperit in ore leonis examen apum cum favo mellis; quem ex parte ipſe comedit, ex parte ad parentes detulit. Ita habetur *Iud.14.* Quod ſponſo Samſoni contigit, hoc & ſponſis aliis contingere videtur. Ad nuptias illi properant, ſed in ipſo ſuo itinere leonem obvium habent, ſævum & rugientem ac dira minitantem; quem deſcribit Apoſt. 1. Cor. 7. cum de nupturientibus ait: *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi.* curas ſcil. & labores, cum uxore, liberis, vicinis, propria carne &c. Quid igitur? reſiliendumne à cæpto matrimonio & divertendum aliò? Non ego dico hoc; ſed ſuadeo arripiendum eſſe leonem ac dilaniandum. Gerit enim in rictu oris, licet formidando, aliquid dulcedinis, & mellea quædam bona, conjuncta matrimonio, tametſi non ſine apum aculeis. Quæ nunc exponemus.

Bonum nuptiale tripartitum.

Tria nuptiarum bona enumerant Theologi cum D. Aug. l. 9. de Gen. ad lit. c. 7. ſcil. fidem, prolem, Sacramentum. *Bonum nuptiale*, ait Auguſt. *tripartitũ eſt, fides, proles, Sacramentum.* Primò. *In Sacramento attenditur ut conjugium ſeparetur*, ait idem: quemadmodum & Chriſtus ab Eccleſia nunquam ſeparatur; cujus conjugii ſignum, ideoq; Sacramentum eſt matrimonium, à Chriſto ita nobilitatum & gratia confortatum, ut in hoc ſtatu indiſſolubili conjuges ſuavius cohabitent, & fortius perſeverent; quod abſq; peculiari Dei gratia difficillimum peneq; impoſſibile foret, ut agnoverunt Chriſti Diſcipuli Matth. 19. cum auditâ conjugii inſolubilitate dixerunt: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Propterea Chriſtus in nuptiis Canæ vinum ex aqua fecit, ut oſtenderet matrimonium ante adventum ſuum non niſi hydriam aquâ frigidâ plenam fuiſſe: per ipſum vero in vinum, quod corroborat & lætificat hominem, ſuaviſſimum converſum eſſe. De conjugiis veteris legis dici jure poterat; *Vinum non habent.* Modò vero dici poteſt: *Haurite nunc; &c. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſq; adhuc.* Joan. 2. Cæterum noſtri conjuges dent operam inprimis, ut corda ſua diſponant ad percipiendam illam ſingularem gratiam: diſponant inquam per confeſſionem & communionem: evacuent ab omni peccati gravis affectu. Quomodo enim hoc oleum pretioſum recipietur in eo vaſculo, quod aquâ ſordida repletum eſt? quomodo hoc balſamum in fœtente teſta? Deinde obarment ſe fortiſſimo propoſito non egrediendi ex hoc ſtatu tam ſancto, qui ſanctiſſimæ illius & quidem duplicis conjunctionis, Dei filii cum humana natura rurſum Chriſti cum Eccleſia, ſignum eſt & Sacramentum. Imitentur pugilem illum Democratam, qui, ut refert Ælian. l. 4. var. hiſtor. c, 15. *cum ex pedibus laboraret ad certamina venit: & conſiſtens in ſtadio deſcripſit ſibi circulum, & jubebat adverſarios ut ſe expellerent extra lineam. At illi cum nequirent, victi ſunt, & ipſe cùm bene & fortiter in ſtatione ſua perſtitiſſet, coronam ſecum deportavit.* Intraſtis & vos, ô conjuges novi, in hujuſmodi ſtadium, & deſcripſiſtis vobis circulum inviolabilis conjugii, è quo egredi non liceat. State igitur & armate vos firmiſſimo propoſito, hinc non egrediendi in quacunq; adverſitate, nec pedem inde movendi, donec alterum mors expellat. Irruet in vos Spiritus Dei, quemadmodum & in Samſonem, ut poſſitis leonem illum *tribulationem carnis*, diſcerpere & ſuperare. Indeque mel cæleſtis conſolationis extrahere.

II. Secundum eſt fides, qua conjux conjugi adſtringitur, ut ipſi adhærere in thalamo, deinde aſſiſtere in rebus tam adverſis, quam proſperis obligetur. Quæ duo ſuum mel habent. De priore fide ſeu fidelitate ait Salomon Prov. 5. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui.* Quænam hæc ciſterna & puteus? Id explicat mox, cum ſubdit: *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ.* De hac etiam loquitur Apoſtolus 1. Cor. 7. cùm ait. *Propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque virum ſuum habeat.* Subdit tamen: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Quem textum explicans S. Chryſ. hom. Quales uxores ſint ducendæ, ait: *Non dixit, ut evitetur paupertas, & parentur divitiæ; ſed quid? Vt ſcortationem evitemus, ut moderemur concupiſcentiam, ut vivamus ſobriè ut Deo placeamusq́, contenti uxore propria. Hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus hoc inde lucrum eſt.* Hinc matrimonium à S. Gregorio appellatur portus navigantium, in quem à fluctibus ſe recipere poſſunt. *Admonendi ſunt cælibes*, inquit 3. p. paſtor. admon. 28. *ut ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, conjugii portum petant*, ne videlicet caſtitutatis naufragium ſubeant. Comparatur & ibidem civitati parvæ Segor, in quam ſe recepit Loth ab incendio Sodomæ, poſtquam recuſavit aſylum in monte quærendum, Gen 19. *Sodomam fugere*, ait Gregorius loco cit. *eſt illicita carnis incendia declinare: altitudo vero montium munditia eſt continentium.* Segor ſeu *parva* (id enim ſonat Segor) civitas eſt conjugium, poſita in humili loco, non in monte continentiæ. Unde ſubdit Gregorius: *Quaſi parvam civitatem inveniunt conjugati, in qua ab ignibus defendantur; quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira eſt, ſed ea à ſuppliciis ſecura, &c.* Propterea etiam civitas Segor *dicitur juxta eſſe, & tamen ad ſalutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec à mundo longe diviſa eſt, nec tamen à gaudio ſalutis aliena.* ait Gregorius ibidem. In hac ergo civitatula bibant conjugati aquas ſuas; ſed bibant ſoli, nec admittant alios; uti ubdit Proverb. 5. Sapiens: *Habeto aquas tuas ſolus, nec ſint alieni participes tui.* De poſteriore fide, qua alter alteri ad aſſiſtendum obligatus eſt, quæque etiam ſuum mel habet, ſpecioſe loquitur Eccleſiaſticus *c.* 36. in hunc modum: *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem:* h. e. incipit fieri dives, *adjuto-*

Fides, qu
unus alt
obligatu

adjutorium secundum illum est, & columna, ut requies. Vel ut est in Græco, *columna requietis;* tum quia dum vir domo abest, securus est de re familiari, quæ tam uxori cordi est, quàm sibi; tum quia cum peregrè domum redit, uxor in solatio est; tum denique quia in ipsa solidè subsistit & conquiescit, quia alioquin forsan vagam ageret vitam. Post hæc addit Sapiens: *Vbi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier ingemiscit egens.* Itaque uxor est quasi sepes & vallum facultatum viri: sine quo diripiuntur ejus bona; ut experiuntur viri cælibes. Facit ergo juvatq; uxor ad ditandum maritum. Neq; solum hoc, sed præterea inservit & assistit illi in necessitatibus. Nam ut ait Ecclesiastes cap. 4. *Melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei.* Habent ergo, ut dixi, mel suum conjugati: non tamen sine aculeis apum, quæ simul cum melle illo repertæ fuerunt à Samsone in ore leonis. Possunt enim sibi auxilium ferre, si industrii & concordes sint: possunt & perniciem afferre, si ignavi & discordes sint. Scimus enim vulgare illud:

Zwey könnē mehr hunger leyden / als einer.

Unius enim calamitas etiam alterum affligit: & si ambo calamitosi sint, quis assistet illis? sint ergo uterq; sepes & vallum domorum suarum, nisi pro melle aculeos experiri velint. Hæc & alia plura incommoda expendentes ii, qui cælibatum eligunt, *non emunt tanti pœnitere.*

III. Est Proles & hæc prædulce mel: quæ & ipsa tamen multum sæpe fellis parentibus propinat. Nam, ut ait Sapiens Prov. 10. *Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ.* Et rursum c. 15. *Filius sapiens lætificat patrem, & stultus homo despicit* (h. e. despici facit) *matrem suam.* Quis autem est filius sapiens, nisi qui honesti tenax? quis stultus, nisi qui corruptis moribus? Optimus ille filius Isaaci, Jacob, dulcissimum mellis favum attulit parentibus (quemadmodum & Samson patrem favi tulit patri & matri) quando se morigerum & innocentem exhibuit. Unde pater cum gaudio in ejus benedictionem prorupit hisce verbis: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. Fuit autem hic odor non tam vestimentorum, quàm virtutum, quæ in filio redolebant, quasque exponit S. Ambrosius l. 2. de Jacob & vita beata c. 1. *Quam continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, à quo primatum benedictionis accepit? Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur & paterna benedictionis munere sacraretur? Quam religiosus, ut fratrem recusaret lædere? Quam reverens parentum & honorificus, ut matri, quod jubebat, non posse negare?* Sic Ambrosius. Hæ sunt vestes filiorum, quæ recreant parentes; hoc mel, hic favus, qui dulciter illos pascit. Ita pavit patrem filius ille nobilis, qui nuper Lisabonæ cum maximo comitatu deductus ad cœnobium, & admirabili alacritate mundo valedicens, religionique se se mancipans, tam suavi odore patrem suum afflavit, ut is in lachrymas prorumpens diceret: *Alius jam nunc ero: novam instituam viam, utique filii pater;* uti refert Pater Fernandius *in cap. 21. Gen.* testis facto præsens. Sic etiam Sanctus Augustinus quasi melleo favo recreavit matrem Monicam, quando non solum è Manichæo Catholicus, sed etiam religiosus factus est. Exinde enim mater jam nil amplius in mundo desiderans, mori exoptavit. In confess. S. Augustini.

Cæterum hoc mel sæpe in fel convertitur parentibus, quando vident perverti filios, teste Salomone Proverb. 18. *Dolor patris, filius stultus.* Id quod ipse in filio suo Roboamo quasi prævidens sensit, unde & dixit: Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi: habiturus hæredem post me quem nescio, utrum stultus an sapiens *futurus sit.* Ecclesiast. 2. Quid si scivisset stultum futurum & regnum perditurum?

Quare, ô novi conjuges, omnem movete lapidem, ut liberos, quos cum tempore habituri estis, in timore Dei educetis; atque ita mel suave ex ore illius leonis, qui tribulat vos, extrahere & cum sponso cælesti dicere possitis: *Comedi favum meum cum melle meo.* Cantic. 5. Universim denique observate diligenter id, quod Salomon Proverb. 16. monet: *Mel invenisti? comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas illud.* Omne nimium vertitur in vitium; & muscæ quæ nimis avidæ mellis, involant in illud, inviscatæ hærent pereuntque. Deinde mel sæpe continet intra se apes emortuas, quæ mel acerbum reddunt. Ita Sanctus Chrysostomus homil. 2. in Marcum. *Mel*, inquit, *videtur hinc inde confectum esse de floribus; sed si respicias inter ipsos flores, & cadavera & putredines habet. Mel igitur videtur quidem suave esse, sed discrimen respicias, mortiferum est.* Certè in melle conjugali cadavera etiam latent: Jam moritur filius, jam filia, jam pater, jam mater: ô quantum hic fellis & amaritudinis! Quam ibi sæpe auditur: *Beatæ steriles, quæ non pariunt?* Quapropter revocate in memoriam Barlaami illius apologum, de unicorni, qui insecutus fugientem hominem, impulit in foveam altissimam plenam mortiferis serpentibus. Porro in ipso casu arripuit homo ramum fortiterque tenuit, ne in foveam decideret: dum ita pendulus hæret, videt mellis aliquid è ramo defluere, quo se recreavit & vires refecit. Cæterum vidit etiam supernè duos mures album & nigrum, ramo adhærentes, dentesque infigentes, quo nimirum ramum ab arbore resecarent.

Refert D. Damaſcenus in vita Balaam & Joſaphat. Talis eſt vitæ veſtræ curſus. Unicornis eſt mors, quæ fugientem hominem undiq; perſequitur. Cadit homo in foveam, dum quotidie aliquid de vita ſua perdit & morti appropinquat. Interim melle aliquo fluxuq; temporalis vitæ dulcedine ſeſe ſuſtentat, ſed ecce duo mures, dies & nox, albus & ater, vires corporis continuò debilitant, donec omnino reſecent. Et quid vobis ſupereſt, niſi ſepulchrum, quod omne hoc mel abſorbet? Memores igitur eſtote mortis, ne nimium ſatiati melle conjugali evomatis illud magno veſtro damno. quod à vobis avertat Deus.

EXHORTATIO XVII.

Concordia inter Conjuges, velut ſuavis Lyræ ſonus, qua ratione parandus & conſeruandus. Ex antiquorum ſomnio.

Lyra concordiæ ſignum.

ANtiqui crediderunt, ſi quis nuptiarum tempore lyram inſomnio vidiſſet, concordiam inter novos conjuges ſtabiliendam per eam deſignari, teſte Pier. l. 47. Hierogl. propterea, quod lyra ſuis numeris conſtans concinnum ſonum reddat: quemadmodum & in conjugio nihil ſuavius reſonat, quam concordia conjugum; ut teſtatur S. Chryſoſt. hom. 38. in Gen. in hunc modum. *Quando concordia & pax & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit, omnia ſimul affluunt bona, & nullis inſidiis expoſiti ſunt, magno & inexpugnabili quodam muro circumdati, ſuâ juxta Dei præceptum concordiâ. Hoc ferro fortiores eos reddet, hoc omnibus divitiis magis locupletabit, hæc ſupernam eis gloriam conferet, hoc & Dei benevolentiam eis ubertim conciliabit. Tunc & filii, qui naſcuntur, virtutem ſequentur, quos imitabuntur & ſerui & undequaq; domus florebit, eritq; multiplex rerum proſperitas.* Ecce quantum bonorum cumulum prædicit hic Sanctus Pater conjugum concordiæ! Felix igitur ſomnium, quo ſponſus vel ſponſa lyram iſtam omniat. Cæterum quàm cito ſæpe, & quam facilè lyra hæc delirat, & hiulcum ſonum edit? Patuit in Adamo & Eva, primis omnium conjugibus. Etenim Adamus conſpecta primum & adducta ſibi uxore mox eam adamavit, lætitiaq; geſtiens dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* q. d. Apage animantia bruta: hoc mihi placet. quia mihi ſimilis. Gen. 2. Verum ubi ab uxore ſe deceptum vidit; jam totus ab ea alienus, vix uxorem agnoſcit, ſed mulierem appellat, & velut ream nunc accuſat, culpamq; à ſe in ipſam demolitur. *Videamus nunc,* inquit S. Bern. ſer. 1 in F. Om. SS. *quantum diligas eam: oppone te diſcrimini propter illam, & dic: Domine mulier infirmior eſt, mulier ſeducta eſt, mea eſt iniquitas, meum peccatum: in me ſolum vindicta procedat. Sed non loquitur ſic: Mulier, inquit, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Gen. 3. Ecce diſſidium; loquitur jam de uxore, quaſi non noviſſet eam. Quare videamus, an qua ratione conſervari in conjugio magnum illud bonum & ſonus gratioſæ lyræ, concordia, inquam, poſcit.

I. Ad hoc conducet, ſi vir uxoris poſtulatis, non iniquis, facile annuat & infirmitati ejus condeſcendat, quo modo Abraham Saræ petenti, ut ancilla diſcordiæ cauſa è domo ejiceretur, placidè conſenſit dicens: *Ecce ancilla in manu tua eſt.* Gen. 16. Ubi D. Chryſ. hom. 38. ait. *Hæc in uxorem indulgentia pace domum replevit.* Deinde uxoris defectus toleret, multa diſſimulet, pauca notet ac perſtringat. *Qui enim neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Uxor etiam ſtudeat viro aſſenſum dare in quibuſcunq; rebus licitis. Audiant rurſum Chryſ. hom. 4. in 2. ad Titum: *Præcipuum,* inquit, *illud eſt domeſticæ pacis ac bonorū omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit. Nam ubi hoc fit, nihil triſte contingere poteſt. Quo pacto enim cum caput corpori connexū conjunctumq; ſit, ulla ibi ſeditio, ulla diſſenſio poſſit exoriri? Neceſſario profectò omnia rel. qua in pace ſūt. Principibus namq; pacatis, quis jam pacem dividere poſſit ac diſcindere? Quemadmodum econtra his invicem diſſentientibus nihil ſalubre eſſe poterit, totaq; mutabit familia.* Scimus vulpes illas 300. quas caudis colligavit Samſon, capitibus in diverſa tendentibus cùm dimiſſæ fuerunt & ſe ipſas perdidiſſe & vaſtâſſe Philiſtinorum ſegetes, igne, quē in caudis gerebant, hinc inde diſperſo. *Iud. 14.* Idem agent conjuges, ſi carne ſolū colligati, animis ſint diſcordes: **Wā eins da hinauß, dz and dort hinauß wil.** Non enim ſeipſos duntaxat remq; ſuam familiarem diſperdent, verum etiā totam domum ac domeſticos omnes conturbabunt. Ignem hunc ipſi excitant, dum duris ſuis cervicibus inter ſe concurrunt. Quis enim neſcit è chalybe & ſilice colliſis ignem accendi.

I. Media ſeruan. concor.

II. Multum juvabit, ſi alter ſilere & cedere noverit, altero contendente vel tonante. Hac arte conſervavit pacem & concordiam cum jurgioſa ſua Xantippe Socrates. Invitârat is aliquando ad menſam Euthydemum, & intervenit Xantippe conſuetis ſuis jurgiis & querelis contra maritum, menſamq; evertit. Cernens id Euthydemus, cum indignatione ſurgit è menſa parans abitum. Cui Socrates: *Nonne nuper apud te idem fecit gallina involans in menſam me nihil indignante?* ſic compoſuit Euthydemum, compoſuit & uxorem, ne verbulum quidem obmurmurans ejus veſaniæ: ſed loco ſolum occurrens. Plut. de cohib. ira. Eandem induſtriā docuit vir quidam prudens fœminam, quæ maritū ebrium, in domum revertentem & omnia ſurſum deorſum vertentem ferre non poterat, ſed acrius objurgabat, indeq; ad iracundiam magis concitabat. Suaſit enim ut in poſterum, ſi rurſum potus rediret

II. Silentiu[m] utrium[que] ... alterius

dat, ferat senem tardumque, segnis autem ferat vehementem illius impetum, ait Theophylactus ex Chryſ.

IV. In pietate, morum probitate & virtutum ſplendore. Corinthios monet Apoſtolus 1. Cor. 9. Ut in ſtadio hujus vitæ ſic currant, ut comprehendant, adeoque quod in eo certamine fit, alter alterum præveniat & vincat. Sic duo illi amore conjunctiſſimi Apoſtoli, Petrus & Joannes cucurrerunt ſimul ad ſepulchrum Chriſti: Et Joannes quidem *præcucurrit citius Petro*, ſed non intravit: Petrus autem prior Joanne ingreſſus eſt. Itaque Joannes videtur viciſſe Petrum in amore, Petrus Joannem in fiducia & magnanimitate. Pari modo certant inter ſe Conjuges Chriſtiani in ſtadio matrimonii; ut alter alterum in officio ſuo, nec non in virtutibus vincere conetur; quale certamen in primis eſt, quod præſcribit illis Apoſtolus ad Eph. 5. *Vnusquisque* (Vir) *uxorem ſuam, ſicut ſe ipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum.* Viro tanquam capiti competit amor: uxori quaſi ſubditæ convenit timor & reverentia. Virum igitur uxor in omnibus ſibi præferat & reverenter alloquatur, nec quidquam in eo vituperet, aut reprehendat coram aliis. Audiat Chryſoſtomum in eum locum, ſic ſcribentem hom. 20. Quis eſt autem timor? *Vt non contradicas, ut non inſurgas, ut primas partes non ames.* Viciſſim vir uxori omnem benevolentiam & amorem impendat, eamque in hoc vincere conetur. Ita Patricium ſuum vicit ſibique devinxit S. Monica, de qua S. Auguſtinus filius lib. 9. conf. c. 9. ait, *Tradita viro, ſeruiuit veluti Domino, & ſategit eum lucrari tibi* (Deus) *loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas & reuerenter amabilem atque admirabilem viro ſuo.* Certent inter ſe ſicuti parentes Samſonis, de timore Dei & fiducia in Deum. Pater Manue, dixit ad uxorem: *Morte moriamur quia vidimus Dominum.* En timorem Dei, in marito. Sed quid reſpondit uxor? *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet.* Judic. 13. Ecce ſpem in Deum. Vir uxorem vicit in Dei timore, uxor, virum in fiducia erga Deum: ſic inter timorem & ſpem ſecurè degebant. Certent inter ſe amore, uter ab altero ſepeliri velit, quo modo Tiberius Gracchus cum uxore ſuâ, apud Val. Max. lib. 4. cap. 6. Cùm fortè in Tiberii ædibus duo angues deprehenſi eſſent, mas & fæmella; conſultus ſuper hoc auſpex, quid oſtenti eſſet, reſpondit: ſi mare occiſo fæmella dimittatur, uxorem Gracchi Corneliam victuram, Gracchum verò moriturum: ſin verò fæmella necetur, Gracchum ſuper victurum. Quo cognito ſtatim Gracchus juſſit marem occidi, malens ipſe ſuum, quam uxoris obitum videre; cui utique ingrata fuiſſet uxor, ſi non viciſſim ipſa præmitti ad ſepulchrum deſideraſſet. Unde ſubdit author: *Itaque Corneliam neſcio utrum feliciorem dixerim, quod talem virum habuerit: an miſeriorem, quod amiſerit.* Jam ſi hoc fecêre Ethnici, cur non faciant Chriſtiani? Hæc itaque eſt lucta illa pia & ſancta, quâ vos, ô Neonymphi, contendere decet, ut exhibeatis jucundum Deo ſpectaculum, & coronas vobis paretis majores & majores, quibus alter alterum in cælo ſuperetis. Et vobis enim dictum eſt: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. Apoc. 2.

EXHORTATIO XIV.

Officia Conjugum mutua, in viro ſeminante & uxore pinſente.

Differentia viri & fæminæ.

NOn levis momenti eſt, quod in veteri lege Deus præcepit Hebræis Deuter. 22. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœmineâ.* Voluit enim dicere, virum non decere opera muliebria, nec mulierem opera virilia, ut exponit ſanctus Ambroſius in Ep. ad Irenæum. 15. Nam ut rectè Oleaſter ibidem ait: *Corrumpere valde communitatem ſolet, ſi promiſcua vaſa permittantur viris & fœminis. Alia ſunt, quæ virum, alia quæ fœminam decent. Decet fœminam colus, decet acus, reique domeſtica cura. Sunt etiam ſua munia viro, quæ ſi confundantur & miſceantur, ordo deſtruitur, & politia euertitur. Quamobrem officia ſua curet.* Si qua mulier gladio ſe accingeret, aut ſclopeto humeros oneraret: vir è contra colum gereret aut fuſis penſa devolveret, quanto riſui ſe exponerent? Hujusmodi morem ferunt fuiſſe in Orientali Provincia Tien, aliis Tiben, ubi uxores externa negotia tractabant, viri autem domi infantes fovebant, penſa ducebant, & ſimilia, quæ mulierum ſunt, agitabant, teſte Marco Paulo & Odorico, apud Berioſium, tit. Conjugium. Quare quid poteſt eſſe turpius magiſque ridiculum? Sciendum igitur vobis eſt, novi Patres & Materfamilias, quæ ſint veſtra munia. Ea verò explicat Chriſtus Dominus in duplici illa parabolâ, de grano ſinapis & fermento. Matth. 13. aut annotavit D. Petrus Chryſologus Serm. 99. ſcribens: *Vir in agro ſinapis granum ſerit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ; quia virum foris expectat labor, intus mulierem domeſtica cura conſtringit.* Quapropter juxta hanc utraque parabolam unius & alterius officium examinemus pro ſolatio & documento conjugum.

I. Officium viri & fæminæ.

I. Viri agricolæ eſt foris in agro & ſylvis laborare, nec non forenſibus negotiis operam dare: uxoris eſt domi hærere, farinam miſcere, panes ac cibos parare, aliaque domeſtica negotia curare; quod docetur illâ parabolâ; quam, ni fallor, ob cauſam Adam extra paradiſum, ruri; Eva intra paradiſum, quaſi intra domum efformata fuit. Quo etiam ſpectant duæ illæ para-

parabolæ Christi; Luc. 15. una de ove perdita, foris quæsita, à viro; altera de drachma amissâ, & reperta in domo à muliere. Foris ergo negotiari & panem quærere jubentur viri : mulieres verò domi. Quod etiam natura ipsa dictare viro voluit, cum ipsi barbam seu pilos circa mentum dedit, non mulieri; qui illum foris agere & cœli injurias, ventos, imbres, nives frigora sustinere, hanc verò domi manere oporteat; uti notavit Galenus de usu partium. Hujus doctrinæ exemplum adducit sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. in Abrahamo & Sara, cum ad eos diverterunt tres illi peregrini; erant autem Angeli. *Ante tabernaculum*, inquit, *vir hospitum explorat adventum: intra tabernaculum Sara tuetur. fœmina verecundiam & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus invitat, intus Sara convivium adornat. Nec solùm ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dicit uxori sociam devotionis ostendens, nec fide disparem.* Propterea Deus benedictionem domui illi impertiit, filium promittens, quia uterque conjux munus suum explevit. Naturam igitur invertunt viri cùm ea omittunt, quæ foris agenda sunt: mulieres vicissim, cum in alienas domus irrepunt & foris vagantur, quæ domi portæ testitudines esse deberent; quâ infamiâ notat Ægyptios Pomponius Mela, asserens mulieres eorum foris agere negotia, & forum frequentare: viros intra domum pensa ducere: illas in humeris, viros in capite onera gestare; quod quam absurdum sit, natura ipsa ostendit.

II. *Boni patrisfamilias officium.* II. Viri est semen in agro spargere, hoc est salutaria monita familiæ instillare, adeo ut S. Augustinus *tract. 51. in Iohan.* quasi Episcopale ei officium in domo ipsius deferat, quo *suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat, benevolentiam, exerceat disciplinam.* Porrò Episcopi pedum seu pastoralem baculum gerunt, qui, ut Durandus in Rationali suo exponit, in capite unicum, in pede cuspidem gerit. Unicum ad morigeros subditos attrahendos; cuspidem ad pervicaces & rebelles depellendos. Idem hoc officium boni patrisfamilias est. Bonos ad familiam suam accersat, reprobos expellat, exemplo Davidis, qui *Psalm. 100. ita loquitur: Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Utique ad lustrandam familiam, & quo regimine? *Non adhæsit mihi cor parvum: declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Denique *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam,* ait. Hos igitur domo exclusit, quos ergo recepit? *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Hujusmodi etiam Paterfamilias fuit Thomas Morus, Angliæ Cancellarius & auctoritatis Apostolicæ defensor, qui familiam suam adeò in virtute & pietate instituit, ut de ea scripserit Erasmus Rotherodamus : *Domus Mori schola est & gymnasium Christianæ religionis*, teste Staplet in Vita Mori.

Porrò semen disciplinæ, quod in familia seminandum est, granum Sinapi sit, hoc est efficax & nervosum, cum acrimonia, & metu castigationis, nec non bono Patrisfamilias præeuntis exemplo conjunctum; quod tamen materfamilias mitigare & farinâ aspergere debeat: sicut Ester Regina blanda Oratione placuit iram Regis Assueri; familia in hero quidem sentiat patrem severum, in hera verò matrem piam.

II[I]. *Patri[s]milia[s] impig[er] sicut [Ja]cob.* III. Viri Patrisfamilias est labore & agriculturâ suâ familiam sustentare; (quod monet illa seminatoris parabola.) Eò enim spectat quod Apostolus *ad Eph. 5. scribit : Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet & nutrit eam.* uxorem scilicet de quâ loquitur; nec non & familiam, quæ membra Patrisfamilias sunt. Undè qui familiam alit & conservat, se ipsum alit & conservat: & nisi hanc sustentet, se ipsum perdit. Præclarè id ipsum docet sapiens Proverb. cap. 24. *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædificet domum tuam.* hoc est ut familiam augeas prole, servis & opibus; sicut exponit Jansenius. Alioquin eveniet ei, quod idem Salomon pigro prædicit Proverb. 6. *Paululùm conseres manus, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Hujusmodi impiger Paterfamilias fuit Jacob Patriarcha, qui Genes. 35. se suosque domesticos ad laborem pium excitans: *Surgite*, inquit, *& ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo.* hoc est sacrarium ad orandum & sacrificandum. Non ait: Surgite & ascendite, sed *Surgite & ascendamus*, se ipsum præbens in ducem & socium operis faciendi.

Uxor porrò juvet maritum in alenda & conservanda familia, ut dum ipse foris agrum excolit, ipsa interim domi farinam misceat & panes pinsat, quibus maritum fessum ex agro reversum, prolem quoque ac familiam reficiat. Ideircò enim è latere Adæ formata est, ut latus ejus stipet & quasi fessum sustentet; Unde in adjutorium viri creata est; quod Chaldæus ita vertit: *Faciamus ei quasi sustentaculum, quod sit penes eum:* quale scilicet gerunt in manu, qui graves sarcinas portant, scipionem aut fulcrum, quod supponunt sarcinæ, & beneficio illius subinde interquiescunt. Quam ob causam etiam à sancto Chrysostomo homil. 26. in lib. ad Corinth. *Portus viri* appellatur, in quem se recipiat ex laboriosa navigatione. *Portus*, inquit, *est mulier & maximum securitatis remedium.* In portu expectantur naves onerariæ, & bombardarum læto excipiuntur so-

nitu

nitu buccinisque ita uxor virum è laboribus revertentem & fessum cum omni humanitate suscipiat mensâ instructâ, lecto composito, hyppocausto calefacto, &c. Sic mutuis obsequiis ædificabunt domum sibi, nec non altare Deo.

IV. Viri est cum uxore bene consentire; uxoris verò, ad viri voluntatem ac mores sese conformare; quod videre est in proposita parabola; si quidem vir Sinapi, granum acerrimi saporis, seminasse: mulier verò fermentum, & ipsum valde acidum miscuisse farinæ dicitur. Uterque igitur conjux circa rem consimilem, amaram scilicet se occupat: vir sinapi in agrum, mulier fermentum in farinam mittit: uterque ad parandum victum intentus est. Cæterum prius inducitur vir seminans, postea mulier pinsens, quasi viri exemplo mota & ipsa operari in simili studio cœperit. Id quod decet uxores, ut maritis suis in rebus honestis sese accommodent; uti monet Aristoteles in Oeconomicis: *Existimare debet uxor*, inquit, *mores viri esse legem, & formam vitæ suæ impositam sibi à Deo.* Quare si ad rem Divinam S. Confessionem, communionem, aut concionem pergat vir, comitetur cum uxor. Propterea & huic & illi suam utrique proposuit parabolam Christus, de viro unam, de muliere alteram. Alibi etiam Samaritanæ petenti aquam vivam, respondit: *Voca virum tuum.* Joan. 4. quasi æquitas postulet, ut mulier non sine viro cælestis doctrinæ aquam biberet, cum sint una caro. Enituit hæc unanimitas in Elisabetha & Zacharia conjuge. Quæritur ab illa, qui vellet appellari filium, & respondet: *vocabitur Ioannes.* Interrogatus etiam Zacharias, & in idem nomen conspirans exclamat: Joannes est nomen ejus. Luc. 1. Sic, Christiani Conjuges unam habeant vocem, unum cor & animum.

V. Denique viri est, labores in se suscipere: leviores uxori permittere. Ideo vir arans foris; mulier autem domi pinsens proponitur: & ille quidem terram, hæc farinam subigens. Neque hoc mirum videri debet, cum natura viro majores vires dederit; ideoque apud Latinos vir à vi & viribus nomen obtinuerit: mulier verò, à mollitie, quasi *mollier* nuncupata sit, teste Varrone. Turpe & prodigiosum foret, si vir domi ad colum sederet, uxor foris pugnans arma gereret: vel si vir fermentum farinæ commisceret, uxor stivam tenens aratro terram proscinderet. Hoc enim multum, illud parum laboris habet. Quam ob causam, ni fallor Psalm. 127 comparatur uxor viti, maritus autem oleæ. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Vitis fragile lignum est, ideo hyemali frigore facilè læditur: Vnde alicubi per hyemem terra operienda est. Olea verò durissimo ac fortissimo ligno constat, ideoque tam hyemali quam æstivo tempore viret, nec frigore necatur. Unde antiquis æternitatis typus fuit, teste Pierio, in hierogl. Rectè igitur uxor viri, vir oleæ comparatur; quia illa velut infirmior, fovenda calore & sublevanda fulciendaque est, ob partus labores, proles lacte nutriendas, &c. Hic autem velut robustior austeritatem frigoris, & labores duriores facilius ferre potest. Jure igitur hos suscipere in se, leviores verò in uxorem rejicere debebit. Quod si fiat, quid sequetur? subdit Psalmista: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion & videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.* Quam enim benedictionem vobis quoque novis conjugibus precor & exopto.

EXHORTATIO XV.

Cur sæpe infælicia sint conjugia, ex deficiente in nuptiis vino.

SOlent quidem nuptiæ cum lætitia celebrari, choreis exhilarari, dulciariis & delitiis condiri, uti de se quoque testatur sponsus ille cælestis Cantic. 5. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Verùm ea lætitia brevi admodum durat, & quod pejus est, sæpe in tristitiam & luctum nimis citò desinit. Quemadmodum enim in nuptiis illis Canæ Galilææ vinum quidem adfuit exhilarandis animis, ad initium convivii; sed paulò post defecit, adeoque pauperem sponsum in angustias conjecit: ita fit non raro, ut extrema gaudii nuptialis luctus occupet. Expertus id est Samson, qui & ipse nuptias suas cum favo mellis reperto in ore leonis & comesto inchoavit. *Iudic.* 14. luctuoso tamen fine clausit, quando à sua sponsa proditus ac denique omnino desertus fuit. Bene igitur Germani dicunt: Anfang bedenck das Endt. Inchoans cogita finem. Quare sicut Medici consiliis & præservativis suis Magnatum ægritudines præveniunt, indicando eis pericula & incentiva morborum, ita ego futuris quibuscunque conjugibus causas ostendam, cur sæpè infæliciter succedant matrimonia, quæ cum gaudio inchoata fuêre.

Sæpissimè extrema gaudii nuptialis luctus occupat.

I. Prima est, quia sæpe incautè & inconsideratè matrimonium contrahitur, quamvis sit status talis, qui nisi per mortem alterius conjugis deseri non possit. Unde S. Chrysost. *orat. de Muliere & pulchritudine to.* 5. ita monet eos, qui nuptias cogitant: *Omnia fac & satage, ut commodam, modestam, & obsequentem uxorem ducas. Nam si domos atque servos*

Ratio. Nuptui intentus qualem ducat, benè videat.

servos empturi curiosè suscitamur & perscrutamur vendentes pariter atque priores possessores; de illarum quidem fabrica, de horum autem & corporis habitudine & animi studio inquirentes: multò magis uxores ducturos tantam ac longè majorem etiam providentiam gerere oportet. Domum enim vitiosam & servum, si ineptus videatur, reddere venditori licet: uxorem verò ductam reddere iis, qui dederunt, non licet. Hinc de sapiente illa muliere dicitur Proverb. 31. *Consideravit agrum & emit eum.* In amicitiam nostram non facilè recipimus, quem priùs non noverimus: quantò magis ergo dignoscendi sunt, qui in connubium assumuntur. Et sic Aristoteles *lib. 8. Eth. cap. 3.* dicere potuit, *tum demum homines se invicem cognoscere, ubi prius mensuram salis simul comederint*: quanta cautione opus erit ad nuptias contrahendas cum persona incognita. Certè Jacob ille bonus alioquin Dei servus deceptum se deprehendit, quia de nocte sibi uxorem junxit, Liam pro Rachele, lippam pro speciosa, *Gen. 29.* Sic non raro errant, qui vel solas opes, vel genus, vel exteram speciem, non mores & virtutem in futura conjuge expendunt; adeoque sibi vel ob corporis speciem uxores velut carnes vitulinas emunt, ad oculum non ad libram appensas: vel ob pecuniam, *digitis*, ut loquitur Seneca, *ducunt.* Inde sequuntur miseriæ illæ, jurgia, divortia, adulteria, rei familiaris dilapidatio: denique aqua pro vino in fine nuptiarum bibenda est. Consultò igitur monet Ecclesiast. 7. *Trade filiam tuam, sed homini sensato da illam.* Quod inprimis egregiè præstitit Abraham, cum Eliezer servum suum misit velut procuratorem ad quærendam filio suo Isaac uxorem, non ex opibus aut forma, sed ex bonis moribus cognoscendam; quam & servus post fusas ad Deum preces deprehendit: appositè dictus *Eliezer* hoc est *Dei adjutorium*; si quidem Dei auxilio confisus incidit in talem puellam, qualem Abraham optarat filio suo. *Gen. 24.*

II. *Ratio Dei sparitas contrahentium.* II. Est, quia sæpe numero contrahunt cum imparibus ætate, genere, opibus, dignitate, religione; contra antiquæ illius Legis præceptum morale: *Non arabis in bove simul & asino.* Et illud Levit. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine*, verbi gratia, triticum cum hordeo; fiet enim confusio granorum, ut nec triticum nec hordeum possit appellari, nec ad certum usum applicari; quod in primis metuendum, cum diversa est religio; de qua etiam Apostolus 2. Cor. 6. scribit: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* Facilius pervertitur Justus ab Impio, quam impius convertatur à justo. *Species illecebra mulieris*, inquit sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap 9. *decepit etiam fortiores maritos & à religione fecit discedere. Et ideò tu vel amori consule, vel errorem cave.*

Primùm ergo in conjugio religio quæritur. Certè Adamum ab Eva, Salamonem ab alienigenis uxoribus, Samsonem à Dalila, Achabum à Jezabele, Herodem ab Herodia seductum esse novimus. Liberi enim solent deteriorem parentem sequi; uti filii Hebræorum, qui à matribus Azoticis didicerunt loqui Azoticè, nescierunt loqui Hæbraicè 2. *Esd. ult.* Grande etiam periculum dissensionis est, cum magna inter conjuges est disparitas in ætate, genere, opibus. *Malum est*, ait sanctus Chrysostomus oration. de muliere & pulchritudine, *pauperiorem uxorem ducere, malum item opulentiorem. Nam illud quidem facultatum detrimento virum afficit, hoc verò authoritatis & libertatis.* Quare optime Ovidius in Deianira cecinit: *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Sapuit & ille, qui uxorem accepit destitutam omni dote, cum multæ se opulentæ offerrent: *ne videlicet dotum fræno constrictus*, inquit, *uxori meæ nupsisse videar ego, & ita contra Apostoli doctrinam, viri caput fiat mulier.* Refert Beyrlinck in Apopht. Chryst.

III. Est, quando in prohibitis nimiæ propinquitatis gradibus contrahunt. Deus enim hujusmodi nuptiis, nisi sint urgentes causæ propter bonum publicum, non solet benedicere, sed punit vel sterilitate, vel dissidio, vel aliis modis, uti scribit S. Gregorius M. ad Augustinum, Anglorum Episcopum (uti refertur 35. *quæst. 3. cap.* quædam lex) *Experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere.* Divus etiam Ambrosius à quodam amicorum suorum consultus, an filium nepti suæ elocare posset severissimè ipsum reprehendit, quòd hoc cogitasset, additque: *Oportet ab eâ intentione discedas, quæ etiam si liceret, tamen tuam familiam non propagaret.* Eph. 66. ad Paternum. Exemplo est Robertus Francorum Rex, qui ante conversionem suam in pœnam illegitimi connubii, quod cum affine & commatre contraxerat, nactus est prolem collo, & capite anserino monstrosam. Unde perterritus conjugem repudiavit & deinceps sanctè vixit, teste B. Damiano in Epist. ad Desiderium. Cæterum justis ex causis Ecclesia hujusmodi conjugia prohibuit, quas recenset D. Thomas, 22. *quæst. 154. a. 9. Primò quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus & cognatis, in tantum, quòd apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari*, nec se invicem nudos conspicere. Secundò quia personas sanguine conjunctas necesse est adinvicem simul conversari, sicque continuò haberent occasionem luxuriæ, nimisque emollescerent. Tertiò quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, ut docet S. Augustinus l. 15. Civit c. 16. III *Ratio ... duum propinquitas*

IV. Quando contra voluntatem parentum, rationabiliter invitorum, vel reclamantium filii aut filiæ se despondent. Ratio, quæ id suadet, est, quia parentes meliùs intelligunt, quid liberis expediat, IV *Ratio. Matrimonium citra parentum voluntatem contractum*

diret domum vir, cochlear aquâ (quam ei obtulit) plenum sumeret, & in ore tantisper retineret, donec virum super lectulum modestè composuisset: habitura pacem deinceps cum viro. Fecit quod jussa fuerat, & obtinuit quod expetierat, existimans vim placandi virum in aqua illa fuisse, cum in ejus silentio fuerit. Notent hoc mulieres, quæ sua dicacitate & obloquendi pronitate viri non solum dentes, sed & ungues in se armãt; dũ adinstar illius porticus in Olympia (apud Plut.) *Septivocæ* appellatæ, pro uno viri verbo septem ei reddunt. Idem S. Chrys. ho. 11. in 1. ad Thess. 5. pulchra similitudine docet: *Conviciatus est quisquam?* ait, *vituperavit? Tu claude os tuum. Si enim illud aperueris, concitabis magis ventũ hunc. Non vides in ædibus, quando è regione ac directè duæ januæ oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit, si alteram clauseris & respiratio prohibita fuerit, quomodo nihil valeat efficere flatus, sed plurimum de robore ejus præcidatur? Ita & hic. Duæ sunt januæ: Os tuum & os illius, qui te vituperat & probro afficit. Si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem flatum istum extingues: Si verò aperueris, effrænis redditur.* Sic ille. Sensit hoc contentiosa quædam mulier (apud Pontan. in Att. bellar. p. 1. cui maritus iracundo ingenio cum merulas à se coëmptas daret assandas dicens: *Assa nobis hosce turdos*, replicavit: *Merulas appellas turdos?* Respondit ille turdos esse. Negavit rursum illa & merulas esse contendit. Tum maritus eam pugnis operit. Anno vertente cum rediret dies ille, memor verberum mulier: *En*, ait, *hic est anniversarius, quo me ob maledictas merulas obsevisti pugnis.* Tum vir. Et adhuc negare audes *fuisse turdos?* Nondum ergo cedentem iterum pulsavit. Ita quotannis eodem die, cùm similiter loqueretur similiter vapulabat. Sic nimirum uxores facile pacem cum maritis possent habere, si possent tacere. Tentavit aliquando Ctesiphon sancratiastes calcitranti mulæ recalcitrare; sed non mitigavit eam; imò ad impingendum calces denuo irritavit. Plut. de cohib. ira. Idem expectet uxor si in virum calcitret.

III Communicatio bonorum cõjugalium dissipat odii.

III. Proderit etiam si bona sua inter se cõmunia habeant, faciantq; ut non sit vir ebrius, mulier autẽ domi esuriat: vir bene vestiatur, uxor verò sordeat: vir vino madeat, uxor aquâ vitam toleret, &c. Ista inæqualitas, sicut & in aliis omnibus rebus, contẽtiones excitat & discordiam. Huic ut occurrant conjuges, omnia sua cõmunia habeant. Unde Plut. in præceptis connubialibus dixit: *felix futurum cõjugium si meum & tuum absit.* h. e. si neuter conjugum *suum* esse aliquid dixerit. In præcept. Connub. Quia nimirum *meum & tuum*, est causa omnium contentionum. Unde duo illi senes apud Ruffin. in PP. apud Rosweidum l. 3. contentionem inter se de latere uno, in medio posito, excitare non potuerunt, quia omnia sua communia habuerunt. Dicente enim uno: *Non est tuus, sed meus*; mox respondit alter: *Si tuus est, tolle illum.* Ac licet uxor plus dotis viro attulerit, quam ipse contulit, non ideo tamen dicere aliquid suum debet; quod ostendit ibidem Plut. vini similitudine, quod non desinit appellari vinum, licet plus aquæ affusum sit. Ita enim quantolibet plus attulerit fæmina, quam vir, hujus tamen redduntur omnia. Annon is cuncta, quæ sunt fœminæ, possidet, qui fæminã ipsam possidet, quiq; ejus dominus est? Uxori autem dicitur: *Sub viri potestate eris.* Certe si cogitarent conjuges se unã esse carnem, viverent utiq; inter se sicut Religiosi, qui nihil plane proprium, sed omnia communia habent. Insinuavit hoc illis Christus, quando rogatus à Samaritana: *Domine da mihi hanc aquam*; quæ scil. extinguit omnem sitim; respondit Christus: *Vade, voca virum tuum.* Joan. 4. *quasi opus esset cum eo communicare*, inquit ibi S. Chrys. Certè etiam Eva, postquam gustavit pomum vetitum, & bonũ esse sensit, mox communicavit viro suo: *Gen. 3.* quasi metuens offensam, si è tam bono fructu non vesceretur & maritus. Samson etiam ex invento in ore leonis melleo favo tres partes, si Josepho credimus, detulit ad sponsam suam. Quod etiam confirmat S. Ambr. Ep. 70. cùm ait. *Abstulit donum parentibus, ac puellæ futurum.* Viderint igitur viri, qui rem familiarem in popinis absorbent, uxores interim & proles suas fami, nuditati, atq; extremæ calamitati exponunt: quam inhumani & crudeles sint. Dici de illis potest, quod Thr. queritur Jeremias: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, qui, ut ait Job. c. 39. *dereliquit ova sua in terra: obliviscitur quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat. Duratur ad filios quasi non sint sui.* Hujusmodi viri tragicum exemplum recenset Joan. Benedicti l. 3. suæ Summæ c. 7. in Appendice his verbis: *Quid paucos ante annos homini lusui & poculis addictissimo contigerit, hic minimè prætereundum. Hic cum rem omnem in lusu & popinis consumpsisset, eum aliquando potitantem adivit uxor, rei domesticæ penuriam expositura: sed sic eam verberibus excepit præsentibus compotoribus, ut ceu mortua sit ibi relicta. Misera tandem resurgit, ac domum reversa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde vestem illius apprehendentes vociferabantur: Da panem mater, mater fame perimus: jam jam biduum est, ex quo nihil sumpsimus. Ah pueri mei inquit mater, undenam habebo? pater vester expendit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori, quam sic fame languere, & una morte mille mortes redimere. His dictis velut desperabunda confestim arripit cultrum, quo utrumq; jugulat. Sub crepusculum verò noctis maritus domum reversus ebrius & reliqua substantia exhaustus lecto se committit. Quem ut somno sopitum vidisset, eodem cultro, ea audacia, quâ Judith Holoferni, etiam marito caput amputat. Moreris, inquit illa, cùm perversa tua vivendi ratio sit tua ipsius, & mea & puerorum nostrorum ruina. Re palã factã, ipsa à Magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata supplicium libenter subiit, habita prius ad conjugatos monitione; ne sic sua in aleis & tabernis dissiparent. En ut gula cum alea his quatuor mortem intulerit.* Sic ille.

Videte conjugati, quo tandem res deveniant, si lyra illa Concordiæ conjugalis non bene concinnetur! si dissonare incipiat & tam insuavem tonum reddere! Quare obtestor vos, ut nihil magis cordi habeatis, quam ipsam inter vos concordiã, quæ aliud non est, nisi duorum cordium unio. Cum hac unione stabitis: & sine hac peribitis, adinstar Thyræi lapidis, qui cum integer est, natat, divisus verò mergitur, ut scribit Arist. de nat. rerum. c. 12. Plinius l. 2. c. 102. Ita & Oseas c. 10. prædicit: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Deniq; Christus ipse dixit: *Omne Regnum in se divisum desolabitur.* Ut ergo stet Regnum vestrum & familia vestra, estote concordes.

EXHORTATIO XVIII.

Amor & concordia conjugalis commendatur.
Ex Charite Pasithea.

Omni Dea conjugibus summè necessaria.

PLutarchus, vir apprimè eruditus & Trajani Imp. Prætor in Illyrico, dicebat (apud Stob.) *Illas felices esse nuptias, à quibus Charites non exulant.* Fuerunt autem hæ Charites tres germanæ sorores, Aglaia, Thalia, Pasithea, quam alii vocant Euphrosyne, ita exsculptæ, ut sese mutuo brachiis complecterentur, quasi colligatæ & designabant gratiam & amorem mutuum, qui maximè requiritur inter spõsum & sponsam. Non abludit hæc Gẽtilium doctrina à doctrina Salomonis, qui Prov. 18. ait: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonũ, & hauriet jucunditatem à Domino.* In Græcis exemplaribus sic habetur. *Qui invenit mulierem bonam, invenit Charites,* h. e. gratias, uti legunt 70. Interpr. Cæterum existimabant veteres è tribus illis sororibus, seu Deabus, solam Pasitheam, velut conjugatam nuptiis & conjugiis interesse ad sociandas cõjugum voluntates: reliquas duas dicebant esse Virgines, ut tradit Senec. l. 1. de benef. c. 2. *Pasitheam* vero ex græco vocabulo vertas *Omni Deam*; quasi conjuges habeant omnes Deas, adeoq; omnia bona, si hanc sibi propitiam habuerint; quæ est amor mutuus inter illos. Hic enim si adfuerit in conjugio, adfert secum omnem felicitatem, concordiam inprimis, & quæ inde sequuntur bona. Hanc ego, novi conjuges, invitandam vobis suadeo ad vestras nuptias. Sed quibus argumentis ei persuadebimus, ut veniat ad vos? ut amor in conjugio vestro à vobis non exulet? Hoc nunc efficere conabimur.

I.
Instinctu Apostoli jubemur uxores diligere: quia nemo carnem suam odio habuit.

Argumentum primum suppeditat Apostolus ad Eph. 5. ubi ait: *Viri diligere debent uxores suas uti corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet & nutrit eam.* Quid hoc stimulo potentius? Quis enim non amat proprium corpus & carnem suam? quid non facimus, quid non expendimus, ut eam cibo nutriamus? ut sanam & salvam conservemus? ut infirmam sanemus? Atqui conjuges sunt duo in carne una, Gen. 2. quia alter alterius corporis Dominus est; & quia unam carnem scil. prolem generant, & quia mulier è viro & quidem ad ejus imaginem gloriosam formata est, teste eod. Apost. ibid. *Vir est imago & gloria Dei: mulier autem gloria viri est.* h. e. gloriosa imago viri, ut ibi explicat Cornel. à Lap. Sunt ergo quasi unus homo; juris fictione scil. ac proinde debent esse unum quid amore & voluntate. Unde Pythagoras dixit, esse *unam animam in duobus corporibus.* Jam si, ut Ecclesiast. c. 13. dixit. *Omne animal diligit sibi simile*; quanto magis conjuges, qui sunt unus & idem homo; *Comparem suum*, inquit D. Amb. l. 5. Hexam. c. 5. *& bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere jugum nescit compar alterius, & se non totum putat. Tu jugalem repudias tuum, & putas sæpe mutandum?* &c. De graculorum amore mutuo dicimus proverbio: *semper graculus assidet graculo*; quod in suos gregales ferantur maximo amore. Etenim si vel inanem imaginem in pelvi oleo pellucido plena intueatur, mox in eam descendunt, quasi ad sociã avem, ibiq; olei viscositate sine retibus capiuntur, ut auctor est Ælian. l. 4. c. 30. Quod si aves istæ vanum etiam sui simulachrum adeo diligunt, non pudebit conjuges, si se invicem non ament, cum vir in uxore, & uxor in viro cernat suam & gloriosam quidem imaginem, & præterea comparem suum, imo seipsum?

Instinctu liberorum in conjuge suscepten quorum causa maximè conjuges se amare debent.

II. Alterum stimulum addunt liberi in conjugio suscipiendi, quorum causâ, si alia non esset, amare se mutuo deberent conjuges. Amore enim posteritatis suscipi matrimonium solet & debet, uti exemplo suo docet Tobias junior. Tob. 8. *Et nunc*, ait, *Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororẽ meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Talis etiam mentis fuit Booz, qui præcisè ut semen fratri suscitaret, filiosq; in Dei populo gigneret, accepit in uxorem Ruth, dives pauperculam: ideoq; genuit ex ea filium *Obed*, i. e. *subditum* (id enim sonat) Unde auctor Imperfecti *hom. 1. in Matth.* ait: *Booz ex tali conjuge qualem virum genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui divitias eligunt, & non mores: pulchritudinem & non fidem: & quod in meretricibus solet quæri, hoc in conjugibus optant: propterea non genuerunt filios subditos vel sibi vel Deo; sed contumaces & contra se & contra Deum, ut filii eorum non sint fructus justæ conjunctionis, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Ubi ergo abest amor conjugalis, ibi abest dilectio posteritatis & bonorum ac legitimorum filiorum: quæruntur diverticula ad alienas mulieres in præjudicium maximumq; damnum filiorum: subtrahitur debitum conjugi, & eliditur posteritas in propaganda prole, quæ est finis conjugii primarius: vel generantur filii spurii, adeoq; etiam abjecti, contumaces, improbi, qui maledicunt suis parentibus.

Ter-

III. *[...]stimu[...] [...]ri famili-[...]ris in ua[...]rto o[...] [...]omnia [...]ertitur.*

Tertium subministrat familia & res familiaris, quæ, deficiente amore conjugum, & inde orto dissidio vel odio, necessario turbatur & evertitur. Nam, *quando domi inter maritum & uxorem fuerit dissidium non melius se habebit domus, quàm navis agitata tempestate, diffidente gubernatore ab eo, qui regit proram.* ait S. Chrys. in Ep. 1. ad Cor. & hom. 56. in c. 29. Gen. *Quid enim quis dixerit, quomodo postea à famulis contemnantur, à vicinis rideantur, quàm fædum operentur? Nam sicut quando gubernatores inter se diffident, etiam qui in navi feruntur, periclitantur ac timent ne submergatur navis: ita & his si discordes fuerint vir & mulier, verisimile est omnes, qui apud illos sunt participes esse malorum.* Jam sicut in hujusmodi dissidio ac tempestate navis exoneranda est profectò omni comeatu & pretiosis mercibus: ita in conjugio litigioso parta dilabuntur: & omnia pessum eunt. Credant Salomoni, qui Prov. 19. hoc confirmat, haud dubie expertus, inter tot uxores, quas induxit, rei familiaris dilapidator: *Tecta jugiter perstillantia*, inquit, *litigiosa mulier.* q. d. Discordia inter conjuges similis est tecto perstillanti. Nam si tectum rimas habeat, & imbrium stillicidia admittat, non solum injucundam habitationem domesticis facit, sed ipsam deniq; domum, dum trabes & ligna sensim putredine consumit, in ruinam impellit. Idem experimus in corpore humano; cum enim humorũ temperies, & crasis vitiatur, ut primæ qualitates pugnare inter se incipiant, mox contabescit corpus, pallorem induit, & robur perdit, tandemq; emoritur. Quasi primæ in domo qualitates sint vir & uxor, corpus est familia: quæ necessario in perniciem ruit, si pater & materfamilias à se mutuo diffideant. *Non est domus composita*, ait S. Aug. in Ps. 33. *ubi inter virum & uxorem pax nulla est.*

IV. *[...]nstinctus [...]mertuo conjugali quod modo [...]n mutuo [...]allevatur.*

Quartum exhibet ipsum conjugii per se grave jugum, quod ex defectu amoris mutui, adeoq; ex discordia multò gravius fit. Unde in ipsos quadrat, quod B. Arsenio inter alia hominum stulta opera ostendit, hominem, qui cum fascem lignorum oppidò gravem gestare non posset, adjectis lignis auxit & graviorem reddidit, apud Rader. in Viridario SS. Gravem hominis sarcinam esse matrimonium, etiam Plato indicavit, cùm interroganti cuidam, qui Philosophiæ operam dare voluit, an ad eum finem uxor ipsi ducenda esset, ita respondit: *Cum nescias te solum servare, an uxorem quoq; super humeris te servaturum speras?* Laërt. l. 1. Quid igitur dicas de illis, qui cùm hac sarcina humeros suos, jam onustârint, addunt onus oneri, dum in jurgiis vivunt, & conjugem non modo non amant, sed odio habent? Jugum sane est conjugium, unde & nomen habet. Verum Isaia teste c. 10. *computrescet jugum à facie olei.* q. d. si currus oleo inungatur, non difficilè trahetur. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur, ait S. Augustin. l. de Virginit. Quas molestias, quos labores non devorant matres, & quidem sine molestia causa liberorum, donec è sordibus eos educant? Pari modo conjuges onus conjugii non magno labore trahent, si se invicem ament. Exemplo est Eduardi Anglorum Regis filii uxor, Hispaniarum Regis filia, quæ cum maritus in itinere ad S. Sepulchrum suscepto, insanabilem plagam venenato Mauri gladio inflictam accepisset, manantem quotidie ex ulcere mariti purulentum humorem lingebat, solius amoris melle cõditum. Unde illi sanitatẽ, sibi immortalem ex amore conjugali gloriam peperit. *Caussin. l. 6. Symb. Roder. sanit. p. 101. Hist. Hispan. l. 4.* Facilè superabunt conjuges quamcunq; novercantem fortunam si amoris vinculo devincti sibi fuerint. Sin minus, etiã secundantem ferre grave ipsis erit. Id quondam Leo Bizantius Sophista Atheniensis exposuit; cũ enim Athenas missus, ut populo tumultuanti concordiam suaderet, prodiisset in suggestum corpore admodum pusillo, omnium risus subortus est. Ille verò fortuitam occasionem vertens in proœmium. *Quid*, ait, *ô viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam? quæ tam pusilla est, ut vix pertingat ad genua mea.* Ad hanc vocem cùm major adhuc populi risus sublatus esset, subjecit: *At nos tam pusillos si quãdo dissidemus, vix tota domus capit: concordes verò angustus capit lectulus.* Plut. in præcept. polit. Et Philostratus in Sophistis. Hunc in modum loquitur etiam D. Ambrosius de Loth: *Quia studio jam deflecti cæperat à patruo* (Abrahamo) *non capiebat eos terra. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus. Quietis & pacificis etiam angusta abundant: dissonis morimus etiam spatiosa arctantur.* In l. 2. de Abraham c. 6. Ita si conjuges bene inter se conveniant, quavis angusta domo & supellectile bene contenti in magna pace vivent. Sin verò malè, nullibi eis bene erit, etiam in summis opibus, delitiis & palatiis.

V. *Instinctu concordiæ, sine qua Deo placere vix poterunt.*

V. Quintum incitamentũ ad concordiã & amorem conjugibus jure merito esse deberet, quod inter alia, quæ Deo maximè placere dicuntur Ecclesi. 25. *Sit vir & mulier bene consentientes.* Quis autem placere Deo non omnibus modis studeat? Quid non faciunt & patiuntur mundi asseclæ, ut vanam apud homines gloriam captent? ut principibus viris placeant? Celebrantur è Gentilibus conjuges aliqui, qui in stabili concordia simul vexerunt, uti Albutius, qui cum uxore Terentiana 25. & Rubrius Celer, qui cum Ennia uxore annis 44. in summa pace sine ullo jurgio vixerunt; ut refert *Lud. Vives l. 2. de Christ. fam.* Sed quid hi mercedis, quid gloriæ consecuti sunt, nisi vanum hominum applausum? nisi aliquam sui memoriam in libris conscriptam? Quanto majus est, quod assequuntur conjuges Christiani, si bene inter se consenserint? Magnũ David bravium pro devicto Goliath fuit, audire: *Ecce places regi, & omnes servi ejus diligunt te.* 1. Reg. 18. Quid erit vobis, conjuges, audire aliquando: Ecce placetis Deo, & omnes Sancti & Angeli diligunt vos? Adhæc nonne Christus dixit: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo,

qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ? Matth. 18. Majora longe sunt ista & plane incomparabilia bravia, vobis conjuges, promissa, si, ut initio dixi, à nuptiis vestris Charis Pasithea non abfuerit, amor inquam, & quæ inde nascitur, Concordia. Sic felices erunt nuptiæ vestræ, felices progressus, felicissimus tandem finis.

EXHORTATIO XIX.

Qualis esse debeat Conjugalis amor, docent tres Charites, invitandæ ad nuptias. Ex consilio Salomonis Prov. 18. supra exhort. 18.

Nuptiæ felicissimæ Charites ubi præsentes.

VIdimus alibi ex Plutarcho, felices fore nuptias, si tres illæ sorores, dictæ à Gẽtilibus Charites, seu Gratiæ; ab iis non exularint; adstipulante etiam Salomone, qui *Prov. 18.* asserit sponsum invenisse Charites (juxta translationem 70. Interp. & græcum textum) *qui invenit mulierẽ bonam.* Quod vero is de sponso dixit, idem ego de sponsa pari jure dico: invenisse eam Charites, quæ invenit sponsum bonum. Quare ut sint felices nuptiæ vestræ, quas nunc celebratis; vos Neonymphi, invitandæ vobis sunt tres illæ Charites, ita ab antiquis sculptæ, ut implexis brachiis mutuò se tenerent quasi inseparabiles, adeoq; designabant mutuum amorem, qui intercedat necesse est, inter utrumq; conjugem, si prosperum habere successum nuptiarum velint. Cæterũ amor ille non qualiscunq; sufficit, sed trium illarum sororum nominibus & virtutibus exornandus est. Una vocabatur *Aglaia.* h. e. *Claritas*; altera *Thalia*, h. e. *Viriditas*: tertia *Euphrosine*, h. e. *Lætitia.* His tribus conditionibus si conjugalis amor instructus sit, non dubitamus eum multam felicitatem conjugibus allaturum. Eas verò nunc explicemus.

I. *Adsit Claritas id est* Aglaia *ne amor ille sit cæcus.*

I. Adsit Aglaia seu Claritas; & inprimis ita, ut amor ille non sit cæcus, qualis subinde reperitur in quibusdam viris, qui stultò ac cæco plane amore feruntur in uxores, ac tantum non insaniunt: qualẽ se cognovisse refert Senec. (apud Hier. l. 1. contr. Jovin.) *qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat, & ne in puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemq; nullam nisi alteriust actam labris vir & uxor hauriebant.* Quales etiam illi cõjuges, qui nunquam prodibant in publicum, nisi funiculo arctè inter se constricti, velut duo boves ad jugum colligati, apud Cæl. Rhodiginum l. 16 c. 24. Et ille, qui semper vel manu vel ore uxorem attingebat, apud Cicer. l. 1. offic. Et ille, qui audita uxoris morte pectus suum gladio percussit, vulnus divulsit, & spiritum hausit, apud Val. Max. l. 4. c. 6. Cæcus est hic amor, rationis lumine destitutus, non Aglaiæ claritate præditus; proinde explodendus ab honestis nuptiis.

Deinde hac ratione, ut non obscuretur tenebroso intentionis oculo, de quo Dominus Luc. 11. *Si oculus tuus nequam* (seu tenebræ) *fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Tenebrosus erit oculus, si respiciat solummodo ad conjugis pulchritudinem; divitias, nobilitatem, affabilitatem, familiam &c. Hi respectus quasi pulvisculi, & arenulæ sunt, qui si in oculum intentionis incidunt, plane eum obscurant ac confundunt, ut perturbati conjuges à fine rectò devient, & in miserias incidant; præsertim cum deflorescit species, cum opes dissipantur: cum deserit familia &c. Hinc Cleobulus, unus ex 7. Sapientib. Græcis dixit: *Si uxorem ex superiore familia duxeris, non affines tibi sed Dominos comparabis.* apud Stob. ser. 3. de temperantia. Idem experietur, qui opibus longè superiorem duxerit: dominam habebit, non conjugem. Quam ob rem Lacones voluerunt ut virgines sine dote nuptum irent, ne propter opes ductæ maritis insultarent: & ut mores potius quam divitiæ in puellis quærerentur. apud Laërt l. 1. c. 4. Optimè S. Ambr. l. 1. de Abraham c. 2. *Qui*, inquit, *suavitatem quærit conjugii, non ambiat monilibus ornatam, sed moribus.*

II. *Adsit Hilaritas, i. est* Euphrosyne *ne nascatur Zelotypia.*

II. Adsit Euphrosyne seu hilaritas; atq; inprimis ea lege ut tristitiam & morositatem, quæ ferè nascitur ex zelotypia, peste conjugii, pellat. De hac loquens S. Chrys. hom. 38. in Gen. ait: *Unius rei cura sit viris, ut tristitiæ causa è medio tollatur, crescatq; ac roboretur pax domestica; ut & illa erga virum suum habeat conversionem, & vir ab externis & forensibus negotiis & turbationibus ad eam quasi ad portum confugiat, & omnigenam inveniat consolationẽ. In adjutorium enim data est, ut contentus ejus consolatione, quæ occurrunt, aggredi queat alacriter.* Deniq; ut ait S. Ambros. in 1. ad Cor. c. 7. *Magna amaritudo est in domo, uxor tristis.* Quid igitur? Tollenda est hæc tristitia & amaritudo *Euphrosyne* sit uxor & maritum exhilaret, cum dejectus animo est; quo modo uxor illius Manue, viro ex Angeli visione consternato & mortem metuenti, blanda oratione metũ exemit, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia.* Jud. 13. Ita præstitit, quod Salõ. Prov. 19. ait: *A Domino aptatur* (Græcè ἁρμόζεται, h. e. *modulatur*) *uxor viro.* Cum ergo virum vel iracundum vel dejectum animo videt, moduletur ei suavi sermone quasi cantilena. Denique ea lege, ut alter pro altero se exponere ad quævis pericula paratus sit, adeoque sua morte ipsius vitam redimere. Qua de re ad virum ita loquitur Salomon Proverb. 15. *Sit tibi uxor tua sicut cerva charissima, & hinnulus gratissimus.* Qua ratione? Cervi pro cervabus suis conjugibus, certant acerrimè, teste Seneca: *Si conjugio timuere suo, poscunt timidi prælia cervi*, inquit. Si hoc cervi, bruta & timida alioquin animantia, non magis ament viri uxores suas? Et cur non Christiani, si idem præsti-

præſtiterunt olim Gentiles? De his enim ita ſcribit Abulenſis in c. 18. Judic. *Conſuetudo erat antiquorum, quando pugnaturi erant, ducere ſecum uxorem ac filios, & quidquid melius poſſidebant, ut incitati amore iſtorum pugnarent acriter, & non putarent propter quemvis ſiniſtrum caſum fugiendum eſſe: quia nihil boni ſupererat, ad quod fugere poſſent, relictis in bello chara uxore & dulcibus filiis.* Ita Jacob cum uxoribus ſuis proceſſit obviam infenſo ſibi fratri, & progreſſus ante illas prior occurrit fratri, metuens non ſibi ſed uxoribus & filiis. Gen. 32. & 33.

III. Adſit & *Thalia*, hoc eſt Viriditas, atque in primis, ne quid mortiferum ſeu aridum amor hic contingat; quo fieret, ſi ad peccatum ſe extenderet, quomodo Eva ad pomum vetitum manum ſuam extendit, deditque id viro ſuo, pernicioſo prorſus & mortifero amore, quo ſe & virum perdidit. Quare cùm Eccleſiaſticus dicit, c. 25. placere Deo virum & mulierem mutuò ſibi conſentientes; *Intellige amorem & concordiam hic probari, quæ in bino eſt, alioquin ſi frater, proximus, aut conjux ad malum provocet, odiendus eſt*, inquit ibi Palacios. Pari infortunio & infælici exitu conſenſere Ananias & Sapphira Actor. 5. In defraudando agri pretio, dum mendacium viri confirmavit mulier, ac proinde in pœnam ambo repentina morte extincti, eodemque ſepulchro conditi ſunt. Magis adhuc funeſto ſupplicio interierunt anno hujus ſæculi 18. Pultovii in Polonia, conjuges duo cauponarii, qui filium, ſibi in cognitum, ſed bene nummatum mutua conſpiratione in lecto jugularunt, ut pecuniam ejus raperent. Poſtea comperti, quòd filium ſuum necaſſent, mater eodem cultro, quo filium peremerat, ſe ipſam confecit, pater in patibulo ſe ipſum ſuſpendit, auctore P. Antonio Balinghen in Zoopæd. ſub titulo Hoſpitalitas. Propterea Deut. 13. præceptum legimus: *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ, vel filia ſive uxor, quæ eſt in ſinu tuo* (q.d. dilectiſſima etiam) *aut amicus quem diligis ut animam tuam, dicens: Eamus & ſerviamus Diis alienis* (v.g. avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus, aut alteri ſceleri) *ne acquieſcas eis, nec audias, nec parcat oculus tuus ut miſerearis & occultos eum: ſit primum manus tua ſuper eum.* Hoc eſt oculum eruere, & manum abſcindere, quod mandavit Chriſtus Matth. 18. ne cum toto corpore mittaris in gehennam.

Deinde detur opera, ut amor hic ſemper vivat & nunquam ſeneſcat. Dixit quidam (Theodectes) *ſimiles res eſſe, ſenectutem & nuptias. Utramque enim conſequi deſideramus: poſtquam verò nacti fuerimus, triſtamur.* Ita nimirum citò deferveſcit amor conjugalis, quando in hoc ſtatu non quæritur Dei gloria, ſed fluxa alia bona. His enim vel cadentibus, vel vileſcentibus cadit etiam amor, & vileſcit conjux. Sunt qui tradunt tres illas Charites, nuptiarum præſides, tria tempora deſignare, quibus perſeverare debeat amor conjugalis, præteritum, præſens, & futurum. Ita ut nunquam diſſolvatur.

Multi tamen ſunt, qui non omnes ſimul ad nuptias adducunt. Aliqui enim præmittunt amorem nuptiis, quia nubent, ut ajunt, per amores; ſed vix dum nuptiæ copulatæ ſunt, cum amor intepeſcit. His una duntaxat ex Charitibus præfuit. Alii non ſolum nuptias, ex amore ſuſceperunt, ſed etiam poſt nuptias aliquandiu in iiſdem amor viguit. Poſtea tamen decurſu temporis refrixit. His duæ Charites interfuerunt. Illis ergo trium Charitum in unum conſpirantium favor adfuit, quorum amor & conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, & deinceps totius vitæ tempore conſtans fuit. Hæc autem fælicitas illius duntaxat eſt, qui talem uxorem nactus eſt, de qua Eccl. 26. dicitur; *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*: cui tamen vir non ſit abſimilis. Hujuſmodi ſanè mulier fuit, Catharina Angliæ Regina, Henrici Regis octavi, conjux, quæ licet contra omne jus & fas à Rege perfido repudiata & procul ablegata, ſuum tamen erga maritum amorem nunquam abjecit, ſed in viridi flore conſervans, paulo ante obitum ſuum hæc ad illum ſcripſit: *Adventante jam mortis meæ horâ amor, quo te proſequor, facit, ut admoneam te paucis æternis ſalutis animæ tuæ, quam univerſis hujus mundi bonis ac rebus mortalibus anteferre debes, neglectâ etiam tui corporis curâ, propter quam & me in calamitates multas, & teipſum in plures ſolicitudines conjeciſti, ſed ego tibi ex animo omnia condono, precorque ut eadem condonet tibi Deus. Poſtremò hoc unum teſtor, quòd oculi mei te ſolum præ rebus omnibus mortalibus deſiderant. Vale.* Refert Florim. Ræmund. de Orig. hær. l. 6. c. 3. Non ita egit mulier illa ingrata viro ſuo, de qua B. Petrus Damiani ep. 15. ad Alexandrum Ep. l. 1. Epiſt. ſcribit: *Novi planè virum, dum illatam uxori ulciſci conaretur injuriam, gladiis interemptum: quæ tamen ad ſecundas migraſſe dicitur, antequam anni circulus compleretur.*

Quare ô Chriſtiani Conjuges, ut fælices ſortiamini nuptias, omnem adhibete operam, ut hanc quas dixi, Charites, omnes ad ſingulas ad eas invitetis, &c.

EXHORTATIO XX.

Nuptiæ morti ſimiles, ex Gentilium & Judæorum ſenſu.

Olim Nuptiæ morti æquiparabantur.

MIrum eſt, quod ex Indiis Orientalibus ſcripſit. P. Hieronymus Xavier Societatis noſtræ in literis annuis impreſſis anno 1598. de Regno Mogor, conſuetudinem illic eſſe, ut novi Conjuges inſtante nuptiarum die, priùs ſepulchra obeant, reſerent, ſeduloque contemplentur; ſive ut finem vitæ ſuæ expendant antequam liberis vitæ initium dent: ſeu potius, ut jam conjugi ſoli victuri, mori cæteris hominibus & ſibimet ipſis diſcant. Idem etiam apud Romanos gentiles inſinuatum fuit

fuit nuptis, dum earum comam hasta, quæ in corpore occisi stetisset, discriminabant. Sexto Pompejo teste apud Auct. Antiq. Rom. lib. 5. cap. 35. ut nuptias scilicet inchoarent memoriâ mortis, cujus hasta rursum separanda sint. Denique Hebræi quoque nuptias suas cum morte comparârunt. Propterea enim quot diebus celebrare solebant Exequias, totidem celebrabant & nuptias. *Luctus mortui septem dies*, inquit Ecclesiasticus cap. 22. & totidem diebus plangebatur mors Patriarchæ Jacob. Gen. 50. Septem etiam diebus peragebantur nuptiæ teste S. Augustino lib. 1. quæst. in Gen. cap. 89. uti nuptiæ Samsonis Judic. 14. Eccur verò, nisi quia nuptiæ exequiis non absimiles sunt? Etenim si quod agunt novi Conjuges, bene expendant, sanè dum ad nuptias eunt, quasi ad sepulchrum eunt. Durus est hic sermo, mihi dicetis; sed etsi insuavis est, non est tamen inutilis, imò verò scitu perquam necessarius, uti monuit Ecclesiastes cap. 7. dicens: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit.* Id quod nunc exponemus.

Moribundus homo valedicit, adeoque moritur omnibus suis facultatibus, omnibus amicis, deni que toto mundo, & soli Deo vivit: ita qui matrimonii statum init, soli conjugi suo vivit, sibi & parentibus, mundoque toti, suo modo ultimum Vale dicit, vel certè dicere tenetur. Intellexit hoc S. Elisabetha, Regia Filia, quæ mortuo in bello sacro, marito Ludovico Principe Thuringiæ, dixit: *Jam mihi cum meo Conjuge totus mundus mortuus est*, quasi dicat. Illi soli hactenus vixi; jam mihi cum illo totus mundus mortuus est.

I. *Qui matrimonium ineunt moriuntur parentibus.*

Primò itaque mori debet suis parentibus, derelinquendo eos. Ita enim percipitur Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Hinc mos patriæ est, ut sponsa cum è paterna domo educitur ad sponsum, prius valedicat parentibus; quod non fit absque lachrymis. Insinuatum id est, Deut. 21. ubi præcipitur fœminæ Gentili, si admittenda sit ad nuptias viri Israëlitæ, ut sedens in domo sua fleat patrem & matrem suam uno mense; tanquam jam extinctos, licet essent adhuc superstites; quia omnis carnalis cognationis affectus debebat penitus ab ea sepeliri, ut exponit Procopius. Si interroges quâ in re parentes relinquendi sint à sponso & sponsa. Respondeo primò, quoad habitationem & vitæ consortium, ita ut jam non amplius paternæ, sed suæ adhæreant, attendantque domui ac familiæ, eamque solam conservare & augere studeant: Quidquid enim acquirunt suâ industriâ & labore, sibi mutuo acquirunt, non parentibus. Quare si quis operam, operæque lucrum conjugi subtraheret & parentibus conferret, injuriam conjugi faceret. Deinde quoad amorem, quem magis debet conjugi, ideoque ipsi potiùs adhærere tenetur, quam à parentibus. Quâ in re deliquit Levitæ illius uxor. Judic. 19. quæ deserto marito, (quia, ut scribit Josephus, ipsum non adamavit, tametsi ab eo valde amaretur) ad paternam domum recurrit. Quam ob causam uti fas est credere, cùm reduceretur à marito ad ejus domum, pœnas desertionis in via dedit, constuprata à Gabaënis usque ad mortem; ut quæ à legitimo viri thoro profugit, à vitioso pessimorum hominum thoro planè opprimeretur. Præterea quoad curam & subsidia paterna, quæ non ampliùs à parentibus, sed à conjuge & proprio labore expectare debent. Priùs in paternis ædibus sine omni cura de rebus ad vitam necessariis degebant; nunc velut adulti jam & plumari pulli, è nido expulsi sibi ipsis victum quærant necesse est. Priùs in parentum brachiis suaviter & securè natitabant; nunc sibi derelicti propria ad natandum brachia extendant. Prius cum quid doleret vel deesset ad vitæ necessitatem, ad parentes recurrebant: nunc eis janua illa præclusa est: ad conjugem recurrendum est, si qua re opus habent; quodque magis durum est, id accipiendum quod datur, non quod optatur. Ita enim præcepit Evæ Deus Gen. 3. in Hebr. *Ad virum recursus tuus erit.* Ubi latine legitur: *Sub viri potestate eris*: quasi dicat. Quidquid desiderabis, necesse est, ut ad virum recurras, ut illud impetres & perficias. Denique si parentes quidpiam imperarent, & conjux vetaret, vel contrarium præciperet, huic potiùs quam illis obediendum erit, quantumvis durum & amarum fuerit id imperium. Unicum casum excipit D. Thomas 22. *quæstion. 26. artic. 11. ad 1.* quando conjux & parentes in pari casu famis vel alterius necessitatis forent, tunc enim parentibus velut vitæ authoribus potius quam conjugi succurrendum censet. Hoc igitur est mori parentibus.

II. Moriendum etiam mundo est; sed qua ratione? Primò in oculis, ne conjiciant eos in alium seu virum seu fœminam; præterquam in conjugem. Ejusmodi enim aspectus sæpe totum bonum matrimonii evertit, & in præcipitia impellit. Impulit certè Davidem; postquam is à conjuge obtutum avertit, & in alienam uxorem deflexit. Inde enim bonus alioquin Rex in adulterium, ex hoc in homicidium, inde verò in perturbationes magnas incidit, plagasque varias incurrit. 2. *Reg. 11.* Philippus, & ipse laudabilis Hispanorum Rex, unum aliquando oculum defixit in puellæ crines, flavedine rutilantes: quem observavit conjux, indeque in suspicionem tracta, Regiam penè totam clamoribus implevit, puellam attondit Regem ipsum velut captivum semper suo stipavit latere, varie denique afflixit; apud Rod. Sanct. de rebus gestis Fr. Ximenii *lib. 3.* Pellex illa Henrici 8. Anglorum Regis, pro conjuge inducta & Regi desponsa, uno se intuitu, quem in theatro de

II. *Moriuntur m[...] ne oc[...] alio d[...] étant in se[...]*

ad ludicra ſpectacula ſedens, inſpectante Rege, projecerat una cum ſudario ad quendam Nobilem, vitam ei adimit. Mox enim à theatro in captivitatem ducta & non multò pòſt carnifici tradita caput ſuum perdidit. Florim. Ræmund. de *Orig. hær. lib. 6. cap. 4.* Igitur, mi conjux, moriendum mundo eſt, renunciandum oculis lubricis, ne vagari incipiant. Solus aſpiciendus conjux, ac cum ſponſa dicendum: *dilectus meus mihi*, nim. placet: Cæteri omnes diſplicent. *Et ego illi*, ſoli nim. placeo. *Cant. 2.* De quo S. Bernardus ſerm. 68. in Cant. *Ille mihi & non alteri, quoniam una ſum columba ejus; ego illi & non alteri.* Secundo. In veſtitu, ne jam ornatum quærat aut adhibeat, qualem ſibi applicuerat, cùm adhuc cælebs eſſet. Cùm enim ſoli conjugi placendum ſit, ad quid mundo ſe adornat? Quæ vinum ſuum jam vendidit, cur hederam foris ſuſpeneit? Cur officinam aperit & oſtentat, ſi non habet jam quod vendat? Exemplo ſint *Arabiæ fœminæ, quæ non caput modo, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo libratu contentæ ſint dimidiam potius frui lucem, quam totam faciem proſtituere.* inquit Tertullianus lib. de Veland. Virg. Plutarchus in præceptis connubial. uxorem, quæ domi in veſtibus ſordet, in foro autem nitet, comparat Lunæ, cum procul à ſole abeſt: *Lunam*, inquit, *cum abeſt à Sole, lucidam claramque videmus: admota Soli obſcuratur & occultatur.* Suſpectam ſe talis uxor reddit de amore alieno, teſtante ſancto Chryſoſtomo homil. 21. ad pop. *Ille exquiſitior ornatus*, inquit, *Zelotypiæ ſuſpicionem injicere ſæpius ſolet.* Et infra: *Modeſtia autem ornatus omnem quidem improbam ſuſpicionem expellit: omni autem vinculo firmius conjugem conciliat, &c.* Tertiò. Ingreſſu, ut ne foris mulier multum vagetur, aut in alienis ædibus ſeſe detineat. Propterea enim Eva intra Paradiſum, Adam extra illum creatus eſt: ut illa ſciat domi ſibi manendum, & domeſtica curanda, hic autem forenſia ſibi demandata eſſe. Propterea uxor *Pſalm. 127.* viti, non quæ in vinea direptioni expoſita eſt, ſed domeſticæ comparatur, qui domui adhæret, & quidem à latere, non in fronte domus; ne facilè videri & violari poſſit: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Hic ejus carcer, hoc ſepulchrum eſt; domus; inquam viri: & quidem in receſſu: non parens omnibus. Nihil amabilius vite, ſed niſi bene cuſtodita ſit, avibus, feris, prædonibus eripienda traditur. Par ratio de muliere. Unde Comicus ille Alexis ſcripſit: *non eſt arx, neque poſſeſſio difficilis ulla, quæ tam difficulter aſſervetur, quàm fœmina.*

III. Denique conjuges neceſſe habent, ut moriantur ſibimetipſis, & propriæ voluntati; atque in primis mulier, quæ ex mariti dependet imperio, dum ex natura rei, velut infirmior ſexus, tum in pœnam prævaricationis, qua ſeduxit virum. Quibus verò potiſſimum in rebus? Primo. In lingua, ne viro contradicat aut obloquatur. Quid enim ex tali contradictione ſequi aliud poteſt, niſi quod in ſtructura turris Babel ortum eſt, diſſidium ſcilicet inter ipſos; ut dum maritus petit calcem, uxor porrigit laterem: dum ille vult ovum, hæc porrigit Scorpionem, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, aliud non ſequatur, niſi ſeparatio, diſſidium ac denique divortium? Sed nec cum externis multum uxori ſermocinandum eſt, niſi adſit maritus. Scimus enim Evam dum ſe præſente laudaretur ab Adamo, nihil planè locutam eſſe, at eo abſente colloquium planè frivolum inſtituiſſe cum ſerpente, ibique in naſſam incidiſſe; planè ut ſolent aliquæ filiæ Evæ, quæ domi coram maritis ſilent, foris linguæ velant dant, cùm in procos & ſerpentinas linguas incidunt, ideoque laqueis Diaboli facilè implicantur. Moriantur igitur linguæ & ſolis maritis ſuis linguam reſervent; quod ab Eva factum oportuit, ut notavit ſanctus Chryſoſtomus homil. 16. in Geneſ. *Oportebat enim*, inquit, *initio colloquium ejus non ferre, ſed illi ſoli loqui, propter quem & in cujus adjutorium producta erat, particeps dignitatis illius facta.* Sapientia hac Eva fuit illa ſecunda, Virgo Maria, quam cum non ſerpens, ſed Angelus allocutus eſſet, turbata eſt in ſermone, & timuit reſpondere abſente ſuo ſponſo, uti ſentit Antipater orat. de Joan. Nat. introducens eam ſic loquentem: *Non adeſt Ioſeph, voci non aſſentior. Cum ſola prima parente locutus eſt ille, qui fuit primus author malorum.* Prudenter etiam illa Lucæna, apud Plutarchum in Lacænarum apophteg. quæ ab altero invitata viro, reſpondit: *Cùm eſſem puella, parenti obedire didici, idque feci: mulier autem facta, viro. Itaque ſi me invitat ad honeſta, viro meo primum rem aperiam.* Secundò. In manibus, nihil alicujus momenti dando aut accipiendo abſque viri conſenſu. Periculoſa & ſuſpecta ſunt munuſcula mulieribus oblata. Idcirco Chriſtus Samaritanæ petitam vitæ aquam noluit conferre niſi præſente viro: *Vade voca virum tuum*, inquit, *Ioan. 4.* quaſi *non ſatis honeſtum videretur nuptæ mulieri quidquam donari inſcio marito*, inquit ibi Maldonatus. Nec nimus ſuſpecta ſunt, quæ viri aliis fœminis, & uxores aliis viris, præterquam ſuis offerunt munuſcula. Notum eſſe arbitror, quantum nocuerit Eudociæ Imperatrici, Theodoſii Junioris conjugi quod miræ magnitudinis pomum à marito ſibi dono datum, donaverit Cubiculario cuidam præcipuo. In odium enim Theodoſii incidit, & à thoro ejus excluſa eſt, ubi id Imperator reſciit ex illo ipſo pomo, ab incauto Cubiculario ſibi rurſum oblato; apud Raderum in Aula Sancta. Tertiò. In moribus, ut viro ſeſe accommodet, ejusque voluntati ſuam pro viribus conformet; juxta id Apoſtoli 1. Cor. 7. *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Quod ſuo etiam modo dicit de marito. Quemadmodum

ritis ſervent.

enim

enim illi, qui ministrant Elephantibus, non induunt lucidam vestem; qui tauris non purpuream; quia his coloribus effrænantur: ita etiam uxor ab iis abstinere debet, quibus scit maritum vehementer offendi; uti monet Plutarchus. Potiùs se attemperet ejus sensui & appetitui; quemadmodum Rebecca paravit viro epulum, quo delectari eum noverat. Gen. 27. Sic enim fiet, ut quemadmodum illa per escam viro gratam, impetravit benedictionem filio: ita & uxor quæque benevolam sibi virum reddat & ad nutum devinciat. Rectè enim Publius Mimus dixit: *Casta ad virum matrona parendo imperat*. Quia talem matronam vir reveretur: ex quâ reverentia prodit amor & inclinatio ad faciendam adamatæ voluntatem. Deniq; si vir caput est mulieris, ut ait Apostolus, hinc necessariò sequitur, quòd uxor non tam suis, quam viri sensibus uti, omniaque peragere debeat. Unde enim visum, auditum, loquelam, nisi à capite desumet? Et si caput ejus vir est, nonne à viro? Quare ut ait Plutarchus, sicut tibicem per alienam vocem, tibiæ scilicet sonum & cantum edit: ita uxor quoque non nisi per virum, ejusque jussum ac voluntatem loquendum, audiendum & videndum sibi existimet. Denique quod prædixit Christus Petro: *Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*, Joan. 21. sibi suo modo dictum arbitretur.

Sic fiet, ut cum gaudio hunc statum amplectantur novi Conjuges; si moriantur ante mortem; ne habeant, quod timeant, imminentem sibi mortem.

EXHORTATIO XXI.

Ciconiæ Duces & Doctores Conjugum. ex Ps.103.

Hominum dux Ciconia.

NOtissimæ nobis aves & gratissimæ sunt Ciconiæ, tum quia veris nunciæ, tum quia venenatorum animalculorum exterminatrices, ut alias causas taceam, propter quas in honore semper habitæ sunt, & habentur etiamnum, ita ut occidere eas piaculare existimetur, & Ægyptii eas olim, quasi sacras venerati sint. Sed quæ causa est, cur illæ solæ ad hospita.dum super domiciliis nostris quasi superiores nostri à Deo destinatæ sint? Mihi sanè hæc occurrit, quòd illorum œconomiam Deus in doctrinam & destructionem Patrum & matrum familias, quorum tecta incolunt, proponere ante oculos voluerit, ut vel à brutis animantibus è superiore loco quasi ex cathedra concionantibus discant regere domesticos, familiam gubernare & disciplinam conservare. Nihil enim frustra Deus in hoc mundo statuit; præsertim si consideremus, quod magna cornicum quasi satellitum stipatæ caterva contra prædaces aquilas ad nos adducantur & reducantur, ut vulgò creditur. Ac, nisi fallor, insinuatur nobis, ex Psalmo 103. ubi legimus: *Herodii domus Dux est eorum*. Herodium verò Ciconiam esse, ostendit vocabulum ejus Hebraicum *Chesida*, deductum à *Chesed*, quod pietatem significat, ciconiis quasi propriam, ut alia argumenta, quibus id probat Corn. à Lapide Levit. 11. v. 19. prætercam. Quorum verò ducem voluit esse Deus? num passerum duntaxat, de quibus præloquitur Psalmus: *Illic passeres nidificabunt?* non arbitror; tametsi illi sub nidis ciconiarum habitare solent. Itaque hominum duces natura esse voluit, & præcipuè illorum, in quorum ædibus nidulantur, & habitant; ut suâ œconomiâ instruant conjugatos, qualem ipsi instruere debeant. Has ergo in exemplar proponam vobis Conjugibus & novis & antiquis.

I. Mas semper & fæmella conjugio quasi contracto simul in uno cohabitant nido, summâ pace & concordiâ: nec unquam visæ sunt contendisse inter se. Quâ de re antiquis Concordiæ symbolum erant, eò vel maximè, quia Romæ in templo Concordiæ nidum sibi posuerant, ut refert Auctor Antiquit. Rom. lib. 3. Constat etiam cùm in Augusto migrare aliò constituunt, congregari ad certum diem omnes, quotquot in vicinia sunt, & simul avolare; quo nimirum tutiores à prædacibus sint avibus. Habent hic, quod discant Conjuges, & in primis à Gentilibus, qui Concordiam faciebant Deam eique templum posuerunt, ad quod vota facerent proconciliandis Conjugum animis; deinde à Ciconiis, quæ supra ædem illam sibi nidum construxerunt, velut duces & præcones Concordiæ, cujus beneficii se defendant contra hostes suos. Quod etiam experienter Conjuges, si fuerint unanimes; uti scribit S. Hieronymus lib. 1. in c. 3. Amos: *Cùm duo redacti fuerint in unum*, inquit, *adhærebunt Domino & fiet unus Spiritus. Isti duo, qui sibi consentiunt & in via Christi pariter ambulabunt, nullius adversariorum possunt impetum pertimescere. Quod si discordiâ separentur, statim eos leo rugiens invadet, de quo subdit*: (Amos sc. cap. 3.) *nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam: & non solum leonum patebunt morsibus, qui sunt divisi, sed & dabit catulus leonis vocem de cubili suo*. Dixerit Amos eo loco: *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?* Quod sanè in Conjuges quadrat. Quomodo enim toto conjugii sui tempore simul progredientur & convivent, nisi bene inter se conveniant? Nonne incident in leonem & laqueos Satanæ? Si verò unanimes fuerint, per omnes hostium cuneos cum ciconiis salvi penetrabunt.

I. Ciconi[æ] antiqu[æ] concordia sym[bo]lum.

II. Magnâ solertiâ educant, alunt, instruunt atque servant pullos suos. In primis enim escam allatam, uti ranas & serpentes laniant & dividunt eis; deinde ad volatum eos instruunt,

II. Cic[onia]rum [sole]rtia in struen[da] prole.

struunt, provocando & tentando, an satis artem calleant: denique adeo diligunt, ut incendio per locum grassante efferant; uti visum Delphis urbe Batavorum, cùm urbs tota conflagrasset: conatam scilicet matrem pullos incendio eripere, tandem desperata re in nidum se præcipitem dedisse, pullisque toto corpore obtectis occubuisse, & cum illis periisse, apud Aldrou. l. 10. Ornith. Similiter cum Attila obsidione premeret Aquilejam, ita ut jam clades, & exterminium civitati immineret, visæ sunt Ciconiæ efferre inde pullos suos, velut præsagientes vastationem urbis, adeoque si hærerent, pullorum quoque suorum; apud eundem. Fuit etiam ludio, qui cum cerneret se alendis liberis suis minimè sufficere, sustulit eos in ciconiarum nidum, ab illis nimirum alendos, qui tam largum commeatum suis pullis quotidie offerrent; ut idem ibi refert. Discunt & hinc conjuges, quid debeant suis filiis: alimentum videlicet & instructionem, nec non defensionem contra insidiatores & seductores: discant eos è consortiis malorum, è libidinis incendiis mature eripere, à prava Societate & malorum convictu abstrahere: memores doctrinæ, quam Psal. 137. tradit: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Ubi uxor viri, maritus autem oleæ comparatur, vitis autem surculos suos abstrahit à brassica, raphanis & hujusmodi amaris plantulis, velut sibi cōtrariis: olea autē ramusculos suos à quercu, cujus etiam Societatē & quasi conspectū fugit, ita ut juxta cōfossa exarescat: testibus Pierio, Theophrasto, Plinio & ex his Mizaldo sic Abrahā & Sara primò eduxerunt nepotem Loth de *Vr* hoc est igne, Chaldæorum, deinde separârunt suum Isaac à colludente pravo Ismaële: Ita Isaac & Rebecca suum Jacobum ab insidiatore Esau, ablegatum in Mesopotamiam Gen. 28. Audiant Parentes S. Chrysostomum ho. 9. in 1. ad Tim. *Magnum*, inquit, *habemus pretiosumque depositum, scilicet filios. Ingenti illos servemus curâ, atq; omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. Nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis gratus & charus esse debet: Quippe hæc omnia filiis quæruntur. Si igitur major possessionum nobis est cura, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur, id profecto absurdissimum & stolidissimum est.* Fuit etiam in Italia ciconia cum compare suo, quæ cum animadvertisset serpentem irrepsisse in nidum suū ac pullos devorasse, attulit sequente anno peregrinam avem peracuto rostro, & nido suo perfecit veluti custodem ad servandos ab hoste pullos, successu planè fælici. Nam illius avis vigilantiâ & pugnacitate serpens confectus est, & pulli servati; referente Oppiano in Ixeuticis: præclaro parentum exemplo, ut & ipsi filiis provideant de idoneis pædagogis & Magistris.

III. Partiuntur inter se opera sua, ita dum fæmella nido incubat, mas foris pabulum quærat & inferat familiæ suæ: uti oculis nostris cernimus. Pari lege conjuges sua dividant opera, ut quidem paterfamilias foris cibum quærat; mater verò domi fovendis educandisque liberis, ac rei domesticæ invigilet. Unde S. Chrysostomus hom. 34. in 1. ad Cor. ait: *Deus mulieri quidem domum, viro autem forum tradidit. Et viro quidem dedit, ut aleret, mulieri autem ut vestiret. Tela enim & colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mulieri texendi artem & industriam.* Rursum ita inter se conveniant, ut dum unus interquiescit, alter laboret. Sic utuntur prælongis dentibus suis Elephantes: per vices enim alteri parcunt, dum altero terram fodicant & radices eruunt: ne ambo simul atterantur teste Pierio in Hierogl. Bart. Anglico lib. 18. c. 43. Dividunt & pullos ciconiæ cum hospite suo, in cujus domo nidulantur; uti fert communis opinio & testatur author de natura rerum. Unum enim altem quotannis dejiciunt è nido, quasi in decimam. *In cujus signum*, ait author, *Thuringiam, ubi decimæ non dantur, neque intrant, neque inhabitant, ut experientia docet.* Habent & in hoc parentes, quod imitentur: filios scilicet suos, ad statum religiosum à Deo vocatos, prompto animo concedant, imò ultrò offerant; cum omnia ei debeant. Cogitent Annam illam, Elcanæ uxorem, quæ postquam filium Samuelem Deo, ad serviendum tabernaculo ejus, vovisset, pro eo quinque proles accepit, cum prius esset sterilis 1. Reg. 2. Experientia etiam didici parentes illos, qui filios ad militandum in religione Deo obtulerunt, sanctitatem aliquam spirare, magisque pietati addictos esse; remunerante Deo munus, quod ipsi obtulerunt.

III. *Conjuges partiuntur fidelitatem Columbarum.*

IV. Mutuam quoque fidem servant, & transgressores morte plectunt, quod non semel observatum scribit Aldrovand. loco cit. adulteras videlicet in conventu publico prius strepitibus objurgatas, postea dilaniatas esse. Exemplum prodit Michael Neander in sua Physica ex Aventino, de ciconia fæmella, quæ compare neglecto alteri se miscuerat, idque non semel: verum quoties deliquisset, toties se laverat in lacuna domestica, ne ex fætore masculus adulterium deprehenderet. Verum rusticus id advertit tandem, hospes ciconiæ, & transgressam maris thalamum à lotione prohibuit. Prodita igitur masculo fæmina, ab eo primùm deserta fuit, ita ut proles sola nutrire cogeretur. Postea cum migrationis tempus omnibus instaret, adduxit mas ciconias in vicinia existentes proposuitque eis adulteram, quæ & mox ab illis dilaniata est. Accidisse hoc in pago Bavariæ Dengen addit prædictus auctor. Similia producit Aldrovandus jam citatus. Nec tacendum, quod hoc scelus neque in homine sustinuerint, quin id marito proderent; quod narrat Ælianus his verbis: *Ciconia rivali invidia laborare fertur: nam cum in Cranone Thessaliæ eximia forma mulier, cui nomen esset Alcinoe, à conjuge peregrè profecto domi relicta, stupri consuetudinem cum se quodam fecisset, hoc quidem ipsum Ciconia intelligens,* servi-

IV. *Conjugum unus alteri fidem servet.*

serviles injurias in Dominum non sustinuit, quo minùs quam mox facto impetu cum sensu oculorum orbans, injuriam in dominum illatam ulcisceretur. Pròh Deum! quid hic sentiant conjuges, qui legitimi thori fidem violare audent? Nonne exclamandum est cum Job. cap. 12. *Interroga jumenta & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi? quis ignorat, quod omnia hæc, manus Domini fecerit?* Cæterùm quam castæ sint, quantoque amore se complectantur ciconiæ conjugatæ, inde quoque liquet, quod cum mares fœminarum adventum decem fermè dierum intervallo antevertant; jamque nido, si forte violatum reperiunt, reparato eas solicitè expectent; fœminæ non ad alios accedant, sed singula suos conjuges eodem quo ante, amore inquirant: mares verò harum adventu mirè gratulentur & alis suis applaudant. At ubi jam nido accipere, Dii boni, quam dulcis salutatio! quanta ob fœlicem adventum gratulatio! Quos complexus, quam blanda cernas oscula! Id omne in conspectu nostro ad instructionem conjugum, qui ponè illas habitant, ut pari se amore & ipsi amplexentur, à Deo prospectum est.

Quare ô Christiani conjuges, respicite volatilia cœli, contemplamini duces vestros & quidem in fastigio domorum vestrarum, quasi in Cathedra constitutos, ut inde velut Doctores vestri cœlestem vobis disciplinam instillent. Quamvis enim turpe sit hominem rationem præditum à brutis animantibus capescere doctrinam: cogitandum tamen est, longe turpius esse vicini à brutis, tantoque majus supplicium subiturum hominem, quanto minùs conformem rationi vitam instituit: cum rudia animalia naturali impulsu faciant, quæ homo tot mediis adjutus atq; stimulatus facere contemnit. Quare vos novi conjuges, hos duces ne spernatis; siquidem & Christus ad volatilia nos remittit, cum solicitos esse vetat. Estote ergo ciconiarum discipuli, ut aliorum conjugum fiatis speculum & Magist. i.

EXHORTATIO XXII.

Paterfamilias sit quasi Rex in domo, Materfamilias ejus quasi Præfectus. Ex doctrina S. Chrysostomi.

QUæ causa esse potest, quod majores nostri sponsos coronâ redimitos ad nuptias prodire voluerunt? Nunquid non corona Regum insigne est? An igitur sensère sponsos quasi Reges quosdam esse? Ita profectò testatur D. Chrysostomus homil. 34 in lib. ad Corinth. cum ait: *Est ergo loco quidem Regis, maritus: Præfecti autem & Legati uxor.* Idemque repetit homil. 26. in eandem Epist. Ex quo intelligimus, virum in domo suâ esse quasi Regem, uxorem quasi Præfectum ejus. Quod etiam de personâ suâ testatur S. Job, cum ait cap. 29. *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Non videtur Job militari aliquo exercitu fuisse stipatus, cum nihil de hoc scriptura meminerit; loqui igitur videtur, de familia sua admodum numerosa, quæ illum velut Regem venerabatur & colebat. Nec immeritò, sicut enim quivis Princeps in suo dominio Rex est, ex sententia Jurisperitorum: ita & paterfamilias in domo sibi propria. Cæterùm hunc Principatum ut communicet vir uxori, tanquam Rex Præfecto suo, desiderat Chrysostomus, colligitque ex Dei decreto, quod Adamo dedit, cum solus adhuc Adam in mundo absque uxore degeret, verbis illis: *Crescite & multiplicamini & replete terram &c.* Eccur enim quasi ad plures dirigit sermonem, cùm Adæ soli loqueretur? Respondet ergo homil. 10. in Genes. sanctus Chrysostomus, tradidisse quidem Adamo Deum totius orbis imperium; ita tamen, ut meminerit non totum sibi præripiendum, sed dividendum esse cum uxore, ut & ipsa velut Præfectus Regi subditus imperii partem habeat. *Vide misericordiam*, inquit, *antequam producat mulierem, participem illam facit imperii, & benedictionis honore dignatur.* Porro sicut Rex majora regni negotia, Præfectus Regis minora curat: ita quoque vir & uxor in Regno familiæ; Quæ nunc aliqua ex parte exponemus.

Paterfamilias qui primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.

Paterfamilias velut Rex I. manè primus surgat ad domum ordinandam. Regium hoc munus esse docet Plutarchus in lib. ad imperitum Principem, exemplo Regum Persarum, qui sub ortum solis excitabantur ad officium faciendum: *Quotidie*, inquit, *Cubiculariorum unus eam ad rem constitutus manè intrans Regis cubiculum clamabat; Surge ô Rex, & negotia cura, quæ te Mesoromastes* (hoc est Sol.) *curare jubet.* Si hoc Reges illi, qui delitiis absque ad aures immersi erant, quantò magis adhoc obstricti erunt Patres alii familias, qui labore manuum familiam sustentant? Tradidit hoc idem Aristoteles in œconomicis, *Expergisci*, inquit, *decet prius dominum quam servum, & cubitum ire posterius, nec unquam incustoditam esse domum.* Idem docent Cato de re rustica c. 5. Cicero lib. de divin. qui hoc præceptum ei dant. *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.* Ratio est, quia Regis ad exemplum componunt se subditi: & *milites* inquit D. Chrysost. homil. 1. ad pop. *Ducem suum lecto detentum cernentes segniores fiunt, & ad pugnam tardiores.* Confirmat idem Ecclesiasticus cap. 10. *Secundum Iudicem populi*, inquit, *sic & ministri ejus: & qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Exemplo est Rex Joas, qui ut scribit Josephus lib. 9. Antiq cap. 8. *à pristina religionis cura facilè descivit, moxque & Principes populi consimilem*

ſimilem in modum depravati ſunt, adeo ut nihil antiquius haberent quam juris & juſtitiæ contemptum. Idem fieri in Oeconómo quovis nihil dubium. Qualis ipſe ad labores fuerit, talis & familia erit.

II. *Paterfamilias instruat domeſticos in pietate.*

II. Pietatem domeſticos doceat. Ita monet S. Auguſtinus tract. 51. in Joan. *Vnusquisque paterfamilias*, inquit, *agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto, & pro vita æterna, ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam. Ita domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium, miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo.* Hoc ſenſu Conſtantinus M. Imperator dicebat ſe eſſe *Epiſcopum extra Eccleſiam*; quia & domum ſuam ſanctè inſtituebat, & Eccleſiam quibus poterat modis conſervabat, & propagabat. Ergo cum Patriarcha Jacob præeat domeſticis ad rem divinam ſtatu tempore: *Surgite*, dicebat Jacob ad familiam ſuam Gen. 35. *& aſcendamus in Bethel.* (hoc eſt domum Dei) *& faciamus ibi altare Deo.* Deinde ad faciendam menſæ benedictionem preces inchoet, aut familiæ demandet; ne vincatur & confundatur à Judæis, de quibus iſta refert Rabbi Kimhi: *Moris erat apud Hebræos, ut paterfamilias initurus magnum & ſolenne convivium præiret verbo & accepto in manus pane, precaretur Regem mundi, ut illud vellet eſſe ſalutare: & poſtea accepto poculo idem dicere*: apud Mendoz. in l. 1. Reg. c. 9. Ita quoque in domo Samuelis nemo aſſidebat menſæ, donec Samuel Paterfamilias benediceret prius epulas 1. Reg. c. 9.

III. *Paterfamilias magna cura liberos educet.*

III. Magnâ curâ liberos ſuos educet. Ita monet Eccleſiaſticus. c. 7. *Filii tui ſunt? Erudi illos & curva illos à pueritia illorum Filiæ tibi ſunt? Serva corpus earum & ne oſtendas hilarem vultum ad eas.* Amandi quidem ſunt liberi, ſed in ordine ad ſalutem eorum æternam. Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi interroganti, quæ eſſet maxima negligentia? unus ex 70. Interpretibus, ordine quadrageſimus primus reſpondit: *Si quis non curat liberos, nec eos educando quam diligentiſſimè informat. Nam oramus*, inquit, *Deum ſemper non tam pro nobis, quam pro liberis noſtris, ut illis adſint omnia bona*: apud Ariſtæam. Communiter parentes ſatis ſe proſpicere liberis exiſtimant, ſi divites poſt ſe relinquant: parum aut nihil curant, probosne an improbos. Quos vel Ethnicus ille Socrates accuſat apud Xenophontem: *Qui filiis, ait, multis opibus proſpiciunt, ut autem boni & egregii evadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent multum verò pabuli exhibent. Sic enim equ s habituri ſunt pinguiores, ſed rerum quas præſtare oportebat, imperitos.*

IV. *Paterfamilias erga ſervos æquum & benignum ſe exhibeat.*

IV. Erga ſervos domeſticos æquum ſimul & benignum ſe exhibeat. Audeat imprimis Eccleſiaſticum cap. 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis*, ait, *ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem tracta illum*, & rurſum cap. 4. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi.* Rex apum caret aculeo: & Reges ſæculi dedecet maximè plectere ex irâ ſubditos. Caveat ergo Paterfamilias ne verbera infligat famulis; tametſi ſi timeri quoque debent, juxta id D. Bernardi lib. 4. ad Eugen. de conſid. *Ament te domeſtici tui; ſi non, facito ut timeant.* Cæterum patrem ejus ſe potiùs, quam dominum exhibeat, ut amari magis quam timeri debeat. Idcirco enim antiqui Patresfamilias appellari eos voluerunt teſtante Prætextato apud Macrob. lib 1. Saturn. cap. 11. *Tu*, inquit, *vive cum ſervo tuo clementer; comiter quoque & in ſermonem & nonnunquam in neceſſarium admitte conſilium; nam & noſtri majores omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes dominum Patremfamilias, ſervos familiares appellarunt. Colant igitur te potius ſervi tui* (mihi crede) *quam timeant.* Hujusmodi Paterfamilias fuit Job, qui ſubinde remittens animum ridebat cum ſervis ſuis, tali tamen cum gravitate, ut nihil auctoritatis deperderet, ſed interim quoque timeretur. Ita enim ait, cap. 19. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* In quem locum ſanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 3. ſcribit: quod *vir ſanctus talem ſe exhibuit, ſubditis, ut etiam ridens timeri potuiſſet. Quâ in re docemur, quod talis debet eſſe diſpenſatio regiminis ut is, qui præeſt & irridens timeri debeat, & iratus amari. Vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata ſeveritas odioſum.* Idem c. 8. illuſtrat typo virgæ Aaronicæ, quæ ſimul cum manna ſervata in Arca fuit: *quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in Rectoris pectore*, inquit, *ſi eſt virgo diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis* &c. Alioquin ſi ſervi vix aliquando verbum ſuave audiant à Dominis, ſed murmura & convitia ſolùm, fit quod Macrobius ait, *ut iſti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet.* lib. 1. c. 11.

ſticos æquum ſimul & benignum ſe exhibeat

Mater porrò familias veluti Præfectus Regis circa inferiora & faciliora domus munia ſe occupet, velut in regimine infantum, & filiarum & ancillarum; atque in primis imitetur egregiam illam matremfamilias, deſcriptam à Salomone Proverb. 31. de qua inter alia dicit: *De nocte ſurrexit deditque prædam domeſticis ſuis & cibaria ancillis ſuis.* Qualem verò prædam? An ferinas carnes, quas maritus foris venatione cepit? an potius epulas, quas ipſa ſudore & labore ſuo velut venando comparavit? Utrumque veriſimile eſt, & laudabile. Cæterum eum textum ſic Chaldæus legit: *Surrexit de nocte, deditque eſcam domui ſuæ, & penſum ancillis ſuis.* Summo ergo manè & ipſa ſurgat, datoque admorſu familiæ, dividat filiabus & ancillis penſa ſua, quæ abſolvant eo die, ſive in lano & lino, ſive acu & colu. Neque hoc dictum putet ruſticanis duntaxat fœminis; ſiquidem id Salomon de nobili aſſerit fœmina. Subdit enim: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.*

II. *Mulieres domûs propriæ curam habeant, nec per alienas vagentur.*

II. Domûs curam habeat circa res minutiores, & secretiores, quæ virum foris versantem facilè latent, neque decent. Hoc in primis edoceri eas voluit Apostolus ad Titum 2. ut nimirum sint *domus curam habentes*, significantius Græcè, ut sint οἰκȣ̂ρɑι hoc est *domûs custodes*; ne scil. per alienas domos vagentur (hoc enim reprehendit 1. Tim. 5. v. 3.) Sed assiduè domi manentes familiæ attendant; cùm viri sit privata & publica negotia foris ut plurimum tractare. Idque egregiè præstitit Sapiens illa mulier, laudata à Salomone cap. cit. *Consideravit semitas domûs suæ, & panem otiosa non comedit.* Semitas inquit, non vias publicas seu Regias: quo videlicet interiora & occultiora quæque rimetur in domo, omnium familiarium labores expendat atque examinet. Ad quem finem efformatam esse à natura mulieris complexionem scribit Xenophon: *Mihi videtur*, inquit, *Deum naturam mulieris ad curam intus suscipiendam in lucem protulisse molliori corpore, ut intra parietes officium obiret.* Apud Salazar in c.31. Prov. v.27. Quod verò addit Salomon: *Et panem otiosa non comedit*: in Hebræo sic habetur: *Et panem incuriæ non comedit.* Hunc incuriæ panem comedunt matresfamilias, quæ domûs suæ curam non habent. Verùm diu non comedent, ad instar locustæ, quæ in æstate cantilando panem suum in otio absumpsit, in hyeme postea fame periit: cum è contra formica omnia perlustrans victum sibi in æstate paret, quo se conservet in hyeme.

III. *Matres ipsæmet lactent proles nec aliis lactandas dent.*

III. Lactet infantes suos, & magnâ solicitudine educet, donec succrescant. Quod in primis eis natura insinuat, dum statim, atque prolem suscipiunt, lac præbet. Nunquid frustra? Nonne ad lactandum infantem præbet nutrimentum? Hinc ut ostendit S. Basilius hom. 9. hexam. nullum feræ genus est, quod non alat proles suas, vel alteri alendas committat, tametsi sævissimum; imò tantum est in ipsis feris & avibus nutriendi & incubandi desiderium, ut subinde pro hoc officio mas & fæmella contendant ut patet in cycnis & ursis. Solæ inter animantes sunt aliquæ matres, quæ aliis nutricibus exponunt fætus suos alendos, magno sæpè illorum damno; cum videlicet sunt obnoxiæ infirmitatibus, nec non & animæ vitiis. Accedit quod ejusmodi proles, à matribus non lactatæ, minùs ament matres suas. Proponant sibi matres exemplum Virginis Deiparæ; quæ sanè lacte proprio pavit filium suum; Proponant & Saram, quæ & ipsa, nobilis licet & formosissima fœmina, lactavit suum Isaac, ut habetur Gen.21. Cujus exemplo *provocantur fœminæ*; inquit sanctus Ambrosius lib.1. de Abraham cap.7. *meminisse dignitatis suæ, & lactare filios. Hæc enim matrum gratia, hic honos quo se propriis commendant viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipse matres lactaverint uberibus suis.* Neque solùm plus amare proles, sed & plus amari etiam ab illis solent; quod experientia docet. Plus namque amant nutrices expositi infantes, quam suas matres.

IV. *Matres optimis moribus filias imbuant.*

IV. Optimis quoque moribus informet proles suas, ac filias in primis, cum adolescunt. Dictum sibi putet id Eccli. 7. *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum*: Vulgò dicitur: *Virginibus aut murus* (hoc est monasterium) *aut maritus.* Non abludit hinc Chrysostomus, qui hom. 60. in Joan. & hom.10. in 1. ad Cor. & l. de Sacerdotio 3. ait: *Virginem oportet undecunque tanquam murum circumseptasse, & toto anno raro domo egredi, idque demum cum inexcusabiles ac necessariæ causæ urgebunt.* Addit sanctus Ambrosius in exhort. ad Virg. aliisque locis. *Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit in adolescentulis.* Neque hoc solum sed & informare filias studeat mater; quod etiam docet Chrysostomus hom.9. in I. ad Tim. *Matres*, inquit, *filiarum vobis curam assumite. Est ea cura vobis perfacilis. Curatè solicitè, ut domi jugiter sint. Ante omnia pias, religiosasque esse docete, aspernari pecunias, exteriorisque ornatus contemptrices esse; atque ita demum nuptiis tradite. Eas si ita institueritis non ipsas modo servabitis, sed & viros, qui illas ducturi sunt: neque viros tantum, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda est.* Ac denique sic concludit: *Ita nempe paterna domo decet progredi Virginem ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, ut omnem diligentissime rei familiaris peritiam habeat, sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suam transfert pulchritudinem.* Sic ille.

Ex quibus omnibus perspicimus non solùm, quam honorificum munus habeant sponsus & sponsa, seu Pater & Materfamilias, verùm etiam quantum sibi mutuò honorem impendere debeant. Id enim ex dicto illorum munere colligit S. Chrysost hom.26. in I. ad Cor. *Quemadmodum*, ait, *Rex tanto clarior apparet, quanto Præfectum suum clariorem ostendit, quem sibi inhonoraret, & contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, nam parum gloriæ suæ partem auferret: itidem & tu* (Marite) *si illam, quæ secundum post te locum obtinet, contumelia afficis, non parum Principatus tui honori derogas.*

Vos igitur novi conjuges, cujus dignitatis participes facti sitis, cogitate, & nolite eam aliquando degeneri conversatione violare: nolite coronas vestras spuriis fædare gemmis; sed potiùs tenete quod habetis, *ut nemo accipiat coronas vestras.* Apoc.3.

EXHORTATIO XXIII.

Vir Uxorem regat, sicut nauclerus navem. Ex Prov. Salomonis.

NOn dubito, quin sponsus talem, sibi sponsam quærat & exoptet, qualem expetiit Salo-

mon

mon Prov. 31. quando dixit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Fortem, ſive ut alii legunt, mulierem opē, bonam, virilem & induſtriam, qualem deſcribit Salomon, quæ ad comparandas opes ſtrenuè ipſum juvet, eaſq; induſtria ſua comparet. Verum nôvit ſponſus hujuſmodi uxorem ab eodem Salomone appellari navim panibus oneratam: *Facta eſt quaſi navis inſtitoris*, inquit, *de longe portans panem ſuum.* Ecce tibi navem ſponſe, quæ panes tibi adferet alendæ tuæ familiæ. Sed quis ejus Nauclerus? Utiq; maritus, cujus induſtriæ incumbat hujus navis gubernatio. Jam tu conſidera ſponſe, qua arte hanc navim dirigas, ne te cum ipſa perdas. Quod ut felicius præſtes, ecce tibi è ſacris ſcripturis & viris doctis ſuggeram leges aliquas, quibus id efficias.

I. *Maritus honoret conjugem, ut nauclerus navem.*

I. Primò omnium honora conjugem tuam, quēadmodum & nauclerus adornat navim ſuam dando ei nomen honorificum, v.g. alicujus Sancti aut Regis, depingendo imaginibus, illuſtrādo vexillis &c. Unde Plautus dixit: *Mulier & navis nunquam ſatis ornantur.* Quod ergo nauclerus navi, hoc præſtet vir uxori. Honorifica cohoneſtet eam appellatione, quemadmodum Abraham Saram appellavit dominam ſuam. *Honora eam*, inquit S. Chryſ. hom. 20. in Ep. ad Epheſ. *& non opus habebit, ut honoretur ab aliis: non egebit ab aliis dandâ gloriâ, ſi ea fruatur, quâ tu eam affeceris. Eam præpone omnibus propter omnia & propter pulchritudinem & ſapientiam & eam orna laudibus. Ita ei perſuadebis, ut nulli extraneo animum adhibeat, ſed alios omnes irrideat.* Sic ille. Idem præcepit S. Petrus ep. 1. c. 3. *Viri quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.* Cui conſentit Paulus 1. Cor. 12. cùm ait: *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Jam verò exiſtimatur mulier ignobilior eſſe pars viri; majori igitur honore condecoranda eſt; idq; faciunt nobiliores ac prudentiores viri, qui primas ei deferunt & ſedem à dextris collocāt, uti ſponſus ille cæleſtis ſponſæ ſuæ pſ. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Graviter ergo delinquunt, qui uxores verberant, non tam uxoris, quam ſua maxima ignominiâ. id quod *ab Gentium legi latoribus*, inquit D. Chryſoſt. hom. 26. in 1. Cor. *cognoſcere licet, qui quæ vapulaverit, nō amplius cum marito habitare cogunt, utpote qui indignus ſit, ut cum ea amplius conſuetudinem habeat*, &c. deliraret plane nauclerus, qui navem ſuam, ſicubi impegiſſet, aut rimam egiſſet, verberibus mulctaret, aut diſſolveret; ſuammet enim perniciem ſibi & interitum ſtrueret. Nihilo plus ſapit, qui uxorem ſuam indignâ tractat. Eam enim, ut ibidem ſubdit Chryſ. *Si perturbatione & tumultu impleveris, tibi ipſi longè gravius ſtrues naufragium.*

II. *Maritus patienter ferat omnes uxoris defectus.*

II. Patienti animo ferat ejus defectus, & ſi quæ habeat vitia; quemadmodum & nauclerus nōn moleſtè fert fætorem, qui ex pice & ſentina navis oritur, ejuſq; nares infeſtat; quia nimrum attendit ad proventum, quem ab onuſta mercibus navi expectat. Simili in cauſa interpellatus aliquando ab Alcibiade Socrates; quod uxoris ſuæ Xantippes querulam moroſitatem tamdiu ſuſtineret, ei reſpōdit: *An tu domi tua non toleras gallinas crebro glocientes?* Tolero, inquit Alcibiades; *Sed ova mihi pariunt & pullos. Et mihi*, ait Socrates, *mea Xantippe parit liberos.* Laërt. in vita. Huc etiam ſpectat, quod S. Chryſ. hom. 26 in 1. Cor ſcribit. *Fertur*, inquit, *quendam externorum Philoſophorum, cum uxorem haberet pravam, & temulentam, & interrogaretur quâ gratia ejus mores, toleraret, reſpondiſſe. Vt gymnaſium & palæſtram Philoſophiæ domi haberem. Ero enim, inquit, cum aliis manſuetior, cum in ea quotidie toleranda erudiar.* Poſt hoc ſubjicit vir ſanctus: *Multū ego doleo, quod gentiles nobis ſint ſapientiores, nobis inquam, qui Angelos imitari jubemur, vel potius ipſū Deum per manſuetudinem.* Præter hoc conſiderandum eſt, quod idem S. Pater ibidem ſcribit: *Incitat mulier inquis. Verum conſidera mulierem debile vas eſſe. Tu autem vir propterea Princeps factus es, & capitis loco datus, ut ſubdita feras imbecillitatem.* Nonne magnum dedecus viro eſt, ſi cum muliere rixetur? viro forti ſi cum puero? Nonne is cachinnis ſpectantium ſe exponeret? Vidit hoc gentilis Socrates. *Cum enim uxor in publico pallium ei detraxiſſet, & familiares admonerent, ut injuriam manu ulciſceretur; Pulchrè*, inquit, *nimirū ut nobis colluctantibus acclametis; Eja Socrates: Eja Xantippe.* Laërt. in vita. Profectò fœdum eſſet, ſi hoc indecorum, quod Gentiles apprehenderunt, Chriſtiani non apprehenderent. Non ergo ducat uxorem, qui neſcit ei condeſcendere: non ſuſcipiat gubernacula, qui non fert ſentinam navis.

III. Ignorantem inſtruat ac dirigat, exerrantem ſuaviter admoneat & reducat: quod ſi illa gravius delinquat, verbis aſperioribus emendet. Sic enim & navis gubernaculo dirigenda & à ſcopulis deflectenda; cumq; imperium navarchi non admittit, anchoris ſiſtenda & coercenda eſt. Inprimis ex cōſilio D. Chryſ. hom. 20. in Ep. ad Eph. doceat eam, *nihil in vita eſſe terribile præterquam Deum offendere.* Item: *Doceatur* quod paupertas nullum ſit malum. Doceatur deſpicere gloriam *& nihil hujuſmodi dicet mulier, nec concupiſcet.* Et mox: *Suadeat ne ſit ei aurum pendens ex auribus, nec eo induatur in genis & collo, nec id repoſitum habeat in thalamo, neque veſtes aureas & ſumptuoſas: ſed ſit quidem elegans ornatu, ſed non ad probrum & contumeliam recidat elegantia.* Et ho. 26. *Quando aliquid moleſtum domi evenerit, quod ea peccârit, conſolare nec auge dolorem &c.* Et infra: *Si contigerit non bonam neq; tolerabilem domum duxiſſe ſponſam, tunc ſuadeo eam omni ex parte componere, & nihil eorum objicere. Nā mercator quoq; priuſquam cum ſocio pacta conventa fecerit, quæ poſſint pacem conciliare, non prius navem deducet in mare, neq; aliam attinget negotiationem. Et nos ergo omnia agamus, ut negotiationis noſtræ vitæ ſociam & hujus navis cum omni pace intus teneamus.* Exemplo eſt Tobias, qui uxoris inſultationē patienter audiens ſilentio preſſit & gemitu. Tob. 2.

III. *Maritus exerrantē uxorem ſuaviter reducat.*

Rursum quando nimiam de ejus ablegato filio sollicitudinem increpuit, illis minimè acerbis verbis; *Tace & noli turbari: sanus est filius noster; satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.* Tob.10. Similiter & Job, qui conjugem impia suadentem graviùs reprehendit, uti merebatur: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Deniq; hoc ipsum & cum nave nauclerus agit: Cùm enim rimas agit, aut alicubi perforata est, non eam dissolvit, sed reparat & foramina obstruit, rimas occludit. Ita agendum cum uxore præcipit S. Paulus ad Eph.5. *Nemo enim unquam,* ait, *carnem suam odio habuit, sed fovet & nutrit eam.* quin etiam cùm infirmatur aut læditur, medicinis licet asperis & emplastris quoq; mordacibus reducit ad sanitatem.

IV. *Maritus erga uxorē magnam habeat cōfidentiam committē-do ei claves domus*

IV. Magnam erga ipsam habeat confidentiam committendo ei claves domus & rem familiarem: non admittendo facilè suspicionem de ipsius fide: permittendo ei libertatem ad peragēda sua munia. Hunc in modum nauclerus committit navi merces & quam vehit secum familiam suam, tanquam solidæ & benè cōpactæ, armamētis quoq; & necessariis rebus instructæ! Hæc talis confidentia uxorem animabit, incitabitq; ut magis strenuè rem gerat, & virum plus diligat magisq; ei fidelis sit. Testem & invoco Salomonem, qui cùm Prov.31. fortem & industriam mulierem exoptasset, subdit mox: *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.* q.d. si vir tali conjugi confidat, & habenas ad curandam rem domesticam permittat, nec de fide temerè suspectā habeat, sentiet enim tam industriam ac strenuam, ut non habeat opus apud castra mæreri & spolia quærere. Italico proverbio navis ita nauclerum alloquitur: *Guarda mi dalla terra: & te tiguardarò dall acqua.* h.e. serva me à terra, scopulis scil. brevibus, arenosis & vadosis locis: & ego te servabo a submersione & naufragio. Sic etiam dicere licebit viro: Noli uxorem tuā zelotypia & diffidentia impellere in mærorem & pusillanimitatem: & ipsa non impellet te in ruinam, sed potius servabit & augebit tibi rem familiarem. Unde mox addit Salomon: *Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ.* Quantum verò possit industria uxoris, idem Salomon Prov.14. edixit verbis illis: *Sapiens mulier ædificat domum: insipiens extructam quoq; manibus destruet.* Hujusmodi fuit Anna Gandala, Uladislai, Ung. & Boemiæ Regis conjux, quæ viro parum ad opes parandas attento sua industria abacum totum aureum, supellectilemq; omnem ex auro & argento præparavit; apud Dubrau.l.23. Cæterum observandum, quod monet Ecclesiast, ne seipsum maritus subjiciat, & concredat suæ conjugi. Mulieri *odibili*, inquit, *non credas te in toto corde tuo.* Eccl.c.7. & c.9. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam & confundaris.* Idipsum observat nauclerus, tametsi enim navi suæ credit & committit merces suas, velut solido & bene compacto vehiculo, seipsum tamen non ita credit ut merces, projiciendo nim. se in navim & dormiendo. Non, sed vigilat & attendit navi, nec sinit eam quà venti & fluctus impellunt, pro impetu suo ferri. Quod si fecisset Adam, Samson, Salomon, neq; adeò temerè se & salutem suam uxoribus commisissent, non se perdidissent.

V. *Maritus uxorem bono exemplo ad sui imitationem invitet.*

V. Bono eam exemplo ad sui imitationem invitet. Sic nauclerus in prora tenens gubernaculum seu temonem, quamlibet in partem flectit navim & reflectit. Documentum hoc tradit viro Aristot. in Oeconomicis: *Si mulier,* inquit, *cognoverit sibi castum & fidum virum, ipsa etiam casta & fida erit.* Idem confirmat S. Chrys. hom.20. in Ep. ad Ephes. *Etsi,* inquit, *inverecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti mota reverentia, & rerum, quibus non assuevit novitate.* Et infra: *Quomodo autē non solves pudorem* (uxoris) *Quando cerneris ipse quoq; nonminus quam illa erubescens, pauca quidem loquens, eaq; cum gravitate & animadversione*, Plutarcho teste, imperium mariti in uxorem hujusmodi est, quale est animi in corpus. Quis autem nescit corporis membra ad amussim se conformare animi imperio & propensioni? Idem vir Sapiens dicebat: *Ut Rex Musicæ studiosus complures reddit Musicos: literarum studiosus doctos: aleator aleatores: rapax rapaces: ita vir comptus similem reddet uxorem, voluptuarius incontinentem, castus & sobrius castam & sobriam.* Exemplum accipite à viro nobili Croata, qui duxerat nobilem itidem fæminam, Styram, in prædio Styriaco Stainhof dicto habitantem, sed Lutheranæ sectæ addictam. Hæc cum diebus esurialibus pro more Lutheranorum carnibus vesceretur; maritus velut Catholicus à mensa ejus abhorruit, & illa quidem sedente ad mensam, ac maritum ridente, ipsi sibi cibos esuriales absq; carnibus nimirum afferri jussit, & in limine ostii domestici sedens, solus comedit, quod Religio Catholica permittit. Visa tandem mulier hac mariti tam constanti religione cogitare cæpit, sanctam oportere esse religionem Catholicam, pro qua observanda maritus tantam subeat abjectionem, exeratq; fervorem, ut humi potius sedere & vili edulio contentus esse velit, quam prohibitis cibis, fidei quæ Catholicæ maculam aspergere. Quare manus dedit & eandem, quam vir tenuit, religionem amplexa est, in eaq; se tam strenuam præstitit, ut prædium suum studiosæ juventuti Græcii legarit. Id quod à viris fide dignissimis relatum mihi accepi, cùm in prædio illo per octo dies degerem. Ecce quid non potest virtuosum mariti exemplum ad trahendam consortem! Esto igitur Sponse Nauclerus, esto Sponsa Navis:

Ita fiet, ut in domum vestram afferatis panem, & corpori & animæ salutarem.

* * *

EXHOR-

EXHORTATIO XXIV.

Par columbarum typus Conjugum. Ex Levit. cap. 12.

QUemadmodum puerulis cum incipiunt legere literas, tabella in manus datur, in qua varia descripta sunt vocabula, paulo difficiliora; quæ ut facilius legere ac pronunciare discant, appictæ sunt res illæ, quæ vocabulis significantur, v.g. columba ipsis nota, ut ignotum addiscant columbæ vocabulum exprimere. Difficile prorsus nomen est, Matrimonium, quod hominem ita alligat ad unam conjugem, ut cum ea cohabitare semper usq; ad mortem obligatus sit. Grave certe jugum, grave est hoc conjugium. Id tamen ut facilius ferre discant ii, qui hoc jugum subeunt, appinxit eis Deus & ob oculos posuit typum illius, columbas, quæ, cùm & ipsæ in conjugio vivant & pacatissimè, destinatæ sunt à Deo ad nostra domicilia, ut in illis habitent & conjuges edoceant, inquilinæ suæ hospites, qua ratione & ipsi in conjugio suo pacatè vivere queant. *Columba enim*, inquit D.Chrysf. in ser. de Spiritu S. to. 3 *animal est, quod præ omnibus volatilibus cæli homines amat, & contubernale est, ac mansuetum, innocensq; & fœcundum & domesticum, quod versatur, quiescit, & habitat in domibus nostris.* Nec solum in columbaribus sub tectis domorum, verum etiam inter ipsos homines & cum illis habitare assuescũt; *seq; ad pedes horum huc & illuc magna consuetudine ad familiaritatem versant.* inquit Ælian. l.3 de anim. c.45. Utiq; in eruditionem conjugum, siquidem & sponsa illa cælestis appellatur à sponso *Columba*, Cant.8. *Una est columba mea.* Eoq; spectare videtur, oblatio duum columbarum pro filio primogenito offerendarum, Lev.12. velut pro primo conjugii fructu. Hujusmodi gratissimum munus offerent Deo Neonymphi nostri si in suo connubio columbarum virtutes connubiales fuerint imitati. Quas nunc expendemus.

I. Columbæ, mas & fæmella mutuo se amore maximè prosequuntur, nec solùm servant fidem, sed etiam simul fere gradiuntur, sibiq; assident. Docent igitur conjuges non solùm amorem mutuum, & fidem thori servandam sed etiam cohabitandum eis esse, ita ut alter alterum non deserat. Alioquin enim diuturna alterius absentia alterum exponit libidini & domum suam prostibulo. Ita enim procax illa mulier parabolica Prove b. 7. loquitur invitans in domum juvenem: *Veni inebriemur uberibus & fruamur cupitis amplexibus, donec elucescat dies. Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima* &c. Norint ergò conjuges mulierem ex viri latere creatam, ut quasi à latere ipsi adessent semper; Deinde quod in latino textu habemus, in *adjutoriũ simile sibi*; in Hebr. habere Kenegdo, quod sit *coram ipso.* Unde Chaldæus sic exponit: *in sustentaculum, quod sit penes ipsum.* Procul igitur ac diu ab invicem ne absint; nisi se & conjugem conjicere in periculum velint. Nonne Eva ubi à viro secessit incidit velut columba solitaria in milvum, cùm à serpente seducta est? Nonne Bethsabee uxor Uriæ absente procul marito in oculos Davidis incurrit, & pudicitiæ naufragium fecit? Nonne Susanna, uxor Joakim, dum extra mariti conspectum se lavat in pomario, periculum pudicitiæ adiit? Deniq; quod absenti in monte & cum Deo agenti Moysi contigit, contigit, ut interim subditi ejus in scelus prolapsi vitulum adorarent, hoc idem accidere viro, cùm diutiùs abest à conjuge sua asserit D. Chrysf. in hom. de egressu suo. Caveat ergo mulier imitari Lunam, quæ absente Sole gratiosam ac lætabundam sese ostendit: ad solem verò accedens luctuosam induit vestem, quasi ab ejus oculis abscondere se velit.

II. Pudicitiæ ac munditiæ valde studiosæ sunt. Unde Cant. 5. sponsa illa, & *columba & immaculata* vocatur, *Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea.* Certè nidum suum columbæ à sordibus expurgant, pennas ac plumas suas rostro componunt, lutosæ terræ non insident, multo minus cadaveribus. Adhæc, ut Plinius lib. 10. c. 34. scribit: *Pudicitia illis prima est, & neutri nota adulteria.* Porro à Romanis pudicitia teste Pierio in hierogl. velata facie pingi, sculpique solebat, & apud alios testudini æquiparata fuit; quod pudicarum sit sese domi continere, & frequentia loca omnia declinare. Quod si propterea nomen ejus in civitate vel oppido fuerit ignotum, nihil hoc ejus honori officiet, sed plus decoris efferet; teste quodam Philosopho, qui interrogatus, quodnam esset bonæ mulieris nomen? *Præstantius*, respondit, *mulieris nomen & clarior fama est, nullum nomen, nullamq; famam habere: addiditq; illam meliorem esse ab omnibus judicandam, quæ à paucioribus cognosceretur, excellentiorem ejus notitiam esse si ab omnibus ignoretur.* Pro speculo proponant sibi mulieres, Juditham, *quæ in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata.* Ex quo apparet, quòd non solum tempore viduitatis suæ, sed etiam, vivente marito secreti amans fuerit, uti observat ibi P. Nic. Serarius. Neque minoris adhibenda cura est, ut cautè simul & castè cum consortibus conversentur, memores verbi Apostolici ad Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* h. e. in omni re & occasione servent honestatem, neque conjugem, ulla in re confundant aut dedecore aliquo afficiant. Ruborem haud dubiè non exiguũ injecit optimo viro Isaac, quando objecit ei Rex Abimelech, visum esse à se *ludentem*. h. e. ridentem & jocantem cum uxore sua. Gen. 26. Tametsi risus ille aut joculatio peccato carere

II. *Decet conjuges pudicitia & mundities.*

carere poterat. Erubuit etiam S. Ludovicus Galliæ Rex, quando paulò licentiùs in thalamo suo agere cum conjuge à matre superveniente visus est; uti refert P. Balinghen in sua Zoopædia. Quid? Censor Roman. M. Cato, C. Manlium Senatu movit, quòd uxorem præsente filia deosculatus esset; uti refert Lud. Vives l. 2. de Christ. fæmina. Quid dicent hic Christiani conjuges, si tantam pudicitiam videant in Gentilibus? Nimirum sicut columba sedens ad fluenta umbram etiam accipitris conspiciens in aquis, terretur & mox avolat: ita & vos viri *ab omni specie mala abstinete vos.* 1. Thess. 5.

III. *Conjuges felle id est amaritudine careant.*

III. Felle carere dicuntur vulgò; vel si aliquod habent, loco abscondito aut exiguum habent; siquidem Anatomici id non deprehendunt. Fel bilis & iracundiæ (quæ columbis nulla aut certe minima est) sedes & typus est, ob amaritudinem quæ accendit bilem. Hoc felle careant conjuges, aut si natura ad bilem proni sint, abscondere saltem id conentur. Id inprimis viris præcipit Apost. ad Coloss. 3 dicẽs: *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Idem conjugibus documentum dedêre antiqui, fide destituti; dum in sacrificiis Junonis, quam nuptiarum Præsidem credebant, victimam sine felle immolari volebant, *ut ostenderent, absq; ira & odio & amaritudine matrimonium esse oportere*, inquit Euseb. l. 3. de præpar. Evang. c. 1. Et cur Deus ex ipsa Adami carne, non ex alia materia effinxit ei conjugem: Respondet S. Chrys. hom. 20 in Ep. ad Ephes. *ne tanquam alienæ ei adhiberet animum.* Suam enim carnem quomodo odisse posset. Et cur è dormientis Adæ latere Evam formavit: Utiq; ne cum aliquo doloris sensu auferretur, ex quo postea rixarum occasiones inter conjuges nascerentur, ut dicere Adã Evæ posset, quod Jacob ad Ruben dixit Gen. 49. *Tu principium doloris mei.* Videant igitur illi, ut fel amaritudinis, odii & iracundiæ vel omnino deponant vel saltem recondant. vir consulenti aut postulanti aliquid uxori nihil facile deneget: uxor inconsulto aut invito viro nihil aggrediatur. Sic inter se convenerunt Elcana & Anna 1. Reg. 1. Anna videns ascendere virum cum omni domo in Silo, ait viro suo: *Non vadam donec ablactetur infans.* Quare non prius interrogas virum? Quid si is te ascendere jubeat? At is, ne litem uxori moveat: *Fac*, inquit, *quod bonum tibi videtur.* Sara contra ancillam excandescens postulat à viro, ut ancillam jam in uxorem ductam ejiciat e domo. Quid Abraham uxori? Alapamne infligit, aut verbum asperum reddit? Nequaquam, sed: *Ecce ancilla tua in manu tua est*, ait: *utere ea ut libet*, ne videlicet discordia si negaret, in domo orir tur. *Hæc in uxorem indulgentia pace domum replevit*; ait S. Chrys. hom. 38. in Gen.

IV. *Conjuges cùm premuntur adversis, indignè i[d] non feran[t].*

IV, Columbæ non indignantur, neq; se opponunt, cum auferuntur eis è nido pulli, fæmellæ etiã *impertiosos mares & subinde iniquos ferunt*; ut ait Plin. l. 10 c. 34. Docent ergo conjuges non indignè ferre, cum adversis rebus premuntur, & charissima quæq; per summam etiam injuriam ipsis rapiũtur. Deniq; cùm unus ab alterius conjugis aspero ingenio vexatur & tribulatur. Cum enim hic status indissolubilis plurimis expositus sit oneribus, ærumnis & calamitatibus, nihil aliud superest, nisi ut cum Abbate illo Nesterone, ingressuro monasterium, dicant sibi ipsis: *Deinceps tu & asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat & non loquitur: injuriam patitur, & non respondet: Sic & tu.* In vitis PP l. 5. c. 15. Asellus ad quævis onera portanda paratus esse debet: ita plane & conjux. Hinc forsan consuetudo illa invaluit, fuitq; tempore S. Chrysostomi, etiam inter Christianos Græcos, ut cùm sponsa deduceretur in domum sponsi, liceret omnis generis probra & convitia per publicas plateas conjicere in illos. *Hæc quoq; vulgo lex est*, inquit hom. 12. in 1. ad Cor. *Fugitivi & mastigiæ & perniciosi homines securè & cum summa licentia dicunt, quæ volunt, & in sponsam, & in eum, qui est cum illa habitaturus &c.* Quæ quidem consuetudo meritò reprehenditur ibid. à S. Chrys. videtur tamen fuisse instituta ad eum finem, ut addiscant conjuges aptare humeros suos ad quævis onera & probra in statu conjugali fortiter exantlanda. Quam verò fortis esse uxor ad ferendos mariti asperos mores debeat, idem vir Sanctus tradit hom. 16. in 1. ad Cor. his verbis: *Qui amat amantem, nihil videtur magnum facere. Qui autem eum, qui odit, observat & colit, is est maximè, qui coronatur. Eodem modo tu quoq; reputa: quodsi gravem & importunum maritum tuleris, præclaram accipies coronam Sin autem mitẽ & mansuetum, cujusnam rei tibi dabit Deus mercedem? Hæc autẽ dico, non jubens maritos esse sævos & asperos, sed suadens mulieribus, ut sævos & asperos ferant maritos.* Hæc ille.

V. *Conjug[es] se sæpe la[…]vent, id [est] confessi[one …] sacram[…] eundo.*

V. Lavant sese in pluviali aqua & pulveribus conspergunt, quo se à pulicibus & omni labe, quam impensè oderunt, emundent, teste Aristotele, l. 9 hist. anim. c. 49. Hoc idem studium quoad animæ labes tergendas conjugum esse decet; ut per sacram confessionem & Synaxin frequenter vel subinde saltem cum pluvia festivæ alicujus solemnitatis de cælo ad nos mittitur, animos suos à sordibus, quæ in terreno pulvere non possunt non adhærere, expient. Id enim indicat S. Paulus 1. Cor. 7. cum hortatur eos ad continentiam subinde servandam, ut vacent orationi. *Nomine orationis vero*, ait Esthius illic, *arbitror Apostolum comprehendere voluisse etiam sacrificium Eucharistiæ.* Cui accedit S. Ambrosius in eum locum scribens: *Conjugis consilium dat*, inquit, *ut ad ipsum Dominum revertantur, abstinentes ab uxoribus suis, ut possint dignius accipere corpus Domini.* Gaudent columbæ cùm pluit, ut habeant, quo se lavent: gaudeant etiam conjuges, cum solenne aliquod Festum advenit, quo suas ad Deũ preces fundere, eiq; se unire & in pulvere pœnitentiæ volutare queant. Considerent quid egerint primi nostri parentes, postquã agno-

agnoverunt per peccatum se esse nudatos & fœdatos. Nonne consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata ad tegendam nuditatem suam? Atqui hoc fecisse eos in signum pœnitentiæ & foliis ficuum, quasi cilicio carnem castigasse, censet S. Irenæus Martyr *l.3.c.37.* Siquidem folia ficus aspera pungunt carnem & stimulant. Unde inducit Adamum sic loquentem: *Quoniam sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, & tunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus.* Postea Deus rursum ad pœnitentiam eos agendam admonens, fecit eis tunicas pelliceas; utique Angelorum ministerio ex mactatis animalibus detractas, & villosas ad puniendam & vexandam carnem, quæ deliquerat; quia *talibus* inquit Origenes l.6. in Levit. *Oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis quam primo peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Neq; solum pœnitentiæ, sed & mortis, quam incurrerant, per has mortuorum animalium pelles commonere eos voluit, ut in carnis voluptates se se non immergerent, memores mortis suæ, quæ & ipsis pellem detrahet. Primorum ergo conjugum exemplo, posterorum eorum, si quando & ipsi vetitum aliquod peccati pomum degustarunt, sequantur pœnitentes, qui secuti sunt errantes: castigent carnem suam: abluant cum columbis maculas in lavacro pœnitentiæ: volutent se in pulvere imminentis à tergo sepulchri, & non facile peccabunt.

EXHORTATIO XXV.

Nuptiæ antiquorum nostris in exemplum proponuntur.

[margin:] uptiæ cũ eo inho- a sortiũ- r felicem xitum.

NOn vane crediderunt veteres, ita nobis magna successura esse negotia, sicut ea inchoaverimus; & quale esset initium, talē fore progressum & finem. Unde illud fluxit adagium: *Dimidium facti, qui bene cœpit habet.* Magni res momenti est status conjugalis, quem proinde magna cum cautela & consideratione instituta publica nuptiarum solennitate antiqui inceperunt. Et inprimis Tobias Junior, qui una cum sponsa sua triduanas nuptiis suis preces præmisit, deinde convivium instituit. *Tob.8.* Ipsi etiam Gentiles Romani non sine captatis prius auguriis celebrabant nuptias, teste Val. Max. *l.2.c.1.* Ego ipsas nuptias fore bonum omen arbitror, si cum Deo cœptæ & celebratæ fuerint. Hæ etenim uti initium sunt conjugalis status, ita quoq; & omen erunt felicis eventus. Quod ut fiat, proponam vobis exemplar Antiquorum, ut secundum illud nuptias vestras instituere possitis.

I. Invitabant illi ad nuptias amicos & vicinos, qualescunq; illi essent, seu divites seu pauperes, non habito respectu aut opum, aut dignitatum, personarum. Ita Laban ille *vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias* genero suo Jacob. Gen.29. Similiter Raguel ad nuptias Tobiæ paravit epulas *omnibus vicinis cunctisq; amicis, Tob. 8.* Et hoc ut invitati amici & vicini partim testes nuptiarum essent, partim novo vinculo adstringerentur novis conjugibus; ad opitulandum illis in quacumq; necessitate. Viderunt enim vitā conjugalem ope amicorum carere non posse: juxta paræmiam Germanorū. **Mit Nachtbauren hebt mā die Stådel auff.** & si adversos habeat amicos & vicinos, plurima passuram: illos ergo sponso conciliandos esse convivio nuptiali, & contracta in eo amicitia. Errant his temporibus multi in hoc puncto, dum ferè opulentos solum & prænobiles viros invitandos putant, spem in illorum donis, vel in opibus & potentia reponentes: sed fœdè multoties decipiuntur. *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salus*, ait Ps.145. Captat miser sponsus majus aliquod donum à divite, quam ab amico paupere; sed postea ab illo deseritur; & cogitur ad hunc recurrere. Præstat amicitia donis. Malo habere creditorem, qui & mihi debet, quā debere ei, qui mihi nihil obligatus. Melior mihi est vicinus & amicus, qui mea indigebit aliquādo, vel indigere potest ope, quam is, qui non egebit. Sed mundus nūc ita constitutus est, ut præsentibus tantū rebus gaudeat, futuris non provideat: potentum duntaxat atq; divitum quærat amicitiam, plerumq; fallacem & periculosam. Cælestis ille sponsus dum à pedibus ad caput usq; laudat sponsam suam, Ecclesiam, ejus ventri hoc encomium dat: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Per Ecclesiæ ventrem intelliguntur conjuges, uti sentiunt Anselmus, Richardus de S.Vict. & P.Damianus, quia venter sedes est generationis, & domicilium natorum. Sed quando ei bene provisum est de tritico seu alimento? Quando vallatus est liliis. Cur liliis & non potius hastis aut hastatis? Lilia intelligo agrestia, seu flores agrestes, de quibus loquitur Dominus Matt. 6. *Considerate lilia agri.* Ea quidem debilia sunt, tritico tamen vicina & commixta adeoq; instar valli & munimenti contra ventos & gelu sunt. Ita boni amici & vicini, tametsi parum facultatum & auctoritatis habeant, plus sæpe commodi nobis præstant, quam valde opulenti & præpotentes, à nobis alieni & remoti.

[margin:] I. Olim sine delectu personarū ad nuptias vocabātur amici, vicini qualescunque essent.

II. Adhibeant moderamen in pompa & convivio nuptiali. Causam hujus convivii adfert Athenæus l.5. *Moribus*, ait, *& legibus sancitum est, ut in nuptiis epulum fiat; tum nuptiales Deos ut veneremur, tum ut pro testimonio id sit*, convivis scil. quod nuptis placeant suæ nuptiæ. Laudabant itaque & precabantur Deos suos, ut prospera nuptis tribuerent; ipsos verò conjuges datæ fidei admonebant per epulum nuptiale, quasi mactatā pro fœdere hostia

[margin:] II. Suadetur conjugibus moderamē in pompa & convivio nuptiali sc. ut videant

hoſtia. De moderamine autem pompæ in Gentilium nuptiis profert Plato legem l.6.de Legibus: *Impenſa ſecundum divitias fiat; Bibere vero uſq; ad ebrietatem, ne alibi quidem unquam decet. Neq; verò tutum eſt. Maximè verò connubio conjuncti, ſponſus & ſponſa, tunc mentis compotes eſſe debent, quando non parvam ineunt vitæ mutabilitatem, &c.* In ſponſalibus Tobiæ Junioris, præcepit Raguel ſocer, occidi arietem & parari convivium. *Tob.7.* poſt contractas nuptias ad epulum nuptiale *duas pingues vaccas & quatuor arietes occidi fecit. Tob.8.* Hic totus apparatus fuit pro *omnibus vicinis cunctiſq; amicis*, ut ibi dicitur: Nullæ hic delitiæ, nulla bellaria, nulla exquiſita fercula. In convivio nuptiali, cui interfuit Chriſtus in Cana Galileæ, modicum vini appoſitum fuit; quando ejus defectus cito valde apparuit; ac niſi Dominus miraculo vinum ſuppeditaſſet, ſitibundi hoſpites è menſa ſurrexiſſent. Sed neq; poſt ſubminiſtratum & quidem optimum vinum ulla intemperantia conſecuta eſt. Etenim Architriclinus novit adhuc diſcernere uma, quod ebrii non poſſunt: & Diſcipuli Chriſti crediderunt in eum. Non ita fit in nuptiis hujus temporis, ubi paucis exceptis nemo ſobrius abit: ubi convivium extenditur ad 5. aut 6. horas, & plerumq; ad multam noctem producitur fere in compotatione ſola. Idem videre eſt in ornatu corporis & pompa veſtimentorum, in quæ tam multa ſæpius expenduntur, ut vix toto vitæ decurſu recuperari queant, adeoq; demum veſtes nuptiales rurſus vendendæ, ob contracta debita, quandoq; & ipſa domus atq; arces alienandæ ſint. *Licet aliis*, inquit D. Chryſ. hom.12. in Epiſt. ad Coloſſ. *exhilarare nuptias, utpote lautis menſis & copioſis veſtimentis. Hæc non amputo, ne videar valde agreſtis. Quanquam Rebeccæ ſuffecit ſolum theriſtrum.* h.e. peplum ſeu flammeum: Noſter legit *pallium* Gen.24.) *ſed non amputo. Licet exhilarari veſtibus: licet præſentia venerandorum virorum & reverendarum mulierum.* Et infra: *Quando es facturus nuptias, ne domos obeas, ſpecula & veſtes commodatò accipiens. Res enim non ſit ad oſtentationem, neq; filiam adducis ad pompam, ſed iis quæ in ea ſunt, domum exhilarans, voca vicinos & amicos & cognatos.* Sic ille. Denique experientia multorum annorum didici, malè communiter ceſſiſſe, atq; in diſſidia & divortia vel pauperiem ſimileſq; calamitateſque deſiiſſe nuptias illas, quæ ſupra nuptorum opulentiam nimia pompa & ſplendore fuere celebratæ.

III. *Suadetur novis nuptis ut magna cum modeſtia & honeſtate nuptias ſuas peragant.*

III. Magna cum honeſtate & modeſtia nuptias peragebant, & epulum ſumebant. In ſponſalibus Tobiæ junioris *epulati ſunt benedicentes Deum.* Tob.7. Poſtea c. 9. *cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.* Quis hæc audiens non doleat, cùm noſtrorum genialia epula ſpectat? Rurſum *nuptiæ apud Iudæos*, inquit D. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis tract. 9. *cùm fierent, ânus* (quantum traditione comperimus) *dabatur de ſacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſq; curam gereret conjugalis. Simul etiam conviviorum apparatui miniſtros atque ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio Architriclinus, id eſt, triclinii Præpoſitus dicebatur.* Talis ille fuit, qui in nuptiis Canæ vinum ex aqua factum primus deguſtavit ac laudavit; qui ſi adhuc noſtrorum nuptialibus epulis advigilaret; tam multi tamq; graves exceſſus non contingerent. Adhibentur ſæpè in noſtris nuptiis ſcurræ & moriones, qui ſuis cantilenis vitia confidentium perſtringunt, & ſpurca quæque effutiunt ad riſum concitandum, non abſque rubore & confuſione honeſtorum virorum & puellarum: Utque ſatis genio indultum eſt, ſurgitur à menſa, uti conceſſum fuit: h.e. ſine benedictione & gratiarum actione, & pergitur ad choreas, fermè eo modo, quo in caſtris Hebræorum, Exod.32. quando *ſedit populus manducare & bibere & ſurrexerunt ludere*, ſaltare ſcilicet, circum vitulum & libidini indulgere. Sanè in antiquorum ſive Hebræorum ſive Gentilium nuptiis nullas legi ſaltationes: novum igitur Satanæ inventum inter Chriſtianos eſſe videtur; contra quod Concilium Laodicenſe ſub annum Domini 364. can.53. ita ſanxit: *Non oportet Chriſtianos ad nuptias euntes vel ballare, vel ſaltare; ſed caſtè cœnare vel prandere, ſicut competit Chriſtianis.* Sub eodem ferè tempore in eandem pravam conſuetudinem, à Græcis Gentilibus invectam, multa jecit fulmina Sanctus Chryſoſtomus *uti hom. 12. in Epiſt. ad Coloſſ.* Ubi inter alia: *Matrimonium*, inquit, *eſt unguentum; cur cœnæ fœtorem inducis in compoſitionem unguenti? Quid dicis? Saltat virgo & non eam pudet ſuæ æqualis* (meretricis ſcilicet?) *Oportet enim ipſam hac eſſe honeſtiorem & graviorem. Ex ulna enim egreſſa eſt, non ex palæſtra.* Et infra: *Si ergo neque Virgines ſaltant*, inquit, *neque quæ nupſerunt, quis ſaltabit. Nullus. Saltationis enim quænam eſt neceſſitas? In myſteriis Græcorum* (h.e. Gentilium) *ſunt ſaltationes: in noſtris autem ſilentium, honeſta gravitas, pudor & modeſtia.* Et hom 36. in Gen. *Accepit Laban Liam filiam ſuam, introduxitque eam ad Iacob*, ait: *Vidiſti enim quanta olim honeſtate nuptias egerint? Num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num choreæ diabolicæ?* Et infra: *Quomodo non abſurdum, ſi nos qui tantam accepimus gratiam & miſericordiam, & tam terribilium ineffabiliumq; Sacramentorum participes ſumus, hac in re inferiores ſumus Laban, qui cultui Idolorum adhuc erat deditus?* Et rurſum: *quando plurimam oportebat eſſe reverentiam majoremq; honeſtatem, & caſtitatem, tanta obſcœnitate implentur omnia illa, ut probabile ſit à Diabolo hæc omnia inventa eſſe.* Confirmari iſtud poteſt exemplo, quod ſcribit Hector Boëthius in Chronicis Scotorum de Alexandro ſexto Scotorum Rege, qui cùm in tertiis ſuis nuptiis Choreas inſtituiſſet, eaſque ſpectaret, vidit ad finem ſaltantium Mortem eâ, quâ pingitur figurâ, oſſeâ ſaltantem, claudere

dare saltatorum agmen. Quare mox choreas, omnemque lætitiam nuptialem sustulit; quòd malum id omen crederet, uti revera erat; cùm eo anno mortuus sit. Quis dubitat hic Dæmonem sub forma Mortis choreis se miscuisse? Aliud divinæ animadversionis in hos saltus exemplum refert Albertus Cranzius *libr.* 12. Wandal. *Histor. cap. decimo quarto.* de Qualensibus nuptiis in Lubica, in quibus aderat frequentissima virorum & mulierum multitudo, ducens choreas; cum repentè incendium domus exortum absumpsit ex illis centum & octoginta utriusque sexus homines: Soli sponsus & sponsa, qui choreis non intererant è lecto evasere incolumes. Quod adeo notum factum est, ut inde proverbio orto *Nuptiæ Qualenses* dicerentur, quæ minus honestè celebrarentur. Satis hæc, opinor, sunt, ad contrahenda vela & componendas ad modestiam nuptias. Si enim antiquorum, partim Hebræorum, partim etiam Gentilium exempla nos non movent, quid aliud expectandum, nisi infelix nuptiarum exitus, quarum ingressus tam fuit incompositus? Quare finio cum S. Gregorio Nazianzeno apol. 1. *Quisquis negotium* (quale inprimis est nuptiarum) *auspicatur, non alium meliorem commodioremq́; ordinem tenere potest, quam ut à Deo incipiat, & in Deo conquiescat.*

EXHORTATIO XXVI.

Quid sibi velit Annulus nuptialis.

[An]tiquorũ [mo]s, ut spõ[su]s sibi spõ[sa]m per an[n]ulum ro[...]bunde[...]ndet. PErantiquus ritus est, qui etiamnum durat, quo sponsus sibi sponsam per annulum despondere solet. Tertullianus antiquissimus auctor in l. de cultu fœminarum pronubum appellat, quod sponsæ pignoris loco mitti consueverit. S. Isidorus Episcopus Hispalensis *l.* 20. Etymologiarum: *Fœminæ*, ait, *non usæ sunt annulis, nisi quos Virgini sponsus miserat, neq́; amplius quàm binos aureos in digitis habere solebant.* Plinius quoq; *l.* 33. *nat. hist. c.* 1. ferreum annulum eumq; sine gemma sponsæ ætate sua mitti consuevisse scribit. Deniq; S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis in ætate adhuc tenera Virginem Deiparam infixo in ejus imaginem annulo, eam sibi despondit edito castitatis voto. Ex quo postea omnia libidinis tela, invocata sponsæ suæ opera elisit. Cæterum intelligere, ut opinor, desideratis; quid sibi hic velit annulus & cur antiqui illum voluerint esse pronubum. Hoc ergo nunc exponemus.

I. *Annulus amoris mutui signum.* I. Indicium est amoris mutui, qui utriusque uti digitum, ita & cor, mentemque charitatis vinculo velut annulo copulet. Ita S. Isidorus lib. 2. de divin. offic. cap. 15. *Quod inprimis, inquit, nuptiis annulus à sponso sponsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum: vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Vnde & quarto annulus digito inseritur, id est, quia in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usq; perveniat.* Idem tradit S. Ambrosius l. de Patriarchis. Gellius lib. 10. c. 10. Macrobius lib. 7. cap. 13. Quare sponsus atque sponsa cum eum annulum intuentur, memores sint inprimis amoris, quem conjugi suo debent, ne alteri eum impendant. Ita veteres imaginem ejus, quem amabant, in annulis gestabant, ut eorum aspectu dilecti recordarentur. Ita Cicero libr. de finibus testatur. Epicuri discipulos & amicos imaginem ejus in annulis gestasse. In omnium animantium generibus mares simul & fœminas Deus creavit: in hominum vero specie virum tantummodo effinxit, ex illo deinde fœminam efformavit, ut summo eos amore devinciret, qui sicut uno corpore constant, ita unam quoque animam & voluntatem haberent. Ita Divus Ambrosius libr. 5. Hexam. cap. 7. *Fecit uxorem*, inquit, *de viro*, h. e. *de costa Adam: & jussit ambos esse in uno corpore & in uno spiritu. Quod unum separas corpus, unum separas spiritum, naturæ adulterium est.*

quo cor mensq́; mutuo sibi cõglutinãtur

Deinde memores sint fidei, sibi mutuò datæ: cogitent annulum rotundum fine carere, pari modo fidem illam nullo unquam tempore violandam esse. Thamar illa Judam redarguit ac convicit fornicationis secum patratæ, annuli indicio, quem arrhæ loco ab eodem acceperat: *Cognosce cujus sit annulus*, dicebat *Gen.* 38. Pari ratione annulus ille pronubus seu datus seu acceptus arguit eum conjugẽ, qui fidem alteri fregit, & quodammodo ait: *Cognosce cujus sit annulus.* Quæ enim in manibus gerimus, crebro in oculos incurrunt, nec tradi facilè oblivioni possunt.

II. Indicium est curæ domesticarum rerum uxori competentis & à viro commissæ. Id testatur Clemens Alexandrinus libr. 3. Pædag. cap. undecimo, ubi ait: *Pædagogus dat eis* (uxoribus) *annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignent, quæ domi digna sunt ut custodiantur; propterea quod servandæ domus cura ad illas pertineat.* Et perbrevi verborum interstitio: *Itaque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, ut quæ eis ad id data sunt opitulatrices.* Et rursum infra. *Res est pulcherrima, mulier domus custos, quæ & se & maritum propriis ornamentis induit.* Intellexit hoc Lacæna illa captiva, apud Plutarch. in Lacon. quæ cùm in foro vendenda interrogaretur, quid sciret? respondit: *probè gerere domum.* Et nobilis illa matrona, quæ Theano percunctanti, quâ ratione celebris esset evasura, respondit: *Contexens telam & meum curans conjugium.* Sensit mulier illustris, quod fortis illa, quæ colu & acu ditavit domum, nec non stragulatam vestem sibi fecit, tantumque

II. Annulus signum quo uxor commonetur sibi domesticarum rerum curam commissam.

tumque lucrata eſt, ut byſſo & purpura ſe veſtiret, ſicque ſibi & viro ſuo gloriam compararet. Meritò igitur de illa dicitur: *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Non minoris etiam roboris eſt, colu & acu defendere ab inopia domum, & opes parare, quam haſta & gladio.

III. *Annulus ſignumque uxor paulo minorem poteſtatem à viro in quid diſcrepantem ſortitur.*

III. Indicium eſt, poteſtatis Legatariæ; ſiquidem dabatur Legatis Regum ad res gerendas emiſſis, ad fidem & auctoritatem eis conciliandam, teſte Plinio *l.33.c.1.* Atqui uxor teſte D. Chryſoſtomo eſt loco Legati, maritus loco Regis; quia mulier in adjutorium viri creata, ſuam etiam poteſtatem obtinet in domo, tametſi à viro dependentem, quemadmodum Legatus dependet à Rege, ſua interim poteſtate & auctoritate pollens, ut in ſequentibus explicat idem S. Pater. Extendit ſe vero illius poteſtas non ad liberos duntaxat à teneris inſtituendos, ſed ad familiam etiam bene ordinãdam, præſertim ad ancillas gubernandas, teſtante Abrahamo *Gen. 16.* ad Saram ſuam loquente: *Ecce ancilla tua in manu eſt: utere ea ut libet*, q.d. *Num quis poteſtatem tuam minuit? Num dominium tuum ablatum eſt? Ipſa ſub manibus tuis eſt, pune, caſtiga, increpa, ut vis & tibi placuerit, ſic facito cum ea*; ut exponit ibi S. Chryſoſt. *Hom.38.* Hinc olim Romani mariti uxoribus primùm domum ingredientibus claves tradebant, ut gubernationem domus capeſcerent, rem domeſticam adminiſtrarent, promæ & condæ eſſent. Denique indirecte etiam extendit ſe ad ipſum maritum, ſi à vero virtutis tramite devia e vellet, ut illi reſiſtat ac ſuccenſeat. Eſt enim maritus aliqua pars uxoris, quæ quaſi proteſtari & appellare poteſt, ſi vir in præcipitia abeat, ne ſimul & ipſam præcipitet, veluti caput ſubjectum & adhærens ſibi corpus. Hac in re enituit virtus Placillæ Auguſtæ, uxoris Theodoſii ſenioris Imperatoris, cujus in primis ſtudium fuiſſe narrat Sozomenus, *lib.7.c.6.* ne vir ejus circumveniretur ab Arianis, dum ne colloquio eorum traheretur in hæreſin, id antevertit. Et noſtro ſæculo pari Catholicæ Religionis zelo ſereniſſima Caroli Archi-Ducis Auſtriaci, Ferdinandi II. Imperatoris genitrix, Maria Anna, Bavarica de Domo, cùm hæretici aliqui trahere Principem ad concionem Lutheranam audiendam niterentur, animosè ſeſe oppoſuit, aſſerens, ſe proles ſuos in humeros ſublaturam & in patriam ſuam migraturam, ſi maritus aſſentiri tam pernicioſo conſilio vellet; eaque animi fortitudine conſilium hæreticorum intervertit, & maritum in Cathol. fide ſolidavit; uti norunt Græcenſes mihi coævi, à quibus id fida relatione accepi. In hujuſmodi eventibus, cùm maritus contra Dei legem aliquid molitur, ſuam uxor authoritatem interponere poteſt, ac debet, ſi per ipſum trahendam ſe prudenter exiſtimet ad peccatum aut grave aliquod damnum: quomodo prudens illa Abigail inconſulto viro ſuo Nabal, abiit ad Davidem, & munera ei detulit, ut iratum placaret, à quo excidium domus ſuæ imminere ſibi intellexrat. 1. Reg. 25.

IV. *Annulus ſignum qui uxor doctur præſtandam marito fidelitatem & obedientiam eſſe.*

IV. Indicium eſt fidelitatis præſtandæ marito, ut ne in perniciem viri aliquid machinetur, aut ſecreta ejus prodat. Hoc fine datum Joſepho fuiſſe à Pharaone annulum, indicat Sanctus Ambroſius l. de Joſeph c.7. *Quid enim ſibi vult annulus*, inquit, *digito ejus inſertus, niſi ut intelligamus Pontificatum ejus fidei eſſe delatum, ut alios ipſe ſignaret?* Eadem intentione dediſſe Aſſuerum Mardochæo annulum ſuum Eſth. 8. non dubito, ut ſi fideliter nimirum jura Regni adminiſtraret, & decreta Regno ſalutaria ſuo annulo ſubſignaret. Quis autem fidior ſit marito, quàm ipſius uxor, cùm ſit alter quaſi maritus, eademque ipſius caro? Monet quidem Eccleſiaſticus cap.7. *Mulier ſi eſt tibi ſecundum animam tuam, ne projicias illam, & odibili non credas te: in toto corde tuo.* quod poſterius etiam de uxore dictum volunt aliqui. Et ſanè ſcimus Samſonem ab uxore proditum eſſe, poſtquam revelavit ei arcanum ſuum. *Iudic.16.* Similiter Amphieraum à ſua Eriphile, pro accepto aureo monili detectum, cum in latebris maneret; teſte Statio Hygino cap. 73. Scimus etiam Micheam cap. 7. dicere: *Ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, claude oſtia oris tui.* Verùm hæc de improbis dicta ſunt mulieribus. Admonentur tamen & reliquæ, ut ſecreta maritorum nulla ratione prodant, niſi ſe ipſas cum illis perdere velint. Notum eſt ex Plutarcho *libro ſecundo, de fortit. & virtut Romanor.* Alexandrum Magnum Hepheſtioni, poſtquam matris epiſtolam ei legendam dediſſet, os annulo obſignaſſe, ne quando proderet, quæ legiſſet. Idem ſibi fieri à ſponſo ſponſa exiſtimet, cum ab eo annulum accipit. Nam ut ait Sanctus Auguſtinus vel quiſquis eſt auctor libri de amicitia cap. 13. *Secretorum revelatione inter amicos* (multò magis inter conjuges) *nil eſt turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos. Sed omnia replens amaritudine, indignationis & odii atque doloris felle cuncta aſpergens.* Viderunt id & Gentiles, uti Athenienſis populus, qui bellum cum Philippo Rege Macedoniæ gerens, deprehenſas illius ad Olympiadem Uxorem literas reſignare & legere non ſuſtinuit: quod exiſtimaret (id quod res habet) arcana conjugum ſacra eſſe, nec fas evulgari, aut ab alienis noſci, ita obſignatas illas intactaſq; in Macedoniam ad Reginam tranſmiſerunt. Refert Ludovic. Vives *lib.2.* de Chriſt. fœmina. Quod ſi hoc illi fecerunt, hoſti armato, quanto æquius eſt idem præſtare conjugem conjugi? Denique Gentilis etiam Iſocrates ad Demonicum ſcribens, ait: *Diligentius tuenda ſunt depoſita verborum, quàm pecuniarum.* Quare ſi uxores ſedulò, uti debent, pecunias maritorum cuſtodiunt, multo magis abſcondant ſecreta eorundem. Cogitent ſibi os ſponſali annulo occluſum

sum esse, adeoque non exiguum imminere malum si arcana virorum prodiderint.

Atque hæc sunt documenta, quæ tradit annulus pronubus, quem proinde cupio ita inseri conjugum digitis, ut nullo unquam tempore excidat. Dicat alter alteri illud Isaiæ c. 49. *Ecce in manibus meis descripsi te.* ut semper sim memor amoris fidei officii, potestatis & fidelitatis meæ atque tuæ.

EXHORTATIO XXVII.

Cæremoniæ Nuptiarum Christianæ explicantur.

CUm in exteram regionem itinere magno & periculo dimittere parentes cogitant filium, prius ei provident de rebus ad iter necessariis: Procurant equum, servum, viaticum, vestes, pecuniam, nec non & electuaria sacraque amuleta: præscribunt documenta &c. Simili provisione dimiserunt à se filium Tobiam parentes, in Mediam abiturum: dederunt commeatum & necessaria alia, adjunxerunt ei comitem, nec non & canem, impertierunt benedictionem. *Tob. 5.* Periculo plenum & multorum dierum iter est status matrimonii, multis ærumnis & difficultatibus refertus. Quare Ecclesia mater nostra, cum quem filiorum suorum ad statum illum dimittit, prius illum munit variis remediis ad hoc iter requisitis, quibus partim instruatur, partim juvetur & roboretur velut sacris amuletis, sive re ipsa exhibitis, sive indicatis per aliquas cæremonias. Offert enim sacrificium altaris, benedicit novos conjuges, jungit eorum manus colligatque Sacerdotali stolâ, munit sacrato annulo, confortat amoris vino, adhibet paranymphos. Prævidet enim metuitque pericula, quæ Tobiæ occurrerunt, immanes pisces, tremendos Asmodæos solicitudines, ærumnas, tentationes: quibus ut occurrant novi conjuges, obarmat eos Ecclesia, uti nunc explicabimus.

I. I. Adhibet paranymphos, qui sponsam sponso adducant: edocta nimirum à Deo, qui Evæ quasi Paranymphus factus, adduxit eam ad Adamum in conjugem accipiendam; docens non ab alio quam ab ipso Deo, per ipsum & ad ipsius gloriam matrimonium ineundum, ipsum authorem & conciliatorem nuptiarum esse. Excludendus igitur Asmodæus, excludendus Mammon, excludenda Venus & similes proci, qui nuptias pervertunt. Audiamus S. Chrysostomum orat. in Calendis habitâ: *Si uxorem duxerimus, propter Deum hoc faciamus: non ut facultates majores acquiramus, sed ut temperanter vivamus: animæ nobilitatem, non pecuniarum abundantiam inquiramus: non majorem splendorem sed morum virtutem persequamur & modestiam: vitæ sociam, non lenociniorum comitem capiamus.* Idem hom. 1. in c. 1. Matth. *Salomon ille, ait, qui interpretatur, accipe vas, qualem filium genuit ex Rahab? Boozi, qui interpretatur, in virtute vel virtus in ipso sive prævalens, qui secundum imperium Dei accepit uxorem Roth, à Deo provisam, in virtute generat filios, & in seipsis virtutem habentes & prævalentes. Qui autem recipiunt uxores ex provisione Diaboli, id est, non religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec prævalentes unquam, nec fortes nisi in malo, & ad pœnam irreligionis suæ, non ad gaudium nec ad consolationem videntur filios genuisse.* Paranymphi adhiberi solent, juvenes formâ decori & nulli corporis defectui obnoxii. Risum enim cieret, qui senem aut ægrum, cæcum vel claudum aut gibbosum produceret paranymphum & sponsæ suæ adjungeret. At si in sponsa præcisè formam spectes, senem & ægrum adhibuisti; quia species & decor formæ brevi tabescet; si divitias, gibbosum, ad ingressum cæli ineptum: si potentum amicitiam, claudum; quia *omnis amicus fraudulenter incedet.* Jer. 6. multa tibi promittet, pauca præstabit. Si hortatum duntaxat & consilium cognatorum secutus es, cæcum nactus es paranymphum, quia in hoc negotio nemo non cæcutit. Solus igitur Deus ejusque gloria præclarus paranymphus est; quem expetiit Eliezer (qui exponitur *Dei adjutorium* (servus Abrahæ, missus ad quærendam & adducendam Isaaco sponsam competentem, quam ut inveniret, oravit: *Domine Deus Domini mei Abrahã occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiã cum Domino meo Abraham.* Gen. 24 ut nim. ejus filio sponsam adducam, quam ipsi providisti.

II. Benedicit annulum pronubum sponsi & sponsæ manibus inserendum. *Annulus quid est aliud,* inquit D. Ambrosius in c. 15. Lucæ, *nisi syncerae fidei signaculum?* Inseritur autem in quarto digito, qui minimo est proximus, & vocatur *medicinalis*; quia ut idem Ambrosius in l. de Patriarchis, & Gellius l. 10. scribit, ex eo digito vena una ad cor tendit; ut ita per hunc annulum vinciatur quodammodo cor ipsorum conjugum. Porrò is olim erat ferreus & sine gemma, ut scribit Plinius *l. 33. c. 1.* utique ad firmitatem conjugalis fidei exprimendam. Quid enim fortius ferro, quod domat omnia? Quò spectat id, quod *Eccli. 27.* dicitur, post quam litigiosa fæmina explosa fuit: *Ferrum ferro committitur* (uti legit Tigurina versio) *sic homo homini sociatur.* q. d. sicut ferrum ferro calenti adjectum fortiter adhæret: ita sponsi & sponsæ fides coalescere debet, ut nulla vi divelli possint. Neque gemma in hoc annulo quærenda est, formæ inquam aut nobilitatis, aut opum splendor in conjuge; quia non ita firma fides est inter dispares fortunâ & genere, sicut inter pares. Novæ Christi sponsæ cum in claustrum Monialium Ordinis S. Brigittæ, editâ professione inducuntur, præfertur illis feretrum velut jam efferendis ad sepulchrum, & postquam in cœnobium ingressæ sunt, clauditur post eas ostium, multo ferro oppessulatum, nec amplius ipsis reseratur, nisi cum efferuntur ad sepulchrum. Hoc ipsum est, quod annulus denunciat Neonymphis; ita nim. eos

II. *In nuptiis adhibendus annulus qui synceræ fidei signaculum inserendusq; quarto digito ratio in promptu.*

eos constringi illo annulo, ut separari nequeunt, donec alter illorum per mortem abripiatur & sepulchro inferatur.

III. *In nuptiis jungendæ amborum manus ut norint se ad mutua obsequia in officio conjugali præstanda devinctos.*

III. Jungit amborum manus & sacrâ stolâ quasi colligat, ut nôrint se mutuò sibi ad porrigendam manum auxiliarem in quacunque fortuna, nec non mutua obsequia præstanda in officio conjugali devinctos esse. In primis si contingeret viro migrandum esse in exilium, vel in amænum alium locum causâ victûs parandæ, vel vitæ tuendæ, non detrectet eum sequi uxor. Cogitet hoc complures fecisse Gentiles fæminas. Inter alias Sulpitia Lentuli uxor, quæ cùm a Tullia matre diligentissimè custodiretur ne virum à Triumviris proscriptum sequeretur; famulari veste sumptâ cum duabus ancillis & totidem servis ad eum clandestinâ fuga pervenit, nec recusavit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in conjuge proscripto constaret, apud *Lud. Vives l. de Christ. fæm.* Deinde si contingat conjugem infirmari, nihilominus amandus & omni ope juvandus est ab altero, ac cum sanus esset. Assidendum est languenti; dolores leniendi verbis, fomenta ministranda: nec prætexenda aut nobilitas, aut labores alii: quia hi omnes cedere debent curæ laborantis infirmitate. Non es nobilior uxore Themistoclis, Athenarum imò Græciæ Principis, quæ sola ferè in adversa valetudine marito ministravit: non nobilior Stratonica, Dejotari Regis conjuge, quæ viro seni, mæsto, valetudinario ipsa erat, & coqua, & medica & chirurga non Romanis fœminis principe de familia, quæ non aliis manibus tractari sinebant maritos ægros, quam suis. Uti refert Vives loco cit. Si denique alter Conjux asperis sit moribus & incommodis, tolerandus est, nec cum eo contendendum, ne oleum igni addas, & cænum cæno abluas, ex uno denique stulto duos stultos facias, te atque ipsum. Contemplare alias, quæ pejores habent maritos. Ferendum est bono animo, quod mutare non potest, & cogitandum majorem tibi proventuram apud homines gloriã, & apud Deum mercedem, si iniquum toleraveris.

IV. *In nuptiis adhibendum missæ sacrificium ut à jove sortiatur fœlix initium.*

IV. Sacrificio Missæ eos communit, in quo cæleste auxilium eis implorat, ad difficilem illum statum securius gerendum. Gentiles iter facturi prius Herculi sacrificabant, quod fortissimi illius Herois ope se indigere affirmarent, teste Feste Pompejo *l. 14.* Magnum, ut diximus, & incertum iter aggrediuntur, qui connubio se committunt; jure igitur merito non fictitio Herculi, sed præpotenti Deo sacrificium prius offerunt, ut eum sibi concilient, & contra occurrentes tentationes invocent ac propitium reddant. Testimonium antiquæ huic cæremoniæ reddit antiquissimus author Tertullianus lib. 2. ad Uxorem. ubi ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat* (hoc est copulat) *& oblatio* (Missæ videlicet) *confirmat.* Viderunt sibi hunc comitem esse necessarium, qui in Cana Galileæ invitârunt Christum ad nuptias suas; sine quo alioquin deficiente vino bibere aquam coacti fuissent; aquam inquam tribulationis, desolationis, Zelotypiæ, contentionis, impatientiæ &c. At verò *si adsit Christus ad nuptias,* inquit D. Chrys. ho. 12. in Epist. ad Coloss. *si velis, nunc quoque faciet miracula, sicut & tunc. Faciet nunc quoque aquam vinum, & multo admirabilius. Diffluentem & dissolutam convertet lætitiam & cupiditatem; & transferet ad spiritualem. Hoc est ex aqua vinum facere. Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus. Sed & si fuerit ingressus, eos primum ejicit, & tunc facit miracula. Quid satanicâ pompâ est injucundius?* Hæc Chrys. Ita nimirum pervertit Satan homines, ut quæ ipsis à Deo tributa sunt contra venenum antidota, convertant in venena. Manè invitant Conjuges Christum ad nuptias in Missæ sacrificio, vespere expellunt, & admittunt diabolum in Satanicis Choreis, aliisque impudicitiis. Deum invitavit ad nuptias Tobias, cùm à triduanis precibus precibus & abstinentia orditus est conjugium. Diabolum vocarunt septem illi viri, qui Tobiæ sponsam prius acceperant sicut equus & mulus, ut libidini suæ vocarent. *Tob. 3. & 6.*

V. *Novis nuptiis l... gienda ...nedictio sacerdo...lis, quâ ...præsent...tur ben...dictio ...vina p...mis pa...tibus d...*

V. Benedictionem Sacerdotalem impertit primis nuptiis, ex antiquissima consuetudine, ut constat ex epistola 1. Evaristi Pp. & Martyris ad Episcopos Africanos *c. 30. q. 5. c. aliter.* Item *c. 3. q. 5.* c. Nullus, c. Nostrates. c. Sponsus. Ejusdem meminit Hormisdas & Nicolaus 1. summi Pontifices, nec non Concilium Carthaginense, cujus est hoc decretum: *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel à paranymphis offerantur. Qui cùm acceperint benedictionem, eâdem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Eâ verò benedictio repræsentat inprimis benedictionem illam, quam dedit Deus primis parentibus Gen. 1. dicens: *Crescite & multiplicamini & replete terram* &c. Et quia primæ illæ nuptiæ repræsentant mirabiles illas Christi cum Ecclesia, & rursum filii Dei cum humana natura; ideoque in nova lege *Sacramentum* & quidem *magnum* sunt, Apostolo teste ad *Eph. 5.* à Christo ad hanc dignitatem exaltatæ, ac proinde benedictione sacerdotali cohonestandæ; Quam ob causam secundas nuptias benedici vetat Ecclesia, quia à significatione illarum, in quibus fit conjunctio unius cum una duntaxat nexu indissolubili, deficiunt. Deinde postulat à Deo conjugibus uberem gratiam, fæcunditatem, concordiam, pacem omnemque prosperitatem in animo & corpore; veluti ut habeant sufficientem corporis sustentationem, constantem sanitatem, vitam longævam, proles speciosas, & morigeras, beatum ex hac vita transitum &c. Quemadmodum de Anna illa uxore Elcanæ legimus 1. Reg. 1. postquam ei Sacerdos Heli dixit: *Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogâsti eum,* impetravit filium, & quidem sanctum, cum prius fuisset sterilis. Propterea olim Christiani conjuges tanti æstimarunt Sacerdotum benedictionem etiam privatam, ut ab obiis passim expeterent. Eudoxia

doxia

doxia Imperatrix cum à duobus Episcopis ante partum inviseretur, hic verbis prævenit eorum salutationem: *Benedicite Patres &c. Propter Dominum orate pro me, ut quod est in utero, in lucem edam cum Dei benignitate.* ut scribit Marcus Gazensis in vita S. Porphyrii. Justiniani Imperatori cum benedixisset S. Sabas, rogatus est ab eo, ut Theodoræ quoque conjugi benedictionem impertiret, quâ ex ea sibi filium impetraret, dedit quidem, sed non nisi ut sospes & salva esset ejus potentia, nequaquam verò ut filium obtineret: *Deus enim*, ajebat, *non sinet aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustet Severi dogmata, & deteriores quàm prius sub Anastasio tumultus conturbem Dei Ecclesiam.* Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima. Refert Cyrillus in vita S. Sabæ apud Sur. 5. Dec.

VI. *opina- rnovis ptis vi- m amo- benedi- one sa- tum, amore tuo sibi sto sint.*

VI Propinat illis *vinum amoris*, quod appellamus, benedictionem ibidem sacratum. Facit hoc ad conciliandum mutuum inter eos amores, ut alter pro altero, si res ita ferat, mori paratus sit: quemadmodum S. Joannes amore Aristodemi, Idolorum Pontificis & aliorum Idololatrarum, ut eos Christo lucrifaceret, mortis præsenti periculo se exposuit, dum propinatum sibi venenatum calicem exhausit, unde tamen læsus non est. Quod si Joannes vitam suam propter impios homines discrimini huic commisit, cur non idem præstet conjux conjugi, cum sint una caro? Certè si quis in caput tuum vibret ictum, tu brachium objicies: similiter si latus tuum pungere aut ferire velit. Meminerit ergo vir è later. suo formatam sibi esse uxorem: uxor sciat virum esse suum caput. Cur non igitur pro altero alter se objiciat ad quævis pericula? Quare hic calix quasi philtrum amoris spirituale eis porrigitur. Quod ut efficacius sit, amet alter alterum. Hoc philtrum proponit S. Chrysost. homil. 13. ad pop. *Vis beneficia capere?* inquit, *confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri. Tu sis judex, tu sis vitæ tuæ legislator.* Quæ quidem in genere dicta ad o..nes mortales pertinet; tanto tamen plus valere inter conjuges deberet, quantò major inter ipsos est conjunctio corporum & animorum, quam inter alios homines.

Hæc igitur indumenta, hæc armamenta sunt, quibus munit & obarmat vos, novos conjuges, Ecclesia mater vestra. Nolite ea spernere, nolite parvifacere; nequit in hoc imitemini pastorem illum, Davidem, qui lapidibus solùm & baculo instructus potenti se objecit hosti. Non est omnium hæc virtus; nec unus duntaxat hostis est, qui in connubio vos expectat. Curarum integrum agmen, integer exercitus est, cum quo vobis confligendum. Quare *induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* ad Eph. 6.

EXHORTATIO XXVIII.

Ritus Nuptiarum gentiles exponuntur.

QUando filii Israël migraturi erant ex Ægypto in promissam sibi terram, adeoque in peregrinam regionem, præcepit eis Deus, ut à vicinis suis Ægyptiis utenda sibi peterent vasa aurea & argentea, nec non & vestimenta varia; hisque instructi utensilibus Ægyptum spoliarent, ac sese domosque suas hâc suppellectile locupletarent, uti legimus *Exod. 11. & 12.* Hæc enim spolia ipsis Deus donavit. Idem vel quid simile vobis, novi conjuges, Agendum ego suadeo. Quia enim in peregrinam terram, in statum inquam conjugalem, nec dum vobis cognitum, transituri estis, ubi in peregrinâ domo multa vobis suppellex necessaria erit, eam vobis ut paretis, commodandam postulate à Gentilibus; quin imò etiam rapite & capite quocunque modo potestis. Ea verò supellectilia aliud non sunt, quam ritus nuptiales, seu externa symbŏla, desumpta è naturæ lumine adeoque rationi congrua, quibus illi novos conjuges ad rem gerendam instruebant; non quidem absque superstitione aliqua, quam nos præcidemus; cætera velut salutaria, adeoque aurea & argentea documenta in nostrum usum transferemus, sicque abjecto cortice nucleum comedemus. Sunt autem ista.

Novis nuptis supellex maxime necessaria quæ domum ornent.

I. Celibari hastâ, quæ in corpore gladiatoris abjecti, occisique stetisset, nubentis fœminæ caput comebatur, ut tradit Sextus Pompejus. Causam dit Plutarchus in quæst. Rom. q. 85. *Cur nuptarum comam*, inquit, *discriminant hastæ cuspide? Monentur nuptæ, quia belli osis jungantur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici & à luxu ac mollitie alieno.* Deinde admonentur conjuges non nisi hasta alteri tri infixa hoc est morte conjugium dirimendum esse; itaque etiam nuptiarum die meminisse eos mortis voluerunt; ut ea recordatione quasi aqua vinum nuptialium gaudiorum & voluptatum temperarent.

I. *Olim nubentis fœminæ caput comebatur hastæ cuspide, ut rixosi viri nutum facilius perferre posset.*

II. Corona redimiri sponsa à sponso & vicissim sponsus & sponsa solebant, teste Tertulliano, qui ait: *Coronant nuptiæ sponsos* in lib. de corona militis, & Catullo in carmine de nuptiis Juliæ & Manlii: *Cinge tempora*, inquit, *floribus suave olentis amarici.* Eccur verò, nisi ut mutuum sibi honorem defendum semper intelligerent? Vir enim caput, & gubernator est uxoris, uxor verò adjutorium & sustentaculum ejus. Unde D. Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 2. ait: *Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam. Quem vocavit ad culpam mulier, justum est, ut eum gubernatorem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur.* Et paulo post: *Sed etiam tu vir depone tumorem cordis, asperitatem morum,*

II. *Olim sponsa à sponso & sponsus à sponsa corona redimiri solebant, ut mutuũ honorem sibi defendam intelligerent.*

*morum, cum tibi sedula uxor occurrit; propelle indi-
gnationem cum blanda conjux ad charitatem pro-
vocat. Non es Dominus, sed maritus: non ancillam sor-
titus es, sed uxorem Gubernatorem te Deus voluit esse
sexûs inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem,
redde amori gratiam.* Persarum Regum legitimæ
uxores convivari cum eis & genialiter agere con-
sueverunt, cænis autem lascivioribus non admitte-
bantur, sed psaltriæ tantum & concubinæ. Quem
honorem Reges illi conjugio deferebant. Nam ut
princeps ille solitus erat dicere: *Vxor dignitatis no-
men est, non voluptatis.* Sic maritus conjunctionis,
propinquitatis, unionis appellatio est, non libidi-
nis. *Refert Lud. Vives de fœm. Christ.*

III. *Olim sponsa induebatur tunica recta id est ut haberet puram & rectam intentionem in contrahendo matrimonio.*

III. Rectâ tunicâ induebatur sponsa, qualem
prima Caja Cæcilia texuit; teste Plinio *l. 8. c. 48.*
Quid hæc nisi recta & pura intentio in contrahen-
do matrimonio? Recta verò est illa, quam habuit
& exponit junior Tobias c.8. Tob. *Domine tu scis,
quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conju-
gem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur
nomen tuum in sæcula sæculorum.* Quin imò intel-
lexit etiam Plato, cum scripsit *l. 6. de Legib.* idcirco
ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos,
qui Deo serviant pro se. Et paulo post: *Oportet paren-
tes gignere & educare liberos, qui vitam tanquam
lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui
Deum colentes juxta legem.* Qui hac intentione ca-
rent, sed opes, voluptates aut amicitias quærunt,
non rectam, sed plicatam tunicâ gerunt: & sicut ve-
stium plicæ citò atteruntur & lacerantur: ita & di-
storta nuptiarum intentio gignit discordias & in-
fælicem exitum; ut testatur Raphaël Angelus.
Tob.6. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se
& mente sua excludant, & suæ libidini vacent, sic ut
equus & mulus, quibus non est intellectus, habet po-
testatem dæmonium super eos.*

IV. *Olim sponsa cingebatur cingulo ex lana ovis confecto, causa sc. liberum contrahentium consensum esse debere.*

IV. Cingulo nupta cingebatur ex lana ovis con-
fecto, ut cit. Sextus Pompejus scribit; quâ verò
causâ? *Vt sicut illa in glomis sublata, conjuncta inter
se est: sic vir suus secum junctus cinctusque esse,* in-
quit Nec malè dixerit quis factum id ad indican-
dum liberum contrahentium consensum, quem
insinuat ovis, quæ liberè sequitur pastorem, non
agitur scutica, ut alia pecora, boves, equi, porci,
cum ad pascua pelluntur. Matrimonium dura quæ-
dam servitus est, quam mors sola solvit: homo au-
tem naturâ suâ liber est; non ergo impelli ad istam
servitutem debet, nec fraude induci. Unde S. Tho-
mas 22. q. 104. art 5. ait: *Quia omnes homines naturâ
suâ pares sunt, puta in his, quæ pertinent ad corporis
sustentationem & prolis generationem; non tenentur
nec servi Dominis, nec filii parentibus obedire in ma-
trimonio contrahendo, vel virginitate servanda aut
aliquo hujusmodi.* Ideo Apostolus 1. Cor. 7. ait: *Cui
vult nubat; id est,* inquit in eum textum D. Ambro-
sius, *quem sibi aptum putaverit, illi nubat; quia in-
vitæ nuptiæ solent malos proventus habere.*

V.

V. Velo sponsa obnubi solebat, cum ad sponsum
deduceretur, teste Tertulliano l. de Veland. Virgin.
Atquin etiam velatæ, inquit, *ad virum ducuntur.*
Velum id dicebatur Flammeum, eratque præci-
puum sponsarum insigne, unde & nuptæ & nubere
dicebantur, à nubibus, quæ cæli amænitatem no-
bis abscondunt & obnubant. Qui mos cernitur
adhuc in Italia, ut sponsæ usque ad nuptias non ni-
si velato vultu in publico incedant. Et cur hoc,
nisi ut demonstret sponsa, se jam uni desponsatam,
alteri nemini placere velle? Vult dicere, se jam ven-
didisse merces suas, ideoque clausisse officinam.
Vult dicere id sponsæ Cant. 2. *Dilectus meus mihi
& ego illi.* Ubi S. Bernardus serm. 68. *Ille mihi & non
alteri, quoniam una sum columba ejus, ego illi & non
alteri.* Hinc Cant. 5. quæritur vi ablatum sibi esse
pallium, seu velum ac flammeum, pro quo servan-
do pugnarit usque ad sanguinem: *Invenerunt me
custodes,* inquit, *qui circumeunt civitatem: percusse-
runt me & vulneraverunt me: tulerunt pallium
meum.* præclaro matronis omnibus exemplo, ut
pro velo pudicitiæ tuendo totis viribus pugnent.

Olim spo[nsa] ducer[etur] ad spon-sum ob[…] bi soleb[at] velo, r[…] ut scire[t] jam u[ni] despons[atam] tam a[…] nemini placere […] debere.

VI. *Olim n[…]va N[…] prefer[eba]tur co[lus] & fus[um …]nato […] sciret non […] otium […] ad la[borem] duci.*

VI. Cum in domum sponsi sponsa duceretur,
præferebatur ei colus & fusum, teste *Plut. in quæst.
Rom. q. 31.* quò nim. intelligerent, se non ad otium
& delitias duci, sed ad laborem sibi congruum,
qualis est potissimum linum & lanam tractare, ne-
re & filare. Eodem fine postes domûs lanâ attin-
gebat, & coronabat: ingressaque domum in pelle
lanata sedere jubebatur; ut disceret, quid agen-
dum sibi in domo esset. Rursum crebrò acclama-
batur ei *Thalassio Thalassio:* velut si dicas Quasillum
aut Chalatus, in quo lana reponitur auct. Sexto
Pompejo. Hinc etiam laudatur fortis illa mulier
Prov. 31. *Quæsivit lanam & linum.* Et mox: *Manum
suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt
fusum.* Quin etiam Imperatores aliqui voluerunt
filias suas eodem lanificio edoceri & occupari, ut
Cæsar Augustus & Carolus M. Alexander quoque
M. Persicis Reginis monstravit vestes à matre &
sororibus sibi confectas. Denique apud Hispanos
veteres præmium fuisse certamini publicè propo-
situm, dandum illi, quæ plurimum nevisset aut
texuisset. Refert Lud. Vives: idque statis tempori-
bus judicatur, propositis in publicum operibus,
eratque is honor permagnus.

Oli[m] sa n[…] duc[…] ad […] siar[…] bus […] rib[…] qui […] culi[…] trin[…] ina[…] bili[…]

VII. Facibus accensis sub noctem ingruentem
ducebatur sponsa in domum sponsi: ita tamen ut
faces illæ numero impari essent, & ferè quinario,
ut habet Plutarchus *in Quæst. Rom. q. 2.* Quid anti-
qui illi sibi voluerint cum his facibus, variè sen-
tiunt Auctores. Nobis indicant nocturna seu clan-
destina matrimonia non approbanda, sicut & ea
abrogavit Concilium Tridentinum, quia inde o-
riuntur multa incommoda, quibus legitimæ con-
juges repudiantur & aliæ inducebantur: nec de-
prehendi sæpe poterat, qui legitimi essent filii, qui
adulterini.

Numerus facum impar adeoque indivisibilis
significabat matrimonium, quoad vinculum esse
per-

parvoque temporis intervallo, quasi epilepsia tactus, huc illuc circumspectabat rabido vultu, quem & abscondere conabatur, quasi dæmonem cerneret. Duravit ea rabies horas circiter duodecim, donec abscissam dentibus linguam pariter & animam exposuit. Refert P. Maxim. Sandæus Conc. de Morte l. 1. Comment. 5. Igitur ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo; quale iste sibi præfiniebat ad pœnitendum in Quadragesima.

II. Impendit iis, qui in eadem peccata sæpius relabuntur, nec emendant se. Id enim testatur Eccles. cap. 26. Deus: *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi venit.* Quodnam verò illud tertium? *Qui transgreditur à justitia ad peccatum. Deus parauit eum rhomphæam:* Illam scilicet utraque parte acutam, de qua dicitur Apoc. cap. 2. *Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque acutam.* Rhomphæa est framea longa, quæ procul etiam ferit, adeoque illos, qui se à Dei vindicta procul distare putant, vulnerat incautos duplici acumine in corpore & anima. Senserunt eam Hebræi non semel in deserto, quandò sæpiùs relapsi ad murmurandum contra Deum, repente castigati sunt, nunc igne, nunc pestilentia, nunc ignotis serpentum morsibus. Scimus ex 1. Reg. 5. Dagonem illum, Idolum Azotiorum, coram Arca fœderis constitutum, prima nocte corruisse licet absque sui confractione. Sed cum iterum repositus fuit ab Azotiis in locum ante Arcam, sequenti nocte denuò collapsum, sed graviore casu, capite nim. dempto & manibus præcisis repertum ad limen templi. Quid hoc significavit? Utique graviorem esse lapsum primo secundum, qui planè Idolum confregit: adeoque illis, qui peccata per pœnitentiam sæpius dejecta denuò repetunt, imminere subitum & inopinatum interitum! qualem etiam expertus est Saul Rex, qui postquam abstulit Magos & ariolos de terra Israël juxta Præceptum Dei Levitic. 19. & 20. Pythonissam ipse consuluit. 1. Reg. 20. quamobrem ei interitus à Samuele suscitato prædictus, nec multò post illatus est: Sensit & Canonicus ille Ecclesiæ principalis, stemmate Nobilis, sed carnali vitio obnoxius, qui cùm in ardenti febri ad extrema deductus esset, conventus à S. Francisco, animatus & sanitati restitutus est, cùm ea tamen cautione, ut deinceps ab eo vitio se contineret: graviora passurus, si ad vomitum reverteretur. Verùm miser ille posthabito Sancti Patris monito, ad Lupanar postliminiò reversus, cùm ad cœnam una cum altero Clerico assedisset, & genio suo indulsisset, tum ecce subitò corruit domus, & cæteris omnibus, qui aderant, illæsis solum illum conterit. Refert S. Bonaventura in vita S. Francisci cap. 11. Plura ad eandem rem confirmandam exempla passim statuta, recensui alibi, & hic prætereo: ab aliis annotata. Id duntaxat addo ex sententia S. Bernardi gravius esse dimissa peccata repetere, quàm in peccatis perseverare, adeoque gravius supplicium metuendum relapso, quam persistenti in peccato. Nam serm. 54. in Cant. triplicem inculcans timorem: *Timeas, quidem,* inquit, *pro accepta gratia amplius pro amissa, longè plus pro recuperata: juxta illud: Iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ioan. 8. Audis recidere, quàm incidere esse deterius?*

III. *Insidiatur iis, qui continua prosperitate utuntur in hoc mundo, nec interim Deum colunt.*

III. Insidiatur iis, qui continua prosperitate utuntur in hoc mundo, nec interim Deum colunt. Ita enim legimus Job. 21. *Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* In quem locum scribit S. Gregorius 15. moral. cap. 19. *Potest in puncto hoc intelligi, quod sæpe hi, qui iniquitate diu tolerati sunt, subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat, quæ peccaverunt.* Multis hoc ostendi exemplis potest. Aman dum in summa Regis Assueri gratia bonis omnibus circumfluit, & pro libitu dominatur, repente fortunæ rota se revolvit, & Amanem è mensa Regia abstractum, in patibulum sustulit. Dives ille Luc. 12. dum animæ suæ loquens ait: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare,* subitò audit vocem Dei: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Nocte, ut videtur, dum in omnis jacebat, cogitationes istas mente voluebat, & dum ista cogitat, mortis nuncium audit. Unde Theophylactus ibi: *Non transiit,* inquit, *cogitationem suam dives: sed in ipso cogitationis momento, ex tota vita abscinditur.* Quia enim magna & diuturna prosperitas oblivionem Dei inducere solet & contemptum, hinc ejus ira procul abesse non potest; uti vel Ethnicus ille Philosophus intellexit, qui Polycrati Samiorum Tyranno fortunam suam jactanti respondit, *Solam Numinis iram à tam prosperis abesse non posse.* Is cùm persuasum haberet, nihil sibi triste vel adversum contingere posse, annulum pretiosum de industria projecit in profundum; quem tamen, continuò recuperavit, capto pisce, qui eum devoraverat. Sed hunc, cujus felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit, Ozontes Darii Regis Præfectus cepit, & in excelsissimo Mycalensi montis vertice cruci affixit. Ita ferè Valer. Max. lib. 1. cap. 11. Strabo lib. 14. Cic. de finib. lib. 5. Vulgatum etiam illud creditur, quod Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 36. scribit de hospite, ad quem divertit D. Ambrosius Mediolano Romam iter agens. Is enim cum affirmasset, nunquam se adversam fortunam passum, vir sanctus ad suos comites conversus: *Properè hinc discedamus,* inquit, *ne divina vindicta nos hic obruat, Deus enim non moratur in his ædibus.* Cumque paulum una cum suis progressus esset, terra dehiscens hospitem istum cum domo & familia sua absorpsit. De his Psalm. 72. dicitur: *Verum tamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum allevarentur.* S. Hieronymus

nymus ex Hebraico textu vertit: *In lubrico posuisti eos: dejecisti eos in interitum.* Nimirum in fortunæ rota ubi exaltati sunt, mox dejiciuntur. Quam dejectionem mox miratur Psalmista adjungens: *Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt.* Hinc forsan Salomon thronum sibi ex ebore fecit. 3. Reg. 10. adeoque velut lubricum; quia qui in alto fortunæ solio sedent, lapsui vicini sunt.

IV. *Imminet iis, qui mortis immemores, malè securi in deliciis vivunt.*

IV. Imminet illis, qui mortis memoriam à mente sua excludunt, & securi in delitiis agunt; non secus ac civibus Amiclæis (inter Cajetam Italiæ & Terracinam sitis) qui cum eis frequenti, sed falso rumore nunciatus esset hostium adventus, caverunt ne quis deinceps mentionem adventantis hostis faceret: sed damno suo. Cùm enim paulò post hostis irrumperet, nec quisquam id nunciare vellet, ex improviso oppressi & deleti sunt. Unde natum proverbium: *Amiclas silentium perdidit.* Hunc in modum, qui de mortis adventu nihil audire volunt, ab eadem incauti & repentè obruuntur. De quibus dicitur Ecclesiastes cap. 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis exemplo supervenerit.* Qui ergò nesciunt, neque prævident finem vitæ suæ seu mortem, (veluti pisces, qui in undis ludunt, & quaquaversum vagantur: & sicut aves in area pabulantur, interim repentè includuntur, & operiuntur retibus ac jugulantur) cùm nihil minùs, quam de morte cogitant, exemplo sæpè ab aucupe & piscatore morte comprehenduntur. Contigit hoc inprimis Pharaoni ejusque exercitui, qui post Hebræos ingressi in maris rubri per liquidos parietes & impendentes mortis minas, siccatum alveum, quasi ludibundæ volens, nihil de interitu suo metuentes, solam Hebræorum cædem & prædam cogitantes, repentè collapsi aqueis parietibus, quasi contractibus retibus capti & undis operti sunt. Exod. 15. Similis catastrophe excepit Amnonem in convivio Absolonis, Amanem in convivio Assueri Regis, ambo morte plexi. Idem accidit Philisthæis, Judic. 16. quandò in festo suo conviventes & lætantes vocarunt Samsonem, ut luderet coram eis, statueruntque inter duas columnas, non attendentes, quod receptis una cum capillo viribus, concutere columnas, & perdere eos posset: Itaque dum hæc agunt illi, Samson evertit columnas, cadit domus, & obterit Philisthæos. Hujusmodi fuit & ille salutis suæ contemptor, qui, ut refert Stapletonus in Prompt. Morali, & Beyrlinck in Apophr. Christ. qui ut animæ suæ prospiceret suadentibus dicebat assiduè: *Hæccine cura mihi impendeat? Ego in supremo vitæ articulo tribus verbis salutem mihi parabo.* At non est eam consecutus, ut cogitabat. Factum enim ut hyemali tempore lacerum pontem transiturus, cùm sibi omninò cadendum & pereundum videret, tria desperati animi verba proclamavit: *Capiat omnia Dæmon;* ac statim cum equo, cui insidebat, undis obrutus est, quod ex Insulis Philippinis ad nos à Patribus Manillanis perscriptum est. Cùm ad portum Canite, incolis & adversis celeberrimum quidam è Patribus diceret ad fœdam ex omni conditione hominum colluviem, ageretque de brevitate vitæ, mortisque incerta hora, dicendi ardore provectus, prorupit in hæc verba: *Quid? scitisne, utrum obstinatus, qui me audit, peccator, die crastina Deo de factis rationem reddet?* Atque ita contingit: Miles famæ non bonæ, qui adhortationem illam surdis hauserat auribus, proximo manè propè navim, quæ fabricabatur in littore, levi occasione irritatus, cum transiret, ac verbis pessimis pejeraret, forte decidit à summo proræ lignum, quod subitò hominem juramenta repetentem interfecit. Refert P. Max. Sandæus in Concion. de Morte lib. 1. Commentar. 5.

V. *Minatur contemptoribus violatoribus rerum Deo Sacratarum.*

V. Minatur contemptoribus & violatoribus rerum Deo sacratarum passim id videre est in Scripturis SS. in quibus mortis supplicium decernit Deus in hujusmodi peccatores; uti Exod. 19. iis, qui montem Sinai, in quo velut sacro Deus loquebatur Moysi: *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Et cap. 31. Sabbathi prævaricatores occidi jubentur. *Omnis, qui polluerit illud morietur.* Et similia. Sunt & frequentes clades, quibus executioni mandata sunt ea decreta; ut in filiis Aaronis Nadab & Abiu, qui quòd profano igne adolerent thymiama, repente ab igne sacro correpti, & combusti sunt. Levit. 10. Filii Heli, Ophni, & Phinees, qui rem sacram variè violabant, ambo uno die in prælio occisi sunt. 1. Reg. 3. Oza, quod non existens sacerdos, sed Levita duntaxat, arcam tetigerit, subita morte concidit. 2. Reg. 6. Balthasar Rex, dum è vasis templi sacris comedit & bibit, à Persis & Medis interemptus est. Dan. 5. Sub lege verò nova multò plures hujusmodi clades acciderunt; quæ ex parte recensuimus in Tripart. Op. Conc. Dom. 9. post Pent. c. 6. Rursum in Auctario Conc. Dom. 10. post Pent. Th. 3. p. 3. de Rustico, qui in Styria auditæ à se missæ meritum utique ex contemptu vendidit nobili viro pro sago ipsius: eoque accepto est repertus à nobili domum reverso, suspensus in arbore. Ex Ænea Sylvio in descript. Europæ. c. 21. Similem eventum habuit boni operis contemptus in Euclione quodam Constantinopolitano, qui, tenente Imperii gubernacula Justiniano, constitutus in periculo mortis, pauperibus 30. libras argenti distribuit: post revalescens ductus est pœnitentia beneficii præstiti. Igitur amicus quidam, ut insanum hunc dolorem ei excuteret, institit, cumque se operam ludere cerneret dixit: *En paratus sum restituere tibi triginta illas libras, modò in templo me præsente Deo profitearis: Domine non ego 30. libras in egenos dispertitus sum, sed hic amicus meus.* Conditionem accepit, protestationem fecit, pecuniam recepit; sed non diu ea gavisus est. Cum

Cùm enim Ecclesiam egredi parat, argento suo onustus, humi procumbit, & animam exhalat. Raderus in Viridario SS. ex Menæo Græc. Baron. anno 553. ex Cedreno. Nimirum bene dixit Ecclesiastes cap. 5. *Displicet Deo infidelis & stulta promissio.* Peractum opus bonum, adeoque Deo jam Sacratum, pecunia divendere; quod aliud non est, quam res sacras in fore prostituere, & profanas reddere. *Nolite errare*, ait Apostolus, *Deus non irridetur*. ad Gal. 6.

Hi sunt potissimum, quos reperi obnoxios inopinatæ morti; quam proinde maximè cavere quisque & potest, & debet. Repentinam enim, nisi hanc improvisam habeat adjunctam, non est, quod metuamus, nisi forsan aliquis temere se in periculum mortis conjicere, adeoque sciens, volens velit perire.

Atque hæc eò dicta volumus, non quod arbitremur defunctum nostrum hunc infelicem obitum esse sortitum; sed pro bono nostro, ut nobis caveamus, ne, ut quibusdam accidit; similiter pereamus; quemadmodum monuit Christus Luc. 13. de illis Galilæis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum Sacrificiis eorum: *Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Idemque repetit de illis 18. quos obtrivit turris Siloë. Sint ergo infælicium horum reorum exitus & supplicia, nobis ad pœnitentiam incitamenta.

EXHORTATIO XXXVII.

Mortis horam cur incertam esse Deus voluerit?

THEMA.

Vigilate itaque qui nescitis diem neque horam. Matth. 25.

In Brasilia bestia, quæ hominem dicto citius occidit.

MEmini me legisse in Brasilia novi orbis Occidentalis, Regione, bestiam degere venenosissimam, quæ hominem dicto citius occidit: Ne autem grandia nimis damna humano generi inferat, providit Creator hunc in modum: posuit in capite ejus cartilaginem quandam ad instar nolæ resonantem: cujus sonitu homines periculi venientis admonentur, & bestiam effugiunt. Nulla in terris bestia magis venenosa est ipsa Morte, quæ non unum aut alterum, sed omnes omninò homines sensim, & quod pessimum est, incautos depascitur. Hanc imperitum vulgus sibi imaginantur, velut monstrum aliquod horridum, vel larvam hominis funestam. Cujusmodi larvatus impostor sub mortis specie in Ungaria anno sæculi 22. vel 23. Pagos obambulabat, & è simplici plebe metu cædis inferendæ, pecunias emungebat, non inani successu, postea tamen ab Haidone trajectus & spoliatus, ut scribit P. Max. Sandæus de Morte l. 2. symb. 57. De hac igitur cogitare possent isti: Eccur Deus, & huic tam rapaci & venenatæ bestiæ nolam non affixit, quæ adventantem proderet, ut fugæ locus esset? Profectò etiam Sapientiores, qui meliùs norunt mortem, quidnam ea sit; non dissimili dubio laborant, quamobrem nobis Deus advenientis horam mortis incertam esse voluerit. Obruit enim incautos, & sæpè imparatos, in omni ætate, ut nemo uspiam securus, nemo ab ea liber sit. Sed enim nemo prudens sibi persuadeat sine Numinis providentia hoc esse constitutum, quin imò magnas & urgentissimas esse decreti hujus causas; quas hic investigabimus.

I. *Si nossent homines diem mortis, sibi tantùm viverent.*

I. Causa est politica, eaque gemina. Nam inprimis, si nossent homines diem mortis suæ, sibi tantùm viverent ac providerent, non posteritati. Plerique arbores non sererent, vineas non plantarent, domos non exstruerent: plurimi omnia sua absumerent, posteris nil relinquerent de suis facultatibus: imo aliqui ex mera invidia sua planè perderent, defoderent, aut in flumina projicerent, ne posteris eis gauderent. Si enim vel sub incerto mortis adventu reperiri homines, Isaias c. 22. ait, dicentes: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur;* quid fieret, si hoc cras futurum certò præviderent? Exemplo sunt insani milites, qui cùm è loco migrant, quo reversuros se non putant, omnia devastant, quæ vel abligurire, vel secum auferre nequeunt. Nec defuêre lurcones egregiè Epicurei dicere qui non erubescebant, se vel vini cantharum, si ad pedes morientium staret, in agone suo eversuros, ne quid reliquũ foret. Quid agerent hæ noxæ, si mortem præviderent? Deindè pax & tranquillitas inter homines magnoperè violaretur. Qui enim scirent se multis annis victuros, iras & inimicitias suas prosequerentur nimiùm insolescerent, & tyrannicè alios opprimerent. Econtra qui scirent brevi tempore se victuros, dejecto semper animo & desperabundo degerent, adeoq; non sibi tantum, sed & aliis etiam molesti & onerosi forent, ac veluti Cain profugi circumirent mortem ubiq; metuentes, timore inutili & pernicioso: multi in desperationem caderent, præsertim qui natura pavidi sunt: unde eorum pœnitentia coacta, & parum utilis esset. Modò autem quia semper aliquantula spes vitæ superest, locum non habet nimia illa anxietas: & ex altera parte periculum præsens monet, ut homo disponat domui suæ: sicque intra spem & metum retentus commodius & fructuosius præparare se ad mortẽ potest. Minùs itaque prudenter Julius Cæsar inopinatum sibi mortis genus optavit, apud Suet. & Plut. in apopht. quod & obtinuit confossus 23. vulneribus. Quia scil. licet mors inopinata & repentina anxietatem adimat: hominem tamen indispositum maximo salutis cùm periculo opprimit.

II. *Ex prænotitia horæ.*

II. Est, quia si novisset homo finem suum ultimum plurima bona opera intercciderent & omitterentur: Nam si v. g. ægrotans sciret, se in ea, qua

deti-

mortis plurima bona opera emitterentur.

detinetur, infirmitate non moriturum, peccata per confessionem nondum expiaret, nec sacra se communione pasceret, Deum & Sanctos non invocaret, vota nulla faceret, nihil eleemosynæ in pauperes erogaret, sacrificia pro se offerri non curaret, injurias non remitteret, inimicitas non deponeret, vitæ emendationem non promitteret; sed omnia hæc differret usque ad ultimam vitæ horam: adeoque Deo facem duntaxat è vini sui dolio propinarent, reliquum omne mundo & Diabolo apponerent. Audiamus de hoc Chrysostomum hom. 9. in Ep. ad Thessal. *Si scire vultis*, inquit, *quamobrem absconditus sit dies mortis, & quare sicut fur in nocte, ita & ipsa veniat: ideò hoc est, quia nemo virtutis unquam curam, quod ad omnem vitam attinet habuisset sed cognito quisque consummationis suæ die, postquam innumera mala perpetrâsset, tum demum baptismi lavacrum* (idem dic de aliis bonis operibus) *accepisset, atque ita hinc migrasset. Si enim nunc timore incertitudinis, cunctorum animos turbante, omnes universam anteactam vitam in malitia consumantes ad extrema demum suspiria, baptismati se tradunt: si etiam essent admodum de isto, persuasi, quis nam ullam virtutis curam haberet?* At non decet, neque placet Deo, ut in fine vitæ solùm ei serviatur ex proposito; sed potiùs ut omnem vitam obsequio ejus impendamus, quia totam ei debemus. Hinc noluit Christus ad quæstionem illam de eversione Jerosolymæ, & die judicii propositam à discipulis: *Dic nobis, quandò hæc erunt?* respondere categoricè, sed potiùs inculcare vigilantiam, ut semper in expectatione sint. Hinc etiam subindè terret nos per ostenta, uti per Cometas, quasi per virgas nobis intentatas, nec tamen denunciat, quid sibi velit, aut quandò eventus expectandus sit. Vult enim nos quasi Ludimoderator pueros à corpore ad resipiscentiam, & bonorum operum studium excitare. Sic monuit Ludovicum pium Imp. per cometam, qui anno 837. apparuit. Inde enim ipse ad majorem excitatus fervorem dixit: *Quia ergo & me, & omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne fortè misericordiam illo prorogante & nostra impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni.* Quo dicto noctem illam orationibus pervigilem duxit, eleëmosynas erogavit, Missas celebrari jussit; apud Baron. anno 840. Ob eandem causam excitavit ad continuum virtutum studium S. Henricum Imp. per scripturam illam: *Pòst sex*: ad sepulchrum S. Wolffgangi Ratisbonæ in templi pariete visam. Existimans enim denunciatam sibi mortem pòst sex dies, cæpit se ad illam examussim præparare: postea ad sextam hebdomadem: ex hinc ad sextum mensem. Cumque nec dum impleretur omen, denuò resumpto fervore sextum expectavit annum. Sic factum ut totum illud tempus pietati impenderet. Raderus in Bavariâ S. Hâc de causa Deus Ps. 7. inducitur quasi semper minabundus, quo modo pingi solet balistarius, cùm arcu extenso quasi mòx ejaculaturus, & in omnes collimans, undecunque aspiciatur: *Nisi conuersi fueritis, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis.* Ea nimirum, quæ morientibus adhibentur: vel quæ morbos cient

III. *Vt ref… nos à … catis.*

III. Est, ut refrænet nos à peccandi libidine & pertinacia persistendi in peccatis. Quandò enim nôssent homines terminum vitæ suæ, vix ullus resipisceret, & pœnitentiam ageret antè illum terminum. Dum verò eum nesciunt, semper metuere coguntur. Unde S. Greg. hom. 13. in Evang. ait: *Horam ultimam Dominus noster voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.* Et l. 13. Moral. c. 10. in ea verba Job. *Spiritus meus attenuabitur, & dies mei breviabuntur*; ait: *Reproborum mentes idcircò multa nequiter agunt, quia hic se viuere diutiùs arbitrantur.* Propterea Deus Adamo prævaricatori non dixit, quandò esset moriturus, sed indefinitè: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3. non ait: donec compleveris tot, vel tot annos vel dies. quo nim. statim à peccato resurgere conaretur, dum nullum sibi terminum præfixum haberet. Si præsidiarii milites diem & horam adventuri hostis prænossent, toto præcedente tempore lusui, potationi, somno sese dederent, adeoque ad resistendum hosti fierent ignavi. Dum verò tempus ignorant, semper in excubiis & in armis stant. Sic Hannibal Dux Africanus, quamdiu Scipionem antagonistam suum instare sibi sciebat, arma nunquam exuit, nisi Ducibus vigilantibus. Quis potentior hostis Morte? Scimus vero eam nos aliquando adorituram, cùm minimè existimamus; quis ergò non vigilabit? quis non omnes dies suspectos habebit? *Latet ultimus dies*, inquit S. Aug. l de doctr. Christ. *ut obseruentur omnes.* Si tu certa relatione cognosceres, è septem amicis, à quibus singulis conveniendus esses, unum clam gestare pugionem ad te conficiendum; nónne timeres omnes? nónne contrà singulos quam optimè te armares? Quid autem aliud sunt septem hebdomadæ dies, nisi totidem amici, saltem ad speciem? Et tamen inter eos unus mortis spiculum gerit, quod tibi infiget; cum securum te putaveris. Quòd si nunc, dum nescimus, quâ horâ Deus nos ad judicium abrepturus sit, plurimi tam temerarii ac dissoluti sunt, ut se totis annis somno vitiorum dedant, quasi cùm Deo pactum iniissent, ne invitos aut imparatos raperet; quid non scelerum attentarent, si præfinitum sibi tempus scirent? Non decebat igitur tam latè patens ostium aperiri lascivientibus. Sepienda illis via erat spinis imminentis ubique mortis, juxta verbum Christi Matth. 24. *Si dixerit malus seruus ille in corde suo; Moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere suos conseruos; manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet dominus serui illius in die, qua non sperat; & hora, qua ignorat, & diuidet eum* (à consortio beatorum) *partemque ejus ponet cum hypocritis*; h. e. servis pigris ad oculum servientibus.

IV. Est

IV. Est, quam addit S. Chrysf. hom. 9. in Ep. 1. ad Thessalon. *Si enim perspecta esset mortis hora, neq; viri fortes habuissent mercedem. Si enim scirent, quòd omnino post tres annos oporteret excedere, nec ante illos posset fieri, quamnam haberent mercedem, si res graves & asperas auderent aggredi? Eis enim quispiam dixerit: quoniam pro tribus annis bono & fidenti estis animo, propterea aditis pericula. Qui enim expectat fore, ut ex quovis periculo moriatur, & scit fore quidem ut vivat, si non praeceps & temerarium capiat consilium; ut moriatur autem, si ea temerè & audeter aggrediatur, maximum protulit indicium animi sui alacritatis, & quod hanc vitam despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manifestum. Si Patriarcha Abraham praesciens fore, ut filium non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne aliquam mercedem? Quid vero si praescivisset fore ut non moreretur, despexisset pericula, quonam modo fuisset admirandus? Sic enim vel ignavissimus in ignem desilierit, si aliquem fide dignum haberet sponsorem, quod tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt hujusmodi, verum audi eos dicentes: Est Deus in caelo, qui nos eripiet è manibus tuis, & ex hac fornace. Quod si non, tibi notum sit, quod diis tuis non serviemus, & auream statuam, quam statuisti, non adorabimus. Vide quam multa sint lucra, & his plura ex eo, quod ignoretur decessus.* Sic ille. Tametsi igitur demus profuturum ignavis, si praefixam sibi nôssent mortis horam, ut saltem in fine resipiscerent, nocerent tamen illis viris fortibus & heroicis, quò minus designare praeclara facinora possent. Ita idem S. Pater respondet iis, qui censebant delendum fuisse inimicum generis humani, ne deciperet homines. Ait enim in orat. de Providentia tom. 5. *Si reliquit eum, sciens futurum, ut vinceres, nec sic est res digna, ut vocetur in dubiũ. Nam quod ille superat, à nobis est: cùm inclinamur volentes, non cogimur. Quod si multi fuerunt jam superiores, & multi post hac erunt, quare futuros in existimatione tanto privas honore? Sed non omnes erunt illo superiores; Generosos tamen, est multò justius, occasionem habere, in quibus institutum probent: ac eos, qui tales non sunt, puniri de propria socordia, quam propter hos, istos affici damno. Malus enim, etsi patitur injuriam, non tamen ab adversario, sed à sua segnitie, quod multitudo vincentium declarat. Verum tunc essent laesi à malis boni, si non haberent, ubi fortitudinem exercerent. Sic autem oris etiam & oculorũ effectionem accusare poterunt. His enim appetunt multi, quae appetere non convenit,* &c.

Satis opinor momenti hae rationes habent. Laudandus igitur Deus est, quòd horam illam ultimam nobis absconderit. Et profuit hoc, nî fallor, nostro defuncto, qui propterea ad hanc horam multò ante, quam adesset, sese praeparavit, &c

BIBLIOPOLA LECTORI.

Habes Lector Beneuole, satis ut opinor rationum & materiae ad formandas Conc. Fun. ex posthumis scriptis R. P. Matthiae Fabri Soc. Iesu *quas si superuixisset, & tempus illi fuisset elimatiores copiosioresque dedisset mihi alias promissas. Profuit ni fallor viro, pie defuncto dum in confinibus Hungariae, tanquam Apostolus Evangelium praedicauit errantes ad Ecclesiae Catholicae gremium reducendo tam scriptis quam viva voce, ingenti fructu; strenuè laboravit & vitam finivit. Profuit certe tam utiliter pro Ecclesia Dei laboranti, qui ad hanc ultimam horam multo antè quàm adesset sese praeparavit. Laudandus itaque Deus est quod horam illam ultimam nobis absconderit. Caeterum abunde reperies in tomis quatuor Concionum dicti Patris de hac simili materia, copiosas uti & Conciones seu Exhortationes Nuptiales quas una damus de coniugum novorum Instructione officio & amore, quas huic Novae sylvae adiunximus, beneficio Patris cuiusdam Soc. Iesu Viennae ex Manuscriptis excerptas, & mihi communicatas. Fruatur igitur Concionator & Lector pius, Auctoris p. m. & Bibliopolae in deuotis suis precibus memor. Valeatque in Domino.*

FINIS.

INDEX CONCIONVM
FVNEBRIVM ET NVPTIALIVM.

INDEX CONCIONUM FUNEBRIUM.

INDEX EXHORTATIONUM NUPTIALIUM.

FINIS.



R. P. MATTHIAE FABRI E SOCIETATE IESV CONCIONES FUNEBRES.

EXHORTATIO I.

Cœmeterium humilitatis schola est.

THEMA.

Apprehendam te & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis. Cant. 8.

[C]omparatio inter scholas literarum, & Cœmeteria, quæ sunt gymnasia virtutum.



DUM vos contemplor, Auditores, hoc sacro in loco congregatos, magnaque cum modestia, attentione, atque animi compositione circumstantes, videre mihi videor discipulos in schola sub oculis magistri & quidem serii ac severi constitutos, ad excipiendam ejus doctrinam præparatos. Neque verò dictum hoc offendat aures vestras; sumus enim in loco, in quo nobis mortui tradunt doctrinas, quas velut rudes pueri minimè didicimus & perdifficilè addiscimus. Severi profectò & asperi Doctores, ut proinde cœmeterium nonnisi schola puerorum sit. Ita enim loquitur S. Chrysost. hom. de fide & lege nat. & spir. cùm ait: *Ante portas sunt sepulchra, ante agros sunt sepulchra, ubiq; ante oculos est nostræ humilitatis schola, & docemur in quid desinamus tandem, & videmus qualia futura sint phantasmata.* Nec vanè huic scholæ accommodare possumus, quod *Cant.* 8. Sponsa ad sponsum loquitur: *Apprehendam te & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Quibus verbis Salomonis sponsa, filia Pharaonis, grammaticali sensu, quasi in actione comica Salomonem alloquitur, ut observat Honorius Augustodunensis. Et quorsum ducere vult Salomonem? *Ad domum matris suæ.* Communis autem mater omnium Terra, domus verò sepulchrum est, juxta id Psalm. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Ibi nos docebis Salomon, in sepulchro inquam, quasi in domo seu Cathedra funestæ hujus scholæ, Cæmeterii. Quid vero nos doceat cum defunctis aliis hic sepultis, breviter audiemus.

I. Ait: Ecce *quid est homo?* quid sunt *Reges terræ?* *Pulvis* nimirum *& cinis,* in quem omnes resolvimur; nec tamen id cordi habemus; sed quasi immortales & dii quidam essemus, securi degimus & super alios nos efferimus, nostræque vilitatis obliviscimur.

I. Cœmeterium primò docet hominis vilitatem & miseriam.

Quid enim nobis de Salomone, quid de aliis Regibus terræ superest, nisi cinis? Audiamus ipsummet de se loquentem Sap. 7. *Et ego,* inquit, *natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram.* Cur in terram, nisi quia prævidit se in terram iterum rediturum, juxta id Lucretii l. 6. *Quoniam dubio procul esse videtur Omniparens eadem rerum commune sepulchrum.* Audiamus de hoc Chrysostomum loco cit. *Circà sepulchra Philosophamur,* inquit, *videntes ossa nuda, & humanã naturam corrosam & dissolutam: cogitamus statim & inter nos disputamus, dicentes: Ecce quid tandem ex nobis fit? Et quò abimus? Confabulamur, egredimur de sepulchris; & humilitatis nostræ obliviscimur. Apud sepulchra ita unusquisq; proximo loquitur: ô miseram, ô miseram nostram vitam! Quid tandem ex nobis fit? Quamvis autem sic loquamur, rapimus tamen ipsi: & licet sic clamemus, injuriam tamen nostram ulciscimur! Omnes enim planè ita philosophamur, quasi malitiæ renunciaturi. Et intus quidem tam pios sermones tractamus: egressi autem, Deo adversarii simus.* Verùm profuit nonnullis fuisse in hac schola, uti Francisco Borgiæ, Gandiæ Duci, qui cum Isabellæ Augustæ, Caroli V. Conjugis speciosissimæ corpus emortuum deduxisset ad Regii sepulchri locum, idque priùs quàm tumulo inferretur, aperto Sarcophago, inspexisset fætore jam & horrore plenum; cogitansq; quàm exiguus tumulus sceptra, tot coronas ac Regiam illam Majestatem clauderet, toto pectore cohorruit, mundoque valedicere ac Deo imposterum servire constituit. Id quod & fecit, cùm Societati nostræ se addixit, sæpiùs postea asserens: *Augustæ mors mihi vitam attulit.* Ribaden. l. 1. vitæ c. 9. Quando igitur homo quisque talem se futurum cernit: *quid superbit terra & cinis?* ait Ecclesiasticus c. 10. Et S. Bernardus in sententiis: *Tria hæc,* inquit, *semper in mente habeto: Quid fuisti? Quid es?*

Quid eris? Quid fuisti? sperma fœtidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? esca vermium.

II. *Deinde docet ejusdē exiguitatē.*

II. Ait: Ecce *quantillus* es! Tantus nimirum, quantum est sepulchrum, septem ferè spithamarum, qui tamen dum vivis, tantus tibi videris, ut spatiosa etiam terra vix capere te possit. Unde S. Ambrosius l. de Naboth c. 1. ait: *Nudos recipit terra, quos edidit: nescit fines possessionum sepulchro includere. Cæspes angustus æquè & pauperi abundat & diviti: & terra, quæ viventis non cepit affectum, totum jam divitem capit.* Agnovit hoc Philippus Imp. Christianus, vel ex sepulchri visa similitudine. Cùm enim in hippodromo delapsus ab equo fuisset, & resurgens locum, quo in arena jacuerat aspexisset, ait: *Ecce quam exigua nos arena capiet, qui totius orbis imperium stultè affectamus.* Refert id Majol. in Coll. Canic. *tom. 4. coll. 4.* Memor nimirum erat loculi, qui aliquando mortuum elaturus esset in sepulchrum. Eadem sepulchri angustia docere, & à nimia auri cupiditate coërcere volens Constantinus M. Imp. quendam è suis aliquando prehenso dixisse fertur: *Quousque tandem ô bone, inexplebilem hanc avaritiam cumulamus?* deinde hasta, quam manu tenebat, humi descripta humani corporis forma: *Omnes*, inquit, *vitæ divitias & totius orbis opes, si haberes, tamen plus hoc à me circumscripto loculo non possidebis, & si illud forte possederis.* Ita refert Eusebius *lib. 4.* vitæ *cap. 29. & 30.* Bene igitur S. Augustinus in sententiis sent. ult. *Divitiis*, inquit, *flores: majorum nobilitate te jactas & exultas de patria, ac pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur; respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis.* Notum illud prætereo de Alexandro M. dictum vulgò: *Heri totus mundus non sufficiebat Alexandro: hodie defunctum terra sex pedum capiet.*

III. *Tertiò docet rerum mundanarum lubricam infirmitatem & mutabilitatē.*

III. Ait: *Ecce quid sunt omnia illa, quæ in mundo habuisti,* æstimasti & adamasti? Quid & ubi jam sunt illæ tot amasiæ Salomonis? ubi ejus splendor & magnificentia? Ubi palatia & divitiæ? Ubi omnes delitiæ? Una cum ipso in tumulo omnia sepulta & putredine consumpta sunt; quin etiam ad extremum, ut Dio Cassius in Adriano scribit, *ipsum etiam Salomonis sepulchrum, quod illi in supremo cultu & revertntia habebent, sponte & nullo impellente discussum corruit. Fuit Salomon omnium Regum felicissimus & opulentissimus atque prudentissimus*, ut ait Josephus. Omnis tamen illa felicitas, opulentia & sapientia unà cum ipso in sepulchrum, imò & cum ipsis & sepulchrum concidit. Priùs cùm in vivis esset, ab omnibus quærebatur, consulebatur, suspiciebatur: clausus in sepulchro oblivione sepultus est. Poterat de illo dici, quod de statua Beli aurea Daniel dixit Babyloniis, postquam eam destruxit, & intrinsecus luteam ostendit: *Ecce quem colebatis!* Græcè: *Ecce numina vestra.* Dan. ult. Quid sūt tot illæ jā Salomonis concubinæ? quid cantores & cantatrices? quid horti & palatia? Pulvis & lutum. Ecce numina ejus! Similem catastrophen spectavit aliquando Romæ S. Augustinus una cum matre sua in sepulto quodam Cæsare, uti ipse ser. 48. ad fratr. in Eremo scribit: *Ductus sum*, inquit, *Romæ cum cæteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulchro, & vidi quòd omninò esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, & vermium per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur: crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, & revelatum erat narium fundamentum, & intuens matrem Christianissimā dixi: Vbinam est Cæsaris corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus delitiarum? ubi multitudo dominorum? ubi caterva Baronum? ubi acies militum? ubi canes venatici? ubi equi veloces? ubi aves cantantes? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi thorus Regalis, ubi thronus Imperialis? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi facies decora? ubi omnia quæ sub cælo sunt? Te namque verebantur homines, te timebant Principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Vbinam sunt hæc omnia? à quo recessit tanta jactantia? Quo ivit tua Magnificentia? Et respondit mater pietate plena: Fili omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, & dereliquerunt eum captivatum in sepulchro trium brachiorum, plenum fœtore & putredine. Eja ergo fideles Christi, considerate quid jam sumus.* Itaque Cæsar ille dum viveret & regnaret, quasi Numen aliquod colebatur & honorabatur: at verò ubi mors eum corripuit, tristissimum omnibus spectaculum, imò & mundo ludibrium, horror & abominatio factus est: omnis eius splēdor & majestas evanuit, & nihil fuisse sepulchrū ejus ostendit. Monstrarunt aliquando Christo Domino discipuli ejus templi Salomonici decorem & magnificentiam: *Magister*, ajebat unius, *aspice quales lapides! & quales structuræ!* Verùm Dominus nihil hæc moratus: *Videns*, inquit, *has omnes magnas ædificationes? Amen dico vobis: Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur Matth. 24. & Marc. 13.* Hunc in modum nos miramur sæpe potentiam, opulentiam, speciem, pompam, felicitatem Magnatum hujus sæculi, & beatos illos prædicamus. Verùm aspiciamus eos paulò post in sepulchris conditos; & videbimus id, quod Christus de templo prædixisset, omnem eorum magnificentiam corruisse, *nec mansisse lapidem super lapidem*, non os super osse: rudera tantùm ossium indigesta superesse. Quid ergo hæc miramur, quæ cinis in sepulchro nulla fuisse ostendit?

O munde quam immunde! Omnia tua nihil & minus quàm nihil sunt.

IV. *Deniq; docet universam Dei super nos potestatem & dominium.*

IV. Ait: *Quantus & quàm potens ac timendus est Deus*, qui mortales omnes & potentissimos quosque deprimere & in terram sternere potest, ut nemo ab ejus imperio se subducere, nemo ejus potentiæ resistere queat! Omnes enim quotquot ante nos fuerunt, sub pedibus ejus jacent, pro-

strati

ſtrati in ſepulchra. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiebant ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi*; ut dicitur, *Cant.3.* & tamen eum à morte defendere non potuerunt. Ita Sexagenarius gravi ex mœſtitia mortuus eſt, ut ait Valerius Anſelmus in ſuo annorum & Principum catalogo; idque indicant extrema illa ſui Eccleſiaſtæ verba, quibus juvenes ſuo exemplo hortatur: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquant anni, de quibus dices: non mihi placent*; Eccleſiaſt. ult. Validiſſimam hanc Dei manum, qua potentes quoſque ſternit, agnovit in extrema vitæ meta Lotharius Rex Franciæ, cùm dixit: *Hem quam magnus ac potens eſt Rex ille cœleſtis, qui Reges terrenos lenta morte de ſolio deturbat, humiq; proſternit!* apud Corozettum de dict. & fact. memorab. Quam etiam ob cauſam Maximilianus I. Imperator moriens piè & laudabiliter mandavit, ut quando inter vivos eſſe deſiiſſet, cadaver ſuum omni hominum ſorti conſpiciendum proponeretur, *ut ita*, ajebat, *vel meo exemplo diſcant omnes, nulla diademata, opes nullas, nulla imperia à morte eripere poſſidentem.* Reinh. Hadamar. in Inſtit. Princ. Quare magnifica illa Magnatum Mauſolæa non tam ad ipſorum, quam ad Dei gloriam ſtructa ſunt: illius enim loquuntur potẽtiam, cui omnes cedere & ſubjici coguntur; hominis verò infirmitatem, qui omnibus ſuis opibus viribus & conſiliis ſalvare ſe non poteſt. Cæterùm quod maximè omnium genus humanum deprimit, eſt, quod morte obitâ ſiſtere ſe Dei judicio & incertam ejus aleam ſubire debent, ſive magni illi ſint, ſive parvi. Sanè de Salomonis ſalute totus adhuc mundus dubitat; ſiquidem ſcriptura peccata quidem ejus commemorat, de pœnitentia vero nihil clarè ediſſerit, ſed præcisè mortuum & ſepultum ait, ac proinde de perditione ejus juſtũ nobis dubium relinquit. Nimirum is, dum in vivis ageret ſcholam hanc humilitatis raro aut nunquam frequentavit. Unde nec ſepulchrum pro recepto Regum more ſibi ſtruxiſſe legitur, ſed in patris duntaxat ſepulchro conditus eſt. Quare beatos illos jure meritò cenſemus, qui dum vivunt, in hac humilitatis ſchola diligenter ſe exercent, ſibique adeò monumentum viventes extruxerunt non tam in cœmeterio, quàm in cordis ſui domicilio, per aſſiduam mortis & humilitatis ſuæ meditationem. Cujuſmodi inprimis erat S. Joannes Eleëmoſ. Alexandrinus Archiepiſcopus, qui viventi ſibi curavit extrui monumentum, ſed imperfectum relinqui, deinde operum præfectos, cùm celebrius feſtum incidiſſet, accedentes omni Clero adſtante ſibi inſonare: *Venerande Præſul, monumentum tuum hodieq; incompletum manet; jube ergo illud perfici, cum incertum ſit quâ horâ fur venturus ſit.* Ita Leontius in ejus Vita: Simili induſtria Carolus V. Imperator Sarcophagum ſibi conſtrui juſſit, ſecumque deportari, quocunq; iter ageret, ac penes ſe quinque annis habuit, velut rem ſibi chariſſimam, in mortis videlicet ſuæ conſtantem memoriam. Id quod & avus ejus Maximilianus I. Imp. quadriennio antequam vita excederet, fecit, uti refert Lipſius l.2. Monit. Polit. *Alios memini*, inquit S. Chryſoſt. l.1. de compunctione, *in ipſis defunctorum ſuorum ſepulchris habitaculum poſuiſſe, atque inibi vitam ſimilem tranſegiſſe.* Quin etiã Conſtantinopoli in uſu fuiſſe ut Imperatore recens coronato, quidam coram eo repræſentarent tria aut quatuor lapidum genera, juberentque eligere, de quo genere ſibi fieri ſepulchrum vellet, refert Dionyſius Carthuſianus *lib.4.* Noviſſ. *art.14.* Æthiopum quoque Chriſtianorum ſummis Præſulibus vas aureum terra repletum, cujus aſpectu memor eſſet ſepulchri ſui, præferri ſolitum, auctor eſt Sabellicus *lib.4. c.4.* Quodque admirabilius eſt, Brachmanes etiam ſeu Gymnoſophiſtas ante ædium ſuarum veſtibula tumulos ſibi aperuiſſe, ut eas ingreſſuri egreſſurique evocationis ſuæ ex hac vita meminiſſent. Omnes iſti ſcholam hanc humilitatis ideò frequentarunt, ut benè beatèque mori in ea diſcerent.

Quod cùm & hunc defunctum, cui juſta nunc perſolvimus, feciſſe in vita ſua non dubitemus, (quinimò ex multis argumentis NB. *** perſpectum habeamus) eſt profectò cur de ejus æterna ſalute partaque cæleſti corone, quam optimè ſperemus. Quia tamen alia Dei ſunt judicia, alia hominum; & in ipſa etiam virtutis ſchola ſubinde dormitamus, & minùs ad magiſtri præcepta attendimus, unde plagas aliquas meremur; idcircò videtur hic defunctus non ſolùm admonere nos, ut in hac, quam diximus, ſchola ſedulò proficiamus; ſed etiam preces noſtras efflagitare, quibus adjutus in altera vita, & à pœnis, ſi quas forte in hoc ſæculo contraxit & nondum expiavit, liberetur, & ad cæleſtes triumphos ſine remora admittatur.

* * *

EXHORTATIO II.

Cœmiterium Hortus est: sepulchra Areolæ.

THEMA.

Erat hortus, & in horto monumentum novum.
Joan. 19.

Historia eorum qui in hortis sepulturas fecerunt.

QUando per æstatem recreare cupimus animum, hortos intramus, propterea quod in illis omnium ferè sensuum delectatio reperiatur: visus in virore & vario florum colore; auditus in avium cantu; gustus in dulcedine fructuum: odoratus in rosarum aliorumve florum fragrantia: tactus deniq; in denso gramine, dum in eo corpora nostra sternimus ad capessendum somnum. Quæ cum ita sint, quid sibi, quæso, vult, quod Hebræi ferè in hortis sepulchra sibi struxerint? Ita enim *Manasses Rex sepultus est in horto domus suæ, in horto Ozæ. 4. Reg. 21.* In Evangelio etiam legimus *Iosephum ab Arimathæa excidisse sibi sepulchrum in horto suo; in quo & Christum sepelivit.* Joan. 19. Quid horto cum sepulchro? Quid sepulchro cum horto? Hortus enim locus est lætitiæ & delitiarum: sepulchrum verò locus mœstitiæ & lacrymarum. Hortus dicitur quasi ortus, quia in eo oriuntur pulcherrima quæque germina: *Sepulchrum* verò appellatur locus non pulcher, quasi *sine pulchro.* An forsitan Hebræi, & in primis Christus sepulchro suo hortensi mundi hujus delitias temperare, & mortis memoria quasi condire, voluit, ut dum illis fruimur, ad sepulchrum nostrum respiciamus, quod finem & quidem luctuosum illis imponet? Ita mihi persuadeo; quia sancta hæc & salubris est cogitatio, miscenda voluptati, quasi aqua vino, ne in nos mergamus & damnum patiamur. An fortassis ideò, quia fidelium corpora in sepulchro seminata, quemadmodum semina in horto, resurrectionem præstolantur, ac velut speciosæ arbores aliquando prodibunt? Ita sentit Guarricus Abbas in sermon. de script. utilit. *Etsi sepulchra in hortis,* inquit, *nunquid tamen horti in sepulchris?* Ita fortassis, sed in sepulchris justorum. Ibi planè vernabit gratissima quædam amœnitas Sanctorum verno scilicet illo tempore Resurrectionis eorum, cùm reflorebit caro eorum & non solùm ossa justi *sicut herba germinabit, sicut lilium & florebit in æternum ante Dominum.* Jam si cæmiteria, imò & mundus totus est quidam hortus, utique sepulchra singulorum erunt quasi areolæ in horto.

I. *In Cœmeterio, uti in horto sun[t] tumuli, [le]ctuli &...*

I. In horto eriguntur areolæ, in quibus semen spargitur in terram, eademque operitur. Pari modo in cœmiterio eriguntur tumuli, quibus operiuntur injecta mortuorum corpora, velut semina, suo tempore germinatura, & si sint justorum, cum nova & gloriosa specie resurrectura. Tumulus verò appellatur sepulchrum, quasi tumens tellus, estq; velut tumidus terræ uterus, qui nos à tumente matris utero excipit; uti Job agnovit, cum dixit, c. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.*

Quomodo illuc? utique in alterius & primæ nostræ matris, terræ videl. uterum consimilem ei, qui nos genuit. Unde Sanctus Gregorius Nazianzenus in carm. de hom. ext. vilit. canit: *A tumulo tumulum peto.* Quia nimirum Deus omnibus nobis dixit: *Terra es & in terram ibis.* Solent ludentes pueri, cùm quis eorum erravit, errantem vocare ad pœnam, & clamare: *Ad tumulum, ad tumulum*: adductumque per capillos trahunt. Omnes nos in Adamo peccavimus, erravimus quasi oves omnes; idcircò ad tumulum citamur, & trahimur quasi per capillum. Areolas hortorum Germanico idiomate appellamus *lectulos,* Bett/ Böttle/ quòd lectulorum similitudinem referant. Et tales sunt sepultorum tumuli, lectuli inquam, in quibus dormiunt & requiescunt eorum corpora, donec resurgant, juxta id Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus: ut requiescant à laboribus suis; opera enim eorum sequuntur eos.* Quibus ultimis verbis ratio affertur, cur requiescant justi in altera vita, quia scilicet ferant secum lectulos suos conflatos, ex bonis operibus, quasi è plumis. Qualem ergo quisque sibi paraverit lectum ex operibus suis, talem habebit & requiem; juxta parœmiam nostram: Wer jhm wol böttet/ der ligt wol. Ita enim Apostolus ad Galat. 6. ait. *Nolite errare: Deus non irridetur.* (sicut fit ab hæreticis, qui bonis operibus mercedem æternam detrahunt, eaque inutilia, imò peccata) *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne,* (eam fovendo delitiis & voluptatibus vetitis) *de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu* (Spiritum fovendo & impinguando bonis operibus) *de spiritu metet vitam æternam.* Hoc intelligens S. Ida Comitis Egberti, viri in aula Regis Francorum primarii, vidua, Sarcophagum sibi marmoreum paravit, & quotidie bis panibus variisq; esculentis implebat distribuendis nimirum in pauperes. Sic ipsa sibi lectulum suum piis eleëmosynæ plumis replevit, ut in sepulchro suo molliter cubaret. Idem egêre Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis. Et S. Hugo Abbas Cluniacensis. Nocte enim, qua ambo mortui fuere, vidit Abbas Noviomensis duos lectulos ab Angelis in cælum deferri, qui molliori cultu sollicitudinis oblivionem & somnum provocacarent. Angeli autem, qui lectos deferebant, hujusmodi clamabant verbis: *Duos illustres viros in his*

in his collocabimus lectis, Anselmum scil. Cantuariensem Archiepiscopum atque Hugonem Cluniacensis Abbatem Monasterii, qui post terras cælum post labores requiem, gaudium post lacrimas meruerunt. Post hæc Abbas retulit visionem fratribus, & deprehensum ambos illos Sanctos eâ nocte obiisse. Erant autem hi duo viri SS. operibus misericordiæ addictissimi: *Anselmus suprà posse etjam*, ait Edmerus in ejus vitâ, *in pauperes profusus fuit*. Hugo vero circa lectulum suum maximam vestium congeriem semper habebat, quas ipse in usum pauperum farciebat ac resarciebat: panes quoque & carnes, quas illis distribuebat.

II.
ut hortenses pali ... ant speciem germinum: sic inscriptiones in cœmeteriis designant sepultorum conditionem.

II. In horto etiam supra areolas defiguntur stili lignei, & his insertæ schedulæ, designantes seminum injectorum species seu nomina: quo modo etiam supra tumulos crucem infigimus cùm inscriptione nominum & imagine eorum, qui ibidem requiescunt; ut memoriam eorum conservemus, & ad preces pro eis fundendas ipso aspectu excitemur, ii præsertim, quibus vel necessitudine aliquâ conjuncti, vel aliunde noti erant, ac præsertim ut noverimus, quòd Catholici Christiani fuerint, qui sub vexillo Crucis militârint in hâc vitâ. Hic enim est *character Agni in fronte Christianorum; hoc signum Thau in postibus Hebræorum, servans eos à percutiente Angelo.* Hujusmodi signum seu titulum erexit Jacob suprà sepulchrum Rachelis suæ cùm inscriptione: *Hic est titulus monumenti Rachel.* Gen. 35. Videant hic Acatholici, quàm antiqua & pia sit hæc cæremonia. Audiant & miraculo comprobatam, teste Probo in vitâ S. Patricii, Hibernorum Apostoli, l. 2. apud Bedam tom. 3. Venerat is in campum juxta insulas Hiberniæ, invenitque ibi signicalum crucis juxta duo nova sepulchra infixum. Quare è curru suo proclamans ait: *Quis hic sepultus est?* Tum vox è sepulchro sic respondit: *Ego sum gentilis homo & paganus. Cur igitur*, inquit *Sanctus, Crux Christi juxta te infixa est?* Ad hoc iterum vox de sepulchro: *Quia vir, qui sepultus juxta me est, Christianus fuit, rogavitque pater ejus, ut hoc signum Crucis poneretur juxta sepulchrum filii; sed vir quidam fatuus & insensatus posuit juxta me.* Quod audiens Patricius, exiliit de curru, abstulitque crucem de Gentilis tumulo, & infixit sepulchro Christiani. Fabulosum hoc clamabunt hæretici. Sed quis credat de viro Sancto, tot mirabilium patratore, qui 60. annis in Hibernia concionatus, & S. Martini discipulus fuit, uti Probus asserit? Mortuus vero est anno 491. ut scribit Baronius. Ex quo claret, quam antiquus adeoque observandus sit hic ritus figendi crucem ad sepulchra Catholicorum; præsertim cùm per hoc distinguantur ab hæreticis & infidelibus, dum se crucis amatores sectatoresque fuisse etiam mortui testantur.

III.
... t horti

III. Rigantur subinde areolæ, ut inspersa sibi semina maturiùs ad fructum producant. Idem nos Catholici beneficium impertimur tumulatis, aspergendo lustrali aquâ eorum sepulchra; non quasi ignem illum purgantem hâc aquâ extinctu- ri, ut cachinnantur adversarii, sed ut memores baptismi, quo defunctus olim expiatus fuit, bene ipsi precemur, Deum invocantes, ut quemadmodum aqua extinguit ignem, sic per ejus misericordiam valeant preces nostræ purgatorias illius pœnas defuncto aut mitigare aut omnino tollere.

aquâ rigantur: sic sepulchris unda lustralis impenditur.

Idem sentiendum de eleemosynis & oblationibus, quæ fiunt pro defunctis, vel etiam ex recepto more ponuntur supra sepulchra aut feretra, cùm in templo pro illis celebrantur Exequiæ. Id enim præcepit etiam Tobias filio cap. 4. cum ait: *Panem tuum & vinum tuum super sepulchrum justi constitue.* Qui ritus cùm in veteri Ecclesiâ quorundam abusu & superstitione fieret, redargutus est à sancto Ambrosio & Augustino: non tamen improbatus, si rectâ intentione & bono sensu fiat, scil. in eleemosynam & sustentationem pauperum & Clericorum, qui pro defunctis orant. Unde D. Augustinus ep. 64. scribit: *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ: atque omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur.* Magis tamen probantur & plus valent piæ *preces & sacrificium Missæ*, quod unum expetebat Sancta Monica Mater Augustini, ut ipse testatur in Confessionum suarum *l. 9. ad fin.* Simili de causâ tumuli mortuorum olim floribus conspergebantur, quasi piis viventium votis, quibus ut in alterâ vitâ florerent, precabantur. Rectiùs tamen sapiunt, qui defunctos precibus, eleemosynis, aliisque piis operibus juvant; id quod in Pammachio commendat S. Hieronymus epist. 26. ad Pammachium: *Cæteri*, inquit, *mariti super tumulos Conjugum spargunt, violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, &c.* Si sic rigentur sepulchra, fiet absque dubio, ut defunctorum animæ citiùs è purgatorio emergant, atque ad maturitatem beatificæ visionis festinent.

IV. Semina in areolas sparsa non omnia progerminant in rosas, violas, flores: sed multa, fortè quia corrosa, putrida, aut non integra fuerunt, suffocantur & pereunt, atque eorum loco urticæ & Zizania succrescunt. Ita & defuncti non omnes resurgent ad gloriam, specioso corpore & animâ: sed multi ad ignominiam & damnationem corpore & animo fœdi. Id enim testatur Apostolus 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus*, ait, *sed non omnes immutabimur.* Semen quod in areolam jacimus, vile, pusillum & abjectum est: at verò si excreverit, mutatur in rosam, violam, florem, colore & odore gratissimum. Idem continget justis in die resurrectionis. Improbi resurgent quidem

IV.
Resurgentium in die judicii diversa conditio ex analogiâ hortensi illustratur.

& ipsi,

& ipsi, sed horridi, tristes & abominabiles, quasi urticæ & zizania ad ignem destinata. Schema aliquod hujus discriminis ostensum est (si verum est, quod ex antiquis Rabbinis refert noster Sanctius *in l. 3. Reg. c. 13. & Iob. 11.*) in sepulchro Prophetæ illius, qui in pœnam temporaneam levis cujusdam transgressionis à leone occisus fuit. 3. *Reg. 13.* & alterius improbi, qui illum seduxerat atque in ipsius sepulchrum post mortem illatus fuit. Nam quâ parte sepulchri jacuit ille bonus, flores eruperunt speciosi & suaviter olentes; ex parte verò seductoris creverunt fœdi & fætentes, spinæ & urticæ. Ita planè continget electis & reprobatis, cùm resurgent ad judicium. Qui enim sani in fide & charitate obierunt, resurgent cum glorificato corpore & animâ: qui verò his destituti discesserunt ex hoc sæculo, resurgent in glorii & ad confusionem. Cæterum quomodo areolæ totæ rigantur aquis, tametsi incertum sit, quænam semina oritura, quænam interitura sint: ita & nos pro omnibus, qui in vera fide vitam clauserunt, preces offerre decet. Quod enim non proderit uni, prodesse alteri potest. Quâ tamen in re observandum quod monet S. Ambrosius in Epist. ad Faustinum, Epist. 8. consolaturus eum ob mortem germanæ: *Itaque*, ait, *non tam deplorandam, quàm prose quendam orationibus reor: nec mæstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.* Similiter S. Chrysostomus in l. ad Corinth. homil. 41. *Opportet succurrere defunctis non lachrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleëmosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc*, inquit, *temerè excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici (audiant hæc hæretici) absit: hæc enim fiunt ordinatione spiritus. Eis ergo opem feramus & commemorationem eorum peragamus, &c.* Ex quibus perspicimus, non solùm piis operibus juvari posse defunctorum animas, sed etiam ac vel maximè missæ sacrificio: testimonio illorum Patrum, qui ante mille & trecentos ferè annos vixerunt. Hæ sunt aquæ illæ, quibus rigandæ sepultorum areolæ, bona opera, non lachrymæ. Confirmat hoc exemplo Thomas Cantipratanus l. 2. apum cap. 53. *Avia mea*, inquit, *filium primogenitum habuit indole insigni & decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, dumque sic filium lamentaretur, apparuerunt ei juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes: cumque memor filii eum inter illos non esse videret & fleret; ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit, cui mater cum gravi dolore dixit: Et quid est fili, quod solus & non cum aliis graderis retardatus? Cui ille in toga laterali magnum aquæ pondus ostendens: Ecce*, inquit, *mater, lachrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum ergo, lachrymas commutabis, & in præsentia sacrificia Corporis Christi cum eleëmosynis pauperum pro me cor pium & devotum effundas, & tunc liberabor ab incommodo, quo nunc gravor.* Finio cum sancto Chrysostomo hom. 61. in Joan. *Honor*, inquit, *non fletus est, non ejulatus, sed hymni, & psalmi & vita optima. Ille moriens cùm Angelis evolabit, etjamsi nemo exequiis interveniat: perditus autem etsi in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur. Vis mortuum hororare? Aliâ viâ aggrediendum est: fac eleëmosyna.*

EXHORTATIO III.

Cœmeterium Haceldama seu ager sanguinis.

THEMA.

Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque ad hodiernum diem.
Matth. 27.

LOcus, in quo stamus & sepelimus defunctos nostros, appellamus vernacula nostra, Ein Gotts-Acker h. e. agrum Dei. Unde verò putatis Auditores? Meo sanè judicio sic à majoribus nostris vocatus est, quia repræsentat *agrum illum figuli, qui emptus fuit pretio sanguinis Christi, 30. argenteis, in sepulturam peregrinorum*, Matth. 27. Ita enim explicat agrum illum S. Augustin. serm. 114. de temp. *Per agrum intelligitur Ecclesia seu magis propriè cœmeterium.* Ager ille sanguinis est, qui pretio sanguinis Christi emptus est à cælesti Patre, cui Christus pretium redemptionis nostræ exhibuit, in sepulturam peregrinorum, h. e. in requiem Christianorum, qui veluti peregrini in sæculo degunt, & in sepulchro quiescunt usque ad communem resurrectionem. Omnia hæc nobis magnum & multiplex adferunt solatium, ut ne contristemur super defunctis nostris, sunt cæteri, qui spem non habent & extra Ecclesiam vivunt ac moriuntur, id quod nunc expendemus.

Consuetudo Majorum, qui cœmeterium sacrum agrum appellarunt.

I. Cœmeterium est ager, uti insinuat etiam Apostolus 1. *Cor.* 15. Ubi sciscitanti: Quomodo resurgant mortui? qualive corpore venient? respondent: *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas: sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus.* Postea subdit applicationem in hunc modum: *Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget incorruptione*, h. e.

I. Analog. agri & cœmeterii ratione sementis, crescent...

sepelitur

sepelitur & in terram injicitur, ut corrumpatur: & resurget ad incorruptionem & incorruptibile. *Seminatur in ignominia* h. e. sepelitur cum horrore & fœtore, quem exhalat cadaver, & *resurget in gloria*, h. e. gloriosum, clarum, fulgidum. *Seminatur in infirmitate*, quia tabidum, grave, stupidum: *resurget in potentia*, virtute, agilitate, quam habebit. *Seminatur corpus animale*, h. e. pecuinum & brutum, crassum: *surget corpus spirituale*, h. e. subtile & quasi cæleste, quale assumunt interdum Angeli, quod nil pati, nec mori potest. Qui ergo mirâ suâ potentiâ granum tritici in terram seminatum & emortuum producit in culmum, spicam & grana, idem etiam humanam carnem & ossa in cinerem resoluta reproducet in humana corpora, sed speciosiora & incorruptibilia. Quo argumento scribit S. Gregorius *l. 14. Moral. c. 29.* se convicisse Eutychium Patriarcham Constantinopoli, ut is moriens pellem suam manibus apprehenderet, diceretque: *Confiteor quia in hac carne resurgemus.* Ex eodem Apostoli loco colligit S. Chrysostomus in 1. ad Cor. hom. 41. *piorum mortem nequaquam deflendam, sed cum gaudio potius prosequendam esse. Nam etiam agricola,* inquit, *cùm viderit dissolvi granum, nihil turbatur: ubi superstes solidumque & integrum in agro jacet, metuit, tremit. Mox ubi dissolutum, jam conspicatur, gaudet: futuræ enim sementis exordium est solutum granum: ita nos, cùm corruptibilis illa nostra domus ruit, gaudeamus; cùm homo seminetur. Nec mirare, quod sepulturam semen vocet: satio est multò optima. Vulgarem enim hanc nostram sationem mors, labores, pericula, curæ consequuntur: illam, si rectè vivamus, præmia, coronæ. Et hanc quidem corruptio, mortalitas: illam immortalitas, incorruptibilitas & mille præterea bona comitantur, &c.* Specimen hujus restaurationis corporum edidit Deus in sepulchro S. Severi presbyteri, qui pro æde sacra, in qua sepulchrum sibi posuerat, lilia collegit & parietibus templi affixit; ubi & excreverunt. Cæterum ea die, quâ mortuus fuit, reviruerunt, deinceps singulis annis, uti scribit S. Gregorius Turon. de gloria Confessorum c. 50.

II. Est ager figuli, utique illius, ad quem missus fuit Jeremias cap. 18. verbis illis Domini: *Descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendit in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Et factum est verbum Domini dicens: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.* Habemus igitur quis sit figulus, creator scil. noster, qui de limo finxit patrem nostrum Adam, cujus ipsum nomen terram rubram significat. Jam *sicut lutum est in manu figuli: ita in manu Dei.* Ita ut inprimis possit fingere nos, quales vult citra peccatum, nam hoc odit; & sic facit alium quidem pauperem, alium divitem: nunc nobilem, illum rusticum & ignobilem: hunc doctum, illum rudem: alium sanum & integrum, alium fractum & infirmum, cæcum vel claudum. Quemadmodum enim figulus, sciens uni civitati vel domui necessaria esse vasa nitida ad decorem domûs, altaris vel mensæ: alia rudia & vilia, ad opera culinaria uti ollas, matulas, &c. fingit vasa ad utrumque usum, splendida & rudia: ita Deus quoque sciens mundum & Ecclesiam, opus habere tam miseris quam fœlicibus, tam pauperibus quam divitibus, tam rudibus quam literatis, fingit nos uti placet ipsi, & videtur esse commodum vel necessarium ad gubernationem & conservationem mundi. Quisque igitur *sua sorte contentus* esse debet, nec habet quisquam, cur queratur se talem, aut talem creatum esse, cùm in omni statu & fortuna Deo servire & salutem suam comparare sibi queat, adeoque in omni statu mundi ornamentum sit. Unde Apostolus ad Rom. 9. ait: *O homo, tu quis es, ut respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* loquitur autem de naturæ donis, & non de iis quæ libertati nostræ voluit esse subjecta Deus.

Remedium contra fastum.

Deinde sequitur ex hoc, neminem habere cur glorietur de suis donis, aut super alterum se extollat. Quia uti vas figulinum, quantumvis artificiosum & ornatum ex se non habet nisi lutum, splendorem autem & artificium à sola figuli doctâ manu: ita pariter & nos ex nobis nil habemus, nisi quod lutum sumus: reliquum quidquid in nobis naturæ præclarum est & laudabile, totum à Deo, qui finxit nos, habemus. Quisquis ergo talia dona sibi adscriberet, Deo debitum honorem detraheret sibique perperam attribueret. Quò spectat illud Isaiæ cap. 29. *Perversa est hæc vestra cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me; & figmentum factori suo, Non intelligis,*

Optimus modus se conformandi cum voluntate divina.

Denique hinc intelligimus, quam nos conformare divinæ dispositioni & voluntati debeamus, cùm per mortem aufert nobis charissimos quoque nostros; parentes, filios, fratres, amicos: Quemadmodum enim figulus ille, ad quem missus fuit Jeremias, jure suo vas primum confregit, & in aliam formam, sibi placitam redegit: ita ac multo magis potestatem habet Deus frangendi corpora nostra & ad terram allidendi, pro ut ipsi placuerit; præsertim cùm reparare & in splendidiorem formam possit refingere. Quare qui impatienter ferunt suorum obitus & immoderatè plangunt, Deo factori contradicere videntur, meritoque audiunt illud Isaiæ c. 45. *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* Argilla Samia prænobilis erat, qualis terra sigillata vel porcellana. Vasa igitur illa in pretio & æstimatione

multa

multa erant. Nihilominus vult Propheta, ut ſi Deus hujuſmodi teſtam, h. e. hominem potentem, divitem, juvenem aut puellam nobilem, ſpecioſam hinc auferat & ſepulchro inferat, ne Deo contradicamus, & obmurmuremus: *Quid facis?* cur tam nobile vaſculum frangis? Reſpondet enim ibidem Deus: *Ego Dominus creavi eum.* Ego confringere, quinimò & reparare, atque in ſpecioſiorem formam reducere poſſum.

III. *Analogia cœmiterii & Agri, in eo quod ſanguine Chriſti emptum, factum ſit valde pretioſum.*

III. Eſt ager Sanguinis, ſeu *Haceldama*; *quia emptus pretio ſanguinis Chriſti, 30. ſcil. argenteis.* In quo duo in primis admiranda ſunt. Primum quàm pretioſa debeat eſſe ſepultura Chriſtianorum, ut quæ pretioſiſſimo illo ac divino ſanguine, qui totius mundi opes quàm longiſſimè ſuperat, coëmpta eſt. Et quis unquam ſanguine aut vitâ ſuâ, quantamcunque poſſeſſionem emere viſus eſt? Chriſtus id fecit; quando ſanguinem ſuum non pro ſuâ ſed pro noſtrâ ſepulturâ dedit. Quanti igitur æſtimandam à nobis reputatis? Sed quæ hujus tam caræ emptionis cauſa? Dicam breviter: Sepulchra noſtra, niſi à Chriſto coëmpta fuiſſent, tetri quidam & abominandi carceres eſſent, è quibus ad extremam & diriſſimam mortem extrahendi eramus omnes. Poſtquam verò Chriſtus pretium ſanguinis ſui pro nobis exſolvit, carceres illi funeſtiſſimi commutati ſunt in lectulos molliſſimos & ſuaviſſimos. (Unde locus eorum appellatur jam *cœmeterium, h. e. dormitorium,* ein Schlaffhauß) item in ſcriuia aurea & gemmea, quæ ſervarent corpora noſtra veluti cymelia pretioſiſſima ad vitam ter beatam eamque æternam. Itaque ſanguis Chriſti, *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ*, inquit Apoſtolus ad Coloſſ. 1. Hoc igitur tantum bonum noſtrum tanto emere pretio Filius Dei voluit, ut nos id ipſum condignè æſtimaremus & ſpreto hujus mundi carcere ad cæleſte Regnum nobis paratum toto pectore aſpiremus. Propterea Sancti viri magnoperè caverunt, ne inter infideles ſepulchrum ſortirentur, ne cum illorum carcere commune quidquam haberent; uti inprimis Abraham, qui cùm hac in terra nullum planè fundum proprium habuerit, ſepulchrum tamen ſibi ſuæque conjugi ac poſteris emere voluit, ut proprium ſibi haberet, ne inter infideles ſepeliretur. Obtulerunt illi Ephronitæ fundum inter ſuos gratis: Non acceptavit Abraham, ſed 400. ſiclos dedit pro ſepulchri ſui loco, Gen. 23. In quod etiam ut inferretur ex Ægypto, mandavit ejus nepos Jacob, Gen. 47. & pronepos Joſeph, Gen. ult. *Quæ enim pars fideli cum infideli?* ait Apoſtolus 2. Cor. 6. Sed hinc jam naſcitur admirandum alterum, cur tantum illud ſanguinis Chriſti pretium non niſi 30 argenteis æſtimatum ſit. Id enim in figura prævidens Zacharias c. 11. per ironiam appellat decorum pretium. Nimirum id malitia peſſimorum mercatorum, Judæ & Judæorum fecit; quia Divini illius ſanguinis pretium incomparabile non noverunt; dum illum avaritia, hos verò excæcavit invidia. Atque utinam illi ſoli tantâ cæcitate laboràſſent, & non alii plures eis ſimiles invenirentur! At enim, qui pro exiguo lucro injuſto, pro momentanea carnis voluptate, pro una vini ingurgitatione, gratiam & ſalutem ſuam, tanto pretio ſibi emptam, iterùm deperdunt, quid aliud, rogo, agunt: niſi quòd ſanguinem Chriſti pro paucis argenteis vendunt? Deinde qui pro regno cælorum nihil pene pati volunt: qui mundi hujus commodis & bonis perituris immerſi ad cælum non aſpirant, ſed potiùs cùm evocantur gemunt, & defunctos ſuos inconſolabiliter deplorant, quomodo non pretium Chriſti & coëmptum illo regnum ſpernunt, ac pro nihilo habent? Unde meritò exclamat S. Bernardus ſerm. 2. de Pentecoſt. *O duri & indurati & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, ſed pretioſo ſanguine ſuo, quem effudit abundè, quia largiter undæ ſanguinis de corpore Ieſu per quinque partes emanaverunt.*

IV. *Analogia cœmeterii Chriſtiani & agri quod ... netur peregrinis ... terram.*

IV. *In ſepulturam peregrinorum ager ille emptus fuit* ad literam quidem eorum, qui Jeroſolymam adventarent: myſtico tamen ſenſu deſignabat eos ſolos in Cœmeterio Chriſtianorum requiem inventuros, qui ſe peregrinos in hoc mundo agnoſcerent, & velut peregrini viverent. Mirum ſanè eſt, quod de Haceldama ſcribit Adrichomius in deſcriptione Jeruſal. n. 216. *Eſt hujus terræ,* inquit, *virtus mirabilis & fidem penè ſuperans, quòd defunctorum corpora, viginti quatuor horarum ſpatio in pulverem redigat, quam virtutem etiam in alias regiones devecta non perdit. Nam cùm juſſu Imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum ſit, quem Incolæ Campum ſanctum vocitant, licet cælum mutârit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim reſpuens ſola peregrinorum corpora ad ſepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis ſubſtantiam intra 24. horas prorſus conſumit, oſſibus tantum reſiduis.* Atque ita ſe rem habere mihi quoque Romæ narratum memini. Et cur hoc tam perenne miraculum fiat præciſè propter eos, qui corpore peregrinantur, in mundo interim ſua ſolatia quærunt; & non potiùs propter eos, qui in mundo, ut peregrini vivunt, cives verò in cælo ſunt? Iſti igitur tam pretioſo ſanguinis agro digni ſunt, iſtos ille admittit, reſpuit mundi cives. Propterea S. Petrus ep. 1. c. 2. hortatur nos, ut hujuſmodi peregrini ſimus: *Obſecro vos,* inquit, *tanquam advenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Artemedorus ille Philoſophus Daldianus l. 1. Oneirocrit. cap. 46. ſcribit,

scribit, *terræ motum in somnio omnibus injuriam denotare, præterquam peregrinis.* Sic & nobis conjectare, neque vanè, licet, diem illum extremum, in quo cæli movendi sunt & terra, solis his peregrinis nihil mali aut terroris allaturum, cæteris omnibus, qui ut cives hujus mundi vixerunt, terrorem pariter & interitum. Porrò defunctum nostrum in hoc agro jam depositum, talem fuisse peregrinum complura nobis argumenta, &c.

Quia tamen de hoc non omnem prorsus certitudinem habemus, & aliunde scimus multa sæpe semina, in agrum licet fertilem jacta, ob injuriam tempestatum remoras pati, quò minùs ocyus in germina, flores, & fructus prosiliant; idcirco videtur hic defunctus expetere preces nostras, quibus veluti salutari rigetur imbre, & solis radiis perfundatur; ut sic ad maturitatem suam in cælo obtinendam promoveatur, &c.

EXHORTATIO IV.

Sepulchra, Domus nostræ.

THEMA.

Si sustinuero, Infernus domus mea est. Job. 17.

[An]alogia [n]ominis pro[pri]è dicta, [&] Metaphorica.

NEmo vestrûm est, Audit. qui non habeat curam domûs suæ, eique quam optimè potest, provideat de necessaria suppellectile, de annona, de opibus denique & variis commoditatibus. Ita enim & sanctus ille Patriarcha, postquam diu servierat socero suo Laban pro duabus ejus filiabus, tandem reversurus in terram suam. *Iustum est*, inquit, *ut aliquando etiam provideam domui meæ. Gen. 30.* Neque tamen legimus, quòd habuerit propriam domum, nisi quam incoluit *in Chanaã peregrino solo. Gen. 37.* Jam ergo quæritur, quæ sit propriè domus illa, cui prospicere quisq; debeat. Habemus enim in primis domos arte factas ex lignis & lapidibus. Et circa has pene omnes occupantur homines, mundo huic addicti, ut eas ædificent, impleant, ditent, conservent, denique hæredibus suis relinquant; Verum his providere multâ cura & solicitudine, minimè suadendum; quia brevi durabunt, & transferentur ad alienos, tandemque omninò corruent. Ita enim de domibus divitum testis est S. Job c. 27. dicens: *Ædificavit* (dives) *sicut tinea domum suam: & sicut custos fecit umbraculum.* Quis autem nescit domum, quam in ligno vel in veste sibi struit tinea, devorari ab ipsa tinea, vel etiam excuti ab illo, qui lignum illud comburit, vel vestem expurgat? Quis etiam nescit umbraculum, quod in horto vel vinea sibi extruit custos, finito frugum tempore, statim destrui & auferri? Habemus etiam domum animæ nostræ, corpus nostrum, quod ipsa velut domum quandam incolit. Sed neque hæc meretur, ut multum curæ ei impendatur, quia & ipsa brevi dissolvetur, teste Apostolo, 2. Cor. 5. *Scimus quoniam terrestris domus nostra* (Græcè *schynus* h. e. tabernaculum) *hujus habitationis dissolvatur.* Loquitur ad literam de corpore nostro, quod appellat tabernaculum, quia modico tempore stat, postea dissolvitur. Multò minùs de ventre solicitos esse expedit: quia eodem Apostolo teste, 1. Cor. 6. *Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet.* Quænam igitur illa domus, cui maximè providendum? Hanc designat nobis S. Job in primis c. 17. cum ait: *si sustinuero infernus, h. e. Sepulchrum domus mea est.* Et rursum c. 30. *Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.*

Quænam verò illa? nonne sepulchrum, quod omnes incolimus, postquam è vivis excessimus? Confirmat idem Ecclesiastes, c. 12. *Quoniam ibit homo*, inquit, *ad domum æternitatis suæ.* Loquitur autem de sepulchro ut explicat Chaldæus & S. Hieronymus. Porrò nunc videndum, qualis sit illa domus, & qua ratione sic appelletur sepulchrũ.

I. Sepulchrum dici potest domus nostræ stirpis, seu prosapiæ sicut prosapiæ magnorum Principum antiquissimæ appellantur domus, uti Austriaca, Saxonica, Bavarica. Hoc sensu dixit David Rex 2. Reg. 7. *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Talis in primis domus nostra est sepulchrum, omnium antiquissima, quia è terra formati, ad terram nostram regredimur, cùm in sepulchrum imus. Ac sicut antiquæ familiæ communiter à fundo, quẽ incolunt, nomen sortiuntur, quia in illo prognati sunt; ita parens noster *Adam ab Adama, h. e. terra rubra*, nomen accepit. Itaque ne miremur aut doleamus, si in sepulchro nostro terram occupamus; quia fundum, è quo nati sumus, recuperamus & recipimus. Hanc agnovit Job c. 17. cit. cùm dixisset: *Infernus domus mea est.* Subdit enim: *Putredini dixi: Pater meus es: mater mea & soror mea vermibus.* q. d. Libenter ad sepulchrum pergo, quia ibi invenio parentelam meam, à qua prognatus sum: terram velut parentem, matrem & sororem vermes, qui in terra volutabantur. Habemus hic mortales, quo superbiam edomemus & dicamus cum Davide; Quis sum ego, & quæ domus mea? pastoritia; imò terrea & lutum merum, unde prodii, Gentiles quidem & alii, qui aliud præter hoc sæculum non crediderunt, gloriam sibi & memoriam quasi immortalem in monumentis suis quæsierunt; ideoque super illa struxerunt mausolea, ærea, marmorea, turres, pyramides; existimantes se in his structuris æternum victuros, saltem in memoria hominum, juxta id Psalm. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Verùm frustra fuerunt, *& periit memoria eorum cum sonitu.* Ubi enim sunt jam illa mausolea & pyramides? Ruerunt & perierunt una cum illis. Id quod etiam vaticinatus est Isaias superbo illi Sobnæ, templi Præposito, c. 22. *Quid tu hic, aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum*

I. Ostenditur terram esse Domum hominum eo quod Domus significet originem alicujus.

nacalum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus (ſcil. ligatus in corbem intruſus, & in forum delatus ad vendendum, uti exponit S. Hieronym.) Fuit enim abductus ad Aſſyrios à Sennacherib. Qua ex re diſcimus parum efficere illos qui ex ſplendore Epitaphiorum gloriam ſibi quærunt, imò planè nihil, niſi in quantum cupiunt per illam ſui memoriam preces à viventibus expoſcere.

II. *Oſtenditur terram benè dici Domum hominis, ob quietem ſuam in ea.*

II. Sepulchrum dici poteſt, Domus quietis noſtræ, in quam nos recipimus, cùm à laboribus hujus ærumnoſæ vitæ avocamur & ad ſomnum nos componimus; juxta id Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Et in hunc ſenſum explicat S. Job domum ſuam, ſepulchrum; cùm ſubjicit cit. cap. *In tenebris ſtatui lectulum meum, Putredini dixi: pater meus es tu, mater mea & ſoror mea vermibus.* q. d. quia à laboribus meis brevi reſpiraturus ſum, ideò in ſepulchro lectulum mihi paravi, adeoque aliud non deſidero, quam ut putredo & vermes exuant me veſte, miſerabilis hujus corporis, ut eo exutus indui poſſim glorioſa immortalitatis veſte. Sic enim & filius cum à laboribus diurnis revertitur in paternam domum, deſiderat exui veſtibus, ſervorum vel matris aut ſororum operâ. In quē ſenſum ait Apoſt. 2. Cor. 5. *Qui ſumus in hoc tabernaculo* (corporis ſcil.) *ingemiſcimus gravati: eò quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* q. d. Deſideramus non quidem à corpore, ſed ab ejus affectionibus & perturbationibus liberi eſſe, ut ait ibi Theodoretus, adeoque ſuperveſtiri corpore immortali. Cum igitur id fieri nequeat, niſi exuto hoc mortali corpore, merito S. Job deſideravit ingredi ſepulchri lectulum, ibique ſpoliari mortali & ærumnoſo corpore; quod & omnes cupimus, ſi peregrinos nos eſſe in hoc mundo cognoſcimus; ut ſanè agnovit pientiſſimus Cardin. Reginaldus Polus, cui cùm Everardus Leodienſis Epiſcopus renunciâſſet, Regem Anglorum Henricum VIII. præmium aureorum 50. millium conſtituiſſe ei, qui necem illi inferre, miratus Regis amentiam dixit, jam dudum ſe vitæ hujus tædio affectum mortem cupiviſſe, corporiſque depoſitionem; Et proinde cùm Henricus tanto ſtudio & incommodo ſuo illud ipſum efficere conetur, nihil aliud facere, quam ſi quis cupienti ire dormitum veſtem ipſam velit detrahere. Ita refert Sanderus l. 1. de Schiſm. Anglic.

III. *Oſtenditur terram eſſe Domum hominum, eo quod ſit promptuarium eorū & penu.*

III. Dici poteſt domus annonæ, germ. ein Proviand-Hauß/ in quam congerunt boni fruges bonorum operum: mali verò Zizania malorum. Ita legimus Joſephum congregâſſe frumentum in horrea tempore fertilitatis, ut inde alimentum terra Ægypti acciperet per annos ſterilitatis Gen. 41. Nunc in hac vita frugiferi anni ſunt, in quibus ſerere & metere, adeoque ditari poſſimus, & comparare merita in horreum ſepulchri ad tempus deponenda, donec ea repetamus, cùm hinc emigraverimus in alterum illud ſæculum, ubi nemo ampliùs ſerere poterit aut metere. Antiquitùs ſolebant theſauros recondere in ſepulchris, uti de ſepulchro Davidis teſtatur Joſephus l. 13. Antiq. c. 15. Verum illi ſecuri etiam in ſepulchris non erant, quin tandem raperentur, uti, Hircanum feciſſe theſauro ſepulchri Davidici ſcribit Joſephus ibid. Verùm ſi ad ſepulchrum recondantur bona opera, nemo ea deripiet. Sunt enim jam ad oſtium æternitatis depoſita. Oſtium hoc ſepulchrum eſt, uti agnovit laudatiſſimus ille Godefridus Epiſc. Bamberg. noſtro ſæculo in Comitiis Ratiſponenſib. piiſſimè mortuus, qui dum viveret, in mente ſibi infixum eſſe illud ajebat: *Quotidiè ad oſtium æternitatis ſto, ut in ejus domum mox ingrediar.* Refert P. Corn. à Lap. in Eccl. c. 12. Ad hoc oſtium hujus domus inferenda bona opera ſuaſit cuidam civi Tudertino opulento B. Jacoponus Tudertinus, vir ſapientiſſimus, tametſi is Chriſti amore ſe ſtultum ſimularet. Emerat civis ille par pullorum, quos cùm domum vellet mittere, Jacoponum conſpicit, eumq; ut ſibi pullis domum deferendis gratificaretur orat: qui ſe vero libenter facturum pollicetur. Cape igitur, ait ille, defer obſecro, nec mihi imponas velim. Jacoponus excipit: *Mihi tu fidito*, inquit, *domum tuam pullos feram.* Fide datâ rectâ ædem S. Fortunato Sacram, in qua civis monumentum ſuum habebat, ſe confert, ſepulchrale ſaxum amolitur, pullos injicit, lapidem reponit. Civis ad ædes revenit, pullos deſiderat: circumventum ſe ratus in forum recurrit, & pullos à Jacopono exigit ac quorſum tulerit petit. Mirari Jacoponus, & in domum ſe illius aves tuliſſe aſſerit. Quî fieri poteſt, ait civis, cùm domi meæ nunquam viſus hodie ſis? Hic Jacoponus, *mecum ades*, inquit: *jam me tibi obſecutum eſſe monſtrabo.* In templum ergo ducit, apertoque ejus monumento, *nunquid amice*, ait, *tua hæc eſt Domus? Vide ſis num mei incuſandi tibi fuerit cauſa.* Civis nec verbo addito, receptis pullis, non abſque trepidatione, optimis cogitationibus imbutus, domum revertit. Ita P. Matth. Raderus p. 2. Virid. c. 3. Huc niſi fallor pertinet, quod Lev. 1. mandatur, ut ave ad ſacrificium deplumatâ, plumæ projiciantur in locum cinerum verſus Orientem. Solent enim recepto Eccleſiæ more ſepeliri defuncti Chriſtiani facie ad Orientem conversâ. Illuc ergò projici divitiarum h. e. bonorum operū plumæ debent, ut ſecuro loco depoſitæ, reſumi in die reſurrectionis poſſint ad volandum in cæleſtē beatitudinem. Jam ergo ſi pro domo ſua lutea & lignea quiſque tam ſolicitus eſt, ut eam ſuſtentet, impleat, ditet; quam tamen cras vel perendie deferendam ſibi novit; cur non potiùs providemus domui illi, è qua annona noſtra pro tota æternitate deſumenda nobis eſt? Domus ligneæ & lateritiæ, quantæcunque illę ſint, hoſpitia tantùm noſtra ſunt, quæ paucis incolimus diebus. At verò

vel con- torium r- rum hu- manarum

ſepul-

ſepulchra noſtra appellantur. *Domus noſtræ in æternum,ſcil.*incolendæ, Pſ.48. *Sepulchra eorum domus in æternum.* B. Albertus M. prius Epiſc. Ratiſponenſis, poſtea abdicato Epiſcopatu rurſum ad Ordinem ſuum Prædicatorum regreſſus, cùm ad finem vitæ omni planè ſcientiarum ſuarum memoria privatus fuiſſet, ſepulchri tamen ſui, quod in Monaſterio ipſi deſignatum fuerat, minimè eſt oblitus, quin id quotidie reviſeret & piis precationibus præmuniret, pro ſe ipſo quaſi jam pro mortuo fuſis. RefertFerdin. Caſtilius in hiſt. S. Domin. & Ord. Præd. p.1.l.3.c.47. Dictum ſibi quiſq; cogitet, quod Ezech. Regi dictũ à Deo fuit: *Diſpone domui meæ, quia morieris tu & non vives.* Iſa.38.

EXHORTATIO V.

Cœmeterium Domus Figuli.

THEMA.

Surge & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Jerem.18.

S. Hieron. *Ep. 3. ad Helcodorum de Epitaphio Nepotiani* miratus hominum cæcitatem & ſtoliditatem ſcribit: *Quotidiè morimur, quotidiè immutamur, & æternos nos eſſe credimus.* Nimirum quæ ſola intellectus apprehenſione percipimus, non adeo nos movent, quam quæ oculis proponũtur, & quia mortem, ut procul à nobis diſſitam, nondum videmus, ſed mente ſolùm concipimus, inde fit, ut ejus imaginatio tenuiter nos moveat. Quã obrem miſit Deus Jeremiam Prophetam aliquando ad domum figuli, ut quæ oculis videret in ejus officina, fortiùs apprehenderet, & poſtea inculcaret populo Hebræo. *Surge,* inquit Jer.18. *& deſcende in domum figuli & ibi audies verba mea.* (Surrexit Jer.) *& deſcendit in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam. Et diſſipatũ eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: converſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens: Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere, Domus Iſraël? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.* Ita ſcribit ipſe Jer. Nos, niſi cæci eſſe velimus, hoc die impletũ eſſe cernimus. Quia enim mortem non niſi ob oculos poſitam menti noſtræ inprimimus, ecce miſit nos hodie Deus in domum figuli, Creatoris inquàm noſtri domum luto plenam, è quo formavit nos, cœmeterium inquam, & proponit nobis ollam unam fictilem, quam á luto formavit ſed iterum confregit, ſuo tamen tempore rurſum efformaturus eſt in formam longè aliam, & ut ſperamus, ſpecioſiorem ac beatificã. Quare ne fruſtrà huc miſſi ſimus & abſque fructu hinc abeamus, cõtemplemur hic imaginem noſtram, & á defuncto iſtam diſcamus veram ſapientiam, quomodo nos conditi, quomodo confracti, quomodo reformandi ſimus.

Expenditur locus Jeremiæ.

Tria oſtenſa ſunt Jeremiæ in domo illius figuli: Primum quâ ratione vaſculum in rotâ ab eo formatum. Secundum quomodò id diſſipatum. Tertium, quâ ratione & arte id reformatum ſit. Eadem nos contemplemur.

I. *Deducitur ex formatione.*

Primò *finxit Deus hominem è luto, & formavit ad illam ſpeciem* corporis humani, in qua hic defunctus ante oculos noſtros jacet. Effigiavit in maſſa luti manus pedes, caput, aures, nares, os, oculos, & cætera membra homini neceſſaria. Sed nondum animata Maſſa illa lutea merum cadaver erat: nondum ambulabat, non audiebat, non videbat, necdum loquebatur; quia ſpiritu & animâ carebat. Et tale eſt cadaver hominis, quale ante oculos cernimus, miſerum & trunco ſimile vel ſtatuæ. *Inſufflavit poſtea Deus maſſæ illi ſpiraculum vitæ.* h. e. animam rationalem, ut Chaldæus paraphraſticè vertit, *animam loquentem*; ſine quâ homo aliud non eſſet, niſi tale cadaver, quale eſt iſtud. Videmus ergò hic originem noſtram, quam expendens S. Chryſoſt. hom.12. in Gen. ait: *Formavit Deus hominem,* inquit, *pulverem de terrâ.* Quid dicis? *Acceptone de terra pulvere formavit hominem? Etiam,* inquit, *& non ſimpliciter, nec fortuitò terræ dicit, ſed pulverem quaſi ſi quis dicat, tenuiſſimum & viliſſimũ, quod eſt in terra.* Et paulò infra: *Hinc ſi attendere volumus, non parva nobis humilitatis offertur doctrina.* Nam cùm cogitaverimus, Unde conſtitutionis ſuæ initium natura noſtra ſuſceperit, etiamſi ſexcenties ſupercilia ſurrigamus, ea reprimemus & humiliabimur, & ſubſtantiæ noſtræ qualitatem perpendentes, modeſtiam diſcemus. Et propterea Deus; cui tanta ſalutis noſtræ cura ad noſtri eruditionem Prophetæ linguam ſic direxit. Quippe cùm ſuperiùs dixerat divina ſcriptura: *Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, & dedit illi omnium viſibilium poteſtatem, ut ne ignorando, quomodo conſtitutus ſit, magnus ſibi videatur & præſcriptos ſibi limites tranſeat; propterea repetendo docet formationis ejus originem, & unde primus homo productus ſit. Et mox: Plurimum enim ad erudiendũ nos conducit ſcire, unde ſubſtantia noſtra primùm originem acceperit. Videtur mihi Moyſes in hac hyſterologia feciſſe, quod Romani ſtatuerunt in triumphantis Imperatoris aut Victoris curru triumphali, ut dum ipſe ſumma cum majeſtate in urbem veheretur, poſt tergum ei acclamaret aliquis. *Reſpice poſt te, hominem memento te* ut refert Tertullianus in Apologetico. Ut verò agnoſcamus nos verè & propriè opus figuli eſſe, expendamus Hebræum Geneſeos textum, qui ſic habet: *Plaſmavit Deus hominem pulverem vel lutum de terra.* Plaſma autem propriè ad figulinam ſpectat. Quare ſicut Agathocles Rex Siciliæ, ex filio figuli ad Regiam evectus, ut ſuperbiæ motus ob hanc dignitatem ſibi inſidiantes retũderet, abacum ſuũ fictilibus vaſis inſtruxit, teſte Auſonio; vel ſaltem inter aurea etiam fictilia poſuit, quò originis ſuæ memor eſſet: ita ſanè & nos facere oportet. Aſpiciamus quæſo, cadaver hominis. Quid eò miſerabilius? quid fœdius ac fætentius? Tales initio fuimus, & tales rurſum erimus. Exſuppetit & ad

manus est, D. Basilius inquit hom. 11. in Hexam. *quod nos ultrò moneat, quàm nihil simus. Emitte in terram oculos, deinde attende, quod ex re quapiam terræ congenere & affini, nempè vili ac rejectitia efformatus es.* Quid aspernabilius esse possit, quàm nos ipsi, &c.

II. *Explicatur ex analogia confractionis.*

II. Dissipatur homo cùm moritur, quo modo vas figuli illius dissipatum dicitur, dum formaretur; juxta paraphrasin Chaldaicam: (*in ipso artificis conatu, dum adhuc fingeretur, dissipatum est vas, quod manibus versabat.*) Id sibi accidisse Ezechias Rex fatetur in cantico suo: *Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me.* Isa. 38. Ubi Theodoretus in Cant. Ezech scribit: *Quemadmodum est tela ancillæ, quæ reliquam texturam amputat: sic textura totius meæ vitæ ad finem properat, ut abrumpatur. Quilibet igitur vir sanctus stolam texit & ornamentum suæ animæ apponit per suas actiones.* (Id quidem dum ageret Ezechias, repentè missus est ad eum Isaias & præcidit texturam ejus, dicens: *Hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives.*) Quod huic pio Regi evenit, idem quoque diviti illi avaro, sed infeliciore fine contigit, Luc. 12. Dũ enim intra se cogitat: *Quid faciam? quia non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hâc nocte repetunt à te animam tuam. Hâc nocte,* inquit, dum nimirum ille in lecto tales versat cogitationes, & telam suam texere orditur. (*Non transiit,* ait ibi Theophyl. *cogitationem suam dives: sed in ipso cogitationis momento ex totâ vitâ abscinditur, &c.* Et quid mirum? quid enim fragilius vase luteo, dum adhuc formatur & versatur in rota? Non malè S. Jacobus in Ep. sua c. 3. cursum vitæ nostræ appellavit *rotam nativitatis nostræ.* Perpetuò enim rotamur & agitamur curis, solicitudinibus & cogitationibus inter se pugnantibus. Unde Philosophus quidam rogatus, quid esset vita hominis, semel se in orbem convertit, & abiit; innuens esse quandam rotationem cerebri in variis curis & cogitationibus, quæ hominem in vertiginem agant & conficiant immaturâ adhuc ætate.

Porrò *dissipatum est vas,* inquit Jeremias: Dissipatur vas figuli, cùm pristinam formam perdit, & cùm collabitur atque in frusta seu testas comminuitur. Videmus hoc in homine mortuo. Ubi enim jam pristina ejus forma? ubi faciei decor? ubi genæ rubentes? ubi oculi scintillantes? ubi suavis loquela? ubi cantus modulatio? ubi pedum saltatio? ubi docti ad instrumenta digiti? Perierunt omnia. Præterea dissipantur ejus divitiæ, familia, suppellex, amici. Paulò post in sepulchro dissipabuntur ejus ossa & emortua membra. Quod etiam de se, quasi jam deposito deplorat Ezechias in Cant. cit. *Generatio mea ablata est & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.* Pro generatione habetur Hebr. *dor,* h. e. *ætas.* Quemadmodum igitur tabernaculum pastorum, tumultuariâ operâ e frondibus & ramis ad paucos dies erectum, cùm deseritur ab illis, corruit, dissolvitur & dissipatur, ac diripitur, dispersis hinc inde ramis aridis & ad ignem alendum abreptis: ita in sepulchro dissolvitur cadaver, & dispergunfur hinc inde corporis ossa.

III. *Comprobatur idem ex reformatione.*

III. Ex eodem collapso corpore formabit Deus in die resurrectionis corpus aliud novum, quod non dissipabitur amplius: sicut figulus ille, inspectante Jer. 1. *Ex eodem luto vas alterum, sicut ipsi placuit, in speciem aliam atque in alium usum efformavit,* inquit Paraphrastes Chaldæus. Quam facilè igitur figulus ex collapsa argilla refingit vas novum, speciosius & solidius priore, tam facile est Deo, imò in infinitum facilius cadaver dissolutum & in terram resolutum reformare in novam & gloriosam corporis speciem, nunquam interituram. Ostendit hujus rei specimen in arboribus & herbis S. August. ser. 34. de Verb. Apost. *Videmus,* inquit, *hiemis tempore vel adventu arboris spoliari pomis, nudari foliis: sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis exprimere, quæ primò quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus & vestiri foliis, & postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore, quo Deus disposuit, producantur? Dic mihi ubi latitant, antequam producantur? quæ nusquam quidem videntur: sed tamen Deus, qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secreta suâ virtute producit. Hinc jam ad campos & prata respicite, quæ æstate transacta herbis suis spoliantur ac floribus, & nuda remanent ipsa spatia terrarum: sed iterum verno tempore revestiuntur, & novo ubique germine incipiente lætatur agricola. Certè herba, quæ ante vixit, & moritur, rursus reviviscit ex semine: sic etiam nostrũ corpus reviviscet ex pulvere.* Quò facit id Isaiæ c. 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrũ: & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Nimirum in magno illo die, quo ossa illa velut semen germinabunt, juxta Osiæ Prophetiam c. 1. *Magnus dies Iezrael* h. e. *seminis Dei.* Ubi Cyrill. ait: *Magnus verè dies Christi, quo omnes defunctos excitabit &c.* Ac ne hoc incredibile videatur, voluit id ostendere Deus per complura miracula; quale est, quod in manu S. Hartwici Archiepisc. Salisburgens. exhibuit, quando aridum ramusculum ex arbore à sancto decerptum, in ejus manu aliquantis per retentum virere ac florere fecit; ex quo miraculo adhuc locus, ubi id contigit, nomen obtinet, **der Blüebach**/ rivus floris, apud Henric. Canisium tom. 2 lect. antiq. S. Martinus Ecclesiam consecraturus Turonensem, cùm vehementer reliquias è sanguine S. Mauritii & sociorum martyrum expeteret, nec habere posset, cultro exempto apud Augunenses, quo loco illi pro Christo sanguinem fude-

fuderunt (teste Baronio anno 297.) gramen apprehendit & cæspitem excidit, indeque non exiguam vim sanguinis (utique Martyrum illorum) in vasculum expressit, quo & altaria consecravit; apud Sur. in vita S. Mauritii & Soc. Nec minùs stupendum illud, quod de S. Stanislao Cracoviensi Episcopo legimus; cujus corpus, cùm ab impiis membratim concisum & per agrum dispersum esset, postea à Clericis collecta membra & aptè composita, mox ita coaluerunt in corpus integrum, ut nulla vulnerum vel sectionum vestigia extarent. Ut est in ejus vita.

Jam ergo si ex una parte habeamus cur tristemur, quòd hic defunctus noster in Rota illa cælestis figuli confractus est; habemus tamen ex altera, cur gaudeamus, quando eum suo tempore in speciosiorem formam resuscitandum certa fide credimus. Non plorat sed cantat & lætatur agricola, cùm semen in agrum spargit; quia firmiter sperat, se cum magno fœnore id recepturum in messe. Idem cogitemus nos &c.

EXHORTATIO VI.

Communis omnium Domus Cœmeterium.

THEMA.

Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Job. 30.

LEvitici c.25. statuit Deus hanc legem: *Terra non vendetur in perpetuum* (Chald. *in proprietatem*) *quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.* Causam affert Concilium Triburiense c.16. quia *terra jure naturæ est communis omnium mater*; indeq; deducit Ecclesiasticam terræ sepulturã non esse pretio vendendam. Reperiuntur quidam fundi & arces nobilium, quæ integræ alicui familiæ deputatæ; adeoq; commune ejus receptaculum sunt, sed nulla hujusmodi domus demonstrari potest, quæ toti humano generi receptando deputata sit, præter terram, quæ propterea communis omnium nostrûm mater appellari solet. Nemo igitur tam pauper in toto mundo est, qui non habeat jus ad hanc matris nostræ domum, in quã velut advena, & colonus intrare post mortem queat. Consolabatur hoc S. Jobum, qui c.30. ait ad Deum hujus terræ Dominum: *Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.* In Hebr. dicitur *domus Moghed*, h.e. *congregationis*; quia illuc congregamur omnes velut ad commune hospitium; in quod etiam S. ille Jacob Patriarcha jam jam illaturus pedem, dixit ad filios: *Ego congregor ad populum meum; sepelite me cum patribus meis.* Gen. 49. Quando igitur, ut vidimus, terra præsertim sacrata cœmeterii commune nostrum domicilium est, videamus nunc qualenam id sit.

I. Est quasi commune horreum, in quod inferuntur corpora nostra emortua, veluti manipuli frugum, falce mortis jam demessi. Eò spectat, quod S. Job dixit Eliphaz: *Ingredieris in abundantiâ in sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Primò ergo in horreum convehuntur omnis generis fruges, nobiles & ignobiles, triticum, siligo, panicum, hordicum, avena; quæ scil. spectant ad unum Dominum. Ita & in cœmeterium comportantur omnium cadavera, nobilium, ignobilium; dominorum & servorum, divitum & pauperum; quin etiam bonorum & malorum. Quot cadavera, tot manipuli: sepelitur unum super alterum, non habito respectu. Deinde triturantur manipuli, quando *calcat super illos quasi Rex interitus*; ut dicitur Job. c.18. Excutiuntur à vermibus, qui corpora absumunt, sicut pecora, quæ devorant stramen. Deniq; sola remanent grana, quæ ventilantur ab eo, *cujus ventilabrum est manus ejus, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum* (domesticum scil. in quo fruges jam trituratæ reponuntur) *paleas autem comburet igni inextinguibili*, ait Joannes Baptista, Matth. 3. *Horreum convehuntur omnis generis fruges: sic in cœmeterium omnis conditionis homines.*

II. Est quasi commune Telonium, in quo omnes homines vectigal suum pendere & deponere coguntur. Telonia plerumque ad portus & ripas maris aut fluminum adhærent, quod etiam de veterũ sepulchris scribit P. Corn. a Lap. in Proph. min. proleg. canone 17. ibi omnibus nautis exscendendum est è navibus & eundum ad teloniũ: ubi indicandæ merces, quæ vehuntur; & portorium pro illis solvendum, seu tributum. *Vita nostra*, inquit S. Gregor. l.6. ep.26. ad Andream, *naviganti est similis*. Is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit; quia impulsu navis ducitur. Ita ergo & nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. (Confirmat hoc S. Job. c.9. dicens: *Dies mei pertransierunt sicut navis*) Jam verò Apostolo teste ad Hebr.9. *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Omnes igitur & singuli, ad persolvendum hoc tributum exscedere è vitæ cursu tenentur & ad telonium cœmeterii, in quo mors agit teloniarium, corpus loco portorii deponere. Post hoc examinari & lustrari solet navis ejusq; merces, justæne an injustæ, licitæ an illicitæ sint. Quod fit in judicio mortem consequente. Si justæ sint, dimittuntur libere ad cælestem patriam: si injustæ, ad fiscum trahuntur, & nauclerus mulctatur; cùm nim. unà cum malis operibus suis trahitur ad gehennam. Job. cit. loco addidit, *dies suos transiisse sicut naves poma portantes.* Poma hæc sunt opera nostra; quæ si in illo examine deprehenduntur sana & integra, deferentur ad cælestem mensam: sin verò putrida & cariosa, ad porcos abjicientur. II. *Cœmeterium comparatur telonio.* *Vita nostra est similis naviganti.*

III. Est quasi Antecamera moratoria, in qua aulici, & qui ad colloquium Regis admittendi sunt, expectare solent, donec ad Regis conspectum advocen- III. *Cœmeterium com-*

paratur anticameræ moratoria in aulis Magnatū.

vocentur. Hunc se expectare asserit Job. c. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Idem cum ipso dicunt omnes defuncti, unde Romæ in Cœmeterio S. ad ingressum posita est Epigraphe: *Hic expectamus requiem*, donec videlicet in die resurrectionis novis adornari vestibus evocentur è sepulchris, & admittantur in conspectum Regis Regum. Desiderant quidem electi vehementer, diem uti in primis Martyres, qui clamant Apoc. 6. *Usquequo non judicas Domine, & non vindicas sanguinem nostrum?* Sed dictum est illis, ut *requiescerent, adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum &c.* Interim *datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Stolæ istæ sunt gloriæ animarum, quibus illæ in cælo jam indutæ vident Deum: glorificationem corporum expectant adhuc, dandam in Resurrectione justorum, in cujus rei figuram Joseph per triennium, licet innocens in carcere detentus fuit, priusquam admitteretur ad Pharaonis aulam & alloquium: priusq; attonderi & eleganter vestiri debuit Gen. 41. Ita enim & electorū corpora detinenda sunt in sepulchris, donec vestiantur immortalitatis gloriâ, & detonsis culparum reatibus, si quos habent, in purgatorio; ad beatitudinem admittantur. Cōsimili typo Abraham sacrificaturus Deo, filium quidem assumpsit secum in montem Moria, seu Visionis Dei: asinum verò reliquit infra montem, mandans servis suis: *Expectate hic cum asino: ego & puer illuc usq; properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Gen. 22. Credidit enim filium vel à morte liberandum, vel resuscitandum. Reversus igitur cum filio ad asinum, reduxit eum in terram suam. Hunc in modum mortuo homine justo, ducit ejus animam Deus ad montem visionis beatificæ, quanquam si ea quid expiandum habet, cum gladio & igne purgatorii. Deniq; in die judicii reducet animam ad corpus, & una cum illo reducet in cælestem Patriam.

IV. Cœmeterium comparatur diversorio in quod peregrini divertunt. Mors est hospes.

IV. Est quasi commune Pandocheum seu diversorium, in quod omnes advenæ & peregrini divertunt, donec iter suum prosequantur ad vitā alteram. In hoc diversorio Pandocheus seu hospes est mors, quæ inprimis pari affectu omnes excipit, & in arcto æquali lectulo collocat nullo habito respectu inter divitem & pauperem, nobilem & ignobilem. Unde S. Ambrosius l. de Naboth. c. 1. ait: *Cespes angustus æquè pauperi abundat & diviti.* Alphonsus quoq; Aragonum Rex interrogatus: *Quænam res Principes ac privatos, divites ac pauperes æquaret? Cinis* respondit. Panorm. l. 4. de gestis ejus. Deinde suis quidem advenis nihil ad comedendum aut bibendum apponit, sed ipse potius devorat & depascit eos, juxta id Psal. 48. *Sicut oves in inferno* (sepulchro) *positi sunt: mors depascet eos*; per servos sc. suos, vermes; quinimò etiam vestibus expoliat. Quare de hoc diversorio dici posset illud Num. 13. *Terra hæc devorat habitatores suos.* Sed neq; munda aut jucunda est illa habitatio, quia putredine, sordibus & vermibus scatet. Unde stabulum potiùs pecorum, quam hominum diversorium dicendum est; quo nomine etiam appellatur Pandocheum illud, in quod Samaritanus induxit sauciatum à latronibus hominem Luc. 10. Jam verò quærat aliquis, cur hospes hic tam dirus, tam malè excipiat advenas ad se divertentes, & cur pro brevi somnio proq; mensa tam sterili, tam crudele exigat lytrum? Respondit iis primò, quod parentes nostri primi contraxerint hoc debitum, tam grave, tamq; enorme, ut etiam in posteros eorum sese extendat. Itaq; *patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Ezech. 18. Deinde quia & ipsi peccarunt omnes, parentes suos secuti; unde cùm non habeant, mors vestes eis detrahit. Unde 48. dicitur: *Sicut oves in inferno* (h. e. sepulchro) *positi sunt, mors depascet eos.* Oves stulta animalia sunt & facillimè errant: unâ desiliente in flumen, sequuntur eam omnes & merguntur. Ita fere homines secuti sunt parentes primos. Deniq; quia cum mortali corpore non licet ingredi ad vitam immortalem, ideò fragilis illa carnis nostræ vestis ad ostium alterius sæculi exuenda est. Si enim ad aulam Regis Assueri nemo sacco indutus poterat intrare, Esth. 4. nisi prius eum deposuisset: multò minus ad regnum cælorum patet ingressus homini mortali carne vestito. Hinc Psal. 29. cùm objecisset Psalmista Deo: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audivit Dominus & misertus est mei.* Quid igitur respondet? *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: ut cantet tibi gloria mea.* In mola papyraria nequit fieri charta munda ex detritis lacernis, nisi prius contundantur & macerentur: Idem fit cum hominibus. Quare Cœmeteriū hujusmodi mola papyraria est, in qua emortua corpora, velut abjecti centones macerātur, ut in speciosā & beatifica visione postmodū reformētur.

Cœmeterium velut papyr[...]

Cœmeterium velut municipium partium [...] cilium

V. Est quasi publica & communis curia, in qua litigantes partes inter se conveniunt & conciliantur; ubi mors velut judex omnium jungit dexteras & tollit inimicitias. Discere hoc ex eodem versu citati psalmi 48. possumus, ubi dicitur: *Sicut oves in inferno* (sepulchro) *positi sunt: Mors* uti S. Augustinus legit, *pastor est eis.* (vel, ut Symmachus legit: *Mors reget eos.*) Qui ergo in vita sua convenire non potuerunt, in sepulchro conveniunt, & jacent ibi pacatissimè, velut oves in uno clausæ ovili. Eò spectat, quod Seneca l. 3. de ira c. 43. ait: *Quid servo, quid Domino, quid Regi, quid clienti tuo irasceris? Sustine paulum: Venit ecce mors, quæ nos pares faciet.* Ita ferunt fabulæ lupum dixisse agno: *Tum demum conciliabimur, quando in lixivio pellionis ambo convenerimus.*

Beym

Beym Kirſchner in der häyß werden wir ſchon zuſammen kommen. Quidam per omnẽ vitam fovent inter ſe odia, nec ullis artibus componi ad pacem poſſunt. Itaq; *veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes*, ait Pſalmiſta Pſ.54. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum.* Ubi alludit ad Dathan & Abiron, qui cum ſeditionem excitaſſent contra Moyſen, vivi una cum tabernaculis ſuis abſorpti ſunt à terra. Num. 16. Contenderunt circa annum 1300. de Imperio Rom. duo Principes, Albertus Auſtriacus, & Adolphus Naſſovienſis, & in conflictu congreſſi ſunt ſtrictis gladiis, periitq; manu Alberti Adolphus, ſepultuſq; eſt Baſileæ. Poſtmodum ubi Albertus creatus Imperator fatis conceſſit, in idem Adolphi ſepulchrum & ipſe depoſitus eſt, ut ſcribit Gerardus de Roo in Chronologia Auſtriac. l.2. Ibi uſq; hodie ſumma in pace conquieſcunt, qui dum viverent, ad pacem componi non potuerunt.

VI. VI. Deniq; eſt quaſi commune aſylum, in quod ſe recipiunt & abſcindunt ab extrema illa calamitate, quæ ad finem mundi opprimet viventes, ut teſtatur etiam poſt Prophetas Chriſtus, quando, ut ait S. Joannes Apoc. 6. *Abſcondent ſe in ſpeluncis, & petris, & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos.* Et ut Iſaias c.2. ſcribit: *Introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis terræ.* Sane pio eximio Dei beneficio cõputandum eſt, quod ante ultimam illam calamitatem abſtrahimur è mundo, & abſcondimur in ſepulchris, præſertim ſi conſideremus tyrannidem Anti-Chriſti, qui per exquiſitiſſima tormenta pios cruciabit, ut à Dei obſequio abducat, & ad ſuum perducat. Quotuſquiſq; enim ea tormenta ſuſtinere poterit? Hinc compellẽtur fugere & abdere ſe in ſpelæa ferarũ, mortis ipſius periculo mortem redimentes, & mortem ſibi optantes. At verò defuncti jam & ſepulti, ab his timoribus liberi erunt. Unde benè Job. c.11. ait Sophar: *Defoſſus ſecurus dormies:* Quæ cùm ita ſint, non eſt cur adeò triſtemur de morte amici noſtri. Ivit enim viâ univerſæ carnis, quâ & nos pergemus brevi. Dicamus cùm Davide: *Nunquid potero eum revocare amplius? ergo vadam magis ad eum: ille verò non revertetur ad me.* 2. Reg.12. Audiamus & Chryſoſtomum hom.69. ad pop. *A multis ille calamitatibus liberatus eſt, noli ergo ipſi invidere, aut æmulari.* Ne conſideres illud, quod non amplius domum revertetur, ſed quod paulò pòſt & ipſe ad eum reverteris. Si defunctum diligeres, gaudere oporteret atq; lætari, quod ex præſentibus procellis eſſet abſolutus &c.

* * *

EXHORTATIO VII.

Sepulchra monumenta, quia monent mentem.

THEMA.

Hic eſt titulus monumenti Rachel. Gen.35.

BEnè monet Orator Eccleſiaſticus c.14. *Memor eſto quoniam mors non tardat,* hæc enim velut tempeſtas ingruit nobis incautis qui in hoc mundo dum vivimus, tanquam in quodam mari inter media navigamus pericula & anfractus. Sed eheu! quò major miſeria nobis ſub vitæ finẽ imminet: eò majore incuria nos ad tantum diſcrimen ſubeundum præparamus. Hinc & oportunè nobis memoriam mortis inducit Regius Vates, ne tam facile & temerè ejus obliviſcantur, & maximè de mortalibus conqueritur pſal. 72. *Non eſt reſpectus morti eorum,* vertit Hieron. *Non cogitant de morte eorum,* idq; meritò lamentatur, quia benè novit, ſi ſæpè ante oculos noſtros mors obverſetur fore ut facilè omnia contemnamus, quod egregiè emedullat D. Hieron. in Ep. ad Cyprian. *Nihil enim ita decipit humanum genus, quam dum ignorant ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi hujus poſſeſſionem repromittunt. Vnde & illud egregiè dictum eſt, nullum tam ſenem eſſe, & ſic decrepitæ ætatis, ut non ſe adhuc uno plus anno vivere ſuſpicetur. Ad illum ſenſum pertinet & illud, quod dicitur: Memorare mortis tuæ, & non peccabis. Qui enim ſe recordatur quotidie moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.* Paria inculcat Aurelius Auguſt. in pſ.70. *Dicunt impii, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur, Quid ais?* inquit, *Repete: Manducemus,* inquit, *& bibamus. Age quid poſtea dixiſti, cras enim moriemur, terruiſti, non ſeduxiſti, planè hoc ipſo, quod poſtea dixiſti, & præceſſit Comedamus & bibamus, cùm enim dixiſſes, manducemus & bibamus, adjunxiſti, Cras enim moriemur. Audi contrà à me: Imo jejunemus & oremus: cras enim moriemur.* Hæc M. Auguſtinus. Hanc mortis oblivionem ſatis videre eſt in Adamo ipſo; hic enim licet poſt peccatum mortis jam legibus audiret ſubjectus. Gen.3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris,* mirum eſt, quam citò hanc ex animo ſepoſuit memoriã, quam vix auribus percepit memoriã. Nam mox Adã *vocavit nomen uxoris ſuæ Evam.* LXX. legunt: *Nomen uxoris ſuæ vita, eò quod mater eſſet cunctorũ viventium:* Tam citò mortis oblitus, vitæ facit mentionem, vitæ nomine vocans eam, quæ mortis occaſio fuerat ſuggerendo peccatũ, quo jure miratur D. Aug. 2. de ben. contr. Manich. c.21. cùm jure debuiſſet eã appellare *Matrẽ cunctorũ morientiũ,* cur vocarit *Matrẽ viventiũ?* Nẽpè hoc mortis oblivio fecit, quæ ut penitiùs noſtris memoriis imprimatur, diverſæ nationes varias methodos excogitârũt. Nã ritus pervetuſtus eſt erigẽdi titulos & Epitaphia in memoriã defunctorũ juxta eorũ ſepulchra. Ita enim Simon Machab. magnificũ excitat Mauſolæum ſuper ſepulchrum patris & fratrum. 1. Mach.13. Davidi quoq; extructum fuiſſe monumentum honorificum colligitur ex te-

ſtimoniis

ſtimonio S.Petri Act.2. & ſcribit S.Hieronymus in ep. ad Marcellam, ad illud ſe adorare ſolitum. Deniq; ante hos dudum erexit Jacob Patriarcha titulum ad ſepulchrum conjugis ſuæ Rachel, cum hac inſcriptione: *Hic eſt titulus monumenti Rachel.* Gen.35. Titulus hoc loco lapidem aut columnam ſeu pyramidem ſignificat. Deſcriptor terræ ſanctæ, Borchardus tradit fuiſſe pyramidem perelegantem, in cujus baſi diſpoſiti erant duodecim lapides prægrandes juxta numerum duodecim filiorum Iſrael. In quo id maximè obſervandum, quòd ſepulchrum illud appellare voluit Jacob Monumentum. Cauſam affert S.Auguſt. in l.de cura pro mortuis c.4. his verbis: *Non ob aliud vel memoria vel monumenta dicuntur ea, quæ inſignita fiunt ſepulchra mortuorum, niſi quia eos, qui viventium oculis morte ſubtracti ſunt, ne oblivione etiam cordibus ſubtrahuntur, in memoriam revocant & admonendo faciunt cogitari.* Cæterùm non hæc ſola, ſed plures aliæ rationes occurrunt, & plura documenta, quorum nos monumenta monent; quæ hîc afferemus.

I. *Monumenta monent mentem, ne in ſublime feratur.*

I. Monent mentem, ut cogitemus quidnam ſimus, ne ſupra id, quod ſumus, nos ipſos efferamus. E ſepulchro enim clamant ad nos mortui illud Eccl.10. *Quid ſuperbit terra & cinis?* Eccur enim Deus primum noſtrum parentem à terra ſeu adama Adamum appellari voluit, niſi ut meminiſſet ſedulò; Unde & quis eſſet? Zeno Liticus cùm quendam conſpicatus eſſet imbricem lentè & circumſpectè tranſire, qui circa formæ curam ſtudioſior erat, quam deceret, dixit: *Merito ſuſpectum habes lutum, in quo non potes teipſum, ut in ſpeculo cernere,* apud Laërt.l.7.c.1. Quod ſi lutum & è luto formatus imbrex non ſatis terſum ſpeculum eſt ad nos ipſos intuendos, inſpiciamus ſepulchrum, in quo velut in ſpeculo lucidiſſimo nos ipſos contemplari, & vilitatem noſtram intueri poſſumus, moxque alas noſtras demittere adinſtar pavonis, qui poſtquam expendit ſuperbè flabellum ſuum, conſpicatus pedes ſuos, cineris colorem referentes, illicò demittit cum clamore. Fuit hujuſmodi pavo Antiochus ille impius, qui ubi ſe mortis filium ſeriùs agnovit, & jam vermes è corpore ejus ſcaturiebant, tum demum dixit: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire;* qui paulò antè ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur 2. Mach. 9. Mire in hoc cautus providuſq; fuit Philipp. Macedoniæ Rex, qui cum Athenienſes in Cheroræa terra fudiſſet, metuens ne rebus præclarè geſtis nimium efferretur, humanæq; conditionis oblivifceretur, puerũ delegit, qui ſingulis diebus antequã ſui copiã alicui faceret, mortalitatis memoriam ipſi inculcaret, ter inclamans: *Philippe homo es.* Documento vel homine Chriſtiano digniſſimo, quod idem Pauſaniæ ſuperbienti dedit Simonides, ne ſe hominem adeoque moriturum oblivifceretur. Bene S.Auguſtinus in ſententiis ſent.ult. *Divitiis,* inquit, *flores, majorum nobilitate te jactas, & exultas de patria ac pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur: reſpice teipſum, quia mortalis es, & quia terra es & in terram ibis.*

Notanda exempla.

II. *Monent mentem cogitet vos id futuros, quod jam ſunt ſepulti.*

II. Monent mentem nos brevi id futuros, quod jam ſunt ſepulti adeoque nobis ingerunt, eam vocem Eccl.38. *Memor eſto judicii mei; ſic enim erit & tuum mihi heri & tibi hodie.* Quod exponens Rabanus Maurus Archiep. Mogunt. *Judicium ſuũ,* inquit, *dicit obitum de hoc mundo, quod unicuiq; proprium eſt tam præteritis, quam etiam præſentibus: quia nullus eſt homo ſuper terram, qui vivat & non videat mortem.* Et benè dicitur: *Mihi heri & tibi hodie;* ac ſi diceret: Quod in me jam completum eſt, in te modo inſtat implendum. Hæc enim admonitio bonorum patrum eſt, ut filios ſuos admoneant, quatenus diſcant in caſibus priorum ſuorum ſuum quoq; in præſenti ſæculo diuturnum non eſſe ſtatum &c. Hinc nonnulli religioſi, ut jugem ſibi invicem memoriam mortis inſinuarent, ita ſe mutuò ſalutabant, ut prior diceret: *Moriendum nobis eſt;* reſpondit alter: *Neſcimus quando;* uti refert S. Cornelius in Eccl.c.38. Ferè in hunc mundum ſe mutuò admonebant ſepulchri & mortis ſuæ, Carolus V.Imp. & Franciſcus I.Francor. Rex. Cùm enim hic in bello Papienſi captus & Madriti captivus à Carolo detineretur, videretq; in pariete ſcriptum *Plus ultra;* ſubſcripſit: *Hodie mihi, cras tibi.* Advertit eo ſcripto peti ſe Carolus, & ſubſcripſit: *Fateor me hominem.* Seu, ut alii referunt: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Refert P.Delrio in Adagialibus. Quod ſi mors nec Regibus parcit, quis ſe immunem ab ea credet fore? In ſtatua illa Danielis c.2. conflatâ ex auro, argento, ære, ferro, luto adumbrati fuerũt varii hominum ſtatus. Cæterum ubi in eam lapillus è monte incidiſſet, *contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam. Pariter,* inquit, *omnia contrita ſunt.* Quod in hac ſtatua Nabuchodonoſori Regi, idẽ poſtea ejus filio oſtenſum eſt à Daniele, quando in cinere ſuper pavimentum templi ſtrato deprehendit Daniel veſtigia virorum & mulierum & infantium, qui noctu clanculum per cuniculos templum ingreſſi devorarunt Beli miſſus Idolo appoſitos Dan.ult. Similibus enim fallaciis multi decipiuntur, uti Rex ille deceptus fuit exiſtimantes ſe à morte eximios, vel ſaltem procul remotos eſſe, velut quia juvenes, ſani, robuſti, potentes ſunt. Verùm veniant, ingrediantur cœmeterium, aſpiciant ſepulchra, & videbunt hoc eſſe viri, hoc mulieris, hoc unius juvenis, illud puellæ, hoc infantis: hoc conſulis, hoc ruſtici, hoc divitis potentis, hoc mendici.

Aurea praxis quorundam Religioſorum.

III. *Monent mente ut cog[itemus] omnes*

III. Monent mentem nos in ſepulchris omnes adæquari, & in ſimilem deſinere cinerem; adeoque nobis inſinuant id Theucuitis verbum Sapiens 2. Regum 14. *Omnes morimur & quaſi aqua delabimur in terram.* Varii ubiq; rivi & fluvii conflu-

...iles, quã ...obiles, in ...ulchro ...andos.

confluunt in flumen : sed in ipso flumine omnes uniuntur & pares fiunt, nec unius rivi aqua discernitur jam ab altera: deniq; in mari etiam flumina sic coëunt. Idem fit in sepulchris, eandem ob causam tribuitur morti falx, *Apoc.14.* qua mortales omnes demetit, & demessos æquat; & in fænũ aridum convertit: qui priùs cùm viverẽt, velut flores diversos præseferebãt, colores, odores & virtutes. Refert Laërt. visum aliquando ab Alexandro M. in ossario quodam ossa versantem, & interrogatũ, quid illic ageret. Cui Diogenes: *Quæro Rex, quod non invenio: quærebam enim differentiã inter divites & pauperes, inter magnates & infimæ sortis homines, & tamen nullam invenio. Omniũ quippe cineres indifferentes.* Verè ac sapienter; cui consonat, quod Apollonius Thyanæus ad Nervam Imp. qui ejus præsentiam & alloquium desiderabat, rescripsit: *Nos quidem ô Rex diu simul erimus, ubi neq; nos aliis, neq; nobis alii imperabunt.* Significans utrũq; brevi moriturum (uti & factum) ubi pares sint futuri. Philost. l.8. De vita Apollonii. Vita hæc latrũculorum ludo similis est, in quo Rex primo loco, deinde Regina, tum milites, postremo loco statuuntur rustici: & habent digniores singuli pro gradũ suo sua privilegia & prærogativas. Verum cùm ludus finiit, omnes de tabula rapiuntur, & in unũ conjiciuntur sacculum, nullo ordine, aut respectu; sicq; omnes æquales fiunt. Ita plane in mundo magna inter viventes ordinum ac dignitatum est diversitas: alii suprà, alii infra positi sunt: at verò cum mors ludo finẽ indicit, omnes è vita abreptos in sepulchrum nullo discrimine projicit, atq; in parem cinerẽ omnes resolvit. Benè ergo S. Chrys. in hom. ex variis 25. *Egrediamur, inquit, ad sepulchra, obsecro videamus ibi mysteria, videamus dilapsam naturã, ossa cariosa, corpora putrefacta. Considera ibi, quis sapiens & quis prudens? dic mihi, quis illic Rex & quis privatus? quis generosus & quis servus? quis sapiens & quis insipiens? Ubi pulchritudo illic adolescentiæ? ubi gratiosus aspectus? ubi oculi speciosi? ubi fragrantia labiæ? ubi pulchritudo præsẽs? ubi frons radians? An non omnia cinis, pulvis favilla, vermis, putredo & fætor?*

...præsens similis latrũ-...rũvul-...

IV. Monent mentem, quorsum eant eantq; omnes nostri labores & sudores propter lucra temporalia exantlati, unà cum lucris illis; ad sepulchrũ videlicet, ubi omnia clauduntur, & in vermium escam abjiciuntur. Insinuatum est hoc Levit. 1. cùm à Deo mandatum, ut cùm volucres immolãdæ essent, nudarentur plumis, quæ una cũ vesicula gutturis in locum projicerentur, ubi cineres effundi solebant. Quid curæ, labores & sudores hominum nisi plumæ pennæ quædam, quibus in altum se librare & sublimes evadere conantur, ut fiant divites, sublimes, potentes, felices? At his omnibus deplumat hominem mors, & pennas illas quorsum projicit? in sepulchrum unà cum opibus, honoribus, dignitatibus, favoribus & delitiis comparatis: una cum vesicula gutturis, cũ ingluvie inquam & cupiditate bonorum fluxorũ. Audiamus D.Greg. hom. 37. in Evang. *Omne, inquit, quod secundum præsens sæculum laboramus, vix usq; ad mortem sufficit, mors namq; interveniens fructũ nostri laboris abscondit. Quod verò pro vita agitur, etiam post mortem servatur; & tunc apparere incipit, cùm laborum carnalium fructus cœperit non videri.* Multo labore & defatigatione quærebat Saul ultrò, citroq; asinas suas, nec invenit, nisi postquã ei prædixit: *Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, dicentq; tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* 1. Reg.10. Hunc in modum homines pleriq; undiq; circumeunt & omnia rimantur; quò tandem inveniant opes, honores, delitias, uxores, liberos, domos, hortos, agros, vineas, supellectilẽ argenteam, &c. nec tamen ea se invenisse putant. Ubi ergo dicetur illis, & ubi intelligent inventa esse? *juxta sepulchrũ & monumentum Rachel.* Omnia enim illic in sepulchro reponentur; ubi videbunt asinas suas, stulta & stolida sua studia. Ibi dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Similiter scribit S. August. serm. 66. *O homo vide sepulchra mortuorum & dic tibi tu ipse: Ecce nunc ex illo misero, qui hic depositus fuit, nihil aliud nisi ossa & pulvis evenit. Et verè homo si ipsa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt & dicere: O miser quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris? attende ad me & intellige, considera, ne & vel sic tibi horreat luxuria tua vel avaritia tua. Hoc quod tu es ego fui: & quod ego sum modò, tu eris posteà.*

IV. Monent mentem, ut ...et vanitatem ...rum & ...llorum ...es mũ-...

V. Monent mentem & vel maximè, ut defunctorum memores, eis succurramus piis operibus: nec non ut præclara eorum facta in memoriam reducamus & imitemur. Testem habemus S. Thomam Aquin. in addit. q.7. art. 11. ubi ait sepulchra appellari monumenta, *quia monent mentem nostrã ut pro defunctis oremus.* Sicut enim ipsa pauperis visio, quamvis pauper taceat, eleemosynam à nobis poscit, sic mortuus tacens suffragia à nobis petit: Plutarch. l. de fun. scribit veteres amicorum sepulchris cordis figuram insculpere solitos; ut hoc symbolo indicarent, se nequaquam deposuisse illorum memoriam. Verùm parum aut nihil hæc memoria defunctis prodest, nisi addantur pia suffragia pro iisdem ad Deum emissa; sicut & illa antiquorum sepulchralis inscriptio, quatuor harum literarum, S.T.T.L. h.e. *Sit Tibi Terra Levis.* quasi anima seu umbra terræ onere pressa nequiret aliàs volare ad destinatum sibi locum, nisi his literis incantata; quod ridet Tertullianus de test. anim. c.4. & Seneca epist.58. *Nos Christiano sensu sepultis hoc precari possumus, ne graventur onere pœnarum quibus forsan in altero sæculo adhuc subjacent, ut iis expediti; absolutiq; ad cælum evolare queant.* Ita monet S.Chrysost. hom. 70. ad pop. *Habet hæc res*

V. *Monent mentem ad subveniendum defunctis per preces.*

(preces scil. & eleëmosynæ pro defunctis factæ) *aliquam consolationem. Audi namq; Deum dicentē: Protegam ciuitatem istam propter me & propter Dauid seruũ meum. Si justi duntaxat memoria tātum potuit, cum & opera pro ipso fuerint, quantum non valebit? Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt* (audiant hoc Acatholici) *ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatē multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?* Neq; hoc solũ, sed prætereà admonent nos suorum benè gestorum, ut eadem imitemur, & sectanda aliis proponamus. Si enim sola Alexandri M. statua, apud Herculis templum à Julio Cæsare tantum potuit, ut lachrymas Cæsari excusserit, quòd nihil à se memorabile actum esset in ætate, quâ jam Alexander orbem terrarum subegisset: ut scribit Sueton. in Cæsare: quomodo non & sepulchra præclarorum Virorum admonent nos, ut ipsorum facta imitemur, aut saltem deprædicemus, ac confundamur, si nihil eorum in tam florente & diuturna vita designavimus? Talia verò non spernenda reliquit post se defunctus noster &c.

Monent nos ad imitanda benefacta defunctorum.

EXHORTATIO VIII.

Mausolæum Machabæorum exponitur.

THEMA.

Hoc est sepulchrum, quod fecit Simon in Modin usq; in hunc diem. 1. Mach. 13.

INnatum esse hominibus æternæ vitæ desiderium & appetitum, à Deo ipsius inditum, declarant inter alia, mortuorum etiam sepulchra, quæ ditiores & potentiores ferè adornare consueverunt seu erectis statuis, seu pictis imaginibus, sive etiam splendidis & sumptuosis Mausolæis. Ex hoc naturali affectu testatur immortalem animam Tertullianus l. de testim. anim. c. 4. scribens: *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut literaturæ operibus vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione nomen suum seruet? Halat anima immortalitatem suam, dum bonum nomen, quod habere potest etiam post mortem & ruinam aliorum bonorum sepulchrorum flexuris curat æternare.* Inter hujusmodi memorias seu Mausolea, celebre est illud, quod erexit Simon Machabæus patri & matri nec non sibi, & quatuor defunctis fratribus suis 1. Mach. 13. Ubi dicitur: *Ædificavit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito, retrò & ante. Et statuit septem pyramides, unam contra unam patri & matri & quatuor fratribus. Et his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam eorum: & juxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Nimirum honestè quæritur rectè factorum memoria & laus perpetua, quæ & defunctos ornet, & viventes ad similia facinora perpetranda excitet. Unde sepulchrum illud Dionysius Carthusianus honestat in hunc modum: *Ad memoriam æternam strenuissimorum operum bellicorum Mathathiæ filiorumq; ejus, imò in recordationem auxiliorum diuinorum ac triumphorum ipsis desuper concessorum atq; ad intuentium ædificationem, ut considerarent, qualiter sit pugnandum pro defensione legis divinæ & pro conseruatione justitiæ ac pro bono communi.* Quid verò prædicta symbola huic sepulchro circumposita sibi velint, nunc investigare conabimur.

Monumenta defunctis singulari mysterio adornantur ut patet singulariter in Mausoleo Simonis.

I. Erexit pyramides, liberali quidem sensu ad indicandum eorum zelum, quo ardebant ad tuendas sanctas leges. Pyramides enim dicuntur à Græco *pir* h. e. ignis, quia ut notat D. Thom. in 1. Mach. c. 13. & S. Isidor. l. 15. etym. figuram præferunt flammæ igneæ in acumen desinentis & alta petentis. Tales autem flammæ erant Mathathias & filii ejus zelo Dei accensi. Ita enim de patre dicitur Mach. 2. *Vidit Mathathias Iudæũ in oculis omniũ sacrificare idolis* &c. *& accensus est furor ejus secundum judicium legis & insiliens trucidauit eum* &c. *& zelatus est legem sicut fecit Phinees.* Eundem quoq; zelum jam moriturus inculcavit indiditq; filiis suis dicens: *Nunc ergo filii æmulatores estote legis.* Quod & fecerunt perquam strenuè. Deinde quia in suis actis non nisi Dei gloriā quærebant, adeoq; velut flammæ cælum petebāt, rectè pyramidibus assimilati sunt. Sensu verò mystico notant hæ piramides mortalitatem nostrā. Vita enim nostra, quasi facula quædam ardens est, quæ perpetuo depascit calore nativo humidũ radicale, adeoq; corpus nostrum; quod indicat flatus, quasi fumus perpetuò exhalans; de quo Sap. 2. dicitur *Fumus flatus est in naribus nostris & sermo scintillæ ad commouendũ cor nostrũ: quã extinctæ cinis erit cor nostrũ.* Quis hic sermo scintillæ nisi pulsus cordis nostri & perpetua commotio per systolen & diastolen; quia pulsus campanæ incendiariæ, admonens nos periculi, ut succurramus huic incendio & igni, qui continuò nos depascit? Quare sicut domus cùm ardet, jam perire & quasi mori incipit: ita & homo dum vivit, jam mori cæpit. Quæ causa est, cur Simon inter fratrum pyramides, sibi quoq; unam erexerit, quasi jam se inter mortuos numerasset, qui mori jam cæpisset. Et quemadmodum ignis omni conatu sursum ad suum centrum tendit, ideoq; semper inquietus est, quasi violenter in terra detineatur: ita spiritus noster in corpore detentus nunquam quiescit, sed ad cælum semper aspirat, juxta id vulgatum S. Augustini dictum: *Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat*

I. Erectio pyramidum designat zelum gloriæ & legis divinæ.

Eadem [illegible] notat nostram mortalitatem.

in te. Sicut etiam ignis pyramidali figura cælum petit, quasi instar sagittæ aërem findere velit, ut mox ad centrum suum evolet: ita spiritus noster cælum penetrare desiderat. Deniq; uti fax extincta aut bonum odorem post se relinquit, si de cera est: aut tetrum, si de sebo aut pice; ita justi ac pii suavem post se relinquunt famæ odorem ac memoriam: impii verò fœtidum; juxta id Prov. 10 *Memoria justi cum laudibus; & nomen impiorum putrescet.*

II. lumnæ uncte ignant inis morta- tem.

II. Pyramidibus circumposuit columnas magnas, quæ ad literam repræsentabant immortale nomen illorum Machabæorum, qui Judaismũ ab Antiocho Rege dirè vexatum atq; afflictum ac jã jam lapsabundum sustentarunt. Cùm enim laboraret Antiochus, ut Judæos à patribus legibus abstraheret, & ad gentilium ritum adduceret, jamq; multi Hæbræi manus dedissent, alii in fide nutarent, intervenit Mathathias & cum filiis suis separavit se ab impiis, convocatisq; aliis constantibus vexillum contra Antiochum erexit, & patrium institutum defendit. Hinc immortale sibi nomen pepererunt, quando ut columnæ firmissimæ in veri Dei cultu perstiterunt, & alios jam lapsuros in eodem conservarunt. Hoc sensu tres illi Apostoli, Jacobus, Petrus, & Joannes videbantur *Ierosolymis esse columnæ*, ut ait S. Paulus ad Gal. 2. quia *sustentabant Ecclesiam.* Ita Onias quoq; dicitur Eccl. 50. *suffulsisse domum*, templum videlicet. Qui ergo vitam sanctè & piè transegerunt, nec non pro Ecclesia Dei strenue laborârunt, quemadmodum Machabæi illi, hujusmodi Columnæ jure appellantur, quia *nomen eorum stabit & vivet in generationem & generationem*, ut dicitur Eccl. 44. Hinc de Sapientia, quæ est vita justorũ, dicitur Prov. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* quia sicut lignum vitæ immortales reddere homines poterat: ita virtus quoq; gloriam homini non intermorituram conciliat. Tamessi enim secundum carnem moriuntur, vivunt tamen in suavissima sui memoria apud homines & superos. Unde rectè etiam comparantur flori Amarantho, sic dicto, quòd non tabescat, ideoq; immortali appellato; de quo antiqui referunt hunc apologum: Amaranthus in eadem areola satus cum rosa, ita rosam alloquebatur: *O rosa, florum regina, veris honor, hortorum decus, quàm decora es! quàm hominibus amabilis & admirabilis! commendaris merito ob speciem, ob colorem, ob odorem propter gratiam & fructum, quē adfers mortalibus.* Cui mox rosa: *Vera sunt quidem, quæ dissetis, Amaranthe, forma placeo, coma rideo, odore præcello, & cætera omnia eximia sunt in me; sed quamdiu vigent ista? quam diu rutilant & florent? Etiã si unguis me non carpat, nihilominus tabesco: tu vero juxta nomen tuum immarcessibilis es, semper splendes, flores & vivis.* Vita impii Antiochi quasi rosa fuit, dum in sæculo floruit; at paulò post contabuit & in putredinem desiit. Unde de ipso dixit filiis

chra ithesis r Amarathum Rosam.

suis Mathathias: *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus stercus & vermis est: hodie extollitur & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam & cogitatio ejus periit. Vos ergo filii confortamini & viriliter agite in lege; quia in ipsa gloriosi eritis.* 1. Mach. 2. q. d. immortales in hominũ memoria. Hanc immortalitatem in viris justis agnovit etiam Cicero, cùm pro Milone scripsit: *Ex omnibus præmiis virtutis amplissimum est præmium gloria, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoriâ consolatur, quæ efficit ut absentes adsimus & mortui vivamus, cujus gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere*, imò secundum fidem Christianam verè ascendunt.

III. Arma super Columnas suspensa sunt indicia memoriæ sempiternæ.

III. Super columnas arma suspendit ad memoriam sempiternam, ut ibi dicitur. Arma hæc denotabant viros bellicosos & militiæ assuetos fuisse, & pro Deo militasse. Solent etiamnum ad sepulchra militum affigi vexilla, & in templis clypei & arma, quibus usi fuere, in exemplum posterorum, ut nôrint eos pro patria aut Dei cultu vitã exposuisse; nec non ad pares animos capessendos animentur. Mystico sensu hoc notabat Dei servis militandum esse in hoc sæculo, quamdiu vivunt, ac siquidem strenuè pugnarunt, arma eorum reservari & custodiri ad perpetuam eorum gloriam. Teste enim S. Job, *militia est vita hominis super terram.* c. 7. Arma sunt membra nostra, quæ si ad obsequium Dei & virtutum certamina applicuerimus, suã in resurrectione gloriã expectãt; interim sacro reconduntur loco. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unũ ex his non conteretur.* Ps. 33. Demõstratum hoc voluit Deus aliquot miraculis, uti manu S. Osvvaldi Regis Anglorum, & manu S. Stephani Regis Hungarorum; quæ quod largas erogassent eleemosynas pauperibus, solæ è cæteris membris incorruptæ manserunt in sepulchro. Ut habet eorum vita. Rursum in lingua Sancti de Padua, quæ ferventissimè prædicarat, ut est in vita S. Bonaventuræ. In pollice S. Edithæ Virg. quo signum crucis sibi impressit sedula in ejus vita, 16. sept. apud Sur. Arma etiam militiæ nostræ sunt, quæ describit Apostolus ad Ephes. 6. *fides, spes, charitas,* & virtutes aliæ; quæ abjicere non licet, nisi rei perfidiæ esse velimus. Solebant antiqui milites, qui in prælio occubuissent in ipsius clypeo, veluti in feretro quodam glorioso offerre ad sepulturam, teste Virg. l. 10. Æneid. Lacænæ quoq; matres filium ad militiam profecturum clypeo obarmabant cum hoc monito: Aut cum hoc, aut super hoc q. d. revertere quidem, sed aut vivus cũ hoc clypeo, aut mortuus super illo: *sine hoc nec vivum nec mortuum te aspiciam*, Auson. teste. Idem hoc Ecclesia Cathol. filiis suis occinit, ut cũ fide vera, quæ est scutum nostrum (juxta id Eph. 6. *In omnibus*, seu ut est Græcè, *super omnia, sumentes scutum fidei*) revertamur è prælio seu vivi, seu mortui; & sine hoc fidei scuto non admittit eos ad sepulturam sacram. Nam ut ait S. Leo Pp. ep.

Miraculis probatur.

 92. c. 6.

Notorii peccatores & impœnitentes non merentur Ecclesiasticā sepulturam

29. c. 6. *quibus viventibus non communicavimus, eis mortuis quoq; communicare non possumus.* Quod etiam facit Ecclesia notoriis peccatoribus, qui sine pœnitentia decesserunt. Cujus exemplum recenset S. Gregorius Pp. in Dialogis suis de Valentino quodam Mediolanensis Ecclesiæ defensore, qui ob vitam lubricam infamis & impœnitens obierat, & in Ecclesia sepultus, noctu videntibus custodibus à duobus deterrimis spiritibus cum clamore extractus, atq; extra templum in profanum sepulchrum abjectus, maneq; in eo repertus est.

IV.

Naues effigiatæ explicant hujus vitæ fugacitatem.

IV. Juxta arma naves sculpsit, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. Quid verò hæ naves portenderunt? An forsitan hujus vitæ fugacitatem, de qua Job c. 9. dicitur: *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes.* Hujusmodi sanè naves pergunt celeriter, ne si moras traherent, poma interim putrescerent; atq; ita ex hac vita transierunt Heroës illi, sed onusti benè olentibus bellicarum virtutum pomis; ut possent dicere cum Sponsa Cant. 7. *Omnia poma nova & vetera, Dilecte mi, seruaui tibi.* h. e. omnia opera nostra ab initio usq; ad finem perfecimus, & obtulimus ad tuam solius gloriam. Id quod homini omni ad salutem necessarium est, ut in bonis operibus perseveret usq; in finem. An verò indicabant eos placida & pacata morte in Domino occubuisse, sicut qui vehuntur navibus, placidè feruntur? Certè ipsorum mors quid fuit nisi portus, in quo longæ & turbulentæ navigationis finis, laborum requies, meritorum securitas sita erat, ubi non amplius bonorum operum, quibus onusti erant, amissio per naufragium timeri poterat? Videntur hæ illorum naves ab omnibus, qui hoc mundi spatiosum & periculosum mare enavigant, non sine fausta acclamatione & deprecatione. An forsan, ut posteris documento essent, nihil in hoc mundo stabile, nihil perenne esse; siquidem & hi fortissimi milites, qui videbantur esse columnæ, ex hac vita emoti sunt; quemadmodum & *naues, cum magnæ sint, à ventis validis aguntur & circumferuntur.* Jac. 3. Ut ita nemo suis viribus aut ætati fidat. Unde benè Anacharsis Scytha dixit, *nullas omnino naues à naufragio tutas esse, nisi quæ in siccum extractæ sunt?* apud Laert. l. 1. c. 3. Solum cœmeterium securos nos reddit ab ulteriori lapsu, & miseriis hujus vitæ. Neq; enim coronæ regiæ ab his eximere possunt homines. Ad hoc igitur naves illæ spectantibus propositæ sunt, ut sciat unusquisq; regere navim suam, ne in scopulos allidatur, sed felici fine ad portum salutis æternæ pertingat; id quod defuncto quoque nostro contigisse sperare nos jubet ejus vita honestè & laudabiliter transacta, &c.

* * *

EXHORTATIO IX.

Aliquot Symbola sepulchris inscripta.

THEMA.

Erexit Iacob titulum super sepulchrum ejus. Gen. 35.

Mos erat Antiquis Athletis benè meritis sepulchralia symbola ponere, à primis cressum

ANtiqua consuetudo erat, non Gentilium duntaxat, sed & Christianorum, sepulchrales præclarorum virorum lapides inscribere symbolo aliquo, quo illorum gesta saltem insigniora posterorum oculis memoranda proponerent. Commune vero illud erat gentilibus cupressus arbor, Plutoni sacra, quòd excisa semel renasci nō soleat, ideoq; ad vestibulum mortui ponebatur, à quo existimabant nihil amplius sperandum; quia nimirum illi animā simul cum corpore extingui crediderunt. Sed absit à fidelibus vanissima hæc persuasio; quin imò qui cupressus perpetui est viroris, odoris quoq; suavissimi, & præterea putredinem, cariem & senium nescit, symbolum nobis sit immortalitatis nostræ, tum animæ, quæ semper viret & vivit; tum corporis quæ suo tempore iterum resurget, reflorescet, & perstabit in omnē æternitatem. Quare alia nos hic proponemus sepulchrorum symbola magis Christiana, quæ veriorem nobis doctrinam afferant.

I.

Nonnunquam insculpebant Leonem, quod apertis dormiat oculis.

I. Veteres sepulchris fortium virorum leonem insculpebant, teste Pausania in Bæoticis; eò quod leo dormiat apertis oculis; quasi viri illi fortes etiam dormirent, in somno cogitarent de rebus strenuè gerendis. Verùm nos Christiano & veriore sensu hoc symbolum adscribimus piis omnibus fidelibus, qui dum in mundo viverent, leonum instar se gesserunt, facti terribiles Satanæ & pompis ejus, præsertim si & ante ultimum cum morte cōflictum se munierunt cælesti illa armatura corporis Domini; de qua S. Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch. ita loquitur: *Tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Isti igitur non tam mortui, quam dormientes censendi sunt, quemadmodum testatur ipsemet Christus Dominus tum de Lazaro, tum de filia Jairi; quia ut illi statim resuscitandi erant, ita ad finem mundi resurgent cæteri omnes. Porro leones isti dormiunt apertis oculis, quia licet corpora eorum emortua quiescant in sepulchris, oculi tamen h. e. animæ eorum vigilant ac vident in cælo Deum, & nequaquam sunt in tenebris, uti fingunt Acatholici. Id enim, licet olim in utramq; partem controverteretur, postea tamen definitū est in Concilio Florentino sess. ult. in decreto unionis Latin. cum Græcis; & in Concilio Trident. sess. 25. Idemq; docuerunt Innocentius III. & Benedictus XII. Pp. & confirmatur ex SS. literis; in primis ex verbo Christi ad latronem prolato. *Hodie mecum eris in paradiso;* non utiq; terrestri; quid enim animæ à corporibus sejunctæ facerent in illo Paradiso, Christi præsertim, cum paradisus ille terrestris pro corpo-

Cristiani debent esse Leonesc. tra Sathanam.

Corpora Christianorum quiescentium dormiunt, sed oculos Leonis instar habent in æternum vigilante, scil. animā quod

corporum, non animarum delitiis factus sit? ut taceam, quod paradisus ille nullibi post diluvium compareat, ac probabiliter etiam destructus sit. Idem docent verba S. Stephani, quandò videns cœlum sibi apertum & gloriam Dei, exclamavit: *Domine Iesu suscipe Spiritum meum.* Frustra enim fuisset & hæc oratio & cæli reseratio, si non mox in cælum recipiendus fuisset. Testantur & inter alia plura illa Apostoli verba: *Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo,* ad Philip. 1. Si enim post mortem expectanda ei fuisset dies judicii, ut tum demùm Christo frueretur, frustra desiderasset dissolvi potius, quam vivere; quia tam post mortem fuisset absens à Christo, quam si in vita perstitisset. Ita enim S. Chrysost. eum locum explicans serm. 4. ait: *Cum jam Christus mihi videndus esset, elegi propter vestrum profectum manere.* Denique si divitis illius Epulonis anima statim post mortem deportata est in infernum, ibique cruciata, ut habetur *Luc. 16.* Cur non & justorum animæ mox ad beatitudinem evolent, postquam Christus reseravit cælum? Taceo loca alia & Patres quam plurimos; è quibus unum audiamus Chrysostomum l. de Sacerdotio ita scribentem: *Quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui & id vidisset ipse & audiisset; quòd qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi* (Ven. Sacramenti) *cum pura conscientia fuerint participes. spiritum efflaturi, ab Angelis* (illorum corpora satellitum more stipantibus) *propter assumptum illud Sacramentum hinc recta in cælum abducuntur.* Intellige, si ut ait, *puram* habuerint à culpa & pœna *conscientiam.*

...riè pro-...tur.

II.

II. In Quinti Martii fortissim Ducis sepulchro incisus fuit aries, duobus stans erectus pedibus, & lepus coram eo jacens mortuus. Aries Ducis fortitudinem, lepus hostes ab eo prostratos significabat; apud Joan. Bapt. Font. *l.5.* de priscis Gen. *c.5.* Nos Christiano ritu & sensu rectissimè hoc symbolum sepulchris nostris inscribimus. Quis enim aries iste nisi Christus Dominus, quem in figura ejus mactavit pro Isaaco Abraham, inter vepres hærentem cornibus? *Gen. 22.* Ita enim testatur S. Ambros. *l.* de Abraham, *c.8.* S. Athanasius & alii. Aries propter divinam fortitudinem, & quia Dux totius gregis est Christiani. Hic ergo dum erectus stetit in cruce, occidit mortem, non armis, non canibus, sed ipsa sua Christi; ita ut jam lepus quasi enectus sit, qui prius leonis instar sævierat in homines. Unde ei velut enecto & imbelli lepori illudere jam possumus cum Apostolo 1. *Cor. 15.* dicente: *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Citat enim Oseam de Christo sic vaticinantem: *Ero mors tua O mors, morsus tuus ero inferne.* Quemadmodum enim Elephas circumvolutus & admorsus à Dracone, cadit quidem & occumbit, sed ipso suo casu opprimit draconem; uti refert Pierius in Hierogl. & alii; ita Christus à morte invasus & vulneratus, sua ruina

...rdum ...ibatur ...es ere-...,& co-...eo pro-...bens ...us ...tuus.

...es est ...istus, ...Dæmon ...enectus ...us.

...t Ele-... casu ...imit ...conem: ...bristus

obtruncavit mortem: tertio verò die revixit. Unde S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani mortem alloquens, illique cùm S. Paulo insultans ait: *Qui per Oseam quondam tibi rigidus minabatur: Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne; illius morte tu mortua es illius morte nos vivimus. Devorasti & devorata es; dumque assumpti corporis Christi solicitaris illecebra, & avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente* (vel ut alii legunt, unco) *confossa sunt. Gratias tibi Christe Salvator, quòd tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti.*

sua morte Satanam.

Mors igitur jam quasi apis est, sed stimulo privata; ut non modò non vulnerare queat, sed mel salutis potius conficiat. Unde Apostolus: *Vbi est mors stimulus tuus?* Mors priùs tyrannus fuit, quales obstetrices illæ Ægyptiæ, quæ ex imperio Pharaonis necabant omnes infantes; postea talis facta est, qualis fuit obstetrix illa, quæ Moysen servavit, & ad Regis aulam nesciens promovit. Ita enim S. Gregorius Nazianz. in funere patris scribit: *Mors, quæ non modò nos à præsentibus vindicat, verùm ad supernam quoque vitam sæpè traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, utpote nomine magis, quam reformidabilis, &c.* Denique sicut Valerianus Imp. à Persarum Rege Sapore devictus, & subjugatus servire ipsi curvata cervice pro scabello, debuit cui pedem ascensurus in equum, imponeret, ut testatur Sextus Aurelius: ita Mors à Christo depressa est, ut & ipsi & electis ejus Scabellum facta sit ad conscendendum in cælestem beatitudinem.

Mors nunc est velut apis carens stimulo, sed lacte plena.

Mors est velut quoddam scabellum Electorum.

III. In sepulchro Isocratis, celeberrimi apud Græcos quondam Oratoris insculpta erat Siren, insidens arieti & cytharam manu tenens, apud Fabium Paulum in Hebd. *l.1.c.3.* indicans, quòd ille sua eloquentia attrahere ad se homines soleret, & conaretur, quo modo feruntur Sirenes sui cantus lenocinio pellicere ad se navigantes, & deinde in naufragium impellere. Verùm nos hoc symbolum paulò aliter exponemus. Sirenem inter & cygnum hoc esse discrimen docent ex problematibus Aristotelis, quod Siren quidem dum vivit, suaviter cantillet, sed in morte gemitus edat: cygnus è contra raucam & insuavem vocē in vivis habeat, sed moriens dulciter canat. Causam assignant, quòd cygnus optimo ac subtilissimo sanguine abundet eo tempore, qui tunc cordi laboranti subvenire contendat: hinc dilatatio, lætitia, cantus. Siren verò dum vivit, bonum omnem ac defæcatum sanguinem pro nutrimento habeat: crassum ac deteriorem reservet, qui circa vitæ finem ad cor accurrit, illud cingit & obruit: hinc mæstitia & gemitus. Sirenes symbolicè designant homines voluptati & delitiis addictos, qui in bonis ducunt dies suos, & interim nullam mortis curam habent; unde ad extremum malæ conscientiæ reatum ad cor reducunt & morte instante gemunt. At verò, qui cygnorum instar peccata sua in vita deplorant, &

III. Appingi solebat Siren insidens arieti, & citharam tenens manu.

Differentia Sirenum & Cygnorum.

Siren designat homines deditos voluptatibus.

 viam

viam virtutis asperam perambularunt, in morte suaviter deliciantur, memores innocentiæ suæ & vitæ bene peractæ. Quare ex hoc capite reprobis potiùs, quam justis quadrat hoc symbolum. Verùm quia & peccatoribus patet ostium cæli, si in tempore & præventa morte resipiscant & pœnitentiam agant, poterunt & ipsi cùm lætitia & cantu discedere ex hac vita. Atque hoc significat illa Sirenis cythara, sedentis super arietem, quem paulò antè vidimus denotare Christum pro nobis oblatum: Cythara verò illa pœnitentiam designat. Tria enim sunt in cythara, manus dextra plectro percutiens, cordæ resonantes, & sinistræ manus digiti cordas deprimentes. Manus percutiens est contritio: cordæ resonantes sunt confessio, digiti, qui eas premunt, sunt satisfactio scil. jejunium, oratio & eleemosyna. Hanc cytharam peccatori arripiendam suadet Isaias c.23. *Sume cytharam*, inquit, *circui civitatem meretrix oblivioni tradita, benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Ergo ut benè canat & integrè confiteatur, circumeat civitatem cordis sui, & pervestiget omnes actus suos generali quodam examine de acta vita sua: & frequenter hoc canticum: sic placabit sibi Deum & memoriam sui obtinebit. Lusit in hac cythara Publicanus ille in templo orans: *Percussit* enim *pectus suum* per contritionem: professus se peccatorem, pergratum edidit sonum: ad satisfactionem spectat, quòd vultu in terram depresso non ausus est aspicere, cœlum, nec stare coram altari, sed postremum elegit locum. Sic lusere & placuere Deo peccatrices Magdalena, Thais, Maria Ægyptia, Pelagia & aliæ. Sic lusit & veniam scelerum, quibus Ecclesiæ bona deprædatus fuerat, obtinuit Ragnerus Lotharingiæ Dux, quando facti pœnitens & donatione amplissimi latifundii Ecclesiæ satisfaciens, diploma fecit, quo se ipsum sceleris arguens ita se subscripsit: *Ragnerus Lotharingorum Dux & prædo; quia Ecclesiam Dei persecutus sum*, apud Baron. anno 913.

Cignus in morte cantans indicat justos.

Cythara notat Pœnitentiam ob tria.

IV. Amicorum sepulchris veteres insculpsere cordis figuram, teste Plut. l. de fun. sive sui causa, ut ipsorum memores essent, uti supra exposuimus; sive defunctorum gratia. Primò ut indicarent eos nequaquam invitos aut incompositos ex hac vita abiisse, sed volentes libentes ac cum desiderio ad sepulchrum divertisse. Salvator noster dixit Matth. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* h. e. amor, desiderium & cogitatio tua. Quam sententiam D. Antonius Paduanus concionaturus in exequiis cujusdam usurarii, proposuit loco Thematis: postea inter alia ait: *Mortuus est hic dives & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus; & in illius medio invenietis cor ejus.* Iverunt & invenerunt adhuc calidum in medio nummorum. Ut est in vita S. Antonii Simile (si non idem) est, quod refert S. Antonius in summa *p. 2. tit. 1. c. 4.* §. 6. de avaro, qui moribundus cum à suis admoneretur confessionis instituendæ, respondit: *Qui possim confiteri, cum corde caream? Et ne me delirare putetis, aperite arcas meas, & auro meo, in quo speravi, affixum reperietis:* Sic moritur impœnitens, & aurum, uti dixit, inventum est. Verum pii & sancti viri cor suum non in auro, sed in sepulchro reponunt illuc suas cogitationes & consilia dirigunt, ut ibi thesaurum suum inveniant, quem bene operando congregant; juxta id Salvatoris: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c.* Quomodo in cælo quod à nobis tam remotum est? sepulchrum cæli gazophylacium est; quod ergo illuc comportamus, in cælum comportamus, & ibi inveniemus. Atque ibi affixerunt corda sua viri boni, Laurentius Justinianus, qui diem mortis suæ quotidie in mente habuit, nec non & alii plurimi, de quibus etiā supradiximus.

IV.
Sepulchris Amicorum solebant insculpere figuram cordis.

I.
Vt denotarent defunctos libenter obiisse.
Divitis cor est in pecuniis.

Deinde, ut monerent viventes, sui hæredes, ne oblivi scerentur eorum, quæ in ultima voluntate sua ipsis demandarunt, vel disposuerunt, circa legata præsertim ad pias causas & similia: alioquin eos accusaturi, nisi executioni mandētur. Audiant illi, quod Martinus Del Rio noster, vir juridicarum rerum expertissimus scribit l. 2. Disquis. Mag. q. 26. sect. 5. recens sui temporis factum. *Horrendum planè*, inquit, *quod hesterna die legi per scriptum Ticino, mense Aprili hujus anni 1601. in Diœcesis Ticinensis oppidulo, quod Coretto vocatur: Cùm justa in templo cuidam Notario persolverentur, repentè se cadaver è sandapila surrexisse, & conversum ad quendam cognatum suum, qui funeri intererat, ei dixisse, properaret domum suam, & ibi scripta quædam instrumenta caperet, eaque loco cuidam pio confestim restitueret; propter quæ suppressa ipse defunctus justa Dei sententia foret inferni suppliciis adjudicatus. Quo dicto iterum caput, uti prius reclinavit. Hoc à Deo permissum, ut discerent mortales, quàm graves pœnæ scribas hujusmodi perfidos & piorum legatorum interceptores manerent.*

II.
Vt monerent viventes ad exequendas ultimas defunctorum voluntates.

Denique ut hæredibus & cognatis suis inculcarent sui memoriam ad fundendas pro ipsis preces, aliaque pia opera peragenda; ne in altero sæculo ob piacula quædam nondum expiata, detineantur in Purgatorio; ne cogantur dicere illud Psalm. 30. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde*, h. e. deletus è memoria hominum; qui tamen pro hæredibus suis educandis, alendis, promovendis, amplificandis tam fuerunt soliciti, ut penè sui ipsorum fuerint obliti; qua ingratitudine nescio quid esse possit majus.

III.
Vt monerent amicos ad preces fundendas.

V. Denique Christianorum, præsertim Martyrum Sarcophagis plurimis Phœnix insculpebatur, & incidi jussus est in Sarcophago S. Maximi Martyris à S. Cæcilia, ut habent ejus acta. Siquidem de hac ave antiqua est opinio, quòd post mortem reviviscat ex propriis suis cineribus quo videtur allusisse S. Job c. 29 cum ait: *In nidulo meo moriar, & sicut palma*, (aliqui legūt, *Phœnix*, quæ & avem illam

V.
Sæpius, maximè Sarcophagis Martyrum affigebatur Phœnix.

quod riens ex tris boris ci- ibus similem itando nicem, rum stet Re- rectio- indi- n.

illam & palmam significat) *multiplicabo dies.* Ita enim legit Tertullianus textum illum Psal. 91. *Justus ut palma florebit;* in hunc modum: *Florebit velut Phœnix,* id est, *de morte, de funere.* de Resurr. c. 13. Porrò audiamus de hoc D. Ambrosium l. 5. Hexam. c. 23. *Phœnix avis,* inquit, *in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea usque ad annos quingentos longæva ætate procedere. Quæ cum sibi finem vitæ adesse adverterit, facit sibi thecam de thure, & myrrha & cæteris, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat & moritur. De cujus humore carnis vermis exurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti temporis, induit alarum remigia, atque in superioris avis speciem formamque reparatur. Doceat igitur nos hæc avis,* inquit, *vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utique aves propter hominem sunt; non propter aves; sit igitur exemplo nobis, quia auctor & Creator avium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, resurgenti eam sui semine voluit reparari. Quis igitur huic annunciat diem mortis, ut faciat sibi thecam & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic, ubi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu O homo tibi thecam: expolians veterem hominem cum actibus suis, novum indue. Theca tua, vagina tua, Christus est, qui te protegat & abscondat in die malo. Vis scire quia theca, quia protectio est? Pharetra,* inquit, *mea protexi eum. Theca ergo tua est fides, imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatis, misericordiæ atque justitiæ, & in ipsa penetralia fidei suavi præstantium factorum odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fide exitus vitæ hujus inveniat, ut possint ossa tua pinguescere & sint sicut hortus ebrius, cujus citò semina suscitantur. Cognosce ergo diem mortis tuæ, sicut cognovit & Paulus, qui ait: Certamen bonum certavi; cursum consummavi. Fidem servavi, reposita est, mihi corona justitiæ. Intravit igitur in thecam suam quasi bonus Phœnix, quam bono replevit odore martyrii.* Huc usque Ambrosius.

Jam verò talem quoque Phœnicem fuisse nostrum Defunctum, & futurum in die Resurrectionis, dubitare nos non sinunt præclaræ ejus virtutes NN. è quibus utique thecam seu nidum sibi construxit, &c.

EXHORTATIO X.

Qualem pacem precamur defunctis.

THEMA.

Requiescant in pace. Canit Ecclesia.

COmmunis benè precandi formula tam in novo, quam in veteri Testamento erat, precari pacem, qua & ipse sæpe usus est Salvator, & Apostolos suos uti præcepit, ut intrantes domum dicerent: *Pax huic Domui.* Et quidem rationi valde congruit, ut hoc magnum bonum viventibus apprecemur, sed quæ causa est, cur etiam defunctis Ecclesia Catholica & quidem tam frequenter, in S Missa, in Exequiis, in sepulturis pacem hanc precetur verbis illis. *Requiescant in pace?* Quid enim inimicitiæ, quid hostilitatis, quid perturbationis mortui jam timeant? Verùm enim verò negari prorsus nequit indigere adhuc pace etiam defunctos, nec esse omnes in tantâ quiete, ut nihil adversis sentiãt. Eccur enim anima Samuelis machinatione Saulis ab inferis, per Pythonissam evocata, conquesta dixit ad Saülem. *Quare inquietasti me, ut suscitarer* 1. Reg. 28. Non videntur igitur omnem prorsus quietem & inferi possidere, sed pacem perfectam adhuc expectare, atque exoptare, quamvis non illi, qui ad cælum jam evolarunt, sed alii, qui ad patriam illam adhuc aspirant. Qualis verò sit ea pax, & quies, parumper explicemus.

Cur Ecclesia apprecetur defunctis Pacem.

I. Precamur eis pacem contra infestationes dæmonum, qui interdum sepulchra infestant: & Necromanticorum, qui eorum ossa ad magiam adhibent. Scimus ex Matth. *c.* 8. & Marco *c.* 5. dæmones in obsessis duobus habitasse in sepulchris. Scimus & diabolum cum Michaële contendisse de Moysis corpore, ut proderet id Judæis ad cultum Idololatricum, ex epist. S. Judæ. Scimus & ex historiis variis quandoque sepulchra lemuribus & spectris infesta fuisse, & viventibus terrorem incussisse. E multis unum adnotemus, quod scribit B. Petrus Damiani Card. in quadam epistolâ, de Monacho sui Monasterii (Perusini S. Salvatoris) cui nomen erat Gunizo; qui cum dæmoniacis artibus, se addixisset, & tandem sine pœnitentia obiisset, postea ad ejus sepulchrum nigra canum turba per plures noctes adstitit, & quasi depositum suum custodiit, ita ut videntes ingenti terrore percellerentur. Sanctus etiam Greg. *l.* 4. Dial. scribit Monialem quandam ob detractionis vitium & stultiloquium noctu à dæmonibus, vidente custode, è sepulchro extractam, ac cingulo tenùs divisam, parte superiore cremata, inferiore relicta. Propterea Ecclesia solet non modo cœmeteria sacrare, verùm & lustrali aquâ aspergere, & infixo crucis signo quasi sigillo communire. Quamquàm aliæ etiam hujus ritus causæ sunt, ut videbimus alibi. Sæpius etiam compertum est, sepultorum ossa à Magis Necromanticis exhumata, & ad præstigias dæmoniacas usurpata fuisse; ut non immeritò defunctis in Christo pacem ac quietem ab istorum insidiis precari possimus ac debeamus.

I. Contra infestationes dæmonum qui interdum sepulchra infestant: & Necromãticorum, qui eorum ossa ad magiam adhibent.

Meritò Ecclesia aspergit & sacrat Cœmeteria.

II. Precamur illis pacem, ut hac precatione condonemus eis, si qua in re aliquando nos forte offenderunt, atque adeò rogemus Deum, ut eos propter nos nulla velit pœna afficere, sed in gratiam potiùs recipere: quo modo Christus in Cruce rogans pro inimicis Patrem, ut noxam eis dimitteret, ostendit se priorem jam eis dimisisse, quod in ipsum deliquerunt. Solent homines passionibus addicti gaudere de interitu & morte eorum, à quibus offensi fuêre, quod tamen charitati Christianæ

II. Vt protestentur vivi se defunctis ignoscere.

repu-

repugnat & pœna dignum est, luitq; id Burcardus quidam patriæ proditor (cujus proditione 1600. Helveti à Delphino Galliæ Rege ann. 1442. apud Basileam interfecti fuere.) Cùm enim is inter cadavera cæsorum obæquitaret, eisq; insultans diceret: Quam jucundum hoc pratum! unus inter jacentes respirans & vires colligens in genua se erexit, lapidemq; apprehensum in faciem equitãtis projecit tam fortiter, ut is planè de equo ceciderit atq; extinctus sit; Auth. Stumpfio in Chron. Helvet. Deo sic castigante sanguinarii hominis vocem. Ab hac crudelitate dehortatur nos Eccl. c. 8. *Noli*, inquit, *de mortuo inimico tuo gaudere sciens, quòd omnes morimur, & in gaudium volumus venire.* Quem locum ita exponit Palacius: *Cum morimur, volumus in gaudium, id est, quietem & pacem, quæ gaudium causat, venire.* At hæc pax (si fieri posset) turbaretur, si sciremus inimicos nostros de nostra morte gaudere. Sanè defunctis, etiam in statu bono, incumbere pœnam propter eos, quibus nondum reconciliati, è vita abierunt, non est dubitandum: & ostendit exemplo sibi exhibito S. Vincentius Ferrer. celeberrimus & miraculis illustris prædicator in ser. 1. de Dom. in Albis in hæc verba: *Duo diffamauerant quendam tertiũ, & qui ex diffamatoribus prior obiit, stetit per aliquod tempus in purgatorio. Cùm verò inde exiuit, credidit se statim iturum ad paradisum. At dixit Deus. Non intrabis, quia prius habes facere restitutionem famæ istius.* B. Vincentius Hispanus Ordin. Fr. Prædicator. scit istud esse verum, quod anima redierit; quia ipsemet fuit diffamatus, & ab ipso mortuus veniam petiit. Sic refert Dauroult. in Catech. Quare ne hoc vel aliud tormentum sustinere propter nos forte offensos cogantur defunctorum animæ, nostrum est Christiana charitate non modo non insultare aut male ipsis precari, verùm etiam liberalissimè condonare, Deumq; rogare, ut quiescant in pace, & nihil omninò nostri causa patiantur. Rationem assignat duplicem Ecclesiast. loc. cit. Prior est, *quia omnes morimur*, h. e. celeri ad mortem cursu tendimus, & in eodem cœmeterio, forsan & sepulchro conveniemus & cohabitabimus. Altera, quia & ipsi nolumus gaudere de morte & interitu nostro inimicos nostros. Quod autem ab *alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, inquit Tobias c. 4. filio suo. Exemplo est S. Job, qui c. 31. dicit: *Si gauisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultaui, quòd inuenisset eum malum!* q. d. absit. Magis adhuc mirandum, quòd homo gentilis, Julius Cæsar Pompeji hostis sui interfecti, statuas in foro dejectas, iterũ restituerit. Quam ob rem Cicero ei dixit: *Pompeji statuas restituendo tuas defixisti.* Plut. de utilit. ex inimic. cap. Simile quid faciunt, quid defunctis inimicis suis pacem & requiem precantur, & honorificè de iis loquuntur: dũmq; eorũ statuas per mortẽ dejectas rursũ erigunt per preces, sibi apud Deum statuas defigunt & gloriam comparant.

Nolentis ignoscere digna punitio.

Ignoscere debemus defunctis duas causas.

III. Precamur eis pacem, ut contra obtrectatores & detractores honorem eorum tueamur. Reperire etenim sæpe est homines, qui cum vivos lingua sua proscindere non auderent, defunctos lacerant & traducunt contra id Levit. 19. *Non maledices surdo.* h. e. absenti & non audienti, ut exponit S. Greg. 3. p. pastor. admon. 36. Quis autem magis absens & non audiens, quam defunctus? Surdus enim per alium descriptam in charta, vel tabula detractionem in se cusam potest intelligere: defuncti verò nullo modo. Sunt h detractores similes Hyænis (den Grabthiern) quæ cadavera humana eruunt è sepulchris & devorant; apud Pier. in Hierogl. Quibus pœnam impendere insinuavit Deus, cùm ad præceptum illud Levit. addidit. *Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus*; q. d. quia audio & ulciscar. Et sanè ultus est multoties, cùm ejusmodi Hyænæ Sanctorum virorum pios manes invaserunt; uti in Donato quodam Afro, Mediolanens. Eccles. presbytero, qui in convivio detrahebat memoriæ S. Ambrosii, præsentibus initio, postea verò audita detractione diffugientibus, aliis religiosis viris: subitò enim vulnere percussus gravi, è mensa elatus in lectulum, inde ad sepulchrum deductus est, uti refert Paulin. apud Baron. anno 397. Qui ergo sepulchrum alienum infestare ausus fuit, jure ad sepulchrum elatus est. Quare, cùm malevolorum dentibus appetantur mortui, piorum est illos vel defendere, si defendi possunt, vel saltem pro defuncto benè ominari, pacemq; ei precari, & mordacem linguam opprimere. Quo sensu intelligere possumus, quod Ecclesiast. c. 28. dixit: *In requie mortui requiescere fac memoriam ejus*; ut nim. Hyænæ tales abstineant à laniena mortuorum, & horum memoria in ore canum saltem conquiescant. Merito ad defunctos applicare possumus dictum Constantini M. Imp. quod de quibusdam Episcop. accusatis dixit, *se eorum flagitia, si coram videret, paludamento suo operturum.* Sic enim decet nos & eorum qui in fide obierunt, nec publica laborarunt infamia, acta mala silentio obtegere; præsertim quando & ipsa communis mater nostra, terra, eam jam operuit & sepelivit. Eò forsan spectabãt Græci, qui si forte insepultos aliquos reperissent, contegebant non lapidibus, lignis aut cæspitibus; sed ter pulvere injecto operiebant. Romani verò levem terræ glebam iis injiciebant, addebantque illud: *Sit tibi terra levis*; ut refert noster Lorinus in *Num. c. 16.* Cùm ergò neq; Ethnici cadavera suorum etiam ignotorum gravi premere pondere religioni duxerunt; nullo modo decet Christianos, ut defunctos suos opprimant dicteriis, calumniis aut opprobriis: sed potiùs, ut pressos pia precatione subleuent, optando eis terram levem, h. e. pacem & requiem.

III. Ut contrà obtrectatores tueamur eorũ honorem.

Detractores adsimilantur Hyænis.

IV. Precamur illis pacem redimendam à divina justitia, si forsan obærati maneant & urgeantur igne emendatorio ad præstandam solutionem; quod

IV. Ut reddatur iam

…s à præ- …nda …nis e- …endata- …; solu- …me.

quod valdè timendum eſt; quia admodum delicati & difficiles communiter ſumus ad exſolvenda noſtra debita in hoc ſæculo. Ex quo neceſſariò ſequitur luēda eſſe in altero; Quare videtur mihi animæ in ergaſtulo purgatorii (im Schuld-Thurn) detentæ efflagitare à nobis eleemoſynam, quo modo petiit mendicus ille ab Alphonſo Rege Aragonum hoc prætextu: *Ære alieno opprimor o Rex, & Crediteris mei inſolentiſſimi exactionibus attereor quotidianis. Succurre mihi obſecro.* Rege verò interrogante, *quiſnam eſſet hic exactor*? Reſpondit: *Venter hic meus eſt, quotidie cibum exigens: nec tamen à me obtinens; cùm non habeam, quod dem.* Delectatus hominis ingenio Rex non dimiſit indonatum; apud Corozett. in dict. & factis memorab. Non vexantur jam à famelico ſtomacho animæ purgantes, urgentur tamen à divina juſtitia, quæ pœnas adhuc exigit à non expiatis. Lytrum igitur expetunt, quo redimant ſe ab illo ſevero exactore; qui non dabit eis pacem, ſed continuò pœnas pœnis addit; donec ſe exſolvant. Videant igitur inprimis propinqui defunctorum, ut defunctis ſuis, fame, non panis aut ciborum, ſed piorum operum, quibus redimantur ab exactore illo, oppreſſis liberaliter ſuccurrant. Contingit animabus illis, quod Moⓘli illi, in vita S. Remberti, Epiſcopi Bremenſis, quæ non procul à Sleſvvico capta & abducta á Barbaris, atque inter alios captivos, catenis conſtricta propoſita in foro venalis, viſa eſt à S. Remberto, illic tranſeunte. Quæ cum agnoviſſet eum virum eſſe Sacerdotalem, adeoque Chriſtianum, motu corporis ad venerationem compoſito, jam genuflectendo, jam caput crebrò inclinando, honorem illi exhibuit, quaſi miſericordiam eminus implorare, ſimulque teſtimonium fidei & religionis ſuæ dare volens, voce altiùs ſublata pſalmos, ſicut in Choro conſueverat, cantare cæpit. Eam ob rem motus commiſeratione Epiſcopus ſanctus, preces ad Deum pro ea fudit, moxque catenarum vincula non ſine Barbarorum ingenti admiratione dirupta de collo ejus ceciderunt. Non potuit tamen hoc miraculum puellam è manibus Barbarorum liberare. Quare complura diverſi generis pretia Epiſcopus pro ea obtulit: quibus omnibus repudiatis, equum ejus pro redemptione poſtularunt; quem ille lubens & gaudens cum omnibus ornamentis repentè deſiliens tradidit, virginemque eo pacto è captivitate redemit, ac liberam, qua vellet, ire, dimiſit. Hujuſmodi captivæ ſunt animæ purgantes, ſponſæ alioquin Deo dicatæ & dilectæ. Cæterum quia ob reatum pœnæ premuntur adhuc vinculis purgatorii vindicis, ſupplices ad nos manus tendunt, nobis genua flectunt, nobis inclinant capita & cantant flebile illud. *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* Quomodo igitur non tangimur commiſeratione maximâ, ut illas redimamus & lytrum Deo vindici pro illis exſolvamus? Quomodo non equum corporis noſtri pro illis offerimus, caſtigando jejuniis, diſciplinis, vigiliis, ciliciis? Ac ſiquidem hoc difficile nobis videtur, offeramus pro eis ſaltem devotas preces: & ſi prælongas ægrè damus, depromamus ſaltem nummum unum è burſa oris noſtri, & dicamus illud: *Requieſcant in pace.* Profuiſſe ſanè hanc quantumvis breviuſculam apprecationem animabus illis, oſtendit factum Religioſi cujuſdam Paderbornenſis, è Cænobio SS. Petri & Pauli, Ordinis Cluniacenſis, qui quoties per cœmeterium ad Sacram ædem tranſiret, recordatus animarum in purgatorio detentarum, orationem pro eis fundebat, quam dum aliquando ibidem pertranſiens finiſſet hac clauſula: *Requieſcant in pace;* moxque audivit manifeſtè multitudinis turbam reſpondentem. *Amen, Amen.* Perceptaque hac voce totus intremuit, & has voces eſſe animarum, pro quibus orabat, putans, tam contiguas ſibi viſibiliter eſſe miratus expavit, bonæque conſuetudinis uſum, quem devotè eatenus ſervaverat, tanto deinceps propenſiori diligentia proſecutus eſt, quantò deinceps devotionis ſuæ obſequium acceptabile Deo, fidelibuſque animabus gratum & fructuoſum exiſtere tam inuſitati miraculi novitate lætus agnovit! Ita refert l. de viris illuſtr. Ord. Ciſterc.

Quandò igitur & nos hoc fine ad Cœmeterium iſtud convenimus, ut defunctum N. hic pio & Chriſtiano ritu terræ commendemus, non dimittamus eum ad alteram vitam ſine commeatu & Spirituali ſubſidio; ac ſiquidem nunc aliud, quod offeramus, non occurrit, depromamus ſaltem è corde & ore noſtro minutum illud, dicamuſque toto cordis affectu: *Requieſcat in pace.*

EXHORTATIO XI.

Quâ ratione corpora Piorum in pace ſepulta ſint.

THEMA.

Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt. Eccli. 44.

COmmunis quidem omnibus eſt mors, tam piis quam impiis, quia *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, ad Hebr. 9. Non eſt tamen utrorumque par conditio. De improbis enim dicitur Job c. 36. *Morietur in tempeſtate* (Hebr. Naghor. h. e. *in excuſſione*) *anima eorum.* q. d. morientur ſine pace, ſine honore & quidem anima & corpore. De piis verò dicitur Eccli. 44 *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt.* q. d. non ſolum ipſorum animæ requieſcunt in ſancta pace, ſed etiam corpora in pace ſunt ſepulta. Quinam verò potiſſimum iſti ſint, exponit paulo ſuperius his verbis: *Illi viri miſericordes ſunt, quorum pietates non defuerunt.* Viri ergo pii, & præter-tim qui erga pauperes pietatem quaſi paternam oſtenderet, in pace ſepulti ſunt. Velut ait S. Bernardus ſerm. 3. de SS. Petro & Paulo: *Sunt hi planè viri miſericordes, ſive quia miſericordiam conſecuti, ſive quia miſericordia pleni, ſive quia miſericorditer nobis à Deo donati ſunt.* Non eſt parvi æſtimandum

Diverſa eſt mors Iuſtorum & Impiorum.

hoc Dei beneficium; quin imò indicium est non leve, talium etiam animas in sancta pace profectas esse. Jam verò disquiramus, qua ratione ipsi in pace sepulti possint dici & haberi.

Iusti in Pace sepulti sunt.

I. Quia naturali & placida morte obierunt, quæ non contingere solet impiis.

I. Si non violenta, sed naturali & placida morte obierunt; quod communiter viris piis & justis contingit: Impii & scelerati vel plectuntur Judicum sententia, uti Jacob, de quo mandavit David Salomoni filio: *Non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos* 3. Reg. 2. propter homicidia videlicet patrata, ob quæ & interfectus est in ipso Domini tabernaculo. Vel divina ultione, cujus quam plurima & quotidiana ferè sunt exempla; & fuere etjam apud Gentiles, quia propterea Numinis vindictam statim conjectabant è diro morientium genere. Unde cum vipera Paulum invasisset in Insula Melite, mox dicebant Barbari: *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.* Act. 28. Asserit etiam scriptura psal. 54. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Et Matth. 26. *Qui gladium accipiunt, gladio peribunt.* Scimus & contra Cain clamasse sanguinem fratris ejus de terra. Gen. 4. Unde & Plutarchus, homo Gentilis scripsit librum de sera Numinis vindicta, quam demonstrat exemplis plurimis & ferè admirandis. Verum hoc universale non est, in quo errarunt Melitenses illi & Gentiles. Scimus enim Martyres in primis licet innocentissimos variis in tormentis pro Christo occubuisse; scimus etiam aliquos ob levia peccata morte vel subita vel acerbiore punitos, ut hac ratione illa expiarent; uti Prophetam illum bonum, qui ob transgressionem non magnam à leone occisus est, 3. Reg. 13. & Mosen Abbatem, qui ob levem etiam culpam à dæmone obsessus fuit apud Cassianum Collat. 7. cap. 27. Ozam quoque ob contactum Arcæ in cautum subita morte plexum, 2. Reg. 6. & alias sæpe malis hominibus prospera, bonis adversa contingere, ex certa Dei providentia. Quare si quis diuturnis & acribus doloribus cùm morte prius luctati sunt, antequam morerentur, non indè mox judicandi sunt, quasi id malæ mortis omen esset: uti nec semper piè & sanctè obeunt, qui placida morte obeunt. Solum ergo hoc dicimus, in Dei beneficiis reponendum, cùm quis naturali & pacata morte defungitur, & non ob scelus aliquod dira morte plectitur. Laudamus igitur Deum & gratulamur defunctis nostris propinquis, amicis & confratribus, quod non infami, non subitanea non crudeli fine vitam terminarint, adeoque in pace sepulti sint.

Non tamen ita semper accidit.

II. Quia pleni dierum & vita saturi, in bona senectute, hinc emigrarunt.

II. Si pleni dierum & vitæ saturi in bona senectute hinc emigrarunt; quod beneficium promisit Deus Abrahæ Gen. 15. dicens: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* h. e. provecta, annorum scilicet 175. Quemadmodum enim spicæ, cùm plenæ & maturæ sunt, ad terram se spontè inclinant, & falcem curvescentes exspectant: poma etiam matura partim ramos suos ad terram deprimunt, ut decerpi possint, vel ultrò ex arbore decidunt; quia dies suos impleverunt: ita qui ad multam senectutem provexere vitam, libenter & pacatè ad alteram illam & quietem migrant, quasi tædio hujus vitæ tam ærumnosæ & calamitosæ, qualis præcipue senum est. Atque hac ratione *mortuus est Abraham, in senectute bona provectaque ætatis & plenus dierum*; ut dicitur Genes. 25. *In senectute bona*, sive ætatem spectes, sive gratiam: ætatem, quia decrepitus & sine ægritudine: gratiam, plenus bonis operibus decessit; quæ est optima plenitudo & vera opulentia, de qua Philo Judæus l. Quis diu rerum sit hæres, scribit: *Rectè dixit Propheta quidam; malle se unam diem cum virtute vivere, quam mille annos in umbra mortis*; sc. in peccato & vita mala. Ad hanc pacem aspirabat etiam sanctus Simeon, qua tandem adventante canebat instar cygni suaviter: *Nunc dimittis* (Græcè solvis) *servum tuum Domine, secundum verbum tuum in Pace.* Luc. 2. In quem textum sanctus Ambrosius l. de bono mortis cap. 2. ait: *Quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate; Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* Qui agnoscunt hunc mundum esse carcerem, cum gaudio hinc abeunt, qui mundum sibi delegerunt pro patria, inviti discedunt. Unde sanctus Augustinus tract. 9. in epist. Joannis: *sunt homines*, inquit, *qui cum patientia* (dolore) *moriuntur: sunt homines, qui cum patientia* (dolore) *vivunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter* (cum dolore scilic.) *tolerat mortem; qui autem desiderat dissolvi & esse cum Christo, non patienter* (id est cum dolore) *moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur.* Porro si antiqui SS. Patres desiderarunt absolvi vinculis carnis, tædio prælongæ duntaxat & ærumnosæ hujus vitæ, tametsi ad limbi tenebras, cælo adhuc clauso, pergendum eis esset; quantò magis gratulandum illis, qui confecta jam ætate & reserato cælo ex hoc carcere dimittuntur?

III. Quia omnia in Pace cum Deo, hæredibus hominibus composita decesserunt.

III. Si pace cum Deo, hæredibus & hominibus benè composita mortui sunt, in pace utique requiescunt. Qui in taberna commoratus comedit & bibit, si prius quam discedat, hospiti symbolam persolvit, is cùm pace & bona hospitis gratia abit; sin minus, ad rationes cum hospite componendas retrahetur. Parimodo qui in hoc mundo, magno Dei hospitio, contracta fortè debita persolvit Deo, eumque sibi conciliavit, utique cum pace hinc emigrare poterit; præsertim si & ipsum cum Simeone illo in Sene in ulnas suas per S. Communionem suscepit, & dissuaviavit. Tunc enim cum sene illo dicere poterit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in Pace.* Gentiles Romani existimantes defunctorum spiritus à Charonte Stygionauta per flumen ad campos Elysios devehendos esse, ne autem ob vecturam lis eis cum vectore esset, nummum argenteum pro naulo, Charonti dando, in de-

mortui

mortui os reponebant. Christianorum naulum, quod exhibere custodi Angelo, qui eos ad cælum pervehat, debent, est sancta Eucharistia, ante obitum sumenda; cùm eam sumere & habere infirmus potest; & tunc in pace ad superos commigrabit, nec erit quod litigandum ei sit cum vectore Angelo, aut Judice Deo. Deinde si cum omnibus hominibus, quantum per ipsos stetit, pacem habuerunt, aut inierunt, dum adhuc spirarent, uti præcipit Apostolus ad Roman. 12. *Si fieri potest pacem habentes cum omnibus hominibus.* Quo spectat illud Christi monitum Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, &c.* Quod explicans sanctus Hieronymus ait: *Esto consentiens, benignus & benignus tuo adversario, dum es cum illo in via hujus seculi: ne fortè si id non feceris, tradat te judici Deo, & in tartarum mittaris.* Quod ane eventurum illis, qui nolunt reconciliari inimicis suis, vaticinatur Ezechiel cap. 32. *Descenderunt,* inquit, *ad infernum cum armis suis &* (h. e. quia) *posuerunt gladios suos sub capitibus suis.* q. d. quia semper vindictam meditabantur, & redire in gratiam cum inimicis noluerunt, ideo sine pace, imò cum armis & hostilitate sua descenderunt ad instar Pharaonis, sanguinem sitientis, in profundum inferni.

Denique cum hæredibus etiam prius, quam morerentur ita convenerunt sive per testamentum, sive per amicam compositionem, ita ut non reliquerint post se sementem turbarum & contentionum inter hæredes. Alioquin illæ dissensiones redundarent etiam in defunctum, ut in altero sæculo pacem non haberet, qui pacem inter filios & nepotes componere neglexit. Idcircò enim mandatum Ezechiæ Regi à Deo per Isaiam 4. Reg. 20. *Præcipe domui tuæ, quia morieris tu.* q. d. manda, ut ne fiant dissidia inter hæredes, dividendo inter eos hæreditatem tuam dum vivis; potes enim pacem eis relinquere. Sic enim & Christus Dominus abiturus ad mortem quasi testamento facta commendavit pacem discipulis suis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Joan. 14. Composita hac ratione cum Deo, hæredibus & inimicis pace, quomodo defunctus non requiescat; qui neminem habet adversantem, qui litem ipsi moveat?

IV. *[Q]uia non [si]t pri[va]ti sepul[tur]a, sed in [sepu]lchro [majo]rum [coll]ocati.*

IV. Si honesta sepultura, atque in primis patrum suorum terræ commendati, & non ejecti vel, ut ait Scriptura, sepultura, asini, sepulti sunt. Est enim & hoc signum alicujus benedictionis cælestis, & beneficium Dei. Hanc pacem & sepulturæ honestatem petiit Job, Gen. 49. *Sepelite me cum Patribus meis in spelunca duplici.* Similiter & Joseph, Gen. 50. Hinc orta frequens illa Scripturæ phrasis: *Congregatus, vel appositus est ad patres suos.* Causa est, quia signum alicujus supplicii aut maledictionis erat privari sepulchro paterno, vel ejici insepultum, & sepeliri sepultura asini, uti Joakim Regi Jeremias prædixit cap. 22. *Sepultura asini sepelietur.* Et Regi Achab Elias: *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli,* 3. Reg. 21. Idem contigit Absoloni perduelli Davidis filio, qui erexerat sibi, cùm adhuc viveret, titulum, qui est in valle Regis. Dixerat enim: *Non habebo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Sed non est gavisus opere suo; projectus enim est *in saltu in foveam grandem & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis,* 2. Reg. 18. Pro pœnâ etiam dictum est Prophetæ illi: *Quia non obediens fuisti ori Domini, &c. non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum,* 3. Reg. 13. Cùm ergo indicium aliquod divinæ animadversionis sit privari sepulchro paterno aut honesto alio tumulo, præjudicium integritatis & vitæ bene peractæ parit sepultura honorifica & maximè inter majores suos, quorum degeneres filii non fuerint, qui cum iis requiescunt.

V. *Quia laudabilem sui memoriam posteritati reliquerunt.*

V. Si laudabilem sui memoriam posteris reliquerunt. Est enim & hoc indicium aliquod, fuisse viros virtutis & eximiæ sanctitatis: Qualis fuit Rex Josias, de quo dicitur Eccli. 49. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii: in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, ut Musica in convivio vini.* Mel à putredine conservat corpora mortuorum, teste Plinio l. 22. c. 24. *Mellis,* inquit, *natura talis est, ut putrescere non sinat corpora.* Musica etiam convivas exhilarat: Sic piorum vita sancta non sinit interire memoriam eorum, sed quasi immortales in ore hominum conservat, ut post mortem adhuc vivant: eaque memoria posteros recreat velut suavis Musica, & ut dulce mel palatum. Ita vixit post mortem, sparsitque odorem suavem Tabitha illa Act. 9. *cujus mortem planxerunt viduæ pauperes & ostenderunt S. Petro tunicas & vestes, quas illis fecerat Tabitha.* De qua S. Chrysostomus hom. 30. in Gen. scribit: *Si memoriam quæris, si veram gloriam amas, hanc imitare, tales domos exstrue.* Multò sapidior & suavior, multoque constantior est memoria bonorum operum, quam splendidorum ædificiorum, in quibus filii hujus sæculi memoriam sui frustra quærunt. Ergo in pace sepulta sunt ossa Sanctorum virorum, quia nemo facilè auditur, qui labem eis aspergere maledicto audeat, sed in ore omnium laus ipsorum viget, juxta id Proverbior. 10. *Memoria justi cum laudibus.* Econtra addit: *nomen impiorum putrescet.* Cujusmodi erat inprimis Absalon, cujus ossibus sub acervo lapidum sepultis maledicunt usque hodie pagani & peregrini atque execrantur hac voce: *Maledictus sit parricida Absalon, & quicunque injustè parentes suos prosequuntur, maledicti sint in æternum;* uti refert Adricomius in descript. terræ S. num. 227. Talis impius ille Antiochus, flagellum Hebræorum, qui à vermibus undique corrosus tantum exhaluit fœtorem, ut ferri in castris non posset; de quo &

prædixit Mathathias 1. Mach. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est.*

VI. *Quia in expectatione & spe bona gloriosæ Resurrectionis indormierunt.*

VI. Denique si in expectatione & spe bona gloriosæ resurrectionis & futuræ beatitudinis dormiant in sepulchris. Hoc sensu de illis dicitur Sap. 3. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et mox: *Illi autem sunt in pace.* Si enim in manu Dei sunt, utique & in pace sunt; quia ab ira venturi Judicis nihil sibi metuunt. Quemadmodum ergo S. Petrus vinctus in carcere, quando jam producendus erat ad capitale supplicium, inter duos milites suaviter dormivit; quia nôrat se in manu Dei esse, Act. 12. ita & justorum corpora inter ipsos vermes in sepulchro quasi dormiunt magna pace, quia in Dei manu sunt, juxta id psalmi 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.* Omnia enim restituenda & reformanda sunt. Securo & intrepido animo expectavit Joseph septem annos sterilitatis, quia sibi & Regi suo jam providerat de annona in venturos septem infrugiferos annos: ita pariter Justi magna cum pace & quiete expectant diem Judicii, in quo unicè requirentur bonorum operum fruges, de quibus ipsi jam egregiè sibi providerunt. Sola impiorum ossa pacem non habent, quia pro sterili illo die sibi nihil compararunt. In quorum persona ait David psalm. 37. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Quomodo enim pax sit reo in carcere detento, qui novit se aliquando ad tremendum judicium ac supplicium producendum. Quoniam verò Defunctus noster omnium sententia talem vitam duxit, ut de ejus salute meritò dubitare non possimus, atque inprimis dum adhuc viveret pacem cum Deo, hæredibus, omnibusque hominibus sancivit, dicere de ipso licebit, *Corpus ipsius in pace sepultum esse.* Quod si tamen adhuc rigidus ille hospes, Radamantus & Exactor justitiæ levia aliquot debita ab ipso requireret, nostrum erit pro ipso preces interponere; ut leviores illas noxas, quibus eluendis forsan adhuc obnoxius est, ipsi condonare dignetur.

EXHORTATIO XII.

Commendatur sepultura Christiana.

THEMA.

Secundum judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Eccli. 38.

Christiani barbariem aliorum Nationum corrigunt.

Non idem omnium Gentium fuit judicium circa defunctos, quid cùm illis agendum, & quorsum deponendi essent. Quædam enim barbaræ Nationes abjicienda illorum cadavera, corvis & lupis devoranda, bruto sanè judicio censebant, uti Hircani, Caspii, Bractriani; quod cùm Nicanor Alexandri Præfectus emendare voluisset, penè amisit Provinciam, ut scribit sanctus Hieronymus contra Jovin. cap. 36. Aliæ ut Scythæ, mortuos suos inter epulas devorabant, apud Rhodigin. l. 9. cap. 43. Aliæ ut Romani, extra urbem comburebant. Nimis inhumani, & crudeles hæ fuerunt. Saniore judicio usæ sunt aliæ cultiores nationes, uti Athenienses, & Macedones, qui suos inhumabant & magno quidem studio atque honestate. Maximè verò solenne & cordi fuit Hebræis, atque ut Rhodiginus loco citato ait, lege cautum erat, ne insepultum relinquerent. Quo de pietatis officio celebrantur Abraham, Jacob, Joseph, Tobias, Nicodemus & Joseph ab Arimathæa. Nec immeritò; si quidem ea pietas & miseratio humanis pectoribus à natura videtur insita. Quare Christianis semper ea cura fuit, ut fratres & sorores suas debito cum honore terræ velut matri, è qua formati fuere, mandarent. Cujus honestatis causas aliquot investigabimus.

Quando mortuus sepeliunt ob justissimas rationes.

I. *Sicut externa bona à mortuis relicta habeat in honore: multò magis corpora defunctorum.*

I. Quia corpus est pars hominis intrinseca, quæ charior ipsi fuit & præstantior, quam omnia bona exteriora. Quare si externa illa bona à propinquis nobis relicta in honore habemus, cur non eorundem corpora? Hanc rationem affert S. Augustinus lib. 1. de Civitat. Dei, cap. 13. *Si enim,* inquit, *paterna vestis & annulus, ac si quid ejusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius & conjunctius, quàm qualibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum nec adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.* Certè Naboth vineam à majoribus suis sibi relictam tanto in pretio habuit, ut sanguinem potius fundere mallet, quam eam alienaret, 3. Reg. 21. Et Samaritana illa cum suis civibus tanti æstimavit puteum à Patriarcha Jacob sibi relictum, ut ejus aquam omnibus aliis præferret aquis, Joan. 4. Si igitur externa ista habemus in honore, quia à charis majoribus accepimus, cur non magis eorundem corpora, ipsis charissima & conjunctissima? Brutorum quidem cadavera nulla injuria exponimus feris & volucribus; quia ipsis non erant meliora; at hominem omnium brutorum & totius terræ dominum ejicere in fimetum, ut faciebant Sabæi, vel in mare, ut canum, corvorum, & piscium præda fiant, indignum est & barbarum. Unde Origenes l. 5. & 8. contra Celsum ait: *Rationalem animam honorare didicimus, & hujus organa sepulchro honorificè demandare.* Quare instar supplicii grave semper habitum fuit, sepultura privari. Patet in Jeroboamo, de quo quia Idola coluerat ait Dominus 3. Reg. 14. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eum canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eum aves cæli.* Ejici vero è sepulchro ossa mortuorum maximæ Dei iræ signum fuit, *Jerem. 8.* Denique exclusi sepulchri beneficio, dicebantur

dicebantur sepulturâ asini esse sepulti. Jer. 2. Neq; dicas terram etiam minùs honestum esse condito ium cadaverum humanorum, cùm ea sit mater nostra, è qua prodivimus in hunc mundum; quid mirum si & ipsa in uterum suum recipiat filios suos? Sanè Cyrus Persar. Rex noluit in auro & argento sepeliri, in terra potiùs elegit. *Quid enim* ajebat, *beatius, quàm terræ misceri, quæ pulchra & bona omnia progignit?* apud Xenoph. in Cyripæd.

...davera ...vito ter... tradun... quia Mater.

II. *...ia corpora fideliũ templa Spiritus.*

II. Quia corpora fidelium sunt templa Spiritus S. & organa, per quæ operatur in nobis Christus omne bonum. Hanc etiam rationem adfert S. August. loc. cit. *Non sunt spernenda defunctorum corpora,* ait: *maximèq; justorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera Spiritus S. usus est.* Scimus enim Apostolũ scribere, 1. Cor. 6. *Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi.* Et rursum: *An nescitis quoniam membra vestra tẽpla sunt Spiritus S. qui in vobis est?* Magno sanè in honore conservari voluit Deus ædiculam, in qua Christus cum sanctissima sua Matre habitavit, & per Angelos in Sacratiora loca deferri, uti adhuc visitur Laureti. Cur non & corpora fideliũ honoratiore loco reponantur, in quibus habitavit Spiritus S. & ipse Christus toties ad ea digressus in S. Eucharistia? Præsertim cùm ea suo tempore resuscitanda gloriâ & decore vestienda cœloq; inferenda sint? Hinc semper Christiani summa contentione Sanctorũ corpora suis manibus inhumare studuerunt, etiam cum præsentissimo mortis periculo. Inter quos Eutychianus Pp. hoc officium pietatis sedulò exercuisse traditur in Martyrol. die 8. Dec. ita ut manu propria sepelierit trecentos quadraginta duos Martyres. Quin & bruta animantia Dei jussu quandoq; terrã sepeliendis Sanctorum corporibus eruerunt, uti Leones duo S. Paulo Eremitæ, apud S. Hieron. in ejus vita rursũ alii duo in vita S. Pafnutii, ut corpus S. Onufrii; alii ut corpus S. Mariæ Ægyptiacæ sepeliretur à Zosima, in ejus vita. Aliorum Sanctorum corpora & & ossa ab ipsis prædacibus feris miraculosè custodita fuère, donec honestè traderentur sepulturæ, uti S. Stanislai Episc. & Martyris à canibus, S. Luciani Martyris corpus Delphinus ex aquis extulit, quò sepeliri honestè posset. Imò & creaturæ sensu carentes viris sanctis sepulchrum exhibuerunt. Saxum S. Jacobi Apostoli corpus excepit, in sepulchri speciem se formans. S. Clementi Papæ & Mart. sepulchrum in ipso mari mirabiliter in templi formam præparatum, atq; ut adiri possit, mare ad tria milliaria recessit. Quæ omnia demonstrant etiam ipsi Deo curam esse de inhumandis piorum ossibus.

III. *Quia per hoc astruitur fides Resurrectionis.*

III. Quia per hoc astruitur fides Resurrectionis & imprimitur viventibus, uti docet S. Thomas in 4. dest. 45. q. 2. art. 3 ad 3. *Sepultura,* inquit, *spiritualiter prodest vivis in quantum per hoc astruitur Resurrectionis fides.* Semini corpora nostra comparat Apostolus 1. Cor. 15. *Seminatur,* inquit, *corpus in ignobilitate, surget in gloria.* Quemadmodum videlicet vile & abjectum semen, missum in agrũ ibiq; mortuum, prodit in elegantem spicam. Projice semen in aquam, ignem, ventum: nequaquam germinabit: projice in terram, & videbis anno sequẽte prodiisse quasi à morte ad vitam, & evasisse in spicam. Sic fiet cum corporibus justorum. Rectè igitur in terrã & sepulchrum quasi in agrum deponuntur. Qui vestem suam adeo attrivit & laceravit, ut exutam abjiciat in ignem, aut flumen, hoc ipso declarat se eam deseruisse nec unquam receptuum. At qui vestem suam, quam v. g. nuptiarum die gestarit, vesperè recondit in scrinio suo & sedulò asservat, eo ipso indicat se eam corpori suo rursum aptaturum, & cum gloria proditurum.

probatur exemplo seminis.

Itaq; abjecerint gentiles corpora mortuorum in ignem, sterquilinia & flumina; quia fidem Resurrectionis non habuerunt. Nos Christiani, qui certa fide eam credimus, ossa nostra in terram recondimus; ubi licet semina putrefacta majori cum splendore progerminabunt, ac demum in horreũ cœleste inferentur. Quã ob causam sepulturæ locum appellamus nos Germani, agrum Dei, **ein Gotts Acker:** Græci verò Cœmeterium h. e. *Dormitorium,* **ein schlaffhauß;** quia mors nobis somnus est. Atq; hinc orta est antiqua illa cõsuetudo, qua fideles defunctorum suorum corpora; antequam sepulchro inferrent, prius lavabant, uti scribit S. Gregor. *hom. 38. & l. 3. dial. c. 7.* Deinde mundo linteo involvebant, manus in crucis formã componebant, floribus conspergebant & corollis ornabant, deniq; erectis magnificis Epitaphiis honorabant. Sub honorio Imp. in sepulchro Zachariæ Prophetæ, juxta ipsũ inventus est puer, de quo Sozomenus l. 9. c. ult. ita scribit: *Iacebat puer Regali apparatu sepultus, habebat enim in capite coronam aureã, & aurea in pedibus calceamenta, & vestẽ pretiosam.* Quæ omnia si videret gentilis & interrogaret, quid sibi vellent; responderent illico id Apostoli ad Phil. 3. *Quia Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Atq; ita præveniunt fideles ornare suos defunctos ante diem Resurrectionis, quòd sperent eos ad gloriã cum ornatu splendidissimo resuscitãdos: quo modo Magdalena prævenit ungere Christum ante mortem ipsius; quod ipse Dominus testatur. Quemadmodum etiam Ecclesia in pervigilio Paschæ anticipat lætitiã resuscitati Salvatoris, intonando Alleluja, pulsando omnes campanas, accendendo cereos & lampades, aperiendo & ornando altaria; quòd certa spe expectet brevi resurrecturũ: tametsi adhuc in sepulchro jaceat: ita agunt & fideles cum defunctis suis, de quorum salute benè sperant.

IV. Quia hæc sepultura facit ad meritum vivẽtium; qui eos terra operiunt. Esse enim id opus bonum Deoq; placitum, patet ex studio Tobiæ, cui tantopere vacabat in sepeliendis mortuis, ut

IV. *Quia sepultura facit ad me-*

emeritum viventium qui eos terra operiunt

relicta etiam mensa & convivis surgeret & conquirere. in civitate, qui insepulti projecti erat Judæi. Id enim laudat Angelus Tob.12. tanquam Deo gratum & confirmat S. August. l. de cura pro mort. c.3. ubi ait: *T bias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo commendatur.* Idem fecit David cōmendando viros Jabes Galaad. 2.Reg.2. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul & sepelistis eum.* Deniq; ipsemet Christus Dominus probavit factum Magdalenæ, quæ unguentum pretiosum in caput ejus effuderat. Matth.26. *Opus bonum operata est in me*, inquit, *mittens enim unguentū hoc ad sepeliendū me fecit.* Taceo discipulos Joannis Bapt. qui sepelierunt Magistrum suum Matth.14. Jo ephum & Nicodemum, qui Christum Matth. Illud sanè non tacendū. quod in Regibus etiam hæc pietas deprehensa sit. Etenim Alphonsus Rex Aragonum repertum in littore maris Christiani Genuensis cadaver, mox unà cum suis sepulturæ commendavit; test. Panor. l. 1. de reb. ejus gestis. Nimirum ut ait S. Ambros. de Tob. c.1. *Magnū hoc opus. Si viuentes operire nudos præcipimur, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi jam non potuit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus dedisse produntur, homines denegabunt?* Sic Amb. cujus postremam sententiam confirmant in primis quæ supra de leonibus attulimus exempla: confirmant formicæ, quæ, ut (apud Hieron. in vita.) narrat Malchus Monachus se vidisse, mortuos suos humeris efferunt, & si aliqua sub pondere collabatur, alia succollat. Confirmant Delphini, qui, ut refert Auctor libri de nat. anim. mortuo aliquo consorte, circumstant ejus corpus, ne à piscibus devoretur, ac postremò deferunt eum in profundum quasi ad sepulchrum. Confirmant Elephantes, quorum unus Magistrum & altorem suum contrà insidiatores diu frustra defensum, posteaq; occisum, proboscide involvit, & delatū in spelæum suum operuit, apud Pier. l.1. hierogl. Aldrov. & alios. Econtra non impunè tulit Jason, quod multos homines insepultos abjecisset; ipse enim *& illamentatus & insepultus abjectus est, sepultura neq; peregrina usus, neq; patrio sepulchro participans*, ut dicitur 2 Mach.5. Athenienses quoq; decem suos Imperatores militum, & quidem a pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necarunt, quod multorum corpora militum sepulturæ mandari non curassent, apud Val. Max. l. 9. c.8. Postremò irrisores eorum, qui S. Constantinum Martyrem, Episcopum Perusinum sepelierunt, cæcitate ob derisum pium opus percussos, legimus apud Sur. 29. Jan.

Exempla brutorum, quæ sepelierunt corpora.

V. *Quia conducit viventibus ad imprimendam eis memoriam mortis.*

V. Quia conducit viventibus, ad imprimendam eis mortis memoriam. Quid enim potentius moveat nos ad humilitatem & meliorem vitam, quàm si oculis nostris sepulchra objiciamus, in quibus cernimus, quis sit finis mundanæ gloriæ! quis honorum, quis divitiarum carnisq; voluptatum. Sed Audiamus de hoc S. Aug. ser. 66. de verb. Ap. *Rogo vos fratres, quoties juxta sepulturam divitis transitis, ut diligenter inspiciatis. Vbi sunt eorum divitiæ vel ornamenta? ubi gloria? ubi vanitas? ubi luxuria? ubi voluptas? Vel ubi eorum sunt spectacula? considerate diligenter & videte & agnoscite, quia nihil aliud in eis est, nisi cinis & fœtor & vermis. O homo vide sepulchra mortuorum, & dic tibi tu ipse: Ecce nunc ex illo misero, qui hic depositus fuit, nihil aliud nisi ossa & pulvis euenit. Et verè homo, si ipsa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt & dicere. O miser quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris! attende ad me intellige, considera me, & vel sic tibi horreat luxuria tua vel auar tia tua. Hoc quod tu es, ego fui, & quod ego sum modò, tu eris postea. Ecce quales prædicationes ossa & cineres mortuorum quotidie proclamant!* Hoc ut antiqui Christiani filiis suis à teneris instillarent, solebant diebus festivis & Dominicis circumducere eos ad sepulchra contēplanda. Quod etiam de se testatur S. Hier. in Ezech. c.40. *Cùm essem Romæ puer & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem pietatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroq; cryptas ingredi.* Quin & Gentiles in Regno Mogor in more habebant, ante nuptias sepulchra obire, reserare & contemplari, uti scribit in hist. Rer. indic. Hier. Xaver. Ac ne putemus sine fructu hoc fieri, consideremus grandem illum peccatorem, Jacobum, primò per annos quadraginta, Anachoretam in omni virtutum genere èxcitatum, postea fraude diaboli eversum, factumq; scortatorem & homicidam scorti sui; qui tandem cùm desperabundus hinc inde oberraret, incidit in Monachum prudentia & sanctitate præditum, ejusq; consilio & hortatu ad pœnitentiam redactus, locum expiando sceleri admisso reperit antrum ossibus refertum, ibiq; domicilium sibi constituit; ponens ossa arida in conspectum suum, & perpetuo contemplans, quinam illi olim fuissēt, qui nunc essent, seq; talem aliquando fuisse, quales illi erant: moxq; talem futurū, quales illi jam sunt. Cumq; per annos quatuordecim perstitisset in hoc habitaculo & contemplationis studio tantas animæ reparavit vires & comparavit sanctitatem, ut vicinæ Regioni Dei monitu innotesceret, & post diuturnam terræ siccitatem suis precibus impetraret pluviam, & quidem iteratis vicibus, fieretq; deinceps miraculis illustris. Refertur apud Sur. 28. Ja. Tantum nimirum profuit huic lapso, quantumvis in profundum baratrū, contemplari sepulchrum & ossa sepultorum, inter illa versari, ea tangere, intueri, versare. Bene igitur huic quadrat, quod Job. c.21. dixit: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* In hanc enim ossium congeriem deductus evigilavit miser ille ad pœnitentiam & salutem.

Elegans locus D. Augustini contra vanitatem hujus mundi.

Quando

Quando igitur vidimus quanto jure quantoq; fructu defunctos nostros sepulturæ commendemus, superest; ut huic fratri nostro ad sepulchrũ deposito gratulemur potius, quã condoleamus; dum videmus eum in cõplexu matris omniũ nostrûm constitutũ eo loci deponi quasi cymeliũ pretiosũ, ubi tamdiu asservabitur, donec suo tempore repetatur ac restituatur magno cum fænore &c.

EXHORTATIO XIII.

Cur in locis sacris sepeliri deceat Christianos.

...a fide- ...m ...te dis- ...ri ab ...elibus, ...l & in ...is con- ...erant.

MAgna semper cura & solicitudo fuit fidelibus Dei servis, ut sicuti in vivis refugiebant à consortio infidelium; ita & in morte ac sepultura ab ipsis procul abessent. Patet hoc inprimis in antiquis V.T. Patribus, Jacob & Joseph, qui in Ægypto quidem mortui, noluerunt tamen ibi inter Gentiles sepeliri, sed mandarunt ut ipsorum corpora in Palæsthinam terram promissionis, ubi Christus erat nasciturus & templum erigendum, deportarentur ad sepulturam. In eadem terra Chanaam seu Palesthina emit sibi & conjugi suæ Abraham locum sepulturæ. *Gen. 23.* Multo adhuc major cura Christianorum fuit; ut non modò non inter infideles & hæreticos, sed etiam ne in profano alio quocumq; loco sepelirentur: sacro duntaxat in loco requiescere cupiebant. Audiamus S. Dionys. S. Pauli discipulum, qui in Eccl. Hierarchia c. 7. scribit: *His peractis Pontifex condit in loco dignissimo corpus cum aliis sui ordinis corporibus sacris.* Et Clementem Rom. S. Petri & Pauli discipulum, qui l. 6. Constit. Apost. c. 30. scribit: *Conuenite in cœmeteria sacros libros in iis legentes & psallentes pro his, qui dormierunt.* Cũ enim tempore persecutionis Christiani templa non haberent, convenire solebant in cœmeteria, eaq; subterranea seu cryptas, in quibus & rem divinam peragebant, & defunctos sepeliebant; quales adhuc Romæ visuntur. Ea verò loca consecrari solita à sacerdotibus testatur S. Gregor. Turonens. de gloria Confess. c. 106. Unde S. Cypr. Mart. l. 1. ep. 4. arguit *Martialem quendam, quòd filios suos exterarum gentium more* (apud profana sepulchra deposuerit) quo ipso indicat jam ipsius tempore sacrari consuevisse cœmeteria pro Christianis. Deniq; & in templis sæpe tumulatos fuisse honoratiores fideles, testis est S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 3. S. Hieron. in vita Paulæ & Fabiolæ, S. August. l. de cura pro mort. c. 1. causas porrò hujus cæremoniæ, ne derideant eam infideles & hæretici, nunc inquiremus.

...cor- ...hri- ...um ...cra- ...isũ ...ra- ...um

I. Est, quia & ipsa Christianorum corpora sacrata fuère primò in Baptismo; deinde in Cõfirmatione, Sacro Chrismate inuncti, sacræ Christi militiæ adscripti & quasi reges quidam inaugurati; deniq; aliis sacramentis purificati & sanctificati, inprimis verò S. Eucharistiæ viatico paulò ante obitum cõmunita fuère. Jam si Ecclesia sacros cineres nec nõ aquam baptismo sacratam & adhibitam prohibet in profanum effundi locum, adeoq; intra templum in piscinam, ut vocant, sacram potiùs mitti jubet, cur non potius Christianorum corpora, tot modis Deo consecrata, & in quibus ipse Deus inhabitare dignatus est, sacro etiam loco reponenda sint? Sane Naaman ille Sirus princeps postquam abjuratis falsis Diis verum Deum cognovit, & colere cæpit, nefas putabat si imposterum existens in templo Idolorum ad obsequium Regis sui, in profano solo staret, ideoq; è Palæsthina terram sacram, in qua stetisset Elisæus, & coleretur verus Deus, secum extulit, quantum duo burdones portare possent, eãq; pedibus suis substravit: protestans eo facto se Dei Israël cultorem, adeoq; digniorem effectum, quã ut cum Idololatris in profano solo pedem suum figeret. *4. Reg. 5.* Deniq; si præsepe, in quo jacuit infans Christus; mensa, in qua cænavit, vestis, qua indutus fuit? crux in qua pependit, maximo cum honore in sacris asservantur locis; cur non & corpora fidelium, in quibus toties hospitatus & exceptus fuit.

II. Quia in cœmeteriis etiam solent fideles fundere preces suas pro defunctis, qui ibidem requiescunt. Facit autem non parum ad devotionẽ precari in loco sacro; primò quia ingerit homini Dei peculiarem præsentiam, qualem promisit templo Jerosolymitano, consecrato sub Salomone 3. Reg. 9. *Erunt oculi mei & cor meũ ibi cunctis diebus.* Et 2. paralip. 7. *Erunt oculi mei aperti & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto orauerit.* Deinde quia in loco sacro orantes magis se componunt ad devotionem & reverentiam; ut patet in Jacob Patriarcha, qui visa per somnum, Dei & Angelorum præsentia, in ostensa Dei scala, horrore & timore sacro perfusus, magna cum reverentia Deum invocavit, & exauditus est. *Gen. 28.* Unde & consecravit mox locum illum, erigendo lapidem in titulum seu altare, & fundendo oleum desuper; ut in posterum esset locus sacer & precibus destinatus, & vocaretur Bethel h.e. *Domus Dei.* Accedit major ad orandum quies & securitas, quæ est in loco sacro, potius quam profano: quia sejunctus est à tumultibus & negotiis sæcularibus, quæ orantes turbare solent; nec non à malignis spiritibus, qui insidiantur piis precibus, quia nôrunt eas esse flagellum suum. Est ergo consecratio loci sacri quasi vallum aut murus quidam igneus, erectus contra insidias Dæmonum. Quodsi in templo ipso sepeliantur aliqui, possunt inde gaudere emolumento aliorũ Sanctorum scil. qui ibidem corpora aut reliquias suas depositas habent, protectione & patrocinio; si cum in vivis essent, sociari illis in sepulchro piè desiderarunt eorumq; præsidio se commiserũt. Qua de re S. Maximus in ser. Nativ. SS. Octavii &c. scribit: *Sanctorum ossibus nostra corpora sociamus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illos Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat.* Quod intelligendum, si devotio sepeliendorum, ad Sanctos illos præcessit. S. Augustinus in l. de cura pro

II. Quia in cœmeteriis fideles solẽt fundere preces pro requiescẽtibus ibi defunctis.

Expedit ob urgentes causas in loco sacro orare.

mort c.4. alteram addit rationem, quia *cùm recolit animus*, inquit, *ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectã commendat recordantis & precantis affectus.* Sanè Propheta ille reprobus, qui bonum alium vatem circumvenerat, & ad prævaricandum Dei mandatum induxerat, ita ut miser ille in pœnam transgressionis suæ leoni traderetur jugulandus, hoc mandatũ filiis suis dedit: *Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.* 3. Reg. 13. Quod ipsi saltem eò profuit, ut non eruerentur ossa ejus ad comburendum, sicut aliorum pseudo Prophetarum ossa, ex mandato Josiæ Regis eruta sunt, sed parceretur ei propter illum vatem bonum, in cujus sepulchro conditus erat 4. *Reg.* 23. Quare si pium quoddam votum ad Sanctorum illorum, qui in templo aliquo requiescunt, sacra lipsana præcessit, haud dubiè sub umbra eorum refrigerium aliquod sentient. Ita enim scribit S. August. *Si quidam credidit ejus animam meritis Martyris adjuvari, hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit.* l. de cura pro mort. Qua de causa S. Ambros. in Basilica sua juxta SS. Gervasium & Prothasium sepeliri voluit: fratrem verò Saturum ad S. Victoris M. lævam sepeliit: Marcellina eorundem soror Roma transferri & ad SS. fratres condi petiit. Ex eodem pio affectu *Constantinopolitani Reges & Imperatores magni pendebant, corpora eorum non propè Apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliri*; inquit S. Chrysost. hom. *Quod Christus Deus est, contra Gentes.*

III. *Quia per hoc Catholici distinguuntur ab hæreticis, qui in locis profanis tumulari solent.*

III. Quia per hoc distinguuntur Catholici ab hæreticis & infidelibus, & separantur ab eorum communione etiam post mortem; dum sepultura sacra gaudent, quã respuunt & derident illi, ideoq; in profanis locis tumulari solent; uti patet experientia, & de Boëmis hæreticis testatur Æneas Sylvius de orig. Boëmor. c.35. quorum Dux & Antesignanus Cistas, moriens pellem sibi detrahi mandavit, relictoq; feris cadavere, ex cute tympanum fieri in hostium terrorem. Testatur etiam Simon Pauli, Prædicans Lutheranus hom. in Evang. de filio Viduæ resuscitato, esse Lutheranos, quibus perinde sit, sive sepeliantur in Cœmeterio, sive in laniena **auff der Schindergrub** ubi jumentorum cadavera objiciuntur canibus. Atque hinc bonus quidam senex in Palatinatu prope Werdam Bavaricam infra Ratisbonam ad Danubium morti jam propinquus, cum non multò antè hæresis illic introducta fuisset, in hanc lamentabilẽ vocem erupit: **das sey Gott geklagt/ daß ich nach meinem Todt in den Rüben Acker hinauß muß/ vnd die Rüben hüten.** Prô dolor, quod post mortem meam ad raparum efferri agrum, & raparum effici custos debeam. Refert P. Gretserus de funere Christiano *l.2.c.*10. Hujusmodi sacræ sepulturæ derisoribus merito ea negatur ab Ecclesia, c. Si Episcopus de Hæret. Nam ut S. Leo ait ep.92.c.6 *Quibus viventibus non communicavimus, eis mortuis quoq; communicare non possumus.* Multò magis Judæis & paganis de consecr. d. 1.c. Ecclesiam & c. seq. Quibus accensendi excommunicati & interdicti, si adhuc innodati decesserunt. Exempla recensui in Tripart. Conc. Dom. 15. post Pent. C.8. lit. F. Quibus accensendi manifesti Usurarii; Raptores, & qui sibi ipsis necem intulerunt voluntariè; blasphemi quoq;, ac deniq; notorii ac graves peccatores, si absq; pœnitentia, & in primis absq; comunione semel in anno saltem peracta, impœnitentes mortui sunt. Quorum exempla aliquot ibid. adduximus, & hic brevitatis amore non repetenda putavimus.

Impiis nihil prodest sacra sepultura.

Pro conclusione porrò sciendum impiis quibuscunq;, si in peccatis suis obierunt, nihil plane prodesse sepulturam sacram: sicut & illis, qui in templis inhumantur, si nulla eos devotio ad locum sanctũ eligendum permovit. Nam ut ait S. Gregor. l.4. dial. c. 50. *His, quos peccata graviùs deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsũptione judicẽtur: quatenus eos sacra loca non liberẽt, sed etiam culpa temeritatis accuset.* Cujus rei exemplum refert ib. c.56. de Valeriano Brixiano quodam flagitioso Nobili, sed vitio carnis ignobiliore, qui cùm ab Episcopo urbis moriens petiisset sepeliri in Ecclesia S. Faustini Martyris, annuit Antistes. Mortuo igitur illo sine pœnitentia, & sepulto, apparuit eadem nocte Sacristæ S. Faustinus dicens: *Dic Episcopo, ut projiciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit; quod si non fecerit, die trigesimo ipse morietur.* Timuit primò custos Ecclesiæ indicare hoc mandatum; secundò igitur Martyr apparens idem ipsi demandat. Quod cùm Episcopus exequi contemneret, die trigesimo sanus & incolumis subita morte percussus interiit. Idem c. 57. aliud subjicit de quodam sepulto in Ecclesia, qui postea extra Ecclesiam ejectus, solis relictis linteaminibus est repertus. His addit plura alia sibi perspecta hujusmodi exempla, quæ hic prætereo alibi à me notata.

Nihilominus justo indigna sepultura.

Vicissim verò nihil obest justo indigna sepultura; quia ut S. Chrysost. hom. 84. in Joan. ait: *Terram optimũ habemus operimentum, & ipsi corporum naturæ decentius.* Et paulò post: *Sepulturam optimam putamus optimam vitam.* Propterea Sancti aliqui vilissimo in loco atq; inter abjectos homines sepulturam sibi delegerunt, uti S Ephrem, qui petiit (in testamento suo conscripto) sepeliri in cœmeterio, ubi contriti corde jacent, non in monumẽto suorũ majorum. Idem mandavit Marcellinus Papa cùm ad martyrium duceretur Marcellino presbytero, ne corpus suum sepulturæ traderet, quòd diceret ob negatum Salvatorem, & thus metu mortis Diis immolatum se id nequaquam mereri. Verùm jussu S. Petri, qui Marcello in somno apparuit, in cœmeterio Priscillæ honestè tumulatus est. Platina in vita. Similiter S. Gregor. Turonens. Episc. eo loco se inhumari jussit, ubi semper omnium pedibus calcaretur. Quod tamen postea non ferens pia plebs,

cum

eum è terra levavit, atq; juxta S. Martinum in Mausoleo edito locavit; apud Sur. in vita 17. Nov. Deniq; S. Monica moriens filio Augustino de sepultura matris solicito: *Ponite, inquit, hoc corpus ubicunq;: nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei*, uti refert August. l. 9. Confess. c. 11. Quando igitur vidimus Ecclesiam justis de causis sacra loca deputâsse Christianorum sepulturis, est certè quod de hoc gratulemur nobis; eaq; loca debitâ cum devotione subinde revisamus, ut pro defunctis nostris preces ibidem effundamus, nec non dispiciamus, quem & nos inter illos locum sortituri simus. Est deinde cur gratulemur defuncto nostro, qui hoc loco sacro dignus habitus est, utiq; quia vitam egit Christiano homine dignam, ut mereretur in ovili Christi dormire, qui inter oves Christi vixit & ovis &c.

EXHORTATIO XIV.

Pompa funebris ad quid?

THEMA.

Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Eccl. 7.

Omniũ ferè gentium mos comitari funera charorum.

OMnium ferè gentium mos receptus erat comitari ad sepulturam funera charorũ & vicinorum. Ita in primis Romani gentiles magno hominum confluxu & sumptuosâ pompa efferebant suos, Antiq. Rom. l. 5. c. 39. Deinde Hebræi, de quibus noster Salmerõ in c. 7. Luc. ita scribit: *Placent Deo qui conducunt funera ad sepulturam, cujus rei gratia magnam laudem Tobias in V. Test. est consecutus: in novo verò Nicodemus & Ioseph ab Arimathia. Ægyptii enim permulti comitati sunt Ioseph deducentem ossa patris in terram Chanaam. Qui etiam sepelierunt Stephanum: & fecerunt planctum magnum super eum, viri timorati dicuntur.* Act. 8. In Evang. etiam Luc. 7. legimus turbam Naim multam cum Vidua extulisse filium ejus ad sepulturam. Ita scribit S. Hieronym. factum esse in Funere Paulæ, in epist. ad Eustochium; & in funere Fabiolæ in ep. ad Oceanum. Ad funus S. Martini confluxere Monachorum duo Millia, & inter alios adfuit S. Ambrosius, corpore Mediolani existens, replicatus Turonis in Gallia, teste Sulpitio, discipulo S. Martini, in ep. ad Bassulã de vita S. Martini. Deniq; ad eandem pietatem hortatur nos Ecclesiast. c. 7. illis verbis: *Mortuo non prohibeas gratiam* (funeri scil. & sepulturæ) *non desis plorantibus* (ob mortem nim. charorum,) *in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Habemus igitur pium opus esse, comitari funera fidelium ad sepulturam: Sed quis fructus & utilitas hujus comitatûs? Id nunc investigabimus.

Hoc comitatu exhibetur defũctis supremus honor.

I. Per hoc supremum honorem exhibemus defunctis nostris fratribus & sororibus. Undè honor hic appellari solet supremus; quia civilis honor & benevolentia, quam mundus suis impertiri solet ac potest, hic finem habet. Ideoq; antiqui mortẽ finxêre Deam, & appellarunt Deam *Terminum.* Hujusmodi benevolentiæ officium exhibuêre Majores natu Ephesini, quando Paulum, Doctorem suũ ultimum vale eis dicentem deduxerunt ad navẽ, & magno cum fletu procumbentes super collũ Pauli osculabantur eum, dolẽtes maximè in verbo, quod dixerat: *Quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* Act. 20. Simillimum aliquid agunt, qui fideles sibi notos & charos deducunt ad sepulturam; non enim videbunt amplius faciem eorum. Et sicut is, qui navigaturus discedit committitur mari, nec quisquã in terrâ positus opitulari ei potest in quacumq; necessitate: ita cũ nos efferimus mortuos, soli Deo committimus, nec quidquã opis amplius impendere eis possumus. Jure igitur merito saltem ad portum alterius sæculi eos deducimus, ac sicut fecere Ephesii cum Paulo flexis genibus pro eis oramus, ut saltem precibus prosequamur, quos aliter non possumus. Unde S. Aug. ser. 48. ad frat. in Eremo: *Solus*, inquit, *dimittitur* (defunctus ad sepulchrũ) *& quilibet ad propria revertitur, & cito oblivioni traditur tanquã mortuus à corde. Non est aliquis qui tantum amicum vel cognatum diligat, quòd per noctem unam secum morari cupiat.* Quare si non possumus aliis modis prodesse jam defunctis, piis saltem votis, & suffragiis deducendi à nobis in cælum: quemadmodum SS. Angeli animam Lazari deduxerunt in sinum Abrahæ. Verùm vulgus amicitias utilitate probat: & quia à mortuis nihil emolumenti expectat, ideo ipsorum cito obliviscitur, & ad viventium obsequia se convertit. Vultin audire exemplum? Apparuit in Prorege Indiæ (superiore sæculo anno 1569.) Francisco Cotinio, Comite de Redondo, qui elatus ad sepulchrũ cum magno comitatu, & jam ad sepulchrum depositus, dũ interim Joan. Mendoza præsens funeri, successor ejus declaratur, repentè versa populi gratulatione ad novũ Proregem, deseritur ab omnibus: nec remansit ad sepulchrum nisi vile mancipium, quod eum inhumaret. Refert P. Sacchinus in Lainio. l. 8. n. 169. Hic nimium mundi cursus est.

En mundi infidelitas!

Luctus nõnihil curatur, & mœstis solatium adfertur.

II. Quia per hoc luctus eorum, qui funus ex officio curarunt, nonnihil temperatur, mœstisq; solatium affertur; præsertim si cum lugentibus lugeamus. Hac enim luctus communione dolor mærentium alleviatur, qui in alios dividitur & ab iis quasi sustentatur; sic eis quasi in mare demersis manum porrigimus, ut eos extrahamus. Eò spectat, quod S. August. de verbis Apostoli 1. ad Thess. 4. ait: *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorũ sunt qualiacunq; solatia, non adjutoria mortuorum.* Sublevant ergo atq; imminuunt mærorẽ lugentium, qui eorum amicos defunctos comitantur cum honore & amore ad honestam sepulturã. Benè S. Chrys. hom. 51. Op. imperfecti in Matth. ait: *Semper pluvia bona est, maximè tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum suavis est multò*

tamen ſuavior in tempore luctus. Et paulò poſt: *Sicut nauis tunc præcipuè gubernatorem neceſſarium habet, quando tempeſtatem patitur: quando autem proſperata eſt, ipſa ſe dirigit. Et miles tunc præcipuè neceſſariam habet annonam de Rege, quando bellum & periculum inſtat: quando autē pax eſt, undecunq; poſſunt ſe milites ſuſtentare.* Sic etiam qui per mortem perdiderunt charos ſuos propinquos & amicos, tunc maximè conſolatoribus & ſolatio egent, quando eos afferunt in ſepulchrū, nunquam deinceps fruituri eorum præſentia & conſpectu. Sanè videtur etiam Deus, ipſemet ad hoc pium opus incitare nos voluiſſe eo miraculo, quod operatus eſt in gratiam Theophanii Comitis, viri operibus miſericordiæ dediti; ut teſtatur S. Greg. hom. 36. in Evang. *Cum enim appropinquante mortis ejus tempore graviſſima aëris tempeſtas abſiſteret, ne ad ſepeliendum efferri poſſit, eumq; uxor cum fletu interrogaret: Quid,* inquit *faciam? quo modo te ſepulchro condam, quæ eſtiā domus præ tempeſtate egredi non poſſum?* Reſpondit ille: *Noli flere, quia mox ut defungar, aëris redibit ſerenitas, cujus protinus & vocem mors, & mortem ſerenitas eſt conſecuta.* Quando igitur & Deus hujus viduæ lachrymas ob defunctum maritum voluit abſtergere, juſtum eſt, ut nos ſtudeamus temperare luctum eorum, qui defunctos ſuos terræ commendant & ultimum eis vale dicunt.

III. *Admonentur viuentes mortalitatis ſuæ.*

III. Quia per hoc admonentur viventes mortalitatis ſuæ, ut dicere ſibi cogantur. *Hodie tibi, cras mihi.* Eò reſpexit Sapiens, quando dixit Eccl. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominū, & viuens cogitat quid futurum ſit.* Loquitur autem de funebri luctu & exequiis, ut ibi tradit S. Hieron. & Olympiodorus. Præferuntur ergo nobis in illa pompa funebri viva quædam ſpecula, qualia olim Ægyptii in ſuis menſis ſtatuebant ſeu ſculpta ſeu vera cadavera, ut in ea intuentes biberent, convivas admoneant. Verùm utinam non eſſemus *Similes homini conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit,* ut ait S. Jac. c. 1. Quod tamen communiter fieri teſtatur S. Auguſt. ſer. 120. de diverſis:

Notandus locus S. Auguſtini de curſu mūdi

Cū efferuntur mortui-inquit, *cogitatur mors & dicitur: Væ miſero, talis fuit, heri ambulabat aut ante ſeptem dies illum vidi: illud atq; illud mecum locutus eſt: nihil eſt homo murmurant oſſa. Sed fortè cùm mortuus plangitur, cum funus curatur, cum ſepelitur, viget iſte ſermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio ſepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ &c.* Et l. 50. hom. 28. *Quotidie moriūtur homines, & qui vivunt deducunt illos, exequias celebrant, & vitam ſibi promittunt. Nemo dicit: Corrigam me, ne cras hoc ſim, quod iſte, quem deduxi.* Quodq; magis ſtupendum, ut advertit S. Chryſ. hom. 48. in op. Imperf. *Quotidie manibus ſuis efferunt mortuos, & mortales ſe eſſe non putant.* Etenim quando audiunt aliquem mortuum, vel pulſum pro eo dari interrogant: Quis ille? Reſpondetur, talis. Non eſt mirum, inquiunt, fuit enim ſenex, jam maturus falci mortis; qualis ego nec dū ſum. Audiunt mortuum juvenē; neq; hoc ad ipſos; ajunt fuiſſe temerarium, expoſuiſſe ſe periculis & aëris tempeſtatibus. Dicitur defunctus eſſe vir fortis & robuſtus. Nil mirum, inquiunt, intemperanter vixit, in vino merſus eſt. Ajunt mortuum pauperē; neq; hoc mirantur, non habuit unde viveret, dicūt. Fertur mortuus dives ſub manu Medicorum. Quid mirum? ajunt, occiderunt eum Medici, vel non eſt ſecutus eorum præcepta. Nihil horum me tangit. Sic deluduntur miſeri; & immortales ſe arbitrantur.

IV. *Comitatu exercetur opus pium & proteſtatio fidei Catholicæ.*

IV. Quia per hoc exercemus opus pium ac meritorium, nec non proteſtationem fidei Catholicæ. Prius illud jam oſtendimus alias & ſatis confirmat David: qui propter opus hoc miſericordiæ impenſum Regi Sauli, benedictos appellavit 2. Reg. 2. & confirmat S. Auguſt. de Verb. Apoſt. 1. Theſſ. 4. *Sit pro viribus,* inquit, *cura ſepeliendi & ſepulchra conſtruendi, quia & hæc in ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt.* Poſterius ex eo patet; quia ſi de infidelibus loquamur, neſcierunt illi animæ immortalitatem; ideò mortuos ſuos vel in cineres redegerunt, vel ad corvos abjecerunt, vel ſi quo honore affecerunt, ſupremum eum reputarunt, nihil de illorum ſtatu in altero ſæculo ſoliciti, adeoq; depoſitos etiā memoriâ ſepelierunt. Si verè Acatholicos ſpectemus, efferunt quidē illi ſuorū cadavera cum apparatu, ſed merè politico, ſine cruce, ſine luce, ſine precibus ad Deum pro ipſis fuſis, deniq; in profanū agrum, nulla benedictione ſacratū; ubi id unum procurant, ut depoſitus à blaterone dilaudetur, qualiſcunq; is tandē fuerit; ſed à multitudine procreatorū liberorū, à pluribus ſucceſſu temporū ductis uxoribus, à generis nobilitate, divitiis, prudentia hujus ſæculi, à zelo & fervore retinendæ & propagandæ fidei ſuæ. Deniq; promittitur omnibus paſſim certa & ſecura cæli hæreditas. Sic diſceditur à ſepulto ſine omni pia cogitatione aut precatione, quo modo deferuntur patibularii, poſtquā ſuſpenſi aut combuſti ſunt. Nullæ poſtremò pro iis fiunt exequiæ aut memoriæ in templo, nullæ ad ſepulchrum preces, nullæ in pauperes erogatæ eleëmoſynæ. Non omittendum hic, quod ſcribit noſter Jac. Gaultherus in Tabula ſua Chronographica ſæculo 17. in hæc verba: *Menſe circiter Iul. anni 1613 Villanovæ in Provincia Vivarienſi moritur Notarius quidam publicus, Caluinianus, qui ſacerdotes pro defunctis, dū ad ſepulchrū deferrentur, pſallentes irridere ac rudentibus aſinis æquiparare conſueuerat. Hic cum effertur, ecce apparet magnus aſinus coloris fuſci, qui nulla ratione abigi poteſt, quantumcunq; id jubeat Miniſter, quiq; unde venerit, aut cujus fuerit, nemo ſcit; Is quidē circa mortui cadauer horrendā in modū rudens, ac ſepulchrū ejus aliquoties circumiēs: qui demum eos, qui funus erant comitati, ad defuncti domū redeuntes ſecutus evaneſcit. Res ita explicata illic exploratáq; omnibus eſt, ut nemo ſive Catholicorum ſive Calviniſtarū inficiari audeat.* Hæc ille. Utiq; aſinus hic

Calviniſt. ſolitus Sacerdotes in funere cātantes appellare aſinos, mortuus comitatu & honore rudentis aſini ſepelitur.

hic Cacodæmon , qui deriſorem Catholicarum cæremoniarum ſuo rugitu honeſtare, & ad inferos deducere voluit.

V. citan- viuen- ad pie- em ex aratu erario.

V. Quia per hoc ſtimulantur excitanturq; viventes ad ſectandam virtutẽ ac pietatem, ob quam potiſſimũ defunctis põpa funebris inſtituitur. Tametſi enim virtuoſæ animæ, quæ ad Deũ emigrarũt, pompã hujuſmodi minimè deſiderãt, nihilominus tamen Eccleſia juſtam eſſe cenſet, ut tales cũ honorẽ debito ad aliorum incitamentum deducantur ad ſepulturam. Ita D. Hier. ep. ad Paulam de morte Bleſillæ ſcribit: *Poſtquam autem ſarcina carnis abjecta ad ſuum anima revolauit auctorem, & in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit, ex more parãtur exequiæ, & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi tunc clamare de cælo: Non agnoſco veſtes, amictus iſte non eſt meus, hic ornatus alienus eſt.* Similiter ſcribit de S. Paula, qua ratione Epiſcoporũ humeris, aliis Pontificibus cereos præferentibus maximo populi & Monachorum accurſu elata ſit; in ejus vita. Et quis, rogo, non incitaretur ad vitã piè inſtituendã, ſi videret B. Alexiũ ab Imperatoribus & Pontifice ſummo efferri ad tumulum? S. Romualdum Abbatem ad S. Emeranũ Ratisbonæ ab Henrico Rege, poſtea Imperatore S.? S. Gerardũ Mart. à S. Ladislai Ung. Regis humeris transferri? S. Theodoricum Abbatẽ manibus Theodorici Francor. Reg. ſepeliri. Quodq; magis mirum, ſi cui viro ſancto debitus ſepulturæ honor defuit, Deus nonnunquam ipſemet miraculo ſupplevit. Ita anno Dom. 1062. cum fames intolerabilis Flandros premeret, grandiſq; multitudo hominum panis quærendi gratia confluceret Aldẽburgum, repertus ibi quidam primâ luce eſt, qui ſub dio de nocte fame (ut creditum eſt) perierat: qui dum ſepeliretur, prohibuit ſacerdos Godobertus, ne pulſarẽtur campanæ, eò quòd homo eſſet ignotus: ſed ecce tibi ſtupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per ſe æra illa cãpana (mirum dictu) perſonuerunt. Refert Jac. Meyer. l. 3. Annal. Flandr. anno D. 1062. Idem accidiſſe cum S. Bonifacius Archiep. Moguntinus & Martyr Fuldam transferretur, & Sancto Alberto de monte Drepano, referunt hiſtoriæ.

Hujuſmodi igitur ſupremum honorem quadantenus deferimus hodie defuncto noſtro, pro viribus ſaltem noſtris, quando ſatis perſuáſum habemus eum, cùm nobiſcum ageret, vitam homine verè Chriſtiano dignam tranſegiſſe, hæc & hæc præclara facta perpetraſſe &c.

EXHORTATIO XV.

Qua ratione lugendi non ſint Defuncti.

NOn immeritò quis dubitet, quo animo ferenda ſit mors charorum, æquone an iniquo, hilari an triſti. Utraq; enim ſententia ſuos patronos habet & motiva, ita ut non ſit obvium cuivis diſcernere, quid ſentiendum ſit. Atq; ut à Gentilibus incipiamus, Solon mortem ſuam lugeri juſſit: contra Ennius vetuit, vir uterq; ſapiens. Romani cum luctu novẽdiali & Præficarum planctu ſuos efferebant: contra alii, ut Maſſilienſes olim ſine lamentatione ſuos ſepeliebant. Troglodytæ mortuorum cervices pedibus alligabant, ſicq; cum riſu & jocis eos efferebant; apud Ravif. text. in Officina, de vario inhumandi ritu. Deinde noſtri legislatores non videntur hac in re omnino convenire. Eccleſiaſtic. enim c. 38. ait: *Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare.* Vetat contra Apoſtolus 1. Theſſ. 4. dicens: *Non contriſtemini de dormientibus.* Quid multis? Ipſe Dominus noſter ſuper mortuum ploravit Lazarum: idem tamen. Luc 7. prohibuit viduæ deplorare filium: *Noli flere.* Quid igitur hic ſentiendum.

Varii ritus de defunctis, de quorum morte aliquæ nationes gaudebant, aliquæ triſtabantur.

I. Non lugendi ſunt more hypocrytarum ſeu Phariſæorum, qui lachrymas fingunt, cum in corde gaudeant de morte conjugis aut alterius. De his S. Chryſ. hom. 69. ad pop. ait. *A ludibriis minimè differunt, quæ geruntur à nonnullis. Quod enim non ex dolore ſint illi forenſes planctus, ſed ex oſtentatione potiùs & inani gloria, inde clarum eſt, quòd multæ per artem hoc faciunt.* Cujus exemplum recitat M. Aurelius Imp. in epiſt. ad Laviniam, de nobili fæmina Fulviâ, M. Marcelli uxore, quæ cùm maritus ad rogum efferretur, cæpit faciem laniare, crines ſibi evellere, veſtem lacerare, in terram ruere; ita ut duo Senatores accederent, ejuſq; manum tenerent, ne adeò ſibi noceret. Interim tamen antequam mariti corpus ureretur, alteri Senatori, qui eam ducebat, manu ſtipulatâ promiſit matrimonium. Non ita, ſed plorandum candidè, ut teſtemur amorem noſtrum, eumq; ſincerum ergà defunctum; quo modo ploravit Chriſtus ſuper Lazarum, ita ut dicerent Judæi: *Ecce quomodo amabat eum!* Joan. 11. Et hoc inprimis, ne videamur, mortuum propinquum nõ amaſſe; quod vitio dandum eſſet. Unde Craſſus Romanus exprobravit Domitio, quòd ſine luctu tres uxores ſepeliſſet, apud Ælian. l. 8. hiſt. c. 14. Deinde ne videamur ficti ejus amici fuiſſe & aſſentatores; qui præſeferunt amorem erga viventes: mortuos tamen minimè plangunt: quia nihil jam emolumenti ab eo expectant. Deniq, ne videamur lætari de eorum obitu; ſi forte in vivis cum ipſo non benè convenimus. Hac de cauſa David publico luctu teſtatus eſt ſyncerum amorem ſuum erga Saulem Dominum, ſibi licet infenſum. *Scidit* enim *veſtem ſuam*, audita ejus morte, *fleuit & planxit eum, jejunauitq; ad veſperam.* 2. Reg. 1.

I. Mortui nõ ſunt lugendi more hypocrytarũ fingentium foris dolorem, cordetenus interim lætantium.

II. Non more puerorum, qui mero ſenſuali ex amore mortẽ parentum aut propinquorum, deflent; interim defunctis opem non ferunt. Naturalis quidẽ eſt hic fletus & culpâ caret, inanis tamẽ eſt; quia & in Ethnicis reperitur, imò ſi S. Baſilio (vel Ephre-

II. Nec more puerorum, qui defunctos plorãt,

mo in

non tamen succurrunt

mo in orat.de mort.)credimus,etiã in bobus.Scribit enim Basil.hom.5.in Mart. Julittam: *Vidi ipse aliquando bouem ad præsepe lachrymantem,cùm contubernalem suum morte ereptum cerneret.* Hujusmodi fletus erat illius matris, quæ ut supra retulimus ex Cantiprat.l.2.Apum c.53. lachrymis tantum continuis prosecuta fuit defunctum filium per visum sibi objectum & vas aquæ in dorso portantem, retardavit ab ingressu cæli.Itaq; lugeamus velut viri & ratione præditi,qui non tam doleamus quod propinqui nostri ceciderint, quàm qua ratione eos erigere,& si in pœnas incidissent,eripere queamus. Ita monet S.Chrys.hom 61.in Joan. *Honor mortuo,* inquit, *non fletus est,non ejulatus,sed hymni & psalmi, & vita optima. Vis honorare mortuum? fac eleemosynas. Quæ tibi in multis fletibus utilitas?* Et hom.41. in 1.ad Cor. *Mortuus est peccator? nitere quantum fieri potest,ut juvetur non lachrymis,sed prece,supplicationibus,eleemosynis,oblationibus.* Et ser.3.in Ep.ad Philip. *Iuvemus istos,adhortemur & alios,ut pro illis orent. Audi quid dicat Deus:* (4.Reg.19. *Protegam civitatem istam propter me & propter David servũ meum. Si memoria duntaxat justi tantũ valuit,quando & opera pro tali fiunt,quid non poterunt?*

III. *Nec more mulierum, quæ sine moderamine gemunt.*

III. Non more mulierum, immoderatè scil. quia illæ ferè modum excedunt & decorum minus observant nec se consolari nôrunt;de quibus S. Amb. orat.2.de morte Satyri fratris ita scribit: *Illud frequens in mulieribus,ut clamores publicos ferant,quasi metuant ne earũ ignoretur ærumna: ut illuviẽ vestis affectent,quasi in ea sit sensus dolendi, ut implexum sordibus immaditent caput,ut postremò* (quod plerisq; in locis vulgò fieri solet) *discisso amictu,dilacerata veste,secreta pudoris nuda prostituant: quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui præmia perdiderunt.* Non ergò sic,uti mulieres,lugeamus defunctos,sed ut viri generosè. Ita monet S.Chrys. hom.69.ad Pop. *Migrantes lugeamus,* inquit, *non prohibeo. Lugeamus, sed non indecenter, non comas vellentes,non detegentes brachia, oculos non dissipantes,non pullis utentes vestibus, sed tantum in animo silentes amaras fundentes lachrymas. Licet enim & absq; hoc exteriori cultu, amarè lugere,nec illudere duntaxat.* Quando igitur mollis, & tenera natura resolvitur in lachrymas ob mortem dilecti, adsit masculus animus,qui eandem corrigat; uti docuit in primis Christus Dominus, quando ob mortem Lazari,flentibus ejus sororibus, & ipse *infremuit spiritu in semetipso*; hoc est ut exponit S.Chrysost. *cùm ad lachrymas commotus esset, motum frænavit, ne flendo loqueretur præter decorum.* Imitetur lugens

Exempla ritè lugentium.

Davidem, qui intellecta filii morte resumpsit animum & compescuit mærorem,dicens: *Nunquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eũ, ille verò non revertetur ad me.* 2.Reg.12. Cogitet mortem à Deo esse,uti & pignora tibi credita,Deũ repetiisse quod suum erat. Hinc Damasis ad quendam filio privatum dixit: *Si nondum tristatus es, cùm nondum filius esset,ne nunc quidem dolere debes, cùm non amplius est.* apud Stob.ser.121. Optimè verò S.Job,de quo S.Basil.hom.4.de grat.act. *Nonne Iob adamantino corde erat, non impacta ipsi erant ex lapide viscera? Momento temporis una & eadem plaga obtriti liberi decem conciderunt in perquàm amœna domo. Non ejulavit,non sibi divulsit comam, vocẽ ingenerosam nullam emisit, magis verò celebrem illã & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit: Dominus dedit, Dominus abstulit.* Taceo Abrahamum, qui siccis oculis filium ad mortem duxit & jam jam immolare voluit. *Sed dicet quis,* inquit Chrys.in 1.ad Coloss.4. *At illi admirabiles viri erant. Certè admirabiles & magni erant. A nobis tamen major requiritur religio,quam ab illis,qui antiquam vivendi formam sequebantur.*

IV. Non more Gentilium,qui spem resurrectionis non habebant;uti monet S.Apost. 1.ad Thess.4. *Nolumus nos ignorare fratres de dormientibus,ut non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent.* Ubi notat S.August.ser.32.de Verb.Apost.non prohiberi ab Apostolo omnem tristitiam,in morte defunctorum (hæc enim naturalis est) sed eam,quam habuêre Gentiles,qui, ut ait, *spem non habent.* Ergò *contristemur nos,* inquit, *in nostrorum mortibus necessitate amittendi,sed cum spe recipiendi: inde tristamur,hinc consolamur: inde infirmitas afficit,hinc fides reficit;inde dolet humana conditio,hinc sonat divina promissio.* Pulchrè S.Chrysost.in illa Apostoli verba 1.Thess.4. *Nolo vos* &c.scribit: *Discamus ab infidelibus,quod judicia de rebus alia, quam illi habeamus. Aspicit cælum infidelis,& adorat: Deum enim esse putat. Videt terram & colit, & in res mortales inhiat. Nos contrà cælum videmus & cæli opificem admiramur: non enim Deum esse,sed Dei opus credimus. Ita & in morte facimus. Videt cadaver ille, & putat cadaver esse. Video cadaver ego & puto somnum esse & partem tantum mortis. Cogita animam ad quem abiit & cape consolationem. Vbi Petrus, ubi Paulus, ubi Sanctorum cætus omnis est. Cogita corpus,quomodo resurget quanta cum gloria & splendore.* Sic ille. Adhæc Gentiles opinabantur hominem in morte totum planè occumbere,cum anima & corpore. At verò Christiani nôrunt salvo spiritu carnem præcisè mori. Jam si quis audiret filium aut amicum suum in prælio fortiter dimicantem confossum subter equo prostratum fuisse in terram,attamen incolumem evasisse; parum sanè aut nihil doleret. Jam verò quando propinquus obiit,si homo bonæ vitæ fuit,equus duntaxat ejus cecidit,corpus videlicet,eques h.e.anima incolumis evasit. Certè Xenophon ille Socraticus, uti refert D. Hier. in ep. ad Heliodor. cùm sacrificans filiũ in bello occubuisse intellexisset,coronam deposuit:mox tamen,ubi inaudiit,fortiter dimicantem occidisse, in caput eam reposuit. Non habuit hic fidem qua crederet animam filii adhuc in salvo esse; sed hoc præcisè credidit propter animi fortitudinem victurum adhuc

IV. *Neq; more Gentilium qui spem resurrectionis non habebant.*

in ore saltem & memoriâ hominum aliquanto tempore. Et tamen hâc leviculâ cogitatione potuit reprimere mœrorem & exhilarare animum gravi vulnere læsum. Qui ergo non possit hoc Christianus, qui scit defunctum suum vivere adhuc dimidium?

V. [margin: V. ...ec more ...dæorum, ...i luctum ...ende- ...ut mini- ...m ad ...em dies.]

V. Non more Judæorum, qui luctum extendebant minimum ad septem dies, juxta id Eccl. 22. *Luctus mortui septem dies.* Quandoque ad dies 30. uti in morte Moysis Deut. 34. & Aaronis, Num. 20. Quandoque ad 70. dies, uti in morte Jacob, Gen. 50. Sed fecerint hoc illi; ignoscendum est; quia cælum adhuc clausum erat mortuis, adeoque in limbum eis descendendum erat usque ad Christi adventum, & ascensionem in cælum. At verò Christiani, qui credunt portas cæli jam à Christo reseratas esse luctum pro suis mortuis tamdiu circumferre in pectore non deberent; tametsi in externo vestitu juxta morem patriæ præseferre eum possint: In hujus rei figuram scribit S. Hieronymus in epist. ad Fabiolam de 42. mans. Aaronem, qui fuit typus Synagogæ, planctum fuisse: Jesum verò Nave, seu Josuen, qui fuit Christi & Ecclesiæ typus, non fuisse planctum. Rationem addit: *In lege descensus ad inferos: in Evangelio ad Paradisum transmigratio.* Accedit ratio ex naturâ deprompta; solent enim & bruta animantia, cùm auferuntur eis fœtus, ad tempus id sentire, lamentari, & resistere; id tamen non diu durat. Unde Seneca l. de consolat. ad Marciam c. 7. scribit: *Aspice mutorum animalium quàm sint concitata desideria, & tamen quàm brevia: Vaccarum uno die alterove mugitus auditur. Nec diutiùs equarum vagus ille amensque discursus est. Feræ cùm vestigia catulorum consectata sunt, & silvas pervagatæ, cùm sæpe ad cubilia expilata redierint, rabiem intrà exiguum tempus extinguunt. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intrà momentum tamen quietæ volatus suos repetunt: Nec ulli animali longum fœtus sui desiderium est, nisi homini, qui adest dolori suo: nec tantùm, quantùm sentit, sed quantum constituit afficitur.* Sanè vaccæ illæ, quæ duxerunt arcam in terram Israël. 1. Regum 6. reclusis domi vitulis eorum, mugiebant aliquo tempore, quamdiu scil. audierunt mugientes vitulos, uti sentit D. Chrysostom. hom. 6. in Gen. postea verò vitulorum oblitæ perrexerunt rectâ in Bethsames. Sic decet lugere Christianos; magis pergere in trahendo jugo Domini, quàm lamentari defunctus suos.

[margin: VI. ...ore ...ocodili ...i cada- ...ri... ...sidiatur, ...achry- ...ovit ...chry-]

VI. Non more Crocodili, qui cadaveribus insidiatur & si quod deprehendit, lachrymis perfundit, non sanè ex commiseratione, sed quia novit lachrymas suas valere ad findenda ossa, quo medullam hauriat. Undè Proverbium illud ortum: *Lachrymæ Crocodili*; quæ scil. propriam utilitatem spectant, uti refert Vincentius hist. nat. l. 17. c. 606. Hujusmodi sunt, qui lugent propinquorum obitum, ut hæreditate eorum potiantur; vel ne ingrati videantur, quia eâ jam potiti sunt; vel adhuc portionem aliquam legatam sibi expectant. Non sunt hæ Christianæ, nec humanæ, sed Crocodili & prædonum lachrymæ. Foris luctus, intus gaudium est, oculi flent, cor ridet. Vulter est, cadaver expectat. At verò si defuncti dum viverent; forte scandalo aut impedimento salutis tibi fuerunt, vel saltem metuebas, ne causa ruinæ & damnationis tibi fierent (quia sæpe *inimici hominis domestici ejus*, ait Dominus) posses clam lætari de ipsorum morte; tametsi foris luctum præseferre opus esset, ne scandalum aliis præberes. Idem dicēdum de illis, quos, si vixissent, pervertendos justo timore metuebamus. Gaudere enim de illorum morte possumus, quòd huic periculo subtracti sint; quo modo mater juvenis illius, Melithonis, inter 40. Martyres sub Licinio in lacum demersos; quem cùm mater adverteret spirantem adhuc versari in periculo salutis, quod impia turba ei machinabatur, ut ad idolorum cultum puer revocaretur; sublatum in humeros deportavit ad Socios Martyres jam extinctos, & in eorundem rogum injecit mortuum; ut habetur in Breviario & scribit sanctus Basilius in orat. de iisdem habitâ.

[margin: mas valere ad findenda ossa.]

VII. Denique non lugendi sunt superstitiosè; quo vitio laborabant in primis Gentiles, qui genas sibi radebant ad sanguinis effusionem, capillos evellebant, vestes lacerabant, in terram cadebant, rogum sanguine servorum aut etiam charorum cruentabant, brachia sua vulnerabant; uti scribitur in Antiq. Rom. l. 5. c. 39. in Herodoto, Luciano & aliis. Hoc enim insanum est & barbarum, hominum Atheorum & similium, qui spem salutis non habent. Eodem vitio ex parte sordebant Judæi posteriores, qui non contenti lachrymis, varios etiam & inconditos gestus edebant, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, scindendo vestes, aliaque superstitiosa adhibendo (uti tibicines, qui modularentur lugubre carmen; quos facescere jussit Christus Matth. 9.) quæ hauserunt à Gentilibus; cumque ea ad Christianos Græcos & suos Antiochenos derivata vidisset S. Chrys. acriter in ea non semel invectus est; uti hom. 70. tota ad Populum Antioch. Rursum hom. 4. in ep. ad Heb. Ubi ita scribit: *Stemus ergo fratres irridentes mortem. Sed compellor gemere amarissimè: ubi nos Christus extulit, ibi nos ipsi dejicimus. Cum video enim luctus in plateis & lamentationes super exeuntes de hac vita & ululationes; credite mihi confundor.* Et mox: *Cùm alius quidem capillos dissipat, illa verò ululat, quid hac re confusibilius? Credite mihi dicenti; si enim sicut oportebat fieret, multo tempore debebant hujusmodi ab Ecclesiæ limine prohiberi.* Jam verò quando audivimus quâ ratione deflēdi nō sint mortui, superest, ut eos, qui defunctū suum repetiit: cogitent statutum esse semel mori omnibus hominibus. Cogitent defunctum suum à plurimis humanæ vitæ miseriis esse absolutum. Cogitent migrasse ad meliorem vitam. Cogitent non totum, sed dimidia solum parte mortuum. Cogitent se quoque brevi secuturos, &c.

[margin: VII. Denique non sunt lugendi superstitiosè.]

EXHORTATIO XVI.

Immoderatus luctus vario ex capite reprimendus.

THEMA.

Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Eccli. 22.

CUm aspicio circa funus lugentes & plorantes, vix scio, quid mihi agendum sit; laudemne an vituperem! lachrymas eorum compescam an potius prorítem! Video enim & Sanctos viros hac in re non semper per sibi similes fuisse. Etenim sanctus Ambrosius mortem fratris sui Satyri, viri admodum sancti, flere noluit, sed in oratione funebri inter alia dixit: *Quid te mi frater amantissimè fleam? Non enim perdidi usum tui, sed commutaui.* Contra S. Bernardus mortem fratris sui Gerardi, viri itidem Religiosi & piissimi amaris lachrymis deplanxit in sermone ejus funebri, qui est 26. in Cant. quem his verbis clausit: *Finem verborum indicunt lachrymæ, tu illis Domine finem modumque indixeris.* S. Hieronymus in epist. ad Paulam 25. consolatur eam de morte filiæ & lachrymas ejus abstergere conatur, & dum id agit, ipsemet plangit. Ita enim ibi scribit: *Sed quid agimus? matris prohibituri lachrymas, ipsi plangimus. Non est optimus consolator, quem proprii vincunt gemitus. Testor, mea Paula, Iesum, eadem me perpeti dolorum tormenta, quæ tu pateris. Confiteor affectus meos: totus hic liber fletibus scribitur.* Quid igitur hic agendum? Nimirum standum dicto illo Poëtico: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.* Hoc utique vult Ecclesiasticus cum cap. 22. scribit: *Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit.* Et sanctus Augustinus serm. 34. de verb. Apost. *Necesse est,* inquit, *ut tristes sumus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus, quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos, tamen mors ipsa, quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum.* Similiter sanctus Bernardus serm. 26. cit. in cant. *Non culpamus fletum, nisi cùm excedit modum; ille nimirum naturæ est.* Excessum verò illum graviter reprehendit S. Hieronymus epist. 52. ad Paulam: *Detestandæ sunt lachrymæ,* inquit, *plenæ sacrilegio, incredulitate plenissimæ, quæ non habent modum, quæ usque ad vicinam mortis accedunt.* Has igitur in præsens solas dissuadere & reprimere conabimur.

Aliqui sancti defunctos planxerunt: aliqui potius de eorum transitu lætati sunt.

Excessus in lachrymis damnatur.

I. *Omnes debemus mori.*

I. Suadet Primò communis moriendi necessitas. Nemo enim ab hac exemptus est, ne ipse quidem filius, & beatissima ejus Mater. Quod in primis proponit D. Chrysost. hom. 69. ad Pop. *Cogita,* inquit, *quòd Dei filius mortuus est, & ille quidem propter te; tu verò propter teipsum:* Et postquam dixit: *Si possibile est, transeat calix iste, tristitiamque pertulit, & agoniam, mortem tamen non effugit, & ipsam multa cum amaritudine sustinuit, &c. Si fabulæ non hæc sunt, noli lugere.* Præterea universim *testamentum est hujus mundi, morte morietur;* ait Ecclesiasticus c. 4. Similiter Thecuitis illa consolatura Davidem super mortem filii Amnon: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur,* 2. Reg. 14. His accedit S. Ambrosius orat. fun. de obitu Valentiniani Imp. *Nihil habetis, quod gravissimè doleatis in fratre: Homo natus est, humanæ obnoxius fuit fragilitati: Nemo se redimit à morte, non diues, non ipsi Reges, imò ipsi grauioribus subjacent. Iob dixit: Numerati anni dati sunt potenti, timor autem ejus in auribus ejus: quando videtur habere pacem, tunc veniet ei euersio.* Et orat. de fide Resurrect. *Quid absurdius,* inquit, *quàm ut id, quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum juxta conditionem extollere, legem non recipere, commune naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdius, quàm nescire quid sis? affectare quod non sis? aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cùm acciderit, ferre non possis?* Hinc Coëpiscopus quidam S. Augustini, ab illo visitatus in ægritudine, audiensque consolatorem, qui dicebat posse eum adhuc diutiùs vivere & Ecclesiæ prodesse, respondit: *Si nunquam, benè, si autem aliquando, cur non modo?* Possidius in vita S. Augustini c. 27. Porro hoc argumento consolabantur se etiam Ethnici; unde frequens erat illorum Proverbium: *Ad mortem nascimur.* Sic Anaxagoras Philosophus nunciata sibi filii morte, nihil turbatus: *Sciebam,* ait, *me genuisse mortalem;* ut refert S. Hieron. ep. 3. ad Heliodor. Quare si Gentiles hoc argumento poterant temperare luctum: cur non possint Christiani, qui norunt causam, ob quam inciderunt in hoc naturæ debitum, ex lapsu scil. parentum nostrorum?

II. *Temperat fletum ærumnosa hujus sæculi vita cui per mortem subducuntur defuncti.*

II. Suadet ærumnosa hujus sæculi vita, cui subducti sunt per mortem propinqui nostri. Quis enim nescit, quantis miseriis & calamitatibus vita hæc subjecta sit in quocunque statu? Certè Sapientissimus Salomon Ecclesiast. 4. dicere non dubitavit: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem utroque judicavi, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Unde S. Hieronymus in epist. ad Tyrasium existimat non flevisse Christum Joan. 11. quòd Lazarus mortuus fuerit, sed quod resuscitandus esset (pro bono aliorum) ad hanc miserabilem vitam. *Planè,* inquit, *Lazarum mortuum Dominus flevit, sed non tuas lachrymas fudit. Doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem, & flebat, quem cogebatur propter saluandos alios ad vitam reuocare. Hanc vitam dans Dominus ingemiscebat, quam tu doles esse sublatam.* Consentit Hieronymo S. Ambrosius in orat. de fide Resurrexit scribens: *Quas non procellas tempestatesque*

resque patimur in hac vita? Cujus parcitur meritis? postea recenset, quanta in hac vita pertulerit sanctus Patriarcha Jacob, castissimus Joseph, mansuetissimus David; tumque subdit: *Quis tu es, qui de tuo merito ante pronunties?* Et paulò infrà: *Vide quod mors pro remedio data est, quasi finis malorum: non enim dixit,* (Deus) *quoniam audisti vocem uxoris tuæ, reverteris in terram,* &c. *Sed dicit: Manducabis panem tuum in sudore, donec revertaris in terram. Vides mortem magis metam esse nostrarum pœnarum. Ergo mors non solùm malum non est, sed etiam bonum, &c.* Denique S. Chrysostomus hom. 69. ad Pop. *Si defunctum diligeres,* inquit, *gaudere oporteret atque lætari, quod ex præsentibus esset absolutus. Quid enim amplius superest quæso? quid verò peregrinum & novum? Nonne per singulos dies eadem cernimus retorqueri? Dies & nox, nox & dies, hiems & æstas, æstas & hiems & amplius nihil: & hæc quidem semper eadem, mala verò peregrina & recentiora. Hæc igitur ipsum sustinere per singulos dies, & hic manere volebas, & ægrotare, flere, formidare, & contremiscere, & has quidem pati molestias, has verò ne patiatur timere?* Hinc notat Valer. Maximus l. 2. cap. 6. Thraces laudem sapientiæ sibi vendicasse, qui natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrabant sine ullis Doctorum præceptis. Subditque: *Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati turpiter cogit: si ea mortua aliquanto ejus felicior ac beatior reperietur finis.*

III. *Fati divini immutabilitas.*

III. Suadet fati divini immutabilitas. Quod enim Deo ordinante semel factum est, infectum fieri nequit, adeoque ratum haberi debet, quidquid Deus decrevit. Qua de re S. Chrysostomus hom. 69. ad Pop. ita scribit: *Et Græcorum quidem pueri, qui de resurrectione nihil noverant, consolationis tamen invenient verba dicentes: Fer generosè, nam facta non licet infecta reddere, aut luctibus emendare. An tu his altiora discens & utiliora, non confunderis, majorem illis præferens deturbationem? nec enim nos dicimus: fer generosè, nam factum non licet infectum reddere: sed fer generosè omninò, namque resurget, dormit infans & non est mortuus, quiescit, non autem periit, nam eum resurrectio suscipiet & vita perennis & immortalis angelicusque concessus. Non psalmistam audis dicentem: Convertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi. Rem istam Deus beneficium nuncupat, & tu luges? Quid fecisset amplius, si defuncti hostis & inimicus fuisses?* Hac cogitatione deposuit David luctum super defuncto Filio suo infante. Ubi enim intellexit mortuum esse, surrexit de terra & lavit se, posuitque fletum, ac jejunium dicens: *Nunc quia mortuus est, quare jejunem? Nunquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non revertetur ad me,* 2. Reg. 12.

IV. *Honestas & civilitas.*

IV. Suadet honestas & civilitas, quia incompositus ille luctus mollem nimis arguit animum & deridiculo exponit, ipsique lugenti sæpè graviter nocuit. Quâ de re audiamus unum alterumve sanctum Patrem. S. Ambrosius orat. 2. de morte fratris ita scribit: *Lyciorum feruntur esse præcepta, quæ viros jubeant muliebrem vestem induere, si mœrori indulgeant, eo quod mollem & effeminatum judicaverint in viro luctum, Deforme est enim eos, qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate judicii, atque intentione virtutis obvium debent morti pectus offerre, mœrere in alio gravius, quod in se, si causa exegerit, sit expetendum.* Quod si hoc Gentiles velut ignominiosum apprehenderunt, quid dicerent, si hanc ipsam deformitatem viderent in Christianis? De illis enim ita scribit S. Chrysost. hom. 69. cit. *Quo modo proximum de immortalitate alloquemur: quo modo gentili persuadebimus, cùm plus quàm illi formidemus mortem & exhorrescamus? Multi quidem apud Gentiles, licet de Resurrectione scientes nihil, sibi defunctis filiis coronati sunt & apparuere candidati, ut præsentem tantùm gloriam consequerentur: tu verò neque propter futuram agere muliebriter & plangere desistis.* Consentit huic S. Hieronymus in epist. ad Tyrasium: *Quod ad dedecus nostrum pertinet,* inquit, *Gentiles dolores sæpe contemnunt, cùm non ad promissa cælestia, sed ad pœnas tartari rapiantur, & nos plangimus euntes ad cælum? Considera, Christianus talis quid merebitur deinceps, qui nec imitari contendit exempla sanctorum, nec contemptum habere Gentilium. Illi luctus desperando despiciunt, nos & sperando despicere non conamur. Aliquem filiorum Christiani nolunt vel gratulatione sua deducere ad bona: Gentiles tradere non cunctantur ad mala.* Accedit quod hic luctus sæpè nocet lugentibus corpore & animo, teste S. Basilio hom. 4. *Ipsi novimus,* inquit, *non paucos calamitatibus deploratis utique nec curabilibus ob vallatos, vini distillarent lachrymis, sibi temperasse. Hi quidem in varios & immodicabiles effectus inciderunt, ceu sunt apoplexia & paralysis: alii verò in mortem prorsus collapsi sunt, ac si fulcimento quopiam debili niterentur, diffractis eorum viribus immodico tristitiæ pondere. Quod cernere possis in flamma, quæ inclusione fumi proprii suffocatur: nam cùm liberè egredi nequeat, flammam suo ambitu opprimit: haud secus isti contingere ajunt in ea facultate, quæ in animali vitalem actionem moderatur, nimirum eam vehomentiori doloris acrimonia ext ngui, nulla illi ad exteriora perspicatione concessa.* Et cur se ita affligat homo, ut vulneri remedium tanta molestia quærat, quod successu non longi temporis per se obducetur & sanabitur? *Et quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur?* inquit S. Hieronymus epist. cit. ad Paulam. Similiter D. Chrysost. hom. 69. cit. *Præter hæc,* inquit, *& illud cogita, quod licet nos non audias, omninò tempore tibi persuadebitur, sed nulla tibi tunc merces. Ex dierum namque multitudine consolatio conflatur. Si verò nunc Philosophari velis, duo maxima lucraberis, nam & te malis in medio positus absolves, & à Deo præclaram accipies coronam, ærumnam æquanimiter tolerans.*

Egregia dicta SS. Patrum contrà nimios gemitus.

V. Deni-

V.
Fides Resurrectionis.

V. Denique suadet & vel maximè fides resurrectionis, quæ vel sola, & quidem potentissimè omnem sopire mærorem, planeque extinguere deberet; præsertim si accedat voluntas, qui defunctum nostrum ex hujus vitæ carcere eripere, & in cælestem aulam suam transferre voluit. Qua de re S. Hieronym. in ep. ad Tyrasium ita scribit: *Resurgere credimus mortuos, & plangimus? Quid faceremus, si tantummodò sine resurrectione præciperet Deus? Quod dederat, abstulit, qui creaverat. Quis est, qui plangat, quod ad tempus acceperat? Commodaverat, ut haberes quantocunque tempore voluisset, ut cum vellet rursus auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est recipere proprium.* Hoc argumento solatus est S. Ambrosius de morte fratris in orat. 1. ejus funebri: *Lætandum est magis*, inquit, *quod talem fratrem habuerim, quàm dolendum, quod fratrem amiserim; illud enim munus, hoc debitum est. Itaque perfunctus sum quamdiu licuit commisso mihi fœnore: Qui deposuit, pignus recepit: nihil interest, utrum abjures depositum, an doleas restitutum: in utroque enim fidei ambiguum vitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, impietas non est? &c.* Accedit S. Chrysost. hom. 41. in 1. ad Cor. *Si in morte mariti aut filii*, inquit, *cogitaveris, quis ille sit, qui abstulit & fortiter id tuleris, voluntatem istam sacrificium exhibe Deo, & evadere procellam istam facilè potes.* S. Augustin. l. de vera Relig. c. 43. *Qui perfectè Deum diligit*, inquit, *non affligitur morte cujusquam: quoniam novit nec sibi perire, quod Deo non perit. Deus autem Dominus est vivorum & mortuorum.* S. Cyprianus serm. 4. de mortalitate: *Nobis ipsis minimis & externis quoties revelatum est, quàm frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est, ut contestare assiduè; & publicè prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de sæculo liberatos, cùm sciam non eos amitti, sed præmitti: recedentes præcedere, ut proficiscentes & navigantes desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint.* Quando igitur tot tantisque argumentis admonemur, ne modum excedamus in funeribus nostrorum quorumcunque amicorum, etiam charissimorum & conjunctissimorum, superest ut hortemur eos, qui funus hoc procurant, ne pusillo nimis animo mortuum suum plangant, indeque & sibi noceant, & aliis malo exemplo sint, & defunctum onerent, & Deo contradicant, & sibi ac nomini Christiano maculam aspergant, sed viros potiùs se ostendant, &c.

EXHORTATIO XVII.

Particularia solatia plangentium suos defunctos.

THEMA.

Noli flere. Luc. 7.

NUlla hujus vitæ tristitia, major esse censetur ea, quam mors adfert; si quidem hæc hominem omnibus omninò bonis spoliat, & insuper viventes mortuo propinquos quodammodò simul occidit; *unde omnium terribilium terribilissimum* à Philosopho dictum est. Interim tamen, ut videmus, nihil magis commune, minusque evitabile est. *Quis est homo, qui vivit & non videbit mortem?* Psalm. 78. Proinde nulla est calamitas, cui magis necessaria sit consolatio. Quamobrem ut scribit sanctus Hieronymus epist. 3. ad Heliod. subtilissima Philosophorum ingenia ad hoc inprimis insudarunt, ut conquisitis undique rationibus libros conscriberent, quibus solarentur partim morituros, partim mortuorum propinquorum & amicos. Quin etiam SS. Patres in hoc ipso argumento quam plurimum laborarunt, ut variis undique adductis mediis & motivis consopirent seu timorem mortis, seu luctum super mortuis; uti in primis sanctus Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Bernardus aliique. Cæterum quia lenimenta illa, quæ vel Philosophi vel Patres afferunt communia sunt, & unusquisque sibi persuadet, se peculiarem quandam longeque urgentiorem plangendi causam habere, quam habeant alii, idcircò in particulari lamenta eorum audire & delinire ac ferè ex SS. Patribus duntaxat conabimur.

SS. Patres variis mo[...] tivis cona[...] ti sunt s[...] pire seu ti[...] morem mortis, se[...] luctum pr[...] mortuis.

I. Dicet quispiam: Me miserum, qui jam carere cogor amantissimi mei præsentia & conversatione dulcissima. Huic occurrit Romanus ille sapiens, Seneca in consolat. ad Marciam, cap. 19. *Movet lugentem*, inquit, *desiderium ejus, quem dilexit? Id per se tolerabile apparet. Absentes enim abfuturosque dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum nobis & conspectus ereptus sit. Opinio est ergo, quæ nos cruciat: & tanti quoque malum est, quanti illud taxavimus. In nostra potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse, & nosmetipsi fallamus.* Confirmat hoc ipsum similitudine Divus Chrysostomus, exponens verba Apostoli 1. Thessalon. 4. *Nolo vos ignorare, &c. At consuetudinem*, inquit, *defuncti desideras, & propterea lamentaris. Sed hoc vehementer absurdum est. Si enim sponso alicui filiam in matrimonium copulaveris, deinde ille eam abducens in longinquam discesserit regionem, atque ibi in omnium rerum abundantia vivat, nequaquam hoc molestè feres, sed dolorem quem ex absentiæ ejus diuturnitate capis, prosperitatis illius communi fama mitigas. Nunc autem non homine, non servo aliquo accipiente, sed Domino requirente, quem debet, mæres ac lachrymaris.* Huic accedit sanctus Ambrosius orat. de fide Resurrect. sic scribens: *Cur tu putes patientiorem illam esse debere, quæ dilectum ad peregrina dimiserit & militiæ gratia, vel susceptæ administrationis officio, vel negotiandi usus transfretasse compererit; quàm te, qui non fortuito arbitrio derelinqueris aut studio pecuniæ, sed lege naturæ? Sed recuperandi tibi interclusa spes. Quasi cuiquam certa sit redeundi. Et plerumque dubia plus fatigant, ubi periculi*

I. Solamen pro queru[...] se sui amantissim[...] præsentia orbari.

culi metus integer; graviusque est timere, ne acciderit, quam tolerare, quod jam noueris accidisse. Aliud enim summa formidinis coacerbat, aliud finem expectat, doloris: An dominis jus est, quo decreuerint transferre mancipia, Deo non est? Sed non suppetit expectare remeantem, suppetit tamen præcedentem sequi. Et certè breuis vitæ usus nec illi multum videtur eripuisse, qui ante præcessit: nec te differre diutiùs, qui remanseris. Sic ille.

II. *...amen eo, qui morte ...uncti, ...it se ...itu- ...n auxi- & sola-*

II. Dicet fortè uxor aut mater: Auxilio destituta sum, & solatio. Huic respondet S. Chrys. hom. 6, in Ep. ad Thess. *Dicis; propterea quæro virum, propterea filium, propterea plango & lamentor, non quod Resurrectioni diffidam, sed quod auxilio destituta sim & tutorem amiserim, conjugem omnium consortem & consolatorem. Multa rerum turba ingruit, quibusuis injuriam inferre volentibus exponor: domestici, qui ante metuebant, nunc contemnunt, nunc insultant, &c. Ista me viduitatem hanc ferre nunc permittunt, nec leuiter lugere. Quomodo ergo tales solabimur? quid dicemus? Primum eas conuincere tentabo, lamentationem non esse ex his, quæ dicta sunt, sed ex animi affectione inconsiderata. Si ergo ista luges, oportebit, ut perpetuò lugeas mortuum tuum; si anno elapso obliuisceris illius, non secus, ac si nihil hujus accidisset, non luges amissam tutelam. Quamobrem luges filium? Quamobrem maritum? Hunc quidem quod nullum ex eo fructum cepi: istum verò, quod speraueram me illo diutius fruituram. At hoc ipsum quantæ est incredulitatis? Nempè quòd putas te vel maritum vel filium in rerum securitate collocaturam esse, Deum verò minimè. Quomodo non putas illum irritari? nam ob id ipsum plerumque eos aufert, ne ad eum modum illis alligata sis, ut spem tuam ab illis auferas.*

III. *...tiva ...tii pro ...re, quæ ...viro or- ...i de- ...rat.*

III. Sed virum non habeo. Respondet idem Chrysost. hom. 69. ad Pop. *Habes consolatorem, patrem orphanorum & judicem viduarum. Noli ergo lugere unde coronaris, unde recipies mercedem: Depositum enim reddideris, si quod tibi creditum est, exhibueris. Sed hoc doles, quod sola sis careasque rectore;* obiicit idem Chrysost. hom. 41. in 1. ad Cor. & respondet: *Hoc non est, cur dicas: amittere Rectorem Deum non potes. Quantisper hunc habes, conjuge, patre, filio affinc quouis præstabit, ut qui superstitibus etiam his faciebat omnia. At ego, dicet aliqua, sola separatione dormientis æstuans, desolata solatio pii pignoris jactor. Excusatio hæc est sine dubio fragilitatis humanæ, quæ patrocinari non potest diffidentiæ. Si enim desolationes hominum ferre non valerent, nunquam prorsus parentes à se sua pignora dimisissent. Destitutos se à morientibus conqueruntur, & viuos filios aut propter honores, aut propter negotia peregrinis Regionibus credunt, & gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant, quod cupiunt de suis pignoribus adipisci, & ut ad palatia pergant, peregrinantur, &c.* Et mox: *Sed destitutam aicis, senectutem meam, qui debueram liberos antecedere, ne in laboribus remanerem.* Ego tibi meliùs profiteor euenisse, qui non carnalem, sed spiritualem circa te considero felicitatem. *Senectuti tuæ amputauit Deus magis solicitudinem, quæ torquebat de viua filia ne periret. Non te deseruit, sed præcessit.*

IV. Dicet alia: Hæredes bonorumque successorem non habeo. Cui respondet Chrysost. hom. 69. ad Pop. *Et quid malebas eum, tuorum an cælestium bonorum hæredem fieri? quid verò cupis eum percuntia suscipere, quæ paulo esse dimissurus, an permanentia & immobilia? Non hæredem eum habuisti, sed ipsum pro te Deus habuit. Propriorum non fuit fratrum cohæres, sed Christi constitutus est. At inquies: Cui vestimenta, cui domicilia, cui seruos & agros relinquemus? Ipsi rursum, & tutiùs quàm si vixisset; prohibet enim nihil. Nam si cum defunctis res Barbari comburunt, multò magis te cum defuncto propria mittere conueniens est, non ut fiant illis similia, sed ut hunc majori gloria circumdes. Sed ipsum cernere desideras? Eandem cum eo vitam viue, & sacram ocyus illam accipiet præsentiam.* Hucusque Chrysost.

IV. *Remedia consolandi querulos de morte filiorum, quod careant hæredibus bonorum.*

V. Oggeret alia: Nunquam te amplius videbo. Huic respondet Chrysostom. homil. 61 in Joan. *Non ita Gentiles effeminantur: multi apud eos Philosophati sunt. Et cùm audisset mater filium in prælio cecidisse, mox rogauit, quomodo se resp. haberet. Et alius Philosophus coronatus, cum audisset pro patria cecidisse, coronam deposuit; inde sciscitatus, quomodo cecidisset? Vt fortiter occubuisse cognovit, in caput statim coronam reposuit. Spartanas autem mulieres hortantur filios, ut clypeum è prælio referant, aut super eo occumbant. Ideò pudet me Gentiles hæc sapere, nos imprudentes esse. Qui de resurrectione nihil intelligunt, intelligentium opera faciunt: qui intelligunt, ignorantium.*

V. *Solatur clamans: Nunquam te amplius videbo?*

Sed dicet: Non amplius domum reuertetur. Respondet ad hoc hom. 69. ad Pop. ita: *Ne considerres illud, quod non ampliùs domum reuertetur, sed quod paulo post adipsum & ipse ad eum reuerteris. Noli hoc cogitare, quòd ille non ulteriùs huc regreditur, sed quòd nec ista, quæ cernuntur, permanent talia, verùm & ipsa transformantur. Etenim & cælum & terra & mare & omnia simul transmutantur: tunc cum majori gloria filium tuum recipies.*

VI. Sed filium amisi, dicet alia. Respondet idem S. Pater hom. 41. in 1. ad Cor. *Non amisisti: ne dicas: somnus ea res est, non mors transitus non interitus, peregrinatio ab humiliori loco ad altissimum suscepta. Cave irrites Deum, sed propitium tibi redde.* Et mox: *Cogita quot sint, qui æquius suam sortem ferunt, qui nunquam liberos susceperunt. Neque ego sanè voluissem, inquis. Quantò enim præstat omninò non gustasse, quàm ubi gustare cœperis, voluptate protinus carere? Ne, obsecro, voces istas usurpes, ne irrites etiam Dominum, sed pro his, quæ habes, gratias age: pro his quæ non habes, perpetuò Dominum glorificato. Cogita, quod sint parentes, quibus liberi sui vitam acerbam & injucundam reddiderint*

VI. *Solatur Mater ingemiscens se filium perdidisse.*

runt. Quid ergò? Generosos non vides, inquis? Video sanè. Verum etiam his rectius filius tuus habet. Sint enim in pretio licet; atqui incertus finis est. Quâ de re jam nihil es anxia tu, nihil tremis, ne quid accidat, nec qua iterum mutatio fiat. Idem homil. 1. in 2. ad Corinth. *Si consideres,* inquit, *quod is, qui mortuus est, in melius contubernium demigrarit & ad meliorem requiem transilierit, nec enim amiseris filium, sed in locum tutum ac securiorem reposueris. Non perdidisti patris vocabulum, sed accessit, ut jam felicius dicare pater. Nec enim mortalis filii posthac diceris pater, sed immortalis strenui militis, assiduè tamen domi manentis.* Sed amavimus eum, dices? Respondet sanctus Ambrosius oration. de fide, Resurrect. *Nonne hæc nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt, quia ad tempus credita, in perpetuum tenere non possumus? Gemit terra sub aratris, imbribus cæditur, tempestate concutitur, stringitur frigore, sole torretur, ut fructus annuos fœta parturiat, & cùm se vario flore vestierit, proprio exuitur & spoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet, nec fructum suum queritur amissum, quem ideo generauit, ut amitteret: nec imposterum negat, quem sibi meminit auferendum. Cælum ipsum non semper stellarum micantium globis fulget, quibus quasi quibusdam insignitur coronis, &c.*

VII. *Sopitur dolor ex morte filii, qui fuit florentissimæ ætatis.*

VII. Sed juvenis fuit, inquies, & florentissimæ ætatis: Ad hoc respondet S. Ambrosius prædictus in orat. fun. Valentiniani Imper. *Istud tamen dolendum,* inquit, *quòd primæva obierit ætate; gratulandum autem quod virtutum stipendiis veteranus discessit. Dolendum quod nobis citò raptus sit, consolandum quòd ad meliora transierit. Denique David moriturum filium flevit, ne sibi eriperetur, sed flere desinit ereptum, quem sciebat esse cum Christo.* Et rursum lib. 2. Epist. ep. 8. *Doles, quod dudum florentissima* (Germana) *repente occiderit; Verùm hoc nobis commune est non solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus, terrisque ipsis.* Ac ubi recenset multas dirutas civitates, subdit: *Tot igitur semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu funera, non te admonent unius sanctæ licet & admirabilis fœminæ decessionem consolabiliorem habendam, præsertim cum illa in perpetuum prostrata ac diruta sint; hæc autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat?*

Huic accedit, quod S. Cyprianus lib. de mortalitate scribit: *Per Salomonem docet Spiritus S. qui Deo placeant, maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur.* Imò S. Chrysostom. hom 69. ad Pop. dicere non dubitavit: *Et si peccator quidem abiit, mala repressa sunt* (ne sc. plus peccet) *nec si pœnitentiam acturum Deus novisset, ante pœnitentiam rapuisset. Si verò justus vitam finivit, in tuto bona consecutus est.*

VIII. *Temperatur dolor ex morte si chari, quantumvis virtuosi.*

VIII. Sed juvenis virtuosus fuit. Respondet sanctus Hieronymus ep. 3. ad Heliod. *Non doleas quòd talem amiseris, sed gaudeas, quòd talem habueris. Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus, ut illum expectare, non amisisse videaris.* Et sanctus Chrysostomus homil. 21. in Acta. *Hic si chari, oro, si sedentibus nobis mittat Rex quendam vocans in Regna, plorandus ne erit? Angeli è cælo veniunt, illinc missi ab ipso Rege, ut conservum suum vocent, & tu ploras? Domo sua relicta pergit anima ad suum festinans maritum ac Dominum, tu autem luges? Itaque & nato puero hoc facere oportebat. Etenim hic partus illo melior.* Denique ne dicas: filius meus non adest, adeoque periit. *Neque enim est,* ait sanctus Chrysostomus homil. 1. in 2. ad Corinth. *quod eum idcirco tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregrè profectus fuisset, non propterea unà cum corpore propinquitatis quoque nomen abscessisset. Quocirca ne jacentis vultum attende* (sic enim ægritudinem exsuscitas) *verum da operam, ut mentem ab eo, qui jacet, ad cælum subducas. Non enim cadaver hoc, quod humi jacet, filius tuus est; sed ille, qui avolavit atque in immensam altitudinem ascendit. Cum itaque depressos oculos atque contractum os & corpus motu carens videris, cave hoc tibi in mentem veniat, quod os istud jam non loquitur, oculi isti non jam cernunt, pedes isti jam non ambulant, sed omnia in corruptionem abierunt. Cave, inquam, ista commemores, verùm his contraria: nempe, Os istud melius loquetur, oculi isti meliora cernent, & pedes in nubibus sublimes tollentur, ac denique corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatem induet, illustrioremque filium meum recipiam. Quod si mærorem tibi ea, quæ cernis, afferunt, interim tecum ipse hæc loquere: Vestimentum hoc est, id exuit, ut ipsum præclarius recipiat. Domus hæc est: ea eversa est, ut luculentior fiat. Quemadmodum enim nos, cùm domum eversuri sumus, eos, qui intus habitant, ne quid pulveris contrahant ac tumultu offendantur, foras amandamus ac paulisper secedere jubemus, posteaquam autem domum tutam reddidimus, tum denique ipsos liberè introire sinimus. eodem modo Deus quoque facit. Everso enim putri ipsius tabernaculo, interim eum in paternam domum atque ad se introducit, ut posteaquam illud diruerit, atque instaurarit, tum demum splendidius id ei reddat. Quocirca ne dixeris, periit, nec jam est* (eorum enim, qui fide carent, hæc verba sunt) *verùm hoc potius: Dormit ac resurget: peregrè abiit, atque cum Rege venturus est. Quis hoc sermone utitur? Is nempè, qui Christum in se loquentem habet. Si enim credimus,* inquit, *quòd Iesus Crucifixus est & resurrexit ac vivit: ita etiam Deus, eos, qui obdormierunt, per Iesum adducet cum eo. Quare si filium quæris, illic eum quære, ubi Rex est, ubi Angelorum exercitus, non in sepulchro, non in terra, ne alioqui eo usque adeo in altum erecto, ipse humi provolutus maneas. Si ad hunc modum Philosophemur omnem ejusmodi dolorem nullo negotio propellemus.*

pellemus. Deus autem misericordiarum & totius consolationis omnium nostrum corda consoletur, & eorum, qui in ejusmodi doloribus versantur, & eorum, qui alio mœroris genere tenentur, donetque ut omni mœstitia liberemur ac spirituale gaudium percipiamus, futuraque bona consequamur. Quæ utinam nobis consequi contingat per gratiam & benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu S. sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. Hucusque S. Chrysostomus.

EXHORTATIO XVIII.

Iuvandos esse potius defunctos, quàm deflendos.

Vena quædam in medio corde reperitur quæ ad brachia extenditur.

ASserunt medicæ artis periti venam quandam medio in corde reperiri, quæ ad brachia extenditur. Ex illis Joan. Valverius quodl. 6. tal. 5. Sinistrum ramum grandis arteriæ è cordè ad sinistrum brachium produci asseverat. Et quid per hoc natura docet? Utique amorem, qui in corde sedem suam habet, non præcisè in illo sistere, sed virtutem suam exerere & ad brachia hoc est ad opera usque se extendere debere. Quare Cant. 8. cælestis sponsus mandavit sponsæ suæ: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quod exponens sanctus Gregorius ait: *In corde sunt cogitationes, & in brachio sunt operationes. Super cor ergo & super brachium sponsæ dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur.* Videtur mihi hoc idem defunctus quisque Christianus in aurem loqui dilecti sui propinqui (quicunque ille sit) *Pone me super cor tuum, & super brachium tuum*: ama me in corde, & ama me in opere. Et quidem plerique omnes, dum defunctum suum, multis cum lachrymis deducunt ad sepulchrum, satis per hoc ostendunt, quod ex corde eum dilexerint. Verum scire debent, velle defunctum amicum opere etiam diligi, ita nimirum, ut si in altero sæculo incurrisset pœnas aliquas, quod valdè timendum, ad tempus aliquod luendas, extento brachio suo indè eum eripiant. Atque hoc est, quod SS. Patres multo fortiùs inculcant, & ab eis requirunt, quam fletum aut externum luctum, qui in funebri pompa consistit. Audiamus S. Augustinum ser.14. de verbis Ap. *Impleant homines, inquit, erga suos officia postremi funeris, est sui humani lenimenta mœroris. Verum illa, quæ adjuvent spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis observantiùs, constantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant.* Similiter S. Chrysostomus hom. 61. in Joan. *Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni & psalmi & vita optima. Vis mortuum honorare? fac eleemosynam. Quæ tibi ex multis fletibus utilitas?* & hom. 41. in 1. ad Cor. *Iuvetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis*, &c.

Cor denotat cogitationes, per brachium significantur operationes.

Defuncti sunt iuvandi precibus non fletibus.

Quare videant, quicunq; mortuos suos sepeliunt, ut amorem suum erga illos ad brachia etiam extendant; succurrendo eis per opera pietatis, quod suadebunt ea, quæ dicturi sumus.

I. *Quia defuncti sunt in maxima miseria, ex qua seipsas nequeunt eripere.*

Suadet I. Extrema eorum calamitas & indigentia in qua versantur, dum se ipsas jam juvare nequeunt, alienum tantum auxilium expectant. Nemo non libentius ac promptius succurrit illis pauperibus, qui victum sibi parare nullo modo possunt, quam aliis, qui adhibita industria sibi ipsis alendo sunt. Certè messores illi, quibus prandium pararat Habacuc, meritò id expectabant, qui fessi à laboribus erant. Et tamen Angelus Domini jussit id deferri non messoribus, sed Danieli in lacu leonum posito; quia nimirum Daniel magis eo indiguit, constitutus eo loco, ubi nihil prorsus parare sibi poterat: Messoribus verò facilè erat acquirere prandium aliud è vicina heri domo. Dan. 14. Defuncti in purgatorio sunt quasi in lacu inclusi, unde egredi inconcessum. Sunt quasi in captivitate Turcica, è qua nisi magno lytro redimere se nequeunt, & paucis valdè datur, ut dimissi cum catenis suis conquirant eleemosynam, qua se exsolvant. Quotus enim quisque defunctorum apparet viventibus, ut pro se preces expetat? Certarunt aliquando inter se duo fratres Ordin. S. Dominici Bertrandus & Benedictus, an pro vivis potiùs orationes ad Deum frequentandæ essent, quam pro defunctis. Ille enim pro his rarò, pro illis ferè solùm sacrificia offerebat sua, eò quod defuncti jam certi de sua salute essent, vivi autem adhuc periclitarentur. Verum Benedictus opposuit: *Cuinam mendico opitulari mallet, eine qui sanus & integer membris corporis est; an ei, qui destitutus? Nonne debili potius quàm sano? Utique,* respondet alter. *Atqui debiles sunt defuncti, qui sibi ipsis opem ferre nequeunt: quod tamen viventes valent.* Quid actum? cum Bertrandus nondum cederet, nocte quadam à defunctorum uno vexatus & fasce lignorum dirè pressus est: à quo tempore didicit sæpius pro defunctis litare. In vita S. Dominici apud Sur. Certè etiam Salvator noster cum ad piscinam probaticam Jerosolymis reperisset infirmos plurimos, unum præ omnibus, & quidem ultrò non rogatus sanavit, quia solus ille, cùm esset paralyticus, adeoque membrorum usu destitutus, insuper hominem non haberet, qui mitteret eum in piscinam, salutem sibi quærere non potuit: alii verò poterant Joan. 5. Hujusmodi verò paralytici sunt purgantes animæ, qui nisi ope viventium inferantur in cælum, expectare cogentur terminum, quo justitiæ divinæ satisfaciant ad ultimum quadrantem.

Notabile exemplum.

II. *Quia duplici tormento affli-*

II. Suadet eorundem calamitas, quæ duplici tormento miserandum in modum eos affligit, pœna scil. damni, & pœna sensus. Illa excludit ad tempus hæredes à possessione Regni deliciosi, sibi jam adjudicati paratique, Dei Patris sui amantissimi

guntur, scil. pœna damni & sensus.

tissimi conspectu, beatorum omnium suavissimo consortio, jucundissimoque cæli spectaculo, & continet in tenebris. Hæc verò affligit gravissimè, plusquam martyrum omnium tormentis, si D. Augustino tract. 4. de vera & falsa pænit D. Gregorio in 3. Psalm. pænit. & recentioribus aliis fidem damus. Equidem juxta Patres plerosque pœnam ignis sentiunt, non distincti specie ab igne tartareo; qui ait non virtute naturali, sed ut instrumentum Dei, suprà vires naturæ. Flagellum eò sæviùs ferit, quo à fortiori manu infligitur, sicuti flagellum è funiculis compositum, quo ejecit è templo Christus tot vendentes & ementes: asinæ mandibula, qua percussit prostravitque Samson mille Philisthæos. Quantùm igitur in miseros illos desæviet ignis à Dei manu accensus? Hinc orabat Job. cap. 13. *Duo tantùm ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar: Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.* Priori postulato pœnam sensus, posteriori pœnam damni videtur deprecari. Quæ enim major formido excogitari, quam à Dei conspectu excludi, & in tenebras compelli? Certè Absolon, quando ab aula patris in exilium ejectus fuit, adeò grave & ærumnosum erat arceri à conspectu patris, ut mori præoptaret, & à patre interfici. 2. Reg. 14. Quid erit animabus purgantibus, cælestis regni hæredibus prohiberi à conspectu Dei: in quo continetur omne bonum? Certè D. Thomas in 4. Sent. d. 30. quæstion. 1. artic. 2. hanc pœnam putat esse maximam; nec immeritò; quia animæ à corpore mole expeditæ longè exactius apprehendunt carere summo bono & hæreditate ejus sibi jam parata; quam nos, qui carni immersi obscurè id intelligamus, & occupati sensualibus delectationibus, languidè desideramus. *Sed dicet aliquis*, ait S. Augustinus serm. 41. de sanctis, *non pertinet ad me, quamdiu moras habeam* (in purgatorio) *si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi; quia ille ignis purgatorius durior est, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri, Et cum de die judicii scriptum sit, quod erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies una, unde scit unusquisque utrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit, transiturus? Et qui modò nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc parvo tempore cruciari.* Quod si igitur tanto auctore tam graves sunt illæ pœnæ; quomodò propinqui possunt suorum oblivisci defunctorum, quò minus eis suppetias ferant; cùm valde sit verisimile absque purgatorio paucas ad cælum evolare animas? Et quomodo non & alii suas omnes conjungunt vires, ut suos in cælo cohæredes futuros è pœnis illis eripiant?

Pœna sensus est major tormentis SS. Martyrum.

Unde oriatur magnitudo pœnæ damni?

III. *Quia sunt à culpa innocentes, Deo chari, & in ejus gratia constituti.*

III. Suadet eorum dignitas & nobilitas. Sunt enim omnes jam innocentes, ab omni peccati labe abstersi. (nisi quod solus pœnæ reatus adhuc exsolvendus eos detinet) omnes gratia Dei condecorati & in ea stabiliti, omnes filii Dei & hæredes Regni cælestis; tametsi nunc in statu calamitoso, miseria, egestate & vinculis detenti sunt. Quis autem talibus non compatiatur? non subveniat? Sanè cum Alphonsus 2. Rex Neopolitanus è navi aliquando in mare prolapsus fuisset, mox è remigibus unus in mare desiliit, & præsenti vitæ suæ periculo Regem eripuit ac salvavit; propter quod & annuum stipendium à Rege accepit, uti refert P. Chavasius l. 4. de prud. c. 4. Defuncti Reges in purgatorio plusquam terreni sunt: at verò in tempestuosum mare, in sævum incidentium delapsi sunt. Quis tam nobiles creaturas excipere non curet? non laboret? Quantum indè lucrum eripienti expectandum erit? Refert B. Petrus Damiani Cardinalis in Ep. ad Beatricem Ducissam. lib. 7. ep. 14. Guillam Marchionissam per Italiam iter facientem vidisse in transitu ædem sacram, & interrogasse, quo nomine ea appellaretur. Responsum est appellari eam vulgò, ad S. Mariam pauperem. Hoc audito indignata nimis & quasi nauseando fastidiens: *Absit*, inquit, *absit, ut eam vocemus pauperem, quæ cælestis gloriæ genuit largitorem.* Absit, inquam, ut in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super Angelos elevata divitias possidet immortales in cælo. Ac protinus intulit: *Estne mei juris hic ulla possessio?* Cui responsum: est, quod haberet ibi villam in novem mansiones divisam. *Hanc*, ait, *continuo Ecclesia ista possideat, eamque de cætero nemo pauperem appellare præsumat.* Sic ille. Jam qui in purgatorio detenti sunt, filii Dei & Reges cæli sunt, pauperes tamen interim & ærumnosi, omnique subsidio destituti sunt. Unde vulgò appellantur **die arme Christglaubige Seelen.** hoc est pauperes animæ fideles. At quis ferat filios Dei, Reges cæli, pauperes in terra vocari? Quis non indignè suscipiat? quis non è paupertie eximere & hæreditati suæ pupillos restituere conetur? Sanè quò quis calamitosior unaque inculpabilior est, eò dignior beneficio & subsidio est, eoque melius opera impensa collocatur: quemadmodum & semen in meliorem agrum sparsum majorem fructum affert. Atqui purgantes animæ & sanctæ omnes sunt, & maximè ærumnosæ præ cæteris igitur misera in hac vita adhuc degentibus auxilio nostro dignæ.

IV. *Quia sunt ejusdem corporis Ecclesiæ commembra.*

IV. Suadet propinquitas & amicitia, qua eis conjuncti eramus, cum viverent. Sunt enim partim parentes & majores, partim fratres & sorores, partim boni amici, omnes denique commembra Ecclesiæ unius & consortes fidei. Jam si patiente membro uno compatiuntur reliqua & juvare illud conantur: cur non idem fiat inter nos? Sunt enim illi omnes fide saltem, spe & charitate Ecclesiæ nostræ uniti. Certè cum Josephus in cisternam à fratribus demissus fuisset, Judas non difficilè illis persuasit, ut fraterculum extra-

extraherent (licet odio ejus adhuc æstuarent) unico illo verbo: *Frater enim &c. caro nostra est.* Gen. 37. Acquieverunt enim mox sermoni ejus, & extraxerunt eum. Animæ purgantes caro nostra & fratres nostri sunt: ne igitur deseramus eos in cisterna purgatorii; ne una cum fratribus illis eadem aliquando calamitate pressi dicere cogamur; *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus; idcirco venit super nos ista tribulatio.* Gen. 42. Non raro contingit similis propinquorum in defunctos suos perversitas, quæ eos velut alterum Joseph, jam moribundum despoliant vestibus suis, facultatibus inquam, quibus sive in pauperes distributis, sive ad sacrificia pro se facienda destinatis, poterant se redimere à pœnis purgatorii: adeoque denudatos deponunt in sepulchrum seu potius in purgatorium. Quæritur jam, an isti tam iniqui & crudeles fratres non obligentur summo jure ad eripiendum defunctos suos, quos per tantum nefas demisêre in lacum illum. Sed esto, nulla nostra culpa inciderint in purgatorium; nihil suadet æquitas & fraterna charitas, ut illos modis omnibus liberare contendamus. Cogitate Moysis sororem Mariam; quando ea lepram incurrit ob quandam invidiolam, conceptam in uxorem fratris, ideoq; jure publico separata est à castris in locum solitarium leprosis consignatum; quid egit immẽsus ille exercitus Hebræorum? Per integros septem dies *populus non est motus de loco suo, donec reuocata est Maria.* Num. 12. quasi non cessarint pro ea orare, velut pro sorore Ducis sui, suaq; omnium quasi matre, donec sanam eam reciperent. Obtinueruntq; quod petierunt, ut licet non observatis aliis ritibus, qui præcepti erant leprosis, reciperetur in castra. Non dissimile quid accidit fratribus & sororibus nostris, qui ob leviora licet quædam delicta separati sunt à castris Regni cælorum, sed sejuncti in leprosorium purgatorii, ubi miserè depascuntur à lepra sua. Stemus ergo simul, nec moveamus pedem, donec eos redimamus; nam ut ait Tertullianus in Apologetico: *Publica omnium oratione, quasi manu facta expostulamus, & vim facimus Deo. Sed hæc vis grata est Deo.* Sic enim defunctum nostrum ponemus non modo super cor nostrum, sed & super brachium nostrum, &c.

EXHORTATIO XIX.

Plures alii stimuli ad succurrendum animabus purgantibus.

THEMA.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Prov. 14.

NOn dubito, quin vos præsentes, si videretis reum duci ad supplicium, & insuper liberare eum possetis à præsente mortis tormento, salva tamen justitia, hoc ei beneficium præstaretis; tametsi forte is læsisset rempublicam, aut etiam vosmetipsos. Id enim suadet Sapiens Prov. 24. *Erue eos,* inquit, *qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Videtur loqui de illis, qui innocentes ad mortem rapiuntur. Nihilominus tamen humana commiseratio eousq; se extendit, ut etiam nocentes vellemus à morte eripere, si staret penes nos. Jam si ita comparati sumus, nonne magis solicitos esse nos decet pro defunctis nostris, qui ducuntur ad sepulchrum, atq; ut valde timendum ad supplicium temporarium ignis purgatorii; qui si Latinis Patribus, Augustino & aliis credimus, aliis omnibus hujus mundi suppliciis terribilior est? Lachrymantur quidem pro illis, qui ad sepulturam eos deferunt. Sed hæ lachrymæ non extinguunt ignem illum: alia media excogitanda & adhibenda sunt. Ita monet S. Ambrosius in ep. ad Faustinum l. 2. Ep. 8. consolans eum super obitu germanæ: *Itaq;* inquit, *non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor: nec mæstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eju Domino commendandam arbitror.* Sed heu multi solis lachrymis si parentibus suis, satis se fecisse eis arbitrantur: de faciendis eleëmosynis, procurandis sacrificiis, fundendis orationibus, quibus juventur in altera vita constituti sub flagello DEI, nihil planè curant. Grandis est hic error & inhumanus planè, qui ne invalescat in cordibus vestris adhibebimus vobis stimulos ad illum excutiendum.

I. Stimulant nos bruta animantia quæ consortibus suis indigis solicitè succurrunt.

I. Stimulant nos bruta animantia, quæ consortibus suis in calamitate constitutis, suppetias quantas possunt, ferunt. De canibus inprimis exemplum exhibet Lud. Granatensis. Introduct. in symbolum, dum scribit canem in quodam sui Ordinis monasterio, alteri cani infirmo commilitoni præ foribus jacenti panem è monasterio raptum subinde detulisse, & ad os deposuisse. Quis hoc non miretur in animali alioquin invido r[illegible]oq; liberali? De piscibus aliud producit Olag. lib. 21. cap. 1. Sunt enim in Norvegiæ Oceano pisces dicti Monachi, ob cuculli similitudinem, è quibus si capiatur unus, cæteri in mari tantum circa navigium excitant strepitum ac tumultum, quasi navim eversuri, ut non prius desinant, quam captivus dimittatur. Scauri quoque è piscium genere; si qui ex ipsis nassam ingressi, captivi facti sunt, eam circumnatant, & captis vel caudam porrigunt, ut captivus ea mordicùs apprehensa eluctari queat; vel illorum caudas apprehendunt & apprehensos extrahant; teste Æliano lib. 1. animal. cap. 5. Idem charitatis obsequium deprehenderunt in Elephantibus. Cùm enim eorum aliquis incidit in foveam, cæteri aggeres devolvunt, ramos arborum injiciunt, donec foveam impleant, sicq; delapsus egressum sibi paret; teste Plinio lib. 8. cap. 8. An non hic cum S. Job exclamare possumus cap. 12. *Interroga jumenta &*

Varia exẽpla mutui subsidii in brutis.

docebunt te? Hebraicè habetur: *Interroga Behemot. h.e. elephantes.* Docent ergo nos hæc bruta animantia succurrere fratribus nostris delapsis in purgatorii foveam, ibidemq; detentis: ac nisi id faciamus, confundunt nos. Qua de re S. Augustinus serm. 44. ad fratr. in Eremo: *Clamat porcus,* inquit, *& cum eo clamare non cessant alii: Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce inhumanitas vestra, fratres.*

II. Stimulat Ecclesia per suos ritus.

II. Stimulat Ecclesia, quæ pro fidelibus defunctis commemorationem instituit annuam, in qua officium pro illis lugubri voce caneretur in templis, & Missæ celebrarentur: insuper ut ad vesperam quotidie signo campanæ monerentur fideles ad precandum pro ipsis. Solet præterea in Exequiis facere oblationes ad altare Domini, elargiri quoq; in pauperes eleëmosynas; Omnia hæc voces quædam lamentabiles & lugubris habitus sunt, quibus Ecclesia Deum exorat, pro defunctis illis: quo modo etiam Thecuitis illa funestum assumpsit habitum, eoq; induta Davidem Regem adiit, & pro revocando ab exilio Absalone peroravit, remque prosperè effecit, 2. Reg. 14. Sunt quasi vox illius psittaci de quo Zonaras in Basilio Imp. & Glycas p. 4. Annal. scribunt in hunc modum: *Leonem filium Basilius Imp. in carcerem contruserat, quod vitæ ejus insidias struxisse diceretur, statueratq; ei oculos effodere. Interim psittacus famulum quendam Leonis fortem, deplorantem: & ô Leo, ô Leo, ingeminantem fortè audierat, eamq; vocem sponte sua imitans identidem: ô Leo, ô Leo, clamabat, dum Imperator & invitati Senatores convivium agitarent. Moniti igitur ea avis voce deprecaturi de mensa surrexerunt, oppletiq; dixerunt: Ecquid avis ista nos negligentiæ non accusat, qui Domini nostri captivi mentionem tamdiu omisimus, cùm ipse herum suum toties & dolens clamet? Depone iram Imperator, & in gratiam filium recipito. Sic ira Imperatoris mitigata, Leo in pristinum statum restitutus est.* Similem in modum quid sibi volunt toties resonantes & quasi plangentes pro defunctis campanæ? quid illa in singulis Missis commemoratio: *Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis?* quid illa omnium canonicarum horarum clausula: *Fidelium defunctorum animæ per misericordiam Dei requiescant in pace?* Nonne sunt voces, quibus monemur, ut pro captivis Dei filiis, in purgatorio constrictis, Deum exoremus? nonne redarguunt segnitiem nostram, quòd eorum obliviscamur? nonne contestantur illorum calamitatem? Nonne sunt quasi lachrymæ, quibus ad compatiendum nos excitare volunt? Deniq; imitatur Ecclesia Pantheram illam, quam refert Demetrius Physicus apud Plin. l. 8. c. 17. cùm catulos suos in foveam lapsos eripere nequivisset, jacuisse in via publica, & viatorem illic transeuntē veste prehensa leniter ad foveam abduxisse, quasi precabundam, ut sibi catulos restitueret: eoq; obtento comitatam esse per sylvam intuta. Ita enim Ecclesia passim ingerit nobis memoriam defunctorum, qui velut ejus filii in foveam purgantis flammæ lapsi suis emergere viribus nequeunt: proponit eorum sepulchra ante portas civitatum, & pagorum, ante fores templorum, imò & in ipsismet, eorumq; epitaphia: objicit oculis transeuntium eorum ossa in congerie, ut eos suavi hac licet horrida nonnihil apprehensione abducat ad defunctos è scrobe purgatorii extrahendos. Quis tam inhumanus sit, ut hoc officii detrectet, & non crebras pro illis preces fundat? Certè refert illis gratiam Ecclesia unà cum extractis ejus filiis, cùm ipsi aliquando simili beneficio indiguerint.

III. Urget proprius fructus, qui percipitur ex pietate impensa defunctis.

III. Stimulat fructus proprius, quem inde reportamus. Dum enim defunctos è tam misero lacu eripere & cælo inserere laboramus, haud dubiè apud Deum comparamus nobis meritum, & ereptorum gratiam, quam aliquando nobis rependent. De priori non dubitandum; si enim qui in prælio commilitonem unum salvavit, vel quemcunq; civem, corona civica apud Romanos donatus fuit, teste Plin. *l. 22. c. 2.* cur non & is, qui cæli civem, & præclarum Ecclesiæ militem è purgatorii vinculis & miseriis erutum in cælestem intulit civitatem, suam accipiat coronam? In prædam quasi nobis animæ illæ propositæ sunt, ut qui eas liberaverint, divitias sibi incomparabiles parent. Sunt enim margaritæ pretiosæ, quarum emendarum gratia omnia nostra venderemus, si illarum pretium satis cognosceremus. Certè cùm Dux Venetus in Festo Ascensionis Domini, projecto in mare pretioso annulo, illud sibi despondet, mox adsunt urinatores, qui in profundum mare desiliunt, & annulum illum in fundo quærunt, nescio majorene periculo, an labore. Quanto pretiosiores sunt animæ illæ Sanctæ! Dejectas igitur in mare purgatorii à divina Justitia, tanto majore studio quærere & eximere deceret, quanto pluris sunt annulo uno. Quid enim gloriosius, quam fieri illarum quasi salvatorem post Christum, ministerialem? fierive earum alterum quasi patrem? Secretarius ille Lusitaniæ Regis cùm in foveam nivibus oppletam una cum ipso delapsus esset, nec reperiretur aliquis, qui è toto comitatu eripere eum auderet, visus tandem à S. Xaverio, viæ comite; extractusq; est: ob quam gratiam postea ab eodem Secretario non aliter ac parens maximo honore cultus fuit. In vita Xaverii l. 1. c. 9 Et si Joseph dicere potuit Gen. 45. Deus fecit me quasi patrem Pharaonis, propterea quòd ipsi totiq; ejus regno providerit de annona contra futuram famem: quanto æquius hoc sentire poterunt qui animas illas ope destitutas, & commeatu spirituali, refecerint suis oblationibus & hostiis?

De posteriore testem habemus S. Augustinum ser. 44. ad frat. in Eremo, ubi ait: *Ora pro defunctis, ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant.*

gant. Expectant enim nos, ut juventur per nos. Et sanè si ciconiæ & aliæ brutæ animantes nôrunt vicem rependere suis benefactoribus, id omittent, animæ sanctæ nobis addictissimæ? De Elephantibus scribit Ælianus l. de animal. cùm profunda eis transeunda fossa est, unum eorum priorem in fossam descendere, & pontem quasi cæteris suo corpore exhibere, ut per ipsum transeant. Sed qua ratione ipse è luto eluctabitur? Ii, qui transierunt, conjunctis eum viribus apprehensum extrahunt, sic vicem rependunt. Quare si & nos per suffragia nostra demiserimus nos ad defunctos in fossam purgatorii, ut per nos quodammodo, dum eorum pœnas in dorsa nostra suscipimus, transmeent ad portum salutis: utiq; & ipsi nos aliquando in eodem luto hærentes sua apud Deum intercessione eripient. Eò enim referre possumus, quod Lucæ 16. dixit Christus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Habent illi jam in cælo præparata sibi tabernacula: nec periculum est, ne instar illius pincernæ Pharaonici succedentibus rebus prosperis memoriam vestri deponant: istiusmodi enim oblivio exulat à cælo.

IV. *Stimulat Dei voluntas nobis tam lucrũ demandãs.*

IV. Stimulat Dei voluntas, instigans & adhortans nos ad hanc sanctam & fructuosissimam mercaturam. Ubinam verò? Luc. 19. ubi increpat servum pigrum, quòd pecuniam sibi commissam non dederit ad mensam, unde eam cum fænore recepisset. Secundum Matthæum ait: *Quare non dedisti nummulariis?* Nummularii isti pauperes sunt, quibus si pro defunctis contulerimus eleemosynam, duplicem usuram facimus, succurrendo & illis & istis. Jure igitur reprehendi potest, qui ad tam lucrosam mensam deponere talentum suum negligit, minimoq; pretio redimere tam pretiosas animas simulq; esurientes pascere non satagit. Certè Mauritius Imp. graves dare pœnas debuit, quod ad decem millia suorum militum, à Chagano Hunnorum Rege captorum redimere noluerit, cùm non nisi singula numismata, ac postremum singuli nummi pro singulis capitibus peterentur à Chagano; qui demum ira incensus ob indignum facinus, omnes obtruncari jussit. In pœnam hujus avaritiæ & tenacitatis Mauritius captus & Phocæ successori traditus, quinq; filios suos plecti coram se aspicere oculis suis, ac demum ipse quoq; capite minui jussus est. Baron. ann. 602. Debebat quidem hic Imperator ex officio & justitia militantes sibi redimere, lytro præsertim tam exiguo; quod nos animabus purgatorii eo rigore non debemus: Christiana tamen charitas ad hoc vehementer urget, præsertim hæredes & similes, quibus defuncti eorum parentes non exigua contulêre beneficia; vel aliunde ex officio ad hoc adstringuntur; qualis erat frater ille in Chronicis S. Francisci p. 2. l. 1. c. 22. §. 3. qui suas pro defunctis preces, quas regula præscribebat, persolvit negligenter; ideoq; post mortem suis apparuit se ob eam negligentiam gravibus urgeri pœnis, exsolvendis juxta rigorem, dum justitiæ divinæ satisfaceret: neq; interim se juvari fratrum precibus & sacrificiis, pro se factis; quod Deus eas aliis applicuisset animabus. Atque hæc causa esse videtur cur interdum Deus emissis è purgatorio aliquibus animabus objurget viventes, qui earum obliti, vota pro iis non exsolvunt, vel debita non restituunt, vel sacrificia nulla offerunt. Quemadmodum enim Absalon, cum à Joab duce non posset impetrare, ut parentem sibi conciliaret, ejusq; conspectum obtineret filius, misit servos suos, qui injecto in ejus agrum igne segetem vastarent; sicq; demum compulit Joabum ad officium charitatis præstandum, 2. Reg. 14. ita quandoq; Deus emittit purgantes animas ad expostulandum & petendum pro se preces, merito persolvendas. Magnam expectare messem possumus, si semen orationum & eleemosynarum in agrum purgatorii injecerimus; sperare enim licebit nos ab eo vel exemptos vel brevi redemptos fore; quæ tamen spes casura est, uti metuendum, si opitulari eis neglexerimus. Dicet forsan aliquis, non apparere istam segetem, & quam inde speramus messem. Respondeo, nec agricola, cum semen in agrum spargit, messem suam aut segetem videt, præcisè enim sperat; & tamen ipsi perire potest grandine, gelu, hostili vastatione: tibi verò perire nequit, quòd in agrum illum sparseris & ad mensam Dei dederis. Sed dicet quis, ait S. Aug. ser. cit. ad frat. in Eremo. *Ecce patrem omnibus ornatum virtutibus habeo, eum esse beatum non dubito, cur ergo orare pro eo volo? Consulo tamen, ut pro defunctis orare non desistatis. Quid ergo consulo, nisi quod dimittas incertum, & teneas certum? Quid est, quod est incertum, nisi quod nescis, utrum pater tuus crucietur? Multi enim fuerunt, qui reputati fuerunt, & tamen in conspectu Dei non boni, sed mali inuenti sunt. Certum autem est, quòd peccator fuit, licet bonis operibus ornatus fuerit, ignoramus tamen, utrum æternam gloriam possidere meruerit.* Atq; hæc causa est, cur pro omnibus etiam piè defunctis, deceat nos precari &c.

EXHORTATIO XX.

Quibus mediis eripiendæ è purgatorio Animæ.

THEMA.

Sancta & salubris est Cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur. 2. Mach. 12.

A Deo à natura insitum est hominibus, præstanda esse defunctis aliqua adjumenta, ut vel Gentiles, Dei veri cognitione destituti, advertisse id videantur. Eccur enim illi tantam circa mortuos adhibuêre curam, ut eorum cadavera abluerent aqua calida, oleo perungerent, coronis insignirent, toga candida exornarent, cum efferenda essent,

Diversi mores nationum circa defunctos.

essent, uti fecere Romani? teste Auctore Ant. Rom. l.5.c.39. Cur alii, ut Æthiopes, ea gypso inducebant, picturaq; exornabant referente defuncti effigiem, cippo deinde vitreo includebant? uti scribit Herodotus l.3. Cur alii cæsariem sibi detondebant & sepulchro defuncti inferebant, sicq; ei parentabant? uti scribit Dionysius Halicarnasseus in funere Virginiæ. Homerus Iliade 23. de Achylle aliiq;: Profecto videntur illis fausta imprecari, vel auxilia aliqua impertiri voluisse, quibus in altero sæculo, quod obscurè & sub dubio quasi per nebulam aspiciebant, fruerentur, ut taceam vota precesq; eorundem, quibus sepultos prosequebantur dicendo: *Sit tibi terra levis.* Item Ovidius in Didone: *Et senis Anchisæ molliter ossa cubent.* Cæterum nos Christiani Orthodoxæ fidei meliùs edocti, novimus defunctos, qui in Dei gratia vitam finierunt, aliquid tamen in altero expiandum sæculo secum extulerunt à nobis adjuvari posse quatuor potissimum mediis, quæ recenset D. Greg. in Epist. ad Bonifacium, eaq; in SS. literis fundata, scil. oblationes Sacerdotum, orationes piorum, jejunia & eleëmosynas; quæq; à quatuor prædictis Romanorum cæremoniis, merè licet civilibus non multum abludunt, uti videbimus.

I. *Sicut Romani abluebant cadavera aquâ calidâ: ita Christiani juvant defunctos mortificationibus.*

I. Romani cadavera abluebant aqua calida; Nos Christiani credimus per jejunium & corporis mortificationem, pro defunctis in nos susceptam, ablui eorum labes, quas illic expiandas habent; per jejunium enim & mortificationē purificantur corpora. Docemur hoc ex Scriptura, quæ asserit Davidem pro mortuo Saule jejunasse, cum suis usq; ad vesperam 2. Reg. 1. Rursum pro Abner. 2. Reg. 3. Viros Jabes Galaad pro Saule jejunium produxisse ad septē dies. 1. Reg. ult. Idipsum suadet ratio. Si enim Deus Pater pœnas quas pro humano genere liberando suscepit in se filius ejus, mera ex charitate; cur non placeat eidem si quis amoris stimulo, subeat, luatq; plagas alteri decretas, ut ipsi condonentur? Nonne Dionysius Tyrannus Syracusan. Damonem & Pythiam, quod alter pro altero vadem mortis se obtulisset, non solum vita donavit, sed & admiratus eorum virtutem, in amicitiam recepit, apud Val Max. l.4.c.7. Cur non placeat Deo hujusmodi amoris pugna, qua ex mutuo amore alter pro altero, viventes pro mortuis pœnas exsolvunt? Sanè Christina illa, Virgo admirabilis, cùm ei Comes Loërtis è purgatorio apparuisset, opemq; ejus implorasset, dimidiam pœnarum ejus partem annuente Deo in se suscepit, modò flammis se ustulando, modò frigoribus cruciando, loca prætereà, in quibus Comes ille vel deliquerat, vel delitiis indulserat, uberrimis lachrymis rigando. Cui proinde Comes tandem liberatus, iterum apparuit, gratiasq; egit; uti refert Thomas Cantiprat. l.2. Apum. c.53. rursum in ejus vita incredibilia alia, quæ pro defunctis animabus fecit, tulitque. Cui accedit S. Dominicus, qui ternis quotidie vicibus flagello se cædicit; semel pro de-

S. Dominicus singulis noctibus se pro defunctis cædit.

lictis propriis: iterum pro alienis: tertio pro constitutis in purgatorio. Tam sanctum autem virum frustra & sine causa sibi pœnam hanc inflixisse, nemo facilè dixerit; nisi & Davidem & viros Jabes Galaad vanitatis atque stultitiæ arguere velit.

II. *Sicut Romani ungebant oleo corpora: sic Catholici eadem liniunt oleo misericordiæ operum.*

II. Romani cadavera perungebant oleo. Hoc verò opera misericordiæ & inprimis eleëmosynam designare in scripturis sacris nemo est, qui nesciat, patetq; ex parabola Samaritani, qui in vulnera sauciati viatoris infudit vinum & oleum. Lenit enim & sanat vulnera, quemadmodum eleëmosyna sublevat recreatq; egestatem & miserias pauperum. De hac legimus Tobiæ cap. 4. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue.* Quo fine? ut defunctus ea fruatur? Stultum foret hoc opinari? Ergò ut in usum pauperum & Sacerdotum cedant, qui pro defuncto preces fundant, & recreentur eleëmosyna; qua velut Christo oblata redimatur à pœnis mortuus. Ita enim S. Augüst. ep. 64. scribit: *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atq; omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur.* Duplex hujus eleëmosynæ fructus est, quia pauperes reficit, & animas purgantes redimit. Pro his enim dimittendis accipit lytrum Christus per manus pauperum, quos quasi tabellarios suos ad hoc constituat. Hi sunt velut naviculæ, quæ deferunt dona ipsis collata ad alterum sæculum juxta id Ecclesiastis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas,* (Chald. exponit, *super pauperes*) *& post tempora multa invenies illum.* Vel etiam per transeuntes aquas intelligimus ipsos defunctos, qui ut fluentes aquæ ex hac in alteram defluxêre vitam, juxta id Thecuitis dictum: *Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* 2. Reg. 14. Mirificè hanc doctrinam Catholicam confirmat exemplum quod scribit Jo. Vaseus ad annum Christi 940. de Sanctio Rege Legionis & Asturiarum, qui uxori Gudæ, postquam illa pro ipsius anima cuidam sacerdoti pellicium honestum dedisset, post mortem apparuit albis indutus vestibus, & pellicio, quod Sacerdoti uxor dederat, gratias agens pro redemptione sua. Quem cum illa amplecti & retinere vellet, partem pellicii abstraxit, marito ad superos abeunte. Postmodum reperta est in collato sacerdoti pellicio, deesse ea particula, quam marito Guda abstraxerat. Quis non animetur hoc exemplo ad effundenda misericordiæ viscera in defunctos illos præsertim sanguine junctos? Quam enim commutationem potest homo dare pro anima una cui par esse possit pretium? S. Rembertus Episc. Bremensis, cùm aliquando prope Slesvvicum vidisset captivorum multitudinem, catenis vinctorum, & vænum expositorum, advertit inter eos sanctimonialem unam, quod illa jam curvando genua, jam inclinando caput, denique intonando Psalmos,

psalmos, quos in choro suo cantaverat, monialem se ipsi insinuasset. Itaque pro ejus liberatione complura diversa obtulit pretia. Verùm omnia respuerunt Barbari, qui captivam duxerant: equum, cui insidebat Episcopus, utique præstantem in lytrum postularunt; quem ille lubens & gaudens cum omnibus repente desiliens tradidit, virginemq; eo pacto redemit, atque ad suos remisit. Ita habetur in ejus vita. O si videremus miseras purgatorii animas inter catenas suas à longè nos invocantes, sese nobis inclinantes & prosternentes! Utiq; non equum, sed vestes etiam proprias de collo detractas pro iisdem cum gaudio daremus.

III. *cut vete- Romani davera ronabāt: meliores omani dem pre- bus coro- nt.*

III. Romani cadavera coronabant; quod etiam testatur antiquissimus author Tertullianus l. de corona militis, c. 10. *Nam & mortuorum est coronari,* inquit. Nos defunctos nostros orationibus coronamus. Certum enim repetitarum precum, quasi sertum componimus, quod & coronam appellamus, idq; defunctis imponimus, Deum precando, ut exhibito quasi libello supplici remittat pœnam miseris illis. Universalis est enim illa ejus promissio, Matth. 18. *Dico vobis, quia si duo consenserint ex vobis super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo.* Jam ergò cùm pro defunctis, tota & tam frequenter oret Ecclesia, quomodo non audietur? Thecuitis illa, cùm à Joab subornata lugubrem induisset habitum & quasi filio suo, in vitæ periculo constituto, gratiam à Rege David flagitasset, demumq; apertè pro Absalone ab exilio revocando preces devovisset, non difficulter audita fuit. 2. Reg. 14. Qua ergo ratione repulsam patietur Ecclesia toties lugubri habitu supplicans pro relegatis illis Dei dilectis filiis? Adhæc clarè testantur Sacræ literæ, has preces Deo acceptas neq; irritas esse 2. Mach. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis solvantur.* Si sancta ergo Deo placita: si salubris, ergò non inanis aut infructuosa. Unde S. Chrys. ser. 3. in Ep. ad Phil. ait: *Juvemus istos* (defunctos) *adhortemur & alios, ut pro illis orent. Audi quid Deus dicat: Protegam civitatem istam propter me, & propter David servum meum.* (4. Reg. 19.) *Si memoria duntaxat justi tantū valuit: quando & opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverūt illis multū hinc emolumenti fieri. Stante siquidem universo populo, manus in cælum extendente, cætu item Sacerdotali, verendoq; posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes:* Sic August. Exemplum scribit Collector speculi de puero, quem vidit quidam Episcopus aureo hamo & filo argenteo piscantem, & extrahentem è stagno speciosissimam mulierē, quam postea cognovit fuisse matrem illius pueri, qui pro anima matris suæ orationem Dominicam cum psalmo, *Miserere*, recitaverat. Hoc hamo extraxit è purgatorio matrem Gundesindi, Compostellani præsulis filium, interposito D. Jacobi Apostoli præsidio, cùm ei in templo ejusdem S. Apostoli responsum fuit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse*; apud Jo. Vasæum in Chronolog. Hispan. ad annum 920. Taceo alia plura.

IV. *Romani cadavera induebant togâ candida; sic Catholici togâ Christi candidissima in Sacrificio altaris eadem amiciunt.*

IV. Romani suorum cadavera togâ candida induebant ad rogum efferenda. Nos eos in sacrificio altaris togâ Christi candidissima exornamus, dum in persona filii Deo innocentissimi, pro nobis mortui, Deo repræsentamus velut membra ejus, ut quemadmodum Isaac benedixit Jacob filium, indutum odoriferâ veste primogeniti sui Esau: ita Deus benedicere dignetur mortuo fideli, velut fratri Christi juniori, amore sui primogeniti, Christi, propter ejus vestem, meritorum odorem infinitorum redolentem. Neq; hoc commentum nostrum est, sed habetur 2. Mach. 12. ubi Judas Machabæus duodecim millia drachmarum misit Jerosolymam, ad offerendum pro interfectis militibus, penes quos reperiebantur spolia aliqua contra Judæorum legem capta, sacrificium; ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderetur. Ex quo colligit S. Augustinus l. de cura pro mort. c. 1. multò magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificiis pecorum vel pecuniarum. In illo enim mittimus Deo patri filium suum, velut munus acceptissimum, quo justitiam ejus placemus. Sanè Pilatus reconciliavit sibi Herodem, quando misit ei, quem dudum videre desiderârat, Christum, ad spectandum aut illudendum: & non placabimus Deum, si miserimus ei filium unicè dilectum in missæ sacrificio, ut in eo sibi complaceat? Audiamus D. Chrys. hom. 41. in l. ad Corinth. *Non sunt hæc inquit, temerè excogitata, neq; frustrà eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis, meminimus, & pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde eis aliqua fit consolatio: neq; abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit: hæc enim fiunt ordinatione spiritus. Eis ergo opem feramus & commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, offerentibus, eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari &c.* Illustremus hoc uno vel altero celebri exemplo S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi refert, de sorore ejus, audisse eum in somno foris stantem per 30. dies nihil gustasse. Re expensâ reperit se totidem diebus pro ea non sacrificasse. Ergo rursum pergit pro ea libare, & paulò post videt eam ad limen Ecclesiæ pervenisse, non tamen intrare posse. Pergit iterum, & cernit eam in Ecclesiam intrasse, sed altare contingere non audere veste subcandida. Demum videt in veste candidissima aggre-

aggregatam cœtui candidatorũ. Tum subdit. *Vides Lector*, inquit, *quantũ valeat deprecatio justi assidua. Nonne videtur tibi Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse cælestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur?* Alterum non minoris fidei subjiciamus ex vita S. Nicolai Tolentinatis; qui cùm à quodam defuncto, olim sibi noto, rogaretur, ut Missam pro ipso diceret, ille verò causaretur, quòd postero die Dominico summum sacrum de ea cantare deberet, ait spiritus: *Veni Venerande Pater, & vide num te deceat precibus tantæ tamq; miseræ multitudinis, à qua missus sum, assensum negare, meq; miserũ tam inhumaniter repellere.* Duxit ergò illum ad alteram Eremi partem parvamq; juxta Pisas planitiem, ubi promiscui sexûs, ætatis, & ordinis innumera multitudo lachrymabili voce preces & missas præsertim ab eo efflagitabat: *Miserere Pater, miserere turbæ auxilium tuum expectantis.* Itaq; altero substituto, totâ illa hebdomada pro defunctis celebravit. Qua transactâ prædicta anima Auxiniensis gratias ei pro impertito liberationis beneficio egit, magnamq; illius multitudinis partem è pœnis ereptam dixit. apud Sur. 10. Sept. Nec spernendum, quod D. Antoninus Episc. 3. p. tit. 24. c. 8. p. 15. scribit de Joanne de Alverna Franciscano, quòd cùm is aliquando in die commemorationis Omnium Fidelium pro illis celebraret, summo pietatis affectu, & S. hostiam elevaret, obsecrans Deum, ut amore illius, qui in Cruce pependit, animas à se creatas è carcere liberaret, vidi innumeras quasi animas de purgatorio egredi ceu scintillas de fornace, & ad cælum evolantes. Deniq; B. Petrus Damiani Card. vir omni fide dignissimus in vita S. Odilonis Abb. Cluniacensis scribit visum Eremitæ cuidam in Sicilia locum, ubi animæ purgarentur, auditaq; dæmonum lamenta & ploratus, conquerentium adversus eos, qui frequenter illas eriperent, maximè qui de Cluniacensium monasterio essent. Monuit itaq; dici Cluniacensibus, ut huic operi constanter insisterent, quo & dæmonibus dolorem gignerent & gloriam beatificam animabus. Quod ubi factum S. Odilo ibidem diem anniversarium animabus Fidelium proximum post omnium SS. Festum instituit, in psalmis, eleemosynis & Missarum solemniis peragendum. Claudo cum S. Aug. ser. 32. de Verb. Apostoli dicentis: *Orationibus S. Ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis non est dubium mortuos adjuvari.* Quare cessent lachymæ & lamenta pro defuncto nostro & audiamus D. Ambrosium ep. 8. ad Faustinum de obitu sororis sic suadentem: *Non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mæstificandam lachrymis tuis, sed orationibus animam, ejus Domino commendandam.*

* * *

EXHORTATIO XXI.

Cæremoniæ, quæ Defunctis adhibentur.

THEMA.

In requie mortui requiescere fac memoriam ejus. Eccl. 28.

MAgna semper fideliũ cura fuit, ut defunctos suos cum honore & decore traderent sepulturæ. Ita S. Stephanũ *curaverunt viri timorati* (justa scil. funebria ei persolvendo) *& fecerunt planctũ magnum super eum.* Act. 8. Ac ni fallor, insinuat hoc Eccl. c. 38. cùm ait: *In requie mortui requiescere fac memoriam ejus.* Quando autem quiescit memoria defuncti? Nonne cum honore debito, consuetis Ecclesiæ cæremoniis, luctuq; conveniente ad sepulturã delatus & humatus est? Tunc enim ejus propinqui meritò acquiescunt & consolationem accipiũt, doloremq; de absente mitigant ac deponunt. Quæ causa etiam est, quod Ecclesia multivarias circa defunctos adhibet cæremonias, quæ, ut ait S. Aug. de Verb. Apost. 1. Thess. 4. *Sunt potius vivorum qualiacunq; solatia, quàm mortuorũ adjutoria; pompa scil. funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulẽta constructio.* Quare ut ex his viventes non solatia duntaxat, sed etiam documenta salutaria capiant, ea breviter exprimemus. *Exponuntur mysticè ritus soliti circa defunctos.*

Horum rituum aliqui adhibentur ante funeris elationem, alii in ipsa elatione, alii circa sepulchrum.

I. Antequam efferatur funus, solet amicorum aliquis defuncto, ubi expiravit, oculos claudere; ut testatur Dionys. Alexandr. in Ep. apud Euseb. l. 7. hist. c. 17. idemq; se fecisse matri suæ scribit S. Aug. l. 9. Conf. c. 12. Id autem fit I. ad arcendum horrorẽ, qui orietur in aspicientibus, si apertos haberet cadaver oculos. Deinde ad indicandum, quòd fidelis dormiat, suo tempore evigilaturus: non omninò extinctus sit; uti dixit Christus: *Non est mortua puella, sed dormit.* Matth. 9. *I. Defuncto clauduntur oculi.*

II. Lavatur cadaver, uti fit in Italia, & aliis quibusdam regionibus. Sic lota post mortem Tabitha Act. 9. S. Udalrici Episc. Augustani cùm ad lavandũ more consueto denudatum fuisset, suavi odoris fragrantia nares omnium replevit, ut habet Berno in ejus vita. Fit autem I. ut corpori hominis justi ad gloriam aliquando resuscitandi suus honor habeatur. II. ut viventes intelligant nonnisi ablutis à peccatorum sordibus patere cælum, juxta id Apoc. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Ante mortem igitur adhibendum esse lavacrum pœnitentiæ. *II. Lavatur cadaver.*

III. Ungitur quandoq; & conditur myrrha vel balsamo, & aromatibus, quod solenne erat Judæis, & consuetum olim Christianis quoq; teste S. Gregorio *III. Ungitur & conditur quandoq; myrrha.*

gorio in c.1.Cant. nunc ferè magnatibus ſolum fit. 1. ut corpora a fætore & putredine conſerventur, tanquam habitacula animarum Chriſti ſanguine redemptarum digna tali honore & ſuo tempore revictura. 2. ut vindicetur defunctum fuiſſe unctum ſacro oleo & chriſmate,adeoq; Regem & militem Chriſti.

IV. *ſtitur teamine o.*

IV.Veſtitur ſeu linteamine ſolum albo,ut revocemus nobis in memoriam indumentum candidū quod in baptiſmo induimus,in ſignum innocentiæ conſervandæ ad finem uſq; vitæ:ſeu veſtibus ornatis,ad honorem defuncti,&noſtram inſtructionem, ut immunitatem à peccati labe , etiam virtutibus condecorandam eſſe ſciamus.

V. *culo includitur.*

V.Tumbæ ligneæ ſeu loculo includitur.1.ad fidē reſurrectionis,in qua lignum aridum refloreſcet;indicandam,uti vult D.Amb.in c.7. Luc. de filio viduæ loquens:*Spem reſurgendi habebat, quia ferebatur in ligno;quod etſi nobis ante non proderat: tamen poſteaquā Ieſus id tetigit,proficere cæpit ad vitam; ut eſſet indicio ſalutem populo per crucis patibulum refundendā.* 2. Ad inſinuandum, omnem mundi pōpam &potentiam divitiaſq; in parvo includi loculo,& deferri ad ſepulchrum.

VI. *umbæ insternitur elamentum nigrū.*

VI. Tumbæ inſternitur velamentū nigrum pretioſum,uti factum refert D. Hier. in obitu Bleſillæ Ep.ad Paulam ; quo vita ejus laudabiliter decurſa, & præclarè facta repræſentantur. Juſtiniani Imp. tūbæ ſtragula injecta veſtis fuit,in quâ opere phrygio intextæ erant ab ipſo victarum urbium & barbarorum Regum , quos ipſe ſuis auſpiciis debellaverat,icones.Baron.tom.7.ad ann.Juſtin.39.Notat ergo hoc operimentum ſua quemq; opera ſequi ad alteram vitam,& nihil aliud. Quod & antiqui Romani expreſſerunt,cum præclaris viris inſignia honorum , quos geſſiſſent,ut faſces,ſecures,& arma militaria, coronaſq; quas meruiſſent , vexilla atque urbium dona ſpoliaq; hoſtium & decora majorū, totiuſq; familiæ ſimulachra in oblongis perticis ſeu haſtis præferebant,quanto poterant cum apparatu.Auct.Antiq.Rom.l.5.c.39. Hujuſmodi pompa erit illorum in cælo,qui hîc ſe viros exhibuêre ſtrenuos in militia Chriſtiana.

VII. *igilatur cadauer*

VII. Vigilatur ad cadaver cum pſalmis & hymnis,undeVigiliæ mortuorum inſtitutæ juxta Greg. Nyſſen.Epiſt adOlympiadem I.in ſubſidium defūctorum. Tertullian.l.de anim c.51.refert ſe noviſſe fæminam,quæ cùm in pace dormiſſet , & morante adhuc ſepultura, interim oratione presbyteri componeretur,ad primum habitum orationis , manus à lateribus dimotas in habitum ſupplicem conformavit , rurſumque finitis precibus ritui ſuo reddidit.

ria cæremonia in eris deductione.

II.Dum effertur cadaver,I.ſtatuitur ad fores domûs , vel extra domum in publico ad ſpectaculum mortis in ipſo contemplandæ. Id ſibi fieri petiit à filio S.Pelagia apud Greg Turon.l.de gloria Conf. c.104. Similiter Maximilianus I. Imp. juſſit , ut quando inter vivos eſſe deſiiſſet , omnibus etiam infimæ ſortis hominibus conſpiciendus proponeretur;*ut ita*, ajebât , *vel meo exemplo diſcant omnes, nulla diademata,opes nullas,nec ulla imperia à morte eripere poſſidentem.*Reinh.Hadamar. in Inſtit. Princip.II. Veſtes à propinquis nigræ induuntur ; tum ut luctum de amici obitu teſtentur,cujus anima ad Regionem migravit nobis ignotam:tum ut veſtitu à communi conſuetudine alieno ſignificent ſibi omnes jam mundi delitias unà cum defuncto mortuas eſſe;quo modo dixit S.Eliſabetha , audito de mariti Ludovici morte,nuncio : *Mortuus eſt ergo frater meus? Ergo jam cum ipſo totus mihi mundus mortuus eſto.*

III. Crux proceſſioni præfertur , ut indicetur 1. Mortuum ſub vexillo,dum viveret, militaſſe Deo, 2.Eundem ſub hoc vexillo , cùm apparuerit in ſecundo Chriſti adventu , revicturum & ſalutem adepturum. Teſſeram ergo ejus militarem mortuo præferimus , ac ſimul Chriſtum Ducem militiæ noſtræ admonemus,ut ſuum militem agnoſcere ac præmiare, meritorumq; ſuæ Crucis facere participem velit.

IV. Geſtantur prope corpus mortui lumina & cerei accenſi. Ita factum in tumulatione B. Virg. MARIÆ,uti ſcribit Nicephor.l. 2 c.22.Et in funere Conſtantini M. Euſeb.l.4.de vita ejus.c.66. Idem fieri præcipit S. Athanaſ. apud Damaſcenum l. de mort.ſuffrag. Fit hoc 1. ut indicetur defunctos ſecundum animam vivere,fuiſſeq; filios lucis,& virgines prudentes,qui obviarint ſponſo cum lampadibus; adeoq; lumen fidei ad mortem uſq; conſervaſſe.2.Reſpondet S. Chryſ. orat.2.in Ep.ad Hebr. *Quid ſibi volunt claræ lampades? An non eos tanquā athletas deducimus.*

V. Pſalmi & hymni accinuntur voce lugubri; quem ritum etiam legere eſt in S. Dionyſ. de Eccl. hyerarch.c.7. 1. ad temperandum luctum,juxta id Apoſtoli:*Non contriſtemini ſicut & cæteri,qui ſpem non habent.* Et in S.Chryſ. hom de SS.Bernice & Proſdoce:*Mors requies quædam,laborum finis, ſudorumq; retributio,ac certaminum præmium & corona. Propterea principio quidem ſuper mortuos planctus & lamentationes fiebant , nunc autem pſalmi & cantus hymnorum&c.* 2.Reſpondet idem Chryſ.orat.4.in c.2.ad Hebr.*Quid autem hymni? Annon Deum glorificamus & gratias agimus;quod eum , qui exceſſit, coronaverit? Quod à laboribus liberaverit? Quod ejecto metu eum apud ſe habeat?* 3. Reſpondet idem hom.70.adpop.*Quanam de cauſa,quæſo,presbyteros vocas pſallentes? Nonne ut te conſolentur? nonne ut defunctum honorent ?*

VI.Pulſantur campanæ 1. ut fideles admoneantur ad præſtanda charitatis officia & precandū pro defuncto.Cùm enim extincto aliquo ſonat campana,dicere ſolemus : *Quis eſt mortuus? Deus det illi requiem æternam.* 2.Ut hoc audito ſonitu recordemur illius tubæ , quæ nos evocabit ad judicium: quemadmodum hac campanâ evocatur mortuus ad cœmeterium & ſepulchrum.

VII. Turba hominum funus comitatur, uti factum Luc. 7. in funere filii illius viduæ: & apud S. Hier. in funere Paulæ & Fabiolæ, ut alibi diximus: apud Sulpitiũ in funere S. Martini, cui adfuêre duo millia Monachorum. 1. ut defunctus cum honore velut Dei servus conducatur ad suum lectulũ: quo modo Angeli deduxerunt Lazarum in sinum Abrahæ. 2. Ut funeris comites seipsos admoneant, velut brevi secuturos, cogitentq; se quoq; jam ad sepulchrum pergere, etsi per ambages: dicantq; cum Davide. *Ego vadam magis ad eum,* (defunctum) *ille verò non revertetur ad me.* 2. Reg. 12. de quo S. Paulin. ep. ad Pammachium inquit: *Docuit Rex Propheta, quam post nostros solicitudinem debemus induere, videlicet, ut de nostro itinere laboremus.* Hanc solicitudinem gessit pro se Abraham, quando mortua uxore emit in sepulturam ejus speluncam duplicem. Gen. 23. Sed cur pro funere uno duplicem? quia duos habebat loculos, in quorum uno posuit uxorem, in altero reservavit sibi sepulchrum; uti placet Abulensi. Ita enim dum alium sepelimus, cogitemus etiam de sepulchro nostro.

III. Post deductionem funeris. 1. Thure incensatur corpus, tum ut indicetur vivendum Christianis (& vixisse defunctum) ita, ut odorem bonæ famæ de se spargant; juxta id Apost; *Christi bonus odor sumus.* 2. Cor. 2. deinde ut moneantur adstantes ad pias & ferventes ad Deum preces pro defuncto fundendas, juxta id Ps. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Deinde aqua benedicta aspergitur, tum ad fugandos dæmones, ne sepulchrum infestent; tum ut indicetur sepultum fuisse baptizatum.

II. Sepelitur, non stans, more Judæorum, qui adhuc expectant Messiam suum: sed supinum & jacens versus Orientem. Ratio primi, quia scimus jam advenisse Messiam, in quo securè requiescimus. Ratio secundi, quia Christus tam in Cruce, quàm in Ascensione sua convertit faciem suam ad occidentẽ; itaq; statuimus sepultos ante faciem Christi, ut in eam quasi aspicientes velut in auctorem fidei, adscribant ei salutem suam.

III. Sacerdos & circumstantes aliquot terræ particulas in sepultum injiciunt. 1. ut ostendant se paratos ad sepeliendum illum, & modo aliquo juvent, velut opere misericordiæ bono. 2. Ut seipsos mortis admoneant. Illud enim: *Memento homo quia pulvis, non tam mortuo,* quàm viventibus dicitur.

IV. Tumulus super sepulchro erigitur; ut admoneantur viventes, qui & quanti sint, qui in vita se dilatant, nec ullis contineri spatiis possunt. Inculcat illis hoc Chrys. in Orat. de fide & lege: *Circa sepulchra philosophamur,* inquit, *videntes ossa nuda & statim cogitamus & inter nos disputamus dicentes: Ecce quid tandem ex nobis fit, & quo abimus?* Et infrà: *Ea propter Deus ubiq; sepulcha fieri voluit, ut illis nostræ ipsorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulchra habet, ut contendens intrare civitatẽ, quæ imperat & floret divitiis & potentatu aliisq; dignitatibus, priusquà videt, quod secum concipit, videat primum quod fit.*

V. Tumulus aut tumba passim floribus respergitur vel inscriptione aliqua aut epitaphio cohonestatur. Et hoc amoris & honoris gratia: & ut defuncti memoria ad tempus saltem supersit. Rectiùs tamen sapiunt, qui eleemosynis & aliis piis operibus eos juvant; quod in Pammachio laudat S. Hier. ep. ad ipsum: *Cæteri,* inquit, *mariti super tumulo conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq; purpureos & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaq; veneranda eleemosynæ balsamis rigat,* &c.

VI. Crux super tumulum erigitur; ut indicet sepultum militasse, sub hoc signo, & per id salvandum esse. Adhæc ut quemadmodum vivens non erubuit hoc signo frontem consignare, ita mortuus quoq; id præseferat atque ostentet. Denique ut ostendat hoc signo Tau se munitum esse contra percutientem Angelum, cùm resurget in judicio.

VII. Defuncti maximè viri sancti & præclari, in dignitate constituti laudabantur oratione funebri, ut testatur Dionys. Theodoret. & alii apud Gretser. de fun. Christi. l. 2. c. 13. Sed laudabatur ibi virtus tantùm, non forma, non divitiæ, non uxorum & liberorum multiplicitas, &c. quemadmodum faciunt Prædicantes, extollendo unumquemque in cælum pro aureo nummo; tametsi is homo nauci fuerit.

VIII. Celebrantur pro defunctis in templo Exequiæ cum sacrificio Missæ; & 1. in ipso die, quo ad sepulchrum deponuntur, ut recenti in eorum memoria fervẽtiores fiant preces. 2. die tertio propter eum, qui tertio die à mortuis resurrexit, ut ait S. Clemens l. 6. Constit. Apost. c. 48. 3. die septimo, quia dies ille, dies quietis est, ex D. Aug. l. 2. quæst. super Gen. ad fin. Unde luctus septem dierum habetur in Eccl. c. 22. Tricesimus ex veteri Hebræorũ more Gen. 50. ubi Joseph patrem Jacob planxit 30. diebus: & Deut. ult. ubi Moysen populus luxit totidem diebus. Aaronem, Num. 20. Eundem celebrari sibi petiit, S. Ephrem in suo Testamento. Anniversarius, quia in eo communiter reminiscimur defunctorum nostrorum, decet ut in precibus quoq; non simus immemores, ne inanis sit recordatio. Deinde sicut beatorum in cælis colimus anniversarium ad profectum incitamentum nostrum: ita fas est, ut animarum illarum (quia statum earum ignoramus) agamus memoriam annuam pro illarum bono, si adhuc in pœnis forte tenerentur; ut docet Amalarius Fortun. l. 5. de off. diu. c. 44. Deniq; audiamus S. Chrysostomum hom. 41. in 1. ad Cor. *Oportet ei, qui excessit, succurrere non lachrymis, sed precibus & supplicationibus & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata,*

neq;

neque fruſtra eorum, qui exceſſerunt; in divinis myſteriis meminimus, & pro ipſis accedimus rogantes agnum propoſitum, qui mundi peccatum tulit: ſed ut inde eis aliqua ſit conſolatio: neque abs re is, qui adſtat altari, dum veneranda peraguntur myſteria, clamat. Pro omnibus, qui in Chriſto dormierunt, & iis, qui pro ipſis celebrant, memorias. Nam ſi pro ipſis non fierent commemorationes ne hæc quidem dicta eſſent. Non ſunt enim res noſtræ ludi ſcenici, abſit: hæc enim fiunt ordinatione ſpiritus. Eis ergo opem feramus & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris ſacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis qui exceſſerunt, offerentibus, eis exiſtat aliqua conſolatio? Solet enim Deus etiam alius pro aliis gratificari, &c.

Quare adeſte animis Chariſſimi, dum hæc aguntur, non corpore ſolùm, quemadmodum ligo aut aliud Veſpillonis inſtrumentum hærens ad ſepulchrum. Hi enim quaſi voces quædam defuncti ſunt & geſtus, quibus partim implorat opem veſtram clamans illud: *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*; partim admonet vos imminentis periculi ut attendatis vobis, tanquam brevi futuri, quòd jam ipſe eſt, inſonans illud: *Memor eſto judicii mei, ſic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie.*

EXHORTATIO XXII.

Ad quid in mundo Mors.

THEMA.

Siccine ſeparat amara mors? 1. Reg. 15.

NIhil eſt in hoc mundo, quod ita hominem terreat, atque amara mors. Quod vel inde oſtenditur, quia etiam dilectiſſimos quoſque, ſeu parentes ſeu conjuges, ſeu filios ſuſtinere in ædibus noſtris nolumus, ſed quam primùm elatos cupimus. Unde ſtatuêre Ægyptii, ut, ſi quis filius hæres mortuorum parentum debita non mox diſſolveret, cadavera eorum in domo ejus hærerent, nec ſepulturæ mandarentur; quoadusque creditoribus ſatisfaceret, quaſi nullo atrociori tormento compelli ad ſatisfactionem poſſet, quàm fætore & putredine cadaverum, etiam parentum; teſte Diodoro apud Bellon. l. 2. de ſepult. c. 2. Rurſum ſi quis pater filium occidiſſet, tribus diebus & noctibus ſtare ante cadaver occiſi compellebatur, eumque indeſinenter intueri; quòd putarent acriori pœnâ reum non poſſe mulctari, quam aſpectu mortis, quam causâſſet, triſtiſſimaque ejus imagine, teſte eodem Diodoro l. 1. c. 6. Crudeliſſimi etiam tyranni aliqui quos atrociſſimo torquere ſupplicio volebant, cadaveri alligârunt humano, ut ejus partim horrore, partim fætore, miſerrimè interirent. Denique ipſe Deus horrorem mortis auxit, quando legem tulit, ut qui mortuum tetigiſſet, immundus eſſet, Num. 19. *Omnis, qui tetigerit animæ humanæ morticinum, immundus erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſive os illius, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.* Unde nec

Omnium terribilium terribiliſſimum eſt Mors.

poterat illo tempore adſtare ſacrificio. Et quid mirum homines terreri mortis aſpectu, cùm etjam bruta animantia terreantur ſuorum comparum cadaveribus, uti in bobus & equis cernimus; quomodo refugiant, mugiant, &c. Eccur ergo, dicet aliquis, mors tam horrida non abolita eſt & à conſpectu hominum longiſſimè averruncata? Cauſæ ſunt graviſſimæ, quarum aliquas hic indicabimus.

I. Ad horrorem & deteſtationem peccati nobis inſinuandam, uti docet S. Auguſtinus l. de peccat. meritis & remiſſ. ſi quidem per illud *intravit mors in orbem terrarum*, Rom. 5. Quia enim peccatum in ſua fœditate & horrore oculis cernere non poſſumus, ſed objectivè ſolùm, adeoque tenuiter valde apprehendimus, idcirco propoſuit nobis Deus filiam ejus primogenitam, uti appellatur Job cap. 18. (*conſumat brachia illius primogenita mors.*) ut ex filiæ iſtius horrore cognoſceremus fœditatem matris ſcil. peccati. Jam vellem cogitaretis, quis ſenſus fuerit primis noſtris parentibus, quandò coram ſe viderant occiſum à fratre Abelem, qui ad id uſque temporis mortuum nullum conſpexerant, nec facilè cogitare poterant, quid & qualis eſſet homo mortuus; quando viderunt jacentem ſine omni ſenſu & motu, totum lividum & cruentum, horridum ac fætentem, jamque ſcatentem vermibus! Quantum putatis redarguerunt ſe ob peccatum ſuum, cùm ejus prolem jam aſpicerent tam monſtroſam! Et nos quantum abhorremus à conſpectu pendulorum in patibulis; cùm jam undique corroſi & putrefacti ſunt! à cadaveribus in ſepulchro jam ſemi corruptis! Denique intueamur cadavera quotidiè nobis propoſita & in ſepulchrum elata. Quæ cauſa horum tam triſtium ſpectaculorum? Solum & unicum peccatum. Et ſi filia ejus primogenita, mors, tam deformis eſt, qualis erit ſecundò genita, mors, inquam, in gehenna? Quæ verò harum calamitatum cauſa? quæ harum filiarum Parens? Non niſi unicum peccatum, quod admiſere noſtri parentes, rapiendo pomum ſibi vetitum. Exclamare hic cum Jacob deberemus, quando cruenta filii tunica ipſi oſtenſa fuit: *Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph*, Gen. 37. Quæ cauſa fuit, cur Deus terram Sodomorum, quia priùs erat ſicut paradiſus Domini, (Geneſis 13.) ſeu hortus amæniſſimus ita vaſtârit univerſam, ut in mare mortuum fætidum, bituminoſum, teterrimum exhalans fumum converterit, & in hodiernum uſque diem omnibus circumhabitantibus oſtentet? Reſpondet ad hoc Sapiens Sap. 10. *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra*, &c. q. d. voluit Deus extare monumentum peccati Sodomorum, è quo velut è fonte profluxit hoc mare mortiferū, quod omnibus piſcibus vitam adimit, cunctaq; virentia depaſcit, omniaque fætore & horrore complet. Similem calamitatem, imò longè majorem univerſo humano generi intulit peccatum; quandò homi-

I. Mors monet nos fugere peccata.

Mors eſt filia primogenita peccati.

nem speciosissimum, jucundissimũ, lætissimum occidit & per mortem convertit in deterrimum, horridissimum, tristissimum mundi spectaculum.

II. *Mors fastuosos affectus deprimit.*

II. Ad depressionem divitum & superborum hujus mundi potentum, qui cum altius de se sentiant, & sublime sapiant, cæterosq; infra se contemnunt, hoc fræno indigebant, ut se homines esse nossent, juxta illud: *Cõsumat brachia illius primogenita mors: auellatur de tabernaculo fiducia ejus & calcet super eum, quasi Rex interitus.* Job. 18. Ex Hebræo verti potest: *Ambulet super eum Rex terrorum.* Quis autẽ hic nisi eadem illa primogenita mors? Solebant olim Victores debellatorum Regum colla pedibus calcare, ad deprimendum eorum fastum; uti præcepit Josue principibus exercitus sui, Jos. 10. producere quinq; victos Reges & subjectorum colla pedibus calcare. Hunc in modum Michaël Balbus, apud Cedrenum in historiar. compendio, de Thoma quodã læsæ majestatis reo pœnas exegit: Porrectum enim in pavimento jacere jussit, cervicéq; ejus pedibus suis calcavit, tum pedibus manibusq; mutilatum & asino impositum spectaculi loco per castra circũduci jussit, nihil aliud vociferante, quã: *Miserere mei, qui versus es Rex.* Vidit Deus ambitionem hominum, & vel in Adamo statim sensit, cùm quasi Deus esse vellet sciens bonum & malum: itaq; ut scelus hoc læsæ divinæ Majestatis opprimeret, mortem super homines immisit, quæ superbos quosq; prosternat in sepulchrum & sepultos pedibus calcet. Exemplo sit Alexander M. qui tot victoriarum gloria inflatus & assentatorum palpo delusus eò insolentiæ venit, ut pro Jovis Hammonis filio haberi se, & coli pateretur; teste Justino l. 11. Qui tamen antequam trigesimum tertium ætatis annum attingeret, *decidit in lectum, & cognovit quia moreretur,* ut dicitur 1. Mach. 1. Sed non eo usq; tulit insolentiam ejus mors: prius jam in obsidione cujusdam urbis circumeuntem telo vulneravit, & adegit, ut agnosceret sese moriturum ac diceret: *Omnes quidem jurant me Iovis filium esse, sed vulnus hoc me hominem esse clamat.* Refert Senec. ep. 60. ad Lucilium. Quo mortuo quidam Philosophorum dixit inter alia: *Heri Alexander terram oppressit, hodie à terra opprimitur.* Et quid Nabuchodonosor, quid Nero, Domitianus, Caligula, Heliogabalus Imperatores? quid non vastitatis orbi terrarum intulissent, si immortales se cognovissent? quis eorũ insolentiam & tyrannidem compescere potuisset? Mors sola facilè potuit, dum homines esse ostendit, qui pro Diis se jactitabant. His talibus precatus jã olim fuit David mortis terrorem, ut eo consternati desinant insolescere, & cum pavone inspectis cinereis suis pedibus alas demittant, ps. 9. dicens: *Constitue Domine legislatorem super eos* (Hieron. vertit ex Hebr. *pone eis terrorem*) *ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Quis iste Legislator, quis iste terror, nisi mors, qui juxta legem statutam omnibus indicit moriendum esse, & cùm evenerit hora, rapit omnes atq; ostendit, ipsos non esse Deos, non Angelos, sed homines, ab humo dictos, & formatos deniq; in humum reversuros? Quo legislatore sublato, quis coërceat orbis tyrannos?

III. *Mors est in mundo pro solatio afflictorum & oppressorum.*

III. Ad solatium hominum miserorum, pauperũ & electorum. Tanta enim est Dei bonitas, ut supplicium peccati verterit in remedium malorum, quæ incurrimus per peccatum. Idcirco enim Adamum & Evam post peccatum emisit è paradiso, educendo nim. suaviter per Angelum, ut sentit Abulensis, extra paradisum; ne si ibi morati comederent de arbore vitæ, viverent semper miseri. Unde Rupertus in eum locum scribit: *Parcamus,* inquit, *Deus, homini, & quia felicitatem perdidit æternitatẽ quoq; præripiamus infelici, ut in neutro sit quasi unus ex nobis. Nobis est æterna felicitas, felix æternitas: sit illis temporalis miseria, vel misera temporalitas & tunc illius commodius reformetur æternitas, cum fuerit reparata felicitas.* Certè miserorum solatium vel unicum est mors, ut patet in S. Job, qui in sua calamitate sic orabat: *Quis det, ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui cœpit* (*contere-re*) *me, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me.* Job. 6. Considerabat enim se velut arborem carie & vermibus erosam ac putredine plenam, insuper à vento agitatam, & nunc ruinæ proximam, adeoq; succidi ocyus petiit.

Deinde accedit in solatium pauperum, quando moriuntur opulenti: Videbis enim multos divites, qui tota vita nihil egenis tribuant, sua saltem opulentia dignum: at cum ipsorum ædes mors pulsare incipit, tum jubent fieri eleëmosynas, nullo accipientium respectu: legant in testamento pia munera Hospitalibus, templis, pupillis, orphanis, &c. Quẽadmodum enim mors primogenitorum omnium coëgit Ægyptios, ut commodarent Hebræis vasa aurea & argentea, etiam non repetituri ea, atq; ita spoliarentur ipsi, & inde ditarentur Hebræi. Exod. 11.; ita etiam per instantem mortem compellit Euclíones, ut opes suas tandem dispertiant in egenos. Hinc non malè antiqui Plutum, seu divitiarum Deũ finxerunt in adventu claudum, in recessu alatum; quia divitiæ lentè velut claudis pedibus adveniunt in vita, in morte verò avolant quasi pennis aquilinis. Deniq; in solatium justorum, qui mortem desiderant velut finem laborum, & tempus mercedis post exactos suos labores; quemadmodum dicitur Job 7. *Militia est vita hominis, & sicut dies mercenarii dies ejus.* Et c. 14. *Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus.* Miles expectat spolia & stipendium post pugnam; mercenarius post labores quietem & mercedem: sic electi quoq; suam, quæ non venit nisi in morte; uti idem Job explicat c. 3. *Qui expectant mortem & non venit; quasi effodientes thesaurum; gaudentq; vehementer cum inuenerint sepulchrum.* Solebant antiquitus condere thesauros in sarcophagis & sepulchris, velut in locis sacris & horrore plenis, adeoq; securis. Unde qui thesauros fodiendo quærebant cùm in ejusmodi sarcophagum inciderunt, gestie-

gestiebant velut reperturi ibi thesaurum. Hunc in modum justi, qui thesaurum suum in cælo quærunt, cùm ad sepulchrum appropinquant, exultant, velut reperturi in eo thesaurum sibi repositum.

IV. *Mors refrænat impiorum peccandi libidinem:*

IV. Ad effrænatam impiorum peccandi libidinem coercendam: quemadmodum patibulum erigitur, & conservatur extra civitates ad furum terrorem & correctionem. Fædum quidem illud est spectaculum, quod propterea dicuntur aliquando fures averruncari petiisse; sed responsum est eis; *quando ipsi furta sustulerint, tunc etiam tollenda fore patibula: non prius*: Itaque mors frænum est coercens peccandi nimiam licentiam. Transivit aliquando Carolus V. Cæsar Neapolim suam, & vidit per urbem passim equos in ostiis domorum civicarum pictos, absque fræno subsultantes. Quæsivit ergò quid sibi vellent, & responsum est, esse urbis insignia. *Bene est*, inquit, *faciam ergo ut hi equi frænum habeant.* Struxit itaque castellum urbi imminens minutissimum & appellavit *La Briglia* h. e. frænum, quo nimirum subjectam civitatem in obedientia continere, & frænare cives posset. Refertur in præcip. Orbis civitatum Hausnaglii. Quis non videt in mundo passim effrænatos homines, qui velut equi soluti in omnia scelera ruunt & subsultant? Ita enim queritur Deus per Jer. c. 5. de illis: *Equi amatorii & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Quid igitur faciet Deus? Mortis castellum inexpugnabile rebelli mũdo opposuit, imò & præposuit, ut in illum mors sua tela evibraret ad continendum eum in timore Dei. Ita loquitur psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum.* En causam, equi lascivientes in ædibus, peccatorum. Mortem sibi a tergo imminentem videant, horreantque, ut vel sic peccare metuant. Non sufficiebat ad hoc fames, bellum, similesque plagæ: mors accersenda fuit: quâ jam instante tunc incipiunt homines descendere in sepulchrum viventes, mortem contemplando sibiq; metuendo. Sic impletur, quod ait Job de effræno peccatore, quem nemo arguere aut punire audet: *quis arguet coram eo viam ejus? Et quæ fecit quis reddet illi?* Et respondet: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Job. 21. Eò perductus Achab per comminationem mortis resipuit saltem ad tempus 3. Reg. 21. Rex quoque Balthasar denunciatâ sibi morte imminente totus contremuit Dan. 5. aliique passim evigilant mortis horrore, qui nisi ad portas mortis ducerentur, nunquam se emendarent.

Mors est pro exercitio & merito militum Christi.

V. Ad exercitium & meritum piorum & Christi militum, qui cum morte luctando maximas reportaturi erant coronas; uti in primis reportarunt Martyres, deinde qui morti se obsidenti promptu offerunt animo, & venienti obviam eunt. Ut ergò Lacedæmonii certam hostium urbem, quæ sæpe multum ipsis negotii facessebat, delere noluerunt; quod dicerent, *Cotem juventutis non esse destruendam* (apud Majol. tom. 3. Canic. coll. 3) ita etiam Deus voluit superesse mortem suis militibus ut in ejus aggressu viros se ostenderent, adeoque sibi ipsis propriâ virtute immortalitatem compararẽt. Potuisset Deus Hebræos via terrestri & breviore perducere in terram promissionis, sed maluit potiùs per mare rubrum ducere, tum ut eorum fidem & magnanimitatem extimularet, tum ut eorum hostes in mare demergeret. Pari modo poterat Deus à mortis transitu declinare, & aliâ viâ faciliore ad cælum evocare. Sed elegit viam mortis, ut in transitu nos exerceret ad virtutem, & simul peccata nostra mergeret; à quibus nos alioquin vix unquam expediremur. Quàm multi enim sunt, qui sub mortem ingruentem demum perfectè se ad Deum convertunt; nunquam aliàs conversuri! Ibi deniq́ue projicit Deus in profundum maris peccata eorum. Ibi gaudent moribundi cùm enecta Ægyptiorum cadavera, peccata, inquam, sua extincta, jacere ad littus maris, ad finem vitæ suæ vident. Quod quidem defuncto etiam nostro concessum fuisse non dubitamus; Siquidem ad hunc transitum studiosè se munivit, adeoque magno animo mare hoc egressus, fæliciter pertransiit, &c. Ut meritò sperare possimus eum modò cùm Hebræis Deo laudes canere & cum Apostolo dicere: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*, 1. Cor. 15.

EXHORTATIO XXIII.

Benè mortuis gratulandum.

THEMA.

Laudavi magis mortuos, quàm viventes. Eccl. 4.

Thraces filios recens natos lachrymis, mortuos verò epulis prosequebantur.

PAradoxa nobis videtur & inhumana Thracum consuetudo, qui teste Herodoto, filios recens natos lachrymis; mortuos verò epulis, & gaudiis prosequebantur. Et tamen si rem benè expendamus, non videntur à ratione multùm aberrâsse. Quid enim est, quod ait Salomon sanè sapientissimus in Eccl. c. 4. *Laudavi magis mortuos, quàm viventes?* Id exponit S. Hieron. *Ad comparationem miseriarum, quæ in hoc sæculo mortales premunt, feliciores judicavi mortuos, quàm viventes; secundum illud Iob: Ibi quieverunt fossi robore cum his qui vincti fuerunt, jam securi non audientes vocem exactoris.* Nec á Thracum consuetudine David ablusit, quando filiolo suo cum morte, luctante, jejunavit & jacuit in terra, eo autem mortuo surrexit, & lotus & unctus est, mutavit vestem lugubrem & comedit 2. Reg. 12. quasi gratularetur infantulo è vitæ hujus miseriis erepto. Quod miro quodam ostento alius quidam infans docuit mortales, qui, si verum est, quod scribit Plinius l. 7. c. 3. Sagunti in lucem editus, protinus in uterum matris reversus est, quo anno & ea civitas ab Hannibale deleta est; quasi prævidisset infans interitum & calamitatem patriæ. Sane etiam defunctus noster, qui uti de terra prodiit, ita etiam in uterum matris suæ reversus est; quasi ipse quoque miserias hujus mundi fugisset;

cui

cui proinde nos congaudere potiùs, quam condolere possumus; verùm sano & Christiano modo, quem nunc exponemus S. Bernardus in transitu S. Malachiæ scribit: *Triplex in morte congratulatio est: homines ab omni labore, peccato, & periculo liberari.* Hæc tria sunt, ob quæ defuncto etiam nostro gratulari nos possimus.

I. *Mors liberat à molestiis à laboribus hujus mundi.*

I. Quia per mortem ab innumeris hujus vitæ molestiis, miseriis, & cladibus, quibus exagitantur, viventes liberatus & absolutus est. Undè dixit Ecclesiast. c. 30. *Melior est mors, quàm vita amara.* Si, nim. spectemus solum naturalia bona vel mala. Quo sensu etiam dixit Job c. 3. *Pereat dies in quâ natus sum.* Et Græci illi apud Senecam in Agamemnone, qui devictis Barbaris, eorumque spoliis onusti domum revertebantur, cùm se jactari viderent magnis in mari tempestatibus, fælices illos dixerunt, qui in acie ceciderunt: meliùs existimantes in prælio occumbere, quàm maris tempestatibus exagitari. Idem senseri illi, qui miserias hujus vitæ experti sunt. Audiamus D. Ambros. l. de bono mortis c. 2. *Quid enim est,* inquit, *quod hac vita delectat plena ærumnarum & solicitudinum, in quâ innumeræ calumniæ & multæ molestiæ & multæ lachrymæ eorum, qui affliguntur molestiis, & non est,* inquit, *qui eos consoletur?* &c. *Itaque si plena oneris vita, utique finis ejus alleviamentum est.* Et S. August. l. 13. de civit. c. 10. *Homo, ait, non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressus sit nesciens, prophetat quodammodo. Solum quando natus est, ferunt risisse Zoroastem: nec ei boni aliquid monstrosus ille risus portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inventor, quæ nec ad præsentis vitæ vanam fælicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe Rege Assyriorum, cum ipse esset Bactrianorum Rex, bello superatus est.* Denique si Salomon, qui in maximis divitiis atque delitiis vixit, ita de hoc sæculo sensit, ut diceret: *Tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus* Eccli 2. quid de miseris aliis dicemus, qui in assiduis laboribus & miseriis versantur? Quid non sustinent mortales, quid non excogitant, præcisè ut sibi panem quærat? Sic enim Ecclesiastes idem c. 6. ait: *Omnis labor hominis in ore ejus.* At qui mors, si aliud non præstaret, ab hoc labore liberat. Benedixit Cicero l. 1. de Oratore, viros sapientes, qualis erat Socrates, cùm laude & voluptate quasi cygnos mori. Fabulantur enim cygnum morientem interrogatum, cur in morte suâ suaviores ederet sonos, quàm omnia alia animantia timent? Respondisseque cygnum: *Quia neque cibi quærendi curâ ampliùs cruciabor, neque aucupum laqueos mortuus extimescam.* Hoc ferè idem diceret defunctus noster, si jam loqui posset.

Cur Cygnus moriturus cantet.

II. *Mors liberat à peccato.*

II. Quia liber jam est à peccato, capitali hoste nostro, & peccandi periculis, perpetuaque luctâ, quam gessit cùm peccato, ejusque præsidiariis, qui sunt passiones nostræ. *Quid enim est,* inquit S. Cyprian. tract. de mortalit. *in mundo & vitâ hâc nisi pugna cùm irâ, gulâ, libidine? Hinc gratulatur Sapiens raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Et nonne Apost. ad Rom. 7. *gemit se venundatum esse sub peccato,* h. e. traditum esse concupiscentiæ quasi tyranno? Indè enim exclamat: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* h. e. de corpore peccandi affectibus & periculis obnoxio, adeoque ad mortem peccati animam pertrahente. Refert S. August. l. 5. contra Julianum ex Aristot. *Simili nos affectos esse supplicio atque eos, qui quondam cùm in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitatâ necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quàm arctissimè colligabantur: sic nostros animos cùm corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos.* Quid mirum igitur si Paulus à corpore suo misero & concupiscentiæ subjecto, cujus fætore anima facillimè inficitur & ad mortem pertrahitur, liberari desideravit? Cogitur enim anima omnes corporis sordes, necessitates & infirmitates sustinere: non secus, ac si molosso alicui alligata foret, qui eam huc, illuc traheret, quocunque eum libido egerit, modò ad rixandum, modò ad vorandum, modò ad sternendum, modò ad vomendum; quem proinde aut verberibus continuò coërcere, aut quaqua versum sequi deberet. Hæc namque est infirmitas, quam incurrimus per lapsum Adami, à quâ dissolvi cupiebat Paulus. Hinc sapienter Theodosius IV. Imp. cùm deposito imperio, clericus factus piè admodum vixisset, ita ut post mortem miraculis coruscaret sepulchro suo Epitaphii loco hoc unicum verbum inscribi jussit, *Sanitas;* ut nimirum designaret virum fidelem per mortem duntaxat consequi perfectam animæ sanitatem, cùm à passionibus illis & concupiscentiis liber fuerit; ut tradunt Annales Theop. Cedren. Zonaræ apud Baron. anno 717. Tametsi verò non lethalibus peccatis inficiatur anima, inficitur saltem venialibus ex consortio corporis, quæ & ipsa sunt infirmitas quædam animæ. Sed audiamus August. l. 1. cont. 2. ep. Pelagii. c. 11. *Liberari à corpore mortis est, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam.* Et S. Ambrosium l. de bono mortis c. 4. *Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?*

Elegans Theodosii Imperatoris Epitaphium.

III. *Mors eximit à periculis.*

III. Quia jam liber est à vinculis hujus corporis, in quibus detinebatur velut captivus, quo minùs evolare ad libertatem & patriam suam posset. Nisi enim S. Paulus captivum se in hoc mundo agnovisset, utique non dixisset: *Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo.* ad Philip. 1. Ita enim explicat ea verba S. Gregorius 4. moral. c. 41. *Dissolvi,* inquit, *Paulus non quæreret, nisi se vinctum videret.* Quis autem victum se agnoscens, non cupiat solvi, & dimitti? *Qui desiderat dissolvi,* inquit S. Augustinus tract. 9. in epist. Joan. *& esse cum Christo, non patienter moritur.* Sic vivebat & moriebatur S. Simeon, cùm viso Salvatore cantabat: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.* In quem locum S. Ambrosius

brosius l. de bono mortis, c.2. ait. *Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædam corporis hujus, & quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis adstringunt quâdam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus, quemadmodum anima decedentis paulatim solvat se vinculis carnis & ore emissa volet tanquam carcereo corporis hujus exuta gurgustio.* Sic evolabat ex hoc carcere cùm gaudio S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, cùm audita Valeriani Imp. contra se lata sententia. *In Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*; respondit: *Deo gratias, qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere.* Ut in ejus actis Ita etiam pia quædam domina, apud Collectorem speculi, subitò lepræ plaga fœdissima percussa. cùm alii sortem ejus deplorarent, ipsa ridere cœpit. Causam rogata respondit: *Si quis detineretur in carcere ea conditione, ut inde non eriperetur, donec muri carceris undique corruissent; nonne si videret parietes jam ad ruinam inclinatos, ac paulatim ruentes, gauderet potiùs quàm fleret?* Quare cùm anima in corpore velut in carcere constricta sit, gratulari sibi debet, quando videt parietes ejus jam fatescere & ad ruinam propendere. Id fecisse Gorgiam Rhetorem Leontinum, ditissimū licet, refert Stobæus serm. 115. Rogatus enim an libenter moreretur: *Maximè* respondit: *nam tanquam ex putri & diffluente ædicula non invitus discedo.* Verum tamen non omnes vinctos cupere è carcere, educi. Qui enim inde ad supplicium educuntur, haud libenter indè exeunt: qui autem ad principatum educuntur, exeunt libentissimè. Ita ex uno eodemque carcere Pharaonis extractus fuit pistor ad furcam: pincerna verò restitutus suo officio. Gen. 40. Utique hic cùm gaudio, ille cùm gemitu. Pari sorte ex eadem captivitate sub Georgio Podiebraccio Bohemorum Regulo captivi duo fratres Ladislaus & Matthias, filii Huniadis, exempti fuêre: Sed Ladislaus ad mortem, gladio excipiendam. Matthias ad Ungariæ regnum capessendum: diverso sanè facto & sensu. Ut est in hist. Bohem. Hageci & Dubravii. l. 41. Pari modo, qui malè sibi conscii sunt, ægrè corpus suum deserunt in articulo mortis: qui vero bonâ præditi sunt conscientiâ, perlibenter moriuntur; quia illi supplicium, isti gloriam expectant. Rursum qui cives hujus mundi sunt, nullo emigrationis desiderio tenentur; similes custodi carceris, qui in carcere habitat velut in domo suâ, non velut in carcere. At qui cives cæli sunt, educi ex hoc mundo desiderant; quia in eo detinentur velut vincti & captivi. Illi verò velut reptilia sunt, quæ in terrâ sibi sedem quærunt, ad alta non aspirant: isti velut volatilia, quæ in caveis inclusa nunquam quiescunt, tametsi eæ ornatissimæ sint, sed eluctari semper & ad liberam evolare auram quærunt. De prioribus illis ait Ecclesiast. c. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* De posterioribus subdit: *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus.*

Amara mors est impiis.

Amara fuit Antiocho impio Regi, quando jam desperatâ vitâ, vermibus scatens, vota fecit, missurum se dona templo Jerosolymitano, imploravit Judæorum preces, promisit insuper se Judæum futurum, omnem quoque terræ locum perambulaturum & prædicaturum Dei potestatem, 2. Mach. 9. Denique cùm dixit: *Ecce pereo tristitia magna in terra aliena*, 1. Mach. 6. Sicque miserè extinctus est. Noti sunt aliorum insigniter impiorum immanes mortis pavores, uti Neronis, qui necem sibi structam metuēs huc illuc diffugit, jam ad Tyberim se præcipitaturus, jam mutata veste fugiens ex urbe fulgere adverso pavefactus, jam in specum egestæ arenæ concedens, jam quadrupes per effossam cavernam in cellam irrepens se abscondit, tandemque ferrum jugulo adegit, teste Suet. Rursum impiissimi Caligulæ, qui cùm Deos contemneret, ad minima tamen tonitrua & fulgura connivere, caput abnuere, ad majora verò se proripere è strato sub lectulumque condere solebat, teste eodem. Præterea pessimi Imp. Anastasii hæretici, qui ex oraculo se igne periturum cùm audisset, cisternam sibi subterraneam paravit, in qua sibi salutem quæreret: audita tempestate de cubiculo in cubiculum anxius cucurrit, ne fulmine peteretur, teste Zonara l. 3.

Optata mors est piis & justis.

E contrà bona & optata est mors piis; quod exemplis plurimis doceri potest. Pauca videamus. S. Hilarion à latronibus invasus, & interrogatus: *Quid faceres, si latrones ad te venirent?* respondit: *Nudus latrones non timet.* Et illi: *Ab eis tamen occidi potes. Possum, inquit, possum, nec tamen latrones timeo, quia mori paratus sum.* refert S. Hieron. in vita ejus c. 4. S. Ambrosius suis civibus moriturus dixit: *Non ita inter vos vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quoniam Dominum bonum habemus.* Paulin. in ejus vita. Gerardus S. Bernardi frater sub mortis horam cantabat id Davidicum: *Laudate Dominum de cælis*; uti refert S. Bern. ser. 26. in cant. S. Columbanus junior Senioris Columbani discipulus & cognatus, morti vicinus expostulabat cùm magistro suo Columbano, quod per ejus preces & lachrymas à morte retardaretur. In Chron. Augustinian. Cant. 3. Ramirus Legionensis Rex, religione & virtute bellicâ laudatissimus, post multas de Arabibus obtentas victorias, moriens Sacris munitus proclamavit cùm lachrymis: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* apud Baron. anno 950.

Quandò igitur illi qui piè & laudabiliter vixerunt, mortem non extimescunt, nec cur extimescant habent, est sanè cur gratulemur eis potiùs, quam ut compatiamur. Hâc enim ratione consolatur D. Chrysostomus viduam quandam Therasio viro suo orbatam, tom. 5. in epist. priore ad Viduam, juniorem: *Siquidem justus, inquit, penitus interiisset, atque in nihilum abiisset, mœrendum ac dolendum erat: sin autem ad quietum placitumque delatus est portum, atque ad suum verum Regem profectus est:*

nullus hic lachrymis, sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio, ac domicilii mutatio à deterioribus ad meliora, à terra ad cælum, ab hominibus ad Angelos & Archangelos, atque adeò ad ipsum Archangelorum Dominum. Et mox: *Quamobrem quantum luges, cùm tam commodus ac bonus esset, jussum esse ad Deum ire: tantum lætari oportet, magnâ illum cum securitate & gloria profectum esse, & à periculorum, quæ hic imminebant, tumultu liberam, pacatam placidissimamq; vitam vivere. Quam enim absurdum est fateri quidem cælum terrâ longè melius esse, ac tamen eos, qui hinc eò commeârunt luctu prosequi? Nam si beatus iste ex illorum hominum numero fuisset, qui turpiter ac Deo minimè probati vixerunt, profectò non solùm mortuus, sed etiam vivens fletu atque ejulatu prosequendus erat; non solùm viventi, sed etiam somnum suum obdormienti gratulandum.* Ita S. Chrys. Quando igitur & nos non vanè ominamur, defunctum nostrum fuisse unum ex amicis Dei & civem cæli, ex his & illis N. N. argumentis, & vitâ ejus laudabili, multis piis operibus comprobatâ, non modò non deploranda videtur emigratio, sed etiam plausu quodam & gaudio prosequenda. Quia tamen non omnes Therasii sumus, & ab omni labe immunes; sed proh dolor, plurimis, ut timendum adhærent labes aliquæ, licet expiabiles; danda nobis est opera, ut piis saltem precibus, quando aliter non possumus, ad cælestem patriam eum deducamus &c.

EXHORTATIO XXIV.

Piis mori lucrum est.

THEMA.

Mihi autem vivere Christus est, & mori lucrum. Ad Philip.

Novus modus ludendi, in quo lucrũ accipit perdens, & lucrator perdat.

SOlet quandoque à collusoribus talis institui ludus, in quo lucrum accipiat, qui perdit: perdat qui lucratur. Neque hoc videri novum, aut inusitatum debet. Sæpè enim & ipse Deus hujusmodi ludum cùm hominibus ludit, ut perdendo lucrentur aliquid, lucrando aliquid perdant. Testem adduco Themistoclem Atheniensium belli ducem, qui cùm pulsus primùm Athenis, & mox totâ Græciâ, venisset ad Persarum Regem Xerxem, ditissimus ab eo repentè factus est. Quare magnifica dona, quibus à Rege honoratus erat, intuens dixit: *ô pueri, perieramus, nisi periissemus.* Perire enim videtur, qui cogitur exulare: at Themistocli exilium cessit ad fælicitatem, & maximas divitias. Plut. in Apophth. Mundus, cùm quis integer vitæ moritur, dolet & perire ipsum judicat; quia è vita hac in exilium agi putat. At revera errat. Qui enim tali modo exulat, in patriam concedit: & qui vitam hanc perdit, vitam acquirit, ac cùm lucro quidem, multò meliorem, quàm perdiderat. Hoc est quod Apostolus ad Philip. 1. ait: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Non ergò insulsè Ægidius, unus è primis S. Francisci sociis inter alia parodoxa dixit: *Si vis lucrari bene, da operam ut perdas.* In vita apud Sur. 23. Apr. Cùm lucro enim vir bonus accipit vitam alteram, qui præsentem amittit. Quod si res ita habet, non est profectò cur tristemur de morte piorum hominum; sed gaudeamus potiùs. Hoc verò ut obtineamus, ostendamus prius quod diximus, mortem afferre lucrum.

I. *Per mortem acquirimus possessionem cælestis hæreditatis.*

I. Quia per mortem ex jure, quod habemus ad cælestem hæreditatem; immittimur in ejus actualem possessionem. Magnum verò hoc lucrum est, si quis pro jure, quod habet ad rem possidendam, acquirat jus in re, ut de facto id possideat. V. G. si haberes jus ad Regnum Neapolitanum, detentus verò esses à tyranno, ne possessionem ejus adire posses; nonne pro lucro accipies, si quis te exemptum à vinculis constituat in possessionem Regni tui; tametsi id sine aliqua tua molestia fieri non posset? Sic accidit Adado juveni, qui è paterno Idumeæ Regno, ob iram Davidis, profugerat ad Pharaonem Regem Ægypti, mansitque in exilio, donec morerentur hostes ejus. Quibus extinctis rogavit Pharaonem: *Dimitte me, ut vadam in terram meam.* Cumque eum detinere vellet Pharao, velut sibi charum & jam affinem factum, institit nihilominus: *Obsecro, ut dimittas me.* Pro maximo igitur lucro & beneficio accepit dimissionem suã, per quam paternum acquisivit Regnum 3. Reg. 11. Idem contingit Electis ad regnum cæleste, cùm per mortem dimittuntur ad occupandum regnum suum. Hinc Apostolus cùm dixisset 2. Cor. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam in cælis;* subdit mox: *Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.* In hunc sensum explicat id mortis lucrum S. Chrys. serm. 3. in c. 1. ad Philip. *Esto quispiam,* inquit, *divitiis multis, famulis auro abundans: nulla autem harum rerum utatur, num is divitiis istis dives erit? Minime. Sed videat præterea à filiis dissipari temerè circumcursantibus, nec quidquam curet; adde etiam, si vis, percussus non doleat, at hunc dicemus in divitiis esse? Nequaquam, tametsi ipsius sunt divitiæ. Ad hunc etiam modum se habebat Paulus: Mihi, inquit, vivere Christus: si meam vestigas vitam: ille est & mori lucrum: cur? quoniam major mihi illius notitia erit, & familiariùs cum ipso versabor. Quare hoc nihil aliud est, quàm moriendo ad vitam pervenire. Nihil mihi durius facient, qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, & ab hac, quæ mihi apta non est, liberantes.*

II. *Per mortem commutamus vitam imperfectam hujus sæculi in perfectissimam.*

II. Quia vitam hujus sæculi multis modis imperfectam per mortem commutamus cùm perfecta, imò omnibus numeris perfectissima. In hunc sensum exponit lucrum illud mortis S. Thomas: *Hic,* inquit, *Apostolus propriè loquitur; quilibet enim sibi ad lucrum reputat, quando vitam, quam habet imperfectam, potest perficere. Sic infirmus ad lucrum reputat suam vitam. Vita nostra Christus est: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sed hic*

est imper-

est imperfecta: Quam diu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: & ideo quando morimur corpore, perficitur nobis vita nostra, scilicet Christus, cui tunc præsentes sumus: Cum dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas Domini, filii merces &c. Sic ille; loquens de spirituali hominis vita, qua vivit per gratiam: quæ utique perficitur, & cùm maximo lucro permutatur in eam, qua vivit per gloriam. Nostra quidem per gratiam conversatio etiam in cælis est, uti beatorum. *Verumtamen non sic nostra, sicut illorum,* inquit S. Bern. ser. 5. de Fest. Om. SS. *Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus.* Pro lucro utique reputat sponsus, si pro artha sibi à sponsa tradita, accipit ipsam sponsam: & mercenarius, si pro cuprea moneta in pignus data, finitis laboribus capit argenteam vel auream. Hoc autem est lucrum illud, quod per mortem acquirit justus. Ad hæc si loquamur de vita hominis corporali, etiam illa per obitum perficitur, & ex misera atque infirma maximo cum lucro permutatur in beatam & sanctissimam. Quid miseriarum hæc vita habeat, quis non experitur? Unde S. Gregor. hom. 37. in Evang. *Temporalis vita,* ait, *æternæ vitæ comparata mors est potiùs dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Quomodo enim vita censenda est, quæ perpetuum bellum gerit, cum paupertate, fame, nuditate, contemptu, invidia, persecutionibus, morbis, & cõtinuo mortis timore? His & aliis omnibus miseriis caret altera vita; quis ergo non pro lucro reputet, hanc cum illa commutare? Per hoc enim, ut paucis dicam, homo fit liber è servo, certus è dubio, beatus è misero.

III.
Per mortem commutamus pauperculam substantiam cum ditissimam.

III. Quia terrenam hujus vitæ habitationem manufactam commutamus cum cælesti non manufacta: & pauperculam substantiam cum altera ditissima. De illo ait Apost. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* De hoc verò Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Jam verò quis non pro lucro habeat, accipere domum cælestem pro terrena & lutea? æternam & stabilissimam pro lapsabunda? propriam pro aliena? Nam ut D. Augustinus serm. 49. ad frat. in Eremo ait: *Sic est vita nostra, quasi homo in domo aliena, nesciens qua hora vel die Dominus domus dicat; Vade foras, quia non est tua domus, in qua es.* Et rursum in Ps. 38. ad prædicta verba Apostoli ait: *Si domus hæc æterna est in cælis, cùm ad eam venerimus, inquilini non erimus. Quomodo enim eris inquilinus in æterna domo? Hic autem ubi dicturus est, Dominus, migra; & quando dicturus est, nescis, paratus esto.* S. Godefridus Comes Cappenbergensis ditissimo suó Comitatui renunciavit, & Præmonstratensium ordinem ingressus est, hoc usus argumento: *Si posses una siliqua emere civitatem, num tu siliquam retinere malles, quàm pro ea accipere civitatem? Ita ego facerem, si comitatum terrenum mihi eligerem pro cælesti civitate quam pro illó comparare possum.* apud Sur. 13. Jan. Atqui talem commutationem facit justus in morte sua; sive habitationem consideres, sive substantiam & facultates, quæ in ea sunt. Omnes enim sunt hujus mundi divitiæ, paupertas mera sunt, cum bonis cælestibus comparatæ, siliquæ sunt. Terrena substantia æternæ fælicitati comparata pondus est, non subsidium.

Consuetudo est Romanis, ut cùm quis Cardinalis eligitur in Pontificem, qui de plebe sunt, mox involent in ædes illius Cardinalis, eamque expolient rebus omnibus, quascunque in eis repererint; & quidem impunè, neque invito illo, cujus domus est. Acquirit enim pro ea longè augustiorem, longè ditiorem, Pontificium scil. Palatium majoribus instructum & dotatum divitiis. Hunc in modum justus, cùm per mortem perdit terrenam suam substantiam & domum, non indignatur, non molestè fert; quia luteam suam & rusticanam domunculam commutat cùm cælo, inopiam cùm opulentia.

IV.
Per mortem exuitur corpus mortale, & expectatur immortali:

IV. Quia corpus hoc mortale & miserum, quod aggravat animam exuimus & pro eo expectamus immortale & beatum, certissimò induendum in resurrectione justorum. De hoc etiam loquitur Apostolus in cit. loco, cùm pro terrestri domo cælestem non manufactam in cælis nobis permittit. In hoc enim corpore quasi in domo habitat anima nostra, vel si mavis, quasi in veste; de qua loquitur S. Greg. Nazianz. cùm ita orat. *Domine solve hanc tunicam ita mihi gravem & ponderosam, & da mihi leviorem.* Neque solum gravis, sed etiam deformis est & misera, crucians hominem fame, siti, frigore, doloribus, pædore & sordibus perpetuò egerendis ex ore, naribus, auribus, oculis, denique per secessum omnium fædissimum. Vestis autem illa, quæ in cælo nos expectat, omnibus his & aliis quibuscunque defectibus caret. Dabitur enim corpus agillimum pro tardo & ignavo: subtilissimum pro crasso, charissimum & fulgidissimum pro obscuro, immortale pro mortali. *Oportet corruptile hoc induere incorruptionem,* inquit Apostolus 1. Cor. 15. Quis autem centonem unum non libenter & expeditè abjiciat, si pro ea nova & ornatissima vestis ipsi offeratur? Certè mendicus ille postulatus Manrosæ à S. P. N. Ignatio, ut centones suos cùm ipsius splendida veste commutaret, non modò non recusavit, sed pro lucro habuit tam optatum sibi commercium; ut habetur in Vita S. P. N. quid ni etiam gaudeat moribundus exuere sagum suum, & pro eo purpuram induere? Sic gavisus est in Spiritu David, quando vaticinans de gloria resuscitati Christi scripsit Psalm. 29. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: ut cantet tibi gloria, & non compungar.* In quæ verba Theodoretus ita scribit: *Et nunc etiam, cùm aliqui stulti*

mortuos deplorant, & in sacco turpiter sedent, vaticinantis verba audire nolunt: quæ apertè clamant. Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia & convertisti luctum meum in gaudium mihi. Nam quemadmodum Ezechias cum quindecim annorum (qui ad vitam porrò agendam, concessi ei fuerant) *promissionem accepisset, multo gaudio impletus est: Sic non est justum, cùm nos resurgendi spem acceperimus, eos, qui mortem obierunt, lugere, verum illam cum gaudio expectare.* Saccus est vestis lugubris & sordida; quale est & corpus nostrum; quod ubi mortis forfice scissum fuerit, transibit in vestem gloriæ mirè speciosam, quæ non scindetur amplius, nec unquam veterascet. Cùm sartor scindit pannum holosericum, ut indè tibi vestem conficiat, nequaquam ei resistis, minimè indignaris. Quid si diceret quispiam, cur permittis scindi holosericum tam speciosum? Utique responderes. Non ægrè istud patior; quoniam hæ scissuræ vestem mihi dabunt longè speciosiorem, quam sit tela illa informis. Idem sentiendum in proposito: Corpus nostrum hujusmodi tela est, sed nequaquam indonea satis, & speciosa ad futuram vitam. Scindi ergò debet, ut præbeat tibi vestem gloriosam & incorruptibilem. Scinditur in morte, sarcietur in resurrectione Justorum. Et sanè si oportuit ipsum Christi corpus sanctum impollutum ita concidi, tamque fœdè lacerari, ut non haberet speciem, neque decorem; priusquam vestiretur gloria, uti ex psalm. 29. audivimus; quid miramur, si idipsum corporibus nostris accidat? Tunc enim cantabit Deo laudem gloria nostra, & non scindemur ampliùs neque compungemur. Hinc exclamat S. Hieronymus jam moribundus (in ep. Eusebii ad Damasum de morte Hieronymi) *O quantum lucrum mihi est mori, quoniam vivere deinceps meum Christus est! Ecce terrestris domus hujus habitationis dissolvitur, ut alia succedat non manufacta, sed æterna in cælo. Ecce quod mortale est, vestimentum exuor, ut æternum induar.* Et infra: *Expolia me ista mortali tunica mea quam fero, ut induam me vestimentis lætitiæ, &c.*

V. *Per mortē liberamur ab exactore qui ad solvendum nos urgebat.*

V. Quia sarcinam debitorum saltem contrahendorum deponimus per mortem, & liberamur ab exactore, qui ad solvendum nos urgebat. Lucrum verò censendum est, cùm quis à servitute redimitur & in libertatem asseritur. Quâ de re audiamus S. Ambrosium l. de bono mortis cap. 2. ita loquentem: *Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutiùs quis fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Dominus ait: sufficit diei malitia sua. Et Iacob dixit: Dies annorum vitæ meæ, quos habeo, centum triginta, minimi & mali: non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitia incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine peccato nostro præterit. Vnde egregiè Apostolus: ait: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis utilitatem.* Et paulò pôst: *Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse.* Dicere de nobis etiam possumus, quod de negante Petro dixit S. Augustinus in Joan. scribens: *Deo gratias, quia cessavit interrogatio;* (ancillæ & aliorum adstantium) *si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio.* Si enim in tot laqueis & tentationibus hujus sæculi diu persistamus, diu & sæpe cademus & irretiemur. Deo igitur gratiæ agendæ & pro lucro habendum, si hos laqueos tandem per mortem evadamus. Unde S. Cyprianus tract. de mortalit. scribit: Paulus in epist. sua ponit & dicit: *Mihi vivere Christus est & mori lucrum. Lucrum maximum computans, jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris augentibus & venenatis Diaboli faucibus liberatum ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.* Et iterum. *Amplectamur,* inquit, *qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos & laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituit, & regno cælesti.* Doceant hoc nos ciconiæ? Quando enim Attila Aquileiam diutissimè obsedit, adverterunt tandem ciconiæ, quæ in civitate nidulabantur civitatem ad extrema redactam: squalore, extinctorum cadaveribus, & viventium lamentationibus repletam; ideoq; emigrarunt, & hoc ipso Attilam ad premendam obsidionem admonuerunt: apud Aldrov. in Ornith. Quando igitur & nos experimur tot laqueis undiq; cingi, tot malis premi, tot peccatis nos onerari, cur non in tutiorem locum emigrare desideremus, vel cùm tempus venit, libenter hinc migremus? Quæ omnia non dubitamus expendisse defunctum nostrum, adeoq; dum adhuc viveret nobiscum, petiisse dissolvi ab his mundi miseriis, adeoq; pro lucro computasse suum ex hac vita discessum: præsertim cùm sciamus fuisse jam hujus vitæ saturum, nihil in hoc mundo magnoperè amasse, laboribus & curis exhaustum fuisse, &c. Quare gratulemur ei potius de hoc lucro quàm doleamus; quin & in lucro ponamus, si pari laude sequi eum possimus, &c.

EXHORTATIO XXV.

Mors aperit homini oculos.

THEMA.

Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie ossium vigilabit. Job. 21.

Fœlix casus cæci, ex contactu sepulchri visum recipientis.

IN vita S. Athanasii Episcopi Neapolitani refertur cujusdam cæci lapsus. Hic in monte Cassino ad cænobium S. Benedicti degens, cùm frequens in templo esset, quodam die de more ingressus, offendit, (ut cæcis evenire solet) in sepulchrum S. Athanasii, cujus corpus Neapoli eò translatum fuerat, caden(s)q; sepulchrum attigit, quo contactu acerrimum oculorum visum è vestigio consecutus, amplius eo non caruit. Quod cæco huic in corpore accidit; plerisq; si non omnibus contingit

in animo, cùm ad ſepulchrum appropinquant, & jam quaſi id pede pulſant, collapſi in lethalem morbum. Ibi enim mors jam inſtans aperit eis oculos, ut acerrimè videre incipiant, quæ priùs dum valerent, velut cæci non viderunt, idq; ſæpe felici ſucceſſu; ut prius, quam in ſepulchrum planè corruant, ſibi de ſalute animæ ſuæ, proſpiciant. Vidit hoc S. Job. c. 21. quando loquens de perverſo homine, qui velut cæcus & præceps ruit in ſcelera, nec admittit reprehenſorem ullum: *Ipſe*, inquit, *ad ſepulchra ducetur, & in congerie oſſium vigilabit.* Supponit peccatorem quaſi ſomno ſopitum oberrare in peccatis, ſicut cæcus oberrat in viis ſuis. Quare uti cæcus ille ad ſepulchrum oculos aperuit: ita qui in peccatis dormit, vigilare ad occurſum mortis incipit. Itaq; mors imminens ſæpè fauſta, & felix eſt, qui hoc demum lapſu oculos aperiunt, uti nunc videbimus.

I. *Meditatio mortis lubricam velocitatē hujus vitæ oſtendit.*

I. Incipiunt videre, quam velociter tranſeat vita hominis, & quidquid in mundo habetur. Longum eſſe videtur ſpatium 60. aut 70. annorum, cùm adhuc procul ab eo abſunt viventes; at cùm emenſum eſt, breviſſimum æſtimatur. Agnovit hoc moriens Theophraſtus Philoſophus Lesbius, duûm milliū diſcipulorum Magiſter, qui rogatus à diſcipulis, documentum aliquod ut relinqueret illis; dixit: *Nos cùm viuere incipimus, tum morimur.* Laërt. l. 5. Sic videbatur Ezechiæ Regi, jam ut putabat, morituro, cùm dixit Iſa. 38. *Cùm adhuc ordirer, ſuccidit me.* q. d. putabam me primum vivere cæpiſſe, & ecce jam me finiſſe video. Et mox: *Recogitabo tibi omnes annos meos*; quod author quidam doctus ſic vertit ex Hebræo: *Commovebo caput.* h. e. *mirabor & ſtupebo omnes annos meos.* q. d. Miror quorſum devenerint omnes anni mei: quorſum tam citò avolarint, cùm vix cæperim vivere. Idem mirabatur Job, judicio ſuo jam moriturus: *Dies mei velociores fuerunt curſore: fugerunt & non viderunt bonum. Pertranſierunt quaſi naves poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam.* Quid velocius curſore præſertim fugitivo, qui deprehendi metuit? quid nave, quæ poma leviſſimi ponderis fert? quid aquila ad prædam volante? Talis eſt curſus vitæ noſtræ. Quod quidem viventes non agnoſcunt, at cùm ad mortem appellent navim, ibi demùm intelligent velociſſimum ſuum tranſitum. Sane longævo illi Mathuſalem, uti refert Author Faſciculi temporum, quingenti jam exacti anni, & reliqui ferè totidem tam pauci videbantur, ut ſupervacaneum arbitraretur ſtruere ſibi domum, ob tam brevem ætatem; adeoq; mallet ſub arborum ramis aut in ſpelunca degere: quid ſentiendum erit de 60. aut 70 ſolùm annis, quos pauci valde excedunt? ut ergò qui per octo horas feſſus continuò dormivit, cum evigilat, miratur tam velocem tot horarum lapſum: ita continget illis, qui poſt exactos annos plurimos pulſant fores mortis; ibi ergo evigilant, & vitam ſuam quantumvis prolixam nonniſi ſomnium fuiſſe judicabunt.

II. *Per dioptram mortis videtur vanitas & inanitas mundanorum bonorum.*

II. Vident ea, quæ, dum valerent, magna eſſe cenſebant, vana & inania eſſe, mundi bona, honores, divitias favores; ſiquidem ab eis nihil jam ſubſidii, nihil opis habere ſe poſſe cognoſcunt. Id agnovit in primis Volſæus Epiſc. Henrici VIII. Angli adulator peſſimus; qui tandem in odium Regis cùm incidiſſet, & ad mortem condemnatus duceretur, effatus eſt: *Vtinam nihilominus læſæ Majeſtatis divinæ reus eſſem! Nunc autem dum Regi placere & ſervire ſtatui: & in Deum peccavi & Regis gratiam perdidi.* Sander. l. 1. de Schiſm. Angl. Similem in modum aperuit oculos, ſed felicius quidam apud Vin. Belvacenſem in ſpeculo morali, cùm in extremis conſtitutus opem Marchionis cujuſdam, cui multo tempore & fideliter ſervierat; ſed in caſſum. Cùm enim Marchio ægrotantem ſæpius reviſeret, ſponderetq; operam ſuam, modo is ediceret, quid rerum ſibi deeſſet; addens nullis ſe impenſis parſurum, modo æger deſiderium ſuum exponeret: Reſpondit: ſi pro meis laboribus & ſervitio fideli aliquid mihi gratum rependere decreviſti, fac ut aut mortem imminentem evadam, aut ſaltem una hora ab his doloribus meis ſublever, & ſi contingat me hinc emigrare, una ſaltem nocte provideas mihi de hoſpitio commodo. Cumq; Marchio diceret, hæc omnia in Dei ſolius manu eſſe, ſe verò temporalia, quæ poſſet libenter ſubminiſtraturum. Tum æger ad adſtantes verſus: *Videtis nunc chariſſimi, quàm malè tempus impenderim, ſerviendo iſti domino, qui nec ad unam horam liberare me ab his doloribus & animæ periculis poteſt. Suadeo itaq; vobis, ut meo exemplo ſapiatis, & tali domino ſerviatis, qui nos in extrema neceſſitate poteſt adjuvare; id quod etiam, ſi convaluero facturum me ſpondeo.* Obiit ergò in hac cogitatione benè, ut ſpes erat. Idem ſenſere, qui in l. Sap. c. 5. divitias ſuas accuſarunt, dicentes: *Quid profuit nobis ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra &c.* Benè igitur de talium felicitate dixit Sophar, amicus Jobi: *Velut ſomnium avolans non invenietur: tranſiet ſicut viſio nocturna.* Itaq; ſecundum illum vita hæc mundanorum ſomnus eſt & ſomnium, mors verò vigilia eſt; in qua videbunt opes, honores, & delitias ſuas mera ſomnia fuiſſe, in quibus videbantur ſibi divites, ſublimes, hilares: Aſt ubi adventante morte evigilant, nihil ſe habuiſſe deprehendunt. Similes profectò Mycio illi, reverà pauperi, & non niſi per ſomnium diviti, indignanti adverſus ſapientiſſimum Gallum, his apud Lucianum verbis: *At te ſceleſtiſſime Galle, cum iſta tua invidentia voceq; tam acuta ipſe perdat Iupiter, qui quidem opibus affluentem me, ac dulciſſimo in ſomnio verſantem & admirabili felicitate fruentem penetrabile quiddam & clamoroſum reſonans expergefeceris.* Cui facetè gallus: *Videto, ne per ſomnium dives, eſurius experrectus.* Eleganter de hoc impiorum ſomnio S. Gregorius dixit: *Quos evigilaſſe pœnitet, quia vigilantia vera inopia tenet, & cùm carnis oculos claudunt, mentis aperiunt.* apud Pinedam in c. 20. Job. v. 8. Et

ipse Job c.27. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet*: Similiter & David Ps.75. *Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

III. *Mors patefacit frustraneos in mundo habitos labores.*

III. Vident se in hoc mundo frustra laborasse tēpus & talenta sibi credita male impendisse; quod prius videre noluerunt: adeoq; aranearum telas texuisse, juxta id Isa. 59. *Telas araneæ texuerunt. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neq; operientur operibus suis.* In quæ verba S.Gregor.l.15.c.8.ait: *Telas araneæ texere, est pro hujus mundi concupiscentia, tēporalia qualibet operari, quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Agnovit hoc de suis machinationibus Henric.8. Angl. Rex, qui ut suis potiretur voluptatibus, nihil non molitus, demùm monasteria & templa exspoliavit: nihilominus tamen ad egestatem redactus sub finem vitæ pateram vini suis præhibens fassus est: *Amici omnia perdidimus.* apud Flor. Ræmund.l. 6.de Orig.hæres. Agnovit Albertus Archiep. Hamburgensis anno 1072. qui pauperum oblitus, cum sua dispersisset in divites & assentatores, in extremis constitutus crebris iteravit suspiriis verba hæc: *Heu me infelicem & miserum, qui tantas largitiones in vanum effudi. Potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea conuertissem, quæ pro sæculi gloria me distraxisse nunc nimium doleo.* teste Cranzio in Metrop.l.5.c.9. Deniq; Salomon jam sepulchro propinquus id agnovit, quando dixit: *Cum me conuertissem ad uniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Eccl.2. Verùm utrum juxta hanc cognitionem suam sese emendarit, & pœnituerit, non est usquequaq; certum. Non defuerunt enim, qui licet in extremis agnoscerent vanitatem mundi & errores suos, tamen resipuerunt; uti mox dicemus.

IV. *In morte videntur & agnoscuntur peccata.*

IV. Vident & agnoscunt peccata sua, quæ prius non viderunt; id quod timuisse videtur David, ait enim Ps. 48. *Cur timebo in die mala.* Chald in die tempestatis? Et respondet: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* q d. Unum hoc timeo, ne in fine vitæ peccata mea cingant & excrucient me. Forsan edoctus fuit exemplo Saulis, antecessoris sui, qui cùm ad mortem in prælio vulneratus esset, petiit à milite: *Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ.* 2.Reg.1. Quænam verò hæ fuerunt angustiæ? Ex Hebræo exponit Abulensis, qui ea verba sic legit: *Quoniam tenent me oræ Vestimenti Sacerdotalis.* q.d. *Recordor Sacerdotum 85. quos olim innocentes & sacerdotali habitu indutos jussi occidi propter Dauidem.* 1.Reg.22. *Illi nunc me excruciant, & suarum vestium tenent trahuntq; ad infernum.* Videbatur sibi Saul, ait Abulens.qu.5.ad eum locum, quod propinquus morti videret Sacerdotes Domini accusantes eum in judicio coram Deo. Et notandum in hoc facto est, quod Saul non ab alio, quam à puero Amalecite interfectus sit. Causam reddit Bilo l.de antiq.Bibl. quia licet puer dixerit se casu intervenisse, cùm Saul se interimere vellet, à Deo tamen eò destinatus erat, ut interficeret illum, cui mandata fuerat à Deo omnium Amalecitarum internecio. Ideò qui non omnes peremit, justè ab Amalecite peremptus est.2.Reg.1. Ita fit, ut qui non interimit peccata sua per pœnitentiam, dum sanus est: postea moriens ab illis vexetur & mactetur. Simile est, quod de Henrico 8. Ang.Rege, plurimorū Monachorum iniquissimo interfectore scribitur, in extremis positum cùm jam aliud fari non posset, Monachos tantùm in ore habuisse, quos videlicet occidi jusserat, quod impio ejus decreto & schismati subscribere noluerint; apud Florim. Ræmund. l.6.de Orig hær. Recentius adhuc est, quod refert noster Benedictus Fernandius in 34. c. Gen. sect. 4. de quodam Lusitano nobili Ulisippone animam agente, qui sacris licet ad mortem omnibus communitus, & cereum ardentem manu tenens inter adstantium preces, oculis jam penè mortuis, vocibus interruptis annuit Sacerdoti, dicens: *Sed quid de illa puella?* Eoq; dicto vocem cum vita perdidit. Nimirum cum esset juvenis, puellam vitiaverat, tametsi post dotatam honesto matrimonio locaverat. Nihilominus hoc unum morienti versabatur ob oculos, & conscientiam exulcerabat. Clypeum finxit quidam, qui coopertus nulli damnum inferebat: cùm autem detegebatur, omnibus quotquot illum intuiti essent, terrori erat, adeò ut omninò illo viso corruerent; uti refert Octavianus de Tuso in c.11.Eccl. Cooperta nunc sunt peccata in cujusq; corde; unde peccatorem præsertim inveteratum parum, aut nihil terrent. Verùm in articulo mortis detegentur & in conspectum ejus producentur; quibus visis quomodo non deficiet? quomodo non corruet & tabescet? Sanè etiam gentilem Persarum Regem Combysem in angustias redegerunt morientem scelera ejus, parricidium fratris & sororis; incestus duarum sororum, iniquissimæ cædes multorum innocentum, templorum & sepulchrorum direptiones, &c. quæ omnia ipsi malus dæmon in terrifico somnio objecit, uti ipse fassus est; teste Herodoto. Quid fiet Christiano perverso, si hoc factum Regi Ethnico?

V. *Morituri agnoscunt Vindicem Deum contra peccata.*

V. Incipiunt videre justum esse Deum, qui peccatores pro meritis plectit, & in peccatis suis comprehendit. Quid in primis videt, & agnovit in seipso Adonibezec, quando in fuga comprehensus à Juda, & truncatus manuum ac pedum summitatū dixit: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedū summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Judic.1. Simillimum est, quod Alexander Imp. dixit, cùm B. Martinam Virginem Rom. nobilem post varia & dira supplicia jussisset capite plecti. Visis enim multis ab ea patratis miraculis, eodem die percussus est dolore cordis, ita ut carnes suas comederet gemens ac dicens: *Miserere mei Deus Christianorū, quia nomen tuum persecutus sum: sicut feci, mihi redidisti.*

didisti. Refert Mart. Polonus anno 236. Ita mors aggressa impium illum Antiochum & vermibus jam depascens, coëgit aperire oculos, ut fateretur, se cruciari propter illatas Hebræis injurias & tyrannidem suam: *Cognovi ergò*, inquit, *quia propterea invenerunt me mala ista.* 1. Mach. 6. Sed quia confessio extorta & fictitia erat, locum pœnitentiæ non invenit. Noluit etiam in vita agnoscere Mauritius Imp. errorem, quo decem millia Christianorum militum suorum levissimo lytro redimere à Chagano Hunnorum Rege captos noluit, sed avaritia cæcatus, omnes potius contrucidari passus est. At cùm propterea exauthoratus, & in manus Phocæ traditus, ab hoc deinde cum quinq; filiis suis ad supplicium adductus est, ibi demum agnovit Dei justitiam; quando ad singulorum filiorum cædes exclamavit: *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum*; apud Baron. ann. 600. Et hic quidem invenit gratiam apud Deum, quia oblatam sibi ab eo pœnam libens ac pœnitens amplexus est. Sed non omnibus hoc contingit. Multi enim serò nimis, cum jam ad inferos abripiuntur, aperire oculos incipiunt, & præ terrore instantis mortis erigere mentem ad Deum nequeant, quia ad hoc assueti non erant. Contingit his, quod gliribus montanis in Vallesia, qui totam fermè sub nive dormiunt hyemem, sicq; dormientes è nidis & cubilibus suis extrahuntur, atq; ad forum portantur adhuc consopiti, & venduntur. Ast ubi in calidum delati locum evigilant, & cultrum jugulo jam appositum advertunt, tum demum serò nimis agnoscunt, quanto illis dormivisse constiterit. Refert P. Stengel in Labyrinth. c. 17. Hujusmodi glis fuit ille Pharao, qui tot ictus plagis è somno pertinaciæ suæ evigilare noluit; nisi postquam in mari rubro mole aquarum obrutus jam effugere, cum non posset, conatus est, clamans cum suis: *Fugiamus Israëlem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14. Pugnarat sane contra eos per decem plagas, nec tamen hoc advertit Pharao, nisi postquam aquæ intrarunt in os ejus. Verùm serò nimis sapuit. Jam ut ad defunctũ nostrum convertamus orationem, meliora omnia de ipso speramus; utpote quem scimus lethifero huic nequaquam indulsisse, sed servi instar fidelis potius sedulò vigilasse, atq; adventum domini sui in dies expectasse; Scimus cùm ægrotaret, statim mentis oculos ad Deum convertisse, salutaribus quoq; remediis ad hoc iter in tempore se munisse; unde fas est credere; ad ipsum quoq; pertinere, quod Salvator dixit: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* Luc. 12.

* * *

EXHORTATIO XXVI.

Mors Optimus Prædicator.

THEMA.

Per fidem Abel defunctus adhuc loquitur. Ad Heb. 11.

Videntur quidem mortui jam muti prorsus & elingues esse. At si fidem S. Paulo damus, non omninò conticescunt; quin imò vel tunc maximè Prædicatores nostri sunt. Ait enim Apostolus ad Heb. 11. de Abele, qui primus omnium mortuus est: *Per fidem defunctus adhuc loquitur.* Sed quid loquitur & quomodo? An quia vindictam de fratre parricida exigit, ut indicat idem Apostolus ad Heb. 12. & aperte dixit Deus Gen. 4. *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Ita sentiunt aliqui. An forte, ad mentem Apostoli verius, quia vitæ & innocentiæ suæ exemplo admonet viventes? Ita omninò rectius sentiunt alii communiter: uti Hugo Victorinus eo loco quæst. 95. *Loquitur*, inquit, *quia suo exemplo nos monet, ut simus justi.* Loquitur, inquam, & quidem potenter. *Non enim tantum proficit sermo, quantum passio illius*; ait ibid. Ribera. Quod de Abel dixit Apostolus, de aliis quoq; defunctis testatur Auguft. ser. 66. ad frat. in Eremo: *Verè, inquit, si ipsa ossa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt & dicere: O miser, quantum pro cupiditate hujus sæculi discurris? aut quid superbis, vel luxuriæ infelicia ossa submittis? Attende ad me, & intellige & considera me. Hoc quod tu es, ego fui, & quod ego sum, tu eris postea.* Quare videndum restat, quid tandem nobis prædicent defuncti, quid mors concionetur. Duo maximè Concionatoris officia sunt, docere & movere. Utrumq; præstat mors.

Quomodo Mors sine lingua facundissimè peroret?

I. *Docet quid sit vita hominis.*

Docet I. Quid sit vita hominis; *vapor nimirum ad modicum parens*, ut ait S. Jacobus c. 4. Apparuit in Abele, quem probabiliter sentiunt occisum esse sub annum mundi 130. Unde credibile est Abelem secundum Adami filium non multo juniorem fuisse, videlicet 128. annorum circiter. Et tamen à parentibus Abel, h. e. *Vanitas*, vocatus est; quasi non diu victurus. Quod enim infanti sunt decem anni, hoc ipsi erant centum anni. Nec vacat mysterio, quod suum primogenitum appellarint *Cain*, h. e. possessionem, ad Hebr. Kana, quod est *possedit*: Secundo verò genitum, *Abel*, quod est *vanitas*. Memores enim suæ ad mortem damnationis, istum quod est in vita hac, reputarunt vanitatem esse. q. d. *Universa vanitas est omnis homo*; adeoq; etiam omnis possessio ejus, non est nisi vanitas. Quod postea confirmavit Salomon Adamo, ut putant aliqui, sapientia non inferior; cum omnia hujus mundi bona appellavit *Abel*, h. e. *vanitatem*; exclamans Hebraicè; Habel habalim col

col habel, h.e. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Hieronymus vocem Habel asserit ab aliis exponi vaporem fumi, aut auram tenuem. Hoc igitur est, quod Jacobus dixit : *Vapor est ad modicum parens.* Itaq; postquam homo delitiis suis fræna laxavit,& & fecit sibi omnia, quæ placuerunt oculis ejus, adinstar Salomonis; quò tandem illa abeunt? In vaporem fumi. Neq; verò, qui diutius in peccatis degunt & delitiis, feliciores censendi sunt iis, qui hujus mundi miseriis citiùs subtrahuntur: quod ostẽdit D. Ambr. l.2. de Cain. c. ult. *Ecce enim justus,* inquit, *innocens, pius propter gratiam devotionis, odia fratris incurrens, immaturus adhuc ævi sublatus est parricidio: & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, urbes condidit, & hoc meruit promissione diuina. Nonne in his apertè vox Dei clamat: erratis, qui putatis hic esse omnem viuendi gratiam, &c. Ergò & ista Cain longævitas indulta vindicta est, eò quod vixit metu, & prolixum spatium multum cucurrit, & infructuoso labore, qua pœna nihil gravius, quàm ut quis ipse sibi majorum causa pœnarum sit. Vide igitur quàm perpetua vita justorum, & nulla sit imbroborum.* Sic Ambros.

II. *Docet Mors quid sit caro & ejus illecebræ.*

II. Docet quid sit caro ejusq; illecebræ. Fuit Abel respectu ætatis, quam tunc vivebant homines ad annos 900. & ultra, juvenis ætate floridus, nec non speciosissimus, à formosissimis ortus parentibus; & qualis repente factus est, cùm à fratre occisus fuit? quam dissimilis sibi? quam deformis ex specioso? Ecce quid est homo? Colebant Babylonii pro numine Draconem quendam magnum, deq; eo dicebat Rex Danieli: *Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus viuens; adora ergo eum.* Verùm Daniel coxit massam è pice, adipe, & pilis, & injecit in fauces Draconis, qui præclusis faucibus mox diruptus est. Tunc ait Regi Daniel: *Ecce quem colebatis!* Græcè: *Ecce numina vestra!* Dan. 14. En tibi effigiem carnis. Colitur ea à mundo, & tantùm non adoratur. Verùm modicum cibi insalubris eam occidit, aut culter aliquis perimit : tum jacet humi fœtidum cadaver. Ecce quem colebatis ! Ecce numina vestra! Benè ergo S. Gregor. 18. moral. ait: *Caro cùm concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligitur quid ametur.* Et B. Petrus Damiani l.7. Epist. ep.19. ad Blancam Comitissam, postquam recensuit delitias conjugis Sylvii, Venetiarum Ducis, inauditas, quibus se fovebat: & fœtorem incomparabilem, in quem mortua degeneravit, subdit: *Quid ergò sit caro, doceat ipsa caro, quodq; perhibet mortua, testetur & viva.* Bene quidem Deus repræsentavit Nabuchodonosori Regi per somnium, qualis ipse esset, & Reges alii; quando ostendit statuam capite aureo, pectore argenteo, pedibus verò luteis. Designabat enim regum omnem gloriam, opes & splẽdorem desinere in lutum & cinerem. Dan. 2. Verum ille hujus doctrinæ mox oblitus, erexit sibi statuam totam ex auro, à capite ad calcem. Dan. 3. quasi de luto & cinere nihil planè haberet. Verum postea expertus est, quam se ipsum deceperit. Ita homines hujus sæculi miserè deluduntur : putant se totos aureos, unde & coacervant sibi aurum & argentum cum Salomone quasi æternùm victuri; cùm tamen pedes habeant luteos, quibus levi lapillo tactis corruunt in favillam.

1. *Mors movet ad pœnitentiam.*

Movet 1. ad pœnitentiam & cedendum divinis inspirationibus: sicut Abel loquitur pœnas exigens à reprobis; & impœnitentibus : quo modo accusavit fratrem suum à Deo fugientem & impœnitentem. Ita movit Pharaonem saltem eo usq; ut dimitteret Hebræos ad sacrificandum Domino, & pergendum in promissam sibi terram ; quando in ultima plaga occidit omnia primogenita tam in hominibus, quam in pecoribus. Quando enim vidit Pharao domum suam & subditorum suorum omnes cadaveribus undiq; repletas, *Surrexit nocte, vocatisq; Moyse & Aarone nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo.* Exod. 12. Ubi P. Cornel. à Lap. *Verisimile est,* inquit, *ipsum etiam Pharaonem tanta strage perculsum, timentemq; pecora, surrexisse, ut Moysen adiret, quem suaviter quiescentem domi suæ inveniens, vocando excitarit, dixeritq;: Surgite, egredimini.* Hoc in Psal. 77. describens David, postquam omnes enumerasset plagas, quibus Pharao incassum increpatus fuisset, subjicit ultimam illam : *Viam fecit semitæ iræ suæ & non pepercit à morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte conclusit: Et percussit omne primogenitum Ægypti, & primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* h.e. Ægypto, q.d. prius parva manu, quasi per angustam viam, per ranas, muscas, cyniphes, aggressus est Pharaonem. Sed quia his nihil commotum erat induratum cor Pharaonis ; tunc aperuit Deus viam latam & spatiosam iræ suæ, & immisit ei mortem in primogenita omnia. Et quid actum? Tunc annuente Pharaone Deus *abstulit sicut oves populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.* q.d. non erat opus, ut armaret populum contra Pharaonis impetum: sicut oves summa cum pace eduxit eum. Pulchrè hoc idem ostensum est Joanni in Insula Patmos, & per illum nobis, Apoc. 7. Ibi enim vidit quatuor equites ; quorum primus in equo albo arcum manu & in capite coronam præferebat. Secundus rufo, tertius atro sedebat, habebatq; stateram in manu. Post hos vidit quartum mirè personatum, insidentem equo pallido, *& qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* B. Albertus M. eo loco scribit per hos equos adumbratas esse varias ad convertendos peccatores formas, quibus utitur Christus: nunc ingerens album incarnationis & humanitatis suæ equum : nunc ostendens rubrum diræ passionis suæ: nunc atrum mortis suæ amore nostri obitæ. Cæterum quando his omnibus viis nihil efficit in obdurato peccatoris corde, ut flectatur ad pœnitentiam ; tum demum egreditur in pallido mortis equo, & projicit hominem in lectum, adducitque

citq; ad portas mortis, ut vel in extremis constitutus resipiscat, & agat pœnitentiam. Magnum profectò hoc est Dei beneficium. Et quam multi sunt, qui nonnisi pallido illo equo territi convertuntur in lethali morbo, qui dum sani erant, nullis aliis Dei stimulis emendari poterant; E multis exemplis recens unum audiamus. In ora piscaria Indiæ Orientalis in prætereuntem quendam gentilem, qui ad fidem amplexandam permoveri non poterat, una ex crucibus in publico statutis, vento & imbribus labefactata fortuito casu incidit, eique ad terram prostrato vulnus inflixit. E quo cùm moriturum se metueret, divinitus se admonitum credens, repentè manus dedit, & Christianum se futurum vovit, ac baptismum suscepturum, cereum quoq; ad ædem sacram, si convalesceret, laturum promisit. Refert noster Saccinus tom.2. Annal. Soc. l.8.n.178. anno 1564. En qui mortis timor gentilem hunc intrare in Ecclesiam compulerit!

II. *[M]onet & [ca]stigat ad [f]ugam pec[c]atorum.*

II. Ad evitanda peccata. Id quod etiam loquitur Abel defunctus, monens in pœna & tremore fratris sui mortales omnes, ne talia audeant committere, qualia ille ausus fuit, quæ recenset D. Chrys. hom. 19. in Gen. videlicet invidere fratri, sub specie amicitiæ decipere, & in agrum educere, proximum lædere & occidere, factum negare & Deo mentiri; quorum omnium reus fuit Cain. Itaq; signum in eo posuit Deus, tremorem scil. membrorum, ut qui viderent ipsum sic castigatum, abstinerent à peccatis. *Nam*, inquit Chrysost. *totius vitæ tuæ productio posteritati utilis erit: & id, quod solus nullo præsente operatus es, hoc discent omnes, qui gementem & trementem vident, & quasi per corpus tremorem clamantem & omnibus dicentem: Nullus talia audeat, qualia ego, ut ne in eandem pœnam incidat.* Quemadmodum ergo hic Caini tremor omnes, qui eum viderunt, à peccatis ejus absterruit: ita & mortis aspectus peccatores coërcet. Quam ob causam dixit Salomon Eccl. 7. *Melius est ire in domum luctus, quam in domum conuiuii.* Qua de causa, quæso, & quapropter? ait S. Chrys. hom. 15. ad Pop. Ant. & respondet: *Quoniam illinc quidem dementia, hinc verò modestia nascitur. Et si quis ad opulentioris abeat conuiuium, non amplius cum eadem lætitia domum revertetur: sed tristis quidem ad uxorem redibit, tristis autem & de sua mensa participabit, & molestus seruisq; & filiis & omnibus erit domesticis, ex aliorū copia suam diligentius paupertatem considerans. Nec hoc solum est graue, sed id etiam, quod sæpe vocanti se ad conuiuium inuidet, & nihil penitus boni sumens reuertitur: Circa lugentes verò nihil tale dici potest, sed multa quidem disciplina, multa verò modestia. Simul enim quispiam domus mortuum habentis vestibulum ascenderit, mortuum intuitus mutum jacentem, & uxorem crines vellentem, radentem genas & brachia secantem, corripitur, tristatur & considentiū quisq; ad proximum nil aliud loquitur, quam quod nil sumus, & malitia nostra ineffabilis est.* Hæc Chrys. qui hoc in eadem hom. exemplo civitatis suæ, Antiochiæ, confirmat. Peccaverat illa in Cæsarem, violando & lapidando ejus in foro statuas. Quo intellecto misit Cæsar Judices & milites in civitatem, ut eam condignis pœnis plecterent. Jamq; fiebant examina, torturæ, cædes in reos. Hinc luctus & lamenta in tota civitate; desiit vicissim omne gaudium, risus, convivia, choreæ. Hac igitur captata occasione sic ad eos concionatur. *Quot sermones impendimus, torpidorum multos admonentes & consulentes, ut theatra, & illinc prouenientes lasciuias dimitterent? & non obtinebant, sed semper usq; ad hunc diem ad illicita saltantium spectacula concurrebant, & diabolicam concionem aduersus Dei Ecclesiæ plenitudinem constituebant, & hujus loci psalmodiis clamores inde cum multa delati vehementia obstrepebant. Sed ecce tunc tacentibus nobis & nihil de hoc dicentibus, sponte Orchestram obstruxerunt, & circulus inaccessibilis factus est. Et ante hæc nostrorum multi ad illos currebant: nunc autem illinc omnes ad Ecclesiam confugerunt & nostrū laudant Deum. Vides quantum ex timore lucri factum est?* Et mox: *Sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente; illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur timoris imperio undiq; exacta.* Sic ille. Idem apparet, cum in aliquam civitatem pestis insolentius grassatur. Quam ibi omnia silent & conticescunt cantica, choreæ, symposia, risus, clamores! quantus omnium ad templa, orationem & confessionem concursus! Quis horum causa? Mortis timor. Atq; hic ipse est, qui continuit Susannam, ne assensum daret in nefarium opus. *Si enim hoc egero*, inquit, *mors mihi est.* h. e. mihi velut adulteræ imminebit mortis supplicium. Dan. 13. Quin imò larva mortis ficta, seu ut alii volunt, cranium hominis mortui in mensa statutum, ut solebant facere Ægyptii, potuit convivas continere in modestia, & absterrere à temulentia; ut auctor est Herodotus l.2. quid ni Christianos idem mortis timor coërcere ab omni scelere queat? Atq; hæc est concio defuncti Abelis; nec non etiam istius, quem præ oculis habemus: qui si vivens prius nihil nos docere potuit, certè jam nervosè instruit, ac docet, quam fugax sit vita hominis, quam fallax omnis caro. Movet etiam potenter ad agendam pœnitentiam & fugiendum velis remisq; peccatum. Neq; dubitamus eum, cum adhuc viveret, hæc omnia secum diligenter expendisse, adeoq; ad beatam mortem per mortis doctrinam sese præparasse. Nihilominus quia facile contingit, ut non omnes maculas per pœnitentiam abstergamus, adeoq; reatus saltem pœnæ nobis adhuc adhæreat, habemus cui pro ipso preces fundamus,

&c.

EXHORTATIO XXVII.

Justorum mors pretiosa, peccatorum pessima.

THEMA.

Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus. Psalm. 115.

OStendit aliquando Deus Jeremiæ in visu duos ficuum calathos, in quorum uno erant ficus bonæ nimis, ut solent esse ficus primi temporis; in altero malæ nimis. Bonæ denotabant Hebræos illos, qui juxta voluntatem Dei cum Jechonia Rege suo transmigrarunt in Chaldæorum Regionem: Malæ verò eos, qui Deo inobedientes in Ægyptum secesserunt. Illos Deus reduxit in Patriam; isti vero perierunt. Hic sensus est ad literam: Morali sensu denotant bonæ ficus justos, qui moriuntur & abducuntur ex hoc mundo cum Deo propitio & in gratia: malæ verò injustos, qui hinc discedunt cum irato Deo, & in peccati statu. Illorum mors est bona & valde bona, juxta id Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus.* Istorum verò est mala, & quidem mala valde, juxta id Psalmi 33. *Mors peccatorum pessima.* Simile quid reperitur in ficubus: quæ enim maturescunt, sunt valde dulces; quæ verò non maturescunt, uti sunt, quas vocat Plinius libr. 16. cap. 25. *abortivas*, sunt valde insuaves. Verùm quia nos discrimen hoc tam magnum vix aut ne vix quidem advertimus: quibus rationibus id ostenditur? Id nunc exponemus.

Per bonas ficus justi: per malas denotantur impii.

I. *Justorum mors est matura: iniquorum autem immatura.*

I. Justorum mors est matura, iniquorum verò immatura. Et sicuti maturi fructus levi vento dejiciuntur, ac demum sponte cadunt: immaturi autem vi avelli debent: ita justi libenter, reprobi moriuntur illibenter. De justo dicitur Job. 5. *Ingredieris in abundantia in sepulchrum: sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* h. e. tempore messis, cùm est maturum. Unde Septuaginta sic legunt: *Venies in sepulchrum, tanquam frumentum maturum, quod in tempore messuerunt.* De impio verò dicitur Job. 15. *Antequam dies ejus impleantur, peribit.* Isti moriuntur cum difficultate, illi cum voluntate. Unde S. Augustinus tract. 19. in Epist. Joan. *Sunt homines*, inquit, *qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: qui autem desiderat dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur.* Illi vitam exuunt tanquam pellem suam; isti verò tanquam vestem suam. Hujusmodi erat pius ille Cardinalis Reginaldus Polus, qui cum audisset Henricum 8. Angliæ Regem impium & Schismaticum insidiari sibi, & 50000. aureorum constituisse sicariis, qui necem ei inferret, miratus Regis amentiam dixit: *Iam dudum se hujus vitæ tædio affectum mortem desiderasse, nec Henricum aliud agere, quam si quis ire dormitum cupienti, vestem velit ditrahere.* Sander. l. 1. de Schis. Angl. Econtra pinguis ille Amalecitarum Rex Agag, velut immaturus ad mortem, vitam quasi pellem suam ægre valde exuit, quando jam obtruncandus dixit: *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 5.

II. *Justorum mors est pacata: impiorum turbulenta.*

II. Justorum mors est pacata & serena: iniquorum verò turbulenta. De illis dicitur Psal. 4. *In pace in idipsum* (h. e. in spem resurrectionis, inquit Theodoretus) *dormiam & requiescam.* De istis verò dicitur Job. 36 c. *Morietur in tempestate anima eorum.* Ratio est, quia præviderunt antea mortem suam, adeoq; ad moriendum se disposuerunt: isti verò minimè, sed dum in mundi cogitationibus occupati sunt, ex improviso abripiuntur, velut porci cum jugulantur: Illi in faciem quasi, adeoq; suaviter cadunt: isti verò resupini in dorsum ruunt, & quia se juvare manibus objectis nequeunt, graviter terræ alliduntur. Illorũ mors est quasi nubes lucida, qualis apparuit in monte Tabor circa Christum: istorum verò tenebrosa & tempestuosa, quæ tonitrua & fulmina ejaculatur. Illi enim velut filii lucis cernunt in morte bona sua opera, & serenam conscientiam: uti pius Rex Ezechias, qui in extremis constitutus orabat: *Domine memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et S. Hilarion, cum moriens sibi dixit: *Egredere anima mea, quid times? Septuaginta propè annis servivisti Christo & mori times?* Isti verò velut filii tenebrarum recordantur scelerum suorum, ideoq; perturbati & salutis suæ immemores extinguuntur; uti Nantinus Comes Engolisnensis, qui cum in sancta loca, Deiq; ministros multa mala patrasset, morbo corruptus & nimia exustus febre clamavit dicens: *Heu heu ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus reminiscor injustè injurias me intulisse Pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento.* Hæc cum maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia hoc ei ad ultionem beati viri venisse: nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares cum prunis superpositum fuisse combustum. Refert Baron. anno 583. ex Greg. Turon. l. 5. Hist. Franc. cap. 36.

III. *Justorum mors est hilaris reproborum tristis.*

III. Justorum mors est hilaris, reproborum verò tristis. Illorum est instar cygni, qui moriens suaviter canit: istorum instar Sirenis, quæ in morte gemit. Ratio est, quia cygnus in vita nihil aut raucum & triste aliquid gemit: Siren autem vivens dulciter modulatur; idcirco jure merito vices in morte vertunt; ut cygnus cum Lazaro mendico lætetur in

extre-

extremis, qui vitam duxit in miseriis: è contra Siren ingemiscat moriens, qui vivens dulce cecinit. Ita qui vitam transegerunt in laboribus, ærumnis pro Deo exantlatis & lachrymis, dulciter obdormiunt in morte: contra qui ducunt in bonis dies suos, justè dolent in morte, quia descendunt ad infernum. Idem similitudine alia ostendit Ecclesiastes cap. 5. *Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Eundem in modum dulcis est mortis somnus benè operanti, justo, & sanctis laboribus fesso, sive divitiis in mundo abundet, sive pauper sit. At saturitas divitis h.e. ejus, qui mundi & carnis delitiis & divitiis se replevit, & vitam in otio, transegit, nec operibus bonis vacavit, sed peccatis se impendit, non permittit ei suaviter mori: sed affligit eum. Ita S. Bernardus serm. 41. ex parvis: *Bonorum,* inquit, *mors optima. Quoniam quidem fit ibi quies à laboribus, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate. Mors verò peccatorum pessima. Mala in amissione mundi, pejor in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni.* Ita mors justorum meta est laborum: unde Job cap. 14. vocatur *optata sicut mercenarii dies.* Reproborum verò est initium dolorum. Illa est *fida statio securitatis, & portus quietis,* uti appellatur à S. Ambrosio serm. de fide Resurrect. Ista est naufragium, & lapsus in mare tempestuosum. Hinc pii bono, & si non prorsus hilari propter mortis naturalem horrorem, saltem cordatè animo mortem amplectuntur, juxta id Psalmi 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* S. Maria d' Oignies, cum ei dictum esset: *Ibis in Sancta Sanctorum:* nec verba hæc utpote latina intellexisset, rem tamen advertisset, dicebat assiduè jubilans ancillæ suæ: *Ibimus in Sancta Sanctorum, dulcissima Clementia.* (hoc erat nomen ancillæ) Et quid sunt Sancta Sanctorum? Nec aliud dicere poterat præ gaudio; apud Card. Vitriaco in ejus vita. S. Franciscus allato sibi à Medico mortis nuntio, exclamavit: *Beneueniat soror mea mors; jussitque ut fratres ejus canticum Deo pro gratiarum actione dicerent.* Ut in speculo vitæ ejus c. 101. Contra peccatores malè sibi conscii de vita turpiter acta consternantur nuntio mortis, & quasi boves ictu uno corruunt; uti fassus est impius Antiochus, quando *arbitratus est se mori. Et vocavit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi & corrui corde præ solicitudine &c. Et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* 1. Mach. 6.

IV. [Iust]orum mors est odora & gloriosa: impiorum foetida & infamis

IV. Justorum mors est odora & gloriosa: impiorum verò fœtida & infamis. Testem habemus Salomonem Proverb. 10. cum dixit: *Memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* Verius id est, quàm ut demonstratione egeat. Tametsi enim viri boni, dum vivunt, non rarò à malis carpuntur & culpantur, post mortem tamen, prædomitante vi veritatis & piorum suffragio laudibus vehuntur: impii verò, qui in vivis honorabantur, in morte vel convitiis onerantur, vel saltem oblivione sepeliuntur. In mari mortuo Palesthinæ, lucernæ ardentes supernatant, extinctæ verò mox ad ima demerguntur, teste Josepho libr. 4. & 5. de bello, Egesippo, Plinio & aliis. Pari modo justi, qui gratia Dei accensi ardent, splendorem suum retinent, atque effundunt in posteros. Impii verò gratiæ lumine destituti merguntur & oblivione sepeliuntur. De Justis habemus testimonium in Moyse Ecclesiast. 4. *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est.* Idem de Josia Rege optimo Ecclesiast. 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarii: in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, ut musica in conuiuio vini.* Unde Babylonii cadavera humana melle condiebant, ut manerent incorrupta; teste Columella libr. 2. Xænophonte libr. 5. Tali melle dulcis memoria justi conditi manent in morte, juxta id Psalmi 119. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.* Thus quoque & pigmenta odorata cum incenduntur, suavem omnibus odorem afflant: ita pii cum moriuntur, odorem bonæ famæ undiq; spargunt. Unde quamplurima Sanctorum corpora post mortem, ante & post sepulturam, cùm fortè reperta & aliò translata fuere, miram odoris fragrantiam ediderunt. Denique sicut Musica recreat convivas, ita recordatio justorum, qui jam dormierunt, viventes demulcet atq; exhilarat. E contra nomen impiorum aut planè oblivioni traditur, aut fœtorem audientibus aspergit atque nauseat; uti impii illius Antiochi, de quo 1. Mach. 2. ait Mathathias: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est.*

V. Iustorum mors est tantum temporalis: impiorum autem æterna.

V. Justorum mors temporalis duntaxat est, impiorum verò perpetua. Etenim justorum mors somnus potius est, quam mors; quia uti dormiens corpore quidem ad tempus sopitus est, animo autem vigilat: ita justorum corpora ad tempus in sepulchro quiescunt, suo tempore resurrectura, animæ tamen coram Deo semper vivunt. At impii corpore & animo mortui sunt; quia etsi resurgent aliquando, ad mortem tamen æternam resurgent. Unde S. Augustinus l. 6. de Civit. c. ult. *Si anima,* inquit, *in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major & pejor est mors, quam ubi non moritur mors.* Item: *Summa mors animæ est alienatio à vita Dei, in æternitate supplicii,* &c. Et lib. 13. cap. 11. *In æterna pœna erunt homines nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes,* &c. Ratio est, quia injusti gerunt intra se fontem mortis æternæ, peccatum. Unde Sanctus Chrysost. in Psal. 110. ait: *Pretiosa est coram Domino mors Sanctorum ejus.* Alibi autem: *Mors peccatorum mala. Hoc dico*

malum, cum mala recedere conscientia & multis peccatorum curis onustum & grauatum. Qui enim purum habet conscientiam, is currit ad præmia, recedit ad coronam. Qui vigilat, quando fur domum suffodit, nihil perdit de rebus suis, nec aliud damnum accipit, nisi foramen unum in muro domus. Furem enim pellit. Ita qui tempore vigilans, h.e. in Dei gratia & bona conscientia constitutus reperitur, nihil aliud damni accipit, nisi quod corpus ejus perfoditur à morte: de vita æterna & bonis cælestibus nihil planè perdit. Unde tales non tam à morte, quam ab umbra mortis operiuntur, juxta illud Ps. 43. *Cooperuit nos umbra mortis.* De quo S. Greg. l. 4. moral. c. 17. ait: *Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra mortis dicunt operiri.* Tametsi ergò videas latera morienti transfodi, imò & mortem velut furem ejus domum ingredi, non æstimes eam esse verum furem, aut veram mortem; sed umbram mortis duntaxat, quia tibi vitam & vera bona minimè auferre potest: cum vigiles animo per gratiam, cum accensa lampade velut Virgo sapiens. Propterea in parabola illa decem Virgines dormitasse & dormivisse dicuntur. Quod intelligendum cum discrimine: Sapientes enim dormitarunt, q.d. parumper clauserunt oculos, moxq; iterum evigilarunt. Unde S. Chrys. legit: *Conniuerunt.* Fatuæ autem dormierunt ac planè obdormierunt. In prato Spirituali c. 72. refert Abbas Palladius Alexandriæ duos unius homicidii accusatos, & velut reos condemnatos ad suspendium fuisse, senem verè reum, juvenem Christianum innocentem. Cæterùm cum perventum est ad supplicii locum, senem petiisse ut suspenderetur versus templum Saturni, quod ibi erat dirutum: juvenem verò rogasse, ut velut Christianus suspendatur versus orientem, quò Christum ibi crucifixum præ oculis haberet. Suspensus igitur est impius senex, sed interim cursor Augustalis venit, qui juvenem Cæsaris mandato liberat. Vides hic senem à morte, juvenem ab umbra duntaxat mortis coopertum fuisse; quia ille reus, hic innocens; ideò ille ad Saturnum h.e. ad Diabolum, juvenem verò ad Christum perrexisse. Idem vel simile discrimen in morte justorum, & morte reproborum. Illorum mors pretiosa, quia innocentes; ideò per umbram mortis ad cælum evolant. Istorum verò pessima, quia velut rei per veram & sempiternam mortem descendunt ad tartarum. Illi ad summam gloriam, illi ad summam ignominiam. Jam quod attinet ad defunctum nostrum, non desunt nobis argumenta, quibus persuadeamur mortem ipsius, non modò non pessimam, sed nec malam; quin potius bonam & pretiosam fuisse. Quod in primis ostendit vita ipsius laudabiliter peracta, communis omnium sensus, qui viventem norunt & amarunt, deniq; sedula ad ultimum conflictum præparatio, &c.

EXHORTATIO XXVIII.

Quid agendum ut benè ac placidè moriaris.

THEMA.

Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.
Num. 23.

COmmune perquam multis vitium est, quod arguitur Prov. 15. *Vult, & non vult piger.* Quâ verò ratione? Id explicat D. Hieron. cùm ait: *Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, non tamen pati pro eo: delectant præmia cùm pollicentur: deterrent verò certamina, cum jubentur.* Certè nemo est, qui non benè cupiat mori: interim pauci sunt, qui benè velint vivere; quia nim. benè mori, felicitas est, benè autem vivere, laboriosum est. Hujus farinæ erat Balaam ille, malus Propheta, qui cùm vidisset castra Hebræorum, quibus maledicere debebat jussu Regis Balaac, vertit stylum & benedixit illis, addiditque: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23. Mori cupiebat cum Hebræis: sed vivere cum illis noluit; nam victus tandem avaritia pessimum consilium dedit Regi Balaac ad decipiendos Hebræos; sicq; tandem in strage periit cum Moabitis. Non absimili modo princeps quidam hæreticus aut politicus potiùs, teste P. Corn. à Lap. in c. 23. Num. dicebat *malle se viuere cum Caluinistis, sed mori cum Catholicis.* Verùm sanius dixisset: Quandoquidem mori volo cum Catholicis, volo & cum ipsis vivere. Pari igitur ratione dico: Qui vult benè mori, curet ut benè vivat. Sed quid potissimum agendum in vita, ut bonam beatamq; mortem consequamur? Hoc nunc videndum. Placidè ergo morieris.

Quidam volebat viuere cũ Caluinistis sed mori cum Catholicis.

I. Si antè mortem sæculo moriaris. De hoc intelligit S. Ambros. id, quod legimus Apoc. c. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Interrogat enim Ambrosius: *Quis mortuus mori potest? Nullus nisi prius animam accipiat. Illi sanè sunt beati, & illi mortui in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo postea carni.* Qui mundi amori affixus est, bis mori debet, prius mundo: ut eum deserat: postea carni suæ. At qui mundo jam mortuus est, semel tantum moritur, carni videlicet. Qui in lucta non teneri & prosterni ad terram vult, sed vincere hostem cupit, vestes prius exuat, quibus teneri & ad terram affligi potest. Mors luctator nudus est, nudus ergo & ille sit, qui cum eo luctari vult. Hinc Elias è mundo discedens pallium abjecit, cum in curru igneo in altum veheretur. Eccur verò? Respondet S. Hieronymus epist. 34. ad Ju-

I. Si ante mortem sæculo moriaris.

ad Julian. *Elias ad cælorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* q. d. mundana vestimenta ad hoc cæleste iter impedimentum ei fuissent potius, quàm subsidium. Similiter S. Ambros. l. 3. de Virginibus explicans id sponsæ Cant. 5. *Tulerunt* (custodes civitatis) *pallium meum*, ait: *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat, ut Deum visura mundo corde gradiatur.* Quando racemorum styli necdum aruerunt, sed succo adhuc pleni virent, vinum cùm premuntur, acrimoniâ suâ corrumpunt, & haustum acerbum gignunt; si verò aruerunt, indicant uvas maturuisse, & dulce vinum afferunt. Ita omnino cor tuum, si mundo necdum aruit, sed acerbo ejus succo adhuc imbutum est, acerbam & funestam tibi faciet mortem: suavem è contrà, si mundo jam exaruit! Idem cernere est in aliis arborum fructibus: cùm stylo eorum exsucci fiunt solis ardore, sponte ex arbore cadunt; vi alioquin avelli debent. Hujusmodi fructus ad mortem æquo & hilari animo excipiendum fuére SS. Nereus & Achilleus cùm Domitillâ martyres, de quibus S. Greg. hom. 28. in Evang. scribit: *Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, salus continua opulenta in rebus, fæcunditas in propagine, tranquillitas in diuturnâ pace, & tamen cùm in se ipsa floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat.* Talis etiam erat S. Monica, quæ cùm infirmaretur, mori cupiens filio Augustino dixit: *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector, in hâc vitâ, quid hic facio?* Sicque placidissimum spiritum reddidit, apud August. in Confess. l. 9. c. 10. Si tu Christiane ita comparatus fueris, ausim tibi polliceri bonam, placidamque mortem.

II. *Si bonam habueris conscientiam.*

II. Si bonam habueris conscientiam, post exactam disquisitionem. Ita enim docet Salomon Prov. 28. cum ait: *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo confidens absque pavore erit.* Aristoteles l. 5. animal. c. 13. scribit; *Leo in venatu dum cernitur, nunquam fugit aut metuit: sed etiamsi venantium multitudini cedere aliquando cogitur, sensim pedetentimque discedit, crebrò subsistens atque respectans.* Eodem modo justus, cum in mortis periculo quasi in venatu est & á canibus infernalibus allatratur, non tamen fugit aut metuit; quia instar leonis fortissimum caput habet, Christum sibi per gratiam præsentem; novit etiam vires suas, & cedit quidem mortis viribus, sed è vitâ non tam fugit, quàm sensim se subducit. Ita S. Ambrosius ad suos cives lectum ejus circumstantes moriens dixit: *Non ita inter vos vixi, ut mori me pudeat, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Ita Costerius in ejus vitâ. En tibi leonis hujus caput forte: quia bonum Dominum habemus. Leo dormit apertis oculis, quasi in somno etiam cernat & adversarios terreat. Talis erat S. Paulus cùm Act. 23. in Concilio Sacerdotum sibi infensorum velut inter latrantes canes vinctus stans, se defendit. Ait enim: *Ego omni conscientia bona conversatus sum antè Deum usque in hodiernum diem.* Et hoc dixit: *intendens in Concilium*, ait S. Lucas, seu ut sonat vox Græca *antenisas* h. e. *fixis oculis intuens.* q. d. animo intrepido; qui enim sibi timent, oculos demittunt, nec intueri, fixo possunt oculo Judices. Bona igitur conscientia sic animavit Paulum, ut Judices mortem sibi machinantes nulla ratione timeret. Idem videre est in S. Petro, qui vinctus in carcere, & postridie educendus ad supplicium ab Herode, ea nocte suaviter dormivit, & tam profundo somno, ut Angelus non nisi percusso ejus latere excitare eum potuerit. Act. 12. *Altè namque dormiebat*, ait S. Chrysostomus: *nec arbitror, quod Angelus eum percussisset, si voce excitare potuisset.* Non dubitandum idem evenire aliis, qui bona pollent conscientia, ut nimirum suaviter obdormiant, & hostem illum tartareum, etiamsi forsan tempore mortis comparcat, nihil metuant, sed potiùs cùm S. Martino jam morituro objurgent: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies.*

Iusti moriuntur instar leonis.

III. *Si mortis horam & dolores sæpius prægustes.*

III. Si mortis horam & dolores sæpiùs prægustes, ac si fieri potest, cum Apostolo quotidie moriaris, præcogitando mortem. Hoc est, quod monet Christus in parabola decem Virginum, cùm ait eas *obviam ivisse sponso*: & rursum quando *clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Qui enim obviat alicui, non vult expectare adventum ejus, sed priùs ad ipsum ire. Unde Auctor Op. Imperf. in eum locum hom. 52. sic scribit: *Sicut qui obviam vadit alicui, in via stat & expectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum: sic debet vivere in hoc sæculo quasi peregrinus: & non in suis, sed in transitu positus. Propterea & Iudæi exituri de Ægypto, expediti & præcincti agnum jussi sunt manducare, & ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicunque nostri agni Eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo.* Jam qui intrepidus hosti obviat, pavorem ei injicit: qui verò eum fugit, audaciam illi præbet. Miro modo hoc designavit Jonathas, quandò ex improviso invasurus stationem Philisthinorum, ad armigerum suum dixit: *Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* 1. Reg. 14. Atque, ut dixit, evenit. Provocatus enim ad ascensum Jonathas, ascendit & percussit eos. Philisthæi exponuntur conspersi cinere. Statio ergo Philisthinorum statio mortis est, ubi in cinere omnia consistunt. Hæc si tibi in corde tuo dixerit: *Mane, donec veniam ad te: Ede, bibe, lude, securus esto, satis erit de morte cogitare, quando ea venerit*; malum hoc signum est; obrueris enim à morte, & miserè opprimeris. De talibus enim dicitur: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Psalm. 54. Quomodo *viventes?* Quia prius per mortis præcisionem mori noluerunt. At si dixerit: *Ascende ad mortem,*

mortem, obviam ei perge, para te ad moriendum quotidie, faustum erit signum. Hosti enim cor & vires adimes, eumque nullo negotio superabis. Ita Christus Dominus, quando suis hostibus in Oliveto obviam ivit, uno verbo omnes consternavit, & ad terram allisit. Propterea etiam Christus; antequam ibi obviaret eis, priùs *frequenter illuc convenerat cùm discipulis suis*, ut ait S. Joannes cap. 18. quasi ad stadium pugnæ, ut in eo exerceret, & ad pugnam animaret. Ita solent equi ad hastiludium agitandi, priùs in hyppodromum duci, ut propositam sibi statuam seu larvam crebro aspectu discant non horrere, & refugere: Tunc enim nihil ampliùs territi, ad oppositam sibi larvam currunt. Idem accidit iis, qui se in meditatione mortis frequenter exercent. De militiæ Romanæ tyronibus scribit Vegetius lib. 1. cap. 18. *Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hoc juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere; hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultibus prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.* Nullus est tam tumultuosus atque periculosus, quàm supremus cùm morte conflictus, ubi & mortis & Judicis timor, & conscientiæ remorsus, & vitæ amor, & morbi dolores, aliæque miseriæ morientem impugnant. Ibi in *equum* mortis *pallidum* (qui visus Joanni in Apocalypsi c.6. visus est, *cui insedebat mors*) insilire oportebit. Et quis hoc in eo tumultu commodè præstabit, qui in tali meditatione se priùs non exercuit? Illi verò milites, qui pacis tempore cogitarunt quæ sunt belli, & ad hunc ascensum se probè assuefecerunt, non difficilè id efficient. Hujusmodi miles fuit inter alios B. Godefridus ex comite Cappenbergensi Monachus Præmonstratensis, qui, *frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: ô si veniat hora illa nostri transitus! ô si ad hanc horam aptare & praeparare me digneris Domine Deus meus!* Sic effecit ut venientem mortem magna confidentia intrepidus, imò vehementer exultans exciperet, fratrem suum germanum mærentem verbis his consolans: *Idcircò mi frater universa propter Deum abdicavimus, quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros, hoc est, morituros certissimè noveramus, præoptantes atque satagentes, ne hujus nos procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc à corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem gaudentes & gratias agentes, quòd de labore ad requiem, de miseria ad beatitudinem transmigramus.* Ita in ejus vita apud Sur. 13. Jan.

IV. *Si benè vixeris benè & morieris.*

IV. Denique si benè vixeris, benè etiam & placidè morieris. Ita enim Sapiens testatur, *Justorū animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* De injustis verò subiicit: *Nationis iniquæ, diræ sunt consummationes.* Sap. 3. Quale corpus, talis umbra. Umbra asini repræsentat asinum, hominis hominem: Vivis ut asinus? morietis ut asinus. Vivis ut homo? morieris ut homo. *Vita in delitiis agens,* inquit S. Bern. serm. 48. in Cant. *& mors est, & umbra mortis.* Ferunt Philosophum quendam forum nundinariorum lustrasse, & inter jumenta vænalia quæsivisse asinum, qui pulchram equi caudam haberet. Sed derisus à nundinatoribus audit: *Stulta est inquisitio tua.* Tum Philosophus: *Stulti estis vos, qui post bestialem & asininam vitam, pulchram & speciosam mortem expectatis.* Refert Fr. Labata in Apparatu Con. tom 2. v. Mors. Sic factum Jechoniæ, degeneri optimi patris Josiæ filio, qui librum Legis, cujus lectione Pater ingemuit & lachrymas fudit, scidit & in ignem abjecit; à Nabuchodonosore occisus & insepultus est abjectus, uti prædixerat ei Jeremias c.22. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & projectus extrà portas Ierusalem.* E contrà Elias, quia zelo honoris divini plenus *surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, ut dicitur Eccl. 48. Idcircò in curru igneo & equis igneis avectus est è mundo 4. Reg. 2. Summa qualis vox in sylvam emittitur, talis reverberat echo. Qualis vita, talis mors. Desipuit igitur Balaam ille, qui optavit benè mori, elegit interim malè vivere.

Mors est umbra vitæ.

Mors est Echo vitæ.

Jam verò ex hoc discursu colligimus defunctum nostrum fælici morte vitam, quam piè & honestè vixit, clausisse; adeoque etiam confirmamur in sententia nostra, quandò advertimus eum placidè quoque, & cùm optima spe salutis animam Deo Creatori suo commendasse &c.

EXHORTATIO XXIX.

Triplex ad mortem dispositio.

THEMA.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives Isa. 38.

INter alia Pythagoræ symbolica & sapientia monita celebratur etiam illud. *In poculi fundo residuum non relinque.* Mea sententia ad literam, quia residuum illud tetro quodam odore poculum imbuit, & bibentibus indè nauseam parit, sed videtur sapiens ille Philosophus altiori sensu doctrinam hanc intellexisse, nim. ut in fine vitæ nostræ nihil relinquamus, quod aliis parere fastidium, nobis verò tetrum aspergere nominis odorem possit. Quod sanè fit, si quis rebus & facultatibus suis malè dispositis ex hac vita discedat. Quid vitæ hujus usura, nisi haustus unus est poculo mūdi est? In hoc ergo nihil remanere debet, quod sit offendiculo. Et propterea Deus Regi Ezechiæ misit Isaiam Prophetam, qui diceret ei: *Dispone domui tuæ; quia morieris tu, & non vives.* Isa. 38. q. d. Nihil relinquas in domo tua indispositum, ex quo posteri tui offendi queant, & nomen tuum laboret. Jam verò

Vita nostra est velut haustus unus ex poculo mundi.

verò si hoc Regi dicitur, qui nulli hominum erat subjectus, adeoque neminem quem timeret, habebat, sive ab intestato, sive testatus moreretur, quantò magis hoc sibi dictum èxistimabit alius quisque legibus subjectus; Certè qui turbatis rebus suis ex hac vita abit, non modò posteros affligit, sed præterea etiam animam suam non levi pondere premit. Itaque videamus cui domui, & quomodò disponendum sit ante mortem. Triplex potissimum hominis Christiani domus est. Prima Spiritualis & interna, conscientia, in qua solus ipse habitat unà cum operibus suis, sive bene sive malè gestis. Altera materialis & artefacta, in qua habitat cũ familia sua. Tertia est cælestis, in qua se habitaturum sperat cùm electis. Omnibus his disponendum est; ac

Tres sunt hominis Christiani domus.

I. *Domus Conscientiæ propriæ: in ea bene omnia ad amussim disponi.*

I. Conscientiæ propriæ, ut in ea benè omnia sint composita & ad Deum ordinata. Dæmoniacus ille apud Gerasenos Luc. 8. in domo non manebat, sed in monumentis; quia ut exponit S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. cap. 3. *homo improbus in conscientia sua non requiescit.* Nam conscientia, omnis expers mortiferi sceleris, domus est ex Augustini sententia, in qua vir justus magna cum quiete quiescit. Hæc igitur antè omnia ad pacem componenda est priusquam moriaris. Et sanè hæc non solum prima, sed & unica cura fuit Ezechiæ, ut pacem haberet in conscientia sua. Intellecto enim mortis nuntio, convertit faciem ad parietem & oravit ad Dominum: moxque perlustrans incolas conscientiæ, opera sua: *Domine memento quæso, quomodo ambulaverim coram te.* Hæc etiam sola & maxima cura fuit conversi latronis, ut peccatorum suorum veniam obtineret, cùm oravit: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Quæ verba notans S. Aug. serm. 119. ait: *Quàm citò eum replevit spiritûs Sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse, quod sentit: gravius tamen intelligit esse, quod metuit.* Non attendit ad dolores, non petiit liberationem à cruce: solùm de altero sæculo solicitus erat, quomodò appareret coram Judice Deo. Idem fecit Achab quantumvis perversus, cùm audiit ab Elia latam in ipsum mortis sententiam. *Scidit enim vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam jejunavitque, & dormivit, in sacco & ambulavit demisso capite.* Sicque placavit iratum sibi Deum. 3. Reg. 21. Non dissimili arte effugit mortem Dionysius Tyrannus; cùm enim mercenarii quidam eum circumvenissent ut interficerent, illi miserabili veste amictus prodiit, comamque pulvere aspersit, & potestati militum suam vitam commisit: illi autem flexi sordidati Regis aspectu salvum & incolumem dimiserunt, sic legimus in Pol. l. 5. Multò magis inveniet gratiam apud Deum, qui per seriam pœnitentiam, & sui abjectionem antè mortem ad Deum recurrit, & conscientiam suam à peccatis expurgat. Quod etiam fecerunt viri etiam optimæ vitæ, quia existimabant se fundum, domûs non satis perspectum habere. Ita S. August. æger decumbens psalmos pœnitentiæ præscribi sibi in conclavi jussit, & continuò eos cum lachrymis perlegit, asserens sine pœnitentia neminem, quamvis nullius sceleris conscius quis esset, migrare ex hac vita debere. Præterea cùm ægrotabat, neminem ad se præter Medicum, admisit, ut solus cum Deo ageret. Ut est in ejus vita apud Paulin. Cui addamus Ferdinandum Castellæ & Legionis Regem, qui anno 1065. sentiens se deficere, deferri ad Ecclesiam regio ornatu petiit, ibique fixis genibus Regnum Deo resignavit, exuens Regalem chlamydem, deponens gemmatam coronam: & pro chlamyde induit cilicium, pro diademate aspersit se cinere, sicque biduo ante altare vitalem egit pœnitentiam, tandemque inter manus Episcoporum tradidit spiritum. Bar. anno 1065. ex Luca Tudensi.

II. *Domus materialis seu Familia: in ea sic omnia disponenda ulli fiat injuria.*

II. Domini Materiali seu familiæ. Eò namque ad literam spectabat admonitio Ezechiæ; & tangit omnes, qui temporalia fortunæ bona sibi ad dispensandum à Deo commissa acceperunt, ut reddant unicuique quod suum; certi alioquin reddendam sibi apud Deum rationem, si quem defraudarint, vel inter hæredes suos neglectu dispositionis discordias seminarint. Hæc sedulitate lustravit domum suam senior Tobias, quandò audiens in domo sua balantem hædum, mox interrogavit, unde nam venisset? *Videte*, inquit, *ne fortè furtivus sit; reddite eum dominis suis.* Tob. 2. Quare inprimis curet quisque exsolvere, si quæ habet debita, ne cum servo illo debitore *conjiciatur in vincula, donec reddat novissimum quadrantem.* *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; si, ut dixi, restitui potest.* ait D. Aug. ep. 54. ad Maced. Talis enim, qui avaritia victus non restituit, non est dispositus ad capiendam gratiam. Exemplo hoc illustrat Cæsarius l. 11. c. 35. dum refert Monachum quandam; qui nautæ, à quo per Albim Saxoniæ flumen transvectus fuerat, promissum naulum, dimidiũ denarium, reddere neglexerat, pòst mortem ab ingressu cæli impeditũ fuisse; eò quòd naulum illud adeo crevisse ei videretur, ut mundo majus appareret, adeoque sursum tendenti obsisteret. Socrates in hist. Trip. l. 1. c. 10. scribit Spidioni Tremithuntis Cypriorum Episcopo fuisse filiam Irenen, cujus notus quidam depositum aliquod crediderat. Illa sumens depositum, sub terra recondidit; ubi cautè custodiendum existimavit. Contingit interea mori puellam, nihil ea de re patri confessam. Venit homo depositum repetens. Quod cùm Spiridion nusquam invenisset, perrexit tandem ad sepulchrum puellæ, eamque interrogavit, an, & ubi depositum deposuisset. Annuit illa, & indicavit locum. Sic repertum est dep ositum, & suo domino restitutum. Tanti est hæc res, ut etiam defuncti ad jus hoc evocati comparere debuerint. Quòd etiam de Petro à Sancto Stanislao ad vitam revocato refertur in ejus vita,

nec

necnon de Euphrosyna, quæ Donato Episcopo ex sepulchro respondit, ubi fisci pecuniam Euphrasio marito concreditam abdidisset; apud Adonem Trevirensem in Martyrol. 7. Idus Aug. Taceo periculum, quod imminet hæredibus, si injusta bona eis relinquantur, ipsis saltem scientibus. Hinc enim damnatam se asseruit mater B. Mariæ De Oignies, filiæ apparens: *Enutrita*, ait, *fui, & vixi in his, quæ per injusta mercimonia & usuras acquisita fuerunt, & conscia mihi mala ablata non restitui.* Refert Thomas Cantipr. l. 2. Apum c. 46. Deinde attendat, ut inter hæredes ita sua distribuat, ne discordiæ oriantur, & maledicta in testatorem conjiciantur. Meminerit Christum ad mortem pergentem dixisse ad suos: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quam ob causam 4. Reg. 20. dixit Isaias Ezechiæ: *Præcipe domui tuæ*; pro quo Isa. 38. legitur: *dispone domui tuæ.* Quia enim mortem intestati consequuntur ut plurimum dissidia & incommoda multa, potest testatus ea præscindere, si præcipere suis pacem velit. Præterea quæ per se ipsum exequi potest, non committat hæredibus, præsertim pro animæ suæ remediis. Si enim ipse pro salute sua nihil disponit, quomodo pro aliena præstabunt aliquid hæredes? Audiant quòd refert noster Bened. Fernandius in cap. 50. Genesis his verbis: *Mortuus quispiam est, qui summis in vita laboribus ac sudoribus copiosam admodum filio substantiam reliquit: lætus quidem sibique blandiens, quòd filium relinquebat diuitem, qui & patris conscientiæ onera leuaret, & animæ in purgatorio agenti per eleëmosynas diuinaque sacrificia opem ferret, atque adeò patris testamentum exequeretur integrè. At miserum sua fefellit opinio. Filius quippe prorsus immemor patris, nec illius testamentum curauit, nec animæ vel unum sacrum aut obulum stipis, erogauit. O planè saxum! ó stipitem! ó feram! Vicinus ergo, qui patri mortuo amicus fuerat, adolescentem objurgat, quòd nullam defuncti patris, à quo amplum acceperat Patrimonium, haberet curam, nullam omninò recordationem. Quid verò iste? Non patris*, inquit, *memini, patris curam non habeo, nec ubi & quomodo agat, mea interest; Nam si jam cælo donatus pater fruitur Deo, nullius à me indiget subsidii: si verò damnatus apud inferos cruciatur, nulla jam est redemptio: frustra fient, quæcunque pro illius anima filius efficiam. Denique si lustralibus flammis in purgatorio torquetur, cùm sit jam sempiternæ salutis omnino securus, patienter ergo sustineat, quoadusque solutus in cælum evolet.* Ecce vobis parentes, qui totum vestrum sudorem in filios vestros effunditis, & pro vestramet anima nihil reponitis.

Testator debet curare, ne ex suo testamento oriantur lites inter hæredes.

III. Domui alterius sæculi, uti spes est, cælesti. De qua Eccl. cap. 14. ait: *Antè obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum.* hoc tempus bonorum operum aut meritorum comparandorum. Quando Josue transiturus erat cùm populo Israël, Jordanem, præcepit ei: *Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Iordanem. & intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.* Jos. 1. Quando igitur tempus imminet, quo vestrum quis transiturus est ad alteram vitam, quid agendum vobis putatis? nónne pro altera vita merita comparanda erunt? Ita enim explicat verba Josue Rupertus Abbas in eum librum c. 8. *Præparate vobis cibaria, providete fructus dignos pœnitentiæ: thesaurizate fidem, comportare spem, reponite vobis charitatem. Hæc enim cibaria vitæ æternæ sunt. Post diem tertium transibitis Iordanem, id est, secundum negocium, vel opus diei tertii, de morte ad vitã, de hoste ad amicum, de diabolo transibitis ad Deum.* Facit huc, quod pius quidam Episcopus matrem suam docuit seniculam & avaram. Invitavit eam ad cænam, & ipsemet eam deduxit, sed nullo accenso lumine, cùm jam ingruerent tenebræ. Illa igitur à filio petit, ut curet præferri lumina. At filius, paulò post se curaturum ait, ubi ventum fuerit ad fossam, arcto ponticulo transeundam. At illa: Quin imò, jam statim cura lumina; quid enim, si inciderem in fossam, antequam feratur lumen? Et qui transibo eam sine lumine? Tum Episcopus. Ita mater mea, benedicis. Sed velim, ut tu etiam tibi sic consuleres, & morti tuæ per eleëmosynas, aliaque pia opera prospiceres, antequam ad fossam mortis, non sine maximo periculo transeundam, pervenias. Quî enim nôsti, quàm longè ab ea distes? Et quid si nunc incidas! Refert libellus Dict. & Fact. memorab. Sanè Joseph Patriarcha sibi & Regi suo in tempore providit de annona pro septem secuturis annis sterilibus. Quod quia alii non fecerunt, posteà gravissimè luerunt, ita ut se ipsos vendere Pharaoni in servitutem coacti sint. Gen. 41. Ita famem futuri sæculi prævenit vir pius & doctissimus simul Jo. Gerson Cancellarius Parisiensis, qui paulo ante obitum suum mille pauperes duxit ad summum templum Parisiis, Divæ Virgini sacrum, omnesque post distributam munificam eleëmosynam in genua procidere, atque hac communi voce aliquoties iterata divinam interpellare misericordiam: *Miserere Domine Deus Gersonis servi tui.* Refert P. Chavassius de prud. Christ. l. 4. Hoc idem suadendum esse morientibus docet S. Chrys. hom. 84. in Joan. *Cùm quispiam moriturus est*, inquit, *qui morituro familiaris est, illi comparet justa funebria, & discedenti ægroto persuadeat, ut indigentibus aliquid relinquat: cùm hic emittat indumentis, Christum hæredem relinquat. Nam si Reges hæredes scribentes, familiaribus partem relinquunt in puerorum cautionem: cum Christum cohæredem filiis tuis dimittis, intellige quantam tibi & illis concilias benevolentiam. Hæc sunt funera pulcherrima: hæc & remanentibus & obeuntibus proficiunt: si ita sepeliemur, in resurrectione clari apparebimus: quod si curato corpore animam neglexerimus, multa illic gravia perpetiemur, & multum ridebimur. Non enim parva est ignominia nudum & inopem virtutis hinc migrare: neque corpus insepultum projectum adeò ignominiosum videtur,*

III. Domus alterius sæculi, in spe, cælestis.

tur ut anima tunc carens virtutibus hanc vestiamus vestibus semper duraturis. Quod si in hâc vitâ neglegimus, saltem in morte nobis consulamus & ex rebus nostris nobis opem ferre per eleëmosynam curamus: sic invicem mutuo auxilio adjuti futurorum fiduciam habere poterimus, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria simul & Spiritui sancto in sæcula sæculorum Amen. Ita S. Chrys. 16.

Jam verò circà defunctum nostrum habemus, quod gratulemur ei de beato fine, cùm sciamus eum Domui suæ, de quâ diximus, triplici benè ac providè disposuisse: internæ quidem & spirituali quia de conscientiâ suâ emendandâ, & in tuto ponendâ comprimis fuit solicitus &c. Deinde in externâ Domo, & familiâ suâ ita omnia composuit, ut satis omnibus faceret: denique nec futuri sæculi, in quo domum æternitatis incolendam sibi sciebat, immemor fuit, præstanda ista & ista. &c.

EXHORTATIO XXX.

In Domino qui moriantur.

THEMA.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.

[M]alum [o]men erat [Ge]ntilibus [si] quis for[te] in sepul[ch]ra in[ci]deret.

INauspicatum omen apud Gentiles erat, si quis fortè in sepulchra incideret. Ita enim scribit Livius l. 30. Jussus è nautis unus ascendere in malum, ut specularetur, quam tenerent Regionem, cùm dixisset, sepulchrum dirutum proram spectare, abominatus est h. e. pro malo omine habuit Hannibal. Sed quid mirum est Gentiles, qui in præsenti tantum vitâ spes suas ponebant, sepulchri aspectu territos fuisse? Non ita nos Christiani, qui sepulchrum non ut januam mortis, sed vitæ potius aspicimus: adeoque non pro infausto, sed potius pro fælici omine habemus, incidere in sepulchrum. Sic enim in nobis maximè verificatur, quod ait Job. cap. 3. *Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer, cùm invenerint sepulchrum.* Solebant antiquitus thesauros recondere in sepulchra, tanquam ad loca Diis Manibus sacrâ, adeoque tuta. Ideoque thesaurorum effossores benè sibi ominabantur lætabanturque cùm in sepulchrum incidissent, quasi reperturi in eo thesaurum. Hunc thesaurum quærimus nos Christiani post mortem, ac proptereà gaudemus cùm ad sepulchrum accedimus, in quo thesaurum illum reconditum nobis esse benè ominamur; si modò in Domino moriamur. Ita enim ominatur nobis S. Joannes Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* In Christo videlicet. Cæterùm nunc quærat aliquis, quidnam sit in Christo mori, & quinam sic moriantur. Hoc igitur explanabimus. Notant S. Scripturæ interpretes dictionem hanc: *In Domino*, varios in SS. literis habere sensus, apud Cornel. à Lap. in Canon. Verb. ad Epist. S. Pauli can. 26. Aliquando enim significat, *in verbo vel jussu Domini*: alibi, *ad gloriam Domini*: non rarò, *in gratia Domini*. Omnes isti sensus; & moriendi modi bonis omnis sunt, reperturos thesaurum in cælo, qui ita moriuntur. Et.

I. Qui non injussi sed ad voluptatem & jussum Dei libenter moriuntur.

I. Qui non injussi, sed ad voluptatem & jussum Dei libenter moriuntur. Id enim si Ciceroni l. de senectute credimus, Pythagoras etiam Gentilibus præcepit: *Vetat*, inquit, *Pythagoras injussu Imperatoris*, id est, Dei, *de præsidio & statione vitæ decedere.* Cui accedit S. Ambrosius l. de bono mortis cap. 2. *Christus Rex noster est*, inquit, *& ideo quod Rex jubet, deserere non possumus, & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis, aut honoris specie aut muneris alicujus causâ jubet degere? Nunquid hi inconsulto Imperatore discedunt? Et quanto plus est divinis parere, quàm humanis? &c.* Reperiuntur tamen subinde aliqui, qui injussi, imò & contrà jussum Dei ex hâc vitâ discedunt. Quales sunt inprimis, qui ex pusillanimitate & desperatione mortem sibi inediâ, vel aliis modis asciscunt. Quos redarguit Eccles. c. 2. dicens: *Ne festines in tempore* (alii legunt, *in tempus*) *obductionis.* Quod explicat glossa interlinearis in hunc modum: *Ne fractus pusillanimitate tempus mortis exoptes.* Talibus enim responderi posset id, quod Bias cuidam ob liberorum amissionem invocanti mortem respondit? *Cur homo ipsam invocas? Nonne etiam si non vocaveris veniet?* Maxim. serm. 36. Ignavi isti milites sunt; injussu enim Imperatoris de statione fugiunt, uti etiam agnovit Aristoteles 3. Eth. c. 6. *Mortem*, inquit, *sibi consciscere fugientem vel inopiam vel amorem vel molestiam, fortis animi magnique non est, sed angusti potius ac timidi.* Et certè Athenienses manum ejus, qui sibi mortem intulisset, abscindebant, & sepulto reliquo cadavere, insepultam relinquebant; quoniam administra fuerat injustæ necis, teste Æschine orat. in Ctesiphontem. Desiderant isti, & accelerant sibi mortem velut malorum finem, & incidunt in multò gravius malum, severissimi judicii divini & supplicii æterni. Quibus proinde dici posset id Amos. 5. *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus.* Leo namque prostratis parcit, ursus in prostratos sævit. Huc etiam referri possunt, qui per intemperantiam cibi & potus vitam sibi abrumpunt, vel præcidunt. Et isti etiam stationem suam deserunt, ingenti suo periculo præsertim cùm in ebrietate moriuntur, ita ut Ecclesia vix permittat, ut pro iis oretur; in c. Audivimus de reliq. & Vener. SS. Quisquis ad Assuerum non vocatus accesserat, certissimam ejus indignationem & vitæ periculum incurrebat. Esth. cap. 4. Atqui tales sanè non vocati ad Deum Judicem intempestivè pergunt: meritò igitur ejus iram & periculum damnationis timere debent.

Qui ergo in Domino mori volunt, mori parati sint, quando á Domino vocātur & mori jubentur, uti Moyses, qui cùm audiit à Deo: *Ascende in montem istum Aberim, & morere in monte.* (Deut. 32.) mox benedicto populo ascendit, *& ibi mortuus est.* Deut. 34. Ita filia Jephte, quando audiit à parente Deo in sacrificiũ esse devotã, non fugit à parente, sed post impetratas duûm mensium inducias stitit se ad jugulum. Jud. 11. Simeon quoque Senecio non nisi petitâ & obtentâ à Deo licentiâ, per id: *Nunc dimittis servum tuum*; stationem hujus vitæ voluit deserere. Denique omnes illi huc pertinent, qui instante aut denunciatâ sibi morte paratos se se Deo sistunt, & quasi in holocaustum lubentes offerunt. Quò sanè referendus est latro ille, qui à Zosima receptus in monasterium, post novem annos piè exactos, habitum sæcularem à Zosimo repetiit, & obtinuit causam allegans; quia *aspicio,* dicebat, *sæpius puerulum adstantem & dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia; & cum ad communionem pergo, & in refectorio hæc eodem mihi dicentem: & vel unâ horâ non sinit me quiescere. Ideò itaque pater abire volo, ut pro puerulo patiar. Frustra enim & sine causâ occidi puerulum istum. Sumptis ergo vestimentis suis exiit. Et cum sic indutus pergeret, tentus est, & sequenti die decollatus.* In prato spirit. c. 166. Placent etiam Deo, qui post malè acta ad pænas luendas Deo se sistunt, & moriuntur cùm pænitentiâ.

II. *Qui mori potiùs eligunt, quam vel uno peccato Deum offendere.*

II. Qui mori potius eligunt, quam vel uno peccato Deum offendere. Ad quod in primis parata erat casta illa Susanna; & quidem infami supplicio lapidari, quam peccare in Deum. Dan. 13. Facto ipso præstitit mulier septies icta, quæ, ut scribit de eâ S. Hieronymus, supplicium capitis subire maluit Vercellis, quam mendacio se nocentem fateri; cum esset Innocens à temerari juvene sceleris accusata. Idque d. cretum fuisse primis Christianis omnibus scribit Justinus in apol. 2. mori scil potiùs quam mentiri. Et sanè hoc & aliis quibuscunque d. cernendum, cum ad rem iniquam provocantur. Cùm ergò infirmo offeruntur incantamenta vel remedia præstigiosa, eligat mori potiùs, sic enim *in Domino morietur. Satius est hoc pacto mori, quàm deserere pietatem,* inquit S. Chrys. l. 5. cont. Judæos orat. 5. Ubi tales etiam asserit martyribus esse proximos. *Quemadmodum enim illi,* inquit, *præoptarunt cædi flagris, torquerique ut ad honorem pervenirent: ita tu quoque hodie præoptâsti flagellari torquerìque à febri vulneribusq́ue, ne abjiceres pietatem non incantamentis, non applicaturis ac speciebus istiusmodi nutritus &c.* Huc referri possunt septem illi fratres Machabæi, qui extrema pati voluêre potiùs, quam prohibitis sibi cibis se contaminare. 2. Mach. Et 40. illi rustici qui cùm à Longobardis immolatas Idolis carnes edere compellerentur, ne Creatorem suum offenderent; maluerunt gladiis eorum concidi. apud S. Greg. l. 3. dial. c. 27. Denique sic in Domino occubuit S. Casimirus Poloniæ Regibus ortus, qui gravipressus infirmitate mori potiùs quam castitatis jacturam ex Medicorum consilio subire constanter decrevit. Ut est in Breviatio 4. Martii. Quin imò sic occubuêre omnes Martyres, qui ne impiis Tyrannorum mandatis parendo Deum suum offenderent, vitam suam & tormentis & morti infami exposuerunt, uti inprimis S. Stephanus, de quo expresse S. Lucas Act. 7. scribit, *obdormisse eum in Domino*, seu *propter Dominum*, ut explicat ex Græca Glossa interlinearis, Ambrosius & alii. Hoc enim pacto tradidit Deo pro tuendâ ejus fide animam suam quasi in sacrificium; quam proinde excepit Deus in manus suas; quemadmodum petierat: *Domine suscipe Spiritum meum.* Securè igitur & in Domino moritur, quisquis propter Deum ejusque gloriam asserendam quocunque modo occumbit. Unde ps. 36. dicitur de justo: *Si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Cadit igitur in manu Dei, à potiori, qui propter ipsum cadit in mortem,

III. *Qui moriuntur in negotio seu obsequio ac servitio Domini.*

III. Qui moriuntur in negotio seu obsequio ac servitio Domini. Quandò enim Domini negotia gerimus, si moriamur, utique ipsi & in ipso morimur: *sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Sic occubuerunt in Domino Alexandriæ Christiani, an. 263. qui peste laborantibus libentissimè ministrantes, mortem oppetiverunt; quos & Ecclesia ut Martyres celebrat pridie Cal. Martii. Quibus accenseri potest nobilis ille, quamvis alioquin flagitiosus nobilis, qui ut scribit celeberrimus apud Hispanos Concionator Philippus Diez. ser. 4. post Dom. 1. Quadrag. postquam à religioso verba hæc sibi observanda audisset: *Bonum quod tibi vis fieri, fac quoque proximo tuo*; eaq; sibi in opus redigenda conclusisset; *quadam nocte excepit in domo suâ ægrotum quendam pauperem: cui postquam cœnam bonam dedisset, jussit prope suum cubile lectum ei sterni, dicens: Si ego pauper essem, & ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Mediâ verò nocte cœpit ægrotus pauper clamare, & aqua haustum petere dicens, se gravi siti vexari Surrexit nobilis ille, ut haustum illi daret, dicens intra se ipsum: Si tantâ ege siti premerer, libenter viderem, si aqua haustus mihi porrigeretur. Descendit itaque ad cisternam, ut aquam afferret; & cum esset obscurum & in fervore illo acceleraret, impegit & cecidit intus, & ipso Domino permittente suffocatus est. Fuit casus extraordinarius quidem, sed & sensus & lachryma totius domûs fuerunt extraordinaria. Sed brevi tempore Deus lachrymas illas fecit exsiccari. Cum enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimum torquem aurium ad cellum suum incisis & elaboratis characteribus splendidissimis, qui hanc sententiam continebant: Antequam corpus hoc in aquâ refrigesceret, anima ejus jam fruebatur Deo.* Itaque dum iste in obsequium infirmi adeoque etiam Dei se se impendit, fælici planè sorte licet juxta sæculum infælici, *mortuus est in Domino*: quia servi it & Domino. Eandē fælicitatem contigisse Jo. Rastello Anglo, Soc. nostræ

Notabile exemplum exercentis illud: Quod tibi vis fieri alteri feceris.

nostræ, non dubitandum. Is enim cùm conclamato à Medicis Paulo Hoffæo Societatis Provinciali, pro eo victimam se Deo obtulisset per votum, ut si auctori vitæ videretur, Paulus viveret, ipse vicariâ morte defungeretur; ratam habuit Deus piam mentem Patris, qui vix ædem sacram exierat, ad quam pro Hoffæo peregrè supplicârat, cùm è vestigio morbo correptus & domum æger deportatus mortem post paucos dies oppetiit. Hoffæus illicò convaluit, & exequi munus suum perrexit. Refert in P. Canisii Matth. Raderus l. 2. c. 5.

IV. *Qui amore & desiderio Dei ad mortem se offerunt.*

IV. Qui amore & desiderio Dei ad mortem se offerunt; quo modò S. Paulus *desiderium* habuit *dissolvi, & esse cum Christo*; ad Philip. 1. non ex tædio vivendi, aut impatientiâ morbi, & ærumnarum, uti quidam imprudenter & stultè mortem exoptant, sibique precantur: sed desiderio fruendi Christo. Cujusmodi desiderio etiam tenebatur ille Episcopus, *ad quem cùm visitandum jam morti appropinquantem ventitasset S. Augustinus, & ille manus gestu se de sæculo exiturum significaret, atque ab Augustino responsum illi esset, adhuc eum Ecclesiæ necessarium vivere posse; ille ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, respondit ei: Si nunquam, bene: si autem aliquando, quare non modo?* Refert Possidius in vita sancti Augustini c. 27. Huic adnumerare possumus religiosum Sacerdotem, Basilium è cœnobio magni illius Cœnobiarchæ Theodosii: Hic enim cùm jussisset fodi & strui à fratribus pro proximè morituro sepulchrum, eo structo dixit: *Sepulchrum quidem paratum est; quis autem est ex vobis encænia ejus celebraturus?* Ibi è discipulorum numero prodiit Basilius & ad pedes Abbatis accidens: *Ego*, inquit, *hujus sepulchri primus celebrabo encænia.* Hic petiit, ille dedit. Jussit enim Theodosius omnia ipsi fieri, quæ pro defunctis solent, tertias, nonas & quadragenas Vigilias: quibus peractis Basilius sine omni morbo ac dolore sopitus obdormivit in Domino, & sepulchro suo encænia dedit: nec sine approbatione divini Numinis; Quadraginta enim diebus posteà visus est; in Choro fratrum horas sacras una cum eis decantare. Baron. & Metaphr. apud Sur. 11. Jan. Simili desiderio Lethbaldus è Burgundia in monte Oliveti desiderio sequendi Christum ad cælos indè ex alto accensus, exauditus eodemque die in hospitium suum reversus, sumpto S. Viatico & sociis itineris dulciter salutatis, emisit spiritum uti ex Rudolpho lib. 4. Hist. cap. 6. recensui in Auctario Conc. in F. Ascens. Th. 5.

V. *Qui benè ad mortem præparati, & salutaribus Sacramentis cõmuniti obierunt.*

V. Denique in Domino mori dici possunt, quicunque benè ad mortem præparati, & salutaribus Sacramentis communiti obierunt. Piè enim credi potest, tales in Dei gratiâ hinc emigrâsse, qui nihil ad salutem consequendam necessariam & congruum omiserunt. Sunt autem tria potissimùm arma, quibus si armatus fuerit moriens, benè sperare de victoriâ poterit, Pœnitentia, Eucharistia, & extrema Unctio. Quemadmodum enim David, postquam se armavit tribus præsidiis, fundâ cùm lapidibus, perâ pastorali, & baculo; benè ominatus est de superando Goliatho, dixitque se hoc modo armatum pugnaturum in nomine Domini 1. Reg. 17. Ita qui in primis ex ore quasi è fundâ ejaculatus fuerit peccatorum suorum lapides, in Satanam, per confessionem: deindè peram cordis sui cœlesti pane impleverit: denique baculo extremæ unctionis, partim ad firmandos gressus suos, partim adarcendum tartareum lupum sese munierit; næ is benè sperare potest, se in nomini Domini procedere ad ultimum illum conflictum, adeoque velut victorem in Domino moriturum. Quid enim his tribus munimentis efficiet? Fundâ pœnitentiæ prosternet hostem, perâ sacri viatici confortabit vires, baculo unctionis proteget gressus suos. Jam si senex ille Simeon postquam Salvatorem accepit in ulnas suas, jam lætus mori desideravit, quod eo præsidio satis se armatum crederet ad mortis luctam: Cur non & Christianus quisque meliori adhuc modo & fortiori armaturâ fultus mortem contemnat? Audiamus Origenem, Doctorem antiquissimum, orat. 15. *Si quis egreditur è mundo*, inquit, *si quis è carcere vinctorum dimittitur, ut ad regnandum vadat, sumat Iesum manibus suis, & circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu; & tunc exultans ire poterit, quo desiderat.*

Quæ cùm ita sint, jubent hæc, quæ diximus, magnam de defuncto nostro spem concipere, quòd & ipse palmam consecutus sit, adeoque in Domino vitam suam clauserit; quandò inprimis non injussu cælestis Imperatoris stationem suam deservit, sed imperio ejus vocatus: deindè instar Davidis, salutaribus illis remediis sibi providit, ut cùm hoste suo fortiter confligere, fidenterque congredi posset. Quia tamen in certamine tam periculoso vix sine accepto vulnere pugnatur, nostrum est, ut in eventum, quo pharmaco indigeret ad expiandas illas plagas, id ei liberaliter, & cùm magnâ charitate subministremus &c.

EXHORTATIO XXXI.

Mortis tyrannis.

THEMA.

Mors illi ultra non dominabitur. ad Rom. 6.

Pictores Mortem diademate & falce velut sceptro ornatam effigiant.

Magna quidem pictorum & Poetarum licentia est quodlibet audiendi, non caret tamen momento, quod effingunt & pingunt Mortem diademate coronatam, & falce velut sceptro metuendam, instar Regis aut Tyranni. Non enim frustra S. Paulus eam inducit jam velut Regem uti ad Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Et paulò post: *Unius delicto mors regnavit*: Jam velut Dominatorem ac Tyrannum, ad Rom. 6. *Jam non moritur, Mors illi ultrà non dominabitur.* Christo videlicet. Verùm licet Christo jam do-

minari

minari ampliùs nequeat videmus tamen eam dominari adhuc nobis. Eccur enim tot in ſingulos ferè dies mortuos efferimus, à Tyranno illo peremptos? Quis denique eſt tam potens, ut ejus dominatui & potentiæ poſſet reſiſtere? Fateamur hoc neceſsè eſt; ſciendum tamen eſt hanc ejus tyrannidem famulari potiùs, quàm dominari nobis, à quo Chriſtus eam guſtando debellavit, ita nimirum, ut ſemel quidem nos proſternere poſſit, poſteà verò dominari nobis ampliùs nequeat. Unde S. Chryſoſtomus ſerm.5. fer. 5. Cænæ Dom. ait: *Mors inuitis imperat, volentibus ſeruit.* Jam ergo ad cautelam noſtram ſpectemus ejus tyrannidem.

I.
Tyrannis Mortis nulli parcit.

I. Tyrannis iſta inevitabilis eſt, & nemini prorſus parcit; recurvâ enim falce ſuâ omne gramen demetit: nihil ejus falcem fugit. Sic enim ait: Apoſtolus ad Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Ubi Theophilactus legit: *Deſtinatum eſt.* q.d. *deſtinati omnes ad mortem ſumus, ſicut oues ad macellum*: quemadmodum & Apoſtolus dixit: *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Ad Rom. 8. Omnes alii humani caſus ſub incertitudine militant, præter mortis eventum. Cura tibi ſchema nativitatis ab Aſtrologo edici; & audies tibi denunciari: Aſtra tibi favent & promittunt tibi divitias, honores, vitam longam, niſi iſte vel iſte planeta interveniat. Nunquam verò audies, te non moriturum. Ferunt Alexandrum M. audiſſe aliquando, propè adeſſe Philoſophos quoſdam; atque illos advocâſſe, & de rebus dubiis interrogâſſe. Quos ubi ſapientes comperit, promiſit eis munera, jubens ut peterent. At illi: *Volumus, ut nobis immortalitatem dones.* Riſit ad hoc Alexander, inquiens: *Sapientes vos cenſebam, nunc verò ignorantes video. Quod enim mihi præſtare nequeo, qui ratione vobis dem.* Tum illi: *Vt quid ergo tanquam immortalis uniuerſum mundum turbas, ut eum tibi ſubjicias?* Refert Fr. Labata in Apparatu Conc. to. 2. Nimirum optimè nôrunt omnes ſe morituros eſſe; ſed interim quàm plurimi tam effrænatè & inſolenter vivunt, ac ſi immortales eſſent. *Si mortalis es*, ait Iſocrates, *ut mortalis viue.* At quid ergò multi immenſas conquirunt opes, munitiſſima ſtruere ſatagunt palatia; ſi brevi ſunt morituri. Audiamus D. Chryſoſtomum hom. 32. in Ep. ad Hebr. *In ciuitate, quæ eſt ruitura*, inquit, *nemo ædificat. Dic mihi rogo, ſi quis diceret fore, ut ciuitas poſt annum corruat, illa verò non omninò, ædificaret ne in eâ, quæ eſt ruitura? Quamobrem nunc quoque dico, ne ædificemus in hoc mundo. Cadent paulò poſt & peribunt omnia. Quid verò dico caſura? Ante ejus ruinam nos peribimus, & gravia patiemur, nos à nobis ipſis excedemus.*

II.
Mors non eſt perſonarum acceptor.

II. Omnia prorſus æquat, nec ullum perſonarum reſpectum habet, adeoque inſtar meſſoris flores omnes ſeu altos ſeu humiles, ſeu ſpecioſos ſeu informes falce ſuâ demetit: & pares facit, atque infænum convertit. Unde quidam apud D. Antoninum 4. p. ſummæ tit. 14. c. 8. §. 1. dixit, ſi in graviſſima cauſa Judex deligendus eſſet, qui neutri parti plus faveret, ad ferendam æquiſſimam ſententiam, ſe unam præ omnibus Mortem delecturum, ut quæ inter pauperem & divitem, nobilem & ignobilem nullum planè diſcrimen facit. Conſtantius Imp. Romam aliquandò aureo in carpento cùm triumpho invectus, cùm cives obviam factos contemplatus eſſet, miratus eorum ſplendorem & magnificentiam dixit, tot ſe videre Reges in urbe Româ, quot cives. Viſis deindè palatiis, Pantheo, templis, columnis, arcubus, aquæ ductibus, obſtupuit ac dixit; *Naturam omnes vires ſuas in hanc urbem effudiſſe.* Interrogavit deindè Hormiſdam Architectum ſuum, quid de Româ ſentiret. Qui id ſolùm ſibi placere dixit, quòd *didiciſſet Romæ æquè homines mori, ac alibi.* Refert Platina in Felice 2. Congruit hoc dicto quod Diogenes Cynicus Alexandro M. ſignificavit interroganti enim Alexandro, quid ita intueretur oſſa mortuorum? *Caluariam*, inquit, *& oſſa Philippi, patris quondam tui quæro, ſed inter plebejorum oſſa non diſcerno*, Magnum quidem inter homines diſcrimen, dum vivunt, cernitur quemadmodum & inter flores, dum in prato virent. Poſtquam mortis falce demeſſi ſunt omnes ſtipula & fænum ſunt. Hinc ni fallor, David à Scripturâ S. apellatur Rex, dum Regni gubernacula tenebat; aſt ubi mortis tyrannidi tributum ab eo ſolvendum erat, detrahitur ei nomen Regis, & præcisè dicitur: *Appropinquarunt dies Dauid, ut moreretur.* 3. Reg. 2. Et infrà. *Dormiuit igitur Dauid cum patribus ſuis.* Nimirum mors Regis titulum morienti ſuſtulit, & plebeis eum parem fecit. Jam ſi res ita habet, quid inflatur unus adverſus alterum: *Quid ſeruo*, inquit, Seneca l. 3. de ira c. ult. *quid Domino, quid Regi, quid clienti tuo iraſceris? Venit ecce Mors, quæ nos pares faciat.* Pulchrè etiam S. Auguſt. l. de natur. & Grat. *Reſpice ſepulchra & diſcerne, ſi potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi; memor utique naturæ ne extollaris.*

III.
Mors incautos opprimit, quando minimè ſibi cavent.

III. Incautos opprimit, quandò minimè ſibi cavent. Ut enim Tyranni fingunt ſe amicos, & ſimulant ſuis affabiles, permittit ut ditentur, & eleventur, poſteà repentè eos deſpoliat deprimit & extinguit: quo modo Auguſtus Cæſar Officialibus ſuis utebatur ut ſpongus: connivens eis, dum ditarentur, poſtea expilavit. Ita etiam multis diuturnum vivendi ſpatium concedit, & permittit, ut ducant in bonis dies ſuos; & libidini indulgeant, quaſi fædus & amicitiam cùm morte contraxiſſent ad extremum inopinato obruuntur, & deplumantur. Sunt enim aliqui qui in libertate & iniquitate ſuâ adeò ſecurè vivunt, quaſi fædus cùm morte iniiſſent, immunitatemque ab eâ emiſſent. Ita illi apud Iſa. cap. 28. dicunt: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Verùm mors fædus hoc facile rumpit, & repentè eos obruit, cùm in peccatis quaſi ſecuri dormiunt: quod expreſſit pſalmus 54. cum ait: *Veniat*

mors super illos,& descendant ad infernum viventes; quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum. Alii sic legunt: *Decipiat illos mors.* Eccur verò? Quia instar aucupis permisit eos pabulari in area, donec plures congregarentur, & securi simul indulgerent petulantiæ suæ, tum repentè adest in medio eorum, & reti suo involvit atq; obtruncat; Deo sic permittente & disponente in vindictam peccatorum. Quod verò addit: *Descendant in infernum viventes*; vult dicere tales ita opprimi, ut prius videant se in inferno constitutos, quam mori se adverterent. Huc facit quod sancto Jobo respondit Bald ad cap. 18. *Abscondita est in terra pedica ejus,& decipula illius super semitam.* Sed mira est impiorum cæcitas, qui laqueos & decipulas mortis non videant cùm pateant in terra & semitis, h.e. in sepulchris passim in oculos incurrentibus. Nimirum fædus, quod cum morte fecerunt, persuadendo sibi annos plurimos, eos cæcavit. Sic oppressit mors Jezabelem, è fenestra prospicientem & sese exornantem. 4. Reg. 9. Balsasarem & Principes Babylonios convivantes, Isa. 21. Holofernem vino ebrium, Jud. 13. Sisuram dormientem, Judic. 4. Divitem illum de horreis cogitantem. Luc. 12. Amanem aliis interitum struentem. Esth. 7. Alii apud Jobum cap. 21. dicuntur *tenere tympanum & cytharam,& gaudere ad sonum organi; ducere in bonis dies suos*, & subito *ad infernum descendere.* Benè igitur monuit Seneca: *Nescis quo loco te mors expectat: tu ergo in omni loco mortem expecta.*

IV. ors nulli rcit æta-

IV. Nulli parcit ætati, ita ut immaturos etiam abripiat, qui hanc lucem vix aspexerunt, juvenes, pueros, infantes. Hinc enim Psalm. 7. dicitur de ea: *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit arcum suum tetendit,& paravit illum, & in eo paravit vasa mortis.* Gladio igitur & sagittis utitur: gladio ad senes, qui propè sunt, mactandos: arcu ad juvenes & infantes, qui procul à mortis termino legitimo absunt, sternendos. Quod quę magis mirandum, gladium dicitur in senes vibratura: arcum verò in juvenes jam tetendisse, quasi celeriùs cupiat interficere, qui multos sibi dies promittunt, quam illos, qui mortem indies expectant. Quis audivit talem tyrannidem? Idem confirmatur ex eo, quod Amos 8. legimus, ostensum Prophetæ uncinum pomorum, additumque esse à Deo: *Venit finis super populum meum Israel.* Uncino solent carpi poma, quæ in alto & procul remota hærent. Tales verò sunt juniores, qui de morte adhuc nihil cogitant: & interim à mortis uncino repentè detrahuntur; quodque dolendum majore suo periculo, quam senes & adulti. Dejecta enim ex alto poma graviore casu ruunt, & in terra ferè colliduntur: non ita quæ ex infimis ramis decidunt. Sic nimirum juvenes ægrè & impatienter, ac ferè imparati moriuntur: non ita senes, qui tædio vitæ affecti mortem expectarunt semper. Unde illi in tempestate mori dicuntur Job. 36. *Anima eorum in tempestate morietur.* Alii vertunt, *in pueritia.* Poma etiam, quæ vi ventorum & tempestate abripiuntur, ægrè & periculosè decidunt, ad collisionem scilicet. In tali tempestate perierunt filii Job, quando illis convivantibus & bibentibus vinum, repentè ventus vehemens irruit, in domum, & concussit eam, oppressitque omnes Jobi filios & filias. Job. 1. Ecce convivantes obruit, cùm eos non opprimeret, dum subinde à parente vocati sanctificarentur. h.e. ad sanctitatem instituerentur. Idem contingit multis juvenibus; ut non evocentur, dum pietati vacant; sed dum lusui, potationi, & libidini operam dant. Quis fidat huic Tyranno?

V. Mors non parcit virtuti & pietati.

V. Non parcit virtuti & pietati; tam enim rapit pios, quàm impios; quod proprium tyrannorum est. Qua de re intelligi potest, quod Isa. 24. dicitur: *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea:& quemadmodum si quis vindemiat racemos.* Olivæ, dum excutiuntur ex olea, acerbæ sunt: racemi verò, cum colliguntur, dulces sunt. Isti bonos & pios, illæ malos & impios significant. Jam verò mors neutris parcit, sed prout in falcem ejus incidunt, ita eos demetit; quemadmodum & messor tam bonas secat herbas, quam malas; ut non vanè mors pingatur cæca; quasi nullo respectu proximum quemque invadat. Quinimo a justo initium suæ tyrannidis fecit, non occidendo prius Adamum, aut Cainum impium, sed Abelem justum. Cujus rationem hanc dat Theodoretus eo loco: *Si Adam prior obiisset, firmiore fundamento mors niteretur, primum mortuorum excipiens peccatorem. Quia verò primum recepit eum, qui injustè occisus erat, dubium fundamentum habet.* q.d. si prius peccatorem rapuisset, videretur jure suo velut Rex legitimus esse usus. At dum justum primò arripuit, ostendit se tyrannum esse. Et mirum est, quod Moyses, dum longam texit mortuorum seriē, & apponit singulis illā Epigraphen: *Et mortuus est*, de uno Caino id reticet. Nimirum de eo, ut reprobo non erat, quod dubitaremus, si mortuus est: de aliis autem quoniam in dubium venire poterat, affirmat singulatim. Itaque nec sanctissimi, uti ipse Christus, & Sanctissima ejus Mater, tyrannidem mortis effugere potuere. Taceo quod eosdem quandoque ita percelluerit, ut extrema quoque tentare ad tyrannidem ejus evitendam excogitaret. Ita enim Abraham ne occideretur, exposuit uxorem Saram violationis periculo, quando ei suasit, ut se sororem ejus diceret, si raperetur à Pharaone. Gen. 12. Elias quoque qui cælum clauserat, Jezabelis mortem sibi intentantis minas veritus in fugam se contulit, ac solum vertit. 3. Regum. 19. ut latè ostendit Sanctus Chrysostomus in Epist. 3. Neque hoc mirum, nam uti Sanctus Bernardus serm. de Villico iniquitatis ait: *Mors ipsa est crux horribilis, ad quam*

quam quotidie festinas, & non attendis. Vide, quomodo mors te crucifigit; Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat; cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescunt, facies exsudat, & morte tacta pallescit, &c. Hujus tyrannidis specimen videmus ante oculos nostros, in defuncto isto. Cui tamen ex hoc capite gratulari possumus, quòd hujus tyranni imperium jam evaserit. *Mortuus enim est semel, mors illi ultra non dominabitur.* Quod quidem Apostolus de Christo dixit, competit tamen & nobis, Christi membris, uti ostendit sanctus Chrysostomus hom. 17. in Ep. ad Hebr. *Quid,* inquit, *an non adhuc morte illi,* (qua Christus est mortuus) *morimur: Morimur quidem sed in ea non manemus, quod nec est quidem mori. Mortis enim tyrannis & verè est illa mors, quando mortuo non est amplius concessum, ut redeat ad vitam. Quando autem vivet post mortem, idque vita meliore, hoc non est mors sed dormitio.* Itaq; defunctus noster post superatam mortem jam dormit, quòd si dormit, salvus erit; quia suo tempore resurget ad vitam, ut speramus immortalem. Hujus enim spei fundamenta sanè illustria nobis reliquit, &c.

Quare cessent lachrymæ, foras tybicines & turba tumultuans lessum illi canens: *Non enim est mortuus, sed dormit.* Quod si tamen ejus somnum aliquid turbaret, quominùs plenè in altero sæculo conquiesceret, nostrarum partium est, communi precatione impetrare ei requiem, & dulci cordis affectu pro ultimo vale dicere: *Requiescat in pace.*

EXHORTATIO XXXII.

Cur tam multi ante maturam ætatem moriantur.

THEMA.

Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis. Jerem. 9.

MIrum est illud Mortis stratagema ad incautos opprimendos homines, de quo Jerem. cap. 9. ait: *Ascendit mors per fenestras nostras ingressa est domus nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis.* Ubi ad literam quidem loquitur de Chaldæis, qui Jerosolymam occupaturi & in domos civium irrupturi, indeque obvios quosq; maximè tamen immaturos ætate jaculis suis perempturi erant. Morali tamen sensu mortem nobis intentat; quæ & ipsa primò ascendere dicitur per fenestras, quia per occultas vias, quà minimè expectabatur, ex improviso sæpe nos adoritur. Per fenestras enim nemo existimatur facilè ingressurus: per januam intratur in domum. Deinde è domo, quam ingressus est, jaculatur in eos, qui foris sunt; qui & ipsi se in tuto esse putant, nec jacula è domo metuunt. Denique non in viros aut senes, sed in parvulos & juvenes sua jacula intorquet; qui illi, cùm à morte longiùs se abesse censent, ut plurimum feriuntur & mortis jacula incurrunt, quod testatur experientia. Plures enim immatura, quam maturâ ætate moriuntur, quod vel ex Evangelio colligi potest, in quo illi, quos à morte suscitavit Christus, omnes fuere juvenes, Lazarus annorum 30. ut scribit Epiphanius hæresi 66. Videmus idem in hoc mundo. Quam pauci enim reperiuntur senes! Computa fratres tuos sexaginarie, quot jam sepelisti? quot habes adhuc superstites? vix quartum aut quintum. Idem fac de coævis tuis amicis, vicinis, condiscipulis; & idem reperies. Videmus & in arboribus. Quam pauci maturescunt fructus ex tam multis floribus? Quæ verò hujus rei causa esse potest? Sanè omnes illæ soli Deo notæ sunt, aliquas tamen magis luculentas hic indicabimus.

Mors per occultas vias nos adoritur & maximè juvenes.

I. Est parentum culpa; quæ in filiis morte sublatis ferè acrius plectitur, quam si ipsi parentes è vita tollerentur. Malunt enim communiter sepeliri à filiis quam sepelire filios. Sic punitus fuit morte filioli infantis David, quem genuerat ex adulterio. 2. Reg. 12. Sic Aron ante Thare patrem sublatus est, ob patris idololatriam, ut sentit Epiphanius Gen. 11 Similem ob causam filius Valentis Imperatoris extinctus fuit, quia parens ad eum hæreticos evocarat: cùm prius præsente Basilio puer inciperet convalescere. Ut est in vita sancti Basilii. Pari modo posteri Jeroboam omnes deleti sunt, & filii Achab septuaginta decollati sunt ob peccata parentum. Quinque etiam filii Mauritii Imperatoris in pœnam parentis eo inspectante decollati sunt à Phoca. Fit hoc justo Dei judicio. qui in promulgatione Decalogi dixit: *Ego sum Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem.* Deuter. 5. Quod quidem statuisse Deum, ait Tertullianus lib. 2. contr. Marcion. cap. 15. ob populi duritiem, ut legi divinæ obedirent, si non amore sui, saltem filiorum suorum. Dum enim vident parentes propter sua peccata deleri eorum filios, non possunt non acerrimè id sentire, & semet accusare velut eorum homicidas, & posteritatis suæ eversores. Certè Ægyptii, qui prius aliis plagis permoveri non potuerunt, ut dimitterent Hebræos: postremâ illâ, qua eorum primogeniti filii omnes perempti sunt, commoti dimiserunt eos. Exod. 11. & 12. Multoties etiam Deus obtinere nequit à parentibus, ut dent Deo, quæ Dei sunt: vel ut abstineant à peccato: ferit igitur postremò filios eorum; ut tandem aliquando manus dent.

I. Ob culpam parentum.

II. *Ob culpam filiorum.*

II. Est culpa filiorum, eaque multifaria. Inprimis quando parentibus sunt immorigeri, uti filii Heli, Ophni & Phinees 1. Reg. 4. qui propter hoc, & alia gravia quædam peccata uno die ambo in prælio cæsi sunt. Quibus accedit rebellis ille Absalon, qui ob insidias patri structas a quercu tentus & suspensus periit. Qua de re sanctus Chrysostomus hom. de Absalone ait: *Adest arbor in campo, ramorum telis armata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris injuriam in parricidam defendat. Adest, inquam, arbor, quæ nec patrem, ut tibi parcatur, audivit, & jussa Dei instanter implere contendit.* Nota est historia illius juvenis è Catalonia qui natus annos 22, parentis monitionibus rebellis, tandem ob commissa latrocinia ad capitale supplicium damnatus, & suspensus in patibulo, subito barbâ & capite, non minus, quam senex nonagenarius incanuit. Quo miraculo ostendit Deus juvenem illum si parenti obtemperâsset, ad eam senectutem fuisse perventurum: Uti hoc exposuit Episcopus illius loci; apud sanctum Bernardinum Conc. in 2. Dom. Quadrag. Quando etiam temerè ex præsumptione longioris vitæ sceleribus indulgent, merentur ante tempus è medio tolli, uti scribit Divus Cyrillus Alexandr. orat. de exitu animæ: *Qui dicunt,* inquit, *Peccemus in juventute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ii à Dæmonibus illuduntur, ac deridentur; quoniam qui ultrà peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis falce demetuntur; ut Amon, Israelitarum Rex. 4. Reg. 21.* Amon iste filius fuit Manassis Regis Juda, regnare cæpit viginti duûm annorum adolescens, & quia imitatus est vitia parentis adhuc juvenis, non pœnitentiam senis, post duos regni annos à servis suis trucidatus est: De quo scribit Glycas 2. p. Annal. quod hujusmodi cogitationem animo suo volverit. Pater meus à puero multa scelerata fecit, in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectavit, quando Patris calamitatibus nullo modo factus est melior.

Stultitia hæc istius juvenis fuit, qui ex paterno successu suum sibi nullo nixus fundamento ominatus est. Bene ergò Ecclesiastes c. 7. dixit: *Ne impiè agas multum; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Taceo alia peccata, quæ juvenibus vitam abrumpunt, de quibus alibi dictum; Deniq; tam debet esse mors ante oculos juveni, quam seni. *non* enim *citamur ex censu, sed ex deposito,* inquit Seneca in Epist. Si quis tibi hodie depositum aliquod crederet, cras alteri aliud, rursum perendie unum alii cuiquam, eâ lege, ut quocunque tempore à singulis repeti queat. Nullus horum est securior altero de tempore repetendi depositi: sed omnes in singulos dies parati ad hoc esse debent. Vita hæc præsens velut depositum à Deo nobis commissa est; ut quandocunque placet, repetere id queat. Nemo ergo ex omnibus nobis plures sibi dies polliceri potest, quam alius quicunque.

III. *Ob bonum paretum.*

III. Bonum parentum, qui quandoque nimium diligunt liberos suos, & propter illum amorem abstrahuntur ab amore, & cultu Dei: nimium inhiant bonis temporalibus, ut quibuscunque artibus divitias eis comparent: vel etiam nimis blandè eos educant, omnia indulgent. In hoc casu beneficii loco ducere parentes debent, cùm auferuntur eis liberi. Ita Sanctus Chrysostomus homil. 6. in Epist. ad Thessalon. respondet matri, dolenti mortem filii. *Quomodo non putas Deum irritari? Nam ob idipsum plerumque filios aufert; ne ad eum modum illis alligata sis, ut spem tuam ab illis auferas. Æmulator enim est Deus, & vult à nobis maximè omnium diligi, id ea ratione, quod nos admodum vehementer amat. Propterea & Deus illum tibi abstulit, &c.* Ludit hoc modo Deus cum parentibus, quo modo Augustus Cæsar lusit cum Pollione, apud quem cum aliquando cœnas animadvertisset, servum Pollionis, quòd crystallinum forte fregisset vitrum, ab hero ad murenas damnatum abripi; liberari servum jussit, & omnia Pollionis vasa crystallina virgulâ confregit, ut sic ansam ei adimeret imposterum tam stultè sæviendi, & rem fragilem tam perditè amandi, Fulgos. lib. 5. Quando igitur parentes tam insanè liberos amant, ut illorum gratiâ Deum offendant, jure meritò eos abripit, & quidem magno parentum bono. Ferunt inter alias artes capiendi Elephantes, hanc unam esse: Attendit venator ad arborem, ad quam dormiens se inclinare solet bestia, eamque majore ex parte secat, ut cum elephas ei rursum inniti cœpit, una cum ipso cadat. Sic miser capitur, quia surgere ob corporis molem nequit. Ita Barthol. Angl. de proprietate rerum. Sic venatur Deus cor nostrum. Id enim, si se ad amaram aliquam creaturam nimium affigit, resecat eam Deus, ut sic liberi ab ea demus manus Deo, & ductum ejus sequamur. Sic mariti mortem interpretata est Sancta Melania, quæ eo mortuo gratias Deo egit & dixit: *Iam expeditius tibi servitura sum Domine, quia tanto onere me liberasti,* ut scribit sanctus Hieronymus epist. 25. Ita Beatus Borgias mortem conjugis suæ lubens tulit, ut liber in religione servire Deo posset.

IV. *Ob bonum filiorum.*

IV. Bonum filiorum, quos providet Deus, si viverent, pervertendos aut pejores futuros, adeoque graviùs etiam damnandos. Qua de re Psal. 57. dicitur: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuêtes sic in ira absorbet eos.* S. Hier. legit. *Priusquã spinæ vestræ crescant in rhamnũ.* Paraphr. ita explicat: *Priusquam impii teneri durescant, dum adhuc sũt herba, tẽpestate & turbine destrues eos.* Rhãnus spina est maxima & velut arbor, ut ait ibi Theodoretus,

retus; ramos etiam spargit aculeis rectis, non aduncis, ut cæteri rubri. Porrò verbis illis minitatur Deus Sauli, & ejus asseclis celerem pœnam, ut ait Theodoretus: Sed in Saule etiam perversis filiis, ne in malitia crescant, & fiant spinosæ arbores, rectis & malitiosis aculeis Deum & homines impetentes, qui prius obliquè & timidè peccabant. Hos ergo sicut viventes h. e. celeriter & rapaciter quasi in ira absorbet. Sic absorbuit Julianum Apostatam, quando is minatus est Catholicis persecutionem post reditum suum è Perside instituendam: cælesti enim lancea, priusquam rediret, eum confixit. Sic absorbuit. Valent. Arianum Imp. & in tugurio vivum excussit, quando is Constantinopoli interitum machinatus est. Boron. anno 518. Maximè verò id agit Deus, quando providet aliquos, si crescerent ætate, pestem Reipubl. futuros. Quemadmodum Areopagitæ damnarunt aliquando puerum, quòd cornicum oculos crudeliter confixisset; inde enim conjectabant futurum olim immanem & sanguinarium hominem, si viveret, teste Quintiliano l. 5. c. 9. Hujusmodi spina erat filius Zenonis Imp. qui mortuo parente à proceribus regni luxu Sybaritico ad omnem licentiam & libertatem educatus, cœpit jam juvenculus ob expectationem imperii sublimis incidere, & cervices erigere, atque ut paucis dicam, inquit Suidas erga omnes non alium se præbere, quam adversus servos. Verùm inspector omnium rerum Deus pertœsus, ob nimiam ejus improbitatem, ita illum mulctavit, ut alvi profluvio multos dies sine sensu, lectum inquinans, immatura ætate rebus humanis eximeretur. Benè igitur Boëtius lib. 4. de Consol. pros. 4. dixit: *Si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam: quos infelicissimos judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret.*

V. Ob bonum aliorum & maximè complicum in perpetratis malis.

V. Bonum aliorum, maximè complicum & sociorum in perpetratis malis; in quorum cautelam quando Deus rapit unum immaturâ ætate, ut cæteri sibi caveant. Quando aviculæ colludunt, & quasi extra aleam constitutæ cantibus se recreant, contingit subindè, ut accipiter unam ex illis rapiat; tum omnes aliæ conticescunt, & subter arborum frondes sese abscondunt, atque subducunt; ne & ipsæ rapiantur. Incauta est juventus & prona ad omnis generis vitia, præsertim quando prava societate juncti sunt. Ergo ut eos compescat Deus, mittit subinde accipitrem illum rapacem, Mortem, ut abripiat unum è medio eorum; quo reliqui perterriti ad modestiam se componant. Cujus rei luculentum habemus exemplum in filiis Davidis, quos Absalon velut fratres invitavit ad solennitatem, institutam in tonsura ovium suarum, & regium convivium. 2. Regum 13. Bibitur ergò, & comeditur liberalissimè usque ad temulentiam. Sed en repente consurgit Absalon in Amnonem fratrem, & opera servorum suorum illum trucidat temulentum. Quid actum? Hoc spectaculo filii Regis omnes conterriti ascenderunt singuli mulas suas, & diffugerunt. Eccur verò? quia timebant ne & ipsi occiderentur, uti Amnon; quasi Absalon solus cuperet esse superstes, ut patri in regnum succederet; ne quis alius fratrum præferretur: sicut Turca cum habet prolem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum invadant; ut inquit ibi Cornelius à Lapid. En quam cito horum lætitia in luctum conversa est unius internecione sopita est! Nemo ferè juvenum percellitur, cum senem vident vel audiunt extinctum: At si quis floridus adolescens, aut nobilis virgo interiit, omnes turbantur ac stupent. In primaria Germaniæ civitate duo sibi proxima ad cœmeterium visuntur sepulchra; Senis unum, juvenis alterum. Utrumque commune illud Adami & posterorum ejus Epitaphium continet: *Et mortuus est.* Verùm senis tumulus assertivè: *Et mortuus est.* Juvenis verò interrogativè: *Et mortuus est?* Voluit autem hoc discrimine indicare prudens inscriptor: mirum non esse, si senex ille vitæ satur obiit. At verò juvenem illum ætate, forma, viribus, opibus præstantem, nondum viginti annos natum, mortis tam securum, qui velut Parcas decepturus vixit, interiisse, hoc mirandum esse, hoc dolendum. Refert Jerem. Drexelius noster in Mortis Prodromo. Nimirum juuenes, velut nuper ingressi mundum non cogitant de egressu, sed ad multos aspiciunt annos, quos attingere possint. Hinc eorum libertas & libido vivendi effrænatè ex multis oblivione. Propterea frequenter à morte præoccupantur & intercipiuntur aliqui, ut cæteri discant sapere. Horum unus hodie in conspectu nostro jacet, qui tametsi non invitus, sed benè cum Deo contentus, & ad vitam alteram dispositus ex vita hac discessit, non exiguum tamen adolescentibus aliis timorem injecit, & documentum reliquit, ut & ipsi sibi attendant, ne in eosdem mortis casses incidant, cùm minimè expectant, &c.

EXHORTATIO XXXIII.

Cur quandoq; etiam justi acerba & violenta morte occumbant?

THEMA.

Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.
Sap. 3.

MEritò S. Ephrem laudat S. Julianum Anachoretam, qui dicebat: *Viæ similis est humana vita, & ideo magis consideranda nobis sunt, non quæ in itinere occurrunt, sed quæ post viam confectam* *Humana vita est similis viæ.*

fectam

fectam nobis eventura ſunt. Apud Surium in ejus vita 9. Jun. Non affligitur mercator, quod in mari variis tempeſtatibus jactatus ſit, modo ſalvus & incolumis una cum ſuis mercibus ad propria remearit. Eadem peregrino mens eſt: tametſi enim in via in prædones inciderit, & multa adverſa pertulerit, parum iſta curat, ſi ſalvus patriam attigit. Idē videre eſt in hac vita. Etenim ſi viam hujus vitæ conſideremus, contingunt adverſa tam juſtis, quā injuſtis: obruuntur ab inſperata morte & illi & iſti: cruciantur &, premuntur doloribus mortis tam illi quam iſti. Deniq; violenta etiam manu perimuntur etiam Sancti & innocentes. Videamus Abelem juſtum, nonne is cum crederet ſe comitari fratrem ad expatiandum in agrum, repentè & inſperatò ab eo correptus & crudeliter obtruncatus eſt? Nonne etiam Prophetæ, Apoſtoli, & Martyres diris occubuere ſuppliciis? Nonne etiamnum multi probi & innocentes ex inſidiis quodammodo à morte opprimuntur? nonne ſæpe & ipſi in flore ætatis rapiuntur? nonne etiam priùs diris ſæpe doloribus exagitantur? Ita ſanè experientia docet. Quare hic obſervanda eſt doctrina Anachoretæ: *Non tam de vis, quam de vis termino nobis laborandum eſſe*, id quod etiam Sapiens monet. Sap. 3. *Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalite plena eſt.* Nihil obeſt juſto, ſi per ſpinas ad immortalem gloriam eat: & nihil prodeſt impio, ſi per roſas eat ad gehennæ ſpinas æternas. Quia tamen nihil ſine cauſa divina ſtatuit Providentia, videamus cur & juſti ſubinde ex hac vita per varios cruciatus, aut diuturnos morbi dolores Deo ſic diſponente tranſeant ad alteram.

I. *t expient eccata levia, quæ rte non-umexpia-a fuerunt.*

1. Id fit, ut expient peccata levia, quæ fortè nondum expiata fuere. Magna verò illis gratia fit, ſi in hoc ſæculo potius, quam in purgatorio à nævis ſuis expurgentur. Hinc Malach. 3. dicitur de Chriſto: *Purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Levi Hebr. idem eſt, quod *aſſumptus*: talis autem eſt juſtus, juxta id Matth. 24. *Vnus aſſumetur, & unus relinquetur.* Ergò etiam aſſumendi ad cælum habent ſæpe aliquid quod colatione & diſtillatione indigeat, ſicut aurum, & argentum necdum purificatum percolari in furno, & a ſcotia deputari debet. *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum cælorum.* Apoc. 21 Et quid tandem eſt in rerum natura, quod vel mundum & utile non preſſura aliqua indigeat? *Sic enim ſpicarum grana tribulis attrita ariſtis & paleis nudantur. Sic olivæ prælo preſſæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunſi calcibus, in vinum liqueſcunt*, inquit S. Gregor. l. 7. Epiſt. ep. 32. Hinc S. Ignatius Leonibus objiciendus dixit: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar ut panis mundus inveniar.* Joannes Anachoreta fratri cuidam ſuo terriana laboranti, rogantiq; ut ab ea liberaretur, reſpondit: *Rem tibi neceſſarium cupis abjicere? Vt enim corpora nitro vel aliis hujuſmodi lenimentis abluuntur à ſordibus: ita animæ languoribus aliiſq; hujuſmodi caſtigationibus purificantur*; apud Ruffinum in vitis PP. Scimus etiam Lydvvinam Virginem Sciedamenſem propter exiguam curioſitatem, qua ſemel invitata ad ſpectandas in acie lubricationes puellarum dum ſpectaret, ab una cum impetu in ſe delata, in terram proſtrata coſtam fregit; caſtigatam eſſe, & per varias infirmitates ſupra annos 30. exantlatas vitam in magna ſanctitate clauſiſſe; ex ejus vita 14. April. Maximè verò mirandum, quod narrat Anaſtaſius Synaita l. 9. in ſcript. quæſt. 17. de Anachoreta, virtutibus & prodigiis claro, cujus diſcipulus in vicinam urbem ad quærendum victum in pompam funebrem alicujus viri opulenti ſolemnem maximo civium comitatu, condecoratam quoq; præſentia Epiſcopi & Cleri, cum facibus & cantu: deinde regreſſus ex urbe reperit in cella Magiſtrum ſuum, ab hyæna interremptum. De hac utriuſque defuncti diſpari ſorte plurimum conſternatus Deum obteſtatus eſt, quid tandem id ſibi vellet: audiitq; hoc reſponſum: *Divitem illum inter multa ſcelera unum feciſſe bonum opus, cujus præmium receperit in ſepultura illa honorifica; ſcelerum pœnas recepturus in gehenna: Anachoretam verò inter eximias virtutes quandam contraxiſſe noxam, cujus pœnam luerit ab hyæna laceratus: virtutum præmia in cælo accepturus.* Simile quid accidit illi bono Prophetæ, qui ab altero ſeductus, diverterat ad eum & comedit contra interdictum; ideoq; leoni ad jugulum traditus eſt. 3. Reg. 13. ut ea morte ſuum expiaret peccatum. Quo propoſito exemplo ſcribit B. Brigida l. 5. Revel. inter l. 14. quæſt. 1. ex ore Chriſti: *Quandoq; juſtis flebilis exitus contingit ad majus eorum meritum, ut qui ſemper per vitam in virtutibus fuere ſoliciti, per mortem contemptibilem liberi evolent in cælum.*

II. Ut, tametſi nil expiandum habent, digni fiant cæleſti gloria, eamq; mereantur patiendo, ſi fortè agendo non meruerint. Multi enim non habent vires aut talenta ad operandum pro cælo: itaq; patiendo comparare id ſibi debent. Alioquin ſi id neutra via quæramus, nullo jure petere poſſumus. Quod enim noſtro labore non acquirimus, noſtrū æſtimari non debet. Severus Imp. tribuno ſuorum militum hoc ſymbolum dedit: *Laboremus*: Pertinax Imp. *Militemus*, referente Ælio ſpart. & Julio Capitol. Porro laborare diſcimus non tam operando, ſed etiam ægrotando. Qui igitur per labores, viriū defectu, gloriam conſequi nequeunt, poſſunt ægrotando. Præclarus quidam bellator Rodericus de Vivar Hiſpanus in domo ſua menſam fortium conſtituiſſe refertur ab Oſorio Conc. l. in Dom. infr. Oct. Aſcenſ. in qua tantum ſtrenui conſidebant milites, qui egregia facinora in bello perpetrarunt. Cumq; in eam menſam ſe inſerere vellet vir quidam illuſtris Martinus Pelaez, nullo tamen bellico facinore inſignis, prohibitus eſt, donec & ipſe talia præſtaret facta. In cælo meri viri ſtrenui ſunt, qui

II. *Vt gloriam cæli mereantur patiendo, ſi fortè agendo non meruiſſent.*

aut multa fecerũt, aut tulerunt? Ad hos qui admitti vult, laboret ſeu faciendo bona, ſeu patiendo mala. Mirantur aliqui cur in poſſeſſione Dominiorum, quæ tradidit Deus Judæis in Palæſthina, non numerentur. Exod. 3. ſoli Gergeſæi, cùm recenſeantur alii, nim. Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi & Pherezæi & Hevæi & Jebuſæi. Ubi manent Gergeſæi? Reſpondent Hebræi, quòd hi ſponte ceſſerint ſuis domiciliis. Quia igitur Hebræi in horum expulſione nihil laborarunt, noluit Deus cenſere eos in Hebræorum poſſeſſione. Eandem ob cauſam prohibuit eis ſpolia urbis Jericho, quia in ejus expugnatione nihil laborarunt, tubas tantum inflarunt, & muros dejecit Deus, Joſ. 7. Paulò poſt verò conceſſit eiſdem ſpolia urbis Hai, quia hanc manu armata occuparunt. Joſ. 8. Deniq; Hebræi omnes non niſi per multas pugnas & ærumnas, nec niſi per mare rubrum, & Jordanem ingreſſi ſunt in terram lacte & melle manantem. Unde Origenes hom 7. in l. Num. ait: *Non eſt poſſibile venire in terram promiſſionis, niſi per amaritudines tranſeamus.* Ad Perſarum Regem nemini parebat acceſſus, niſi prius quis oſcularetur virgam ejus auream. Eſth. 5. Deniq; ex Apoſtolorum ſententia, *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Act. 14. Parvuli ſoli in Chriſto renati cælum ſine labore & merito obtinent titulo hæreditatis, à Chriſto ſibi paratæ, quia necdum pugnare potuerunt. Cæteris laborandum eſt: ac ſi hoſtes aliquos, quibuſcum luctarentur, non habuerunt, habent ſaltem Mortem, cum qua ſi diu luctandum eis ſit, Dei beneficio id adſcribant, qui per hanc viam eos menſa Heroum cæleſtium dignos reddere voluit.

III.
Ad exemplum bonorum, malorum verò terrorem.

III. Ad exemplum bonorum, malorum verò terrorem. Cum enim vident boni cruciatus & ſimul patientiam juſtorum, eo exemplo animantur ad fortiter agendum, aut ſimilia patiendum. Improbi verò cogitant, ſi hoc *in viridi ligno facit* Deus, *in arido quid fiet?* Si juſti hic tanta patiuntur, injuſti nihil ſuſtinebunt? Audiamus Jeremiam c. 49. *Hæc dicit Dominus: Ecce quibus non judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent* (id eſt certiſſimè bibent) *& tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens,* (h. e. immunis à pœna) *ſed bibens bibes.* Ex pupillis & infantibus argumentatur Deus contra improbos. Si enim infantes ſæpè immatura & dira morte tolluntur ex hac vita, qui eam non meruerunt: quomodo parcetur peccatoribus? Quam multi infantes multo tempore luctantur cum morte? Quàm multi cum ſanctis illis innocentibus gladio pereunt hoſtili, in aquis & incendio! Et quamobrem niſi ad terrorem improborum? Flagellatur interdum canis coram leunculo non alia de cauſa, niſi ut caveat ſibi à verberibus leo, adeoq; ferociam ſuam ponat. Pari de cauſa Deus cruciat interdum innocentes, ut metuant ſibi nocentes. Unde S. Ambroſius exclamat, ſermon. 92. *Quanta eſt circa nos Dei noſtri ſolicitudo! Illos* (Martyres) *examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat: eorumq; cruciatus noſtros vult eſſe profectus.* Et ſer. 77. *Videte quid Martyribus debeamus, in quo alter tortus eſt, ut alius ſalvaretur. Alter carnificem pertulit, ut Chriſtum alter agnoſceret: Alter morti addictus eſt, ut alius vita potiretur æterna: & ad poſtremum ſanctus occiſus eſt, ut peccator evaderet.* Et cur ipſe Chriſtus Dominus talia & tanta perpeſſus, niſi ut quemadmodum ipſe dixit ad pias fœminas, inde colligamus: *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Sanctus Petrus è Dominicana familia Martyr, cum aliquando ex falſa ſuſpicione accuſatus pœnas ſuperioribus quaſi reus dare cogeretur, ad Chriſti Crucifixi imaginem cæpit amice, quaſi filius coram patre conqueri ac dicere: *Ecce Domine, quid feci, an n' ſcis me innocentem? & cur tamdiu hac infamia notor?* Cui Dominus cum Cruce: *Et ego Petre quid feci, ut in hanc crucem agerer? Ergo vel exemplo meo tuas ærumnas pati diſce.* Ad hæc vir ſanctus partim ſolatio, partim rubore ſuffuſus, hanc ærumnam ſuam cæleſtem credidit eſſe favorem, adeoq; pluribus & majoribus onerari flagitavit, ut ſimilior Chriſto fieret. Ribad. in ejus vita 29. April. Hæc etiam nobis cogitanda ſunt, cum quem cernimus ante mortem diris exerceri doloribus: Chriſtus eum ſibi aſſimilari cupit, & diſcipulum ſuum fieri; quod agnovit S. Ignatius Martyr, qui cum ad leones duceretur dicebat: *Nunc incipio fieri diſcipulus Chriſti.*

IV.
Ne putemus in terra beatitudinem quærendam & meritorum retributionem eſſe.

IV. Ne putemus in terrâ beatitudinem quærendam, & meritorum retributionem eſſe. Si enim juſtis omnia proſpera & nulla adverſa contingerent, mercenaria fieret Dei ſervitus: & quis non vellet virtutem ſequi, eo duntaxat fine, ut hic benè ſemper haberet? ſed ſtulta eſſet hæc cogitatio. Non eſt enim hic locus triumphandi, ſed militandi. Quemadmodum enim Duces Romani alibi pugnabant, ſed Romæ duntaxat triumphabant: ita in terra locus pugnæ, in cælo locus coronæ eſt. De templo Salomonis, cùm ſtrueretur, dicitur, 3. Reg. 6. *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in Domo cùm ædificaretur.* Cauſam reddunt Abulenſis, Lyra & Ribera lib. 1. de templo c. 12. quia lapides & ligna jam foris in monte dolata, ſecta & aptata erant. Hunc in modum *hic tundimur adverſitatibus*, inquit eo loco Eucherius & Angelomus, *& diſciplinâ veritatis exercemur, ut illic locis juxta meritis congruum diſponamur, & caſtigatione ceſſante, ſolo amoris glutino, quo ad invicem copulemur, uno impleti ſpiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic ſine reprehenſione inveniamur. Hic malleus, hic ſecuris, hic omnia tunſionum reſonant ferramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes jam percuſſionum ſtrepitus conticeſcunt.* Quemadmodum ergo Petrus neſciit, quid diceret, cùm ad Chriſtum dixit in monte Tabor: *Faciamus hic tria tabernacula,* Matth. 17. ita errant etiamnum, qui exiſtimant nulla hic imminere adverſa iis, qui Deo exactè ſerviunt. Mundus hic terra Chabul, h. e. vilis & lutoſa eſt, ſeu ut alii vertunt,

tunt,

tunt, *non placens*: nec digna retributio est, quam dedit Salomon Regi Hiram, pro cedris pretiosis ab eo acceptis. Unde egressus Hiram cùm eam aspexisset, contempsit & dixit: *Haccine sunt civitates quas dedisti mihi frater?* 3. Reg. 9. Absit ut hunc lutosum pagum eligamus pro cælesti civitate, cujus *plateæ aurum sunt mundum*, ut vidit Joannes Apoc. 21. Graviter reprehensæ sunt à Moyse tribus Had & Ruben, quod spreta terra promissionis lacte & melle manante elegerint cis Jordanem domicilia sibi struere, & in pascuis propter pecora sua stationem ibi figere. Numer. 32. Multo magis reprehensione digni sunt, qui cælo neglecto in terra, ubi animales pascuntur homines, requiem suam quærunt. Latro blasphemus ita desipiit, ut salutem suam in terra quæreret: *Salva temetipsum & nos*: ideo cælum & terram perdidit. Latro verò orans nonnisi cælum expetiit, & ideo mox invenit. Ille oculos in pede, hic in capite habuit, Eccl. 2. ille stultus, hic sapiens. Videmus igitur viam ad cælum variam & ancipitem esse, adeoque solum viæ terminum esse observandum. Hunc scopum qui bene tangit, vincit; non qui benè collimat. Octo beatitudines Christus recensuit, sed cur primariam omisit, illam videlicet quam Joannes Apocal. 14. aperuit, dicens: *Audivi vocem de cælo dicentem mihi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Cur igitur hanc omisit Christus? Respondit Cardinalis Cajetanus, Christum recensuisse eas tantum, quæ sunt viæ ad cælum: Unam igitur hanc in omnibus intelligendam, si in Domino seu in Dei gratia moriantur. Hæc viarum terminus est. Soli qui in domum Rahab confugerunt, immunes ab incendio fuerunt, reliqui omnes perierunt. Jos. 6. Meretrix ea vocatur, quia opera in gratia facta cælum merentur. Domus ejus muro adhæret, & portæ civitatis vicina est; quia gratia gloriæ vicinissima rectà ad eam promovet eos, qui in gratia obiunt, & ex hoc sæculo abeunt.

His prælibatis ad defunctum nostrum convertimur, & quia intelleximus gravi & diuturno morbo non sine magnis doloribus cum morte luctatum esse, non est, non est, inquam, quod inde conjecternus eum propter hoc à Deo vel punitum, vel, quod absit, abjectum fuisse. Cogitemus potiùs aurum fuisse, quod per ignem purificandum & probandum erat: botrum fuisse in torculari premendum, ut vinum dulce redderet: olivam fuisse, ut ab amurca purgaretur, &c.

* * *

EXHORTATIO XXXIV.

Cur subinde justi immaturâ ætate è mundo eripiantur.

THEMA.

Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.
Sap. 4.

PRopheta Isaias c. 24. combinat fruges duas suo tempore colligendas, quæ tamen sibi invicem non parum adversantur, olivas scilicet & racemos. *Hæc erunt in medio terræ*, inquit, *in medio populorum: quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Olivæ colliguntur ex oleâ, racemi ex vite: Sed diverso tempore: olivæ cùm adhuc immaturæ & acerbæ sunt: botri verò cùm dulces & maturi sunt: & tamen & isti & illæ suo tempore leguntur; quia olivæ, ut dent oleum, legi & premi debent, antequam maturescant: botri è contra, postquam maturuerunt. Botri igitur denotant eos, qui in senecta primò maturi sunt, ad regnum cælorum: olivæ verò eos, qui in ætate tenera, jam cælo maturuerunt. Hujusmodi olivam præ oculis habemus: nostra quidem opinione ad olivitatem immaturum, Dei verò sententia planè maturum ad fundendum oleum. Nos arbitramur à morte quidem cæca, per errorem esse prehensum: sed novit illum suo tempore collectum jam idoneum ad cælum. Docemur hoc à Salomone, qui Sap. 4. ait: *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Si placita Deo fuit anima illius, ergò cælo jam matura fuit. Cæterum, ut præproperam juvenum mortem æquiore animo feramus, dispiciamus causas aliquot, cur hac ætate justi & boni adolescentes ex hac vita rapiantur?

Botri denotant eos, qui in senecta primò maturi sunt ad regnum cælorum: Olivæ verò eos, qui in ætate tenera jam cælo maturuerunt.

I. Contingit hoc sæpenumerò ex divino beneplacito, ne si diu in hoc sæculo nequam commorentur, aliquando pervertantur. Testem adduco prædictum Salomonem, qui eodem capite subjungit; *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Rationem mox subdit: *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* hoc est innocentis, q. d. quia juvenes incauti sunt, & rerum sæcularium aspectu facilè capiuntur atque effascinantur, ut ab earum amore vix ullis modis abstrahi possint, sicque incidunt in laqueos Dæmonis, idcirco rapit eos sæpe Deus ex hoc sæculo,

I. Ex beneplacito Dei ne si diutiùs in hoc sæculo nequam commorentur, aliquando pervertantur.

dum adhuc malitia carent, ne pereant. Sic hortulanus videns arborum fructus ex horto ſuo in plateam propendere, non expectat donec matureſcāt; ſed ante tempus colligit; quia novit à prætereuntibus diripiendos, niſi ipſe præveniat. Quare optimè quidam agricola Hiſpanus, rogatus cur immaturas fruges ex horto ſuo portui maris expoſito, decerperet, reſpondit: *Præſtat immaturus fructus in mea lance, quàm maturus in ore felis.* Metuebat enim ne prædones Mauri, qui illic vagabantur, eum ſibi præriperent. Hujuſmodi fruges erant innocentes illi, pro Chriſto occiſi. Horum enim aliqui vel à Gentilibus parentibus vel à perverſis Hebræis nati erant, ut proinde periculum eſſet, ne ſi vitam protraxiſſent, è numero illorum fierent, qui vociferabantur: *Crucifige, Crucifige.* Unde Sanctus Chryſologus de illis Herodem ita alloquitur: *Non ſolum non iſtum puerum non inveniſti, ſed nec illis pueris aliquid nocuiſti; imò inſcius, quod illis proderat, hoc egiſti.* In ſerm. de Innocent. Nihil mali intulit Joſeph fratri ſuo Benjamino minimo, quando ejus ſacco clam inſeri ſcyphum juſſit, ut inde quaſi furti reus comprehenderetur; Gen. 44. quia per hoc medium conſtituit eum retrahere ad ſe, & majoribus cumulare muneribus; uti fecit. Hunc in modum Deus non niſi ex amore dat ſubinde infantibus, aut juvenibus ebibendum mortis calicem, ut per mortem ad ſe trahat; qui forſan ab eo longius diſceſſuri erant. Hoc argumento ſolabatur Sanctus Hieronymus Paulam de morte filiæ Bleſillæ. *Placita*, inquit *erat Deo anima ejus, propter hoc properauit eam Deus educere de media iniquitate, ne longo viæ itinere de viis oberraret anfractibus.* Certè gratias agimus illi, qui nos per compendioſam viam ducit vel dirigit ad patriam? ne per communem multis ambagibus, montibus & Sylvis impeditam & periculoſam diu oberremus. Hoc agunt in cælo primitiæ illæ immaculatæ, in quarum *ore non eſt inuentum mendacium, cantantes Deo canticum novum.* quia nim. *empti ſunt de terra.* alieno præcisè, nimirum Chriſti Domini meritò; cui de ſuo quod adderent, non habebant.

II. *Euenit quandoq; ex juniorũ merito, quo cælum jam meruere, licet modico tempore.*

II. Contingit ſæpè ex ipſorum meritò, quo cælum jam meruere, exiguo licet tempore. Eò ſpectat, quod initio diximus: *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum.* Præmiſerat enim Sapiens: *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa.* Sapient. 4. Quia igitur aliqui in tenera adhuc ætate virtutem ita colunt, ut ſe totos jam Deo addicant, ejuſq; ſe obſequio offerant, contentus hac bona voluntate, & inchoatione Deus; cælo jam maturos æſtimat, & metit, inſertque in horreum ſuum. Hujuſmodi fuit Bleſilla, de qua paulò ante diximus. *Cùm enim ſanctum corpuſculum*, inquit loco citato Hieronymus, *febrium ardor excoqueret, & ſemianimæ lectulum vallaret circulus propinquorum, hæc in extrema verba mandabat: Orate Dominum Ieſum, ut mihi ignoſcat, quia implere non potui, quod volebam.* An non hæc tam prompta voluntas pro opere computanda ſit? An non una hac voce explevit multam ætatem? *Quanta ſanè tempora*, inquit idem ſanctus Pater epiſt. 254. ad Garinum Abb. *non longævitate, ſed longanimitate: non annorum ſerie vel dierum numero, ſed mentis deuotione & inextinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis non immerito vendicauit.* Sunt quidam peregrini, inquit Rob. Holcot. in eum Sap. locum, qui peregrinationem faciunt delicatè: diu dormiunt de manè, & ſero cito cubant de nocte; faciunt dietas parvas & viſitant curioſitates vicinas: & tales ſunt neceſſario tardi viatores. Peregrini ſumus omnes in Pſalm. *Peregrinus & aduena ſum apud te, ſicut omnes patres mei.* Contingit autem quòd aliqui diu vadunt, ſed tardè; quia diu vivunt, ſed remiſſe, & tardè proficiunt. Aliqui modico tempore vadunt, ſed velociter: ſicut juvenis intensè devotus, qui plus apud *Deum* meretur in anno, quam unus remiſſe vivens in decem. Et de tali juvene moriente verificatur textus &c. Additque: *Inter ſtellas erraticas illa, quæ eſt humilior, ſicut Luna, in breviſſimo tempore* (quia in menſe) *complet curſum ſuum: & illa, quæ eſt altiſſima, tardiſſimè complet curſum ſuum: ſicut patet de Saturno, qui curſum complet in triginta annis. Sic perſonæ humiles motus ſuos in Deum paruo circulo complent. Perſonæ verò altæ & nobiles, niſi melius ſibi proſpiciant in magno circuitu, cum impiis ambulant, & ideo tarde mouentur in Deum.* Luna hujuſmodi videtur fuiſſe filius Jeroboami, parentis impiii bonus, quem adhuc è vita rapuit Deus; quia ut dicitur 3. Reg. 14. *Inuentus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſrael.* Quis ille ſermo? utique factum aliquod laude dignum. Unde Vatablus ait: *Aliquid boni in eo inventum eſt erga Dominum Deum Iſrael.* Exiſtimant Rabbini permiſiſſe eum Hebræos pergere in Jeruſalem ad templum, quos pater inde avocare, & ad vitulos ſuos aureos ducere conatus fuit. Quidquid verò id ſit, puer ille in pueritia ſua abſolvit vitam ſuam ad ſalutem, quam pater ejus longa ætate non invenit.

Omnes in hoc mundo ſumus velut peregrini.

III. *Contingit interdum ob leues juvenum exceſſus ad aliorum grauiores exceſſus coercendos.*

III. Contingit interdum ob leves juvenum exceſſus ad aliorum coërcendos exceſſus graviores. Temerarii atq; incauti ſunt ferè juvenculi, nec niſi terrore facile emendantur, adhæc adeo nihil de morte cogitant, ut ferè immortales ſe exiſtiment, unde præceptore indigent morte, quæ eos compeſcat, & mori etiam in juventute poſſe oſtendat; juxta id Pſ. 9. *Conſtitue Domine Legislatorẽ* (Hebr. more h. e. Doctorẽ) *ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniã homines ſunt.* Mors ergo pro Doctore juvenib⁹ maximè proponenda ſubinde eſt, ut mortales ſe eſſe nôrint. Exemplũ habemus in adoleſcẽte illo Eutycho qui dũ cõcionaretur Paulus ad multã uſq; noctẽ, ſomno oppreſſus è feneſtra de tertia contigna-

Mors eſt Doctor.

tione

tione decidit, & mortuus est. Undè factum, ut concio solveretur. Eccur verò? Respondet S. Chrysostomus hom. 43. in acta Apost. cap. 20. *quia pro Doctore casus fuit*, inquit. Lapsus erudiit adolescentes, ne dormiant sub concione. Cæterùm Apostolus juvenem complexus, ad vitam revocavit. Memorabile est, quod Pierius l. 2. Hierogl. scribit de quodam Elephante, qui cætera mitissimus, cùm ab insolentibus pueris aliquandò procaciter lacesseretur, & in proboscidem pungeretur; tandem rapuit unum ex illis, & proboscide obvolutum sustulit in altum, quasi mox in sublime ejaculaturus. Territi hoc spectaculo pueri, vociferari, & pro socio gratiam implorare. Itaque quem in sublime vexerat, leniter depositum pueris reddidit. Simillimum quid narratur de Elephante Monacensi, (cujus detracta pellis adhuc Monachii inter res admirandas visitur) qui similiter à pueris vexatus unum corripuit, quasi ad terram allisurus: verùm absque noxa in lectulum, quod imminebat officinæ Mercatoris, imposuit. Hunc in modum Deus ad correctionem adolescentum vel puerorum quandoque unum rapit è vita eum tamen vel restituit aliquando, uti Eutychum illum: vel quod ordinariè facit, effert ad cælum, utpotè innocentem; vel si quid expiandum est in puero, deponit priùs in purgatorium. Caveant igitur alii petulantiores pueri, ne & ipsi aliquandò ex improviso rapiantur: discant evitare non modò gravia, sed & levia errata, juramenta, mendacia, derisiones, sannas, neglectum rei Divinæ, oblocutiones & similia; ne Doctor ille Mors veniat super illos.

IV. *...tingit ...iam ob ...arentum ...num.*

IV. Contingit sæpe numero ob parentum bonum; qui vel nimium eos amarent & amando perderent, vel propter eos alendos, instituendos, promovendos nimis affligerentur, aut suam ipsi salutem minus impensè quærerent. Nam quoad primum attinet, amari quidem filii possunt, sed infra Deum tamen. In quo tamen excedunt sæpè parentes uti docet S. Augustinus tract. 2. in 1. Epist. Canon. D. Joannis. *Quemadmodum*, inquit, *si sponsus fecerit sponsæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret quàm sponsum; qui illi fecit annulum, nonne ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamvis hoc amaret, quod dedit sponsus? Tamen si diceret: sufficit mihi annulus iste, jam illius faciem nolo videre: qualis esset?* &c. Dantur filii parentibus tanquam pretiosi annuli: at si eis totum cor affigere velint, Deoque qui eos dedit, abstrahere, nonne hoc ipso merentur filiis privari? Hac de causa occubuit particidio Amnon, filius Davidis, quia parens diligebat eum adeò, ut timeret castigare eum ob admissum incestum; quia scilicet noluit contristare spiritum ejus, ut dicitur 2. Reg. 13. Similiter Adeodatus S. Augustini filius acerrimi ingenii adolescens; ideoque à parente tenerè dilectus; quem adeo non doluit decimo quinto ætatis anno sublatum, ut potiùs pro beneficio acceperit, quòd jam ipsi ampliùs non timeret, uti fatetur ipsi lib. 9. Conf. c. 6. Idem tom. 8. ps. 5. invehitur in parentes, qui mortem filiorum dolent, lapsum verò in scelera non dolent? *Audite me fratres*, inquit, *Christiani sumus, & tamen plerumque si filius cujusquam moriatur, plangit illum: si peccat, non plangit illum. Tunc erat plangendus tunc pejus mortuus, luxuriosè vivens quam moriendo luxuriam finiens. Tunc, quando ista faciebat in domo tua, non solum mortuus erat, sed & putabat. Hæc dolenda sunt, illa sustinenda.* Quoad alterum, sublevat Deus parentes multis curis & laboribus, gratia filiorum exantlandis, si eos in suam curam & tutelam suscipiat. Ad hoc respexit S. Melania, quandò amisso per mortem marito, *ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius*, inquit, *tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti*; teste S. Hier. Ep. 25. ad Paulam. Nunquam ita servare possunt parentes filios, uti potest Deus. Unde S. Chrys. hom. 61. in Joan. ait: *Si justus obiit, lætandum, quod in tuto collocatur, quod liberatus est futura formidine.* Aurea moneta nullibi melius & mundius asservatur, quàm si cistâ includatur; vagabunda per manus hominum, & pondus & splendorem, & figuram & inscriptionem perdet. Idem accidit juvenibus, si in sæculo circumvagentur: quod minimè timendum, si in manu Dei sint. Hac de causa translatum Enoch ex hominum consortio scribit Thedor. q. 45. in Gen. *Transtulit Deus ipsum Enoch*, inquit, *sibi gratissimum, eumque sejunxit à mortalium vita: ut quicunque piè vivere statuerit, animadvertat, quanto in honore habendus sit, &c.* Cæterum uti Deus Enochum ad finem mundi restituet ad prædicandum Evangelium contra Anti-Christum: ita Deus parentibus restituet aliquandò filios eorum magno cùm fœnore lætitiæ. Quo modo enim Elephas, quem diximus ex Plinio, sustulit quidem puerum in altum, quasi ejaculaturus in auras: suaviter tamen iterum & illæsum deposuit, restituitque parentibus: ita quoque Deus, quos per mortem sustulit adolescentes bonos, & in cælum extulit; tempore restitutionis omnium, illos quoque restituet suis parentibus maximo eorum gaudio, &c. Idem hoc sperare licet de juvene quem hodie terræ commendavimus; vel enim *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; & de hoc agendæ sunt Deo gratiæ. Vel cælo jam maturus, adeoque dignus fuit, & de hoc ipsi gratulandum. Vel leves aliquot labes sua morte expiavit, & de hoc quoque est gaudendum. Concludo cum S. Chrysostomo hom. 32. in Matth. & alloquar parentem. *Si defunctum diligeres, gauderes utique, quia fluctus præsentis vitæ pernavigavit. Sed ad imperandum regnandumque hoc caduco mortalique Regno filius tuus abiisset, nolles eum indè redire, ut ipsum videres: nunc verò cùm ad majora melioraque Regna processerit, parvi temporis absentiam ferre non poteris? Reddidisti depositum, quod tibi creditum est; non sis ergò sollicitus, si vides in inviolabili ærario thesaurum tuum esse depositum.* Sic ille.

...mari ...sunt ...les à ...renti... ...s, sed ...fra ...eum.

EXHORTATIO XXXV.

Repentina mors bonorum non censenda inauspicata.

THEMA.

Iustus si in morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sap. 4.

Plebs rudis subitam mortem mali ominis esse censet.

VAna ineruditæ plebis persuasio est, cùm audiunt quempiam bonæ licet vitæ hominem præpora morte extinctum, ominari, vindice Deo ob scelus aliquod hinc abreptum, adeoque malis avibus è vita discessisse. Sed errant isti plurimùm, non scientes scripturas, neque virtutem Dei. Fuerunt in simili persuasione Barbari Melitenses, cum viderunt viperam invasisse manum Pauli, vincti Romam ducendi, & pendere de manu ejus. Dixerunt enim: *Vtique homicida est homo, hic qui cum euaserit de mari, ultio non sinit eum viuere; existimabantq; eum in tumorem conuertendum, & subito casu mori.* Act. 28. Verùm aberrarunt. Excussit enim Paulus bestiam & sine noxa fuit. Hunc in modum aliqui, cùm repentè quem è vita subtractum videntur parum prudenter judicant Dei vindicem manum in illum sæviisse; cum hic sinister, ut censetur, eventus nequaquam sufficiens præjudicium sit ad hujusmodi censuram tam acerbam. Hujusmodi errorem corrigit S. Chrysostomus hom. 66. in Gen. in suis auditoribus, monens nè existiment mala morte defungi eos, qui vel in alieno solo, vel sepulturæ honore destituti occumbunt: cùm scriptura dicit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et sicut mortem sanctorum pretiosam vocauit, audi quomodo & mortem peccatorum malam vocet. Mors enim,* inquit, *peccatorum, mala. Atque etiam si domi suæ moriuntur, & muliere & filiis præsentibus, & familiaribus & notis adstantibus, virtute autem careant, mala horum mors est. Sic etsi in aliena terra super pauimentum quis jacens; & quid dico, si in aliena? Etiamsi in latrones incidat, etiamsi à bestiis deuoretur, virtute autem præditus sit: pretiosa ejus mors est. Beati ergo sunt, qui clari virtutibus hinc migrant: sic & miseri, qui in peccatis moriuntur.* Sic ille. Sed quibus rationibus persuadebimus rudi plebi, subitaneam illam mortem mali ominis non esse? Audiamus.

I. *Quia licet homo probatæ vitæ subito moriatur, non tamen improuiso.*

I. Ex hoc capite; quia etsi quis bonæ vitæ homo subitò mortuus est, non tamen improviso obiisse credendum est. Etenim vir bonus mortem à longè sibi imminentem prævidet, semperque præ oculis habet, quasi in dies & in horas eam expectans. Scimus Dominum Luc. 12. dixisse: *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes? Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit; beati sunt serui illi.* Qui nam verò sunt servi vigilantes? utique illi, qui semper in armis stantes hostem expectant. Et hi quomodo ex improviso ab hoste possunt obrui, ne dicam opprimi? Unde S. Augustinus tract. 9. in 1. Jan. Can. ait de justo, qui timere Deum incipit: *Cæpit, ergò timere diem judicii, timendum corrigit se, vigilat adversus hostes suos, incipit viuere interius & mortificat membra sua, quæ sunt super terram, incipit desiderare, quod timebat; timebat enim ne veniret Christus, & inveniret impium, quem damnaret: desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronat.* Et si hoc facit, qui timere Deum incipit; quid non faciet, qui jam didicit? Præclarè etiam S. Chrysostomus in ser. *Ne desperemus*, tom. 5. ait: *Dies Domini non secus ac fur quispiam dormientibus inopinatò incumbit: vigilantibus verò nihil obsistit, neque abducet imparatos, neque excitatos & abstinentes aggredietur in prædo? quin uti Regius nuncius euorabit ad bona illa longè anteà parata, &c. Scimus sanè Samsonem repentè oppressum à Philisthæis & captivum abductum, fortissimum, inquam, illum virum; sed quia dormiuit in sinu Dalilæ, quæ robur ei ademit,* Iudic. 16. *Vigilantes non permittunt sibi eripi gladium, quo se defendant, uti nec Hercules clavam. Quare nimiam quantùm desipuerunt. Hebræi illi, qui sub Saule permiserunt sibi fraude Philisthinorum eripi fabros, qui arma eis cuderent. Cum enim venisset dies prælii, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi;* sicque ab hostibus ex improviso oppressi sunt & cæsi. 1. Reg. 13. Jam antè diem prælii armis carebant: sed illum defectum in ipso die prælii demum observabant; quod magnam Hebræorum arguit incuriam. De talibus profectò benè ominari non possumus, qui mortis suæ articulo nihil planè attendunt, nec arma sibi pararunt: non de iis, qui vigiles in statione sua persistentes, armati mortem expectant.

II. *Quia justo mors est ingratus hospes, sed potius valdè acceptus.*

II. Ex illo capite, quia justo mors non est ingratus hospes, quandocunque venerit: sed potiùs valdè expectatus & acceptus. Unde comparat Job viros justos eis, qui thesauros fodiunt, & gaudent, cùm fodiendo sepulchrum deprehendunt, sperantes ibi thesaurum sese inventuros. *Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum.* Quod si his fossoribus repentè occurrat sepulchrum tale; utique non malum, sed bonum ipsis omen foret. Longa & incerta fossio, molesta est. Hinc justi in hoc mundo detineri se in carcere existimant, dicuntque cum Davide Psalm. 141. *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant justi, donec retribuas mihi.* In quibus verbis spiritum reddidit S. Franciscus, qui denunciatam sibi mortem excepit his verbis: *Benè veniat mihi domina mea mors.* Certè qui in diuturno carcere detentus audit repentè sibi solvi vincula, & aperiri ad libertatem capessendam fores: nequaquam in inauspicatum ei censebitur,

bitur, cum id maximè desiderarit. S. Augustinus cum Psalmi locum sic legit: *Educ de carcere animam meam*, additque *Merita carcerem faciunt. Nam in uno quodam habitaculo alteri domus est* (ut potè custodi carceris) *alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos, etsi in domo sua custodiant: illi, qui arctius custodiuntur, in carcere sunt; nunquid & illi in carcere dicendi esse sunt? Unum habitaculum & illi est, & illi. Alteri fecit domum libertas, alteri carcerem servitus. Quibusdam visum est, quòd mundus iste carcer sit. Et hoc erat Ecclesiæ, ut de carcere hoc educatur, id est, de hoc mundo, de sub sole, ubi omnia vanitas.* Sic ille. De solis illis, qui hunc mundum incolunt, velut custodes carceris domum suam, præsumi potest, quòd inviti hinc discedant: de illis autem, qui hoc in mundo quasi in carcere vincti degunt, minimè hoc cogitari debet; imò non dubitandum, quin maximo cùm gaudio è carcere hoc exsilierint, ad libertatem scilicet alterius vitæ. Eccur enim David ingemuit in hoc ergastulo, quod ei tanto tempore affixus esse cogeretur. Psalm. 119. dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitaui cum habitantibus Cedar.* h. e. tenebrarum, vel ut Theodoretus explicat, *populis barbaris juxtà Babylonem.* De Cæsare Augusto scribit Suetonius: Ferè quoties audisset, citò ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis. *evtonosian* (alii *eodanasian*) similem precabatur, & talem ferè, qualem optaverat, sortitus, est, inquit Suetonius. Verùm instar osculo Liviæ conjugis obiit, hoc uno nomine fælix, quod sine magnis doloribus ad maximos futuri sæculi migrarit. Longè melius judicium de Christianis est formandum, quibus datum est ex hac misera vita sine cruciatu abire, ut cito cum Christo essent.

In mundo velut in carcere detinemur occlusi.

III.

Quia sic placet divinæ voluntati, cui se justus vivens semper conformavit.

III. Ex conformitate cum divina voluntate idem colligendum est, cui se dum viveret, semper accommodare studet justus; juxta id D. Cypriani l. de mortalit: *Meminisse debemus voluntatem nos, non nostram sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Quam præposterum est, quamque perversum, ut cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quandò evocat nos, & accersit de hoc mun o Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus?* Ex mox: *Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti?* &c. Nemo Ephesiorum poterat ambigere Paulum Apostolum lubente & volente animo perrexisse Jerosolymam ad vincula, quæ ipsum manebant; quando ex ipsius ore audierant, quòd priùs ipse sibi vincula in spiritu jam injecisset, dicens: *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans: nisi quod Spiritus S. per omnes civitates mihi protestatur dicens: Quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* Act. 20. Eadem ratione non dubitandum est virum bonum promptissima voluntate inservisse manus in mortis vincula, à Deo sibi destinata quandò ipse prius ad Dei voluntatem per omnia faciendam sibi vincula injecit. Hanc Apostoli promptitudinem egregiè imbibit, & imitatus est magnus ejus amator S. Chrysostomus, qui ab Augusta Eudoxia ab Episcopali throno dejectus, cum ageretur in exilium scripsit ad Cyriacum ep. 9 tom. 5. *Etenim ego, cùm à civitate fugarer, nihil horum curabam, sed dicebam intra memetipsum: si quidem vult Regina me exulem: agat in auxilium: Domini est terra, & plenitudo ejus. Etsi vult secare, secet, idem passus est Isaias: subscribar illi, si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor, si vult in caminum injicere; idem passi sunt tres illi pueri. Si me feris vult objicere, objiciat: Danielis in locum leonibus objecti recordabor, si me lapidare vult, lapidet me. Stephanum me habeo primum Martyrem socium. Si & caput tollere vult, tollat: habeo socium Ioannem Baptistam. Si & substantiam auferre: auferat: nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam abibo, &c.* Eadem hæc mens viro justo inest, ad omnem Dei voluntatem paratum sese sistere. Nihil igitur est, quod ipsi durum aut adversum sit, si à Deo decretum sit; ac proindè non est, cur inauspicatam arbitremur etiam repentinam & inopinatam justorum mortem. Non enim ideò improvisa est, quia subitanea est. Et si nobis quidem prævisa non est: prævisa tamen justo est, & præmeditata. Undè in Litaniis Ecclesia orat: *A subitanea & improvisa morte libera nos Domine.* Hæc mors deprecanda est, quæ subita simul & improvisa est. Rem exemplo confirmemus, quod refert Rob. Holcat. in l. Sapientiæ cap. 4. lect. 47. in hæc verba: Legitur de quodam viro literato, quòd mortuus inventus sit sedens inter libros suos in cathedra & habens in gremio suo librum apertum. Cumque alii compatienter advenirent, & multùm de tam subitanea morte tristarentur: considerantes diligentius manum ejus jacentem, & indicem extentum ad textum illum Sap. 4. *Iustus autem, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Huic non absimile est, quod legitur de B. Jordano Saxonis, secundo à S. Dominico Generali Ordin. Prædicat. qui cum navigans Jerosolymam, naufragio in mari periisset anno 1236. multique mirarentur, & dolerent tam tristem tanti viri interitum, apparuit ipse magna luce æquè cruce insignitus, dixitque: *Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, & inter Apostolorum choros & Prophetarum evectus sum.* Et rursum: *Hoc firmiter teneas, nec dubites, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domino Nostro Iesu Christo servierit.* Ita Leander in ejus vita apud Sur. 13. Febr.

Aurea animi resignati promptitudo.

Non ergò cur sinistrum formemus judicium de defuncto nostro, quòd & ipse subito à nobis hinc abierit; cùm non levia habeamus argumenta, quibus ostendi queat, fuisse hominem justum: & si talis fuit, utique & ipse in refrigerio erit

Quod.

Quodſi tamen ob leviores aliquot maculas nondum plene abſterſas tranſire per ignem illum deberet, de quo Apoſtolus dixit: *Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* 1. Cor. 3. noſtrum erit, ipſi refrigerium aliquod effundere per orationes & ſimilia pia opera &c.

EXHORTATIO XXXVI.

Subitanea & improviſa mors, quibus potiſſimùm immineat.

THEMA.

Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Eccleſiaſt. 7.

BEnè Apoſtolus monet 1. Cor. 14. *Nolite pueri effici ſenſibus.* Pueri enim communiter, quæ timenda non ſunt, timent; non timent, quæ timenda ſunt. Ita S. Chryſoſtomus hom. 5. ad populum Antioch. *Etenim*, inquit, *puerilem timemus pavorem, mortem timentes. Pueri enim parui laruas quidem timent, ignem vero non timent: Sed ſi ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconſideratè manum immittunt lucernæ & flammæ: & contemnendam quidem perſonam horreſcunt, at verò timendum ignem non timent: ſic quidem & nos timemus mortem, quæ eſt larua contemptu digna: peccatum verò non timemus, quod eſt verè timendum, & ignis more conſcientiam comedit.* Cæterùm in mortis genere rudes & imperiti maximè timent imprimis immaturam; deindè violentam & acerbam, denique ſubitaneam ſeu repentinam mortem; quæ tamen ſecundum ſe ſpectata; non eſt timenda; quia juſtos ex hujus mundi miſeriis & periculis peccandi eripit, ſæpè etiam expurgat à peccatis admiſſis: transfert ad beatitudinem è medio iniquitatum; quia *placitæ erant Deo animæ eorum*, ait ſapiens Sap. 4. *Populi autem videntes*, addit mox, *& non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos ejus & reſpectus in electos illius.* At verò mortem omnium peſſimam, & quæ ſola eſt mala mors, non æſtimāt, nec timent, eſtque mors improviſa, mors inexpectata, mors indiſpoſita, adeoque mors in peccato. Hæc mors cavenda eſt, quia caveri poteſt: altera illa ſeu immatura, ſeu violenta, ſeu accelerata vitari non poteſt. Ideò Eccleſiaſtes monet. c. 6. *Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo;* quandò ſcilic. mortem non expectas, nec paratus ad moriendum es. Hoc enim ſtultorum eſt, non prævidere mortem, nec providere ſibi ad eam excipiendam. Sicut è contra prudentes ſunt, qui parati eam expectant, quaſi providentes mortis pericula. Quinam verò ſint, quibus potiſſimum impendeat mortis improviſæ gladius? nunc diſpiciemus.

Nos inſtar puerorum mortem non timēdam timemus peccatum autem meritò timendum non exhorreſcimus.

I. I. Imminet iis, qui peccata peccatis addunt, uti clarè edixit ſapiens, qui ſententiæ citatæ, hæc verba præmittit: *Ne impie agas multum;* tum addit: *Et noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* q. d. ſi peccata agglomeres, & multo tempore in illis perſiſtas, differendo indies pœnitentiam, velut ſtultus & improvidus corripieris a morte, cùm non erit tibi integrum reſipiſcere. Sic enim monet Eccleſ. cap. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Confirmat hoc S. Greg. lib. 15. moral. c. 24. *ſæpe ii*, inquit, *qui diu in iniquitate tolerati ſunt, ſubita morte rapiuntur, ut nec flere antè mortem liceat, quæ peccaverint.* Exemplo eſt Pharao, qui tot plagis admonitus & caſtigatus, cum Deo manus dare nollet, tandem maris rubri fluctibus hauſtus eſt: fruſtrà jam collapſis undis clamans: *Fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contrà nos.* Exod. 14. De illis Maria in cantico ſuo canit: *Deſcenderunt in profundum, quaſi lapis.* Exod. 15. Cur ut lapis? interrogat Origines hom. 6. in Exod c. 15. & reſpondet: *Quia non erant tales lapides, de quibus ſuſcitari poſſent filii Abrahæ, ſed tales qui amarent profundum, & liquidum diligerent elementum, id eſt, qui amaram & fluxam præſentiam rerum caperent voluptatem. Vnde & ipſis dicitur: Demerſi ſunt, quaſi plumbum in aquis validiſſimis.* Lapis aggeſtione ſeu accretione terræ in aqua jacet, ſenſim fit major & ponderoſior; adeoque ad deſcenſum in maris fundum pronior: ita peccator addendo ſemper nova peccata prioribus, fit tam gravis, ut tandem repentè deſcendat in infernum. Hujuſmodi Lapis fuit, de quo noſter P. Recupitus in Opuſc. de ſignis prædeſtin. c. 4. ſcribit in hunc modum: *Novi adoleſcentem nobilem, qui laſciuis amoribus implicatus dictitabat, ſatis ſibi fore ad ſalutem, ſi ante mortem unam horam vel alteram ad pœnitendum haberet. Enim verò tunc actum à ſe perfectæ contritionis eliciendum, quo ſaluus fieret. Infalix, cum quadam nocte poſt epulas ad peccandum accederet, repentino lapſu confracta ceruice, non una aut altera, ſed nouem aut decem horis ſuperuixit ſine voce, ſine ſenſu: ac nullo edito pœnitentiæ ſigno miſerè periit.* Amphora rimoſa in aquis natat parumper, dum ſenſim haurit aquam: cum verò impleta fuerit, repentè demergitur. Id accidit Judæis, quibus Matth. 23. Christus dixit: *Implete* h. e. implebitis *menſuram patrum veſtrorum.* Poſtquam enim partim occiderunt, partim diſperſerunt Apoſtolos: cum Paſcha ſuum celebrarent, repentè à Veſpaſiano cincti incluſi & demum internecione deleti ſunt. Recentius eſt, quod ſcripſere ex Inſulis Philippinis Patres noſtri Manillani ad nos de quodam, qui cum pertinaci animo amicorum conſilia repudiaret, à pellicatu illum educere conantium; hoc etiam reſponſum addebat fatuus: *Longum reſtat. Quadrageſimæ tempus.* Verùm ſtatim ut verba dedit, breviati ſunt dies ei, qui longos ſibi ad pœnitentiam reſtare putabat; etiam confeſtim concidit exanimato ſimilis:

Imminet iis, qui peccata peccatis accumulant.

Terribile exemplum procraſtinantis pœnitentiam.

Aliud horrendum exemplum.

parvo-

perpetuum & indissolubile: Si dividere mihi poterunt quinarium numerum in duas æquales partes, permittam etiam ut conjugium possit dissolvi; nisi residuus numerus impar tollatur, quod fit per mortem alterius conjugis.

VIII. *Homo aliorum auxilio indigens despicatui haberi solet.*

VIII. Puer, quem *Camillum* vocabant, gerebat in vase operto, quod *Cumerum* dicebatur, utensilia quædam sponsæ, quæ nemini patebant; uti scribit Varro l. 6. linguæ lat. Sextus Pomp. & alii. Quid hoc sibi voluerit, non explicant. Mihi videtur id bene explicare D. Chrys. hom. 28. in Ep. ad Hebr. *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecus*, inquit, *Iis indusre. Nam & ab innumerabilibus aliis malis te liberaveris, & maritum à solicitudine, & te à cura. Sic enim eris marito reverenda, quando paucis egueris. Solet enim homo quilibet dissimulare, & eos despicatui habere, qui ipso indigent. Quando autem viderit non opus habere, fastum deprimit & insolentiam. Quo fit ut pari tecum honore differat. Quando viderit maritus te in nullo ejus egere, & ejus dona despicere, etiamsi sint egentes ejus spiritus & magna animi elatio, tunc te magis reverebitur, quam indutam aureis ornamentis. Nec eris amplius ejus ancilla. Nam quorum egemus, necesse habemus nos eis submittere. Sin autem nos abduxerimus, non erimus amplius obnoxii; Sed scit, quod propter Dei timorem aliquam ei tribuimus obedientiam, non propter ea, quæ ab ipso proficiscuntur.*

IX. *Uxores quasi unxores dictæ, quia portes Ianuæ oleo inungebantur.*

IX. Postes januæ, quâ introducenda erat sponsa oleo vel adipe inungebantur: unde uxores quasi unxores dictas putabant. Ita Servius in 4. Æneid. Quid hæc unctio, nisi amor est? Unde cardines oleo, & sine stridore movebuntur, absque difficultate. Ita ubi amor est, ibi omnia suaviter & sine murmure fiunt. Hinc jubet Apostolus ad Tit. c. 2. adolescentulas doceri, *ut ament viros*. Ubi S. Chrysost. hom. 4. scribit: *Præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere poterit. Quo pacto enim cùm caput corpori connexum, conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dispensio possit exoriri? Necessario profecto reliqua omnia in pace sunt. Principibus namque pacatis, qui jam pacem dividere possit atque discindere?* Et mox: *Ea quippe dilectionis est vis, ubicunque illius fragrantia odor aspirat, nihil omnino triste, nihil ingratum irrumpere poterit.*

X. *Olim mos, ut non nova nupta in ædes introducenda, ut limen transiliret.*

X. Peractâ unctione nova nupta limen transiliebat, eoque modo in ædes inducebatur; religioni enim ducebant, sed superstitiosè, si ingrediendo limen tangeret; Unde Plutarchus in *Quæst. Rom. q. 29.* sublatam transportari consuevisse scribit. Ecur verò? ut intelligeret sibi è domo non esse exeundum, ad alium scilicet virum, nec facilè domum deserendam. Lepores & ursi saltu intiant sua cubilia, ne à Venatoribus deprehendantur. Sic forsan illa Sponsa intrare in domum suam voluit, ut ne alteri amatori ad eam accessus esset. Laudandum etiam si ita intravit, ut non nisi vi ejiciatur, sicut introducta fuit; quod Plutarchus existimat, qui etiam scribit: *Ægyptias mulieres calceis uti, patrius mos non fuit, ut domi continerentur*, apud Lud. Vivem lib. de Christiana fœmina. Sic igitur intret Sponsa in domum sponsi, quasi ibi mansura, nec alienum admissura, nec facilè è sua in alienas domos evagatura, portas quoque sensuum aliis clausura.

XI. *Olim novæ nuptæ ingredienti domum, claves tradebantur.*

XI. Ingressa domum nupta claves domûs à viro accipiet, ut rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domum ac rei familiaris administrationem dispensationemque permitti sibi intelligeret. *Neque enim omnia*, ait D. Chrys. in 1. ad Cor. ho. 34. *Viro permisit Deus, neque omnia mulieri. Mulieri quidem domum, viro autem forum tradidit: & viro quidem dedit, ut aleret, nam agros colit; mulieri autem ut vestiret; tela enim & colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mulieri texendi artem & industriam. Sed pereat avaritia, quæ non sinit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignavia & mollities etiam viros ad telas deduxit, & radios eis in manum tradidit, liciûque & stamen.* Neque etiam omne docendi genus Deus abstulit mulieribus, cum Apostolus ad Tit. 2. jubeat eas *docere, quod bonum est*. Quo loco idem Chrys. ho. 4. ait: *Quâ ratione docendi ministerium eis hoc loco permittit, cum alibi dicat. Mulieri docere non permitto? sed audi, quod sequitur: Neq; præesse viro. Viris nempe docere permittitur & viros & mulieres. Cæterum mulieri domi tantum exhortationis permittit verbum, nunquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omninò sermonem intendere.*

XII. *Olim nova nupta aqua & igne excipiebatur, ut sciret sibi cum marito solo omnes adversitates esse perferendas.*

XII. Aqua & igne excipiebatur, teste Plut. q. 1. ut sciret sibi cum viro vivendum tametsi præter aquam & ignem nihil suppeteret: imò licet aqua & igne interdicerentur, adeoque in exilium pellerentur, quæ erat civium Romanorum capitalis. Mirum hujus fidelitatis præbuit exemplum Herodias illa, cæteroquin impia fæmina; cum enim Cajus Imp. Herodem Lugdunum Galliæ ad perpetuum exilium condemnâsset, ejus Herodiadi, in Agrippæ fratris gratiam se parsurum promisit. At illa ad hæc: *Tu quidem Imperator, ut tua Majestate dignum est loqueris: sed mihi conjugalis amor impedimento est, quò minus fruar hâc indulgentiâ, non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram.* Sicque una cum Herode perrexit in exilium. Refert Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 9. Cæterum ignem & aquam tangere sponsa debebat, ut scribit idem Plutarchus q. 5. additque rationem: *Quia*, inquit, *ignis lustrat, aqua purgat. Debet autem quæ nubit, puritatem ac castitatem conservare.*

XIII. *Nuces olim jaciebantur pueris, ratio ut sciant conjuges se nugis puerilibus nuncium misisse.*

XIII. Denique nuces jaciebantur & spargebantur pueris, eas diripientibus, juxta id Virgilii Eclo. ga 8. *Sparge marite nuces*: sive ut se puerilibus omnibus ludis renunciare & juvenilia ludicra cuncta relinquere eo indicio testarentur maritus & uxor: sive quia nuces gemino essent operimento, ut signifi-

significarent thorum maritalem quam optimè opertum & absconditum esse debere; quemadmodum & lectulum suum Salomon sexaginta viris fortibus munivit. *Cantic.3.* Eccur verò, nisi ut fiat, quod Apostolus ad Hebr. 13. monet: *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus: Fornicatores autem & adulteros judicabit Deus?* Duplici igitur muro, & sexaginta, & sexaginta fortibus cingant lectulum suum conjuges, ne in tremendum Dei judicium incidant.

Atque hæc sunt vasa aurea & argentea, hæ vestes complures, quas à Gentilibus commodatò accipiendas, imò rapiendas vobis suadeo, novi conjuges; ut his utensilibus, non quidem eo modo, quo utebantur cæci Ethnici, & vos utamini, sed ut juxta eum sensum, quem explicui, domos vestras instruatis & locupletetis: non lapideas illas, sed spirituales, animas inquam vestras, ut his ditati cum lætitia pergere in cæpto vestro itinere ac demum in terram illam promissam cælesti lacte & melle manantem fæliciter pervenire valeatis.

EXHORTATIO XXIX.

Sponsorum Exemplar S. Joseph.

Ponitur pro speculo omnibus conjugatis S. Joseph.

CUm fame diuturnâ premerentur Ægyptii in annis illis sterilibus, narratur *in l. Gen. cap. 41.* venisse eos ad Pharaonem Regem & alimenta efflagitasse. Pharao eos ad Josephum Proregem suum misit dicens: *Ite ad Joseph, & quidquid ipse dixerit vobis, facite.* Aperuitque Joseph horrea Regis & impertivit subditis commeatum. Non dubito, quin sponsus hic noster eo fine hic in facie Ecclesiæ adstet, ut, non quidem à Rege Pharaone, sed à rege cœlorum, Deo, spiritualem commeatum accipiat, pro instituenda, gubernanda & conservanda suâ domo ac familia. Unde verò eum petet? utique à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat. Verùm quia Deus mediis suis creaturis ac servis prospicere homini de necessariis rebus solet, remittere mihi videtur sponsum nostrum ad Procuratorem suum Joseph, qui cum fuerit nutritius filius ejus, & sponsus matris, ejus, omni ex parte integerrimus & custos fidelissimus, utique ei annonam & commeatum dabit, modo is observet, quæcunque ei Joseph dixerit. Ito igitur ad Joseph, bone Sponse, & quidquid ipse dixerit tibi, facito; & habebis id quod postulas. Quid igitur ille dicit? Non invenio in Evangelio toto vel unicum Josephi verbum, quod ore suo protulerit; adeò modestus & Pythagorico silentio totus addictus fuit; sed invenio quæ fecit. Itaque facta ejus verba nobis erunt & salutaria monita eò efficaciora, quò facta verbis sunt præstantiora.

I. Igitur dicit sponso & cuivis Patrifamilias: I.
Esto justus, sicut & ego fui: De Josepho enim ait S. Matthæus cap. 1. *Joseph autem cum esset justus.* hoc est, vir frugi & bonus, omni virtute præditus, ut exponit S. Chrysost. Quis autem est justus? Respondet S. Joannes ep. 1. cap 3. *Qui facit justitiam, justus est.* Quis autem facit justitiam, nisi qui servat Dei mandata? Hinc enim de parentibus Joannis Baptistæ ait Luc. cap. 1. *Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* q. d. ideò erant justi, quia servabant omnia Dei mandata; quæ propterea etiam justificationes appellat, quia si serventur, hominem justum efficiunt per Christi merita. Jam verò si Christiani conjuges justi sint, adeoque si præcepta Dei observent, quid non bonorum sperare à Deo in conjugio suo possunt? Videamus Sanctissimos illos conjuges Joseph & Mariam, quando tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Nonne *benedixit eis Simeon?* Id asserit S. Lucas. Eccur verò, nisi quia vidit illos Præceptorum Dei tam observantes. Stiterunt enim infantem Deo, *sicut scriptum est in lege Domini*: obtulerunt pro eo hostiam, *secundum quod dictum est in lege Domini.* Luc. 2. Illis enim promissa est benedictio Dei, qui legem Dei observant, ut habetur Deuter. 28. *Venient super te universæ benedictiones istæ, & apprehendent te* (quasi fugientem etiam insecuturæ sint) *si tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu in civitate & benedictus tu in agro &c.* Videant igitur conjuges, ut mandata Dei & Ecclesiæ præ omnibus aliis negotiis cordi sibi habeant; si benedictione Dei potiri volunt: *Nam corporalis exercitatio*, inquit Apostolus 1. ad Timoth. 4. *ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est; promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Hinc Theodosius Imper. totam Christiani hominis fælicitatem in pietate ponebat; qui & moriens, ut ait Nicephorus *lib. 13. cap. 1.* nil tam impense commendavit filiis suis, quam ut veram pietatem conservarent, per quam pax & omnia bona florerent. Eò spectat, quod S. Ambrosius l. 5. ep. ad Valentinianum Imp. scripsit. *Si vis diutius imperare, esto Deo subditus.* Denique pietatis cultores etiam conjugatos, prospere in omnibus egisse ostendunt exempla plurima in Constantino M. Carolo M. Theodosio utroque, S. Henrico, Rudolpho I. Imp. aliisque quos recenset Lipsius in Monitis suis *Polit. c. 2. mon. 2.*

Maritatis servantibus legem Dei promissa est benedictio divina.

II. Dicit: Industria & labore tuo sustenta & conserva uxorem & liberos tuos, sicut & ego feci. Quam industrius fuerit Josephus patet ex multis. In primis ex eo, quòd semel iterumque jussus de nocte surgere & in exteras terras cum conjuge & filio ejus migrare, nihil moræ interposuit, nihil excusationis prætendit, sed illico consurgens nocte statim itineri se commisit. Deinde ex eo, quod ipse labore manuum fabrili scilicet opificio fami- II.

S. Josephus sponsum admonet, ut & ipse labore & industria uxorem liberosque sustentet.

liam

liam ſuam aluerit; conjugem & filium ejus, tametſi is Joſephi naturalis filius non eſſet. Pauperem fuiſſe Joſephum non eſt dubium; ſiquidem in Bethlehem non habuit locum in diverſorio. Dives ſi fuiſſet, locum dubio procul reperiſſet. *Pauper ubique jacet.* Neceſſe igitur habuit, labore & opificio ſuo quærere panem familiæ, præſertim in Ægypto, ubi exul inter Gentiles Judæis infenſos, commoratus eſt per annos ſeptem, ex communiori ſententia. Ergo S. Joſephus ſponſum iſtum admonet, ut & ipſe labore & induſtriâ ſuâ uxorem, & ſi quos â Deo acceperit liberos, ſuſtentet & conſervet; hoc enim ejus munus eſt; teſte Salomone, qui Prov. 24. ait: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut poſtea ædifices domum tuam.* Ædificare domum in ſcripturis ſacris eſt domui ſuæ proſpicere, ut conſervetur, creſcat & firma conſiſtat. Hoc ut fiat, viderit ſponſus, viderit pater familias: procuret alimenta, egrediatur in agrum, ſeminet ſi vult metere, & inde ædificare, augere & ſtabilire domum ſuam. Sed quæſtio eſt, cui foris jubeatur præparare opus ſuum. Quid ni ſicut ipſe, qui hoc dixit, Salomon ita extruxit domum Dei, templum, ut non audiretur malleus aut ſecuris aut omne ferramentum in domo; 3. Reg. 6. quia ſcil. foris extra templum lapides & ligna præparabantur, ut ſine ſtrepitu in templo aptarentur. Ita aget Paterfamilias, foris domui ſuæ de omnibus providebit, ut non habeat opus domi ſuæ litigare cum uxore, liberis & ſervis, ac dicere: Quare hæc non fiunt? quaſi iſta non ſunt facta? Ipſe enim foris agens, rebus omnibus neceſſariis conſulere tenetur. Uxor intra domum maneat, & domeſtica diſponat. Sed quid ſi ſponſus nobilis ſit, adeoque laborem fugiat? Audiat Joſephum, qui & ipſe nobilis fuit de familia David Regia, & tamen mechanico opere, ſe ſuosque alere minimè dubitavit. Cur hoc? quia, ut ait Eccleſiaſticus cap. 10. *Melior eſt, qui operatur & abundat in omnibus, quam qui gloriatur* (de nobilitate ſcilicet) *& eget pane.* Intellexit hoc Alphonſus Rex Aragoniæ ſapientiſſimus, qui decies & quater perlegit S. Biblia; Is enim cum à Marco Siculo, eximiæ Sanctitatis Viro reprehenderetur, quòd propriis manibus laboraret, ſubridens: *Nunquid Deus & natura,* inquit; *Regibus nequidquam manus dederunt?* Refert Panormit. l. 2. de rebus ejus geſtis. Hoc idem videtur dicere S. Joſephus, qui è ſtirpe licet Davidica oriundus, fabrile opus non refugit; ut familiam ſuam aleret.

III. *Monet S. Ioſephus ſponſum, ſponſam ut amet, exemplo ſui.*

III. Dicit Sponſo: Ama ſponſam tuam, ſicut ego amavi meam. Quâ ratione, inquis? Quia cum viderem eam prægnantem, nec cauſam intelligerem nolui occultè dimittere illam; malens ipſe in exilium abire, quam uxorem dilectam, etiamſi fortè peccaſſet (quod neſciebat) periculo infamiæ & mortis exponere. Sed vide quid agas Joſeph. Nonne tuâ fugâ teipſum proſcribis & velut deſertorem ſponſæ condemnas? Quidquid de hoc ſit, inquit: ego pati quidvis malo; quam ut videam patientem ſponſam meam. O ſponſum admirabilem! qui ut gladio imminenti ſponſam ſubtraheret, caput ſuum ſubſtituit. Maximum quidem amorem erga conjuges præ ſe tulerunt Tigranes, Rex Armeniæ, & Tiberius Gracchus, uti alibi diximus: quorum ille vitam ſuam pro redemptione uxoris Cyro, Perſarum Regi obtulit auct. Xenophonte: iſte verò mori præ uxore maluit, jubens necari maſculum anguem, qui ipſum: ſervari fæmellam, quæ conjugem portendebat, auct. Val. Maximo. Sed parum iſti præſtiterunt, cum Joſepho comparati. Nam mortem amplecti parati erant pro uxoribus, quas ſibi fideliſſimas & amantiſſimas norant: at vero S. Joſeph pro illa famam proſtituere ſuam adeoque vitam etiam non dubitavit, quam de fide & amore ſuo ſuſpectam habuit: adeoque maluit ipſe ſupplicium ſubire, quam chariſſimam conjugem ſubjicere ſupplicio, quam ream eſſe aut ſuſpicabatur, aut certè metuebat. Ita enim ſanctus Auguſtinus ſer. 16. de Verb. Dom. *Attende,* inquit, *quemadmodum vir juſtus Ioſeph, tanto flagitio, quod de uxore fuerat ſuſpicatus, tantâ benignitate pepercit, antequam ſciret unde illa conceperat, quia gravidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe noverat; reſtabit itaque certa adulterii ſuſpicio. Mariti dolor non vindictam quæſivit; voluit prodeſſe peccatrici, non punire peccantem* &c. Et ep. 54. ad Macedonium. *Ioſeph cum Virginem nihil aliud, quam adulteram credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit.* Quin imò ſeipſum potius in exilium & extremam calamitatem condemnare maluit. Audiant hoc ſponſi & mariti, ne conſortes ſuas ſtatim averſentur & infamiæ exponant ob eorum exceſſus aliquos: multò minùs, cum ſolummodo ſuſpectas de alieno amore habent. Audiant Joſephum facem amoris conjugalis ſibi præferentem.

IV. *Vult S. Ioſephus ſponſum, ſponſam honorare ſicut & ipſe honoravit*

IV. Dicit Sponſo: Honora ſponſam tuam, ſicut ego honoravi meam. Quando & quo honore affecit? Primò, uti jam indicavimus, dum honori ejus conſuluit, adeo ut etiamſi rea eſſet, nollet eam traducere, hoc eſt publicæ infamiæ exponere; deſiderans ſaltem ſopire & ſepelire ejus delictum (ſi tamen deliquiſſet) ne honeſtiſſimæ conjugi labem aſpergeret. Unde S. Chryſoſtomus ho. 4. in Matth. ſcribit: *Certè ſi Maria talis fuiſſet, qualem illam ſuſpicio fingebat, non modo publicari meruerat, verùm etiam ex legis auctoritate puniri: ſed Ioſeph non ſolum majus, ſed id quoque, quod erat minus, pariter indulſit nempe pudorem. Non enim tantùm eam damnare noluit, ſed ne publicare quidem. Vidiſti nempe Virum ſublimiter Philoſophantem, &c.* Audiant hoc viri, qui licet nondum certi de uxorum tranſgreſſione, ſtatim eas judicant, averſantur & condemnant; quam diſſimiles ſint Joſepho. Atque ut magis inſtruantur, audiant eum rurſum non loquentem, ſed ſilentem & per ſilentium conjugem ſuam honore prævenientem. Ipſe enim licet

licet pater Christi matrimonialis, adeoque præses sanctæ suæ familiæ esset, non tantum voluit prior alloqui & interrogare filium Jesum, quamobrem ipso & matre insciis remansisset in Jerusalem per triduum; sed cum honorem conjugi suæ concessit, quasi digniori, & naturali ejus matri. Ad hæc cum vidisset eam à montanis reducem, gestare uterum, non est ausus interrogare eam, quidnam ei accidisset, & unde gravida esset; utique ex reverentia, cum sciret eam alioquin omni virtute præditam, Deoque conjunctissimam semper fuisse. Denique cum iter faciendum esset, non dubium quin sponsam in jumentum sublatam pedes ipse consecutus fuerit; uti semper pingi solet. Docentur ergò à Josepho mariti, quid honoris & reverentiæ suis debeant conjugibus, ut scilicet honoratiorem locum subinde, cum id consuetudo loci vel alia ratio dictat, eis deferant, nec probrosa nomina dent; sed meminerint quod monet S. Petrus ep. 1. cap. 3. *quasi infirmiori vasculo honorem impertiri, tanquam cohæredi gratiæ vitæ.* Sic enim vitrea & crystallina vascula cautius gestamus & asservamus, quam argentea; non quod sint pretiosiora, sed quod fragiliora & acceptiora.

V. *Sponsus nec in lætis nec in tristibus deseret sponsam suam.*

V. Dicit sponso: Cave deseras sponsam tuam quacunque occasione, seu in lætis seu in tristibus rebus. Id enim nec ego feci. Fuit sanè Josephus individuus sponsæ suæ comes, sive blandiente, sive novercante fortunâ: Simul eunt in Bethlehem, evocati edicto Cæsaris: simul pergunt Jerosolymam ad sistendum Dei filium: simul fugiunt in Ægyptum, simul inde redeunt: simul cohabitant in Nazareth, quoad usque mors Josephi eos dirimeret. Sed fortasse semper læta eos arrisit fortuna? Minimè gentium. Excluduntur civitate & diversorio in Bethlehem, & ad stabulum compelluntur: num deseruit conjugem Joseph? Nequaquam. Audiunt Herodem filio sponsæ iratum & necem machinantem. Num fugit ab ea Joseph? minimè gentium. Audiunt sibi emigrandum itinere prolixo in Ægyptum propter Jesum. Num solam ablegavit eò matrem cum filio & ipse domi remansit? Nullo modo. Sed & ipse una cum conjuge exulare voluit; Manendum in Ægypto inter barbaros erat, usque dum monerentur divinitus. Discessitne interea Joseph à conjuge moræ prælongæ & incertæ impatiens? Haud quaquam; sed per omnia adversantia constanter ei adhæsit usque ad mortem. Hoc est, quod in nuptiis proponi & inculcari solet sponsis, ut videlicet tam in prosperis quam in adversis se mutuo non deserant. Nec video profectò quâ ratione id fieri queat. Cùm enim vir & uxor sint *unum animal*, ut loquitur Sanctus Chrysostomus homil. 17. in Matthæum sicut anima rationalis & corpus constituunt unum hominem, nonne si unus alterum deserat, se ipsum quasi necat? Si cui moritur uxor, is uxorem quidem non habet, sed potest aliam ducere. Qui autem uxorem deserit, is nec uxorem habet, nec aliam potest ducere. Sanctus Ambrosius in lib. de Paradiso cap. 11. ait talem virum quasi *sine domo* esse; siquidem dicitur Genes. 2. ædificata esse à Deo, quasi domus Adami scilicet: *Bene ædificavit, dixit, ubi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro & muliere domus videtur quædam plena esse perfectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic habetur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.* Ex quo perspicimus eum, qui uxorem suam deserit aut expellit, seipsum domum spoliare. Sed audiamus rursum Ambrosium l. 8. in Luc. ita loquentem: *Audi quid dixerit Dominus: qui dimittit uxorem, facit eam mæchari. Etenim cui non licet vivente viro mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque qui author erroris, etiam reus culpæ est. Quò cum parvulis fœta dimittitur? Quo titubanti vestigio grandæva detruditur? Durum, si excludas parentem, pignora teneas: ut ad contumeliam charitatis addas etiam pietatis injuriam? Durius si propter matrem filios simul pellas, cum magis redimere à patre debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adulescentulæ ætatem errori offeras. Quam impium, si ejus destituas senectutem, cujus defloraveris juventutem?* &c.

Proponitur in exemplum S. Ioseph omnibus maritatis.

Sed finiamus & pro conclusione redeamus ad Josephum, quem tibi, sponse, in exemplar & præceptorem proposui. Si alimenta domui tuæ, si fœlicem in conjugio tuo progressum, si Dei benedictionem desideras, ito ad Joseph, & quidquid ille tibi in hac exhortatione dixit, facito. Imitare inquam facta illius, sequere vestigia ejus. Cole Deum, labores manuum tuarum manduca, ama, venerare & ne desere conjugem. *Sic beatus es, & bene tibi erit.*

EXHORTATIO XXX.

Sponsarum Idea S. Maria Virgo.

QUando Deus mandavit Moysi, ut tabernaculum seu Sanctuarium, in quo inhabitaret, in deserto sibi extrueret, prius id delineavit in monte Sinai, & exemplar ei proposuit, ad illius formam ædificandum, addens: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. Sensu allegorico per hoc Tabernaculum rectè intelligimus Sanct. Mariam Virginem, in qua Dei filius novem mensibus habitare voluit. Unde Psalm. 18. de eâ dixit David: *In sole* h. e. in manifestatione lucis Evangelicæ, *posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ubi Hugo Card. *Tabernaculum,* inquit, *fuit B. Virgo, in qua ipse armavit se armis nostræ mortalitatis.* Tabernaculum hoc delineavit & effinxit Deus in Monte Nazareth, siquidem

illa,

illa *Luc.c.4.* teste, in monte sita fuit, & proposuit in exemplar Nuptis & uxoribus Christianis, ut juxta formam illam & ipsæ domos suas ædificent; secundum id Prov.14. *Sapiens mulier ædificat domum suã.* h.e. erigit, conservat, locupletat. Quod ut faciat etiam sponsa præsens sponso suo, proponemus ei in exemplum sapientissimam & sanctissimam illam S. Josephi sponsam, Dei matrem.

I. *Uxoris bonæ est maritũ semper amore prosequi.*

I. Bonæ conjugis est, amare virum suum. Ita enim Apostolus *ad Tit. 2.* doceri vult adolescentulas, ut *ament viros suos.* Quantum verò amarit Maria V. Sponsum suum, inde colligit S. Bernardinus Senensis tom.3. ser. de Joseph. *Quia reverà Virgo,* inquit, *quanta erat unitas matrimonii in spirituali amore, agnoscebat; & sciebat Iosephum sibi à Spiritu S. datum in sponsum, & in suæ virginitatis fidum custodem, & ad participandum secum in charitatis amore, & obsequiosa solicitudine erga divinissimam prolem Dei: ideò credo, quod totius ex cordis affectu eum sincerissimè diligebat. Ampliùs cùm omnia, quæ sunt uxoris, sint viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibebat.* Itaq; sponsa Josephi inprimis optimè agnovit se cum sponso suo unum quid efficere, ipsumque esse quasi animam suam, se verò corpus ejus; quomodo igitur non potuit non maximoperè eum diligere? Deinde novit illum peculiari Dei providentia sibi adjunctum, vel ut fidelissimum Virginitatis suæ, quam præ omnibus thesauris dilexit, custodem quasi angelum terrestrem. Quis autem non tenerrimè diligat eum, cujus custodiæ & vigilantiæ debet thesaurum suum? Denique perspexit communem secum curam de filio gerendum Josepho demandatam esse: quomodo non maxima animorum unione hanc curam susceperunt & gesserunt? Non absimiles causæ sunt, quæ urgent sponsas alias, ut & ipsæ viros suos ament integerrimè. Sunt enim unum quid cum illis: acceperunt eos, ut tutores & custodes suos Dei providentia ac munere: pari cura educant proles suas, parique amore prosequuntur, denique omnia sua communia habent. Cæterum uxor eò magis obligatur ad diligendum virum, quo novit bona matrimonii à viro velut à capite in se derivari. Diligimus enim caput plus, quam cætera membra; & hæc pro conservando illo exponimus.

Proponitur in exemplum S. Ioseph omnibus maritatis.

II. *Uxoris bonæ est ut honore & reverentia maritum semper prosequatur.*

II. Bonæ conjugis est reverentiâ & honore prosequi maritum. Hoc enim sibi vult Apost. cùm ad Eph.5. scribit: *Uxor autem timeat virum suum,* id est, *revereatur,* ait S. Hieronymus, *virum suum:* sicut Ecclesia reveretur & colit Christum. In Epist. ad Titum, ut diximus, jubet, ut amet uxor virum, in hac ad Ephesios, jubet ut timeat virum. Itaq; sic vult eam amare virum, ut eam timeat: sic timere, ut etiam amet. *Ex quibus affectibus commixtis,* inquit Estius, *resultat reverentia, quam debent Viris suis uxores.* Quanta autem reverentia coluerit sponsum suum MARIA V. colligo inprimis ex eo, quod cùm uterum ferret, non indicarit causam sponso suo. Non dubito equidem, quin fiduciam habuerit in Deo, se, suumq; honorem ab eo defendendum; nihilominus cum facilè & naturali via seipsam defendere posset, informando sponsum de re gesta, cur id non fecit? Ego sanè arbitror præ reverentia erga sponsum non fuisse ausam edicere veritatem, ne ipse rem tam miram audiendo putaret sibi à sponsa sua fabulam narrari. Certè nisi sancta aliqua reverentia illam cohibuisset, utiq; factum gaudio & honore plenum sponso amantissimo quamprimum aperuisset, utpotè & ipsi valde honorificum. Deinde colligo ex ejus sermone, quo filium Jerosolymis repertum est allocuta in hunc modum: *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ubi inprimis virum suum reverenter & honorificè præponit. Qua de re S. Augustinus in ser. quodam de Christi parentibus scribit modestiæ fuisse Virginis, quod non dixerit: Ego & Pater tuus: sed Pater tuus & ego. *Christum,* inquit, *pepererat, angelus ad eam venerat, & dixerat ei: Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Meruerat parere filium altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & Pater tuus; sed Pater tuus,* inquit, *& ego.* Præterea honoratissimo titulo sponsum appellat *Patrem* Christi; tametsi norat naturalem ejus patrem non esse. Considerabat enim, quod ratione matrimonii sui saltem jus aliquod paternum in filium uxoris haberet, & quod caput esset familiæ suæ. Noluit ergo sponsum, aut Josephum, aut maritum (tametsi & hoc nomen dignitatis est) appellare, sed quæsivit prædicatum honoratius, quoquo modo ei competens, reverentiæ causa. Eò spectat, quod S. Ignatius Episcopus Antiochenus & Martyr in Ep. ad Antioch. scribit: *Mulier honorificent viros suos, & non audeant eos proprio nomine vocare.* Quo ergo alio, sancte Ignati? Utiq; honoratiore & digniore aliquo, v.g. Domini, ut Sara Abrahamum; vel patris, ut B. Virgo. In hoc præceptum S. Ignatii, in exemplum quoq; Deiparæ aspiciant uxores, & inprimis caveant ne probro aspergant, vel abjecto vocabulo compellent maritos; siquidem id & debitæ observantiæ repugnat, & maximam inter conjuges simultatem, dissidium & odium excitat. Audiant uxores S. Chrysostomum hom. 20. in Ep. ad Ehph. *Non dicat uxor marito: Ignave, timide, torpore plene & hebetudine, piger & somnolente. Hic aut ille humilis & abjectus, & humili loco natus, aditis periculis & susceptis peregrinationibus magnas paravit facultates, & uxor ejus gestat aurum & recta in curru multorum alborum progreditur, in omnem partem circumfertur, habet greges famulorum & agmina Eunuchorum; tu autem metuis frustraq; vivis & inutiliter. Ne hæc dicat uxor, & quæ sunt his similia. Est enim corpus, non ut imperet capiti, sed ut pariat atque obediat.* Sic ille.

III. Bonæ conjugis est, parere marito, juxta id

III. Conjugis bonæ est ad nutum mariti nutum omnia dirigere.

1. Petri 3. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Nulla verò unquam obsequentior viro sponsa fuit, quam Maria V. Ipsa enim cùm esset Dei Mater, adeoque sublimior dignviorque non solum omnibus mundi Reginis, sed omnibus etiam Angelis, ad nutum semper obedivit sponso suo, longè se inferiori: atq; ita simpliciter obedivit, ut posset ei dicere illud Psalmi 72. *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Quemadmodum enim servus domesticus solvit jumentum à præsepio, & ducit quà vult: & jumentum sequitur, non resistens, nec interrogans, quorsum ducatur aut quid agendum sibi sit: ita S. Joseph duxit sponsam suam, quacunq; voluit, neq; ipsa unquam vel restitit, vel interrogavit, quò duceretur, quid factu opus, quamdiu in hoc vel illo loco manendum esset. Monet Angelus: *Accipe puerum & matrem ejus & fuge in Ægyptum &c.* Et rursum: *Accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel.* Matth. 2. q. d. accipe statuam mulieris gestantis infantem in ulnis suis & ferto in Judæam. Non loquitur Angelus Mariæ, non interrogat eam sponsus, an secum abire in Ægyptum, ibique tamdiu manere velit: nec ipsa de hoc interrogat sponsum: sed quasi pupa aliqua portari se ab infante sinit; ut bene de ipsa prædictum velit S. Ambrosius in Exhort. ad Virgines, ab Isaia c. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulachra Ægypti à facie ejus.* Dicat Ambrosius, quæ sit ista nubes. *Nubem itaque dixit Mariam, ait, quia carnem gerebat levem, quia Virgo erat, nullis oneribus gravata conjugii.* Ad hæc sicut nubes imbrem fert & effundit super terram: ita Maria Christum tulit, & mundo effudit; unde à S. Ignatio in ep. ad ipsam data, appellatur Christifera. Ut ergo nubes à vento quaquaversum circumfertur, nec resistit: ita B. Virgo à sponso suo sese circumduci passa est, modò in Ægyptum, modo in terram Israël & Nazareth, modò rursum Jerosolymam tempore Paschali. Nonne ad conspectum hujus nubis commoveri sponsæ & uxores aliæ deberent, seque & ipsæ coram viris suis ad obediendum prosternere, uti simulachra Ægypti, quæ ad ingressum Deiparæ corruerunt? Certè & ipsæ quædam nubes sunt, ideo Nuptæ dictæ quòd velatæ, quo modo nubes cælum obvelant. Cæterùm respectu Mariæ simulachra duntaxat & fictæ conjuges sunt. Itaq; Ideæ illi, Deiparæ se conformare studeant.

IV. Conjugis bonæ officiũ est in omnibus maritum adjuvare.

IV. Bonæ conjugis est, adjuvare maritum & ad ejus obsequia manum ei porrigere. Idcirco enim viro data est *in adjutorium simile ei.* Talem se exhibuisse sponso suo Mariam V. inde patet, quod ipsa in domuncula sua paupere hera simul & famula fuerit. Quæ enim fuit, quæ mox natum ejus infantem fasciis involvit & reclinavit in præsepio? Nonne illa ipsa? Et si famula caruit, quis domi cibos paravit? quis vestes confecit, nisi ipsa? Certè tunicam illam ex omni parte clausam & minimè consutam sive laneam, sive lineam ipsa contexuit, ut docet Euthymius in c. 27. Matth. ex antiqua Ecclesiæ traditione. Præterea D. Epiphanius in vita Virginis Matris sic scribit: *Erat docilis & amans doctrinam, & non solum in sacris literis, sed etiam in lana & lino serico & bysso laborabat. Erat præterea in sapientia & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ & fere conficeret ea, quorum usus in templo erat sacerdotibus.* Adhæc D. Anselmus in l. de Vita Virginis sic habet: *Opus manuum ejus lanæ & lini & serici.* Atque hæc crediderim quidem ordinaria ejus exercitia, aliis mulieribus communia fuisse. Sed quis explicabit nobis cætera, quæ à Spiritu Sancto edocta actitavit? Omnia scilicet illa, quæ Salomon Proverb. 31. mulieri forti & industriæ adscribit (uti explicat noster Salazar) uti inter alia de ipsa dicit, eam in colu & acu exercenda valde edoctam fuisse, stragulatam sibi vestem, purpuram & byssum, ac syndonem fecisse, quæ alia non est, nisi vita omni virtutum genere excultissima, in qua elaboranda & perficienda nunquam non se occupa-rit; & quidem non sibi tantum, sed etiam aliis mulieribus, ut ipsius exemplo & ipsæ laborarent; similemque vestem sibi conficerent. Ait enim de illa Sapiens: *Syndonem fecit ac vendidit.* Hanc ejus syndonem describit & proponit in exemplum Sanctus Ambrosius de Virginibus l. 2. his verbis: *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas vitaque Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendunt.* Moxque ejus virtutes describens pergit: *Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Hæc est Idea non solùm Virginum, sed & Conjugatarum mulierum: hæc stragulata vestis, purpura & byssus, hæc sindon, quam induere deberent. Cæterum cur vestem hanc & sindonem vendidisse dicitur, nisi quia illam & aliis mulieribus vult communem facere,

ita

ita tamen ut emant eam? Quo verò pretio ement? Nimirum *Dii laboribus omnia vendunt.* Laborent igitur strenuè & exerceant se in hujusmodi virtutibus & pretium adnumerabunt. Divinissimæ hujus MARIÆ Deiparæ imitatrix videtur fuisse illa altera Maria, quam salutari jubet S. Paulus in Ep. ad Rom. c. 16. his verbis: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit erga vos.* In quem textum S. Chrysost. scribit: *Audiant & viri & mulieres, non ab armillis, nec à monilibus, neq; ab eunuchis & ancillis, nec à vestibus auro intertextis: sed à perpessis pro veritate sudoribus mulieres ornantur. Nam dicit: Quæ multum laboravit erga vos, &c.* Cum hac quoque Maria multum laborent Conjuges Christianæ; ut pretiosam illam sindonem parare sibi queant. Quando manus acum diu multumque exercet, transmittendo filum, tandem vestis prodit. Pari modo si& ipsæ quotidie virtutum studio incubuerint, tandem virtuosæ evadent, atque ita demum audient:

Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Ad majorem DEI DEIPARÆQUE Gloriam.



Ego





Go ZACHARIAS IGNATIUS *Trinkellius Societatis* IESU *per Austriam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Adm. R. Patre* GOSVVINO NICKEL *Præposito nostro Generali, facultatem concedo, ut Conciones Funebres, & Nuptiales à R. Patre Matthia Fabro p. m. Societatis nostræ Theologo ante ejus mortem conscriptæ, atq; à deputatis ad id Patribus lectæ & approbatæ, typis mandentur. In quorum fidem has literas mea manu subscriptas, Sigilloq; officii munitas dedi. Viennæ 5. Julii 1654.*

ZACHARIAS IGNATIUS TRINCKELLIUS Societatis IESU, Provinciæ Austriæ Præpositus Provincialis m. p.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0030901

